ANNALIVM
ECCLESIASTICORVM
TOMVS XIX.
COMPLECTENS
HISTORIAM
ORTVS & PROGRESSVS
HÆRESVM VETERO-NOVARVM.

ANNALIVM
ECCLESIASTICORVM
TOMVS XIX.
COMPLECTENS
HISTORIAM
ORTVS & PROGRESSVS
HÆRESVM VETERO-NOVARVM.

DE LA LIBRERIA
DEL REAL COLEGIO MAYOR
Reunido de Santa Cruz, y
Santa Catalina.
Æ. C. N.



ANNALIVM ECCLESIASTICORVM POST

ILLVSTRISS. ET REVEREND: DOM.

D. CÆSAREM BARONIVM,

S. R. E. CARDINALEM.
BIBLIOTHECARIVM.

Tomus XIX.

RERVM IN ORBE CRISTIANO AB ANNO Domini 1503. vsque ad Annum Domini 1535. gestarum narrationem complectens.

AVTHORE

R.P. Fr. ABRAHAMO BZOVIO

POLONO, SS. THEOL. DOCTORE,
Ordinis Prædicatorum.

Opus nunc primum in lucem editum.

COLONIÆ AGRIPPINÆ,
Sumptibus Antonii Boëtzeri
HÆREDVM.
ANNO M.DC. XXX.

Cum licentia & facultate Superiorum.

Cum gratia et priuil. Sum. Pontif. Sacræ Cæs. Maiestatis et Christianissimi Regis Francorum, etc.

esta La Libreria El Colegio Real i maior Granada

FERDINANDO II.
CAESARI AVGVSTO PIO VI-
CTORI FELICI MONSTRORVM DOMITORI
TRIVMPHATORI

F. Abraham Bzouius Polonus S. Th. Doctor Ordinis Prædicatorum.

P. V. P.

SI triumphantibus Augustis solenne fuit *pictos (vt ille canebat) ostendere vultus, Maiorum, & stantes in curribus Æmilianos.* Nihil insolẽs ego fecero, si Tuis, Auguste, trophæis in hoc meo Annalium Ecclesiasticorum amphitheatro, tuo nomini sacrato adiunxero, Tuos Max-Æmilianos, Carolos, Ferdinandos; qui tibi in hac pietatis, ac religionis palæstra prælusêre, atq; prælûere. Magnitudo illis, sceptra, regna, felicitas, æternitas, à sacrorum veneratione, & tutela: cũ nõ dubitauerint, pro religione omnia ponere, proque cultu summæ maiestatis, siue propagando, siue propugnando, magnâ sedulitate, ardenti zelo, immensis opibus, inuicto robore satagere. Ita se *humanarum* vt illi, illi *rerum curam gerere existimantes, si diuinæ gloriæ fortiter atq; constanter fuissent famulati:* sique eorum *imperia sacris deseruirent.* Maximus ab hoc studio Max-Æmilianus I. qui primus ausus est, auorum memoria serpentem, hæreticæ prauitatis excetrã, authoritate frenare, & caput illud irreligiosum, quod nouitiam religionem Germaniæ inuehebat, quodq; vno afflatu teterrimam errorũ mephytim exhalabat, religiosâ seueritate premere, & quidem ille fortiùs presisset, nisi benignitatis, & candoris genius, doctus prostratis parcere, deque alieno corio ex suo iudicare, pientissimum Principem, machæram recondere persuasisset. Presit tamen vt potuit: quanquam veritpellem illam Amphisbenam, per omnia momenta in diuersas longè formas euntem, tenere, & opprimere minimè potuerit: insigni documento cæteris, penes quos summa rerum, molliores conatus non semper Hæreticorum obdurata pectora emollire. Successêre in aream, sed iam contra grassantem furentemque hæresim, Carolus V. & Ferdinandus *I.* Cæsares, prudentiâ, pietate, animi magnitudine; verè magni & inclyti, quibus toto vitæ decursu, non aliæ priores, potioresue curæ, quàm perduelles Ecclesiæ Catholicæ, ac Reipublicæ Christianæ, ad obsequium compellere, vel cum repugnassent, & flecti recusassent, frangere, domare, publicamque Ecclesiæ, Imperii,

Orbis vniuerſi ſalutem, deuictis pſeud-Euangelicæ coniurationis Proceribus ſtabilire. Nec infauſto euentu, ſigna pro religione expediuêre; cum in triumphum, aſebiæ faces, & duces, inſolentiâ ſuperſtitionis bacchantes, raro, & inaudito conatu, repreſsêre, vel diſſipauêre. Non tantum æquaſti, verum & anteceſſiſti, Auguſte, veſtigia illorum: cum æmula pietate non minus, quam illi,

Armis tuteris, moribus ornes,
Legibus emendes

Fidem Catholicam, Rempublicam Chriſtianam, Imperium auitum.

Juſtitiæ vindex, inopum pater, omnia curans
Iudiciis releuare pijs.

Etiam tibi certum, imperij fulcrum eſſe pietatem in Deum, venerationem in Cælites, obſeruantiam ſacrorum, tutelam Eccleſiæ, fidei, & religionis Catholicæ vindicias. Ergo, illam, virtutum Reginam tanto excolis ſtudio, vt nihil de patrio Auſtriacæ gentis obſequio remiſiſſe, quin potius addidiſſe videare erga Principum Principem, ſanctiſſimum ſalutis noſtræ pignus, cœlo receptos ciues, Chriſti in terris Vicarium ſacrorum Antiſtites, vel adminiſtros, ipſaque ſacroſancta myſteria; vt niſi Tibi illi, clariſſimi cultoris, & Propugnatoris rei Catholicæ hæreditarios titulos reliquiſſent, Tibi ipſe poſteriſque præclare factorum fama peperiſſes: dum illorum exemplo exardeſcens, non alios tibi hoſtes, quam teterrima ſectarum monſtra, olim calamitatem & vltimum exitium Regnorum molientia deſignas; aduerſus eos vires, opes, omnia tua affers, & confers, vt profligatâ multifariâ impietate priſtinus ſplendor Eccleſiæ redeat, dedicata DEO templa reſtituantur, exulantia ſacra reponantur, fidei Orthodoxæ myſteria pene iam ſepulta reuocentur, debitus religionis cultus per Imperij, & Regnorum Tuorum pomeria, vbi is interciderat, reſumatur; ſatores Zizaniorum, ſeu ſeductores vanitatis procul pellantur; Doctores veritatis & vera mundi lumina, religioſorum virorum Cœtus, quorum precibus Numen placari offenſum, & exemplis ad virtutem componi alij poſſint, introducantur: & in ſumma, vt vniuerſum Imperium, Regnaque Tuis faſcibus ſubiecta ſint *labii vnius*, cordis vnius, corporis vnius, Eccleſiæ ſanctæ, Catholicæ, Apoſtolicæ vnius, ouilis vnius, grex vnus; ſub vno Principe Paſtorum Chriſto, eiuſque Vicario Pontifice Romano. Ceſſiſſe feliciter, & cedere Tibi Tuos iſtos herculeos pluſquam labores, perennis hominum & faſtorum memoria immortalitati conſecrabit; ſuſpiciens in Tua trophoeophora pompa, pedibus tuis calcatos, Pſeud-Euangelij Buccinatores, Anteſignanos hæreſum, Tyrannos animorum, Impietatis duces, Bellonum faces Regeſque ſuperbos; inter quos nouitium illum paucorum quidem dierum, ſed magnis Proteſtantium ex Caluiniani ſtigmatis toto orbe candidatorum factionibus ferocientem, totamque pe-

ne Europam in funus Catholicorum trahentem æternum ridendum ac plorandum!

Qui nimios optabat honores,
Et nimias poſcebat opes, numeroſa parabat
Excelſæ turris tabulata, vnde altior eſſet
Caſus & impulſæ præceps immane ruinæ.

Obſiſtens ille Tibi, dum ad oſtenſam purpuram iuueniliter reſpicit, & Regium Bohemiæ ſceptrum, & mox Cæſareũ diadema (: & quid ni tutelã pietatis ac religionis:) Tibi per ſummum ſcelus auferre properat; bonis & patrio ſolo exutus, eiectuſque apud peſſimos ſuos Conſultores, vagus & profugus exerrat: Victoriarum & trophæorum Tuorum perenne monumentum. *DEVS conterat* reliquum *Sathanam ſub pedibus veſtris*, quod more ſolemni voueo, & auguror. Romæ in meo muſæo apud ſanctum Petrum Kal. Auguſti M.DC XXIX.

FERDINANDO II.

MEDICEO
MAGNO DVCI ETRVRIÆ V.

F. ABRAHAM BZOVIVS Polonus S. Th. Doctor Ordinis Prædicatorum P.F.P.

QVI magnis tuis maternis proauis, Maximiliano I. Carolo V. & Ferdinando I. Augustis, curarum aduersus hæresim gliscentem susceptarum autores, vel inuentores fuêre, Leonem X. & Clementem VII. Tuos paternos Atauos, Maximos Ecclesiæ Catholicæ Pontifices, in hoc Annalium Ecclesiasticorum Tomo XIX. Tibi, inclyte Princeps, repræsento. Gloria hæc est, *& si* omnibus sanctis, *præcipuè tamen maioribus Tuis, & Tibi, quòd hi Tui, consiliis & auctoritate sua Tuos Cæsares animarint,* ad faciendam vindictam in nationibus, increpationes in populis: *à quorum nempè in Lutherum, sectariosq; definitione, non sibi deuiandum illi censuissent, & quicquid illi per decreta, edicta, monitaq; epistolaria constituerant, legem esse putauissent; nè vel subtilioribus artificijs illuderent simplicitati Catholicæ, versipelles, vel commodi speciebus insultarēt veteratores, credulitati, heu nimio, Germanicæ. Ita dum sacrorum Præsides, per saluberrimam prouidentiam occurrerent Ecclesiæ Catholicæ, & Reipublicæ Christianæ ruinis; Cæsares Iudices, & Domini terræ, à magisterio Pontificio* seruire Domino in lætitia *eruditi, armabantur debellare superbos, vt Christus Præstites & Astites Ecclesiæ suæ, per hos Religionis, & eusebiæ vindices, regeret perduelles ferreos* in virga ferrea, & tanquam vas figuli confringeret, vasa contumeliæ ad interitum nata. *Faxit Deus, pientissimæ Tuæ Matris vota, & Religiosissimi Auunculi tui Ferdinandi II. Augusti successus secundare, vt vna cum maioribus tuis Infulatis & Galeatis, cuiuslibet fulgentissimi capacibus triumphi, Tibi quoq; gloria accrescat, vel à sola pietate victrice omnium potestatum, & virtutum. Ita voueo, ita auguror. Romæ apud S. Petrum in meo musæo. Kal. Augusti M.DC.XXIX.*

Censu-

PRIVILEGIVM CAESAREVM.

MATTHIAS Diuinâ fauente clementiâ electus Romanorum Imperator semper Augustus, ac Germaniæ, Hungariæ, Bohemiæ, Dalmatiæ, Croatiæ, Sclauoniæ, &c. Rex, Archidux Austriæ, Dux Burgundiæ, Styriæ, Carinthiæ Carniolæ, & VVirtembergæ, &c. Comes Tirolis, &c. Agnoscimus & notum facimus tenore præsentium vniuersis. Quod cum demissè Nobis exponi curârit noster & Sacri Imperij fidelis dilectus Antonius Boëtzerus, Ciuis & Typographus Colonien sis, sese publico Litteratorum, & vel maximè eorum commodo, quibus Theologiæ studium, & Historiarum cognitio cordi est, Opera omnia Patris M. Abrahami Bzouij Ordinis Prædicatorum, quæ scripsit, quæque in posterum scripturus sit, prælo subijcere, sumptibusque & typis suis in publicum edere decreuisse. Vereri autem, ne quod subinde accidisse malo suo didicerit; æmulorum fraude, quâ lucri captandi causa primas istiusmodi editiones imitari, atq; ita ex alienis sudoribus quæstum facere consueuerint, ipse sperato laboris & impendij sui fructu ad alios translato iniquè fraudetur. Ac proinde supplex Nos rogârit, vt indemnitati suæ hoc loci consulere, ipsumque aduersus quorumcunque machinationes supradictas Priuilegio nostro Cæsareo clementer munire dignaremur. Nos pro benigna animi nostri in rem Litterariâ affectione, precibus istiusmodi haud grauatim annuerimus, vti vigore præsentium annuimus. Ac proinde omnibus ac singulis Typographis, Bibliopolis & alijs quibuscunq; negotiationem librariam exercentibus seriò inhibemus, & vetamus, ne quisquam prædicta Opera, quocunq; modo, character, aut forma, siue integra, siue aliquam eorum partem, citra memorati Antonij Boëtzeri, eiusue hæredum voluntatem & assensum, intra decennium à prima editionis die computandũ recudere, aut alij recudenda dare, siue alibi etiam impressa intra Sacri Romani Imperij Regnorumque & Dominiorum nostrorum hereditariorum fines apportare, vendere, vel distrahere audeat, ac præsumat. Si quis autem Edictum hoc nostrum transgredi, violare, aut contemnere deprehendatur, eum non solùm eiusmodi Libris perperam recusis & apportatis, quos dictus Antonius Boëtzerus, eiusue hæredes vbicunque inuenti fuerint, siue propriâ, siue Magistratus ibidem authoritate atq; auxilio sibi vendicare poterunt, priuandum, sed & pœnâ decem Marcharum auri puri, cuius semis prædicto Boëtzero, eiusue hæredibus, alter verò semis fisco nostro Imperiali fraudis vindicti toties quoties contrafactum fuerit omni spe veniæ sublata mulctandum decernimus. Dummodo tamen eiusmodi Opera nihil in se scandalosum, aut orthodoxæ Religioni Catholicæ, Sacrique Romani Imperij constitutionibus aduersum, vel bonis moribus contrarium, siue in præfatione, siue in contextu, seu aliàs quocunq; modo contineant, & Boëtzerus ipse terna vt minimum dictorum Librorum exemplaria suis sumptibus quamprimum ad Cancellariam Imperialem Aulicam transmiserit. Mandamus ergo Vniuersis nostris, & Sacri Romani Imperij, Regnorumque ac ditionum nostrarum hæreditariarum subditis, cuiuscunque status, gradus, ordinis, conditionis, aut dignitatis existant, tam Ecclesiasticis, quàm Sæcularibus, præsertim vero ijs, qui in Magistratu constituti, vel proprio, vel superiorum nomine & loco Ius ac Iustitiæ administrationem exercent, ne quemquam Priuilegium hoc nostrum Cæsareum temere & impunè transgredi aut violare patiantur, quin potius contumaces, si quos fortè compererint, præscripta pœna mulctari, alijsque modis idoneis coërceri curent; quatenus & ipsi eandem mulctam euitare voluerint. Harum testimonio litterarum, manu nostra subscriptarum, & Sigilli nostri Cæsarei impressione munitarum. Datum in arce nostra Regia Pragæ, die 17. Mensis Ianuar. Anno Domini M.DC.XVII. Regnorum nostrorum, Romani V. Hungarici IX. Bohemici vero VI.

Matthias

Vt. HL. Von VVM.

Ad mandatum Sacræ Cæsareæ Maiestatis proprium,
Ioan. Baruitius.

AP-

Approbationes & Censuræ.

R.mi P.tris Nicolai Rodulfii Magistri sacri Palatii iussu, vidi Tomum XIX. Ad.m R.di P.tis F. Magistri Abraham Bzouij Historiographi Apostolici Annalium Ecclesiasticorum post Cæsarem Baronium S. R. E. Cardinalem, attentaq; ac mihi periucunda illum perpendens lectione, nil in eo reperi vel contra fidem & bonos mores, vel quod historicum dedeceat Ecclesiasticum; quin potius eruditissimam in ipso admiratus sum eorum collectionem, quibus ad Hæreticorum confusionem, & fides roboretur Catholica, & Apostolicæ Sedis euehatur autoritas & mores instruantur fidelium, adeoq; nedum dignum, sed & perneccessarium censeo, vt nostro hoc seculo in lucem quantocyus prodeat. Romæ è nostro S.ti Syluestri, in Quirinali monte Cœnobio die XX. Martii Anni M. DC. XXVIII.

D. Michael Ghislerius Clericus Regularis.

Imprimatur

Fr. Nicolaus Rodulfius Ord.nis Prædicatorum sacri Apostolici Palatij Magister.

Facultas imprimendi Tomos XIX. & XX.

NOs Fr. Seraphinus Siccus Papiensis Magister Generalis Ordinis Prædicatorum his nostris, quantum ad nos attinet, facultatem cõcedimus Admodum R.do P.tri Mag.tro F.tri Abrahamo Bzouio S. Theologiæ Magistro, vt cum primum à duobus Patribus Magistris Ordinis nostri visi, & approbati fuerint Tomus decimus nonus & vicesimus suorum Annalium Ecclesiasticorum, illos prælo committere possit, seruatis tamẽ seruandis iuxta decreta 5. Concilij Tridentini. In quorum fidem his nostro sigillo munitis manu propria subscripsimus Datum Romæ die 8. Aprilis 1628.

Fr. Seraphinus qui supra

R.ta fol. 60.

Fr. Ioannes Vincentius de Valentia Mr. & socius.

EX Facultate Reuerendiss.mi P.tris Fr.is Seraphini Siccij Papiensis Ord.nostri Prædicatorum Magistri Generalis, Annalium Ecclesiasticorum decimum nonum Tomum ab Admodum R. P. F. Abrahamo Bzouio Polono SS. Theologiæ Doctore eiusdem Ordinis nostri FF. Prædicatorum, ex diuersissimis historicis summo labore, & maxima dexteritate collectum, & conscriptum vidimus, & attentè cum singulari mentis admiratione, & iucunditate perlegimus, nihilque in eo sanæ fidei, aut bonis moribus aduersum inuenimus, ideoq; pro communi omnium vtilitate vt typis committatur, dignissimum esse censemus. Coloniæ Kal. Maij Anno 1628.

Fr. Matthias Ayrschid SS. Theologiæ Magister Ordinis Prædicatorum,

F. Thomas Sergryphius SS. Theologiæ Doctor ibidem Professor ordinarius.

Ode in

ADMODVM REVERENDVM ET EXIMIVM

P. F. ABRAHAMVM BZOVIVM ANNALIVM ECCLESIASTICORVM scriptorem.

F. NICOLAVS Hausladt Ord. Præd. Sacrosanctæ Theologiæ Licentiatus, & in studio Generali Colonensi Professor.

DVm glorioso puluere Nobilem
Heroa, & ausus Herculeæ Manus
Vltra tuentem, dum Columnas
Hesperias canis Abrahame,
Laborioso per Vaga Nerei
Vltra Vetantes nauigio ruis
VLTRA COLVMNAS; & Trophæa
Par Carolo Carolina figis.
Forti & Tenaci propositi manu
Per fœta ferris naufragijs freta,
Et solus æternas auorum
Gesta Baronius Cothurno.
Verum minaci concita turbine
Formidolosos hactenus Impetus
Cohors reluctans Zoilorum
Æolio ingeminat boatu
His dum teneri nescia fortior
Carina pergit, Maius opus parant
VLTRA VETANTES machinati
Nisibus Herculeis *Columnas*
Vltra Vetantes flamine dextero
VLTRA COLVMNAS ferris, & Inclytum
De Zoilis Victor subactis
Herculeis statuis Trophæum.
Non tantum Achillis Mæonio micat
Mars in Triumpho, stat Generosior
Micans Abrahami Trophæo
Mars Caroli Generosiore.
Fœlix Triumphus latus inhospita
Victorioso per freta Tramite
Fœlix Abrahami Trophæum
Tamrutilo radians Triumpho.
Quin perge Victor Tuta per æquora,
Quin Macte Victor nunc Furor efferus
Non tendit VLTRA Zoilorum
Sistit in his rabies Columnis.

Allusio ad nomen eiusdem.

Blandicomos iterum ostentas ABRAME virores
Fœlix Præstanis æmule RAME ROSIS,
At qui Crudeli toties iam ROSVS ab vngue
Florigero rursus vertice RAME vires?
Scilicet haud potuit ROSEVS SVBRODIER vngue
RAMVS, & arroso stat ROSA blanda pede
Nil ergo ABRAMO sustollis ROSOR honoris
Cætera ROSA ruant, ac ROSA ROSA viret.

ANNALIVM ECCLESIASTICORVM,

Post

CÆSAREM BARONIVM S. R. E. CARDINALEM BIBLIOTHECARIVM, ET HISTORIOGRAPHVM,

TOMVS XIX.

Auctore

F. ABRAHAMO BZOVIO POLONO,

S. TH. Magistro, Ordinis Prædicatorum.

ANNO CHRISTI 1503. — IVLII PAPÆ II. ANNO I. — MAXIMILIANI ROM. REGIS ANNO 18.

I.

Iulius II. in Pontificem electus.

PIO TERTIO vita functo, Cardinales, suprema funeris officia nouem continuis diebus persoluerunt, & condignis laudibus memoriam illius celebrarunt. Subinde pridie Calend. Nouembris, Sacro officio per Oliuerium Caraffem Episcopum Cardinalem Sabinum Sacri Collegii Decanum, pro inuocatione Spiritus Sancti peracto, non prius Conclaue ingredi voluerunt, quam Vrsini legionem suam Vrbe educerent, ipsiq; Roma discederent. Electio extra Conclaue decreta fuit. Nam Iulianus Ruuereus, Hostiensis, qui S. Petri ad Vincula Cardinalis appellabatur, amicis, autoritate, & opibus potens, tot sibi suffragia obstrinxerat, vt qui contra sentirent, se opponere non audentibus, iam certus & designatus Pontifex Conclaue ingressus, nouo atq; hominum memoriæ antea inaudito exemplo, antequam Conclaue clauderetur, eadem nocte, quæ fuit postrema Octobris, à triginta septem Cardinalibus ad Pontificatum assumptus fuerit: qui primum suum iuliani nomen intuitus, IVLIVS, eius nominis inter omnes quotquot fuerant Pontifices Secundus appellari voluit. Magna certe fuit omnium mortalium admiratio Pontificatum tanto consensu, Cardinali, quem difficili admodum natura esse, cunctis formidandum, & omni tempore inquietum, notissimum erat: quiq; ætatem in continuis molestiis consumpserat, necessitate coactus multos læserat, odia & Simultates cum multis magnis viris exercuerat, delatum fuisse. Sed mox singula perpendenti, causæ, quibus omnibus impedimentis superatis ad tantum gradum euectus fuisset, apparebant. Cum enim diu Cardinalis admodum potens fuisset, magnificentia qua reliquos omnes superauerat, & animi magnitudine, non modo amicorum multitudine, verum etiam inueterata admodum in Curia autoritate pollebat. Præterea Pontificiæ dignitatis libertatisq; defensor princeps nec non in amicos & eruditos munificus, ac præter hæc apertus atq; veridicus habebatur. Ita vt Alexander VI. eius tam acerbus quam fuit inimicus, in reliquis illum carpens, veridicum hominem esse fateretur. Huic electioni assensus est Rotomagensis; quia cum se Pontificatum adipisci non posse animaduerteret, hunc, quemadmodum hactenus fuisse existimabatur, sic in posterum sui Regis amicum fore sperauit. Ascanius quoq; Cardinalis, prius illi, veterum contentionum, cum vterque purpuratus ante Alexandri Pontificatum, Romanam Curiam sequebatur, memoria deposita, reconciliatus, assensus est, quia cum illius naturam melius quam Rotomagensis agnosceret, illum Pontificem factum perinde, ac multo etiam magis quam in minori fortuna, inquietum fore, eaq; consilia quæ sibi ad Insubriæ dominium recuperandum vitam aperire possent, habiturum sperauit. Hispani quoque, etsi primum animo essent alienissimo, tot tamen alia suffragia concurrere animaduertentes, ideoque se eius dignitatis impediendæ impares rati, assentiendo mitigare,

quam repugnando irritare tutius existimantes consenserunt: *Franciscus Guicciardinus lib. 6.*

II. Natus fuit Iulianus, Sauonæ Ligustici maris oppido, Anno 1443. Patrem habuit Raphaelem Ruuereum Sixti IV. Papæ fratrem, matrem vero Theodoram Manerolam fœminam honestissimam. Duo eius fratres fuerunt, Bartolomæus Ordinis Minorum Sacerdos, à Sixto IV. Episcopatu Ferrariensi, & Antiocheni Patriarchæ dignitate ornatus, ac Ioannes, Guidonis Vbaldi Vrbinatium Ducis, tunc viuentis, & Iulii Ruuerei Cardinalis Vrbinatis auus, Princeps Soræ, Senogalliæ, & Vrbis præfectus. *Iulii II. mores.* Sixtus IV. Papa, XVIII. Calend. Ianuarii 1471. eum ex Carpentoractensi Episcopo Cardinalem Presbyterum S. Petri ad vincula tit. Eudoxiæ, cum F. Petro Riario ex Ordine Minorum, deinde Episcopum Albanum, & ex Sabino Ostiensem, ac maiorem Pœnitentiarium creauit. In ea dignitate accepta, acri & callido ingenio, animoque excellenti cum esse existimaretur, variam admodum in vita sua fortunam expertus est, vt ei modo mater, modo nouerca fuisse videretur. Priuatus, ædificiis extruendis ita delectabatur, vt præter domesticas ædes, Basilicam S. Petri ad vincula, cui præerat, quemadmodum nunc cernimus, breui & magnifice restituerit. Inchoauit & porticum mire fastigiatum ante vestibulum Basilicæ Sanctorum Apostolorum: ædes quoque proximas, quas Petrus Cardinalis Riarius inchoauerat, & morte præuentus non absoluerat, perficere aggressus est. Castellum item apud Criptam Ferratam bello olim disiectum, ad Monasterii iuxta positi tutelam, ad vrbemque venientium commoditatem instaurauit. Auinionensi, Picena, Bononiensi Legatione, summo cum honore perfunctus, Gallicam quoque obiuit, vt inter Ludouicum XI. Gallorum Regem, & Carolum Burgundiæ Ducem pacis fœdera componeret. Apud Innocentium VIII. cuius Pontificatus, præcipuus ipse author extiterat, plurimum gratia & autoritate valuit. Alexandro Pontifice sedente, quo cum priuatas & veteres simultates habebat, vrbe abfuit, Sauonæ, Auinione, & in Galliis commoratus. Alexander sæpius Patres monuerat, ne illum ad Pontificatum vocarent. Sed nemo (vt aiunt) successorem suum occidit. Ante Pontificatum filiam tulit felicem, quam Ioanni Iordano Vrsino Pontifex factus vxorem dedit: quum & Columnenses affinitate sibi & Vrsinis, concordiæ inter duas potentissimas familias hactenus dimicantes sanciendæ causa, coniunxisset, Lucretia Luchnæ sororis filia Marco Antonio Columnæ desponsata. Bernardinus Caruaialus Cardinalis, opera Consalui & Hispanorum Cardinalium, vix non præripuit ei dignitatem Pontificalem, quandoquidem Cardinales istos vti clientes suos, Valentinus Borgia induxisset, ne vllum Borgiæ familiæ aduersarium Pontificem designarent. *Paruinius & Ciacconus in Iulio II.*

III. Varia tunc fortuna Valentinum excepit, vices solita mutare, & quos extulerat deiicere. Quamprimum enim de eius in Angelicam arcem fuga, & de copiis quæ cum illo erant dissipatis, in Aemilia cognitum fuit, Ciuitates quæ antea constanter illum expectauerant, spe amissa, diuersas rationes inire cœperunt. *Veneti regnum Neapol. inuadunt.* Cæsenates ad pristinam Pontificii imperii fidem redierant. Imolenses arcis præfecto, nonnullorum ciuitatis Principum opera interfecto, aliis Pontificium, aliis Riariorum veterum dominorum dominatum exoptantibus ancipites erant. Foroliuienses, qui diu, antequam Sixti Pontificis concessione Riariis subiicerentur, Ordelastis paruerant, Antonium Riarium reuocauerant, qui prius Venetorum ope redire conatus, deinde ne illi, vt ea vrbe ipsi potirentur suo nomine abuterentur veritus, ad Florentinos conuersus illorum auxilio redierat. Pisaurum Ioannes Sfortia, Ariminum Pandulfus Malatesta, vterque à populo vocatus redierant. Sed Dionysius Naldius veteranus Valentini miles, ab Ariminensis arcis præfecto accitus, ei opem laturus eo se contulit; idcirco Pandulfo eiecto, ciuitas sub Valentini dominatum rediit. Soli Fauentini in eius fide diutius permanserant: sed tandem illius reditus spe deiecti, ad Manfredorum veterum dominorum reliquias conuersi, Astorrem iuuenem ex ea familia, sed nothum, quia nullis erat ex legitimo toro natus, accersiuerunt. Veneti ad totius Aemiliæ imperium aspirantes, statim post Alexandri obitum multos milites Rauennam miserant, cum quibus noctu ex tempore Cæsenam adorti sunt. At populo fortiter vrbem tuente, ipsi qui sine tormentis, & magis insidiis quam viribus freti venerant, in Rauennatem agrum redierunt, ad omnia quæ imperii in ea prouincia augendi occasionem dare possent intenti. Eam mox Dionysii Naldii cum Fauentinis dissensio aperuit. Nam cum Dionysio Fauentinos sub Manfredorum à quibus cum Valentinus eam vrbem oppugnauit defecerat, imperium redire molestissimum esset, Venetis accersitis vallis Lamonis arces quibus ipse præerat eis tradidit: qui paulo post Fauentinæ arcis præfecto pecunia corrupto trecentos pedites in eam miserunt. ac eodem pariter tempore Foripopilii arcem; & pleraque alia Aemiliæ castella occuparunt, & copiarum partem ad Fanum fortunæ oppugnandum miserunt: sed populus se Pontificis nomine constanter defendit. Ariminum quoque populo consensu, antea cum Pandulfo Malatesta se illi Citadellam Patauini agri oppidum, annuum stipendium, & grauis armaturæ equitum turmam in perpetuum daturos pacti, intromissi sunt, mox summo studio ad Fauentiæ oppugnationem conuersi. Fauentini enim, arcis, quæ quod in depresso loco sita est, & ipsi eam statim profunda fossa à ciuitate separassent, parum illis obesse poterat, iactura minime territi, & bene in Manfredorum nomen affecti, atque Fauentiæ dominatum, ab Lamonis vallis incolis, aliis promitti ægre ferentes, strenue se tuebantur. Sed cum vires ad defensionem deficerent, quia Veneti Christophoro Mauro Legato exercitum & tormenta Vrbi admouerant, & optima quæque agri loca occuparant, ab IVLIO iam Pontifice, cui hæc audacia molestissima erat, opem flagitabant. Cum autem is in sede Apostolica nouus esset, opibusque & viribus careret; nec ab Galliæ aut Hispaniæ Regibus tum grauioribus rebus occupatis, tum quia neutri illorum adhærere volebat, auxilia speraret, nulla alia ratione, quam Pontificii nominis autoritate, prospicere eis poterat: quæ, vt quanti vna cum amicitiæ, quà diu ei Reipub. coniunctus fuerat ratione, apud Senatum Venetum esset experiretur, Tiburtinum Episcopum Venetias, quod cum Fauentia in Pontificatus iure esset, ipsi ab hac iniuria Pontifici, qui antequam ad eum gradum ascenderet, semper ipsorum Reipublicæ coniunctissimus fuerit, & à quo ad maximam dignitatem euecto, veteris beneuolentiæ vberrimos fructus sperare possent, inferenda, non abstinerent, expostulatum misit. Credibile est, eos ipsos qui antea vt se Pisanis rebus non immiscerent, Regni Neapolitani portus pignori ne acciperent, Insubriam cum Galliæ Rege ne diuiderent, suaserant, in Senatu fuisse: qui si indies multis magis odiosi atque suspecti fierent, & reliquorum odiis Pontificum quoque inimicitiam adiungerent, quid tandem futurum esset, cogitarent. Sed cum ambitiosa consilia tam felices exitus habuissent, omnibus velis tam propitio fortunæ vento datis, eorum qui contrarium suadebant verba non audiebantur. Ideo summo consensu Pontificio Legato tale responsum datum est: Eum Senatum semper Sancti Petri ad vincula Cardinalem, propter diuturnam amicitiam, innumeris mutuis vtrinque officiis atque beneficiis confirmatam, ad Pontificatum euehi summopere exoptasse: neque vllo pacto dubitandum esse, quin quem Cardinalem ita obseruassent, eundem nunc multo magis Pontificem obseruaturi essent. Verum se qua in re, si oblatam Fauentiæ adipiscendæ occasionem amplecterentur, eius dignitatem læderent, non animaduertere: quod ea ciuitas non modo non Pontificum nomine possideretur, sed etiam ipsimet Pontifices se eius omni iure spoliassent, atque in sacro Collegio ac Senatu omnem dominatum in Valentinum Ducem plene transtulissent. Istud quoque in memoriam reuocabant, ne ante quidem eam concessionem Pontifices, post hominum memoriam vnquam Fauentiam possedisse: sed nouis semper Vicariis, nullum aliud præter censum quendam quem ipsi quoque siquidem tenerentur, pendere promit-

tebant, Imperii signum agnoscentes, concessisse: nec Fauentinos Pontificum dominatum exoptare, imo ab eo abhorrentes, Valentini nomen ad extremum vsque coluisse: & eius omni spe sublata, ad Manfredæ familiæ nothos accersensos præcipites ruisse. ad vltimum rogare, vt Pontifex eandem in Senatum Venetum, qua Cardinalis cum prosecutus fuerat, beneuolentiam conseruare vellet. Pontifex de Venetorum animo certior factus, Valentinum Ducem, qui ab illo quamprimum ad Pontificatum ascendit, magno honore, & magna beneuolentiæ significatione acceptus, in Vaticano cum Pontifice habitabat, in Aemiliam misisset: sed ne eius profectio quæ ab initio omnibus populis grata fuisset, nunc cum omnes iam ab illo defecerant valde inuisa esset veritus, id non fecit. Fauentinis igitur vnica in Florentinis spes fuerat reliqua; qui tam propinquam ciuitatem in Venetorum potestatem venire ægre ferentes, initio ducentos pedites eo miserant: & vt eos ad se donec Pontifex auxilium mittere posset tuendos accenderent, aliarum copiarum mittendarum spe fouerant. Sed Pontificem ad arma capienda promptum non esse, nec Galliæ Regis, qui Venetos vt Valentini ditionem non attingerent hortatus erat, autoritatem eos cohibere posse animaduertentes: quam ipsi soli se bello cum potenti hoste implicare nollent, auxilia mittere desierunt. Quocirca Fauentini omni spe exclusi, cum Venetus exercitus, qui ad Obseruantiæ fanum castra habebat, iam vrbis mænia quatere incepisset, coniuratione etiam in vrbe detecta, & aliquot qui vt Venetos introducerent conspirarant captis commoti, vrbem eis dediderunt: Veneti autem, Astarri aliquod quamuis exiguum ad vitam tuendam subsidium submiserunt. Fauentia capta, facile Imola & Foroliuii potiti essent; sed ne Iulium Pontificem qui mirum in modum querebatur, magis irritarent, militibus dimissis, tunc temporis, cum in Aemilia præter Fauentiam & Ariminum cum suis appendicibus, Montem florem quoque S. Archangelum, Verrucium, Catteriam, Sauinianum, Metulam, Cæsenatium portum, & in Imolensi ditione Tussinianum, Solariolum & Montebatalliam occupassent, vlterius progredi destiterunt. Valentini nomine in Aemilia tantummodo Foriliuii, Cæsenæ, Foripopilii, & Bertinori arces tenebantur; quas ille, quamuis in Aemiliam proficisci summopere cuperet, ne in Venetorum potestatem peruenirent, Pontifici ea lege, vt eas post pacatas reciperet custodiendas tradidisset. Sed Pontifex veteri candore cum diceret se occasiones quæ ad fidem fallendam allicerent sponte arripere nolle, recusarat. tandem vt aliqua ratione tamen Venetorum progressus sibi propter Pontificiæ ditionis periculum molestissimos impediret: Valentinum præterea Roma discedere cupiens, cum eo, suo & Pontificii Collegii nomine egit, vt mari Spediam, & inde terrestri itinere Ferrariam, deinde Imolam contenderet. quo etiam ducerentur centum grauis, & 150. leuis armaturæ equites, qui adhuc eius signa sequebantur. Quo consilio cum Valentinus Hostiam vt naues conscenderet esset profectus, Pontifex cum arces non accepisse pœniteret, & iam mutata sententia, quacumque ratione iis potiri posset, retinere statuisset, Volaterranum & Surrentinum Cardinales, qui ei persuaderent, vt ne illa oppida in Venetorum manus peruenirent, eadem conditione qua Romæ tractatum fuerat, ipsi traderet, misit. quod cum Valentinus facere nollet, Pontifex iratus, in triremibus quos iam conscenderat eum capi, deinde honeste in Manlianum duci iussit, vnde vniuersa fere aula, & tota vrbe ob eius captiuitatem lætitia exultante, in Vaticanum ductus est: & quamuis diligenter custoditus, honorifice tamen atque humaniter acceptus fuit: ac Pontifex, ne arcium præfecti, de sua salute desperantes, arces Venetis venderent veritus, humanitate atque blanditiis tesseras ab illo accipere nitebatur.

IV. Rotomagensis Cardinalis inter hæc, cupiebat exercitum Gallicanum qui in regnum Neapolitanum ducebatur, per mediam Vrbem transire, Obstitit Pontifex Iulius, & præter edicta grauissima, exercitum quoque Ecclesiasticum, quem Patres inter Pontificii tempore ad vrbis & Conclauis custodiam scripserant, conatibus Gallicis opposuit: ita vt ij extra mænia iter suum continuauerint: alii quidem ad Appiam, alii ad Latinam viam contendentes. Is ipse Rotomagensis, Gallicæ Legationis confirmatione ab Iulio, potius quia negare ausus non erat quam voluntate impetrata, vt in Galliam rediret Roma discessit. at Ascanius Cardinalis, quamuis ex Gallia discedens Regi se rediturum Sacramento quo à Pontifice clam liberatus est, confirmasset; illum non est sequutus.

V. Ad finem eiusdem anni, varie inter Gallos & Hispanos in regno Neapolitano dimicatum; victoria tamen penes Hispanos, ab accessione Vrsinorum, qui à duce Gallo, cui operam suam addicebant, quasi sine illorum copiis rem vniuersam conficere posset spreti, reiectique, iniuriæ impatientes ad Consaluum transierant, stetit: cæsis & profligatis memoranda clade Gallis ad Garilianum flumen, captaq; per deditionem Caieta, in quam ex fuga aliqui se receperant. *Gallorum clades ad flumen Garilianum.* Diuionensis præfectus, Sancta columba, & Theodorus Triullius de reliquorum consensu ad Consaluum profecti, die 1. Anni 1504. Consaluo Caietam cum arce, terra marique è regno Neapolitano cum omnibus rebus suis, tuto abeundi accepta facultate, & vt Obigninus cæterique captiui vtrinque dimitterentur, tradiderunt. Sed hoc non tam perspicue expressum fuit, quin Consaluus huius pactionis vi regni Neapolitani proceres liberati minime intelligerentur, cauillandi ansam habuerit. Hæc est illa à Galliæ Regis exercitu ad Garilianum flumen, ad cuius ripam quinquaginta dies moratus erat accepta clades, haud minus ex propriis erroribus, peruersaque disciplina, quam ex hostium virtute profecta: quæ sane memorabilis vel ob illud est, quia tam nobilis tamque opulenti regni integra amissio, & Hispani imperii firmamentum secutum est: magis autem quod cum Galli hostibus potentia longe superiores, & omnibus terrestribus maritimisque ad bellum apparatibus necessariis instructi in regnum inuasissent, tam facile, & sine hostis sanguine & periculo sunt debellati: & quia quamuis pauci hostili manu perierint, tamen ex tanto exercitu variis casibus paucissimi euaserunt. Ex peditibus enim qui fuga elapsi se conseruarunt, & ex iis qui deditione facta terrestri itinere Caieta discesserunt, pars in itinere frigoribus & morbis consumpta est, & qui viui Romam peruenerunt, plerique nudi ac miserabiles, pars in publicis pauperum hospitiis, pars noctu frigore & fame in foris & viis perierunt: quamuis Iulius Pontifex, insigni cura pietateque oblatos & conquisitos, conuestiri, alere, & demum nauigiis imponi iuberet. Cœlum ipsum tunc pugnare contra Gallos visum, perpetuis ventis, imbribus, illuuie, frigoribus, ex quibus plurimi expirabant. Nauigia etiam tormentis onusta absorbente procelloso mari in ipsis Gariliani faucibus cum tota militum & nautarum multitudine perierunt: in quibus fuit Petrus Medices, Magni Laurentii filius, decennio antea Florentiæ dominata pulsus, ea quidem ignobili morte indignus, nisi Petrum Leonium summæ doctrinæ & claritatis Medicum, qui infelici euentu Laurentium patrem fatis se erepturum promiserat, in Caregianæ villæ puteum deiecisset. Alii duces parem fere ab infensa fortuna contumeliam tulerunt. Salassus, inter nauigandum concepta ex dolore rei male gestæ tabifica febre, Genuæ decessit. Sandricurtius superbi animi pænam veritus, adeo vitam contempsit, vt cum circa alpes ex morbo decubuisset, vltro in fata festinare diceretur. Corcutus Bailiuusque Cadomius maiore inuidia deflagrantes, ita gradu pulsi ignominiaque notati sunt, vt à capitali supplicio non procul abfuerint. Basseius autem, quum ei alæ equitum præfecturam Rex ademisset, quanquam ea Gruterio fratri traderetur, adeo grauiter id tulit, vt exundante atra bile ad insaniam verteretur, frustraque deposcens, vt sibi dicturo causam Regiæ aures paterent, nec aditum impetrans, inter delyria defecerit. Præter id autem quod discordiæ ducumque socordiæ, temporum acerbitati, atque Gallorum Heluetiorumque naturæ, ad cunctationis molestias animo, & labores atque incommoda corpore non ita vt Hispani perferenda aptæ tribui poterat; duo imprimis Regi victoriam intercepisse, existimatum est: nempe exercitus propter Pontificis mortem longa circa Romam mora, qua factum est, vt hyems ante superuenerit, & Consaluus Vrsinos ad stipendia sua priusquam ipsi

regni fines ingrederentur adſciuerit. Neque enim ambigitur, quin ſi ipſi dum tractabile miteque cælum fuit ingreſſi eſſent, Conſaluus tunc viribus longe inferior, nec tempeſtatis acerbitate adiutus, maxima regni parte deſerta, in pauca munita loca ſe recepturus fuiſſet. Alterum fuit Regiorum quæſtorum rapacitas, qui Regem in militum ſtipendiis fraudantes, & eandem ob cauſam commeatum impedientes, non parum eum exercitum minuerunt. Rex etenim ſumma celeritate talem omnium neceſſariarum rerum apparatum fecerat, vt certum ſit eo tempore quo pugna commiſſa eſt, magnam pecuniæ & commeatus copiam ab ipſo miſſam Romæ fuiſſe. & quamuis poſtremo ob innumeras ducum & totius exercitus querelas vberior eſſet commeatus, tamen tanta antea fuerat penuria, vt ea cæteris incommodis addita, tot ægritudinum & militum diſceſſus, vtque complures per vicina loca diſſiparentur, cauſa fuerit, quibus ex rebus tanta miſeri exercitus clades manauit. Nam vt ad corpus tuendum non ſatis eſt ſi caput ſanum ſit, ſed & cætera membra munere ſuo fungi neceſſe eſt: ſic non eſt ſatis Principem ipſum culpa vacare, niſi in miniſtris diligentia & virtus proportione reſpondeant. Et hoc minime iuuit res Gallicas, quod Franciſcus Gonzaga imperio ſeſe abdicarit, domumque reuerterit, ab ipſis Gallis irritatus. Apud eos enim odio & mox contemptui eſſe cæpit, quod ſingula à malis initiis cæpta, ſecus ac putarant, tractatu dura euentuque aſpera prouenirent. Vnde erratorum omnium culpam in illius vel enixe fortis & ſtrenui cunctationem referebant. Ergo qui vim Imperii, cuius læſa & plane conuulſa erat maieſtas, in Gallos minime exercendam rebatur, eo animum iniuriæ indignitate percitum flexit, vt ſeſe Imperio protinus abdicarit: vel ob id præcipue quod ab initio in Apuliam eundum eſſe grauiſſimis rationibus fruſtra cenſuiſſet; quod pauci eius imperiis obedirent; quod plerique cohortium præfecti falſum militum numerum inferre, ipſique demum rei frumentariæ curatores, auertere pecuniam crederentur. Itaque ne imminenti calamitati cum iactura dignitatis intereſſet, excedere infelicibus caſtris & domum redire conſtituit, præſcriptis vtique tabulis, ac his multorum fideli teſtimonio confirmatis, quæ conſiliorum actionumque omnium rationes continerent, & Ludouico Regi mitterentur: atque ita imperio ad Salaſſum ætatis honore vſuque militiæ potiorem delato Mantuam eſt reuerſus. Occaſionem etiam dederat Vrſinis Georgius Cardinalis Rotomagenſis, vt non Ludouici, ſed Ferdinandi Regis vexilla ſequerentur, & alienatis à Gallo animis, nouam à vetereque inſtituto penitus diuerſam rebus ſuis fortunam quæritarent. Cum enim ille in gratiam Valentini Borgiæ, Patrum voluntates vel traheret, vel ſequeretur, vt is Pontifex crearetur, qui Borgiæ faueret: Vrſini qui huius caput, vt propinquorum necem vindicarent, petebant, nō poterant non vehementius Gallis ſubiraſci; Ob id quoque ſe contemni exiſtimantes indignabantur, quod Trantius Galliæ Regis Legatus, cui operam, copias, & opes obtulerant, aliquanto perplexius reſponderet, quam inſtantis belli pericula flagitarent. Gallus enim aſtuta ſed fallaci ratione, Vrſinos vel ſine præmio ſtipendioque ſibi affuturos ſperabat, quando à vetere partium ſtudio diſceſſuri minime crederentur: Liuiano ante alios Trantii vanitatem atque ſuperbiam non obſcura auaritia incluſam minime tolerante, quod tanquam explorata victoria nequaquam ſibi opus eſſe Vrſinorum auxiliis exiſtimaret. Igitur expedita deliberatione Vrſini omnes, præter vnum Iordanem Virginis filium Conſaluo ſeſe ea conditione celeriter applicarunt, vt ad eum opima ſtipendia merituri, cum duobus millibus vtriuſque armaturæ galeatorum equitum, & quatuor peditum vexillis per Sabinorum fines tranſierint. *Iouius de vita Conſalui lib. 2. 3. Guiciardinus lib. 6. Bardus in Chron. Sabellicus Ennead. XI. libro 2.*

VI. *Conſalui prouidentia & moderatio.*

Conſaluus, ex pactione cum Gallis facta, & ſummæ prudentiæ, & moderationis eximiæ laudem conſecutus eſt, vt pote qui vel in multa ſpe opulentioris victoriæ militum ſuorum ſanguine abuti noluerit, ratus omnino parcendum eſſe deditis, qui virtutis & clementiæ ſuæ teſtes Conſalui nomen in prouinciis celebrarent. Tantam vero, vt inuiolati benigneque habiti dimitterentur, curam diligentiamque adhibuit, vt cum Heluetio prætereunti Hiſpanus miles torquem rapaci manu detrahere conaretur, re cognita, Hiſpanum vel in mare fugientem adacto equo, ſuaque manu grauiſſime vulnerarit. In victoriarum vero curſu, adeoque fere ſemper, illam laudem aſſequebatur, quod in vita eius nihil abſurdum aut impium, quod Imperatoriæ virtutis aciem hebetaret, ab auſtero vel maligno cenſore notari poſſet. Nullam enim vmquam Neapoli matronarum pudicitiæ ex vero maculam inſperſit, quamquam magna comitate, apud clariſſimas fœminas ſæpiſſime iocaretur. Stultum enim eſſe dicebat viro principi ex parua fugacique voluptate ſempiternum & prægraue odium parare. Sed in ipſo ſupra reliquarum virtutum concentum, veræ pietatis ſpecimen eminebat. Nihil enim ei erat antiquius, quam in omni bellica ciuilique actione religionis decus omnibus commodis anteferre, templorum iura tueri, punire impios; & denique enixe dare operam, vt milites ſuo exemplo rerum, omnium prouentus atque victorias ex diſciplina Chriſtiana expectandas exiſtimarent. Neque enim dubium videri debet, quin eum his moribus arma tractantem, Cælites omnes ſubleuandum, prouehendumque ſuſceperint: nullo quidem certiore miraculo, quam quod in multis & pene innumerabilibus præliis atque periculis verſatum, nemo vnquam eum ceperit, aut vulnerarit. Iam cum ex militiæ labore in grauiſſimum incidiſſet morbum, & in arce Capuæ decumberet, humanæque facultatis remedia ad ſalutem omnino ſera eſſent; nonniſi à Cælitibus maturam opem accepit, ſupplicationibus per omnia templa à ſanctiſſimis Sacerdotibus, ſacratiſque virginibus, rite factis, votiſque ſuſceptis. Laudibus hominem celebrarunt, Cantalitius & Carmelita Mantuanus ſacrati viri, nec non Petrus Grauina ſummæ dignitatis poeta; quum Actius Syncerus eiectum regno Fridericum Regem in Galliam ſecutus, ob idque dolore Aragoniæ domus funditus euerſæ, & odio in externos factus amarior, aliquanto condendæ Satyræ quam pangendis Heroicis aptior haberetur. *Iouius lib. 3. in Conſaluo.* Is ipſe Actius Syncerus, non minus quam in Alexandrum VI. acerbo carmine, in Iulium quoque mox Pontificem deſignatum inuectus eſt. *Ferronius in Ludouico XII.*

VII.

Inter eos belli Neapolitani motus, Iulius Pontifex vſque Pontificiæ dignitati, neque fortunæ ſuorum deeſſe voluit. Enimuero cum Andegauenſibus faueret, Finarii Marchionem in Galliam miſit, vti nouo vinculo amicitiam ſibi eorum magis aſtringeret, ac filiæ matrimonium cum Lotaringii filio paciſceretur: regno Neapolitano quaſi dotali armis ſua ope ſubacto, Hiſpaniſque depulſis repetito, maiorum iure ſuo haud dubio, vti ipſi prædicabant. Si id ex voto non ſuccederet, Franciſcum Mariam Præfecti fratris filium cogitabat iungere connubio cum filia Friderici Regis, facta patri puellæ ſpe regnum, vnde erat eiectus, recuperandi. Vnde, cum Reges Hiſpanus & Gallus, de pace vel inducis inter ſe per id temporis tractarent, deque reſtitutione Friderici ad maiorum opes conſilia agitarent, Iulius quoque Pontifex adiutor Friderico acceſſerat. Cauſam habuerat, cum accepiſſet Conſaluum deſtinauiſſe Præfecti Ruuerei oppida quæ in ditione Neapolitana obtinebat, adnota vi carpere, patrui Pontificis nulla cura. Sanior ille Hiſpanorum partes amplexus, aut ſimulans, continuo tota ditione ſublatis Regis Catholici inſignibus nomen Hiſpanum inclamari mandauit: ac vt fides ſyncera videretur, vltro ad victorem ipſe venire conſtituit. Accepit venientem Conſaluus benigne venia data eorum quæ pro Gallis geſſerat: tametſi non ignorabat animo alieno eſſe, ac tamdiu perſtiturum in fide quamdiu foret ex vſu. Sed Pontifici tamen placando data ea diſſimulatio eſt, ne aperte aliquid turbarum daret, vt erat ardenti ingenio à primis annis, atque à maioribus hoſtis Hiſpani nominis. Sane & ipſum Ferdinandum Catholicum, aſſumptio Iulii ad Pontificatum ſolicitum habuerat. Quamobrem poſt inducias quinque

menſium

menſium cum Ludouico Rege pactas, cum nondum Caietam amiſſam eſſe intellexiſſet, miſſis ad Ludouicum Oratoribus, poſtulabat, vt controuerſias de regno Neapolitano pactione aliqua finirent. Timebat Pontificis ardens ingenium, Gallicis partibus addictum. Quo tempore, cum Ferdinandus contra Gallos Parpinianum vſque exercitum produxiſſet, decem & nouem biremes Mauricæ Valentinam & Granatenſem oram igne & direptionibus vexarunt. Impune fore licentiam credebant. Martinus tamen Galindus Granatenſibus littoribus tutandis præfectus, cum iis ad Cartaginem nouam commiſſa pugna piraticas omnes biremes aut cepit, aut ſubmerſit; prorſus vt ne vna quidem eam cladem euaſerit. Quo etiam anno, in Ioanna Ferdinandi & Iſabellæ filia, quam Philippus Archidux in Germaniam reuertens apud illos reliquerat, turbatæ mentis certe per interualla vacillantis haud obſcura argumenta viſebantur, quod parentibus vt par erat moleſtiſſimū accidit: ac vero ea res felicitatis reliquæ lucem vel maxime obſcurauit. Sic ſunt res humanæ. Ea conditione viuimus; nulli ſyncera lætitia datur. Ad virum feſtinare cupienti mora omnis grauis erat. Mulcebat prudens mater ægrum filiæ animum; aliam ex alia moræ cauſam excuſabat, clauſum mare aduerſo anni tempore fœuis procellis. Nullis conſiliis ardor animi placabatur. Sic die quodam in rabiem acta è Medinæ Campeſtris arce, vbi ſe tenebat, pedibus proficiſci in Bolgas tentauit. quibus comitibus? quo vitæ ſubſidio? furor agebat præcipitem. Furenti quamuis manus iniicere maieſtas vetabat. Sublicium tantum pontem ſuſtulere cuſtodes. Ita egrediendi facultate prohibita ad arcis portas ſubſtitit, in vicina culina cibum ſomnumque capiens, neque frigoris quod fœuiebat in ea regione, eoque anni tempore maxime, neque aeris nocturni iniuriis cedens. Ac ne vinci quidem potuit Ioannis Fonſecæ Cordubenſis Epiſcopi, qui ei aſſiduus erat, precibus; ne autoritate quidem Ximenii Toletani Archiepiſcopi qui ad rei famam ſuperuenerat, vti ad priora cubicula rediret, Saluti conſuleret in periculum adductæ. Regina mater ad eius rei famam quamuis afflicta vehementer valetudine Segobia accurrens, filiæ vt deſiſteret pro auctoritate materna perſuaſit. Simul vt eam placaret, claſſem ad Lauretanum portum inſtrui mandauit, quæ cum primum ſe anni tempus vernum aperuiſſet ad virum nauigaret in Belgas, tandem reducem, multis menſibus in Gallia & apud Allobroges conſumptis exigua vxoris cura. *Mariana lib. 29. cap. 4. 6.*

Martini Galindi de piratis ad Carthag. Victoria.

VIII. *Ximenij rei litterariæ cura.*

Ximenius, ſanandæ Principi magnum operæ pretium attulerat, quamquam aliis iuuandæ reipub. Chriſtianæ, & rei tum Orthodoxæ, tum literariæ perpetuis iuris diſtractus. De Bibliorum editione ſuperius egimus: quod ingens opus, cum non ſatis animi ſui magnitudini eſſe arbitraretur, adhuc alia vel perfecit vel molitus eſt, quæ morte præuentus abſoluere non potuit. Ariſtotelicorum voluminum editionem parabat; vt ſingulæ paginarum facies ternis columnis diſtinguerentur; quarum prima Græca Ariſtotelis verba emendatiſſime contineret; media vulgatam translationem; extrema vero nouam quandam & liberiorem verſionem; vt eis veluti commentariis ſcriptoris alioqui difficilis, ſenſus abditi illuſtrarentur. Nam ad earum diſciplinarum cognitionem, quas in ſua Complutenſi vniuerſitate tractandas propoſuerat, eum quoque authorem omnino neceſſarium eſſe intelligebat. Ad hanc nouam verſionem faciendam, viros aliquot in Græcis & philoſophicis litteris doctiſſimos accerſendos curauit; inter quos Ioannes Vergara fuit, qui diligenter Latinos fecit, octo de phyſico auditu libros, tres de anima, Metaphyſices vero quatuordecim: qui Toleti in templi maximi bibliotheca ſeruantur. Iam vero ne illiterata & imperita turba, vanis fabulis, aut Mileſiacis hiſtoriis, quibus mores corrumpuntur, ſiue legendis, ſiue audiendis intenderet; libros aliquot ſanctimonia & pietate plenos, quibus ipſe ſe olim priuatus oblectauerat, partim Latine edendos, partim in linguam vernaculam per viros eruditos transferendos, eoſque non ſine magnis impenſis vulgandos curauit. Hi ſunt Catharinæ Senenſis epiſtolæ, Angelæ Fulginatis & Metildis opuſcula, Ioannis Climaci gradus; Vincentii Ferrerii & Claræ virginis cœnobitarum ſuorum viuendi inſtituta, Chriſti vitæ meditationes, quas Landulphus Carthuſianus ſcripſit, Thomæ Archiepiſcopi Cantuarienſis vita: qui omnes excepto Landulpho propter excellentem vitæ puritatem, & incorruptos grauiſſimoſque mores, in diuorum numerum relati; ſcriptorum ſuorum pietatem commendant, veraque documenta exhibent, quibus in tanta hominum peruerſitate, & in tanta omnium viuendi licentia, ad arduam illam virtutis viam rectum iter dirigere poſſimus. At cum diuinis cantibus obeundis muſici libri inutili & laceri in Eccleſiis haberentur, veritus ne quando illorum inopia diuinæ laudes intermitterentur, quæ mirum in modum, illa præſertim ſimplici modulatione, quam Gregorianam vocant, piorum animos religione afficiunt, in membranis vniuerſam officii diuini ſeriem multis voluminibus excudi imperauit, appoſitis etiam muſicis nobis, quæ per ſuam diœceſim diſtribuit. Bibliothecam templi Toletani cum euolueret, ſinguloſque libros excutiens de omnibus certior fieri vellet; vt ſi quando vſus expoſceret, haud eorum codicum inopia laboraret, forte ad quædam vetuſta volumina in membranis Gothicis characteribus ſcripta peruenit. Sed antequam ad dicenda ea quæ circa hæc volumina Ximenius geſſit accedo, pauca mihi de Gothicis ſacris enarranda ſunt.

IX. *Viſigothica Gens cū rege cath. fidem ſuſcipit.*

Gens Viſigothica, hoc eſt qui Occidentales dicebantur Gotthi, quo tempore Hiſpaniam pene vniuerſam Honorii Imperatoris permiſſu occupauit, cum eſſet Arrianæ impietatis dogmate infecta, tantam Catholicis eius prouinciæ perturbationem inuexit; vt cultus diuini in varios ritus cærimoniaſque diuiſi fuerint: & neque inter Orthodoxos quidem, vna vel ſacrificandi, vel horarias preces quæ Canonicæ dicuntur pſallendi conſuetudo eſſet. Sed poſtquam vniuerſa Gothorum gens, Leandri & Fulgentii ſtudio, poſt annum centeſimum circiter quadrageſimum ex quo in Hiſpaniam venerat, antiqua impietate abdicata Orthodoxam fidem vna cum ſuo Rege Recaredo cupidiſſime accepiſſet; pace Eccleſiis reſtituta, de Sacris communi conſilio conſtituendis agitari cæptum eſt: idque potiſſimum in vrbe Regia. Sic enim Toletum, poſt aduentum Gotthorum qui ſedem regni illuc tranſtulerunt cognominabant; cum antea (vt Rodericus Toletanus Pontifex rerum Gotthicarum diligens ſcriptor tradit) à Vandalis, & Selingis Germaniæ gentibus, qui vna in Hiſpaniam commigrarunt, Hiſpalis vrbs Regia & vocata, & habita fuerit. Toletiigitur Conuentu Epiſcoporum indicto (quod Concilium quartum Toletanum fuiſſe ferunt) Patrum decreto ſancitum eſt, vt in vniuerſis Hiſpaniæ Eccleſiis, preces priuatæ, Miſſarum oblationes, & omnes publicæ pſalmodiæ, vnico & eodem exemplo à Sacerdotibus celebrarentur. Cura hunc ordinem inſtituendi Iſidoro Pontifici Hiſpalenſi, ſumma tunc ſanctimonia & doctrina claro, demandata fuit: quanquam in hoc authores variant. Nonnulli enim Leandrum Hiſpalenſis Eccleſiæ antiquiorem Antiſtitem ei muneri præfectum aſſerunt, cui Iſidorus comes datus fuerit. Sed illud conſtat, ab Iſidoro eum ritum Iſidorianum officium fuiſſe nuncupatum. Perſeuerauit in Hiſpanis Eccleſiis hæc ſacrorum religio, quamdiu res Gothorum in ea floruerunt, hoc eſt centum viginti circiter annos, vſque ad miſerandam illam calamitatem, cum per Mauros Arabeſque, vniuerſa pene regio cædo incendiiſque vaſtata, fuſis, fugatiſque Hiſpanorum copiis, in barbarorum ditionem venit. Cum autem in publica clade, vrbs quoque ipſa Regia in hoſtium poteſtatem, idque ea conditione veniſſet, vt oppidanis liceret Chriſtiano ritu, legibus, moribuſque in ea viuere: quamuis pleraque ciuium multitudo ſponteneum exilium Arabicæ prætulerit ſeruituti, nonnulli tamen quibus patrii domeſticique lares charioresque libertate fuerunt, conditione accepta, ſub Arabum & Maurorum imperio ſacris ſuis retentis, in vrbe manſerunt. Ergo eiuſmodi homines quod Arabibus permixti viuerent, MiſtArabes appellati ſunt, & illorum Eccleſiaſticus ritus, officium MiſtArabum. Quæ vox cum temporis diuturnitate, tum barbarorum lingua eſt corrupta, & in Mozarabum degenerauit, qua nunc vulgus vtitur. Igi-

Toletum in Barbarorum ditionem venit.

tur iis qui sic inter Arabes Toleti manserunt, sex Ecclesiæ in quibus rem diuinam facerent à Mauris permissæ sunt, Diuorum Marci, Lucæ, Sebastiani, Torquati, Eulaliæ, & Iustæ nominibus dedicatæ; in quibus ritum illum Isidorianum, qui incolumi florentique ciuitate in templis omnibus canebatur, captiua etiam quadringentos ferme annos conseruarunt, quod Toletanum officium appellabatur. At vero vrbe ipsa diuina tandem benignitate, Alfonsique Regis Ferdinandi Magni F. felicibus auspiciis recuperata, cum de Sacris in ea instaurandis restituendisque ageretur, Rex Richardi Massilienſis Abbatis suasu, & Constantiæ Reginæ vxoris assidua instigatione, ritum sacrorum à Diuo Gregorio olim institutum Toletano prætulit: quamuis populis clamantibus, vsum suorum sacrorum tot seculis inter medios barbaros conseruatum, per summam iniuriam aboleri. Quæ vero de singulari militum certamine, altero pro Gotthicis sacris, altero pro Gregorianis dimicantium, deque pyra in medio foro Toleti incensa dicuntur, in quam sacri vtriusque officii codices coniecti sunt, apud alios authores qui de ea re scripserunt explicati is & vberius, legi poterunt. Sed tamen vt Rex animos turbarum leniret, adhuc sacra sua auferri frementium, cum in vrbe nuper recuperata inter varias Basilicarum, fanorum, sacrarumque ædium dedicationes, parceciales inprimis (quas vulgo Parochiales vocant) Ecclesiæ regionatim constituerentur; ad quas populus rei diuinæ causæ conueniret, suique limites per vicos domosque singulis definirentur, solis illis sex Ecclesiis in quibus Isidorianus ritus vel inter hostes per tot annos durauerat, sines nulli præscripti sunt, sed sui cuique Mozarabes, illorumque posteri, vbi illos intra extraue vrbem in agro Toletano morari contingeret, immunitatibus & priuilegiis non vulgaribus concessis, pro Parochianis & tribulibus assignati fuerunt. Quamdiu ergo illi Mozarabes eorumque posteri floruerunt, suam quisque Ecclesiam, sacraque gentilia frequentarunt. Sed paulatim familiis deficientibus, ritus etiam ille deficere, & Gregorianus sensim in sex etiam illas Ecclesias introduci cœpit. Tandem ergo factum est, vt non nisi paucis quibusdam statis festisque diebus, eo ritu in illis sacrificaretur. Litterarum vero Gotthicarum characteres, Latinis nostris non multum sunt absimiles. nonnulli enim eadem sunt forma, alii vero dissimili: quos per Gudillam quandam Episcopum, vna cum fidei nostræ rudimentis genti Gotthorum traditos ferunt: qui primum Gotthici, deinde Toletani, postremo Mozarabum appellati sunt. Ferunt etiam veteris ac noui testamenti libros, in vulgarem Gotthorum linguam per hunc Gudillam translatos fuisse. Igitur cum ad ea volumina Ximenius venisset, de re tota edoctus, indignum esse & graue iudicauit, sanctissimas priscorum Hispanorum cærimonias à viris præclaris institutas, & miraculorum testimoniis comprobatas, in tantam desuetudinem venisse, vt iamiam interituræ esse viderentur. Ergo cœpit rem altius considerare, & vt erat priscarum cærimoniarum studiosissimus, Mozarabum ritus instaurandi curam suscepit; adhibitisque viris quotquot extabant eius rei peritis, primum Libros omnes quibus sacra illa continerentur, Gotthicis characteribus conscriptos, in vulgaris litteraturæ formam redigendos, impressoriisque formis excudendos curauit. Quibus non sine magna impensa in exempla innumera vulgatis, ad extremam templi partem occidentem versus, in ædicula quæ Corporis Christi dicebatur, Sacellum eleganti structura ædificauit, in quo tredecim Sacerdotum Collegium, adiunctis tribus ministris, instituit, quos Mozarabes Sodales appellauit. Hoc Collegium idoneis prouentibus annuis instructum, sub Capituli Toletani patrocinio constituit. Ipsis porro Sacerdotibus perpetuam horum sacrorum curationem demandauit, vt eo ritu singulis diebus sacrificare, horariasque preces concinere solenne esset: ad quos & sex Mozarabum Ecclesiarum Sacerdotia pertinere voluit, quæ quoties vacua esse contingeret, ipsi optare possent Sacerdotes, quibus illa Archiepiscopus conferret; aliasque leges addidit, quas non est huius loci referre. Sic ergo sacra illa per Ximenium restituta, ab interitu vindicata sunt: in cuius restitutionis memoriam cenotaphium reparatur: in medio sacello honorifice erectum cernitur, impendente desuper coccineo galero, Cardinalitii honoris insigni. *Gomecius in Ximenio lib. 2.*

Idem recuperatur ab Alphonso.

Dissensio de Officio Gregorio & Toletano.

X. *Emanuel Rex naues in Indiam mittit.*

Hæc pro instaurando vel amplificando cultu diuino agente Ximenio, Emanuel quoque Rex Lusitaniæ, in propaganda apud Indos & alios infideles fide Christiana, non segnior fuit. Hoc enim anno sex naues in Indiam misit, tribus quidem Alfonsum Albuquercium, aliis vero tribus Franciscum Albuquercium illius fratrem patruelem præfecit. Aliam deinde classem Gundisaluo Cœlio commisit, qua regionem à Caprale exploratam, quam Brasiliam vocant, perlustraret. Alias quoque duas naues in regiones sub Septentrionibus sitas, misit, vt tentarent, ſ possetne quidquam de casu, quo duo fratres Corteregales ante tres annos eo profecti; aut mortui, aut captiui fuerant explorari, Albuquercii Cocinum delati, amicitia cum Rege Trimumpara firmata, eius voluntate castellum pro Lusitanis extemporaneum in ea vrbe ædificauerunt, & in eo templum Diuo Bartolomeo dedicarunt, vt magnum vtrumque consilio ac pietate, sic modico sumptu elegantiaque. Sacrarum ædium & arcium, quæ variis Indiæ locis per alios aliosque præfectos, per otium deinde absolutæ sunt, lignea prima ædificia, quasi typos ac proplasmata iure quispiam dixisset. Eo munimento perfecto, supplicatio à Lusitanis habita: signum pendentis è Cruce Domini sub vmbella pretiosa per multas instauratæ iam vrbis partes, præcinentibus tubis cum religioso tripudio ac festa Saltatione prælatum: pompa ad arcem vsque perducta, & cum arx ipsa, tum in ea templum precatione solenni à Sacerdotibus consecratum, eo maiore lætitia, quod illo primum die Romana Ecclesia diuinis in rebus, Lusitana gens in humanis, Indiæ possessionem adire quodammodo videretur. Secundum hæc fama permoti tutores, Colani Regis (nam ipse per ætatem potens regni non erat) per legatos fœdus & amicitiam Lusitanorum petiere. Quibus cum eo libentius iunctæ dexteræ, quo maiores in omnem partem opportunitates habere visa res est. Etenim Colanum vrbs, quatuor & viginti leucas à Cocino in meridiem sita, inprimis totius Indiæ antiqua & opulenta censetur, ex ea Calecutum, & aliæ Malebarici soli olim ductæ coloniæ, abundat mercibus: portum præbet facili accessu, ac præterea, à multis veterum Christianorum familiis incolebatur, quæ res longe etiam vehementius Lusitanos ad Societatem gentis allexit. Igitur illis præcipue cautum in fœdere: multis & grauibus iniuriis liberati, eorumque fortunis ac dignitati consultum. Instituta communi consensu amicitia, tabulisque commercii rite confectis, domicilium proprium Lusitanis in vrbe Colano attributum. Eo confestim negotiatores cum Scribis & custodibus immigrarunt. Accessit rei diuinæ procurandæ causa Rothericus Dominicanus. Is & morum integritate, & doctrinæ præstantia, paucis diebus multos mortales partim in recta fide confirmauit, excoluitque: partim à stipendiis dæmonum ad Christi signa traduxit. Eodem anno quo hæc in India gerebantur (is fuit à millesimo quingentesimus tertius) nauarchi aliquot ad commeatus Arabicos prohibendos Olyssipone profecti, Zanzibaris Regem malis coactum, stipendiarium Emanuelis fecere. Itemque Brauæ liberæ ciuitati, leucas cis Melindem centum, annuum vectigal impositum: ipsi vero Melindensi Regi, cum à Mombazæ tyranno valde premeretur, sane opportuno tempore latæ suppetiæ. Ita mari terraque negotiis Lusitanicis prospero admodum cursu procedentibus, in varias regiones Euangelio aditus patefiebat. De quibus, & aliis successibus, vt in communi causa commune gaudium esset, ad Christianos omnes Reges Principesque, ac Romanum præcipue Pontificem, Emanuel in eandem sententiam accurate perscripsit: vnde diu celebrati omnium sermone Nationum tam noui, tamque admirandi rerum euentus: gratiæ vbique ingentes actæ Deo: nec parum inde Lusitanico generi ac nomini dignitatis accessit. *Osorius lib. 2. Maphæus lib. 2.*

Fidei Cath. propagatio apud Indos.

XI. *Rusticorũ contra Ecclesiasticos conspiratio in agro Spirensi.*

Hoc anno liga rusticorum in Germania, vulgo der Bundschuch, ac præsertim in agro Spirensi immodicam seditionem concitavit in Ecclesiasticos. Anno superiore in diœcesi Spirensi à duobus rusticis primum orta fuit ea conspiratio & rebellio adversum Episcopum & Canonicos, contra jusiurandum & fidem illis tanquam dominis suis datam. Crevit paulatim seditiosorum numerus, quos ii rustici callidis persuasionibus in suas partes pertraxerunt, & nisi numinis providentia id malum brevi detectum fuisset, illa hominum sex postea præ multitudine vix opprimi potuisset. Submittebantur clam ex his fœderatis homines versuti in pagos & oppida, qui quoscunque possent, in Clerum, in Principes, & Magistratum concitarent, ipsorumque factioni adiungerent. Jam duos duces sibi delegerant, penes quos rerum esset summa potestas, quibusque universi sine vlla contradictione obtemperarent. Cum diem certam designassent, ad quam in locum vnum omnes convenirent, ecce capti sunt duo hujus perfidiæ autores, qui quæstionibus & tormentis subiecti, omnia sua nefanda consilia enunciarunt; quæ eò fere spectabant, vt omni jugo excusso, pernicioſa gauderent libertate, liceretque cuique suo vivere arbitratu, magistratum omnem & principatum prosligarent, & si qui ipsorum conatus retardare, aut ipsis obsistere instituissent, eos immaniter trucidarent, quasi divinæ justitiæ hostes. Inprimis quidem invadere statuerant Marchionem Badensem, inde Spirensem Episcopum, postea Monachos & Clericos &c: deinde in omnimodam se vendicare libertatem. Qui conatus tametsi erant seditiosi, impii, & omni supplicio digni, tamen homines deploratæ cæcitatis atque stultitiæ videbantur sibi æquam & bonam fovere causam, & vt res tam nefaria prosperos haberet successus, certas eo nomine preces quotidie à singulis dici volebant, scilicet vt Deus tantæ nequitiæ se patronum & fautorem præberet. Preces erant quinque orationes Dominicæ, & totidem Angelicæ salutationis flexis genibus dicendæ. Neque hoc contenti, etiam Symbolum sibi statuêre, Divam Virginem Matrem & Sanctum Joannem Evangelistam, quasi sancti homines favent scelcribus. Verum Maximiliano Cæsare in eos graviter animadvertente, publicæ suæ temeritatis justas dedere pœnas, plurimis eorum captis & vltimo supplicio affectis. Eos exitus plerumque habere solent turbulenta & seditiosa, præsertim adversus Magistratus, quibus divinæ litteræ nos jubent esse morigeros, consilia & machinamenta, suisque authoribus vt plurimum exitio esse consueverunt, rerum humanarum pervigilem curam gerente divina providentia, quæ etsi interdum occulta sua justitia permittit homines pessima quæque moliri, non tamen patitur semper eos voto potiri suo. Habebant conjurati isti tesseram quandam mutuæ coniurationis, ne ab aliis deprehenderentur, eaque erat ejusmodi, vt si quis ejus fœderis esset, percontatus ab alio; Quis modo rerum status est? interrogatus responderet; Nos præ Clero salvi esse non possumus. Atque hunc in modum videbantur illi quidem cum solo Clero negotium habituri, sed sub hoc prætextu jugum omne cujuscunque Magistratus à suis cervicibus dejicere moliebantur.

Eodem anno Picardus quidam Hemon nomine, Parisiis in sacello quod sanctum dicitur, ex manibus sacerdotis ad aram stantis & rem divinam peragentis, vi abstulit sacratam hostiam, & multis adstantibus & adspectantibus viris nobilibus eam comminuit, & jactavit in terram. Conjectus præterea in carcerem, cum nollet, licet à Judice admonitus, tanti sceleris veniam petere, mox, vti par erat, igni concrematus est. Picardi, inter alios damnatos errores etiam hunc tuentur, quod Christus non sit personaliter, corporaliter, & subſtantialiter, sed tantum sacramentaliter in Eucharistia; eaque propter adorari non debeat: quem errorem Zuingliani & Calviniani postea amplexi sunt; quamquam à doctissimis viris olim in Berengario confutatum.

XII. Eodem anno Raymundus Cardinalis, Apostolicæ sedis Legatus, Francofordia post Comitium Principum Germaniæ discedens, per Vangiones & Nemetes Basileam usque progressus, certior factus est de miraculis minimè contemnendis, quæ creberrima fierent ad sacras reliquias trium Sanctarum Virginum, Kunegundis, Viberadis, & Mechtildis. Itaque misit ad pagum Elchsel, in cujus parochiali Ecclesia eæ virgines conditæ servabantur (est autem is pagus Constantiensis diœcesis) JACOBVM Merbolt Bambergensis diœcesis Clericum, vt rei veritatem inquireret. Vbi is eò pervenit, tria insignia miracula ipso inspectante edita sunt. Nam & fœmina vno orbata lumine, sanitati restituta est, & paralytica quædam curata est, & mutus linguæ vsum recuperavit. Hæc vbi Cardinalis rescivit, jussit sacras virgines, licet necdum solenni cærimonia & ritu in Divorum numerum relatas, haberi in honore; quippe quarum sanctitatem tot miracula testarentur. *Surius in Commentario rerum gest.*

Virgines miraculose in pago Elchsel.

Iis quoq; ipsis temporibus accidit, vt in oppido Castalonensi, Diœcesis Serezanensi, imago quædam Beatæ MARIÆ Virginis, in ædibus eorum qui de Bertozzis dicebantur lugere visa fuisset, eo quod à puerulis nescientibus quid agerent, ludibrio percussa fuisset, quo quidem miraculo deprehenso translata fuit in Ecclesiam primariam Sancti Leonardi, donec in alio præcipuo sacello prope fontem locaretur. cumque pluries clam inde recederet, & in pristinum locum de Bertozzis vltro reverteretur. D. PEREGRINVS de Porcellotis vir pius, qui Ecclesiam illam regebat, oratione præmissa, oraculoque accepto, imaginem illam in quodam tabernaculo vbi nunc est collocari, & Patribus Servitis commendari curavit; vbi deinceps multas gratias, & miracula edidisse municipes illi jureiurando testati fuerunt: ex quibus præcipua hæc enumerantur. Benedictus de Zerbinellis ad carceres Castulonis damnatus voto facto liberatur. Camillus Turrianus adhuc puer à lepra mundatur. Marcus Lapicida ab Orturano sub ruina cuiusdam cavernæ oppressus, Beatæ Virginis intercessione incolumis evasit. Angelinus Matthæi confracto crure post votum emissum statim ambulare cæpit, ac si nihil mali passus fuisset. Petrus Sylvestri vulnere accepto, ex quo intestina diffluerent, nec spes vlla salutis esset, per merita eiusdem Beatæ Virginis sanatus fuit. Marcellus Marchio à Corlago dum in arce Mediolani captivus detineretur, ex alto muro, vt evaderet, præcipitem se dedit absque vlla corporis læsione, & id meritis eiusdem Beatæ Virginis Elisabeth Philippini puellula fortuito orbata vno oculo liberatur. Joannes Matthæus Pasquini de Colle sino, dum in Pannonia militaret, à mortali ictu globuli eiusdem Beatæ Virginis intercessione liberatur. Andriola vxor Dominici Turriani, cum dolores partus diutius sustineret, voto emisso fundandi altare in eadem Ecclesia Beatæ Virginis facile & sine doloribus fœtum enixa fuit. Stephanus de Nocettis de Bagnono cum gravi morbo pustularum adeo laboraret, vt jam vitam ageret, voto facto & vix adimpleto per cius matrem Aldam, statim convalescere cæpit. Laurentius Dominici Turriani de mense Aprili 1607. cum in Corsicam adnavigaret, maxima oborta tempestate non procul à loco qui *Pierra Carbonara* dicitur, dum vehementer periclitaretur, emisso voto de nonnullis oblationibus ad eandem B. Virginem sta im cessante procella, secundo vento ad portum Corsicæ pervenit. Dominicus Antonii de Nola, cum in festo S. Petri ad Chorlagum inter choreas fistula caneret, vulnere gravi in vmbilico accepto, vnde intestina profluerent, nomine eiusdem B. V. devotissime implorato sanus evasit. Matthæa vxor Ioannis de Menenis à Groppo, cumprimum ederet partum, nec lac ad ipsum alendum administrarent vbera, gratiam lactis recepit. Iacobus Matthæi de Vspiano, anno 1617. die 26. Iulii, cum pluries sub quodam plaustro à duobus bobus robustis & calcitrantibus oppressus, & semimortuus remansisset, invocato eiusdem B. V. præsidio liberatus fuit. Anno 1618. Baptista filius Ioannis infans annorum quatuor gravi lapide circiter librarum triginta, qui è tecto 26. cubitorum altitudinis ceciderat percussus, & à patre summis precibus eidem imagini commendatus convaluit. Multa alia huiusmodi gratiarum signa, sub

Miracula patrat.

die 20. Januarii 1619. per Notarium, & teſtes, eo in loco collecta fuerunt. *Archangelus Gianius Seruita cent.3. Annalium Ord. Seruorum. lib.5. c.4.*

Hoc eodem anno in Germania, mirum in modum Deus retexit ſcelus duorum homicidarum. Tiguri erat caupo quidam, Buggerlinus nomine. Apud quem cum pauper quidam mercenarius peculium depoſuiſſet, eum ille interfecit in ſylua, ibiq; ſepeliuit. Verum cum is forte fortuna repertus eſſet, ſuſpicio cædis in cauponem cecidit. Data eſt ei falcicula pauperis illius (apud eum reperta ſub cingulo ejus) & quæſitum, num eam agnoſceret. Sumpſit falciculam in manus, ſtatim ſudauit ea ſanguine. Ideo licet antea tortus negaſſet, cædem iam faſſus eſt, & rotæ ſupplicio affectus. Sic Ioannes Spies miles Etisvueilæ apud Lucernates, uxorem puluinari ſuffocauerat. Quæſtionibus ſubiectus, nihil confeſſus eſt. Igitur judicum ſententia exutus eſt, & raſus, atque à carnifice ad cadaver, 20 die poſt mortem effoſſum adductus. Quo appropinquante, mulier ſudare cepit. Propius accedens, iuraturus erat impoſitione digitorum ſe inſontem eſſe. Sed quid fit? Sanguis è cadauere per feretrum deſtillauit. De ſcelere igitur confeſſus eſt; pœnitentiam egit, ac membra contuſus rota, periit. *Annal. Sueuic.*

Homicidarũ ſcelera deregũtur.

In Germania cruces iterum in veſtimentis, & in pane ſimulacco apparuerunt. In Bauaria circa oppidum Nilſecum draco ingens coronatus viſus eſt. *Autor de prodigiis & oſtentis.*

Portenta in Germania.

ANNO CHRISTI
M. D. IV.

IVLII PAPÆ II.
ANNO I. ET II.

MAXIMILIANI
ROM. REGIS
ANNO XIX.

I. VIum Pontificem, ſtatim atque ſolium Apoſtolicum conſcendit, tres graviſſimæ curæ exceperunt; pax inter Reges ac principes Chriſtianos, bellum ſacrum in Turcas, & patrimonii Apoſtolici recuperatio. Pacem, vt inter illos conciliaret, & reliqua ſubinde ope illorum conficeret, nuncios ad Maximilianum Cæſarem, Ludouicum Galliæ, & Ferdinandum Caſtellæ Reges, qui præcipuè diſſidebant, ſine ulla mora deſtinauit. De illorum controuerſiis abunde jam narratum. Cladis ad Garilianum acceptæ, totq́ue calamitatum quæ poſt ſecutæ ſunt nuncii, ob eorum qui pericrant multitudinem, & præcipue ob multorum virorum nobilium amiſſionem, totum Galliæ regnum lachrymis & planctibus repleuerunt; ex quo Regia vniuerſa ex veſtitu, & multis aliis doloris ſignis, mœrore & afflictatione plena conſpiciebatur, & per totum regnum virorum ac mulierum, eum diem, quo primum infauſta imperii in Italia adipiſcendi cupiditas, Regum ſuorum quaſi tanto imperio quod poſſidebant contenti non eſſent animos inuaſit, execrantium voces audiebantur. Inprimis vero Ludouici Regis animus tam nobilis regni vnquam recuperandi deſperatione, & tantum exiſtimationis authoritatisq́ue ſuæ diminutione vehementer angebatur, magnifica verba toties in Hiſpaniæ Regem jactata, & vanæ tantorum ad eum vndique oppugnandum apparatuum perſuaſiones in mentem veniebant. Ejus quoque dolorem atque indignationem augebat cogitatio, quod cum ipſe ſumma diligentia, nulli prorſus rei parcens, tantos apparatus feciſſet, & cum pauperrimis, omniumq́ue rerum egenis hoſtibus bellum gereret, miniſtrorum ſuorum auaritia & fraudibus tam turpiter ſuperatus eſſet. Quare vociferationibus cœlum implens, efficaciſſimo etiam Sacramento addito, ſe poſtquam ſuorummet tam negligentem & perfidam operam eſſet expertus, nullum amplius bellum (ſi ſuſciperet) ducibus ſuis commiſſurum, ſed ſeipſum ad omnia præſentem futurum, confirmabat. Super autem hæc omnia eum angebat diſcruciabatq́ue, quia quantum vires ſuæ tanti exercitus clade, & tot ducum totq́ue illuſtrium virorum interitu, imminutæ eſſent, animaduertebat: ita ut ſi vel Maximilianus Cæſar aliquem motum in Inſubria excitaſſet, vel Hiſpani regno Neapolitano egreſſi vlterius proceſſiſſent, ipſemet de eo imperio defendendo maxime diffideret: præſertim, ſi cui horum Aſcanius Sfortia Cardinalis, qui in Galliam (vti promiſerat) non reuertebatur, & cuius dominatus ab omnibns populis vehementer expetebatur, adhæſiſſet. De Conſaluo omnes judicabant, eum opportunitate iri excitatum. quo fiebat, vt quicumque in Italia Gallis fauerent, in magno terrore verſarentur, ne ille victori pecunias occaſionesve non defuturas ſperans, nulla interpoſita mora, ad Inſubriæ imperium euertendum, & Hetruriæ ſtatum ex itinere mutandum, victoriam ſequeretur. quod ſi feciſſet, Ludouicum Regem pecunia exhauſtum, & animo deiectum, præſertim cum ſuorum animi à tranſitu in Italiam eſſent alieniſſimi, & qui Caieta redibant Regiis mandatis quæ Genuæ acceperant contemptis, alpes tranſiſſent, ci tempeſtati ſine vlla defenſione ceſſurum fuiſſe, certo credebatur. Ergo Ludouicus omnibus belli cogitationibus omiſſis, totus in concordia inprimis cum Maximiliano tractanda verſabatur: non minus etiam pacis negotio cum Hiſpaniæ Regibus intentus, cuius rei gratia, in belli ardore non intermiſſæ, Hiſpani Oratores apud eum ſemper & fuerant, & etiam tum erant. Hi vero *ſilte*, vt regnum Friderico, aut Calabriæ Duci ejus filio reſtitueretur, quibus Ludouicus jura ſua concederet, & Duci vidua Regina eius Regis neptis, quæ jam Ferdinandi Aragonii junioris vxor fuerat nuberet, in pacis agitatione proponebant. Nec dubium erat, quin Ludouicus Rex à Neapolitani regni rebus ita eſſet alienus, vt quod ad ipſum attinebat, quaſuis pacis leges admiſſurus eſſet: ſed in propoſita conditione duæ illum difficultates morabantur, vna leuior, quod proceres Neapolitanos, qui eius factionem ſecuti eſſent, ditionibus ſuis ſpoliatos, quibus duræ ac difficiles leges imponebantur, ipſum deſerere pudebat. Altera, qua magis movebatur erat, quod vereretur, ne ſi Hiſpaniæ Reges aliud in animo habentes, *conſuetis artibus* id in aliquem finem proponerent, etiamſi conſenſiſſet, res non perficeretur: & ſic tamen Archiducis qui regnum Neapolitanum filio comparare cupiens, vt pax alias ab ſe confecta procederet inſtabat, animum à ſe alienaret. Idcirco generatim pacem ſe quidem optare, ſed ſua in id regnum jura Aragoniæ gentis homini cedere ſibi dedecori fore reſpondebat. Interea vetera negotia cum Romanorum Rege & Archiduce tractabat; quæ vt exitum habitura propemodum certus fuit, ne ea incerto Hiſpaniæ Regum negotio impediret, honoris ſui gratia, Neapolitanorum procerum cauſa ſe moueri oſtendens, Hiſpanis Oratoribus ad ſe vocatis, in Regia ſede in frequenti conſilio ſedens, ſolennibus, quæque raro adhibeantur cerimoniis, eos Reges verbis pacis, à qua animo eſſent alieniſſimi deſiderium præ ſe ferre, quæſtus eſt; eamq́ue ob cauſam cum variis negotiis tempus terere Rege indignum eſſet, vt è Galliæ regno diſcederent, magis decere. Poſt horum diſceſſum, Maximiliani & Archiducis Oratores, vt cœpta perficerent venerunt; quibus conſiliis quia maiora ſpectabant, Petrus Fillolus Siſteronenſis Epiſcopus ab Iulio Pontifice miſſus certus internuncius, & Carolus Carretus Epiſcopus Thebanus Finarienſis Marchio ab eodem Pontifice huius negotii cauſa deſtinatus intererant, quod fœdus alias ſæpe agitatum, omnibusq́ue his principibus magno emolumento fore videretur, facile in hunc modum confectum eſt, vt Claudiæ Galliæ Regis filiæ, cum CAROLO Archiducis filio natu maximo, antea tractatum matrimonium ad exitum perduceretur; & ad maiorem eius rei fidem,

Iulius II. pacẽ conciliat inter reges Galliæ & Hiſpaniæ.

Pacifcuntur Ferd. & Ludou. Reges Hiſpan. & Galliæ.

I.

2.

Galliæ Regis Sacramento & ſubſcriptione, itemque Franciſci Angoliſmenſium Domini, qui ſi Regi mares filii non naſcerentur, tamquàm ſanguine proximus ei erat ſucceſſurus, & multorum præterea Galliæ regni procerum manu confirmaretur: Maximilianus, juſtis & honeſtis de cauſis, omnibus Mediolanenſis imperii monumentis ad eum vſque diem conceſſis, reſciſſis, Galliæ Regi, & liberis maribus, ſi qui naſcerentur: ſin minus, matrimonii jam dicti gratia, Claudiæ & Carolo; quod ſi Carolus ante matrimonium perfectum decederet è vita, Claudiæ atque vna Archiducis nato, ſiquidem ei illa nupſiſſet, Inſubrici imperii jura concederet. Inter Pontificem vero, Maximilianum Cæſarem, Galliæ item Regem, & Archiducem fœdus ad communem defenſionem & contra Venetos, vt ea quæ ſingulis horum illi occupabant recuperarentur, percuſſum intelligeretur. Maximilianus Cæſar in Italiam adverſus Venetos tranſiret, deinde Romam ad imperii accipiendam coronam pergere poſſet. Galliæ Rex auguſtali diplomate accepto, ſtatim ſexaginta Rhenenſium aureorum millia, & poſt ſex menſes totidem Cæſari perſolueret, & ſingulis annis, Domini noſtri natali die ſacro, bina aurea calcaria eidem daret. Hiſpaniæ Regibus poſt quatuor menſes in hoc fœdere locus relinquereturr: illud autem expreſſum non fuit, vtrum Galliæ Regi Neapolitanum regnum inuadere liceret, nec ne. Galliæ Rex, Comitem Palatinum qui ab illo incitatus, & ejus auxiliorum ſpe fretus, cum Maximiliano Cæſare graue bellum gerebat, non amplius juuaret. Veneti, quamuis illorum Oratores ſemper ab Rege admodum humaniter audirentur, & Cardinalis Rotomagenſis, vt eos ſuſpicione liberaret, Regem numquam fœdus quod cum illis iciſſet violaturum, ſemper efficaci oratione & jurejurando confirmaret, excluſi fuerunt. Hæc ſcriptis ſtipulatis continebantur; præter quæ actum fuit, vt Maximilianus & Rex Ludouicus in locum aliquem de quo alio tempore decerneretur, conuenirent: promiſitque Rex ſe Ludouicum Sfortiam è carcere exemturum, ciq́ue vt honeſte in Galliæ regno viuere poſſet, proſpecturum: cujus ſalutem non procurare Cæſarem, vt qui illum ob ſua promiſſa, & ſpem fruſtra in ſe collocatam, ejus cuerſionem acceleratam fuiſſe recordaretur, nonnihil pudebat. Idcirco & cum Rotomagenſis cum Tridenti conuenit, de anguſtia in qua prius cuſtodiebatur multum remitti curauit; & nunc vt liberè in Regia aula, vel in ea Galliæ parte in qua Rex maluiſſet verſaretur, inſtabat. Rex etiam in ejus gratiam Inſubriæ exulum in patriam reſtitutionem, quæ in Tridentino colloquio multum negotii fecerat, repromiſit. Hoc fœdus Maximiliano & Archiduci adeo utile, quia Pontifex eo comprehendebatur, & Galliæ Regis, non tam quod tunc nouarum rerum cupidus eſſet, quam quia Mediolanenſis imperii diploma obtineret, & ſe à Cæſaris & filii injuriis ſecurum reddere cupiebat, gratum erat, crebris Maximiliani mutationibus minime obſtantibus, progreſſum habiturum credebatur. Commodum etiam Regi Ludovico accidit, quod iisdem fere diebus Fridericus Rex Regni Neapolitani ulla compoſitione recuperandi ſpe penitus dejectus, obiit: quàvis (ut hominum natura fert) antea deſiderio deceptus, Hiſpaniæ Reges magis quam Galliæ Regem ad id propenſos eſſe perſuaſum habuiſſet: parum conſiderans, tanti regni adeo ſplendidam reſtitutionem, cujus etiam priſcis temporibus, quæ ad præclara & generoſa virtutis facinora his magis propenſa erant, tam rara extent exempla, hoc ipſo ævo ſperare vanum eſſe: ſed denique ex rerum uſu, non minorem in uno quam in altero difficultatem poſitam, imo minus ſperandam eſſe, vt qui poſſidebat reſtitueret, quam vt qui non poſſidebat aſſentiretur, animaduerterat. *Guicciardinus lib.6. & Surita lib.5.c.81.*

Iulius II. P. ad bellum Venetis inferẽdum Maximil. Regem Rom. vrget.

Frederitus Rex Neapol. ſpe regni deſtitutus moritur.

II. Secundum hæc Maximilianus Ioannem Cuſpinianum vrbis Viennenſis præfectum, jurisprudentia ac bonarum litterarum ſtudiis clarum, Budam ad Ladiſlaum Vngariæ & Boëmiæ Regem miſit; partim vt Ladiſlaum ſalutaret, deq́ue nuro non ita pridem Ludouico lætitiam, quam Cæſar ingentem animo conceperat declararet: partim ut Regis animum ob immaturum conjugis obitum triſtitia & mœrore confectum verbis ac oratione conſoleretur. Poſtulabat præter ſupra dicta Cuſpinianus à Ladiſlao aliquos ex ſecretioribus amicis ad Cæſarem mitti, cum quibus de fœdere ſanciendo, coq́ue affinitate mutua confirmando, nec non de inferendo quod Iulius Pontifex urgebat Venetis bello, qui præter multas Romani Pontificatus & imperii, ac domus Auſtriacæ vrbes & prouincias, Dalmatiam ad Vngaros legitimo jure pertinentem per fraudem & dolum tenerent, conſultare deceneretq́; poſſent. Ladiſlaus arbitratus illud fœdus, illamq́; affinitatem ſibi ſuiſq́; incomparabili dignitati amplitudiniq́; fore, paucorum dierum mora interjecta, ipſo etiam Cuſpiniano inter alios pauciſſimos in conſilium adhibito, Janum è provincia Moraviæ oriundum, antea Epiſcopum Varadienſem & Olomucenſem, Matthiæq́ue Regis omnium conſiliorum olim arbitrum, & Ladiſlao charum, ſed qui relictis Reipub. curis ac aulæ moleſtiis vitam priuatam amplexus, ad Monachos Diui Franciſci tranſierat, elegit; qui ad Maximilianum eo tempore Conſtantiæ prope Heluetios comitiis vacantem proficiſceretur, ac in arcano & occulto, fœdus & affinitatem cum eo jungeret. De Venetis bello perſequendis, quos non ignoraret ex Romanæ Eccleſiæ, & finitimorum Regum ac principum ditionibus inſolenter uſurpatis imperium ſuum condidiſſe, Dalmatiamq́ue præter omne jus fasq́ue occupatam tenere, ſe propediem Legatos ad Cæſarem miſſurum reſpondit, qui de ſocietate belli, ejusq́ue gerendi modo & conditionibus tranſigerent. Quamuis autem hæc ſummo ſilentio tegerentur, ne in vulgum emanarent; plures tamen è ſenatu Pannonico atq; Boemico ea ſubodorati, Regem adiere, ſuadentes ne ſe, & regna ſua Germanis infenſiſſimis hoſtibus tradere vellet, qui nomini Vngarico & Boemico ſemper inuidiſſent; eaq; regna non ſolum infeſtis armis, ſed etiam per varias & iniquas artes ad ſe transferre conati eſſent: tanta inter has nationes à multis retro ſeculis odia & ſimultates vigere, vt numquam in mutuam gratiam redigi, vel in vnum coaleſcere poſſint, ipſum hoc fœdere, vel arctæ affinitatis vinculis conſtricto, non tam ſuæ & regnorum ſuorum quieti & tranquillitati conſulere, quàm faces, quibus illa aliquando arſura ſint, & penitus conflagrent, ſubminiſtrare. Quæ tamen dehortamenta ipſe, vt omnia cætera, tacitus transmiſit, ac in propoſito perſtitit. Et Janus ad Cæſarem profectus, omnia ex animi ſententia perfecit; ita tamen vt negotium non exigui momenti aliquamdiu in maximo ſilentio habitum ad illud tempus, quo Conuentus Principum prima quaq́ue occaſione inſtitui poſſet, prorogaretur. At Cæſar cum Ladiſlaũ in mittendis Legatis, quibus cum de Veneto bello tractaret, diem de die ducere conſpiceret, eumq; Pontifex ſocius & confœderati aſſidue monendo & hortando per nuncios & per litteras vrgerent, nec ipſe ignoraret magnum rebus gerendis adjumentum Pannonica ſocietate acceſſurum, miſſo eodem Cuſpiniano in mandatis dedit, ut Ladiſlaum acrius & frequentius ſtimulando ad mittendos Legatos cum plena poteſtate induceret, nec interea ab eo diſcederet, dõnec Cæſar ea quoque in parte voti compos redderetur. Qui mandata peragendo, ac gravi ſermone ob oculos proponendo, nullam juſtiorem ſuſcipiendi belli cauſam videri poſſe, quam perpetuos majorũ ſuorum hoſtes, nobiliſſimi Dalmatiæ regni iniquos detentores vlciſci, ac adverſus eos juſta arma ſumere, qui ſuis finibus minime contenti, aliena rapere, & ſubditis aliorum ſub jugum miſſis ſeuere ac crudeliter imperitare conſueuiſſent. Dalmatas veteres ſocios nomini Vngarico etiamnum addictiſſimos eſſe, ut quàmprimum inter ſe copias & ſignà militaria exercitumq́uo Ladiſlãi conſpexerint, absque cunctatione jugum Venetorum excuſſuri, ac ad ipſius imperium promptiſſimis animis redituri exiſtimentur. Quibus ad ſperatum victoriæ finem rite perducendis, Julium Pontificem, maximum, ac Hiſpaniæ & Galliæ Reges, cæterosq́ue Italiæ & Germaniæ Principes communibus viribus auxilia collaturos, eoq́ue confecto bello, ad extirpandos Chriſtiani nominis hoſtes, terra marique arma conuerſuros. Eandem quoque ſocietatem Julius Pontifex, & Ludouicus Galliæ Rex per legatos maximo ſtudio expetebant, facilemq́ue futuram victoriam promittebant, quod ea

Maximil. & Ladiſl. contra Venetos bellum præparant.

tempestate Respublica Venetorum ad extremum discrimen redacta, vires, opesque omnes amississe diceretur. Quibus rationibus persuasus, quamque cunctabundus, & plurima tergiversatus, quod multos ex senatoribus in contrariam sententiam ire animadverteret, tandem manus dedit, & Petrum Berislaum Albæ Regiæ Antistitem, ac Ambrosium Sarcanum Posoniensis arcis & urbis præfectum, viros graves se missurum pollicitus est, cumprimum Cæsar, qui tum Oeniponte erat, Viennam rediisset. Cæsari brevi reverso ij præsto fuere, fœderibusque percussis, quibus Cæsar, Pontifex, & Reges, quos modo nominavi, Ladislao Venetis bellum inferenti, pecuniam, commeatum, classes, exercitum, & omnis generis auxilia, certis æquisque conditionibus dare tenebantur, non diu morati domum reverterunt. *Nicolaus Isthuanffius Pannonius historiarum lib.* 4.

III. *Venetorum prætextus contra Valentinum Borgiam.*

De Venetis res est. Hi ad totius Æmiliæ Flaminiæque dominium aspirantes, plurimas earum provinciarum urbes, & oppida, statim atque Alexander Pontifex diem obierat, sedi Apostolicæ eripuerant. Prætextus erat illa non Romano Pontifici, sed Valentino Borgiæ, quasi iniquo possessori, atque tyrannidem in populos exercenti eripi: ad quam rem faciendam, ipse Julius Pontifex, antequam eam dignitatem conscendisset, tanquam Valentino hostis, Venetos amicos hortari dicebatur. Faventiam oppugnabant, subejus Pontificatus auspiciis. Indignum id visum Pontifici: qui statim atque solium Apostolicum ascendit, tanto Romanæ sedis tuendæ, amplificandæq; amore exarsit, nihil ut in posterum totos dies noctesq; cogitaret, quam Pontificiam ditionem in suam pristinam dignitatem restituere. Inflammavit ad hæc Julium Franciscus Soderinus Cardinalis Florentinus, à civibus suis admonitus, ut Pontifici suspectos Venetos redderet: hos scilicet non tam ut à Valentino quoquo modo parta extorquerentur, quam ut sibi acquirerent contendisse, & tantopere conari; quod semel ceperint, numquam eos reddere consuevisse; ipsum eam rem serò cogniturum, cum jam ij rerum domini fuerint. Ergo hinc illud Julio desiderium & studium, quod vitio illi pleriq; vertunt, sed revera summa laude dignum est, proprias eum amicitias & commoda, ob communem Pontificii juris integritatem posthabuisse: cujus cum ditionem imminutam, urbes atque oppida undique occupata distractaque, adeo nominis & majestatis Pontificiæ dignitatem spretam & conculcatam intueretur, & omnia recuperare constituisset, Forolivianosque ob id laudasset, quod Valentini Ducis dominatu, quem inviti subierant ac tulerant, tunc primum liberati, rejectisque jam Antonio, inde Ludovico Ordelasis, subjici nullo medio Romanæ Ecclesiæ studuissent, legesque VIII. Calend. Julii M. D. IIII. anno Pontif. I. Romæ scriptas, & Joannem Archiepiscopum Ragussinum Provinciæ Moderatorem Romam missum suscepissent, à Venetis Ariminum primo & Faventiam petiit, mox Rauennam repetiturus, quas urbes antea ab Ecclesiæ Vicariis administrari solitas illi occuparant. Eo tempore Romæ, Veneti Senatus nomine Antonius Justinianus legationis munere fungebatur: cui Pontifex longiori sermone cum eo habito, animi sui sensum aperuit, Venetos dicens injuste facere, qui plurimas urbes & oppida ad sedis Apostolicæ ditionem spectantia, & inter cætera Ariminum & Faventiam armis occuparent: proinde rem sua erga Romanam sedem fide & observantia dignam facturos, si urbes injustis armis partas Ecclesiæ sponte restituerent. Respondebat Justinianus, summis Pontificem precibus orans, ut hæc sua sanctitas missa faceret, nec Venetos de Repub. Christiana bene meritos pro sua summa justitia in rerum discrimen devocaret, quando Veneti è Borgiæ tyrannica potestate Ariminum & Faventiam in fidem suam recepissent. Addebat Justinianus, in memoriam reuocare, Pontifici, quæ is non ita pridem Cardinalis de ejiciendo Valentino disserebat: & quia dies Calendarum Januarii, quo amicis atque clientibus dari munera consueuissent aduenerat, Pontificem flagitauit, ut reipublicæ tam illi deditæ, tamque affectæ atque amanti, vel dono concederet, ut Ariminum & Faventiam eo libente, quo ipse vellet nomine obtineret. Ad quæ Julius seriò; quæ non Pontifex dixisset, ea se expendere non oportere. Ageret ipse cum Republ. ut Tossinianum quod esset in fori Cornelii finibus postremo captum, & nonnulla alia ante omnia restituerentur; post id de Arimino & Faventia peteret, aliquid fortasse impetraturus. Inter hæc Angelus Episcopus Tiburtinus, qui Alexandri Legatus aliquot annos apud Rempub. fuerat, eoque mortuo Romam redierat, iterum missu Julii venit eodem Legati nomine. Is primo adventus sui die saluere ab Julio Lauredanum Principem & Patres jussit humanissimis amantissimisque verbis, eisque gratias ingentes agere illum dixit, quod in se juuando ut Pontifex Maximus legeretur; multum operæ studiique contulissent: plurimumque ex ea se re debere senatui, libenter profiteri: neque unquam ejus officii, memoriam abjecturum. amare insuper sua sponte Venetam civitatem, Remque publicam optimis utentem & institutis, & legibus; itaque omnia ei omni tempore tributurum, quæ ex dignitate sua tribui amicissimis hominibus possint. Hoc sermone habito, appellatis suo nomine Patribus, quibus cum priore legatione assueuerat, discessit, mandata aliqua quæ longioris essent moræ in aliam se differre diem pronuncians. Ea dies ubi venit, secreto apud illos, Decem viris adhibitis magistris proposuit, velle Julium & petere, uti Ariminum & Faventia quæ intercepissent de Romana Ecclesia, oppida, ea ipsi restituerentur: rogare etiam, ut ad reliqua recuperanda eum juvarent. decreuisse enim, ne ulla Valentino turricula cui imperet relinquatur, sed omnia eo redeant unde recessere. Patres quæsti, non esse hoc illud, quod ob suam in Julium pietatem & studium ab eo expectarent, rem ad Senatum detulerunt. Senatus censuit Legato respondi oportere: quod Ariminum & Faventiam Respubl. ceperit, ea à Valentino homine importunissimo crudelissimoque cepisse, Julio ipso antequam Pontifex Maximus fieret hortante, facto autem permittente atque assentiente: eaque oppida, uti à Vicariis obtineri solita, Rempublicam modo sua fecisse, reliqua non attigisse: quæ si voluisset, non difficile fuisse capere atque retinere. Eorum duorum oppidorum nomine se Vicariam Romanæ Ecclesiæ velle esse, uti priores domini fuissent. Quid in eo Julius amitteret? Quare, ea sibi retinenda esse, statuisse. Quod ad eum ad reliqua recuperanda juvandum attineret, suas omnes copias atque opes polliceri, eis ille tanquam suis uteretur. Hæc fuit lex responsi. Quo Pontifex iritatus, litteras Senatui scripsit, quibus omnem illis spem adimebat, aliter inter se Remque publicam posse convenire, quam si ablata restituantur; id nisi faccrent, DEVM se & homines in auxilium vocaturum, atque ad omnia divina humanaque subsidia descensurum comminatus, simul ad Ludovicum Regem Galliæ nuncium misit, quæstum de Reipublicæ injuriis, auxiliaque contra illam postulatum. Idemque apud Maximilianum Cæsarem per Oratoris ipsius Scribam Jacobum Bannisium Roma missum fieri procurarique mandavit, scriptis ad eum litteris acerbioribus ea de re, decimamque fructuum ex sacerdotiis Germanicis, quam quidem Maximilianus ab eo magno studio petierat, ultro illi deferens, si se juvisset. Apud utrumque Senatus ab Oratoribus Reipublicæ facti excusationem afferri jussit; se Ariminum & Faventiam, non à Romanis Pontificibus, sed à latrone omnium teterrimo avertisse; alterum, ne à Florentina civitate, sibi propter recentem Pisani belli memoriam inimicissima, quæ eò suas copias miserat, interciperetur; alterum permutatione oppidi cum ejus domino facta in Reipublicæ finibus, ea oppida ante Valentinum per Vicarios obtineri consuevisse: Si se illorum Vicarium fieri Senatus Venetus velit, nihil novi petere. Id pro ejus plurimis in Rempublicam Christianam meritis æquum esse ei tribui, quod aliis nihil merentibus sit sæpe datum. Neminem in Flaminia Vicarium, neque ad eam ipsam ac reliqua Ecclesiæ Romanæ oppida defendenda firmiorem quam Senatus sit, neque qui majori illi usui, si res exigat, possit esse, hac Julium tempestate habiturum. Quænam invidia sit, quod temere cuilibet, ac sine ullo usu condonatur, id & præteritis Reipublicæ promeritis, & spei futurorum,

Julius II. P. ad Venetos de duab. urbibus Legatos mittit.

Venetorum ad Legatum Pontif. responsio.

cum

cum se occasio dederit, proventuum & commodorum pernegari? Ipsum deinde Julium non ita pridem Cardinalem Senatui suasorem abripiendi à Valentino Flaminiam extitisse; post id, præter illud, cujus ipse hortator fuit, nihil noui accidisse; vt non tam Julius habere causam, cur à sententia recedat, quam quonam modo Reipublicæ noceat, quærere ac meditari videatur. petere itaque Rempublicam à Ludovico quidem, ne fœderis religionem, quod ei cum senatu est, propter Julium tam injuste se efferentem violet; à Maximiliano autem, vt amicus Reipublicæ quæ finitima illi esset atque benivola semper fuisset; bona in causa malit esse, quam Julio, qui longe ab ejus regno absit, in periniqua, si fides inter homines atque constantia jus suum obtineant. Ista & alia Veneti Oratores. Maximilianus porro duos legatos Venetias misit, qui senatum hortarentur, uti Julio Faventiam atque Ariminum restitueret. eam inprimis curam ad se spectare, suique esse muneris Romanæ Ecclesiæ summique Pontificis rerum procurationem. id si nolit, causam ad judicium remittat; se curaturum, vt item ab Julio remittatur. Quod si se arbitrum velint ejus disceptationis facere, se non recusaturum, & pro rei æquitate sententiam laturum. Iis legatis Lauredanus, consulto Senatu, cum omnes ejus rei causas, quas quidem Maximiliano civitatis legati antea ostenderant, enumeraviset, vnum modo respondit, Reipublicæ jus illis in oppidis satis esse clarum, atque notum per se esse: itaque nolle Patres id in ambiguum vertere. eo responso accepto, legatorum alter Romam discessit, altero apud Senatum relicto. Ita sunt deinde inter Julium, Maximilianum, & Ludovicum quæ dixi fœdera. quibus confectis, Ioannem Lascarem Constantinopolitanum Ludovicus Rex iterum ad Senatum misit, qui diceret, hortari sese Patres, vt aliquam cum Julio ad concordiam & consensionem inirent viam: qua inita vnanimi omnes studio ea de bello Turcico cogitare possent; quæ jam pridem cogitanda atque agenda essent. Adderet & illud, sibi cum Maximiliano conveniisse, pacemque & benevolentiam inter eos esse constitutam; non illam quidem vt cuipiam nocerent, sed utriusque suarum rerum, & regnorum tuendorum causa. Patres Legato, nihil se feciisse reliqui dixerunt orando, pollicendo uti Julium placarent: descendisse enim etiam ad illud; tametsi Alexander VI. Faventiam & reliqua oppida Valentino duci libera, immuniaque dederit, velle tamen se stipendiarios Romanæ Ecclesiæ fieri, Faventiæ Ariminique nomine: legem ipse stipendiorum dicceret nihil se recusaturos, auroque Veneto recenter signato annis omnibus ea libenter persoluturos: neque quidquam tamen profeciisse. Cæterum lætari se, duorum tantorum Regum animos ab odio exercendo ad pacem & benevolentiam esse conversos. Verum propterea quod in fœdere, quod Reipubl. cum Ludovico intercedebat, caput unum erat ejusmodi, neutri sine alterius voluntate, fœdus vllum cum Rege vllo facere licere; scire Patres cupere, cur de eo Rex nihil antea senatui significavisset. Ad ea cum Lascaris aliquamdiu siluisset, tandem se scire nihil respondit, nisi unum, ei fœderi tempus quatuor mensium esse præstitutum, quos uteréque velit sibi socios & fœderatos nominandi. itaque posse adhuc quidem Regem ei fœderi inferere Rempublicam. qui tamen Lascaris sermo patrum animos, quibus quidem ea pax Senatu non appellato confecta suspicionem haud parvam afferebat, nihil leniit. *Bembus lib. 6. & 7. Rubeus Hist. Rauennatis lib.* 8. *Petrus Iustinianus historiæ Venetæ libro* 10.

IV.

De Valentino Borgia, ista reperio apud idoneos authores. Is impar Venetorum viribus, Iulium nouum Pontificem inuitauerat, ad capessendas arces quæ in Flaminia illius imperio parebant. Facto sic fœdere, Petrus Ouetus Pontificis à cubiculo, & antea è familia Valentini ipsius consensu, & cum tessera ejusdem missus est, ut eas arces obtineret. Valentinus ut erat ingenio vario atque inconstanti, subeunte iniri consilii pœnitentia, aliud atque aliud subjiciente animo, ad Dieghum Quignonium ejus nomine Cæsenæ præfectum literas secretiores dedit eum mandatis, Ouetum necaret laqueo fracta cervice. Fecit ille quod imperabatur diligenter. Pontifex gravem, vt erat, ignominiam neque dissimulandum judicans, autorem necis intra Pontificiam aulam detineri jussit, dum eæ arces redditæ essent, ac nominatim Cæsena Forliuium atque Bertinorum. Commeantibus tamen interim nunciis constitutum est, ut capto redderetur libertas, cumprimum eæ urbes & arces Pontificiis legatis essent contraditæ. Interim vinctus ostiæ custoditetur, Bernardini Carnajalii Cardinalis Sanctæ Crucis cura fideque. Ita ipsemet petierat, alibi se tutum fore non sperans multis & validis circumfusus inimicis. In quo numero principes erant Guido Montefeltrius Vrbini Dux, ipseque Præfectus Vrbis Pontificis ex fratre natus. Additum in pactionis diplomate, in Cardinalium Collegio confecto, vt traditis arcibus facultas capto esset geminis Pontificiis triremibus in Galliam concedere: nisi dederentur, in Pontificis rediret potestatem. Cognitis iis omnibus Consaluus, acre Valentini ingenium, rebus nouandis idoneum veritus, Neapoli Lescanum Ostiam dimisit, qui Cardinali Caruajalio ejus verbis suaderet, vt vincto auctor existeret, Neapolim potius quam in Galliam abeundi. Si quietem amaret! pecuniam & secreta Campaniæ offerret. Si bellum! honestam conditionem, opima stipendia: tantum se & sua Ferdinandi Regis fidei permitteret. Ne incendio scilicet late excitato malorum orbis rediret metuebant, quæ sopita videbantur. Sane Valentino melius quam vlli hominum, Italica ingenia & conatus quorsum tenderent explorata erant. Metuebatur ab omnibus; militum benevolentiam sibi adjunxerat, ac eorum maxime qui habebantur audaciissimi, temeritate promptiores. Voluntas prava nonnisi scelere quærebatur, Cardinalis Caruajalius inscio Pontifice operam & industriam obtulit, quanti id referret non ignarus, fidemque publicam à Consaluo missam accepit, tutum apud se fore ab injuria. Interea Cæsena & Bertinorum Legatis Pontificiis traditæ sunt. Idem ut faceret Consaluus Mirafonium Forliuio præfectus adduci non potuit, nisi prius quindecim aureorum millia numerarentur, quæ in munitiones & stipendia expensa ferebat. Valentinus libertatis cupidus, & quoniam inimicos ejus vitæ insidiari cognoverat, Venetis mensariis eam summam repræsentandam edixit datis nominibus. Decreta ea pecunia, neque de solutione, neque de præfecti Forliuiensis fide dubitabatur. Sic Valentinus libertati redditus, Cardinalis diligentia, multoque suasu, inscio item Julio Pontifice relicta Gallia, triremibus quæ à Consaluo mitti debebant minime expectatis, clam Neptunum pedibus contendit, unde parva nauí ad Mondraconis arcem, & inde terrestri itinere Neapolim pervenit. Vrgens divina vltio versutum alioqui hominem excæcauit. Dexteram venienti Consaluus obtulit, fidei, amorisque pignus. Comiter acceptum deinde omnibus officiis coluit. Ille tamen vt erat ardenti ingenio quietis impatiens, continuo milite & pecunia Forliuiensem arcem juuandi consilia agitare instituit Pontificiis nondum deditam: vasto simul animo Plumbinum, Perusiam, atque Pisas occupandi varias rationes tentare, audax, callidus, & in quamcumque partem se dedisset industrius aut pravus; neque pensi habens Pisas sub patrocinio Hispano delitescere, eamque ad tuendam urbem in clientelam Hispaniæ susceptam missos Neapoli peditum equitumque numeros. Subornare quin etiam tum Germanorum, tum Hispanorum cohortes, quæ in regno Neapolitano erant, injecta majoris spe stipendii. Importunæ molitiones latere qui possent inter infensos, circumfusis ubique observatoribus? Consalvus tamen ne hospitii jura datamq; fidem violasse videretur, cavere satis initio habuit; custodiis dissimulanter circumdare: ne impotentis hominis conatus ulterius procederent. Offensus ea re Valentinus, dispositis ex intervallo ad cursum equis è Neapolitanis finibus fugere cogitabat. Suscepti consilii Neapolim eundi pœnitentia subierat sera jam, præsertim ex quo certior factus fuerat, biduo postquam Ostia ipse discesserat, Romam perveniisse Finarii

Iulii II. cubicularius instituit interimitur.

Marchio-

Valentinus suspectus capitur à Consalvo & in Hispaniam mittitur.

Marchionem cum Galli Regis mandatis honestissimas conditiones offerentis, si ejus auspicia quam Hispani sequi mallet. His conatibus, unde magna incommoda nisi occurreretur tempestivè, extitissent, commotus Consalvus, in arce nova Valentinum detineri mandavit, nova & diligenti adhibita custodia ne fuga posset elabi, tametsi Pontifex, quoniam arx Forliviensis non reddebatur Ostiam referri, aut sibi tradi, ut antea decreverant, enixe postulabat. Ut Pontifex placaretur, Consalvus vincto persuasit, ea arce tradita data fide se liberaret. Missique ad id Artes quidam è familia Valentini, & Joannes Cardonius ad Franciscum Rogium legatum, cum notis & tessera, per quæ arcis Præfectus haud dubium intelligeret heri ea esse mandata. Sic Forliviensis urx tandem in Pontificis venit potestatem. Artes tamen Valentini quamvis vincti timebantur. Ea anxius cura Consalvus, postquam se in omnes cogitationes versasset, fore cõsultum judicavit, si procul ab Italia amandaretur. Fidei violatæ maculam, quoniam commisisse videbatur, ut pacta non servarentur. Ergo Antonio Cardonio & Lescano eum uti in Hispaniam abducerent, cura data est, Italiæ, ac verò Christiani orbis facem in ultimos fines amoverent, ne novis incendiis cuncta rursus flagrarent. De Valentini vinculis & in Hispaniam missione varii sermones extiterunt. A plerisq; Consalvi fides & constantia sugillata est. Ipsi etiam Regi Catholico initio displicuit ancipitis fortunæ fusceptus conatus. Verum eò erat progressum, ut retractare non liceret. Consalvus quoque officii majori cura quam famæ, damnis, quæ ejus libertate fugaque, si facultas contingeret impendebant consideratis, inanes rumores, & quid alii judicaturi essent, contemnendos putavit: more solenni principũ, officium rumore judiciisque hominum antiquius arbitrantium. Præ aliis Regi Gallo grave extitit Valentinum vinctũ teneri, à quo rebus suis certissimum in Italia præsidium expectabat. Istum in modum circumuentus fuit à Consalvo Valentinus. Dum crebro arcana colloquia cum Consalvo haberet, sibi Pisas eundi facultatem dari postulaverat: quoniam si in ea urbe sedem posuisset, Regum suorum rebus magna inde commoda essent perventura. Istud dum Consalvus se probare fingit, & triremes quæ ipsum vehant, offert, militumque quos secum ducere volebat, in regno conscribendorum potestatem facit; & quotidie de Pisanis atque Etruriæ rebus cum eo colloquia habet, & Aludanus ob Mediceorum in patriam restituendorum desiderium, se eodem tempore Florentinis bellum illaturum pollicetur, tam diu illum hac spe fovit, donec responsum à Regibus suis cum eo quod ipse facere in animo habebat consentiens, accepit. Itaque cum jam triremes & milites ut sequenti die solverent, paratæ essent, Valentinus vesperi diu cum Consalvo loquutus, & ab illo cum magna amoris significatione, atque adeo cum amplexu dimissus, eadem simulatione qua Ferdinandus Aragonius senior in Jacobum Picininum usus dicebatur, quam primum cubiculo egressus est, ejus jussu in arce retentus fuit: eademq; hora, qui fidem ei antequam Ostia discederet scripto datam auferrent, ad ejus hospitium missi. Consalvus autem sic factum excusabat; sibi ut cum custodiæ traderet, à suis Regibus imperatum; illorum præceptum suo privilegio potius esse: quod fides à ministro propria auctoritate data, non pluris sit facienda quam domini voluntas: præterea necessarium fuisse eum sic retineri, qui tot sceleribus hactenus perpetratis minime contentus, aliorum quietem in posterum turbare, res novas moliri, offensiones & discordias serere, ac perniciosa incendia in Italia excitare cogitaret, & paulo post navi longa impositum, nullo suorum præter puerum unum qui ei ministraret adhibito, captivum in Hispaniam misit; ubi in Medinæ Campensis arcem custodiæ traditus fuit. *Mariana lib. 28. c. 8. Guicciardinus lib. 6.*

V. *Consalvus diffamatur.*

Præter has à captivitate Valentini subsecutas suggillationes, in medio felicitatis cursu tantaq; gloria parta (ut obiter, nec non omnino extra lineam dicam) obtrectatorum linguas, ac fortunæ incursus vitare Magnus Consalvus non potuit. Et est natura datum ut prosperis dubia succedant, post serenum atrox ventorum tempestas consequatur. Ab externa vi non modo tutus sed invictus, intestinis calumniis premebatur instantis periculi ignarus. Inuisi suspectiq; dominantibus sunt, quos altius virtus evexit, quia meritis æquam compensationem facere non possunt, malignis eos oculis intuentur. Minorum calumniis iidem obnoxii sunt graviter ferentium, gloria & opibus præstare quos paulo ante in æquo viderunt. Omnino æmulatio nascitur inter æquales, alitur contentione, exardescit invidia, cujus finis est odium. Verum hęc mortalitatis humanæ vitia sunto; ad quæ nova & validior accessit causa virum præclarum exagitandi. Omnibus qui in superiori bello strenuam operam navarant satisfacere non potuit, nedum ignavis. Qui enim liceret, præsertim, ut est hominum ingenium unoquoque sibi blandienti, plurisq; quam erant propria merita æstimanti, aliena contemnenti, pari utrumq; vitio? Sic aliis collata præmia non minus urebant, quam sibi detracta, quæ deberi existimabant. Ex fonte tetro fædoque, plenæ expostulationum voces prodierunt, & tamen ægritudo privata suusq; cujusq; dolor honesta boni communis specie velabatur. Eas querelas in Hispaniam pertulere quidam eò profecti, plures missis codicillis. Excepere multi patulis auribus, eorum qui in aulis Principum magno numero vivunt magniloqui, ignavi, nulla propria virtute, sed Principum offensione perspecta, viros præclaros criminando, quod pessimum obsequii genus est, crescere opibus, & potentia, & gratia assueti. Capita accusationis multa erant. Hæc præcipua. Julianum Cardinalem Rùvereum, hominem magno Hispani nominis odio in Pontificatus petitione sublevasse; quo id argumento? quibus testimoniis? Certe conatus ejus pervertere debuisse accusabant, ex interceptis litteris interregni tempore cognitos, & privatim ex syngrapha nuda ipsiusmet manu, qua in Hispanos studia pollicitus, scilicet mente priori mutata, de se Consalvum summa sperare jubebat Pontificatum adepto. Verum id ludibrium erat; neque calumnia prudentibus probata. Nam Bernardino Carvajalio Consalvum favisse dubium non erat, nullo pravo ambitu, sed modesta voluntatis significatione: Franciscum Bogium vero legatum, Neapolitano Cardinali, quamvis Galli eo nomine addicti, ut si quis alius, spe purpuræ, ut ferebatur injecta. Utriusque conatus inanis extitit, Pontificatum adepto, quę minime vellent. Communis molestia occasionem præbuit innoxium prorsus in eo facto criminandi. Hæc prima accusatio erat. Proxima huic. Peti à summo Pontifice ipsius nominatione Episcopatus quibus ipse vellet, inscio inconsultoq; Rege, cujus eæ partes manifeste erant. Donare eum oppida, principatus, præfecturas quasi ex proprio, non fiduciaria potestate. E contrario Regia beneficia retractare, haud minori offensa temeritateque, non se sua conditione metiri, sed Regia ac nominatim Joannę Claverio Alfonsi Sanseverini oppida Regiæ munificentiæ donum denegasse; aliis præterea Regis mandatis sæpe non obtemperasse incredibili contumacia. Quod si rerum status secus videbatur postulare, qua fronte tantum sibi sumeret, ut ne rationem quidem facti reddendam per litteras indicaret? Principum sæpe patientia servos insolentes reddi, alienoq; regnare nomine, peccare adeo, quod vindicaretur malo. Sic illi prædicabant. Nec dubium hac in parte offendisse Consalvum per injuriam, corruptum animum in viro summa fide interpretari quis audeat? sed cum judicio excellenti esset, conscientia securus fortassis ulterius progressus est quam Vicarii conditio pateretur. Principumq; ingenium de minutissimis quoque rationem reddi expectantium. Nullus utique sine culpa vivit: in hoc ille, is in re alia sibi indulget. Ex militari licentia sumebatur tertia, aliqua specie veri. Milites belli tempore laxius vivere assuetos quippe rapto, rei angustias familiaris in pace ægre ferentes per urbes & oppida spoliare, rapere, vi & stupris cuncta polluere, non sacro, non profano abstinere. Alienæ culpæ Consalvus reus agebatur, sed cum sua implicatæ, quasi militibus omnia concederet, neque severitate legum eorum cupiditates frænaret, non castigaret flagitia. ex eo magnam invidiam Hispanæ genti universæ constari. Irritatis provincialibus, ne novi motus extarent, verendum esse. Sic illi disputabant. Ad quæ Consalvus. Neque milites à religione & modestia commendare, neque eorum elevare crimina, quando ob flagitia ne natali quidem solo eorum licentiam tolerante patriis finibus discedere compulsi arma induerant, obærati, exules, capitalia

ausi plerique. ac vero præcipuam licentiæ causam Regios Quæstores præbere negatis aut stipendiis, vt miraculi instar esset inter tot labores, tantaque fame & nuditate corporum tam diu sustentasse, seque præstitisse obedientes, præsertim ad Lirin atque Caietam annuis & bimestribus stipendiis debitis nullum tumultum concitasse, aut secessionem fecisse. Neque tamen vllum crimen, vllamve injuriam impune esse, quin ex legis præscripto vindicaretur. Crimina omnia impediri nulla diligentia posse, ne frænari quidem linguas in tanta colluvie nationum, diversaque indole hominum. Accusabatur deinde eius incuria ærarium publicum esse exhaustum, pudenda vectigalium calamitate, Regiæ pecuniæ peculatu multiplici. Eo neque eius regni reditus, qui erant amplissimi, neque perduellium ex bonis redactam pecuniam bellicis sumptibus fuisse satis. Quod caput erat, pecuniæ ex Hispania advectæ nullas rationes extare accepti expensique. Verum ille Francisci Sanctii Regii opsonatoris, id quidquid esset, culpa factum excusabat, aliorumq; Quæstorum, quos Regiæ pecuniæ attactu se cõtaminasse videri poterat. Quid alienam culpam ad se deriuarent? Vectigalia Neapolitana detractis oneribus ordinariis quadringenta & quinquaginta millia auri annua non excedere. cum in militaria stipendia sumptusque alios necessarios supra octingenta millia vno anno facta impensa creuisset. Ex bonis addictis fisco haud magnam pecuniam extitisse, propter præmia necessariò data viris nobilissimis, qui magno numero Hispanorum auspicia erant secuti. Columnii proceres præ cæteris accusando Consaluo præcipuam curam impendebant; ac nominatim Prosper Columna in Hispaniam profectus erat apud Regem de acceptis iniuriis expostulatum, effectumque diligentia, vt Consaluo in prouincia succederetur multis argumentis, quibus aduersarium prosternere cogitabat, ex aliena inuidia & infamia gloriam & honorem captans. Ex arcano tamen nihil vrebat magis quam honores Liuiano habiti, plurimum equitum præfectura data, quam ipsi Fabricioque patrueli. Id vero grauius ipsa morte ducebat, auctoris ruina vindicandum. Consaluus parum ægritudine hominis offensaque commoveri: tantum monere Regem per litteras obtestarique, Prosperum vti omni benignitate complecteretur, munerum magnitudine mulceret iras; cum eo tamen, ne Vrsini imminuto ipsorum honore alienarentur. referre tanti duas eas familias deuinctas obsequentesque habere. Salutaria monita, inuidia potentior euertit. Quotidianis expostulationibus & querelis commotus animo Rex, haud vana esse prorsus quæ à tam multis dicebantur, legato Neapolim ex familia Reginæ viro nobili Alfonso Deza de quibus postulabatur omnibus admonuit. ac vero diserte mandauit, daret operam vt Regia vectigalia maiori in posterum diligentia fideque procurarent. Militum licentiam frænaret, quorum bonam partem ex ea prouincia deduci mittique in Hispaniam bello quod in Africam transferre volebat auxilium. Iudicia constitueret temporum iniuria labefactata, ex legum priorum moreque præscripto. Ioannes Spinellus Conseruatoris nomine abstineret, genti vehementer inuidioso. Denique Proregis potestate contentus, iis finibus authoritatem contineret; maiora sibi relinqueret. Graue hoc postremum mandatum Consalvo extitit, regni eius conditorem cum tanta Hispani nominis gloria quæstuque in aliorum præfectorum ordinem redigi, angustis cancellis circumscribi potestatem; eam videlicet gratiam effusi sanguinis esse, præmiumq; toties victoriæ de hostibus partæ.

VI. *Hispani Legati re infecta ab Rege Ludou. Gall. recedunt.*

Dictum breuiter superius, de morte Friderici Regis. Inter Ludouicum Gallum & Ferdinandum Catholicum, curante Iulio Pontifice agebatur, de illo in regnum Neapolitanum restituendo. Ludouico placebat omnes controuersias arbitrio Pontificis finiendas permitti; Ferdinandus Collegium Cardinalium adiungebat. Ratio nulla ab vtroque excogitari poterat, quæ vtrique probaretur. Ita infectis rebus, dimissique à Ludouico Hispanis Oratoribus, Fridericus tamen Rex anxio pectore non cessabat apud animum suum agitare rationes, in pristinas opes patriamque redeundi. Obtestari Reges vt memores rerum humanarum, & fortunam suam moderarentur, & alienam miseriam ne vrgerent. Desertus tandem ab omnibus, ac inani tantum spe lactatus diu, tam atræ bilis vim toto corpore susceptam venis diffusam, vt labefactata valetudine in febrim quartanam inciderit. quo pressius morbo Blesis post Oratorum discessum Turones rediit, ordinario domicilio delectam vrbem propter cœli & agri præcipuam temperiem & amœnitatem. Rei familiaris angustia premebat; propinquorum fides fluxa: inter hostes infensissimos diuturnum exilium. Fieri non posse considerabat, vt duo Reges in vnam sententiam conspirarent. Quod de sua restitutione proponebatur merum esse ludibrium ad orbem fallendum, se distinendum ea dissimulatione. Neque in eo decipiebatur, quando ab vtroque eæ conditiones proponerentur, quas alterum non probaturum minime dubitabant. His anxium curis maior ex arcano dolor vrebat. Filium Calabriæ Ducem cui proxima regni spes destinabatur, non ea esse magnitudine animi, industria, virtutibus, quibus ad emergendum ex iis angustiis opus erat: ac se defuncto cogitabat facile obtemperaturum præsenti rerum statui, haud magno ad superiora conamine. In quam sententiam sub vitæ finem litteras ad filium dedit, multis prudentiæ luminibus illitas, præceptisque saluberrimis distinctas. Debere se eum ita rebus præsentibus accommodare, vt ad maiora niteretur, neque præposteris voluptatibus extingui vigorem animi, frangi corpus; neque terreri difficultatibus quamvis maximis oportere. se fortem & munificum vt præsens fortuna daret, cunctis exhiberet; corpus idoneis laboribus virile efficeret ac militare, modestia animum firmaret. Ex quo intelligitur huic Principi non consilium, non prudentiam defuisse. Fortuna aut vis maior virtuti obstitit, contra quam non est satis cauta mortalitas. Hæc eius se conatibus perpetuo aduersam exhibuit: atque ita vt nocte quadam ædes ubi habitabat improuiso igne concepto lateque fuso incendio conflagrarint, vix vt cum vxore & filiis nudis nudus euaserit. Eo casu recrudescente auctoque vehementer morbo in ea vrbe decessit ad quintum Idus Nouembris, morte quam vita felicior, nihil de lato regno affecutus nisi labores curasq; graues.

Fridericus Rex filii correptus moritur.

VII.

Paucis post diebus, ad sextum Calend. Decembris, Isabella Hispaniarum Regina, apud Medinam Campestrem decessit magno atque incredibili prouinciæ totius luctu, Principem amisisse dolendum ea animi magnitudine & prudentia, iis virtutibus, vt inter laudes eius minima sit, superasse longo interuallo Reginas alias quascunq; Hispania vidit ab omni memoria, ac vero totius orbis à multis profecto seculis.

Isabellæ Reginæ Hispan. virtutes, Grammaticæ operã dedit, moritur.

Lucius Marineus Siculus aliquas eius virtutes memorat. Fuit abstemia, quæ vinum non modo non bibit vmquam, sed ne gustauit quidem. Regem vehementer amabat, adeo vt Zelotypia solicita ac vigilans, si quas parari illi pellices sentiebat, à sua domo curiaque prudentissime submouebat: quæ multas apud se matronas habebat virtute & genere nobiles, quas humane & liberaliter tractabat. Complures procerum filias magnis sumptibus educabat, & custodiri diligenter jubebat, adultasque magnis dotibus honorifice collocabat, eas præsertim quæ caste pudiceque vixissent. Hispano sermone loquebatur graviter & ornate, Latinos Oratores & sermones libentius audiebat quam alios. cuius sciendi cupidissima, bellis in Hispania iam confectis, etsi multis magnisque negotiis occupata, Grammaticæ tamen lectionibus operam dedit, in quibus per vnius anni spatium tantum profecit, vt non solum Oratores Latinos intelligeret, sed etiam libros interpretari posset. In rebus ad diuinum cultum spectantibus dubium, diligentiorne fuerit, an liberalior. Eligebat enim sacerdotes, quorum magnum numerum habebat, sacrarum rerum & celebrandi peritissimos; item Cantores & pueros qui ei seruiebant in sacello, quibus præceptores conducebat doctissimos, atque beneficia conferebat. Adolescentes etiam nobilium filios quibus in mensa vtebatur, moribus & litteris eruditi jubebat, ne otiosi sese ludis & vitiis inquinarent. In maioribus conferendis Sacerdotiis & Pontificatibus, non tam persona-

rum nobilitatis & eruditionis, quam virtutis & honestatis rationem habebat. Ideoque nonnulli quibus erat sermo rarus, & coma supercilio breuior, fortasse vitam agere meliorem, & grauius incedere terram intuentes cæpere, virtutem simulantes potius quam exercentes. Sumptus vero quibus altaris ornamenta, cæterasque res ad honorem DEI pertinentes emebat, æstimare difficile est. Siquidem operæpretium erat aurea sericaque peristromata videre in eius sacelli parietibus expolita, altare purpureis & aureis ornamentis, margaritis & variis gemmarum coloribus effulgens: multis hinc inde Sanctorum simulachris aureis & argenteis expolitis; pauimentum pictis stratoriis & serico stratum, superpositis argenteis candelabris maximi ponderis excultum, magnisque cereis ardentibus illustre. vestimenta præterea quibus amicti Sacerdotes rem diuinam celebrabant, serica, purpurea, argentea & aurea multis contexta margaritis & gemmis. Mitras etiam Pontificales aureas, calicesque gemmatos immenso pretio comparabat. Sedes insuper in sacello superiores, & inferiora sedilia disponi, & ordinem hunc seruari iussit: vt scilicet ex altera parte primus Cardinalibus locus daretur, secundus Archiepiscopis, tertius Oratoribus, quartus Episcopis, & deinceps gradatim reliquis sacerdotibus, ita tamen vt antiquiores nouitiis anteponerentur: in altera vero parte sederent Connestabiles, Almirantes, Duces, Marchiones, Comites, & item gradatim cæteri nobiles & generosi. Erat enim mulier admodum prouida, quæ diuinarum rerum maxima cultrix humanas diligentissime gubernabat, tantoque Christianæ religionis & diuini cultus amore studioque flagrabat, vt quamuis plurimis & maximis multorum regnorum curis & negotiis diu noctuque premeretur, contemplatiuam tamen magis agere vitam quam actiuam videbatur. Semper enim sacris rebus & diuinis officiis intererat. In quibus si quis forte Sacerdotum qui sibi rem diuinam celebrabant, aut horas canonicas & psalmos canebant errasset vel in syllaba, persentiebat, & tamquam magistra discipulum admonebat, quæ præter multas extraordinarias & votiuas orationes, horarium quoque Sacerdotum more quotidie persoluebat. Homines à grauitate, à modestia, à taciturnitate, à constantia probabat; leues autem, loquaces, importunos & mutabiles molestissime ferebat. Mendaces præterea, vanos, parasitos, coniectores, sortilegos, præstigiatores, Tiromanticos, augures, & schænobates, petauristas, & omnes alios circulatores, & fallaces homines nec audire vnquam voluit, nec videre. Gomecius ex hac occasione in morbum extremum incidisse ait. Ioanna Princeps ex Hispaniis in Belgas ad Philippum Archiducem maritum reuerterat. Per id tempus cum puellæ cuiusdam à moribus Philippi animum implicatum cognouisset (secum illam ea comitem adduxerat) zelotypiæ stimulis vehementer exagitata, criminationibus, jurgiis, tragœdiis, totam Philippi Regiam impleuit. Et cum ad eam per pellicis æmulos delatum esset, flaua puellæ cæsarie Philippum coniugem inprimis captum fuisse, rabie concepta cæsariem illi statim abrasit, puellæque miserabiliter insultans pulchram faciem vibicibus fœdauit. Indignatus amans adolescens, non iam amplius dissimulata ira, apertis contumeliis & atrocibus verbis, vxoris dicitur peruicaciam multasse, atque ab eius congressu dies non paucos abstinuisse. Hæc vbi Ferdinando & Isabellæ, arcanis notis per fidos tabellarios renunciata sunt, non mediocri dolore vtrumque affecerunt, partim ob Ioannæ intractabile ingenium, partim ob Philippi parum Regiam considerationem. Ab hoc dolore, Ferdinandus in febrim tertianam incidit, Isabellæ in continuam ex qua, & ex putrido quodam ac verecundo vlcere, quod ex assiduis ad Granatam equitationibus contraxisse ferebant, mortiferum in modum serpente animam efflauit. Granatam sepulchro delegit. Ibi quoniam Regium sacellum nondum extructum plane erat, translatitio funere in Alhambræ arce composita fuit. In funere atque exsequiis sago indui prouinciales vetuit; atque ex eo tempore lugubris amictus insolentia tunc vsitati, mitiori luctu mutata est. Donationes vi magis quam voluntate sui regni initio expressas, fore iniustas testamento sanxit. Hæredem ex asse Ioannam filiam scripsit, vnaque Philippum eius virum. addito tamen juxta ea quæ ante biennium regni conuentus postularant, si valetudine absentiave, aut aliam quamcumque ob causam Ioanna impediretur, aut omnino nollet regni curam suscipere, vti eius loco & nomine Ferdinandus Rex Rempublicam procuraret, dum Carolus nepos viginti nihilominus annos esset natus. Præterea vltra militarium Ordinum Magisteria Regi à Pontifice Maximo commendata, prouentuum omnium dimidium ex Insulis & continenti noui orbis viro legauit: ac super ea viginti quinque aureorum millia ex aliis vectigalibus Regius item annua. Testamenti curatores Regem nominauit, Toletanum Archiepiscopum, Dieghum Dezam Palentinum Episcopum, Antonium Fontecam, & Ioannem Velasquium rationum Regiarum magistros præter hoc ab epistolis Ioannem Lupum Lezarragam fidos & industrios experta. Non deerant tamen viri alioqui præstantes, qui stolida temeritate Reginæ testamento contempto Ferdinando Regi suaderent, vti continuo in Regis Castellæ nomen inuaderet; quippe è Castellæ Regibus genus ducenti per viros stemmate ducto serie continua. Ad tuendam autoritatem id fore commodius, quam Vicarii administratoris nomen. Populorum studiis & antea adjunctis, & nunc sublatis quibusdam tributis & edictis, quæ subditos male haberent, aucta gratia, de successu verendum nihil esse. Surdis auribus hæc accipiebantur, mirabili constantia spernentis, quæ ab aliis per ferrum & ignes petuntur. Ita ipso die quo Regina obiit, post prandium, luctu in lætum vultum mutato egressus Regia, è suggestu in foro excitato Regia vexilla explicari, Ioannæ filiæ & Philippi viri nominibus gentis instituto inclamatis curauit. Fridericus Toletus Albanus Dux vexilliferi partes impleuit. Eo exemplo per vrbes & oppida, quibus ea prærogativa data est, similis cerimonia est perfecta, sed inclamato tamen Ioannæ Reginæ nomine, Philippi viri mentione nulla, tantundem in Regis diplomatis atque edictis publicis, quæ voce præconis euulgantur, obseruatum est. Enimuero Sacramento veteres tabulas, priuilegia & leges regni confirmari à Philippo prius volebant, ne aliquid ab antiquo moueretur, quod ciues improbarent, turbas conciret. Assuetis homines stari malunt, nisi quæ vsus manifeste arguit: ac nominatim ne externos in Iudicum Senatum legeret, neque iis vrbes aut arces crederet, vti ab Isabella Regina testamento inter alia cautum expresse erat. *Mariana lib. 28. c. 11. Marineus libro 21. Gomecius lib. 3.*

Ferdinandus Rex Hisp. an. febri corripitur.

VIII.

Quo tempore Isabella morbis conficiebatur, eius desperatam salutem, vtcumque tamen nouis subinde oblectamentis cuncti subleuare & fouere nitebantur. Nam quidquid vnquam siue militiæ, sive domi præclarum accidisset, decumbenti recensebatur. Si qui illustris fortunæ homines è Neapoli captiui mittebantur, vbi Consaluus admirabilem virtutem inclyta opera Regi coniugi & Hispano nomini ostendebat, ad se introductos recipiebat, & de hominis magnanimi, & sibi multis de causis charissimi gestis cupidissime percontabatur. Si qui etiam ex cæteris nationibus Hispanicarum rerum fama permoti, ad Regiam eius maiestatem visendam diuertissent, tametsi vltimo morbo afflicta, eorum colloquiis nequaquam grauabatur, & humanissimis sermonibus susceptos, animi plusquam virilis in ea dotes admirantes à se dimittebat. Inter hos è Venetis hominibus Hieronymus Vianellus fuit, qui pede auspicatissimo in Hispaniam venit. Nam totius Africanæ expeditionis, quam in Orano expugnanda Cardinalis Ximenius fecit, quamque Ximenii suasu Didacus Fernandus à Corduba, ad portum magnum, quem Punica lingua Mesalcabir appellant, occupandum paulo ante fecerat, id est totum huius hominis consilio factum. Hic crucem auri purissimi gemmis interlucentem Reginæ obtulit; inter quas carbunculum, quam Hispanum vulgus espinellam appellat, corrupto nomine pro spinthera; scintillas enim contra Solem emittit, quales Plinius Carchedonios masculos esse dicit, quorum singuli, modo factitii non sint, pretium mille aureorum nonnunquam exæquabant. Is

Isabellæ ægrotanti lapides pretiosi offeruntur.

ipse cum etiam ad Ximenium continuo salutandum venisset, & annulum pretiosum adamante selectissimo insignitum, quem apud se venalem habebat Antistiti ostendisset, & quinq; millia nummûm aureorum pretium edixisset, Ximenius pretii magnitudine commotus; Quanto, inquit, melius ea summa quinq; millibus pauperum, vel militum laborantium succurrere, nummo aureo in singulos collato, quam omnes Indicos adamantes possidere? atq; ita Vianellum eo tempore dimisit. Tunc etiam Franciscum instituti Sodalis, Cænobii quod Hierosolymis ob Christi Dei sepulchrũ cunctis Christiani nominis cultoribus in summa reverẽtia est Guardianus, ad Ferdinandum & Isabellam legatus ab Ægyptio Sultano venit, nam is nondum Turcarum viribus eversus, adhuc Syriacis regionibus præerat. Hic monachus antequã Hierosolymis discederet, cum tam longinquos terrarum tractus, totq; sibi marium & montium spatia emetienda esse consideraret, supplex à Campsone Sultano petiit, vt discedenti Dominicum sepulchrum è vicino magis adorare & conspicere liceret, instar id sibi ingentis viatici ad tam difficile iter futurum. Est sacer ille locus custodibus & repagulis munitus, qui nisi evidentissimo emolumento maximoq; operæ pretio, inaccessibilis esse consuevit. Obtinuit id facile homo, professione religionis inops, & qui in solam Sultani gratiam tam laboriosam legationem capessebat. Quo cum venerabundus aliquot Cænobii sui sodalibus stipatus intrasset, & debitam adorationem exhibuisset, tabulam marmoream in sepulchri fundo conspexit, longam pedes tres, latam vnum, lividis maculis adspersam, vt è Chio marmore secta videri posset. Hanc etiam vt liceret tollere à Sultano impetravit; quam in quinq; partes æquales divisit, & aris sacrosanctæ Eucharistiæ dedicavit, de more Christiano consecratas. Has aras secum advexit, & inter Christianæ religionis supremos Principes, magni id muneris loco suscipientes, distribuit. Nam Alexandro VI. Pont. Max. vnam dederat; Bernardino Caruaiallo S. Crucis in Hierusalem Cardinali, quod eam veluti propriam possessionem titulo Hierusalem sibi assereret, alteram: Isabellæ Reginæ tertiam: Francisco Ximenio Archiepiscopo Toletano quartam: vltimam vero Emanueli Regi Lusitano, heroi omnibus modis incomparabili, & qui ad Antarcticum vsque polum Crucis nomen dilataverat studiose. Ximenius, qui omnem animi sui voluptatem in sacræ synaxis celebratione collocaverat, vbi aram illam è Dominico sepulchro est nactus vere triumphabat; & per annos XII, quod illi tempus viuendi fuit, numquam alibi præterquam in ea ara, divina sc Eucharistia refecit, Franciscanis Sodalibus qui illum sequebantur, idem faciendi facultate concessa. Moriens vero (vt ex tabulis testamenti apparet) Ecclesiæ Toletanæ dulce amoris monumentum & pignus, inter cætera prætiosa ornamenta legavit. Quo autem in loco reperta, & per quem ad ipsum allata fuerit, eius testamento, ne quid possit dubitari, declarari voluit. *Gomecius in Ximenio lib. 4.*

Sultanus Ægyptius Legatum Guardianum mittit ad Ferdinandum Reg. Hispan.

IX.

Franciscano, Maurus nomen fuit. virum sanctum memorat *Mariana*. Sultanus Ægyptius, præter hæc, Ferdinando ob expulsos, Emanueli autem ob vexatos Mauros vehementius iratus, Franciscanum cum litteris ad Pontificem Romanum legavit, in Ferdinandum contumeliosis, iniuria occupasse Granatæ regnum, maloque Mauros compulisse ad Christiana sacra. In Lusitanum minacibus propter Orientis commercium interceptum, regionum vectigalium & singulorum privati commodi incredibili calamitate. nisi Pontificia auctoritate, audaces conatus asperioribus frænis & censura ipse castigaret, excidium Hierosolymitani sepulchri, cum ignominia religionis Christianæ, ac vero piis omnibus qui in eius ditione erant minitari. Ea legatione denunciationeque minarum commotus animo Pontifex, eundem Maurum misit in Hispaniam cum earum litterarum exemplo, vt iis consideratis Reges, quid barbaro respondendum, quid faciendum videretur maturè perspicerent. De Ferdinandi responso nihil traditur; minas, vt erat magno animo, contempsisse credam. Lusitanus quidem, ad quem maxime eæ voces molitionesq; spectabant, litteras ad Pontificem hac sententia dedit.

Sultanus Ægypt. legatum cũ literis contumeliosis ad Pontificem mittit.

„ Ex earum litterarum exemplo quas à Sulthano datas
„ ad nos misisti, cognovi accusationes in Regem socerum meque conflatas, laudes verius quam vituperationes. Quid enim gloriosius Principi Christiano contingat, quam impietati odio esse? Minæ quas adiungit, eo spectant, vt à Christiani nominis amplificatione desistamus. Quid Rex socer ad hæc responsurus sit, non est nostrum statuere: ipse pro sua prudentia obiectis calumniis satisfaciet. De me illud plane affirmare possum, cupere oppido maiorem Sulthano expostulandi datam occasionem. Ac vero Indica navigatione suscepta, nihil æque cordi fuisse, fateor, quam Mechæ Mahometis sepulchro vrbis & ædis famosæ euersionem. Quod cum Deo futurum aliquando speramus. Tunc Sulthano licebit maledicta in nos effundere maiori stomacho. Exiguo incommodo allato quid latrat? Interfecturũ Christianos eversurumque sacrum Hierosolymæ sepulchrum, quod minatur; non arbitror tam fore præcipitem ac temerarium, vt vectigalibus carere velit, quæ ex ea natione ingentia rediguntur: ne commissurum quidem, vt vniuersum orbem Christianum excitet in vindictam iunctis cunctorum viribus. Quod vt contingat, vestrum erit, Pater Beatissime, curare ac vero præstare, Principum animos & vires in vnum consensum sociare, euellendi ab stirpe gentem sectamque nefariam. Hanc laudem ab Alexandro Pontifice frustra expetitam expectatamque, fortassis in vestra tempora cœleste numen servavit. Quod responsum Sulthani litteris dari par sit, statuent Sacri istius Collegii Patres vestræ administri potestatis. Neque enim tantæ sapientiæ, quanta in Romanis sedibus versatur, quidquam præscribere nostræ modestiæ esset. Quid animi geram, quo tendant nostri conatus, breui epistola explicasse satis habeam. Cum his litteris ab Emanuele Lusitano Rege legati Romam anno in sequente venere, Dieghus Sosa Portuensis Episcopus, & Dieghus Paciechus, qui gaudio ob delatum Pontificatum Iulio fungerentur, & more maiorum, obsequium debitum deferrent. *Mariana lib. 28. c. 10. & 12.*

Idem Legatus sacra munera confert.

X.

Emanuel Rex Lusit. in Æthiopiam qui ad fidem conuertãt mittit.

Misit Emanuel Rex monente Iulio Pontifice, initio huius anni, multos homines religionis opinione præstantes, in Æthiopiæ partem quæ Congo appellatur, vt homines illos multo melius, quam à principio fuerant instituti, ad disciplinam religionis instituerent. Hæc regio est vltra plagam æquinoctiali circulo subiectam, ab eaque gradibus septem ad Austrum distat. Est admodum fertilis, variisque frugibus & gregibus abundat, multisque fluviis irrigatur. Regnum latissimis finibus continetur. Quemadmodum vero regnum illud fuerit ad Christi fidem conuersum, non erit abs re in memoriam ea quæ alibi tractavimus revocare, vt melius intelligi possit, quam singulari consilio Rex Emanuel studium ad gentis illius institutionem applicuerit. Cum Ioannes totam mentem in explorandis Æthiopiæ regionibus maritimis collocavisset, vt via quæ ferret in Indiam aperiri posset, factum est anno à Christo nato M. CCCC. LXXXIIII. vt quidam eques, vir acris animi, nomine Iacobus Canus, qui jussu illius oras Æthiopiæ perlustrabat, in fluuii altissimi & rapidissimi fauces incideret. Cum vero magnitudinem fluvii & aquarum naturam perspiceret, fieri non posse suspicatus est, quin multæ gentes ad illius ripas haberent sedes atque domicilia constituta. In fluuium vero cum penetrare voluisset, paululum progressus multos homines conspexit, reliquis Æthiopibus quos sæpe viderat colore & capillo simillimos. Ii neque timore vllo, nec ignotæ gentis insolentia perturbati, ad Christianos accedentes egregiam lenitatis & mansuetudinis speciem præse ferebant. Cum vero Canus eos qui varias Æthiopiæ linguas nouerant iussisset cum illis loqui, nemo hominum sermonem intelligere quiuit. Signis igitur cum illis agi cæptum est. Illi vero signis demonstrabant, esse Regem in illis partibus opibus & potentia florentissimum, vrbemque Regiam in qua se continebat, inde aliquot itineribus abesse. Hoc cum Canus intellexisset, eos præmiis atque promissis allexit, vt certos homines ex illius comitatu deducerent. Per illos autem ea dona atque munera Regi misit, quibus gentes illas oblectari compertum habebat. His autem quos misit certum tempus præstituit, intra quod erant cum aliqua terræ clariore notitia reversuri. Cum ii duplo maiorem moram facerent, quam Canus fieri posse

credidérat, anchoris solutis quatuor ex illis qui in navem ventitabant secum in Lusitaniam duxit. Erant autem illi homines nobiles, & acuto ingenio præditi. Quos Canus in via sic diligenter instituit, vt cum ad Regem deducerentur, jam multa Lusitana lingua explicare possent. Eorum ingenio Rex mirifice delectatus est, hominesq; donis & muneribus affecit, Canoque præcepit, vt sine cunctatione in eam rursus terram nauigaret, & homines cum muneribus ad Regem continuo reduceret, eumque admoneret, vt Christum summum Deum vniuersæque naturæ parentem coleret. Rediit ad eundem locum Canus, vnumque ex illis Æthiopibus quos secum duxerat ad Regem misit, qui nomine illius postularet, vt sibi mitteret eos Lusitanos, qui apud illum versabantur; seque similiter sine mora remissurum eos tres, quos interim retinebat. Esse sibi vlterius progrediendum, quod postquam jussus à Rege suo fuerat, perficeret; se continuo rediturum, vt illum conueniret, & mandata Ioannis Regis exponeret. Rex per vnum ex Ducibus suis Lusitanos statim remisit. illis receptis Canus tres illos Æthiopes missos fecit cum muneribus, quæ Joannis nomine ad Regem deferrent. Rex & muneribus, & suorum prædicatione, qui Ioannis virtutem & magnificentiam in cœlum laudibus efferebant, in ipsius Ioannis studium acriter incitari cæpit. Cum vero Canus post alias oras diligenter exploratas ad locum eundem reuertisset, nullam moram interposuit, quin ad Regem iret; à quo fuit nimis honorifice acceptus. Deinde cum multa de Ioannis Regis statu, de moribus Lusitanæ nationis, de legibus & institutis percunctaretur, tum de Christiana religione diligenter inquirebat, & paulatim ad illius studium animo propendebat. Canum tamen dimisit, & cum illo statuit, vt rediret vnus ex illis quos Canus Olyssiponem duxerat, nomine Zacutem, cum legatione cujus hæc erat summa, vt à Ioanne contenderet quantum posset, & per Deum quem colebat obtestaretur, vt in illius regnum mitteret Sacerdotes, quorum disciplinis posset ille cum toto regno ad verissimi Dei notitiam peruenire. Canus cum Legato & aliquot pueris nobilibus, quos Rex in eum finem in Lusitaniam mittebat, vt Christiani fierent, & cultum animi caperent ad Ioannem reuersus est, & magnam roboris vim cum stragulis & vestibus ex palmarum foliis contextis, illi nomine Regis Congensis obtulit. Legatus cum pueris plus duobus annis in Lusitania commoratus est, vt melius & linguam, & religionis Christianæ disciplinam perciperent. Cum vero iam omnes essent lustralibus aquis expiati, Christiq; nomen Sacramento professi, Ioannes tres naues instrui jussit, quibus Gonzalum Sousam, virum insigni nobilitate præfecit, quibus tam Legatus, quam pueri veherentur. Misit præterea cum illis Sacerdotes religione præstantes, cum sacris vasis & infulis, & Christianæ religionis insignibus, qui gentem sacris sanctissimis expiarent, & ad disciplinam Christianæ pietatis erudirent. Cũ vero eò tempore pestis vrbem maxime infestam redderet, illius contagione factum est, vt postquam è portu soluerunt, pestis multos in eo cursu conficeret, inter quos Gonzalus Zousa fuit. In cuius locum Rodericus Sousa qui erat illi sanguine coniunctissimus, consensu omnium successit. Postquam naues eò quo tendebant appulsæ sunt, & omnes in terram qui erant ad Regem profecturi descenderunt, tantis cantibus, tantaque significatione eximiæ cuiusdam voluptatis accepti ab omnibus fuere, vt sylvæ etiam atque nemora lætari viderentur. Qui primus omnium ad Christi nomen adiunctus fuit, erat Regis patruus, qui terras lætissimas imperio tenebat, cui fuit nomen Emanuelis impositum. Audierat enim esse in Lusitania Principem summis virtutibus ornatum, Regis ipsius fratrem patruelem, qui Emanuel vocabatur, & ea de causa nomen illius sequi constituit. Hic tanto studio religionis disciplinam excepit, vt satis appareret illius mentem fuisse radiis diuinæ lucis illustratam. Duces autem cum innumerabili hominum multitudine de more gentis instructa, Regis ipsius jussu obviam Lusitanis prodiere. Omnia interim tympanorum & buccinarum cantibus, & hominum vocibus personabant. Postquam ad Regem ventum est, Sousa illum vt Regem salutavit, & ille vicissim Sousam more & instituto suo honorifi-

Æthiopes multi baptizantur.

centissime recepit. Postquam vero Sousa legationis summam exposuit, & ille gratias summas Ioanni Regi verbis amoris eximii significantibus egit, à Sousa postulauit, vt sacras vestes, & alia quæ ad religionis cultum pertinebant, quæ adhuc erant inuoluta, explicari, & in omnium conspectu proponi juberet. Tum singula contemplari, & cum veneratione susçipere, & vehementer admirari, & religiosos homines intueri. Cũ vero Crux sublata fuit, omnes qui aderant cum viderent Lusitanos flexis de more genibus in terram procumbere, idem fecerunt. Rex neq; singula quæq; inspiciendo, neq; de vsibus illorum inquirendo satiari poterat. Quæ autẽ à Religiosis dicebantur, memoria firmissime continebat, & Reginæ deinceps luculenter enarrabat. Fuit statim cõstitutũ, vt templum ædificaretur. Quamvis autem lapides è longinqua regia parte fuissent conuecti, tanta tamen celeritate propter flagrantissimũ Regis studium, & innumerabilem multitudinem quæ operas vigilantissime dabat ædificari cupit, vt intra brevissimum temporis spatium absolutum, & Sanctæ Crucis nomine consecratum fuerit. Dum hæc geruntur, cũ fuisset illi nuncius allatus, gentes illi subditas quæ insulam in medio ingentis lacus sitam incolunt, quam fluuius nomine Zairus efficit, ab illius imperio defecisse, finitimisq; terris nõ mediocrem populationẽ crebris incursionibus intulisse, illarum impetum & audaciam per se comprimere & vindicare constituit. Antequã vero proficiscereturus, sacris aquis expiari, & nomen Christi profiteri voluit. Quod similiter Regina, & aliquot viri nobiles effecerunt. Is Ioannes appellari voluit, Regina vero Leonora, vtstudium quo erga Reges optimos erant incensi, nominibus indicarent. Tradidit illi Sousa vexillũ imagine Crucis illustratũ, illumq; admonuit, vt confideret, se virtute Crucis victoriam de hostibus adepturũ. Is fiducia nominis Christiani subnixus, hostes primo impetu profligauit, multoq; celerius quam potuisset quisquã suspicari, bellũ confecit: domumq; reuersus Sousam cum multis amoris signis dimisit. Sousa vero non modo religiosos homines, qui munus institutũ peragerent, sed alios etiam qui terrã peragrarent, & lacum illũ ingentem quẽ diximus explorarẽt; & terræ situ & latitudinẽ, & mores hominum cognoscerent reliquit. Post Sousæ discessum, venit Regis filius natu maximus è regni finibus in quibus bellum contra hostes finitimos gerebat ad patrem, operamq; dedit, vt antiquorũ flagitiorũ sordes aquis sacratis eluerẽt, & fidem Christi acciperet; Alfonsiq; nomen, propter Alfonsum Ioannis Regis filium vsurpauit: multiq; viri nobiles similiter Christiani effecti sunt. Magna præterea multitudo vndiq; confluebat, vt iisdem sacris expiata, noua cœlestis vitæ luce frueretur. Qui erant accepti, incredibili lætitia efferebantur, & Christianorũ numerus indies augebatur. Sed iis tam salutaris atq; repentinæ cõversionis initiis sempiternus hostis generis humani magna contentione repugnauit, ad eamq; rem gerendã alium Regis filium, nomine Pansum Aquisimũ, qui à Christianæ religionis sacris vehementer abhorrebat instigauit, vt patrẽ à studio religionis auerteret. Facinus esse indignũ clamitabat, institutа patriæ deseri, Deorum simulachra conuelli, fana quæ fuerunt ad illum diem sanctissima violari. Ad hæc, Rex molestissime ferebat, esse sibi per homines religiosos concubitus interdictũ, nec vsum illi nisi tantũ vnius vxoris legitimæ cõcedi. Et ipsæ mulieres cũ cernerent se Regis coniunctione destitutas, & de honore in quo fuerant deiectas, Regẽ per se & per Regni proceres solicitabãt, & vt eum à sententia deducerent, maximo opere contendebant. Accedebãt augures atq; venefici, qui apud gentẽ illam in summo honore fuerãt, qui minas à diis proponebant, diraq; supplicia denũciabant illis, qui à pristina superstitione desciuissent. Cum vero Alfonsus summa vi perditis impurorũ hominũ conatibus obstitisset, acerbissimũ patris odiũ in illũ concitaverunt, in camq; fraudem Regẽ impulerunt, vt crederet sibi à filio insidias comparari. Itaq; eum in vltimos regni fines relegauit; & quantum scelerato filio indulsit, tantũ de religionis Christianæ studio remisit. Sed cũ fraudes detectæ fuissent, Rex filium in pristinũ honoris gradum cũ amplificatis opibus reuocauit. Is autẽ instinctus diuini spiritus appulsu, in terris á patre sibi commissis capite sanxit; Si quis simulachrũ aliquod fallacissima religione dedicatũ domi cõtineret, aut ei aliquo in loco supplicaret. Hac re nunciata, magnus hominum motus factus

est,

est, multique contra illius statum cum fratre conjurarunt. Pater illum evocavit vt admoneret, ne tumultum excitare vellet, & ab ea sententia desisteret. Sed is cum se negotiis innumerabilibus impeditum esse diceret, nec ad patrem ire, nec decretum rescindere vllo pacto voluit. Ita multi ab illo ad fratrem deficiebant. Interim pater cum esset & senio confectus, & morbis oppressus & impeditus, è vita paulatim discedere videbatur. Cum multi Alfonsum certiorem de valetudine patris efficerent, & eum accerserent, vt fratris, qui copias ad occupandum regnum comparabat, sceleri resisteret, ille tamen quam diu de morte patris certus esse non potuit, venire non est ausus. At vbi illum vita functum esse rescivit, Nocte (sic enim mater illum vt faceret admonuerat) in vrbem ingressus est. Postero die convocatis illi regni proceribus quibus multum fidebat, in modi campi planicie quæ ante Regias ædes erat, orationem habuit, qua jus hæreditatis quod obtinebat, & humanitatem qua suis consulebat, & fidem qua erant omnes illi obligati, prudenter exposuit, & ad fidem & officium omnes cohortatus est. Illi, quod faustum felixque esset, Alfonsum Regem continuo salutant, eique musicorum instrumentorum concentibus, & magnis clamoribus de regni maiestate & amplitudine gratulantur. Id frater eum accepisset, cum jam magnas circa se copias haberet, duplicem aciem instruxit, & in fratrem recta contendit. Alfonsus perexiguo militum numero stipatus erat; quos tamen ad victoriæ spem vehementer excitavit, adhortatusque est, vt firmissime crederent, cœleste auxilium minime eis defuturum; facillimeque maximos exercitus à paucissimis hominibus Christi ope defensis profligari: In eoque loco fratrem expectavit. At frater magno cum impetu in eum invehitur, tantaque erat sagittarum copia, vt in nubis modum vmbram efficere viderentur: At Alfonsus quamvis fortiter dimicaret, omnem tamen spem habebat in Dei præsidio collocatam. Itaque maximis vocibus Christi nomen invocabat, & opem Apostoli Jacobi (quod Hispanos facere in bellis acceperat) implorabat, & has voces magna contentione identidem repetebat. Nec illum fefellit spes in Christum reposita. Hostes enim subito timore perculsi, terga verterunt: & cum prima acies se in fugam conjiceret, secundam aciem impressione facta perturbavit, atque similiter fugere compulit. At frater exanimatus metu, cum in sylvas se abdere voluisset, in cippum incidit (sic enim appellant instrumentum, ad feras capiendas in sylvis appositum,) & ibi captus est cum Duce, quem secum propter virtutis militaris opinionem conjunxerat. Is Dux cum se captum animadverteret, misit ad Regem qui diceret, se mortem minime deprecari, quam se meruisse judicabat: hoc tamen per illum summum Deum, quem Rex ipse colebat orare; ne se pateretur ad supplicium tradi, antequam fieret Christianus. De vita hac exigua miseriis innumerabilibus circumvallata minime sollicitum esse; ab illa vero sempiterna ne prorsus excluderetur, id maxime formidare. Addidit præterea, tantam hominum multitudinem à tam paucis hominibus nulla ratione vinci atque superari potuisse: sed se magnam militum copiam in equis insidentem, & crucibus insignitam, tantaque luce splendentem, vt omnium oculos perstringeret, in prælio conspexisse, cujus metu perterritus, terga repente dare coactus sit. Quare se minime dubitare, solius Christi numen esse summa fide colendum, & sempiterna prædicatione celebrandum. Alfonsus vero non modo pio illius postulato satisfecit, sed etiam vivum conservavit, fidelique illius opera multis in locis vsus postea fuit. At frater partim ex vulneribus quibus in præcipiti ruina percussus fuit, partim ex dolore intra paucos dies mortuus est; & quod fuit multo funestius, nulla ratione potuit à suscepti sceleris & impietatis pertinacia dimoveri. Alfonsus vero in regni possessione constitutus, multas victorias de hostibus Dei propitio numine consequutus est; tantoque studio christianam religionem coluit, vt non plus temporis in Reipublicæ negotiis gerendis, quam in subditis ad cultum pietatis incitandis consumpserit. Habebat præterea frequentes ad populum conciones de justitia & pietate, de judicii divini severitate, de sempiternæ vitæ præmiis, de Christi disciplina, & sanctorum hominum qui vestigia illius sequebantur exemplis. Quam diu denique mansit in vita, regnum perpetuo in Christianæ pietatis officio, cum singulari probitatis & justitiæ laude continuit. Emanuel igitur cum tanto ardore religionis studium in illis partibus excitari conspiceret, cum esset ipse natura, & studio, & disciplina cupiditate religionis incensus, id quod fuerat à Joanne Rege feliciter institutum, vt perfectum & absolutum cerneret, elaboravit. Igitur hoc anno à Christo nato M. D. IIII. homines sanctissimis litteris eruditos, & religionis laude præstantes, in illas partes misit. multos præterea ludorum magistros qui scholas aperirent, & pueros litteris instruerent, & artifices etiam multarum artium eò similiter mittendos existimavit. Multas præterea sacras vestes partim aureas partim sericas, multos libros Christianam disciplinam, & sacrorum omnium rationem, & Christi vitam, & sanctorum hominum exempla continentes; argenteos præterea calices sacrificiis dedicatos, & Cruces argenteas, & thuribula, & omnia denique, quæ tam ad Christi disciplinam tradendam, quam ad sacra ritè procuranda pertinebant, in naves imponi jussit, vt facilius gentem in fide suscepta confirmaret. Ad hæc sacerdotibus, & reliquis omnibus quibus onus lustrandæ illius regionis imposuit, stipendium, & commeatum large atque munifice suppeditari præcepit. Cum autem in his rebus omnibus maximos sumptus faceret, nullum tamen sibi fructum & emolumentum, quibus Regiæ opes amplificari possent, sed divinum tantum atque sempiternum inflammato studio proponebat. Cum autem homines religiosi cum muneribus sacris ab Emanuele missis in eas oras pervenissent, magna repente hominum multitudo confluxit, vt eos humeris suis tolleret. Omnes qui convenerant, homines religiosos venerabundi suspiciebant, & quasi cœlo delapsos intuebantur. Rex eos valde amanter accepit, Emanueliq; pro tanta benignitate felicitatem sempiternam precatus est. Multi vero certatim ad illos conveniebant undique, vt Christo nomina darent, & sacro fonte abluti, in novum vitæ genus ingrederentur. Et quia neque sacerdotes linguam eorum noverant, neque plebs Portugallensem sermonem intelligebat, Rex interpretis officio fungebatur, & quod ab illis acceperat (jam enim Lusitanam linguam probe tenebat) habita concione suis enunciabat. Egit Emanuel præterea cum illo per litteras, vt filios suos in Lusitaniam mitteret. Se namque daturum operam, vt non Latinis tantum litteris, sed etiam maximarum artium disciplinis erudirentur. Ita factum est, vt non solum Regis filii, sed multi pueri nobiles Olyssiponem venirent, & Emanuelis sumptibus alerentur, & omnes artes libero homine dignas acciperent. E quibus aliqui, qui sese sanctis litteris impense dediderant, in Æthiopiam reversi, multos mortales ad Christi Ecclesiam & concionibus, & virtutis exemplis aggregarunt. Opera denique Emanuelis hoc tam præclarum opus absolutum fuit. Hoc etiam anno M. D. IIII. Emanuel Rex, cum nullo modo studium Indiæ retinendæ intermittendum arbitraretur, classem magnam instruxit, cui Lupum suarium Aluarengam præfecit: quo ipso tempore, duces superiore anno ab eodem cum classibus missi, multa præclara in Indiis gesserunt. Franciscus Albuquercius, Trimumparam Cochimensem Regem in regnum quod amiserat restituit. Odoardus Paciechus de Rege Calecutiensi, intra quinque menses, plures victorias, potius divinitus, humanitus tulit. Constat enim, multos ex Lusitanis ferreis pilis acerrime percussos extitisse, qui tamen non aliud ex illis incommodum acceperunt, quam contusionis leviter inflictæ notam; vt appareret, nullis telis eos opprimi posse, qui cœlesti præsidio muniuntur: quæ tamen pilæ tanta vi contortæ ferebantur, vt cum è corporibus in quæ primum acciderant elaberentur, ingentia scuta perfringerent, & moles obiectas dissiparent. In iis quinque mensium præliis, vt compertum fuit, Calecutiensis vndeviginti millia hominum, partim morbis, partim cædibus, & magnam prætetea navium multitudinem amisit. Ipse Rex cum cerneret nihil sibi vt cogitarat processisse, odio vitæ & dedecoris offensione regno se abdicavit, & Naubeada-

Alphonsus hostem fugat.

Idem cum fratre suo bellum gerit.

Illius frater captus obiit.

Indi Religiosos honorifice excipiunt.

rimum in Regia sede constituit, ipseque fanum & ædes superstitione consecratas ingressus est, vt ibi in Deorum suorum cultu, quod reliquum vitæ erat consumeret. Mater illius, mulier natura ferox, illum litteris atque nuntiis stimulabat, vt bellum repeteret. Non esse ferendum ita consternari animo, vt vindictæ spem omnino deponeret. Præstare namque millies mortem oppetere, quam tantum dedecus inultum relinquere. Illam religionis speciem non esse pietatis, sed timiditatis argumentum. Proinde si vellet hominum famæ commendari, & in amissam dignitatem restitui, forti animo pergeret, & hostibus demonstraret, se nullo casu de mentis statu detorqueri potuisse. His instigatus orationibus, rursus egressus fuerat, vt bellum renovaret. Sed omnes Reges & Principes qui eum secuti erant, rebus illius desperatis abierant, neque rursus adduci poterant ad belli infausti societatem: quin etiam permulti cum Trimumpara & Pacieco pacem inierant. Suarius Aluarenga, eodem tempore cum classe XIII nauium superuenit, & Cranganoris vrbem cepit, atque incendit, in qua multi incolæ Christiani, Sancti Thomæ Apostoli discipuli habitabant. Erat ea vrbs sane magna, & a multis nationibus, propter admodum celebre emporium, frequentata. Civitas erat libera, & magistratibus legitimis populi suffragio creatis regebatur. In patrocinio tamen Calecutiensis Regis latebat, & illius partes, vbi bellum aliquot motum erat, sine recusatione sequebatur. ab illius tamen fide defecit, postquam eius res Lusitanorum armis afflictas esse cognovit. Habitabant in ea præter indigenas aduenæ quamplurimi, qui ex Arabia, & ex aliis regionibus eo mercaturæ faciendæ gratia confluxerant. Indigenæ, qui simulachris dediti erant, eisdem moribus quibus reliqui Malabares vtebantur. Christiani habebant templa non satis eleganter ædificata. Erant enim illorum opes valde tenues. Septimo quoque die quem Dominicum appellamus, in templum conueniebant, vt sacris interessent, & conciones audirent. Summus eorum Antistes in montibus qui ad Septentriones spectant, à mari disjunctissimis, quam regionem illi Chaldæam nominant, sedem habebat. Is cum duodecim Cardinalibus, & duobus Patriarchis, & multis Pontificibus qui in consilium similiter adhibebantur, omnia quæ ad religionem sanciendam pertinent decernebat. Huic omnes Christiani, qui in Orientis Solis regionibus habitabant, obtemperabant. Sacerdotes in capite ita erant attonsi, vt Crucis imaginem in vertice summo continerent. Vino ex passis vuis confecto in sacrificiis vtebantur. Omnibus sine discrimine, cum ad Eucharistiam accederent, non solum corpus Christi in panis specie, verum & in Calicis consecrati potione porrigebatur. Nemo tamen epulum illud diuinum sumebat, ante quam flagitiorum confessione animorum sordes eluerat. Pueri infantes nullo modo ante quadragesimum diem, nisi periculum aliquod impendere eorum vitæ perspectum fuisset, sacris aquis expiabantur. Cum aliquis periculoso morbo premeretur, Sacerdos illum inuisebat; ægroti, Sacerdotis precatione animum alleuari confidebant. In ingressu templi, lustralibus aquis perinde ac nos facimus aspergebantur. Eodem etiam ritu mortuos, & eadem religione sepeliunt. Deinde cognati & affines epulum dant, & octo dies in conuiuiis, mortuorum gratia instructis accumbunt, & illorum memoriam celebrant, & pro illorum sempiterna salute CHRISTVM venerantur. Viduæ, quæ ante annum post virorum obitum nubunt, dotem amittunt. Sanctas litteras Syrio sermone, quem Chaldæum nominant, scriptas, studiosissime colunt, earumque interpretes, in locis publicis omnes qui conueniunt, ad earum intelligentiam diligenter erudiunt. Ieiuna temporibus, quæ ad Aduentum & Quadragesimam appellamus, diligenter obseruant. Sacra solennia, quibus utimur, summa cum religione & celebritate procurant. Eandem anni computationem cum die intercalari, qui quarto quoque anno inseri solet, quam obseruamus, diligentissime retinent. Kalendis Iulii, non Christiani tantum, sed indigenæ à sacris Christianæ nationis abhorrentes, in Sancti Thomæ honorem diem festum agunt. Erant apud illos & Monachorum sodalitia, & virginum sacrarum cœtus ædibus semotis inclusi. Ab omnibus illis pudicitia cum summo probitatis & abstinentiæ, & religionis studio conservabatur. Sacerdotes vxores ducebant. Prima tamen vxore mortua, erat illis in posterum nuptiis omnibus interdictum. Aliorum matrimonium, nisi aut viri, aut vxoris morte, dirimi nulla conditione licebat. Hanc autem morum institutionem à tempore Sancti Thomæ Apostoli, qui primus eas nationes ad CHRISTI notitiam instruxit, ad hæc vsque nostra tempora continuatam summo semper studio, non solum in Cranganoris regione, sed in multis aliis, Christiani qui in India sedem habent, summa semper religione & studio tenuerunt. Corpus illius in vrbe quam Malipur appellant, quæ ad regnum Narsinguæ pertinet, sepultum est, multis miraculis celebratum. Tempore quo Martinus Alfonsus Sousa vir fortissimus, pro rege Ioanne tertio Indiam cum imperio obtinebat, fuerunt ad illum æneæ tabulæ delatæ, in quibus erant incisæ litteræ quarum vsus obsoleuerat, ita vt eas nemo legere posset. Fuit tandem ab illo Iudæus accersitus multis linguis eruditus, & minime antiquitatis ignarus, qui eas tandem cum difficultate propter Scripturæ antiquitatem, & linguæ parum notæ rationem (erat enim ex multis conflata) perlegit. Litteræ autem nihil aliud in summa continebant, quam Regis qui Thomæ temporibus illis in terris imperabat, donationem Thomæ factam telluris certa dimensione definitæ, in qua templum extrueret. Et quia hujus diuini viri mentio facta est, non alienum arbitror, hoc in loco aliud testimonium antiquitatis afferre, quod Thomæ monimentum continet. Anno à Christo nato M. D. LXII. Pontifex Cochimensis misit ad Henricum Cardinalem Portugallensem testimonium publicis litteris consignatum, quod historiam commemoratione dignam continebat. In ea ciuitate quam diximus appellari Malipurem, & nunc, postquam à Lusitanis frequentari cœpit, Sancti Thomæ civitas appellatur, erat in colle sacellum ædificatum, eo quod affirmarent incolæ, in eo loco Thomam fuisse à religionis hostibus interfectum. Erat autem hoc solenniter institutum, vt in eo sacello octo diebus ante natalem Christi res diuina fieret, & omnes Christiani eò conuenirent. Fuerat quoque ante quatuordecim annos in illo colle inuenta Crux in lapide incisa, in cuius fastigio columbæ imago insidebat; basis vero erat inspecie quadam herbarum, quæ diffundi latissime videbantur, collocata; & tam fastigium, quam basis & brachia in liliorum formam desinebant. Arcus eam ex eodem lapide factus undiq; muniebat. In arcu erant incisæ litteræ, quas nemo legere poterat. Totum hoc opus integrum, quod erat satis magnum fuit super altare eiusdem sacelli multorum operis statutum. In cruce eminebant notæ sanguinis insignes. Accidit autem die quo Christiani conueniebant, vt in eo sacro salutationem ab Angelo factam sanctissimæ Virgini; octo dies, antequam dies CHRISTI natalis aduenirent celebrarent, cum Sacerdos qui rem divinam faciebat Euangelium inchoaret, vt Crux in nigrum colorem verteretur, & liquor ex illa incredibili copia dimanaret: deinde color ceruleus pro nigro subiret. In locis autem vbi notæ, sanguinis extabant, rosei coloris splendor eluxit. Sequentibus deinde annis eodem die idem semper euenibat. nec enim alio die (quod magnam admirationem commouebat) id in illa cruce cernebatur. Fuit tamen aliquo tempore, eius rei quæ admirabilis omnibus videbatur intermissio. Anno autem M. D. LXI. cum Christiani in eundem locum cum eodem pompa & celebritate conuenirent, eo die quo Crux dum sacrificium fieret stillare solebat, & Sacerdos Euangelium inchoaret, (id enim etiam admirandum videbatur, quod numquam prius quam Euangelium legi cæpisset, ea Crucis mutatio fieret) Crux repente nigris maculis, splendidis tamen inficeretur, donec tandem aliis atque aliis subeuntibus tota nigresceret. Ita vero splendebat, atque si fuisset oleo delibuta. Dum instar roris guttæ desluere cæperunt, quæ paulatim grandiores effectæ, totam Crucem humore largissimo compleuerunt. Peregit Sacerdos cum multis lachrymis, & crebro singultu sacrificium: deinde ascendit in altare,

Cranganoris in India à Lusitanis capitur.

Illius descriptio.

Crux liquorem stillat in India sub Euangelio.

altare, & finteis quibus in rebus sacris de more procurandis vti solebat, Crucem extersit. Lintea maculis sanguineis tincta repente sunt. Ciuitatis præfectus, & reliqua multitudo quæ conuenerat manus in cœlum tendere, Christi numen implorare, flagitiorum veniam postulare, & ad studium ardentius religionis excitari. Crux autem postquam multo liquore fluxit, clarius splendere cœpit, & color sanguineus euidentius eluxit. Hoc signum commouit & præfectum vrbis, & primarium Sacerdotem, vt diligenter inquirerent, ecquis esset qui literas illas interpretari posset. Aiunt incolæ, in Narsingæ regno esse Brachmanam, inter omnes Brachmanas litteris & eruditione præstantem, qui varias linguas tenebat. Hominem continuo accersunt, & interrogant, an illas litteras nosset. Respondit litteras esse priscas, quibus antiqui sapienter vtebantur: negligentia vero factum esse, vt earum cognitio interiret: quin etiam linguam qua erant descriptæ, à paucis admodum teneri. Admonent illi Brachmanam, vt in altare ascendat. Restitit ille, & nefarium facinus esse dixit, altare in quo res diuina fieret humanis pedibus conculcari. Inuitus tamen subiit, & litteras perlegit, quarum vim eam esse dixit, vt vna nota, decem, & quindecim, & viginti litterarum officio fungeretur. Sententia vero litterarum in summa hæc erat: Thomam diuinum virum fuisse à Dei filio, cuius erat discipulus, in eas oras Sagami Regis tempore missum, vt Dei summi notitia gentes illas cruderet. Ibique templum extruxisse, & res admirabiles effecisse, atque tandem cum genibus flexis ad Crucem illam affixus orationem ad Deum funderet, à quodam Brachmana fuisse hasta transfixum. Crucem vero eiusdem viri sanctissimi cruore tinctam, ad memoriam virtutis illius sempiternam relictam fuisse. Hæc erat sententia quæ litteris continebatur. Fecit autem maiorem fidem alius eiusdem sectæ vir aliunde accersitus, grandis admodum natu, & sapientiæ opinione præstans, qui litteras in eandem sententiam interpretatus est. Huius autem Crucis exemplum, in eodem ligno, ex quo templum ædificatum perhibent, insculptum, cum litteris publicis multorum virorum testimonio consignatis, retinebat Osorius: cuius fides tantis tunc argumentis explorata fuit, vt nemo possit de tam claris atque testatis viri diuini monimentis ambigere. Hæc quidem inferenda putaui, vt rectius percipi possit, quam clara sint apud Indos Christianos Thomæ viri diuini monimenta. *Hieronymus Osorius Episcopus Saluticnsis Algarbiorum in Lusitania, Historiarum lib. 3.*

XI. *Iulius II. P. reiectis Legatis Venetis Genuenses excipit.*

Ad Iulium summum Pontificem reuertentes, hoc anno 1504. Senatus Genuensis ad eum duodecim Oratores misit, qui illi Reipublicæ nomine Pontificiam dignitatem congratularentur, & communem lætitiam declararent. Horum nomina fuere, Stephanus Vivaldus, Ioannes Ambrosius Flisaus, Petrus Spinula, Ambrosius Lomellinus, Dominicus Adurnius, Cosmus Zerbus, Hieronymus Saluus, Petrus Saulus, Augustinus Ferrarius, Augustinus Grimaldus, Hieronymus Auria, & Gabriel Fornarus. Eos Pontifex benigne accepit, & officium deferentes libenter audiuit. *Petrus Bizarus hist. Genuensis lib. 17.* Destinauerant & Venati, octo Oratores ciuitatis longe Principes, ad eundem Pontificem, vt congratulationis munere Romæ publico nomine peracto, Salutarent, ac venerarentur summum de more Christiani Orbis Principem, legatioque hæc demandata fuit Dominico Triuisano, Hieronymo Donato, Bernardo Bembo, Paulo Pisoni, Andreæ Gritto, Leonardo Mocenico, Nicolao Foscareno, & Andreæ Venerio. *Iustinianus Hist. Venetæ lib. 10.* Sed hos Pontifex Iulius admittere diu recusauit, quod Senatus Venetus multa de Romana Eccles'a per tempus Interpontificiorum occupasset, ac vero ne restituere quidem destinaret. *Guiciardin. lib. 6.* Alexandri porro Regis Poloniæ voluntati satisfecit, cum anno superiore defunctis, Friderico Cardinali Episcopo Cracouiensi, & Creshao Curosvancio Vuladislauiensi Episcopo, alios à Collegiis suffectos, autoritate Apostolica confirmavit, & ex aliis alios transtulit Ecclesiis. Et quidem in Metropolitano Gnesnensi sede successit Andreas Boriss'vius cognomento Rosa Archiepis. Leopoliensis, Bernardino Vilcico in Leopoliensi successore accepto: in Cracouiensi vero Ioannes Comarius, qui procurator Friderici fuerat, in gratiâ Reginæ Matris, quâ homo nulla doctrina, neque ingenio præditus, probus tamen, vulgaribus officiis demeritus dicitur. Porro Creslaus in cathedra quidem Vincentium Prærembium Episcopum Præmislicnsem successorem accepit, in munere autem Cancellariæ Ioannem Lascum Præpositum Scarbimiriensem & Canonicum Cracouiensem: Prærembio autem in sede Præmislicnsi Matthias Dreuicius successit, qui & in Procancellarii munere ante successerat. *Michouius lib. 4. Cromerus lib. 30. hist. Polonorum.*

XII. *Guilhelmi VVaramo Archiepiscopo Anglia pallium mittit.*

Misit præterea Iulius Pontifex pallium, confirmationem, consecrationem, ac Legati potestatem Guilelmo Waramo Cantuariensi Archiepiscopo, Henrici VII. Regis Angliæ voluntate ad eam dignitatem euecto. Placet solennia mauigurationis isthic adscribere, vt Angli intelligant, quantum ab antiqua pietate defecerint. In ea inthronizatione Waramus, quam Cantuariæ nono die Martii, qui hoc anno in Quadragesimæ fuit, celebrauit, Regalem pene pompam & magnificentiam euidit. Venit enim pridie Cantuariam vt omnia solenniter præpararet, Eduardus inclytus Buckinganiæ Dux 140. equitibus stipatus, idemque Archiepiscopi Senescha'lus & pincerna. Ac pincernæ quidem munus in eo festo Thomæ Burgchier militi delegauit, ipse autem Senescha'lus omnia munera locaque perlustrauit, ne quid in chronizationis magnificentiæ postridie deesset. Sequenti die qui Dominicus fuit, cum toto famulatu obuius fit Archiepiscopo Cantuariensi ciuitatem ingressuro, eique se humiliter ad S. Andreæ templum inclinauit. Tum Archiepiscopum pedibus nudum (vt mos erat) insequentem ad Prioratum S. Thomæ præcessit: vbi à Priore & Conuentu honorifice recepti sunt, ac Archiepiscopus Missam ex more celebrauit. Ea peracta ingressus est Duce præcedente palatium, receptique se primum in cameram interiorem. Inde paulo post in magnam aulam publice prænsurus prodiit. Ibi edita sunt inter epulas in singulis patinis ista spectacula. Quia enim sic Archiepiscopus ex Oxoniensi Academia profectus est, Cancellarius Oxoniensis, bedellis suis præcedentibus, cum toto Scholarium Oxoniensium cœtu Regi cum Proceribus in Parlamento sedentibus fingitur willhelmum Waramum his carminibus exhibere, &c.

Deditus à teneris studiis hic noster Alumnus
Morum & doctrinæ, tantum profecit, vt Aulam
Illustrare tuam, curare negotia regni
Rex Henrice tui, posit honorifice.

His totidem à Rege carminibus responsum est.

Talès esse decet, quibus vti Sacra Maiestas
Regnum in turando debeat Imperio.
Quare suscipiam quem commendastis Alumnum
Digna daturus ei præmia promeritis.

Deinde Rex eum S. Mariæ Rotulorum; his versibus commendat.

Est locus egregius tibi Virgo Sacrata dicatus
Publica seruari quo monumenta solent.
Hic primo hunc situ dignabere, dignor, honoris;
Commendo fidei scrinia sacra tuæ.

In tertia patina candidæ columbæ species pro Sancto spiritu simulata à Cœlo in Archiepiscopum descendens ore tenebat ista carmina:

Gratia te traxit diuis cœlestibus aptum,
Perge, parata manent viberiora tibi.

Tum ad ferculorum appositionem ventum est. quod solerine seruitii Edvvardus Dux Archiepisci Senescha'lus, eques, & capite nudus album dextra baculum ferens præcessit, & simul atque apponerentur fercula, caput Archiepiscopo humiliter inclinauit, & in cameram prænsurus secessit. In hac prima ferculorum appositione alia edita sunt spectacula. Rex VVilhelmum VVaramum Rotulorum custodem Sancto Paulo in turri quadam inter S. Petrum Erlcenvvaldum medio his carminibus tradebat.

Vrbis Londini caput ò doctissime Paule
Hic regat, & seruet pastor ouile tuum.

Tum à magna Sanctorum multitudine hæc prodibant scripta carmina:

Hic nisi præclara morum indole præditus esset
Haud peteretur et tantus honoris apex

Postea consecratio, & inunctio eiusdem Guillhelmi VVarhami cum Londinensem Episcopatum accepit, figuratæ fuerunt, & hoc dicto illustratæ ; *Auxilium meum à Domino.*

At hæc in prima ferculorum appositione. In secunda vero primo tria theatra exhibita sunt. In primo S. Paulus, Erlcenvvaldus & Rex Henricus VVilhelmum VVarhamum Episcopum Londinensem, Alphego, Dunstano, & Thomæ Beclcet Cantuariensibus quondam Archiepiscopis his carminibus obtulerunt.

Est minor ista tuis sedes virtutibus, illa
Thomæ digna tuis est potius meritis.

Quibus Sancti Archiepiscopi arridentes responderunt.

O VVilhelme veni, Domini fis cultor agelli,
Esto memor quis honor, quæ tibi cura datur.

Tum iidem Archiepiscopi Wilhelmum summæ Trinitati, infinita Angelorum, prophetarum & Patriarcharum multitudine circumseptæ offerebant, ista carmina proferentes.

Non deerunt exempla tibi sanctissima Patrum
Sanctorum hoc ipso quos imitere loco.

Apposita deinde fercula sunt. Ad extremum prodierunt alia tria theatra. Primum Iulium Romanum Pontificem cum Cardinalibus in solio suo sedentem, & Archiepiscopale pallium Archiepiscopo tradentem repræsentabat his verbis.

Amplior hic meritis simili potiatur honore
Suppleat & vestrum sede vacante locum.

Secundum inthronizationem in Ecclesiam Metropoliticam, & capessendæ possessionis ritum continebat. Tertium, Ecclesiam Cantuariensem & chorum Archiepiscopis, Clericis & Cantoribus repletum exprimebat: atque hæc omnia spectacula ex crustis saccaro & amigdalis commixtis & deauratis composita fuerunt. Assidebant mensæ à dextris Archiepiscopo Comes Essexiæ, Episcopus Maionensis, & Prior Ecclesiæ Christi Cantuariensis; à Sinistris vero Dominus de Burgauenie, Dominus de Brooke, & Abbas S. Augustini. Cum Duce in Camera considebant alii proceres: proxima his erat Theologiæ atque Iuris Doctorum mensa, tum Baronum atque militum, inde Generosorum, aliæ multitudinis ciuium & aulicorum. *Nicolaus Harpsfeldius Hist. Eccl. Anglic. seculo* XV. *& Autor antiquitatum Eccl. Britann. in VVarhamo.*

nimam quidem turrim retinerent passurum non esse, quin etiam de Rauenna & Ceruia, quas vrbes non minus iniuste quam Fauentiam occupabant; ante obitum suum recuperandis spem habere respondisset, nihil amplius actum fuerat. Sed huius anni initio timore aucto, Vrbini Ducem communem amicum, omnia quæ occupassent ad Fauentiæ vel Arimini ditionem non spectantia; dum modo Pontifex, qui numquam ipsorum Oratores ad obedientiam præstandam admittere voluerat, eos nunc admitteret, obtulerunt. Cui petitioni Pontifex, quamuis quod à dignitate sua, & tot querelis atque minis ab se factis aliena videretur, nonnihil difficilem se præberet; tamen Imolensium, Foroliuiensium & Cæsenatium, qui maxima agrorum suorum parte spoliati magna incommoda patiebantur molestiis, cum aliud præsens remedium nullum cerneret, postquam Maximiliani Cæsaris, & Galliæ Regis res tam tarde procedebant, tandem ei rei in qua re lucrum absque iactura erat, cum nec verbo, nec scripto vlli se rei obligaret, assensus est: Oppidis itaque prius restitutis, octo legati ex præcipuis Senatoribus, iam ab initio eius Pontificatus destinati, qui numerus maior erat, quam ea Respub. ad vllum vmquam Pontificem qui Venetus non esset misisset, profecti sunt: qui obedientia consueto ritu præstita, nullum tamen aut maioris facilitatis, aut mitioris in Pontifice animi signum Venetias retulerunt. *Guiciardinus lib.* 6. Erant in Sacro Collegio, qui effusa in omnem ventum lingua Iulium, quasi pacem hoc modo cum Venetis fecisset laudarent; vnus Franciscus Soderinus Cardinalis, cum & ipse Pontificem verbis honorificis extulisset, addidit, eo se magis illum laudare, quod quemadmodum fines illos recuperauisset, ita etiam Ariminum ab eo atq; Fauentiam breui recuperaturum iri confidebat. *Bembus lib.* 7. Qua postmodum tempestate Galliæ Rex, fœderis perficiendi cupidus, Cardinalem Rotomagensem Agenoam inferioris Germaniæ vrbem, in qua recenter Comiti Palatino adempta à Maximiliano Cæsare, & Philippo Archiduce expectabatur, misit: cuius aduentu fœdus promulgatum, & Solenni sacramento sancitum est, & Cardinalis pecuniæ promissæ dimidium dedit: alteram partem quamprimum Cæsar exercitum in Italiam traduxisset accipere debebat. Nihilominus & hoc anno propter occupationes quas in Germania habebat transire non posse primo insinuauit, & paulo post declarauit. Ea insinuatio, qua Romam se velle ire dicitabat, vt Imperii insignia à Pontifice Maximo acciperet, effecerat, vt Veneti eius legatorum postulatis, quæ in rem aliquam Iulii cesserunt fuissent polliciti: declaratio autem Iulium Pontificem retinuerat, ne arma in Venetos, quem admodum optauerat expediret. *Guiciardinus & Bembus supra.*

ANNO CHRISTI M. D. V.

IVLII PAPAE II. ANNO 2. ET 3.

MAXIMILIANI ROM. REGIS ANNO 20.

ANNVS M. D. V. tranquillitatem aliquam habuit. quoniam Hispaniæ Regi (hanc enim appellationem retinebat) cogitationibus quæ ex Reginæ morte successerant occupato, satis erat si induciarum vi regnum Neapolitanum retineret: & Galliæ Rex, quia Maximilianus Cæsar in hoc vt in aliis rebus naturam suam secutus, pacem quam anno superiore cum eo & cum Iulio Pontifice inierat nunquam confirmarat, animo valde dubius erat: & Iulius Romanus Pontifex recuperandarum sedis Apostolicæ in Flaminia & Aemilia ditionum cupidus, nisi magnorum illorum Regum armis adiutus, motum aduersus Venetos facere nec audebat, nec poterat, & Veneti non parum sibi assecuti videbantur, si in tantis contra ipsos rebus à Maximiliano Cæsare, Ludouico Rege, & Iulio Pontifice agitatis, ab aliis non vexarentur. Ad Iulii animum placandum, Ariminum ei, & omnia quæcumque post Alexandri Pontificis obitum in Aemilia occupassent, modo Fauentia cum suo agro ipsos potiri paterentur, obtulerant: Id autem tum Galliæ Regis metu, tum quia Maximilianus Cæsar, Iulii postulata per legatum Venetias missum, vt Pontificii Imperii ciuitates restituerent, hortatus fuerat. Sed cum Pontifex pro animi sui constantia, liberaque mentis suæ aperiendæ natura, se vt vel mi-

Veneti ablatas vrbes Pontifici offerunt excepta Fauentia.

confir-

II.

confirmari, nulla Burgundiæ, aut Neapolitani regni facta mentione, neque aliunde compensatione, pudenda siue incuria, siue ignauia. Iam illi etiam cum Philippo, non obscuræ simultates, de titulo Regis Hispaniæ intercedebant. Concordia & potentia vix vno vestigio consistunt. Ferdinando Regi & vxoris testamento Castellæ rerum administrationem retinere erat destinatum, haud dubio impedimento Ioannæ filiæ, quam in Belgis inclusam teneri vulgatum erat, sublata decernendi, atque quoquam egrediendi libertate. Id vt assequeretur, primum genero Regi per litteras renunciauit, ne sine vxore omnino in Hispaniam veniret. Cupere prouinciales, quod fama ferebatur, de eius valetudine certius cognoscere, idonea esset, an secus, rebus in Castella gerendis. Deinde ex vniuerso regno proceres & procuratores vrbium Taurum euocauit ad conuentus generales. In iis conuentibus Garsias Lassus Vega Legionis promagister Præses cæteris datus, ac vero reliqui procuratores vrbium, lecto Reginæ testamenti capite de regni hærede eiusque administratione, defunctæ voluntate approbata secundum eam consensu Sacramentum Ioannæ dixere, quasi Castellæ Reginæ, matris hæredi, ac Philippo viro coniugis iure, præterea Ferdinando Regi Catholico Administratoris nomine, ac paucis inde diebus in Conuentu pronunciatum, nouæ Reginæ valetudinem esse exploratam. Idoneis id testibus fama vulgarat, quæ nihil occulti esse patitur inter Principes maxime, arcana quoque populo proponit atque explicat. Proinde orare Regem omnibus precibus, vt vxoris charissimæ voluntati obtemperaret, Rempub. capesseret, neque defugeret in sinum confugientem. Simul in Belgas nuncios misere cum litteris tertio Idus Februarii datis, quibus nouæ Regi rerum à se gestarum rationem reddidere. Ab his initiis conceptam animis tranquillitatis spem multa turbarunt. Plerique Rectoris mutationem expetebant, humani ingenii vitio futura præsentibus potiora fore putantes; quæ sæpe fefellit spes, ac proceres præsertim iniquo ferebant animo Ferdinandum Regem rebus præesse. quemque suus vrebat dolor, an spes incitabat. Pars oppida Henrici Regis dono possessa diu, noua censura detracta molestæ ferebant: alii quod postulati alicuius & voti compotes non euasissent, dolere scilicet impense. Illud vero cunctos male habebat, quod iudiciis constitutis, legibusque reddita vi, potentiorum insolentia frænabatur, ne impune in tenuiores inuocarent, vti facere antea impune consueuerant. In eo numero Petrus Manricus Anagari Dux cæteris ardentior, suis & suorum opibus palam Ferdinandi conatibus obsistebat. Secundum eum Dieghus Lupus Paciechus Villenæ Marchio se ostentare, offensus eius principatus oppidis pridem ablatis, nisi rebus turbatis nulla recipiendi spe. Aliis proceribus idem animi erat, & si tempori seruire ac tantisper dissimulare decreuerant, eo daturi vela, vnde melior spes ostenderetur priuati commodi, quæ potissima cura erat. Vnus Fridericus, Albanus Dux perpetuo à Ferdinandi partibus immotus stetit: viri fidem prædicandam, si Reipublicæ amor, tranquillitatis & non potius, propinquitatis respectus retinuit, ne cum cæteris sentiret. Hæc domestica erant; Atrociora à Belgis imminere tempestas videbatur. Philippus & amicorum Principes offensos se putare importuno Ferdinandi Regis conatui: Quod Regis nomen adiungerent, & ad veniendum in Hispaniam inuitarent, id contumeliam interpretabantur. Quæ apud concordes vincula charitatis, apud infensos irarum incitamenta erant. Quorsum venturum dicebant? Regem cur vocarent? Quid enim nisi ludibrium contineret, Regis nomen dare, & Regiam potestatem adimere? Quid in Castellam veniret? An vt acceptæ ignominiæ deformis testis videretur, inani vmbra Regiæ maiestatis, fructus penes alterum esset? Aegris cunctorum animis faces subdebat Ioannes Emanuel in exiguo corpore ardenti prorsus ingenio, multo in dicendo sale. Id veritus Ferdinandus conatus erat illum à Philippo genero abstrahere, ne latius incendium importuno afflatu funderetur. ac primum in Germaniam redire iussit, iniunctas Oratoris apud Cæsarem partes implere mandans. Philippus soceri arte perspecta discedere non permisit, amica vi parata nisi obtemperaret; ac vero maiori deinde in gratia fuit, omnium arcanorum particeps ac pene arbiter factus. Quia id non successerat; magnis pollicitis eius vxorem Catharinam Castellam non minoris animi fœminam tentare visum est, si benignitate præfractus viri animus frangeretur. Multa & magna ipsi & filiis promissa. Parum tamen est ea diligentia profectum. Vir enim apprime sagax, maiorem in principe & iuuene, & munifico spem reponebat, quam in sene & callido, & parco. Non restiterunt offensiones in vno gradu loco que, sed in Italiam transgressæ effecerunt, vt Ferdinando Consalui fides esset suspecta, ne ad generum & Cæsarem inclinaret, regnumque ex eo Neapolitanum eriperetur. Augebat suspiciones dissimulanter coque validius Prosper Columna suo in Hispaniam aduentu, quamvis sibi & propinquis ex aliena inuidia captans emolumentum, & consecutus adeo quæcumque voluit. ac nominatim datum, vt ala quadringentorum equitum Liuiano credita, ad ducentos redigeretur. Iussit præterea Ferdinandus, vt mille & ducentis cataphractis, sexcentis equitibus expeditis, ac tribus peditum Hispanorum millibus Neapolitani regni retentis præsidio, duo millia pedites Hispani mitterentur in Hispaniam in belli Africani apparatum: Germanis missio esset. Quæ omnia eo pertinebant vt Impensa minueretur, ac vero debilitatis Consalui viribus nocere nemo ex Italia posset, si res deduceretur ad bellum. Rebus etiam Neapolitanis & litibus diiudicandis nouum in Curia Regia tribunal constituit, iudicibus designatis Thoma Malferito, Ludouico Sapata, Ludouico Sanctio ærarii præfecto, Ioanne Baptista Spinello, denique Michaele Peresio Almasanio qui esset à Commentariis, actaque & decreta testato describeret, & actionum formulas dictaret. Hæc omnia astringendæ Consalui potentiæ.

III. *Ferdinandus Rex Hispaniæ moratur in vrbe Tauro.*

Restiterat, soluto conuentu Ferdinandus in vrbe Taure vsque ad Aprilis finem ex propinquo explorare cupiens Lusitani Regis animum, in quam partem se daret, in susceptа cum genero de Castellæ administratione controuersia. Proceres odio incitati eam moram in peius interpretari, Ioannem Henrici Regis filiam velle sibi connubio iungere eius repetito iure, quod armis ante impugnarat, inuitis genero & filia non Castellæ modo administrationem retinere, sed etiam Regiam maiestatem. Insanum quantum ij rumores multorum animos alienarunt. Rebus turbatis multa finguntur libere, creduntur impune, prona semper in deterius hominum persuasione. Omnino Alfonsus Caualleria Regio scrinio præfectus suadere instituit, vt Rectoris nomine posito, tutoris & vsufructuarii nomina sumeret, patribus iure data in filiorum bona eorum, qui nondum in suam tutelam venerunt. Ioannam Reginam in eo numero esse, si minus propter ætatem, certe propter valetudinem sensu imbecillo: & quoniam erepta libertate quidquam statuendi, procul à patria detinebatur. Adiungebat præterea Regium nomen tum vsufructuarii iure, tum prioris coniugii quamuis vxore defuncta, exempla Ioannis patris, qui defuncta quamuis priori coniuge, filiisque adeo ex eo coniugio relictis, ad mortem nomen & potestatem Regis Vasconum retinuit regno dotali. Rectoris moderatorisque titulos esse imbecillos, obnoxios mutationi: Regiam maiestatem & nomen rebus gerendis, provincialibus frænandis fore salutare. Henricum Trastamaræ Comitem parum initio profeciſſe, paucosque eius auspicia secutos: postquam Regis nomen arripuit, rerum continuo magnam conuersionem factam. Hæc illi. Castellæ Proceres, quique Philippo à consiliis erant, longe alia insistentes via, regni administrationem vniuersam ad nouum Regem ablegabant, quippe iustæ Reginæ virum cuius potiores quam parentis sunt partes, arctius vinculum charitatis. Reges si venirent rerum spectatores tantum, sublata decernendi potestate, fore tum ipsis, tum genti ignominiosum. Duos supremos rerum moderatores quis ferret? Quis inter ipsos conciliaret? Prudenter facturum FERDINANDVM, si quod erat necesse, sponte sua aliena procuratione relicta, in Aragoniam concederet:

inde

inde filios iuuaret pro virili, atque ex eorum voluntate. Vi extorquere gubernacula fore noxium. De regnis Neapolitano & Granatensi, non minus sententiæ discrepabant. Ferdinandus enim Granatensis Imperii partem sibi tribuebat, quippe coniugii tempore partum profectitium incrementum. à Neapolitano consortium omne excludebat, nempe ex Aragoniæ gentis antiquo iure occupatum. Ita molestè tulit à genero in Gallico fœdere de ea ditione, quasi de re sua fuisse statutum, ne appellato quidem se, cuius in iure mancipio que esset. Eo etiam Consalui fides suspecta erat, quasi homo in Castella natus Castellæ incrementis faueret. Aucta magis suspicio, misso Neapolim ex Germania, qui Maximiliani nomine rogaret, ecquid animi gereret, si res ad arma deduceretur. Iulius quoque Pontifex quærere ex eo porro institit, si cum Cæsare & Gallo Rege armorum ipse constitueret Societatem contra Ferdinandum, vtri partium adhæsurus esset. & Cæsarem quidem ambiguo responso suspenderat haud satis apertis verbis negata ope. Ad Pontificem plane ignorare profecto eum quibus maioribus esset natus, & quantis ipse priuatim astrictus vinculis, ne Regi suo fidem datam falleret, ac vero ne turpitudine aliqua suscepta familiæ nobilitatem fœdaret. Sic in Italia res erant. Misit post hæc Ferdinandus Ioannem Fonsecam tunc Palentinum Episcopum in Belgas, vt filiæ assiduus eius imbecillitatem consilio regeret: Lupum quoque Concilium Michaelis Pereſii Almasani propinquum, vt esset ab epistolis. Contra ad Regem Catholicum à Cæsare & Philippo filio legati venerunt, Andreas Burgius Cremanensis patria, & Philibertus cui familiaris vsus cum Philippo erat, & Castellæ rerum ampla cognitio. Ferdinandus idoneum hominem nactus, querimonias in generum in eius sinum effudit: rursusq; Ioannem Emanuelem præcipuam discordiæ facem ab eo abducere tentauit.

Excusauit ille discessum, palamque datam Regi Catholico fidem obsequium que confectis tabulis renunciauit. Noua offensionum tela per hunc modum ordiebatur: præsertim Lupo Concillo in ferrum & vincula tradito: vbi diu grauia incommoda toleraui, squalorem carceris aliasq; graues miserias, quales infenso Principe præsidio longinquo aduenam pertulisse fides fit. Litteras ad Ferdinandum scripsisse crimen erat, quibus filia significabat, suæ esse voluntatis vt res in Castella ipse procuraret ex matris testamento. In intestina discordia nihil occulti esse potest. Ita interceptis iis litteris lectisque Philippus, iram vertit in eum qui minime noxius erat: quin & cæteris Hispanis, vxoris ex familia eam allo quendi facultas sublata. Ex iis rebus aucta Reginæ molestia, afflictaque ampliùs valetudine concussæ mentis, publico prohibere fuit necesse. Propter hæc omnia Ferdinandus Austriacis infensus, nulla affinitatis cum iis initæ memoria, ad Galli Regis occupandam deinceps gratiam adiecit animum, suis rebus ex eo præsidium parans, quemcumq; cursum cœptæ offensiones tenerent. Has cogitationes versanti, aliud atque aliud subiiciente animo, fore optimum visum est, cum Germana Fuxensi coniugium, quoniam eius Regis ex sorore nata erat, charitate filiæ instar. Eo consilio Ioannem Enguerram è Cistercienſi Ordine Inquisitorem in Catalaunis, quo occultior esset conatus, ablegauit in Galliam cum mandatis, & in eam sententiam litteris. Gratum inprimis id postulatum Gallo accidit: atque ita, vt iura regni Neapolitani in Germanam ciusque filios transferret quasi dotalia: addita tantum lege, vt nulla suscepta prole ex eo connubio, id imperium absque controuersia ad se & hæredes rediret: quingenta præterea aureorum millia decem annorum spatio æquis pensionibus Ferdinandus, numeraret, pro impensa in superioribus bellis facta. Andegauensibus bona fide redderentur ablati maiorum principatus, quod erat plane difficillimum. Captiuis Consalvus redderet libertatem, ac nominatim Rosanio, & Bitonti Marchioni. Dux tantum Valentinus & Pallasius Comes, ab hoc numero excepti, ne vinculis eximerentur. Galliæ Rex, Hierosolymorum & Neapolitanorum Rex ne deinceps appellaretur. Panagia procerum, & recognitiones, conditionibus supradictis responderent. eodem que modo diploma, à summo Pontifice peteretur: si Regina Germana marito viuente sine liberis decederet, eius dotalis pars (tria millia auri pondo erant constituta) Ferdinando cederet. quod si illa eo mortuo superstes esset, ad Galliæ regnum rediret: Ferdinandus Rex, Gastonem Foissei Comitem, nouæ coniugis fratrem, ad regnum Nauarræ, cuius cum Catharina Foisseia, & Ioannes Alibretti filius eius maritus Reges appellarentur, ad se spectare asserebat, recipiendum iuuare teneretur. Galliæ Rex, Friderici Regis viduam coniugem cum duobus liberis quos apud se habebat, in Hispaniam, vbi facultates quibus honeste possent viuere eis assignarentur, proficisci cogeret: quæ si renueret, nulla ipsi eiusue liberis amplius pensione subsidiove dato, eam Galliæ regno excedere iuberet, Neutri quidquam, contra eos qui ab vtrouis illorum nominati essent, moliri liceret. Nominarunt autem ambo in Italia Romanum Pontificem, & Galliæ Rex Florentinos: ad pacis autem firmamentum æternum inter eos fœdus, ad regnorum defensionem ictum esse intelligeretur. Galliæ Rex Hispanum mille cataphractis, & sex peditum millibus: vicissim Ferdinandus Galliæ Regem trecentis cataphractis, duobus leuis armaturæ equitum, quos Iannettarios vocabant, & sex peditum millibus iuuare teneretur. Hac pace hunc in modum confecta, cuius, vtriusque partis nomine sponsor fuit Angliæ Rex, Andegauenses proceres qui in Gallia erant, abeundi facultate à Rege, qui pro sua innata tenacitate perquam exigua illis in discessu grati animi signa ostendit impetrata, fere omnes cum Germana Regina in Hispaniam contenderunt: & Isabella Friderici olim vxor, quia filios suos Catholici Regis fidei committere noluit, à Galliæ Rege regno excedere iussa se Ferrariam contulit. Sed Ferdinandi cum Ludouico fœderibus, magnarum rerum fundamenta ponebantur. Conditionibus sanciendis vere exacto, adultaque æstate, tandem ad octavum Calendas Septembris Segobia missi sunt Ioannes Silua Cisontanus Comes, Thomas Malferitus, ipseque Ioannes Engverra cum ampla statuendi facultate, & publicis tabulis, quibus Neapolitanis captiuis libertas, exulibus patria bonaque pristina reddi mandatum. atque vt maior esset fides, actum de coniugio est Roberti Salernitani cum Marina Aragonia, Alfonsi Aragonii Villaformosæ Ducis Ripagorsæ Comitis filia. Tanta ex his rebus Galli lætitia, vt Philippum Belgam Hispaniæ aditu prohibere conaretur, misso idoneo homine, qui eius nomine denunciaret, ne prius se itineri daret, quam componeret cum socero controuersias. Verbis adiunxit facta, Gheldriæ Duce persuaso, vti maiori quam antea mole & copiis Belgam lacesseret: Bello in ditione implicatum, ab Hispaniæ cogitatione abducere erat destinatum. Hoc euulgato fœdere, magni animorum motus extiterein Italia: atque per vniuersam Hispaniam. Exulum oppida qui possidebant inter se conspirare, sanguinis pretium tueri armis destinantes inter se præsidio fore. In eo numero Prosper Columna offensus maxime, Neapolitanis finibus abscedens, Iulio Pontifici Maximo polliceri non dubitauit, si Gallus iure eius regni decederet, suis & suorũ viribus ad ius Ecclesiæ reuocaturum. Castellæ item proceres nouo coniugio commoti, eo amplius quod fama vulgabat, ab Isabella Regina Ferdinando rerum in Castella procurationem demandatam, iurato prius cælibem vitam. Cisontano suadere conuitio, ne in Galliam de iis rebus legatus proficisceretur, nisi vellet gentis vniuersæ inuidia deflagrare, quasi saluti communi aduersus. Quidam etiam Consaluum accusare, quod tamdiu cunctaretur Philippi Regis partes palam profiteri. nouo coniugio id regnum Carolo Principi detrahi, siue fœcundum extitisset filiis, siue nulla suscepta prole. Philippo quidem ipsi grauem molestiam attulit, non regno Neapolitano per eas conditiones cadere, sed de vniuerso Aragonio imperio periclitari, si proles mascula socero esset ex noua coniuge nata. Generi animo leniendo, Petrum Aialam qui legatiſmunus obierat in Anglia Rex Catholicus misit in Belgas, vt vna cum Fuensalida ordinario Oratore fœderis initi generum admoneret, atque suo nomine postularet Concillo libertatem, qui ad Wilabordam arcta custodia vinctus tenebatur. Fecerunt illi diligenter, quod iussum erat. Responsum tamen placere coniugium, neque suæ modestiæ esse quidquam in eo præscribere, Socero sui iuris, eaq; prudentia & rerum vsu, quam vellet vxorem ducere fas esse. Quod de Concillo postularent: vnum è familia esse animo

designa-

designato salario: vincto ob crimina, libertatem dari fas non videri, nisi ex legum præscripto vindicata prauitate. Consaluo etiam inter hæc missus, qui pacem cum Gallo pactam nunciaret, cum mandatis, quam primum in Hispaniam maturaret. Consilio eius & auctoritate, ad res magnas componendas egere Rempublicam. Ex arcano Cæsare Augustanus Archiepiscopus erat designatus successor in regni Neapolitani procuratione. Lætatus Consalvus eo nuncio, pacis fœdera voce præconis evulgari, publicaq; lætitia celebrari iussit ludis conviviisque. Commissa spectacula: concurrere milites ad simulachrum pugnæ. Quod de discessu iubebatur, præsto se esse respondit, breuique facturum. Ex animo, an simulate, ne tunc quidem cognosci potuit. Sane aduersis quandoque tempestatibus, fæuaque ventorum vi, aliquando vario rerum euentu prohibitus, diu profectione sustentata maleuolis occasionem præbuit, in deterius interpretandi variis sermonibus materiam. Ioannem quidem Lupum Vergaram qui ei à Secretis erat miserat in Hispaniam, syncera ipsius voluntatis fideique rebus omnibus cultæ testem idoneum. Modica dictis fides, quoniam verbis facta non respondebant. Toletanus Archiepiscopus non discedebat à Regis Catholici latere, eius dignitatis in omnibus controversiis acerrimus fautor. multas etiam auctoritate retinuit, ne studia verterent in contrarium. Eius suasu Ferdinandus, arrepta occasione à gratulatione, quod ad dimidiatum Octobrem ex Ioanna Regina, nata esset Philippo Maria filia, misit in Belgas Carolum Alagonium cum mandatis ad Philippum generum ac monitis concordiam cum securitate potiorem vtrique fore, quam cum periculo contumaciam. Inter hæc tamen Salmanticæ pax cum Gallo voce præconis per plateas publicata erat, minori aliquanto Castellæ quam Aragoniæ gentis lætitia plausuque, diuelli Imperii Hispanici compagem, quæ post longa tempora, Regio coniugio, si mascula proles extaret, molestum aliis, gratum erat Aragoniæ genti, Regem peculiarem atque ex sua gente habere cupientibus. Sic sunt res humanæ, quod vni iucundum existit, ex eo alteri mœstitia nascitur, nihil est quod æque omnibus placeat. Ad frænandos Philippi conatus hæc omnia spectabant, tanta importunitate circumacti, vt datis Brussellis litteris proceres Castellæ ad arma pro se & aduersus socerum concitaret, ac nominatim Villenium, Anagari Ducem, Garsiam Lassum, Assidonium Vreniæ Comitem, studiò vel maxime incensos rerum nouarum. Ipsi etiam maris Præfectus & Magister equitum, quamuis arcto propinquitatis gradu cum Ferdinando coniuncti nutabant. Ioannes Emmanuel per litteras ægris animis discordiæ subdere faces, importunus & audax, acutus iuxta & sagax: tametsi omnibus sermonibus pacis studium præferebat coituræ facile, modo, quod æquitas postulabat, FERDINANDVS suo regno contentus, Castellæ tum possessione, tum procuratione decederet: si id fecisset, cætera conuentura: alioqui amissis quæ in Castella obtinebat, Aragonium imperium in discrimen venturum, si cœptæ offensiones in aperta odia prorupissent, ventumque esset ad manus. Propinquorum sanguine illita arma non facile elui. Philippum Regem haud dubie venturum, idque breui, siue volente socero, siue repugnante. Monuit Rex Gallus semel & secundo missis ad Philippum legatis, ne se in id iter daret, nisi controversiis prius cum socero compositis. Id vtrique honestum salutareque fore. Nouæ necessitudini id datum: si bellum esset, charitate in Philippum pronior. Iis monitis parere integrum non erat, multis è Castella euocantibus, sexagintaque nauibus nihilominus in Belgico littore paratis conventuris propediem pluribus. Ita sexto Idus Nouembris Brussellis cum vxore ad classem iturus discessit. Lentum iter fuit: atque ita vt plerisque persuasum esset, expectare ipsum, dum qui partibus studebant palam arriperent arma: Villenius factionis caput ipso tempore Toletum ingressus, in suspicionem venit, accepta à Philippo potestate eam vrbem velle in partes traducere. Ea suspicione suscepta Siluæ factio præpotens inter eos ciues Ferdinandique in studium incitati Prætori adiuncti vim propulsare parabant. Id veritus Villenius, ne pars ciuium cum parte confligeret, suspicionibus de se fortasse temere conceptis anxius ex vrbe discessit. Præter Siluas, Albanum & Toletanum FERDINANDO præ cæteris studebant, Bernardus Rogius Diani Marchio, Gutterius Lupus Calatrauæ Promagister, Antonius Fonseca, & Ferdinandus Vegha, hic præter vsum familiarem eidem à consiliis. Vna erat omnium sententia, omnibus viribus impediendum omnique ope, ne Philippus in Hispania pedem poneret, nisi prius controuersiis diiudicatis. Id etiam placebat Ferdinando. & tamen vim intentare, armaque aduersus filios sumere graue erat: ac ne satis fidebat id probaturum genti Reges legitimos prouinciæ aditu prohiberi. Varii rerum motus, multiplices hominum conatus, temporum conditio misera, qualem fuisse fides sit duobus ea propinquitate de regno contendentibus. Anxios metu prouincialium animos, litteræ à Philippo in breue tamen tempus recrearunt; cepere vero cum socero concordiam constitui. His eius legati mandatis ampla pacisscendi potestate data consensu Salmanticæ ad octauum Calendas Decembris subiectas conditiones societatis & amicitiæ inter duos Reges scripsere. Duo Reges & Regina rerum in Castella moderatores sunto, trium pari potestate. Eorum syngraphis leges, edicta, diplomata, actionum formulæ rata sunto. Certe singulorum nomina in actis omnibus exprimuntor. Cum primum Philippus & vxor in prouinciam venerint, Sacramentum à populis dicitor eis tam quam Regibus, Ferdinando quasi moderatori, Carolo vt Principi & successori in Imperio Castellæ, Legionis atque Granatæ. Regia vectigalia ex æquo inter duos Reges diuiduntor, deductis ordinariis & extraordinariis impensis: ne exceptis tum quidem Ordinum militarium redditibus, quantuis Summorum Pontificum venia Ferdinando addictis. Arcium præfectos, vrbium Prætores ac reliquos Magistratus legerent sorte scilicet pari vtrique Regi numero designato. His conditionibus fœdus factum quiruerentur designati, Romanus Pontifex, Cæsar, Angliæ & Lusitaniæ Reges. Additum præterea, vt si Regina rerum particeps esse recusaret, in diplomatis tamen trium nomina exprimerentur; duorum modo Regum syngraphæ, alterius in absentia qui præsens esset solus subscriberet: quod si decreuisset, id ius fasque esset. Huius fœderis exemplum cum fide descriptum in Belgas missum, Philippo & suis, quibus omne potestatis consortium ingratum erat, vehementer displicuit. Iurcurando tamen confirmare visum est. Regis Galli opes timebantur Ferdinando deuincti, magnum rebus momentum in vtramque partem. & alioqui vbi pedem in Hispania posuissent, omnia ex sententia ecssura existimabant. Lupo quoque Concillo vincto eatenus, atque horridi caretris malis vexato vehementer, libertatem reddidere. Ioannis Emanuelis acre ingenium, offensus animus timebatur. Ad eum Ferdinandus literas dedit humanissimas. Obliuioni traditis superioribus offensionibus curaret, ad id quod erat æquum, & propinquitatis iura postulabant, suscepta benevolentia Philippi animum reuocari. Sibi stare sententiam beneficiis vincere maleuolos, officio cum offensis & benignitate certare. Ad hæc quid Emanuel responderit hoc loco subiicere commodum arbitror, vt ex responso viri libertas ingenium que haud insulsum cognoscatur.

Pax inter Reges Ferd. Maxim. composita.

Accepi tuas litteras. ijs obsequi certum habeo, neque vlla in parte deesse muneri mihi impositio, offensiones pro virili parte amouendi, stabiliendi concordiam. certus Regum ætate tuis præceptis & institutione informata, magna commoda publice & priuatim fore. Quod mihi semper fuisse antiquissimũ, Deus & cõscientia idonei testes sunt, etsi non nulli, forsitan & inter alios ipse cõiectura ex ijs quæ sum per iniuriam passus, diversum sibi persuaserunt. Enimvero linguas frenare qui possim, qui iudicia hominũ varia in deterius prona? Syncere quidẽ voluntatis premiũ, neq; expecto, neq; requiro. ac satis habeam, si superiores labores & merita, deleta è memoria tua prorsus nõ essent. Itaq; senectutẽ meam reputanti, aliamq; nostri obliuionem pro premiis, quæ in hac vita expectabam amplissimã, credam potius velle te preces mutare, inferiasq; extincto dare. Quam ego laborũ compensationem nolim: qui audierim Principes sæpe ministris suis exitium concillasse: pro obsequio, æterna supplicia reddita. Ab eorum nemine, ne si Christianissimus sit quantum Rex Galliæ, subditum aliquem purgatoriis ereptum flammis fuisse aliquando. Ego tamen officio mihi necessario tibi

nun-

nunquam decero: ac ne cessabo quidem tuam mouere benignitatem, vt si qua superfunt explicanda in fœdere, eam modestiam & prudentiam adhibeas concordiæ amore, quam æquum est, & constituisti tenere in omni actione, omnique vitæ parte. Ista Emanuel. Iulius porro Pontifex, cum intellexisset, se, non tantū adscriptum esse à Ferdinando fœderi, verum etiam eius defensorem, & arbitrum designatum esse, ci se benigniorem post hac exhibuit: & in eius gratiam Aluiano conatibus Regiis renitenti mandauit, vt vel copias dimitteret, vel Pontificii imperii terris excederet: quando is Pisas occupare, & Medicæos Florentiam reducere, vel si id minime successisset, Florentinos ex Pisanis finibus infestare moliebatur. *Guicciardinus lib. 6. Mariana l. b. 28.*

IV. *Ferdinandus in Africam bellum mouet.*

Inter has solicitudines & curas, Ferdinandus Catholicus ad Christiani nominis amplificationem intentus, non omisit bellum Africanum, Ximenius Toletanus Archiepiscopus ingenti animo vir, gloriæ cupidior quam pro humili conditione in qua natus educatusq; fuerat, Regi crebris sermonibus suadere instituit, vt confecto iā Neapolitano bello in Africam arma verteret, maiori gloria, minori inuidia, neq; contemnendo fructu. Quantum terræ parari potuit, eo quem inter se Galli & Hispani fuderant sanguine? Eo ventum vt Rex non exiguum militum numerum redire in Hispaniam iusserit, effeceritque ad eam expeditionem magis conuerso animo. Tendilliæ quoque Comes si centum aureorum millia ex Regio fisco numerarentur, Oranum & vicinum portum Mazalquiuirum, aliaque oppida finitima se Mauris erepturum pollicebatur, reddito etiam quidquid ex ea summa supereesset impensæ, quod deesset suppleturus de suo. Toletanus Antistes in eius belli sumptus mutua dedit ad triginta aureorum millia. Hoc subsidio in Betticæ littoribus classis instructa, primum ad Tedellicium fraude occupandum: quod oppidum Bugiam inter Algerium ad mare Hispanum situm est: deinde quoniam tanti non erat, neque commode retineri oppidum poterat, longinquis auxiliis, nulla prope fida statione, mutata sententia placuit classe Mazalquiuirum inuadere. Ea voce Arabice portus magnus significatur, quo nomine à Ptolomæo olim quoque vocatus est, Orano vrbi vicinus ex aduersum Almariæ, aliquanta tamen ad Orientem inclinatione. Dubio cœlo è Malacensi littore profectos, aduersæ tempestates coegerunt ad Almeriam subsistere aliquot dies. Ita ex eo partu sublatis denuo velis idoneis tempestatibus classem incolumem ad tertium Idus Septembris Mazalquiuirum inculerunt, tametsi in aditu portus propugnaculum erat ex disciplina militari prudenter ædificatum, multis horrendum tormentis. Exponere in terram milites difficile erat. ad vada cæca & meandros, quibus littus impeditur, tempus aduersum accedebat, marini fluctus inflati, ad hæc centum & quinquaginta Mauri equites, pedites tria millia prohibere descensum parati. Virtuti impedimenta cesserunt. Alacres Christiani mutua adhortatione in terram desilierunt. Primus Petrus Lupus Zagalius præcipua audacia miles secuti eius exemplo cæteri conserta pugna Oranum hostes reiecere. Quadringenti milites præsidiarii in Mazalquiuiri arce relicti, occiso tormenti ictu præfecto & plerisque arcis tormentis Hispanorum globis disturbatis atque distractis, die tertio pro mœnibus supinas manus tendentes veniam orarunt: Iram in contumaces verterent, supplicibus & se dedentibus parcerent. In quo duo commodissime accidisse notabant. Hispanorum enim è Malaca discessu cognito, ingens Maurorum multitudo ad littus concurrerat excensionem prohibituri: sed exiguo commeatu, & quoniam ex mora suspicabantur alio hostes diuertisse, post octo dies diuersi domos rediere, sic nauigationis tarditas commode accidit. Neque minus Salutaris deditionis factæ celeritas extitit. alioqui Mauri ingenti numero accurrentes auxilio, seque in armis per vicina montium iuga ostentantes, multo difficiliorem expugnationem reddidissent, nisi ipso die arcem præsidiarii dedidissent. Enimvero quibus Deus fauet, hos subleuat, excæcat aduersarios. Sed ad Orani tamen copias ii Mauri adiuncti in aciem prodierunt, quasi pugnandi voluntate: Hispanis tamen obuiam progressis, totius certaminis sortem subire detrectarunt. leues modo dimicationes extitere à Mauris in lignatores Hispanos & pabulatores impressione facta, haud memorabili in alterutram partem euentu. Arcis custodia aulicorum cohortis Præfecto credita est, quo honor amplior esset, Ducis summi nomen adiunctum expeditionis Africanæ. Parta victoria & rebus aliis compositis, Raymundus Cardonius rei maritimæ Præfectus ad octauum Kalend. Octobris ex ea quidem ora profectus incolumem victricemque classem Malacam retulit. Mazalquirii præsidiariis militibus inductiæ ab Orani ciuibus sunt concessæ, & ius commercii vtrisque commodum, Mauris necessarium ad Orientis continuandum commercium, vnde certissima vectigalia genti quæstusque constabant. Venetæ enim triremes aromata & merces ex India aduehi solita Alexandriam Aegypti vrbem, redempta atque in naues imposita ad Africæ, Hispaniæ, Galliæ, Belgarum, Angliæ, Daniæque oras & portus magno suorum & illarum gentium commodo anniuersariis nauigationibus deuehere solitæ erant. Hac expeditione confecta magna nominis existimatio omnium prædicatione Ferdinando accessit: quando parta Neapolitano bello laude non contentis, ad noua & illustriora bella retulerat animum, Africæ expeditionem, ac Christiani nominis amplificationē haud vano conatu. Praua sunt hominum ingenia & varia. Maleuoli ex eo ipso sinistre suspicandi occasionem captare, specie impugnandi Mauros vires collatas, aduersus Philippi generi conatus si venire in Hispaniam, & datam procurationem extorquere intentaret. Toletanus quidem Archiepiscopus à pulchro initio erectus, studio promouendi expeditionem Africanam, in eo bello magnam vectigalium suorum partem impendere cogitauit: ac ne dubitare quidem Ducem se sacro bello dare, in Africam que traiicere, vti postea factum est, vir acer iuxta ac pius, animi magnitudine ad miraculum præstans. *Mariana supra.*

V.

Minime deterruerunt hunc, ac eius generum Emanuelem Regem Lusitanum, minæ à Sultano Aegyptio, litteris ad Pontificem Romanum contra vtrumque scriptis iactatæ: quominus vterque Mauros Christi iugo subiicere pergeret. Nam & Emanuel missis Romam Oratoribus Iacobo Sousa Portugalensi Pontifice, & Iacobo Pacieco, viro iuris ciuilis scientia & dicendi etiam facultate non vulgari prædito, qui nomine illius fidem Iulio Pontifici obligarent, dederat in mandatis, vt ab illo peterent, vt quoniam bellum Africanum non absque magnis sumptibus administrari poterat, eos qui in id aliquid opis sponte sua conferrent, muneribus ex diuino Ecclesiæ thesauro depromptis afficeret: ac præterea Christianos Principes inter se nefarie dissidentes, in concordiam reduceret, vt summa animorum conspiratione signa in Africam & Asiam inferrent, quibus hostem non virtute sua, sed Christianorum negligentia ferocem de statu deiicerent, Mahometisque nomen ex hominum memoria penitus euellerent. Hæc dicere iussit, & scripsit Pontifici: simulque ad cæpta prosequenda duplo pene maiorem quam superioribus annis classem instruxit, eique præfecit Franciscum Almeidam, virum cum cætera illustrem, tum quod fortem ac fidelem operam in Granatensi expeditione Ferdinando Catholico nauarat. Huic magnopere in discessu præcepit, vt quoniam ad ea quæ dudum agitabat animo, & assiduitate copiarum ac Ducum, & spatio temporis opus esset, arces aliquot opportunis Africæ, Asiæque locis exstrueret, quæ Lusitanis & facilem in remotas regiones excursum, & tutum quotiescumque res postularet receptum darent. Præfectus, cum ad VIII. Kalend. Aprilis, qui dies cœlesti ad Virginem nuntio est sacer, nauibus duabus & viginti faustis ominibus Olisipone soluisset hoc anno M. D. V. Dominicanis & Franciscanis aliquot Fratribus, & Clericis aliis rei Christianæ causa in eam peregrinationem assumptis, octauo Idus Aprilis ad Hesperias processit. Inde cum ad superandum Bonæ spei promontorium nauarchi in meridiem cursum extendissent: vehementi Aquilone vsque adeo in remotas à Sole regiones prouecti sunt, vt classiariis præ nimio frigore manus propemodum obrigueriut. Inde ad Orientalem Africæ oram extemplo flexere, & secunda nauigatione paucis diebus Quileam venientes, Abrahamum tyrannum callide tergiversantem, & annuum stipendium Emanueli recusantem pendere, per vim exegere: eiusque loco Mahometem Anconinum, acceptum incolis virum, & expertæ in Lusitanos fidei, Regem, solenni cum apparatu

Hispani Mazalquiuirum Maurorū vrbem inuadunt.

Emanuel classem in Africam mittit.

paratu imposita capiti aurea corona, Almeida constituit. Deinde situ ad maritimos aditus æque ac terrestres commodo, arx ædificari cæpta ingenti alacritate nauticorum ac militū. Cumque labor in orbem iret, ipseq; Almeida & cæteri Principes ad exemplum suam obirent vicem, non die, non nocte intermissum opus vigesimo die absolutum est, arceq; ab Diuo Iacobo inditum nomen, quod eius Apostoli die ipso natali vrbem expugnassent, ac tyrannum inde expulissent. Cōstitutis Quiloæ rebus, & firmo præsidio arci imposito, itemq; nauigiis ad oram tutandam relictis, Mombazam insulam ac vrbem, Almeida trifariam adortus, Assumptæ in cœlum Mariæ Virginis die festo vi cepit, ac multos ex barbaris nihil pacate respondentibus interemit, reliquos in seruitutem abduxit. Regulum, inter ipsam dimicationem desperata victoria fugientem Syluæ texere. Apud Anchedinam deinde insulam, & Cananorem arces extruxit, atque præsidiis communiuit. Apud Colanum, commisso prælio, Arabum onerarias ad viginti magno ardore militum captas incendit; quo prælio illud imprimis accidit memorabile. pila è maiore tormento in scutum Ioannis Hominis Lusitani contorta, ad ipsius pedes sine vlla prorsus læsione defluxit: quo ipso anno Lupus Suarius ex Indiis in Lusitaniam rediit. & quamuis is fuisset tam à Rege, quam ab omni nobilitate cum maxima gratulatione acceptus, omnium tamen oculi in Odoardum Pacieeum qui cum illo veniebat, cum incredibili admiratione coniiciebantur. Illius enim in gerendo bello celeritatem, in periculis animi magnitudinem, in laboribus perferendis constantiam, in exitu præliorum felicitatem multis in cœlum laudibus efferebant. Rex supplicationem illius nomine decreuit, & à Maximo Olysiponensi templo, in aliud templum sanctum & religiosū, D. Dominici nomine conseeratum, cum solemni pompa cum suis incessit. Illius autem latus Pacieeus tegebat, vt omnes perspicerent, quanto honore Rex virtutem honestaret. Vbi etiam ad templum ventum est, Iacobus Ortisius Visensis Episcopus, vir sacris litteris non mediocriter eruditus atque diiertus, orationem luculentam habuit, qua hominis egregia & admiranda facinora verbis amplissimis ornauit, ita tamen, vt omnia ad Dei gloriam, vt par erat, & pie, & sancte reuocaret. Nec hoc tanto honore contentus Emanuel, literas ad omnes ferme Christianos Principes dedit, quibus res à Pacieco gestas debitis laudibus illustrabat; vt nomen illius per omnem Christianam Rempub. cum maxima nominis gloria vagaretur. Cæterum, vt etiam intelligi possit, quam fallaces sint spes humanæ, non erit abs re cognoscere, quod tandem fuerit præmium meritis hominis fortissimi persolutum. Cum Rex intelligeret, Paciecum esse nimis tenuem (quidquid enim habuerat, erat in armis absumptum) neque quidquam ex India præter egregiam laudem ex bello periculoso fortiter & feliciter administrato reportaret, illum præfecit vrbi Aethiopiæ, quam S. Georgii nomine appellabant, vnde aurum in Lusitaniam importari solebat, vt in ea præfectura commode posset rei familiari prospicere. Sed cum is inuidia maxime flagraret, fuit ab inimicis & inuidis insimulatus, quod Regem maximo auri pondere fraudasset: multaque scelera & flagitia suscepisset. Rex igitur illum vinctum catenis in Lusitaniam perduci iussit, vbi longo tempore carcere incluſus miserrime vixit, vsque eo, dum re diligentius excussa compertum fuit, crimina illi ab inimicis illata, partim falsa, partim leuia fuisse. Tunc igitur vinculis expeditus, & in dignitatem restitutus fuit; sed non illo præmio affectus, quod eius eximiæ virtuti debebatur, adeo, vt vitam in egestate traduceret. Tantum valet fœpenumero quod est opera maleuolorum hominum, optimorum Regum auribus inculcatum vt eos à virtute debitis muneribus afficienda, in quo maxime laudis Regiæ magnitudo consistit, abducat.

Mombazæ ab Hispanis capitur.

VI. *Emanuel arcem extruit in Aethiopia.*

Per idem fere tempus Ioannes Siquaira, Regis Emanuelis permissu, in Aethiopiæ regione, quam Gadanabarum appellant, in promontorio nomine Guer arcem extruxit: quam postea, cum eam tueri minime posset, Regi tradidit; qui laborem & sumptus illius Regia magnificentia compensauit. Erat eodem tempore Azilæ in Africa Franciscus Pereira Pestana, vir nobilis & acer, qui iam multa in re militari facinora ediderat egregiæ sane virtutis. Is à Ioanne Menesio, qui Azillæ præerat, equites septuaginta obtinuit, quibus stipatus, pagum in monte præcelso & edito situm spoliaret. Nocte igitur egressus, insidias non longe à pago posuit, paganos in rugam compulit, greges abegit: sed cum in reditu moram diutius traheret, à circumvicinis Mauris confluentibus exceptus, iam Azillam pedes referebat. Erat in eius comitatu eques quidam valde strenuus, nomine Iacobus Viegas, qui magnis vocibus omnes vt in Mauros reverterent incitare cœpit. Agite, inquit, in hostes inuehamur. Impetum, mihi credite, nostrum minime sustinebunt. Pestana cum esset natura ferox iracundia flagrauit, hominemque asperis verbis accepit. & inter alia probra illi cannabeam vestem, qua tunc erat indutus, obiecit: & tamen tam demens eris, inquit, vt tale consilium homini bellandi perito dare audeas? Hic Viegas videns, inquit: hæc cannabea vestis, ô Pestana, chalybea confestim tibi apparebit: Hac oratione Pestana incensus ait: Si adeo fortis es, id videre statim cupio. Agite igitur commilitones in hostes feramur. Itaque omnes in hostes impetum fecerunt, eosque re inopinata perculsos exterruerunt, atque tandem fuderunt fugarunt que, octuaginta interfecerunt, triginta vivos interceperunt, ipso Viega tanta virtute dimicante, vt ipsi Pestanæ oculos in cum coniicienti ingentem admirationem commoueret. Prælio confecto, Pestana ad illum supplex venit, dixitque: Vir fortissime, da veniam temeritati, aut si lubet fuste me contunde. Merito enim hominem tuæ virtutis ignarum plagis afficies. Hac profecto mente sum, vt si tales sex equites sub signis habeam, minime dubitarem Constantinopolim ingredi, vt Turcarum Imperatori catenas iniicerem. Et quidem ista in Africa, & alia in Orientalibus Indiis, contra infideles, à Regibus Hispanis auspice Iulio Pontifice gesta sunt hoc anno. *Osorius lib. 4. Maphæus lib. 3. Platus lib. 2.*

Francisci Ximenii Archiepiscopi Toletani Cardinalis, memoriam superius fecimus. Non erant omittenda hoc loco, quæ de illo scripsit Gomecius, quæ is hoc eodem tempore gessit. Inprimis in vitam moresque sacerdotum Ecclesiæ Toletanæ quæstionem decreuit, quam Visitationem vocant, eamque Doctori Villalpando Vicario suo Generali, vna cum Fernando Fonseca eiusdem Ecclesiæ Canonico exequendam mandauit. Incredibile dictu est, quam hoc decretum grauiter molesteque Ecclesia tulerit, & quam obstinatis animis se illi omnes opposuerint, citius se extrema omnia passuros clamitantes, quam vt ab vllo præterquam ab ipso Antistite in illos inquireretur. Interposita est ad Sedem Apostolicam solennis prouocatio, censoresque communi consilio reiecti sunt. Qui ex Canonicis se se acrius opponebant, tres potissimum esse videbantur, Sepulueda Barzana, & Orticius cognomento Nuncius, quod vices Pontificis Romani in Hispania aliquando gessisset. & quidem non deprecabantur censorium de moribus suis iudicium, sed id duntaxat, ne per Vicarios leuiter & languide, remisseque, quod alias solent, in se censura fieret, sed potius serio, & seuero iudicio, cuiusmodi à tali Antistite antiquæ asperitatis homine expectandum procul dubio erat. Nam eam esse Collegii Toletani authoritatem, vt minime deceret, in illius Sacerdotes ab alio quam à suo Pontifice inquiri & maiores qui illud religiosissimum templum condiderunt, censoriam de Ecclesiæ Toletanæ ministris explorationem, adeo esse cum ipsius dignitate coniunctam semper existimauerint, vt si aliquando per alium quam per Antistitem suum exerceretur, salua neutiquam consistere valeret. Id obtestari, vt etiam atque etiam considerare, an crimini, sibi imputandus esset, quod acutum sui Antistitis mucronem aduersus se stringendum petere, ministrorum obtusum declinaret. Id in votis Collegio Toletano esse cumprimis pro certo haberet, Antistitis sui fulmina, quantumuis formidanda & terribilia, vtpote à viro veteris disciplinæ rigidæ exactore vibrata, cum gravi potius cunctorum periculo subire velle, quam cum omni venia & remissione ad examen ab æqualibus vocari. Qui si nihil aliud, certe æquales & pares essent: & nihilominus, quod illorum pace diceretur, censoria severitate indigerent. Veniret pastor in ouile suum, vt iuxta divini vatis oraculum, infirmum solidare, ægrotanti me-

deri, confractum alligare, errantem in caulam reducere ſtuderet; nec mercenariis functionem ſuam, Euangelio reclamante, commendaret, eos extemplo omnium primos obſequentiſſimos experturus filios, & quod æquum & religioſum eſſet, officii ſui ſtudioſos adiutores. alioqui perſuaſum haberet, quod ipſi liceret præter fas & ius imperare, ſibi viciſſim licere non obſequi. Effecerunt quod poſtulabant Canonici: Ximenius ipſe Toletum venit, & cenſuram iuxta Capituli voluntatem egit, atque exercuit. Inter hæc intellexit, complures eſſe fœminas honeſtis natas parentibus, quarum pudicitia ob rerum penuriam periclitabatur. Quamobrem religioſarum mulierum cœnobia paſſim per ſuam diœceſim condere neceſſarium eſſe iudicavit: vbi puellæ, quæ ob rem anguſtam illocabiles eſſent, aut quæ ſponte ſua à nuptiis abhorrerent, longe à virorum congreſſibus ſemotæ, Deo dicatæ virginitatem perpetuo colerent. Nam quamvis multa eiuſmodi loca, piis iam olim hominibus in re præclara ſtudioſe contendentibus, in Toletana diœceſi conſtructa eſſent, annonæ indies caritate ingraueſcente, mulierumque, numero tripla (vt ſolet) proportione virorum ſupergreſſo, nihil in hac re amplianda vnquam fiet, quod nimium aut inutile dici poſſit. Ergo inter cætera ædificia quæ Compluti fiebant, ædem etiam ſacrarum fœminarum erigendam curavit, titulo S. Ioannis pœnitentis: cui collegium egenarum puellarum, nouitio ac prudenti invento, ſub nomine Diuæ Iſabellæ adiunxit, quæ de illarum Cuſtodis voluntate (quam Matrem vocant) & Diui Franciſci in eo oppido Guardiani conſilio, iuxta præſcriptas ab eo leges cooptatæ, tamdiu illic in omni diſciplina & cuſtodia degerent, donec lubricum ætatis prætergreſſæ, aut ſe diuino obſequio mancipari, aut nubere conſtituerent. Quod ſi in illam partem inclinarent, ad vota faciunda citra vllius pecuniæ, dotis nomine numerationem admitterentur. Si vero nuptiis indulgere mallent, viro frugi & probo collocatæ, dotem ex cœnobii prouentibus ſuſciperent, quos ille vberes & copioſos grandi ſumma æris comparauit. Nam olim cum Miniſtrum Prouincialem inter ſuos Franciſcanos ageret, nonnullarum virginum animos in cœnobiis degentium grauibus furiis diuexari intellexit, quod vt parum ingeniorum ſuorum conſciæ, aut cognatorum coactæ autoritate, aut egeſtatis duriſſimo Imperio ſe Sodalitatis myſteriis addixiſſent. Quamobrem humaniſſimo conſilio excogitauit, quo pacto ſui exploratione habita, partim dotis erogatione facta, illis incommodis ſuccurreretur. Aequale huic cœnobium Ioannis itidem pœnitentis cognomine Toleti erigendum curauit, proventibuſque & omni apparatu tam ſacro, quam domeſtico locupletavit. Per eadem tempora, cum nondum Toleti publica pauperum iuuandorum cura qualis nunc eſt increbuiſſet, duo mediocris conditionis homines, Hieronymus Madritus, & Petrus Zalamea, partim ſuis pecuniolis, partim divitum religioſorum erogationibus, ad quos ſtudiorum ſuorum rationem deferebant, aliquot ex afflictis & ægrotis pauperibus in vnum locum cogere, eiſque medicorum conſilio ſalutarem opem miniſtrare, miſeris viduis præſidio eſſe, orbitati pupillorum ſubvenire, milleque alia huiuſmodi opera pietatis pleña, Deo ſubinde aſpirante perficere cœperant. Celebre ſtatim in ea vrbe illorum ſtudium eſt habitum, nec latuit vigilantem paſtorem. Nam & frequenter de moribus ſuæ ciuitatis interrogabat, & de actis ſingulorum inquirebat. Vocari ergo ad ſe Hieronymum iuſſit: cuius pietatem poſtquam ex variis ſermonibus cum eo habitis abunde cognouit, macte animi eum eſſe, vt tam ſalubrem cogitationem non intermitteret, humaniſſime admonuit: videret etiam quibus in rebus ipſe vſui eſſe poſſet: Nam in eis omnibus ſeaut conſilio, aut authoritate, aut pecunia iuuaturum, ſuppetiaſque laturum. idque ſtatim reipſa præſtitit, aliquot mummorum millibus ad pauperum curam Hieronymo datis. Mirum eſt, quantum roboris & efficaciæ ex hac Ximenii pollicitatione Hieronymus ceperit. Illico enim ſodalitatem inſtituit, quæ tam publicis, quam priuatis egenorum, præſertim quos pudentes vocant, neceſſitatibus pro virili ſuccurreret. Ita enim eos appellant, qui oſtiatim mendicare erubeſcunt, & domi nimis anguſte & arcte viuunt. Porro cum negotium ſuſceptum ex voluntate ſuccederet, Hieronymus ad Ximenium notitiam omnium detulit: qui Complutum diſcedere volens, liberam facultatem Hieronymo & Sodalibus dedit, quicquid in ea re vellent ſtatuendi. Hieronymus de Sodalitatis conſecratione, deque eius legibus agendum ratus, convocatis Sodalibus, primum ne quid ſine numinum tutela fieret, eam immaculatæ Dei genitricis Conceptioni dedicarunt. Deinde communi omnium conſenſu ſancitum fuit, vt quoniam miſericors Hieronymi animus tantam rem exordiendi occaſio fuiſſet, qui de nocte ad pauperes quærendos vigilabat: poſthac ſingulis annis à Calend. Novembr. vſque ad finem Martii, duo Sodales cum ſodalitatis viatore, ſub noctem concubiam, per omnes vrbis vicos præeunte laterna obambularent, & quos ex vagis & egenis hominibus ſub dio alicubi pernoctantes deprehenderent, eos in ædem ſodalitatis deducerent. quæ ſi forte præ hoſpitum turba anguſtior eſſe aliquando contingeret, in alia publica pauperum hoſpitia deferrent, diplomate Regio, quod ea de cauſa eis conceſſum fuerat, grauia interminante, ſi quis præfectorum hoſpitium non recluderet. Permulta deinde alia inter ſe pepigerunt, omnia ad miſerorum opem ſpectantia. Cum igitur Sodalitatem ſuam optimis & præclaris inſtitutis inſtructam Hieronymus eſſe videret, non ſtatim ad Antiſtitem contendit. Nam vt res hominũ & caducæ, & mutabiles ſunt, verebatur ille ne conceptus ſub initiis ardor paulatim intermitteretur: Sed toto triennio Sodalium, ſuæque conſtantiæ periculum facere voluit. Quod vbi proſpere ſuccedere conſpiceret, & animos omniam magis quotidie accendi, diuinam vim tandem ineſſe ratus, hoc anno M. D. V. ad Archiepiſcopum Complutum venit, ſuæ operæ rationem redditurus. Ille hominis ſtrenuitatem demiratus, eius diligentia non vulgaribus verbis collaudata, quantam ex ea voluptatem ſuſceperit, priuſquam Compluto Hieronymus diſcederet. opibus peramplis donatis declaravit. Nam primum, quoniam ea tempeſtate ob ſqualidum & pluuium cœlum frugum inopia laborabatur, lectiſſimi frumenti quatuor millia & amplius modiorum, Sodalitati in vſus pauperum diſtribuendos dedit. Hęc ſumma ob immane grani pretium admirationi fuit. Idcirco Sanctæ Dei Genitricis Conceptionis die Ximenio anniverſaria Sacra quotannis fiunt, Sodalibus ad cœnobium Franciſcanorum ſolenni pompa venientibus. Deinde quoniam pharmacis & medicamentis ad ægrotantium curam comparandis, vicena nummum millia, nongentos item frumenti modios in ſingulos annos quoad vixit contulit, Aſcenſionis Dominicæ die, quo ille poſtea celebrem victoriam, Orano capta, ex Afris hoſtibus reportauit, in eodē Cœnobio ſolennibus ſacris laudes cœlitibus & Ximenio referunt. Rurſus quia tria millia nummum aureorũ dedit, quibus paſcua miræ vbertatis non longe à Talabrica coempta ſunt, quæ nunc maximos prouentus reddunt, quotidieq; novis incrementis augentur, Calend. Novemb. ac poſtridie eius dici, ſacris in æde propria Ximenio parentatur, deque ipſius præclaris geſtis apud ſodales frequentes concio habetur.

Cui aũt Ximenius eſſet religionis & Diuorum eximius cultor, ſecumq; ſemper aliquid verſaret: quod hunc tã pium affectũ incenderet, in memoriam reuocauit Diui Ildephonſi corpus Zamoræ aſſeruari, quam Senticam olim appellatã eſſe nonnulli exiſtimant, & XVI. millibus paſſuũ à Tauro diſtat. Inceſſit ergo illũ mira quædam cupido viſendi & venerandi reliquias viri ſanctiſſimi, qui & Deiparæ virginis munere, & alloquio perilluſtris eſt, & Eccleſiæ Toletanæ Pontificatum adeo integre & vigilanter tempore duriſſimo, dum ſchiſmata & hereſes vigebant, adminiſtrauit, vt diuinos ſibi honores inter Divos relatus cõparauerit. Dolebat Toletanam Eccleſiã eo eſſe theſauro ſpoliatam & nihil magis ex illa calamitoſa Hiſpaniæ vaſtatione, quã ſub Roderico vltimo Gotthorum Rege ſuſtinuit, in familiari colloquio deplorabat, quam Sanctiſſimi Ildefonſi corpus, veſtemq; ſacram per Virginẽ matrem cœlitus ad eũ deductam, quæ in Ouetana Eccleſia eſt, à Toletani templi adytis per alienas ſedes exulare. Peropportunus ad eam rem gerendam Petrus Biverus viſus eſt: tum quod equeſtris ordinis Zamoræ ciuis eſſet, & in Sacerdotum ciuiumq; Senatu per multos cognatos & amicos, quorũ id opera & patrocinio fieret habebat. tum etiam quod intimus &

charus

charus Ximenio, optimam operam eſſet patrono nauaturus, vt voti compos fieret. Eius ergo auctoritate & cura id duntaxat impetrari potuit, vt quam diſſimulanter id fieri poſſet, Ximenius Franciſco Ruictio ſodale, & duobus à cubiculo miniſtris comitatus, totidemque anteambulonibus, Zamoram denocte occultus veniret. Accepit conditionem læta fronte Ximenius, gratiis pro tam ſeduſa cura Biuerio actis. Cum omnia iam apparata eſſent, ſubito Zamorenſes mutatis animis, ne ſe Tauro moueret per eundem Biuerum renunciant. Neque enim de ea re tam arcano conſilio potuiſſe tractari, quin ad notitiam multorum dimanauerit: qui tam grauiter & moleſte tulerunt, vt vniuerſa Zamorenſis ciuitas fortunarum omnium diſcrimen, ſuorumque civium internecionem ſubire parata fuerit potius, quam facultatem vllam dare Ildephonſi corpus cernendi. Tam ſubitæ mutationis excuſationem aliqui præ ſe tulerunt, religione ſe prohiberi: ſcilicet vocem humana auguſtiorem, è penetralibus vbi Ildefonſus aſſeruatur prodeuntem audiuiſſe, quę animã ſanctiſſimã ſollicitare vetaret. Sed veriſimilius eſt, potentiſſimi & intrepidi hominis ingenium timuiſſe, ne quid de poſſeſſione quondam ſua tentaret, aut graues lites intenderet ſanctiſſimis reliquiis conſpectis, quæ diuinum odorem vndique ſpirarent, vereque illam puritatem retinerent, quam Ildefonſus olim in illo exuuio coluit. Experimento enim conſtare, eamque eſſe rerum naturam, vt quæ ſub aſpectum veniunt, acrioribus ſtimulis animos hominum commouere ſoleant. Aegre id Ximenius tulit, qui deluſus à Zamorenſibus videbatur: & illorum ſententia cognita: *Quamam*, inquit, *priuati hominis conditio Principis fortunæ præſtat! Nam ſi ego, detrito vt olim ſolebam ſacco indutus ad Zamorenſium Eccleſiam veniſſem, ſine vllo negotio, quod fruſtra rogatus eſſem aſſecutus.* His dictis, magno ſuo dolore, omnem deinceps huius rei curam, ſed non deuotionem & venerationem erga ſanctum anteceſſorem abiecit. *Gomecius de rebus geſtis Ximenii lib. 1. & 2.*

VIII. *Maximilianum inter & Philippum Palat. bellum.*

Dum hæc in Hiſpania agerentur, MAXIMILIANVS Cæſar, monente Iulio Pontifice, ad Principum Germaniæ concordiam ſanciendam, & ad ſacrum bellum contra Turcas decernendum, Raymundo Cardinali Legato Pontificio præſente, Comitia Principum Imperii Coloniæ, Calendis Iulii celebrauit. Superiore anno exortum erat bellum atrociſſimum inter ipſum Maximilianum, & Philippum Comitem Palatinum Rheni ex hac cauſa. Mortuo Georgio Bauariæ Duce, qui Diuitis nomen à patre cum abundantia rerum ſuſcepit, Rupertus Dux gener eius, filius Philippi, Ducatum Bauariæ & diuitias ſoceri omnes ad ius ſuum pertinere dicebat, cuius vnicam filiam habebat vxorem, ex qua etiam liberos ſucceſſores acceperat. Sed Monacenſis Bavariæ Dux Albertus quibuſdam tractatibus & litteris inter ipſum & Ducem Georgium dudum habitis, & ab vtraque parte ſigillatis, quibus cauebatur, Ne filiæ in Ducatu ſuccederent, ſed vter eorum moreretur ſine virili ſemine prior, alter eius conſequeretur principatum, præmunitus Duci Ruperto ſe potenter oppoſuit. Maximilianus Cæſar pacis amator ſe medium & interpoſuit, & poſt multos labores varioſque tractatus formam concordiæ ſub certis conditionibus explanauit. Rupertus, alioquin Dux manſuetiſſimus & Cæſari charus, improuidorum ſeductus conſilio, propoſitas ſibi à Rege conditiones pacis, quantum libet monitus acceptare recuſauit, ſed in ſua ſententia contra Imperiale decretum permanſit. Vnde commotus iuſtitiæ zelo Maximilianus, poſteaquam ſe cerneret nihil exhortando proficere, Ducem Rupertum, veluti rebellem, contumacem & inobedientem Conſtitutionibus, Imperiali banno per ſententiam ſubdidit, & omnes ei adhærentes pari animaduerſione mulctauit. Quid faceret interea pater Ruperti Philippus, ab vtraque parte nimium anguſtiatus? *Nam ſi filium deſeruero*, inquit, *ius violauero paternitatis: ſi autem filio me patrem exhibuero, & Cæſarem, & totum contra me Imperium moturos bellum ſcio.* Vicit tandem amor paternitatis, vtilitatis proprie commodum, & miſſo exercitu in auxilium filio omnium Principum ſe incurſioni expoſuit. Nam Maximiliano mandante, Vdalricus Wirtembergenſis Dux, Wilhelmus Prouincialis Comes Haſſiæ, Alexander Bauariæ Dux, & Comes Weldentiæ, vna cum Comitibus & militaris ordinis multis Palatinas inuaſere terras, & ſtragem magnam ediderunt. Minime tunc parſum eſt templis, Monaſteriis, rebus & perſonis ſacratis. Rapinis, ſacrilegio, & tandem incendio plures Eccleſias & Cœnobia fœdauere, Solus Wirtembergenſis Princeps invenis quidem ſed prudens, & Deo religioſe deuotus Chriſtianum bellandi modum non exceſſit. Siquidem neque Eccleſias Chriſti dedit incendio, neque Monaſteria ſpoliavit; ſed animo ſtrenuus & potentia virtuoſus, quoad fieri potuit, innocentibus & miniſtris Eccleſiæ pepercit. Haſſenſes, magis truces fuerunt in Eccleſiis deuaſtandis: non tamen impune. Incenderant inter alias Eccleſiam pulcherrimam in villa Monſterio proxima oppido Bingionum. Accurrerat tempeſtiue Magiſter Henricus Paſtor Eccleſiæ Bingiorum vocatus, vt ſacroſanctum Chriſti corpus vendicaret ab incendio. Is veniens ad Eccleſiam in ſuperiori iam parte cremantem, de Sagiotheca Sacramentum extraxit, & lachrymis ſuffuſus coram omnibus dixit: *O ſceleſtiſſimi homines, qui nec Domino Deo creatori veſtro parcitis. Sed eum qui contemſit omnia, de ſua manſione fugare laboratis! Credite mihi Duces, credite Principes, credite omnes, quoniam non diu tranſibit inultum omnipotens Deus tam temeratam iniuriam.* Quam vera dixerit! vindicta mox diuinitus ſubſequuta probauit.

In oppugnatione caſtelli, quod aulam Caroli Magni vocant, multi ex ſacrilegis incendio abſumpti ſunt, alii tormentorum globis proſtrati, reliqui confuſi, magna ſuorum clade accepta obſidione ſoluta Moguntiam tranſierunt. Flagrantibus itaque circumcirca oppidis, villis, templis & Monaſteriis, magnaque Principum diſſenſione gliſcente, Iulius Pontifex Maximilianum Cæſarem admonuit, vt pacem inter eos ſtabiliret, & arma diſſidentium potius in Turcam verteret: qui exhortationibus paternis obtemperauit, & mandato Imperiali Conuentum Coloniæ conuocauit: in quo quidem compariuerunt, ipſe Maximilianus Rex Romanorum, Hermannus Archiepiſcopus Colonienſis, Iacobus Archiepiſcopus Treuirenſis, Laurentius Epiſcopus Herbipolenſis, Bambergenſis item, Monaſterienſis, Traiectenſis, Leodienſis, Gurcenſis Epiſcopi, Petrus Bononius Epiſcopus Tergeſtinus, & quidam alii. Ex ſecularibus Principibus fuerunt, Philippus Comes Palatinus Bavariæque Dux elector Imperii, & duo filii eius Ludouicus & Fridericus: Ioachim Marchio Brandeburgenſis elector Imperii, Fridericus Dux Saxoniæ elector Imperii, & frater eius Ioannes Fridericus Marchio Brandeburgenſis, Henricus Dux Brunſvicenſis, Ericus Dux Luneburgenſis, VVilhelmus Dux Iuliacenſis, Henricus Dux Megalenburgenſis, & quidam alii cum multis Comitibus & Nobilibus. In hoc Conventu Archiepiſcopus Treuerenſis, reſpondit Legatis Pontificiis Latine, Germanis Germanice, Gallis Gallice, Venetis Italice. Pace & concordia inter diſſidentes Principes conciliata, actum de bello in Turcas & Venetos. Contributiones & decimę decretæ in vſus belli. Cauſæ Eccleſiaſticorum contra ſacrilegos iudicatæ, multaque ſaluberrima conſtituta. Ab ea legatione reuertens Raymundus Cardinalis, Gurcenſis Epiſcopus, die VII. menſis Septembris, Viterbii obiit. Totum triennium continue per vniuerſam nationem Germanicam legatione Apoſtolica functus fuit, vir moribus & vita ſanctiſſimus, & omni integritate conſpicuus, iuſtitiæ cultor Magnus, & honorum ſimul ac diuitiarum mundi contemptor omnium conſtantiſſimus, cui ſimilem hæc ætas non habebat. *Trithemius in Chron. Sponheimen. Cuſpinianus in Maximiliano 1. & alij.*

IX. *Henricus VII. Rex Angliæ legatos Pontifici mittit.*

Eodem fere tempore Henricus VII. Rex Angliæ, Oratores quos ad Pium III. deſtinauerat, vt huic gratulatũ irent, atq; vt mens eſt obediendi promiſſum facerent, cum intellexiſſet, in eius defuncti locum, ſucceſſiſſe, Iulium ſecundum, ad eumcauſa eiuſdem officii miſit: ac ſimul per eoſdem Guidoni Vbaldo vrbini Duci, Põtificis neceſſario, viro in militari arte probato, ac Latinis Græciſq; litteris iuxta doctiſſime erudito, inſignę Equitem Garterii Ordinis transmiſit; quandoquidem & Fridericus pater illius, ab Edvuardo Rege in eundem Ordinem fuiſſet olim, honoris, & Sixti IV. Pont. Maximi cauſa adſcriptus. *Polydorus Angl. Hiſt. lib. 26. in Henrico VII.*

Eodem anno Iulius Pontifex duas ſaluberrimas Conſtitutio-

stitutiones edidit,alteram pro innocentia successorum, alteram pro conseruatione Iurium Apostolicæ sedis.Prima est,ne Pontifex Romanus, cum Simone ascendat, in solium Petri, qui nihil Christo dedit,vt ficret Vicarius Christi. Ita habet.

Iulius Epis.Seruus Seruorū Dei.Ad perpetuā rei memoriā.

Cum tam diuino quam humano iure,in spiritualibus præcipue,detestabiliter sit Simoniæ labes prohibita & longe magis in electione Romani Pontificis Vicarii, Iesu Christi Domini nostri abominabilis sit,& vniversali Ecclesiæ perniciosa, Nos qui regimini eiusdem Vniversalis Ecclesiæ, (meritis licet imparibus) annuente Domino præsidemus, cupientes quantū cum Domino possumus in præmissis, pro tantæ rei necessitate ac periculi magnitudine,vt tenemur, in posterum salubriter prouidere, de Fratrum nostrorum S. R. Ecclesiæ Cardinalium consilio & vnanimi consensu, hac nostra perpetuo valitura Constitutione,Apostolica authoritate, & de potestatis nostræ plenitudine , statuimus ordinamus, decernimus,& definimus,quod si (quod Deus pro sua clementia & ineffabili bonitate auertat) contigerit,postquam nos, vel successores nostros successiue,ipse Deus ab huiusmodi Vniversalis Ecclesiæ regimine absoluerit , humani generis inimico procurante,& ambitione , vel cupiditate ad hoc inclinante, seu impellente, electionem Romani Pontificis, ab eo quem eligi contigerit, vel ab aliquo,seu aliquibus de cœtu Cardinalium quomodolibet votum dantibus, per Simoniacam hæresim,in dando,promittendo,vel recipiendo pecunias, bona cuiuscumq; generis,cestra,officia,vel beneficia, seu promissiones &obligationes commissā,per se,vel aliū,seu alios,quomodocumq; & qualitercūq; etiā in duarum partiū, vel omniū Cardinaliū vnanimi concordia, quomodolibet, etiā per viam assumptionis vnaniniter,nemine diſerepante,etiam sine scrutinio facto , celebrari,vel fieri: non solum huiusmodi electio vel assumptio, eo ipso nulla existat, & nullam eidem sic electo vel assumpto administrandi in spiritualibus vel tēporalibus facultatem tribuat , sed etiam contra dictum sic electum vel assumptum,de Simoniaca labe,à quocumq; Cardinali, qui eidem electioni interfuerit, opponi & excipi possit,sicut de vera & indubitata hæresi: ita quod à nullo pro Romano Pontifice habeatur, quinimo ipse sit à priori suo Cardinalatu , & alio quocumque honore , Ecclesiis Cathedralibus, etiam Metropolitanis & Patriarchalibus , Monasteriis & dignitatibus , & aliis quibuscumque beneficiis , & pensionibus,quæ tunc obtinebat in titulum vel in commendam , aut alias quomodocumq; , eo ipso absque alia declaratione priuatus existat : & idem electus, non Apostolicus sed Apostaticus, & tamquam Simoniacus & Hæresiarcha , & ad prædicta omnia & singula perpetuo inhabilis habeatur,& sit. Nec huiusmodi Simoniaca electio per subsequentem ipsius inthronizationem , seu temporis cursum , aut etiam omnium Cardinalium adorationem, seu obedientiam, vllo vnquam tempore conualescat. Liceatque omnibus & singulis Cardinalibus,etiam illis qui huic Simoniacæ electioni , seu assumptioni consenserint, etiam post inthronizationem , & adorationem,seu obedientiam,ac etiam vniuerso Clero, Populo Romano,nec non subditis , & Sancti Angeli de Vrbe, ac quarumuis aliarum Romanæ Ecclesiæ arcium Præfectis, Castellanis , Capitaneis & aliis Officialibus, (quocumque homagio , seu iuramento vel cautione præstitis non obstantibus) à talis electi, etiam inthronizati , obedientia & deuotione impune & quomodocumque discedere (ipsis fidei Romanæ Ecclesiæ , & obedientiæ futuri Romani Pontificis canonice intrantis , nihilominus astrictis permanentibus) & eum vt magnum , ethnicum,publicanum & hæresiarcham euitare. Ad cuius quoque confusionem, possint Cardinales,qui præfatæ electioni se opponere voluerint , si præsumpserit se regimini vniuersalis Ecclesiæ prætextu talis electionis ingerere , auxilium brachii seculiaris contra eum implorare. Nec tales ab eius obedientia discedentes , tanquā tunicæ Domini scissores, aliquarum propter dictum discessum pœnarum seu censurarum vltioni subiacent. Cardinales vero qui eum sic Simoniace elegerint,à suis Ordinibus, & etiam Cardinalatus titulis & honore, ac quibuscumque Patriarchalibus Archiepiscopalibus,Episcopalibus,& aliis Præsaturis,ac dignitatibus,& beneficiis,quæ in titulum vel commendam tunc obtinebunt, vel in quibus,seu ad quæ ius tunc habebant, absq; alia declaratione priuati existant, nisi ab illo penitus,& cū effectu discesserint,& reliquis Cardinalibus qui huiusmodi Simoniæ nō cōsenserint , infra terminū octo dierum,postquā ab eis fuerint requisiti,personaliter , si fieri poterit,alias per edictū publicū,sine absq; fictione vel fraude vniuerint,& coniunxerint. & tunc si præfatis aliis Cardinalibus se vniuerint,& coniunxerint,in pristinū statū,& ad pristinos honores & dignitates,etiam Cardinalatus,ac Ecclesias & beneficia quibus præerant,& quæ obtinebant reintegrati,rehabilitati,ac restituti,& repositi,ab huiusmodi Simoniæ labe,& censuris ac pœnis Ecclesiasticis quibuscumq; absoluti eo ipso existant.Mediatores vero,proxenetæ,trapezitæ , tam Clerici quam laici,cuiuscumq; dignitatis, qualitatis & Ordinis fuerint,etiā Patriarchali,Archiep.sive Episc.vel alia seculari,mūdana,sive Ecclesiastica dignitate prædicti, etiā quorumcunq; Regū & Principū Oratores, vel Nūcii,huius Simoniacæ electionis participes,sint omnibus suis Ecclesiis,beneficiis,præbendis,& feudis,ac aliis quibuscumq; honoribus,& bonis eo ipso priuati,& ad similia inhabiles, ac etiam actiue & passiue intestabiles:& corū bona ipso facto,ad instar reorū criminū læsæ Maiest.fisco Apostolicæ sedis applicentur , & deuoluantur,si prædicti delinquentes Ecclesiastici fuerint,vel alias Romanæ Ecclesiæ subditi.Bona vero & feuda taliter delinquentiū,non subditorū secularium,in partibus existentia,fisco secularis Principis,in cuius territorio bona sita fuerint, ipso facto similiter applicentur.ita tamen , quod si infra tres menses,à die quo notū fuerit illos Simoniā commisisse, vel participasse,Principes dicta bona fisco suo actualiter non cesseuerint,ex tunc illa fisco Ecclesiæ Romanæ applicata censeantur,& sint eo ipso absq; aliqua similiter declaratione.Promissiones quoq; & obligationes,siue spōsiones propterea quādocūq;,causa etiā ante tēpus dictę electionis,etiam extra personas Cardinaliū,per quoscūq; alios quomodocūq; factæ, cū quavis inexcogitabili solennitate & forma , etiam iuratæ, conditionales,siue cuentuales,& in forma ex commissarū , ex quacūq; causa etiā depositi mutui,cābii,confessionis de receptis, donationis,arrendamenti,vel vēditionis,permutationis , vel alterius cuiuscūq; cōtractus , etiā in ampliori forma Cameræ Apostol.factæ,sint nullæ & invalidę,& ad agendū inefficaces, nullusq; illarū vigore cogi,vel cōstringi possit in iudicio , vel extra.liceatq; omnib.ab illis impune,absq; aliquo metu, siue periurii nota recedere. & insuper liceat Cardinalibus qui electioni prędictę Simoniacę interfuerint & à præfato sic electo discesserint,adhibitis secū aliis Cardinalibus, qui huiusmodi Simoniacę electioni cōsenserunt, & postea eisdē Cardinalib⁹ in dicta Simonia non cōplicibus se vniuerint, si se cū eisdē vnire voluerint,alioquin sine eis, ad alterius nihilominus Pōtificis electionē, nō expectata alia sentētia declaratoria Simoniacę electionis huiusmodi,cadē tamen præsente nostra Cōstitutione semper in suo robore permanēte, libere, alias tamē Canonice deuenire,& Cōcilium etiā Generale indicere & cōvocare in loco idoneo,prout eis expedire videbitur.Non obstantibus Cōstitutionibus & Ordinationibus Apostolicis & præcipue fel.rec.Alexand.Pap.III.quę incipit.Licet de vitāda discordia.& aliorū Romanorū Pontificū prędecessorum nostrorū,etiā in Cōciliis Generalibus editis,cęteris q; contrariis quibuscūq;.Inhibentes postremo omnibus & singulis, S. R. Ecclesię Cardinalibus,qui pro tēpore erunt, & eorum Sacro Collegio,ne Apostolica sede vacante prædictis cōtravenire, vel contra præmissa,vel aliquod præmissorū ſtatuere , disponere,& ordinare,vel aliquo modo facere , seu attētare præsumant,quocūq; exquisito colore,vel causa,sub excommunicationis latæ sentētiæ pœna,quā ipso facto incurrant,&à qua nonnisi per Rom.Pont.Canonice electū,absolui possint,nisi in mortis articulo.Decernentes ex nunc irritū & inane , si secus super his,vel aliquo premissorū,à quoquā scienter vel ignoranter,etiā per nos cōtigerit attentari. vt a.præsentis Cōstitutionis,decreti,statuti,ordinationis , ac inhibitionis nostrę huiusmodi tenor ad omniū notitiā deducatur , volumus presentes nostras literas in valuis Basilicæ Principis Apostol. nec nō Cancellarię,ac acie Cāpi Florę affigi ,nec aliā earundē literarū publicationis solennitatē requiri,aut expectari debere,sed huiusmodi affixionē pro solenni publicatione , & perpetuo robore sufficere. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam,nostrorum Constitutionis, ordinationis, statuti, decreti,definitionis , applicationis,approbationis & inhibitionis infringere , vel ei ausu temerario contraire.

Si quis

Si quis autem hoc attentare præsumpserit , Indignationem Omnipotentis Dei , ac Beatorum Petri & Pauli Apostolorum eius se noverit incursurum. Datum Romæ apud S. Petrum, anno Incarnationis Dominicæ M. D. V. 19. Calend. Februarij , Pontificatus nostri anno 2.

Secunda Constitutio , contra obtinentes beneficia à Sede Apostolica sine literis , & contra non soluentes Annatas.

Iulius Episcopus Seruus Seruorum Dei. Ad perpetuam rei memoriam.

Romani Pontificis prouidentia circumspecta ad ea libenter intendit , per quæ animarum periculis , Ecclesiarum & Monasteriorum dispendiis obuiatur, Cameræque Apostolicæ, cui diuersa impensarum onera, pro Ecclesiæ Romanæ statu conseruando , quotidie incumbunt , indemnitati debite prouideatur.

§. 1. Dudum siquidem ad audientiam fel. rec. Bonifacij VIII. & Alexandri V. Romanorum Pontificum prædecessorum nostrorum deducto , quod nonnulli ad Patriarchales, Metropolitanas , & Cathedrales Ecclesias , Monasteria & Prioratus, tam Regulares , quam seculares promoti , seu quibus per eosdem prædecessores , seu Sedem Apostolicam, de dictis Ecclesiis,Monasteriis , siue Prioratibus , hactenus quomodolibet prouisum fuerat , in expeditione litterarum Apostolicarum super prouisionibus huiusmodi negligentes existebant : quidam vero ex prædictis , quod deterius erat , absque huiusmodi litteris , in suæ salutis interitum , ad Ecclesias, Monasteria,& Prioratus huiusmodi, præter & contra stylum, & morem Romanæ Curiæ laudabiliter obseruatos , ac etiam Apostolicas prohibitiones accedere præsumpserant , ac Ecclesiarum, Monasteriorum , vel Prioratuum huiusmodi regimini, gubernationi , & administrationi se etiam ingerebant & immiscebant,ac ingerere & immiscere damnabiliter præsumebant : Iidem prædecessores cupientes huiusmodi damnis instantibus & futuris remedium adhibere opportunum: videlicet idem Bonifacius prædecessor noster vnam perpetuo valituram Constitutionem quæ incipit, Iniunctæ. per quam inter alia fanxit , vt Episcopi &c.

§. 2. Alexander vero prædecessor memoratus , ipsius Bonifacii prædecessoris inhærendo vestigiis , ac de consilio tunc Venerabilium Fratrum suorum S. R. Ecclesiæ Cardinalium, authoritate Apostolica, & ex eius certa scientia aliam quæ incipit , Ex iniuncto , edidit Constitutionem , per quam etiam inter alia statuit, & decreuit , quod omnes & singuli Patriarchæ , Archiepiscopi, Episcopi, Electi, Administratores, Commendatarii , Abbates & Priores huiusmodi , quibus per eum authoritate Apostolica hactenus de aliqua Patriarchali , Metropolitana,vel Episcopali Ecclesiis, vel Monasteriis, seu de Prioratibus Conuentualibus , etiam in administrationem vel commendam prouisum extitisset, & eorum literas vsque ad totalem expeditionem , & receptionem earundem literarum inclusiue , expediri non fecissent , sub pœna priuationis Ecclesiarum , Monasteriorum & Prioratuum huiusmodi , & omnis iuris eis ex prouisionibus prædictis quomodolibet acquisiti , (quam quemlibet negligentem incurrere voluit eo ipso : & quod Ecclesias , & Monasteria , ac Prioratus negligentium præmissa ad effectum perducere , ex ea die, prout ex tunc , præfata authoritate vacare, & Apostolicæ Sedis dispositioni specialiter reseruata fore decreuit, & declarauit) tenerentur & deberent literas huiusmodi , super prouisionibus ipsis , per se, vel alios , vsque ad præfatam earum totalem expeditionem ac receptionem , vt præmittitur , inclusiue, expediri fecisse , infra annum à data prouisionis factæ , continue computandum. Illi vero quibus prouideri contingeret , quomodolibet in futurum , de Ecclesiis , Monasteriis ac Prioratibus huiusmodi, seu aliquo eorumdem, sub pœna simili,quam , vt præfertur, incurrerent, etiam infra annum à die prouisionis faciendæ continuo computandum , similiter tenerentur & deberent literas ipsas, etiam vsque ad prædictam totalem expeditionem & receptionem inclusiue expediri fecisse. & interim sub eadem pœna,per se,vel alios, absq; literis prouisionis in forma,de regimine,gubernatione, seu administratione vel quasi, Ecclesiarum, Monasteriorum,Prioratuumque prædictorum , vel alicuius eorum , seu bonorum eorundem,in spiritualibus, vel temporalibus nullatenus se ingerere, vel aliter se immiscere,aut super his,vel eorum aliquo, seu dependentibus , vel connexis , iurisdictionem aliquam quomodolibet exercere præsumerent,cæteris q; pœnis contra prædictos, à iure, vel ab homine,etiam ratione negligentiæ munerisconsecrationis,vel benedictionis non susceptis, statutis,inflictis,& aliis in suo robore permansuris,irritum & inane censens, ex ea die, si secus , vel aliter super his, à quoquam, quauis autoritate, scienter vel ignoranter , in posterum contingeret attentari quomodolibet.

§. 3. Successiue vero recolendæ memoriæ Pius Papa secundus etiam prædecessor noster, cupiens tam saluti animarum, quam ipsius Cameræ Apostolicæ indemnitatibus salubriter prouidere , & existimans eos quos in dicta Camera, deinceps pro annata beneficiorum , per eos authoritate Apostolica assecutorum, obligari contingeret, infra terminos eis constitutos, omnino Cameræ prædictæ satisfacturos, si vltra sententiam excommunicationis , quam non satisfaciendo in termino sibi præfixo , ipso facto incurrerent, aliqua per eum illis pœna fortior infligeretur , præmissis ac certis aliis rationabilibus causis animum suum mouentibus, per quandam Constitutionem suam quæ incipit , Romani Pontificis, perpetuo prouidit, & eadem authoritate Apostolica statuit, & ordinauit, ac decreuit & declarauit , quod omnes & singulæ obligationes, quæ ex illa die super annatis quorumcumq; beneficiorum in dicta Camera reciperentur, intelligerentur, quod obligati pro se, si infra eis præfixos terminos,Cameræ Collectoribus in partibus pro tempore existentibus satisfacere defecissent, tam ipso facto, lapso eodem termino , sententiam excommunicationis incurrerent, quam beneficiis suis, pro quibus in dicta Camera se obligassent , omnino essent,& censerentur priuati : Illi vero qui non pro se,sed pro aliis,vt principales & priuatæ personæ , super huiusmodi annatis se obligarent , vltra incidentiam excommunicationis sententiæ prædictæ , si in termino constituto dictæ Cameræ vel Collectoribus non soluissent , ipso facto suis omnibus quæ obtinent beneficiis , similiter intelligerentur esse priuati,atq; talium beneficia possent in euentum prædictum per quoscumq; libere & licite impetrari.

§. 4. De hinc fel. rec. Innocentius Papa VIII. similiter prædecessor noster , per quandam suam Constitutionem quæ incipit, Cameræ Apostolicæ &c.

§. 5. Nos igitur cupientes, ne prouisiones, concessiones,& gratiæ Apostolicæ sedis,& præcipuæ quæ à nobis emanarunt,& pro tempore emanabunt, diu maneant in suspenso, sed perfecte ad actum , iuxta Apostolicas Constitutiones deducantur: & ne Ecclesiarum,Monasteriorum , & prædictarum dignitatum Ecclesiasticarum Prælati seu Commendatarii & Administratores,absq; titulo & litteris Apostolicis, in animarum suarum periculum,regimini & administrationi eorundem se ingerere,aut alias illis immiscere præsumant: ac ne Cameræ Apostolicæ reditus minuatur , sed damnis eiusdem obuietur, in præmissis omnibus prouidere, prædictorum prædecessorum nostrorum inhærendo vestigiis , Motu proprio, & ex certa scientia, Constitutiones, præfatas , & earum quamlibet innouantes, præsenti Constitutione perpetuo valitura declaramus, decernimus,statuimus , & ordinamus, quod Constitutiones Bonifacii , Alexandri, Pij & Innocentii prædecessorum nostrorum huiusmodi, etiam quoad pœnas & censuras,etiam priuationis in eis expressas,quoad futura, in omnibus & per omnia , iuxta illarum tenores , qui omnes inuiolabiliter perpetuis futuris temporibus obseruentur: quo vero ad præsentia & præterita, Constitutiones & Ordinationes easdem moderamur sub hac forma, videlicet,quod quoad Patriarchas, Archiepiscop. Episcopos, Electos, Administratores,Commendatarios, Abbates,Priores, & alios quoscumq;, quibus authoritate Apostolica de Patriarchali , Metropolitana, vel Cathedrali Ecclesiis , aut Monasteriis,seu Prioratibus Conuentualibus, etiam in administrationem vel Commendam,hactenus prouisum extitit,& super his litteras,vsq; ad totalem expeditionem & receptionem earundem expediri,infra terminum in Constitu-

tione Alexandri prædecessoris hũiusmodi præfixum non fecerunt, vel etiam sine litteris confirmationis, prouisionis vel commendæ, consecrationis & benedictionis, Ecclesiarum, Monasteriorum, vel Prioratuum administrationem acceperunt, & illi incumbunt, vel etiam quo ad illas, qui pro annatis quorumcumq; beneficiorum, in dicta Camera Apostolica, se pro seipsis, vel aliis, infra certum tempus pro solutione obligauerunt, & statutis terminis non soluerunt, ac propterea sententias & pœnas in præmissis Constitutionibus & obligationibus contentas incurrerunt: si citra montes, infra quatuor: si vltra montes, infra octo menses, à die publicationis præsentium in Cancellaria Apostolica computandos, literas huiusmodi totaliter expedierint, & ad se receperint, & de his quæ debent Cameræ prædictæ satisfecerint: ex tunc (dum tamen per prouisiones, collationes, seu alias quaslibet dispositiones de Ecclesiis, Monasteriis, Prioratibus, dignitatibus, & beneficiis prædictis, à prædicta sede Apostolica, vel alias à quocumq;, vel quomodocunq; factas, non sit alteri, ante datam huiusmodi Constitutionis nostræ, ius quæsitum) eo ipso ab excommunicationis sententia, & aliis pœnis, quibus per prædictas Constitutiones, vel obligationes respectiue obligati essent, absoluti, & ad beneficia, quibus propterea priuati essent plenarie restituti, authoritate nostra censeantur, perinde ac si præmissa omnia & singula in ipsis Constitutionibus contenta obseruassent, & pœnas præfatas non incurrissent.

§. 6. Quod si prædictas literas nõ expediuerint, & illis Cõstitutionibus nõ paruerint, vel in terminis ipsis nõ soluerint, pœnas prædictas, etiam priuationis eo ipso incurrisse se noverint: quas etiam tenore præsentis Constitutionis, expressi pœnis & censuris eisdẽ innodamus, & priuatas declaramus. & insuper eadẽ authoritate Apostolica statuimus, & ordinamus, quod illi, quas annatis huiusmodi, dictæ Cameræ teneri constiterit, etiam si alias illas soluere nullatenus promisissent, seu ad illarum solutionem non aliter specialiter se obligassent, se literas hactenus desuper Apostolicas, aliqua machinatione vel fraude adhibitis, solutione annatæ, vel obligationi in eadẽ Camera minime facta, recepissent (dummodo beneficia ipsa fuissent, seu fuerint quomodolibet realiter assecuti) ad solutionem annatæ, & iurium prædictorum efficaciter teneantur. & nisi infra quatuor menses, si citramontani: & octo menses, si vltra montani fuerint, à die publicationis præsentium in Cancellaria Apostolica computandos, de annata debita satisfecerint, dictæ Cameræ Apostolicæ, vel eius Collectoribus, de qua solutione appareat per Instrumentũ publicũ, lapso dicto termino, beneficiis pro quibus de annata soluenda tenentur, omnino sint & intelligantur eo ipso priuati.

§. 7. & sic in omnibus & singulis præmissis, etiam per quoscumq; Iudices, etiam S.R.E. Cardinales, & Palatii Apostolici Auditores, & alios in Romana Curia, vel extra eam, in causis, in quavis instantia, etiam per appellationem, vel alio quovis modo, quomodocumq;, & qualitercumq; pendentibus iudicari debere, ac irritum & inane, quicquid secus super his à quoquam, quavis authoritate, scienter vel ignoranter contigerit attentari, perpetuo decernimus & declaramus.

§. 8. Non obstantibus omnibus, quæ ijdem prædecessores in præfatis suis Constitutionibus voluerunt non obstare, cæterisq; contrariis quibuscumq;. Vt aũt hæc innouatio, statutum, voluntas, decretum, & ordinatio ac declaratio nostra, ad omnium & singulorum notitiam deducantur, nullusq; possit deinceps aliquam excusationem prætendere, aut ignorantiã allegare, vtq; perpetuo firma & illibata permaneant, authoritate & tenore prædictis volumus & mandamus, vt in valuis nostræ Cancellariæ tribus vicibus, diuersisq; diebus, dũ ipsa Cancellaria tenebitur, & donec durabit, per aliquem ex Cursoribus nostris affigantur, & teneantur, exindeq; in libris Cancellariæ Apostolicæ, vbi similia describi & registrari cõsueuerunt, per Officiales Cameræ prædicta ad quos pertinet, ad perpetuã rei memoriã describantur, & registrentur. Nulli ergo hominum &c. Si quis autem &c. Datum Romæ apud S. Petrum anno Incarnationis Dominicæ M. D. V. v. Calend. Aug. Pontificatus nostri anno secundo. ext. in Bullario.

X. *Florentia ope Deipa-*

Hoc anno, cum Florentia à Bartholomei Aluiani exercitu, artibusq; Pandulfi Petrucii premeretur, intercessione B. Mariæ Virg. liberata fuit. Res est. Cum in Pandulfo Petrucio, & Ioanne Paulo Balione antiqua cupiditas exeitata esset, cum Ioanne Mediceo Cardinale de turbando Florentinorũ statu occulta consilia agitabant: præcipuũ spei fundamentũ in Bartholomæo Aluiano, qui se à Magno Consaluo alienatũ præseferens, in Latiũ profectus, plurimos milites varia spe atque promissis ad se pertrahebat, collocantes. Horũ consiliorũ Ascanius quoq; Cardinalis cõscius esse putabatur: vt videlicet rebus in Etruria feliciter succedentibus, Florentinorũ & aliorũ qui eum motũ probarent, coniunctis viribus Insubriã invaderent: rati eam, si quis impetus fieret, quod pauci Galli equites adessent, multi nobiles exularent, populi in Sfortianũ nomen propensi essent, & Gallię Rex graui morbo correptus ita ad extremũ redactus fuerat, vt per multas horas de eius salute desperatum esset: qui quamuis postea nonnihil ab extremo mortis limine recessisset, tamen ita affectus videbatur, vt parua eius vitæ spes esset, facile mutationẽ facturam. Qui vero res diligentius ponderabant, Ascaniũ qui hoc tempore à Veneto Oratore frequentaretur, nõ modo cũ Magno Consalvo, verũ etiam cum Venetis quũ tunc, quia Galliæ Rex nouis suspicionibus conceptis, Romanorũ Regi & filio minime fidebat, & Archiducis potentia quanta esset futura post Hispaniæ Reginæ mortẽ animadversa, aperte ab illis alienatus, Gheldrensiũ Duci acerrimo Archiducis hosti, contra illum auxilia suppeditabat, atq; suis cõsiliis cum Ferdinando Rege seorsim coniungendis iam cogitabat: ad Gallos lacessendos promptiores quam antea, & animo fuissent, maiore, occulta consilia habere suspicabantur. Sed quã sunt fallacia consilia, & fluxæ hominũ spes: dum hæc aguntur, Galliæ Rex, cuius salus fere erat desperata, indies cõualescebat: & Ascanius repente Romæ pestilentia interiit, cuius interitu Insubriæ, periculo sublato, non tamen Florentinorũ vexandorũ consilia prorsus impedita sunt: cuius rei gratia Pandulfus Petrucius, Ioannes Paulus Ballio, & Bartholomæus Alvianus, nõ quo se amplius Medicęos Florentiam reducere posse sperarent, sed vt Aluianus Pisanorũ voluntate Pisas ingressus, pro eius vrbis securitate Florentinorũ finibus esset infestus, & prout sibi occasiones darentur, vlterius progrederetur. Duxit is, invito & prohibente Iulio Pontifice, exercitum non contemnendũ eo fine vt Florentinos diuexaret, adeoq; opprimeret. Sed Hercules Bentiuolus Florentinorum copiis præfectus, ad S. Vincentii turrim obuiam cũ suis profectus, omnes eius conatus dissipauit. Nã vndequaq; militibus oppositis, Aluianos industria & fine suorũ periculo facile fudit fugavitq;, Aluiano cũ pauciss imis equitibus ad cursum expeditis vix euadente, cum quibus Monte Rotundum Senensis agri confugit: reliquæ eius copiæ fere omnes à S. Vincentii turri ad Cecinnæ fluuium signis omnibus amissis, & valde paucis equitibus saluis captæ & spoliatę fuerunt. Creditũ est victoriam Florentinis cessisse, ab inuocatione B. Virg. quam in Basilica Annunciatæ venerantur: quandoquidẽ & Antonius Thebalducus Bentiuolii socius, vexilla, ac militares exuuias, victoria de hostibus parta, in eadẽ Basilica suspenderit, grati animi ob beneficiũ susceptũ significatione. Hunc exitũ habuit Aluiani motus, diuturnis deliberationibus, verborũ iactantia, & ferocitate minarũ in hominum oculis, quam viribus aut expeditionis stabili fundamento maior. *Guiciardinus lib. 6. Nardi lib. 4. Archangelus Gianius Annal. Orn. Seruorũ Cent. 3. lib. 5. c. 6. Ex Diariis & monumentis Cœnobij Annunciatæ Florent.*

Florentia liberatur.

Hoc anno, Ioanna, Ordinis B. Mariæ, qui vulgo Annunciatarũ Virginũ dicitur, fundatrix, toto vitæ decursu sanctissime transacto, fere quadragenaria, Biturigis quarto die Februarii obdormiuit, in primo eius instituti cœnobio à se ibidẽ excitato condita. *Aubertus Miræus in Chron. ex Massęo.*

XI. *S. Margaretæ Rauen. obitus & res gestæ.*

Eodẽ anno 1505. x. Cal. Febr. Rauennæ, Margarita virgo, sanctitate & vitæ innocentia celebris decessit. Hæc in oppido Russio, quod est Rauennatis ditionis, Lungipressũ olim vocatũ, ab vrbe q; abest ferme millia passuũ decẽ, ex Mollum familia orta, ab ipsis incunabulis, Sanctitatis specimen præbuerat. Tres menses nata, cæca facta est, cumq; ad septimũ annũ peruenisset, carne & ouis abstinens, extra dies Dominicos festos in die semel comedebat. quẽ viuendi modũ per totũ vitæ spatiũ non modo seruauit, sed maximam partẽ confecit panę solũ & aqua. Quod eo durius videri potest, cum nudatis semper incesserit pedibus; & nunquam in lecto, sed vel humi, vel in sarmentorum fascibus cubauerit: & sæpius nocte, vt

Deum ingeniculata precaretur, atq; etiam vt cum dæmone, qui illi erat molestus, camq; aliquãdo capillis trahebat, dimicaret, è lecto, si erat is lectus appellandus, perpetuo surrexerit. Cum autem aliquot annos eo in oppido vixisset, in agrũ, ad villam Diui Pancratii se contulit, puellarum virginum cõsuetudine plurimum delectata, quas assidue præcepta diuina, rectumq; viuendi morem docebat. Inde Rauennam profecta, primum apud Diui Stephani sacras virgines, deinde in domo quam illi Laurentius Oriolus agricola prædiues eius discipulus emerat, habitauit. Vbi per annos quatuordecim assidue grauissimis morbis misere afflicta, præsertim cum etiam à plerisq; eis sanctitas & morbus irrideretur, multisque calumniis nomen proscinderetur, illustre fuit patientiæ exemplum, quos tamen ipsa irrisores, & maledicos, vel si poterat, amanter vti desisterent monebat, congererent enim sibi peccata: vel si non dabatur, summis, assiduisque precibus apud Deum veniam illis orabat, illudque admirabile omnino videbatur, eam inter tot morbos, calumnias, egestatem, qua semper oppressa plurimum fuit, hilari semper vultu, tranquilloq; animo extitisse, ab omnique indignatione sic alienam, vt qui perturbatam illam vmquam viderit, repertus sit nemo. Non potuit tamen hæc tetra tot miseriarũm procella, sanctitatis lucem quin emicaret opprimere. Nam complures ex illius ore præceptisq; pendentes Magistram illam appellabant, quod eos sanctissimæ vitæ exemplis, potius quam verbis excitaret ad pietatem, & verum Dei cultũ. In ea maxime, inter cæteras virtutes, misericordia in eos qui peccabant, & benignitas eluxit: neq; fuit vllus vmquam, qui admirabili virtute illius verbis atq; hortatu in miseriis consolatum se, ac pene recreatum, hilaremq; factum non senserit, & à peccatis, viaq; perdita reuocatum: quod cum sæpissime accidisset, maxime tamen in nobili fœmina est visum, quæ permota fama sanctitatis ad eam cum venisset, multo auro & vestium elegantium ornamentis insignis, eam vim Margaritæ sermoni Deus tribuit, vt deposito omni ornatu nobilis mulier, antequam ab ea discederet, sese Deo totam addixerit. Cum vero illi Ariminum proficiscenti, vniuersus populus, sacratiq; viri obuiam processissent, & mulierem sanctam appellarent & venerarentur, facile dictu non est, quam illa ægre id tulerit. Cumq; assiduis illorum precibus coacta illis bene dixisset, confestim absoluto, ob quod venerat diuino negotio mortales honores fugiens Rauennam conuolauit. Vbi multa diuinitus vaticinata est, ipsamq; præsertim vrbis depopulationem, quam Galli in sequentibus annis fecerunt. Et vt reliqua omittam, id vnum adscripserim, quod eum Gentilis, mulier sibi charissima ad eam quandoq; consulendi causa accessisset, neq; tamen posset, quod de Deo offendisset loquẽtem; ex verbis attamen illius quæ ad Gentilem in eo sermone conuerterat, Gentilis nouit, Margaritã animi sui sensum ac voluntatem, propter quam venerat, Deo indicãte perspectam habuisse; & iis qui aderant, nequaquam sentientibus, occulta verborum significatione consilium præbuisse. Facie quandoq;, ab eadem Gentili, ita fulgere visa est, vt eam intueri aduersam non posset. Tanto vero sensus stupore prædita fuit, vt multorum annorum spatio suauitatem cibi nõ senti ens, ingenti cum molestia, tantum ne moreretur, cibo sit vsa. A Cacodæmone agitatos, quos decem vix hominum retinere & compescere poterant, ipsa manu apprehensos, & nequaquam obsistentes, diuina virtute abire cacodæmone iusso, liberauit. Hydrope laborantem puerum, solo manus cõtactu, cum Deum esset pro sanitate illius precata, in columem remisit. Leonem Gentilis filium, pedibus cõtortis sic vt ambulare nequiret natum sanauit. Sed talia si narrare velim, nimium longa traheretur oratio. Ipsorum enim relatione latius patent, qui testes, iussu Pauli III. Pont. Max. postulante Friderico Gonzaga Duce Mantuano, Rauennæ, his de rebus ab Ioanne Francisco Petitto vrbis Moderatore quæstione habita, hæc quæ modo memorauimus, multaq; præterea, anno M. D. XXXVII. iurati narrauerunt; id curantibus Petro Andriolo, Roberto Aldrouandino, Vbertello Gordio, Ioanne Franco, Marco Antonio à Portu, & Aloysio Pritello, qui tum Rauennatem sapientum Magistratum regebant. Verum illud silentio non inuoluerim, quod Antonius Blanchinus Russianus refert, vxorem suam tenuioris intestini morbo, in quo excrementum superiora petebat, quiq; à medicis existimabatur, octauum iam diem laborantem, cum pro illius sanitate Deum hæc virgo precata esset, sanitati protinus restitutam: Barnabam quoq; Pasquæ Rauennatis, quæ vxor Aloysii Merlini fuerat, patruum, cœcum factum, visui restituit. Cum vero tandem tres & sexaginta annos nata, in febriculam incidisset, ipsa mortem præsentiens, plurimum de rebus diuinis locuta, cumq; ad extremum esset assurgens animam exhalauit; feruntq; Gentilem testari solitam, tunc se cœlites vidisse, qui ad Magistræ migrantem ex corpore animum accipiendum accesserant, ob idq; in extremo ipsam venerabundam assurrexisse. Per duos dies cadauer sanctum, insepultum seruatum est, quo tempore, cum sudore facies tãquam rore madesceret, Gentilisq; assidua Magistræ comes, linteolo quo ad emungendas nares vtimur detersisset, linteolum ad ignem exsiccatum, violarum suauissimum odorem afflauit, qui multis etiam deinde annis in eodem linteolo permansit. Sepulta erat Rauennæ in Diui Apollinaris noui, sepulchro satis ignobili, quod cum posterioribus annis dirutum esset, Laurentius Oriolus qui illius consuetudine ac monitis plurimum profecerat, maximeq; eam venerabatur, id putans propterea contigisse, quod alibi sepulchrum sibi virgo delegisset, venia ab eius loci ædituis impetrata, ossa, summa veneratione in sacco collocata asello imposuit, Deũ precatus, camq; virginem, vt quo sepeliri vellet, ire asellum iuberent. Asellus, nullo strepitu, signoue impulsus, recta per eum vicum cui Plateæ maiori nomẽ est, ad vrbis muros progressus, dextrorsum flectens, per Vrsicinam portam, occidẽte iam Sole egressus est; inde per suburbium, secundũ Visim amnem cum aliquantulũ processisset, secundo ab vrbe lapide amnem traiecit, semperque obstrepente nihil Laurentio, sed ingenti religione ac veneratione mysterium considerante, progrediens, ad Montonem amnem cum peruenisset, illum etiam haud procul à Diui Marci transmittens, viam secundum flumen arripuit: cuius coepti itineris non mediocris ad virum pium, qui rem tacitus considerabat peruenit lætitia, quod putabat fore, vt ad suæ gentis ædiculam, quorsum ibat, inde haud procul deferendum cadauer esset. Sed ibi cũ peruenissent, non perstitit asellus, at progressus, ad Diui Pancratii se contulit. Iamq; multum noctis transierat, & sub arbore satis ingenti, quod non procul aberat ab eius templi valuis, magnus nitedularum numerus conuolarat, quæ tantum afferebant lucis, vt miraculum iudicari facile potuisset. Ad hunc se locum asellus contulit, ibiq; cum perstitisset, pedem amplius non extulit. Vir pius ob id intelligens, Virginem sanctam decreuisse eum sibi sepulturæ locum, fossa facta tumulo ossa composuit, humoq; obruit; & confestim nitedulis euanescentibus nox intempesta tenebras suas offudit. Multa posterioribus temporibus ad hanc diem illi nuncupatis votis mirabilia impetrata sunt, quæ Seraphinus Firmanus, Canonicus Lateranensis idem & Portuensis, vir eloquentia, doctrina, vitæque integritate præstans in Commentariolo, quem scripsit de huius Virginis & Gentilis vita, latius expressit. *Surius tomo 1. die 23. Ianuarii. ex Hieronymo Rubeo hist. Rauenn. lib. 8.*

Martinus Lutherus futurus orbis turbo, cum ante biennium anno ætatis 20 renunciatus fuisset Magister artium Erfordiæ in Thuringia, & ad studium Legum animum appulisset, id temporis territus fulmine & consternatus, voto suscipiendæ religionis sese obstrinxit; agensque animum 22 inuito & reclamante parente ingressus est cœnobium Augustinianorum ibidem Erfordiæ, die 17. Iulii, & post annum professione solenni emissa, tandem anno 1507. sacerdos factus, & anno 1508. Wittẽbergam traductus, ibi Aristotelem prælegit. ac triennio post Romam à suis superioribus negotiorum causa missus, post reditum ibidem Wittembergæ anno 1512. ætatis 29. renunciatus est Doctor in Theologia, cum esset disputator vehemens, & ferocis ingenii. Cæterum ad hunc honoris gradum euectus, cum vilem cognominis sui rationem expenderet, ex Luddero (quod derisorem, scurram, & furem sonat) Lutherum se fecit, quod purum designat. *Surius, Pontanus, & Genebrardus.*

ANNO CHRISTI M. D. VI.

IVLII PAPAE II. ANNO 3. ET 4.

MAXIMILIANI ROM. REGIS ANNO 21.

I. SVperior annus etsi Italiæ pacem, bellis quæ de regno Neapolitano erant exorta extinctis stabilem futuram, spem reliquisset, tamen ab alia parte minime parua incendiorum semina jacta erant; quoniam Philippus Archidux Austriæ qui se jam Castellæ Regem nuncupabat, id Regnum à Ferdinando socero administrari non contentus, & à multis proceribus incitatus, leges ad regni administrationem post mortem suam seruandas præscribere in defunctæ Reginæ potestate non fuisse (vt verissimum erat) asserens, iter in Hispaniam illo inuito adornabat: & Maximilianus Romanorum Rex filii potentia elatus, in Italiam pro corona imperiali accipienda, armatus transcendere cogitabat: Ludouicus vero Galliæ Rex, quamuis superiore anno Iulio Pontifici Maximo, quod se ne appellato quidem, sacra beneficia quæ Ascanii Cardinalis & aliorum morte in Insubria possessoribus vacua fuerant relicta, aliis contulerat: quodq; cum multos sacræ purpuræ dignitate donasset, Antiensem & Baiocensem Episcopos, hunc Tramolliæ, illum Rotomagensis Cardinalis nepotem, quorum nomine ipse vehementissime flagitarat, vna cum aliis cooptare noluerat, iratus fuisset, eamq; ob causam sacrorum beneficiorum quæ sancti Petri ad vincula Cardinalis, aliiq; Pontifici grati Antistites in Insubria possidebant fructus retineri impetrasset: tamen cum sibi a Maximiliano & Philippo metuere inciperet, ideoque Pontificis amicitiam cuperet, fructibus dari permissis, huius anni initio Sisteronensem Episcopum Pontificium apud se nuncium, qui ei varia consilia proponeret, & multa aduersus Venetos, in quos eius vehemens odium propter Æmiliæ locorum recuperandorum cupiditatem permanere sciebat polliceretur misit Pontifex quidem hactenus, omnibus in rebus tam moderate se gesserat, vt admirationem minime mediocrem in hominum mentibus excitarit, quod is qui Cardinalis cum esset, semper vasta consilia agitasset, ac Xisto, Innocentio, & Alexandro Pontificibus, administer in magnis molitionibus adfuisset, ad Pontificatum promotus, hos tam ardentes spiritus posuisset, & animi magnitudinis quam semper animose ostentarat quasi oblitus, nullum ne iniuriarum quidem vlciscendarum, seq; sui similem esse signum ostenderet. At illi multa tolerandi, multaq; & dissimulādi & ex arcano prouidendi, ad Pontificiam dignitatem, ditionemq; tuendam, necessitas imposita erat. Quamobrem vt ingentem pecuniæ vim cumularet, omni interim studio, operam dederat, dabatque, quo rebus agendis in tempore, facultas & neruus accederet. Cumq; hoc tempore iam auro non parum abundaret, consilia sua res magnas spectantia aperire incipiebat. Quare Sisteronensem Episcopum hilari fronte acceptum & auditum, magna celeritate ad nouam inter ipsos necessitudinem contrahendam Nuncium remiserat: ad quod vt Regis & Cardinalis Rotomagensis animos propensiores haberet, Breui epistola quam idem Sisteronensis ferebat, Auxensi & Baiocensi Episcopis sacram purpuram promisit. Et tamen in tanto ardore, eius animus in varios scrupulos difficultatesq; distrahebatur: quoniam siue odio occulto, in Regem eo tempore quo Alexandri insidias fugiens in Gallia egerat concepto; siue quod se Regis potentia atque importunitate Cardinali Rotomagensi Galliæ regni legationem relinquere pene cogi summopere ei displiceret; Siue quod vereretur ne idem Cardinalis, cuius consilia manifeste ad summum Pontificatum dirigebantur, mortis suæ expectandæ impatiens, viis extraordinariis eum adipisci conaretur. Galliæ Regi, sine cuius coniunctione sibi tunc temporis nullam alicuius momenti rem succedere ex sententia posse animadvertebat, adhærere non penitus statuerat: idcirco alia via Baldassarem Biasciam Genuensem suæ classis Præfectum, Pisas ad duas triremes quas Alexander Pontifex ibi fieri mandarat instruendas, vt si forte Rex Galliæ, quemadmodum credebatur, morbi reliquiis non parum grauatus expirasset, ad Genuam Gallorum dominatu liberandam pararet esset, miserat. Interim tamen, cum se ad Venetos, Ariminum, Fauentium & Rauennam occupantes, inuadendos non satis potentem animaduerteret, nec Pontificatus sui annos diutius inglorius terere posset, à Rege petiuit, vt se ad Bononiam atq; Perusiam Pontificio imperio restituendas, subjiciendasq; juuaret; quæ cum veteri iure ad Pontificatum Romanum pertinerent, altera Ioannis Bentiuolii, Ioannis Pauli Ballionis tyrannide altera premebatur: quorum maiores ex priuatis ciuibus, in ciuilibus dissensionibus factionis vnius duces facti, aduersariisq; partim pulsis, partim cæsis, suarum ciuitatum quasi domini euaserant; nec ab legitimi Principis nomine assumendo, aliud quam Romanorum Pontificum reuerentia eos cohibuerat. Pontifices enim Romani in vtraque ciuitate imperii nomen, quamuis ob iniuriam temporum paulo plus quam nudum obtinebant, certamq; portionem, eamq; ex eadem causa perexiguam vectigalium accipiebant; sed tamen Pontificatus nomine Præfectos in eis habebant; quamquam ii, cum potentia, omniumque rerum deliberatio penes ipsos esset, fere potius ad ymbram & ostentationem, quam ad aliquod munus obeundū ibi erant. Perusia, siue propter vrbis propinquitatem, siue alias ob causas, longe diutius Pontificio imperio paruerat; quoniam Bononienses Pontificum aduersis temporibus crebras mutationes fecerant, modo libertatis nomine Rempub. gerentes, modo Ciuium suorum tyrannidem patientes, modo ad vnam Pontificum obedientiam reuocati, ac demum Nicolai V. Pontificis tempestate sub imperium Pontificiū, huiusmodi tamen additis limitibus, autoritatisq; inter Pontifices & ipsos communione redierant; ita vt progressu temporis, nonnisi nomine & inanibus signis Pontificibus relictis, rerum summa in Bentiuolorum potestatem peruenerit: ex quibus qui id temporis rerum potiebatur Ioannes, omnibus sibi paulatim attributis, iisq; familiis potentioribus, quæ maioribus suis & sibi in tyrannide fundanda atque firmanda aduersæ fuerant depressis; quatuor quoq; liberis, quorum pene omnibus inuisus, exiguo mansuetudini atq; clementiæ loco relicto, potentiam suam magis crudelitate & armis, quam mansuetudine & benignitate tuebatur. Pontificem ad has res gerendas, non tam gloriæ, quam officii desiderium incitabat, vt pro pietate ac religione qua suæ sedi deuinctus erat, ea omnia quæ Pontificum imperio, quouis modo ab aliis adempta detinebantur, ad ea ab iniquis occupatoribus vindicanda consurgeret. Ad Bononiam recuperandam, magis etiam recenti in Ioannem Bentiuolum causa mouebatur. Nam cum eo tempore quo Cardinalis Romæ versari non audebat, Censii, quod in Bononiensi ditione sui Episcopatus oppidum est hæsisset, nuncio seu vero, seu falso accepto, Ioannem Alexandri Pontificis mandato eum capere imperasse, fugæ se noctu tradere fuit coactus. Hæc petitio Pontificis Regi grata fuit, quod sibi eius beneuolentiæ conseruandæ occasionem nactus videretur. Cum enim suam cum Venetis societatem ei valde molestam esse sciret, ne quid ille in se breui moliretur, non parum metuere incipiebat; jamq; quandam conspirationem de se Genuensi imperio deturbādo ab Octauiano Fregosio Pontificis consensu factam, suspicione minime carebat: Bentiuolum præterea quamuis in fide sua esset, magis Cæsari quā sibi fauere existimabat. Huc accedebat in Ioannem Paulum Ballionem odium, qui quatuordecim aureorum nummum millibus acceptis, suis se ad Garilianum fluuium coniungere noluisset: & Pandulffi Petrucii offendendi, exercitus qui in Etruriam mitteretur occasione, desiderium quod toties promissam pecuniam non repræsentarat, seq; Hispanorum fortunæ prorsus coniunxerat. Has igitur ob causas Pontifici auxilia alacriter obtulit; & Pontifex vicissim purpureum galerum Auxensi ac Baiocensi, atque vna sacra beneficia per totam Insubriam conferendi Regi potestatem, qualem olim habuerat Franciscus Sfortia, Breuibus de more litteris concessit. His rebus per Sisteronensem Episcopum qui recens ad Aquarum Sextiorum Archiepiscopatū promotus erat, quiq; hanc ob causam

Iulius II. à Rege Galliæ auxilia petit.

vtrumque illorum sæpius adierat confectis, earum tamen effectus tardiores extiterunt, ex his causis.

In Ludouici Regis ex morbo conualescentis pectore, variæ, imo inter se contrariæ cogitationes versabantur. Hinc enim in Venetos, propter tum odium bello Neapolitano cōceptū, tum eorum quæ in veteri Mediolanensis imperii iure sunt recuperandorum cupiditatem, tū quod illorum potentiam variis casibus sibi periculum creare posse cerneret, mouebatur, quæ res cum ad fœdus cum Romanorum Rege & Philippo eius filio ineundum impulerat potissimum: illinc eiusdem Romanorū Regis in Italiam, quo iam vt magnis viribus transiret se comparare audiebatur, profectio, illi minime erat grata: ob Philippi namq; potentiam quæ tot regnorum successione crescebat; & quia illū cum in Anglia fuit noto fœderis necessitudinisq; vinculo sibi eum Regē cōiunxisse suspicabatur; quodq; pace cum Hispano Rege, qua regni Neapolitani cogitationes deposuerat facta, vna ex præcipuis causis, quarum gratia cum illis fœdus inierat sublata esset plus consueto sibi metuebat. In qua cogitationum consiliorumq; varietate & fluctuatione ciun versaretur, Maximiliani legati, qui eum in Italiam exercitum traducere statuisse significarent, & vt quingentos cataphractos quos se illi auxilio missurum promiserat compararet, Insubriciq; exules prout pollicitus fuerat, in patriam restitui peterent; atq; vt pecuniam quæ intra paucos menses ei debebatur, nunc numerare vellet rogarent, intrebantur, ad eum venerunt; quæ etsi Rex minime præstare in animo haberet, secus tamen præ se tulit; de iis dico quæ tunc nihil aliud quam verba exigebant. Se namq; conuenta perfici vehementer cupere ostendit, & ad ea omnia ad quæ obstrictus erat, suo tempore perficienda paratum esse confirmauit: sed de pecunia ante tempus numeranda variis excusationibus allatis denegauit. At vicissim Romanorum Rex, qui non melius de Galliæ Regis animo quā ille de suo sperabat, & Romam proficisci, præsertim vt Imperii coronam caperet, quo postea filium Romanorum Regem eligi procuraret, vehemēter cuperet, eodem tēpore aliis quoq; instrumentis finem suum adipisci tentabat. Ideo & Heluetios sibi adiungere nitebatur, qui post multas vltro citroq; disputationes, fœdus quod cū Galliæ Rege in biennīū proximū habebant conseruare statuerunt: & à Venetis per corū fines iter faciendi facultatē petierat: quibus quum eius cum tam potenti exercitu in Italiam aduentus molestissimus esset, Galliæ Regis qui eos vt se illi una secum opponerent hortatus est, promissa, ad ambiguum responsum dandum animum addiderunt. jamq; Rex à fœdere cum illo & cū Philippo facto se aperte alienum ostendens, Claudiam filiā suam Francisco Angolismensium Principi, ad quem post suum absq; liberis masculis obitum regnum spectabat, despondit: se tamen id suorū precibus facere simulans, cū hanc ob causam antea ab omnibus Galliæ conciliis, & præcipuis ciuitatibus legatos, qui id ad se velut regno vtilissimum, postquā in illo indies masculæ prolis spes magis deficeret, supplices peterent, mitti curasset: quod statim per proprios legatos, se tam vehementi totius regni & omnium populorum suorum desiderio repugnare non potuisse, Philippo Regi significauit; ac simul Gheldrensium Duci aduersus Philippum auxilia, vt Maximilianum qui iam per se hæc consilia deposuerat, Italia auerteret, misit. Et quidem Maximilianus quoq; suæ in Italiam profectionis consilia, propter occasiones ex Vngaria à morbo Ladislai Regis ostentatas intermiserat icæterū illo sanitati restituto, in Italiam se porro velle transire signis & apparatu demonstrauit. Cumq; Venetos infestos habere minime cuperet, quatuor Oratores qui suæ Romam ad imperii coronam accipiendam profectionis voluntatem indicarent misit, postulaterq; sibi & exercitui suo iter liberū per suos fines permitterent, se sine maleficio iter facturū, eiusq; rei idoneam cautionem daturum: se cum ea Repub. societatis, cuius facile ratio, non modo vtriq; parti tuta, verum etiam vtilis & gloriosa esset futura inueniri posset, ineundæ cupidum esse ostenderent: illud tacite innuens, vtriq; vtile fore, si aduersus Galliæ Regem coniungerentur. Huic orationi post multam deliberationē gratissimis verbis responsum est; ostēsumq;, quantū Veneti senatus, voluntati ipsius obsequendi, atq; in omnibus quæ quidem citra suum insigne aliquod detrimentum possent. Satisfaciendi desiderium esset, nullū autem maius manifestiusq; periculum hoc quod ab illo proponeretur imminere posse; cū Italia vniuersa tot calamitatibus vehementer exacerbata, atq; ad eius cū potenti exercitu aduentus famam admodum suspensa, ne viam nouis molestiis aperiri pateretur, arma capere cogitaret: quod & Rex Galliæ vt Insubriæ imperium tueretur facturus esset. Itaq; eū armatum, copiisq; munitum in Italiam venire, nihil aliud esse quā magno ipsorum periculo aduersus quos si ei iter concederet, vniuersa Italia vna cum illo Rege, veluti in eos qui propria commoda communi vtilitati anteposuissent, concitaretur, potentissima sibi obstacula cōparare, rem longe cum omnibus tutiorē, tum ipsi quoq; honestiorem fore, si cum ad pacificam rem omnibusq; gratiosam veniret, in Italiam pacatus transiret; vbi imperii maiestate non minus benigna quam potenti demonstrata, maximam gratiam sibi apud omnes conciliaret, Italicæq; tranquillitatis Conseruator summa cū gloria esset; si eodem modo ad coronam capiendam quo ante eum ipsius pater, multique ex eius maioribus descenderet. Quod si faceret, Senatum Venetum omnibus eum officiis atq; honoribus, quæ ipsemet exoptare posset, prosequuturū. Hi bellici apparatus, & hæc negotia quæ à Cæsare tractabantur in causa fuerunt, vt Pontifex qui tunc Bononiensem expeditionem susciperе decreuerat, à Galliæ Rege promissa auxilia postularet, Rex vero cum tempus ad huiusmodi motus minime opportunum videretur, eum amice vt ad tempus differret hortabatur, ne ob eam causam tota Italia concitaretur: ad quod quidem etiam suspicione mouebatur, ne Veneti qui se ad Bononiæ defensionem, nisi prius Pontifex ipsis iura quæ Pontifices in Fauentiam haberent concederet, arma sumpturos ei significarent, irritarentur. Sed Pontifex iniuriæ impatiens, contra omnes difficultates omniaque pericula magno impetu voti sui compos fieri conatus est. Itaq; Collegio Cardinalium conuocato, ibiq; causa qua vt Bononiam atq; Perusiam tanta tamq; nobilia Apostolicæ sedis membra à tyrannorum iugo liberare cuperet mouebatur allata, semet ad eas vrbes iturum significauit, seque præter suas copias à Galliæ Rege, Florentinis, multisque aliis Italiæ potentatibus auxilia habiturum, neq; Deum iustum vindicem, eum qui Ecclesiam suam iuuaret, desturum suam causam affirmauit. Ea re in Gallia nunciata, Pontificem absq; Regis certo responso sibi copiarum suarū opem polliceri, Regi ridiculum est visum. Nondum enim hac vehementi deliberatione, vt vel cum eo in apertam contentionem veniret, vel etiam inuitus illi suas copias concederet, cogitanimaduertebat. At Pontifex nullo alio responso expectato, cum quingentis grauis armaturæ equitibus Roma egressus erat; & Antonio Montano, qui Bononiensibus suum aduentum significaret misso, & vti se ad eum accipiendum, & quingentas Gallicas lanceas in agrum admittendas pararent imperaret, ipse lente procedebat. Nam nisi prius de Gallicis auxiliis aduentantibus certior esset factus, vltra Perusiam progredi in animo non habebat. Eius aduentum metuens Ioannes Paulus Ballio, Vrbinatium Ducis & aliorum amicorum hortatu, & fide ab illis accepta Oruietum ei obuiam processit. Vbi cum se penitus eius voluntati commisisset, & eum cum centum & quinquaginta grauis armaturæ comitari, Perusiæ, eiusque agri arces munitionesq; & vrbis custodiam eius potestati tradere promisisset, duosq; filios vrbinati obsides dedisset, in gratiam rediit. quo facto, Pontifex Perusiam inermis ingressus est, adeo vt in Ioannis Pauli potestate fuerit, si eam perfidiam quæ eius nomen in tanto minoribus rebus fœdauerat, in tanta re per vniuersum orbem celebrem facere nouisset, eum cum tota aula captiuum facere. Perusiæ cum esset, Cardinalem Narbonensem à Galliæ Rege, vt ei rem in aliud tempus differri suaderet, & Regem quamuis auxilia mittere cuperet, tamen ob Cæsaris mecum Insubriam spoliare non posse excusaret, missum audiuit. qua legatione mirum in modum cōmotus, nec tamen se sententiam mutare velle ostendens, nouos pedites conscribere, omnesq; apparatus augere cæpit, & nihilominus multorū opinio fuit, si Bentiuolus, qui per legatos se omnes filios suos, qui quatuor erant missurum obulerat, ipsemet quemadmodū Ioannes Paulus fecerat ad eum venisset, aliquam rebus suis tolerabilem rationem

Illius consilia de Bononia liberanda.

inuenturum fuisse. In quo dum nihil certi per se statuit, aut, vt aliqui aiebant, dum coniuge repugnante dubius hæret, Galliæ Regem Ciamontio vt cum quingentis cataphractis ad Pontificem iuuandum contenderet mandasse, fit certior. Nam etsi Rex Rotomagensi Cardinale tunc absente, non concedere in animo habuerit, tamen Rotomagensi postea secus suadente, & quantum Pontifex molestæ laturus esset, si id quod ei non modo ab initio promiserat, verum etiam vt eo vti vellet incitarat, nunc denegaret cogitans, sententiã mutauit ad id etiam facilius impulsus, quia Maximiliani res pro eius consuetudine iam deferuescere incipiebant: vnde cũ intimum animi sui sensum dissimulare nollet, Perusia Cæsenam proficiscens, qui si per planitiem iuisset, Ariminensem agrum quem Veneti occupabant vitare non potuisset, per montes iter tenuit. Cæsenæ Ioannem Bentiuolum, grauissimis dirarum minis, pœnisque diuinis & humanis propositis, Bononia discedere admonuit; quam etiam pœnam in eos qui illi adhærerent, vel cum eo versarentur extendit. quo in loco cum Ciamontium cum sexcentis cataphractis, & tribus peditum millibus, quibus à Pontifice stipendia numerabantur, in itinere esse accepisset, maiore animo absque mora iter suum secutus est; & eandem ob causam propter quam Ariminum vitarat, Fauentino agro cuitato, montano itinere quamuis difficili & incommodo, per Florentinorum trans Apenninũ posita oppida, Imolam, vbi ipsius exercitus colligebatur venit: in quo præter multos pedites quos conscripserat, ipsius stipendiis quadringenti grauis armaturæ equitos militabant: Ioannes Paulus Ballio cum centum & quinquaginta: centum à Florentinis sub M. Antonio Columna, totidem à Ferrariensium Duce mutuo accepti: multi præterea Græci in regno Neapolitano conscripti, & ducenti expediti equites à Mantuano Marchione copiarum Vicario destinato adducti. Bononiæ vero Bentiuolii multos apparatus facere non cessarant, à Gallis si non defenderentur, saltem nullum incommodum sperantes. Nam cum opem à Rege suscepti patrocinii iure imploraſſent, is se Pontificis negotium armis impedire non posse, sed nec copias, nec auxilia aduersus ipsos daturum respondérat, ex quo se facile Pontificium exercitum sustinere posse sperabant. Sed Ciamontii aduentu omni spe frustrati sunt; qui etsi in itinere hominibus illorum varia responsa dedisset, nihilominus eo die quo Castelfrancum in Bononiensi agro peruenit, quod fuit eodem die quo Mantuanus Pontificiis copiis Castellum S. Petri occupauit, Ioanni Bentiuolo, Regem qui ei in iis ad quæ patrocinii suscepti jure tenebatur deesse nollet, bona ipsi sua conseruare velle; & vt ciuitatis administratione Põtificio imperio relicta, suis bonis retentis vnà cum liberis Bononiæ tuto habitare posset, dummodo intra triduum Põtificis iussa feciſſet, curare velle significauit. Hoc munere accepto Bentiuolus & fil ii, qui antea pleno ore minitantes, se suam dignitatem fortissime propugnaturos passim iactauerant, penitus animo fracti, velle sese prorsus eius arbitrio committere, id vnum saltem vt tolerabiles leges sibi imponi curaret supplices rogantes, responderunt. Ipse igitur qui iam ad Rheni pontem, ad tertium à Bononia lapidem venerat, cum Pontifice vt Ioanni Bentiuolo cum liberis & vxore Geneura Sfortia tuto Bononia abire, & in quouis Mediolanensis imperii loco manere liceret, omnem suam supellectilem vendere aut abducere; neq; ob reliqua bona quæ iusto titulo possidebant, molestia vlla afficerentur egit. Quibus transactis, statim fide publica eaq; ampliſſima à Ciamontio accepta, cui duodecim aureoum nummum millia dederant, quique etiam scripto se omnia ad quæ Rex eorũ patrocinii causa tenebatur, præstare curaturum promisit, atq; in Mediolanensi imperio libere degendi facultatem dedit, Bononia discesserunt. Bentiuolis Bononia profectis, populus Bononiensis statim Oratores, qui Ciuitatem Pontifici dederent misit; illud modo petentes, dirarum decreta tolleret; & ne Galli Bononiam ingrederentur rogarent; qui disciplinæ impatientes cum ad muros accessissent, ingredi sunt conati, sed à populo repulsi prope mœnia inter Felicis & Saragotiæ portas, iuxta riuum qui à Rheno flumine deductus Bononiam perfluens, naues Ferrariam versus ducit, castra posuerunt; ignari in Bononiensium potestate esse eo in loco vbi riuus vrbem ingreditur, ferrea cataracta demissa, totam circumiectam regionem inundare. quod cum feciſſent, riuus auctus ac tumefactus, depressum locum, in quo Galli castra habebant inundauit; illi vero tormentis plurimisq; impedimentis in luto relictis, tumultuantes se ad Rheni pontem contulerunt, vbi donec Pontifex Bononiam ingrederetur hæserunt: qui maxima pompa, omnibusque Pontificalibus ceremoniis Diuo Martino sacro die insignem ingressum fecit. Sic maxima Bononiensium felicitate Bononia in Pontificum potestatem venit, quæ ciuitas populi frequentia, agri vbertate, & situs opportunitate, merito inter nobiliſſimas Italiæ vrbes numeratur: in qua tametsi Pontifex nouis Magistratibus veterum exemplo constitutis, multis in rebus libertatis signa atq; imaginem reliquerit, re tamen ipsa eam prorsus Pontificio imperio subiecit. In hoc autem liberaliſſimus extitit, quod multis immunitatibus concessis, vt & aliis ciuitatibus fecit, populum Pontificii dominatus amantem reddere conatus est. Ciamontio qui illico in Insubriam rediit, Pontifex octo aureorum millia, decem item millia eius militi donauit; ac de Albiensi Episcopo eius fratre in Cardinalium Collegium cooptando prius factam promissionem scripto confirmauit. Et nihilominus toto animo ad Venetos propter vrbes Æmiliæ ab eis occupatas infestandos conuersus, quo plures aculeos Regi & Rotomagensi ad se iuuandum relinqueret, Ausensem atque Baiucensem, quem admodum rogabatur, & ipse literis promiserat, tunc Cardinales nuncupare noluit. Istud Iulii Pontificis Bononiam iter, Hadrianus Castellensis tit. S. Chrisogoni Cardinalis cẽtum sexaginta quatuor versibus adscriptis, enarrauit.

Augusti memoranda dies vicesima sexta
Pontificem magna Roma dimisit Iulum,
Pene omni patrum, & procerum comitante Senatu.
Formello pius excepit Iordanus, & vxor
Moribus, ingenio, formaq; & nomine Felix.
Postera lux Nepete antiquum, tum proxima Veios
Ostendit: mox per Cimini montemq; lacumq;
Tendimus insignem per balnea multa Viterbum.
Discordes bonus hic ciues pacauit Iulus.
Præbuit hinc celeber mons dulcia vina Falisco,
Detinuitq; diem. Veterem post vidimus vrbem
Excelso rupi impositam sine mœnibus vllis.
Hic templum Genitrici ingens, cui sculpta vetusto
Marmore stat facies, spirantq; in marmore vultus.
Carnaiola procul, pons hinc sex millia distans
Cyaneas transmittit aquas, sparsasq; paludes
Per sata, per syluas: ah quantum absumitur agri.
Plebis ad indomitæ castrum peruenimus, inde
Impositæ apparent Perusinis collibus arces:
Castellona lacus Trasymenus mœnia cingit,
Hunc ratibus læti tranauimus, insula lætos
Accipit hospitio; Pasianum allabimur, vnde
Prospicimus campos Romanis ossibus albos.
Seruat adhuc nomen locus: & de sanguine fuso
Sanguineos campos Perusini nomine dicunt.
Hic vbi commisso fallax certamine Pœnus
Flamineumq; ducem, Mauortiaq; arma subegit,
Per colles, ripamq; lacus Corclauia subimus
Mœnia, oliuifero tumulis latissima rura:
Vicina placuit Patribus recubare sub vlmo.
Hic simul occurrunt equitum, peditumq; caterua
Vrbinate Duce, illo nec melior fuit alter,
Nec pietate prior, sed nec præstantior armis:
Tot dotes iuueni inuidit lapidosa podagra.
His circumsepti legionibus, ordine longo
Ingredimur Perusinam vrbem, ciuilibus actam
Eversamq; odiis. Hanc tu Pater optime Iuli
In placida tamen compostam pace relinquis,
Non procul oppidulum est, Fractam cognomine dicunt,
Amnis obit muros cæno, & graue olentibus undis.
Huc vbi delati, montes, Eugubia tecta,
Hærentemq; ingis vrbem superauimus, inde
Perpetuos colles Catiani villula findit:
Villula munifica non aspernanda popello.
Hos præteruectis tumulos plebecula Callem
Quæ colit angustum, Caglo cognomine dicunt,
Occurrit facie obducta, nam tabida fertur

Illam recipit.

Infesciſſe

Infeciſſe lues, celeri pede fugimus omnes.
Hinc ad aquas lanias perreximus, vnde Methaurus
Confusus Gauno Foruli spectacula præbet.
Est operæ pretium versu describere rurum
Naturæ ludentis opus. Stant vertice ad auras
Hinc atque hinc montes præruptí flumine subter
Secretis labente viis, vt fumus ab imis
Surgat aquis, lateq; fluant aspergine cautes.
Rupis ad extremum leua venientis ab vrbe
Porrigitur molis dorsum, qua scrita nulla
Nulli aditus quondam, nec erat via pernia cuiquam.
Cæsar inaceſſam patefecit Titus: & illam
Quantum acie possunt oculi seruare cauaiit,
Inscripsitq; fores: & adhuc vestigia vtrumq;
Limen habet, scabro & fragili vix cognita topho.
Sunt soliti hac cauera multi latitare latrones,
Exceptoq; viatores demergere in amnem.
Repsimus excrypta, atque angusta fauce viritim
In campos Vbalde tuos, hinc imus in vrbem,
Vrbinum dixere patres, tua Regia tecta.
Ardua quæ saxo colitur macerat avetusto
Hinc petitur, vicoq; breui succedimus. inde
Scandimus excelsas nimbosa cacumina pennas
Diue Marine tuas, tumidi hic subsidere montes
Incipiunt, superoq; mari consistere littus
Planicies ingentem terris, opibusq; superbam,
Gallia qua sinuto Rubicone comata patescit.
Italiæ hic finis quondam, nunc omnia miscet
Effera barbaries, antiquaq; nomina vertit.
Sanguinea vocant pinguissima rura coloni.
Huc madidi, multoq; luto, fessiq; venimus.
Progressi meliore via, cœlo grauiore
Cæsenam intramus, culices auertere somnos
Omnibus, & variis vultus maculare figuris.
Pompili. Liuiq; forum diuertere cogunt:
Terra ferax, populusq; ferox, ac cæde frequenti
Terribilis, semperq; furens ciuilibus armis.
Vt ter quinque dies abierunt, Lulia tecta
Linquimus, atque iterum montes iubet ire per altos
Iulius, & Cæsari ad lauam iuga visere Cari.
Imus præcipites per mille pericula rerum
Turrigeraq; arces, rupes, & inhospita saxa.
Apenninicolæ accurrunt, visoq; Senatu
Reptantes genibus per humum noua numina adorant.
Mediana iacet vasto depressa barathro
Accola torrenti, truncis, salebrisq; fragoso:
Hanc terram pedibus celso de monte ruentes
Prendimus, & placido curamus corpora somno.
Postera lux alios scopulos, cœloq; propinquas
Nubigenasq; alpes aperit, Marradia vulgus
Saxa vocat, summum excipiunt Magalia Iulum.
Inde Palatiolum statio opportuna labori
Hospitio lassos refouet, tum fluminis arcta
Præcluditur ripa, tenui discrimine euntes.
Est locus extremis in montibus asper Hetruscis,
Hunc dictum perhibent à tusci Tusimianum.
Hinc quoque delati montes deuoximus omnes.
Orta die latos campos, & amœna vireta,
Cornetoq; forum, feliciaq; arua reducit.
Hic meus ortus habet sedes Papiensis auitas
Nobilis, & clarum genus alto à sanguine ducit.
Constitit hic Pastor, dum prospicit omnia Iulus,
Et belli, pacisq; simul dum pondera librat,
Consiliaq; Patrum rerum moderatur habenas.
Appulit interea Gallorum exercitus ingens,
Conseruitq; manum, & muros circumstetit armis
Felsina docta tuos: volat impiger actus ab vrbe
Nuncius; & ferram exactam pulsumq; Tyrannum,
Excussumq; iugum patriæ cerucibus affert:
Pontificem implorat fessis succurrere rebus.
Hoc Oratores certatim ex vrbe frequentes
Exposcunt, Patrieq; Patrem properare precantur.
Tum adolet Iulus templis, sacrisq; peractis
Tendit iter, gressum celerans, vrbiq; propinquat.
Vrbs antiqua, ingens Hetruscis Regia quondam
Felsina; tum Bois fato irrumpentibus impar,
Accepisse nouum fertur Boionia nomen.
Verum vbi sunt Boi Romano milite pulsi,
Barbariem excussit, capitq; Bononia dici.
Subditur ad Boream radicibus Apennini,
Planicie accliui, procumbens Solis ad ortus.
Inter aquas Sapinæ, & Rheni, quarum vtraq; in vrbem
Ducta vehit, reuehitq; rates, pristinaq; versat.
Æmiliæ decus, & belli, pacisq; patrona;
Dines opum variarum, & nullius indiga cultus:
Musarum domus, atque omnis nutricula iuris.
Iamq; dies aderat, mediumq; vehebat ad axem
Omnia conspiciens Phœbea lampadis astrum
Obsedere patres maioris limina portæ,
Qua modo Felsinea Pastor requieuerat æde:
Porticibusq; amplis expectant nomen Iuli.
Tandem de thalamo sella sublimis eburnea,
Gestatusq; hominum scapulis, longo agmine prodit:
Cui trabea ex auro, gemmis, ostroq; coruscat,
Tempora conchili fulgent redimita tiara.
Progreditur procerum legio tua Felsina proles:
Æratæq; ruunt acies, clypeataq; circum
Agmina funduntur; placidos dat Curia gressus
Æquari spatiis omnes, & vestibus omnes,
Purpureisq; patres tectí capita alta galeris,
Obuia quæq; oculis præstringunt numinis instar.
Visendi studio effusi iuuenesq; senesq;,
Et matres, pueriq; simul tecta omnia complent,
Culminibusq; astant, portisq; & turribus hærent.
Vt vero ad Diui venit penetralia Petri,
Iulius, aspersitq; Patres in limine primo
Rore leui, gemmis manibus veneratus ad aras
Effigies sacras; Grates quas possumus, inquit
Accipe Christe Deus. Nam quæ sit digna, quemue as
Munera, quas laudes humana voce referre?
Tu nos involumes per tot discrimina vectos
Vrbe hac Felsinea sine cæde, & sanguine donas.
Da Pater Omnipotens, rerumq; æterna potestas
Sic superos penetrare aditus, verosq; triumphos,
Terreno inuolucro exutos, virisq; subactis.
Hæc vbi supplicibus votis orauit Iulus,
Quisq; domum properat, factoq; hic fine quieſcit.

Ista Cardinalis, de itinere Iulii Pontificis Bononiam, cui cum is in minore fortuna Episcopus præfuisset, non potuit non ad vnguem intellexisse, iniurias Bononiensium ciuium, quibus eos Bentiuolii oppresserant. Ea propter, vt huius rei memoria tenacius in mentibus hominum hæreret, nummos aureos & argenteos, quos in primo vrbis ingressu spargeret, signari iusserat his verbis; BONONIA PER IVLIVM A TYRANNO LIBERATA. Incruentæ huius de Bentiuolis victoriæ, duo portenta præcessere. Visæ in meridie, in pratis Salæ, duodecimo à Bononia lapide, ad viginti hominum, albis, rubris, & atris vestimentis indutorum ac mutuo inter se dimicantium vmbræ; quæ propius accedentibus inspectoribus disparerent. Visus etiam in Cœnobio Sancti Pauli secundo ab vrbe milliario à Minoritis Obseruantibus ibidem incolis, Angelus districto gladio Bononiæ comminari; sed non ferire; quemadmodum neq; illæ viginti vmbræ sanguinem effundere. Decretum, vt omnia Bentiuoli insignia, vbicumq; in vrbe depicta deleretur: ac Hercules Bentiuolius, vtpote consiliorum Ioannis insciis, si Bononiæ vellet remanere, gentilitium stemma mutaret, & pro serræ rubeæ septem dentibus in scuto aureo depictis, quinque radios flammæ rubentis assumeret; quibus Hercules superne, tres glandes appinxit, allusione ad stemma Pontificis, qui Roboreæ arboris signo vtebatur. *Guiciardinus libro 7. Pompeius Vizanius histor. Bononien. libr. 8. & 9. Ciaconius & Onufrius in Iulio 2. MS. Bibliothecæ secretioris Vaticanæ. numero 1294.*

II. *Ferdinandus de victoria per legatum gratulatur Pontifici.*

Inter eos, qui Iulio gratulatum miserunt, fuit Ferdinandus Rex Catholicus, quem Pontifex lege Ecclesiastica ante aliquot menses soluerat, vt sponsam, quam arcto propinquitatis gradu attingebat, posset sibi coniugio adiungere. Ab eo Antonius Acunius missus venit, qui de victoria

ctoria succeſſuq; gaudio fungeretur. Maior ex arcano cura ſuberat tempeſtiuis officiis regni Neapolitani iura promerendi, expreſſis à Pontifice tabulis, quibus ſibi & poſteris eam poſſeſſionem confirmaret, nulla fœderis cum Gallo icti memoria. In ſumma poteſtate id æquius, quod validius. Regibus præ utilitate nulla honeſtatis cura eſt, neq; quid de ipſis fama loquatur tanti habent. Arcano hæc agitata conſilia accurate tegebantur. Fine quidem huius anni Egidium Viterbienſem Auguſtiniano Ordini Præfectum Generalem, Concionatorem hac ætate eximium, Bononiam vbi Pontifex erat, legauit cum mandatis; paratum ſe eſſe pro eius incalumitate & Pontificia dignitate, non viribus iuuare, ſed ſanguinem vitamq́ue profundere. Experiretur cum vellet, ſiue Eccleſiæ patrimonium tyrannis eripi vellet, ſiue bello peti Turcas, quo iampridem animus ardenti ſtudio ferebatur. Hæc agebantur à Ferdinando, qui iam Neapolim appulerat. Multis ille à Philippo genero, & quibusdam Caſtellanis proceribus, exagitatus contumeliis habuit Caſtellam relinquere, & in Italiam commigrare. Narrabo, ad notitiam virtutum & felicitatis Ferdinandi, & candoris deluſi. adeoque infelicitatis Philippi eius generi: à quibus plurima præſertim de aulicorum moribus, deq́ue inconſtantia fortunæ, documenta. Ad XV. Kalend. April. Ferdinandus cum Germana Foxea nuptiis celebratis, Burgos abierat, per cauſam excipiendi Philippum Regem generum, quem exiſtimabat ad Lauretanum portum, aut è vicinis aliquem propediem affuturum. Sequebantur Præſules Toletanus Hiſpalenſiſq́ue, Albanus, Magiſter Equitum, Maris Præfectus, Comes Cifontanus, in ſtudium vt videbatur incitati curandi, vt regno adminiſtrando Iſabellæ Reginæ teſtamento explicata voluntas rata eſſet, nulla in contrarium exceptione. Peruenerant Turrecrematam, cum nunciatum eſt Philippum & Ioannam Reges filios ad Brigantinum portum appulſos omnino ad quartum Kalendas Maij. Lenta nauigatio longaq́ue mora vt eſſet, Regum in Anglia congreſſus effecit, ludis & ſpectaculis celebratus in hoſpitum gratiam. Ad Falanuæ quoque portum dum idonea ad trajiciendum tempeſtas expectaretur, multi dies abierant. Ad Brigantinum portum appellendi claſſem cauſa extitit Philippo iniecta à malitioſis perſuaſio; In Caſtellam ingredi fore commodum quam longiſſime à ſocero liceret. Eius abſentia ſi quid à Proceribus moueretur, & in quam partem ſe populi darent facile cognituram; ex eventu conſilium ſumeret, certus Salmãtini fœderis conditionibus non ſtare, niſi neceſſario. Totius machinationis auctor Emanuel, Principis ſimplicitati & ingenuo candori illudens; vſque eo vt in Bœticæ oram ductura diceretur, Nerio promontorio claſſe circumducto, niſi aduerſi ventorum flatus vetuiſſent. Philippi aduentus, quo publicam felicitatem fundari, ac rebus tranquillitatem reddi par erat, ne contra Reipub. ſtatum, pacemq́; penitus conuelleret, vti ſe initia dabant, Ferdinandi prudentia, atq; animi magnitudo effecit. Hic rebus aduerſis ſe maior, diſſimulatione, comitate, agendi dexteritate in bonum vertit, quæ incendium exitiumq́; rebus minitari videbantur. Non idem vtrique animus erat, neque vna agendi ratio, ſed prorſus cõtraria. Philippus, quaſi vis pararetur, Beneuenti ac Lemoſii Comites, & reliquam Calæciæ nobilitatem, præterea Caſtellæ proceres ſingulos per literas de communicanda ope appellare, eiuſq́; vt partes palam profiterentur hortari. Hoc nihil aliud erat, quam pro pace diſcordias ſerere, concitare tumultus temere imprudenterq́;. Ab eo initio, quoniam conatus ex ſententia proceſſerat, ſpeq́ue maior procerum ad eum concurſus fiebat ex omnibus partibus vlterius progreſſus palam profiteri cæpit, Salmantini fœderis legibus haudquaquam ſe obtemperaturum: ignarus videlicet rerum humanarum inconſtantiæ. Soceri quoque aulicos & miniſtros infenſos habere, malignis intueri oculis, vſq; eo, vt die quodam Petrum Aialam monuerit; multa in Belgiis & Anglia ſe aduerſum agitatos ſcire; diſſimulaſſe tamen in ſoceri gratiam: ſi pergeret, haud impune conatus fore, quando vnus eſſet è ſubditorum numero, atq; in ſuo ære; attente conſideraret, quid facto opus eſſet: niſi obtemperaret, malo vindicaturum. Miſerat Rex Catholicus quatuor viros in Curia rerum capitalium, apparitores, ac reliquum forenſe miniſterium, vt penes nouum Regem ſuas quiq; præſtarent partes, munera exercerent. Honori datum contumeliam interpretatus, ſocerum ſibi tantum ſumere, vt miniſtros & famulos daret, quod nullo pacto ferre habebat præiudicatum fixumque animo, neque tutorem pati, neque patruum, vti Ioannes Emanuel dicere ſolitus erat, eos vnde venerant, continuo remiſit. Sic eſt. Multa quæ apud concordes vincula charitatis argumentaq́; ſunt, inter infenſos iras concitant. Philippi aulici, & amicorum principes multa in Ferdinando accuſabant, nouo maxime coniugio irritati cum Germana; quo filiis & nepotibus atrocem factam iniuriam ſcilicet interpretabantur, regno Neapolitano detracto. In quo iure ac merito reprehendi poterat, niſi præpoſtera ipſorum ratio coëgiſſet ad patrocinium Galli Regis, vt dignitatem tueretur, quacumq; conditione confugere, artemq́; deludere arte. Alioqui longe alia mente Rex Catholicus erat, quam æmuli accuſabant. Nam filiorum aduentu nunciato, continuo Raymundum Cardonium, & Ferdinandum Vegham miſit de aduentu gratulatum. Ipſe etiam conuerſo itinere flexoque Legionem maturare conſtituit eos inuiſurus: ſubſtitit tamen Aſturicæ de eorum voluntate dum certiora cognoſceret. Præterea Villenium cum ampliſſimo comitatu Burgos appulſum, atque Anagari Ducem propinquis accitis, & cum manu militari ad novos Reges ire parantem admonuit, vt mutato conſilio non plures comites ſolito ſecum ferrent, eas molitiones delectusq́; legibus vetitos, ne tunc quidem fore impune; quippe minime neceſſarias, quando nulla belli ſuſpicio eſſet, cunctis amica pax. Generum etiam interprete Petro Aiala, vt duo millia Germanos, quos ſecum duxerat dimitteret, hortari porro, ne apparatu non neceſſario prouincialium animi offenderentur; quod omni cura externo Principi prouidendum iudicabat. Michaelem Almaſanium profecto, cui multum fidebat arcanorum participi, legauit, ut Raymundo Cardonio, Fernando Veghæ, Petro Aialæ, & Gutterio Fuenſalidæ iunctus efficeret, vt colloquio mutuo locus & tempus deſignaretur, cupere ſe oppido videre & amplecti filios chariſſimos. Fecit ille quod iuſſum erat. Primum vt Sarriæ congrederentur, deinde ad Pontem ferratum agitatum. Philippi intimis nullus placebat locus, metu, vt erat ſagaci ingenio Ferdinandus, Philippus facile ingenuoq́ue, ne colloquio inter ſe ſuſceptas ſuſpiciones detergerent, quod naturæ, iuri, & propinquitatis legibus conſonum, priuatis aulici rationibus aduerſum omni conatu vitabant. Ita Emanuel, penes quem rerum omnium erat arbitrium, Petro Aialæ die quodam de colloquio Principum ſermone inſtituto palam edixit; Errare Ferdinandum inani fundamento magnæ, vt videbatur, molis iacto; idq́ue trifariam. Neque enim paſſuros in congreſſu de aliquo negotio fieri mentionem, hoc primum ſibi perſuaderet. Deinde colloquium in agro fore, non pari vtrinque comitatu, ſed Philippi multo maiori. Poſtremo falli, ſi in filiæ beneuolentia ſpem aliquem reponeret, inanem haud dubium futuram. Hæc Emanuel præ arrogantia & faſtu ingentibus promiſſis contemptis, quibus tum ipſi tum filiis factis eum rurſus expugnare tentarunt; quippe Principis gratia vacors, atque ſeipſo inſolentior. Villenius, Beneuentanus, & Anagari Dux ad nouum Regem venere, feſtinatione fidem obſequiumq́ue probare certantes. Acceſſere indies alii Proceres, in iis Begiaris Dux, Aſturicæ & Aquilarii Marchiones, ipſeq́; Garſias Laſſius, poſtremo Infantatus Dux eodem appulit. Tantis præſidiis munita factio ad maiora aſpirabat, præſentium tædio, nulla fœderis memoria. Ferdinandus Aſturica, vbi hæſerat ad Idus Maij, Rauanalium diſceſſit, Compoſtellam eundi voluntate, eam vrbem colloquio de quo agebatur oportunam fore ratus. Ex intimis quidam ne feſtinaret, monebant, Inconſulti impetus cæpta initiis valida mora conſenescere, ac prauos conatus debilitari. Quod praua ambitio ſolet, breui inter Proceres & noui Principis aulicos enatis odiis, quando ſinguli ſibi rerum arbitrium arrogarent, eas fore difficultates, quibus Philippus ſuo malo admoneretur, intelligeretq́ue quantopere ſoceri ope & conſilio propterea indigeret. In eo ſtatu res Caſtellæ erant, vt ſi apertum bellum demas, peior eſſe non poſſet. Italiæ Principes aliæq́; nationes, aduentu Philippi quid futurum eſſet auide expectare: ac cunctis erat perſuaſum, Ferdinandum qui eatenus terrori fuerat, demptis viribus & potentia deinceps fore ludibrio.

Ex eius

Ferdinando crimina impoſita.

Ex eius calamitate & ignominia pleriq; nectere nouas ſpes. Eam opinionem vulgo ſuſceptam vehementer confirmabat cunctatione ſua Conſalvus, contra quam iuſtum erat reſiſtens Neapoli. Virum prudentem & magnum profecto non ſine cauſa Regiis mandatis non obtemperare. Ille tamen iis ſuſpicionibus cognitis, equos & domeſticam ſupellectilem præmiſit quaſi mox ſubſecuturus. Deinde Petrum Nauarrum legauit in Hiſpaniam equis citatis moram excuſaturum, veris rationibus redditis ſui facti: dum præſidia locis competentibus diſponit, & militibus ſatisfacit pecuniæ in ſtipendium ob inopiam tumultuantibus re neceſſaria aliquot menſes extractos. Verum Ioannes Baptiſta Spinelus vna in Hiſpaniam profectus Conſaluo infenſus, tum priuatim ſibi factas iniurias conqueri, tum praua interpretatione accuſare quæcumque ab eo quamuis fideliter & prudenter geſta erant. Regiis & aulicorum auribus, ad eas voces & criminationes patulis, innocentiam accuſare facile erat. Sæpe etiam calumnia veritate valentior, acres certe primos impetus habet. Itaq; Cæſaraugustano Præſuli mandauit, vt Neapolim profectus curam rerum ipſe deſumeret in Conſalui locum, confectis in eam ſententiam tabulis. Conſilium arte iuuare viſum eſt. Ioanni Lupo Vergaræ Conſalui à ſecretis data abs Rege ſcheda, qua iureiurando pollicebatur Diui Iacobi Magiſterium ſe illi ceſſurum, cumprimum in Hiſpaniam eſſet appulſus. Vere atq; ex animo id promitti, vt crederetur, ingentia Conſalui merita faciebant; falſo & fraude eventus docuit: & quoniam ſimul Petro Nauarro, quem Oliuiti Comitem dixerat, cuiq; multum credebat, vt filium Cæſaraugustanum Præſulem ſecutus Conſaluo in arce Noua manus injiceret, arcano mandauit; metu ſe ſuſpecti hominis liberaret; quod eius dexteritate & audacia ſucceſſurum confidebat. Decretum inſoliens prorſus & immane numina diſturbarunt, ne ea iniuria obſcuraretur æternum Hiſpaniæ decus, clariſſimum orbis ſidus. Et forte literæ à Conſaluo ipſo tempore ad Regem allatæ accurata oratione & accommodatis argumentis (& eſt magna veritatis vis) ſolis inſtar depulſa mendacii & ſuſpicionem nebula lucem aperuerunt. In iis fidei conſtantiam ſacramento nouo, & execratione firmauit; & in quamcumq; partem ſe res darent ei perpetuo adhæſurum, neq; cuiquam præter ipſum regnum Neapolitanũ traditurum, & alioqui propediem in Hiſpaniam affore rebus cæteris prætermiſſis. His literis tunc quidem ſedata tempeſtas: vnde magna extitiſſent incommoda, ingens Hiſpaniæ dedecus vniuerſæ.

Conſaluo inſidiæ ſtructæ.

III. Vix Proceres & Reguli ad Brigantinum portum appulerant, cum inter ipſos & adverſus Belgas contentionũ & invidiæ ingens exarſit flamma. Ad principem gratiæ & autoritatis locũ in ea aula ſinguli nitebantur, ambitione vecordi, modeſtiæ nulla cura: Villenius ante alios ſibi primas arrogare, cũ ſacris Princeps operabatur cortinæ Regiæ proximus & vno latere, quippe Regiæ Caſtellæ Procurator: ex altero Verius Regulus, & ipſe in Belgis aulæ Magiſter proximum occupabat locum. De Regum colloquio ſententiis inter ſe diſcrepabãt. Hiſpani impedire pro viribus ſatagebant; ne mutuo congreſſu offenſiones detergerentur ſcil. Belgæ ſimpliciores non abnuere, ad vulgi exiſtimationem multũ referre, ſi colloquerẽtur rati, periculi parũ oſtendi. Quid variis imaginibus locum darent? Verio Regulo præaliis id placebat conſilium, ex inuidia & æmulatione vti malitioſi interpretabantur, Ioannis Emanuelis creſcentis gratia autoritateq́;. Sed vtiq; hoc tempore plura moleſtiæ ſigna quã lætitiæ viſebantur in vultu, & concurſu tot procerum quaſi concuſſa mente vereri videbatur, ne alio prælato ipſe è faſtigio felicitatis caderet, in omni conſilio circũſcriptus & cautus. Cunctis tamen vna mens & oratio erat, Ferdinandi actiones accuſare linguarũ intemperantia. Quidam graue ducebant, vectigalium Regiorum illi dimidium attribui, neq; Ordinum Magiſteria ampliſs. reditibus venire in diuiſionis partem. Aliis mirabile videbatur, neq; tolerandum, tres in Caſtella Reges eſſe. Ioannes item Emanuel diploma proferebat in Gallia deſcriptum, quo ſe Ferdinandus Regem Caſtellæ dicebat. Id ad faciendam inuidiam pertinebat. Accuſabãt nonnulli, arces & præſidia teneri Ferdinandi Regis nomine, nullo Philippo loco relicto Præfectũ aliquem nominandi, ne Prætores quidem ciuitatum; quando eam quoq; authoritatẽ ſibi Ferdinand⁹ ſumeret. Quod præcipuum & maximum accuſationis caput erat, delectus eum militares habere ſpecie filiæ liberandæ, quæ propter valetudinem ſenſu turbato incluſa teneretur, ſublata eam viſendi omnibus promiſcue facultate. Conficta prorſus ea criminatio non erat, vtrumq; Principẽ perſtringens. Vere enim à Philippo Regina tenebatur incluſa. Ferdinandus cura anxius ſe tuendi, ſi res ad bellũ deduceretur, datis in omnes partes literis delectus haberi militares mãdauit. Honeſta ſpecies molitioni prætenta, gratiaq́; popularibus liberandi filiam iis viribus & copiis. Dux quin etiam Albanus militum numerũ haud exiguum conſcripſerat in Legionenſi ditione, Ferdinandi in fide ſolus inter dynaſtas perſtans in ea temporũ atrocitate; quamuis non ignarus quanto in diſcrimine verſaretur, ſi perſeueraret cunctis obniti. Nã Equitum Magiſter Ferdinandi gener & maris præfectus eiusdem amitimus, conſultius fore iudicarunt tempori cedere, Philippumq́; amplecti, eiq; præſto eſſe, quam inutili cunctatione ſe ſuoſq́; in præceps dare. In ea procerum alienatione Ferdinandus haudquaquam abiecit animum. Conflabatur exercitus, ſimul Iacobum Albionem in Aragonia nobili loco natum, in Galliam legauit, qui rerum conditione explicata pro iure initæ amicitiæ à Gallo poſtularet, daret operam bellũ in Belgis maiori mole Gheldriæ Dux & Leodinenſis Epiſc. concitaret; quo Philippus periculo frænatus ad æquiores pacis cõditiones deduceretur. Hæc arcano parabantur præſidia, & de colloquio tamen non intermittebatur. Tempus altercationibus tractũ. More tædio Philippus Brigantino è portu digreſſus Compoſtellam abiit. Præcedebant Germanorum cohortes in armis, & eũ bellicis tormentis, non ſecus ac ſi hoſticũ iter eſſet, prouinciam vi expugnare pararent. Ipſo die nempe 5. Kal. Iunii Ferdinandus & vxor Betanſos Compoſtella abierunt. Alfonſus Fonſeca Compoſtellæ Præſul Catholici Regis partes palam fouebat, eo ſtudio quo qui maximo. Philippi aulici id non ignorantes, eam vrbẽ colloquio propterea idoneã non iudicabant, ac ne morę quidem diuturnæ, templo quamuis præſenti numine, ſanctitatis opinione & religione celeberrimo: ſed Orenes verſus diſceſſerunt. Ferdinandus ſubſtitit ad Villam francam locorũ propinquitate inuitatus. Philippus miſit ad ſocerum, qui diceret, ſi ad ſe Cardinalis Præſul Toletanus mitteretur cũ ampla decernendi poteſtate, fore controuerſiis haud dubiũ finẽ optatum. Factum eſt ita. Verũ Tolelani diligentia atq; labore parum proficiebatur; procerum artibus cõcordia impedita, rebus turbatis cogitantiũ maiori in gratia, tranquillis auctoritatis & compendii minus fore. Ferdinandus, Villafranca Bagniezam abiit, inde Matillã. Quo tempore pleriq; Epiſcopi & nobiles eius iter proſecuti, procerũ ſuaſu qui aduerſas partes ſequebantur ad Philippũ abiere, ſenem Principẽ florenti ætate iuuene mutantes. Ea ſolitudine eaq; animorũ conſternatione Ferdinandus admonitus, ſi ad arma ventum eſſet pati ẽ genero nõ fore, quacumq; conditione paciſci decreuit. In rationem neceſſitas verſa eſt. Id vt aſſequeretur literas ad generũ dedit; quibus rogauit, vt cunctatione omni & diſceptatione ſublata ſui omnino copiam faceret: colloquiũ vtriſq; ſalutare ne defugeret. Quid vereretur? Quid fraudibus & malignitati aures præberet? Cur orbi inutili cunctatione ſermonẽ daret? Reſcripſit Philippus; multis ſe iniuriis violatũ; delectus contra ipſum haberi: rumores fraude ſparſos vinctam ſe Reginã tenere; Inquiſitorum, quorũ eſt in Hiſpania poteſtas tremenda ſummæ proxima, auctoritati aduerſari, ac vero propinquis eorum fauere, quos violatæ religionis reos in vincla illi & ferrum tradidiſſent, quæ omnia ad faciendam inuidiam pertinere, Prouinciales fraude alienandos. Interea efficiebatur nihil. Philippi aſſeclæ Ferdinandi animum explorare, antequam in colloquium veniretur, vehementer cupiebant; an in fœderis conditionibus quæ Salmanticæ ſancitæ erant, immutari aliquid pateretur, an Caſtellæ procurationem eiurare. Hic vero difficultatis & moræ nodus, & cardo. In quo cautior Ferdinandus, conſilia detegere non inducebat in animum, priuſquam cum genero eſſet congreſſus, integra cõſultatione in id tempus ſeruata, ratus coram omnia facilius quam per interpretes conuentura. Magna quamuis diligentia Toletani Archiepiſcopi, parum de colloquio & concordia proficiebatur tamen. Vilæ Regulus & Ioannes Emanuel negotio à Philippo propoſiti opponebantur. Toletanus ſimplicius rem gerebat, vti perſonæ grauitatem decuit; illi

calliditate & fraudibus armati. Ex commodo pacisci satagebant deceptis fessisue aduersariis. Si id non contingeret, certe tempus extrahere. Eum vndique fieri ad Philippum concursum, vt breui magna penes socerum solitudine coactus Castella deserta in Aragoniam abiturus videretur. Ipse quoque Toletanus concordiæ nulla spe, certe tenui Ferdinando consilium dabat, vt tempori cedens in Carpetanos sese referret retro conuerso itinere; arcibus & oppidis, quæ multa & firma Toletanis eo tractu obtinebat, tantisper sustentaret dum animorum æstus remitteret. Daret malorum pœnitentiæ, daret bonorum consensui spatium. Praua consilia initiis valida mora languescere, bona è contrario confirmari. multa quæ natura impedita sunt, mora expediri. Dum eo peruenireturmulta posse intercedere, præsertim tam lento itinere, eo anni tempore victus, vt erat gens, intemperantia quod caput erat: multis inter Hispanos & Belgas enatis suspicionibus, haud fore prouinciales tam vecordes, vt ex comparatione temporis præteriti cum præsenti errasse se non faterentur, cuperentque emendare. Hæc Toletanus prudenter vti euentus docuit, eo ipso iam Ferdinando suspectior: quasi tempori inseruiret, & ad Philippi gratiam cum cæteris niteretur se deserto, ex heri damno & ignominia compendium capteret. Nimirum vera monentibus is fructus esse solet, assentatio sine periculo peragitur. Verino, quo Philippus peruenerat, Dieghum Gueuaram miserat ad socerum cum mandatis, ne festinaret; cunctationem vtrisque fore commodiorem. Non destitit tamen Ferdinandus filios visendi certus, quid graue dictitans si inermis alloqueretur armatum? Quæ malorum spectra fingerent animis? Vilæ Regulus & Ioannes Emanuel, quando detrectare colloquium non poterant, Nellasa, quo Philippus venerat, ad Ferdinandum ire perrexerunt, diem & locum congressui designaturi; misso tamen prius Albano specie negocium peragendi, sed re vt pro Emanuele pignus esset, inuiolatum fore. Interim Philippus Sanabriæ vicum, Ferdinandus Asturianos concesserant, octo millium modo interuallo. Eo in oppido Ioannes Emanuel & Vilæ Regulus accepti à Ferdinando benigne sunt, nulla offensarum mentione. quin blandis eos verbis compellans ea dixit, per quæ intelligeretur, nullam se moram facturum concordiæ ex generi voluntate, mutatis quæ viderentur in superioris fœderis conditionibus. Inter ea oppida medio ferme interuallo villa est sita Remessal dicta. Ei villæ propinquum roboretum colloquio delectum. Die postero, vti erat constitutum, Reges duo ex hospitiis sunt profecti, non pari sed longe diuerso comitatu. Regem Catholicum ducenti sequebantur mulis vecti, atq; inermes, pacis habitu & cultu; Philippus milite & armatis stipatus. Prope Sanabriæ vicum duo millia hastati dispositi erant præter indigenas, qui ex omni parte confluxerant visendi auidi, & studio in nouum Regem suis sedibus exciti, equitum præterea valida manus, eorum qui proceres secuti erant. Præcessere mille Germani quasi locorum exploratores; aulicis subsecutis Philippus ipse clausit agmen in equo, atque sub veste tectus armis. Dextram Toletanus stipabat, sinistram Emanuel. Ferdinandus occupato podio prætereuntes spectare animo sereno, si ex vultu conjiceres. Accessere proceres ex ordine dextram gentis instituto osculatum, quos ille festiue excepit. Beneuentano complexum ferens sensit armatum. Cum risu Comes ait, quî solito obsequior es factus? Sensit ille aculeum dicti, respondítque; Sane id tempore est factum. Garsiæ Lasso; sit etiam, inquit. & ille; Enimuero cum omnibus aliis. Secutus est astantium risus. Accessit Philippus. haud læto vultu ex equo in pedes desiiire volentem aliorum exemplo soceri dexteram osculatum, occupauit ille complexu & osculo, læta renitenteque facie. Ad vitandam multitudinem, quæ circumfluxerat verba habitumque notantes, aliquo concedere placuit. Prope erat sacellum, in quod duo Reges secundum salutationem sunt ingressi: & cum eis Toletanus & Emanuel. Toletanus qua in cæteris libertate, ad Emanuelem: Non decet, inquit, priuatos Principum suorum sermonibus interesse. Facessanus ergo. Non auso repugnare socio, cum prope ianuam essent, egredere, Toletanus addidit, ego ianitoris implebo munus. Sic illo egressu clausaque janua in vicino podio assedit. Reges postquam inter se solita salutantium verba dixere, Ferdinandus prior aduersum uti flecteret, aut pacis cupidum vt vehementius accenderet, hac sententia locutus fertur. Si nostræ tranquillitatis & jucunditatis, quam commodi & honestatis rationem potius habuissem, susceptas hactenus contumelias & probra nunquam pertulissem. Verum amoris vis magna est, paterni maior; multa patitur, multa dissimulat. Huic studio parem gratiam redditam non esse, sua pariter ac nostra causa dolemus. Vt mihi Regina vxor rerum procurationem demãdaret, ipse obsequerer iustæ voluntati, nulla prava ambitione factum est, ac ne plura quidem habendi cupiditate, multo minus cuiusquam dignitatem eleuandi voluntate. Satis diuitiarum diuino beneficio suppetit. Filiorum porro contemptus, quid aliud quam dedecus nobis pareret? Vestræ ætati, præsertim rerum vsu non magno, neque probe cognitis gentis ingeniis, ne imponeretur, vestraq; illuderetur ingenuitati, non sine causa verebamur. Astuti homines commoda sua fuorumque ex vestra ignominia, publicaq; adeo calamitate captarent. Inde existerent dissidia & tumultus, iis pares, quos Regum facilitas, aulicorum prauitas peperit superiori tempore; quibus vulneribus vix nunc est cicatrix obducta. Verum quando nostra voluntas, non ea mente qua par erat accipitur; quod alioqui rebus compositis facturus eram, continuo rerum procurationem abdicare certum habeo. Pluris enim animorum concordia, quam quidquam aliud esse debet, præsertim alio vocantibus rebus magnis, quæ nostram præsentiam gemunt, præsentia curabit. Omnia in te sunt quæ aut fortuna hominibus aut natura largitur, ætas, opes, ingenium, neque studia gentis desunt: vt sint propria, faxint superi. Illud monere non desinam, videndum quibus fidere debeatis, quibus administris partem aliquam potestatis credere. Quam nisi tempestiue cautionem ac diligentiam adhibueris, quod auertant numina, neq; ipse velim, magnæ difficultates & egestas implicabunt. Hunc Archiepiscopum sumi expertus magno animo esse, ac minime malo. Illi & similib. tuto fides. Auri splendorẽ alia metalla imitantur, mentiuntur fuco probitatis illita vitia: sæpeq; loca virtuti debita per simulationẽ praui homines occuparunt. Philippus Rex paucis respondit, vt erat ab intimis edoctus. Ea consilia magnũ apud se pondus habitura: pro eo ac par erat obsequium deferre, ac perpetuam voluntatem obtemperandi præceptis ex animo profecto paterno profectis. Verba vocesq; non audiebantur, vultus procul visentibus notabantur, Philippi proiectus & mœstus, Ferdinandi non insultans sed grauis & lætitiæ propior. Sic è colloquio discessum, nulla duabus quamuis horis inter colloquendũ consumptis mentione Reginæ, neq; à patre facta ad vitandam offensionis occasionem, neq; à genero oblata eam videndi facultate. quod certe fuit inhumanum: vulgo sed & proceribus sermonũ ac vituperandi materiam præbuit. Maiori plane animorum offensione, quam cũ qua venerant, digressi in oppida vnde discesserant continuo redierunt ipso die ad memoriam insigni Sabbatho ad XII. Kalendas Iulias.

Continuato inde itinere Reges duodecim aut summum sedecim inter se millium interuallo, Philippus ipso Diui Ioannis pernigilio Beneuentum tenuit. Ferdinandus solicitare non cessabat, concordia vt sanciretur. Quibus id negotii datum erat, Consensu Ferdinando denunciarunt Castellæ procurationem in generum translata, vti in Aragoniam abiret, Ordinum militarium tamen retenta Præfectura, aliisq; Isabellæ Reginæ testamento legatis integris. Hac lege fœdus sancitum, eosdem amicos inimicosq; futuros, nemine excepto. Hoc pactũ à Ferdinando Villafasile sacramento confirmatũ est, astantibus Toletano, Emanuele, & Vilæ Regulo ad V. Kal. Iulii. tantundem die proximo Philippus Beneuenti præstitit, victoria de socero parta per eum modum, cuius ex templo autores & gentem pœniteret; lætus eo ampliùs, quod ex arcano tabulis confectis, Reginæ valetudinem rebus gerendis inutilem iidem contestati sunt. Quod erat nihil aliud, quam rerum summã ad se trahere, & sine riuali regnare. Contestatus est etiam Ferdinandus secreto coram Thoma Malferito, Ioanne Cabrero, & Michaële Almasanio, qui erat à secretis, coactũ in eas conditiones veniſſe, quippe inermem aduersus militum legionibus cinctum: cũ liceret reuocaturũ.

Rebus

Rebus ad hunc modũ constitutis Ferdinandus Tordesillam abiit. Ex eo oppido literas in omnes partes dedit Kalendis Iulii conscriptas, quibus sibi destinatũ affirmabat Castellæ procuratione cedere, cum primum filii applicuissent. Eiusmodi voluntatis argumẽto Castella relicta velle suarum rerum curam arripere, suisq; subditis prospicere diuturnã absentiam sui Regis ægre ferentibus, cum publico haud dubium multorum detrimẽto coniunctam. Priusquam Tordesilla discederet, misit ad eum Philippus qui denunciaret Reginæ contumaciam, & iurgia Beneuenti extitisse. Orari proinde paterna auctoritate remedium. Huic legationi, quoniam inuidiosa res erat, & Philippo certum vxorem includere, nihil certi respondere voluit: rem modo omnem eius probitati & conscientiæ permittere. Se quidem parentem esse, ipsum tamen virum, eam vtriusq; filiorum matrem. sperare nihil tanta necessitudine indignum facturũ, suaq; prudentia sanioraſ secuturum consilia. quod vt faceret, rogare enixe. Tordesilla Tudelam itum est, nomen id vico non procul Vallisoleto. Philippus Muzientes accessit ex itinere in suam sententiã pertractis proceribus syngraphasq; extorquens, quibus Reginam includi probarent. Præfectus maris consensum cum cæteris rogatus respondit; priusquam missæ ad se in eam sententiam descriptæ schædæ subscriberet, cupere Regis voluntate causam explorato eius deliberationis cognoscere, Regina, si liceret, visa & conuenta. Placuit postulatũ fieri. sic accepta venia, Præfectus & Beneuentanus in eius oppidi arcem admissi, Reginam in cænatione inuenerunt maligna luce, in veste nigra obsoletaq;, cucullo capiti imposito, quo faciem fere velaret, ex iis credo, quibus in Gallia fœminis capiti imponere, & oris partem velare familiaris est vsus. Ad ianuam Garsias Lassus erat, intus Toletanus Præsul. Assurrexit illa viso maris Præfecto, excepitque eo honore & ritu quo mater posset, nisi quod pedibus stetit. Rogauit, num à patre veniret, & qua illum valetudine reliquisset. Respondit Præfectus: pridie se Tudelæ lætum valentemq; reliquisse, discessum in Aragoniã parantem, ac iam in procinctu esse. Tum illa incolumitatem orare, atq; oppido libenter visurum dicere. Aliis institutis ex professo sermonibus, nihil tamen absonum excidit. Vrgebat Philippus includi continuo. Præfectus; Videndũ, inquit, quid facto opus sit. Sine Regina Vallisoletum eundum non arbitror; alioqui incommoda & animorum motum denuncio. Commota plebe, & ad tantæ rei expectationem erecta, cauc ne proceribus mala sentientibus detur occasio rerum nouarum, Reginæ liberandæ specie popularibus grata. Me quidem auctore vxorem nunquam à te seiunges; & quando præcipua valetudinis causa Zelotypia continetur, non arbitror committendum, quo mente amplius eo facto concussa moribus simul augeatur. Digna res visa est quæ ad consilium deferretur. Collatis sententiis placuit Vallisoletum deduci. Prius tamen quam ex iis locis discessum esset, rursus Reges inter se videre. Renedum vicus medio ferme spatio Tudelæ propinquior colloquio delectus. Re constituta Ferdinandus generum monuit, maiori quam antea beneuolentiæ significatione accederet. Vtriusq; interesse rerum intelligi concordes, vel maxime discessisse. Quid darent sermonem orbi, nouis offensionibus susceptis, neq; detersis prioribus? Tertio Nonas Iulii post prandium profecti sunt Reges. Prior Ferdinandus accedens in pagi templo expectauit, dum gener accederet. Venienti obuiã progreditur; vt inter se viderunt, dextræ iunctæ, in complexũ itum, magna vtrinq; comitate certatum. In templo sacello remotis arbitris horam & dimidiam substitere. Monuit generum Ferdinandus quid facto opus esset, quid vitandum vt sine offensione Rempub. gereret. Fine colloquii, Toletano ad se euocato verba inter se dixerunt magnã amoris significationẽ exprimentia. Quod si tam facile suorũ mentes Philippus flexisset, quã ipse cesserat, concordia inter duos facile potuit stare. Ergo è colloquio est discessum. ac Ferdinandus nulla præterea negotii alicuius mentione, ne filiæ quidem, cuius visendæ haud dubium studio flagrabat, Renedio discedens in Aragoniam iter intendit. Albano veniam eius iter prosequendi Neapolim vsque, quo breui erat iturus, roganti negauit præcise, multis quamuis precibus fatigatus: gratius facturum excusans si in Castella maneret, præpositus iis quibus suarum rerum procurationem delegarat. Hi erant Gutterius, Lupus, Padillia, Calatrauæ Promagister, & Ferdinandus Vegha Ordinũ militarium iudicis præfecti, tum Ludouicus Ferrerius, qui Oratoris partes apud generum impleret. His mandatum, vt Albani voluntati non secus ac suæ cuncti obsequerentur, imperium respicerent. Discessum, qui vniuerso orbi vehementer ignominiosus esset visus, ea ipse magnitudine animi pertulit, quo cæteros antea fortunæ sæuientis fluctus; eo indignior iniuria, quo eam æquiori animo pertulit. Proceres se adeuntes benigne accepit, nulla molestiæ vel leui significatione. Gẽtis ingratos animos forte accusauit quisquam aduersus eum cui omnia deberent: magnis se potius obsequiis deuinctum dixit: daturũ operam, quantum liceret, vt memori contulisse viderentur. Ita demũ discessit eo vultu habituq;, quasi breui se rediturum, & in maiori gloria fore præsagiret animus. Et quidem cognita Principis indole, vtriusq; gentis ingenio, haud diu res eodem loco mansuras, breuiq; ex comparatione instantis temporis cum præterito, quantũ senilis prudentia rerumque vsus maximis iuuenis facilitati præstaret, non sine gemitu & reuocandi voluntate intellecturos prouinciales, diuinare promptum erat.

IV. Et vtiq; vix Ferdinando digresso magna rerum immutatio facta est. E capite in corpus Reipub. salus labesq; diffunditur. Rex Regi quantum præstat? Indixerat Philippus regni conuentus Vallisoletum lautũ & amplũ municipium, quod de Reginæ captiuitate cogitarat, Ordinũ consensu cõfirmari cupiens. Honesta scil. species parum mente valere, neq; idoneam rebus gerendis videri. Subornatis proceribus Toletanꝰ etiam accedẽs, vt in eius potestatem custodienda traderetur, quibusdam vrbium procuratoribus auctoritate persuasit. Vnus maris Præfectus ex omnib. qui aderant, appellatus de cõsensu, præcise se passurũ negauit: nouum atq; insolens exemplum induci. Neq; in eo restitit, sed Vrbium procuratores allocutus, ne rei turpissimæ assentirentur palã monuit, quod sine fidei debitæ Reginæ suggillatione nõ contingeret. Vera iis prædicare videbatur; animorum tamẽ imbecillitate Principis obsistere voluntati non ausi per se, professi sunt tamen, si quis Procerum conatui faueret, aperte repugnaturos. Tũ ille commune periculum fore Sacramento confirmauit in causa iustissima, quẽcumq; exitum haberet, neq; sibi priuatim cõsulturum, tantum viros se præstarent. His verbis animata maior suffragiorũ pars crudele decretũ abiecit; ac quæ in Tauri conuentibus sanxerant, nouo iureiurando cõfirmari modo placuit, in Ioannæ verba quasi iustæ Reginæ & Philippi Regis eius mariti, tum Caroli Principis post matris fata non alium regni hæredem fore. Regium ærarium exhaustum erat, factis sumptibus geminæ aulæ, & militaribus stipendiis, multiplici præterea peculatu. In Mauricum bellum pecunia decreta, aureorum millia, ducenta & quinquaginta duobus annis à populis redigenda. Graue subsidium fuit fame grauissima prouincia laborante, vsq; adeo vt aductitio ex Sicilia frumento mediterranea quoq; vitam tolerarent. Carpetani & Celtiberi è Carthaginis nouæ portu petebant; à Malacensi Bætica vniuersa; inaudita ad hæc tempora rei frumentariæ inopia, caritate mirabili longinquæ vecturæ impensa aucta; & tanquam in summa abundantia pecuniæ illudebatur tamen passim sine iudicio donatæ, in ludis & conuiuiis intemperanter consumptæ. nouus quoq; Rex domesticis præda erat. Excepit noua calamitas cum magno Religionis dedecore. Regii consultores & ministri, sacri Officii Inquisitorum iudicia & auctoritatem labefactare cæperant, iis se immiscentes causis temere, promercali homines ingenio atq; profani. ac nominatim aures præbere Cordubensis Inquisitoris Dieghi Lucceri actiones præposteras accusantibus, quasi indigna atrociaq; tum ipse tum cæteri administri pro potestate gessissent; neq; quieturis nisi mouerentur eo ordine & munere. Vinctis ea causa fauebant inter alios Egabri Comes, & Prieghi Marchio validissimo conatu. Populares correptis armis quosdam ex Inquisitoris ministris in vincula rapuerunt, viq; in arcem irrupere Inquisitorum domicilium. Accusabãt præterea summum Inquisitorem Dieghum Eusdem Hispalensem quoque Præsulem, quiq; ei à supremis consiliis erant, Rodericum Mercadum, Azpeitiam, Fernandum Montemaiorẽ, Ioannem Taueram, Sosamque, viros quamuis integerrimos. Tauri ii ea tempestate maiora de religione iudicia exercebãt, vinctis multis ex eo numero, qui ad Iudaicam perfidiam, quam ciurarant ante, redierant viri alioqui copiis & clientelis

præstantes. Cum iis mitius agi Philippi aulici cupiebant. Deinde quod non minus gentem perturbauit, neque minora attulit incommoda, vno tempore abdicatis omnibus vrbium Prætoribus, arciumq; Præfectis, ipsisque adeo limiti designatis custodibus, repente in eorum locum alii sunt sublituti. In quo tri fariam atque grauissime peccatum est. Primum enim Belgis magno numero iis honoribus concreditis indigenæ sunt vehementer offensi, non alienigenarum modo multitudine onerari prouinciam, sed honores debitos ciuibus occupare. Deinde tam multis procurationibus vacuis idoneos homines deligere qui licuisset? temerario delectu plerosq; sufficit nulla prudentia, tenui probitate necesse fuit, quæ magna labes extitit ac pudenda socordia. Non paucis aulicorum fauor pro virtutibus erat, aut pecunia qua honores & magistratus licebantur, è calamitate Reipublicæ opes & potentiam aucupari. Postremo quibus ii honores sunt detracti, præmia suæ & maiorum virtuti data, iniuria & præcipitanter detrahi conquerebantur scilicet. Vnde veluti ex vitiato fonte expostulationes innumeræ extitere, odiaque breui ereptura in apertas simultates. Harum rerũ fama vero fortassis maior diffusa in omnes partes, honores & magistratus esse venales, tum prouincialibus tum Reginæ factam iniuriam, popularium auertit animos, atq; ita vt inter se cõspirarent arcano, malis præsentibus quæ magna erant, maiora impendebant & atrociora mederi fatagentes. Alios proceres crederes, alium populum. Addebat alimenta rumoribus Bolgarum ingenium nihil dissimulantium, sed omnia consilia & actiones in populi oculis proponentium. Ferdinandum deseruisse scit. dolebant suspirabantq; tam incenso eius desiderio, vt si conuersa itinere retro rediret, passim secuturos prouinciales appareret nouo Rege deserto. Nihil est in populo modicũ; numquam in vno gradu resistit. Ex eo nouus Rex cõceptui esse cæpit, prorsus vt Garsiam Lassum, cũ maxime vellet, neq; Regio consilio præsicere, neq; Ferdinando filio institutorem adhibere potuerit, procerũ intercessione eo conatu impedito. Sic Ioannes Emanuel Præsidis Vicarias partes implebat, donec alius in eo munere proprie succederet. In Bætica Assidoniæ Dux, Vreniæ Comes, Prieghi Marchio, atq; Egabri Comes ex antecondicto inter se arcano conuenere. Male coercitam famam supprimentes augere solent. De Regina liberanda consilia communicasse vulgo iactatũ. Ex his nubibus ne sæva existeret tempestas prudentes verebantur. Auxit inuidiam Philippo, fœdus ab eo cũ Rege Vasconum factũ Castellæ & Legionis regnis comprehensis, de socero Aragoniæque nulla mentione facta; quod vulgo homines accusarent passim, atq; mirarentur, in eo fœderis leges ad Villafafillam cum socero constituti, ac vero in vno facto humanitatis & naturæ iura peruerti, quibus Deus parentibus obnoxios filios fore sanxit.

V. *Ferdinandus cum Regina Augustæ splendide excipiuntur.*

Ferdinandus Rex è Castella digressus Cæsaraugustam vrbem regni Aragoniæ caput contendit. Prior Regina, deinde subsecutus Rex; excepti in ea vrbe sunt plausu & lætitia gentis eo cumulatiore, quod eo coniugio Regem peculiarem habituros se confidebant, æquo cum cæteris iure à primis annis viuere assuetum, iusto moderatoque imperio, vti leges & instituta gentis postularent superiorum Regũ exempla. Prinsquã è Castella discederet ex itinere à Rege genero petiit, Valentinum Borgiam sibi dedi iure captiuũ suum. Velle eum in aliqua Aragoniæ arce diligenter custodire, certe Neapolim deferre, quippe rebus Italiæ ex sententia componendis virum apprime idoneum. Nam propediem eo ire cogitabat, eoq; classem Barcinone instrui mandaret. Philippum Regem socero obsequi volentem (neq; enim tanti id erat) amici deterruerunt, consilio communicato prius statuendũ disputantes, ad quẽ captiuus spectaret vinctus & missus in Hispaniam à Consaluo, superstite tum Isabella Regina. Ex paruis sæpe magnarum rerum momenta pendere. Importunis altercationibus extracto tempore nihil tandem impetratum, quæ noua contumelia fuit, nouæ offensionis occasio. De Magno Consaluo crescere cura: ex moræ diuturnitate alienum animum suspicari, ab æmulis præsertim & maleuolis varii rumores spargi. Quidam Cæsaris aduentũ expectare affirmabant, per mare superum parantis cum octo Germanorum millibus regnum Neapolitanũ occupare. Accusabant alii ad Gallum transire velle, conditiones transitionis nuncupare Rhotomagensem Cardinalem. Quibusdam erat persuasum, interprete Ticinensi Cardinali fœdus cum Iulio Pontifice agitare. Omnino imperium militare susceptum bello aduersus Ioannem Bentiuolum Bononiam Ecclesiæ Romanæ antea imperii, tyrannide prementem. Neq; deerant sermones prædicantium, Prospero Columna sibi adiuncto, filiæ adeo coniugio cũ illius filio pacto, mõstri profecto aliquid alere; certæ cius familiæ præsidio aduersus omnes fortunæ ictus se tutũ velle præstare. Nemo dubitabat quantũ is poterat, velle tantundem; singulis vt sit ex se alienum animũ metientibus, coniectura fallaci. Nunnium Ocampum mutatis equis ad celeritatem ire ipse in Hispaniam iusserat, suæ synceræ voluntatis testem, celeris aduentus vadem. Aduersus vulgi rumores tales ac tantos non satis fidei Nunnii affirmationi adiunctũ, quoniam dictis facta contraria videbantur. Calumniæ apertæ aures erant, malum innocentiæ adversum. Sic Rex quamprimũ proficisci constituens, Aragoniæ Pro-Regẽ Archiepiscopum Cæsaraugustanum designauit; Catalauniæ Calabriæ Ducem, detractis tamen è familia Italis, quorum partem se Neapolim comitari iussit. Gallum quin etiam Regem solicitauit, vt Reginam Ducis matrem cum filiis reliquis ad se mitteret, vt in superiori fœdere cautum erat. Rebus securitas quærebat. Negauit illa venturam, ac potius in Mãtuani agri oppidum abiit comite Ludouico Gonzaga ex sorore Antonia Baucia nato, decem aureorum millia in familiæ alimenta à Gallo Rege pacta. His rebus perfectis Ferdinandus pridie Nonas Septembris Barcinone soluit, & cum eo Germana vxor, duæ Reginæ Neapolitanæ mater & filia, præterea splendidus procerum comitatus.

VI.

Interea Philippus Rex cumprimum Burgos peruenit, Magistri Equitum quamuis ædibus hospitio delectis, Ioannam Aragoniam eius vxorem aula expulit, ne scilicet esset cum qua Regina suas molestias communicaret, & cuius in sermone acquiesceret. De Albano maiestatis quæstiones haberi cœptæ. Fidei constantia erga Ferdinandum crimen erat hac tempestate grauissimum. Maris Præfecto minori iam gratia mandatum, vti fidei pignus è suis arcibus aliquam traderet. quod ille cum Villenio, Anagari Duce, & Beneuentano communicato consilio facere detrectauit. Magnum malum quod ab his initiis Reipublicæ parabatur, atrocemque tempestatem multorum capitibus & fortunis minitantem Philippi Regis improuisa valetudo, & mors importuna discussit. Febris pestilens nihil minus cogitantem inuasit, atque intra paucos dies extinxit. Veneno corrupta vitalia sensim venis illapso exitiabili carditate, suspicio quibusdã fuit inanis tamen, vbi eius medici sunt testati, atq; in eo numero Ludouicus Marlianus, qui deinde Tudẽsi Episcopatu donatus est in Calæcia. nimiam defatigationẽ, verius intemperantiã exitio fuisse inter obsequia fortunæ minus quã ante suis cupiditatibus imperanti. Decũbenti semper Regina astitit, ac ne ab extincti quidẽ corpore diuelli potuit vlla procerũ diligentia ac precibus, quãuis præter ordinariam valetudinẽ vtero grauida. Ad septimũ Kal. Octob. decessit prima hora post meridiẽ, ætatis anno octauo & vigesimo. Granatæ corpus sepeliri mãdauit. Dũ id fieret translatitio funere ad Miraflores Carthusianorũ Burgense Monasterium tumulo compositum est. Eo fine vitã clausit Philippus Rex vir regni incohati primis fructibus delibatis. Ætatis breuitas effecit, ne diu talem Principẽ præstaret, qualem eximia indoles polliceri videbatur. Nihil profuit nobilitas, ætatis flos, eximia totius corporis orisque dignitas, opes, potentia Regia, splendidus aulicorum numerus, quibus cæteros Principes Christianos facile superauit. Cuncta peruertit mors importuna præcepsq;: tantum sibi in rebus humanis sumit. Sola virtus nõ interit, cuius certa merces est aliis fundata radicibus. Multorum spes sunt euersæ, aliorum ad nouos conatus nihilominus erecti animi. Nemo diuina consilia explorare ausit, aut humanæ felicitatis inconstantiam pro dignitate admirari accusareque. Fuit ei animus ingens, sed facilis; quod nisi cautio adsit & modus, in perniciem vertitur aulicorum abusu prauitateq;. Otio luxurioso oblectabatur, à negotiis abhorrens, eoque intimorum libidini & imperio semper obnoxius. Id vnum fama accusauit, quæ nullum Pinelpem innoxium patitur; Si libido abesset, auaritiam sæuitiamq; non timeres. Mense Augusto crinitum astrum extitit octo diebus, cauda flammata

Philippus Rex moritur.

porrectaq; occasum inter & austrum. Post fata creditũ est huius Principis capiti minari: ciusq; obitu magnam rerum mutationem fore motusq; graues. Secuti sunt in momento, de quibus non attinet scribere. Ferdinandũ Neapolitani venientem magna lætitia excepere, Borgia & Surrentino Cardinalibus pompam ingressus ornantibus. Fere in ipso ingressu à Pontifice interpellatus, vt saltem Hispanici nominis vmbram, sin minus auxilia accommodaret, ad Bononiam recuperandam; statim misit, qui suis verbis moneret Ioannem Bentiuolũ, se, quidem Pontifici æqua petenti præsertim, decesse studio & ope non posse. copiis & viribus omnibus curaturum, vt Ecclesiæ Romanæ suum patrimonium fartum tectumq; esset, sua Pontificibus Romanis dignitas. Archiepiscopũ quoq; Manfredoniæ, quæ Sipontus olim fuit, & Franciscum Regium Oratores ad Iulium Papam ire iussit, qui obsequium præstarent, simulq; Bononienses ad officium erga Apostolicam sedem revocarent, monendo & suadendo.

Ipso tempore Lubianæ Episcopus, & Lucas Reginaldus Neapolim ad Ferdinandum appulerant à Cæsare Maximiliano legati de Castellæ controuersiis, ad vtrum ea post mortem Philippi procuratio pertineret. Hi Regem conueniendi facta potestate postquam gaudio functi sunt, ob felicẽ fausturnque aduentum in Italiam, & res alias ex sententia fluentes, Castellæ rebus fore saluberrimum verbis Cæsaris significarunt, si eam procurationem retinerent, qui fuissent ante regni moderatores à gente designati. Deinde ne Andegauenses in maiorem opes restituerentur enixe contendere. tantũ hostium domi alere fore proculdubio exitiale. In nouo & longinquo imperio non defuturam occasionem res nouandi, quibus animus non deesset. Actũ præterea de coniugio Caroli Principis cum Claudia Galli filia, quod probari Ferdinando cupiebant, ac vero vt perficeretur, pro sua parte dare diligentẽ operam. De rebus tantis per interpretes constituere fore longum & difficile, aliis conditiones ferentibus. Si Cæsar & Ferdinãdus inter se viderent, facile omnia & ex sententia conuentura. Et erat Cæsari deliberatum in Italiam transire, specie coronam Imperii de manu Pontificis more maiorum suscipiendi; re vt Galli conatibus obuiam iret, de quo fama nunciabat velle Romam proficisci, sibiq; imperium, Rhotomagensi Cardinali Pontificatum destinare. Rumores eos fortasse inanes, quasi veros exploratosq; Cæsar Constantiæ in Imperii Conuentibus, graui oratione accusarat. falsum sæpe veri locum habet. Auditis legatis Ferdinandus nullo petito ad integram consultationem spatio, continuo ad Reginã filiam Castellæ procurationem pertinere respondit. Quid aliena cura solicitaret! Ea impedita, aut nolente res gerere, se quippe partem vicariũ substitui, tum superstiti, tum defunctæ. Eatenus nullos in Castella regni Rectores à gente fuisse designatos. De Andegauensibus restituendis fidem astrinxisse, quam violare, seq; mendacii religione astringere nefas esset. Quod de Caroli coniugio diceret, Regem Gallum admonuisse regni Ordines repugnare consilio: Mediolanum & Armoricos diuelli à reliquo imperio non laturos. Orare potius, vti filiam Engolismorũ Duci coniugem daret, cui regnandi post cum proxima spes destinabatur. Deniq; congressum Cæsaris fore gratum, cum se eius rei opportunitas daret, nihil aliud. Tempus colloquio non dare, neq; alia polliceri, magnam concordiæ desperationem afferebat. Non destitêre tamen legati: rursus dato senatu eo sunt post multa progressi, vt Cæsari dicerent stare sententiam cum eo & ius & nomen imperii communicare; Italiæ certe imperio in ipso translato, ad eamq; ditionem subiugandam viribus iuuare. Promissis speciosis sed inanibus nihil motus Ferdinandus, vt erat excelso animo, se passurum negauit de imperii auctoritate quidquã diminui; neq; de Italia velle, nisi quod iure suum erat. Actũ præterea de armorum societate cum Cæsare, Gallo, atq; Pontifice Romano aduersus Venetos. Ad id postulatum, modo cæteri inter se consentirent, moram fœderi non facturum respondit. *Mariana lib.28. & 29. Surita de rebus Ferdinandi Catholici lib. 6. & 7. Gomecius de rebus Ximenii Cardinalis lib. 3.*

VII. *Groningarum sacrilegium.*

Actum præterea de bello sacro in Turcas suscipiendo; pro quo etiam hoc anno Legatus Apostolicus in Germania multam à Christi fidelibus pecuniam collegerat. Groningani in Belgio à Saxonibus infestati, ac pecuniæ inopia pressi, præsente publico tabellione ac testibus fide dignis, arcã resecrare ausi, in qua summi Pontificis Legatus pecuniã deposuerat toto hoc anno ex vniuersa Germania in bellũ Turcicũ ex indulgentiarum concessione collectam, eandem in stipendia præsidiariorũ expenderunt, magno suo malo. propter hoc enim sacrilegiũ ab Antistite diris deuoti, atq; à sociis ciuitatibus deserti, fame, ac aduersis præliis afflicti sunt. cuius anni initio in Hollandia, Pago haud procul oppido Beucruico, mulieris cuiusdã vterum gerentis fœtus, quatuordecim dieb. antequã in lucem ederetur, à non paucis viris ac fœminis in materno vtero flere vagireq; auditus est. *Heuter de rebus Maximiliani Cæsaris lib. 6. & 7.* quo item anno Erardus Marlianus à Collegio Canonicorũ Leodiensium Episcopus electus, duos ex eis Romam delegauit, qui maiorum more electionem de se factam Pontificis Maximi arbitrio submitterent. Commẽdabant Erardum præter generis nobilitatem & potentiam, multa maiorum suorum Adolphi & Engelberti à Marka Episcoporum pro Ecclesiæ Leodiensis tuitione præclare gesta, eximia indoles, magnum & acre ingenium, literarum sacrarum humanarumque non vulgaris cognitio, iudicium eloquentia, & ante omnia omnibus in rebus maxima animi moderatio cum affabilitate coniuncta. Dum Pontificis decretũ expectat, ad Monasterium S. Laurentii ad mœnia Leodiensia secedit, ibiq; virorum pietate & eruditione præstantium vsus contubernio, ad Sacerdotii dignitatem ideo maiori religionis sensu se disposuit, quod non ignoraret decessorum suorũ nonnullos ob ius infularum neglectum, magnorũ motuum Leodii occasionem præbuisse. Cumq; haud exiguis sumptibus ad instantem inaugurationem, aliasque sub initium Episcopatus pro dignitate peragenda sibi opus fore sciret, Sedanium ad Robertum Marckanũ loci dominum se contulit, à quo octo supra viginti millia ducatorum in eos vsus accepit. Verebatur scil. vir prouidus si subditorum se debitorem constitueret, ne suam in iustitia instauranda exercendaue libertatem perderet. Dum hæc agit propositi haud immemor quod nuper in monasterio S. Laurentii conceperat, deliciis paternæ domus neglectis, ad Carthusiam Montis Dei haud longe à Sedanio distantem se contulit, vbi diuinorum librorum lectioni, rerumq; spiritualium meditationi vacans, ad sacerdotale munus directoribus religiosis optimisq; præceptoribus & inprimis Spiritu S. ductore se præparauit. Hic exacta de-uote Quadragesima, dum sanctum Pascha celebraret, diplo-ma Pontificium ab Iulio II. missum accepit, quo & electionem confirmabat, & administrationem Episcopatus illi demandabat. Digna sunt quæ legantur, quomodo is Pontificatum auspicatus fuit. Percrebrescente fama Romani diplomatis, arcium patriæ præfecti, Prætores, aliiq; Officiales Sedanium cõuenerant, suis in officiis auctorari demisse petentes. Ingesserant se pariter Comœdi, Cytharœdi, Histriones, mimi, & similes scilicet aulæ heroës, operam quam decessori præstiterant offerentes. Illis pro officio laudatis, porroq; prosequi iussis, hos vtpote inutiles modeste admonitos à se dimisit: cuius mentem cum eorum vnus solertius introspexisset, seq; petulantius ingerendo leonem verius quam Tragœdum prodidisset, Præsul subiratus facessere renuentem, etiam fuste expelli imperauit. Sedanio ad S. Laurentii Monasterium reuersus, vt quo in loco Sacerdotii gradus placere cæperat, in eodem illum, diuino iuuante numine consenderet. Itaq; Sacerdotali charactere ibidem insignitus est, præsentibus quãpluribus Prælatis & primoribus Ciuitatis viris sibi gratulãtibus, quod talem nacti essent Præsulẽ, qui non humana tantũ prudentia potentiaq; regere, sed diuina virtute oblatis Deo Omnipotenti sacrificiis, ab inimicis etiam spiritualib. posset eos protegere. Nec multis post diebus Tungros ad Canonicorũ Regularium Cœnobium secessit, euocato illuc Ioanne de Montibus S. Theologiæ Doct. cuius consilio per manus Reuerendissimorum Liberti Bercensis, & Francisci Chaleti Episcoporum Suffraganeorũ in Episcopum die 20. Maii cõsecratus fuit. quo ipso die tanta eum deuotione voluptateq; spirituali perfusum fuisse asseruerũt, vt ea in ipsos ac reliquos assistentes quodammodo redundaret, omnibus eius exemplo non dissimili pietatis religionisq; ardore affectis. Penultima eiusdem mensis quæ tunc incidit in vigiliam Pentecostes, Episcopatui patriæq; inaugurandus splendido Principum, Comitum, Baronum, ac primorũ nobilium comitatu Tongris Leodium reuertens, cũ Heristallium vicum antiquo Caroli

Erardus Episcopus Leodii creatus.

magni ac posterorum eius palatio celeberrimum non longe à ciuitate attigisset, accepto forte à Mosaica lege exemplo, multas sublata voce eius misericordiam & criminũ veniam implorantes, secum in ciuitatẽ reduxit, his exilii, illis suplicii veniam impertiuit. Propior vrbi factus priuilegia libertatesque à Regibus Imperatoribusq; Romanis ciuitati patriæque concessas, Magistratui sibi obuiam facto se seruaturum more maiorũ spopondit, moxq; ingenti circumfusæ multitudinis acclamatione & applausu vrbem subintrauit. Ingressus, ad sacram vsque Diui Lamberti ædem per triumphales arcus eius ergo constructos recta iuit, ordinatis ad vtrumq; plateæ latus Ciuium societatibus probe armatis, qui festiuo bombardarũ strepitu, tum Principem, tum Procerum turbam identidem salutarent. Illum interea præstolabatur clerus numerosissim⁹ pro limine ædis Cathedralis, quem aduenientem cominus salutauit, & ceu vrbis & suæ felicitatis palatium amplexatus, peractis more maiorum cæremoniis ad palatium suum deduxit. Proposuerat iam antea sacro Pentecostes die primitias Sacerdotales Deo Omnipotenti offerre, vt Spiritus Sancti gratiam, quam ad regendam Ecclesiam sibi commissam necessariam sciret, largius mystico illo die perciperet. Quocirca præsentibus XXV. Abbatibus, pluribus quoq; Comitibus, Baronibus, aliisq; illustribus & nobilibus viris, profusaq; populo multitudine, ad aram eo die primum accessit, pro se & populo suo hostiam oblaturus, qua Deo placato, populum deinceps Leodiensem pacifice, diuino assistente numine, regeret. Nec vana fuit oblatio. Nam toto suæ administrationis tempore multa sæpe dissimulans, multa consulto transmittens, quæ alios fortassis non iniuria lacessiuissent, quiete patriam gubernauit, & illam, licet bellis vndequaq; frequentibus, quietam tranquillamq; successoribus reliquit. Peractis sacris, epulum Regio apparatu instructum Prælatis, Principibus, aliisq; honoratioribus è populo viris toto triduo instruxit; populo interim festos dies focis per plateas vndequaq; perlucentibus agente, sibiq; gratulante, quod tã pium religiosumq; nactus esset Pontificem; qui non multo post in reliquis patriæ oppidis incredibili omnium applausu inauguratus fuit. Hebdomada Pentecosten insequente perquam plures sacris Ordinibus per se, quamuis Episcopum suffraganeum haberet, insigniuit; quod & alias frequenter præstitit, quando præsens adesset. *Ioannes Chapeauillius Canonicus Leodiens. in Erardo Marckano. tomo 3. de Episcop. Leodiens.*

VIII. Eodem anno Iulius Pontifex, institutum Virginum, sub titulo B. Mariæ semper Virginis Annunciatæ, ab Ioanna, Ludouici XI. Galliarum Regis filia inchoatum, approbauit, & priuilegiis amplissimis stabiliuit. Nupserat illa primum Ludouico Duci Aurelianensi. Hic Carolo VIII. Rege absq; liberis defuncto, in regno Galliæ suffectus, suasu aulicorum procerum & suo ambitu, ne Britanniæ Aremoricæ Ducatus abalienaretur, Annam eius prouinciæ hæredem & Caroli viduam vt duceret, Ioannam dimiserat, Alexandro VI. Pontifice ita indulgente, seu dispensante. Causa diuortii metus præferebatur, & quod non sponte eam duxisset, sed compellente patre virginis Ludouico XI. quodque illius adeo corpus nunquam attigisset. Neque Ioanna se opposuit, sed libens ad alterius æterniq; Regis cultum se cõuertit. Etsi non deessent cum sacri tum profani Ordines proceres, qui Regis factum libere damnarent. Fuit inter alios Ioannes Standoncus patria Machliniensis, Doctor Theologus Parisiensis, qui qua erat libertate atq; constantia, Regem acriter corripuit. Quapropter exilio multatus in Belgium rediit, & Standonicum Louanii Collegium, alterumque Machliniæ in patria instituit. Fuit & Thomas Warnetus, Standonci discipulus, idemq; Ecclesiastes egregius, qui pariter in exilium pulsus, Valentianis in Hannonia gymnasium erudiendæ iuuentuti excitauit. Fuere & alii Lutetiæ Theologi, qui Ioannæ causam fortiter tuerentur. Ipsa tamen, vt dixi, non opposuit, & læta se Deo totam dicauit, consecrauitque; ac mente quidem tranquilla, quod Alexandrum VI. dispensasse intellexisset. Ducatum porro Bituricensem donum acceperat, cuius se fructibus, Bituricensi in vrbe agens tolerauit, & alia piis vsibus impendit. Ordinem porro hunc in honorem cultumque Deiparæ Virginis instituit, & Annunciatæ appellauit. Earum Virginum Annunciatarum Regula vniuersa nonnisi decem capitibus constat, quæ decem primarias Deiparæ virtutes in Euangeliis expressas, ob oculos ipsis proponunt imitandas, nimirum castitatem, prudentiam, humilitatem, veritatem, pietatem seu deuotionem, obedientiã, paupertatem, patientiam, charitatem, & compassionem seu dolorem, vt vocibus apud pios notis utamur. Itaq; nõ ex Basilii, Augustini, Benedicti, Francisci, aut alterius Sancti Patris præscripto, sed ex ipsis, vt dixi, Euangelicis verbis huius Ordinis Regula est concinnata. Quod contra vulgi errorem monuisse suffecerit. Præsunt tamen passim Monialibus Annunciatis Sodales Franciscani. Sic enim Beata Ioanna fundatrix voluit, siue iussit, monitu vt scribunt, diuino; & Pontifices exinde Romani id ratum esse voluerunt. Vtuntur autem Annunciatæ Moniales veste talari leucophæa, seu grisea, vt vulgo loquimur, in testimonium vitæ pœnitentis quã profitentur: chlamydem vero prorsus candidam, ex humeris in pedes desinentem gestant, in memoriam virgineæ puritatis Deiparæ, quam æmulantur. Ornantur insuper scapulari, vt vocant, rubeo, in formam crucis ante pectus adaptato, memoriæ passionis Dominicæ assidue in mentem reuocandæ. *Myreus in Chron. ex Masseo lib. 20.*

Hoc ipso anno Iulius Pontifex, alium Ordinem, sed virorum, à S. Francisco Paulano, titulo Minimorum institutum, confirmauit. *Myræus supra.*

IX. *Emanuel Pontificem contra Turcas vt bellum inferat hortatur.*

Hoc eodem tempore Emanuel Lusitaniæ Rex suscepit actionẽ memoria sempiterna dignissimã, quãuis in eo quod effectum cupiebat, frustra contenderet. Videbat Principes Christianos odiis acerbissimis stimulatos, inter se cũ magno rerum omnium discrimine decertare, Rempub. Christianam dilacerari, vires frangi & debilitari, & hostium opes interim Christianorum furore & amentia indies augeri. Verebatur autem ne malum illud serperet, & in Christiani nominis perniciem, si non esset opportuno remedio prouisum, erũperet. Cum autem hæc secum agitaret, tum id inprimis vehementer eum angebat, quod Christi sepulchrum esset à Saracenis occupatum, & à Christianis Principibus turpissime neglectum. Omnia vero, quæ tunc rebus Christianis accidebant, interpretabatur propter hanc negligentiam pietatis incidere: & religionem socordia & desidia violatam, arbitrabatur esse magnitudine roboris atque virtutis expiandam. Ab his curis anxius legationem ad Iulium Pontificem Maximum decreuit. Legatus fuit Odoardus Galuamus, Regis ipsius consiliarius. Summa legationis hæc fuit. Principes Christianos inter se propria de dominatione cum periculo vniuersæ Christianæ Reipub. dimicare. Opes interim Principis Turcarũ, & Sultani etiam vires vehementer amplificari, & rebus Christianis imminere. Neminem vero eorum Principum, quorũ officium erat, hostiũ impetum à Christianis proposita etiam morte reprimere, tanto periculo commoueri. Si gloriæ cupiditas Principes ad arma solicitabat, quod decus tantũ esse poterat, quod esset cũ Christi sepulchro armis vindicato comparandũ! Si multa possidenti cupiditas stimulos illis adhibebat, cur non animũ ad Asiæ & Ægypti regiones opimas, maximisq; opibus opulentas adjiciebant? Per Christũ igitur Optimum Maximum ipsum Iulium obtestabatur, vt omne studiũ suum, omnẽ virtutẽ & industriam, omnes curas & cogitationes in discordiis tollendis, & pace cõstituenda consumeret, & Principes Christianos ad interitũ Mahometani nominis exhortaretur, vt ita sempiternã gloriam, quæ nullis vnquã seculis esset interitura compararent. Se vero ad eam rem regni sui opes vniuersas polliceri, libentissimeq; per se in tam præclaro certamine quodvis discrimẽ capitis aditurum. Hæc quidẽ Rex Emanuel apud Iulium Pontif. Romanum sine vllo fructu per literas atque legatos egit. Erant enim Principes animis propemodum efferati, & vsq; adeo propter turbulenta dissidia à cogitatione impẽdẽtis calamitatis abducti, vt exinde Pontificiam exhortationẽ non solum animis aspernarẽtur, verum etiam ludibrio haberent. Ipse Emanuel, quantũ virium habebat, in Indicam, & Æthiopicam rem Christianitatis bono acquirendã, etiam hoc anno collocauit, multaq; præclara ibidem per suos classiarios egit. Franciscus Almeida enim, Quiloam, Rege profligato cepit, spoliauit, arcem pro Christianis in ea extruxit, Regemq; aliũ Emanueli tributariũ genti præfecit: Mahumetes Anconius is dicebatur, singulari fide atq; animi moderatione, vt exemplum reliquerit insigne Principibus, isto postulato quod apud Almeidã interposuit.

Mihi quidem, inquit, fuit magnus vsus & amicitia, Sancto admodum fœdere constituta, cum Alfudailo Rege, quem tyrannus hic quem regno expulisti, per insidias interemit. Alfudailus si in vita maneret, ego illi regno cederem. Nec enim is sum, qui vllas Regias opes fidei & officio præferendas existimem. Sed quoniam is vita priuatus est, te quantum possum oro & obsecro, vt facias mihi potestatem accersendi illius filium, quem regni hæredem instituam. Filij mihi quidem sunt, isto honore vt mihi videtur non indigni. Verum si filios meos in successione regni liberis defuncti Regis, quo cum coniunctissime vixi prætulero, videbor mihi maculam ignominiæ sempiternam subire, quæ non mihi tantum, sed vniuersæ posteritati meæ sit insigne dedecus allatura. Itaque malo liberis meis fidei & honestatis exemplum, quam amplissimum patrimonium testamento relinquere. Attulit hoc postulatum magnam admirationem Lusitanis, cum animaduerterent hominem Mahumetanis disciplinis imbutum, eã fide amicitiam colere, & tanta animi magnitudine regni opes contemnere, vt facile officium amico mortuo debitum, charitati filiorum præponeret. Omnes igitur illum certatim laudarunt, & eo solum nomine, quod regnum vellet à filiis suis ad Regis filium transferre, maiore regno dignissimum iudicarunt. Itaque defuncti Regis filius accersitur, & ab omnibus ciuibus Almeidæ iussu fides datur, fore, vt post Mahumetis illius obitum; illum Regium adolescentem Regem haberent.

Almeida Mombazam rege fugato capit.

His rebus constitutis Almeida, Mombazæ Regiam, Rege item fugato in potestatem redegit: & in insula Anchediua arcem Christianis condidit: cuius fundamenta cum iaceret, in eis parietinas reperit, crucibus colore rubro & nigro multis in partibus insignitas, quod suspicionem faciebat, fuisse olim insulam illam à Christianis frequentatam. Morensis inde Regis classem & vrbem inflammauit, & ad pacem petendam barbarum coegit: Cananore arcem ædificauit, & Narsinguæ Regis legatum accepit.

Narsinguensis regni situs & mores.

de qua legatione ante quam aliquid dicamus, non erit abs re Regni Narsinguensis, situm, amplitudinem & mores cognoscere. Regnum hoc est in ea Indiæ parte citra Gangem, quæ spectat ad orientem Solem. Pertinet etiam ad occidentem, & est à parte mediterranea cum regionibus quæ sunt Goæ coniunctæ, finitimum. Cum hominibus autem qui eas incolebant, continenter bella gerebat. Regio est latissima, multis vrbibus culta, multis fluminibus alluitur. Est valde fertilis & opima: piscatu, venatu, & aucupio, multisque pecorum & armentorum gregibus abundat. Homines superstitione dirissima conflictabantur: vnum tamen summum Deum esse confitebantur, penes quem aiebant esse summam rerum omnium potestatem. Templa profusis sumptibus ædificabant, quæ tamen, vt alia Indiæ fana, monstrorum atque prodigiorum simulachra contegebant; quibus diuinos honores habebant. Brachmanæ tam viri quam mulieres sacris præerant, & in summo apud illos erant honore. Erat aliud genus hominum, quod valde sanctum habebatur. Baneanes si appellabantur. Lapidem oui magnitudine pertusum, è cuius foramine tria fila prodibant, è collo appensum gestabant. Huius lapidis significatione summum eorum numen contineri prædicabant, & ea de causa maximo honore ab omnibus afficiebantur. Lapis tanta religione cultus, Tambarane nominabatur. A carnibus & piscibus abstinebant. Semel in vita vxorem ducebant. Illis defunctis, vxores prope illorum cadauera viuæ sepeliebantur. Reliquæ, quæ aliis hominibus nubebant, post virorum mortem viuæ in rogum cum magno suorum comitatu, & multis cantibus atque laudibus inferebantur. Septimo quoque die ferias agitabant: hic dies est, qui Veneris apud nos appellari solet. Præter hunc diem, multos alios anno vertente dies cantibus, & sacris, & statis cæremoniis, insita ingenti religione celebrabant. Credunt animam immortalem esse, & post hanc vitam præmia bonis, improbis autem supplicia esse iudicio diuino constituta. Sunt colorati, & egregie atque eleganter exculti, & amoribus dediti, quorum gratia, inter se digladiari solent. Qui alium ad singulare certamen vocat, à Rege campum in quo cum aduersario congredi illi tuto liceat, exposcit. Si de illius virtute opinio habetur, Rex illum spectat. Victorem aurea catenula donat, quam is qui victoriam obtinuit tueri perpetuo debet: aliter enim parti decoris nomen & gloriam amittet. Licet enim ei qui velit, armis cum eo de catenulæ illius merito & dignitate certare. Catenula namque victorem sequitur, & ei detrahitur, qui ab alio superatus extitit. Neque milites tantum, verum & artifices de artificii præstantia armis inter se disceptant. Maxima huius regni ciuitas Bisnaga vocatur. Ambitus illius supra quatuor millia passuum continet: multis muris cingitur, habet multas ædes amplas, & templa valde magnifica: & est hominum ingenti multitudine referta. Mercibus quamplurimis ex omnibus partibus mirum in modum cumulata est. Mercatores, qui equos è Perside aut Arabia nauibus vehunt, portoria minime soluunt: reliqui portoria pendunt. Equos omnes Rex à mercatoribus emit: inde eos, quos vult, sibi retinet: reliquos vel pretio, vel gratuito distribuit. Regia est amplissima, maximisque sumptibus ædificata. hortos habet amœnissimos, & piscinas, in quibus sunt pisces innumerabiles. Rex multorum militum præsidio circumseptus incedit, & maxima veneratione atque adeo superstitione à suis colitur. Illius mensa conquisitissimis cibis instruitur: corpus illius vnguentis nitescit, & gemmis auroque perpetuo fulgens conspicitur. Vnam præcipue vxorem, quam præter cæteras eximiam habeat, minime ducit: Maximum tamen concubinarum numerum habet, quæ è Principum genere deliguntur. Cum Rex moritur, pyra ex lignis odoratissimis incenditur, in quam Regium cadauer infertur. Ibi concubinæ omnes, & omnes illius familiares, & quicumque illi ministrauerant, aut magnum apud illum nomen obtinuerant, in rogum similiter inferuntur. Tanto autem studio, vt crementur, ad rogum accelerant, vt appareat eos in ea mortis, qua Regem suum prosequuntur, Societate summum decus arbitrari. Colitur à Narsinguæ Regibus æquabile ius. Mercatores ab omni iniuria tutos & incolumes præstant: sunt plurimi sub illo Dynastæ. In eos tamen, si maleficium inferunt alicui, vel cæde, vel fustibus animaduertunt, ita vt nemo queat sibi propter magnas opes impunitatem polliceri. Reges ipsi maximos thesauros coaceruant, & eos qui à maioribus illis relicti sunt attingere, nisi cum extrema necessitas vrget, nefas existimant. Itaque auri, argenti, gemmarum maximos aceruos possident. Ex illis præcipue gemmis, quos Adamantes appellant, qui in ea regione excindi solent, ingentis magnitudinis & ponderis in thesauros congerunt. Multos milites alunt quibus equos attribuunt: singulis diebus è Regia cibi illis & equis assignati sunt. Eis, qui semel apud illum sacramenta dicunt, absque Regis iussu nullo modo è Regni finibus emigrare licet. Pedites habet innumerabiles. Rex, qui hoc tempore imperium tenebat, fama earum rerum quas Lusitani in India gesserant, commotus, cum Prætore amicitiam iungere, fœdusque ferire constituit. Itaque Legatum ad Almeidam misit, cum litteris & muneribus, quæ nomine illius ad Emanuelem deferenda curaret. Fuit Legatus ab Almeida satis honorifice receptus. Legationis sententia hæc in summa fuit: Narsinguæ Regem summo studio & cupiditate fœderis cum Rege Emanuele sanciendi flagrare. Famam namque virtutum admirabilium quibus Emanuel ornatus erat, illi acres stimulos admouisse, adeo vt nihil ardentius expeteret, quam Principi tam præclaris artibus prædito, amore summo coniungi. Se vero huius famæ testimonium non aliud desiderare, quam admiranda facinora, quæ Lusitani in India paucis illis annis ediderant. Nec enim fieri posse in animum inducebat, quin Rex, qui tam fortibus hominibus imperabat, esset singulari atq; prope diuina virtute præcellens, atq; valde dignus, quem omnes orbis terrarũ Reges certatim amarent, & omnia gratia illius cuperent. Proinde se libentissime omnia quæ posset, pro illius dignitate perfecturum: neq; cõmissurum, vt ab aliquo Rege alio amoris & studii magnitudine erga Regem Emanuelẽ vinceretur. Quod si connubii ius haud aspernaretur, se libentissime desponsurum filiam virginem, quam habebat excellenti specie & pulchritudine, cum dote summa, Ioanni Regis ipsius Emanuelis filio, vt amicitia nuptiis eiusmodi sanctius firmaretur. Hęc quidem legatio continebat. Attulit præterea à Rege suo torques duos gemis clarissimis distinctos, & annulos similiter cũ gemmis ingentis pretii, & vestes aureas & sericas, quæ volebat, vt ad Emanuelem, vbi primum nauigandi tempus esset, mitterentur. Almeida Regis Legatum multis

muneribus affecit,ac Emanuelis nomine honorificis admodum verbis rescripsit, fidemque dedit, se munera illius huic missurum, operamque daturum, vt intelligeret, vix aliquem reperiri, qui meliori animo sese ad amicitiam illius applicuisset. Vbi Narsinguæ Legatum dimisit,Cananoris Regem venientem audiuit, ab eoque potestatem obtinuit arcis Regiæ in Regia illius extruendæ. De Coulamensibus postea perfidis vindictam desumpsit: Cochimensi Regi diadema imposuit, simul cum tributo: Madagascarem insulam adiuuenit,quam S. Laurentii appellauit: cum Zofalensi Rege amicitiam composuit, ac postea perfido cæso, Acotem Zofalensibus Regem dedit. Est Zofalæ regnum in ea Africæ parte quam Græci Aethiopiam appellant. Regio partim est fertilis, & multis frugibus,& armentis, & pecoribus abundat, & quamplurimis fluminibus alluitur: partim deserta & inculta,& rerum omnium asperitate vastata. Est etiam in illa non solum maxima linguarum, sed etiam morum dissimilitudo. Nam quidam sunt mites & commodi, & ad omnem rationem humanitatis propensi: alii vero sunt moribus immanibus efferati. Ea Aethiopiæ pars quæ spectat ad Solis ortum, abundat multis auri, æris,& argenti venis, aliisque rebus innumerabilibus, plurimis in locis opulenta est. Calores tamen Europæis hominibus infestissimi, & febres mortiferæ,cos his commodis omnibus arcent, terroribusq; mortis obiectis impediunt,quo minus multas ex Aethiopia vtilitates excipiant. Quanquam tantas plerumq; vires habet auaritia,vt mentes hominum à cogitatione mortis,qua nihil videtur esse terribilius,frequenter abducat. In alia parte Aethiopæ,quæ est vltra promontorium Bonæ spei,quæ Australi Occano terminatur, est regnum latissimum quod Benomotapa nominatur,cui, antequam Lusitani eas oras perlustrarent, omnes illius oræ Reges sine recusatione parebant. Est autem auro, supra quam quisque existimare potest,ditissimum. Nam è fluuiis etiam atque lacubus eruitur: Multique Reges Regi Benomotapæ auri tributum quotannis impendunt. Gens simulachra minime colit: vnum Deum cœli & terræ confitetur. Cultus & vestitus, non est cultui quo reliqui Aethiopes vtuntur absimilis. Regem incredibili superstitione venerantur. Rex duo Regiæ maiestatis insignia gestat. Vnum est, paruus quidam ligo cum eburneo manubrio. Alterum,iaculis duobus haud ita magnis continetur. Ligone, subditos ad terræ culturam adhortatur: ne propter ignauiam atque desidiam terram deserant,& fame coacti latrocinentur. Vno vero ex iaculis significat, se scelerum vindicem futurum: altero, vim externam ab hostibus armis atque virtute repressurum. Regum filii, quos habet stipendiarios, apud illum nutriuntur: tum vt ea educatione Regem debita fide & amore prosequi studeant, tum vt illis obsidibus Rex eorum parentes in officio & fide contineat. Est maximo semper exercitu constipatus, quamuis summa pax & otium cum omnibus finitimis nationibus sit illi firmo fœdere constitutum. Tunc enim censet, sibi nullum à bello fore periculum,cum in pace bellum semper Regum fortunis impendere suspicatus fuerit. Singulis annis mittit ex suis domesticis & familiaribus, qui ignem nouum Regibus & Principibus, qui in illius ditione sunt, nomine ipsius Regis impertiat, atque inde reliquis hominibus distribuatur. Quod quidem fit ad hunc modum. Vbi Legatus ad domum cuiusvis Principis accedit, ignis extinguitur. deinde rursus à legato nouus ignis excitatur: tunc omnes eo conueant vt ignem inde in domos suas inferant. Hoc qui facere recusat, proditor atque rebellis existimatur, & tanquam maiestatis reus extremo supplicio punitur: & si opus ita fuerit, exercitus in illum comparatur, vt hominem fidei desertorem multis excruciatum suppliciis interimat.

Almeidæ in Zeilandam venit. Zeilandæ descriptio.

Zofala digressus, Zeilandam Almeida applicuit insulam,Cori promontorio oppositam. Est autem admodum fertilis, neque solum variis fructibus abundans, verum & herbis,& plantis odore mirifico redolentibus egregie vestita: quæ quidem sine vlla cultura proueniunt. Malorum citreorum nemora sunt densissima: fructus varii atque multiplices tam sapore, quam odore gratissimi. Magnam præterea vim cinnamomi passim fundit. Multi præterea pretiosissimi lapides atque multiplices è saxorum ingentium venis eruuntur: & gemmæ etiam incredibili multitudine, & singulari colore atque fulgore, extractis ostreis ex profundo maris gurgite reperiuntur. Ad hæc miram elephantorum copiam nutrit. Erat tota insula septem regnis distincta,è quibus tamen vnus & opibus,& dignitate, & imperio multum reliquis anteibat. Is in ciuitate maxima quæ Columbum appellatur,imperii sedem & domicilium collocabat. Est in medio insulæ mons præcelsus,multis paludibus cinctus. Ex illius summo fastigio collis assurgit, è cuius medio è lacu quodam aquæ dulces atque perennes emanant. Prope lacum est silex,in qua cernitur vestigium hominis impressum. Est autem insitum incolis, vestigium illud esse primi parentis generis humani, qui inde in cœlum sublatus esse ab illis dicitur. Non procul autem Sacellum visitur,in quo duo sepulchra mira superstitione colluntur. Existimant enim in his condita fuisse corpora primi hominis, & vxoris illius, ex quorum semine fuit vniuersum genus humanum propagatum. Ea vero opinio animis penitus infixa facit, vt eo multi Saraceni, & alii longe diuersis superstitionibus impliciti, religionis gratia confluant. Locus adeo accliuis est, vt neque manibus ad summum niti possint, sed scalis & catenis adiuti eo perueniant. Ad hanc insulam Almeida filius cum classe sibi commissa delatus, portum, quem incolæ Gabalicanum vocant, subiit. Id cum Rex (nec enim inde procul aberat) accepisset, Legatum ad illum continuo cum muneribus misit, qui ab eo pacem peteret. Laurentius Legatum benigne & hospitaliter accepit, & muneribus illis ornauit, quæ ei grata fore suspicatus est. Tandem vt pacem cum illo Rege firmaret, misit vnum de comitibus suis virum nobilem atque primarium, Pelagium Sousam nomine, qui in Regiam deductus, Regem offendit miro fulgore circumlucentem. partim enim gemmis quibus erat excultus, partim cereis facibus, quamuis dies esset clarissimus, omnia splendebant. Ad maiestatem enim pertinere existimabat, eiusmodi facibus circumillustrari. Fuit Pelagius Sousa cum reliquis, qui illi fuerant comites attributi, admodum honorifice receptus,fœdusque sine vlla recusatione sancitum. Fœderis conditiones hæ fuerunt, vt is Emanueli Regi singulis annis tributi nomine ducenta & quinquaginta millia pondo cinnamomi penderet: Rex autem Emanuel illū in fidem & clientelam reciperet,& Ducibus suis præciperet,vt illius portus atque maritimas ciuitates ab hostium iniuria prohiberent. Id fœdus sub ea conditione ratum habuit Laurentius, si pater illius author fieret. Pondus tamen cinnamomi fuit Regis iussu nauibus Lusitanis impositum. Tantus enim erat Regi metus iniectus, vt vix vllum officium, quod ad pacem cum Lusitanis firmandam valeret, ei satis facerét. Eiusdem Regis consensu Laurentius in terra columnam marmoream cum Regiis Emanuelis insignibus statui iussit, quo significabat, insulæ possessionem ab illo nomine Emanuelis occupari.

Inter hæc, venit ad Laurentium vir quidam Italus, nomine Ludouicus Wartmanus, patria Bononiensis, qui studio orbis terrarum cognoscendi, multas regiones peragrarat, atque tandem sub mercatoris habitu, cum se Saracenum esse simularet, Calecutium peruenerat. Ibi cum multi multa de Portugallensibus commemorarent, nomine gentis excitatus, quasi quæ gens esset ignoraret, qui mores & instituta illius essent, quam religionis sectam sequeretur, quo casu fuisset in Indiam delata, quæsiuit. Saraceni gentem esse maleficam & sceleratam narrant,cuius omne studium in latrocinio & crudelitate consumeretur, multaque iam detrimenta Saracenis in partibus illis intulisse. Tum Ludouicus simulat se indignissime pati, tantam gentis impurissimæ audaciam & temeritatem tamdiu impunitam esse, quæ iam interitu funestissimo debuisset meritas facinorum & scelerum pœnas exoluere. Inde cum se in familiaritatem eorum qui plurimum poterant insinuaret, & consilia Calecutiensis Regis explorat,& quo animo classem ingentem compararet, quibusve auxiliis in nominis Lusitani perniciem sepiret, intelligit. Interim spem maximam concipit, fore, vt breui Lusitanorum ope sese à Saracenorum familiaritate impurissima vendicaret. Erant Calecutii apud Regem, duo Mediolanenses à Venetis Sultano Aegyptio, & ab hoc Calecutano (mittebant & hoc anno 1506. quatuor alios Venetos ad eundem Sultanum, & hic ad Calecutiensem) Regi missi. Cum illis duobus Wartmanus consilia communicat, & eos adhortatur, vt relicto Calecutio se ad Lusitanos conferant. Respondent illi, se Christianos esse, scelerum tamen suorum conscientia perterreri,ne ad Christianos confugiant. Ludouicus bono illos animo esse iubet, seq; operam daturum pollicetur,ne illis fraudi esset facinus,quod in Christianum nomen conscisuerant. His ita constitutis,quamprimum occasionem oblatam vidit, arripuit,atq; ad Almeidam se contulit. In eo cursu in Laurentium incidit. Ibi tunc quas copias Rex Calecutiensis pararet, & quam classem instrueret, illi nunciauit. Docuit præterea, valde Mediolanenses facti sui pœnitere: cosque si veniam impetrarent, libentissime ad Lusitanos redituros: quod vt confestim fieret, Laurentium vehementer adhortari cœpit. Illorum namque opera quamplurima tormenta apud Calecutiensem Regem conflari, multosque idem artificium ab illis inuitissimis perdiscere. Laurentius illum laudauit,& muneribus affecit, atque promissis excitavit,ad patremque deduci iussit. Pater confestim per literas filium admonuit, vt se ad dimicandum cum hoste pararet. & Ludouicum dimisit,vt Calecutium reuersus, Mediolanenses data fide Cochimum perduceret. Id Mediolanenses lætissimis animis acceperunt. sed dū fugam parant,fuit eorum consilium enunciatum, deprehensique pœnas morte crudelissima luerunt. Ludouicus vix se fuga à periculo cædis propripuit. Laurentius in classem Calecutianam inuectus, eam profligauit. Supra tria millia hostium cæsa sunt: decem naves cum multis paronibus depressæ: duo signa Regia & nouem naues maiores captæ, magnaque præda capta: cum ex Christianis sex tantum in pugna cecidissent. Quod attinet illud de quo iam diximus vestigium hominis bicubitale, saxo impressum, aiunt esse cuiusdam inclyti sanctitate viri, quem ex Indiæ regno Deli quondam in ea loca venisse tradunt, vt gentem superstitioni deditam fabulosis, ad vnius Dei cultum religionemque traduceret. Haud absimile vero videtur, quod aiunt quidam in eo vestigio, quamquam extincta iam nominis antiqui & peregrini memoria, coli Eunuchum Candaces Aethiopum Reginæ, quem cum alii scriptores tum vero Dorotheus Tyri Episcopus (qui Constantino Magno imperante, & sanctitatis & doctrinæ laude præcelluit) in Arabia Felice, totaque Erythia, & in Taprobana Christi Euangelium promulgasse testatur. Laurentius parta de Calecutiensi victoria, primum omnium Mariæ Virgini Victrici, quam expiatis de more noxis ante initum cum barbaris prælium ædem venerat, faciendam curavit, ac in Calles porum inuectus, cum Regulo per legatos societate inita, columnam cum inscriptione, testem sui adventus in littore collocauit. Quo tempore, mense Aprili anni 1506. Olyssiponæ in Lusitania ingens ciuium in Iudæos recens baptizatos tumultus concitatus est, quo parum abfuit, quin omnes qui ad Christi fidem conuersi fuerant, fœde perirent. Res autem ad hunc modum gesta fuit vt scribit Osorius. Maxima pars ciuium propter pestilentiam aberat. Illis forte diebus multi ex Gallia Belgica & Germania Olyssiponem naues cum mercibus appulerant. XIX. vero die Aprilis non pauci ex iis qui in vrbe manserant, in ædem Diuo Dominico celebrem, vt rebus diuinis operam darent conuenere. Ad sinistrum latus templi est sacellum sanctum, & mira omnium religione celebratum, quod Iesu sacellum appellant. In eo supra aram est imago Christi crucifixi collocata, in cuius latere vulnus illud assimilatum, operculum vitreum contegebat. Cum multi in vulnere illo oculos & mentem defigerent, ex eo splendor emicuit. Conclamant igitur omnes, ingens esse miraculum, cœlesteque numen præsentiam suam signis admirandis ostendere. Quidam ex Hebræis illis, qui non ita pridem Christo nomen dederant, maxima voce miraculum esse negauit: nec enim esse verisimile, vt aridum lignum miraculum ederet. Quamvis autem multi de veritate miraculi dubitarent, non tamen neque tempus, neque persona, neque concio erat satis apta, vt quisquam ex illo genere deberet tunc in errore illo, intimis hominum sensibus penitus insito, depellendo operam frustra consumere. Multitudo igitur natura præceps & inconsiderata, & specie quadam religionis attonita, cum audiret hominem Hebræum miraculo fidem derogare, fremere cœpit,Iudæum perfidum & sceleratum, religionis proditorem,& Christi hostem immanem appellat, extremoque supplicio & cruciatu dignissimum. Cum ad hunc modum probra vndiq; multi congererent, exarsit iracundia concio, & impetum in hominem facit, & in capillum inuolat, & raptat, & vexat, & in forum quod ante illud templum est pertrahit,& crudelissime necatum dilacerat, ignemque repente facit in quem cadauer illud coniiciat. Ad hunc tumultū plebs vniuersa confluxit. Ibi monachus quidam orationem satis popularem habuit, qua multitudinem ad Christi vindictam nimis acriter incitauit. Multitudo satis sponte sua furens, ea oratione vehementius efferata est. Duo vero monachi crucé sustulerunt,maximisq; vocibus populum ad cædem concitarunt: & altero quoq; verbo hæresim,hæresim dicebant, nefandam vindicate,gentemq; scelleratam extinguite. Galli & Germani qui in nauibus erant in terram desiliunt; & se ad Lusitanos qui iā cædē īmanem faciebant adglomerant. Quin gentes homines fuisse cōstat illos, à quibus facinus hoc īmanissimū fuit institutū. Ruunt igitur amentia & scelere flagrātes,& in gentem miseram ferociter inuadunt, multosq; trucidant, & in ignem semiuiuos abiiciunt. Erant ad eam crudelitatem pyræ satis frequentes extructæ eo in loco, vbi primus ille qui multitudinē offendorat, crematus extiterat. Serui & homines etiam vilissimi summo studio & alacritate materiam vndiq; conuchebant, neignis posset tanto facinori perficiendo deficere. Mulierum luctus & lamentationes, & virorum imprecationes acerbissimæ, omniumq; miserabiles eiulatus ciusmodi erant, vt hostes īmanes misericordia frangere possent. Illi tamen qui cædē faciebant ita humanitatē exuerant, vt nulli neq; sexui, neq; ætati parcerent, sed in omnes absque vllo discrimine crudelitatem suam exercerent. & eo quidem die supra quingentos homines ex Hebræo genere fuerunt necati,atq; combusti. Sequenti die cū immanitatis illius rumor late dissipatus fuisset, homines ex pagis scelere & audacia furentes, supra mille in vrbē conuenere, & se ad reliquos sicarios aggregauere. Itaq; cædem instaurant. & quia omnes Hebræi generis formidine perterriti in domibus suis latitabant, fores perfringebant, & in domos irrumpebant: viros, & mulieres, & virgines īmanissime jugulabant: pueros aūt infantes ad parietes allidebant, omnesq; partim enectes, partim spirantes pedibus trahebant, vt in ignē conicerent. Multi simul concisi quidē vulneribus, viui tamen adhuc eodē igni consumebantur. Ingens eo iā die stupor adeo miserrimæ gentis sensus oppresserat, vt ne lamentari quidē cladem illam & deplorare miseriā suam possent. Qui se occultabant, quāuis filios, aut parentes suos ad supplicīū abripi viderent, ne lugubri gemitu prodserentur; vocem emittere non audebant. Sic autem eos metus exanimauerat, vt viui non multū à mortuorum similitudine distarent. Domus interim diripiebantur: sicarii aurū, argentū & pretiosam supellectilē coaceruabant: Galli prædā nauibus imponebant: eoq; prædandi studio factū est, ne multo plures eo die occiderentur. Eo autem progressus est hominū perditorū furor, vt in ædes sacras absq; vllo numinis metu inuaderent, & inde pueros & senes, & virgines quæ ad aras confugerant, Crucibus, & hominū sanctorū imaginibus affixas, & Christi fidē miserabiliter implorantes euellerent, quos repente crudelissime necabant, aut viuos in ignē proiiciebant. Multi specie quadā & similitudine cū Hebræi existimarentur, summum vitæ periculū adierunt, & aliqui etiā ob eā causam interfecti sunt: & quidā antequā explorari posset, sibi cū Hebræis nullā esse necessitudinem, plagis atq; vulneribus deformati fuere. Multi cū in inimicos suos inciderent, eos Iudæos esse dicebant: qui antequā falsum testimoniū refutare possent, sanguine suo inimicorū crudelitatē satiabant. Magistratus non tantum animi habebat, vt multitudinis furori se opponere auderent. Multi tamen honesti viri ad quos Hebræi confugerant, eos summa fide tuebantur, & clanculū è periculo crudelissimæ necis educebant, & in tuto collocabant. Eo tamen die supra mille ad hunc modū interierunt. Tertia rursus die ad eandem cædē sicarii mente prorsus alienata redierunt: sed neq; quem occiderent reperiebant. Omnes.n. ferme qui ad Hebræum genus pertinebant, aut fuga sibi salutem pepererant, aut in domibus proborum hominū latitabant. aliqua tamen cædes facta fuit. Illis tribus diebus circiter duo hominum millia ex Hebræa gente ad eum modum occisa sunt. Cum tamen aduesperascere, Arius Syluius, & Aluarus Castrensis, viri apprime nobiles, qui tunc Regiis iudicū decuriis

Olyssiponensium in Hebræos furor.

præerant, cum præsidiis in vrbem se contulerunt. eorum adventu furor repressus est. Galli, & Germani se confestim in naues cum præda magna recipiunt, datisque velis in patriam ea qua potuerunt celeritate confugiunt. Emanuel vbi nuncium de tam insigni facinore accepit, ira nimis acriter exarsit, & continuo Iacobum Almeidam, & Iacobum Lupium, viros primarios cum summa authoritate Olyssiponem misit, qui tantum scelus debito supplicio vindicarent. Magnus hominum numerus extremo supplicio pœnas immanitatis & amentiæ dedit. Monachi vero, qui sublata Cruce hortatores cædis extiterant, Sacerdotii primum dignitate solemni ritu priuati sunt, deinde strangulati, atque combusti. Qui vero segnes se præbuerunt in furore populari comprimendo, partim honoribus priuati, partim pecunia multati sunt: & ciuitas ipsa multis ornamentis spoliata fuit. *Osorius lib. 4. Maphæus lib. 3.* Surius, de hoc tumultu aliqua habet non omittenda. scil. quia is excitatus fuit, eo quod Iudæi recens baptizati, simulate tantum salutaribus vndis tingi se permisissent, cũ interim nihilominus Iudaico ritu clam Pascha celebrarent. Tulit id molestissime populus Christianus, & apud Regem de iis quæstus est. Rex, sexdecim ex illis capi quidem iussit, sed postea impune dimitti. Cernens hoc populus, mussitat contra Regem & Præfectum tamquam muneribus corruptos: factaque conspiratione, vno animo omnes viri & fœminæ tumultuantur contra Iudæos pseudo Christianos. Aderant illis adhortatores tres Monasticæ vitæ cultores, & per vrbem vociferabantur, misericordia, misericordia: sequantur nos quotquot Christi fidem & crucem diligunt: cædantur omnes sacrilegi Iudæi, qui baptismum prophanarunt &c. Fit igitur magnus armatorum hominum, fœminarum quoque & iuvenum concursus, vt solet in eiusmodi tumultibus: perque vrbis plateas volitantes, Iudæos omnes recenter baptizatos, quotquot invenire poterant, ad sexcentos trucidant, & in Sancti Dominici planicie ignibus iniectos comburunt. Denique intra paucos dies quibus hic feruebat tumultus, Olyssipone, & in propinquis villis mille nongenti triginta Iudæi perempti feruntur. Aberat per id tempus Rex Emanuel ab Olyssipone aliquot milliaribus. Vbi autem de hac cæde certior est factus, indigne tulit, iussitque in Iudæos excitatæ persecutionis authores animadverti, eosque comprehendi. Capti sunt, & in vincula coniecti amplius ducenti, è quibus aliquot sunt flammis consumpti, alii capite plexi, nonnulli in crucem acti: plerique facultatibus omnibus nudati, è patria in exilium pulsi sunt. Fuit quidem zelus ille non reprehendendus, quo detestabantur Iudæorum perfidiam: sed non videtur laudanda temeritas, quæ priuata autoritate de illis sumere supplicium voluerunt. Vetus lex in omni sacrificio iubebat sal offerri: hoc est vt etiam recte facta nostra, ex rectæ rationis præscripto prudenter & moderate, nihil temere & inconsulto geramus. Nam alioqui sine hac prudentia & moderatione, siue vt habet loquendi vulgaris vsus, sine hac discretione, etiam virtutes abeunt in vitia: quo pertinet etiam illud: *Summum ius, Summa iniustitia. Surius, Comment. huius anni.*

X. Hoc anno, Lublini in Polonia, comitiis Regni indictis, certatum est inter proceres profani Ordinis & Episcopos de ordine & ratione sedendi in Senatu Regio, ac de expeditionibus bellicis. Contendebant proceres, vt Episcopi alterum latus Regis sibi concederent alterum vel dextrum sane ipsi tenerent. deinde vt bona Ecclesiis addicta, perinde ac ea quæ nobilitatis essent, publica belli onera sustinerent. Tuebantur Episcopi prærogatiuas suas, quod vtrique Regio lateri assidendi ius ipsi, & militiæ vacationem Ecclesiastica bona antiquitus haberent. Post longam altercationem Rex tandem controversiam ita diremit, vt Episcopis & Ecclesiis prærogatiuæ suæ saluæ manerent. Post hæc Alexander Rex, pacem cum Bogdano Palatino Valachiæ qui Elisabetham Regiam sororem in matrimonium expetebat, composuit his legibus: vt is ad Romanæ & Catholicæ Ecclesiæ ritus cum aulico suo comitatu accederet: in Moldauia item vt templa, Sacerdotes, & vnus Episcopus Romani ritus instituerentur: Romanus Pontifex Bogdano postulante matrimonium id approbaret: Bogdanus Regiis ditionibus fœderatus vt esset, & cum cæteris Christianis Principibus contra barbaros bellum susciperet. *Cromerus lib. vltimo.*

Hoc anno Ioachimus Brandeburgicus Elector, multis egregiis corporis atque animi dotibus insignis Princeps, Academiam pulcherrimam instituit Francofordiæ ad Oderam, approbante Iulio II. Romano Pontifice, & certis priuilegiis eam cohonestante. Est situs oppidi amœnissimus: præterlabitur Viadrus, seu Odera fluuius piscosus, multique colles vinearii præcipuam adferunt spectantibus voluptatem, & quod studiosos facile allicere solet, paruo illic viuitur, & commodissima habentur studiosorum habitacula. Hoc tempore quo scribimus, sequuntur infelices Lutheri doctrinam, à qua toto vitæ suæ spatio Ioachimus Princeps vehementer abhorruit, nec in sua eam ditione disseminari passus est. Fuit autem idem Princeps etiam Latine doctus, & studiorum atque studiosorum præcipuus fautor & Mecænas. *Surius sup.*

Iulius II. basilicam S. Petri absoluit.

XI. Eodem anno Iulius Pont. Max. megnificentissimum, & augustissimum opus, Basilicam Principis Apostolorum in Vaticano, septem illis antiquorum miraculis præstantiorem, condidit, Bradamante architecto, ideam vniuersæ molis, ad exactissimæ symmetriæ pulchritudinem designante. Eam post Iulium, Paulum III. & IV. Pium V. Gregorium XIII. & Sixtum V. Paulus V. Burghesius, adiuncto reliquo templi corpore, Odæo, Sacrario, & porticu, immensis sumptibus absoluit. *Panuinius in Commentario de septem vrbis Ecclesiis, & nos ex re subiecta oculis in Paulo Quinto.* Vrbanus vero VIII. Successor, me quoque præsente ac spectante eandem Basilicam solenni ritu consecrauit: eius autem solennitatis memoriam, præter alios Ioannes Baptista Laurus, in Ecclesiæ Tabularium retulit. Placuit illam istic exhibere.

Ex libro Consistoriali Io. Baptistæ lauri Perusini Sacri I. R. E. Collegij Cardinalium à secretis.

Feria IV. Die XIIX. Nouembr. M. DC. XXVI.

XII. *Basilicæ S. Petri Dedicatio.*

Sanctissimus D. N. VRBANVS PP. VIII. Pontificio hexaphoro ad D. Petri Basilicam è sacello Sixti Quarti deducebatur, præeuntibus præter domesticam, atque honorariã sericatorũ Cohortem, ac linteatos Patres, Episcopis, Archiepiscopis, & Cardinalibus. Omnes constitere sub Vaticana Porticu. Ille in suggesto ante fores Ecclesiæ clausas, Reverendiss. DD. de more venerabundos ad manus osculum excepit. Ac quando tam Basilica vetus erat consecranda, à Iulio II. ex Bramantis Architecti ea tempestate eximii descriptione Anno M. D. VI. inchoata, & ab aliis subinde Pontificibus exornata: quam pars altera à Paulo V. annis superioribus augustissimo huic Templo magnificentissime adiecta. Vetustiore enim diruta, quam S. Siluester Anno CCCXXIV. inaugurauerat, ipsa B. Petri Confessione seruata incolumi, recentis dedicatio Vrbano VIII. diuinitus reseruata videri poterat, qui eo nomine plenariam Indulgentiam pridianis iam obitis publicæ supplicationis gratia institutis in Octiduum vulgari iussit, non sine voluntarii Ieiunii hortatione, murorum Basilicam obuallantium ad hunc modum forinsecus expiationes sunt cœptæ. Pontifex aqua, rebusque aliis sacro ritu comparatis ter lustrare aggressus est parietes sub Porticu. Reverendiss. DD. Cardd. exteriorem ambitum; Dextrum quidem latus Andreas Perettus Episcopus Albanens. Dominicus Gymnasius Episcopus Prænestin. Carolus Madrutius Episcopus Sabinens. leuum, aliorum trium Episcoporum loco Marcellus Lantes Presbyter tit. SS. Quirici, & Iulittæ Iuderei Episcopus, Io. Baptista Lenius Presbytr. tit. Sanctiss. Cæciliæ Ferrariæ Episcopus, Iulius Sabellus Presbytr. tit. Sanctiss. Sabinæ Anconæ Episcopus. Interea infima Crucis hasta Sanctissimus D. ter æreas pulsat fores, reserat, Templum ingreditur, Characteres Græcos, & Latinos humi depingit, parietes interiores vna cum iisdem Cardinalis, Episcopis aqua, cineribus, vino, & sale expiata, ter hyssopo adspergit: qui pauimentum non semel pedibus emensus quatuor mundi partes sacra inauguratione designat: ab Ecclesia egreditur, obseratur Ianua, præ cuius foribus oratione ista affatur populum, nam huc consulto retulimus, quia vni Vaticanæ Basilicæ congruit, quæ autem in Pontificali legitur, vniuersis. Quanta, Fratres Charissimi,

Eccle-

Ecclesiis, & Deo dicatis locis habenda sit reuerentia, Canones, & vniuersalis religiosus fidelium cultus declarat. Nullibi enim quam in sacris Basilicis Domino offerri sacrificium debet. In ipso enim Mosaico Tabernaculo non alii, quam S. Sacerdotes, & Leuitæ vestibus sacris ornati Sacramenta tractabant, & pro populo oblationes offerebant. Postmodum Christiani Principes Basilicas à se constructas summo in honore habuerunt, immunesque ab omni vulgari strepitu, & negotio esse noscuntur; vt Domus Orationis ad aliud nullum commercium, atque vsum accommodaretur. Locus namque salutis est, portus naufragantibus, ad quem de tempestatibus anchora iacitur: hunc beneficia petituri adeunt, & iustæ eorum preces exaudiuntur. Magna ergo veneratione sacratas Domino Basilicas adeatis, fratres Charissimi, culpisque Mundi Domino oblationes cordis vestri offeratis. Inter Basilicas vero hæc vna præcipua est, in qua SS. Petri, & Pauli reliquiæ plurimorum Summorum, ac sanctorum Pontificum corpora, innumerabilium Martyrum, Confessorũ, Virginumque Ossa requiescunt: vt puluis ipse loci eorum sanguine sacrato conspersus, cultu, & exosculatione dignus à fidelibus censeatur. Hanc igitur toto orbe Christiano Sanctam Basilicam vetustate collapsam, & summorum Pontificum pietate ædificatam in honorem Omnipotentis Dei, B. Mariæ semper Virginis, & omnium Sanctorum, ac memoriã S. Petri Apost. hodie dedicamus. Christi quoq; fidelibus singulis annis hoc ipso Dedicationis Anniuersario die, hanc Basilicam deuote visitantibus plenariam peccatorum Indulgentiã concedimus, & alias quascunque Indulgentias, ac spitiutalia Priuilegia à summis Pontificibus prædecessoribus nostris veterem Basilicam visitantibus concessa confirmantes, de Thesauris Ecclesiæ, & meritis Sanctorum eisdem impartimur. Posthæc Portam signat Chrismate, & Templo rursus inito Cruces duodecim ex musiuo opere fabricatas, totidem Basilicæ lateribus defixas, inungit; demum ad Aram pietatis, ad quam nuper S. Ioannis Chrysostomi Reliquiæ fuerant translatæ, Pontificio apparatu, consueta Dedicationis Ecclesiæ liturgia litat Deo.

Altare vero maius Confessioni impositum, consecrare necesse non fuit, propterea quod fundamento iam ad quatuor columnas æreas fulciendas probe iacto, dum à fabris murariis circumiecti attollerentur gradus, ne Clementis VIII. inunctio deperiret, aut Altaris facies immutaretur, illud validis asseribus Operæ cinxerant, & adhibitis ligneis Machineis, trochleis, funibus tantisper in sublime sustulerant, dum seratis infra lapidibus, extantiore veluti sede collocarent: nimirum vt summus Pontifex statis temporibus inibi faciens, à circumfusa multitudine, vel è Basilicæ vestibulo posset conspici.

Hoc anno, Mediolani, diem clausit extremum Ioannes Angelus Ordinis B. M. V. seruorum. Is in eadẽ vrbe ex nobili Porta familia natus, adolescens eum Ordinem seruorũ B. M. V. ingressus, vt Deo liberius inseruiret, se in Montem Sanarium apud Florentiam contulit: vbi annos XX. continuos in orationibus, ieiuniis, vigiliis, piis meditationibus, flagellationibus, & aliis carnis macerationibus exegit; multaque in liberandis præsertim energumenis, & morbis insanabilibus curandis, solo sanctæ crucis signo adhibito cum oratione signa ostendit virtutum. Mediolanum reversus eandem vitæ austeritatem retinens, in cella quæ paucis ab hinc annis adhuc monstrabatur, seorsum ab aliis habitauit, non absq; admirabilium miraculorum ostensione. Cum enim racemum ex vicina vite abstulisset, idque Fratres indigne ferentes audisset, illum in eundem locum retulit: qui sic viti copulatus est, ac si nunquam fuisset abscissus. Apud Cavacurtam Laudensis diœcesis pagum, vbi eius interula parturientibus opem ferens asseruatur, illum aliquando orantem à terris eleuatum visum ferunt. Illud quoque admirandum, quod cum in morbum incidisset, & sanguis per venæ sectionem extrahendus esset, accidit, vt adueniente eo qui sanguinem minueret (Eusebius illi nomen erat) nullus qui ei ministraret ex Fratribus, omnibus in processionem per vrbem profectis, adesset: cumque is aliquem, qui lumen, vasculum & alia porrigeret perquireret, continuo duo adolescentuli egregia forma, quos ille Nouitios ex habitu arbitrabatur adfuerunt, illique ministrarunt: sed peracta phlebotomia disparuerunt. Denique sanctus vir assiduis macerationibus confectus, cum pelle tantum & ossibus constare videretur, IX. Calend. Novembr. obdormiuit in Domino, anno 1506. In eo tumulando istud mirum contigit. Quo magis corpus illius in communem cæterorum Fratrum inferre conabantur sepulturam, eo grauius & immobilius videbatur, vt propterea in priuato tumulo supra terram illud condere fuerint coacti. Quo tempore per diem & noctem innumera languentium multitudo ad sacrum cadauer cucurrit, multis sanitatem referentibus, & campanis Ecclesiæ sponte sonantibus. Corpus adhuc integrum in æde Seruorum seruatur, ad quod hac die venerandum tota pene Ciuitas Mediolanensis confluere, & vota nuncupare solet: quamquam nondum sit Sanctorum numero adscriptus, neque Ecclesiastico officio excultus. *Philippus Ferrerius in Cathalogo SS. Italiæ ex monumentis Eccles. prædictæ, & Chron. Ordinis Seruorum. ex eodem Archangelus Gianius in Annalib. Seruorum.*

XIII. *Apes ex cera eucharistiæ sacrariolum composuerunt.*

Hoc anno viuebat Ioannes Aegidius, auctor libri qui dicitur *Scala cœli*. Is in eo libro istud memorabile scripsit. Corpus Christi esse in Sacramento altaris ostendunt creaturæ irrationales. Cum enim Sacerdos quidam ferret corpus Christi, & ipse in terram cadens illud amisisset, cum pixide in qua portabatur: ecce apes de suis aluеolis agminatim exeuntes, suoque creatori honorem deferentes, eidem sacrariolum ex sua cera miro artificio composuerunt. Quod cum perdidicisset, illuc cum fidelium multitudine procedens, & pixidem cum corpore Dominico inde eleuans, ipsum magna cum reuerentia ad Ecclesiam reportauit.

ANNO CHRISTI M. D. VII.

IVLII PAPAE II. ANNO 4. ET 5.

MAXIMILIANI ROM. REGIS ANNO 22.

I. *Genuenses à rege Galliæ deficiunt.*

AD finem anni superioris, ne Iulius Pontifex non haberet quod ageret, neue hic ann. notus 1507. absque nouorum motuum & bellorum causa inciperet, secuta erat Genuensium à Galliæ Regis fide defectio, non ab aliis quam ab ipsismet concitata, neque ex defectionis studio orta, sed ex ciuilibus discordiis, quæ homines vltra quam primo constituissent, traxerunt. Genua vrbs equidem eo in loco ad maris imperium obtinendum, nisi tanta oportunitas pestilenti ciuilium discordiarum veneno impediretur, ædificata, non vt multæ aliæ Italiæ vrbes vni tantum partium generi est obnoxia, sed in plures factiones diuisa. In ea enim adhuc veterum in Guelfos atque Gibellinos factionum reliquiæ supersunt. Viget inter patricios & populares dissensio, quæ multas vrbes in Italia, & præcipue in Hetruria concussit. Populares enim cum patriciorum arrogantiam ferre nollent, multis seuerissimis asperrimisque legibus illorum potentiam refrænarunt: atq; inter cætera fere in omnium reliquorum Magistratuum, atque honorum certa portione eis relicta, à Ducis dignitate, qui Magistratus omnium supremus cuicumque obtigerat, cum eius vita (quamuis ob eius ciuitatis varietatem nemini fortasse, vel admodum paucis, in tanto honore ad extremum vsque perseuerare datum fuerit) vna terminabatur, eos expresse excluserunt. Nec Adurniorum Fregosiorumque factio minus est potens, qui ex plebe ad patriciorum ordinem (tales Genuæ qui ad magnam potentiam peruenerunt, Capellacii appellantur) transierunt, de Principatu, qui per multos annos semper in alterutra harum fuit simul contendunt. quoniam Guelfæ atque Gibellinæ factionis nobiles cum legibus ab eo honore arcerentur, ad suæ vtrique factionis populares deferri procurabant: dumque Gibellini Adurniis, & Guelfi Fregosiis fauent, temporis progressu hæ duæ familiæ, illis quorum nomen autoritatemque prius sequi solebant, illustriores ac potentiores euaserunt. Hæ autem factiones ita permiscentur atque perturbantur, vt sæpe qui alteri

contra-

contrariam factionem sequuntur, in varias & ipsi factiones abierint: & contra in vnam factionem cum iis qui alteram sequuntur coierint. Hoc autem anno inter nobiles & plebeios altercatio accendi cœpit, quæ ex nonnullorum nobilium insolentia orta, cum vtriusq; partis animos vt consueuerant male affectos reperisset, mox ex priuata contentione in publicas dissensiones, quæ huiusmodi in vrbibus, qualis tunc erat Genua, diuitiis valde affluentibus facillime gignuntur, est conuersa: quæ eousq; progressæ sunt, vt populus per tumultum ad arma concitatus, & vno ex Auria familia interfecto, aliquotq; nobilibus vulneratis, vi potius quam libero ciuium consensu obtinuerit, vt in publicis consiliis in quibus pauci ex nobilitate interfuerunt, sequenti die constitueretur, vt ex Magistratibus qui antea inter nobiles plebeiosq; æque diuidebantur, deinceps plebi duæ portiones cederent, nobilitati vna relinqueretur. cui sententiæ Roccalbertinus qui pro Philippo Rauestenio Regio præfecto tunc absentevrbi præerat, ne maior tumultus oriretur veritus assensus est. Ni hilominus plebeii, hoc minime cõtenti, nouo tumultu intra paucos dies excitato, nobilium domos diripuerunt. Quare maxima nobilium pars, quod sibi non amplius in patria vitã degere tutum esse duceret, discessit. Præfectus his rebus cognitis celerrime ex Gallia cum centum & quinquaginta equitibus, ac septingentis peditibus Genuam rediit. Sed neq; authoritate, neque suasionibus, neque viribus, res vlla ex parte ad meliorem statum reuocari potuit: imo sæpe plebis voluntatem sequi coactus, nonnullas alias copias quæ illum sequebantur regredi iussit. Ex quibus initiis cum multitudo indies insolentior fieret, & vt plerumque in seditiosis ciuitatibus solet, administratio, contra multorum è populo honestiorum voluntatem, fere tota in plebis fecem cecidisset, ac per se ipsa vt furoris sui caput haberet, nouum octo plebeiorum hominum Magistratum amplissima cum autoritate creauerat, quos, vt ipso nomine ad maiorem insaniam concitarentur, Tribunos plebis appellabant, Spediam, & reliqua orientalis littoris oppida, quibus Regis nomine Ioannes Ludouicus Fliscus præerat, occuparunt. His de rebus, & totius patricii ordinis nomine, & propria de causa Ioannes Ludouicus apud Regem manifesto, Genuensis Imperii amittendi; quandoquidem multitudo cousque temeritatis deuenerat, vt præter tot alia delicta aduersus Regiam Maiestatem maritima oppida occupare ausa esset, periculo demonstrato quæstus est: cui furori si apta remedia cito adhiberentur, facile dum nullum adhuc ab vllo auxilium opemve haberent, occurri posse: sin prolatando cunctandoque occasiones corrumperent, malum maiores in dies radices acturum. Genuæ namque terra marique opportunitatem eam esse, vt facile aliquem principem ad id incendium eius imperio tam pernicioſum fouendum allectura sit, & plebem vbi eam quæ fortasse ab initio seditio fuerat, in rebellionem commutatam esse animaduertisset, cuiuis qui modo defendendi spem faceret adhæsuram. Ab alia vero parte Oratores à Genuensi populo missi ad Regem, causam suam æquam ostendere studebant. Aiebant enim sola nobilium superbia populum fuisse commotum, qui honoribus nobilitati conuenientibus non contenti, tamquam vrbis domini haberi vellent; populum diu illorum insolentiam pertulisse: sed tandem non modo in fortunis, verum etiam in propriis corporibus iniuriis affectos, sese continere diutius non potuisse. & tamen nihil aliud quam id, quod nisi fecissent, libertas ipsis tuta non fuisset, egisse. Dum enim nobiles in Magistraribus æquam portionem habuissent, illorum tyrannidi magistratuum & iudiciorum ope obsisti non potuisse: & Ioanne Ludouico maritima loca, sine quorum commercio Genua veluti obsessa erat, obtinente, quonam pacto plebeii tuto ibi versari, & agere possent? Populum semper Regiæ Maiestati obsequentissimum fidelissimumque fuisse, & Genuæ mutationes omni tempore magis à nobilitate quam à plebe ortas esse: supplices Regem obsecrare, vt iis delictis quæ contra communem voluntatem, in contentionum ardore ab aliquibus priuatis commissa erant condonatis, legem de Magistratuum distributione latam confirmaret: & maritima oppida publico nomine gubernari permitteret. hac ratione patriciis honorifice gradus & dignitates suas obtinentibus, populum decenti libertate securitateque qua nulli fraus fieret fruiturum esse: eiusque autoritate hanc tranquillitatem adeptos, Regis clementiam, bonitatem atque iustitiam in perpetuum obseruaturos. Illi tumultus Regi, siue quod ei multitudinis licentia esset suspecta, siue ob communem Gallorum in nobilitatis nomen propensionem, valde molesti fuerant. Ideoque libenter harum rerum authores puniuisset, resque in pristinum statum redegisset; sed veritus ne si aspera remedia adhiberet, Genuenses à Maximiliano Cæsare, quem magnopere metuebat, auxilium implorarent, humaniter eos tractare constituit. Quocirca dummodo maritima oppida quæ occuparant, suæ potestati redderent, omnia delicta condonabat, & nouam de Magistratibus legem confirmabat: ac quo populo facilius hæc persuaderet, Michaelem Riccium Iurisperitum Neapolitanum exulem, qui eos vt benignitatis suæ occasione vti potius, quam contumacia erroribusque multiplicatis, se ad imperii seueritatem adhibendam cogere vellent, hortaretur, Genuam misit. Sed in animis, immoderatis cupiditatibus occæcatis, prudentia à temeritate oppressa locum nullum habebat. Itaque plebs & tribuni, quamuis legitimi Magistratus secus sentirent, non modo Regis mansuetudine neglecta, oppida restituere recusarunt: sed insuper ad deteriora assidue ruentes, Monæcum castellum à Luciano Grimaldo possessum, siue communi in omnes Genuenses patricios odio, siue quod maritimis rebus admodum opportuno loco situm, magni ad res Genuenses momenti sit, siue priuato odio, quia qui eo loco potitur, loci opportunitate maxime allectus, vix à maritimis rapinis abstinere solet: siue quod, vt aiebant, iure ad Rempub. spectaret, expugnare decreuerunt: Ideoque præfecto frustra repugnante, multas copias terra marique ad id oppugnandum miserunt. Quare Philippus Rauestenius se inutiliter & propter casus qui exoriri poterant, non sine periculo ibi morari animaduertens, Roccalbertino suo in loco relicto discessit. Rex autem rerum in meliorem formam redigendarum spe amissa, eas vero ita relinquere, nec dignitatis, nec securitatis suæ, & si vlterius excurrere permitterentur maius periculum fore ratus, terrestres ac maritimas vires vt Genuenses iterum suo imperio subiiceret palam apparare cœpit. Ea res consilia quæ inter ipsum & Iulium Pontificem aduersus Venetos agitabantur, valde à Rege iam Philippi Archiducis morte armorum MAXIMILIANI suspicione liberato expetita: sed multo magis à Pontifice, tum ob Aemiliæ oppida ab illis occupata tum quia nulla Pontificiæ authoritatis habita ratione Veneti imperii Episcopatus distribuebant, multaque ad Pontificium ius spectantia vsurpabant, vehementer irato, impediuit. Eas enim ob causas Pontifex prorsus ad Regis amicitiam conuersus, præter id quod Ausensem & Baiocensem Episcopos, Cardinales, vt antea fuerat vehementer postulatum pronunciauit à Rege vt in Italiam secumque ad colloquium veniret petierat: idque Rex se facturum annuerat. Sed postea Pontifex, Regem pro patriciis aduersus populum Genuensem arma sumere statuisse certior factus, cum veteri propensione contra patricios populo faueret, maximam inde molestiam sensit: egitque cum Rege, vt populari statu non immutato eius vrbis imperio contentus esset: vtque ab armis, cum multas alias ob causas, tum præcipue, ne aliquo incendio in Italia hoc motu excitato, constitutum in Venetos bellum impediretur, abstineret, magnopere est eum hortatus. His rationibus cum Regem non assentiri animadverteret, seu indignatione ac dolore superatus, seu antiqua Cardinalis Rothomagensis cupiditatis suspicione, siue per se, siue subtili aliorum artificio excitata: ideoque ne forte, si in congressum venissent, à Rege captiuus retineretur veritus, & fortasse vtraque causa concurrente, repente initio huius anni 1507. contra omnium expectationem, nulla alia de causa, nisi Bononiensis cœli constitutionem saluti suæ pernicioſam esse, seque ab vrbe abesse, minime parvum suis & Ecclesiæ rebus detrimentum afferre, se velle Romam redire diuulgauit. Hæc res omnibus atque inprimis Regi ipsi, quod sine vlla causa negotia quæ tantoperè expetiuerat, colloquio cuius ipsemet hortator & flagitator fuerat declinato inchoata relinqueret, multum admirationis attulit: eaque vehementer commotus Rex, nihil vt eum ab hac noua cogitatione reuocaret prætermisit. Verum illius ea in re opera noxia potius quam vana erat: quoniam Pontifex in maiorem ex Regis solicitudine suspicionem coniectus, eo magis in sententia sua confirmabatur: in qua constanter insistens, cum iustum odium in Regem conceptum dissimulare minime posset, sub Februarii finem Bononia discessit. Antequam ex ea vrbe abiret, prima arcis fundamenta prope Galeriæ portam qua Ferrariam itur, eodem in loco vbi olim alta arx à Philippo Maria Vicecomite Mediolanensium Duce extructa fuerat iecit: & antiquo in Venetos odio, recenti in Galliæ Regem indignatione nonnihil mitigato, cum à recto itinere deflectere nollet, Fauentia iter fecit, nouis subinde altercationibus inter ipsum & Galliæ Regem gliscentibus. Nam etsi Bentiuolis ipsius consensu, in Insubria degendi facultas concessa fuerat, eos tamen inde pelli postulauerat: neque Protonotario Ioannis filio, suorum sacrorum beneficiorum possessionem eadem pactione atque consensu promissam restituere voluerat, quod nouis rebus studere, & Regem incitare dicerentur. Rex porro Galliæ ea re indignatus, & illum, vt forte res erat, clam Genuensem populum concitare suspicatus, ci generis obscuritatem qua Pontificem obscurissimo loco natum per multos annos in abiectissimo statu educatum fuisse dicebant, contumelioſe obiiciens, ab apertis minis minime abstinebat: imo tanto magis in priore, quoad Genuenses res attinebat sententia confirmatus, quantum interesset vtrum ipsemet bellum gereret præsens, an ducibus committeret, rerum Neapolitanarum experientia edoctus, summa diligentia exercitum quem ipsemet duceret comparabat: ac interim Castelleti præfecto iusserat, vt multos ex populo Genuensi captiuos faceret, atque fulmineis tormentis vrbem & portum Genuensem infestare inciperet. Iam fama erat vbique diuulgata, exercitum à Rege destinatum subinde in Insubriam traduci. Quare multitudo, quæ ad eum vsque diem verbis eam defectionem quam reipsa moliebatur. Galliæ Regis nomine inuocato, eiusque signis à publicis locis non amotis dissimulauerat, Paulum Nouium Serici fili tinctorem infimæ plebis hominem, Ducem creauit, hac re manifestissimam defectionem ostendens. Duce namque creato, ciuitas nullum se alium Principem agnoscere declarabat. His rebus Regis animo ad maiorem indignationem incitato: tum etiam quia à Patriciis ei fuit significatum, Gallica insignia à plebe deiecta esse, ac pro his Cæsariana repositа: tum quod Cæsar à Genuensibus, &, vt opinio erat, etiam clam à Pontifice impulsus, ne Genuæ vtpote Imperii ciuitati molestus esset, eum erat hortatus, se cum populo vt ad æquas conditiones veniret acturum: magis commotus Rex, prius constitutos apparatus adauxit, & in Italiam venit. Pontifex, nulla alia re quam occultis hortationibus & promissis animum suum ostendere audebat: Rex Catholicos, quamuis Genuensium salutis cupidus esset, à Galliæ Rege alienari nollens, eum nauibus longis quatuor iuuarat. Cardinalis Finariensis qui Regem sequebatur, crebris Genuenses nunciis atque literis, vt se Regis voluntati committerent, veniæ & æquarum legum adipiscendarum spem faciens hortabatur. quibus illi neglectis, ac pertinaciter in sententia perseuerantes, arma in Regem venientem temere sumpserunt. Enimvero cum Rex exercitum vrbi admouisset, non potentes resistere, ad extremum omnia dediderunt. Die 29. Aprilis Rex ipse cum omni equitatu & hypotoxotis stipatoribus suis Genuam ostingressus: ipse quidem pedes sub vmbella candidis armis totus obtectus, nudum manibus gladium tenens: cui obuiam facti sunt vrbis regionum præfecti (Antianos vocant) cum magna ciuium honestissimorum multitudine: quibus cum multis lachrymis ad pedes eius prostratis, vbi nonnihil silentii factum est, vnus ex illis omnium nomine sic est locutus.

Quanquam, Christianissime & Clementissime Rex, contentionibus cum patriciis nostris initio maior fere populi pars interfuit tamen earum insolentem prosecutionem, & multo magis in Regia mandata contumaciam ex infimæ plebis fæce profectam esse, affirmare possumus: cuius temeritatem, neque nos, neque alii ciues, mercatores, artificesque honesti, vnquam cohibere potuimus. Ideoque si pœna ciuitati vel nobis imponeretur, eam absque vllo eorum qui tantorum delictorum autores participesque fuerunt detrimento, quique omnium rerum egentes & vagi, apud nos ne in hominum quidem, nedum ciuium, numero habentur, neque hanc miseram ciuitatem ipsi pro patria habent, innocentes affligeret. Sed non id est nobis propositum, verum omnibus excusationibus omissis, tantummodo ad tanti Regis magnanimitatem, misericordiamque confugere: maximam spem in ea collocare, illam supplices orare, vt eo animo quo longe maiora delicta Mediolanensibus condonauit, clementibus illis oculis, Genuenses paulo ante felicissimos, nunc omnium miseriarum exemplum, intueri dignetur. Recordare quanta cum nominis tui gloria, clementia tua per vniuersum terrarum orbem tunc celebrata fuerit: quamque præstantius sit, simili pietate eam confirmare, quam acerbitate obscurare. Recordare etiã à Christo totius humani generis Seruatore, te Christianissimi cognomentum habere: idcirco eius exemplo, tibi clementiam atque misericordiam, quæ Dei propriæ sunt, colendas esse. Sint delicta perpetrata quantumuis magna, sint immensa, numquam tamen clementiam bonitatemque tuam superabunt. Tu Rex noster dignitate atque potentia nobis instar summi Dei es (quid enim aliud quam Dii sunt Reges apud suos?) Quocirca tanto magis eum etiam voluntatis & factorum similitudine referre debes, in quibus nihil gloriosius, nihil gratius, nihil denique admirabilius misericordia est. Hac si nos complexus fueris, te vnum in terris Regem Deo immortali simillimum indicabimus.

Hæc verba secutæ sunt clarę omnium voces, misericordiam implorantium. Rex autem quamuis eos surgere iusserit, & gladio quem strictum manu tenebat deposito, animi potius ad placabilitatem propensi signa daret, nullo reddito responso progressus est. deinde ad totius vrbis augustissimum templum peruenit, vbi mulierum atque infantium ingens numerus se ad pedes eius abiecit: qui omnes candidis vestibus induti, maximis clamoribus, & miserandis eiulatibus eius clementiam misericordiamque implorabant. Hic aspectus, vt ferebant, Regis animum non mediocriter commouit: qui etsi Genuensibus omnem administrationem autoritatemque eripere, eosque pecuniam, quæ Diui Georgii nomine ad priuatos pertinet, in Regium ærarium inferre, & omni libertatis imagine spoliatos, ad eam seruitutem in qua Mediolanensis Imperii oppida erant redigere statuisset: tamen post paucos dies, quod ea ratione non modo multos innocentes plecti, verum etiam omnium nobilium animos alienari, faciliusque esse eam aliqua mansuetudine, quam desperatione in officio posse retineri cogitasset, pristinum statum qualis ante hanc primam seditionem erat, restituit. Sed ne prorsus seueritatis in tantis delictis obliuiscereturr, Rempub. mille auri libris mulctauit, quibus non multo post bis mille libras certis temporibus soluendas ad sumptus faciendos in erigenda munitione, quam Brigliã, hoc est Frænum vocauit, adiecit. voluit etiam vt præsidium maius consueto alerent, & semper in portu tres instructas triremes sibi obsequentes haberent: Castelletum q; & Castellatium munirent. His decretis, omnes pactiones ante id tempus inter se & illos factas aboleuit: iisdem tamen fere rebus iterum, sed vt tamquam priuilegia, non pacta, essent concessis: quo eos ad libitum suum iis priuare posset. Præter hæc à Genuensibus monetis antiqua signa remouit, & suum in posterum imprimi iussit, quo absolutum in eos se imperium habere declararet. quibus rebus addita est Demetrii Iustiniani condemnatio qua est capite mulctatus, qui in quæstionibus omnia Pontificis cum illis consilia, & spes detexit. in quod supplicium post paucos menses incidit Paulus Nouius paulo ante Genuensium Dux, qui dum Pisis Romam nauigaret, à quodam Corso qui eius miles fuerat deceptus, Gallis venditus fuit. His rebus peractis, & fidelitatis solenni sacramento à Genuensibus accepto, omnibusque, exceptis circiter sexaginta quos iudicio tradidit, venia concessa, Rex exercitu quamprimum Genua potitus est, dimisso, Mediolanum contendit: quo exercitu, quum reliqui omnes im-

parati essent, facile ei fuisset victoriæ cursu continuato, quoscumque voluisset in Italia opprimere: sed idcirco eum tam facile dimisit, vt Pontifici Romanorum Regi, & Venetis, qui in Maxima suspicione versabantur, se nullam aliam ob causam, quam Genuæ recuperandæ gratia in Italiam venisse ostenderet.

II. Sed nulla res ad Pontificis animum mitigandum erat idonea, qui omnibus rebus in deteriorem partem acceptis, denuo non mediocriter de Rege conquerebatur: quasi eius opera factum esset, vt Annibal Bentiuolus eum sexcentis peditibus in Mediolanensi Imperio conscriptis, illis diebus Bononiam ingredi conatus esset: quod si successisset, illum in Pontificium Imperium vlterius progressurum fuisse affirmabat. Quare indignatus, quamvis antea difficillime Aussensem & Baiacensem Episcopos in Cardinalium Collegium cooptasset, Albiensem Episcopum à Ciamontio eius fratre, Bentiuolos in Insubria habitare permitti questus, Cardinalem pronunciare recusabat. Quod vero maioris erat momenti, quum Rex se Genuenses armis ad obedientiam reuocare velle divulgauit, Romanorum Regi, atque Septemviris Augustalibus per nuncios & litteras, Galliæ Regem cum potentissimo exercitu, Genuensium tumultuum, quos sola autoritate compescere posset, sedandorum specie, re autem vera Pontificii Imperii opprimendi, & Cæsareæ dignitatis vsurpandæ gratia, iter in Italiam adornare significauit: & præter Pontificem, idem & Veneti eiusdem Galliæ Regis cum tantis copiis in Italiam aduentus timore perculsi nunciarunt. quibus rebus auditis Maximilianus suapte natura rerum novarum studiosissimus, eo tempore ex Flandria vbi frustra nepotis administrationem assumere tentauit reuersus, Germaniæ Principum & liberarum ciuitatum conuentum Constantiæ indixerat: quo totius Germaniæ nobilium primores, & Principes, atque populi, fortasse promptiores ac frequentiores, quam diu antea ad aliquem conuentum conuenissent, confluxerant. Omnes enim septemviri ipsimet convenerunt: omnes Germaniæ sacri atque prophani Principes, iis exceptis qui aliquod iustum impedimentum habuerant: eorum tamen nomine aut filii, aut fratres, aliive ipsis coniunctissimi interfuerunt: omnes quoq; liberæ ciuitates legatos miserunt. quibus congregatis, Cæsar Pontificis epistolam, alias item literas quibus variis ex locis idem ei nunciabatur legi iussit. Erat autem in nonnullis expressum, Galliæ Regis mentem esse, Cardinalem Rothomagensem in Pontificia sede locare, & ab illo coronam Imperii accipere. quibus nuntiis omnium animis iam ad maximam indignitatem concitatis, Cæsar, vbi strepitus desiit, in hanc sententiam verba fecit.

Iam cernitis, Septem Viri & Principes nobilissimi, vosque clari Oratores, quid nostra patientia, qua hactenus vsi sumus effecerit: quem fructum meæ tot Conuentibus contemptæ quærelæ tulerint. Iam inquam, cernitis Galliæ Regem, qui antea res ad Sacrum Imperium spectantes, nisi magnis occasionibus & conspicuis coloribus tentare non audebat, aperte se non ad perduelles nostros, vt alias fecit, tuendos, non ad Imperii iure aliquo in loco occupanda, sed ad Germaniam Imperii dignitate, à maioribus nostris tanta virtute tantoque labore parta & conseruata spoliandã comparare. Ad eam vero audaciam, non eum vires auctæ, non nostræ imminutæ, non quod quanto Germania citra controuersiam Gallia potentior sit ignoret incitant, sed quod nobis ipsis nos similes futuros, dissensiones aut ignauiam nostram, maiorem in nobis quam gloriæ, imo vero salutis aculeos vim habitura sperat: nos iisdem de causis, ob quas tanta cum ignominia Insubriæ Imperium ab illo occupari, ab illo discordias inter nos foueri, ab eodem denique Imperii rebelles defendi passi sumus, Imperii etiam maiestatem ab illo nobis eripi, & nostræ gentis ornamentum atque splendorem in Galliam transferri permissuros. Quanto minus esset nominis nostri dedecus, quanto minore animus meus dolore afficeretur, si Germanorum potentiam Gallica inferiorem esse vniuerso terrarum orbi constaret. Minus enim me excruciaret detrimentum quam infamia: quoniam saltẽ, id quod vel ex temporum statu, vel ex fortunæ iniquitate manaret, nostræ ignauiæ imprudentiæve non ascriberetur. & quæ nam maior infelicitas, quæ calamitas inueniri potest, quã ad eum statum redigi, in quo nobis vt non simus potentes optandum sit: quam ad sempiternum nominis nostri dedecus ignominiamque vitandam, maximum detrimentum (quando secus fieri nequit) nobis sit eligendum? Quamvis vestra singulorum animi magnitudo toties in priuatis rebus explorata: quamuis ferocitas huius gentis propria atque præcipua: quamuis antiquæ virtutis, & à patribus nostris, qui quondam omnibus reliquis gentibus terrori pauorique fuerunt, actorum triumphorum memoria, bellicos atque invictos vestros spiritus in tam graui causa excitatum iri mihi spem faciunt pene certissimam. Non hic igitur de Mediolanensis Imperii iactura, non de Heluetiorum rebellione: quibus in rebus tantis tamquam grauibus fuerit mea authoritas leuis propter affinitatem quæ mihi cum Ludouico Sfortia intercedebat, & propter peculiares Austriæ familiæ causas. nunc autem quæ excusatio fingi? quo velo ignominia nostra tegi posset? Agitur nunc, num Germani, quorum arma olim fere vniuersum orbem domuerunt, quorũ nomen etiam nunc omnibus Christiani orbis regnis formidabile est, Romani Imperii non fortuna, sed virtute possessores, tanta dignitate se turpiter spoliare permittere, infamiæ exemplum esse, qui primi & clarissimi omnium gentium sunt, ii inter omnes infimi ridiculi, contemptissimi fieri debeant. & quæ causæ, quæ detrimenta, quæ iræ vos vmquam mouebunt, si hæc vos non mouent? Quæ erunt illa, quæ maiorum vestrorum fortitudinis & magnanimitatis igniculos in vobis excitabunt, si hæc non excitant? Quanto cum mœrore futuris temporibus filii atque nepotes vestri, nominum vestrorum memoriam audient, nisi illis Germanicum nomen ea in amplitudine atque autoritate, in qua vobis à patribus vestris cõseruatum fuit conseruaueritis? Sed hortationes atque suasiones omittamus: neque enim meà vobis in tanto honore collocatum, verbis copiosum esse decet, sed potius facta exemplaque proponere. Ego, Cæsareæ coronæ accipiendæ prætextu (quæ pompa magis quam re, vt vobis notum est, cõtinetur: Cæsarea namq; dignitas atq; authoritas prorsus ex voluntate vestra pendet) sed re vera vt hæc Gallorum nefanda consilia infringam: & vt quando alia ratione nos ab illorum insolentia tutos reddere non possumus, eos Mediolanensi Imperio pellam, in Italiam exercitum traducere constitui. Neminem vestrum, iis subsidiis quæ Imperatoribus vestris ad coronam accipiendam euntibus dari solent, mihi exhibendis difficilem fore certo scio: quibus viribus meis adiunctis, quia omnia sim victor peruagaturus, & quin maxima Italiæ pars, alii priuilegiorum confirmandorum gratia, alii vt à tyrannide qua opprimuntur, iustitiæ nostræ ope liberentur: alii victoris iræ deuota submissione placandæ causa, nihil supplex obuiã sit ventura minime dubito. Rex Galliæ solo armorum nostrorum nomine territus cedet, cum à me adolescentulo ac pene puero, Guinægasti Ludouici Regis exercitum, vera virtute magnanimitateq; fusum ac debellatũ recordabitur: ex quo tempore, arma nostra experiri recusantes, numquã Galliæ Reges, nisi insidiis & fraude mecũ pugnarunt. Sed quæso vos cogitate ea generositate, animiq; magnitudine quæ Germanorũ est propria, nũ famę existimationisque vestræ sit in cõmuni tamq; graui periculo, tã lente excitari: neq; in tam nouo & inaudito casu, nouos etiã & inauditos apparatus facere. Nonne nominis vestri gloria & magnitudo, cuius semper propriũ fuit, Romanorum Pontificum dignitatem, ac Sacrosanctæ potestatis autoritatem, quæ nunc pari ambitione ac scelere à Galliæ Rege scelesto violantur postulat, vt cõmuni totius Germaniæ decreto, arma ad id potentissime capiantur? Hæc causa prorsus ad vos pertinet. Equidem, cum vos prompte vt de cõmuni periculo commonefacerem conuocarim, & voluntatis meæ exemplo concitauerim, satis me munere meo functum arbitror: mihi non animi ad quævis pericula subeunda fortitudo, non corpus assidua exercitatione ad quosvis labores ferendos habile deerit: neq; etiam meum in rebus bellicis cõsilium, ob ætatem & rerũ vsum huiusmodi est, vt vobis ad hanc expeditionem omni ratione idoneus Imperator deesse possit: sed quo maiori autoritate Regem vestrum ornabitis, maiori potentia, copiis eum sepietis, tanto facilius summa cum vestra laude ROMANÆ ECCLESIÆ COMMVNIS MATRIS LIBERTAS defendetur: Cæsarea dignitas, amplitudo, splendor, vobis omnibus atque huic potentissimæ ac fero-

cissimæ Nationi communis, vna cum Germanici nominis gloria, efferetur in cœlum.

Hæc oratio omnium auditorum animos mirum in modum commouit, puduitque eos illius querelas aliis conventibus auscultatas non fuisse: nec difficile fuit iam concitatis animis nouos iracundiæ aculeos addere. Itaque cum in omnibus idem ardor esset, Imperii maiestatem sua negligentia ad alias gentes transferri minime pati, magna omnium consensione de iis quæ necessaria viderentur, cœptum est agi: omnibus, potentissimum exercitum, quique etiamsi Rex Galliæ cum vniuersa Italia opponerentur, ad pristina Imperii in Italia iura, superiorum Cæsarum vel impotentia vel culpa vsurpata, redintegranda atque recuperanda idoneus esset, comparari debere asserentibus. Id Germanici nominis gloriam, Id tot Principum, liberarumque ciuitatum concursum postulare: semel esse cunctis mortalibus ostendendum, Germaniam & si per multos annos animorum studiorumque dissensione laborasset, non tamen idcirco non eandem potentiam animique magnitudinem, quæ maiores suos cunctis gentibus formidabiles fecerat, vnde nomini ipsorum communi maxima gloria & Imperii maiestas, priuatim vero multis nobilibus dominatus & potentia parta erant, habuisse. Nam quot Illustres familiæ diu in Italia in iis quæ propria virtute occuparant, regnarunt? quæ res tanto feruore tractari sunt cœptæ, vt manifestum fuerit iam à multis annis nullos conuentus ex quibus maiores motus expectarentur, peractos fuisse: omnibus præter alias rationes sibi persuadentibus, ea spe quam ob Philippi Regis filiorum teneram ætatem, Cæsarea dignitas quæ in Alberto, Federico, Maximiliano, qui tres ex Austria familia erant, ordine producta, tandem ad aliam aliquam familiam transiret, habebant, Septem-Viros cæterosque Principes promptiores futuros.

III. Hæc igitur ad Galliæ Regis aures perlata, effecerunt, vt statim Genua capta, quo huiusmodi suspicionem tolleret, exercitum dimitteret: & ipse quoque eadem celeritate trans alpes rediisset, nisi cum Ferdinando Catholico Rege colloquendi desiderio retentus fuisset: qui totus ad Castellæ administrationem iterum assumendam intentus, reditum in Hispaniam adornabat: quoniam Ioanna eius filia, non tam ob sexus imbecillitatem, quam quia melancholia in morte mariti patefacta, non satis compos mentis videbatur, ad tantam administrationem minime erat idonea: neque etiam Philippi Regis ac Ioannæ communes filii, quorum natu maximus nondum decimum attingebat annum, ad id erant apti. Mouebatur præterea etiam quod ob regni iuste administrati, quodque regna sub illius Imperio diuturna pace floruissent memoriam, à multis expetebatur atq; vocabatur, hoc desiderium augebant iam inter regni proceres orta dissidia, & futurarum perturbationum ex multis partibus manifestissime apparentia signa. Sed non minus à filia expetebatur, quæ cum in aliis rebus sui ipsius minime cõpos esset, in patris reditu exoptando semper constans fuit, nec vnquam & si à multis importune instigaretur adduci potuit, vt vlli negotio nomen suum propria manu subscriberet, sine qua subscriptione ex illorum consuetudine regnorum negotia perfici non poterant. His de causis Ferdinandus Rex è regno Neapolitano discessit: vbi non plus quam septem menses moratus erat, neq; maxime de se conceptæ expectationi, non modo ob temporis breuitatem, & quia hominum votis plerumque non satis consideratis, suaq; proportione dimensis, difficulter responderi potest: verum etiam quia multæ difficultates impedimentaq; interuenerunt, satisfecit, quorum causa neq; ad commune Italiæ commodum quidquã laude memoriave dignum fecit: neque regnum Neapolitanum aliqua vtilitate aut beneficio affecit. Nam de Italiæ rebus eum cogitare, ad Castellæ administrationem quod eius potentiæ præcipuum erat fundamentum, redeundi desiderium, non permisit. Eius enim rei gratia, Romanorum & Galliæ Regis amicitiam omni ratione conseruare cogebatur; ne alter quod paruulorum defuncti Regis filiorum auus esset, authoritate: alter vicina potentia, iis qui animo ab se essent alieni, sese opponendi audaciam accendendo reditum suum impedirent. In regno autem Neapolitano bene constituendo sibiq; devinciendo, impedimento fuit, quod pacis cum Galliæ Rege factæ capitibus, Andiouinæ factionis proceribus suas fortunas ablatas restituere tenebatur: quæ aut pactione, aut remunerationis gratia in eos distributæ fuerant, qui eius partes erant secuti: hos vero, nisi suosmet ab se alienare vellet, vel alia eiusdem emolumenti bona, quæ ab aliis erant emenda, ipsis condonando: vel pecunias numerando remunerari oportebat. quam ad rem cum opes eius tenuissimæ essent, non modo Regia vectigalia quauis ratione excitare, & contra novorum Regum consuetudinem, nihil gratiæ condonare, nullas immunitates concedere, nullum deniq; liberalitatis genus ostendere cogebatur: verum etiam incredibili omniũ querela populos, qui vt à tantis malis leuarentur & recrearentur expectabant aggrauare. Nec Minores vtriusq; partis procerum querelæ exaudiebantur. iis enim qui possidebant, præterquã quod non libenter possessiones relinquebant, compensationes necessario parcæ ac definitæ fuerunt: aliis vero in omnibus rebus in quibus controuersia oriebatur, restitutionis beneficium, quantum fieri poterat coarctabatur. quoniam quanto minus illis restituebatur, tanto minus aliis compensandum relinquebatur. Nec vero Neapoli discedente Rege, inter ipsum & Iulium Pontificem magna fuit beneuolentia. Nam cum ab eo Regni diploma petiisset, Pontifex id nisi eo censu quo veteribus Regibus datum fuerat concedere recusabat: Rex vero censum eadem diminutione qua Ferdinando patrueli suo, & filiis atque nepotibus à præcedentibus Romanis Pontificibus concessum fuerat, sibi concedi postulabat: & totius regni velut Alfonsi Senioris successor, quemadmodum Neapoli panagium, & iusiurandum acceperat, quamuis pacis cum Galliæ Rege legibus constitutum esset, vt quo ad Leborios campos & Aprutium attineret, Reginæ quoque nomen agnosceretur, proprio nomine diploma postulabat. Opinio fuit ea re factum fuisse, vt Ferdinandus cum Pontifice, qui eodem tempore plures dies in Ostiensi arce, quo eum transeuntem præstolaretur, hæserat, ad colloquium venire noluerit: sed nauigationem suam Sauonam, vbi cum Galliæ Rege colloquium erat constitutum direxerit. Galliæ Rex qui ob hanc causam in Italia hæserat, quamprimum illum Neapoli soluisse cognouit, se Mediolano [illegible] contulit. In hoc congressu omnia vtrinque libera, & [illegible]duciæ plena fuerunt: & talia, vt post hominum memoriam nullo in congressu similia fuerint. Quoniam cæteri Principes inter quos aut æmulatio, aut veteris iniuriæ, aut suspicionis causæ erant, huiusmodi ordine conueniebant, vt [illegible] in alterius potestatem veniret: hic autem omnia secus. [illegible] quamprimum Aragonia classis ad Sauonensem portum appulsa est, Galliæ Rex qui ea conspecta in portus molem descenderat, per ligneum pontem ad id extructum, cum paucis è suis, & absque custodia in Regiæ triremis puppim transiit: vbi incredibili lætitia à Rege & Regina nepte sua acceptus, cum aliquamdiu iucundissimis verbis inter se confabulati essent, per eundem pontem egressi, pedibus, non mediocri per ingentem virorum ac mulierum qui ex omnibus vicinis locis concurrerant, multitudinem transeundi difficultate vrbem sunt ingressi. Regina mirum in modum gemmis, aliisque pretiosissimis ornamentis splendidissima maritum ad dexteram habebat, & auunculum ad sinistram. duos Reges Rothomagensis Cardinalis & Magnus Consaluus sequebantur. post hos multæ nobiles puellæ & adolescentes ex Reginæ comitatu, omnes sumptuosissimæ ornatæ. ante & post duorum Regum comites & ministri pretiosissimarum vestium, & aliorum exquisitissimorum ornamentorũ incredibili magnificentia & pompa incedebant. Hoc comitatu Ferdinandus Rex & Regina à Galliæ Rege, ad arcem quæ illis excipiendis erat destinata, & exitum ad mare habet, deducti sunt: reliquis media ciuitatis pars arci vicina attributa: & Galliæ Rex in Episcopi ædes quæ è regione arcis sunt, diuertit. Spectaculum profecto memorabile, duos omniũ Christianorum Principum potentissimos Reges, qui paulo ante acerbissimi hostes fuerant, non modo reconciliata gratia & affinitate coniunctos videre, sed odii & offensionum memoriæ signis penitus depositis, simul vtrumq; propriam salutem alterius arbitrio non minori fiducia ac si semper concordissimi fratres fuissent, committere. quæ res spectatoribus, vter ex duobus Regibus maiorem fiduciam præse tulisset, differendi occasionem dabat. A multis magis Gal-

liæ Regis animus commendabatur, qui primus se nullo alio quam Dei munimento tutus, alterius potestati credidisset: alter vero pudoris maiorem occasionem, quod ipsi prius seruata fides fuisset, habebat. & erat verisimilius Ferdinandum, quo melius regnum Neapolitanum sibi stabiliret, in Regem Galliæ aliquid meditatum. Ab aliis vero magis Ferdinandi fiducia prædicabatur, qui non ad breuissimum tempus vt Rex Galliæ, sed per plures dies se eius potestati tradidisset. Cum enim illum tali regno, tanta cum eius copiarum clade, tantaque eius nominis ignominia spoliasset, odium & vlciscendi desiderium, magnum esse vereri debebat. Huc accedit, quod vbi maius erat perfidiæ præmium, ibi erat maior suspicandi causa: Si Ferdinandus Galliæ Regem captiuum abduxisset, cum regnum illud legibus & moribus suis ita sit constitutum, vt non ideo multum regni viribus authoritatique detraheretur, minime magnum fructum inde retulisset: at Ferdinando capto, cum hæredes pene infantes haberet, & regnum Neapolitanum ei nuper accessisset, & Castellæ regnum vna cum cæteris variis de causis conturbata fuissent, minime dubium erat Galliæ Regem per multos annos ab Hispanorum potentia & armis nullum impedimentum habiturum. Verum enim vero haud minorem hominum sermonibus ansam præbebat Magnus Consaluus, quem Ferdinandus secum in Hispaniam ducebat: nec minus in eum hominum oculi erant conuersi ob virtutis famam, & tot victoriarum memoriam quæ efficiebat, vt Galli etsi totics ab illo victi, ciusque nomen summopere odisse atque horrere solerent, numquam eo intuendo atque colendo explerentur: & iis qui in regno Neapolitano non fuerant commemorare, alius incredibilem eius celeritatem, atque astum cum in Calabria proceres qui ad Lainum castra habebant, repente adortus est: alius cum Barletæ in pestilentia & fame obsidebatur, in tantis difficultatibus atque incommodis perferendis animi constantiam & tolerantiam: alius in hominum animis sibi deuinciendis diligentiam & efficaciam, qua milites tam diu absque pecunia retinuisset: quam fortiter ad Ciriniolam pugnasset: quanta virtute atque animi constantia tanto viribus inferior, exercitu nullo stipendio affecto, inter innumeras difficultates ab Gariliano flumine nusquam recedere statuisset; qua militari industria, quibus stratagematis eam victoriam adeptus esset: quam semper ad commoda ex hostium erroribus capiendis vigilans extitisset. Augebat hominum admirationem eius aspectus excellens maiestas, verborum magnificentia, gestus & actio grauitate plena, mira quadam suauitate condita. præsertim vero Galliæ Rex, qui illum eadem mensa in qua Ferdinandus, Regina, & ipse cœnarunt, cum quoque vna cœnam sumere voluit, atque vt Ferdinandus eum assidere iuberet obtinuerat, veluti attonitus eum intuebatur, alloquebaturque: adeo vt omnium iudicio is dies Magno non minus gloriosus fuerit, quam quo victor & pene triumphans, cum vniuerso exercitu Neapolim ingressus est. Fuit is dies magno celebrium dierum postremus: post enim nunquam amplius Hispania est egressus, neque virtutis suæ vel in belli, vel rebus in pace memoria dignis exercendæ facultatem habuit. Hi duo Reges triduum vna fuerunt. Ad eorum colloquia Pontifex Iulius, Gabrielem de Gabrielibus Fanensem, S. Praxedis Cardinalem Legatum à Latere misit. Hunc illi neque honore debito affecerunt, neque ad occultiora consilia admiserunt. Communibus quibusdam tantum interfuit. In eo colloquio, præcipue de perpetuæ amicitiæ consiliorumque communicatione conseruanda, mutuæ promissiones fuerunt: & vt Ferdinandus Cæsarem Galliæ Regi conciliaret: vt omnes deinde coniunctis viribus Venetos adorirentur. Actum & de Ecclesiæ statu corrigendo, & Concilio ad id conuocando. quia in re non satis candidus erat Ferdinandus: sed Cardinalem Rothomagensem Pontificatus cupidissimum hac spe fouere nitebatur: quibus artibus ita sibi eius animum deuinxit, vt fortasse non paruo Regis sui detrimento sero, ac post multa in contrarium signa, quam in illo Principe verba à factis discreparent, & quam eius consilia essent tecta animaduerterit. Sauona hi duo Reges iisdem concordiæ atq; amoris significationibus quarto die discesserunt: alter quidem mari Barcinonem versus, alter vero terrestri itinere, Italiæ rebus in codē statu relectis in Galliam rediit. Sed Pontificis animo minime placato, qui ex Annibalis Bentiuoli motu, denuo arrepta occasione, per S. Praxedis Cardinalem Sauonæ à Galliæ Rege, Ioannem Bentiuolum & Alexandrū eius filium qui in Insubria erant, sibi captiuos tradi postularat. Nam quoniam illi, pactionem per Ciamontium Bononiæ factam violassent, Regem ad fidem illis seruandam non amplius teneri. quod si concederetur, purpureum galerum Albienti Episcopo se missurum repromittebat. Rex horum culpam constare negabat: quam quia punire decreuerat, Ioannem per multos dies in Mediolanensi arce detineri curauerat. Sed cum nullum delicti ipsorum indicium appareret, fidem qua se obstrictus existimabat frangere nolle: sed vt Pontifici gratificaretur, ipsum censuris atque pœnis in eos velut in Pontificii imperii perduelles agere passurum dixit: vt etiam Bononiæ in huiusce motus feruore illorum ædes funditus demolitus fuisse questus non erat.

IV. *Comitia Constantiæ celebrata.*

Interea vero comitia Constantiæ conuocata, eadē expectatione hominum qua initiū habuerant. quā expectationē Cæsar variis artibus & magnificis verbis fouebat, seq; tantas copias in Italiam traducturum diuulgabat, vt longe maiores quam Galliæ Regis & Italorum coniunctę vires sibi impedimentum non essent allaturæ: & quo magis causæ suæ dignitatem authoritatemq; conciliaret, Summi Pontificatus patrociniū sibi in animo fixum ostendens, literis suis Pontifici Iulio & Cardinaliū Collegio, se Galliæ Regē, quod vt Romanum Pontificatū in Cardinalē Rhotomagensem, & Imperiū in se transferret, omnemq; Italiā in acerbā seruitutē redigeret, in Italiā venisset, Sacri Imperii perduellem hostemq; declarasse: iter Romā ad Imperii coronā accipiendam, & communem securitatem libertatemq; firmandā; sibi vero pro Cæsarea dignitate PONTIFICII IMPERII PATRONO, & propria pietate SACROSANCTÆ SEDIS extollendæ cupidissimo (cū Pontificem tantorum periculorū metu Bononia aufugisse, eundemq; timorem ne ipse eiusq; Collegium pericula sua indicarent, opemque implorarent in causa esse sciret) donec ea de re flagitaretur rogaretur ue minime expectandum fuisse, significauit. Rebus igitur quæ in Germania agitabantur variis internunciis in Italia auditis, & fama quoq; supra veritatem auctis, & maximis Galliæ Regis qui non sine causa metuere censebatur, apparatibus, iis quæ ferebantur fidem addentibus, omnium animi aut spe, aut timore, aut rerum nouarum cupiditate commoti sunt: ita vt etiam Iulius Pontifex Bernardinum Caruajalem S. Crucis Cardinalem Legatum ad Cæsarem miserit: ad quē & Veneti, & Florentini, & (Mantuano Marchione excepto) quotquot in Italia sui iuris erant, aut legatos, aut alio nomine proprios homines miserunt. Quæ res Galliæ Regis de Venetorum voluntate incerti, & de Iulii Pontificis, cum ob alias veteres causas, tum maxime quod S. Crucis Cardinalem veteri studio Cæsaris potentiæ cupidissimum Legatum ad eum destinasset, incertissimi, animum vehementer angebant. & certe Pontificis voluntas ipsimet nota non erat, nedum aliis. Nam cum animum male erga Galliæ Regem affectum, & suspicionibus plenum gereret, interdum vt se eo metu liberaret Cæsaris aduentum exoptabat: interdum autem veterum inter Pontifices & Cæsares controuersiarum, cum easdem causas adhuc perseuerare animaduerteret, memoria terrebatur: qua in dubitatione, quid in Germaniæ conuentibus decerneretur expectans, deliberationem differebat. Ideoque communibus verbis vsus, Legato Cæsarem suo nomine, vt in Italiam abscq; exercitu veniret hortaretur, mandauerat. quod si faceret, maiores illi honores quam ab vllo vmquam Pontifice in Cæsaribus inaugurandis præstiti fuissent, pollicebatur. Sed non multo post, quid illa Comitia paritura essent, expectatio minui cœpit. Quamprimum enim Galliæ Regem statim post Genuenses subactos exercitum dimisisse, transque alpes rediisse in Germania cognitum est, timoreq; de Pontificatu atq; Imperio inuadendo sublato: cumque reliquæ publicæ causæ non tanti fierent, quin, vt plerumque accidit, priuatis comodis post haberentur, Principum ac populorum ardor magnopere deferbuit. Nam præter cæteras causas, per vniuersam Germaniam erat inueteratum studium, ne Cæsarum potentia tanta esset, vt reliqui eis parere cogerentur. Nec vero Galliæ Rex causæ suæ vlla in parte defuerat.

Constantiam enim clam proprios homines miserat, qui ibi latitantes atq; quam occultissime agentes, clandestino Principum amicorum fauore, infamiæ notas quibus grauabatur, factorum demonstratione purgatis, quod statim Genua domita tam cito exercitum dimisisset, quod & si Italia inermis esset tamen quamprimum trans alpes rediisset, quod nō modo semper factis à Romano Imperio violando abstinuisset, sed in omnibus etiā fœderibus, pactionibus, obligationibus quas fecisset, semper se nulli rei aduersus sacri Imperii iura obstringi velle expressisset, reliquorum animos mitigare nitebantur: nec tamen tantum his purgationibus freti quiescebant, quin summo studio, liberalissimaque manu, vt Germanorum ferocitatem armorum auro cuius tantopere splendor adamatur, temperare niterentur. Tandem vigesima Augusti die conuentus finem habuerunt, quibus post multas altercationes decretum fuit, vt Romanorū Regi octo equitum, & viginti duo peditum millia, quæ ipsum in Italiam deducerent cum semestri stipendio, & in tormentorum, alioscq; qui extra ordinem fiunt sumptus, centum & viginti Rhenensium aureorum millia, penderentur. quæ copiæ vt proximo Dixi Galli die, qui circa medium Octobrem est, prope Constantiā congregatæ essent, est constitutū: tuncq; fama fuit illos, si Maximilianus bellum quamuis ipsius administratione & cōsiliis, prorsus Imperii nomine geri, atq; duces Imperii iussu eligi, eiusdemq; nomine milites conscribi, & parta loca ex comitiorum præscripto distribui voluisset, fortasse maiora auxilia decreturos fuisse. Sed cum Maximilianus nullum sociorum, aliud ve quam suum nomen admittere, victoriaue præmia aliorum quam suorum, quamuis Imperii nomine, esse nollet; magisq; hoc auxilio, hac quam alia ratione maiori cōtentus esset, nihil aliud decretum fuit. quæ expeditio & si hominum prius conceptæ expectationi non responderet, non tamen eius aduentus in Italia timeri desinebat. Cogitabatur enim illum popularium suorum auxiliis, & iis quæ ipse per se colligere poterat iis copiis quæ in comitiis ei decretæ erant adiunctis, milites qui omnes feraces belloq; experti essent, validissimum exercitum cum innumeris bellicis tormentis habiturum. quæ omnia magis formidanda faciebat, quod ipse natura & diuturna armorum exercitatione, militaris disciplinæ expertissimus, & ad quamuis rem magnam corporis laboribus, animiq; solertia gerendam idoneus, eamq; ob causam maioris, quam vllus Imperator iam à centum annis extitisset, nominis erat. Huc accedebat, quod cōtinenter de duodecim Heluetiorum millibus ad stipendia sua pertrahendis agebat: cui rei & si Diuionensis præfectus aliiq; à Galliæ Rege missi, in eius gentis comitiis, tot annorum cum Galliæ Regibus fœdus, cuius; hoc ipso Rege paulo ante confirmatum, vtilitatem quam ipsorum homines inde percipiebant: contra vero inueteratam cum Austria familia simultatem, & graue bellum cum Maximiliano gestum: quamq; ipsis Imperii magnitudo pernicio sa esset cōmemorantes, se vehementer opponerent: tamen minime paruam Cæsaris postulatis satisfaciendi, vel saltem arma aduersus illum non sumendi, atque hoc quidem, vt ei redebatur, ne communis Germaniæ nomine, quod huic motui affine videbatur, offenderent, propensionem ostendebant. Quare multi Galliæ Regem, si ab Helvetiis desereretur, aut Veneti se illi non coniungerent, cum peditatum qui hostium peditatui opponi posset non haberet, & Germanicum furorem torrentis instar in Italiam ingressum, pecuniæ inopia cito dissoluendum speraret, copias suas ad oppidorum præsidia reuocaturum suspicabantur: iamque Mediolani suburbia, aliaq; eius imperii maioris momenti loca, summa celeritate muniri cernebantur. Quibus in negotiis apparatibusque in Veneti Senatus minime minor quam in aliorum mentibus dubitatio erat: cumque illorum deliberatio maximi momenti esset, maximam omnes diligentiam operamque, vt illos sibi adiungerent, adhibebant. Quocirca Cæsar ab initio tres oratores magnæ autoritatis viros, qui per ipsorum fines iter sibi concedi postularent miserat: nec hac petitione contentus, ad fœdus secum ineundum victoriæ præmiorum parte oblata, eos immutabat. & è contrario, cū Galliæ Rege iis in ipsorum detrimentum legibus quæ toties diuersis temporibus propositæ fuerant pacifici in sua potestate esse ostendebat: & vicissim Galliæ Rex per suos apud illum Senatum legatos, & per Venetum legatum qui apud ipsum agebat, nullam operam, vt illos ad Cæsaris aduentum, tam quam sibi æque ac ipsis perniciosum armis impediendum flecteret, viribus suis omnibus & perpetuo fœdere ad idem oblatis prætermittebat.

At Senatui Veneto, Italiæ quietem hoc tempore perturbari non placebat. Itaque Cæsare vrgente: post multas deliberationes in Rogatorum comitio habitas, Senatusconsultum in eam sententiam factum est, vt si Maximilianus absque exercitu venisset, ei liber in Italiam, aditus permitteretur: sin armatus, negaretur. quam sententiam in responso quod eius oratoribus dederunt, potius ob fœdus quod cum Galliæ Rege habebant, & præsentium temporum statum necessitate expressum esse, quam quod nulla in re illum offendere cuperent, quantum potuerunt eis persuadere sunt conati: Illud addentes, se eodem fœdere illum ad Mediolanensis Imperii defensionem certo militum numero qui in fœdere expressus esset iuuare cogi: se vero in hoc summa moderatione vsuros, neque vlla ex parte ea ad quæ tenerentur excessuros. iis autem quæ hac ratione pro Insubriæ defensione facere cogerentur exceptis, nullum alium ipsius progressum impeditu ros: vt qui quantum in ipsorum potestate esset, ea officia, eamque obseruantiam quæ Senatum Venetum tanto Principi, & cum quo numquam nisi amicitiam, coniunctionemque habuisset, præstare deceret, minime essent prætermissuri. Nec tamen ideo nouum cum Galliæ Rege fœdus percusserunt, aut se nouis conditionibus obstrinxerunt: quam minimum fieri posset ne bello inter ipsos immiscere cupientes: & Maximilianum ne sibi impedimenta augeret, fortasse finibus ipsorum in pace relictis, arma sua aut in Burgundiam, aut in Insubriam conuersurum sperantes.

V.

At Maximiliano coeundi cum Venetis societatis spe destituto, alia impedimenta obuersari cœperunt: quæ etsi cogitationum mole superare, maiores semper quam ipsæ essent impedimenta sibi fingere consuetus studeret, tamen eius cōsiliorum exitus magnopere tardabantur. quia neque per se tantam pecuniæ vim quæ ad Heluetios mouendos, & tot alios sumptus qui ad tantum bellum erant necessarii ferendos satis esset habebat: neque pecuniarum subsidium in comitiis decretum huiusmodi erat, vt vel minimam belli cæ voraginis partem explere posset: & fundamentum illud in quo ab initio plurimum spei collocarat, videlicet Italiæ ciuitates atque Principes, eius nominis aduentusque terrore secum pacturos, seque pecunia iuuaturos, indies magis minuebatur. Nam & si ab initio multi ad id propensi fuerant, tamen cum decreta Constantiensis conuentus expectationi, bellum potius Imperii & totius fere Germaniæ, quam proprio nomine gerendum, minime respondissent, & potentes Galliæ Regis apparatus cernerentur, & noua Venetorū declaratio cognita esset, suspensi hærebant: nec ea re qua maxime indigebat illum iuuantes, Galliæ Regem tam grauiter lædere audebant: neque Maximiliani petitiones eo tempore quo maxime timebatur, tales fuerant, vt facilitate sua homines allicerent. Nam & ab omnibus pro ratione facultatum multum petebat: & ab Alfonso Ferrariæ Duce, quem Blancæ vxori suæ Annæ eius sororis, ante multos annos in Alfonsi matrimonio defunctæ dotem debere aiebat, immensa petebat: & à Florentinis non ferenda, à quibus Brixiensis Cardinalis qui Romæ eius negotia procurabat, cui id negotium à Cæsare demandatum erat, auri pondo quinquies mille petierat: quæ immoderata petitio effecit, vt tamdiu donec eius progressus melius cernerentur, cunctandum decernerent: & tamen cum eius offensionem vitare cuperent, se apud Regem qui auxilia ipsorum petebat, dare non posse responderunt, quod cum copiis suis ad Pisani agri depopulationem, quæ eo anno magno apparatu fiebat, vterentur: &, quia cum Genuenses & reliqui vicini illos denuo iuuare cœpissent, semper contra ipsos parati esse cogerentur. Cum igitur Cæsar non quemadmodum existimauerat Italorum pecuniis iuuaretur (nam à Senensibus tantum sexaginta auri libras accepit) à Pontifice saltem mille pondo ex ea pecunia quæ in Germania belli aduersus Turcas nomine collecta, & in hunc finem ibidem constituta, absque Pontificis consensu in alium vsum minime conuerti poterat, sibi concedi postulavit: se quamuis eius petitioni, vt sine exercitu in Italiam ve-

Maximil. Imperator ab Italia maximā pecuniam exigit.

niret, satisfacere non posset, tamen quamprimum Ludouici Sfortiæ filios, quorũ patrocinium, vt sibi Insubres magis beneuolos, atq; iter suum minus odiosum redderet, præseferebat, in Mediolanense Imperium reduxisset, omnibus copiis ibi refictis, sine militaribus copiis Romam ad Cæsarem coronam accipiendam iturum pollicitus. Sed & id illi à Pontifice, qui nullam in partem inclinare cernebatur, & se Galliæ Regis arma in hoc rerum statu sine graui periculo in se prouocare non posse ostendebat: nihilominus Maximilianus in his difficultatibus constitutus, vt erat vigilans, confidens, quiq; incredibili labore per se res gerere vellet, nihil quod ad expeditionis suæ famam retinendam faceret prætermittere: tormenta pluribus in locis ad Italiæ fines mittere: duodecim Heluetiorum millia conscribendorum, qui variis postulatis interpositis, multisq; propositis immunitatibus, nihil dum certi respondebant, negotium vrgere, promissas copias accelerari iubere: ipse quotidie huc atq; illuc diuersarum expeditionum gratia se transferre: adeo vt hominibus in magna ambiguitate versantibus, si in vlla vnquam re, in hac certe varia erant in Italia iudicia. In a liis enim huius motus opinio maxime augebatur: alii potius res deferuescere quam augeri censebant. Hanc dubitationem ipse augebat: quoniam natura occultissimus nemini cogitationes suas aperiebat: & quo minus in Italia notæ essent, Pontificium Legatum, & cæteros Italos ne se sequerentur, certo in loco extra aulam separatos esse iusserat. Iam Diuo Gallo sacer dies militum delectui destinatus aderat: sed exigua tantum pars Constantiam conuenerat, & vix alii quam tormentorũ apparatus, ipseq; summo studio pecuniis diuersis rationibus colligendis incumbere, cernebantur. Quocirca, quũ, quibus viribus, quo tempore, qua ex parte impetũ esset facturus, an Forum Iulii ingressurus, an vero Tridento in Veronensium fines irrupturus, aliis illum per Allobroges, aut Comensi itinere, Insubriã, cum multi ex ea regione exules eum sequerentur inuasurum censentibus, incertũ esset: nec non aliis ne in Burgundia aliquem motum faceret verentibus, qui sibi ab illo metuebant magnos diuersis in locis apparatus faciebant. Idcirco Rex Galliæ magnum equitum ac peditum numerum in Insubriã misérat, & præter reliqua ad eius Imperii defensionem comparata, Rege Catholico, de quo Cæsar hac de causa grauissime questus est, permittente, duo millia & quingentos Hispanos pedites in regno Neapolitano conscripserat: & Ciamontius eodem tẽpore de Borromæorum fide dubitans, Aronam eius familiæ castellũ ad Verbanum lacum situm repente occupauit. In Burgundiã quoq; quingentos cataphractos Tramolia eius prouinciæ præfecto duce misérat, atq; vt Cæsaris cogitationes & vires plures in partes distraheret, perpetuo Gheldrensium Ducem qui Caroli Cæsaris nepotis regionem infestabat, iuuabat atq; fouebat. Præterea Ioannem Iacobum Triuultium cum quadringentis cataphractis & quatuor peditum millibus Veronam vt Venetis auxilio esset misérat: Veneti autem Rouseretum versus, vt motus qui à Tridento fierent impedirent, Nicolaum Vrsinum Pitiliani Comitem cum quadringentis grauis armaturæ equitibus, & multis peditibus, & in Forolulii octingentos graues equites Bartholomæo Aluiano, qui iamdudum ad ipsorum stipendia rediérat duce, constituerunt. At primum periculum ex ea parte ex qua nemo cogitarat apparuit. quoniam Paulus Baptista Iustinianus, & Fregosinus Genuenses exules, mille Germanos pedites Gatiolum, quod oppidum Ludouici Gonzagæ Cæsaris beneficiarii erat duxerunt: qui inopinato, sumaq; celeritate per montes atq; asperrima Veneti Imperii loca, eo consilio vt Pado flumine transmisso per iuga Parmensia Genuã versus contenderent iter fecerunt. Sed Ciamontius id suspicatus statim multos equites ac pedites qui illos itinere prohiberent Parmam misit: quorum aduentu Germani Genuæ aliquid geri posse spe amissa, eodem itinere, sed non eadem celeritate, nec sine periculo in Germaniam redierunt: Veneti enim publici commodi gratia, tacito consensu eos regredi passi sunt.

VI. Erant eodem tempore Bononiæ multi Genuenses exules, eamq; ob causam Rex id Pontificis consensu agitatũ fuisse non mediocriter est suspicatus: de cuius voluntate multa alia eum suspicari cogebant. quoniam S. Crucis Cardinalis Legatus, quamuis potius proprio studio quam alia de causa Cæsarem vt in Italiam veniret hortabatur: & cum accidisset vt Foroliuienses exules Fauentia egressi quadam nocte Forumliuii occupare essent conati: Pontifex id Galliæ Regis & Venetorum consilio factum querebatur. Huc accedebat, quod quidam Monachus Mantuæ in carcerem coniectus, se cum Bentiuolis de Pontifice veneno tollendo egisse, & Ciamontii nomine, se vt quod Bentiuolis pollicitus erat præstaret, stimulatum fuisse confessus erat. Quare Pontifex quæstione habita, & rei in iuris formam redacta, cum ea Achillem Crassum Bononiensem, Pisaurienstum Cardinalem qui post fuit Cardinalis, ad Regem misit, qui rei veritatem inquiri, & tanti sceleris conscios puniri post[illegible]et. cuius rei cum Alexander Bentiuolus præ cæteris reus conferretur, Regis iussu ad causam dicendam in Galliam vocatus est. *Guiciardinus lib. 7.*

Venientem cum ampliſſima clauium potestate Bernardinum S. Crucis Cardinalem Legatum, Cæsar maximo honore excepit. exiuit enim illi obuiam extra vrbem. Inde ad rerum tractationem veniens, cum se Romam iturũ pro diademate suscipiendo significasset, illo solennia ab Imperatoribus futuris pro Pontifice maximo, & pro Romana Ecclesia exigente, more maiorum solenne iusiurandum coram eodem, Romano Pontifici & Sedi Apostolicæ præstitit, & quatuor diplomata, quibus omnia Romanæ Ecclesiæ priuilegia à superioribus concessa confirmabat, bullis aureis munita dedit: pollicitus, vbi Romam venisset, ea omnia nouo sacramento, & nouis litteris sese probaturum, ac reipsa Sacrosanctæ Sedis Aduocatum & Defensorem futurum. *Mutius lib. 30. & MS. Bibliothecæ Vatic.*

Saxo contra Groninganos actionem instituit.

Porro cũ in superioribus Constantiensibus comitiis, etiam de multis rebus priuatis Principes coram Cæsare egissent, ac Georgius Saxo, contra Groninganos quod ab eius imperio defecissent, actionem instituisset, Fridericus Badensis, Antistes Vltraiectinus Ecclesiæ suæ non defuit. Nam misso Romam legato apud summum Pontificẽ conquestus est, Ostfrisiæ, Comitem Etzardum, occupata Groninga, suæ ditionis ac diœcesis ciuitate arcem ædificare. Pontifex tres Louanii nominauit Iudices, qui examinata causa, dictante æquitate sententiam ferrent. Citarunt hi vtramq; partẽ, causaq; probe discussa, Groninganos & Etzardum condemnarunt. Prouocarunt hi extemplo Romam ad tribunal summi Pontificis, eoq; legatos miserunt. Ab alia parte Cæsar sua vsus autoritate, controuersiam Groninganam Philippo Archipræsuli Colonienſi commisit, eiq; consiliarios attribuit. Hi vtramq; partẽ citarunt, vt pridie Nonas Augusti Nucii comparerent. Sed cum iisdẽ hi crationibus, quibus cæteris in iudiciis digladiarẽtur, ac verbosissimis scriptis vltro citroq; adductis rem potius obscurarent quã elucidarent, nihil aliud est effectũ, quam quod Saxones, dimissis Groninganis, insigniter Comitẽ Etzardũ accusarent, quod non instar Legati, sed in morẽ absoluti Principis omnibus se in rebus, contra datam fidẽ ac conditiones conceptas gereret. Misit & Antistes Vltraiectinus Nutium Legatos, qui grauiter Groninganos de defectione, ac Etzardũ de alterius ditionis per vim & iniuriũ occupatione accusabant. Res põderunt illi, sese eã ob causam Louanii condemnatos Romã appellasse, legatosq; defendendi iuris sui causa ibi habere, vt omniũ accusationibus ex sententia summi Pontificis æquissimi iudicis satisfaciant. Quare cum Iudices Nutiani prouocationem Romanam ad se trahere non possent, sed Pontificia sententia rẽ definiendam iudicarent: soluto iudicio, dimissisq; partibus, ad Cæsarem reversi, rem ei omnem vt acta erat sigillatim exposuerunt. *Pontus Heuterus rerum Belgicarum lib. 7.*

VII. *Imperatoris Legati ad Regem Hispan. veniunt.*

Dictum est superius, de Ferdinandi Regis Catholici, in Hispaniam, ex regno Neapolitano reditu. Ad eum adhuc Neapoli residentem Cæsaris legati venerant. Ab iis magno studio curatum, vt Cæsar & Ferdinandus inter se viderent. Venturum Nicæam Cæsarem vrbem in ora Liguriæ, aut FERDINANDVS Romam concederet, de qua ille cogitabat profectione ad Imperii coronam. Die vno coram facilius conuenturos, quam multo tempore si per alios conditiones ferantur. Regi Catholico stabat sententia colloquium detrectandi. Eã voluntatem vt specie aliqua honestatis velaret, multa excusabat. Illud præcipuũ, Castellæ res fluctuantes eã moram nõ pati, quæ aliquot mentiũ necessario futura erat.

Hoc accepto responso legati coram contestati sunt, ne in Castellam rediret, nisi prius controuersiis compositis: alioqui Cæsarem quoq; venturum. Si quid ex eo incommodi existeret, penes eum culpam futurã, qui auctor extitisset, mali causa præcipua. Ea denunciatione etsi belli potius minæ quam pacis voluntas exprimebatur; visum est tamen, vt cum legatis Consaluus, adiunctis qui à cubiculo Regio, & qui ab epistolis erat de iure vtriusq; Principis disceptaret; si qua via se daret concordiæ componendæ. Eo instituto colloquio multa ab vtraq; parte dicta sunt, vt in lite omnium grauissima. Præcipua fundamẽta quibus Ferdinandi causa incumbebat, ad tria capita reuocantur. Patrem esse, ac proinde Reginæ tutorem ex legum omnium præscripto. Idipsum Reginæ placere; cuius voluntatis multa extarent documenta. Præterea Isabellæ Reginæ testamento & voluntate non aliter fuisse sanctum. Quid nouis decretis certissima iura mutarent? Quid in re minime dubia lites importune mouerent? Hæc pro Ferdinando valida haud dubium & illustria argumenta. Sed & Cæsari non minora suppetebant, neque infirmiora præsidia. Regina valetudine impedita res in Carolum filium translatas: in cuius tutela nemo auo paterno potior erat, omnibus ipse. Inito posteriori coniugio, Ferdinandum tutelæ iure decidisse, præsertim fide Isabellæ coniugi perpetui cælibatus data. Quod vt negaret, constare plane numquam ipsam Castellæ procurationem fore delegaturam testamento, si nouis nuptiis se implicaturum putasset. Denique proceribus, vt ipse rebus imponeretur Rector non placere: neq; verum esse eo conatu nullo gentis consensu turbare Rempubl. dare male cogitãtibus arma. Plura alia in vtramq; partem præsidia sunt producta: his tamen præcipue vtriusq; causa continebatur. Ventum ad conditiones concordiæ. Cæsaris legati quatuor & viginti hominibus rerum Castellæ curam delegabant, ita tamen vt ex eo numero Cæsar sedecim nominaret nihilominus; octo Ferdinandus Sacerdotiorum, quæ ad Regium ius spectant; & magistratuum pars tertia arbitrio Ferdinandi Regis relinqueretur, reliqua gubernatorum delectui. Vectigalium Regiorum quarta eidem cederet, tres quartæ Reginæ. Præterea Caroli Principis ad stabiliendam successionem, regni arces omnes Cæsaris nomine & sacramento tenerentur. Grauissimæ conditiones rebus turbandis opportunæ magis quã constituenda pace. Additum, vt procerum nonnulli filii atq; è reliqua nobilitate Principes in Belgas missi in Caroli obsequiis & aula versarentur, vna crescerent, mutuæ inter ipsos & cum Principe benevolentiæ alimentum. Ne cuiquam Philippi Regis partes esse secutum in posterum fraudi esset. Iura Neapolitani regni ita à summo Pontifice confirmarentur, ne Caroli Principis in eo imperio turbaretur successio. Horum quædam tolerari poterant, alia neque concedi fas fuisset; ac ne multis quidem annis partium consensu componi. Ita Ferdinandus concordiæ spe abiecta, se ad profectionem comparare, nihil territus nouo Cæsaris conatu denunciatione-que. Missus Neapoli in Germaniam Bartholomæus Samperius; paulo ante ingenium & industriam in ea Regia probarat. Cæsar idoneum hominem nactus qui sua mandata perferret, Ferdinandum suis verbis obtestari iussit, ne in Castellam rediret nondum controuersiis inter ambos diiudicatis, si secus faceret minax. Verum Rex in consilio perstans abeundi, misit prius Romam qui eius nomine obsequium Pontifici deferrent. Ii fuere Bernardus Delpuchius Montesiæ Magister, Antonius Augustinus, & è Valentina nobilitate Hieronymus Viquius, cui præterea legati ordinarii in Romana Curia partes implere mandatum est, in locum Francisci Rogii eatenus eo functi munere cum dignitate. Dato legatis Cardinalium Senatu pridie Kalend. Maii Antonius Augustinus eleganti & accurata oratione eius officii morem excusauit, multis enatis impedimentis suscepta necessario. Deinde obsequium obtulit, viresque vniuersas sui Regis ad profligandam nequitiam, & sacrosanctæ sedis dignitatem tuendam aduersus omnium hominum conatus. Benigne Pontifex ad hæc respondit læta & placida fronte. Benevolentiæ argumento rosam auream Dominica quam Lætare vocant precibus ex libris Pontificalibus sacrari solitam de manu tradidit, Regi ipsorum perferendam amoris sui pignus. Ex arcano quoque Consaluum inuitabat, si Ecclesiæ copiarum Dux esse vellet bello quod aduersus Venetos meditabatur, gratiam meritis fore parem. Eundem honorem deferebant Veneti, si eorum auspicia sequi mallet. Ea enim suscepta de eius virtute & felicitate opinio erat vt secum ferre victoriam persuasum omnibus esset, in quam cumque partem inclinaret. Honestissimas conditiones arte occupauit Ferdinandus promisso ei rursus Diui Iacobi Magisterio. Et ne verba viderentur inania rebus vacua, Antonio Augustino, cum Romam est missus, mandauit, vti à Pontifice impetraret, potestatem Archiepiscopis Toletano & Hispalensi atq; Palentino Episcopo esse, ipsius cessione eum honorem in Consaluum transferendi cumprimum in Castellam ventum esset. Id ne continuo faceret multa impedire; ac præsertim tumultus se absente ne propterea existerent non sine causa vereri. Pontifex, vt continuo Regis cessione Magisterium Consaluo daret, facile adducebatur; vt vero aliis Antistitibus vicariam ad id delegaret potestatem persuaderi non potuit. Sic in præsenti dilatus honor est, non sine suspicione Regis artibus virum insignem ludibrio habitum, quo ex Italia ea fraude deduceretur. Opinionem vulgo susceptam cõfirmauit euentus nam quam eo dato honore, ac ne aliis quidem præmiis. An sumus in timore benigni, post victoriam parci; quod vitium late patet, & est in multis. tametsi iam Suessæ & Terranouæ Dux erat, ac Magister Equitum Neapoli. ampliſſimi honores si ex se considerentur; si cum meritis tanti viri & virtute conferrentur, tenues prorsus & modici. Enimuero sub profectionem id & ipse fateri visus est, datis Consaluo tabulis publice confectis, in testimonium fidei atq; innocentiæ illius; maiores prædicatione hominum famaque res ab eo perfectas fuisse, integra semper fide, nomine item Ferdinandi Regis Hieronymus Viquius legatus agebat, vt regni Neapolitani iura possessionemque, diplomate Pontificio obtineret. Magno labore & diligentia parum promouebatur. Annuebat quidem Pontifex Regis postulatis, sed cum eo vt more prisco non nouitio, censum Romanæ Ecclesiæ solueret; & Hispaniæ viribus ac copiis Fauentiam & Ariminum Venetis pro Ecclesia Romana criperet, iniustis plane ac violentis possessoribus. *Mariana lib. 29. c. 7. 8.*

VIII. *Ferdinandus Rex Hisp. Ximenio à Pontifice cardinalatum impetrat.*

Inter cætera quæ dum in Italia Ferdinandus morabatur, cum Iulio Pont. Max. egit, hoc etiam vnum ab eo efflagitauit, vt Ximenius Archiepiscopus Toletanus vir omni laude cumulatissimus, atque maximæ authoritatis, vtpote Hispaniarum Primas, in Cardinalium ampliſſimum Senatum cooptaretur, cum Hispaniæ Cardinalis titulo, quem patrum memoria Petrus Consaluus obtinuerat, & aliquot ante annis Petrus Friasius Vxamentis Episcopus, ab Henrico III. Hispaniarum Rege, magno in pretio & honore habitus. Cum id Ferdinandus Ximenio impetrasset, secumque ipse insignia tantæ dignitatis in Castellã attulisset, quod amoris in eum testimonium haud vulgare fuit, voluisset quidem vt primo quoque tempore magno apparatu & celebritate, Ximenius galero purpureo insigniretur: sed Regina id pertinacissime vetuit, indignum esse viduitate sua clamitans, quicquam lætum se præsente geri. Quod si id ita animo sederet, diuerterent in aliquem proximum vicum, atque ibidem meritissimum Antistitem omni honore & hilaritate prosequerentur. Se enim aurea & serica tapeta, & quicquid amplius ornamentorum ad eam rem necessarium esset, è gazophylacio Regio deprompturam, & quocumque locorum conuenissent, libenti animo missuram. Obtemperauit Reginæ Ferdinandus, quamuis animo dolenti & perinuito. neque enim tantam rem mysteriorum & religionis plenam, humili in loco & parum Regii comitatus capaci geri voluisset. Accersitus est è Pallantia vrbe Ioannes Rufus Pontificis Maximi nuncius. nam Regina per vicos ignobiles & angustos (admonita vt Pallantiam sese conferret, responderat; Viduam non decere in magnificis oppidis, aut frequentibus vrbibus moram facere) diuertente, illuc multi ex proceribus sese contulerãt. Accidit autẽ, vt cum ad eum visendum Ferdinandus Rex venisset, & ambo in domo Ximenii morarẽtur, nuncius Pontificius aduẽtaret, & iam in proximo esse Ferdinando & Ximenio nunciaretur, voluit illico obuiã prodire Rex, sed eo vsq; se cõtinuit, donec vestibus purpureis Ximenius indutus sese comitẽ Regi adiungeret. Tanta fuit Regi potentissimo comitas, & tanta præsuli

optimo dignitas, vt neque illum id honoris præstare dedeceret,neq; hunc admittere. Oppidulum quoddã,quod in propinquo erat ad ea vsq; tempora obscurum, incolæ Mahamudum appellant, ad ea sacra celebranda pro tempore accommodum visum est. Illuc cum Rege ferme proceres omnes conuenerunt,& Ioanne Rufo sacra curante,rubro galero Ximenius ornatus est; prælectis litteris quas Pontifex scripserat:

" Venerabili Fratri nostro Francisco S.R.E. Præsbytero
" Cardinali. Iulius II. Pont. Max.

" Dilecte fili, Salutem & Apostolicam benedictionem. Inducti præclaris meritis & virtutibus tuis, contemplatione etiam charissimi in Christo filii nostri Aragonum, & Siciliæ Regis Catholici, qui hoc à nobis per literas & Oratores instantissime petiit, hodie in Consistorio nostro secreto, S.R.E. Cardinalium consortio & Collegio te aggregauimus; sperantes quod eidem S.R.E. cuius iam honorabile membrum es, vtilis eris & honorificus,illiusq; authoritatem pro viribus conseruabis & augebis. Datum Romæ apud S. Petrum sub annulo Piscatoris die XVII. Maii anno M.D.VII. Pontif. nostri anno IIII. Lectæ hæ literæ,& peracta cæremonia die XIX. Calend. Octobr. Erat quidem Ximenii nomen vel apud exteras gentes iam celebre.Sed conceptam de eo opinionem non mediocriter Regis Ferdinandi fauor &studium adauxerat; qui incredibili cura & voluntate,vt grauissimis quibuscumq; muneribus præficeretur contendebat.Quare post sacræ purpuræ dignitatem concessam, vt causis religionis examinãdis supremi iudicis quem Inquisitorem appellant Generalem partes sustineret ab eodem Iulio Pont. Max. obtinuit. Huius magistratus tanta authoritas & maiestas est, vt nemo sit quantumuis magnus, quem non libere queat in iudicium vocare,meritasq; pœnas irrogare. Institutum est huiusmodi tribunal magna totius regni consensione,ab eodem Ferdinando Catholico & Isabella eius vxore, procurante vt id constitueretur Petro Gonzalio Mendozio qui tunc Episcopus Hispalensis erat, & Sixto IIII. Pont.Max. approbante. Thomas Turrecremata, Ordinis Dominicani Sodalis, & Segobiensi Monasterio Præfectus (vulgus Priorem vocat) vir Theologus & vitæ sanctimonia clarus, ad hoc munus cõsilio Gonzali & Mendozii tunc fuit assumptus. Huius sacri & præclari Magistratus, cum statim Hispania vtilitatem maximam sensit contra Iudaizantes ; tum vero posterioribus calamitosis temporibus , contra multarum sectarum pestem experta est incomparabilem , & nunquam satis pro merito æstimandam. Sed quoniam quo tempore Philippus Rex in Hispaniam traiecit, sub Deza Antistite Hispalensi qui huic Tribunali præerat, & Luzero Inquisitore Cordubensi, magni motus Cordubæ exorti sunt,Petro Corduba Plegii Marchione causam quorundam hominum , qui de violata religione accusabantur,protegente ; Rex Ferdinandus id memoria voluens, multum referre intellexit, virum aliquem, qui authoritate,prudẽtia,& vitæ integritate polleret, ad Tribunal grauissimum moderandum assumi.Nemo autem tunc occurrit,qui omnibus numeris absolutior esset, & aptior ad tantum munus dignissime exequendum , quam Ximenius. Idcirco simul cum Cardinalitio honore, huius Magistratus moderationem ad eum deferri,à Pont.Max. postulauit.Hæc simul atq; impetrata sunt, illico Ferdinandus eum autographa epistola, de vtraq; re certiorem fecit, cuius exemplum hic libuit adscribere.

" Ferdinandus Rex. Reverendissimo Domino Patri Cardinali Hispaniarum, Archiepiscopo Toletano. S.

" Cum suam ingentem virtutem,cum insigni pietate cõiunctam experimento exploratam habeam, & quãto in pretio & honore habendus sis cognoscam, teque ipsum quanto ampliorem dignitatem obtinueris,tanto maiori, tũ religioni,tum publicæ tranquillitati, nõ modo istorum regnorum, sed & aliorum præsidio futurum esse mihi persuadeam;simul etiam dum quantum tibi debeam frequenter memini, dedi operam, vt me id supplicante, à Beatissimo patre nostro, in S.R.E. Cardinalium numerum hesterno senatu cooptareris. Id tu beneficium obsecro suscipe eo amore, qualis in me ad impetrandum fuit. Ad hæc cum Archiepiscopus Hispalensis sese Inquisitoris Generalis Præfectura, quam in Castellæ regnis exercebat, per literas ad me datas abdicauerit, curaui etiam vt Pontifex Maximus ad sanctum hoc munus moderandum Reuerendissimam Paternitatem Tuam designaret. Porro duo sunt, quæ mihi à te in præsentia petuntur. vnum vt pietati & religioni consulas, optimis quibusq; viris,qui omnibus affectibus potissimum sint liberi, adeanti muneris partes assumptis. alterum vt omni ratione & diligentia, ne quid Archiepiscopi Hispalensis authoritati detrahetur, caueas. de quo,etiam si te admoneri superuacuum esse videam, mihi tamen de eius dignitate solicito,vt ita faciam mens suadet. Vtriusque rei testimonia ad te vt propediem mittantur, curabo. Hactenus ad te non scripsi, quoniam à remis ad velum (vt aiunt) in procinctu semper fui. at Deo,vt spero, iuuante,vltimo instantis S. Spiritus celebritatis die vela faciam. nam me hucusq; cupientem,maxima negotia retardauerunt. Vale,manu propria. Neapoli XV. Kal. Iulii anno M.D.VII.

Huic grauissimo statim vt præfectus est muneri Ximenius, tabulas publicas per vniuersas Hispaniæ Ecclesias dedit ; quibus id potissimum agebatur, quo pacto recens ad fidem conuersi, liberiq; eorum, & familia vniuersa in religionis rebus sese gererent,& qualiter sacris deberent interesse;& quibus item rudimentis & exordiis,paulatim ad Christianam fidem erudirentur. Rursus à quibus rebus cauendum esset, vtpote Iudaicis & Mahometicis cærimoniis, maleficis ritibus, & magicis incantationibus,cæterisq; omnibus superstitiosis actibus, qui à dæmonibus inducti sunt. Nam de blasphemiis & nefariis vocibus , quibus homines impii Diuos omnes, imo & Deum ipsum impetunt , quoniam legibus Regiis seuere vindicatur, id vnum additum fuit in his tabulis, suam quoq; illos experturum indignationem. Hæc vero comminatio mirum est quantum momenti apud Hispanos semper habuerit.Quoniam vero seuera Luzeri animaduersio multorum animos turbauerat, primo quoq; tempore de eo agendum ratus, curauit vt depositio Magistratu,rerum à se gestarum rationem daturus,vt rei solẽt, ad se veniret. Fuit id cum primis speciosum, & multis hominibus oppido quam graũ. Testes sunt in medium producti , quorum ille opera aduersus innoxios vsus dicebatur. Ingentia causarum volumina, quibus damnatorum crimina continebantur, assidua Ximenii & aliorum Iudicum cura , qui supremas in Inquisitionis Curia partes cum eo tenebant, lectitata & expensa sunt. Luzerus crebro de omnibus interrogatus Burgos vinctus asportatur,ibiq; arcis præfecto sub arcta custodia asseruandus traditur. Sed re omni accurate examinata, cum in illũ animaduertendi causa satis idonea non inueniretur, liber tandem abire permissus est, & Hispali,in cuius vrbis templo maximo Sacerdotium Canonicus obtinuerat, diu priuatam vitam vixit. *Gomecius de rebus Ximenii lib.3.*

IX. *Iulius II. Pont. ad Reges conciliandos legatos mittit.*

In Aragonia ita decernente Pontifice, Inquisitoris Generalis munus & nomen Ioannes Enguerra retinuit, Regis conscientiam per confessionem solitus expiare. Iulius quoque Pontifex,ne Ferdinandum quem ad societatem fœderis trahere nitebatur, alienaret, non potuit illius voluntatem improbare. Nam ad id præcipue Bernardinum Caruaialum Cardinalem in Germaniam, & Gabrielem S. Praxedis item Cardinalem Nicæam Legatos destinarat; vt Maximilianum inter Cæsarem,Ludouicum Galliæ,& Ferdinandum Catholicum Reges, si posset pacem & concordiam perpetuam, vel si id minus succederet, inducias stabiliret, fœdereq; sibi deuinceret; quo viribus coniunctis contra infideles quoscumque arma expedirent. Immensa & immoderata petente Maximiliano ; minime vero illi fidente Ludouico ; Ferdinando autem ad procurationem regni Castellæ properante, nihil hoc anno statui potuit, inter hos & illum. maxime cum Ludouicus Caruialem accusaret, quasi is magis partes Maximiliani ageret, quam suas. Excusabat hic Legatum, testimoniumq; integritati & fidei ipsius datis literis perhibebat. tamen Ludouicus suspicionem minime deponebat, & Iulium admonebat,vt Legationem illi adimeret,Romamq; reuocaret. Ergo Pontifex necesse habuit multa Ferdinando dissimulare: cui iam cum Galliæ Rege fœdus perpetuum. *Surita de rebus Ferdinandi Catholici lib.7.cap.12.* Eadem de causa Ferdinandus, suscepta sinistra aduersus Caruaialem suspicione, ab Iulio Pontifice postulabat , Legati munere detracto eum actutum Romam reuocaret, acerrimam discordiarum facem amoueret , quod ægre quidem , sed impetratum est

tandem. Mouebatur præter hæc Ferdinandus, quoniã Caruialis propinqui , à rebus Ferdinandi auerti , Procuratorem esse constitutum ægre, neq; dissimulanter ferebat. Accessit & istud, quod Ioannis Emanuelis conatus iuuare dicebatur. Is ex Hispania fugiens in Germaniam peruenerat, minori iam apud Cæsarem gratia & authoritate quam antea. Miseros cuncti destituunt; neque mala in vno gradu resistunt. Delusus spe sua , ac suscepti frustra itineris pertæsus reuocare cupiebat , atque in Hispaniam redire. Eo consilio petiit à Ferdinando è duobus alterum. vt eius venia reduci bona pristina reponeret, atque eo loco haberet, quem generis nobilitas & priora merita postularent. certe cum vxore & liberis in Lusitaniam ire concederet. Quod si iustissimis postulatis non moueretur, iacturum haud dubium quod solent homines desperati. Nullam esse potentiam cui non sit periculum etiam ab inualido , præsertim si ad vires furor accedat. Nullum responsum datum : maiores noxæ erant quam vt veniam speraret. Ita è patria exul miseriis coopertus, ac profugus, minori quamuis Principis fauore , ingenii tamen acumine dexteritateque agendi, dissidiorum inter eos Principes fomentem facere , impedire concordiam, numquam destitit egregius dissidiorum artifex. De Caruialo , quod iuuaret , sic vulgo suspicati sunt homines. coniecturæ accommodata fides, propter turbidum vtriusq; ingenium parem actionum varietatem. *Mariana lib.29. c.11.*

X. *Anglie Rex fecialem in Galliam mittit.*

Cæterum Iulius Pontifex, non tamen Maximilianum, Ludouicum & Ferdinandum, verum etiam Ladislaum Boëmiæ & Vngariæ , Emanuelem Lusitaniæ , Henricum Angliæ, & Iacobum Scotiæ Reges , ad societatem veteris vocabat : scilicet vt ab omnibus partibus bellum Turcis inferret. Anglus suspicabatur contra Ludouicum molitiones fieri , quem iniquiorem Pontifici fama ferebat. Ergo primitus illum admonere voluit , ne aduersus Pontificem Romanum arma ferret: cumq; non satis æquo animo successus Gallorum in Italia audiret, & honestam tamen causam belli contra Ludouicum decernendi habere cuperet. tandem fecialem in Galliam misit, qui Normaniam, Aquitaniam , Andegauos (veterem Anglorum in Gallia ditionem) reposceret. Cumque nihil proficeret, expeditionem in Galliam adornauit. Iacobus Scotus, quamquam neutri adesse decreuisset, tamen in Galliam pronior, Annæ Reginæ Francorum , vt magis amicitiæ pignus , quam ad rem gerendam subsidium videri posset , dono mittere statuit, classem quam peregrinationi Hierosolymitanæ designauerat atque parauerat. Enimuero cum largissimis profusionibus ad sumptus faciendos impar esset, neque deessent (perpetuum aulæ malum) adulatores qui id vitium sub honestis nominibus splendoris & magnificentiæ alerent; hisque se eripere & modum prodigalitati imponere cogitasset, in Syriam proficisci decreuerat, vt immanem illum luxum,quem nec sustinere sine pernitie, nec omittere posse saluo pudore videbatur, per absentiam imminuere assueferet. prætendebatur profectioni velum honestum, vt expiaret illam culpam, quod aduersus patrem suum in acie stetisset armatus. Huius autem siue veræ, siue ostentatæ pœnitentiæ, quam in omni sermone præferebat, dederat ab initio statim regni significationem. In hanc profectionem eam classem iam ornauerat, & Comitum principes descripserat; ac Reges vicinos per legationes fecerat certiores : multi quoque veluti eodem voto se obstrinxissent , barbam & capillos promittebat, breuique soluturus credebatur, nisi, in id maxime intento, obiecta fuissent impedimenta. *B. hist. Scotorum libr. 13.*

XI. *Iulii II. Pont. in Lauretanã ædem affectus.*

Iulius porro nihil omittebat eorum , quibus posset Christianorum concordiam conficere . Nam cum Diuorum patrocinia diuinæ opis implorandæ efficacissima esse non ignoraret , horum gloriam , & inprimis Beatæ DEI parentis procurabat. Ergo præter Principis Apostolorum Vaticanam Basilicam: Lauretanam quoque SS. VIRGINIS ædem summa ope hoc anno ornare cœpit. Omnium primum , rem ad augendam loci religionem efficacissimam veteris ædis famam Pontificia authoritate altius in mortalium pectoribus defigendam ratus est. Itaque in primi diplomatis sui proœmio, Vrbani VI. Bonifacii IX. Martini V. Maximorum Pontificum decreta ædi Lauretanæ perhonorifica perstringit. Hinc Lauretanæ Domus primordia exequens, cubiculum esse ait (vt pie creditur , & fama est) Beatæ MARIÆ, vbi illa concepta, vbi educata, vbi ab Angelo salutata CHRISTVM conceperit aluerit̃que. Hanc deinde ædem ab Apostolis consecratam , ac diuinitus primum è Nazaretho , exinde è sylua latrociniis infesta in collem duorum fratrum ; hinc ob fraternas rixas in eum , vbi nunc sita est, collem demigrasse. Deinceps præfatus, se non minore studio teneri Lauretanæ Domus ornandæ , quam Paulum Secundum aut Sixtum Quartum, quorum præclara in eam extarent beneficia; confirmat illorum munera, immunitatesque. Lauretanam insuper Ædem, denuo in tutelam Pontificis receptam Pontificium sacellum appellat, sacra inibi officia solenni ritu similiter, vt Romæ in sacello Pontificis, peragi iubens. Porro Lauretani templi ministris omnibus indulsit, vt Pontificii familiares, & conuictores essent eo iure, quo qui optimo. Ad hæc Prætorem Laureto præsidere iussit à Pontifice deligendum, cui etiam mistum dedit imperium. ex quo tempore oppidum Lauretum Recinetensium ditioni exemplum sui iuris esse cœpit. Annonam quoque & alia venalia Lauretum deferentes, omni portorio ac vectigali immunes esse voluit. Interdixit etiam ne quisquam dona, seu pecunias B. Mariæ Lauretanæ oblatas auerteret, cum excommunicationis latæ sententiæ minis. Per id quippe tempus plurimis non pecuniis solum, sed etiam muneribus sacra ædes augebatur. Georgius Monachus Patauinus B. Virginis Lauretanæ effigiem ex argento expressam, pondo librarum quinque donum attulit. Cardinalis Transensis alteram eiusdem formæ ac materiæ effigiem, sed ponderis duplo maioris. alii alia, quæ exsequi operæ non est. *Horatius Tursellinus libr. 2. histor. Lauretanæ.*

XII. *Ferdinandus & Emanuel, Reges Mauror̃ Vires minuunt.*

Dum hæc in Europa agerentur, Ferdinandus Catholicus,& Emanuel Lusitanus, Reges,infidelium vires minuere conabantur. Ferdinandus præter hoc, quod triremes auxiliares Christianis suis Mesalquirium incolentibus aduersus Mauros hoc anno submisit ; parem curam adhibuit Gaditano Heracleæ & Malacæ portibus contra eosdem muniendis. ac quoniam Mauris indigenis diffidebatur, effectum vt oppida omnia octo à mari millibus vacua incolis relinquerentur, Heraclea Almeriam vsque. Pulsis eo littore Mauris veteres Christianos substituere animus erat , prohibere eius gentis scelera; quorum propter Africæ vicinitatem magna ea parte licentia erat, sæpeque Christianos captiuos in eas oras abducebant. Permisit quoque Diagho Garsiæ Parediæ, vt ad Orientis oras profectus de hostibus Christiani nominis prædas ageret. Ampliora Emanuel Rex tentauit. Alfonsus Alburquerquius superiori anno cum Tristano Acunio ab eo in Orientem missus, virtutis specimen præbere cupiens , ratus vt prima cessissent secutura alia , ex itinere Ormutium occupauit. Insula nobilissima ea est ad sinus Persici fauces , angusta quidem spatiis ac sedecim modo millium ambitu, tenui gleba, nulla aqua , æstu vehementi , frugum egens ac omnis amœnitatis: gemino tamen portu Orientis commercio idonea, atque ex eo omnibus quæ ad victum cultumque necessaria sunt, quod caput est diuitiis, auro & argento, gemmisque beata, & cumprimis Orientis celebritate & mercatorum frequentia comparandum emporium. Tristanus quoque ad Brahmam ciuitatem accessit , ea cum pactum superioribus annis tributum pendere abnueret, capta est à Lusitanis certamine haud leui. Sex armatorum millia barbaris animos fecerant. Verum vbi descensum à Lusitanis, & collato pede res geri cœpta est, ferociam posuere. Magna edita cæde fusi, & fugati pleriq; . Decurionibus tamen fides in patriam ad extremum vsque spiritum egregie constitit . acriter dimicantes in vestigio cuncti mortem oppetere, quam occidenti reipublicæ superstites esse maluerunt. Vrbs deinde congestis dudum diuitiis opulenta, à militibus fœde crudeliterq; direpta est. Qua in re vindex rapacitatis atque sæuitiæ euidenter apparuit numen. Auiditate prædæ gregarii milites aliquot, mulierum manus ad armillas annulosque extrahendos inscio duce præciderant . ij , dum spoliis onusti scapha onerarias repetunt , ad vnum omnes in portu ipso demersi ,

repentina morte crudelitatis & auaritiæ pœnas dedere. Scapha, cum sub aquis aliquamdiu latuisset, quasi perfuncta debiti supplicii ministerio, rursum emersit. Tristanus & cognitum scelus valde improbauit, & cæteros graui edicto ab eiusmodi immanitate compescuit. A Braua post hæc, ad Socotoram maris Erythræi Insulam transmissum est, anno consequente. Cæterum hoc anno M. D. VII. Emanuel Rex naues quatuordecim instruendas curauit, quæ variis temporibus Olyssipone in Indiam soluerunt. Præerat hoc anno arci Cananorensi Laurentius Brittius: contra quem ingens tempestas excitata. Hac de causa, Saracenorum nauarcho cuidam diploma dederat, vt ei nauem onustam quocumque vellet circumducere liceret. Eam tamen Gundisalvus Vascius, contra omne ius gentium diripuit, & nautas velis insutos demersit. Mouit ea perfidia Regem Cananoris recens suffectum, & Lusitanis infestum: qui Calecutiensis Regis ope nixus, Lusitanos in arce obsedit. Iam ad extremam ventum erat inopiam, neq; iam muribus fœdisque aliis animalibus abstinebatur; cum diuinitus oblatum nec opinanti Lusitano remedium est. Templum in extrema arce erat Virgini Victrici, ab Laurentio Almeida extructum. Ad id templum, desperato pene omni humano subsidio, Lusitani quotidie confluebant, opem cum à Deo, cœlitibusq;, tum præsertim ab ipsa Virgine Dei matre enixe petentes: ne se in alieno ac barbaro solo, tot vndique cinctos angustiis, tot pressos malis, fame ipsa denique enectos, Christianos ipsos, & à Christo filio sibi commendatos clementissima Regina cœli desperet; suis peccatis noxisque quas ipsi innumerabiles faterentur, ab irato Deo veniam & pacem exposceret: neq; iam de corporis modo, sed etiam de animorum salute pericli tantibus, in tempore subueniret. Haud incassum emissæ preces. Ipsomet festo Assumptionis die, ne quid miraculorem posset eximere, solito vehementius intumescens pelagus, ingentem locustæ numerum ad ipsas templi radices eiecit; quæ à Lusitanis gratulabundis auide collecta, in multos dies abunde suffecit: nec validos tantum sæua fame, verum etiam (vt salubris est cibus) ægros diuturno morbo leuauit. Vnde factum est: vt & obsidionem tolerarint; & prima opportunitate nacta, quinquaginta millibus hostium reiectis, profligatisque, nemine ex Christianis in acerrimo conflictu desiderato, pacem cum Cananorensi composuerint. cum etiam eodem anno Lusitani, in Africæ littore quod Oceanus alluit, Mauris abstulerint Saphinum vrbem copiosam, latam spatiis, incolarum numero frequentem, quondam Regi Marrocio subditam, tunc in iure & mancipio Reguli peculiaris. *Mariana lib. 29. c. 9. Maphæus lib. 3. Osorius lib. 4. & 5.*

XIII. *S. Francisci de Paula obitus & vita.*

Hoc anno Turonis in Gallia, in cœlos abiit, Franciscus à Paula Ordinis Minimorum Conditor, vitæ sanctitate & miraculorum gloria illustris. Vitam eius admirandam, placet isthic dare, nunc primum Romæ 1625. prælo expressam, à Francisco Victon Minimorum Theologo, & eiusdem S. Francisci ex sorore pronepote. Adscribam & Canonizationis Bullam, in qua præcipua eius vitæ.

VITA ET MIRACVLA

S. P. FRANCISCI A PAVLA,

Sui Sæculi Thaumaturgi, Ordinis Minimorum Institutoris.

Ad fidem Veterum, eorumque authenticorum Manuscriptorum, & Monimentorum primum conciliata, & descripta.

LIBER I.

Natales, Educatio, Vota duo nuncupata. Cap. I.

SAnctus Pater Franciscus Paulanus, quem propter inauditam multis retro seculis miraculorum frequentiam, Thaumaturgum dicimus, nõ sine Diuinæ in Ecclesia Catholica tuenda, prouidentiæ consilio natus est, XV. seculo, Anno scilicet Saluatoris Domini Nostri M CCCC XVI. sede post abdicatum Ioannem XXIII. vacante, Regnante in Gallia Carolo VI. Patria fuit illi Paula Oppidum, vnius dici itinere circiter dissitum à Consentia Ducatus Calabri Metropoli. Parentes nactus est mediocris fortunæ, quanquam haud ignobili stirpe, quocirca in Processu Canonizationis, qui in Conuentu nostro Iesu Mariæ ad Plessiacum Turonum religiosissime asseruatur, nobiles ab aduocatis miraculorum Paulæ perpetratorum testibus vocitantur. Patri Iacobo Martolillæ nomen vulgo inditum: quanquam non desint, qui eum Iacobum dictum Bartolillum de Alexio asserant, ad distinctionem alterius Alexiorum familiæ, quæ ea tempestate Paulæ vigebat. Vnde postea deprauato vocabulo Martolilla vulgari errore cognominatus fuerit. Verum communi Scriptorum & antiquorum Monimentorum adhærendum sententiæ, quæ Martolillæ non Alexii cognomen assignat. Est autem vir miræ probitatis Iacobus Nobili Matronæ Viennæ de Fuscaldo, quod pagus est Paulæ vicinus, matrimonio iunctus. Verum enimuero exactis pluribus annis in coniugali fide, pietateq; Christiana dolent, conqueruntur q; de sterilitate. Scilicet volebat Deus suscipiendam desideratissimam prolem, lacrymis, precibus, ieiuniisq; coëmi. Igitur desiderio prolis votum Deo Opt. Max. à quo omne datum optimum, bonumq; perfectum dimanat sub S. Francisci auspiciis nuncupant, spondentq; pii progenitores filio, qui nasceretur, Francisci nomen imponendum. Annuit Deus votis, veridicumq; comprobat S. Franciscum Assisinatem, qui olim post se venturum alterum Franciscum, qui, quam discipuli propter Euangelicam paupertatem detrectabant, vitæ quadragesimalis perpetuam inediam induceret, & voto firmaret, vaticinatus fuerat. Denique quanta fuerit pientissimorum Parentum sanctimonia, quantumue aspera vitiendi ratio liquido constat ex supra memorato Canonizationis Processu, in eo namque variis locis subsignati fide data testes asserunt hos, lincis non esse vsos indusiis, atq; vitam quadragesimalem etiam ante susceptum S. Francisci mira obseruasse perseuerantia, aiuntq; se pie credere ob congruentia vitæ in seculari habitu religiosæ, euangelicæq; perfectionis exercitamenta, eos vna cum nato S. Francisco diuina, æternaq; perfrui Sanctorum societate, & beatitate, quod quidem de Iacobo Patre communi bonorum omnium calculo probatum est, quippe qui inuerso per gratiam naturæ ordine habitum Religiosum à filio Francisco susceperit, vt in filium adoptaretur, Pœnitentia, & aliarum virtutum imitatione. Nã pedibus nudis, vesteq; lacera indutus disciplinis corpus per plateas spiritu diuino excitus dilaniabat, vti contemporaneos peccatores ad scelerum vindictam permoueret. Ac tandem inter filii sui Francisci brachia, animam Deo reddiderit eo ipso tempore, quo Aue Maria per Ciuitatem, & Conuentũ pulsaretur. S. Francisci natiuitas, atque vt à nonnullis relatum, Conceptio, mystico insignes fuere miraculo, quo Deus futuram recens nati Sanctitatem claritatemq; significabat. Stupent vicini, miranturq; quod succensa veluti struc lignorum ingenti, lux diurna fulgoq; solum, tectumq; paternum perfunderent. Accurritur, nec alia animaduertitur causa quam recens editus in lucem Franciscus. Defertur ad Templum puellus, & viuifico Baptismatis lauacro regeneratur, nomenq; Francisci à Patrinis ex voto inditur, diuino prorsus consilio. Etsi namque Calaber natalibus, at Franciscum Francorum bono natum vitæ decursus atq; exitus probarũt postea. Vt inita diuini propositi ratione Franciscus, hoc est Franciæ decus dicendus sit. Quantis autem lætitiæ publicæ tripudiis ouent Paula, Fuscaldum, cæteraq; Ciuitates vicinæ, quibus tantum in Compatriotæ Natiuitate videre portentum cœlitus concessum est? Verum enimuero extrema gaudii luctus occupauit; nam dum pia mater Vienna pro congenita φιλοσοφίᾳ profusis vberibus lac fugendum ipsamet subministraret, deprehendit protuberantem ad oculum sinistrum carnem, vnde periculum esset ne breui optica facultate orbaretur. Rursus lacrymis, precibusque Deo, & S. Francisco profusis, voto promittitur puellulum Franciscum Fratrum Minorum assumpto habitu in Conuentu Ordinis aliquo, ministeriis religiosis ad annum vnum addicendum. Exaudiuntur Parentum denuo concepta vota, sensimq; minuitur tuberositas, & euanescit inoffensio visus organo, præterquã quod beneficii accepti memoriam refricaret macula

Varii processus.

Proc. Consent. test. 6.

Bulla Canoniz.

Mater S. Francisci prædixit diem obitus sui.

Relatio vnius ex distin. S.P. Francisci.

Ex relat. vnius è discip. S.P. Francisci.

quædam

quædam residua, quæ nec oculum deformaret, aut videndi facultatem obtunderet. Eo fortassis consilio, vt vsurparet illud Canticorum. Vulnerasti cor meum in vno oculorum tuorum.

Indubitata de S. P. Francisci Sorore Brigitta statuitur sententia.

CAP. II.

SVnt qui à paucis annis fabulari, & comminisci cœperint Sanctum Franciscum vnicum fuisse parentibus suis, friuolis, & ridiculis plane persuasi congruentiis. Primo namque vt fucum faciant nouitiæ credulitatis, aiunt maxime facere ad maiorem tanti viri gloriam, quod solus ex vtero matern o prodierit, vti per omnia simillimus esset Christo, qui quoad diuinitatem vnigenitus in sinu Patris, quoad humanitatem vero vnigenitus quoque in vtero matris Virginis extiterit. Vnde inferunt quod cum similis fuerit Sanctus Francisco Christo, debuerit etiam esse vnicus. At quam ridicula sit ista consecutio, inde colligitur, quod sequeretur omnes Sanctos, qui quoad gratiam gratum facientem, tum etiam gratiam miraculorum Iesu Christi imaginem in se habuerunt expressam & delineatam, esse vnicos. Ergo Bernardus Abbas Clarissimus, Ergo Basilius & Gregorius, Ambrosius; & cæteri sancti vnigeniti fuerunt, quod tamen nemo sanæ mentis ausus fuerit dicere.

Deinde vt ruinosæ suæ Commentationi opitulentur, fingunt, aut saltem deprauãt textum vnum Canonizationis, quo mẽtiuntur hæc verba contineri, Franciscus vnicus parentum suorum filius, verum inspectis omnibus & singulis tum Canonizationis ipsius, tum etiam ad Canonizationem præuiis actibus, & processibus, quos Authenticos vidimus & tenuimus, nullibi reperiuntur hæc verba, vnicus parentum suorum filius, quamquam diligenti examine à viris prouectissimis, & totius Ordinis clarissimis, & religiosissimis recogniti, & visi fuerint. Præterea quamuis ea verba haberentur, quandoquidem non pertinent ad substantiam ipsius Canonizationis, esset cum ipsa, quæ luce clarior est traditionis veritate concilianda, deberentq; intelligi in eum sensum, vt quoad masculam prolem fuerit vnicus filius, non tamen in vniuersum, nam æque certum est non habuisse alium fratrẽ, ac cum habuisse sororem dictam Brigittam, quam aduersarii fatentur extitisse. Sed exploratissimum est ista tria verba vnicus parentum suorum filius, hæreticorum more gratis superaddita.

Nullibi id habetur præterquã in mendosiss. quodã scripto, quod quã parum sit fide offensum est in præfat. ad Lector.

Denique vim faciunt in eo, quod Parentes post susceptũ S. Franciscum votum continentiæ dicantur emisisse. Sed esto id gratis concedatur, non sequitur statim, sed fortassis quinque, aut tres post annos à suscepta prole istiusmodi votum concepisse, vt Iacobus Pater Francisco filio; mater Vienna, Brigitta filia contenti, tunc demum Deo gratias agere cœperint, atq; castitatem colere cum cæteris supra memoratis pœnitentiæ, & sanctimoniæ operibus. Atq; ita exponerent, qui votum continentiæ Piorum parentum admittunt præsertim si attentius perpenderint, validissimas rationes, & indubitata Antiquitatis monim. quibus ea, fulcitur Traditio, quæ apud clarissimam ex S. Francisci vnica sorore Brigitta nepotũ familiam semper viguit, & inualuit absq; vllius controuersia, & dubitatione vsque ad annum circiter 1606. qua primum tempestate, tum ex inuidia, tum ex ignoratione dolosis artibus cœpit in dubium verti. Ea porro traditione scitur certissimè S. Franciscum habuisse Brigittam sororem vterinam. vnde Andreas d' Alesso, qui Regis Ludouici XI. aduocatione, cum S. Francisco in Galliam profectus est, & vniuersa familia, quæ à Regibus ad munera totius Regni amplissima deinde cuecta, plurimum de eius prosapiæ sanctitate gloriatur prodierint.

Recensebo ego ex multis, ac propemodum infinitis, quibus ea nepotum S. Francisci sententia nititur, validissimis rationibus, & argumentis nonnulla, nam vt cætera omittam, duas habet pro se S. P. Francisci epistolas eius propria exaratas manu, vnam ipsius Brigittæ sororis S. Francisci, literas authenticas Regis Francorum Caroli VIII. & Antonii Sanctorum quatuor Coronatorum Cardinalis Pictoriensis, atq; totius Ordinis Minimorum eo seculo Protectoris, vetusta eaq; è marmore celeberrima Epitaphia, quæ in Nigeonensi ad Lutetiam Parisiorum Cœnobio visuntur, quatuor textus Processuum ipsius Canonizationis in quibus fit mentio expressa Nepotum S. Francisci de Paula, Paulanæ Ciuitatis, Electorum, seu Consulum authenticum instrumentum, Capitulum Generale Ordinis vnum, & declarationem Vicarii Generalis per Galliam, qua quidem testimonium nube oppressus aduersarius, huic, quæ luce clarior est, veritati, auctoritate superiori, atq; publica subscripsit anno 1623.

Puer ex oraculo, votoq; Patribus Minoribus famulatur. Festiuses & virtutes suscipiendæ.

CAP. III.

AT disceptationis istius futilis, atque ab vnico propositæ viro, futiori refutatione omissa ad Thaumaturgi nostri vitam regrediamur.

Adoleuit Franciscus patriis in laribus, ad duodecimum, aut decimum tertium vsque circiter ætatis annum, quo tempore cum intempesta nocte dormiret, diuino monitu repente excitatus est: ille vero, vt oculos aperuit, cœlesti lumine perfusus est, atq; è media luce S. Francisci Assisinatem perspexit, qui sibi talia diceret. Francisce fili, cohortare Parentes tuos, vt quam primum poterunt, voto, quod Deo & mihi spoponderunt, exoluantur. Exosa namq; superis est mora in obsequiis præstandis, præsertim vero in promissis. Exilit strato Franciscus, & ad charos parentes lætus accurrit, narraturus quæ diuinitus vidit, & audiuit. Ea autem cum verborum grauitate visa & audita perstrinxit, vt ea altius animis eorum infixerit. Quare veriti, ne quid infaustum fausto succederet omine, breui puerum Franciscum Conuentui Fratrum Minorum in Ciuitate S. Marci obtulerunt, non sine profusis vberrime lacrymis pro pignoris charissimi abdicatione. Illic Ordinis habitu sacro induitur solenni ritu, qui in susceptione vestis Religiosæ, quæ ex voto secularibus extra Ordines priuatis in ædibus de gentibus, (quales plurimos præsertim puellos, puellasq; consp icimus) traditur. Non enim ea mente annum perpetuum in sancto habitu exegit, vt se Ordini manciparet votorum solennium nuncupatione, sed vt tantummodo votum à piis parentibus præstitum exequeretur ac persolueret. Eo autem duntaxat proposito fuerat, vt annum vnum in veste religiosa, Patribus Ordinis deseruiret, in grati animi argumentum ob collata cœlitus beneficia.

Proc. Consest. 6.

Bulla Canonizat. Leo X.

Bulla Canoniz.

In eo S. Marci Ciuitatis Cœnobio perfectionis Euangelicæ prima iecit fundamenta. Nam quas in singulis Patribus Fratribusq; virtutes obseruauit, eas ipsas in vno seipso expressit. Mira in obsequiis exhibendis diligentia, in commissis exequendis alacritas quæ ætatem tenellam, viresq; adhuc infirmas superarent. Sacristiæ ministeriis deputatus, vestes sacras asseruabat, albas complicabat, tobaleis mantilibus, & palliis altaria exornabat, & id genus officia persoluebat, ea autem cum mentis eleuatione istiusmodi Angelicis insistebat muneribus, vt sæpius ecstasim passus extra se rapi visus sit. Tanta namq; Spiritus diuini perfundebatur virtute, vt nullis exercitationibus quantumuis laboriosis, & asperis potuerit auelli à sponsi amplexibus. Narrant aliquando cœlesti dispensatione se vocatum, cum ei commissa fuisset cibi coquendi cura. Nam fuisse ipsius atq; officinæ oblitus in ecstasi positus est ad plures horas, quo factum est, vt Patribus ad prandium solito more conuocatis nullæ essent dapes coctæ, nil obsonii quod mensis instructis inferretur. Id autem vt deprehensum est, extra se positus puer Franciscus, ad se reuocatur, signoq; Crucis præstito ollam succendit, crudæq; carnes, quæ à fratribus desiderabantur, repente, atque vno quodammodo instanti excoctæ sunt, atque ad comestionem apparatæ. Miranda plurima patrata sunt eodem anno, quibus domesticam Patrum, & publicam sæcularium animis de se existimationem indidit, adeo vt Antistes ad Conuentum Sancti pueri visendi gratia, desiderioque perrexerit. At quod præcipuum in ætate tenera miraculum demiror, intentus est in Deum animus, quo dies nocteque perpetuas falleret vna cum vitæ quadragesimalis, quam in paterna domo inchoauerat obseruantia, cumq; vigiliis, ieiuniis, & disciplinis non paucis, quibus corpusculum atterebat, coniuncta.

Relatio vnius è discip. S.P. Francisci.

Exitur

Exitur veste Religiosa voto reddito, Assisium proficiscitur. SS. Apostolorum limina salutat.
Cap. IV.

EA cum eorum, qui tunc temporis Domino famulabantur, Patrum Fratrumque admiratione, & existimatione vitam exegit, vt conciliatis cordibus, ab eis ægerrime aulsus sit anno elapso. Siquidem religiosissime à Deo Opt. Max. votis publicis ab vniuerso Conuentu supplicatum est, vti Franciscum vocare dignaretur ad Ordinem, verum alio tantum virum destinarat Diuina Prouidentia. Quare exutus solenni ritu sacris vestibus, piis parentibus, quos per literas aduocauerat, restituitur. Ipse vero rogat, vt se Assisium inuisendorum S. Mariæ de Portiuncula, & S. P. Francisci Templorum gratia deducant. Annuunt libentissime supplicibus filii charissimi votis, Assisiumq; petunt. Indeq; Romam ad salutanda Sanctorum Apostolorum limina se conferunt. Contigit vero, vt obuius fieret puero Francisco S. R. E. Cardinalis, celebri pompa, atq; frequenti stipatus Clientum, nobiliumq; caterua. Quem vt intuitus est puellus, elata supra modum voce, ait parentibus. Non ea cum gloria atq; apparatu SS. Apostoli incesserunt: Obaudiuit vocem diuino efflatam spiritu. Illustrissimus Cardinalis, & subsistere pauisper lectica, nobilesq; iussit, obseruata pueri physiognomia, & festinitate. Responsum eiusmodi querelæ dedit. Filimi, ea est calamitosorum horum temporum iniuria, vt veneranda primorum Christianorum paupertas contemtui sit Regibus, & Magnatibus seculi, quare operæpretium est nobis, inuitis gradum Apostolicum mundana gloria, Regiaque magnificentia exornari. Ea scilicet erat in Francisco à teneris vnguiculis vis, auctoritasq; verborum in dicendo, vt diuinum quid insolitumq; proderet, quo grauissimorum virorum mentes perstringerentur.

Bulla Canonizat. Leo X. Proc. Cosent. test. 6.

Ex Relat. vnius è discip. Sanct. Francisci.

Spoletum, & Cassinum peragrat. Secedit in patriam Eremum. Fratres cogitur admittere. Templum instaurat.
Cap. V.

FErunt nonnulli Cassinum, & Spoletum montes SS. Anachoretarum consulendorum causa conscendisse, antequam patrios lares repeteret, quod inquiunt solitariæ vitæ studium accenderit, peperitque. Equidem vix Paulam attigit, vt serio subitoq; cogitauerit de petenda Eremo, auspice duceque Spiritu sancto. Nam secessit in vineam paternam, quæ successionis iure sua erat, ad annum ætatis circiter 14. vbi primũ antro se recepit, quale Pauli Eremitarum Principis extitisse speluncam memorant. Non alio strato fessa ieiuniis, verberibus, & laboribus membra recreauit, quam humida & squallida terra. Perpetuo intentus erat animus rerum æternarum comtemplationi: deliciis fruebatur Angelicis, cœlesti fouebatur nectare, siquidem ei potus, aqua è silice, cibus radices obuia fuere. Porro eam in victu parsimoniam, seu potius inediam, atque in degendo asperitatem solus fere vsq; ad annum 19. indefesso prorogauit animo. Eo vero tempore ob miraculorum frequentiam, virtutumq; clarissimarum fragantiam, vicinorum populorum concursu Eremus celebrari cœpit, solitudoq; cessit in Ciuitatem; Ciuitates vero proximæ festis diebus in quasdam veluti solitudines commutatæ videbantur. Expostulabant plurimi, vt in eius consortium familiamque dignarentur adscribi, & cooptari, Dolebat vero plurimum quod suauissimis Iesu Christi amplexibus, qui in iugi contemplatione frequentes sunt, orbaretur, si Cœnobiticæ vitæ, quæ in solicitudine non autem solitudine est, præesset. At diuinis obtemperandum quibus interius afficiebatur monitis, Deusque pro Deo deferendus. Ergo paucos primo, eosq; selectissimos admittit sodales, deinde de construenda cogitat domo Regularibus composita exercitiis, instat operi, dumq; ædiculam erigit angustissimam. En extemplo apparet in Ordinis Fratrum Minorum habitu Frater quidam miro redimitus fulgore (coniectant plerique qui tunc aderant S. Franciscum: nam refert Nobilis Antonius Mendolilla Paulanus se cum præceptore suo, & aliis coætaneis discipulis adfuisse) qui hortatur, vt aliud amplius templum instituat. Ipse vero respondit se rei pecuniariæ paucitate detineri, ne magnificentius extruat. Cui denuo S. Franciscus. Fili iacta cogitatum tuum in Domini munificentiam. Est enim paupertas Euangelica Thesaurus absconditus firma spe, fideque certa in Deum eruendus. Obsequitur Franciscus & dirutis ædis angustæ muris insudat ampliori templo, spem omnem collocans in eo, cui præparabatur habitaculum, nec irritum fuit quod sperauit in Domino: Namque Nobilis Cosentinus, Sanctitatis, miraculorumq; fama permotus, pecunias profusissime largitus est. Igitur nos iacta primum Religionis Minimitanæ fundamenta censebimus in Basilicæ istius instauratione, quandoquidem de Pyrrhi Cosentini Archiepiscopi consensu tum primum fratres in S. Viri contubernium cooptati, & Cœnobium institutum. Contigerunt autem ista ad annum ætatis S. P. N. circiter 19. qui Christi Domini erat 1455.

Patet Anton. Cardin. SS. 4. Coronat.

Bull. Pirrhi Cosent.

Varia in fabrica Paulana miracula. Ignis obsequia, & innocentia. *Cap. VI.*

SVperant fidem humanam, quæ Angelorum haud dubie ministerio in Paulani Conuentus fabrica visa sunt miracula, nihil illis aut frequentius, aut incredibilius. Nam onera grauia facili negotio virtute diuina trahebantur, & vehebantur frequentissime, & collis vicinus, qui Dormitorio extruendo officiebat, ad nutum sublatus est in alium locum, alius vero qui imminebat, facto Crucis signo medio in aere suspenditur, & verbo eius sistitur, fons solo erumpit ad operarum vsum commodiorem. Calx non sine miraculo effossa terra producitur. Fornacem feruentius succensam, in qua calx decoquebatur, illæsus ingreditur, & egreditur, vt periculo quod ingruebat paupertati tanti viri sese opponeret innocentia, & sanctimonia. In huius porro miraculi, quod vulgatissimum est, monimentum, eo loci visitur sacellum, illincq; tellus educitur, è qua vasa opere figulino composita per vniuersum orbem deferuntur ad febrium, aliorumque morborum frequentissimam medelam. Nec vno aut altero tantum exemplo compertam habemus ignis erga Francisci castimoniam obsequia. Nam titiones extinctos accendit, cibos sine igne excoquit, manus in ollas & lecytos olei feruentis illæsus immisit, lapides calcineos candentes è fornace eduxit, lateres, & saxa in ignem iniecta & calore rubentia è foco in vas in quo infirmus lauandus erat, balneumq; satis dissitum loco instarrosarum gestauit, nudis pedibus ignem periculose spineta inuadentem compressit & extinxit, nudis etiam manibus, plantisq; succensas prunas protriuit, lampadesq; ac cereos sine lumine accendit. Calcem muli è fornace candentem manibus illæsis eduxit, & contrectauit. Accidit aliquando, vt faber ferrarius B. Francisco quicquid ferri ad Conuentus fabricam desideraretur, polliceretur, dummodo carbonem subministraret. Conuentione istiusmodi habita lignorum struem in fossa profunda occludit igne suppositio. Cum autem ignis superpositum aggerem inuaderet accurrit Franciscus, & pedibus nudis flammas erumpentes retundit, donec vnus è Fratribus terram detulisset, quo hiatus oppleretur. Narrabo aliud factum. Quidam ex operariis ficus furto sustulerat. Coniectabant pleriq; vnum quempiam ex omnibus. Negabat ille acriter. At Franciscus tot repetitis mendaciis offensus imperat ollam feruentem adferri, in quam nudum brachium primum immisit, deinde Latomo quem coniectabant furem, dixit, fili, si furti non es reus, polliceor, te diuina ope, manum tuam ex aqua, quemadmodum ego ipse educturum in tuæ innocentiæ experimentum. Verum ille male facti conscientia tactus, non est ausus eiusmodi periculum facere, maluitq; furtiuum obsonium profiteri.

Proc. Cosent. test. 17. 19. 31. 48. 50. 59 & aliis in locis. Sæpe id factum Proc. Pat. test. 62. Soret. 26. 27. S. Blasii 100. Catanz. 107. Lti. Ciu. Amanth. Vinc. Caraf. Con. Patern. 34. test. Bull. Canoniz. Cose. 87. Cose. 87. 35. Bulla Canoniz. Cose. 25. Altil. 7.

Curationes duæ insignes.
Cap. VII.

VUlgatissimum inter omnia fere S. P. Francisci miracula, quibus cœlitus infusam curationum gratiam prodebat, istud fuit quo Iacobum de Tarsia Baronem, & Dominum Bellimontis, apostemate insanabili, ita vt nullis medicorum & Chirurgorum totius Italiæ peritissimorum consiliis potuerit curari, liberarit. Nam cum vir pius & illustris vna cum charissima eius coniuge in Conuentum se deferendum curasset, atq; staret ad Conuentus fores, Euocatus S. P. Franciscus aduenit, qui viso fœdissimo apostemate miseri-

Bulla Canoniz. Proc. Cosent. variis testi.

cordia motus est, atque misso vno ex iunioribus Fratribus in Cellam, vnde parum pulueris è terra, & in hortum, vnde herbam quandam, quæ tussilago, aut vngula Caballina dicitur, educeret, coram Christi crucifixi imagine aliquantulum orauit, donec dimissus reuertetur Frater. At vero vt cum sensit reuertentem, surrexit ex oratione, iussitq; Baronem spem suam in Deum firmissime collocare, deindeque parum pulueris iniecit vulneri, quod foliis tribus fruticis supra memorati contexit, denique modico pulueris, & herbæ eiusdem foliis, quibus altera vice vteretur ad medelam traditis, dimisit Virum Illustrem, qui vix iter confecerat ad Castellum vnde discesserat, cum se protinus, & plane sanatum expertus est. Verum quam prius in seipso senserat S. Francisci virtutem, in vno ex filiis ad mortem infirmante probauit aliquando, nam pignus charissimum, quod iam quinq; dies ex morbi grauitate obmutuerat pristinæ restituitur saluti ea ipsa hora, qua S. P. Franciscus, (ex patris Iacobi intentione, qui Franciscum Marcum de Cosentia familiarem suum eius rei gratia ad S. Medicum transmiserat) preces pro salute pueri vltimum agentis spiritum fuderat, vti ipsemet Marcus de Cosentia testis oculatus retulit.

Proc. Cosent. test. 2.

Proc. Cosent. test. 32.

Subiungam aliud miraculum. Erat Nicolao de Iaquinta Frater, cui cancer faciem deturpabat, ac sensim corrodebat periculosissime, nam aduocati Chirurgi nullum aliud dicebant suppetere remedium, quam palumbum vulneri apponere, porrho non poterat vllo pretio emi. Itaq; sanctum Francisum conuenerunt, qui statim viso fœdissimo cancro, Ecclesiam quæ adhuc excitabatur primo, & secundo cum quodam Notario, qui comes erat Nicolai Iaquinta perlustrauit, ac cum tertio circumspiceret. Ecce felem ore suo palumbum syluaticum ad pedes sancti Viri deferentem qui Cancro commissus à graui mortis periculo ægrotum exemit. Porrho miraculo prorsus stupendo palumbus ille repertus est, & S. Viro missus, nam nulli extabant adhuc muri in quibus nidificarent syluatici palumbi, nec in Conuentibus S. Viri educabantur domestici.

Frequentia populorum in obsequium subsidiumue. Concionum feruor & fructus.

CAP. VIII.

COnsimilibus excitati miraculis accurrunt populi ex vniuersa Italia, trajiciuntq; sinum Maris Mediterranei fideles Orientalis Ecclesia, quæ Græca est, vndequaq; confluunt Viri, fœminæ, nobiles & clari genere operam suam locant S. Francisco. Vidisses ornatissimos viros, comptissimasq; Matronas aliquid operis in fabrica præstare, vt sancti Viri gratiam promererentur. E Pagis, Castellis, Ciuitatibusq; etiam remotis centeni, & milleni turmatim veniunt operarii, in subsidium, obsequiumve Thaumaturgi: Nullis aut saltem paucis expensis Domus Paulana excitata est. Nam Regum, & magnatum dona recusabat, aiebat enim oppressæ plebis esse sanguinem. Porrho non est mirum, quod ex omnibus Reipublicæ Ordinibus primores sese ad humilia demitterent obsequia. Equis enim mortalium non summopere manum Dei ad tot mirabilia extensam desideret experiri maxime cum pleraq; cum ad corporum, tum etiam ad animarum salutem conducerent. Quare plurimorum testium consignatum est dictis, sancti Francisci salutaribus adhortationibus plebem vniuersam ad meliorem frugem reuocatam, & ad pietatis studium vehementissime divina prorsus eloquentia concitatam. Etenim antequam ad vesperam catervatim, quemadmodum conuenerant spontanei latomi, aut fabri discederent, de Amore Dei super omnia, de quatuor nouissimis, de Passionis Dominicæ acerbitate, de peccati mortalis fœtore, horroreque depravatæ conscientiæ, pluribus differebat. Tanta autem pollebat dicendi copia, & grauitate, vt Prophetico spiritu indice secretiora perstringeret peccata, vnde statim pudor faciem subiret corda contereret, lacrymæque nonnunquam oculis dissluerent. Contigit aliquando vt in sylvam vicinam cædendorum ad fabricam lignorum causa copiosam hominum turmam, veluti Hercules alter eloquutionis suauitate post se traheret, hos autem homines in area vna cum iussisset subsistere, de Euangelio, quod hac ipsa die propositum erat ab Ecclesia, tanta cum verborum copia, sententiarum pondere, perorauit, vt omnium concitaret affectum, omnibus gigneret admirationem. Nam vir insignis doctrina Franciscus à flore, qui rei cuentum curiosius inuestigabat, renunciauit abstrusos scripturæ difficillimæ sensus explanatos, & ob oculos infimæ plebis mira dicendi perspicuitate positos, vt Angelum differentem, non autem hominem eloquentem sibi videretur audiuisse, vnde scientiam rerum diuinarum, & humanarum cœlitus infusam suspicatus est.

Ex multis testium. Proc.

Relatio vnius è discip. S. Francisc. Proc. Cosent. test. 11. Bulla Canoniz.

Adolescens nobilis. Vir insignis collisi sustentatur.

CAP. IX.

PRæterea gratia sanitatum vulgatissima vigebat, qua infirmos operarios, aut eorum cognatos, atq; amicos restitueret pristinæ valetudini. Nec pertimescendum ne casu quid infausti operam suam Dei intuitu collocantibus contingeret. Etenim præsentissimum morbis, & vulneribus erat pharmacum. Nam vel inter laborandum protritos, & occisos ad vitam non semel reuocauit. Recensebo exemplum perillustre. Primores Ciuitatis vnigenitum ad B. virum transmiserant deuotionis gratia, vt familiæ nomine in Cœnobio extruendo collaboraret (Ita nempe existimabant diuinam sibi beneuolentiam accersendam) Adolescens autem ille imprudens trabem vnam, qua machina quædam fulciebatur, dimouit loco, vnde corruit tota lignorum, & tabularum strues, sub qua ipse deprehensus allisus & obrutus est. Acclamatur, & accurritur à latomis, & cæmentariis, qui occisum iuuenem lugent. Accersitur Franciscus in oratione positus, narraturq; funestæ rei euentus. At S. Vir rem parum sibi cordi esse demonstrans, accessit ad cadauer adolescentis, quod vt intuitus est, iussit omnes alio commigrare. Ipsi vero rei exitum obseruaturi, eum in locum, situmq; cesserunt; vnde quid rei S. Franciscus gereret, inspectare liceret. Ergo deprehendunt S. Virum veluti turbine quodam percelli, tolliq; in collem vicinum, in quo profusus lacrymis cum aliquantulum exorasset, rediit ad corpus allisum, cui instar alterius Helisæi, obuersans & opponens membra membris, vitam halitu ad os eius immisso restituit. Adolescens autem è mortuis excitatus, denuo redditas vires, vitamq; impendit ad obsequia.

Proc. Canoniz. ex Relat. vnius è discip.

Proc. Rhegin.

Non absimile est, quod contigit cuidam Dominico Sapio è territorio Rheginensi, quem Pinus è vertice montis editissimi decidens obruerat, atq; terra oppresserat. Nam accedens S. Pater eum eduxit incolumem supra naturam, & contra omnium expectationem.

Thiara instar Pontificiæ redimitur. Concentibus Angelicis vicinus iniurius demulcetur. Beneficio insensus Alter superatur.

CAP. X.

DVm in Æde Paulana præcipui Altaris fundamenta iaceret S. Franciscus in oratione positus, non absque mysterio Papali Thiara, quæ cœlesti lumine mirum in modum irradiabat, redimiri visus est; Inspectantibus Fratribus Nicolao Nocheto Florentino, & Angelo de Saracena, qui è refectorio ad opera repetenda commigrabant. Quid autem triplici diademate istiusmodi significatum Deus voluerit, haud facile dicitur. Conjicimus tamen triplicem in Beatis, accidentalis gloriæ lauream, vel tres Illustrium virorum in Ordine classes Confessorum, Virginum, & Martyrum Clarissimorum, vel denique tres Regulas propositas, & ab eo scriptas designari. Fortassis diuina contigit dispensatione, vt tale visum sancti Viri discipulis innotesceret, quo futura Ordinis nascentis incrementa prænoscerent. Nam quantum in se erat, eas quas patiebatur Ecstases occultabat, quod sequenti comprobamus historia. Erat familiaris sancto Viro Antonius donatus, qui quod præcipuam Conuentui ædificando præstaret operam, noctu se intra Monasterii septa recipiebat. Is autem cum è cella, quam inter Fratres habebat, summo mane egressus esset, Sancto Patri obuiam factus est, cui ille, Antoni quid hac hora

Ex Relat. vnius è discip. S. Francisc.

Rel. vnius ex discip.

discurris, repete cellam tuam donec dies illuceſcat. At vero Antonius ſuſpicatus ſanctum virum quæpiam pœnitentiæ exercitamenta præſtiturum, quæ ſoli Deo nota vellet ad ſtratum quidem ſuum feſtinus rediit. Verum pia ductus curioſitate quid rei perageret ſanctus Pater inſpectatum rediit ſecretoque ad eius cellam acceſſit, quam ignibus fulgentiſſimam, vel è gradibus, quibus ad ſancti Viri Cameram aſcendebatur, demiratus eſt. Nec ſemel, aut altera duntaxat vice luce diuina radiare viſus eſt. Erat enim Orationis feruor eiuſmodi plane familiaris, & vſitatus, quemadmodum expertus eſt Ciuis Paulanus, iſque nobilis Franciſcus Carbonellus (cuius Soror Clara pedibus, manibuſque adeo contracta, vt nec incedere, nec aliquid aliud operis præſtare poſſet, precibus ſancti Viri ſoluta fuerat.) Is enim ea tempeſtate ſancto Viro erat infenſiſſimus, conquerebatur enim, quod Molendino ſuo, quod ad Conuentum extruxerat ædificiorum ſtruendorum moles officeret. Is ergo ira percitus aliquando in ſanctum Patrem debacchaturus progrediebatur, verum vt cellam eius attigit, lucis cœleſtis fulgore cæcutiens Angelicum concentum exaudiuit, cuius melodia, veluti Dauidis Cithara Saul alter delinitus eſt, quippe qui conceptas animo acerbiſſimas quærelas de damno quod ſibi inferebatur ex Conuentus fabrica, in laudes Dei, beneuolamque mentem conuerterit. Nam cum ſanctus Franciſcus è ſuauiſſimo contemplationis ſomno euocatus extra Cellam primum hominem offendiſſet is mutato prioris conſilii propoſito in has prorupit voces. Non mihi iam vir Dei, res eſt de Molendino, ſed de cœleſti muſica. Satis mihi damna accepta vnica melodia reſarcita ſunt, vnum deinceps exopto, vt in tuam merear cooptari familiam.

Pro. Coſent. teſt. 86. Vnius è diſcip. S. Franciſci.

Facit ad rem quod ſubtexam. Ruſticus quidem terræ perticas aliquot Conuentus ædificiis plane neceſſarias habebat quas ex proteruia quadam nullo pretio voluerat ſancto Viro diuendere, accidit, vt capitis dolore acutiſſimo diſcruciaretur adeo vt canibus rabidis ſibi cerebrum laniari videretur, nec vllum in arte medica erat remedium. Ergo ſanctum Franciſcum, cui erat infenſiſſimus acciuit, qui manu ſupra ſinciput poſita, vermem ſex digitis longum atq; hiſpidum eduxit ex aure, vnda ſtatim conualuit. In accepti vero beneficii monimentum perpetuum eam terræ vicinæ partẽ, quam ſummo pretio diſtrahere noluerat, dono dedit, obtulit, & tradidit cœleſti ſuo medico.

Proc. Neo... teſt. ..5.

Hydropicus ſanatur, Nepos ſorori piis ad Ordinis ingreſſum conatibus obſiſtenti letho eripitur. Vterque habitum Religioſum induit.

CAP. XI.

ITa nimirum ope diuina miracula patrabat egregia, quibus animos vulgi ſibi deuinciret, & diſcipulos, imitatoreſque ſibi adſciſceret. Nam Gregorium Biſacium fœdiſſima hydropiſi turgentem, cum bene de Deo ſperare, & ſentire iuſſiſſet, ſanitati protinus reddidit, qui ſubinde habitum Ordinis ſuſcepit, in quo eo ſanctiorem vitam peregit, quo maiori, atque illuſtriori miraculo prorogatam noſſet. Conſimili de cauſa vnum ex Nepotibus Nicolaum nomine ad vitam reuocauit triduo poſt obitum. Narrabo factum. Adoleſcens erat Brigittæ ſancti Viri ſororis filius, probis ingenuiſque moribus, & magnæ apud familiares expectationis. Is aliquando matri aperuit, ſe diuino impulſu ad ſancti Parentis regulam euocari. Illa autem nati, quem liberorum chariſſimũ fouebat, obſtabat pio propoſito. Id ſancto Franciſco innotuit, qui ſtatim matrem acriter obiurgauit quod diuinis non obtemperaret placitis, quare pœnas vindices à cœlo comminatus eſt: nil minis apud piam matrem præſtitum. Igitur non multo poſt ingenuus Adoleſcens febri acutiſſima corripitur, deque vita periclitatur. Properat mater ad Conuentum ſancti Fratris opem imploratura. Exiſtimabat enim eum, qui gratiam ſanitatum in exteros profundebat, neceſſariis ſuis non defuturum. At vir ſanctus mulierem non eſſe exaudiendam ratus eſt. Eia, inquit, diſcede, nam Superorum in te filiumque tuum iram concitaſti: Nec digna es cuius vota ſuſcipiantur, quæ Dei propoſito non es obſequuta. Interim moritur Iuuenis, atque ad Conuentum funus inducitur, perſoluuntur eæ, quæ ſolenni ritu preces adhiberi, & decantari ſolent, atque ad tumulum cadauer ſiſtitur, cum diuino repente oraculo monitus ſanctus Parens, iubet omnes etiam Fratres, qui rem ſacram fecerant, diſcedere. Diſceſſum eſt ab vniuerſis, & ſarcina defuncti humeris ſancti Viri impoſita ad cellam miraculorum officinam infertur, in qua triduum pernoctauit in oratione Franciſcus, vt rediuiuum è cœlo puerum mereretur frequenti turbæ, quæ futuri miraculi expectatione dies totas in Cœnobii Eccleſia detinebatur, proferre. Ergo tertia die, qua ex omnibus Reipublicæ Ordinibus celeberrimus erat conuentus, matrem iubet accerſiri, quam his verbis compelleret. Eia mater, & ſoror chariſſima. Diuino placitum eſt numini, natum quem chariſſimum educaſti, ſuſcitare dummodo eius obſequaris, & adhæreas voluntati. Illa vero id factu impoſſibile ſuſpicata, lacrymas profundebat vberrime, atque longa trahens ex imo pectore ſuſpiria ita conquerebatur. Heu Pater, fraterque venerande? quid matrem mœrore confectam derides? Quid acerbiſſimum mihi mortis præpoſteræ vulnus refricas? Cui Franciſcus. Siccine de diuina deſperas pietate, & miſeratione? Depone iſtiuſmodi diffidentiam, Iubeo te de Deo bene ſperare: Nam ablatum pignus breui redditurus eſt, vnumque prius à te expoſtulat, vt ſcilicet gaudeas, quod ad habitum ſanctum admittatur. His, mater ſpe in Deum firmiter erecta, reſpondit, vtinam reuiuiſceret filius meus dilectus, parum mea intereſſet, an in tuam cooptaretur, an vero in meam rediret familiam. Cum autem ſanctus Pater iuſſiſſet eam pauliſper ſubſiſtere, ad Cellam profectus eſt, in qua adoleſcentem reuocauit ad vitam, reuocatumq; ſacro induit habitu, in Eccleſiam induxit ſpectante populo, atque coram matre conſtituit, fili inquiens, en mater tua. At ſapientiſſima matrona reſpondit: Imo vero, iam filius tuus eſt ô Parens Franciſce, nam quicquid ex me erat mors ademit, ſanctitas vero tua reparauit, fili mi, ne alium deinceps habeas Patrem, is tibi ſit Pater, vti corpore reſtituto, ita ſpiritu.

Proc. Regi. teſt. 4.

S. Virum h. buiſſe nepotes probatur ex Proc. Soret. 23. teſt. Proc. Xilian. teſt. 63. Caſtell. teſt. 104. Tur. teſt. 53. teſt. 104. ſupracit. de Nicolao in Tabulis Genealogiæ nepotũ S. Franc.

Relat. vnius è diſc. S. Franc.

Proc. Rhegin. teſt. 4. nam coincidit cum Pro. Xiliani teſt. 6.

S. Auguſtini Eremita conſciſſo pede curatur. Miracula in gratiam Euchariſtici Sacrificii. Prophetica Oracula duo.

CAP. XII.

INſtabat quidam Frater Eremita S. Auguſtini, Franciſcus nomine, qui poſtea Prior fuit Paulani Conuentus, cædendis lignis in ſylua Paulana, ad quam ex Superioris præcepto perrexerat. Accidit autem vt pedem ſecuri grauiter vulneraret, & ſanguinem vberrimè profunderet, quare deliquium pati videbatur. Accurrit extemplo S. Franciſcus, qui Fratrẽ conſolaretur. En inquiens Frater Franciſce, quid tantopere doles? heu reſpondit. Pater pedem cæcidi, nec ſpes vlla eſt mihi ſalutis. At ſanctus Franciſcus. Sine Frater mi, vt vulnus contrectem tuum. O rem mirandam! vt pedem ſacris manibus appræhendit, ſanguis ſiſtitur, & caro venæque ſolutæ reparantur. Id autem ſtupendum factum in S. Obedientiæ meritum retulit Sanctus Pater, ſicq; Fratrem eſt adhortatus. Ita nimirum dilecte fili, ſanus euaſiſti, quia ex Obedientiæ præſcripto huc aduenisti, quot, quantaq; miracula præſtet Obedientia Religioſa vix poteſt enarrari. Atqui ſi Obedientiæ meritis beneficium acceptum eſt haud ſane vulgaris gratia collata eſt Archipresbytero Letargenſi ob ſingularem, erga Sacroſancti Altaris tremenda myſteria, deuotionem. Nam ægre ferens ſanctus Pater Franciſcus, quod Vir Pius apoſtemate ad naſum enato, prohiberetur à frequentiori miſſæ celebratione. Iuſſit Religioſum Sacerdotem goſſypio in aquam frigidam immiſſo apoſtema leniter confricari, quod ſtatim euanuit, non arte quidem humana, ſed ope diuina. Altera etiam die Carolum à Pyrrho Conſentinum Archipresbyterum dentium acutiſſimo dolore, quoad deſperationem vſq;, affligtabatur, manus appulſu liberauit, eo quod prophetico ſpiritu reſciuiſſet, eum doloris acerbitatem, frequenti tremendorum myſteriorum celebratione ſuperaſſe. Nam cenſebat S. Pater quotidie ſacris altaribus, victimam Euangelicam in ſacrificium DEO acceptiſſimum, admouendam: Siquidem bonorum omniũ, quibus aut Eccleſia propagaretur, aut ſuſtineretur, eſſe fontem vberrimum profiteretur. Indeque factum eſt, vt pietate

Hic etiam apoſtemate, quod in brach. intumuit liberatus eſt.

Proc. Coſent. teſt. 93.

Proc. Coſ. teſt. 3.

Proc. Coſ. teſt. 37.

doctrinaq; celebris vir Carolus à Pyrrho ſæpiſſime in Conuentum veniret, Miſſam, quæ Euchariſtica eſt, peracturus, in gratiarum actionem, quotieſcunq; aliquid miraculi inſignis Vir ſanctus perpetraſſet auſpice Deo. Verum volebat S. Patriarcha Dei ſacerdotes mundiſſimæ eſſe conſcientiæ quotieſcunque ſacra tremenda eſſent peracturi. Inculcabat cauſam morborum eſſe, quod indigne, & cum peccati conſcientia ad altare accederetur, quod quidem duplici, quod ſequitur, probatur exemplo. Archipræſbyter Paulanus graui morbo correptus, & à duobus Medicis deſperatus miſit ad Sanctum Franciſcum, vti dignaretur meritis apud DEVM ſuis mortem ingruentem propulſare. At vero reſpondit Vir Sanctus, nondum vitæ conſtitutos eſſe terminos, nec enim diem ſuum iſthac vice adhuc clauſurum, ſed Deum velle vti conſcientia, melius quam ſoleret, expurgata Miſſæ ſolemnia die ſequenti celebraret. Porrho duobus traditis biſcoctis, & foliis herbæ vulgaris, è mortis faucibus non ſine miraculo ſtatim liberatus eſt. Cum vero is iterum poſt duos annos in grauem morbum incidiſſet, miſſus eſt ad ſanctum Patrem, qui nuntiaret, vt reſpondit nuntio Vir Propheta morietur hac vice, ſed mone eum vti conſcientiam ſuam exacta exomologeſi emundet, nam heri Miſſam cum peccatorum ſcientia celebrauit. Itaque accerſito Sacerdote ſe ad mortem, quæ ſequenti die contigit, præparauit. Vix autem Nuntius iſte è conſpectu Sancti Viri ſeceſſerat, cum Nicolaus de Chirico Paulanus aduenit, quem Sanctus Pater ſtans pro foribus Eccleſiæ in Conuentum deduxit, vti quæ eius domui ventura eſſent ſpiritu prophetico dictante, aperiret. Nam vbi cibis quadrageſimalibus eum amice refeciſſet cœpit dicere. Nicolae, iam tibi patientia opus eſt, filius tuus ex hoc ſæculo migrauit; vt autem id audiuit Nicolaus, continuo cœpit flere, at quod dolorem ſubleuaret, habere dixit Sanctus Pater: Nam tibi inquiebat hoc anno è coniuge tua duo erunt maſculi, quod contigit. Nam vno enixu peperit duos filios eius mulier, idq; poſt nouem exactos menſes.

Proc. Coſent. teſt. 32.

Troc. Coſ. teſt. 33.

Cœcis viſus. Mutis loquela inter operandum ſacra, reſtituuntur. Angelicæ ſalutationis recitatione moribundus eripitur.

CAP. XIII.

SIngularis etiam inerat Franciſco, circa Sacri Altaris tremenda ſolennia pietas, & deuotio, vt ſæpiſſime omnibus Conuentus miſſis aut miniſtraret, aut ſaltem intereſſet. Quocirca variis generibus miraculorũ ea ipſa hora gratiam obtineret a Deo. Cuius rei teſtimonio fuerit reſtitutus viſus viro cuidam è Maratea, quæ Calabriæ Ciuitas eſt adducto. Is à ſeptennio nulla pollebat videndi facultate cum Paulam aduenit. Vt autem cum Vir ſanctus eſt conſpicatus, manu ſignum Crucis ad oculos expreſſit. Deinde iuſſit, vt ſacrum attentius audiret in Æde Conuentus. Adfuit cœcus Miſſæ ſacrificio, ſed non toti; nam cum ſacrum Chriſti Domini corpus à Sacerdote eleuaretur, oculi aperti ſunt ipſeque rei nouitate percitus exclamauit. O rem mirandam! En intueor ipſis oculis Ieſum Chriſtum. Ego ipſe qui à ſeptennio cæcus eram. Stupendum prorſus miraculum, ſed multo inferius eſt eo, quod pergo narrare. Editus erat in lucem infans, orbatus oculis, naribus, & ore, adeoque toto vultu deturpatus, & deformis, vt rudis indigeſtaque moles vix ſpeciem humanam referret. Miſellum puellulum nobilibus è Coſentia parentibus: At locuples gratiæ ſanitatum monimentum. Nam ſtatim adducitur ad Sanctum Franciſcum qui cum in miſeria creaturæ iſtius informis, peccati horrorem recogitaſſet, atque defleuiſſet, ſputo oculos, nares, oſq; delineauit, ea cum poteſtate, vt ſtatim organa ad facultates videndi, olfaciendi, & alloquendi emerſerint, apparuerintque. Tantam autem omnium animos in admirationem prouocauit, vt non modo repetitum cæci nati à ſæculo, nuſquã auditum miraculum, ſed adauctum, & locupletatum vnanimes vnoq; ore conclamarent. Familiare quoque fuit ſancto Viro multis loquendi vſum inſtaurare, quod bis in æde Paulana geſtum narratur: Nam puella duodennis erat è Villa Cilico dicta, quæ ab ineunte ætate muta fuerat. Siſtitur coram S. Patriarcha, qui cum ſigno Crucis frontem parvulæ inſigniuiſſet, iuſſit eam ſuauiſſimum IESV nomen altius inuocare, illa vero erupit in eam vocem melle dulciorem, vnde poſthac facillime linguam cæteraque vocis inſtrumenta ad loquelam conformauit. Altera etiam die vir quidam ab vtero elinguis offertur, qui vt ter Ieſum, quem conclamare iuſſus erat, diſertiſſime pronuntiaſſet. Deinceps ea qua cæteri hominum vſus eſt loquendi facultate. Porrho iſta miracula in ſigni Crucis viuifici, tremendique nominis Ieſu gloriam, & S. P. Franciſci merita refundenda ſunt, quãquam ædis Paulanæ ſanctitati id datum fuerit à fidelibus, quemadmodum quod virum quendam ſurdum, manibus & pedibus contractum iuſſerit prius intra Eccleſiam aliquandiu ad gratiam ſanitatis orare, quam poſtea ſtatim accepit. Porrho huic finem imponam capiti, eo miraculo, quod in eadem Baſilica Salutationis Angelicæ virtute præſtitum circumfertur. Infirmabatur ad mortem Thomas Piſſonus Actuarius Paulanus, & ſupremum vitæ iam iam agebat ſpiritum, cum Paulinus eius cariſſimus filius accurrit ad ſanctum Franciſcum, qui forte cum matre ſua colloquebatur in Eccleſia, vt autem eiulantem eum perſpexit vir ſanctus percontatus eſt quid rei eſſet, ille vero reſpondit Pater meus moritur. At Sanctus Pater ſolatus eſt eum, & iuſſit illi orationem Dominicam recitare, quam cum reſpondiſſet ſe neſcire. Salutationem vero Angelicam ſe probe tenere. Ergo inquit Sanctus Vir, tot repete numero Aue Maria, coram S. Crucifixi, quæ proſtabat in templo imagine, ſic enim fiet, vt Mariæ Virginis patrociniis Pater tuus euadat ſanus, vt autem numerum indictum ſalutationis Angelicæ abſoluit, rediit ad S. Patrem qui tradidit ei biſcoctos panes tres, cum prunis aliquot, quæ cum comediſſet Pater eius, tres poſthac dies incolumis agebat.

Proc. Turon.

Proc. Coſent.

Proc. Patern. teſt. 45. 12. 51.

Proc. Neoraſt. teſt. 94.

Proc. Coſent. teſt. 612. 13. Bulla Canoniz.

Proc. Coſ. teſt. 41.

Templi S. Patris, Diſcipulorumq; eius Sanctitate Energumeni liberantur.

CAP. XIV.

IGitur Eccleſiæ Paulanæ, eiuſq; fundatoris Franciſci celebri ſanctitate commoti populi, confluebant vndequaque, maxime vero Energumeni, vt à Satanæ liberarentur vexationibus: Nam familiare erat etiam primis Sancti Patris diſcipulis, humanis corporibus Dæmonas expellere. tanta ſcilicet vigebat primorum Ordinis Patrum vitæ puritas, & ſanctimonia. Quod ſi contigiſſet incaſſum aduerſus Satanam Exorciſmorum ceremonias celebrari, accerſebatur S. Patriarcha, qui ſua ipſe præſentia vrgeret, & exturbaret. Venerat ex ea regione quam Auſitoliam vulgo nuncupant, Matrona quædam à Dæmone grauiſſime oppreſſa, quæ caſu obuia facta eſt Sancto Franciſco. Illa vero vt tranſeuntem aduertiſſet ſanctum Virum, exclamauit impellente Sathana. En hoſtem mihi infenſiſſimum, parui pendit egregius Athleta Franciſcus dicta huiuſmodi, neque ratus eſt adhibendos eſſe exorciſmos hac ipſa hora, maxime quia plebis corona erat ampliſſima. Fugiebat enim quicquid vanæ & futilis exiſtimationis ſpeciem referret. Inſiſtunt pro more ſummo mane Sacerdotes ordinis variis adiurationibus ad abigendos Cacodæmonas, verum derident illi piorum Patrum ritus, & Exorciſmos, aiuntq; ſe nihili facere Religioſam ſingulorum Fratrum induſtriam, vnicumq; pertimeſcere, & formidare Franciſcum. Is autem vt Sathanæ aduerſus chariſſimos in Chriſto Ieſu filios proteruiam reſciuit ira ſanctiſſime percitus accurrit, coegitq; extemplo effugere, intacto mulieris Energumenæ corpore. Nec mirum eſt, quod ſanctis diſcipulis ea paſſim poteſtas in dæmones Sancti Parentis meritis collata fuerit, cum in Actis ad Canonizationem legatur, Arreptitium vnum Dominicum nomine, è Caſtello, ſeu Territorio vulgo dicto d' Arenes trium ficuum à S. Patre in eum finem traditorum comeſtione liberatum, cum tamen tanta Dæmonum exagitaretur, & excruciaretur ferocitate, vt à decem robore valentioribus, & præſtantioribus vix cohiberi, & contineri poſſet.

Proc. Coſ. teſt. 13.

Proc. Coſent. teſt. 25.

Leproſi ſeptem, tres indictis exercitationibus ſpiritalibus mundantur. Accurritur ex Orientali Eccleſia.

CAP. XV.

LIteris conſignatum eſt ſeptem leproſos ſanitati redditos à Thaumaturgo Paulano, è quibus à cognatis ad

De leproſis ſanatis.

Proc. Sor. teſt. 26. *Proc. Coſent. teſt. 2.* *Bulla Canonizat. Leo X.*

cum adductus eſt è Conſentia Marcellus quidam de Cardilla, qui præterquam quod lepra, & inſanabili fœtore horrorem inſpectantibus gigneret, pedibus & manibus contractis erat, atque tanta peſſimi iſtius morbi contagione laborabat, vt loquendi vſum perdidiſſet. In miſerum autem virum cum oculos deflexiſſet vir charitate, miſerationeque plenus, flere continuo cœpit, & aliquantulum cœleſtem opem implorare. Deinde manum iacenti leproſo porrexit, quam vix attigit, vt conualuit à lepra, & membrorum quibus captus erat paralyſi. Tres alios leproſos detinuit in Conuentu, aliquot diebus, quibus ſelectas exercitationum meditationes indixit, priuſquam à morbis quos fortaſſis perpetratis flagitiis contraxerant, curaret. Aiebat enim morborum inſanabilium cauſam eſſe flagitia, quam prius ſubducendam eſſe duceret, quam conſuleret ægrotantium ſaluti. E tribus iſtis leproſis vnus erat Græcus, qui miraculorum fama permotus, transfretauerat ad ſanctum Medicum, quem pro accepti cœlitus beneficii dignitate per vniuerſam poſt ea Græciam etiam apud ſchiſmaticos Orientalis Eccleſiæ plurimum commendauit. Alter vero erat iam ab octo annis leproſus, cuius Frater Ioannes Varachelus filium habebat, cui anno primo natiuitatis cæco S. Pater videndi facultatem reſtituerat.

Proc. Coſ. teſt. 47.

Elenchus Miraculorum aliquot Paulæ factorum.

CAP. XVI.

IOannes Celabronus pice vehementer ſuccenſa, quæ in os, pectuſque exiliebat, combuſtus & deturpatus, ſanatur à Franciſco, qui Spiritu Prophetico eius aduentum reſciens herbæ cuiuſdam ſuccum, quo miraculum contegeret, & faciem, pectuſq; liniret præparauerat. Proc. Coſent. teſt. 6. & 12. Porrho iſta ſanatio adeo mirabilis fuit, vt vultu, pectoreq; poſtea ab omnibus illæſo & firmato, viſus fuerit.

Simile quid contigit Margaritæ de Bacharo Paulanæ, quæ aqua bulliente os ſibi, & oculos contorſerat, adeo vt plaga incurabilis eſſet, ipſa vero adhibitis cuiuſdam herbæ ſuccis ex S. P. Franciſco conſilio ſtatim conualuit, ibid. teſt. 7. & 8.

Ioannes de Simeono Paulanus, ſibi genu conciderat, vnde tibia tumefacta, mirum in modum, ne ſtare quidē poterat, ſed vt vulnus exhibuit S. Patri, ſanatus eſt, ſup. teſt. 7.

Prædicit matrem Lucæ cuiuſdam de Perri Paulani præ dolore partus, plane ſuffocatam, fœtum viuum emiſſuram, atq; à tanto periculo liberandam.

Idem Lucas de Perri ſciatica laborans, cum arte medica non potuiſſet ſanari, liberatur, teſt. 11.

Domina Bella vxor Ioannis Brogni caſu è feneſtra brachium ſibi confregerat, cuius quidem curationi Chirurgi incubuerant verum horum negligentia oſſis quædam pars intra cutem remanſerat, quæ grauem gignebat dolorem, nec poterant, aut audebant eam educere, cum vero ipſa ad S. Virum miſiſſet, accepit emplaſtrum quoddam, quo vulneri appoſito, ſtatim os ipſum emiſſum eſt, quod celebri miraculo datum eſt, teſt. 12.

Antonius de Alexio habens brachium contractum vſu naturali donatur, teſt. 16.

Vxor Iordani Carincellæ morbo caduco liberatur, teſt. 17.

Bernardus de Peromezio, oculum habebat grauiter ex Bouis immiſſo cornu vulneratum, at vero integritati reſtituitur à S. Franciſco, teſt. 20.

Andreas de Sano ex acutiſſimo renum dolore curuus incedebat, ſanitatis ergo accipiendæ cauſa venit ad S. Franciſcum, quem offendit extruendo Conuentui incumbente. Is vero iuſſit Andream quanquam curuum ſe erigere, atq; aſſumptis malleis collaborare, quod quidem vt viſus eſt præſtare, dolore renum liberatum ſe ſenſit.

Idem cum vnum ex liberis haberet domi à Medicis deſperatum, & morti vicinum, accepit Cancrum, qui ex iuſſu S. P. Franciſci ægroti manibus appoſitus ſanitatem reſtituit, teſt. 22.

Andreæ Roſſani à Paula vxorem mammilla grauiter ægrotantem ſanat, eiq; plura ventura vaticinatur, ipſis etiam Calabris prædicit penuriam ingruentem, teſt. 66. & 24.

Filius Nicolai de Bernardo ſigno crucis ab ipſo B. Fráciſco præſtito, eripitur è mortis faucibus, teſt. 28.

Bartolucii oculus, ligno quodam læſus, & diſtractus ſanatur, teſt. 31. & 43. qui etiā alias apoplexia liberatur, teſt. 43.

Clara, Nobilis Iacobi Carbonelli ſoror pedibus, manibuſque, ita vt nec incedere, nec quidpiam aliud agere poſſet, contracta, ſoluitur, teſt. 36.

Antonius Caputus de Paula accepto ictu vehementi à Patre irato dolorem grauiſſimum in aure, & vomitum ingentem diutiſſime perpeſſus eſt, ſed precibus, & artibus ſancti Viri, non ſine miraculo ſanatus eſt, teſt. 38.

Antonius de Aduardo Paulanus, morbum quendam, vulgo dictum frigidum malum, per tres menſes expertus, ſtatim incolumis euaſit, atq; ſe ad opus pro ſancto viro accinxit, teſt. 42.

Nobilis Viri Franciſci Santonii à Paula filius, canis rabidi laniatus dentibus, à mortis periculo liberatur precibus S. Viri, teſt. 44.

Domina Petronilla de Segnorello oculis valde exhumoribus grauatis, & pœne nihil videns ſanatur, deindeque à quodam morbo, quo caput, & facies cum pectore vniuerſo intumuerant liberatur, denique eius filia carnoſo quodam tumore ad collum enato præpedita, vt collum eleuare non poſſet, ſoluitur, teſt. 45.

Fabri cuiuſdam oculus impetu circuli ligneicrutus S. Patris precibus, & beneficio poſt tertium diem, quo faber ille cum S. Viro diuerſatus fuerat, naturali reſtituitur facultati. Proc. Neocaſtr. teſt. 92.

Proc. Coſ. teſt. 58.

Suſcitata animantia duo. Cur frequens facilis gratia Miraculorum? Byſantii clades, & inuaſio Græcis, niſi Rom. Pontificem agnoſcant prædicitur.

CAP. XVI.

FInem geſtis in Paulano Conuentu miraculis imponam, eo quod in animantis cuiuſdam familiaris ſuſcitatione viſum eſt. Delectabatur S. Patris innocentia fouendis, & educandis animantibus: nam Ceruam quæ ad eius orantis pedes, velut ad aſylum confugerat, excepit aliquando, à Venatorum inſidiis liberauit, eamque cicuratam pluribus annis educauit. Porrho ea Latomis atque Cæmentariis cum nullas dapes, quibus veſcerentur, haberent conceſſa eſt à ſancto Patre ad comeſtionem. Edulium ſane laudatiſſimum narratur aliis operariis, qui ſtatim cogitant de ſubducendo, & ſuffurando hinnulo, quem etiam cicurauerat. Subtrahitur, & furtim comeditur à nonnullis fabris, atque oſſa reſidua in fornacem calciariam vehementiſſime ſuccenſam conjiciuntur, ne vlla furtiui obſonii maneant veſtigia. Dies aliquot effluunt, nec hinnulus accurrit ad Franciſcum, vt lambat manus habitumque pro more. Quærit ſanctus Pater Thaumaturgus quonam elapſum fuerit charum animal? inficiantur omnes ſe ſcire. At neſcio quo pacto contigit vt è latomis vnus rei factum prodiderit, recenſueritque oſſa quæ ſupererant in cinerem, fauillamq; redacta eſſe, eo quod in ardentem fornacem immiſſa probe reſciret. Accurrit Thaumaturgus, & euocato ad os fornacis animante, hinnulus concitatur, exilitq; è mediis flammis rediuiuus. Fama vero iſtius, aut conſimilis miraculi, ad vicina Caſtella perlata, ruſticus quidam ex oppido, quod flumen frigidum dicebatur, incredulus S. Patrem deridebat. Cum enim agnum nouellum haberet, quem iugulatum cognati Pagani dono dederant. Pergo inquit Paulam probatum, an Eremita noſter eum ſuſcitaturus ſit. Ergo vectus equo agnum pedibus ſuſpendit, atque Paulam verſus contendit. Vix autem ſtadium vnum emenſus fuerat, cum animalculum balare, atque vinculis ſe exoluere nititur, quod quidem vt præter expectationem ſenſit, timore conſternatus animo, ad eam villam vnde digreſſus fuerat ilico rediit, miraculum, quod ad curandam eius incredulitatem contigerat, propalaturus. Scilicet diuina Omnipotentia, quæ ludebat olim in orbe terrarum tantopere deliciabatur in Franciſco, vt vel in ludicris ſupra naturam plurima proderet, quale iſtud mirum viſum eſt à ſæculo nuſquam auditum. At quanquam iſthæc cœleſti munere, præſtita rebus in modicis videamus altiori tamen conſilio

Relat. vnius ediſcip. S. Franciſci.

peracta ſunt, ſcilicet, vt quæ nam extaret vera Chriſti IESV Sponſa mediis è tenebris horrendi ſchiſmatis, quo Eccleſia varias ſcindebatur in partes, appareret omnibus, præſertim verò Orientalis Eccleſiæ fidelibus qui tot veluti teſtimoniorum nube expugnati Romanum Pontificem in Caput Eccleſiæ aſſumerent, aut ſane breui eas pœnas luerent ſuæ obdurationis, & peruicaciæ, quas minitatus fuerat Spiritus Prophetico Franciſcus. Prædixerat enim his, qui è Græcia Paulam appulerant, Mahometanorum Tyrannide opprimendos eſſe, niſi Vicarium Chriſti Domini Summum Pontificem Rom. venerarentur, & colerent. quod quidem (omine peſſimo) contigit ipſis Pentecoſtes diebus. Nam in ea feſtiuitate Anno M CCCC LIII. Conſtantinopolis Ciuitas, ditioni, & Tyrannidi Turcarum miſerrime ſubiecta eſt.

LIBER II.

In Paterni fabrica Angelorum miniſteria. Miracula innumera. Obedientia meritò frater è ſuccenſa fornace prodit illæſus.

CAP. I.

PArua, paucaque ſunt iſta, quæ hactenus è centum aliis Paulæ patratis ſelegimus priori libro contracta, & congeſta, ſi cum iis quæ in Paterno Ciuitate Calabriæ geſta ſunt conferantur. Nam Cœnobium iſtud miraculorum, æque ac Minimorum iure merito vocari poſſet. In eam autem ſeceſſit Vrbem Sanctus Pater ab vniuerſis Reipubl. Ordinibus expoſtulatus, & aduocatus. Et quidem tanta ſanctitatis, & miraculorum gloria ſuſpiciebatur, vt omnium populorum eſſet amori & deſiderio, primumque in dato à Ciuibus Sacello, quod à Sodalitio vulgo de diſciplina dicto extructum fuerat Sedem fixit. Deinde nouum Conuentum in ea vrbe aggreſſus eſt extruere Anno ſalutis 1444. cum eadem imo vero maiori miraculorum, quæ in Paulanæ fabricæ narratione recenſita ſunt frequentia. Nam ſitus loci, qui erat monticuloſus ad IESV nomen ſanctiſſimum depreſſus eſt, mons loco diſſitus, vt riuus diffluereat ad rei domeſticæ ſubſidium. aquarum copia exuberans vna foſſula comprehenditur, & cibitur. fons ſolo erumpit, ſuper quem Sacellum in Eccleſia Altiliæ fuit excitatum. Denique murus inclinatus ad ruinam medio in aere ſuſpenditur, rupes ſiſtitur, & hæret in media via: Ad hæc eo ipſo die impoſitionis primarii in Eccleſia lapidis per Pyrrhum Archiepiſcopum Conſentinum ſolenniter factæ, non ſine ſtupendo miraculo vir indoctus tres ad populum habuit conciones: & ex quadam veteris ædiculæ feneſtra, quæ iuxta altare erat, omnis generis fructus, cum tamen nulli fuiſſe antea crederentur eduxit, quos ad variorum morborum traderet medelam. Namque nouem leguntur à caduco morbo miraculoſorum fructuum ſola commeſtione liberati. Quoties autem grauiſſima pondera ſigno Crucis inſcripta leuitarint, vt facile traherentur, aut deportarentur, enumerare difficillimum. Nam paſſim ſine vlla mortalium quod deprehenſum ſit, opera, traducta fuerunt ad ædificium cæmenta, lapides, & tabulata, vt Angelorum miniſterio ſæpius vſum fuiſſe coniectent plerique; quod ſane omnium comprobatum eſt calculis, cum octodecim trabes ad Eccleſiæ vſum inuectæ vna nocte expoliuntur, etſi ſero præcedenti rudes relictæ fuiſſent. Cumque ipſe ſolus trabem quæ à quinquaginta validiſſimis operariis fere contrectari poſſet brachiis in templi, quod ſtruebatur, muros imponit. Porrho iſthæc omnia in fidei referebat meritum, quam etiam plura poſſe ex euangelica paroemia aſſeuerabat, & ſuorum experimento comprobabat. Etenim cum quidam ex operariis IOANNES de la Rocha nomine ſuam detractaſſet opem ad vehendas duas arbores, quæ à boum iugis duobus vix poterant loco moueri Sanctus Pater Thaumaturgus ſuorum temporum modicam fidem deflens, ſic proloquitur eſt. Siccine de DEI Omnipotentia diffides? nunquid Charitas per fidem omnia poteſt? Eia per Charitatem confide in DEO, & leuiſſimum onus comperies; Ille vero Sancti Viri deridens monita inſit. Pater iam firmiter credo, impone humeris meis trabem, & geſtabo. Demiratus eſt incredulus, quod duo ligna ipſe cum Sancto ad Conuentum facillimo negotio tranſuexerit. Verum alia quamplura frequentiſſime vidit: nam ſolo verbo, aut nutu arbores contortas direxit, in duas diſſidit partes, duasque nonnunquam, ſi opus fuiſſet in vnam compegit. Denique ſuperant fidem humanam, quæ ſupra naturam ab autore gratiæ per heremitam Calabrum eò loci gerebantur. Imo vero, quæ ad eius imperium per ſuos præſtabantur, è quorum omnium numero vnicum commemorabo, quod ad Sanctæ Obedientiæ commendationem facit miraculum. Fornax calcaria ſupra modum accenſa corruebat: id vt aduertunt operarii Sanctum Virum acciuere, vti diuina, qua pollebat ope damnum reſarciret, Ille vero pergens ad fornacem ait illis nihil eſſe formidandum; ſciebat enim qua ratione ruinæ forent reparandæ. Circumſtabat forte perterritus iunior quidam frater, huic ergo imperauit ad Obedientiæ Sanctæ experimentum, fili, per Charitatem, calcariam fornacem ingredere, figeque iſtum, quem porrigo baculum, vt eo teſtudo ſuſtineatur, obediuit alacriter frater ille iunior, & è mediis flammis illæſus egreſſus eſt ſuſtentato per baculum ligneum eo qui ex erumpentibus flammis corruebat forniceæ calcariæ fornacis. Præclarum ſane, & nullis vnquam ſeculis reticendum obedientiæ promptiſſimæ, & numeris omnibus abſolutæ miraculum, & experimentum.

Teſt. 117. *In agni recenſ.* *Proc. Coſent. teſt. 67.* *Proc. Patern. teſt. 40.* *Proc. Neocaſt. teſt. 93.* *Proc. & liter. Amant. teſt. 304.* *Proc. Coſ. teſt. 9.* *Proc. Coſ. teſt. 95.* *Paterni teſt. 43.* *Xil. an. teſt. 62.* *Proc. Soc. teſt. 20.* *Neoc. teſt. 15. & 81.* *Cat. anz. teſt. 114.* *Proc. Neocaſt. teſt. 92.* *Proc. Coſ. teſt. 69.* *Id creditur accidiſſe Paulæ.*

Proc. Sor. teſt. 20. oculato.

Certatim adlaboratur fabricæ à Magnatibus. Curationum beneficia conferuntur.

CAP. II.

EA de cauſa Nobiles viri, fœminæque illuſtres non nihil operis per ſeipſos commodabant, vt Sanctis Angelis, quos in Sancti Viri fabrica miniſtrare crederent, collaborarent. E Prælatis Eccleſiæ nonnulli quoque viſi ſunt, qui vt Cœleſtis medici beneficia ad animarum corporumque medelam promererentur, exemplarem nauabant operam. Nam quotquot diuturnis morbis afflicti atque labefactati confluebant, cœlitus ſanabantur, dummodo Sanctus Pater Franciſcus ſuis iuſſis eos cohoneſtare dignatus fuiſſet. Adſtabant in modum coronæ, vt conducerentur. Nam pro certiſſimo ſtipendio operiſque mercede ſanitatem atque incolumitatem corporis domum reportabant. Ita certo ſcimus mutum puellum loquendi facultate donatum ſtatim atque parentes eius ad operas Conuentus extruendi ſe accinxerunt. Ita ſanatam legimus mulierem quandam, quæ acerbiſſimo capitis dolore grauabatur, atque febre acutiſſima correpta, totas dies, noctesque ducebat inſomnes. Eam autem cum inſpexiſſet S. P. FRANCISCVS. Nata inquit aſſume lapidem iſtum, impone capiti & defer operariis noſtris. Obſequuta eſt mulier iuſſis Sancti Viri, & ex ea hora ſanata eſt. Simile quid imperauit Moniali, quam Parentes è Conuentu ad Sanctum Virum transuehendam curauerant, erat enim debilis pedibus, vt nullatenus ſtare, aut pergere poſſet. Siſtitur & ſolo proſternitur, nam equo, quo aduecta fuerat, deſcenderat. Cui imperauit Sanctus Pater, ſoror chariſſima ſurge, & me ſequere miniſtratura lapides meis operariis, Illa autem exiſtimans id ob virium imbecillitatem ſe non poſſe, reluctabatur. Igitur annuit Sanctus Pater, viæ comitibus, vt eam ſublevarent. Deinde ingentem lapidem eius capiti impoſuit, cuius contactu ita conualuit, vt rei novitate percita conclamaverit. O rem mirandam! Conualeo ab infirmitate mea. Illa demum iuſſa eſt, citiſſime Conuentum repetere, atque DEO piiſſimum gerere famulatum. In id enim præſertim vir Zelo DEI plenus totus intendebat, vt ſanas mentes in corporibus ſanitati redditis faceret, quod ex eo quoque quod ſequitur, videre eſt. Nam cum fœminam quandam, quæ é Cotrona venerat, coram maiori altari ſtantem vidiſſet, poſita ſuper caput, eius manu Sanctus Pater eam à Paralyſi, qua per 30. iam annos detenta erat, ſolvit, iuſſitque eam ad vehendos lapides pro fabrica ad operas venire, quod illa tota die præſtitit, deinde tertii Ordinis habitum in accepti beneficii memoriam accepit, vt ſe ſtrictius Dei obſequiis deinceps addiceret.

Similia leguntur de tribus matronis honeſtiſs. ſanatis vt aliquid operis præſtarent. Proc. Xiliæ. teſt. 54.55.57. Proc. Pat. teſt. 70. Sciatica laborans libera euadit ſimili facto.

Curationes variæ. Mortui ſuſcitati. Periculoſiſſime vulnerati letho exempti.

CAP. III.

NEc tantummodo plures reſtituit ſanitati, vt collaborarent excitandæ domus iſtius molis, verum etiam operarios quos conduxerat, ſi eis inconſultis aliquid accidiſſet, *Proc.Coſent.teſt. 74.* liberabat, quemadmodum præſtitum eſt Paulo à Porta, cuius coxa quæ inter operandum molis grauiſſimæ pondere contrita fuerat, Sancti Viri beneficio (nihil enim potuerant *Proc.Patern.teſt. 43.* Medici Chirurgi) redintegrata eſt priſtinæ facultati. Idipſum fabro lignario contigit, qui pedem acutiſſimo ferro penitus inciderat: vt ſola pelle, abſciſa pars altera cohæreret pedi reliquo. Nam accurrit Sanctus Franciſcus, qui obuiam manibus herbam vulneri appoſuit præſtito ſigno Crucis, cuius merito partes diſſolutæ, reductæ atque reparatæ ſunt. Habetur in Actis Canonizationis, duos operarios in *Proc. Coſ teſt. 9.* fodiendis fundamentis telluris pondere oppreſſos ſancti Viri precibus è mortis faucibus ereptos. Præterea que duos alios fabros lignarios ex editiſſimo loco miſere in ſtratum colliſos, ad vitam ſolò nutu, & tactu reuocatos, vni Leonardi Philippi nomen erat, qui è ſupremo tecti fornice, imprudens cecidit in pauimentum, quo caſu è viuis exceſſiſſe prodebant contrita membra, ſanguiſque ore, naribus, & vndequaque profuſus. Deflere omnes eliſum, extinctumq; cadauer. At Franciſcus in cuius manibus vitæ mortiſque claues *Proc. Pat. teſt. 47.* poſitæ videbantur oppido ad Leonardum acceſſit, eiuſq; demortui manu appræhenſa, ſurge, inquit Leonarde, redi ad opus, nam tibi bene eſt. Reuertitur alacri animo, & conſcendit editiſſimum locum, vnde lapſus fuerat. Cui tamen pergenti dixit Sanctus Pater, vide ne ſaltum eiuſmodi denuo præſtes. Tibi namque fortaſſis eſſet periculoſior. Alteri Tho- *Proc.Patern. teſt. 49.* mæ à Turre nomen erat, quem bis à mortuis excitauit Sanctus Patriarcha. Nam cum Caſtanei quem excidebat caſu oppreſſus fuiſſet poſt alteram horam vitæ redditus eſt. Is autem rurſus cum in campanili conſtruendo quinquaginta pedes alto operam ſuam collocaret, inopinato caſu colliſus, & plane confractus eſt. Accurritur ad ſanctum Franciſcum, cui affirmant hominem extinctum, ipſe vero negabat, eo quod (inquiens) pro Dei domo inſudaret. Equidem rei veritate comprobatum eſt demortuum quidem eſſe, ſed neutiquam Franciſco Thaumaturgo cui viuebat, nam quemadmodum ſi dormientem excitaſſet, excitare inquiebat, Thoma, & regredere ad opera, quibus dictis ſtatim ſurrexit & conualuit. Pari quoque miraculo hominem mediis in niui- *Bulla Canoniz.* bus ſepultum, atq; algore extinctum, quem venatores offenderant in ſylua, ad lucis vſuram reuocauit: eia clamabat, *Proc. Pat. teſt. 46.* exurge, nam ita diuina munificentia tibi condonatum eſt. Nec abſimilia ſunt ea, quæ ſequuntur. Primum, quod puer *Proc. Pat. teſt. 46.* quidam annorum quinque è domus tecto collapſus, atque pro mortuo habitus precibus Sancti Viri reuiuiſcit. Itemq; Paulæ quidam nomine Caſellus è celſo loco deciduus, caput ſibi confregerit, quem mortuum S. Pater in templum ſuis brachiis deportatum, atque ſub altari poſitum ad vitam reuocauit. Secundum, quod puer quidam, cui cerebri pars *Proc. Pat. teſt. 50.* ex tridentis à patre irato in occiput immiſſi, atq; educti vulnere effluxerat, S. Viri beneficio incolumis euaſerit. Ter- *Proc. Ambian.teſt. 117.* tium denique, quod Ioannes quidam è Coſentia dictus Bonuinus à Medicis deſperatus, eo quod è iuuenis capite ce- *Pro. Coſent.teſt. 3.& 70.* rebrum equi calce excuſſum fuiſſet, Sancti Medici precibus conualuerit, cui ipſi etiam contigit apoſtemate fœdiſſimo, quod ex canis morſu intumuerat, Crucis, & aquæ benedictæ virtute liberari.

Cibi Angelorum opera inuecti. Multiplicati familiari miraculo.

CAP. IV.

Proc.Neocaſt.teſt. 52. QVid memorem? quoties ſuos operarios dapibus cœleſtibus, & non alia ratione, quam Angelorum miniſterio comparatis, aut miraculo multiplicatis aluit? Sane quidem Proceſſus ad Canonizationem Neocaſtrenſis meminit Angeli miſſi à Chriſto Ieſu ad S. Franciſcum, vt deferret fruſtulum panis, & vini amphoram, quibus reficerentur conducti ad ligna in quodam monte comparanda, operarii. Verum quod in eo miraculo omnibus omnium oculis, & ſenſibus ſubiectum eſt, inuiſibili Angelorum ope perpetratum credimus, in iis quæ ſubjiciuntur exemplis. *Proceſ.S. Blaſ.teſt. 100.* Nam primo omnium ter mille viros, aut mulieres, qui Paternum viſendi Thaumaturgi gratia confluxerant vnico panis cophino, atque vini amphora ad ſatietatem refecit: cum tamen poſtea idem cophinus, eademq; amphora intacta remanerent. Altera autem die, cum quemdam ex fabris offendiſſet proferens ficum vnam (quanquam alii reſtim ficuum dixerint) inſit. Putaſne me tibi & ſociis tuis, ex hac ficu partem aliquam *Proc. Pat. teſt. 44.* dare poſſe, cui iſte ratus id impoſſibile factu ſubridens. At, mi Pater, inquit ſi totam diſtribueris, quid tibi cedet; Reſpondit S. Vir gratia Dei chariſſime, quæ non deeſt inquirentibus eam toto mentis affectu, igitur ficum iſtam viginti operariis diuiſit, cum ea ſingulorum admiratione, vt o- *Proceſſ. S. Blaſ.teſt. 101.* mnibus abunde ſatiatis, ficus præ manibus ſupereſſet. Idem narratur de trecentis hominibus, qui operam nauabant aquæductui Conuentus excauando paucis ficubus ita refectis, vt ſupereſſent. Præterea viginti numero fabros lignarios, quos cædendis in ſylua lignis addixerat vno pane, vinique amphora totam diem aluit præter omnium expectationem, qui antequam è Conuentu migrarent, conqueſti fuerant, quod parce nimium ſingulorum educationi proſpectum fuiſſet. Ad hæc, memorandum eſt, quod in literis Vincentii Carafæ Comitis ad Leonem X. atque alibi conſignatum eſt, innumerabili hominum concurſu affluente, è cophino panis intacto, & vini cado inexhauſto omnes comediſſe & bibiſſe. Eratque iſtud miraculi genus valde familiare S. Patri Thaumaturgo: Nam de eodem vini dolio à menſe Aprili ad menſem Septembris ab omnibus operariis, *Proc. Caranz. teſt. 113.* & innumeris qui Paternum confluebant potatum eſt. Fabarum item parua menſura per multos menſes non deficit, vinum, lactucæ, & fruſtulum panis multiplicantur, ciſtula pomorum oblata à paupercula ducentis hominibus ita diui- *Proc. Sor. teſt.14.* ſa eſt, vt ſingulis pomum vnum cederet. Denique in apparata menſa Guillelmo Oeconomo, & Præfecto domus Illu- *Proc.Sor. teſt. 27.* ſtriſſimæ D. Marchioniſſæ de Pollixena nec piſcis miraculo expiſcatus, nec panis, nec vinum à comedentibus minui vi- *Proceſ.S. Blaſ.teſt. 101.* ſa ſunt, pluraq; alia ex actis ad Canonizationem colligere eſt, quæ noſter ſcribendi ſtilus contrahit breuitatis deſiderio.

Leproſus mundatus. A natiuitate Cœci, Mutus arte miraculum deludente, reſtituti.

CAP. V.

NOn modo imitatus eſt S. Franciſcus Chriſtum Dominum perfectionis apicem in virtutum, quibus grati reddimur exercitatione: verum etiam in Miraculorum, quæ gratia gratis data eſt, operatione, vnde quadam animi rapiebatur ſuauitate, cum in aliquem incidiſſet occaſionem abſolutiſſimæ Chriſti Ieſu imitationis. Accidit, vt leproſus quidam (is è Turonenſi Ciuitate in Italiam eo *Lege de quodam leproſo Biſignan.* conſilio aduenerat) ſupplex verba Euangelica vſurparet, quibus Sancti Viri gratiam auſpicaretur. Domine, inquiens, ſi vis, potes me mundare. Delectatus eſt mirum in modum Sanctus Vir, poſtulatu iſtiuſmodi: quare continuo reſpon- *Proc.Coſ teſt.67. & de Nobili Guidone Lipareto plane corroſo. ibid.* dit, volo, verum quia id per me non poſſum, perge ad torrentem, qui domum noſtram alluit, & lauare, memoratus Chriſti Domini merita cuius omnipotentia, non autem ope mea ſanaberis. Nimirum ea erat conſtantia Sancti Viri in humilitate, quæ virtutum mater eſt ſtudioſiſſime conſeruanda, vt eius deſiderio propagandæ, complura iſtiuſmodi miracula, quæ cœleſti procul dubio munificentia gerebantur, naturalium cauſarum inuolucris contegeret, vti in omnium animos induceret, gratiam curationum debere in iſthæc refundi, non autem ad eius, quæ in eo erat operationis diuinæ munificentiam. Denique quam ingenioſa ſit Sancto- *Proc.Patern. teſt. 42.* rum humilitas in eo videre eſt, quod ſequitur exemplo. Nam cum cæcum natum viuifico Crucis ſigno illuminaſſet, vnde omnes qui circumfuſi erant, demirarentur ſtatim oblatus eſt ei mutus, & elinguis ab incunabilis, cuius quidem curationis miraculum ea arte deluſum eſt. Iuſſit tres cæreas candelas ad parietem affigi, quæ cum calore ſolutæ deciderent, puellulus, cui loquẽdi vſum hactenus natura denega-

uerat

uerat rei nouitate commotus exclamauit, diſertiſſime, en candelæ decidunt. Inde deinceps loquendi vſum habuit. Interea vero tribus cæreis ſuccenſis ſidem Sanctiſſimæ Trinitatis ſignificatam voluit S. Thaumaturgus, cuius virtute tale portentum editum eſſet. Nec prorſus abſimili vſus eſt delu- *Proc.Coſent. teſt. 22. & 23.* ſione, cum Iuliam Antonii Catalani filiam à matre oblatam videndi facultate orbatam foliorum quorundam ex horto decerptorum applicatione illuminauit.

Energumeni liberati à S. Franciſco, eiuſq; Diſcipulis.

CAP VI.

Proc.Coſent.teſt. 72. NOn eſt prætereundum, quantum Conuentui Paterno infenſi fuerint Cacodæmones. Nullus videbatur in vniuerſa Italia locus, aut ſanctior, aut quem Dæmones magis formidarent: Nam quotquot è variis regionibus aduchebantur, à Sathana vexati, liberabantur à miſerrima Tyranni- *Proc.Coſent.teſt. 79.* de, E quibus Illuſtris quædam Maria cognomine Capa memoratur, quæ à fœdiſsimo, libidinoſo nempe, & blaſphemo Spiritu exagitata, ſupra quam ſcribi par eſt, S. Franciſci aduentu diſcruciabatur, nimirum humilitatis, & innocentiæ, quæ in Sancto Patriarcha erat virtutem inimicam ſentiebat, *Petrus de la Baglia nomine.* qua vrgente depulſus eſt. Præterea cum Ruſticus quidam inuito, & reluctante Sathana adductus eſſet ad S. Franciſcũ, qui forte operi inſtabat, iuſſit S. Pater Dæmonem ad Dei ob- *Proc. Coſent.teſt. 69. 70. 72.* ſequium, & vindictam inobedientiæ, onera grauiſſima geſtare, quæ robuſtiorum viribus, & lacertis vix aut moueri, aut aliquantulum eleuari poſſent. Idipſum reluctans, & inuitus Dæmon tota die præſtitit, qua inclinata ad veſperum è Ruſtici demum corpore diſiectus eſt, ea cum renitentium Spirituum, qui plures in miſerum ſæuiebant, afflictatione, vt ſemianimis ſolo proſtratus ſit, tantoque fragore templum inſonuerit: vt tecta murique concuti, & moueri viderentur. Ad extremum ea in profligandis Cacodæmonibus poteſtas, S. Viri beneficio, & merito ad Diſcipulos diffluebat. Nam vir amans ſolitariæ vitæ, & ſtrictioris cum Deo conſuetudinis, vt plurimum ſuis diſcipulis committebat, vt à Dæmonibus domos infeſtas repurgarent. Cuiuſmodi Vicaria virtute virgo Nobilis, & Illuſtris à ſpurciſſimi incubi moleſtiis liberata eſt, quod apud Conciues non mediocrem peperit admirationem. Nec prætereundum quod Sigiſmunda puella in cunis à Cacodæmone ſuffocata, ita vt gutture corroſo videretur, ſolo Sancti Patris imperio vitæ reſtituta ſit expulſo Sathana.

Coriliani, & Spezani Conuentus. Ficus multiplicata. Moribundi recreati. Fames prænuntiata. Panes diuinitus viſi. Iter in Siciliam.

CAP. VII.

Ex variis locis. DVM autem Paterni Conuentus extrueretur, Corylianum, & Spezanum Ciuitates Sanctum miraculorum opificem enixe poſtularunt, qui piorum votis annuens in eas Vrbes ſeceſſit, locaque delegit in quibus prima iecit molis Cœnobiticæ fundamenta, plurimaque edidit ſigna, quæ miram portenderent ſanctimoniam. E quibus narratur, quod *Proceſ. Amalthin. teſt.104.* quemadmodum Paternioni è terra, ita hic è ſilice fontem baculi appulſu eduxerit. Deinde quod trecentos operarios, qui rupi excauandæ inſudabant, ficu vnica refecerit, quam Ieſum Chriſtum imitatus eleuatis in cœlum oculis, manibuſque multiplicauit. Simile quid præſtitum feruentiſſimæ orationis merito. Nam è duobus panibus, quos in pera, vxor Latomi cuiuſdam occultauerat, alterum iuſſit produci, quem iiſdem trecentis viris diſtribuit, cum tamen integer deinceps in peram cum altero pane immiſſus fuerit. Et hæc, è multis, patrata leguntur Coriolani. At vero eius in Spezanum aduentus longe maioribus nobilitatus eſt prodigiis. Siquidem annonæ caritatem, quæ in ea Ciuitate extrema erat, pauper euangelicus vitæ ſanctimonia, contemplationiſque merito ſubleuauit. Cumque tres homines, inedia, quam per dies plures ſuſtinuerant, fere extinctos, & ſupremum vitæ halitum, corporibus terræ afflictis emittentes, primum in Vrbis vicis offendiſſet, fruſtulo panis dato, qui excreſcebat, nec minuebatur, recreauit, & ad vitam non ſine miraculo reuocauit. Præclarum prorſus exemplum quo plurimarum Ciuitatum peruicacia retundatur, quæ *Liter. Caſtell. aut Amanth. teſt. 105.* pauperes euangelicos intra ſua ſepta verentur admittere: exiſtimantes tantum de Ciuium re familiari detractum, cum tamen inde diuina benignitate, quæ miſericordes fouet, atque amplificat, bonorum omnium profuſiſſima fiat acceſſio. Quoties autem famem imminentem ſuis prædixerit ciuibus vix poteſt enarrari. Nam multoties id colligitur factum ex Canonizationis eius proceſſibus.

Rebus in ea Ciuitate pro Cœnobitica familia comparatis iter in Siciliam inſtituit, in quo plura viſa ſunt miracula, primum quidem in panis vnius multiplicatione, quæ *Proc. Soret.teſ.22. oculato.* eum in modum contigit. Sanctus Patriarcha comitibus duobus ordinis ſui Fratribus nullum curauerat, vti moris erat, obſonium deferendum, quare cum nihil ſuppeteret, vnde veſcerentur à viris quibuſdam, qui cateruatim proficiſcebantur pro Ieſu gloria panem emendicauit. Ii vero ſe, nec micam panis habère dixerunt (erat enim eo tempore caritas annonæ in Calabria) quibus vir Propheta, cui occultiſſima quæque apparebant, filii obſeruate, & inueſtigate peram vnam quam ipſe dixero, nam exploratum mihi eſt panem vnum in ea deliteſcere, illi negabant; quare aſſumpta pera, S. P. Franciſcus ipſe perſcrutatur, & panem adhuc calidum non ſine omnium admiratione producit, qui diuina ope per S. Viri manus diuiſus, & multiplicatus, triduo cateruam vniuerſam ad ſatietatem vſque ſuſtentauit, tandemque integer atque intactus, iiſdem implicatus linteis in pera repoſitus fuit. Sunt qui dixerint panem iſtum miraculo primum è peræ latebris prodiiſſe. Ita nimirum diſcipulis Ordinis noſtri primiceriis, quantum in Diuina prouidentia, paupertatis Euangelicæ ſectatoribus confidendum ſit, eſt ſignificatum.

Fretum Siculum ſiue rate traiectum. Aduentantis, & reducis Claritas miraculorum.

CAP. VIII.

ALTERVM vero quod fidem ſuperat humanam, in freto Siculo, inſpectantibus plurimis contigit, vt de tanto Thaumaturgo illud Pſaltis Regii ad literam vſurpare liceat. In mari viæ tuæ, & ſemitæ tuæ in aquis multis, & veſtigia tua non cognoſcentur, atque illud. Tu dominaris poteſtati maris, & motum fluctuum eius tu mitigas. *Proc. Soret.teſt.9. & teſt.22. oculatis.* Nam cum è terris Calabris, ad Meſſanæ Pharum, & Siculas oras, ſinus maris Mediterranei longe periculoſiſſimus eſſet traiiciendus, rogauit Nauarchum, qui ratem ſoluebat, vti dignaretur eum cum duobus aſſumptis ſociis in ſua naui recipere. Is autem obduratæ mentis cum eſſet, pauperes Euangelicos, quos nihil habere, quod pro naulo ſoluerent, verbis aſperis conſectatus eſt, & ne nauim conſcenderent, expulit. Sicque relictis ad litus Sanctis Patribus, ventis & vndis ratem commiſit. Atqui non eſt paſſus Deus Optim. Maximus fruſtra tantam iniuriam ir- *Quamuis alij referant ſolii tranſiuiſſe.* rogari, Nam Vir Sanctus, vna cum duobus ſociis, vt nonnullis placet (qui à probatis auctoribus feruntur fuiſſe BB. PP. Paulus à Paterno, & Ioannes à S. Lucido) oculis eleuatis, in cœlum & genu flexus perorauit: deinde facto ſigno crucis & ſtrata ſuper vndas chlamyde ſua, primus ſe in eam recepit, quam cum duo eius diſcipuli, inſtar ratis pedibus obſiſtere, nec fluctibus ſuperari, aut immergi vidiſſent, facto ſigno crucis ad eius imperium ſe commiſerunt, ſicque diuina aura perflante, prius alteram oram, quæ Sicula erat, attigerunt, quam Nauarchus appuliſſet. Rem plane mirandam, cuius perpetuum monumentum nullo ſane pacto inferius perſeuerat; nam Sylla, & Charibdis, qui vortices erant ob pericula frequentia veteribus celebratiſſimi, ceſſere vel loco, vel iniuria, ab eo tempore quo Sancti Viri, eiuſque diſcipulorum pedibus, firmum iter præbuerunt.

Nil ergo mirum, ſi tanti miraculi nouitate excitati Siculi vndequaque accurrunt vt occurrant S. Viro, centeni, & milleni obuiam, quibus ipſe ſaluberrima præcepta, & vitæ Chriſtianæ bene inſtituendæ documenta, cœleſti prorſus eloquentia tradebat, quæ

quidem subsequentibus variarum curationum, & operationum signis confirmabat. Christi bonus odor vniuersam Siciliam peragrauit, diuino monitu, vt pietatem, & fidem in Deum, quæ bellorum à pluribus annis gestorum iniuria fidelium mentibus fere exciderant redintegraret, & restitueret. Nonnulla etiam loca pro instituendis Ordinis domibus à piis viris, & Ciuitatibus oblata habuit gratissima, quæ postea missis fratribus extructa fuere ea cum Insularium munificentia, vt totius Ordinis celeberrima, seu quoad fratrum, seu etiam quoad Monialium cœnobia etiamnum hodierna die visuntur. Dehinc in Calabriam remeauit, ad cuius reditum gratulabundi occurrunt populi, quorum ægrotos pœne innumeros sanitati restituit, atque adeo à viris fide dignis acceptum est, centũ, & secundum alios trecentos variis morbis, & languoribus oppressos vnico Viri Sancti occursu incolumitati redditos, è quibus Illustri Aragonũ familiæ affinitate coniuncta Marchionissa de Polyssena coniux Henrici de Aragonia Vicegerentis Calabriæ Filii Regis Ferdinandi I. à fluxu sanguinis liberata est, quam etiam alias à Phtysi curauerat: Nec id semel contigit, nam alias ducenti tum homines, tum fœminæ è Paterno quo conuenerant ægroti, sanati regressi sunt.

Proc. Neocast. test. 93.

Auxilia plura vni familiæ diuinitus præstita. Prophetice visa & enunciata.

CAP. IX.

Proc. Cosent. test. 7.

AEgre me hercle Medicam S. Viri manum in clarissimam domum Lodoici de Paladinis Prouinciæ Calabriæ Auditoris celeberrimi prætereo, cum enim ipse primum Cosentiæ acutissima febre per triginta tres dies, ne suo incumberet officio detentus fuisset, atque à Medicis omnibus vno ore dictum fuisset morbum illum diuturniorem esse, nec posse aut debere vllis artibus impediri; Catharina Coniux eius castissima ad cælestem medicum se conuertit, quare familiarem suum Ioannem ad S. Virum transmisit, vti suis ipse apud Deum precibus maritum suum Lodoicum dignaretur ea qua cruciabatur febre, liberare. At vero S. Franciscus, quo miraculum occultaretur, Lodoicum iussit panis frusta duo tosta aceto intincta, pipere, & aliis vulgaribus insparsa pulveribus, vnum in stomachi regione alterum in dorso sustinere, & bene de Deo sperare. Atqui Catharina noluit id fomentum insciis Medicis applicare, quare accersiti Medici S. Viri consilium deriserunt, eumq; ignorantiæ, & impudentiæ insimularunt. Interim ingrauescit morbus quare ipsa Catharina de charissimi sponsi salute anxia, Ioannem quendam de Florio Ciuem Consentinum amatissimum, & S. Viro amicissimum deprecatur, vti S. Franciscum, cui necessitudine coniunctissimus erat pro recuperanda coniugis sui salute adeat. Ille ergo Paternum contendit die sequenti, quæ erat Veneris: verum ei, quam primum aduenit, concitata alicuantulum voce Pater exprobrauit spiritu Prophetico, quæ contigerant evulgante, venis huc pro Domino Lodoico de Paladinis, & eius coniuge, noluerunt illi, quod statueram præstare, vnde diffisi de Dei potentia supernum beneficium non sunt adepti, regredere, & iube eos sperare in Domino, atque mea iussa exequi, nam ea ratione salus recuperanda est. Rediit ergo Ioannes Florio, cuius consilio, quæ primum & iterato S. Medicus dixerat, præstita sunt, vnde incolumitati ad paucos dies redditus est Illustris Auditor Lodoicus. Is vero accepti memor beneficii pro restituta salute S. Viro gratias ipse voluit reddere, quare, Notarium quendam, seu potius Actuarium Nicolaum Bombinum de suo in Paternum qui lunæ die futurus erat, aduentu, visendi S. Patris Francisci gratia monuit, qui Paternum profectus est, vt pro viri dignitate domum componeret, mensamque lautissime appararet, quod præstitit magnis expensis, semper suum expectans hospitem: verum obuius factus S. Francisco admonitus est de non diutius expectando tali die Lodoico, eo quod tantum sequenti die sciret spiritu prophetico, mane aduenturum, quod quidem verissimum comprobatum est, nam die martis sequenti horâ matutina Lodoicus cũ vxore, & tota familia Domum Nicolai Bombini perrexere, quibus S. Francisci de eorum aduentu Propheticum oraculum ipse enarrauit, quod admirata D. Catharina deprecata est Nicolaum vti inter colloquendum S. Viro particulam aliquam capucii retro pendentis discinderet, verum cum id apud se moliretur dictus Nicolaus, & forcipes è vagina leuiter educeret, conversus Angelico prorsus monitu S. Franciscus omnes durissime increpauit, dixitque non in pannorum asservatis reliquiis, sed in bonorum operum exhibitione sitam esse eam, quæ non fucata est, & Deo placet, deuotionem. Acceptusque vitæ bene instituendæ consiliis Lodoicus, & Catharina, cum Nicolao, & vniuersa familia domum regressi sunt. Verum iterum ex eadem familia ad cœlestis Medici opem recurrendum, pro filii qui periculosissime ægrotabat, curatione. Nec inane fuit quod iterato ad S. Virum miserint, nam ægrotus puer Nuntio redeunte sanitatem consecutus est ad aliquot dies, demum cum in alterum morbum longe periculosiorem incidisset, tertio ad S. Medicum ventum est. Verum vt Nuntium intuitus est, futurorum præscius Franciscus, ait, fili scio ad quid venis, dic Domino tuo Lodoico, Patientia sibi ad mortem filii sui tolerandam opus esse. Porrho Deus pro eo quem aduocarit, alios ei concedet filios. diem ergo clausit vltimum puellulus, atque è sponsa sua Catharina iuxta S. Viri propheticum oraculum bonorum suorum alios suscepit hæredes. Annectam superioribus ea, quæ sequuntur miracula quibus qua vir sanctus gratia sanitatum polleret satis apparet: quæ quia longum esset enarrare fusius, breui complector elencho.

Elenchus aliquot Curationum factarum in Paterno.

CAP. X.

AVgustina Paralytica, & genibus capta liberatur dato biscocto pane.

Alfilius Augustinæ filius à rabidi carnis morsu sanatur à S. Patre.

Catharina Mamilla laborans.

Et Domicella Medea Pauli de Serra vxor, mamillas habens ita perforatas, vt costæ suppositæ apparerent, atque trium peritissimorum Medicorum, & duorum Chirurgorum opera sanari non potuerit illico sanata est, test. 63.

Gessocta vxor Philippi de Sasso Actuarii ex partu filii Paralytica misso ad S. Patrem, viro statim soluitur à Paralysi, test. 63.

Antonia dolorem stomachi acutissimum diu passa conualescit precibus adhibitis S. Viri, test. 67.

Paralyticus, qui erat de Casalibus Cosentiæ soluitur.

Saluator Brunus à Sciatica liberatur inter operandum pro S. Viro, test. 70.

Stephanus Mirabellus, cholico dolore discruciatus sanatur, test. 71.

Filius Phœbi Mirabelli, apostemate, & vulnere, cuius virulentia Costæ tres fuerant corrosæ, B. Viri precibus, & voto ad Virginem Mariam ex eius consilio, facto liberatur à mortis imminentis periculo, test. 72.

Filius Polixenæ de Neocastro Bartolus nomine cum ageret spiritum precibus S. Patris conualescit, test. 73.

Alphonsus Gualterius Comitissæ cuiusdam nepos distortis erat pedibus, sed ab illustribus parentibus S. Viro oblatus restituitur, cuius miraculi causa multi è Castro accurrerunt, test. 74.

Nicolaus Fronti supremum agens halitum commendatur S. Viro, qui in somnis apparet, & liberat à mortis faucibus, test. 75.

Aurificia Torcha duobus oculis orbata misso ad S. Virum marito suo visum recipit, test. 76.

Sola Torcha quodam laborabat morbo, qui totum corpus instar culicum corrodit, ea vero vt panem & pomum à S. Patre missum comedit incolumis euadit, test. 76.

Pater cuiusdam Branchæ nomine sanatur à struma, test. 77.

Maria Caula vtroque pede clauda vehendam se curavit, & sistendam coram S. Viro, vnde statim conualuit, test. 78.

Filius Francisci, & Iacobæ de Petrono sanatur, test. 81.

Prædicit cuidam Lucretiæ viduam morituram, & prohibet ne ad secundas nuptias conuolet, quandoquidem

eius maritus esset moriturus, quod ita breui contigit, test. 82.

Petronilla Gregorii Mazæ filia ab Elephantiasi, & eius pater à Cancro, facto super pede signo crucis liberantur, test. 82.

Adolescens Consentinus mente captus, & furiosus sanatur, ac liberatur facto signo Crucis super caput eius, proc. Astil. 41.

Cæcus facto etiam signo Crucis illuminatur, ib. test. 42.

Belinus de Flore desperatus à Medicis, & pro mortuo habitus cum per 27. dies iam loquelam perdidisset, conualescit, test. 43.

Nicolaus Russus è Neocastro, quodam morbo captus Medicis ignoto, & incurabili, nam inspiritatus videbatur, signo Crucis liberatur, Proc. Neoc. test. 88.

Consentia Soror Nobilis viri Fabricii Monza de Ciuitate Tabernæ, delirio, quo per quinque menses capta fuerat soluitur.

Puer quinquennis eo morbo laborabat, vt non valeret comedere, nec aliquid vnquam comederat, at vbi Pater eius accessit è Neocastro ad S. Virum cœpit comedere.

Barthola à phtysi saluatur, test. 95.

Carolus Acurtius statim conualescit ab infirmitate qua detinetur, Proc. in Casal. S. Blasii, test. 96.

Antonia de Cola Sicula à brachii acutissimo dolore, & Ioanna de Andino Neocastrensis à quodam fluxu auris liberantur, Proc. Casal. S. Blas. test. 100.

Hieronymus Scotus Neocastrensis morbo comitiali corrosus ad S. Virum perrexit, qui iussit primo actum contritionis de peccato elicere; deinde accepta herba quadam vulgari discedere, quo factum est, vt sanus euaderet, ibid.

Bartholus quidam de Iure adhuc puer confestim sanatur ad commendationem S. Viri, ibid. 101.

Bernardinus duorum annorum infans morti proximus liberatur, ex litera Castell. test. 102.

Adolescens 18. annos natus habebat manum contractam quam vt tetigit S. Pater illico aperta, & sana visa est, ibi.

Bernardinus de Mollo fistula ad secretiora loca per duos annos cruciatus sanatur, & habitum Religionis suscipit in quo per 20. annos perseuerat, cum vero strictiorem vitam pertæsus ad Fratres Conuentuales rediisset pristina ægritudine grauius correptus est, & facta sunt eius nouissima peiora prioribus, ibid.

Mulier brachium dextrum à 25. annis habens contractum iussa lapides ferre sanatur, ibid. test. 106.

Duobus filiis illustris Ioannis Francisci Comitis de Arena, & Stili, febre pestifera ad desperationem vsq; correptis imposita S. Viri super eos manu sanitas continuo redditur, ex literis d. Comitis ad Leon. X.

Samson de Carusio Presbyter Catacen. scrophulis quibus fere suffocabatur sanatur à S. Viro, Proc. Catansarii test. 109.

Mulier infirma iussa prius socrum, cum qua durius agebat honorare, conualescit, ibid. 112.

Perna vxor Bartholi de Antona liberatur à fluxu sanguinis, ibid.

Robertus de Burgis exscriptor Consentinus, cum manum haberet apostemate contractam, statim conualescit, atque iussus est suam mundare conscientiam sanctæ exomologeseωs scopa: sic enim loquebatur S. Pater Franciscus, Proc. Cosent. test.

Ioannes Cichuza, morbo ad mortem afflictatus eximitur ab eo periculo: deinde vero cum in morbum quendam doloris renũ incidisset, ciusdẽ S. Patris precibus liber euadit.

Alexandri Carusii de Paterno affinis, in extremis constitutus, reuocatur ad vitam, test. 87.

Aloysius à Porta renum dolore acutissimo correptus soluitur, ciusq; frater febre intensissima liberatur, test. 84.

Quidam nomine de Mycle brachium sibi plene confregerat, quare Paulam ad Chirurgum contendebat, cum autem eum offendisset S. Franciscus, noluit vlterius progredi: sed acceptum brachium sanitati restituit, Proc. Cosent. 85.

Ioannes Clauiderus habebat pedem cancro ita corrosum, vt nerui vermibus scaterent verum à S. Viro integritati redditus est, test. 91. Proc. Cosent.

Apostema sanatum. Secretiora mentis cognita.

CAP. XI.

FRanciscus de Rogato, à Paula apostemate fœdissimo in gutture captus, ad magum quendam qui mederetur, venerat: eius vero artibus vulnus ingraueſcebat, quare meliori consilio, Paternum vbi degebat S. Franciscus contendit, vt autem pius Propheta ægrotum vidit, cœpit illum spiritu Prophetico suadente, quod ad magos recurrisset increpare aduocauitque vnum ex Chirurgis Paterni, qui cum apostema vidisset noluit propter imminens mortis periculum lanccola vulnus aperire, nisi ita S. Pater iussisset. Ergo digito locum, quo mittenda esset signauit, & signo Crucis muniuit, quo facto Chirurgus aperuit apostema, vnde sanitas ægroto reddita est; Ipsum denique Franciscum de Rogato monuit vti peccata quædam, soli Deo & ei cui Deus voluerat reuelare nota, amplius non perpetraret. Nec semel quæ occulta erant, ei Sanctus Propheta edixerat: Nam cum ipse de Rogato cum tribus aliis adolescentibus, Paternum ad invisendum S. Franciscum contenderent, ipsi animi soluendi gratia de rebus ludicris disceptabant, atque inter se quantum vellent habere pecuniæ recensebant. Ii vero vix coram S. Patre fuerunt, cum quicquid per iter dixissent enarratum est, & iussi sunt de rebus ad animæ salutem spectantibus deinceps agere: quippe quod de omni verbo otioso essent rationem reddituri in supremo iudicio. Simile quid contigit cuidam è Casalibus Cosentiæ, qui ficus quarum pars magna è vicini horto furto sublata erat, S. Francisco, vti gratiam aliquam promereretur, obtulerat. Nam S. Vir eas, quæ furto sublatæ erant, ab aliis sepositas, sigillatim respuit. eas vero quæ eius erant operariis ipse suis tradidit: monuitque vt deinceps à furtis istiusmodi abstineret. Porrho quantum Vir Sanctus rerum abditarum fuerit oculatus inspector, ex variis exemplis memoratis colligitur: quibus addam alterũ haudquaquam abhorrens à posteriore. Nam cum Antonius Pandarus Nicolaum Carbonellum, & Petrum Mannarum à Domina Lucia Paulani oppidi tunc Domina, ad S. Franciscum missos comitaretur, multa per iter in S. Francisci sanctimoniam iactata sunt conuitia, quæ statim atque obviam S. Patri facti sunt, sigillatim exprobrata atque enarrata admirationem pepererunt, Proc. Cosent. test. 49. & 50.

Concionator in S. Virum debacchatur. Viso miraculo mutat mentem.

CAP. XII.

Ex variis locis Proceſſ.

POrrho istas omnes, & infinitas propemodum curationes alias, diuina ope & Sancto Angelorum ministerio præstitas, vel sanctorum inuocatione, Crucis signo, nominis IESV suauissimi pronunciatione, aut herbarum, pomorum, ficuum, aut aliquorum istius generis remediorum inuolucris ad istiusmodi morborum medicinam ineptissimorum, & sæpissime aduersariorum, contegebat, vt vanam futilemque apud vulgus sanctitatis existimationem fugeret. Verum enimvero, tot beneficiorum ægris collatorum gratia, Medicorum, & Chirurgorum totius Calabriæ, & Italiæ bilem commouit: vt passim eius detraheretur sanctitati atque convicia, & contumeliæ in eius beneficentiam iactarentur. Inde factum est vt etiam è Cathedra Concionatores in S. Virum, eiusq; institutum inucherent, inter quos expugnator pertinacissimus, erat frater quidam Antonius Scotet de Aquodam Ordinis Conuentualium S. Francisci. Is ergo Medicorum prouincialium suasione exasperatus. Cosentiæ, & Paulæ in S. Virum inuehi cœpit, deinde à Vicario generali Ordinis sui (quamquam aliqui testes eũ dicant ipsum Vicarium generalem) ad S. Virum transmissus est, vti commoneaceret diuinum Therapentam: Id autem vt spiritu Prophetico resciuit S. Pater, obuiam cum prunis ardentibus (nam frigus erat) quas nudis manibus porrigebat, profectus est extra Conuentum, rogaturus Patrem Antonium, vti frigus quo rigebat, depelleret. Is vero vt tale vidit, & expertus est miraculum, mutato in melius animo, ad genua S. Viri provolutus veniam petiit humillime, atque fœlices

deinceps prædicauit eos, qui eius precibus, & meritis fiderent; quod quidem omnium Ciuium ita conciliauit animos, vt magnatum esset Archiater, totius Calabriæ Æsculapius, cuius rei faciunt fidem, ea quæ sequuntur auxilia præsita, & præstita.

S. Franciscus Magnatum Archiater. Propheta.

CAP. XIII.

ILlustris Matrona Angela, cum ad mortem infirmaretur, misit ad S. Franciscum charissimum sibi Iacobum Curtum, cognatum suum. Cum autem Vir Sanctus esset in sylva, nec haberet quod mitteret ægrotanti. Inclinato capite, demisit manum in terram arentem (nulla enim ibi luxuriabat herba) vnde manipulum frazorum vnum, quæ miraculo prorsus stupendo eo loco apparuerant, decerpsit, quibus ex viri Dei præcepto comestis sana euasit. Cum autem Iacobus Curtus alia die veniisset, vt gratias ageret S. Viro, pro restituta cognatæ suæ sanitate. En cursorem concitatis equis ex parte Illustris Marchionissæ Polixenæ de Aragona, aduentantem qui Errici de Arragona morbum nunciaret, & sciscitaretur S. Franciscum, vtrum ex hac infirmitate esset moriturus, necne. Respondit Vir Sanctus moriturum. Verum ne responsum istud ingratum Marchionissam adigeret in desperationem. Scripsit ad illam literas consolatorias, misitque pauca quædam medicamenta, contigit vero iuxta eius oraculum eum mori quarta post die. Ad hæc, Nobilis quædam & pientissima Matrona Prudentia nomine, vxor Nicolai Massæi, charissimi mariti sui importunis precibus victa, feriæ quartæ consuetam sibi inediam, & omnium carnalium eduliorum abstinentiam violauerat. Quare die noctuque dolore quodam capitis ita cœpit discruciari, vt sibi videretur cerebrum à serpentibus, & id genus venenosis reptilibus, exugi & corrodi. Illa vero cum nullam suo dolori leniendo medelam, ab exquisitis Medicis accepisset appositam, ad S. Medicum venit, cuius pedibus prouoluta gratiam sanitatis recuperandæ implorauit. At vir secretorum conscius, Mulierem acriter increpauit. Abi (inquiens) & ieiunia feriæ quartæ, deinceps ne contemnito, nam ea ratione sanitati restitueris. Ergo ex quo illa, dimissa ieiunia colere regressa est, conualuit penitus.

Proc. Neocast. test. 86.

LIBER III.

Ordinis incrementa parua quidem, sed honoratissima. Pyrrhi Archiepiscopi Beneficia.

CAP. I.

VTI autem Conuentuum in dies, ita & Illustrium pietate, & doctrina Fratrum, numerus augebatur. Etenim superna donatum est munificentia, vt in exiguis Ordinis Minimorum incrementis, aliquot viri generis nobilitate, & scientiæ splendore spectabiles, atque primæ inter homines notæ, veluti fulgentissimi lapilli in diademate Regio enituerint, quorum etiam præsidio pusillus grex, contra oblatrantium canum inuidiam atque Satanæ conatus subsisteret. Ita nimirum primus omnium ex Sacerdotibus Frater Balthasar de Spino, Vir eximiæ probitatis, & doctrinæ, quique à confessionibus Innocentio Octauo fuerat, in S. Viri familiam est cooptatus, quod non vulgarem ordini nascenti peperit existimationem. Is namque cum confessionibus excipiendis, & concionibus ad populum habendis, cum cæteris Fratribus (qui tunc Eremitæ dicebantur) S. Patris Francisci mandato insisteret, non paruam messem in horrea Ecclesiæ detulit. Nam quæ Sancti Discipuli, vitæ æternæ præcepta docerent, statim B. Thaumaturgi miraculis frequentioribus roborata, altius fidelium cordibus infigebantur: quo factum est, vt Pyrrhus Cõsentinus, pro ea, quam de nascente Ordine eiusque Institutoris sanctitate habebat, existimatione, se indignum censuerit qui tantos viros priuata moderaretur auctoritate, eosque multis priuilegiis, quantum in se erat donatos, sub Summi Pontificis auctoritatem immediate direxerit. Idque literis datis anno Domini 1471. & Paul. II. Pontificatus 7. nam quæ consensu, & auctoritate Episcopali iamdudum verbaliter potestas erat tradita, tunc primum scriptis, & literis comprobata est, vt Æmulorum, & maleuolorum impetus confringerentur, & eluderentur.

Bull. Canoniz. & Proc. Cosent. test. 57. Cuius relatu quæ sequuntur habentur descripta.

Missus à Paulo II. vnus è Cubicularijs ad probandum S. Franciscum. Eius Miracula. Spiritus Propheticus.

CAP. II.

TAnta siquidem obloquutorum erat proteruia, vt publice ex Cathedra priuatisque in ædibus S. Viri Innocentiæ, viuendi Institutis, & miraculorum operationi detraheretur: fama autem istiusmodi ambigua ad aures Pauli II. perlata, transmissus est Clarissimus, & spectatissimus quidam Canonicus, qui S. Sedi Apostolicæ erat à Cubiculo, vir spectatæ probitatis. Is primum Cosentiæ Pyrrhum Archiepiscopum de Paulani Eremitæ sanctitate perorantem audiuit, deinde assumpto in socium Carolo Pyrrho à S. Lucido, Paulam profectus Conuentum adiit. Statim autem, atque S. Franciscum S. Sedis Apostolicæ Camerarius deprehendit, festiuus accurrit, & primus genibus flexis Viri Sancti manus deosculari nisus est. Cui Sanctus Propheta, non patiar Domine mi, mei namque est muneris, tuas quæ à 30. annis sacro Chrismate delibutæ sunt, venerari eosque digitos qui toties Christum Dominum in Missæ tremendo sacrificio contrectauerunt exosculari. Demiratus est Camerarius Apostolicus, quod spiritu Prophetico, annos & menses, qui à suscepto Presbyteratus Ordine effluxissent, sigillatim & certius quam ipse numerare potuisset expenderit, & recensuerit, quod quidem acceptam de Eremita Paulano existimationem plurimum adauxit: Quare veritus ne periculum faciendo de tanti Viri Sanctimonia, ingratum aliquid Deo aggrederetur: apud se statuerat iam iam reuerti: Verum cum expendisset, Sanctæ Sedis à qua ad eum explorandum delegatus erat, Iudicium infallibili niti fundamento, quippe quæ columna, & firmamentum est veritatis, recentis instituti rationem vitæque incredibilis austeritatem aggressus est variis augmentationibus explodere, plurimumque insistere in eo quod impossibilia videretur in Regula sua præcipere: Cui Vir Sanctus, Domine mi, non verbis sed gestis quam sint humanis viribus consentanea comprobandum est. Superat diuina gratia naturæ imbecillitatem, omniaque possumus in Deo qui nos confortat. Ardentes prunas manibus illæsis contrectare, gestare & diu premere longe difficilius existimabis, quam in descripta à nobis regulæ obseruatione, aliquandiu perseuerare: Atqui hos carbones succensos manibus pedibusque intactis terere cœlitus concessum est, cum tamen istud beneficium ad animæ salutem haudquaquam conducat. Quanto ergo facilius gratiam perseuerantiæ, in quadragesimali obseruatione (quæ salutis promouendæ Instrumentum est, à Domino Iesu, Apostolis, & Sanctis Patribus laudatissimum) pii Fratres obtinebunt? Si modo enitantur, vt spem omnem collocent in Domino virtutum. Id ipsum, inquiebat S. Franciscus. Ego ipse nuper cuidam Concionatori, ex Ordine Minorum qui cum Paternioni sacras haberet, quadragesimalibus inediis, conciones, in me, meamque viuendi rationem, vel ex Cathedra debacchabatur, diuina fretus gratia significaui. His auditis obmutuit Camerarius, atque veniam petiit priusquam à S. Viri congressu discederet.

In variis Proces. locis.

Proc. Cosent. test. 72.

Ex Bulla Pontific. & Relat. vnius è discip. S. Francisc.

Dentium sanatus dolor. Pisces suscitati. Relatione facta Paulo II. Ordo Priuilegiis, & Episcoporum, exemptione primum donatus. S. Vir Generalis perpetuus.

CAP. III.

CVm autem è Conuentu ad Consentinum Archiepiscopum rediret, Carolus ille Consentinus Archipresbyter commemorauit alia miracula in sua ipsius persona peracta, istudque recens editum: quod videlicet cum dentium dolore vehementissime vrgeretur, & ad desperationem vsque quodammodo adigeretur, solo S. Viri manuum ad dentes appulsu sanatus fuisset, cum tamen prius Sacrosanctum

Missæ sacrificium celebrare iussus fuisset: Nam Vir Dei, nonnisi graui morbo oppressos à tremendorum mysteriorum celebratione, excusabat. Narrauit & aliud factum de suscitatione paruulorum pisciculorum, quos quidem mortuos cum Pyrrhus Consentinus Archiepiscopus, ad obsonium, vt cum Fratribus deuotionis ergo in Conuentu Paulano pranderet adferri iussisset, vitæ tamen per S. Viri manus redditos in peluim aqua plenam exilire viderat. Ergo his & infinitis propemodum aliis locupletioribus visis auditisque miraculis, diuinam opem spectatissimus Camerarius, in S. Viro demiratus est, atque legatione istiusmodi facta ad Paulum II. redit, qui relatione de Eremitæ Paulani sanctimonia vitæ instituto, & miraculorum veritate accepta, gratias immortales Deo reddidit, quod sponsam suam Ecclesiam, sua tempestate, tot tantisque miraculis dignaretur illustrare. Exindeque firmus apud se statuit, Instituta Eremitarum Paulanorum confirmare, atque priuilegiis omnibus mendicantium cohonestare. Verum morte præreptus est. Quare à Sixto IV. vt ad S. Petri Sedem assumptus est, Bullæ approbatoriæ, & confirmatoriæ omnium priuilegiorum. Iampridem à Pyrrho Consentino (quæ amplissimæ erant) collatorum, transmissæ sunt ad S. Virum. Sunt autem datæ Romæ annis 1472. & 1473. qui Secundus, & Tertius Pontificatus Sixti IV. erant. Denique Sanctus Eremita Apostolica auctoritate totius Ordinis Generalis perpetuus, quanquam reluctans & inuitus, creatus est: quod eo, sapientissime præstitum est, consilio, quod Ordinis incrementa ex S. Viri Innocentia, & diuino quo plenus erat spiritu penderent.

Bulla Canonizat.

Persecutio Regis Neapolitanorum. Vindicta Tutela diuina. Miracula duo.

CAP. IV.

POst eam Sanctæ Sedis Apostolicæ confirmationem, & approbationem aliquantulum à Viris Ecclesiasticis (qui nouo insultabant viuendi genere) S. Patriarchæ meritis, & innocentiæ condonatum est. Verum Sathanæ versutia, & maleuolorum artibus pessimis, Magnatum animi aduersus S. Virum succensi sunt, præsertim vero Ferdinandi I. Neapolitanorum Regis, Ducis Calabriæ Alphonsi, & Ioannis Cardinalis Aragoniæ filiorum, qui nescio quo pulsi spiritu intensissimos se præbuerunt. Nam ab iis cautum est in ditionibus suis, ne vllos deinceps Conuentus molirentur, Fratresque qui à S. Patriarcha in nouum Cœnobium, quod Castelmari, quæ Ciuitas est à Neapoli septemdecim milliaribus circiter dissita, excitabatur, missi erant, Regis edicto contumeliosissime depulsi fuerunt. Ne posthac vero ad Ordinem rediret Conuentus, Cardinalis Aragonius eum sibi locum vendicauit, idque summa cum iniuria: Interim Fratres ad S. Patrem, qui Paterni erat confugiunt, hos ad laborum tribulationumque pro Domino IESV tolerantiam adhortatus est, expenso eo S. Iacobi aureo dicto, Omne gaudium existimate fratres, cum in varias tentationes incideritis, adhibita quoque explanatione ferenti, & concitata istius Beatitudinis Euangelicæ, Beati qui persecutionem patiuntur propter iustitiam, ipsorum namque inquiebat est Regnum cœlorum, nec eam iniuriam diutius inultam, perpessa est vindex scelerum Prouidentia diuina. Nam Cardinalis Aragonius, dum Romæ degeret præcoci fato aliquot post annos correptus est. Inuicta autem S. Patris constantia, Neapolitanorum Regis Ducisque Calabriæ, tantum abfuit, vt demulceret animos mentesque concitatas sedaret, quin exasperauit ferocius. Etenim missa fuit militum armatorum cohors, qui insolentissime S. Virum in Paterno Ciuitate degentem vincirent, & iniustissime traherent, veherentque ad Carceres Neapolitanos: vt autem Regis Tyrannicum edictum, ad aures Ciuium peruenit. Primores accurrunt ad Conuentum, Rogantque Fratres vti Patriarchæ Sanctissimi, vitæ famæque consulerent. Adeunt vniuersi Fratres cæteri, atque supplices obtestantur S. Virum, vti effluat discessuque suo, grauissimum quod eius ingruebat capiti periculum falleret, eluderetque: quibus ille, Qui habitat in adiutorio altissimi, & in protectione Dei cœli commoratur, nihil habet quod pertimescat, nihil poterunt aduersum nos armatæ cohortes, nisi quantum à Deo permissum fuerit, hisque, Fratribus collacrymantibus, editis responsis, In Ecclesiam iuxta maius Altare vix sese receperat, cum ferocissimi milites, præeunte Tribuno quærunt S. Virum, comminantur Carceres, Templum perlustrant, vndequaque pererrant & cursitant, nec tamen ante maius Altare, qui erat locus conspicuus S. Virum in oratione positum deprehendunt, quippe cœcitate percussi fuerant. Ipse vero surgens ex oratione, se eis exhibuit capiendum. Me quæritis (inquiens) en ipse sum. Atqui miro quodam, qui in facie micabat, fulgore perculsi omnes, & primus omnium, cohortis Præfectus, ad genua prouoluuntur, præcanturque vt iniuriam illatam condonaret. Hos autem benigne pius Pater excepit, & miraculo prorsus stupendo iis mensam instruxit. Nam hos omnes (erant autem numero quinquaginta) duobus panibus, & vini amphora vnica recreauit: Ita tamen vt panis, & vinum postea intacta visa fuerint. Attoniti tanto miraculo, veniam iterum postulant, quibus S. Pater nullam sibi ab illis, quam condonarent illatam iniuriam respondit.

Ex Relat. vetust. vnius ex Discipul. S. Francisci.

Monetur Rex de mulcenda Dei vindicta. Clades sceptro imminentes prænuntiatæ.

CAP. V.

EST autem pollicitus Præfectus ille cohortis se apud Regem visa, & diuinitus præstita commemoraturum quibus asserebat Regis infenti vindictam depulsandam iramque demulcendam. Cui Vir Sanctus, non sunt inquit, gesta nostra, sed dicta munusculaque Regiæ maiestati deferenda. En illibatæ Virginis Rosaria candelasque ritibus Ecclesiasticis Sacratas, quæ nomine meo precor offerri, verbis istiusmodi additis. Videat Regia Maiestas ne diuinam deinceps exasperet omnipotentiam, sed magis aliis regnandi rationibus, & institutis suæ, & suorum consulat saluti: Nam vereor plurimum ne (si non concrearat à via sua mala) sceptro coronaque excidat. Ab fideli narratione, S. Viri monita, cum Religiosis munusculis apud Regem relata sunt, quare quantum S. Francisco olim infensus fuerat, tantum demum beneuolus, atque benficus fuit: quod quidem ei bono publico cessit, quamdiu in exhibendo S. Francisci discipulis honore perseuerauit. Verum enimvero, cum ea qua in S. Virum propensus erat, charitas paulatim refrigusset, totarmorum hostilium, & ciuilium conuersionum calamitatibus sensim oppressus est: vt Regnum ex Aragonum familia elapsum, ad Reges potentissimos demum translatum sit. Quod tum primum factum est Anno Domini 1494. qua tempestate Carolus eius nominis Octauus, Gallorum Rex, bellica virtute Sceptro Neapolitano positus est, quod vnicum exemplum saluberrimo magnatibus documento esse debet, quanti Viros Sanctos facere, Religiosasque virtutes in Dei seruis colere, & venerari debeant.

S. Franciscus Præsidium Calabriæ. Sathanæ fuga. Turcicæ in Hydruntium irruptiones propheticæ præuisæ.

CAP. VI.

POrro quale semper fuerit vniuersæ Italiæ præsidium, S. Viri præsentia, vel inuiti Dæmones ipsi, Deo compellente, profitebantur. Nam sæpe cum exorcismis sacris præmerentur conquesti sunt, de mira, per quam diuina cohibebatur vindicta, S. Viri Innocentia; quod tum potissimum visum est, cum fœmina quædam arreptitia perstrepente dæmonum caterua, in has voces quærelasque prorumperet. Quid tibi & nobis ô Barbate, & obsolete Senex: Ita ne semper nostris obstabis conatibus. Nam his auditis, Imperauit S. Pater, pro collata in dæmones potestate, vt quain re eis esset impedimento, significarent: cui illi, Delitescunt in sylva proxima legionum Tartarearum insidiæ, tuumque ex Italia obseruant secessum: Nam bellorum ciuilium, atq; exterorum ignibus, statim, atque alio euocatus fueris, vniuersum Regnum Neapolitanum conflagrabit. Vt autem animaduertit S. Vir, hoc responsum ad suam spectare commendationem, infremuit spiritu, & quodammodo tur-

do turbarit semetipsum, deincepsque reticere dæmones, atque è corpore humano ad flammas tartareas regredi, iussit. Quod non nisi iterato præcepto præstitum est. Quod autem S. Franciscus exemplo Christi Domini, turbauit semetipsum, & infremuerit spiritu, id ex prophetiæ dono quo clades, & calamitates Neapolitani Regni futuras intuebatur, proficiscebatur, certo nam q; sciebat, quæ Sathan ore quamvis mendaci vociferabatur, fore verissima. Nam præter bella intestina, atque à Christianis Principibus illata, Turcarum copiæ nauales, & classes prorsus formidandæ oras Calabriæ inuaserunt, atque Hidruntium, quemadmodum ab historicis recensetur Machometis II. subdiderunt potestati. Ipsum autem Vir Propheta scriptis literis ad Regem Neapolitanum Ferdinandum I. prædixerat, atque fideles Conuentum propter gratiam curationum adeuntes, ea Turcicæ obsidionis ingruentis commiñatione frequenter perterrefecerat, nisi eleemosynis, atque pia viuendi ratione, diuinam sisterent vindictam: quam commotam certo sciebat, quemadmodum ex ea, quæ sequitur fideli narratione videre est.

Proc. Cosent. test. 4.

Turcica inuasio prænuntiata.

CAP. VII.

Proc. Neocast. test. 95.

VEnerandus Dominus Iacobus Quirerius maioris Ecclesiæ Neocastrensis beneficiarius, aliquando Paternũ, inuisendi, ex pietate, Sancti Viri gratia, contendebat, pluribus aliis Viris tum nobilibus, cum etiam plebeis comitibus, qui omnes magno detinebantur consulendi S. P. Francisci desiderio. Quare Cellæ circumstabant, in qua Deo tanto arctius se coniungebat B. Patriarcha, quantum præsuauissimis Christi IESV, mentis amplexibus, hominum quos sciebat exitum suum obseruare, congressus respuebat. Ipse tamen cum recens oraculum è cœlo accepisset, de rebus Turcicis, admisit ad colloquium supramemoratum Iacobum Quirerium: cui tria commisit poma, vnum Neocastrensi Episcopo, alterum vero Marchionissæ Polixenæ tradendum, & deferendum, tertium denique ipsi Quirerio dono datum est. Insuper rogatus est à S. Viro, vti Reuerendissimum Episcopum eius nomine moneret, & cohortaretur, ad faciendam singulis diebus collectam contra Turcas, seu paganos, eo quod propius (inquiebat) quam vnquam Christianis imminerent. Atqui quamuis nulla adhuc Turcicæ obsidionis suspicio inualuisset: attamen ipsi Machometis II. Iussu octo post dies Hidruntium inuaserunt. Id ipsum tres menses ante hac signatis loco, & tempore, suis ipse prædixerat fratribus iisque preces indixerat solemnes, & priuatas: vt Deus tantum à Republica Christiana malum auertere, aut saltem minuere dignaretur.

Ex sui in Com. de Arena ad Leon. X.

S. Viri precibus Turcica inuasio soluitur. Sacratis Candelis, Comes de Arena eiusq; milites citra periculum armati.

CAP. VIII.

INsigne quidem erat istud beneficium, quod S. Propheta ingruentem toti Ecclesiæ calamitatem, Christiani nominis hominibus, & principibus prænuntiarit: At longe præstantius est, quod eam tempestatem suis precibus præpulsarit. Primo namque strenuum Ducem Ioannem Nicolaum Comitem de Arena, qui frequenti Equitum pedi tumque stipulatus caterua, Paternum inuisendi, & consulendi S. Viri gratia, se contulerat, Iussit virtute animoque in expugnatione hidruntis, atque hostium ex oris Christianis expulsione, non concidere: asserens breui canes hos (sic enim Mahometano vocitabat) esse fugandos, & profligandos: prætereaque ei, singulisque eius militibus, candelas benedictas, quas apud se in Martis ancipiti alea, Religionis, & securitatis causa gestarent, tradidit. Fuit autem vnus ex vniuerso Comitatu, qui superstitionis commilitones suos redarguit, cœreumq; precibus Ecclesiasticis sacrum, temere contempsit, sanctumque Virum derisit: cui Vir Propheta inquit, fili vide ne aliquid mali tibi contingat, ex superni auxilii contemptu. Dum ergo exercitus ad Hidruntii obsidionem se accingunt, S. Vir, octo dies iciunus, atque in oratione positus recluditur. Vnde statim accepto ab Angelis responso, redit ad suos, fugatosque canes, seu Turcas asserit, quod breuissimo post tempore veritati consentaneũ renunciatur. Nam Mahumetis II. morte, deterritæ quæ Hidruntium detinebant copiæ. Instructis classibus fugam arripuerunt anno sequenti obsidionis inchoatæ, scilicet anno 1481. (cum primum Infidelis in eas plagas irruissent mense Iulio anni superioris 1480.) Idque superno prorsus instituto, nam fugientes milites viginti quinque millę Barbaris conflatum exercitum auxiliarem per iter offenderunt. Qui eo consilio confluebat, vt vniuersam Italiam Christianamque Rempublicam prorsus deleret, & deuastaret. At vero ii omnes, qui acceptis à S. Viro candelis, sub Comitis de Arena certabant pugnabantque vexillis, ex obsidione mediisque sagittarum, tormentorum ignitorum, seu ballistarum, & picis accensæ, quæ ab aduersariis immittebatur ictibus, pestisque quæ per Castra grassabatur contagio, incolumes euasere: cum tamen tot numero milites occubuerint, vt occisorum cadauera pedibus, militum & calcibus Equorum, premerentur. Ipse vero Comes insigni mortis periculo liberatus est, nam olla picis accensa, quæ eum inuaserat, miraculo prorsus stupendo extincta est. Quod autem spectat ad eum militem, qui S. Viri cereum neglexerat, & contempserat: solus, ex omnibus, occubuisse eiusque cadauer ex diuina vindicta statim instar rabidi canis, computruisse legitur. Ita ergo S. Francisci meritis, ditionis Neapolitanæ necnon Ecclesiæ Catholicæ, atq; Romanæ nauis tot periclitatæ procellis ad securitatis portum tandem appulit.

Proc. Curon. test. 7.

Proc. Curon. test. 41.

Proc. Soret. test. 23.

Ambian. Episcopi test. 117.

S. Franciscus accersitus à Rege Francorum Lodoico XI. Celebris Prophetia. Solennis in Neapolim aduentus.

CAP. IX.

REgnabat tunc temporis in Gallia Ludouicus XI. qui per literas (maxime vero per quendam Matheum Coupple mercatorem Neapolitanum) audita celebri sanctitatis fama, Franciscum miraculorum opificem accersendum ratus est. Ac primum quidem misit in Nuncios, & Oratores ex Regni proceribus viros Illustres, qui Conuentus plures in Regno suo, quod erat amplissimum, polliceretur, si ipse vellet cum aliquot sui Ordinis Fratribus, è Calabria in Galliam commeare. Gratias egit pollicitis Regiis, Vir Sanctus, seque pauperem Eremitam indignum esse, qui tot beneficiis afficeretur professus est. Deinde legatione facta ad Neapolitanorum Regem Ferdinandum Seniorem, & Federicum Ducem peroratum est, vt S. Virum iuberent ad Gallorum Regem proficisci. At frustra explorata est illa via. Itaque interposita Regis supplicatione, Sanctæ Sedis Apostolicæ auctoritate, iussus est Vir Sanctus patrias eremos deserere, & Regias Curias petere. Porro id olim ante 20. annos primum, deinde rursus 6. prius quam contingeret prædixerat Fratribus suis: Futurum esse inquiens, cum ci eiusque discipulis, orbis regiones essent adeundæ, quarum idiotismus, & patria lingua ignotæ forent. Cui Fratres, quid ergo in istiusmodi prouinciis detinebimur? Filii respondit. Diuinis obsequemur placitis quo nihil Christiano, præsertim vero Religioso aut desiderabilius, aut præstantius. Duabus ergo à Sancta Sede Apostolica obedientiis in forma breuis acceptis, Vir magnificus Dominus de Baudricourt Franciæ Polemarchus, & Burgundiæ Prorex, Paulam se contulit, Inuitumque Sanctum Virum pertraxit. His auditis visisque, Calabria vtraque, & vniuersa Italia mœrore luctuque perfusa est, ferebat enim ægerrime columen suum auelli. Compositis autem Reipublicæ Religiosæ rebus, atque vti nonnulli scribunt, assignato in Vicarium generalem R. P. Paulo à Paterno qui sanctitatis existimatione præcellebat, Iter ad Regem Christianissimum est aggressus. Duce supra memorato, Franciæ Polemarcho, Nec non Comite Tarenti Principe, qui Regis Alphonsi filius fuit. Prius autem quam è Patriis discederet Prouinciis, Regem suum Ferdinandum Seniorem Neapoli degentem, Inuisendum atque humillime salutandum adiit, qui Sancto Viro obuiam perrexit, frequenti & celebri omnium ordinum comitatu, quemadmodũ S. R. E. legatis fieri assolet. Narratque testis oculatus tantam

Proc. Soret. test. 23.

fuisse plebeiorum turbam, vt in ingressu Neapolitanæ Ciuitatis, collisus & oppressus fuisset S. Franciscus, nisi Princeps Federicus armata custodiæ cohorte obstitisset.

Exceptus in Regia. Obseruatur à Ferdinando I. Miracula egregia.

CAP. X.

EXceptus est S. Franciscus in Regia quanquam inuitus, nam paupertatis Euangelicæ, quam religiosissime colebat memor, ad Conuentum alicuius ordinis summopere diuersari cupiebat. Verum pius & curiosus Regis Ferdinandi animus, eius desideriis aduersatus est, nam quæ forent sancti Eremitæ exercitamenta quotidiana, explorare volebat; quod ita demum præstitit, vt è ianuarimis foraminibusque data opera factis, quid rei perageret vir plane Angelicus, frequenter obseruaret. Quare accidit, vt semel S. Franciscum in Ecstasi è terra eleuatum, fulgentissimisque luminibus coruscantem prospiceret, atque concentum plane cœlestem exaudiret: quibus visis, & auditis plurimum Regis in S. Virum obseruantia adaucta est. Vlterius tamen prouecta est Regis pia temeritas, nam periculum fecit miræ eius in victu parsimoniæ, & austeritatis. Etenim semel atque iterum & tertio denique, deprecatus est, vti dignaretur Regiæ eius mensæ accumbere. Denegauit S. Patriarcha, inquiens se tanta gloria indignum. Postremo pisces lautissime apparatos, & coctos è mensa sua, in eam in qua degebat cameram, vt his vesceretur transmisit, & per nobiles obtulit: Verum miraculo prorsus stupendo (vti refert vnus ex eleemosynariis Regiis, Fr. Ambrosius Copula Abbas S. Georgii, oculatus testis) hos vitæ restituit restitutosque atque exilientes ad Regem indictis argenteis, inspectantibus Regni Proceribus remisit, his factis verbis. Idipsum Regia Maiestas insontibus, iniuriose in carceribus detentis præstet, & eam quam his piscibus reddidi vitam suis elargiatur subditis. Omitto ego quam celebri miraculo Illustris matrona Margarita Copula cognomine, mater laudati eleemosynarii, asmate graviter oppressa, sanata, eiusque filia Martinella ab Elephantiasi liberata sit.

Proc. Neocast. test. 97.

F. Ambr. Abb. Copul. S. Georgij. Proc. Neocast. test. 97.

E numismate Regia sanguis exprimitur. Vaticinium de Neapolitano Conuentu.

CAP. XI.

DEmirata est vniuersa Regia Neapolitana Thaumaturgi sanctitatem, atque communi omnium Regni procerum consilio, suasa est Regia maiestas, Conuentum Ordinis extruere Neapoli, quod quidem animi sui propositum, vt Rex ipse Viro Sancto aperuit. Vide inquit, ô Rex Inuicte, ne ex alienis & male partis, munificus fieri velis, non est tuum ærarium, sed tuorum quorum sanguinem cruentissime exprimis subditorum. Talia Rex, pertæsus monita, obmutuit, quare qui aderant nobiles, pia instituta excusare aggressi sunt: quibus ille quod ipse edissero, exhibebo, Date mihi numismata Regium. Accepit S. Vir numisma, quod manibus vt diuisit, sanguis sensim & vberrime in discum, seu pauimentum defluebat. En vociferabatur Vir Sanctus, sanguinem Regni tui pauperum, qui vindictam è cœlo exigit iustissime. Talibus visis Rex, fleuit & circumstantium magnatum vultus conciderunt. Qui tamen concitatis animis, Sanctum Eremitam deprecati sunt, vti Conuentum à Rege sibi pateretur extrui: Regem propriis, & non aliunde petitis sumptibus, posse tugurium, quale ipse paupertatis amans vellet, extruere. Annuit ergo, Regis munificentiæ, qui intra Vrbis septa, volebat aream ædificiis regularibus assignare. Atqui Vir Sanctus, maluit extrui sibi Conuentum extra Ciuitatem sat longe dissito loco. Cum autem Rex instaret, Fratres co loci nulli futuros vtilitati, aut publicæ commoditati: Respondit Vir Propheta, futurum esse aliquando, vt ea quam elegerat Regio, tot foret vndequaque circumædificata domibus, vti Fratres cogerentur variis artibus prospicientium è vicinis palatiis, curiositatem declinare. Quod tum demum ita præstitum est: nam Proreges Hispaniæ eam incoluere Regionem, quæ proinde totius Vrbis celeberrima fuit, ob palatiorum magnificentiam, & amplitudinem.

Proc. Neocast. test. 97.

Ex Relat. vnius ex Discipl. S. Francisci.

Prænuntiatæ clades. Romam celebri comitatu ingreditur. Vaticinatur Conuentum Ordinis in Monte Pincio.

CAP. XII.

CVm autem aliquot dies in Regia Neapolitana diuersatus fuisset, atque Regi Ferdinando veteri, seu I. calamitates, quibus Sceptrum erat conterendum, spiritu prophetico prædixisset, Romam contendit, Duce & Comite Polemarcho, Ioanne de Baudricourt Regis Christianissimi Oratore, cum duobus ordinis fratribus, & nepote hoc est sororis filio, de quo supra egimus, Andrea de Alexio. At non sine graui vitæ periculo Ostiam appulit, nam cum ad fauces Ostiæ, maris tumentis & fluminis raptim decurrentis impetu nauis periculosissime fluctuaret, Nautæ Sanctum Virum, qui in Patroni cella delitescebat aduocauerunt, vti dignaretur Deum deprecari pro omnium, qui periclitabantur salute: quibus ille statim Ait, non posse vitari periculum, nisi se in mare demittant. Igitur non sine omnium admiratione, nam sinus erat profundissimus, & rapidissimus, in mare demisit, & humeris nauigium depulit, in locum tutum, vnde facile adnauigaret, deinde vna cum socio suo se in insulam, seu sæpem quandam recepit, vnde Deum exoraret, pro felici nauis appulsu, ipse vero noluit nauim amplius conscendere, sed ripam versus, mediis in aquis se recepit, & ita Ostiam advenit. Porro id tantam in omnium animos induxit admirationem, vt Romæ ab omnibus veluti Sanctus exceptus fuerit. Nam commota est eius aduentu vniuersa Ciuitas, atque obuiam ei processum est. Confluebantque omnium ordinum primores in eius hospitium, tanquam miraculorum officinam, oraculorumque sedem. Cumque ei progrediendum fuit ad præstandum S. Sedi obedientiam incredibile est, quod turmatim plebs accurreret, eius lateribus adhæreret eumque sequeretur vsque ad Pontificis Summi Palatium. Porro narratur ab aliquibus inter progrediendum per Vrbem circumstantibus prædixisse Conuentum in eo monte, qui dicitur Pincius à suis esse extruendum.

Proc. Xilian. test. 84.

Proc. Soret. test. 26. oculato.

Adorat Summum Pontificem. Sacris initiari recusat. Regulam vaticinatur à Cardinale Nepote firmandam.

CAP. XIII.

DEosculatus est pro more recepto Sixti Quarti pedes mira cum animi corporisque dimissione, & lachrymarum vberrimo profluuio. Iussit vero sanctissimus Pater, Francisco statui sedem è qua cum eo, de rebus Ecclesiæ Catholicæ, atque Regni Dei misteriis, tanta cum pietatis, & cœlitus inditæ doctrinæ copia disseruit, vt tribus repetitis vicibus, non minus quam trium horarum fuerint colloquia. Demiratus est Sixtus Quartus Pontifex Maximus haud vulgarem B. Francisci sanctimoniam, atque propheticam Theologiæ vniuersalis notitiam, quare eum voluit presbyteratus, & aliorum inferiorum ordinum characteribus insignire. Verum pro eximia, quæ in eo erat, humilitate, renuit, seque tanta gloria, quæ vel Angelis ipsis esset inuidenda, & tremenda, indignum asseruit. Id ergo à Sancti Viri humilitate condonatum est: vt cæreorum, Rosariorum, munismatum, & aliarum Imaginum ritu religioso benedicendarum facultatem acceptaret, quibus deinde miracula sua veluti velo quodam contegeret: Porro Regulam suam quæ tunc erat in vsu (nam plures condidit) S. Sedi obtulit confirmandam. Verum quia res non est parui momenti Institutio Regularium Societatum, ea prius aliquot S. R. E. Cardinalibus, pro recepto more discutienda fuit. Vt autem vsu venire solet, non defuerunt, qui acerrime contra noua instituta contenderent, quare sanctissimo Patri relatum est à nonnullis in Congregatione conclamatum fuisse aduersus confirmationem Regulæ expositæ. Aderat autem & adstabat, dum id renunciaretur, Vir Propheta S. Franciscus, qui manu ducta ad Cardinalem de Ruuere, dixit, ille ipse est, qui nostram con-

Ex Relat. Discip. S. Francisci.

Ex litter. Vinc. Cast. Com.

Agrotaria ad Leo. X.

firmabit regulam, prædicens eum ad Sanctæ Sedis Apostolicæ apicem aliquando euehendum: quod ita demum euenit; nam in Pij III. locum suffectus est, Anno 1503. atque anno Pontificatus sui Tertio Regularia Sancti Patris postrema statuta probauit, & diplomatibus sanciuit.

Egressus ex Vrbe celebratissimus. Maris pericula. Miracula innumera. Conuentum Ianuensem indigitat.

CAP. XIV.

Proc. Soret. test. 23.

HIs apud Curiam Romanam, per 6. aut octo dies præstitis, & exploratis, acceptaque à Sancta Sede Apostolica benedictione, in Galliam iter instituit. Vix credi potest quanto plebis vniuersæ concursu, secessus eius ex Vrbe celebratus fuit. Nam ad plura milliaria, frequenti omnium ordinum Comitatu deductus est portum Ostiensem versus, quem vt attigit nauem conscensurus, miraculum omnium exhibuit oculis. Nam cum sinum qui aquarum paucitate non poterat enauigari nauigabilem reddidit, vnico verbo facto, quod nautis omnibus repente mare excreuisse cernentibus, insignem peperit admirationem. Cum autem solutis nauibus altum mare peterent, ventis procellisque adeo puppis cœpit fluctuare vt periculum esset ne mergeretur, quare ad oras obuias secessum est. Verum statim eo loco soluendū fuit, nā Pyratæ velis plenis ad eos cōtendebant, breui sane inuadendos: timor omnes perculit, quæ enim euadendi periculi ratio esset, vbi hinc venti aduersi, & æquor iratum, illinc incurrens Prædonum classis attamen hos bene de Deo sperare, & altum mare petere iussit Sanctus Pater, quo dicto maris tumentes fluctus depressi sunt, ventusque qui ante hac contrarius erat tantopere Sancto Viro fauit, vt breui ad littora Gallica Prouinciam versus, ad oppida Bormi, & Birganci cum duobus ordinis Fratribus, & nepote suo Andrea appulerit. Est vero à nonnullis obseruatum, quod prius quam è naui descenderent exomologesim Sacramentalem fecerit sat longam, fortassis consimili ductus ratione, qua S. Dominicus, qui quamuis illibatæ vitæ vir esset, attamen Ciuitates ingressurus, prius genibus flexis vultu ad terram allso, Deum supplex rogabat, ne ob sua peccata calamitatē aliquam vindexæquissimus scelerum, in Ciues immitteret. Deinde quia ingruentem præuidebat tempestatem, primariis Triremis candelas benedictas, quibus in Domino confisi, aduersus pericula munirentur, dedit. Vix autem Triremis, Neapolim rediens aliquot milliaria emensa fuerat, cum vorticibus ad cœlos vsque eleuatis, mergi videretur. Igitur vna ex candelis benedictis accenditur ab aliquibus: ab aliis vero (vt nautis familiare est) ipsi S. Francisco, & eius Fratribus maledicebatur, ex his vnus in transtro suo par calopodiorum, seu ligneorum calceorum, quibus S. Francisci discipuli fuerant vsi, offendit, eaque per contumeliam in mare proiecit. At qui, vt immissa sunt, mare statim tranquillum, & pacificum apparuit, ipsique Nautæ Neapolim secundis ventis, & vndis regressi sunt. Porro testis vnus nomine Hieronymus Gariant, qui S. Virum è Calabria vsque in Galliam secutus fuit, asserit in Processu Canonizationis tot tantaque edita fuisse in hoc itinere miracula, vt infinita propemodum esse censeantur. Nec est omittenda prophetia, qua Ianuæ exceptus magnificentissime ab Illustrissimo Principe Ioanne Doria, ominatus est Conuentum Ordinis, in eo quo visitur loco extruendum.

Appulsus in Franciam miraculis nobilitatus. Obuiam à Ciuitatibus instar Legati à latere proceditur Vindicta ob contemptas Reliquias.

CAP. XV.

Ex Relat. Discip. S. Francisci.

EA autem tempestate, maritimæ Ciuitates Galliæ, pessima lue, grassante, in deserta quædam conuertebantur paucique erant è Ciuibus, qui non aufugerent ex vrbibus difficileque hospites admittebantur. Cum ergo S. Vir cum suo Comitatu in Bormiensem portum descendisset vrbis aditum præclusum esse comperit. Quare primum Illustris Polemarchus de Baudricourt, Oratorque apud Summum Pontificem Regius, pro eius quam gerebat dignitatis authoritate, imperauit vti portæ aperirentur, at id denegatum est. Nam vrbis decreto ita cautum erat, attamen cum Ciues de Francisci sanctitate, & miraculis certi facti fuissent, obuiam perrexerunt, & ad genua prouoluti, eius ad Deum opem imploratum, nec equidem gratis, nam quotquot peste laborabant, sanitati restituit, omnesque qui aufugerant secure redire iussit. Porro in istius miraculi monumentum primi omnium Basilicam S. Francisco struxerunt, in qua ea celebritate colebatur, vt vicinæ Ciuitates quandocumque pestis apud eas grassabatur, solemni ritu procederent Vrbis muros lustraturi, vnde potentissimum morbo contagioso pharmacum reportabant. Idipsum Foroiulii præstitum est, vbi Ordinis Conuentus visitur, quem tamen aeris intemperies, patribus nostris ob ciborum quadragesimalem inediam (qua quidem corpora labasc unt) infensissima deferere coegit. Quanto vero S. Vir in Galliam vlterius progrediebatur tanto etiam Miraculorum celebritate, & gratia sanitatum Illustriore crescebat, quod plurimum ei Gallorum animos conciliabat & deuinciebat, vt omnes extra muros Ciuitatum, solemni celebrique pompa, obuiam procederent, eodemque honore, qui S. R. E. Legatis à latere exhibeatur, eum exciperent. Nam edicto regio ita cautum fuerat. Certabant Vrbium primores vti eos suo dignaretur hospitio. Nam benedictio Domini, in eos qui eum in nomine IESV excepissent affatim diffluebat. Quicquid vero ad eius vsum fuerat appositum, summa veneratione colebatur & diripiebatur. Quemadmodum cingula, byrri, vestes, coclearia, mantilia, clamides, vestium partes quæ eo inuito, & inscio scindebantur, & recondebantur. Hinc factum est, vt tot Sancti Patris reliquiæ variis in Galliæ Prouinciis religiosissime asseruentur. Quantum autem erga Sancti Viri reliquias pietas Deo fuerit accepta, testatum est, eo quod subtexam exemplo. Acceperat matrona quædam piissima, manipulum vnum fœni, quod Sancti Viri strato inseruierat, idque in summo honore domi repositum habebat. Accessit vir eius qui vxorem superstitionis insimulauit, atque temere pugillum vnum, quo ad corporis secretiores necessitates, vteretur accepit. Cum autem vellet Sanctas reliquias impia manu fœdare, brachium eius in eo situ obriguit quo sacrilegiū istud tentauerat, vt loco mouere non posset. Ergo statim id renunciauit castissimæ coniugi, quæ vnum ex necessariis ad S. Virum, qui mariti sui nomine veniam peteret, pro iniuria eius veneration i facta, transmisit. Quod quidem culpæ, vt à Sancto Viro absente, condonatum est, brachium pristinis, & naturalibus vsibus redditum est. Nec est prætercundum, quantum tot miraculorum & signorum experimentis, Polemarchus profecerit, quippe qui primus omnium Conventum in ditione sua obtulit, qui adhuc visitur, & dicitur Bracancuriensis non longe à celeberrima toto orbe Claravallensi Abbatia dissitus.

LIBER IV.

Profusa Regis in eum, qui aduentantem S. Virum nuntiauit liberalitas. Excipitur à Delphino. Deinde à Rege.

CAP. I.

Proc. Curon. test. 5.

INcredibile est quantum aduentantis S. Francisci relatione Rex Ludouicus delectatus sit, nam ei qui primus eius in Galliam appulsum renunciauit, dixit se tantum de eiusmodi nuncio gaudium concepisse, vt extra se quodammodo positus nesciret an in cœlo, an in terra degeret, eique iussit vt peteret quicquid vellet, pollicitus enim erat se id non negaturum. Ergo Episcopatum pro Fratre suo dicto Petro Moreau, petiuit, quem libentissime Rex concessit: pretereaque decem millia aurea scuta dono dedit. Porro id indubitatum est: nam in processu Turonis facto, Is ipse qui donū istud accepit regia munificentia dignum, testis aduocatus & exceptus præstita fide, coram delegatis à Sancta Sede Apostolica, id refert & deponit. Vt autem Rex Ludouicus S. Eremitam Blæsis esse resciuit, ad Delphinum Carolum, qui in Castro Ambasiensi recluſus asseruabatur, misit

misit vnum ex nobilibus, vti iuberet & curaret eum obuiam è castro, è quo nunquam aut saltem raro excesserat (vti referunt Annales Francorum) S. Viro prodire, quod quidem totius populi & nobilium, qui è Plessiaco Turonum & Blæsiensi territorio circumstabant, acclamatione præstitum est, Isque locus in quo genuflexus Carolus, benedictionem poposcerat, ea obseruatus est religione, vt ibi altare maius Ecclesiæ à Carolo Rege fundatæ, postea extructum fuerit ad rei perpetuam memoriam. Inde ad Augustam Turonum à S. Viro discessum est. De hinc vero ad Plesiacum Castrum ab Vrbe, vno circiter milliario dissitum perrectum est. Verum Rex Ludouicus cum vniuersa nobilium & magnatum corona, pedes extra Regium Castrum medium fere iter, obuiam S. Viro fuit, eumque supplici veneratione amplexatus & osculatus est. Deinde intra palatii sui amplissimas aulas, in quibus commoraretur deduxit. Atqui, cum pictis, concameratis arte varia laquearibus: non delectaretur: istudque hospitium Regium parum cum paupertatis quam charissime fouebat studio non congrueret, Tuguriola quadam ad Sancti Matthæi templum, quod hodie in Castri Regii arca inferiori, & exteriori visitur, curauit sibi è coctis lateribus extrui, in quibus, vna cum aliquot Fratribus, quousque cœnobium extrueretur diuersatus est. Primo autem congressu Rex Ludouicus, genuflexus coram Sancto Patre, rogauit vti dignaretur suis apud Deum qui mortificat & vivificat, precibus & meritis, vitam diutius protelare. At Vir Sanctus, qui ex ipsa iam Italia, Polemarcho de Baudricourt dixerat, se probe scire quod in ea re diuinum esset decretum, noluit ipse statim quod ipse sentiret respondere, ne in desperationem quandam Rex mortis supra omnes mortales pauidus adigeretur: sed profusis pro salute animæ Regis, lachrymis, precibusque feruentissime factis, altera quadam die Regem conuenit, consimilique cohortatus est alloquio. Sciat Regia maiestas constitutos à Deo vitæ terminos, qui præteriri non poterunt, Euocaberis breui ad reddendam Regni tui, & villicationis rationem, nec vlla spes est vitæ vlterius protrahendæ, Quare peccata tua eleemosynis redime, & misericordiis pauperum diuinam satage conciliare, qua summopere indiges miserationem, dispone domui tuæ, breui enim (diem autem signauit vltimam) morieris tu. Equidem ea qua à S. Patriarcha supra naturam gesta sunt plurimum demiramur, at stupendam reor eam Sancti Thaumaturgi constantiam, qua rem auribus regiis ingratissimam, animo impauido ausus fuerit significare, nemo enim in vniverso Regno erat, qui non Regis feritatem valde pertimesceret.

Proc. Curon. test. 34.

Ludouici XI. mutatur animus in melius. Vir Sanctus, variis & dolosis artibus Archiatri explo-ratus.

CAP. II.

NOn est Rex indignatus tale oraculum, sed mente priori depositā ad pietatem & pœnitentiam totum se convertendum existimauit. Attamen Archiatri sui Iacobi Coctier prauis consiliis, & dolosis artibus, Sancti Viri innocentiam, & rerum mundanarum despicientiam aggressus est explorare. Ægre namque ferebat Medicus ille, quem pro Deo Rex habebat in Terris, quod fidem Sancti Patris dictis adhibuisset, vnde spe vitæ productioris ablata, periculum esset ne decem mille scutorum aurcorum pensio, quæ per singulas menses soluebatur, rescinderetur, & deinceps denegaretur, atque pecunia ista in pias operas conuerteretur. Igitur Rex Ludouicus Petro Briconneto, Supremo Generali ærarii sui Præfecto, cui S. Francisci, & eius sociorum cura demandata erat, iussit vti S. Virum per se suosque in omnibus obseruaret, qui relatione facta ad Regem de eximia S. Viri abstinentia (nil enim præter radices sibi dari patiebatur) deque iugi contemplationis studio, mirum in modum Regis animum ad tantarum virtutum obseruantiam, veneration emque composuit. Verum eiusdem Medici consiliis adductus est ad alia quæ sequuntur, experimenta facienda, primumque Argenteam abacum, cæteris instructam vtensilibus, è Thesauro suo ad Sancti Viri cellam transmisit, ad eius vsum, vt paupertatis arctissimæ cuius amore zeloque domunculam extra Palatium incolebat, periculum faceret. At Vir Sanctus Regium munus haud admisit, Inquiens se ligneis aut fictilibus vasis, ad sui & suorum visum opus habere. Id intellexit sagax Medicus, atque primus perrexit renunciatum Regi, Eremitam suum oblatam quidem Abacum argenteam recusasse, nec mirum esse, eo quod (inquiebat) suspicatus esset doli aliquid latere. Id namque plane auersum est paupertati Eremiticæ. Atqui inducebat in Regis animum, vti auream vnam Beatæ Virginis Imaginem infinitis propemodum fulgentem adamantibus, & gemmis adornatam, & varii coloris, lapillis, per Eleemosynarium quempiam eloquentissimum dono daret, ita namque aiebat fiet, vt ambabas vlnis pretiosum illud pignus sub specie Religionis, Auarus ille Eremita amplectatur. Id denuo à Rege præstitum est, tradita namque est imago illa viro in primis totius aulæ Regiæ sapientissimo & disertissimo, vt eam ad S. Eremitam deferret, qui respondit se papiraceam in oratorio, ob oculos habere imaginem, qua Beatæ Virginis memoria, suauius, & Euangelicæ paupertati, quam profitebatur congruentius refricaretur. At instabat Eleemosynarius, exoptat summopere Regia Maiestas, vt ea Imago in extruendo ad Plessiacum Conuentu, asseruetur ad perpetuam eius qua erga te est obseruantiæ memoriam. Verum pie indignatus S. Franciscus, quod eius innocentiæ illuderetur, ait: nolo ego meos Conuentus auro argentoque fulgere, sed pietate paupertatisque desiderio florere. Ad extremum, Rex ipse venit ad Sanctum Virum, saccum vnum aureæ monetæ, deferens & offerens pro Conuentu Romæ extruendo. At Sanctus Vir insidias medici malis artibus structas esse deprehendens Regem monuit vt primum plebem tot iniustissimis exactionibus vexatam grauatamque solaretur: deinde de eleemosynis faciendis cogitaret, si quidem ingrata inquiebat Deo sunt tot pia dona, per te ex pauperum ciuium sanguine, tot in locis oblata. Rediit ad medicum suum Rex Ludouicus, deque ea quam expertus fuerat, Eremitæ Paulani, quem suum Bonum hominem, vulgo cognominabat, sanctimonia plura prolocutus est, cum ea mentis suauitate, vt præ gaudio lachrymæ oculis diffluerent: Nec tamen medici inuidia ipsis experimentis contenta est, nam cum Regis prandentis aliquando adstaret mensæ, incidit sermo de S. Francisco, qua occasione arrepta Aulici, qui Medici fauebant partibus, aliquot in Sancti Viri abstinentiam scommata iecerunt, & calumniati sunt, quod Vir esset hypocrita, qui ciborum inediam fingeret, quibus ipse furtim, & secreto ingurgitaretur. Hinc ergo Regi (cui ad suspicionem, & diffidentiam mens erat composita) venit in mentem, vt pisces duo cocti è mensa sua ad Sanctū Virum secreto deferrentur, quos ille inuito despexit animo, cum autem Architriclinus ad Regem rediisset obsonium intactum referens, conuersus ad Medicum & ad eos, qui circum stabant nobiles, & Regni primores ait, neminem hactenus vidi nec vllum vnquam futurum esse reor, qui tanta viuendi asperitate, & rerum mundanarum despicientia, atque neglectu delectetur, cum possit cutem bene curare: qui paupertatis & humilitatis sit studiosissimus, cum splendorem & gloriam nominis apud homines venari possit. Plane Vir Sanctus est, nec possunt tot Euangelicæ perfectionis exempla, aliunde prouenire, quam è radice indubitatæ charitatis, & sanctimoniæ.

Ex Relat. vnius ex Discipl. S Francisci.

Hinc in Gallia dicti sunt Patres Ordinis, Boni homines.

S. Franciscus inspectante Curia inter orandum eleuatus. Ludouico morienti adstat. Commendat ei tutelæ Delphinus, & vniuersa Regiæ proles.

CAP. III.

QVam autem de Sancto Viro, Rex habebat existimationem, Deus ipse Rex Regum, stupendo testatam voluit miraculo: nam cum pro consueto sibi more, per aliquot dies in syluam Plesiaci Castri, S. Franciscus concessisset, vt contemplationi vacaret, è terra eleuari miroque radiare fulgore primum deprehensus est, ab Anna de Francia, vulgo dicta de Borbonio, & eius comitatu, deinde accersito Rege & vniuersa curia aduentante, plures horas in eo situ permansit, quare veritus Rex ne ingrata foret Religiosa curiositas.

Iussit omnes recedere, & intra Castrum se recipere. Ita nimirum creuit apud Regem insita de B. Viri sanctitate existimatio, nam sæpius, cum vellet eius cellam adire gratia colloquendi de rebus diuinis, respondebatur à fratribus, cum intra Lucum Plessiaci iam per tres, aut quatuor dies secessisse. Vnde sibi in mentem inducebat S. Virum eodem modo in Ecstasim raptum, quare omnes curiales ab ingressu sylvæ prohibebat, donec regredi visus fuisset. Cum vero Sanctum Virum (ab iis qui obseruabant) rediisse nunciatum erat, Rex statim accurrebat vt familiarissime cum eo ageret, vitamque anteactam lachrymis dilueret, operibus pœnitentiæ redimeret disciplinisque seu flagellis corpus nudum, inspectante S. Francisco percuteret, nec poterat Rex ab eius aucli consuetudine, quin statim oculos lachrymæ subirent. Eiusmodi nimirum exercitationibus, ad vitam cum morte plane Christiana commutandam, sero licet sese accinxit. Instante vero mortis tempore Sancti Viri consiliis, à quibus ne latũ quidem tunc vnguem discedebat, Delphinum Carolum quem à natiuitatis die Rex non viderat, è Castro Ambasio in quo detinebatur accersiuit: Eumque vna cum Ioanna filia, quæ Annuntiatarum ordinem instituit, atque Beatitudinis famam consecuta est suis miraculis, plurimum Beati Viri precibus, & consiliis commendauit. Obiit vero ipso S. Friacrii die, iuxta propheticum Sancti Viri oraculum Rex Ludouicus. Cum tamen Archiater Coctier cum Sancto Viro contendisset aliquot diebus antea moriturum, eo quod id sibi artis medicæ argumentis validissimis exploratissimum esset. Verum contra Sanctus Pater futurorum præscius, non prius quam ipsa die Sabbathi (quæ Sancti Friacrii, cui deuotissimus erat Rex festum referebat) è viuis excessurum professebatur, quod ita demum contigit. Venit ergo S. Franciscus in Gallias, non vitam quidem hanc mortalem Regi Ludouico prorogaturus, sed ad æternam immortalemque promerendam adhortationibus, & orationibus cum plurimum proucturus.

Ex Relat. Discip. S. P. Francisci.

S. Franciscus ab intimis Consilijs Caroli VIII. Fœdus Armoricum. S. Albini, & Fornouæ conflictus. Meritissimæ preces S. Viri.

CAP. IV.

QVamdiu Carolus eius nominis VIII. postremis Patris Ludouici monitis obsequutus, piis Sancti Viri consiliis vsus est, prospere fœliciterque res omnes cesserunt: at vbi vel minimum ab eius deflexit præceptis, vindicem Dei manum expertus est. Commendatissimum autem 13. annorum Principem Carolum in præcibus suis habebat S. Franciscus, vt omnia vota, atque exercitamenta eo referret, quo in tenera isthac ætate Regiis assuesceret moribus, prætereaque eam quam apud Regnorum omnium proceres habebat existimationem adhiberet, vt Sceptri Gallici gloriam splendoremque, quantum in se erat, adaugeret, & promoueret. Ergo cum vir perspicacis ingenii probe nosset ex Britannia minori, quam Armoricam dicunt, bellis res Francorum periclitari, vetera composuit dissidia, Annamque Britanniæ Dominam, coniugem sponsamque, Regi Carolo charissimam accersiuit, quod ipse tum per litteras, tum etiam per aliquos è discipulis, seu fratribus, quos ad id muneris obeundum idoneos selegerat, & transmiserat, mira prorsus, & incredibili felicitate peregit, cum nullus esset in vniuerso Regno, qui id ne dicam exequi & prosequi, sed nec aggredi aut vellet, aut ausus fuisset. Atqui id sanctitati & eximiæ, quam apud optimos quosque assequutus fuerat existimationi condonatum est ab hominibus eius sæculi, eo quod paulo ante plurimum à Deo eius precibus Carolo VIII. concessum fuisse intelligerent, supra quam credi posset. Nam cum in San. Albiniacensi conflictu, ancipiti Martis alea cum Ludouico Aurelianensi dimicaretur, præter spem omnium Carolus VIII. victor euasit: quæ quidem Victoria Sancti Viri precibus parta circumferebatur; nam cum exercitus congrederentur, 23. dies perpetuos iciunus, & solitarius in oratione permansit, donec die ipsa Sancti Albini prodiret è Cella, rem lætam suis nunciatum fratribus. En Carolus Rex sanus & victor euasit, gratias agamus Domino Deo exercituum. Simile præstitum narrabo de occursu Potentatuum Italorum, haud procul à Parma, qui dicitur Fornouensis, è quo, miraculo prorsus indubitato, Carolum VIII. à Neapoli quam suis ipse armis subdiderat, reuertentem effluxisse, incolumenque euasisse, referunt historiographi, quibus ignotam diuini auxilii causam propalabo. Nam Sanctus Pater ea ipsa hora qua prælium committebatur, in Conuentu IESV Mariæ ad Plessiacum Turonum prophetico monitus oraculo, fratres singulos coegit, Eia Fratres (inquiens) pro Rege nobis supplicitèr exorandum est: nam in summo vitæ Regnique constitutus est periculo. Igitur exoratum est ab omnibus tum publicis; tum priuatis precibus donec admonitus ab Angelo Sanctus Pater, renuntiauit gratias esse Deo bonorum omnium largitori referendas, pro reportata de hostibus Victoria & euaso tanto, per miraculum, vitæ periculo.

Ex Relat. ius ex Discipl. S. Francisci

Ambasiense Cœnobium. Leuatus de sacro fonte per S. Franciscum Delphinus. Mors Caroli VIII.

CAP. V.

ANtequam è Francia ad Italos iter instituisset Carolus Octauus, à Sancto Patre benedictionem suppliciter acceperat, deque Conuentu ad Castrum Ambasiense, eo in loco in quo Patris Ludouici iussu, Sanctum Virum primum exceperat extruendo, atque de re pecuniaria ad expensas magnificentissimas domus cum vno ex ærario sui Præfectis collocutus fuerat. Verum ille ærarii Præfectus, parum de excitando Conuentu curabat, existimabat enim Regem Carolum ab Italica expeditione, quæ difficillima erat, vix, aut saltem, non nisi post multos annos reuersurum. Cum ergo superatis omnibus, felici euentu præter omnium spem, hostibus rediret, atque id ærarii Præfecto, innotuisset, tumultuario opere eoque humili, ea quæ hodie visitur ædes Sacra, statim extructa est: cum vero Carolus redux eam vidisset vehementer succensuit, ei quem operi præfecerat Viro. Summopere enim exoptabat, cum, in quo S. Viro occurrerat, locum, futuris sæculis celebrari. Porro Conuentus IESV; Mariæ ad Plessiacum Turonum adhuc excitabatur. Nam licet Ludouici XI. temporibus locus datus & assignatus fuerit, non tamen prius emptus fuerat aere Regio, quam Carolus Octauus Sceptro regio potiretur. Scilicet nolebat Rex Ludouicus, ædificiorum religiosorum molem extra Castrum quamdiu vita superstes esset, excitari, eo quod frequentiori Sancti Viri consuetudine delectaretur, qua orbaretur, si in nouo atque extra Palatium constituto Cœnobio degisset vir solitudinis, & contemplationis amantissimus: Nec tamen Carolus Octauus patiebatur paucos dies effluere, quin Sanctum Virum in nouo Conuentu agentem inuiseret, quippe quo vti fidissimo Consiliario, cuius Iudicio & arbitrio, grauissima negotia subiiceret vteretur, memor postremorum Patris Ludouici verborum, quibus monitus fuerat, de non recedendo ne latum quidem vnguem à Sancti Viri præceptis: hinc licet primores Regni Viros ad Consilium secretius, & intimum adhiberet, at omnium consilium ea, quæ Sancti Patris fuerat, Sententia præponderabat, tantæque erat authoritatis & venerationis, vt Illustrissimis Regni Principibus præponeretur, quod in Baptisini Ceremoniis celeberrimi præstitum, & commissum est, in quibus primogenitus Caroli viuifico fonte ablutus est: Nam voluit Rex, vt Sanctus Franciscus Delphinum de sacro fonte leuaret, eique nomen daret, atque imponeret, licet aduocati essent totius Orbis Christiani Principes Illustrissimi, ad eius celebritatem baptismatis. Nomen vero duplex inditum fuit Caroli, & Rutlandi à Sancto Francisco, qui vna cum alio ordinis Minorum Patre, ad baptismi ceremonias, Inter tot Regni Proceres ob Sanctimoniæ, quæ in eo elucescebat existimationem selecto, plures diuino spiritu adhibuit gratiarum actionem, canticaque alternis vocibus recitauit, quemadmodum memoriæ traditum deprehendimus, in vetustissimis iisque indubitatæ veritatis codicibus. Aliquot deinde post dies, Carolum secreto conuenit prædi-

prædicens quot liberos ipse ex Anna castissima Sponsa susceperus esset, admonuitque vti diuinis obsequeretur placitis, alias Dei Vindice manu, ipsum cum ramis præcidendum, quod sane verissimum comprobatum est. Nam cum Rex Carolus adulatorum prauis adductus suasionibus S. Prophetæ consiliis nuncium remisisset, inopinato fato præceptus est in Castro Ambasiæ cum omnes filios præcoci morte prius quam Regno succederent, peremptos & ademptos vidisset quemadmodum Galliarum rerum scriptores memorant.

A Ludouico XII. continetur ne Regno exeat. Francisci I. natiuitas, & Regia dignitas prænuntiatæ.

CAP. VI.

CAROLO Octauo vita functo Regnum ad Ludouicum Aurelianensium Ducem, hæreditario iure proximitatis deuenit. Is autem cum sciret intimum fuisse Sanctum Virum Carolo Octauo, qui cum bella gesserat, vti fieri assolet, vindictæ exercendæ causa, eum despexit: quare Vir Eremiticæ, quam in Calabria duxerat memor vitæ, remeandi facultatem à Rege facillime obtinuit. Verum Regni procerес, qui tanti Viri pietate, atque innocentia propemodum Angelica, stemma Gallicum fulciri comprobrauit, eius è Gallia secessui obstiterunt, atque apud maiestatem Christianissimam, vti licentiam datam reuocaret exoratuerunt. Ipse vero Rex Ludouicus XII. concepta meliori, de celebri Sancti Viri fama, existimatione, cum conuenit, in quo tantam sanctimoniam expertus est, vt virtute de alto quodammodo perfusus, lachrymarum Imbre madens ex eius cella prodierit professusque fuerit, se nunquam in animum ante hac potuisse inducere quale istud foret Sanctitatis ornamentum paludamento Regio. Ergo deinceps plurimam fidem Sancti Viri dictis, & monitis adhibuit, eoque vti intimo Consiliario vsus est, nec vnquam committere voluit vt Regni columen è ditionibus suis exiret. Ex his autem qui apud Regem pro Sancto Viro perorauerant recensentur Georgius de Ambasia S. Francisci familiaris, S.R.E. Card. Legatus à latere, Vir miræ pictatis & integritatis illibatæ, qui S. Francisci fusa Ordinum Religiosorum collapsam disciplinam restituit Illustrissima etiam Principissa Aloysia de Sabaudia, memor recens accepti beneficii: nam cum plures annos absque liberis fuscepti ex Duce Engolis mensi Carolo Valesio in coniugali fide, ob sterilitatis vitium degisset, ad S. Francisci, cuius fama celebris erat merita confugit, qui primo colloquio cum ea habito pollicitus est ei filium, prædicens eum Regio Galliæ Sceptro positurum. Illa vero id factu impossibile rata, eo quod multi essent superstites, quibus Regnum prius contingeret, non eo, respondit, contendit animus, vt Regem sed vt heredem bonorum meorum filium instituam. Vouco ego, & polliceor Deo omnipotenti, me, si eius benignitate tuisque præcibus, filium obtineam, Francisci nomen in tui memoriam daturum: cui denique Vir Sanctus, Et filium habebis & Francorum Regem, vtrumque vero contigit: nam vno post acceptum istud oraculum mense, grauidam se sensit nouemque de hinc post menses edidit filium fulgentissimum, qui defuncto, sine liberis Ludouico XII. successit in Regno, atque Franciscus eius nominis primus, dictus est. Ita ergo Sancto Francisco auctore & oratore apud Deum Francorum Rex Franciscus primus & datus & dictus est. Faciebat etiam ad commendationem Beati Francisci viuifico Nobilis cuiusdam Equitis Gregorii de Vico apud Regem, relatio, qui cum pro Ludouico Aurelianorum tunc temporis Duce confligeret, aduersus Regium Caroli Octaui ad S. Albinum exercitum, tormenti bellici igneo globo, in fronte media appetitus, non fuerat læsus quanquam cuti nudæ, & contactæ obstitisset idque meritis Patris Francisci à quo candelam cereamque acceperat, quam Religionis & periculi propulsandi gratia cassidi ferreæ concluserat. Porro is in beneficiis accepti memoriam, & gratiarum actionem habitum Religiosum è S. P. manibus accepit Turonis, in quo vitam sibi diuina ope seruatam duxit Sanctissimam.

Proc. Turon. test. 38.

Miracula in Turonensi Cœnobio. Serpentes, & Apes manibus nudis, & illæsis translatæ.

CAP. VII.

ERgo in Plessiaco Turonum Conuentu, Ludouico XII. Ita iubente senectutis dies supremos Vir Sanctus exegit, non minus miraculis in decrepita ætate, quam incunte claruς, quæ sigillatim enarrare prorsus est superuacaneum: paucula quæ tum in ordinis propagatione & regimine, tum etiam in Conuentuum fabrica excitanda visa sunt attingam, plura alia solum modo per Elenchum annotaturus, ac primo quidem omnium eximium innocentiæ eius exemplum producam. Nam cum fratres cam Plessiaci Luci aream, in qua Sacra Aedes struenda erat, arbustis viminibus, sentibus, & spinetis quibus rigebat emundaret, Innumeri pene serpentes deprehendebantur, quos artibus variis occidere nitebantur. Verum iussit Pius Paterab infectorum istiusmodi nece abstinere, datas à Deo esse pauperculis animantibus, inducias asserens, vt in eo loco ad sequentem vsque diem remanerent: Id autem ex familiari sibi animi demissione dicebat, vti futurum celaret miraculum: Si quidem ipsa nocte, vbi peroraſset eo se contulit, colubrosque venenosos manibus nudis, intrepide apprehensos alio citra periculum vllum transtulit; non enim in quantumuis venenata animantia, quæ in peccati vindictam aduersum nos exercendam, variis armata sunt nocendi actibus, sed in nos tantorum naturæ malorum auctores, iugi pœnitentia fæuiendum esse dicebat. Prætereaque censebat Viros Euangelicos, iis donandos esse priuilegiis, quibus primi olim Illustres fuere Christiani. vt inoffensi, serpentes tollerent, etsi mortiferum, hoc est, ad vitam tutandam, & prorogandam minus aptum Edulium, quemadmodum in quadragesimali abstinentia, vsu cernitur sumpsissent, non eis noceret. Simile responsum, fratri cuidam ex suis dedit, qui cum venenari serpentis spiculo percussum se sensisset ad S. Patrem se contulerat. Eia fili, inquit Thaumaturgus, fide tantum in domino: nam diuina munificentia, te fratresque tuos, si fidem habeatis sicut granum sinapis, hæc signa sequentur, In nomine IESV dæmonia eiicietis, serpentes tolletis, etsi mortiferum quid biberitis non vobis nocebit. Eadem denique ductus Sanctimonia, examen apum, nudis digitis singulas contrectans, alio mouit loco, Iussitque eas intra concauum arboris cuiusdam stipitem mellificare. Prætereo ea, quæ frequenter ex eius elabebantur manibus miracula, leprosos quos mundauit, claudes quibus incessum mutos, quels loquelam, [illegible] quibus visum, surdos quibus auditum, Superna omnipotentia restituebat prout ex curationum diuersarum infra subiecta Elenco coniicere est.

Ex Relat. vnius è discip. S. Francisc.

Enumeratio Curationum aliquot miraculo præstitarum Agente Turonis S. Francisco.

CAP. VIII.

IOannes Lescart Turonensis mercator, Scrophis à quibus per Carolum VIII. tactu Regio sanatus non fuerat, Sancti Viri precibus liberatur. Proc. Turon. test. 30. cum tamen prius iussus fuisset singulis anni diebus Veneris, aut Sabbathi ieiunare, atque quinquies Pater noster, & totidem Aue Maria manibus in modum crucifixi expansis, flexisque genibus recitare.

Mulier quædam mente capta, atque furens, accepto à S. Francisco frustulo panis conualescit, test. 37.

R. Pater Stephanus Ioly Ordinis Minimorum ab infestatione dæmonum, quam diutissime passus fuerat liberatur, deindeab incurabili morbo sanatur, test. 42.

Emericus Bernardeau mercator Turonensis, febre continua eximitur accepto prius à S. Francisco manipulo herbarum sylvestrium, Proc. Turon. test. 6.

Ioanna, Coniux Martini Dolin, cum in suis puerperiis arte Chirurgorum vteretur, membratimque discerptos Infantes emitteret, se S. P. Francisci precibus commendauit. Vnde fœtum, deinceps sine dolore, & periculo edidit, adhibita vna candela ab eodem S. P. benedicta, test. 13.

Depo-

Deponit Ioanna, Hilarii Bonhomme vxor, & obstetrix Turonensis, accensis benedictis à S. Patre Candelis, mulieres à puerperiorum periculis sæpissime liberatas, test. 14.

Ioanna Thomæ Vaillant relicta, eximitur ab infirmitate lethali, atque à medicis, & consanguineis desperata, test. 15.

Ioanna vxor Ioannis Mesnage mercatoris, iuuatur in partu, & liberatur à vehementi cholico dolore, & catholica paralysi, test. 17.

Maria vidua Andreæ Iegier, mercatoris, prophetica S. Francisci oracula dum viueret bis accepit, post mortem vero illius, cum mamma grauiter laboraret, adiit eius sepulchrũ, & sanitati reddita est: Itemque conualuit ab apostemate, quod intumuerat in crure, test. 20.

Candelis datis, vxor Guilelmi Borbonij, sex menses grauida, ac fluxum sanguinis vehementissimum passa, liberatur, & recitatis quinque Pater noster, & totidem Aue Maria sanitati secum incolumem, test. 21.

Mulier quædam Martina nomine, plures annos grauem perpessa dolorem, ex fistula quam in vno gerebat latere, admonetur de melius parentibus obtemperando, eo quod illud vulnus à Deo immissum fuisset in pœnam, & vindictam perfractæ, & obduratæ erga parentes mentis, deinde Sancti Viri precibus conualescit, test. 29.

Liberat R. P. Franciscum Binet, qui deinde fuit primus post S. Franciscum Generalis, à desperati morbi periculo, ominaturque eum multa eaque gloriosa pro ordine suscepturum, ac tandem Romam profecturum, quod contigit cum transmissus est ad Iulium II. Regulæ confirmandæ causa, test. 39.

Expulsiones Dæmonum è Religiosorum corporibus.

CAP. IX.

ATqui multo illustriora fuere, quæ in eius Discipulis contigere miracula: hos namque vitæ Angelicæ Tyrones, Dæmon cruentissime insectabatur, duo commemorabo exempla: primum in Turonensis adolescentis Illustri loco oriundi persona. Is enim cum pro maiorum institutione Generalem exomologesim facere vellet, à Sathana correptus est, quod primum patribus hoc pacto innotuit. Cum in refectorio cum cæteris fratribus accumberet, singultus intimis emittebat penetralibus, & lachrymas vberrime profunderet. Quod quidem Nouitiorum Informator contritionis [illegible]abat. At vero cum ab omnibus solemni ritu discederetur, & procederetur ad Ecclesiam, Nouitius ex ordine egressus, in dormitorium confugit, quod Patrem informatorem mouit, vt quid tandem rei esset obseruaret. Sequutus est nouitium, quem intra Cellam strato suo decumbentem reperit, vultu horrendo, ore detrito, oculisque instar titionum ardentium, succensis, sudorem vaporemque sulphureum toto corpore euomentem, adeo vt intra Cellam dormitoriumque ipsum, vix vllus fratrum, aut posset, aut auderet consistere. Ex his signis iuuenem arreptitium coniectauit; quare ad Exorcismos à Patribus deuentum est, qui tamen cum per aliquod tempus institissent abiiciendo cacodæmoni, nihil profecerunt. Igitur omnium ea vox vna fuit, vt ad Sanctum Patrem, qui in cella priuata extra dormitorium degebat, & cum Deo familiarius agebat, accurreretur. Is vero de rei funestæ euentu admonitus, scipione quo senex in ambulando fulciebatur, arrepto, festinus progrediebatur. Intereaque de Sathanæ versutia, & odio in Dei familiares conquerebatur. O Sathana, inquiebat, quantum eos, qui veram peccatorum pœnitentiam aggrediuntur, discrucias! vt autem ad Fratris Nouitii cellam aduenit, aduertit passionem Dominicam reuerenter legi à Sacerdotibus, quare ab ingressu donec absolueretur pedem prohibuit. Ea autem persoluta introgressus est, atque lachrymis & altis suspiriis, dæmonis malas artes, deplorans, quæsiuit quam ob causam Adolescentem Creatoris, & Saluatoris obsequiis mancipatum, ita discruciaret. Sathanas autem linguis Hebræa, Græca, Latina, aliisque Idiomatibus cum Sancto Viro, qui miraculo prorsus stupendo iisdem linguis respondebat, Sermonem ad horam vnam protraxit. Porro adeo duriter cum cacodæmone Vir Sanctus agebat, vt à corpore secedere coactus fuerit; facta hac; pro liberatione energumeni, breui ad Christum IESVM aspiratione: ô pie IESV miserere eius adolescentis, Effugit ergo Dæmon nouitiumque semianimem disiecit, quem Sanctus Pater manu subleuauit. Iubens verbis italicis, vt bono animo per claritatem esset. Surrexit nouitius, & compos mentis atque salutis, ad genua prouolutus, gratias Sancto Viro liberatori, eleganti oratione (quanquam indoctus esset) persoluit. Accepta deniq; isthac occasione de Sathanæ versutiis, & dolis malis, docte ac pie pluribus verbis, infusa cœlitus Sapientia disseruit, coram vniuersis Fratribus S. Patriarcha. Consimili virtute Fr. Stephanum à fœdissimo spiritu quo varijs Imaginibus nunc horrendis, nunc flagitiosis & venereis deterebatur, liberauit: nam pijs Sancti Viri consilijs & dictis constantior, & fortior factus, Sathanæ conatibus, signo Crucis, & orationis clypeo, sese apposuit. Quare victus immundus spiritus aufugit, nec amplius ausus est, vel minimam Sancti Viri discipulo, molestiam inferre. Vt autem in saluandis Energumenis diuina passim Sancti Patris virtus celebratur, ex variis regionibus Arreptitii adducebantur, Inter quas ex ordine Minorum nouitius, qui à Sathana vehementissime distrahebatur, oblatus est. At vero ex humilitate noluit Sanctus Patriarcha, in alterius (quem venerabatur) ordinis Religiosum, preces vllas adiuratorias fundere. Sed respondit sufficere, quod Sancti Francisci Assissinatis precibus, & meritis commendaretur. Id autem gratia denegatum fuerat ne Frater iste nouitius istius liberationis occasione, ex habitu quem primum susceperat, in Sancti Patris Francisci Assissinatis ordine ad suum conuolaret. Deinde tacite commonebat quantum sollicite intra ordinem cuiusque suum salutis remedia disquirenda, quamquam vrgentibus rebus tantum, alio sit ad auxilia recurrendum. Attamen Patrum ordinis Minorum, qui nouitium pertraxerant victus precibus, cacodæmona profligauit. Eumque hortatus est, vti regulam adamussim obseruaret. Incumberetque constantissime spiritui ordinis sui assequendo. *Proc. Turon. test. 42.*

R. P. Prior Maioris Monasterij Ordinis S. Benedicti admissus ad habitum. Eius præclara gesta. Sanctimonia.

CAP. X.

QVantum in continendis Fratribus, intra Ordinem pietate obseruantiaque Religionis florentem, erat intentus: tantum in transferendis è perditæ regularis obseruantiæ conuentibus, ad vigentes disciplina Religiosa, facilem se præbebat. Hinc facili negotio R. P. Franciscum Binet, qui in celeberrimo Maioris Monasterii ad Augustam Turonum, cœnobio Prior erat, ad habitum Sanctum admisit: eo quod ea tempestate collapsam ibi regularem disciplinam, quemadmodum ex conscripta ab eo conuersionis suæ historia videre est, probe sciret. Is autem miræ fuit probitatis vir, & indefessæ obseruantiæ. Quippe quem supra cæteros discipulos plurimum veneraretur Sanctus Patriarcha, vt sæpius legatur Sanctum Franciscum in Choro, pro sua, quam Generalis obtinebat dignitate sedentem noluisse, osculum pacis, in missæ sacrificio recipere, quin prius datum fuisset Fratri Francisco Binet. Sæpius enim, vt etiam ex eius literis colligitur ore prophetico dicebat cum plurimum Religioni profuturum, quod verissimum fuit, nam tres postremæ regulæ, quæ hodie sunt in vsu eo consulente, & fortassis conscribente vna cum Correctorio, à S. Patriarcha editæ sunt, atque à Iulio Papa II. approbatæ. Quartum quadragesimalis inediæ votum, eius opera ab omnibus in Ordinis Concilio I. Romano (in quo Ordinis Generalis electus, & renunciatus fuit) receptum, deinde eius industria, atque diligentia Sanctus Pater Franciscus, in album Sanctorum relatus est. Tertiũ ad Generalatus, & zelozatus apicẽ tanquã Aaron euectus, id muneris inuitus iubenteq; Sancta Sede Apostolica, dignissime gessit, plurimisq; pro Dei, & S. Patriarchæ gloria, atque *Proc. Turon.*

ordinis nascentis splendore, & incremento perfunctus laboribus, Deo, & hominibus, hoc est, Regibus Christianis dilectus diem suum clausit, non sine singularis apud Deum meriti existimatione, vt eius sepulchrum per aliquod tempus olim, fidelium votis celebratum fuerit; eiusq; Reliquiæ contra Energumenos plurimum posse ab exorcistis sæpius compertum fuerit.

Huius autem opera, supra cæteros discipulos; quos ex primis Reipublicæ ordinibus miraculorum gratia ad vitæ eius consortium pertraxerat, vsus est Egregius Patriarcha, ad ordinem propagandum. Equidem è Regni proceribus, plerique ea, quæ in Sanctis eius discipulis elucescebat, pietate permoti, Conuentus offerebant: Verum vir prouidus ob oculos semper habebat, propheticam illam comminationẽ, Multiplicasti gentem, sed non magnificasti lætitiam: quare veritus ne ex nimia, & intempestiuæ Fratrum propagatione, aliquid religiosæ disciplinæ detrimẽti inferretur, maluit paucos Fratres, atque Conuentus admittere sua tempestate: prædicens centesimo post eius obitum circiter anno, latius ordinem diffundendum, vti nostra ætate contigit. Porro præcipua ordinis sui Cœnobia, Potentiss. Principum importunis victus precibus acceptauit, Extantque adhuc terrico ria eo renuente, Ordinis Conuentibus extruendis dedita, quæ noluit à Fratribus incoli. Qui demum fuere S. Patris temporibus instaurati Conuentus, beneficiorum eius precibus ab Illustrissimis quibusque Principibus acceptorum sunt monimenta. Giennensis namq; munificentia Illustrissimæ Principissæ Annæ de Francia; Castreraldensis, Aloysiæ de Sabaudia (quæ Sancti Viri meritis prolem fœlicissime exorauerat) liberalitate excitati sunt. Tholosanus, & Grationopolitanus à piissimo Episcopo Laurentio Lallemant, in grati animi monimentum donati sunt. Iam enim ex narratorum lectione constat satis de Bracancuriensis, Turonensis, & Ambasiensis origine, & causis.

Sathanæ molimina in Grationopolitanum Conuentum. Parisienses aduersantur.

CAP. XI.

PLurimum Ordinum Religiosorum instauratoribus, aut propagatoribus in piis suis institutis confirmandis proderit, si quantum in aliquibus fundandis Conuentibus à Sancto Patriarcha laboratum fuerit, paucis perstringamus. Nam in Grationopolitano IESV Mariæ Cœnobio excitando, pius Præsul Laurentius aduersa plurima perpessus est, quippe infensissimos habuit cum Dæmonas, tum etiam affines: Dæmones quidem, quorum inuidia duæ, quibus lapides ad fabricam vehebantur naues submergi visæ sunt, & Cãpanile ignis conflagratione deiectum est: parentes vero, qui nullum non mouebant lapidem, vt eius obstarent beneuolentiæ. Verum pius ille Antistes, miraculorum, quæ Sanctarum Beati Francisci Reliquiarum virtute edebantur, in suis obfirmabatur propositis. Nam pane vno quem à Sancto Viro ad morbi medicinam acceptarat, & diu asseruarat, charissimos nepotes febre acutissima periclitantes non abs miraculo recreauit, quandamq; fœminam, in cuius ore aperto dormientis stomachum, serpens sese demiserat (fessa enim decumbebat in medio prato) ineuitabili mortis periculo liberauit. Quod si aduersos maleuolorum conatus in Grationopolitano sustinuit Vir Sanctus, equidem in Nigeonensi ad Lutetiam Parisiorum agro, pro Conuentu totius Ordinis iuxta Propheticam eius sententiam celeberrimo, extruendo, comparando, & à Fratribus occupando, multo plures expertus est. Nam licet Ager ille in quo vetustissimi Castri delubra visebantur, à clarissimo viro Iacobo Mohier Domino de Villiers, in acceptæ Turonis à sancto Viro gratiæ monumentum, dono datus fuisset: attamen ab Annæ Francorum Reginæ domus Præfecto obstitum est eius nomine; quippe quod ad eam pertinere diceret. Igitur diu litigatum est. Verum vt Annæ (cui Pater Franciscus erat charissimus) id renunciatum est, quicquid sui erat iuris libentissime concessit, quare lite ea ratione composita Castrum ad ordinem translatum est. Aliunde quoque contra Sanctum Virum dimicatum est: nam antequam is ager duobus milliaribus ab Vrbe dissitus, Religiosæ Fratrum habitationi assignaretur, contendebat Vir Sanctus Fratribus ad id specialiter deputatis, & transmissis situm aliquem intra Vrbis septa, ad Conuentum extruendum, comparare, atque super hoc licentiã, & facultatem ab Episcopo, & Vrbis patronis obtinere. Verum consilio de Episcopi auctoritate habito prohibitus est, dicebatur enim veterum Religiosorum institutis nouum illum mendicantium ordinem non parum nociturum. *Ex Relat. discip. S. P. Francisc.*

Doctores Sorbonici infusa scientia superati, Conciliati deinde Ordinis Propugnatores.

CAP. XIII.

QVi autem Sancto Viro plurimum aduersabantur, ii è Sorbonica Schola erant Theologi, Ioannes Quintinus Parisiensis Diœcesis, à Pœnitentiis, & Ioannes Standonc pauperum montis acuti (quos vulgo Capetas dicunt) restaurator. Quantum vero fuerant infensi, tantundem postea nascentis ordinis extiterunt acerrimi propugnatores, atq; propagatores: quod ita accidit. Cum è Parisiis ad Plessiacum Turonum missi essent legati, ad grauissima quædam negotia apud Regem pertractanda, Sanctum Eremitam de cuius miraculis plurima passim circumferebantur, inuisendum atq; probandum duxerunt. Existimabant enim conficta, atque commentitia esse, quæ audierant: Atqui cũ Augustam Turonum primum adiissent, duos è Conuentu Plessiaci Turonum Fratres prophetico dictante spiritu, à S. Viro ad hospitium, vbi se receperant missos, statim offenderunt: qui Conuentum Patriarchæ nomine, vti dignarentur eo se transferre offerrent, quare rei nouitatem demirati, responderunt se quamprimum apud Regem perorassent, è Castro Plessiaco in adiacentem Conuentum profecturos. Hi ergo sanctum Virum legatione facta inuiserunt, quibus cum diuino plenus spiritu de abstrusioribus Sacræ Theologiæ controuersiis plane disseruit, difficilioresq; vtriusque testamenti locos mira facilitate, atque perspicuitate aperuit, & explicauit: ad extremum eis prædixit futuros aliquando ordinis vindices, & Mœcenates integerrimos, quod dehinc præstitum est.

Nam Ioannes Quintinus, aliquot annos Fratres, vti mox diximus Lutetiam transmissos, donec Nigeonẽsis ager daretur, atq; pacifice possideretur in domo sua priuata detinuit, atque sumptibus ipse suis educauit eaque cum pietate, & zelo ordinem fouit, vt Procurator Generalis, & Sancti Viri quodammodo Vicarius, cui omnimodam in Fratres potestatem S. Patriarcha per literas committeret, esse meruerit, nec alibi cor asseruari voluerit, quam in eo Cõuentu vbi honorifice conditum est, quo significaret omnibus quanta charitate vniuersum Ordinem ob S. Francisci, quem summe venerabatur, merita amplexatus fuerit. Horum Theologorum opera in componenda Fratrum Mendicantium lite vsus est S. Franciscus, hi enim occasione Bracancuriensis Conuẽtus, qui incoli incipiebat conquesti sunt, quod eorum paupertati non parum inferretur detrimentum, prohibebantq; atq; arcebant Fratres nostros ab emendicatione, quæ ostiatim fieri solet à mendicantibus, in quorum numerum relata iampridem fuerat Congregatio nostra recens instaurata. Verum S. Patriarcha Charitatis amantissimus, ne deinceps dissidium simile oriretur inter eos, quos vnitate spiritus in vinculo pacis decet coarctari; aliquos annuos reditus quanquam exiguos, non tam quibus Conuentus ditescerent, quam quibus iurgia eiusmodi extinguerentur, primum suscepit à fundatoribus, quos à profusiori largitate prohibuit. Cauens præterea ne reditus illos Fratres in iudicio, aut foro contentioso repeterent. Sic namq; fuit Euangelicæ paupertatis amans, vt eum eam cum charitate congredi, & contendere senserit Charitatem, quæ finis est legis, Paupertati, anteposuerit. Eam ob rem Angelicis concinentibus, & modulantibus Choris, è cœlo demissum recepit scutum Ordinis in quo Charitas aureis literis super tabula cæruleo depicta colore descripta erat, quam suorum cordibus Fratrum insculpendam penitus exhibuit, atque ob oculos posuit. Porro ferunt S. Patriarcham huius litis componendæ gratia Parisios venisse, vnde ea domus & familia apud quam diuersatus est, diuina benedictione adeo largiter perfusa est, vt eam experti familiares, & nepotes noluerint vnquam hospitium illud vllo distrahere, aut diuendere pretio. *Ex traditione.*

Admissi ad habitum ex Hispania Legati Regii. Primi Ordinis in Hispaniam inuectores. Fratres dicti de Victoria.

CAP. XIII.

Ex Hispanis auctoribus.

DVm S. Pater Franciscus in Galliis cum Regibus Christianissimis ageret, Sarracenis, seu Mauris ex Hispania prorsus exterminandis, & profligandis instabat Ferdinandus eius nominis primus, qui magni & Catholici nomen ex eo consecutus est. Cum ergo belli istius Ciuilis, & aliorum negociorum causa frequentius à Rege Ferdinando per literas, & missis ad Legationem viris Regni. Hispaniarum præcipuis per consuetudinem innotesceret, plures sibi deuinxit amicitia viros, duosq; Ordini suo asciuit religiosos, quibus ad propagationem Religionis per Hispaniam vteretur R. P. Bernardum Buil, & Ferdinandum Pandurum, illum quidē cum pro Ferdinando Rege Oratorem ageret, hunc eo quod cum Illustre Principe etiam ad Legationem misso Turones aduentasset. Perstringam paucis rem totam. R. P. Bernardus Buil ex S. P. Benidicti Ordine in Monteferrato Monachus generis nobilitate, ac ingenii perspicuitate, & rerum gerendarum solertia clarissimus erat. Is è compluribus Hispaniæ proceribus selectus est ad difficillimam, & grauissimam legationem, quo in munere gloriam sibi, & suis non mediocrem peperit, prætereaq; frequentibus cum S. Propheta colloquiis ad eius consortium aduocatus est, quare reddita Ferdinando magno de sua legatione, ratione rediit in Franciam, atq; à S. Patriarcha habitum Ordinis exorauit, quem solemni ritu indutus est à S. Viro. Eum vero aliquot annos professum missionis in Hispaniam caput, & Vicarium generalem instituit S. Patriarcha, qui vna cum 12. Fratribus ad id transmissis Ordinem propagaret per pacata Regna Hispaniarum, quippe iam profligati erant Mauri, idq; non sine præstita S. Viri precibus, & vaticiniis ope: Nam dum Malacam Granatæ Ferdinandus I. obsideret, nec vlla spes Regiis copiis suppeteret Vrbis inuadendæ, & occupandæ, rei quæ gerenda erat inter contemplandum, euentum edoctus S. Franciscus duos aduocatos Fratres (quos R. P. Bernardinum à Cropulatu Italum, & Damianum Lespriuier Gallum suspicor) datis obedientiis, & literis ad Regem Ferdinandū transmisit. His autem literis S. Propheta Regem ne animo excideret, adhortabatur, breuiq; futurum esse, si confidat in Domino exercituum vti Ciuitas obsessa obtineretur, quod fere nocte post acceptas literas contigit, nam terrore Panico intra Vrbem immisso attoniti Mauri ianuis apertis effugere ex ea parte, quæ obsitum erat obsidione libera. Eam ob causam Fratres illi Ordinis nondum noti, vulgo de Victoria dicti sunt, eoq; in loco, vbi Castra erant, primum sacellum Eremiticum D. Mariæ de Victoria dicatum est, quod Anachoritæ Sanctissimæ vitæ Bartholomæo Colinæ fuit concreditum, donec anno circiter 1492. R. P. Bernardo Buil, eiusq; sociis vndecim publico instrumento fuit datum, cum eo qui ibidem visitur excitatus Conuentus N. Dominæ de Victoria nuncupato, vnde annuente Rege in reportatæ victoriæ memoriam Ordinis nostri Fratres de Victoria dicuntur. Nec est prætereundum quomodo primum in clarissimi Viri Petri de Lucena Olit Palatio, qui cum S. P. Francisco Turonis dum legatione fungeretur sæpius collocutus fuerat, duodecim missionis Patres suscepti fuerint intra Anduxarensem Ciuitatem, deinde vero S. Helenæ Eremus ad eam Vrbem sita eius liberalitate, ab eis incoli cœperit, quousq; in eadem Ciuitate duo Conuentus, vnus Fratrum, alter vero Monialium (in quo orbata marito eius filia cum duabus filiabus primæ omnium habitum religiosum susceperunt) eximia sanè munificentia construerentur.

Chronic. Ord. Hisp. & Gallic.

Genebr. in Chron.

Ordo propagatus per Germaniam. Romanus Sanctissimæ Trinitatis Conuentus Francis attribuitur. Conuentuum in vniuersum Numerus.

CAP. XIV.

ATque ea fuere Religionis per Hispaniam primordia, & incrementa. Quod autem pertinet ad diffusum per Germaniam Ordinem, certo certius est, tres Conuentus temporibus S. Patris Francisci à missis Patribus fundatos, efflagitante, & aduocante Federico III. Imperatore. Rege vero Romanorum Maximiliano, qui postea successit. Federico Regia prorsus liberalitate, & pietate in S. Patriarcham, Cœnobium Sanctissimæ Trinitatis ad Ciuitatem Salisburgensem vulgo Salpruch dictam extruente, ad cuius imitationem duo alia non procul ab Vrbe Brephensi, vnum S. Andreæ, alterum S. Annæ dicata sunt. Porro ea Lutheranæ sectæ furoribus obuia fuere anno circiter 1523. atq; aliquot in iis S. Fratres reperti, variis iisq; sane atrocissimis excruciati tormentis pro Catholica fide, mortem constantissime oppetiuere, quorum nomina descripta in libro vitæ veterum temporum incuria nobis ignota sunt. Ita ergo vir prouidus suum per Orbis varia climata Ordinem extendit, qui postea radices altiores ageret, atq; deinde amplius diffunderetur. Cumque sciret Romæ, vbi sedes est S. Petri, apprime vtilem esse Conuentum, non passus est Carolum VIII. ex Italica expeditione redire, quin ab eius munificentia locum Regularibus ædificiis, & exercitationibus idoneum prius per literas exorasset, in cuius beneficii memoriam, cauit ne alii præter scepti Gallici indigenas in eo, quod hodie celeberrimum, & sanctissimum aliis eminet Sanctissimæ Trinitatis Cœnobiū, possent ius Conuentualis residentiæ, obtinere, quod quidem Nationis Gallicæ priuilegium variis Summorum Pontificū diplomatibus sancitum, & corroboratum est. Porro Conuentus S. Viri temporibus, accepti destinati, aut excitati 30. vix excedunt numerum, qui hodie excreuit ad 388.

Ex Ord. Tradit.

Ex literis S.P. Francisci ex sētent. Sum. Pontific.

De Tertia Regula, Eius Professoribus collata cœlitus gratia.

CAP. XV.

SVperest, vt pauca de Tertia vtriusque sexus fidelium, quos vulgo Tertiarios dicimus, Regula, eiusque Professorum amplitudine, & claritate, attingamus. Siquidem in ea nonnulli fuere passim opinione ex veterum monimentorū ignoratione, vt arbitrati sint nullos extitisse fideles, qui in sæculo degentes fidem, S. Patris Francisci præscriptis, quandiu vixerit in Regula Tertia præstiterint. Verum quam erronea sit ista sententia, ex pluribus locis, qui in actis ad Canonizationem leguntur, mihi liquido constat. Siquidem primis Ordinis nascentis temporibus, longe amplior erat, & propagatior sæcularium, qui in Congregatione, & obseruatione Regulæ à S. Patriarcha scriptæ ei adhærebant; quam Fratrum, congruentiusq; erat Diuinæ gloriæ, & plurimorum salutis promouendæ medium plures in sæculo filios adoptare, quam paucos fratres ad Eremos, aut Cœnobia trahere. Equidem dum degeret S. P. Franciscus in Calabria eius regionis viros illustres, matronasq; clarissimas habebat, quæ Tertiæ Regulæ Professione eam quam omnes admirabantur, vitæ sanctimoniam imitari, & benefactis assequi, intra priuatas domos conabantur. Hos vero mira fouebat charitate, quos in Christo Iesu genuerat, eorumq; occasione plurima perpetrauit miracula; Imo vero iis, qui eam amplecti Regulam proposuissent, Deus gratias sæpius supra naturæ consuetum Ordinem contulit. Narrabo ergo aliquot exempla. Primum ex Bulla Canonizationis Leonis X. desumptum est. Nam cum Ioanna quædam è Terra Montis alti, voto pollicita fuisset Deo, se vanitatibus sæculi nuntium remissuram, & in habitu Tertiæ Regulæ Dei obsequiis se mancipaturam, statim S. P. Francisci, cuius precibus se commendarat meritis, Franciscus eius filius supremum agens spiritum conualescit & reuiuiscit. Secundum eiusmodi est. Fratri Bernardino Prouenziano è Cosentia progredienti, obortus est dolor quidam in naso, qui deinde statim tumorem ad quatuor circiter palmas stupendum excitauit, quare per triginta quatuor dies visus, auditusq; officiis exemptus, non poterat aliquid obsonii sumere præterquam tenui quadam palea nonnihil liquidi ebibere, & sensim exhaurire. Porro adeo vultu deformatus erat, vt ab omnibus tanquam ad horrendum quoddam monstrum accurreretur. Cumq; Sacerdos in extremis constituto viaticum administrandum detulisset, non potuit sacram Eucharistiam immittere in os eius, quippe quod vix appareret. Id autem cum eius pientissima coniux plurimum ægre ferret ad cœlestem medicum se totam conuertit, pollicitaq; est B.P.

Bull. Canonizat. Proc. Cosent. test. 29. habetur Cosentiæ fuisse Tertiariarum familiam in qua sub vna Correctrice erāt 16. Sorores.

Bulla Canoniz.

Proc. Cosent. test. 29.

Francisci

Francisci Tertiariorum habitum ab eius charissimo viro religiosissime sumendum, si tandem sanus posset euadere, quod statim visum est ab omnibus: nam post duas horas continuo cœpit loqui, cibosq; sumere facillime.

Energumena à Tertii Ordinis professore liberata. Cæcus admotis S. P. perspiciliis lepide illuminatus. Viri fœminæq; Illustres Tertiæ Regulæ B. Ioanna deuota S. Francisco.

CAP. XVI.

TErtium fidem omnium superat, quantiq; sit meriti, & ad vitam spiritalem adminiculi, atq; contra Sathanæ insidias propugnaculi se Tertiariorum Regulæ in sæculo mancipare comprobat. Dignumque quod plane efferatur, atque euulgetur facinus memorandum! Erat quædam Soror Ioanna Caserta Tertii Ordinis B.P. Francisci de Paula, verum arreptitia. Cum autem ea coram D. Angelo Serra Tertiæ Regulæ professore esset constituta, Dæmon ita conquerebatur, male mecum actum est, quandoquidem eiusmodi virū habeo Antagonistam, Sperabam me per duos annos hanc Virginem occupaturum. Iam enim per viginti dies corpus eius inuaseram, nec vllus adhuc id animaduerterat. Quibus dictis pius ille vir Cacodæmonem iussit, quæ sentiret propalare, qui coactus ait, Alterum mihi plurimum aduersatur, quod scilicet puella ista Cingulum istius laceris, & obsoletis vestibus induti, & in Gallia degentis Eremitæ gerat; nam nisi obstarent eius merita Cingulique benedictio corpus huius puellæ efferrem ad templi huius fornicem totamque Religionem istam stupendo scandalo notarem. Instanti rursus sancto Sacerdoti, & sciscitanti, quod eius esset nomen, respondit Sathanas. Inquirenti vero, quid tandem esset causæ, cur corpus istud arripuisset, ait, ob peccatum quoddam occultum, quod nunquam ausa fuerat sacramentali exomologesi expiare, & tuæ absolutioni subiicere, prætereaq; quod ex aqua fluminis cuiusdam, Saputo nomine, spreto Crucis signo epotasset, atq; ad littus hydrias puellarum saxis confregisset vti discordias pareret, vnde diuina tandem permittente vindicta ipsa die S. Petro sacra corpus Sororis Ioanna inuaserat. Porro cum quadam die Religiosus ille Sacerdos sacra faceret, Dæmon ex arreptitiæ Virginis aure instar flammæ igneæ excessit, æque ore eius lanam, & pilos capræ euomebat, dicens, signa esse nidi, quem ipse sibi intra corpus Sororis Ioannæ apposuerat. Denique indignatus Cacodæmon, comminatus est Sancto Sacerdoti Patris sui indignationem, Virginitatisque dispendium. Atqui non potuit committere Sathanas, vt Virginitatem violaret. Sed tantum vt exulcerato Pater esset animo in dilectum sibi filium, eumq; calce duriter è sua pelleret domo, qui pro ea qua erat erga parentes obseruantia humilime petita venia è paternis laribus secessit alio. Verum tantum abfuit, vt id celebritati nominis, (nam sanctitatis opinionem apud vulgus assequutus erat) vel minimum officeret, quin potius, amplius eius gloriam eleuaret. Nam omnes Patrem, quod Virum Sanctum, qui domus lumen, & columen esset, eiecisset, criminabantur, visusque est à dicta Sorore Ioanna, (quæ diem obitus sui septem ante hebdomadibus prædixerat) B. Francisco in gloria assidere propius. Nec mirum istud videri debet. Is namque vir ob singularem sanctimoniam S. Viro summopere charus fuerat, istudq; lepidum narratur miraculum, quod cum B. P. Franciscus in Gallia degeret, resciuissetq; eum indefesso sacræ Scripturæ studio, vigiliis, perpetuoque pœnitentiæ rigore oculorum aciem sibi ita obtudisse, vt cæcitate laboraret, miserit ad eum sua perspicilia, iubens, vt quantumvis cæcus his vteretur. Ille vero acceptis ocularibus, ridiculum esse aiebat, quod cæco perspicilia admouerentur, verum quod naturæ viribus esset impossibile diuina (quæ in S. Patre Francisco erat) beneficentia donari posse ratus, firma in Deum spe collocata, perspicilia vix oculis adhibuit, cū stupendo prorsus miraculo, videndi vsum sibi restitutū comperit. Atq; ex his qualia fuerint Tertii Ord. Minimorū incunabula, quæue incrementa arguitur, & corū in redarguendo leuitas animaduertitur, qui ridiculam esse nostram, aliorumq; grauissimorum scriptorum narrationē, qua Ludouicum XI. Carolum VIII. Ludouicum XII. Franciscum I. Annam de Britannia duorum Regum sponsam clarissimam, Isabellam vulgo dictam de Paz inter deuotos S. P. Francisci, in eius gestatione cinguli, & Tertiæ Regulæ pro cuiusq; captu obseruatione recensemus. Atq; quamuis probe sciant, ea quibus ad id scribendum nitamur, argumenta explosa tamen credunt, si dixerint, nullam extitisse Tertiariorum Regulam in vsu antequā è viuis excederet S. Patriarcha. Atqui, vti adductis in medium exemplis constat, longe clarior erat Tertiæ Regulæ Professorum Societas, & amplior, quam sit hodie. Nec omittendum est B. Ioannam à Ludouico XI. moriente precibus & consiliis S. Francisci commendatam eiq; familiarem eius Regulæ Tertiæ vtriusq; sexus fidelium obseruatione, & frequentioribus S. Patriarchæ monitis, ad Ordinis B. Virginis Annunciatæ, quem fundauit, institutionem, sibi gradum fecisse.

Proc. Cosent. test. 29.

Proc. Turon. test. 34.

Quatuor Regulæ. Minimorum nomen. Votum inediæ Quadragesimalis quartum. Diuinitus correptus Frater. Carnes putrefactæ.

CAP. XVII.

VErum, vt in omnibus innotescat. Aduertendum est S. P. Franciscum, quemadmodum alias variis in locis annotauimus, quatuor Regulas diuersis temporibus edidisse, quarum tres priores Alexandri VI. auctoritate Apostolica, successive cum potestate innouandi, immutandi, & statuendi, probatæ sunt: quartam vero, & postremam omnibus aliis auctiorem, emendatioremq; adhibito Patrum Ordinis cōsilio instauratam Iulius II. paulo ante S. P. obitum confirmauit, vti vero eius Regulæ postremæ corpus in tria membra diuisum est, quorum primum vitam Fratrum, secundū monialium, tertium vtriusq; sexus fidelium complectitur, ita verisimile est tribus aliis prioribus prospectū esse de norma Monialibus Ordinis, atque vtriusq; sexus fidelibus præfigenda. Nam ante quartæ Regulæ confirmationem, & euulgationem erant Cœnobia Monialiū, & vti probauimus clarebant Tertiarii, quos tamen nemo sine Regulæ alicuius obseruatione potuisse stare asseuerauerit nisi dixerimus S.P. sua statuta nōdum a S. Sede probata proposuisse. Namq; à Summis Pontificibus, præsertim vero ab Alexandro VI. (qui tritum illud nomen, quod gerebant Patres Eremitarum, in Minimorum commutauit anno 1492.) facultatem acceperat, quæ visa ei fuissent præcepta condendi, quare plura quæ in prioribus erant, statuta antiquauit, noua euulgauit, plura immutauit, siquidem quadragesimalem inediam, quam ex statuto solummodo Regulæ hactenus sui coluerant, firmandā, & stabiliendam Ordinis voto peculiari voluit, pedum vero nuditas, quæ in prioribus Regulis stricte, & plane ab omnibus obseruabatur, iuxta regionum varietates pro discreta superiorū dispensatione: eo quod in Septentrionalibus, hoc est frigidis plagis, vix posset cum quadragesimalis abstinentiæ perpetuo rigore consistere, relaxata est, quanquam antea deprecante Turonis S. Francisco, frater quidam Rogerius, qui eam nuditatis pedum legem violauerat, conflagratione repentina tibiarum quā ignem S. Antonii, vulgo dicunt, correptus sit ab ipso die Natalis Domini, quo ageret Ianuæ, vsq; ad festum S. Antonii, quo quidem die animam reddidit, resciente, & enarrante cōfestim suis Religiosis per Spiritum Propheticum S. Patriarcha. Porro non sine animi graui conflictatione quadragesimalis perpetua inedia in votum quartū Religionis transiit, nam præterquam quod in primo Ordinis Generali consessu difficile admissum est, multos S.Pater passus est inuidentis Sathanæ impetus, cū enim iam duos ex Patribus Romā ad Iuliū II. pro Regulæ Quartæ confirmatione obtinenda destinasset, Sathana se in Angelū lucis transformante, prohibitus est ne quadragesimalē abstinentiam voto sanciret perpetuo, quare duos Patres qui iam sese ad iter accinxerant, redire iussit; verū cum precibus ardentius fusis, serioq; cum patribus grauioribus (inter quos R. P. Binetus, qui cum Ludouico Lustrano Romam mittebatur, primū obtinebat locum) iterum atq; iterum habito consilio, quæ Dei tandē esset volūtas beneplacens, & perfecta certo resciuisset, eos iussit Romā contendere, vbi Iulius II. cui dū esset Cardinalis dictus Iulianus de Ruuere tituli S. Petri ad Vincula, Vir Propheta prædixerat futurū, vt Regulam, quam Sixtus IV. renuerat, confirmaret, eam Regulam auctoritate Apostolica examinatam & probatam,

Ex Bullis Pontific.

Proc. Turon. test. 36.

Supra.

datis

Ex Bulla confirmat. Regula, cuius autograph. asseruat. Roma.

datis nouem ante obitum S. Patris Francisci, hoc est, 28. Iulii anno 1506. diplomatibus sanciuit, & confirmauit in perpetuum. Denique quantum accepta sit ea quadragesimalis obseruatio satis testatum Deus voluit eo miraculo: Nam cũ etiam antequam solo firmaretur, sæculares quidam carnes recenter coctas in refectorio cõtra Regulæ leges intulissent, pœnas violatæ Regulæ dederunt, nam ex statim computruerunt, & scaturientibus vermibus corrosæ fuerunt: quo quidem exemplo vindicem Dei manum legum Religiosarũ temeratores, edocti desinant contemnere, & infringere.

LIBER V.

Languor Ecstaticus causa mortis. Cohortatio ad Regulæ, & quarti Voti receptionem. Miraculum appositissimum.

CAP. I.

PNter Amoris in Deum intensi effectus enumeratur languor quidam ecstaticus, quo quidẽ mirum in modum impellente, Sancta B. Francisci anima è corpore iciuniis perpetuis, & incredibili pœnitentia exæso, & attrito elapsa est. Vt autem Charitatis eximiæ partus est alius assimilatio, congruentissimum erat hominem Charitate feruentissimum, vti in vita, ita & in morte Christo Domino, quem summopere deperibat, cõformari. Nam cum 91. ætatis annum ageret, in eum languoris morbum incidit ipsa Dominica Palmarum, quæ 28. erat Martii mensis, quo quidem instar febris cuiusdam remissæ eum in modum fuit exagitatus, vt die Sancta Veneris, seu in parasceue qua Christus emisit spiritum, circa decimam horam ad cœlos euolarit. Eam vero diem obitus sui, & dissolutionis, vt instare sensisset, præcipuos quos potuit è vicinis Conuentibus Patres aduocauit, quibus ea, quæ ad ordinis regimen spectarent, committeret, quos etiam ad Regulam quartam, quam à paucis mensibus Apostolica firmatam auctoritate receperat amplectendam cohortaretur. Nam nondum ea recepta fuerat. Eam ob causam ipsa die sancta Iouis, seu feria V. in cœna Domini concionem habuit celeberrimam, atque charitatis zelo spirituque diuino plenissimam, in qua de charitate, quæ finis est legis, & scutum ordinis, & humilitate, quæ Euangelicæ perfectionis basis, & fundamentum, atque Minimorum Tituli res est plane disseruit, tum demum quid circa quadragesimalem vitam voto deinceps amplexandam vellet; pro ea quam à Sancta Sede acceperat auctoritate significauit. Cum autem quidam ex fratribus cuidam Patri Genuensi adhærentes eam obseruationem difficillimam conquererentur, essentque, obduratæ ceruicis Religiosi, luculentius cohortandi, iussit propter frigus, quod adhuc acutum erat, ferream craticulam, in qua ignis foueretur, adferri. Ea vero lignei asseres, quibus Capitularis locus erat constratus, comburi cœperunt, quod quidem inter discutiendum, & discceptandum super re grauissima, non est deprehensum, & animaduersum, donec fumus singulorum nares, & oculos inuaderet, & occuparet. Isthac data occasione miraculi opportuni, misit S. Patriarcha fratrem quempiam, ad lateres, qui craticulæ supponerentur, disquirendos. Interea vero ferream, & candentem ollam manibus nudis, & illæsis diu sustulit, donec frater rediret, quod demiratus Genuensis ille cum suis assectis vide inquiebat, vir Thaumaturgus quam sit facilius quadragesimalem vitam aggredi, quam ignem illæsis manibus contrectare, atque ita superatis singulis, & concilio habito ad incruenti sacrificii solemnia discessum est ab omnibus. Nec est prætereundum noluisse S. Patrem Franciscum, sibi eo die feriæ V. in Cœna Domini lauari pedes, iuxta Ceremoniale Romanum, aiebat enim, altera die totum corpus, sibi à suis esse abluendum, quo quidem edito responso se moriturum significabat: nã Mortuorum corpora, pro recepto apud Ordines Religiosos more, abluuntur.

Proc. Turon. test. 38.

Syntaxis celebratissima. Exemplum memorandum. Vicarius Generalis substituitur. Exitus S. Viri.

CAP. II.

IGitur iuxta laudatam prioribus sæculis, & receptam consuetudinem de superioris localis manu sanctam synaxim cum vniuersa Patrum Fratrumq; corona suscepit adhibitis iis cæremoniis, quæ in Ordine etiamnum hodierno vsu celebrantur, hoc est nudis pedibus, cingulóq; ad collum instar furciferi immisso. Persolutis vero diuinis officiis ad Cellam rediit, in qua extremo morbo conflictari cœpit, vt nulla spes esset vitæ vlterius protelandæ. Ferunt nonnulli nunquam in Conuentu Turonensi visum fuisse manducare, nisi in eo mortis periculo, alii vero in eo, quo diem clausit vltimum, morbo, commemorant oua sorbilia, seu alia id genus è carnibus edulia Medicorum consilio oblata, vt labascens ob lãguorem illum ecstaticum, spiritus recrearetur, & foueretur, quæ ipse plane respuit primum, deinde vero cum à Patribus rogatus fuisset, vt Fratrum in Ordine futurorum, & præsentium conscientiæ serenitati consuleret, qui suo ducti exemplo vti nollent facultate carnibus vescendi in casu morbi grauissime vrgentis, carnis frustula quædam in os immisit, & dentibus comminuere simulauit, quæ tamen statim reddidit, ab ea namque die, qua defertum incolere cœperat, imo vero vti annotauimus ab ineunte ætate etiam in domo paterna nullas carnes, neq; à carnibus seminalem originem cibos trahentes comederat. Deinde iterũ conuocatis Patribus, quod circa Regulam quartam S. Sedis esset mandatum, quodue eius circa votum quadragesimalis vitæ esset institutum declarauit. Atque R.P. Bernardinum de Cropulatu quem nonnulli de Hydruntio nuncupant, virum Italum, quiq; ei erat à confessionibus, donec Generale Concilium totius Ordinis Romam cogeretur in suum Vicarium toti Ordini suffecit, atque substituit. Iisq; dilectis filiis, qui charitatis zelo, & æternæ patriæ intuitu pœnitentiam vitæ quadragesimalis iuxta tenorem quartæ Regulæ, & Correctorii à se editi amplecterentur, benedictionem suam impendit, & à summo cœlo exorauit. Deniq; Extremæ vnctionis oleo delibutus, armatusq; signo crucis, quam charissime amplexabatur, atq; tenerrime deosculabatur. Dum Domini nostri IESV Christi passio legeretur, hora decima expirauit, vbi ad eum versum deuentum est à Lectore, in quo agitur de emisso Christi Domini spiritu, repetitisq; cum sacerdote verbis postremis. In manus tuas Domine commendo spiritum meum. Vt videretur omnibus adsistentibus non necessitate, sed electione animam beatam exhalare. Porrho eo anno qui 1507. erat Domini ætatis eius 91. & Ord. inchoati 72.

Proc. Turon. test. 38.

Corpus suauem spirat odorem. XI. dies expositum. Mira plurima.

CAP. III.

VT autem S. Viri mors tum Regi, cum Regni proceribus, atq; vniuersæ Turoniæ, & Franciæ innotuit, fleuere optimi quique, quod Galliæ columen excidisset, atq; ad ea miracula, quæ in eius glorioso funere, & sepulchro ab omnibus sperabãtur è pluribus Prouinciis confluere populi per 11. dies, quibus Corpus omnium oculis expositum reuerenter attrectare, deosculari, & inspectare licebat. Die noctuq; itur, & reditur, aduenient milleni, & milleni, fiuntq; innumera propemodum varii generis stupenda miracula vnumq; perpetuum visebatur, quod scilicet corpus tot dies insepultum suauissimum efflaret odorem, nec putresceret, sed in dies pulchrius euaderet, vt à singulis vsurparetur de Beat. Viro illud Psaltis, non dabis Sanctum tuum videre corruptionem. Sane quidem Regni proceres eò se contulerunt, vt S. Viri exanime corpus humiliter contingere, & inuisere possent. Habeturq; in processibus Canonizationis Illustrissimã Principissam Ludouicam de Borbonio, octauo post mortẽ S. Francisci die cum vniuerso, eoq; frequenti Comitatu sacrosanctum corpus exosculatam fuisse, atq; manuum, quæ cedebant attrectantibus, ac si animatæ essent, miraculum expertam fuisse. Pertæsi autem Patres, quod ex frequenti, & incredibili hominum concursu diuinorum celebrationi, & Religiosæ quieti non parum inferretur damni, corpus sepulturæ commendandum curarunt, ac primum quidem iuxta receptum in Gallia morẽ lignea capsa inclusum terræ effossæ, & excauatæ immiserunt, & occulserunt, ita vt S. Viri corpus terra supposita premeret, undequaque. Verum expostulãte Illustrissima Principissa de Sabaudia, Comitissa Engolismensi propter fluminis Chari, qui Conuentũ alluit frequentes eluuiones, & inundationes eleuandum, atq; in lapideo sariophago honoratius recondẽdum duxerunt, quod decimo, vel duodecimo post primam inhumationem die præstitum auguror, idque cum ea qua primum visum fuerat sanctum corpus exanime miraculorum gloria. Nam exhumatũ post 11. diem incorruptum, & sine fœtore ab inspectantibus deprehensum est, præsertim ab Illustrissima Comitissa Engolismensi, quæ ad incorrupti cadaueris probandam integritatem, manus contrectare voluit, tum etiam à quodam Ioanne Bourdichon Regis clarissimo pictore, qui præterquam quod S. Virum delineauerat in tabella, vti facultas esset statuariis Iconis lapidei exactissime faciendi, vultum S. Viri, quem iam pridem antequam in ligneo sarcophago recluderetur, iterũ gypso impressit. Atq; eius Pictoris manu, quæ ad Canonizationem missæ sunt imagines, feruntur depictæ.

Proc. Turon. test. 1. 2. 14. 24.

Ex Capit. I. Gener. Ordinis.

Sepulchrum lapideum miraculo vehitur. Miracula duo.

CAP. IV.

PRæterea, cum nobilis quædam Matrona dicta Ioanna Beauuallet vxor clarissimi Viri Stephani Binet Locumtenentis Turonensis, ob grauem, acutissimumq; dolorem stomachi, qui acciderat ex cespitatione mulæ qua vehebatur, ad S. Viri corpus, quod ipsa die reclusum fuerat inuisendum veniisset, pro eius dignitate referatus est tumulus à Patribus, ipsáq; in eum demissa est supra venerandum corpus, quod ita molle, ac viuidum repertum est, ac si adhuc in viuis esset, ipsa vero ex eo corporis contactu sanata est. Porro sepulchrũ istud, non sine celebri miraculo comparatum est. Nam è quodam ingenti lapide compactum est, qui quidem licet aliquando non potuisset à 18. iugis boum loco moueri, facili negotio à paucis viris fuit in curru positus, & à duobus equis ex eo loco, qui distabat 15. miliaribus circiter in Conuentum transuectus est. Ex eo autem lapide, antea concauato, & concamerato, atque polito structum est sepulchrum S. Viri, in quo corpus S. Viri. Integrum in eo, quo in senecta veneranda vigebat decore perseuerauit ad 55. annos, id est vsq; ad annum 1562. qua tempestate Protestantium immani feritate fere totum corpus (seruatis diuina prouidentia paucis reliquiis) supposito Crucis ingentis, quæ in Ecclesiæ medio prostabat, ligno concrematum est. Omiseram fere insigne hoc miraculum. Dum sacrum funus frequenti hominũ concursu coleretur, fiebant conciones paræneticæ de vita, & miraculis eius, quare quodam è Patribus recensente ex Cathedra, S. Francisco adhuc infanti, catharrum quendam vti scripsimus ad oculum defluisse, quod in causa fuisset cur sancti Francisci Assissinatis addiceretur religiosis officiis, nobilis quædam Matrona filiam suam oculo orbatam habens, eam recens defuncti B. Patris precibus, & meritis commendauit, deinde post aliquot dies cum corpus venerandum è ligneo in lapidcum transferretur sarcophagum curauit filiæ oculum sanctis reliquiis applicandum, deindeque ceream oculi imaginem eidem tumulo apponendam; quo factum est, vt post tres, aut quatuor dies visum supra omnium Medicorum, & Chirurgorum expectationem supraque vires naturæ recuperauerit.

Proc. Turon. test. 24.

Proc. Tur. test. 26.

Bull. Canonizat.

Arreptitia Romæ liberata. Reliquiæ multiplicatæ stupendo miraculo.

CAP. V.

NEc tantummodo in Gallia vbi sanctum corpus frequẽti populorum concursu colebatur, inuocatione sancti Francisci, aut sanctarum eius reliquiarum contactu, & veneratione, fiebant miracula, sed etiam Romæ, & in Calabria, atq; vbiq; terrarum, quo se nominis eius claritas propagauerat, visebantur. Omitto ego quomodo mulier arreptitia, atq; è Galliæ penetralibus, Romam adducta è Picardia, quæ Fráciæ Prouincia est sacros exorcismos celebrantibus R.R. PP. Petro Gilberto, & Antonio de Ponte admotoq; ad collum mulieris in Basilica S. Petri, eo quem S. Francisci habebant cingulo, statim liberata fit, cũ tamen omnia Romanæ vrbis, & Italiæ loca sacratiora perlustrasset; scilicet, volebat Deus noui Thaumaturgi gloriam eo stupendo miraculo prodere, in ea, quæ Caput Religionis est, Vrbe. Inspectante Vicario Christi Domini, vniuersoq; Illustrissimorum Cardinalium Senatu. Verum multo magis mirandũ est quanta ex vno prodeant miraculo supra naturam perpetrata, quæ à plus 10. testibus fideli recẽsione approbata sunt facinora. Venerat quidam Ordinis nostri Venerandus sacerdos Bernardinus Gerunda de Aquodam nomine Conuentus S. Blasii Corrector ad domum Eximii, & Illustrissimi Comitis de Arena, vti peteret eleemosynam pro conficienda S.P. Francisci imagine (namq; Beatorum numero adscriptus cum fuisset, id priuilegii datũ iam pridem fuerat.) Porro, vt magnifici Comitis, eorumq; quos in eius Castellum aduentasse sciebat erga nascentem Ordinem pietatem, & munificentiam aleret, aut moueret, particulam aliquam pannì subtilis lanei, quo in Gallia vir beatus, instar tunicæ vsus fuerat, obtulit, eamq; cũ debita B. Francisco nuper defuncto reuerentia in 20 partes discidit, quas charta alba inuoluit, ne passim contrectarentur, easque Comiti de Arena vti distribueret singulis, tradidit. Eas porro omnes sub manu sua vir pius conditas, sigillatim nobilibus porrigebat, cumq; numerum haudquaquam minui deprehendisset quotquot ex ditione sua illic erant, vellent ad reliquias accipiẽdas accedere, adiuocauit, qui ad eum vsq; numerũ excreuerunt, vt supra centũ, tum viri cum mulieres ex iis diuina omnipotentia multiplicatis reliquiis domum reportarint, cum tamen septem, aut octo particulæ cesserint Comiti.

Relat. vnius ex discip. S. Francisc.

Ex liter. Com. de Arena, test. 52. cuius relatio testim. multorum aliorum probatur. Proc. Cosent. test. 10. 15. 16.

Miracula varia his reliquiis præstita.

CAP. VI.

QVantam autem admirationem, quantumue stuporem singulorũ in animis pepererit, ea quæ ex earum particularum veneratione prodiere miracula comprobant. Primo namque cum Nobilis Baro Pandulphus Boronus domum detulisset vnam ex illis reliquiis, atque intra ligneam arcam religiosissime condidisset, accidit, quod cum ipse deuotionis causa eam particulam videre vellet, eleuatum arcæ ligneæ operculum fortè decidens puelluli sui manum comprimeret, & contunderet. Quare inuocato B. Francisci nomine, particulam illam manui contusæ filioli sui admouit, quæ statim restituta est pristino statui, & liberata est ab omni dolore. Secundo Amplissimus Vir Iacobus Saconus acutissima constictatus febre, atque à Medicis desperatus S.P. Francisci visione in somnis, & aquæ ab eo cœlitus ministratæ potione recreatus, tunicæ istius particulam sibi afferendam iussit, qua admota, & collo appensa conualuit. Tertio cum eidem supramemorato Pandulpho, tumor quidam in gula, facie, & pectore stupendum in modum excreuisset, ita vt non posset nevllum quidem verbum efferre, petiit ab vxore calamum, vt quid rei vellet pro sanitate recuperanda scriptis proderet, illa vero ex eius scriptione particulam illam tunicæ efflagitare rescicns, manibus cuiusdam Virginis, reuerentiæ ergo, gutturi viri sui, & stomacho adhibitis, aliquot Pater noster, & totidem Aue Maria ad honorem S. Francisci admouendam curauit, quo præstito statim solutus est à vitæ periculo, doloreq; acutissimo. Quarto Georgii Foderi neptis Polixena nomine per tres annos phanatica, seu inspirata, hoc est à Dæmone obsessa fuerat, cum vero particulam istius tunicæ se habere vxor eius Viola comperisset, cuiusdam etiam deuotissimæ Virginis manu gutturi eius applicandam curauit, vnde statim liberata est ab eiusmodi vexatione, quod quidem non parum virum eius Magnificum Franciscum de Caristina ad Ordinem nostrum beneficiis prosequendum permouit. Quinto, cum eadem Polixena inter altercandum cum vicina sua, blasphema quædam verba protulisset, Diabolique nomen ira percita aduocasset, particulam illam, quam instar sacratæ precibus Pontificiis ceræ, quæ Agnus Dei dicitur, de collo pendulam gerebat, perdidit: quare mẽte anxia protinus se ad Sanctissimæ Virginis Deiparæ imaginem fusis lachrymis, & flexis genibus contulit, deprecata, vt eam panni partem suis ipsius exigentibus peccatis ab An-

Proc. Cosent. test. 19.

Proc. Cosent. test. 8. & 15.

Test. 19.

Test. 10. 11. 12. 13.

Test. 9. 10. 11. 12. 13.

gelorum quopiam ablatam restituere dignaretur, vix autem mulier illa preces illas fudit, cum ad imaginis pedes eas reperit reliquias. Nec est quod eiusmodi miraculis fides ægre adhibeatur; nam oculata illa testis, eiusq; parentes id data fide contestati sunt in Proc. Cosentino.

A Peste liberati Comitis infantes duo. Imago B. P. radios eiaculatur. Sanat ægrotum. Disciplinæ ferrum miracula operatur.

CAP. VII.

Ex literis Io. Com. de Arena ad Leon. X. pro Canoniz. S. Francisc.

SVperioribus adiungam pauca alia è multis, ipsius Illustrissimi Comitis de Arena literis ad Leonem X. directis comprehensa, præterquam quod enim multiplicationem illam particulæ supra descriptæ memorat, recenset primo sanitatem repente duobus ex filiis eius (quorum natu maior erat trium, minor vero 2. annorum) febre pestifera simul correptis restitutam inuocatione nominis B. Francisci. Deinde asserit charissimam coniugem suam apostemate ad mammillas fœdissimo excruciatam eum in modum (vt cum grauida esset, præ acutissimo dolore, quo exagitabatur abortiuum emissura crederetur) cinguli qui è Francia ad eius manus deuenerat, appositione liberatam fuisse citra dolorem, citraq; fœtus, ac matris periculum. Tertio refert imaginem B. Francisci miros emisisse splendores inspectante quodam Ordinis Carthusiensis Venerabili Monacho candemq; ipsam suspicor esse imaginem, quam recens Pictoris suprema manu elaboratam solo ægrotantis intuitu memorant, cuidam Castelli præfecti filio sanitatem contulisse. Postremo testatur castissimam coniugem suam singultu quodam exagitatam, vnde vomitus perpetuus oboriebatur, quo fiebat, vt nihil edulii stomachus continere posset, intestinaq; adeo corrosa essent, vt grauissimum, & vix tolerandum sentiret dolorem. Verum misso à Patribus Ordinis quodam instrumento ferreo (cui simile in Conuentu Sanctissimæ Trinitatis fidelium veneratione colitur) quo quidem instar ferræ Vir sanctus cruentissime corpus dilaniabat, quod facile ex cruore quo tinctus erat, colligebatur, & appositio Illustrissimæ Comitissæ pectori, continuo sanitati reddita, cœpit coniedere, & bene se habere.

Cæterorum vero, quæ innumera propemodum extât, miraculorum seriem exscribendam fusiori, & ampliori aliorum stylo relinquimus è quibus pauca obiter attingimus, ea quæ subiecta est Elencho.

Recensio miraculorum aliquot Turonis visorum ab obitu S. P. Francisci ad eiusdem Apotheosin.

CAP. VIII.

POst obitum S. P. Francisci, ignis per Vrbem Turonensem, non sine communi totius Reipublicæ dispendio accensus extinguitur eius nuper defuncti inuocatione, Proc. Turon. test. 5.

Candelæ benedictæ virtute, domus cui ex fluminis rapidissimi cluuione periculum imminebat à ruina, liberatur, test. 4.

Ignis domos, & areas domus vnius, intacta quadam cella in qua repositas habebat mulier quasdam candelas S. P. precibus sacratas inuasit, & combussit, quod insigni miraculo ab omnibus datum est, ibid.

Catharina Pergelle genam habebat inflatam, & podagram in poplite, quæ vt ſe ad sepulchrum S. Patris contulit, confestim sanata est. In huius porro miraculi memoriam, genam, & genu è cera expressa eius tumulo applicuit, test. 10. & 13.

Renata Petri Courselles vxor, Inuocatione B. Francisci, à graui morbo eripitur, test. 16.

Ioanna Hameline Dauidi le Maistre coniugata, in cuius prædiis Conuentus pars constructa erat, à paralysi, qua genu captum erat, soluitur, oblatis per 9. dies ad sepulchrum B. Francisci cæreis candelis.

Adolescens quidam in extremo vitæ periculo constitutus ob apostema enatum in gutture, precibus à Matre ad B. Francisci tumulum fusis liberatur, test. 22.

Pater eiusdem, dictus Ioannes Lopin Dominus de Nitriaco, in legibus Licentiatus, tumorem in collo, & genis per 15. menses perpessus, BB. Cosinæ, & Damiani, itemque B. Francisci cuius sepulchro imaginem ceream intulit, sanatur, test. 22.

Maria vxor Rodolphi Vallee quatuor annos fluxu sanguinis attrita euadit incolumis, post orationes ad Beati Viri sepulchrum factas per nouem dies, eodem Proc. test. 10. & 11.

Eius filius annorum duorum eripitur à mortis faucibus, vt promissa est cerea infantis imago, appendenda Beati Viri sepulchro. Itemq; eius maritus pleuritide, & surditate laborans sanitati redditur, ibid.

Mulier quædam Xantonensis Diocesis Epilepsia horrenda discruciabatur, vt sæpius extra se posita, insanire, & furere videretur, at vero vbi B. Francisci nuperrime defuncti precibus fuit deuota, intra tres horas sanitati reddita est, Proc. Turon. test. 28.

Paschasius Boisleau Regiorum fontium Præfectus incurabili stomachi dolore, & infirmitate per quatuor annos detentus paucis post votum ad sepulchrum S. Viri factum conualescit, in cuius memoriam stomachi Cæream figuram sancti recens defuncti tumulo imposuit, test. 31. & 56.

Robertus filius Petri Couruoiser Chirurgi Conuentus Turonensis è mortis faucibus per inuocationem B. Francisci à paucis mensibus sepulti eripitur, test. 32.

Quidam Georgius de Colo Pictauiensis Diocesis furiosus restituitur sanitati mentis post imploratam opem S. Francisci, Proc. Turon. test. 42.

Filius quidam vnicus Præfecti Regiæ Custodiæ, à quadam fœmina Ioanna nomine, veneno quod subdole miscuerat captus, consilio patrui sui Roberti Coquebourgii Episcopi Rossensis, & Sacræ Palatii Parisiensis Capellæ Præfecti, seu Thesaurarii, commendatur precibus S. Francisci, & euadit incolumis, test. 54.

Infans in extremis constitutus reuiuiscit, test. 55.

Celeberrima, & magnifica admodum Canonizatio S. Francisci.

CAP. IX.

Ex liter. Claudia ad Leon. X.

HIs ergo infinitisq; propemodum post obitum miraculis Vir Dei coruscabat, vt breui in Beatorum, deinde in Sanctorum album adscitus fuerit. Nam cum per vniuersam ferme Italiam, atq; Galliam celebratissima miraculis stupendis esset S. Viri nuperrime vita functi memoria de mandato Sanctæ Sedis Apostolicæ sub Iulio II. per sapientissimos Prælatos ad id muneris tum in Italia, cum in Gallia selectos processum est ad examen testium, quibus vitæ innocentia, atque miraculorum indubitatorum frequentia comprobaretur, quod tam felici progressu præstitum est, vt ad Francisci I. Claudiæ Reginæ, Aloysiæ de Sabaudia, aliorumq; Regni Gallici procerum, atq; Reipublicæ Christianæ Potentatuum, & Ciuitatum supplicationem, & R. P. Francisci Binet tum Generalis, cum etiam Ordinis Zelosi, seu Procuratoris Generalis instantiam relatus fuerit inter sanctos à Leone X. Anno Domini 1419. Kal. Maiis. Ea vero cum pompa, & munificentia, vt nulla hactenus visa fuerit, aut celebratior, aut honoratior. Nam expensis Regiis, & prodigæ census effusioni nullatenus pepercit Magnificentissimus Rex Franciscus I. memor acceptæ per merita S. Viri vitæ, atque susceptæ eiusdem precibus primogeniti sui, cui propter votum S. Francisco factum Francisci nomen indi voluit, cuius quidem miraculi mentio facta fuit honoratissima in decreto ipso Canonizationis. Porro Oratores ex parte Regis fuere Dionysius Episcopus Maclouiensis, & Iacobus Lucas Decanus Aurelianensis. Pro ordine steterunt Illustrissimus Cardinalis Protector, Bernardinus Episcopus Sabinensis Cardinalis S. Crucis in Hierusalem dictus, & R. P. Franciscus Binetus. Delegati Card. à S. Sede Apostolica ex tribus ordinibus Nicolaus Episcopus de Elisco, Dominicus S. Bartholomei in Insula Presb. de Iacobatiis, & Ioannes SS. Cosmi, & Damiani Diaconus de Saluiatis Cardinalis Nepos, & Iacobus Simoneta Auditor Rotæ, qui deinde ad Cardinalatus apicem euectus est. Is præclaram habuit orationem apud Sanctissimum Leonem X. de vita, & miraculis S. Francisci, quam

Ex liter. Claudia ad Leon. X. Ex Bulla Canon.

Bulla Canoniz.

quam cuulgabimus Deo bene iuuante, siquidem eloquentissima, & doctissima est.

Mortuus excitatus. Visus, auditus, & loquela restituta S. P. corpus repertum in sepulchro incorruptum comburitur ab Hæreticis. Pluuia è cælo exoratæ.

CAP. X.

Varii Authores vitæ S. P.

DElatis vero Sanctorum honoribus mirifice creuit vniuersæ Catholicæ ad S. Francisci Ecclesiæ veneratio aræ extructæ Basilicæ dedicatæ, Oratoria passim dicta, atque eum in modum propagata est ea deuotio, vt nullus frequentior incideret sermo, quam de nuncupatis Deo, & S. P. Francisco votis, si forte inter fideles quempiam morbi, mortis, aut aduersæ rei periculo iactari accidisset. Facillimum esset volêti omnis generis recensere miracula, quæ post Sancti Viri obitum apotheosimq; contigere, à quibus abstineo, siquidem innumeri sunt & singulis quibusque diebus hodie visuntur, paucis quod publica auctoritate sint probata sum contentus exemplis, quorum primum de puero suscitato erit, quê Progenitores mortuum iamiam per plures horas in S. Ludouici Neapolitani Templum intulerant, atq; super S. P. Francisco recens erectum altare constituerant. Nam vt preces solenni ritu fusæ sunt, puellulus, qui institis & linteis manus, & pedes erat inuolutus vagire cœpit, atq; se per altare prouoluere, quare admirantibus cunctis qui adstabant grates Deo, & S. P. redditæ sunt immortales. Nec longe inferiorem peperit admirationem quod anno 1560. in Conuentu nostro Lycensis, Lycium autem Appuliæ Metropolis est, visum est. Nam virgo quædam à natiuitate cæca ipso die festo S. Patris Francisci inspectantibus millibus hominum qui eo confluxerant, illuminata est. Equidem dignum erat quod exaudiretur, nã singulis annis eodem die festo Conuentum Ordinis, religionis ergo adibat. Nempe volunt superi nonnunquam beneficia sua bonis operibus coëmi, maxime vero pœnitentiæ salutaris, quod liquido constat ex matrona quadam Turonensi, quæ cum coniugem haberet Bernardum Prouenianum nomine, cui Catharrus visus, auditus, & loquendi vsum ademerat, vix apud se statuit vna cum charissimo marito Tertii ordinis S. P. Francisci Paulanæ Regulæ (quæ cô tempore dicebatur de Pœnitentia) nomen daturam, vt statim, hoc est post duas horas, cõiugem, visus, auditus, & loquendi facultatibus restitutum sensit, atq; ita in homine vno tria cõtigere præclara miracula. Subtexam aliud, quod in R. P. Desiderio à Mota Ordinis nostri quondam Generali, patratũ est. Nam cum hereticis anno 1527. sub Duce Borbonio Romam occupassent, Conuentum Sanctissimæ Trinitatis in Monte Pincio, in quo zelozatus, hoc est Procuratoris generalis defungebatur munere sunt aggressi, eumq; vti thesauros Conuentus proderet, exquisitis supplicijs discruciarũt, atq; funeaud pudenda alligato suspenderunt, donec Conuentus gazas, quæ nullæ in paupertatis asylo erant, inuestigarent, quo quidem supplicio immani ita ilia, & viscera effusa sunt, vt nulla arte præterquã diuina ope ad sepulchrũ S. Viri exoranda, curari potuerit. Nã voto, de adeundo sepulchro eius glorioso nuncupato statim conualuit. Igitur cũ anno 1529. in Generalem fuisset assumptus Cœnobium Iesu Mariæ ad Plessiacum Turonum adiit, Sanctumq; sepulchrum venerationis ergo aperiendum iussit. In quo S. Patriarchæ corpus adeo viuidum, & incorruptum reperit, vt recens animam efflasse videretur. Recorq; superna munificentia in hanc vsq; ætatem conseruandum iri, nisi sacrilega Lutheranorum manu, suppositaq; crucifixi ingentis lignea imagine, quæ edito in loco intra Templum Conuentus prostabat (exceptis pauculis reliquiis, quæ hæreticã barbariem effugerant) penitus concrematum fuisset. Postremo loco eommemorabo, quid eximio è Societate Iesv viro perorante præstitum sit, Catanæ, siquidem cum vir insignis pietate Bernardinus à Catana in supplicatione publica pro exorandã è cœlo pluuia concionaretur, (ea enim tempestate ex terræ hiantis ariditate fames ingruebat vniuersæ Siciliæ, quæ totius Italiæ horreum est) spiritus diuini afflatu S. Patrem Franciscum sic compulit, pro ea qua in S. Franciscum erat pietate. Non discedam ex hoc pulpito Pater Francisce, donec nubibus fusis arida tellus irrigetur, vix enim eam absoluit Apostrophen, vt veluti cœli catharactis sol utis & apertis, terra eluuione quadam inundari visa sit.

S. P. Francisci frequentissima inuocatio in suscipienda prole. Illustres familiæ aliquot recensentur.

CAP. XI.

COlophonem scriptioni nostræ imponam celebratissimi S. P. Francisci auxilii commemoratione, quo quidem inuocato sterilibus parentibus proles gignitur, atque ea gratia dum in viuis ageret refulsit, vt Illustres sanguine etiamnũ Regio progenitores eius se commendarent precibus sperantes certo se eius exaudiendos meritis, caq; in hac re de sancto Patre erat existimatio, vt Aloysia de Sabaudia, & complures aliæ stirpis Regiæ Principissæ non dubitarint ad sancti Viri commendationem pignoribus carissimis nomen Francisci, quemadmodum & pro diuina perfruentibus beatitate fieri assolet, imponere. Vnde quemadmodum iam fideli exaraui mus calamo Francorũ Rex Franciscus eius nominis primus, dictus est. Nihil sane à S. Thaumaturgi morte frequentius, quam pignora à progenitoribus eius nomini deuota, videre est, eo quod eius patrociniis supra naturales vires è sterilibus prodierint in lucem, aut sane è periculis variis quibus tenella illa infantilis ætas, obnoxia est emerserint. Difficillimum esset omnia sigillatim recensere, sunt enim innumera, obiter nonnulla perstringam à paucis annis nostrisq; temporibus, visa, & audita, primo quidem Illustris Principissæ Henricæ de Montispenserio natiuitas S. Francisci meritis data est, nam ab eius Illustrissimis, & pientissimis parentibus cum de sterilitate ambigerent Anno 1600. vota ad eum finem nuncupata sunt. Quorum exemplo Magnificentissimus, & generosissimus Dux Niuernensis, eiusque Religiosissima quondam sponsa pro liberorum susceptione (nam steriles habebantur) votum publice adhibitisq; cæremoniis anno 1505. fecerunt de erigẽdo, eo quod Niuernis adstat magnificentissimo Cœnobio, imponendoq; horum primogenito Francisci de Paula nomine. Nec sane irritum fuit votũ, nam plures ediderunt liberos, quorũ primogenitum Rhetiensem Ducem S. Francisci Paulani nomine memores accepti beneficii indigitauerunt. Duos deinde post annos Serenissimi Lotharingiæ Dux Henricus oblato Nanceiano Conuentu S. P. Francisci opem expertus est. Nam fulgentissimam excepit filiam sæpiusq; apud Patres nostros, quos charissimos, dum in viuis esset, habebat, professus esset se nunquam S. Patris Thaumaturgi gratiam efflagitasse, quin statim eius auxiliarem manum expertus fuisset. Eius quoq; consilio Dux Valdemontensis charis. frater simile votum nuncupauit cuius beneficio cœlitus collatum est pignus charissimũ, cum tamen de vlla suscipienda prole à Medicis plane desperaretur. Præterea Ducis Vrbinatis, eiusq; Ciuitatis Pisaurienſis (quod tandem plenus dierum, atq; ætate effœta senex, filium, inuocatione S. P. Francisci peperisset anno 1606.) vota publica per duos Equites reddita, & Ducis, atq; Ciuitatis nomine Plessiacum Turonũ ad sepulchrum S. P. Francisci transmissa. Infinita sunt propemodum alia, quæ eo in genere in magnates, priuatosq; viros è summo cœlo defluunt beneficia. Ea solummodo, quæ ab eo tempore quo Ataui mei felicibus obsequiis per vota Religionis publica mancipatus sum. Innumera sunt, eaq;, quemadmodum & omnis generis à me visa, aut nostra ætate patrata miracula recensere, tædium, fastidiumq; pareret.

Imagini S. P. Francisci Angelus postremam admouet manum. Eius Corporis, Animæque Delineatio, & Descriptio.

CAP. XII.

EXimius ille nostri sæculi apud Hispanos diuini verbi præco R. P. Petrus Valderama, narrat insigne miraculum de pictore quodam qui cum S. P. Francisci imaginem delineare, & ad viuum exprimere vellet, nec pro virium tenuitate eam suis omnibus numeris absoluere posset, Angelum è cœlo delapsum, qui penicillo assumpto postremam manum adhiberet, deprehendisse, quod quidẽ omnium stupori, & admirationi fuerit. Exoptarem ego ipse piis Lectorum desideriis facere satis in scriptione nostra tãti Thaumaturgi prosequenda Physiognomia, verum reor ego rudi meo calamo id

me haudquaquam consequi posse. Quamobrem supplex Deum Opt. Maximum deprecabor vti dignetur aliquem è supremis seraphicis illis spiritibus transmittere qui spiritalem quæ in virtutibus sita, & corporalem, quæ in facie præsertim, totoq; emicat corpore absolutissimam Ideam studiosorum animis indat insculpatque pœnitentissime. Interim Lector beneuole accipe quam veterum monimentis graphice assignatam habemus sancti Parentis nostri Physiognomiam.

Vir erat, in quo certabant elegans forma, corporisque præstantia, statura paulo inferior procera, facie oblonga, macilenta quidem, at venustatis, & diuinitatis plena, rubore simul, & candore temperata, nasus aquilinus, atque admodum longus, oculi grandiores, lucidi, colore nigro, & demissi, in quorum sinistro albugo quædam non maior puncto, ex eo quod intumuerat recens nato apostemate, citra deformitatem vllam residua, genæ depressæ; labia ex frequentiori inter orandum motu, & linguæ appulsu grossiora & demortua, frons ampla maiestatem præferebat, capilli hinc inde effusi, nunquam attonsi, & canis respersi, barba item decenter promissa, pilis è superioribus labiis promittentibus, vt vtrumque labium vix posset perspici, manus licet durioribus, & vilioribus assuesceret exercitationibus, pedesque quanquam nudus per vias incederet, delicati, & albicantes.

Iudicium graue, & præcipuum, sermo viuus & pius, psalmorum præcipue, atque aliorum scripturæ familiarium locorum versibus intertextus, argutus, efficax, & gratissimus. Nam quamuis impura lingua hoc est Calabro gallica, attamen dum animi sensa liberrime proderet, Gratia & lepore nescio quo sermonem respergebat. Vultu hilari, & festiuo, at pietatem simul redolente omnium, maxime priusquam senesceret, corda sibi deuinciebat. Animo fortis & audax, Principes si quid deliquissent, intrepidus corripiebat prudenter, & acriter. *Proc. Calab.* Odorem instar mosci, aut electri suauissimum non abs miraculo efflasse plures referunt præsertim cum è continua trium, octo, aut quadraginta dierum, quod non semel contigit, inedia, vigiliis, atque iis, quas frequenter adhibebat ad sanguinem vsque castigationibus, cutisq; per ferreas catenas, dentatos aculeatosq; scorpiones dilaniatione, primum prodiret, atque è contemplationis diuturniori, & profundiori somno euigilaret. Vnica veste, eaque rudi, & obsoleta at honesta contentus, nihil olidi, aut turpis prodebat. Iuges ei ad Deum cordis sui aspirationes, multaque ex intimo pectore suspiria. Charitatem virtutum reginam semper in ore habebat. Eremiticam in Cœnobio ducebat vitam. Post audita missarum, vt plurimum omnium solemnia, cum esset Turonis in Cellam à dormitorio sepositam iugis contemplationis ergo secedebat. Raro cum fratribus colloquebatur, nisi cum feruenti, & concitato sermone, aut emergentibus causis in Capitulo peroraret, hortaretur, corriperetque. Zelo efferuescente sancte, humiliterque indignabatur, si quid scandali à suis perpetrati renunciaretur. Iniuriarum domi, forisque patiens, mitissimus hominum oleum misericordiæ, vino iustitiæ in correptionibus admiscebat. Orationi mentali quanquam defixus, vocaliter horas Breuiarii Romani etsi in Choro non fuisset, nec enim, cum esset Laicus, ad id tenebatur, Beatæ Mariæ Virginis, defunctorum officia, & sæpius psalterium singulis quibusque diebus attente, & deuote recitabat, vt omnibus id esset stupori. *Proc. Tur. Ambian. Episc.* His adde Coronam Beatæ Virginis, quam summopere venerabatur, vt ad se venientibus, nonnisi Coronas daret, religiosamq; ad matrem Virginem mentem commendaret. Virtutum denique omnium speculum lucidissimum exemplarque absolutissimum, quod omnibus à Deo quantumuis religiosæ perfectioni mancipatis propositum est. Faxit autem Deus, vt illud ipsum vitæ illibatæ, virtutumque omnium πρωτότυπον moribus egregiis, & benefactis constanter, & vsq; ad supremum vitæ halitum exp[illegible]us. Sic enim fiet, vt eam, quam su[illegible] optamus Sanctorum g[illegible] consequamur.

BVLLA CANONIZATIONIS.

SANCTI FRANCISCI DE PAVLA,

ORDINIS FRATRVM MINIMORVM INSTITVTORIS;

In qua etiam eius vita describitur.

LEO Episcopus Seruus seruorum Dei. ad perpetuam rei memoriam. Excelsus Dominus militantem Ecclesiam pretiosorum lapidum viuorum, ipsi Summo angulari lapidi, Christo Iesu vnitorum, ornatissima varietate decoratam, structura mirabili fundare disposuit. Hinc processere Beati Patriarchæ, qui fide præclari sanctorum etiam Angelorum susceptores effecti, facie ad faciem Deum videre meruerunt. Hos secuti sunt sancti Prophetæ. quibus ostendit Deus secreta sua, vt ventura, quasi præsentia, Spiritu sancto illuminati, agnoscere atq; enunciare potuerint. Postquam autem venit plenitudo temporis, & nos in assumpta sibi humanitate oriens ex alto visitare, nostræque salutis mysteria (iuxta quod prædixerant Prophetæ) adimplere dignatus est, constituti, fuere B. Apostoli, diuinæ legis promulgatores & prædicatores, qui per orbem vniuersum genus humanum (quod sub diabolicæ potestatis iugo tenebatur) ad salutem excitantes, Dei verbum in omnibus terræ finibus prædicarunt. Hos subsecuti sunt Martyres splendidi, qui fidei loricā induti, & inconcussæ stabilitatis baltheo succincti, stolas suas in sanguine innocentis agni lauantes, candidato exercitu Christum Iesum imitati, superna ciuitati Hierusalem, hoc est, triumphanti Ecclesiæ cum gloriosa victoria palmas manibus gestantes, se dicto viuo lapidi Christo adiunxerunt, sempiternam sui memoriam & exemplum venerabile militanti Ecclesiæ relinquentes. Progressi sunt & Doctores lucidi qui suis doctrinis & exemplis catholicam & orthodoxam fidem defensantes, falsisq; prophetis ac iniquis Doctoribus, fidem ipsam subuertere satagētibus, se opponentes, dictam militantem Ecclesiam multipliciter illustrarunt, quibus eadē Ecclesia coniuncta, progreditur quasi aurora consurgens, pulchra vt Luna, electa vt Sol, terribilis vt castrorum acies ordinata. Sequuntur postea sancti Confessores, qui virtutum gemmis coruscantes, Domino rationem de talentis creditis reposcenti (vtpote fideles & boni serui) multiplicatum de suis laboribus fructum attulerunt, & in arcem cœlestem reposuerunt, omniaq; mundi blandimenta (vt venenum aspidum) fugientes, latibula in terris petierunt, antris abditi, rudi victu, & scaturientis aquæ leui potu carnem macerantes, tegmine hircino amicti iunceo vel stramineo cubili fessa membra somno fouentes, nudis pedibus Dominum quæsierunt, æternamque patriam inuenerunt. Adsunt & virgines nitidæ, mundo corpore, syncero corde, sanctaq; mente cum oleo in lampadibus suis sponso (qui est præ filiis hominum speciosus) obuiam venientes. Deuotæ tandem continentesq; viduæ, & aliæ quamplurimæ sexus vtriusq; personæ, piis ac sanctis operibus semper intentæ, cum plenis etiam manipulis eidem cœlesti sponso se repræsentant, cum Angelis gloriam in altissimis Deo, & in terra pacem hominibus bonæ voluntatis mirifice depromentes. Hæc omnia vnus atque idem spiritus admirando plurimum operatur ministerio. Et sicut altissimus ab initio vineam suam talibus piis cultoribus (iuxta sanctā promissionem suam) visitauit, firmauit, & auxit, sic semper ad illam suæ protectionis auxilium multipliciter impertitur. Nouissime vero diebus nostris cœlestis ille agricola vineam suam more solito visitans, virum fortem ad huiusmodi vineæ culturam adduxit, gloriosum scilicet Confessorem Beatum Franciscum de Paula, superno cœtui merito sociandum, immo verius sociatum, qui inter cæteros Christi athletas suis meritis & exemplis, ipsam Sanctam Ecclesiam (diuina cooperante gratia) multipliciter decorauit, præsentisq; temporis caliginem suæ lampadis fulgore mirabiliter illustrauit. Ipse enim aduersus mundum, carnem & dæmonem fortiter dimicauit, ac in odorem suauitatis altissimi currens, copiosam vtriusq; sexus fidelium multitudinem salubriter post se traxit, ac (velut effusam super faciem terræ) religiosam professionis suæ generationem dereliquit, vt ad illuminationem gētium celebris sui memoria (tanquam rutilum sidus) in Ecclesiæ firmamento seruaretur. De cuius quidem Origine, vita, moribus & fama, nec non mirabilibus (quæ in præmium sanctitatis eius Deus mundo multipliciter ostendere dignatus est, ne de tam celebri viro etiam posteritas ipsa remaneat ignara) pauca ex multis duximus recensenda. Constat siqui-

dem

dem in regno Neapolitano inter Brutios & Lucanos Paulæ oppidum situm esse, quod itinere vnius diei à Cusentia, illius Prouinciæ Metropoli, distat. Inde originem traxit Iacobus Martolilla. Illi proximum est Castrum Fuscaldi, vbi nata est Vienna, quondam ambo in fide Christi baptizati & confirmati, ac (vt veri Catholici) educati. Qui inuicem secundum ritum sanctæ Romanæ Ecclesiæ matrimonium contrahentes, & (vt fideles decet coniuges) mutuam charitatem, vitæq; honestatem seruantes, diu cohabitarunt. Ex hoc matrimonio B. Franciscus de Paula procreatur. Qui sacri baptismatis fonte lauatus, & chrismatis Sacramento confirmatus, ab eisdemq; parentibus sub Dei timore & amore educatus, insigne specimen sanctitatis futuræ præ se ferens, solitudinem & religionem diligere ac orationibus & ieiuniis assidue vacare cæpit. Quæ cum eius parentes animaduertissent, ipsum annum circiter decimum tertium agentem (iuxta votū per eos emissum) domui S. Francisci ciuitatis S. Marci obtulerunt. In qua puer in sortem Domini electus, anno per eum exacto, nullaq; professione emissa, vocatis parentibus, eos, vt se ad Ecclesiam S. Francisci de Assisio, & Sanctæ Mariæ de Angelis, deuotionis causa ducere vellent, enixe rogauit. Qui pro eius desiderio annuentes, sese itineris comites præbuerunt. Quibus Ecclesiis deuote visitatis in patriam reuersus est idem beatus (sancto Spiritu inspirante) ad Ecclesiam construendam animum addixit, ipseq; primus fundamenta effodere cæpit. Quo inter vicinos diuulgato vndique ad opus iuuandum concurritur, alii operi incumbebant, nonnulli calcem, lapides, cæmenta, & alia id genus, futuro ædificio necessaria, deportabant. Fertur etiam tunc Fratrem quendam S. Francisci habitu indutum, ex improuiso B. Franciscum de Paula increpasse, quod tam angustam ædem facere incepisset, eandemq; demoliri sibi mandasse, ac aliam maiorē designasse, beatoq; Francisco de Paula asserenti, sibi vires ad tam ingens opus perficiendum non sufficere, diuinitus respondisse, Deum omnipotentem ei nullo pacto defuturum, e uestigioq; diruptis muris euanuisse. Vnde non immerito pleriq; illum B. Franciscum fuisse existimarunt. Postridie vero nobilis quidam Cusentinus superuenit, qui eidem Beato pro ædificanda Ecclesia magnum auri atq; argenti pondus obtulit. Vnde iuxta situs designationem, Ecclesiam notabili forma non paruo sumptu construere cæpit, neq; vnquā à laboribus cessabat, nisi cum orationi diuinisq; rebus intendebat. Qui etsi vigiliis continuisq; ieiuniis maxime esset attritus, lapides tamen, calcem & ligna aliaq; ad fabricam necessaria, propriis etiam humeris deferre non desinebat. Erat adeo in loquendo humanus atq; affabilis, vt nullus vnquā ad eum accessit, quando mellifluis eius verbis delectatus, & incredibili quadam sermonis dulcedine captus, & quasi diuino spiritu repletus, & ab eo recesserit. Humilitatē etiam eius instituti per eum Ordinis cognomentum ostendit, Quod vt is omnium minimus esse volebat, ita Minimorū dici censuit & instituit. Eiusdem Ordinis etiam institutor, & Generalis corrector existens, omnium se infimū (quoad poterat) exhibebat, & ad omnia etiam seruilia opera (vt & cæteris humilitatis præberet exemplū) descendere non dedignabatur. Quippe discipulis suis discumbentibus ministrabat, sæpeq; Ecclesiā & altaria verrebat, & mundabat, ac paramenta, & alia ad diuinum cultū necessaria componebat, aliorumq; fratrum (etiam nouitiorum) indumenta propriis manibus abluebat, & cū iuuenis adhuc esset, Calabriamq; incoleret, nunquam nisi nudis pedibus, & per glacies, niues, montes, & acuta saxa, vepres, spinasq; incedebat, nullamq; ex eo etiam grauissimo sæpe pondere pressus, læsionem pedibus patiebatur. Ipsum sæpius ignem nudis pedibus conculcasse, ac ignitos, cadentesq; lapides manibus portasse, liquido constat. Admirabilis erat eius vitæ austeritas, quæ propterea admirabilior cēsenda est, quia in pueritia, adolescentia, iuuentute, senecta & decrepita eius ætate, inter labores, vigilias, ieiunia, abstinentias, innumerasq; corporis macerationes, eundē pene viuendi modum seruauit. Horum & plurimorū aliorum sanctorum operum ratione habita, adeo S. Spiritus gratia hominē complexa est, ut piis eius meritis & precibus in Christi nomine dæmones à corporib. humanis sæpius eiecti; pluresq; infirmi diuersis morborū generibus oppressi, & iam à medicis destituti, ac morbi propinqui, pristinæ sanitati restituti fuerint: Ideq; beatus aliis compluribus, qui memoria & sensibus capti, seu intelligentia debilitati erant, sanitatem præstiterit, ac multis claudis incessum, surdis auditum, mutis loquelā, cæcisq; lumen restituerit, & leprosos mundauerit, nonnullosq; mortuos, vel pro mortuis habitos, ad vitam pristinamq; lucem reduxerit. Quorum quidem miraculorum fama iam per totum fere orbem vagaretur, & ad aures fere Pauli II. prædecessoris nostri venisset. Cubicularium quendam suum, ad bon. me. Pyrrhum Archiepiscopum Cusentium misit, mandauitq; vt ipse super miraculis huiusmodi se diligenter informaret, ac deinde ipsum de veritate certiorē efficeret. Qui quidem Archiepiscopus Pontificis mandato parere desiderans, ac neminem habens, qui talia melius, quam ipsemet cubicularius explorare, fideliusq; referre posset, eidemq; suasit, vt is cum socio, quem ei adiunxit, ad dictum B. Virum se conferret, ac de illius vita, miraculis & fama huiusmodi plenam informationem caperet. Cubicularius Archiepiscopi fretus consilio hominem adiit. Et cum inter salutandum, dicti B. Viri manum osculari vellet, ille omnino renuit, eumq; rogauit, vt sibi potius manum deosculandam porrigeret, asserens id multo iustius & conuenientius fore, eo quod ipse Cubicularius XXXIII. annos iam presbyter esset. Quod Cubicularius memoria repetens (vbi id verum esse cognouit) miratus est hominis spiritum, & cum eo ad colloquium in cameram discessit. Vbi cum primus sermo de tam ardua, difficiliq; vita fuisset, ut eam nulli (nisi robusto ac valido) tolerabilem fore Cubicularius asseueraret, beatus pater (audito illius verbo) igni appropinquans, ardentes prunas, absq; læsione manibus arripiens, dixit: qui perfecto corde Domino seruiunt, omnia creata illis obtemperant. Exterritus ille eo miraculo, veniam petiit. Cumq; eius pedes humiliter osculari vellet, ipseq; vir beatus id recusasset, eius tunc vestem manu apprehensam deuote osculans, & ab eo recedens, ad Pontificem rediit, eique miracula, quæ viderat enarrauit. Olim etiam vir nobilis Iacobus de Tarsia, Baro terræ Bellimontis Cusentin. diœcesis, cū grauissimo & pene insanabili apostemate longo tempore in cruce laborasset, insignesq; medici & chirurgi in eo nihil proficerent, quin hulcus illud ingrauesceret, omnibusq; remediis adhibitis, iam in desperationem salutis res adducta esset; tandem dictus Iacobus fama sanctitatis & miraculorum B. viri (qui tunc Paulæ degebat) adductus ad eum non sine magno labore accessit, illique plagam detexit, & se deuotissime commendauit. Primū siquidem ipsi beato & omnibus qui adstabant, hulcus graue & miserabile, ac pene insanabile visum est. Illū tamen beatus admonuit, vt in Deo firmam fidem, & certam spem haberet, quia sanitatis gratiam consequeretur. Ac statim vnum ex suis fratribus misit, qui aliqua folia herbæ, quæ vngula caballina dicitur, & inibi nascitur colligeret, & cum ipsis foliis certos pulueres, quos in cella sua ipse Beatus retinebat, sibi afferret. Dum frater illa mandata exequitur, Beatus Vir ad propinquam crucifixi imaginem conuersus, orauit, vt Baroni, in suæ diuinitatis gratia confidenti misericordiam suam aperiret, Nec multo post foliis ac pulueribus huiusmodi sibi (vt iusserat) apportatis. facto signo Crucis aliquantulum de dictis pulueribus vlceri imposuit; illudque tribus ex foliis prædictis cooperuit, & omnia circumligauit, in Domino spem reponens, quod sanitatem recuperaret. Illi ergo benedicens, iussit ut ilico suam repeteret domum ad quartum decimum ferme lapidem inde distante. Qui cum aliquandiu equitasset, ad vxorem suam Ioannā, quæ illū semper in eo itinere comitata fuerat, conuersus. Mihi videtur, inquit, quod sim sanus, quia acerbum illum dolorem & pessimum fœtorem amplius non sentio. Et cum iam certum monticulum superassent. Iacobus auide cupiens intelligere, an posset ambulare, ex equo descendens propriis pedibus ambulare cæpit, & calce terram percutiens, nec aliquid doloris sentiens, se liberum & sanum intellexit. Deo igitur & B. Francisco de Paula gratias agentes coniuges, voti compotes ad propria rediere. Iisdem ferme diebus in Ciuitate Cusentin. fuit quidā Marcellus de Cardilla, pedibus & manibus contractus, ac totus leprosus, adeo vt iam vocem quasi omnem amisisset, eiusq; loquela vix audiretur. Qui cum per consanguineos suos ad Paulæ monasterium adductus, & B. Viro præsentatus fuisset, ille misericordia motus, parum secreto orauit, Mox vero rediens, eum manu subleuauit, & ab omni membrorum contractu & lepra incolumen reddidit. Guidonem quoq; Lipantū nobilem Cusentinum, grauissima infectum lepra, in domo Paterni (quam Vir B. tunc ædificabat) ad se venientem sanitati restituit. Cum idem B. vir fabricam domus iuxta Paulæ oppidum incepisset, adductus est ei quidā à natiuitate mutus. Quem cum parentes eius iuxta Ecclesiam posuissent, dixit eis Vir Beatus, vt alte secum ter Iesum acclamarent, & ita aperiretur illi sensus. Beato vero inchoante, dictisq; parentibus prosequentibus, mutus similiter alta voce dixit, Iesus. & inde liber atque integer vsque ad eius obitum in loquela permansit.

Rursus Iulia, Antonii Catalani in dicto oppido Paulæ habitantis filia, ab ortu cæca, & nihil prorsus videns, cum à parentibus suis ad Beatum Virum (qui forte tunc in horto domus erat) adducta fuisset, idem Beatus Vir herbam quandam euulsit, eamque signo Crucis facto super ipsius puellæ oculos apposuit. Quæ statim videre cæpit, ac sensu visus tamdiu, quamdiu postea vixit, freta est. In fabricam dictæ domus Paterni, cum duo laborantes terram effodiendo obruti fuissent, ita vt iam pro mortuis haberentur, ad succurrendum inuocatus vir B. à duabus partibus terrā effodi fecit. Quo facto, dicti laborantes viui & illæsi sua (vt creditur) gratia sunt reperti. Dum quidam Antonius Architectus ad dictæ domus Paterni fabricam accessisset, & B. Vir, vt pro cibo illi ministrando nonnullæ fabæ coquerentur, cuidam fratri iuniori inibi existenti mandasset, frater ille ollam, cū dictis fabis & aqua, frigidis in

coquina cineribus superposuit, oblitusq; ignem, quo culina carebat, alibi unde afferre, discesserit. Sed cum Vir Beatus dictas fabas iam coctas esse credens, vna cum hospite in culinam venisset, nullusque ibi ignis adesse, dictus Antonius subrisit de dicti beati præcepto, & eius seculo, quod nondum coqui cœpisset. Cui Vir Beatus seculum ipsum paratum esse respondit, tetigitq; manu ollam, quæ illico seruere visa est, statimque fabæ coctæ fuere; vt a vt inde Antonius ipse prandium sumere potuerit. Quæ de re dictus Antonius, & nonnulli alii præsentes, maxima sunt admiratione affecti. Idem etiam Beatus Vir, die quadam (more solito) missam audire cupiens, Ecclesiam ingressus est, cumq; tunc Ecclesiæ lampas accensa non esset, & aliqui ex iis qui ibi Missæ audiendæ causa aderant, ignem foras quæsitum iuissent, illumque iam afferrent, Vir Beatus chordam lampadis accepit, vt eam deduceret. Illa vero in medio descensu absq; aliquo igne miraculose accensa, effulsit, ex quo circumstantes candelas pro Missa tunc celebranda necessarias deuotissime accenderunt. Cum in terra Montis alti dictæ Cusentin. diœcesis quidam Franciscus, ipsius terræ incola, febre adeo vexaretur, ut de eius salute nullam medici spem promitterent, laboraretq; in extremis, ac (omnibus Ecclesiæ Sacramentis deuote susceptis, & candela benedicta more solito accensa, in eiusq; manibus posita) à circumstantibus iam pro mortuo haberetur, tunc Ioanna mater eius, ad B. Franciscum de Paula specialem gerens deuotionis affectum, illum lachrymans deprecata est, vt filium suum sanare, ac vitæ restituere dignaretur: vt illius ope tribus suis (ex dicto eius filio) nepotibus prouidere posset. Præterea si voti compos fieret, se statim huius seculi vanitatibus omnino renunciaturam, & in habitu tertiæ regulæ eiusdem beati, Deo perpetuo famulaturam, deuote vouit, ac promisit. Quo voto emisso, statim eius filius, quasi à morte resurgens, circumstantes adspicere, seq; melius habere mcepit, nec multis postea diebus, pristinæ fuit saluti restauratus, & per XXX. fere annos inde superuixit. Cum in dicto oppido Paterni, idem Beatus Vir moram traheret, quidam oculi albuginem patiens, ad eum accessit, humiliterque rogauit, vt sibi opem afferret. Cuius precibus motus Vir Beatus, bombycem sacro latice adspersam super virginem calcem (quæ forte pro Ecclesiæ fabrica ibi aderat) conuoluit, & ea oculum, maculæ huiusmodi infectum, abstersit, signoq; crucis desuper facto ab omni albugine & macula statim liberauit. Cuin quidam dicti oppidi venatores hyemis tempore in montibus nimbus repletis hominem, nullum viuentis signum præ se ferentem, inuenissent, illum sepeliendum ad locum detulerunt, vbi tunc Beatus Vir morabatur. Qui in illum respiciens. Per charitatem ait, viuit homo iste: Et ad eum conuersus. Surge, inquit, & ambula. Ad cuius verba, homo in sepulchrum mittendus, illico surrexit, ac pedetentim ambulare cœpit, moxque hospitii domum ingressus, ac cibo & potu refectus, pristinæque valetudini restitutus, ad propria saluus & incolumis remeauit. Præterea in dicto oppido Paulæ, dum sui Ordinis domus ædificaretur, & calx in fornace coqueretur, accidit, quod vel propter nimium ignem, vel aliam causam, fornax ipsa ruinam minaretur. Tunc illius Magistri nullum penitus remedium adhibere scientes, ad Beatum Virum pro auxilio recurrerunt, eique periculum exposuerunt. Qui illis per charitatem, inquit, ad collationem seu prandium eatis, mihiq; curam fornacis relinquatis. Quibus discedentibus, ipse statim signo crucis facto, intrepide dictum fornacem ardentem intrauit, ac illam solus reparauit, indeq; absque læsione aliqua incolumis exiuit.

Iulius Bartuchius, etiam de Paula, iuuenum multitudine etiam adiutus, post Beati Viri obitum è Cusentiæ castro Paulam reuersus, eximiæ magnitudinis bombardam transportari curans, additis etiam ad laborem viginti boum iugis, apud quendam decliuem locum, non longe à Paula distantem, Lamachia nuncupatum, funem maximum cuiusdam nauis onerariæ, quæ bombarda ipsa alligata erat cuidam arbori, vt paulatim laberetur, inuoluit. Quam cum nec Iulius ipse, neque tot socii propter impetum velocem, qui ex magna molis lapsu ferebatur, retinere valerent; ibi, dum idem Iulius vltra quam eius vires ferebant, nititur, iuxta arborem, cui circumligatus erat funis, prostratus cecidit, pedesque suos, intra eiusdem funis orbes inuoluit. Vnde cum nullo pacto, nisi munere diuino, quin eius crura frangerentur, euadere posset, arborem amplectens, summa cum deuotione clamauit: O Beate Francisce de Paula, opem fer mihi misero. His dictis (mirabile dictu) currus, cui bombarda ipsa imposita erat, in loco præcipiti statim restitit: apparuitque eidem Iulio quidam Frater Ordinis Beati Francisci de Paula, qui tunc funem ipsum manibus retinuit. Idem vero Iulius tanto periculo ereptus, omnesque, qui illuc quasi ad spectaculum conuenerant, miraculum acclamantes, omnipotenti Deo, beatoque Francisco de Paula, immensas illico gratias egerunt. Ipseque Iulius ante alios omnes nudis pedibus ad eiusdem Beati Viri monasterium proiectus, imaginem suam ceream, funibus pedibus implicito pro deuotione tanti miraculi memoriam obtulit. Cum à quodam fratre Antonio, Ordinis Minorum professore Viro Doctissimo integerrimaque vitæ, idem Beatus Vir etiam in publicis prædicationibus carperetur, quod videlicet tam impudens esset, vt simplex laicus, & literarum penitus ignarus quibusdam herbis ægrotis salutem promitteret: accidit vt idem frater Antonius ab alus dicti Ordinis Minorum fratribus, ad eundem Beatum Virum missus fuerit, quatenus eum de præmissis redargueret. Qui cum ad eum venisset, & magnis eum contumelis affecisset, increpassetque eius ignauiam & crassitudinem, Vir Dei constantissimus patientissimusque, tot conuiciis & iniuriis nullatenus fractus, ac ne commotus quidem fuit: sed foco appropinquans, ardentes titiones manibus nudis accepit, eosq; stricte compressit, ac manifeste ostendit, in Dei virtute omnia fieri posse. At ille prudentissime prospiciens hominis simplicitatem & fidem, omnaq; ab eo diuina gratia, & ardentissimo fidei spiritu fieri, eius pedibus aduolutus, illos arcte complectens, osculariq; satagens, veniam ab ipso humilime postulauit: negq; inde surrexit, donec ab eodem Beato Patre benediceretur. Quo factum est, vt quæ antea in illum publice maledicta plurima congesserat, proprium confessus errorem, Beati Viri sanctitatem dignis verisq; posteæ laudibus merito efferret. Quæ omnia cum mirabilem quandam & rare auditam viri sanctitatem arguerent, eorumque celebris fama iam ad clame. Ludouicum XI. eius nominis Francorum Regem Christianiss. perlata esset. Rex viri B. sanctitate motus, ac ipsum coram videre cupiens, à pia mem: Sixto Papa IIII. etiam prædecessore nostro impetrauit, vt idem Beato Viro in virtute sanctæ obedientiæ mandaret, vt ex Calabria in Franciam se conferret, dictumq; Ludouicum Regem visitaret. Quibus iussis Dei famulus obediens, in Franciam iuit: vbi eum præfatus Rex singulari deuotione suscipiens, seq; ab eo benedici postulans, illi tanquam Viro Dei magnum honorem & reuerentiam exhibuit. Cognita deinde viri sanctitate, ei eiusq; fratribus sedem prope ciuitatem Turonen, & Regium palatium assignauit, amplamq; & magnificam domũ cum Ecclesia (quæ in hanc diem vsq; exstat) pro ipsius Beati Francisci de Paula, suorumq; fratrum vsu & habitatione construi fecit. Tantæ insuper continentiæ fuit idem Beatus Vir, vt non carne, sed solo spiritu compactus esse videretur. Prius enim quam ab hac luce discederet, ad omnipotentis Dei laudem & gloriam, suæq; religionis propagationem, diuina (vt pie creditur) inspiratione instructus, tres regulas fratrum, scil. ac sororum, & vtriusq; sexus fidelium, Tertiariorum nuncupatorum, instituit. Et vt humilitatis amator erat, illamq; à suis, etiam coli desiderabat, fratres sui Ordinis, Minimos; & sorores, Minimas vocari debere ordinauit: iniunxitq; illis, vt decem mandata diuina, & Ecclesiæ præcepta salutaria vigilanter obseruantes, Romano Pontifici, pro tempore existenti, fideliter obedirent, ac sub obedientia, castitatis, & paupertatis, quadragesimali q; vitæ sacris votis perseueranter viuere profiterentur, nonnullis ad regularũ fratrum, ac sororum huiusmodi, tam circa personarum ipsarum directionem & informationem, quam diuini cultus augmentum, debitam obseruationem & institutionem, opportunis adiectis capitulis. Ipsas vero fratrum ac sororum, cum decem: dictorum autem vtriusq; sexus Tertiariorum regulas cũ VII. capitulis per eum pie institutas, re. me. Iulius Papa II. similiter prædecessor noster, eodem Beato Viro tunc in humanis agente, matura præhabita deliberatione, tanquam religioni consonas (postquam idem Sixtus prædecessor noster, ac sanctæ com. Innocentius VIII. & Alexander VI. Rom. Pontifices etiam prædecessores nostri, eidem Beato Viro, eiusque Ordini, ac eius personis, & domibus quamplura priuilegia concesserant) per suas primo, & deinde nos per alias nostras litteras approbauimus, & confirmauimus, diuersisq; priuilegiis, gratiis & indultis ordinem ipsum multipliciter communiuimus, prout in ipsorum prædecessorum, & nostris inde confectis literis plenius continetur. Cumq; vitæ suæ finem iam proximum diuina inspiratione prospiceret, idem Beatus vir pridie, quam decederet (qui fuit dies Cœnæ Domini) pluribus è fratribus suis (qui ex variis prouinciis & regnis tunc ad eum venerant) adstantibus, in Missæ Conuentuali post pœnitentiæ Sacramentum deuote susceptum, cum profundissima humilitate, vberrimaq; lachrymarum effusione pectus suum percutiendo sacrosanctũ Eucharistiæ Sacramentum è manibus vnius ex sui Ordinis præsbyteris magna cum deuotione suscepit. Posteæ Domino nostro Iesu Christo Beatæq; Mariæ Virgini, & sanctis omnibus deuote peractis gratiarũ actionibus, Missaq; huiusmodi celebrata, ad cellam suam propriis pedibus (licet præ senectute debilis & infirmus) baculo, quem more solito gestabat, innixus rediit. Postero autem die, cum idem beatus, fideliq; Dei seruus tempus instare videret, quo sibi ex hac lachrymarum valle migrandum erat, dictos fratres suos ad se conuocari iussit, eosque ad fraternam

pacem, mutuamq; charitatem, dulcissimis verbis ac salutaribus monitis charitatiue exhortatus est; illisq; benedictione more solito impertita, cum iam nonagesimum primum (vel circa) annum feliciter impleuisset, anno à partu virgineo Millesimo quingentesimo septimo, Aprilis vero die secunda (quæ tunc fuit Parasceues, Veneris sancta nuncupata) circa horam, qua pro nobis CHRISTVS passus est, signo sanctæ Crucis deuote signatus, omnibusq; Sacramentis Ecclesiasticis debite communitus, perlecta coram eo Dominica Passione, iunctis deuote manibus, erectisq; in cælum oculis sanctæ Crucis triumphũ pie amplectens, reuerenterq; osculans, ac supius, In manus tuas Domine commendo Spiritum meum, alias q; pias Orationes deuotissime repetens: demissa huius carnis sarcina, quasi viuens absq; aliquo doloris aut mortis notabili signo, migrauit ad Christum. Cumq; tunc per vndecim dies eiusdem beati corpus insepultum remansrit, illucq; maxima virorum & mulierum, ac religiosarum personarum multitudo accesserit, vt sanctum virum, quem viventem summa fuerant veneratione prosecuti, etiam defunctum viderent, & illius apud Deum suffragia mererentur, mirum omnibus fuit, quod eius caro per tot dies incorrupta permanserit, nec vllam prorsus fœtorem emiserit, quin potius odor quidem suauiter fragrans ab ea manauerit. Post ipsius etiam obitum, multis eius suffragia deuote implorantibus, omnipotens DEVS quam plures gratias elargiri, magnaque miracula palam operari dignatus est. Propterq; charissimus in Christo filius noster Franciscus, huius nominis primus Francorum Rex Christianissimus, charissimaque in Christo filia Claudia Regina eius consors (quæ alias coram dicti Ordinis tunc Generali, ac alus nobilibus personis emisso voto, quod si gratiam pro masculo assequeretur in beati Patris honorem Francisci nomen ei imponeret, fulgentiss. mum puerum in lucem ederet, illique, iuxta dictum eius votum Francisci nomen imposuit.) Nec non dilecta etiam in CHRISTO filia, nobilis mulier, Aloysia de Sabaudia, Andegauenem, & Angolismenem. Ducissa, Cenomanensisque Comitissa, eiusdem Francisci Regis genitrix, nobis per Venerabilem Fratrem nostrum Dionysium Episcopum Mauclouens. Generalem, ac dilectos filios, Iacobum Lucam, Decanum Ecclesiæ Aurelianens. & nobilem virum Antonium Raphn, alias de Poton, dominum temporalem loci de Podio Caluario Agenens. Diœcesis, pro nonnullis particularibus ipsius Christianissimi Regis negotiis nuncios & Oratores ad nos destinatos, humiliter supplicari fecerunt, vt præmissis diligenter inquisitis & exploratis, ad eiusdem beati viri Canonizationem procedere dignaremur. Quorum quidem precibus licet libenter annuere vellemus, simmopereq; gauderemus huiusmodi Canonizationem nostris temporibus, diuino quodam mysterio contigisse, ac nobis æquum videretur, vt idem beatus Franciscus de Paula (quem iam Deus in cælesti gloria Sanctorum choro dignum fecisse, pluribus ac manifestis indiciis & miraculis ostenderat) in terris etiam sibi debito Sanctorum honorem non defraudaretur, ac super eo maxime nobis instaret Venerabilis frater noster Bernardinus Episcopus Sabinensis Cardinalis S. Crucis nuncupatus, in dicti Ordinis protectorem, ab eodem beato viro, nondum tunc ab humanis egresso, assumptus: cumulatissimeq; preces nobis, ac venerabilibus Fratribus nostris, Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalibus, per dicti Ordinis tunc zelosum, totius Minimorum Ordinis nomine super hoc sapius porrectæ fuissent, non statim rem tanti ponderis ac momenti faciendam, sed iuxta veterem & laudabilem consuetudinem, omnanter matureq; considerandam duximus. Post complures igitur commissiones aulæ Palatii nostri aduocato consistoriali, & auditoribus causarum eiusdē Palatii super hoc debite factas, tandē tribus etiam S. Romanæ Ecclesiæ Cardinalibus ex tribus illorum Ordinibus, videlicet venerabili Fratri Nicolao Episcopo Alban. de Fisco, & dilectis filiis nostris Dominico tituli Sancti Bartholomæi in Insula, presbytero de Lucchanis, ac Ioanni Sanctorum Cosmæ & Damiani, nostro secundum carnem nepoti, Diacono de Saluiatis, respective nuncupatis Cardinalibus, de Fratrum nostrorum Consilio & assensu commissimus, vt ipsi visis & examinatis processibus, editis super eiusdem beati viri vita, moribus, fama, & miraculis, ante & post ipsius obitum eius intercessionibus à Deo factis, aliisq; cunctis ad Sanctorum Canonizationem huiusmodi necessariis, se super omnibus ac singulis diligenter informarent, & per eos compertam, in nostro secreto Consistorio (vt moris est) fideliter referrēt. Cumq; ipsi Cardinales, visis ac diligenter examinatis diuersis processibus, in partibus Calabriæ & Franciæ de sedis Apostolicæ commissione habitis, & ad Curiam nostram transmissis, testiumq; fide dignorũ depositionibus, pro tanta rei dignitate debite ponderatis, de supradictis miraculis, ac vitæ sanctimonia, & aliis à iure requisitis, fidelem nobis relationem in pluribus etiam secretis consistoriis iam fecissent, nosq; ipsorum & omnium aliorum Cardinalium vota, pro facienda dicta Canonizatione conuenientia & conformia inuenissemus, & pro vlteriori executione dilectus filius Angelus de Cesis, vtriusq; iuris Doctor, & dilectæ aulæ nostræ consistorialis aduocatus, in publico consistorio omnia de ipsius beati viri vita, moribus, fama, & miraculis coposse percensuisset, nobisq; humiliter supplicasset, vt ad eiusdem beati Canonizationem, matura deliberatione præhabita, procedere dignaremur: Nos de relatis coram nobis imprimis humiliter Deo gratias agentes, rogauimus omnes, in eodem publico Consistorio tunc adstantes, vt suis orationibus & iciunis Ecclesiam Dei iuuarent, ac ne eam altissimus modo aliquo in huiusmodi Canonizationis officio errare permitteret, instanter orarent. Demum, post aliquot dies conuocatis denuo in aula nostra Consistoriali in Palatio Apostolico vniuersis & singulis, qui tunc aderant in nostra Romana Curia Ecclesiarum prælatis, Patriarchis videlicet, Archiepiscopis, ac Episcopis, in præsentia eorundem fratrum nostrorum præfatæ Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalium, eosdem processus super ipsius beati vita, moribus, fama, & miraculis editos, per eundem Angelum breuiter summarieq; reperi fecimus. Quæ cum ex serie per Cardinales, ac alios, quibus id munus, per nos iniunctum fuerat, enarrata & expositа fuissent, omnesq; adstantes prælati, quid sibi super huiusmodi negotio videretur, interrogati, vnanimi consensu, nullo penitus discrepante, respondissent sibi videri, quod idem beatus vir inter Sanctos merito adscribetur & commemoraretur: Nos iterum humiles omnipotenti Deo gratias agentes, quod ad beatum seruum suum debitis honoribus prosequendum, corda nostra illuminare dignatus esset, ipsius Canonizationis diē, Dominicam in Albis nuncupatum (qua in Ecclesia cantatur, Quasi modo geniti infantes, quæ tunc occurrebat prima die Maii, Anni Domini Millesimi Quingentesimi Decimi Noni, qua etiam tunc Beatorum Apostolorum Philippi & Iacobi festum contingebat,) deputauimus, ac in basilica Principis Apostolorum de Vrbe amplum suggestum ligneum de more parari & exornari iussimus, Super quo quidem hodie, adstante populo ac vniuerso clero, de vita, miraculis & fama, eiusdem beati Francisci de Paula, humili, deuotioneque pleno sermone per nos, vt moris est, habito, deindeque Litania & Hymno, Veni creator Spiritus, per omnia deuote decantatis, nec non à procuratoribus causæ ipsius Canonizationis, & à Christianissimi Francorum Regis Oratoribus huiusmodi, eiusdemq; Ordinis Minimorum tunc Vice Generali Correctore, à nobis magna cum instantia petito pronunciari adscribi inter Sanctos beatum Franciscum de Paula, cum iam omnia consummata essent, omnesque consuetas Ecclesiæ ceremonias super earitè seruatissemus. Deum præ oculis habentes ad Canonizationem eiusdem beati super his verbis procedendum duximus & processimus: Ad honorem Omnipotentis Dei, Patris, & Filii, & Spiritus Sancti, ad exaltationem fidei Catholicæ, christianæq; religionis augmentum, ac Ordinis Minimorum consolationem & incrementum authoritate Domini nostri Iesu Christi, beatorumq; Petri & Pauli Apostolorum eius, & nostra, de Fratrum nostrorum speciali consilio, & assensu, decernimus, & diffinimus, bonæ memoriæ Franciscum de Paula, eiusdem Ordinis Minimorum institutorem, in cœlesti Hierusalem inter beatorum choros iam receptum, æternaq; gloriæ condonatum fuisse, ac Sanctorum Confessorum Catalogo adscribendum fore, ipsumq; huiusmodi catalogo inpræsentiarum adscribimus, & eum tanquam sanctum, publice priuatimq; colendum esse declaramus atq; mandamus: statuentes eius festum die secunda mensis Aprilis ab vniuersali Ecclesia annuatim celebrandum fore, & ab eo suffragia à Christi fidelibus, implorari & expectari posse, omnesq; ac singulos honores, illi merito præstandos & exhibendos esse, qui cæteris etiam confessoribus, in huiusmodi catalogo descriptis, conuenire noscuntur. Quibus debite peractis, inchoatoq; per nos ac decantato, & ad finem vsq; à Cantoribus prosecuto hymno: Te Deum laudamus, in illius etiam sine Cardinali Diacono in cantu dicente. Ora pronobis beate Francisce de Paula, à choroq; responso. Vt digni efficiamur promissionibus Christi. Nos illico propriam orationem de eodem Sancto alta voce decantauimus, dicentes: Seruituris nostræ tibi Domine iura soluentes, quæsumus, vt beati Francisci de Paula confessoris tui patrocinio suffragante, in nobis tua dona multiplices, & ab omnibus tuearis aduersis, Per Christum Dominum nostrum. Deinde vero à dicto choro responso. Amen. Solemnem illic Missam nos ipsi celebrauimus, de dicta tunc currente Dominica in Albis. collectas singulas sub vna Conclusione terminantes. Additis etiam prædicta, cæterisq; specialibus eiusdem Sancti Francisci de Paula collectis, immediate sequentibus. Pro secreta videlicet. Hostias Domine tuorum sisicipe populorum, quas tibi in beati Francisci de Paula festiuitate dicamus, vt nobis conferant tuæ propitiationis auxilium. Cum sua Conclusione videlicet. Per Dominum, &c. Deinde vero post Communionem subiunximus, dicentes: Cœlesti Domine Sacramento confolati, te supplices deprecamur, vt intercedente

beato Francisco de Paula, ab omni nos mentis & corporis labe custodias, & per ipsum tuæ sentiamus indulgentiæ largitatem. Cum simili conclusione. Et ita Missam ipsam ad finem vsq; cum solitis ceremoniis iuxta ordinarium Apostolicum illic debite terminaumus, indulgentiamq; plenariam omnibus, officio tunc huiusmodi assistentibus, deuote concessimus, ac etiam in loco sepulturæ eiusdem Sancti Francisci de Paula, in depositionis suæ die, videlicet secunda Aprilis, huiusmodi perpetuo duraturam quadraginta annorum, totidemq; quadragenarum indulgentiam annuatim condonauimus, ad laudem & gloriam omnipotentis Dei, qui in Sanctis suis mirabilis & gloriosus, vuit & regnat benedictus in secula seculorum. Cæterum quia difficile foret præsentes Originales literas ad omnium notitiam deferri, volumus & decernimus, quod ea unde Transumptus, manu Notarii publici subscriptis, sub sigillo Venerabilis Fratris nostri Paridis moderni, & pro tempore existentis Episcopi Pisaurens. ac cæremoniarum Magistri, vel alicuius alterius Prælati Ecclesiastici) fides adhibeatur indubia in omnibus, ac per omnia, & illis vbique stetur, ac si Originales literæ huiusmodi essent exhibitæ vel ostensæ. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostrorum processus, voluntatis & decreti infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri & Pauli Apostolorum eius se nouerit incursurum. Datum Romæ apud Sanctum Petrum Anno Incarnationis Dominicæ, Millesimo Quingentesimo Decimo nono. Calend. Maii. Pontificatus nostri anno septimo. Extat in Bullario Rom.

XIV. *B. Ladislai Ord. Min. obitus & miracula.*

Eodem anno, die III. Maii, Varsouiæ in Polonia, apud Minoritas Obseruantes, rebus humanis exemptus est B. Ladislaus Ordinem Minorum professus. Natus est modicis sed honestis parentibus, Gelnouiæ, territorii Opocinensis oppido, ibidemq; à parentibus ad omnem pietatem formatus, postquam Cracouiæ literis operam dedisset, ibidemque Minores Obseruantes ante aliquot annos introductos, omni sanctitatis ac doctrinæ splendore conspicuos, verbo & exemplo virtutes docere aspexisset; & ipse diuiniore spiritu afflatus, idem institutum Varsouiæ Calendis Augusti anno 1462. suscepit, & anno elapso professus est. Petri Apostoli patrocinio inprimis se commisit, quod Petro patre genitus, die vinculis sancti Petri consecrato, vinculis mundi exsolutus, veram in religione libertatem inuenerit; certus Apostolici illius, *Vbi Spiritus, ibi libertas.* Ab hoc infallibili documento, libertatem filiorum Dei suspirans, corpori proprio bellum indixit, cilicio aspernimo, flagris acerrimis, vigiliis perpetuis, iciunandi continuatione, & aliis mortificandæ carnis instrumentis; quando non plus vnam horam, super saccum stramineum, vel super aliqua tabula nuda soranum falleret; singulis noctibus vel catenula, vel ferulis dorsum cruentaret, nudipes detractis soccis etiam in hyemis algoribus incederet, atque pedes offenderet: in orationibus assiduis nocte dieque, quicquid temporis à publicis officiis, vel ad salutem animarum spectantibus exercitiis supererat consumeret; sacris summa cum deuotione operaretur, & tam in his, quam in passionis Dominicæ nunquam intermissa contemplatione lachrymarum profluuium effunderet: vilissima quæq; munera Cœnobii ex humilitate obiret, vasa culinaria mundaret, pedes, & vestes fratrum ablueret, infirmorum necessitatibus etiam sordidioribus seruiret, nihilque eorum, etiam tum cum Cœnobiis præfectus esset, Vicariumque Prouincialem aliquoties ageret, prætermitteret, quæ carni domandæ, tumori deprimendo, humilitati exercendæ, spiritui inflammando opportuna viderentur. Eximia illi charitas in DEVM & proximum: quando omnia sua studia ad Dei gloriam, & proximorum salutem dirigeret. In concionibus, quas ex præscripto Apostolico non in persuasibilibus humanæ sapientiæ verbis, sed in ostensione spiritus & virtutis frequentes ad populum habebat, perpetuo themate vtebatur titulo CHRISTI cruci affixo, *IESVS Nazarenus Rex Iudæorum.* Ab eo fonte, velut riuulus vel flumina doctrinæ, contemplationum, & exemplorum diducebat, quibus & intellectum illustraret, & mentem recrearet, & totum hominem ad imitationem CHRISTI traduceret, vnde quamplurimi dicerent Christo confixus sum cruci. Hoc anno, paulo antequam vita excederet, die sanctæ Parascheues Varsouiæ in sui Ordinis Ecclesia pro concione verba faciens, cum flagellationis Christi historiam expenderet, totus in spiritu absorptus, & in extatim raptus, visus est supra suggestum in aere eleuatus, & quasi suspensus; magnitudine amoris & feruoris diuini, corpoream molem in aera sustollente. Anno 1612. superstites aliquot ciues Varsauienses, testes omni exceptione maiores, referebant se aliqui vidisse, aliqui à parentibus & maioribus qui aspexerant audisse, LADISLAVM ad eum modum in cestasi eleuatum. Sæpe etiam alias Ladislaus in meditationibus extra se rapiebatur. In cubiculo nullos superfluos libros retinuit, contentus sola imagine Crucifixi, ex qua multa pro concionibus mysteria hauriebat. In suggestu neminem quantumuis potens soret respiciebat, sed libere, in omni tamen mansuetudine & lenitate arguebat, increpabat, obsecrabat, rigidus flagitiorum persecutor: vtpote qui curabat, ne ei quoque diceretur, *Medice cura teipsum.* Castitatem enimuero illibatam ab infantia seruauit: familiaritatem & consuetudinem mulierum execrabatur; ad conuiuia vel prandia inuitatus numquam ibat; sermones & colloquia cum quibus opus erat, nonnisi de DEO, aut rebus diuinis habebat. A concionibus statim modum recitandi Coronam Beatæ MARIÆ Virginis populum frequentem docebat, ac subinde genibus flexis ingenti cum deuotione, vna cum illis recitabat. Hymnos aliquot de Passione Domini, de Beata MARIA Vargine, & de aliis mysteriis redemptionis nostræ composuerat, quos postea cum populis in templo decantaret, eaque ratione populum rudem doctrina Christiana imbueret, & à profanis cantilenis dedoceret. Ter vel quater Cœnobiis sui Ordinis Vicarius Prouincialis in regno Poloniæ Præfectus, tanto odore sanctitatis vna cum suis Minoritis apud omnes fragrauit, vt Alexander Magnus Dux Lituaniæ ab eo petierit, qui Polociam vrbem coloniam Fratrum suorum mitteret, Schismaticis & paganis conuertendis. Condito illic cœnobio Alexander, Ladislaus cò suos misit; quorum vigilanti opera, multa infidelium millia ad sacrum fontem, & complures schismaticorum ad gremium Ecclesiæ adducti sunt. Nicolaus quoque Coselcicius Episcopus Culmensis, in oppido Skape territorii Dobrinensis, Diœcesis Plocensis, Monasterium nobile Minoritarum Obseruantium à se conditum Ladislao obtulit, vt is illic incoleret, vti Beatissima Virgo Maria, propter frequentissima miracula coleretur. Otii impatiens, meditationi, lectioni, aut scriptioni Concionum vacabat; aut vero confessiones pœnitentium excipiebat, ægros, mœrentes, vinctos visitabat, vel interdum manuale aliquod faciebat. Triennio antequam obiret, Definitores quos vocant Capitulares, ætatis, laborum & meritorum illius respectu, miserant, vt locum sibi aliquem senectuti commodum deligeret; cuius obsequio etiam aliquem famulum addicere decernebant. At ille, mirari se, respondit; quomodo à teneris obedientiæ assuetum, nunc obedientiæ eximere deliberarent. paratum scire, quo illi iuberent; & non ministrari, sed ministrare. Factus est Christus obediens vsque ad mortem, mortem autem crucis: sequar Magistrum discipulus, quo ille peruenit. Iusserunt tandem Varsouiam reuerti, Cœnobioque præsse; vbi ille per omnes perfectionis religiosæ gradus ascendens, post multa sanctitatis exempla, Sacramentis Ecclesiæ deuotissime susceptis, ad eum quem feruentissime amauerat emigrauit, miraculis post mortem clarissimus. Franciscus Commendonus Cardinalis Legatus, & Vincentius Porticus Apostolicæ sedis nuncius ad Sigismundum Augustum Regem Poloniæ missi, visa ex iis erga Ladislaum populi deuotione, anno Domini 1572. Dominica quam in Albis vocant, cadauer illius exhumare, & in marmoreo supra terram sepulchro, imagine illius insigni seponi iusserunt: præsentibus ad spectaculum plurimis Regni Principibus, Senatoribus, & ex Equestri ordine proceribus.

Quo die Ladislaus obiit, Margarita Palatinides Masouiens. tertium Ordinem sancti Francisci Varsouiæ professa, preces pro defuncto illo præscriptas, cum recitare aliquoties tentasset, nullo modo potuit. Vnde existimans illum his non indigere, cordetenus, orationibus illius sese commendauit; ac in momento eodé, thematis concionũ illius, Iesus Nazarenus Rex Iudæorum memor, tantã dulcedinẽ spiritus inde persensit intra se, qualẽ nec antea, nec vmquã postea experta est. Eadem variis & grauissimis tentationibus afflicta, cum se

quinque

quinque cæreo ad sepulturam eius deferre vouisset, votumque reddidisset, omnino ab his liberata fuit. Hæc ipsa moribundo Ladislao duo ceruicalia vtenda transmiserat. quæ cum sanguine è naribus decumbentis defluente inquinata recepisset, Catharinæ Suidersciæ sorori Tertiariæ in deplorata valetudine medelæ fuerunt. Statim atque ex deuotione hæc illa lauit, sanitatem frustra a Medicinis desideratam mox recuperauit.

Eodem tempore, quo Ladislaus mortem decumbens in lectulo expectabat, aliquis ex nobilitate agri Varsauiensis à grauissima agritudine fere ad extrema adductus, cum iam defunctum illum opinaretur, voto visitandi eius sepulturam concepto, sanus illico euasit.

Anna Dux Mazouiæ fatebatur dum viueret, in omnibus consiliis, actionibus & afflictionibus suis, certissimam à Ladislao opem semper dum interpellasset obtinuisse, & omnia ex sententia habuisse.

Anno 1514. feria III. Pentecostes, Mathias Piotrkouius Nobilis exagio Cerscensi, filium trimulum ex morbo defunctum, voto facto viuum recepit: nec non filiolæ ex eodem morbo de vita periclitanti, sanitatem obtinuit, statim atque Ladislaum imploranit.

Eodem anno, ipsa festinitate Pentecostes, Ioannes Pfarsicius, Notarius Terrestris Sochaczouiensis testatum fecit, filium suum quinquennem Sabbato Sancto ab equo in capite percussum, & exinde occisum, à votis Ladislao sponsis, vitam accepisse.

Quo ipso tempore, filia quinquennis cuiusdam ciuis Varsauien. in suburbio quod Cracouiense dicunt, domi à matre (ivtare ad audiendam concionem ad Ecclesiam Minoritarum) relicta, dum sesellem insequitur, in foueam aquis repletam cecidit, demersaque horis quatuor sub aquis iacuit. quam mater repertam, cum Ladislai opem imploraisset, tandem viuentem aspexit. non minus quam alius ciuis Varsauiensis, filiam salutis deploratæ incolumem vidit, à precibus Ladislao porrectis.

Anno 1522. Varsouia peste & fame afflicta, ibat quædam fœmina ad nemus vicinum, ad glandem colligendam, pani ex eius farina conficiendo. Dum esset secus littus Vistulæ, vidit è regione cœnobii Minoritarum iridem variis radiis illustrem, cui aliquis specie Iudicis insideret, circumdatus exercitibus Angelorum: ante quem aliquis Minorita (Ladislaum fuisse cognouit post) genu posito oraret. nam labia aperire, mouerequeanimaducrtit: quanquam quid diceret non percepit. Ab altera fluminis parte, in qua pagus Praganus Varsauiæ oppositus iacet, aspexit draconem ore hiulco flammas putentes versus Varsouiam venientem efflantemq;. Hæc dum miraretur, superuenit quidam Ciuis Versauien. eadem de causa nemus petens. Enm cum interrogasset, an aliquid simile videret: ille vero, *nihil,* respondisset: admonuit, vt orationem Dominicam recitaret. qua absoluta, omnia quæ illa aspexerat, & ipse quoque vidit: ac præterea draconem disruptum, tanta vi vt fragor quasi à fulmine excussus esset audiretur: nec non vocem quæ diceret. Hic qui ante Iudicem pro hac vrbe orat, magnus est apud Omnipotentem Deum: ne ingrata ei sit Varsouia. audiuit. qua visione disparente, illico quoq; pestis Varsouia excessit.

Visus est præterea à multis Ladislaus ignes, quibus Varsouia fortuito non semel conflagrabat, compescere atq; extinguere, exhibita in aere sua præsentia.

Proxime præcedentibus annis, Stanislaus Smiecinski, Notarius Terrestris territorii Varsouien. beneficium sanitatis ab inuocatione Ladislai se recepisse agnouit, cui rei istud subscriptum manu propria testimonium dedit. *D. O. M. Cum quilibet beneficia à Domino Deo, maxime autem per intercessionem Sanctorum collata, non sint celanda, verum quo magis ipsemet Optimus Maximus in sanctis suis gloriosus appareat, reuelanda ac prædicanda sint: Ego quoq; Stanislaus Smiecinski Notarius Terrestris Terræ Varsauiensis, omnibus tam præsentibus quam futuris horum notitiam habituris, notum testatumque facio his præsentibus manu mea subscriptis, quod cum anno præsenti M. DC. IX. diebus XXIV. XXV. & subsequentibus vltimis lunij, tum quoque prima & aliis diebus iulij, infirmitate ex dolore capitis & aliorum membrorum contracta decumberem hic Varsouiæ, ingraueseenteque morbo, omni sensuum meorum officio priuatus, ac iam semimuus essem: cum hoc a-*

mici mei cernerent, nihilque aliud residui sibi superesse rati, nisi implorationem diuini auxilij, & intercessionem B. Ladislai Confessoris Ordinis S. Francisci Minorum de Obseruantia, cuius corpus in Ecclesia Patrum eiusdem Ordinis hic Varsauiæ requiescit: cuiusque Beati Patris intercessionem apud Deum Optim. Max. à priori mea infirmitate liberatus expertus sum, fecissentque votum supplices Domino Deo, & propterea inuocando patrocinium B. Ladislai, vouentes pro me, quod sepulchrum dicti B. Ladislai sanitati restitutus visitarem: post tale votum, illico me sanitati meliori: ac tandem integre restitutum esse. Ad cuius miraculi per intercessionem dicti B. Ladislai in me facti perpetuam memoriam, restituturus integræ priori sanitati, illiusque sepulchrum visitans, hoc signaculum, ad hoc idem sepulchrum dicti B. Ladislai appendere curaui. Actum Varsauiæ die X. Iulij. Anno Domini 1609.

Eodem anno 1609. Heduigis, Paridis Præfecti Cerscens. & Castellani Liuensis vxor, sex hebdomadis continuis fœtum mortuum in vtero gestauit, in cuius parturitione seu electione iam mortis limina adiit: sed votis à matre præsente Ladislao porrectis, ad vitam rediit: manuque propria testimonium beneficii recepti descriptum sepulturæ opitulatoris sui appendit.

Anno consequente, Remigij Lasocij vxor, Heduigis Parida, Palatinides Masouiæ, aliud testimonium inscriptit Ladislao, cuius beneficio, tribus partubus felicissime, diuersis temporibus soluta euasit.

Eodem anno, Sophia Dzialinia, Mnisci Præfecti Luconien. coniunx, à morbo contagioso, quo vniuersa eius familia infecta periclitabatur, Ladislao, cui votum conceperat, liberata, tabellam votiuam appendit.

Ipso anno Heduigis Herlerouia Ciuis Varsauiensis, iam agonizans in terram depositа, votis pro eã vno Sacerdotum qui confessionem moribundæ exceperat, Ladislao factis, fere à morte surrexit: non minus quam Dorothea Ceuolcinia ciuis Parisiensis, biduo in partu laborans, suadente Heduige vxore Paridis Castellani Varsauien. voto ad Ladislaum emisso, feliciter fœtum effudit.

Catharina Luskouia, vxor Notarii Varsauien. Anno 1608. oculis laborans, & iam vno eorum capta, ab intercessione Ladislai lumen recepit. quo etiam anno Albertus Vituskj nobilis ex territorio Sochaczouien. adeo æger pedibus vt per quatuor hebdomadas mouere se lecto non posset, ac intolerandum dolorem sentiret, eodem modo conualuit.

Catharina Suikouia, semestri hydrope, & aliis morbis incurabilibus, afflicta, & à medicis relicta, Ladislai inuocatione sana effecta est Anno 1610.

Illustris Domini Crosnovvskj vxor, phrænesi ex febre acutissima delirans, ab eadem intercessione, vsum rationis, & pristinam valetudinem recuperauit.

Stanislaus Zalinski Præfectus Varsauien. à Sciaticæ doloribus liberatus, mox atque vota Ladislao fecit.

Laurentius Kamienski febri acutissima, splenis, epatis & ventriculi simul torminibus, fere ad mortem deductus Anno 1612. die XV. Aprilis. eius item filia Catharina, à 10. vsq; ad 20. Martii eiusdem anni febribus ardentissimis exusta. nec non vxor semestri morbo contagioso, ex quo etiam abortuit, conflictata: omnes tres à Medicis deplorati, mortem certissimam euaserunt, statim atque Ladislao sese deuouerunt.

Minoritæ Obseruantes Varsouiæ, anno 1601. peste iam infecti, ab iisdem votis Ladislao factis, omnem contagionem effugerunt. Idem obtinuerunt Tertiariæ earum, pariter iam infectæ, quamquam vnam extinctam ex suis lauissent, spe-lissentque: & iam apostemata in quibusdam apparuissent, certa mortis indicia.

Anno 1610. ibidem Varsouiæ Thomas Minorita ex iijs quos laicos vocant, ab insanabili morbo iam fere exanimis, voto pro eo à Confessore ad Ladislaum facto, mortem effugit.

Gregorius Badovvskj Consul Varsouiensis in præsens, dum puer anno 1591. luderet pila cum Luca æquali sed peste ex qua postridie obiit, infecto, & ipse quoque epidimia correptus, decubuit, apostematibus apparentibus iam fere agens animam. Mater eius dolentissima, statim

ad templum Minoritarum cucurrit, & ad Missæ sacrificium cui intererat, votis pro moribundo filiolo ad B. Ladislaum fusis, domum reuersa puerum non tantum incolumem, verum etiam ludentem reperit. Is ipse amicorum meorum intimus, Anno 1609. die 30. Augusti repentina & mortali infirmitate prostratus, iamque in terram, vt facilius animam ageret, expiraretque depositus, per intercessionem S. Hyacinthi & Ladislai sanus surrexit illo ipso die.

Anno 1612. Michael Konarski Palatinus Pomeraniæ, Præfectus Morstinens. & Grudziazens. nec non Serenissimi Poloniæ & Sueciæ Principis Maior Domus, cum alicubi profectionem de rebus grauissimis pararet, repentino morbo correptus decubuit. Eius filia pro afflicto preces fundens, tandem & ad Ecclesiam Minoritarũ Varsouiæ perrexit, & ad sepulchrum Ladislai vota concepit: atque domum reuertens, eadem hora patrem morbo leuatum inuenit: ita vt die crastino potuerit iter destinatum peragere.

Anno 1611. Alexander Lezienski puer, incurabili infirmitate vexatus, iam in extremis laborabat.

Pro ipso mater precibus ad Ladislaum porrectis, & votis ad sepulchrum illius factis, quem iam expirasse conclamauerat, incolumem valentemque habuit.

Aliquis Toruniæ ab ære campano in capite percussus, cum vix mortem euasisset, surdus tamen & mutus quatuor annos remansit. Cum nullum remedium calamitati suæ inveniret, gemens & plorans diuinam opem flagitabat, & ecce vna dierum in Sochazouiensi sylua qua transiens substiterat, quendam incognitum apparentem aspexit, ac vocem audiuit, quæ iubebat Varsouiam, sanatum iam ire, & ibi in templo Minoritarum noxis per confessionem expiatis, grates Deo persoluere. *Vincentius Moraw ski S. T. Lector Ordinis Minorum de Obseruantia, ex processibus authoritate Ordinarij factis, & ex confessionibus confestatis, aliis monimentis publicis, in Vita B. Ladislai Gelnouien. typis data Cracouiæ apud Nicolaum Lobum Anno 1612. & Serenissimo Ladislao Poloniæ ac Suetiæ Principi inscripta.*

XV. Hoc anno, die 24. Ianuarij, Sigismundus I. in Diui Venceslai arcis Cracouiensis Basilica Sacramento Eucharistię Salutari religiose accepto, rite cerimoniis peractis in Regem Sarmatiæ atque Poloniæ vnctus & coronatus est. Coronationis munus Andreas Roza Archiepiscopus Gnesnensis executus est. Huic assistebant Ioannes Conarius Cracouiensis, & Mathias Dreuitius Præmisliensis Episcopi. Adfuere item Bernardinus Vilczek Leopoliensis Archipræsul, Vincentius Przerebius VVladislauiensis, Ioannes Lubrantius Posnanien. Erasmus Vitellius Plocen. Lucas de Torunia Varmien. & Ioannes Amicinus Laodicen. & suffraganeus Cracouien. Episcopi: vna cum multis Abbatibus infulatis. Fuit Sigismundo animus ab ineunte ætate in Deum sacraq; religiosus, in maiores obseruantiæ studiosus, in subditos pius & Clemens, in egenos misericors, Iustitiæ & æquitati ita addictus, vt nullis vnquam consiliis à recti tramite potuerit auelli, promissi ita tenax, vt supra fidem nihil altius duceret: inediæ atque algoris patiens, tota vita summa abstinentia vsus, comessationes, potationesque supra quam naturæ necessitas postularet, in seipsum nunquam admisit, in aliis ad indignationem vsque execratus est. Vinum, cereuisiam, medonemque à teneris vnguiculis nunquam gustauerat, donec Federici Marchionis Brandeburgensis affinis precibus victus, vinum parum sumeret, deinde medicorum consilio atque iussu vteretur. numquam tamen nisi prandens, cœnansque paucissimo, & tenui vtebatur, reliquam sitim aqua cruda extinguere solens. Aureo diademate coronatus, priuilegia Ecclesiis & aliis concessa confirmauit. *Decius in Commentario rerum Sigismundi.* I.

ANNO CHRISTI M. D. VIII.

IVLII PAPAE II. ANNO 5. ET 6.

MAXIMILIANI ROM. REGIS ANNO 23.

I. Hic annus, Iulium Pontificem Max. varie exercuit. Eius initio, cum Bononiensium mobilia ingenia quiescere non possent, Annibal & Hermes Bentiuoli, cum nonnullis iuuenibus Populæ familiæ, aliisque nobilibus adolescentibus conspiratione facta, repente Bononiæ, vt eam Pontificio Imperio detraherent, appropinquauerunt. Is motus periculo minime caruit: quoniam coniurati vt illos introducerent, iam Mammoli portam occuparant. Populo pro Pontificio Imperio ad arma concitato, iuuenes territi portam deseruerunt, & Bentiuoli recesserunt. Hic motus, Pontificis in Galliæ Regem animum potius mitigauit, quam accenderit. Rex enim Ludouicus eam rem sibi molestissimam esse ostendens, Ciamontio, vt quotiescumque opus foret, cum omni equitatu Pontificiis rebus Bononiensibus opem ferret, nec Bentiuolos Mediolanensis Imperii vlla in parte versari permitteret. Ex his tunc Ioannes animi mœrore obierat: antequam Bononia pelleretur, fortunæ acerbitatem ferre minime assuetus: cum prius diu omnium Italiæ tyrannorum felicissimus, ac secundo aspirantis fortunæ flatu exemplum extitisset; quoniam quadraginta annorum spatio quo Bononiæ ad arbitrium suum regnauit, nunquam alicuius ex suis obitum, nedum aliud, senserat: semper tum ipse, tum filii militiæ gradibus, stipendiis, & maximis honoribus ab omnibus Italiæ Principibus affectus: Semperque se omnibus rebus à quibus periculum sibi imminere videbatur facillime liberauerat: quam felicitatem, præter eius vrbis situs opportunitatem, fortunæ præcipue acceptam ferre debere videbatur. communi enim hominum iudicio, nec ingenii, nec prudentiæ, nec præstantis fortitudinis ei laus tribuebatur.

Bentiuoli Bononiam recuperant.

II. Eiusdem anni initio Maximilianus Rex Romanorum cum armorum motum differre iam nollet, fecialem qui ipsum ad Cæsaream coronam accipiendam in Italiam transire velle significaret, & quatuor equitum millia recipi postularet, Veronam misit. Huic Veronæ magistratus, ea re prius Venetiis discussa, respondерunt: Si eius aduentus nulla esset alia quam coronæ accipiendæ causa, se illum maximo cum honore accepturos: sed cum tormenta aliosque bellicos apparatus ad ipsorum fines duxisset, facta ab eius oratione diversa apparere. Maximilianus igitur Tridentum profectus est, vt exinde in Italiam penetraret. Eiusque miserat illi Pontifex diploma aureis exaratum litteris, quibus cum Cæsaris titulo ornabat, non aliter quam si aureum eius capiti imposuisset coronam.* Id autem ea Pontifex faciebat de causa, ne cum exercitu vlterius tenderet: verens ne antiquum in Italia ius authoritatemque, vt prædecessores aliquot Cæsares conati erant, dignitatem ac libertatem Italiæ minuendo, asserendum sibi censeret. Attributo ergo ei Cæsaris titulo, coronationem in aliud tempus reiecit. Attamen Maximilianus progredi cum exercitu vlterius voluit: vtque belli initium faceret, tertio Februarij die supplicationes vniuersa Tridento indixit, quibus ipsemet, Imperii feciales, & Cæsareum ensem vagina vacuum ante se habens interfuit: in quarum fine, Matthæus Langius, qui illi ab epistolis erat, & postea Gurcensis Pontifex fuit, eminenti suggesto consensu, Cæsaris nomine, illum non amplius Romanorum Regẽ, sed quemadmodum Reges Romanorum, quum ad coronam accipiendam veniunt, appellare consueuerunt, Imperatorem designatum nuncupans, eius in Italiam hostiliter exercitum traducendi decretum promulgauit: eodemque die vt nemo Tridento exiret cauit: & magna panis copia, multisque ad belli vsum ligneis machinis comparatis, plurimisque lintribus rebus necessariis onustis Athesi flumine præmissis, sequenti nocte paulo ante lucem, cum mille & quingentis equitibus, & peditum quatuor millibus, quas copias non ex conuentus decreto, sed ex propriis regnis habebat, Tridento est egressus: idq; iter cepit quod per eos montes Vicentiam ducit: eodemq; tempore Brandeburgensis Marchio, cum quingentibus equitibus, & duobus peditum millibus ex iisdem regionibus Roueretum versus contendit. Brandeburgensis sequenti die, nulla alia re, nisi quod ante Roueretum se ostenderat, & frustra intromitti petierat, confecta rediit, Cæsar autem Siagum montem, cuius radices ad duodecim ab Vicentia passuum millia distant ingressus, & Septem communium oppidis, qui populi sic nuncupati, montis summum iugum multis à Veneto Senatu immunitatibus atque priuilegiis donati incolunt captis, ac multis itinerum aggeribus & fossis, quas vt se defenderent eum q; itinere prohiberent fecerant, complanatis, aliquot tormenta conuexit: ex quo cum indies feliciores successus expectarentur, quarto postquam Tridento discesserat die, omnium animis ob tantam vel inconsiderantiam, vel inconstantiam summa admiratione repletis, repente Bolgianum, quod oppidum ab Italiæ finibus longius quam Tridentum distat, regressus est. Ipso illo tempore, alias copias in Forum Iulij miserat. Sed Veneti, ab illo tam debili Cæsareano initio excitati, & Heluetici à Rege Ludouico copiis aucti, vtrobiq; victoriam retulerunt: vt Maximilianus, cum se omni auxilio destitutũ cerneret, Oenipontem redierit, & post varia agitata Vlmæ & Coloniæ consilia, tandem suum quendam hominem Venetias miserit, qui trium mensium inducias peteret. Eas hac lege, vt à Maximiliano, Pontifex Romanus, Hispaniæ, Angliq, Pannoniæque Reges, omnes Sacri Imperii Principes atque subiecti quocumq; in loco essent, omnesque Maximiliani & & nominatorum Principum, atque Imperii statuum fœderati, intra tres menses nominandi: à Venetis vero Galliæ & Hispaniæ Reges, & omnes Venetorum, Galliæ atque Hispaniæ Regum amici & socij, in Italia duntaxat constituti, trium mensium interuallo nominandi comprehenderentur, transegerunt. Quibus inducis 20. Aprilis die stipulatis, ac fere statim à Romanorum Rege & Venetis confirmatis, arma inter illos cum multorum spe, Italiam aliquamdiu hac tranquillitate fruituram, sunt posita. Sed Italiæ morbi non huiusmodi erant, neque eius vires tam parum debilitatæ, vt leuibus medicamentis curari possent: imo vt sæpe in corporibus prauis humoribus repletis accidit, vt medicamentum vni parti sanandæ accommodatum, pernicios iores maioris que periculi morbos afferat: sic istæ induciæ, Italis pro ea quiete & tranquillitate quam multi sequuturam sperauerant, innumeras calamitates, & bella superioribus longe atrociora & cruenta magis pepererunt. Nam etsi in Italia iam à quatuordecim annis tot bella totque rerum mutationes fuerant, tamen rebus sæpe vel sine sanguine transactis, vel cædibus potius inter ipsosmet factis, populi minora quam principes mala passi erant: sed nouis in posterum dissidiis aditu patefacto per vniuersam Italiam, & contra ipsosmet Italos crudelissimi casus, innumeræ cædes, direptiones vrbium, oppidorum que eversiones, militaris licentia non minus amicis quam hostibus pernicios a secuta sunt: Violata religio, res sacræ minori reuerentia ac religione quam profanæ conculcatæ. Tantorum malorum causa, si generatim inspicias, fuit eadem quæ fere semper est Principum ambitio atque cupiditas: Si vero diligentius animaduertas, ex Veneti Senatus temeritate, nimiaque insolentia originem habuerunt: qua difficultates, quæ ad id tempus vsq; Romanorum & Galliæ Reges, quo minus contra ipsos fœdus inirent impediuerãt, sublatæ sunt, quorum Regum alterum immodice exacerbatum in maximam desperationem coniecerunt: alterum eodem tempore ad summam indignationem concitarunt, vel saltem ei id quod diu exoptauerat honesto colore aperiendi occasionem dederunt, quoniam Cæsar tanta ignominia, tantaque clade accepta irritatus: cumque dum aliena occupare in animo habet, sua se & quidem hæreditaria amisisse cernit, nihil quod ad tantam infamiæ natam, tantumq; detrimentum sarciendum faceret, prætermissurus videbatur: quam voluntatem demo post factas inducias Veneti imprudenter auxerunt. Etenim non minus inanibus signis, quam factis ab eo prouocando minime abstinentes, Aluianum Venetiis maxima pompa & pene triumphantem exceperunt: & Galliæ Rex quamuis ab initio se inducias comprobaturum spem fecisset, postea tamen seijs mirum in modum commotum ostendens, Venetos ipsum velut socium nominare ac fœdere comprehendere ausos fuisse, & propria tranquillitate procurata, se in belli molestiis reliquisse querebatur. Sed non diu quid vterque animo agitaret, declarare distulit. Cæsar enim, vt qui propriis viribus minime fideret, neque Germaniæ Principes ciuitates vt iniurias suas vltra persecuturos speraret, ad fœdus cum Galliæ Rege aduersus Venetos vehiti ad vnicum honoris & rerum amissarum recuperandarum instrumentum, incundum propensus erat: in Rege autem offensionum quas se Neapolitano bello ab illis acce-

Maximilianus vt Cæsar coronetur in Italiam cum exercitu penetrat.

Maxim. fœdus cum Rege Galliæ contra Venetos inire cupit.

pisse existimabat, memoria hac recenti indignatione renouata, & veteri Cremonæ aliorumque oppidorum quibus Mediolanensium Duces diu potiti fuerant, adipiscendorum cupiditate incitato, idem plane desiderium erat. Idcirco vt minorum rerum impedimentis remotis, grauioribus rebus simul incumbere possent, de controuersiis inter Archiducem & Gheldrensium Ducem, cuius salus ob antiquum fœdus & commoda accepta à Galliæ Rege magni fiebat, cõponendis inter eos agi cœptum est. Galliæ Regis animum eodem quoq; tempore aduersus Venetos concitabat Pontifex: qui præter veteres causas, nouas etiam habebat. Illorum enim Foroliuienses exules, qui Fauentiæ receptum habebant, eam ciuitatem ingredi tentasse existimabat: & quia Bentiuoli à Rege Insubria pulsi, in Venetorum terris reciperentur. Huc accedebat, quod Romanæ Curiæ autoritatis multis in rebus minorem quam vnquam antea rationem haberent. quibus in rebus nouissime id Pontificis animum vehementer pupugerat, quod cum ipse Vicentinum Episcopatum, Sancti Petri ad Vincula Cardinalis nepotis sui morte vacantem, Sixto itidem nepoti suo, in demortui locum & dignitatis & sacrorum beneficiorum ab eo surrogato contulisset, Senatus Venetus ea collatione contempta, Venetum patricium Episcopum legerat: qui tametsi Pontifex cũ confirmare recusaret, se Episcopum ab excellentissimo Rogatorum Senatu electum temere nuncupare audebat. Quibus rebus accensus, primo Maximum Narbonensis Cardinalis ab epistolis ministrum, deinde ipsummet Cardinalem, qui recenter Ausensis morte eius Episcopatum adeptus, Ausensis Cardinalis vocabatur, ad Regem misit: qui hilari fronte à Rege auditi, varia & sine Cæsare, & coniunctim cum Cæsare perficienda ad eum retulerunt. Sed Pontifex ad conquerendum, quam ad sententiam suam proferendam erat promptior. Hinc enim vt arma in Venetos mouerentur ardens desiderium in eius mente pugnabat: illinc ne ex aliorum potentia immodice pendere cogeretur metus, ac longe magis antiqua Cardinalis Rothomagensis æmulatio eum suspensum habebant. Qua re fiebat, vt magnos Regis exercitus in Italiam traduci illi molestissimum esset. Res quoq; maiores aliqua ex parte illud turbabat, quod Pontifex paulo ante inscio Rege, Astæ atq; Placentiæ Episcopatus contulerat: & quod Rex nouum Sancti Petri ad Vincula Cardinalem, in quem ob alterius mortem, Claræuallis cœnobii opulentissimum Sacerdotium prope Mediolanum situm, collatum fuerat, eo frui nolebat. Quibus in difficultatibus, id in quo Pontifex dubius hærebat, tandem à Cæsare & Galliæ Rege constitutum fuit. Nam si consiliis inter se contra Venetos occultissime agitatis, vt tractata perficerent, Cameraci conuenerunt: pro Cæsare Margarita eius filia, cuius authoritate tunc Flandria, & reliqua imperia quæ materna hæreditate ad Philippum Regem peruenerant, gubernabantur: cui ad hoc ipsum negotium destinatus aderat Matthias Langius, Cæsari acceptissimus scriba: pro Galliæ Rege Cardinalis Rothomagensis. Verum vt sua consilia Venetos celarent, & ne vera huius conuentus causa ad eorum aures peruenire t, se de Archiducis & Gheldrensis inter quos quadraginta dierũ inducias pactæ erant conuenire diu ulgarunt. Itaq; Veneto Oratori Rothomagensis, Regem in fœdere cum illis perseuerare velle, confirmabat. Cardinalem potius non repugnantem quam consentientem, Catholici Regis legatus secutus est. Nã & si Rex ille primus horum inter Cæsarem & Galliæ Regem colloquiorũ author fuerat: tamen sine illo postea erant persecuti, quod vterq; sibi persuaderet, ei Regi Galliæ Regis felicitatẽ molestam esse, & ob Castellæ administrationẽ omne Cæsaris incrementum suspectum: eamq; ob causam eius consilia verbis non respondere. Cameraci, paucorum dierum interuallo res confecta est, nulla re nisi omnibus peractis, cum Catholici Regis Oratore communicata, quæ postero die qui fuit Decembris decimus, in maiori templo, Margaritæ, Rothomagensis, & Hispani legati solemni sacramento sancita fuit: nulla alia re tunc in vulgum prolata, nisi inter Iulium Pontificem & hos Principes singulos perpetuam pacem fœdusque contractum. Verum occultioribus monumentis res maxime graues comprehendebantur, quæ ambitiosa atque in multis, quæ Cæsar & Galliæ Rex cum Venetis habebant pactionibus contraria, quasi verborum diuersitas rerum naturam immutare posset,

exordio admodum ad pietatem compositio tegebantur: quo aduersus Christiani nominis hostes belli inchoandi commune desiderium, & impedimenta quæ ex Pontificii Imperii ciuitatibus à Venetis ambitiosè occupatis in hoc negotium redundabant, exponebantur. quæ dum remouere cuperent, vt ad tam sanctam, tamque necessariam expeditionem progredi coniunctius possent, Pontificiis quoque cohortationibus atque consiliis, Rothomagensem, velut Pontificis & Galliæ Regis Procuratorem, Margaritam item Archiducis & Flandriæ Gubernatricem, Romanorum Regis nomine, & Catholici Regis Oratorem, omnes cum eorum quorum agerent nomine mandatis de bello Venetis inferendo, vt quisque res suas ab illis occupatas reciperet, conuenisse. Numerabantur autem hæc à Pontifice, Fauentia, Ariminum, Rauenna, Cervia: à Romanorum Rege Patauium, Vicentia, Verona Imperii nomine: Forum Iulij & Taurisum ad Austriam domũ spectantes: à Galliæ Rege Cremona, Giaradda, Brixia, Bergomum & Crema: à Catholico Rege portus & oppida à Ferdinando Neapolitano Rege oppignorata. Galliæ Rex ipsemet in bellum proficisceretur, idq; proximis Calendis Aprilis auspicaretur: quo tempore simul & Pontifex, & Hispanus arma mouerent. Vt autem Cæsar inducias non seruandi iustam causam haberet, Pontifex ab illo velut Pontificatus patrono opem imploraret: quo facto, Cæsar saltem vnum belli ducem ei mitteret, & quadraginta dies postquam Galliæ Rex bellum inchoasset, ipsemet ad Venetorum imperium oppugnandum duceret. Quicumq; illorum res suas recuperasset, cæteris donec sua prorsus recepissent, auxilium ferret. Omnes ad vniuscuiusq; ipsorum, cui Veneti ob recuperata oppida molestiam afferrent, defensionem tenerentur: nec cuiquam cum Venetis absque communi consensu pacem inire liceret. Intra tres menses Ferrariensium Dux, Mantuanus Marchio, & quicumque suum aliquid à Venetis occupari censeret, huic fœderi nomina sua dare possent: quo facto, perinde atque ipsi fœderis principes commodorum participes fierent, & singuli amissa per se recuperandi facultatem haberent. Pontifex grauissimis interpositis pœnis atque censuris, Venetos, vt res ad Pontificatum spectantes restituerent, moneret: & controuersiæ quæ inter Blanca Mariam Romanorum Regis coniugem, & Ferrariensium Ducem, ob Annæ eius sororis quæ Ducis vxor fuerat, hæreditatem orta erat, Iudex esset. Cæsar Galliæ Regi suo, & Francisci, Angoulismensis, eorumque masculæ prolis nomine, Mediolanensis Imperii diploma concederet: cuius rei gratia Rex ei mille auri pondo persoluret. Nec Cæsar, nec Archidux toto belli tempore, & sex menses post, in Catholicum Regem, ob Castellæ administrationem, regnique nomen aliquid noui molirentur. Pontifex, Pannoniæ Regem ad idem fœdus hortaretur. Singuli, quadrimestri spatio socios ac fœderatos suos, modo ne Venetos, vel fœderatorum Imperio subiectos, beneficiariosve nominarent. Singuli fœderis Principes intra sexagesimum diem fœdus ipsi confirmarent. Huic fœderi addita est inter Archiducem & Gheldrensium Ducé pax, qua conuentum est, vt oppida eo bello Archiduci adempta restituerentur: Gheldrensi autem adempta quæ essent minime redderentur. Nouo fœdere hac ratione firmato, sed iis quæ ad Venetos spectabant, quantum fieri poterat celatis, Rothomagensis Cardinalis, Lutetiano Episcopo, & Alberto Pio Carpensi Comite prius ad Cæsarem, vt Galliæ Regis nomine ab eo fœderis approbationem acciperent missis, sequenti die discessit: Cæsar autem id statim iureiurando, eodem ritu quo in Cameracensi templo promulgatum fuerat, comprobauit. Hoc fœdus, & si in scripto cum Pontificis & Catholici Regis mandato atque consensu factum esse expressum fuerit, tamen sine illorum mandato vel consensu factum fuisse certum est: quod Cæsar & Galliæ Rex illos partim propriæ vtilitatis ratione, partim quia ob præsentium rerum statum ipsorum authoritati neuter illorum repugnare esset ausurus, consensuros minime dubitarent. præsertim vero Catholicum Regem: cui & si hoc fœdus molestum esset, quia Galliæ Regis potentiam nimium augeri metuens, totius regni Neapolitani, securitatem, eorum quæ Veneti possidebant recuperationi anteponebat: tamen quę in animo habebat tegens, & contra quam sentiret præseferens, statim eodem modo comprobauit. Maior in Pontifice erat hæsitatio cum pro eius consuetudine, hinc Aemiliæ oppidorum recuperandorum desiderium, & in Venetos iusta ira, illinc Galliæ Regis metus: præterquam quod Cæsaris potentiam in Italiam extendi, sibi, Pontificioque Imperio periculosum censebat, in eo pugnarent. Quare eius quod optabat partem pace quam totum bello consequi vtilius ratus, Senatum Venetum, vt sibi Ariminum atque Fauentium restitueret flectere conatus est: pericula, quæ ex tot Principum coniunctione imminebant: Pontifice in fœdus coeunte, longe maiora fore ostendens, quod illos sacris atque profanis armis persequi cogeretur. sin vero oppida Pontificio Imperio ipso sedente adempta restituerent, se cum oppidis honore recuperato, ea quæ suo nomine, sed absque suo consensu transacta fuerant, non comprobandi, iustam causam habiturum: idque fœdus quod per se multa impedimenta habuerat, Pontificia authoritate remota, facile vanum euasurum. quod ipsum, quantum authoritate atque industria posset, si non aliam ob causam, saltem ne in Italia barbarorum potentia, nõ minus Pontificatui quam aliis periculosa augeretur, curaturum, certo sibi persuadere possent. Hac de re variæ erant in Senatu Veneto sententiæ. Alii enim Pontificem ab aliis seiungi rem magni momenti fore existimabant: alii eam rem indignam, neque ad bellum arcendum idoneam iudicabant. Tandem illorum qui ad meliorem tutioremque partem hortabantur sententia superasset, nisi Dominicus Triuisanus surgens contrarium suasisset. Idcirco Pontifex, qui fœderis comprobationem ad vltimum vsque præscripti temporis diem distulerat, tandem comprobauit: sed cum expressa declaratione, se nihil hostile in Venetos, nisi post bellum à Galliæ Rege cœptum gerere velle. *Heuter. lib. 7. Guiciardinus lib. 8.* Bembus & Iustinianus, ille lib. 7. hic XI. Hist. Venetæ fatentur, Iulium pacis cum Repub. Veneta cupidum ex animo fuisse. Dum enim (narrant) relaxandi animi causa Roma digressus, nauicula Centum cellas peteret, & cum eo Georgius Piso Venetus Orator, altero legato Ioanne Baduario in vrbe ob intaletudinem sedente, veheretur, familiari in colloquio, cum iam ira eius deferbuisset, conuersus ad Pisonem hilari vultu dixisse: Cur Senatus aliquos mihi ex ciuibus vestris nõ proponit, quibus Arimini & Fauentiæ Vicarium tradam imperium, Romanaque ab his capiat censum Ecclesia: & ita Veneti voti compotes facti vrbes illas sub ciuium suorum nomine legitime possidebunt? Pontifici autem Piso inconsulte respondit: non consueuisse Venetos ex priuata conditione ciues suos Reges facere. nec de his postea Piso, ingenij austeri vir, collegam suum, nec Senatum reddidit vmquam certiorem, qui fortasse re mature discussa salutari consilio futuris malis opportuna remedia adhibuissent. Sed vel fortunæ fatiue acerbitate, vel potius diuino ita euenit consilio, vt Veneta Respub. quæ opibus, potentia, famaque ad eam diem toto Orbe illustris, late terra marique fines Imperii propagasset, in inuidiam Principum Christianorum adduceretur, aduersaque maxima subiret, vt ab iis mortales documenta acciperent, res humanas ineuitabiles assiduasque pati vicissitudines. Memorat Bembus & istud, è Gallia à Rege, Iulii literas ad Senatum scriptas, quibus Pontifex quoad viueret, Ariminum & Fauentiam retinendi Reipub. facultatem dabat, missas fuisse: quas quidem illi contempsissent, & Pontificem multis contumeliis verborum incessissent. Cum his grauissimorum in Italia bellorum seminibus finem habuit annus 1508.

III. *Ferdin. Catholicus regno Castellano stabiliendo inuigilat.*

Ferdinandus Catholicus inter hæc, rebus suis in Castella stabiliendis inuigilabat: ac memor rerum humanarum quæ fluxæ & instabiles sæpe in contrarium migrant, neque ignarus non paucos obstinata mente rerum nouarum consilia agitare, nullo loco deerat, vigilabat, & quosdam metu terrebat, aliorum inuidiam beneficiis expugnabat. In eo numero præcipue se ostentabant, Alfonsus Manricus, Roderici Manrici Magistri D. Iacobi filius, idem Pœcis Augustæ Præsul, & Cataniæ in Sicilia Episcopus Petri Nunnii Gusmani Calatrauæ Clauigeri frater. Ii postquam deserto Ferdinando Philippo Regi adhæserant, sublata emergendi spe dum is rerum potiretur, ex desperatione animos obstinauerant, priorem errorem nouo & grauiore cumulantes. Summus Pontifex de ea re appellatus, Toletano & Burgensi Præsulibus inquirendi in eos Episcopos potestatem fecit. Aduersus Regem maximis offensis irritatum tueri innocentiam qui posset? Alfonsus Manricus fuga in Belgas concedere tentauit. Captus tamen non procul Santanderio in Asturibus à Francisco Lupano Trasmieræ seu Vltramontanorum tunc Prætore, aliquamdiu in Atiensæ arce detentus, demum in Toletani potestatem, iuxta summi Pontificis mandata est traditus. quo ipso anno Regina Ioanna, Henricum Toletum, & Ferdinandum Tellium Iureconsultum, Romam legatos misit, qui summo Pontifici obsequium deferrent. quod eatenus officium præstitum non erat temporum multa varietate. Iisdem ipsis diebus Bernardinus Caruaialius Cardinalis detracto Legati munere, quo in Germania fungebatur, ab Iulio Pontifice Romam euocatus est. Ferdinandi id Regis votis ad amouendam suspicionem eum ad Cæsarem inclinare, datum. *Mariana lib. 29. c. 12. & 13.*

IV. Emanuel Lusitanus ab omnibus Europæis contentionibus liber, nominis famam per omnes Orientis oras studebat propagare, anniuersariis nauigationibus structre opes, nouis identidem victoriis maris Indici imperium occupare, inuicta virtute ducum pariter & militum, neque minori felicitate. Tristanus, hoc anno ad Socothoram maris Erithræi insulam transmisit. Eam Christiani iam inde ab Apostoli Thomæ aduentu incolebant: sed ipsa locorum asperitate, & diuturno pastorum desiderio pœne efferati. Subterraneos inhabitant specus: in bello fundis eminus certant, cominus gladiis è mero ferro, quod mortuum vulgus appellat. victitant millio, carectis & lacte. cum mercatoribus poma permutant, itemque cinnabarim, & aloem omnium laudatissimam. Se Christianos esse profitentur. Templa more nostrorum altaribus ædificant. Cruces tantum habent in ipsis altaribus statutas: imaginibus non vtuntur. Dies ieiuniis dicatos, de Christianæ religionis more, singulari ciborum abstinentia obseruant: Nec enim illis cum ieiunant, pisces edere licet. Eosdem festos dies, quos nos agimus, & iisdem temporibus celebrant, & Diuorum etiam memoriam sancte colunt. Precandi stata quotidie tempora obseruant, & sanctam crucem eximie venerantur: cuius imagines cuncti gestant è ceruice suspensas. Vbi in templum conuenere frequentes, Hebraice concepta precationis verba præit vnus, tum instar chori cætera turba prosequitur. Decumas frugum & fructuum Sacerdotibus integre persoluunt. Vnam tantum vxorem ducunt. Sunt disciplinarum prorsus ignari, vsque adeo, vt cum Christianum nomen retineant, Christianæ religionis non omnino periti sint. Nam ex Iacobitarum hæresi, propter vicinitatem Aethiopiæ, vitia multa traxere: quandoquidem & circumcisionem, aliosque ritus Iudaicæ superstitionis vsurpant, & à Romani Pontificis auctoritate seiuncti sunt. Ignauia & otio torpent: animo demisso & abiecto sunt, vsque adeo, vt cum Christianum nomen habeant, sine vlla recusatione paucis Saracenis obtemperent: & cum impotenti ab illis tyrannide vexentur, nullam tamen pro libertate dimicationem subeundam existiment. Quo tempore Tristanus ad eos venit, annis iam sex & viginti Rex Fartacum ex Arabia missis eo militibus mille, Beninum portum per vim occuparat, validaque arce imposita, Christianos admodum æquo premebat Imperio. Ad eos liberandos, atque ad Catholicam Ecclesiam adiungendos, ab Emanuele Rege missus Tristanus, Beninum portũ expugnauit, præsidiariosque profligauit. Incolæ, qui nouæ classis metu in auios montes vna cum coniugibus liberisque perfugerant, cognito aduenas Christianos esse, ad arcem accurrerunt, & Fartacum iniurias grauiter questi, ad pedes Tristani cum lachrymis acciderunt, per Christum Iesum obsecrantes, vt è tam acerba seruitute, ijsdem sacris deditam, eiusdemque consortem spei nationem eriperet. Quibus ille, se vel ob id ipsum ab Emanuele Rege, salutis eorum cupidissimo, in ea loca destinatum esse respondit: quamobrem & præsidium ad Mahometanos arcendos, & Sacrorum Antistitem curandis incolarum animis relicturum. Itaque fano Arabum expiato, & in cultum Virginis Mariæ conuerso, arcis custodia cum idonea manu Alfonso Noroniæ Lusitano concredita est: rei vero Christianæ præpositus eximia sanctitate vir, Antonius Laurerius Franciscanus: qui tollendis vitiis quæ in hominum mores ac religionem irrepserant, incolisque ad veram pietatem ac virtutem erudiendis, aliquot annos plane Apostolico munere functus est. Fecit alios in Indiis progressus Tristanus, non minores certe quam Almeida & Albuquerquius: quibus Emanuel Rex hoc anno subsidiariam duodecim nauium classem submisit, præfecto Georgio Aquilario. Præter hæc sub eiusdem anni finem misit in Aethiopiam ad Congui regnum multos viros religionis & sanctimonię fama præstantes, qui Christi disciplinam multo diligentius gentibus illis traderent, & regiones illas clariore lumine perfunderent. Cum autem inter Emanuelem, & Ioannam Castellæ Reginam orta esset disceptatio de regionum limite: qui fuerat à Ioanne Rege Portugalliæ & Castellæ Regibus designatus, intra quas cuilibet ex Regibus liceret, absque alterius iniuria Saracenos expellere, regiones incognitas occupare, & fidem Christianam in eis propagare: fuit ea contentio summa æquitate partis vtriusque decisa: & Emanuel maxima Mauritaniæ parte cessit: quæ videbatur ad illius terminos pertinere, & Regibus Castellæ occupandam permisit. Ioanna vicissim de iure, quod existimabat in Aethiopia retinere, decessit, cum eam regionem Portugalliæ Regibus assignatam esse cognouisset. *Maphæus lib. 3. Osorius lib. 5.*

Tristanus à Rege Lusitano missus in Indiam. Socothorã insulam occupat.

V. *Lauretanæ Virginis miraculum.*

Fuit hic annus Lauretanæ Virginis ope miraculis insignis. Longus quidam Neapoli fuit vnus è Consiliariis Regiis clarus in paucis. Huius coniunx fœmina primaria (ex viri cognomine Longa dicebatur) omnibus capta membris, acerbissimis insuper discruciata doloribus miserrimam trahebat vitam, morti quam vitæ similiorem. Itaque ad vltimum damnata, ope medicorum, exorat virum, vt Lauretum deferri ipsam iubeat. Quo vt peruentum est, generum suum itineris comitem rogat, certum vt sacrum in augustissima Virginis cella faciendum curet suis rationibus accommodatum: nimirum cuius initium est: *Repleatur os meum laude*, in quo sanati à Christo Paralytici Euangelium recitatur. Id sacrum sextæ feriæ à Penthecoste assignatum, vtique alienum ab eo tempore erat, cum iampridem is abiisset dies: sed Longa votiuum id Sacrum expetebat. Vix hoc plane genero mandauerat, cum ipsa eodem genero prosequente, in Sacrosanctam defertur Ædem, ac B. Virgini sistitur, haud dubia spe Deiparæ preces salubres sibi futuras. Ecce tibi prius quã gener socrus suæ mandata exequi posset, ad aram accedit Sacerdos ignotus: qui rem diuinam ab illo ipso introitu, *Repleatur os meum laude*, orsus, Longã ingenti admiratione perculit. Igitur stupore attonita paulisper hæsit. Inde versa ad generum, qui nondum ab ea, sacri curandi causa discesserat, sed iam discedere parabat, Mane, inquit, nihil attinet te ire, hoc ipsum est sacrum quod requirebam. Porro vt ad illum Euangelii locum ventum est, *ait Paralytico: Tibi dico surge.* mira res dictu, visuq; paralytica mulier repente quadam vi simul membra consolidari, simul mentem insolita dulcedine perfundi sensit. Ex templo igitur gratulabunda exsurgit è sella, cæteris rei nouitate ac stupore attonitis: manantibusq; gaudio lacrymis, nullum facit agendi grates B. Virgini modum. Ad vltimum re diuina peracta, suis ipsa pedibus ad hospitium tendit, cunctis vtique eius familiaribus tantæ rei miraculo stupentibus. Aderat tum forte Laureti Dux Termalensis cum delecta equitum manu, qui à Iulio II. in Galliam cisalpinam ad bellum euocabatur. Hic igitur (vt qui Longam, eiusque insanabilem morbum familiariter norat) vbi suis ingredientem pedibus eam vidit: hæsit scilicet rei nouitate obstupefactus. euidenti deinde miraculo motus, diuinas cum illa laudes miscuit. Noua exinde res auxit miraculi fidẽ. Sacerdos ille, qui Longæ rem diuinam fecerat, diu multumq; requisitus nusquam comparuit: diuinitus missum crederes, vt diuini operis minister foret. At Longa voti compos Neapolim regressa, valetudinem diuinitus receptam Deo consecrandam existimauit. Proinde Sacrarum Virginum cœnobium Neapoli instituit, ipsa ægrorum insanabilium ministerio se se deuouit, Raimundo Cardona Prorege Neapolitano. *Turrill. Laur. Histor. cap. 10. lib. 2.*

Iudæus Eucharistiam prophanãs Cracouiæ Comburitur.

Hocanno, die 5. Aprilis, Iudæus quidam, qui cum cæteris complicibus Sacramentum Eucharistiæ dehonestauerat, cæteraque nefaria facinora perpetrauerat Cracouiæ in regno Poloniæ, in Diuæ Virginis æde, frequenti Doctorum cœtu præsente in scalam erectam statutus fuit. Nicolaus vero Diui Dominici institutum professus, sacrarum litterarum Doctor, & hæreticæ prauitatis Inquisitor, Iudæi facinora arguebat

guebat, atque palam faciebat. Iudæus postquam summo conatu atque intrepide se tueretur, tandem conuictus, seculari potestati traditus, atque igni combustus est. *Decius in Comment. de temporib. Sigismundi I.*

ANNO CHRISTI M. D. IX.

IVLII PAPAE II. ANNO 6. ET 7.

MAXIMILIANI ROM. REGIS ANNO 24.

I. *Maximil. Imp. fœdus Cameracense conscribit contra Venetos literis promulgat.*

Ameracense fœdus, superiore Anno à Principibus Christianis aduersus Venetos ictum, Maximilianus Cæsar his Edictalibus litteris vulgauit: ex quibus causas belli suscepti licebit cognoscere. Ita habent:

Maximilianus diuina fauente clementia electus Romanorum Imperator semper Augustus, Rex Germaniæ, & Hungariæ, Archidux Austriæ, Burgundiæ, Lotharingiæ, Brabantiæ, Styriæ & Carinthiæ, ac Marchio Sac. Rom. Imperij &c. Recognoscimus, & præsentium tenore notum esse volumus vniuersis, quod quum Sanctissimus in Christo Pater & Dominus, Iulius, diuina prouidentia Sacrosanctæ Romanæ Vniuersalis Ecclesiæ Summus Pontifex, Dominus noster Reuerendissimus, sæpius & repetitis vicibus nos, pariter & Serenissimum atque Excellentissimum Principem, Dominum Ludouicum Regem Franciæ fratrem nostrum charissimum, aliosque Christianos Principes instantissime admonuerit, vt tanquam veri & deuoti filij Ecclesiæ vellemus ad conseruationem Christianæ Reipub. intendere, quæ in dies à truculentissimis Turcis, & cæteris infidelibus maximas iacturas patitur: ac etiam ad conseruationem iurium & bonorum Sanctæ Sedis Apostolicæ, atque Beatitudinis suæ, totis viribus assistere, ad recuperationem eorum, quæ postposita fide, omnique religione contempta, nulla habita ratione, æqua, honesta & iusta, Venetij, pluribus iam annis de Beati Petri, & Sanctæ Romanæ Ecclesiæ patrimonio tyrannice inuaserunt, vsurparunt & occuparunt, ac de præsenti nullo iusto titulo indebite occupant & detinent. cui exhortationi Sanctissimi Domini Nostri, Nos Imperator præfatus, pro sygcera nostra in Sedem Apostolicam obseruantia (vt par est) parere volentes, huiusmodi defensionem, & conseruationem Reipub. Christianæ, nec non incrementum Sanctæ Sedis Apostolicæ, iuxta maiorum nostrorum vestigia & exempla, tamquam etiam illius Aduocatus & Protector cum summo desiderio amplecti, & suscipere fuimus semper ex animo inclinati: Considerantes etiam grauissimas iacturas, iniurias, rapinas, & damna quæ præfati Veneti nedum Sacrosanctæ Sedi Apostolicæ, sed & Sacro Romano Imperio, domui Austriæ, Ducibus Mediolani, Regibus Neapolitanis, & alijs multis Principibus violenter intulerunt, illorum bona, possessiones, ciuitates, oppida, perinde ac si in communem omnium perniciem conspirassent, tyrannice occupando, & vsurpando. propter quod non solum salubre, vtile & honorificum, sed & omnibus prædictis necessarium esse existimamus, vt omnibus ad iustam vindictam excitatis, tandem ad restinguendam insatiabilem Venetorum cupiditatem, & dominandi libidinem, tanquam ad commune incendium accurratur, iunctisque viribus & armis, bona per eosdem Venetos ablata, & occupata recuperentur, & reintegrentur. eaque de causa nuper Illustrissimam Principissam Margaritam Archiducissam Austriæ, Ducissam Burgundiæ, relictam viduam Sabaudiæ, filiam nostram charissimam, ad ciuitatem nostram Imperialem Cameracensem misimus, quæ vigore pleni & sufficientis mandati nostri, tanquam specialis nostra in hac parte procuratrix post conclusam generalem pacem inter nos, & supranominatum Serenissimum fratrem nostrum Regem Franciæ, cum Reuerendissimo in Christo patre, D. Georgio de Amboisa tit. v. Sixti, Sanctæ Romanæ Ecclesiæ presbytero Cardinale Rothomagensi, ac Sedis Apostolicæ per Franciam de Latere Legato, faciente se in hac parte fortem nomine Sanctissimi Domini Nostri, & etiam iam dicti Serenissimi Regis Franciæ fratris nostri ad hoc deputato procuratore, ac cum spectabili Iacobo de Albion milite Serenissimi Regis Aragonum Oratore, & ad hoc etiam speciali procuratore, tractauit, iniuit, fecit, concluſit, & iurauit, ac litteris suis roborauit fœdus, confœderationem, vnionem & ligam, contra ipsos infideles, ac etiam contra Venetos, iuxta capitula, puncta & articulos: quarum litterarum capitulorum, punctorum, & articulorum tenor de verbo ad verbum sequitur, & est talis. Inprimis, quia hodie nos cum præfato Domino Cardinali Rothomagensi Legato, & ex prædictorum Sacratissimi Domini Imperatoris, & Christianissimi Francorum Regis nominibus, iniuimus & conclusimus pacem generalem, atque confœderationem, in qua etiam inter cætera Sanctissimum in Christo Patrem & Dominum. D. Iulium II. diuina prouidentia Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Summum Pontificem, Dominum nostrum obseruandissimum, & Serenissimum Aragoniæ Regem inclusimus, atque vtrique parti adhuc facultatem reseruauimus, infra quatuor menses posse alios suos confœderatos nominare, & eidem paci, seu confœderationi includere. & quoniam Veneti in maximum præiudicium Sanctæ Sedis Apostolicæ, Sacrique Romani Imperij, & Dominorum Austriæ, ac Christianissimi Regis Franciæ, ad causam Ducatus Mediolani, ipsiusque Serenissimi Regis Aragoniæ ad causam Regni Neapolitani iamdudū tyrannice & violenter occuparunt, detinuerunt, & præsentialiter vsurpant, occupant, & detinent quamplurimas prouincias, vrbes, & dominia, ipsis Sacratissimo Domino Imperatori, & Regibus prænominatis, singula singulis referendo pleno iure pertinentia: tractatum, & conuentum est, inter nos nominibus antedictis, quod nec Sacratissimus Dominus Imperator Romanorum, nec Christianissimus Francorum Rex debeant, nec possint Ducem, & Dominum Venetorum, aut eorum subditos, nec alios communes hostes contra quos est mouendum bellum, pro confœderato, vel confœderatis suis nominare, seu huic paci & confœderationi hodie factæ qualitercunque includere: quinimo præfatus Dux, & Dominum Venetorum, atq; eorum subditi, à præfata pace & confœderatione prorsus debeant esse excluſi. Item actum est & conuentum, quod sit vna specialis liga, vnio, amicitia & confœderatio inter Sanctissimum Dominum nostrum Papam, & inter prædictos sacratissimum D. Imperatorem Romanorum, & Serenissimum Franciæ & Aragoniæ Reges, contra ipsum Ducem, & dominium Venetorum, atq; ipsorum subditos, pro recuperatione, seu reintegratione omnium deperditorum. Item pro celeriori huius rei expeditione actum & conuentum est, quod ipsi Sanctissimus Dominus Noster, & Serenissimi Franciæ & Aragoniæ Reges, & ipsorum quilibet cum sufficienti militum, & peditum exercitu, ac cum artellaria necessaria teneantur infra diem primam Aprilis proxime venturam, pro recuperatione antedicta, communibus armis eosdem Venetos hostiliter inuadere, nec prius à prædicta inuasione, seu guerra, aut armis per aliquem eorum desisterur, quam omnino & integre Apostolica Sedes recuperauerit Rauennam, Cerruiam, Fauentiam & Ariminum, eorumq; districtus, ac alia oppida Imolæ & Cæsenæ, cum omnibus earum iuribus & pertinentiis, ac omnia alia, quæ de statu & iuribus Ecclesiæ Romanæ dicti Veneti occupant & detinent: & præfatus Sacratissimus Dominus Imperator recuperauerit Roueretum, Veronam, Paduam, Vicentiam, Tarusium, Forum Iulium, cum territoriis ac pertinentijs eorum: nec non Patriarchatum Aquilegiensem, cum singulis suis pertinentijs, omniaq; alia loca & dominia, per ipsos Venetos in hoc vltimo bello capta, & occupata, ex terris & dominijs domus Austriæ. & pari modo ipse Christianissimus Francorum Rex recuperauerit totaliter Brixiam, Bergomum, Cremam, Cremonam, Geradadam, cum singulis ipsorum locorum districtibus, territorijs, ac pertinentijs, & generaliter omnia ea quæ fuerunt antiquitus de Ducatu & dominio Mediolani ac prædecessorum ipsius Christianissimi Regis in eodem Ducatu. & similiter ipse Serenissimus Rex Aragonum recuperauerit ea omnia, quæ ipsi Veneti de regno Neapolitano, & ex prædecessoribus in ipso regno quouis modo abstulerunt, & vsurparunt, ac de præsenti quouis colore, vsurpant, detinent, & occupant, videlicet Tranum, Brundusium, Otrantum, & Gallipolim, ac omnia alia quæ de regno Neapolitano per eos occupantur. Item poterunt etiam Illustris Dux Sabaudiæ pro regno Cypri, & Marchio Mantuæ pro recuperatione eorum, quæ dicti Veneti eis detinent & occupant, se huic ligæ adiungere, & in hac confœderatione se includere. Item quod etiam sit facultas Serenissimo Regi Angliæ se includendi in hac confœderatione & liga, siue ad offensionem, siue ad defensionem tantum, siue ad vtrumq;, prout ei melius videbitur.

Pleraque alia huic fœderi per partium Oratores adscripta fuere, quæ nos superius memorauimus. Hæc omnia Reges socii Sigillorum suorum munimine roborari iussere, die v. Ianuarij M. D. IX. *Petrus Iustinianus hist. Venet. lib.* II.

II. *Venetis bellum infertur.*

Hoc fœdere ab omnibus sociis comprobato, Galliæ Rex statim maximos apparatus moliri cœpit: & quamuis nondum ad minas & bellum indicendum deuenisset, tamen cum res vltra dissimilari non posset, Cardinalis Rothomagensis coram vniuerso Regio Senatu, cum Venetorum Oratore,

tore, quod is Senatus Regio fœdere, amicitiaq; contempta, Cerreti cœnobium in Cremensi agro muniret: in qua cum olim arx fuisset, pacis Anno 1454. inter Venetos & Franciscū Sfortiam nouum Mediolanensium Ducem factæ capitibus, ea lege, ne Venetis vllo tempore eum locum munire liceret, diruta fuerat. ad cuius pacis capita, fœdus inter Regem & ipsos factum, in hoc atq; in plerisq; aliis referebatur, vehementissimis verbis quæstus est. cumq; post paucos dies Rex Lugdunum venisset, iam eius copiæ ad alpes superandas accedebant: & sex Heluetiorum millia eius nomine conscripta eodem tempore in Italiam descensum adornabant: ac præter proprias aliorum quoque viribus vsus, à Genuensibus quatuor onerarias naues, à Florentinis quinquaginta aureorum numum millia, ex illa summa quæ Pisis adeptis debebatur, obtinuerat: à Mediolanensibus vero oppidorum quæ Veneti occupauerant recuperandorū auidissimis, mille auri libræ ei dono datæ: multi præterea à Mediolanensi nobilitate, atque beneficiarii equos & arma vt Regem ornatissimo comitatu sequerentur adornabant. At Veneti ingenti animo ad tantum bellum sustinendum se comparabant, pecuniis, authoritate, & totis imperii sui viribus, tanta Repub. dignos apparatus facere conati. Idque eo alacrioribus animis, quod admodum verisimile videbatur, si primum impetum sustinerent, horum Principum male conciliatam societatem facile ardorem remissuram, vel dissolutum iri. Quibus in rebus summa cum Senatus gloria, idem ardor, in iis qui prius frustra, vt secunda fortuna moderate vterentur suaserant, quam in contrariæ sententiæ autoribus cernebatur. Publicam enim salutem priuatæ ambitioni anteponentes, autoritatem suam, aliis pernicioſa consilia exprobrando, remediaue quæ periculis ex illorum imprudentia natis adhibebantur impediendo, minime augere nitebantur. Sed nihilominus cum pene vniuersum Christianum orbem in se concitatum arma sumere animaduerterent, Summi Pontificis ab aliis seiungendi, præsertim cum illum si modo Fauentiam ei restituerent, contentum fore sperarent, occasionis neglectæ iam pœnitentes, quoad eius fieri posset, tantum consensum infringere sunt conati. Idcirco cum illo prima colloquia renouarunt, & noua cum Cæsare & Rege Catholico introduxerūt: cum Galliæ vero Rege, siue odio, siue quod nullam eius flectendi spem haberent, nihil tentarunt. Sed Pontifici quæ prius exoptauerat iam admittere non erat integrum: & Catholico Regi, etsi forte voluntas non deesset, deerat tamen aliorum remouendorum facultas. Cæsar vero acerbissimo in Venetum nomen odio inflammatus non modo non est assensus, sed ne illorum quidem postulata audire voluit, quoniam Ioannem Petrum Stellam Senatus scribam cum amplissimis mandatis missum, in suum conspectum admittere recusauit. Quare omnibus cogitationibus ad arma conuersis, vndiq; ingentem equitum ac peditum numerum conscribebant, & multas naues ad Aemiliæ Flaminiæq; oram, & Appuliæ oppida tuenda, & vt in Benacum lacum, Padumq;, & alia vicina loca, è quibus Ferrariensium Ducis, & Mantuani Marchionis iniurias metuebant, mitterent, instruebant. Sed præter hominum minas multi illos vel fatales, vel fortuiti casus terrebant. Brixiensis arx de cœlo tacta: nauis à Senatu cum centum auri libris Rauennam missa, in mari submersa: tabularium Reipublicæ scriptis ac monumentis refertum, totum repente corruit. Illud autem ingenti terrore eos compleuit, quod eo die eademq; hora qua Comitia habebantur, siue casu, siue occulta alicuius fraude, ignis in armamētario, inq; eo loco in quo nitrum seruatur accensus, quamuis ingens hominum multitudo ad eum extinguendū accurreret, Venti vi & fomento ad eum nutriendum augendumq; apto adiutus, duodecim triremium corpora, & maximam tormentarii pulueris copiam absumpsit. His accessit, quod cum Iulium & Rentium Vrsinos, Troilumq; Sabellum cum quingentis grauis armaturæ equitibus, & tribus peditum millibus ad stipendia sua acciuissent, Pontifex seueriſſimis edictis, veluti Pontificii Imperii beneficiarios atq; subiectos eos è Latione discedere coegit: & ad quindecim aureorum numum millia stipendij nomine accepta retinenda, se ea Venetis ex eo quod de Aemiliæ vectigalibus perceptis Pontificatui debebant, satisfacturum promittens, hortatus est. Iam belli initio à Gallis facto, Pontifex statim admonitionis nomine horrendum edictū euulgauit, in quo omnes oppidorum ad Pontificiū Imperiū spectantium, Venti Senatus occupationes: & in Episcopatibus, multisq; aliis Sacerdotiis distribuendis: & in sacris, aliisq; ad Sacrosanctæ Sedis iudiciū spectantibus causis apud profanos iudices tractandis, in eiusdem Sedis libertatis, eiusq; authoritatis fraudem, authoritās vsurpata, omniaque præterita Pontificiæ maiestatis læsæ, Imperiique contempti crimina enumerabantur: præterea illos paucos ante dies, vt Bononiæ res contra eandem Sedem turbarent, Bentiuolos perduelles, quibus vna cū illis qui eos acciperent, sacris interdictum esset, Fauentiam accersiuisse: & vt intra viginti quatuor proximos dies oppidā occupata cum omnibus vectigalibus ab ipsis perceptis restituerent, monebantur. quod nisi facerent, non modo Venetam vrbem, verum etiam omnes qui imperium illorum agnoscerent, quive non agnoscerent, Venetum aliquē admitterent, Sacro interdicto subiectos fore: eosq; læsæ Sacrosanctæ maiestatis reos, atque ab omnibus Christianis pro sempiternis hostibus habendos declarauit: Illorum bona vbique terrārum occupandi, hominesque in seruitutem abducendi, facultate concessa. Contrā quod edictum fuit ab ignotis hominibus post paucos dies scriptū quoddam Principis & Magistratuū Venetorum nomine Romā allatum: in quo post longam acerbissimamque in Pontificem & Galliæ Regem orationem, ab edicto ad futurum Concilium: & humana iustitia deficiente, ad Christi iustissimi, & omniū supremi Principis pedes, appellabāt. Istud scriptum Iulius Pontifex rite damnauit, & contra appellantes ad futurū Conciliū hoc quod adiungo edictū diuulgauit.

Iulius Episcopus Servus servorum Dei. Ad perpetuam rei memoriā.

Suscepti Regiminis nos cura sollicitat, vt eorum malitiis & audaciæ, quorum sceleris cæcitas, & damnanda ambitionis improbitas, animos occupantes (discordiarum fautore, ac schismatum inuentore & alumno, humani generis inimico procurante) eos in illam temeritatem impellunt, vt quæ sibi ab iure interdicta, & à Sanctis Patribus, etiam in Congregatione fidelium, pro huius Sanctæ Sedis dignitate, & Ecclesiæ vnitate seruandis, ad schismatis occasionem tollendam (quo in Dei Ecclesia pernitiosior morbus inuenirī vix potest) Spiritu Sancto cooperante, non minus prouide & salubriter, quam necessarie decreta & statuta esse nouerint, damnata audacia, & exquisitis artibus & fraudibus attentare temere conentur, & eis contrauenire contendant, nunc nouorum editione iurium, nunc antiquorum innouatione & declaratione, nunc vero extensione, & nouarum pœnarum adiectione (prout salubriter expedire conspicimus) solicitis studijs obuiare curemus. Sane licet olim fel. rec. Pius Papa II. prædecessor noster, de Fratrum suorum S. Rom. Ecclesiæ Cardinalium, cunctorumq; Prælatorum, ac diuini & humani iuris interpretum Curiam Romanam sequentium, in diæta seu Congregatione Mantuana existentium approbatione, matura prius & graui præmissa discussione, & de eorundem Congregatorum vnanimi consilio & assensu, ac ex certa scientia, prouocationes ad futurū Concilium efficacissimis & palpabilibus rationibus, tanquam erroneas & detestabiles damnauerit, ac sub excommunicationis late sententiæ & interdicti pœnis præceperit, ne quæ persona cuiuscuis dignitatis, siue etiam Vniuersitas, aut Collegium, quouis quæsito colore, ab ordinationibus, sententijs, seu mandatis quibuscumque suis ac successorum suorum appellatione huiusmodi interponere auderet: & contra facientes, vna cum fautoribus suis, & consilium, auxiliumve præstantibus (siue hi tabelliones essent, siue testes, siue aduocati, siue alij quicunq;) non solum pœnis & censuris prædictis, sed etiam ijs quæ læsæ Maiestatis & hæreticæ prauitatis reis imponuntur, obnoxios esse statuerit: Leonardus tamē Lauredanus Dux, Rogati, ac Generale Concilium, & Commune Venetiarū, omnesq; & singuli Patricij & Ciues communis ciuslē, vna cum Prouisoribus, Potestatibus, Commissarijs, & reliquis Officialibus suis (quorū auctoritate, industria, consilio, opera, aut fauore, Ciuitates, oppida, castra & arces ad nos & Sanctam Romanam Ecclesiam legitime pertinentes, occupatæ fuerant, aut detinebantur) de Fratrū nostrorum consilio, à nobis requisiti & moniti, vt intra certum terminum sub pœnis tunc expressis, nos & Sanctam Sedem Apostolicā, plene & omni ex parte, in concessa sibi authoritate, & libertate cū obedientia recognoscerent, & reintegrarent, ac Rauennā, Cerruiam, Ariminum, Fauentiā, Sarsinā, ciuitates, cū oppidis, castris, terris & districtu ipsarū, cumque Cæsenatensi, Forliuiensi, ac Imolensi territorijs, castris, oppidis, terris & locis quæ occupabant, integre & expedite, nobis & dictæ Romanæ Ecclesiæ, cuius iuris esse noscebantur, relaxarent, atq; inde recederent, nec impedirent, quominus illorū ciues & habitatores, ad piæ matris suæ Romani Ecclesiæ obedientiā reuerterentur, omnes eorū fautores ab au-

xilij in talibus præstatione deterrendo: ita quod requisitioni, monitioni, & mandato nostro huiusmodi non parentes, maioris excommunicationis sententia, de simili consilio, eò ipso innodati censerentur, à qua præterquã in mortis articulo constituti, per alium quam per Romanum Pontificẽ, etiam prætextu cuiuscumq; facultatis, cuiuscumq; pro tempore concessæ, absolui non possent (quã quidẽ excommunicationis sententiam, in huiusmodi non paritionis euentum, iteratis etiã vicibus aggrauauimus) paternis monitis & salutaribus iussis obsequi, prout debebant, indebite recusantes, ceu qui iuri proprio diffidunt, & superioris mandata contumaciter obaudiunt, vt quæ minus iuste vsurparunt, indebite etiã, cum animarũ suarum detrimento retineant, ad prohibitum atq; damnatũ remediũ confugientes, à requisitione, monitione, & mãdato, ac sententijs, censuris & pœnis prædictis, nulla constitutionis Pij prædecessoris hoc expressè vetantis habita ratione, ad futurum Concilium, temere (vt accepimus) prouocarunt: prout etiam perditionis filij, quondã Ioannes Bentiuolus, & eius nati, cum eos à tyrannica oppressione dilectæ Ciuitatis nostræ Bononiæ expellere decreuissemus, damnabiliter fecisse dicuntur, videl. ad futurum Concilium prædictũ appellasse & prouocasse. Nos igitur, quam detestanda sit eorum peruersitas attendentes, qui proprijs innixi commodis, & nefarijs cupiditatibus mancipati, salubria decreta Patrum, & superiorum iussa spernentes, inconsutilẽ Christi tunicã scindere, aut etiã scissionis causam præbere contendunt, & Ecclesiæ vnitatem diuidere, prædictæ Sanctæ Sedis Apostolicæ Principatũ tollere, & contra tot SS. Patrum & Sacrorũ Conciliorum decreta, temere & dãnabiliter, magna audacia venire non erubescunt, & contra facere non verentur: asserentes inter cætera, consulentes, persuadentes, determinantes, seu determinationi huiusmodi interessentes, sola consilij præstatione, seu persuasione, deliberatione aut determinatione, quod aliquibus casibus, à Romano Pontifice, seu eius sententia, vel decreto, ad futurũ Generale Concilium appellari possit, dicta Pij prædecessoris Constitutione non ligari, nisi in ipsa actuali appellatione, & illius interpositione, vel scripturæ compositione se immiscuerint: ne de cætero tali assertione se excusare, ac tale quid in posterũ præsumere impune valeant, opportunã tam immani & periculoso morbo medelã adhibere volentes: hac generali, & in perpetuum valitura Constitutione ex certa nostra scientia & potestatis plenitudine, de Venerabilium Fratrum nostrorum S.R.E. Cardinalium consilio promulgata, sancimus Constitutionem Pij prædecessoris præfatam, tã citra, quam vltra montes & in vltramontanis partibus, quoad omnes, tã Ecclesiasticas quam sæculares personas, etiam Regali dignitate, ac Cardinalatus honore fulgentes, Capitula, Vniuersitates, Communitates, & Collegia, Congregationes & synodos, ac Parlamenta valuisse, valere, & perpetuo valituram declaramus, cum suppletione solennitatis cuiuslibet, etiam publicationis omissæ, (cuius in illa edenda vel publicanda defectus prætendi posset, quæ iuxta illam fieri requirebatur) eamq; ex præterito nunc & in posterũ inuiolabiliter obseruari mãdamus: ipsius violatores, cuiuscũq; dignitatis existant, pœnis & censuris, in eadẽ expressis quocumq; tẽpore subiacere statuẽtes, contraria consuetudine, seu potius corruptela non obstante. Decernentes & declarantes vltra pœnas impositas, quas ipso facto dictos violatores & contrauenientes incurrere volumus, ipsos, & eorum quemlibet, pro veris & indubitatis schismaticis, & inconsutilis tunicæ Domini nostri Iesu Christi violatoribus, & dissipatoribus, ac de Catholica fide male sentientibus, habendos & reputandos, pœnisq; Canonicis & legalibus contra tales impositis, subiacere, & cũ Dathan & Abyron partẽ & damnationẽ habere: ipsasq; etiã pœnas, & earũ quamlibet omnes illos incurrere volumus, cuiuscumq; conditionis existant & gradus, prærogatiua, præfulgeant, qui in Senatu, consilijs, parlamẽtis, congregationibus, etiam Synodalibus & Prouincialibus, vel alias quomodolibet tacite vel expressè, voce vel scripto, per se vel alium (cuiuscumq; timoris vel reuerentiæ velamine vel prætensa excusatione, & superioris mandato, non obstantibus) decreuerint, consuluerint, seu deliberauerint: vel aliorum dicta approbauerint, consilium aut vocem dederint, vt ad futurum vniuersale Concilium, à nobis, vel successoribus nostris Romanis Pontificibus contra prædictã Constitutionem appellare liceat, possit, vel debeat, dictas pœnas ad ipsos, & eorum quemlibet contrauenientẽ in præmissis, tenore præsentium extendentes, & locũ habere declarantes, omni ambiguitate cessante: & nihilominus prouocationes & appellationes, tam per Leonardũ Ducẽ, Rogatos, Consilium & Commune Venetiarum factas huiusmodi, quam per quoscumq; alios prædictos pro tempore faciendas, & inde secuta quæcumq;, vtpote contra Pij prædictam, ac præsentem Constitutionem attentatas, nullas, prout sunt, & inualidas, nulliusq; roboris vel momenti fuisse, & pro tempore fore, authoritate, scientia, & potestate similibus, statuimus, decernimus, & declaramus: ac pro potiori cautela cassamus, & annullamus, & vltra supradictas pœnas, quas contra Constitutionis huiusmodi violatores, in suo robore permanere decernimus, loca quæcumq;, ad quæ violatores ipsos declinare, & in quibus scienter stare permitti contigerit, Ecclesiastico supponimus interdicto: decernentes illud, quãdiu ipsi violatores inibi scienter steterint, vt præfertur, & per triduũ post eorũ inde discessum, firmiter obseruari: ac præsentes literas in quinterno Cancellariæ etiam describi mandamus. Non obstantibus præmissis, ac Constitutionibus & ordinationibus Apostolicis, cæterisq; contrarijs quibuscumq;. Nulli ergo omnino hominũ liceat hanc paginã nostræ sanctionis, declarationis, mandati, statuti, decreti, voluntatis, extensionis, cassationis, annullationis, & suppletionis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem &c. Datum Romæ apud S. Petrum. Anno Incarnationis Dominicæ Millesimo quingentesimo nono IX. Calend. Iulij. Pontif. nostri Anno VI.

III. His, & profanis armis Veneti petiti, inprimis, Geradadam, Ripaltam, Carauagiũ, Bergomum, & Brixiã vno quasi momento amiserunt. Eius à Gallis illatę cladis cũ nuncius Venetias allatus est, quantus fuerit omniũ cõmunis mœror atque terror, quamq; omniũ animi, tã aduersis rebus minime assueti, imo fere semper ex omnibus bellis victoriã reportare soliti, perturbati obstupuerint, ne cogitari quidẽ, nedum monumentis mandari possit: & pro tanta gloria amplitudineq;, qua ante paucos menses totius Italiæ Imperiũ animo præcipiebãt, Imperii iactura atq; extremę patriæ ipsorũ euersionis periculo ob oculos versante, ab omnibus ciuitatis partibus, cũ maximis clamoribus & miserandis lamentationibus ad Marcianã ædẽ concursus fiebat. vbi Senatoribus quid in tã graui casu faciendũ esset deliberantibus, post multã consultationem rerũ desperatione consiliũ vincebatur. tã imbecilla atq; incerta erant remedia: tã exigua & fere nulla salutis spes: se alios duces aliasve copias ad defensionẽ præter illas, quæ ex pugna animo & viribus exutæ supererant, nullas habere: populos ditioni ipsorũ subiectos, vel ad defectionem propensos, vel incõmodis periculisq; ipsorũ causa ferendis alienos esse: Galliæ Regẽ cum potentissimo exercitu victoria elatum, cuius solo nomini omnes cessuri essent, ad secundæ fortunæ cursum sequendũ paratum esse cogitantibus. quod si illũ solũ sustinere non poterant, quid Romanorũ Rege, qui iã finibus ipsorũ appropinquare audiebatur, & nunc tanta occasione allectus, iter acceleraturus esset, arma infesta inferente fieret? vndique pericula & desperationem cũ paucissimis salutis indiciis apparere: & quis præstare possit, quo minus in ingenti hominũ multitudine referta ciuitate, partim prædæ cupiditate, partim plebis in patricios odio, perniciosus aliquis tumultus excitaretur? Iam quod extremi terroris est, omnia aduersa quæ sibi euenire posse proposuerant, certissima existimabant: & tñ animis in tanto pauore vt poterant resumptis, summam vt quauis ratione cũ Pontifice Maxim. Roman. Rege, atq; Hispano in gratiã redirent, diligentiam adhibere statuerunt, de Galliæ Regis animo mitigando nihil cogitantes: quoniam nõ minus eius in se odio diffidebant, quã eius arma metuebãt. & tamen interea defensionis consiliis minime abiectis, pecuniis cõparandis operã dare, nouas copias terrestres cõscribere, & classem quæ Genuæ parari dicebatur metuentes, classem suã cui Angelus Treuisanus præerat, vt triremes numero quinquaginta essent, augere. Verũ enimvero Galliæ Regis celeritas omnia ipsorum consilia præuertebat: cui post Brixiam captam Cremona (arce excepta) dedita fuerat: quæ arx etsi munitissima erat, aliarum tñ exemplum secuta esset, cũ præsertim iis diebus Picighitonensis arx idẽ fecisset, si Rex omnes liberos incolumesq; abire permisisset. sed cũ multi Veneti patricii in eam sese cõclusissent, & inter cæteros Zacharias Contarenus homo ditissimus, nisi isti in suam potestatẽ venirent, deditionẽ admittere nolebat.

Galliæ Rex Venetorũ vrbes expugnat.

Idcirco militibus ad eam obsidendam missis, cũ Venetorum copiæ, quæ quotidie minuebantur, in campo Martio prope Veronam, quod eas Veronenses intromittere noluissent, castra haberent, Rex Pischeriam quæ iam deditionẽ fecerat, ad arcẽ oppugnandam progressus est: quã vbi tormentis verberare cœpisset, Heluetii atq; Vascones per angustas muri ruinas maximo impetu in eam irruperunt, & militibus qui circiter quadringenti in ea erant cęsis, arcis qui & oppido præerat præfectũ, patriciũ Venetum ceperunt: qui Regis iussu vna cum filio ad muri pinnas suspensus fuit: quod vsque adeo immane facinus à Rege ideo factum est, vt qui in Cremonensi arce erant hoc exemplo territi, se non ad extremum vsque tuerentur. Sic Rex Galliæ quindecim post victoriam diebus, præter Cremonensem arcem, quæ ex diuisione Cameracensi ad se spectabant adeptus

erat, ad Mediolanense quidem Imperium valde opportuna, & quibus Regiis vectigalibus singulis annis vltra mille auri pondo accedebant.

IV. Quo tempore, cum Romanorum Regis arma nullo adhuc in loco audirentur, Pontifex, cum quadringentis grauis, totidem leuis armaturæ equitibus, & octo peditum millibus, cumq; Ferrariensium Ducis tormentis, quem Pontificij Imperij Vexilliferum nuncuparat, Aemiliæ oppida inuaserat. Huic exercitui præerant Franciscus ex Castello riui Papiensis Cardinalis, cum Pontificii Legati titulo & honore, & Franciscus Maria Ruuereus, Ioannis Pontificis fratris nepos, qui à Guidobaldo Vrbinatium Duce auunculo adoptatus, eaq; adoptione Pontificia authoritate in Pontificio Senatu confirmata, superiore anno, illi sine aliis liberis defuncto successerat. Cum hoc exercitu Cæsena Ceruiam versus progressi, inde inter Imolam Fauentiamq; venissent, Solariolum oppidum ceperunt: & aliquot dies ad Bastiam, quæ ad tertium à Fauentia lapidem est, commorati, Bersigellam, vallis Lamonis pręcipuum oppidum contenderunt, quo ingressus erat Ioannes Paulus Manfronus cum octingentis peditibus & equitibus aliquot. qui ad certamen egressi, in insidias perducti, tam ferociter ab Ioanne Paulo Ballione, & Ludouico Mirandulano, qui in Pontificio exercitu ordines ducebant, petiti sunt, vt in oppidum fugientibus hostes eis permixti vna ingrederentur: idq; tanto impetu, vt Manfronus ex equo delapsus, vix tantum haberet temporis vt in arcem posset confugere.

Pontificis exercitus vrbes amissas recuperat.

contra quam cum tormenta essent collocata, primo ictu tormentarius puluis qui in ea erat conflagrauit: quo casu territi defensores, absque vlla pactione victoris se arbitrio permiserunt. Valle tota occupata, exercitus in planiciem descendit, & Granariolo omnibusque aliis Fauentini agri oppidis captis, ad Russium Castellum inter Fauentiam & Rauennam positum, expugnatu vero minime facile, quoniam amplis atque altis fossis circumdatum, à sexcentis præsidiariis militibus defendebatur castris positis, illud per deditionem accepit. Fauentini qui, quod pauci Venetorum milites adessent, sui iuris erant, nisi intra quindecim dies auxilium acciperent, se Pontificium Magistratum admissuros pacti sunt. quo facto, quingenti Venetorum pedites sub Pontificii Legati fide egressi, Vrbinatisque iussu spoliati fuerunt. Idem & Rauennates quamprimum exercitus appropinquauit fecerunt. Sic Pontifex potius victoriæ à Galliæ Rege partæ existimatione, quam propriis armis, tantopere exoptata Aemiliæ oppida adeptus est: qua in prouincia Veneti nihil amplius præter Rauennæ arcẽ obtinebant. aduersus quos quotidie noui hostes exoriebantur: quoniã Ferrariensium Dux, qui se ad eam vsque diem declarare noluerat, repente Vicedominum (sic appellabant Magistratum quem Veneti ex veteri fœdere Ferrariam, vt suis ibi ius diceret, mittere solebant) Ferraria eiecit, & sumptis armis absque vllo impedimento Rodiginam Polinesum recuperauit, atque Venetorum classem quæ in Athesi erat tormentis submersit. & Asula atque Lunatum, quæ oppida Veneti olim in bellis quæ cum Philippo Maria Vicecomite gesserunt, Ioanni Francisco Gonzagæ Mantuani Marchionis proauo ademerant, Marchioni se dediderunt. In Istria Christophorus Frangipanis, Pisinium, Duiniumque occupauit: & Bransvicensium Dux Cæsaris iussu ForumIulii cum duobus coactorum militum millibus ingressus, Feltrium atque Bellunium cepit: cuius aduentu, & ad Gallorum victoriæ famam, Tergeste, cæteraque oppida quorum causa tot mala aduersus Venetos originem habuerant, sub Cæsaris Imperium redierunt. Lodronii quoque Comites, nonnulla ipsis vicina castella, & Tridentinus Episcopus, simili motu Ripam Tridentinam, & Agrestum occuparunt. Cæterum nulla res Venetos post Vailæ cladem ita terruerat, vt Pischeriæ arcis expugnatio: circa quam, quod esset munitissima, victoris impetum sistendum esse sibi persuaserant. Quare tot rebus aduersis perterriti, & ne Galliæ Rex vlterius progrederetur summopere metuentes, rerum suarum desperatione, ac metu potius quam consilio ducti, copiis suis, quæ absque disciplina vllove ordine ad valde exiguum numerum reductæ erant, Mestrium contractis, ne tot hostes haberent, atque etiam vt Galliæ Regi Venetias appropinquandi occasionem adimerent, forte nimis præcipiti consilio, continentis, Imperio cedere statuerunt. Neque enim extra metum erant, quin aliquis in ea vrbe tumultus, vel à populo, vel ab innumera peregrinorum qui ibi agunt multitudine concitatus oriretur, his quidem prædæ cupiditate tractis, illis vero quod ciues sint, longa successione in eadem ciuitate nati, imo multi eiusdem sanguinis, ex ijsdemq; familiis ab honoribus excludantur, ac pene omnibus in rebus patriciis parere cogantur, ferre nolentibus. cuius etiam rei hæc in Senatu ratio adducta fuit, si sponte præsentium periculorum vitandorum gratia de Imperio cederent, secunda fortuna si id aliquando contingeret redeunte, facilius recuperaturos. quoniam populi sponte ab ipsis Sacramento soluti, non tam inuiti sub pristinum imperium redirent, ac si aperte rebellassent. Quibus rationibus permoti, Venetæ virtutis & tam illustris Reipub. splendoris obliti, salsarum aquarum imperio contenti, Magistratibus, qui Patauii, Veronæ, aliisque Maximiliano destinatis in oppidis erant, vt iis in ciuium potestate relictis inde discederent, mandarunt. Et præterea vt illum aliqua ratione ad pacem flecterent, summa celeritate Antonium Iustinianum legatum ad eum miserunt. qui ad Cæsaris conspectum in publico consessu admissus, misere & submisse admodum, sed frustra, quia Cæsar nulla de re absque Galliæ Rege pacisci volebat, loquutus est.

Nec ab instituto nostro alienũ videtur, si, vt quam animo, vel propter diras Pontificias contemptas, consternata esset ea ciuitas, quæ iam à ducentis vel pluribus annis huic parem aduersam fortunam non senserat, melius perspiciatur, eam ipsam orationem quam ille Latinis verbis coram Cæsare habuit hic inseruero, quæ huiusmodi fuit.

Veteres Philosophos, atque summos illis temporibus viros, Inuictiss. Cæsar, cum eam gloriam quæ ex suiipsius victoria comparatur, veram, firmam, æternam, immortalemq; esse affirmarunt, eamq; super omnia regna, trophæa atq; triumphos extulerunt, minime errasse manifestum certumq; est. Hæc Scipioni maiori tot victorijs claro, maiorem splendorem quam Africa deuicta & Carthago domita dedit. Nonne hæc eadem res magnum illum Macedonem immortalitate donauit? cum Darius maximo prælio ab illo victus, Deos immortales vt regnum suum stabilirent precatus est. quod si secus statuissent, se non alium successorem, quam tam benignum hostem, tam mansuetum victorem ab illis petere. Cæsar ille dictator, à quo Cæsaris cognomentum habes, & cuius fortunam, liberalitatem, magnificentiam, aliasque virtutes obtines, nonne concedendo, remittendo, condonando, qui in deorum numerum referretur dignus est iudicatus? Deniq; Senatus populusq; Romanus ille mundi domitor, cuius imperium in terris in te solo est, cuiusq; amplitudo & maiestas in te conspicitur, nonne plures populos atq; prouincias, clementia, æquitate, & mansuetudine, quam bello armisque Imperio suo subiecit? Quæ cum ita sint, minime inter postremas laudes id tibi ascribetur, Cæsar, si cum victoriam aduersus Venetos in potestate tua habeas, quam humanæ res caducæ sint memor, ea moderate vti noueris, magis ad pacis studia, quam ad dubios belli euentus propensus. Quanta enim rerum humanarum inconstantia sit, quam incerti casus: quam dubius, varius, fallax, obnoxiusq; periculis sit mortalium status, externis priscisque exemplis ostendere non est opus. Satis superque Veneta Respub. docet, quæ paulo ante florens, splendens, clara atque ita potens erat, vt eius nomen & fama non iam Europæ finibus contineretur, sed egregia pompa Africam, Asiamque percurreret, atque in extremis orbis terræ terminis magno cum plausu resonaret: hæc eadem nunc vnico eoque leui aduerso prælio rerum gestarum gloria orbata, opibus spoliata, lacerata, conculcata, atque euersa, omnium rerum ac præsertim consilij egens ita corruit, vt omnis pristinæ virtutis imago consenuerit, omnisque armorum ardor deferbuerit. Sed falluntur procul dubio, falluntur Galli, si hæc propriæ virtuti tribuunt. Antehac enim Veneti grauioribus incommodis agitati, maximis detrimentis cladibusque perculsi atque attriti, numquam animum abiecerunt, ne tum quidem cum ingenti periculo cum sæuissimo Turcarum tyranno multos annos bella gesserunt: imo semper ex victis victores facti sunt. Idem & nunc sperassent, nisi Maiestatis tuæ tremendo nomine, copiarumque tuarum viuida inuictaque virtute audita, ita omnium animi concidissent, vt nulla non modo vincendi, sed ne obsistendi quidem nobis spes relicta fuerit. Quocirca armis abiectis, in maiestatis tuæ incredibili clementia, vel potius diuina pietate spem omnem locauimus, quam nos rebus nostris perditis inuenturos minime diffidimus. Itaq; Principis, Senatus, populiq; Veneti nomine, humili deuotione supplices oramus, obtestamur, atq; obsecramus, vt clementiæ oculis res nostras afflictas respicere digneris, iisq; salutarem

medicinam afferre. Omnes pacis leges quas tu nobis imposueris amplectemur: omnes iustas, honestas, & ab æquitate rationeq; minime alienas ducemus. Sed fortasse qui nobis ipsis mulctam imponamus digni sumus. Ad te verum & legitimum Principem omnia quæcunq; maiores nostri Sacro Imperio & Austriæ Ducatui ademerunt, redeant: quibus vt decentius veniant, omnia quæcunq; in continenti possidemus adiungimus, quarum rerum iuribus quocunq; modo partis cedimus. Præterea quot annis tuæ maiestati, & legitimis Imperij successoribus in perpetuum quingenta auri pondo tributi nomine pendemus: Imperijs, decretis, legibus, præceptisq; tuis libenter obtemperabimus. defende nos quæso ab illorum, cum quibus paulo ante arma nostra coniunximus, insolentia: quos nunc sæuissimos hostes experimur: qui nihil aliud expetiuit quã Veneti nomini interitum. Tua ista clementia conseruati, te Vrbis nostræ parentem, genitorem, conditoremq; appellabimus: ingentia beneficia tua in annales referemus: liberis nostris perpetuo memorabimus. Nec vero paruæ hæc erit ad tuas Laudes accessio, te primũ esse ad cuius pedes Venetæ Respub. supplex se humi prosternat, cui cruces suppõnat, quæ velut Deum cælo delapsum colat, reuereatur, obseruet. Si Deus Opt. Max. eam mentem maioribus nostris dedisset, vt res aliorum attingere non studuissent, iam nostra Respublica gloriæ plena, reliquas Europæ ciuitates longe superaret: quæ nunc in squalore, sordibus, & sætore languescens, ignominia, probroq; deformis, ludibrio atq; contumelia referta, vnico momento omnium victoriarum laudem amisit. Sed vt vnde incæpit, eò mea reuertatur oratio, in tua potestate est Cæsar, Venetis tuis ignoscendo & condonando nomen laudemq; comparare, quæ nemo vmquam vincendo maiorem splendidioremq; adeptus est. hoc monumentum nulla vetustas, nulla antiquitas, nullus temporum cursus ex mortalium mentibus delebit: sed omnia secula te pium, clementem, omnia principum gloriosissimum prædicabunt, appellabunt, confitebuntur. Nos tui Veneti, quod inuenus, quod auras cœlestes carpemus, quod hominum commercio fruemur, id omne tuæ virtuti, felicitati, clementiæq; tribuemus.

V. Veneti eodem consilio proprium hominem in Apuliam miserunt, vt eius prouinciæ portus Aragoniæ Regi traderet: qui cũ alienorũ laborum fructu sine sumptu & sine periculo frui nosset, exiguam classem ex Hispania miserat, quæ nonnulla parui momenti oppida in illarum vrbium agris occuparet. In Aemiliam quoq; publicum Scribam cum mandatis, vt summo Pontifici, si Ioannes Paulus Manfronus & ceteri captiui dimitterentur, si tormenta abducere liceret, & milites qui in Rauennati arce erant incolumes exirent, quæ adhuc possidebant traderet miserunt. In quibus Pontifex ne socios offenderet se difficilem præbet, Rauennatum arx deditionem fecit: quoniam milites qui in ea erant, Venetorum Scriba qui eam ingressus erat repugnante, eam ipsi dediderunt. Nam qui ipsorum Romæ negotia procurabant, Pontifici cum tandem ijs conditionibus, quibus restitutionem obtulerant, consensurum spem faciebant. Sed Pontifex interea ipsos magis in se, quam in Cæsarem Aragoniæve Regẽ contumaces fuisse graviter expostulabat. Idcoque Grimano Cornelioque Venetis Cardinalibus, Senatus nomine, vt eos Interdicto Ecclesiastico, quemadmodũ iure poterat, cum intra præscriptũ viginti quatuor dierũ tempus restitutionem obtulisset, liberaret petentibus: illos, quod non integre, sed præscriptis legibus obtulissent, & quia vt præter oppida fructus quoq; perceptos, & omnia bona ad templa religiosoſve spectantia, quæ possiderent restituerent, moniti fuerant, non paruisse respondit. Hoc pacto Venetæ Reip. res maximo & pene stupendo impetu in præceps ruebant, calamitatibus aliis super alias cõtinẽter cumulatis: quauis proposita spe deficiente: neq; vllo indicio, ex quo saltẽ se post tanti Imperij iacturam, propriã libertatem retenturos sperare possent, apparente. Hac tanta tamq; præcipiti ruina, Italorum animi varie afficiebantur: pars enim suũam voluptatem capiebat: illos summa ambitione vsos, iustitia, fideque postpositis, omnia quacunq; occasione occupare ausos, atque ad totius Italiæ Imperium manifeste aspirasse recordantes: quæ res illorũ nomen inuisum passim faciebant: ac multo etiam magis, ob eius gentis naturã insitæ animi elationis opinionẽ, quæ vbiq; terrarũ perstrepebat. Alij vero rerum statum & saniori meate, quam vniuersæ Italiæ prorsus externorum Imperio subiici turpe & miserum esset perpendentes, tantam ciuitatem, tam inueteratam libertatis sedem, Italici nominis per vniuersarum terrarum orbem gloriam, in tantam calamitatem cadere, vt nullum amplius frænum transalpino furori cohibendo reliquũ esset, & nobilissimum membrũ, quodque super omnia alia, cõmunem famam nomenque conseruaret, extingui, incredibili dolore afficiebantur. Sed præ cæteris omnibus tanta inclinatio, Pontifici, cui Romanorum & Galliæ Regum potentia suspecta erat, quique illos vtà sui opprimendi cogitationibus remouerẽtur, aliis rebus implicatos esse cupiebat, molesta esse cœpit. Quã ob causam, cum, ne eius Reipub. calamitates vlterius progrederentur, quantum posset (occulte tamen) impedire statuisset, litteras Venetæ Reip. Ducis nomine ad se scriptas, quibus cum demississime orabat, vt sex Legatos ex præcipuis Senatoribus delectos, qui supplices veniã, atque vt ius sacrorũ ipsis restitueret peterent, admittere dignaretur, accepit: quibus perlectis, & petitione in sacro Senatu proposita, veteri Pontificatus, qui se nunquã erga eos quos comissorum errorũ pœniteret veniam petunt, durum ostendere consueuerit, more adducto, Cæsaris & Galliæ Regis Oratoribus valde repugnantibus, & illum Cameracensi fœdere, expresse ad eos sacris atque profanis telis tamdiu persequendos teneri, donec singuli fœderati quæ ad se spectarent recuperassent, in memoriã reuocantibus, eos admisit: Oratoribus vero, se illos eo animo admisisse, vt interdicto non ante eximeret, quã Cæsar, qui solus non omnia recuperarat, quæ ad se spectarent cõsecutus esset, respondebat. Hæc res Venetis aliquod spei & securitatis initium attulit. Sed multo magis extremo eos terrore quo premebantur, Regis Galliæ decretum liberauit: qui se bona fide fœdus quod cum Cæsare haberet, seruaturum dixerat: atque iis quæ ad se pertinerent receptis, vltra fines suos exercitum non ducturũ. Nam Galliæ Rex, cum nõ modo Veronam, cuius ciuitatis legati, Pischeria ab illo capta, vt vrbem dederent ad eum venerant, capere, sed & Patauium aliaq; oppida à Venetis deserta occupare in eius potestate esset, voluit vt Veronensium Oratores Cæsaris legatis, qui in ipsius castris erant, vrbis claues traderent: hauncq; ob causam cũ omnibus copiis Pischeriæ hæsit: quod oppidũ, loci opportunitate allectus, quamuis ad Mantuanũ spectaret, quod Veneti id vna cũ Asula & Lunato ei ademerant, ipso, cui oppidi vectigalia permisit, & alia re se compensaturum promisit, repugnare non audente, sibi retinuit. Iisdemque diebus Cremonensem arcem, ea lege, vt omnes milites, iis exceptis qui ex locis eius ditione subiectis essent, cum suis rebus incolumes abirent, & Veneti patritii, quibus se vitam seruaturum fidem dedit, eius captiui essent, deditione accepit. Veronæ exemplum Vicentia, Patauium, aliaque oppida sequuta sunt, præter Tauriſum, quæ vrbs iam à Venetorum Magistratibus militibusque derelicta, si Cæsaris vel minimæ vires, aut saltem vir aliquis authoritate præditus conspectus fuisset, idem erat factura. Sed cum ad eam eius nomine accipiendam, absque viribus, absque armis, absque vlla Imperii maiestate, Leonardus Trissinus Vicentinus, exul, qui & Patauium eodem modo acceperat iuisset, iamque intromissus esset, eius ciuitatis exules recenter à Venetis restituti: & huius beneficii causa Veneti nominis amantes tumultuari cæpere: quos plebe erga Venetum Imperium bene affecta, quodam Marco sutore duce, qui immoderatis multitudinis clamoribus atque concursu Venetorum vexillum in nobilissimum vrbis forum tulit, sequuta, se nullum aliud Imperium aliumve Principem agnoscere velle asserentes, vno ore Marcium nomen inclamare cæperunt: quam propensionem quidam Vngariæ Regis Orator minime parum auxit. qui cum Venetias proficisceretur, Tauriſo iter faciens, cum casu in hunc tumultum incidisset, populum vt non deficeret hortatus est. Idcirco Trissino electo, & septingentis Venetorum peditibus in vrbem acceptis, paulo post exercitus, qui peditibus ex Illyrico accersitis, & iis qui ex Aemilia redierant auctus, castra inter Margheriam & Mestrium locare volebat. Tauriſum ingressus est: ad quod muniendum diligentissime incubuerunt: & equites totam vicinam regionem percurrebant, & quam maximam commeatus copiam poterant, cum ad eius ciuitatis, tum ad Venetiarum, in qua vrbe pariter vndique maxima annonæ copia cumulabatur, vsum importabant. Huiusce rei spe ipse Venetis se aliquam Imperii partem retinere posse restituendæ, multorumque grauissimorum casuum qui post sequuti sunt, potissima causa fuit Cæsaris negligentia, & confusa rei bellicæ administratio:

Pontifex Venetorũ conditiones à se petitas denegat.

Pontifex Cremonã, Patauium aliasque vrbes recipit.

cuius ad eam vsque diem, in tanto victoriæ cursu, nihil præter nomen auditum fuerat: quamuis Gallicorum armorum terrore, tot vrbes, oppidaque se illi dedissent, quæ conseruare illi facillimum fuisset. Sed post Cameracense fœdus, aliquot dies in Flandria, vt pecunias in id bellum cogeret moram traxerat: quas non ante accepit, quam pro more suo inutiliter consumpserit. & quamuis armatus, cumque omni Cæsarea pompa atque cærimonia Mechlinia profectus, & Italiæ appropinquans, se ante tempus fœdere præscriptum, bellum illaturum diuulgasset, nihilominus consuetis suis impedimentis, confusioneque oppressus, vlterius non progrediebatur. Neque illum Pontificis stimuli mouere poterant, qui Gallicorum armorum metu in quo versabatur, assidue, vt in Italiam descenderet, vrgebat: & quo melius id facere posset, Constantinum Macedonem cum quingentis auri libris ad eum miserat, eidemque prius mille auri libras quæ ad bellum contra Turcas gerendum antealiquot annos in Germania seruabantur, concesserat: quin etiam à Galliæ Rege mille auri pondo in Mediolanensis Imperii diploma acceperat. Cum prope Oenipontem esset, de Vailana pugna nuncium accepit. & quamuis statim Bronsvicensium Ducem ad ForumIulij recuperandum misisset, tamen pecuniæ inopia, cum, quas ex tot locis collegerat, eius effusionibus non sufficerent impeditus, quemadmodum in tanta occasione decuisset, non mouebatur. Tandem Tridentum venit, vnde Galliæ Regi, quod eius opera oppida sua recuperasset, gratias egit: atque vt ei maiorem benevolentiam declararet, vtque veterum iniuriarum memoria prorsus deleretur, librum qui Spiræ conseruabatur, in quo omnes iniuriæ quas ante id tempus Galliæ Reges Imperio & Germanorum genti intulerant, perscriptæ continebantur, cremandum mandasse ferebatur. Tridentum tertiadecima Iunij Cardinalis Rothomagensis, vt de communibus rebus ageret ad eum venit: qui maximo honore acceptus, ei quingentorum cataphractorum auxilium Regis nomine promisit: ac cæteris rebus feliciter transactis, vt Cæsar & Rex ad colloquium in apertos campos, prope Gardam oppidum, in vtriusque Imperii finibus situm venirent, statuerunt. Quocirca Galliæ Rex, vt ad constitutum diem adesset, castra movit: & Cæsar eandem ob causam ad Tridentinam ripam se contulit, duasque horas ibi moratus, repente Tridentum rediit: & simul Galliæ Regi, se nouis casibus in Forolulii exortis discedere coactum fuisse significauit, & vt Cremonæ hæreret, se enim cito ad constitutum colloquium rediturum, rogauit. Quam varietatem, si tamen in tanta inconstantia veritas inueniri potest, multi suspicioni à quibusdam (vt natura credulus erat) iniectæ tribuebant: alii illum, quod exiguum comitatum & paucas copias secum haberet, sese ea dignitate & existimatione, quæ Galliæ Regis pompam magnitudinemque æquaret, ostendere non posse, congressum illum detrectasse interpretabantur. Rex autem vt se tanto sumptu leuaret, exercitus cito dimittendi, nec non in Galliam redeundi cupidus, quamuis à Matthæo Langio iam Gurcensi Episcopo, & à Maximiliano ad id misso Cremonam vsque cum secuto, & Cæsarem proculdubio reuersurum confirmante, vt expectaret vehementer rogaretur, eo non expectato Mediolanum versus contendit. Galliæ Regis cum suo exercitu à Cæsaris finibus discessus, plurimum existimationis eius rebus detraxit: tamen quamvis tantas copias secum haberet, vt facile Patauium cæteraque oppida munire posset, siue ob naturæ suæ varietatem, siue aliarum rerum prius gerendarum consilio, siue quod cum in Italiam descenderet, maiorem exercitum secum habere sibi honestius duceret, nullum in ea præsidium misit: imo quasi reliqua omnino confecta essent, vt coniunctis sociorum viribus, Veneta vrbs oppugnaretur, proponebat. quæ res à Galliæ Rege libenter audita, sed Pontificiq Romano molesta fuit: Aragoniæ vero Rex aperte repugnauit. Inter hæc Veneti, Patauium nullo fere negotio recuperarunt: qui dies Sanctæ Marinæ Sacer, quo vrbe potiti sunt, Venetiis publica lege quotannis velut auspicatissimus, imperiique ipsorum recuperandi initium, festus habetur, solemnique ritu celebratur. Tota vicina regio huius victoriæ fama commota est: & maximum erat periculum, ne Vicentini per se idem facerent, nisi Constantinus Macedo qui forte fortuna non procul aberat, cum paucis quibusdam militibus eo venisset. Patauio recepto Veneti statim, quod plebeiorum in oppidis hominum, & agricolarum animos sibi fauentes haberent, toto agro potiti sunt: eodemque impetu Lineacum oppidum cum arce, ad Veronensem, Patauinum, & Vicentinum agros turbandos locum valde opportunum expugnarunt. Præterea Marchesanam turrim, quæ octo passuum millibus Patauio distat, ad Rhodigiam Polinesum inuadendam, & in Mantuani Marchionis regionem irrumpendum aditum opportunum, expugnare conati sunt. Sed quia Estensis Cardinalis statim copias ad eam defendendam misit, ea potiri non potuerunt. Patauinus casus Galliæ Regis trans alpes reditum, non, vt multi opinabantur, remoratus est: qui in discessu, Abiate cum Papiensi Cardinale Pontificio Legato nouum fœdus percussit: quo Pontifex atque Rex, mutua sibi defensione, vt quilibet ipsorum cum quouis alio Principe, dummodo in huius fœderis fraudem non fieret, fœdus inire posset, pacti sunt. Rex se nulli, qui Pontificii Imperii subiectus, beneficiarius, quive quouis modo ex Pontificatu penderet, patrocinaturum: vel deinceps in fidem suam, cunctis quæ ad eam vsque diem suscepisset obliteratis, quamquam accepturum promisit. quæ res tanti Regis dignitatem parum decere censebatur. quoniam non multo ante, cum Ferrariensium Dux ad eum venisset, quamuis primum quod Pontificatus vexillum se inscio accepisset iratus fuerit, tamen deinde illi placatus, triginta aureorum nummum millibus acceptis, eum in fidem suam tutelamque acceperat. Illud quoque inter eos conuenit, vt Episcopatus, qui tunc per omne Regis Imperium vacabant, ad Pontificis arbitrium tribuerentur: qui vero intra certum tempus vacarent, iis quos Rex nominasset traderentur. cui vt magis satisfaceret Pontifex, per eundem Papiensem Cardinalem Albiensi Episcopo Sacræ purpuræ priuilegium misit, seque illum quamprimum Romam venisset, eius dignitatis insignibus ornaturum promisit. His in hunc peractis modum, Rex fine mora ex Italia magna ex tam plena celerique aduersus Venetos victoria gloriam secum in Galliam referens, profectus est. Et tamen vt in rebus diu expetitis homines fere nunquam iis adeptis, cam iucunditatem felicitatemque quam sibi prius proposuerant, inuenire solent: neque maiorem animi tranquillitatem retulit, neque res suas magis in tuto collocauit: quin maiorum sibi periculorum ac turbarum messem paratam videbat: & quid sibi in recenter exortis motibus statuendum esset, magis animo dubius erat. Si res Cæsari feliciter succederent, multo magis illum metuebat, quam prius Venetos timuisset. Sin Venetorum potentia resurgere inciperet, in perpetuo motu, perpetuisque sumptibus, vt res illis ademptas conseruaret, versari cogebatur. Neque hoc solum, sed & Cæsarem militibus & pecunia iuuare oportebat: quem si deseruisset, ne cum Venetis in se fœdus iniret, atque Hispanus, & fortasse etiam Pontifex ad idem concurrerent, metuendum erat. Neque ad Cæsaris amicitiam conseruandam mediocria auxilia requirebantur, sed ea eiusmodi esse oportebat, quibus victoria in Venetos potiretur. ea vero præterquam quod magno cum detrimento suppeditabantur, ipsum in eadem Cæsaris potentiæ pericula coniiciebant: quæ dum cogitaret, primum vtrum Patauinarum rerum mutatio sibi molesta an grata esse deberet dubitauerat. sed postea, securitate, qua si Veneti continenti Imperio spoliarentur frui posset, cum molestiis atque periculis, quæ ex Romanorum Regis potentia metuebat, & cum Veronæ, quam vt pote ad Germaniæ motus reprimendos opportunam summopere exoptabat, ab illo egestate coacto, pretio adipiscendæ spe comparata, tandem res eo statu esse, vt belllo, quemadmodum futurum verisimile erat, diu inter Cæsarem & Venetos vigente, vtraque pars assiduis sumptibus septingentos vires amitteret, sibi tutius vtiliusque ducebat. Qua in sententia, fœdere cum Pontifice icto multo magis confirmabatur, quia nullum secum fœdus amicitiamque firmam seruaturum sperabat: tamen in Veronensium finibus septingentos cataphractos Palicia duce, vt Cæsaris tam in rebus partis tuendis, quam in iis quæ Ve-

Veneti Patauium recipiunt.

Galli Rex ex bello Veneto in Galliam reuertitur.

neti poſſidebant inuadendis voluntatem ſequerentur reliquit: quorum Vicentiam ex Cæſaris iuſſu profectione, Veronenſes res quæ ob paruum præſidium in periculo nõ mediocri verſabantur, in tuto ſunt collocatæ: & Venetus exercitus qui ad Citadellam caſtra locarat, inde diſceſſit. Ante Regis diſceſſum alius caſus Venetis propitius contigit. Equitibus nam q; illorum qui Lineaci erant, aſſidue totam regionẽ ad Veronæ portas vſque percurrentibus, & maxima illis incommoda afferentibus, quos milites qui Veronæ erant, cum non plus quam ducenti equites, & ſeptingenti pedites eſſent, impedire non poterant, Tridentinus Epiſcopus qui pro Cæſare ei vrbi præerat, cum Lineaci caſtra admouere ſtatuiſſet, Mantuanum accerſiuit: qui vt apparatus expectaret, cum equitum turma quam à Rege habebat, caſtris ad Scalam inſulam Veronenſis agri vicum ſatis magnum, neq; muris, neque vllo munitionis genere ſeptum poſitis, dum ibi nihil ſuſpicans moratur, omnibus belli ducibus, quam in omni tempore & loco ſic vigilantes ac parati eſſe debeant, vt propriis viribus freti, nec longinquitate, nec debilitate hoſtium ſe tutos eſſe putent, inſigne exemplum dedit. Nam quum Mantuanus cum nonnullis Veneti exercitus Græcis equitibus egiſſet, vt eum in locum ad ſe venirent, quo ad ſua ſtipendia trãſirent: ipſi vero ſtatim eam rem ducibus ſuis patefeciſſent, hacque occaſione illum repente adoriri ſtatuiſſent, Lucius Maluetius cum ducentis expeditis equitibus, & Citolus Perufinus cum peditibus octingentis, clam Patauio Lincacum profecti, & copiis quæ Lineaci erant, mille & quingentis agricolis ſibi adiunctis, & aliquot equitibus qui crebris vocibus Turcum (id erat Mantuani cognomen) vt expectatos Græcos aduentare opinaretur inclamarent præmiſſis, ad cõſtitutam diem matutino tempore ſub auroram, ad Scalæ inſulam nemine quicquam ſuſpicante peruenerunt: & ſine impedimento ingreſſi, cum omnes milites, & reliquos Marchionis famulos ac domeſticos ſine excubiis dormientes inueniſſent eos diripuerunt: vbi inter cæteros captus fuit Boiſiuus Marchionis Vicarius, Cardinalis Rothomagenſis nepos: & Marchio tumultu percepto, cum fere nudus per feneſtram euaſiſſet, ſeque in Saginæ agro (graui ſiue milii cuiuſdam ruti procerique admodum culmi genus eſt) occultaſſet, ab eiuſdem loci agricola, qui pro communi incolarum ardore Venetorum commodum propriæ vtilitati præferens, dum ſimulanter ingentibus Marchionis promiſſis auditis, ſe vt illum ſeruaret operam dare fingit, contrarium facit. Ab eo hoſtibus proditus, ac Patauium, indeque Venetias perductus, maxima ciuitatis lætitia in Marciæ ædis turriculam coniectus fuit.

VI. Cæſar, Venetorum progreſſus nulla adhuc ex parte impediuerat, impediebatve, quod nondum tantas copias haberet, vt in campis caſtrametari auderet: & multos dies in Vicentinis ſaltibus occupatus fuerat, vbi montani homines Veneti nominis ſtudioſi, locorum anguſtiis freti, manifeſte ab eo defecerant. deinde cum in planiciem deſcenderet, Patauina defectione iam ſecuta, non ſine ſuo periculo in innumerã agreſtium multitudinem, qui illum munito in loco qua ei iter erat expectabant, incidit. vnde cum eos expuliſſet, ad Scalam Vicentini agri, cuius magnam partem Venetus exercitus recuperauerat, & Serrauallẽ alicuius momenti loco expugnato, magna in Germanos crudelitate vſus fuerat, peruenit: & intra paucos dies Serrauallẽ recuperato, eadem in Italos milites, & regionis incolas immanitate vſus eſt. Sic cum nondum eius vires auctæ eſſent, parvis rebus gerendis ſeſe exigua cum Cæſarei nominis dignitate exiſtimationeque implicabat, modo hoc caſtellum, modo illud oppugnans, & (vt ſemper eius cogitationes viribus & occaſione maiores erant) cæteris fœderatis, vt omnium coniunctis viribus, maritimis etiam Galliæ atque Aragoniæ Regum claſſibus, cum Pontificiis triremibus qui tunc ſimul erant, præter terreſtres apparatus adhibitis, Venetia vrbs oppugnaretur, proponebat. Quod etſi in Cameracenſi fœdere tractatum non fuiſſet, Galliæ Rex, dummodo huiuſmodi conditiones proponerentur, vt eius expugnationis commoda in omnes ſocios redundarent annuiſſet: ſed Pontifici id moleſtum erat. Hiſpanus vero, & tunc, & alias, cum diutius id negotium agitatũ fuit, ſemper quia Galliæ Regi vtile fore cenſebat, rẽ quaſi ab æquitate, honeſtateq; vehemẽter alienã deteſtatus reiecit.

Sed dum Patauinus, Vicentinus, & Veronenſis ager Germanorum atq; Italorum armis ita vexantur, miſerius etiam Carni atque Iſtri qui Venetorum Imperio parebant lacerabantur. quoniam Analtenſis princeps Cæſaris iuſſu, cum decem millibus militum ex iis qui in prouinciis Cæſaris imperabantur, Iulj forum ingreſſus, vbi fruſtra Montisfalconis expugnationem tentaſſet, Cadorum oppidum cum arce magna cum defenſorum cæde expugnauit: & viciſſim aliquot expediti Venetorum equites, multis regionis incolis ipſos ſequentibus, Valdiſeriam oppidum vi ceperunt, & Bellona, vbi nullum erat Germanicum præſidium deditione potiti ſunt. ab alia vero parte Bronſuicenſium Dux & ipſe à Cæſare miſſus, cum Vtina, nobiliſſimo Fori Iulii oppido potiri non potuiſſet, ad Ciuitale Auſtrium oppidum, edito loco, ad Natiſonem fluuium ſitum exercitum duxit, cuius cuſtodiæ Federicus Contarenus paruo cum præſidio, ſed populi ad defenſionem promptiſſimi viribus fretus præerat. Iſtud quamuis tormentis concuſſiſſent, & auxiliares octingentos equites, & quingentos pedites in fugam vertiſſent, neque feroci oppugnatione neque in fugam coniectorum fama expugnare potuerunt. In Iſtria quoque Chriſtophorus Frangipanis aliqua pro Cæſare occupauit: quorum nonnulla Veneti recuperarunt: vnde cum modo Veneti, modo Germanii in iis prouinciis ſuperiores eſſent, & quæ oppida prius hi cepiſſent, diripuiſſentque, mox illi rurſus recuperarent, diriperentque, calamitate ſubinde recurrente, hominum corpora & fortunæ ſemper his aut illis prædæ erant, vniuerſaque regio miſere abſumebatur vaſtabaturq;.

Cæſar Venetam vrbem oppugnandam proponit.

VIII. In his profanorum armorum motibus, Romæ de ſacris armis diſputabatur: quo iam ante Patauium recuperatũ, ſex Venceti Senatus Oratores, veſtitu, modiſq; ad miſerationem compoſitis, venerant. qui cum maximo faſtu ac pompa, vniuerſaque ipſis obuiam accurrente Curia eam vrbem ingredi conſueſſent, tunc non modo neque honorifice accepti, neque vllo comitatu fuerant, ſed noctu (ſic enim Iulius Pontifex voluit) ingreſſi, neque ad eius conſpectum admiſſi ſunt: ſed in Oliuerii Cardinalis Neapolitani ædibus, cum ipſo & aliis Cardinalibus, Antiſtitibuſq; quibus id negotium commiſſum erat, colloquebantur. Romanorum, Galliæ, ac Hiſpaniæ Regum legatis, ne ſacris interdictis eximerentur, vehementer adnitentibus: & contra Eboracenſi Archiepiſcopo, ab Henrico VIII. Angliæ Rege, qui ante paucos menſes patri ſuo Henrico VII. defuncto ſucceſſerat, hanc præcipue ob cauſam miſſo, palam pro ipſis agente.

Veneti Legati Romã ad miſericordiam impetrandam mittuntur.

IX. Inter hæc Cæſar, Patauio fruſtra oppugnato, obſidionem ſoluit, & in Germaniam redire conſtituit. Culpam à ſua varietate erroribuſque, in Pontificem & Galliæ Regem transferebat, quod alter Venetis Oratoribus Romam veniendi poteſtate facta, alter vero in auxiliis mittendis mora interpoſita, ipſos à ſe alienatos eſſe, omnibus credendi occaſionem dediſſent. ex quo montani agreſteſque homines ſupra Vicentiam rebellandi animum ſumpſiſſent: in quibus domandis dum multos dies conſumpſiſſet, poſt eandem ob cauſam in planicie eadem impedimenta inueniſſe: & vt commeatus accipiendi facultatem ſibi liberam tutamque redderet, ſeque multis moleſtiis liberaret, omnia eius regionis oppida expugnare coactum fuiſſe. Neque in hoc tantum ſibi Gallorum tardum aduentum nocuiſſe verum etiam, quia ſi idoneo tempore veniſſent, Patauium non defeciſſet: & cum hoc, tum quod claſſes à Galliæ Aragoniæue Regibus non eſſent demiſſæ, Venetis alio tempore liberatis, Patauii diligentius, commodiuſque omnibus rebus muniendi facultatem dediſſe. Præterea Aragoniæ Regi ſuas difficultates, quo facilius ad Caſtellæ regni adminiſtrationem ei concedendam flecteretur, gratas eſſe querebatur: quæ tamen quærelæ eius ſtatum nihilo meliorem reddebant: neque authoritatem amiſſam, quod tam raris occaſionibus vti neſciuiſſet, augebant, imo hanc in hominum animis paſſim de illo opinionem eſſe, Galliæ Regi gratiſſimum erat, nec Pontifici moleſtum: qui ſuſpicax & nemini fidens, quam ille pecuniæ egens, quamque in ea petenda moleſtus eſſet conſiderans, eius nomen in Italia augeri, non libenter videbat. Tandem Cæſar rebus ſuis in graui periculo, & Italiæ ſtatu in non parua ambiguitate relicto

Cæſar obſidionem Patauinã ſoluere cogitur.

Tridentum rediit. Noua enim inter Pontificem & Galliæ Regem controuerſia orta erat, quæ etſi leuibus ex cauſis initium habere videretur, grauiores cauſas latere ſuſpicio erat. Quod tunc apparebat, id erat; quod quum Epiſcopatus quidam in Prouincia, Epiſcopo in Romana Curia defuncto vacaret, Pontifex ei alium contra Galliæ Regis voluntatem, qui id pactioni per Papienſem Cardinalem inter ipſos initæ repugnare aiebat, ſurrogarat: qua in pactione, etſi ſcripto, vt idem in iis qui in Romana Curia, quod in iis qui alibi morarentur expreſſum non eſſet, tamen Cardinalem id voce promiſiſſe, quod cum Cardinalis fortaſſe potius metu quam alia de cauſa verum eſſe negaret, & Rex contra affirmaret. Pontifex ſe quid clam actum eſſet ignorare dicebat. Sed quum in confirmatione ſua, ad ea ſe quæ in ſcripto apparebant retuliſſet, & ſingula capita nominatim incluſiſſet, neque hæc cauſa quum Epiſcopi in Romana Curia moriuntur iis comprehenderetur, ad alia non teneri. Idcirco creſcente indignatione, Rex contra conſuetudinem ſuam Cardinalis Rhotomagenſis, qui ſemper concordiæ cum Pontifice author fuerat, contempto conſilio, omnium beneficiorũ quibus in Romana curia agentes in Mediolanenſi ditione fruebantur, fructus retineri iuſſit: & Pontifex viciſſim, tum in detinentes eos fructus anathema euulgabat, tum Albienſi Epiſcopo roſeum Galerum dare recuſabat, qui vt eum, quem admodum Regi Pontifex promiſerat, acciperet, Romam ſeſe contulerat. Et quamuis Pontifex multorum precibus victus, tandem Prouinciæ Epiſcopatum ex Regis voluntate dederit; & quomodo in beneficiis, quæ in poſterum in Romana Curia vacarent agendum eſſet, denuo cum illo transegit, id eoq; alter fructus ſequeſtres liberaret, alter Albienſi ſacram purpuram concederet: tamen hæc ad Pontificis animum mitigandum multis de cauſis irritatum, ſed præcipue, quia quũ iam Pontificatus ſui initio Cardinali Rhotomagenſi Galliæ Legationem, velut Romanæ Curiæ perniciоſam, ſi q; indignam inuitus conceſſiſſet, ſe, niſi Regis animum irritare vellet, vt in ea perſeueraret, vt aſſentiretur cogi, illi moleſtiſſimum erat: & quia quum illum Cardinalem omnia ſua conſilia & artes ad Pontificatum adipiſcendum dirigere perſuaſum haberet, omnem Gallorum progreſſum motumq; metuebat, minime erant idonea. Hæ erant eius indignationis quæ apparebant cauſæ. ex iis vero quæ poſtea eius cogitationes aperuerunt, quum maiores fines in animo poſitos haberet, ſiue gloriæ cupiditate, ſiue occulto in Galliæ Regem odio, ſiue Genuenſium libertatis deſiderio ductus, vt Rex ea quæ in Italia poſſidebat amitteret, vehementiſſime cupiebat; neq; de illo ac Cardinali Rhotomagenſi aperte conqueri deſinebat; ita tamen vt hæ quærelæ ex timore præcipue manare viderentur. Et nihilominus, vt natura erat inuictus & ardens, quicquid animi ſui ſenſum plerumque externas ſignificationes adiungeret, quamuis tanti momenti, tamque facto difficilem rem ſibi propoſuiſſet, ſibi ſoli fidens, & reuerentia authoritateque qua ſacroſanctam ſedem apud Reges & Principes pollere videbat, fretus, ex nullo pendens, neminique coniunctus, imo verbis & facto ſe omnes non magni facere præ ſe ferens, nec Cæſari adhærebat, nec cum Rege Catholico coniungebatur: ſed ab omnibus alienus erga neminem præter Venetos ſe propenſum oſtendebat, atque vt eos diris abſolueret, indies magis ac magis in ſuo propoſito confirmabatur: propterea quod illos non perire, Italiæ ſaluti, & ſuæ ſecuritati, amplitudinique valde vtile fore cenſebat. cui rei vehementer repugnabant, Cæſaris & Regis Galliæ Oratores; Aragoniæ quoque Regis Orator publice quidem cum illis ſentiente, quamuis quod regni Neapolitani cauſa, Galliæ Regis potentiam metueret, nec Cæſari plurimum fideret, occultiſſime contrarium cum Pontifice procuraret. Afferebant autem non decere, vt Pontifex in eos quos armis perſequi teneretur, tantum beneficium conferret: quum Cameracenſi fœdere ſinguli fœderati alios tamdiu iuuare tenerentur, donec quisque omnia quæ nominatim eſſent expreſſa obtinuiſſet. Quocirca cum Cæſar Tauriſum nondum effecerat adeptus, neminem ex ipſis ea obligatione liberatum. præterquam quod iure Venetis ſacrorum reſtitutio denegari poſſet, quoniam nec ſponte, nec intra præſcriptum tempus, Æmiliæ ciuitates Pontifici reſtituiſſent: imo nec ad eam vſque horam integre eos paruiſſe: quia, præter oppida, fructus quoque perceptos, vt eis erat iniunctum, minime reddidiſſent. His autem Pontifex reſpondebat, quum illi ad bonam frugem rediiſſent, ac demiſſe admodum veniam petiiſſent, CHRISTI Vicarii non eſſe, eos amplius in tot animarum ſalutis detrimentum ſacris armis perſequi; quum præſertim oppida conſequutus eſſet: ideoque dirarum cauſam ſublatam, fructuum autem reſtitutionem, potius ad crimen amplificandum, quam alia de cauſa additam incertamque fuiſſe: neque eius tantam rationem habendam. Diuerſam eſſe ciuilium armorum cauſam; ad quæ, quod in Cameracenſi fœdere perſiſtere in animo haberet, vt cum aliis concurreret, paratus eſſet: quamuis ab eo poſſent omnes fœderati diſcedere. Quod ſi Rex Romanorum Tauriſum non obtineret, per ipſum ſtetiſſe: qui primas Venetorum oblationes per Antonium Iuſtinianum legatum ab ipſis, vt ei quæcunque in continenti poſſidebant traderet miſſum, factas reieciſſet; & poſtea ſæpius pro Tauriſo, idoneam compenſationem oblatam repudiaſſet. Itaque etſi cum legatorum aduerſa voluntas non retineret, ſola animi fiducia quædam illum retinebat; qua fiebat, vt quamuis Venetos abſoluere ſibi vtile & ſuis conſiliis opportunum duceret, tamen id niſi cum magna ſacræ ſedis dignitate, & ita vt res ad Pontificium Imperium ſpectantes, omnino illorum dominatu liberarentur, non concedere ſtatuerat. Ideoque cum Veneti duo capita quæ cum aliis propoſuerat concedere recuſarent, eos non liberabat. Horum autem capitum vnum erat, vt Pontificii Imperii hominibus Adriani maris nauigationem liberam permitterent, à qua omnes eos qui earum rerum quas vehebant ipſis vectigal non ſoluiſſent arcebant. Alterum erat, vt Ferrariæ, quæ ciuitas ex Pontificio Imperio eſt, vice domini Magiſtratum deinceps non haberent. Veneti autem id à Ferrarienſibus, CLEMENTE Sexto Romano Pontifice, quia ſuperiore tempeſtate cum Curia ſua Auinione agebat, minime repugnante, permiſſum fuiſſe aiebant: Adriani vero ſinus Imperium atque cuſtodiam ab Alexandro III. Pontifice, quod armis, virtute, ſumptibuſque maximis eam nauigationem à Saracenis atque prædonibus defendiſſent, ſecuramque reddidiſſent, ampliſſimis priuilegiis conceſſam ipſis fuiſſe. Ad hæc pro Pontifice reſpondebatur, non potuiſſe Ferrarienſes in Pontificii Imperii fraudem aſſentiri, vt alii Ferrariæ Magiſtratum haberent, iuſue adminiſtrarent: neque id ſponte conceſſiſſe, ſed graui diuturnoq; bello coactos, & poſt Pontificis, cuius fulmina Veneti contemnebant, opem fruſtra imploratam, pacem iis legibus quas illi qui plus armis quam iure poterant impoſuiſſent, accepiſſe. ALEXANDRI vero conceſſionis, neque in hiſtoriis, neque vllis aliis monumentis, vllam memoriam fidemue extare, præter Venetorum teſtimonium, quod in propria tamquam graui cauſa, ſuſpectum merito eſſet: cuius rei etſi aliqua memoria inueniretur, veriſimilius eſſe, ab eo quem Venetiis id conceſſiſſe dicebant, minis terroreque extortum fuiſſe, quam Romanum Pontificem, ad quem præ cæteris iuſtitiæ patrocinium, & oppreſſorum cura pertineret, rem tam imperioſam, & in omnium commune detrimẽtum conceſſiſſe.

X. *Veneti Claſſe amiſſã Vicentiam aliaq; oppida recuperant.* Certatum inter hæc vtrinq; varia victoria Veneti Vicentiam, Feltrium, Baſſanellam, & alia pleraque oppida recuperarunt; ſed viciſſim in Ferrariæ oppugnatione claſſem amiſerunt. Maximilianus continenter de induciis cum eiſdẽ Venetis agebat. Pontifice per Achillem Craſſum Piſaurenſem Epiſcopum, nuncium ſuum ad id vehementer adnitente. Quamobrẽ eius Oratores, & Io Cornelius ac Ludouicus Mocenicus Venetorũ Oratores, ad Hoſpitale tum ſupra ſcalam ad colloquiũ venerũt. Sed ob immoderatas Cæſaris petitiones, Pontifice qui Venetos omnibus moleſtiis liberari cupiebat, id ægerrime ferente, vanus extitit labor. Pontifex autem vt inter ſe & Venetos nullus cõtrouerſiæ locus relinqueretur, vt Ferrarienſium Duci Comaclium quod prius incenderant reſtituerent, ſeq; eius ditionem nõ amplius infeſtaturos promitterent, effecerat. tunc enim Ferrarienſium Ducẽ Pontifex, beneficiorũ ab ſe acceptorũ, quæq; accepturus erat memorẽ fore, potiuſq; ſecum quam cũ Galliæ Rege ſenſurũ ſperans, patrocinio vehementer complectebatur, aduerſus quem Regem, dum de firmiſſimis adiumentis comparandis

dies noctesq; cogitat, hominem suum clam ad Angliæ Regem miserat; & cum Heluetiis inter quos & Galliæ Regem controuersiæ quædam iam gliscebant, agere cœperat: cumque Sedunensis Episcopus, Regi infensus, quiq; his instrumentis ad sacram purpuram aspirabat, ad se à Cæsare venisset, lætissimo animo illum acceperat. Eodem tempore Pontifex, Protonotarium Bentiuolū, qui Cremonæ erat, furtim Bononiam reditum moliri veritus est. quam ob rem Iulianū Medicem per aliquot dies in Bononiensi Curia detineri iussit: & Galliæ Regis in se odio omnia tribuens, se, ne is Italiæ in seruitutem redigendæ causa, vtq; Cardinalem Rothomagensem vi armata Pontificem fieri cogeret, in Italiam veniret, timere ostendebat: & nihilominus eodem tempore palam de Cæsaris dignitate, quasi is ad tantam personam sustinendam minime esset idoneus, quiq; eam ob causam imperii nomen in maximum contemptum adduxisset loquebatur. *Guiciardinus lib.8. MS. Bibliothecæ Vaticanæ num.* 1294.1295. *Iustinianus lib. II. Ferronius in Ludouico* 12. Quo tempore Iulius Pontifex in Venetos consilia agitabat, miserat in Belgium Bernardinum Saguntinum Patriarcham Hierosolymitanum, qui profecturus in Brabantiam ad Carolum Regis Hispanorum nepotē, in S. Trudonis oppidum venit, vbi eum Erardus Leodiensis Præsul, rerum quæ agebantur conscius conuenit, illumq; petente Pontifice, pluribus Galliæ Principibus commendauit. Ad fuerunt Erardo & alii duo nuncii à Pōtifice ob idem missi, sed minus feliciter. Hi enim festinantes Atrebatum, vbi tunc erant Regum Franciæ & Hispaniæ Oratores, cum in contentionem cum Gallis incidissent, Gallico ingenio cedentes quantocius Leodium redierunt, indeq; Italiam inglorii repetierunt. Habita tunc Leodii comitia, quibus summi Pontificis, Imperatoris & Regis Galliæ legati interfuere. Actum de pace inter Burgundiones & Gheldras ineunda. multa vltro citroq; ab his & illis proposita responsaq;: Burgundis multa petentibus, Gheldris nihil concedentibus. Vtrisque porro nimia seu confidentia, seu pertinacia certantibus, nihil promotum. *Iomnes Chapeauillius in Erardo Episcopo Leodien.*

XI. Rauenna recuperata Pontifex, nihil antiquius habuit, quam vt illam, vniuersamque Prouinciam, omnibus quibus pro temporum difficultate dabatur, immunitatibus afficeret. Franciscum igitur Alidosium, Bononiæ Legatum, cuius olim maiores Foro Cornelii dominati fuerant, Rauennæ, eiusq; Exarchatui, & vniuersæ Familiæ præfecit: Opizonem autem Alidosium Rauennæ dedit moderatorem. Ad Franciscum Cardinalem Rauennates, Petro Donato, & Ioanne Baptista Mengolo Bononiam Oratoribus missis, qui remoto ob Venetos interdicto, rei diuinæ faciendæ facultatem restitui postularent, omnia facile impetrarunt; Quæstore etiam Pontificio Rauennæ constituto, Hieronymo Racco Rauennate. Ipseq; Pontifex benigne acceptis Rauennatium aliis legatis, qui Romam profecti, ad eius pedes se proiecerant, cum multas prærogatiuas ciuitati tribuit, tum in cætera sanxit, vt respub. Rauennas in ea omnia quæ Polentani possedissent, bona, hæreditario iure succederet. Cum autem lætitiam Rauennatis populi maximam legati exposuissent, Pontifex respondit; iure eos lætari, qui post tot annos ad verum Dominum rediissent, eumq; Dominum, cuius nihil esset imperio sublimius, nihil mitius; cui seruire libertas est; & illi qui subiicerentur, quodammodo præstare cæteris dici possent; quando illorum Princeps esset, non Dux quispiam, Rexue, aut orbis Cæsar Augustus, sed Pontifex Maximus, Diui Petri Apostolorum Principis successor, Christi Dei Vicarius, ad cuius sese abiicere pedes, eosq; deosculari, boni omnes cupiunt; qui recte Rex Regum, & Dominus Dominantium, pro Christi reuerentia, cuius hic gerit vices, posset appellari; quiq; in omnes mortales tenet imperium, vtpote cui diuinitus datum est, cœli aperire portas, & claudere. Hæc Pontifex grauiter pronunciauit. *Rubeus hist. Rauennat. lib.* 8.

XII. De Ferdinando Catholico aliqui dubitabant, an iustum titulum fœderis habuerit, ad recuperanda ea quæ Veneti pignoris loco in Appulia occuparant. Cæterum is non vnam causam recuperandi adferebat: quando illi neq; tunc pignoris & legibus stetissent, & deinde pecunia oblata de redditione appellati surdas aures præberent, ac vero contumeliæ instar ducerent id postulatum. Deinde maiorē pecuniæ Hispanicæ summam insumptam, siue cum bello aduersus Turcas captam Cephaloniam de manu Venetis victor Consaluus tradidit, siue cum per Hispaniæ fines Rex ipse Galliæ bellum intulit eorum suasu fideq; annua quinquaginta millia numeraturos in bellicos sumptus: quos nunquam soluisse accusabat, quamuis de facta promissione & solutione sæpe appellati fuerint. Ergo & fœdus inire, & bellum parare placuit: quod tamen hac in parte Veneti præuerterunt, restitutis Brundusio, Hydrunto, Trano, Mola, Polignagno & aliis: quando non modo omnes Christiani Principes, verum etiam cuncta elementa in perniciem nobilissimæ vrbis conspirasse visa essent. Nam atrox ex omni parte ventorum procella instabat ipso eodem tempore, vt miraculo simile videretur penitus non concidisse. Ea est humanæ vitæ conditio; neq; bona propria sunt, neq; mala perpetua, in orbem aduersis succedunt prospera, tristia secundis. Tanta certe in præsenti Venetorum consternatio fuit, vt etiam de vrbe dedenda Ladislao Regi Hungaro cogitasse fama fuerit; & ad Cæsarem de pace interpellatum chartam cādidam misisse, præter subscriptiones Senatus nullis impressam notis. Sic eadem fama ferebat. tueretur modo miseros, atq; in carorum omnium desperatione patrocinium illorum susciperet. Repulit ille preces, quocunq; ibat deditis oppidis primum quæ Benaco lacu alluuntur, deinde vrbibus Verona, Vicentia, & Patauio, ferme vt in Italia nihil Venetis superesset; superbus rerum humanarum inconstantiæ immemor, nisi vrbe ipsa Venetiis capta non videbatur quieturus. Et vtiq; eam mari terraq; vrgere parabat, tum Pontificia, Hispanica & Gallica classibus, tum terrestribus suis & sociorum copiis, secundo Meduaco obsessos fatigare, commeatuq; prohibere. Expugnatam iis viribus vrbem diuisam quadrifariam totidemque impositis arcibus inter socios diuidebat cuiq; parte attributa; si pares somnio euentus contingerent, certa victoriæ spe præsumpta. Cæterum Pontifici non visum est, è re publica fore eius vrbis excidium. Attentius enim re considerata præter vanitatē eius molitionis prouidebatur, quidquid vltra præscriptos in fœdere fines progressum esset, id totum ex Galli commodo fore. Propinquo Mediolanensi principatu, sociis longinquis, non dubitaturum pace facta, vniuersam eam vrbem primo quoq; tempore pulsis sociis armis occupare. Ex eo ne ad Italiæ totius Imperium aspiraret, ac vero Romanæ Ecclesiæ de manu dare Pontificem tentaret, verendum erat. Qui metus Iulium Pontificem solicitum habuit, ne se viuo faceret validus opibus & ingenio. Vsq; eo vt Cardinalem Rhothomagensem antea riualem, Tridenti cum Cæsare collocutum fuisse; curasse etiam vt Cæsar & Gallus inter se viderent, ægerrime antea tulerit. certe monstri simile aliquid versare eos Principes animis in suam ac Ecclesiæ perniciem. Itaque eorum Principum colloquium impedire omni ope contendit, & Venetis benignior esse cæpit, oppidis pro Romana sede recuperatis. Sed & Ferdinando Catholico idem visum; de regno Neapolitano metuenti, & ad res primum Orientales, deinde Africanas intento. Ardebat Ferdinandus incredibili cupiditate vertendi arma in hostes Christiani nominis, maiori laude, certiori fructu bellum quam quod tanta contentione contra Venetos gereretur. Itaq; vrbibus suis & sociorum receptis, nunquam placuit Venetorum rempublicā funditus euerti, sed stare potius incolumi libertate, suis viuere legibus & imperio. Ac in partem potius fœderis societatisq; recipi Venetos volebat, vt communibus armis terra mariq; inuaderetur Turca, communis atq; infensus hostis piorum nationis. Discrepantes in eo voluntates dissidentia inter se vota in vnam sententiam pertrahere res ardua erat. Quod proximum videbatur; ad suas vires adiuncta ope quā pro se singuli Principes sponte communicarent id bellum suscipere, atq; in Orientem proficisci sacræ expeditionis dux in animo fixum habuit. Laudauit summus Pontifex eos tanti Regis pro pietate conatus, seque pro virili iuuaturum est professus. Neapolitanæ & Siculæ opes commodissimæ erant in id bellum vicinis auxiliis parato commeatu. Hæc Rex ille præ se ferebat. Rerum statum attente considerantes, absonum prorsus & alienum ab eius prudentia iudicabant, prouecta Principem ætate gentisq; in Castella animis non satis pacatis tam procul ipsum à finibus discedere: cum bellum Africanum esset in manibus, longinqua & difficiliora meditari. Ergo eo conatu in præsenti reiecto, ad expeditionem

Maximilianus Venetos vult debellare violenter.

Ferdinandus Rex Cath. bellum in Africam monet.

Africanam, optimo principio, ad omen certissimum felicis exitus, antea inchoatum maiori mole promouendam retulit animum. Iam vniuersa Castella belli Africam ardebat apparatu. milites, arma, commeatus, naues conquirebantur, magna diligentia, concursationeq;. Incitator præcipuus Franciscus Ximenius Hispaniæ Cardinalis, maiori quam pro ortus conditione, neq; fortunis minori animo. Et interest parum quali sit quisq; parente, modo ingenuus. Is ad promouendam expeditionem non pecuniam modo large suppeditauit, sed ducem bello se præbuit. tantus ardor erat Christi hostes extirpandi. Bellici commeatus Malacam collati. Militares copiæ Carthaginem octingēti grauis armaturæ equites regni custodiæ destinati, alii præterea pedites equitesq;, pars voluntarii, alii ære conducti. Omnino in eo exercitu quatuordecim millia homines numerabantur, militaribus omnes armis instructi, pleriq; Neapolitanis bellis magnam virtutis opinionem nacti, vincere assueti. Curam rei tormentariæ tenebat Dieghus Vera; negotio maritimo Hieronymus Vianellus Venetus destinatus dux; summa expeditionis Petro Nauarro permissa. Mense Maio Carthaginis in portum classis vniuersa conuenerat triremium decem, maiorum præterea minorumque nauigiorum ad octoginta. Priusquam ancoras molirentur soluerentque, militum seditio exarsit stipendia exposcentium. Nauarrus inconditis moribus vir, fraudibus & rapinis assuetus, ingenio militari magis quam commodo cuncta miscuerat. Vicit tamen prudentia & patientia Cardinalis, ne præclaros conatus importuna discordia turbaret. Nauarrum male habebat motis quos ipse designarat, quosdam Centuriones è familia Cardinalis fuisse substitutos, locaque virtuti debita inertes aulicos gratia occupare. Annitentibus viris primariis dissidio parato, Nauarrus nouo iureiurando in Cardinalis verba est adactus, facturum quæcumque imperasset. Compositis controuersiis, ad septimum decimum Kalendas Iunii, die Mercurii è portu Carthaginensi vela fecerunt, bona spe pleni, lætique. Die proximo, qui ascendenti in cœlum CHRISTO sacer erat, tecundi à puppi flatus classem in Masalquiuiri portum intulere. Eo loco cognitum est, aduersus Oranum eam expeditionem suscipi. Vrbs ea Tremesenio regno contributa, ciuium sex millia hac tempestate numerabat. ad mare situm validi omni ex parte muri additis ex interuallo propugnaculis cingebant. Ædificia partim planiciem occupant, partim in collis latus assurgunt. Plateæ & vici enormes nulla distinctione, sed passim erectæ domus, neque dimensis ad lineam directis & latis viarum spatiis, vt solet gens Mauricæ ædificandi minime curiosa, neque dedita elegantiis. Tremesenio dissita est centum & quadraginta millium spatio, Carthagini Hispanicæ ex aduerso obiecta. Nobile quondam in iis oris emporium, frequentia mercatorum Genuensium & Catalaunorum, eo propter commoditatem portus confluentium celebre inprimis & frequens: tantis ex eo copiis, vt prædatorias biremes magno numero lembosque alerent ordinariis stipendiis, magno incommodo Bæticæ littorum, quibus importuni imminebant grauesque. Noctu Christiani in portum inuecti, luce proxima copias in terram exposuere. In eo acieque instruenda multæ horæ abierunt. In quatuor quadrata agmina gens vniuersa est distributa, in singulis bis mille & quingenti pedites constituti, vtraque latera equites muniebant. Cardinalis in templo arcis interea castissimis precibus dederat operam; prius tamen quā instructæ acies in Mauros mouerent vrbis aditu Christianos prohibere paratos, & iugis proximis se in armis ostentantes, vt Hispanos ascensu vtique montis arcerent, mula ad milites est egressus. Multi Sacerdotes & Monachi prosequebantur; Crucem dignitatis insigne præferebat. Ferdinandus super sui Ordinis Franciscana veste gladio accinctus, reliquorum exemplo Cardinalis iussu, Insolens spectaculum, multis quippe militari ingenio, lingua procaci inter metum, risum excussit. Tum Præsul ad circumfusas legiones hac sententia locutus fertur.

Si meis verbis cogitarem, milites, ad vestros animos inflammandos opus fore; vt ducum aliquis in hoc genere præstans accommodata otatione ad pugnam accenderet, effecissem. Nam neque ego militarem facundiam exercui, & victoriæ spem precibus potius firmasi ad Deum fusis. Intelligere quidem vos arbitror, pro religione & communi salute vota esse certamen. pro ea si res ferat, sanguinem vitamq; profundere esse paratos, neq; meitatore indigere vllo vestræ virtutis sed fræno. Ita vestræ alacritatis conceptiq; animi ardoris ex fronte oculisq; emicantis victoriæ omen haud dubium, testis tantum spectatorq; veni. Audaciam, animorumq; vigorem inuictum quem tot bellis milites præstitis, an æquum sit contra Christiane nominis hostes abijcere. Eos inquā hostes qui Hispaniæ littora igne ferroq; depopulati sunt, pecora abegere, diripuere oppida & agros, matres, vxores, filios, fratresq; in captiuitatem egerunt duriorem ipsa morte; siue ferro oneratos, inculta tenebris, odore tetra ergastula detineant, siue fœdis aliis obsequiis ex dominorū libidine mācipantur. Vestrum ex Hispania discessum contemplatæ matres, vestra opera filios, expectant, filii parentes; eoq; proiecti ante aras ad omnia templa diuinam clementiam cum lachrymis & gemitu implorare non cessant, nulla piacula cœlestibus placandis omittunt. An æquum videatur tantæ multitudinis spes, & vota irrita cadere. partæ gloriæ inuri maculam? Apage tantum nefas, faceſſat dedecus ignauiaque. Abscedant inanes metus fortibus animis. Ego ego ipse, si cessatis in medios hostes irruam, crucemq; illam Christianæ gentis vexillum & spem inter hostium agmina collocare certum habeo. An erit qui sui Præsulis exemplum non sequatur? qui eumtem in hostes deferat? Et sane vbinam vita paulo post interitura sanguisque maiori fructu ponatur, quam pro religione, pro patria, pro communi salute, gloriaq; vniuersæ gentis Hispaniæ? Tueri omnibus viribus, quæ à maioribus accepimus patrimonium dignitatis ac famæ, patriæ religionis dignitatem tueri, & sanctitatem, id vero fixum est animo.

XIII. Hæc ille dixit, ardentibus oculis, vultuque, voce contentâ quo latius exaudiretur. Circumfusi omni ex parte milites ducesque obtestari, in templum rediret, pro cunctorum salute vota continuaret, & preces, sibi cum diuina ope destinatum esse, sin minus victoria, vti confidebant, certe morte operam industriamque probare, nisi victis hostibus non rediturosin patriam. Cessit Cardinalis suorum votis; reuersus in arcem, in Diui MICHAELIS sacello preces cum gemitu & lachrymis fundere non cessauit, dum pugna commissa est. Dies inclinabat in vesperum. Ancipiti Nauarrus sententia an pugnam sustentaret in diem proximum, quid facto opus esset Cardinalem consuluit. Censuit ille non expectandum, dum mora militum ardor remitteret, pugnæ signum expectantium. Quid maiorem hostium multitudinem confluere cessatione paterentur? Nocte interposita multos incidere sæpe casus. Secundum hæc verba continuo signum datur. In montem milites magno nisu & alacritate conscendunt. Neque locorum iniquitas, neque Mauri ad duodecim millia equites peditesque fastigio occupato proiicientes tela, prouoluentesque in subeuntes saxa, & quæcumque ad manum erant, deterruere Christianos, quo minus in summum iugum euaderent. Væcordia militari quidam milites Caracæ vrbis ciues iniussu desertis ordinibus impressioneque in hostes facta, non agmine sed turmatim, amisso Ludouico Contrerio cæteri necessario retulere pedem, pudorem vincente metu. Cæsi caput in vrbem delatum per plateas à pueris rotabatur cum clamore, cæsum Alfaquinum. Sic Arabica lingua Cardinalem vocabant. Commotus eo rumore è captiuis quidam aliquando in familiam Cardinalis adscriptus, capite considerato diligenter, altero orbatū oculo, oris lineamentis longe aliis, negauit profecto id caput Alfaquini Christianorū esse, sed potius alicuius militis gregarii. Sed inter inconditos plebis clamores captiuo nulla fides. Dum pedites in montem euadunt, equites longiori circuitu per latus montis ad summum euecti cum hostibus dimicare cœperunt; tormentis quoque displosis cæsi non pauci. In confertos & temere se offerentes, non frustra cadebant tela. Pedites tandem addidere gradum impressione in aduersarios facta, arduo ascensu quamuis fessi montis partem occuparunt, cedentibus Mauris quousque ad aquæ ductus quosdam est ventum. Nouo conatu tormentis in summū iugum magno labore traductis, præterea districtis gladiis alius aliū adhortari, hostes ex vniuerso monte depulsos in fugam compulere. Hærentes fugientium tergis, quoniam vrbis portæ clausæ erant, victores iuxta ac victi solutis ordinibus, hi in pedibus salutis spem ponentes, illi sanguine nondum expleti vltra vrbem processere. Arabes qui erant intra mœnia rei bene gerendæ occasionem ex Hispanorum perturbatione venisse rati, portis egressi Duce vrbano

Oranum oppidi Mauritaniæ descriptio.

Oranium à Ximenio expugnatur.

Prætore pleno gradu in victores feruntur. A tergo adoriri pergentes nouus detinuit terror. Pars Hiſpanorum admotis ſcalis in muros conſcendere tentabant. Dum hi in ſe vim ciuium Arabumque auertunt, ſocii militesq; nauales à mari, nullo repugnante ſuccedentes, muro ea parte imbecilliori neglectis cuſtodiis turres quaſdam occuparunt arcemq; Alcaſabam dictam. Acceſſere manus aliæ militares. Captam vrbem momento diripiunt. Maurorum è pugna reliquiæ, quamuis Hiſpaniæ vexillis pro mœnibus explicatis cœco furore vrbem conantur repetere. Vana eſt ſine viribus temeritas. Hiſpani victoria ſuperbi per auerſam portam egreſſi, à tergo & à fronte circumuentos hoſtes magno numero cęciderunt. Occiſi eo die Mauri quatuor millia, capti ad quinq; millia, Victoriæ nobiliſſimæ lætitiam auxere miracula diuinis non abſimilia, conſiderantibus propter Hiſpanorum militum perturbationem nullam eo die militarem diſciplinam, nullum imperium obſequiumue extitiſſe. Deinde vix vrbe capta Tremeſenius Prætor cum numeroſo exercitu aduenit certiſſimum vrbi præſidium, niſi Hiſpani celeritate forte magis quam conſilio eius aduentum occupaſſent. Cardinalis, cuius feruentiſſimis precibus & ſynceræ religioni non temere vulgo accepta victoria fertur, lætus ſucceſſu ouansque in vrbem ingreſſus, templum maximum ex ritu Chriſtiano ſolenni cærimonia Mariæ victricis nomine Mahumetanis ſordibus expiatis conſecrauit. In hoc autem templo, cenotaphio ad aram maximam conſtituto, vt ſibi anniuerſario ſacro, ad XV. Kalend. Iunii quo die Oranum capta fuit parentarent inſtituit, XXX. M. numum ad hanc operam in perpetuum datis. Alteram Meſquitam, vbi multi ex Mauris occubuerant, Diuo Iacobo Hiſpanicæ virtutis conſeruatori dicauit; in qua non minus quam in priore Sacerdotes Chriſtianorum ſacra fecerunt, & ſupplicationes habitæ ſunt. Sed quoniam Diuo Bernardino, partim ob egregiam viri ſanctitatem, partim ob commune religionis inſtitutum, Ximenius peculiari affectu deuotus erat, ne eum præteriiſſe videretur, Xenodochium quod ægrotantibus militibus parabat, Bernardino tutelari conſecrauit; memor ſcil. pietatis qua ille olim Senarum nobile Xenodochium, in flore ætatis conſtitutus adminiſtrandum ſuſcepit, cæteris miniſtris fugientibus ob peſtem, quæ quam dixi Etruriæ vrbem, Bernardini patriam, & totam etiam occupauerat Italiam. Perpetuum in eo fundauit ſacerdotium Ximenius, vt eſſet qui ægrotantibus ſacra miniſtraret, impetratis à ſummo Pontifice multis indulgentiis, & facultate abſoluendi etiam à reatibus Pontifici Romano reſeruatis. Et quoniam religionis cura Ximenio ante omnia cordi erat, quam ſciret maiorem in modum à ſodalitatibus Regularium promoueri, atq; ali, ædes item binas dedicauit, alteras Franciſcanis, alteras Dominicanis, in quarum ſingulis Religioſi alerentur ſeni. Iam vero quod multi inter captiuos Iudæi erant, quorum pleriq; ex illa eſſe migratione exiſtimabantur, qua ex Hiſpania ante aliquot annos à Catholicis Regibus fuerant expulſi, vehementerq; timeret, ne in tam recenti eorum qui in Hiſpania remanſerant, ad Chriſti fidem conuerſione, nonnulli priſtinæ ſuperſtitionis memores, & vigilantiam Inquiſitorum metuentes, clam ex Hiſpania Oranum fugerent: Ideo officii ſui authoritate fungens, Yiedram virum religioſum & eruditum Inquiſitorem, ad ea omnia diligenter exploranda conſtituit. Trimeſenii, Orani captiuitate, direptione & vaſtitate cognita (nam octuaginta tantum Mauros ex vniuerſis Orani ciuibus euaſiſſe compertum fuit, cæteris omnibus aut interemptis, aut captis) Chriſtianos qui mercaturæ cauſa, aut alia quauis ratione illic degebant, ad vnum gladio peremerunt: atq; eodē furore in Iudæorum gentem, quæ frequens Africæ vrbes incolit, quaſi Chriſtianis cognatione coniunctam, ſæuierunt; tanta vulgi ſeditione & tumultu, vt Rex intra arcem ſe continuerit, nec foras exire ſit auſus, quamuis impendio doleret, fidei ſuæ commiſſos trucidari. Tantus vero timor Hiſpani nominis vniuerſam Mauritaniam occupauerat, vt Trimeſenii, aliiq; populi vicini trepidantes, deſertis oppidis ad regnū uſq; Feſſanum ſecederent. Dubius animi Ximenius fuit, an fortunæ ſucceſſum ſequeretur, & ad reliquam Africæ oram exercitum ſuum & claſſem conuerteret; an potius ætati & ſaluti ſuæ conſulens, ſumma belli Nauarro tradita ipſe rurſus in Hiſpaniam remearet. Sed quamuis bellici labores animo obuerſarentur, & militares mores parum inſtituto eius quadrarent; tamen ingenium, animuſq; ingens maxima quæq; natura ſua appetens, omnem vincebat difficultatem. Quare cum mare rurſus traiiciendum conſideraret, præſentem autem gloriam & victoriam ex altera parte ſibi proponeret, & Chriſtianæ religionis propagationem, quam alterius induſtria & opera fieri indignum ſua fortuna iudicabat, ad reliqua pro virili perſequenda iamiam animum inclinabat. Sed vt ſunt res hominum mutabiles & fluxæ, aliquot cauſæ partim ex occulto, partim ex Nauarri æmulatione prodierunt, quibus in diuerſam mutatus in Hiſpaniam, Nauarro ſummo imperatore deſignato, reuerterit. Id vero præter multorum opinionem accidit, qui ab eius conſtantia & magnanimitate alienum eſſe omnino exiſtimabant, poſt tot moleſtias in cōgregando exercitu & in nauigatione deuoratas, poſt victoriam tanta cum laude & felicitate obtentam, quæ ſolet animos militum efferre ad res ampliores conficiendas, & in tanto Afrorum hominum metu, lampada in ipſo curſus principio tam glorioſe micantem, alteri laudi ſuæ inuidenti tradere. Alii rem attentius conſiderantes, Ximenii propoſitum approbabant. Iuſto enim ambitioſior haberi poterat, ſi ſuæ ætatis, perſonæ, & Pontificatus immemor, cum hominibus illiuſmodi vitam agere in caſtris maluiſſet, quam in patriæ ſolo inter viros ſapientes, religioſos & ſobrios. Deinde cum nihil ſit belli ſucceſſibus inconſtantius, Orano vrbe opulentiſſima multumq; Hiſpanis littoribus infeſta, quod ſibi vnicum propoſitum fuerat, tam facile capta, non erat viri prudentis Martis aleam toties experiri velle, ſed potius ſucceſſorem ſibi in prouincia tam laborioſa & incerta petere, aut ſua authoritate, quod & fecit, conſtituere. Ad hanc communem cauſam peculiares aliquot acceſſere, quæ virum propoſiti tenacem, & conſtantis ætatis ab incæpto demouiſſent. Principio Nauarrus, cui hominis cuculati, vt ipſe iactabat, gloria inuidioſa erat, indignationis iam diu diſſimulatæ manifeſta indicia, partim apud Ximenium, partim inter tribunos & milites dedit. Neq; enim ſibi homini rerum bellicarum experientiſſimo ferendum eſſe vllo modo exiſtimabat, vt Ximenius Antiſtes togæ muneribus ſemper dedicatus, in imperio militari præferretur. Accidit forte, vt Nauarri miles Ximenii famulum inter rixandum occideret. De ea re cum Ximenius Nauarrum obiurgaret, & multa, vt fit, vtrimque dicerentur, Nauarrus bili & iracundia ſtimulantibus, tandem pectoris arcana recluſit. Grauibus enim verbis Ximenium increſſit, eum eſſe in cauſa, quod ſibi milites parum eſſent morigeri, & tot tumultus in exercitu exurgerent. Quod ſi illinc ipſe diſceſſiſſet, ſibiq; vni belli negotia relinquerentur, non dubitare breui temporis ſpatio magnam ſe Africæ partem ſubacturum. Nunc vero omnia quæcunq; animo concepiſſet, eius præſentia impediri; numquam enim duorū imperia bene coaluiſſe, & inde ſemper multo maiorem exercitibus cladem quam ab hoſtium telis contigiſſe. Quare bonis auibus in Hiſpaniam proficiſceretur; ſatis enim gloriæ reportare vrbe Mauritaniæ præcipue tam veloci victoria capta. Quod ſi adhuc in propoſito perſiſteret, ſciret ſe non alio quam priuatiiure in exercitu eſſe diuerſaturum. Nam reliqua omnia quæ deinceps agerentur, non amplius eius auſpiciis, ſed Catholici Regis erant conficienda. Ipſi enim ad Oranum capiendam à Rege munus eſſe tantum delatum; quo expleto, imperium abrogatum eſſe, donec Rex aliud decreuiſſet. Oranum vero, quam Toletanorum Pontificum ditioni, niſi Rex impenſas pecunias reddidiſſet, addicere parabat, ſe tubis præcinentibus & ſigniferis vexilla pandentibus, ipſo audiente, Regium nomen acclamaturum. Deſineret itaq; per vanas cogitationes Regiæ poteſtati, aut incrementis homo priuatus inuidere; capeſſeret Antiſtitis munus; pila & gladios militibus concederet. Atq; ab eo irreuerenter profiſiens, ad ea quæ dixerat conficienda abiit. Aduerſus tam confidentem militaris hominis orationem, nihil reſpondendum Ximenius eſſe duxit. Nam & id tunc diſſimulauit, & ad ſtrepitum Regem acclamantium, nulla ſuorum cum Rege pactorum ratione habita, non modo nihil interceſſit, aut prohibuit, ſed nulla animi offenſione oſtenſa, Nauarrum poſtmodum ad ſe vocatum, benigniſſime & comiter tractauit, & quid in ſingulis rebus faciendum eſſet, antequam nauigaret, edixit. Præter hæc de ſuo, vini Græci ſex doliorum

Trimeſenii in Africa Chriſtianos & Iudæos occidunt.

Ximenius ex Africa triumphās Complutū venit.

millia,

millia, totidem triticeæ farinæ modios, nautici panis numeroſam molem, lardi & ſalitarum carnium, centum & quinquaginta millia modiorum tritici, & aliarum rerum non leuem copiam, vnde exercitus per aliquot menſes non maligne ali poſſet reliquit, ſeque illorum apud Regem patronum fore promiſit. Complutum venienti, tam ciues, quam literarii ordines, obuiam perrexerunt, qui lætis ſalutationibus incolumen reditum & felicem victoriam gratulabantur. Præcedebant Antiſtitem captiui Mauri, & cameli auro argentoque ex præda Africana onuſti. Volumina etiam Arabicis characteribus conſcripta ad aſtrologiam & medicinam ſpectantia, vt ſuam Bibliothecam exornaret. Alcazauæ, portarumque vrbis repagula, & claues, candelabra & pelues Meſquitarum, quibus Mauri ad ſuas lotiones vtebantur, & Arabici litui, quos annafilos vocant. Multa ex his in tholo templi Diuo Ildefonſo dicati ſuſpenſa fuerunt; nonnulla Talabricam miſſa ſunt; præſertim cuiuſdam Oranenſis portæ claues, quæ adhuc Talabricenſis vocatur, quoniam à Bernardino Meneſio Talabricenſium Duce capta fuit, & in ſacello Deiparæ Virginis quod extra oppidum eſt, vexillo rubro iuxta pendente, quod Lunam cæruleam, vt Mauri ſolent, inſigne habet. Supplicationes item Toleti, Compluti, & aliubi habitæ, quod ſe diuorum precibus in bellicis periculis vehementer eſſe adiutum dicret: quippe qui victoriæ laudem non induſtriæ humanæ, ſed diuino patrocinio tribueret. Et Cardinali quidem fixum erat, opimis templi maximi Toletani ſacerdotiis Orani Abbatem recens inſtitutum adiungere, partæ victoriæ poſteris monumentum. Reſtitit minutus ac ſolo ferme nomine Epiſcopus Aurienſis, ex indita à Summo Pontifice ſorte appellatione contendens eam vrbem ſui iuris fore, deſignati Epiſcopatus ſedem haud dubiam. Peritiores; Oranum negabant olim proprio Epiſcopo fuiſſe attributam. Auriam ad Solis ortum non modico interuallo diſſitam, quippe prouinciæ Carthaginenſis vrbem, quod certis monumentis monſtrabatur. Oranum & finitimos, Tingitanæ potius prouinciæ finibus contineri. quod lite conteſtata tandem valuit, & Cardinalis cauſæ iis opibus ea laude parta paſſim fruebatur. Non minor FERDINANDO Regi eius vrbis muniendæ, & nouis opibus firmandæ cura erat. Diui IACOBI militibus Vallſoletum ad Generales eius Ordinis conuentus euocatis decreuit. Orani Monaſterium ei Ordini conſtituere; eo nobiles Crucem inſigne militiæ ſumerent, operamque nauarent in bello Africano aduerſus Mauros Chriſtiani nominis hoſtes. Atque vt eſſet vnde noui Monaſterii Sacerdotes & milites vitam tolerarent, à Pontifice Romano impetratum eſt, duorum Monaſteriorum Villarii, & Diui MARTINI, quæ ei Ordini in Compoſtellæ & Oueti diœceſibus ſita ſunt redditus Oranum transferri. Salutare conſilium, vt in rebus magnis, cnatæ difficultates, neque conſpirantes ſententiæ diſturbarunt, magnis ſemper conatibus aduerſæ. Ne nouum quidem decretum magis valuit, Bugiæ & Tripoli, quas vrbes Nauarrus proximo anno de Mauris cepit, Calatrauæ & Alcantaræ militibus ſimili exemplo Collegia inſtituendi. Rex ipſe FERDINANDVS, ſibi facultatem donandi Commendas ea ratione adimi metuens, cauſis quæſitis, negotium vtile, & omnino neceſſarium, quoad vixit diſtulit. *Mariana lib. 29. Gomecius lib. 4.*

Almeida cum Turcis nauale pugnam inſtituit, & vincit.

XIV. Ardebat inter hæc magnus Ægypti Sulthanus Campſon nomine, incredibili cupiditate exturbandi Luſitanos ex vniuerſis Indiæ oris. Multa vt in eum conatum ingrederetur barbarum incitabant: ac præſertim Calecutii & Cambaiæ Reges, in eam rem opem omnem & vires pollicit. Acceſſere in partes Veneti, vt ſuperius indicatum eſt. Merces Indicas & aromata poſt Luſitanorum in eas oras aduentum auerſas in occaſum, quæ antea Alexandriam deuehi ſolitæ erant, magno Regiorum vectigalium incremento, totius prouinciæ & vicinarum gentium fructu, dolebat ſcilicet impenſo Sulthanus, dolebant Veneti, propinqui, longinquique. Et quidem Campſoni tentare Romanum Pontificem viſum, ſi minis propoſitis excindendæ in ſuo imperio Chriſtianæ gentis à ſtirpe Luſitani deſiſterent. Ita Maurus Franciſcanus Hieroſolymæ præfectus in Italiam atque Hiſpaniam legatus in eam rem fuit, vti ſuperius commemauimus. Parum ſpei retulit facturos Hiſpanos quæ cuperet. Ergo vim adhibere & metum placuit. Parata claſſe triremium ſex, onerariarum quinque, octingenti Mameluci (ſic milites vocant Chriſtianis parentibus natos, eius imperii robur) maxime bellaces in eam impoſiti. Vniuerſæ adminiſtrationi præfectus, Mirocemus, natione quidem Perſa, cæterum rei militaris & nauticæ peritus in paucis. Huic ſe adiunxit Melichiazius, Regis Cambaici apud Dium vrbem & inſulam præfectus, cum triginta quatuor prædatoriis biremibus & multis nauibus. Laurentius Almeida Luſitanam octo nauium claſſem ductabat. Primo parum feliciter pugnatum à Luſitanis. Inde reſumptis animis victoria ab iis ſtetit. Ex hoſtibus quatuor millia cecidere, in eo numero ex octingentis Mamelucis vix duo & viginti euaſerunt, tres onerariæ ſubmerſæ ſunt, præter biremium lemborumque magnum numerum. Duæ roſtratæ, totidem triremes, quatuor onerariæ captæ in poteſtatem venerunt. Duces Mirocemum & Melichiazium fuga ſeruauit proximo profugio. Miraculo fuit è Luſitanis duos tantum & triginta cecidiſſe: vulnerati maiori numero circiter trecenti, nulla deſiderata nauis. Inſignis victoria, par omnibus quæ auſpiciis Emanuelis Luſitaniæ Regis in India ſunt partæ nobilitate fructuque. Quamdiu prælium committebatur, Saracenus quidam ſanctitatis opinione præcellens, in cubiculo triremis incluſus, vt numen precibus placaret, ſumma ope nitebatur. quem tamen ignitus globus in precatione ſummo ſtudio perſeuerantem dilacerauit. Secundum hæc, naues aliquot Calecutienſes, in Onoris ora, incendi iuſſit Almeida. Inde ad Zabaium qui Goæ regnabat, & cum Mirocemo, & Calecutienſi, aliisque Luſitani nominis hoſtibus ſocietatem iniuerat, & Sulthanū literis ad bellū Luſitanis inferendum ſolicitarat, vexandum curſu directo, Dabulem eius ditionis opulentam vrbem expugnauit. Fuit hic in omnem ſexum & ætatem ſæuitum: præda ingens facta, vrbs exuſta, naues inflammatæ: & multi etiam ciues qui latitabant flammis abſumpti. Deniq; ex innumera multitudine, quæ præter milites eo conuenerat, pauci admodum in montes euaſerunt. E Luſitanis ſedecim deſiderati, ducenti vulnerati. Almeida ſigna etiam in montes intulit, multa caſtella atq; villas exuſſit; hoſtes, qui illi multis in locis occurrerunt partim cecidit, partim fudit atq; fugauit: armenta & pecudes ad commeatum claſſis abduxit. Ad hunc modum profligatis hoſtibus, in claſſem reuerſus eſt, vbi literas à Melichiazio & à Luſitanis captiuis accepit. Literæ Melichiazii officii pleniſſimæ videbantur, ac de redemptione Luſitanorum oſtendebant, ea quæ Almeida vellet libenti animo facturum: Luſitani vero ſignificabant, ſeſe à Melichiazio commode rebus omnibus haberi: petebant tamen, vt de eorum redemptione, dum hoſtis eam lenitatis & manſuetudinis ſpeciem præ ſe ferebat, cum illo pacifceretur; ne, ſi ab eo res abiret, multo difficilior eorum liberatio foret. Cōpertum poſtea eſt, quod ea legatio non tam Almeidæ conciliandi, quam illius explorandi ab homine callidiſſimo inſtituta fuit. His literis Almeida, non literis ſed rebus ipſis reſponſum pro dignitate dare conſtituit. Tormentis igitur, & rebus aliis quas Luſitani ceperant in naues impoſitis inde ſoluit; & orā illam præteruectus, tributa quæ in locis illis exfœdere debebantur exegit. tandem in fluuium delatus eſt, qui p Cambaiæ regnum in mare influit. Fluuium appellant Maim. Ibi vidit in oppido peruetuſto maximum & ampliſſimum templum, & campum latiſſimū in quo erant ſepulchra innumerabilia. Cū ab incolis ſuſcitarentur, quid infinita illa mortuorum monimenta deſignarent; reſponderūt illi qui ſapientes exiſtimabantur, antiquiſſimis regionis illius ſcriptis atq; monumentis contineri, Herculem in Indiam cum maximo exercitu peruenisſe, & in eo loco bis cum Rege quodam potentiſſimo collatis ſignis conflixiſſe, & vtroque prælio ſuperatum fuiſſe. Vt autem tam præclari facinoris memoria ſeculis innumerabilibus conſeruari poſſet, inſtitutum ab antiquis fuiſſe, vt locus ille in quo milites Herculis ceciderant, religione conſeraretur, & illa ſepulchra inviolata permanerent. Hæc quidem illi prædicabant; quibus quanta ſit habenda fides, liberum ſit ei qui velit iudicare. Almeida inde profectus, Dium vela dare iuſſit. Ibi Mirhocemus cum in altum naues educere, & cum Almeida mari aperto dimicare conſtituiſſet,

Almeida in India ſtrenue bellat.

quamuis

quamuis Melochiazius id cõsilium minimè probaret, omnes duces confestim iussit ex angustiis prodire. Erat numerus hostilium nauium supra centum. Milites quos Mirhocemus adduxerat, & armis, & animis præferoces, victoriam sibi certissimam pollicebantur. Idem animus erat in reliquis nationibus, quæ cum illo societatem iniuerant. Spes & odium illos acriter stimulabat, vt & libertatem tuerentur, & gentem inuisam extinguerent. Quod vero indignissimum fuit, non minus ardoris in Christianis quibusdam, qui in eadem classe vehebantur, erat ad manus cum Christianorum classe conserendas, quam in illis, qui propter religionis odium Christianum nomen extinctum cupiebant. Hi erant partim Veneti, partim Dalmatæ, qui triremes ductabant. Variæ deinde fuerunt imperatoris vtriusq; cohortationes, cum Mirhocemus milites rerum ab illis gestarum commemoratione, imperii amplitudine, & Saracenorum omnium libertate, Christianique nominis odio, & spe opum atq; munerum, quæ omnia vno illo prælio continebantur, excitaret. Viderent præterea socios spectatores esse. Si vincerent, se laudem sempiternam adepturos; si victi essent, dedecus & ignominiam subituros nulla temporis vetustate delendam. In illo prælio Indiæ Imperium, sociorum salutem & libertatem, eorúmq; qui dimicarent dignitatem nullis seculis interituram constitere. Almeida vero Christi nomen, religionis sanctitatem, sectæ Mahumetanæ scelus commemorabat; neq; solum spem amplissimæ dignitatis & gloriæ, verum & cœleste præmium proponebat. Dicebat præterea, omnem salutis spem vna virtute contineri. Si victi eo prælio essent, reputarent animis, esse se hostibus innumerabilibus circumsessos, qui metu tenebantur, ne conceptum odium in nomen Christianum expromerent. Hoc autem metu sublato, fore, vt vndiq; ruerent, vt Christi memoriam in illis regionibus delerent. Subsidia esse longinqua, hostes autem circumfusos. Nullum fore tutum in calamitate receptum, fidem vbiq; lubricam, fraudem ad fidem violandam paratissimam. Idcirco, quod fortium virorum esset, cogitarent, eo prælio esse omnibus aut cum magna gloria vincendum, aut magna cum virtutis significatione moriendum. Considerarent vero, Christi nomen, pro cuius gloria præcipue dimicabant, adfuturum. His & aliis huiusmodi verbis Almeida Lusitanos satis sponte sua concitatos ad certamen acuebat. Congressus cum hostibus, magnam adeo eorum edidit stragem, vt fluctus in sanguinis colorem verterentur. Erat autem exercitus hostilis ex tam diuersis gentibus conflatus, vt in classe multi libri Latino, Hetrusco, Dalmatico, Gallico & Hispano sermone conscripti inuenti sint. Tria etiam Sulthani vexilla capta sunt. Quo ipso anno 1509. Emanuel Rex, quindecim nauium classem, in qua mille & quingenti milites Lusitani vehebantur, in Indiam submisit. quæ præfecto Fernando Coutigno, Olyssipone die duodecima Martii soluens, mense Octobri in Indiam peruenit: infeliciter tamen Coutignus contra Regem Calecutii pugnauit, atq; occubuit. *Osorius lib.6.* Regia illa tria Sulthani vexilla ab Almeida fuere in Lusitaniam missa, & in templo Christi ad Nabantiam seu Tomarium, ab Emanuele Rege suspensa: quorum in vno, ad contumeliam nominis Christiani, captæ & occupatæ Hierosolymæ argumento, in modum trophæi depicta sacrosancta altaris mysteria visebantur.

Eadem æstate qua hæc gerebantur, Antonius Laurerius, Franciscanus, cuius ante meminimus, è Socotora Indiam petens, ad Surratum oræ Cambaicæ facto naufragio, cum aliquot Lusitanis ad Manudium Calecutii Regem captiuus abductus est. Et Alfonsus Albuquerquius Goam vrbem, sine vlla sanguinis effusione recepit, quando ciues absente Idalcane Rege, dissipatisq; fuga militibus, ac expugnatis arcibus territi, nec non benignitate promissorum illecti, pulsis aduersæ factionis hominibus, Lusitanos ingenti gratulatione admiserunt, & Albuquerquio, deditionis insigne claues oppidi, & arcis in qua erant ædes Regiæ porrexerunt. Ibi Albuquerquius, cataphracto equo summa omnium ordinum frequentia vrbem inuectus, Crucis vexillum pietatis causa præferente quodam ex Dominicana familia, primũ omnium Deo immortali, partam sine cruore victoriam gratulatus, promissi fidem ciuibus egregie præstitit; vrbem & arcẽ diligenter inspexit, grauiq; ante omnia edicto milites à præda, iniuriisq; continuit: locandis publicis vectigalibus, tolendis ex insula latrociniis, & componendo ciuitatis statu incubuit: quandoquidem eam vrbem, propter eximiam agri bonitatem, & opportunitatem loci, (quod quasi Carco inter Cori promontorium & Cambaiæ littus interiacet) ad continendas in officio cunctas eas nationes, caput ac sedem Indici imperii destinarit. Eandem vrbem paulo post, fraude quorundam amissam, incredibili felicitate recuperauit VII. Kal. Decembr. quo die Diuæ Catharinæ sacra natalitia celebrantur. Nonnisi sex horis tunc pugnatum est, etiam sine auxiliis sociorum Indorum quorundam; quod diuinitus creditabatur factum, ne è Christiana victoria, singulari Dei beneficio parta, quicquam ethnici homines sibi decerperent. Dimissi inde circum Insulam equites, ad Mahometanos è latebris eruendos, magnam denuo stragem dedere. Ita, variis cladibus absumpta septem circiter hominum millia. è Lusitanis, quod credi vix possit, desiderati non amplius quadraginta. Post hæc, Albuquerquius ad firmandum Emanuelis nomine imperium toto pectore insudauit. ac primum defectionis authoribus, exilio & bonorum præscriptione damnatis, perfidæ ciuitati ex ipsamet Idalcanis formula vectigal imbixit. deinde, ad sobolem in vsum militiæ propagandam, sacro fonte expiatas Indicas puellas cum Lusitanis in matrimonio collocabat, fouebatq; omni genere charitatis: tum aduersus imminentis belli pericula refecti celeriter muri turresque, & ex ipsa nouis propugnaculis aucta. In id opus, dum idolorũ fana, & sepulchra ethnicorum, & alia ædificia diruuntur; in domus cuiusdam parietinis æneum crucis, pendente Christo, simulachrum apparuit; euidenti argumento plane, in iis olim regionibus non modo Christianam fidem, sed cum ea quoq; salutarem vsum imaginum ex Apostolica traditione viguisse. Magnum vero Albuquercius, & boni omnes gaudium percepere, præsagientibus animis, eam vrbem, Ecclesiamq; principem Indicæ religionis aliquando futuram. Itaq; signum illico purgatum, nec sine lacrymis, & cum solenni pompa & apparatu, pro ea quæ tum suppetebat copia, extructo nuper Christianorum templo illatum à sacerdotibus; atque ad Emanuelem deinde, talium rerum plus multo quam auri gemmarumq; sitientem, muneris amplissimo loco trãsmissum est. Neq; huic tantum signo acceptam eam victoriã Lusitani ferebant, quod eius ope quodammodo introducti in vrbem fuisse viderentur, sed etiam Diui Iacobi Apostoli Hispaniarum præsidis euidenti auxilio, quod amissa iterum Goa barbari sine fine requirerent, quisnam esset egregius ille dux, punicea cruce, & fulgentibus armis insignis, qui tantam edidisset stragem, ac Mahometanas phalanges Christianorũ paucitati cedere coegisset. Neq; Albuquercius, cœlestis promeriti sese immemorem ostendit. Siquidem pictatis causa, inclusum vermiculati operis auro Scipionem, cum capulo ex pyropis & margaritis, & bombycinum petasum addito aureo gemmatoq; conchylio; itemq; pertusos in linea globos aureos (ea peregrinantis olim Apostoli insignia sunt) in Palmulano Iacobeæ militiæ contubernio (qui locus Olissiponensis agri notissimus est) poni iussit; ac deinde moriens, Compostellano eiusdem Apostoli templo terræ Callaicæ, pensilem ingentis formæ lychnuchum argenteum cum perpetui luminis alimento legauit. Circa quod tempus, quo hęc in India gesta sunt, Emanuel iterum alios duodecim fratres Cæruleos (vt appellant) è Lusitania in Congum, vna cum architectis & fabris, & splendido sacrorum apparatu, & liberali viatico destinauit, vt nouum templum vero Deo extruerent, ornarentque; & erudiendis porro incolis ad pietatem, & augendæ p baptismũ Ecclesiæ sedulo insisterent. Princeps eius legationis ex eadẽ familia fuit Ioannes Marianus, insigni virpietate ac virtute. Omnes ab Alfonso Rege sanctissimo perquam benigne & honorifice recepti: eodemq; Rege vel imprimis adiuuante, per aliquot deinceps annos in Catholica religione promouenda egregie operam posuere. Cumq; ex facta diuini verbi semente aliæ subinde atque aliæ segetes ad messem inalbescerent, supplementum in easdem regiones ab Emanuele sæpius deinde submissum est. *Maphæus lib. 4.*

Goa ab Alphonso Albuquerquio expugnatur.

Emanuel Rex Lusit. architectos ad tẽplum ædificandum in Conchos mittit.

Sub idem tempus Eboræ natus est Emanueli Regi ex vxore Maria filius, quem Alfonsum nominauit, qui sacerdotiis amplissimis ornatus, & in Cardinalium collegium cooptatus, singulare specimen religionis & probitatis, & magnificentiæ præbuit. *Osorius lib. 6.* Per quod ipsum tempus,

XV.

Mariæ

Mariæ soror Catharina, Edouardi Principis Vualiæ relicta, in Anglia morabatur, neq; celebs prorsus, neq; coniux. Henrici soceri Regis Angliæ asperitatẽ & rebus omnibus duritiem æquo animo dissimulans, per eum modum fatagentis extorquere sibi & filiæ coniugia magnopere ab ipso expetita, cum Ioanna Regina Castellæ & Carolo eius filio. Ratio præposteræ & Regibus prorsus indigna, quod accommodatis officiis & blandimentis deberet, velle malo & inconditis actionibus obtinere. Deuorauit illa omnes eas molestias magno & excelso animo; vt quæ patientiæ sibi legẽ indixerat, & facit, & moribus, atq; animi magnitudine, præ cæteris sororibus matris Isabellæ expressam imaginem repræsentaret. Ne ea incommoda diuturna tunc essent, eius Regis breui subsecuta mors effecit, Sabbatho extincti hoc anno 1509. ad XI. Kal. Maii. Eius obitu non multo post pactum iam cum Vualiæ Principe, qui regno à morte patris suscepto Henricus VIII. fuit tandem coaluit, haud felix faustumq; , sed multis potius miseriis obnoxium. Atq; illi quidem secundo in Anglia nubere non placebat, quasi tacita diuinatione imminentes ex eo calamitates præsagiret animus. Sic ad patrem Regem Castellæ Ferdinandum scripsit, orans, obtestansq; , ne eo paciscendo coniugio priuatam ipsius commoditatem votaq; respiceret; sed quod è re sua modo futurum iudicaret. Et erat Regi patri cõmodum in primis eum Principem noua affinitate vinctũ tenere, propter florentes Angliæ opes viresq; Principis indolẽ si ex facie considerare tur, non incomodam. Nequaquam tamen ad spem euentus respondit; at contra breui ea lætitia luxuriauit. Henrico etiam promptum non erat eo loco vxorem alibi inuenire, præter restitutionem dotis necessario futurã, eo dirempto coniugio. Ætate inter ipsos discrepabant, sponsa aliquot annos maiori, magna sæpe beneuolentiæ inter cõiuges labe, frequenter quamuis contempta ratio præsertim inter Principes. Henrici corpus & facies eximia elegãtia fuit; inconditi mores; accedentibus annis in venerem vita soluta. Enimuero ingeni o indulgere quam imperare maluit, seque frangere, plurium Principum exemplo, vsq; dum ab Ecclesiæ imperio & placitis propterea desciuerit, patefacto in ea prouincia hæresibus pestilentibus aditu, quibus misere hodieq; conflictatur. Ita homo amentissimus consiliis omnibus præceps & deuius, superstite dum Catharina coniuge, specie quasi fratri maiori antea coniunctæ Sumus Pontifex sibi nubendi veniam dare non potuisset, ea dimissa, ex qua tamen Mariã filiã susceperat post patris & fratris fata Angliæ deinde Reginam, dixit palam vt Annam Bolenam, & fama erat suam natã, q̃ postea lege de adulteriis conuictam securi subiecit, Elisabethæ matrem posteriori tempore Anglicanam tyrannidem in Catholicos exercentis. Anna occisa Ioannam Semeram sibi iunxit toro, quæ ex partu breui periit: proli tamen incolumi post patrem proxime Angliæ Regi Edouardo VI. nomẽ fuit. Sic in Regiam quartis nuptiis vacuam accessit, Anna Ducis Cleuentis soror. Hanc dimittere cõstituens, quam ob offensam plurimis incertum; sed volens abdicare, vt factum honestatis specie velaret, legẽ promiscue tulit diuinæ aduersam de soluendis coniugiis. Quinta Henrici VIII. vxor Anna Habuarda fuit, & ipsa de adulterio conuicta, eoq; supplicio addicta, & quia delibato antea virginitatis flore ad Regis torum accesserat. Postremo Catarinam Parram viduam duxit. Hoc vt coniugium stabile esset nulla ex eo proles, mors Regis breui consecuta præstitit: quæ prauos conatus, impotentis libidinis licentiam rumpens, gaudium volucre & pestiferũ perpetua ignominia & infamia notauit. Luxuria, pestis blanda, quantas strages facis? Verum de his abunde magis, suis locis. *Mariana lib.29.c.17.* Henricus VII. eius pater, cum prospiceret, sibi in paucos annos vitam superesse, statuit aliqua gratuita liberalitate sui desiderium apud populum relinquere. Itaq; edicto toto regno diuulgato, omnibus pœnam remisit, qui leges generatim violassent. in iis tamẽ esse noluit, neq; homicidas, neq; fures, quod ea facinora non ipsum, sed alterum lęsissent, propter acceptum munus, publice supplicationes pro salute illius decretæ. Ille vero interim morbo iam consumptus, ad XI. Calend. Maii à vita discessit, in sua Richemondia villa. Corpus funerali pompa ad Vuest; monasterium delatum, in sacello quod ipse condiderat, sepulturæ datum fuit. Excelluit ingenio magno, fagaci, & aliteris non alieno, animo excellenti atq; forti, in summis quoq; periculis & naturæ ipsius habitu prope sumo. Res consulto, grauiterque gerebat, quo suæ prudentiæ opinio per hominum animos facilius peruaderet: quippe non ignorabat suam vitam multorum oculis obseruari, ac ob id, Principem oportere tantum aliis sapientia antecedere, quantum potentia præstet. Etenim quis illi quicquam tribuerit, cuius leuitatem expertus est? Erat præterea moderatus, honestus, frugi, comis, benignus, & adeo superbiæ atq; arrogantiæ abhorrens, vt in eiusmodi vitiis notatos durus ac asper esset. Nemo hominum tanta apud eum autoritate fuit, vt vel posset, auderetq; quicquam suo arbitratu agere. Quid, quod ne matri quidem fœminæ prudentissimæ istuc postremo permissum? Et eo se vti instituto dictitabat. quo non imerito Rex diceretur, qui regere, non regi vellet. Iustitiæ seueriss imus custos, qua vna re plebẽ sibi maxime deuinxerat, cum illa vitam ab iniuriis potentiorũ ac perditorum hominum maleficio securam duceret. Atqui cũ ista seueritate, coniuncta existebat misericordia, quam ille læsis facillime impertiebatur. Nam ciues à suis iudicibus diminutos, seu exinanitos, vno vel altero tempore augebat, subleuabatq; , quo sic pennas eis incisas renasci velle se testaretur. Id quod argumentum non dubium erat, eum, sicut ipse aiebat, studio coercendi ferocem populũ inter factiones nutritum, non itẽ cupiditate pecuniæ cogendæ, ea cæpisse vti seueritate; quamq̃ saucii ista non tam seueritatis quam auaritiæ tela esse clamabant. Sane modestus Princeps nõ emungebat suos fortunis imodice, qui regnum rebus omnibus longe locupletissimũ reddidit, reliquitq; : quod planũ præter cætera fecit immanis auri pariter atq; argenti copia, quæ annis singulis in insulam importata est à mercatoribus vltro citroq; cõmeantibus, quos ille sæpenumero pecunia mutua data gratuito iuuabat, vt mercatura ars vna omniũ cunctis æque mortalibus cũ cõmoda, tũ necessaria, in suo regno copiosior esset. Fuit etiam impiger religionis Catholicæ iuxta obseruator ac cultor. Libenter enim rebus diuinis operam dabat, intereratq; dum fiebant; nec vllo negotio, aut tẽpore, ab eo officio excludebatur. Attente audiebat quotidie binas ternasue Missas; & sæpe Concionẽs sacras. Assidue inopibus hominib. eleemosynam dabat, & id quidem in occulto, cũ licebat, iuxta illud Christi Saluatoris præceptũ, vt nesciret eius sinistra manus, quid faceret dextera: illiusq; muneris obeundi causa, domi, ex maiorum instituto, habebat ministrum, quẽ eleemosynarium dicunt. Sacerdotio honorẽ habebat, illudq; pie colebat, libens iuuabat, large augebat: qui templũ ad Vuestmonasterium, & cœnobia tria Franciscanorũ, quos Obseruantes appellant, vnum apud villã suam Richemondiam, alterum Greneuychi, tertiũ Neuuarchi condidit, ac iisdem assignauit totidẽ cœnobia, q̃ familia altera Franciscanorum, qui Conuentuales vulgo nuncupantur, Cantuariæ, Nouicastri, & Suthantoni diu habuerat. Orabat multũ, &, festis præsertim diebus, horas recitabat canonicas. Sed non suis adeo fretus est precibus, quin Sacerdotes cuiusq; Ordinis sui adiutores nõ expeteret. Quos enim integros atq; innocentes esse certo quasi sciret, illius fecreto largitiones faciebat, vt pro se orarent; ac toto passim regno, certis in templis, insta quotannis sibi postq̃ mortem obiisset facienda constituit, ad idq; ex suo mercedẽ paratam voluit, vt cura atq; opera in supplicando diligentius à rerum diuinarũ administris poneretur. Hæc Christiani Principis vita, qui animo ex corporis custodiis liberato duceret alteram esse vitã, & eam quidem multo meliorẽ, ad quam aspiraret. Fecit testamentũ; & primum omnium iussit dari, restitui pecunias, si quæ in ærarium per fiscales iudices, iniustæ delatæ fuissent; deinde domum Hospitalem paulo ante abse co loci, in suburbiis Londinensibus, cui Sauoia nomen est, inchoatã perfici, in camq; inopes hospitio accipi. Hoc mature factũ est; illud vero hominũ mulctam iure vel iniuria irrogatam luxta repetentium importunitas, peruersitasq; impetuit. Vnde cognoscere licet, in eiusmodi rebus pietatis causa distribuendis, esse vniuiq; non aliena, sed sua vtendũ manu. Eius temporibus bonæ literæ Græcæ ac Lat. vt apud Anglos vehementius colerentur, Margarita illius mater, mulier sanctissima, hortatu Ioannis Fischerii Roffensis Episcopi, viri summa doctrina, summa gratia, summa integritate, Cantabrigiæ in loco nobili ac celebri, binas extruxit magnificas ædes, in quibus duo instituit Scholasticorum Collegia; & alterũ quidẽ Christo Salvatori, alterũ Diuo Ioanni Euangelistæ dedicauit, adq; illorũ victum, fundos largiter attribuit. In ea etiã Academia, Ioannes Alcocus Episcopus Elyensis, pater sanctimonia & virtute

Henrici VIII. Regis Angliæ scelera & schisma.

Henr. VII. Regis Angliæ mors & laus.

Anglia scholastica collegia instruit.

clarus, author fuit Collegii, quod Iesu consecrauit, vt eo duce, qui ibi ad bonas colendas disciplinas se darent, non errarent, sed ad veram gloriæ & laudis mercedem accipiendam, quam ille bene semper agentibus promisit, recta via contenderent. Per id quoque tempus, Guilhelmus Smyth Episcopus Lincolniensis Margaritæ exemplo ductus, Oxonii Scholasticorum Collegium collocauit, in aula quam vulgo vocant Brasyn Nose, hoc est æneum nasum, quod eo loci imago ærea facie admodum immani proforibus extet. Item Richardus Vintoniensis Episcopus, tale eiusmodi opus Oxonii effecit, appellauitque Corporis CHRISTI Collegium. Idem etiam virtutis & gloriæ stimulus concitauit Ioannem Coletum Decanum, quem dicunt, Diui Pauli, ad istiusmodi bonas literas propagandi studium. Is partim animi atque mentis virtute, partim vitæ ac morum integritate ornatus, apud suos Anglos alter pene Apostolus Paulus habitus est; quod vt primum ex pueris excessit, ab his artibus quibus ætas puerilis ad humanitatem informatur, se ad diuinarũ literarum studium contulit, & Paulum sibi præceptorem delegit, in eoq; cum Oxonii & Cantabrigiæ, tum in Italia ita exercuit, vt homo factus ad vnguẽ, sicut aiunt, cũ domum rediit, cæperit Londini vbi natus est, Paulinas legere epistolas, & in templis sæpe concionari. Et quoniam non secus docebat quã viuebat, idcirco mirum in modum mortales in eius optimis præceptis acquiescebant. Erat enim homo continentissimus, qui semel in die cibum capiebat, nõ sitiebat honores, non cupiebat opes, non quærebat diuitias, quæ tamen cum fugientẽ secutæ, tandem consecutæ sunt. Is ergo videns plures suos ciues naturæ tantum habitu, cuadere viros graues & modestos, putauit illos multo excellentiores fore, si excolerẽtur doctrina. Quapropter statuit suis sumptibus iuuare pubem Londinensem, ad percipiendam colendamq; doctrinã; posuitq; ad Orientem cæmeterii Paulini magnificam Scholam, ac ludi literarii magistris, ex suis facultatibus, in annos singulos cõstituit, quo illi iuuentutem gratuito omni tempore docerent. *Polydorus histor. Angl. libr. 26.* Hic Coletus in concionibus sæpe pupugit quosdam Theologos, qui semper eundem meditatum sermonem Concioni adferebant, & ex legendis apocryphis notas ac decantatas narrationes sæpius iterabant. Inter hos tum fuit Londinensis Episcopus qui Fitsiames appellabatur, atque hoc odio motus Coletum de hæresi coram Warhamo Episcopo postulabat: quasi imaginum cultum damnaret; deinde cum de verbis Saluatoris nostri ad Apostolum Petrum ter repetitis, *Pasce oues meas*, prædicaret, de hospitalitate nullam mentionem fecisset, sed tertiam pascendi CHRISTI oues rationem alio traduxisset. postremo, quod sermones studio longo præmeditatos reprehenderet. Verum Archiepiscopus, cum huic Londinensis Episcopi accusationi subesse odium, ipsaque accusationis capita inania atque friuola iudicaret, & Coletum ob Theologiæ aliarumq; scientiarum peritiam vnice diligeret, eum iudicio absoluit atq; liberauit. Coletus autem iudicio dimissus, verbum Dei frequentius & ardentius prædicauit. Cumq; ex more, Archiepiscopꝰ designaret quosdam Prædicatores, qui dieb. Dominicis, Mercurii, atq; Veneris in septimanis Quadragesimalibus coram Rege concionarentur, proxima tunc sequenti Quadragesima Coletus die S. Parascheues concionem coram Rege habens docuit, quomodo sub Christi vexillis militandum Christianis fuerit. Eo tempore Rex in Gallos bellum parabat. ac Coletus, cum de sedandis Principum discordiis, Christianisq; à bello reuocandis multa, eaq; mira facundia protulisset, subiunxit, his qui sub Christi vexillis pugnant, Christi humilitatem, non Alexandri aut Iulii Cæsaris, vel similium Imperatorum ferociam esse proponendam. Rex aliquãto turbatus, ac veritus, ne suorum Ducum atq; procerum animos tam disertæ orationis vi à bello in Gallos suscepto auerteret, finita concione eum accersiuit. Id Londinensis Episcopus suiq; assecl æ qui inuisum Coletum habebant, in eam partem interpretabantur, ac si Coletus qui contra Regis sententiam atq; mentem tam acriter prædicaret, veniret Regi in proditionis suspicionem, & Regis iussu ad carceres ex aula duceretur. multisq; in eum dum adhuc cũ Rege loqueretur, petulanter inuecti sunt. At vero præter illorum opinionem Rex Coletũ valde humaniter, comiterq; tractauit, eiq; suum de bello Gallico gerendo consilium & institutum indicauit; non se id sponte, sed lacessitum & coactum, adq; Regni tutelam suscepisse. Proinde, quamuis in concione de Christiana pietate seruanda, & omnis vindictæ cupiditate deponenda eleganter atque pie dixisset, ita vt suum ipsius animum in Gallos hostiliter affectum pene mitigasset: tamen quia hoc bellum necessitatis non voluntatis, nec illatio belli sed Gallicanæ vis atque iniuriæ repulsio quædam esset, rogauit eum vt altera concione se ac aulam suam de bello ad incolumitatem atque defensionem patriæ Christianis suscipiendo eadem orationis facultate qua de humilitate tum docuit, instituret. In quo Coletus non minus Regi officium quam CHRISTO obsequium præstitit. Nam de bello Christianis licito gerendo tanta grauitate atque eloquentia dixit, vt non modo Regem atque proceres ad bellum iam propensos, sed languentes atque timidos contra Gallos inflammarit. Scripsit multa Coletus, quæ Trithemius & Sixtus Senensis recensent. Pestilente tandem sudore tactus, sensit viscerum tabem, & abdicatis omnibus, in Schænum nobile Carthusianorum cœnobium, septimo ab vrbe Londino milliario, vt se ad mortem præpararet secessit: vbi in diuinarum rerum contemplatione, & continuis precibus dissolutionem suam sancte expectauit, & anno ætatis suæ quinquagesimo tertio, die XVI. Septembris in viuis esse desiit anno 1519. mitis, mansuetus, humilis, temperans, sobrius, castus, modestus, affabilis, moribus per omnia candidis & vrbanis; prudens, dexter, facundus, omni vitæ integritate spectabilis, omniumq; virtutum ornamentis conspicuus: in cuius animo altas egisset radices illa sententia Iob; Militia est vita hominis super terram. *Author antiquitatum Ecclesiæ Britannicæ in VVarhamo. Pitseus ætate 16. de Illustribus Angliæ Scriptoribus.*

XVI. *D. Huberti operâ energumeni liberantur.*

Per hos dies Diui HVBERTI Leodiensium Patroni virtus ad eius sepulchrum, quod in Ecclesia Collegiata Sancti PETRI Leodii adhuc hodie in cripta visitur, mirum in modum emicuit. Possessæ erant à dæmonibus duæ sorores ex ciuitate Osnaburgensi in Germania oriundæ, quæ ad Buranum oppidum diœcesis Coloniensis, vbi ad preces meritaque Beatæ ANNÆ Deigenitricis matris dæmonia ab energumenis pelli solent, adductæ fuerant. Cum ergo illic dæmones exorcismis, precibusque Ecclesiæ non sine tormentis è puellis excedere cogerentur, flagra vlteriora deprecati, magno cum vlulatu professi sunt se nonnisi ad sepulchrum Sancti HVBERTI, quod in veteri cripta Ecclesiæ Sancti Petri Leodiensis situm est, egressuros. Itaque puellæ Leodium ad Diui PETRI templum adductæ, quamprimum ab exorcistis istis sanatæ, & à malignis spiritibus liberatæ fuerunt: illis non tantum Diui HVBERTI virtutem, sed & reliquias diuersorum Sanctorum quæ in criptæ scrobibus & aliis murorum latibulis ab Hunnorum temporibus absconsæ fuerant publicantibus. Cuius rei fama lata peruagata, cuiuscumque nationis Lunaticos, & ab immundis spiritibus vexatos exciuit; qui omnes ad maiorem DEI, sanctíque Huberti ac aliorum Sanctorum, quorum reliquiæ illic coluntur gloriam, sanati fuerunt. *Ioannes Chapeauillus in Eryardo Episcopo Leodiensi.*

B. Maria apud Heluetios Abbatiam à flammis seruat.

Hoc anno, cum totum Heremi Beatæ MARIÆ apud Heluetios vicum flamma fortuito excitata absumpsisset, Beata Virgo Abbatiam, & nonnullas iuxta ædes, sacramque supellectilem mirabiliter seruauit. Ferunt Abbatem CVNRADVM, igne maxima sæviente, in sacellum Deiparæ ingressum, ad aram Virginis preces calidissimas effudisse, mox, finita oratione, elata voce, Deiparam compellasse, præsenti exitio Monasterium, & quæ in eo erant eripere dignaretur: ad ipsam omnia pertinere, & quicquid perierit, ipsi periturum esse. Inde sacello egressum, curare cetera ceteros iussisse, sibi Abbatiam, & suas circa ædes tutas, & securas affirmasse. Quod, vt diximus, euenit omnibus reliquis ædificiis flamma corruptis, præterquam Abbatis palatium, & quatuor Monachorum Capitularium iuxta sitas ædes, postremo & Capellanorum, quæ extra Monasterium erant, domibus ab ea clade ereptis. *Hartmannus in annalibus Heremi Deiparæ matris.*

Io. Comes Palat. moritur.

Eodem anno mortuus est Ioannes Comes Palatinus Rheni Dux Bauariæ, princeps optimus, deuotus, amator pacis, iustus, rectus, & humanissimus, qui pacem & concordiam reformauit vbicunq; potuit inter dissidentes, nec vllis propterea vel expensis pepercit, vel laboribus; denique sibi subiectos, pauperes simul & diuites tanta prudentia gubernauit, tantaque securitate tutatus est, vt similem in toto non haberet imperio. Accedentes ad se subditos summa cum pietate audiuit. consilium & auxilium singulis cum magna liberalitate semper impendit. pauperes suos nunquam molestauit in aliquo, sed eos, quos exhaurire bonis aut seruitiis etiam iuste aliquando potuit, minime grauari ab aliquo permisit. Monasteriis & religiosis personis semper pius defensor & tutor extitit, quos neq; precariis, neque seruitutibus aut exactionibus vnquam grauauit. Natura mitissimus fuit, & propterea dilectus erat ab omnibus. *Trithemius in Chron. Sponheim.*

Constantinopoli terræmotus fit.

Hoc anno, decima quarta Septembris, terræmotus grauissimis diebus decem & octo continuis, murum Constantinopolitanæ Vrbis, qua parte mare spectat, cum omnibus adiacentibus domibus disiecit, fossarumq; ruderibus impleuit, ac terræ æquauit. Arcem in qua gazophylacium Imperatoris quinq; turribus munitissimis custodiebatur, & insignis domus, qua leones tamquam in vinario nutriebantur, destruxit. Cuniculos, qui per montes ac longa itinera è Danubio aquas in vrbem euehebant, maximis & laboribus, & impensis fabricatos, concussit. Sinus autẽ maris inter Constantinopolim & Peram violentia terræmotus adeo infremuit, vt in vtramq; ciuitatem mare vltra muros aquam iniiceret. Domus tributaria iuxta muros Constantinopolis in mare tota decidit, vt nullum illic appareret vestigium. Maxima item pars turris plumbeæ in Pera corruit. In Callipoli munitissima arx penitus rupta est, nec vlla domus integra mansit, totamq; Græciam ad Danubium vsq; hic terræmotus longe lateque peruagatus est. Feruntur, Constantinopoli tredecim millia hominum interiisse. Mirum hic illud, cum rueret sepulchrũ Mahometi patris Baiazeti, maximis extructũ impensis, multaq; Turcorum Meschitæ collaberentur, Christianorum tamen templa illæsa mansserunt, ingensq; illa Sophiæ ædes nihil mali sensit, præter turrim à Turcis post captam vrbem templo in fine ornatus gratia annexam, quæ tota præcipitata periit. Sed & terræmotu illo calx & cementum, quo Beatorum imagines post captiuitatem vrbis coopertæ fuerant, ita separatim ab imaginibus ceciderunt, quasi arte noua iam primum suo splendori essent restitutæ. *Cuspinian. Leonclauius, & auctor hist. GræcoTurc. Surius in Commentar. huius anni.*

Albuquercii Classi caduer mire adhæret.

Hoc anno mirũ quiddam Lusitanis in India accidit. Classe Albuquercii ProRegis intra fauces Erithreas cõstituta, vel ex intẽperie cœli, vel ex insalubrium ciborũ succo atrox morbus nauale turbam inuasit. Vulgo inter lusum, vel quotidiana ministeria repẽte expirabãt. In iis miles vnus in mare proiectus, ingentem terrorẽ omnib. attulit; noctu quippe infra sentinã, pulsus frequentes exaudiri cæpti: quẽ ad strepitum cum arrepta scala vigiles descendissent, implexũ carinæ sub ipso gubernaculo defuncti militis corpus offendũt. Scil. cunctis pilus inhorruit. Vbi ex pauore collegere sese, res ad nauarchũ delata: nec dubium fuit quin cadauer translatũ in littus humo cõtegerẽt. quo facto, postridie super ipsum sepulchrũ inhumatus apparuit. Ea re attoniti cuncti, cum apud se causam exquirerent, Franciscꝰ deniq; incertũ ex qua familia monachus, qui cõcionatoris munere fungebatur, sagaci coniectura suspicatus est hominem aliquo interdicti vel anathematis vinculo constrictũ è vita discessisse. Itaq; in terrã egressus, sanctiss. viri Benedicti Abbat. exẽplo è Pontificia formula cõceptis verbis animũ demortui rite expiauit, eiq; veniam precatꝰ est. Mirũ dictu. Ab eo mysterio reddita mortuo pax, & vaga ossa tandẽ in suo tumulo quieuere. *Pet. Maff. hi. Ind. l. 5.*

ANNO CHRISTI M. D. X. IVLII PAPAE II. ANNO 7. ET 8. MAXIMILIANI ROM. REGIS ANNO 25.

I. *Veneti pro bello tollẽdo duos legatos ad*

VEneti, omnium fere Principum Christianorum armis petiti, cum grauiora metuerent, duos Oratores, Aloysium Mocenicum, & Ioannem Cornelium ad Cæsarem in Germaniam miserant, pro bello, honestis, si potuissent, aliquibus conditionibus tollendo. Ab illo reiecti, & ad Pontificem, quem vti pium, æquissimumque Christianorum Principem placare sperabant, conuersi, sex item Oratores, viros amplissimos destinarant, Dominicum Trituſanum, Hieronymum Donatum, Paulum Pisonem, Aloysium Maripetrum, Leonardum Mocenicum, & Paulum Capellium, qui ab illo anathematis absolutionem, & sacrorum restitutionem publico nomine impetrarent. Inter hæc Principum aduersus illos confœderatorum animi grauissimis curis angebantur. ac præsertim Maximiliani Romanorum Regis, qui quanam ratione de illis victoriam reportare posset, non ineuniens, & res suas, vt solebat, ex vnis in alia Comitia transferens, Conuentum Augustæ Vindelicorum indixerat: & summo Pontifici, quia Imperii Septem-Viri eius authoritate moti, vt in Comitiis prius de pace cum Venetis ineunda, quã de belli apparatibus ageretur instabant, iratus, Pisaurensem Episcopum eius Nuncium Augusta discedere iusserat: & Comitiorum deliberationes, incertas, tardas, atq; difficiles esse, imo vnius Conuentus finem, alterius initium parere: & Galliæ Regem, ad Cæsaris postulata modo tempestatis asperitatem afferentem, modo certum in sumptus quos faceret pignus petentem, modo se Cameracensi fœdere nequaquam solum ad eum iuuandum, sed Pontificem quoque & Aragoniæ Peram tenerí; cum quibus vt commune erat fœdus, atq; obligatio, sic quoq; æquum esse, vt res omnes communibus pariter auxiliis gererentur commemorantem, varias excusationes adferre animaduertens, nullam rebus suis certiorem fore salutem sperabat, censebatq; quam Galliæ Regem ad Patauii, Vicentiæ, ac Tauriſi oppugnationem propriis viribus æqua remuneratione accepta suscipiendam impellere: quæ res in Regio senatu multis, qui Regẽ donec Veneti prorsus à continentis imperio excluderentur, semper in cõtinuis sumptibus atq; periculis futurum cogitantes, eum ad se magno semper sumptu eo metu liberandum hortabantur, probabantur. neq; Rex ab hoc consilio eadem ratione motus prorsus erat alienus. Idcirco quum vt ipsemet in Italiam cum valido exercitu transiret inclinaret; & nihilominus aliis rationibus in diuersam sententiam distractus, animi dubius erat; & consueto etiam magis confusus. quia Cardinalis Rhotomagensis, vir acer & magni animi, longo, grauiq; morbo oppressus, negotia quæ eius consilio ad exitum perduci solebant, non amplius curabat: Regem natura à sumptibus valde alienum, & Veronæ adipiscendæ ardens cupiditas retrahebant: ad quod efficiendum Romanorum Regem perpetuis molestiis implicari satius esse ducebat, & opportune tunc quum Cæsar Germanis militibus qui in eius vrbis præsidio erant stipendia persoluere non posset, Rex illi decem & octo aureorum nummum millia iterum mutuo dederat, & se ad quinquaginta millia vsq; daturum promiserat: ea tamen lege, vt non modo Citadellam pignoris loco obtineret, verum etiam Castellum vetus, eiq; proximam vrbis portam, vt ingressum atq; exitum liberum haberet, ea conditione, vt nisi ea pecunia intra annum restitueretur, Vallegium oppidum in perpetuum gubernaret, eiusq; & Citadellæ Cæsaris sumptibus muniendæ facultatem haberet. Hæc Regis animum ancipitem reddebant: sed multo magis ne Pontificem, si nouum in Italiam exercitum vel duceret, vel mitteret, prorsus à se abalienaret, metus cum retinebat. quoniam Pontifex suspicione plenus, & Veronæ dominatum ab illo occupari ægre ferens. præterquam quod ad Venetos à censuris liberandos semper propendebat, omnem operam vt sibi Heluetios adiungeret, adhibebat. Quocirca Matthiam Sedunensem Episcopum cum pecuniis quas ei genti largiretur, & sacra purpura illi promissa in patriam remiserat: & Angliæ Regis animum à Galliæ Rege alienare diligentissime nitebatur: qui etsi à patre morti propinquo, vt tranquillitatis securitatisq; suæ gratiæ amicitiam, quamobrem quotannis quingentæ auri libræ ei pendebantur, cum Galliæ Regno conseruaret, præceptum accepisset; nihilominus ætatis feruore, atque ingenti pecunia à patre relicta fretus, eorum consilia qui rerum nouarum cupidi, & odio quo plerumq; illa gens in Gallicum nomen accensa fertur concitati, eum ad bellum hortabantur, minime minoris quam patris prudentiam exemplumq;, qui cum Gallis dissidia fouens, quamuis ad nouum perturbatissimumq; regnum assumptus esset, id tamen maxima cum suorum obedientia, ac tranquillitate gubernarat, fa-

Cæsarem mittunt. rejiciun.

cere videbatur. Quæ res cum Galliæ Regis animũ vehementer angeret, qui vt Italiæ rebus propius prospiceret, Lugdunum se contulerat, ac veritus, ne suus in Italiam aduentus, quẽ nunc se contulerat, ac veritus, ne suus in Italiam aduentus, quẽ Pontifex palam detestabatur, eius opera res nouas excitaret, Aragoniæ quoq; Rege eam profectionẽ dissuadente, quamuis se velut amicũ & communis tranquillitatis studiosum dissuadere simularet, nullũ certiùs præsentiusq; in iis tantis difficultatibus, quibus animus eius vndiq; premebatur remediũ inuenit, quam vt omni studio atq; diligentia Pontificis animum ita mitigare niteretur, vt saltem sibi illum inimicum atque aduersum non fore certus esset. cui rei occasio latis commoda sese offerre videbatur. Nam Rothomagensis Cardinalis morte, cuius ægritudo tam grauis erat, vt eum diu in vita futurum sperari non posset, illam suspicionem, ex qua præcipue eius alienationem ortam homines existimabant, sublatum iri credebat. Et quia Rex Auscium Cardinalem Rothomagensis nepotem, & reliquos qui sua negotia in Romana Curia procurabant, Pontificis mentem temere verbis atque factis potius irritasse, quam vt opus erat mitigasse nouerat; quum illorum opera amplius vti nollet, Albertum Pium Carpensem Comitem, magni ingenii atq; industriæ virum per dispositos equos Romam cum amplissimis mandatis misit; non modo vt ei quocumq; casu, vel vbi vellet Regis vires, atq; autoritatem polliceretur, vtq; cum eo sic ageret, eum sic respiceret tractaretq;, vt ad eius voluntatem naturamq; sese accommodaret, sed etiam vt omnium rerum quæ agerentur statum, & Romanorum Regis postulata sincere cum eo communicaret: præterea sibine in Italiam veniendum, vel non veniendum esset; promptius an lentius Cæsaris res iuuare deberet, omnia in eius arbitrio poneret & potestate. Eidem tamen vt Venetos ab interdicto liberari dissuaderet mandatum fuit. Sed id ante eius aduentum iam à Pontifice, præuidente Galli Regis ingenium proferendi imperii maximè auidum, & Italiæ totius ditionis cupidum, fuerat constitutum atq; promissum. maxime quia Veneti postquam inter delegatos à Pontifice viros & ipsorum Oratores, multos menses disputatum esset, in eas conditiones in quibus controuersia erat consenserant; neque enim salutis suæ aliam rationem quam vt cum illo coniungerentur videbant: in hoc summopere laudandi, quod à Baiasite Turcarum Imperatore vltro oblata subsidia contempsissent. Leges igitur quibus à censuris eximendi erant, Venetis Oratoribus præsentibus & Reipublicæ mandato, legitime riteq; confecto confirmantibus, in Sacro Cardinalium Senatu quarta & vigesima Februarii die in hanc sententiam sunt lectæ.

Veneti Leges à Pontifice imponuntur.

Veneti Sacerdotia, sacrasue dignitates nemini tribuunto, vel quouis modo concedunto.

Quicquid de eis in Curia Romana statutum decretumue fuerit, nulla interposita difficultate, moraue, ratum, firmumq; habento.

Beneficiorum causas aliae ad eandam Curiam spectantia, quo minus in ea agitentur, ne prohibento.

Decumæ aliaue onera Ecclesiarum bonis, locisue à ciuili potestate exemptis, ne imponunto.

Prouocationi contra Pontificis censuram, omniq; iuri quouis modo in Pontificii imperii oppida parto, & nominatim Vicedomini Ferrariæ habendi potestati, renuncianto.

Pontificio Imperio subiectis eorumq; nauibus Adriani sinus nauigationem liberam permittunto: eamq; tam ampla cum facultate vt etiam aliarum gentium merces nauibus illorum vectæ, molestiis ne afficiantur, neq; ad vectigal soluendum cogantur.

Nulla ratione se Ferrarien sibus negotiis, vel eius ditionis oppidis ex Pontificio imperio pendentibus immiscento.

Omnia pacta in Pontificii Imperii fraudem, cum aliquo Pontificatus beneficiario, vel subiecto facta, nullius momenti sunto.

Duces, proceres, aliosue Pontificiæ ditioni obnoxios vel beneficiarios, Sacrosanctæ Sedis perduelles hostesue nullos admittunto.

Omnem pecuniam ex sacris vectigalibus exactam restituunto, & Ecclesiis omnia detrimenta illata sarciunto.

II. *Veneti Legati à Pontifice recipiuntur.*

His obligationibus, promissis, cessionibus in Senatu acceptis, Veneti Legati, constituto die, vetera exempla secuti, in Diui PETRI Basilicæ porticum venerunt, ibique ad Pontificis pedes, qui prope æneas portas in Pontificia sella omnibus purpuratis & innumeris Antistitibus præsentibus sedebat, humi prostrati, contumaciam erratáque sua confitentes, demississime veniam flagitarunt. Deinde nonnullis precibus de more recitatis, consuetisque solennibus peractis cerimoniis, Pontifex illos in gratiam recipiens, censuris diriſque liberauit: eisque satisfactionis gratia vt septem augustissima vrbis templa adirent iniunxit. His peractis à Summo Pœnitentium Magistro in Diui PETRI Basilicam introducti sunt, vbi sacris quibus antea illis interdictum erat auditis, honorifice non iam vt execrati sacrisne exclusi, sed vt vere Christiani, & Sacrosanctæ Sedis pii filii ab Antistitibus, aliisque compluribus ad suas ædes deducti fuerunt: ac paulo post Hieronymo Donato è Venetis Oratoribus vno, excellenti doctrina viro Romæ relicto, qui suis præclaris virtutibus, ingeniique facilitate summo Pontifici acceptissimus, in iis rebus quæ post cum ipso agenda fuerant, patriæ suæ plurimum profuit, Venetias redierunt. Cæsar, ob Venetos tanta cum Pontificis constantia sacris restitutos, ad quem ea res maxime spectabat, vehementer est commotus. Sed haud multo minus Galliæ Rex, vt qui suo ipsius commodo, Venetorum potentiam suscitari minime cuperet: nec tamen qui Pontifici finis propositus esset satis animaduertebat: sed vana spe in eis difficultatibus quæ ipsi parabantur enutritus, Pontificem suæ cum Cæsare societatis suspicione moueri opinabatur: quod si cunctando cum eo progrederetur, nec maioris suspicionis occasionem daret, cum absolutione contentum haud vlterius processurum sperabat. Verum Pontifex indies magis in sua sententia confirmatus, Ecclesiæ beneficiariis subditisque, sociorum Oratoribus maxime repugnantibus, concessit, vt Venetorum stipendiis militarent: qui Ioannem Paulum Ballionem, suarum copiarum, quæ Comitis Pitiliani obitu Imperatore carebant, ducem constituerunt: & Ioannem Aloisium, Ioannemque Vitellios, olim Ioanni & Camilli filios conduxerunt: ac Rentium Ceritem pedestribus copiis omnibus præfecerunt: Venetorumque patrocinio ita aperte suscepto, eorum cum Cæsare concordiam procurabat, sperans se hac ratione eum non modo à Galliæ Rege abalienaturum, sed sibi & Venetis coniunctum vna ipli bellum illaturum. Quæ res quo facilius Cæsaris egestate succederet, suam cum Imperii Principibus, ac liberis ciuitatibus, ne ei in Augustanis Comitiis aliquid subsidii decerneretur, interponebat autoritatem. Quo autem id negotium magis agebatur, eo durius difficiliusque reperiebatur. Cæsar enim nullam, nisi Veronam retineret, concordiam admittebat: Veneti vero in quibus Pontifex maiorem facilitatem fore sperauerat, cum se Patauium in quauis fortuna defensuros, eamque vrbem tum tuerentur, multas sibi à tempore occasiones datum iri pollicerentur, Veronæ restitutionem maxima pecuniæ vi oblata, obstinato animo poscebant. Nec vero Pontifex Angliæ Regem ad bellum Galliæ inferendum impellere desinebat, veterum inter ea regna discordiarum memoria renouata, felicissimorumque euentuum occasione demonstrata. Si enim arma aduersus Regem sumeret, multos præterea, quibus eius potentia aut suspecta aut inuisa esset sumpturos; eumq; hortari, vt Pontificiæ Sedis, quæ alioqui Galliæ Regis ambitione in aperto discrimine versaretur, protectoris & conseruatoris oblatam gloriam, ea religione quæ propria Angliæ Regum fuerat complecteretur. ad quam rem eadem ratione Aragoniæ Regem, sed valde clam, hortabatur. Quod autem maioris erat ponderis, Pontifex negotio quod cum Heluetiis per Sedunensem, cuius apud eam gentem autoritas maxima erat, agi cœptum fuerat; qui tum in publicis conuentibus, tum in templis, ad hoc summa eloquentia orare & concionari non desinebat minime intermisso, tandem vt Heluetii mille in singulos Pagos quotannis Rhenensium aureorum accepto stipendio, ipsum & Pontificatus ditionem tuendam susciperent, consecutus erat: ita vt liceret ei inter ipsos certum militum numerum ad sui tutelam stipendio conducere: quæ res faciliorem illi inter ipsos & Galliæ Regem iam gliscentem discordiam reddiderat. Heluetii enim communi hominum de se opinione elati, cum victorias quibus ipse proximeque Rex Carolus in Italia potiti fuerant, præcipue ab ipsorum virtute, suorumque armorum terrore profectas, seque eam ob causam de Galliæ regno non parum meritos existimarent, à Rege fœdus innouare petente, sibi pensiones sexaginta millium Francicorum in singulos

Pontifex Anglum contra Gallum concitat.

annos,

annos, à Rege Ludouico XI. cæpta, & ad ea vsque tempora perducta, præter eas quæ clam multis priuatis dabantur, augeri postulauerant. quæ cum audacius flagitarent, Rex eorum insolentia, & quod à rusticis & montanis hominibus (hæc enim eius erant verba) sibi adeo imperiose tributum imponeretur motus, magis ea Regia dignitate, quam ex præsenti ratione, verbis iracundis eos reprimere, ac fere contemnere cœpit. ad quod maiore animo accendebatur, quod eodem tempore Vallesii Seduncnsibus subiecti, qui septem communitatibus, quæ ab ipsis Curiæ nuncupantur, gubernantur, Georgii Supersaxi opera, priuatim ac publice, largitionibus pensionumque pollicitationibus capti, secum fœdus iniuerant, ea conditione, vt Regiis copiis per eorum agros transitum concederent, hostium prohiberent, eiusque stipendio tantum peditum numerum, quantum suppeditare possent, darent. eodemq; modo trium fœderum Domini, qui Rheti appellantur, cum eo pacti fuerant. Et quamuis Vallesiorum vna pars nondum has conditiones comprobasset, Rex iisdem artibus illos ad comprobandum adduci posse sperabat: quo fiebat, vt sibi Heluetiorum amicitiam non iam adeo necessariam esse putaret; cum præter Vallesiorum Rhetorumque copias, Germanos quoque pedites conducere decreuisset: eorumque motus, quod ipsos Mediolanense Imperium nisi per Bellizonæ fines, aliasq; valde angustas vias, in quibus multi à paucis facile commeatu priuari, paucique à paucis repelli possent, parui faciens inuadere posse non existimabat. Cumque obstinato animo pensiones augere nollet, in Heluetiorum conuentibus de fœdere renouando, etsi plerique ad quos priuatim maxima emolumenta peruenirent, ad id hortarentur, nihil obtinebatur: eamque ob causam facilius in fœdus à Pontifice postulatum consenserunt. Hoc nouo icto fœdere, cum se magna ad sua consilia fundamenta iecisse arbitrarentur, cumque in rebus omnibus sua natura ita se gereret, quasi omnibus superior, omnesque necessitate compulsi à se leges accipere deberent, contra Alfonsum Ferrariensium Ducem mouendum esse duxit. Causæ erant; quod Alfonsus ingentibus beneficiis & honoribus à sede Apostolica acceptis, potius Gallorum Regi quam sibi adhæreret: Comaclii, cum incommodo vectigalium Pontificiorum, quæ Romanæ Ecclesiæ ex Pontificiis Salinis ad Ceruiam prouenichant, conficeret; ac præterea è mercibus quæ secundo Pado Venetias vehebantur, noua portoria exigeret. Et quidem Pontifex illum Romam ad dicendam causam euocauerat: vtque præsertim vt à Sale conficiendo desisteret mandauerat; non æquum esse ostendens, vt quod Venetis Ceruiam possidentibus ei non licuerat, sacrosancta sede, cuius directum Ferrariæ Comacliique ius esset, eandem possidente liceret, quæ res magni emolumenti esset, propterea quod ex Ceruiæ Salinis, dum Comaclii non conficerentur, sal in multas vicinas ciuitates diffunderetur. At vero ALFONSVS magis Regiæ necessitudini ac tutelæ fidebat, quam Pontificis vires extimescebat. cumque se à colligendo fructu qui in propria domo paruo labore nascerentur prohiberi, imo ad id ab aliis suorum vsum emendum cogi, quo poterat exteras regiones implere, quereretur: nec id quod à Venetis, non iure sed armis coactus passus erat, in exemplum trahi debere diceret, huic mandato parere recusabat. qua de causa Pontifex iterum misit, qui grauii denunciata pœna, censuraque imperaret, ab incepto desisteret: ac obtemperare recusantem lege maiestatis damnauit. Vexilliferi dignitate ac Ferrarien. Principatus, quem beneficio Ecclesiæ Romanæ obtinebat, iure decidisse. Hæc erant Pontificis ad Venetos subleuandos toto animo intenti consilia & opera. At ex altera parte Romanorum Gallorumque Reges æque eorum depressionis cupidi, ac quæ in eorum gratiam Pontifex agitabat molestè ferentes, coque magis coniuncti constituerunt, ea æstate magnis viribus Venetos inuadere; sic vt Gallorum Rex ab vna parte Ciamontium cum valido exercitu, cui Germanicæ copiæ quæ Veronæ erant coniungerentur mitteret; ab altera parte Cæsar copiis quas Augustanis comitiis ab Imperio sperabat Forumiulii ingrederetur. quo occupato, ad alia, prout tempus & occasio ferrent progrederentur: ad quod Pontificem quasi Cameracensi fœdere obstrictum, armis cum ipsis conspiraret, postularunt. Is autem cui id summopere molestum esset, se eo fœdere quod iam expletum esset, cum in Cæsaris potestate fuerit Taurisum prius, deinde pecuniæ compensationem habere, non teneri aperte respondit. Simili quoque modo Maximilianus à Rege Catholico ex eadem Cameracensi pactione, & ex peculiari secum eo tempore facta quo ei in Castellæ administrationem assensus est, subsidia flagitabat. eo tamen rogato se pecunia potius quam copiis iuuaret: ille vero cum non ea re qua plus indigeret eum iuuare decreuisset, quadringentos equites, quod auxilium Cæsari parum vtile erat, se missurum promisit. In Gallico enim æque ac Cæsariano exercitu equitatus abundabat. Quo tempore, cum vrbs Verona à præfidiariis militibus, propterea quod illis stipendia non soluerentur, magnopere vexaretur, Venetorum copiæ à nonnullis ducibus clam accersitæ, SanBonifacio digressæ vt Diui Petri arcem scalis ingrederentur, noctu vrbi appropinquarunt, & Georgiana porta ingressi, vbi dum vt scalas quæ singulæ per se muri altitudinem non æquabant vna coniungerentur morantur, siue ab arcis Felicianæ custodibus auditi, siue vano stre pitus terrore perculsi, relictis scalis recesserunt, exercitusque ad SanBonifacium reuersus est: Veronæ autem patefacta coniuratione multi pœnas dederunt. Quo eodem tempore Pontificis animus non sponte, sed timore impulsus, eo quod Maximilianus ab eo arroganter ducenta ducatorum millia mutuo peteret, minatus se alioqui cum Gallorum Rege aduersus eum coniunctum iri, ad redintegrandam cum Galliæ Rege coniunctionem inclinabat. & quia fama erat, in Augustano conuentu magna Cæsari auxilia decernẽda fore, denuoq; inter Angliæ & Galliæ Reges facta, ac magna solennitate promulgata pax erat; ideo diligentius cum Alberto Carpensi, quem ad eum vsq; diem verbis & spe produxerat, tractare cæpit. Sed non diu in hac sententia permansit. Conuctus enim, sine cuius viribus Cæsaris minæ parui fiebant, expectationi cum minime paria faceret, nullum aliud nisi trecentorum millium Rhenensium aureorum, cuius pecuniæ spe multos iam sumptus fecerat, illi subsidium decreuerunt: ab Angliæ autem Rege in pacificatione eam conditionem expressam esse, quoties Galliæ Rex Pontificiam ditionem læderet, tota pacis ratio corruisse intelligeretur, ei significatũ fuit. Quibus ex rebus resumpto animo, & ad prima consilia reuersus, nouas in Ferrariæ Ducem quærimonias adiunxit. Is enim Dux Adriæ sinu liberato, mercibus quæ Pado flumine Venetias vehebantur, noua vt diximus imposuerat vectigalia. quæ cum Pontifex à beneficiario absq; fundi Domini permissu, ex legum præscripto imponi posse negaret; præsertim cum in Bononiensium, qui eius parerent imperio detrimentum, vt tollerentur, additis armorum minis instabat; suasq; copias, quo maiorem ei terrorem incuteret, in Bononiensem agrum, Æmiliamq; transmisit. Regis animum hæc maxime perturbabant. Hinc enim cum Pontifice inimicitias fouere ei molestissimum erat; illinc Ferrariensium Ducis, ad cuius patrocinium triginta ducatorum millibus acceptis obstrictus erat, deserti infamia, nec minus propriæ vtilitatis ratione mouebatur. Cum enim Alfonsus prorsus ex ipso penderet, eiusq; in Regem propensio, quo magis se à Pontifice vexari videret, eo augeretur magis; cumq; eius regio ad Longobardiæ res valde esset opportuna, ipsius salutem sua interesse ducebat. Ideo de concordia inter eos aliquo modo concilianda cum Pontifice agebat: Pontifici autem, vt Rex se ab eius defensione remoueret æquum videbatur, quam aduersus Cameracenses conditiones susceptam aiebat: quibus eorum quæ de Pontificatu erepta fuerant restitutionis prætextu factis, ne quis fœderatorum eius qui ab altero nominaretur patrocinium sumeret, interdicebatur: à se vero Ferrariensem nominatum esse. Præterea etiam, ne quis se rebus ad Pontificium ius spectantibus interponeret, idem quoq; peculiari inter ipsos Abiate inito fœdere confirmari; quo expresse, ne Rex cuiusquam eorum qui ex Pontificatu penderet patrocinium retineret, inposterumue susciperet; ac præterea omnia quæ antea suscepisset, aboleret, cauebatur. ad quæ etsi Regis nomine responderetur, eadem pactione contineri, vt Episcopatus Cisalpini ad Regis arbitrium tribuerentur, quod à Pontifice in primo vacante violatũ esset, eundem in Venetorum gratiam contra Cameracensis fœderis

capita feciſſe: his de cauſis ſibi quoq; promiſſa non facere fas eſſe: tamen ne Ferrarienſis cauſa ſibi cum Pontifice ad arma veniendum eſſet, conditiones quibus eius dignitate non omnino nec directo imminuta, Pontifici in iis quæ ad ipſius Pontificatus ue iura in Alfonſum pertinerent maiori ex parte ſatisfieret; præterea petitioni à Pontifice factæ ne Galli cæ copiæ flumen Padum, niſi quatenus ad Florentinorum defenſionem, aut ad Pandulfum Petrucium & Ioannem Paulum Ballionem infeſtandum pecuniæ ab altero promiſſæ, ab altero intereceptæ nomine teneretur, traiicerent, aſſentiri haud renuebat. Nouas deinde cum eo pactiones facere minime repugnabat, & Cameracenſis fœderis legibus, quibus ne cui fœderatorum ſe rebus ad Pontificatus iura ſpectãtibus immiſcere liceret exprimebatur retentis, illud interponeretur, Pontifici quantum ad vectigalia ſalemq; pertineret in Ducem agere liceret, (huc enim tantum Pontificis putabat Rex conſilia ſpectare) Ducis patrocinium ſic interpretatus, vt hoc pacto quaſi iure fieri poſſe videretur. Sed aliorſum Pontifex reſpiciebat: nimirum vt Venetis pacem conciliaret, & quietem Italiæ renouaret. Eam cum Rex turbare videretur, ac manifeſto cum Cæſare in Venetos conſpiraret, eosque miſſis militibus inuaderet; huic autem Alfonſus cum ducentis equitibus grauis, & quingẽtis leuis armaturæ, duobuſq; peditum millibus ſeſe adiungens, Rhodiginam Polineſum, turrim Marcheſatiam, Caſtellobaldum, Montanianam & Ateſte oppida de Venetis eripuiſſet; abſque vlla conditione vel exceptione, ſimpliciter & abſolute Ferrarienſium Ducis defereret patrocinium aperte poſtulabat. Cum vero Rex nimiam in ſe inde infamiam redundaturam ei perſuadere conaretur, reſpondit, ſe, ſi Rex hoc recuſaret, cum eo nolle conuenire; nec tamen ei aduerſarium eſſe, ſed ab omni obligatione liberum, vt Pontificiam ditionem tranquille tueretur operam daturum; de Ferrarienſium Ducis grauius quam vnquam antea quæſtus, quod à ſuis amicis, vt à Sale conficiendo abſtineret admonitus, ſe id conſilium, quod Imperii iuri ad quod Comaclium directo pertinere dicebat, derogaret, (cum tamen reuera haud ita eſſet) ſequi non poſſe reſponderat. Hinc enim Pontifex parum placabilibus in Alfonſum animi ſignis oſtenſis, cum iam arma moueroin animo haberet, cenſuris eum perſequi pergebat: quarum cauſas vt iuſtas eſſe comprobaret, operam dabat. præcipue cum, vt oſtendebat, inter Pontificiæ Curiæ ſcripta, Pontificum priuilegii monumenta reperiſſet, quibus Ateſtinæ familiæ Comaclium attribuebatur. Hæc erant publica Pontificis acta; verum clam multo maiores motus meditari ſuſpicio erat. Se enim, quod cum Heluetiis amicitiam iniiſſet; quod Venetos à ſe ſtantes, ac ſuis nutibus obſequentes haberet; quod Aragoniæ Regem aut eodem ſpectare, aut ſaltem non ſyncere Gallorum Regi coniunctum videret, Cæſaris vires autoritatemq; adeo tenuem, vt timendi cauſam nullam haberet, nec penitus de Angliæ Rege concitando deſperaret, optima rebus ſuis ſe fundamenta feciſſe arbitratrus; quærelis ac minis in Galliæ Regem ac Ferrarienſium Principem palam multiplicatis, die feſto Diui Petri, quo veteri conſuetudine cenſus ſacroſanctæ ſedi penduntur, à Ferrarienſi cenſum accipere recuſauit: Alexandri VI. conceſſionem, qua in filiæ matrimonio ex quatuor ducatorum millibus, ad centum modo annuum cenſum reuocarat, quod in eius eſſet ſedis detrimentum, nullam vim habere affirmans; eodemque die, cum antea Cardinali Auſcenſi, cæterisq; Gallis Cardinalibus in Galliam redeundi poteſtatem negaſſet (Rex enim Pontificis in Alfonſum ſeueritatem ægre ferens, vindicandi ardore Gallicos Cardinales, & qui Sacerdotia obtinebant in Gallia, continuo Roma diſcedere per edictum mandauerat, niſi parerent, atque ſinguli ſuas Eccleſias inuiſerent, ac per ſe regerent, annuorum vectigalium mulctam comminatus) audiſſetque Auſcenſem, cum canibus & retibus venatum prodiiſſe, ne clam diſcederet veritus, miſſis qui eum caperent, in mole Adriani captiuum tenuit. Itaque iam ſe aperte Gallorum Regis hoſtem profeſſus, eamque ob cauſam ad maiora firmamenta comparanda compulſus, Regi Catholico Neapolitani Regni poſſeſſionem eodem cenſu, quo Aragonii Reges obtinuerant, cum antea, niſi quadringentas octuaginta auri libras, quo cenſu Galli Reges poſſidebant, penderet ſe conceſſurum negaſſet, permiſit. qua in conceſſione Pontifex non tam obligationem, qua antiquorum more, Rex quotannis ad Pontificii imperii quoties poſtularetur tutelam, trecentos cataphractos alere cogebatur, quam beneuolentiæ eius ſpem, hæc auxilia aliqua occaſione apertam cum Galliæ Rege inimicitiam ei parere poſſe, cuius iam ſparſa erant ſemina ſequutus. Etenim Rex Catholicus Galliæ Regis magnitudinem ſuſpectam habens, eiuſque ambitionem, quod Cameracenſis fœderis terminis minime contentus, Veronam imperio ſuo adiungere ſtuderet, ſolicite timens, atque etiam antiqua ductus æmulatione, aliquid impedimenti eius rebus opponi, non mediocriter exoptabat. Ideoque concordiam inter Cæſarem & Venetos valde à Pontifice expeditam, ſuadere non deſinebat. Quæ tametſi occultiſſime moliretur, fieri tamen non poterat, vt eius conſilia penitus laterent. Eius igitur claſſis quæ ad Gerbim inſulam, quam Latini Syrtim maiorem appellant, inuadendam erat comparata, ad Siciliam appulſa, Regi ſuſpicionem afferebat, & in animis hominum quibus eius calliditas nota eſſet, varias gignebat dubitationes.

III. *Pontifex cum Venetis contra Gallum bellat.*

Gallorum autem Regis moleſtiæ inde originem habuerunt, vnde minus verebatur; eoq; tempore quo nullus armorum motus in eum parari poſſe credebatur. Pontifex enim curabat, vt Genua eodem tempore terra mariq; inuaderetur; vt in Mediolanenſium fines duodecim Heluetiorum millia deſcenderent; vt Venetiomnibus viribus ſuis collectis, ad oppida quæ Cæſaris nomine tenebantur recuperanda ducerent; ipſius vero exercitus in Ferrarienſium agrum irrueret, procurabat, eo conſilio; vt ſi Heluetii feliciter rem gererent, ſuas mox copias in Inſubriam mitteret: ſperans Genuam infeſtis armis repente tentatam, quod multorum animi à Gallico Imperio abhorrerent, & Fregoſia factio motum eſſet factura, facile mutationem aliquam eo prætextu, quod Octauianum cuius pater patruuſque in eadem fuiſſent dignitate, ducem vellent conſtituere, ſecuturam. Gallos item Genuenſi motu, & Heluetiorum irruptione perterritos omnes copias quas in Cæſaris ac Ferrarienſium Ducis haberent auxiliis Mediolanum reuocaturos: quo facto Veneti facile Veronam eſſent recepturi; qua recepta in Mediolanenſes proficiſcerentur: idem eius copiæ facile, vt ſperabat, Ferraria Gallorum ope deſerta, occupata facerent; adeo vt Mediolanum à tot hoſtibus, tamque repentino bello circumuentum, defendi minime poſſet. Bellum in Ferrarienſem & Genuenſes eodem tempore cæptum eſt. Nam etſi Ferrarienſis, in quem vt tanquam in iam palam damnatum, animaduerſionem magis acceleraret, procedebat, omnẽ ſalem Comaclii confectum ſe ei traditurum, ac ne inpoſterum ibi fieret curaturum polliceretur, eius Oratoribus ex Curia dimiſſis, copias in eũ ſuas duxit: quæ vnica tubicinis denunciatione Centum & Plebem nihil repugnante Alfonſo obtinuerunt: quæ caſtella, antea Bononienſis Epiſcopi ab Alexandro Sexto, cum filiam Ferrarienſi traderet, aliis vectigalibus Epiſcopatui tributis, Ferrarienſium Imperio adiecta fuerunt. In Genuenſes profectæ ſunt vndecim Venetorum triremes, quibus Cyrillus Contarenus præerat, Pontificisq; duæ, quibus Octauianus Fregoſius, Hieronymus Auria, multiq; præterea exules vehebantur. eodemq; tẽpore terreſtri itinere M. Antonius Columna, cũ centum grauis armaturæ equitibus, & ſeptingentis peditibus, qui à Florentinorũ ſtipendiis tranſitione facta, delectus habendi ſpecie, ſe deinde Bononiam profecturum rumore diuulgato in Lucenſi agro hæſerat. Belli vtriuſque initia læta fuerunt, non ſimiles exitus. Captum à Pontificiis Lucum, Bagnacauallum, Mutina, & alia non ignobilia oppida: ex quibus nonnulla breui amiſſa, & paulo poſt recuperata. Genua fruſtra tentata: non minus quam à Venetis Verona: Gallicis apparatibus vtraque egregie munita, & tam Heluetiis, quam Columniis, & aliis copiis, arma pro Pontifice potius oſtentantibus, quam inferentibus. Nihilominus Pontifici tanta ſpe fruſtrato idem videbatur euenire, quod de Antheo fabularum ſcriptores poſteris memoriæ prodiderunt: vt quoties Herculis robore domitus tellurem attigiſſet, toties in eo maior vis appareret: Idem in Pontifice res aduerſæ efficiebant, vt quo magis deiectus ac proſtratus videretur, eo maiori animi firmitudine plura ſibi inpoſterum quam vnquam antea pollicitus, reſurgeret; cum tamen nullo pene quam ſeipſo mitetur,

Pontifex Cæſarem à Gallo alienare conatur.

retur: & quod (vt palam dicebat) cum nihil priuati commodi gratia ageret, ſed vnico puroque Italiæ liberandæ deſiderio, ſibi perſuaſum haberet, ſua conſilia Deo bene iuvante, felicem exitum habitura. Nam ipſe validis firmiſque armis exutus, nullos præter Venetos, qui coacti eandem ſubibant fortunam certos amicos habebat: à quibus quod pecuniis eſſent exhauſti, multiſque difficultatibus & angustiis oppreſſi, non multa poterat ſperare. à Catholico autem Rege potius occulta conſilia, quam aperta auxilia accipiebat. Is enim pro ſua calliditate eum variis promiſſis, ſed exceptionibus, dilationibuſque ſuſpenſis demulcebat: & ex altera parte cum Maximiliano & Galliæ Rege amicitiam tuebatur. Pontificis diligentia, laboreſque in Cæſare, à Galliæ Regis amicitia alienando, & ad concordiam cum Venetis adducendo poſiti, indies inutiliores apparebant. quippe Cæſar, cum Pontificius exercitus in Ferrarienſem profectus eſt, Pecialem, qui ne ei eſſent moleſti denunciaret, miſerat: & Conſtantinum Coniatem Macedonem Pontificis nomine ad pacem inter Cæſarem & Venetos tractandam miſſum Cæſar audire noluerat: & vt ſe magis Galliæ cum Rege facere velle oſtenderet, Gurcenſem Epiſcopum, qui de rerum ſumma cum eo conueniret, mittere parabat. Nec Imperii Germanici Principes, etſi erga Pontificium nomen ac Sacroſanctæ Sedis obſeruantiam propenſi, à ſumptibus faciendis alieni, ſuis conſiliis res tantum Germanicas ſpectantes, vllius in his perturbationibus erant momenti. Nec magis de Angliæ Rege, quamvis iuuene, rerumque nouarum cupido, & qui ſe Pontificatus potentiam amare profitebatur, quique haud ſine animi propenſione legationes audiuerat, ſperare poſſe videbatur. Cum enim tanto terrarum mariumque interuallo ab Italia eſſet diſiunctus, non poterat ſolus Galliæ Regem deprimere: præterquam quod pacem cum eo factam confirmauerat, & magnifica ad hoc miſſa legatione, eius viciſſim acceperat confirmationem. Nemo certe qui tam imbecilla fundamenta totque impedimenta habuiſſet, non animum remiſiſſet: cũ præſertim pacis à Galliæ Rege iis conditionibus maioribuſque quam victor vix optare potuiſſet, conſequendæ facultatem haberet. Nam Rex, ſi minus (honoris ſui gratia) aperte, ſaltem tecte atque oblique cauſa diſceptationi permiſſa: ſed iis iudicibus qui ex Pontificis voluntate iudicarent, Ferrarienſium Ducis patrocinium deferre annuebat: qui vbi ſe hoc conſequi poſſe compertum habuit, vt Genuam liberam relinqueret velle ſe adiunxit. Atque his in rebus tanta erat eius conſtantia, vt nemo, ne ex ſuis quidem intimis quiſquam ei contradicere auderet. Imo ex Regis Mandato à Florentinorum Oratore tentatus, maiorem in modum exarſit: cumque ob alia negotia ex Allobrogum Ducis miniſtris quidam ad eum veniſſet, ſuique Principis, ſi ita ei videretur, in pace concilianda operam polliceretur, in tantam prorupit indignationem, vt eum ad explorandum, non negociandum miſſum exclamaret: eamq; ob rem in carcerem conici, & quæſtionibus ſubiici iuſſerit: ac tandem indies, in difficultatibus audacior factus, cum nulla impedimenta periculave agnoſceret, cumque cæteris omnibus cogitationibus aliquantiſper omiſſis, totis viribus in Ferrariæ expugnationem incumbere vellet, quo ſuã præſentia acrius vrgeret, & maior rebus authoritas adiungeretur, nec non vt ducum ardorem impetu & voluntate ſua inferiorem augeret, Bononiam ſe conferre decreuit: ſibi ad Ferrariæ expugnationem ſuas & Venetorum vires ſatis fore aſſeuerans: qui ne tandem fauſti exitus ſpe amiſſa, Galliæ Regi conciliarentur veriti, idem ei perſuadere conabantur.

IV. *Galliæ Rex Pontificem armis perſequi ſtatuit.*

At Rex Galliæ, tot iam experimentis comperto Pontificis in ſe animo, cum ſibi neceſſario, ne imperio ſuo noua imminerent pericula proſpiciendum eſſe animaduerteret, Ferrarienſem tueri, fœdus cum Cæſare quo ad eius fieri poſſet firmare, eiuſque conſenſu Pontificem ſacris armis perſequi: & rebus ad ver proximum protractis, tunc, cum potentiſſimo exercitu ad Venetos, aut Pontificem adoriendum, prout res tunc poſtularent, in Italiam traducere conſtituit. Quamobrem non ſolum Cæſari, ſe maiore vi quam hactenus in Venetos ducturum propoſuit, verum etiam ad Romam, totamq; Pontificiam ditionem quaſi adhuc iure ad Imperiũ ſpectantem, vt eum iamdiu optare notũ erat, vniuerſamque Italiam, Mediolanenſi, Genuenſi, Florentino ac Ferrarienſi Imperiis exceptis, occupandam opem laturum, quibus pollicitationibus cum in ſuam ſententiam facile perduxit: præſertim vero, vt authoritate vtriuſq; & Germanicæ, & Gallicæ gentis Generale Concilium indiceretur: non ſine ſpe, Aragoniæ Regẽ, quod à ſua & Cæſaris voluntate recedere nõ auderet, cum Hiſpanorum gente in idem conuenturum. cui rei maximum præterea accedebat firmamentum, quod multi Cardinales Itali ac tranſalpini, animo ambitioſo ac minime pacato, ſe palam autores futuros pollicebantur. Ad hæc conſtituenda, Rex magno deſiderio Gurcenſis Epiſcopi à Cæſare à ſe deſtinati aduentum expectabat. Interea vero, vt Concilii inſtitutioni initiũ daret, & quamprimũ regnum ſuũ à Pontificis obediẽtia retraheret, omnes Galliæ Antiſtites, vt ad medium Septembrem Aureliam conuenirent, conuocari iuſſerat. Conuenerunt frequentiſſimi, & conuentu Aurelia in Turones translato, quamuis potius ne Regis repugnarent voluntati (quod ſæpe fieri ſolet) quam ſponte iudiciovo, multis criminibus in Pontificẽ propoſitis conſenſerunt: hoc tantum addito temperamento, vt antequam ei obedientiã denegarẽt, Oratores qui ei Conuentus Gallici decreta denunciarent, vtiq; ea in poſterũ ſeruaret monerent, mitterentur: quibus ſi deinceps non pareret, ad Concilii ũ citaretur: ad quod, cum Principibus ageretur, vt omnes Chriſtianæ nationes conuenirent. dederunt quoq; Regi poteſtatem, vt Gallicis Sacerdotiis graues imponeret cenſus: & paulo poſt in altero conſeſſu, qui XXVII. Septemb. habitus fuit, in principium Martii proxime venturi Concilium Lugduni indixerunt: quo ipſo die Gurcenſis Epiſcopus Turonum vrbem ingreſſus, tantis tamq; exquiſitis honoribus acceptus fuit, vt facile appareret eius aduentum diu & optatum, & exoptatum fuiſſe.

V. *Germani Cæſarem contra Pontificem concitant.*

Iam aliqui Germanorum, Iulio Pontifici & Romanæ Eccleſiæ infenſi, Maximilianum Cæſarem eodem veneno imbuerant. & libello grauaminum nationis Germanicæ porrecto, ad ferendum quoddam edictum impulerant. quo Maximilianus, Iulium Pontificem oblique tangebat. Maiora & grauiora directe: quando aliquorum Cardinalium malignis & exitioſis conſiliis, qui quomodo Generale Concilii ũ indiceretur in coq; lacerata & cõuulſa multis criminationibus Iulii dignitate, alius Chriſtianis ſacris præficeretur, laborabant, copias militares exhibebat. Enimvero, quando Iulius Pontifex Roma Bononiam, vt eam in officio contineret, properabat, Cruceius & Coſentinus Hiſpani, Baiocenſis & Maclouienſis Galli, ac Fredericus Sanſeuerinas Cardinales, illo per Flaminiam vt ex itinere Lauretanũ templum innumeris miraculis nobiliſſimũ viſeret vadente relicto, per ſpeciẽ cõpendioſioris itineris in Hetruriam contenderunt: cumq; Florẽtiam perueniſſent, & à Florentinis fidẽ publicam, non ad aliquod certũ tempus, verũ donec reſcinderetur, & dies quindecim poſt, illic nouis rebus intenti ſubſtiterunt, ac variis coloribus iter ſuũ procraſtinarunt. quæ mora cũ Pontifici ſuſpecta eſſet, poſt multos nuncios vt Bononiã veniret miſſos, ad Maclouienſem, Baiocenſem, & Sanſeuerinatẽ ſcripſit breuẽ epiſtolam, vt niſi ſuæ indignationis pœnam ſubire vellẽt, ad ſe venirent, Cardinalẽ vero Coſentinũ & Cruceium nobilitate, eruditione, moribus ac Põtificiq; ſedis legationibus claros, mitius, vt idẽ facerent, hortatus eſt: qui cum non parere decreuiſſent, fruſtra tentatis Florentinis, vt non ipſis tantũ, ſed omnibus Cardinalibus qui eo venire vellent, firmam ad longum tempus fidem publicam concederent, Lunigiano itinere Mediolanum contenderunt.

VI. *Galli cum ſuis copiis Bononiam contendunt.*

Interea Ciamontius Gallicarum copiarũ ductor, Carpio Pontificiis erepto, Bononiã, vt Bentiuolos reſtitueret cõtendebat. Hinc maior perturbatio, multoq; grauior metus Cardinalĩ qui cũ Pontifice venerant, & Curiæ, qui nõ bellicis diſcriminibus, verũ otio ac Romanis delitiis erant aſſueti animos corripiebat. Accurrebant Purpurati mœſtiſſimi ad Pontificem, querentes quod ſeipſe, Sacram Sedem, & ipſos in tantum adduxiſſet periculum, vehementer rogantes, vt aut ea compararet quæ ad iuſtam defenſionem idonea viderentur, quod in tanta temporis breuitate fieri non poſſe cenſebant: aut minus grauibus conditionibus cum hoſtibus, quos non alienos fore exiſtimabant tentaret: aut vna cũ ipſis Bononia migraret. Si deniq; proprio periculo non moveretur, cogitaret quantum Sacratiſſimæ ſedis totiuſq; Chriſtianæ Reipub. intereſſet, ſi in eius perſonam aliquid durius caderet. Idem omnes familiares miniſtri ac ſerui eius ſuppli-

ces orabant: ipse solus in tanto tumultu, omniumque rerum, confusione, de populi Bononiensis fide incertus; & Venetorum in ferendis auxiliis tarditatem ægre ferens, adeo constanter has molestias perferebat, vt ne ægritudo quidem qua corpus conflictabatur animi fortitudinem posset inflectere. Ab initio M. Antonium Columnam cum parte militum qui Mutinæ erant accersiuerat: & Hieronymo Donato Venetorum legato ad se vocato, vehementissimis querimoniis, quod toties promissorum auxiliorum tarditate, se, ditionemque suam in tantum coniecissent discrimen expostulauerat, non solum erga se, qui præcipue vt eos conseruaret bellum susceperat, & grauissimis sumptibus ac periculis, Imperii & Galliæ Regis in se odio prouocato, ipsorum libertatis ad eum vsque diem conseruatæ causa fuisset, detestandam animi ingrati significationem ostendissent: verum etiam in seipsos incredibili imprudentia extitissent. Se enim vel victo, vel aliqua pactione cedere coacto, qua spe salutis, quo loco esset futura ea Respublica? Ad extremum ardentissimis verbis, nisi per totum insequentem diem eorum copiæ auxiliares, quæ pontis ponendi difficultate, Pado variis nauibus, aliisque Machinis traiecto ad Stellatam erant, Bononiam ingrederentur, concordiam cum Gallis initurum contestatus: conuocauit etiam Senatum & Tribunos Bononienses, eosque graui oratione hortatus est, vt præteritæ tyrannidis memores, quamque perniciosiores reuersuri essent tyranni semel exacti, vellent Pontificium Imperium conseruare, in quo tantam comperissent benignitatem. & vt eos promptiores redderet, præter iam concessas immunitates, mediam partem vectigalium, quæ ex importatis rebus ad humanum victum spectantibus eliciuntur, in posterum maiora pollicitus remisit: iisdem publico edicto promulgatis, quo etiam populum ad arma pro Imperii Pontificii defensione capienda hortabatur: sed sine fructu. Nemo enim mouebatur: nemo in eius gratiam signum ostendebat. Idcirco cum tandem ad quantum discrimen esset redactus animaduertisset, tot hominum importunitate & querelis expugnatus: præterea Cæsaris, Catholici, Angliæque Regis Oratoribus vrgentibus, Cardinalium precibus assensus est, vt ad Ciamontium mitterentur nuncii, qui vt Ioanni Francisco Pico Mirandulano Comiti, Pontificis nomine tuto ad se veniendi facultatem concederet, postularent: & paucis horis ipsemet vnum ex suis cubiculariis, vt Albertum Carpensem quem tunc abesse ignorabat, ad se venire iuberet, postulatum misit: eodemque tempore, vt quouis euentu, Pontificatus res magis pretiosæ seruarentur, Laurentium Puccium, suum à libellis Magistrum cum Regno (sic enim eximiam illam Pontificis thyaram appellant) quod nobilissimis gemmis erat refertum, Florentiam, vt in celeberrimo velatarum virginum cœnobio custodiretur, transmisit. His de causis Ciamontius sperauit Pontificem ad concordiam, quam ipse, quod talem esse Regis animum sciret, magnopere exoptabat, inclinare: quam propensionem ne perturbaret, postero die exercitum in iisdem castris continuit: quamuis permiserit vt Bentiuoli magno amicorum & clientum equitum comitatu, centum & quinquaginta Gallis cataphractis longius sequentibus, vsque ad Bononiæ mænia excurrerent: quorum aduentu, & si Hermes natu minor, sed ferocitate fratribus maior, ad Portæ latus se ostenderet, nullus in vrbe est motus excitatus.

VII. Ioannem Franciscum Mirandulanum Ciamontius benigne audiuit, eodemque die ad capita quibus conuenturus esset significanda, Bononiam remisit: vt Pontifex Alfonsum Estensem, & eos omnes qui quauis de causa in eo defendendo, vel Pontificia ditione inuadenda operam suam nauassent, censuris solueret: Bentiuolos quoque censuris pœnisque eximeret, bonaque quæ ad eos spectare liquebat restitueret: reliqua quæ ante exilium possedissent iuris disceptationi permitterentur: eisque vbicumque videretur, modo ne intra octuagesimum à Bononia milliare habitare liceret. In rebus Venetorum nihil eorum quæ in Cameracensi fœdere essent constituta immutaretur. Inter Pontificem & Alfonsum sex mensium vt minimum induciæ fierent: interea vterque occupata retineret. Induciarum tempore eorum dissidia à iudicibus vtriusque consensu delectis diiudicarentur. Mutinensium rerum cognitione Cæsari reseruata, ea ciuitas statim in manum eius deponeretur. Cotignola Christianissimo Regi restitueretur. Cardinalem Auscensem liberaret: absentibus Cardinalibus ignosceret: & beneficiorum totius Gallici dominatus collationes in eos fierent, quos Rex ipse nominasset. Cum hoc responso, sed tamen non sine spe, Ciamontium non vsque adeo seuere omnibus his permansurum, reuersum Mirandulanum Pontifex referentem, & simul Cardinalium qui incredibili ardore, vt si melius non posset, huiuscemodi pactionem admitteret, supplices orabant, preces patienter audiebat. at ex alia parte res sibi nimis ab æquitate alienas proponi questus, & singulis verbis grauissimis ob Venetos interpositis querelis interpositis, dum se dubium ostenderet, nec quid consilii caperet aperiret, diem extrahi volebat. Eius spem erexit Capperinus Vitellius, cum septingentis Venetum equitibus ad extremũ diei Bononiam ingressus: qui noctu à Stellata profectus, ob summam festinationem sibi à Veneto Præfecto impositam, totum iter cursu confecerat. Sequentis diei matutino tempore, Ciamontius cum toto exercitu ad Rheni pontem tribus à Bononia passuum millibus castra locauit:

Galli ad Bononiam Castra ponunt.

quo statim Oratorum Romanorum Regis, Aragoniæ, Angliæque à secretis, ministri ad eum venerunt: & paulo post ipsimet Oratores, qui eo die, cumque iis Albertus Pius Carpio reuersus, sæpius ad Pontificem, & ab eo ad Ciamontium vltro citroq; redierunt. Sed in vtroque non mediocriter mutata voluntas erat. Ciamontius enim prioris diei experientia, populi Bononiensis per Bentiuolas concitandi spe imminuta, cum iam commeatus angustia, quæ indies maior futura timebatur, premeretur, de victoria diffidebat: & Pontifex tum quia populus tandem palam Pontificiis rebus student, eodem die arma sumpserat, tum quia expectabatur, vt ante noctis initium, præter ducentos Epirotas Venetorum, Fabricius Columna cum ducentis leuis armaturæ equitibus, & Hispanorum cataphractorum parte Bononiam ingrederentur, non modo se periculo liberatum perspiciebat, sed consueta animi confidentia resumpta, quamprimum omnes Hispanicæ copiæ quæ prope erant peruenissent, se cum hoste signa collaturum minabatur: qua spe fretus semper eo die, nullam esse concordiæ rationem, nisi vt Rex Galliæ prorsus Ferrariæ tutelam desereret, respondit. Postero die noua capita compositionis allata sunt, quorum gratia iidem legati ad Ciamontium redierunt. sed variis difficultatibus interpositis nihil est effectum. Quare Ciamontius, armis, colloquiisque pacis fructus consequendi spe amissa, cum ibi morari commeatu deficiente, ac hybernis tempestatibus ingruentibus difficile esset, eodem die ad Castellofrancum, & proximo Ruberiam, quasi id Oratorum precibus ageret, atque vt Pontifici de rebus propositis deliberandi, sibi vero Regis mentem cognoscendi spatium concederet, rediit. Hoc tempore plerique Ciamontii in deliberando imprudentiam, in conficiendo tarditatem accusabant. Nam quod ad Bononiam expugnandam cum non satis virium haberet (nam in eius exercitu nõ plures erant quam tria peditum millia) exulum cohortationibus quorum spes magis ad cupiditatis quam rationis normam exactæ plærumque euanescunt, se commouisset, præceps consilium fuisse, saltem, si omnino id tentare volebat, agendi celeritate virium imbecillitatẽ compensare debuisse: contra vero ipsum fecisse, ac tarditate opportunitatem corrupisse. At eorum qui res infeliciter gestas reprehendunt autoritas, fortasse minor sæpius esset, si eodem tempore, quid, si secus actum fuisset, euenturum erat, sciri posset.

VIII. *Pontifex de Gallo apud principes queritur.*

Pontifex post Ciamontii discessum, supra modum in Regem incensus, eum iniuste, & contra factorum veritatem, Christianissimi honore & nomine abusum, fædereque quod solenni ritu Cameraci ictum fuerat contempto, Italiæ occupandæ ambitione, ac scelerata Pontificis Romani sanguinis siti impulsum, exercitum qui ipsum cum vniuerso Cardinalium Collegio, cumque omnibus Antistitibus Bononiæ obsideret misisse, apud omnes Principes questus est: ac multo maiori animo ad belli consilia reuersus, legatis qui colloquia cum Ciamontio incœpta secuti de concordia cum eo agebant, se antequam ei Ferraria dederetur, aliquid amplius auditurum negauit. & quamuis laboribus in tam graui casu corpore animoque perpessis, eius morbus magnopere creuisset, denuo milites conscribere, ac Venetos, qui tandem in-

ter Fi-

ter Ficariolum & Stellatam pontem iecerant, vt Mantuano duce copiarum suarum partem Mutinam, quæ suis coniungeretur mitterent, reliquis Ferrariæ res infestarent, vrgere cœpit: se paucissimis diebus Regio, Ruberia, ac Ferraria potiturum asseuerans. Iis copiis coniunctis, Saxulum & Formiginem occupauit: Mirandulamq; tentauit: excitata tum suspicione, quæ post etiam multo magis creuit, Cardinalem Papiensem iam tum clandestino cum Rege Galliæ sentientem, huius sententiæ, vt Mirandulano negotio Ferrariensem obsidionem auerteret, artificiosum authorem fuisse. Nam eo tempore Ferraria nec mœnibus nec præsidio erat satis munita, & milites Galli corporis atque animi laboribus fessi, dux impotens, Rex autem à maioribus sumptibus alienis.

IX. *Galliæ Rex cum Cæsare nouum fœdus facit.*

Dum vero Pontifex tanto ardore rebus gerendis incumbit, Galliæ Rex magis consiliis quam armis deditus, cum Gurcensi Episcopo à Maximiliano misso cœpta pertractabat, quæ ab initio admodum visa facilia, Cæsaris in respondendo tarditate longius sunt producta. & quoniam de Aragoniæ Rege, qui præter cætera recenter per causam Turcicæ classis circa Hydruntum visæ, milites suos qui Veronæ erant in regnum Neapolitanum reuocauerat ambigebant: Cæsar & Galliæ Rex eius mentem tam de Cameracensi fœdere cõseruando, quam in iis quæ cum Pontifice si in Venetorum amicitia, & in cupiditate persisteret, vt omnino Ferrariam Ecclesiæ Romanæ vellet subiicere, essent agenda, explorandam censuerunt. quibus aliquot dierum interuallo respondit Rex Catholicus, simulque eadem occasione multa sibi à Cæsare Galliæq; Rege obiecta crimina diluit: trecentos cataphractos quos tantum ad Pontificium Imperium tuendũ, eaque quæ in antiquo eius iure essent recipienda, regni Neapolitani iure debebat, Pontifici concessisse: copias etsi tempus in quod Cæsari eos promiserat esset elapsum, tamen nisi Turcarum incidisset metus Verona non fuisse reuocaturum: suum Oratorem cum cæteris Oratoribus Bononiæ apud Ciamontium, non vt Pontificiis auxiliis tempus daret, sed vt tantum incendium à Christiana Republica amoueret: cum præsertim bellum cum Pontificatu molestissimum Regi esse sciret, de pace egisse: Semper se in eadem Cameracensis fœderis seruandi sententia permansisse, & in posterum multo magis permansurum, Cæsare quingentis cataphractis, ac duobus peditum millibus contra Venetos iuuando, sibi quidem tum quod nullum videret idoneam causam, tum etiam quod suæ libertatis ad bellum Africanum contra religionis hostes gerendum conseruandæ cupidus, Christianæ Reipublicæ quæ quiete indigeret, pericula & calamitates augere nollet in noua fœdera coire, vel nouis pactionibus astringi suæ mentis non esse: sibi Concilium Generale, & Ecclesiæ emendationem, si modo vniuersalis esset, & tempora non repugnarent placere: huius vero suæ voluntatis ex iis quæ Sauonæ simul collocuti erant, nullum esse Galliæ Rege testem locupletiorem: tempora vero admodum esse aduersa: pacem enim & concordiam inter Christianos fundamentum esse Conciliorum: quod sine animorum coniunctione, nihil ad communem vtilitatem decerni posset: nec vero Concilium tali ratione ac tempore, vt magis odio, atq; vltionis causa, quam vel diuini honoris, vel salutaris Reipublicæ Christianæ status amore indictum videatur incipere, laude dignũ esse. præterea separatim Cæsarianis Oratoribus dicebat, sibi ad ea oppida quæ post precio Galliæ Regi concessurus esset, (expresse Verona denotata) tuenda ei auxilium ferre, nimis graue videri. Igitur hoc responso Catholici Regis cognita voluntate, hinc Cæsaris nomine Gurcensis, illinc vero Galliæ Rex (Pontifici si vna in fœdus coire vellet duobus mensibus, Catholico vero & Vngariæ Regibus quatuor ad deliberandum concessis) statim nouum fœdus percusserunt: Rex centum ducatorum millia (fundamentum iis quæ cum Cæsare agerentur necessarium) partim præsenti pecunia ad numerata, partim certis temporibus numeranda promisit: Cæsar autem ineunte Vere se cum tribus equitum, & decem peditum millibus, contra Venetos in Italiam transiturum, eique tunc Rex propriis sumptibus mille & ducentos cataphractos cum octo peditum millibus, iustoque tormentorũm apparatu: mari vero duas triremes, & nothas, id est naues longas maiores quatuor mittere teneretur: Cameracensi fœdus tuerentur, ac Pontificem cum Rege Catholico communi nomine ad idem hortarentur: quod si Pontificem Ferrariensis res impediret, Rex ei quod iuri consentaneum videretur, in eo acquiesceret. Quod si Pontifex eorum postulata reiiceret, Concilium pergeret: cuius rei gratia Cæsar, quemadmodum Galliæ Rex in suo regno fecisset, Germaniæ Antistites, vt vlterius, prout deinde eis videretur, progredi possent, conuocaret. His promulgatis, Gurcensis magno honore, maximisque muneribus acceptis, ad suum Principem rediit. Inter Regem autem & quinque Cardinales qui Concilium procurabant, vt nec ipse sine eorum, nec illi sine ipsius consensu, Pontifici conciliarentur, recenter conuenerat: se vero tanta potentia in Italiam transeundi cupiditate accensum verbis ostendens, vt res suas in longum tempus in tuto esset collocaturus: quæ ne ante eius aduentum maiorem paterentur diminutionem Ciamontio ne Ferrariensem desereret imperauit: qui ducentis cataphractis quibus præerat Castilionæus octingentos Germanos pedites adiunxit. At Pontificius exercitus necessariis rebus lente comparatis, M. Antonio Columna, cum centum grauis, quadringentis leuis armaturæ equitibus, & peditum duobus millibus ac quingentis, ad Mutinæ præsidium relicto, ad Concordiam castra posuit. qua eadem die quo tormenta fuerunt disposita, vi capta, mox arce deditione occupata, Mirandulam accessit.

X. *Pontifex Mirandulam obsidet.*

Iam Decembris mensis finis instabat, & forte fortuna acciderat, vt hyems hoc anno solito asperior esset. quare cum & oppidum esset munitum, nec Gallos adeo opportuni loci iacturam passuros crederetur, belli duces summopere se eo posse potiri diffidebant: & tamen Pontifex tantam de totius belli victoria spem conceperat, vt cum propter dissidium quod inter Vrbinatem & Papiensem erat, nouũ Legatũ Cardinalem Senogalliensem ad exercitum mitteret, coram multis ei mandaret, vt cum exercitus Ferrariam ingrederetur, inprimis eam ciuitatem quoad fieri posset conseruari curaret. Die quarta post castra ad Mirandulam posita, tormentis eam petere cœperunt. verum multa aduersa & incomoda tempestatis ac commeatus qui parce è Mutinensi agro ad castra conuehebatur patiebantur. Nam cum Vastallæ quinquaginta cataphracti Galli essent impositi, totidem Corregii, Carpii ducenti & quinquaginta, pontibus omnibus disiectis, itineribusque quibus ex Mantuano conuehi poterat occupatis, aliunde comportandi facultatem prorsus adimebant. Sed cito ea angustia aliquantum est subleuata. nam qui Carpii erant hostiles copias ad se inuadendos aduentare falso rumore persuasi, quod tormenta non haberent perterriti, discesserunt. Sub cuius anni exitum Pontifex, quasi vt per Mediceũ Cardinalem, cum M. Antonio Columna, & nonnullis Florentinis adolescentibus de Petri Soderini Florentinorum Vexilliferi, cuius opera Florentinos Gallicam factionem sequi ferebatur, cæde ageretur conscius & fautor fuisset, aliqua infamia notatus fuit. Nam cum Pontifex multis modis eam sibi Rempublicam coniungere tentasset, omnis opera irrita fuerat. imo multo ante in Galliæ Regis gratiam, maxima Pontificis molestia, Senensibus inducias remiserant: quamuis ante sextum post recusatas inducias mensem, vt Rex ad terrorem populo incutiendum optabat, arma mouere recusassent. præterea ducentos grauis armaturæ equites, qui ad Mediolanensis Imperii custodiam manerent, sic à Rege fœderis iure, non tam auxilii momento, quam vt eos à Pontifice alienaret cupiditate postulatos, ad Regem miserant. In hoc rerum statu annus iste supra millesimum quingentesimum decimus in Italia exactus est. *Guiciardinus lib. 9. Constitutionum Imperialium liber. MS. Vatican. num. 1294.* Narrat P. Bembus istud memorandum de Anna Regis Galli vxore. quod eo tempore, quo Iulius Pontifex minis & maledictis Regem insectabatur, onerabatque perfidiæ in Christi Vicarios nota, quorum ipse tutelam & propugnationem clarissimo vocabulo præseferret, illam prægnantem, magnopere virum quotidianis precibus sollicitasse, ne arma in Romanum Pontificem exerceret, existimare sese, ventrem quem ferebat, aliter prospere se non gestaturam. *Bembus Histor. Venetæ libro decimo.*

Neque immerito, optima & sanctissima Regina sibi & Regi XI.

marito

marito metuebat. Enimvero minime obſcurum erat, Pontificem non iniquo tantum, ſed & importuno bello vexatum occupatumque fuiſſe: quo minus in hoſtes fidei, quemadmodum optabat, arma conuerteret. Nam prima hæc illi cura animo inſederat, vt pace inter Principes Chriſtianos conciliata, vniuerſis omnium viribus communem hoſtem impugnaret. Ad eam rem Iacobum Piſonem, virum doctum ad Sigiſmundum Poloniæ, & Ladiſlaum Bohemiæ & Vngariæ Reges nuncium miſerat: qui ſignificaret, pacem illum inter Principes Europæos deſiderare, atque arma in Turcas velle conuertere: ſimulque Sigiſmundum per fidẽ adhortaretur, vt domi conſilio rebus pacatis, copias Ladiſlao iungeret, atq; ex Vngariæ, Bohemiæ, Poloniæque regnis legionibus propriis in Thraciam bellum mouerent. Nec multo poſt Achillem de Graſſis Legatum deſtinauit, qui ſummo conatu idem negotium procuraret. At dum Rex & Senatus eam expeditionem nihil firmitatis habere cenſerent, non ex regni vſu fore cum Turca negotium facere decretum eſt. quod & iampridem cum Turca pacem ſacramento confirmaſſent: & ingens periculum videretur, Turcarum arma ab alienis bellis auocare, & in propria viſcera conuertere: vbi ſi victoriam Deus fauiſſet, omnium quidem Principum epiſtolis ſumme, eleganterque congratulatum fuiſſet, ac ſummi Pontificis Apoſtolica benedictio non defuiſſet: cæterum ſi armis res inferior fuiſſet, Sero & fruſtra auxilia à Romano Pontifice quærenda, qui hoc tempore bello à Chriſtianis Regibus diſtinebatur, grauiſſimaque omnia à ſchiſmaticis expectabat. Quod ergo Ludouicus Galliæ Rex Pontificem à tam ſancto opere auerteret, & multa indigna in illius dignitatem moliretur, merito Regina calamitatem aliquam verebatur, & Pontificiæ maieſtati ſtudebat. Quo item anno in Quadrageſima Iulius Pont. Iubilæi gratiam pro fabrica Baſilicæ S. Petri Romæ in Poloniam deſtinauit: & ex colligendis inde pecuniis, duas partes Reipublicæ, in defenſionem regni contra Tartaros attribuit. *Iodocus Decius de Sigiſmundi I. Regis Poloniæ temporibus.*

Pontifex Iubilæum in Poloniã deſtinat.

XII. Tranquillæ hactenus res in Vngaria à Turcis fuerant, Ladiſlao Rege continenter pro pacto orante, & vt multorum opinio habebat, precibus ſuis Baiaſithem à Chriſtianis aduerſus Perſas auertente. A quibus Turcæ iam tertia inſigni clade proſtrati, caſum ſuum apud filium Selimum miſerabantur, incuſantes patrem, quod omiſſis in Thracia, Myſia, Pannonia felicibus præliis, infauſtiſſimum apud Perſas concitauerit bellum, multiſque eum exhortationibus contra eundem patrem accendentes, ad extremum effecerint, vt filius deductis ex Perſia reliquiis, fines regni Vngariæ infeſtare inceperit. Erat tunc Romæ Thomas Archiepiſcopus Strigonienſis Cardinalis, eoque facilius præſens impetrauit, vt Crucis tuendæ contra Turcas, Crucis militiam in Vngaria promulgandam Iulius Pontifex concederet. Facta promulgatione, vexilloque Crucis ſubleuato, cum præter ſpem magnus hominum ad arma conflueret numerus, multoque adhuc maior fama eius apud Turcas increbreſceret, adfuerunt protinus Oratores à Turca Budam miſſi, vltro fœdus poſtulantes. Id vero valde ex voto Regis pacis cupidiſſimi cecidit, oblatumque ſibi fœdus, nulli niſi Deo Optimo acceptum retulit, quale ad vitam vſque ſuam cum hoſte percuſſit. At multitudo plebis collectitia impium nacta caput, bona depoſita, malam crucem, nempe latronis à ſiniſtra pendentis induit, ſignoque libertatis aſſerendæ propoſito, bellum ſeruile in dominos ſuos commouit: in quo non minore vi ac rabie quam Turcæ ſolent omni ſæuitiæ genere debacchata eſt, tam in agros quam in homines, qui dominationem poteſtatemque reuerebantur, defendendamque ſuſcipiebant aduerſum Georgium Cæclum, ſic ducem ſuum nominabant, dignum ſcilicet, vt in prouerbio habetur, patella operculũ. Is igitur regnandi libidine præceps, in omnem nobilitatem quæ eius male ſanæ audaciæ obſiſtebat infeſtus ferebatur, agreſti prorſus implacabilique odio illam perſequens. Nullum enim dignitati, nullum religioni, nullum miſericordiæ precibuſque locum relinquebat, ſed quoſcunque nobilitate inſignes comprehendit, eos capite ſtatim adempto mulctauit: vnum etiam ex Epiſcopis in palo ſuffixit. Vnde mox adeo terribilis factus, vt ipſi quoque Regi metuendus videretur. Qua indignitate Bohemi, Moraui, Sileſitæ commoti, agmina peditum equitumque celeriter compararunt, cumq; illis ad opem Principi ſuo ferendam mature Budam peruenerunt. Horum tandem aduentu latronum audacia fracta, etiam duci pauorem intulit, vt cogeretur vltra Tibiſcum fluuium tutiora caſtris loca quærere. In hac trepidatione Ioannes Trencinenſis qui præfecturam Ciſalpinam obtinebat, cum delecto equitum robore improuiſus ſuperuenit, modicaque cæde turbam agreſtem ad fugam impulit, Georgio duce eorum intercepto, cui coronam ex ferro iuſſit fieri, ignitamq; capiti illius imponi, ac tum demum ceruicem noui Regis amputari. *Dubrauius lib. 32.*

Hungari rebellant.

XIII. Narrauimus ſuperius, Pontificem, Ferdinando Catholico Neapolitani regni iura attribuiſſe. Res eſt. Ferdinandus à Rege Gallo inprimis contendebat, vt ſancita ante aliquot annos in fœdere lex de regni Neapolitani ſucceſſione, nulla ex Germana Regina prole, noua cenſura immutaretur. His poſtulatis Gallus aures non accommodabat, ſpe concepta id regnum obtinendi, niſi iure & cauſa, certe armis. Sic Ferdinandi conatus inanes extitere, præſertim Rhotomagenſi Cardinale per hoc tempus defuncto, cuius penes Gallum præcipua gratia erat, & rebus omnibus auctoritas, ſtudium haud obſcurum Ferdinando gratificandi, in iis quæ publicæ pacis intereſſent. Hac cura Ferdinando anxio ac dies noctesque varias cogitationes animo verſanti, optimum fore viſum eſt odium Pontificis in Gallum conceptum in ſuũ commodum conuertere, atque occaſionem ſuam facere. Prudens Princeps, qui quamcumque rem è publica vtilitate fore prouidet, ea vtitur modo honeſta. Ergo, vt Pontificia auctoritate ipſi & poſteris regnum Neapolitanum quaſi Romanæ Eccleſiæ beneficium confirmaret, poſtulauit & cenſu annuo repræſentato impetrauit.

XIV. Graue id Gallo Regi accidit, Neapolitana iura ea indulgentia in Hiſpanum Regem tranſlata; Ferdinandi ſe fraude deluſum, Pontificis iracundia violatum accuſare: vindicaturum ferro niſi eſſet id decretum abrogatum. Dictum, factum: Eius conſilio, ex quinque Cardinalibus duo Bernardinus & Coſentinus, Florentia Ticinum abiere, certa ſententia Generalem Epiſcoporum Conuentum indicendi. Inſolenti facto ſpecies obiecta honeſta, ſcilicet Eccleſiæ moribus qui nimium prolapſi erant caſtigandi acriori cenſura, ipſoque Pontifice ſi opus eſſet abdicando non minori præſidio opus eſſe. Eiuſdem conſilio Pontifici à fœderatis præſcriptum, vt iure potius quam armis cum Ferrarienſi diſceptaret. Si parere recuſaret, à Cæſare in Germania eius nationis Epiſcoporum conuentus agitarentur nationales: idemq; in Aragonia & Caſtella fieret ad ea conſtituendã quæ paulo ante Gallicana Eccleſia ſanxerat Aureliæ primum, deinde ad Turones conuentu gentis habito. Miſeram temporum labem, à profanis Chriſti Vicario leges imperandi præſcribi. In vno peccato quot & quanta extitere peccata? Sed præcipua capita erant, quibus Pontificatus propemodum redigebatur in ordinem. vt Gallici Sacerdotes, ne exceptis quidem Cardinalibus, aut in Pontificis familiam adſcriptis, ſuas ſinguli Eccleſias regerent, in Galliam reduces. ſi repugnarent, intercepti annui redditus in templorum alios vſus & commoda verterentur. Exitiale decretum, Eccleſiæ paci inimicum, diſſidiorum fons, Pontifici vſque adeo graue, vt diris & anathemate deteſtatus fuerit, quicumque impio decreto obtẽperaſſent: ac nominatim magnum Galliæ Magiſtrum, atq; Iacobum Triuultium, cæteroſque duces Gallica in Italia ſtipendia facientes: ad hæc quicumque Eccleſiæ Gallicanæ conuentibus intereſſent. Ferdinando Catholico, damnatum Gallicanæ exemplum, & importuni Cardinalium conatus, ac inprimis Ludouici Regis conſilia non placuere: vtpote qui maieſtatem Pontificiam, & pacem reipub. Chriſtianæ vehementer optaret, nec niſi in hoſtes fidei, Chriſtianorum arma conuertenda eſſe iudicaret. Præire aliis voluit exemplo, & Montione Idibus Auguſti conuentibus habitis bellum Africanum proſequendum eſſe decreuit. In id bellum, ordinum voluntate quingenta aureorum millia à ſolis Aragoniis decreta ſunt: Ingens ſumma, ſiue tempora conſideres, ſiue gentis immunitatem. Sed tanti erat impiam gentem bello opprimere. Auxit ſtudium animorumque ardorem nuncius iis diebus de capta Tripoli allatus. Minus proſpere Meningem inſulam hoc anno tentauere: nec magis hi qui Nea-

Neapolitanum regnum Ferdinando Pontifex confirmat.

Galliæ Regis in Eccleſiam Gall. decretum.

poli

poli res fidei tractabant aduerſus impios promouere. Huius enim anni fine tumultus in ea vrbe extitere plebe ad arma conſternata offenſaque vehementer aduerſus Inquiſitores, qui more ex Hiſpania tranſlato cœperant in eadem vrbe iudicia de religione exercere, maiori ſeueritate quam mores gentis reciperent. Ii erant Andreas Palacius Inquiſitor, & illi adiunctus Archiepiſcopi Vicarius. Malo commotos populares frenare non licebat. ſæuiente indies motu Prorex per edictum Iudæos omnes, quique ex ea gente Chriſtianis ſacris abdicatis ex Hiſpania non ita pridem venerant, quorum erat magnus numerus, eius regni finibus arcuit. exilio parando proximus menſis Martius deſignatus. Ea colluuione pulſa, ciuium ac vero totius prouinciæ in veræ religionis conſtantia & animorum pietate ſatiſque perſpecta, Inquiſitionis & rem & nomen minus videri neceſſaria: proinde ceſſare & amoueri ſancitum. vtique periti ſæpe naucleri ſæuientis pelagi fluctibus quandoque obniti non audent, ventorum violentiæ cedunt. *Mariana lib. 29. c. 24. 25. & lib. 30. c. 1. & 2.*

Pontificis & Ferdinandi Cath. applauſus ob captam Tripolim.

Dictum, de Tripoli ab Hiſpanis capta. Ob eius vrbis captiuitatem non modo Ferdinandus Rex, & Ximenius Archiepiſcopus Toletanus victoriæ particeps ingentem lætitiã ſuſceperunt: ſed cum Pontifici Maximo ad vrbem hæc ipſa nuntiata fuiſſent, adeo ei & Senatui Cardinalium grata acciderunt, vt aliquot dierum ſupplicationibus decretis, ad Diuorum Baſilicas publica omnium lætitia ſit proceſſum, Regis Catholici magnanimitatem, Hiſpanam virtutem, & Ximenii præſtantiam collaudantibus, quem belli Africani ſuaſorem, & perpetuum inſtigatorem eſſe cognouiſſent. Pari cum Tripolitano ſucceſſu, Bugia vrbs celeberrima ab eodem Nauarro in Africa capta eſt, quam nonnulli Iuliam Cæſaream, Iubæ quondam Regiam eſſe putant. Ea non minus Hiſpanis quam Oranum infeſta erat. Petrus Arias cognomento Iuſtator, ante alios victoriam hanc peperit. Nam inter primos murum conſcendit, & Maurorum ſignifero deturbato, illius vexillo arrepto ſuum ſubſtituit, & præſidium quod prope aderat, admirabili præſtantia occupauit: & barbaris per octo horas pertinaci contentione oppugnantibus hoſtium impetum ſuſtinuit, egregieque locum commiſſum tutatus eſt. Huius Ariæ factum ſub mortis tempus percelebre & inauditum alias fertur. Diutina & inſanabili ægritudine correptus, crebro ad ſacra audienda in templum itabat, vbi eius ſepultura effoſſa & aperta erat. In eam quotidie peractis ſacris deſcendebat, iacebatque quantus erat: deinde luſtrali aqua aſperſus, & funebribus precationibus expiatus, domum redibat. Hoc ſe facere vxori & amicis dicebat, vt ſic paulatim aſſueſceret illiuſmodi habitationi, quæ ſibi tam diuturna futura erat. Fuit quidem magnum intrepidi animi argumentum toties terram ſubiiſſe, & parentationes audiſſe. *Gomecius de rebus geſtis Ximenij Cardinalis lib. 5.*

XV. *Emanuel ex Luſitania in Indiam claſſem mittit.*

Dum hæc in Africa Ferdinandi auſpiciis gererentur, Emanuel quoque Luſitaniæ Rex Africanis & Indicis rebus intentus, nihil intermittebat eorum, quibus barbaros Chriſto adiungeret. Hoc enim anno quatuor claſſes inſtruxit. vnam cui præerat Iacobus Mandezius Vaſconceſlus: alteram quæ erat nauium ſeptem, cui præfecit Gondiſſaluum Siqueiram, quæ decimo die poſt priorem, hoc eſt XVII. Martii Olyſſipone profecta eſt. & hæ in Indiam miſſæ ſunt. Tertia claſſis erat trium nauium. Nauarchus fuit Ioannes Serranus, cui Rex negotium dedit, vt inſulam S. Laurentii peteret, & pacem cum Regibus illius nomine firmaret, & ſi quid videret in ea inſula quod eſſet æſtimatione dignum, naues oneraret. Quarta claſſis fuit nauium ſupra triginta, quibus præfuit Nonius Fernandus Ataidius. Imperatum, vt cum iis Safinium in Africa peteret, eamque ciuitatem Regis nomine cum Imperio teneret. Priores tres claſſes, Albuquerquio ſeſe adiunxere: quorum opera ille Goam amiſſam recuperauit, confirmatoque in ea vrbe Imperio, Sultanum Aegypti, & Regem Cambaiæ, pellendis ex India Luſitanis ad laborantes profligauit. Cochinenſibus Regem impoſuit, multoſque Indorum, opera Dominicanorum & Franciſcanorum ad Chriſti fidem traduxit. Cum vero in ea vrbe fundamenta talia ieciſſet dominii, quibus nixa non facile de ſtatu conuelli poſſet: Luſitanas autem mulieres quas nouis colonis nuptui traderet, non haberet, quod vnum remedium inueniebat, eas quas bello ceperat, Chriſtianis ſacris expiatas apud Luſitanos milites matrimonio collocabat, eiſque poſſeſſiones in ea inſula Saracenis iure detractas aſſignabat, eoſque multis fauoribus atque præmiis ad eas nuptias alliciebat. Sic factum eſt, vt inſtar Romuli qui vrbem Romam condidit, aut Theſei, qui ciues Atticos è pagis in vrbem compulit, aut aliorum qui vrbium fundatores extitere, illius vrbis quam armis atque virtute cepit, conditor appellari poſſet. Neque ſegnius reliqua omnia, quæ ad vrbis munitiones, & ciuitatis Ordinem & defenſionem neceſſaria videbantur, excogitabat. Frequentes autem ad eum multorum Regum legati ventitabant. Alii tributa imperata deferebant: alii vt pacem peterent & amicitiam firmarent veniebant: omnes operam ſuam in rebus omnibus quæ ad Regis Emanuelis amplitudinem pertinerent, pollicebantur. Eos non ſtatim dimittebat. Volebat enim vt oculis ritus religionis Chriſtianæ, vrbis munitionem, & claſſis quam tunc ornabat apparatum aſpicerent, & totius operis in quod mentem intendebat, magnificentiam ſenſibus vſurparent, vt earum rerum admiratione defixi, & ardentius ad ſacra Chriſtiana aſpirarent, & conſtantius in fide permanerent. Illi porro venerabundi ad eum accedebant, & alii hominis grauitatem admirabantur, alii ſuauitatem & comitatem laudibus efferebant. Goæ celebritas & frequentia cum Regis maximi Curia poterat merito conferri. Hæc omnia quamuis in natura Albuquercii ineſſent, is tamen omnia de induſtria omnia ſignis illuſtriora faciebat, vt maiorem ſui admirationem incuteret, & ea grauitatis ſpecie multo facilius homines in officio contineret. Hoc præterea aſſequebatur cum tam cito legatos non dimitteret, vt maioribus interim copiis inſulam muniret, & religionis ac virtutis documenta, omnibus qui eo conueniebant ſtatueret. Omnes tamen Saracenos ex vrbis finibus eiecit. reliquos, qui non erant Mahumetanis inſtitutis imbuti, in inſula habitare permiſit, dummodo tributum quod Zabaimo ſoluebant, Regi Emanueli integre penderent. Publice deinde mercatoribus edixit, ſe omnibus qui Goã cum equis & mercibus ingredi vellent, impunitatem daturum, & ſumma fide eos ab omni iniuria & maleficio tutos conſeruaturum. In rebus Goanis nauauit Albuquercio Ioannes Machiadus, id tẽporis Goæ inter Saracenos incognitus. Is à Zabaimi duce de pace miſſus, ſe Luſitanum eſſe, & Ioannem Machiadum appellari dixit, & vnum ex exulibus illis quos Capralis in Melinde reliquerat. Inde profectum, Dium perueniſſe & ſub Melichiazio ſtipendia feciſſe. maiore deinde congiario à Zabaio Goæ Dynaſta, Zabaimi patre conductum, ſub illius ſignis militaſſe: qui illi, cum eum Turcam exiſtimaret, militũ præfecturam conceſſerat: ſeq; quamuis Turcam eſſe ſimularet, re vera, mente & intima fide nunquam à Chriſti religione diſceſſiſſe. Itaq; animo Chriſtiano, & amore in patriam debito perſuaſum, eo deſcendiſſe, vt Chriſtianos rerum neceſſariarum admoneret. Is paulo poſt, cum in Goenſi obſidione, Luſitanorum aliqui (ſeptuaginta numerabantur) fame & neceſſitate oppreſſi, ad hoſtem obſidentem transfugiſſent, & in Mahumetis nomen iuraſſent, qui ſe ad eum vſq; diem Turcam ſimularat, dolorem eximium capiebat, & hac indignitate commotus, vt fidem ſuam factis oſtenderet, voluit eiuſdẽ laboris & ærumnæ qua cæteri conflictabantur ſocietatem inire. Duos filios ex muliere Saracena ſuſceperat, vt vtrumq; per ſe aquis luſtralibus in Chriſti nomen expiarat. Hos ad ſe perduci iuſſit, vt ſecum in vrbem intromitteret. Quod cum exequi minime poſſet, facinus edidit valde miſerandum. Maluit enim in ſanguinem ſuum ſæuire, quam pueros infantes ſecta Mahumetis peſtifera imbuendos, in hoſtium poteſtate relinquere. Itaq; nocte vtrumq; ſuffocauit. Mane vero caſum filiorum acerbiſſimum deplorauit, & ſuam calamitatem cum multis lachrymis lamentatus eſt, dicebatq; filios lamiarum præſtigiis fuiſſe miſerabiliter extinctos. deinde cum fingeret, ſe moleſtiæ leuandæ gratia velle per inſulam vagari, cum Luſitanis aliquot captiuis, & cum illis qui Chriſti religionem execranda perfidia violarant, ad vrbis muros acceſſit. Ibi orationem luculentam habuit, qua de vitæ breuitate, de ſempiternis ſuppliciis, de gloria immortali diſſeruit, & omnes adhortatus eſt, vt mallent in vita miſera & caduca, laboribus breuiſſimo

Albuquercius Goam amiſſam recuperat.

Idem fidẽ Goæ propagat.

tempo-

XVI. *Albuquercius cum multis Indiæ regibus fœdus percutit.*

tempore spatio definitis torqueri, potius quam in futura supplicijs sempiternis excruciari. Orationem eius, nemo ex illis qui à religione defecerant ad aures admisit. Ipse vero cum captiuis in vrbem ingressus, non modo lætitiam Lusitanis attulit, sed animos etiam illorum ad spem salutis erexit. Id enim numine diuino factum fuisse credebant, quod cum illis præsens adfuisset, non dubitabant, quin salutare præsidium esset intra breue tempus hominibus afflictis, qui opem illius implorabant, allaturum.

Cum autem Albuquercius aduersus imminentis belli pericula muros turresque refeciisset, & arcem ipsam nouis propugnaculis auxisset, ac in id opus idolorum fana, sepulchra ethnicorum & plurimas ædes diruisset, Iamque Imperium Emanuelis Regi in eadem vrbe ac insula firmasset, alia quoque non minus præclara tentauit. Cochimensium enim Regi amico aduersus Calecutiensem regni opus stabiliuit: cum Rege Cambaiæ fœdus percussit: cum Regibus Pattmensi, Pedirensi, Siamensi, Iacensi, Zamatrensi, Peguensi, & aliis finitimis pacem & amicitiam iniuit: Malacensem diversis præliis fregit, & Malacæ arcem imposuit. quo etiam tempore Ataidius Safinium obsidione fatigauit. quo pariter tempore istud velinprimis accidit memorabile. Vehebatur quadam è nauibus Naodabeguca Malacensis, vnus ex eorum numero, qui in Siqueiræ exitium conspirauerant. Is in itinere oppressus à Lusitanis, cum egregie dimicans aliquamdiu restitisset, multis demum confossus ictibus ita corruit, vt è patulis vulneribus nihil omnino cruoris manaret. Mox inter spoliandum corpus, vt primum detracta eius brachio est aurea armilla, (mirum dictu) tanquam vase confracto, ita se se cum anima vniuersus repente sanguis effudit. cuius rei stupore defixi Lusitani, cum de captiuis causam quæsiuissent, cognouere inclusum esse in armilla os animalis cuiusdam Sionii (Cabim incolæ appellant) cuius in sistendo sanguine virtus efficacissima sit. Idipsum os deinde cum in Lusitaniam deuehendum esset, vna cum pretiosis aliis rebus naufragio periit. Accidit & istud aliud memorandum. Aliqui Lusitanorum à Socotora redeuntes, naufragio facto in Cambaicũ littus eiecti, atque ad Cambaiæ Regem pro captiuis fuerant abducti. Ii secundum Deum vni maxime Antonio Laurerio Franciscano salutem ac libertatem debebant. Cum enim iamdiu in eo seruitio degerent, atque ad eos eximendos accederet nemo, Laurerius omnium consensu delectus est, qui Goam de redemptione contenderet, ea lege, vt si nihil transegisset, intra certum tempus bona fide rediret. atque eius reversionis quasi obsidem & pignus ille sacrum cingulum reliquit Regi, testatus, professionis suæ ritibus atque institutis, haud minimam sanctimoniæ partem horrido in illo fune consistere. Vt Goã peruenit, absente per id tẽpus Prætore nihil decidi super tanta re potuit. Ita infecto negotio, protinus, vti receperat, in Cambaiam reuertit. Quæ res tanta admiratione Regem affecit, purpuratosque, vt confestim sine vllo pretio, quin etiam ornatos lautosque Lusitanos benigne dimiserint. Neque id modo Laurerii virtus & sanctitas consecuta est, verum etiam apud illas nationes non parua cum vtilitate egregiam probitatis existimationem, & famam nomini Christiano peperit: sane quam egregio documento, non solum ad conscientiæ fructum, & officii religionem, sed etiam ad opes & gloriam, constantia promissorum & fide nihil in rebus humanis esse præstantius.

XVII.

Magna Cocini tum erat, nondum condita quæ nunc est Lusitana ciuitate, rerum hominumque colluuies. quippe sub eodem tecto mixti Christianis Mahometani ethnicique nullo discrimine degebant viri ac mulieres, multaque passim flagitia & fraudes admittebantur. Huic malo occurrendum ratus Albuquercius, cum Rege Naubeadora transegit, vt certo limite Malabaricam à Lusitana commoratione dirimeret. Id vbi factum, capitali pœna proposita, omnes vtriusque sexus mortales, qui à Christiana religione abhorrerent, è finibus Lusitanis demigrare iussi. quæ res non ad purgandas modo Christianorum ædes ac domicilia, sed etiam ad augendum numerum Christi fidelium valuit: quandoquidẽ eo edicto permoti circiter quadringenti, abiecto idolorum cultu, sese ad Christianam Ecclesiam sponte aggregarunt. Ab horum complexu Albuquercius Goam, summo omniũ gaudio venit incolumis. Eius aduentu, multo vehementius hostes vrgeri cœpti, & à Lusitanis castra ad Benestarinum admota. vbi dum missilibus ac telis vtrinque certatur, missus ab hoste globus agentem cum Albuquercio quendam ex turba ita discerpsit, vt Albuquercium ipsum fœdo cruore conspersérit. Quo ille tanto ex periculo diuinitus ereptus, globum deinde ipsum argenteis bracteis coopertum, vna cũ affabre facto monili ex gemmis & margaritis, in celeberrimo templo Mariæ Virginis, ad aquas Lupias veteris Lusitaniæ ponendum curauit: reditu insuper annuo in vsum perpetui luminis, Hieronymianis eiusdem templi custodibus attributo. Atque eo casu, nihilo segnior factus Prætor, nouis operibus & oppugnationibus crebris cum inclusum mœnibus hostem indies magis ac magis premeret: variis cladibus deniq; fessi Roztomacan præfectus & Turcæ, qui in eo præsidio erant flexere ad deditionem animos, pactique vt naues, tormenta, ac perfugas traderent, cum cæteris rebus incolumes Benestarino excessere. Albuquercius recepto castello, impositisque militibus, quassata & strata ruinis accurate refecit: impios desertores, amicorum precibus exoratus, viuere quidem passus est, sed grauiore multo circumcisione decurtatos, quam qua sese nuper ipsi ex initiis Mahometicæ superstitionis decurtarant. siquidem auribus, naribusque, ac dextris abscissis, & sinistræ insuper cuiusque pollice, per totam vrbem ad puerorum ac plebis ludibrium ignominiose traduxit: deinde, vt apud Indos, quoad eius fieri posset, omnem sceleris tanti memoriam obrueret, in Lusitaniam eo ipso anno remisit. tum in gratiarum actionem, ob hostes ex insula pulsos, Christiano ritu supplicatio decreta. compositoad pietatem agmine venerabundi Lusitani cum Sacerdotibus, infulisque, ad templum B. Virginis adiere. valetudinarium quoque publicum curandis ægrotis & sauciis institutum. *Osorius lib. 7. & 8. Maffeus lib. 5. Genebrardus in Chronol.*

Albuquercius Benestarinum obsidens periclitatur.

XVIII. *Cantuariensis Archiepiscopus & VVintoniensis, Episc. de prærogatiua altercantur.*

Hoc anno exorta est grauis inter Archiepiscopum Cantuariensem ac eius Suffraganeos, de prærogatiuæ Cantuariensis iure altercatio. Eius Romæ apud Summi Pontificis subsellia author fuit Richardus Fox VVintonienſis Episcopus: qui cum opibus, authoritate, atque gratia cum Rege Henrico VIII. summa valeret, tantæ potentiæ animi magnitudinem adiungens ferre non potuit Archipiscopi prærogatiuam. Itaque cum, antequam de ea re lis vlla moueretur, inter se primo communicarent, suamque prærogatiuã & potentiam trecentis amplius annis longæua consuetudine confirmatam Archiepiscopus ostenderet, nec se laturum vt VVintonienſis Episcopi pertinacia Ecclesiæ Cantuariensis iura violarentur, feruidius affirmaret, VVintonienſis incensus fertur respondisse: quamuis Archiepiscopus in altiori solio sedisset, se tamen in pinguiori collocatum. & ab ea contumelia statim transiuit ad deferendam Iulio Pontifici Romano contra Archiepiscopum querelam. VVintonienſis Episcopo Londinensis, Lincolnienſis, & Exoniensis Regii (vt idem Rex postea affirmauit) consiliarii tanquam Duci adhæserunt. Institutæ autem litis capita fuerunt: quod cum si quis de vita decedens bona notabilia in diuersis diœcesibus possideret, eius testamentum ab Archiepiscopo insinuaretur: aut si intestatus decessisset, bonorum suorum administratio ab eodem peteretur: primo, ne huiusmodi bonorum appellatione prædiorum atque prouentuum hæreditates, nec debita nisi sperata censerentur. Deinde nisi decedentium bona quæ quis extra eam diœcesim possideret in qua moriebatur, summam decem librarum attingerent, notabilia non dicerentur, nec Archiepiscopali prærogatiuæ locus fieret. Tum vt bonorum æstimatores ab Archiepiscopo in Suffraganeorum diœcesibus non constituerẽtur, sed executorum aut administrantium iuramentis de bonorum æstimatione ac valore fides haberetur. Postremo, ne peculiares iurisdictiones diuersæ instar diœcesium diuersarum reputentur. Eam litem Summus Pontifex pro iure suo audiuit, Archiepiscopo diem dixit, & post multam Romæ contestationem, postulante VVinthonienſi ac suffraganeis, arbitros qui componerent in Anglia, & inter eos Regem ipsum de signauit: reseruato tamen partibus iure ad Sedem Apostolicam iterum prouocandi. *Auctor antiquitatum Ecclesiæ Britannicæ in VVarrhamo.*

Eodem anno per totam Quadragesimam Indulgentiæ Cruciatæ ab Iulio Summo Pontifice pro Magistro & Ordine mili-

XIX. *Paulus Form sacrilegus hostias sacras Iudæo vendit. Candentib. ferris discerpitur.*

tentonicorum in Prussia, contra Tartaros & Russos fidei Christianæ aduersarios, per diœcesim & ducatum Herbipolensem prædicabantur, & durauerunt à prima Dominica Quadragesimæ, vsque ad festum SS. Trinitatis in salute multorum. *Trithemius in Chron. Sponheimens.*

Eiusdem anni mense Februario, indidem in Germania istud execrandum accidit. Quidam vir sacrilegus Paulus Form in Marchiæ Brandeburgensis villa Knobloch, intempesta nocte è templo furatus est arculam inauratam, qua Sacrosancta Eucharistia vetustissimo Catholicæ Ecclesiæ more asseruabatur. Erant autem in ea hostiæ duæ, altera maior, minor altera. Multa iam luce adiit cœlestus ille Iudæum, arculam venditurus. Iudæus facile animaduertens, cuiusmodi vsum ea habuisset, ait, majus pretium se fuisse daturum, si rem contentam attulisset. Tum ille furcifer, qui iam alteram instar Iudæ Sathanica impietate deglutierat, reliquam è sinu depromptam obtulit Iudæo æstimandam, à quo tamen nonnisi pauculos exigui pretii nummos accepit. At miser ille tanto iam obstrictus scelere, sæuæ conscientiæ furiis quibusdam exagitatus fugit inde ad Vandalos. (extant enim hodieque Vandalorum reliquiæ, & ipse quoque Brandeburgicus Princeps se Vandalorum Dominum scribit) Sed cum res minime lateret, domum rediit, captusque & tortus, quid egisset confessus est. Interim vero sceleratissimus Iudæus hostiam sacram crebris pugionis ictibus identidem confodere annisus est: at nihil se proficere cernens, hostia integra permanente, quodam furoris æstro percitus: *Si tu es*, inquit, *Deus Christianorum, redde te manifestum in mille dæmoniorum nomine.* atque ecce subito hostia in tres diducta partes, sanguineo per oras humore maduit. Perterritus Iudæus, particulas panno inuolutas mensem vnum apud se retinuit, ac deinde duobus aliis Brandeburgi & Stendelii morantibus singulas particulas misit, tertia sibi reseruata, quam rursum mensæ impositam pugione confecit, vnde sanguinis guttulæ dimanarunt. Consternatus ille, & veritus se proditum iri, particulam absumere conatus non potuit. deinde misit in aquam: at illa enatauit. tertio in ignem proiecit: sed nihil id hostiæ nocuit. Ad extremum sub Paschatis solennitatem azymos coxit panes, particulamque massulæ azymi panis immixtam in furnum iactauit: moxque furnus alioqui obscurus resplenduit, & massula illa in Iudæi faciem insiliuit. Novo ille terrore correptus, massulam illam cum particula alteri cuidam Iudæo transmisit. Iam res erat prolata in publicum, & Marchio Iudæos omnes in ipsius ditione morantes Berlinum acciri, & in vinculis teneri iussit. Habita autem ex illis quæstione, præter alia flagitia non parum multa, fassi sunt se intra paucos admodum annos septem Christianorum infantes acubus & punctionibus peremisse. Igitur lata in illos sententia, quadraginta flammis traditi sunt. tres alii Iudæi baptisma perceperunt quidem, sed postera die duo capite plexi sunt; tertius, pluribus pro eo rogantibus, vita donatus, Diui Francisci institutum Berlini complexus est. Porro ter execrandus ille sacræ hostiæ proditor Paulus Form candentibus discerptus ferris, in cinerem tandem voracibus flammis redactus est. denique Iudæi omnes è tota Marchionis ditione ita proscripti sunt & extrusi, vt sub pœna capitis omni eis reditu pariter fuerit interdictum. *Surius in Commentario.*

XX. *Reuchlinus & Colon. Monachi de libris Iudæorum disput. aut.*

Eodem anno ortum est bellum litterariũ inter Reuchlinum, & Colonienses quosdam Monachos de libris Iudæorum. Mandauerat Maximilianus Cæsar Reuchlino, quid de cremandis Iudæorum libris sentiret, in modum consilii referret, & scriptum Archiepiscopo Moguntino transmitteret Cæsari reddendum. Ille in partem benigniorem propensior, iudicauit scripta quædam Iudaica conseruanda, quædam vero blasphema exurenda. Fuerat autem Coloniæ Iudæus quidam baptizatus, cognomento Pfefferkorn, qui paulo post, anno sc. 1514. ob Sacrosanctæ Eucharistiæ violationem in Salinis Saxoniæ candentibus forcipibus distractus, discerptus, & crematus est. Hic author eius consilii fuerat, vt de Cæsaris mandato singuli Hebræorum libri, præter nudum Bibliorum textum comburerentur: vel saltem, vt quidam suspicati sunt, igni adiudicarentur: vt ante executionem, Iudæi grandi ære libros suos ab incendio redimerent: quod si fieret, consilii illius author auri partem ac-

XXI. *Henricus Risvvich Hæreticus pestimus comburitur.*

ciperet. Hunc conatum suum cum Iudæus Reuchlini consilio eludi cerneret, sparsis libellis famosis, eum apud multos in odium & inuidiam vocauit. Librum vero Reuchlini Colonienses flammis tradiderunt: quæ res miris factionibus inter doctos agitata est, aliis illum, aliis Colonienses tuentibus. Tandem orto Lutherano incendio, fumulinum hoc (vt quidam tum appellarunt) certamen in fumum abiit. *Annal. Colonien.*

Hoc ipso etiam anno Hagæ in Germania, Henricus Risvvich hæreticus flammis crematus est. Fuit hic Batauus natione, quem Hollandinum vulgari nomine appellabant. Hic cum in multos errores lapsus fuisset, indeq; admonitus, & tandem pœnitentia motus palinodiam cecinisset, à Magistratu misericordiam consecutus, ad perpetuos carceres damnatus erat, anno 1499. iussu Alexandri VI. Papæ atq; Maximiliani Imperatoris. Verum cum postea carceres euasisset, in priorem dementiam relapsus, multo etiam longe pectora quam antea effutiuit. propter quæ iterum captus, per hæreticæ prauitatis Inquisitores damnatus, & Curiæ seculari traditus, eiusdem iudicio viuus exustus est. Inter eos errores in quos prolapsus fuit, primus est, quo:

1. Asserebat Angelos, siue boni, siue mali sint, à Deo creatos non esse, quod nusquam (vt ait) hoc scriptura asserat.

2. Dicebat etiam, animam post hominis mortem simul cum corpore interire: nullamque post hanc vitam aliam fore particularem: vt mortuo Socrate, moritur anima eius sicut cum corpore incepit.

3. Dicebat itidem nullum esse infernum: & proinde Catholicos irridebat, qui hunc credunt esse.

4. Item materiam ex qua elementa facta sunt, non esse à Deo factam, sed eidem esse coæternam: idcoque dicebat eam non incepisse per creationem, fabricatam à stulto Moyse, vt indistincta prodit biblia.

5. Christum item (ô horrendam & inauditam blasphemiam) fuisse stultum asserebat, & simplicem phantasticum, & simplicium hominum seductorem: quinimo ipsum damnasse vniuersum mundum, & neminem saluasse. Quot namque homines (dicebat impius ille) propter ipsum, suumque fatuum Euangelium interfecti sunt?

6. Rursus omnia quæ Christus gessit, humano generi & rectæ rationi omnino contraria. Quapropter ipsum Christum, esse Omnipotentis Dei filium, aperte negabat.

7. Moisen à Deo, modo visibili legem accepisse, eidemq; facie ad faciem locutum fuisse, inficiabatur.

8. Dicebat quoque, Fidem nostram fabulosam esse, vt probat (aiebat) nostra fatua scriptura, & ficta Biblia, & delirum Euangelium.

9. Item Euangelium nostrum falsum esse: quod qui creare potuit mundum sine incarnatione, eundem quoque saluare sine incarnatione potuerit.

Omnes istos articulos & consimiles, impurus hic ore proprio & sana mente coram Inquisitore, Notario & testibus confessus est, cum horum verborum adiectione: *Ego quidem Christianus baptizatus fui, sediam à Christianismo desciui: quod omnes Christianos amentissimos esse iudicem.* Eius Stolones nunc per Frisiam pullulant. Sunt autem hi ex Pseudo Euangelicorum nostræ ætatis familia, ex eorum videlicet, qui veri Atheiatque impii per suam improbitatem, perfidiam & malitiam esse nosciuntur: nimirum qui nec Christum, nec Deum, nec denique diabolum, nec cœlum, nec infernum esse profitentur. Eo enimvero deploratissimæ cæcitatis miserii ij lapsi sunt, semel in reprobum sensum mentemq; male sanam iusto Dei iudicio traditi, vt suam non modo negligant salutem æternam, sed aliis quoque eodem errore seducendis omnem moueant lapidẽ, quacumque tandem id faciant ratione. Nihil enim pensi habent quid faciant doceantve, modo id suo Deo ventri commodet: aut saltem suæ perfidiæ hostibus incommodet: aut veritatem, ad quam oppugnandam coniurarunt, si non aboleant, saltem aliqua ex parte obscurent. Odio enim veritatis, quam obfirmato abiurarunt animo, ebrii, eam quoque in suis professoribus infestissime persequuntur, atque odio plusquam Vatiniano, vereque internecino ita execrantur, vt nulla suæ existimationis, aut prudentiæ quoque politicæ habita ratione, fu-

rentium more quicquid in buccam venerit, euomant. *Bernhardus Lutzeburgenſis in Cathalogo hæreticorum. Villhelmus Lindanus. Dubitantij lib. 2.*

XXII. *Iulius II. templum Lauretanum à Paulo II. inchoatum abſoluit.*

Eodem tempore Iulius Pontifex Max. non minore animo pacis opera aggreſſus, quam quanta mole gerebat bella, Lauretanum Sacroſanctæ Deiparentis templum à Paulo Secundo inchoatum, cuius abſolutio variis casibus turbata fuerat, non extruere ſolum, ſed etiam perunire voluit. Videbat quippe ædem non minus ſanctimoniæ, quam opulentiæ fama inclytam, in vico immunito expoſitam, ſeu militum, ſeu barbarorum auaritiæ fore. Bramantis ergo nobilis architecti conſilio atque opera vſus, per Hieronymum Roburcum Laureti Patronum rem vrgere cœpit. & Hieronymus Lauretanam Aedem omni ope ornare, munus ac decus Roboreæ familiæ ratus, Baſilicam in arcis modum extruxit, muniuitque. quippe ſacella ipſa propugnaculorum inſtar aſſurgunt. additæ vndique in ſummis muris pinnæ, adituſque ſub tecto, vt ad propugnandum quoquo verſus tuto diſcurrere miles poſſit. & adiuuat templi munitionem collis, cuius in vertice ſita eminet, præſertim qua vergit ad mare. Omnino eminus intuenti arcis potius, quam ædis ſpeciem præbet. Baſilicæ corpus ex pilis ingentibus columnarum inſtar duodecim conſtat, quarum vtrimque Senæ concameratum tectum ſuſtinent. Huic corpori duæ velut alæ, hinc atque hinc adiectæ, cum ſenis ſacellis minoribus, quæ intercolumniis vtrimque reſpondent. Alia porro maiora circa templi caput ſacella diſpoſita numero ſeptem: his interiecta ſacraria quatuor, quibus fere Lauretana conduntur dona. Sub tholo, quod eſt velut Baſilicæ caput, Sacroſancta B. Virginis cella, præcipuam obtinet ſedem, & vndequaque aſpectabilem: multis circa, vt diximus, ſacellis maioribus, admirabili artificio excitatis. Sacroſancto ſacello muris Baſilicæ communito, munimentum Lauretano vico aduerſus hoſtium impetus incurſioneſque addendum ratus eſt. Ergo eodem Bramante authore Pontificias ædes circa templum ſane ingentes, ac magnificas inchoauit, Principum hoſpitio præcipue deſtinatas: quarum forma talis. Aedium ſinus (vbi eſt aditus impluuii) Baſilicæ obuerſus eam duobus lateribus quaſi brachiis cingit. In quatuor angulis totidem prominent propugnacula. Tota moles quadrati caſtelli ſpeciem præfert, templum habet pro arce. Eius hodie pars vix dimidia aſſiduo multorum annorum labore ſumptuque abſoluta. Nec vero dum Pontificias ædes exſtrueret Iulius, templum adornare deſtitit. Ad eius cultum cantorum chorus inſtitutus: organa muſica egregia magnifico opere auroque conſpicua: campanæ duæ eximiæ magnitudine ac ſpecie fuſæ: turris campanariæ fundamenta iacta, auguſtiſſimæ Virginis cellæ extrinſecus ornandæ pretioſa marmora, Iulii ſecundi opera ſunt. Venit enim hoc anno ipſe Lauretum, Bononiam proficiſcens, & ipſo Natali B. Virginis die in natali eius cella ſacrum fecit: tum ſub ſacrum ſolenni pompa in ſuggeſtum ad id fabricatum aſcendens, populo qui ad Pontificis aduentum maior ſolito confluxerat, bene precatus, ampliſſimam delictorum indulgentiam largitus eſt omnibus Lauretanam ædem eo die rite viſentibus. Votis denique Beatæ Virgini nuncupatis, aram maximam ſacra ſuppellectili auxit: egregium aræ amiculum ex veſte Attalica criſpante: argenteam crucem pondo librarum quadraginta illuſam auro, & antiquo opere cœlatam: bina item ſeſquicubitalia candelabra eiuſdem materiæ atque operis pondo XXVI. & extat in turbinata crucis baſi titulus huiuſmodi: *Iulius II. Pont. Max. Deiparæ Virgini Lauretanæ dicauit. Anno M. D. X. In hoc ſigno vinces.* Neque his contentus Iulius, binos inſuper aræ ornatus, (frontalia vocant) ex holoſerico villoſo cæruleo, inſignes auro, Margaritis, & opere Phrygio addidit. Altarium ornatui ornatum miniſtrorum adiecit, mitram egregio opere, aliaque Pontificalia ornamenta, quibus videlicet, vel Pontifices, vel Epiſcopi ſacris operantes vteretur. Super hæc conchyliata periſtromata exornandis templi parietibus, aliaque complura dona Lauretanæ Virgini dedit dicauitque. *Turſellinus lib. 2. cap. 11. 12. 14.*

ANNO CHRISTI M. D. XI.

IVLII PAPAE II. ANNO 8. ET 9.

MAXIMILIANI ROM. REGIS ANNO 26.

I. *Pontifex ad Caſtra poſita ad Mirandulam venit.*

VOTIS Deiparæ Virgini, Iulius Pontifex in æde Lauretana conceptis, Bononiam profectus, ibi annum vndecimum huius ſeculi auſpicatus eſt. Cum autem Mirandulæ, quam Ferrarienſi caſtigando, & Gallis frænandis opportunam ſibi cenſebat, oppugnatio lentius procedere ipſi videretur, idq; ducum, ac præſertim nepotis, partim imperitiæ, partim perfidiæ tribueret, quod potius ex multis impedimentis oriebatur, impetu ardoreque animi omnibus rationibus antepoſito, ſua præſentia rem accelerare conſtituit: nec quam tantæ maieſtatis ſublimitate ipſummet Romanum Pontificem in caſtra contra Chriſtianorum oppida proficiſci poſſet dici indignum & periculoſum, fama ac mortalium omnium de ſe iudicio contempto, iis præcipue qui eius adminiſtrationem Eccleſiæ perniciſam, erroreſque omnibus offenſioni, ac tales qui nulla ratione corrigi poſſent eſſe aſſerentibus, Concilium Generale cogere, ac Principes in eum concitare ſtuderent, conſpicuum colorem, & pene iuſtam cauſam præbere, vlla cogitatio eum continebat. His verbis vniuerſa Curia perſonabat: omnes mirabantur: nemo erat qui non vehementer improbaret: nec minus aliis Venetorum legati: Cardinales ſupplices ne iret vehementer inſtabant. Sed vanæ erant omnium preces, vanæ ſuaſiones. Secunda Ianuarii, tribus comitatus Cardinalibus Bononia profectus, in caſtra peruenit, inque ruſtici cuiuſdam paruulam caſam, hoſtilium tormentorum fulminibus expoſitam, quod à Mirandulæ mœnibus non vltra geminum iaculi iactum diſtaret, diuertit. Hic cum non minus corpus quam mentem & imperium defatigaret, exerceretque, huc atque illuc ſemper caſtris obequitando vt tormenta vniuerſa apte collocarentur, quorum minima pars ad eam vſque diem erat poſita: propterea quod omnia militaria munia acerbiſſimis tempeſtatibus, ac pene perpetuis niuibus fuerant impedita: & quia operæ, cum præter acerbitatem tempeſtatum, oppidanorum tormentis vehementer læderentur, nulla diligentia à fuga contineri poterant, vrgebat. Ideo cum ad eorum qui circa ea verſabantur ſecuritatem, in iis locis quibus tormenta collocanda erant, nouos aggeres facere, aliaſque operas comparare eſſet neceſſe, Pontifex dum hæc comparantur, vt tantiſper caſtrenſia incommoda vitaret, ad Concordiam ſe contulit, quo Ciamontii iuſſu, Albertus Pius variis allatis pacis rationibus ad eum venit: quæ, & ſi ſæpius vtrumque conuenerit, ſiue Pontificis conſueta conſtantia, ſiue quod Albertus, cuius ſemper augebantur ſuſpiciones haud ſincera fide ageret, fruſtra fuerunt tentata. Eadem conſtantia, eodemque ardore ad caſtra eum impellente paucos dies Concordiæ moratus eſt: quem nec ingentes in itinere nives quæ continenter de cœlo ruebant, nec acerbiſſima frigora quæ vel ipſi milites vix ferre poſſent, vel minimum refrigerabant. qui in ſacello quodam ſuis tormentis proximo, mœnibuſque priori caſa propinquiore tabernaculum fixit: nulloque eorum quæ facta erant, quæque adminiſtrabantur contentus, vehementiſſimis verbis omnes duces, præter M. Antonium Columnam denuo Mutina accerſitum, accuſabat. Nec minore impetu per caſtra alios increpando, alios hortando, & re ac verbis munus ducis obeundo diſcurrebat: etiam Militibus ſi ſtrenuam operam nauarent, ſe nulla pactione Mirandulam recepturum, ſed eis diripiendam conceſſurum affirmabat. Notabant autem complures, tunc aliquid hominum oculis admodum nouum: Galliæ Regem, profanum Principem, ætate ſatis florentem, tuncque bene valen-

valentem, ab ineunte ætate in armis æducatum, eo tempore domi quieſcere, ac bellum quod præcipue in ſe gereretur, per duces adminiſtrare: Iulium vero Summum Pontificem, Chriſti in terris vices gerentem, ſenem atque ægrotum, ipſummet in bello, in ipſis caſtris, ad ignobilis oppidi obſidionem ſtare: vbi velut copiarum Imperator, laboribus periculiſque aditis, quaſi nihil, præter ornatum nomenque Pontificis retineret. Sed vrebat contemptus Pontificiæ maieſtatis, iuxta & Iuriſdictionis, dum Rex Ludouicus Maximiliani Cæſaris conſiliis, nec non rebellium Cardinalium auſis fretus, omnia extrema illi intentaret: ac præter armatas copias, Eccleſias quoque vniuerſas contra illum armaret. In hoc ardore, querelis, minis, promiſſis, ſummaque ipſius vigilantia res celerius quam alioqui feciſſent, adminiſtrabantur: & nihilominus multis difficultatibus contra pugnantibus, ſegnius omnia procedebant. Operarum, tormentorumque in caſtris paucitas erat: ne Venetorum quidem tormenta ſatis erant magna. His accedebant tempeſtatis humidioris incommoda: quo fiebat, vt tormentarius puluis vim conſuetam minime oſtenderet. Cæterum ille vt victoriam, conſequeretur, nulli rei parcebat: eo amplius incenſus, quod in eius culina duo viri tormenti pila ex oppido emiſſa percuſſi interierant. quo periculo cum inde migraſſet, quia ſibi temperandum non eſſe exiſtimauerat, poſtero die reuerſus, nouis periculis, in Cardinalis Rhegini tentorium diuertere fuit coactus: quo oppidani forte eius cognita præſentia, tum ſine eius vitæ diſcrimine magnum tormentum direxerunt. Ibi manifeſtum periculum diuina vtique euaſit ope. quippe globus ferreus inſtar humani capitis, repente ab hoſtibus eo prægrandi æneo tormento excuſſus, deiecto tentorio, nihil omnino Pontificem ipſum, aut quemquam eorum qui Pontifici in conſilio aderant læſit. Id enimvero Pontifex B. Mariæ Lauretanæ debere ſe profeſſus eſt: ſiue quod ad bellum iturus, ei vota conceperat: ſeu quod ad primum bombardæ fragorem Lauretanam Virginem inclamarat. Vnde gratiis Deo Deiparæque impenſe actis, globum illum in Sacroſancto ſacello ſuſpendi iuſſit, monumentum poſteris, quanta peſtis eſſet à ſuo capite Lauretanæ Virginis præſidio depulſa. ſuſpenſus eſt globus è pariete, à latere ſiniſtro aræ, quod vulgo cornu Epiſtolæ vocatur, vbi nunc quoque monſtratur, viſiturque. Deditionem tandem Mirandula fecit: quam ille mox Ioanni Franciſco Pico reſtituit, in eumque filiorum Ludouici iura, velut iuſto bello parta tranſtulit, ea tamen lege, vt intra certum tempus aureorum nummum viginti millia ſumptuum factorum nomine Pontifici perſolueret, atque ea de re filium obſidem daret. Ne autem cam educto exercitu Galli occuparent, quingentos Hiſpanos, & trecentos Italos pedites impoſuit. Mirandula, Sermidum in agro Mantuano ad Padi ripam poſitum caſtellum, maxima Ferrariæ ſtatim occupandæ ſpe profectus eſt. quare eadem die qua Mirandula potitus eſt, niſi antequam reliqua pacis capita proponerentur, ſibi Ferraria dederetur, nullum de pace ſermonem auditurum admodum explicate Alberto Pio reſponderat. At nouis Gallorum conſiliis, eius quoque ſunt mutata conſilia. Rex etenim cum quantum Mirandula amiſſa, rerum ſuarum eſſet authoritas imminuta animaduertiſſet, Pontificis vero animum ſponte ad pacata conſilia conuerti poſſe deſperaret, Ciamontio mandauit, vt non modo in Ferrariæ defenſionem incumberet, verum etiam ſi commoda occaſio daretur, à Pontificio imperio infeſtando minime abſtineret. Quocirca cum Ciamontius copias vndique compararet, Pontifex ducum conſilio Bononiam ſe recepit, ac paucos poſt dies Rauennam profectus, Mutinam Cæſari reſtituit. inter quæ Ciamontius in grauem ægritudinem incidit, atque Corregium delatus, quintodecimo poſt die ſupremum vitæ ſuæ diem clauſit: ante obitum tamen religioſe admodum ſe ſuarum in Eccleſiam offenſionum pœnitere declarauit, publicoque ſcripto à Pontifice ſuppliciter petiuit ſibi delicta condonari: quod quidem eo viuo conceſſum, ad eius notitiam morte interueniente peruenire minime potuit: qui dum vixit, propter ſummam Rothomagenſis Cardinalis potentiam, & propter pene liberam Inſubriæ, omniumque Regiorum exercituum potentiam magnæ in Italia authoritatis, virtute autem tanto oneri admodum impar fuit. Nam in tanto honoris gradu conſtitutus, nec bellicas artes ipſe per ſe norat, nec ſcientibus fidem habebat: vt cum poſt patrui obitum imperitia ipſius non iam ſubleuaretur à gratia, tandem à militibus tantum non contemneretur: quibus ne ſe apud Regem deferrent, maximam licentiam permittebat. Ciamontii obitu, res bellicæ aliquantum fluctuarunt: neque minus, aut minori ambiguitate nutabant Principum conſilia, præſertim Cæſaris, qui inexpectato Epiſcopum Gurcenſem Mantuam ad agendum de pace mittere conſtituit. Hoc internuncio, vt ſupradictum eſt, inter Galliæ Regem & Cæſarem incunte Vere graue bellum Venetis inferre, & ſi Pontifex Cameracenſi fœderi non ſtaret, Concilium conuocare conſtitutum fuerat. ad quod Cæſar admodum propenſus, poſt Gurcenſis reditum, patrimonii ſui Antiſtites, vt qua ratione, quove loco celebrandum eſſet deliberarent, conuocauerat. Verum vt erat natura varius, inconſtans, & Gallico nomini infenſus, Aragoniæ Regi deinde aures præbuerat: qui cum ex Cæſaris Gallorumque concordia, & Venetorum communibus armis depreſſione: Pontificis quoque per Concilium pernicie, Galliæ Regis potentiam ſupra modum auctum iri animaduerteret, communem pacem, modo per eam vel omnia, vel maiorem partem eorum conſequeretur quæ Veneti occupaſſent, vtiliorem fore ei perſuadere ſtuduerat, hortatuſque erat, vt ad hoc virum aliquem inſignem cum ampla poteſtate Mantuam mitteret, atque vt Galliæ Rex idem faceret, curaret: ſe quoque miſſurum, eaque ratione Pontificem idem facere non recuſaturum, nec denique à tot Principum voluntate diſceſſurum. ex cuius conſiliis cum Venetorum conſilia penderent, niſi ſoli deſeri vellent, eius authoritatem ſequi cogerentur: Cæſarem ſine labore, ſine armis, ſine Galliæ Regis exiſtimationis potentiæve incremento, ſumma cum gloria, & communi omnium pace ſua obtenturū merito ſperari poſſe: etſi etiā nō id eueniret quod iure deberet, non ideo belli conſtituto tempore, eademque opportunitate inferendi facultate priuari: Imo cum ipſe omnium Chriſtianorum Principum caput ſit, Eccleſiæque patronus, eius rationes magnopere auctum iri, gloriamque hoc conſilio vehementer cumulari. Ipſum namque pacī & Chriſtianorum concordiæ præcipue cupidum fuiſſe: ad bella vero aliorum pertinacia peruerſiſque conſiliis impulſum cunctis mortalibus perſpicuum futurum. Rationes à Catholico Rege adductæ Cæſari placuerunt: ideoque tempore eodem ad Pontificem, & ad Regem Galliæ ſcripſit: ad Pontificem ſe Gurcenſem in Italiam mittere decreuiſſe, quod vt Principem religioni deditum, proque Imperatoria dignitate Eccleſiæ patronum, omniumque Chriſtianorum Principum caput deceret, quantum poſſet Sacroſanctæ Sedis tranquillitatem, & Chriſtianæ Reipubl. pacem promouere ſtatuiſſet: eumque hortari, vt quemadmodum ad verum Chriſti Vicarium ſpectaret, eundem animum induceret: ne, ſi is Pontificio munere minus fungeretur, ipſe Chriſtianorum quieti neceſſaria remedia excogitare cogeretur. Quod Cardinales abſentes purpurei galeri dignitate priuare moliretur, ſe non probare: quaſi nec malis conſiliis, nec eius odio abſceſſiſſent: adeoque neq; eam pœnam meriti eſſent, neque Cardinalium abdicationem ad Pontificem ſolam ſpectare. Monere etiam, rem eſſe valde indignam inutilemque, in tanta rerum perturbatione nouos Cardinales creare: quod etiam legibus quibus à Cardinalibus eſſet ad Pontificatum aſſumptus facere prohiberetur: hortari, huiuſmodi negotium in magis tranquillum tempus, quo nec neceſſitas, nec cauſa vlla eſſet, vt ad tantam dignitatem, niſi viri prudentia, doctrina, moribus probatiſſimi promouerentur, differret. Ad Galliæ vero Regem, ſe cum eius ad honeſtam tutamque pacem propenſionem notam haberet, Epiſcopum Gurcenſem Mantuam ad agendum de communi pace legare conſtituiſſe: ad quam non leuibus argumentis ducebatur, vt Pontificem, cuius authoritatem Veneti ſequi cogerentur, propenſum eſſe crederet: Idem quoque Aragoniæ Regis Oratores promiſſuros: eamque ob cauſam ſe, vt & ipſe legatos amplis cum mandatis eo mitteret, poſtulare: quibus congregatis, Gurcenſem cum Pontifice vt idem faceret acturum: qui ſi nolit, omnium nomine Concilium ei indicturum: vtque maiori æquitate fierent, communibuſque controuerſiis finis imponeretur, Gurcenſem om-

Pontifex & Gallus de pace tractant.

Mirandula Pontifici traditur.

nium causas auditurum: quouis autem euentu id Regi promittere se, nunquam cum Venetis pacem initurum, nisi eodem tempore eius controuersiæ cum Pontifice finem haberent. Ea res Pontifici fuit grata, haud equidem pacis concordiæve causa: sed quia cum Senatum Venetum, vt cum Cæsare pacisceretur flecti posse persuasum haberet, Cæsarem hac ratione societatis cum Galliæ Rege necessitate liberatum, ab eo disiunctum iri sperabat: Vnde facile multorum Principum in Regem conspiratio oriri posset. Regi vero Galliæ hæc improuisa deliberatio molestissima fuit. Cum enim communem pacem inde peruenturam non speraret, rebus inter se ac Cæsarem constitutis moram interpositam, minimum de malis fore censebat: ac ne Pontifex ad Insubrię principatum occupandum auxilio Cæsari promisso, Gurcensi autem galeri dignitate aliisque beneficiis eum à se alienaret, vel saltem compositione cum Venetis maiore commodo Cæsaris procurata, se in pacis vel ignominiosissimis legibus accipiendæ necessitatem coniiceret, verebatur. Cæsaris cum Heluetiis, quamuis tantum ad defensionem recenter initum fœdus suspicionem augebat: Hispanum Regem, de cuius animo multis de causis vehementer suspicabatur, huius noui consilii Cæsari authorem fuisse existimabat: eius Oratorem palam apud Cæsarem de concordia inter ipsum ac Venetos vehementer egisse, atque etiam nunc agere non ignorabat: eundem clam Pontifici, in cuius exercitu copiæ ipsius longe diutius quam regni Neapolitani beneficium postularet fuissent, stimulos addere credebat: eundem quo actiones suas impediret, vehementer Concilii indictioni intercedere, & honesti specie, quod Italia bellis flagrante, atque armata vi, de eo opere instituendo ageretur: quod sine omnium Principum concordia, nihil aliud nisi perniciosissimos fructus edere posset, palam damnare sciebat: validissimam classem in mari recenter ab eo parari compertam habebat: & quamuis se in Africam traiicere velle palam prædicaret, vtrum tamen in alium finem pararetur sciri non poterat. Eius item dulcissima verba suspicionem multo magis augebant, quibus Regem vt cum Pontifice pacem iniret, atque etiam si aliter fieri non posset, aliquid de suo iure remitteret, nec se contra antiquam Galliæ Regum pietatem, Ecclesiæ hostem ostenderet: neque sibi pro Christi nominis gloria aduersus Africæ Mauros destinatum bellum impediret: eodemque tempore omnem Christianam Rempublicam turbaret, pene fraterna oratione rogabat: ac semper in Christianorum Principum consuetudine fuisse, cum aduersus impios arma pararent, in tam pia causa ab aliis auxilium petere: sibi vero si non impediatur satis esse: nec aliam opem ab eo petere, nisi vt Italiam pacatam esse pateretur. Quæ etsi Regi ab eius Oratore, & Regio apud eum legato, ab ipsomet admodum leniter, cumque magna amoris significatione essent expolita, tamen tacitam armorum pro Pontifice sumendorum attestationem continere videbantur: quod quidem Regi, nisi sperasset se Cæsarem in eandem sententiam adduci posse, ausurum minime verisimile videbatur. Hæc Regis animum non mediocriter angebant, ac suspicione onerabant, ne pacis negotium per Gurcensem aut vanum, aut perniciosum esset futurum. tamen quo minus Cæsari indignationis causam præberet, Parisiensem Episcopum, summæ authoritatis Antistitem, & in Iurisprudentia versatum, Mantuam legare decreuit. Eodem tempore Ioanni Iacobo Triultio qui Sermidi commoratus, ad maiorem castrorum & commeatus commoditatem, in plura circumposita oppida copias distribuerat, se per eum bellum geri velle ea norma, ne propter aduentus Gurcensis expectationem Pontificias res inuaderet significauit. Gurcensis aduentus ideo aliquanto tardior fuerat, quia Salone ad lacum Benacum complures dies frustra Pontificis, quem literis vt legatos ad agendum negotium mitteret, rogauerat, responsum expectauit. Tandem Petro Vrrea Aragoniæ Regis apud Cæsarem assiduo legato, comitatus Mantuam venit: quo paucos post dies & Parisiensis Episcopus, quod Galliæ Regi, qui vt pacis negotiis & belli apparatibus esset propinquior Lugdunum, Pontificem quoque comissurum persuasus venerat, peruenit. At Pontifex, & quod id magis ex Pontificia dignitate esse duceret, & quod honore ac promissorum multitudine, & præsentiæ suæ vi atque authoritate, in suam sententiam magis quam antea vmquam à concordia & pace alienissimam eum pertrahere speraret, Gurcensi vt ad se veniret instabat. Quod vt ei facilius persuaderet, vt Hieronymus Vichius Valentinus, Catholici Regis apud se Orator, ad eum iret curauit. Gurcensis ad Pontificem ire non recusabat, sed id à se primum postulari aiebat, quod post esset agendum, & difficultates si prius Mantuæ eo animo tractarentur, vt rebus deinde digestis, ac pene confectis ad Pontificem iretur, facilius amoueri posse: ad idem quoque non minus necessitate, quam facilitatis ratione compelli asserebat. Qui enim conueniret Parisiensem Episcopum à Galliæ Rege in Cæsaris gratiam Mantuam missum solum relinqui? Qua spe ab eo Regis sui negotia agi possent? Qua fronte vt secum ad Pontificem iret ab eo postularet? Neque enim ex mandato, nec ex dignitate Regis in hostis domum, antequam eorum controuersiæ aut omnino, aut pene compositæ essent, ire poterat. Contra duo Aragonenses legati arguentes, omnem spem pacis ex Ferrariensium rerum compositione pendere ostendebant. Iis etenim compositis, nullam amplius Venetos fouendi causam Pontifici reliquam esse, qui quibus legibus Cæsar ipse vellet, paci cedere prorsus cogeretur: Sacratissimam Sedem in Ferrariensem ciuitatem potentissima iura habere: Alfonsum Estensem præterea in se ingratissimum extitisse, multasque sibi iniurias intulisse à Pontifice existimari: & ad placandum eius animum vehementer commotum, æquius esse vt beneficiarius domini clementiam imploret, quam vt de iure disceptet. Quare cum clementia sit exoranda, non modo æquum esse, sed propemodum necessarium ad eum se conferre: quod si fieret, quin mitior factus de seueritate multum esset remissurus, non esse dubitandum: nec se eam diligentiam, industriam, autoritatemque quæ erga Pontificem vt ad pacem flecteretur vtendum erat, in persuadendo vt mitteret insumi vtile existimare: elegantissimis deinde verbis subiiciebant controuersias, nisi partes, ad sint, nec disputari, nec tolli posse: Mantuæ vero vnam tantum adesse. Cæsarem enim, Regem Christianissimum & Catholicum ita fœderibus, affinitatibus, & amore esse coniunctos, vt tanquam fratres censeri debeant, singulorumque causæ omnibus communes. Gurcensis tandem, Parisiensem Episcopum, quid sua profectio esset paritura Parmæ expectaturum ratus assensus est. Eodem tempore Pontifex, tum vt sibi Principum animos conciliaret, tum vt se contra Concilii minas doctis, peritis, & magnæ in Romana Curia autoritatis, sibique fidis hominibus armaret, octo Cardinales ad sextum Idus Martii Rauennæ creauit: in quibus Achilles Grassus Bononiensis, Episcopus Tiphernas: Petrus Accoltus Aretinus, Episcopus Anconitanus: Antonius Montes, Episcopus Sypontinus: Christophorus Anglicus, Archiepiscopus Eboracensis Angliæ Regis Legatus: Franciscus Argentinus Venetus, Episcopus Concordiensis: Bendinellus Saulius Genuensis, designatus Episcopus Locrorum, Alfonsus Petruuius Senensis, designatus Grossetanus, & Mathæus Episcopus Sedunensis. Hunc tanquam virum ad gentē Helvetiorum concitandam aptissimum: Anglum vero, quia ab ipsius Rege, quem iam in Gallos cōmouere non parū sperabat, fuit rogatus. Vt autem Gurcensi pene certum eiusdem dignitatis pignus exhiberet, eaq; ratione faciliorem eum sibi redderet, ex Cardinalium consensu, vnius præterea nominandi sibi facultatem, quem animo inclusum haberet suo reseruauit. Cumque Gurcensem ad se venturum certior esset factus, eum summo honore accipere decreuit. ac in magnifica ciuitate quæ etiam honorem augeret eum acciperet, Rauenna Bononiam rediit: quo tertio post ipsius aduentum die Gurcensis peruenit, tanto honore acceptus, vt ne Rex quidem vllus fere maiore accipi posset. Nec minor in Gurcensi pompa & magnificentia enituit. Cum enim Cæsaris in Italia Vicarii nomine veniret, Principum ac nobilium cum eorum omnium familiis admodum splendide indutis atque ornatis, magnum secum habebat comitatum. Ad vrbis portam, Senatus Veneti apud Pontificem Legatus ingentis submissionis signis ostensis, ei obuiam processit: aduersus quem ille incredibili fastu plenus, oratione

ac gestu admodum superbo, cum qui Cæsaris hostium personam gereret, ante suum conspectum se ausum fuisse ostendere indignatus, se conuertit. Hac pompa in Senatum vsque, vbi eum cum omnibus suis Purpuratis præstolabatur Pontifex deductus, breui, sed superbissima oratione, se à Cæsare, rerum suarum, potius pacis quam belli artibus consequendarum studio in Italiam missum: pacem vero, nisi à Venetis omnia quæ quauis ratione ad eum spectarent restituerentur, locum habere non posse proposuit. Post publicum consessum, seorsim cum Pontifice in eandem sententiam eodemque fastu locutus est: quibus verbis ac signis postero die non minus superba facta adiunxit. Cum enim Pontifex ex ipsius consensu tres Cardinales, qui cum eo agerent delegisset, nempe San Georgium, Rheginum, ac Medicem: quibus constitutam conuentus horam expectantibus, ipse quasi cum alio quam cum Pontifice Maximo quicquam agere se indignum esset, tribus ex suis nobilibus qui cum eis agerent missis, se aliis negotiis occupatum excusauit: quam indignitatem Pontifex iustissimo in Gallos odio naturam suam vincente, cum multis aliis deuorabat. In Cæsaris autem cum Venetis concordia, de qua prius agi cæptum est, multæ erant difficultates. Nam etsi Gurcensis qui oppida ante omnia postularat, tandem vt Patauium atque Tauriſum cum eorum omnibus agris & appendicibus retinerent, assentiretur; nihilo tamen minus eos Cæsari maximam pecuniæ vim pro eis numerare; beneficium ab eo tamquam à Domino agnoscere: eique reliquorum locorum iura cedere volebat. quæ in Veneto Senatu reiiciebantur, vbi omnes vna voce postquam Patauium Tauriſumque ita munierant, vt earum vrbium iacturam non timerent, pecunias conseruare Reipub. vtilius esse decernebant. Nam si vmquam tempestas hæc sedaretur, aliquam Imperii facile recuperandi occasionem dari posse. At Pontifex, quoniam Cæsaris à Galliæ Rege alienationem hinc oriturarn sperabat, ipsorum cum Cæsare concordiæ studio ardebat. Ideo partim precibus, partim minis eos ad propositas leges accipiendas vrgebat. Eius vero authoritas apud illos eo erat leuior, tum quod vnde tantum studium manabat intelligerent: tum etiam quia cum scirent quam illi eorum societas, nisi Regi Galliæ conciliaretur esset futura necessaria, se ab eo nunquam desertos iri certo arbitrabantur. Tamen postquam multos dies esset disputatum, Gurcensi aliquid de pertinacia sua remittente, & Venetis vehementissimæ Pontificis petitioni plusquam decreuissent cedentibus: Aragoniæ quoque Regis Oratoribus, qui omnibus consiliis intererant interpositis, tandem sic conuenturi videbantur, vt Venetis ad Patauium Tauriſumque ex Cæsaris voluntate retinenda, magnum quendam pecuniæ numerum, sed longis temporibus persoluerent. Reliqua erat Pontificem inter & Galliæ Regem conciliationis causa. Inter hos nulla alia, nisi ob Ferrariensium res controuersia apparebat. Eam Gurcensis, quoniam Cæsar absque hac non conuenire statuerat, vt dirimeret, Pontificem quem rarissime conuenerat, spe à Cardinali Papiense & Catholici Regis Oratoribus facta negotium minime difficile ratus, adiit. Nam & Galliæ Regem, minore dignitatis quam quietis habita ratione, multis, quæ Duci non paruum allatura essent detrimentum assensurum præsumebat. Pontifex autem eius oratione fere statim ab initio interrupta, contra vt rebus cum Venetis compositis Ferrariensium res ancipites dimitteret, hortari cœpit: simulque Cæsarem, tot à Gallis acceptas iniurias alienis viribus opibusque vlciscendi paratissimam occasionem non agnoscere, cumque id quod merito iure ipse sommopere supplex orare deberet, vt rogaretur expectare, querebatur. Ad quæ Gurcensis cum multis adductis se satis respondisse arbitraretur, nec ab ea sententia illum posset deducere, se pacis cum Venetis negotio minime perfecto discedere velle significauit, pedibusque de more osculatis, eodem die, qui fuit ab eius Bononiam aduentu decimus quintus, frustra quamprimum vrbe egressus est, qui eum reuocarent à Pontifice missis, Mutinam, inde Mediolanum versus multa de Pontifice questus profectus est: præsertim vero, quod dum eius in Italiam aduentu arma pene essent suspensa, ad Genuensium res tentandas Albintimilium Episcopum clam misisse diceretur: cuius profectionis nuntio ad Gallos perlato, ita incognitum vt erat, in Monteferrato eum capi curarint, vnde Mediolanum perductus, itineris sui causas, consiliaque omnia patefecerit. Gurcensis cum Bononia discederet, ab Aragoniis legatis, qui cum vt videbatur multum de communi pace contendissent, se Pontificis constantia valde commotos ostendebant, vt trecentos Hispanos cataphractos in Neapolitanum regnum redire iuberent petiit, cui ipsi prompte assenserunt. Quare nemo erat qui non summopere miraretur, Pontificem quo tempore de Concilio agebatur, & Gallica Germanicaq; arma duorum Regum præsentia in Italia valida fore credebantur, præter Galliæ Regis inimicitiam, Cæsarem quoq; à se alienare, seq; Catholici Regis auxiliis priuare. Nonnulli in hoc, sicut in pleriſq; aliis rebus Aragoniæ Regis consilia, ab iis quæ ostendebātur diuersa esse, ciuſq; Oratores aliud palam, aliud clam cum Pontifice egisse suspicabantur. Nam cum nouis offensionibus Galliæ Regem prouocasset, iisque antiquarum memoriam suscitasset, ne cæterorum omnium pacem, Venetis ditione, opibus, atq; existimatione debilitatis, Romanorum Rege in Italia parum potente, vario, inconstante, & plusquam antea vmquam prodigo, sibi maxima allaturam pericula metuendum videbatur: alii subtilius disserentes, fieri forte posse, vt Pontifex, etsi Rex Catholicus se eum deserturum attestaretur, suosque milites reuocaret, illum tamen, vbi quantum ipsi eius calamitas esset nocitura cogitasset, semper in maioribus periculis se sustentaturum cōfideret, interpretabantur. Pacis spe Gurcensis discessu perturbata, etsi Pontifex quatriduo post Morauiæ Episcopum Scotiæ Regis apud se oratorem, vt de pace cum Galliæ Rege concilianda ageret ad eum misisset: Triultius tamen bellum Pontifici inferre properauit, & occupatis nonnullis oppidis, Bononiam occupare Bentiuolorum factione conatus, castra prope admouit. Pontifex, cum suos duces nec literis, nec legationibus, ad dimicandum cum hostibus flectere potuisset, ac mille ex peditibus ipsius Centum ingressi, nisi accepto stipendio se illinc discessuros negassent, periculo propius inspecto, Rauennam se conferre volens, Quadraginta virorum Magistratu ad se vocato, eis Pontificii beneficii imperio, suaque opera & labore ipsos ex acerbissimæ tyrannidis iugo in libertatem vindicatos esse, multas immunitates assequutos, à se priuatim ac publice maxima beneficia accepisse, in memoriam reuocauit: indiesque plura consequuturos: quibus rebus cum antea dura seruitute oppressi, atque à tyrannis contumelioſe conculcati in cæteris Italiæ locis nihili fierent, nunc honoribus ac diuitiis nobilitatos, vrbem artificiis mercaturaque refertam: & nonnullos eorum ad amplissimas dignitates euectos, Bononiam vbique in pretio existimationeque haberi: liberos sui que iuris esse, Bononiæ eiusque agri totius dominos. Bononiensium esse Magistratus: Bononiensium honores, vectigalia, ciuitatem: Pontifices pene solo nomine contentos tantum honoris specie in ea Legatum Gubernatoremve habere, qui sine ipsis de rebus grauibus statuere nihil posset, & in iis quæ suo tamen essent permissa arbitrio, pleraque ad ipsorum iudicium voluntatemque referri. quod si ob hæc beneficia, felicemque quo fruerentur statum propriam libertatem tueri statuissent, à se non secus auxilium defensionemque expectarent: quam si Roma ipsa simili in discrimine versaretur: se vt Rauennam proficiscatur grauibus de rebus compelli, nec tamen ideo Bononiensium salutis oblitum, vel oblitu rum esse: cuius gratia Venetas copias quæ cum Andrea Gritto trans Padum erant, hancq; ob causam Sermidi pontem iaciebant, cum suo exercitu coniungi mandasset. Hos apparatus ad ipsos tuendos satis superque esse; sed tamen animum suum, nisi etiam belli molestia eos liberaret, non conquiescere. Quapropter vt Gallos iterum ad propria defendenda compelleret, decem millia Heluetiorum quæ in Mediolanensem agrum descenderent, iam esse in procinctu. qui vt statim mouerentur, viginti aurcorum nummum millia à se Venetias missa, totidemque à Venetis conferri. Nihilominus si sub Bentiuolorum iugum redire, quam Pontificiæ libertatis beatitate frui ipsis esset gratius, rogare se vt sibi libere voluntatem suam aperirent, quam ipse quoque esset sequuturus. Illud autem eos monere, quod si vrbem propugnare statuerent, tempus opportu-

Triultius ad Bononiæ castra ponit contra Pontificē.

num aduenisse, quo sui animi magnitudinem ostendere, Sacrosanctam Sedem, se atque omnes futuros Pontifices sempiterno officio deuincire possint. Huic orationi, vbi inter se consultassent, Senatus princeps Bononiensi magniloquentia communi omnium nomine respondit: Bononiensium fidem, beneficiorum acceptorum gratam memoriam, & erga eius nomen infinitam propensionem magnifice extollens: felicem in quo versarentur statum agnoscere: quantumque tyrannis exactis, eius ciuitatis splendor atque opes creuissent: & cum antea vitam ac facultates aliorum arbitrio subiectas haberent, nunc vndique tutos patria tranquille frui, administrationis participes, participesque vectigalium: nec quemquam ipsorum esse qui non priuatim multa beneficia honoresque ab eo se accepisse libenter agnosceret: videre in sua ciuitate sacræ purpuræ dignitatem renouatam: videre in ciuium suorum familiis multa sacerdotia, multaque præcipua Romanæ Curiæ munera: ob quæ innumera beneuolentiæ argumenta beneficiaque eximia, ante omnes facultates impendere, ante coniugem liberorumque salutem in discrimen vocare, ante propriam vitam ac sanguinem amittere paratos esse, quam ab eius & Sacrosanctæ Sedis obseruantia discedere. Iret lætus ac felix, absque rerum Bononiensium aliquo vel metu, vel scrupulo. prius enim ipsum auditurum, Renum populi Bononiensis sanguine exundasse, quam eam vrbem aliud nomen inuocare, aut alteri Principi quam Iulio Pontifici parere.

II. Hæc verba maiorem Pontifici quam oportebat spem dederunt, qui Papiensi Cardinale ibi relicto, etsi Hispanis equitibus qui Neapolim reuertebantur comitatus esset, Rauennam non recto itinere, sed Ferrariensis metu longiore via per Forumliuii contendit. Triultii ad Lainum pontem aduentu, maxima in Bononiensi ciuitate commotio ostendebatur, hominum animis multis variisque cogitationibus distractis. Multi namque tyrannidis licentiæ, aliorumque opibus ac pecuniis vitam tueri assueti, Pontificium Imperium perosi, maximo ardore Bentiuolorum reditum expetebant. alii acceptis detrimentis, quæque se accepturos metuebant, quum in suis prædiis, instante messis tempore, duos tantos exercitus viderent, in grauem redacti desperationem, omnia quæcumque eos ab huiusmodi malis liberare possent exoptabant. alii veriti ne aliquo tumultu in ciuitate exorto, aut Gallorum felici successu, quorum cum primum Ciamontio duce Bononiam venerunt, impetus memoria adhuc ob oculos versabatur, ciuitas diriperetur: huius periculi liberationem omnibus regnis anteponebant. pauci qui se antea Bentiuolorum hostes declararant, voluntate magis quam factis Pontificio Imperio fauebant. toto autem populo, partim rerum nouarum desiderio, partim suæ ipsorum securitatis ac salutis ad arma concitato, omnia metu ac terrore erant referta: & in Papiensi Cardinale, Bononiæ legato, nec animus, nec consilium tanto periculo par aderat. Cum enim in tam magna ac frequenti ciuitate, vltra ducentos leuis armaturæ equites, & mille pedites non haberet, vehementiusque in discordia cum Vrbinatium duce, qui Casaleccii, cum exercitu erat perseueraret, seu casu, seu fato ductus, ex ciuium numero quindecim belli præfectos legerat, quibus cum eorum cohortibus ac populo vrbis & portarum custodiam commiserat: quorum (quod in eligendis prudentia non esset vsus) magna pars ex iis erant qui Bentiuolis studebant: & inter hos Laurentius Ariostus, qui prius Romæ coniurationis cum Bentiuolis initæ suspicione in carcerem coniectus, quæstionibus habitis, diu in Adriani mole custoditus fuerat. Hi quamprimum arma in manibus habuere, occulta colloquia & conuenticula inire, seditiososque in vulgus sermones spargere cœperunt: quibus rebus cognitis Legatus sero propriam imprudentiam cœpit agnoscere: vtque periculum in quod seipsum coniecerat vitaret, Vrbinatem cum cæteris belli ducibus sic postulare fingens, vt cum suis cohortibus in castra irent, voluit. Cum autem illi se vrbis custodiam deserere nolle responderent, Ramazzotum cum mille peditibus introducere tentauit, qui populo prohibente ingredi non potuit. Qua re Cardinalis mirum in modum animo consternatus, cum administrationem suam populo summopere odiosam esse, seque in nobilitate, quoniam non multo ante (etsi vt dicebat, Pontificis iussu) Regia potestate vsus, tres honestos ciues securi percuti iusserat, multos inimicos habere recordaretur, quamprimum nox fuit, clam per occultum ostium vestitu incognito palatio egressus, in arcem tam præcipitanter se recepit, vt gemmas pecuniamque suam auferre obliuisceretur: quibus (cum ad ea tollenda misisset) acceptis, per auxiliarem portam Imolam versus, Guido Vaina sororis suæ marito, equitum ad custodiam suam delectorum duce, cum centum equitibus comitatus contendit: & paulo post ipsum, Octauianus Fregosius vno tantum itineris duce arce egressus est. Legati fuga cognita tota vrbe tumultuante populi nomen inclamari cœptum est: quam occasionem ne amitterent Laurentius Ariostus & Franciscus Rinuccius, & ipse ex quindecim illis vnus, & ex Bentiuolorum factione, multis eiusdem factionis hominibus sequentibus, ad portas Felicianam & Lamariam, Gallorum castris adeundis commodiores, currentes, securibus eas effregerunt: iisque occupatis sine mora ad Bentiuolos accersendos miserunt: atque ii sine mora adfuerunt. Bononiæ rebellioni exercitus fuga fuit coniuncta. Nam ad tertiam noctis horam, Dux Vrbini, cuius copiæ à Casaleccii ponte vsque ad portam quæ Saragoza dicitur extendebantur, Legati (vt creditur) fuga, & populi motu cognito, cum toto exercitu, iis exceptis qui ad castrorum custodiam constituti, erant ab ea parte fluminis quæ ad Gallos vergebat, quibus de suo discessu nihil significauit, tentoriorum maiori parte relicta, tumultuose discessit. cuius motu Bentiuoli qui iam in vrbe erant cognito, Triultio statim indicarunt, & populi partem ad eos persequendos emiserunt: qui vna cum rusticis, qui iam vndique ingentibus clamoribus ac strepitu descendebant, exercitum qui præter mœnia transibat adorti, tormenta cum eorum apparatu, & magna impedimentorum multitudine ceperunt: quamuis Gallorum interuentu, populo ac rusticis prædæ maior pars sit ablata: iamque Theodorus Triultius cum primo agmine ad Rheni pontem peruenerat: vbi eos Raphael Paccius, strenue pugnando aliquamdiu sustinuit. sed tandem cum tanto maiorem numerum sustinere non posset, Pontificiis militibus, sua virtute non parua (quemadmodum omnes fatebantur) euadendi data occasione, captus fuit. Venetorum autem copiæ, cumque iis Ramazzotus, qui in eminentiore Diui Lucæ monte castra habebat, Vrbinatis fuga serius audita, montana via vt saluti consulerent suæ, iter cœperunt: qua via, etsi magno detrimento accepto, in Aemiliam tamen peruenere. In hac victoria sine certamine parta, quindecim maiora tormenta, multaque minora, partim Pontificis, partim Venetorum, ipsius itemmet Ducis vexillum, cum pluribus aliis: Impedimenta Pontificiorum pleraque, & Venetorum fere omnia capta fuere: aliquot Pontificii equites spoliati: Venetorum autem plus centum quinquaginta, & vtriusque exercitus pene omnes pedites dissipati: VRSINVS MVGNANENSIS, IVLIVS MANFRONVS, multique centuriones capti. Bononiæ nullæ cædes factæ: nemini neque ex nobilitate, neque ex populo vis illata: tantummodo Clusinus Episcopus, & multi alii Antistites, à secretis, aliique Legati ministri qui in eius ædibus relicti fuerant (omnes enim suum discessum celauerat) capti. Eadem nocte & sequenti die populus Bononiensis, æneam Pontificis statuam correptam, per forum multis contumeliis ac ludibriis, siue eius rei Bentiuolorum Satellites autores fuerint, siue calamitatum ac detrimentorum belli fastidio, vt suapte natura est ingratus, rerumque nouarum cupidus populus, eius qui ipsorum patriæ libertatis felicitatisque autor fuisset, nomen ac memoriam odisset, traxit. Postero die qui fuit vigesimus secundus Maii Triultius iisdem castris se continuit: altero Bononia à tergo relicta, ad Lidicem fluuium perrexit: deinde ad castellum San Petri in agri Bononiensis extremis finibus positum constitit: vt antequam vltra procederet, quænam esset Galliæ Regis mens, vlterius ne in Pontificis ditionem progredi, an Ferrariam periculo liberasse, & Pontifici Bononiam, quam sua opera acqui-

Bononiensium de Triultij exercitu metus.

Bononiensium rebellio.

fierat,

fierat, ademisse contentus, victoriæ cursum terminare vellet, expectaret. Ideo cum Ioannes Saxatellus Pontificiorum & ipse militum ductor, quique Gibellina factione Imola eiecta, tamquam Guelforum caput fere ei ciuitati imperabat. Imolam ipsi clam tradere vellet, noluit, donec à Rege responsum haberet, accipere. Relinquebatur Bononiensis Citadella (id arcis est nomen) in qua erat Episcopus Vitellius, ampla quidem & munita, sed a reliquis bellicis rebus imparata. Pauci enim erant in ea milites, parum commeatus, & fere nullus tormentorum apparatus; in quam dum obsideretur Vitfurstius Cæsaris legatus Bononiensi re audita, noctu Mutina venerat, vt magnis pollicitationibus Episcopo vti eam Cæsari traderet persuaderet. Episcopus vero die quinto, eorum qui intus erant, vna cum fortunis salutem pactus, triumque ducatorum millium sibi certo tempore soluendorum cautione accepta, eam Bononiensibus tradidit: qua accepta, statim populus ad eam diruendam cucurrit, Bentiuolis adiuuantibus, non tam vt ciues sibi beneuolos redderent, quam quod vererentur, ne eam Galliæ Rex in sua potestate, vt iam nonnullorum ducum de ea petenda sententia fuerat, incitantibus habere vellet: sed Triultius, credi Regem Bononiæ dominium affectare, à Regis vtilitate alienum ratus, repugnauit. Huius victoriæ occasione Ferrariensis, præter Centum & Plebem, Cotiniolam quoque, Lucum, & alia oppida in Gallia togata recepit: eodemq; tempore Albertum Pium Carpio, quod paribus auspiciis secum possidebat expulit.

III. Bononiensi iactura Pontifex vt par erat maximam sensit molestiam, non modo eam ob causam, quod totius Pontificii Imperii post Romam præcipua & nobilissima vrbs ipsi esset erepta; quodque ea gloria quam apud omnes magnam in ea obtinenda comparauerat, spoliatus videretur; verum etiam ob timorem, ne victor exercitus victoriæ fortunam sequeretur; cui cum se obsistere non posse cognosceret, occasiones quæ ad vlterius persequendum inuitarent, tollendi cupidus, vt Venetarum copiarum reliquiæ, iam à Senatu reuocatæ ad Cæsenaticum portum naues conscenderent, vrgebat: eademque de causa, sibi viginti ducatorum millia, ante Venetias ad Heluetios concitandos missa, quæ adhuc in ea ciuitate erant restituerentur, mandauit. Effecit etiam vt Cardinalis Nannetensis, natione Britto, velut proprio motu Triultium ad pacem hortaretur, doceretque eius tractandæ tempus opportunum adesse: qui hoc modo agi non conuenire, sed particulate, & expresse ad ipsa capita necessaria veniendum esse respondit: Regem cum pacem expetebat capita proposuisse: nunc Pontificem, quando ita rerum status ferret, vt ipsius esset optare, idem facere debere. Hoc modo agebat Pontifex, magis vt præsens periculum euitare, quam quod reuera esset animo ad pacem comparatus, vna in eius pectore, metu, atque ira iustissima conflictantibus. Quo simul tempore alius casus superuenit, qui ei dolorem duplicauit. Multi Cardinalem Papiensem apud eum accusabant, alii perfidiæ, alii timoris, alii imprudentiæ: qui sponte ad diluenda crimina Rauennam profectus, quamprimum venit, misit qui illi aduentum suum nunciarent, & horam qua se esset auditurus peterent. Qua re Pontifex, qui eum summopere diligebat, vehementer lætatus, vt secum pransum veniret inuitauit. Is Pontifici exposuit, Gallos, Bentiuolis opem ferentibus, in vrbem, à Bentiuolæ factionis Bononiensibus ciuibus, se expulso, receptos. Mox de Francisco Maria Vrbinatium Duce conquestus est, qui rei bellicæ, quemadmodum ipse dicebat, imperitus, occasionem præclarissimæ vrbis amittendæ dederit, ac quod grauius est, consilia in Pontificem cum Ferrariensi communicauerit. Quibus supra quam dici potest commotus Pontifex, adolescentis Ducis, vti Cardinalis affirmabat, ignauiam se admodum moleste tulisse, grauioribus verbis significauit. Id cum de Pontificis familiaribus, Dux, qui paulo post Alidosium Rauennam magnis itineribus venerat, resciuisset, statim Pontificem, vt se purgaret, adiit. Verum ille qui Alidosio narranti omnia crediderat, dolore victus adolescentem (vigesimum enim ætatis annum agebat) respondere paratum, audire noluit, & clamore conuicioque iactatum, è suo conspectu abire protinus, minax & acerbus iussit. Dux tam grauem iniuriam ab Alidosio sibi illatam nequaquam sibi dissimulandam aut ferendam putans, eam persecuturus Alidosium opprimere constituit. Pontifex eodem die Rauenna, vt Romam rediret discessit: cumque vix dum Ariminum peruenisset, vt eodem tempore infinitæ & grauissimæ calamitates eum vndique circumuallarent, Mutinæ, Bononiæ, & in multis aliis vrbibus, ad publica loca libellos, quibus Concilii Generalis conuocatio indicebatur, & vt ipsemet eo veniret denunciabatur, affixos esse, certior factus est. Quoniam Episcopus Gurcensis, etsi Mutina digressus, aliquot dies, vt a Scotiæ Regis Oratore, qui rerum, quas ipsemet Pontifex proposuisset gratia, Bononiam redierat, responsum expectaret, lente proficisceretur: tamen cum incerta admodum responsa retulisset, statim Cæsaris nomine tres procuratores Mediolanum misit, qui Cardinalibus transfugis & Galliæ Regis procuratoribus coniuncti, in primum proximi Septembris diem Concilium Pisis indixerunt. Cardinales Pisas animum conuerterunt, velut ad locum maris propinquitate, multis qui ad Conciliabulum venturi erant oportunum, ac Florentinorum erga Regem Galliæ, fide ac beneuolentia tutum; tum etiam quod alia loca alioqui capacia atque idonea, ipsis vel incommoda, vel suspecta erant, vel quæ Pontifex omni iusto colore improbare potuisset. In Gallia autem alioue in loco Regi subiecto, æquum non videbatur. Constantia, vna ex liberis Germaniæ ciuitatibus à Cæsare proposito, quamuis illius celebris Concilii quo tribus qui se pro Pontificibus gerebant, abdicare iussis dissidium religionis quod annos quadraginta in Ecclesia viguit, memoria illustris, vtrique parti incommoda & suspecta videbatur. Taurinum, ob Heluetiorum & Galliæ Regis propinquitatem: Bononia ante à Pontificio iure alienata Cardinalibus tuta non erat, post etiam Pontificis causa. Fuit etiam in deligendis ad Conciliabulum Pisis aucupata aliqua ex parte omnis felicitas duorum Conciliorum, quæ in ea ciuitate feliciter habita fuerunt, memoria spectata; vnum, quum pene omnes Cardinales, GREGORIO Duodecimo, & BENEDICTO XIII. qui de Pontificatu disceptabant reiectis, in ea vrbe ALEXANDRVM Quintum ad Pontificatum assumpserunt: alterum antiquius, circa annum millesimum centesimum tricesimum sextum, ab INNOCENTIO Secundo quum Petrus Leonis Antipapa, qui Anacletus Secundus nuncupatus huiusmodi seditione non modo Innocentium, verum vniuersam rempublicam Christianam vehementer vexauerat, damnatus est. Florentini id antea Galliæ Regi concesserant, qui Conciliabuli conuocationis non minus Cæsarem quam se authorem esse, cui etiam Aragoniæ Rex assentiretur affirmans ab eis petierat; nullo omnino ex silentio, aut consensu, seu permissione laude digni. De silentio & consensu res est. In frequenti centum & quinquaginta ciuium Senatu decretum, ita occultarunt, vt Cardinalibus quibus Galliæ Rex eius rei spem, non tamen certam faciebat, vtrum concessissent nec ne, esset incertum; ad Pontificem vero nihil omnino retulerint, nihil cogitantes, quot difficultates, quantaque pericula Conciliabulum, quod contradicente Pontifice haberetur, vel ipsis solis parere potuerit. Cardinales, se sine Pontificis authoritate Concilium conuocare posse ideo asserebant, quod Ecclesiam dicerent, non solum in membris, sed etiam in capite, hoc est in Pontificis persona emendatione indigere, qui (vt transfugæ affirmabant) in sacrorum nundinatione, quam Simoniam vocant, & infandis perditisque moribus inueteratus, nec ad Pontificatum gerendum idoneus; tot præterea bellorum author, correctionem nullam, cum totius Christianæ Reipubl. offensione admitteret; cuius saluti, nulla alia medicina præter Concilii conuocationem esset idonea: quam rem cum Pontifex ipse contempserit, ad ipsos iure cõuocandi potestatem deuenisse: accedente præsertim Cæsaris designati autoritate, & Christianissimi Regis consensu, cum Germaniæ Galliæq; sacri Ordinis concursu. Subiiciebant Ecclesiæ corpori morbo grauissimo affecto, hac medicina frequenter vti non modo vtile, verum etiam necessarium esse ad veteres errores conuellendos; iis qui recenter pullularent supprimendos; ad dubitationes quæ quotidie exorirentur declarandas & enodandas; ac deniq; ad ea q̃ ab initio ad bonũ finẽ instituta,

Cardinalis Papiensis à Bentiuolis Bononiâ expulsus.

Concilium Pisanum.

vsu magistro prorsus pernicioſa apparebant, corrigenda: Ideo Patres in Concilio Conſtantienſi ſtatuiſſe, ſalubriter, vt in poſterum decimo quoq; anno Concilium cogeretur: quandoquidem non alio fræno, ne de recta via deflectant Pontifices contineantur; nec alia ratione in tanta mortalium imbecillitate, ac in tot vitæ humanæ ad malum inuitantibus illecebris, ſi is qui haberet ſummam licentiam, nec ſuiipſius ſibi reddendam rationem ſciret, tuti eſſe poſſent. Ex aduerſo alii ſanæ mentis, has rationes impugnantes, Conciliorum conuocandorum authoritatem, in Pontificis modo perſona poſitam aſſerebant, etiamſi is omnibus vitiis eſſet infectus, modo ab hæreſcos ſuſpicione eſſet immunis: quæ res ſi ſecus intelligenda eſſet, in paucorum poteſtate fore (quod nulla ratione eſſet concedendum) vel ambitione, vel priuatis odiis iudicium corruptum falſis coloribus velando, quotidie tranquillum Reipublicæ Chriſtianæ ſtatum immutare. Omnia medicamenta ſua natura eſſe ſalutaria; at nec ſuis proportionibus, nec idoneis temporibus exhibita, venena potius quam antidota eſſe. Idcirco eos qui ſecus ſentirent damnantes, hunc conuentum non Concilium, ſed Apoſtolicæ Sedis quæ vna eſſet diuidendæ materiam, ſeditionis & ſchiſmatis in Eccleſia Dei ſeminarium, tartareumque Conciliabulum ſeu conuenticulum appellabant. Inter hos Bartholomeus Fauentinus doctrina & ſanctitate illuſtris, Dominicanorum Congregationis Etruriæ Præfectus, à Caruaiale rogatus, vt Piſanis ſuis Sodalibus, quorum authoritatem & exemplum Clerus Piſanus reſpiciebat, autor eſſe vellet, vt Conuenticulo indicto adhærerent; pollicitus nomine aliorum refugarũ, ſi id facerent, illos controuerſiam de conceptione B. M. V. pro S. Thoma Aquinate definituros, & Hieronymum Sauonarolam in album Sanctorum relaturos. At ille conſtantia Apoſtolica armatus, intrepide, & omnia extrema ſe velle pati pro vnitate Eccleſiæ, quam illi ſcindere moliebantur; & Iulium Pontificem, quem temerarie oppugnarent, pro vero ſummo Pontifice, cui omnes obtemperare deberent, agnoſcere ſe reſpondit; & præfractam illius ac reliquorum perduellium contumaciam coarguens, oſtia templi Dominicani in faciem illorum occluſit: nefas eſſe ducens partem habere cũ iis qui in defectione Chore abierunt.

IV. Maxima tunc omnium totius Italiæ animorum, Chriſtianique orbis prouinciarum magna ex parte ſuſpenſione, quid Galliæ Rex parta victoria agendum eſſe decerneret, expectabatur. Cum enim Pontificis, & multo magis Venetorum copiæ pene omnes fuſæ ac diſſipatæ fuiſſent, nec alia arma eſſent in Italia quæ victoris impetum poſſent retinere, Pontifexq; ſola Pontificia maieſtate tectus, omni alia ratione fortunæ relictus videretur, Romam cum toto Pontificis Imperio occupare, in ipſius poteſtate eſſe facile omnibus conſtabat. Et tamen Galliæ Rex, ſiue religionis reuerentia cohibente, ſiue quod ſi vlterius procediſſet, ne omnium Principum animos in ſe concitaret metueret, victoriæ occaſione ſibi minime vtendum eſſe ſtatuit, ac Ioanni Iacobo Triuultio, vt Bononia in Bentiuolorum poteſtate relicta, etſi quid aliud Pontificii iuris occupaſſet, ipſi reſtituto, quamprimum in Mediolanenſium fines exercitum reduceret, imperauit: ac huiuſmodi factis humaniſſimas demonſtrationes verbaq; adiunxit: ne quod publicæ lætitiæ ſignum in ſuo regno ederetur prohibuit; ſæpiuſq; coram multis, ſe, etſi nec in ſacroſanctam ſedem, nec in Pontificem ipſum peccaſſet (ita diſſerebat) nec quidquam niſi prouocatus & coactus egiſſet, tamen ob ſedis illius reuerentiam ſe demiſſe veniam petere velle affirmauit: perſuaſus ipſum ex difficultatum quibus ſua conſilia implicita eſſent experientia edoctum, ſuſpicioneque de ſe remota, pacem toto animo exoptaturum; cuius nunquã penitus interpoſita fuerat tractatio. quia Pontifex iam antequam Bononia diſcederet, hac de cauſa Scotiæ Regis legatũ ad Regem miſerat, vt idipſum quod per eundem Epiſcopũ, cum Gurcenſi agi cæptum fuerat, perſequeretur. Regis autoritatem ſecuti Bentiuoli, ſe nec contumaces, nec rebelles in Romanam Sedem eſſe velle Pontifici ſignificabant: imo in ea obedientia in qua tot annos pater ipſorum perſeueraſſet, velle permanere: in cuius rei ſignum Epiſcopum Cluſinum libertati reſtitutum, ex priſtino more velut Pontificium legatum in Prætorium reuocauerant. Triultius quoq; cum exercitu receſſit, cumq; in Mediolanenſis dominii oppida diſtribuit. At Regis deſiderio ac ſpei Pontificis voluntas non reſpondebat: qui ob reuocatum exercitum, qua re mitior fieri debere veriſimile videbatur, à contemplatione læſæ maieſtatis ſuæ factus durior, cum Arimini podagra premeretur, totq; anguſtiis ſeptus, potius vt victor quam victus per eundem Scotum proponebat; vt inpoſterum Dux Ferrarienſis tributum ante diminutionem ab Alexandro Pontifice factam conſuetum penderet: vt Pontificatus nomine, Vicedominus, vt antea habebant Veneti, Ferrariæ perpetuus eſſet: Lucum cum reliquis oppidis, quæ Alfonſus Eſtenſis in Æmilia poſſidebat Pontifici traderentur: quæ leges etſi Regi admodum graues viderentur, tamen tantum erat pacis cum Pontifice ineundæ deſiderium, vt ſe, modo Cæſaris accederet conſenſus, fere omnibus his poſtulatis aſcenſurum reſpõderit. Pontifex, Romam reuerſus, ſententiam mutauit, eius rationibus Aragoniæ Rege fomenta miniſtrante, & animos ei augente, qui ex Galliæ Regis victoria aucta ſuſpicione, ſtatim omnes validos apparatus ad traiiciendum in Africam, vbi cum Mauris perpetua bella gerebat, factos dimiſerat; ac Petrum Nauarrum cum tribus Hiſpanorum peditum millibus inde reuocatum, in Neapolitanum regnum miſerat; eodem tempore, & res ſuas tutiores reddens, & Pontificem à concordia turpiſſima alienum in ſua ſententia confirmans. Itaq; ſe pacem nolle reſpondit, niſi vna & Veneti res ſuas cũ Cæſare componerent; niſi Alfonſus Eſtenſis præter prima poſtulata ſumptus etiam in bello factos reponeret; niſi Rex Bononiæ recuperationem ſe non impediturum polliceretur; quam vrbem tanquam à pontificatu rebellem, iam diris Eccleſiaſticis ſubiecerat, & ad agros eorum populandos, M. Antonium Columnam & Ramazzotum miſerat; qui vixdum Bononienſem agrum ingreſſi, facile à populo pulſi fuere. Põtifex nihilominus cum Romam rediit, Cardinalium precibus victus, vt Auſcenſis Cardinalis è cuſtodia emitteretur, (ad eam enim vſque diem in arce Angelica fuerat cuſtoditus) ea lege aſſenſerat, ne antequam omnes Antiſtites ac miniſtri, qui Bononiæ capti fuerant, liberarentur, Vaticano egrederetur: & poſt ſub quadraginta millium ducatorum mulcta, idoneis ſponſoribus datis, Roma exire non attentaret: quamuis non multo poſt vt in Galliam rediret, modo ne eadem interpoſita mulcta Conciliabulo intereſſet, permiſerit. Pontificis reſponſo Rex eo magis commotus eſt, quo magis ipſum in eas leges, quas ipſemet propoſuerat conuenturum ſibi perſuaſerat. Quocirca cum Bononiæ recuperationem impedire decreuiſſet, quadringentos cataphractos eo miſit: & paucis diebus poſt, eam vrbem cum Bentiuolis, nulla ab eis vel militum, vel pecuniarum ſuppeditandarum accepta obligatione, in patrocinium ſuum recepit. Cumq; Cæſaris conjunctionem ſibi tunc maxime neceſſariam eſſe animaduerteret, cum antea copias fœdere per Gurcenſem inito promiſſas, niſi ipſemet in Italiam veniret (hac enim lege promiſerat) non tradere animo agitaret, vt ex Mediolanenſi ditione Palicia duce (nam Triultius quem Cæſar petierat, ire recuſabat) copiarum promiſſarum numeris traderetur, imperauit. Cæſar hinc ad bellum aduerſus Venetos inflammatus, illinc variis in animo conſiliis agitatus Ocnipontem venerat. Cum enim, niſi Patauio potiretur, omnes ſuos conatus tandem leues fore animaduerteret, atq; ad id tot viribus, tantiſq; apparatibus opus eſſe, vt vix comparari poſſent; modo ad concordiam cum Venetis, ad quam vehementer eum Rex Catholicus hortabatur, cogitationes conuertebat; modo ſuorum conſiliorum varietate impulſus, cum exercitu Romam, vt, quemadmodum iam diu exoptabat, vniuerſum Pontificium occuparet imperium, ire meditabatur; ac præter Gallicas copias, validum exercitum ſecum ex Germania ducturũ ſibi pollicebatur. At cum ob impotentiam confuſionemque res conſiliis ipſius minime reſponderent, iam ſe quotidie vẽturum, iam copias miſſurum promittens, nihil gerendo tempus terebat. Ideoq; Galliæ Regi totum in ſe onus incumbere admodum graue videbatur: quæ ratio ab eius tenacitate non aliena, ſæpe plus in ipſo poterat, quam quod à multis in contrariam partem oſtendebatur: Cæſarem, niſi ab ipſo potenter iuuaretur, tandem hoſtibus ipſius adhæſurum; quare, præterquam quod longe maiores ſumptus ſuſtinere cogeretur, eius in Italia imperia in grauiſſima pericula eſſent ruitura.

Bentiuoli obedientiã Pontifici offerunt.

In his ambiguitatibus difficultatibuſq; ciuilium armorum tumultus frigeſcebant; Sacrorum vero tam ex Cardinalium qui Conciliabuli authores erant parte, quam ſumi Pontificis, penitus in hoc malo, antequam maiores progreſſus faceret opprimendo intenti, magis ac magis in calceſcebant. Cõciliabulum, vt ſupra dictum fuit, Romanorum Galliæq; Regum authoritate, Bernardini Caruaiali Hiſpani Epiſc. Sabini tit. S. Crucis, Guillelmi Briſſonetæ Galli Epiſcopi Præneſtini tit. Paſtoris, Franciſci Borgiæ Hiſpani presb. tit. S. Cæciliæ, Renati de Bria Baiocen. Galli, præsb. tit. S. Sabinæ, Cardinaliũ temeritate, Friderico etiam Sanſeuerinate S. Angeli Diacono, palam conſentiente, in dictũ & denunciatũ fuerat: qui Cardinales huius peſtis authores, quo maiorem authoritatẽ ſibi conciliarent, indictioni, aliorũ quoq; Cardinaliũ nomina adiunxetant; inter quos Amanens Albretus Gallus, quãuis inuitus, non detrectauit parere ſui Regis imperio: ex reliquis vero ab illis nominatis, Cardinalis Adrianus Caſtellẽſis, & Carolus de Caretto ex Comitibus Finarii Genuenſis, palã, ſine ſuo mandato & conſenſu factũ fuiſſe affirmabant. Quare cum in hac re non plus quam Sex Cardinales manifeſtaretur, Pontifex eos ſponte ab hac inſania poſſe remoueri ratus, rerũ commiſſarum tali cum ſecuritate, vt eis nulla offenſio eſſet timenda, venia oblata continenter cum illis agebat; quæ omnia Cardinales ſimulate audiebant. Nec tamen ideo à potentioribus remediis abſtinebat: imo Antonii à Sanſo uini monte, vnius ex Cardinalibus poſtremo Rauennæ creatis, vt ferebatur, conſilio, quo periculis omnibus occurreret, Concilium Generale in proximi Maii Calendas, in vrbe Roma, in Diui Ioannis Lateranenſis auguſtiſſimo templo celebrandũ indixit: qua indictione, Conciliabulum ab aduerſariis cõuocatum diſſolutum, inq; Concilii ab ſe indictum iure, omniũ poteſtatem auctoritatemq; translatam eſſe cenſebat: quãuis rebelles & refugæ contra arguerent, quod etſi hoc ab initio verum fuiſſet, tamen poſtquam ipſi anteuertiſſent, debere Conciliabulũ ab ipſis indictum & conuocatum locũ habere. Cauſas & progreſſus vtriuſq; partis, luculentius ex ipſa Concilii Lateranen. indictionis bulla lubet agnoſcere. Ita habet:

Iulius Epiſcopus, Seruus ſeruorum Dei. Ad futuram rei memoriam.

*Sacroſanctæ Eccleſiæ martyrum ſanguine conſecratæ, Magiſtræ fidei, veritatis alumnæ, omnium errorum expertis, vnicæ & immaculatæ, Diuina inſtitutione, Sanctorum auctoritatibus, Conciliorum Canonumq; omnium teſtimonio, Eccleſiarum cunctarum Primatum tenenti is, fidelium Matris, regimini ſuperna diſpoſitione præſidentes, circa religionis Chriſtianæ paritatem, ipſiuſque vnanitatem, pacem & tranquillitatem, quæ in coniunctione membrorum ad vnum caput, Chriſtum videlicet, cuius vices in terris gerimus, principaliter tendit, diuiſionem ouilis nobis ex alto commiſſi, in illoq; ſchiſma, per quod Eccleſia ſcindi, & ſcandalizari, greſque Dominicus nobis creditus turbari quoquo modo poſſit, quantum cum Deo poſſumus prohibentes, ac damna & ſcandala quæ exinde euenire poſſent eneruantes, ac palmites futuros infructuoſos ſuccidere, & quoſcumque aliter quam per oſtium ad ouile ingredi cupientes, ac à via Domini, poſtquam illam ſemel cognouerant retrocedentes, ad ſemitam veritatis reducere, vulpeculaſque ex vinea eiuſdem Domini per miniſterium Summi Apoſtolatus etiam expellere deſiderantes, de opportunæ prouiſionis remedio prouidemus, aliaque ordinamus & mandamus, prout conſpicimus in Domino ſalubriter expedire. Sane non ſine graui animi noſtri moleſtia percepimus, quod quidam Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinales, qui nobiſcum, dum verſus ciuitatem noſtram Bononienſem, pro recuperatione nonnullarum terrarum Sanctæ Romanæ Eccleſiæ etiam vna cum noſtra Curia perſonaliter accederemus, pro recuperandis terris huiuſmodi venire ſimulauerant, ex noſtra licentia ab vrbe recedentes, Florentiam diuerterunt, ibique ſe continuerunt, etiam poſtquam nos eos per dilectum filium noſtrum Franciſcum tituli Sancti Clementis præsbyterum Cardinalem, tunc in minoribus conſtitutum Epiſcopum Concordienſem, Datarium noſtrum, ac per literas noſtras ad nos tunc Bononiæ exiſtentes, vocari feceramus; licet ſe venturos obtuliſſent, nihilominus fauore zizaniæ ſeminante, per quem morum ſubuerſio in Clero & populo frequenter obrepit, tamquam membra inſana, ſine cauſa legitima, à ſuo capite recedentes, armis, ſatellitibuſq; ſtipati, imo in ſeipſis armis aſſumptis, & proſacerdotalibus veſtibus thoracem induti, & gladiis armati, Papiam ſe contulerunt. Quo cum peruenieſſent ſtimulo conſcientiæ vt credimus, agitati, per internuncios, perq; Regiorum Oratorum interceſſiones redirum ad nos poſtularunt, & pro deſertionis venia ſupplicarunt, quam benigne obtulimus. Sed ipſi, qui nobis ex officio tanquam conſultores aſſiſtere, neq; ſine licentia à nobis & noſtra Curia veluti corporis membra abeſſe debuiſſent, auſi tamen ſunt os in cælum ad ſpiritum blaſphemiæ, & cum Lucifero ſedem ad Aquilonem ponere, altitudinem nubium transcendere, vt ſe ſimiles Altiſſimo conſtituant, Pontificalem authoritatem noſtram ſibipſis aſſcribere fatagentes, conuenientes vt locuſtæ acephali, aggreſſi ſunt ſine Romani Pontificis auctoritate Oecumenicum Generale atq; vniuerſale Concilium conuocare, locum Concilii & tempus indicere, & valuis Eccleſiarum, ac aliis publicis locis, per publica inſtrumenta, etiam falſa, indictionẽ huiuſmodi affigere & publicare, eiſdemq; inſtrumentis falſis publice atq; impudenter vti, quoſdam S.R.E. Cardinales ſui propoſiti ſocios in eorũ præſenſo edicto falſo declarando; qui tamen & publicis & priuatis ſcripturis eorum propriis manibus ſcriptis, ſe illis in huiuſmodi propoſito, neq; verbo, neq; ſcripto vnquam nouiſſe, ſeu quomodolibet conſenſiſſe proteſtati ſunt: nos q; ac Venerabiles Fratres noſtros eiuſdem S.R.E. Cardinales ad actos tunc expreſſos, vocare & requirere, vt per nos, vel alios ad huiuſmodi eorũ Concilium accedere vellemus, non formidarũt: aſſerentes decennium poſt vltimum Vniuerſale Concilium etiã contra Conſtitutionem Concilii Conſtantienſis, quæ incipit, Frequens iamdudum efluxiſſe, & nos illud conuocare neglexiſſe; maxime cum inratiſſemus & vouiſſemus, illud poſt biennium à creatione noſtra renere, tempuſq; pro homine interpellare: neq; credendum fore, noſtra auctoritate & voluntate Concilium futurum: & cum de grauibus criminibus notoriis duranibus, vniuerſalem Eccleſiam ſcandalizantibus, in capite agendum foret, ad ſummum Pontificem Concilii congregationẽ non attinere; ſed ſecundo loco ad Cardinales, qui Pontifici in negligentia non adhæjerunt, conuocationem Concilii ſpectare. ac vt huiuſmodi eorũ conuocationem & conuenticuli honeſtare viderentur, eiſq; auctoritatẽ adjcere, hoc idem fere per omnia, per quoſdã aſſertos Procuratores charisſimorum in Chriſto filiorum noſtrorum Maximiliani Romanorum imperatoris electi, & Ludouici Francorum Regis Chriſtianiſſimi Principum, ſub eiſde dat is, modo & forma, & ſimilibus ſchedulis, præter tamen voluntatem & mentẽ dictorum Principum, vt rationabiliter credi debet, fieri & publicari procurauerunt, & ordinauerunt. Sed hæc vt falſa, ficta, commentitia q; ſunt, & non ex zelo charitatis & religionis, ſed odii ſomite & inimicitia procedetia, ita omnib. Principibus, nec non Chriſti fidelibus cupimus nota fieri. Quis enim tãti erroris particeps eſt, qui nos de negligentia erga conuocationẽ Concilii redarguere poſſit, cũ nihil nobis per vltimos 11. annos, quibus Cardinalatus officio functi ſimus, magis cordi fuerit, quam celebrari videre Generale Concilium, & Eccl. Romanę ſtatum in melius reformari? Quid enim felicis recordationis Alexandro VI. Rom. Pontifici prædeceſſori noſtro, magis nos odioſos fecit, niſi ſtudium & cura Generalis, Concilii celebrandi? Quid nos terra, mariq; tactant, cum nobis ide Alexander prædeceſſor eſſet infenſus. Quid toties alpes trãſcendere, tranſalpinas Gallias peragrare, per æſtus, niues & glacies compulit, niſi quod nitebamur, vt à Rom. Pontifice Concilium indiceretur, & celebraretur. Nota recenſemus, & Principibus Chriſtianis apertiſſima; imo illis ipſis, qui nos & Fratrum noſtrorũ Collegium criminantur, dudum, plenej, comperta. Quare ſi ante actæ vitæ ratio apud prudentes de præſenti & futuro vitæ rationẽ facit, nulla ſubeſt ratio, cur dicti Cardinales qui à nobis receſſerunt, deſperent nos factũros, quod tam longo tempore, tam ardenter, & non ſine vitæ diſcrimine fieri deſideramus & ſtudiumus. Aperiant oculos cordis, & odii obſtacula reſecent, & cogitent, qua voce, quibus oculis, qua facie promiſerimus, vt dicunt, in noſtra ad Pontificatum aſſumptione, iuraueriimus, & vouerimus Generale celebrare Concilium; quoniam noſtræ promiſſioni interfuerunt. Certe palpabunt, nos non ſola voce, non ſimulate, ſed in cordis ſimplici veritate id egiſſe, quod prædicant. Quod ſi ea quæ diximus attendere nolunt, examinent & inſpiciant omne ſtudium in Pontificatu noſtro circa præmiſſa. Nonne omnes Principes Chriſtianos, qui ad obedientiam ex more præſtandam miſerunt Oratores, admonuimus de celebrando Generali Concilio, deque expeditione in perſidos Turcas Conciliariter decernenda, aſſumenda, & proſequenda? Nonne primo Pontificatus noſtri toto biennio Chriſtianos potentatus pacare ſtudiumus, vt concilatis animis Concilium iniretur? Quid vltra facere debuimus, aut potuimus ad reſtituendam Eccleſiæ pacem, quod omiſerimus? Nouit ipſe Cardinalis, qui edicti, ſeu indictionis huiuſmodi, & contentorum in ea ſe aurigam profitetur, & clauium moderatorem prædicat, quid à nobis habuerit in mandatis, cum ad Romanorum Imperatorem electum per vniuerſam Germaniam illum noſtrũ, & S. Sedis Apoſtolicæ Legatũ miſimus; communices illa fratribus, qui cum illo ſentire videtur; proferat monita in ſcriptis illi tradita certò certius, & luce meridiana clarius erit, hãc indictionis deſperationẽ de celebrando à nobis Concilio, nedũ leuem & inanẽ, ſed falſam, irratio-

nabilem, impossibilemq́ fuisse. Nulla nostra culpa, neq́ Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalium, dilata est Generalis Concilii indictio, conuocatio, & celebratio. Distulit hæc infelicitas temporum, quæ sub eodem Alexandro prædecessore nostro vexare cæpit Italiam, & adhuc vexare non cessat, & instans necessitas recuperandi terras & iura eiusdem Romanæ Ecclesiæ. Nam propositum nostrum semper ad Concilii celebrationem promptissimum atq́ intentissimum fuit. Quare spiritum diffidentiæ deponant, & ita huiusmodi calumniæ auctores, reuersi ad cor, mordere desinant pastorem & patrem animarum suarum. Desinant etiam calumniari Fratres suos eiusdem Romanæ Ecclesiæ Cardinales. Quod si tam ardenter illis cordi est, se caput & auctores Generalis Concilii constituere, quid ad hanc rem facto opus sit, prius discant. Reuoluant Sanctorum Patrum, & Romanorum vitas Pontificum, & antiquum morem indicendi, & conuocandi, & celebrandi Concilium; traditiones, & leges super his editas à Patribus, inspiciant: videbūt huiusmodi Concilia à solis Romanis Pontificibus esse indicta; & aliter indicta, rata non fuisse. Quod vero attinet ad Constitutionem Concilii Constantiensis, quæ incipit, Frequens huiusmodi, ea ad octuaginta annos seruata non fuit; & si seruata fuisset, teste piæ memoriæ Eugenio Papa IIII. etiam prædecessore nostro, ac Sacrorum Canonum sanctionibus, ex causis prædictis eam licuit nobis transgredi, & quod fortius est, stante legitimo impedimento, de quo supra, eam locum non habere certo certius est. Votum autem & iuramentum, quod ex prædictis causis de iure nobis transgredi licuisset, transgressi non sumus: quandoquidē legitimo impedimento detenti, non potuimus obseruare: & quia votū, & iuramentum, quantum ad hanc materiam attinet, in foro conscientiæ versantur, de æquitate canonica purgatio more semper admittitur. Desinant ergo nobis, & Fratribus nostris S.R.E. Cardinalibus, negligentiam impingere, quæ, vt præmittitur, nulla fuit: etsi qua fuisset, ipsis cum Alexandro prædecessore præfato & nobiscum manētibus, multo magis imputari posset: Quod autem docentes, iuxta Prophetam, linguas suas loqui mendacium, & contra diuinum præceptum, aduersus Principem populi sui maledicentes, confingunt in nos crimina, & ea quidem, vt asserunt, durantia, gratissima, notoria, scandalizantiaq́ vniuersalem Ecclesiam, dicunt q́ propterea, negligentibus aliis S. R. E. Cardinalibus, ad eos deuolutam Concilii congregandi facultatem, non miramur: quoniam, teste Hieronymo, schismatici, cum dubitant causas suas damnari, in contumelias prosiliunt. Dicant prædicti, nomine tantum Cardinales, Dathan & Abiron, Acaciumq́ & Dioscorum repræsentantes, tenebrarum filii, nūquid non siemmo Pontifici spectet & pertineat congregare Concilium, etianisi de sua causa agatur? Legant vltra antiquos, gesta Constantiensis Concilii, in quibus se potissimū fundant, vt ex eis tamquam Iudæi ex propriis codicibus confundantur: reperient Ioannem Papam XXIII. de cuius potissimum causa agebatur, Concilium Constantiense huiusmodi indixisse. Cum ergo Concilium prædictum congregare parati simus, satis constat, dolosas eorum linguas loquutas fuisse mendacium. Sed si hæc omnia cessarent, stantibus impedimentis prædictis, in qua negligentia dici possunt esse Fratres nostri S.R.E. Cardinales huiusmodi, non requisiti ad Concilium congregandum, ita vt ad pauciss̄imos, Romano Pontifici culpa ambitioneq́ infensos, schismaticos, ac extra domum Dei positos, potuerit potestas vniuersalis Ecclesiæ deuolui, imo potius ab eis vsurpari? Adijciamus etiam nunc huiusmodi potestatis abusum ostendere. Trium mensium & quatuordecim dierum ab eis tempus in suo, vt volunt, edicto, seu conuocatione assignatum, & ad Oecumenicum Concilium congregandum, hoc tum breui temporis spatio, poterit nationibus Christianis à Mediolano remotissimis legitime innotuisse? Poterunt, si innotuisset, in termino, Diœcesanas & Metropolitanas Synodos conuocare, celebrare, & perficere? Poterunt qui venturi decernerentur, ad tantum iter necessaria conquisiuisse? Poterunt Principes, accedere volentes, populis sibi subditis, & status sui securitati bene consuluisse? Poterunt quos mittere decreuerint, Procuratores, aut Oratores plene informatos mittere? Vix cursor expeditus, trium mensium & semis spatio re & redire posset sine sarcinis, vnde & quo ipsi graues viros, & multa secum impedimenta trahentes, sine quibus venire non possunt, put ant, imo decernunt, accedere posse & oportere. Quare si nihil aliud, indictionem Concilii quam attentauerunt, in tempore præfixo accedendi impossibilitas ipsa penitus eneruat. Sed possibile fuerit ex aliqua ratione decretum hoc ipsum Concilii tempus; loci ratio, indictionem ipsam nullam facit. Locus Concilii commodus debet esse, & tutus. Quis ignorat, quod dolenter dicimus, vrbem Pisas prope quatuordecim annos obsessam durissime fuisse, & ad eam desolationem bello redactam, vt rarissimæ domus integris parietibus in illa consistant, & fere nulle sint, quæ contignationibus & solariis muniantur. Habitarentne ibi S.R.E. Cardinales, Patriarchæ, Archiepiscopi, Episcopi, Abbates, Principes seculares, vel Oratores eorum, Communitatum item Nuncii? Habitarentne Doctores celeberrimi tam diuini Iuris quā humani, ruinosas domos, ciuitatemq́ penitus desolatam pro celebrando Oecumenico Concilio? Numquam talibus in locis scriptum est, Concilium Generale fuisse celebratum. Reuoluantur omnes Conciliorum Oecumenicorum historiæ: apparebit, Patribus nostris sanctis sane & prudentibus viris, pro celebrando Concilio ante omnia cordi fuisse, eligere ciuitatem amplam, ædificiis accommodatam, salubris aeris, fertilis soli, conuenientis commeatibus facilem: quæ omnia si Pisis adesse quispiam affirmauerit, ruinæ ciuitatis, ædificiorum rudera, villarum & vinearum euersiones redarguant sic dicentem. Hæc tamen si Pisis essent integra, vt non sunt, nec affirmari possunt, sine impudentia, quomodo est ad Pisas tutus accessus, velin ea mansio, cum omnis Tuscia arma nunc tractet; & nos pro pastorali, quod gerimus officio, nihil magis premat, quā Florentinos & Senenses, inter quos fremit bellum, ne se armis inuicem impetant, continere? Videm de re hac facere possunt plerique Christiani Principes, à nobis sepius & instantius requisiti, suam per literas & nūcios auctoritatem & gratiam interponere, ut si inter se ii populi pacem habere noluerint, per inducias saltem ab armis abstineant. Igitur cum ex præmisis & aliis etiam notissimis causis, accessus ad Pisas, vel ibi mansio secura habenda verisimiliter credi non possit; cum ciuitas, ipsa desolatione, habitationibus pro Concilio non sit fulta; cum ager vastitate sit desolatus; cum tempus in edicto, seu indictione præfixum sufficere non possit, & terminus assignatus ab illis, tempori pro Generali Concilio celebrando dari solito non respondeat; cum insuper indicentes nulla sint auctoritate suffulti, etsi quam habere possent, illa, vt decuit, & fieri oportuit, imo debuit, non sint vsi: cum edictum ipsum seu conuocatio de falsitate se conuincat. Nos considerantes, quanta cum difficultate & temporis diuturnitate prædecessores nostri præfati in eorum Concilijs celebratis, priscas hæreses & schismata, etiam aliquando Imperiali maiestate adiuuante sustulerunt; quodq́ illa in totū extinguere nequiuerunt, cum eorum aliqua, quod dolentes referimus, vsque ad hodiernum diem in sua pertinacia perdurent; quamq́ calamitosa fuerint prælatis & omnibus Christifidelibus schismatum tempora, suprædicta omnia, tamquam perniciosissima schismatum atque errorum seminaria, quæ aliquandiu conniuentibus oculis toleranimus, expectantes eorum ad cor reuersionem, ob Christi charitatem zelumq́ domus suæ dissimulare vlterius non valemus, timentes nobis improperari illud Hieremiæ; Non ascendistis ex aduerso, neq́ opposuistis vos murum pro domo Israel. verentes etiam, ne figmenta errores q́ prædicti, Christi fidelium minus eruditorum mentes aliqua infidelitatis laqueo inuoluāt, apud quos sæpe, vt inquit Origenes in Cantica, pulchriora videntur mendaciorum sophismata, quam documenta veritatis: & ne error, cui non resistitur approbari videatur, & veritas, Deiq́ causa, & iura indefensa opprimantur. habita super his cum venerabilibus Fratribus nostris S.R.E. Cardinalibus matura deliberatione, de eorundem Cardinalium consilio & vnanimi consensu, ac de Apostolicæ potestatis plenitudine, prædictas indictionem, conuocationem, & publicationem assertas, schismaticæ conuenticulæ, Synagogæ Sathanæ, & Ecclesiæ malignantium, per Dathan & Abyron auctores schismatum, eorumq́ socios, & alias supradictas procuratorio nomine dictorum charissimorum filiorum nostrorum Maximiliani Imperatoris Romanorum electi, & Ludouici Francorum Regis Christianissimi Illustrium Principū, factas, indictas, & publicatas, omniaq́ & singula in eis & qualibet earum contenta, & inde secuta quecunque, quorum tenores, ac si de verbo ad verbum præsentibus insererentur, pro sufficienter expressis & insertis haberi volumus, tamquam à non habentibus facultatem, & ex minus legitimis causis, ac incongruis terminis & loco, nulla, irrita, & inania, non legitime ad scindendum & scandalizandum vniuersalis Ecclesiæ vnitatem, facta, ne cancerosus morbus inualescat, reprobamus, reuocamus, cassamus, irritamus, & annullamus, reuocataq́ irrita, cassa, reprobata, & annullata haberi volumus, ac, prout sunt nullius roboris vel momenti fuisse & esse decernimus & declaramus. Districtius sub excommunicationis, anathematis & maledictionis æternæ, ac dignitatū & beneficiorum Ecclesiasticorum quorumcumque, secularium vel regularium, feudorum, indultorum, priuilegiorum, concessionum, facultatum, & gratiarum priuationum ipso facto, infamiæ & aliis in vniuersalem Ecclesiam scandalizantes, & schisma in ea discordiamq́ suscitantes, eisq́ consilium, auxilium, vel fauorem præstantes, tam à iure quam alias promulgatis & indictis pœnis inhibemus. Nec non eisdem Cardinalibus qui à nobis recesserunt, vt præfertur, ac omnibus & singulis cuiuscunq́ dignitatis, status, gradus, ordinis, qualitatis, conditionis, præeminentiæ, auctoritatis & nobilitatis existentibus, & quacunq́ Ecclesiastica, etiam Cardinalatus, Patriarchatus, Primatiali, Archiepiscopali, Abbatiali, seu seculari, Regali, Reginali, ac etiam

Imperia-

Imperiali, ac aliis dignitatibus & præeminentiis fulgentibus; & quos ab omni vinculo iuramenti, conuentionis, obligationis & promissionis, per vos forsan factarum propterea absoluimus & liberamus, ac absolutos & liberatos fore nuntiamus, ne indictionibus, publicationibus, & conuocationibus prædictis, omnibusq́ aliis & singulis, vel eorum aliquo per reprobos, aut alios præfatos, vel eorum aliquem, vt præfertur, factis, directe vel indirecte, tacite vel expresse, seu quouis quæsito colore adhæreant, accedant, interfint, obediant, assistant, consilium, auxilium, vel fauorem præstent, aut quomodolibet intendant, vt pessima Secta sua erroribus confusa tamquam nebulæ dissoluantur, etiam inhibemus. Omniaq́ & singula, ciuitates, terras, & loca quæcumq́, ad quæ peruersa Concilia seu potius Conciliabula, schismaticas conuenticulas, synagogas ac Ecclesias malignantium huiusmodi inducentes, & eis adhærentes, obedientiam, consilium, auxilium vel fauorem aliquæ, vt præfertur, præstantes, & eorum quemlibet declinare contigerit; & in quibus Concilia, seu Conciliabula, aut Ecclesias huiusmodi malignantium celebrari, vel coadunari, & congregari contigerit, Ecclesiastico subijcimus interdicto. Et nihilominus bonam intentionem nostram exequi volentes, vt antiquæ hæreses, quæ in diuersis Christianorum partibus nondum extinctæ sunt, & pessimum nouiter pullulans schisma extinguantur, reformationiq́ morum tam Ecclesiasticarum quam secularium personarum, quæ de iure vel consuetudine, reformationi vel determinationi Concilii subiaciuntur, bellorumq́ imminentium seditioni consulatur, micumq́ quod scimus est reddatur, iustitia & pax se inuicem osculentur, Christoq́ fideles in pace & vnitate, in Dei nomine, non ex passionum priuatarum fomite, qui, vt ex gestis diuersorū Conciliorum apparet, pessimos effectus parere consueuit, congregati, ad faciendum expeditionē contra infideles, ad regnum Siciliæ infestantes, meliora ac nobiliora loca Christianorū occupantes, præsertim Hierusalem matrē nostrum antiquam, & ex antiqua christianorū negligentia deperditā, facilius & promptius intendant, In nomine S. & individuæ Trinitatis, Patris, & Filii, & Spiritus S. auctoritate Omnipotentis Dei, ac B. Petri & Pauli Apostolorum eius, quæ in terris fungimur, de simili eorundē Fratrum consilio & assensu, Oecumenicū, Vniuersale, ac Generale Concilium in alma vrbe nostra communi omnium patria, loco aptissimo & turissimo, apud Lateranū, vbi plurima Concilia per antiquos & patres nostros habita fuerunt, & Altissimi Petri Sedem collocari voluit, literatorumq́ & peritorū numerus copiosus habetur, post festū resurrectionis Dni. nostri Iesu Chr. proxime futurū, inchoandum anno Dni. 1512. die Lunæ, 19. mensis Apr. quæ erit feria 2. post octauā eiusdem resurrectionis celebrandum, & vt sequitur, auctore Domino finiendū, nunciamus, conuocamus, statuimus, indicimus, & ordinamus: licet nos non lateat, hanc nouem mensiū præfixionē pro sacro Concilio Generali celebrando, ex tot longinquis mūdi partib. venturis fortassis non sufficere, & de breuitate notari posse ad tantā rē peragendam præsertim cū à S. Patribus Rom. Pontificibus prædecessoribus nostris assignato tēpori ad similia Generalia concilia congreganda non respondeat, qui nūquā minus quā annū ad hoc inchoādum assignasse reperiūtur. Sed quia ad Christianissimū Regem prædictum, & quosdam alios Principes de inchoando Generali Concilio in tempore præsentibus inserto, literas dedimus; & insuper, ne volentibus nos & Venerabiles Fratres nostros eiusdem S.R.E. Cardinales calumniari, ansam daremus si longius tempus statuissemus, visum est nobis hunc terminū assignare. Insuper præfatis, & aliis Venerabilibus Fratribus Patriarchis, Archiepiscopis, Episcopis, Monasteriorū Abbatibus, & prælatis, præsertim sub vinculo iuramenti ad visitandum certis temporibus limina Apostolorum Petri & Pauli, etiam tempore sue promotionis adstrictis, & obligatis, non obstantibus quibusuis concessionibus, priuilegiis, & indultis eis, eorumq́ Ecclesiis, Monasteriis, beneficiis per dictos prædecessores nostros aut nos concessis, confirmatis, & innouatis, quæ pro expressis habentes, ex certa scientia & plenitudine præmissis cassamus, irritamus, & annullamus; omnibusq́ aliis Ecclesiasticis vel secularibus, etiam Regibus, & Principibus, cæterisque personis, quæ de iure vel consuetudine in congregationibus Generalium Conciliorum solent interuenire, cessante legitimo impedimento, de quo legitime docere tenentur per se vel alios idoneos nuncios, procuratores, vel Oratores legitima mandata habentes; sub excommunicationis, aliisq́ de iure, vel consuetudine, aut alias non accedentibus ad Generale Concilium, indictum, pœnis, mandamus, vt ad ipsum Concilium Lateranense accedere, & vsq́ ad dicti Concilii conclusionem & dissolutionem per nos vel auctoritate nostra fiendam in dicta vrbe morari debeant; nec non charissimos in Christo nostros, & eiusdem Romanæ Ecclesiæ filios, Maximilianum Romanorum Imperatorem electum prædictum, cæterosque Christianorum Illustres Reges, Duces, Marchiones, Comites, & alios nobiles, in virtute Sanctæ obedientiæ rogamus, hortamur, & monemus, vt opem & operam adhibeant efficaces, quod omnes & singulæ, tam Ecclesiasticæ quam seculares personæ, in eorum Regnis, Ducatibus, & dominiis consistentes, quæ in Generalibus Concilijs de iure vel consuetudine interesse consueuerunt, ad Concilium Lateranense huiusmodi cessante impedimento prædicto accedant, post positis odijs, conciliatis animis in Spiritu Sancto, non autem passionibus repleti, veramque domum Dei facientes, & his quæ ad Dei laudem, Ecclesiæ exaltationem, & vnitatem, & reformationem, schismatum vero & hæresum totalem extirpationem, fideliumq́ prædictorum pacem & salutem concernunt, charitate mouiti intendant. Et ne ad tantum, laudabile, & necessarium opus accedere debentes, aliquibus de causis, seu figmentis ab accessu ad dictum Concilium Lateranense quomodolibet retrahantur, omnibus & singulis in Congregationibus Conciliorum Generalium adesse solitis, & ad dictum Concilium Lateranense venientibus, eorumque seruitoribus & familiaribus cuiuscunq́ status, gradus, ordinis, conditionis vel nobilitatis existentibus, Ecclesiasticis & secularibus, pro se, & bonis eorum quibuscunq́ per ciuitates, terras, & loca terræ firmæ maritima, dictæ Romanæ Ecclesiæ subiecta, ad Concilium Lateranense, ad vrbem huiusmodi veniendi, & in ea morandi, & libere consulendi, & ab ea quoties videbitur recedendi, etiam post quatuor menses post dicti Concilii Lateranensis conclusionem & dissolutionem, liberum, tutum, & securum saltum conductum, ac plenam & omnimodam securitatem de Concilio & poresta te præmissis, damus & concedimus; aliosq́ saluos conductus & securitates habere cupientibus dare pollicemur, eosq́ benigne & charitatiue tractabimus & suscipiemus. Mandantes sub indignationis nostræ, & aliis arbitrio nostro infligendis pœnis, omnibus & singulis gentibus nostris, armigeris, equestribus, & pedestribus, ac arcium nostrarum Castellanis, ciuitatum, terrarumq́ & locorum dictæ Romanæ Ecclesiæ subiectorū Legatis, Gubernatoribus, Rectoribus, Locatenentibus, Potestatibus, Officialibus & vasallis, vt, non obstantibus quibusuis Constitutionibus, & ordinationibus Apostolicis, legibus Imperialibus, statutis quoq́ & consuetudinibus municipalibus, etiam iuramēto, confirmatione Apostolica, aut quauis alia firmitate roboratis, quæ Saluo conductui, & securitate præmissis in aliquo derogare, seu illos quomodolibet impedire possent, etiamsi talia forent, de quibus specialis, specifica, expressa & individua, non autem per generales clausulas id importantes, mentio, seu quauis alia expressio habenda foret, illarum omnū tenores præsentibus, ac si de verbo ad verbum inserirentur pro expressis habentes; venientes ad Concilium Lateranense huiusmodi libere, tute & secure transire, morari, & recedere permittant, & permitti faciant; ne tantum, tamque laudabile & necessarium Concilium Lateranense distrahatur, & vt ad illud venientes, tute, & in pacis tranquillitate viuere, dicere, & expedire valeant, quæ Omnipotentis Dei honorem concernent, totiusq́ Ecclesiæ Sanctæ statum. Decernentes nihilominus irritum & inane, quicquid contra indictionem Concilii Lateranensis per nos indicti huiusmodi, seu ad impedimentum, præiudicium, aut dilationem eiusdem, per schismaticam conuenticulam, & Ecclesiam malignantium prædictas, seu quemuis alium, quauis authoritate, quouis ingenio aut quæsito colore, scienter vel ignoranter contigerit attentari. Insuper vt præmissa omnia & singula ad omnium, ad quos spectat, notitiam & cognitionem deueniant, omniumq́ quæ in præsentibus literis continentur certa & indubitata notitia habeatur, nullusq́ præmissorum ignorantiam iuste prætendere possit, seu se legitime excusare, cum etiam ad intimandum aliquibus personaliter in præsentibus literis comprehensis, tutus non pateat accessus, literas prædictas; volumus & decernimus, præsentes literas nostras, per aliquos Curiæ nostræ Cursores, vel Notarios publ. in Basilica Principis Apostolorū, & Ecclesia Lateranēsi, hora diuinorū, dū ibi multitudo populi ad diuina audiendū conuenire & congregari consueuit, publice, ac alta & intelligibili voce legi, & publicari, & dictarū Ecclesiarū portis, siue valuis, & in acie Cāpi Floræ, & Cancellariæ Apostolicæ affigi, & ibidē per aliquod tēporis spatiū dimitti debere, vt ad singulorū notitiam publicam & notionē deuenire possit: transumptisq́ illarū, manu publicorum Notariorum factis, vel subscriptis, sigillo q́ alicuius prælati munitis, fidē indubiā adhiberi; omnesq́ & singulos in illis comprehēsos, & ad quos pertinet perinde arctari & constringi, ac teneri & obligari, ad obseruantiā omnū, & singulorum in eis contentorum, cuiuscunq́ gradus, & dignitatis existant, Ecclesiastice vel mundanæ, post lapsum vnius integri mensis, à data præsentium numerandi, in omnibus & per omnia, & perinde ac si personaliter & in propria persona intimatæ fuissent, & eis personaliter præsentatæ, præsentium tenore decernimus, statuimus, & declaramus. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ reprobationis, reuocationis, cassationis, irritationis, annullationis, declarationis, absolutionis, liberationis, inhibitionis, interdicti, nūciationis, conuocationis, statuti, indictionis, ordinationis, concessionis, mādati, volūtatis & decreti infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem

Omnipotentis

Omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri & Pauli Apostolorum eius, ac nostram se nouerit incursurum. Datum Romæ apud Sanctum Petrum, anno Incarnationis Dominicæ Millesimo Quingentesimo Vndecimo. quintodecimo Kalend. Augusti. Pontificatus nostri anno 8.

Sigismundus D. de Comitibus.

Ego Iulius Catholicæ Ecclesiæ Episcopus subscripsi.

Dominus mihi adiutor, non timebo quid faciat mihi homo.

Sanctus Petrus. Sanctus Paulus. Iulius Papa Secundus.

Ego Raphael Episcopus Ostiensis, Cardinalis Sancti Georgii Camerarius, subscripsi.

Ego Dominicus Episcopus Portuensis, Cardinalis Sancti Marci, subscripsi.

Ego Iacobus Episcopus Albanensis, Cardinalis Arborensis, subscripsi.

Ego Nicolaus Cardinalis tituli Sanctæ Priscæ, subscripsi.

Ego F. Cardinalis de Claromonte manu propria.

Ego Marcus tituli Sanct. Mariæ TransTyberim Card. Senogallien.

Ego Robertus tituli S. Anastasiæ præsbyter Card. Nanneten.

Ego Leonardus tituli S. Susannæ præsbyter Card. subscripsi.

Ego Christophorus tituli S. Praxedis præsbyter Card. subscripsi.

Ego Sixtus tituli Sancti Petri advincula præsbyter Card. Vicecanc. subscr.

Ego Christophorus Eboracen. tituli Sancti Petri & Marc. præsbyter Card. subscr.

Ego Antonius tituli Sancti Vitalis præsbyter Card. subscripsi.

Ego Petrus tituli S. Eusebii præsbyter Card. subscripsi.

Ego Achilles tituli Sancti Sixti præsbyter Card. Bononien. subscripsi.

Ego F. tituli S. Clementis præsbyter Card. subscripsi.

Ego Ioannes S. Mariæ in Dominica Diac. Card. de Medicis, manu propria subscr.

Ego Alexander Sancti Eustachii Diac. Card. de Fernesio manu propria subscripsi.

Ego Ludouicus S. Mariæ in Cosmedin Diac. Card. de Aragonia manu propria subscripsi.

Ego Marcus Sanct. Mariæ in Porticu Diacon. Card. Cornelien. manu propria subsc.

Ego R. Sancti Hadriani Diaconus Card. subscripsi.

Ego Alphonsus Sancti Theodori Diaconus Cardinal. Petrucius subscripsi.

His edictalibus literis Pontifex Iulius Lateranensi Concilio promulgato, iam magis iuri suo fidens, & Cardinalem Caruaialum, qui Pontificatus assequendi cupiditate, magna ex parte huius motus author fuerat. conciliari posse diffisus; idemq; de Maclouiensi & Cosentino persuasus. (de cæteris enim nondum, quin eos ad suam obedientiam esset reducturus, spem amiserat) contra hos tres edictum, quo nisi intra sexagesimum quintum diem se coram ipso sisterent, eos purpurei galeri honore, cunctisq; beneficiis quæ tenerent, priuatum iri monebat, promulgauit. Quo autem ad id facilius mouerentur, flecterenturque, à Cardinalium Collegio, è fori Pontificii iudicibus vnus est missus, qui eos inuitaret ac rogaret, vt priuatis contentionibus depositis, ad Ecclesiæ concordiam redirent; quamcumq; securitatem optarent, se eis impetraturum polliceretur. Quo simul tempore, siue quod dubius esset animo, siue alia de causa impulsus, perpetuo de pace cum Galliæ Rege facienda agentes audiebat: de qua apud ipsum Regii Oratores agebant, apud Regem vero idem Scotiæ Regis legatus, & Tiburtinus Episcopus Pontificis internuncius: in qua sancienda cum difficultates experiretur, ex alia parte cum Aragoniæ Rege ac Venetis, nouum in Gallos fœdus moliebatur. Eodem tempore Montempolitianum Florentinis restitui curauit, ne illorum cum Senensibus induciis elapsis, vt ad id oppidum recuperandum essent potentiores, Gallos in Etruriam euocarent veritus. Et quamuis Florentinos Montempolitianum recipere Pōtifici esset molestum, ad eosq; impediendos auxilia iam Senam misisset; tamen re diligentius expensa, quod quo maior difficultas appareret, eo magis Florentini ad illos euocandos incitarentur, ne Regi copiarum in loca Romæ vicina mittendarum occasio daretur, huic periculo contrarium remedium adhibere constituit; cui rei Pandulfus Petrucius, à Florentinis artificiose eadem imbutus suspicione assentiebatur. Per multos dies ea res acta fuit. Nam vt plerumq; res paruæ, non minores habent difficultates, nec minus inexplicabiles quam maximæ, Pandulfus, ne in Senensis populi odium incurreret, sic agi volebat, vt nullum aliud ad bellum auertendum, & Pontificis animum retinendum remedium inueniri posse videretur. Misso deinde Pontifex Iacobo Simoneta Curiæ Pontificiæ Iudice, qui non multos annos post inter purpuratos cooptatus est, fœdus inter Florentinos & Senenses in viginti quinq; annos percussit, ad imperia eorum tuenda.

Florentini & Senenses fœdus ineunt.

VI. Inter hæc Cæsar & Gallus Venetos infestabant; Veneti amissa facile recuperabant; maxima cum illorum ignominia, suæ autem existimationis non leui incremento: vt qui biennium iam ab vtriusq; exercitibus oppugnati, ad extremum easdem vires idemq; Imperium retinerent: quæ etsi directo in Cæsarem tēderent, multo tamen magis Galliæ Regi nocebant. Dum enim, vel Cæsaris felicitatem & incrementum nimis timens, vel ex falsis iactis fundamentis consiliū capiens, nec iam proxima pericula cernens, vel auaritia prudentiam opprimente, non ea auxilia Cæsari dat, ex quibus optatam victoriam sperare posset, præbuit illi occasionem, cumque pene coëgit, vt iis qui eius ab se alienationem moliri nunquā desistebant, aures accommodaret: eodem tempore Venetis in eo statu conseruatis, vt maioribus viribus iis se possent cōiungere, qui eius potentiam deprimere cupiebat: vnde iam in Cæsaris mente, præsertim vero in Conciliabuli negotio, nouorum consiliorum aliquod signum incipiebat elucere; quo in negotio, præcipue post Concilii Lateranēsis promulgationem refrixisse videbatur: cum non, vt sæpius promiserat, aliquos Germanos Antistites Germaniæ nomine mitteret, nec procuratores qui suo nomine sederent: nec Galliæ Regis exemplo moueretur, qui communi Ecclesiæ Gallicanæ nomine, viginti quatuor Episcopos Pisas delegauerat; reliquos omnes regni sui Antistites, vel ipsosmet proficisci, vel procuratores mittere iusserat. Et nihilominus, siue vt hāc dilationem excusaret, siue quod reuera tale esset eius desiderium, hoc tempore, vt pro maiori Germanorum Antistitum commoditate, & quod se interesse velle diceret, Conciliabulum Pisis indictum, aut Mantuam, aut Veronam, aut Tridentum transferretur, postulare cœpit. quæ petitio variis de causis reliquis omnibus molesta, tantummodo Caruaialo Cardinali erat grata, qui Pontificatus cupiditate inflammatus, in quem finem hæc dissidia seruerat, Cæsaris gratia, cuius erga se beneuolentiæ plurimum confidebat, facile se eo peruenturum sperabat. tamen cum Conciliabuli causa sine Cæsaris authoritate debilitata, ac pene manca relinqueretur, de communi consensu Sanseuerinatem Cardinalem legarunt, qui eum rogaret, vt Antistites & Procuratores toties promissos mitteret, fidemq; omnium nomine obstringeret, quamprimum Conciliabulum Pisis inceptum esset, in eum ipsum locum, quem ipsemet nominaret translatum iri. quod si ante fieret, communi causæ plurimum obfuturum ostenderet. præsertim vero illud maximi esse momenti, Conciliū à Pontifice indictū anteuertere. Cū Cardinale ad idem Galliæ Regis nomine petendum, eius frater Galeacius profectus est, qui felicitate à Ludouici Sfortiæ prioris domini infelicitate dissimili, Archipocomi (magnum Scutarium vocant) munere ab ipso ornatus fuerat. Rex autem eum misit, præcipue vt variis pollicitationibus, novisq; conditionibus Cæsaris animum confirmaret: ob cuius varietatem, in maxima ambiguitate ac suspicione versabatur; etsi eodem tempore pacis cum Pontifice spe non careret: quæ cum Romæ per Nannetensem & Strigoniensem Cardinales, in Gallia vero per Scotum & Tiburtinum Episcopos ageretur, eo vsque perducta erat, vt pene omnibus capitibus compositis, Pontifex confitiendi authoritatem Tiburtino Episcopo miserit: quamuis mandato aliquas leges interposuerit, tum dissoluendi Conciliabuli, tum ditionis Pontificæ ab iniquis possessoribus vindicandæ, quæ non mediocrem voluntatis à verborum sono discrepantis, cum præsertim illum eodem tempore penitus his contraria cum multis Principibus consilia miscere compertum esset, suspicionem dabant. Qua in ambiguitate dum ea aguntur, parum abfuit, quin Pontificis repentinus casus, omnia consilia truncarit; qui decima septima Augusti die in morbum incidens, quarto ægritudinis die adeo ingenti animi defectu oppressus fuit, vt per aliquot horas à suis ministris pro mortuo fuerit habitus. Vnde ipsum diem supremum

Pontifex in subitaneū morbum incidit.

clausisse,

clausisse, vndique fama peruagata, multi Cardinales absentes, & inter reliquos qui Conciliabulum conuocauerant, Romam versus contenderent. Nec vero Romæ minor quā in Pontificum morte extitit commotio; imo maiorum tumultuum semina apparuerunt. Quoniam Pompeius Columna Episcopus Reatinus, Antimusque Sabellus, iuuenes in Romana nobilitate seditiosi, populo Romano in Capitoliū conuocato, turbulentissima oratione eum ad libertatem capessendam inflammare conati sunt. Sed dum nimia ambitione populum Romanum ad publicam rebellionem concitare conantur, Pontifex à tam periculoso casu respirauit. quo aliquantulum leuatus, maiore tamen ipsius vitæ metu quam spe, sequenti die Cardinalibus quasi in iustum senatum congregatis, nepotem Vrbini Ducem, à Cardinalis Papiensis cæde, haud quidem causa in iudicio (quod temporis exiguitas non patiebatur) acta, quemadmodum antea fuerat constitutum, sed tanquam facti pœnitentem, gratia atque indulgentia absoluit: & in eodem Senatu successoris electionem legitime fieri procurauit, cum aduersus eos qui malis artibus scilicet vel pecuniis, vel aliis corruptelis, ad tantum gradum ascendere vellent, legem ambitus horrendis pœnis refertam promulgauit, eaque ipsa electionem aduersus hanc legem factam prorsus sustulit; & cuius Cardinali ad eam impugnandam, admodum facilem aditum patefecit: quam legem, iam tūm cum Bononiæ esset, in nonnullos Cardinales qui palam, vt post eius obitum ad Pontificatum assumerentur, cum aliis Cardinalibus paciscebantur, indignatus tulerat. Ex eo die, siue id peculiari diuino ad libertatē Italiæ seruandam beneficio, siue ex firma admodum corporis constitutione, sanitatis signa euidentiora apparuerunt. Neq; enim medicorum curæ aut remediis, quibus in supremo ægritudinis ardore, crudis pomis, rebusque illorum præceptis contrariis vescens, nulla ex parte parebat, eius salus tribui poterat. Quamprimum mortis periculo liberatus fuit, ad consuetos labores cogitationesq; rediit; simulque & pacem cum Galliæ Rege; etsi forte illa non posset confici, ad Gallorum perniciem fœdus cum Rege Aragoniæ ac Veneto Senatu moliebatur. Et quamuis animo magis ad bellum quam ad pacē propenso esset, aliquando tamen multis rationibus, modo in hanc, modo in illam sententiam distrahebatur. Ad bellum quidem, præter inueteratum in Galliæ Regem odium, & quod non omnia quæ cupiebat in pace consequi posset; Regis quoque Aragoniæ tunc potissimum ne Galliæ Rex rebus cum Pontifice compositis, statim data occasione regnum Neapolitanum inuaderet, metuentis, contrariæ suasiones incitabant: & quo maiorem hæc consilia haberent authoritatem, præter priorem classem Petro Nauarro duce ex Africa in Italiam transuectam, denuo aliam ex Hispania miserat; qua quingenti grauis armaturæ, sexcenti leuioris equites, & peditum tria millia transportari dicebantur: quæ vires aliis additæ, nec numero, nec hominum virtute erant parui momenti: & tamen idem Rex consuetis artibus vsus, bellum in Mauros magis cupere, nec vtilitate, aut proprii commodi gratia, aut alia re, quam sua perpetua in Pontificiam sedem obseruantia ab eo remoueri præ se ferebat. Cum vero solus suos milites fouere non posset, Pontificis & Senatus Veneti auxilium sibi esse necessariū: ad quæ quo facilius acquiescerent, eius copiæ quæ omnes in Capreas insulam prope Neapolim descenderant, transitum in Africam comparare fingebant. Verum immoderatæ petitiones Pontificem terrebant; artes molestiam afferebant; & quod is Rex contrarias spes Galliæ Regi dare non cessabat, ipsi notum esset, suspicionem mouebat. Venetos à sua voluntate nō deflexuros sciebat: verum grauissimo bello sumptuū faciendorum facultatem exhaustam esse, & Senatum per se tunc temporis potius ad res suas tuendas, quam ad nouum bellum, quod nisi maximis, & pene infinitis sumptibus geri posset suscipiendum, propensum esse intelligebat. Heluetios, propter communem multitudinis propensionem Galliæ Regis hostes se declaraturos sperabat: sed cum eius rei nihil certum haberet, eosque numquam Galliæ Regis actiones penitus reiecisse, & multos ex principibus gentis, ad quos ex Gallica amicitia maxima emolumenta perueniebant, totis viribus incumbere, vt in Comitiis quæ proxime erant futura, cū Rege fœdus renouaretur, notum esset, non videbantur incerta spe tot pericula subeunda. De Cæsaris animo, quamuis vehementer à Catholico Rege incitaretur, & suapte natura Gallico nomini infensissimus esset, minus sperabat, quam timebat: cum præsertim sciret ingentia recenter tum in se, tum in Venetos illi fuisse oblata: & simul Galliæ Regē maiora posse præstare, quam quiuis alius promittere. Quod si Cæsar ei Regi coniungeretur, illius authoritate Conciliabulum admodum formidabile futurū, eiusq; armis bona fide, Galliæ Regis viribus ac pecuniis, & cū vtriusq; regnorum opportunitate iunctis, nulla victoriæ spes Pontifici relinquebatur, quæ vel aduersus Regem Galliæ solum, valde etiam difficilis erat. Animum porro ipsius erigebat, quod Angliæ Regem, Catholici Regis soceri sui consiliis & cohortationibus, nec non Sacrosanctæ Sedis authoritate, quæ tunc in Anglia erat maxima; & cuius nomine ardentissimis precibus illius opem aduersus Galliæ Regem tamquam Ecclesiæ tyrannum & euersorem implorauerat, impulsum, Galliæ regno bellum illaturum speraret. Sed enim illum Regem insitum à natura Angliæ Regibus cunctis & populis in Gallicum nomen odium, iuuenilis ætas, atq; ingens pecuniarum copia à patre relicta (quam fama erat non à leuibus orta autoribus, ad vim incredibilem ascendere) multo magis incitabant: quæ res adolescentem, nouum Regem, quiq; in domo sua nihil vmquam nisi prosperum fortunæ cursum viderat, maiorum suorum gloriæ renouandæ cupiditate inflammabant: qui Galliæ Reges appellati, diuersis temporibus victores eo regno maximis bellis vexato, non modo Ghiennā Normaniamq; opulentas potentesq; prouincias diu possederant, ac prælio apud Pictones commisso Ioannem Galliæ Regem cum duobus liberis, multisq; regni principibus ceperant; verum etiam Lutetiam Parisiorū totius Galliæ caput, cum optima regni parte, tanto successu & terrore occupauerant, vt constans opinio sit, Henricum V. nisi in ætatis flore atq; in ipso victoriarum cursu morbo esset extinctus, totum Galliæ regnum occupaturum fuisse. Quorum triumphorum memoriam cum nouus Rex animo volueret, etsi pater eius moriens, pacem cum Galliæ Rege inprimis tueretur præcepisset, qua sola Angliæ Reges tuto ac feliciter regnare posset, incredibili ardore mouebatur. Bellum vero ab Anglis, Regi Galliæ, præsertim eodem tempore aliis bellis implicato illatum, quod & regni ipsius viscera peteret, & rerum præteritarum recordatione, Anglicum nomen Gallis admodum esset formidabile, maximi momenti esse nemini dubium erat: tamen Pontifex ob regionum longinquitatem motus, sua consilia stabilire non poterat. Hæ erant Pontificis spes, atq; iis cogitationibus agitatæ. Ex altera partæ Rex Galliæ à Pontificio bello abhorrebat, pacemq; exoptabat, cuius interuentu & inimicitiam Pontificis amouebat, & se ab importunis Cæsaris petitionibus, ac seruiendi necessitate liberabat: nec in Conciliabulo Pisano, à se solummodo vt Pontificis animum hoc metu ad pacē flecteret introducto, modo Cardinalibus, aliisq; qui vel consensissent, vel adhæsissent ignosceretur, tollendo, difficilis erat. Cōtra vero Bononiæ restituendæ postulatio, quod eius ciuitatis situs ad se infestandum maxime esset oportunus, eum suspensum tenebat. Verebatur enim, ne Pōtifex non sincere pacem acciperet, nec si occasiones redirent, animo ad tuendam prompto, sed vt se à præsenti Conciliabuli armorumq; periculo liberaret. Cæsaris tamen animum magna pollicendo se posse confirmare sperabat, quod etiam tū non tanquam alienatus, sed velut socius de communibus rebus secum ageret; & inter cætera, ne Bononiam tanti momenti vrbem in Pontificis potestatem redire sineret hortaretur. Aragoniæ vero & Angliæ Regibus etsi vnius iam pene apertæ essent actiones, & de alterius mente sparsi rumores; & quamuis eorum legati simul coniuncti, prius moderatis verbis, atq; in speciem officiosis & amicis, mox vehementioribus, vt Cardinales, regniq; sui Antistites ad Lateranense Cōcilium ire iuberet, & ad Pontificem Bononiam Sacrosanctæ Sedis ciuitatem redire permitteret, hortati essent, non penitus diffidebat: quoniam hinc Anglo in fœdere se permanere velle simulante, multisq; ex suis eius rei fidem facientibus, illum aliquid in se moliturum non credebat: Illinc Aragoniæ artes & simulationes eiusmodi erant, vt Rex minore factis quam verbis, quibus se numquam aduersus ipsum arma sumpturum asserebat habita fide, Regem illum cum hostibus aperto marte non esse facturum, quemadmodum occultis

consiliis faciebat, ex parte sibi persuaderi permitteret. Quibus vanis opinionibus ita decipiebatur, vt cũ ab iis qui apud Heluetios factionem ipsius sequebantur, eam gentem si de augendis pensionibus assentiretur, reconciliari posse spes fieret, quod sibi mulctam imponi nolle diceret, denuo pertinaciter denegarit: imo remediis asperioribus, vbi mitioribus erat opus adhibitis, ne ex Mediolanensi agro commeatum habere possent vetuit: quo cum ob regionis sterilitatem maxime indigerent, illos ea ratione ad fœdus veteribus conditionibus redintegrandum flecti posse sperabat.

VII. *Pontifex Pisanos & Florentinos excommunicat.*

Interea dies primus Septembris superuenit, Pisani Conciliabuli auspiciis destinatus; quo die procuratores Cardinalium Pisas profecti, illorum nomine quæ ad aperiendũ Conciliabulum requirebantur peregerunt. Qua re Pontifex vehementer commotus, quod Florentini vt id Conciliabuli in sua ditione fieret assensi essent (hoc enim nomine semper appellabat) Florentiã & Pisas, & quotquot ei Conciliabulo fauerent, sacris interdixit, diriſq; deuouit, omnibusq; eis pœnis quæ seuerissimis legibus in schismaticos atq; hæreticos sunt latæ, subiecit, eisq; armorum vim minatus, Ioannem Medicẽ Cardinalem Perusiæ legatũ legit: & post paucos dies defuncto Cardinale Rhegino Bononiæ legato, ad eam legationem transtulit: vt eorum Imperii æmulo tanta cum authoritate in finibus illorum propemodum cõstituto, eos in metum confusionemq; coniiceret. Ex eo enim statu in quo tunc ciuitas illa erat, facile id fieri posse sperabat. Nam præterquam quod Medicææ familiæ reditum nonnulli optabant, inter Optimates discordiæ factionesq; antiquæ eius vrbis ægritudines regnabant, hoc tempore ex Petri Soderini reipubl. Vexilliferi potentia & autoritate fuscitatæ; quam alii ambitione & æmulatione incitati ferre non poterant: aliis ipsum in deliberationibus forte plus quam eius dignitati conueniret sibi sumere; reliquis eam partem non relinquere quam eorum dignitas merebatur molestum erat: querebanturq; ciuitatis statum in duobus extremis, hoc est in publico capite, & populari consilio positũ, ex recta rerumpub. forma, bene constituto Senatu carere: cuius beneficio, præterquam quod esset velut quoddam inter duo extrema temperamentũ, Optimates, quiq; virtute præstarent, digniorem in repub. gradũ assequerentur: Vexilliferum autem præcipue ad hoc ipsum ordinandum delectum, vel ambitione, vel inani suspicione cõtra facere aiebant. Quod desiderium quamuis æquum, non tamen tanti ponderis, vt illorum animos in factiones distrahere debuerit. Nam etiam sine hoc honestum locum obtinebant, nec sine illis publica negotia deniq; perficiebantur: quæ res in ea ciuitate grauissimorum malorum origo, & præcipua causa fuerunt. Ab his initiis inter ciues orta dissensione, cum Vexilliferi æmulis, ipse eiusq; frater Volaterranus Cardinalis è Galliæ Rege pendere, eiusq; amicitiæ plurimũ fidere viderentur, ea quæ in Regis gratiam decernenda erant, Pontificem superiorẽ esse cupientes omni ratione impedire conabãtur. Hinc quoq; fiebat, vt Medicææ familiæ nomen minus odiosum esse in ea vrbe inciperet: quoniam potentiores ciues qui reditum illorum non cupiebant, ob Vexilliferi æmulationem, non amplius cum aliis ad eos persequendos, nec (vt alias factũ erat) ad reliquorum ciuium cum illis commercia impedienda conspirabant: quin vt Vexilliferum vrerent, se ab illorum amicitia non alienos ostendentes, aliis ad eorum dignitatem expetendã fere ansam præbebant. Ex quo illud fiebat, vt non modo ii qui reuera illorũ erant amici, qui quidẽ magni non erant momenti, rerũ nouarum spem cõciperent, sed etiam multi nobiles adolescentes vel immoderatis sumptibus, vel priuatis odiis, vel alios dignitate superandi cupiditate incitati, status mutationem ex illorum reditu appeterent. Hanc a. animorum affectionem per multos annos sumo astu nutrierat auxeratq; Cardinalis Medices. Nam post Petri fratris, cuius nomen formidabile & inuisum erat, obitum, Florentinis rebus sese immiscere nolle, nec ad pristinam suorum amplitudinem aspirare fingens, semper omnes Florentinos qui Romã venirent humanissime acceperat, omniumq; negotiis prompte susceptis, nec minus quam aliorum, eorũ qui se fratris inimicos ostenderant, omnem culpã in eum transferens, quasi odiũ & offensiones illius morte essent extinctæ. Quo in agendi modo cum plures annos perseueraſset, fama quam in Rom. Curia comparauerat comite, hominis erga omnes natura liberalis, comis & humani, Florentiæ multorum gratiã promeruerat. Ideo Iulius, Florentini status perturbandi cupidus, non imprudenter illũ ei legationi præfecit. Florẽtini à Pontificis sententia ad sacrũ (suppressa Pisani vt minus læderent appellatione) & vniuersæ Ecclesiæ Concilium prouocarunt: & perinde ac si sententiæ latæ vis, prouocatione esset suspensa, supremi Magistratus præcepto, quatuor præcipuorum templorũ Sacerdotes res sacras in suis tẽplis publice peragere coẽgerunt. Ex quo magis ciuium dissensio, cum sacrosanctam Pontificis autoritatem vel obseruare, vel contemnere in cuiusq; esset arbitrio positum, apparebat. Quocirca Aragoniæ Angliæq; Regũ legati denuo apud Regẽ Galliæ agere cæperunt, pace cũ Pontifice oblata, ea conditione, si Bononia Pontifici restitueretur, & Cardinales ad Lateranense Conciliũ proficiscerentur; quibus veniam nomine Pontificis pollicebantur. At Rex cũ propter Bononiam assentiri nollet, se vrbem contumacem & ab Ecclesia alienã non tueri respõdit, cum eius imperio ac nutu nunc, quemadmodũ & p̃ multos annos ante Iulii Pontificatum gubernaretur: qui maiorẽ authoritatem quã eius maiores habuissent sibi deposcere nõ deberet. Conciliabulum Pisanũ, honestissimo ac sanctissimo consilio introductum fuisse, ad Ecclesiæ apertos & non ferẽdos abusus corrigendos; cui, si Pontifex (vt æquum dicebat) ad id veniret, sine seditionis vel diuisionis periculo antiquus splẽdor facile reddi posset: se ipsius immiti (ita accusabat) natura, animoq; ad bella & offensiones accenso coactum fuisse Bononiæ patrocinium suscipere: quam honoris sui causa nõ secus tueri vellet, quam Lutetiam ipsam Parisiorũ vrbem esset defensurus. Pontifex igitur omnibus pacis cogitationibus depositis, ob Bononiæ cupiditatem, & Conciliabuli odium ac metum, ac deniq; si in deliberando diutius hæreret veritus, ne ab omnibus desereretur: quia iã Hispani milites quasi in Africam essent traiecturi, ad Capræas insulam naues cõscendebant, fœdus quod cum Catholico Rege & Veneto Senatu tractabatur perficere statuit: quod 5. Octobris die corã Pontifice, Cardinaliumq; Collegio, in Diuæ Mariæ Popularis, solenni ritu promulgatum fuit: cuius hæc erant capita.

Hispanus cum Venetis fœdus init.

VIII. Fœdus hoc præcipue ad Ecclesiæ vnitatẽ & concordiã tuendam fieri, & ad Pisanũ Conciliabulum schismatis iminentis anteuertendi causa, extirpandum: Bononiam quæ optimo iure ad sacrosanctam Sedẽ pertineret, ac reliqua oppida & loca quocumq; modo ad Pontificatũ spectantia (quibus verbis Ferraria cõprehendebatur) recuperanda, atq; ad eos qui sese his rebus opponerent, aut quouis modo impedire niterentur (his verbis Rex Galliæ notabatur) Italia pellendos validus instrueretur exercitus; in quo Pontifex quadringentos grauis, quingentos leuis armaturæ equites, sex millia peditum aleret: Senatus Venetus octingentos cataphractos, mille leuis armaturæ equites, peditum octo millia: Aragonius vero cataphractos mille & ducentos, equites leuis armaturæ mille, & Hispanorum peditum decem millia; ad quos fouendos Pontifex toto belli tẽpore in singulos menses viginti ducatorum millia numeraret, totidemq; Venetus Senatus, duorum mensium stipendio in præsentia numerato: intra quos menses in Æmiliam, vel quocumque fœderati conuenissent, & ipsi conuenirent, Aragoniæ Rex duodecim triremes armaret, Veneti quatuordecim, qui eodem tempore in Insubria Galliæ Regi bellum inferrent: his copiis vniuersis Raimundus Cardona, patria Catalanus, id temporis regni Neapolitani Prorex præesset. Si in Insubria aliquod oppidum, quod Imperii Venetorum fuisset caperetur, eius esset cui à Pontifice adiudicatum esset: sed Pontifex statim peculiari scripto Venetis restitui debere declarauit. Cæsari & Angliæ Regi in hoc fœdere relictus est locus; illi, in spem, dubiam tamen cum à Galliæ Rege tandem posse disiungi; huic, expresso Eboracensis Cardinalis consensu, qui semper fœderis consiliis interfuit. quo fœdere icto, Hieronymus Donatus Venetus Orator, prudentia ac dexteritate sua Põtifici admodum gratus, quique eam ob causam patriæ in sua legatione valde vtilis fuerat, obiit.

IX. *Pontifex duos Cardinales schismaticos declarat.*

Hoc fœdus à Pontifice, Italiæ à barbaris liberandæ specie percussum, varias in hominũ animis pro studiorum ingeniorumq; varietate interpretationes excitauit. Pontifex vero qui secus sentiebat, spiritibus suis nouo fœdere auctis magisque inflamatis, statim elapso tẽpore, Cardinalibus Conciliabuli autoribus ad resipiscendũ præscripto publico Cardinaliũ Senatu solenni ritu cõuocato, ornatu Põtificio in loco qui

Regia dicitur sedens, Cardinales Caruaialem, Maclouiensem, Cosentinum, & Bellocasium purpuratorum ordine excidisse, & omnibus pœnis, quibus hæretici ac schismatici subiiciuntur, obnoxios declarauit: præterea admonitionem eadem forma in Sanseuerinatem Cardinalem, cui ad eum vsque diem non fuerat molestus, promulgauit; eodemq; ardore ad armorũ consilia progressus, Hispanorum aduentũ continenter vrgebat; & vt ante omnia infestis armis Florentini peterentur in animo habebat, vt eam rempubl. Medicea familia in pristinum restituta, ad sociorum voluntatem induceret: nec minus vt iustum odium aduersus Petrum Soderinum Vexilliferum conceptum exstataret, quasi illius autoritate factum esset, vt Florentini nunquam voluerint à Galliæ Rege diuelli; ac deinde Conciliabulum Pisis celebrari permiserint; cuius consiliis multis indiciis Florentiam vsq; perlatis, cum ad bellum sustinendum varii apparatus fierent, fuit inter cætera propositum, valde æquum esse, vt bello à Pontifice iniuste (dicebat) illato, templorum Sacerdotumq; fortunis obuiam iretur; eamq; ob causam ad maximã pecuniæ summam depromendam Sacerdotum ordo adigeretur: ita tamen vt tuto loco deposita, ea, nisi bellum esset non vterentur; belli vero timore sublato, iis qui dedissent, restitueretur. Huic rei à multis ciuibus contradicebatur, atq; ab iis præsertim qui pœnas Pontificiis legibus in libertatis Ecclesiarum violatores constitutas formidarẽt: maxima vero pars, vt res à Vexillifero, à cuius autoritate præcipue hoc consiliũ manare notum erat, propositas impugnarent. Sed cum Vexilliferi diligentia, & multorum præterea propensione, noua lex ad hoc constituta in minoribus conuentibus esset recepta, nec aliud præter maioris Senatus, qui ad hoc ipsum erat conuocatus, approbationem quidquam deesset, Vexillifer pro lege locutus est.

X. Vexilliferi oratione audita, quo minus lex maioris Senatus consensu approbaretur, nihil fuit impedimento, quo facto etsi Pontificis indignatio supramodum creuerit, magisq; adfœderatos, vt Florentinis bellum inferretur, impellendos fuerit concitatus, nihilominus & ipsum, & eos qui pro Aragoniæ Rege in Italia agebant, Pandulfi Petrucii suasiones ab hac sententia remouerunt. qui Bononiam peti hortatus, bellum in Etruria moueri detestabatur; quod Bononiam per se ad defensionem infirmam, Galliæ Regis viribus tantum defensum iri diceret; pro Florentinis vero, & ipsorum met potentia, & propriæ vtilitatis gratia, non minus quam pro Bononiensibus idem Rex esset pugnaturus Florentinos, etsi animo in Galliæ Regem propensi essent, tamen vt prudentes, & status sui conseruandi cupidos, neminem in illius gratiam in tantis motibus armis tentasse, ne alia re illi adiumento fuisse, nisi quod ad Insubriæ imperium tuendum, idque ex communi cum Catholico Rege atque ipso fœdere, cum ducentis cataphractis iuuissent. Galliæ Regi nihil gratius vtiliusue posse, quam Florentinos cogere à partium æqualitate discedere, illorumque causam cum sua coniungere: Summæ imprudentiæ esse quos Rex nullis precibus, ac promissis suas partes profiteri impellere potuit, eos ab ipsius Regis hostibus ad id compelli, quod ille sua authoritate consequi non potuisset. Conciliabulum Pisis celebrari Florentinis molestissimum esse, multis signis ab omnibus perspici, sibi vero certo compertum esse; nec aliam ob causam assensos esse, nisi quod Galliæ Regis postulatis, statim post Bononiæ defectionem factis, cum nulla arma illi opposita in Italia cernerentur, Cæsarisque authoritatem Conciliabulo adiunctam esse certum esset, & Catholici quoque Regis consensus accedere crederetur, repugnare non sint ausi: se pari ratione scire Florentinos non laturos esse, vt sub eorum imperio Galli milites morarentur: eis minari, aut eos irritare, valde perniciosum fore: imo contra, mansuetudine cum eis agere, & quasi excusationes eorum admitterentur præ se ferre, vtilissimum esse. tali namque progressu, vel temporis successu, vel aliqua occasione id obtineri posse, quod nunc non esset sperandum: vel saltem timore ad noua consilia capienda minime compulsi, ita sopirentur, vt periculosis temporibus non nocerent: & parta victoria, eam Florentinis reipublicæ formam præscriberent, quam aptiorem censerent, in sociorum potestate fore. Pandulfi in hac causa autoritatem minuebat, quod illum propriæ vtilitatis gratia in Etruria tam graue bellum; quo siue ab amicorum exercitibus, siue ab hostium copiis æque oque omnes agriae regiones vastarentur, minime inchoari cupere animaduertebant. Verum eius rationes visæ sunt tam validæ, vt facile Florentinos tunc non inuadere decretũ fuerit: quod consilium, contentione non multos post dies inter Florentinos & Cardinales orta, magis probatum fuit. Cardinales quemadmodum supra dictum est, primis Conciliabuli actionibus non interfuerant, quoniam ad Sandoninum, siue vt Antistites qui ex Gallia veniebant, siue quos Romanorum Rex mittere promiserat expectarent, siue aliis de causis hæserant, quo ex loco cum diuersis itineribus abiissent, duos Hispanos qui Bononiensi itinere profecti erant, Pontifici reconciliari cupere fama fuit: quod illos semper cũ Aragonii Regis legato, qui apud Pontificem erat consilia habere cognitum esset; & quod publicam fidem vt tuto Florentiæ manere possent, à Florentinis petierant obtinuerantque, hanc opinionem augebat. Sed cum in Mugellanum agrum peruenissent, repente Lucam versus vt aliis coniungerentur iter ceperunt; siue quod reuera sic semper in animo habuissent; siue quod in Caruaiale Cardinali tandẽ antiqua ambitio potuerit, quam recens metus; siue quod ibi abdicationis suæ accepto nuncio, de concordia iterum cum Pontifice farcienda desperarit. Eodem tempore tres Galli Cardinales, Maclouiensis, Alibretus, & Belocasius, cumque iis Galliæ Antistites, Pontremulensi itinere Apenninum superabant, quos ex Longobardia, ad eorum petitionem sequebantur trecenti Galli cataphracti, Odetto Friffeio Lautrechii regulo duce, cui à Cardinalibus Conciliabuli custodia erat demandata; vel quod sine tali præsidio Pisis esse periculosum esse censerent; vel vt Conciliabulum Galliæ Regis armis munitum, maiorem haberet authoritatem: vel quemadmodum aiebant, vt eos qui ipsorum decretis repugnare aut non parere auderent, cohibendi haberent facultatem. At Florentini hac re cognita, quæ donec copiæ in itinere fuerunt ipsos latuerat, Pisanorum in se odium considerantes, superiorem defectionem Carolo Rege præsente & conniuente factam, quamq; Galli milites in Pisanum nomen propensi fuissent memores; præterea ne militari insolentia aliqua grauis commotio oriri posset veriti; sed multo magis ne si Galliæ Regis copiæ Pisas venirent, fieret (occulto fortasse Regis consilio,) vt Etruria esset belli sedes, in tanta vrbe, tantum militum numerum non recipere decreuerunt. Itaque statim Regiis significarunt, eam oram, ob angustiam & sterilitatem vix multitudini quæ ad Conciliabulum veniret alendæ, nedum aliis accipiendis idoneam esse; cumque ea vrbs ab ipsis ita gubernaretur, & custodiretur, vt Cardinales in ea sine vllo vel foris, vel intus periculi metu commorari possent, militum nihil opus esse præsidio: & Maclouiensi Cardinali, cuius voluntatem in his rebus Galli sequebantur, se milites Pisas non admittere statuisse indicarunt: qui verbis assensu simulato, ab alia parte milites separatim, & quam minimo strepitu fieri posset progredi iubebat, ratus vbi Pisas propius accessissent, aut vi, aut arte, aut Florentinis tanta cũ Regis iniuria prohibere minime audentibus, in vrbem sese immissuros. Sed cum Rex, si ne Pisas progrederentur, annuere, aperte respondisset, Florẽtini ad Maclouiensem Cardinalem superbiæ illius parem miserunt legationem, Franciscum Victorium, qui illum certiorem faceret, si Cardinales cum armis fines illorum ingrederentur, se eos non modo Pisas non admissuros, sed tamquam hostes persecuturos: atque eodem modo si Gallorum equitatus Apenninum Etruriamue attingeret, quoniam censerent id non aliam ob causam fieri, quam vt clam, vel aliqua fraude Pisas occuparent. Qua legatione motus Cardinalis, copias retrocedere iussit. Florentini, vt cum eo, præter Lautrechii & Castilionæi copias centum & quinquaginta hippotoxotæ manerent, permiserunt. Cardinales omnes Lucam conuenerunt; cui vrbi Pontifex hac de causa sacris interdixit: vbi Cosentino, qui intra paucos dies supremum suum vidit diem, ægro relicto, reliqui quatuor Pisas contenderunt; nec lætis magistratuum animis, nec multitudinis reuerentia obseruationeue accepti: quoniam Florentinis eorum aduentus erat molestissimus, & Conciliabuli causa Christianis populis nec grata erat, nec alicuius precii. Nam

etsi Ecclesiæ corrigendæ color esset honestissimus, maximeque vtilis, imo vniuersæ Christianæ reipublicæ non minus necessarius quam gratus; tamen autores ambitione moueri, & rerum fragilium cupiditate irretitos, communis boni specie de priuatis commodis contendere, eosque (quicumque tandem illorum Pontifex fieret) non minus correctione egere, quam ii de quibus corrigendis agebatur; & præter Sacerdotem ambitionem, Principum & regnorum controuersias Conciliabulum excitâsse, & fouere omnibus notum erat. Has Galliæ Regem ad id procurandum impulisse; has Regem Romanorum ad consentiendum; has Aragoniæ ad idipsum optandum concitasse. Cum igitur Conciliabuli causæ præcipue armorum Imperiorumque causam adiunctam esse palam animaduerteretur, piis rerum religiosarum nominibus, bellorum, offensionumque instrumentis, res profanas, procurari populi perhorrescebant. Ideo non solum in ipso vrbis ingressu, manifeste apparuit commune odium atque contemptus, sed in ipsius Conciliabuli actionibus apertius. Sacerdotibus namque ad primam sessionem in præcipuum vrbis templum conuocatis, nemo religiosorum interesse voluit; & illiusmet templi Sacerdotes, cum Schismatici vellent Conciliorum ritu, sacra quibus diuini spiritus numen inuocatur peragere, apparatus eis commodare recusarunt: deinde ad maiorem audaciam progressi, clausis templis aditum prohibuerunt. Quæ cum Cardinales Florentiæ per suos quæsti essent, templa instrumentaque ad sacra peragenda destinata, illis minime negari debere responsum fuit: ea tamen conditione, ne Sacerdotes interesse cogerentur. Non pene inter se repugnantibus decretis ex ciuium dissensione manantibus, quibus hinc Conciliabulum in suas vrbes recipiebant, illinc idipsum contemni permittebant; vno eodemque tempore & Pontificem offendebant, & Galliæ Regi non satisfaciebant. Idcirco Cardinales Pisis sine armis morari periculo minime carere rati, Conciliabulique authoritatem in vrbe quæ ipsorum decretis non pareret imminui, quamprimum Conciliabuli fundamenta iecissent, inde discedere cogitabant. Verum casus quidam, qui quamuis fortuitus, habuit tamen ex mala hominum affectione principium eos accelerare coegit. Nam cum Gallus quidam miles meretrici publico in loco nescio quam iniuriam intulisset, à circumstantibus clamore sublato, multi Galli tam milites, quam Cardinalium, reliquorumque Antistitum familiares, cum armis ad rumorem, nec non multi Pisani populares & Florentini milites cucurrerût; & illis Gallicum nomen, his vero Marzochi, quod est Reipublicæ Florentinæ Leonis insigne, acclamâtibus, cæptum est inter eos acre certamen. Sed Gallorum & Florentinorum ducum concursu, multis iam vtrimque vulneratis, & inter cæteros Castillionæo, qui ab initio sine armis, vt periculum auerteret, & Lautrechio qui eandem quoque ob causam aduolarat, quamuis vterque leuiter vulneratus, tumultus tandem sedatus fuit. Hic autem casus, Cardinales qui forte eadem hora in propinquum Michaëlis templum conuenerant, tanto terrore compleuit, vt postero die secunda habita sessione, qua Conciliabulum Mediolanum transferre statuerunt, summa celeritate ante quintumdecimum ab aduentu ipsorum diem discesserint, ingenti Florentinorum Pisanorumque lætitia, nec minore Antistitum qui Conciliabulum sequebantur gaudio, qui se in locum habitationum incommoditate, multisque aliis ex belli diuturnitate acceptis detrimentis, Sacerdotum Gallorum delicatæ opipataque vitæ minime aptum, venisse ægreferebant: & multo magis, quia cum Regio Imperio contra propriam voluntatem venissent, loci mutationem & quemuis casum, quo Conciliabulum difficilius redderetur, produceretur, dissolueretur-ue exoptabant. Mediolani vero populorum sibilis atque odio vbique Cardinales persequente, eadem vel maiora impedimenta inuenerunt. Quoniam Mediolanensium Sacerdotum congregatio, quasi eam vrbem non Ecclesiæ Romanæ Cardinales vbique gentium honorati, ac pene pro numinibus culti ingressi essent, sed homines profani & execrandi, statim per se à sacris peragendis abstinuit. cumque in publicum prodirent, vulgus palam illis imprecabatur, incompositisque gestibus ac verbis contumeliosis eos accipiebant; præsertim vero Caruaialem Cardinalem, qui huius rei & schismatis author habebatur, quique quod in postrema Pisis facta sessione Conciliabuli præses factus esset, magis erat omnibus inuisus. Per omnes vias plebis murmura exaudiebantur; Concilia faustas precationes, pacem, concordiam adducere solere; hoc imprecationes, bella, discordiasque adferre: illa ad rempublicam Christianam copulandam conuenire solere; hoc conciliabulum ad copulatam dissipandam esse conuocatum. Huius pestis contagium in omnes qui eos acciperent, qui parerent, qui fauerent, qui quouis modo cum illis versarentur, quique audirent aspicerentue manare; nec ex illorum aduentu aliud quam sanguinem, famem, pestilentiam, & tandem corporum animorumque perniciem expectari posse. Hos sermones vix cohibuit Gaëto Fosseius, qui paucos menses ante Longauillæ discessum Mediolanensibus cum imperio exercituique præfectus fuerat. Grauissimis enim legibus Sacerdotes sacra munera obire iterum, & populum inposterum modeste loqui cogit. His difficultatibus parum feliciter Conciliabuli auspicia procedebant: Cardinalium vero spes illud multo magis turbabat, quod Cæsar procrastinando, nec Antistites, nec procuratores mittebat; quamuis præter tot antea facta promissa, Cardinali Seuerinati se missurum confirmasset, Galliæque Regi continenter confirmaret: imo eodem tempore, siue vt se excusaret, siue ab aliis persuasus, ex ipsius dignitate non esse, propriorum regnorum Antistites ad Conciliabulum Pisanum mittere, nisi totius quoque Germaniæ nomine idem fieret: Germaniæ Antistites Augustæ Vindelicorum, vt qua ratione in illius Conuenticuli rebus progrediendum esset in commune deliberaretur, conuocauerat; Gallis tamen se hac ratione vt omnes mitterent effecturum asseuerans. Angebat quoque Regis animum consiliorum in Cæsare varietas. Nam præter tarditatem in Conciliabuli rebus declaratam, concordiæ cum Venetis ineundæ sermonibus, de qua multis pollicitationibus Pontifex atque Aragoniæ Rex fatagebant, palam aures accommodabat. Quærebatur præterea Regem Aragonium non puduisse, tam aperte Cameracense fœdus violare: & in hac recenti non compositione sed proditione, se velut appendicem nominasse: & Galeatio Sanseuerino se tamquam Pontificis hostem Romam iturum, verum sibi partem copiarum, & maximam pecuniæ vim Regiæ suppeditante, proponebat, nec tamen hæc ea animi firmitate, quin adhuc etiam eius postulatis admissis dubium esset, quid tandem esset incepturus. In Regis igitur animo solitæ cogitationes, curæque pugnabant. Si Cæsarem desereret, cum cum suis hostibus facturum. Sin cum sustineret, illius amicitiam ingenti precio empturum. quæ res quem fructum esset paritura ignorabat; quod ex præteritis rebus illud aduertebatur, sæpenumero ei plus malam administrationem nocere, quam iuuarent vires. His fluctibus Rex agitatus, vtræ res secundæne, an aduersæ Cæsaris, magis sibi essent nocituræ, apud se constituere non poterat. Eius dubitationem Catholicus Rex quantum poterat augebat; & quo eius bellicos apparatus remoraretur, sociorum arma quietura esse dicebat. Idem quoque iisdem de causis Rex Angliæ faciebat: qui Galliæ Regis oratori ea de re cum eo agenti se fœderi Romano assensum esse negauit; & fœdus quod cum Rege haberet se seruaturum affirmauit. Eodemque tempore Angelus Tiburtinus Episcopus Pontificis nomine pacem proponebat, modo Rex Conciliabulo fauere desisteret, & Bononiæ patrocinium defereret; quibus concessis, se Pontificem nihil noui in eum moliturum, velle præstare pollicebatur. Regi minus pax vel iniquis legibus quam belli pericula sumptusque, qui & hosti resistendo, & Cæsare sustentando pene ingentes apparebant subire, displicebat: tamen quod ab Aragoniæ Rege, armorum terrore pene ad hoc cogeretur, indignabatur. Mouebat etiam, quod Pontificem, Bononia recepta, & Conciliabuli metu liberatum, pacem seruaturum esse, difficile sibi promittere posset; quodq; dubitaret, ne si propositis legibus se assensurum ostenderet, Pontifex, vt alias fecerat, pedè referret; atque ita sua dignitate læsa, existimationeque imminuta, Cæsar, quod se in bello cum Venetis derelicto, ipse pro se tantû pacem facere voluisset, iniuria affectum se censeret. Ideo Tiburtino Episcopo, nolle se Bononiam aliter sub

Pontificatu esse, nisi quemadmodum olim solebat, diserte respondit, eodemq; tempore, vt cum Cæsare, qui Brunechii erat, quod oppidum Tridento non longe abest, certum aliquid constitueret, Andream Burgium Cremonensem, Cæsareum apud se Oratorem, qui à se ei omnia polliceretur confestim ad eum misit: quo tempore nonnullis Cæsareis imperio subiecti, ex Tirolensi comitatu, Batistenum valde munitum castellum in Caldorensis vallis aditu occuparunt. Pacis consiliis interruptis, Rex ad bellum inferendum intentus, Heluetios sibi adiungere, sed frustra tentauit: ac Fosseio vt exercitum Italis ac Germanis peditibus compleret mandauit. Vehementer quoq; Florentinis quorum auxilia cum in propinquis locus esset gerendum, & Pontificii imperii ex illorum finibus turbandi, hostiliq; exercitui si Bononiæ appropinquasset commeatus aliaq; commoda adimendi opportunitate magni erant momenti, vt aperte totisque viribus secum ad bellum contra Pontificem gerendum concurrerent instabat: quod rerum præsentium necessitas, aliud quam parua vel dimensa auxilia, vel vt se intra fœderum limites cõtinerent postularet; neque vmquam maiorem sui deuincendi occasionem ipsos habituros, neque præclarius beneficium, & cuius memoria magis in perpetuum ad posteros suos permanaret conferre posse. præter quam quod si rem diligentius expenderent, dum se tuerentur & iuuarent, eos propriam causam tueri, ac iuuare. Quoniam possent certo cognoscere, quantum esset Pontificis in ipsos odium, quanta Catholici Regis in ea ciuitate dominatum prorsus sibi obsequentem constituendi cupiditas. Florentiæ vero multi secus sentiebant sumptibus in præsentia parcendi suauitate adducti, quid futurum tempus secum ferre posset, non cogitabant. In aliis valebat recordatio, fidem & opera illius Reipublicæ, nec ab hoc Rege, neque à Carolo vlla remuneratione vmquam fuisse compensata: quodque vt Pisas recipere eos non prohiberet, magno precio ipsis vendidisset. Quo exemplo eius promissis & pollicitationibus non habendam fidem; nec quocumque beneficio illum afficerent, gratus vt esset vllo modo expectandum. Idcirco non paruæ temeritatis esse id bellum suscipere: quod si infaustos exitus haberet, omnium malorum plus rata portione laturi essent: si prospere succederet, ne minimam quidem commodorum partem percepturi. Sed maioris erant momenti qui vel odio, vel ambitione, vel alterius administrationis cupiditate, iam dictas rationes extollentes, nouasque adducentes. Vexillifero se opponebant: præsertim illa, si medii essent, neutrarum partium odium in se concitaturos; neque cuiuis duorum Regum iustam querendi ansam daturos. Quia neq; Regi Galliæ alia, quam trecentorum ad propria regna tuenda grauis armaturæ equitum auxilia deberent, quæ iam præstiterant; nec id Aragoniæ Regi molestum esse posse, qui non paruum lucrum duceret, si se huic bello non immisceret: Imo semper laudari, & in maiori precio haberi eos, quifidem seruant. præsertim quia hoc exemplo, sibi quoque si opus esset, id quod pactione cum Galliæ Rege, & cum ipso æque facta, promissum erat, nos seruaturos esse speraret. Si ita se gererent, & forte inter Principes pax oriretur, ciuitas ab vtroque nominaretur & conseruaretur. Sin vero vnus victoria potiretur, cum se non læsum existimaret, nec peculiaris odii causam haberet, illius amicitiam eadem pecunia, & fortasse minori quam in bello expensuri fuissent, redimere non fore difficile. qua ratione magis quam armis sæpe maiores ipsorum libertatem conseruassent. Si secus agerent, vigente bello aliorum causa, nullaq; impellente necessitate, grauissimos sumptus esse facturos. Quod si aduersa pars victoriam consequeretur, patriæ salus atque libertas in apertissimo discrimine essent futura. Sed alia prorsus erat Vexilliferi sententia, qui arma pro Rege Galliæ sumi reipublicæ magis salutare esse censebat: eamque ob causam antea Conciliabulo fauerat, & Pontifici indignationis materiem subministrauerat; vt ciuitas ab illo prouocata, vel in suspicionem coniecta, ad hanc sententiam pene cogeretur. hoc autem tempore in ocio, belli quod in ipsorum finibus inter tot potentiores principes gereretur euentum expectare, nonnisi pernicio sissimum consilium esse posse ostendebat. alieni autem belli spectatores esse, tunc laudari solere, ob idq; multas molestias & sumptus euitari, cum vires non adeo sunt tenues, vt vtriusque partis victoria sit metuenda. Tunc enim securitatem, & sæpenumero illorum defatigatio imperii augendi facultatem affert: neque neminem læsisse, nemini iustam querelarum causam dedisse, tutum esse fundamentum. Raro enim, ac fortasse numquam victoris insolentiam, iustitia, prudentesue cogitationes cohibent: nec magnos principes, cum quod optant illis denegatur, his rationibus minori se iniuria affectos existimare, imo illis omnibus quo ipsorum voluntatem non fuerint secuti, cumque fortuna eorum proprias fortunas non coniunxerint, irasci solere. Regem Galliæ, cum inter tot pericula derelictum se conspexerit, cum facta spei, quam in Florentinos collocauerat, iis quæ ab ipsis net toties confirmata & prædicata fuissent, non respondere animaduerterit, non se læsum existimaturum credere stultum esse: longe stultius, si Pontifex atque Aragoniæ Rex victores forent in eam rempub. victoria immoderate non vsuros sibi persuadere: alter insaturabili odio, vterq; dominatum qui ex ipsorum arbitrio geratur constituendi cupiditate, rati liberam ciuitatem semper magis erga Gallos, quam erga se propensam fore. Hoc aperte ex eo cerni posse, quod Pontifex Catholici Regis consensu, Cardinalem Medicem exercitus legatum destinarit. Medium igitur esse, nihil aliud præ se ferre, quam victoris prædæ se exponere. Quod si alteri illorum adhærerent, saltem ex illius victoria securitatem ac tutelam, præmium rebus in tanta pericula redactis maximum consecuturos: etsi pax fieret meliorem fortem habituros. Cui autem parti adhærêdum esset disputare, superuacaneum videri. Nemini dubium esse, quia vetus amicitia, à qua fi respub. nullam remunerationem gratiamue accepisset, saltem sæpius & defensam & conseruatam fuisse, potius sit sequenda, quam nouæ experiundæ, quæ semper infidæ, semper suspectæ forent. Hæc verba à Vexillifero in cassum fundebantur; ipsius sententiâ iis præsertim impedientibus, quibus Galliæ Regem illius opera Florentinorum societatem acceptam referre molestum erat. In quibus contentionibus altera parte alterius sententiâ impugnante, nec vnam partem profiteri, nec prorsus medios esse decernebatur. ex quo sæpe incerta consilia, sententiæque inter se repugnantes oriebantur, quæ nec gratiam, nec meritum vllum apud aliquem promerebantur; Imo hac varietate progressi, summo cum Regis Galliæ dolore, Francisci Guiciardinum Iurisconsultum, adeo iuuenem, vt per ætatem patriis institutis ei ad nullum magistratum gerendum aditus pateret, legibus solutum ad Aragoniæ Regem Oratorem miserunt, nec tamen ei huiusmodi mandata dederunt, quæ vlla ex parte sociorum animos irritatos mitigarent. *Francisc. Guiciardin. lib. 9. & 10. Hieronymus Rubeus lib. 8. Thomas Nerius Florentin. in apolog. pro Hieronymo Sauonarola. Acta Concil. Lateranen. MS. Bibliothecæ Vaticanæ num. 1294. Iacobus Nardi lib. 5.*

XI. Inter hæc Cardinales schismatici, vt causam suam iure & æquitate fultam esse ostenderet, in oppido Sandonini nullius Diœcesis, prope Parmam, die 27. Septembris huius anni congregati, consilium & apologiam pro Conciliabulo Pisano, contra indictionem Lateranensis Concilii, à Philippo Decio Papiensis Gymnasii Præfecto conceptam, nominibus propriis & Conciliabuli euulgarunt; quam postea die XII. Nouembris, Cæsari cum adiuncta epistola in Iulium Pontificem inuectiua Pisis in Conciliabulo data miserunt: ac præterea in prima sessione decretum temerarium ediderunt, quo ordinabant, definiebant, & declarabant omnia & singula tam per Sanctissimum Dominum Papam, quam per alios quosuis prætextu conuocationis dicti Pisani Conciliabuli, dependentiumq; & connexorum acta & agenda, attentata & attentanda, siue per interdicta aliasue censuras, & priuationes seu inhabilitationes, etiam Consistoriales, de personis suis, dignitatibus, Ecclesiis, Monasteriis, & beneficiis, siue pensionibus ac iuribus, siue aliter quomodocumq; in præiudicium Conciliabuli, omniumque & singulorum eiusdem indictorum, fautorum, auxiliatorum & quouis modo adhærentium, & quandocumq; adhæsurorum, nulla, irrita, & inania fuisse, ac fore, illisq; quasi notorie nullis, irritis, & erroneis nullatenus deferendum. *Pisis per Palladium Bellonem Decium Pisani Conciliabuli calcographum.* Non ferendam sibi putarunt viri doctissimi, eam schismaticorum audaciam. Quamobrem diuersis editis Commentariis tam apologiam, quam reliqua illorum

scripta, & attentata confutarũt. Inter hos Thomas à Vio Caietanus, Dominicanorũ supremus Magister, de comparatione authoritatis Papæ & Concilii, deq; suprema dignitate summi Pontificis, duos libros, veluti duos clypeos adamantinos pro Iulio Papa aduersariis opposuit. Angelus quoque Vallis vmbrosæ Anachorita, pro eodem Iulio Pontifice, ad S.R.E. Cardinales apologeticum, contra Philippum Decium obiecit, isto quem adscribo stylo.

Apologeticum Angeli Anachoritæ Vallisumbrosæ, pro Iulio Papa, ad S. R. E. Cardinales.

Quanquam inter omnium Sacrorum Canonum professores me viliorem, imperitiorem, atq; incultiorem & agnoscam, & fatear, diuina tamen fretus clementia & consilio, positionibus & argumentis quæ Philippus Decius Papiensis gymnasii (vt aiunt) Antistes, in schismatis & Conciliabuli Pisani patrocinium exarauit, diuinoq; adiutus præsidio, non diffido, Patres Conscripti, copiosissime satisfacere.

Innititur enim inprimis approbare Pisanum Conuenticulum iuridice congregatum, quum multi maxime Imperatores Concilia sæpissime composuerint: tum (vt ait) quoniam Romanus Pontifex negligens extitit in Concilio conuocando: tum quod agitur de criminibus in Pontifice Dei Ecclesiam scandalizantibus. quibus (Deo authore) taliter satisfacimus. Fateor namq; Patres, ipsos Imperatores in primitiua Ecclesia Concilia plurima congregasse. Sed religiosissime denego illos Concilia vnquam confecisse, causa perscrutandæ iudicandæq; vitæ, & corrigendorum morum Romani Pontificis; quum & ipsi quandoq; dixerint, Pontifices à Regibus honorandos esse. Vnde IX. q. III. dicitur; Nemo iudicabit primam sedem. Neq; ab Augusto, neq; ab omni Clero, neq; à Regibus, neq; à populo iudex iudicabitur. Et iterum: Aliorum hominum causas Deus voluit per homines terminare; sed Romanæ Sedis Præsulem suo sine quæstione reseruauit arbitrio. Et rursus; Facta subditorum iudicantur à nobis; nostra vero à Domino iudicantur. Et XI. q. I. describitur, quod cum Magno Constantino oblati fuissent libelli in quosdam Episcopos, vt eos indicaret, illosq; admisisset, iussisse quamprimum igni comburi, dixisseq;: Dignum non est, vt Deos, id est Prælatos iudicemus. Præterea exponimus, quod etsi Imperatores ipsi persæpe Concilia indixerint, indixisse demum causa veritatis fidei indagandæ atq; declarandæ. XCVI. d. c. Vbinam. non autem causa schismatis procurandi, aut Romani Pontificis vitam declarandi. Referimus insuper multa per Romanam Ecclesiam quandoq; Imperatoribus fuisse concessa, ad violentiam euitandam, vt fuit eligendi Pontificis authoritas per Adrianum Carolo concessa LXIII. d. Adrianus. & c. in Synodo. Tamen quia postea Imperatores modum ignorantes, & in hæresim plerumq; prolabentes, matris Ecclesiæ vnitatem impugnare conati sunt, propterea Sanctorum Patrum statuta aduersus eos prodierunt, concessa reuocarunt, prohibueruntq;, ne in re Ecclesiastica se in posterum ingererent. LXIII. d. c. Quia S.R.E. & XCVI. Bene quidem. Cum autem Conuenticulum Pisanum, non causa fidei indagandæ declarandæq; indictum sit, sed IVLII optimi ac sanctiss. Pontificis persequendi, & eius vitam perscrutandi. Igitur nullum. Quod vero infert Henricum III. Concilium congregasse sine Rom. Pontificis autoritate, non obuiat: cum etiã fateatur, ab Ecclesia (quod intelligo Romana) ad quã spectat postea fuisse approbatũ. Ex quo ipsum ex suo argumẽto comprimo, & confundo; videl. quod nisi fuisset per Rom. Ecclesiam approbatũ, nullius extitisset ponderis vel momenti. Non denego tamen Patres, Romanum Pontificem potuisse, si placuisset, Pisanum contra eius mentẽ congregatũ approbare; sicq; ex Conciliabulo approbatũ Conciliũ prouenire. Cum omnia nostra faciamus, quibus authoritatem nostrã impartimur.

Ad id insuper quod asserit, omnẽ videl. regulã pati exceptionẽ: dialecticorũ more respondebo, male sc. intellectam. quoniã hæc nostra regula aliam non patitur exceptionem, quam in iure expressam. quod si in iure expositam, tunc dicimus non fuisse sub regula contentam.

Nec obstat Decii obiectũ: Iulium videl. in conuocando Concilio fuisse negligentẽ. quoniã negligẽtia bonus Pontifex oppressus non extitit, sed à temporum indispositionibus, vt copiosissime manifestat commissiones datæ Bernardino, tunc Cardinali S. Crucis in legatione German. destinato. & dato quod negligens extitisset; denego illum, qui potest supplere negligentias Prælatorum, non posse suis infirmitatibus salubrẽ medicinã ministrare, suisq; negligentiis satisfacere. Falsum tamen obiicit, dũ ait; agi de criminibus grauibus in Pontifice; cum magis agatur de odio, de inuidia, de persecutione erga bene meritũ Pontificem. Sed precor Patres conscripti, videamus, contẽplemurq; vitã, integritatemq; Decii, & eorum omnium qui Conciliabulum Pisis indixerunt. Ciuitas nãq; Papiensis, Cisalpina Gallia, omnisq; natio quæ ad Italiã trans Padanam iuuenes erudiendos misit, optima callet continentiã Decii: Superbiam autẽ & ambitionem Rom. Curia Bernardini, anhelantis semper ad Pontificatum, & demum Iulium persequentis, vt cathedrã Petri solus ipse conscendat. Cæterorum etiã omnium mores, qui etsi mihi in eremo existenti plerumq; nauseã induxerint, ne tamen vllius denudem turpitudinẽ, sub silentio pertransibo. Hoc tantum dixerim, quod si delicta admodum grauia, quæ Decius, vt coluber intendit inferre (quorũ est, vt audio, ille summus Princeps) in Pontifice militarẽt (quod minime crediderim) cũ eius ætas: nec Petri cathedra talia patiatur, quæ semper accipiat, vel faciat sanctũ, & portæ inferi, i. e. vitiorum non præualeãt aduersus eam; non omnibus prælatis, non toto clero, non deniq; toti Ecclesiæ Cathol. admodum gratus & charus esset: nec omnis creatura clamitaret, vt iam audiuimus. Viuat IVLIVS. ita vt non dubitem, si in Conciliabulo Pisano Clerus omnis conuenisset, eiq; libera dicendi suffragia fuissent, ne dixerim eum isse priuatũ, sed si defunctus fuisset, eius orationibus fuisse suscitandum. Et vtinam nobis liceret exponere qui sint, qui Iulium volunt iudicare, & Ecclesiam Catholicam reformare. Sciant ipsi, se ab his quorum interest optime dinosci. Deberent igitur meminisse; Oportere illum carere omni vitio, qui in alium dicere paratus est.

Prosequendo postmodum Decius ait: Conuocationẽ Concilii dictis de causis ad Cardinalium Collegium deuolatam. Cui sic satisfacimus, videl. quod cessante causa cessat effectus. sc. Cum falsum sit Pontificem fuisse in conuocando Concilio negligentem, agiq; minime de grauib. eius delictis; mendosum est etiam conuocationem huiusmodi esse deuolutã. Et dato, sic esse; ei opponimus, Cardinalium Collegium assensisse Pontifici in cassationẽ Conciliabuli Pisani, suaq; vota præstitisse in conuocationem Lateranensis Synodi. Irreprehensibiliter etiam denegamus, etiamsi talis indictio Concilii ad Cardinalium officium esset deuoluta, quod quatuor demum Cardinales, tunc etiam schismatici, existentibus XL. in Collegio, potuissent, præter mentem superioris & sanioris numeri Conciliabulum conuocare.

Nec nocet quod inficit, sc. quod vbi boni quãtumcumq; pauci sint, inibi tamen esse Ecclesiã Dei. Cui responsum facio; me videl. ignorare, qui sint vel fuerint hi pauci boni: cum eos quos inferre intendit fore bonos, in Collegio nostro Patres, fuisse omnium deteriores agnoscamus: quoniã inobedientes; quoniam Rom. Eccles. rebelles. Iudicet quisq; prudens, si Dei vicario inobedientes, si pertinaces, si perduelles S.R.E. si schismatici sunt cæteris meliores. O ineptiã Decii inauditã. O stultitiã baculo corrigendã. Si n. hi, quos ille bonos dicit boni fuissent, non Cham filium Noe imitati essent. Cooperuissent namq; pudenda Pontificis (si tamẽ pudenda in eo sunt) non a. aperuissent. Et quoniam illũ imitati sunt, eius maledictionem æqua lance consecuti sunt. Non docet n. Apostolus Prælatorum errores prædicare super tecta, sed ait: Superiorem peccantẽ ora vt patrem, vt emendetur. Præterea Decius, & schismatici omnes non sunt imitati Constantinum illum M. & Catholicũ Principẽ, qui ait XCVI. d. Si viderem propriis oculis sacerdotem Dei peccantem, chlamidem meam exuerem & operirem eum, ne ab aliquo videretur. Isti enim non peccantem Pontificem, & Sacerdotem maximum contra præceptũ Dei dicentis; Honora patrem tuum, i. e. prælatum tuum; & matrem tuã, Romanam sc. Ecclesiam, inhonorant, diffamant, & in perditionem animarum eorum prostituunt, & blasphemant: immemores illius dicentis; Si Romana Ecclesia humiliabitur, ad cuius confugietis auxilium? & vbi relinquetis gloriam vestram? In his itaq; non fuit bonitas, non pietas, non humilitas, non charitas: quia charitas omnia suffert, omnia tolerat, non inflatur, non est ambitiosa, non quærit quæ sua sunt, nec agit perperam, nec auro (vt Decius) corrumpitur.

Falsum etiã vlterius prosequitur, dum inquit Rom. Pontificẽ subiici Concilo. O extirpandã doctrinam. O dogma peruersum. Ait, Dei Vicariũ subiici Concilio. Enimuero non subiacet; quoniã non ab Apostolis, non à Concilio, non ab Ecclesia; sed à Deo accepit Principatũ. XXI. d. In nouo. & c. Quamuis, vbi dicitur, quod Primatũ Rom. Ecclesiæ, non aliqua Synodus, sed Christus instituit. Quod etiã pulchre pronunciat Thomas Aquinatẽsis, suo de regimine Principũ lib. IIII. quo in loco etiã affirmat, Rom. Pont. merito dici posse, Rex & Sacerdos, cũ Christus tali cognomine describatur, vt optime manifestat Augustin. XVII. de Ciu. Dei. Quamobrẽ nec Concilium potest Papam in fide permanentem iudicare. ext. de electione, significasti, nisi se submittat. Vnde etiam iudicatur à suo Confessore, quoniã se submittit. Extra a. fidem iam iudicatus est, iuxta illud Euangelicum; Qui non crediderit, iam iudicatus est. Vnde si omnes Doctores, omnes Principes, omnes Prælati, totusq; mundus de aliquo iudicaret, standum est sententiæ Papæ in contrarium decernentis. X. q. I. c. Aliorum Standum est igitur determinationi IVLII. qui indicauit nullum Conciliabulum Pisanum, non autem consilio Decii. Quo etiam loco, (quoniam sic tenuit) Sanctissimus Doctor Hieronymus se, suam fidem, suaque scripta Damasi Papæ iudicio supposuit,

& supponendæ describit. Discat igitur Decius salubriora consilia diuulgare.

Quod autem ait: Pontificem iurasse in sua promotione, se infra biennium Concilium promulgare: quod mihi non constat. dicimus tamen. Si sic est, eum etiam non esse mentitum. Quoniam sicut Apostolus non est mentibus, cum promisit Corinthijs, se iturum ad eos, & non iuit: vt comprobat Magister Sententiarum in III. & S. Thomas Secunda Secundæ qu. CX. Taliter nec noster Iulius. Quoniam sicut Paulus tunc in animo continebat se ad Corinthios conferre quando promisit, sic & Iulius Concilium congregare. Quoniam impossibilitas & necessitas, promissiones, iuramenta, vota, leges, sacrosq; canones prosternunt, annihilant, impediunt, & confundunt.

Prostratis itaq; superioribus deliramentis, corruunt etiam dependentia. videlicet, quod conuocato Conciliabulo Pisano, per nouam conuocationem à Romana Ecclesia factam, illud non potuisse dissolui. Cui dixisse volui, quod id quod nullum est dissolutione non indiget: quoniam nullum est: dissolui propterea non potest. Nullum quippe est, quod à pietate, religione, sanctisq; legibus improbatum est.

Dum autem maledicendo Decius ipse progreditur & ait, Conuocationem Concilij Lateranensis esse nullam, cum Pontifex conuocandi authoritatem deperdiderit, tum quoniam semel malus, semper præsumitur malus. Ad primum sic satisfacimus: quod cum Christi, & Apostolorum Principis causa pertractetur, eis respondendi onus reseruamus: quibus nihilominus supplico, iudicent causam suam, contemplenturq;, quibus vinculis, quo carcere, quibus in manicis, quibusue compedibus eos, eorumque potestatem implicet, constringat, carceret, & inuoluat malus Doctor Decius, dum ait: Romanum Pontificem, Sedemque Apostolicam, diuinam & cœlestem autoritatem continentem, conuocandi Concilij facultatem perdidisse, eamq; furatum esse Conciliabulum Pisanum, ita quod non possit in integrum restitui. Dormisne Apostolorum Princeps Petre? Quare non sollicitas fulmina: Tuq; Paule vas electionis, cur non emittis gladium in fratris & socij tui patrocinio? Tu insuper bone Iesu, quapropter non solicitas Patrem, ad iniuriam tibi, tuisq; inditam Vicariis vindicandam? Insanis Deci! Medici mediam pertundite venam. Mihi credite, Patres, desipit, dum ait, Romanum Pontificem, qui potest vnumquemq; in integrum restituere, non posse suam ipsam (si in eo fuit) negligentiam resarcire. & dato etiam, quod absit, Iulium autoritatem conuocandi Concilij tuis rationibus perdidisse: potestne Romana Ecclesia suis iuribus defraudari? Potestne Sedes Petri suis priuilegijs spoliari? Potestne spoliata restitui? Potestne Christus mortuus suscitari? Aurum cæcauit te Deci, auro in inferno à diabolo suffocaberis.

Ad alterum, cum ait: quod Semel malus, semper præsumitur malus respondemus: quod Quilibet præsumitur bonus, nisi probetur malus. Quum igitur Pontifex nunquam fuerit malus, comprobatus: Igitur bonus Pontifex, optimus Rex, & Sacerdos summus.

Cætera omnia cum ex prædictis dependeant, alia responsione non indigent: quoniam cum eis confunduntur & corruunt. Ad autoritates autem reliquas per eum in huiusmodi cauillationibus suis adductas, cum ad rem non faciant, nec in casu nostro militent: ne Catholicum Senatum vestrum grauioribus implicitum, vanis replicationibus fastidiam, non ignorantia sed prudentia pertransibo. Fracto enim fundamen[illegible] supereminens ædificium prostratũ est. Valete itaq; & gaudete in Domino: quoniã, sicut bonorum omnium iudicio, authoreq; Deo, Decij Vesaniam efficacissime compressimus: sic vestris orationibus adiuti, omnium in Christianam vnitatem, in Sanctamque Romanam Ecclesiam latrantium ora confidimus obturari.

XII. Itaque Angelus contra Decii Consilium, ab Iulio Pontifice damnatum: & contra Conciliabuli authores: qui in ipso belli Italici ardore, edicta vulgabant, & causas explicabant, cur iure Christiano liceret, ac vero necessarium videretur, ad illud extremum atque vltimum decurrere, vt Conventus Generales agitare curarent. Ad terrendum Pontificem, coercendamque Romanam licentiam ea via ab eis inventa, magnis incommodis alioqui obnoxia, quod semper accusabitur, & sæpe recurret tamen. & est nihil tam validum cui non sit periculum à multitudine, si in cœtus coire permittatur. Ferdinandus Catholicus Rex, Cæsare & Gallo inuitis alienum iam omnino se ab omnibus Schismaticorum molitionibus ostendit, eo maiori studio, quod in edictis in eam voluntatem ipsum conspirasse significabatur. Cum Cæsare quin etiam agere non destitit, vt eo conatu omnino desisteret. Superioris temporis calamitatum exempla & vulnera recen[illegible] vix cicatrice obducta satis indicare, ea consilia conatusq; præposteros infeliciter cadere. Qui res nouas cupiunt, & imperia mutari, nihil aliud quam sibi & aliis exitium parare. Ea ratione, eaq; via queri dissidiorum & tetri schismatis materiam.

Hispanus Gallum per Legatum vt Pontifici vrbes restituat hortatur.

Præterea Cabanillæ suo in Gallia legato iterum mandauit, blandis quidem verbis testato tamen Gallum Regem vltimo moneret, vti Bononiam cum subiecto agro Pontifici restitueret, neque pateretur alia Pontificiæ ditionis oppida à suis occupari, ac multo minus Ecclesiæ pacem turbari Conciliabulo iam conuocato. si secus faxit, ne quid propterea Respublica Christiana detrimenti capiat, curæ fore. E contra Gallus obfirmato animo repetebat, Pontificem Cameracensis fœderis conditionibus stare debere: Cardinales qui ab illo discesserant in pristinum dignitatis gradum redire: Mantuano summo Veneti exercitus ductori iurisiurandi gratiam fieri, qua se religione in eam militiam obstrinxerat, restituto etiam filio, qui obsidis loco pro patre penes Pontificem detinebatur. Ferrariensi veniam & pacem esse abrogatis sententiis, quæ in eum fuerant pronunciatæ: neq; tamen propterea oppidis decederet, quæ vltra Padum obtinebat, ne Cento quidem & Plebe. Hæc ipsa etiam Cæsar perpetuo flagitabat: quæ omnia Pontifex grauia iudicabat, & vt erat erecto animo, non ferebat à subditis vt obtemperarent, imperandi leges dici. Ergo Ferdinandus nulla spe reliqua instantibus futurisque malis auctoritate medendi, dolensque salutaria ipsius præcepta respui, vim adhibere & metum statuit, depositaque media persona palam ad Pontificem transiit, tanto studio eius dignitatem ab iniuria tuendi, vt Africano bello neglecto quo ire cogitabat, in vnam eam curam toto pectore incumberet. Nam & cum Anglo Rege sanxit, vt nisi Gallus Bononiam restitueret Pontifici, neque à conatu Conciliabulum agitandi desisteret, ac potius finibus Hispaniæ arma inferret, occuparet ipse conatus, atque ne nocere posset, bello Aquitaniam implicaret. Enimvero Pontifex denunciatione facta Lateranensis Concilii, minabatur, in eo conuentu, Galliæ Reginam non iustam eius Regis vxorem esse pronunciare velle, nec non Aquitanos & Normannos iniuria occupatos Sacramenti religione, quo Gallo fidem obstrinxerant exoluere, & Anglico imperio restituere. Fluctuabat inter hæc Rex Gallus: ac Cardinales Schismaticos varie vrgebat. Modo enim, vt actiones Conciliabuli maturarent, neque amplius suspensum orbem tenerent: modo vt pacem cum Pontifice inirent proponebat, faciebatque vt de concordia appellati audire non recusarent, modo tuto liceret ad Pontificem redire idoneo loco attributo, in quem sese reciperent fide Pontificis tuti. Sed hæc omnia ludus erant, & in communi causa præuaricatio, tempore extrahendo dum inchoata stabilirent. Nec minus Cæsarem, totius machinationis architectus præcipuus versabat. Nõ deerant qui cupiditati fauerent vani assentatoresq;, quales in aulis Principum multi viuunt. Ergo Rex vt illum distineret, Andrea Burgio interprete, Pontificatum illi offerre, si id cuperet: si minus ex eius voluntate daturum pollicebatur, sc. de alieno munificus. Fraus & ludibrium erat. Addebat, quæcumq; Pontifices de imperio detraxissent, vt recuperaret, effecturum. Demum è Neapolitano regno eam partem quam ipse expetiisset. Mediolanenses & Genuenses quoties bellum esset, lege perpetua certa Imperatoribus missuros auxilia quasi tributi honorarii nomine. Sanseuerinus pariter Cardinalis assiduus Cæsari non Pontificatum modo pollicebatur, sed & Neapolitanum imperium in partem accessurum, familiæ ope, sed & totius Italiæ viribus odio nominis Hispani. Iret tantum, suiq; in Conciliabulo copiam faceret. Spes vanæ, & mera ludibria, Gallo Regi Friderici, Regis Neapolitani relicta, Alfonsum Aragonium secundum filium, quamuis duodecim non amplius annos natum, magnopere expetenti permisit. Ex eo vel ipsi Galli coniiciebant prædicabantq;, profecto destinatum Regi cum Gallica puerum classe Neapolim amandare, populumque & gentem vniuersam ad arma per eum modum concire, nouo Rege, quem cuperent, de manu dato. Fides rumori eo maior fuit, quoniam id credunt homines quod cupiunt; & in vrbe militibus nudata gens vniuersa, Summi, medii, infimi, vti antea habere consueuerant, Regem peculiarẽ dari expetebant, vitio humani ingenii, præterita præsentibus potiora fore putantibus. Faciebat Gallus terrendo, Ferdinando, cui bellum insinuanti responderat, bellorum euentus

Pontifex à Cæsare contra Gallum auxilia petit.

esse varios, victoriam cœlo dari auferrique, cuius voluntati nemo præscriberet. Multum eos Galli conatus fouebat, iuvabatque Bernardinus Caruaialus. Quamobrem Iulius Pontifex, cum nuncios ad Ferdinandum misisset, eius auxilium aduersus Gallum implorans, illud etiam inprimis flagitabat, vt Caruaialum præcipuum schismatis autorem, quem & reliquos omnes pessimi facti socios Sacro Senatu amouerat, dirisque solenniter à Christianorum cœtu separauerat, Sacerdotiis quæ in Hispania obtinebat deiiceret, atque pari ignominia insamem, & à regnis suis alienum pronunciaret. Res grauissima visa est Ferdinando, neque sine Antistitum & Procerum consilio exequenda. Quamobrem cum ad illum ingens omnium Ordinum Hispalim concursus factus fuisset, ac non solum reguli, sed Antistites, & plerique Sacerdotes primarii conuenissent, Franciscum etiam Ximenium Cardinalem Toletanum, Supremum Fidei Quæsitorem, ad Consilium euocauit, & cum omnibus de tota re deliberauit. Respondere omnes, iustam esse Maximi Pontificis postulationem: frustra enim externa bella aduersus hostes religionis quæri, si interim domi caput per summum scelus impeteretur. Igitur mutata sententia, ab Africæ limine Ferdinandus pedem referens, vt erat Pontificiæ authoritatis maximus semper assertor ac vindex, in Italiam vires suas & arma conuertit: Caruaialo Pontificatum Seguntinum detraxit, cui Fridericum Portugallium præficiendum curauit. Ximenius in quem multa Iulii Pontificis extabant merita (nam ab ipso in Senatum Cardinalium allectus, Inquisitoris Maximi officio ad Regis votum cohonestatus, & Academia illius Complutensis non mediocribus priuilegiis aucta fuerat) peculiari etiam affectu in Iulium propensus, quem incomparabili animi vigore Ecclesiæ patrimonium tueri animaduertebat, & tyrannorum vires, & schismaticorum conatus infringere: per procuratores nunciari iussit, vt nulla aduersariorum potentia aut machina debilitatus, à proposito suscepto discederet, neue pessimis hominibus rempublicam Christianam euertendam & dilaniandam permitteret. Se autem prò debita pietate & obseruantia in Sedem Apostolicam & Dei Vicarium, quadringenties nummum aureorum statim ad vrbem per publicos argentarios numeraturum, seque ipsum, si opus foret, exercitum coacturum, & in Italiam venturum. Ferdinandus post hæc auxilia Pontifici decreuit; sed magnam sibi apud nonnullos inuidiam conflauit, vt qui vires Hispaniæ, à Maurorum faucibus in Italiam auerteret. Quod quam inuitus fecerit, Ximenio his perscripsit.

Iulius II. Ximenio literas mittit.

Reuerendissime in Christo pater, Toletane Pontifex, Hispaniarum Primas, Cancellarie maxime, & Summe Inquisitor aduersus hæreticam prauitatem, qui nobis semper coniunctione amicus, obseruantia parens es habitus. Ipse tu mihi consiliorum meorum particeps abunde testimonio esse potes, quot rationes hactenus inierim, quantamq; industriam & cogitationem adhibuerim, vt Bononia, & reliquæ vrbes & oppida, quibus Romana Ecclesia per Regem Gallorum priuata est, Pontifici Maximo restituerentur: & ne tumultus & Schismata in repub. Christiana fouerentur. Id quoniam neutiquam efficere potuimus, Ecclesiæ clamoribus & querelis concitati auxilium nostrum assidue implorantis, reuerentia & obsequio qua omnes Reges Christiani in illam tenentur mori, priuatis commodis posthabitis, & expeditione quam aduersus reipub. hostes paraueram, prætermissa, ad Sedis Apostolicæ immunitatem defendendam, & Christi Vicarium conseruandum, nostræq; religionis caput tuendum, & in pristinam authoritatem asserendum, Deo Opt. Max. cuius causa agitur auspice, omnes meas vires conuertere decreui. Ad eam rem ex dignitate nostra gerendam, quarto nonas Octobris, die tibi fausto ob Diui Francisci religionē, fœdus cum Pont. Maximo & Illustrissima Venetorum Repub. pepigimus, quod vt vulgaretur curauimus: locum in eo Serenissimis Imperatori fratri nostro, & Anglorum Regi charissimo filio, vt per legatos petierunt, relinquentes. Porro intra vigesimum diuulgati fœderis diem, Raymundus Cardona, qui vices nostras Neapoli agit, Imperator exercitus ad Pontificiam restitutionem per Principem fœderis declaratus, extemplo cum mille ducentis cataphractis, equitibus, & leuis armaturæ circiter mille, & decem millibus peditum Hispanorum, & tot bellicis tormentis, quæ satis aduersum exercitus sufficiant, iustis itineribus ad querendum hostem, & loca per ipsum occupata recuperanda procedet. Hunc sequetur Termini dux, cum sexcentis Pontificiis equitibus. Ab altero latere quod à Septentrione est, Venetæ acies Gallum circumvenient. Mare vero copiosa pariter & præualida classe occupauimus, quo melius quæ cupimus assequamur. Etenim duo sunt nobis, ante omnia curanda: ne quis Princeps, aut Italiæ Regulus Ecclesiæ dignitatem aduersis armis vllo pacto labefactet: deinde, vt cum ijs qui Ecclesiæ locata præter fas tenent, bonis conditionibus, si per eos licuerit, potius quam cruentis certaminibus rem totam componamus. Quocirca maximo studio & affectu peto, ad omnes templorum aras Deum immortalem supplicandum cures, vt Ecclesiæ suæ causam tueri, & eius vnionem conseruare, vniuersoq; orbi Christiano pacem & concordiam propitius conferre velit. Sic enim ab intestinis discordiis liberi, aduersus Christianæ religionis hostes cunctivnanimes dimicabimus: quod vt fiat, in Concilij Lateranensis indictione Pontifex Maximus se curaturum pollicetur. Quæ omnia cum Reuerendo Episcopo Bertonorensi Pont. Max. Nuncio, quem iam Barcinona appulisse, & ad nos recta venire scimus, tibi esse communicanda censeo. Dum hæc scribo, ex Gallijs allatum est, ad Pisanum Conciliabulum quotquot conueniunt, omnes invitos trahi. litteræ postridie Nonas Octobris sunt datæ. Ex Anglia Serenissimus gener noster, eandem nobiscum fortunam fœderis iniri experturum se promittit. eius litteræ quarto Calend. Octobris sunt datæ. Ab Imperatore Maximiliano omnia secundum nostram voluntatem offeruntur. litteræ sunt beneuolentia & optimæ spei plenæ, ante tertium diem Cal. Octob. scriptæ. Eam Principum Christianorum consensionem intuentes, ne quid intentatum relinqueremus, quod malevoli homines obijcere, aut falsem, quod magia verenur, numina incusare possent, rursus Gallum fratrem nostrum admonuimus, vt ab armis in Ecclesiam infestis suos milites discedere cogat, Nam si secus fecerit, vires nostras nos vniuersas opposituros illi, quo Ecclesiæ authoritatem defendamus, & vim omnem ac tyrannicum impetum à communi Matre propulsemus. Vale Reuerendissime in Christo Pater Cardinalis, nobis chare & dilecte amice, ac Domine. Deus Opt. Max. in omne tempus tui curam suscipiat. Datis in oppido S. Crucis XVI. Cal. Nouemb. anno Salutis nostræ M. D. XI.

Hæc ad Ximenium Burgis agentem Ferdinandus Catholicus tam prolixe scripsit, vt bellum quod parabat, tandem per virum grauissimum vulgaretur: & constaret ratio, cur in Africam apparata expeditio alio transferebatur: ne quis per leuitatem, aut malignitatem sententiam decretam crederet. Siquidem Gallus aliquando habuit iactare, *Se illum plane esse Saracenum, quem cognatus Ferdinandus classe Hispalensi atq; Gaditana oppugnare & euertere pararet.* Salse dictum. In eo vero Ximenii cum Ferdinando congressu, multa modernationis religiosæ & Christianæ edita exempla fuere, quæ libuit aduertere.

Erat Ximenio à Rege euocato Turrigiis prætereundum. Id cum Tharasia Antiquesia eius oppidi princeps resciuit, vt fuerat pietate insigni fœmina, iamque olim Ximenii adhuc monachi studiosa, cupiebat pro dignitate tantum hospitem suscipere, atque eius conspectu & colloquiis frui. Sed verebatur, ne homo durior, & harum lautiarum auersator alio diuerteret, & insalutatam relinqueret. Quare rumorem in vulgus sparserat, se per id tempus Turrigiis abesse. Crediderat Ximenius sic esse, & Turrigios ingressus recta in ædes principales processit. Qui vbi Tharasiam illic adesse didicit, & in eius occursum properare vidit, ab ædium limine indignabundus in Franciscanorum cœnobium diuertit: nihil publicas elegantiorum hominum leges moratus, obsequiis præsertim & humanitatis officiis certantes fastidiose aut rustice negligere. Ergo Tharasia insalutata bene mane iter susceptum die altera iniuit, & Guadalupum religionis causa venit. Id est Hieronymianorum Cœnobium, templumque amplissimum Virgini Matri dicatum, quod religionis ergo ab vniuersa Hispania frequentatur, Regum & priuatorum hominum donis opulentum, in cuius sarta tecta, & hospitalitatis sumptum, per Hispaniam quam late patet, stips cogitur. Aliquot ibi dies commoratus, solita in Cœlites pietate munera illi Diuæ obtulit, & iter institutum est prosecutus.

Guadalquanam aduenies, in domo Saiauiedræ Mareschalci Andaluziæ Hispanorum nobilissimi, proaui Didaci Saiauiedræ viri, cum integerrimi, tū omnibus ornamentis Illustrissimi quo nunc hoc tempore quo scribimus, Philippus IV. Catholicus Rex fidissimo apud Vrbanum VIII. Pont. Max. & Sedem Apostolicam interprete vtitur, diuertere designarat. Eam domum cum ab Regio metatore deputatam magno Ferdinando Gonzalo intellexisset, tantum abest vt ægre tulerit, aut Cardinalitiam dignitatem, multis aliis ornamentis

namentis illustrem pro seadduxerit, vt etiam libens in alias ædes concesserit, professus maxime sibi gratum accidisse, quod à domo Saiauiedræ petenda desiterit, quando Magno Consaluo homini sibi amicissimo, & de se præclare merito attributam didicisset.

XIII. Eidem Ximenio Hispalim venienti, Ferdinandus Catholicus obuiam octo millia passuum, cunctis proceribus Regem officii causa comitantibus processit. Nam id honoris semper Ximenio exhibebat, nonnullis ægre ferentibus, quibus tanta hominis potestas fuerat inuisa.

Burgos ingressus, Salinarii Comitis ædes, è quibus Ferdinandus Caroli V. frater migrare à Ferdinando auo iussus fuerat, honoris causa sibi pro hospitio datas declinauit, Principis pueri dignitati cedens: & quia ex suis procuratoribus intellexerat, Salinariam Comitem fœminam grandæuam ædes illas inhabitare, ad quas & Maria etiam Vlloa cius propinqua quam primum erat ventura. Nolebat igitur, austeriores disciplinæ per omnia cultor, fœminco contubernio vti, vnde vel sibi, vel familiæ molestia crearetur. Itaque in amplam Didaci Soriensis domum, ad Diui Aegidii portam concessit. Hic cum aliquando Ferdinandum puerum cum Ximenio deambulantem Rex è fenestra palatii conspexisset, voce intentiori dixisse fertur: *Euge nepos tali comite, à cuius latere, si quid mihi credis, nunquam discedere deberes.* Postquam vero Ximenius in ædem Palatinam puerum deduxit, & petita venia discedere pararet, cœpit ille constanti vultu contendere, quasi Archiepiscopum in hospitium esset comitaturus, Rege etiam nepotem hortante vt id faceret. At Ximenius id non tulit, & gratias cumulatissime agens, pueri indolem admiratus domum rediit. Cæterum quam animi moderationem in priuatæ vitæ rationibus ostendit Ximenius: non minorem constantiam pro iuribus Ecclesiæ Toletanæ demonstrauit: quando Orani & Bastetanam Ecclesias, Toletanæ vindicauit: nec quicquam potentibus quibusdam, qui Pontificio & Regio fauoribus nitebantur. Per id etiam temporis intellexit, Ioanni Cabreræ Toletano Archidiacono, coadiutorem à Romano Pontifice, propter senium datum. Semper Toletanæ Ecclesiæ visa est coadiutoris impetratio inuidiosa & iniqua: adeo vt grauibus pœnis multandum censerent, non solum impetratorem, sed etiam eos qui permisissent. At Ioannes, homo illustris, & Regio fauore viuente fratre, & Bonadilla fratris vxore suffultus, non dubitauit contra veterem morem priuilegiis Roma petitis vti: neque enim in vrbe patroni deerant, qui eius partes sedulo tractarent. At Ximenius, qui priscorum institutorum semper maximus vindex fuit, solito animi robore vsus, impetratas tabulas à Capitulo Toletano impediendas, Romæ vero abrogandas, statim apud Regem & Pontificem Maximum curauit.

XIV. Quo tempore, cum classis Gaditanæ terror vniuersam Africam occupasset, Rex Trimesenius, aliquot item Mauritaniæ minores Principes, Regis Catholici potentiam formidantes, de pace cum eo componenda, de captiuis restituendis, & tributis pendendis, submissis animis agere instituerunt: quanquam Rege Fessano eam sententiam dissuadente, & graui atque acerbo sermone eorum ignauiam & inertiam increpante. Ille enim potentia suæ ditionis confisus, & quod à litoribus Hispanis longius semotus tardius ad se belli incommoda ventura existimabat, amara & minaci ironia Ferdinandum Hispali agentem ad expeditionem Africanam inuitauerat. Nam se omnes vias paraturum, omnique offensa & impedimento liberas ad itinera facienda, alacri & ardenti suorum opera Fessam vsque, modo vellet traicere, complanaturum, per commeantium rumores pollicebatur. Reges qui se Ferdinando dedidere, Trimesenius & Tunezius fuerunt, cumque his Cadisametus, qui licet Regium nomen haud obtinebat, libera tamen ditione fruebatur, nulli ex Regibus parere addictus. Oranicum commercium per Iudæos interpretes petierunt, muneribus in amicitiæ signum oblatis. Trimesenius equos decem phaleris puniceis ornatos, cetras, & falconas totidem, vittas Arabicas, pulcherrime elaborata tapetia, & pelles equorum ephippiis aptas, vt illi nouerant perficere. Cadisametus, insignis pulchritudinis cicuratum leonem misit. Istud Ximenius quamprimum intellexit, quod laboris sui fructus

Malaca vrbs a Lusitanis expugnata.

in Africana expeditione indies magis ac magis elucere, ostiumque Euangelio patefieri aspiceret, trium dierum supplicationes Toleti instituit, quibus Deo immortali gratiæ sunt habitæ, quod gens olim Christianorum spoliis felix, nunc Hispaniæ vires reformidans, sese Catholico Regi tam promptis & demissis animis subiiceret, spemque non contemnendam agnitionis Christi ostenderet. Algezii Regulus idem consilium cum Trimesenio & cæteris secutus, se se fidei Ferdinandi Regis tradidit, & præsidium Hispanicum Algezio recepit, quod ingentis tranquillitatis causa Christianorum litoribus ista tempestate fuit. Quo item tempore ad Orientis Solis extremas oras, Lusitanorum armis Malaca vrbs nobilis capta, & ad Emanuelis Regis imperium adiuncta, patriam superstitionem veram religione mutauit. Sic Christianæ religionis cultus & nomen, ad extremos orbis fines proferebatur. *Mariana lib.* 30. *c* 3. 4. 5. *Gomecius in Ximenio lib.* 5.

Poterat etiam, neq; difficulter, hoc ipso tempore, Mahometanum Imperium cuerti, si Christianos inter Principes concordia stetisset. Nam palatina Baiasetis Imperatoris, ab ipsius eius filiis de successione certantibus valide concussa, armis Christianorum exposita erat. Vixdum finito bello Persico aliud ftatim ortum atrox cruentumq; intestinis cædibus, quo formidanda terrarum Orbi Othomanorū domus, vnius ambitione atque sæuitia ab stirpe prope interiit. Præcessere imminentes calamitates prodigii loco & portenti habitæ, ingens atq; terribilis, si vnquam antea, terræ motus: ac subinde repentina & maxime grauis pestilentia, quæ Constantinopolim ruinis atque funeribus compleuerunt. Inter rogati rerum astronomicarum & philosophiæ naturalis periti de causis & rationibus abditis, ob quas hoc modo terra mota esset, & quidnam huiusmodi prodigia portenderent, respōderant: secuturas annis proximis per vniuersum orbem terra. um clades horribiles, ac profusiones sanguinis immensas, cum aliis malis & calamitatibus, quibus cum genus humanum misere conflictaturum esset. Incepit in Baiazetis domo ea calamitas grassari, quam non omnino extra lineam narrabo.

XV. Baiazetes terræ motu & pestilentia perterritus, cùm à pestilenti maris ora in saluberrima Thraciæ loca secessisset, & sub Rhodope monte apud Hadrianopolim ageret, ac minime prospera valetudine vteretur, nec dolore pedum, & senecta inualidus munia imperii obiret, de Successore deligendo cum purpuratis & familiaribus agitare cœpit: diffusus maxime filiorum ingeniis, quos præpotentes ferocesq; de imperio dimicaturos arbitrabatur: nili sese superstite in principatum vnus asciscceretur, qui conciliato fauore militum, opportunas regni arces, pecuniam publicam, classes atq; exercitus obtineret. Supererant Baiazeti filii tres, Sciansciao, Mahumeto, & Alemsciaco iampridem morbo absumptis: Achomates, Corchutus, atque Selymus, florenti ætate omnes, sed diuersis inter se vitiis, ac virtutibus insignes. Achomates consilio, æquitate, belli & pacis artibus pollens, clarusq; quod duobus iam Regiæ indolis adolescentibus filiis stiparetur, secunda nominis fama ipsos præsertim Asiæ populos, & principes aulæ, paternumque animum occuparat. At Corchutiis ob miteingenium, tranquillioremque naturam sapientiæ studiis deditus, tametsi cognitione rerum humanarum, ac ætatis prærogatiua ab Achimate superabatur, nihilominus quum apud patrem veteris pietatis, & summi beneficii memoriam non omnino obliteratam esse confideret, imperium triginta ante annis apud eum depositum reposcebat. Namque Mahomete vita functo, & Baiazete eius filio in Cappadocia procul agente, prætoriani milites, & nonnulli equestris militiæ principes qui tunc Constantinopoli aderant, Isacho & Mesithe purpuratis attollentibus Corchutum adolescentulum Imperatorem delegerunt, & traditis arcibus atque thesauris auito in solio constituerunt: vt ipsi tutelæ nomine ex arbitrio cuncta Imperii munia administrarent. Nec Baiazetes ab Amasia Cappadociæ rediens quamquam se fraudatū iure imperii planeque proditum ab omnibus quereretur, quicquam tamen precibus & lacrymis impetrasset, nisi in ipso egregie pio, modestissimoque adolescente primis statim imperii diebus ingenuus pudor & parentis reuerentia omnem regnandi libidinem superassent. Siquidem Corchutus nolentibus etiam his qui detulerant sceptrū

Baiazetes Turcus senex de successore deliberat.

Corchutus in Turcum absente patre electus.

patri restituit: vnde illi mox liberalitate patris Lycia, Caria, atque Ionia cum nobilissima Asiæ ora ab Attalico sinu Phoccam vsque cesserunt. Porro Selymus maiores spiritus gerens quum priuatam fortunam minime pateretur, vbi rei bellicæ magnopere deditus vna maxime liberalitate, astu, comitatu, bonis malisque artibus ad imperium contendebat. Nec maximum bellum & paternum regnum affectanti studia Prætorianorum deerant, qui miscere cuncta bellico tumultu malebant, vnde honores atque diuitiæ certa laboris atque audaciæ præmia peterentur, quam sub æquo sedatoque principe, qui esset damnosæ pacis cultor inglorius otiosam inutilemque militiam perferre. Is habitus erat in prætoriano equite, & Ianizarorum peditum consensus, cum Baiazetes qui haud dubie Achomatem successorem sibi destinabat sparsis in aula super ea re non omnino vanis rumoribus filios pari ambitione ad imperium properantes pari ambitione exciuit. Primus omnium Selymus classe in Ponto comparata à Trapezunte vrbe Theodosiam adnauigauit, adiitque in eadem Chersoneso Mahometem Præcopitarum Tartarorum Regem, cuius filiam iam antea inuito Baiazethe vxorem duxerat. Eum suis detectis consiliis obsecrauit, obtestatusque est per fœdera cognationis, ne sibi genero in summa rerum occasione deesse vellet: docuitque quanta sibi spes adipiscendi imperii ab amicis prætorianisque militibus proponeretur, si propius accederet, patremque de transferendo Imperio cogitantem, aut arte conciliaret, aut ab instituto consilio eligendi, constituendique successoris ducto in Græciam exercitu armis deterreret. Tartarus collaudatis eius consiliis, vt socerum decuit, alias confestim naues ex Ponto atque Mæchide, vicinisque præfertim Coppa Tanaque emporiis, quæ sunt ad Tanaim omnem cogi iussit. Quindecim millia equitum armauit, atque hæc omnia Selymo attribuit, ac maiores copias si bello contenderet, se continuo missurum promisit. His propere confectis Selymus Borysthene superato per Valachiam profectus, Danubium apud Cheliam vrbem cum omni equitatu traiecit. Classem vero ad Varnæ portum quæ Dionysiopolis olim fuit, in finibus Bulgariæ & Thraciæ comenire iussit: ipse alias ex itinere copias conscribens simulando in Vngaros ire, quo suum consilium tegeretur, expeditionem in Pannoniam edixit. At Baiazetes, qui Selymum à Trapezunte in Europam multo ante transisse cognouerat, admiratus quod non plane sedato Techellis & Persarum bello ex Asia discessisset, quod priuato consilio contractis externis auxiliis aduersus pugnacissimam Hungarorum gentem difficile bellum pararet, quod loca Thraciæ proxima terrestri exercitu, Euxinum vero validis classibus obtineret: timere cœpit ne hæc omnia contra se pararentur. Enimvero inquieti turbidique hominis ingenium callidus pater perspectum habebat, vel ex eo maxime quod se inscio superbe admodum ac insolenter, ducendam sibi vxorem è Tartaris iudicasset, ac summa demum arrogantia exercitus terra marique parasset: intelligebatque modico cum imperio non contentum fore qui ad amplissimum audacia ac scelere parare posse confideret. Attamen eius vim atque ferociam dissimulatione leniendam magis quam eo tempore contumeliis exagitandam existimans, Oratores ad eum misit, qui docerent, quanto cum periculo Turcæ superioribus temporibus ea bella tractauerint, exemplo debere esse auum Mahometem, qui infeliciter Pannoniorum arma sæpe exercuerit, proinde commodiorem rerum occasionem opperiretur, vt maturiore ideoque tutiore consilio & maioribus viribus id bellum susciperet, & cum certa prope spe victoriæ gerere posset. Ad hæc Selymus respondit, se Achomatis iniuriis extimulatum Asiam reliquisse, transisseque propterea in Europam vt amplioris ditionis præfecturam pro angusta scilicet sterilique, & tum ex inuidiis pacata, quam spectantem ad Hiberos & Colchos inter saxa montium degentes pater attribuisset, sibi armis ex hostili prouincia vindicaret. Quod vero Hungaros tamquam insuperabiles bello minime lacessendos diceret: se non esse eius animi vt vllis periculis, vllisve difficultatibus terreretur, quando antiqua illa iam mutata essent, mutatis scilicet Regibus: & non labante modo, sed fere euersa gentis vetere disciplina, Vladislaus dispar ingenio virtuteque Mathiæ fortissimo successisset: nec ipse mortem, aut belli communes casus ab ineunte ætate timere didicisset: forti enim animo, & honesta quidem petenti, neque Deum, neque homines defuturos. Decreuisse se pro sua dignitate, quam pater nimia fratrum potentia confregisset, aut in acie non indecoram mortem, aut propugnare imperii fines: ne omnino postremo loco natus in Othomanica domo postremus quoque virtute & gloria videretur. Legati, tametsi Selymus omnibus sermonibus nihil pacatum ostenderat, munera tamen patris nomine, quibus ferox atque immitis animus molliretur, addiderunt. Nam Samandriam quam Scenderouium Belgradio opposita Hungari vocant, validam Mysorum vrbem in Pannoniæ finibus, & complura oppida regionis veteri eius imperio adiecerunt: itemque sexaginta aureorum nummum millia dinumerarunt. Præterea lanceas addiderunt, & sericas vestes mille numero, magnamque vim commeatus, quibus rebus contractos milites donaret, atque aleret, ne spe prædæ domo exciti grauiter ferrent, si absque munere dimitterentur. Selymus oblatis opportune muneribus acceptis, ambiguo magis responso atque incerta spe suspensos legatos ad patrem remisit, quam quod ex antiquis suis consiliis aliquid remiserit. Exacuebant animum imperii cupiditate accensum occulti ab amicis nuncii, ac litteræ monentes vti acproperaret, atque omnem in celeritate poneret: quod sub eius profectione Achomatem à patre accersitum ex Cappadocia mouisse arma cognouerant. Interea Baiazetes his etiam de causis permotus ad id quod animo multum ante proposuerat descendit, ac Regem successoremque se relicturum dixit, qui se annis valetudineque confecto parem tanto imperio regendo vigorem integræ ætatis afferret. Ea quum per quatuor Bassas qui bello paceque proximum Regi locum obtinent Prætorianis militibus delata essent, extemplo ab omnibus Ordinibus reclamatum est: se nullum alium quam Baiazetem, cuius auspiciis amplius triginta annos meruissent, Imperatorem velle: non passuros priuatum cum in obscuro vitam agere, qui tot victoriis, tot vrbibus bello captis Othomanicum Imperium in summam amplitudinem perduxisset. Satis in eo virium superesse, si vegetæ adhuc ætatis honore dignitatem diuturnitate Imperii & gloria rerum gestarum partam retinere vellet. Eum enim ex liberis ad imperii Sedem suo tempore peruenturum, qui patri legitime successurus esset; viueret modo ipse incolumis ac multos regnaret annos. Nullam quidem post fata patris futuram apud filios de regno controuersiam, quum id Othomannorum proles vetere patrum instituto iure tantum atque ordine, nullo ambitu, & nullis adiuta suffragiis adipisci consueuerit. Quod si forte priuato iudicio, & noua tamquã inducta adoptione, eum non deligat, quem per leges numquam antea violatus populi militumque consensus imperio destinarint: fore vt humana diuinaque omnia miscentur. Cæteros enim fratres tam insignem contumeliam non laturos, nec quieturos vmquam; donec impotenti patris libidine amissam dignitatem tamquam abdicati spretique cum omnium rerum conturbatione armis recuperent. Hæc milites edocti ab amicis fautoribusque Selymi, qui centuriones & vexilliferos pecunia & pollicitationibus subornarant, palam eloquebantur, vt Baiazetem à proposito deterrerent. Cæterum ille eorum animos ab Achomate minime alienos esse existimans, quod illius dignitatem ad quem spectaret imperium aduersus omnium iniurias tutaturos elato animo profiterentur, Achomatem electurum se dixit, si is ab omnibus ordinibus probaretur. Sed prætoriani qui corrupti muneribus fidem libertatemque vendiderant, probare quidem ac laudare Achomatem: sed principem creari superstite altero, neq; ex vetere Othomanorum consuetudine, neq; ex commodo militũ, neq; ex vsu imperii esse dicere: quando nec fratres Corchutus atque Selymus, nec ipsi Prætoriani vllã ex infidelitatis suspicione calumniã æquo animo toleraturi sint: si de voluntate atq; modestia optimorum filiorum suspicios pater, aut de fide constantiaque fidelissimi exercitus eum sæpe numero expertus Imperator addubitaret. Intolerandum quoque cunctis videri, quod præmiis per interregnum dari solitis ex ipsa externæ religionis hominum præda, odioso eius insoliti facti præiudicio, milites fraudentur. Namque mos est vt defuncto statim principe Iudæi & Christiani expositi Turcarum iniuriis, qui Constantinopoli,

Baiazeti repugnant Basse & prætoriani milites.

Baiazetes ad filium suum pacandum cum munerib. legatum mittit.

Turcorum mos Christianos inuadendi defuncto Imperatore.

Peræ, Hadrianopoli, Thessalonicæ, Prussæve mercaturæ gratia degunt, à Prætorianis per tumultum mercimoniis omnibus; substantia spolientur, prædæque habeantur. Neque prius milites Sacramento rogati in verba noui principis iurant, quam is omnem prædam donatiui nomine concesserit, & per caput suum quod maximum apud Turcas iusiurandum existimatur, affirmarit se nullam ex fortibus petiturum pœnam, atque omnem eius maleficii memoriam abolituram. Baiazetes postquam omnibus suis consiliis aduersari milites vidit, vt corruptæ eorum mentes ampliore pecunia caperentur, quingenta aurcorum millia prætorianis se diuisurum pollicitus est, si Achomati fauerent, neque ius aut potestatem dicendi noui Regis intercessionibus impedirent. Nec publicani redemptoresque deerant, qui magna ex parte ab hisdem peregrinis mercatoribus eam summam se exacturos, & in gratiam Baiazetis repræsentaturos profiterentur. Vicit tamen fortunam Achomatis, improbitas & peruicacia Prætorianã militis, quamquam magna erant quæ proponebantur. Siquidem vberiora præmia destinauerant animis, si pro temperato proboque principe, ad prodigium ferox & pacis impatiens studio atque opera militum ad Imperium eueheretur. Per hunc modum sua spe depulsus Baiazetes dissimulandum sibi in præsens, & compresse animi dolore ignominiam quam occulte ferendam existimauit, dum sese occasio conficiendæ rei aptior & tutior aperiret. Interea Selymus ab amicis certior factus, quanto studio, quantaque partium cõtentione Prætoriani patris conatibus obstitissent, ne diutius hominum voluntates mora & tarditate frustraretur, neu propensissimis in se militum animis diffidere videretur, relictis Pannoniæ finibus exercituque in Thraciam ducto, non longe ab Hadrianopoli loco edito consedit, vnde castrorum fremitus exaudiri, & tentoria è summis vrbis tectis conspici poterant. Misit deinde in vrbem nuncium, qui mandata patri ferret. Eorum summa fuit, desiderare se plurimum qui per multos annos absens patrem non vidisset in eius complexus deuenire, antequam Trapezuntem petiturus mare traiiceret, quando eum exacta & præcipiti ætate numquam forte esset interuisurus. Pertinere quoque ad quietem Asiæ, liberorumque concordiam, si apud patrem communem arbitrum & disceptatorem controuersiæ proponerentur, quæ sibi cum Achomate intercederent, nec tuto seruorum fidei committi possent: statueret colloquio diem, locumque deligeret, nec grauaretur exosculandæ manus facere potestatem, quod obscuris & tenuibus amicis nedum liberis maiores tribuere consueuissent. Baiazetes qui paucis ante diebus cognito Selymi aduentu, planeque perspectis eius consiliis aliquot Sanzaccos cum delecto equitatu è proxima Græcia præsidio acciuerat, & custodias in vrbe disposuerat, timens ne specie colloquii milites à filio amicisque eius deprauati, qui iam tum onerati promissis atque muneribus occulte desciuerant, ab se penitus alienarentur, atque ipse demum vel aperta vi, vel insidiis circumuentus opprimeretur, spem omnem colloquii tollendam iudicauit: grauiter incusato Selymo, quod alienam prouinciam introductis copiis occupasset, quod armatus colloquium postularet, quod denique sua humanitate atque patientia tam insolenter abuteretur. Non esse ab eo quicquam expectandum, quod ad concordiam pacemque pertineat, qui externo equitatu circumdatus iniussu patris bellum pararet, & fidelissimas Othomanico nomini gentes per quas iter faceret, effuse popularetur. Proinde eum recte facturum, si Thracia Europaque excederet, & dimisso exercitu in Pontum prouinciam suam reuerteretur. Hoc si faceret, maiorem sibi quam vmquam antea apud patrem gratiam beneuolentiamque pariturum. Sin in incœpto persisteret, se eum non pro filio, sed pro hoste habiturum: nec defuturos, qui tantam audaciam, summæ proximam perfidiæ statim vlciscerentur. Dimissis legatis, Baiazetes ea quæ secuta est nocte per speculatores cognouit Selymum motis castris recta Constantinopolim petiturum: quod ab amicis accerseretur, qui existimarent, si ipse cum exercitu propius accederet, in vrbe intestinos motus orituros. His cognitis Regiæ vrbi timens, ne Hadrianopoli sedendo Imperii sedes amitteretur, prima luce proficisci constituit. Discedente autem Baiazete Selymus trepidantibus Hadrianopolitanis, ne si resisterent intempestiua fides exitio foret, vrbem ingressus est: recreatoque ex præsenti vrbis copia vniuerso exercitu, quod antea sibi animo agendum proposuerat, vt patrem antecederet, maioribus itineribus Constantinopolim contendit. Vix dum Baiazetes ad vicum cui nomen est Chiurlus peruenerat (is medio ferme itinere à Constantinopoli viam militarem amplectitur) quum ab coactoribus agminis conclamatum est, adesse hostium antecursores, eos carpere nouissimos ordines, & iam lacessendo instando que vniuersum postremum agmen demorari. Baiazetes noua re perturbatus magis quam territus, ne quid fugæ simili profectio habere videretur, statui signa omnemque exercitum consistere iussit, eo proposito, vt si acrius instaret hostis, acie decertaret. Duces ei purpurati qui aderant, aut veterem amicitia, aut noua inclinatione animi, aut spe cognationis atque potentiæ in Selymum propensi, eique propterea oblique callideque fauentes non probare consilium Imperatoris quod leuitate atque audacia filii vsque adeo permoueretur, vt prælio rem committendam existimaret: funestissimam fore victoriam si inconsulte superbientem, ac nihil nocituram filium superaret. Contra, patrem si forte succumberet, miserrimam conditionem cum vniuerso exercitu subiturum: cuius cuentu tanto periculosius instare discrimen, quanto ipse & rerum bellicarum apparatu, & numero copiarum esset inferior. Comprimeret iram, nec tot eximias laudes bello paceque partas in extrema ætate, fœdo exitu maculare properaret. Vnum omnino consilium Salubri prudentia plenum videri, si de profectione celeritateque nihil remitteret, & continuo Constantinopolim proficisceretur. Selymum enim cito temeritatis pœnas daturum, si Constantinopoli excluderetur: nec dubium fore quin in reditu ab his quorum esset agros populatus, honestius quam paterno gladio cum latronibus suis cæderetur. Huius sententiæ princeps erat Mustaphas antiquior è tribus purpuratis, qui summæ rerum consilio præpositi Bassæ Visir appellantur. Is ingrato prauoq; animo Baiazetem tamquam nimis diu regnantem fastidiens oderat, etiam propter priuatas offensiones, ex collegarum æmulatione conceptas: Selymum vero spiritu atq; oris indole Mahometem auum referentem à quo ipse fuerat educatus, tamquam imperio dignissimum occulta propensione animi prosequebatur. Erat Mustapha ex oppido Seres apud Amphipolim Græco Sacerdote genitus, ingenio vafro, subdolo, semperq; venali: quos animi morbos maligno obtutu distortisq; oculis præferebat. Secundum Mustapham erat Bostanges Sortorum Præfectus ex Ducagina familia apud Aetholos clara & illustri, propterea Ducaginoglis appellatus, homo auaritia, ambitione, perfidia infamis, vt & postea turpissimus vitæ finis ostendit. Huic Selymus filiam ætate tam nubilem in præmium corruptæ fidei, occulta pactione desponderat. Quibus etiam artibus Aiacem Ianizarorum prætoriiq; præfectum perpulerat, vt sibi ad imperiũ, quo se fatis vocari prædicabat, contendenti studium suum operamq; præstaret: centurionesq; singulos opimi donatiui promissione in partes traduceret. Eodem cæteri inimores duces, aut eadem præmiorum spe corrupti, aut potentioribus refragari non ausi inclinabant. Vnus omnium Cherseoglis Bassa vir egregie probus, sine vllis fallaciis constanti atque integra fide erga Imperatorem eundemque socerum, Selymi impotentiã, supra fas & æquum insolescentis, retundendam viarmisque censebat. Non laturos inermes Scyptas vel numero superiores primum Prætoriani equitis impetũ: Ianizaros vero quorum fides cognita & multis periculis spectata virtus esset, inuicti Imperatoris deque ipsis optime meriti salutem & dignitatem vtique defensuros, atque ab eo vindicaturos, qui nec Deum scelerum vltorem timeret, nec parricidii nomen apud homines vereretur. Prodiret ipse modo ad milites vultu fiducia pleno, hortareturq; vt acceptorũ beneficiorum Sacramentiq; meminissent. Admonet me locus postquam in Cherseoglis mentionem incidimus, vt propter viri claritatem cum summa erga Christianos pietate cõiunctam eius ad Turcas transfugii causam paucis memorem. Non enim vt cæteri fere omnes à prima pueritia per delectus Christianis parentibus erepti, sed iam plane vir ita à morum religione discessit vt numquam ex arcano veræ pietatis obliuiscetur. Is Cherchesii regulii in Illyrico, ad montẽ

Selymus Hadrianopolim occupat. Constantinopolim contendit.

Cherseoglis Basse profugi Christiani laus & res gesta.

Nigrum filius, quum adamata ei sponsa quæ erat è stirpe Serviæ Despoti ad paratas nuptias duceretur, concupiuit eam illico, quod esset egregiæ venustatis, procaci oculo improbus pater, omnemque pudorem superante libidine sibi statim impotenter excluso filio nuptias celebrauit, frustra reclamantibus propinquis, qui id facinus filio contumeliosum, patrique & domui infame detestabantur. Itaque inuenis tantæ iniuriæ indignitate commotus, præcipitique actus desperatione ad proxima Turcarum præsidia, atque inde Constantinopolim se contulit. Hinc mirari licet quantum in eo fortuna potuerit. Productum siquidem Baiazetes cum læto ore, quod erat nobili claroque patre genitus, excepisset, & transfugii causam probasset, subridens: Esto, inquit, pacato animo generose ab ista indole tua, maiore multo quam paterna domus ferat, sorte dignissime. Iam tibi pro crepta sponsa obscuri & exulis reguli propinqua, maximi Imperatoris filia, eaque præcellentis formæ, matrimonio tradetur. Nec multo post abiurata Christi religione, Stephanique nomine deposito, Achomates & Cherseoglis vocatus Baiazetis gener effectus est: indeque locum summæ dignitatis inter Bassæ purpuratos promeruit: tanto tamen Christianæ religionis studio, redeundique desiderio, vt cum in animi arcano Christiana religio conderetur, Crucifixi Saluatoris imaginem in secretissima cubiculi parte armario inclusam noctu exclusis arbitris adoraret. Hoc Paulus Iouius Episcopus Nucerinus à Ioanne Lascare, cui ipse tanquam amicissimo eam ostenderat imaginem, accepit. Hic Methone capta patritios Venetos, quum reliqua captiuorum multitudo crudelem in modum Baiazetis iussu in conspectu eius trucidaretur, exorato principe conseruauit: Andreamque postea Grittum quem aliquot post annis inclytæ virtutis nomine Veneti principem crearunt captum Byzantii, tetroque supplicio destinatum non modo suis precibus eripuit, Sed impetrandæ pacis magno reipub. Venetæ commodo authorem fecit. Innumerabiles Christianos barbaris seruientes cum authoritate, tum ære suo pie redemit. Nec illud quidem erga literarum studia eximiæ benignitatis officium prætermittendum videtur, quod Lascari quem supra memorauimus Græcorum nobilissimo pariter atque doctissimo antiquos codices iussu Leonis X. conquirenti, cunctas Græciæ Bibliothecas, impetrato ad id Regio diademate libere excutiendas aperuit. Huius igitur viri Baiazethes ea quam supra diximus adhortatione confirmatus, cum è Prætorio inuadentium iam hostium, suorumque trepidantium strepitum clamoremque audiret, & frequentes nunciarent Selymum direptis aliquot Sarcinis Tartaricum equitatum extremo agmini circumfudisse, fremens & præ impotenti ira lachrymas fundens, è tabernaculo prodiit vehiculo impositus, quod pedibus æger equo vti non poterat, conuersusque ad Prætorianos de more circumfusos: Patiemini, inquit, alumni, milites, custodesque corporis mei qui triginta amplius annos mecum summa felicitate militastis, & bello paceque ea præmia tulistis, quæ & spe vestra, & ærarii facultate ampliora consensus vester actis cumulate gratiis indicauit: patiemini, inquam à nequissimo filio nihil tale meritum patrem à fœdissimis latronibus vestrum Imperatorem morbi senectæque vitiis conflictatum crudelissime trucidari? Deferar ego in hac mea tristi canitie extremoque, ætatis actu, & per eos hostibus tradar? per eos, inquam, qui quondam summa fide eximiaque virtute & dignitatem meâ aduersus Gemem fratrem, atque hoc ipsum Imperium aduersus bellicosissimas gentes tutati sunt, & fortiter defensum felicissime prolatarunt? Neque vero ego quæ de alienatione exercitus ad aures meas cũ maximo meo dolore perferuntur tam facilè crediderim, neque si maxime credam tanti timoris sim, vt aut animo deficiam, aut durius consulendum mihi existimem. Nam quid ego de fuga cogitem? veluti alibi fideliora quam apud vos, & maiora præsidia paraturus. Quæ potro vestra spes est: quamquam infamis & perdita? Si qui vestrum (neque enim omnes ita insanire crediderim) nulla Sacramenti reuerentia, nullo hominum pudore, nullo cœlitum metu, animum summi sceleris cogitatione maculastis, maiorane præmia ex defectione atque perfidia quam ex fide constantique officio consecuturos vos esse confiditis? At etiam nonnulli impudentissime suadent, vt ægrum hoc & exangue corpusculum melioribus casibus seruem, & me fugæ atque dedecori tradam, potiusque salutem cum ignominia, quam decorum honestumque vitæ finem cum dignitate & gloria complectar. Quod tantum abest vt vllo metu perterritus faciam, vt contra nullam prælio moram sim facturus. Periclitabor in meo hoc supremo discrimine fidem virtutemque vestram, & sigillatim omnium voluntates, vt aut magno Deo auspice perditissimi hominis impetum frangam, aut certe cum aliis, qui in officio fideque perstiterint honesto vitæ exitu triginta annorum Imperator à custodibus corporis fœde sceleste que proditus, ac defertus occumbam. Hac oratione permoti ex Ianizarorum ordine gregarii milites, quibus propter eorum leuitatem ac multitudinem duces atque centuriones à Selymo pecuniis expugnati, consilia transferendi imperii minime communicauerant conclamare cœperunt, ne dubitaret prælium committere, & suam fidem pristinamque virtutem experiri: tanta quidem alacritate ac studio omnium, vt voce, manibus, & telorum crepitu se fortissimam operam præstaturos significarẽt, & magno cũ dolore infidelitatis suspicionem sustinere viderentur. Hos cæteri eodem clamore secuti sunt, qui iam animo in Selymum inclinauerant, & illi inprimis exercitus atque aulæ principes commutata voluntate, siue pudore sceleris, siue eo metu, ne si intempestiue contra multitudinis opinionem atque iudicium aliquid tentaretur, exitiabili incœpto, & Selymi spem omnem abrumperent, & sese præcipites darent. Igitur vt est eorum hominum consuetudo, qui mobilitate atque malitia animi, dum conuinci, aut deprehendi maxime timent, præsenti perfidiæ secundum scelus nouamque perfidiam addunt, Mustaphas atque Bostanges ad cohortandos milites instruendamque aciem, vt palam summum erga Imperatorem studium simularent, è prætorio discesserunt. Baiazetes curru vectus, monente atque instruente Cherseogle acies hoc modo victoriam de Selymo obtinuit. Pugnatum est à meridie ad occasum Solis, Selymo multis in locis prælium restituente, longeque omnium acerrime fortissimeque pugnante. Fugæ initium factum est à Tartaris, qui Sclopetariorum procellam & crepitum, pauentibus præsertim eorum equis, & retro vel inuitos sessores asportantibus sustinere non poterant. Inde reliquæ acies quin fugæ se darent, neque imperio, neque minis, inflictis etiam vulneribus contineri potuerunt: atque ita pedites fere omnes quos Selymus Ianizarorum cultu armauerat, ab equitatu victore vndique circumuenti trucidatique sunt. Selymus vbi fusas prostrataſque copias vidit, quod vulnere accepto tardaretur in recentẽ equum illatus, ereptusque periculo à turmis Turcarum suorum quæ superfuerant, Tartarorum ante abeuntium vestigiis institit. Nec multo post, victores scilicet subsequi & iam adesse ratus, cum paucis incitato pernicissimi equi cursu sese vtique fatis suis reseruans Varnam perfugit. Erat is equus vnicolor absoluta nigritie, cui Carabuloid est atræ nubi nomen fuit: cui postea Selymus tamquam emerito vacationem dedit; sic vt in honore habitus sine sessore sola ex textili auro stragula protectus ad Persas vsque ac mox in Aegyptum deueheretur, eique demum mortuo ad Memphim, Alexandri Magni exemplum secutus sepulchrum condidit, Regio quidem animo, nisi necati ab eo fratres sepulturæ honore caruissent. Baiazetes ea die, ex his qui cum Selymo fuerant paulominus dimidia parte cæsa aut capta, sexcentos tantum equites peditesque desiderauit: Scythicis autem sagittis amplius tria millia hominum vulnerata reperit: quod detrimentum summa crudelitate mox expiatum est. producti enim captiui fere omnes in conspectum, iubente eo trucidati fuere. Ab hac memorabili pugna Chiurleus pagus, antea obscurus & ignobilis claritatem accepit. Sed multo quidem maiorem à fatali Selymi sorte, quum paucos post annos eodem in loco Selymus pestifero atrocique ictus morbo immaturum acerbissimumque vitæ finem inuenerit, magno Deo (quod credi par est) primæ temeritatis scelus vindicante, & patrati parricidii iustas exigente pœnas. Neque enim superi eos in terris diu felices esse volunt, qui ab immani crudelitate omnem humanitatem exuerint.

Baiazetis ad Prætorianos milites tristis Oratio.

Baiazetes cum filio dimicans fugat & vincit.

Baiazetes secundum eam victoriam Constantinopolim reuersus, primum omnium militi donatiuum exoluit, coactisque ad opus circiter quindecim seruorum millibus, mœnia terræ motu multis in locis hiantia aut collapsa restituit: deditque operam mitescente iam pestilentia, vt reuocatis incolis, diu intermissus aulæ splendor, & pristina desertæ vrbi frequentia redderetur. Interea Achomates, cum viginti millibus armatorum per Galatiam atque Bithyniam, Scutarium (id oppidum Chalcedon olim fuit, pertinetque ad Thracii freti angustias contra Constantinopolim) venit, positisque iuxta littus tabernaculis, quid pater à tanta victoria consilii caperet, operiebatur. Etenim eius animum summa obtinendi imperii spe impleuerant, præter iuris prærogatiuam patrisque iudicium, & popularis fauor, & propria virtus. Igitur frequentes nuncios Constantinopolim lembis diu noctuque transmittere, Baiazetem per literas summis precibus obtestari & orare, vt mature quod animo destinarat, in ea rerum occasione perficeret, amicos vero & familiares suos sollicitare, vt propensiorem sibi redderent patrem: consilia creandi Regis magis ac magis laudarent, darentq; operam, vt postquam Selymi temeritatem atque impetum Deus ex merito confregisset, ipse amicorum beneficio subleuatus, & suo iure, & rerum imperio potiretur. Baiazetes qui vetere suo proposito totus in Achomatem ferebatur, his quoque sermonibus ad id quod sibi constituendum esse decreuerat, facile perductus est: ac protinus patefacto consilio triremes exornari iussit, quibus Achomates à Chalcedone Constantinopolim adueheretur. Sed milites præfectique, quos Selymo fauere supra docuimus, iterum refragari, eademque illa memorare, quæ apud Hadrianopolim adduxerant, in summa, non esse passuros eum tamquam ætate inutilem eiurare imperium, qui modo forti constantique animo pro imperio ac dignitate feliciter dimicasset: se Baiazete incolumi neminem alium Imperatorem salutaturos: neque se tamen spem præcidere Achomati, neque vero ipsum voluntatibus militum debere diffidere, quin eorum fauore & studio vir cognitæ probatæque virtutis, & ius æquum, & imperium, quod sine controuersia ad ipsum tamquam natu maximum pertineret, suo tempore possit adipisci, satis superque recenti prælio demonstratum esse, quantum spei ab Imperatore in militum animis sit reponendum, qui pro fide atque officio offerre se morti & iniquissimo prælio non recusarint. Hac militum consternatione Baiazetes spe sua deiectus, siue (vt aliqui credebant) regnandi consuetudine allectus, quod à recenti victoria neque senem se, neque invalidum ad regendam eam Imperii molem, veluti rediuiuo quodam animi vigore indicabat, Achomatem monuit, vt à Chalcedone abscederet, atque in prouinciam suam reuerteretur: se tunc cum è Cappadocia accersiturum, cum liberalitate mollitis Prætorianorum animis, & collecta sensim Principum gratia melior conficiendæ rei occasio præberetur. Achomates spe atque opinione fraudatus, seque & à patre deludi, & à Prætorianis militibus despici questus, nouis precibus minas addidit, in patrem acerbe inuectus, quod se tot terrarum spatia emensum, ipsiusque præsertim literis euocatum, despectui omnibus atque ludibrio exponeret. Quod si Baiazetes desipere perseueret, & tanti faciat gratiam Prætorianorum, vt præ illa nec æquitatis, nec promissorum suorum rationem habendam putet, se dignitatem suam, quam apud parum æquum patrem obtinere non possit, armis vindicaturum. Ad ea Baiazetes per Cadilescherum legis apud Turcas sacræ interpretem, summæ apud eos authoritatis virum respondit: nec caute satis eum, nec prudenter facere, qui insolentius irascatur, quum beneficium, quod Sola beneuolentia comparari possit, vi & contumeliis extorquere contendat: omnia ei integra reseruari, cessurumque ei proculdubio imperium, nisi præpropera festinatione spes suas corrumperet, quas tolerantia atque expectatione alere deberet. discere ex recenti exemplo, fortunaque Selymi fratris, quod ipsi quoque vsui salutique esse posset: longe periculosius esse violentiæ audaciæque confidere, quam peruersos animi impetus recta ratione moderantem, opportuna temporum & rerum momenta expectare. Achomates quum mandata patris exponerentur, ira atque dolore inflammatus, patris legatum obliquis verborum contumeliis dehonestatum prope violauit, crebro dictitans, & patrem commutatæ voluntatis, & proditores perfidiæ propediem pœnas daturos: motisque propere castris Bithyniam per quam iter faciebat hostiliter deprædatus, Amasiam rediit. Ibi magis ac magis repulsæ dolore atque ignominia extimulatus, consilium cepit inuadendæ minoris Asiæ, vt si de Constantinopolis imperio armis certandum foret, amplissimis eius prouinciæ opibus vteretur: vel si id minus consequi posset, dimidium saltem regnum, transmarinis regionibus in potestatem redactis, in omnes belli euentus occuparet. Itaque vocatis ad se Amurathe atque Aladino adolescentibus filiis, multum de inimicorum acerbitate alienatioque Baiazetis conquestus, docuit nihil sibi sperandum de successione Imperii, *nisi* protinus arma capesserent, ac dignitatem suam aduersus inimicorum iniurias tuerentur: posse facile minorem Asiam occupari, si celeriter audendum sibi existimarent, quando Pisidia, Lycaonia, atq; omnis Pamphiliæ & Ioniæ ora nullis exercitibus aut classibus tenerentur. Corchutum quoq; vel sua animi tranquillitate atque otio contentum fore, vel æquitatis atque iustitiæ studio in partes transiturum, Sin secures res suas dubiis permiscendas putaret & pararet arma, cũ protinus ad primum belli impetum possessione ditionis excessurũ: cæteros autem prouinciæ illius regulos, illius authoritatem vel fortunam secuturos. proinde virilem animum induerent, & in proximas regiones ad delectus habendos, & ad omnis generis præsidia comparanda proficiscerentur. Adolescentes, & propria indole, & paternis adhortationibus excitati imperata fecerunt, statimque ex amicis militibus, seruisque præsertim egregiam armatorum manum coegerunt. Ipse vero præter veterem exercitum quem aduersus Persas habuerat, nouos milites cõscripsit: ex finitimis vrbibus strenuissimum quemque euocauit, percurrensque prouinciam, seipsum Asiæ Regem declarauit. Eos porro qui non statim se dedere voluerant, ipse & Amurathes & Aladinus diuersis in locis bello sunt persecuti. Eo terrore circumducto, multæ vrbes, aut debili, aut nullo penitus muro cinctæ, pars voluntate, pars metu atque armis expugnatæ in potestatem Achomatis deuenerunt. Inde progressus in Lycaoniæ, interioriſque Ciliciæ fines, Mahometem fratris filium, qui regionibus Caramanno proximis imperabat, per legatos & litteras hortatus est, vt sibi auxilio esse vellet ad recuperandam dignitatem, atque vlciscendas iniurias, aduersus eos qui Baiazetem dolis malignisque persuasionibus ab se diductum deprauatumque eo perduxerint; vt alium quam primogenitum filium Imperii hæredem constituendum existimarit. Deo tamen bene iuuante se præoccupaturum eorum malitiam, ac vindicaturum armis quod sibi iure deberetur. Si Mahometes arma, milites, frumentumque in castra transmitteret, faueretque honestissimæ causæ, reperturum eum longe meliorem patruum quam ipse patrem inuenerit: qui si secum amice ac liberaliter ageret, cumulatissimas gratias in posterum esset relaturus. Mahometes aliquid earum rerum quas peteret se facturum negauit, *nisi* aui Baiazetis litteris id facere iuberetur, ad quem summa Imperii respiceret; non esse sui iudicii discernere, an iure recteque fecerit Baiazetes, quod se sospite regnum filio tradere noluerit. Cæterum non ignorare nulli alteri parendum esse viuente Imperatore, in cuius verba & Scianscionis olim pater, & ipse iurauerit. propterea debere eum iracundiæ modum imponere, ne cum inimicis nocere se sperat, cum magna omnium inuidia patri noceat: & spem, & dignitatem suam, quæ ex merito, si patientia vtatur paululumque cunctetur, maxima futura sit, præpropera animi perturbatione corrumpat. Achomates qui præsto sibi affuturum Mahometem crediderat, cum postulatis suis grauius consideratiusque ab iuuene responderetur, exercitum in fines eius duxit, & regionem igne ferroque deuastauit: nec multo post Mahometem ipsum cum exiguo exercitu subsidio suis venientem supra Larandam in itinere profligauit, compulsumque in oppidum per aliquot dies obsedit, ac demum accepto in deditionem oppido, eum cum impubere fratre viuum cepit: consiliarios vero atque nutricium, quorum consilio persuasum Mahometem, atque in id discrimen adductum fuisse putabat, interfecit. Quibus de causis Baiazetes ira ac dolore perturbatus, quod in ea ætate oppugnari à duobus filiis calamitosum, & plane miserum esse prouideret, legatos ad Achomatem misit, qui furentem grauibus verbis castigarent, & Mahometem fratremque eius è custodia educi iuberent. Si id impe-

Achomates vt pater in Turcum se eligat hortatur. Et ni fecerit, minatur.

Achomates Asiam minorem inuadere statuit. Illius regẽ se declarat.

Achomates Mahometẽ parentis fratrem prælio vicit, & incarcerauit.

impetrari, antea vis insaniæ leniri non posset, bellum indicerent. Sed ille, qui quanto ambitiosius post repulsam ad imperium anhelabat, tanto acerbius atque crudelius sibi agendum arbitrabatur, principem legationis bellum atque extrema quæque audacius comminantem in conspectu iugulari, & cæteros ante vesperam castris excedere iussit. Ea res tunc maxime Baiazetis exulcerauit animum, & ab Achomate complures mortales alienauit, quod legatos ad componendam controuersiam missos, contra ius gentium inhumane admodum, ac nulla patris reuerentia violasset. Conclamarunt inprimis prætoriani qui in statione erant, ita vt Baiazetes exaudiret, non ferendam esse temerarii hominis audaciam: sed protinus sceleri armis obuiam eundum. Impunitate ac mora valescere malorum vires: si cunctetur Imperator, ac mitius agat, eum mox auxilium atque operam frustra à militibus imploraturum. Mustapha quoque & Bostanges, ac cæteri qui Selymi rebus occulte fauebant, atque hæc per idoneos homines singulari caliditate in vulgus militum spargi curauerant, mussare primo, atrocitatem sceleris admirari, veluti quidem damnarent crudele factum, authorem vero minime criminarentur. Mox vbi Baiazetem proprio ardore & vocibus militum satis incitatum, & ex fiducia superioris victoriæ ad vlciscendam iniuriam paratum viderunt, quam acerbissime & crudelissime in Achomatem inuecti) eum vt parricidam, vt imperii hostem, bello persequendum censuerunt: extuleruntque subinde ad cœlum laudibus militum fidem atque virtutem, qui pro salute ac dignitate Imperatoris nouos vltro labores sibi expeterent. Ita Achomates astu atque solertia ducum, patris iracundia, atque omnium denique militum iudicio declaratus fuit, decretæque prætorianæ cohortes, & magna pars Europæi equitatus, quibus primo quoque tempore aduersus eum in Asia bellum gereretur. At cum belli dux virtute armorumque peritia insignis deligendus esset, atque ea maxime cura ad Bassas pertinere videretur, cæpere omnes aspernari honorem illum, & pro se quisque id munus abnuere: atque indignum esse testari, vt ferui auspiciis Imperatoris filius oppugnaretur. Milites quoque nihil se aduersus Regiam prolem ausuros prædicabant, nisi vnus ex ipsa Othomanorum domo copiis & summæ rerum præficeretur. Sic quondam Gemen eius fratrem in Cilicia res nouas molientem, & proxime Selymum non aliis quam Othomanicis ducibus debellatos. Hæc illo perspicue pertinebant, vt Selymum quem occulta benuolentia prosequebantur (tametsi illum nisi probri causa nominare non licebat) obliquis artibus patri reconciliarent, viamque ei reditus Constantinopolim hac ratione præstruerent: quoniam nec Baiazetem senecta & valitudine conflictatum, nec Corchutum hominem philosophum eius belli prouinciam petituros arbitrabantur: vnum autem Selymum ex Othomanis superesse, ad quem nepotibus per ætatem minus idoneis exercitus imperium deferretur. Ad eas voces Baiazetes perplexo atque æstuanti similis in prætorium se contulit morbum & inutiles annos incusans: querensque quod Corchutus cum inane sapientiæ nomen & vmbratile vitæ genus sequeretur, digniores Regia fortuna artes, & honoratiora vitæ subsidia reliquisset. Hæc dicentem volutantemque animo, Mustaphas lenire omnes eius curas assuetus, in varios sermones de summa belli consultatione pertractum, parata oratione ita allocutus est. Noli existimare Imperator, etiamsi per prosperam valetudinem ætatemque liceret, aut transmittendum exercitum, aut omnino tibi in Asiam traiiciendum: ne dum tota Asia vagum Achomatem bello persequeris, longe acriorem hostem in Europa relinquas, qui Thraciam, Græciam omnem, atque Constantinopolim nudatam præsidiis inuadat. An non audimus Selymum supra Varnam alias parare copias, nouum ab socero equitatum expectare, atque imminere iterum cervicibus nostris? An forte ille non maiores spiritus gerit, quam aut animo frangi possit, aut hac vna atque fortuita dimicatione superari? aut si veteranos in Asiam transmiseris, Corchutumque cum suis superioris anni delectibus, qui te ægro Selymi conatibus obstet, in Europam euocaueris: timebit ille tyrones Asiaticos, aut philosophum ducem, qui prætorianos robora virorum toto orbe conquisita, ac teipsum veterem ac felicissimum Imperatorem timere noluerit: falleris Imperator, & ancipites rerum casus non plane perspicis, qui cum duobus vno tempore in diuersissimis Asiæ atq; Europæ partibus bellum gerendum esse non cogitas. Etenim dum illum Cappadociæ finibus exturbare contendes, hic propior & occasioni imminens atergo in media regni viscera bellum molietur. Sin periculi magnitudine permotus, & Thraciam tueri, & prætorianos retinere volueris, ardebit in conspectu Asia omnis, nec ille iniuriis aut bello finem faciet, donec sibi Asiæ imperium vendicarit. Ergo si non culpæ, sed fato & fortunæ tuæ datum est, vt duo ex te geniti, omnium consensu, patris & patriæ hostes iudicentur, quorum alter temeritate præceps alter superbia & furore actus bellum intulerint, cur in tam impedito difficilique negotio, tuta consilia speciosis non anteponis. & quos vno tempore castigare vlciscique non potes, eos singulos, atque inter se dissidentes per occasionem aggrederis. Hæc spes vna salutis, hæc vna via est, si clauum (vt dicitur) clauo trudendum, atque hoste vincendum censueris. Comprime tantisper vindictæ ardorem, & dissimulata in præsens ægritudine animi, alteri inducias simulatamque pacem concede, alterum vero alterius æsu periculoq; in vtrumq; casum prospero cuentu bello persequere. Opprimes eum mox cum voles, cui signa exercitumque tradideris. Erunt enim scelerum vindicem militum dextræ: & tu summa tua securitate bellum conficies, obiectando periculis quem & vincere velis, & eundem interire desideres. Mustapham loquentem adhuc cæteri purpurati, vt inter se conuenerant, exceperunt, compositisque in eam sententiam orationibus, Baiazeti persuadere cœperunt, vt Selymum belli ducem deligeret: Illum satis pœnarum suæ temeritatis dedisse: proindeque veluti castigata arrogantia in officio fidelissime permansurum: Achomatem vero non facturum quicquam pro sano, qui patris Oratores violarit; nisi & ipse armis, vt Selymus nuper victus fugatusque fuerat, tota Asia pelleretur. Baiazetes, quod in ea re admodum graui explicanda Cherseoglis solus fere omnium fidelis subtristi vultu mussaret, diu in incerto habuit quidnam consilii potissimum caperet. Obuersabantur animo grauissimæ offensiones, secumque ipse reputabat Selymum ex Asia inuasisse Europam, occupatam ab eo Hadrianopolim, in acie se circumventum, petitum se Scythicis sagittis, ac solo prope Dei beneficio discessisse victorem: Illinc contempta imperia, nepotes bello capti, iura legatorum violata, subactæ vrbes, atque Asia omnis perturbata, ardensque miserabili belli incendio, iracundiam & vindictæ desiderium acuebant. His anxium curis, insignes Græco astu immanique perfidia consultores, vel reclamante Cherseogle, perpulerunt, vt literas sua manu ad Selymum conscriberet, quibus priorem ei gratiam oblitterata præteritorum memoria polliceretur, deferret que copiarum imperium, si Constantinopolim quamprimum veniret, & aduersus Achomatem in Asiam proficisceretur. Dum hæc Constantinopoli parantur, Corchutus ab amicis & familiaribus suis per literas edoctus, quanta imbecillitate pater senex, quibusve consiliis, post declaratum hostem Achomatem vocare ad se Selymum, atque cum ducem exercitus declarare contenderet, è Magnesia Phoceam descendit, conscensisque nauibus Constantinopolim adnauigauit. Igitur Magno comitatu amicorum progressus in intimum prætorium, postquam patrem dextra osculo petita salutauit: eum post varios sermones in hunc modum allocutus est: Trigesimus agitur annus, pie atque optime pater, ex quo prærogatiua militari, consensu ciuium, totiusque aulæ principum iudicio creatus atque acclamatus Imperator, hoc regnum, possessionemque huius imperii lubens ac volens tibi de manu tradidi, quod quis tandem mortalium, nisi aut insanus, aut optimus vnquam fecisset? Non enim vi, non metu impulsus, sed sola tui reuerentia id religiosi gratique animi specimen edidi: neque postea me, in tot annorum decursu eius singularis officii, & repræsentatæ pietatis vmquam pœnituit: quando his quæ possidenda concesseras, & clarissimi facti laude contentus, fortunam hanc tuam, & sublime mortalitatis fastigium, cum tranquillitate & otio studiorum meorum minime comparanda esse censebam: quum alienum prorsus à decreto compo-

Corchuti filij iunioris vt in Turcum eligeretur Oratio.

positi animi inaneque esset, ea appetere, quæ ambientis animi desiderium non finirent, & multo meliora cunctis imperiis contemplanti animo virtus ardua, & præduleis diuinarum rerum cognitio pollicerentur. Hac me vadentem via, & hæc regna tua fastidientem, cum religionis ac sapientiæ causa in vltimam Arabiam adram Mahometis, & ad Indos tamquam exactioris disciplinæ professores contenderē, medio itinere per Memphiticum Regem ex Aegypto in Phrygiam retraxisti, iussistiq; vt cuitatis (quæ neccile erat adire) periculis, consideratis vitæ salutiq; consulerem, & pietatis erga te meæ, & tuæ ergæ me beneuolentiæ fructus opperirer: ceu ventura essent tempora, quibus propter malorum ingenia, tibi atq; Othomanorum familiæ vsui atque subsidio esse posse, virum innocentem atq; philosophum existimares. Itaque ab eo tempore semper, & parui imperiis tuis, & quanta maxime potui cura atq; iustitia prouinciæ meæ satisfeci: & proximo Persarum bello parati eduxiq; exercitum, quo fines ab incursionibus barbarorum tueremur. At cum illis minore Asia pulsis profligatisq;, impii ac perditissimi fratres, alter in Europa nefario scelere te patrem ætate confectum, & neruorum dolore cruciatum, vt regno pelleret & interficeret, in acie circumuenisset, alter in Asia summa temeritate ac perfidia illic regnum occupaturus, fratris sui filios adolescentes optimos tibique maxime fideles obsedisset, atque cepisset, existimani huc mihi omnino esse traiiciendum: quod non sine Dei Optimi Maximi prouidentia fieri intelligebā, vt eo maxime tempore à te prudentissimo atque humanissimo patre, principeque omnis æquitatis atque iustitiæ cultore integerrimo, meorum erga te meritorum parem gratiam postularem: quo tu fratrum meorum scelera expertus, id recte & commode præstare posses, quod etiam nullo meo simili officio prouocatus concedendum certissima ratione arbitrareris. Igitur te pater optime oro obtestorque per fidem erga te meam, perpetuamque pietatem, vt antequam Selymus aduenias, & dignitati meæ prospicere, & consulere imperio velis. Tollet ille cum armatus irruperit iura omnia constituendæ pacis, & fauore militari cuncta miscebit. Audio enim prætorianos & duces exercitus, conuersis in eum studiis occasionem circumspectare, vt quem inuiti acie profligarint, cum vltro Imperatorem atque Sulthanum salutent. Proinde Imperium quod optimo iure meum est, & antiquæ meæ erga te pietatis insigni merito debetur, dum potes, dum in manu tua est, in hac eadem quam præcipiti rerum occasione restitue. Frustra enim æquissimæ causæ fauebis, cum recepto intra vrbem nefario ambitiosoque homine imperium & libertatem amiseris. Baiazetes Corchutum vix tenentem lachrymas, & ipse tenero confusus affectu miti oratione consolatus, bono animo esse iussit: aperuitq; consiliorum suorum causas: paratum se reddere Imperium, sed quo minus id statim faceret, impedimento esse prætorianos, qui nuper cōsiliis suis obstiterint. Illos enim, si vel minimam eius rei suspicionem iniiceret, etiam atque etiam aduersaturos. Vno eo consilio, sub specie honoris detrahi tandem ex Europa Selymum, & ablegari in Asiam prætorianos: quorum absentia sibi merum ac liberum imperium relinqueretur: traditurum se protinus sceptrum, quam illi mare traiecissent. Nec credere præfectos & milites, qui se nuper acie circumuentum fortiter egregieque defenderint, aut insidias molituros, aut recentis facti gloriam turpi facinore maculaturos: quin & sperare superis ita volentibus, qui immanium scelerum vindices semper extitissent, Selymum & Achomatem si semel acie constixerint, mutua crudelitate perituros. Corchutus, siue probata ratione paterni consilii, siue cognita eius voluntate, verbis minime discepandum existimans, non sine spe potiundi imperii ad amicos rediit, egitq; Constantinopoli plures dies: nec tamen aut militum, aut ducum sibi quemquam, vel largitione, vel præmiorum pollicitatione concilauit: quod ambitione aut pretio petendum minime iudicabat, id quod sibi iure optimo ex paterna gratia deberetur.

Interea Selymi familiares cum de Corchuti aduentu certiorem fecerunt, admoeruntq; vt iter maturē caperet, & Constantinopolim adproperaret: imminere enim periculum, ne Baiazetes & senex, & inconstans maioris filii precibus delinitus expeditam perficiendi negotii rationem interpelleret, atque discutiat. Selymus qui in vnam eam curam excubabat, vt si vmquam sibi occasio adeundi exercitus præberetur, ipse statim spe ingentium præmiorum corruptis omnibus ordinibus Imperium arriperet, nullam profectioni moram fecit, & modico equitum comitatu, cæteris subsequi iussis, Constantinopolim peruenit. Corchutus cum purpuratis, primoribusque aulæ & magna parte prætorianorum ad portam vsque obuiam progressus introeuntem osculo excepit, deduxitque per mediam vrbem effuso passim omni populo ad spectaculum hominis immani audaciæ scelere conspicui, crebrisque subinde displosis tormentis in lætitiæ signum, inter fautas acclamationes puerorum atque militum: vt facile appareret omnem recentis noxæ inuidiam decessisse, eumque mox omnium iudicio Imperio potiturum. Postero die Selymus in prætorium venit, & supplex pedes, patris exosculatus temeritatis suæ veniam postulauit. Ad quem Baiazetes summa lenitate subridens: errata, inquit, tua Selyme fili eo minora sunt, quod celerem pœnitentiam inuenerunt: proinde lubentius veniam do: sed in posterum age, & enitere, vt qui tibi industriam fortitudinemque tribuit Deus, & bonam quoque mentem dedisse videatur. Dignam quidem ausibus tuis belli materiam paratam habes, quo virtus tua enitescere possit. Nec multo post indicitur militare Concilium, de Imperatore aduersus Achomatem deligendo. Selymus statim multis Imperatorium nomen sibi deferentibus summo astu reluctari cœpit: negare se Corchuto fratri qui ætatis honore prudentiaque præstaret anteponendum, illi deberi iure honorem: illum summa authoritate sapientiaque bellum administraturum, se postquam paternam gratiam recuperarit, minimo quoq; loco contentum fore. Corchuti vero familiares, qui omnem spem suam atque omnia consilia in discessu Selymi & prætorianorum collocauerant, eum rursus, quasi vtrimque modestia certaretur, hortari ac orare vt eas partes susciperet, quæ sibi strenuo ac rei militaris peritissimo absque vlla fratris contumelia deferrentur. Ita Selymus Corchutum fratrem atque eius fautores miris artibus ludificatus, dum simulando aliud quam quod struebat, vana spe imprudentium animos pascit, omnibus suffragiis Imperator exercitus declaratur. Exemplo nonnulli milites magnis acclamationibus non ducem eum modo, sed Regem principemque consalutarunt, & propere arma corripuerunt, quibus flagitium iuū atque perfidiam tuerentur, si meliores obsistere vel dissentire vellent. Selymus ipse deprecanti similis, quasi delatum Imperium abnueret, & patris reuerentia permoueretur, modo se commendare militibus, donatiuumque polliceri, modo duces orare vt ad patrem pergerent, curarentque, vt postquam ea mens exercitus foret, Imperium sibi sine turba & tumultu libenti animo traderetur. Mustaphas, siue propria perfidia, siue mortis metu, quod ei Selymus nisi hæc patri renunciaret, mortis supplicium comminatus fuerat, ingressus ad Baiazetem qui clamoribus militum excitatus è cubiculo in apertiorem ædium partem processerat: Imperator, inquit, milites tui Selymum & ducem & principem in Concilio salutarunt, postulantque vt id ratum habeas: facturi mox impetum in Regiam, vt te meque trucident, nisi Imperio cesseris. Petunt abs te illi summo consensu, quod iā in alterius manum transtulerunt: proinde longe periculosius est retinere quod amiseris, quam iam ereptum vltro concedere: cum id nulla vi, nulla ingenii solertia recuperari possit. arma tenent, fremunt, & qui semel defecere, maiora etiam scelera meditantur. Baiazetes metu atque ira perturbatus, Siccine, inquit, perfidissimi tandem me proditis? summaque mea in vos beneficia, tanta perfidia compensatis? Quin & hanc quoque animam eripitis, qui hoc corpusculum & instantem vitæ meæ finem expectare non potuistis, vt iusto legitimoque principe & lecto scelestissimum vobis Imperatorem præficeretis? Sed habetote principem parricidam, daturi mox eo vindice perfidiæ pœnas: atque ipse, ab irato Deo maximo non dubio vltore scelerum, à scelere auspicetur imperium. Mustaphas cum Rostagne & Aiace statim reuersus ad prætorianos, nulla de dolore vel iracundia Baiazetis facta mentione: Cedit, inquit, Baiazetes Imperio, & Selymum cui superi atque homines Imperium detulerunt sibi successorem decernit. Ea vox excepta omnium auribus his primum quos

Selymus Constantinopolim ingressus à parente in gratiam recipitur.

Selymus declaratur Imperator exercitus.

Selymus corruperat spiritus auxit: deinde dubios desperato remedio in partes traduxit. Ergo cum libidine atque impetu militum cuncta raptim agerentur, sublatus in equum Selymus per celeberrimas vrbis regiones deductus, Rex & Imperator diuerso animorum habitu acclamantibus omnibus salutatus fuit. Eo die milites Sacramento adacti, in verba Selymi præeuntibus ducibus iurauerunt. Corchutus vero, vel dolore irritæ spei, vel mortis metu, quamquam ei Selymus Mitylenas ipsamque insulam Lesbum dono dare se dixisset, solutis occulte triremibus Rhoceam rediit. At Baiazetes modo terrarum orbis principum amplissimus, in tanta hominum perfidia, rerum omnium iniquitate secedendi consilium cepit, Constantinopolique excessit cum familiaribus suis collecta pretiosiore suppellectile, petiturus Dimetocam Thraciæ vrbem, amænitate hortorum, cœlique temperie, & exilio, & præsenti fortunæ opportunam. Sed cum acerbissimis curis agitatus animus eum deficeret, & affectæ corporis vires collaberentur, medio itinere statui tabernaculum iussit, vt valetudinem quiete curaret. Ibi septuagesimo sexto suæ ætatis anno, ab Hamone Iudæo medico, qui iussu Selymi salutiferæ potioni venenum miscuerat, necatus est. Aliqui tamen senio, & longa valetudine, & ad extremum prægrauantibus curis extenuatum interiisse contendebant: sed Antonius Vtrius Lygur à cubiculo Baiazetis, qui de his rebus commentaria ad Leonem Pontificem conscripsit asserebat, se in expirantis corpore non dubia veneni indicia deprehendisse. Ferebant, Selymum proximum paternæ vitæ exitum vrgente etiam senio expectare noluisse: quoniam si eo sospite in Asiam aduersus Achomatem traiecisset, nihil tutum pacatumq; Constantinopoli se relicturum existimabat, ratus Baiazetem, se absente ad repetendum Imperium nullam moram fuisse facturum. Perstrinxit quoque crudelem animum auaritia, supra Imperii sollicitudinem. Namque vasa aurea & argentea cœlata, & præter signatam pecuniam, plenos pretiosissimarum gemmarum & vnionum loculos, quæ tot progenitores Reges ex immensa illa opum amplitudine reliquerant, vnus Baiazetes vniuersa asportabat: ingentia sane atque peropportuna subsidia in proximũ donatiuũ, præsertim cuncta debenti militibus, qui pretio & spe futura liberalitatis vnius horæ momento cuncta detulissent. Paterno autem funeri delato Constantinopolim, summa in speciem pietate iusta persoluit, statuens illi æternos ignes, & sepulchrum cælati operis: ne cui Imperium & vitam inuiderat, supremos quosque honores inuidisse videretur. Inde pecuniam quæ in ærario erat recognouit, diuisitque militibus pro donatiuo vicies centena millia aureorum: & quo magnitudinem animi perpetuo liberalitate testaretur, ad veterem stipendii summam in singulos dies equiti quatuor, pediti vero duos argenteos addidit. Nec multo post cum exercitu in Asiam traiecit, vt Achomatem persequeretur. Cumque nullam pro firmando imperio suspicionem etiam de pueris superfluam existimaret, quinque egregiæ indolis adolescentes fratrum filios necari iussit, inter quos erat Mahometes, quem paulo ante ad Larandam captum Achomates audita morte Baiazetis dimiserat. Erat is primi filii Baiazetis liberorum natu maximus, alterum & vigesimum natus annũ, specie corporis & vigore animi Othomanorum præstantissimus: quæ omnia sicut ei militum ac populi fauorem conciliabant, ita vno inuidente Selymo exitium pepererunt. Ferunt Mahometem ingressos ad se duos carnifices, qui nihil tale timenti moriendum esse denunciarent, ac mandata statim exequerentur, alterum calamario cultello confecisse, alterum iam vulneratum interfecturum fuisse, nisi alii satellites irrupissent, qui frustra reluctantem strangularunt. De Osarne Alemsiaci, & Zilibo Mahumeti, duobusque aliis tenellis adhuc pariter supplicium sumptum: adeo consternatis eo scelere omnium animis, vt complures milites tacita inuidia per aliquot dies Regis conspectum exhorruerint. Nec tot propinquis vno furore absumptis, immitis animus à crudeli rabie conquieuit. Namque vt numerosa Othomanorum sobole extincta vacuam sæuitiæ suæ domum faceret, reliquos ex omnibus Baiazetis nepotibus Amurathem & Aladinum per insidias interficere cogitauit. Receperant illi nuper Amasiam, quum Achomates pater in montana Cappadociæ perfugisset. Ad eos opprimendos validam equitum manũ delegit, qui magnis itineribus Amasiam contenderent, adolescentesq; imperatos, ac nihil de præsenti periculo cogitantes comprehenderent. Neq; id factu erat difficile, cum expeditus equitatus omnem fere aduentus sui famã celeritate præventurus esset: nec vrbs ipsa aut munita mœnibus, aut tuta præsidio militum foret, quod eo tempore Achomates in loca Caramaniæ proxima ad conducendos milites profectus erat. Sed Mustaphas consilii particeps, cuius singulari studio atq; opera Selymum ad imperium euectum docuimus, cum indigna morte Baiazetis & tot insontium puerorum cæde permotus, totum se animo ab amicitia crudelissimi hominis auertisset, imminentem miseris iuuenibus calamitatem auersatus, miseratusq;, per celeres tabellarios de aduentu equitum eos certiores fecit. Quibus acceptis literis illi statim patre reuocato, occulta præsidia compararunt, quibus hostes exciperentur. Ita cum paucos post dies Selymiani Amasiam peruenissent, & forte eodem tempore reuertisset Achomates, præcipitati in insidias facile capti trucidatique sunt. Accidit autem vt serui Achomatis cum Selymianis captiuis illuderent, omnem insidiarum & rei gestæ ordinem aperuerint, (vsque adeo male in aula principum consilia etiã de maximis rebus occultãtur) iactantes non deesse sibi amicos, etiam ex intimis Selymi familiaribus, qui meliori causæ fauerent, & grassari ferireq; belluam illam non paterentur. Illi autem postquã redempti Prussam rediere, quæ ab hostibus audierant, Regi detulerunt. Nec mora Selymus neminem præter vnum Mustapham authorem detegendi arcani consilii existimans: siue quod iam ei tædio esse cœperat hominis gloria, siue vt insigne beneficium cui par gratia reddi non poterat exitio compensaret, cum inauditum interfici, & cadauer nudum in tantæ modo felicitatis ludibrium in publicum abiici iussit. Pari fato Iudæus medicus, cum à Selymo beneficii præmium ob veneno sublatum Baiazetem expectaret, meritas sceleris sui pœnas accepit. Nam protinus eum capite truncari Selymus præcepit. Eadem siquidem, dicebat, aduersum me etiam auderet Iudæus iste, si patrandi sceleris occasio, vel spes præmii ei affulgeret. Interfecto Mustapha & Iudæo, ne quid de instituta iñanitate remitteret, ad tollendum Corchutum fratrẽ, crudelem animum adiecit. Agebat ille Magnesiæ, nec aduersus Selymũ abrupta spe Imperii quidquam hostile moliebatur, regressus ad philosophiæ studia, à quibus ambitione corruptus intempestiue discesserat. Igitur præfectis edixit, vt sex millia fortissimorũ militum deligerent, qui in tertiam diem corpora, arma, equos, profectioni pararent: se in Cappadociã celerem excursionem esse facturum. Statuto die Selymus Prusia mouit, conuerso in dexteram suorum agmine, ita vt equites qui recta Amasiam petere credebant, tum demum in Lydiam se abduci perspicerent. Vnus ex quibus egregii animi quicumq; ille fuerit coniectura iudicans ad opprimendũ Corchutũ iri, velocissimo equo vsus, per compendia viarum Regem antecessit, Magnesiamque peruenit. Cuius monitu Corchutus de periculo certior factus, relicta familia, cũ duobus seruis ad mare contendit, vt aliquod in littore nauigium nactus in Cretam deueheretur, aut certe in piscatoria nauicula Rhodum perfugeret. Cæterum Selymus improuiso aduentu suo perterrefactis Magnesiis, prætorium fratris corona equitum septum, vt exitus præcluderentur, nullo resistente cepit. Cum vero vnum omnes Corchutum per singulas domus latebras frustra perquirerent, quæstione de suis habita cognouit, cum monitu ignoti militis equitis intempesta nocte discessisse. Quamobrem sua spe frustratus equitibus mille præsidio Magnesiæ relictis, qui summa celeritate atque diligentia circumiectam regionem percurrerent, cum thesauris atque omni fratris familia Prusam eadem celeritate reuersus est. At Corchutus spe fugæ erepta, quod Bostanges Selymi gener educta classe omnia littora custodiret, neq; vlla iam spes fallendi hostis relinqueretur, non longe à Smyrna in speluncam mari proximam se condidit, sperans si interpositis aliquot diebus statione classis abscederet, elabendi occasionem vel Dei benignitate, vel fortunæ beneficio sibi minime defuturam. Sed cum diu agrestibus pomis inediam tolerasset, victumque à pastorali tugurio per seruum quærere cogeretur, indicante agricola ab inquisitoribus comprehensus Prusam perducitur, atque iussu Selymi necatur. Constat Corchutum, cum fidibus gutturi admotis à carnifice

Baiazetes Selymo rege relicto à Iudæo necatur.

Iudæum parricidã occidi iubet.

strangularetur, impetrasse horam cuius spatio amarulenta in Selymum carmina intrepido constantique animo conscripsit, quibus exprobrata sæuitia, eius capiti omnes diras imprecabatur. Selymus vero quem viuum videre noluerat, necatum spectare sustinuit, perlegitq; carmina de se conscripta, nec temperauit à lachrymis, vsus lugubri veste: vt immanis animi crudelitatem in tanta omnium inuidia falsò dolore contegeret. In Achomatem deinde mouit, eiusque copias profligauit. Achomates desperatis rebus aufugiens, dum saluti sero consuleret, in fossam quam pridiani imbres aquis cœnoque compleuerant, labente equo præcipitatus hæsit. Ibi agnitus à militibus atque comprehensus, vt se statim interficerent impetrare non potuit. Quem Selymus iam antea neci destinatum, sequenti nocte iisdem carnificibus qui Corchutum cæterosque necauerant traditum, chorda arcus elisis ceruicibus interfici iussit. Amurathes filius traiecto Euphrate, ad Hysmaelem, Aladinus vero Amano monte superato ad Camplonem Gaurum Aegypti Regem, confugerunt, eorumque auxilia contra patruum tyrannum implorarunt. *Iouius Hist. lib. 13, & 14. Author hist. Turcicæ tomo 1. Leoncl. hist. Musulm. Turc. lib. 16.*

XVIII. Quo tempore, cum filii & contra patrem Baiazetem, & inter se contra se arma expedirent, atque mutuã internecionem infestis animis concurrerent, Iulius Pont. Max. ex dissensionibus illorum minime dubio argumento concepto, facile Othomanicas vires extirpari posse, ad Sacram militiam euocabat Reges & Principes Christianos. Et quidem inter alios Sigismundum Poloniæ Regem, vt Vladislao Vngariæ & Boemiæ Rege sibi in commilitium assumpto, contra dissentientes inter se Turcos moueret, hortabatur: affirmans se & alios Christianos Reges ac principes ad tam piam ac necessariam expeditionem, terra & mari esse accinctos, flagitabatque vt ipse sacræ per terram militiæ ac omnium copiarum ducatum assumeret. Nulli hos conuenire magis quam illi, qui cum barbaris gentibus, & eis quidem potentissimis Tartaris ac Moscouitis assidua bella gereret, moremque Turcarum pugnandi probe nosset: ac ob id faciliorem de eis, hoc præsertim tempore, quam vllus aliorum piorum principum victoriam assequi posset. Ad hoc sacrum bellum, immensam auri vim idem Pontifex pollicebatur. Sigismundus vero Rex sacræ militiæ ducatum nequaquam aspernabatur, imo omnibus votis precabatur, vt hæc tam pia ac necessaria expeditio inchoaretur, ac ad effectum deduceretur, operam suam, durique Martis inexhaustos labores, & sanguinem ipsum, si opus foret, ad tantum bellum pollicitus. Sed principum Christianorum contentiones ac dissidia sagacem eius mentem interturbabant. Quapropter inter amicos magnatesque identidem testabatur, Casimiri Regis tempore & fratrum Regum plures tales fuisse Romanorum Pontificum exhortationes: numquam tamen ob principum Christianorum discordias ad effectum deductas esse; & de hac Iulii Pontificis se addubitare asserebat, vererique ne omnia in irritum reciderent. Nec fuit falsus vates sapientissimus Rex, qui propterea Pontificio nuncio nullo certo dato responso, difficillimi belli ac periculosissimi (si fratres Turcæ inter se, & contra patrem depositis odiis, arma in vnum contra Christianos contulissent) belli consultationem ad Vladislaum Vngariæ Regem, fratrem natu maiorem reiecit, responsumque in aliud tempus dare distulit. Quamuis Iulius Pontifex omnium post Petrum Barionam Pontificum Maximus, ingentem auri argentique vim congessisset, ac Turcicæ expeditionis desiderio vehementer flagrasset, sæpius, Bernardo Vapouio qui hæc scribebat auscultante testatus, nihil se magis à cœlesti numine assiduis votis precari, quam in augustissimo Agios Sophiæ templo Constantinopoli Missam sibi decantare contingeret, optabatque compositis manibus, vt ad hoc peragendum vitam sibi concederet longiorem. & fecisset (quod sibi tunc Pontificis Cubiculario, idem Vapouius constare narrat) haud dubie satis tam pio desiderio Optimus Pontifex, si ei per tumultus Italicos, & intestina Christianorum principum bella licuisset, quæ summo studio ad fata vsque nouissima extinguere ac componere satagebat. *Bernardus Vapouius in fragmento rerum gestarum Sigismundi I.*

Iulius II. Pontifex Regem Poloniæ contra Turcas concitat.

XIX. In his tumultibus Italicis, cum MAXIMILIANI Cæsaris milites contra Venetos dimicarent, duplex in Hieronymum Aemilianum Congregationis Somaschæ postea Conditorem, diuinæ benignitatis beneficium, nec sine ingentibus miraculis collatum est. Natus is Venetiis, nobilissimæ familiæ & adolescentiæ splendorem, deprauatis moribus obscurarat. Militiæ enim adscriptus, addictusque, ea vitia quæ id genus hominum consectari solet, ipse quoque imbiberat: donec in Castri noui direptione à Palissia Cæsarianorum duce captus, inque teterrimum carcerem hoc anno coniectus fuisset. In eius fundo profunde effosso, pane & frigida tantum alebatur: ferrea vincula manus & pedes constringebant: collum ambiebat in Mancipii morem ferreus circulus, è quo duorum triumve anulorum catenula cum pila marmorea pendebat: globus tormentarius is erat haud exiguæ magnitudinis additus, siue vt nocte quiescentem vexaret, vel fatigaret interdiu vigilantem: aut si fugam intentasset, crebro ictu globi tergum vel pectus diuerberantis fugientis cursus retardaretur. & ne qua tandem membra quiete fruerentur, ad grauem fœtorem carceris, loci angustiam & tenebras, varii accedebant corporis cruciatus: quippe ducis edicto acerbis quotidie suppliciis exquisite torquebatur. Multos iam dies carceris acerbitatem, & Germanorum sæuitiam eo loci perpessus, nihil præterea quam vt extrema de suo capite statuerentur expectabat. Sed hominum consilia diuina bonitas anteuertit: Dum enim huius vitæ imminens periculum à mortalibus extimescit, æternæ vitæ ab immortali Deo certissima initia recepit: & qui miseriarum & calamitatum locus plenissimus videbatur, is cœlesti solatio, & maximorum dolorum leuamento, non multo post extitit iucundissimus. Quandoquidem illi Deus tantis belli laboribus, & tam apertis vitæ periculis, non extremam perniciem corporis, sed salutarem occasionem promerendi æternam salutem impendere, singulari & inaudito miraculo, consequenti posteritati prorsus admirando declarauit. Singulare hoc est diuinæ bonitatis medicamentum, vt quos beneficiis ad virtutem allicere nequit, seuerioribus pœnis à scelere auocare contendat. Adeo enim diuturna peccandi consuetudo malorum animis callum impietatis obducit, & sensus cupiditatibus addictos immanitate quadam stuporis offundit, vt nullos diuinæ gratiæ motus, nullas internæ vocationis voces auribus admittant: *nisi irati numinis plagis contusi atque debilitati*, medicinam aliquando non aspernari condiscant. Quod cœlestis prouidentiæ singulare beneficium in Hieronymo mirifice per hoc tempus eluxit: qui diuina benignitate diutius ad suam perniciem abusus, tenebricoso & squalore obsito carcere, è flagitiorum tenebris ad honestatis lucem contuendam est excitatus. Res accidit in hunc modum.

Aemilianus Venetus à Cæsarianis captus.

Eo in carcere nulla grauior molestia Hieronymum sollicitabat, quam acerbæ & diræ necis, cuius sibi periculum in singula momenta crudeli ab hoste imminere non dubitabat. Hanc cogitationem diu animo versans vehementer est commotus, serioque cœpit, non tam de corporis quam de animæ salute agitare secum salubria consilia: & ab omni humana ope destitutus, vnum sibi in diuina præsidium, reliquum esse cogitare: quam tamen ne implorare confidenter auderet, faciebant anteactæ vitæ commissa, quæ multa & grauissima menti occurrebant: quorum conscientia deterritus, ægre admodum precibus suis locum futurum apud diuinam clementiam verebatur. Sed illum iam satis cruciatibus, carcere & inedia maceratum, & scelerum conscientia afflictum respexit Deus: diuinæ lucis splendore, & suaui gratiæ cœlestis virtute in eius animum sese liberius effundente. Huius beneficio ita cœpit peccatorum grauitate ac turpitudine angi, vt iam longe maior contempti numinis, quam præsentis calamitatis dolor eius animum discruciaret: iamque cœlestem iram in se merito concitatam, diuinamque iustitiam, quam ille suis flagitiis, & effrænata libidine tamdiu contempsisset, & cuius Imperium sanctissimis legibus repudiatis etiam detrectasset, iustas suorum scelerum pœnas repetere intelligeret. Quare obortis lachrymis, se merito diuina tutela & præsidio exclusum, in supremum capitis & salutis periculum adductum inclamabat: quod cœlestis gratiæ beneficentiam semper ingrato animo XX.

reiecerit: quod toties diuina misericordia de sua salute, tam variis modis admonitus, ad pristina tamen scelera magnum indies singulos impietatis cumulum addere studuerit. Hæc ille & alia multa ex magno animi dolore & lachrymarum copia cum mente volutaret, ac pene ad extremos desperationis scopulos misere deferri videretur: de repente aura cœlestis numinis leniter pectus eius afflante, in pacatissimum salutis portum inuectus est. Animum enim eius pene destitutum, subiit Deiparæ Virginis Taruisinæ memoria, quam matrem misericordiæ mortalibus datam, vnicum miseriarum solatium, & peccatoribus extreme laborantibus certissimum perfugium à Deo constitutum recordatus est. In huius igitur Beatissimæ Virginis tutela salutis suæ præsidia collocanda putauit: qua Patrona & Aduocata si apud Deum ageretur, non dubiam sibi scelerum indulgentiam, & æternæ salutis auxilium polliceba tur. Itaque fusa illico ad Virginem, non tam longo verborum ambitu, quam interno animi affectu, & lachrymarum imbre graui & pia oratione, ne se miserum, licet eius clientela & patrocinio indignum, tot circumuallatum calamitatibus, & tot pressum malis negligeret: se è Christianis illis peccatoribus vnum esse, cumque insignem, quibus à Christo Mater misericordiæ, & commune perfugium data est: proinde ne abiectissimum famulum à filio sibi commendatum, clementissima cœli regina & Dei mater despiceret: de salute atque incolumitate animi prope desperanti mature subueniret: flagitiis, criminibusque suis, quæ ille innumerabilia fatebatur, ab irato filio veniam & pacem posceret: non desereret Patrona clientem, Regina seruum, communis misericordiæ Parens iacentem in sordibus & squallore filium. Ad hæc se nudis pedibus eandem sacram Taruisinam ædem inuisurum, ibique certum Sacrorum munerum suo ære curaturum, & voce tabulisque tam insigne beneficium palam testaturum voti religione obstrinxit. Cordi vtique Deo, Beatissimæque Virgini fuere preces & vota. Vix enim ea Hieronymus absoluerat, cum sese oranti, & multis lachrymis supplicanti, candida in veste, nec non cœlesti luce circumfusa, ac diuina prope Maiestate conspicua Dei genitrix obtulit, carceriſque tenebras inusitato atque inexplicabili radiorum suorum splendore dispulit, ac fugauit. Ex oculis enim ac vultu, atque adeo toto cœlestissimæ Virginis corpore tanta claritas emicabat, vt neque posset in eam oculorum aciem defigere, nec emicantem inde fulgorem diutius intueri. Itaque huiusmodi spectaculis insuetus, terrore attonitus, totis artubus contremiscere, quid rei esset expectare: cum Beata Virgo illum benigne intuita, & proprio compellans nomine, præsenti animo, & hilari vultu, omni cura vacuum esse iussit; cuius preces & vota, se aduocata & patrona essent à filio clementer admissa. Ille animo erectus patronam suam intueri connixus haud commode potuit: cumque oculorum & animi voluptate quadam delinitus illam obniteretur attentius acriusque contemplari, tanta sensit radiorum vi obtutus aciem perstringi, ac prope obtundi, vt potuerit ardentem meridiani Solis facem multo commodius intueri. Quare adhuc animo dubius, leui aliqua somni imagine se illusum putauit: cum Beata Virgo cœptis addidit, vt vota solueret, & vitæ emendatioris in posterum consilia iniret. tum manu ad eum porrecta claues obtulit, quibus & vincula & carceris ostia reserare, & quocumque libeat abire mandauit. Fidem visionis fecit expleta promissio. Siquidem ille impiger ad iussa, acceptis clauibus, vinculis & carcere reseratis, sensit haud vanam esse tantarum rerum imaginem: tum ad cœlestem patronam venerabundus, & in gratiarum actione totus effusus se conuertit. Sed illa tenues in auras momento dilapsa, lætissimum Hieronymum summo mœrore suo discessu compleuit. qui tandem verbis & lachrymis, dolore & lætitia simul intermixtis, actis intimo cordis affectu Deiparæ Virgini gratiis, è carcere liber exiuit. Quo autem tanti beneficii sempiternum aliquod ad posteros extaret monumentum, & probata fides, extulit secum è carcere claues cœlitus sibi delatas, tum manicas & compedes cum pila marmorea, & reliqua crudelitatis instrumenta, præter interiorem subuculam cæteris vestibus nudatus. Ea farcina quasi trophæo suæ victoriæ, ornatus verius quam oneratus, sese in viam dedit. Sed mox aliud accidit grauius periculum. Vix aliquot passus processerat, cum in exercitum Cæsaris incidit, & viam omnem armato peruigilique milite occupatam circumspectauit. Expalluit Acmilianus, animoque corruit, subito hostium incursu: humanisque deficientibus ad diuina perfugia se conuertit: inuocauit iterum Patronam & Dominam suam, vt se præsenti periculo ereptum, certo itinere incolumem dirigeret, precatus. Nec irritæ preces. Vix enim ea complerat, cum priorem & speciem & habitum referens Beatissima Virgo presto fuit, & mox miraculum miraculo cumulauit, manum apprehendit, securum sequi iussit, & per medios hostes ferrea vincula gestantem, alienis oculis minime conspicuum eduxit: hoc præterea, singularis beneuolentiæ specimen addidit, quod Taruisini itineris ignaro se comitem præbuit, donec ciuitatis mœnia in conspectum sese darent. Tum Diua Tutelaris & comes Hieronymi repente ex oculis sese mira celeritate subduxit, illius mente nouo & insolito splendore diuinæ lucis sub ipsum discessum illustrata & perfusa, occultoque igne diuini amoris corde succenso. Atque vtinam hic mortali fas esset, dulcissima & prorsus cœlestia Beatæ Virginis hortamenta referre. Ille Ciuitatem ingressus, Beatissimæ Virginis ædem adiuit: longa & pia oratione filio Matrique gratiis actis, noui miraculi euentum omnibus prædicauit: obligatam voti sponsione sacrorum fidem integre liberauit: tabellam quæ rei admirandæ exitum, & accepti beneficii memoriam scripto & pictura perpetuo testaretur, cum manicis, compedibus, collique vinculo & marmorea pila, è summo tholo suspendit, remque totam quo Ordine gesta est, publica fide scriptis consignari mandauit. Illud vero vehementer dolendum, claues per Sanctissimam Virginem cœlitus delatas infelici euentu, quo templum illud multis ab hinc annis conflagrauit, deperiisse. Cætera quæ integra superfuerunt, à communi illa anathematum multitudine delecta, in interiorem altaris partem, iisdem ferreis cancellis quibus Sanctissimæ Virginis imago concluſa singulari religione asseruantur, nec nisi pia aduentium postulatione produntur. Compedes vero non eius sunt generis, quibus fere vti consueuerunt, vt ferro vecte claudantur, sed quales interdum equis ad pascua dimissis iniici solent, breui anulorum catena colligatæ. Hieronymus his rite Taruisii perfunctus, ac bellicis non multo post rebus compositis, Castro Nouo à Venetis præfectus, vitam in melius commutauit; cum in eo eluceret pietas & ardor in Deum, clementia & lenitas in ciues, liberalitas in pauperes, pacis & publicæ vtilitatis studium, ac omnium denique clarissimarum virtutum ornatus. *Augustinus Turtura in vita H. Aemiliani lib. 1. cap. 7. 8. 9. 10.*

Idem ope B. Virginis liberatur.

XXI. *B.M. Virg. Lauretanæ in puellam miraculis.*

Eodem fere tempore, quo Taruisina Virgo Aemilianam è carcere eduxit, Lauretana quoque inopem puellam in pace inusitato miraculo sibi adiunxit. Sabino cuidam, ex pago haud ignobili agri Piceni (Rocham Contradam vocant) filia erat septennis nomine Alexandra, quæ haud longe à pago paternum pascebat gregem. Hæc dū oues pascerentur, sub arboribus venerabunda cœlesti numini supplicare consuerat: Itaque diuinitus, nondum septennium egressa, dicauit se Deo. Quo magistro dum precibus institit, Deiparam enixe colens, repente obtulit se illi cœlesti specie Virgo (haud dubie Dei mater fuit) quæ puellam manu prehensam se sequi iussit. Mira res dictu. triginta millia passuum ab eo loco, ipsamet Cœlitum Regina partiam puellam ad Lauretanam deduxit ædem, & ingenti perfusam gaudio ex suæ imaginis ac domus aspectu, reduxit ad pascua. Ibi Alexandram, etiamsi quæ tandem illa ædes, quæ Virgo esset ignoraret: tamen ingens eius loci, & spectaculi desiderium tenebat. Ergo, vt gustata semel Lauretanæ Domus dulcedo subibat animum, flens precibus vrgere, ac fatigare Sabinum patrem non detinebat, vt ad ædem illam tot liminibus illustrem (neque enim aliter designare nouerat locum) se duceret, vbi pulcherrima illa Virgo habitaret. Eludebat filiæ postulatum pater, siue pueriliter deliraret eam ratus, siue quem tandem locum illa describeret, ignarus. Cæterum haud multo post intermisso tempore, venit vt Sabinus cum vniuersa familia Lauretum pergeret.

Cum vero Alexandra locum agnoscens, gestire & exultare gaudio: ac versa ad parentem; En pater, inquit, hæc, hæc illa est Domus, quo me pulcherrima illa Virgo candida veste amicta deduxerat. Huc ego redire, hoc spectaculo iterū frui expectabam. Obstupuit ad hæc pater, & eximiam puellæ erga Deiparam religionem animo reputans, sensit eam Beatæ Virgini esse cordi, vtique cum Dei mater illam ad se à primis annis inusitata quadam ratione pelliceret. Igitur pietatem filiæ fouere non destitit, remque omnem nec ipse tacuit, & Alexandra vbi adoleuit, piis hominibus sæpe narrauit. Nec frustra hæc fuerunt. Alexandra enim hoc tyrocinio imbuta virginitatem perpetuo coluit, vitamque sanctissime egit ad annum nonagesimum, Lauretanam Virginem quotannis reuisens. Tanta porro fuit Sanctimoniæ fama, vt in oppido Montalbodo Virginum Cœnobio Antistita data sit, vbi miraculis etiam, non tantum virtutibus floruit. *Thursellinus Lauretanæ histor. lib. 2. cap. 13.*

ANNO CHRISTI M. D. XII.

IVLII PAPAE II.

ANNO 9. ET 10.

MAXIMILIANI ROM. REGIS

ANNO 27.

I. *Prodigia in Italia.*

VLtis interea prodigiis perterrefacta Italia trepidabat. Mutinæ ad Diui Francisci Cœnobium in aëre faces noctu ardere sunt visæ, interdiuque in eodem loco effigies humanæ strictis ensibus cominus adstare, & sese inuicem confodere. Cremæ Mediolanensi municipio, die medio tam densæ nubes cœlum obtexerunt, & tenebræ secutæ sunt adeo atræ, vt obscuriores nemo meminisset. Insolito fragore fremebant nubila, fulgure deinde terribili lumine micantia diem ablatum in hunc vsum reducebant, vt igneo colore cuncta rutilantia, simaginem mundi quondam arsuri ostentarent. Commixti pluuiis lapides immodici ponderis, immanique mole cadebant. *Gomecius in Ximenio lib. 5.* Mediolani, die sereno ac splendido stellæ mirum in modum micantes in cœlo visæ sunt. Rauennæ natum monstrum, scil. infans cornu in capite habens, alis præditus, absque brachiis, vnico tantū ad Aquilæ speciem pede, oculo in genu; ambiguo inter marem & fœminam sexu; in medio pectore Ypsilon Græcum, & crucis figuram præ se ferens. Quod plerique sic interpretatum fuisse ferunt, vt cornu superbia; alis leuitas & inconstantia mentis significaretur. Cum vero brachia deessent, bonis operibus carere homines: pedem, quemadmodum rapaces aues habent, rapinas, vsuram, & ingentem auaritiam; oculum in genu, ad hæc solum caduca defixum animum; Sexum vtrumque nefariam libidinem indicare; atque ob hæc scelera tot bellorum procellis Italiam quatiendam: Gallorum autem Regem non propriis id exequuturum viribus, sed quod DEI administer esset: Ypsilon enim virtutis figura est. Caterum si homines confugerent ad virtutem, CHRISTÍque crucem, futurum vt nobilis prouincia ab illis calamitatibus quietem exitumque reperiret. *Marcellus Palonius Romanus in Carmine de bello Rauennate.* Per eos quoque ipsos dies Rauennæ CHRISTI DEI Crucifixi lignum simulachrum, quod in æde Sancti Dominici in sacello iuxta aram maximam est, sanguinem affluenter sudauit, cuius rei locupletissimi atque certissimi testes adfuerunt. *Rubeus histor. Rauenn. libr. 8.* Portendebant calamitates, quibus Italia affligeretur, resque Pontificia prope in discrimen adduceretur. Enimuero hoc anno, contra IVLIVM Pontificem confœderati, maxima detrimenta Apostolicæ Sedi intulerunt. Inprimis Alfonsius Atestinus Ferrariensium Dux, Bastiam eripuit: Fosseius Gallicarum copiarum Imperator, Pontificios ab obsidione Bononiæ repulit, & Brixiam Bergomumque Venetis ademit. Inde Cento, Plebe, & compluribus Bononiensis agri castellis occupatis, ad reliqua Pontificiæ ditionis castra & oppida rapienda, Regis Galli iussu adproperauit. Multi casus grauissimi, ad noua consilia impellere videbantur Ludouicum Regem. Iam ab Henrico Angliæ Rege bellum manifestum apparere incipiebat. Nam quamuis Rex ille prius apertis verbis negasset, postea dubiis dissimulasset, tamen longe diuersa facta iam tegi non poterant. Roma enim ad initi fœderis confirmationem diploma tandem allatum audiebatur. In Anglia copias nauigiaque comparari, & in Hispania naues quæ in Angliam transirent: omnium populorum animos ad bellum Galliæ inferendum accensos esse sciebatur: & opportune Pontificia nauis longa Falerno, caseis, suminibusque omnsta aduen erat, quæ ipsius nomine, ei Regi, & multis principibus Antistitibusque donata, ab omnibus miro plausu accipiebantur: & plebs ad eam nauem visendam summa cum lætitia accurrebat. Nam antea numquam in ea insula nauim vllam cum Pontificiis vexillis conspectam gloriabantur. Denique cum Moraviæ Scotorum Episcopus, qui inter Pontificem & Galliæ Regem de pace egerat, siue conscientia, siue purpurei galeri desiderio motus, in quodam totius Angliæ Concilio, admodum benevole cum ampla Pontificiæ æquitatis testificatione retulisset, Antistites regni nomine ad Lateranense Concilium mittendos esse in Senatu constitutum fuit: & Rex, Pontificiis legatis postulantibus, Galliæ Regis Oratorem abire iussit. Neque enim decere, apud Regem, & in regno Ecclesiæ addictissimo, conspici cum qui Regis illius personam gereret, qui tam aperte sacrosanctam Sedem oppugnaret. Iamque occulta consilia erumpebant, quibus erat constitutum, vt Rex Angliæ maritimo apparatu, Normaniæ Britanniæque citerioris littora infestaret, & octo millia peditum in Hispaniam mitteret, vt cum Aragoniæ Rege coniunctis armis bellum in Aquitania moueretur: quæ suspicio Galliæ Regem mirum in modum torquebat. Nam cum veterum bellorum memoria Anglicum nomen suis formidabile esset, Hispaniæ virium accessione periculum maius reddi cognoscebat; & tanto magis, quod præter ducentos cataphractos adderet; quam spem in tantis periculis, in hominibus imperitis, & militiæ tyronibus collocare posset? Accedebat indies crescens de Cæsaris alienatione suspicio: quoniam Andreas Burgius ingenti desiderio expectatus redierat. qui quamuis Cæsarem ad fœdus conferundum, in eoque permanendum propensum referret; tamen vt ipsi videbatur duras admodum leges variis permixtas querelis proponebat. Nam quæ ex Cameracensi fœdere ad se spectarent, restitutum iri, cautionem postulabat: neq; cum & ab initio, & post semper Pataūium suo imperio adiici Regi molestum esse, libentique animo singulis annis ducenta ducatorum millia, dummodo ipse cui quinquaginta millia insumere grauius esset, consumeretur, atque in continuis molestiis detineretur, exposuisse perspexerit, solis promissis iam fidem habere posse: superiore anno, Triultium, quod & animo, & rei militaris peritia, ad bellum cito conficiendum aptus esset, sibi denegasse: Regis secundam filiam biennio minorem, Burgundiæ dotis nomine tradita, nepoti suo despondi, statimque filiam ipsam tradi; Res Bononienses, Ferrarienses, atque Conciliabuli Pisani, suo iudicio postulabat: & Gallicum exercitum Romam versus contendere verabat; seque Regis in Italia Imperium vlla ex parte augeri non passurum attestabatur. Quas Ludouico grauissimas & pene intolerabiles leges, longe grauiores reddebat, quod tot tantisque rebus concessis, ipsum vel ex occasione, vel ex consuetudine sua non muturum, sibi certo promittere non posset; imo petitionum grauitas, illum iam animo à Galliæ Rege alienatum, aliquo colore sui declarandi occasionem quærere apertum indicium faciebat: cum præcipue non modo in verbis, sed etiam in factis multa alienati animi signa animadverterentur. quia neque cum Burgio, procuratores totiens Conciliabulo Pisano promissi venerant; & Antistitum Germanorum Augustæ habitus conuentus, tandem publico decreto Pisanum Conciliabulum seditiosum ac detestandum esse responderat: hoc in speciem addito moderamine, si pro cōtraria

Ferrarien. Dux cum Gallis Pontif. vrbes inuadit.

Anglus contra Gallū bellare statuit.

parte validiora adducerentur argumenta, sententiam mutare paratos esse: & tamen quo tempore maxime Regi vires suas colligere opus fuisset, ducentos cataphractos, & tria peditum millia ad Veronæ præsidium, & mille ad Lineaci custodiam alere tenebatur. Angebat præterea vehementer Regis animum, Heluetiorum metus. Nam etsi Ambianorum præfectum ad eorum comitia mittendi potestatem habuisset, cui ad quamuis pecuniæ summam, dum eos ad suam amicitiam pertraheret impendendam paratus amplissima mandata dederat; tamen ardentissimo plebis odio, validisque Cardinalis Sedunensis suasionibus, eorum qui singulis comitiis consilia illi contraria sequi prohibuerant authoritate superata, ipsos sex peditum millia ad fœderatorum Pontificis, Aragonii, Angli, & Venetorum stipendia missuros audiebatur; quos illi, vt Germanorum disciplinâ & robore præstantibus copiis opponerent, petebant. Rex insuper se à concordiæ spe penitus excluſum conspiciebat: de qua etsi in ipso bellorum ardore, Cardinalis Nannetensis & Strigoniensis, Vngarici Regni potentissimus Antistes numquam agere desiissent; quia summus Pontifex postremo respondérat, si attentius quam ante audiri vellent, Pisanum Conciliabulum aboleri, Pontificio Imperio Bononiam Ferrariamq; vrbes suas restitui procurarent. nec minore factis asperitate ostensa, denuo multos Gallos Antistites, qui ei Conciliabulo interfuissent, suis dignitatibus priuauerat; & Philippum Decium Iurisconsultũ quia pro Conciliabulo scripserat ac disseruerat, & Cardinales vt quæ ex præscriptis Iurisperitorum essent agenda dirigeret, sequebatur, condemnauerat. nec in difficultatibus & periculis quæ ex tot locis ostendebantur, Rex in vlla Italiæ parte, vbi firmum ac certum pedem figeret habebat. Nam Ferraria & Bononia fuerant & erant ei sumptuosæ ac molestæ; & à Florentinis apud quos, vt vna secum bellum in Flaminia mouerent denuo agebat, nihil nisi communia responsa elicere poterat: imo de illorum animis nonnihil suspicabatur. quoniam Florentiæ semper hærebat Pro-Regis Neapolitani Legatus; & multo magis quia ad Catholicum Regem Oratorẽ miserant: quodq; non iam vt solebant res suas secum communicarent: maxime vero quia cum nulla petita pecunia, aliaue graui re fœdus quod intra paucos menses terminabatur, prorogari postulasset, illi vt ad eas conditiones quæ illo tempore commodiores ipsis viderentur, arripere in ipsorum potestate esset, rem protrahebant, quam propensionem Pontifex vt augeret, neue nimia asperitate ad Galliæ Regis fortunam armis sequendam eos impelleret, neminne publico nomine id postulante, dirarum decretum indulsit, & Ioannem Gozzadinum Bononiensem, ex Pontificii cubiculi clericis vnum, cum humanissimis mandatis internuncium suum Florentiã misit, suspicionem de se conceptam mitigare conatus. Rex itaq; cum se solum aduersus tot vel iam apertos hostes, vel futuros conspiceret, nec si eodem tempore molestiæ incumberent, nisi difficillime, se sustinere posse animaduerteret, Fosseium, quanta posset maxima celeritate in Pontificios exercitum ducere iussit, de quibus quod imbecilliores censerentur, victoriam sibi pollicebatur: qua parta, nulla habita ratione Romam & Pontificem inuadéret; quod si feliciter succederet, se tot periculis liberatum existimabat. Et vt hæc res ad leuandam inuidiam, & causam suam æquiorem ostendendam Conciliabuli Pisani nomine gereretur, à quo legatus aliquis deceneretur, qui cum exercitu esset, & capta oppida nomine eiusdem Conciliabuli reciperet. Fosseius igitur Brixia profectus, ad Finale venit; vbi per aliquot dies commeatum qui ex Insubria vehebatur acciperet, & ad omnes quas Rex in Italia habebat, præter eas quæ in necessariis locorum præsidiis erant, copias colligendas, pluuiis etiam ac tempestatibus impeditus moratus esset, ad San Georgium in agrũ Bononiensem venit: quem ad locum venerunt ad eum recenter ex Gallia mille Vascones pedites, mille voluntarii, & mille Belgæ delecti pedites, alii præterea magni nominis Galli; ita vt omnes simul collecti vero numero essent cum illo quinq; millia Germanorum peditum, totidem Vasconum, & octo millia partim Italorum, partim Francorum, & mille sexcenti cataphracti: Ad has copias Ferrariensis cum centum grauis, ducentis leuis armaturæ equitibus, cumque optimorum tormentorum copioso apparatu accedere debebat, quia Foisseius, difficultate à suis terrestri itinere vehendis impeditus, ea ad Finale reliquerat. Veniebat quoque ad exercitum Cardinalis Sanseuerinas à Conciliabulo Pisano Bononiæ legatus constitutus, homo ferox, magisq; ad arma, quam ad sacra tractanda propensus: vtpote ingenti corpore, vastoq; animo, à capite ad pedes splendidissimis armis tectus, multo magis ducis quam Sacerdotis speciem præferens. Ad primũ exercitus in Bononiensi agro progressum, Lucum, Bagnacaullum, Catignola, Solariolũ, Granariolum & circumvicina oppida Gallis sese dediderunt. Inter hæc Foisseius noua à Rege præmia accelerandi, iisdem de causis quæ ad primum mandatum impulerant auctis, mandata accepit. Nam cũ Veneti, quamuis Brixiensi infortunio debilitati, & prius precibus, deinde etiam attestationibus & minis Pontificis atque Aragoniæ Regis coacti, nisi Vicentia ipsorum imperio permitteretur, pacem cum Cæsare obstinate recusassent, tandẽ coram Pontifice octo mensium inducias cum eo fecerunt, ea lege, vt quod quisq; possideret, id teneret, & quinquaginta Rhenensium aurcorum millia Cæsari numerarent. Quocirca cum iam Rex de illius alienatione non dubitaret, fuit eodẽ tempore de transalpino bello certior factus: quoniam Hieronymus Cabauillius Aragoniæ Regis apud ipsum Orator, cum coram Senatu cum alloquendi facultatem postulasset, se à Rege suo discedendi mandatum accepisse significauerat: & vt à Bononiæ tyrannis contra sacram Sedem protegendis abstineret, neue ob tam iniustam causam, tam grauem, tamque reipublicæ Christianæ vtilem pacem turbaret, hortatus fuerat. Quod si Rex ex Bononiæ restitutione aliquot detrimẽtum metueret, omnibus modis quibus ipsemet optaret, ei cauere pollicebatur. Ad extremum subiiciebat, se, vt omnes Christiani Principes deberent, Ecclesiæ Romanæ & Summi Pontificis defensioni deesse non posse. Mandatis Regiis, Fosseius magis excitatus, milites ad pugnam excitauit quoque: vel eo maxime, quod Romam vrbem, & curiam Christianorum toto orbe, vt concionabatur, spoliis superbam, auro, argento, gemmis, veste, & omni re pretiosa ad miraculum vsq; diuitem; & post huius expugnationem Neapolim quoque in prædam proponeret, si Rauenna modo potirentur. Tertio Idus Aprilis, qui dies ob Christi resurrectionem maxime solennis fuit, dimicatum. Victoria penes Gallos stetit, sed non incruenta. Fosseius ipse à globo Pontificiorum circumuentus, hasta militari confossus occubuit. Penes Fosseium, humi viginti vulneribus itẽ confossus, eius patruelis Odettus Lautrecus, pro mortuo remansit, qui post Ferrariam perductus, diligenti cura medicorum seruatus est. Germani fere omnes, & nobilissimi quiq; omnes ex Gallico exercitu occisi, præter Ferrariensem Paliciumque. Occubuere eo prælio cruentissimo ad Rauennam commisso, cum esset vtrinque pari fere clade vltra sex horas pugnatum, circiter quindecim hominũ millia: supra quadraginta, maiorum minorumq; Ducum cadauera reperta: adeo vt Ægidius Viterbiensis scripserit; terram hoc bello plus cruoris hausisse quam imbris, minus imbris bibisse quam sanguinis. Ex Pontificiis tria mille equites, ad hæc pedites Hispani supra quatuor millia qui euaserant, in fugæ periculum adiere. Multi ex eis spoliati, multi cæsi: quoniam agrestes homines omnes vias percurrebant; & Vrbinatium Dux, qui contra Pontificem patruum cum Gallorum Rege conspirauerat, non modo regionis homines in fugientes concitauerat, sed etiam milites qui in Pisaurensi agro idem facerent miserat. Ex Pontificiis & Hispanis capti, Fabritius Columna, Traiecti Dux, Populi Comes, Rodericus Diacius Ceron, Alfonsus Caruaialius, Antonius Leiua, Ferdinandus Valdesius, Iulius Mediceus miles Hospitalarius, Ioannes Cardonius, Ferdinandus Alarconius, Marchiones Atelæ atque Bitonti, alii præterea quorum inire numerum lõgum esset. Ioannes quoque Cardinalis Medices Legatus, cũ iuxta illum plures vulnerati cecidissent, neq; tamen ipse turpi fuga saluti suæ consulere voluisset, animabusq; eorum qui moriebantur Deo commendandis, precibusque & piis verbis iuuandis optimi Legati munere perfungeretur, à duobus Epyrotis captus, & à Friderico Gonzaga, cognomento Bozolio ereptus, Sanseuerinati Cardinali Pisani Conciliabuli Legato traditus est. Victore exercitu in sua castra reuerso, Rauennates statim ad deditionem faciendam legatos ad Sanseuerinatem miserunt. Sed seu dum pacisc̃untur, seu iam pacti commeatum qui in castra mitteretur instruunt, mœnium

Fosseius in Pontificios exercitum ducit, moritur.

Galli Pontificios cadunt.

custodien-

custodiendorum diligentia intermissa, Germanorum reliqui & Vascones per muri ruinam vrbem ingressi, præter naturale in Italicum nomen odium, cladis quoque in pugna acceptæ indignatione, ad maiorem crudelitatem incitati crudelissime vastarunt. Ferrariensis etiam vna cum Vasconibus, maximam partem, nouæ semper cladis spectaculo, ignobiliq; direptione vrbem fœdabant; cum Galli, nobilesque præsertim, pudicitiæ mulierum conseruandæ, ipsisque sacris virginibus tutandis diligenter & enixe operam darent; quod multis locis factum est, eorumque iussu ac præsidio à sacris plerisque domibus temperatum. Non potuit tamen improba gregariorum militum rabies religione prohiberi, quin Montem Pietatis appellatum, multis bonis ad vsum egentiũ vndique conquisitis ornatum spoliarent, sacrisque ædibus vim inferrent. Inter cætera autem, testudinem ex optimo argento in Vrsiana æde, quæ in medio inferioris chori sita erat, à Victore Archiepiscopo erecta, quatuorque nobilissimis columnis suffulta, bracteatoque argento limbis operose exornata, ita vt ad triginta sex aureorum nummũ millia sumptus accessisset, Vascones deprædati sunt. quorum etiam vnus arcam, argento figuris atque variis imaginibus egregie sculpto incrustatam, in qua Rauennatum aliquot Archiepiscoporum, & aliorum virorum Sanctorum ossa seruabantur inclusa, deiectis in terram sacris ossibus deprædatus, ingenti miraculo pœnas nequaquam feras luit. Nam vix portam Vrsianæ ædis maiorem egressus aliquantum ad læuam processerat, cum ex eadem natione occurrens alius, siue veteris simultatis causa, siue occulto diuino consilio, cum in capite vulneratum trucidauit. Alius item miles Germanus sacram hostiam ex vasculo proiecit in terram; quam Petrus Ioannes Rubeus Carmelitanus excepit, & ad Alfonsi Ferrariæ Ducis hospitium detulit. In ea vrbis direptione, cum nihil secretum, nihil clausum esset, tam fœda erat imago, vt Hispani militis inuidiosa antea petulantia desideraretur. Ne templorum quidem thesauris, aut monasteriis pepercere. Gallici Scriptores Iaquinum centurionem eius væcordiæ auctorem extitisse accusant: qui ex spoliis Brixiæ sacris, auro intertexta veste superbus, simili compendio ductus, quod capitale extitit militibus suasit, vt par impietatis exemplum Rauennæ etiam constituerent. Rex Gallus pugnæ cuentu nunciato; *Vtinam*, inquit, *Italia vniuerse iactura mei Nauurssi vitam redimerem. Similes victoriæ inimicis contingant. De iis enim scite dicitur; Quivictus est, superatur quidem, sed victoris tamen ruina.* Quarto post captam vrbem, direptamque die, M. Antonius Columna, Citadella in quam confugerat rebus & hominibus saluis tradita, abire permissus; ea tamen lege, vt nec ipse, nec qui cum eo erant duces, ante proximum MARIÆ MAGDALENÆ sacrum, nec in Regem Galliæ, nec in Concilium Pisanum arma sumerent: & paulo post Vitellius Episcopus, cum centum quinquaginta peditibus arci præpositus, eadem illi facultate concessa deditionem fecit. Victoriæ fortunam omnes vrbes, Imola, Forumliuii, Cesena, Ariminum, omnesque Galliæ togatæ arces, præter Imolensem & Foroliuiensem secutæ sunt; quæ omnes à Legato Conciliabuli Pisani nomine acceptæ fuere. At Gallicus exercitus, Foissei morte, tantaque clade accepta veluti attonitus, quatuor prope Rauennam milliaribus ociosus morabatur: & Sanseuerinas legatus atque Palicia, ad quos, quia ALFONSVS Estensis iam Ferrariam redierat, imperium delatum erat, de Regis voluntate incerti, eius mandata expectabant: cum neque apud milites tantæ autoritatis essent, quæad exercitum, direptis rebus partiendis, vel in tuta loca mittendis implicatum mouendum esset idonea: & victoria tanto sanguine parta, ita viribus & animo deiecti, vt victis quam victoribus similiores essent. Quare omnes milites quærelis & lacrymis Foissei nomen implorabant; quem nulla re impediti, vel territi quocumque terrarum secuti essent. Nec dubitabatur, quin ille ferocitatis suæ impetu, & promissis vt ferebatur à Rege factis, sibi Regnum Neapolitanum occuparet, statim post victoriam consueta celeritate Romam cursu petiturus fuisset, & Pontificem cum cæteris nulla alia salutis spe relicta, præcipites fugæ se daturos.

Decima tertia Aprilis die, Romam de pugna, ab Octauiano Fregosio, qui mutatis equis à Forosempronii adnolauit, nunciatum: quæ res ingenti totius Curiæ metu ac tumultu accepta fuit. Quamobrem Cardinales statim ad Pontificem accurrentes, summis precibus instabant, vt accepta pace, quam à Rege Galliæ satis honestam impetrari posse non dubitabant, tandem Sacrosanctam Sedem, seque a tantis periculis liberaret: satis pro Romanæ Ecclesiæ maiestate, proque Italiæ libertate laborasse, magnamque gloriam isto suo sancto proposito comparasse: in tam pio munere, diutinum numen, quemadmodum tot signis ostensum fuerat (Bononiam dum Pontificii ad Castillioncam portam, vbi intra murum exiguum sacellum est Baracanum appellatum Diuæ Virgini Deiparenti dicatum oppugnarent, cuniculi impetus strepitu ingenti edito sacellum integrum adeo in altum sustulit, vt per illud spatium quod inter solum murumque sublatum relinquebatur, ab iis qui foris erant, interior ciuitas, militesque ad propugnandum parati aperte conspecti fuerint: ac illico subsidens integer murus, in eundem locum vnde ignis impetu diuulsus fuerat, recidit, itaque coagmentatus iterum est, ac si numquam motus fuisset, ciuitatemque ab ea parte non amplius posse inuadi indicauit, diuino numine illam protegente) ei aduersum extitisse; cui qui se opponere vellet, eum nihil aliud facere, quam Ecclesiam vniuersam in extremam ruinam conijcere: ad DEVM magis quam ad ipsum sponsæ suæ curam spectare; idcirco DEI voluntati omnia committeret, atque ex Euangelii præcepto pace in amplexus, suam senectutem, Ecclesiæ statum, atque aulam suam vniuersam, quæ nihil aliud quam pacem exoptaret, aut inclamaret, tot molestiis tandem liberaret: victores iam Romam versus mouisse credibile esse, quibus ipsius nepos Dux Vrbini coniunctus foret: adiuncturos se pariter Pompeium Columnam Reatinum Episcopum, Robertum Vrsinum, Antimum Sabellum, Petrum Marganum, & Rentium Mancinum, qui iam ante prælium à Rege Galliæ pecunia accepta, parati erant Romam infestare, atque Pontificem eiicere: quibus periculis quodnam aliud remedium superesse, quam pacem? Ab altera parte Aragoniæ Regis & Veneti Senatus Legati, in contrarium vehementer nitebantur; res non adeo afflictas, nec ita ad extremum redactas persuadere satagentes, quin breuissimo tempore, ac non graui sumptu reparari possent. Illud certo constare, Pro Regem cum maxima equitatus parte euasisse; Hispanicum peditatum simul collectum, integris ordinibus è pugna abiuisse; qui si, vt verisimile erat, incolumes essent, omnem aliam iacturam parui esse momenti: nec Gallos tam cito Romam venire posse, vt tempus ad se comparandum non haberet esse metuendum: propterea quod cum FOSSEII morte multas perturbationes, multaque mala coniuncta esse oporteret. Heluetiorum præterea metum illos suspensos habituros, quos pro fœdere aperte facturos, & in Insubriam descensuros non esse amplius dubitandum: neque pacem à Gallis Rege nisi iniquissimis atque infamia plenis sperari posse: atque etiam à BERNARDINI Caruaialis superbia, & Federici Sanseuerinatis insolentia leges accipiendas fore: Ideo reliqua omnia magis probanda, quam tanta indignitate, tantaque cum infamia in acerbissimam infidissimamque seruitutem se coniicere: seditiosos illos nunquam ipsius dignitatem & vitam persequi desituros: malorum illud minimum esse, si secus fieri non posset, Romam deserere, & cum tota Curia, aut in regnum Neapolitanum, aut Venetias se transferre, vbi eadem cum securitate, eodem honore, eadem magnitudine versaretur: Neque enim Romanæ vrbis iactura Pontificatum semper quouis loco Pontificis personæ annexum amitti; retineret modo consuetam constantiam, animique altitudinem: Deum Optimum Maximum qui mentes hominum perspicit, ipsius sanctissimæ menti non esse defuturum; nec Petri naiculã marinis fluctibus vexari, sed numquã submergi assuetã desertorũ: Christianos præterea Principes religionis amore, & nimiæ Regis Gallorũ potentiæ timore cõcitatos, totis viribus & propriis corporibus ipsius defensionem suscepturos. Hæc Pontifex summa ambiguitate atq; animi suspensione audiebat; atq; ita vt in eo hinc indignationem & constantiam vinci flectiue minime assuetam, illinc periculum & metum conflictari facile animaduerterent; & ex responsis legatis

Rauenna à Gallis expugnatur.

Gallorũ victoriam metuit.

II. Roma ab

datis

datis non tam illi Romam deferre, quam in nullum locum, vbi in aliorum non esset potestate, se non posse transferre, molestum esse, perspiciebatur. Idcirco Cardinalibus se pacẽ velle respondebat, Florentinos vt apud Galliæ Regem de pace agerent appellari assensus: nec tamen eo modo, vel ita apertis verbis, quæ animi sui plenam fidem facerent, respondebat: à ciuitate veteri Biasciam Genuensem classis suæ præfectum accersierat: ex quo illum Roma discedere in animo habere interpretabantur; & paulo post eundem remiserat: de Romanorum proceribus qui cum aliis non conspirassent stipendio conducendis agebat: duorum legatorum cohortationes libenter audiebat, sed ita vt plerumque verbis asperioribus & indignatione plenis responderet. Interea venit Iulius Medices Eques Rhodius, qui post Pontifex fuit, quem Cardinalis Mediceus à Sanseuerinati Cardinale accepta facultate, sui in tanta calamitate commendandi specie, re autẽ vera vt rerum statũ edoceret, ex castris mittebat: à quo quod non amplius mille & quingenti ex Ecclesiasticis copiis desiderati, & quam Galli debilitati essent penitus edoctus, quot ducibus orbati, quot fortes viros amisissent, quot per multos dies vulneribus acceptis inutiles essent futuri, innumeros equos occisos, partem exercitus in varia loca Rauennensis prædæ causẽ dissipatam: duces dubios & de Regia voluntate incertos, neq; admodum inter se concordes, quod Palicia, Sanseuerinatis, qui & Legati, & ducis munere fungi volebat, insolentiam ferre recusaret; obscuras de Heluetiorum aducẽtu voces audiri; neque illum exercitum se cito moturum aliquo signo perspici; Qua re Pontifex magnopere confirmatus, illum in Cardinalium Senatum introductum eadem coram Purpuratis exponere iussit. Huc accessit, quod Vrbini dux, quæcum que illum causa impulerit, mutato consilio, ducentos grauis armaturæ equites, & quater mille pedites ei oblatum misit. Cardinales nihilominus in eo ad pacem cohortando persistebant; à qua etsi verbis non se alienum ostẽderet, eam tamen nisi velut extremũ remedium accipere decreuerat; imo etiamsi præsenti malo præsens medicina non ostẽderetur, Roma profugere, modo nec causam suam Principum armis defensum iri prorsus esset desperandum, ac præsertim si Heluetii mouerentur malebat: qui vt ad se ad eius nutum paratos esse ostenderent, aliquot dies ante Galliæ Regis legatos, ad eum locum, ad quem vt de Pontificis postulatis deliberarent, singularum ciuitatum legati conueniebant, ire vetuerant. In hoc rerum statu aliqua spes pacis affulsit; quoniam Rex Galliæ antequam prælium committeretur, tot periculis quæ ex tot partibus imminebant admonitus, & Cæsaris varietate legibusq; duris quas proponebat commotus, ideoque tandem in multis potius Pontificis voluntati cedere, Fabricium Carrectum Cardinalis Finariensis fratrem, clam ad Nannetensem & Strigoniensem Cardinales, qui pacis colloquia nunquam penitus abiecerant, miserat; proponens vt Bononia Pontifici restitueretur; Alfonsus Atestinus, Lucũ & reliqua omnia oppida quæ in Æmilia possidebat traderet; antiquo se censui obstringeret, nec sal amplius in eius oppidis fieret; Conciliabulum extingueretur assensurum: se vicissim nihil à Pontifice præter pacem poscere; Alfonsus censuris eximeretur, & in pristinã iura ac priuilegia postliminio rediret; Bentiuolis qui exules essent, propria bona conseruarentur; Cardinalibus atq; Antistitibus qui Conciliabulo adhæsissent, dignitates restituerentur. quæ capita quamuis duo Cardinales metuerent, ne parta victoria à Rege rata haberentur, aliter proponere non sunt ausi: nec Pontifex cum sibi tã decora essent, nec dum occultum illud consilium quod in animo gerebat patefacere vellet, ea recusari à Rege posse censuit: imo fortasse vtilius esse his colloquiis Regia arma suspẽdere, vt plus temporis ad eorum in quibus reliquas spes suas collocauerat, progressus perspiciendos haberet. Quare cunctis Cardinalibus idem vrgentibus, nono post pugnam die his capitibus subscripsit, fide Cardinalibus, se, si Rex confirmaret ea accepturum obstricta: & ad Finariensem Cardinalem qui in Gallia, sed remotus ab aula ne Pontificem læderet, degebat, & ad Tiburtinum Episcopum, qui Auenione Legati locum obtinebat, literis mandauit, ad Regem se de hisce rebus transferrent; sed neque mandatum, nec conficiendi facultatem misit. Hucusque progressum habuere Pontificis mala, & ad hunc vsque diem ipsius calamitatum cumulus peruenit: sed ab eo die semper ei maiores spes affulsere, & fortuna absque vllo fræno ad illius magnitudinem conuerti cœpit. Huic tantæ mutationi Paliciæ ex Æmilia discessus intium dedit; qui à Normaniæ Quæstore, ob Helueti orũ aduentus crescentem rumorem reuocatus, trecentis cataphractis, totidem leuis armaturæ equitibus, & sex millibus peditum, cum octo magnis curulibus tormentis, sub Conciliabuli Legati imperio in Æmilia relictis, Mediolanum versus cũ reliquis copiis contendit. Helueti orum aduentus metũ augebat, quod idem Normaniæ Quæstor, potius Regis gratiã promereri, quam vtilitatem procurare cupiens, contra quam res præsentes postulabant, statim parta victoria, Italos pedites, & partem Gallorum imprudenter dimiserat. Paliciæ discessus, Pontificem eo metu quo magis premebatur liberauit, in constantia confirmauit, & Romanas res confirmandi facultatem dedit. Propter quas aliquot nobilitatis principes, cum trecentis grauis armaturæ equitibus conduxerat; & Prosperum Columnam omnibus copiis suis præficere meditabatur. quoniam eorum qui res nouas moliebantur animis fractis, Pompeius Columna qui se Montefortini cõparabat, Prospero deprecante, ad Pontificis cautionem pecunia quam à Rege acceperat retenta, Montefortinũ in M. Antonii Columnæ potestatem daturum recepit. Quod exemplum & Rubertus Vrsinus, qui ante Pitiliano in Columniorum loca vt arma moueret venerat, eodem modo Regia pecunia retẽta, paulo post Iulii Vrsini opera, Rhegii in Calabria Archiepiscopatu transitionis præmio à Pontifice accepto, secutus est. Vnum Petrum Marganum acceptam pecuniam retinere puduit, honestiore feliciore q consilio; quoniam nõ multo post, ab istius Regis successore in bello captus debito supplicio fraudis pœnas dedisset. His rebus Pontificis animo admodum confirmato, externorum domesticorumque hostium præsenti timore sublato, tertia Maii solenni ritu in Basilica Lateranensi Consilium auspicatus est, iam certus non modo maximam Italiæ partem, sed & Hispaniam, Angliam, & Vngariam conuenturas: cuius auspiciis ipsemet Pontificio ornatu, Cardinalium Collegio, & magna Episcoporum multitudine comitante non solum interfuit, sed etiam præfuit: vbi præter multas alias preces, ex antiquo more Spiritui Sancto peractis sacris, & patribus publica oratione, vt toto corde publicum bonum, & Christianæ religionis dignitatem tueri ac promouere curarent cohortatis, vt cæterarum rerum quæ inposterum statuendæ essent fundamenta iacerentur, Concilium id verum, Oecumenicum, legitimum & sanctum, in eoque proculdubio vniuersæ Ecclesiæ omnem authoritatem potestatemq; positam esse, promulgatum fuit. At Rex Galliæ, quamuis Foisseii sibi longe charissimi interitus, victoriæ lætitiam nonnihil perturbasset, tamen statim Sanseuerinatem Conciliabuli Legatum & Paliciam exercitum Romã ducere imperauit: tandem primo ardore remisso, toto animo ad pacis desiderium redire cœpit: quod nimis grauem tempestatem, & nimis ex multis partibus rebus suis imminere iudicaret. Nam etsi Cæsar se in fœdere permansurum promittere non desineret, & inducias cum Venetis suo nomine pactas, absque suo cõsensu fuisse, nec se eas probaturum assereret; nihilominus Rex, præter illius inconstantiæ metum, tum quod has res simulata mente dici suspicabatur, ob leges quas proponebat, socium in bello grauem, & in pace detrimentosum habere videbatur. Illius enim interuentu se ad indigniores leges admittendas adactum iri metuebat: ac præterea quin Helueti cum hostibus essent facturi iam nihil dubitabat, & ab Angliæ Rege certum bellum expectabat: quoniam Rex ille fecialem, qui omnia fœdera rupta esse denunciaret, miserat; quod in omnibus, ne cum Ecclesia, aut Catholico Rege socero suo bellum gereret, contineretur. Itaque Rex summa voluptate, Florentinos vt de pace agerent interpellatos fuisse cognito, statim Gratianopolitanum Præsidẽ cum amplissimis mandatis, vt ex propinquiore loco ageret, &, si ita res ferret, Romam ire posset, Florentiam misit: deinde ex capitum subscriptione, maiore, vt videbatur, Pontificis propensione cognita, penitus ad pacem inclinauit: quamuis metueret ne exercitus discessu ad consuetam sententiam rediret, Paliciam qui iam Parmã peruenerat, cum copiarum parte in Flaminiam redire, & vlterius progredi velle rumores spargere iusserit. Bononiam cõcedere, non tam Cæsarianorũ

Gallie Rex de pace cũ Cardinalibus clam agit.

contrariis suspicionibus suasionibusq; quam quod etiã pace inita, eundem in se Pontificis animum futurum metuebat, graue illi videbatur. Et ideo Bononia tamquam Mediolanensis Imperii propugnaculo priuari, sibi periculosum esse. Præterea cum Finariensis Cardinalis, & Tiburtinus Episcopus sine mandato venissent, verisimile putabat, Pontificem tunc, velut tot angustiis periculisque circumuallatum, simulate consensisse. Tamen eas leges accipere tandem decreuit, cum nonnullis adiunctionibus, quas tamen tales non videri volebat, vt præcipua capita turbarent, cum quo responso is qui Tiburtino Episcopo ab epistolis erat Romam contendit, Regis nomine à Pontifice petens, vt vel Episcopo & Cardinali transigendi potestatem mitteret, vel Gratianopolitanum Præsidem qui eius rei amplissimam potestatem habebat, Florentia aduocaret. Angliæ Regis mandatum allatum erat, quo iam Nouembri mense confecto, Eboracensi Cardinali fœderis potestatem dabat, propter longum maris circuitum (ante enim in Hispania fuerat) tamdiu immoratum: & Cæsar demum post longas dubitationes, inducias, cum Venetis approbauerat, Mediolanensis Imperii ac Burgundiæ obtinendæ à Catholico & Angliæ Regibus spe facta, accensus Pontificis quoque spem Aragoniæ Regis promissa non mediocriter confirmarunt, qui de pugnæ successu primum Galliæ Regis literis ad Reginam scriptis, quibus Gastonem Foisseium fratrem suum cum summa gloria in victoria aduersus hostes cecidisse significabat, certior factus, deinde fusius suorummet nunciis, qui ob maris difficultatem sero adferebantur, cum Neapolitanum regnum in graui periculo versari censeret, Magnum Consaluum, cum nouarum copiarum supplemento in Italiam mittere statuerat. ad hunc enim aliorum inopia confugiebat. Nam etsi illum specie in honore haberet, ob res in regno Neapolitano feliciter gestas parum illi gratus, & propter potentiam authoritatemque suspectus erat. Itaque cum Tiburtini Episcopi ab epistolis ministeri ad Pontificem tot rebus confirmatum, cum pacis legibus peruenisset, etiam exceptiones à Rege ad Bononiæ tutelæ desertæ infamiam moderandam additas, ipsius voluntati permissum iri spe ostentata, cum penitus abnuere decreuisset, capita in Purpuratorum Senatu, vt consilium & assensum peteret legi iussit. post quæ verba Cardinalis Arborensis Hispanus, & Eboracensis, alter Aragoniæ, alter Angliæ Regis nomine locutus, Pontificem vt in constantia permaneret, nec Pontificatus causam quam tanta cum dignitate amplexus erat desereret, hortati sunt: præsertim necessitatibus, quæ vt iis consiliis aures adhiberet impulerant, sublatis: cumque Deum qui aliqua de causa hominibus incognita, nauiculam suam fluctibus agitari permiserat, illam submergi nolle aperte conspiceret, neque pacem sibi peculiarem inire, vel si communis esset futura, sine reliquorum fœderatorum consensu tractare honestum æquumue esse: ad extremum monentes, diligenter expenderet, quantum Sacrosanctæ Sedi, sibique posset afferre detrimentum, à veris fidisque amicis, vt reconciliatis hostibus adhæreret, alienari. His consiliis Pontifex se persuasum ostendens, concordiam aperte recusauit, & intra paucos dies in Senatu, monitum ad Regem Galliæ, in pœnas sacris Pontificum legibus constitutas subire vellet, Mediceum Cardinalem Legatum dimitteret pronunciauit: quamuis promulgationem differri concesserit; quoniam Purpuratorum Senatus, quantum posset seueriissima remedia differret rogans, literis communi omnium nomine datis, quibus eum hortarentur, & supplices rogarent, vt quemadmodum Christianissimum Principem deceret, illum liberaret, se idem effecturos polliciti sunt. Cardinalis Mediceus Mediolanum ductus fuerat, vbi honeste custodiebatur. & tamen quamuis in aliorum potestate esset, in ipsius persona Pontificiæ Sedis autoritas & religionis reuerentia eluceba nt; & simul Pisani Conciliabuli contemptio, cuius causam animo & fide deserebant, non modo reliqui, verum etiam illi ipsi, qui & armis & fauore id erant prosecuti. Nam cum Pontifex illi facultatem misisset, qua posset milites, qui se nõ amplius aduersus Pontificatum armis ituros pollicerentur, à cẽsuris eximere, & omnibus defunctis, pro quibus peterentur, sacra loca ad sepeliendum concedere, incredibilis erat concursus, miraq; religio, qua hæc petebantur, & promittebãtur, Regiis ministris minime repugnantibus, sed Cardinalibus apostatis grauissime indignantibus, quod ante ipsorum oculos, in eo ipso loco vbi tunc sedes Conciliabuli esset, Regii homines & milites contra ipsius dignitatem vtilitatemque in ipsius oppidis, Conciliabuli autoritate penitus contempta, Ecclesiæ Romanæ adhærerent, captiuum Cardinalem velut Pontificium Legatum summa veneratione prosequentes. Propter inducias à Cæsare comprobatas, quamuis ab eius procuratoribus qui Veronæ erant negaretur, Rex partem copiarum quas in eius vrbis præsidio habebat, quasi non iam essent necessariæ, reuocauit: & quoniam ducentis nobilibus, & suæ custodiæ Hippotoxotis, cum ducentis aliis cataphractis propter Angliæ Regis minas, ab se in Galliam reuocatis, in Insubria Helueti orum metu augescente, maiori præsidio opus esse cognoscebat. eam ob causam Florentinos trecentos grauis armaturæ equites in Insubriã, quemadmodum ob ipsius in Italia regnorum defensionem ex fœdere tẽebantur, mittere compulerat. quod fœdus quia intra duos menses finem esset habiturum, victoriæ existimatione adhuc recenti, illos ad fœdus denuo in quinquennium renouandũ adegit, sexcentis cataphractis ad illorum imperii defensionem promissis; & Florentini vicissim ad eorum omnium quę in Italia possideret tutelam, quadringentos grauis armaturæ equites darent: quamuis ad omnem bello se cum Pontifice implicandi occasionem vitandam, ab vniuersali defensionis obligatione, Cotignolam, quasi Pontificatus aliquod ius in eam habere posset, eximerent.

III. *Helueti Pontifica auxilii mittunt.*

Sed iam Regiis rebus grauissima pericula imminebant; quoniam Helueti, tandem sex millia peditum ad Pontificis stipendia mittere decreuerant, quos hoc nomine petierat, vt eorum opera contra Ferrarien sem vteretur; cum qui Galliæ Regis partes sustentabant, nihil aliud quam eius rei dilationem ad eum vsque diem efficere potuissent: contra quos in Comitiis multitudo, miro odio in Gallicum nomen accensa magno furore vociferabatur, Regem ingratum eorum stipendiis, quorum virtute & sanguine tantam existimationem, tantumque imperium sibi peperisset, paruam summam addere recusasse minime contentum, sed insuper contumelios is verbis ipsorum ignobilitatem contempsisse: quasi non omnium hominum ab initio vna fuisset origo, vnusq; ortus, & quasi qui nunc sunt nobiles & magni, suos maiores non aliquando inopes, obscuros, atque humiles habuerint: Germanos, vt ipsorum operam non amplius sibi necessariam ostenderet, ad stipendia sua conducere cœpisse: ipsos stipendio suo priuatos, vt fame absumantur in illis montibus, ocioseque laturos persuasus. Itaque cunctis mortalibus ostendẽdum, illius consilia vana, falsas opiniones, ingratum animum ipsi soli perniciosa fuisse, nec militares viros vlla difficultate quo minus virtutem declarent suam retineri posse; ac denique aurum ac pecunias iis qui ferrum & arma haberent seruire: esse præterea semel toti terrarum Orbi declarandum, quam imprudenter loqueretur, qui Helueti genti Germanos pedites anteferret. Hoc ardore ita efferebantur, vt tanquam propriam causam agentes, vno tantũ Rhenensi aureo singulis dato, domo discederent; cum prius soliti essent Regiis stipendiis non moueri nisi peditibus multa stipendia promitterentur, & duces multis muneribus afficerentur, Curiam oppidum Rhætorum præcipuum conueniebant. Rhæti vero Galliæ Regis fœderati, à quo perpetuas pensiones accipiebant, ad Regem qui excusarent miserant, q antiquis fœderibus, quæ cum superioribus Helueti orũ ciuitatibus habebant, quin certum peditũ numerum cũ illis mitterent minime negare possent. Hic motus Gallorũ animos, quorum vires valde imminutæ erant, vehementer perturbabat. Nã Italis peditibus à Normaniæ Quæstore dimissis, nõ plures quam decẽ millia peditum habebant; & grauis armaturæ equitibus à Rege in Galliã reuocatis, haud plures q̃ mille trecenti cataphracti relinquebantur, ex quibus trecenti Parmæ erant. & tamẽ Normaniæ Quæstor, magis ærarii præfecti, q̃ viri militaris officio functus, nouos pedites sine Regio mãdato conscribi nõ permittebat; sed copias, quæ vt Palicia duce in Æmiliam transirent, iam Finale peruenerant, redire iusserat; & Sanseuerinatem Cardinalem cum iis quæ in Æmilia erant idem facere mandarat. quorum discessu Ariminum atq; Cesena cum arcibus, & simul Rauenna sine difficultate ad

Pontifex Regi Galliæ pacem recusat.

Pontifex ablata recepit.

Pontificis Imperium rediere. Cumque Galli Insubriam militem spoliare nollent, Bononia, pro cuius defensione tot molestias tulerant, tanquam deserta in periculo relinquebatur. Heluetii quamprimum conuenere, Curia Tridentum, à Cæsare per illius imperium itineris faciendi accepta potestate profecti sunt: qui sua consilia quoad eius fieri posset Galliæ Regem celare conatus, se fœdere quod cum illis habebat, iter denegare non posse aiebat. Tridento in Veronensem agrum descenderunt, vbi à Venetorum (qui vna cum Pontifice ad illorum stipendia persoluenda concurrebant) exercitu expectabantur. & quamuis non tanta adesset pecuniæ summa, vt omnibus stipendia persolui possent, quoniam præter illa sena millia postulata, multi præterea accesserant, tam ardens erat multitudinis in Galliæ Regem odium, vt contra ipsorum morem omnes difficultates patienter ferrent. Ex agro Veronensi, suasione Cardinalis Sedunensis profecti, in Mantuano castra posuere, vbi Princeps debilitatem excusans, omnibus iter concedebat. A Cæsare interim ad Germanos pedites literæ cum mandatis, vt statim à Galliæ Regis stipendiis discederent, allatæ sunt: qui cum pene omnes ex Tirolensi comitatu essent, neque in proprium Principem contumaces haberi vellent, eodem die discesserunt. Horum discessu Palicia & reliqui duces omnem Mediolanensis Imperii defendendi spe amiserunt. Inprimis ergo Cremonenses prorsus derelicti, fœderatorũ exercitui qui iam appropinquabat vrbem suam dediderunt, Heluetiis quadraginta ducatorũ millibus promissis. De qua vrbe cum disputatum esset, cuius nomine esset accipienda, & Veneti sibi reddi postularent, tandem fœderis & Maximiliani, Ludouici Sfortiæ filii nomine, cui Pontifex atque Heluetii Mediolanense Imperium acquiri volebant, accepta fuit. Per eosdem dies Bergomum à Gallis alienatum in fœderatorum potestatem venit. Vnde nulla iam amplius Mediolanensis imperii tuendi spe relicta, iamq; vniuersa regione plane rebellante & tumultuante, Ioannes Iacobus Triultius, Normaniæ Quæstor, Antonius Maria Pallauicinus, Galeatius Vicecomes, cum multis aliis nobilibus, & omnibus Regiis magistratibus & ministris, Mediolano, vt in Taurinos euaderent abierunt: & aliquot dies ante, Cardinales Schismatici, quamuis in decretis quam in aliis rebus ferociores, fere eodem tempore, quasi abdicationem minantes Pontifici omnem tam sacram quam profanam Pontificatus administrationem interdixissent, non minus tamen populos quam hostes veriti, fugam rapuerunt. Hi tumultus Mediceo Cardinali fatis ad summam felicitatem referuato profuerunt. Cum enim in Galliam duceretur, mane ad Padi transitum, qui è regione Bassinianæ est, quæ veteribus Augusta Bacienorum fuit, in ipso nauis ingressu, à nonnullis rusticis pagi qui Plebs Cairi dicitur, quorum caput fuit Rinaldus Zallus, cum quo aliqui Cardinalis familiares, nocte apud eum hospitio excepti conuenerant, ex Gallorum qui eum custodiebant militum manibus creptus fuit: qui perterriti, & ad quẽuis leuissimum motum trepidantes, strepitu audito, fugæ quã pugnæ studiosiores fuerunt. Palicia Papiam profugerat: ad quem eiiciendum fœderati profecti, Lauda cũ arce recepta, ipsum quoque profligarunt, multis Gallorum & Germanorum vel cæsis, vel captis. Papienses se ad magnam pecuniæ summam numerandam fœderatis obstrinxerunt; idem iam fecerant Mediolanenses ad longo maiorem: & præter Brixiam & Cremam omnes reliquæ ciuitates idem æmulatione quadam faciebant; tota regione imperii nomen inclamabatur, Sancti fœderis nomine, & recipiebatur, & administrabatur (hoc nomine de communi consensu appellabatur) rerũ summa Sedunensis Cardinalis Pontificii legati authoritati permissa. Sed pecuniæ omnesque mulctæ Heluetiis erant attributæ: illorum erant omnia emolumenta, omnes quæstus: quarum rerum fama, vniuersa natio statim, conuentu qui Tiguri hanc ob causam agebatur commota, nouæ cohortes nõ paucæ ad priores accesserunt. In tanta rerum mutatione, & Placentini, & Parmenses sponte suas vrbes Pontifici dediderunt, quas veluti Exarchatus Rauennensis membra ad Põtificium Imperium spectare asserebat. Heluetii Locarnum, & Rhæti Vallemtelinam Clauennamque loca ipsorum rebus valde opportuna occuparunt. Ianus Fregosius in Venetorũ exercitu præfectus, cum equitibus ac peditibus ab ipsis impetratis Genuam profectus, causa fuit, vt Gallo præfecto fugiente ea ciuitas deficeret; cuius ciuitatis ipse Dux creatus fuit, qua dignitate olim pater ipsius functus fuerat. Eodem fortunæ impetu omnes Æmiliæ Flaminiæque vrbes & arces sub Pontificis imperium redierunt; & Vrbini Duce cum Pontificiis copiis Bononiam accedente, Bentiuoli omni spe destituti deseruerunt; quos Pontifex acerbissime persecutus, omnia loca quæ inposterum illos acciperent, sacris interdixit: nec minore vindicta vrbem est persecutus, quod tot beneficiorum oblita, tam ingrate ac impie defecisset: quod in statuam suam multis probris insultassent, & nomen suum innumeris contumeliis ludibriisque affecissent. Quamobrem nullos eis denuo magistratus dedit, nec ad vllam administrationis partem aditum permisit; quin etiam per acerbissimos ministros à multis ciuibus velut Bentiuolorum clientibus magnam pecuniam extorqueri tolerauit; Ad hunc modum Iulius Pontifex, cum in rebus suis maxime aduersis summisque periculis insperato successu victoriam ex hostibus reportasset, Pontificiumq; imperium recuperasset auxisset q;, Ferrariæ recuperandæ desiderio tenebatur. In eam ciuitatem etsi arma conuertere vehementer cuperet, nihilominus, siue quod concordiæ faciliorem quam belli rationem duceret; siue magis occultis artibus quam apertis factis fideret, primũ Mantuano Marchioni qui eum vt Alfonsum Ateſtinum, ad veniam petendam Romam ad se venire pateretur, eumq; honesta aliqua conditione gratia sua complecteretur supplex rogabat, aures accommodauit: deinde Aragoniæ Regis Oratori, qui pro illo vt pro Regis sui consanguineo (erat enim Alfonsus ex Ferdinandi senioris Neapolitani Regis filia natus) & quia Regis rebus illum sibi tanto beneficio obstringere, quam vt Pontificatus potentiæ etiam Ferraria accederet pati commodius erat, orabat. Eius causam & Columnii Alfonso amicissimi facti, agebant: quippe cũ Rex Galliæ post Rauennensem pugnam ab illo Fabritium Columnam eius captiuum petiisset, ipse primo cum tradere recusauerat: deinde variis excusationibus interpositis tam diu distulerat, vt facta rerum mutatione, illi gratissime & absque vllo onere libertatem restituere, in eius potestate fuerit. Alfonsus igitur tuto eundi ac redeundi fide à Pontifice, & quo tutior esset, Pontificis consensu Aragoniæ Regis nomine ab eius Oratore accepta, Romam est profectus. quo quamprimum peruenit, cum Pontifex censuras suspendisset, in Senatum admissus demississime veniam petiit, eademque submissione, vt pristinæ suæ ac sacrosanctæ Sedis gratiæ restitueretur, orauit; seque ea omnia quæ fidelissimum clientem, ac beneficiarium Sanctæ Romanæ Ecclesiæ decerent, semper præstiturum repromisit. Pontifex illum satis benigne audiuit, & sex Cardinales qui de pacis legibus cum illo agerent delegit; qui post multorum dierum disputationem, Pontificem nullo modo Ecclesiam Ferrariæ dominatu, à quo Alfonsus excidisset, priuare velle, ei significarunt, sed pro illa Astam ciuitatem daturum, quæ cum ob Gallorum discessum in fœderatorum potestatem venisset, Pontifex omnia cis-Padana loca ad Pontificium imperium spectare asserens, Agringentinum Episcopum ad eius possessionem capiendam frustra miserat. quod quidem Alfonsus constanter negans, ob hanc petitionem à se prius ostensa vsque adeo diuersa; nec non ob ea quæ recenter Regii acciderant, ne à Pontifice Ferrariæ eodem tempore inuadendæ causa Romæ artificiose detineretur, timere cœpit. Pontifex Regienses qui in tanta rerum perturbatione non mediocriter metuebant, vt Parmensium & Placentinorum exemplum secuti, Ecclesiæ sese dederent, hortatus erat: & quo maiorem cohortationes vim haberent, Vrbinatium Ducem copias in Mutinensem agrum ducere iusserat. Idem & Cæsar per Vitfrustium, qui Regium se contulerat, tentabat: Cardinalis vero Estensis, qui fratre absente eius dominii curam gerebat, cum se eam ciuitatẽ tueri non posse animaduerteret, illamque in Cæsaris, qui nullum in Ferriam ius prætexebat, & in cuius rebus maior varietas sperari poterat, potestatem venire, rebus suis minus pernicioſum duceret, Regienses vt potius Imperii nomen amplecterentur hortabatur. Sed ipsi se Ducis qui ad Pontificem non autem ad Cæsarem iuisset exemplum sequi velle respondentes, Pontificias copias in vrbem introduxerunt. quæ & arcem, quamuis Vitfrustius iam aliquot ex suis peditibus in ea posuisset, arte occuparunt. Tandem Carsiniana regio tota Vrbinatium Duci

Bentiuoli Bononiam fugiunt.

Mediceus Card. à Gallis captus per rusticos liberatur.

deditionem fecit: qui deinde Bononiam reuersus, omnẽ peditatum dimisit. Nam cum Parmam atque Placentiam à Põtifice occupatas fuisse, omnibus fœderatis molestissimum esset, Sedunensis Cardinalis Vrbinatium Duci, cum victoria contra communes hostes parta esset, vt ipse vlterius procederet minime necessarium esse significauit. At Ferrariensium Dux, ex Pontificis constantia, Regiisque iactura, non mediocri suspicione concepta, per Hispanum Oratorem, & Fabritium Columnam qui semper cum illo Romæ fuerat, à Pontifice redeundi Ferrariam facultatem petiit, ad quod cum Pontifex, fidem de controuersia quam cum Pontificatu haberet, priuatis creditoribus, quorum multi sibi ius administrari postularent, fraudi minime esse debere asserens, se duriorem ostenderet, Orator & Fabritius, ne Duci atque ipsis fidem violandam esse sibi persuaderet, aperte respondebant: & sequentis dici mane, vt si quid forte noui Pontifex esset moliturus, antevertrent, Fabritius equo conscenso, ad Lateranensem portam, Duce & M. Antonio Columna haud procul sequentibus contendit: & pluribus quam moris esset custodibus, qui exitum prohibebant ad portam inuentis, ipse potentior illis, Duce ad portam expectato, eum incolumem Marinum perduxit. Quo facto, ab omnibus libertatis ab illo acceptæ gratiam retulisse, iudicatus fuit. Inde igitur cum terrestre iter minime sibi tutum esset, non multo post mari Ferrariam rediit.

IV. *Iulium II. inter & Cæsarem dissensio.*

Inter hæc Galliæ Rex, etsi ob ardentissimum Mediolanensis Imperii desiderium, non libenter Italiæ res prorsus derelinqueret, tamen necessitas illum, vt illorum qui hac cogitatione in aliud tempus dilata, hac æstate Galliæ regno tuendo operam darent hortabantur, consilia audiret coegit. quoniam Rex Angliæ, quemadmodum cum Catholico Rege conuenerat, sex Anglorum peditum millia, mari Fonterabiam, Hispaniæ oppidum ad Oceanum positum, vt illius Regiis copiis coniuncti Ghiennæ ducatum inuaderent miserat; & præterea Normaniæ atque Britanniæ citerioris littora, classe magno incolarum terrore infestare incipiebat: neque Cæsaris iam in amicitiam suam pertrahendi spes vlla relinquebatur. Nam ex Massiliensis Episcopi, qui legatione apud eum functus erat verbis, illum à se animo alienissimo esse, nec aliam ob causam spe diuturna illum fouisse, totque negotia summa cum simulatione secum tractasse, nisi vt se incautum opprimendi, vel saltem lethalis vulneris infligendi, vt in Germanis peditibus reuocandis se feciſſe gloriabatur, occasionem captaret intelligebat. Itaque Italia per hunc annum à Galliæ Regis metu liberata, etsi eius milites Brixiam, Cremam & Lineacum, Genuæ arces Castelletum Laternamque, nec non Mediolanensem atque Cremonensem, nonnullaque alia eius Imperii munita loca tuebantur, dissidiorum atque discordiarum inter fœderatos, quorum voluntates atque propositi fines valde diuersi erant, signa apparebant. Veneti Brixiam & Cremam, quæ illis tum fœderis causa, tum quia tam diu belli pericula atque molestias pertulerant debebantur, recipere cupiebant; quod & Pontifex in eorum gratiam exoptabat. At Cæsar à cuius voluntate Aragoniæ Rex minime poterat recedere, sibi vendicare illa, & præterea Venetos omnibus iis quæ sibi Cameracensi fœdere adiudicata fuerant spoliare cogitabat. Cæsar ad hæc, idemque Rex, de Mediolanensi Imperio vni ex communibus nepotibus attribuendo, sed occultis consiliis agebant: contra Pontifex & Heluetii, vt quemadmodum semper ab initio dictum fuerat, Maximilianus Ludouici Sfortiæ filius, qui post patris calamitatem semper in Germania versatus erat, in paternam sedem restitueretur, operam dabant apertius: ad quod Pontifex ne Italia prorsus in Germanorum atque Hispanorum seruitutem rueret, mouebatur. Heluetii vero, quia propriæ vtilitatis causa id imperium non tam potentes principes, sed eiusmodi qui ipsorum auxiliis carere non possent, habere cupiebant. quæ res cum fere tota ex ipsis in quorum potestate id imperium erat, & ob armorum ipsorum terrorem penderet, Pontifex vt eos in hac voluntate confirmaret, & vt hoc frænum, quo Cæsaris & Catholici Regis ambitionem moderari posset, ad omnia paratum haberet, omnem industriam artemque ad illorum sibi beneuolentiam conciliandam adhibebat. Ideo præterquam quod publice Heluetiæ gentis virtutem ad sidera vsque efferebat, & res pro Pontificii Imperii salute gestas extollebat; honoris gratia Pontificia illis signa dederat, & valde illustri nomine decoratos, Libertatis Ecclesiæ defensores propugnatoresque appellabat. Ad alias controuersias accedebat, quod cum Pro-Rex Hispanicas copias, quæ post pugnam omnes cum illo in regnum Neapolitanum confugerant, collegisset, illasque in Galliam Cisalpinam secum esset traducturus, Pontifex & Veneti, quadraginta in singulos menses aureorum nummum millia, quæ post pugnam solui deberant, se vltra persoluturos esse negabant: asserebantque se, cum Gallicus exercitus alpes transiuisset, haud iam ea obligatione teneri: quæ vt in fœdere expressum erat, quandocumque Galli Italia exacti essent, finem inueniret: ad quod pro Aragoniæ Rege, dum Brixia, Crema, totque alia munita loca in Regis potestate essent, Regem Italia pulsum dici minime posse respondebatur. Præterea Aragoniæ Rex vna cum Cæsare, Pontificem, sibi communis victoriæ præmia tribuendo, & ea quæ manifeste ad alios spectarent vsurpando, siue fictis, siue vetustate consumptis iuribus, Parmam atque Placentiam, quas ciuitates qui Mediolani imperauerant diutissime, velut Imperii beneficiarii obtinuerant, occupasse querebantur. In Ferrariensium quoque Ducis rebus animorum varietas elucebat, Pontifice eadem cupiditate ardente, & contra Aragoniæ Rege eum conseruare cupiente: qui, vt credebatur, etiam ea de causa erat iratus, quod contra datam fidem vt captiuus Romæ detineretur, tentatum fuisset. Quare Pontifex, fortasse donec res maiores componerentur expectans, à Ferraria infestanda abstinebat. Quibus rebus pertractandis cum Cæsar se immiscere vellet, Gurcensem Episcopum, iam tunc cum post Rauennensem pugnam de pace inter Pontificem & Galliæ Regem agebatur, huic legationi destinatum, in Italiam mittebat. Timebat enim ne rerum suarum ratione post habita, pax inter eos fieret: sed rerum postea mutatione facta, in eius mittendi sententia permansit. Florentinorum quoque res in mentem veniebant, qui suspicione pleni, fructus ex eo quod improuide neutrius partis esse voluissent sentire incipiebant: iamque vbi prudentia defuerat, causæ æquitatem amplecti, non satis idoneum præsidium esse animaduertebant. quoniam in hoc bello fœderatos non læserant; nec Galliæ Regi, nisi quantum ad Insubriæ defensionem, fœdere quo cum Catholico Rege & ipso commune habebant tenebantur, auxilium vllum dederant; Hispanos milites qui ex pugna Rauennensi euaserant, in imperio suo molestia affici non permiserant; qua de re ipsemet Aragoniæ Rex Florentinorum legato gratias egerat; quin etiam omnibus eius postulatis integre satisfecerant. Nam postquam Conciliabulum Pisis discessit, ei eius ministri qui in Italia erant, & Rex ipse legato ipsorum se eam Rempublicam modo se Bononiam non defensuros, arma aduersus Pontificatum non moturos, neque Pisano Conciliabulo fauturos pollicerentur, aduersus quemuis hostem propugnaturum promiserat. Verum ipsi ciuilibus discordiis à meliori parte negligenda impediti, neque Regi Galliæ, neque aliis adhæserunt, semperque ambiguis interruptisque consiliis, neutros se profitentes, numquam vna omnes deliberantes, neque verum in ea sententia perseuerare vellent declarantes. Galliæ Regis qui sibi ab initio multa de illis promittebat, animum non mediocriter offenderunt, Pontificis iram non mitigarunt, & Aragoniæ Regem nullo accepto præmio, suæ ambiguitatis fructu frui permiserunt, cuius fruendi gratia cupide cũ ipsis conuenisset. Pontifex igitur odio in Vexilliferum, & autoritatis in ea republica consequendæ, veteri omnium Pontificum cupiditate incitatus, vt Medicea familia in pristinam amplitudinem restitueretur instabat: in quam sententiam & Aragoniæ Rex, quamuis cum Florentino Oratore aliud clausum in pectore, aliud promptum in lingua haberet, quod ne quouis motu exorto, Vexilliferi autoritate in Galliæ Regis partes flecterentur, metuerat: quin etiam quod Vexillifero amoto, in libera republica ob recentes veteresque factiones idem studium permansurum suspicabatur, inclinabat. Antequã vero grauius aliquid in eos statueretur,

Medicei in vrbem Florentinam restituti.

placuit Mantuam legatos destinare, qui de tota re decernerent. Pontifex Laurentium Puccium Florentinum, supplicium libellorum in Curia sua magistrum, qui postea in Pontificum collegium cooptatus, Sanctorum quatuor Cardinalis est nuncupatus, Cæsar Gurcensem Episcopum, Catholicus Rex aliquem piam destinarunt. Postulatum à Florentinis, vt fœderi adhærerent, & Medicæos restituerent. Negantibus, bellum illatum; quo Pratum & Arctium illius fuit ereptum, necessitasque pacis flagitandæ imposita: ex qua occasione, Medicei ab amicis in vrbem restituti, Vexillifer Petrus Soderinus vrbe pulsus, Vexilliferi potestas in annum tantum constituta, Magistratus & reipublicæ forma nonnihil immutata. In primum annum Vexillifer creatus fuit Ioannes Baptista Ridolfus, nobilis ciuis & prudentissimus habitus: quain re à populo (vt turbulentis temporibus fit) non tam is qui popularibus artibus gratior esset, quam qui maxima autoritate, qua in vrbe præsertim apud patritios pollebat, & propria virtute nutantem reipublicæ statum firmare posset, quæsitus est. Ioannes Cardinalis Legatus, Iulianus, & Iulius Medicei fœderatorum viribus freti, primi omnium Florentiam reuerterunt, eandemque potentiam resumpserunt, qua tamen imperiosius, & potestate ampliore quam pater ipsorum fecisset vtebantur. Hoc modo Florentinorum libertas armis oppressa fuit; ad hunc statum præcipue ciuium suorum dissidiis redacta: ad quem non fuisse deuenturam creditur, nisi (vt quod imprudenter nullius partis esse voluerunt, & quod Vexillifer popularis status inimicos nimium audaciam sumere passus sit omittam) postremis etiam temporibus publica causa negligenter procurata fuisset. quoniam in Aragoniæ Rege ab initio non tantum erat libertatis cuertendæ, quantum ciuitatis à Galliæ Regis amicitia remouendæ, atque alicuius pecuniæ in militum stipendia ex illa eliciendæ studium. Ideo quamprimum Galli Insubria cesserunt, ProRegi mandauit, vt quotiescumque vel rebus ingruentibus ad alia traheretur, vel alia de causa Medicæorum restitutionem difficilem fore animaduerteret, consilio ex temporum statu capto cum republ. ageret, vt magis opportunum videretur. Hoc fuerat ab initio eius mandatum. Sed postea Pontifici ob ea quæ Romæ in Alfonsum Estensem molitus erat, iratus; & ex iis quæ palam minabatur suspectum animum gerens, Florentinorum legato, qui iam ab initio belli ad illum profectus erat aperte ostendit, & ProRegi, siue quod Vexilliferum à Pontifice alienatum conseruare tutius censeret, siue quod Medicæum Cardinalem restitutum magis Pontifici, quam sibi adhæsurum suspicaretur, ne statum perturbare tentaret, imperauit. Sed hæc postrema sententia, nisi postero die postquam respublica in Cardinalis potestatem redacta est, ProRegi nota non fuit. Quæ cum ita sint, perspicuum est, si Florentini post Gallos exactos vt res suas concordia in tuto collocarent diligenter operam dedissent, vel se veteranorum militum armis muniuissent, ProRegem aut contra ipsos venturum non fuisse, aut in eis opprimendis difficultate inuenta, facile pecunia conuenturum fuisse. Sed fato quodam, ne ea facerent, detinebantur. Nam præter ea quæ iudiciis humanis deprehendi poterant, etiam de cœlo imminentia pericula denunciata fuerunt. Non multo enim ante in porta qua Pratum itur, aurea lilia Galliæ Regis insigne, ex veteri marmoreo clypeo in quo erant, fulmine deiecta sunt. Aliud item fulmen in prætorii culmen iactum, in Vexilliferi cubiculum peruasit; vbi nihil aliud, nisi magnam argenteam pyxidem in qua summi magistratus suffragia colligebantur, tetigerat: inde in infimam prætorii partem lapsum, magnum lapidem, qui ad infimos gradus ædificii molem sustinebat ita percussit, atq; illæsum loco mouit, vt à peritis architectis magna arte exemptus videretur.

Genuenses Castelletti recipiunt.

His ipsis temporibus, vel paulo ante, Genuensibus, eius vrbis arcem quæ Castelletum dicitur, tormentis, quæ illis Pontifex commodarat, verberantibus, eius præfectus cum auxilii spem non haberet, quoniam classis ex Prouincia antequam Rex de eius vrbis defectione certior factus esset ad eam defendendam missa, cum descensionem milites facere non auderent, in Galliam redierat, decem aureorum nummum millibus acceptis eam Genuensibus tradidit: sed in Regis potestate adhuc erat Pharia turris quam Laternam vocant, in quam iisdem diebus Galli commeatum, aliaque necessaria importarant. Florentinis rebus expeditis, & promissa pecunia accepta, ProRex Brixiam, Gurcensis Lincacum & Pischeriam, Veneti Cremam recepere. Gurcensis deinde Romam profectus est. cuius animum cum Pontifex summopere sibi deuincire cuperet, per totum Imperium suum illum omni honoris genere excipiendum curauit, eiq; & omnibus iis qui illum sequebantur toto itinere lautissimis sumptibus suppeditatis, singula oppida illum eximiis, imo inusitatis honoribus accipiebant; omnes viæ obuiam illi prodeuntibus erant plenæ; multis in locis nouis Antistitum clarorumque virorum à Pontifice legationibus salutabatur; Agenensis & Strigoniensis Cardinales ad eum Pontificis nomine accipiendum, ad quatuor ab vrbe stadia in prata vsq; sunt progressi: Ad Mariæ Populi perductus: exinde ingenti omnium multitudine stipatus, ad Pontificem qui illū in publico purpuratorum Senatu, Pontificali in solio solenni ornatu expectabat venit; quo in loco Pontifex etiam ante paucos dies admodum honorifice duodecim Heluetiorum legatos, ab omnibus illorum ciuitatibus, ad obedientiam illi publice promittendam, & vt gentem illam Ecclesiæ statum in perpetuū defensuram pollicerentur, eique quod ipsos tanto honore, ense, pileo, clypeo, vexillo, & Pontificiæ libertatis Defensorum appellatione donasset, gratias agerent, missos acceperat. Post Gurcensis aduentum, de communibus rebus stabiliendis agi cæptum est: cuius rei fundamentum in priuatis controuersiis, contentionibusque tollendis positum erat: vt Italia sic comparata esset, vt vno animo atque consilio Galliæ Regi occurri posset. In hoc autem omnium difficillima erat inter Cæsarem & Venetum Senatum toties tractata pax. quoniam Gurcensis, vt Venceti Patauium, Taurisum, Brixiam, Bergomum & Cremam retinerent annuebat, modo ipsi vicissim Cæsari Vicentiam restituerent; illorum oppidorum quæ Cæsar possidebat iuribus cederent; ducenta Rhenensium aureorum millia in præsentia, & singulis annis in perpetuum triginta millia, census nomine eidem numerarent: Venetis autem ob ea oppida quæ tot annos velut propria obtinuerant tributum pendere graue erat: graue tantum pecuniam, quamuis Pontifex se eius partem illis mutuo daturum polliceretur, longe autem grauius Vicentiam restituere, quod Cæsare eam obtinente, imperii ipsorum corpus distraheretur, sicque ipsis ac capite aliisque nobilioribus membris transeundi opportunitas adimeretur: eamque ob causam Brixiæ, Bergomi, & Cremæ dominium incertum, nec satis tutum relinqueretur. præterea vt honestiorem recusandi causam prætexerent, se Vicentinis cum postremo eos reciperent, numquam illos ab se diuelli passuros, fidem dedisse aiebant. Alia inter Pontificem & Aragoniæ Regis legatos tractabantur, quorum pars potius vt aliorum querelis satisfieret, quam quod de his impetrandis spes esset, proponebatur. Pontifex enim petebat, vt Rex ille (vt in fœdere expressum erat) se ad Ferrariam occupandam iuuaret; vt Fabritii & M. Antonii Columnæ, quos, quod Lateranensem portam violassent, & Alfonsum Estensem perduellem in oppida quorum supremum imperium ad Ecclesiam spectaret accepissent, sacris armis persequi cæperat, itemque Florentinorum, Senensium, Lucensium, & Plumbinatium in Etruria suscepta patrocinia, vt quæ in Imperii fraudem essent, & Italiæ communiter, ac peculiariter Ecclesiæ Romanæ suspecta desereret. neque enim cæteris potentatibus illum tot clientelas in Italia habere vtile esse; Ecclesiæ vero prouinciam imperio suo coniunctam, ex eius autoritate pendere admodum periculosum. Ad quæ Hispani, auxilium contra Ferrariam, dummodo ex eiusdem fœderis legibus pecuniam quæ hactenus exercitui debebatur persolueret, & in posterum ne deesset prouideret, non denegari: FABRICIVM & M. ANTONIVM Columnios persequi, quod tum ob patrocinia, quibus fulti erant, tum quod magnæ autoritatis duces essent noui incendii causa ex eo esset oritura, minime laudandum esse: non posse Catholicum Regem absque graui honoris sui macula illos deserere: neque res ab vtroque illorum in bello aduersus Galliæ Regem pro Pontifice & pro se gestas huiusmodi præmium mereri. neque patrociniorum in Etruria susceptorum quærelam iustam causam habere: Sed vt Senæ, Luca, & Plumbinum illius cupiditati prædæ relinquerentur.

querentur: In his tamen Regem Cæsaris arbitrium sequuturum innuentes respondebant. Omnes fœderati in hoc vnanimes consentiebant, vt Mediolanensi imperio potiretur MAXIMILIANVS Sfortia; Cæsare tamen illi diploma, vel Ducis appellationem, aliudue legitimum nomen tribuere recusante. Sed rursum Gurcensis, atque Hispanorum, ob Parmam & Placentiam, quasi in Imperii fraudem ad nimiam Pontificum potentiam, & Mediolanensis imperii, cuius quod semper primi Gallorum impetus illi essent sustinendi, potentia augenda fuisset, nimium debilitatam à Pontifice occupatas, querela resurgebat: Pontificem in fœderis capitibus nullius rei præterquam Bononiæ & Ferrariæ mentionem fecisse; nunc iuribus quorum nulla fide digna memoria appareat id sibi vindicare, quod Ecclesiam Romanam ne vetustissimis quidem temporibus possedisse certo constaret; nec de Cæsarum donatione aliud, quam simplicem scripturam, quæ ad cuiusuis arbitrium fingi potuerit, ostendi: & nihilominus Pontificem quasi res esset manifesta & nota, occasione ex Galliæ togatæ Longobardiæque motibus sumpta, sibi ipsum ius administrasse. Hæ altercationes omnes difficulter componebantur. Sed longe magis controuersia inter Cæsarem & Venetos omnia turbabat, in qua nunc hortationibus, nunc precibus, nunc minis Pontifex vehementer laborabat, Venetorum salutis, vt antea quoque cupidus, tum publici Italiæ boni gratia, tum quod illorum auxiliis absque Hispanorum armis se Ferrariam expugnare posse sperabat.

In hoc & Aragoniæ Regis Legati, ne communi periculo Venetis, vt animum ad fœdus cum Galliæ Rege renouandum conuerterent, causa præberetur metuentes, incumbebant: sed ne Cæsarem ad fœdus cum Gallis, quod Rex illorum tanto labore dissoluerat, redintegrandum prouocarent; & quia alias ob causas ab eius amicitia discedere nolebat, caute agere cogebantur. Idem & Heluetiorum Legati totis viribus agebant. Nam cum Venetos qui illis hanc ob causam quotannis viginti quinque aureorum nummum millia pendebant tueri tenerentur, eo rerum, vt vel promissa non seruare, vel Cæsari si illis bellum inferret se opponere cogerentur, minime adduci cupiebant.

Tandem cum nec Gurcensis à Vicentiæ petitione remoueri, nec Veneti ad eam concedendam flecti possent; necdum etiam de pecuniæ summa inter eos conueniret, Pontifex, qui vt Pisani Conciliabuli nomen autoritatemque extingueret, Lateranense Concilium à Cæsare comprobari summopere cupiebat, Venetorum Oratoribus, se eam rempublicam sacris atque profanis armis persequi coactum iri, attestatus est. qua attestatione cum illi non mouerentur, fœdus cum solo Cæsare percussit. quoniam Hispanus Orator, sitne quod mandatum à Rege suo non haberet, siue quod Rex ille etsi Cæsarem iuuare vellet, Venetos aliqua spe fouere niteretur, interesse noluit. In fœderis quod postea publica cerimonia in MARIÆ populi basilica est promulgatum exordio exponebatur: quod cum Veneti pertinaciter pacem recusassent, & Pontifex Christianæ reipublicæ necessitate se illos deserturum esset attestatus, Cæsarem fœdus anno quingentesimo supra vndecimum inter Pontificem, Aragoniæ Regem & Venetos ictum, quemadmodum ei tunc facultas esset relicta amplecti, seque Lateranensi Concilio, mandato rescisso omnibusque procurationibus & actionibus abiectis pro Pisano Conciliabulo confectis, deinceps adhæsurum spondere: nullum Sacrosanctæ Sedis subiectum hostemue, & nominatim Alfonsum Estensem atque Bentiuolos, Ferrariam atque Bononiam occupantes, suo fauore & auxilio complexurum: Germanos, & FRIDERICVM Bozolensem beneficiarium suum, ab Alfonsi stipendiis reuocaturum promittere; Pontificem autem vicissim se Cæsarem aduersus Venetos, sacris atque profanis armis tamdiu donec omnia quæ Cameracensi fœdere continebantur, adiuuaturum repromittere: Venetos à fœdere atque induciis cum Cæsare factis, propterea quod ea multis modis violassent, prorsus excludi, & Pontificis, Cæsaris & Catholici Regis, cui in fœdere locum ad certum tempus, certisque legibus relinquebant, hostes declarari; Pontifici absque Cæsaris consensu, vel nisi Cæsar ea quæ ad se spectarent, vt supra dictum est, recuperasset, cum eis nullam pacem inire licere: nec Cæsarem, nec Pontificem, cum vllo Christiano Principe absque alterius consensu fœdus inire posse; bello aduersus Venetos vigente Pontifex FABRITIVM & M. ANTONIVM Columnios nulla prorsus molestia afficeret; facultatem tamen Pontifici Pompeium & Iulium reliquosque perduelles declaratos & anathemate damnatos persequendi relinqui. Hoc fœdere tametsi Pontifici vt Parmam, Regium & Placentiam possideret permitteretur, id tamen Imperio fraudi ne esset, fœderis legibus promulgatis, Gurcensis proximo Lateranensis Concilii consessu, Cæsaris nomine Concilio interfuit; & tamquam eius per totam Italiam Vicarius mandato, procurationibus actisque omnibus rescissis coram vniuerso Concilio, Cæsarem numquam Pisanum Conciliabulum comprobasse, eos omnes qui eius nomine visi essent detestans, est attestatus. Gurcensis deinde vt Maximiliano Sfortiæ qui Cæsaris mandato Veronam venerat, cum Mediolanensis Imperii possessionem caperet adesset, Roma discessit. cuius aduentum Sedunensis Cardinalis & totius Heluetiæ gentis legati qui Mediolani erant, ægre expectabant. In iis enim quæ facienda erant, quod re ipsa verum erat, Gallos ab Heluetiis Mediolano exactos, eorundemque virtute & opera Maximilianum illud accipere, extare volebant. Sed tamen ProRex magis artibus & industria quam autoritate, vt expectarent effecit.

Sfortiæ Ducatus Mediol. ab Heluetiis traditur.

Gurcensis igitur fœdere quod Prati ictum erat Florentiæ Cæsaris nomine sancito, & certa pecuniæ summa à Lucensibus quorum patrocinium susceperat accepta, Cremonam quo in loco MAXIMILIANVS Sfortia & ProRex illum expectabant peruenit: vnde omnes vna vt constituta die apparatu, atque honore qui nouis Principibus exhiberi consueuit, ciuitatem ingrederentur, Mediolanum sunt profecti. In cuius ingressu, quamuis inter Sedunensem Cardinalem & ProRegem, vter ipsorum ei claues ad portam possessionis traditæ signum dare deberet, non parua altercatio fuerit, nihilominus tandem ProRege cedente, Cardinalis communi Heluetiorum nomine, claues ei tradidit; & eo die qui fuit sub finem Decembris, omnia quibus MAXIMILIANVS ab ipsis imperium accipere significaretur, munia obiuit. qui incredibili omnium populorum lætitia, tum proprii Principis habendi feruentissimo desiderio, tum quia illum auo, patriue, quorum alterius memoria ob præstantissimas eius virtutes in illo dominio erat clarissima; alterius vero odium externi principatus tædium in beneuolentiam conuerterat, similem fore sperabant, acceptus fuit: necdum huius communis lætitiæ diebus exactis Nouariensis arx, iis qui in ea erant deditionem facientibus, est recuperata.

V.

Iul. II. expeditionē Ferrar. protrahit.

Fœdus Romæ ictum, concordiæ inter Cæsarem & Venetos spem non penitus sustulerat. Pontifex enim statim IACOBVM Stafilcum suum Internuncium Venetias miserat, cum quo tres Heluetiorum Legati, vt Venetos ad concordiam flecterent, inerant: & vicissim Senatus vt Pontificis beneuolentiam retineret, nec Cæsari se armis inuadendi causam præberet, Legatis suis vt Concilio Lateranensi adhærerent mandauerat: & copias suas, statim post fœdus ictum in Patauinum agrum reduci iusserat. Ideo Pro-Rex quia pacis spem turbare nolebat, exercitum Mediolanum versus conuerterat. Sed tamen iisdem adhuc Vicentiæ restituendæ, & pecuniæ numerandæ difficultatibus permanentibus, in cassum erant hi labores. quæ res in causa fuit, quo minus Pontifex Ferrariensi bellum inferret. Si enim pax inter Cæsarem & Venetos procederet, vires suas Venetorum auxiliis fultas, sola Hispanos, si opus esset, admouendi fama, ad victoriam adipiscendam satis fore existimabat. Sin minus in vernum tempus expeditionem differre constituerat. Cum enim Ferraria, situ, quod fluuio ambiatur, sit munita, eamq; Alfonsus arte valde muniuisset, assiduecq; muniret, hyberno tempore difficillime expugnari posse videbatur.

VI.

Inter hæc per ipsa Maii initia, Anglorum & Hispanorum nauibus, simul sex Anglorum peditum millia ad Fonterabiam locum in Oceani litore situm, extremum Hispaniæ Galliam versus oppidum peruenerant, vt ex fœdere inter socerum

socerum ac generum suis cum Hispanorum viribus coniunctis, Ghiennæ Ducatum ex veterum distributione ac nomine Aquitaniæ prouinciæ partem inuaderent. contra quem motum Galliæ Rex, necdum à Belgarum parte tutus, nouum octingentorum cataphractorum delectum adornabat; & ex inferioris Germaniæ partibus quæ Cæsari non parebant, magnum peditum numerum conscribebat, & quanti momenti ad Ghiennæ defensionem esset regnum Nauarræ, quod cum Catharinæ Foisseiæ dotale esset, IOANNES Alibretti filius, eius maritus vna cum illa possidebat animaduertens, partem illius ad se vocauerat, illumque sibi adiungere diligentissime conatus erat. ad quod quidem Gastonis Foissei mors, cuius causa, cum illud regnum non ad fœminas sed ad se, qui ex Foisseia familia proximus inter mares esset, spectare diceret, Galliæ Rex IOANNEM erat persecutus, maximam præbuerat opportunitatem. Ab alia vero parte Catholicus Rex, qui iam oculos in illud regnum coniecerat, à Rege Nauarræ, vt inter se & Galliæ Regem neutram factionem sequeretur; copiis suis quæ Galliam petebant, iter per regni sui fines liberum permitteret; atque ad horum fidem nonnulla munita loca, quæ se statim confecto bello restiturum promittebat, ab eo sibi tradi petebat. quæ postulata cum Rex Nauarræ quorsum spectarent intelligeret (antiquum enim Hispaniæ Regum Nauarræ occupandæ desiderium notum erat) se periculo incerto exponere, quam certam iacturam facere malebat, quod speraret sibi à Galliæ Rege, cuius rebus bellum in Nauarra detinere commodissimum erat, promissa auxilia minime defutura; & simul, siue vt auxiliis sibi destinatus plus spacii, quo venire possent daret, siue vt se si posset his postulatis liberaret, cum Aragoniæ Rege, qui pro more suo magna in his rebus arte vtebatur, hoc negotium tractabat. MICHAEL quidem Pompelensis Sacerdos, scripta inter Gallum & Nauarrum fœderis capita, primus Catholico denunciauit, quæ erant. Ferdinando suppetias Pontifici Maximo ferenti transitum in Italiam vterque denegaret. Quotiescumque Gallo visum esset, Nauarrus Hispaniam infestaret. Gallus Nauarro Foisseiorum patrimonium, quod Dux Nemorensis, Germanæ Catholicæ Reginæ frater possidebat, restitueret. Omnia quæ à parente suo Alibretensi principe per Reges Gallos ablata essent, Nauarro restituerentur. Gallus stipendia Nauarro conferat, qualia Regiam personam decent, qui tanto cum Regis Hispani odio Gallico sceptro sese subiiciat. Gallus vniuersis regni sui viribus contendat, vt ea loca quæ à Nauarræ limitibus Gamonalum vsque duobus millibus passuum citra Burgos sunt, vxori suæ Catharinæ reddantur: quod olim maiorum suorum possessionem fuisse ex antiquis monumentis constaret. Hæc inter vtrumque, cum iniuria & Pontificis Maximi & Catholici Regis constituta. Sed non magis Regi Nauarræ, Aragoniæ Regis industria & vigilantia, quam Galli negligentia obfuit: qui ex eo quod Angli qui Fonterabiam dudum venerant, nihil effecerant securior factus; & Nauarræ Regem se aliquamdiu propriis viribus tueri posse ratus, in auxiliis mittendis remissior fuit.

Nauarræ Rex ad Pyrenæos montes fugit.

Quare cum Aragoniæ Rex, qui Nauarri spes callide fouerat, copias, quæ vt Anglis coniungerentur erant comparatæ, summa celeritate eo conuertisset. Nauarrus quod esset imparatus, belli sustinendi spe amissa, in Biernam regionem trans Pyrenos montes fugit. Sic Nauarræ regnum nonnullis munitis locis, quæ pro fugitiuo Rege custodiebantur exceptis, derelictum absque vllo labore & sumptu, ac magis Anglorum qui haud procul erant metu, quam propriis viribus, in Aragoniæ Regis potestatem venit, qui cum se illud legitime possidere alio nomine affirmare non posset, occupationem iure Pontificii imperii factam esse, Sacrosanctæ Sedis autoritate differebat. Pontifex enim rebus in Italia feliciter gestis minime contentus, paulo ante edictum in Galliæ Regem quo illum non amplius Christianissimum sed Illustrissimum appellans, cum & quotquot illi studerent Reges ac Principes, omnibus hæreticorum & schismaticorum pœnis subiiciebat: cuius fortunas, regna, resque illorum omnes iure occupandi facta potestate, damnatos declarabat: eademque acerbitate, quod Schismaticos Cardinales & reliquos Antistites qui Mediolano aufugerant, Lugdunum recepti fuissent indignatus, grauissimo edicto mandauerat, vt nundinæ, quæ quater quotannis maximo mercatorum cõcursu Lugduni celebrari solitæ, deinceps Geneuæ, vnde prius illas Ludouicus XI. ad regni sui commodum transtulerat, celebrarentur: ac demum vniuerso Galliæ regno sacris interdixerat.

VII. *Ferdinandus Rex Hisp. Regis Neapol. filium incarcerari iubet.*

Eadem tempestate, cum patefactum esset Ferdinandum Friderici Neapolitani Regis filium, qui se Calabriæ Ducem profitebatur, cum Galliæ Rege clam pactum, fugam in Gallorum castra, quæ non procul ab Logrugnio oppido posita erant meditari, à Catholico Rege in Sciatiuæ arcem, qua Aragonii Reges, tamquam eorum qui aut generis nobilitate, aut virtute clari essent, carcere vtebantur, missus est: & eandem ob causam Philippus Copula Neapolitanus, qui de his rebus clam ad Galliæ Regem iuerat, in quatuor partes est dissectus: fortuna sic hominum statum immutante, vt ipse eius causa tam graue supplicium subiret, à cuius paterno auo Sarnensis Comes ipsius pater securi fuerat percussus. Hæc autem coniuratio detecta, nonnihil Italiæ rebus momenti afferebat; quæ à quodam Monacho quem Ferrariensium Dux occulte ad Ferdinandum miserat, originem habuit. quo facto Rex Catholicus, iam ad Pontificis obsequium propensior, ira accensus est multo maiore; adeo vt ProRegi, & suo apud Pontificem Oratori mandaret, vt quandocumque Pontifici visum esset, exercitum suum in Ferrariensem ducerent, neque aliam pecuniam, præter eam quæ ad exercitum fouendum esset necessaria, peterent. In eam rem Hugo Moncada ProRex Siciliæ Tripoli deductos milites, equitumque numerum secum Neapolim auexit; ac Spinelus Cariati Comes pro Catholico legatus, Venetos in fœdere persistere hortatus est. *Guiciardinus libr. 10. & 11. Rubeus libr. 8. Sebastianus Branca in Notis Diariis Rom. MS. Vatican. num. 1294. & 1295. Nebrissensis libr. 1. Gomecius in Ximenio lib. 5. Mariana lib. 30.*

VIII. *Concilii Lateran. initium & progressus.*

Cæterum quod attinet statum & progressum Lateranensis Concilii. Iulius Pontifex eius celebrandi cura districtus, inprimis octo designauit Cardinales in Senatu, qui mature considerarent, quæ comparare opus esset, ac vero diligentem operam nauarent moribus tum Romani populi, tum præcipue Curiæ aulæque Pontificiis acriori censura castigandis. Neque enim decebat, vbi domicilium sanctitatis & pudicitiæ esse debet, vnde leges prodeunt probitatis, à quibus iura sacraque petuntur; ibi vigere prauitatem altis nixam radicibus; quod oculos & animos offenderet Episcoporum è toto orbe confluentium. Enimuero Summus Pontificatus sanctos vel accipiat, vel faciat æquum est. Siculos & Neapolitanos Præsules prioribus edictis parere excusantes, maiori quam alios cura euocabat. Ex Hispania quoque, ac nominatim Toletanum Hispalensemque vt venirent vrgebat, nobiles præ ceteris Antistites & graues. Eorum præsentia honestare Conuentum cupiebat, actionibusque auctoritatem maiorem conciliare, visque eo studio prouectus, vt Hispalensi purpuræ honorem modo venienti deferret. Pisani Conciliabuli existimationem per eum modo obscurare cupiebat. Nam factiosi & schismatici Cardinales Pisis Mediolanum, & hinc Lugdunum translati, eo audaciæ erant progressi, vt edicta euulgarint in Pontificem contumeliosa & grauia sententiæ subornatis falsisque testibus nixæ exempla pro foribus templorum Mediolani, Florentiæ, Genuæ, Veronæ, atque Bononiæ sunt affixa. Proiectam audaciam probrumque ingemuit orbis Christianus: Pontificique stimulos addidit, vt in cœptis festinaret. Ergo ad Quintum Idus Maii quo festiuitas Inuentionis Sanctæ Crucis celebratur, Lateranensis Concilii inchoationi Pontifex solennem pompam indutus, affuit, actionum omnium præses & moderator. Affuere Cardinales atque Episcopi magno numero ex variis regionibus in studium iuuandi Ecclesiam; ac Pisanorum Patrum audaciam frænandi incitati. In primo conuentu Egidius Viterbiensis Augustiniano Ordini Generalis Præfectus excellens ea ætate atque præ cæteris clarus in Italia concionator, iussus è suggestu dicere subiecta sententia elegantem ad Patres orationem habuit;

Anni fluxere aliquot, ex quo per vniuersam Italiam ex Ioannis Apostoli Apocalypsi dicendi sumpta occasione, magnas Ecclesiæ

calamita-

calamitates instare sum vaticinatus: certum tamen ex iis malis emergendi aliquando spem promitti. Lætor Patres, atque ex animo gaudeo nostrum vaticinium inane non extitisse. Rebus enimuero in extremum discrimen adductis, & in tetram malorum caliginem, quasi post obscuræ noctis tenebras melioris spei lumen ostenditur, serenum post sæuam ventorum & turbinum tempestatem. Hoc discrepant inter cætera à cœlestibus terrena, quod illa instauratione non indigent, quippe æterna natura: res humanæ propter innatam inconstantiam & varietatem remediis opportunis, ne penitus intereant soluanturque, reparari identidem opus habent. Quod victus animantibus, quod cultura irrigatioque plantis est, id in vita & moribus accurata disciplina; ne noxiis vitiorum sentibus siluescant atque vastentur instar neglecti agri. Bonus agricola arbores vel adminiculis erigit, vel circumcidendo castigat, sub aliena latentibus vmbra cælum aperit, ramorum densitate impeditas interlucat, telluris vitio laborantibus mutat locum: neque rectas tantum & fertiles colit, sed deprauatas corrigit, & minus fructuosas: neque sudori parcit, modo prædia hortique nitescant: Tantundem de pastoribus dici potest. Sed locum videtis. Ergo doctrina & exemplis excolantur animi; quæ in populi moribus delapsa fluxere, seuerioribus legibus adstringantur. Ea cultura esto. Vos omnes cœlestis Pater huius agri custodes & cultores dedit, sui gregis curatores. An æquum videatur inertiæ se dare? altum stertere? & non potius cui omnia debemus, pro ea vitam sanguinemque profundere? Possunt quidem eam diligentiam pastores in suis singuli caulis præstare, tantum ne exitialis somnus inuadat: verum à tempore Magni Constantini vsu perpetuo edocti sumus, multo id commodius contingere, maiori efficacia, cum Antistites in vnum locum conuenientes, diuinoque afflatu adiuti inter se conspirantes, de salute publica in commune consultant. Repetite Patres veteres historias, euoluite antiqua scriptorum monumenta, reuocate in memoriam superiores ærumnas & mala. Quis hæreses antiquas & sectas nefarias à stirpe conuulsit? Concilia. Quis Principum insolentiam frænauit, terrorem improbitati ne se efferret grauis & importuna quis incussit? An non id Concilia præstitere? Longum esset explicare singula. Sed certe, quid Ecclesiæ maiestatem tuetur, cultum religionis & sanctissimas cærimonias illustrat, populi prauitatem coercet, fouet pietatem, & legibus vt obtemperetur facit? An non hæc omnia à Conciliis præstantur? Quod si labori & industriæ fructus non respondet, si vitiorum pestes in multorum perniciem & reipublicæ dedecus maiori quam opus esset licentia grassantur; videte Patres, ne forte salutaris instituti intermissio eam consciuerit labem. Magna vis horum Conuentuum extitit, saluberrima operatio; ita tamen si accedat innocentiæ in nostris moribus & probitatis exemplum. Certissimum subsidium à vita rectorum reliquæ diligentiæ paratur; nostri capitis imitatione & Doctoris, qui vt diuinæ perhibent literæ, cœpit facere & docere. Salutaris doctrina est, Sed si docentis exemplis iuuetur. Displicet hominibus imperata correctio; actione facillime iubetur, exemplo facillime obtemperatur. Mouent enim magis exempla quam verba; atque vtinam, ô vtinam tam multi bene operarentur, quam multi præcipiunt bene. Verum in re certissima hærendum non est. Sed quis tamen non videat, non gemat æui huius ærumnas continuas & graues? Mores populi in omnẽ licentiam solutos, imperitiam, ambitionem, impudicitiam, vbi minus decebat grassari? Intemperantiam & rapinas Principum, ac militum, an vtrorumque? Dicam audacter fortasse, sed vt arbicror vere, siccis oculis quis aspiciat Italiæ campos humano madentes sanguine magis quam de cælo imbribus vndantes; per vrbes & oppida gladios, innocentiam oppressam? Hæc aliaque multa mala vestram opem, Patres expectant. ea sublata spe, vnde remedium nostris miseriis petatur? Magnam prouinciam, Pater Sancte, suscepisti: multa aggressus es, & perfecisti præclare. Sublata latrocinia, aperta itinera, plures ad sacrum imperium vrbes restitutæ quam à quoquam alio ab omni memoria Pontificum. Magna hæc sunt atque præclara, quis neget? quis non videat? Omnium tamen maximam à tua prudentia cuncti præstolamur opem. Principibus Christianis pacatis, in communem hostem omnium opes viresque conuerte. Id vt facilius contingat, positis absonis armis, ea arripiamus quæ militiæ nostræ sunt consentanea. Iis vitia, ac omne genus scelera multa quamuis & fœda, sunt impugnanda. Quando enim vita solutior? quando ambitio magis effrenis? Quando maior de diuinis rebus loquendi sentiendique, vt cuique placet, licentia? Laniena sæuior an vllo tempore accidit, quam quæ Brixiæ prius, deinde ad Rauennam extitit cruoris riuis nondum exsiccatis? Quæ omnia quid aliud quam voces cœlestes sunt, denuncianntes, quantopere ad hæc suprema remedia, sacramque anchoram recurrere esset necesse. Fructus vt cumulatior existat, modestiæ studio, clamores amoueantur & iurgia. Sed cum eo tamen, si loquendi decernendique libertas sit omnibus, vt maxime quædam dolorem facere videantur. Magna à vobis Patres DEO debetur gratia, quos lingua, moribus & genere discrepantes in hunc locum perduxit: magna laus vobis ab omnibus bonis, qui tantos labores sumpsistis præ studio iuuandi Ecclesiam. Magna sapientia in his angustissimis ædibus & sedibus versatur, auctoritas non impar. Aderit Christus suo nomine, cuius agitur causa, ciuesque cœlestes omnes. Vos inprimis Petre & Paule clara inter cœlestes lumina, Ecclesiæ sanctæ atque huius vrbis tutelares, clamores nostri & singultus ad misericordiam flectant. Ecclesiam vestram iuuate, vestram, inquam, sudore vestro consitam cultamque vineam, diuinam, CHRISTI & vestro sanguine irriguam hæreditatem; & quam à tyrannorum sæuitia liberastis, ne eorum manibus extirpetur & pereat, qui se filios eius & familiares profitẽtur, benigne facite. Cunctos hos Patres & S. Præsules confirmate cœlesti ope; vt mentis oculis in Deum solum coniectis, ac nihil præterea captantes, quæ nostra vulnera postulant, & tantæ miseriæ exigunt, ea adhibere ne metuant remedia. Orat populus, viri, fœminæque; omnis ætas, omnis sexus, totus orbis, omnes patres, senatus vniuersus, obsecrat, & obtestatur; ac inprimis ipse summus Pontifex flagitat, vt se, vt Ecclesiam, vt vrbem Romam, hæc templa, has aras, hæc sacra, hæc vestra ipsorum capita seruetis, ac synodum Lateranensem hodie auspicato inchoatam, nobis, Ecclesiæ vestræ, totique reipub. Christianæ in orbis terræ certissimam salutem, S. Spiritus numine confirmeris, curetisque & pacari Principes Christianos, & in publicum Christi hostẽ Mahomethem nostrorum Regum arma conuerti; atque his fluctibus, his tempestatibus, his aquis, non modo non extingui Ecclesiæ charitatem, sed almæ crucis virtute, & diuini spiritus auspicio, quibus iunctim hodie sacra litantur, ablui potius ab omnibus conceptis maculis, & in antiquum splendorem munditiamque restitui.

In eam sententiam Ægidius perorabat. Pontifex peractis de more supplicationibus, ac Euangelico per Ludouicũ Cardinalem Aragoniũ decantato, Alexandro Cardinali Farnesio, vt schedam infrascriptam recitaret, imperauit. Ea vero his ipsissimis Pontificiis verbis concepta fuit.

Indicto per nos hoc sacro Lateranensi Concilio, de quo cum in minoribus essemus sæpenumero cogitauimus, & ad summi Apostolatus apicem vocati omnino nobis celebrandum proposuimus; dum ante ipsius inchoationem bella inter Christianos vigentia sedare, & oues perditas ad ouile Dominicũ reducere intendimus; repente intestina hæresis, insidiante Sathana bonorũ operum perturbatore, domum Dei quam decet sanctitudo inuasit. Ne igitur contagiosa pestis latius serperet, & Christi gregem nobis commissum sensim inficeret, pastorali officio iugiter inuigilantes, vocemque Isaiæ animo repetentes; Ini consiliũ, coge Concilium; diutius cunctandum fore non duximus. Conuenimus itaque Venerabiles Fratres, vosque dilecti filii hodierna solenni die in hac Lateranẽsi Basilica: vt in Spiritu S. congregati, viam veritatis eligamus, & abiiciẽtes opera tenebrarũ induamur arma lucis. Vos igitur hortamur in Domino, vt illũ præ oculis habentes qui est via, veritas, & vita, in mediũ libere consulatis, Deo magis quã hominibus placere studentes. Speramus enim, Domino cooperante, in hac sacra Lateranẽsi Synodo, sentes ac vepres ab agro Domini penitus extirpare, deprauatos mores ad meliorem frugem redigere, pacem inter Christianos Principes componere; denique expeditionem aduersus hostes fidei inter se dissidentes decernere; vt in hoc vexillo salutiferæ Crucis, quæ huic sacro Concilio auspicatissimum dedit initium, antiqui hostis insidias superare valeamus.

Publicato superiori edicto, prima sessio ad diem X. Maii prorogata fuit. In ea post sacra absoluta, publicatasque literas tum indictionis, tum prorogationis Concilii, idẽ Alexander Farnesius Cardinalis prosecutus est cedulam tenoris infrascripti.

Statuto itaque tempore congregati per Dei gratiam, vna cum Venerabilibus Fratribus nostris S.R.E. Cardinalibus, & nostra Curia præsignato in loco Lateranensi ipsius Basilicæ, de sacræ synodi huius consilio, publicæ fideliũ paci, Catholicæ fidei propagationi, & reformationi vniuersalis Ecclesiæ, nec non hæreticæ prauitatis nuper exortæ extirpationi intendentes, quia non satis in re tam ardua & ponderosa per se consilia humana sufficiunt, nisi diuinũ adsit auxilium, ab ipso per orationes & cultum Dei sumentes initium, hoc sacro Generali approbante Concilio statuimus, vt hac ipsa die speciali ad hoc constituta, celebretur Missa, quemadmodum est per Dei gratiam celebrata, quam etiam iussimus, & in hac, & in singulis aliis Collegiatis, tam secularibus quã regularibus Vrbis Romæ Ecclesiis, semel in hebdomada, videl. feria secunda, sacro hoc durãte Concilio celebrari; vtque feruentius eius sacri Concilii celebrationi fideles assistant, ampliori se gratiæ munere sentientes refectos, omnibus vere pœnitentibus & confessis, videlicet Sacerdotibus

eadem Missas celebrantibus, pro singulis Missis annos tres, interessentibus vero duos, de iniunctis eis pœnitentiis in Domino relaxamus, in forma Ecclesiæ consueta. Ad cuius Missæ etiam celebrationem hortamur Venerabiles Fratres nostros S.R.E. Cardinales, nec nõ Patriarchas, Archiepiscopos, Episcopos, & dilectos filios Abbates, cæterosq; in sacer dotali ordine constitutos, vt & ipsi ad impetrandum diuinũ auxilium, cum deuotione singulis septimanis prædictũ Missam celebrent semel, quibus celebrãtibus, & celebrationi interessentibus similes gratias largimur. Hortamur in Domino etiam omnes & singulos qui Christi nomine censentur, vt ad consequendũ inceptæ rei prosperum successum, & optatam consummationem, diligeter precibus, orationibus, ieiunijs, eleemosynis, aliisq; piis operibus velint insistere, vt Deus nostra & ipsorum humilitate placatus, dignetur felicem exitũ huic sacræ congregationi concedere. Insuper, quia veterum Conciliorum, & Patrum S. institutanos mouẽt, vt à concernẽtibus Catholicam fidem sacra incipiatur Synodus, & seruandam esse laudabilem consuetudinem censeamus; attendentes talia propter eorum arduitatem, & pondus diligentiã & spatiũ temporis capax exigere: hortamur omnes & singulos literarum peritiam habẽtes, quibus huic sacro Generali Concilio interesse contiget, vt diligenter secum & cum aliis illa cogitent, atq; tractent, quæ eis videbuntur ad hanc rem vtilia & opportuna; & cumprimum commode poterunt, illa ad nostram huiusq; sacræ synodi notitiam referant, vt tempore opportuno terminari possit, quæ tenend.a, vel repudianda pro vtilitate & ipsius Catholicæ fidei incremento videbuntur.

Hortamur præterea congregatos hic omnes, dilosq; ad Synodum hanc sacrã venturos, vt cogitare diligenter velint, deinde proponere ea, per quæ possit etiam congregatio Catholicorũ ad debitam reformationem & tranquillitatem optatã Deo iuuante perduci; nostræq; intentionis & mentis est, vt omnes hac causa congregati, cum omnimoda libertate dicere, consulere, & facere omnia & singula quæ ad præmissa putauerint pertinere, possint & valeãt, iuxta aliorum Conciliorum antiquorum consuetudinem.

Vt autem notus sit omnibus modus, qui in sacræ huius Synodi processu erit seruandus, tam quoad ea quæ dicenda terminandaq; erunt, quam quoad consessum & gestum iuxta tenorem Canonis Toletani erit hic norma notata. In loco benedictionis, consedentes Sacerdotes Domini, nullus debet aut indiscretis vocibus perstrepere, aut vllis tumultibus perturbare: nullus etiam falsis & vanis risibus, vel quod deterius esset obstinatis disceptationibus, tumultuosas voces infundere. Si quis autem, vt ait Apostolus, religiosum se putans, non refrenãs linguam suam, sed cor suum seducens, huius vana est religio; Cultum etiam suum iustitia perdit, vbi silentium iudicii obstrepentium turbatio confundit, dicente Propheta: Erit enim cultus iustitiæ silentium. Debet ergo quicquid aut confidentium consultationibus agitur, aut ab accessantiũ parte proponitur, sic mitissima verborum relatione p oferri, vt nec contentiosis vocibus sensus audientium conturbet, nec iudicij vigorem de tumultu eneruet. Quicunq; ergo in conuentu Concilii præmissa non obseruanda putauerit, & contra hoc interdictum, aut tumultu, aut contumelia vel risibus Concilii perturbauerit, iuxta diuinæ legis edictum, quo præcipitur ejicere derisorem, & exibit cum eo iurgium, cum omni dedecore & confusione abstractus, à communi cœtu recedat, & trium dierum excommunicationem ferat.

Quoniam vero communiter contingere potest, quod aliqui ex consedentibus non erunt in sedibus debitis collocati, eodem sacro approbante Concilio decernimus, quod ex sessione huiusmodi, nulli Ecclesiastice vel seculari personæ præiudicium generetur.

Quia etiam ad prosecutionem huius Generalis Concilij, ministri & Officiales idonei requiruntur, hoc eodem sacro approbante Concilio, infrascriptos spectatæ fidei sufficientesq; viros ad ipsa ministeria deputamus. videl. Inprimis dilectum filium nobilem virum Constantinum Comnitem, Macedoniæ Ducem, Achaiæ Principem, Generalem Concilij custodem; Conseruatores Almæ vrbis & Officiales Romanos, loci ipsius Concilij, Milites autem Hierosolymitanos personæ nostræ curam habere volumus. Itẽ dilectos filios Nicolaum Lipomanum, Franciscum Spinulam, Alfonsium de Lerma, & Paulum de Cæsis Notarios nostros, qui videndi omnes scripturas, quæ in eodem Concilio fient curam habeant specialem; ita quod concorditer & ordinate fiant sicut decens est, & omnibus ordinatis in præfato Concilio se subscribant. Nec non dilectos filios Magistrum Benedictum Truleti, Bernardum Scultreti, Bernardinum de Conteras, Franciscum de Atauantis, præfati Concilij Notarios & Scribas, qui Notariis supradictis subalternent. Item dilectos filios Thomam Fedram Bibliothecæ nostræ Præfectum, & Bartholomæum Salycetum eiusdem Concilij Secretarios. nec non dilectos filios Iacobum Simonetam causarum sacri Palatii Auditorem, Hieronymum de Genuthijs Apostolicæ Cameræ Auditorem, Aluarottum de Aluarottis literarum Apostolicarum Abbreuiatorem de maiori parco, Manilium Rabbum Accolythum Capellæ nostræ Scrutatores votorum, quorum duo ex vna, alij vero ex altera parte Concilij vota scrutentur, & cum ipsis duo ex eisdem Notarijs, & duo ex Scribis supradictis in votorum scrutatione semper debent interesse. Dilectos filios Paulum Plancam, Iustinum de Carosis Fiscalem, Angelum de Cesis, Ioannem Baptistam de Senis, Melchiorem de Bardasinis Aduocatos, Marianum de Cuccinis Fiscalem, Thomam Regis & Bernardum Mocharum Procuratores; Locorum autem assignatores Paridem de Grassis, & Balthasarem Nicolai Viterbien. Magistrũ Cerimoniarum, volumus loca assignare debentibus in concilio sedere. Si qua vero legenda occurrerint sessione sequenti, Venerabilem Fratrẽ Archiepiscopum Spalatensem ei muneri deputamus.

Lecta superiori schedula, omnibus requirente eodem Cardinali Fernesio, placuit. Officiales designati, coram Raphaële Riario Card. S. Georgii Camerario, iuramentum fidelitatis præstiterunt. Archiepiscopus Spalatensis verba pro concione dixit. Sessio secunda ad diem XVII. Maii designata. Ea congregata, sacris absolutis, & oratione per Thomam Caietanũ Dominicanum dicta, publicatoq; mãdato confœderationis Henrici Regis Angliæ cum Iulio Pontifice, lectũ fuit mandatum Regis Hispaniæ, his ipsis verbis conceptum.

Ferdinandus Dei gratia Rex Aragonum, Siciliæ citra & vltra Pharum, Hierusalem, Valentiæ, Maioricarum, Sardiniæ & Corsicæ, Comes Barchinonæ, Dux Athenarum & Neopatriæ, Comes Rossillonis & Ceritaniæ, Marchio Oristani & Gotiani, necnon Administrator & Gubernator Regnorum Castellæ, Legionis & Granatæ. &c. pro Serenissima & potentissima Ioanna filia nostra charissima, cuius personæ & bonorum curam gerimus. Vniuersis & singulis præsentium seriem inspecturis notum facimus, quod licet nos cumprimum intelleximus Sanctissimum ac Beatissimum Dominum nostrum Iulium diuina prouidentia Papam Secundum, pro defendenda Sanctæ Romanæ Ecclesiæ indiuisibili vnitate, schismatum hæresumque pullulatione resecanda, morum vniuersali reformatione, & sanctissima contra infideles & sacrosanctæ fidei Catholicæ hostes expeditione obeunda Concilium Lateranense conuocasse, proposuerimus, & tota mente ac totis viribus nostris præfatæ Ecclesiæ & Summi Pontificis monitionibus facere satis; multo tamen acrius sollicitati fuimus, postquam Venerabilis & dilectus noster, vtriusque iuris Doctor Guillelmus Cazador Causarum Sacri Palatii Auditor, & eiusdem Sanctitatis Capellanus & Nuncius ad hoc specialiter destinatus, ad nos & alios christianos Principes missus, publice atque palam insinuauit, dicti Sacri Lateranensis Concilij conuocationem, & schismatici Pisani continuationem, Ecclesiæ vnicæ Romanæ scissuram, & nauiculæ Christi fluctuationem, quid in causa tam ardua prouidendum sit, quandoquidem tuitionem, & propugnationem Ecclesiæ, licet requisiti, sponte tamen & gratuite suscepimus, ne Dei Optimi Maximi honorem negligere videremur. Profitemur enim nos filium eiusdem S.R.E. matris nostræ dedititissimum, proq; eius honore atq; statu animam ponere paratissimum. Cũ igitur præfata sacrosancta mater Ecclesia innitatur, tam sanctum, tam salubre, atq; laudabile propositum prosequi atq; perficere, vt fides Catholica non modo conseruetur & manuteneatur, sed etiam augeatur, & Mahometana secta eneruetur, cuius rei nos impulsores, atq; effectores Deo auctore semper extitimus, operæ pretium arbitramur, vt ea omnia pro portione nos contingẽte præparemus, quæ dicto Sacro Lateranensi Concilio consentanea & opportuna fore videantur. Quapropter fidem, constantiam, sagacitatem atq; agibilium experimentum nostri Magnifici & dilecti Consiliarij Hieronymi de Vich nostri in Romana Curia Oratoris haud paruifacientes, non tamen in præiudicium, nouationem, seu derogationem quarumuis potestatum per nos vobis hactenus tributarum, sed illis potius addendo & accrescendo, eis quidẽ melioribus, validioribus, & efficacioribus, via, modo, iure, & causa quibus facere possimus & debemus, facimus, constituimus, creamus, deputamus, & solenniter ordinamus, nostrum, & dictæ Serenissimæ Ioannæ Reginæ filiæ nostræ charissimæ, verum, certum, legitimum, & indubitatum Procuratorem, factorem, negotiorumque infrascriptorum gestorem, ac nuncium specialem & generalem, ita quod specialitas generalitati non deroget, nec è contra; Vos eundem Hieronymum de Vich Oratorem nostrum, licet absentem tanquam præsentem, ad interessendũ videl. consentiendum, dissentiendum, protestãdum ac fieri requirendum, pronobis dictis nominibus, proque dicta Serenissima Regina Ioanna filia nostra charissima, regnisque atque dominijs & populis ditioni vtriusque nostrum subiectis, omnia & singula, quæ præparationi, celebrationiq; dicti Sacri Lateranensis Concilij opportuna suffragantia, conducibilia & conueniẽtia sint, & sine quibus illud commode celebrari non posset;

nec non dicti schismatici, permissi Pisani Concilabuli impeditiua, refragantia, & ad nullitatem in eo attentatorum seu attentandorum pertinentia, ne illud longius procedat, sed tanquam miuta, perperam, & inique congregatum dissolutur & euanescat, & pernicios issimum schisma fugetur & tollatur: comparendumque atq; interessendum dũ tempus affuerit, eisdem nominibus in dicto Sacro Lateranensi Concilio, & in omnibus actis, & processu eiusdem, ibiq; obedientiam debitam præfato Beatissimo Domino Nostro Papæ tottens quotiens opportunum fuerit præstandum & recensendum, consitendumq; atq; recognoscendum eundem Dominum Iulium Papam secundum esse verum, n. cum, Canonicum & indubitatum Pontificem, & Dominici gregis Pastorem, & in eodem sacro Lateranensi Concilio decendum, proponendum, tractandum, vouendumq; dictis nominibus & vtrouis eorum, omnia & singula quæcumq; inchoationi, celebrationi, continuationi & conclusioni dicti Sacri Lateranensis Concilij, & quæ in eo proponentur & tractabuntur, vnioniq; & indiuiduitati dictæ S.R.E. matris nostræ, & membrorum eius, nec non morum vniuersali reformationi, & dicti pernicios issimi schismatis nullitati & extinctioni, fideique augmento, & sanctissimæ atq; Catholicæ ligæ nuper initæ conseruationi & implemento, atq; præfactæ, (iamdiu est) à nobis optatæ incæpteq; in hostes eiusdem fidei expeditioni necessaria, seu etiam opportuna, & sine quibus commode fieri, seu perfici nequirent. & quoniam multa eorum verisimiliter indies occurrere possint, quæ nobis ad præsens minime occurrunt, exprimi & specificari ad validitatem actorum seu agendorum necessaria, & sine quorum expressione forte de iure non teneret, de quibus si notitiam, informationemque haberemus, ea omnia exprimere non omitteremus prouidere volentes, ne ipsa expressio per nos præsentibus non facta vllum incommodum tantæ rei propter loci distantiam pareret, seu causaret, vobis potestatem tribuimus ea omnia huic nostro mandato dictis nominibus & vtrouis eorum, de peritorum consilio addendi exprimendiq;, per quoscumque Notarios atq; tabellliones, inde per vos requirendos secundum eorum stilum adiicienda, annotanda, seu extendenda, iuxta occurrentium qualitatem, & exigentiam negotiorum, & rerum de quibus supra. Quæ omnia & singula per vos (vt præfertur) extendenda & declaranda, illam vim, illudq; robur habere volumus, quod haberent si per nos extensa & declarata præsentibus extitissent, & pro omnibus & singulis supradictis quæcunque iramenta de secreto seruando, & alia nomine nostro, & in animam nostram præstandi & subeundi, omniaq; & quæcumq; instrumenta necessaria & opportuna cum pactis, pactionibus, stipulationibus, bonorum nostrorum & dictæ Serenissimæ Reginæ filiæ nostræ charissimæ obligationibus, renunciationibus, iuramentis, clausulis, & cautelis necessarijs, vtilibus, seu etiam opportunis faciendi & seruandi, firmandi seu concedendi, generaliter & omnia alia peragendi quæ in prædictis & circa prædicta necessaria & vtilia sint, seu etiam opportuna: etiamsi talia forent, quæ mandatum specialius exigerent, quam præsentibus est insertum, & sine quibus ea fieri nequirent, quæ nos dictis nominibus faceremus seu facere possemus si adessemus. Nos enim supradictis nominibus & vtro à eorum nomine, in & sin er prædictis connexis committimus, atque confirmamus vobis eidem Procuratori, Nuncio & Oratori nostro plenarias vices nostras cum omnimoda & indefectiua facultate, ratum gratum, validum atq; firmum perpetuo habituri, quibus supra nominibus, totum id, & quicquid, & quantum in prædictis, & circa ea, & quodlibet eorumdem procuratum & actum fuerit, sive gestum, & nunquam revocaturi, sub bonorum & iurium nostrorum, & dictæ Serenissimæ Reginæ Ioannæ filiæ nostræ charissimæ respective omnium hypotheca, & sub omnis iuris & facti renunciatione adhæc necessaria pariter & cautela. In quorum fidem & testimonium præsentes fieri iussimus, manu propria subsign.atas, sigilloque nostro pendente munitas. Datum Burgis die secundo mensis Decembris Anno à Natiuitate Domini Millesimo Quingentesimo Vndecimo. Yo le Rey.

Dominus Rex mandauit mihi Michaeli Perez. Daluiaz.an.

Perlecto superiori mandato, dictis orationibus & letaniis more solito, præstitaq; solita & consueta obedientia per Cardinales & Prælatos Pontifici, & benedicto Concilio, cantatoq; Euangelio Attendite à falsis per Ludouicum Cardinalẽ Aragonium, Bernardus Zane Archiepiscopus Spalatensis legit edictum contra Conciliabulum Pisanum tenoris infrascripti.

Iulius Episcopus Seruus Seruorum Dei. Ad perpetuam rei memoriam. Sacro approbante Concilio.

Cum inchoatum huius sacri Lateranensis Concilij celebrationẽ, ad Dei laudem, vniuersalis Ecclesiæ pacem, fidelium vnionem, schismatis & hæresum euersionem, morum reformationem, ac contra perfidos fidei hostes expeditionem altissimi dextera assistente prosequi intenda-

Anno Incarnationis Dominicæ Millesimo Quingentesimo Duodecimo, Sexto decimo Kalendas Iunij. Pontificatus nostri anno nono.

Lecto superiori diplomate, omnes consenserunt. Pro absentibus Episcopis, Procuratores comparuerunt. Consequenti tempore, die vltima mensis Octobris, propter aduentum Episcopi Gurcensis, pro Maximiliano Cæsare locum tenentis, quem propediem venturum certum erat, tertia sessio prorogata fuit, ad tertium diem mensis Decembris. Ea veniente, congregatis Patribus, celebrata Missa per Marcum Card. Episcopum Prænestinum, recitata oratione per Alexium Episcopum Melfitensem, decantatis letaniis, orationibus & Hymno Veni Creator spiritus, cantatoque Euangelio, *Ego sum pastor bonus*, per Ludouicum Card. Aragonium, Thomas Fedra legit ex suggestu mandatum Cæsaris infra scriptum.

Maximilianus diuina fauente clementia Electus Romanorum Imperator semper Augustus, ac Germaniæ, Hungariæ, Dalmatiæ, Croatiæ &c. Rex. Archidux Austriæ, Dux Burgundiæ, Brabantiæ &c. Comes Palatinus Hannoniæ, &c. Recognoscimus, & tenore præsentium notum esse volumus vniuersis: cum in præsentia nos destinamus in Italiam, & ad vrbē, Venerabilem Mathæum Episcopum Gurcensem, Principem, Consiliarium & locumtenentem nostrum Generalem in Italia, deuotum, dilectum pro quibusdam rebus nostris ibi faciendis, idcirco nos de eius dexteritate, ingenio, atq; rerum gerendarum peritia plurimum confisi, motu proprio, & ex certa scientia, ac animo deliberato fecimus, constituimus, creauimus, ordinauimus, ac tenore præsentium facimus, constituimus, creamus & solenniter ordinamus, præfatum Gurcensem, Principem & locumtenentem nostrum Procuratorem, actorem, ac negotiorum nostrorum gestorum specialem omni meliori modo via, iure, forma & ordine, quibus melius & validius possumus & debemus, ad comparendum pro nobis & nomine nostro in Synodo, seu Concilio Lateranensi, superiori anno per Sanctissimum in Christo Patrem & D. Dominum Iulium II. Sacrosanctæ Romanæ ac Vniuersalis Ecclesiæ Summum Pontificem, Dominum Nostrum Sanctissimum, de consensu Sacri Reuerendissimorum Dominorum Cardinalium Collegij indicto & denunciato, & illud approbandum & prosequendum, & si & in quantum opus foret ad alium locum & aliud tempus transferendum, etiam ex toto tollendum & extinguendum: nec non reuocandum, annullandum, & irritandum, & penitus delendum omnia & singula ea quæ Ecclesiam Gallicanā in ciuitate Turonis eodem anno superiori fuerunt acta, conclusa, & deliberata, & similiter ad reuocandum omnia & singula mandata, & procuratoria, si qua à nobis emanauerunt pro indictione Concilij Pisani quod nonnulli Cardinales tunc indixerant, & idem Concilium Pisanum penitus tollendum & extinguendum: dantes & concedentes eidem Gurcensi Principi locumtenenti & Procuratori nostro plenam & amplam potestatem gerendi & exercendi omnia & singula in præmissis & circa ea necessaria & opportuna, iuxta dexteritatem suam prout magis videbitur expedire: nec non ad faciendum omnia alia & singula quæ verus, & legitimus, & indubitatus procurator liberam & generalem facultatem habens circa præmissa facere posset. & quæ nosmet facere possemus, si præmissis personaliter interessemus: etiam si talia forent quæ mandatum exigerent magis speciale, ponentes dictum Procuratorem nostrum quoad præmissa fataliter in locum nostrum. Insuper promittentes in verbo nostro Cæsareo, & sub bona fide nostra nos gratum & ratum habituros, quicquid per præfatum Principem, Locumtenentem & Procuratorem nostrum in præmissis, & circa ea, cum omnibus suis dependentibus, emergentibus, & connexis actum, dictum, transactum, concordatum, seu conclusum fuerit: & nullo vmquam tempore contrauenire, directe vel indirecte, aut quouis exquisito colore, vel causa, de iure vel de facto, etiam si de iure possemus. supplentes præterea omnes & singulos defectus, tam iuris quam facti, qui in præmissis aliquo modo poterunt euenire. promittentes quoq;, vt si forte mandatum istud, ad aliqua per supradictum Procuratorem nostrum tractanda & concludenda sufficiens non foret, quod nos omnia, & singula huiusmodi tractata, & per supradictum Procuratorem nostrum sic conclusa, rata, grata, & firma habebimus, & obseruabimus, harum testimonio literarum sigilli nostri appensione roboratarum. Datum in ciuitate nostra Imperiali Colonia, die prima mensis Septembris Anno Domini Millesimo Quingentesimo duodecimo, regnorum nostrorum Roman. vigesimo septimo, Hungariæ vero vigesimo tertio. Per Regem. Ad mandatum Cæsareæ Maiestatis proprium.

Hoc perlecto, surrexit Gurcensis & legit scedam manu propria scriptam cuius tenor est talis.

Ego vigore dicti mandati Cæsareæ Maiestatis, Clementissimi & Inuictissimi Principis, ad abolendum omne schisma quod in Ecclesia Dei oriri posset, & etiam pro executione capitulorum conclusorum coram Sanctissimo Domino Nostro reuoco quodcumq; mandatum, qualitercumq; concessum Conciliabulo Pisano, & Procuratores quoscumq; qui in dicto Conciliabulo interuenerunt, & omnia acta & agenda per illud Conciliabulum, quæ declaro irrita & nulla, nomine præfatæ Cæsareæ Maiestatis: & adhæreo Sacro & Canonico Lateranensi Concilio, Ecclesiam vniuersalem repræsentante, rite & legitime congregato. declaro tamen etiam Maiestatem Cæsaream numquam dedisse mandatum ad præfatum Conciliabulum.

Declaratione facta, præfatus D. Matthæus Gurcensis accessit cum ea qua decuit reuerentia ad præfatum SS. D. N. & deosculatus est pedes eiusdem Sanctissimi Domini Nostri, comitante eum. Illustr. Domino Alberto de Carpi præfatæ Cæsareæ Maiestatis Oratore. Quibus peractis, Marianus petiit à Notariis ea de re confici publica instrumenta. & citatis ad comparendum omnibus qui Concilio interesse deberent, contumaciaque absentium accusata, Petrus Grifus Episcopus Foroliuiensis legit ex ambone Bullam tenoris infra scripti.

Iulius Episcopus Seruus Seruorum Dei. Ad perpetuam rei memoriam. Sacro approbante Concilio. Ad illius cuius perfecta sunt opera laudem & gloriam Sacrum Lateranense Concilium prosequentes, in hac tertia Sessione spiritu Sancto fauente legitime congregata, quam alias tertio Nonas Nouembris proxime præteriti faciendam in secunda sessione indixeramus, & deinde de Venerabilium Fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium consilio, vnanimiq; assensu in hodiernum diem tenendam ex certis tunc expressis, & alijs legitimis causis prorogauimus & indiximus, eodem sacro Concilio prorogationē & indictionem huiusmodi ex causis præfatis sibi notis approbante, post felicem faustamq; charissimi in Christo filij nostri Maximiliani Romanorum Imperatoris electi semper Augusti huic sacro Lateranensi Concilio veram adhæsionm & sinceram vnionem, omnia & singula per damnationis alumnos, Bernardinum Çaruaial, Guillhelmum Brizonet, Renatum de Bria, & Federicum de Sancto Seuerino olim Cardinales, eorumq; fautores, adhærentes, complices & sequaces, schismaticos, hæreticos, & in suam ac aliorum perniciem debacchantes, vnitatem sanctæ matris Ecclesiæ scindere satagentes, in Conciliabulo Pisano, Mediolani, Lugduni, vel alibi, quæcumq;, quotcumque, & qualiacumq; fuerint, etiam decimarum impositiones in vniuerso regno Franciæ per eos factas, quorum tenores & qualitates, ac si præsentibus de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales insererentur pro expressis haberi volumus, vsque in præsentem diem acta, gesta & facta, conscripta & publicata, seu ordinata, & in futurum forsitan gerenda, quamuis sint nulla, irrita, & inania, & à nobis, præfato Concilio sacro approbante damnata & reprobata fuerint, potiori pro cautela damnationi & reprobationi huiusmodi inhærendo, eodem Sacro Concilio approbante, damnamus, reprobamus, & detestamur, illaque nulla, irrita & inania, nulliusq; roboris, efficaciæ, effectus, vel momenti fuisse, & esse decernimus & declaramus. Nec non literas nostras per quas propter receptiones, fauores, adhærentiam, & auxilium per Regem Franciæ, & nonnullos alios regni Franciæ Prælatos, officiales, nobiles & Barones, schismaticis & hæreticis indicti Conciliabuli Pisani damnati & reprobati prosecutione notorie præstita, regnum Franciæ, & præsertim Lugdunum, Ducatu Britanniæ excepto, sub data videlicet Romæ apud S. Petrum anno Incarnationis Dominicæ Millesimo Quingentesimo duodecimo, Idus Augusti, Pontificatus nostri anno nono, de Fratrum prædictorum consilio Ecclesiastico subiecimus Interdicto, nundinasq; Lugduni fieri solitas in Lugduno extunc de cætero fieri inhibuimus, dictasq; nundinas in ciuitate Gebennensi faciendas transtulimus, cum decretis, declarationibus, inhibitionibus, omnibusque & singulis in eis contentis clausulis, similiter sacro Concilio prædicto de illis plenariam notitiam habente ac approbante, innouamus, regnumq; præfatum (vt præfertur) illiusq; ciuitates, terras, oppida, & loca quæcumq; huiusmodi interdicto subijcimus, ac ipsas nundinas ex Lugduno in ciuitatem præfatam Gebennensem faciendas transferimus. & vt sacrum hoc Lateranense Concilium ad finem vberrimæ fertilitatis deducatur, aliaq; plura & grauia in hoc sacro Lateranensi Concilio tractanda & discutienda veniant, ad Dei omnipotentis laudem, & Ecclesiæ vniuersalis exaltationem, quartam Sessionem continuationis celebrationis ipsius quarto Idus præsentis mensis Decembris faciendam, sacro Concilio præfato omnia approbante indicimus. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ prosecutionis, voluntatis, damnationis, reprobationis, detestationis, decreti, declarationis, innouationis, interdicti, translationis & indictionis infringere,

vel

vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem Omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri & Pauli Apostolorum eius se nouerit incursurum. Datum Romæ in publica sessione, in Lateranensi Sacrosancta Basilica solenniter celebrata, Anno Incarnationis Dominicæ Millesimo Quingentesimo duodecimo, III. Nonas Decembris, Pontificatus nostri anno 10. D. de Comitibus.

Lectum superius edictum, placuit omnibus: de quo facta publica instrumenta. Adueniente postmodum die Veneris, quæ in decimam mensis Decembris huius anni incidit, congregatis in quarta sessione Patribus, præsidente summo Pontifice Iulio II. cantata Missa per Nicolaum Cardinalem Fliscum, recitataque oratione per Christophorum Marcellum Nobilem Venetum, & cantatis orationibus & letaniis consuetis, & benedicta sacra Synodo per Pontificem, & aliis solitis Conciliorum cærimoniis, præstitaque ab omnibus Cardinalibus ac prælatis Pontifici consueta obedientia, Hymno *veni Creator spiritus* per Pontificem inchoato, & ab omnibus decantato, necnon Euangelio, *Exiit qui seminat seminare semen suum* per Marcum Card. Cornelium recitato, lectum fuit ex suggestu Mandatum Venetorum, tenoris infra scripti.

Leonardus Lauredanus Dei gratia Dux Venetiarum &c.

Cum Sanctissimus & Beatissimus in Christo Pater & Dominus Noster, Dominus Iulius digna Dei prouidentia Sacrosanctæ Romanæ ac Vniuersalis Ecclesiæ Pontifex Maximus, diuino afflatus numine, pro suo pastorali officio (vt verum decet in terris Christi Vicarium) & ad extinguendum hæreses, tollendumque pessimum exortum schisma, ac reprimendum eorum temerariam audaciam, qui diabolico spiritu inducti tunicam inconsutilem Domini nostri Iesu Christi discindere & dilacerare conantur: & deniq; pro bono pacis omnium Christianorum celebrare decreuerit, & iam indixerit Generale & Vniuersale Concilium in Laterano: Nosque inter alios Christianos Principes & Potentatus eiusmodi sancto operi adesse paterna charitate sit hortatus, sedulam adhibuimus operam vt status nostri viri Ecclesiastici & seculares doctrina, religione & moribus præstantes, qui rei conducere possent sese Romam conferrent: & ne vlla in re à summa deuotione, reuerentia, cultu, & obseruantia nostra erga Sacrosanctam Sedem Apostolicam, & eundem Sanctissimum Dominum nostrum deesse videamur, cum personaliter interesse nequeamus, vices nostras demandauimus, & tenore præsentium, omni meliori modo, via, iure, & forma, quibus magis, melius & validius, de iure vel de facto à nobis fieri potest & debet, demandamus Nobili & dilectissimo patritio Veneto Francisco Foscaro Equiti Oratori nostro Romæ agenti, vt Sacrosancto Concilio Lateranensi nostro nomine intersit, assistat, & ea omnia præstet & peragat, quæ à nobis quoquo modo adhiberi possent, aut incumberent, ad honorem, decus, dignitatem, tutelam & conseruationem, amplitudinemq; & exaltationem personæ eiusdem Sanctissimi Domini nostri Iulij Secundi Summi Pontificis, nec non Sanctæ Romanæ Ecclesiæ ac Vniuersalis Venerandi Lateranensis Concilij antedicti, cum ampla auctoritate, potestate, facultate atque arbitrio à nobis cum Consiliis nostris sibi tributis & impartitis, ad omnia & singula in tam pio, religioso, & salutari negotio, qualia & quantumcumque fuerint tractanda, peragenda, promittenda, iureiurando firmanda, præstanda, executioni mandanda & adimplenda, quæ nobis Venetoque dominio possent competere vel deberent, tam de iure quam de consuetudine, non secus ac si nos ipsi cum Dominio & Senatu nostro coram personaliter ageremus, faceremus, & adimpleremus. Promittentes omnia & singula ab eodem Oratore nostro quo supra nomine, tam verbo quam scripto in præmissis & circa præmissa pertractanda, concludenda, & firmanda approbaturos nos esse, rataq; & grata in perpetuum habituros. In quorum fidem & testimonium præsentes literas nostras in hac patenti forma fieri iussimus, & nostri soliti Sigilli quo in similibus vtimur appensione muniri. Datum in nostro Ducali Palatio, die x. Aprilis. Indictione xv. M. D. Duodecimo.

Hoc mandato perlecto idem Summus Pontifex mandauit eidem Thomæ Secretario, vt legeret infra scriptas literas claræ memoriæ Ludouici Regis Francorum XI. Sigillo eiusdem sigillatas, directas fel. rec. Pio Papæ Secundo, super reuocatione Pragmaticæ Sanctionis. Sunt vero huius tenoris.

Ludouicus Dei gratia Francorum Rex. Tibi Sanctissimo ac Beatissimo Patri nostro Pio Papæ Secundo obedientiam filialem, & plenos deuotionis effectus. Deum solum scientes cuius prouidentia bene consulitur rebus humanis, meliusque regna & vrbes religione regi atque defendi quam armis & mœnibus, Te Vicarium Dei viuentis ea veneratione prosequimur, vt sacra, præsertim in Ecclesiasticis rebus tua mandata veluti vocem Pastoris audire, illisque parere promptamente velimus. Quapropter Beatissime Pater, etsi Constitutio quædam in regno nostro quam Pragmaticam vocant, magno Prælatorum Conuentu, magna temporis deliberatione conclusa fuerit, & iam callum obducens quietum prope fixerit statū: Tu tamen tuis ad nos litteris illam à regno nostro auferri, explodi, abrogarique flagitas: nobis quoque dilectus & fidelis Consiliarius noster Ioannes Episcopus Attrebatensis, quem cum potestate Legati de Latere ad hoc regnum nostrum misisti, commemorauit ea ad quæ per ipsum Tibi nostro nomine pollicenda, vouenda, promittenda, nos antequam regnum suscepissemus religionis in se ritus quidam deduxerat. Nos nostra promissa exequi, accedente moderatrice rerum Ecclesiasticarum tua authoritate, studemus ac volumus; & id quidem tanto volumus animo propensiori, quanto nobis regnum Franciæ florens & bello vacuum tuetur Deus & protegit. Omnibus itaque victimis potiorem obedientiam intelligentes, assensi sumus his quæ Tuo nomine nobis aperta sunt, ipsam scilicet Pragmaticam sanctionem Tibi Tuæque Sedi esse infensam, vtpote quæ in seditione, & schismatis tempore, atque per seditionem sectionis à Tua Sede figuram orta sit: & quæ, dum Tibi, à quo sacræ leges oriuntur & manant, quantumlibet eripit authoritatem, omne ius & omnem legem dissoluit. Illud enim exoritur, quod idem Consiliarius in nomine Tuæ Sanctitatis astruxit, vt dum per Pragmaticam Sanctionem ipsam summa in Ecclesia Tuæ Sanctitatis autheritas minuitur, dum Prælatis in regno nostro quoddam licentiæ templum præstruitur, dum congruens vnitas ad alia regna conformitasque tolli videtur, abroganda sit ipsa Pragmatica, tollendaque à nostro regno. quippe quæ aduersus Tuam Sedem omnium Ecclesiarum Matronam, ab inferioribus Prælatis lata sit, tamquam vt Scriptura loquitur: Quomodo si eleuetur virga contra leuantem se, aut baculus qui vtique lignum est. Quicquid Beatissime Pater, licet plerique docti homines confutare niterentur atque diluere, multaque nos dehortarentur abrogare Sanctionem ipsam, Te tamen Principem totius Ecclesiæ, Antistitem sacrorum, Te dominici gregis Pastorem profitemur & scimus, Teque iubentem sequimur: Tibi & Beatissimi Petri Cathedræ consentimus & iniungimur. Itaque sicut mandasti, Pragmaticam ipsam à regno nostro, nostroque Viennensi Delphinatu, & omni ditione nostra per præsentes pellimus, deijcimus, stirpitusque abrogamus: & quam, qualemve ante Pragmaticæ ipsius editionem, circa Ecclesiarum, beneficiorum, aliarumque rerum spiritualium dispositionem, censuram, moderationem in regno nostro, omnique ditione nostra Tui prædecessores Martinus Quintus & Eugenius Quartus Romani Pontifices habebant & exercebant, talem, eandemque nostro adiutorio, Beatissimo Petro, Tibiq; ipsius successori reddimus, præstamus, & restituimus, cum summo Imperio, cum iudicio libero, cum potestate non coarctata. Tu enim cum scias, quid authoritate tibi diuinitus tradita possis, quas pro regni nostri & Ecclesiarum in eo tranquillitate postulabimus non negliges res necessarias, poterisque semper quod opportunum fuerit indicare. Vtere igitur deinceps in regno nostro potestate Tua vt voles, atque illam exerce. Illam, vt hominum membra nulla contentione, capite vno atque vna mente ducuntur: sic Tuis Sacris decretis Ecclesiæ prælati in regno nostro & Delphinatu, consonantiam & obedientiam plenam refundent. Quod si forte obniterentur aliqui, aut reclamabunt, Nos in verbo Regio pollicemur Tuæ Beatitudini atque promittimus exequi facere Tua mandata, omni appellationis, aut oppositionis obstaculo prorsus excluso, eosque qui Tibi contumaces fuerint, pro Tuo iussu comprimemus & refrænabimus. Datæ Turonis sub magno Sigillo nostro die XXVII. mensis Nouembris, Anno Domini Millesimo Quadringentesimo Sexagesimo primo, & regni nostri primo.

Postmodum vero Excellens Doctor Dominus Melchior de Bardissinis Aduocatus Concilii, habuit orationem multum ornatam, & luculentam super reprobatione Pragmaticæ Sanctionis, petens illam reuocari & annullari, ac decerni Monitorium contra Prælatos, Capitula, Conuentus, Principes Franciæ, præsidentes Parlamentorum, & alios, sua communiter vel diuisim interesse putantes, vt comparere deberent ad allegandum, quare dicta Pragmatica reuocari non debet. & illud idem petiit Dominus Marianus de Cuccinis Procurator Fisci, & Sacri Concilii Procurator. & Iulius Pontifex sacro approbante Concilio decreuit Monitorium & citationem sub termino LX. dierum tenoris infra scripti.

Iulius Episcopus Seruus Seruorum Dei. Ad futuram rei memoriam. Sacro approbante Concilio.

Licet

Licet sacrorum Canonum instituta Sanctorum Patrum, & Romanorum Pontificum prædecessorum nostrorum, & in Generalibus legitimis Concilijs pro defensione Ecclesiasticæ libertatis, dignitatisque Sedis Apostolicæ tuitione, consultissima deliberatione sancita inuiolabiliter ab omnibus custodiri oporteat, ipsorumque decreta veluti diuina inspiratione edita immutabilia censeantur: Romanus tamen Pontifex, qui Regis æterni, rerumque omnium & iurium Contoris, licet imparibus meritis tenet in terris, cum huiusmodi decreta salubrima & honesta, hominum calliditate & ambitione vergi conspiciat in abusum, & humanas traditiones Christi legibus anteferri, vt Ecclesiæ indemnitati & libertati opportune subueniat, & præsemptam curet deponere malitiam peruersorum, eorumque conatibus occurrat, interdum cogitur abusiones & humanas traditiones huiusmodi nullas & inualidas declarare & abrogare, prout temporum & locorum qualitate pensata id conspicit in Domino salubriter expedire. Dudum siquidem displicenter per nos pluries accepto, per multa temporum spatia, per nonnullos prælatos Gallicæ nationis, & nobiles laicos, ac alios illis fauentes, præsertim cuiusdam sanctionis prætextu, quam ipsi Pragmaticam vocant, Apostolicæ Sedi, Sanctæque Romanæ Vniuersalis Ecclesiæ capiti, libertati, & authoritati enormiter detractum, canonibusque præfatis derogatum fuisse, rem adeo perniciosam, in Dei offensam, & Ecclesiæ præfatæ vilipendium, & euidens detrimentum amplius ferre nequeuntes, cum Sanctio ipsa ab omni ad id potestate carentibus, nullorumque Romanorum Pontificum, aut Generalium legitimorum Conciliorum authoritate facta, sed quodam abusu tantum in illis partibus introducta & obseruata fuerit, illaque cum in ea contentis, nulla & inualida merito declarari & abrogari debebat, quam etiam claræ memoriæ Ludouicus XI. Francorum Rex abrogauit, vt in eius patentibus litteris desuper confectis plenius continetur, Sacro Lateranensi Concilio approbante in Quarta Sessione, declarationis & abrogationis per nos faciendarum huiusmodi negotium & discussionem Venerabilium Fratrum nostrorum Romanæ Ecclesiæ præfatæ Cardinalium & aliorum Prælatorum Congregationibus in Lateranensi Sala superiori, quatenus opus foret faciendis, relationemque discussionis nobis & Lateranensi Concilio præfato faciendam commisimus, Gallicosque Prælatos, Capitula Ecclesiarum & Monasteriorum, parlamenta, & laicos illis fauentes, cuiuscumque dignitatis, etiam si Regalis existerent Sanctione præfata abutentes, seu illam approbantes, omnesque & singulos alios sua communiter vel diuisim interesse putantes, per edictum publicum, cum ad partes illas tutus non pateret accessus, in Mediolanensis, Astensis & Papiensis Ecclesiarum valuis affigendum, moneri & citari infra certum competentem terminum præfigendum, ad comparendum coram nobis & Concilio præfato, causasque dicendas, quare Sanctio præfata illiusque corruptela & abusio, in concernentibus auctoritatem, dignitatem, & vnitatem Ecclesiæ Romanæ præfatæ, & Apostolicæ Sedis, Canonumque prædictorum, & Ecclesiasticæ libertatis violationem nulla & inualida declarari, decerni & abrogari non deberet: Illosque sic monitos & citatos arctari & teneri, ac si personaliter moniti & citati fuissent: Statuimus & Ordinamus, ac Quintam Sessionem Decimaquarta Kalendas Martij, quæ erit quarta feria post primam Dominicam Quadragesimæ proximæ futuræ faciendæ, eodem Sacro Lateranensi Concilio approbante indiximus. Nos igitur quorum interest, ne indefensæ libertatis Ecclesiasticæ ratio in extremo iudicio à nobis requiri possit, & peruersorum & ambitiosorum proteruia diutius conualescat, declarationis, abrogationis, & discussionis negotium, monitionis & citationis statutum & decretum huiusmodi debitæ executioni demandare, omnes & singulos Gallicos Prælatos, Capitula seu Conuentus, Parlamenta & laicos illis fauentes, cuiuscumque dignitatis, etiam si Regalis extiterint, Sanctione præfata abutentes, seu illam approbantes, omnesque alios & singulos sua communiter vel diuisim interesse putantes (vt præfertur) ex certa nostra scientia, auctoritate Apostolica, tenore præsentium, primo, secundo, tertio & peremptorie citamus, monemus, & requirimus, quatenus infra sexaginta dierum spatium à die præsentium, in locis supradictis affixionis numerandum, quorum viginti pro primo, alios viginti pro secundo, & reliquos viginti dies pro tertio & peremptorio termino monitione Canonica assignamus, ad comparendum coram nobis & Concilio Lateranensi præfato, causasque dicendas, quare Sanctio præfata, illiusque correptela & abusio, in concernentibus auctoritatem, dignitatem, ac vnitatem Ecclesiæ Romanæ & Sedis, Canonumque & Ecclesiasticæ libertatis prædictorum violationem, nulla & inualida declarari, decerni & abrogari non debeat. quo termino assignato, siue comparere sic moniti & citati curauerint, sine non, ad executionem negotij, decreti, abrogationis, & statuti prædictorum, illorumque & aliorum in præmissis necessariorum executionem, prout iustum fuerit, eodem sacro Lateranensi Concilio approbante procedemus. & cum pro citationibus & monitionibus huiusmodi ac partes illas tutus non pateat accessus, ne præfati sic moniti & citati, aliique quos præsentes literæ contingunt, valeant de præmissis ignorantiam allegare, & prætextu ignorantiæ huiusmodi aliquod velamen excusationis assumant: volumus literas ipsas in valuis prædictis, iuxta decretum & statutum huiusmodi affigi, & ipsam affixionem publicari. Decernentes etiam quod earundem literarum publicatio sic facta, perinde eosdem sic monitos & citatos arctet, ac si literæ ipsæ die affixionis & publicationis huiusmodi eis personaliter lectæ & insinuatæ forent: cum non sit verisimilis coniectura, quod ea quæ tam patenter fiunt, debeant apud eos incognita remanere. Non obstantibus Constitutionibus & Ordinationibus Apostolicis contrarijs quibuscumque, seu si monitis & citatis prædictis vel quibusuis alijs, communiter vel diuisim à dicta Sede indultum existat, quod interdici, suspendi, vel excommunicari non possint per literas Apostolicas, non facientes plenam & expressam, ac de verbo ad verbum de indulto huiusmodi mentionem. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ citationis, monitionis, requisitionis, assignationis, voluntatis & decreti infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem Omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri & Pauli Apostolorum eius se nouerit incursurum. Datum Romæ in publica Sessione, in Lateranensi Sacrosancta Basilica solemniter celebrata. Anno Incarnationis Dominicæ Millesimo Quingentesimo Duodecimo.

Deinde exclusis à loco Concilii omnibus aliis non habentibus voces diffinitiuas, exceptis Oratoribus Principum & Baronibus, & pluribus principalibus Ordinum, & porta Concilii clausa, Pontifice, cum Cardinalibus, & aliis prælatis in pluialibus, casulis, & dalmaticis respectiue, mitratis omnibus existentibus prout est consuetum, Alexander Episcopus Alexandrinus, de mandato eiusdem Pontificis ascendit ambonem, & legit Bullam tenoris infra scripti.

Iulius Episcopus Seruus Seruorum Dei. Ad perpetuam rei memoriam. Sacro approbante Concilio, Saluti gregi nobis desuper commissi, morum reformationi, defensionique Ecclesiasticæ libertatis, ac Fidei Catholicæ tranquillitati & augmento, paternis & sollicitis studijs intendentes, ad Omnipotentis Dei, & individuæ Trinitatis laudem & gloriam, Sacro hoc approbante Concilio literas nostras à nobis dudum emanatas, eidem Concilio notas, per quas Romanæ Curiæ Officiales & illorum exactiones generaliter reformauimus, appi obamus, & innouamus, illasque quas per nonnullos postea tunc expressos ad fidelium vtilitatem, iuxta intentionem nostram declarari mandauimus, per præfatos expressos, & cum illis alios diuersarum nationum prælatos, nunc in præfato Concilio præsentes deputandos, omnibus quæ iudicium humanum peruertere possent cessantibus, vt iustum & æquum fuerit particulariter declarari, & declarationes ipsas in aliis sessionibus nobis in hoc Sacro Concilio referendas, & ab eodem Concilio approbandas, vt debite exequantur præcipimus & mandamus. Insuper cum iam per multa temporum spatia, per nonnullos Prælatos Gallicæ nationis, & nobiles laicos, ac alios illis fauentes, præsertim cuiusdam sanctionis prætextu quam ipsi Pragmaticam vocant, Apostolicæ Sedi, Sanctæque Romanæ Vniuersalis Ecclesiæ capiti, libertati, & auctoritati enormiter detractum, facisque canonibus derogatum fuerit. Nos rem adeo perniciosam, in Dei offensam, & Ecclesiæ præfatæ Vilipendium, & euidens detrimentum amplius ferre nequeuntes, cum Sanctio ipsa ab omni ad id legitima potestate carentibus, nullorumque Summorum Pontificum, aut Generalium legitimorum Conciliorum auctoritate facta, sed quodam abusu tantum in illis partibus introducta & obseruata fuerit, illaque cum in ea contentis nulla & inualida merito declarari, & abrogari debeat. quam etiam claræ memoriæ Ludouicus XI. Francorum Rex abrogauit, vt in eius patentibus literis desuper confectis plenius continetur. Declarationis igitur & abrogationis per nos faciendarum huiusmodi negotium, & discussionem, Venerabilium Fratrum Nostrorum Ecclesiæ præfatæ Cardinalium, & aliorum Prælatorum Congregationibus quas in Lateranensi Sala superiori, quatenus opus fuerit, facient, relationemque discussorum in prima, aut alijs Sessionibus, prout commode fieri poterit, nobis & Sacro Concilio faciendam eodem Sacro Concilio approbante committimus, Gallicosque Prælatos, Capitula Ecclesiarum & Monasteriorum, Parlamenta, & laicos illis fauentes, cuiuscumque dignitatis, etiamsi Regalis existerent, sanctione præfata abutentes, seu illa approbantes, omnesq; & singulos alios, sua communiter vel diuisim interesse putates, per edictū publicū, cū ad partes illas tutus non pateat accessus, in Mediolanēsis, Astensis, &

Papiensis Ecclesiarum valuis affigendum, moneri & citari infra certum competentem terminum præfigendum ad comparendum coram nobis & Concilio præfato, causasque dicendum, quare Sanctio præfata, illiusque corruptela & abusio in concernentibus auctoritatem, dignitatem & vnitatem Ecclesiæ Romanæ, & Apostolicæ Sedes, Sacrorumque Canonum & Ecclesiasticæ libertatis violationem, nulla & inualida declarari, decerni, & abrogari non debeat, illosq; sic monitos & citatos arctari & teneri, ac si personaliter moniti & citati fuissent, statuimus & decernimus. Vlterius, omnes & singulas prouisiones, collationes beneficiorum Ecclesiasticorum, confirmationes electionum & postulationum, concessionum gratias, mandata & indulta quæcumq; tam gratiam, quam iustitiam, seu mixtim concernentia, cuiuscumque tenoris existant, quæ præsentibus pro expressis haberi volumus, per Synagogam, vel Conciliabulum Pisanum, illiusque schismaticos adhærentes, auctoritate & dignitatibus omnibus, carentes facta & concessa, quamuis sint nulla & inualida, pro potiori tamen cautela, nulla & irrita, nulliusque roboris & momenti esse, omnesq; & singulos cuiuscumq; dignitatis, status, gradus, nobilitatis, ordinis & conditionis existentes, quibus concessa fuerunt, aut quorum commodum, vtilitatem, seu honorem quomodolibet respiciunt, nullos eorum fructus, redditus & prouentus suos facere, vel hactenus feciſſe, sed ad illorum restitutionem, & ipsorum beneficiorum, & aliorum præmissorū concessorum dimissionem teneri: & nisi beneficia ipsa, & alia eis concessa, infra duos menses à data præsentium computandos, realiter & omnino dimiserint, etiam alijs beneficijs Ecclesiasticis quæ iusto titulo possident, eo ipso priuatos existere dicto Sacro approbante Concilio decernimus. Fructus quoq; redditus, & prouentus huiusmodi ac quasuis pecunias decimarum per dictum Conciliabulum impositarum exactos & exigendos, expeditioni contra infideles faciendæ applicamus. Vt autem declaratio reformationis & nullitatis sanctionis prædictæ, aliaq; gerenda mature exequi, & Prælati ad Sacrum Concilium huiusmodi venturi, quorum aliquos iam iter ad veniendum arripuisse accepimus commode venire possint, Quintam Sessionem Decimo quarto Kalendas Martij, quæ erit quarta feria post primam Dominicam Quadragesimæ proxime futuræ faciendam, præfato Sacro Concilio approbante indicimus. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ approbationis, innouationis, præcepti, mandati, commissionis, monitionis, citationis, ordinationis, decreti, applicationis, & indictionis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem Omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri & Pauli Apostolorum eius se nouerit incursurum. Datum Romæ in publica Sessione in Lateranensi Sacro sancta Basilica solenniter celebrata. Anno Incarnationis Dominicæ Millesimo Quingentesimo Duodecimo. Quarto Idus Decembris. Pontificatus nostri anno Decimo. Ia. Questemberg.

Placuit Patribus omnibus requisitis, edictum: citati, nondum comparentes: accusata absentium contumacia: aliquorum procuratores auditi & admissi: hymnus exultationis, *Te Deum laudamus*, decantatus: Pontifex ægrotans in Vaticanum reuersus. *ex actis Sacri Lateranens. Concilij.*

IX. *Ferd. Consaluum Pontifici in auxiliū mittere cupit.*

Diximus superius, Ferdinandum Regem Catholicum, Pontifici maximo iuuando, Magnum Consaluum mittere voluisse, sed tandem eius profectionem disturbasse. Quod qua ratione contigerit, propter aulicos iniuriæ expositos, explicamus. «Postquam ad Rhauennam Hispani male pugnarunt, omnium oculi in Consaluum sunt coniecti certa spe, eius virtute & prudentia tantis malis fore ignominiæq; leuamen: quippe hac tempestate spes & opes cunctorum in illo sitæ videbantur. Salus in vltimas angustias deducta, nullum ambitioni, nullum inuidiæ locum reliquerat. A plerisque Raymundi Cardonii Pro Regis Neapolitani imperitia Petri Nauarri temeritate accusabatur, in eam cladem fuisse præcipitatum. Consaluum hominem de cœlo lapsum maiore conditione mortali, multo vsu & magnitudine animi cunctis haud dubium præstare, bellica scientia, industria, felicitate. Ferdinandus ipse Rex, licet de tanti viri voluntate parum fidebat, multis à se iniuriis exacerbati, & conceptum potius odium expromere cupiebat, re tamen necessaria eum in Italiam mittere decreuit, rebus profligatis salutare præsidium. Burgos, vbi Rex erat, euocato profectio denunciatur. Otii illeinimicus, quo diu marcescere videbatur, iuuandi rempubl. libenter oblatam cœlo occasionem arripuit. & erat gloriosum vni se rempubl. tradere temporibus coactam & malis. In profectionem & apparatum intentus Malacam abiit. Mirabile dictu, quam multi Italica expeditione euulgata ex omnibus partibus confluxerint, vt in eam militiam nomina darent, cupidissimi eo duce induendi arma, plerique sua virtute nobiles & claro ex genere orti. Regi tantus concursus molestus extitit, & Consalui inuidia, & quoniam de bello Vasconum cogitabat. Ita definito numero mandauit, quingentos graues armaturæ equites duceret, pedites duo millia non amplius. Nihilo tamen magis ardore remisso in cum numerum viri nobilissimi legi ambiebant: multi ex prætoria cohorte Regis, aut alio qui eius in Hispania stipendia facientes missione impetrata, non deserta militia sed mutata in Italiam abire festinabant, eius ducis auspicia sequi cupientes qui suæ fortunæ videretur esse artifex, opes, victoriam, felicitatem secum ferre in quam cumque se dedisset partem. E Castella atq; Bætica ingens numerus in eam expeditionem voluntarii, suaq; impensa militaturi ire parabant, satis magnum operæ pretium fore rati, si tali Magistro prima militiæ tyrocinia posuissent. Rex quo maior ardor erat, eo cunctari amplius, moræ causas alias ex aliis nexas excusare, spe Cardonium præclaro aliquo successu superioris ignominiæ memoriam deleturum. quem ea beneuolentia complecti visus est, vt opinionem vulgo fortassis temere sed susceptā tamen confirmaret, ex eo genitum. Ergo rebus in Italia prosperum cursum tenentibus maiori indies incremento, Ferdinandus Rex posita tandem persona Consaluo denunciauit, profectionem vsque ad hyemis exitum sustentaret: interim extraordinarios sumptus excusaret: daret porro operam, vt aulici & milites Regiis stipendiis conducti ad bellum Vasconum proficiscerentur. Hæc mandata initio Septembris Cordubam ad Consaluum delata, pro eo ac par erat molesta extiterunt tam ipsi quam militibus vniuersis: prorsus vt è cataphractorum ducibus nullus ad bellum Vasconum iuerit, præter Guterrium Quixadam. Consaluus literis expostulationum plenis tum ad Regem, tum ad amicos datis, aulæ fraudes conquestus est: cuius insidias vitare quis possit: accusare fortunam fluxam inconstantemque, inuidiam alienā, quæ nihil aliud scit quam obtrectare melioribus, corrumpere honores, & præmia eorum. Superiora merita qualia & quanta, ea scilicet mercede pensari. Vincitur interdum generosus spiritus, & iracundiæ viribus succumbit. In dolore tamen maximo duo præcipue extitisse molesta. Nominis existimationi labem inuri prona hominum in deterius suspicione: profecto nisi magna de causa, & grauem ob aliquam offensam superius decretum haudquaquam iri mutatum. Populi rumores tolerare durum, necessarium tamen. Deinde, iis qui vt se prosequerentur, magnos sumptus tolerarant, nullam compensationem abs Rege esse, nullam gratiam: Id vero grauissimum videri atque intolerandum, sua causa insignem iacturam passos. Duriorem ipsa morte vitæ conditionem deinde exilio mutare constituens, è familia misit, qui à Rege facultatē peteret Terram nouam suæ ditionis oppidū in extrema Italia discedendi, amœni secessus, & ab arbitris remoti: id summi beneficii loco futurum. Ad hæc Rex longo vsu edoctus, fallaci vultu verbisque blandis sedare iras, respondit: eius operam minime fore necessariam Gallis ex Italia pulsis: neque opportunum nouas ex Hispania copias mittere, quo tempore de Hispanis vniuersa Italia pellendis consilia Pontifex serio agitaret. Profectioni quam optabat duriorem se ostendit, ac consultius iudicabat tantis defuncto honoribus ea ætate Loxæ domi suæ conquiescere, magnorum virorum exemplo vacatione impetrata. Leges maiorem annis otio reddere, quid negotia non necessaria captaret? gloriæ meritæ & partæ quid vltra periculum faceret? Præclara verba, si cætera respondent. Sed alienati animi atque offensi multa deinde argumenta extitere. Præter suspiciones superiores, reus in secreto ab aulicis agebatur, nulla facultate calumnias detergendi. Inuidia eo nocentior, quo magis ex occulto grassatur. Ita in Garziæ Lassi defuncti locum Legionis Promagister fieri cum cuperet atq; peteret, repulsam tulit Ferdinando Toleto prælato. Par euentus alterius petitionis fuit, qua Hornachos Diui Iacobi militiæ oppidum vectigalque honorarium ex eo commendari per idem tempus postulauit. grauem ignominiam, clarum auersi animi signum. Offensionis susceptæ præter alia duplicem causam inuenio. Altera propria. Enimvero Ferdinando Regi Consalui voluntas semper suspecta fuit. & constabat sæpe con-

quæstum apud amicos, consilia cum aliena agitasse. dissimulatum tamen superiorum meritorum memoria, haud dubium ingenti numero moleque. Communis fere magnis Principibus altera: ac potius cunctis hominibus beneficia eo vsque grata ducentibus, dum videntur exolui posse: vbi modum excessere, quos quasi creditores aspicimus, iis odium pro gratia redditur. & est procliuius iniuriæ quam beneficio vicem rependere, quia vitio placet, gratia plerumque est oneri. Vtique si meritis paria præmia reddi non poterant. Aequum profecto videbatur tali viro nihil denegari, quod dono dignum esset. Verum præterita accusare quid iuuat? Quis Regum offensas præceptis salutaribus frænabit? suspiciones amouebit aulicorum præsertim calumniis & fraudibus confirmatas, meliores criminando, allatrandoque eorum magnitudini, quod facillimum factu est, ex aliena iniuria & malo splendere volentium. *Mariana lib.* 30. *c.* 14.

X. Hoc ipso an. in Regia eiusdē Ferdinandi Catholici Hugo Moncada Prorex Siciliæ (cuius superius meminimus) nomen suum ad immortalitatem transmisit, quod Ferdinando Aragonio Regi Catholico pro iuribus Ecclesiæ constanter respondisset. Non decrant aliqui in ea insula iniquitatis filii, quibus inuisa Ecclesiastica libertas. Itaque Regem aduersus Clerum armare, ac Iesum iterum ad Pilati tribunal poscere, scilicet Regi potestatem in Ecclesiasticos & Sacra arrogare, abominandumque desolationis in templo Dei idolum, Monarchiæ speciosō titulo statuere voluerunt: per adulationem impudentiamque asseuerantes, Regi Siciliæ ius esse in Sacra & Sacros, vt possit omnia quæ Legatus Apostolicæ Sedis potest: sc. ad subsellia sua clerum euocare: ius in omnibus controuersiis dicere: anathemata & alias censuras publicare, soluere, aggrauare: in Conciliis Prouincialibus præsidere: Conciliorum decreta interuertere: Ordinariorum auctoritati contraire: Episcopos & Cardinales quoscumquē, etiam in carcerem coniicere: & alia omnia quæcumque in Ecclesiasticos, ēt exemptos, decernere, quæ ipse Summus Pontifex si præsens esset decerneret. Quodque grauius est, mētiebantur, Regem Siciliæ, posse ad Sedem Apostolicam interpositas appellationes impedire: & ne quispiam Romanum Pontificem conueniat prohibere: neue Summus Pontifex aut Legatum aut Nuncium quēcumque in causa Ecclesiastica in Siciliam mittat, aut aliqua diplomata eo scribat, vel quippiam iurisdictionis ibidem inuito Monarcha in Ecclesiasticos exerceat, aut sine *Exequatur* Regio indulgentias, gratias, aut concessiones quascumque publicet, statuere. prætextu cuiusdam consuetæ bullæ, quasi istud priuilegii Vrbanus Pontifex Rogerio Comiti Siciliæ quondam concessisset: cum tamen neque Guillelmus, neque Fridericus Petri Aragonensis filius vt alios omittam Reges Siciliæ hoc priuilegio vmquam vsi fuerint: quin potius ius suum Pontifici Romano saluum esse voluerint, lata Constitutione libro 1. sub titulo, *Vbi Clerici*, huius tenoris.

Rex Guillelmus. De personis Clericorum totius Regni nostri, volumus & iubemus, quod si aliquo iuris facto de quo persona iudicari, vel condemnari debeat appellatum fuerit: non à nobis, nec à Curia nostra, sed ab Ecclesia, & in Curia Ecclesiastica, de eo quod ad personam suam pertinet iudicetur, & Secundum Canones & ius Ecclesiasticum condemnetur.

Fridericus ēt post suas Constitutiones in regno Siciliæ conditas, inter Capitula Regesti fol. 31. c. 85. huius tenoris addidit Constitutionem:

Prædictas autem Constitutiones nostras per totum Regnum nostrum inuiolabiliter obseruari, & custodiri præcipimus: Salua semper ordinatione & statuto Sedis Apostolicæ vel mandato, quæ si circa præmissa aliqua mutare, corrigere vel supplere voluerit, id totum prouide gratum, ratum & acceptum habebimus, & faciemus efficaciter obseruari. Quod si qua Constitutio vel Ordinatio à Sede Apostolica præsentibus nostris Constitutionibus aduersaretur, eam nostris cessatis, iubemus inuiolabiliter obseruari.

His & aliis non obstantibus, aliqui tamen Ferdinando Regi, ius in Ecclesiasticos exerceri suadebant. Consuluerat Rex Moncadam proregem, vt quid iuris factiue hoc in negotio esset, exponeret. Cæterum ille datis hoc anno, die x v. Martij literis, hunc in modum respondit.

L'essordio & principio di tal costume, si giudica per quello che hanno referito gl' antichi del Regno, sia stato dal tempo del Conte Ruggerio, per vn priuilegio antico, che si treua fatto à detto Conte, & suo figliuolo. Et ancorche le parole del priuilegio non siano cosi ample come è la consuetudine & osseruanza, questo ha causato, che gl' officiali di vostra Maëstà in questo Regno, sempre hanno fauorito, & ampliato tal Monarchia. Et questa dimostratione ancor lo dimostra, che li vostri predecessori di vostra Maëstà in questo regno hanno vsato tal Monarchia conniuentibus oculis, & prouedendo alli casi particolari secondo succedono: & non publicare, o far Constitutioni, o leggi vniuersali sopra tal materia. & questo ancora si conferma per dritto commune di far leggi sopra cose Ecclesiastiche, non spetta à vostra Maëstà come Re & prencipe del Regno, ne ancora come Legato: la potestà di cui non ha questa superiorità di conder leggi: massimamente tendendi in derogatione della potestà Apostolica, directe o indirecte.

Hæc Moncada Regi Ferdinando scribebat: cum etiam Fiscalis eiusdem Regni Siciliæ aliquanto post Carolo V. Imperatori ista quæ adiungo præscripsisset. cap. 3. Instructionis Missæ.

Et perche dalla detta Monarchia la Sede Apostolica ha sempre tenuto molto zelo, & secondo dicono, ogni anno in Cena Domini relatamente e escomunica, & poi assolue officiali di questo Regno, il S. Vice-Re, che Dio habbia in gloria, con il Baron di Burgio Nuntio all'hora della Sede Apostolica tratto certa maniera d'accordo, & offerse loco certi capitoli, li quali furono inuiati à V. Maestà; & poi non ne Segui effetto alcuno; che saria à discarico della conscienzia di V. Maest.i. & di tutti li suoi Officiali, & Ministri. Hauer Confirmatione della detta Monarchia, se si intende propagata à tutti li posteri di questo Regno, o vero la detta Bolla di Papa Vrbano fu indulto & priuilegio personale.

Ricerca ancora Sua Sancta da sua Maestà, che leui del Regno di Napoli quella seruitù, del Regio exequatur, imposta alle lettere Apostoliche: si come sua Maestà è obligata a leuarla, per le conditioni dell' Inuestitura, che ha di quel Regno, & del Giuramento prestato in essa, come apparisce dall' infrascritte clausule.

Clausula dell' Inuestitura della fel. rec. di Giulio II. fatta in sua Maestà Catholica del Regno di Napoli, sub conditionibus, modis & formis, adiectionibus, promissionibus, clausulis, cautelis, voluntatibus, ordinationibus in litteris Iulij, & concessione Leonis contentis: quarum remissio per Sedem Apostolicam facta fuisse non apparet.

Clausula Iuramenti in eodem Inuestitura præstiti: *vniuersas & singulas conditiones supradictas, & qualescumque alias in litteris Iulij Secundi contentas, ac omnia & singula quæ in eis continentur plenarie adimplebo, & inuiolabiliter obseruabo, & nullo vnquam tempore veniam contra.*

Clausula Inuestituræ Iulii Secundi: *Salua tamen Romani Pontificis & Apostolicæ Sedis auctoritate, & Iurisdictione plenaria, & libera potestate, circa Ecclesiasticas, & alias Regulares & seculares personas, & loca Ecclesiastica præfata, tam in faciendis prouisionibus, & electionibus confirmandis, quam quibuscumq; aliis concessionibus, & gratijs, & super his conficiendis literis Apostolicis, quas cessante omni impedimento per eos, seu officiales & subditos suos permittent libere & absolute, & executioni debitæ demandari. Quinimo præstantes impedimentum, & inobedientes compriment, & punient, & ad obedientiam & reuerentiam literis Apostolicis exhibendam compellent & constringent, & requisiti, manu militum prout ipsarum literarum executori, Iudici, seu Nuncio videbitur, assistent remedijs opportunis. Nec statuta edent, nec consuetudines introducent, seu etiam promulgabunt, per quæ iuri & Ecclesiasticæ libertati in aliquo derogaretur.* ex MS. Biblioth. Vatic. de Monarchia Sicula.

Hoc anno glisscente bello Vasconum à Ferdinando Catholico moto, duo insignia miracula edita sunt. Primum fuit ad salutem. Victoriam Hispaniæ Vrbem, à Sanctio olim Vasconum Rege, Gastors: pagi mutato nomine extructam Federicus à Toleto Albæ Regulus gubernabat, & eorum Castrorum Imperator erat, quæ Nauarræ præsidium Castello Reges in illis locis collocarent. Est autem optimo Principi, suggerente Patre Martino à Sanctis ex familia D. Dominici, qui Federici Confessiones audiebat, visum faciendum, vt qui blasphemus esset Deoque aut cœlitibus iniuriosus, nō alio nisi mortis supplicio puniretur. Crescebat nimirū & indies augebatur impia nefariæque linguæ, vel ex impunitate vel ex pænæ leuitate, licentia militaris, quæ etiam in cæterum vulgus manabat, & pernicio sissima cōtagione serpebat. Haud multo post legem latam plebique vniuersæ promulgatam duo grauissimi huius sceleris accusati sunt, causaque cognita,

XI. *Deipara miraculi.*

capitis ex lege damnantur. Martinus qui legis suasor fuerat, vir præclarus, & animarum salutis percupidus, è suo cœnobio egressus ad custodiam vadit, & fontibus capitali supplicio sine vlla spe veniæ addictis, autor est Rosarii recitandi. Virginem eorum qui se inuocant oportunam esse adiutricem, perneccessario tempore subuenire solitam, nulli quamuis indigno opē suam denegare. Consilium alter ex damnatis accepit, alter obsurduit, cumq; educti è carcere, vt Hispanorum mos est, asellis, ad patibulum traherentur, ecce, quæ Rosarii amatorē bestia portabat, ex media turba se proripit tanto impetu, vt nemo apparitor, nemo miles, nemo Iudicis administer currentem aliaū inhibere posset. Ille ad D. Dominici Monasterium (rationis compotem diceres, rectiq; gnarum consilii) quam velocissime properabat. Nec ante currere desiit quam Virginale in Cœnobio Sacellum, cui à Rosario nomen inditum, fauentib. superis penetrauit, suumq; sessorem ante Virginis Altare constituit. Accurrit satellitium & turba insequētium, vt fontem à Templo abducant, sed eiusdem P. Martini à Sanctis, & P. Ioannis Victoriani ex eadem familia valuit auctoritas, quorum hortatu parcitum illi est, quem Deipara defendisset. Ipse beneficii memor, & tanto gratus miraculo, in Monasterio permansit, quo se tardum illud animal, quasi quid ageret sentiēs, detulisset, resq; cœnobii domesticas Fratrum laicorum habitu procurauit. Porro, Federici vxor clarissima, tantum admirata prodigium Rosarii precationem illo ex die præcipua quadam religione percoluit, multaq; Rosariorum millia coēmit, militibusq; distribuit, qui se hac pietate aduersus imminentes Gallos armauerunt, à quibus Iuliobrica (Lucronium vulgo diximus) obsidione cincta tenebatur, sed breui secuta victoria est & Galli profligati. *Ioan. Lopes. Domi. de Rosar. B. Virgin. lib.* 1. *c.* 18.

XII. Hoc quod adiungo, est ad vindictam. In suburbano Pompelonæ, duo sacrarum Virginum cœnobia erant; alterū Sanctæ Encratis martyris, alterum Diuæ Claræ nomini dedicatū. In hoc potissimum Gallorum & Germanorum impetus apparuit. Stupratæ aliquæ Sacratę Virgines, aliis gladii ad pectora admoti, nisi sacram suppellectilem defossam alicubi indicarent. Facta illic omnia hostilia, nulla locorum sanctitatis memoria, metuue. Quin etiam aliquis Germanus cohortis trecentorum præfectus, aperto sacrario, argenteum sacratissimi corporis Christi conditorium rapuit, atq; irreuerenter hostiam illam viuam Deoque placentem in medio altari impius iuxta & temerarius proiecit. Cumq; à Virgine templi æditua increparetur, quæ eo spectaculo commota dixerat; Apage tantum nefas! Christiana sacra, impiis attrectare manibus non metuis? non, te pudet? Cœlo vindictam expecta. Adest in limine, quem violasti, testis idem & vltor Deus. Ad quam illo recidente vultu, Hic, ait, Hispanorum Deus est, nō Germanorum. Piaculi huius vindictam iustum Dei iudicium in aliud tempus distulit: istud tamen non dissimulauit, quod ab altero Germano commissum est, qui cum sacrarii alterius fores effregisset, hostiamq; quasi profanum cibum deuorasset, ac conditorium ipsum auro argentoq; adfabre cælatum in priuatos vsus conuertisset, non multo post, distentis, disruptis, effusisq; visceribus Iudæ instar proditoris periit: communicata videlicet pœna cum illo, quandoquidem in mundi Saluatorem par fuisset sacrilegium. Ab his initiis tetri de religione dissidii paulo post in iis regionibus subsecuti fundamenta non obscura probantur: quando eodem bello vigente, filius nothus Domini Alebretensis, idemq; Ioannis Vasconum Regis frater, istud aliud commisit. Quasi rem diuinā auditurus venit in templum, peractoque sacrificio accessit ad Sacerdotem, Sacerdotalibusque vestibus illum spoliauit, ac vasa sacra quibus sanguis corpusque Dominicum ministratur diripuit profanauitque. Hæc omnia in conspectu Regis Ioannis fiebant, omnia iam sacra sine negligentis, siue potius contemnentis; posteaquam anathemate propter hæresim & schisma à summo Pōtifice percussus, Sathanæ traditus fuisset. *Actius Antonius Nebrissensis de bello Nauarræo.*

XIII. Quo tempore, dum ista pro Pontifice, siue à Ferdinando, siue à Federico & Moncada agerentur voluit Deus nouo miraculo, Catholici regnum, Aragoniam videl. illustrare. Viuebat hoc anno in Aragonia inter religiosos quos de mercede redemptionis captiuorum sub inuocatione SS. Virginis vocant Fr. Matthæus Lana, virtutum & eximiæ austeritatis norma, cuius meritis plurima celebrata miracula ferebantur. Fuit in oratione ardentissimus: & adeo spiritum suum suo creatori feruentissime solebat commendare, vt prætereuntes in admirationem raperet, & ipsemet quid exterius ageret, sæpe sæpius omnino nesciret. Multoties enim in diuinorum recitatione, & supernorum contemplatione in excessum ferebatur, & in extasim rapiebatur. In pane & aqua, præter Paschales dies vitam hilari fronte, & forti animo ducebat. Vili abiectoque semper induebatur habitu, & ad carnes aspero præcingebatur cilicio. Fuit filius prouinciæ Aragoniæ, & in celeberrimo Monasterio SS. Virginis quod vocant del Oliuar, professus. Ad sacras literas solerter incubuit, in eisq; admirabiles fecit progressus. Sed animarum saluti totics intentus, Scholasticas disputationes ac subtilitates omisit. Per circumuicina sui Monasterii castella, villas, & oppida verbum Dei seminabat, & ad salutis viam doctas indoctasq; gentes adducebat. Vnde Apostolus dicebatur, & quod Sancti Vincentii Ferrerii Dominicani spiritū haberet, plurimi affirmabant. Deuotissime quotidie cum mirifico spiritus feruore, cordis compunctione, ac lachrymarum effusione Missam celebrabat. Cum hoc anno 1512. in præfato Monasterio de Oliuar, in festiuitate Natiuitatis Domini, post matutinas horas deuote decantatas Missā solenniter decantaret, & diuinum verbi Dei Incarnati contemplaretur mysterium, atq; præ nimia lætitia multū effunderet lachrymarum, in extasim raptus est ad apparitionē cuiusdam insolitæ ac refulgentis lucis ad instar stellæ, quæ ex tēpore visa est totam reddens lucidam Ecclesiam. Quo admirando signo non solum Religiosi in choro officium diuinum soluentes, & Missæ deseruientes, sed vtriusq; sexus seculares personæ, quæ ex circumuicinis locis ad tantam solennitatem conuenerant, stupore & admiratione omnes repletæ sunt. & causam nouæ repentinæque lucis inquirentes, aspexerunt in fronte imaginis gloriosissimæ Virginis Mariæ, quæ in illa Ecclesia magna populi frequentia colitur, & multis quotidie illustratur miraculis, quandam fulgentissimam stellam, ex qua radii egredientes & emicantes, faciem sancti viri Missæ sacrificium celebrantis admirando modo percutiebant: ex qua percussione lumen repercussum & reflexum, non solum totam Ecclesiam, sed circumuicinos saltus & campū illustrare, (sicut in meridie) cernebatur. Ministri altaris & fratres in choro genuflexi gloriosissimam virginē exorabant, vt seruo suo Matthæo Lana sacrificium inceptum explendi virtutem largiri dignaretur. Oratione peracta, sacerdos ad se reuersus sacrificium peregit. & ex illa hora in eam Virginis Mariæ imaginem deuotio speciali modo adolescere, & frequentia grandescere cœpit: nec non Matthæi sanctitas adeo diuulgari, vt sanctitatis eius rumore in longinquas partes dispersō, ad eum cateruę infirmorum concurrerent, vt à languoribus suis sanarentur. *Bernardus Vargas. in Chron. Sacri & milit. ris Ord. B. Mariæ de mercede Redemptionis Captiuorum.*

XIV. Ista signa atque miracula edebantur, Ferdinando Catholico pro Ecclesia decertante. Non minora in regno Poloniæ, Sigismundo I. Rege, murum Christianitatis aduersus barbaros defendente. Incunte huius anni vere, quatuor & viginti equitum Tartarorum millia ex Taurica mouentes, Boristene transmisso Voliniam ac Russiam inuasēre, atque igni ferroq; atrocissime vastauēre, multis vtriusq; sexus mortalibus captis, ligatisq;: quos iam in miseram seruitutem abducebant. Eos consecuti duces & milites, à Sigismundo Rege missi, pugna conserta, memorabili cladeita prostrauēre, vt pauci ssimi ex iis euaserint, cæsis aliis, aliis cænosa voragine haustis. Cumq; nonnisi quatuor millia Polonorum equitum numerarentur, mirum fuit, quod vix centum ex eis desiderati fuerint, pauciores vulnerati. Ita cum ingenti strage hostium, prædam omnem & vniuersos captiuos recuperarunt, ipsis captiuis, inter initia belli, supplicibus votis à Deo poscentibus, victoriam: cumq; vinculis soluti essent, ad eandem strenue cooperantibus. Incidit hæc memorabilis pugna in diem S. Vitalis ad 28. Aprilis, qui Sanctus maiori postea veneratione à Polonis cultus est, tamquam hic Diuus, vt pium est credere, ad victoriam nonnihil contulisset. Ad nuncium prosperæ pugnæ Sigismundus Rex exhilaratus, gratias Deo Opt. Max. agens, in omnibus templis laudes decantari mandauit, aliaq; publicæ lætitiæ signa edidit. Ante initum prælium, cū Tartari per Leopoliensem, Belsensem & Lublinensem satrapias effusi

discurrerent, prædasq; agerent, sexies cum eis Poloni particularibus præliis semper victores sunt congressi, magno futuræ victoriæ indicio. Ex Regio exercitu, Illustres viri Poloni, quorum strenua virtus in ea Visnouecensi pugna enituit, fuerunt, Nicolaus Camenecius Cracouiensis Palatinus omniũ copiarum Dux, Ioannes Odrouasius de Sprona, Ottho de Chodecio Palatinus Podoliæ, Stanislaus frater eius regni Poloniæ Marscalcus, Martinus Camenecius, Ioannes Amor Tarnouius, Petrus & Stanislaus Kmitha de Visnicz. Ioannes & Nicolaus Pilecii, Stanislaus Lanskoronius, Ioannes Suircicouius, Iacobus Secignouius, & plures alii, singulari fortitudine & bellica laude insignes viri. Ex Lithuanis & Russis Cõstantinus Ostrouien. Dux, bellator huius temporis famigeratissimus, Andreas de Sbaraslio, & Michael Visnouecius fortissimi Duces. Ante aliquot menses Sigismundus Rex, Barbarã Stephani Comitis Scepusiensis filiam, duxit vxorem. Ea in conspectum Regis primum veniens excepta fuit vulgari oratione per Ioannem Laskeum Archiepiscopum Gnesnen. qua finita, Ioannes Staphileus Apostolicus Legatus eleganti Latina oratione matrimonio votis omnibus felicitatẽ, beatumq; euentum precatus est. Dominica in septuagesima, quæ octaua Februarii erat, maiorum more in Basilica Principe in Reginam Poloniæ coronata fuit. Munus inaugurationis Ioannes Laskeus Archiepiscopus Gnesnen. obiuit. Adfuere his cærimoniis Bernardinus Archiepiscopus Leopoliensis, Ioannes Lubrantius Posnanien. Erasmus Vitellius Plocen. Lucas Varmien. Matthias Dreuitius Præmislien. Nicolaus Koscielecius Chelmen. Ioannes Amicinius Laodicen. Cracouien. Suffraganeus Episcopi. Præterea Abbates de more vetusto his rebus adesse soliti. Fuere præterea ad huius coronationis maiestatem ampliandam, summi Pontificis Legatus Ioannes Staphilæus Iurisperitus vir insignis. Vuladislai Hungariæ & Bohemiæ legati, Ioannes Thurzo Vuratislauien. Episc. Ambrosius Szarkanus Hungarus Collega: Iobus Episc. Pomezanien sis Ordinis S. Mariæ Domus Theutonicorum cũ collega ex Prussiis; Georgius Dux Bregensis, Bartholomæus Dux Silesiæ, Anna Dux Mazouiæ cũ filio, Dux relicta Ratiboriæ, Casimirus Dux Thessinen. Ioannes Comes Scepusii Reginæ frater cum Heduigi matre. Item legati Thomæ Cardinalis Episc. Strigonien. Patriarchæ Constantinopolitani duo, Georgii Episc. Quinqu Eccleſien. duo, Episc. Colocen. vnus, Episcopi Varadien. duo, Episcopi Olomucen. duo, Georgii Ducis Saxoniæ vnus, Federici Marchionis Brandeburgen. duo, Palatini Vngariæ duo, Palatini Daciæ vnus. Aucta hinc fortuna Polonis, dum Barbara Principis plusquam cuiquã credibile voluntatibus semper accessit, parique clementia quod toto regno intercluditur vera Hester pietate summa tutata est, virtutibus omnibus redimita, specie formosa, vitæ sanctimonia atq; religionis cultu clara: His virtutibus hoc summũ adiecit monimentum, vt hos quibus præsse Deo fauente cõcessum fuerat, non metu terrореq; supprimeret, sed pietatis clementiæq; beneficiis, in contemplationem sui, patriis sese conformans moribus eucheret: iusta, sed non nimia seueritate importabilis: clemens, sed numquam vitiis patrocinata: per omnes fortunæ casus innocentissima vita ad extremos vsque dies vixit. *Iodocus Decius in Commentario rerum Sigismundi I. Bernardus Vapouius in fragmento.*

XV. *Emanuel Barbaros in India cedit.* Pari felicitate vt Sigismundi Duces contra Tartaros, Emanuelis quoq; Lusitaniæ Regis milites contra Barbaros in Indiis hoc tempore egerunt. Ab vrbe Malaca Patecatirum, Lisamanum, & Darguimensem Regulos, non sine cruenta hostium clade profligarunt, eamque vrbem Christo stabiluerunt: nec non Goam barbaris depulsis tutam ab incursionibus reddiderunt. Quare tanto terrore Indias Orientales implerunt, vt Maldiuensis, Peguensis, Ternatensis, Vengaporensis, & alii potentissimi Reges pacem & amicitiam à Lusitanis petierint: vnde magna occasio oblata Christi fidem in eas oras inuehendi. Eodem tempore fuit certior factus Albuquercius pro Emanuele Rege in Indiis præfectus, Legatũ ab Aethiopiæ Imperatore ad Regem Emanuelem missum, à Dabulensi præfecto vinctum custodiri. Hoc cũ percepisset, misit continuo, qui nomine illius à Dabulis præfecto peteret, vt Legatũ missum repente faceret. Is sine vlla recusatione paruit: & Legatus Goã perductus cũ solenni pompa, & Sacerdotũ cantibus exceptus fuit. Gerebat. n. crucẽ ex ligno Crucis illius, in quam Christus humani generis conditor atq; liberator sublatus fuerat, perfectã, quam Aethiopię Imperator Regi Emanuli dono mittebat. Omnes aũt maxime lętabantur, cũ cernerent ex illis regionibus tã longo interuallo ab Europa distantibus Legatũ Christiani Principis, cuius fiducia erecti confidebant futurũ, vt vbiq; Christi nomen sancte coleretur. Erat is Imperator tum patre Nahu defuncto, Dauid admodũ adolescens, atq; ob id sub tutela degens Helenæ auiæ, virili animo & consilio fœminæ. Legato principi nomen fuit Matthæus Armenius, insigni probitate vir atq; prudentia. Adiunctus illi fuit alius ex Abassina nobilitate primarius. Is quo arctius iungerent amicitiam, fidei pignus ad Emanuelẽ ferebant, sacrosancti, quod diximus, ligni fragmentũ eius, in quo salus humani generis olim ingemiscente rerum natura pependit. Hunc Matthæũ ad se recta venientẽ, vt in Lusitaniã ex India transcheretur, Albuquercius cũ cætera benignitate, tum vero propter sacras quas afferebat reliquias, exquisitis cærimoniis & Sacerdotum occursu exceptum, & inde nauarchis accurate commendatum, in Europam transmisit. *Osorius lib. 8. Mapheus lib. 5.*

XVI. Quo etiam anno, ad Iulium Pontificem, Bononiæ pro secundo bello Ferrariensi commorantem accessit Venerandus quidam pater Dominicanus ex Armenia, nomine Gregorius, electus Archiep. Naxiuanensis, postulans vt de se factam ab Armenis comprobaret electionẽ. Fecit id Pontifex libenter: quinimo cum donatũ amplissimis priuilegiis, & aureis nummis pro viatico, in patriam remisit. Per interpretẽ loquebatur: negabat in Armenia esse Sacerdotes, nisi ex Ordine FF. Prædicatorum. Cærimoniis eius Ordinis tam in re diuina facienda, quam in exsoluendo suo officio vtebatur sic accurate, vt illum à Latinis haud quaquam nisi pronunciatione discernerent. *Leander lib. 3. de viris Illustr. Ord. Præd.*

Eodem anno Romæ decessit, Paschalis Burgensis Episc. ex Dominicano Ordine, solitus quotannis Romana tẽpla religionis ergo plena maiestatis & numinis venerabundus inuisere: & tunc Lateranensis Concilii pars pietate inter paucos conspicuus: si vera memorantur, clarus miraculis ante & post obitam mortem. Ferdinandus & Isabella Reges Catholici hominem religiosissimũ ei Ecclesiæ præficiendũ curauerant. Nihil ille ex pristino viuendi rigore Episc. factus remisit. Eadẽ vtilitas in vestitu, modestia in actionibus, regula in cultu. Reditus omnes ex Episcopatu, vel in templa, vel in pauperes prodigebat potius quam expendebat: adeo vt fere perpetuo ære fuerit grauatus alieno. In sanguine coniunctos parcissimus adeo fuit, vt quasdam nepotes tenuissimæ sortis viris, cũ exigua dote vix sustinuerit collocare. In visitanda diœcesi, ne quẽ sumptibus grauaret, vnico sodali tantummodo comitatus incedebat, atq; incognitus improuisusq; sæpenumero superueniebat, vt magis explorato vultũ pecoris sui cognosceret. Pauperrimus vixit; mendicus diem obiit: cui ante aram maiorem in Basilica Mineruæ sepulto, familiares istud posuẽre epitaphium. Paschasio Hispano, Burgensi Episcopo, qui ex Prædicatorum Ordine, doctrina, virtutibus eructus, amplissimi redd. xv. m. ann. pie dispensatis, ad Lateranensem Synodum sub Iulio secundo Pontifice Maximo accitus, vita functus est. Christi pauperi, inter compauperes mortuo, alienis sumptibus tumulato, seruitores Domino posuere 1512. 19. Iulii. vix. ann. 70. *Mariana de rebus Hispaniæ lib. 30. c. 13. Pius de viris Illustr. Ord. Præd. parte 2. lib. 3.*

XVII. Præcessit eodem anno Paschasium, Matthæus Vlmus ex eodem Ordine Laodicenus Episc. multas calamitates propter vnitatem Ecclesiæ, & authoritatẽ Iulii Pontificis, quam cõtra Conciliabulũ Pisanum tuebatur perpessus, & à pseudocardinalibus in exiliũ pulsus. Defuncto epitaphiũ positũ est Mediolani in templo SS. Virginis Gratiarũ, ante summum altare: die vltima Febr. 1512. Viuentis facundiam prope Tullianam, doctrinam vero profundissimam, integerrimamq;, omnes fere Itali mirati sunt. *Lusitanus in Chron. Ord. Præd.*

Eodẽ Febr. mense, die 4. Ferrariæ, in S. Catherinæ Martyris cœnobio, diem clausit extremum Angela Seraphina Cortregiata, instituti Dominicani Sanctimonialis, tantæ sanctitatis, vt nullo vmquam læthali crimine contaminatam fuisse, Sacerdotes qui eius confessiones excipiebãt testati sint. Charitate porro in Deũ tam inflammata vixerat, vt etiam martyrii desiderio teneretur. Prædixit tempus mortis sua, quam in illis

XVIII. illis verbis sæpius repetitis, Educ de carcere animam meam, vt confiteatur nomini tuo Domine. In eius transitu visa est multitudo Angelorum obuiam occurrentium scandenti in cœlum. Apparuit nonnullis post obitum, multaque ad eorum salutem contulit. Nonnulla etiam miracula edidit: inter quæ cuidam surdæ auditum restituit. *Pius lib. 3. de viris Illustr. Ord. Præd.*

Eodem anno Augustæ Vindelicorum virgo quædam 40. annorum, dum se absque cibo & potu victitasse ad multos menses diceret, quibus nec dormiuisse vnquam sancte affirmabat, non tantum ignobile vulgus, sed Cæsarem quoque ipsum Maximilianum, ac multos Romani Imperii Principes adeo decepit, vt post custoditam aciam aliquoties exploratam, reuera eam spiritu Dei duci atq; ali crederent. Verum cum paulo post fucus qui suberat detegeretur, relicta Augusta patria in Heluetiam fugit, atque Friburgi in Vtlandia (vt digna erat) aquis submersa est. *Annal. Augustan.*

Illud etiam hic non omittendum est, quod erga Lauretanam virginem Iulius Summus Pontifex hoc anno edidit. Petrus Antonius Perottus Syluestrinorum Monachorum Præpositus Generalis, eiusdem Diuæ Virginis studio accensus Abbatiam S. Laurentii Laureto proximam (ea est in agro Castri Ficardi) cum vniuersis villis, ædibus, pratis, agris, oliuetis, syluis ad eam pertinentibus, Pontifice approbante, Lauretano concessit templo. Iulius ergo Abbatiam illam Pontificali diplomate Lauretanæ attribuit Domui: ac Perottum ipsum Laureti Gubernatorem constituit, ratus, (id quod erat) cui cordi fuisset Lauretanas fortunas augere, eidem cõseruare ac tueri auctas, cordi futurum. *Thuanus lib. 2. c. 14.*

ANNO CHRISTI M. D. XIII. IVLII PAPAE II. ANNO 10. MAXIMILIANI ROM. REGIS ANNO 28.

I. *Galliæ Rex Mediolanum recuperare statuit.* Equitur annus quingentesimus decimus tertius supra millesimum, non minus quam superior rebus memoria dignis plenus. In cuius initio, quia nec Veneti alios lacessebant, nec quisquam contra illos mouebatur, armis vbique quiescentibus, Pro Rex Neapolitanus cum tribus peditum millibus Tretium profectus, arce ea lege petitus est, vt qui intus erant cum rebus suis incolumes abirent. Sed rerum futurarum cogitatio omnium animos premebat, cum præsertim Galliæ Regem, regno suo ab externis armis liberato, & multis Germanis conscriptis, cataphractorumq; numero non parũ aucto, audaciorem factum, nulla de re magis quam de Mediolanensi Imperio recuperando cogitare, notum esset. quod studiunt quamuis in Rege ardentissimum esset, & summopere bellũ, dum Mediolanensis & Cremonensis arx in ipsius potestate essent, accelerare cuperet: nihilominus cum tantum impedimenti sibi tot hostes afferrent cogitasset, nec quin proxima æstate ab Angliæ Rege maximis copiis oppugnaretur, satis tutus esset, nisi aut fœderatorum aliquem à communi concordia disiungeret, aut cum Venetis fœdus haberet, nihil mouere statuebat: quorum alterutrum fieri posse, iam anno superiore variis indiciis in animum induxerat: quoniã Gurcensis, cum Roma Mediolanum contenderet, quodam Sanseuerinatis Cardinalis familiari, qui Galliæ Reginæ nomine ad eum missus fuerat, in itinere benigne audito, vnum ex suis postea occulte in Galliam misserat, per quem hæc proponebat: vt Rex Cæsarem contra Venetos iuuaret: vt secunda Regis filia Carolo Cæsaris nepoti nuberet: cui Rex dotis nomine Mediolanense Imperiũ daret: eidemq; filiæ ac futuro genere iura quæ in regnum Neapolitanum haberet, concederet: & ne Cæsari nudis verbis atq; promissis tantum cautum esset, sponsa statim in eius potestatem veniret: cumque Rex Mediolanense Imperium recuperasset, Cæsar Cremonam & Giaradaddam posslideret. Sperabat præterea Rex Venetos ob Brixiam à Pro Rege occupatam, & multo magis ob ea quæ Romæ inter Pontificem & Cæsarem transacta fuerant iratos, sibi adiungere. Ideo iam tunc Andream Grittum, qui Brixiæ captus in Gallia captiuus detinebatur, occultissime ad se adduci iusserat: vtque Ioannes Iacobus Triultius, in quo magnam Veneti spem habebant, aliorum negotiorum specie Iulium ab epistolis ininistrum Venetias mitteret, effecerat. Oferebatur quoque illi aliqua pacis cum Aragoniæ Rege spes: qui vt sæpe sua per homines religiosos tractare solebat, binos Monachos, qui se publici boni studiosos ostendentes, aliquid quod ad pacem, vel peculiarem inter duos Reges pertineret cum Regina tractare inciperent, occulte in Galliam miserat. Huius autem rei cum Galliæ Rex illum sibi Nauarram retinere velle sciret, ipsi vero eum Regem, qui vt eius amicitiam, ipsiusque auxiliorum spem sequeretur in tantam calamitatẽ esset redactus deferere, durum valde, summaq; indignitatis plenum videretur, exigua spes erat. Nihil autem magis Galliæ Regem premebat, quam Heluetiorum sibi iterum conciliandorum desiderium: quod ex hac re certissimam victoriã pendere animaduerteret, ob maximam authoritatem, quã tunc gens illa armorum suorum terrore pollebat, & quia nõ amplius veluti mercenarii milites, neque vt pastores, sed vt homines in bene constituta republica in imperiorum administratione educati, vigilantes, rerumque momenta obseruantes, nec vllum motum nisi ex arbitrio suo fieri permittentes, rempublicam administrare cœpisse videbantur. Idcirco omnium Christianorum Principum legati in Heluetiam cõcurrebant: Pontifex, & fere omnes Itali Principes, vt in fœdus illorum admitterentur, & quotiescumque illis opus esset, sui defendendi gratia milites ex illa gente obtinere liceret, quotannis certam pecuniæ summam illis pensitarent: quibus rebus elati, & Carolum Galliæ Regem ipsorum armis primum felicem Italiæ statum euertisse: ipsorum quoque armis Ludouicum eius successorem Mediolanense Imperium occupasse, Genuam recuperasse, & Venetos debellasse memoria repetentes, cum omnibus imperiose atque elate se gerebant: & nihilominus Galliæ Regi, cum præter multorum eius gentis hominum cohortationes, tum quod se illos magna pecuniam pollicendo flexurum existimabat, illud spem faciebat, quod cum, qui Mediolano præsidebant Maximiliani Sforziæ nomine Heluetiorum Oratoribus, quamprimum Mediolanense imperium & arces in eius potestate, flere cẽtum & quinquaginta aureorum nummium millia, atque viginti quinque annos, quotannis quadraginta millia, si ipsi vicissim se eius patrocinium susceepturos, & milites ad ipsius stipendia daturos se obstringerent, Heluetiorum tamen pagi id nunquam ratum se habere testati erant. Idcirco huius anni initio, etsi antea vt legati quos ad hæc tractanda mittere volebant audirentur, frustra tentasset, Lugani ac Locarni arcium pactione, liberaque cessione, vt in comitiis audirentur impetrauit. tanta indignitate magni principes gentis illius amicitiam ambiebant. Itaque Regis iussu Tramollia Lucernam, quo in loco comitia ad illum audiendum erant indicta venit: & quamuis fronte hilari acceptus esset; mox tamen labores suos, quod ad Mediolanense Imperium attinebat, vanos esse cognouit. quoniam ante paucos dies sex pagi fœdus cũ Maximiliano Sforzia ictum signo addito comprobauerant: tres comprobare decreuerant, reliqui tres amplius deliberandum esse censebant. Quare nihil iam de Mediolano agens, vt saltem Regem ad Genuam & Astam, quæ Maximiliani fœderi non comprehendebantur recuperandas iuuarent, proponebat: quæ vt promoueret Triultius, propriorum negotiorum tractandorum specie, vt sibi aditus ad comitia pateret, petiit: cui fides publica cũ lege concessa, ne vlla de re quæ ad Galliæ Regem spectaret ageret: fino quamprimum Lucernam pervenit, Tramolliæ colloquio siue publico siue priuato est illi interdictum. Tandem communi consensu fœdus cum Mediolanensium Duce ictum, ab omnibus ciuitatibus est sanctum: omnia Galliæ Regis postulata reiecta: & insuper ne illi pedites ex ipsorum gente quibus aut in Italia aut extra vteretur conscribere liceret, additum. Rege igitur ab Heluetiis excluso, pacem sibi aut cum Cæsare aut cum Venetis, qui eodem tempore de ea cum Cæsare agebant, necessariam esse animaduertebat. Cum enim in sociorum animis Venetorum cum Galliæ Rege reconciliationis suspicio augeretur, Gurcensis, vt ipsi Vicentiam retinerent, assentiebatur. Sed cum eædem rationes quæ hostibus timorem incutiebant, Senatui spem afferrent, nisi Verona, pro qua ipsi maiorem pecuniæ

vim Cæsari essent daturi restitueretur, pacem se velle negabant. quam petitionem cum difficilem inuenirent, eo magis ad Gallicum fœdus propensi, cum Triultii ab epistolis ministro se ex prioris cum Rege fœderis legibus, quibus Cremona & Giaradadda illis darentur, cum Rege fœdus sancituros conuenerunt. qui in fœdere diserte addidit, vt id nullam vim haberet, nisi intra certum tempus à Rege esset comprobatũ. In Regio autem Senatu paxne cum Cæsare, an fœdus cum Venetis magis esset optandum, variæ erant sententiæ. Istud Robertus magnæ authoritatis scriba, Triultius, & fere omnes Regii Senatus principes magis laudabant: Cæsaris inconstantiam tanto cum detrimento præsenti experientia perspectam, odium quo in Regem flagrabat & vlciscendi studium: cum præsertim minime leuibus authoribus, hoc tempore nonnum quam hæc illius verba fuisse accepissent, quibus diceret, se septemdecim iniuriarum à Gallis acceptarum memoriam fixam in animo habere, quarum vlciscendarum sibi oblatam occasionem nullo pacto esset prætermissurus: nec aliam ob causam hæc ab illo tractari, nisi vt vel dolosa pace maiorem nocendi opportunitatem haberet: vel deniq; belli apparatus remoraretur: vel saltem vt ea quæ cum Venetis agi sciebat, impediret. Qui vero semel ab aliquo deceptus, eidem iterum incaute fideret, cum nullam habere excusationem, neque miserationedignum esse differebant. His contra Cardinalis San-Seuerinas, potius vt aduersarii aiebant factionũ aduersus Triultium studio, quia Mediolani cum fratribus semper Gibellinam factionem secutus erat, quam alia ratione ductus respondebat: nihil Regi vtilius esse posse, quam cũ Cæsare reconciliata gratia, hostium concordiam infringere: præsertim si tali vinculo constringerentur, quod diuturnum fore sperari posset: cum principum proprium sit semper in suis deliberationibus vtilitatem beneuolentiæ, odiis, aliisque cupiditatibus præferre. Quid autem Cæsari vtilius quam præsens contra Venetos auxilium, & spes, nepotem Mediolanensis dominii successorem fore? Cæsare ab aliis distincto, Catholicum Regem nepotis, aliarum ve rerum gratia se illius authoritati opponere non posse, nec quicquam vna hac re excepta magis Pontificem Max. terrere: & contra, fœdus cum Venetis, quo illis Cremona cum Giaradadda tam propria Mediolanensis Imperii membra, quæ vt recuperaret Rex orbem vniuersum concitauerat concederentur, indignitatis plenum esse: nec tamen Venetorum amicitia, nisi reliquorum societas dissolueretur, ad victoriam consequendam satis esse. Tandem hæc sententia obtinuit, ob Reginæ quæ filiæ amplitudinis erat studiosa autoritatem, modo illud obtineri posset, vt apud matrem donec adolesceret custoditetur, quæ fidem suam obstringeret, se Cæsaris nomine tamquam sponsam nepoti eius destinatam custodiret, & marito quamprimum ætas ad connubium esset apta, traditurum. Sed postea Rex Cæsarem hanc limitationem non admissurum, quin potius hæc ab illo artificiose, vt aliis eius consiliis moram iniiceret, proposita fuisse certior factus, hoc consilio reiecto, Asparotum Lautrechii fratrem, qui iam ab aula vt ad Gurcensem cum hisce mandatis proficisceretur discesserat, reuocauit. Cæterum, fœderis inter Regem & Venetos timore crescente, Aragoniæ Rex Cæsarem ad Veronam Venetis reddendam hortabatur: & vt ea pecunia quam à Venetis acciperet, & cum Hispanico exercitu bellum in Burgundiam transferret, proponebat. Idem & Gurcensis sentiebat, qui se sua præsentia Cæsarem mouere posse sperans, in Germaniam rediit: quem non modo Petrus Vrrea, qui cum illo venerat secutus est, verum etiam Ioannes Baptista Spinellus Carriati Comes, eiusdem Regis apud Venetos Legatus, qui (prius tamen, ne nouis difficultatibus negotia suscepta impedirentur, Senatu ad inducias cum Cæsare per totum Martium paciscendas inducto) Cæsarem si illi intra certum tempus bina auri pondo millia & quingenta, quotannis autem etiam quingenta pondo penderentur, Veronam restiturum fidem dederunt.

Aragoniæ Rex Cæsarem vt Venetis Veronam reddat hortatur.

II. In ea sessione, die XVI. Februarii in loco solito in Ecclesia Lateranensi congregata, præsidente Raphaele Riario Episcopo Ostien. Cardinale S. Georgii & S.R.E. Camerario, fuit celebrata Missa spiritus Sancti per Alfonsum Patriarcham Antiochenum, in altari existente in loco Concilii, quod fuit mutatum propter absentiam Pontificis, & versum versus Cardinales & Prælatos Concilii: & facta oratione per Ioannem Mariam Archiepiscopum Sypontinum, Præsidens Concilii accessit ad altare, & ibidem indutus ornamentis Pontificalibus sedens ante altare, incepit hymnum Veni creator spiritus, & cantatis letaniis & aliis deuotis orationibus consuetis cantari, & cantato Euangelio, *Qui non intrat per ostium* per Diaconum Capellæ Pontificiæ, Bonus de Francischis Orator Lucensium, dedit mandatum suæ Communitatis præsidenti Concilii, super detestatione Conciliabuli Pisani, & adhæsione ad Lateranense Concilium, quod incontinenti legit Secretarius Thomas Phædra. Eo perlecto, exclusisque de more, aliis non habentibus voces deffinitiuas, exceptis Oratoribus Principum, & Baronibus, & aliis prioribus Prælatis in suis subsellis existentibus mitratis, clausoque Concilio, Scaramuza Episcopus Cumanus legit bullam innouationis & confirmationis Constitutionis contra Symoniacam prauitatem in electione summi Pontificis non admittendam. Ita habet:

Iulius Episcopus Seruus seruorum Dei. Ad perpetuam rei memoriam. Sacro approbante Concilio.

Si Summus rerum opifex, terrarum cœliq; fator sua ineffabili prouidentia Romanum Pontificem in Cathedra præeminentiæ Pastoralis Christiano generi præesse voluit, vt Sanctam Romanam vniuersalem Ecclesiam sinceris corde & opere gubernaret, fideliumq; omnium profectibus sollicitis studiis intenderet, decens & salutare reputamus, vt in electione præfati Pontificis, in quem vt puritatis & candoris speculum fideles ipsi intuentur, omnis labes, omnisq; illius suspicio absit, talesq; ad tanti fastigij gradum assumantur, qui rite, & recte, & canonice ingressi, modo & ordine conuenientibus, nauiculæ Petri gubernacula sustineant, talesq; existant in tanto dignitatis culmine constituti, qui bonis & rectis solutio, malis autem formidini sint, & eorum exẽplo cæteri fideles ad bene operandum instruantur, & ad viam salutis dirigantur, & ea quæ propterea per nos statuta & ordinata fuerunt pro rei magnitudine & gratuitate, per sacrum Generale Concilium approbentur & innouentur, & approbata & innouata communiantur, vt eo firmius perdurent, & tenacius obseruentur, & aduersus Diaboli multiplices insidias defendantur, quo fuerint dicta authoritate sæpius circumfulta. Dudum siquidem à nobis, magnis & vrgentibus causis, magnaq; & matura discussione & deliberatione, cum doctissimis & grauissimis viris, etiam Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalibus præcedentibus & præhabitis emanarunt literæ tenoris subsequentis.

Iulius Episcopus Seruus seruorum Dei. Ad perpetuam rei memoriam. Cum tam diuino quam humano &c.

Vide illam superius infertam anno D. 1505.

Quæ literæ deinde pro ipsarum subsistentia firmiori & notorietate, dum Bononiæ cum nostra Curia essemus de mense Octob. Pontificatus nostri anno septimo, in Consistorio nostro Secreto, etiam Venerabilibus Fratribus nostris S. Rom. Ecclesiæ Cardinalibus, & aliquibus Prælatis nostris domesticis lectæ & publicatæ, & approbatæ, & demum in quinterno Cancellariæ descriptæ & annotatæ, & in audientia Contradictarum, ac aliis locis publicis dictæ ciuitatis, & postremo Romæ in locis designatis solenniter publicatæ extiterunt, & earum exemplaria ad omnes fere Christianos Principes transmissa. Nos attendentes quanti ponderis, quantiq; exitii Christi Vicariorum in terris adulterinæ electiones essent, quantumq; detrimenti Christianæ religioni afferre possent, præsertim his difficillimis temporibus, quibus diuersimode vexatur Christiana religio vniuersa. volentes Sathanæ dolis & insidiis, humanaq; præsumptioni & ambitioni, quantum nobis permittitur obviare: vt literæ prædictæ eo magis obseruentur, quo clarius constiterit eas matura & salubri deliberatione dicti Sacri Concilij approbatas, & innouatas, qua statutæ & ordinatæ fuerunt, licet ad sui subsistentiam & validitatem alia approbatione non indigerent: sed ad abundantiorem cautelam, & ad tollendam omnem doli ac malitiæ causam male cogitantibus, & tam saluberrimæ constitutioni contrauenire satagentibus, vt eo tenacius obseruentur, & difficilius tollantur, quo tantorum Patrum fuerint approbatione munitæ, literas prædictas cum omnibus & singulis statutis, ordinationibus, decretis, definitionibus, pœnis, inhibitionibus, aliisq; omnibus & singulis clausulis in eis contentis, Sacro hoc Lateranensi Concilio approbante, authoritate & potestatis plenitudine præfatis approbamus & innouamus, easq; inuiolabiliter & irrefragabiliter obseruari & custodiri mandamus, roburq; perpetuæ firmitatis obtinere, ac Cardinales, Mediatores, Oratores, Nuntios, & alios in dictis literis contentos, ad ipsarum literarum, & omnium, & singulorum in eis expressorum obseruationem, sub censuris & pœnis,

& aliis in eis contentis iuxta earundem literarum tenorem & formã teneri & obligatos fore decernimus & declaramus. Non obstantibus Constitutionibus & ordinationibus Apostolicis, ac omnibus illis quæ in dictis litteris voluimus non obstare, cæterisque contrariis quibuscunque. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ approbationis, innouationis, mandati, decreti & declarationis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem Omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri & Pauli Apostolorum eius se nouerit incursurum. Datum Romæ in Basilica Lateranen. in sacra sessione Anno Domini millesimo quingentesimo decimo tertio, Quarto decimo kalendas Martij. Pontificatus nostri anno X. Bal. Tuerdus. Ia. Questemberg.

Lecta superiore Constitutionis approbatione, requisiti Patres an illis placeret, per verbum *Placet* responderunt: exceptis quinque, qui, vt infra dixerunt. Episcopus Terdonensis noluit dare votum, quia dixit se non esse bene informatum. Benedicto Chiensi, placuit dispositio Bullæ, sed non forma. Castrensis dixit pœnas contentas in illa esse modificandas. Cumano placuit de manifesta Symonia, de occulta non: nisi prius declaratione facta per Generale Concilium. Alexandrino placuit, quatenus Symonia sit notoria, facti permanentis, vel præcederet declaratio Generalis Concilii, vel ab omnibus, vel duabus partibus Cardinalium opponeretur de Symonia. His peractis, idem Episcopus Cumanus consensu suggestu, legit aliam Bullam tenoris infrascripti.

Iulius Episcopus Seruus seruorum Dei. Ad perpetuam rei memoriam. Sacro approbante Concilio.

Inter alia necessaria & fructuosa opera in Sacro Lateranensi Concilio pacis auctore fauente peragenda, in quarta illius sessione literas nostras per quas Romanæ Curiæ Officiales, & illorum exactiones generaliter reformauimus, per nonnullos alios deputatos & deputandos particulariter declarare, & declarationes ipsas in aliis Sessionibus nobis in eodem Concilio referre, & ab ipso Concilio approbari præcepimus, & mandauimus, nec non negotium & discussionem declarationis, nullitatis, inualiditatis, & abrogationis assertæ Sanctionis pragmaticæ in partibus Gallicanis, nulla legitima auctoritate, sed contra Ecclesiasticam libertatem, in Sanctæ Sedis vilipendium, abusu Gallicorum prælatorum, & aliorum laicorum eis fauentium introductæ, Venerabilium Fratrum nostrorum S.R. Ecclesiæ Cardinalium, & aliorum Prælatorũ congregationibus, relationemq; discussorũ in prima, aut aliis sessionibus, prout commode fieri posset, nobis & Concilio præfato faciendam, Concilio huiusmodi approbante commisimus, Gallicosq; Prælatos, Capitula Ecclesiarum & Monasteriorum, Parlamenta, & laicos illis fauentes, & dicta sanctione abutentes, omnesq; & singulos alios in præmissis sua communiter vel diuisim interesse putantes, per edictum publicum, cum ad partes illas tutus non pateat accessus, in Mediolanen. Asten. & Papien. Ecclesiarum valuis affigendum, moneri, citari, infra certum competentem terminum præfigendum ad comparendum coram nobis & dicto Concilio, causasq; dicendum quare sanctio præfata, illiusq; corruptela & abusio, in concernentibus auctoritatem Romanæ Ecclesiæ & Sacrorum Canonum, ac Ecclesiasticæ libertatis violationem, nulla & inualida declarari & abrogari non deberet, statuimus & decreuimus. Cum autem particularis declaratio Officialum fieri & referri, citatioq; & monitio contra Prælatos Gallicos, & alios illis fauentes, & sua interesse putantes decretæ & executæ reproduci hactenus non potuerint, & tempus ad comparendum præfixum nondum lapsum extiterit, Nosq; notoria aduersa valetudine impediti iuxta desiderium cordis nostri in ipso Concilio personaliter interesse non possumus, cupiamusq; particularem reformationem, & citationem ac monitionem huiusmodi reproductis, discussionem abrogationis & declarationis prædictarum, earumq; relationes mature & accurate fieri, ac pristina nostra valetudine restituta, quam pius & misericors Dominus sua solita clementia nobis concedere dignetur, per nos ipsos debitum Apostolicæ seruitutis in ipso Concilio exequi, eodem Sacro Concilio approbante sextam Sessionẽ tertio Idus Aprilis proxime sequentis faciendam indicimus. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostrorum præcepti, mandati, commissionis, statuti, decreti & indictionis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem Omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri & Pauli Apostolorum eius se nouerit incursurum. Datum Romæ in publica Sessione in Lateranen. Sacrosancta Basilica solenniter celebrata. Anno Incarnationis Dominicæ M. D. XII. Quartodecimo Calend. Martij. Pontificatus nostri anno X.

III. Placuit omnibus edictum Suprascriptum. Secundum hæc citati absentes: accusata non comparentium contuma-

cia: auditæ & admissæ plurimorum excusationes: Sessio absoluta. Pontifex deinde morbo ingrauescente successoris eligendi ius penes Cardinalium Collegium, non autem penes Concilium esse: & seditiosos Cardinales quibus seiniurias sibi illatas condonare, Deumq; vt Ecclesiæ suæ factas quoq; condonaret orare dixit: deinde totum Collegium vehementer rogauit, si sibi rem gratam facere vellent, Vrbinatium Duci Pisaurum Vicarii iure perpetuo obtinendum concederent: eius Ducis opera, potissimum in Ioannis Sfortiæ obitu Pontificio Imperio ciuitatem illam restitutum, in memoriam reuocabat. nulla præterea in re, priuatas propriasq; cupiditates præse tulit: imo Felici filiæ suæ, multisq; aliis eius gratia, vt Guidum Montefalchium, quod eadem matre nati essent, in Cardinalium Collegium cooptaret vehementer supplicantibus, illum eo gradu dignum non esse aperte respondit: eandemque in rebus omnibus qua ante morbum præditus esse solebat, constantiam, sceueritatem, & iudicium, animique vigorem retinens, Sacramentis religiose, acceptis, nocte diei vigesimæ primæ Februarii, cum iam lucere inciperet, præsentium laborum curriculum absoluit. *Francisc. Guiciardin. lib. II.* Ex animi dolore; quod Venetos in amicitiam cum Maximiliano Cæsare reducere frustra tentasset, lenta tenacique febre, fluente sensim aluo correptum, septuagenario maiorem decessisse memorat Ciacconus: domi belloque clarissimum. Nec enim probari ob id minus debet Iulius, quod tam infracta animi virtute contra Ecclesiasticæ dignitatis & ditionis inuasores propugnauerit, quando temporum ea conditio, tantum virum, religione ac fortitudine vere Maximum Pontificem postulabant. Neque enim sane alias ob causas tot bella gessit, nisi vt a pluribus Sacræ sedis vel violatam maiestatem, vel vsurpatum imperium vindicaret, recuperaretque. Ad quod præstandum, insita à natura eius inuicto animo bellicæ virtutis semina cernebantur. Erat enim animo magnus, acer, constans, liberalis, contumeliarũ insolens, contumacibus implacabilis, in prosperis continens, in calamitatibus seipso semper excelsior: eaque propter rerum Ecclesiasticarum defensor acerrimus. Fuit quidem iracundus, sed cum tamen animi motum prudenter & opportune moderabatur. Nam cum Hieronymus Viccus Regis Ferdinandi Catholici legatus, cum Pompeio Columna Pontifici suspecto, ad Pontificii cubiculi fores expectaret, vt Pompeius causam coram Pontifice diceret, seque de crimine rebellionis excusaret, admittere eum Iulius recusauit, seuera fronte istud respondens: Nolo ego iracundus, cum superbo & turbido verbis decertare. Cum eius singularem fortitudinem, & in asserenda Ecclesiasticæ dignitatis ditionisque libertate operam fortiter præstitam omnes passim laudarent, & titulum Liberatoris Ecclesiæ, Italiæque palam inscriberent; cæterum libera Germani Probi Senatoris voce irrideretur, quod Neapolitanum regnum, quæ magna est pars Ecclesiastici dominii ac Italiæ in primis opulenta, sub Hispanico iugo toleraret: ille quassato scipione quo inualidus senex nitebatur, patimentum pertundens respondit, facturum se breuiter, vt Neapolitani, excusso exterorum iugo, legitimis Principibus inseruirent. Exinde non deerant sermones suspicantium, bellum in Turcas Patrum decreto, quasi classico excitis ad arma toto orbe Principibus Christianis, ab eo decerni, vt Hispanis ex Italia deductis, sine difficultate potiretur Neapoli. Eam Pontificis votorum summam esse diuulgabant. Sane, Ecclesiæ Romanę, Bononia, Aemilia, & Flaminia pulsis tyrannis & Venetis, firmissimum imperium & maxime stabile restituit. potiundæ Mutinæ Ecclesiæ initia dedit. Parmam & Placentiam ditioni Ecclesiasticæ adiecit. Suorum parum indulgens, eis nihil de vetere Ecclesiæ ditione donauit. Fratris enim filium Franciscum Mariam in Ducatu Vrbini à propinquo suo Guidone Vbaldo Feltrio sine prole masculo decedente adoptari & hæredem constitui procurauerat, nonnisi Pisauri possessione, Ioanne Sfortia sine hærede mortuo, debiti stipendii nomine donari postulauerat. Inter XXVII. Cardinales quos creauit, quatuor tantum è gente sua, Galeottum & Xystum sororis Luchinæ filios, item duos consobrina sua natos Clementem Mendensem, & Leonardum Agennensem, septem antiqua familiaritate & seruitio acceptos, reliquos in gratiam principũ, vel doctrinæ laude commendatos creauit. Tempus quod Ecclesiæ ditionis recuperationi, belliſque necessario gerendis su-

pereat, aut hominum moribus corrigendis, aut ædificiis extruendis impendebat. Vastam istam quam videmus, portentosam augustissimi Templi Vaticani molem, egregii architecti Bramansis opera, veteris Basilicæ parte disiecta, feliciter inchoauit. Sauonæ, natali solo, Templum SS. Virginis, atq; Episcopium ampliauit. Ecclesiam S. Agnetis refecit. Aereum Mausolæum in Basilica S. Petri Sixto IV. patruo suo elegantissimum extruxit, atque alterum marmoreum sibi maxima ex parte à Michaele Angelo Bonaroto elaboratum in æde S. Petri ad Vincula ædificauit. Sedit annos IX. menses III. dies XXI. vna cum Sixto patruo in Vaticana Basilica conditus. *Ciacconus & Onuphrius in Iulio 2. Mariana lib. 30. cap. 13.* Defuncto, scripsit elogium Vbertus Follieta per allocutionem huiusmodi:

IV. Ego vero te clarissimum Italiæ lumen Iuli Maxime, quem eadem quæ Xystum patruum (Roboreia) gens tulit, quo nomine appellem, incertum habeo: tot illud meritorum ac multiplicis virtutis tituli insigne faciunt. An Italicæ libertatis acerrimum vindicem vocem? An Pontificiæ dignitatis constantissimum propugnatorem? An Sacerdotalis dignitatis perpetuum assertorem? An ditionis Romanæ Ecclesiæ omnis fere amissæ recuperatorem? An Pontificii Imperii propagatorem, duabus opulentissimis & nobilissimis Cispadanę Galliæ Parma & Placentia illi adiectis? Quid vero magis miremur, rerumne gestarum magnitudinem, an diuinam & multiplicem in illis gerendis virtutem, tot consilii, fortitudinis, audaciæ, constantiæ, animi nullis terroribus infracti, nullisque periculis vmquam deterriti editis exemplis? Nec minor continentiæ, animique ab omni sorde liberi laus, quam heroica hæc virtus, ac rerum gestarum gloria nomen tuum commendat, qui bonorum publicorum tam diligens & religiosus custos & conseruator fueris, nullis vmquam largitionibus in tuos factis. Iam vero innumeræ cum omnis generis, tum imprimis arcium substructiones Regio sumptu excitatæ, quibus ditionem Pontificiam vbique firmasti & ornasti, quam tandem gloriam nomini tuo conciliant? In quibus Vaticanum templum à fundamentis excitatum, quod contemplantium animos veneratione perfundit, declarat, te Romanam animorum magnitudinem, quæ duabus rebus, hoc est virtute bello inuicta, atque immanium substructionum portentosa specie, inprimis conspecta est, hac quoque parte tanto seculorum interuallo vnum nobis retulisse. Beatam vero Italiam, ac beatum Pontificium solium, in quod augendum & ornandum omnes curas perpetuo intendisti: nisi nos excelsa virtute tua humanæ conditionis necessitas nimis cito orbasset. Profecto ad summum aliquod rerum fastigium illud extulisses. quam rem te moliri, incredibilis animi tui magnitudo, ardensque Ecclesiæ & patriæ charitas haud dubium faciebat. Vno igitur nomine laudes tuas complectar, teque Italiæ ac Romanæ Ecclesiæ parentem iure nominabo, omnisque nobis ac omnibus posteris nostris tantis beneficiis à te acceptis ætas erit in meritis ac laudibus tuis prædicandis, memoriaque sua velut numinis cuiusdam colenda. *Folieta, in elogiis clarorum virorum.* Addidit Petrus Magnus.

Iulius haud vlli Ligurum virtute secundus,
Seu pacem, seu bella gerens. acerrimus hostis
Desidiæ, probriq;. Vrbes ditione tuetur,
Amissas recipit, captas instaurat, & auget,
Inuictus, sollers, obseruantissimus æqui.

Bononienses aliquando ei rebelles, arcem ab eo conditam euerterunt, statuamque eiusdem è fastigio templi deiectam, ac variis prius affectam ignominiis, in tormenta conflarunt. *Ciaccon.*

(:o:)

ANNO CHRISTI M. D. XIII.
LEONIS PAPAE X. ANNO I.
MAXIMILIANI ROM. REGIS ANNO 28.

IVlii Pontificis obitu Romanus populus ad arma consternatus, tumultus concitare cœpit. Sic solebant vacuo Pontificatu: tunc autē acrius maioriq; impetu, extincti Pontificis seueritate irritati: Columniis etiam, quibus infensum se Iulius præbuerat, & Vrsinis quibus fauerat, inter se mutua æmulatione in vindictam inflammatis. Diui Pauli Monasterium Benedictini Ordinis via Ostiensi, furentis populi concursu fuit direptum: rapinæ aliæ & cædes in vrbe factæ. ProRex etiam Neapolitanus, cum Hispanis militibus Placentiam profectus, illam ciuitatem Romanæ Ecclesiæ eripuit, & sub Mediolanense Imperium redire coegit: quorum exemplum eiusdem metus causa & Parmenses secuti sunt: & Ferrariensium Dux statim Aemiliæ oppidis recuperatis, Regio appropinquauit: sed cum nullus motus in ea ciuitate contra Pontificios exoriretur, quia Hispanicus exercitus inter Placentiam & Regium castra habebat, ibi hærere non est ausus. Motus vrbanos Hieronymus Viquius Catholici Regis Orator, diligentia sua & authoritate compescuit: quibus compositis, & exequiis de more absolutis, Cardinales XXIV. Conclaue (sic locum in quem ad nouũ Pontificem creandum includuntur vocant) ad quartum nonas Martii, pacate sunt ingressi: sed tamen prius Mantuani Marchionis filio qui apud Iulium obses erat iurisiurandi vinculo soluto ad parentem redire permiserunt. *Mantuani ducis filius obses liberatur.* Prima cura in Conclaui fuit, in futuri Pontificis autoritate, qua defunctum nimis immoderate vsum aiebant, arctissimis legibus moderanda: quamuis non multo post, vt inter mortales alii se Principi opponere non audent, alii vero illum sibi beneuolum reddere student, ipsimet fere omnes eas leges abrogauerint. Vltimus fere omnium Ioannes Cardinalis Mediceus, Florentia aduectus est. Cæterum tanto populo studio postremus omnium Conclaue est ingressus, vt proculdubio constanti omnium salutantium omine Pontifex euasurus esse crederetur. & quidē auxerat eius spei famam Erasmus Germanus subtilissimus Mathematicus, qui pridie quam Medices vrbem intraret, in corona nobilium neminem fore Pontificem ex his Cardinalibus qui in vrbe essent audacissime prædicarat. Ferebant etiam Marsilium Ficinum Astrologum, ex ipsius genesi, ei Sacrorũ Principatum, cum adhuc esset puer, nec plane sacris initiatus, omnino detulisse. Vbi in Conclaue statim est receptus, in partes suas sibi iampridem conciliatos iuniores Cardinales pertraxit. Erant ij Regiis ac Illustribus maxime familiis nati, ætate opibusque florentes: & inprimis Ludouicus Aragonius, Sigismundus Gonzaga, Marcus Cornelius, & Alfonsus Petrucius: quibus accesserant Bendinellus Saulius, & Matthæus Sedunensis. Multi etiam ex senioribus ea lege suffragia promittebant, vt & ipsi cum exirent candidati, paribus suffragiis iuuarentur. Erat hoc tempore Senatus Princeps Raphael Riarius, qui ætatis honore, Sacerdotiis atq; opibus omnes anteibat: quamquam ei deerant litteræ atq; eæ virtutes, quæ multo luculentius quam ipsæ diuitiæ honestum Sacerdotem ad Christianam laudem exornant. Is in magnam spem adipiscendi Pontificatus ab aura populari, & tot circumfusis adulatoribus facile peruenerat. Sed eum ambientem & singulos prehensantem, cum ipsi iuniores eludebant, qui Ioanni candidato paratis firmisque suffragiis præsto aderant: tum etiam ei seniores plerumq; fidem fallebant, cum quisque spes suas aleret, & priuatis rationibus compositis ad summi fastigii fortunam enitendum arbitraretur. Petebant enim ferme omnes, vti quisque erat aut studio Principum, aut vrbana gratia, aut opibus & doctrina maxime conspicuus. Ita dum quisque senior ante omnia sibi vni præcipue studet, & propterea cunctatius aliis suffragatur, Ioannem Mediceum iuniores Pontificem efficiunt, qui rei Christianæ Imperium dare potius quam accipere vna perpetua consensione decreuerant. Accessit ad eum ante alios Franciscus Soderinus, qui vti

erat inimicus admodum capitalis propter Petrum fratrē Florētia pulsum, ab initio eum omnibus adhibitis machinis oppugnarat, moxq; perspecta iuniorum constantia, vti cautissimus senex in gratiam redierat. Accessit & ipse Raphaël, & cæteri demum omnes, adeo sedatis propēsisq; animis, vt nequaquam simulanter effuse lætarentur, quod eum Pontificē legitimis & longe simplicissimis comitiis creassent, qui nobilitate familiæ, morum grauitate, exquisitisq; litteris & singulari naturæ lenitate, nō Cardinales modo, sed cunctos fere mortales anteiret. Cunctis ad pedis osculum procumbentibus LEONIS Decimi nomen sibi desumpsit, vt pote qui propter innatam excelso Regioq; animo clementiæ virtutem, non expresso quidē titulo, sed erudita allusione magnanimi cognomentum affectaret, duorum superiorum secutus exemplum, quibus Alexādri & Iulii augustissima nomina placuissent. Nō defuere qui dicerēt Claricē matrē pleno iā vtero leonē ingētis magnitudinis & miræ lenitatis in Reparatæ templo Florētiæ omnium maximo se parere sine gemitu somniasse. quod postea somnium ex fabulis nutricum, cum puerorum ingeniis inhæsisset, accipiendo nomini causam haud dubie præbuerit.

VI. Natus est Leo Florentiæ, gente Medicea, lectissimorum virorum prole fœcundissima, nunc in Etruria rerum potente, & à coniunctione sanguinis, cũ Cæsare Ferdinando, Regibus Hispaniarum, Galliarum, Poloniæ, Britanniæ, atq; omnibus Austriacis Serenissima. Eius gentis nomen tametsi multis annis ante in Etruria admodum illustre fuerit, certam tamen ac stabilem magni COSMI primum, qui proauus Leonis fuit, virtute claritatem cepit. Nam Syluester qui Vicecomitis Insubrum Ducis impetum in Apennino strenue retardauit, & Auerardus atq; Ioannes quondam opibus ac vrbana gratia florentes, nunquam vel equestris ordinis dignitatem, vel ordinarios liberæ ciuitatis honores, inter multos æquales patritios excesserunt. Cosmum porro ab ineunte ætate adeo graui excelsoq; ingenio extitisse ferunt, vt perspicacissimi ciues (quorum hæc ætas admodum ferax fuit) iuuenem Cosmum ad omnia summa natum esse iudicarent. Excoluerat enim se pertinacissimo labore cunctis iis artibus ac disciplinis, quæ homines vera virtutis gloria perbeatos ac Deo similes efficere consueuerunt. Pietate inprimis eximia, cum probatissimæ vitæ Sacerdotibus certabat: vitæ quoq; temperantia, honestate, doctrinaq; cum optimis philosophis contendere erat solitus: magnitudine vero animi, magnificentia ac liberalitate, vel opulentissimis Regibus æquabatur. Quibus moribus tametsi singularem ab omnium ordinum hominibus gratiā mature collegerat, inuidiæ tamen, tantarum etiam virtutum subsidio fretus, resistere vix potuit. Circumuentus enim ab inimicis, & ab iis qui specie honesti nimiam eius potentiam formidabant, ceu mox obfuturā publicæ libertati, in carcerē fuit coniectus. Verum in tanti viri discrimine consternata maxima parte ciuitatis, aduersus paucorum potentium crudelitatem pluribus sententiis atq; suffragiis est impetratum, vt virtuti ac innocentiæ parceretur. Inde cum exulatum Venetias abiissent, tanta animi fortitudine ac industria apud omnes egit, vt non modo famam ac fortunas suas (quas inimici acerbissimo liuore inducti, conturbatas ac penitus conuulsas videre cupiebant) vbiq; terrarum egregie conseruarit: sed & suis ciuibus, & Venetis longe pudentissimis senatoribus, multo quam antea sapientior ac admirabilior euaserit. Secuta fuit demum non toto vertente anno in Repub. Florentina mira tranquillitas, æquissimis hominibus in magistratu succedentibus: ita vt Cosmus qui Reipublicæ turbulentissimorum ciuium vi atq; audacia commotæ, sæuis fluctibus in alienam terram eiectus fuerat, incredibili studio atq; pudore totius ciuitatis in patriam sit reductus. Tum vero renouata constitutaq; Republica, perniciosis vel suspectis ciuibus Senatu amotis aut expulsis, probitati, bonisq; artibus dignissimus locus est patefactus. Ab eo enim tempore Florentini eiusdem prope diuini hominis consilio sæpe pro communi pace, pro patriæ libertate, amplitudineq; imperii feliciter arma tractarunt, priuatas opes auxerunt, vrbemq; suam eximiis cunctarum artium ornamentis illustrarunt. Ipse COSMVS, vt erat incomparabili iudicii grauitate, pariq; prudentia, supra cæteras res omnes, studiosis egregiisq; rerum scriptoribus fauendo, donandoq; immortalitatem litterarum beneficio gloriosa quadam auiditate concupiuit: quod ciues quibus ipse pmulta pecuniæ atq; honorũ beneficia cōtulisset, vel immemores aliquādo futuros, vel omnino interituros diceret: itemq; prætoria, villas, temploq; abs se Regio sumptu, non tātum Florentiæ, sed & Hierosolymis & alibi ædificata, haud multo post, vel temporum, vel hominum iniuria labefactari posse, ac absumi penitus arbitraretur. Erat in priuatis domesticisq; rebus suis minimo, in sumptibus natura & cōsuetudine minimo contētus, vt pote qui ciuili cultu vixerat, frugaliq; & munditiis potius referta quam lauta mensa vteretur. At cũ clari hospites & præsertim aduenæ virtute insignes occurrerēt, nullis vel maximis sumptibus parcendum putabat, quin splēdidissime excipiendo largiendoq; totum pecuniæ vsum facultatesq; omnes ad splendorem, & gloriam reuocaret. Vixit ad summam prope senectutem integra authoritate, ac florenti semper gloria, recte atq; feliciter administratæ Reipublicæ: in ea quoq; parte beatus, quod nō modo Petrum filium probitate, prudentiaq; singulari præstantem, verum & nepotes pueros auita summarũ virtutũ indole cōspicuos relinquebat. Moriēs COSMVS PATER PATRIÆ decreto publico est appellatus, idq; sempiterni honoris causa marmoreo eius tumulo inscriptũ.

VII. COSMO vita functo, Petrus filius cunctis ciuibus ab initio fauentibus ad Reipublicæ gubernacula succedens, Laurentiũ & Iulianum filios reliquit, studiorum & virtutũ similitudine concordes, ac facile iuuentutis principes, qui vniuersæ ciuitatis consensu, digni rerum fastigio ac principe loco habebantur. Eorum domus humanitate, modestia, litteris, ac omnibus deniq; ciuilibus ornamentis perpolita, veræ munificentiæ, iucunditatis, elegantiæ, gloriæ, honoris virtutũq; omniũ officina cunctis patebat, superbia, libidine, audacia, simulatione, liuoreq; penitus exclusis. Extinctus fraude Iulianus reliquit postumum filium nomine Iulium, qui postea accepto Clementis VII. nomine, mortuo Hadriano, Pontificatum maximum adeptus est. Laurentio, ex Clarice Vrsina natus est LEO X. Ioannes ante Pontificatum vocatus, patris doctissimi & grauissimi ciuis cura à teneris annis bonis moribus informatus, & optimis disciplinis, Latina Græcaq; doctrina, musica item instructus. *Leonis X. mores & res gestæ.* Præceptores habuit Angelum Politianum, Bernardum Michelotium, viros Græcis & Latinis litteris, versu & soluta oratione erudissimos. Eum in Laurentii patris gratiam Ludouicus XI. Galliarum Rex etiamnum puerum insigni & amplo Archiepiscopatu honestauit: Innocentius vero VIII. Pontifex, vix tum tertium decimum excedentem annum, in Cardinalium numerum cooptauit. Ætatis defectu diu vrbe abfuit. A puero statim frugi apparuit, moribus pudicis, incessu graui, & actionibus honestissimis. Paulo antequā pater excederet, in vrbem Innocentio Octauo adhuc Pontifice veniens, supra bonarum artium notitiam, ex patris disciplina, ab humanitate suauitateque ingeniis omnibus charus fuit. Patre defuncto, Florentiam reuertentem, Pontifex totius Etruriæ Legatum creauit. Rebus compositis & Petro fratre ad Reipublicæ clauum admoto, Romam reuersus, comitiis Alexandri VI. præstantissimis Cardinalibus Senensi & Neapolitano sese adiunxit. Nec multo post Carolo VIII. Galliæ Rege in Italiam irruente, cum illius vi, ciuilique dissensione, Petro fratre à Reipubl. gubernaculis submoto, Medicea familia vrbe pelleretur, Ioannes quoque grauissimum calamitatis telum sensit: purpura exuta, cineream cucullam ad Minoritani Sacerdotis effigiem indutus, inter tumultum occupatæ & discurrentis turbæ vix elapsus. Medicei patria & auita dominatione exacti, totos decem & octo annos exulauere. quo temporis interuallo, cum tam per veteres amicos pacifice, quam aperta vi & insidiis aliquoties in patriam regredi aduersa semper fortuna tentassent, Ioannes excedere Italia tantisper, & per externos populos, vt tempori seruiret peregrinari coactus fuit: quandoquidem Romæ cum dignitate esse non poterat, Alexandro Pontifice Florentinis fœdere coniuncto. Italia igitur omni, Germania & Gallia peragratis, Genuam delatus apud Magdalenam sororem aliquantum substitit, ac denuo, sed parum prospere in patriam reditum tentauit, Petro Soderino perpetuo Florentinorum Dictatore repugnante. Amisso inter hæc Petro fratre in Ostio Lyris fluctibus maris hausto, Romam post Alexandri Pontificis mortē reuersus, per Galeotum Cardinalem Ruuereum apud Iulium Pontificem, ab elegantia eruditorum morum auctiorem gratiam

VIII.

promeruit, clarioremq; subinde nominis famam apud omnes est consecutus. Disputabatur enim inter nobiles & minus fœcueros Sacerdotes, ex ipso honestarum actionum certamine de pietatis & beneficentiæ officio, de præstantia nobiliorum artium, de rationibus & finibus & iucundissimæ voluptatis: quibus in rebus disserendis vel obeundis, nemo vnquam Ioannē vel ingenii elegantia, vel moderatione, vel humanitate superauit. Non deerant qui affirmarent Galeottum, ab his vsque temporibus cum de Iulii auunculi iam planè senis minus firma valetudine dubitaret, consensu iuniorum Cardinalium Ioanni vix tricesimum annum attingenti, Pontificatum despondisse: ita vt dicerent, æquum esse, vt iam tandem iuniores qui vigore animi senibus præstarent, summo rerum imperio digni viderentur. Legatus Bononiæ præfectus, atq; in conflictu apud Rauennam a Gallis captus, non modo eam calamitatē constanti animo tulit, verum etiam Mediolanum ductus, pro Iulio Pontifice & pro Romana Ecclesia intrepide stetit. Cū n. ibi schismatici ex Cardinales Conciliabulum è Pisis reductum, vt inflati victoria, crimino sissime celebrarēt, & sæpe Iulium Pontificem pro templi foribus ad dicendam causam citarent: obnitente Ioanni Cardinale, sanis hominibus pariter imperitis effuse ridentibus, ea pseudo synodus ludibrio haberi est cæpta, ita vt Bernardinum Caruaialem ambitiosius ad Pontificatum anhelantem, pueri subsannando per iocum Papam vocarent, nec ab armatis Gallis, & iratè persequentibus, quominus Sacerdotibus schismaticis illuderent, omnino tererentur. Opportune autē ad labefactandum eius Conciliabuli nomē forte Iulius Medices Roma superuenit, qui legato patrueli breues epistolas & diploma Pontificis deferebat, quibus præclara concessa facultate, expiare milites rite posset, qui, vti erant, quoniā in acie contra Pontificem stetissent, sacris interdicti, & omnibus diris ad inferos deuocati, sese lustrare Christiano ritu & veniam à Pontifice petere malebant, quam obtemperare paucis ac ambitiosis Sacerdotibus qui priuatis odiis & parum honestæ cupiditati improbè seruientes, & exercitui falsa specie religionis decepto, & fortissimis simul & incautis ducibus singularem calamitatem peperissent. Itaq; Ioannes, quamquam captiuus, perinde ac si in libertate esset, Legati personam sustinuit, & munus exercuit. vnde prolato eutulgatoque diplomate, tantus præfectorum & signiferorum, militumque omnis generis, qui certatim à diro crimine absolui cupiebant, ad eum factus est concursus, vt vix conficiendis tabulis scribarum manus sufficerent. quæ res & prædamnata conciliabuli causa, Iulii Pontificis authoritatem latissime confirmauit, & Ioanni Cardinali maximam apud bonos laudem conciliauit. Ob id factum, quod omnium Conciliabuli sanctionum fidem penitus eleuaret, grauiter commoti pseudocardinales, de illo vehementissime conquerebantur, quoniam maximi Regis, qui sibi iure optimo conciliabulum indixisse videbatur, dignitatem despicere putaretur: quum priuatis actionibus & syngraphis in aliena potestate constitutus, vti capite diminutus, cæptam synodum oppugnaret, nec vereretur eorum iram adeò insigni iniuria prouocare, in quorum esset potestate, quique captiuo duriores conditiones imponere facile possent, & ex arbitrio totam eius rei contumeliam vindicare. Sed ab insigni pietate vehemens Gallorum militum consensus illum vel tacentem egregie defendebat: ii enim vltro ex Cardinales ipsos elatis verbis obiurgabant, quod minus religiose Christianorum & simplicium omnium mentes, votaq; sanctissima, falsis persuasionibus turbare niterentur. Ducebant inde secum Ioannem in Galliam captiuum. Ventum erat ad Carium vicum in Ticinensi, non longe à Pado ad eam ripam quæ ex aduerso pertinet ad Bassinianam, ea Augusta Batticnorum antiquitus fuit. Ibi Medices forte obortа vel simulata leui ægritudine, facile à custodibus impetrauit, vt ea nocte Carii conquiesceret, dum pseudocardinales, magnique eorum comitatus cum turba omni ministrorum & militum nauigiis pertransirent.

Leo X. à Gallis captus.

IX.

Id spatii nactus Medices per Abbatem Bongallum familiarem suum, qui postea Nepesinus fuit Episcopus, perquisiuit an in eo vico aliquis esset vir nobilis, cui tutò salutem suam commendaret. Huic diuinitus forte oblatus est Raynaldus Zactius miles veteranus equestri natus familia, qui magnas in agris paternis agrestium hominum habebat clientelas. Itaque Abbas hominem secretò cum lachrymis suppliciter est cohortatus, vt summæ nobilitatis, summæq; spei Cardinalem, coniectum in eas miserias, & qui haud dubiè ad perpetui carceris pœnam in Galliam traheretur, è manibus barbarorum eripere vellet, qui temulenti aut intempestiue vagari, aut somno oppressi custodias negligenter obire consueuissent. Raynaldus qui suopte ingenio Gallico nomini erat infensus, propter memoriam Laurentii & Medicææ familiæ, quæ apud omnes erat venerabilis, facile liberandi hominis negotium suscepit; ea tamen conditione, vt nihil se perficere feliciter posse fateretur, nisi eius vicinæ Visimbardum aduersæ factionis, sed tamen ab se nequaquam alienum iuuenem, in partes patrandi facinoris adduxisset. Id si abillo impetraretur, ad eum in hospitale diuersorium se vnum ex pueris missurum, qui pro tessera cuncta parata esse renunciaret. Cum hac spe Abbas ad Medicem fuit reuersus. Nec mora Deo bene iuuante obsecranti Raynaldo, quamquam ægre & cunctanter, annuit Visimbardus. Itaq; ad Abbatem nuncius propere mittitur. verum ei Abbatem in turba quærenti, non Medicеus, sed alter genere Gallus Abbas custodiæ præpositus ostenditur, cui ille in eodem nomine deceptus miserabili errore cuncta parata esse denunciat, adeo vt tam probe conceptis consiliis fortuna immitis inuidere videretur. Sed Gallo contracta fronte & sua lingua se nihil parari iussisse extemplo respondente, errorem puer agnouit, & præsenti quodam commento inducto inde sese protinus explicuit, ita tamen, vt suspicionis aculeum relinqueret apud eum, verba & vultum pueri cogitatione reputantem. Ob eam rem Abbas non multo post maturius quam statuerat profectione indicta, eductoque agmine ad Padua contendit, frustra moras alias atque alias nectente Cardinale, vt Raynaldo spacium cogendis agrestibus opportune præberetur. Iam totum agmen ad flumen peruenerat, multisque transmissis, ipse plane inter postremos anteriorибus mulæ pedibus nauigii proram attigerat, quum à tergo exauditus clamor, & aduentantium conspecta acies mulam auertit. Ita superuentu Raynaldi pene sine vulnere fugatis Gallis Cardinalis Legatus eripitur. nec multo post abiecta purpura, militari sago indutum, traiecto noctu Pado, ad castellum Ligurum deduxere. Id erat Bernabouis Malespinæ Visimbardo sanguine coniuncti. Ibi nouum quoque discrimen adiit. Nam vir ille vti erat Gallicæ factionis, ne fortunas suas in discrimen deuocaret, monendum & consulendum super ea re Triultium existimauit, fremente frustra & fidem implorante Visimbardo. Tum vero Cardinalis in sphæristerio fœde custoditus, de salute libertateque desperare cœpit, ad vehementer fortunam incusare, quæ tanta acerbitate spes omnes eluderet, & sibi immerenti alios super alios insatiabili malignitate laqueos pararet. Sed Triultius grauis & vere Italus Imperator, cum iam Galli à ponte Minoii tanta premente hostium multitudine essent deiecti, & in effusam fugam plane coniecti, Malespinæ rescripsit, res eo esse deductas, vt non esset de Cardinale qui Dei beneficio semel euasisset, magnopere cogitandum. Itaque Bernabos seipso factus humanior, Legatum noctu dimisit, eumque seruorum perfidia simulauit effugisse. Ille tandem Placentiam, inde Mantuam, postremo Bononiam contulit: ac Raymundo Cardonio Prorege Neapolitano iuuante, expugnato Prato, à benetolis propinquis in patriam cum familia omni receptus est. Ibi Petro Soderino perpetuam Dictaturam abdicante, cum Rempublicam ad arbitrium constituisset, periculum vitæ adiit. Augustinus Caponius, & Paulus Boscolos, in eius & omniū Medicеorū, ad quorum arbitrium recidisse rempublicā viderant, necē coniuratione facta, iam de tempore & loco cædis, deq; adsciscendis sociis, quorū præsidio tuti atq; defensi negotiū conficerēt agitabant. Forte Caponio intrāti Pucianā domū, syngrapha sinu decidit, in qua breuiter erant annotata nomina amicorū, qui idonei ad id patrandū facinus viderētur. Ea syngrapha per Coctiū Senensem collecta, ad Medicеos delata periculum depulit. Deq; vtroq; suppliciū sumptū: Iulianus princeps Florētiæ relictus: Ioannes autē, paulo post Romā veniens trium & viginti Cardinaliū suffragiis Pontifex renunciatus, ac deinceps XIIII. Cal. Aprilis inauguratus, magnanimitatem & clementiam, quam ex assumpto Leonis nomine affectabat statim in aduersarios ostendit. Nam Petrum Soderinum è Ragusio in vrbem euocauit, eoque summo cum honore suscepto Contestinæ sororis

Idem liberatur.

filio

filio Aloisio Rodulpho ex Soderini fratre filiam in matrimonio collocauit. Nicolaum quoq; Valerium, cuius nomen coniurati ediderant, Volaterrano carcere eductum libertati patriæq; restituit; haud dubie Caponio etiā & Boscolo veniā daturus, nisi paulò ante octoviralē iudicio damnati periissent.

X.

Ex eius assumptione pene vniuersa Christiana respublica maximam percepit voluptatem. Omnibus enim tum ob patris ipsius claram virtutis memoriam, tum eius liberalitatis comitatisq; famam quæ passim exaudiebatur, tum quia castus atq; optimis moribus habebatur, tum deniq; quia patris exemplo eruditorum omniumq; illustrium ingeniorum amans futurus sperabatur, illum præstantissimum Pontificem fore persuasum erat: quam expectationem augebat, quod candidè absq; largitione, aut maculæ vllius suspicione lectus erat; iamq; Deus eius Pontificatum suo nutu probare cæpisse videbatur; quoniam quarto die postquam assumptus fuerat, Cardinales abdicati, quos Iulius iusta certe ira præferuidus iam Senatu motos, omniq. prærogatiua suffragii, & galeri dignitate penitus exutos, quod Conciliabulum aduersus se concitatis Regibus indixisset, si qua forte eos caperet, in campo Floræ tamquam sceleſtos & impios concremare decreuerat, Caruaialius & San Seuerinas in eius potestatem venerunt; qui Iulii morte audita, cum Soderno Galliæ Regis legato & Prospero Columna mari Romam, vt comitio interessent & Pontificem orbi de manu darent contendebant: Sed cum in Ligurni portu ad quem naues appulerant, Mediceum Cardinalem nouum Pontificē creatum intellexissent, eius lenitate freti, & præsertim San-Seuerinas ob necessitudinem quæ illi cum ipso eiusq; fratre intercesserat, fide ab Ligurni præfecto, quæ extra ipsius præfecturæ terminos non extendebatur impetrata, in continentem descenderunt: deindè nulla alia cautione quæsita sponte Pisas sunt profecti: qua in ciuitate honorificè accepti, deinde Florentiam perducti, honeste ita custoditi fuerant, vt discedendi facultatem non haberent, sic iubente Pontifice; qui per Oruienſem Episcopum hanc ob causam missum, admodum benignis verbis, vt propriæ securitatis & Pontificatus tranquillitatis causa; donec quo pacto illis Romam esset veniendum decerneretur, Florentiæ morarentur: cumq; è Cardinalium consortio iuris forma essent exclusi, eaq; res in Lateranensi Concilio confirmata fuisset, Cardinalium ritu non amplius incederent: modestiæ namq; signa ostendentes, res suas in tutū portū perducendi, quemadmodum in animo haberet facilem ipsi viam patefacturos monuit. His paulo post Viterbium ductis, & inde ciuitatis Castellanæ custodia è vinculis dicere iussis, ac paulo post Romam perductis, & in Senatu sine purpuræ insignibus, supplicitер veniam petentibus facilè ignouit, pristinumq; eis honorem restituit; cum acta Pisani, Mediolanensis & Lugdunensis Conciliabuli penitus abrogassent, Lateranensēque Conciliū vti legitimā & iure optimo indictum solenni assensione comprobarent, ex formula quā adscribam inferius, eū de eorū restitutione suo tempore facta, plenius memorabo.

Cardinales 2. excom. absoluuntur.

Cæterum Leo ante omnia, ipso die quo Pontifex renunciatus est, Iulii antecessoris cōsilia iisdem prope vestigiis subsequi professus, testatus est, imprimis Concilium in Laterano cæptum multis de causis celebrandum perficiendumq; esse; vt saluberrimis scilicet decretis constituta republica Christiana, omnis schismatis seditionisq; materia tolleretur. Addidit velle se pactam, quam Iulius prædecessor iniuerat, *Sanctam*, vt appellabant armorum *societatem* tueri; ac vero vt Maximilianus Cæsar, & Henricus Anglorum Rex ad id fœdus firmandum, seruandumque accederent, operam daturum. Coronatus inde est ad Lateranum trigesimo die post creationem, qui fuit Aprilis vndecimus, Rauennate clade infaustus; vt concerto omine à tanta & priuata & publica lætitia, ex atro longe omnium candidissimus redderetur. Vectus est etiam in pompa illo eodem equo Thraicio in quo ad Rauennam captus fuerat, quem ab hostibus pecunia redemptum ita adamauit, vt postea vsque ad extremam senectutem summa cum indulgentia alendum curauerit. Fuit autem is dies omnium qui à Gothicis temporibus Romanæ vrbi felicius illuxerint, longe clarissimus. nunquam enim vllum vel ampliore, vel ornatiore hominū concursu spectaculum celebratū fuisse vel legendo vel audiendo meminerant. Protectæ erant aulæis regiones: ridebant ianuæ ciuium festa fronde & floribus: fenestræ stratæ tapetibus ornabantur: in omnibus biuiis triumphales arcus occurrebant, ad veteris Romanæ magnitudinis exemplum picturis & statuis mirum in modum exornati: Cardinalium & Antistitum comitatus vsq; ad humiliora seruitia serico & purpura, multoq; item auro præfulgebat. ipsi Cardinales sacras aureas induti vestes generosis equis vehebantur. Prætulit Romanæ Ecclesiæ vexillum Alfonsus ipse Ferrariensis Princeps, qui ad componendam controuersiam, & ad præstandum officium benignis literis accitus aduenerat. Affuit & Franciscus Vrbinas vrbis præfectius. Rhodiæ vero militiæ vexillum armatus detulit Iulius Medices: ita vt cum neq; vllus omnino vel sapiens crederet, in tanta Senatorum & Scniorum turbā, q̄p in abditis fatis erat, eum mox Romæ regnaturum: & forte eā die coronationis ad felix augurium mortuo Pactio Cosmo, Antistes Florentinus vixdum exutis armis effectus est. Sparsa est à Quæstoribus per omnes regiones larga manu aurea argenteaq; pecunia, tanta Leonis liberalitate, vt ipsi centum millibus aureis eam pompam Pontifici constitisse faterentur: vnde non pauci seueriores frontis tantum luxum minime Pontifices decere, neq; præsentium temporum statium, vt pecuniæ à defuncto Pontifice cumulatæ inutiliter consumerentur postulare censentes, maiorem gratuitatem moderationemq; desiderabant. Hæc tamen magnificentia plane Regia, apud plebem expectationem de illo conceptam confirmauit. Omnes enim Romā sub Pontifice tanta liberalitate, tantoq; splendore ornato, fortunatā fore persuasum habebant. Coëmit mox à Maximiliano Cæsare amplius triginta millibus aureis Mutinam vrbem, vti moriens paulo ante Iulius faciendū esse monuerat: quò Romano Pontifici, ab vrbe vsque ad Padum liber, & per dominia Apostolicæ sedis aditus foret. Videfrustius arcis præfectus, auari & peruicacis ingenii homo Germanus, Cæsaris iussis vt ciuitatem & arcem Pontifici traderet, nequaquam parebat. Eum ergo per Rangonos vi ac insidiis circumuentum mox expulit. Adiecit demum curam omnem Italiæ tranquillandæ Regumq; controuersiis componendis, quum legatos vndiq; in omnes prouincias emisisset, sed nec illius conatus, nec vlla res alia Italiæ quietem constabilire poterat, imo res iam apertè magis ad bellum quam ad pacem inclinare videbantur: quoniam Cæsar prorsus à Veronæ restitutione alienus, q̄p Italiā ingrediendi facultate priuari videretur, quamuis inducīæ in totum Aprilem prorogatæ essent, pacis capita Mediolani agitata cōtempsit: & Catholici Regis Oratorū in pace suadenda ardorē molestè ferēs, Spinelo Cariatii Comiti dixit, ipsum quandoquidē erga Venetos tantopere affectus erat, dignū esse qui potius Venetus Orator, quā Hispanus appellaretur. Hanc autē propensionē multo magis auxerunt inducīæ in annum, inter Galliæ & Catholicum Regem de transalpinis modo rebus factæ, quibus Galliæ Regi Hispanorum metu ab ea parte liberato, belli in Insubria renouandi maxima opportunitas dabatur. Catholicus Rex semper à bello cum Gallis transalpes gerendo abhorrebat. Nam cum pecunia non abundaret, ideoq; Hispaniæ principum atque populorum viribus vti cogeretur, aut minus prompta auxilia habebat, aut belli tempore ferè supplex esse cogebatur. præsertim vero hoc tempore vetus eius consilium confirmabatur: quoniam regnum Nauarræ recenter partum, melius quiete poterat stabiliri: sed multò magis, quia cum post Isabellæ Reginæ mortem non iam Castellæ regni possessor, sed administrator tantum esset turbulentis temporibus non tam firmam authoritatem habebat: cuius rei exemplū recens in Nauarræ defensione viderat: in qua & si faustum exitum habuerat, nihilominus ob auxiliorum tarditatem in non pauca pericula pene incidisset: quæ cum vitare deinceps vellet, antequam de Pontificis morte nuntios accepisset, inducias pactus est: quæ tamen non prius quam de noui Pontificis creatione certior fieret promulgatæ fuerunt. vt vero huius inexpectati consilii reprehensionem effugeret, fœdus sibi à Pontifice & Venetis violatum fuisse afferebat: quia post Rauennensem pugnam, numquam illi quadraginta auri pondo, quæ dum Rex Galliæ aliquid in Italia possideret ipsi debebantur dare voluerant: se vnum communi sociorum vtilitate studuisse: neque communis victoriæ præmia sibi vendicasse, ac ne turriculam quidem in Italia possidere

Leo X. Mutinam vrbem à Cæsare emit.

Iconis X. Coronatio.

supra

supra id quod antea possideret; Pontificem vero proprium commodum quæsiuisse, resque communes sibi vendicasse: Parmã, Placentiam & Regium occupasse, neq; aliud quam de Ferraria occupanda cogitasse: hac ipsius cupiditate factũ est, quo minus Mediolanenses arces, & Genuensis, quæ Laterna dicitur, potuerint obtineri: se omnem diligentiam autoritatemque suam vt pacem inter Cæsarem & Venetos conciliaret, adhibuisse: Pontificem vero proprii commodi gratia illos à fœdere præcipiti consilio excluisse, eaque in re orato-res suos imprudenter egisse: qui cum ipsius nomen in eo capite quo de fœdere ineundo agebatur, quod hanc eius scirent esse sententiam, inseri non permisissent: in eo deinde quo Veneti excludebantur eundem nominari permiserint: neque Venetos hac in re, in eo quod Vicentiam tanti fecerint vt potius belli molestias quam eius iacturam ferre voluerint, opinioni quæ de ipsorum prudentia habebatur satisfecisse: se nullo modo exercitum quem in Italia habebat, nisi promissa stipendia persoluerentur alere posse: & multo minus omnem belli vim in regni sui finibus, quemadmodum reliquos omnes optare ac procurare animaduertebat, sustinere posse: nec Pontificem cogitationes suas de regno Neapolitano ipsi adimendo iam dissimulare potuisse: se tamen hisce iniuriis ad sacrosanctam sedem reliquamque Italiam deferendam minime moueri, si modo ipsi quoque parem animum, vt par erat ostenderent: sperare se illos his suis cum Rege inductis commotos, secum pro communi defensione paratiores fore. Inducias tabulis, Cæsaris & Angliæ Regis, & si nihil cum ipsis ea de re communicasset, nomina inseruit. Illud vero ridiculum fuit, quod iisdem diebus quibus solemni ritu inducię per totam Hispaniam promulgabantur, venit Angliæ Regis nuncius, vt ei significaret, quantis apparatibus Rex Ille in Galliam esset irrupturus; moneretq́; , vti & ipse quemadmodum promiserat, in eam Galliæ partem quæ Hispaniæ finitima est, arma inferret. Hæ inducię in Italia illorum animos quibus Gallorum imperium molestum erat magnopere terruerunt. Omnes n. Galliæ Regem exercitũ quam primum in Italiã missurũ, Venetosq; ob Cæsaris in pace facienda pertinaciam, cum illo fœdus inituros existimabant: quos simul coniunctos sustinere admodum difficile videbatur: quoniam Hispanicus exercitus, quamuis ex Mediolanensi imperio infinitis sumptibus exhausto, aliquando nonnihil pecuniæ extorsisset, vnde se aleret nõ amplius habebat. Noui Pontificis nondũ erat exploratus animus. Vt Galliæ Regis potentiã alpes terminarent, clam cupere videbatur: tamẽ in Pontificatu recens, & induciis ab Hispano Rege eo tempore quo consilia sua ad bellũ dirigere credebatur factis, non minus quã cæteri perturbatus, animi admodũ dubius hærebat: eam quoq; ob causam indignatus, quod cum Parmam atq; Placentiam Pontificio imperio restitui vehementer vrgeret, reliquis illas ciuitates Mediolanensi imperio conseruare cupientibus, & fortasse illum earũ recuperandarũ desiderio, eius imperii patrocinium suscepturũ sperantibus, verba quæ spem facerent in promptu erãt, res ipsa lentè procedebat. In Heluetiis certius potentiusq; præsidiũ positũ videbatur. Sed quia nec Maximilianus Sforzia, nec quisquam alius pecuniam quæ ex pacto ad illos mouendos erat necessaria explicare poterat, metuebant, ne cum maxime opus esset in Insubriam descendere recusarent.

XII. *Galliæ Rex in Italiam exercitum mittere statuit.*

At Rex Galliæ statim pactis induciis, rationibus suprà dictis victoriæ spem facientibus, exercitum in Italiam mittere constituit. His rationibus accedebat, quod Mediolanenses tot tributis, mulctis, pensionibus, rapinis, stipendiis ab Heluetiis Hispanisq; vexatos, imperiũ suũ vehementer exoptare sciebat, cum ex aliorum acerbitate Gallicũ imperiũ illis comparatum, expetendũ esse cognouissent. quin etiã multi nobiles viri per proprios nuncios ad Regẽ & Triultium, quẽ Rex vt ex propinquiori loco cũ Mediolanensibus ageret Lugdunum miserat, vt quamprimum exercitum mitteret hortabantur, se statim vbi alpes transiuisset, aperte arma sumpturos. Nec Triultii cæterorumque exulum deerant stimuli; qui pro more illorum qui extra patriam exulant, rem valde facilem fore, præsertim Venetis sibi adiunctis, disserebant. Illud etiam illum accelerare cogebat, quod se huic bello ante finem imposturum sperabat, quam Angliæ Regis bellum incideret, quod nisi post aliquot menses initium haberet non poterat. quoniam regnum illud cum multos annos in otio vixisset, armis, tormentis, atq; omnibus fere rebus ad bellum necessariis carebat; & quia Angli nullam præter pedestrem militiam norunt, equites non habebat. cumq; etiam pedites minime bello essent experti, cogebatur Rex (validissimum enim exercitum in Galliam ducere volebat) aliquot Germanorum phalanges conscribere: quæ omnia sine longo temporis spatio fieri non poterant. His accedebat metus, ne arces ob commeatus inopiam dederentur, & præsertim Genuensis Laterna, in quam paucos ante dies naui ad hoc missa commeatus immitti non potuerat: quæ Albigauno, quòsq; illam tres aliæ onerariæ naues, & vna magna (Galeonem vocant) comitatæ erant, prospero vento in altum lata, cuius vi inter Genuensium naues tuto nauecta, arci appropinquarat; ancorisque iactis, & arci alligata, iam commeatum & reliqua quæ attulerat exonerare incipiebat, cum Andreas Auria, qui inter Laternam & Gallicam nauim ingressus, fune qua arci erat alligata, & ancorarum rudentibus amputatis, strenue pugnans, vulnere etiam in facie accepto, ea potitus est. Itaque Rex cum bellum incipere statuisset, atque vt in omnem euentum paratus esset, prius multis equitum turmis in Burgundiam atque in Delphinatum missis, res iam multos menses cum Venetis agitatas, sed ab vtraque parte nonnihil intermissas, pressius vrgere cæpit. Nam Regem nunc pacis cum Cæsare spes, nunc Venetis Cremonam & Giaradadam pertinaciter petentibus, dubium tenuerat. qua de re in Veneto Senatu variæ fuerunt sententiæ. Multi enim magnæ in republica authoritatis viri cum Cæsare concordiam suadebant; vtilius esse tantos sumptus eo tempore vitare, seque periculis liberare, quo deinde ad occasiones amplectendas paratiores essent, quam defatigata republ. & priuatorum fortunis exhaustis, vna cum Galliæ Rege, cuius amicitia quam fida tutaque esset, tam recenti exemplo discere potuerint, nouis se bellis implicare demonstrantes. Nihilominus cum maxima Senatus pars, talem pristini imperii recuperandi occasionem raro dari posse, nec se vel pace cum Cæsare facta, si Veronam retineret, molestiis periculisque liberari censeret, fœdus cum Galliæ Rege, Cremonæ & Giaradaddæ cogitatione deposita, ferire statuerunt: quæ per Andream Grittum, qui iam potius legati quam captiui personam sustinebat, in Regia aula his legibus confectum fuit; qua Bartholomeo Aluiano & Andrea Gritto dimissis, Veneti Galliæ Regi contra quemuis qui illum in Asta, Genua & Mediolano recuperandis impedire vellet, se octingentos graues, mille & quingentos leuis armaturæ equites, & decem peditum millia auxilio daturos receperunt: Rex vicissim illis donec omnia prorsus quæ ante Cameracense fœdus in Longobardia & Marca Tarisina possidebant, recuperassent, opem laturum promisit: quibus in hunc modum constitutis, statim Ioannes Iacobus Triultius & Aluianus Susam sunt profecti; alter vt inde quam tutissimo itinere Venetias contenderet; alter vero vt ibi copias in id bellum destinatas, quæ continerent mille quingentos cataphractos, octingentos leuis armaturæ equites, & octo Germanorum peditum millia, septem Gallorum colligeret: quibus vniuersis Tramollia pro Rege, vt maiori dignitate res gererentur, imperabat.

Idem cum Venetis stipulatur.

XIII.

Hoc ipso tempore Rex summis precibus à Pontifice, ne se in Mediolano recuperando impediret contendebat: se non modo post victoriam vlterius non progressurum, verum etiam semper pacem ad eius arbitrium facturum promittebat. quæ & si Pontifex benignè audiret, & quo verba sua maiorem fidem inuenirent, in negotiis cum Rege tractandis Iuliani fratris sui opera vteretur, multa tamen illum Regi suspectum reddebant: rerum ante Pontificatum gestarum memoria; deinde quod quamprimum Pontificatum est adeptus, Cynthium familiarem suum, cum litteris atque mandatis humanitate plenis, sed adeo communibus vt eius animum erga illum minime propensum ostenderent, miserat: denique quod Prosperum Columnam Mediolanensium Ducis copiarum summum præfectum fieri, quod Iulius odio quo in Columnios flagrabat semper prohibuerat, permisisset. Suspicionem quoq; multo magis vrgebat, quod Pontifex Angliæ Regi, se in fœdere, quod cum Cæsare & Catholico Rege & ipso ictum erat permanere velle significarat; & ad Heluetiorum ciuitates ita scripserat, quasi illos ad Italiæ

defensionem

defensionẽ hortaretur: neque fœdus ab Iulio cum illis ictum quo viginti aureorum numum millibus quotannis ab ipso numeratis Pontificii imperii patrocinium susceperant, serà tum habere velle, in eoque perseuerare dissimulabat. Illud etiam eius animi indicium erat, quod Ferrariensium Ducem in suam gratiam non recepisset; sed Regii restitutionem variis excusationibus tamdiu distulerat, dum Cardinalis eius frater, qui vt Iulii iram & Galliæ Regis vt ad Pisanum Conciliabulum iret stimulos euitaret, Agriam ad fluuium in Vngaria Episcopatum se contulerat, Romam veniret. Illud vero maximè suspectum Pontificem reddebat, quod (quamuis occultissimè) Venetum Senatum vt cum Cæsare componeret hortatus erat; quæ res Regis consiliis penitus aduersabatur: quin etiã quod Pontifex se non alia quã Pontificii muneris de causa moueri præseferens, breuem epistolã, qua ipsum vt arma non moueret, vt bello honesta pactione finẽ imponeret, hortabatur ad se misisset, sinistrè interpretabatur: quod quidem Rex per se non vituperasset, si eodem pacis studio Angliæ Regem ad Galliam non infestandam hortatus esset. Et certe minime vana dicebatur Regis suspicio: quoniam Pontifex, siue quod id ad communẽ securitatẽ, aut ad Pontificatus amplitudinẽ vtilius duceret; siue q̃ iniuriarum à Galliæ Regibus acceptarum memoriam in animo fixam haberet; nam quamuis pater maioresq; ipsius illis addictissimi fuissent, variisq; occasionibus emolumẽta honoresq; ab illis accepissent recentius tamen erat, q̃ Caroli aduentu ipse & fratres Florẽtia pulsi fuerant; & quod hic ipse Rex populari gubernationi faueas, aut ipsos semper contempserat, aut si quando se erga ipsos propensum ostenderat, id eò fecerat, vt illis veluti instrumẽtis ad Florentinos ea suspicione in leges sibi ipsi vtiles, Mediceorum prorsus oblitus, pertrahendos abuteretur. Huc fortè accedebat, q̃ post Rauennensem pugnam captiuus Mediolanũ perductus fuerat, quodq; Rex ipsum in Galliã duci iusserat. Sed quamuis vel has, vel alias ob causas sic esset animo affectus, cum firma & valida ad obsistendũ firmamenta, quemadmodum cupiebat, non videret, cautius omnia agere, & quantum poterat consiliũ suum tegere semper postulata, & ea quæ contra Regem afferebantur cupide audire. Nam Heluetii ad arma pro Mediolanensi imperio tuendo capienda vehementer propensi, dummodo mediocris pecuniæ summa, quæ ob reliquorũ inopiam ab vno Pontifice sperari poterat, ipsis daretur, copiis longẽ maioribus se defensuros pollicebãtur. Pro Regis autẽ incerta erãt cõsilia, varia, ac tecta verba. Nunc in. Pontificis si modo & ipse aperte se ostenderet; & copias quæ suis coniungerentur mitteret; ac pedestres copias numero validas per tres menses aleret, sese Gallis obuiam iturum aiebat. q̃ quo facilius crederetur, militibus suis ex Parmensi & Regiensi agro aduocatis, ad Trebiam amnem castra locarat. Cumq; nonnulli ẽ suis militibus in Derthonæ atq; Alexandriæ præsidio essent, eas numquam reuocarat; nunc se à Rege suo, eo ipso tempore, quo inducias factas sibi significasset mandatum, vt Neapolim exercitum reduceret accepisse aiebat. Secùs autẽ loquebatur Hieronymus Vichius Orator apud Pontificem; qui tamen catenus cum illo consentiebat, quod Regem suum si Pontifex Mediolani patrocinium susciperet, nulla inductarum habita ratione, se bellum Galliæ illaturum, quod ei etiam integra fide licere dicebat, pollicebatur. Ideo multorum opinio fuit, Regem illum, induciarum causa, neminem fore qui se Galliæ Regi opponeret, veritum, Pro-Regi mandasse, vt nisi reliquos ad Mediolanensis imperii defensionem vehementer concurrere videret, Galliæ Rege nullis nouis iniuriis lacessito, exercitũ Neapolim reduceret. Quã etiam ob causam se ad pacem propensum Regi ostendebat; & Cæsarem atq; Angliæ Regem ad idem adducturum pollicebatur; & quo minus illum sibi acerbum, si forte Mediolano potiretur redderet, exercitum suum sese illi non oppositurum tantum non certò promittebat. Pro Rex igitur cum discedere in animo haberet, milites qui sub Piscario Alexandriæ atque Derthonæ erant reuocauit; simulq; (vt fama fuit) vt à Galliæ Rege gratia sibi pro discessu haberetur, quid facturus esset Triultio significauit. Verum quia Heluctii ad Mediolanensis imperii defensionem acerrimi, publico decreto quinque millia peditum miserant, & se multo maiorem numerum missuros spem faciebant, id non statim fecit: imo, siue quod Cæsari eas induciis molestissimas fuisse certior factus esset, si-

Idem à Pontifice postulat de Mediolano recuperando.

ue quod noua à Rege suo vt Pontificis voluntati obtemperaret mandata accepisset, contrarium ostendens, Prosperũ Columnam, qui cum Heluetiis de loco in quo contra Gallos cõueniendũ esset constitueret, misit: Pontifex vero hinc exigua spe, illinc propria propensione agitatus, in cadẽ ambiguitate versabatur: & nihilominus cũ Heluetii in Dertonensem agrũ, in quẽ locũ Prosper Pro Regẽ vt se illis coniungeret venturũ ostenderãt venissent, variis interpositis excusationibus vt ad Trebiã venirent postulauit: ex qua petitione, ipsi à verbis diuersum eũ animũ habere perspiciẽtes ferociter respondẽrũt: Pro Regẽ nõ hoc vt hostibus frontẽ ostenderet, sed vt tutius terga verteret peteremihil Heluetios morari si ille pugnã cum Gallis formidaret; sed codẽ habere loco, siue maneret, siue aufugeret: se solos Mediolanense imperium contra quemuis tueri posse. Sed iã regio vniuersa tumultuabatur & Mesauci Comes Ioannis Iacobi filius, nemine resistẽte, Astã & deinde Alexandriam erat ingressus, Galli Susa profectia appropinquabant. Mediolanensium Dux cũ tardius vt Alexandriã ingrederetur venisset, se cum Heluetiis prope Dertonã coniunxit. quo ex loco cũ Pro Rex se discedere statuisse illis aperte significasset, Nouariam vna contenderũt. Mediolanenses ob Pro-Regis discessus famam, legatũ qui se Duci excusaret, si cum nullum qui se tueretur haberet, quò extremum exitium euitarent cum Gallis pacisceretur, Nouariã miserunt: ipse autẽ benigne se excusationem ipsorum audire ostendit; quin etiã laudauit, q̃ communis patriæ saluti pie consulerent. qua occasione Sacromorus Vicecomes arcis obsidioni præfectus, ad Gallorum fortunam conuersus, commeatũ in eam immisit. Pro Rex autem à Trebia cum omni exercitu, in quo erant mille ducenti grauis armaturæ equites, & octo peditũ millia, vt q̃ velut Insubriæ rebus desperatis, de exercitus tantũ salute sollicitus esset, in regnum reuersurus discessit: Sed eodẽ die acceptis in itinere inter Placentiam & Florentiolam ab Roma litteris, signis statim conuersis in eadem castra rediit. Eius rei causa fuit, q̃ Pontifex, cui iisdẽ fere diebus Placẽtia & Parma restitutæ fuerãt, cũ experiri statuisset, num Heluetiorũ opera Mediolanense imperiũ defendi & Rex ad concordiã cũ Ecclesia adduci metu belli posset, Hieronymo Moromo Duce apud se legato quadraginta duo aureorum numũm millia, q̃ ad Heluetios mitterentur occultissimè dederat: id antè si fortè aliis innotescereet eo nomine, vt viginti millia annuæ pẽsionis, reliqua tribus Heluetiorum pagis, qui ea à defuncto Pontifice, qui numquam illis satisfacere voluit sibi deberi aiebant attribuerentur. Pro Rege ad Trebiam reuerso, varia fortuna certatum. Galliæ Rex pene omnia, quæ in Insubribus & Liguribus anno superiore amiserat, excepta Nouaria & Como, facile recuperauit, Genuensibusq; Ducem imposuit. Veneti, Cremonam & nonnullã alia occuparunt; sed paulo post Heluetiorum virtute ad Nouariam Gallis cæsis, fortunaq; belli conuersa, ille rursus omnia, hi vero Bergomũ, Brixiam, Pischeriam, & fere etiam omnia, Patauio atq; Taurisio exceptis perdiderunt. Ad Nouariam pugnatum est circiter duas horas; cecidere ex hostibus ad X. M. Omnia impedimenta, viginti duo maiora tormenta, cum omnibus equis tormentorum vsui destinatis, in victorum potestate remanserunt. Victores tamquã triumphum ducentes eodem die Nouariam redierunt; quo facto tantũ sibi apud cunctos mortales nomẽ conciliarunt, vt multi consilii magnitudine, mortis euidentissima contemptione, in pugnando virtute, & exitus felicitate expensis, hoc factum, omnibus fere præclaris Græcorum & Romanorum rebus gestis, anteferre auderent.

Heluetii Gallos vexant.

XIV.

Sed dũ res bellicæ in hunc modum se haberẽt, Pontifex, Ecclesiæ schisma à Pisano conciliabulo introductum, summa industria tollere conabatur, quod cum penitus ex Galliæ Regis arbitrio penderet, multis artibus eius animum placare nitebatur; aiebatque falsum fuisse pecuniæ à se ad Heluetios missæ rumorem: se aliud nihil quam communem pacem, & vt communis omnium Christianorum Principum pater esset exoptare ostendens, molestissimè quod eius cum Ecclesia dissidio, sibi, quantum sua natura ad eius amicitiam esset propensus ostendi facultas adimeretur: quod ob sacrosanctæ Sedis suæque personæ dignitatem cum separatim agere cogeretur, donec ipsum ad Ecclesiæ Romanæ obedientiam reuersum tamquam Christianissimum Regem recipere, & vt primogenitum filium amplecti fas esset.

Rex

Gallie Rex Massilien. Episcopũ pro Concilio Pisano mittit.

Rex proprii commodi gratia regni sui cum Ecclesia concordiam, ab omnibus populis & vniuersa aula vehementer flagitatam, & ad quam à Regina maxime incitabatur exoptabat: & præterea, se nunquam in profanis rebus concordiam cum Pontifice, nisi rerum sacrarum controuersiis antea compositis sperare posse videbat. Quamobrem, siue eius verbis fidem haberet, siue habere simularet, Massilien sem Episcopum qui hisce de rebus cum illo ageret ad eum misit: ad cuius aduentum Pontifex Concilii decreto, Gallis Episcopis aliisque Antistitibus, quos tanquam schismaticos defunctus minis ac denunciationibus acerrime erat persecutus, contumaciæ per totum Nouembrem proximum diluendæ facultatem restitui curauit: eademque hora qua sic decretum est, lectum fuit in Concilio scriptum quoddam Bernardini Caruaiallis, & Federici San-seuerinatis manu subscriptum, quo Cardinalium nomine suppresso, omnia Lateranensis Concilii decreta comprobabant, seque illi adhæsuros, & Pontifici parituros esse promittebant: quibus verbis, se iure è Cardinalium numero expunctos, quod ab Iulio factum ipso viuente ab eodem Cõcilio confirmatum fuerat, fatebantur. Antea de illis restituẽdis agitatum fuerat: sed post Cæsaris & Aragoniæ Regis Oratoribus, atque Eboracensi & Sedunensi Cardinalibus contradicentibus dilatum; qui tantæ offensionis tamque pernicios execrandiq; delicti autoribus, veniæ concedendę consiliiulii in illis persequendis non ob aliam quam publici boni causam ad extremum vsq; vitæ spiritum constantiam commemorantes tamquam rem Sacrosanctæ sedis maiestate indignam pessimique exempli detestabantur. Sed Pontifex Pisani Conciliabuli nomen clementia facilius quam seueritate penitus extingui posse ratus, & ne Galliæ Regis qui vehementer pro illis deprecabatur animum irritaret, in mitiorem sententiam inclinabat: neque vllo priuato odio ab ea remouebatur, cum ea iniuria ipsi non esset facta: quin potius ipse & fratres ante Pontificatum sum Federico coniunctissimi fuissent, quas ob causas proprium iudicium secutus, illorum deprecationem coram Concilii Patribus legi iusserat; deinde restitutioni diẽ statuit, quæ in hunc modum peracta est. Bernardinus & Federicus clam noctu absque Cardinalium vestitu & signis Romam sunt ingressi, manequę sequenti cum se coram Pontifice in Senatu cum omnibus Cardinalibus, præter Eboracensem & Sedunensem qui interesse recusarunt, sedente sistere deberent, communi Sacerdotum amictu, capite nigris tiaris cooperto, per omnia Vaticanæ Curiæ in qua pernoctauerant publica loca, ingenti hominum multitudine ad eos videndos accurrente, omnibusque hanc tam publicam ignominiam immensa: Bernardini Caruaiallis superbiæ, & Federici nõ minori arrogantiæ, acerbissimum cruciatum esse affirmantibus transiuerunt. In Senatum admissi genibus in terram positis abiecti ac sordidati, omnia ab Iulio facta, & nominatim quod ipsos Collegii dignitate iure priuasset, nouique Pontificis creationem velut legitime factam comprobantes, & Pisanum Conciliabulum tanquam seditiosum & execrandum damnantes, à Pontifice totoque Cardinalium Collegio ex formula quam adscribo petierunt.

Nos Bernardinus de Caruaiad, & Fridericus de Sancto Seuerino, olim nube schismatis obducti, superne illustrationis lumine & gratia feronati, compertoque schismatis laqueo quo tenebamur; diuina nobiscum deliberatione pertractantes ac renunciantes, ad abundantem cautelam, omnibus & singulis protestationibus, & secrete, & coram Notario & testibus per nos hactenus factis, quarum tenores & clausulas ad hoc vt omnino tollantur, hic pro specialiter expressis, & perinde ac si de verbo ad verbum insererentur, pro insertis legitime volumus, prona & spontanea voluntate, non autem meru, scilicet in loco tutissimo, ac in libertate nostra plenaria constituti, & sinceris cordibus, ad vnitatem sedis Apostolicæ, diuina gratia duce reuersi sumus, & ne simulate, sed cum pura mente reuersi existimemur, à vestra Sanctitate, sacroque Cardinalium Collegio, erratorum nostrorum veniam humiliter postulamus, supplicamusque, vt Sanctitas Vestra pro nobis ad Deum Optimũ Maximum, cuius vices in terris gerit, intercedere dignetur. Spondemus etiam, & voluntarie promittimus, sub casu Ordinis, & dignitatis Cardinalatus si ad eam nos restitui contigerit, & anathematis obligatione, tibi LEONI Papæ Decimo, vero & indubitato Christi Vicario, & per te Sancto Petro Apostolorum Principi, nos nunquam, quoruncumque suasionibus, aut quibuslibet causis, quæsitoue colore aut ingenio, ad schisma, de quo Redemptoris nostri gratia erepti sumus, reuersuros, sed semper in vnitate sanctæ Catholicæ Ecclesiæ, veraq; obedientia Sanctitatis Vestræ, per omnia permansuros, & cum Reuerendissimis Cardinalibus, si ex Sanctitatis Vestræ, & eorum clementia ad ordinem ipsorum restituemur, benigne, pacificeq; ac sine rancore, scandaloque aliquo, ratione præteritorum, seu alia quauis causa conuersaturos: & iuramus per Deum Omnipotentem, & hæc sancta Dei Euangelia quæ in manibus nostris tenemus, nos in vnitate prædicta permansuros, & omnia, & singula supradicta, & infra dicenda obseruaturos, sub pœna periurii, & aliis supradictis, & infra dicendis. Et licet superrime per scheda lum nostris manibus subscriptam, ac in sacro Lateranensi Concilio publicatam, schisma prædictum abiurauimus, ad vberiorem tamen cordium nostrorum sinceritatem ostendendam, specialiter & expresse Pisanum Conciliabulum, eiusq; indictionem, & singula, ac omnia in eo gesta anathematizamus, ac renunciamus, credimus & simpliciter confitemur irrita & inania, ac nullius roboris & momenti, & à non habentibus authoritatem gesta & facta, quin potius temeraria & præsumptuosa. Consentimus autem Sacrosancto Lateranensi Concilio, tanquam vnico & vero, illudque confitemur legitime, iuste, & ex rationabilibus causis indictum; ac omnia & singula in eo gesta, etiam specialiter, vel generaliter contra nos, per bonæ mem. Iulium Papam secundum prædecessorem vestrum, & omnia, & singula contra Pisanum Conciliabulum, & gesta, & facta, rite, & recte, & iuste facta pronunciamus, credimus, & simpliciter confitemur. Promittimus insuper omnem pœnitentiam, quam sanctitas vestra pro erratis nostris, nobis duxerit iniungendam, benigne & humiliter suscepturos, & opere completuros. Volumus etiam obligari, & per præsentem promittimus sub pœnis supradictis, contra schismaticos à sacris Canonibus inflictis, ac ampliori forma Cameræ, quod omnia & singula supradicta, firma & illæsa perpetuo conseruabimus. Rogamus etiam te Notarium, vt supra prædictis omnibus & singulis in schedula huiusmodi expressis, vnum, vel plura, & in ampliori forma Camerę confectas instrumentum, & instrumenta.

Ego B. Caruaial supradictus iuro vt supra ita esse.
Ego F. de Sancto Seuerino iuro vt supra ita esse.

Præmissa eiusmodi protestatione, detestatione, consensu, postulatione & iuramento, Pontifex Leo ex formula subscripta pronunciauit.

Auctoritate Omnipotentis Dei, & Beatorum Apostolorum eius Petri & Pauli, & nostra, absoluimus vos ab omni vinculo excommunicationis, omnibusque alis censuris & pœnis, quacumque auctoritate in vos, & vestrum quemlibet, ex causa schismatis nuper per vos abiurati, seu alias quomodo libet latis, seu comminatis, seu alias quomodolibet per vos incursis. & eadem auctoritate restituimus vos vnioni sanctæ matris Ecclesiæ, & participationi Sacramentorum in forma consueta; vos insuper, & vestrum quemlibet ad famam, honores, & dignitates quascumque & beneficia Ecclesiastica, de quibus hucusque per sedem Apostolicam non est prouisum, etiam Cardinalatus; nec non aduersus irregularitates & inhabilitates, & aduersus sententias, etiam priuationis & condemnationis, seu litteras quascumque, quarum tenores perinde ac si de verbo ad verbum exprimerentur, pro expressis haberi volumus occasione in vos etiam per fel. rec. Iulium Papam secundum prædecessorem nostrum, seu alias quomodolibet, & quauis occasione, vel causa emanatas, seu quomodolibet per vos hactenus incursas, ac cuncta & singula, quæ pro præsentis actus expeditione necessaria sunt, seu quomodolibet opportuna, sine tamen iuris alieni, etiam ex causa præmissorum, seu alias quomodolibet quæsiti præiudicio, restituimus, & plenarie redintegramus; supplentes omnes & singulos defectus in præsenti actu, quomodolibet interuenientes. In nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti, Amen.

Cæterum exactius hæc omnia circa reuersionem eorum, & reconciliationem, vsque ad minutias retulit in diariũ Pontificium Paris de Grassis, simplici quidem stylo, sed ex visis & transactis. Narrabat ergo his istis verbis.

Die Lunæ XXVII. Iunii SS. D. N. Leo dixit mihi, hac nocte præterita duos, olim Cardinales, nunc schismaticos, videlicet Dominum Bernardinum Caruaial Hispanum, & Dominum Federicum San-seuerinatem vrbem ingressos esse, ac intra Palatium pernoctare. cumque volente sua sanctitate, hoc ipso mane in Consistorium ingressuri essent, & veniam de erroribus suis petituri: XXII.

ipseque

ipseque Sanctissimus proposuisset se veniam illis dare, eosque ad pristinam Cardinalatus dignitatem restituere, & de omnibus beneficiis redintegrare; tandem simul nos duo consultauimus super cerimoniis agendis in hoc actu. quas omnes voluit quod ego visitãs eos nomine Suæ Sanctitatis indicarem eis schismaticis, qui si nollent obedire, nec etiam admitterentur ad gratiam restitutionis & veniæ. Excusatione præmissa de his quæ iussa, inueni eos duros ad nonnulla facienda, super quibus Pontificem orabant, vt eis aliqualiter deferret, & non pateretur, quodammodo ipsos vituperari, maxime absque directo rubeo, & absque Rocchetto, & absque capucio, quod pæpaficum vocant; & quod in eo habitu per omnes salas siue aulas Palatii Pontificalis procederent; & quod non nominarentur schismatici, neque hæretici in processu legendo. Sed huiusmodi petitionibus Papa satisfacere non voluit, sed vt seuerè, & rigorose omnia fierent, prout ordinauit Quod si ad verba aliquorum Cardinalium attendisset, nunquam ipsis parcere deberet, aut saltem quod ipsi ab Ecclesia Lateranensi vsq; ad palatium pedites, in eo quem præscripsit habitu venirent. Itaq; paruerunt, & se omnia facturos promiserunt. Hoc ipso mane quo Cõsistorium fuit, tot gentes, tantusq; populorum cõcursus in palatio fuit, huius spectaculi videndi causa, vt vix ibidem in tribus aulis, & per scalas, & per aulas superiores, & per cubicula Pontificis omnia, vix atq; ægre caperetur gens illa. Dubitatum etiam fuit de ruina aularum superiorum, præ multitudine turbarũ. Priusquam Pontifex iniret Consistorium, fuit à me quæsitus, An vellet habere pluuiale & mitram; quia in huiusmodi reconciliatione & redintegratione oporteret eum esse in habitu Papali. &, An vellet, quod illi Card. Schismatici legerent singuli per semetipsos cedulam errorum suorum, & obligationis per eos faciendæ. &, An præpararem capella rubea duo. &, An haberem vnum Notarium Cameræ mecum, qui esset de his actibus rogatus. &, quod ego facerem rigorose, prout mihi iam dictum fuerat per Suam Sanctitatem. & de omnibus dixit se velle cum Cardinalibus, & in Consistorio cõsultare, & deinde mihi illuc introuocato respondere, quid essem de prædictis facturus. & volebat, quod solus ego simul cum socio meo, ac vno suo Cubiculario secreto essemus in Consistorio simul cum schismaticis quando ingrederentur. Ceremoniæ igitur tales fuere, quia ego iui pro schismaticis duobus, qui erãt in camera illa quæ adiacet logiæ, vnde candelæ in die Purificationis, aut palmæ in Dominica Palmarum proiiciuntur per Pontificem ad populum. & iussi eos deponere rubea birreta quibus in capite tegebantur, & iussi vt violacea aut nigra haberent, licet ex cautela ipsi duo acceptis birretis violaceis in manibus suis, quasi illa vellent in caput suum imponere, non posuerunt, sed illa semper in manibus tenuerunt, quasi si vellent rehonorare honorantes seipsos, quod cum Papa postea intellexisset, risit mirabiliter cum Cardinalibus. Iussi etiam vt caputium deponerent, quo super spatulas ad collũ tegebantur: Et licet hoc ægre, ac vix facere vellent, tamen posuerunt; & tamq̃ simplices Archipresbyteri aut graduati venerũt in mantellis simplicibus, absq; vllo honore Prælaturæ, sed omnino simpliciter atq; positiue. Cum ingrederẽtur Aulam Consistorialem, in ipso aditu primo ambo vsque ad terram genu flexi sunt: & deinde progressi vsq; ad quadraturam quæ est in medio aperta, iterum genua flexerunt, tamdiu quoad interrogati per me quid vellent, dixissent quicquid vellẽt, & donec Papa eisdem ad longum respondisset, ac quoad legissent bis, id est singuli per seipsos cedulam conscriptam. Dixit autẽ vnus ex eis primus Bernardinus Caruaial, videlicet: *Beatissime Pater. Dies clara illuxit nobis, quia vidimus salutare Dei nostri. Vidimus inquam faciem tuæ sanctitatis, & thronum tuæ maiestatis, quam nos præ multitudine iniquitatum nostrarum videre non meruimus, nec meremur. Propterea nec oculos attollere præsumimus, quia peccauimus, iniuste egimus, iniquitatem fecimus. Domine miserere nobis, miserere inquam, & concede quod petimus ante pedes tuos prostrati; nec respicias ad peccata nostra, quia peccauimus super numerum arenæ maris.* Huiusmodi moralia ac humillima verba dicentibus Papa respõdit: quod licet Mater Ecclesia solita sit omnibus ad se venientibus iniurias & reatus remittere, tamen nimis remisse ac gratiose parcendo sæpe inuitat reos ad delinquendum. Vnde ne ipsi de eorum reatibus gloriari possent, statuerat dignam sceleribus vindictã impendere. Deinde enumerauit omnia mala facta ipsorum, in tantum quod ipsi verecundarentur. Et dicebat. Nõne fecistis hoc, & illud aliud? &c &c. Ad quę ipsi nescientes replicare, confessi sunt omnia. Vnde Papa dixit eis, per vos non defuit, quin mater vestra, sc. Ecclesia Romana, à qua tamquam à beneficia tot beneficia receperatis, in lupanar descenderit, & in profundum vitu periorum. Dicite ergo vos ipsi, de vobis ipsi sinet sententiam. Et cum tacerent, quasi flentes, Papa porrexit eis quandam cedulam; vt illam primo plane & tacite percurrerent, & si contenta in ea vellent obseruare, & iurarent obseruare, quod ipse eis benignitatem sedis Apostolicæ impartiret. Vnde primus eam accepit, & legit semiplane; & tamen dixit, se velle omnia obseruare, & tunc Papa respondit: ergo illa alte legatis, vt ab omnibus istis Cardinalibus intelligamini. Cui Bernardinus: non possum inquit clarius loqui, quia raucus sum. Vnde Papa aperta voce dixit; non potestis clarius loqui, quia non habetis bonum stomachum. Videte quia estis in libertate vestra, & si vultis recedere & redire vnde venistis, ac nolle contenta in cedula obseruare, quia videntur vobis grauia, &c. remittimus vnumquemq; vestrũ Florentiam vnde sub vestro saluo conductu liberi venistis. Si autem vultis obseruare, & ad gremium matris Romanæ Ecclesiæ reuerti, nos recipiemus vos. Itaque legatis & promittatis, aut abeatis. Tunc Federicus Sanseuerinas acceptam cedulam legit alte, vt ab omnibus Cardinalibus audiretur; & in fine ambo dixerunt, se velle obseruare. ac Papa mandauit, vt propria manu vnusquisq; subscriberet: & subscripserunt, dederuntque eam in conspectu Papæ Notario, qui fuit Aurelius de Aureliis Amerinus Notarius Cameræ Apostolicæ; & iurarunt ambo tactis Scripturis illis. & hoc facto mandauit Papa qui mitratus & paludatus erat legi sententiam. & deposita mitra absoluit illos, & redintegrauit ad omnia vt prius erant, ac etiam ad Cardinalatum, & ad ea beneficia de quibus hactenus nulli prouisum fuisset. Quo facto illi surrexerunt, & Papa iussit vt mantellis quibus induti erant spoliarentur, & cuilibet ante se genu flexo posuit primo birretum rubeum: deinde tangens Rocchetum iussit nobis vt Rocchetta imponeremus, & similiter cappas ex cameloto violaceo more Cardinalium & ipsis ante se genu flexis, singulis imposuit capellum non nouum, sed, sitatum aliunde commodatum, nihil tamen dicendo. & ipsi surgentes ac stantes, licet genuflexi esse deberent, legerunt formam iuramenti quod noui Cardinales præstant Romano Pontifici; & lecta forma, & præstito effectuali iuramento, de quo socius meus fuit rogatus, Papa accepit singulos ad osculum pedis, manus & oris more solito cum multa charitate, dicens primo Cardinali Bernardino: Tu es frater meus & pater meus quia voluntatem meam fecisti, & tu es illa in Evangelio ouis quæ perierat, & inuenta est. Itaq; gratulemur & exultemus in Domino. Deinde similiter etiam dixit verba commodissima Cardinali Sanseuerinati; & misit eos ad osculum Cardinalium, qui tum & non prius assurrexerunt eis, & osculati sunt omnes. Deinde reuerti ad Papam petierunt, in quo loco placeret dare eis sedem, seu stallum. & Papa iussit mihi vt Cardinali S. Crucis darem locum antiquitus ab eo habitum, qui erat post priorem Episcoporum, vt esset secundus in ordine: & Sanseuerinati dedit similiter antiquum locum suum, qui fuit Decanus Diaconorum. Proposita demum quadam actione, dederunt votum suum, & pœnitentia susceptа, vt singulis septimanis toto tempore vitæ eorum vna die ieiunarent, ad conuiuium Pontificium admissi sunt. *Paris in diariis.* XXIII.

De hac Cardinalium actione dedit Pontifex literas Maximiliano Romanorum Imperatori designato, hoc tenore.

Heri quemadmodum Deo optimo Maximo placuit, qui delinquentium interitum non vult, sed vt eos pœniteat & viuant, Bernardinus Caruaialis Episcopus, & Federicus Senerinas Diaconus Cardinales, quos aut ea propterea quod in Dei Ecclesia sacrosancta atram perniciosamque schismatis nebulam excitauissent, Pisanumque Conciliabulum constituissent, Iulius secundus Pontifex Maxim. Cardinalatus amplitudine ac munere sacerdotio q; omnibus mulctauerat, priuatosque reddiderat, aura Zephyri cælestis afflati ad veram pœnitentiam reuertentes, frequenti Fratrum meorum Cardinalium Conuentu, populari in veste ad pedes se nostros demissi supplicesque proiecerunt, veniamque suorum erratorum & delictorum precibus omnibus petierunt; paratosque se dixerunt esse, quam ipsis cumq; pœnam stat uissemus, eã luere

& perpetuæ animis lubentissimis : pollicitique sunt se posthac sacro Lateranensi Concilio semper adhæsuros, semperque meæ fratrumque meorum voluntati mandatisque obtemperaturos. Quod ipsum tametsi antea per eam schedam manu sua scriptam fecerant, quæ in postremo eiusdem Concilii die perlecta pœnitentiam eorum humilitatemque declarauit : idem tamen multo clarius atque apertius præsentes egerunt, Pisanoque Conciliabulo repudiato altera à se perlecta schedapleniore scilicet expressioriq; sententiæ planeq; submissionis, quæcumque in eo acta essent damnauerunt, magnopereque improbauerunt. Quamobrem nos, quos quidem ea lege vniuersæ Christianæ reipubl. Deus præposuit, vt neminivere pœnitenti pietatis suæ, cuius nos ministros esse voluit, fores occluderemus : humilitatem eorum, confessionem, pœnitentiam gratissimum Deo sacrificium sperantes futuras, eos ambos paterne quidem antea reprehensos atque castigatos, eorundem Cardinalium consensu ad Cardinalatus officium, dignitatem, sessionemque, qua prius vtebantur, restituimus. Quod eo libentius feci, quod perniciosum illud schismatis vulnus, quo tunc Ecclesia Dei scissa dilectaque ab illis non solis fuit, eorum duorum ad veram pœnitentiam reditu coire plane iam sanarique videbatur. Ad cuius quidem schismatis nomen extinguendum atque delendum, ipse certe negligentior ac dissolutior si fuissem, tuæ tamen prudentes hortationes me imprimis excitare potuissent, vt nihil prætermitterem, quod ad negotium conficiendum ad exitumque perducendum posse aliquid afferre opis & facultatis videretur. Itaque cum per me ipse nihil æque vmquam optauissem, quam in Dei sponsæ vultu eam notam cicatricemq; aboleri, te hortatore libentius atq; procliuius in eam cogitationem incubui, vt eos viros quos commemoras, abalienatos dudum à repub. desciscentesque, ad vnitatis & veritatis fontem rectà redeuntes via amice paterneque exciperem. Quæ omnino de re non solum nos, sed vniuersa vrbs visa est magnam voluptatem cepisse, seque admodum aucto eiusmodi humilitatis, pœnitentiæ, restitutionisq; nuncio exhilarauisse. Ipse autem maximas Deo gratias cum egissem, qui suos de alienis facit, qtiq; nobis dedit tanti sceleris cõprimendi facultatem, hæc tibi omnia imprimis duxi esse significanda : quem quidem pro tua in rempub. conseruandam atque amplificandam cura, studio, diligentia, labore, plane scio libenti animo has litteras perlecturum : in quibus erit vtrarumque, de quibus mentionem feci schedarum, & cum iis abolitionis nostræ eorum peccati, restitutionisque ad priorem statum exemplum, quo cognoscere singula melius atque facilius possis. Te vero, tametsi minus id quidem necesse est facere me, sed pro meo in te studio mihi tamen faciendum puto, amantissime sane hortor: vt, quod adhuc quidem semper fecisti, post hac etiam facias, pianque matrem omnium Deum amantium Ecclesiam, cuius protegendæ causa post Christi Vicarios maximum ipse in terris Magistratum geris, ab omnibus eius pacem atque concordiam perturbantibus vindices atque defendas. Dat. 4. Cal. Iulii. Anno primo Roma. Bembus in litteris.

Hac restitutione Cardinalium saltem ex parte Galliæ Regi satisfecit : sed aliis in rebus nequaquam satisfacere credebatur : quia pacem inter Cæsarem & Venetos, vtrem ob ea quæ acciderant factu minime difficilem, solicite procurabat. Credebat enim Cæsarem quo liberius Burgundiæ, rerum trans alpes bene gerendarum occasione inuitatum, nepoti recuperandæ operam dare posset, libenter hoc onus depositurum; & multo magis Venetos Gallorum clade territos, quiq; nossent Galliæ Regem multis periculis proprio regno imminentibus, eo anno de Italiæ rebus non iam posse cogitare : Hispanicum exercitum, cui qui Veronæ erant milites accessuri ferebantur, aduentare audirent ipsi pecuniis exhausti, militibus, præsertim peditatu non satis instructi, soli totum belli impetum sustinere haberent, nulla propinqui luminis scintilla micante, id optare sperabatur : & tamen Senatus se nullam nisi Vicentia & Verona restituerentur, pacis legem admissurum constantissime respõdebant. Quo tempore Cæsar à Pontifice 200. grauis armaturæ equites contra Venetos postulauit : quæ res & si Pontifici quia Galliæ Regem id si cõcederet ægre laturum verebatur, neq; se tam leui de causa Venetis suspectũ fieri è sua vel Cæsaris re esse duceret fuerit molestissima : nihilominus Cæsare pertinaciter vrgente, quod petebat, Troilo Sabello, Achille Taurello, & Mutio Columna ducibus ei misit. Nolebat enim id negando eius qui in fœdere quod cum defuncto Pontifice ictũ fuerat perseuerare nollet signa ostendere, præsertim cum se nulla re Venetis obstrictum duceret : qui præterquam quod ipsorum operibus cum Aluianus prope Cremonam ageret, parum amice è Parmensi & Placentino agro prædas egisset, numquam legatos qui sibi pro veteri more obedientiam præstarent, nisi postquam Galli victi transalpes rediissent, decreuerant. Venetos ea res terruit, non tam ob eius auxilii vim, quam quod ne Pontifex ex hoc initio vlterius procederet verebantur : ex eo etiam coniicientes, illum numquam ab hostibus disiunctum iri. Nec tamen à priore sententia vel latum vnguem discesserunt, imo cum supercilium quantum possent fortunæ ostendere decreuissent, maris præfecto qui Corcyræ erat, vt quanto maximo posset nauium numero collecto, maritima Apuliæ loca inuaderet mandarunt : quamuis paulo post, quantum referret Aragoniæ Regem ita prouocare, ob eius potentiam, & quia semper se Cæsarem ad pacem hortari ostenderat diligentius perpendentes, hanc sententiam velut magis audacem quam prudentem reuocarint.

Cæsar contra Venetos à Pontifice auxilia postulat.

XVI. *Veneti a duntur.*

Pugnatum inde ab Hispanis, Cæsarianis, & Pontificis contra Venetos : Mestrium & Margheram de his captis decem maiora tormenta Venetias versus ab hostibus diploſa : alia non ignobilia oppida direpta : & ad extremum die septima Octobris exercitus Venetus ad Vicentiam fusus : & nihilominus Veneti tot malis afflicti, atq; euentu spei ipsorum vsque adeo aduerso territi, nihil intentatum reliquebant, vt Patauio & Tauriso vrbibus prospicerent in quas præter reliquos apparatus quemadmodum in grauioribus periculis consueuerant, multos patritii ordines iuuenes miserunt. Post eam pugnam, res ab armis ad pacis consilia quæ apud Pontificem tractabantur deuenit : ad quem Gurcensis eo præsertim nomine, vt ei Cæsaris & Archiducis nomine obedientiam exhiberet profectus erat : cui se Franciscus Barciensium Dux, vtidem Maximiliani fratris sui nomine faceret adiunxerat. In Gurcensis Cardinalis aduentu Pontifex ab ipso & Venetis Oratoribus, omnium controuersiarum quæ inter Cæsarem & ipsorum rempublicam erant arbiter est constitutus : id vero potius signis & nomine quam reuera. Nemo enim tanti rem momenti suspecto arbitro, nisi clam & sorsim cum absq; suo consensu sententiam laturum non esse, fide ab illo accepta committere voluit. Quo facto Pontifex edicto promulgato, arma vtriusque partis suspendit, atque iniuriis abstinere iussit. quod etsi omnes hilari fronte comprobarint, male tamen à ProRege seruatum est. Nam cum post victoriam nihil præter prædas excursionesq; fecisset, castris inter Montanianam & Ateste positis, & militũ parte in Rhodigiam Polinesum missa, omnibus his locis nunc Cæsaris ditionem esse prætexens, nunc se Gurcensis literas expectare, magnas clades afferebat. Neq; id compromissum finem sortitum est feliciorem, quam medium atq; principium habuisset, ob difficultates quę in rerum tractatione extiterunt. Quoniam Cæsar nullam aliã pacis rationem nisi aliquas vrbes retineret, & pro reliquis maximam pecuniæ vim acciperet, admittebat : contra vero Veneti omnes vrbes petebant, & exiguam pecuniam offerebant. opinio autem erat Catholicum Regẽ quamuis palam se hanc concordiam, vt antea quoq; fecerat, exoptare fingeret, clam tamen eam dissuadere, dicebantque illum quo difficilius res componeretur, eodem tempore Brixiam, quam prorex à se, vt eum ad pacem propensiorem redderet, retineri affirmans, ad eam vsque diem numquam Cæsari concedere voluerat, concessisse. cuius rei variæ afferebantur causæ : siue quod cum Venetos tantopere offendisset, vt sibi cum illis sinceram amicitiam deinceps esse non posse censeret : siue quod suam in Italia existimationem atque potentiam in eo positam, vt exercitum illum aleret, esse animaduerteret, quem pecuniæ inopia aliter quam amicos populos opprimendo atque mulctando, hostium agros percurrendo diripiendoq; alere non poterat. Pontifex igitur rem imperfectam reliquit : & paulo post Germani aliqua de Venetis, & vicissim Veneti de hostibus cæperunt : Galli quoque Mediolanensem & Cremonensem arces ob inopiam commeatus Maximiliano Duci dediderunt : ita vt Galliæ Rex nihil aliud in Italia propter Laternam Genuensem obtineret : quam tamen cuniculis Genuenses euertere conati sunt sed frustra. Amisit deinde in Morinis Teruannam, & in Burgundia Tornacum : plura amissurus, si Maximilianus Cæsar, & Henricus Rex Angliæ victoria vti sciuissent, aut voluissent. Exciue-

rat præterea in auxilia contra Anglum Rex Galliæ, Iacobum Regem Scotum. Sed & huius exercitum Angli profligarunt, cæso in conflictu ipso Iacobo pugnante. Eã nunciata clades Ludouicum magnopere conterruit, secum reputantem, ante omnia sibi diuinitus infligi vulnera, & alias super alias supervenire clades, quod sacrosanctum Pontificem diro consilio atque impiis armis esset persecutus. A Mediolani tamen recuperatione animum non auertebat; cumque Heluetios ad victoriam omne momentum adferre videret, eos oblato promissoque auro sollicitabat. Præter hæc affinitatis cum Catholico Rege negotium non intermittebat : in quo vt & alias præcipua difficultas erat, vtrum puella apud patrem, an apud socerum, tempus ad matrimonium perficiendum aptum expectare deberet. Si enim pater eam retineret, Cæsar nullam sibi rei perficiendæ securitatem habere videbatur : & Rex, dum aliqua spes esset, huius negotii, famam quam ipse studiose diuulgabat, posse aliorum animos sua ipsorum commoda spectantes, suo proprio beneficio mitigare, impedimenta quæ exoriebantur libenter fouebat. Venit interea ad eum Quintana, Catholici Regis ab epistolis minister; is qui eadem ob causas & superiore anno apud eum fuerat. deinde ex eius consensu ad Cæsarem profectus, denuo ad Galliæ Regem rediit; ad cuius reditum, quo commodius pacis impedimenta tolli possent, Rex, & Quintana Catholici Regis nomine, inducias superiore anno factas, in alterum annum iisdem legibus prorogarunt; quibus occultè admodum adiunctum fuit, vt toto induciarum tempore, Galliæ Regi Mediolanense imperium infestare non liceret : quæ conditio neque Genuam, neque Astam complectebatur : quod caput ab ipso occultatum, à Catholico vero per totam Hispaniam promulgatum, & solenni ritu proclamatum fuit, hominibus interea, huiusne affirmatio, an illius negatio verior esset incertis. Fuit eadem in pactione Cæsari & Anglo, quos ambos Quintana in eam consensuros affirmabat, trimestre tempus si adiungi vellent reseruatum : quod, quantum ad Angliæ Regem attinebat, vanum erat, sed Cæsari Aragonius qui semper bellum ab Hispania procul remouere, resque Neapolitanas in tuto habere decreuerat, connubium quo de agebatur, alia meliori ratione impetrari non posse persuaserat.

XVII.

Auxit hæc prorogatio Põtificis suspicionem, ne inter hosce tres principes, maiorum rerum ad Italiæ perniciem consilia, aut iam inita, aut propinqua essent. Sed cum non ideo à priori sententia, communi videlicet libertati valde perniciosum fore, non modo si Mediolanense imperium in Cæsaris & Hispani potestatem veniret, sed etiam à Galliæ Rege recuperaretur, sibi discedendum duceret; ita prõgredi, & res ponderare, vt ea instrumenta quæ ex vna parte prodessent, ex altera non obessent, ei difficillimum erat : cum periculorum alterum ex Galliæ Regis depressione, atque metu, alterum ex eiusdem potentia & securitate existeret. Quare, vt eum Regem hac cum illis Regibus paciscendi necessitate liberaret, Heluetios, quibus hæ inducia suspectæ erant, vt cum illo conuenirent, hortari non desinebat : atque in quemuis euentum aditum illi in Italiam intercluderet, de concordia inter Cæsarem & Senatum Venetum plusquam antea laborabat. Sed is quod Cæsaris in eis oppidis quæ retinebat, res inducias firmari censeret, constanti animo aut integram pacem facere, aut in armis perseuerare statuebat, nullo casu, nulloue infortunio ab hac animi magnitudine dimotus. Nam præter tot detrimenta, totque res bello infeliciter gestas, præterque id quod Galliæ Regem hoc anno in Italiam exercitum missurum esse sperare non poterat, cum etiam vel cæli iram, vel fortuitos casus aduersos haberet. Huius enim anni initio periculosissimum incendium Venetiis fuerat, quod noctu, ab Rinialti ponte initio facto, Aquilonibus eius impetum augentibus, nulla hominum diligentia laboreue fieri potuit, quin in longissimum tractum flamma peruagata, eius vrbis frequentissimam opulentissimamque regionem incenderit. Pontificis de pace intercessione, ipse denuo inter Cæsarem & illos arbiter, nullo certo tempore præscripto, cumque ampla & minime definita potestate est constitutus : sed tamen cum occulta promissione, ipsiusmet chirographo confirmata, se absque vniuscuiusque consensu sententiam non esse laturum. Hoc compromisso confecto, vtrique parti, ab armis abstinerent, breui epistola imperauit : cui Hispani atque Germani parum obtemperarunt. Nam Hispani qui in Polinesõ Rhodigina, atque Ateste in hybernis erant, omnem circumfusam regionem diripuerunt : & Prorex milites Vicentiam misit, vt quo tempore sententia pronunciaretur, ipse in eius possessione inueniretur. Frangipanius quoque eodem tempore Foroiulienſibus multa intulit damna; & Venetis non cauentibus Germani nonnullorum exulum conspiratione, Maranum, maritimum in Foroiulii oppidum prope Aquileiam ceperunt : & venientes auxilio Venetos, nõ parua cum occidione fuderunt : quin etiam aucti Montefalconem & Feltrium vi obtinuerunt in vniuersumque Foroiulium excursione facta regionem deuastarunt. Hæc Pontifici erant molestissima : sed longe molestius erat, quod nullam concordiæ rationem inueniret, quæ vtrique parti satisfaceret. Nam ex crebra rerum mutatione, cum spes ex illarum progressibus pariter mutarentur, factum erat, vt cum Cæsar Verona retenta Vicentiam vellet relinquere, Veneti, nisi Verona restitueretur pacem recusarent : cum vero Veneti tot calamitatibus concussi, sola Vicentia contenti essent. Cæsar Verona non contentus, Vicentiam quoque vellet. Quibus difficultatibus fessus Pontifex, etsi sententiam suam minime probatam iri existimaret, tamen ne ipsius culpa esse videretur, pacem inter illos esse debere pronunciauit, ea lege, vt statim vtrimque arma deponerentur; sibi pacis leges intra annum declarandi facultate reseruata; quæ pax & armorum depositio, Hispanum quoque comprehenderet : Cæsar Vicentiam, & quicquid ipse & Hispani in Patauino & Tauriſino agro possidebant; itemque Veneti Cremam, in ipsius manus depositi nomine; reliqua, ad sententiæ vsque promulgationem quisque vti possidebat sic obtineret : hanc sententiam intra mensem omnes confirmarent : quo facto, Veneti tunc Cæsari viginti quinque aureorum numum millia, & totidem intra tres proximos menses repræsentarent. quod si sententiam latam non omnes comprobarent, ea nulla esse intelligerentur. Hanc ille nouam diiudicandi rationem, vt neutri parti displiceret, est sequutus. Et quia qui Hispani Regis nomine comprobandi facultatem haberet (& si eius orator illum assensurum promitteret) nemo aderat tantum vnicuique ad ratum habendum temporis concessit, vt mitti mandatum posset. Sed cum Veneti ratum habere haud statuissent (eodem enim tempore leges declarari voluissent) irritum fuit iudicium. Non intermisit interim Pontifex Maximilianum ad arma deponenda, pacemque cum Gallo & Venetis ineundam hortari. Itaque ad finem huius anni, ei scripsit in hunc modum.

Leo X. Maximilianum ab armis reuocat.

Etsi ex animo semper agitaui ex eo tempore, cum Pontifex Maximus creatus sum, vt pro Reipub. Christianæ otio communique bono te ab armis, ab ardore animi, ab odio exercendo cum iis, quos hostes tuos appellas, Christianis Regibus atq; Principibus, ad pacem atque amicitiam reuocarem : & posteaquam Matthæus Cardinalis Gurcensis Vicarius rerum Italicarum tuus prudens excellensq, vir Romam se contulit, cum eo sæpius eadem de re sum locutus : tamen quoniam iis diebus Fratres mei S.R.E. Cardinales non solum seperatim, vt cuique visu fuit, quod sæpe antea fecerant : sed etiam vna omnes atq; palam nos ea de re multo diligentius atque accuratius monuerunt, veriti ne si paulo modo vlterius nostrorum Principum discordiæ inter vos viguissent, Christianam Reipub. bellis ciuilibus debilitatam validissimi hostes nostri Turcæ adorirentur atque opprimerent : qui tractare arma, parare exercitus, classem conficere audiebantur : idem nunc quoque mihi recum per litteras multo accuratissime agendum esse contendendumque existimaui : præsertim cum & nonnullorum Regum ac Principum querelæ accesserint litteris eorum & nunciis ad nos perlatæ, petentium, ne Christianos populos nostra curæ fideiq; creditos diutius inter se concurrere collidique sineremus : & ipse Italiæ deuastatæ prope ac desolatæ vocibus & quasi lachrymis exciter, vt de grege Domini pastus pereunte, ac se conterente sollicitus, nihil non curæ in eo continendo conseruandoque adhibeam, nihil remittam laboris. Itaque te & moneo, & hortor, & plane etiam atque etiam rogo per Dei Opt. max. nomen, à quo sane tuo nomini dignitas omnis maiestasque accessit : per sedem hanc Christianæ Reipubl. cuius vnius tuendæ cogitatio ad re maxime omniũ atq; iustissime pertinet

net. per tot ſanctorum virorum humata hac in vrbe atque tellure corpora: qui multos labores, multas erumnas pertulerunt, multũ etiam ſanguinis inſtituendis noſtris ſacris augendiſque profuderunt: vt ad pacem cum tuis hoſtibus ineundam animum & cogitationem tuam accommodes: eamq; de ſedibus deq; populis Domini prope expulſam, te quidem certe implorantem ne aſpernere: præſertim ſi æquas illam ad te conditiones aſſcrre perſpexeris. *Quam certe in ſententiam adduci eo facilius debes, quo laudabilo illud propoſitum animi tui, qui cũ inprimis ad arma profiluiſti, vt libertatem Eccleſiaſticam audacia nonnullorum violatã comminuta, defenderes, dignitatemq; noſtram ab iniuria vindicares, ſuos iam exitus habet: hoſtesq; tui, Dei munere ac tua incredibili virtute, tuorumq; fœderatorũ auxilio poſitis animis contumacibus ad huius Reipub. cultum & obſeruantiã humiles acceſſerunt. Certe quemadmodum te bello fortiſſimum atq; inuictũ adhuc quidẽ omni tempore præſtitiſti, ita optimis conſiliis tractabilem dari nunc te, erit non minus prudentiæ tuæ, quam illud fuerit fortitudinis. Meminiſſe etiam debes, cum omniũ Chriſtianorum Imperatorem geras, datum te à Deo eſſe quaſi tutorem eius populis: vt non tam tibi ſit cogitandum, quos vincere atq; ſubicere tuæ ditioni poſſis, quã vt omnes incolumes eſſe te procurante conſpiciantur. Deinde quo maior ipſe excelſiorq; es, eo te decet omnibus hominibus faciliorem commodioremq; eſſe, benignitatemq; non acerbitatem naturæ, obliuionem iniuriarum non vindictam, liberalitatem non potentiam exercere: neque tam quærere, quibus artibus latiores Imperii tui fines habeas, quam quibus virtutibus gloriam tui nominis extendere, hominumq; in te beneuolentiam augere atq; amplificare melius atq; facilius poſſis. Quamobrem, vt ad illud redeam quod initio ſcripſi, rogo obteſtorque te, primum quidem, vt animum tuum ad pacem inter omnes Chriſtianos Principes conciliandam applices: deinde vt te ad eas pacis conditiones cum tuis hoſtibus deducas, quæ ſi non tales erũt, quales ipſe velles maxime: ſint tamen eiuſmodi, vt qui te ſummopere diligunt, non eas abs te reiiciendas eſſe putẽt. Cruentari n. gladios, vaſtari prouincias, oppida diruì: quæ quidem mala cũ bellis ſemper coniuncta ſunt: exerceri deniq; inter Chriſtianos Principes tam acerbas contentiones, non ſolum Reipub. Chriſtianæ periculoſũ eſt, ſed ne illis quidẽ ipſis qui eas exercẽt, nõ triſte, non miſerum, non fugiendũ. Id ſi ipſe per te feceris, plane confido reliquæ bella omnia in vniuerſo eiuſdem Reipubl. Imperio, omnibus hominibus tuum vnius præclarum factum reſpicientibus, facile quietura: quique noſtris cernicibus imminens hoſtis noſter perpetuus Turca, deque noſtris ſeditionibus incredibilem lætitiam capiens nos eam ob cauſam à ſe facilius debellatum iri ſpem non dubiam alit, vel ſe intra ſuos limites continebit, vel nos vna in redimendis à ſeruitute Chriſtianis gentibus conſpirantes aliquando victores ſentiet. Me quidem ipſum, qui te vnice atq; ſummopere amo, Fratrumq; meorum Cardinalium Collegium, vel potius Chriſtianam rem vniuerſam tibi egregie atque in omne tempus deuincies. Dominus autem, vt eſt in remunerando benefacta hominum largus, quicquid hac in re atq; hoc tempore amore ſui me hortatore tuis hoſtibus remiſeris, tibi nominique tuo Auguſto reliquis tuis in rebus poſtulatis ſque decupla menſura atque centupla ſarciet. Dat. quinto Cal. Ian. M. D. XIII. Anno primo. Romæ.*

In eandem ſententiam ſcripſit Pontifex, Singulis ijs, qui creandi Imperatorem ius habent.

Exemplum litterarũ, quas ad Maximil. Imp. des. dedimus, quibus cum ab armis, à bello, à contentionibus cum Chriſtianis Principibus exercendis, ad pacis ſtudia cogitationemq; reuocamus, habuiſti cum his literis. Ex iis curã in ea re noſtram, diligentiam ſtudiũ, pietatem denique quam adhibemus, vt eius cæterorumque Principum animi pacẽ ineant, facile perſpicies. Quare cũ te plurimus legitimiq; de cauſſis magnæ eſſe apud eũ authoritatis exploratũ habeã: nec dubitẽ, quin pro virtute animiq; temperãtia, proq; officio optimi prudentiſſimiq; Principis, te quoq; communi Chriſtianorum populorũ mala vel præſentia, vel ẽt impendentia commoueant: prorſus vehementer etiam atq; etiam abs te peto, vt meas apud illum hortationes litteris, poſtulationibus, internũciis, per te ipſũ deniq;, ſi fieri poterit, & quantũ poteris iuues. Plane n. cum in eo, qui tuos conatus aduiuabit Deus: tum in tua diligentia, prudentia, authoritate, ſpem maximã habeo, fore, vt ab illo ſis quæcumq; voles impetraturus, tam iuſta præſertim in re atque cauſa: quæ quidem id agit, vt Chriſtiani ſanguinis, quem exhaurire profundiq; tam largiter bis temporibus perditis atq; miſeris videmus, aliquando tandẽ ratio habeatur: reſiſ; Chriſtianæ publica vel neruos atq; vires reſtimat, præferatq; indies ſeſe, quod erit ſane conuenientius: vel ne perpetuis noſtris hoſtibus ludibrio interneciõique dedatur. Id ſi tu quidem fili mihi animoque meo pergrate, quantam in te erit confeceris, & Dei cauſa per tẽ ſiſtinebitur, & me beneficio tuo deuincies, & tibi ipſi gloriam paries ſempiternam. Dat. quarto Cal. Ian. M. D. XIII. Anno primo. Romæ.

XVIII. Ita Pontifex pro pace conficienda ſat agebat. Ne aũt Veneti maximis cladibus vbiq; afflicti animo penitus deficerent, tametſi eas quas rctulimus calamitates illis, quod Gallos in Italiam euocaſſent, merito accidiſſe prædicaret, nihil tamen victorijs lætabatur. Dolebat enim Italico nomini certum exitium, certamq; ignominiam externorũ armis parari. ob id ſecreto Venetos per Franciſcum Foſcarum legatum hortabatur, ne animum deponerent, ſuamq; priſtinam infractæ virtutis atq; cõſtantiæ exiſtimationem tueri vellent. Se etenim nunquam hoſtem futurũ ipſorũ Reipublicæ, quam minime proſtratam, ſed integram & florentem videre concuperet. Quod auxilia aduerſus eos miſiſſet, id eſſe datum Iulianis fœderibus, & recentibus ipſorum conſilijs, quibus euocandos in Italiam Gallos cenſuiſſent, quorum aduentu turbari ſperata pax, & diuina humanaq; rerum confuſione permiſceri viderentur. Ad hanc ſinceri animi voluntatem facta addidit, quibus ſingulari collato beneficio Veneti iuuabantur. Nam vir iudicio longe grauiſſimo ita partibus ſtudendum arbitrabatur, vt eum publici decoris Italicæque dignitatis numquam obliuiſci, vel inimici etiam perſpicerent. Gallis ex Italia pulſis, Rex Germanis peditibus retentis, reliquum exercitum omnem dimiſit: præſentium quidem periculorum cura, ſed non grauiorum in proximum annum metu liberatus. quoniam Rex Angliæ multis cum minis ex Gallia profectus, ſe proxima æſtate reuerſurum aſſerebat: imo ne tam ſero bello initium faceret, iam nouos apparatus moliebatur. Sciebat etiam in Cæſare eandem in ſe voluntatem eſſe: & verebatur ne Catholicus Rex, qui varijs modis inducias factas excuſauerat, quo minus illos à ſe penitus alienaret, vna cum illis arma caperet, cuius etiam rei magna extabant indicia. Fuerant enim litteræ quædam ab illo Rege ad ſuum apud Cæſarem legatum interceptæ, in quibus animum à verbis, quibus ſemper belli contra Chriſtiani nominis hoſtes gerendi, & ad Hieroſolymitanam expeditionem proficiſcendi ſe vehementi deſiderio ardere præſeferre conſueuerat, admodũ alienum oſtendens, vt coniunctis viribus operam darent, quo Mediolanenſe imperium ad Ferdinandum cõmunem nepotem Archiducis minorẽ natu fratrem peruenire t, proponebat: oſtendebatq; hoc facto, ipſos reliquæ Italiæ leges daturos: & Cæſari, auxilijs præſertim coniũctis, quod poſt vxoris obitum ſemper exoptauerat, Pontificatum adipiſci facile fore: quo adepto Cæſaream coronam Archiduci traderet. Sed tamen res tã graues, niſi tẽpore & occaſionibus haud perfici poſſe ad extremum addebat. Notũ etiam Galliæ Regi erat, Heluetiorũ, quibus ampliſſimas conditiones offerebat in ſcanimos, nulla ex parte mitigari: imo recenter, quia obſides à Tramollia dati, ne Rege promiſſa non ſeruãte capite plecterentur veriti, clam in Germaniam aufugerant, irritatos fuiſſe. ex quo iure verebatur, ne vel iam, vel ſaltem proximo annõ, tot aliarum moleſtiarum ſuarum occaſione, in Burgundiam aut Delphinatum impetum facerent. Hæ anguſtiæ aliqua ex parte in cauſa fuerunt, vt de ſacrarum rerum concordia Pontifici aſſentiretur: cuius præcipuum caput erat, vt Piſanum Conciliabulum funditus tolleretur: quæ res multos menſes agitata, varia impedimenta habebat præſertim ea, quæ vel ex eius conciliabuli authoritate, vel contra Pontificis auctoritatem acta fuerant, quæ probare Pontificia dignitate indigniſſimum videbatur: ijs vero improbatis, non erat dubium quin maxima confuſio eſſet ſecutura. Eam ob rem tribus Cardinalibus ea cura demandata fuerat, vt qua nam ratione huic malo obuiam iri poſſet cogitarent. Nonnihil etiam difficultatis afferebat illud, quod Regem niſi id peteret, cenſuris liberari haud æquum videbatur: Rex autem ne ſibi atq; Galliæ regno ſchiſmatici notam inureret, id ſe poſiturum negabat. Sed tandem Rex hac moleſtia defatigatus, & omnium regni ſui populorũ qui Eccleſiæ Romanæ reconciliationi ſummopere cupiebant, voluntate excruciatus, Reginæ etiam quæ ſemper ab his controuerſijs alieniſſima fuerat precibus impulſus, Pontificis voluntati cedere conſtituit. neq; id ſine aliqua ſpe, Pontificem hac cõtrouerſia ſublata, quemadmodum artificioſe ei ſpem fecerat, ſe ab ipſius rebus minime alienum declaraturum: quamuis ad veteres offenſiones noua acceſſiſſet: quoniam Pontifex, Scotiæ Regi, ne Angliæ moleſtus eſſet per epiſtolam imperarat. Nihilominus in octauo Lateranenſis Concilij conſeſſu, qui ſub anni finem fuit, Galliæ Regis procuratores ipſius nomine, eiuſque mandato oſtenſo, Piſanum Conciliabulum ſunt deteſtati, & Lateranenſi

Leo X. Venetos animo cadant hortatur.

Galliæ Rex Conciliabulum Piſanum deteſtatur.

nenſi Concilio adhæſerunt; & ſex Antiſtites ex iis qui Piſano conuentui interfuerant, Romam vt totius Gallicanæ Eccleſiæ nomine idem facerent, & inſuper alios quoque Antiſtites, qui de Pragmatica ſanctione eo animo, vt Concilii ſententiæ ſe ſubmitterent diſputarent, venturos promiſerunt: à quo in eodem conſeſſu, omniũ quæ contra Romanã Eccleſiam cõmiſiſſent ampliſſimam veniam ſunt adepti. *Mariana libr. 30. c. 18. Iouius in vita Leonis X. Panuinius & Ciacconius in Leone X. M S. Vatican. de vita Leonis X. num. 3920. Guicciardinus lib. 12. Bembus in epiſt. Leonis X. huius anni. Iouius hiſt. lib. 11. & 12.*

Quod attinet acta Concilii, & alia nonnulla, tam ad illa, quam ad ſuperiora ſpectantia, operæ pretiũ eſt ea memorare.

Quarto Idus Aprilis, huius anni, Pontifex ſeſſionem ſextam Lateranenſis Concilij, ab Iulio præceſſore ad 3. Idus eiuſdem menſis indictam, ad 5. Calend. Maii, quæ dies Mercurii foret vigeſima ipſius menſis Aprilis prorogauit. Cauſa, in edicto aſſignabat: quod Gallis citatis ab Iulio, dies comparationis nonniſi quartodecimo Cal. Maii proxime futuri veniret: & proceſſio ſolennis Pontificia pro capienda in Lateranenſi Baſilica Põtificatus poſſeſſione, illo ipſo III. Idus Aprilis celebrari deberet.

XIX. *Concilii Lateran. progreſſus.*

Adueniẽte inde ea die XXVII. Aprilis, Sacra & vniuerſali Synodo in Baſilica Lateranenſi congregata, præſidente in ea Sũmo Pontifice Leone X. ac præſentibus Cardinalibus, Patriarchis, Archiepiſcopis, Epiſcopis, Abbatibus, Oratoribus Principum & aliis, celebrata miſſa per Franciſcum Epiſcopum Sabinenſem Cardinalem Volaterranum, habita oratione per Simonem Epiſcopum Modruſienſem, cantatis litaniis, recitato Euangelio *Cum eſſet ſero die illa vna Sabbathorum* per Alphõſum S. Theodori Diaconum Cardinalem, cantato etiam hymno, *Veni Creator Spiritus*, Pontifex vniuerſos admonuit, vt cogitarent ea quæ cenſerent eſſe pro republica Chriſtiana. ſibi fixũ animo fore Concilium tamdiu continuare, donec vniuerſalis concordia, & pax inter Chriſtianos conueniret. Finita huiuſmodi oratione, Iacobus Saluiatus Orator Florentinorũ præſentauit Pontifici mandatum reipublicæ Florentinæ, datum ſibi & ſociis, Ioanni Strozæ & Franciſco Victorio, vt nomine eiuſdem reipublicæ Lateranenſi Concilio aſſiſterent, adhærerent, omniaq; præſtarent & trãſigerent, quæ ab eadem republica præſtari, exhiberi, ac trãſigi quoquo modo poſſent in decus, honorem, dignitatem, amplitudinemq; præfati Sacroſancti Concilij Lateranen. & exaltationem ſummi Pontificis, & Sacroſanctæ Romanæ Eccleſiæ Catholicæ. Lecto eiuſmodi mandato per Fedram Secretarium, Marius de Peruſchis Procurator Concilij reproduxit bullam ſeu monitorium Iulii II. contra profitentes Pragmaticam tenoris prout ſupra continetur, dans eius executionem, à tergo videlicet. Anno à Natiuitate Domini M D XII. Indictione prima, Pontificatus SS. Domini Iulii diuina prouidentia Papæ II, Anno x. die vero XV. menſis Febr. præſentes retro ſcriptæ litteræ Apoſtolicæ præfati Sacro Sanct. Domini noſtri Papæ fuerunt in Metropolitanæ Mediolanenſis, & in Cathedralis Papienſis, die XVI. ac Cathedralis Aſtenſis die XVIII. menſis Febr. affixæ & publicatæ in valuis ſeu portis, & ibidem per longum temporis ſpatium dimiſſæ, vt ab omnibus ibidem ſtantibus legi & intelligi poſſent. deinde copiæ earundem litterarum ibidem affixæ, dimiſſæ fuerũt, in ſignum veræ publicationis earundem litterarũ prædictarum, per me Franciſcũ Vaca SS. D. N. Papæ Curſorẽ. & ſupradictus Dominus Marius Procurator accuſauit eorum contumaciam prælatorum, & aliorum intereſſe debentiũ, Sacro Concilio huiuſmodi, & non intereſſentiũ, petens decerni citationem contra eoſdem. & SS. nihil reſpondit. Demum excluſis alijs non habentibus vocem deſſinitiuam, exceptis Oratoribus & Baronibus ac prælatis, & clauſis portis dicti Concilij vt moris eſt, Leone Pontifice, cum cæteris Prælatis, ſacris veſtibus indutis & intratis, in ſuis locis reſidentibus, Robertus Archiepiſcopus Rheginenſis aſcendit ambonem, & legi ſchedulam tenoris infraſcripti, de mandato Pontificis.

Leo Epiſcopus, Seruus ſeruorum Dei. Ad futuram rei memoriam. Sacro approbante Concilio.

Superna illius ordinatione, qui cœleſtia & terreſtria omnipotenti prouidentia moderatur, Sanctæ ſuæ vniuerſali Eccleſiæ, licet immeriti præſidentes, inter multiplices curas quibus aſſidue anginur, Doctoris gentium ſalubri ſanctiſſimaq; doctrina moniti ad ea maxime aciem noſtræ mentis conuertimus, per quæ in Eccleſia ipſa perpetua vnitas, & charitas inuiolata perdurent, greſq; nobis commiſſus rectis tramitibus in viam ſalutis procedat, ac Chriſti colarum nomen, & pretioſæ crucis ſignum in quo fideles ſaluati ſunt, infidelibus expulſis, dexterante Dei aſſiſtente latius diffundatur. Sane poſtquam ſe. rec. Iulius Papa II. prædeceſſor noſter ſacrum Generale Lateranenſe Concilium, de venerabilium Fratrum noſtrorum S. R. E. Cardinalium de quorum numero tunc eramus, cõſilio & aſſenſu, laudabiliter, legitime, & ex rationabilibus cauſis, Spiritu S. cooperante, & in eo quinq; ſeſſiones tenuerat, ſextamq; ſeſſionem tertio Idus præſentis menſis faciendam indixerat, Nos dicto prædeceſſore de modo ſublato, ex tunc expreſſis & aliis cauſis, noſtrum & dictorum Fratrum animum mouentibus, ſextam ſeſſionem huiuſmodi de eorundem fratrum conſilio & aſſenſu vſq; in hodiernum prorogauimus. Cum autem in minoribus conſtitutis ſemper nobis inſitum cordi fuerit, Generale Concilium, vtpote dominici agriculturam præcipuam, celebrari videndi, nunc ad Apoſtolatus apicem aſſumpti, honeſto vtiliq; deſiderio noſtro debitum, ex iniuncto nobis curæ paſtoralis officio acceſſiſſe conſpicientes, rem hanc ardentiori voto, & tota animi alacritate ſuſcepimus. Itaq; prorogationem huiuſmodi per nos factam, approbante eodẽ Sacro Lateranenſi Concilio approbamus, ac Concilium ipſum, vſq; ad perfectionem cauſarum propter quas indictum extitit, & præſertim vt inter Principes & potentatus Chriſt. anos bellis atrocibus pacatis, hoſtilibuſq; armis depoſitis, vniuerſale & firma pax componi valeat, pro qua indefeſſa ſolicitudine, nihil pro tam ſalubri bono intactum relinquendo, omnes conatus noſtros adhibere intendimus, quos qui, & ſine debito terminare velle, noſtriq; incommutabilis animi & intentionis fore & eſſe declaramus, vt iis quæ ad Dei laudem, Eccleſiaq; præfatæ exaltationem, ac Chriſti fidelium concordiam pertinent, peractis, ſancta ac neceſſaria expeditio, contra Catholicæ fidei hoſtes fieri, feliciterq; ex illis (altiſſimo fauente) triumphari poſſit. Vt autem ad tantum pertile Concilium accedere debentes, ac acceſſi huiuſmodi quomodolibet non retrahantur, omnibus & ſingulis ad celebrationem Concilii præfati, per dictũ Iulium prædeceſſorem conuocatis, aut in Congregationibus, Conciliorum Generalium, de iure vel conſuetudine intereſſe debentibus præſertim Gallicæ nationis, & ad dictum Concilii Lateranenſe venientibus (ſchiſmaticis, & aliis quibuſcumq;, de iure communi vel ſpeciali, per ſententiam, ſeu literas Apoſtolicas prædeceſſorum noſtrorum, vel ſedis Apoſtolicæ prohibitis dumtaxat exceptis) venientiumq; ſet uitoribus, & familiaribus, cuiuſcumq; ſtatus, gradus, cõditionis vel nobilitatis exiſtentibus, Eccleſiaſticis & ſecularibus, pro ſe & eorum bonis quibuſcumq;, non obſtantibus quibuſuis cenſurarum & pœnarum Eccleſiaſticarum, & ſæcularium adiectionibus contra eos, ex quibuſuis cauſis, à iure, vel per ſedem præfatam. ſub quibuſuis verborum formis & clauſulis generaliter promulgatis, & quas generaliter incurrerunt, per ciuitates, terras, & loca terreſtria & maritima Romanæ Eccleſiæ præfatæ ſubiecta, ad Concilium Lateranenſe, ad vrbem huiuſmodi veniendi, & in ea morãdi, & libere conſidendi, & ab ea quotiẽs videbitur recedendi, liberum, tutum, plenum & omnimodum Saluum-Conductum, cum plena, libera, tuta & omnimoda ſecuritate, atq; in vera & infallibili fide Pontificia, approbante Sacro Concilio præfato, harum ſerie damus & concedimus, & nihilominus omnes & ſingulos Reges, Principes & Potentatus Chriſtianos, per literas noſtras hortabimus, monebimus, & requiremus, vt pro ſummi Dei, & Apoſtolicæ ſedis reuerentia, venientes ad ſacrum Lateranenſe Concilium huiuſmodi, directe vel indirecte quomodolibet in perſona, vel bonis non moleſtent, ſeu moleſtari faciant, ſed eos libere, ſecure, & quiete venire permittant. Cæterum pro exequenda celebratione ipſius Concilii, ſeptimam ſeſſionem decimo Calendas Iunii proxime futuri faciendam indicimus. Nulli erga omnino hominum liceat hanc paginam noſtræ approbationis, declarationis, continuationis, proſecutionis, cõceſſionis, monitionis & requiſitionis infringere, vel ei auſu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præſumpſerit, indignationem Omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri & Pauli Apoſtolorum eius ſe nouerit incurſurum. Data Romæ in publica ſeſſione, in Lateranenſi Sacroſancta Baſilica ſolẽniter celebrata. Anno Incarnationis Dominicæ M. D. XIII. Quinto Cal. Maii. Pontificatus noſtri anno primo.

Lecta ſchedula placuit omnibus: admiſſæ excuſationes aliquot Epiſcoporum abſentum, aliorumq; procuratores recepti. & quia Pontifex paulo ante intellexerat, nonnullos ſchiſmatis fautores militem ex Bohemia euocare, quo ipſos ſciſmaticos iuuarent, ideo his diebus ſcripſerat quas adiungo, Vladiſlao Pannoniæ Bohemiæque Regi.

Nunciatum nobis eſt, certos Boemorum militum duces magnis pollicitationibus per fautores ſchiſmatis excitatos bellum cogitare: quo bello ſchiſmaticis auxilio ſint, cumq; iis coniuncti, populos rectæ ſentientes, quiq; nobis parent aggrediantur, remq; Chriſtianam exagitent atque perturbent. Id ipſe ægre moleſteque ferens qui quidem à Deo vocatus vt

Christi Vicarium geram, Christiani gregis incolumitati salutiq; consulere imprimis debeo, magnopere te hortor, abs teq; amanter ac vere patrio animo peto, vt eos Boemorum motus comprimas, ardoremq; animorum malis artibus sollicitatum restinguas, ducesq; illos in officio contineas. Nam si se schismaticis adiunxerint, præterquam quod pœnam à Iulio secundo Pont. Max. schismaticis constitutam ipsi incurrent: ego etiam pro mei officii ratione, quin eos sacris interdicam, pœnisq; grauissimis dedam, facere non potero. Erit itaq; optimum, ac propter tuam eximiam in rebus omnibus prudentiam, & perpetuam in Romanos Pontifices pietatem expectatum abs te, vel plane etiam postulatum, & tum illis salutare, tum tibi ad laudem & gloriam amplissimum, des operam, vt Boemis meliora cogitantibus facilius contra hostes Christiani nominis nostra arma conuerti possint. Id si feceris: cum nobis, qui propenso animo erga te atq; beneuolo sumus, rem gratissimam facies, omniaq; ad tuam dignitatem atque amplitudinem ornandam nostra studia confirmatis: tum de hac Repub. cuius nomen Regibus præcipue sanctissima debet esse, longeque commendatissimum, bene ampliterque promerebere. Datum Cal. April. M D. XIII. anno I. Romæ.

Consequentibus diebus congregatis Patribus Concilij, designati sunt nonnulli prælati graues & docti, qui vna cum Cardinalibus coram Pontifice tractarent, ea quæ essent in Concilio proponenda. deinde die 20. Maij, prorogata fuit sessio septima, ad xv. Cal. Iulij. die vero 3. Iunij Prælatos per congregationem designatos in tres classes diuisit. in quarum prima tractarentur ea quæ spectabãt ad pacem vniuersalem inter Principes Christianos componendam, & ad extirpationem schismatis: in secunda ea quæ pertinerent ad fidẽ: in tertia vero super reformatione & abolitione pragmaticæ sanctionis. In vnaquaq; classe numerabantur xvi. prælati electi quatuor alios singulos singulis Põtifex adiungit: qui in tribus diuersis locis, in Palatio Apostolico qualibet vice clausi discutiebant res omnes sibi ad deliberandum propositas. Causa prorogationis sessionis fuit, aduentus Oratorum Sigismundi Regis Poloniæ, qui prope diẽ expectabantur, vt sessioni interesse desiderabãt, tum vt obedientiam Pontifici præstarẽt, tum vero vt controuersiam cum Marianis militibus vertentem Concilio permitterent. *Act. Concil Lateranen.* quod quidem Põtifex à Sigismundo & Alberto nec non à Marianis militibus flagitabat, datis non multo ante his litteris.

I.

Intellexi magna quidẽ cum molestia inter te atq; Albertũ Marchionem, vt appellant Brandeburgensem, Societatis Marianorum Theutonicorum in Prussia Magistrum, plurimas atq; maximas iam inde à vestris maioribus ortas atq; traditas dissensiones extitisse: eamq; obrem omnes homines, quibus vestræ vtriusq; rationes atque causæ cognitæ essent, magnopere vereri, ne post eũ diem, qui dies erit pridie Idus Maias, magnum atq; apertum bellum inter vos commoueatur, maximisq; cũ gentium & populorum qui in vestro imperio sunt, detrimentis atq; cladibus exerceatur: qui dies præstitutus à vobis fuit: quo die ille statueret, vtrum à te imperata faceret, an se in libertatem vendicaret. Itaque vel pro mea in omnem Christi populum cura & studio, vel maxime pro ea voluntate quam quidem erga te beneuolam & propensam inprimis habeo, grauiter tuli hoc ingressu atq; initio mei Pontificatus certiorem me fieri, noua iam iamq; à vobis bella imminere, nouos armorũ motus, noua incendia excitari: cum illud inprimis cupiam, eiq; rei omnem meam curam & cogitationem adhibendam statuerim, vt ea quæ dudum succensa ardere adhuc flagrareq; videntur, bella inimicitiæq; magnorũ Principum, modis omnibus restinguantur. Quod quidem Dei Opt. Max. auxilio, qui ad se tẽdentes, seq; vnum respicientes conatus hominum consiliaq; non deserit, breui fore confidebam. Quamobrem paterno te & amore & studio esse hortandum putaui, vt cursum atq; impetũ irarum tuarum tantisper sustineres dum à me legatus amplissima cũ potestate istuc venit: qui vestris causis & controuersiis cognitis, quæ æqua sint, amice statuat, concordesq; vos, si fieri potest, & pacatos reddat. Decreui enim meos legatos magnos viros ad plurimas quam primum nationes mittere. Vel tu, si id tibi erit antiquius, rem totam integrasque partes tuas Lateranensi Concilio iam incepto agi remittas atq; reiicias: à quo porro maxime conuenit Regum & Ducum & magnorum Principum contentiones controuersiasq; terminari. Quod & nobis erit gratius, vt causa ipsa, cuius nonnullas sæpius partes aliquot ante me Romani Pontifices recte vtriq; vestrum consulentes attigerũt, Romæ per Concilium transigatur: & tibi certe cum ad rerum tuarum statum securitatemq; conducibilius, tum ad animi tui quietem & tranquillitatẽ longe aptius: non vnum modo Romanum Pontificem, sed vna cum ipso etiam reliquos omnes vniuersamque Ecclesiam vestrarum litium, expostulationũ, discordiarum disceptatricem extitisse: cũ existimandum sit, quæ totius reipub. oculis perspecta decernuntur, ea & rectissime confici, & firma atq; solida plane fore. Iniquum est ẽt & profecto miserum, optimas populosissimasq; nationes, quæ ad Christianæ ditionis atq; gloriæ terminos propagandos, vel propter fortitudinem animorumq; robur omniũ aptissimæ, vel propter locorum naturam opportunissimæ videantur esse, suis inter se odiis conteri, suisq; ipsarum simultatibus infringi & debilitari. Tum illud vehementer timeo, ne si vos magnos principes hostes perpetui nostri Turcæ, quos habetis finitimos, conuersis contra vos armis concurrere male animatos senserint, magna ipsi ex ea re lætitia voluptateque percepta, opperientes dum vestris cladibus vires opesq; vestræ fractæ ac debilitatæ sint, vnanimes atq; integri vos adoriantur, & magno vestro cum malo, quod Deus omen auertat, Christiano nomini notam aliquam insignem atq; perpetuam inurant. Hoc cauere ipse, cui quidem vniuersi gregis mandata cura atq; sanatio est, maxime omnium debeo: & profecto cauebo, si te de me, deq; re Christiana publica bene merendi studiũ cogitatioq; excitabit, qua nulla esse Regibus magis propria, nulla honestior ac plane laudabilior esse potest. Quod quidem te facturum tua virtute atq; prudentia fretus sane confido. Atque id quo libentius facias, scire te volo eadem me de re ad Albertum literas daturum, ab eoq; postulaturũ vt se contineat. Verum quo tu propter Regiam dignitatem atq; amplitudinem apud omnes homines maior excelsiorq; es, eo te cupimus priorem faciliorem q; hortationibus meis præsto esse. Quanto n. te ipse leniorem & placabiliorem mihi & reipub. præstiteris, tanto se Deus omnibus tuis aggrediendis tractandisq; rebus magis beneuolum atq; propitium adiunget. Datis XV. Cal. April. M D. XIII. ante coronationem. Romæ.

II.

Sigismundo Poloniæ Regi.

Post eas literas quas proxime ad te dedi, Maximil. designatus Romanorum Imperator mihi per literas & per legatũ suum significauit, Regni sui ac totius Germaniæ per magni interesse, ne Marianorũ Theutonicorum societas vlla in re, vel armis, vel etiam concordiæ nomine abs te lædatur. Itaq; à nobis petiit, quorum authoritatẽ apud omnes nationes maximi fore non dubitat, curaremus eam rem: vtq; eæ controuersiæ quæ inter vos sunt, aut iudicarentur, aut certe sustinerentur, efficeremus. Quamobrem ego, qui antea tantummodo de causis quas ad te perscripsi vehementer optabam, vt vel meo Legato quem istuc mittere decreui, vel Sacro Lateranẽsi Concilio, quod mihi magis probabatur, causam totam cognoscendam terminandamq; remitteres: nunc quidem cum à Maximiliano certiores facti sumus, ad se suumq; imperium atque ad omnes Germanos eas controuersias pertinere, petatq; à nobis vt pro nostri officii cura demus operam, ne quid ex iis controuersiis detrimenti Christiana respub. capiat: te magis magisq; hortari & monere volui, abs teq; pro meo in te amore, proq; tua in eum quem gero Christi Vicarium obseruantia iam & petere & liberius contendere par est, velis tuam causam, vt maiori cum dignitate transigatur, à Lateranensi Concilio cognosci & terminari. Primum n. tua, deinde Imperatoris totiusque Germaniæ, demum etiam nostra maxime interest, quibus quidem ea Societas præcipue subest, ei societati præiudicium non inferri vllo modo. Cogitare etiam illud debes firmam quidem inter vos concordiæ rationem posse nullam inueniri: nullam esse pacem, nulla fœdera diutius permansura, quæ non eorum omnium quorum interest consensu voluntateq; sanciantur. Id autem nisi Romæ conficitur, quo pacto fieri apte possit, plane non video. Quamobrem si in eam cogitationem diligenter incubueris, vt des operam, ne frustra scripsisse, ac temere in nostris hortationibus spem hæc vt volumus transigendi posuisse videamur: de ipsa certe repub. deque nobis bene te esse meritum, & ipse profitebor, & tu senties. Dat. Cal. April. M D. XIII. Anno I. Romæ.

III.

Sigismundo Regi Poloniæ.

Proximis diebus te hortari vnis atq; alteris literis non destitimus, cõtrouersiã, quam cũ Alberto Prussiæ Magistro aliquot iã annos habes, habuistiq; cum eorũ nonnullis, qui ante illũ Magistri fuerunt, vt aliquando tandẽ terminari sine armis posset, velles eã S. Lateran. Conc. remittere: à quo quidẽ maxime conuenit Regum causas disceptationesq; iudicari. Qua in re si meis hortationibus animũ adhibuisti, quæq; te facere ipse æquũ & iustũ putabã, ea concordi inter te atq; illũ voluntate es iã ita cõplexus, vt ei Conc. vterq; vestrũ suã causam remittendã statuerit, eiusmodi nunciũ læto animo accipiã, teq; de tua ista lenitate atq; in rẽpub. obseruantia magnopere commendabo. Sin a. quemadmodũ & à Thoma S. Martini, & ab A. S. Sixti Cardin. qui te sũmopere diligunt, & quibus incolumitas tua, dignitas, amplitudo magnæ curæ est, nuper intellexi, lubẽs ipse paratusq; es ad ea pacta fœderaq; seruãda, quæ quidẽ solẽniter inter vos nouissime statuta sancitaq; sũt, quæq; propediẽ sunt sanciẽda: tua ista voluntas etiam atq; ad pacem propensus animus mihi plane vehementer probatur? Teque magnopere hortor, ab illis ipsis quas commemoraui tum factis, tum iis quæ fiunt pactionibus ne recedas; modo eiusmodi sint, quibus arma & discordiæ auferantur, pax atq; concordia exoriatur. Si enim is exitus istic aut partus iam est, aut comparari, modo velitis potest: quid attinet noua iudicia quærere? quæ quidem vt suum ad finem perduci possint, neq; breuis temporis, neq; parui sumptus propter locorum longinquitatem indigeant necesse est. Quamobrem abs te nunc quidem vehementer quæso & opto, primum & in eadem sententia tete confirmes, ac plane perstes: deinde vt nullam prorsus ansam Prussiæ Magistro des, à pacto inter vos fœdere desciscẽdi: vel potius vt omnia cogites, omnia præmunias, omnia moliare, quibus ille nihil quæri de te, nihil inuenire causæ possit ad pacem concordiamque reiiciendam. Hoc nos hortari monereque te non magis nostrum est, quamquam id quidem nostrorum maxime. Pacem enim à Domino relictam nobis atque traditam, cum aliis velle communicare magnopere omnes debemus; quam tuum etiam modis omnibus præstare atque efficere, ne te frustra monuisse videamur, Qua in re præterquam quod tuæ tuorumq; populorum quieti optime abs te consuletur, nobis etiam rem gratissimam facies; de re autem publica cuius te obseruantissimum semper fuisse omnes prædicant, etiam bene merebere. Dat. prid. Calend. Maias. M. D. XIII. anno primo. Romæ.

IV.

Alberto Societatis Marianorum Theutonicorum magno Magistro.

Superiori epistola te etiam monui, velles eam controuersiam, quam cum Sigismundo Rege Poloniæ multos iam annos habes, vt aliquando res ipsa atque causa confici sine armis posset, vel tantisper sustinere dum noster Legatus ad istas regiones mitteretur, qui quæ æqua essent, inter vos statueret: vel Sacro Lateranensi Concilio remittere, à quo maximè conuenit magnorum Principum causas disceptationesque iudicari. Nunc autem quoniam iis de rebus diligentius perquirentes intelligimus proximè inter vos pactum sancitumque esse, quid vterque vestrum facere, quibus stare conditionibus debeat; quo ex fœdere erat statutum, vt quæ superessent controuersiæ inter vos, pactis ea atq; fœderibus ad Octauum Idus Maias terminarentur; quanto maiore possum studio ac diligentia te plane hortor, quæ solenniter celebrata inter te & Regem Poloniæ pacta conuentionesque sunt, eas ne reiicias, celebresq; quæ sunt celebranda, sic plane, si erunt eiusmodi vt bella contentionesq; deponantur, securitas atq; ocium subsequatur. Nam si is istic finis vel paratus iam est, vel parari vobis volentibus potest: quid opus est nouorum iudiciorum, ad quæ quidem terminãda, neq; breuissimi temporis, neq; minimæ impensæ propter regionum longinquitatem vterque vestrum indigebit? Quamquam vt verum fatear, pupugit me rumor quidam, tibi plane non honorificus, mihi etiam permolestus, qui multorum iam vocibus & sermone percrebuit, iactantium, per te fieri, absteque impediri, ne res ad exitum perducatur. Quare his quidem literis impensius etiam abs te postulo & peto, vt quibus pactionibus pollicitus & testaturum, iis ne te laxes, fidemq; tuam præstes, omniaq; agas, coneris, efficias denique, vt pax inter vos conficiatur, neque Rex Poloniæ conqueri de te apud nos vllo modo possit. Quam plane te ad rem vel hortari, vel monere non magis mei muneris est, quod tamen imprimis est meum, quam tui etiam efficere, ne frustra operam posuisse nos appareat, Ita enim & tuæ tuorumque quieti magnopere consules, & tua in nos præclare negocia constabunt. Dat. prid. Cal. Maias. M. D. XIII. anno primo. Romæ.

V.

Conuentui & Societati Marianorum Theutonicorum.

Scribimus Alberto Marchioni Brandeburgensi Societatis vestræ Magistro, eumq; etiam atq; etiam hortamur, vt ei controuersiæ quam cum Sigismundo Rege Poloniæ habet, finem atque modum adhibeat, quantumque in se est efficiat, vt ad pacis tandem studium res consensumque perducatur. Tum illud addimus, vt quoniam nobis renunciatum est per illum stare, quominus causa eum quem commemorauimus exitum habeat; det operã ne quis ipsum nolle pacem atq; concordiã apud nos queri iure possit. Quæ quidem omnia vobis etiam perscribere volui; cũ quia exploratum habeo cõuentum istum vestrum magnæ apud illũ authoritatis esse, eaq; fere cogitare ipsum atq; agere quæ vobis vnis probantur: tum quod intelligo huius ipsius culpam rei, quod adhuc confecta non sit, in vos reiici; Itaque vos vniuersos & hortor, & more patrio moneo, non id solum, vt Magistrum vestrum ad pacem atq; concordiam cum Rege Poloniæ ineundam ne impediatis, sed vt omni etiam vestra diligentia & auctoritate compellatis; ad ea pacta fœderaque, quæ confecta proximè inter illos sunt, amplectenda atq; seruanda; quæ vero conficienda sunt, ea vt conficiat: vt discordia omnis atq; dissensio tam vtriq; eorum detrimentosa, tam indigna Christianis Principibus, tam nobis molesta, aliquem aliquando tamen exitum nanciscatur; ne dissentientibus studiis nationes istæ, quæ ad Christianam gloriam augendam atque propagandam sunt aptissimæ, simultates inter se atq; odio semper exerceant, suis semper viribus conterantur. Id si vos in animum induxeritis, communique consilio effeceritis, egregie de me atq; ampliter vos esse meritos profitebor: rem vero atq; operam ipsis vobis magnopere debitam, & virtute dignam vestram bonitateque nauabitis. Dat. prid. Calend. Maias. M. D. XIII. Anno primo. Romæ. Bembus in epist.

XX.

Res est. Post multas inter Sigismundum Regem, & milites Marianos controuersias, datum id fuerat Iulio Pontifici, Maximiliano Cæsari, & Vladislao Vngariæ atque Bohemiæ Regi, vt legati eorum in Comitio Poloniæ de tota re disceptarent, atq; tandem pacem componerent. Comitium fuit primo conuocatum M. D. X. ad festum S. Ioannis Baptistæ, Posnaniæ. Conuenerant illorum quos recensebam legati, nec non Friderici ex Saxoniæ Ducibus Prussiaci ordinis summi tunc Magistri. Aderant plurimi legum Doctores, qui de partium iuribus inuicem disputarent. Iob Pomesaniensis Episcopus Crucifericæ legationis Princeps, Pomeraniæ & Prussiæ prouincias q̃ Ostiis Vistulæ amnis adiacent, & in ora Sarmatici maris sitæ sunt, à Sigismundo Rege & regni Poloniæ proceribus, quasi indebitè possessas repetebat. Secundo, ne Prussiaci Ordinis Magister & Cruciferi, iuramentum, fidelitatem & obedientiam Regibus Poloniæ præstare tenerentur, nec Sigismundum pro Domino recognoscerent flagitauit. Tertio, ne idem Ordinis Magister & Cruciferi vlla bella, etiã contra barbaros infideles cum Sigismundo Rege & aliis eius successoribus suscipere tenerentur. Quarto vt Polonorum nullus ad Crucifericæ militiæ Ordinem assumeretur. Hunc articulum soluto risu & cachinno Poloni per contemptum excepere, ac nulla deliberatione facta in eũ facile consensere. Tria superiora capita, & Cruciferorum iniqua postulata, quoniam per ea pacis perpetuæ fœdus apertè infringebatur, à Polonis vt indigna ac iniusta reiecta, atque magnis rationibus explosa. Consiliarij & Legati Poloni, quorum Princeps erat Ioannes Laskj Gnesnensis Metropolita, regni Poloniæ ad Pomeraniæ, & Prussiæ terras iura, multis argumentis ac diplomatibus, quibus perpetuæ pacis fœdera continebantur, copiose, clarissimè, ac multa grauitate deducta, Sigismundi Regis & Senatus regni nomine petiit, vt post tot annorum atrocissima ac cruentissima bella, tot vrbium & castellorum miserabiles ruinas; pax perpetua inter Casimirum Poloniæ Regem, nec non Magistrum Ordinis ac Cruciferos Prussiæ olim sanctissimè icta, ac iuramentis sacrosanctis roborata, rata ac firma maneret, inuiolabiliterque seruetur: petiitque, iuxta perpetui fœderis formulam vsu receptam, vt Fridericus Prussiacæ militiæ Magister debitum fidelitatis & obedientiæ iuramentum, quod aliquot prædecessores sui continua serie absque vlla tergiuersatione vltro fecissent, Sigismundo Regi præstaret; nisi potentissimi Regis iusta in se arma concitare atque experiri malit, magno Cruciferorum periculo, ne eorum reliquiæ ex Sambia extremo Prussiæ angulo, Polonorum armis contra Cruciferos semper feliciter motis procul pellantur, atque exterminentur: Post hæc irritis altercationibus complures dies absumpti, Polonorum legatis regni sui causam strenue ac magis rationibus tuentibus, vt facile appareret Magistrum Ordinis & Cruciferos causam fouere iniquam; ad hoc tandem recursum est, vt Magister Ordinis & Cruciferi, perpetui fœderis executionem ad annos viginti, & cum id obtinere non possent, ad annos decem suspendi peterent. quod cum id quoque eis à Polonis legatis constanter negaretur, Pontificis, Regum, ac Principum legati nullo facto fine, re infecta diuersi ex Posnania abiere, resque propterea ad arma spectare videbatur. Paulò post Friderico Saxone Ordinis Magistro vita functo, cum ad eam dignitatem euectus fuisset Albertus March. o Brandenburgensis, Sigismundi Regis ex sorore nepos, isque ad Optimatum

regnũ Poloniæ Conuentum venire, & pactis fœderibus ſtare decreuiſſet, neque tamen veniſſet, aut ſatisfeciſſet, res ad bellum inclinauit. Maximilianus Cæſar, Alberto Brandeburgico animos addebat; poſtquam Sigiſmundi Regis offenſus connubio, quod cum Barbara Scepuſienſe id temporis contraxerat, hoſtilia in eum moliri cœpit, identidem in Germaniæ Principum conuentibus contra eum queſtus, quaſi Pruſſiam Marianorum olim miſſum poſſeſſionem obtineret. Querelis addebat conſilia belli contra Sigiſmundum mouendi, atque eius Prouinciæ recuperandæ: ac præter hæc ethnicos principes, ſemotasque barbarorum gentes contra Polonos per legatos ſollicitauit: primumque cum Baſilio Magno Moſcouitarum in Sarmatia Aſiatica Duce, quem potentia & opibus præſtare non ignorabat, amicitiam & ſocietatem iunxit, fœduſque percuſſit: qua ſocietate hic animatus, ſexaginta millium equitum exercitum comparauit, violatoque fœdere, quod cum Sigiſmundo Rege ſanctiſſimè ictum, & iam à quatuor annis ſeruatum habebat, eidem Regi bellum intulit. Parabat Sigiſmundus, tum Albertum refractarium ad officium reuocare, tum Baſilio ferocienti arma opponere: cum de controuerſia Marianorum Pontifex Maximus, his quas memorauimus literis præuertit, atque concordiæ rationes vel propoſuit, vel inter partes propoſitas collaudauit. Cæterum Baſilius, à fœdere cum Maximiliano percuſſo, inſolentior factus, eundem Cæſarem pro Regia corona & inſignibus Regalibus, nimia ambitione per legatos ſollicitauit, & tamquam ab amico ſecioque auxilia contra Sigiſmundum Regem poſtulauit. cui Maximilianus, non modo ſpem titulorum & inſignium regni fecit, verum etiam bombardarum Magiſtros Italos ac Germanos magno ſtipendio conductos, quod Pomeraniam, Pruſſiam & Liuoniam terra marique ſubmiſit: qui trecenta bellica tormenta breuiſſimo tempore vel fuderunt, vel ad vſum reuocarunt: quorum ille fretus multitudine, comparatis octuaginta millibus equitum Smolenſcum, in cliuo Riphei montis ſitum obſedit, per deditionem cepit, ſpoliauit, vaſtauit, Sigiſmundumque Regem ad iuſtum bellum excitauit. quod vt Pontifex auerteret, Iacobum Piſonem nuncium ad Regem miſit, qui flagitaret, vt armis depoſitis, pacem cum Baſilio iniret, armaque & potentiam ſuam in immaniſſimos Turcos verteret. Dicebat Piſo paratum ſe ire ad Baſilium Ducem Pontificis nomine, eumque ad ineundam pacem hortari. Ad hæc quidem Sigiſmundus reſpondit: nihil vnquam ſibi antiquius fuiſſe maiorum ſuorum more, quam Romani Pontificis arbitrio & voluntati obſequi, & pacem ſe cum Baſilio Duce per legatos tentaturum fuiſſe, ſi bellum nondum accenſum & res integra fuiſſet: iam ſibi retrocedere, aut pacis mentionem facere non licere, ne hoſtis pauore ſe id facere exiſtimaret: nec illi tutum putare, bello iam ardente in Moſcouiam ire, aut hominem adire ſchiſmaticum. His auditis Piſo, Baſilij barbari hominis horrens perfidiam, vlteriuſque progredi minimè auſus, ac à Rege donatus, Romam rediit. *Vapotius in fragmento.*

XXI. *Poloniæ Rex ad Pontificem Legatos mittit.*

Rex autem de rebus quas memorauimus grauiſſimis, Ioannem Lasleium Metropolitam Gneſnenſem, & Stanislaum Oſtrorogium Caliſienſem Caſtellanum, viros magni iudicij, Oratores, ad Pontificem Maximum, & ad Concilium Lateranenſe deſtinauit. Oſtrorogius totus aureus gemmatuſq; octuaginta Equeſtris ordinis viros, auro, gemmiſque tam ipſos, quam equos phaleratos nitentes, diuitesque duxit, ita vt Romanis non equorum aut equitum apparatus, ſed proceſſio paludata videretur: Lasleius princeps legationis non minore ornatu, ſplendoreque, quam grauitate & magnificentia apparuit, ac in Senatum Apoſtolicum ductus, mandatum Sigiſmundi expoſuit: *Paris de Graſſis Epiſcopus Piſaurenſ. Cæremoniarum Magiſter in Notis diariis Pontificiis*: obedientiamque Pontifici Maximo nomine Regio exhibuit: vtque erat vir facundiæ ſingularis, luculentam orationem habuit, in qua tot priorum calamitatibus, tot cladibus à barbaris gentibus ſuſceptis longa ſerie enarratis, complurimis lachrymas exciuit, oſtenditque alios Chriſtianos Reges ac Principes, nimiis opibus laſciuientes, pro gloria duntaxat & finibus cum vicinis decertare; Polonos vero & Sigiſmundum Regem, pro vita, pro libertate, ac totius Chriſtianitatis ſalute, contra Scythicas ac alias barbaras gentes excubare ac decertare inceſſanter, cum ei Regi, Turcæ, Tartari, Moſcouitæ, ac Valachi, irrequietis excurſionibus, maximisque exercitibus negotium faceſſerent. Bernardus Vapouius, Canonicus Cracouienſ. qui hæc narrat, iſta addit; Vidi ego pleroſque ſupremi ordinis Antiſtites Cardinales, qui altius ſpirabant, collachrymari, Thomam præcipue Strigonienſem Cardinalem, qui ea potiſſimum cauſa ex Vngaria trecentorum equitum comitatu Romam venerat, vt Romanum Pontificem ſacrumque ſenatum, ad bellum contra Turcas ſuſcipiendum impelleret: quod Iulio Pontifici cuius tempore Romam venerat, poſt Petrum Barzone omnium Pontificum Maximo, ac variis bellis exercitatiſſimo haud dubiè perſuaſerat, ſi inteſtina Principum Chriſtianorum odia, & immatura mors non obſtitiſſent. *Vapouius in fragmento.* In ſeptima, Lateranenſis Concilij ſeſſione, die XVII. Iunij huius anni celebrata, Laslcius illa fecit, & dixit, præſente, & præſidente Concilio Pontifice Leone X. poſtquam ceremoniis ad ſacra pertinentibus abſolutis, omnes Cardinales, Patriarchæ, Archiepiſcopi, Epiſcopi, Abbates, Prælati, Oratores Principum & Barones ſuo ordine conſediſſent.

Mandatum Regis Poloniæ.

Sigiſmundus Dei gratia Rex Poloniæ, Magnus Dux Lituaniæ, Ruſſiæque &c. Dominus & hæres. Notum facimus vniuerſis & ſingulis, harum ſeriem inſpecturis, lecturis, ſeu audituris. Quod poſtea quã accepimus Dominum olim, felicisque recordationis Iulium II. diuina prouidentia ſanctæ Romanæ ac vniuerſalis Eccleſiæ ſummum Pontificem, pro defendenda Sanctæ Romanæ Eccleſiæ vnitate, & ſanctiſſima contra Catholicæ fidei & crucis Ieſu Chriſti hoſtes expeditione ſuſcipienda, Concilium Generale in Laterano indixiſſe, memores officij ac debiti noſtri quo eidem Sanctæ Romanæ Eccleſiæ matri noſtræ ſumus aſtricti, pro cuius honore & tranquillo ſtatu omnes vires noſtras effundere ſemper parati ſumus, de certa noſtra ſcientia, ac vniuerſi regni ac dominiorum noſtrorum Principum ſpiritualium & ſecularium, Procerum, Communitatum, ac Militiarum conſilio & conſenſu, Reuerendum in Chriſto Patrem Dominum Ioannem Eccleſiæ Metropolitanæ Gnezinenſis Archiepiſcopum, & regni noſtri Primatem, & Magnificum Stanislaum de Oſtrorog Equitem auratum, Palatinatus Caliſienſis Caſtellanum, noſtros & regni noſtri Conſiliarios ſincere dilectos, quos etiam nuper pijs paternisque monitis prædicti olim Iulij ſummi Pontificis, ad infraſcripta deſignantes legauerauimus, eoſdemque ad ſanctiſſimum in Chriſto, Patrem & Dominum, Dominum Leonem Decimum, diuina prouidentia eiuſdem ſanctæ Romanæ ac vniuerſalis Eccleſiæ ſummum Pontificem modernum, & Sanctam ſedem Apoſtolicam, ac ſacrum Lateranenſe Concilium, ſi, & in quantum cœptam proſecutionem habuerit, Oratores deſignauimus & deſignamus, & deputamus harum ſerie litterarum: dantes illis plenam & omnimodam poteſtatem pro nobis ac regno, dominijs, Principibus, Spiritualibus & Secularibus, Proceribus & populis ditioni noſtræ ſubiectis, coram eadem ſanctitate Domini noſtri, Domini Leonis Decimi Papæ moderni cõparendi, ibidemq; obedientiã, iuxta maiorũ meorum conſuetudinẽ præfato ſanctiſſimo Domino noſtro nouo, præſtandi, & recognoſcendi eundem Sanctiſſimum Dominum noſtrum Papam, eſſe verum, vnicum, & indubitatum Pontificem, & Dominici gregis Paſtorem; & in ſacro Lateranenſi Concilio proponendi, atque quæ regno noſtro opportuna ſunt petendi, agendi, tractandi, omnia & ſingula, quæ ad celebrandum & concludendum ipſum ſacrum Concilium, & quæ in eodem proponentur & tractabuntur; nec non ad dictæ ſanctæ Romanæ Eccleſiæ, & membrorum eius vnionem, Chriſtianæque Religionis augmentum, atque ad ſanctiſſimam & à nobis deſideratam, in eius Chriſtiane religionis, & Catholicæ fidei hoſtes expeditionem, & quæ ad obedientiam conſuetum præſtandi fuerint neceſſaria, ſeu opportune, etiamſi talia forent quæ mandatum exigerent magis ſpeciale, quam præſentibus eſt inſertum, & quæ ipſimet faceremus, ſeu facere poſſemus, ſi præſentes adeſſemus. Promittentes nos ratum, gratum, validum atque firmum habituros, quicquid in prædictis & quolibet eorum, quod dictos noſtros Oratores actum & geſtum fuerit. In quorum fidem & teſtimonium præſentes ſcribi, & ſigillo noſtro ſigillari fecimus. Dat. Poſnaniæ decima menſis Aprilis, Anno Domini M.D. XIII. Sigiſmundus Rex ſcripſit.

Secundum hæc lectum fuit mandatum Maximiliani Mariæ

riæ Sforciæ Vicecomitis, Ducis Mediolani, quo Marinum Caraciolum Protonotarium Apoſtolicum ſuum Oratorem, obedientiam Pontifici & ſedi Apoſtolicæ præſtabat; atq; huic æquale aliud Franciſci Gonzagæ Marchionis Mantuani, quo ad eadem præſtanda Aloyſium Gonzagam Marchionem & Franciſcum Bonatum I. V. Doctorem Procuratores ad Pontificem & ad Lateranenſe Concilium deſtinabat. ac deinde aliud ſuperioribus ſimile, Stanislai & Ioannis Ducum Mazouiæ Ruſſiæque oblatum per eorumdem Procuratorem Laurentium Medzirzenſem Cathedralis Eccleſiæ Vilnenſis præpoſitum. Quibus finitis lecta fuit ſcheda, à Bernardino Caruaialle, & Franciſco Sanſeuerinate olim Cardinalibus. Super materia abiurationis ſchiſmatis & vnionis Eccleſiæ, cum verbis conuenientibus & humili erroris confeſſione, & veniæ petitione: qua perlecta, excluſiſque cæteris de more non habentibus voces definitiuas in Concilio, clauſoque oſtio Concilij, Pompeius Columna Epiſcopus Reatinus, publicauit hoc infra ſcriptum edictum.

Leo Epiſcopus ſeruus ſeruorum Dei. Ad perpetuam rei memoriam. Sacro approbante Concilio.

*Meditatio cordis noſtri aſſidua & Sacri Lateranenſis Concilij vigilans & intendens, ad ea potiſſimum vertitur, per quæ per prædeceſſores noſtros Romanos Pontifices pro tuitione Eccleſiaſticæ libertatis, deformatorumque, præſertim in officiis Apoſtolicæ ſedis reformatione, ac Chriſti fidelium pace, & tranquillitate, prouide ſtatui, & ordinari incepta, per noſtræ prouiſionis miniſterium, debitum & ſalubrem ſortiantur effectum. Dudum felicis recordationis Iulius Papa II. prædeceſſor noſter, negotium & diſcuſſionem declarationis, nullitatis, & abrogationis aſſertæ ſanctionis Pragmaticæ in partibus Gallicanis contra libertatem præfatam in dictæ ſedis vilipendium, abuſu Gallicorum Prælatorum, & Nobiliorum, & aliorum Laicorum eis faucntium introductæ, Venerabilium fratrum noſtrorum, tunc ſuorum, ſanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinalium, & aliorum Prælatorum congregationibus, relationemque diſcuſſorum ſibi & Concilio præfato faciendam, dicto Concilio approbante commiſit, Gallicosque prælatos, Capitula Eccleſiarum & Monaſteriorum, Parlamenta, & laicos illis fauentes, & dicta ſanctione abutentes, omnesque alios & ſingulos in præmiſſis, ſua communiter vel diuiſim intereſſe putantes, moneri & citari infra competentem terminum præfigendum, ad comparendum coram prædeceſſore, & Concilio præfatis, cauſaque dicendum quare Sanctio præfata, illiusque corruptela & abuſio, in concernentibus auctoritatem dictæ Eccleſiæ, Sacrorum Canonum, & libertatis præfatæ violationem, nulla & inualida declarari & abrogari non deberet, ſtatuit & ordinauit: nec non literas ſuas, per quas Romanæ Curiæ Officiales, & illorum exactiones generaliter reformauerat, per nonnullos deputatos & deputandos particulariter declarari, & declarationes ipſas ſibi in eodem Concilio referri præcepit, prout in literis ſeu cedulis dicti Iulij prædeceſſoris deſuper confectis plenius continetur. Cum autem dicto Iulio prædeceſſore in humanis agente, diuerſis impedimentis cauſantibus citatio exequi, & reproduci, ac negotium abrogationis diſcuti, ac reformatio huiusmodi particulariter, vt intentionis ipſius Iulij prædeceſſoris fuerat, fieri non potuerint, ſed ipſo Iulio prædeceſſore rebus humanis exempto, citatio ipſa legitime exequuta, in proxima precedenti ſeſſione per procuratorem Fiſcalem noſtrum reproducta, ipſorumque citatorum non comparentium contumacia accuſata, & ad vlteriora procedi petitum fuerit. Nos licet totis animi deſideriis nihil magis affectantes, quam præmiſſos & alias cauſas viles & neceſſarias, propter quas dictum Concilium indictum exſtitit, ad debitum finem perducere, tamen vt mature & humaniter procederetur, petitioni præfatæ reſponſionem non dedimus, nunc que etiam cum præfato Concilio intelligentes, per citatos & monitos huiuſmodi diuerſa impedimenta allegari, quare in termino eis præfixo comparere, defenſionesque eorum allegare, & de iure eorum docere non potuerunt, vt omnis iuſte excuſationis & querelæ materia eis auferatur, iam libero ſalvo conductu, ipſis & aliis ad Concilium huiuſmodi venire volentibus in dicta proxima precedenti ſeſſione conceſſo, Cardinalium, aliorumque Prælatorum, qui præmiſſa & alias Concilares materias audiant, diſcutiant, auditaque & diſcuſſa in eodem Concilio referant, particulari deputatione per nos facta, etiam vt maiorem noſtram, & Concilij præfati erga eos benignitatem ſentiant, eodem ſacro Concilio approbante, terminum citationis & monitionis huiuſmodi præfixum, vſq; ad primam ſeſſionem poſt Calendas Nouembris proximo venturi tenẽdam prorogauimus, ipſumq; terminũ illis non currere, niſi poſt primam ſeſſionem prædictam tenendam, nec in aliquo præiudicare decreuimus. Et inſuper cum vltra Cardinales iam deputatos, nonnullos Prælatos per dictũ Concilium electos, additis aliquibus ex legitimis cauſis, qui reformationi prædictæ generali intendere debeant deputauerimus, ſitq; firma noſtra intentio & diſpoſitio vniuerſalẽ reformationem tamquã vtilem & neceſſariam ad Dominici agri purgationẽ & culturã omnino proſequi, & perficere. Domino diſponente. Sed quia graues querelæ indies contra Officialia Romanæ Curiæ abuſum & extorſiones ad nos deferuntur ex diuerſis orbis partibus, dictaq; reformatio iam cœpta tẽpore fe. re. Iulij II. prædicti prædeceſſoris noſtri fuerit, ſacro approbãte Concilio; ideo ad hoc vt illa citius terminetur, & ea abſoluta ad alias reformationis partes deueniri poſſit, & querelæ prædictæ tollãtur, q. Cardinales & Prælati per ipſam reformationẽ deputati, auditis prius & intellectis Officialibus præfatis, eorumque iuribus examinatis, reformationem prædictam iuxta tenorem literarum dicti Iulij prædeceſſoris deſuper editarum, & Concilij præfati in tertia ſiue quarta ſeſſione determinationẽ, ac iuxta primæuas officiorũ inſtitutiones ſeu antiquas cõſuetudines, vſq; ad tẽpora piæ memoriæ Sixti IV. etiã prædeceſſoris noſtri obſeruatas, vel alias, prout eis videbitur facere, formas q; & modos, quos Officiales ipſi in exigẽdis taxis, emolumẽtis, regalib. & prouentib. quibuſcũq; ſeruare, & à quib. ſub pœnis in literis ipſius Iulij prædeceſſoris deſuper contẽtis abſtinere teneãtur, particulariter & diſtincte declarare, & decidere, ac reformationẽ & deciſionẽ per eos faciendos, in proxima futura, vel alias ſeſſionib. quib. cõmode id fieri poterit, referre debeãt, vt per dictũ Sacrũ Concil. & nos approbari, & debita executioni demãdari valeãt, & inuiolabiliter obſeruetur, code ſacro Conc. approbãte, ſtatuimus & ordinamus. Cæterũ quia tam ex debito inuicti nobis deſuper Apoſtolicæ ſeruitutis officij, q. vt imminenti & notorio infidelitũ periculo, ac effuſioni Chriſtiani ſãguinis, q. exigentib. noſtris culpis frequẽter in dies effunditur, occurratur; & diſſẽſiones q. inter Chriſtianos Principes vigẽt tollantur, coginur inter Reges & Principes Chriſtianos totis viribus pacẽ q. rere; cuius cõponendæ, vna ex principalib. cõgregationib. Concilij præfati cauſa extitit, vt ipſa ſequatur, & inuiolata perduret, & debitæ executioni demandetur: præſertim his temporibus, quib. potẽtia infidelium, & inimicorum fidei creuiſſe dicitur. Concilio præfato approbãte, ad Reges, Principes, & Potẽtatus præfatos, Legatos & Nuncios pacis vigiles, doctrina, experientia & probitate inſignes, pro tractãda & cõponenda vniuerſali pace mittere deposuimus, & decreuimus: vt q; arma deponãt, Domino auxiliante, quantũ in nobis eſt pro virib. laborare, & operari, Regumq; & Principũ, & Potentatũ huiuſmodi Oratores in ipſo Cõcilio præſentes, pro Apoſtolicæ ſedis reuerentia, fidelitumq; vnione requirimus, vt Regibus, Principibus, & Potentatib. ſuis reſpectiue hæc ſignificẽt, eosq; noſtro nomine hortentur, ad ipſos legatos Apoſtolicos benigne & honorifice tractandũ, & audiendũ, votiſq; noſtris tã iuſtis & pijs per eos illis exponẽdis ſatisfaciendum; q. eos facturos credimus; vt quãtocius fieri poterit, & abſq; legitima excuſatione per nos mittendi, legationis munus eis impoſitum ſponte ſuſcipere, & ſuſceptũ viriliter ad. mplere poſint, ac patre luminum à quo omne datum optimum eſt fauente, pax ipſa tractari & cõponi, eaq; compoſita, ſancta & neceſſaria contra infidelium rabiem Chriſtianum ſanguinẽ ſitientium, expeditio fieri valeat, & pro totius Chriſtianitatis ſecuritate & quiete feliciter terminari. Poſtremo, quia tã temporis diſpoſitione calores eſtiui inſtant, Prælatorum valetudini, & ad Concilium præfatum venire volentium commoditati conſulentes, aliisq; iuſtis & rationalib. cauſis moti, octauum ſeſſionem ſextodecimo Calend. Decemb. proxime futuri, præfato Sacro Concilio approbante, indicimus faciendam, Prælatisq; omnib. & ſingulis, & aliis in eodem Concilio exiſtentibus à Curia præfata recedendi, & vbi eis placuerit ad eorum lõbitum cõmorandi: ita tamen, quod niſi dicta die ſextodecimo Calend. Decembris, ceſſante impedimẽto legitimo præſentes fuerint, in literis indictionis ipſius Cõcilij, & Canonicis Sanctionibus, cõtra ipſum accedentes ad Concilia cõtentas pœnas incurrant. præfato Sacro Concilio approbante, licentiam & facultatem concedimus. Nulli ergo omnino hominum licet hanc paginam noſtræ prorogationis, aſſignationis, deputationis, confirmationis, commiſſionis, cõtinuationis, reformationis, deliberationis, monitionis, volũtatis & decreti infringere, vel ei auſu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præſumpſerit, indignationem omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri & Pauli Apoſtolorum eius ſe nouerit incurſurum. Datum Romæ in publica ſeſſione in Sacroſancta Lateranenſi Baſilica ſolenniter celebrata, Anno Incarnationis Dominicæ M.D.XIII. Quintodecimo Cal. Iulij. Pont. noſtri anno primo. Ia. Sadoletus. Ia. Queſtembergius.

Lecta hæc cedula, omnibus placuit, excepto Hieremia Archiepiſcopo Craynenſ. qui dixit non placere ſibi dilationem quo ad reformationem, nec etiam quo ad pacem & reuocationem pragmaticæ. Quamuis autem ſeſſio octaua prorogata fuerit & indicta, ad XVI. Cal. Decemb. fuit tamẽ vlterius adhuc prorogata, imprimis ad XVII. & poſtea ad XIIII. Cal. Ianuarii, promulgatis ſuper ea re literis Pontificis ex Actis Concilij Lateranenſ.

Eod m

Eodem menſe Iunio, cum Pontifex intellexit Heluetios ad Nouariam contra Gallos feliciter pugnaſſe, quo animo id tulerit, Maximiliano Sfortię Duci Mediolanenſi, & Heluetiis ſignificauit, eoſq; admonuit quemadmodum poſt victoriam moderationem obſeruarent. Volui eas epiſtolas adſcribere, ad obſtruendum os loquentium contra Leonem iniqua.

I.
Maximiliano Mariæ Mediolanenſium Duci.

Allatum eſt Heluetios pro tua ditioniſque tuæ propugnatione cum Gallis apud Nouariam conflixiſſe, eoſque ſuperauiſſe, ac prope ad internecionem pulſos fugatoſque redegiſſe. Ea res tametſi propter occiſorum magnum numerum, qui quidem Chriſtianæ Reipub. eſſe vſui aliquando potuiſſent, meum animum dolore admodum perculit: tamen pro tua in nos obſeruantia, & meo in te tuoſque omnes veteri ſingularique amore magnopere gauiſus ſum; qui te de ſtatu rerum tuarum deturbare atque expellere ſunt aggreſſi, eorum conatus cogitationeſque non ſolum irritas & inanes fuiſſe, ſed ipſis etiam inſignem cladem attuliſſe. Cuius quidem euenti atque victoriæ Deo Opt. Max. qui te tueri atque defendere voluit gratias agere, tantorumque beneficiorum ſummam illi acceptam referre te imprimis decet; vt pius in illum eſſe, ac dignus eo munere maxime fuiſſe videare. Quod quidem fiet, ſi duci eſſerrique te victoriæ dulcedine non ſines; neque ſtatues eos omnes qui contra te aliquid conati ſunt, vſquequaque velle te perdere ac perſequi. Quam in cogitationem vt incumbas, leniſſimeque agas, eodem illo meo in te amore beneuolentiaque admonitus vel potius impulſus te rogo, & quidem valde rogo, atque vt ſi quid à quoquam erratum peccatumque eſt, eſt autem fortaſſe à multis, venia id magis quam vindicti dignum exiſtimes, à te peto. Sic enim melius eorum qui abalienati ſunt animos tibi beneuolos reddes, neque infirmabis vllam rerum tuarum partem. Qui enim potes in vllos animaduertere, quin ditionis tuæ homines mulctes ac punias? Quod ſi ſæpe facias, tuas ipſius opes debilitaueris. Accidet enim id, quod eſſe tibi exploratiſſimum debet, vt minus multa perficias, cum timore non beneuolentia erunt negotia conſtituenda. Extremum illud adiungitur, quod quidem haud ſcio, an omnium primum atque maximum ſit; quod ſi parces multis, ſi veniam pluribus dabis, imitatus Dominum fueris, qui tibi vires ſubminiſtrauit ad tui nominis hoſtes fugandos atque propulſandos. Nihil enim illo mitius, nihil iniuriarum minus retinens, nihil ad parcendum, ac miſerandum pronius atq; profuſius vnquam fuit. Quamobrem redeo ad illud, vt te amantiſſime horter, vt tua victoria quam moderatiſſimo quamq; leniſſimo animo vtare. Quod ſi feceris, neq; aures maleuolis hominibus præbueris, id quod ſolet eſſe difficillimum efficies, prudentiamque cum fortuna coniunges. Datum II. *Id Iunij. Anno* I. *Rom.*

II.
Heluetiis, Libertatis Eccleſiaſticæ defenſoribus, Fœderatis noſtris.

Equidem cum in ea victoria, quam ſuperioribus diebus maximam eſtis atque clariſſimam conſecuti, vnum illud vel pro naturæ meæ ſenſu & lenitate, vel pro credito mihi communis Parentis atque Pontificis munere doluerim, tantum ſcilicet humani ſanguinis effuſum eſſe, tantam Chriſtianorum hominum manum tamque fortem cecidiſſe; valde tamen vehementerque lætor, vos qui Eccleſiæ Romanæ libertatem defendendam tuendamque ſuſcepiſtis, veſtros & eiuſdem libertatis hoſtes fugauiſſe, propeque deleuiſſe. Qua ex re magna vos gloria, magnæque vtilitates ſunt ſubſequutæ. Neque enim minorem ex veſtris commodis, honoribus, incrementis voluptatem capio, quam par eſt patrem capere in optimorum & chariſſimorum filiorum proſperis felicibusque rebus. Illud etiam me voluptate magnopere affecit, quod qui legitimam Dei ſponſam vexare, non ſutilemque Chriſti tunicam ſcindere ſunt aggreſſi; quos quidem antequam in eam cogitationem atque ſcelus animum induxiſſent, omnium rerum gloria florere videbamus, vt primum ſe malis conatibus dediderunt, infeceruntque ſchiſmaticis prauitatibus, execrationumque Iulianarum iuſtiſſimis vocibus tacti percuſſique ſunt, ſtatim illis amare omnia infeliciterque ceciderunt; partaque ab ipſis gloria ſimul cum regno, ad eos qui aut Eccleſiæ Romanæ parcent, aut eam tuentur, facillime tranſijt. Quibus de rebus omnibus ago maximas immortali optimoque Deo gratias, agamque dum viuam: qui abalienatos à ſe deſciſcenteſque reſpuit, ſuas aut iacentes ſubleuat, aut ſtantes non deſerit. Vos autem, quos idem Deus ſuæ voluntatis miniſtros eſſe voluit, chariſſimos, animoque meo ſenſibusque omnibus plane habeo coniunctiſſimos. Neque vos moueant improborum voces, quæ vt intelligo iactantur, temere illæ quidem atque iniuſte, nos reliquoſque fœderatos noſtros compoſitis & pacatis rebus, veſtrum præterea nomen veſtramque beneuolentiam non curaturos. Nam me quidem ab eo fœdere, quod mihi vobiſcum eſt, quoad vos non pœnitebit, nihil profecto abducet. Quin illud etiam dies nocteſque cogito ac verſo, quonam vos pacto cum omnibus fœderatis mihi Regibus ac populis coniunctos facere atque fœderatos poſſim: vt & ſecuriores eſſe maiore fulti præſidio poſſitis, & eorum omnium adiumento & conſpiratione potentiores & ornatiores. quod Dei benignitate breui futurum confido. Itaque hoc ſic habetote, vt de mea prona propenſaque ad vos amandos ornandoſq; voluntate, ſtudio, beneuolentia, vobiſmet ipſis omnia polliceamini, quæ expectari poſſunt ab huius reipub. Præfecto, veſtri nominis amantiſſimo, vobiſcumq; conſociatiſſimo. Hortor autem vos, planeq; à vobis etiam atque etiam peto & poſtulo, vt quemadmodum adhuc quidem egregie laudabiliterque feciſtis, ſeduci vos abalienarique à nobis quorumquam maleuolorum artibus poſthac ne permittatis; ſed contra erigatis potius, diligentiamque veſtram ea in re etiam adaugeatis. Quibus de rebus omnibus Ennius Epiſcopus Verulanus aget vobiſcum latius. Dat. prid. Id. Iul. Anno I. *Romæ.*

Ad hunc etiam fere modum, victoriam Henrici VIII. Anglorum Regis, contra Ludouicum Galliæ, & Iacobum Scotię partam tulit, eidemque Regi Britanniæ ſcripſit, dignam quæ legatur.

Lectis tuis literis, quib. me de tua in Morinis contra Gallos victoria, Morinorumq; deditione certiorem facis, magna ſane lætitia pro mea in te paterna beneuolentia, proq; rei confectæ magnitudine affectus ſum, habuiq; Deo Opt. Max. gratias, quod is eorum, qui pro huius Imperij dignitate tuenda & conſeruanda pio ac recto animo arma ſumpſerunt, curas conatusque fortunauerit. Quanquam id quidem certe prope pro comperto ſemper habui. Sperabam enim fore, vt omnia ſibi proſpere atque feliciter euenirent, cum propterea quod prudentibus conſiliis, ſummis opibus, magno apparatu, numeroſiſſima validiſſimaque manu, Maximiliano etiam Romanorum Imperatore deſignato ſua tecum conſilia communicante bellum hoſtibus inferre es aggreſſus; tum vel maxime, quia Dei cauſam agendam & defendendam ſuſcepiſti. Itaque cum non multos ante dies de tua victoria Lætus inter tuorum Legatorum iocundas ſalutationes confeciſſem, vellemq;, vt par erat, ea de re tecum per literas gratulari, ecce alteras abs te literas, quæ ſecundam nobis partam abs te victoriam longe maximam atq; clariſſimam attulerunt: Britannicos ſcilicet exercitus tuos cum Iacobo Scotorum Rege, qui quidem ingenti militum numero inuaſerat in ditionem tuam, manum conſeruiſſe, eius exercitum fudiſſe, magnam eorum partem Rege ac regni Principibus occiſis internecioni dediſſe, magnam etiam captiuam feciſſe. Itaq; paucis te diebus bellum atrox ac periculoſum feliciſſime confeciſſe. Iis intellectis tametſi permoleſtum mihi fuit tantum Chriſtiani ſanguinis effuſum fuiſſe, tot hominum millia è populo Dominico deſiderari, tum Chriſtianum Regem egregij ſane nominis neq; ſpernendarum virium, ſororis tuæ virum Chriſtiani Regis ſibiq; coniunctiſſimi ferro confoſſum, cecidiſſe; valde tamen ſum gauiſus alteros tuos exercitus, tam illuſtrem, tamq; celebrẽ victoriã de alteris tuis hoſtib. qui te ab optimo tuo incepto reuocare conabantur, reportauiſſe. Quamobrem eundem illum, qui hos duplices gloriæ tuæ prouentus ſubminiſtrauit, Deum flexis ad terram genibus, erectisq; ad cœlum manibus adoraui; quod tibi Regi plane iuueni bellorum initium ab Eccleſiæ ſuæ defenſione auſpicanti hæc rudimenta tam præclara tamque conſpicua, quaſi fundamenta iecerit reliquæ ſane vel gloriæ, vel ætatis tuæ. Te vero inprimis decet exiſtimare ab illo te omnia, non ab humanis opib. accepiſſe: quodq; Dominus Deusq; noſter plurib. atq; maioribus ornamentis virtutem illuſtrare atq; condecorare voluit tuam; eò te quidem certe illi humiliorem ſubmiſſioremq; fieri, erit virtutis & prudentiæ ſingularis. Quod cum feceris, non ſolum credibile eſt, fore vt tibi is ſecunda proſperaque omnia in iis quæ nunc tractas rebus atq; bellis largiatur, ſed viam etiam muniat, per quam ingrediens tuum nomen optimis atque ſanctiſſimis artibus æternitati conſecrare facile poſſis. Id erit, cum tibi eas cogitationes propones, quibus reliquis reſtinctis pacatiſque bellis ad contundendam Turcarum nimis iam incitatam exultantemque ferociam accendare. Quod ad cogitationes ineundas, quemadmodum nunc quidem ſe res habet, multum dari nobis poſſe temporis non eſt exiſtimandum. Ita iam & Pannoniæ Sarmatiæq; regna populata debilitataq; ab illis ſunt; premunturque indies acrius; & ipſa Italia amiſſis in proximis regionibus non vnis præſidiis, illos ſibi vicinos finitimosq;, acerbum ſane dolendumq; ſpectaculum contuetur. Hæc pericula, vt vere dicam quod ſentio, me ſuſpenſum atque ſollicitum habent, meamque de ſecundis tuis rebus voluptatem & lætitiam eſſe ſolidam atque propriam non ſinunt. Quare ab ipſo immortali Deo precibus omnibus atque votis peto, vt quemadmodum Eccleſiæ ſuæ dignitatem ab iis qui eius propugnationem imprimis ſuſcipere

debe-

debebant, aliquando male habitam egregiè proſperrimeq; eſt tutatus, ita eam & ab accenſo ad inflammanda ſacroſancta eius templa atque delubra igne, & ab imminenti populorum ſibi dicatorum ceruicibus ferro, inimicarum perpetuo gentium aliquando tandem eripiat. Quibus de rebus omnibus cum Epiſcopo Vuigornienſi Legato tuo locutus ſum; vt is tibi mentem meam perſcribere latius ac diligentius poſſit. Dat. V. Idus. Octobr. Anno I. *Romæ.*

XXIV. Iſta quidem Pontifex ſcribebat. Paris autem Magiſter cæremoniarum ſequentia referebat his ipſis verbis. Cum veniſſet in vrbem diebus præteritis noua de victoria Regis Angliæ contra exercitum Regis Scotiæ habita, qui rex Scotiæ erat adhærens & confœderatus Regi Galliæ hoſti Romanæ Eccleſiæ Reuerendiſſ. D. Cardinalis Angliæ fecit me inuitare, vt ad miſſam ſolennen craſtinam in Eccleſia B. Mariæ de Populo, Epiſcopalem, & ſolenniſſimè celebrandã adire vellem, paraturus quæ eſſent ad officium cæremoniarum pertinentia, pro illo actu victoriæ & gratiarum actione. Reſpondi, me tamquã Epiſcopum non recuſare, ſed tamẽ; magiſtrum & præſidentẽ cærimoniarum nõ ſolum minimè velle, ſed nec ire intereſſeq; ac conſentire decere; quoniam in hoc caſu gratiæ nõ ſunt publicæ agẽdæ Deo, vbi ſanguinis Chriſtiani effuſio interuenit, & tot animarum fidelium periculum verſatur; quinimo exequiæ ſacræ pro animabus fidelium defunctorum celebrandæ ſunt, quæ ex ſeculo in bello tranſierunt. Nam numquam Eccleſia Romana ex ſacro ritu agit gratias Deo pro aliqua victoria, niſi cõtra infideles habita, exceptis eiuſdem Romanæ Eccleſiæ hoſtibus, qui eo caſu cẽſeantur eſſe infideles, cum prius ſemper requiratur quam aduerſarij fiant, vt obediant præceptis eiuſdem Romanæ Eccleſiæ, & caſu quo non obediant pro hoſtibus habentur & excommunicationi ſubmittuntur ac aliis cẽſuris vſq; ad brachium ſeculare, & damnationi æternæ traduntur, & cum Rex Scotiæ non ſit talis, qui ſit Eccleſiæ Romanæ hoſtis declaratus, licet ſit à Rege Anglię victus, non tamen ob huiuſmodi victoriam ſunt Deo gratias agendæ, ſed potius exequiæ celebrandæ. Quæ mea verba cum Cardinali non placuiſſent, ſic vt abſtinere non curaret à ſuo apparatu, acceſſi ad ſummum Pontificem cui omnia expoſui; & ſua ſanctitas viſa quidem meis verbis acquieſcere, remiſit me ad eundem Cardinalem, vt hæc iterum repeterem. quod cum feciſſem, intellexi ab eodem, Regem Scotiæ eſſe iampridem à Sanct. mem. Iulio Pontifice declaratum hoſtem Eccleſiæ Romanæ, & pro ſchiſmatico publicatum, prout ſe de hac declaratione & publicatione bullas habere dicebat: quia non ſolum in genere erat declaratus ſchiſmaticus ob adhærentiam Regi Galliæ, cum omnes adhærentes Gallo Regi ſchiſmatici eſſent, prout ipſe Gallus ſchiſmaticus erat, ſed tam is ipſe, quam Iohannes Rex Nauarræ, ſpecialiter & expreſſe, ac nominatim vt principalis ſchiſmaticus eſſet declaratus, & per conſequens hoſtis atque infidelis de quo infideli victo à fidelibus Deo eſſent gratiæ agendæ, demumque ſubridens adiecit, quod cum hæc omnia bella mota fuiſſent propter Bononiam patriam meam, vt ipſa ciuitas à iugo barbaricæ captiuitatis liberaretur, prout liberata exſtitit, ſe mirari vehementer, quare hanc difficultatem mouiſſem. & ſic me traxit ad Eccleſiam Beatæ Mariæ de populo ſimul cum multis. vbi etiam interfuerunt alij quinque Cardinales Regi Anglico adhærentes. Habita fuit miſſa de B. Virgine ab Epiſcopo Aquilano, Cantores Pontificij omnes adfuerunt & cantauerunt: nulla indulgentia in fine eſt publicata. Facta hæc omnia inſcio & inuito Pontifice. Cumque deinde die Iouis XIII. Octobris alia noua veniſſet de victoria habita per Hiſpanos & Alemanos ac exercitum Papæ, contra Venetos eidem Regi Gallo confœderatos, & placuiſſet nonnullis Cardinalibus ac Oratoribus prædictorum Regum Romanorum & Hiſpaniæ ac aliis indigenis ſimilem Miſſam in gratiarum actionem pro ſimili victoria celebrare; ego ſimiliter ac audentius obſtiti dicens, Venetos non eſſe hoſtes Romanæ Eccleſiæ, nec ſchiſmaticos declaratos: ideo deſiſtendum gratiarum actione, ſed potius exequiis celebrandis incumbendum. quæ mea verba cum multis Cardinalibus & Prælatis ac ſacri Concilij viris placuiſſent, ſtatui de eorundem Conſilio Pontificem, cumprimum in Conſiſtorio ſederet conſulere, quid deinceps ſuo iuſſu eſſet agendum. Inter hæc tamen miſſa vt prius in eadem Eccleſia fuit cantata, præſentibus ſex Cardinalibus & Prælatis fere quindecim, & quoniam eatenus ſubauditum fuit, vt etiam tympana & tubæ paratæ eſſent, inhibui ne talia fierent, ſed nec quidem organa pulſarent. non tamen inhibui, vt, ſi vellent, ſigna lætitiæ ante ædes proprias priuatim hoc noctis crepuſculo facerent, vt quandoque in lætitiis fieri ſolet à priuatis. Denique Papam conſului in Conſiſtorio ſedentem, quid agi placeret, qui reſpondit primo, quod à memetipſo dicerem Cardinalibus prima vice congregandis, non licere eis in tali caſu facere, niſi quod viderent Pontificem facientem; & quod ego mandarem ac inhiberem eis ne ſecus facerent. Ego autem dixi Pontifici, ne quid in hoc caſu faceret: & caſu quo aliquid placeret facere, faceret exequias: & ſic Papa acceptauit ſe facturum, imponens mihi vt idem dicerem Cardinalibus vt facerent in prima congregatione, in qua ipſe non intereſſet. *Paris in diariis.*

De Iacobo Scoto res eſt. Henricus VIII. Angliæ Rex Romanum Pontificem, cuius tum erat obſeruantiſſimus, *Scotiæ Regis contra Anglum origo belli.* atque etiam Religionis cauſam tueri æquum & magnificum arbitratus, grandi comparato exercitu Ludouicum apud Morinas deuicerat. Ludouicus Gallorum Rex hac accepta clade grauiter commotis, Scotorum Regem Iacobum, vt Angliæ bellum inferret permouerat. Multa Scotum retrahebant, ne id faceret, præſertim nihil tale verente Anglo, cuius quoque ſororem in matrimonio habebat, & cum quo fœdus grauiſſimum percuſſerat. Pontifex etiam Max. datis literis arma in Anglum inferre prohibuerat, commendatione anathematis & aliarum Eccleſiæ pœnarum propoſita. Tandem tamen infauſto conſilio tranſuerſim actus, infeſta arma Britannis præter opinionem intulit, licet admonitus eſſet ab Henrico, vt ſi eius facti eum non puderet, ſaltem vereretur iudicium præpotẽtis Dei, qui turbatæ pacis & ruptorum fœderum vltor eſſe ſoleret. Illud vero bellum contra fidem & fœdus ſuſceptum, eum habuit euentum, vt primus Scoti exercitus in Angliam miſſus, cum poſt ingentia damna prædâ onuſtus intra ſuos fines ſe recipere maturaret, pene ad internecionem à Britannis cæſus ſit: ac deinde cum Scotus bellum redintegraſſet, & totis viribus Britannum oppugnaret, atque in loco arte & natura munitiſſimo caſtra poſuiſſet, tamen ab Anglis victus, profligatus, & inſigni ac memorabili clade affectus ſit. Ipſe Iacobus Rex in prælio cecidit, & cum eo Archiepiſcopus vnus; Epiſcopi duo, Abbates quatuor, proceres & equeſtri dignitate honoribusque militiæ illuſtres 34. Præter hos vero ad octo millia Scotorum cæſa, totidem ferme capta ſunt: omnia ſigna militaria, & tormenta maiora viginti duo Anglo victori ceſſere. Commiſſa eſt hæc pugna ad Tylum quarto Idus Septembris, ad internecionem fere Scoticæ nobilitatis. Sunt qui ſcribant, Iacobum diuinitus fuiſſe præmonitum, ne ad hoc bellum proficiſceretur. Cum enim Limnuchi Veſpertinas in æde ſacra preces de more audiret, ſenex quidam ingreſſus capillo in rufo flaueſcente ac in humeros promiſſo, fronte in caluitiem glabra, capite nudo, veſte longiuſcula cyanei coloris amictus, ac linteo cinctus, cætero aſpectu venerabilis, Regem quærens, per turbam obſtantium penetrauit. Vbi vero ad eum acceſſit ruſtica quadam ſimplicitate, ſuper ſolium in quo Rex ſedebat innixus, Rex, inquit, ego ad te ſum miſſus, vt te admoneam, ne quo inſtituiſti progrediaris: quam admonitionem ſi neglexeris, non erit è re tua, nec eorum qui te comitabuntur. Præterea præmonere ſum iuſſus, ne mulierum familiaritate, conſuetudine, aut conſilio vtaris: ſecus vero ſi facies, & damno, & ignominiæ tibi res erit. Hæc locutus, turbę ſe immiſcuit, neque eum, precibus finitis, Rex cum requireret, vſquam comparuit: quod eo magis mirum viſum eſt, quod eorum qui propius aſtiterant, atque eum obſeruabant, auidi multa ex eo ſuſcitandi, nemo eius diſceſſum ſenſerat. In iis fuit Dauid Lindeſius Montanus, homo ſpectatæ fidei & probitatis, nec à litterarum ſtudiis alienus, & cuius totus vitæ tenor longiſſimè à mentiendo aberat. Occiſus Iacobus in pœnam, quod arma ſacrilega aduerſus Iulium ſecundum, cui tum Angli militabant, tuliſſet, quodque homo periurus contra fœderis leges bellũ Henrico VIII. intuliſſet: documento certiſſimo omnib. Regibus & Principib. vt contra ſedem Apoſtolicam ne moueantur, vtq; ſint memores datæ fidei, ac certum habeant eſſe

Deum

Deum præpotentem in cœlis, qui vlciſci & poſſit; & velit, tum Pontificiæ dignitatis, tum fœderum iuſtitiæ violatores. *Surius in Commentar. B. rerum Scoticarum lib.* 13. Accidit iſtud temporis in Scotia. Cæſo Alexandro Stuarto, Fani S. Andreæ Archiepiſcopo, tres ad id Sacerdotium diuerſis artibus contendebant. Galuinus Duglaſſius, familiæ ſplendore & ſua virtute, & doctrina fretus, à Regina etiam nominatus, arcem Andreanam occuparat. Ioannes Hepburnus & cœnobiarcha Andreanus, Archiepiſcopo nõdum ſuffecto, velut ſequeſter prouentus colligebat, homoq; potens, factioſus, & callidus, à ſuis Monachis, penes quos ius eligendi antiquo more eſſe contendebat, in locum demortui ſuffectus, Galuini miniſtris pulſis, arcem valido præſidio communierat. Andreas Formanus, cùm Romæ, & in aula Gallica, ex ſuperiorum temporum officiis magnam gratiam collegiſſet, præter Moraienſem quem in Scotia iam ab initio tenuerat Epiſcopatum, à Ludouico XII. Gallorum Rege acceperat Archiepiſcopatum Bituricenſem. Iulius vero Pontifex Romanus damnato Iacobo Rege & Alexandro Archiepiſcopo velut ſchiſmaticis etiam honoribus & ſacerdotiis cumulatum à ſe dimiſit: nam & Archiepiſcopatu Fani S. Andreæ, & Formelinoduno, ac Aberbrothia cœnobiis longe opulentiſſimis eum donauit, & præterea Legationem de Latere adiecit. Sed tantæ dum Hepburni opes erant, Humiis adhuc cum ea familia concordibus, vt nemo prorſus inueniretur, qui diploma Pontificis Romani de Formani electione promulgare auderet: donec Alexander Humius magnis pollicitationibus, & præter alia munera, cœnobio Coldingamia Dauidi minimo eius fratri donato, ad cauſam adductus, diploma Edimburgi curaret promulgandum. *B. ſuperius.*

XXVI. *Emanuel Pontifici victoriam Indicam ſignificat.*

His ipſis diebus Emanuel Luſitaniæ Rex, Pontifici ſignificauit, ſe victoriam ingentem de Indis & Mauris infidelibus retuliſſe. Attulit ea res non vulgarem lætitiam ipſi Pontifici, qui pro gratiarum actione agenda, Clero vniuerſo Romano, & Cardinalibus ſacris veſtibus indutis præcedentibus, in Baſilicam Vaticanam ſolenni cultu proceſſit, ibidemq; ſacrum Miſſæ officium Thomam Cardinalem Strigonienſem cantantem audiuit, ac hymno *Te Deum laudamus* decantato, orationes pro gratiarum actione recitauit, atque præſentibus omnibus plenariam indulgentiam impartiuit. *Paris in diarijs huius anni.*

Significabat Emanuel, ad Arzillam, Safinium, Dabidam, Arezem, Tazarotũ, Almedinamq; vrbem, Maurorũ exercitus plurimis prœliis profligatos à ſuis Luſitanis fuiſſe: Dabidẽſem Principem captum, Marochij Regem caſtris exutũ, Iaſomazendum Ducem Arabum occiſum: Xerifium Regẽ domitum, Africanos omnes terrore ſtupefactos; Pateonꝫziũ Iauæ Indicæ maioris Regulum fuſum, claſſemq; eius diſiectam vel oppreſſam; Calecutienſes ad pacẽ petendam compulſos: Azamora, Tite, & Adena vrbes oppugnatæ, atq; tandẽ expugnatæ; quin vero etiã lumine Chriſtianitatis colluſtratæ. In Azamoræ expugnatione præcipue Ducis Brigãtini pietas enituit. Is flexis genibus, & manibus in cœlum intentis, ſummas gratias egit Chriſto, cæleſtum agminũ Imperatori, cuius nomine & beneficio ciuitas illa magnitudine ſatis ampla, ciuium multitudine frequens, opibus ſummis, & valido militum præſidio munita, intra diem vnum, ſine vllius cædẽ in Chriſtianorum poteſtatem venerat, vt in eo loco, vbi dira Mahometis ſuperſtitio miſerorum hominum mẽtes infecerat, Chriſti nomen ſanctiſſimum prædicatione ſempiterna coleretur. Reb. deinde cõfectis, ſigna Regis Emanuelis in mœnib. conſtituta ſunt, & ipſe Dux in vrbẽ ingreſſus eſt. Saracenorũ templum expiatum continuo, & ritu ſolenni conſecratum fuit, & altare feſtinanter extructum in quo res diuina ſanctiſſimè fieret. Tite ciuitas nõ multis millibus paſſuum Azamore diſtans, hoc metu ciuibus omnino nudata fuit, quam Dux occupari continuo iuſſit. Similiter Almedinenſes ciues vrbem deſeruere: cuius vrbis occupandæ, firmisque præſidiis vinciendæ curam Dux Nonio Fernando Ataidio commiſit, eidemque mandauit, vt data fide omnes qui aufugerant euocaret, vt vrbes colerẽt, & imperium Regis Emanuelis acciperent, ſolitumq; tributum penderent; ſic demum futurũ, cum ſub inuictiſſimi Principis tutela & præſidio laterent, vt libere ſuis bonis omnibus fruerẽtur. Ad hunc modum vtraq; ciuitas coli & frequentari cœpit, multoq; magis opibus & potentia floruit, quã ante floruerat. Vrbis captæ nuncius cõtinuo Regi Emanueli allatus fuit, qui lætitia elatus ſupplicationes decreuit, & vota rerum omnium Domino, cuius numine bellorum omnium momenta ponderantur, magnificeatque religioſe perſoluit. Iſta de victoriis nuper in Africa habitis, Leoni Pontifici Emanuel Rex ſcribebat.

Sanctiſſimo in Chriſto Patri, ac Beatiſſimo Domino, Domino noſtro, Leoni Papę Decimo, eiuſdem ſanctitatis deuotiſſimus filius Emanuel Dei gratia Rex Portugalliæ, & Algarbiorum, citra vltraque mare in Africa, Dominus Guineæ & Conquiſtæ, nauigationis & commercij Æthiopiæ, Arabiæ, Perſiæ, atq; Indiæ, humillima Beatorum pedum oſcula.

Poſtulat noſtra in ſanctam ſedem Apoſtolicam, ac præcipue in veſtram Sanctitatem obſeruantia, Beatiſſime Pater, vt ſucceſſus noſtros, præſertim qui ad Dei cultum & Catholicæ fidei propagationem ſpectãt, eidem, vt vero Chriſti Vicario, ac Sanctæ Romanæ Eccleſiæ arbitro perſcribamus. Poſtquam ſuperioribus diebus noſtrorum in India proſpere geſta, Beatitudini Veſtræ ſignificauimus, placuit ſũmo Deo (vnde omnis victoria pendet) aliam nobis, non minus inſignem, contra ſui ſanctiſſimi nominis hoſtes victoriam, de Mahumetanis concedere trophæum. Conſiderantes nos ſanctiſſime Pater, quam grande opus, & quam præclarum facinus ſit Vecenſe regnum & Marochenſe in Africa debellare, in quo tantopere ac tam ſedulo ſtudio ſemper laborauimus, & præcipuus vſus rei cardo clauiſque ſit Azamorenſis ciuitas. Ea eſt vrbs Mauritaniæ, & murorum turriumque fortitudine, & piſcoſi littoris, ſolique vbertate percelebris, atque adeo Chriſtianis, ſed fruſtra antea expetita, Bragantiæ Ducem, noſtrum chariſſimum ex chariſſima ſorore nepotem, ad eam expugnandam miſimus, cum haud exigua quingentorum nauigiorum claſſe, viris, equis, armis, omnifariis belli inſtrumentis, cæteriſquæ huiuſmodi expeditioni opportunis, optimè quidem inſtructa: cuius exercitus decem & octo millium bellatorum numero erat; in quibus & multi proceres, nobileſque viri, & duo millia quingenti tam cataphracti, quam expeditores equi. Ergo cum vniuerſa claſſis in portum Mazagham ab vrbe Azamor notum millibus paſſuum appuliſſet, noſtris haud magno negotio (licet in hoſtium conſpectu) in terram egreſſis, Dux ipſe verſus Azamor, inſtructa vt oportebat acie contendit. In itinere quædam pugnæ præludia cum hoſtium iactura, nullo noſtrorum hominum, paruo equorum damno ſunt habita, eo die nihil amplius. Poſtridie diſpoſito exercitu vrbem oppugnant: vbi ad vndecim Saracenorum millia, ac totidem fere in campo equites, & innumeri pedites, noſtrorum præſentientes aduentum, bello ſatis accincti exſpectabant. In ea oppugnatione nonnulli Mauri, & quidam etiam primates interempti, adeoque à noſtris fuere confracti, vt deſperata omni ſpe ſequentinocte qua parte caſtris vacabat (non enim per loci ſitum totam vrbem obſidio circumierat) omnes clamorem abierunt, ſolamque reliquere vrbem. Poſtera luce hoc cognito, Dux cum exercitu, ſolennique Pompa vrbem ingreditur, occupatque, atque in ipſa Mahumetis præcipua æde (plures enim & aliæ erant, quas Mexquitas vocant) & templi magnitudine, & ædificiorum ſtructu percelebri, Deo Optimo Max. miſſa, ac diuina officia cum laudibus ſunt decantata. Clementiſſimè Ieſu, quam admirabilis eſt prouidentia tua, quod vbi ad mille annos impius ille Mahumetes tanto tuo opprobrio celebratus; vbi Chriſtianum nomen tanto tempore peſſumdatum, totieſque blaſphematum; ibi nunc occulto & iam præſago iudicio tuo, tanta Sathanæ ignominia ac dedecore, tuum ſanctiſſimum nomen, tua laus, tua vera æternaque gloria prædicetur. Inuenta in ea vrbe, ac parta machinarum bellicarum, armorum ac frumenti haud contemnenda ſpolia, noſtro exercitui (quem illic habemus, vt propoſitum Deo propitio conſequamur) admodum opportuna. Perlato hoc ad finitimos nuncio, illico Almedinæ incolæ (quæ ciuitas ab Azamor quinquaginta paſſuum millibus diſtat, & ipſius magnitudine, & glebæ fertilitate nobilis) noſtrorum metu, quos & alias ſæpius fuerant experti, vrbem penitus deſeruere, ac libere noſtris permiſere. Thiti etiam antiquiſſima, & maximæ olim ciuitas, atque alia quamplurima oppida, ac finitima loca, ſtatim ſeſe nobis dedidere: Tributa etiam, cenſumque pro noſtro arbitrio penſuri. Ex qua quidem, Beatiſſime Pater, diuina freti clementia, proculdubio ſperamus, vt tam auſpicata initia, melior progreſſus, optimuſque finis ſubſequatur; atque illud Marrochiorum regnum, quod totius fere Africæ caput & imperium fuit; vnde & ipſa Hiſpania, omniſque Chriſtiana reſpublica tot damna, tot clades, tantam ſanguinis effuſionem, ac Catholica fides tot opprobria, tot ignominias indigniſſime pertulit, nunc certè diuino ſuffragante numine in noſtram poteſtatem penitus redigatur, ac tantæ culpæ malorumque luat pœnas, vt Mahumetica perfidia deprecſſa, verus Dei cultus, & Chriſtiana religio (quod ſolum ſemperque optamus) ſublimetur. Bene valeat ſanctitas veſtra, quam Deus Opt. Max. diu ac feliciſſime ſeruare & augere dignetur. Data in vrbe noſtra Vlyxbonen. pridie Cal. Octob. Anno Domini M. D. XIII. extat tomo 2. Hiſp. illuſtrata.

Luſitani in India multas vrbes expugnant.

Leo X. *ob victorias Luſitanorum Roma ſupplicationes inſtituit.*

Id porro cum Pontifex max. ex his literis Regis Emanuelis accepiſſet, dies feſtos egit, ſupplicationes inſtituit, Ipſeque publice & rei diuinæ ſolenni ritu interfuit, & laudes gratiarum præcinuit, atque concionator egregius orationem de laudibus Regis Emanuelis habuit, quod eo tempore, quo reliqui Principi Chriſtiani odiis acerbiſſimis irritati in mutuam perniciem ruebant, inteſtiniſque ſeditionibus hoſtium vires amplificabãt, ſolus Emanuel pro Chriſti gloria bellum ſuſciperet, & Chriſtiani nominis hoſtes in India & Mauritania profligaret. Cum enim eſſet ſtudio Chriſtianæ Religionis propagandæ vehementer ſuccenſus, id ſuſcipiebat, vt armis quibuſcumque tam humanis, quam diuinis omnes impietatis opes & munimenta conuelleret. Itaque in India, & in Aethiopia operam dabat, vt gentes à Chriſti placitis alienæ, ad illius ſanctiſſimum cultum ſanctorum hominum monitis & diſciplinis adducerentur. Et cum animaduerteret regnum illud Æthiopiæ, quod appellatur Congo, fuiſſe iam à tempore Ioannis Regis Chriſti diſciplinis illuſtratum, in idem opus vt perficeretur incubuit. Idcirco, vt dictum eſt, multos ſacerdotes pietatis opinione præſtantes in illam regionem miſerat, vt eos qui nondum erant luſtralibus aquis expiati, ad Chriſti fidem perducerent, & qui iam Chriſto nomen dederant, clariore diſciplina confirmarent. Sub hoc igitur tempus, hominem è ſuis domeſticis equeſtri dignitate præſtantem, ad eundem Congenſem Regem, cum pluribus Sacerdotibus, & ſacris veſtibus, ad rem diuinam ſanctius peragendam miſit, vt eum acrius ſtudio Chriſtianæ pietatis incenderent. Rex hac Emanuelis Regis benignitate prouocatus in Luſitaniam filium ſuum Henricum nomine, cum fratre ſuo, & pueris nobilibus miſit, vt linguam Luſitanam, & Latinas literas, & ſanctarum rerum diſciplinam perdiſcerent. Cum iis venit Legatus quidam illius Petrus nomine, non vulgari prudentia præditus, cum quo Rex Emanuel ſermonem libentiſſime conferebat. Id vt diutius in Luſitania verſaretur, vxorem ſecum duxit, quæ fuit à Regina Maria multis donis atq; muneribus affecta. Emanuel, cum omni comitate gentem illam vniuerſam ad Chriſtum allicere contenderet, Regis fratrem & filium cum reliquis pueris in diſciplinam viris religioſis & eruditis tradidit, qui eos Latinis literis, & religionis motibus atque inſtitutis imbuerent. Deinde Simonem Syluium hominem apprime nobilem, ad illum cum muneribus legauit. Munera vero erant qui pulchre inſtrati & phalerati, & multæ ſimiliter ornatæ, vaſa ſacra, tabulæ pictæ, infulæ, & omnia quæ ad religionis cultum rite conficiendum erant idonea. Fabros præterea, qui templa & Regias ædes ædificarent. Id præterea Syluio commiſit, vt ius Regium ad Luſitanos qui in ea Æthiopiæ parte verſabantur in officio continendos, & eorum flagitia punienda, ſi opus eſſet, obtineret, & præterea, vt cũ Rege ſimul ius omnibus gentibus, quæ ſub Regis imperio erant, adminiſtraret, quod vt commodius fieret, ſecum hominem iuriſconſultum adducebat, vt ius publice diceret. Id enim ipſe Rex Alfonſus ab Emanuele per Legatum ſummis precibus efflagitarat. Id etiam Syluio in mandatis dedit, vt ſi forte, dum is apud Alfonſum verſaretur aliquis belli motus exiſteret, Regem opibus & conſilio, & manu etiam iuuaret. Illum præterea admoneret, vt quam primum poſſet, Legatos Romam mitteret, per quos authoritatem Pontificis maximi, & Eccleſiæ ſacroſanctæ ius & imperium in omnib. rebus ſacris agnoſceret, & quia Petri prudentia non vulgaris eſſe videbatur, ſuadebat, vt ipſe Petrus aliquot viris nobilibus ſtipatus, ea potiſſimum legatione fungeretur? ſe illum ſuis ſumptibus Romam eſſe miſſurum. Regem præterea admonebat, vt aliquot pueros nobiles in Luſitaniam mitteret, qui cum reliquis erudirentur. Syluius cum hac legatione profectus, ſecundis tempeſtatibus vſus in Congenſe regnum peruenit; cuius aduentu Rex ſe mirum in modum lætari ſignificauit: ſtatimque miſit virum quendam primarium illi ſanguine valde coniunctum, qui Syluium ſalutaret & in vrbem Regiam quæ à portu multum diſtabat, vbi commodum eſſet, deduceret. Syluius tamen febre correptus, antequam Regem videret, è vita deceſſit. Rex mortem illius admodum acerbe tulit. Aluarus Lupius, qui claſſis curam ſuſceperat, in locum Syluii, vt ab Emanuele decretum fuerat, ſi caſus aliquis Syluium de medio ſuſtuliſſet, ſucceſſit. Is cum literis Regem adiit. Literarum ſententia, propter egregiæ pietatis argumentum, & præſtantis voluntatis indicium nihil aliud continebat, quam vt fides Syluio in rebus omnibus, quas Rex Emanuel illi præceperat, vt Alfonſo Regi diceret, haberetur. Literis lectis, Aluarus Lupius earum ſententiam verbis ſubſecutus eſt, & dona quæ ferebat, in conſpectu Regis explicuit. Rex vero res ſingulas in manus ſumere, laudare, mirari, manus in cœlum tendere, gratias Deo ſummas agere, quod per Reges virtutibus ampliſſimos, & numini cœleſti chariſſimos, fuiſſet è tenebris impietatis emerſus, vt cœleſtem lucem aſpiceret. Regem vero Emanuelem non ſatis habere, illũ tam diuino beneficio conſtrictum tenere, niſi eriam præterita beneficia recentib. donis magnificentiſſime cumularet. Quia vero Emanuel illi Regiã inſignia, quibus deinceps vteretur mittebat, quæ pertinerent ad virtutis inſtar monimentum, & vniuerſæ poſteritatis ornamentum: de ea re literas Alfonſus ipſe Rex publice propoſuit, quibus teſtatum omnibus eſſet, & memoriæ etiam ſempiternæ conſecratum, muneris illius inſtitutum, & Regiæ beneficentiæ documentum. Litteris autem his referebat, quo pacto Regis Ioannis opera fuiſſet illa regio lumine Chriſtianæ religionis illuſtrata, & è tyrannide infeſtiſſimi dæmonis erepta, & quanta malignitate fuiſſet opus illud tam præclarum opera antiquiſſimi ſerpentis, per quem primi parentes è ſedibus beatiſſimis expulſi fuerant, impeditum. Quanta cura, ſtudio, vigilantia Rex inuictiſſimus Emanuel, opus quod à Ioanne Rege clariſſimo inchoatum extiterat, perficiendum ſuſceperat. Religionis vero Chriſtianæ diſciplinam in ſumma referebat; & deinde commemorabat, qua ratione pater illius opera perditiſſimorum hominum, à Chriſti fide quam fuerat antea profeſſus, impie & nefarie deſciuiſſet, & ob eam rem in ipſum Alfonſum, maximum natu filium, quod impietatem illius imitari noluiſſet, ſe tetrimum præbuiſſet. Commemorabat deinde exilium, in quod pulſus à patre fuerat, & moleſtias quas in exilio pro Chriſti nomine cum ſumma iucunditate pertulerat; & qualiter moriente patre, cum frater, qui regnum per ſummam iniuriam occupare conabatur, cum ſolis triginta ſex hominibus, Chriſti numine ſæpius inclamato, conſiſterat, cum frater illius maximum exercitum haberet; & quomodo non copiis humanis, ſed diuinis, vt hoſtes ipſi fatebantur, bellum profligatum fuerat, & frater caſu etiam diuino captus, in poteſtatem illius venerat, de cuius ille improbitate & pertinacia ſupplicium iure ſumpſerat. Exponebat deinde, quo conſilio Petrum ſuum cognatum, qui vnus erat ex illis triginta ſex hominibus, qui illi opem attulerant, ad Regem Emanuelem legauerat; ex quo Petro intellexerat, in Luſitania Regis ipſius ampliſſimi iuſſu vota pro Congentis regni ſalute, & Alfonſi ipſius fide perſoluta eſſe; quo nullum clarius extare poſſet inſignis charitatis indicium. Itaque ſe non ſolum pro Chriſti ſanctiſſima religione, pro templorum ſanctitate, pro Eccleſiæ ſanctionibus necem & cruciatum, ſi opus ita fuiſſet, minime recuſaturum; verum & pro Regis Emanuelis amplitudine omne diſcrimen ſalutis aditurum. Adiiciebat deinde. Vt autem magis nos Rex optimus, ſummiſque laudibus in omni æternitate prædicandus, ſibi deuinceret, miſit ad nos virum nobiliſſimum cum muneribus & ornamentis, quæ ſatis, quam propenſa in nos eſſet voluntate, declarabant. Et quia eſt in more poſitum, vt Chriſtiani Reges inſignia geſtent, ad poſteritatis memoriam propagandam, & maieſtatem Regiam inſigniter illuſtrandam, voluit idem Rex in hoc etiam plurimum nobis ſuæ benignitatis impertire. Scutum enim nobis miſit, primum quidem Cruce ſignatum, vt animo recoleremus victoriam, quam Conſtantinus Imperator Cruce in cœlo conſpecta, de hoſtibus ſuis conſecutus eſt, quam ſimiliter adepti ſumus, ne vnquam ab animis noſtris elaberetur.

Emanuel legatum in Indiam mittit.

Vphonſus rex Indiæ filium ſuũ in Luſitaniam literarum cauſa mittit.

Et quia Iacobus Apoſtolus cuius opem, vt Hiſpani faciunt, in eodem prælio frequenter imploranimus, in acie con-

Alphonſus Rex India Luſitano ſcribit.

spectus hostes exterruit, eiusdem Iacobi Apostoli species voluit, vt in eiusdem insignibus insculperetur. Præterea, vt amoris coniunctio quæ nobiscum cum illo est illustri signo consignari possit, Regum Portugalensium insignia, quæ quinque scutis in crucis formam dispositis continentur, reliquis signis admiscuit. Iis enim quinque scutis Christi Optimi Maxim. quinque vulnera designantur, quæ in cruce pro generis humani salute pertulit. Cum enim Alfonsus primus Portugaliæ Rex cum quinque Regibus Saracenis maximo exercitu constipatis congregere in Lusitania voluisset; in cœlo, vnde auxilium precibus efflagitabat, Christi speciem eisdem quinque vulneribus illustratam oculis atque mente conspexit innumerabilemque hostium multitudinem, Christi numine confirmatus, occidit, & ea de caussa illa insignia ad memoriam posteritatis assumpsit. Itaque modis omnibus Rex singulari pietate præditus, cum hæc ad nos tam præclara Regiæ stirpis insignia misit, nostram posteritatem admonere voluit, vt in bellis, non humanis opibus sed diuino Christi præsidio niterentur. Pro his tantis beneficiis Emanueli Regi fratri nostro charissimo gratias immortales agimus, neque solum fratrem & patronum agnoscimus, sed omnes regni opes, atque adeo vitam pro illius dignitate profundere parati sumus. Qui tamen, quamuis omnia quæ possumus, illius gratia faciamus, nullam tamen partem illius erga nos meritorum officiis nostris assequemur. Reliquum igitur erit, quando nos parem gratiam referre non possimus, vt Rex ille summus atque sempiternus, in cuius honorem Emanuel hæc tam præclara opera molitur & efficit, illi præmium diuinum atque sempiternum constituat. Nostros autem liberos, & cunctam posteritatem obtestamur, admonemus, & pro iure etiam nostro iubemus, hæc insignia gestare, illis scuta distinguere, litteras consignare, signa in bellis intertexta præferre, semper animo atque mente recolere, quæ per illa designantur, vt sic memoriam ad pietatis & iustitiæ recordationem excitantes, de hostibus suis victoriam, freti Christi præsidio consequantur. Sed quia more etiam receptum est, vt egregia facta nobilitentur, & homines qui meritis suis in locum altiorem ascendunt, posteritati suæ virtutis memoriam prodant, idem Rex Emanuel alia nobilitatis insignia nobis misit, quibus genus eorum, ex illis sex & triginta qui valde strenue se gesserunt in eo prælio, quo Christi præsidio muniti fratris imperium contudimus, illustrare possem: quod etiam impulsi monitis illius exequimur, vt hoc virtutis præmio multi ardentius in studium virtutis incitentur, vt ita non solum in hac vita contra hostiles impetus muniamur, sed etiam in futura bonis sempiternis frui possimus. His literis in publico propositis, & in totum regnum exemplis earum ad Principes missis, Alfonsus decrevit, quam gratus esset in Emanuelem, testificari. Petrum deinde, vt ab Emanuele fuerat admonitus, ad Pontificem maximum legauit. Petro autem duodecim viros nobiles comites adiunxit. Emanueli vero magnam vim eboris, & munera quibus regio illa abundat dono misit. Duodecim præterea nobiles pueros cum Petro in Lusitaniam venire iussit, qui simili ratione fuerunt literis & moribus instituti: Emanuel postquam Petrus in Lusitaniam rediit, illi & Henrico Alfonsi Regis filio, & reliquis vitis è nobilitate delectis, omnia quæ ad iter erant necessaria præbere large atque munifice iussit. Ii fuerunt Romæ à Pontifice, & ab omnibus Ecclesiæ principibus benigne & comiter accepti. Literas deinde Pontifici Regis Alfonsi detulerunt.

Idem ad Pontificē legatum mittit.

Illarum sententia hoc continebat; se primum Ioannis hoc nomine II. Portugaliæ Regis opera cum regno fuisse è potestate dæmonis, & è turbulentissimi erroris tenebris in libertatem & in lucem vindicatum. Deinde Regis Emanuelis studio & sumptibus, in eiusdem sanctissimæ religionis disciplina progressum, clarius lepræ deformitatem, qua fuerat ante deformatus, agnoscere, & pristinum errorem atque amentiam vehementius detestari: & pro beneficio, quo mirabilibus signis à Deo perductus in pietatis splendorem exiterat, perpetuas se D E O gratias acturum, neque tam diuini muneris memoriam vnquam depositurum. Sed quoniam intellexisset, esse Christi summum in terris Vicarium, quem omnes Christiani Principes vnicè colerent, & cuius iussa tamquam cœlestia atque diuina sequerentur: ne se à reliquorum Principum Christianorum communione segregaret, & aliqua in re à pietatis via deflecteret, Romam filium suum Henricum iam sanctis in Lusitania literis eruditum, & Petrum cognatum sum, virum, cuius prudentiæ & probitati valde confideret, se mittere statuisse, vt ipsius Alfonsi nomine pedes illius oscularentur, & regnum vniuersum ipsius Pontificis voluntati & imperio dicarent.

Nec enim se vllo vmquam tempore commissurum, vt obsequio & pietate erga Sanctam Romanam Ecclesiam, ab vllo Christiano Principe vinceretur. Pauca deinde adiiciebat, quæ ad fidem legatis habendam, & postulata quædam ad religionis caussam necessaria, facilius impetranda pertinebant. Legatio benigne fuit accepta, & postulatis egregie satisfactum. Considerabant enim & Pontifex, & Cardinales, gentem barbaram, & ab omni cultu humanitatis abhorrentem, nonnisi cœlesti quadam beneficentia, & numinis præsentissimi dono atque munere, in tantum pietatis studium excitari potuisse: & idcirco illas Æthiopiæ recentes post tam multa secula primitias, gratissimis animis accipiendas esse decreuerunt. Hæc quidem Emanuel ad Æthiopiæ religionem firmis tanciendam designauit atque constituit; Pontifice & Sacro Cardinalium Collegio, pro tam præclaris conatibus Deo gratias habentibus. *Osorius lib. 8.*

XXVII. *Ladislaum Hungariæ & Bohemiæ Rex Turcas vicit.*

Secundum hæc Pontifex alias gratias publice egit, & supplicationes ad Sanct. Mariam de populo habuit, pro victoria Ladislai Vngariæ & Boëmiæ Regis contra Turcas. Nam cum si magno numero Sauum traiecissent, & regionem inter Sauum & Hanam fluuios adiacentem passim postularentur, ac ferro & igne omnia vastarent, Petrus Berislaus Episcopus Besprimiensis; Ladislai Regis monitu, collectis quantis in re subitanea & tumultuaria potuit copiis, eos non procul ab arce & oppido Dubicensi, vbi Huna in Sauum influit adortus est, insignique edita pugna hostes fudit, atque fugauit, & fugientes longe lateque persecutus, amplius duo millia eorum interfecit, captis quamplurimis, & multa maxima parte in Sauum demersa, paucis natando euadentibus, ita vt hostes audaciæ perfidiæque suæ, & violatarum induciarum cumulatas pœnas dedisse viderentur: Audita ea victoria Pontifex, signalætitiæ explosis ex mole Hadriani tormentis, insignibusque vbique accensis edidit, ac die consequenti, quæ fuit vltima Augusti Sacris in Basilica quam dixi interfuit, vniuerso sacro collegio & clero præsente: cum paulo ante, sc. die XV. Iulii, Thomam Cardinalem Strigonienſem, ad regna Vngariæ, Boëmiæ, & Poloniæ Legatum, pro indicendo aduersus Turcas sacro bello renunciasset. *Paris in notis diariis. Istuanfius rerum Vngaricarum libro 4.*

Mense consequenti, Sc. die Quinta Septembris, scripsit infrascriptas,

Vladislao Pannoniæ Boëmiæque Regi.

Lectis tuis ad me fratresque meos Cardinales literis, quæ quo in discrimine tuum Pannoniæ Regnum ob Turcarum apparatum versaretur, significabant, & Martino Colocensis Ecclesiæ Custode Internuncio tuo audito; statim vna omnes tota re diligenter atque amanter cogitata statuimus, vt nihil eorum, quæ ad tuam ditionem tuendam, communesque Christiani nominis hostes hoc tempore à tuis finibus repellendos esse vsui possent, à nobis prætermitteretur.

Existimabamus enim & pro tua maiorumque tuorum in Romanos Pontifices obseruantia, & pro gentium quæ tuo in imperio sunt fortitudine bellandique vsu prope assiduo quotidianoque cum Turcis, si quo incommodo tuum istud regnum, tuique populi afficerentur, id omne huius certe Reipublicæ nostrumque sin-

gulorum

gulorum incommodum plane futurum. Itaque quod primum petiisti de tributi auxilio, quantum quidem præsentium rerum status atque hæc tempora tulerunt, tibi id permisimus, is vt opibus ad te leuandum bellumque administrandum vti posses. Deinde, quod nos rogas, vt sedandis Christianorum Regum & Principum inter se dissidentium animis, atque ad commune bellum contra Turcas incitandis curam & studium adhibeamus, in eo dies ac noctes cogitationes meas plane consumpsi. Mitto autem nunc quidem ad illos ea de caussa Internuncios meos Episcopos vires auctoritate, experientia, doctrinaque præstantes, qui eorum controuersias componant, ipsosque concilient. Quos quidem singulos tamdiu hortari vrgereque per eosdem Internuncios non desistam; quoad res ad eum quem volumus exitum perducatur. Id si consueri per illos minus commode poterit, aliquot ex meis fratribus S. R. E. Cardinalibus legabo, qui ad illos propere se conferant, remque conficiant. Qua confecta, fœdereque ab Regibus inito tributum ipsum per vniuersum Christianum Orbem editis amplissimis promulgabo; Sacerdotibusque cum Sanctissimis, tum eloquentia clarissimis mandabo, vt omnes homines ad id non minus pium quam necessarium bellum accendant; vt celerrime periclitanti succurratur. Quod quidem certe bellum hoc si tempore à nobis susciperetur, irritos conatus nostros omnes atque inanes ipsa tempora facerent. Quis enim pecuniam, quis militem remotissimis à se gentibus tributat, qui pro patria, pro liberis, pro salute sua arma domi tractare cogatur, hostemque intra lares suos habeat? Neque Principes sane ipsi, etiamsi populi sui vellent, in præsenti rerum perturbatione militem egredi, pecuniam erogari, arma, opes vllas exportari suis è finibus patiantur. Nos vero ipsi per nos mouere, aggrediique tantam rem fortasse possumus: sustinere atque perficere non possumus.

Quæ cum ita sint, confido tamen, & pacem eam quam omnes votis omnibus concupiumus, Christianos inter Principes mature posse confici, & tua incommoda de quibus ad nos scripsisti, vel cum fœnore celerrime reponi. Deus enim Optimus Maximus qui ob eximium rerum optimarum etentum præclaraque exitus interdum malum aliquod sinit non maximum existere; istos tuos labores, eum Turcarum apparatum ad conciliandos Christianorum Regum animos quasi molitionem aliquam adhibet, quæ infectas odiis malisque cupiditatibus obstructas eorum mentes, ad eam quem volumus coitionem consensumque attrahat, impiaque illorum adhuc quidem arma, ad mutuam aliquando tandem pietatem communemque cum vilitatem, tum etiam dignitatem conuertantur.

Quamobrem fili, mihi quidem charissime atque optatissime, erit tuæ fidei atque prudentiæ, Domino atque eius viribus confidere. Neque enim à militum robore & numero, aut ab apparatu vllo bellico, sed à Dei virtute, sed à Domini nutu, de tuis atque nostris hostibus tibi victoria est exspectanda. Recordare, quæso quondam sacinora, quæres, quamque magnas per Gedeonis per Iephtæ, Ionatæ, Dauidis, per Iudæ Machabæi manus confecerit: quarum rerum memoriam antiquæ litteræ sempiternam esse voluerunt. Quæ profecto omnia maximam tibi spem afferre debent, eodem à Domino nihil omnino tuis conatibus in tempore defuturum. Atque vt alienа vetustissimaque prætereantur, ea repete, quæ ipso tuo in regno Dominus apud Tauruum oppidum paucos ante nostram ætatem annos per Ioannem Capistranum confecit, plebeium prope hominem; quæ ad maximas tractandas res suæ porro voluntatis & interpretem esse voluit, & administrum. Nostra vero ætate Rhodi perexiguo militum numero, gloriabundum iam & prope victorem Turcarum exercitum numerosissimum instructissimumque fugauerunt. Non est debilior nunc quam olim fuerit Dei Dominique nostri dextera; neque tu Vladislaæ fili Ioannæ Vainodæ, qui vna cum Capistrano Turcas superauit. Id ex eo intelligi potest, quod dum hæc ipsa quæ supra scripta sunt cogitationes nostras exhauriunt, exercitasque habent, tuaque nos res maxime commouent, allatum ad nos est à tuorum militum pusilla sane manu multa millia Turcarum militum, quæ Illyricum vastabant, cæsa ad vnum interiisse. Ita qui tibi semel assuit Deus, confidere profecto debes, eum tibi post hac rite præsertim atque supplicitet precanti non defuturum. Cuius ego in terris Vicarium gerens, fratresque mei Cardinales, vt ad id redeam quod initio scripsi, nihil eorum quæ ad tui qui nobis es charissimus, regnorumque tuorum, quæ profecto totius Christianæ Reipublicæ, quasi valli quidam & muri sane solidi contra illorum impetum semper fuere, propugnationem & defensionem attineat, omittemus. Creatter annus autem iam ante, quam tuas ipsas literas accepissemus, rumore tantum eius rei audito, qui ad nos incertis authoribus & priuatorum literis afferebatur, vtpote tuis de rebus etiam ad primas eiusmodi voces plane sollicitis, Thomam Cardinalem Strigonienſem, qui Legatum nostrum tuis in regnis ageret; cuius tu prudentiam, diligentiam, si lelitatem erga te plurimis maximisque in rebus optime omnium cognouisti; vt iis quæ nunciabantur, de imminenti regnis tuis periculo obuiam celeriter iretur. Is tametsi iam se ad iter explicabat per sese, mandatui tamen et tuis acceptis literis, vt id etiam diligentius maturiusque contenderet. In quo quidem ita nobis morem gerit, vt nihil illo fieri posit ardentius. Ex eo plenius meam in te tuaque res paternam voluntatem, & studiosissimum bene consulendi Christianæ Reipublicæ animum cognosces: pro qua tuenda, atque in ea, in qua oportebat, pace tranquillitateque restituenda, neque operæ, neque vigilis, neque laboribus parcam, liberrimeque in ea cura & administratione vitam posuero. Vale. Dat. Non. Sept. M. D. XIII. Anno I. Roma. Bembus in Epist. lib. 4.

XXVIII. *Leo X. tres Cardinales creat.*

Per hos ipsos dies, sc. XXIII. Septembris, Pontifex sedentibus in Consistorio XX. Cardinalibus, atq; aliis qui per literas consentientibus. (Sic n. sucratum Capitulo Conclauis stabilitum, vt Pontifex in Cardinalium creatione teneretur omnes Cardinales absentes à Bononia citro, vt adessent, aut saltem vt consentirent interpellare) Iulium patruelem, Innocentium Cibo, Laurentium Puccium, & Bernardum Bibiennam in Cardinalium Senatum cooptauit. Primum galerum, quem ipse gestasset, sanguini atque familiæ tribuit, quasi diuino ingenio iam præsagiret, qualis quantusque in republica Christiana is esset futurus, quem suo fatali pileo dignissimum indicasset. Secundus Magdalenæ sorori quæ Innocentii mater erat datus est, atque item Innocentii Octaui Pontificis memoriæ, cui initium summæ dignitatis acceptum referebat. Tertium, virtus, ætatisque honor, & egregia in primis fides, quæ in Puccio in omni fortuna semper effloruit promeruere. Quartus in Bibienna perpetui laboriosique obsequii, & fidelis industriæ iucundæque familiaritatis præmium fuit. *Iouius in vita libr. 3. Paris in notis diariis. Bembus libr. 5. epistol. 1.*

De ea creatione Cardinalium, Pontifex, Cæsarem, & Reges Christianos præmonuit, datis literis hoc tenore.

Et si cio iis de rebus quæ per nos publice geruntur, à Legato tuo homine perdiligente fieri te quoridie certiorem, voluitamen, vt quod nouissime pro Reipublicæ ornamento & incremento statuis esse faciendum, id meis etiam literis cognosceres. Non enim vereor, quin tibi pro tuo erga me amore Rempublicam Christianam studio, eiusmodi omnia æque iocunda sint, atque ipsi mihi. Itaque scies me ad XI. Calend. Octobr. Fratribus meis S. R. E. Cardinalibus consentientibus, Laurentium Puccium familiarem meum à candis literis, & Iulium Medicem Archiepiscopum Florentiæ designatum patruelem meum, & Bernardum Diuitium Bibiennam Quæstorem, atque Innocentium Cibum sororis meæ filium, Innocentii Papæ Octaui nepotem, plurimis maximisque de caussis in Cardinalium Collegium cooptauisse. Quorum trium prudentiam, integritatem agendisque rebus vsum atque scientiam virtutesque cæteras, & esse tibi perspectas existimo, & Reipublicæ honori & præsidio consulo fore. De Innocentio autem spero fore, vt voluimus; habet enim egregiam indolem coniunctam cum optimis moribus, quos ornat litterarum & bonarum artium studiis, vt nihil iam sit adolescenti illo probius, elegantius, charius. Eius rei confectio, quæ me magnopere delectauit, erit sane mihi & gratior & iucundior, si tibi quoque, qui recte omnia prudenterque iudicas, perpendereque soles, probabitur. Existimare autem debes, quoniam tuorum in me familiamque meam plurimorum non solum officiorum, sed etiam beneficiorum illi qui omnium optimi testes semper fuere, quæ ad tuam dignitatem tuendam atque amplificandam pertinebant, eos esse non minus diligenter, quam quæ nostra ipsorum interessent, omni tempore curaturos. Dat. IX. Calend. Octobr. M. D. XIII. Anno I. Roma. Bembus lib. 5. epist. 7.

XXIX. Sub idem tempus Pontifex Romæ vectigal salis imminuit, amplificataque triumvirali Conservatorum urbis

potestate, præmiis ac immunitatibus publice priu neque Romanos est prosecutus. Quamobrem solenni decreto omnium ordinum populus, ad testificandum gratissimi animi studium, marmoream statuam in capitolio illi dedicauit, cum hac inscriptione: *Optimi liberatissimique Pontificis memoriæ. S. P. Q. R.* Non multo post, Iuliano eidem in spem sobolis Philiberta Caroli Allobrogum Principis soror matrimonio iuncta, quam demum vti sine dote expetitam, vltro Regis exornatam muneribus præmisso ad Nicæam insigni comitatu, Romam acciuit. Laurentius vero Petri Medicis qui in Liri amne periit filius, Florentinæ Reipublicæ est præpositus. Existimabat enim Pontifex, diuisis honoribus & constituta domo, ita suis & Mediceo nomini prouidendum, & non magnopere in posterum fortunæ vis suspectanda videretur. His initiis susceptisque consiliis, eodem pariter tempore ad prouehenda exornandaque optimarum litterarum studia longe omnium liberalissime animum conuertit, qua vna peculiari laude Cosmus proauus & pater Laurentius, priuatis viris potius quem principibus fortuna similes summam sibi & posteris claritatem peperissent. Ante omnia ab epistolis singulari iudicio sibi desumpsit Petrum Bembum & Iacobum Sadoletum, qui cæteros omnes literatos Romanæ eloquentiæ laudibus anteibant. Vaticanæ vero Bibliothecæ Beroaldum iunlorem præfecit, in scribendis Odis Horatiana iucunditate præcellentem. Gymnasium vero accitis vndique grauissimarum artium professoribus ita instaurauit, vt neque Bononiensi, neque Patauino, vel Doctorum præstantia, vel auditorum concursu concedere videretur. Augustinus Suessanus Philosophiam, & Christophorus Aretinus Medicinam profitebantur. Hieronymus Butigella Iuris scientiam docebat. In humanioribus studiis eruditione, stilo, & eloquentia Parrhasius Cosentinus erat insignis. In Græcis litteris eminebat Basilius Calchondyles, eius Demetrii filius, qui ipsius Pontificis in adolescentia fuerat præceptor. Singulos vero vel mediocris etiam nominis Poetas, & exquisitis nobilioribusque artibus instructos tanta benignitate suscipiebat, vt omnes iam excitatis animis ad excolenda literarum studia vehementer accenderentur, cum à tanto armorum strepitu, quo antea omnia personabant; virtuti locus amplior patefactus esse videretur. Præter alios, hæc etiam scripsit

Marco Musuro Cretensi.

Cum magnopere cupiam Græcorum sermonem, & Græcas disciplinas iam prope abolitas atque deperditas restituere, & quantum in me positum est, consulere bonis artibus, mando tibi, vt suscipias diligentem curam adducendi ad nos è Gracia decem aut duodecim, aut sane quot voles ipse, liberalis ingenii bonaque indolis pueros; vnde Latinis hominibus linguæ illius verus germanusque vsus, rectaque cognitio, & tanquam seminarium quoddam bonorum studiorum commode confici & compararipossit. Quæ de Ioannes Lascaris, vir propter suas virtutes & multam iis in literis doctrinam mihi valde charus scribet ad te pluribus verbis. Te vero pro tua vetere in me obseruantia, quæ opus esse ad eorum studiorum rationem, & hanc rem quam rogo, paroque cognouerit, sane confido summa diligentia curaturum. Dat. VIII. Id. Aug. M. D. XIII anno I. Roma.

Præfagire videbantur homines eruditi istam Musarum anastasim, quando arcui triumphali ad Hadriani pontem inscripserant.

Olim habuit Cypris suæ tempora, tempora Mauors
Olim habuit, sua nunc tempora Pallas habet.
Iotius in vita lib. 3. Bembus lib. 4. Epist. 8.

XXX.

Inter hæc, ad præstandam summo Pontifici obedientiam, venerunt Romam Oratores Rhodiensium, Brandeburgici & Monferratensis Marchionum; Mediolanensium Ducis ac Cæsaris; post quos veniebat Cardinalis Gurcensis.

Die XI. Decembr. Cæsarei; postridie, Montisferrati, post biduum, Mediolanensium Ducis Oratores, obedientiam Pontifici præstiterunt. Secundum hæc, die Lunæ, XIX. Decembris, celebrata fuit octaua Sessio Concilii Generalis in Sacrosancta Basilica Lateranensi, præsente & præsidente Leone Papa X. & post sacrum, concionem, litanias, orationes, Euangelium, Claudius Episcopus Massiliensis, & Ludouicus de Soler Oratores Christianissimi Francorum Regis dederunt mandatum ipsius Christianissimi Regis, & iuxta illius tenorem adhæserunt nomine præfati Regis Sacro Lateranensi Concilio, & reuocauerunt Conciliabulum Pisanum, ac petierunt prorogari terminum ad allegandum de iuribus super pragmatica sanctione. Quod mandatum Thomas Fedra Secretarius conscenso suggestu legit publice, cuius tenor talis est.

Mandatum Regis Francorum.

Ludouicus Dei gratia Francorum Rex, Dux Mediolani & Dominus Genuæ, Vniuersis præsentes inspecturis fieri volumus manifestum, quod cum charissimus consanguineus noster Federicus tituli Sancti Angeli Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Diaconus Cardinalis de Sancto Seuerino vulgariter nuncupatus, ac dilecti ac fideles consiliarii nostri, Magistri, Claudius de Seyssello Electus Massiliensis, & Ludouicus Forbin, Dominus de Solerus, apud Sanctissimum Dominum nostrum Papam Leonem Decimum, in præsentiarum Oratores tamquam procuratores nostri, & Procuratorio nomine certas promissiones, obligationes, & submissiones fecerint, præfato Sanctissimo Domino nostro per instrumentum publicum, manu Venerabilis viri Petri Bembi, præfati Sanctissimi Domini nostri Papæ Secretarii & Notarii Apostolici receptum, cuius tenor sequitur & est talis:

In nomine Domini Amen. Vniuersis præsentes inspecturis fiat manifestum, quod superioribus annis bo. mem. Iulio Secundo Pontifice Maximo in humanis agente, subdolæ falsæque suggestiones inimicorum, atque emulorum Serenissimi & Christianissimi Ludouici Francorum Regis, apud eundem Iulium vsque adeo inualuissent, quod illum aduersum dictum Regem obsequentissimum filium, & Ecclesia primogenitum, ex patre, apertum, acerrimumque hostem effecissent, & licet idem Rex (quantum fieri potuit,) patienti animo dicti Pontificis impetum atque irasundiam tolerare statuisset, sperans aliquando fore vt sua Sanctitati reconciliaretur, nihilominus tamen præter opinionem dicti Regis euenerit, quod multi Ecclesiastici, etiam Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinales, aliique doctissimi & præstantissimi viri in ciuitate Pisana sub nomine Concilii Generalis conuenerint, asserentes firmiter, & pluribus coloratisque rationibus persuadentes, se dicti Concilii congregandi, multis de causis legitimam potestatem habere; accedente etiam ad hoc consensu & auctoritate Serenissimi Romanorum Imperatoris electi prætensum Concilium Pisanum indixerint, dictusque Rex ex consilio plurimorum Prælatorum, & aliorum doctissimorum virorum Ecclesiæ & nationis Gallicanæ dicto prætenso Concilio Pisano adhæserit, Prælatosque qui illud legitime congregatum esse arbitrabantur, & prætensum Concilium præfatum ire permiserit, illudque in terris, regno & Dominiis ac ditionibus suis continuare passus fuerit, & illius decretis & protusionibus paruerit, & in regno, dominiisque suis prædictis pareri fecerit, non quidem vt Sanctæ Sedi Apostolicæ, aut Sanctæ Romanæ Ecclesiæ, quod absit, maculam, alias Scissuram, schismamque aliquam inferret, sed prædictis consiliis, suasionibus, adhortationibusque inductus, præsertim quia causæ propriæ per quas ad id faciendum motus fuerat, personam eiusdem Iulii Pontificis, à quo (vt præfertur) prouocatus fuerat, præcipue concernebant. Cumque postmodum præfato Iulio Pontifice vita functo, & Sanctissimo Domino nostro Leone X. in eius locum ad summi Apostolatus apicem, atque vniuersalis Ecclesiæ regimen assumpto, intellexerit præfatus Rex sanctitatem suam insequendo in hac parte gesta præfati Iulii dictum prætensum Concilium Pisanum, tamquam minus legitimum, & non à habentibus potestatem indictum, nec non omnia in eo gesta damnasse & improbasse, & dictum Concilium Lateranense tamquam rite & legitime indictum, eiusque omnia gesta & decreta approbasse, fuerintque postmodum per suam sanctitatem, tam per literas in forma breuis, quam alias diuersimode paterne admonitus, vt à dicto prætenso Concilio tamquam minus rite, & à non habentibus potestatem indicto recederet, & dicto Lateranensi tamquam vero, indubitato, vnico & Oecumenico Concilio adhæreret; ipseque Rex solo religionis Zelo atque instinctu adductus, sperans desideratam vniuersam Christi fidelium pacem auspiciis præfati Sanctissimi Domini nostri Leonis Papæ Decimi præsto affuturam, ac propediem (fauente Domino) vnanimis

animi Christianorum Principum & populorum concursu, arma in Orthodoxæ fidei, communesque hostes conuertenda esse; considerans insuper quantis sit in his, & cæteris rebus omnibus Summi Pontificis authoritas, quam præsertim vitæ munditia atque innocentia comitatur, quæ sunt in præfato Sanctissimo Domino nostro conspicua, paternis suæ sanctitatis monitis & suasionibus abunde permotus, quippe qui illius authoritati & sententiæ, potius quam alterius cuiusquam mortalium sanctius & seuerius semper stare iudicauit, præsertim vbi scandalum Ecclesiæ imminet, & scissura: pro singulari quam erga præfatum sanctissimum Dominum nostrum, & Sanctam sedem Apostolicam gerit deuotionem, vestigia Christianorum Franciæ Regum prædecessorum suorum, non solum imitari, verum etiam si fieri potest anteire cupiens, animaduertens præsertim, quod per mortem præfati Iulii, omnis odii & suspicionis materia est extincta, & quod nonnulli ex prænominatis Cardinalibus, nec non Imperator electus, qui dictum prætensum Concilium Pisanum indixerant, iam illi renunciarunt, & dicto Lateranensi adhæserunt.

Hinc est quod in præsentia præfati sanctissimi Domini nostri Leonis Papæ Decimi, coram nobis Notariis & testibus infrascriptis pei sonaliter constituti Reuerendissimus in Christo Dominus Federicus Sancti Theodori Diaconus Cardinal. de Sancto Seuerino vulgariter nuncupatus, necnon Reuerendus in Christo Pater Dnus Claudius de Seyssello Electus Massiliensis, ac Magnificus & Generosus Dominus Ludouicus Forbin Dominus de Solerus, præfati Christianissimi Ludouici Francorum Regis Procuratores, ad omnia & singula infrascripta peragenda specialiter deputati, constantibus litteris patentibus dicti Christianissimi Regis suæ manu subscriptis, & sigillo suo sigillatis, eiusdem Regis nomine & mandato, cuim ea qua decuit reuerentia atque humilitate à dicto prætenso Pisano Concilio penitus discesserunt, atque plenarie renunciauerunt, ac pure, libere, & simpliciter Sacrosancto Lateranensi Concilio prædicto, tamquam vero, vnico, & legitimo adhæserunt. Et insuper Procuratorio nomine quo supra promiserunt, quod præfatus Rex Christianissimus, nullum deinceps fauorem, nullamque assistentiam dicto prætenso Concilio Pisano quoquo pacto præstabit; quinimo quoscumque in ciuitate Lugduni, aut alibi in regno, terris, & dominiis suis sub nomine dicti prætensi Concilii Pisani persistentes, infra vnum mensem proxime futurum abire faciet, & pertinaciter resistentes, cuiuscumque status, gradus, dignitatis, aut conditionis fuerint, Ecclesiastici vel seculares de facto eiciet, & expellet, ac pro Schismaticis habebit, & contra eos velut tales, ad omne mandatum præfati Sanctissimi D. N. etiam manu armata si opus fuerit procedet. Et vlterius promiserunt præfati Procuratores nomine quo supra, prænominatum Christianissimum Regem facturum & curaturum cum effectu, quod sex Prælati, & quatuor Doctores, seu Graduati, ex honoratioribus, ex numero eorum qui prædicto prætenso Concilio Pisano interuenerunt destinabuntur, ad eundem Sanctissimum D. N. Papam, nomine dicti prætensi Concilii Pisani, & cum legitimo mandato per illud pro tempore repræsentantes, tam eorum, quàm aliorum omnium qui dicto Concilio adhæserunt nomine facto, qui Prælati, & Doctores, seu Graduati, intra Kalendas Ianuarii proxime futuri, coram sua Sanctitate personaliter comparebunt; dicto; Concilio Pisano, pure & simpliciter renunciabunt, illudq; abiurabunt, & veniam atq; absolutionem à sua sanctitate in forma conuenienti & sua Sanctitati accepta postulabunt; & vltra dicto Concilio Lateran. tam quam vero, vnico indubitatoq;, tam suo quam aliorum adhærentium prædictorū nomine adhærebunt, & se incorporabunt; quodque si præmissa facta non fuerint, præfatus Rex nulli eorum qui dicto prætenso Concilio Pisano interfuerunt, aut fauerunt, opem, auxilium, aut fauorem dabit aduersus Sanctæ Sedis Apostolicæ auctoritatem: quinimo præfati Sanctissimi Domini nostri sententias, decreta, & censuras contra eos exequi faciet suo posse, etiam manu forti & armata (si opus sit) absque vlla simulatione, vel fraude. Et vlterius promiserunt præfati Procuratores, quo supra nomine, quod quamprimum commode fieri poterit, veniens aliqui Prælati & instigues viri nomine totius Ecclesiæ Gallicanæ, cum sufficienti mandato, quod dicto Concilio Lateranensi adhærebunt, & assistent, quemadmodum cæteræ nationes. Quæ omnia & singula prænominati Procuratores promiserunt ratificari facere per præfatum Christianissimum Regem, in bona & sufficienti forma, cum præinsertione præsentis instrumenti de verbo ad verbum, inter quadraginta dies proxime futuros, sub obligationibus, & submissionibus in forma.

Ego F. Diaconus Card. Sancti Angeli de Sancto Seuerino.
Ego Claudius Electus Massiliensis manu propria ita promitto.
Ego Ludouicus de Soleriis manu propria ita promitto.

Ego Petrus Bembus Clericus Venetiarum, Sanctissimi Domini nostri Papæ Secretarius, ac publicus Apostolica auctoritate Notarius, quoniam præmissis omnibus & singulis dum sic, (vt prædictum est) in ante cubiculo Sanctissimi Domini nostri Papæ, atque in eius præsentia Reuerendissimorumque Dominorum A. tituli Sancti Vitalis presbyteri Cardinalis Papiensis, & P. tituli Sancti Eusebii presbyteri Cardinalis Anconitanensis, & L. Sanctorum Quatuor presbyteri Cardinalis de Pucciis, ac Iul. Sanctæ Mariæ in Dominica Diaconi Cardinalis de Medicis tractarentur, & fierent, præsentibus etiam testibus ad id vocatis, Philippo Aldimario, Latino de Benassais, ac Ioanni Lazaro Pulica requisitis rogatus interfui, eaque ita fieri vidi & audiui, & hoc ipsum publicum instrumentum aliis impeditus negotiis alterius manuscriptum confeci, & in hanc publicam formam redegi, signumque meum, atque nomen in prædictorum fidem apposui. Anno Domini M. D. XIII. Indictione prima, die VI. mensis Octobris, Pontificatus eiusdem Sanctissimi Domini nostri anno primo signatum.

Idem B. Hinc est, quod nos de dictis promissionibus, obligationibus & submissionibus, totoque tenore dicti instrumenti præsentibus inserti ad totum informati, ex certa nostra scientia, & Regia auctoritate, omnia & singula in dicto instrumento contenta, harum tenore laudamus, ratificamus & approbamus, illaque obseruare & attendere, in nulloque contrauenire vel facere aliquatione, vel caussa promittimus, bona fide nostra, & in verbo Regio, ac sub expressa obligatione omnium bonorum nostrorum præsentium & futurorum. In quorum fidem præsentes manu nostra subscriptas, iussimus sigilli nostri munimine roborari. Datum Corbeye, die 26. mensis Octobris. Anno Domini M. D. XIII. & regni nostri XVI.

Procuratorium.

Ludouicus Dei gratia Francorum Rex, Dux Mediolani, Dominus Genuæ, Vniuersis præsentes litteras inspecturis salutem. Notum facimus, quod nos confidentes de prudentia, dexteritate, diligentia & fide charissimi & amantissimi consanguinei Cardinalis de Sancto Seuerino, protectoris negotiorum nostrorum in Romana Curia, & dilectorum ac fidelium Consiliariorum nostrorum Episcopi Massiliensis, & Domini de Solerils, Oratorum per nos destinatorum ad sanctissimum Papam, eosdem, & quemlibet eorum ex nostra certa scientia, & auctoritate Regia fecimus, & constituimus, ac per præsentes facimus, & constituimus nostros veros, & indubitatos Procuratores, generales & speciales, ita tamen quod specialitas generalitati non deroget, nec contra, ad petendum nomine nostro, & Ecclesiæ Gallicanæ: pro qua quo ad hoc promittimus, à Sanctissimo Domino nostro Papa, & à Sacro Concilio Lateranensi, in sessione quæ proxime celebrabitur, aut alias prout ei videbitur, terminum & dilationem competentem, pro dicta Ecclesia Gallicana, vt interea possint congregari, deputari, & mitti aliqui prælati, & aliæ notabiles personæ, ad se præsentandum in dicto Sancto Lateranensi Concilio, & ibidem super facto Pragmaticæ Sanctionis respondendi. Considerat quod antea, & in præsenti propter bella & dissensiones quæ sunt in Italia, non fuit, neque tutum est ijsdem Prælatis & aliis personis dictæ Ecclesiæ Gallicanæ Romam posse accedere; & quod dicta Ecclesia Gallicana cum in præsentia congregata non sit, ad se congregandum propter regni magnitudinem, distantiam Diœcesum, & habitationum dictorum Prælatorum, nec non propter bella quæ in limitibus regni nostri geruntur; indiget temporis spatio conuenienti. Et insuper ad requirendum à præfato sanctissimo Domino nostro Papa, & Sacro Concilio Lateranensi prædicto, tam nostro, quam dictæ Ecclesiæ Gallicanæ nomine, pro qua promittimus, (vt præfertur) ne vllo modo velint procedere in facto prædictæ Pragmaticæ Sanctionis, dicta Ecclesia Gallicana, & nostris Procuratoribus, & deputatis non auditis, & ad petendum, & requirendum de præmissis instrumentum publicum: loco & tempore profuturum, & valiturum, prout iuris fuerit. In quorum fidem præsentes litteras manu nostra scripsimus, & sigilli nostri iussimus munimine roborari. Datum Corbiæ die XXVI. Octobris

Anno salutis M. D. XIII. & regni nostri XVI. Loys. Per Regem Robertes.

Quo finito, Reuerendissimus Pater Dominus Marinus Charatius Prothonotarius Apostolicus, Orator Illustrissimi Domini Ducis Mediolanensis supplicauit Sanctissimo Domino nostro ne permitteret, quod Christianissimus Rex Franciæ nominaret se Ducem Mediolani in mandato: attento quod ipse vsurpauerit Ducatum Mediolanensem, & dictus Dux auxilio Sanctæ sedis recuperauerat, alias protestabatur &c. Ex aduerso Reuerendissimus Pater Dominus Claudius Episcopus Massilienfis dixit, illa alio loco & tempore determinari debere, & tandem Pontifex respondit, quod omnia dicta transirent sine præiudicio. Post quæ, lectum fuit mandatum Ioachimi Marchionis Brandeburgensis, qui Oratoribus missis adhærebat Concilio Lateranensi, cui etiam æquale mandatum Guilhelmi Marchionis Montisferrati, eodem in loco lectum fuit, quo finito, Marius Procurator Concilii dedit infrascriptam supplicationem Pontifici, contra quosdam exprouincia Prouinciæ quæ sic habet.

*Beatissime Pater. Licet Prouincia Prouinciæ, illiusque Clerici in quacunque dignitate constituti, ac personæ seculares, semper sedi Apostolicæ non minus debitam quam deuotam obedientiam præstiterint, illique paruerint, resque & personas Ecclesiasticas debita libertate & immunitate frui permiserint, & in eadem defendere, & manu tenere conati fuerint: nihilominus iniquitatis filij Gerualsus de Billomonte præsidens, Petrus de Braudis, Bertrandus Duranti, Petrus Matthæi, Simon de Trabuciis, Guilhelmus de Perrerio, Marcellinus Giuriuand, Elziarius Rostagin, Ioannes Torualoris, Antonius de Albis, Stephanus Parisij necnon Reuerend. Patres, Dominus Augustinus de Grimaldo Episcopus Graſſensis, ac etiam Episcopus Senecensis Franciscus de Senatro, Tossantius Corriolis, Consiliarii Curiæ Regiæ Parlamenti dictæ prouinciæ Prouinciæ, nec non administrantes iustitiam inter laicos per Christianissimum Franciæ Regem deputati, Parlamentum dictæ prouinciæ Prouinciæ nuncupatum, Dei timore postposito, relaxatis debita obedientia habenis, vt tyrannidem plenarie sibi in dicta prouincia vsurparent, omni mala tentare, authoritatem sedis Apostolicæ nedum paruifacere, sed illam sibi vendicare non erubescunt. Nam & si litteras à sanctitate vestra, sedeque Apostolica illius authoritate, tamex gratia, quam iustitiæ debito decretas, promptam & paratam executionem habere decent, prout in eadem prouincia per antea semper habuerunt, illi tamen, ne illas quisquam sine eorum licentia in scriptis obtentæ, quam annexam appellant, in eadem prouincia exequatur, sub grauissimis pœnis inhibuerunt, quin etiam requisiti pluries, illam denegant; sicque impetrationem litterarum Apostolicarum eodem modo frustrantur; quod profecto nihil aliud est, nisi in hanc sanctissimam sedem, superbiam Sathanæ imitando, ceruicem erigere. Et licet ipsis in Clericos, resque Ecclesiasticas nulla penitus competat iurisdictio, Ecclesias tamen per se, vel alios, Ordinarijs inscijs, & irrequisitis visitant, numerum deseruientium in illis pro libito minuunt, augent, fructus pro conficta reparatione Ecclesiarum ad simplicem requisitionem sub sequestro detineri iubent, eosque fructus in manibus eorundem laicorum deponunt, & quosque sub hoc conficto colore vsurpant: Causas spirituales & beneficiales, non tantum super possessorio, sed etiam sub possessorij conficto colore, super titulo audiunt, partesque, quacumque, etiamsi Episcopali, ac Cardinalatus præfulgeant dignitate, coram eis, contra omne ius & fas, per fas & nefas litigare cogunt; & ne ad sedem Apostolicam recursum habeant, prohibent, & contra facientes grauissimis pœnis, per subtractionem bonorum temporalium afficiunt; Beneficia vacantia, etiam aliis canonicè collata fuerint, perse, vel eorum nepotes, propinquos, & amicos occupant, & occupata detinent, ad manus Regias capiunt, annotant, & quos volunt in eis instituunt, nec illis quibus ius in eis, vel ad ea competit, propter eorum authoritatem & tyrannidem ius suum prosequi licet. Quin etiam contra quascumque personas, quauis, etiam Episcopali fulgentes dignitate, inquirunt, citant, coram se personaliter comparere compellunt, procedunt, mulctant, & puniunt, computa & rationes quarumcumque personarum Ecclesiasticarum, etiam Regularium, pro eorum dignitate, perse, seu Commissarios Laicos reddere, & reliqua præstare, coram eisdem laicis cogunt; ordinationesque faciunt, & indicunt, super modo & forma psallendi, seu cantandi in choro; super habitu, & modo incedendi: Quantitates, & summas pecuniarum pro dictis Commissionibus, à dictis Ecclesiasticis exigunt, & sub colore reparationis Ecclesiarum Commissarios laicos mandant, ad capiendos fructus beneficiorum, quos multipliciter distrahunt, dilaniant, & in proprios vsus conuertunt: & quod nefariissimum est, in Ecclesiastici Ordinis, dignitatisque Episcopalis dedecus, & vilipendium, astante populi multitudine, per eorum Procuratorem Fiscalem, etiam Episcopos, coram eis pro tribunali sedentes, nudato capite stantes, de variis criminibus accusari, obiurgari, & opprobria prædicare non dubitant. Ita quod omnem Ordinariis locorum iurisdictionem, authoritatem, & obedientiam subtraxerunt, & dictæ Prouinciæ Clerum in teterrimam seruitutem subegerunt: Cum etiam laicis obedientiam Ecclesiasticis personis debitam, quauis dignitate ac honore præditis subtrahentibus assistant: quin potius eos in eorum nefando proposito confouent, & protegunt, ipsique Ordinariis, ne in Clericos, vel laicos sua iurisdictione vtantur, sub amissione temporalitatis, & aliis pœnis inhibent, ac damnatam Pragmaticam Sanctionem in eadem Prouincia imprudenter introducere, & obseruari facere, aliaque nefandissima & detestanda abomni iure, & ratione aliena facinora indies peragere & perpetrare, ac eorum damnatas constitutiones, ordinationes seu statuta, & abusiones desuper edere, & promulgare satagunt, in sedis Apostolicæ notorium contemptum, in grauissimum totius Cleri dictæ Prouinciæ detrimentum, populorumque scandalum, & aliorum perniciosissimum exemplum; sententias, censuras, & pœnas, tam à iure communi, quam etiam à sacris Constitutionibus per Eugenium IIII. & alios Romanos Pontifices Sanctitatis vestræ prædecessores, etiam in die Cœnæ Domini, quotannis publicatis, editis, & promulgatis, damnabiliter incurrendo. Et quoniam, Pater Beatissime, præmissa sunt perniciosissimi exempli, & adeo publica & notoria, vt nulla possint tergiuersatione celari, nec vllo quouis modo, præsertim hoc sacro Lateranensi imminenti Concilio conniuentibus oculis subsilentio vlteriusimpunita dimitti, & tolerari conueniant: Ideo ego Marius de Peruschis, vestræ Sanctitatis & Fisci sedis Apostolicæ Procurator, ad cuius officium etiam in præmissis animaduertere spectat in hoc sacro Lateranensi Concilio, ad pedes Vestræ Sanctitatis humilis & suppellex, flexis genibus hodie constitutus, cum debita reuerentia supplico Sanctitati vestræ, vt illa, hoc sacro Lateranensi approbante Concilio, in præmissis tam publicis & notoriis, & quæ vlteriori probatione non indigent, debitas, conuenientes prouisiones adhibere dignetur, ac contra prænominatos præsidentes & consiliarios, necnon Dominos Honoratum Laugerij Aduocatum, & N. Procuratores Fiscales dictæ Curiæ Parlamenti Prouincie, Clericos & Laicos, Præsidentes, Officiales, & alios forsan in eorum locum in dicto Parlamento deputatos, & deputandos, eorumque complices, fautores & adherentes, etiam maiores, expressos, & in executione nominandos, vt omnes, & quascumque prohibitiones, ordinationes, mandata, decreta, per eos hactenus quomodolibet contra libertatem Ecclesiasticam, & canonicas Sanctiones; & ipsorum Pontificum Constitutiones, resque & personas Ecclesiasticas quouis modo concernentes, & concernentia, factas & editas penitus cassent, irritent, & annullent, irritaque & inania declarent, Ordinariosque, Collegia Ecclesiastica, & Monasteria, ac Ecclesiasticas quascumque personas, sua iurisdictione, immunitate, libertate, ac priuilegiis quibuscumque vti & frui permittant, ac res quomodolibet, directe, vel indirecte non impediant, Ecclesiasque, Monasteria, & personas Ecclesiasticas ad pristinam possessionem priuilegiorum, iurium, iurisdictionum, & bonorum per eos, vel de eorum mandato ad alterius instantiam occupatorum, & ablatorum, cum damnis, expensis, & interesse, propriis expensis ipsorum realiter reintegrent, & restituant, & ab eiusdem damnatæ Pragmaticæ Sanctionis introductione, & abusu, præmissisque omnibus & singulis, & aliis quibuscumque, etiam hic non expressis eximinibus, transgressionibus, & excessibus contra libertatem Ecclesiasticam, & in vilipendium ac contemptum sedis Apostolicæ tendentibus, in futurum, in actis caussæ si opus fuerit latius exprimendis, de cætero penitus se retrahere, & abstinere, ac de cassatione, reuocatione, & declaratione huiusmodi per publica documenta, ibidem voces preconis bannita, & publicata, coram vestra sanctitate in hoc sacro Concilio legitime doceant: & nihilominus personaliter

liter, & non per Procuratorem coram vestra sanctitate, in hoc sacro Lateranensi Concilio, vel alio iudice per eundem deputando, ad se de præmissis excusandum, & iuri standum, sub maioris excommunicationis, omnibusque aliis & singulis censuris, & pœnis, à iure communi, & Sacris Constitutionibus prædictis editis & promulgatis, ac decem millium ducatorum auri pro quolibet, ac omnium beneficiorum Ecclesiasticorum, dignitatum Ecclesiasticarum, etiam Cathedralium, ac inhabilitate ad præmissa, & alia obtinenda; & quo ad laicos, sub censuris & pœnis Ecclesiasticis, & pecuniarijs prædictis, ac perpetua infamia, priuationis feudorum, incapacitatis actuum legitimorum, ac testamenti factione actiue & passiue, inhabilitatis eorum, & cuiuslibet eorum filiorum vsque ad tertium generationem pœnis. Monitorium contra eosdem, & alios etiam in executione nominandos, sub certo termino per sanctitatem vestram statuendo, ac etiam per edictum publicum exequendum & publicandum. attento, quod etiam notorie constat de non tuto accessu, decernere & concedere dignemini, & in euentum non paritionis, omnes & singulas sententias, & censuras, & pœnas prædictas eosdem, & quemlibet eorum incidisse, & incurrisse declarare, aggrauare, reaggrauare ac interdictum Ecclesiasticum, etiam in omnibus & singulis ciuitatibus, castris, oppidis, & locis, in quibus, & ad quæ ipsos, vel eorum aliquem declinare, stare, vel morari contigerit, decernere & apponere, ac apponi mandare, vsque ad inuocationem brachii secularis inclusiue procedere. seu declarari, apponi, ac procedi, mandare dignemini. In contrarium facientibus, non obstantibus quibuscunque prænarratorum, & aliorum latius in monitorio decernendo specificandorum qualitates, & circumstantias omnino pro expressis habendo. Die Lunæ XIX. Decembris M. D. XIII.

Et tunc Pontifex, eodem sacro Lateranensi approbante Concilio, monitorium pœnale; etiam ad personaliter comparendum, contra personas in eadem cedula annotatas, & designatas, sub pœnis & censuris omnibus, & singulis in eadem cedula expressis, ac sub termino triummensium, & per edictum in Auinionen. Nicien. & Vintimilien. ciuitatibus exequendum decreuit, atque concessit, & tradi mandauit; attento quod idem Pontifex eodem sacro approbante Concilio affirmauit sibi notorium constare, de contentis & expositis in cedula prædicta. Postmodum vero exclusis de more, de loco Concilii, omnibus non habentibus voces definitiuas, remanentibus in suis subsellijs Prælatis post Cardinales mitratis, & sacris vestibus indutis, in præsentia Pontificis Ioannes Archiepiscopus Gnesnensis Orator Poloniæ ascendit ambonem, & legit quandam cedulam super F. de tenoris infrascripta.

Leo Episcopus Seruus seruorum Dei. Ad perpetuam rei memoriam. Sacro approbante Concilio. Apostolici regiminis sollicitudo nos assidue pulsat, vt medendis animarum languoribus, quarum nos ex alto omnipotens auctor curam habere voluit, iis potissimum qui instantius fidele: nunc vrgere cernuntur, salutifero olei & vini medicamine ad instar Samaritani in Euangelio sollicitam operam impendamus; ne nobis illud Hieremiæ obiiciatur: Nunquid resina non est in Galaad, aut medicus non est ibi? Cum itaque diebus nostris (quod dolenter ferimus) Zizaniæ seminator antiquus, humani generis hostis, nonnullos pernitiosissimos errores à fidelibus semper explosos, in agro Domini superseminare & augere sit ausus, de natura præsertim animæ rationalis, quod videlicet mortalis sit, aut vnica in cunctis hominibus; & nonnulli temere philosophantes, secundum saltem philosophiam verum esse asseuerant; contra huiusmodi pestem opportuna remedia adhibere cupientes, hoc sacro approbante Concilio, damnamus & reprobamus omnes asserentes, Animam intellectiuam mortalem esse, aut vnicam in cunctis hominibus, & hac in dubium vertentes; cum illa non solum vere, perse, & essentialiter humani corporis forma existat, sicut in canone felicis recordationis Clementis Papæ Quinti prædecessoris nostri in Generali Viennensi Concilio edito continetur, verum & immortalis, & pro corporum quibus infunditur multitudine singulariter multiplicabilis, & multiplicata, & multiplicanda sit, quod manifeste constat ex Euangelio, cum Dominus ait, Animam autem occidere non possunt, & alibi; Qui odit animam suam in hoc mundo, in vitam æternam custodit eam: & cum æterna præmia, & æterna supplicia pro merito vitæ iudicandis repromittit, alias incarnatio, & alia Christi mysteria nobis minime profuissent, nec resurrectio expectanda foret, ac sancti & iusti miserabiliores essent, iuxta Apostolorum, cunctis hominibus.

Cumque verum vero minime contradicat, omnem assertionem veritati illuminatæ fidei contrariam omnino falsam esse definimus, & vt aliter dogmatizare non liceat districtius inhibemus, omnesque huiusmodi erroris assertionibus inhærentes, velut damnatissimas hereses seminantes, per omnia vt detestabiles, & abominabiles hereticos, & infideles, Catholicam fidem labefactantes, vitandos & puniendos fore decernimus. Insuper omnibus & singulis Philosophis in vniuersitatibus studiorum Generalium, & alibi publice legentibus, districte præcipiendo mandamus, vt cum Philosophorum principia, aut conclusiones, in quibus à recta fide deuiare noscuntur auditoribus suis legerint, seu explanauerint, quale hoc de animæ mortalitate, aut vnitate, & mundi eternitate, ac alia huiusmodi, teneantur eisdem veritatem religionis Christianæ omni conatu manifestam facere, & persuadendo pro posse docere, ac omni studio huiusmodi philosophorum argumenta, cum omnia soluibilia existant, pro viribus excludere, atque resoluere.

Et cum non sufficiat aliquando tribulorum radices præscindere, nisi & ne iterum pullulent, funditus euellere, ac eorum semina, originalesque causas vnde facile oriuntur remouere, cum præcipue humanæ philosophiæ studia diuturniora, quam Deus secundum verbum Apostoli euacuauit, & stultam fecit, absque diuinæ sapientiæ condimento, & quæ sine reuelatæ veritatis lumine in errorem quandoque magis inducunt, quam in veritatis elucidationem; ad tollendam omnem in præmissis errandi occasionem, hac salutari constitutione ordinamus & statuimus, ne quisquam de cætero in Sacris Ordinibus constitutus, secularis, vel regularis, aut alias ad illos à iure arctatus in studiis Generalibus, & alibi publice audiendo, Philosophiæ, aut Poesis studiis vltra quinquennium, posti Grammaticam & Dialecticam, sine aliquo studio Theologiæ, aut iuris Pontificii incumbat, verum dicto exacto quinquennio, si ex illis studiis insudare voluerit, liberum sit ei, dum tamen simul aut seorsum, aut Theologiæ, aut sacris canonibus operam nauauerit; vt in his sanctis & vtilibus professionibus Sacerdotes Domini inueniant, vnde infectas Philosophiæ & Poesis radices purgare & sanare valeant. & hos canones per Ordinarios locorum vbi Generalia studia vigent, & Rectores vniuersitatis eorundem studiorum, singulis annis in principio studii, in virtute sanctæ obedientiæ publicari mandamus. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ damnationis, reprobationis, definitionis, inhibitionis, decreti, ordinationis, statuti & mandati infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem Omnipotentis Dei, & Beatorum Petri & Pauli Apostolorum eius se nouerit incursurum. Datum Romæ in publica sessione, in Lateranensi Sacrosancta Basilica solemniter celebrata. Anno Incarnationis Dominicæ M. D. XIII. Quartodecimo Calend. Ianuarii. Pontificatus nostri anno primo.

Qua per lecta petiit, an placerent Patribus contenta in cedula. & omnes responderunt simpliciter placere, excepto Nicolao Episcopo Bergomensi, qui dixit, quod non placebat sibi, quod Theologi imponerent Philosophis disputantibus de vnitate intellectus, ram quam de materia posita de mente Aristotelis, quam sibi imponit Auerroes, licet secundum veritatem talis opinio est falsa. & Thomas Caietanus Generalis Ordinis Prædicatorum dixit, quod non placet secunda pars bullæ, præcipiens Philosophis, vt publice persuadendo doceant veritatem fidei. cum hoc ad Theologos pertineat. Occasionem huic suprascriptæ sanctioni dedit Petrus Pomponatius Mantuanus, qui enarrans emendata ac leui locutione Aristotelem & Auerroem Bononiæ, animas post corporis mortem interituras ex sententia Aristotelis probare conatus, iuuentutem valde corruperat, & ad dissoluendam Christianæ vitæ disciplinam iecerat fœda fundamenta: seq; eo tuebatur, quod philosophice loqueretur, sed aliter, cum Christianus esset sentiret. Porro male etiam audiebant humanitatis studia atque bonæ literæ ob peruersa aliquot ingenia, qui auditores Pomponii Læti, Phædri, Angeli Politiani, atque Do-

mitii Calderini, eiusque farinæ hominum fuerant. Hi enim veterem Rempubl. Romanam somniantes Romulum colere neglecta pietate, ac Numæ ceremonias sacrosque ritus antiquorum Romanorum creparе soliti erant.

Celebrabat Pomponius Natalem verbis, & se Dictatorem, Phædrum autem Magistrum equitum nominabat. Politianus totam sacram lectionem aspernabatur, dicens se non posse Barbarizare; inuehebaturque canino dente in eos, qui cultu simpliciore atque incessu pietatem ostentabant. Calderinus etiam sacra Christiana aspernabatur, occupatus Priapeis carminibus exponendis & Martiale. nec reuerebantur homines impii Scripturæ verb s ad modum antiquæ Satyræ aburi, vt mores hominum sub Pasquilli vmbra, etiam illustrium carperent. *Opmerus in opere Chronographico.*

Deinde Io. Vincentius Archiepiscopus Senensis ascendit ambonem, & legit quandam cedulam super pacem, tenoris infrascripti.

Leo Episcopus, Seruus Seruorum Dei. Ad futuram rei memoriam. Sacro approbante Concilio. Ad omnipotentis & individuæ Trinitatis laudem, & gloriam illius cuius vices in terris gerimus, & qui pacem & concordiam nutrit in sublimibus, pacemque ipsam è mundo discedens, iure quodam hereditario suis reliquit discipulis, Sacrum Lateranense Concilium prosequentes; cum alias inter cætera in septima proxime precedenti sessione, vt imminenti & notorio Christi fidelium periculo, Christianique sanguinis effusioni, qui exigentibus nostris culpis etiam tunc effundebatur, occurreretur, dissensionesque inter Christianos Reges, & Principes, & gentes tollerentur, & inter ipsos totis viribus pacem quærere cogeremur, cuius componendæ vna ex principalioribus congregationibus Concilii præfati causa extiterat, vt pax ipsa sequeretur, inuiolataque perduraret, & debitæ executioni demandaretur; his præsertim temporibus, quibus potentiam infidelium mirum in modum creuisse cognoscebatur, eodem Sacro Concilio approbante, ad Reges, Principes, Potentatusque præfatos, Legatos & Nuncios pacis vigiles, doctrina, experientia, probitate insignes, pro tractanda & componenda vniuersali pace mittere disposuimus & decreuimus, vtque arma deponent Domino auxiliante (quantum in nobis esset) pro viribus laborare & operari, Regumque, Principum, & Potentatuum prædictorum Oratores in ipso Concilio tunc præsentes, pro Apostolicæ sedis reuerentia, fideliumque vnione requisimus, vt Regibus, Principibus, & Potentatibus sitis ea significarent, easque nomine nostro hortarentur, ad ipsos Legatos Apostolicos benigne & honorifice tractandum, & audiendum, votisque nostris tam iustis & piis per eos illis exponendis, satisfaciendum. quod eos facturos nobis persuadebamus, vt quantocius fieri posset, per nos mittendi, legationis munus eis impositum alacriter susciperent, susceptumque viriliter implere possent, ac Patre luminum, à quo est omne datum optimum, fauente, pax ipsa tractari atque componi, eaque composita, sancta & necessaria contra infidelium rabiem Christiano sanguine satiari anhelantem, expedite fieri valeret, & pro totius Christianitatis securitate & quiete feliciter terminari: nosque postmodum pro debito Pastoralis officij, pacem & vnitatem ipsam, cum vniuerso populo Christiano, tum maxime eisdem Regibus, Principibus, & Potentatibus, ex intimo cordis affectu optantes, ex quorum dissensione diuturniora, & grauiora indies Christianæ Reipublicæ damna prouenire posse formidabatur, ex eorum authoritate, pace & vnitate eidem Reipublicæ vtiliter & salubriter consuleum iri sperabatur; Nuncios nostros, & litteras ad præfatos Reges, Principes & Potentatus inter se dissidentes hortandos, requirendos, monendosque misimus; nilque (quantum in nobis fuit) omisimus tractare, & operari omni nostro conatu, vt semotis quibuscuis dissidiis atque discordiis, vnanimi tandem consensu, gratia, & amore ad vniuersalem pacem, concordiam & vnionem redire vellent; ne vlterius per immanissimum Turcorum tyrannum, ac infideles alios damna Christianis inferrentur, sed ad reprimendum gentium illarum immanem furorem, elatosque conatus accingerentur. Quæ cum ita sint, nos cuncta ad optatum finem perduci, omni cogitatione, cura, studio, ac sedulitate affectantes, & dante Domino confidentes, Legatos de Latere nostro, Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinales, in Consistorio nostro secreto de Fratrum nostrorum consilio per nos postmodum nominandos, cum auctoritate & facultatibus, necessariis & opportunis, tamquam Angelos pacis, pro huiusmodi Christianorum pace vniuersali tractanda, componenda, & concludenda, expeditioneque contra infideles ineunda, eodem sacro Concilio approbante, ad eosdem Reges, pro eorum Regia magnanimitate, & erga Catholicam fidem deuotione, prompto & alacri animo, ad vtrumque Sanctissimum opus, pacis expeditionisque inducendos, pro vniuersa Reipublicæ Christianæ integra atque perfecta tutela, defensione, & salute mittendos, & destinandos esse decreuimus.

Præterea, cum ex diuturna & multiplici hæresi Bohemorum plurimum Deus offendatur, & Christianus populus scandalizetur, quorum etiam ad veræ fidei lumen atque concordiam reducendorum prouincia, dilecto filio nostro Thomæ tituli Sancti Martini in montibus presbytero Cardinali Strigoniensi, ad Hungariam, & Boemiam nostro & Apostolicæ sedis Legato, est à nobis his proximis diebus plene demandata; eosdem tamen hortamur in Domino, aut vel ad nos, & hoc sacrum Lateranense Concilium, vel ad eundem Thomam Cardinalem Legatum, qui propinquior illis erit, aliquot ex suis Oratores, cum sufficienti mandato destinare non negligant, ad tractandum de opportuno remedio, qui errores, quibus diu detinentur agnoscant, & ad verum religionis cultum, & Sanctæ Matris Ecclesiæ gremium Deo duce reducantur. Quibus hoc sacro approbante Concilio veniendi, eundi, quousque præmissa tractanda duraverint, & postmodum discedendi, & ad propria redeundi, in fide Pontificia, liberum Saluum Conductum, & fidem publicam tenore præsentium concedimus, & elargimur, eorumque votis quantum cum Deo poterimus annuemus. Vt autem hoc sacrum Lateranense Concilium, ad finem vbertimæ speratæque vtilitatis perducatur, alia namque plura & gratia in eo tractanda, discutiendaque remaneant, ad Omnipotentis Dei laudem, & Ecclesiæ suæ exaltationem, nonam sessionem continuationis celebrationis ipsius sacri Lateranensis Concilii ad Nonas Aprilis M. D. XIIII. Pontificatus nostri anno I. quæ erit quarta feria post Dominicam Passionis, Sacro Concilio approbante indicimus. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ Constitutionis, concessionis, elargitionis, & indictionis infringere, vel ei ausu temerario contraire, si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem Omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri & Pauli Apostolorum eius se nouerit incursurum. Datum Romæ in publica sessione Lateranensi in Sacrosancta Basilica solenniter celebrata. Anno Incarnationis Dominicæ M.D.XIII. Quarto decimo Cal. Ianuarii. Pontificatus nostri anno I.

Lecta superior Bulla, placuit omnibus Patribus. Infrascripta super reformationem legit Io. Franciscus Episcopus Taurinensis.

Leo Episcopus, seruus seruorum Dei. Ad perpetuam rei memoriam. Sacro approbante Concilio. In Apostolici culminis specula diuinæ gratiæ munere collocati, nihil magis esse nostri officii duximus, quam sedulo ac diligenter omnia circumspicere, quæ ad Catholicæ nobis commissi gregis custodiam, incolumitatem, augmentum pertinere possent, & in hoc ipsum omnes industriæ nervos, omnes animi ingenique vires contulimus. Cumque igitur sæpe Iulius Papa Secundus prædecessor noster, vt erat fidelium commodis sollicitus, & tutelæ studiosus, tum aliis multis de causis, tum quia frequens circa Romanæ Curiæ Officiales querimonia vrgebat, Oecumenicum Lateranense Concilium indixisset, & deputatis variis Venerabilium fratrum suorum sanctæ Rom. Ecclesiæ Cardinalium, de quorum numero tunc eramus, & Prælatorum insuper congregationibus, qui de quærelis ipsis accurate inquirerent, & ne Curiales interim, & alij ad Curiam pro gratijs accedentes, nimio expensarum onere fatigarentur. Simul vt infamia qua dicti Officiales flagrabant mitigaretur celeri remedio, Bullam reformationis edidisset, qua illi officiorum statutis custodiendis sub graui pœna denuo astringebantur; nec circa excessus specialiter decernere, aut Concilium absoluere morte præuentus quiuisset: Nos eius non minus curæ, quam officij successores, initio statum nostri Pontificatus, & continuare Synodum, & pacem inter Christianos Principes procurare, nec minus cum vniuersalem reformationem perficere nostræ mentis sit, primum à prædecessore ipso super Officijs prouisa, nouis fulcire subsidiis, & auctis deputationibus exequi non destitimus. Enimuero nulla vehementior cura nos angit, quam vt tribuli & sentes ex Dominico agro eruantur, & si quid est quod eius culturæ officiat, radicitus euellatur, atque extirpetur. Sedula ergo à deputatis relatione habita, & quid à quibus exorbitaretur animaduerso, vt quæque vel à decenti & laudabili more, vel à primæua institutione defecerant, ad normam vetraximus, & ea in vnam

refor-

reformationis bullam, sacro approbante Concilio super hoc editam, ex ordine congessimus, in eaque executores quiordinata seruari cogerent deputauimus: Quam ab Officialibus ipsis, & cæteris, vt quemque tanget, sine fraude & inuiolabiliter obseruari, hoc sacro approbante Concilio, mandamus sub excommunicationis latæ sententiæ pœna, à qua nisi per Romanum Pontificem (excepto mortis articulo) absolui non possint. Ita vt vltra hanc, & alias pœnas in Bulla ipsa particulariter expressas, contrauenientes. Officio in quo deliquerint, ad semestre tempus sint eo ipso suspensi; & si secundo erranerint in eodem officio, quod quantum in se fuit coinquinarunt, perpetuo careant. Qui, postquam constitutione nostra ad frugem reducti erunt, inhibito atque sublato communi damno, ad cæteras reformationis partes procedemus. & si nobis omnipotens pro sua misericordia concesserit, vt pacem inter Christianos Principes componamus, non noxiis solum seminibus extirpandis, sed & propagandis Christi finibus insistemus, ac sanctissimam contra infideles expeditionem, cuius desiderium assidue cordi nostro inhæret, Deo ipso rei suæ fauente, eorundem fulti præsidiis aggrediemur. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostri mandati infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem Omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri & Pauli Apostolorum eius se nouerit incursurum. Datum Romæ in publica sessione, in Lateranensi Sacrosancta Basilica solenniter celebrata. Anno Incarnationis Dominicæ M.D.XIII. Quarto decimo Calend. Ianuarii. Pontif. nostri Anno primo. P. Bembus. D. de Comitibus, in actis Concilii Lateranen.

Et quia Pontifex intellexerat, magnos apparatus à Turcarum Imperatore contra Rhodum fieri, in eo periculo dedit sequentes literas.

I.

Raymundo Cardonæ Pro-Regi, reliquisque Magistratibus regni Neapolitani.

Certiores facti sumus Selimum Mahumetem Turcarum Regem classem validam & terrestres copias permagnas, quibus transmissis Rhodum Insulam inuadat, summa diligentia comparare; præmisisse etiam iam nunc naues longas quas habebat paratas, ad tentandos eius insulæ aditus, portusque idoneos capiendos, vt bellum ex sententia conficere facilius atque celerius possit. Quibus rebus cum in tempore occurrere, & Societatis Hierosolymitanæ de re Romana deque Christiana vniuersa optime meritæ consulere incolumitate magnopere statuerim, te, Magistratusque istius regni omnes diligentissime hortor, vt Guidonis eius Societatis Magistri, & Ludouici Galliæ Cisalpinæ Prioris eiusdem Societatis Pro Magistri, & Fabritii Legati procuratoribus commeatum omnis generis, armamenta, reliquasque res ad munitionem & tutelam eius insulæ oportunas atque idoneas vestris ex locis exportare libere permittatis, auxilio etiam si opus erit vestro, ac diligentia ipsos ad ea quæ volent transportanda iuueris, & citius comparare ad propulsandum bellum possint. Dat. XI. Calend. Aprilis M.D.XIII. Anno I. Roma.

II.

Duci, & Decurionibus Genuæ.

Magnopere vos hortor, vt Hierosolymitanis militibus, qui duas naues ad bellum idoneas comparandi caussa istuc veniunt, omnem vestram operam, curam, studium, auxilium præbeatis: vt celeriter eas naues coemere, atque omnibus ad nauigandum, & ad bellum gerendum opportunis rebus ornare atque instruere possint, seque iis insulamque Rhodum tueri, quam ad opprimendam Turcarum Rex ingentem classem atque exercitum comparat.

Quod quidem eo etiam diligentius facio, vt vos commoneam, quod cognoui fœdere vos atque Sanctionibus inter illam societatem ciuitatemque vestram interpositis ad id teneri. Quamquam quidem, qua rei magnitudo atque periculum est, ac certe vestra in me obseruantia: plane confido etiam sine vllis fœderibus sponte vos ac libere nobis id petentibus tributuros, Dat. XI. Cal. April, M.D.XIII. Anno I. Roma.

III.

Guidoni Magno Magistro, & Conuentui Rhodio.

Ad diem nouum Calend. Martij Iulio Secundo Pontifice Max. cœlestibus restituto; quam quidem ille migrationem omnibus Sanctæobeundi muneribus perfunctus, placide atque constanter pertulit; fratres mei Ecclesiæ Romanæ Cardinales, quorum ipse in Collegio tunc eum magistratum exercebam, cunctis suffragiis demortui mihi locum atque munus detulerunt, Pontifice mque Maximum fecerunt. Quæ de re dandas ad vos esse literas duxi, non solum vt de mea declaratione certiores ipse vos facerem, sed etiam vel maxime vt illud sciretis, me pro antiquo perpetuoque vestro in re Christiana conseruanda studio, diligentia, laboribus, atque in Romanos Pontifices, pietate & fide, vobis, Ordinique vestro nulla in re, quæ ad vestram incolumitatem dignitatemque pertineat, defuturum. Caterum ex iis litteris, quas Iulio Pontifici Maxim. IIII. Non. Febr. dedistis, ea quæ Selimus Turcarum Rex contra vos insulamque vestram cogitet, facile cognoui, quantumque sam longarum nauium, quantum militum habeat in vicinis vobis portubus & locis; quam quidem vt debui rem grauiter molesteque tuli. Itaque cum vestra postulata mihi maxime probarentur, omnibus vestræ Societatis militibus, qui Rhodi non essent, imperaui, vt ante Calend. Maias, vel summum ante Id. Maias se ad vos conferant. Omnes etiam Christianos homines aliquid hoc in bello muneris vobis defendendis, hostibusque vestris propulsandis obeuntes, omni animorum contracta labe purgauimus; litterasque eas de re dedimus conceptis verbis; quos quidem fore per multos, expectationemque hominum longe superaturos puto. Legatum præterea vestrum cum duabus nauibus magnis, commeatu, armamentis, rebus bellicis omnibus, & bono inprimis milite optime instructis ad vos propediem transmittam. Hortor autem vos, vt forti atque inuicti animo huius belli rationem administretis, meminerit is q; quantam quamque veram gloriam maioris vestri Rhodo insula ab exercitibus classibusque Sultani huius Selimi aui defensa sint consequuti. Quo in bello quoniã pietatem, quoniam Christi rem, quoniam Dei Opt. Max. causam defendistis; sperandũ certe est, omnia vobis prospere atque feliciter euentura. De me vero ita vobis ipsi polliceamini, vel potius plane recipite, pro istius insulæ vestræq; societatis defensione me omnes meas vires, opes, omnium studia prompturum, in vsumque collaturum. Extremum illud est, vt me de rebus singulis quæ istic agantur certiorem quam creberrime quamque diligentissime faciatis. Dat. VII. Cal. April, M. D. XIII. Anno I. Roma. Bembus lib. I. ep. 7. 8. 12.

XXXI. *Leo X. Henricum 8. Reg. Angliæ in Rhodiorũ adiutorũ vocauit. Ferdinandus in morbũ incidit.*

Præter alios, quos in Rhodiorum adiutorium Pontifex vocabat, fuit Henricus Rex Anglus, cui ensem & pileum de more sacratum transmisit hoc anno. *Paris in diariis.* Ferdinandus Catholicus, quamquam classem quinquaginta nauium instruxisset, opem ferre non poterat, vno tempore multis bellis implicatus, præsertim valetudine afflicta. Morbum concilauit poculum noxio medicamine fœdum, quod Regina diluit Medinæ campestris, spe prolem ex Rege concipiendi.

Id Caruaialus & Petrus Martyr in propriis commentariis quasi exploratum pro certo posuerunt, nominatis etiam amatoriæ potionis administris fœminis principibus, quarum nomina ne exprimerentur, earum tum maioribus tum posteris datum. Nausea ex eo Regem inuasit, cibi nulla appetentia; vt ad molestiam leuandam per Syluas & saltus erraret, venationis specie congressu hominum deuitato. Accessere frequentia deliquia, & aquæ intercutis haud obscura signa morbi lethalis. Sic in contrarium vertuntur, quæ imprudenter alio & temere destinantur. *Mariana lib. 30. c. 17.*

Sub idem tempus Leo Pontifex, vir excelsi animi, Vaticanam Basilicam Diui Petri quæ palatio Pontificio Romæ coniuncta est, ab Iulio ante cessore inchoatam in augustiorem formam redigere perrexit, optimis quibusque architectis, sculptoribus & pictoribus conquisitis, ad eius operis molem illustrandam. Sed quoniam non mediocris pecuniæ summa ad tantam rem necessaria erat, priuilegia quædam quas Bullas vocant, in Hispania fuerunt, Re-

ge Catholico annuente promulgata, quæ certam ſtipem tribuentibus dabantur. Grata porrò Ximenio fuerunt, quæ de Magiſtris ſcholarum, & adoleſcentium inſtitutoribus, à Concilio deliberari ac præcipi audiuit. Nam cum eo tempore ſuæ Complutenſis Academiæ infantiam, generoſo & nulla prauitate infecto lacte imbuere & alere curaret, dici non poteſt quanto applauſu decretum complexus ſit, quo ſanciebatur, vt non ſolum in liberalibus diſciplinis inſtitueretur inuentus, ſed in iis etiam quæ ad religionis Chriſtianæ notitiam pertinent: qualis ſunt præceptorum diuinorum, fidei articulorum, hymnorum, pſalmodiarumque cognitio, & quicquid de vitis ſanctorum per probatos authores ſcriptum habetur. Hæc omnia feſtis potiſſimum diebus, nulla aliorum ſtudiorum intermiſta commentatione, præterquam quæ de moribus eſt, in gymnaſiis tradi iubebantur. Quo etiam tempore, non ſolum Miſſarum ſacrificiis, ſed Concionibus ſacris, cæteriſque de rebus diuinis officiis, quantum fieri poterat vt intereſſent, monebantur. Illud inprimis collaudabat, quod à Lateranenſi Concilio Sacrorum Ordinum initiatis ſeueriſſime demandabatur, vt poſtquam Grammaticæ & Dialecticæ iuſtam operam impendiſſent, rebus Philoſophicis & Poëticis, quinquennio duntaxat in publicis gymnaſiis incumbere liceret. Quod ſi eorum ſtudiorum amore capti, longiorem moram in ipſis ponere concupiſcerent, id nullo modo per Academiarum præfectos permitteretur, niſi iuri etiam Pontificio, aut ſacræ Theologiæ aliquid quoque laboris quaſi in antidotum impartiren ur. Dicebatur etiam Pontifex Max. ſedulo comiti, vt faſti Eccleſiaſtici ob Solis curſum à tempore Iuli Cæſaris nonnihil variantem, in ordinem redigerentur. Nam vt ex veteſtis annalibus conſtat, ad Pontificem Maximum pertinebat anni rationem exacte tenere, & faſtorum dierum ordinem rite promulgare. De hac re cum apud Ximenium inter viros doctos ſermo haberetur, aliuſque aliud pronuntiaret, Antonius Nebriſſenſis dixiſſe fertur, id ſibi omnino ſimile videri antiquæ fabulæ, qua narratur, quemadmodum Diis conſultantibus, de orbis tumultu ob mortalium bella ſedando, Iupiter habere ſe dixerit rem magni momenti, ad quam eorum conſilio opus eſſet, cui ſi, vt ſperabat, ſubuenirent, ſtatim de cæteris orbis incommodis agendum foret. Inſtare cœlites, vt id tandem proderet, ſe enim operas ſua iuuaturos. Succurrite, inquit, miſeris agricolis, quibus non ſat eſt cum raſtris, ligonibus, & aratris perpetuo contendere, ad tellurem exercendam; ſed nouus etiam labor multo moleſtior additur, in cucurbitis quotannis expurgandis ab interiore illa medulla, & fœcundiſſimo ſemine; quod niſi ſedulo faciant, vaſis vinariis fint carituri, in magnum agriculturæ detrimentum, res ergo digna eſt in quam omnes incumbamus. Quare Diis viſum ſuperis, vt cucurbitæ vacuo ventre poſtea naſcerentur. At Cardinalis Ximenius, Næ tu, inquit, Antoni, falſa ſimilitudine es vſus. Sed hæc res eſt, de qua priſci & ſanctiſſimi Patres, ſummi quoque orbis Monarchæ ſtudioſe & ſolicite, publicis in Conciliis, & priuatis congreſſibus egerunt. Mittam ad te Pauli Epiſcopi Foroſempronienſis volumen, ad me nuper ex Italia allatum, vbi errores qui ab huius regni ignoratione panduntur, & Iudæorum riſus, & cachinni, oſcitantiam noſtrorum cauillantium, quod Paſcha Domini Dei noſtri in ſecundo menſe immundis (vt illi ajunt) deputato, ſæpenumero celebrarent. Hæc cum Ximenius dixiſſet, Nebriſſenſis, gratiis protam beneuola obiurgatione actis, vera ea omnia faſſus eſt, ſeque magis ad eum oblectandum fabellæ meminiſſet quam quod aliter ſentiret. *Gomecius de rebus geſtis Ximenii lib. 5.*

XXXII. Eodem anno Pontifex S. Mariæ in Via nuncupatam Seruitis Patribus conceſſit, vt ibidem cultum eiuſdem Sanctiſſimæ Virginis inſtauraren t, atque memoriam cuiuſdam prodigii, eo loci quondam apparentis, ad honorem Dei parentis inſtaurarent. Conſtructum fuit id templum ex ſtabulo Petri Capocii Patricii Romani S. R. E. Card. anno Domini 1243. Innocentio IIII. Pontifice ſedente atque iubente. Narrant nocte quadam, putei eodem loci exiſtentis aquam ad os vſque perlatam ſeſe toto ſtabulo effudiſſe. Viderunt etiam qui accurrerant ad marginem ilicem, præter naturam adnatantem, cui B. M. V. imago impreſſa eſſet. Eo, inter alios accurrit Petrus ipſe Cardinalis, atque aquas ipſas circumfuſas ingreſſus, qua decebat pietate, ilicem, qui nullius vi dimoueri poterat, in ædes ſuas honorifice tranſtulit. Id ipſum vbi reſciuit Pont. Max. erectaara, ac Deiparenti dicata, ante puteum, occidentem verſus imaginem repoſuit, quæ vſque ad noſtram ætatem per omnia tempora fuit miraculis illuſtriſſima. Putei vero Sacello concluſi, religio inde orta eſt. Et quia in imum putei idem ille Cardinalis ex Paleſtina eius lapidis partem delati coniecit, ſupra quem ſediſſe legimus Chriſtum Dominum, quando Samaritanam alloqueretur, inde cæpit Romani populi concurſus, ac votorum donorumque ad aram celebritas.

Inde etiam puteo inſcriptum carmen.

Ante aras qui ſtat puteus, degurgite cuius
Turba ſalutarem de febribus haurit aquam.
Ne credas opus eſſe recens. Hunc ſancta parentum
Religio æthereæ virginis ade ſacrat.
Ebibe quisquis ades, gratam exorare ſalutem
Hic iuuat, & morbum lympha, leuatque ſitim.

Archangelus Gianius Cent. 3. Annalium Ord. Seruorum libr. 5. cap. 13.

XXXIII. Æquale huic de aqua è puteo redundante, ſed iam alio auctum miraculo, narrant hoc tempore accidiſſe apud Hiſpalenſes. Habebat in ea vrbe quædam aduena mulier, recipiendis hoſpitibus attenta. Eius filiolus ad putei os accedens, dum in profundioribus aquis imaginem ſuam ſpecularetur, eamque apprehendere puerili ſimplicitate properabat, infelix in puteum decidens abſorptus eſt. Vidit caſum mater; cumque alio modo iuuare non poſſet, ad B. Mariam Virginem, quæ maxime tuncin Valle, Hieronymianorum cœnobio colebatur vota vertit, promittens, ſi infantem ſaluum & incolumem illa redderet, domum quam inhabitabat in Monaſterium aliquod conuerteret, in quo amplius coleretur. Vix vota fecit, cum à diuæ Virginis inuocatione putei aqua ſupra labrum etiam erupit, atque puerum viuum ac ſanum euomuit, ingenti multitudine ad ſpectaculum accurrente. Oſtendit Beata Virgo non aliunde, ſed à ſe opem puero fuiſſe.

Cum enim ædituus S. Romani, (quæ Parochialis non multum diſſita erat à domo, vbi mulier habitabat) ad pinſendas hoſtias alia ligna non haberet, iamque ſecurim eleuaſſet, vt quandam Beatæ Virginis imaginem, vetuſtam finderet, igni accendendo; vox ab imagine erumpens, facilegum corripuit; Tantumne ſceleris auderet? violare iconam, quæ Reginam cœlorum repræſentaret? non vereri eam, quæ omnium poſt filium potens? Qua voce ille perculſus, & tandem ad ſe reuerſus, Archiepiſcopum Hiſpalenſem adiit, & facinore explicato veniam illius flagitauit. In cuius inquiſitione cum Archiepiſcopus eſſet, ac inter alios puerulus qui è puteo emerſerat vna cum matre ad viſendam imaginem accurriſſet; illam eſſe renunciauit, quæ ipſum à faucibus mortis eripuiſſet, & huic luci per miraculum reſtituiſſet.

XXXIV. Non minus eſt iſtud aliud miraculum, ope B. Virginis Mariæ apud Montem-Serratum in Catalonia hoc eodem tempore patratum. Die quadam 22. menſis Decembris, ſummo mane dum templum iam apertum venientibus pateret, adfuit inter alios iuuenis quindecim circiter annos natus, ſaluris poſcendæ à Dei genitrice cauſſa. Mæſtum, & grauiſſima aliqua calamitate oppreſſum illum, cum ex vultu cuſtodes templi agnouiſſent, percontati; ecquidnam mali pateretur, ne verbum quidem poterant extorquere. Mutum, ex certis indicationibus compererunt; & cum os illi aperuiſſet, linguam ei reciſam & ſanguinem adhuc ex venis ac vulnere ſcaturire aſperexerunt. Commiſeratione moti, è templo in Xenodochium Cænobii miſerum duxerunt, & Medico commiſerunt, qui vulnus curaret, & ſangui-

ſanguinem ſtagnaret. Bartholomæus Cometti Medico nomen erat: qui ſanguinem quidem ſiſtere potuit, ſed linguam minime reſtituere. Matthæus Valles, vnus ex Cœnobitis cum pronunciatis plurimis prouinciarum, ciuitatum, & hominum nominibus, tandem Ioannem vocari, & Lygurem eſſe per nutus accepiſſet, bene eum ſperare, & à B. Virgine opem implorare iuſſit. Perſeuerauit is in orationibus & ploratibus, vſque ad diem Ianuarii Octauam: qua ſummo mane Curator infirmorum cubiculum illius pulſans, ad audiendum ſacrum illum vocauit, ſed iam vocalem factum audiuit. Nam is reſpondit. Tantiſper expectaret, donec veſtem indueret, manus & faciem lauaret, ſtatim aduolaret ad gratias habendas Curatrici ſuæ Mariæ, quæ ſe tam inſigni beneficio cumulaſſet. Attonitus Curator; Quomodo loqueretur? &, an haberet linguam? inquiſiuit. Habere ſe Ioannes reſpondit, aperroque ore linguam diuinitus ſibi reſtitutam oſtendit, Mox Ioannem ſe vocari, Sauonæ in Lyguribus natum, à duobus latronibus qui pecuniolam illi in itinere eripuerant, ne proderentur lingua truncatum, & iſtic in cubiculo æquilcherrimo puello apparente, qui digitis in os immiſſis linguam reſtituit, ſanatum eſſe narrauit. Relata hæc omnia Abbati Garliæ Ciſnerio, & per cænobium ac vicinam diuulgata, ad ſpectaculum nouæ rei omnes euocarunt, & ad reddendas Diuæ ſoſpitatrici gratis excitarunt. Pulſatæ campanæ, muſicaque organa: decantatus hymnus Te Deum laudamus, pro tam inſigni miraculo. Huius indicium perpetuo remanſit in ore pueri, linguæ reſtitutæ color alius, quam radici à quo præciſa: forma item alia quam communis omnium linguarum, nimirum non mucronata, ſed rotunda, perfecte tamen vocalis.

XXXV. Æquale huic, in alio quodam puero ſed Hiſpano, eodem loco, & fere eodem tempore factum. Ibat is quatuordecim annos natus cum quodam mercatore Condonienſi, tramitibus nonnullis per montana directis. Impegit vterque in latrones, qui, ciui quidem pecuniam ſimul ac viram eripuerunt; puero autem, ne facinus accuſaret, linguam detruncarunt, atque mutum illum arbori cuidam alligarunt, vt fame interemptus, feris & volucribus eſca eſſet: A quibuſdam forte fortuna prætereuntibus ſolutus, mendicimonio poſtea vitam tolerauit, donec ad Alfonſum Aragonium veniſſet, qui vt ad ſanctiſſimam Virginem MonSerratenſem properaret, ibidemque vſum loquendi poſtularet admonuit. Venit, miraculorum ibidem patratorum monumenta aſpexit, deuotionem erga Sacroſanctam Deiparam exinde & ex Regularium monitis concepit, dumque ibi eſt, nocte conſequenti dum abſolutis matutinis ſacris cœnobitæ ante Virgineum Sacellum hymnum. *Aue Maris ſtella* decantarent, accitus, & in orationem intentus, inter preces & lachrymas in extaſim raptus, aſpexit Reginam Angelorum ad ſe propius accedere, duoſque maiores dextræ manus digitos in os ſibi inſerere; vnde ineffabili ſuauitate perfuſus in terram corruit; & à circumſtantibus ſublatus, linguam ſibi reſtitutam eſſe perſenſit; qua in laudes Curatricis ſuæ ſoluta, ſtupore & gaudio omnes affecit: diffuſa eius miraculi fama per vniuerſam fere Hiſpaniam.

Non minus mirum eſt, quod adiungo. Dominicus Padus Auxenſis, aleis tempus fallebat quodam die, id temporis, cum duobus ſociis. Vnus ex eis Georgius nomine, cum lucrum fruſtra quæreret, in blaſphemias prorumpens, nec Deo, nec Sanctis pepercit: qua procacitate ſociis religionem fecit, vt ludum dimitterent. Furore hinc correptus, pugione educto duo vulnera Dominico inſlixit, vnum in brachio, alterum in pectore ſupra mammillas. Læthale iſtud fuit, adeo vt vix potuerit Sacerdoti peccata exponere. Relictus pro mortuo, ac paulo poſt in ſe reuerſus, opem Diuæ Virginis MonSerratenſis implorauit, atque ſupra opinionem Chirurgorum breuiſſimo tempore conualeſcens, vota Curatrici ſuæ ad Monſerratum perſoluit.

Non omittenda tria alia, hoc ipſo tempore in Hiſpaniis facta. Michael Fernandez Quintanarius, è carpento decidens membris partim contuſis, partim confractis, ſeptem toros dies in lecto decubuerat, præ magnitudine dolotis ad deſperationem proclapſus, & vix non victima dæmonis factus. Blaſphemiis inceſſebat Deum, Sanctos, Sacra omnia, neque adduci poterat vt confiteretur, aut teſtaretur. Alfonſus Gilardus Parceciæ Curatus, cum nihil monendo, obteſtandoque proficeret, tandem candelam in honorem B. Virginis benedictam afferri ægro iuſſit. Eam ſtatim atque is in manus accepit, è poteſtate diaboli euadens, Deum & B. Virginem laudare & inuocare cæpit; ſacramentiſq; Eccleſiaſticis procuratus, integram etiam corporis ſanitatem adeptus eſt.

B. Maria apud Montem Serratum miracula.

De iſtis porro candelis ſacratis, mirandum iſtud accidit, apud vrbem Victoriam, hoc tempore. Inſtabat feſtiuitas Purificationis B. Mariæ, qua die ex more vetuſto ſolent candelæ conſecrari, & in ſupplicatione deferri. Præfectus Sodalitio Roſarii, eas minime parauerat, nec niſi octo libras ceræ habebat. Iuſſit tamen candelas 30. confici, quarum ſingulæ penderent vncias tres. Factum; & tantum tamen ceræ ſuperfuit, vt in totidem alias candelas, eiuſdem ponderis, ſuffecerit. Mirum mirandum. Sexaginta cum eſſent triunciales ſingulæ candelæ, ſimul tamen bilanci impoſitæ, octo librarum pondus non ſuperabant. Aliud mirandum. Aſſerunt die feſto, & aliis duobus conſequentibus in proceſſione, ita vt communiter omnes æſtimarent, tertiam partem ceræ fuiſſe abſumptam: tamen lanci impoſitæ non tantum non aſſumptam, imo potius auctam fuiſſe ceram indicarunt, vtpote quæ ad nouem libras & tres vncias aſcenderet. Acceſſit & iſtud aliud. Cum quinquaginta octo candelas ſolas in partem ſepoſuiſſent, & Inquiſitor ad recognoſcendum prodigium veniſſet, vnam & ſexaginta candelas reperierunt, auctam nimirum diuinitus cera, & numero candelarum.

Tertium eſt iſtud. Honufrius Eques Barchinonenſis, ibat hoc ipſo tempore tribus comitatus ſociis Vellam francam: Iam prope collem Sanct. Chriſtinæ erant, quando nox ſuperuenit. Cœlum ſerenum ſtellas lucentes eduxerat, neque vlla vel minima apparebat nubecula: cum de repente illos denſiſſima caligo operuit, adeo vt alter alterum videre non poterat. Superuenit inſuper quoddam phantaſma, quod viantibus terrorem incuſſit: ſecuta mox tempeſtas & procella, inde tonitrua, fulgura, & nymbus qui lapides deplueret. Succreuerunt breui poſt aquæ pluuiales, illa vt alicubi ad genua pedeſtrium excreuerint, hinc ante oculos ceſpitantium, plurima mortis imago: quam vt euaderent, vna vox eorum audiebatur Diuam Virginem implorantium. Audiuit illa ſpiritu contribulatos, emendationemque vitæ ſpondentes; & lucem demiſit cœlitus, quæ ferro lanceæ inſidens, iter in caligino ſo facis inſtar oſtenderet. Ibant inter ſpem & aliquem metum, phantaſmate illo nihilominus terrefaciente: cum in momento lux demiſſa diſparuit. Vnde renouatus dolor? repetitæ ad Mariam preces; quæ ad teſtandam à ſe opem, lumen iterum cuſpidi reſtituit; donec aliquis ex viemis caſis homines audiuit, & in occurſum vociferantium properauit. Tunc illa lux euanuit: narrantibus vero eis de illa, deque tempeſtate quam paſſi, hominem qui venerat ſtupor apprehēdit; quod eo loci vbi iis in vicina maneret, nulla procella, nulla nubes viſa: quinimo cœlum ſtellatum, ſerenumque eſſet, cui vt fidem dictorum facerent, in terram prouoluti Mariam ductricem interpellarunt, dignos illos faceret iterum ea luce duce, quam fecuti fuerant: vt eam is quoque homo videret, & beneficentiam diuinam diuulgaret. Factum. Mucro lanceæ quam puer ferebat tertio reſplenduit, faciſque inſtar ardentis ob omnibus viſus eſt, Diuam Virginem opitulatricem afflictorum laudantibus. *Aſtolfus lib. X1. miraculorum B. M. V.*

XXXVI. Hoc anno diem clauſit extremum, Beata Margarita Fontana Mutinenſis, tertium Sancti Dominici inſtitutum profeſſa. Inter alias virtutes, charitate erga pauperes enituit, quam DEVS inſigni miraculo illuſtrauit. Rigente cœlo circa feſtiuitatem Natiuitatis Dominicæ, panes in gremiali reconditos ferebat pauperibus: cum ecce frater, ægreferens quod tantum in ſtipem effunderet, occurrit, & quid ferret interrogauit. Roſas illa

dixit.

dixit, & gremiali diducto rosas tempore insolito ex panibus factas, ostendit, *Pius. lib. 3. de virginibus illustrib. Ord. S. Dominici.*

Per idem tempus, cum Albuquercius de quo superius diximus, Orientales plagas perlustraret, ad Solem occidentem qua Regis Abassinorum imperium est, purpureę crucis in cælo signum præfulgens apparuit, quo viso Lusitani omnes venerabundi procubuere, & Albuquercius vt erat eximia pietate, sublatis ad eam manibus, clara voce fusus in preces; O crux, inquit, *nostræ redemptionis argumentum: o signum Christianæ victoriæ: ô decorata pretiosissimo sanguine Domini Iesu, ô diuina arbor, cuius vitali fructu, letalis quondam plantæ repensus est fructus: in te, te,* inquam, *spes nostras habemus omnes repositas: te profitemur, agnoscimus, adoramus, ac suppliciter petimus, nobis inter tot pericula præsidio sis.* Ab ea precatione obortæ omnibus lachrymæ, & index fidei ac religionis clamor ad astra sublatus, tum consono clangore hinc inde tuba concrepuit: & omnia tormenta displosa: Dein candida nubes conditam crucem, sine fine defixis in cœlum oculis Lusitanorum eripuit.

Per eosdem dies, in milite quodam proiecto in mare, hoc mirandum Albuquercio & sociis apparuit, noctu quippe, infra sentinam pulsus frequentes exaudiri cæpti, quem ad strepitum cum arrepta scapha vigiles descendissent, implexum carinæ sub ipso gubernaculo defuncti militis corpus offendunt, scilicet pilus cunctis inhorruit, vbi ex pauore collegere sese, res ad nauarchum delata, nec dubium fuit, quin cadauer translatum in littus humo contegerent. quo facto, postridie super ipsum sepulchrum rursus inhumatus apparuit. Ea re attoniti cuncti cum apud se causam exquirerent; Franciscus denique, incertum ex qua familia monachus, qui concionatoris munere fungebatur, sagaci coniectura suspicatus est, hominem aliquo anathematis vinculo constrictum è vita excessisse. Itaque in terram egressus, sanctissimi viri Benedicti Abbatis exemplo, è Pontificia formula conceptis verbis, animum demortui rite expiauit, eique veniam à Deo precatus est. Mirum dictu; ab ea mysterio reddita mortuo pax, & vaga ossa tandem in suo tumulo quieuere. *Maffeus hist. Indic. lib. 5.*

ANNO CHRISTI M. D. XIV.

LEONIS PAPAE X. ANNO I. & 2.

MAXIMILIANI ROM. REGIS ANNO 29.

I. GAlliæ regno ad Ecclesiæ Romanæ obedientiam reuocato, Pisanique conciliabuli authoritate & nomine iam vbique extincto, nonnulli ex iis qui Galliæ Regis potentiam formidarant commoueri, & ne eadem nimium deprimeretur, vereri cæperunt: præsertim Leo Pontifex, qui & si Mediolanum ab illo non recuperari cuperet, nihilominus veritas, ne Rex tot periculis territus, & superioris anni rebus ante oculos versantibus, ad pacem cum Cæsare quemadmodum assidue ex Cæsaris voluntate Catholicus Rex moliebatur: quo, filia vni ex illorum Regum nepotibus desponsa, Mediolanense imperium ei dotis nomine concederet, præceps rueret, Heluetiis suadere cæpit, cauerent, ne nimio in Galliæ Regem odio, eo eum adigerent, vt consilium non minus ipsis quam sibi perniciosum capere cogeretur. Nam cum & ipsi scirent, quam male in eos essent Cæsar, Rexque Catholicus affecti, & pacem qua illi Mediolanensem dominatum adipiscerentur, non minus ipsorum libertati atque authoritati, quam Ecclesiæ & totius Italiæ libertati periculosam fore; debere quidem in eadem sententia permanere, vt Mediolanum à Galliæ Rege recuperari non paterentur; sed & illud cauendum esse, ne (vt sæpe in rebus humanis accidit) vnius extremi vitandi nimio studio, in aliud æque, & fortasse magis periculosum atque perniciosum incurrerent: vel ne supra quam opus esset, vt illud imperium in Galliæ Regis potestatem non rediret cauentes in causa essent, vt tanto maiori omnium periculo atque pernitie, quanto minus, qui illis obsisteret inueniri posset, quam qui Galliæ Regis potentiam refringeret inuentus erat, in aliorum manus deueniret, debere Heluetiorum Rempubl. quam tot præclare gestis rebus nobilissimisq; victoriis nomen suum in bellicis artibus ad cælum vsque extulerit, ex præsenti rerum ortu futura pericula prouidendo, iisq; prudentia & consilio occurrendo, neque res eo vnde nisi armorum ferocitate atque virtute restitui non possint, ruere permittendo, conari vt id pacis artibus non minus illustre reddatur. In bellis enim, vt exemplis omnium temporum edocemur, sæpe euenire, vt hominum virtus nimia fortunę potentia opprimatur. Melius esse consilium, Diuionensem pactionem aliqua ex parte moderari, cum præsertim Rex maiorem pecuniæ summam, & trium annorum de Mediolanensi imperio inducias offerret, modo iuribus suis cedere non cogeretur, quæ res cum specie maior sit, quam re ipsa (quotiescunque enim Regi eius recuperandi occasio daretur, ipsa cessio non plus quam ipsemet vellet impedimenti esset allatura) non debere eius gratia res in tantum discrimen vocari. Et vicissim Galliæ Regem, vt maioris incommodi vitandi gratia potius pactionē Diuione factam comprobare, quam proxima æstate tot hostes contra regni sui fines expectare vellet, validis rationibus hortabatur. Sapientis Principis esse vt maius periculum vitetur, minus malum tamquam bonum & vtile amplecti: nec vnius periculi, aut incommodi deuitandi gratia, in aliud grauius ignominiosiusque incurrendum. Durum quidem esse de iure suo decedere, sed infamia minore, quod aduersarii eius exiguo scripto nihilo potentiores redderentur: cumque ea promissio absque ipsius consensu ab eius ministris facta fuerit, eam ipsius ab initio voluntatem fuisse minime dici posse. Sed maiorem tamen ad ea promissa seruanda excusationem habere, quasi promissis, & aliqua fidei obseruatione cogatur. Neminem esse qui nesciat, quanto periculo ea pactione tunc Galliæ Regnum sit liberatum: quod Heluetios aliis conditionibus in sententiam suam pertrahere conaretur, id se laudare: se quoque vt ob regni ipsius securitatem, aliqua concordiæ ratio inter ipsos inueniatur desiderio ductum, omni studio atque officii genere in id incumbere, vt Heluetios ad eius voluntatem flectat: sed si illi pertinaces esse vellent, paterne ipsum hortari, vt temporibus atque necessitati parere velit, cum alias ob causas omnes, tum ne se ab hostium fœdere discedendi excusatione priuet. Has rationes Rex veras esse cognoscebat (& si Pontificem suasionib. tacite minas immiscuisse quereretur) & sibi aliquod consilium quo hostium numerus minueretur, necessario capiendum fatebatur. Sed omnia potius pericula subire, quam à Mediolani iure discedere, in animo fixum habebat: atq; ad idem illum omnis Regius Senatus, & vniuersa aula hortabatur; quibus & si bella ab Rege deinde in Italia geri molestissimum fuisset, nihilominus cum Galliæ regni dignitatis rationem haberent, illum tam turpiter cedere cogi longe molestius erat. Haud absimilis pertinacia in Heluetiorum conuentibus cernebatur: quibus & si Rex quadringenta aureorum numum millia in præsentia, & deinde variis temporibus octingenta millia se persoluturum polliceretur; & Cardinalis Sedunensis, multique ex præcipuis viris, imminens periculum, si Galliæ Rex cum Cæsare & cum Rege Catholico conspiraret, animaduertentes, ad has conditiones accipiendas propenderent, tamen multitudo Gallico nomini infensissima, quæque tot victoriis elata, se contra reliquorum Principum omnium conspirationem potentiamque, Mediolanense Imperium tueri posse existimabat: Nam & apud eam Sedunensis authoritas multum iam erat imminuta, & reliqui duces ob annuas pensiones quas à Franco accipere solebant suspecti, pertinacissimi, vt Diuionensis pactio confirmaretur, instabat; quin etiam maxima temeritate concitata de Burgundia denuo inuadenda agebat, quamuis Sedunensis, & reliqui duces, non quidem aperta authoritate, sed variis artibus rationibusque obliquis huic deliberationi se opponentes, rem ex vnis comitiis in alia protrahebant. Quocirca Rex Galliæ ab illis nec læsus, nec tutus, affinitatis cum Catholico Rege negotium non intermittebat: in quo, vt & aliàs præcipua difficultas erat, vtrum puella apud patrem, an apud socerum, tempus ad matrimonium perficiendum aptum expectare deberet. Si enim pater eam retineret, Cæsar nullam sibi rei perficiendæ securitatem habere videbatur: & Rex, dum aliqua spes esset, huius negotii famam quam ipse studiose diuulgabat, posse aliorum animos sua ipsorum commoda spectantes, suo proprio beneficio mitigare, impedimenta quæ exoriebantur libenter fouebat. Venerat inter hæc ad eum Quintana, Catholici Regis ab epistolis minister: is qui easdem ob causas & superiore anno apud eum fuerat: deinde ex eius consensu ad Cæsarem profectus, denuo ad Galliæ Regem rediit: ad cuius reditum, quo commodius pacis impedimenta tolli possent, Rex & Quintana Catholici Regis nomine, inducias superiore anno factas, in alterum annum iisdem legibus prorogarunt: quibus occulte admodum adiunctum fuit, vt toto induciarum tempore Galliæ Regi Mediolanense imperium infestare non liceret. Rex interim, Heluetios pro iuris cessione pecuniam accepturos spe non penitus amissa, id apud eos vehementer admodū agebat: a quo adeo abhorrebat multitudo, vt quum obsides aufugissent, Genuæ Magistratum minis ad Gratianopolitanum iuris præfectum ab Rege in eam vrbem, vt cum ipsis negotium tractaret missum, dedendum coëgerint: eumque postea multis quæstionibus, vt num aliquis ex ipsorum gente pensiones acciperet, consiliaue occulta cum Galliæ Rege haberet elicerent, subiecerint: neque vlla humanitas, vllaue legitima purgatio illorum immanitatem poterat comprimere. Nec vero Rex extra suspicionem erat, à Pontifice quoque, qui ob finium sibi propositorum diuersitatem, inter tot scopulos maxime circumspecte nauigare cogebatur, clam vt Heluetii absq; ipsius opera secum non conuenirent prouocari: non quidem vt eos ad bellum incitaret, (ab eo enim assidue illos dehortabatur) sed vel vt in Diuionensi pactione persisterent, vel quod ne hoc initio, à sua societate disiungerentur, metueret. Quocirca Rex se quod non iam solus omnium mortalium impetum sustinere vellet, nimiis etiam sumptibus & militum petulantia fessus, se in fœdus cum aliis præcipitaturum minabatur. Nam quum viginti millia Germanorum peditum in Galliam duxisset, neque omnes habere, nisi cum Angliæ Rex Tornacum obsidebat, potuisset, vt illos deinceps, si opus foret, in tempore haberet, in Gallia retinuerat: qui ingentia regioni detrimenta afferebant: & querebatur Rex quod Pontifex ipsum in Italia, reliqui vero principes in Gallia habere nollent. In his difficultatibus tantaque rerum confusione, indignatio incredibilis, ab Angliæ Rege ex induciis à socero contra id quod sæpius ei se nullam pactionem cum Galliæ Rege absque ipsius consensu facturum promiserat renouatis concepta, viam illi ad securitatem, & in pristinam potentiam existimationemque redeundi spem aperire cœpit: de hac iniuria publice conquerens, seque ter à Socero deceptum aiens, à belli contra Gallos innouandi consiliis indies magis alienabatur. qua re ad Pontificem delata, vel ne Rex Galliæ, si forte ab illo molestia afficeretur, cum duobus Regibus, quemadmodum semper minabatur, pacem affinitatemque contraheret suspicione motus; vel quod pacem omnino inter illos coituram existimaret, ex eo quod prohibere non poterat, aliquam sibi sese interponendi apud Galliæ Regem gratiam promereri cuperet, Eboracensem Cardinalem, Regi suo, vt parta gloria contentus, & fide quam in Cæsare, Hispano, atq; Heluetiis inuenerat, in memoriam reuocata, Galliæ regno deinceps armis infestus ne esset persuaderet, hortari cæpit. Certum erat, Pontificem quum Galliæ Regem Anglorum bello liberatum, statim contra Insubres arma moturū, ei ostenderetur, se id periculum videre respondisse: sed etiam periculum, quod vicissim ex illorum Regum discordia oriretur, considerandum esse, atque in tam grauibus causis difficilimum esse, res tam perfecte ponderare, & consilium quod his periculis prorsus careret inuenire; Mediolanēsi imperio Heluetiorum patrocinium in omnem euentū restare: in tam incertis atq; difficilibus deliberationibus alterā partē casus & fortunæ arbitrio necessario permittendam. Vtcumq; se res habebat, siue Pontificis authoritate, siue proprio partium studio, pacis sermones inter Galliæ atq; Angliæ Regem mox haberi cæperunt: qui à Pontifice cum Eboracensi cæpti, statim in Angliam sunt translati: quo hanc ob causam Normanniæ Quæstor: sed de Rotellini Marchionis liberatione agendi prætextu, à Galliæ Rege missus fuit: in cuius aduentu, vt arma in continenti tantum, dum Quæstor in Anglia esset, inter vtrumq; Regem quiescerent, promulgatum fuit. Angliæ Regis ad pacem propensio nouis iniuriis augebatur; quoniā Cæsar, qui se inducias ab Hispano factas sine ipso non confirmaturū ei promiserat, confirmationis tabulas ad eum Regē misit: qui tabulis, vt simulationibus artibusq; suis vti posset, apud se retentis, epistola ad Galliæ Regem scripta Cæsaris nomine inducias confirmauit. Negotio hoc inter duos Reges agitari cæpto, Pontifex vtriusq; illorū gratiæ promerendi cupidus, Tricaricensem Episcopum, vt omnem suam authoritatem atq; operam polliceretur, ad Galliæ Regē per dispositos equos misit: qui eius consensu eandem ob causam in Angliam traiecit. Hac in re initio multæ difficultates apparebant. quoniā Rex Angliæ Bononiam in Belgis sibi tradi, & magnā pecuniæ summā petebat. tandē controuersia ad Tornaci negotium solum redacta (nam Rex Angliæ id retinere volebat) & Galliæ Rex difficilem se in eo ostenderet, Rex ille Tricaricensem Episcopum mutatis equis ad Galliæ Regē misit: Sed qua in re maxime difficultas esset posita non indicata, ei mandatum fuit, vt eius nomine Regem hortaretur, vt tanti boni ratione habita, ne tam subtiliter in quibusdam rebus insisteret. Quamobrem Galliæ Rex, qui in populorum suorum reprehensionem incurrere nolebat, eo quod Tornacum nobilis ciuitas esset, & admodum notæ in Galliæ Reges fidei, rem ad Senatum, cui omnes aulæ Principes interfuerūt, retulit: qui vno ore ad pacem etiam hac lege amplectendam eum sunt hortati & quamuis eo tempore Hispanus, vt eam omni industria impediret, multa Galliæ Regi polliceretur: & præsertim se illi ad Mediolanum occupandū auxilia daturum: tamen vbi Regem in Tornacensi re assentiri responsum in Angliam est allatum, initio Augusti pax inter vtrumq; Regem dum viuerent, postquā annum vnum confecta est iis legibus: vt Tornacum Anglus retineret, cui Francus sexcenta aureorū numūm millia persolueret: ita vt ex ea summa quotannis centum Francicorum millia numeret: alter alterum ad suum imperium defendendum, si bellum terra gereretur, decem peditum millibus, si mari, sex, iuuare teneretur: Galliæ Rex mille & ducentos cataphractos Angliæ Regi ad quāuis expeditionem: & vicissim ille Galliæ Regi decem millia peditum daret: sed tunc eius qui opus haberet, sumptibus. Ab vtroq; eorum nominati fuere, Scotiæ Rex, Archidux, & imperium: Cæsar autē & Hispanus silentio præteriti: Heluetii quoq; nominati sunt, sed ea lege, vt quicumq; Mediolanense imperium, vel Genuam, vel Astam contra Regem Galliæ tueretur, ab hoc numero esset exclusus. Hæc pax summa alacritate facta, affinitate corroborata est. quoniā Angliæ Rex Mariā sororem suam Galliæ Regi, ea lege in matrimonium dedit, vt se quadringenta aureorum millia dotis nomine accepisse fateretur. Sponsalia statim in Anglia sunt celebrata; quibus Rex ob ingens odium quo Hispanum prosequebatur, eius Oratorem interesse noluit. Et vixdum hæc pax erat confecta, cum induciarum ab Cæsare confirmationis tabulæ ad Galliæ Regem sunt allatæ: & simul eius atq; Hispani Regis de affinitate inter Ferdinandum Austrium, & Renatam Regis secundam filiam, quatuor tantum annos natam qua de agebatur contrahenda mandata: quod negotium ob pacem factā prorsus exclusum fuit. quin etiam Rex vt Angliæ Regi satisfaceret, Suffolciæ Ducem, qui omnibus Germanis peditibus qui ei militabant præerat, Galliæ regno excedere voluit: is tamen ab Rege honore affectus, & amice tractatus, contentus discessit. Eodem tempore & Pontifex noua fœdera fecerat: quoniam ad omnia prudenter attentus, & Mediolanum à Galliæ Rege recuperari nolebat, & illum ac cæteros principes pro sua virili variis modis retinere cupiebat. Ideò per Cardinalem San-Seuerinatem, qui Galliæ Regis negotia Romæ procurabat Regi sic proposuerat: vt postquam non ea erant tempora, quæ maiorem, apertioremq; necessitudinem inter ipsos contrahi paterentur, saltem huiusmodi initium ac fundamentum iaceretur, ex quo alio tempore arctissima coniunctio sperari posset. itaq; capitum summam miserat ad quæ

Leo X. Gallum Heluetiis reconciliare studet.

Leonem X. & Gallum inter de Mediolano tractatio.

cum Francus, & si id sibi gratum esse ostenderet, non tam cito respondisset, (nam siue aliis occupationibus impeditus, siue aliquod responsum aliunde, vt ex rerum progressu consilium caperet expectaret, quindecim dies suspensum tenuit) Pontifex nouum cum Cæsare & Hispano in annum vnum fœdus iniit: quod tamen nihil aliud quam communium statuum mutuam defensionem complectebatur: cum antea Hispanus illum ad regnum Neapoli pro Iuliano fratre aspirare, non frustra esset suspicatus: qua de re iam aliqua cum Venetis agitauerat: & vix dum illud fœdus confecerat, cum Galliæ Regis responsum allatum est, quo ea omnia quæ Pontifex proposuerat comprobabat: illud vnum addens, vt postquam sibi Florentinorum, Iuliani eius fratris, & Laurentii Medicis nepotis, quem Pontifex Florentiæ administrationi præfecerat, patrocinium esset suscipiendum, se quoque vicissim petere, vt ipsi se ad ipsius defensionem obstringerent. quo responso accepto, Pontifex, quod se iam Cæsari atque Hispano coniunxisset excusauit: propterea quod cum in tam æqua petitione responsum tam diu differri videret, quin aliquid suspicaretur facere non potuisset. Sed tamen id fœdus ad breue tempus ictum esse: nec quicquam quod in eius detrimentum esset eo contineri, nec cœptum inter ipsos negotium impediri. quibus rationibus à Rege admissis, pactionem inter se quandam, non publicis quidem tabulis, quo res occultior esset, sed vtriusq; manu subscripta schedula firmarunt.

II. Pax inter Galliæ & Angliæ Reges, omnium opinione celerius ac facilius facta (nemo enim vmquam tantum odium tam cito in benevolentiam affinitatemq; conuersum iri posse crediderat.) Pontifici fortasse, qui sibi, vt & alii, inducias potius quam pacem futuras, vel si tamen pacem, eam Galliæ Regi grauiores leges, vel saltem vt per aliquod tempus in Insubria bellum non moueret imposituram persuaserat, minus grata fuit: Cæsari autem vehementer displicuit & Hispano: qui vt nullum in rebus humanis malum, cui non sit aliquod adiunctum bonum, duplicem se inde voluptatem percipere aiebat: alteram quidem quod Archidux eius nepos, sororis Galliæ Regi in matrimonium locandæ spe excluſus, & ab Angliæ Rege alienatus, omnibus in rebus consilium authoritatemque suam sequi cogeretur: alteram vero, quod cum Rex Galliæ facile filios mares habere posset, Angolismensium Ducis, quem ipse, quoniam Nauarræ Regis in regnum suum reducendi cupidissimus erat, summo odio prosequebatur, successio in dubium reuocaretur. Soli Helvetii & si pristinum in Galliæ Regem odium retinerent, tamen quod Rex ille, vt credebatur, reliquis molestiis liberatus, bellum in Insubria moturus videretur, ipsi virtutis ac fidei suæ cunctis ostendendæ nouam habituri essent occasionem, eam pacem sibi gratam esse asseuerabant. Neq; vlli dubium erat quin Galliæ Rex, molestiarum trans alpes pene omni timore sublato, consuetum Mediolani recuperandi desiderium haberet: sed an statim arma esset moturus, an vero in proximum annum dilaturus, incertum erat. occasio enim aderat, sed apparatuum signa nulla cernebantur. Qua in ambiguitate Pontifex, quamuis illud imperium à Galliæ Rege recuperari ei molestissimum esset, vehementer, ne mora interposita præsentes occasiones corrumperet, est cum hortatus: resq; male ad resistendum esse comparatas ostendit: Hispanicum exercitum immunitum, stipendiisq; carere: Mediolanenses omnes inopes, atq; ad extremam desperationem redactos: nec quicquam esse qui pecuniam ad Helvetios euocandos conferre posset. quæ rationes idcirco maiorem habebant auctoritatem, quia non multo ante quam pax cum Angliæ Rege coiret, se, vt ipse Genuam recuperaret, cupere ostendens, Octauiani Fregosii vt cum eo pacisceretur flectendi aliquam spem fecerat. Aliqui interpretabantur Pontificem hæc parum candide fecisse; sed vel quod cum res male comparatas videret, & Regem Galliæ etiam absq; suis hortationibus hanc expeditionem suscepturum suspicaretur: præsertim quod videret cum cataphractos & multos Germanos pedites in promptu habere, huiusmodi arte eius amicitiam ante capere vellet: vel maiore prudentia vsus, id quod Cæsar atq; Hispanus asserebant, & Galliæ Rex negabat, non licere ei vigentibus induciis, bellum in Insubria mouere, verum esse sciret. ideoq; Regem eam expeditionem detractaturum persuasus, bonam in eo suæ voluntatis opinionem gigneret, sibiq; si forte alio tempore auxilium ab se peteretur, excusationem parare vellet. Cessit autem ei res ex sententia. Nam Rex, siue ob eam quam diximus causam, siue ob pecuniæ inopiam, siue ob hyemis propinquitatem, cum ante vernum tempus arma non mouere statuisset, etiam eo tempore sibi Pontificis opem non defuturam sperare se ostendens, variis adductis moræ causis, ea vero quæ fortasse potissima erat inducarum, silentio prætermissa, respondebat. Sed tamen ad Genuæ res tentandas; vel saltem Laternæ arcis quæ eius mandato eodem anno sæpius à paruis nauigiis, quæ se in portum Genuæ tendere fingentes, furtim ei appropinquarant, aliquem commeatū accesserat, opem ferendam propensus erat. Sed tanta erat commeatus penuria, vt cū arx illa subsidiū expectare non posset, qui in ea erant se se Genuensibus, qui ingenti Regis mœrore eam euerterunt, dedere coacti fuerint. Laternæ iactura Regē à Genuæ tunc tentandæ consilio prorsus remouit: & totus ad apparatus quibus proximo anno Mediolanum inuaderet est conuersus: & adhuc Pontificem ob beneuolum quem ostendebat animum, ob studium quod in negotiis cum Angliæ Rege & Helvetiis declararat: & quia se ad eam expeditionem incitarat, sibi coniunctum ac fautorem fore sperabat. præsertim cum vicissim Pontificis polliceretur, nominatimque se illi ad regnum Neapolitanum, siue Pontificio imperio, siue Iuliano fratri mallet subiiciendum, auxilio futurum. Sed noui casus de eo suspicari Regem coëgerunt. Pontifex enim Ferrariensium Ducis res, & si initio sui Pontificatus magnam ei Romæ spem fecisset, & Regii restitutionem, vbi Cardinalis eius frater, ex Pannonia rediisset, promisisset, nunquam componere voluerat: vbi autem ille rediit, variis iniectis impedimentis distulerat: eadem tamen promissa ei non modo verbis, sed etiam tabulis confectis confirmauerat, & vt Regii vectigalibus, tamquam breui ad eius imperium redituri frueretur, concesserat. Longe autem alia eius erat mens, ad Ferrariæ imperium recuperandum inhians: & ad id ab Alberto Carpensi Cæsareo Oratore, acerbissimo Ducis inimico, & plerisq; aliis, qui sempiternæ ab Iulio, ob Pontificium imperium ita auctū, adeptæ gloriæ exemplum proponebant, incitatus: nunc opportunam perampli dominatus siue sedi Apostolicæ acquirendi, siue Iuliano fratri tradendi occasionem dari, qui immodica spe sibi proposita, sponte Laurentio nepoti Mediceæ familiæ authoritatem quam Florentiæ habebat, concesserat. Pontifex igitur hæc consilia secutus, à Cæsare qui semper pecunia egebat, vt sibi Mutinam quadraginta aureorum numum millibus acceptis pignori traderet, quemadmodum paulo ante Iulii obitum cum eo agitatum fuerat, facile obtinuit, eo consilio, vt eam ciuitatem Regio, Parmæ atq; Placētiæ adiungeret, earumq; perpetuum vicarium vel Præfectum Iulianum constitueret, & iis, si quando posset, Ferrariam adderet. Ea emptio non mediocrem Galliæ Regi suspicionem mouit. Videbatur enim magnæ cum Cæsare necessitudinis indicium: & ei pecuniam dari æg referebat: quamuis Pontifex eam sibi à Cæsare ob pecuniam antea acceptam, concessam excusaret. Illud quoq; suspicionem auxit, q; cum Turcarum Princeps magnā contra Sophū Persarū Regem victoriā esset adeptus, Pontifex tāquam de re Christianis omnibus periculosa, ad omnes Principes literas dedit: quibus vt armis quis in mutuam perniciem abuterentur, in communem religionis hostem conuerterent hortabatur. Illud etiam Pontificem totum patefeciſſe dicebatur, quod quasi eodem colore Petrū Bembum suum ab epistolis ministrum, Venetias vt cum Senatum ad pacem cum Cæsare flecteret misisset. quo in negotio, cum eædem quæ hactenus difficultates versarentur, non modo ei non sunt obsequuti, verum etiam Galliæ Regi eius aduentus causam indicarunt. Quamobrem Francus, illum cum iam belli gerendi tempus instaret, se fociorū auxiliis spoliare conatum, molestè ferens, antea cæpta cum Hispano negotia, vel vt Pontificem hoc terrore moueret, vel si hoc non posset, vt ea perficeret renouauit: tanto Mediolanensis imperii præ cæteris rebus omnibus recuperandi desiderio flagrabat: cumq; omnia ad bellum necessaria diligenter compararet, Pontificis tamen animi certo explorandi cupidus, & qualiscumq; is esset in destinata expeditione persequenda obfirmatus, vt suum erga se studium declararet, postulauit: simulq;, quæ antea ipsi pollicitus fuerat confirmauit: qui si ab eius amicitia excluderetur, se à Cæsare atq; Hispano iam rejectas conditiones accepturū: regni sui potentiā, Venetorū

fœdus

fœdus & ab eisdem promissa auxilia, ei in mentem reuocabat: tenues tunc temporis in Italia Cæsaris & Aroganiæ Regis vires esse: & vtrumq; pecunia egentissimum, neq; ad proprios milites alendos, nedum ad Helvetios, qui nisi stipēdiis acceptis ex montibus suis non essent descensuri, mouendos satis opum habere: omnes Insubriæ populos, postquam acerbum aliorum iugum essent experti, nihil aliud quam Gallorum imperium exoptare: nec Pontificem sui, vt victoria in eum hostiliter vteretur, prouocandi causam habere: quod Galliæ Regum, & suaipsius in Italia potentia, semper Sacrosanctæ sedi vtilis fuerit: quia ipsi semper iis quæ iure ad eos spectabant contenti, numquam, quemadmodum toties res ipsa docuerat, de reliquæ Italiæ imperio occupando cogitarant. At longe aliam esse Cæsaris atq; Hispani mentem: qui nihil vnquam aliud cogitarant, nisi vt vel armis, vel affinitatibus, vel insidiis totius Italiæ imperium occuparent, & sacrosanctam sedem; ipsosq; Romanos Pontifices non minus quam reliquos in seruitutem redigerent, antiquum esse Cæsaris desiderium omnibus notum. Itaq; eodem tempore, & Pontificii imperii securitati, & communi Italiæ libertati, & suæ Medicææ familiæ amplitudini consuleret; quam occasionem nullo alio tempore aliove quam suo fœdere esset habiturus. Nec vero Pontifici in contrariam partem Cæsaris & Aragoniæ Regis, vt se illis ad Italiæ defensionem coniungeret, vehementissimæ cohortationes deerant: quibus se qui simul coniuncti Galliæ Regem Insubriæ imperio expellere potuerant, multo magis ad idem contra id tuendum idoneos fore ostendebant, iniuriam superiore anno, ob pecuniam ad Helvetios cum eius exercitus in Italiam venit missam, sibi ab ipso illatam memoria repeteret: & existimaret Regem, si victoria potiretur, vno eodemque tempore de iniuriis à quouis acceptis vlciscendis, & se à futuris periculis ac metu liberando cogitaturum. Sed magis Pontificem Helvetiorum, qui in pristino ardore persistentes, se, si eis sex Rhenensium aureorum nummum millia singulis mensibus darentur, Cenisii, & Genebræ montis, & Finarii itinera, sex peditum millibus obsessuros ac defensuros: & si ipsis quadraginta eorundem aureorum numum millia singulis mensibus numerarentur, cum viginti peditum millibus in Burgundiam irrupturos pollicebantur, authoritas & promissa mouebant. His fluctibus agitatus Pontifex, animi dubius, quia quo eum desiderium impellebat, inde retrahebat metus, singulis communia responsa ac verba reddens; mentis suæ sensum aperire quantum poterat differebat. Sed cum iam Galliæ Rex fere importune vrgeret, tandem respondit: neminem, quantopere eius rebus faueret melius illo scire: qui quam vehementer illum ad Italicam expeditionem eo tempore quo absque cæde & periculo victoria potiri poterat esset hortatus nosset: easque hortationes, propterea quod arcanum toties ab se repetitum seruatum non esset, cum vtriusq; detrimento ad aliorum aures permanasse: ex quo factum sit, vt & ipse ne ab eis læderetur, in periculo fuerit: Regis expeditioni aucta esse impedimenta, quod cæteri res suas ita composuerint, vt victoria absque grauissimo periculo, & plurimi sanguinis effusione parari iam non possit: cumque Turcarum Principis potentia recenter tanto successu creuisset, Christianos Principes ad mutua bella accendere, eisque fauere, neque naturæ suæ consentaneum, neque Pontificii muneris esse: neque aliud quicquam posse, nisi cum vt aliqua meliori occasione opportunitateve expectata supersederet hortari: quæ vbi appareret, idē illum in se eius gloriæ & amplitudinis studium, quod superioribus mensibus perspicere potuerat reperturum. quod responsum, & si mentem eius non expresserat, si ad Galliæ Regis aures peruenisset, non modo illum eius societatis spe priuasset, sed etiam Pontificem & consiliis & armis hostibus suis adhæsurum, certum pene reddidisset: quandoquidem Pontifex nihil aliud optaret, quam Maximiliano Sfortiæ Mediolanense imperium integrum seruare: ne Gallicis armis in Italiam reuocatis, pax vniuersæ Italiæ turbaretur, & sedes Apostolica Parmam, ac Placentiam amitteret. *Guicciardinus. lib. 12.*

III. *Galliæ Regis Vxor moritur.* Amisit inter hæc Ludouicus Galliæ Rex Annam vxorem, quæ huius anni initio, vixdum tantopere exoptata Ecclesiæ concordia gustata, obiit: Regina admodum præclara ac religiosa. obiit autē maximo cum totius regni & suorum Britanniæ citerioris populorum mærore. Dedit ea propter Pontifex hoc tenore consolatorias.

I. Ludouico Galliæ Regi.

De Annæ Reginæ vxoris tuæ morte certior factus, magnam sane molestiam cepi, cum propterea quod fœminam egregia singularíq; virtute, & spectato in Deum ac Dei Ecclesiam cultu pietatéq; amisimus: tum qua te pro tuo in illam laudabili amore, illiusq; in te, maximo esse dolore affectum multorum litteris intellexi. Accedit ad hæc, quod me illa quasi patrem optatissimum pia amantissimáq; filia, incredibili obseruantia prosequebatur. Regnū etiam ipsum tuū cæteraq; gentes opis alienæ indigæ, in quas illa munificentiā exercebat suā, multū mihi amississe in ea muliere bonæ spei atq; præsidii videntur. Itaq; pluribus & quidē iustis maximisq; de causis vehemēter is me nuncius perturbauit. Verū cum optimā viuendi rationem summāq; probitatem & eximiam mulieris temperantiā tam amplo in imperio positæ, cæteraq; eius præstantissimas virtutes animo repeteremus: & simul huius vitæ miserias atq; horum temporū incommoda perturbationesq; respiceremus, in eam sententiā adducti sumus, vt bene cum iis actū esse statueremus, qui hoc tempore mortē cum vita commutauissent: Deūq; Opt. Max. Annā Reginā ad se se, tamquā de terrarū æstu & fluctibus in portū, aut tamquā de flebili hospitio ad plenam hilaritatis paternam domū, cælū ipsum beatorumq; conciliū vocauisse, magnopere existimaremus: vbi illa bene actæ vitæ præmia, & cum liberalitatis atq; beneficentiæ, quibus duabus virtutibus supra mulierum captum enituit, tum vero etiā temperantiæ patientiæq; suæ speratos fructus, læta felicissimaq; perciperet. quæ omnino cogitatio mœrorē quidē meū multū leuauit. Quare te hortor, vt eadem atq; similia, vel etiā meliora, quæ tua sibi vel prudentiæ, vel animi magnitudo facile subministrabit, ad cogitationes tuas adhibeas, ægritudinēq; quā te vxoris tuæ morte contraxisse audio, leues: ferasq; æquo animo, quæ ferenda sunt: sunt autē ea omnia, quæ aliter se habere non queunt. in quo & tuam ipse temperantiā atq; prudentiā maxime ostendes: & mihi, qui te vnice diligo, omnē mœrore absterges, si te leuatū senserō. Dat. III. Cal. Febr. anno primo Romæ. P. Bembus lib. 7. epist. 1

II. Claudiæ Ludouici Regis filiæ.

Audita morte Annæ Reginæ matris tuæ, multis quidē de causis magnum sensi dolorem, sed cum præcipue, quod te filiam in tam tenera ætate reliquit, vt tuas exoptatas sibi nuptias iam tractari cœptas conficere, lætitiamq; de te capere, quam ei debebas, non potuerit. ex quo te etiam magnum dolorem accepisse magis quidem ingenii tui mirifica indole, quam ætate tua ad animorum affectus percipiendos idonea, te moueare ac excitante sane puto. Sed quoniam ea Dei Optimi Maximi voluntas fuit, matrisq; tuæ virtutes tot tamque egregiæ exiterunt, vt memoriam eius nominis omnibus seculis conseruatura videantur: eundum tibi est, non tam vt homines ex eius te obitu mærentem sentiant, quam cogitantem quibus artibus ei esse quam simillima possis. Quod pliane futurum confido: atq; vt ei rei curam adhibeas, & in timore te Dōmini exemplo matris institutas, amantissime te hortor. A me autem te sperare omnia volo, quæ ad tua commoda dignitatemq; pertineant: eōq; magis quod te tam illustri matre tamq; optima orbatam & spoliatam video. Et quamquam is tibi pater sit, qui suppeditare tibi omnia, quæ à te expetentur & propter imperii magnitudinem poterit: & velit propter amorem, quo is matrem tuam complectebatur, cuius tū illi imaginem refers, quoq; tibi parentis nomine afficitur: nōstrum tamen studiū, si quid tibi esse vsui poterit, voluntasq; ad te ornandā propēsa tibi certe numquā deerit. Dat. III. Cal. Febr. 1514. anno 1. Rom. epist. 2. sup.

Octauo postquā in ægritudinē incidisset die Anna decessit. Aulici ita sibi persuaserant, aduersa eam semper valetudine fuisse post vltimum partum, quasi parum fideliter obstetricum opera vsam: tātusq; fuisse mœror Regis visus est, vt pullatus nisi pullatum neminem admiserit, acroamataq; & ludicra omnia aulæ sustulerit. Hanc Quintianus summe in exules, & viduas & calamitosos omnes officiosam fuisse, authoremq; fuisse Ludouico, ne abhorreret à fouēdis literatis hominibus. Si quando irata (nam in summis laudibus eius, vnā excipit iracundiā) declinasset à religione officii in aliqua re, tantam postea adhibuisse vim pœnitendi, vt remunerando cumulandoq; obliteraret priores offensiones, easq; voluntaria obliuione obrueret, seq; eo nomine obiurgari cū verborū grauitate acriori iuberet: imperareq; Antistiti qui ei erat à sacris confessionibus, ne se expiatam absolueret, nisi prius aut eis quos offendisset irata, aut liberis damna illata resarcisset. Hæc ex eodem die quo natum filium masculum amisit, vixit in luctu, eodemq; etiā confecta contabuisse putatur. Maximū adhibuit studiū in Pisano abrogādo conciliabulo,

concordiaque Ecclesiæ, & pace inter Principes concilianda. Ab eius morte Ludouicus Claudiam filiam, quam Carolus Austrius optabat, Francisco Valesio desponsauit: atq; ipse Mariam Henrici Angli sororem, matrimonio sibi iunctam, insulis diademateq; ornauit. *Ferronius in Ludouico XII. lib. 4.*

IV. *Bembus à Pontifice ad Venetos mittitur.*

Dictum est superius, Pontificem ad Venetos misisse Petrum Bembum Secretarium suum, ea potissimum de causa, vt labanti Christianæ Reipub. optimus parens aliquo modo cõsuleret. Nam per hos dies, vt insinuatum est, ingentem victoriam Selymus Turcarum princeps aduersus Persas adeptus fuerat. Itaq; Leo Principum Christianorum animos concordes pacatosq; reddere nitebatur, ne illorũ dissidio subigendi omnia ferox barbarus occasionẽ arriperet. Bembus in Curiam admissus, Pontificis nomine Patres hortatus est, vt quãdo Turcorũ in Asia prosperæ res effluerent, ac de communi omnium Principum Christianorum periculo agebatur, & in primis Venetorũ, qui ab Histriæ ora fere vsq; ad Ciliciæ fines Selymi imperio contermini essent, pacis iam studia amplecti vellent, cum Cæsare, tradita illi Verona, bellum gerere desinerent, qui ea vrbe contentus, reliquas ciuitates restituere paratus erat; pro quibus tamen Cæsari ducenta aureorum numum millia Venetus certis pensionibus soluere teneretur: idq; Pontificem summopere affectare aiebat; vt pace inter Christianos Principes inita, eorum arma in Turcas verterentur, qui Persica victoria elati, & Christianorum dissidio freti, ad inuadendam armis Europam erectos animos haberent. memorque Pontifex multæ Venetorum Pisano bello erga se, & familiam suam benignitatis, Patribus amice suadebat, ne cum Cæsare pro vna Verona, quæ in eius tamen potestate esset, tam diu in bello perseuerare vellent: verum ea vrbe, pro cuius etiam conseruatione totius imperii viribus contendere paratus erat, vltro dimissa, Cæsaris amicitiam amplecterentur, ex qua multa commoda Veneta Resp. perceptura esset. Receptis enim reliquis oppidis, finis grauissimo bello imponebatur; tutiusque apparebat, vnius vrbis facere iacturam, quam rem omnem dubiis Martis casibus subiicere, in memoriamq; reuocarent patres, dum obstinatius Fauentiam, Ariminumq; Iulio Pontifici restituere negarent, quonam modo vniuersum prope terrestre imperium tam amplum, præpotensq; paucissimis diebus amiserint: nunc idem cauerent, ne pro nimia vnius vrbis retinẽdæ cupiditate, omnis continentis ora, ac propria libertas in manifestum discrimen coniiceretur. A Gallorum postea fœdere ac societate Patres diuellere Bembus, vt facundissimus erat, cõatus est; eorumq; fastum & superbiam damnauit, & quanta cum nominis Gallici indignitate, fidem Venetis fallere Rex olim nõ erubuit; aduentumq; eius in Italiam infelicem fore, difficilemq; ostendit, quando ipse Pontifex, Maximilianus Cæsar, Hispaniæ Rex, Mediolani Dux, Heluetii, Florentini, & Genuenses fœdere inter se iuncti, Regis transitum in Italiam armis impedituri essent. Quod si has ad pacem cum Cæsare suasiones Patres minime ad aures admitterent, quas quidem vti Reipubl. Venetæ salutares, ciuis ipse, patriæ amantissimus Pontificis nomine proponebat, viderent, ne optimum Pontificem ita læderent, vt in eius odium incurrerent; vnde grauissima mala oborta, extremam (quod nollet) Venetæ Reipub. desolationem, excidiumque afferrent. Ista quidem Bembus ad suos Cives. Raymundus quoque Cardonius Pro Rex Neapolitanus, nomine Ferdinandi Catholici, pro eadem pace conficienda, tum apud Cæsarem, tum apud Venetos plurima tentauit. Quod cum Pontifex intellexisset, eidem scripsit.

Raymundo Cardonæ Pro Regi Neapolis.

Cognoui de procuratore tuo Bercenno, quanto studio, quanta q; diligentia, & quam multiplicibus modis vsus es, vt bella controuersiæq; inter Maximilianum Roman. Imp. des. atque Venetos sedarentur planeq; restinguerentur. Quæ res ita mihi grata atq; iucunda accidit, vt nihil iocundius esse potuerit eo nuncio. Itaq; cum plurima atq; maxima tua erga nos officia omni tempore extiterint, obseruantiæ, beneuolentiæ, amoris q; plenissima: tamen propter eam curam qua teneor nostrorum hominum confectis odio animis exulceratisq; medendi, tua ista recens mirificaq; solertia nullo tuo est antehac ad mea commoda dignitatẽq; adhibito studio inferior. Nunc autem quanquam mihi dubium non est, quin quod superest: (superest autem, vt mihi videtur, etiam paululum quiddam, quod tamen ipsum pro mea voluntate nimium quantum est) eadem sis diligentia confecturus; re tamen etiam atq; etiam hortor, & pro nostra necessitudine abs te peto; nihil posthac intermittas neq; studii aut vigilantiæ, neq; operæ, neque plane laboris: vt quemadmodum res, quæ labi atq; flectere in priorem partem cœperat, tua est prudentia & diligentia eo reuocata, vt bene nobis sperandum sit: ita, quod reliquum est, quod quidem certe iam minus difficile videri debet, ad optatos exitus speratosq; quam celerrime perducatur. In quo & si rem sane quam Ferdinando Regi tuo gratam, Christianæ autem Reipub. maxime profuturam efficies: me certe ita tibi deuincies, vt omnium maximum benefactorum & meritorum cumulum tuis prioribus meritis te addidisse sim existimaturus. Tibi vero nominiq; tuo iam illustri, tantum gloriæ splendorisq; adiicies, quantum vlla alia ex re hoc quidem tempore posse assequi vix est vllo modo credendum. Plane autem Domino confido, cuius tu partes suscepisti: qui concordiam inter dissidentes, pacem inter bello implicitos conciliandi curam atq; munus geris, tuam eo operam non frustra positurum. Cæterum tota de re latius cum Bercenno sum locutus: is ad te omnia perscribet. Dat. prid. Calend. Febr. anno 1. Roma.

V. Nec Bembus neq; Cardonius, quicquam efficere potuere. Huiusmodi responsum Bembo à Principe publico decreto datum est: Patres eum libenter videre, veluti charissimum alumnum, ac in communi patria genitum: audiisseq; quid ob prosperos Turcarum in Persia successus Pontificis nomine ipse peteret: Veronamq; primum nullo pacto Cæsari dimittendam ex Reipub. dignitate Senatus esse censeret: quin eam vrbem breui recipere, & veteri imperio armis adiicere speraret: nec in Turcas quicquam Patres molituri essent, quando cum eis pax, vetusq; amicitia intercederet, quam violare numquam Veneti consueuissent. similiter, quod ad Gallorum fœdus deserendum attineret, indignissima Veneto nomini nota inureretur, si ab eius Regis societate Patres discederent, quam constanter seruare animis proponerent. Bembus cum hoc responso ad Pontificem Romam rediit: Cardonius bellum prosequi non intermisit. Ductum est id dubio euentu, alternante fortuna: magis tamen Venetorum ducibus fauente, ad extremum. *Iustinianus hist. Venetæ lib. 12. Bembus lib. 7. epist. 4. Mariana. lib. 30. c. 23.*

VI. Dum vero hæc de pace Regum & Principum, à Leone Pontifice tractarentur, interea ista quæ narrabo acciderunt. Superioris anni exitu, Emanuel Lusitaniæ Rex tres Legatos ad Pontificem Max. cum muneribus Regia magnificentia dignis destinarat. Princeps legationis Tristanus Cugna fuit. Collegæ duo Iurisconsulti magnæ apud Lusitanos authoritatis extitere. vnus Iacobus Paciecus, alter Ioannes Faria nominabatur. Per illos Pontifici sacras vestes ex auro, cum multis gemmis opere excellenti perfectis, quæ hodie vsque in Sacrario Pontificio asseruantur, dono misit. Vasa præterea ex auro, atque monilia maximi ponderis & pretii vestibus adiecit. Opus erat eiusmodi, vt cum materia nihil pretiosius excogitari posset, artificium tamen ipsam materiam multis partibus superaret. Misit præterea elephantum Indicum miræ magnitudinis, qui non solum Romæ, vbi homines, post inclinatam Romanæ maiestatis amplitudinem, illud animal numquam oculis aspexerant, sed quacumque gradum inferebat, nemo circumfluentem vndique turbam admiratione obstupefactam submouere poterat. Panthera etiam venatica missa fuit, quod munus haud scio, an olim Romæ Ædiles, cum ludos magnificentissimos apparabant, & præter alias immanes belluas, pantheras etiam in publicis spectaculis exhibebant, præstare potuerint. Ea namque mansuefacta, non in circo cum bestiariis, sed in syluis cum apris atque ceruis prælium committebat: & principibus qui venationibus oblectantur, plurimum voluptatis afferebat. Ea insidebat equi Persici tergo, integumentis auratis eleganter instrati. Equum regebat Persa venator eximius, qui ad id munus obeundum ab Armuzii Rege cum equo & Panthera missus fuerat. Tristanus Cugna, cum esset vir & nobilitate, & authoritate, & existimatione non vulgari præditus, tum propriis sumptibus eam legationem exornandam susceperat. Ducebat autem secum tres filios, & cognatorum copiam, amplamque familiam, quibus omnibus stipatus non abiecti Principis speciem præ se ferebat. Legationis scriba Garsia Resendius, vir non mediocris

apud Regem authoritatis erat. Nicolaus Faria, qui equis Regiis curandis præerat, agebat equum pulcherrimum, ephippiis aureis, & phaleris item aureis, emblematis & gemmis maximi pretii distinctis instratum & ornatum, qui etiam Pontifici donandus erat. Duodecimo tandem die Martii huius anni M.D.XIIII. Legati in vrbem hoc ordine iter instituerunt. Familiæ vestibus admodum eleganter excultæ præcedebant. Panthera tergo Persici equi, quem Persa regebat, insidens, & elephantus cum rectore sequebantur. Nicolaus Faria equo, quem diximus, inuectus, post elephantum interuallo modico disiunctus, primum illud agmen cogebat. Nobiles deinde viri, qui comitatu suo legationi non parum dignitatis adiungerent, loco suo progrediebantur. Post illos caducator Lusitanus cum insignibus Regiis legatos antecedebat. deinde Tristanus Cugna sequebatur, cuius vtrumque latus legati reliqui claudebant. Fuerunt à Cardinalium domesticis, deinde à Principum legatis, multisque Principibus antequam vrbem ingrederentur, omnibus honoribus excepti. Ad vrbem cum accederent, vrbis præfectus cum Episcopis, & ipsius Pontificis maximi domesticis atque familiaribus obuiam prodiit, Pontificisque nomine orationem breuem habuit, qua Legatis de aduentu gratulatus est, omniaque Regis Emanuelis clarissimi Principis officia, qui pro Christi nomine, & religionis sanctitate perpetuo dimicabat, illi gratissima, vt merita illius postulabant, perpetuo fore dixit. Responsum pro dignitate redditum ab illis est. Romani deinde designatores aduenere, & ordinem pompæ illius instruxere. Omnia interim tubarum cantibus, & tibiarum symphonia & concentu personabant. Nullus fuit princeps, qui non ordine à designatoribus constituto legatos deduceret. Heluetiorum etiam agmen instructum eos antecedebat. Turba vndique visendi gratia confluens, omnes viarum aditus obstruebat, ita vt vix fustibus coërcita cedere, & locum dare vellet. Cum ad molem Adriani ventum esset, tormentorum ingenti strepitu ciuitas vniuersa tremefacta fuit. Fumi tandem caligine dispulsa, cum Pontifex è fenestra spectaret, elephantus accessit, & ter genibus flexis, & demisso corporis habitu venerabundus illum salutauit: quod non mediocrem admirationem spectantibus incussit. Tum proboscide in dolium ingens aqua refertum immissa, aquam hausit, qua omnes qui in fenestris altioribus insidebant, aspergeret. In plebem deinde conuersus, eam aqua, quasi ludum exhibere vellet, immodice perfudit. Cum hac pompa fuerunt ea die Legati in hospitium deducti. Vigesimo vero die mensis eiusdem, Legati eadem hominum frequentia & celebritate in Pontificis ædes deducti sunt. Pontifex in sublimi sede vestibus sacris cultus, vt fit, eos expectabat: Cardinales in sedibus suis considebant. Legati primum Pontificis pedes osculati sunt. Alii deinde ordine à designatoribus instituto idem officium præstitere. Tristanus deinde Cugna litteras Pontifici Regis Emanuelis obtulit, quæ publicæ lectæ sunt. Eæ nihil aliud continebant, quam postulatum, vt Legatis fides haberetur. Tum Iacobus Paciecus egregiam orationem habuit, quam ita voce & actione luculenter expressit, vt non mediocrem ea die laudem eloquentissimi Oratoris assequeretur. Dicebat;

Rex Emanuel ab extrema Lusitania, Pater sancte, huc nos venire iussit de Pontificatu delato gratulatum; quod felix diuturumq; magnoq; adeo commodo Ecclesiæ fore auguramur. optamusq; simul ad deferendum obsequium debitum quidem sed libentissime tamen oblatum. Moram re necessaria susceptam hactenus excusare debet prompta voluntas. Officio preces adiungit honestissimas, atq; tempore necessarias. Paterna cura prouidendum videri, vt superiores Orbis Christiani iacturæ reparentur facta pace. Id fiet, si Principes Christiani priuatis singulorum dissidiis sublatis, vires in commune contulerint aduersus hostem communem infensumq; in nostris ruinis exultantem, nostraque ex calamitate & spoliis superbum, & magnum nouis indies incrementis. Quæ enim si gloria queritur, honestior causa, si vtilitas fructuosior hac cogitatione esse potest? Faceßat superior amentia; panarum satis est datum. Amentes prorsus & furiosi, qui in seipsos ferrum stringunt, vecordes & rabidi. Proderit Episcoporum conventus continuari, neque solui prinsquam omnia ex sententia componantur. Patrum authoritate diuina in terris æmula, id curari atque præstari summopere exoptat, peritque, quoad vires tulerint, communi causæ non defuturus, paratus etiam si res ferent, pro communi salute & Ecclesiæ dignitate vitam sanguinemq; profundere. Nihil in nostra oratione vanitatis est. Sed quid non expectare fas sit ab eo, qui omnes cogitationes consumit in conatum religionis Christianæ amplificandæ, siue in vltimis Orientis Solis oris, vbi vexillum Crucis inter nationes feras & barbaras intulit atque erexit, vsque ad extremos orbis fines, quanto fructu & laude dicere non est necesse: siue in Africanis expeditionibus ærario consumpto, & regni viribus exhaustis. Ex Indiæ spoliis & copiis primitias specimenq; offert, Pater Beatissime, munera ex regionum longinquitate vnde adducta sunt, & ex pietate Principis magis quam ex pretio æstimanda: spemq; adeo certa fore aliquando, vt latissimæ regiones & gentes innumeræ ante vestros pedes prostratæ Christo se subdant. Pro Africanis spoliis minus gratiæ habituris, quo visitatoria sunt postulatum offerimus honestum prorsus & sanctum. id est. Vt quoniam bello Africano gerendo pares regni vires & opes Regiæ non sunt, suscepitos conatus primum concessa peccatorum venia ex Ecclesiæ thesauris tuis benigne manu: deinde concedas, vt pars aliqua in Lusitania sacrorum vectigalium ad id bellum conferatur. Vbi enim melius ponuntur, atque eorum qui eas opes templis legarunt voluntati magis consentaneè? Cum quibus fructus & gloria communicatur: an iniquum videatur vt oneris partem ferant? Non arbitramur vestram benignitatem in re omnium æquissima denegaturam, quod aliis Principibus variis temporibus est datum.

VII. His adiungebant: vt Sacerdotes à vitæ luxu, morumque licentia, ad continentiæ & sanctimoniæ disciplinam reuocarentur. Pontifex responsum Latine, verbis luculentissimis, & eleganter, & grauiter dedit, Emanuelisque nomen & Lusitanæ gentis virtutem laudibus summis exornauit. Postridie Legati in viridarium, quod post Pontificis ædes in Vaticano monte consitum est, intromissi sunt. Eo in loco eos iam Pontifex expectabat. Ibi munera accepit, quorum fulgorem & artificium admiratus vehementer est. Inde in hortum, vt elephantum & pantheram videret, continuo descendit. Ibi voluit spectare, qua ratione panthera venaretur. Non multis post diebus responsum Legatis dedit nempe vt tertiæ atque decimæ partes vectigalium, quæ aleidis Sacerdotibus & Sacris vsibus destinata sunt, in belli quod in Mauritania gerebat, sumptus illi tribuerentur: vt bona pars Ecclesiarum, (sic enim trito iam sermone templorum bona nominare solent) cum Monachorum etiam quorundum vectigalibus; in vsus eorum, qui in Christianæ militiæ ordinem cooptantur, conuerteretur: vt diplomata scribi iuberet, quibus iis, qui vellent bellum Africanum pecunia iuuare, cælestia beneficia è Christi thesauris deprompta large tribuerentur. Hæc vero largitas hominum reprehensione carere non potuit. Vt enim Rex hominum improborum cupiditate victus, id à Pontifice contenderet, æquum tamen esse dicebant, vt Pontifex esset in largiendo restrictior. Sacra enim vectigalia tanta religione non solum apud homines diuinis legibus astrictos, sed etiam apud Græcos, & Romanos, & Ægyptios, & complures alias nationes munita fuerunt, vt qui ex illis partem aliquam attigisset, grauissimum in se scelus admisisse existimaret, vix vllis piaculis eluendum. & vera religione dicebant multo magis continendam esse hominum Christianorum cupiditatem: neque committendum, vt propter immanem quorundam auaritiam, quæ nullis finibus arceri potest, sacra profana fierent. Decimæ quidem atque tertiæ sacrorum vectigalium partes olim Alfonso nono, & post Alfonso vndecimo concessæ definito tempore fuerunt: verum: sed illorum patrimonium fuerat à tutoribus dissipatum: & influentes barbarorum copiæ in Hispaniam irruentes, erant tunc templorum omnium sanctitatibus & sacris etiam vasis, iure atque merito repellendæ. Rex Fernandus similiter & Isabella cum essent propter Portugallense bellum sumptibus exhausti, & bellum eis iustum & religiosum contra Granatenses Saracenos instaret, merito videntur eadem Pontificis benignitate sustentati. Id tamen Alfonsus I. Lusitaniæ Rex, qui cum tenues admodum opes possideret, Saracenos innumerabiles, opibus & potentia feroces, maxima atque diuturna belli contentione è Lusitaniæ finibus expulit, numquam vt faceret, in animum induxit. Neque Sancius illius filius, qui cum bellum durissimum Saracenis Bæticam in-

colentibus inferret, prope Hispalim, Belim fluuium eorum sanguine tinxit. Neque Ioannes hoc nomine primus, qui profligato, quod cum Castellæ Rege gesserat bello, septem vrbem expugnauit. Nec Alfonsus quintus, qui Tingim & Arzillam & Alcassarem armis atque virtute cepit. Nec Ioannes secundus, cuius non solum in bello Hispanienſi contra Fernandum Regem inuictissimum admirabilis virtutis lumen eluxit, sed etiam in Africano bello clarissimum specimen egregiæ virtutis exhibuit. Si exemplis erat agendum, quando quod exemplo fit, iure etiam fieri plerique iudicant, multo magis erat exemplis domesticis, quam alienis vestigiis insistendum. Deinde illi, qui sacris rebus permissu Pontificis manus iniecerunt, excusationem egestatis habuere. At Emanuel tunc tantis opibus circumfluebat, vt omnes Principes à quibus ortum ducebat, longissimo interuallo superaret. Quod si illi, quibus ea pecuniæ sacræ summa donabatur, totam vitam, vt olim in Sacro bello, pro Christi sanctissima religione consumerent, recte videretur illud munus à Rege postulatum & à Pontifice concessum. Sed illud incommodum accessit, quod in litteris Pontificis, Legatorum opera, qui sacræ pecuniæ lucris inhiabant adiectum fuit, vt illa vectigalia non modo pro Christi religione militantibus, sed quacumque alia ratione bene meritis à Rege donari possent. Hoc introitu ad hominum cupiditatem patefacto, factum est, vt vectigalia sacra multis in locis hominibus lautissimis, qui non solum numquam hostis vultum aspexerunt, sed illata belli Africani mentione contremiscebant, donarentur. Postremo, quod Rex hominum sermonibus inductus sibi proposuit, consecutus minime fuit. Maritimas enim Mauritaniæ ciuitates facillime tueri, & nobilitatem opibus ampliorib⁹ deuinctam tenere, & ærarium demptis sumptibus amplificare cupiebat. At post illius muneris concessionem, nec Africæ bellum eadem felicitate gestum fuit, & nobilitas maiore inopia conflictari, & pluribus querelis vti cæpit, & Regis ærarium, quo plures vectigalium accessiones fiunt, eo sumptibus minus necessariis, & casibus interdum acerbioribus exhauriebatur. Sumptus quidem sacræ pecuniæ moderatos, & hominibus qui non militiæ sacræ nomen vsurpant, sed pro religione sanguinem effundunt, attributos, laudandi sunt: tantam vero largitionem ex sacris vectigalibus in luxum multorum hominum, qui numquam gladium strinxere fieri minime debere arbitrabantur saniores. & quidem iterum Castellæ repetebant exempla: vbi postquam in sacros templorum reditus Reges inuolarunt, maiori quam antea premebantur inopia. Enimuero qui exiguis olim vectigalibus, Maurorum imperio conuulso, externos inuicta virtute gentes ad ditionem adiunxere, eos nouis indies tributis plebe fessa, & sacrorum vectigalium parte magna occupata, nullo idoneo operæ pretio sua mole ruere, & proprio laborare pondere. Priuatorum etiam testamenta legibus sancta esse conquerebantur: eorum moueri, qui Christum hæredem scripsere. Dotem multis alioqui fulcitam prærogatiuis Christi sponsæ detrahi, ipsa inuita, & qui dederunt repugnantibus. Et hæc quidem homines mussitabant. Regii interim ministri & collectores simulatione religionis inertiæ alimenta quærebant, multasque concipiebant fraudes, vt copias in victum Sacerdotum & templorum multum destinatas alio conuerterent: vnde sc. in aulicorum delicias tandem definerent, rebus à prima origine mutatis. Iis incommodis commotus sacer ordo, centum & quinquaginta aureorum millibus pristinam redemit immunitatem, ac non vltra triennium molestæ exactiones exstitere. Litteræ etiam quibus animi eorum, qui certo pecuniæ numero bellum Africanum iuuare vellent, expiarentur, & multis præterea beneficiis, quæ ad numinis offensas obliterandas valerent, afficerentur, ministrorum auaritia & improbitate grauissimas offensiones attulere. Fuit tamen Emanuelis iussu in eos ministros animaduersum, & omnes vel humano iudicio, vel diuina vindicta talem exitum vitæ habuerunt, vt intelligi posset, numen diuinum fuisse hominum cupiditati, qui ex hac functione non mediocrem sibi pecuniam comparabant, vehementer infensum. *Osorius lib. 9. Mariana lib. 30. c. 23.*

VIII. Secundum erat, quod Emanuelis Regis Oratores, paucos post dies Romæ præstiterunt. Ad diem quintum Maii, ad quem variis de causis à Pontifice prorogata fuit, congregata nona sessione in Lateranensi sacrosancta Basilica, præsente eodem ac præsidente Pontifice, ad pedes eiusdem accesserunt, & præsentauerunt mandatum præfati Regis ad interessendum Sacro Lateranensi Concilio: quod Pontifex tradidit secretario Phedræ, vt ex suggesto publice perlegeret. Ita habet:

Mandatum Regis Portugalliæ.

Emanuel Dei gratia Rex Portugalliæ & Algarbiorum, citra vltraque mare in Africam Dominus Guncæ, ac Conquistæ nauigationis, ac commercii Æthiopiæ, Arabiæ, Persiæ, atque Indiæ. Vniuersis & singulis harum seriem inspecturis, Notum facimus, quod confidentes nos plurimum de fide, & industria nobilis & insignis viri Tristani de Cugna, Consiliarii nostri fidelissimi & dilecti, atque egregiorum juris Doctorum Didaci Pachechi, & Ioannis de Farra, nostræ Curiæ Auditorum, quos ad Sanctam Sedem Apostolicam, ac Sanctissimum Dominum Dominum nostrum Leonem Decimum, diuina prouidentia Sanctæ Romanæ & vniuersalis Ecclesiæ Pontificem maximum cum obedientia Oratores destinauimus, ipsosque etiam Oratores ac Procuratores, ad hoc sacrum Lateranense Concilium, quod sua Sanctitas cõtinuare & prosequi desiderat, designamus, deputamus, constituimus, dantes illis plenum mandatum, & omnimodam potestatem pro nobis, & Regnis, dominiisq; nostris in ipso Sacro Lateranensi Concilio dicendi, proponendi, agendi, tractandi omnia & singula, quæ ad celebrandum & concludendum ipsum Concilium, tam quo ad sanctissimam & omnibus Christianis optabilem contra Christi hostes expeditionem, quam quo ad cætera ad Sanctæ Romanæ Ecclesiæ eiusq; membrorum vnionem, & Christianæ religionis fideiq; Catholicæ augmentum & commodum spectantia, necessaria seu opportuna fuerint expedire, & nos ipsi præsentes faceremus. Promittentes nos gratum, ratum, firmũ & validum habituram, quicquid in prædictis, & quolibet eorum per dictos nostros Oratores actum, factum, ac gestum fuerit. In quorum fidem & testimonium præsentes scribi, & sigillo nostro communiri fecimus, manuque nostra subscripsimus. Datum in vrbe nostra Vlixbonæ XII. Cal. Nouembr. Anno Domini M.D. XIII.

Lecto superiori mandato, Marius de Peruschis, Fisci & Sacri Concilii Procurator expositi summo Pontifici, quod licet alias fuerit decretum monitorium contra Prælatos Gallicæ nationis, & alios vtentes quadam pragmatica sanctione, & fuerit citatio decreta contra eosdem, vt venirent ad allegandum causam, quare dicta pragmatica reuocari non debet, & fuerit huiusmodi monitorium, seu citatio legitime executa, & reproducta, & sua Sanctitas prorogauerit eis terminum vsque ad præsentem Sessionem, tamen ipsi minime comparere curarunt, nec curant, tam ad defendendum dictam pragmaticam, quam ad interessendum sacro Concilio. Quare contumaciam eorum accusauit, & accusat petens procedi contra eos ad declarationem, & decerni processus per affixionem citationum ad valuas Ecclesiæ Lateranensis. Ex aduerso vero Claudius Episcopus Massilienſis Orator Christianissimi Francorum Regis allegauit, excusando dictos prælatos, dicẽs eos venisse vsque ad Montes, seu Delphinatum, & quia non potuerunt obtinere Saluum Conductum à detentoribus Ducatus Mediolanensis & Dominii Ianuensis, ideo non venerunt. & pro verificatione dictorum produxit vnum instrumentum, & certas litteras missiuas tenoris infrascripti, videlicet instrumentum. IX.

Excusatio & postulatio Prælatorum Gallicorum.

Vniuersis & singulis præsentes litteras inspecturis, Guilhelmus Costæ presbyter, in Decretis Baccalarius, Prior seu Cõmendatarius Prioratus Sancti Stephani de Valleloisia Ebredunensi diœcesis, & Canonicus Ecclesiæ Collegiatæ Sancti Saluatoris Montispessulani diœcesis Magalonẽsis, Vicarius in spiritualibus & temporalibus Generalis Reuerend. Patris Domini Ludouici de Mazis Sanctæ sedis Apostolicæ Protonotarii, ac Præpositi Cõmendatarii Præpositatus seu Canobii Vlcien. Ordinis S. Augustini Taurinen. diœcesf. salutem in Domino sempiternam. Notum facimus, quod in nostra, Notariorumque ac spectabilium & scientificorum Doctorum, & testium infrascriptorum præsentia existentes, & personaliter constituti coram nobis sedentibus pro

pro Tribunali, in Cœnobio dicti Præpositatus, Reuerendi in Christo Patres ac Domini, Domini Episcopi, Ioannes Lexonien. Antonius Engolismen. Franciscus Ambianen. Ioannes Cabilonen. Simphorianus Laudaren. Magistri in Theologia, Ioannes Lelumien. Antonius Lescurre: Archidiaconi, Ioannes de Fraxino, Guillelmus de Nossai Lexouien. Iurium Doctores, Legati, Oratores & Procuratores ad Sanctissimum in Christo Patrem & Dominum Nostrum, Dominum Leonem Papam Decimum & modernum, per nonnullos Reuerẽn. Patres, qui in congregatione Pisana interfuerunt, suo & aliorum nomine Procuratores decreti & destinati exposuerunt, quod sunt supra sexaginta dies effluxi quibus huic loco applicuerunt, & plusquam quatuor menses huic legationi vacarunt. Verumtamen cum primum huic loco applicuerunt fuere à Mazerio præfati Sanctissimi Domini nostri Papæ certiores effecti, quod Maximilianus Sfortia Ducatus Mediolanensis detentor, eidem Mazerio Breue Apostolicum sibi offerenti, commeatum & Saluum Conductũ præfatis Oratoribus recusare non erubuit. quod intelligentes præfati Oratores visi sunt viam Genuensium tentare: quibus significatum est. Ilam propter diuisiones, factiones, & bella ipsorum Genuensium, ac incursiones vicinorũ, & confœderatorũ præfati Maximiliani minime tutã esse, nec posse illac proficisci sine suarũ discrimine & periculo personarum, tam ex causis præmissis, quam ex insidiis ab hostibus Christianissimi Regis paratis. Quare præfati Oratores, de præmissis omnibus eiusde Sanctissimi Domini Nostri Papæ Nuncio super hoc specialiter destinato certificauerunt, & responsum à sua Sanctitate acceperunt per suum Breue, Datum Romæ die XVII. Februarij anno Domini M. D. XIV. quod Sanctitas sua de Saluo Conductu Maximiliani, & Octauiani, Nobilium Mediolani & Genuæ detentorum, eis prouideri faceret, prout ex literis Reuerendi Patris Domini Episcopi Massilienſis, Christianissimi Ludouici Francorum Regis Oratoris latius certiores redderentur. Insequendo igitur prædictum Mandatum Apostolicum, supra XX. dies hic expectauerunt, nullo Saluo conductu à dicto Maximiliano recepto, nullaq; dictum Saluum conductum recipiendi spe data. Quapropter præfati Oratores, ne mora posset eis quomodolibet imputari, sed vt de eorum obedientia, deque ipsius Maximiliani contumacia, inobedientia & reluctatione ipsi Sanctissimo Domino appareat, curarunt suam præfatam Sanctitatem de omnibus præmissis plenius certiorare: & vt apertius liqueat, non tantum de eorum debita diligentia, sed etiam de bona, quam erga præfatum Sanctissimum D.N. & Sedem Apostolicam gerunt voluntate, & talem hactenus fuisse, vt ab illius vnitate numquam voluerint, minusque in futurum velint vllo pacto discedere, sed illius mandatis perpetuo obtemperare: neque schismaticos vnquam fuisse, sed vnam, Ecclesiam Catholicam sub vno Pontifice Maximo coluisse, & obseruasse. quicquid ab inimicis veritatis, & Christianissimi Regis & regni ex aduerso dictum fuerit, ipsi inquam Oratores non valentes habere optatã præsentiam prædicti Sanctissimi Domini Nostri (quod dolentes ægre tulerunt) & hoc propter viarum discrimina, & inimicorum Christianissimi Regis & Regni ex aduerso insidias eis paratas, prout ipsis apertius constitit, tam nomine suo, quam procuratorio Reuerendorum Patrum Dominorum Gaspardi de Turone Valentinen. & Dien. & Claudii de longo vico Masticenen. & Guiscardi Hieropolitanen. titulati & Lugdunensis Suffraganei Episcoporum, ac Domini Ioannis Arzeleri Iurium Doctoris Lugduni existentis: qui quidem prædicti Patres interfuerunt prædictæ congregationi Pisanæ, prout dixerunt & exposuerunt, tam nomine suo, quam aliorum Reuerendorum Patrum Archiepiscoporum, Episcoporum, & omnium, & singulorum cuiuscumque status, gradus, & dignitatis existentium, Ecclesiastici vel temporalis, qui in congregatione Pisana interfuerunt, eis adhærentium, & adhærere volentium, sub illa meliori forma qua potuerunt, & debuerunt obtemperando mandatis Apostolicis, & exhortationibus Regiis suos fecerunt & constituerunt Procuratores legitimos, & Oratores prædictos, Reuerendos Patres Dominos ad Sanctissimum Dominum Nostrum Papam, specialiter & expresse, ad renunciandum congregationi Pisanæ tam dissolutæ, & adhærendum Concilio Lateranensi, nec non ad petendum absolutionem, quatenus opus esset à præfato Sanctissimo Domino Nostro, prout latius continetur in dicto Procuratorio instrumento, cuius tenor ob sui prolixitatem, & breuitatis causa hic non fuit insertus, quod tamen vidimus, tenuimus, & publice coram nobis, & prædictis Notariis, & testibus infrascriptis renunciauerunt, & renunciant dictæ congregationi. M. D. XIII. XI. mensis Ianuarii, Indictione II. & Domini Nostri LEONIS Papæ Decimi anno primo, receptum per Magistros Ioannem de Aluerina Lemouicens. & Petrum Quesuel Lexouien. diœcesis Notarios Apostolicos. Præfati igitur Reuerendi Patres, & spectabiles Doctores Legati, & Oratores, coram Nobis pro tribunali sedentibus, & Notaris, testibusque infrascriptis renunciarunt, & renunciant dictæ congregationi Pisanæ iamdudum dissolutæ, & adhærent, adhærereque volunt in futurum Concilio Lateranensi, vt optata reformatio Ecclesiæ, & pax vniuersa Christianæ religionis, nec non prouisio necessaria contra immanissimum Turcum, & hostes fidei subsequantur. & si forsan occasione dictæ congregationis Pisanæ, & gestorum in ea aliquas censuras iuris, aut hominis, aut alias quascumque pœnas de iure aut de facto incurrerint, præstito prius debito iuramento de parendo mandatis Ecclesiæ, & præfati Sanctissimi Domini Nostri Leonis Papæ Decimi, cum illa humilitate qua possunt, ac debent, vsque ad prostrationem & pedum osculã, absolutionem qua indigent sibi dari, & quamcumque aliam iuris pœnam, seu maculam aboleri petierunt & postulauerunt, prout per tenorem præsentium petunt & postulant, ac si coram Sanctitate sua præsentes, & personaliter interessent, supplicando Sanctitati suæ cum illa deuotione qua valent, vt ipsis præfatis Oratoribus, & aliis quorum legatione funguntur, & qui in dicta congregatione interfuerunt, consilium, auxilium, opem, fauorem, aut obedientiam præstiterunt, absolutionem pro sua solita clementia concedere dignetur: offerentes se supplices preces effundere Deo, vt regimini Sanctissimæ matris Ecclesiæ suæ Sanctitas feliciter & longæue præesse valeat: de quibus omnibus & singulis, cum quanta maxima instantia potuerunt, & valuerunt, rogarunt, vt pro iustificatione eorum præfatæ voluntatis, & excusationis, quatus acta prædicta in quantum de iure possimus vellemus recipere, pro, & nomine eiusdem Sanctissimi Domini Nostri, & Sanctæ Sedis Apostolicæ, & de receptis eis actum publicum concedere: quod quidem actum prout de iure ossumus & debuimus, recepimus, & per notarios publicos in formam publicam redigi fecimus, & eis tradi concessimus & præcepimus. Datum in dicto Cœnobio Vlcien. sub sigillo nostri Vicariatus, die XVII. mensis Martij, anno à Natiuitate Domini M. D. XIII. Indictione secunda, Pontificatus præfati Sanctissimi Domini Nostri Leonis Papæ X. anno I. præsentibus ad hæc spectabilibus viris Dominis ac Magistris Aluano de Varemus, Stephano Vulturium Doctoribus Albanens. ac Tutellens. diœcesis, ac in Deo deuotis religiosis Orencio de Bardonethia Infirmario, & Marcellino Iasserii Cocrearo Canonicis dicti Cœnobii testibus vocatis & rogatis.

Et ego Petrus Quesuel presbyter in artibus Magister Lexoniens diœcesis publicus Apostolica authoritate Notarius, quia prædictæ expositioni, renunciationi, adhæsioni, iuramenti præstationi, & absolutionis petitioni, cæterisque præmissis omnibus & singulis, dum sic (vt supra) scriberentur, agerentur, dicerentur, & fierent, vna cum Ioanne Iusteri Notario publico collega meo, ac prænominatis testibus præsens interfui, eaque sic fieri, & dicere audiui, ideo hoc præsens publicum instrumentum manu mea scriptum, vna cum sigilli Vicariatus dicti Domini Vicarii appensione subsignaui, in fidem & testimonium præmissorum requisitus & rogatus, approbo in rasura, qua indigeat sibi dari, & quamcumque iuris pœnam, seu maculam aboleri. P. Quesuel.

Et ego Ioannes Iusteri in Delphinatu Taurinens. diœcesis publicus, auctoritatibus Apostolica, Imperiali & Delphinali Notarius, quia prædictis expositioni, renunciationi, adhæsioni, iuramenti præstationi, & absolutionis petitioni, cæterisque omnibus & singulis, dum sic (vt supra) scriberentur, agerentur, dicerentur, & fierent, vna cum dicto Magistro Petro Quesuel Notario publico collega meo, ac prænominatis testibus, eaque sic fieri, vidi & audiui, ideo hoc præsens publicum instrumentum manu dicti Domini Petri Quesuel scriptum, fideliter facta debita collatione cum proprio originali, vna cum sigilli Vicariatus dicti Domini Vicarii appensione subsignaui, in fidem & testimonium omnium & singulorum præmissorum veritatis requisitus & vocatus, approbo in rasura, qua indigeat sibi dari, & quamcumque aliam iuris pœnam, seu maculam aboleri. I. Iusteri.

Tenor literarum Prælatorum Gallicæ nationis directarum Pontifici talis est, & primo in suprascriptione.

Sanctissimo Domino Nostro Leoni Papæ Decimo Pontifici Maximo. Intus vero.

Sanctissime Pater, cum omni humilitate, reuerentia & honore, vsque ad pedum oscula procidentes, Beatitudinis Vestræ perpetuum incrementum à Deo suppliciter petimus.

Sanctissime Pater. Ex Breui Apostolico quod ad nos mittere S. V. placuit, intelligimus datam esse operam ab eadem Sanctitate V. cum Maximiliano & Octauiano Mediolanensis & Genuensis Ducatum detentoribus, vt nobis Saluum conductum darent. vnde gratias agimus quas valemus humilitate eidem Sanctitati Vestræ, quæ pro innata

clementia nos non niſi tuto & ſecure ad ſe proficiſci iubet. At vero ex quo Breue Apoſtolicum accepimus, interea dum Saluum conductum præſtolamur, dies XX. effluxere: cumq; iam ante XL. lapſi eſſent dum hic agimus, factum eſt vt ſexaginta dierum numerum egerimus, quatuor menſium interuallo per agros ac diuerſoria dedu&i. Beatiſſime Pater, cum Maximilianus Sanctitatis Veſtræ maſſarius Saluum abnuere conductum non veritus ſit: cumque etiam diuturna nos tenuerit expectatione ſuſpenſos, quo in nos animo ſit, quam ſuſpecta nobis eſſe debeat profectio noſtra facile cognoſcimus. Oramus itaque, & totis animis obſecramus, vt Maximiliani contumacia, qui ſpretis ſemel & iterum mandatis veſtris darum ſeſe ac renitentem præbuit, moram noſtrã excuſet, & promptam quæ in nobis eſt voluntatem præpendi nequaquam obſcurent, quam vt Veſtræ Sanctitati tertius teſtatam relinquamus. a&um iudicialem mittimus coram ordinario iudice ſpeciali huius loci legitime vt voluimus confectum, qualem potuiſſemus agere iuxta procuratoris noſtri facultatem in Veſtræ Sanctitatis præſentia, Piſanæ congregationi iam diſſolutæ, nomine, & noſtro, & quorum cauſa procedimus renunciando, & adhærendo Sacro Lateranenſi Concilio, Apoſtolicam denique vtcunq; indigemus humiliter ac deuote petendo abſolutionem. Sanctiſſime Pater, ſolitam illam animi veſtri manſuetudinem obnixe imploramus, miſereatur tantorum laborum atq; impenſarum: dignetur expletos ſexaginta dies & amplius in deſerto hoc, & vaſta ſolitudine, pœnitentiæ noſtræ loco ſuſcipere, velitq; ſacri huius temporis, & imminentis feſti Paſchæ rationem habere, quo diuinis (vt officii noſtri eſt) vacare commode valeamus: ne commiſſis nobis gregibus diutina abſentia noſtra ſalutis diſpendium ferat. Beatiſſime Pater paratos omni tempore ad obſequia Veſtræ Sanctitatis animos offerimus, diuinam maieſtatem oraturi, vt felicem donet V. S. curſum hic agere, & in cæli vnacum omnibus quos dedit vobis pater perennem gloriam adipiſci. Ex Vlcirs prope Secuſiam die XIX. Maij. E. S. V. humillimæ creaturæ, & deuoti Oratores Epiſcopi.

I. Cabilonenſ.
E. Lexouienſ.
F. Ambianenſ.
A. Engoliſmenſ.
S. Glaudatenſ.

Ex aduerſo contra dicta & allegata per præfatum Claudiũ Epiſcopum, Hieronymus Moron Orator Maximiliani Sforziæ Ducis Mediolani dixit, quod præfatus Dux non negauerat Prælatis Gallicæ nationis Saluum conductum, ſed diſtulerat eis dare cauſã deliberandi & conſulendi. Et aueritis hinc inde propoſitis, tandem Pontifex abſoluit cum reincidentia Prælatos præfatos à cenſuris ſi quas incurrerant, & prorogauit eis terminum vſq; ad proximam Seſſionem, & interim ſuſpẽdit cenſuras, & voluit eos interim non incurrere, ſed elapſo termino in priſtinas cenſuras reincidere, & non ante. Poſtmodum vero excluſis aliis non habentibus vocem deffinitiuam in Concilio à loco Concilii, exceptis Oratoribus & Baronibus, prælatiſq; omnibus exiſtentibus in veſtibus & paramentis ſacris in ſuis ſubſelliis mitratis ex ordine poſt Cardinales in præſentia ſummi Pontificis, præfatus Claudius Epiſc. Maſſilien. aſcendit ambonem, & legit cedulam tenoris infraſcripti.

Leo Epiſcopus Seruus ſeruorum Dei. Ad perpetuam rei memoriam. Sacro approbante Concilio.

Poſteaquam ad vniuerſalis Eccleſiæ curam & regimen, licet tanto oneri impares, diuina diſpenſatione vocati fuimus, ex ſummo ſtatim Apoſtolatus apice, tamquam ex vertice montis Sion, ea proſpicere ac animo voluere cœpimus, quæ ad ſalutem, tranquillitatem, ac propagationem ipſius Eccleſiæ pertinere imprimis videbantur. Cumque in hanc rem omnem noſtram curam, cogitationem ac ſtudium, more ſolertis vigiliſque paſtoris conuerteremus, nihil grauius, aut Chriſtianæ Reipublicæ perniciouſius, & pio noſtro deſiderio magis aduerſum Bellorum efferarabie comperimus, Quæ vſque adeo armis craſſata eſt, vt vaſtata pene mutuis cladibus Italia, deformatiſque ac partim euerſis, æquatis partim ſolo Ciuitatibus, & terris, concuſſis Prouinciis, & regnis, in Chriſtianum ſanguinem furere, ac debacchari non deſinant. Nihil itaq; prius, nihil ſtudioſius, aut magis ex animo curandum duximus, quam ea bella ſedare Eccleſiaſticamque diſciplinam pro viribus, ac temporum ratione componere, vt placato per vitæ emendationem Deo, Dominicum gregem noſtræ fidei commiſſum, compoſitis diſſidiis, in vnum cogere, & aggregare, Vnanimẽq; ac pacis, & concordiæ vinculo, tanquam firmiſſimo glutino vnitum aduerſus communes hoſtes fidei Chriſtianis cernicibus imminentes facilius adhortari, ac concitare poſſimus. Cuius quidem expeditionis in impios, & Crucis Chriſti implacabiles inimicos, hoc vehemens noſtrum deſiderium ita cordi noſtro infixum eſt, vt ſacrum Lateranen. Concilium, à fel. rec. Iulio. II. prædeceſſore noſtro indictum, ac inchoatum, eiuſq; obitu intermiſſum, ea præcipue cauſa continuare, & proſequi decreuimus, vt in diuerſis Seſſionibus in eodem Sacro Concilio per nos habitis omnibus patet, vt Chriſtianis Principibus, ſeu eorum Oratoribus in eo Concilio congregatis, Prælatiſq; ex diuerſis Mundi partibus eo venientibus, Pace inter ipſos Chriſtianos Principes compoſita, extirpatiſq; (vt par eſt) primo ex Domini agro peſtiferis hæreſum ſentibus, ea quæ ad ipſam expeditionem contra eoſdem hoſtes neceſſaria, ac ad gloriam, & exaltationem orthodoxæ fidei, aliarumue rerum conſultationem pertinent, maturo conſilio, omniumq; aſſenſu decern feliciter poſſent. Ad quod quidem Concilii ſolemniter indictum, ritеq; denunciatum, & ſi multi ex diuerſis Europæ partibus præclari, & in omni ſcientia præſtantes viri conuenerint, multi etiam legitime impediti mandata in publica forma miſerint, non tamen Bellorum, ac temporum difficultatibus, quibus loca plurima iamdiu hoſtilibus armis obſeſſa fuerunt ea quam deſiderabamus copia, & multitudo conuenire potuit. Nihil eſt præterea, quod nobis aſcribi poſſit, ſi hactenus (quod forſitan multis neceſſarium videtur,) & Nos opportunum præ ceteris putamus, Legatos de latere ad Reges, & Principes pro concordia eorundẽ Principum pace non miſimus. Hac ſane cauſa id facere deſtitimus, Principes enim fere omnes ſuis ad nos litteris, ac nuntiis Legatos mitti minime expedire, aut neceſſarium eſſe ſignificarunt. Circumſpectos nihilominus, ac probatæ fidei viros nuntios noſtros, etiam Epiſcopali dignitate præditos, ad eos ipſos principes grauiora inter ſe armis, ac quantũ conijcii poterat aſperiora bella molientes vltro miſimus, Quorũ præcipue opera effectũ eſt, vt pactis iam inter quoſdam Principes inducis, cæteri eas breui approbaturi eſſe credantur. Quare legatos, vti proxima Seſſione decreuimus, vbi opus & expediens fuerit, pro ſtabili, ac perpetua pace inter eos componenda, ac vti antea propoſuimus mittere non poſtponemus. Neq; interim cũ eorundem Principũ Oratoribus apud nos agentibus quæ ad rem huiuſmodi pertinent agere, & meditari. Neq; ipſos & Principes per noſtros Nuntios, & litteras ad id vrgere, & admonere ceſſabimus, Quin etiam vt noſtra pacis conſilia, & inges cogitatus omnipotens, & miſericors Deus promoueat ex alto, ac fidelẽ plebem æquis, ac propicijs magis oculis aſpiciat, Et pro communi ſalute, ac pace, compeſcendaq; nefariorũ Chriſtiani nominis hoſtiũ ſuperba rabie, eius piis annuat precibus. Vniuerſis, & ſingulis Primatibus, Patriarchis, Archiepiſc. Epiſcopis, necnon Eccleſiarum, tam Cathedraliũ, quam Collegiatarum, tamq; ſecularium, quã quorumuis ordinũ regularium Capitulis, Collegiis, Conuentibus, Plebanis, Decanis, Eccleſiarum Rectoribus, Cæteriſq; animarum curam habentibus, Prædicatoribus, Quæſtoribus, ac verbum Dei ad populũ pronuntiantibus Auctoritate Apoſtolica iniungimus, & in virtute ſanctæ obedientiæ mandamus, quatenus intra miſſarum ſolemnia, & dum inter, aut extra illa verbũ Dei ad populum proponetur, ac in eorum Orationibus, quas capitulariter, & conuentualiter, aut alias in quibuſcumq; congregationibus facient reſpectiue, pro pace Chriſtianorũ, & infidelium confuſione has collectas habeant ſpeciales, videl. Deus à quo ſancta deſideria, Et Deus in cuius manus ſunt omnes poteſtates, & omnia iura Regnorum, reſpice in auxiliũ Chriſtianorum. Et nihilominus ſuis Diœceſanis, & aliis quibuſcumq; perſonis vtriuſq; ſexus tã Eccleſiaſticis, quã ſecularibus, quibus ratione prælaturæ, & alterius cuiuſcumq; ſuperioritatis Eccleſiaſticæ præſidebunt, iniungant, ac in Domino eos hortentur, Quibus Dei verbũ, ſua aut alterius auctoritate proponetur, vt priuatim pro pace (vt præmittitur) Chriſtianorũ, & infidelium exterminatione ad Deũ ipſum, ac glorioſiſſimam eius matrẽ in Oratione Dominica, & in Angelica ſalutatione pias preces effundant. Et inſuper quicumq; ex ſupradictis apud Principes ſeculares cuiuſcumq; gradus, præeminentiæ, vel dignitatis exiſtant, aut etiam Conſiliarios, Familiares domeſticos, & Officiarios eorum. Necnon apud Ciuitatum, Oppidorum, vel Vniuerſitatum quorumcunq; ſecularium Magiſtratus, Rectores, Locumtenenentes aut alias vtriuſq; ſexus perſonas Eccleſiaſticas, vel ſeculares, quas ad pacem vniuerſalem, aut particularem inter Principes, Potentatus, & Chriſtianos populos, necnon ad expeditionem contra infideles perſuadendam, Auctoritate & gratia valere putauerint, illos ad huiuſmodi pacem & expeditionem hortentur & inducant. Quos omnes per viſcera miſericordiæ Dei noſtri, & per meritũ paſſionis vnigeniti eius filii Ieſu Chriſti, quã maximo poſſumus cordis affectu in Domino hortamur, ac pro Paſtoralis officii qua fungimur auctoritate monemus, vt depoſitis priuatis ſimultatibus apertiſq; inimicitiis, ad Pacis ſtudia amplectenda, & ad expeditionem prædictã decernendam ſe conuertant. Propterea q; omnibus & ſingulis prælatis, Principibus & perſonis, tam ſecularibus quã Eccleſiaſticis cuiuſcunq; ſtatus, gradus, dignitatis, & præeminentiæ, aut conditionis exiſtant, ſub interminatione diuini Iudicij di-

ſtrictius inhibemus, ne dicta paci per nos aut noſtros, ſeu ſedis Apoſtolicæ Legatos, vel Nuncios, & Epiſcopali dignitate præditos (vt præfertur) pro Chriſtiana Reipub. defenſione, & fidelium ſalute tractanda, aliquod impedimentum, directe vel indirecte, palam aut occulte interponere quoquo modo præſumant, Sed qui in Pace conficiendæ priuatum aut publicum ſtatorum Principum, ſuarumue Ciuitatum, aut Rerumpublicarum, quorum, quarumue ad eos ratione Officii, vel publici alicuius muneris cura ſpectabit, intereſſe prætendant, illud quoad modeſtius, tranquillius ue poterunt, proſequentis Pacis nihilominus partes & ſtudia, quantum in Domino poterunt amplectantur. Quinetiam ad dictam pacem, & expeditionem contra dictos Chriſti, atq; fidei hoſtes proturandam, & ab ipſo Deo impetrandam, volentes ſpiritualibus donis Chriſti fideles animare, Omnibus vere confeſſis & contritis, qui pro ipſa obtinenda pace, ac decernenda expeditione in Miſſis, Prædicationibus, & aliis diuinis officiis, aut in collegialibus, conuentualibus, aliiſve publicis, aut communibus Orationibus deuote ad Deum preces effundant, aut apud Principes, Conſiliarios, Officiarios, Rectores, vel alias perſonas ſupradictas, quæ ad Pacem faciendam, vel tractandam, & expeditionem in hoſtes inuictæ Crucis (vt præmittitur) decernendam, aliquam auctoritatem habere videbuntur, diligenter, ac ſolerter operam adhibebunt, quotiens id fecerint. Qui vero priuatim ac particulariter, pro præmiſſis à Deo conſequendis deuotas effuderint preces, ſepties in die, ſi totiens id fecerint, aut ſi minus, quotiens id fecerint, donec Pax vniuerſalis, quæ per nos aſſidue tractatur Principes & Populos in præſentiarum armis diſſidentes confecta ſit, & expeditio contra infideles noſtris auſpiciis decreta, de omnipotentis Dei miſericordia, ac dẽ beatorum eius Apoſtolorum Petri & Pauli auctoritate conſiſi, Centum dies de iniunctis eis pœnitentiis relaxamus. Mandantes propterea Venerabilibus fratribus Primatibus, Patriarchis, Archiepiſcopis, & Epiſcopis, ad quos præſentes, ſeu earum exempla Sigillis authenticis, vel in Vrbe, aut alibi ſideliter impreſſa peruenerint, quatenus illas per ſuas Prouincias, & Diœceſes, quanto citius poterunt faciant publicari, ac debitæ executioni demandari. Ceterum, quod propoſuimus, & toto corde concupiuimus, Reformationem interim Eccleſiaſticam, tam Curiæ noſtræ, quam etiam Venerabilium fratrum noſtrorum. S. R. E. Card. & aliorum in Vrbe commorantium, & alia complura neceſſaria, Sacro approbante Concilio decreuimus, quæ aliis noſtris litteris in hac eadem Seſſione publicandis continebuntur. Et licet idem Iulius prædeceſſor noſter ad huiuſmodi Concilium omnes, qui adeſſe conſueuere conuocauerit, & vt tute ac ſecure venire & accedere poſſent, eis amplum ſaluũ conductum dederit. Quia tamen hactenus ob prædicta forſitan impedimenta complures Prælati, qui venire deberent, adhuc non venerunt, Cupientes nos ad grauiora in futura proxima Seſſione procedere, denuo ipſos, ac Reges, Duces, Marchiones, Comites, & alios ad Concilia generalia uenire, aut mittere aſſuetos, qui hactenus Oratores, vel mandata legitima non dederint, in Domino hortamur, ac per eiuſdem miſericordiæ viſcera rogamus, & monemus, vt quamprimum poterint, vel ipſi perſonaliter accedere, vel ſpeciales & idoneos Nuntios cum legitimis mandatis ad hoc Sacrum, & Chriſtianæ Reipublicæ pertutile futurum Later. menſe Concilium mittere velint. Venerabilibus autem fratribus Patriarchis, Epiſcopis, Abbatibus, Prælatis, præſertim ſub vinculo iuriſiurandi, ad viſitandum certis, ſtatutiſq; temporibus Limina Apoſtolorum Petri & Pauli, & ad generalia Concilia indicta perſonaliter accedendum, etiam tempore ſuæ promotionis, Quorum non comparentium contumacia in diuerſis Seſſionibus per promotorem dicti Concilii ſepius accuſata extitit, & contra eoſdem petitum procedi, & de incurſu cenſurarum & pœnarum proteſtatum ſolemniter reperitur. Non obſtantibus quibuſcunq; priuilegiis, conceſſionibus, & indultis eis, eorumq; Eccleſiis Monaſteriis & beneficiis per dictos prædeceſſores noſtros, aut nos conceſſis, confirmatis, & innouatis. Quæ habentes pro expreſſis ex certa ſcientia & plenitudine poteſtatis caſſamus, irritamus, & annullamus, In virtute ſanctæ obedientiæ iniungimus, ac ſub excommunicationis, & perinrii, aliiſq; de iure vel conſuetudine, & præſertim in literis indictionis, & publicationis dicti Concilii Lateranenſis per ipſum indicti prædeceſſore noſtrũ ſpeciliter indictis, aut aliis nõ accedentibus ad Concilium vite indictũ pœnis, diſtrictius mandamus, vt ad dictũ Cõcilium Lateranenſe accedere perſonaliter, & vſque quo cõcluſum, & Auctoritate noſtra abſolutum fuerit in Vrbe morari debeãt, niſi aliqua legitima cauſa impediti fuerint. Et ſi (vt præfertur) modo fuerint impediti, Procuratores ſuos ſpeciales cũ plenomãdato, ad ea quæ tractanda, agẽda, & deliberãda erũt, idoneos mittãt. Et vt omnis prorſus excuſatio tollatur, neue cuiquã venire debẽti prætextus aliquis cuiuſq; impedimẽti relinquatur, præter publicã fidem, quã in indictione huius ſacri Cõcilii, omnibus ad id veniẽtibus liquet eſſe cõceſſam, hoc eodem approbãte Concilio, omnibus & ſingulis in congregationibus Conciliorũ generaliũ adeſſe ſolitis, & ad ipſum Lateranẽſe Conciliũ veniẽtibus, eorũq; domeſticis familiaribus, cuiuſcũq; ſtatus, gradus, ordinis & conditionis, vel nobilitatis exiſtãt, Eccleſiaſticis, & ſecularibus proſe, & bonis ſuis quibuscũq; per Ciuitates, Terras, & loca, tã maritima, quã terreſtria, dictæ Ro. Eccleſiæ ſubiecta ad Conciliũ Lateranẽſe ad Vrbem veniẽdi, & in ea libere commorãdi, & pro animi ſentẽtia conſulẽdi, & ab ea quotiẽs videbitur recedẽdi, & poſt quatuor mẽſes à dicti Concilii cõcluſione, & diſſolutione liberũ, tutũ, & ſecurũ ſaluumconductum ac plenum, & omnimodã ſecuritatẽ auctoritate Apoſtolica tenore præſentiũ de conſilio, & poteſtate prædictis damus, & concedimus, & impartimur, alioſq; ſaluosconductus, & ſecuritates habere cupientibus dare libere pollicemur, Quos omnes, & ſingulos benigne, & charitatiue tractabimus, & ſuſcipiemus. Mãdates omnibus & ſingulis Principibus ſecularibus quãtũcunq; grandi dignitate etiã Imperiali, Regali, Reginali, Ducali, aut alia quacũq; fulgentibus, & Ciuitatũ Rectoribus, ac Ciuibus eorũ Rempublicã gubernantibus, & regentibus, vt Prælatis, & aliis ad dictũ Conciliũ Lateranẽſe venientibus, ſub diuinæ Maieſtatis, & indignationis noſtræ incurſu, & pœnis contra impediẽtes Conciliorũ celebrationem, & præſertim dicti Lateranenſis Concilii in iure, ſiue literis præfatæ indictionis per prædeceſſorẽ noſtrũ contentis, & appoſitis liberã licentiã, & facultatem, ſaluumq; conductũ veniendi, & redeundi, & per eorũ domin. s, terras & loca per quæ ipſos tranſitũ facere oporteat, cum eorum rebus & bonis, ac equis liberum tranſitu & maioxium concedãt omnibus prorſus exceptionibus, ſiue excuſationibus ſemotis ac ceſſantibus. Mandamus inſuper, & iniungimus ſub indignationis noſtræ & aliis arbitrio noſtro infligẽdis pœnis, omnibus & ſingulis gentibus noſtris armigeris, tam pedeſtribus, quam equeſtribus, eorumq; Ducibus, & Ductoribus ac etiã arcium noſtrarum Caſtellanis, Ciuitatumq; & locorum dictæ Romanæ Eccleſiæ ſubiectorum legatis, Gubernatoribus, Rectoribus, Locumtenentibus, Poteſtatibus, Officialibus & Vaſallis, vt quibusvis Conſtitutionibus, ordinationibus Apoſtolicis, Legibus Imperialibus, ſtatutisq; & conſuetudinibus municipalibus etiam iuramento, & confirmatione Apoſtolica aut quauis alia firmitate roboratis non obſtantibus quæ ſaluoconductui, & ſecuritati præmiſſis in aliquo derogare, ſeu illa quoquo modo impedire poſſent. etiamſi talia forte de quibus ſpecialis & ſpecifica, expreſſa & individua, non autẽ per generales clauſulas id importãtes mentio, ſeu quæuis alia expreſſio habẽda foret, illorum omnium tenores præſentibus ac ſi de verbo ad verbum inſererentur pro expreſſis habentes, & aliis quibuſcunq; cuiuſcunq; gradus, ſtatus, conditionis, & præeminẽtiæ fuerint, vt ipſos venientes ad Concilium Lateranẽſe libere, tute & ſecure tranſire, morari & recedere permittant & permitti faciãt, ne tam ſanctum, laudabile ac perneceſſarium Cõcilium, quauis cauſa vel prætextu diſtrahatur. Et vt ad illud venientes tute ac in pacis tranquillitate, libertate q; viuere, dicere & expedire valeant, quæ honorem Dei omnipotentis, ſtatumq; totius Eccleſiæ concernant.

Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam noſtræ iniunctionis, inhibitionis, relaxationis, exhortationis, rogationis, monitionis, caſſationis, irritationis, annullationis, donationis, conceſſionis, obligationis & mandati infringere, vel ei auſu temerario contraire. Si quis autẽ hoc attentare præſumpſerit, indignationem omnipotentis Dei, ac beatorum Petri & Pauli Apoſtolorum eius ſe nouerit incurſurum. Data Romæ in publica Seſſione in Lateranenſe ſacroſancta Baſilica ſolenniter celebrata. Anno incarnationis Dominicæ, M. D. XIV. III. Non. May. Pontificatus noſtri anno 2.

Qua perlecta petiit à Concilio an placerent paternitatibus ſuis contenta in cedula. & omnes, nemine penitus diſcrepante, ac quilibet eorum reſpondit placere contenta in cedula.

Deinde Reuerend. pater Dominus Vincentius Archiepiſcopus Neapolitanus aſcendit ambonem, & legit quandam aliam cedulam tenoris infraſcripti.

Bulla reformationis Curiæ.

Leo Epiſcopus Seruus ſeruorum Dei ad perpetuam rei memoriam Sacroſancto approbante Concilio. Superne diſpoſitionis arbitrio, quo cæleſtia pariter, & terrena in effabili prouidentia diſponuntur, In ſublimi beati Petri ſolio Chriſti vnigeniti Dei filii gerẽte vices in terris Ro. Pont. decet in primis pro cura, & ſalute Dominici gregis ſibi diuinitus cõmiſſi prouidi exercere Paſtoris officiũ. Quare pro dicti paſtoralis officii ſollicitudine cũ Eccleſiaſticã diſciplinã, ac per omnes fere Chriſti fideliũ gradus, bene, rectеq; viuendi regulam temporum difficultate, ac hominum malitia, licentiaq; & impunitate in deterius ita labi diffluere, aberrareq; longius à rectа via animaduertimus, vt niſi prouida corrigatur emendatione, in varios errores ſecuritate peccandi

quotidie magis incidere, moxque obortis publice scandalis prorumpere sit verendum.

Cupientes igitur quatenus nobis ex alto permittitur, ea iam nimium inualescentia mala corrigere, ac pleraq; in pristinam sacrorum canonum obseruantiam reducere, ac in melius iuxta sanctorum patrū instituta, dante Domino, reformare, eaq; omnia sacro approbante Lateran. Concilio, à fel. rec. Iulio Papa Secundo prædecessore nostro, inter alia propterea incepto, & per nos continuato salubriter moderari, vt ab his sumamus exordium quæ pro nunc magis expedire videntur, & quæ sæpe per singulas ætates neglecta magnam Christianæ religioni attulere perniciem, & in Ecclesia Dei maxima scandala pepererunt, à promotionibus scilicet ad ecclesiasticas dignitates constituimus exordiri.

Cum piæ me. Alexander Papa III. prædecessor noster etiam in Lateranen. Concilio decreuerit, vt ætas morum grauitas, ac litterarum scientia in personis promouendis in Episcopos, & Abbates diligenter inquirantur, nihilq; magis Dei Ecclesiæ officiat, quam cum immeriti assumuntur prælati ad regimen Ecclesiarum, propterea in promotionibus prælatorum quarum à Rom. Pont. magna ratio haberi debet, eo præsertim quod de promotis per eos ad Ecclesias, seu Monasteria in extremo iudicio rationem Deo reddituri sunt.

Statuimus, & ordinamus, vt deinceps perpetuis futuris temporibus, Patriarchalibus, Metropolitan. ac Cathedralibus Ecclesiis, & Monasteriis pro tempore vacantibus de personis iuxta præfati Alexandri constitutionem ætate matura, grauitate morum, litterarumque scientia prædictis, non ad alicuius instantiam per commendam, & administrationem, seu conseruationem aut alio quouis modo prouideatur nisi ratione vtilitatis ecclesiarum prudentiæ, nobilitatis, probitatis, experientiæ, atq; curialitatis antiquæ cum competenti litteratura, & in sede apostolica meritorum aliter visum fuerit faciendum.

Idemq; in electis, & postulatis quorum electiones, & postulationes per sedem apostolicam admitti consueuerunt, volumus obseruari, Et si de minoribus ætate XXX. annorum Ecclesiis, aut Monasteriis huiusmodi contigerit prouideri non dispensetur cum eisdem, vt Ecclesiis citra XXVII. ætatis annum, Monasteriis vero citra XXII. præesse valeant.

Quinimo vt accuratius, diligentiusq; idoneæ personæ promoueantur, Statuimus vt Cardinalis cui electionis, postulationis, aut prouisionis Ecclesiæ, seu Monasterii relatio committetur, antequam in sacro Consistorio (vt moris est) referat commissionē examinis, ac relationis huiusmodi sibi datam vni cuiuslibet ordinis antiquiori Cardinali in ipso Consistorio per seipsum, vel si ea die qua sibi commissionis onus iniunctum fuerit, consistorium non fuerit, per secretarium suum, aut alium quemlibet ex suis domesticis familiaribus notam facere debeat, qui tres priores aliis quamprimum sui ordinis Card. eam significare teneantur, negotiumque electionis, administrationis, postulationisue, aut promotionis summarie, & de plano per seipsum dictus relator examinet, & si qui contra dixerint his vocatis, idoneos, graues, & fide dignos testes, & si expediens, opusue fuerit alios ex officio assumere, processusq;, & iura eiusmodi relationis, vnam cum dictis testium die faciendæ relationis secum ad consistorium deferre debeat, neq; vllo modo referat, si præsens in curia promouendus maiorem Card. partem antea non adiuerit, vt quæ à referente collega sint Cardinales audituri oculata fide, quantum ad personā promouendi attinet, cognoscere possint.

Promotus vero eosdem Cardinales qui præsentes in curia fuerint ex antiquo more, consuetudineq; laudabili quamprimum visitare teneatur, quem quidem morem, laudabilemq; consuetudinem innouamus, ac inuiolabiliter obseruari mandamus.

Et quoniam Episcopalem dignitatem tueri illæsam, & ne improborum impugnationibus, aut accusantium calumniis passim pateat muniri par est. Statuimus vt nullus Episcopus, aut Abbas quouis instante, ac requirente (nisi sibi copia, & facultas legitimæ defensionis permittatur) etiam si crimina fuerint notoria, diligenterq; partibus auditis, causa plenarie probata fuerit, priuari valeat. Neue aliquis Prælatus inuitus, nisi aliis iustis, efficacibusq; rationibus, & causis transferatur iuxta formam, ac decretum Concilii Constantien. Et quoniam ex commendis Monasteriorum (vt magistra rerum experientia sæpius docuit) Monasteria ipsa, tam in spiritualibus, quam in tēporalibus grauiter læduntur, quippe quorum ædificia, partim commendatariorum negligentia, partim auaritia, vel incuria collabuntur, & indies diuinus cultus in eis magis diminuitur, passimq; obloquendi materia personis præsertim secularibus præbetur, non absq; dignitatis Apostolicæ sedis diminutione, à qua comendæ homini proficiscuntur, vt eorum indemnitati salubrius consulatur. Volumus ac sancimus, vt cum illæ per obitum Abbatum, qui illis præerant, vacauerint, nullo pacto cuiquam possint commendari, nisi pro conseruatione auctoritatis Apostolicæ sedis, & ad occurrendū malitiis illam impugnantium pro temporum qualitate aliter nobis de fratrum nostrorum consilio visum fuerit expedire. Sed de persona idonea iuxta præscriptam constitutionem eis ita prouideatur; vt illis idonei Abbates (prout decet) præfuturi sint.

Ea vero Monasteria quæ comendata fuerint, cum per eorum cessum vel decessum, quibus erant comendata. Commendæ huiusmodi cessauerint, Cardinalibus dumtaxat, ac personis qualificatis, & benemeritis commendari possint, Ita tamen quod eorum Monasteriorum commendatarij, quibus ea de cætero commendata fuerint, cuiusuis dignitatis, honoris, & præeminentiæ existant, etiam si Cardinalatus honore, & dignitate fungantur, si mensam habuerit separatam, ac seorsum à mensa conuentuali, quartam suæ mensæ partem pro instauratione fabricæ, seu pro ornamentis, vestibus, ac paramentis emendis, sarciendisq;, aut pauperum alimonia, aut sustentatione, vt maior exiget, ac suadebit necessitas. Si vero mensa fuerit communis, tertiam omnium fructuum dicti Monasterii sibi commendati partem pro supradictis oneribus supportandis, & sustentationem Monachorum omnibus aliis deductis oneribus, impartire teneantur.

Ac litteræ quæ super Monasteriorum huiusmodi commendis expedientur. Cum clausula hoc ipsum specifice exprimente debeant expediri. Alioquin si aliter expedientur, nullius sint roboris, vel momenti. Et quoniam Ecclesiis huiusmodi absq; aliqua fructuum diminutione prouideri decet, vt tam dignitati præsidentium, quam Ecclesiarum & ædificiorum necessitati consulatur, Decernimus pariter, ac statuimus, vt super earundem Ecclesiarum fructibus pensiones minime reseruentur, nisi ex resignationis causa, aut etiam alia quæ in secreto nostro Consistorio iusta, probabilis, & honesta habita fuerit.

Statuimus quoq;, vt de cætero parrochiales Ecclesiæ, ac dignitates maiores & principales, aliaq; beneficia Ecclesiastica quorum fructus, redditus, & prouentus ducentorum Ducatorum auri de Camera secundum communem extimationem valorem annum non constituunt vel attingunt. Nec non hospitalia, leprosariæ, Xenodochia cuiuscumq; valoris, quæ ad pauperum vsum, & alimoniam instituta sunt. S.R.E. Card. non comendentur. Aut alio quouis titulo conferantur, nisi per obitum familiarium suorum vacauerint, quæ illis commendari possint, vt illa ad illarum personarum sibi gratarum, & idonearum commodum infra sex menses dimittere teneantur, quibus etiam quo ad beneficia ad quæ haberent regressum præiudicare non intendimus.

Ordinamus etiam ne Ecclesiarum, ac quorumcumq; monasteriorum, & militiarum membra à suo capite, quod est absurdum absque legitima, & rationabili causa disiungantur, aut separentur.

Vniones perpetuæ præterquam in casibus à iure permissis vel sine rationabili causa nequaquam fiant.

Dispensationes autem ad plura incompassibilia vltra duo, nisi qualificatis iuxta formam iuris communis non concedantur, nisi ex magna, & vrgenti causa.

Et personis cuiuscumq; dignitatis parrochiales Ecclesias, & earum perpetuas vicarias, ac dignitates maiores, & Principales, etiam per viam vnionis vel commendæ ad vitam vltra quatuor obtinen. ex nunc terminum duorum annorum præfigimus, vt interim quatuor tantum ex eis retentis, reliquas dimittere teneantur, & beneficia dimittenda huiusmodi resignari valeant in manibus ordinariorum ad effectum vt de illis prouideatur personis per eos nominandis, quacumq; reseruatione etiam generali, etiam ex qualitatibus resignantium personarum resultante non obstante, quo elapso termino nisi dimiserint, omnia vacare censeantur, ac possint libere vt vacantia impetrari, talesque præterea retinentes pœnas extrauagantis execrabilis recolendæ memoriæ Ioannis Papæ XXII. etiam prædecessoris nostri incurrant.

Item statuimus vt speciales reseruationes quorumcumque beneficiorum ad cuiusuis instantiam minime concedantur.

DE CARDINALIBVS.

Et cum S.R.E. Card. cæteros omnes in ipsa Ecclesia post Summū Pontificem honore ac dignitate præcedant, conueniens ac debitum est, vt vitæ munditia, ac virtutum splendore cunctis præfulgeant. Quapropter non modo hortamur eos ac monemus, verum etiam statuimus, & ordinamus vt de cætero quilibet Cardinalium pro tempore existens iuxta doctrinam Apostoli, ita Sobrie, caste, ac pie viuat, vt non solum à malo, sed ab omni etiam specie mali abstinens, coram hominibus luceat. Deumque imprimis operibus honorificet, sint omnes vigiles, ac diuinis officiis, missarumque celebrationibus intenti, habeantque capellas suas in loco honesto prout facere consueuerunt, Sitque eorum domus, familia, mensa, suppellexque non fastu, aut pompa, neque superfluis rebus, neque aliquo modo reprehensibilis, ne peccandi, excedendique modum licentia inde nascatur, sed vt æquum est, modestiæ, & frugalitatis speculum dici mereantur. Illis itaque sint contenti, quæ sacerdotalem præ

seferant modestiam, ac prælatos & quoscunque alios insignes viros ad Ro. Curiam venientes benigne, honorificeque tam publice, quam priuatim tractent, & apud nos & successores nostros gratiose, liberaliterq; eorum negocia commendata suscipiant.

Præterea ministerium indecorum Episcoporum, Prælatorumque in domibus non habeāt, ne cæteris præesse instituti, & sacro Charactere insigniti in vilia descendant ministeria, passimq; pastoralis officii contemptum inducant. Eos itaq; quos vel nunc habent, vel in posterum sunt habituri honorifice, vt fratres ac iusta eorū status condecentiā tractent.

Cumq; Ro. Pont. communi omnium Christi fidelium patri assistant personarum acceptatores, vel aduocatos eos fieri valde inconueniens est. Propterea statuimus ne partialitatem suscipiant aliquam, neq; principum, aut communitatum, vel quorumcumq; aliorum contra quemquam nisi quantum iustitia, & æquitas postulat, eorumque dignitas, & conditio requirit promotores aut defensores fiant, sed à priuata omni passione seiuncti, sedandis & componendis inter quoscunque litibus omni diligentia vacent, incumbantq; principum, & quorumcunque aliorum ac præsertim pauperum, & religiosorum iusta negocia pio promoueant affectu, oppressos & iniuste grauatos iuxta vires suas, & officii debitum adiuuent.

Tituli sui loca si præsentes in curia fuerint personaliter. Si vero absentes per vicarium idoneum semel saltē singulis annis visitent clericos & populos Ecclesiarum titulo suo obiectarum cum diligentia inquirāt, vigilentque circa cultum diuinum & bona dictarum Ecclesiarum, moresque inprimis & vitam clericorum & parrochianorum solerter explorent eosque omnes & singulos ad recte, honesteque viuendum paterno moneant affectu.

Pro augumento autem diuini cultus, & salute animæ suæ quilibet Cardinalis, vel in vita donet, vel in mortis articulo relinquat suo titulo quantum sit satis ad presbyterum vnum commode ibi sustentandum, vel si Ecclesia indigeat reparatione, vel alia subuentione tantum illi relinquat, vel donet, quantum conscientiæ suæ videbitur.

Et cum minime deceat affines, & Consanguineos præsertim benemeritos, & ope indigentes negligere, sed illis prouidere iustum & laudabile sit, non propterea tamen vel beneficiorum multitudine, vel Ecclesiasticis redditibus ita eos impleri conuenire arbitramur, vt cæteri damnum ex huiusmodi largitionis intemperantia patiantur, & inde scandalum nascatur. Statuimus itaque vt Ecclesiarū bona temere nō effundant, sed ea in piis & sanctis operibus exponant, quorū causa magnis & opimi redditus per sanctos patres statuti, & ordinati fuerunt.

Volumus etiam vt Ecclesiis eisdem Cardinalibus commendatis, etiā si cathedrales, Abbatialesue, aut Prioratus, vel quæcunq; alia beneficia Ecclesiastica fuerint, absq; omni prorsus excusatione procurent, ac omni conatu suo prouideant debite inseruiri Cathedralibus dignos & idoneos vicarios, seu suffraganeos prout consuetudo fuerit cum digna & competenti mercede apponētes, reliquis autem sibi commendatis ecclesiis aut Monasteriis de iusto Clericorum, vel Capellanorum, seu religiosorum, aut monachorum Deo sufficienter, & laudabiliter seruientium numero prouidentes, ædificia quoq;, possessiones, & iura quæcunq; in statu conuenienti conseruent, & diruta instaurent, sicut ad bonorum prælatorum, & commendatariorum officium spectat.

Statuimus etiam, vt dicti Cardinales circa numerum familiarium, equorumque suis impensis alendorum magna vtantur circumspectione ac diligenti prouidentia ne maiorem numerum, quam sua facultas conditione, ac dignitas patiatur habentes, luxus ac prodigalitatis vitio notari possint, neue rursus auari, sordidique habeantur, si in magnis, & amplis redditibus paucissimis victum præbeant, Cum domus Card. patens hospitium, portusque ac refugium proborum, & doctorum maxime virorum & pauperū nobiliū, honestarūque personarū esse debeat.

Sint igitur circa modum, & numerum tenendi prudentes, ac de familiarium qualitate imprimis curiosi, ne ex alienis vitiis turpem sibi contrahant infamiæ notam, vulgoque obloquendi, calumniandique iustas præbeant occasiones.

Et cum maxime prouidendum sit vt non solum coram Deo cui primum placere debemus, sed etiam coram hominibus opera nostra probentur, vt cæteris exemplo ad imitandum possimus esse. Ordinamus vt quilibet Car. se domus ac familiæ suæ optimum rectorem, præfectumque ostendat esse tam circa ea quæ extrinseca omnibus apparent, quam quæ intus latent abscondita, habeat itaque eorum quisque sacerdotes, & leuitas honestis vestimentis indutos, attentéq; prouideat ne quis in familia sua quoquomodo beneficiatus & sacris ordinibus constitutus vestes portet versicolores, nec eo habitu vtatur qui ordini Ecclesiastico parum conueniat, Quare in presbyteratus ordine constituti vestes colorū quæ clericis à iure non prohibeantur deferre debeant vsq; ad talos saltē demissas, & habentes dignitates in cathedralibus, & canonici etiam dictarum Cathedralium, ac primam dignitatem in collegiatis habentes, & Cardinalium Capellani missas celebrantes caputium deferre in publico teneantur. Scutiferis vero paulo supra talos concedantur.

Parafrenarii quia in assiduo sunt motu, ministerioq; funguntur laboriosiore breuioribus ac magis expeditis vestibus vti possint, etiam si fuerint clerici dummodo in presbyteratus ordine non sint constituti. Ita tamen vt ab honestate non discedant, sed ita viuant vt mores Ecclesiasticis suis ordinibus non discrepent.

Reliqui vero clerici temperate, ac modeste omnia faciant, & tam ipsi clerici beneficiati, quam in sacris ordinibus constituti comam neq; barbam non nutriant, neq; mulas aut equos cum phaleris, ornamētisq; ex velluto, aut serico factis habeant. Sed eiusmodi rebus ex panno tantū, aut corio simpliciter vtantur.

Si quis autem familiarium prædictorū contra fecerit, aut post tres menses legitima monitione præcedēte à præsentiu publicatione huiusmodi vestes prohibitas gestauerit in excommunicationē incurrat. Si vero infra tres alios menses non se correxerit, à perceptione fructuū ex beneficiis quæ obtinet suspēsus intelligatur. Quod si per alios sex menses in huiusmodi pertinacia obstinatus permanserit, legitima similiter monitione præcedente, beneficiis omnibus, quæcunq; habet, priuatus sit, & esse censeatur, eaq; sic vacantia à sede Apostolica libere impetrari valeant, Quæ omnia & singula in nostris, & cuiuscūq; Ro. Pont. pro tempore existentis familiaribus, & similiter in omnibus aliis clericis beneficiatis, vel in sacris ordinibus constitutis, ac etiam Curialibus locum habere volumus.

Hoc vno tantum excepto quod dicti nostri, Roman. Pont. familiares rubri coloris vestimenta gestare possint pro decentia, & consuetudine dignitatis Pontificalis.

Et quoniam ad Cardinales maxime spectat operum optimorum cura, pro viribus laborabunt scire quæ regiones hæresibus, erroribusque ac superstitionibus contra veram & orthodoxam fidem infectæ sint, & vbi diuinorum mandatorum Ecclesiastica deficiat disciplina, Quæque Reges, ac Principes, seu populi bellis infestentur, vel infestari timeant, Hæc & huiusmodi scire, ac nobis, & Ro. Pont. pro tempore existenti referre operam dabunt, vt opportuna & salutaria talibus malis ac pestibus remedia vigilanti studio excogitari valeant.

Et cum frequenti ac prope quotidiana experientia notum sit, prouinciis, ac Ciuitatibus propter suorum legatorum de latere absentiā multa sæpius contingere mala variaq; non sine Apostolicæ sedis præiudicio scandala oriri. Statuimus & ordinamus vt nullis Cardinalibus Prouincias ac Ciuitates legationis titulo obtinentes eas per locumtenentes, aut officiales quoscunque administrare liceat, sed personaliter ipsi pro maiori parte temporis adesse, atque eas omni vigilantia regere & gubernare teneantur.

Et qui nunc titulum legationis obtinent, aut pro tempore obtinebunt, si in Italia intra tres menses, si extra Italiam quinque à die præsentis publicationis ad suas Prouincias ire, ac maiorem temporis parte ibi residere teneantur, nisi de nostro & successorum nostrorum mandato pro aliquibus grauioribus negociis in Ro. Curia retineantur, vel ad alia loca, prout necessitas postulat, mittantur, & tunc in dictis prouinciis ac Ciuitatibus Vicelegatos, Auditores, & locumtenentes cæterosque consuetos officiales cum debitis prouisionibus, ac salariis habeant, Qui præmissa omnia & singula non seruauerit, emolumentis quibuscunq; legationis careat, quæ quidem propter hoc antiquitus ordinata, & instituta fuerunt, vt opportuna legatorum præsentia populis esset salutaris, non vt ipsi laborum, & curarum penitus expertes, lucro tantum sub legationis titulo inhiarent.

Et cum Card. officium inprimis versetur in frequenti Ro. Pont. assistentia & sedis Apostolicæ negociis, propterea statuimus, vt omnes Card. in Ro. Curia resideant & qui sunt absentes, si in Italia intra sex menses, si extra Italiam, infra annum à die publicationis præsentes constitutionis reuertantur, Alioquin fructus beneficiorum & omnium officiorum suorum emolumenta amittant, omnibusq; priuilegiis generaliter & specialiter Card. concessis, quamdiu absuerint omnino careant, exceptis tamen illis quos ratione officii ab Apostolica sede iniuncti, vel de Rom. Pont. mandato, aut licentia, vel iusto metu, aut quauis alia legitima causa inpediente, vel ægrotationis abesse contingat, priuilegiis indultis, & immunitatibus eisdem Cardinalibus cōcessis, & in bulla nostra sub data coronationis nostræ contentis, & expressis in suo robore nihilominus permanentibus.

Statuimus insuper vt expensæ funebres Card. computatis. M.I. Floren. summam excedere non debeant, nisi executorum prouidentia iustis allegatis causis, ac rationibus plus exponendum esse duxerit. Exequiæ & castrum doloris prima, & nona die fiant, infra octaua vero missæ de more celebrentur.

Pro reuerentia autem sedis Apostolicæ, vtilitateq; & honore communi possunt, & ipsorum Card. & vt scandalorum quæ nasci possent, occasio tollatur, maiorq; in sacro Senatu libertas votorum fiat, liceatq; vt par est Card. cuiq; secundum Deum, & conscientiam suam libere & impune quodcunque sentiat dicere.

Statuimus, ne quis Card. vota in Consistorio data, & quæcunq; ibi gesta, aut dicta quæ in odium, aut præiudicium, aut scandalum alicuius redundare possint scripto aut verbo, vel quouis alio modo reuelet sub pœna periurii, & inobedientiæ, & quotiescumque à nobis, & Roman. Pont. pro tempore existen. specialiter, & expresse vltra præmissa indictum fuerit super aliqua re silentium, Si quis contra fecerit vltra dictas pœnas excommunicationem latæ sententiæ incurrat, à qua non possit absolui nisi à nobis vel præfato Pont. Roman. & cum expressione causæ præterquam in mortis articulo.

REFORMATIONES CVRIÆ ET ALIORVM.

Et cum omnis ætas ab adolescentia prona sit ad malum, & à teneris assuefieri ad bonum magni sit operis, & effectus. Statuimus & ordinamus vt magistri scholarum, & præceptores pueros suos, siue adolescentes ne dum in Grammatica, & Rhetorica, ac cæteris huiusmodi audire, & instruere debeant, verum etiam docere teneantur ea quæ ad Religionem pertinent, vt sunt Præcepta diuina, Articuli fidei, Sacri hymni, & Psalmi, ac Sanctorum Vitæ, diebusq; festiuis nihil aliud eos docere possint, quam in rebus ad religionem, & bonos mores pertinentibus eosq; in illis instruere, hortari, & cogere in quantum possint teneantur, vt nedum ad missas, sed etiam, ad vesperas, diuinaq; officia audienda, ad Ecclesias accedant, & similiter ad prædicationes & sermones audiendos impellant, nihilque contra bonos mores aut quod ad impietatem inducat eis legere possint.

Ad abolendam vero execrabilem blasphemiam quæ in maximum diuini nominis, & sanctorum contemptum supra modum inualuit, Statuimus & ordinamus vt quicunq; Deo palam seu publice maledixerit, contumeliosisq; atq; obscœnis verbis Dominum Nostrum Iesum Christum vel gloriosam virginem Mariam eius genitricem expresse blasphemauerit, si munus publicum, iurisdictionemve gesserit, perdat emolumenta trium mensium pro prima & secunda vice dicti officii, si tertio deliquerit, illo eo ipso priuatus existat, si Clericus vel sacerdos fuerit eo ipso quod de delicto huiusmodi fuerit conuictus, etiam beneficiorũ quæcunq; habuerit, fructibus applicandis, vt infra, vnius anni mulctetur, & hoc sit pro prima vice, quâ blasphemus ita deliquerit, pro secunda vero si ita deliquerit, & conuictus, vt præfertur, fuerit, si vnicum habuerit beneficium eo priuetur, si autem plura quod ordinarius maluerit id amittere cogatur, Quod si tertio eius sceleris arguatur & conuincatur, dignitatibus ac beneficiis omnibus quæcunque habuerit, eo ipso priuatus existat, ad ea quæ vlterius retinenda inhabilis reddatur, eaque libere impetrari, & conferri possint. Laicus vero blasphemans si nobilis fuerit pœna XXV. ducat. mulctetur, & pro secunda vice. L. fabricæ Basilicæ Principis Apostolorum de Vrbe applican. & aliis vt infra deducitur, pro tertio vero nobilitatem perdat. Si vero ignobilis ac plebeius fuerit in carcerem detrudatur, quod si vltra duas vices publice blasphemans deprehensus fuerit, mitra infami per integram diem ante fores Ecclesiæ principalis mitratus stare cogatur, si vero pluries in hoc ipsum peccatum lapsus fuerit, ad perpetuos carceres vel ad triremes damnetur ad iudicis deputati arbitrium, in foro autem conscientiæ nemo blasphemiæ reus absq; grauissima pœnitentia seueri confessoris arbitrio iniuncta possit absolui. Qui vero reliquos sanctos blasphemauerit arbitrio iudicis rationem personarum habituri mitius aliquanto puniri volumus.

Statuimus etiam vt sæculares iudices qui contra tales blasphemiæ cõuictos nõ animaduerterint, eosq; iustis pœnis minime affecerint, quantum in eis fuerit, quasi eidem sceleri obnoxii, eisdem quoque pœnis subiiciantur, qui vero in illis inquirendis, puniendisq; diligentes & seueri fuerint pro qualibet vice decem annorum indulgentiam consequantur, & tertiam partem mulctæ pecuniariæ habeant.

Quicunq; vero blasphemantes audierint, eum verbis acriter obiurgare teneantur, si citra periculum suum id fieri posse continget, eundemq; deferre vel notificare apud iudicem Ecclesiasticum, seu sæcularem intra triduum debeant. Quod si plures dictum blasphemantem simul audiuerint, singuli eum accusare teneantur, nisi forte omnes conuenerint, vt vnus pro cunctis tali fungatur officio.

Quos omnes in virtute sanctæ obedientiæ hortamur, & monemus in Domino, vt pro diuini nominis reuerentia & honore in suis dominiis ac terris præmissa omnia seruari, & exactissime exequi mandent, ac faciant, vberrimam ab ipso Deo tam boni ac pii operis mercedem habituri, similemque annorum decem indulgentiam ab Apostolica sede consecuturi cum tertia parte mulctæ qua dictus blasphemus plectetur quotiens tale scelus puniendum curauerint, quam quidem indulgentiam, & reliquam tertiam mulctæ partem accusatori blasphemii nomen deferenti similiter concedi, & assignari volumus, aliis pœnis contra huiusmodi blasphemos per sacros canones expressis nihilominus in suo robore manentibus.

Vt Clerici præsertim caste, continenterque iuxta canonum præcepta viuant. Statuimus vt contrafacientes acriter secundum canones puniantur. Si quis vero tam laicus, quam clericus de crimine propter quod venit ira Dei in filios diffidentiæ, conuictus fuerit pœnis per Sacros canones, aut ius Ciuile respectiue impositis puniatur. Concubinarii autem siue Laici siue Clerici fuerint eorundem Canonum pœnis mulctentur, neq; superiorum tollerantia, seu praua consuetudo, quæ potius corruptela dicenda est, à multitudine peccantium, aliave quælibet excusatio eis aliquo modo suffragetur, sed iuxta iuris censuram seuere puniantur.

Ad bonum vero, & quietum regimen Ciuitatum, ac locorum omnium Romanæ Ecclesiæ subiectorum constitutiones bonæ memoriæ Egidii Episcopi Sabinensis olim editas innouamus, easque inuiolabiliter seruari præcipimus, & mandamus.

Et vt nefariæ Simoniæ labes ac pestis non solum à Rom. Curia, sed ex omni etiam Christiana ditione in perpetuum eiiciatur, constitutiones per antecessores nostros etiam in Sacris Conciliis contra huiusmodi Simoniacos editas innouamus, easque inuiolabiliter seruari præcipimus, ac pœnas in eis contentas pro expressis, & insertis haberi, & delinquentes etiam auctoritate nostra affici volumus.

Statuimus quoque, & ordinamus, vt quilibet habens beneficium cum cura vel sine cura, si post sex menses ab obtento beneficio Diuinum officium non dixerit legitimo impedimento cessante beneficiorum suorum fructus suos non faciant pro rata obmissionis recitationis officii, & temporis, sed eos tanquam iniuste perceptos in fabricas homini beneficiorum vel pauperum eleemosynas erogare teneatur.

Si vero vltra dictum tempus in simili negligentia contumaciter permanserit, legitima monitione præcedente beneficio ipso priuetur cum propter officium detur beneficium, Intelligatur autem officium obmittere quo ad hoc vt beneficio priuari possit qui per quindecim dies illud bis saltem non dixerit, Deo tamen vltra præmissa de dicta omissione reddituri rationem.

Quæ pœna in habentibus plura beneficia reiterabilis totiens sit, quotiens contra facere conuincatur.

Et cum fructuum Ecclesiarum cathedralium, & Metropolitan. Monasteriorumque, & aliorum quorumcunque beneficiorum Ecclesiasticorum plenaria dispositio, & administratio ad nos, & Rom. Pont. pro tempore existen. & illos etiam qui eiusmodi Ecclesias, Monasteria, & beneficia iure, & canonice obtinent, solum pertineant, sæcularesque Principes, omni etiam diuino iure id prohibente dictis Ecclesiis, Monasteriis, ac beneficiis intromittere se nullatenus debeant. Statuimus & ordinamus, vt fructus, redditus & prouentus Ecclesiarum, Monasteriorum, ac beneficiorum per sæculares vllos Principes, etiam si Imperator, Reges, Reginæve, seu Respublicæ vel Potentatus fuerint, aut per eorum officiales, seu iudices etiam Ecclesiasticos vel quascunque alias personas, publicas, vel priuatas de eorundem Imperatoris, Regum, Reginarumue, ac Principũ, rerumque publicarũ, vel potentatuũ mandato sequestrari, occupariue, aut modo aliquo detineri, ipsiq; huiusmodi Ecclesias, monasteria, ac beneficia obtinentes sub prætextu fabricæ, instaurationisque sine Roman. Pontif. pro tempore existentis expressa licentia, aut eleemosynarum, seu quouis alio colore, aut fuco impediri non debeant, quominus de illis vt antea libere, ac sine impedimento disponere valeant, Et si sequestrati fuerint, occupatiue, aut detenti, integre, libereque, ac sine exceptione vel mora prælatis ad quos de iure, legitimeque spectant, restituantur, de quibus si dissipati nusquam reperiri possint, eorum iusta æstimatione facta dictis prælatis satisfieri volumus per eos qui dictas sequestrationes, applicationes, dissipationesque fecerint, aut fieri mandauerint sub pœna excommunicationis, aut interdicti Ecclesiastici talium Principum terris, & Dominio eo ipso incurrendis.

Et vt eorum, ac eisdem subiectorum bona vbicunque reperta, si moniti parere noluerint, capi, & retineri possint, Ipsi vero contrafacientes, tam supradictis pœnis, quam priuationis feudorum, & priuilegiorum quæ à nobis, & Roman. vel aliis Ecclesiis nunc & pro tempore obtinuerint, & aliis contra violatores, & oppressores libertatis Ecclesiasticæ, etiam per extrauagantes, & alias constitutiones, etiam incognitas, & forsan in vsu non existentes impositis. Quarum omnium te-

nores

nores pro expressis & insertis habentes innouamus, ac perpetuum firmitatis robur habere decernimus & declaramus, ac secundum eas per quoscunq; iudices, etiam Sanctæ Ro. Ec. Card. sublata, & adempta eis aliter iudicandi declarandiq; potestate; sententiari, iudicari, & interpretari debere volumus, atq; mandamus.

Et cum à iure, tam diuino, quã humano laicis potestas nulla in Ecclesiasticas personas attributa sit, innouamus omnes, & singulas constitutiones fe. re. Bonifacii Papæ. VIII. etiam prædecessoris nostri quæ incipit Felicis. & Clemen. V. quæ incipit Si quis suadẽte, necnon quascũq; alias Apostolicas sanctiones in fauorem libertatis Ecclesiasticæ, contra eius violatores quomodolibet editas, & pœnis etiam contra talia præsumen. in bulla quæ legitur in cœna Domini contentis in suo robore permansuris.

Et cum in Lateranensi pariter ac Cõciliis generalibus sub excommunicationis pœna prohibitũ fuerit ne Reges, Principes, Duces, Comites, Barones, Respublicæ, & alii potentatus quicũq; Regnis, Prouinciis, Ciuitatibus, ac terris, quoquomodo præsiden. collectas, Decimas, & alia huiusmodi onera, Clericis, Prælatis, & aliis quibuscunq; personis Ecclesiasticis imponant, exigantq;, neue à sponte etiam dantibus & consentientibus etiam recipiant, atq; in præmissis auxilium, fauorem, consiliumue palam vel occulte præstantes in excommunicationis latæ sentẽtiæ pœnam eo ipso incidant, & ipsæ quoq; Respublicæ ac communitates, & vniuersitates circa hoc quomodolibet delinquentes Ecclesiastico eo ipso subiiciantur interdicto, Prælati etiam præmissis absq; Ro. Pont. expressa licentia vltro consentien. excommunicationis, & depositionis pœnam ipso facto incurrant. Statuimus, & ordinamus vt de cætero talia præsumẽtes, etiam si (vt præfertur) qualificati fuerint, vltra supradictas pœnas quas contrauenientes eo ipso incurrere volumus, innouamus, ad omnes actus legitimos inhabiles, & intestabiles habeantur.

Et cum secundũ leges ciuiles, & sacrorum canonum censuras sortilegia per inuocationem dæmonũ, incantationes, ac diuinationes, superstitiones prohibitæ sint, Statuimus, decernimus, & ordinamus, vt clerici qui in præmissis culpabiles inuẽti fuerint arbitrio superiorum infamia notentur; si vero non destiterint deponãtur, atq; in Monasteriũ ad tempus arbitrio superioris persiniendũ detrudantur; beneficiisq; & officiis Ecclesiasticis priuentur.

Laici vero vtriusq; sexus excommunicationis, & aliis pœnis iuris, tã Ciuilis, quam canonici subiaceant.

Et vt omnes ficti Christiani; ac de fide male sentientes cuiuscunq; generis, aut nationis fuerint, necnon hæretici, seu aliqua hæresis labe polluti, vel Iudaizantes à Christi fidelium cœtu penitus eliminentur, & à quocunq; loco & præsertim à Ro. Curia expellantur, ac debita animaduersione puniãtur. Statuimus vt cõtra eos diligenti inquisitione vbiq; & in dicta Curia maxime procedatur per iudices per nos deputandos, & eius criminis reos, & legitime conuictos debitis pœnis puniri, relapsos vero absq; ulla spe ueniæ, aut remissionis affici volumus. Et cum constitutiones, & ordinationes nostræ huiusmodi quas pro nunc ordinamus vitam, mores, Ecclesiasticãq; disciplinam concernant, tam Officiales nostros, quã alios, tam in Ro. Cu. quã extra vbiq; locorum commorãtes imitari conuenit, illis ligari, eosq; ad eorum obseruationẽ inuiolabiter teneri volumus, atq; decernimus, Et ne constitutiones ipsæ aliis censuris, ac pœnis in contrafacient. per antiqua iura, & constitutiones impositis derogare in aliquo videantur cum ad augmentum editæ, atq; excogitatæ fuerint, etiam declaramus per earum dispositiones, ordinationesq; nihil prorsus iuri communi, vel decretis aliorum Ro. Pont. vllatenus derogatum esse. Quinimo si qua in eis propter peruersam temporum, aut locorum vel hominum corruptelam, vel abusum, aut quamcunq; aliam causam minime probandam, vigorem suum amiserint, ea exnunc innouamus, confirmamus, & inuiolabiliter obseruari mandamus. Quas nostras consultissimas constitutiones post duos menses ab earum publicatione ligare debere, etiam decernimus, & declaramus, districtius inhibentes ne quis eas glosare, vel super eis commentaria, interpretationesve facere, absq; speciali nostra vel sedis Apostolicæ licentia præsumat. Siquis autem ausu temerario contrauenerit excommunicationis latæ sententiæ pœnam eo ipso incurrat.

Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostrorum statuti sanctionis, reformationis, intentionis, ordinationis, exhortationis, monitionis, præcepti, voluntatis, innouationis, confirmationis, mandati, decreti, declarationis, & inhibitionis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Siquis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem Omnipotentis Dei, ac beatorum Petri, & Pauli Apostolorum eius se nouerit incursurum. Datum Romæ in publica Sessione in Lateranensi sacrosancta Basilica solenniter celebrata. Anno incarnationis Dominicæ, M.D.XIV. III. Non Maii. Pontif. nostri anno 2.

Perlecto superiore edicto, idem Archiepiscopus Neapolitanus legit bullam prorogationis decimæ sessionis, vsque ad Calendas Decembris. Interrogati deinde Patres, an eis placerent contenta in bullis, præter septem Episcopos qui varia dixerunt, omnes omnia approbarunt. Cantato deinde hymno Te Deum sessio nona absoluta est. Die postmodum XXVI. Nouembris, decima sessio, ex caussis grauissimis, ad XXIII. Martii anni consequentis prorogata fuit. Inter hæc Pontifex audita victoria Selymi de Ismaele Persiæ Rege, eam rem omnibus Christianis Principibus voluit denunciare. Ita scribebat, Maximiliano Imperatori designato.

Audita ea victoria, quam ingentem & maximam Turcarum Rex Selymus contra Ismaelem Sophim Persiæ Regem de mense Augusti prosperrimo successu est consecutus, Fratribus meis Ecclesiæ Romanæ Cardinalibus statim adhibitis, diligentiq; consilio ea de re habito, visum est nobis ad omnes Christianos Reges esse literas dandas: quibus literis & eos certiores tanta de re faceremus: & hortaremur, vt imminenti vniuersæ rei Christianæ periculo communi consensu atq; sententia ire obuiã vellent. Quorum quidem Regum cum tu primus & dignitate, & authoritate sis, id mihi tecum primum atque potissimum esse agendum existimaui. Itaque exemplum Selymi litterarum ad Epidaurenses, quibus victoriæ summa seriesque continetur, ad te mitto: quo perlecto, pro tua singulari prudentia facile perspicies, quam auersus à nostris moribus atq; sacris homo efferus sit, ab ineunte ætate bello exercitibusque ductandis assuetus, qui se regnandi libidine contra patrem armauerit, eumque regno expulerit; ad mortemque compulerit: per fratrum & propinquorum aliam super aliam coaceruatas cædes; ad maximum orbis terrarum imperium euectus, eo demum in Asia Rege deuicto; cuius vnius maxime opes atque potentiam verebatur, eiusque regno capto quid sit facturus: cum illo integro, superstitibusque fratre atque fratris filio, qui ei dubium paterni auitique regni sceptrum faciebant, perturbare tamen nos exercitibus in Pannoniam missis; oppidisque aliquot vi captis anno proximo sit aggressus, nemini profecte dubium esse debet, qui modo recte minus etiam quam mediocriter sentiat, posteaquam is eum hostem perdomuit, à quo sibi vno ab altero regni sui latere Asia videlicet superiore esse timendum videbat: quin sit in illos quos ad Europam habet, exercitum suum victorem, omnesq; suas imperiiq; sui vires, ipsamque illam tot secundis successibus; tam crebris tamq; illustribus victoriis sibi blandientem fortunam suam quam celerrime conuersurus: qui quidem & maiori odio illi sunt propter alienam sacrorum rationẽ, totiusque vitæ studia: & maiorem ei curam incutiunt, propterea quod nos multo se potentiores esse, multoq; rebus omnibus ad bellum terra marique administrandum paratiores, homo minime demens intelligit. Itaq; primum omnium debilitare nos cogitat, ea societate, Pannoniamque suam facere: quæ tametsi est ipsa quidem per se firmissima atq; bellicosissima, sustinere tamen tantos impetus vna non poterit. Id cum fuerit assecutus, quid erit amplius, quod illius animum ad te atq; ad nos oppugnandos vnum tantummodo diem coercere atq; continere possit? nisi forte, qui propinquis, qui fratribus, qui parenti regnandi cupiditate non pepercerit: eum volumus credere à nobis vnis, qui & moribus illi, & certe voluntate hostes sumus, animi facilitate atq; adeo lenitudine temperaturum. Huic tam præsenti malo atq; periculo nobis remedium medicinamq; adhibere sedulo quærentibus, vnum illud sese offert multo ante iam à me & prouisum, & tibi, reliquisq; Regibus & Principibus Christianis propositum; vt pace atq; concordia inter illos omnes teq; inprimis tuosq; hostes conciliata, depositisq; priuatis inimicitiis publice communiq; consensu, hosti victori, ac fortunæ dulcedine ebrio, opes viresq; nostras omnes coniunctas atq; consociatas opponamus. Atq; id quidem nos si sæpe alias, vt dixi, & tibi, & reliquis Regibus frustra & sine vllo vsu proposuimus, est certe ea re tarditateque nostra factum, vt idem Turca, & antea non vnos suos hostes, & nunc Ismaelem ipsum, qui vnus ei ex non Christianis imminebat, eratque reliquus, debellare atque proterere, imperiique sui fines longe lateque promouere, opesque suas multo & firmiores ad se defendendum, & ad nos aggrediendos explicatiores paratioresque reddere sane potuerit. Qui nobis rerum euentus quam sit formidabilis, nemo non videt. Quod si nunc etiam non audiemur, aut si potius si liberator noster Christus, qui vos per vicarium suum alloquitur, atque ad populos Remque publicam suam tuendam impellit, non audietur: dicamne an taceam? locus iam iamque tot peccata nostra corrigendi segnitiemque sarciendi nullus dabitur: vnusque omnes exitus, vna clades atque interitus manebit. Gliscit namque malum serpitque indies latius, & vires horis prope singulis ita sumit, vt si paululum præterea præstolabimur, ac nosmet ipsos, quemadmodum adhuc quidem fecimus, nostris ipsorum viribus conteremus, spes iam nobis auxilii atque præsidii nulla reliqua sit futura. Quamobrem per illam te baptismatis tui sacram salutaremq;

 Y vndam,

vndam, qua te Christianum es professus, perque tuum Imperatoris nomen, quod te apud omnes nationes vere magnum & venerandum facit, oro, obs reque precibus omnibus peto & quæso, vt quando tu omnium Christianorum Regum Principem geris, primus etiam odia inimicitiasque tuas quas cum Christianis populis exerces, deponas: proque animi tui magnitudine pacem, Si non qua vtilius, certe qua facilius fieri potest conditione cum tuis hostibus ineas, omnesque moræ causas plane reiicias: ne per te cuipiam stetisse videri possit, quominus Christianæ Reipubl. Turcarum gladiis ac furori proposita in tempore succurratur. Id vel officii tui, propter quod Reipubl. Christianæ plusquam cæteri debes: vel tui regni causa facere te oportet: ne tuos etiam aliquando populos, si obdormieris, ea ipsa imminens omnibus illuuies atque pernicies trahat. Deinde tuo vt nomini atque gloriæ consulas: ne te eum locum tenente, quem tenes, vlla insignis Christianæ Reipubl. nota atque calamitas inuratur. Demum etiam, vt reliqui tuo se exemplo Reges ad id faciliores præbeant. Non enim vereor: cum tu vnus nostris fidelibus monitis obtemperaueris, quisquam ommino vt sit Ecclesiæ Senatusque consilijs hac in re communique periculo aduersaturus: vt nostra hæc in Turcas profectio, quam dies ac noctes cogitamus, necessitasque ipsa nobis suadet, parari celerius atque commodius possit. Quemadmodum quidem te facturum, quæ tua semper fuit pietas atque prudentia, sane confido. Reliquum est vt valetudini tuæ seruias, à qua tibi non recte esse permolestè tuli. Quamquam quidem cum has literas dabam, sperabam te conualuisse: iam enim erat febricula illa leuior, qua tentabare. Saluebis igitur a nobis omnibus, & valebis. Dat. Non. Nouembr. M. D. XIV. anno 2. Roma. Bembus lib. 10. cap. 5.

XI. *Thomas Cardin. Strigoniensis à Pontifice in Vngariã & Poloniam mittitur.*

Ista Pontifex Imperatori, eodemque fere exemplo Regibus & Principibus Christianis scribebat, occasione victoriæ de Ismaele à Selimo partæ. Metuebat præsertim Vngariæ, quam hoc tempore rebelles nonnulli in periculum conijcerant. Reuerterat ab vrbe Thomas Cardinalis Strigoniensis, in Vngariam & Poloniam destinatus à Pontifice Legatus, vt proposita vniuersorum criminum venia, voluntarios quoque homines ad sacram contra Turcas militiam vel ineundam vel iuuandam excitaret. Conuocato itaque Comitio, & Rege Ladislao præsente diplomata Pontificia protulit, omnibusque regni proceribus exposuit. Videri sibi, cum à Pontifice nulla alia in præsentiarum auxilia expectanda essent, exhausto admodum eius ærario, & vectigalibus apud fœneratores passim oppignoratis, ita vt etiam futurorũ redditum spes adempta fore videretur: & Principes mutuis bellis occupati de Pannoniæ periculis parum aut nihil pensi haberent, rem fore apprime tempori & occasioni accommodam, dissidentibus Turcis, si exercitus gratuito comparari, & contra hostes bello intestino occupatos in aciem produci possint, postquam conducendo militi sumptus publice desint: se non dubitare, quin breui satis magna multitudo voluntariorum militum in speciem iusti exercitus confluat: curaturumque, vt eis de præfecto & duce idoneo, reique militaris perito prospiciatur, qui eos probe armatos ad simulachra pugnæ cienda, dum assuescant & addiscant, aliaque militaria munera castrensesq; labores obeundos instruere, posteaque ex Regis Senatusque sententia, eo quo necessitas postulabit, opportune ducere queat. Quibus si milites limitanei cum hostibus pugnare soliti, ac stipendiariorum aliqua manus addatur, sperare eiusmodi copias, quamquam collectitias, veteranis immistas, ad retundendos infensissimorum hostium conatus, quorum magna pars in Asiam traiecerit, satis validas futuras. Ad ea Rex taciturnus, & in humum prospectans, ne verbum quidem prolocutus est. Cæterum magna pars Senatorum, qui ocio & auaritia corrupti regnum prædæ loco habebant, pedibus in Cardinalis sententiam ire, eius curas & labores apud exteros principes pro patria exantlatos laudare, & in cœlum ferre, eam viam ad refrenandas hostiles excursiones, auertendaque pericula Reipub. quam aptissimã reputare: proinde vt in incepto pergat, ac salua Regis voluntate edictum Pontificium primo quoque tempore promulget, hortari. Pauci qui Rempub. pluris faciebant quam vt ei assentarentur, altius penitiusque omnia considerandi, nihilque temere decernendum suadebant, ne dum patriæ consultum vellent, vires, opesque eius, quæ exiguæ adhuc superessent, funditus eneruarent, & bellum quo hostes arcere pararent, in seipsos, & in propria viscera conuerteretur. Inter hos Stephanus Telegdinus rogatus sententiam, in hunc modum locutus fuisse dicitur. *Nisi apud eos, qui rerum Vngaricarum conditionem perturbatissimam non solum perspicue cernunt, sed etiam summo cum dolore suo, & rerum fortunarumque iactura, vitæque periculo experiuntur verba mihi facienda essent, malorum nostrorum seriem & causas longiore oratione prosequerer: nunc quando vobis omnia adeo cognita sunt, vt ægerrime tolerentur, paucis ad ea quæ modo inter consultandum dicta proposita que fuere, quæ sentiam eloqui non dubitabo. Et vt breuibus absoluam, multa me dehortantur, quia votum suffragiumque meum vestræ deliberationi, de conscribendo hoc genere militum adiiciam. Equidem si indultum istud Pontificium, vti vestrum maiori parti placere animaduerto, publicatum fuerit, conuenturos ad edictum haud paucos homines facile concesserò. Sed quos, & quales? egentissimos quosque capitalia ausos, & qui ob scelera domo pulsi, vagi, oberati, fori incolæ, ignominia exilioque notati, quibus nulla nisi in facinoribus & flagitijs spes reliqua sit. Agrestium quoque & agricolarum satis magnam manum breui temporis spatio in castra venturam inficias non iuero: sed qui aut laboris fugiendi, aut priuatas iniurias vlciscendi causa, aut impunitate scelerum, & vitandi supplicij metu & munimento nomina dent. Quos si nobilitas sibi debitos labores, suorumque agrorum culturam, & alia quæ per illos perfici solent omissiõe conqueretur, idque extremæ noxæ damnoque sibi futurum obiciet: aut prius quam ad castra properent, captiuitate anticipet, aut ceu fugitiuos repetat, atque vti solet, necessarios & propinquos eorum domi vinculis, carcere, catenis constrictos coerceat: (libet enim hæc omnia recensere, quamquam acerba auaritiæ, & impotentis nostri dominatus exempla) tum vero putabitis plebem inconditam, & collubiem tumultuariam, eamque armatam, in officio posse contineri? An minime in nobilitatem impetum facturam? & suos ab iniuria vindicaturam? An proteruos, furore & rabie percitos, iussis vestris, aut quorumcumque ducum imperijs obedientes fore creditis? An negabitis cæteris diuersarum gentium commilitonibus, quos è Polonia, Moravia, vicinisque regnis & prouincijs nomina daturos credibile est, futuros auctores, vt vel leui de causa illatam (sic illi nominabunt) contumeliam vlciscantur, & ferrum in hostium perniciem destinatum, in nos ipsos conuertant, atque illud nostro, & coniugum, fratrum, liberorumque & necessariorum nostrorum cruore, cædeque commaculent? Vtinam falsus sim vates, atque hæc dira omnia quæ horrens refero; Deus immortalis à ceruicibus nostris longe submoueat: sed tamen quin euenire possint, pro incredibili rerum humanarum inconstantia haud facile quis abnuerit. Quid igitur faciendum existimas, dicet ex vobis quispiam. Ego profecto Pontificium indultum, aut silentio in præsens tegendum consulerem: aut ita promulgandum, vt non eis qui arma in Turcas sumpserint, sed qui aurum, argentum, pecuniam, & quæ in eam conuerti possint, in stipendia militum contribuerint, noxarum expiatio, æternæque salutis felicitas promittatur. Si enim in manus furiosorum & perditorum hominum arma vltro dederimus: ad eorum quæ supra retuli, malorum exempla in nos excercenda simul licentiam & impunitatem concedemus, & nosipsi Rempublic. scelestissimis prædonibus dilacerandam & euertendam trademus. Quod si nihil horum ab iis nunc extimescendum sit: non tamen video, cur nondum expleto induciarum, quas cum Turcis triennales habemus, tempore, & rebus discessu hostium in Asiam, nonnihil tranquillis tali exercitu valde opus sit. quum si pecuniæ contribuantur, magis illæ tum ad belli vsus, tum pacis subsidia conducant. Interea nobis etiam ipsis summa ope adnitendum est, ne vti hactenus neglecta Republic. priuatim ad auaritiæ sordes, & habendi libidinem vsque adeo temere ruamus: sed ad grauissima imminentium periculorum à ceruicibus nostris propulsanda mala, quicquid habemus, quicquid possidemus, ad tutandam dulcissimam patriam, tamquam boni & Reipublic. amantes ciues promptissimis animis conferamus: & optimo Regi nostrò, quem hic præsentem cernimus, auctores simus ex aliis suorum Regnorum & prouinciarum redditibus, idem beneuole præstandi: ne hostis acerrimus & infensissimus transmarino bello confecto sese explicet, & nos imparatos obruat. Quod etiam vt pro vestra & patriæ salute, pro aris & focis ab interitu vindicandis faciatis, etiam atque etiam vos hortor & obsecro. Atque hæc quidem mea est sententia: id tamen, quod tu Rex optime, vosque omnes faciendum deliberaueritis, Deum Optimũ Maximũ fortunare cupio.* Cum hæc magno directoque animo disseruisset, nequaquam tamen dissuadere potuit: Rege ipso & Senatoribus maiori ex parte in Cardinalis sententiam, fatali deliberandæ rei pertinacia inclinantibus. Sequenti die Cardi-

Dosa dux exercitus Polonici contra Turcam eligitur.

nalis templum Diui Sigismundi magno comitatu ingressus, sacris peractis Pontificis indultum pro concione promulgauit, ac non solum in templis quæ Budæ & Pesthi habentur, sed vbique in maioribus Collegiis Sacerdotum, quæ vulgò Capitula & Conuentus appellantur, tam suæ legationis, quam Regia auctoritate curauit promulgandum. Idem ab Episcopis passim in Pannonia vbique fieri imperauit. Conuenere ad castra breui tempore plurimi variæ sortis mortales religionis prætextu compluribus locis: sed in agro & suburbanis Pesthanis multo maxima pars; Varadini item & Albæ & Colociæ non contemnendus numerus. Et iam Cardinalis de duce quærendo vehementer erat sollicitus: ne aut sine capite dilaberentur, aut aliquod pessimum facinus designarent: quum ipsi manipularios, signiferos centuriones, tesserarios, minorumque munerum militiæ curatores delegissent. Quod cum Cardinalis animo assidue volueret, casus aliquis ei hominem obtulit, quem militiæ suæ inauspicatæ fatalem ducem præficeret, Georgium Siculum Dosam cognomine, è Daluoco oppido inter Siculos Transiluanos haud postremo oriundum, qui eo tempore Turmæ equitum Tauruni seu Nandor albæ præerat, egregium quidem ipsum, nisi ad id bellum malas artes attulisset. Is cum ex prouocatione Alim Epirotam Samandriæ equitum, quos Beslias Turcæ vocant, præfectum singulari certamine victum occidisset, prius dextra illius manu detruncata, immani vulnere vno ictu detruncata, Budam ad Vladislaum venerat, præmia rei bene fortiterque gestæ postulaturus. quæ opera & studio Cardinalis haud ægre obtinuit, accepitque à Rege duplex stipendium, ac cum torque aureo purpureas vestes auro intertextas, & calcaria, & ensem, dignitatis equestris insignia de Regia manu tradita, ac pagum inter Nandoralbam & Temesuarium situm, in quo XL. incolarum fundi numerareritur: insuper vt in scuto & gentilitiis familiæ insignibus manum cum acinace præcisam, cruoreque madentem, signa & memoriam virtutis fortitudinisque suæ gestaret, consecutus est. Nec multo labore cum eo transactum est, vt præfecturæ honorem in nono exercitu obire vellet, operaque & industria sua rem Christianam, & Pannoniam præsertim labantem iuuare. Igitur Cardinalis in eadem Diui Sigismundi æde, sacris prius solenni more celebratis, vexillum album cum cruce prægrandi purpurea ad hoc Romæ præparatum, Georgio de manu porrexit: alteramque crucem æque purpuream, sed minorem, ipsius pro altari in genua prouoluti paludamento, se spectante, à suo sartore assuendam curauit: additisque ad Deum pro ipsius ac totius expeditionis felici ac prospero successu precibus, in castra quæ erant in agro Pesthano dimisit, seque ex Regis voluntate breui mandaturum pollicitus est, quid porro fieri opporteret. Ibi Georgius tyrones conuocatos hortatus est, vt crucibus purpureis ipsi quoque pectora munirent, quo signo ab aliis dignoscerentur, dictoque essent audientes: se breui effecturum, vt fidei religionisque suæ, qua diuinitus tacti pia aduersum Turcas arma sumpsissent minime pœniteret, sed eius pietatis digna præmia perciperent. & cum vulgo innotuisset creatum à Cardinale exercitus ducem, virum militiæ clarissimum, qui nuper præcipuum Turcam singulari pugna victum occidisset, in castra venisse, multo plures vndiquaque ad eum confluxere: adeo vt memoriæ traditum sit intra mensis spatium vltra XL. hominum cruce signatorum millia vnis in castris visa esse, præter illos, qui haud minore numero, circa Varadinum, Albam, Colociam, & Baciam, aliaque loca sumptis crucibus se aggregasse nunciabantur, & præterea bellum cruciatum vulgo denominatum. Adiunxere se illis plurimi quoque, ex Ordine Minorum, Sacerdotum, qui quotidie in castris magno multitudinis concursu sacra facere consueuerant. Georgius cum castra in militarem formam redacta composuisset, tyronesque variis exercendo laboribus. quantum angustiis temporis licebat, expeditiores redditos, armis, telis, & rebus necessariis instruxisset, à Cardinale aut à Rege, quid fieri iuberet expectandum censuit: & Gregorium fratrem ad se vocatum in exercitu legatum constituit. Interea cum agrestes cateruatim ad castra quotidie properarent, & neglectis omnibus, nonnisi grandæuos senes, ac mulierum & parvulorum gregem, aut infirmissimum quemque domi relinquere viderentur, coacta nobilitas obuiam ire, in eos quos aut domi reperire, aut castris redeuntes deprehendere poterant, crudeliter sæuire cæpit, eo fine, vt ad pristinæ conditionis seruilia ministeria redigerentur: neque enim per seipsa agros vineasque colere, aut fruges demetere, res sibi inconsuetas valebat: & aliis in operibus quæ ab agricolis obeuntur insigne detrimentum patiebatur. Quas ob causas frequentes quærelæ ad Georgium deferebantur à tyronibus, petentibus, ne ipsis, quod in castra venissent fraudi & crimini esset. Postremo Laurentius Sacerdos è Ceglegdio oppido, cuius vt dudum cogniti familiaritate vtebatur, & cui tyronum præcipui quotidie de illatis sibi suisque à nobilitate grauissimis contumeliis lamentari non desinebant, sæpissime ad vlciscendas suorum iniurias & compescendam nobilitatis insolentiam, suadendo & graui sermone cohortando incitare & exacuere nõ præter mittebat. *Se ad Regis & Cardinalis edictũ arma in hostes sumpsisse, verum à nobilium petulantia omni genere crudelitatis prohiberi, ne imperata exequi possint: neque solum castris adeundis arceri, sed ad sordes seruilium operum adigi idque adeo seuere & crudeliter, vt profici patientia nihil possit. quæ si tolerentur, grauiora imperia immineant, quibus in sanguinem & bona miserorum hominum saeuiant: modo nobilitatẽ, modo eius procuratores, perditissimũ hominũ genus vim & contumelias misere: nihil cupidini, nihil immãitati eorũ inuium aut exemptum: antea in corpora tantum exercitam crudelissimi dominatus libidinem esse, nunc etiam salutis & felicitati animorum post hanc vitam auare & crudeliter inuideri: ne videlicet sensum in terris Pastoris & communis omnium Parentis indulgentia vti frui permittantur. Ipsum à Deo Opt. Max. è cœlo demissum esse, qui tot tantisque miseræ plebis ærumnis, morte ipsa grauioribus auertendis, acerrimeque vindicandis vires facultatesque omnes intendat: & arma ac exercitum, quæ diuinitus, & auctore, vt credi par est, numine, in manibus & potestate habeat, ad pœnas à scelestissimis hominibus exigendas, ac eorum intolerabilem superbiam cum summa crudelitate coniunctam perdomandam, omissa alia omni cogitatione, conuertenda existimet.* His atque talibus Georgius non parum animo commoueri visus est. Sed cum sermoni interesset Gregorius eius minor natu frater, ac legatus, placidiore ingenio consilioque vir, increpito vehementius Laurentio, animum illius alioquin ferocem & rerum nouarum cupidum; quantum verbis & oratione poterat mitigabat: huiusmodi consilia periculosa esse plerumque, & fœda incepto, fœdiora exitu. nobilitatis partes armis & bello defendendas, Regem & Proceres, procul dubio omnibus viribus susceptũros esse; tyrones istos plebeios aduersus veteranum militem, & nobiles in armis ætatem agitare solitos, quid aliud facturos, quam vt abiectis armis in fuga & latebris salutem quærant, captique & cæsi ac debellati acerbissimas temeritatis suæ pœnas persoluant. Se quidem, si quid tale in animum induxerit, quod præter officium & fidem sit, quamquam eum vt fratrem singulari amore prosequatur, protinus castris excessurum: neque vmquam vllius instinctu in Rempub. Regem, fratres, amicos, populares que suos gladium vagina educturum. At Georgius, ad quem grauiores indies quærelæ ab agrestum turba veris falsa misscentium adferebantur, seu Regis iniuriæ contemptu, nobilitatisque odio seu rerum nouarum cupiditate, vel aliis de causis deprauato animo, seu quod intellexisset Regi in animo esse, vt exercitus cui præerat in Croatiã ad ferenda aduersus Turcas Tininiensi vrbi acerrime incumbentes, auxilia, primo quoque tempore duceretur, neque ipse tam longum & difficile iter subire vellet, salubriora consilia reiecit, & quod diu occultauerat plenum diri facinoris consilium pectore exprompsit, nefariisque armis in nobilitatem versis, agrestibus in eam, prout cuique animus feruebat, omnibus crudelitatis & sæuitiæ modis grassandi & debacchandi licentiam concessit. Nec mora, in Budæ & Pesthi suburbanis nobilium domos magno impetu de improuiso inuadentes spoliare, incendere, ac obuios ex eorum numero quosuis exquisitis tormentis cruciatos interficere cæperunt. Quæ cum ad Regem & Cardinalem certissimis nunciis perlata essent, perturbato animo, id quod erat suspicati, Crucesignatos vna cum duce eorum rebellasse, edicto vetuere, ne amplius quispiam Cruce signaretur, Georgioque cum suis omnibus, nisi intra paucos dies ad saniora consilia redirent, aqua & igni interdixerunt, eosque hostium loco haberi voluerunt. Quæ cum Georgius cognouisset, non diu in pro-

pinquis Budæ locis moratus, exercitum bipartito, vt commeatui commodius esset prouisum diuisit: ac duobus agminibus, sed admodum validis, Segedinum versus contendit, & Laurentium presbyterum (sic enim eum vocabant) in Baciam, Barnabam vero simili nomine versus Agriam proficisci iussit, vt copias quæ in illis locis conuenerant, ad se adducerent. Gregorium autem fratrem, à militibus Gheczonem appellatum, qui nefaria eius facta consiliaque vehementer improbabat, inuitum & renitentem apud se retinuit. Quacumque autem iter factum est, omnia rapinis, prædis, populationibus, incendiis, longe lateque infelta reddidere, vt villæ, prædia, ac domus nobilium iniectis ignibus conflagrarent, & ardentia tectorum culmina ac flammæ Budam vsque conspicerentur. Ambrosium Saberesium ciuem Pesthanum cum tribus legionibus in iisdem castris reliquit, ac vtilla muniret, & in omnes partes arma ostentando, & prædas agendo, metum & formidinem circumferret, in mandatis dedit, ne quid de suis consiliis à Rege & nobilitate sciri certi possit. Et quidem Ambrosius, vir haud ambitiosus aut turbulentus, quicquenon peruerso animo, sed religionis ergo Cruce sumpta se cæteris aggregauerat, statim vt Regium ducem Ioannem Bornemissam salubria monentem audiuit, cum non contemnenda manu eorum quos ductabat, à rebellionis castris discessit: at Georgius incendium horrendum ciuilleque malum, quod nobilitatem extingueret, continuare perrexit: & inprimis Nicolaum Tornalium nobilem interemit, Segedinum vrbem tentauit, Chanadium ciuitatem nullo negotio cepit, atque diripuit, grassatus in omnium domos & facultates, sed præcipue Sacerdotum. Vrbis Episcopum Ioannem Chaquium vetusta & nobili familia oriundum, cum cepisset, post multa probra, contumelias, verbera & cruciatus, in dutum stola sacra, ac infula (gemmis tamen & vnionibus magni pretii quibus ornata erat, sacrilega manu detractis) præacuta fude per inguina adacta, indignum in modum interfici iussit. Simili modo in quosdam nobiles summo loco natos Gregorii Docium, & Petrum Rauasdium parem exercuit crudelitatem, nec cuiquam nobilium pepercit, aut vllam lenitatis aut clementiæ laudem quæsiuit: quamquam fœpius à Gregorio fratre nimiæ fœuitiæ accusaretur. Is militabat in castris fraternis planeinuitus: frequenterque illum, vt ad frugem & saniora consilia rediret, frustra hortabatur. Sed Georgius omnem iram vindictæque suæ odium in Stephanum Telegdinum effudit, quem in Senatu contrarias Cardinali partes secutum, promulgationem indulgentiarum dissuasisse supra retulimus. Eum siquidem domum proficiscentem, cum in itinere agrestes intercepissent, nouo & in hanc diem inaudito tormentorum genere, & quod non solum oculi honestorum hominum, sed etiam piæ aures auersentur, è medio tollendum curauit. Funibus enim per testes & membrum genitale in prærallata furca suspensus, vir clarissimus, & ea calamitate prorsus indignus, sagittis & sclopetis, spectante Georgio, miserabiliter interfectus fuit. Nec minore crudelitatis exemplo vsum ferunt Laurentium presbyterum, Georgii affectum, & ex amicorum intimis præcipuum. Cum enim prædandi causa castris exiuisset, Nicolaum Zolomium, virum præclaræ & antiquæ nobilitatis, cum tribus fratribus germanis domi inuentum, iniecto tectis igne, cum familia omni & suppellectili, quam agrestes diripere non potuerant, concremauit, Temesuarum deinde vrbem Georgius oppugnare aggressus est: eo consilio: vt si captis fortuna minime responderet, tum vero tutum ad proximos Turcas receptum habere, ac eis coniunctus Christianos euertere posset. Iam omnia diuina humanaque in Vngaria, proxima interitui erant. Quæcum Leo Pontifex intellexisset, tum belli sacri diplomata reuocauit, tum viciniores Principes ad auxilia ferenda excitauit, datis his literis.

Leo X. Diploma belli sacri reuocat.

I.

Sigismundo Regi Poloniæ.

Perfertur ad me, seditionibus non negligendis in Pannonia per factiosos homines & scelestos excitatis arma temere tractari, ac trucidari passim plurimos, & intestinum quoddam quasi bellum existere, contra Vladislai Regis Pannoniæ fratris tui voluntatem. Itaque timendum esse, nisi ei rei quam celerrime occurratur, ne freti ac permoti ea occasione Turcæ regnum illud conuulsum iam per se ac debilitatum: ad quod quidem maxime omnium mentem atque animum adiecerunt, præterea quod est cum suis regnis coniunctissimum, ipsi integri collectis viribus adoriantur. Eo regno atque populis vel sub ingum missis, vel profligatis ac perditis, qui vos casus maneat, nemo est qui non videat, etiam tacente ac silente me. Eas ob res omnes te hortandum inprimis esse duco: vt vel sublato modis omnibus eo bello, quod te in præsentia intelligo cum Moscouitis exercere: vel, si fieri potest, suspenso atque in aliud tempus dilato ac reiecto, properes auxilium atque opem ferre fratri germano tuo, exercitumque in Pannoniæ fines adducas. Non enim vereor, si te modo appropinquare populi illi senserint fratri suppetias allaturum, quin se omnes in officio contineant. Quod cum fecerint, etiam Turcis spem eripient primum quidem in Pannonios fratremque ipsum tuum, deinde in reliquos Christiani nominis populos atque gentes male cogitandi. Id à te ita peto, vt, quamquam videar tuorum etiam causa te cohortari, atque commonefacere: tibi tamen nihilo sim minus ea de re debiturus, ac si mihi vni tantum, quantum postulo, tribuisses. Quinto decimo Cal. Augusti. anno 2. Roma.

II.

Liuoniæ Magistro.

Proximis diebus Prussiæ Magistri atq; tuis petentibus Legatis, vt Regis Poloniæ, ipsius q; Magistri veterem illam maximarum rerum & controuersiarum causam, quam habent, Sacro Lateranensi Concilio iudicandam terminandamq; aliquando tandē remitterē, nunciatum est in Pannonia tumultus magnos & seditiones exortas esse, ob eamq; rem trucidari plurimos, excitariq; tamquā intestinum bellum contra Vladislai Regis Pannoniæ voluntatem: verendumq; esse, nisi id tempestiue bellum sedatum sopitūq; sit, ne animati ea occasione Turcæ regnū illud quod vicinum ipsis est inuadant atq; diripiant. Ea regio atq; natio cum quasi vallus quidam atq; agger munitissimus inter nos atq; illos adhuc quidem semper sit habita: quantum ex eo periculi rei Christianæ impēdeat, satis, etiam tacēte me res ipsa per se loquitur. Ita q; cum existimarem primum omnium oportere, vicinorum & Regum & Principum vnanimi consensu rebus Pannonicis quā celerrime succurri, ne inchoatū iam malum atq; labes augendi confirmandiq; sese moram atq; spatium nanciscī posset: tuorum & Magistri Prussiæ Legatorum postulationes in aliud reiecī tempus, atq; distuli: ne dum animorū voluntatum q; vestrarum conciliationis nouus hic Pannoniæ rerum status maxime indiget, lis inter vos ac disceptatio magnis de rebus atq; causis agi tractariq; Romæ incipiat. Quamobrem tametsi Regem Poloniæ bello Moscouitano esse implicitum audierim: tamen quia Pannoniæ regno in periculum adducto, vicina ei regna in tuto esse nequaquā poterunt: dedi ad eum literas, quibus, vt vel eo sedato quoquo modo, vel suspenso bello, ad Pannoniæ fines cum exercitu se conferret: deq; fœdandis eo in regno seditionibus interstinoq; bello cum Rege fratre suo ageret. Sum illum diligenter hortatus: spero q; fore, vt meis monitis salutaribus præsertim atq; amantissimis pareat. Eam ad rem tu quoq; vti curam cogitationemq; tuam adhibeas, pro me: muneris officio etiam atq; etiam abs te peto. Nam quoniā propter eam, quæ tibi cum Moscouitis est, vicinitatem confido tua me opera & auctoritate posse, quod postulo, facile consequi: vt id, quod dixi, bellum vel finem aliquem nanciscatur, vel ipsum differatur: quo Rex Poloniæ Regi Pannoniæ auxilium afferre, eiq; præsto esse possit: valde cupio: vt eam tu ad rem tam honestam, tamq; laudabilem conficiendam, consociandasq; duorum Regum voluntates atq; mentes auctoritatem tuam conferas nobiscum atq; adiungas. Id si feceris: quemadmodum quidem tua fretus cum prudentia, tum in me, qui te vnice diligo, voluntate, maxime confido te facturum: & officio eris functus optimi prudentissimiq; Principis, & spem omnem hostibus nostris communibus auferes, regnum quidem Pannoniæ primum, deinde alias atq; alias nationes Christianas inuadendi atq; proterendi: & tibi ego plurimum debebo, cuius eris precibus atq; monitis obsecutus. XV. Cal. Augusti. anno 2. Roma.

XIII. *Vngari perduelles profligantur.*

Inter hæc dum auxilia à Maximiliano Cæsare, & Sigismundo Rege Poloniæ expectantur, suasu Ioannis Bornemissæ, cui plurimum Vladislaus Rex deferebat, Ioanni Comiti Scepusiensi bellum in perduelles demandatum fuit. qui Paulo Tomoræo copiarum Regiarum duce, hostes in Pesthano agro castris præsidentes, felicibus auspiciis profligauit: mox ad Temesuarium, Georgium & reliquos rebellionis auctores assecutus, integram pene victoriam obtinuit. Captus ipse Georgius, ac vna cum eo Gregorius frater, præmium inauspicatæ militiæ tulere. Cæteri ab exacerbatis

exacerbatis nobilibus, & milite natura feroce, in fuga cæsi & obtruncati, campos cadaueribus accumulatos repleuere. plures hausit prætersluens Temesus amnis, cum transire conantes ab insequentibus militibus aut trucidarentur, aut aquarum vorticibus crudeliter immersi interirent. Alii, quorum magnus numerus fuit abiectis armis, sublatisque manibus, & in genua prouoluti, cum multis lachrymis misericordiam & veniam implorabant: qui tamen ab inclementibus & iratis militibus, aut in vestigio cæsi, aut instar pecudum gregatim in castra abacti, ac compedibus & catenis constricti fuere. pauci notitia locorum ac viarum freti, aut qui priores fugam cœperant, ægerrime euasere: inter quos Laurentius presbyter pernici visus equo (quod vnum ad summa vota Scepusiensis defuisse videretur) non ea qua alii fugiebant via, sed Danubium & Baciam versus cursum intendit, quibus in locis socios esse sciebat, ac felici sua forte insequentium manus effugit. In castris Georgii supra opulentam prædam, & tormenta curruliaq; aliumque apparatum ingentem, promiscuæ multitudinis ingens numerus captus est. plurimi enim coniuges & paruos liberos in castra adduxerant, ne domi relicti ad ludibrium & libidinem nobilitatis exponerentur: quorum maxima pars partim ferro, partim fame periit. Georgius cum Gregorio fratre, ac post eos alii captiui insigniores catenis & restibus nexi, in conspectum Scepusiensis adducti fuere. Et Georgius quidem constanti vultu, fortique animo eum ita allocutus fertur; Non peto abs te inuicte Palatine, vt mihi parcas. Vtere enim in me iure tuo, prout volueris. hoc vnicum quantum possum postulo, vt æquior in Gregorium esse velis; quem palam est omnibus, meis in castris inuitum & à me vi coactum militasse. Palatinus se in eos pro meritis agere velle respondit, & vt in careeres distribuerentur mandauit, in quibus duo fratres honestiore quidem, sed cæteri arctiore custodia asseruati fuere. Secuti erant castra Palatini, quamplurimi ex vagis illis, quos Ciganos vulgus appellat, vilissimum & abiectissimum hominum genus incertæque originis, in Transiluania ac vtraque Valachia tortorum infamem operam exercere solitum. His Scepusiensis negotium & curam excarnificandorum captiuorum commisit. In Gregorium tamen non nisi capitis supplicio animaduerti iussit, quod vera esse intellexisset, quæ à fratre in eo excusando dicta essent. Horret animus recensere dira, enormia, & hactenus numquam visa aut audita miserorum supplicia. Tametsi enim extrema quæque promeriti forent: homines tamen Christianos & pios tam atrocem lanienam, clementia & commiseratione temperare æquum fuisset. Arreptos siquidem circiter XL. ex captiuis in obscuros carceres condiderunt, & quidem tales qui priuatis Georgio ministeriis addicti fuerant: & quindecim dierum inedia maceratos discruciarunt, vt demum eis, si quos forte tamdiu in viuis esse contigisset, semiambusta viuentis & spirantis Georgii membra mandenda & glutienda offerent. Sed ex XL. infelicissimorum hominum numero, reliquis fame tabescentibus & mortuis, nonnisi nouem superfuere. Interea ab iisdem tortoribus rudi è ferro solium, & corona, sceptrumque Regia, insignia conflantur; in quod Georgius nudus infertur, coronaque igne candenti resplendens capiti imponitur: adducuntur nouem illi infelices qui superarant, luridi, fame enecti, semineces, vmbris hominum similes, ac vt artus Georgii, qui ignito ferro tacti stridorem quendam cum nidore emittebant, dentibus & morsu appetant, simulque deglutiant iubentur: ni faciant, strictis ensibus minabundi carnifices, & statim occisuri imminent. Quod vbi metu mortis fecere, dimissi quidem fuere: sed tres qui obominabilem offam non deglutiuerant, illico cæsi fuerunt. Georgius non flere, non eiulare, non horrescere visus. tantum catulos caninos ab se educatos probrose appellans conticuit: ac forcipibus ignitis identidem laniatus lanciatusq;, postremo cum intolerandos dolores ferre amplius non posset, animam efflauit. Sed in eum vel iam vita functum impensius sæuitum est. Cadauer enim eius latronum & proditorum more in frustra dissectum fuit: quæ Budam, Pestum, Albam & Varadinum missa, furcisque suspensa prætereuntibus spectaculo ludibrioque fuere. De cæteris quoque pari acerbitate pœnæ exactæ sunt, vt multo maxima pars in furcas, aut iis deficientibus in proximas arbores, iniectis collo laqueis suspenderentur: pars fudibus seu palis infixi miserabilem in modum interirent. Hunc exitum habuit factis suis congruum Georgius Siculus, inauspicati belli funestus auctor & concitator: cuius formidine Pannonia omnis contremuerat: quo in bello variis præliis ad L X. hominum millia cecidisse feruntur. Laurentius è fuga elapsus, Antonioque Longo coniunctus, voluit bellum redintegrare. Sed iterum fusus fugatusque, socium & copias amisit: ipse vulnere accepto nusquam visus, an quod fugiens sibi mortem conciuerit, an quod desperabundus se in Danubium præcipitauerit, incertum. Reliquam multitudinem, Ioannes facile dissipauit. Cum enim tumultuariam colluuiem, nullis more militiæ excubiis in castris agitantem aspexisset, tormenta callido sed pio consilio, quo minus sanguinis funderetur, non pilis ferreis, sed stramine & herba viridi, aut detritis lacerisque pannis, idque genus quisquiliis implenda curauit: ac cum propius mutuum in conspectum ventum esset, in eos displodi & exonerari præcepit. Quo facto, tantus terror pauidos ex insolito tormentorum quamquam inanium fragore ac fumo, militarique fremitu perterritos inuasit, vt nullo contracto certamine abiectis armis, omni spe salutis in cursu & pedibus posita, turpissime diffugerent. Ita Ioannes perduelles & seditiosos armis egregie vltus, liberatæ à tanto discrimine patriæ laudem tulit. Vladislaus tamen ciuili bello extincto, non omnino à metu Turcarum liber fuit. Huic opem à Sede Apostolica flagitanti, quid Pontifex promiserit, responderitque præstat ex literis cognoscere. Ita Leo scribebat:

Dosa captus supplic. affigitur.

I.

Vladislao Pannoniæ Regi.

Dedi proximis diebus ad te litteras, quibus tē de pace à Ludouico Rege Gallorum & Henrico Rege Britanniæ me auctore nuper inita certiorem feci. Postea vero & ex literis Thomæ Cardinalis Strigoniensis, & Francisci Marsupini eiusdem Cardinalis Internuncii sermone intellexi, te plurimis maximisque bellorum sumptibus iam prope exhaustum, ad tuenda istius regni vicina Turcis oppida solum atque à sociis destitutum, tuis tantummodo opibus & præsidiis idoneum hoc tempore non esse: itaque rogare obsecrareque nos, vt quoniam cum oppidorum illorum conseruatione tui etiam vniuersi prope regni salus incolumitasque coniuncta est, velimus tantum nostræ opis tibi subministrari, vt ea tueri atque defendere possis: ne Christianæ Reipublic. hostes captis expugnatisque iis vires lacertosque confirment atque augeant. quibus, cum libuerit, in reliquas tui regni partes, atque adeo in robur & pectus ipsum audacter vtantur. Habere autem te loca & ditionem multis hominum millibus ad bellum aptissimorum refertissimam: vt si tibi stipendium ad eos alendos suppeditatum sit, validissimum contra Turcas exercitum cogere atque conficere facile possis: itaque statuimus, virum regnum istud per sese firmissimum & populosissimum, gentibus inimicissimis proiecere ad seruitutem & ludibrium velimus: an pro re facultatibusque nostris dare operam, ne hostes eo nostri potiantur. Quas ad tuas postulationes tibi respondeo. Primum quidem, pro mea in te gentesque tuas charitate, proque Reipublic. dignitate, te, tuosque populos, regnumque istud omne mihi magnæ curæ esse: deinde versare me noctes atque dies animo, non tuam modo salutem & incolumitatem quæ mihi charissima est, sed etiam de amplitudine tua deque gloria sapissime cogitare: quoquo pacto te iuuem, curamque adhibeam: vt in bello, quod tibi à Turcis numquam non imminet, administrando ipse te possis apud Deum quidem primum, deinde apud omnes homines commendare, quam maximis, quamque pulcherrimis virtutis atque gloriæ monumentis. Quamobrem si iustum exercitum conficere, atque in Turcas impetum facere statueris, bellumque sic administrare, vt illustris aliqua in illos impressio expugnatioque oppidorum consequatur: quinquies decies mille numum aureorum me ad id erogaturum daturumque tibi spondeo atque recipio. Sin vero id tantum modo consilii suscipies, vt tuta ab hostibus reddere tua illa propinqua Turcis oppida, de quibus scribis, tibi satis futurum putes: bis decies mille nummum aureorum tibi præsto vt sint, cum me commonefeceris curabo. Itaque excita exsuscitaque te Vladislae fili præclaras ad actiones animi magnitudine atque constantia suscipiendas: exemploque

maiorum tuorum, maximorum atque amplissimorum Regum tibi proposito, te cum ad tui regni, populorumque tuorum & gentium, tum ad Christianæ Reipublicæ non solum propugnationem sed etiam amplificationem para. Quod cum feceris, statutum habeas velim, meas fortunas opesque omnes fore in tua potestate. A Deo autem Optimo Maximo cuius causæ patrocinium hoc quidem tempore vnus omnium maxime susceipies, secundi tibi tuorum conatuum exitus euentusque prosperrimi sunt expectandi. Quibus de rebus omnibus multo fusius atque vberius cum Marsupino locutus, eique mandaui vt tibi singula perscriberet. Vale igitur, nosque dilige. Dat. XI. Calend. Octobr. anno 2. Roma.

II.

Thomæ Cardinali Strigonienſi.

Exemplum literarum quas Vladislao Regi scribemus, erit cum his literis. Ex eo mentem erga istum meam plane perspicies quam tu etiam meis ad illum verbis deferes, explicabisque singula & accuratius & prolixius. Ac te quidem scire volo, nos nihil aliud singulis pene horis cogitare atque prospicere, quam vt pacem inter omnes Christianos Principes conficiamus: eique rei neque studio, neque diligentia, neque labore, neque certe ardore animi contentioneque deerimus. Et quoniam in eo id quod volebamus, à Galliæ atque Britanniæ Regibus iam consecuti auctore Domino sumus: cæterorum etiam Regum & Principum controuersias placandi & terminandi, animosque conseiandi consilio eundem Dominum mihi vires & facultatem subministraturum. Ac sicri profectò poterit, vt ad id auctoritas atque prudentia Regis Poloniæ Vladislai Regis fratris mihi magno vsui sit futura. Quod cum erit, statim te faciam per litteras certiorem, vt nauare in eo tu quoque operam mihi tu ampossis. Atque eadem quidem, de qua loquor, pax atque concordia Deum Optim. Maxim. oro & quæso, vt suum ad exitum nobis viuentibus perducatur: vt reliqua, quæ restant multo meo quidem iudicio opinione quam re maiora, contra eius nominis hostes perpetuos communi omnium consensu & voluntate aliquando moliamur. Sed & hæc alia, quæ in eum sermonem conieci, quem quidem proxime habui cum Francisco Marsupino percuratore tuo homine inprimis diligente, ipse ad te perscribet: cui mandaui, vt tibi saluum adscriberet. Dat. XI. Calend. Octobr. anno 2. Roma. Isthuanfius lib. 5. Ioannes Sambucus in appendice. Bembus lib. 9. epist. 3. & 4. & lib. 10. epist. 3. & 4.

XIV. *Basilius M. dux Moscouitarum à Cæsare auxilia contra Polonum petit.*

Memorabat suis in litteris Pontifex de Sigismundo Rege Poloniæ, bellum hoc tempore contra Moschouitas gerente. Operæ pretium est, initia & progressus eius belli explicare. Basilius Magnus Moscouitarum Dux, hostili in Sigismundum animo, illud contra fœdera iureiurandumque inferre ausus est. Quo in administrando vt potentior esset, fœdus cum Maximiliano Cæsare Sigismundi hoste percussit, eundemque Cæsarem pro Regia corona & insignibus Regalibus nimia ambitione sollicitauit, à quo etiam auxilia tamquam ab amico & socio fœderato flagitauit, Slainicio nobili Misnensi qui Michaëlem Glinski perduellem in Moscouiam profugum secutus fuerat, ad Germaniæ Principes ad bellum concitandos submisso, vna cum quodam Cracouiensi negotiatore, natione Boëmo, cognomento Lata, qui pro exploratore captus, & Cracouiam missus, quæstionique adhibitus, capitali affectus est supplicio. His futuri belli rumoribus Sigismundus Rex commotus, Regni Poloniæ Optimatibus apud Radomiam Comitia indixit, frequentique Senatu regni sui rebus compositis, cum Tartarorum in Taurica Cæsare, promisso ei stipendio fœdus percussit, cumque sibi ad bellum contra Moschos suscipiendum socium asciuit, quo consilio duplex commodum assecutus est, tum quod valida Tartarorum auxilia contra hostem præpotentem sibi comparauit, tum quod ab eisdem Tartaris, hostibus antea infestissimis, regni sui limites securos effecit. Pace eo modo & tranquillitate regno parta, conatus omnes ad belli Moscouitici consilia conuertit: primumque Mendligeri Tauricano Tartarorum Cæsari stipendium antea per Legatos promissum misit, eumque ad bellum Moscouitis inferendum magnis muneribus impulit. Enimuero Basilius Moschorum Dux, Lithuaniæ limites à Borisstene ad prima veris signa hostiliter infestare cæperat, Michaële Glinski authore, quem omnium copiarum Ducem constituerat, qui post damna multa illata, pleraque munita loca frustra oppugnauit, à quibus cum ignominia, & Moscorum cruenta cæde est repulsus. Consequente æstate Basilius maiori quam antea belli apparatu ingentem contraxit exercitum Supra octuaginta bellatorum equitum millia in eius castris censa sunt, præter lixas & calones. Maximilianus Cæsar bombardarum magistros Italos ac Germanos magno stipendio conductos, per Pomeraniam, Prussiam & Liuoniam, terra & mari Basilio submisit. Hi tormenta bellica vetustate inutilia aut confracta refecerunt: noua, & quidem plurima ex ære fuderunt. Trecenta fuisse perhibentur. Basilius Dux eo bellico apparatu, his Italis ac Germanis tormentorum bellicorum Magistris, tantis denique copiis instructus, ad Smolenskum arcem omnium validissimam, ac pene inexpugnabilem, quæ in cliuo Riphei montis & Nebrii amnis ripa sita est, castra fecit, arcemque obsidione cinctam omni tormentorum genere pertinacissime oppugnatam, tandem deditione, vel magis proditione præsidiariorum accepit, anno centesimo, postea quam ab Alexandro Vitoldo fuerat Lituaniæ adiecta. Ea extremis mensis Iulii diebus potitus, portisque patefactis in eam ingressus, primum cælesti numine adorato, quicquid auri, argenti, ac prætiosæ suppellectilis siue in priuatorum ædibus, siue in templis erat, fide violata nefarie compilauit, ac in Moscuam Metropolim (valido in Smolensko relicto præsidio) secum auexit. Consternatus ea re Sigismundus Rex, in hostem duxit: maxime insolentia Basilii prouocatus, qui cum exercitus sui copiarum ducibus, de reliqua in Polonos victoria quasi certus egerat: parta victoria, quâ quisq; Lituaniæ partem petere deberet: quid de Sigismundo Rege, quid de captiuis, quid de Vilna fieri vellet: scommata insuper per cõtemptum iaciebat, mandabatque ferrum in Polonos ac Lituanos ne stringerent, sed per Boristhenem libere eos tranare permitterent, flagellisque vno agmine veluti pecora ad se propellerent. Ea arrogantia Basilii irritatus Sigismundus, copias quantas potuit oppositi, ac tandem ad Orsam processit. Ad quem paulo ante exitum, Iacobus cognomento Piso à summo Pontifice legatus venerat, flagitans, vt armis depositis, pacem cum Basilio componeret, armaq; & potentiam suam in inanissimos Turcos verteret: paratum se ire dicens ad Basilium Ducem Pontificis eiusdem nomine, & eum ad ineundam pacem hortari. Ad hæc Sigismundus Rex respondit: Nihil vnquam sibi antiquius fuisse maiorum suorum more, quam Romani Pontificis arbitrio & voluntati obsequi, & pacem se cum Basilio Duce per legatos tentaturum fuisse, si bellum nondum accensum, & res integra fuisset: jam sibi retrocedere, aut pacem petere non licere, ne hostis pauore se id facere existimaret: nec illi tutum putare, bello iam ardente in Moscouiam ire, aut hominem adire schismaticum, Romani Pontificatus hostem acerrimum. Itum deinde in certamen: ac inprimis ancipite Marte aliquamdiu certatum: donec victoria ad Polonos inclinasset. Victa est ex insidiis, Moscouitarũ pertinacia, ita vt primum fugere cæperint, atq; cædi sese opportunos reddiderint. In prælio & in fuga cæsi quamplurimi, ad paludem vnam per quam fugam intenderant præcipue, vbi alii in alios præcipites ruentes in cæno hærebant, & post fœdam colluctationem misere peribant. Duo & triginta Moscouitarum millia eo prælio cæsa feruntur. Alii ad quadraginta millia numerum auxere. Satis constabat tantam in Moscouitis cædem fuisse editam, vt riui sanguinis in Boristenẽ defluxerint, Borisstenesq; humano cruore tinctus, Impurus aliquamdiu fluxerit. Capti ex illustribus viris qui Ducum nomine censebantur decem: alii paulo inferioris ordinis satrapæ & purpurati quatuordecim, promiscuæ fortunæ nobilium duo millia, & ex gregariis militibus totidem. signa militaria capta plurima. Ex Regio exercitu paulo plus quadringenti deperditi, & si complures saucii essent. Castra Moscouitarum omni opulentia plena, direpta. Contigit hæc memorabilis victoria apud Orsam arcem & Borisstenem amnem, haud procul ab aris Alexandri Magni, die Natali Sacratissimæ Virginis Deiparæ. Piso Nuncius Apostolicus, Ioanni Coritio ista quæ adiungo de eo conflictu Polonorũ & Lituanorum cum Moscouitis, ad minutias vsque scribebat. Scio ego, inquit, ambiguum tibi esse, Coriti mi charissime,

Maximilianus Moſco auxilia mittit.

Basilius Moscouiã Lithuaniam inuadit.

Moscouitæ à Polonis cæduntur.

in

in humanis ne sim, an vero minus, qui totum iam ferme annum quo Roma absum, tam pertinaciter tecum sileam. Par item de te quoque cogitatio me suspendit, qui nihil omnino scripseris: nisi forte tuæ mihi reddi non potuerint, incertissimis huc vsque vagato sedibus. Quæ etiam causa fecit, vt cessator & ipse fierem: cum alioqui ad scribendum nemo me sit minus piger. Nosti quam non sponte obierim hanc prouinciam, vt ad Serenissimum Poloniæ Regem, ac deinceps Moscouiæ Ducem, quo pacem inter ipsos Pontificis & legati nomine firmarem, proficiscerer. Sed non erat integrum reluctari diutius mihi. Veni tandem Iulio mense Vilnam, quæ caput est Lituaniæ, vbi à Principe, præterquam quod pro Sedis Apostolicæ reuerentia amplissime acceptus fui, habitus sum pro singulari sua in me veterem alioqui clientem beneuolentia admodum gratiose. Nam humaniter dicere, Regiæ celsitudinis dignitas vetat. Data deinde diebus duobus sequentibus bis audientia, post tertium aduentus mei diem, Rex hinc in castra mouit, quo ante dies aliquot, nisi me operiri dignum duxisset, omnino ire statuerat. Iam enim vtrimque ad bellum, & quidem atrocissimum, lituaniæ adiecta. Ea extremis mensis Iulii diebus potitus, portisque patefactis in eam ingressus, primum cælesti numine adorato, quicquid auri, argenti, ac prætiosæ suppellectilis siue in priuatorum ædibus, siue in templis erat, fide violata nefarie compilauit, ac in Moscuam Metropolim (valido in Smolensko relicto præsidio) secum auexit. Consternatus ea re Sigismundus Rex, in hostem duxit: maxime insolentia Basilii prouocatus, qui cum exercitus sui copiarum ducibus, de reliqua in Polonos victoria quasi certus egerat: parta victoria, quâ quisq; Lituaniæ partem petere deberet: quid de Sigismundo Rege, quid de captiuis, quid de Vilna fieri vellet: scommata insuper per cõtemptum iaciebat, mandabatque ferrum in Polonos ac Lituanos ne stringerent, sed per Boristhenem libere eos tranare permitterent, flagellisque vno agmine veluti pecora ad se propellerent. Ea arrogantia Basilii irritatus Sigismundus, copias quantas potuit oppositi, ac tandem ad Orsam processit. Ad quem paulo ante exitum, Iacobus cognomento Piso à summo Pontifice legatus venerat, flagitans, vt armis depositis, pacem cum Basilio componeret, armaq; & potentiam suam in inanissimos Turcos verteret: paratum se ire dicens ad Basilium Ducem Pontificis eiusdem nomine, & eum ad ineundam pacem hortari. Ad hæc Sigismundus Rex respondit: Nihil vnquam sibi antiquius fuisse maiorum suorum more, quam Romani Pontificis arbitrio & voluntati obsequi, & pacem se cum Basilio Duce per legatos tentaturum fuisse, si bellum nondum accensum, & res integra fuisset: jam sibi retrocedere, aut pacem petere non licere, ne hostis pauore se id facere existimaret: nec illi tutum putare, bello iam ardente in Moscouiam ire, aut hominem adire schismaticum, Romani Pontificatus hostem acerrimum. Itum deinde in certamen: ac inprimis ancipite Marte aliquamdiu certatum: donec victoria ad Polonos inclinasset. Victa est ex insidiis, Moscouitarũ pertinacia, ita vt primum fugere cæperint, atq; cædi sese opportunos reddiderint. In prælio & in fuga cæsi quamplurimi, ad paludem vnam per quam fugam intenderant præcipue, vbi alii in alios præcipites ruentes in cæno hærebant, & post fœdam colluctationem misere peribant. Duo & triginta Moscouitarum millia eo prælio cæsa feruntur. Alii ad quadraginta millia numerum auxere. Satis constabat tantam in Moscouitis cædem fuisse editam, vt riui sanguinis in Boristenẽ defluxerint, Borisstenesq; humano cruore tinctus, Impurus aliquamdiu fluxerit. Capti ex illustribus viris qui Ducum nomine censebantur decem: alii paulo inferioris ordinis satrapæ & purpurati quatuordecim, promiscuæ fortunæ nobilium duo millia, & ex gregariis militibus totidem. signa militaria capta plurima. Ex Regio exercitu paulo plus quadringenti deperditi, & si complures saucii essent. Castra Moscouitarum omni opulentia plena, direpta. Contigit hæc memorabilis victoria apud Orsam arcem & Borisstenem amnem, haud procul ab aris Alexandri Magni, die Natali Sacratissimæ Virginis Deiparæ. Piso Nuncius Apostolicus, Ioanni Coritio ista quæ adiungo de eo conflictu Polonorũ & Lituanorum cum Moscouitis, ad minutias vsque scribebat. Scio ego, inquit, ambiguum tibi esse, Coriti mi charissime, tant. Equites acie, vt erant instructa, omnes se vno impetu, sed ex ordine coniiciunt in amnem, feliciterque tranant, credo Deo freti, haud plus vno desiderato. Non erat hoc incognitum hostibus, & poterant, vel amnem ingredi volentes cohibere, vel iam partim egressos opprimere. Verum cum & ipsi multitudini nimium fiderent, & nostros præ paucitate contemnerent, loco se tantisper, vtpote opportuno mouere distulerunt, dum nostri iam non modo amnem transirent, verum etiam & pugnæ locum caperent, & ordines vel reficerent. vel mutarent: tantumque fuit temporis, vt tribus fermè horis manuum consertione vtrinque abstinerent. Vbi ad manus deinde ventum fuit, hostes arte vsi, circumuenire nostros à tergo per vallem, vbi non apparebant (nam & collis dumetis consitus impediebat aspectum) magno impetu nitebantur. Nostri re explorata derepente, vt in subitis fit casibus, mutant consilium: & ea ex parte iniussu pugnam committunt. Nam belli dux alio acies inclinarat, vbi & ipse tunc ferebatur. Quod cùm nonnulli ex nostris bello alias probe exerciti conspicerent, neque aut consultandi, aut Ducem conueniendi tempus, locusve daretur, in hostem conclamant, fortiterque pugnando reprimunt. Hæc à leuo cornu acta, mox à dextro, & omni ex parte confertæ manus: tubarum clangor, vt ex iis qui interfuere accepi supra vsitatum modum. Fuere enim tubicines in hostili exercitu plus multo quingentis: atque ita fortissime dimicatum, vtrinque inclinante iam ad vesperam Sole: timor hostes, mox desperatio occupat, Iam neque nostrorum impetum ferre diutius qui proximi erant, neque fugæ viam à tergo reperire valebant, prementibus vltimis, qui & ipsi ordines facile explicare nequibant. In ea trepidatione clades facta ingens: fugientes deinde tumultuatim omnes nostri in longam noctem secuti quoscumque cedere, nisi qui vel nemorum densitate latere, vel noctis beneficio elabi poterant. Ibi direpta castra, in prædam versa omnia; cecidere ex hostibus millia circiter quadraginta: capta quatuor millia, & in iis præfecti exercitus omnes, qui octo fuerant, inter quos primi à Duce Moschorum, Michael Golycza cum trecentis nobilibus, inter quos sunt Barones multi. Hos secum Rex nudius tertius quasi in triumpho Vilnam vexit, conspicuos omnino viros. Mihi certe in omni vita nihil videre circa pompas bellicas, obtigit gloriosius. Reliqui captiui partim per municipia distributi sunt, partim apud victores, vbi adhuc & signa tenentur, quæ & ipsa ablata fuere ad vnum omnia. Rex enim cum domesticis tantum, paucis admodum rediit, misso, quem secum in præsidiis habebat, ad belli Duces exercitu recenti millium quatuor, vti victoriam sequerentur, maxime vero vti arcem Smolensko recuperarent. Moscus enim mox suorum accepta clade, paucis admodum stipatus tam præcipiti ad propria cursu festinarat, vt die atque nocte 300. passuum millia superaret: siue, vt nouum repente exercitum scriberet: siue, quod vero esse similius creditum est, vt famam rei malæ gestæ præuerteret, quominus fratres rebus nouis moliendis ansam ante caperent, malæ tractationis memores, vtpote qui seruitutem apud tyrannum fratrem seruire coguntur. Parum enim ad reparandum exercitum superesse ipsi fatentur etiam captiui, Moscum afferentes populo quidem plurimo abundare, verum rustico & bellis inepto: quandoquidem in hanc expeditionem omnẽ ferme nobilitatem duxerit. Sic ille, qui paulo ante capta dolo arce superbus Polonis omnibus necem, Lituanis vero compedes minatus fuerat, turpissimam coactus inire fugam est, vt seipsum tam neci, quam vinculis eriperet. Nam ita certam demens ipsi sibi victoriam spoponderat, vt postea apud duces belli captos, repertæ cum mandatis atque stratagematis literæ fuerint, quibus quod facto cuilibet post victoriam opus esset commiserat: vt scilicet Regem in præsidiis positum vno agmine adorirentur: eo vero vtcumque potiti, in tres sese vias diuiso exercitu diffunderent, Vilnamque direptum festinarent. Sed nesciebat homo, & priuatim, & publice periurus Deum violatæ sine causa fidei vindicem, alias longe constitutum ire. Cœlites enim immortales ob periurium (vt etiam Cicero pro Roscio ait) hominibus irasci & succensere consueuerunt. Dedit condignas perfidiæ suæ pœnas, cum ex nostris ne vnus quidem

captus ſit, vulnerati multi, & ii aduerſo corpore omnes. Mortui vix ſupra quadringentos, & in iis Barones quatuor elegantiſſimi, idemque fortiſſimi iuuenes, quorum corpora huc relata ſunt, & tumulata honeſtiſſime, duobus ſub infula Epiſcopis cum vniuerſo Clero ad ciuitatis portas progreſſis: quorum tamen mors, immenſa hoſtium clade piata eſt: vt certe fateri neceſſe ſit, hæc ſine Diuum numine non eueniſſe: cum alioqui Rex ipſe re quidem vera Chriſtianiſſimus ſit, ſemperque fuerit. Aſſiduis enim pro victoria ſupplicationibus: ea deinde parta gratiarum actionibus templa omnia ſonabant: quin & publice ad Deum omnia Princeps refert: maxime cum Tartari, qui ſub idem tempus iuxta pactum conuentum adeſſe Maieſtati ſuæ debuiſſent, fraude ſe ſubduxerint. Iam vero & illud non omiſerim, eſſe apud Moſcum Ducem Michaelem Glinski, virum animi & corporis dotibus egregie inſignem. Is olim non leuibus ex cauſis Regem Poloniæ fugiens ad Moſcum cum ſuis migrauit, qui & priorum, & horum motuum cauſa fuit. Hunc Rex ad Sereniſſimi Vngariæ Regis inſtantiam, in gratiam ſecreto admiſerat, & iam tacito redire parantem, ſui, quibus nimium fidebat, Moſco detulere: qui hominem è veſtigio vinctum, domum ſub cuſtodia remiſit, incertum, quid de eo velit ſtatuere. Is ſi forte transfugiſſet (vt conuenerat) ad noſtros, magnam ſibi huius victoriæ partem vendicare contendiſſet. Nam id circiter Calendas Septembris contigerat: prælium vero Octaua Septembris ipſo die Natali Virginis factum eſt. In ſumma Dei omnino munera ſunt hæc præcipue: deinde Principis Deo gratiſſimi, cuius fortunam vtique præluſtrem non ex ariolorum nugis, ſed ex ſumma vitæ ſanctimonia, prudentia, fortitudine, temperantia, atque iuſtitia, metior. In quo illud pulchrum eſt, vt ſi clementiam ipſam velis effingere, nullo certe alio, neque ore, neque colore, quam huius Principis id præſtare poſsis efficacius. Mihi profecto poſt exantlatos tot viarum labores, ex hac victoria tantum acceſsit lætitiæ, vt nihil aſperum, ſiue terra, ſiue mari tuliſſe videar: ſiue quia Principis huius ſim, fuerimque ſemper ſtudioſiſsimus: ſiue quod hac factum præſente victoria, vt ire ad Moſcum non ſit neceſſe mihi: quæ mea profecto ſumma eſt expectatio. Nam præter viarum cum longitudinem, tum difficultatem, valde me terret hominis etiam iurati perfidia. Satis mihi eſt Confeſſorem eſſe: ſuperbam martyrii palmam non ambio. Miſit ad illum Calendis adhuc Auguſti famulum cum literis pro Saluo conductu, ſcio perueniſſe: ſed neque reſponſum, neque famulum vidi. Audio, in amnem coniici fuiſſe iuſſum. Non libenter bibo tam largo cantharo. Sed iocor verbis: re tamen verum eſt quod ſcribo: ſcilicet: Mihi ſeruabit, ſi etiam dederit fidem, quam neque Regibus, ac ne Deo quidem ipſi ſeruare ſolet?

I nunc Schiſmatico vitam committe tyranno,
Vt te per Scythicas ſub Styga mittat aquas.

Nollem in iis ſiniſtrum mihi omen præcinere, qui initio certe inuitus feci, vt hanc experirer moleſtiam. Tolerabilia fuêre hactenus omnia, quamuis aſpera: in reliquis quoque ſuperanda omnis fortuna, ferendo eſt, Nondum ſatis intelligo, quid firmum de me ſit: cum omnis adhuc exercitus arcis recuperationi ſtudeat, quam breui futuram ſperamus: quod niſi & viarum ſub hæc tempora difficultas, & anni ratio noſtris obſtaret, victorem omnino exercitum in ipſa Moſcici dominii viſcera transferrent, ibidem hybernaturi: qua illorum ſententia facile reſiduo itinere abſolueret. Sed durare tamdiu vix poterunt, commeatus penuria, præſertim pro iumentis. Habent enim præter ſuum equitatum prædatitios equos circiter viginti millia, quos ſaluare ſi poſſent, plurimum vellent. Habere enim dicitur Moſcouia equos laboribus ferendis admodum idoneos. Res diu extrahi non poterit. quicquid erit, non patiar te neſcire. Tuum erit interea literas has nullo conſtantes ordine boni conſulere. Mitto nummos argenteos ſex Moſcicos, ex præda ad me miſſos. hos tibi cum amicis communes eſſe volo. Inuenies in illis inſcriptiones Græcas partim, partim Ruthenas. Symbolum habent Ruthenæ cum Græcis litteris: deinde par eſt etiam religio. Sunt vtique Chriſtiani, ſed ſchiſmatici. Templa habent, hic præſertim Vilnæ, auro, argento, & gemmis opulenta: paucis etiam ab hinc annis ex lapide ædificari cœpta, & quidem ſumptuoſe: cum lignea tantum prius habuerint, non culta admodum. Sunt autem Rutheni (vt iſtud quoque auctarium addam) ingenio Lithuanis promptiore: quo fit, vt operibus non mediocriter excellant. Multi ex iis peculiare proditionis vitium habent, quod ad Principum, ſiue Ducum aliquorum domos irrepſit. Quin & hoc nuper bello Dux quidam Ruthenus ab omnibus ſuis Moſco ſe dedidit: quamuis egregium adoleſcentem filium in Regis aula reliquiſſet. Sentiunt multi ex iis ſecreto (vt creditur) pro Moſco, nulla alia magis quam religionis cauſa. Eam enim per omnia communem habent, transfugerentque paſſim multi, niſi exploratam Moſci tyrannidem formidarent. Is enim ſæuiſſimis ſubditos legibus coërcet. Omnia illi naſcuntur, omnia creſcunt, omnia adducuntur. Si qui ſunt, qui vel genere, vel dignitate magni ſunt, in illius nihilominus manu ſunt, neque diutius diuites quam ipſe velit. Commercia eorum terra, marique plurima. Aurum, argentum pro pellibus inferre ſoliti mercatores, nihil aliud referunt: ea omnia Principi accedunt. Hinc opes illi tantæ, quantas neminem vnum in Europa Principem habere, fama eſt. Populo miris artificiis inſigni potens, Italos habet domeſticos multos, & honeſte, & vtiliter: cæterum ſuas circa fidem partes coactos ſequi. Hæc ab iis qui iſtic verſati ſunt, didici. Si quando (quod magnopere deprecor) eo iero, redieroque quod precor, vel per literas, vel coram de omnibus affatim: interea autem adhuc & hinc erit, quod ſcribam. Reſtat enim nonnihil militibus noſtris circa arcis recuperationem, quod negotium extrahi diu non poterit. Si enim deditionem facere obſeſſi noluerint, aliud noſtri, pro rei & temporis qualitate conſilium ſunt apprehenſuri. Sunt enim adhuc in exercitu præfecti, & tribuni militum omnes veterani, qui vel ſub manu conſilium captare non ignorant: ante omnes autem Illuſtriſſimus Dux Conſtantinus Oſtrogius, inter noſtri temporis Imperatores in re bellica facile Princeps, qui ſignis collatis ter, & trigeſies dimicando victor fuit. Idem iunior tamen apud Moſcum ſeptennio manicis, pediciſque conſtrictus fuerat, bello captus. Vir eſt domi Numa religioſior, foris Romulo non inferior, quo duce, & hoc bellum geſtum eſt. In quo nihil eſſe vno ore omnes aiunt, quod probari nequeat, niſi quia Rutenus, idemque Schiſmaticus ſit, ita à parentibus errore, quaſi per manus accepto. Neque enim parum refert, quam quiſque à maioribus religionem acceperit. Cæterum ita maiorum ſuorum traditiones omnes rigide obſeruat, vt ne latum quidem ab iis vnguem recedat: qui ſi ad Sanctæ Matris Eccleſiæ obedientiam reduci poſſet, innumeris dubio procul ad idem agendum præluceret. Tanti eſt apud ſuos momenti, Principi autem ob eximias virtutes facile chariſſimus. Vilnæ. XXVI. Septembris. Anno M. D. XIV.

Hæc Piſo ſcribebat.

Sigiſmundus etiam ipſe Rex, de hac victoria Leoni Pontifici ſignificauit, datis iſtis.

Sigiſmundus Pontifici de victoria ſcribit.

Beatiſsime Pater & Domine, Domine Clementiſsime, poſt pedum oſcula Beatorum.

Cum non ignorem Veſtram Sanctitatem, tum ex paſtorali ſuo debito, tum etiam ex genuina pietate in religionis Sacroſanctæ incrementum, magna cum voluptate audire ſolere, quando aliquis Catholicorum Regum aduerſus infideles, aut Schiſmaticos inconſutilem Saluatoris noſtri tunicam ſcindentes ac dilacerantes, Dei virtute adiutus aliquid feliciter gerat: hinc conuenit, vt ego qui Turcam infeſtum, communemque Chriſtiani nominis hoſtem vicinum habeam: Tartaros etiam, aliaſque trans-Tanaitanas Scythicas gentes, numeroſas, feroces, ac infideles, humeris meis, à nullo Chriſtianorum Principum adiutus, ſolus ſuſtineam. & præter hos omnes magnum Moſcouiæ Ducem, cum quo nunc atrocia bella gero, Sarmatiæ Aſiaticæ tyrannum, opibus, armis, equis, viriſque potentem, ac multis contra alios vicinos ſuos victoriis tumentem: blaſphemum item ac Schiſmaticum, Sanctæ Romanæ Eccleſiæ

inſeſtiſsimum, hoſtem inſolentiſsimum habeam. Huius belli motus, & præſtitam mihi à Deo victoriam contra ipſum perfidum Moſcouitam, Sanctitati Veſtræ perſcribam. Anno etenim exacto, fractis inter nos antea pactis, iuramentoque firmatis fœderibus, immemor præſtitæ fidei, & ſpreta iuramenti religione, quæ modica, aut nulla in blaſphemo, & ſchiſmatico eſſe poteſt, dominia mea in magno Lithuaniæ Ducatu conſtituta, exercitu multorum millium equitum bellatorum comparato, magna vi machinarum bellicarum: tormentorumque æneorum ſubſequente, hoſtiliter inuaſit: dumque arces aliquas graui obſidione premeret, nec propter valida præſidia mea quæ illic erant proficeret, multis (ſicut anno præterito Sanctitati Veſtræ ſignificaueram) ex ſuis, in oppugnationibus munitorum locorum, & tumultuariis præmiis amiſsis, domum, re male geſta, non abſque grauiſsimo dolore regreſſus erat: qui tamen iam alias ſibi perſuaſiſſet, armis, opibus, & potentiæ ſuæ cuncta eſſe peruia, nec aliquid conatibus ſuis (in quo tamen deceptus erat) obſtare potuiſſe. Aeſtate demum proxime exacta, tamquam ignominiam ſuſceptam, damnaque prioris expeditionis, & bellum non ſatis proſpere anno præterito cœptum & geſtum vindicaturus, iterum validiſsimum exercitum comparauit, in quo plures grauis armaturæ equites inerant: nixuſque eſt, me certis caſtris exuere, & præcipue caſtro Smolensko nuncupato: vt ſubinde tanto facilius totum magnum Ducatum Lithuaniæ, aliaque mea dominia bello atrociori vrgere, & totam Rubeorum Ruſsiam ſui ſchiſmatici ritus, quæ ditionis meæ eſt mihi eripere poſſet. Potitus tandem ex adminiculo fraudis arce ipſa Smolensko eſt, de ſuis plurimis amiſsis. Subinde vero inſolentior factus, exercitum auxit, ita vt excederet octuaginta millia hominum equeſtrium: auſuſque eſt ſibi polliceri, quod iam facile reliqua dominia mea opprimere poſſet. Progredi itaque aduerſum me ſuũ exercitum vſque ad fluuium Bereſinam mandauit. At ego qui in Domino Deo recte ſperauerim, eundem fluuium, exercitum meum equitatu & peditatu, tormentiſque bellicis bene inſtructum, magna celeritate traiicere imperaui, hoſtiſque exercitum pedem referre, ita vt retrocedere coactus eſt, compuli. & dum exercitus hoſtilis per meum arceretur, vigeſima ſeptima Auguſti particulari prælio à meis militibus pulcherrima clades eidem hoſti inflicta eſt. Alia item Calendis Septembris: & ex vtroque prælio plures ac inſignes captiui mihi adducti ſunt, & multi ex hoſtibus cæſi. Miles autem meus eiuſmodi victoriis, quaſi auſpicatis præludiis accenſus, vltro in pugnam ruebat. Equidem vero in præſentiſsima clementia Dei, & iuſtitia cauſæ meæ confidens, maximam iam de orta victoria ſecuritatem, mihi pollicebar: feci magno animo meum exercitum procedere, & ſtationibus hoſtis appropinquare: dumque hoſtis ſentiret, meum exercitum ſibi imminere, Boriſthenem tunc ſolito magis exuberantem nando traiecit. Meus vero exercitus inſegniter animis ad pugnam præparatis hoſtem retrocedentem ſequutus eſt, & ſimiliter Boriſthenem, dum in re tam ſubita, & pontis faciendi poteſtas, & nauigia ad tranſportandum militem deeſſent, ad eam ripæ partem, in qua iam hoſtis ordinatis aciebus, tormentiſque diſpoſitis conflictum præſtolabatur, natando intrepide tranſmiſit. & tandem Deo auſpice, qui in ſe ſperantes non deſerit, & confundit manus filiorum alienorum, die Natali Beatiſsimæ Virginis, quæ erat octaua Septembris, cum hoſtibus eiſdem feliciter pugnauit, totumque eundem validiſsimum hoſtis exercitum, qui (vt præmiſſum eſt) ex octuaginta millibus hominum fuit comparatus, vna acie fudit, fugauitque: & tamquam viliſsima pecora totis campis cum fœda ſtrage, & multa cæde, vltra quadraginta millia paſſuum ante ſe egit. Itaque ſupra triginta millia hoſtium, & cæſa, & ſubmerſa ſunt. Caſtra hoſtilia, plena opulenta præda direpta, & decem præcipui Duces, & Satrapæ, & triginta ſeptem Barones, Conſiliarii, primores: Officiales autem & armigeri nobiles ſupra duo millia capti, cum ſignis ſui exercitus mihi adducti ſunt. De meis vero, Deo auſpice, pauci deſiderantur. Quamobrem hanc tam inſignem, & longo tempore memorandam, ſed nec minus mirandam (quoniam dextera excelſi facta eſt) victoriam Veſtræ Sanctitati, pro mea in ipſum ſumma & eximia deuotione cognitam eſſe volui: vt Sanctitas Veſtra ex eadem iocundum atque alacrem animum concipiat, mihique ſuo deuotiſsimo filio gratuletur. Quandoquidem pro Sacroſancta religione, proque Sede Apoſtolica, & Sanctitatis Veſtræ decore, ad ea quæ factu ſunt poſsibilia, ſemper ſum paratus. Collocaui namque magnam ſpem, & confidentiam in Veſtra Sanctitate erga me, regnumque meum clementia. Quoniam vero hoſtis ipſe adeo ſuperbus & obſtinatus exiſtit, neceſſe eſt, vt tanto ſtudioſius ipſum ſine intermiſsione perſequar, & bello vrgeam, ne tam cito vires recuperet, ac reparet: quandoquidem non priuatam meam, & regni mei rem nunc ago, ſed totius Chriſtianæ Reipublicæ: ne tam validus hoſtis, Sacroſanctæ Romanæ Eccleſiæ inimicus, quandoque aduerſus Sanctam Eccleſiam pro ritu ſuo falſo, blaſphemo, & ſchiſmatico inualeſcat. Et vt hæc mea geſta, quæ mihi ex miſericordia Dei euenerunt, audacter Veſtræ Sanctitati ſcribo: ſic etiam ſemper audire cupio, vt Sacroſancta Romana Eccleſia Vniuerſalis ſtatus omni felicitate præfulgeat, atque vt Veſtra Sanctitas incolumem & longæuam, felicemq; vitam cum Reuerendiſsimis Patribus Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinalibus ducat. Oratorem autem meum, & res meas vna mecum Veſtræ Sanctitati commendo: qui quidem Orator meus Veſtræ Sanct. tam ea quæ geſta ſunt, quoniam & gens, & loca in quibus geſta ſunt hæc, ſibi cognita exiſtunt, quam alia è mente mea, planius exponet. Datum in caſtris circa Boriſouo, XVIII. Septembr. Anno Domini M. D. XIII.

Hæc Pontifici Sigiſmundus.

XVI.

Baſilius Dux aduerſæ pugnæ nuncio accepto, iactantiæ ac inſolentiæ ſuæ immemor, ex Smolensko ſe proripiens, curſuq; continuato fugienti ſimilis non prius conſtitit, quam ad Moſquam peruenit: vnde collectos ex fuga milites, eadem qua venerat celeritate ad Smolensko remiſit, iuſſitque eam arcem valido præſidio firmari, ac totis viribus tueri, ſperans Polonos ac Lithuanos lætitia partæ victoriæ exultantes, eius arcis occupationem in ſumma rei bene gerendæ occaſione, prout euenit, neglexiſſe. Et poterat tunc Smolenſcia arx fortiſſima facillime recuperari, ſi ſtatim à conflictu pauca equitum millia facto delectu eo miſſa fuiſſent. verum Baſilii Ducis felicitate accidit, vt Poloni ac Lithuani viciſſe contenti quieſcerent, lætiſque conuiuiis ac compotationibus more ſuo indulgerent: alii vulnera curarent, equos alii labore magni certaminis exhauſtos reficerent. propterea plures dies in loco conflictus ſunt abſumpti: nec prius Smolensko verſus victricia caſtra ſunt mota, quam à Rege, qui apud Bereſinam, quadraginta retro milliaribus aberat, omnium copiarum duces Regiis acceptis literis ea promouere ſunt iuſſi: indignabaturque magnanimus Rex, Præfectorum incuſata ſegnitie, quod non è veſtigio ſecundum victoriam ad Smolensko, pro qua arce tantum cruoris fuerat effuſum, contendiſſent: ratus, quod euenerat, eam arcem tanto temporis ſpatio valido rurſus præſidio firmatam eſſe: & cum vincere ſciuiſſent, victoria vti neſciuerint. per quæ facile liquet Sigiſmundum Regem quod ea arx non fuerit tunc recuperata, in nihilo fuiſſe culpabilem. Enimuero vt lætiſſimum inclytæ victoriæ nuncium accepit, poſt laudes Deo Opt. Max. ob conceſſam victoriam decantatas, extemplo ex caſtris ſuis quæ apud Boriſouium fecerat, equitum delectorum quatuor millia ad victorem exercitum, & inde ad Smolenskum continuatis itineribus ire mandauit. Quibus ad Orſam venientibus, tunc primum Regii duces vno à victoria menſe Smolenskum verſus caſtra mouerunt: quam arcem validiſſimo rurſus præſidio firmatam offenderunt: cumque potiundæ eius ſpes nulla appareret, & iam bruma gelida inſtaret, omnibus circum Smolensko longe & late peruaſtatis, ſoluto exercitu in hiberna conceſsêre. Nicolaus Volski Hieroſolymitanus eques, ad Pontificem à Rege Orator, qui prælio Orſenſi interfuit, quique captiuos quatuordecim Moſcouitas prolixa barba & canicie inſignes, habituque Sarmatico conſpicuos Romam ducebat, à Maximiliano Cæſare in gratiam Baſilii Moſci detentus, atque captiuis ſpoliatus in itinere fuit: pauloque poſt ipſe tantum dimiſſus Romam peruenit, & de indigna captiuorum ademptione coram Pontifice contra Maximilianum, qui iam illos in Moſcouiam remiſerat, queſtus eſt. quam rem Pontifex indigne tulit, & inurbanitati Cæſaris aſſcripſit.

Poloni arcem à Moſcouitis captam obſident.

Iam vero antea per celeriorem nuncium Pontifex à Sigiſmundo Rege conceſſæ à Deo victoriæ literas acceperat, Ioannes illas Laski Gneſnenſis Metropolita Regius apud Sedem Apoſtolicam Orator reddiderat: quibus Pontifex perlectis, quod Sigiſmundus Rex Moſcouitas Schiſmaticos magno prælio viciſſet, in multam lætitiam effuſus, ex templo ſupplicationes indixit: & in templo Petri Barionæ auguſtiſſimo, ipſo Pontifice & Sacro Cardinalium Collegio, multiſq; Antiſtitibus ac Regum Oratoribus præſentibus, rem diuinam plurima ſacrorum cærimonia fieri, ac Miſſam decantari fecit, cœleſtiq; numini ob præſtitam victoriam gratiæ publicæ actæ. Diuinis peractis, Camillus Porcius Romanus Orator huius temporis eloquentiſsimus, in laudem Sigiſmundi Regis, & memorabilis victoriæ, omnibus ſtupentibus, ac res geſtas eius Regis admirantibus ampliſsimis verbis perorauit. *Bernardus Vapouius in fragmento. Iodocus Decius in Commentario. & tom. 3. hiſt. Polon.*

Sigismundus Herberstainius, Maximiliani Cæsaris ad Basilium magnum Moscouiæ Ducem hoc tempore Orator, eius quoque belli meminit: cumque omnem fere Moscouiam perlustrasset, insignem Commentarium de rebus Moscouitarum & Ruthenorum edidit: ex quo ea quæ religionem spectant, cum tam necessaria scitu quam iucunda istic inserere placuit; vt omnes intelligant, in quo sentiant, vel dissentiant Moscouitæ & Rutheni ab Ecclesia Romana: & quæ nam sint hæreses ac blasphemiæ, in quibus illi: vt Sigismundus Rex Pontifici insinuabat.

Religio Moscouitarum.

Moscouitarum mores & religio.

Russia vt cœpit, ita in hunc vsque diem in fide Christi ritu Græco perseuerat. Habuit Metropolitanum, quondam residentem in Chiouia, dein in Vuolodimeria, nunc vero in Moscouia. Post, cum Metropolitæ septimo quoque anno Lithuanorum imperio subiectam inuiserent, exactisq; nummis inde redirent, hoc Vuitoldus, ne videlicet prouinciæ suæ argento exhaurirentur, ferre noluit. Conuocatis itaque Episcopis, proprium Metropolitanum constituit, qui nunc Vilnæ, Metropoli Lithuaniæ suam sedem habet: quæ etsi Romanum ritū sequatur, plura tamen templa Ruthenici, quam Romani ritus in ea cernuntur. Cæterum Metropolitæ Ruthenī authoritatem suam à Patriarcha Constantinopolitano habent.

Ruthenī in Annalibus suis aperte gloriantur, ante Vuolodimerum & Olham, terram Russiæ esse baptizatam & benedictam ab Andrea Christi Apostolo, quem ex Græcia ad ostia Boristhenis venisse ipsi affirmant: & aduerso flumine ad montes, vbi nunc Chiouia est nauigasse, atque ibi omnem terram benedixisse & baptizasse: crucem suam illic collocasse, prædixisseque magnam ibi Dei gratiam, multasque Ecclesias Christianorum futuras. Post inde vsque ad fontes Boristhenis peruenisse in Vuolok lacum magnum, & per fluuium Lovach descendisse in Ilmer lacum: vnde per fluuium Volchou, qui ex eodem lacu fluit, Nouogardiam: inde fluuio eodem in Ladoga lacum, & Heua fl. atque in mare vsque quod ipsi Varetzkoiæ appellant, nos Germanicum, inter Vuinlandiam & Liuoniam, Romam nauigando peruenisse. Postremo in Peloponnesō propter Christum, ab Ago Antipatro crucifixum fuisse. Hæc Annales ipsorum. Eligebantur quondam Metropolitæ, item Archiepiscopi, conuocatis omnibus Archiepiscopis, Episcopis, Abbatibus & Prioribus Monasteriorum. Inquirebatur vir sanctioris vitæ per monasteria & heremos, eligebaturque. Hunc vero Principem aiunt ad se certos conuocare solere, atque ex eorum numero vnum suo iudicio deligere. Erat hoc tempore, cum Cæsaris Maximiliani Oratorem Moscouiæ agerem, Bartholomæus Metropolita, vir sanctæ vitæ: cumque princeps violasset iuramentum, per se & ipsum Metropolitam Duci Semesitz præstitum, & alia quædam designasset, quæ videbantur contra authoritatem illius esse, accessit Principem, & inquit: Dum omnē authoritatem tibi vsurpas, ideo officio meo præesse non possum. Porrectoque sibi baculo suo, quem in modum crucis ferebat, officium resignat. Princeps baculum cum officio sine mora suscipit, atque pauperem cathenis vinctum, continuo Bielogesero mittit. Aiunt hunc ibi aliquamdiu in vinculis fuisse: liberatum tamen post, priuatumque, in monasterio reliquum vitæ exegisse. Huic Metropolita Daniel quidam xxx. fere annos natus, homo corpore robusto atque obæso, facie rubenti, successit: qui ne ventri magis quam ieiuniis, vigiliis ac orationibus deditus videretur, quoties actum publicum esset celebraturus, sulphūris fumo tum faciem, vt impallesceret, inficere, atque ita pallore imbutus, in publicum prodire solebat.

Sunt & alii duo Archiepiscopi in dominio Mosci, in Nouogardia, scilicet Magrici & Rostoff. item Episcopi Tuuerensis, Resanensis, Smolensis, Permiæ, Susdali, Columnæ, Czernigouiæ, Sari. Hi omnes Metropolitæ Moscouitico subiecti sunt. Habent autem suos prouentus certos ex prædiis, & aliis extraordinariis, vt vocant, accidentalibus. castra autem, ciuitates, aut vllam administrationem secularem, vt vocant, non habent. Carnibus perpetuo abstinent. Abbates duos tantum in Moscouia esse reperi: Priores vero Monasteriorum plurimos, qui omnes arbitrio ipsius Principis, cui nō mo resistere audet, eliguntur.

Priores quomodo eligantur, ex cuiusdam Varlami, Prioris Huttenienſis Monasterii, anno 7034. instituti, literis, ex quibus capita rerum duntaxat excerpsi, apparet. Principio fratres alicuius Monasterii, Magno Duci supplicant, vt idoneum Priorem eligat, qui eos diuinis præceptis instituat. Electus autem priusquam confirmetur à Principe, cogitur sciuramento atque inscriptione obstringere, quod velit in eo Monasterio iuxta Sanctorum Patrum Constitutionem pie & sancte viuere: omnes Officiales iuxta maiorum consuetudinem, consentientibus etiam Senioribus Fratribus assumere: singulis Officiis fideles præficere, atque commodum Monasterii diligenter procurare: de negotiis & rerum causis, cum tribus aut quatuor senioribus deliberare, factaque deliberatione negotium ad totum Collegium fratrum referre, atque eorum communi sententia de rebus decernere, constituereque: non lautius priuatim viuere, sed in eadem mensa perpetuo esse, & communi cibo cum fratribus vti. omnes census & reditus annuos diligenter colligere, ac in thesaurum Monasterii fideliter reponere. Hæc sub magna pœna, quam sibi infligere Princeps potest, item priuatione officii, seruaturum se promittit. Obstringunt se iuramento quoque ipsi seniores fratres, prædicta omnia sese seruaturos, ac Priori instituto fideliter & sedulo obtemperaturos.

Sacerdotes seculares vt plurimum consecrantur hi, qui diu apud Ecclesias tamquam Diaconi seruierunt. In Diaconum autem nemo consecratur, nisi coniugatus. vnde plerumque & nuptias celebrare, & in gradum Diaconatus simul ordinari solent. Si vero sponsa alicuius Diaconi male audit, tum in Diaconum, nisi integræ famæ vxorem duxerit, non consecratur. Mortua coniuge, Sacerdos à sacris obeundis prorsus suspenditur: si caste tamen viuit, officiis ac aliis rebus diuinis, cum cæteris Ecclesiæ ministris, choro tamquam minister interesse potest. Erat quidem antea consuetudo, vt vidui caste viuentes, sine reprehensione sacra peragerent. Sed nunc mos inualuit, vt nullus viduorum ad sacra facienda admittatur, nisi monasterium aliquod ingrediatur, iuxtaque regulam viuat.

Quicumque Sacerdos viduus, ad secundas nuptias, quod cuique liberū est transierit, is nihil habet cum Clero comune. item nullus Sacerdotum aut sacra obire, aut baptizare aut alio quouis munere fungi audet, nisi Diacono præsente.

Sacerdotes in Ecclesiis primum tenent locum. Et quicumque illorum contra religionem aut officium Sacerdotale quauis ratione fecerit, iudicio spirituali subiicitur. Si vero furti aut ebrietatis accusatur, aut in aliud id genus vicii inciderit, à seculari magistratu, vt vocant, punitur. Vidimus Moscouiæ ebrios Sacerdotes publice verberari: qui nil aliud querebantur, quam sese à seruis, & non à Boiarone cæsos esse.

Paucis retractis annis, quidam Principis locum tenens, Sacerdotem in furto deprehensum laqueo suffocari fecit. quam rem Metropolita grauiter ferens, ad Principem defert. Accersitus locumtenens, Principi respondit: iuxta antiquum patriæ morem, furem, non Sacerdotem se suspendisse. atque ita ille impune dimissus fuit.

Si Sacerdos queritur coram laico iudice, se à quopiam laico esse cæsum (offensiones etenim omnes, ac iniuriarum genera, ad seculare iudicium spectant) tum iudex, si forte cognouerit hunc ab illo lacessitum, aut quauis iniuria prius affectum fuisse, Sacerdotem punit.

Sacerdotes plerumque ex contributione Curialium sustinentur, assignanturq; illis domunculæ cum agris & pratis, vnde victum suis aut famulorum manibus, instar vicinorum quæritant. Pertenues habent oblationes. aliquando Ecclesiæ pecunia datur ad vsuram, de centum decem, eamque Sacerdoti porrigunt, ne suis illum alere sumptibus cogantur. Sunt etiam quidam, qui liberalitate Principum viuunt. Certe non multæ parochiæ reperiuntur, prædiis ac possessionibus dotatæ: exceptis Episcopatibus, & quibusdam Monasteriis. Nulla Parochia, seu Sacerdotium confertur cuipiam, nisi Sacerdoti.

cerdoti. In singulis autem templis vnicum tantum altare, & indies singulos vnicum quoque Sacrum faciendum putant. Rarissime templum reperitur sine Sacerdote, qui ter in hebdomada tantum sacra peragere obstringitur.

Vestitū prope laicorū habet, extra piretū paruū, & rotundum, quo rasuram tegunt, pileum amplum contra calorem & imbres super imponentes: aut pileo oblongo ex castorum pilis, colore grisco vtuntur. Omnes, baculos quibus innituntur, deferunt, Possoch dictos.

Monasteriis præsunt, vt diximus, 'Abbates & Priores: quorum hos Igumenos, illos vero Archimandritas vocant. Habent seueriſſimas leges ac regulas: quæ tamen sensum labefactatæ iacent. Nullo solatii genere vti audent. Cithara, aut aliud Musices instrumentum, si apud aliquem repertum fuerit, grauissime punitur. Carne perpetuo abstinent. Omnes, non solum Principis mandato, sed & singulis Boiaronibus à Principe missis parent. Interfui, cum prouisor meus à Priore quodam rem certam peteret; quam cum continuo non dedisset, verbera minabatur: quo audito, è vestigio rem petitam attulit. Sunt plures, qui ex Monasterio in Heremum se conferunt, ibique tuguriola faciunt, quæ aut soli, aut cum sociis incolunt: victum ex terra & arboribus quærunt, nimirum radices, & alios arborum fructus. Hi autem Slopniki appellantur. Slop enim columna dicitur. Domunculas autem angustas, & in altum erectas columnis sustinent.

Metropolita, Episcopi & Archiepiscopi, quamuis carnibus perpetuo abstinent: tamen cum inuitant hospites laicos, aut Sacerdotes, eo tempore quo carnibus vescuntur, habent hanc prærogatiuam, vt carnes illis in suo conuiuio apponant: quod Abbatibus & Prioribus prohibitum est.

Mitras Archiepiscopi, Episcopi & Abbates nigras & rotundas ferunt: solus autem Episcopus Nouogardiensis albam bicornem fert more nostro.

Vestes quotidianæ Episcoporum sunt, sicut aliorum Monachorum: nisi quod aliquando sericeas ferunt, & præsertim pallium nigrum, quod habet à pectore in vtramque partem tres fimbrias albas, inflexas instar riuuli fluentes: in significationem, quod ex corde & ore illorum fluunt riuuli doctrinæ fidei, & bonorum exemplorum. Hi ferunt baculum quo innituntur, quem gentiliter Pessoch appellant, in modum crucis. Episcopus Nouogardiensis album fert pallium. Cæterum Episcopi duntaxat circa res diuinas, ac ipsam religionem pie procurandam ac promouendam sunt occupati: rem autem familiarem, & alia publica negotia, officialibus administranda committunt.

Habent in Catalogo certos Romanos Pontifices, quos inter Sanctos venerantur: alios vero qui post illud schisma fuerunt execrantur, quasi qui ab Apostolorum, Sanctorumque Patrum, & septem Conciliorum ordinationibus decesserint, & tamquam hæreticos & schismaticos appellant: eosdemque maiori odio prosequuntur, quam ipsos Mahumetanos. Dicunt enim, septimo Generali Concilio conclusum esse, vt ea quæ in præcedentibus constituta ac determinata erant, in posterum quoque firma rata & perpetua essent: nec vmquam posthac cuiquam licere aliud Concilium aut indicere, aut accedere, sub pœna anathematis, & hoc seueriſſime seruant. Erat quidem Metropolitanus Russiæ, qui adinstantiam Eugenii Papæ Synodum accesserat, vbi & Ecclesiæ erant vnitæ. reuersus in patriam capitur, omnibus bonis spoliatur, atque in carceres coniicitur, ex quibus tandem euasit.

Inter nos & illos diuersitatem fidei esse, licet ex literarum exemplo cognoscere, quas Ioannes Metropolita Russiæ ad Archiepiscopum, vt ipsi dicunt, Romanum dederat, vt sequitur:

Dilexi decorem tuum Domine ac pater beatissime, Apostolica Sede ac vocatione dignissime, qui ex remotis respicis ad humilitatem & paupertatem nostram, & alis dilectionis foues nos, & salutas nos sicut tuos ex charitate, & interrogas specialiter de nostra fide vera & orthodoxa: de qua etiam audiens, vt nobis Beatitudinis tuæ Episcopus retulit, admiratus es. Et quia tantus es, & talis Sacerdos, propterea ego pauper saluto te, honorando caput tuūm, & deosculando manus tuas & brachia. Sis lætus, & à suprema Dei manu protectus, & det Dominus Omnipotens tibi, tuis spiritualibus & nobis, ordinem bonum. Nescio vnde exortæ sunt hæreses, de vera salutis & redemptionis via: & mirari satis non possum, quis diabolorum tam malus & inuidus, tam veritati inimicus, ac mutuæ beneuolentiæ aduersarius fuerit, qui fraternam nostram charitatem à tota Christiana congregatione alienauit, dicens, nos non esse Christianos. Nos profecto, Christianos vos ex Dei benedictione ab initio cognouimus, licet in omnibus fidem Christianam non seruetis, & in multis diuersi sitis: id quod ex septem magnis Synodis ostendam, in quibus fides Orthodoxa & Christiana instituta est, ac prorsus confirmata, in quibus etiam tanquam septem columnis sapientia Dei domum sibi ædificauit. In his præterea septem Synodis, omnes Papæ digni sunt habiti cathedra S. Petri, quia nobiscum sentiebant. In prima autem Synodo erat Syluester Papa, in secunda Damasus, in tertia Cœlestinus, in quarta beatissimus Papa Leo, in quinta Vigilius, in sexta Oaphanius, vir honorandus, & in sacris scripturis doctus: in septima S. Papa Adrianus, qui misit primum PETRVM Episcopum & Abbatem Monasterii Sanctæ Sabæ. vnde postea exortæ sunt dissensiones inter nos & vos, quæ pullularunt præcipue in antiqua Roma. Sunt profecto mala multa, quæ a vobis contra leges diuinas ac statuta committuntur, de quibus pauca ad charitatem tuam scribemus.

Primum de ieiunio Sabbathi, contra legem obseruato.

Secundo de ieiunio magno, in quo Septimanam abscinditis, & carnes comeditis, ac propter carnium voracitatem homines ad vos allicitis.

Item, qui Sacerdotes secundum legem ducunt vxores, illos vos reiicitis.

Item qui à presbyteris in baptismate inuncti sunt, illos vos iam denuo inungitis, dicentes, illa simplicibus Sacerdotibus facere non licere, sed solis Episcopis.

Item de azymis malis, quæ manifeste Iudaicum seruitium seu cultum indicant. & quod est caput omnium malorum, vt quæ confirmata sunt per S. Synodos, ea vos cœpistis permutare & peruertere, dicentes de spiritu Sancto, quod non tantum à Patre, sed & à Filio procedat: & multa alia maiora. de quibus tua Beatitudo ad Patriarcham Constantinopolitanum, fratrem suum spiritualem referre, & omnem diligentiā adhibere deberet, vt aliquando tollerentur isti errores, & vt vnanimes essemus in concordia spirituali, sicut dicit S. Paulus informans nos: Oro vos fratres propter nomen Domini Iesu Christi, vt idem sentiatis & dicatis, & non sit inter vos dissensio, & sitis in eodem intellectu fortificati, & in eadem cogitatione. De istis sex excessibus, quantum potuimus ad vos scripsimus: deinceps & de aliis scribemus charitati tuæ. Si enim ita res se habet, sicut audiuimus, agnosces ipse nobiscum, transgredi per vos Canones Sanctorum Apostolorum, & instituta magnorum septem Synodorum, in quibus erant omnes vestri primi Patriarchæ, & concorditer dicebant, quod verbum vestrum esset vanum. Et quod manifeste erretis, nunc palam redarguam. In primis de ieiunio Sabbathi, videtis quæ de isto S. Apostoli docuerunt, quorum doctrinam habetis & maxime Beatus Papa Clemens, primus post Sanctum Petrum Apostolum, ita scribit ex statutis Apostolorum, vt est in Canone LXIIII. de Sabbatho dicens: Si Ecclesiasticus inuentus fuerit, qui die Dominico vel Sabbatho ieiunaret, præter Sabbathum magnum, degradetur: Si autem secularis homo fuerit, excommunicetur, & ab Ecclesia segungatur.

Secundum erat de ieiunio, quod vos corrumpitis. Est Iacobitarum & Armeniorum hæresis, qui lacte & ouis in Sancto ieiunio magno vtuntur. Quis enim verus Christianus audet ita facere & cogitare? Legite Canones sextæ magnæ Synodi, in qua Oaphanius Papa vester ea prohibet. Nos profecto, cum rescie-

ramus,

ramus, in Armenia, & aliis quibusdam locis, ouis & caſco in magno ieiunio veſci, noſtris illico mandauimus vt ab eiuſmodi cibo atque omni imolo dæmoniorum abſtinerent: à quibus ſi quis non abſtineret, ab Eccleſia ſepararetur: ſi Sacerdos, à Sacris ſuſpenderetur. Tertius præterea maximus eſt error & peccatum, de coniugio Sacerdotum, quod ab illis qui vxores habent, ſumere corpus Domini renuitis: cum Sancta Synodus quæ fuit in Gangen, ſcribat in quarto Canone: Qui ſpernit Sacerdotem, ſecundum legem vxorem habentem, & dicit, quod non liceat ex manibus eius accipere Sacramentum, ſit anathema. Item Synodus dicit: Omnis Diaconus, vel Sacerdos dimittens propriam vxorem, priuetur Sacerdotio. Quartum peccatum erat inunctio, ſeu confirmatio. Nonne vbique dicitur in ſynodis: Confiteor vnum baptiſma in remiſſionem peccatorum? Si ergo eſt vnum baptiſma, erit & vnum chriſma, virtus eadem tam Epiſcopi quam Sacerdotis. Quintus eſt error de azymis: qui quidem error eſt principium & radix totius hæreſis, ſicut demonſtrabo. & quamquam neceſſe eſſet huc multas adducere ſcripturas, tamen id alias faciam, & in præſentiarum hoc tantum dicam: Quia azymi à Iudæis fiunt in memoriam liberationis eorum, & fugæ ex Ægypto: nos autem ſemel Chriſtiani ſumus: numquam in labore Ægyptiorum fuimus: & huiuſmodi Iudæorum de Sabbatho, azymis & circumciſione obſeruationes, nobis omittendas eſſe mandatum eſt. Et ſi aliquis ſequatur vnum ex illis, ſicut dicit Sanctus Paulus, tenetur totam legem implere. Deinde eodem Apoſtolo dicente: Fratres, ego accepi à Domino quod & tradidi vobis: quia Dominus in qua nocte tradebatur, accepit panem, benedixit, ſanctificauit, fregit & dedit ſanctis diſcipulis, dicens, Accipite, & manducate, &c. Conſidera quid dico. non dixit: Dominus accipiens azyma, ſed panem. quod illo tempore nec azymi erant, nec Paſcha fiebat, nec Dominus tunc comedebat Paſcha Iudæorum, vt daret azyma Apoſtolis. probabile eſt per hoc, quod Iudæorum Paſcha ſtando fit & comeditur: quod in Chriſti cæna non fiebat, vt ſcriptura dicit, Recumbentibus eis cum duodecim. item, & diſcipulus recubuit ſuper pectus ipſius in cœna. nam quod ipſe dixit: Deſiderio deſideraui hoc Paſcha manducare vobiſcum, Iudæorum Paſcha non intelligit, quod ante ſemper comedebat cum ipſis. Neque cum dicit, Hoc facite in meam commemorationem, neceſſitatem faciendi, tamquam Iudæorum Paſcha eſſet, imponit: neque azyma illis, ſed panem dat, cum dicit: Ecce panis quem ego do vobis. Similiter ad Iudam: Cui ego dabo panem intingens in ſal, ipſe eſt traditurus me. Si autem dicitis iſtam rationem, quia nos celebramus in azymis, quia nulla eſt terreſtreitas vel commixtio in diuinis, cur diuinitatis obliti eſtis, & ſequimini ritum Iudæorum, ambulantes in hæreſi ipſius Iuliani, Mahumeti, & Apollinaris Laodicenſis, & Pauli Syrii Samoſatenſis, & Eutychii, & Diaſcorii aliorumq; qui erant in ſexta Synodo depraua-tiſſimi hæretici, diabolicoque ſpiritu repleti? Sextus denique error eſt de Spiritu Sancto. Quomodo enim dicitis, Credo in Deũ patrem, & Filium & Spiritum Sanctum, qui à patre & filio procedit? Mirabile eſt profecto, & horrendum dictu, quod audeatis fidem peruertere: cum ab initio per vniuerſum orbem, in omnibus Chriſtianorum Eccleſiis conſtanter canatur: Credo in Spiritum Sanctum, & Dominum viuificantem, & à patre procedentem, qui cum patre & filio ſimul adoratur, & conglorificatur. Quare igitur vos non dicitis, ſicut alii Chriſtiani omnes: ſed additiones ponitis, & nouam adducitis doctrinam? cum tamen Apoſtolus dicat: Si quis annunciauerit vobis, præter ea quæ vobis diximus, anathema ſit. Vtinam vos non incurratis iſtam maledictionem. Difficile eſt enim & horrendum, Dei Scripturam compoſitam per Sanctos, permutare & peruertere. Neſcitis quam maximus ſit error. Nam duas virtutes, duas voluntates, & duo principia de Sancto Spiritu adducitis, adimentes & paruifacientes eius honorem, & hæreſi Machidoniæ conformes eſtis: quod abſit. Oro & me inclino ad Sanctos pedes tuos, vt ab huiuſmodi erroribus qui inter vos ſunt ceſſes, & maxime ab azymis abſtineas. Volui etiam aliquid ſcribere, de ſuffocatis & immundis animalibus, & de monachis edentibus carnes. Sed de his poſtea, ſi Deus voluerit, ſcribam. Parce autem, propter maximam charitatem, quod de his rebus ad te ſcripſi. An autem ſunt facienda illa quæ fiunt, interroga Scripturas, & inuenies. Rogo te Domine, vt ſcribas ad Dominum noſtrum Patriarcham Conſtantinopolitanum, & ad ſanctos Metropolitas, qui verbum vitæ in ſe habent, & ſicut luminaria in mundo lucent. Fieri enim poteſt, vt Deus per illos ſuper huiuſmodi erroribus inquirat, emendet, & conſtituat. Deinde ſi tibi videbitur, mihi minimo inter alios omnes, reſcribas. Saluto te ego Metropolita Ruſſiæ, & alios omnes tibi ſubiectos clericos & laicos. Salutant etiam te mecum S. Epiſcopi, Monachi, & Reges, magni homines. Charitas Spiritus Sancti ſit tecum, & cum omnibus tuis: Amen.

Sequuntur Canones cuiuſdam Ioannis Metropolitæ, qui dicitur propheta, quos raptim vt potui adſequi, adiungere volui.

Pueri in neceſſitate abſque Sacerdote baptiſentur. Animalia, volucres, ab auibus vel feris laceratæ non comedantur. Qui vero comederint, aut in azymis celebrauerint, vel in Septuageſima carne vti fuerint, vel animantium ſanguinem vocauerint, corrigantur.

Aues, animalia ſuffocata non comedantur.

Rutheni cum Romanis in neceſſitate comedant, celebrent autem minime.

Rutheni omnes Romanos non recte baptizatos, quia in aquam toti non ſunt immerſi, ad veram fidem conuertant: quibus conuerſis, non ſtatim Euchariſtia, ſicut nec Tartaris, aliiſue à fide ſua diuerſis, porrigat.

Imagines antiquæ & tabulæ, ſuper quibus conſecrationes fiunt, non comburantur: ſed in hortis, aut alio honorifico loco, ne iniuria afficiantur, aut dedecore ſepeliantur.

Si in loco Sacro domum exædificaueris, locus vbi erat altare vacuus relinquatur.

Maritus Monaſterium ingreſſus, ſi eius vxor alteri nupſerit, in Sacerdotem conſecretur.

Principis filia, ei qui communione in azymis, & cibis vtitur immundis, non in matrimonium locetur.

Sacerdotes hyberno tempore, ex animalium quibus veſcuntur pellibus, femoralia ferant.

Non confeſſi, & aliena bona haud reddentes, ad communionem non admittantur.

Sacerdotes & monachi, nuptiis chorearum tempore non interſint.

Sacerdos, ſi ſciens perſonam iam tertio expetentem matrimonium coniunxerit, officio priuetur.

Mater filios baptiſari volens, ieiunare non valentes, pro illis ieiunet.

Si maritus relicta priore vxore alteram duxerit, vel vxor alteri nupſerit, ad communionem, niſi ad matrimonium redierit, non admittatur.

Nullus alienæ fidei vendatur.

Sciens cum Romanis comedens, orationibus mundis mundetur.

Vxor Sacerdotis ab infidelibus capta, redimatur: & in matrimonium, quia vim paſſa eſt, reaſſumatur.

Mercatores & peregrini ad Romanorum partes proficiſcentes, communione non priuentur; ſed ad eandem, iniunctis quibuſdam pro pœnitentis orationibus reconciliati, admittantur.

In Monaſterio conuiuia, aduocãdo mulieres nõ habeãtur.

Matrimonium non niſi publice, in Eccleſia contrahatur.

Sequuntur Quæſtiones Cyrilli cuiuſdam, ad Epiſcopum Niphonem Nouogardienſem.

Quid ſi homo poſt communionem, ex nimia cibi aut potus repletione euomuerit? Reſp. Quadraginta diebus iciunando pœniteat. Si non ob repletionem, verum ex nauſea, xx. diebus. Si vero alia leui ex cauſa, minus. Sacerdos tale quiddam committens, XL. diebus à diuinis & abſtineat, & ieiunet. ſin alia leui ex cauſa, per ſeptimanam ieiunet, quin medone & carne ac lacte abſtineat. Si autem tertia aut quarta poſt communionem die euomuerit, agat pœnitentiam.

Si aliquis Sacramentum euomuerit, centum & viginti diebus pœniteat. Si vero in infirmitate euomuerit, tribus diebus: vomitum vero igni comburat, & centum Pſalmos dicat. Si autem canis vomitum deuorarit, centum diebus ieiunet.

Si vaſa terrea, vel lignea immunda fuerint, quid faciendum? R. Orationibus mundis mundentur.

Quid pro anima defuncti faciendum? R. Det griffnam vnam pro quinque Miſſis, cum fumigationibus, panibus, & tritico cocto, quod dicitur Kuthia. Sacerdos vero habeat vinum proprium.

Quid ſi Monacho infirmo, Seraphica veſte induto, per ecto dies nihil dederim ad edendum? R. Bene factum, quia erat in Angelico ordine.

Quod ſi Latinus Ruthenico ritu initiari voluerit. R. Intret Eccleſiam noſtram VII. diebus: nouum illi imponatur nomen; ſingulis diebus quatuor orationes eo præſente dicantur deuote: abluat ſe deinde in balneo: ſeptem diebus carnibus & lactariis abſtineat; octaua die lotus ingrediatur Eccleſiam. Super quo quatuor illæ orationes dicentur, mundis veſtibus induatur; corona ſeu ſertum ſuper caput illi imponatur; chriſmate inungatur, cereus illi in manus detur: dum Miſſa peragitur, communicetur, proque nouo Chriſtiano habeatur.

An aues, piſces, vel alia terreſtria animalia, feſtis diebus interficere liceat? R. Die Dominico, quia dies feſtus eſt, homo in Eccleſiam eat; humanis vero neceſſitatibus exigentibus, occidantur.

An Sacramentum in hebdomada Palmarum conſecratum, per totum annum ſeruare liceat? R. Seruetur in vaſe mundo: Sacerdos vero id infirmo porrigens, parum vini addat.

An aquam vino addere liceat, communicando infirmum? R. Sufficit vinum tantum.

An infirmis dœmoniacis, & mente captis, liceat dare Sacramentum? R. Ora illorum tantum Sacramento tangantur.

An ſacerdoti habenti vxorem in puerperio, quemadmodum ſuper Laicorum ſit vxoribus, orationes dicere liceat? R. Non. Nam ea in Græcia non ſeruatur conſuetudo, niſi alius non inueniatur Sacerdos.

Quid in die exaltationis S. Crucis edendum? R. Monachi piſcibus non veſcantur: Laici vero eadem die deoſculantes S. Crucem, carnes edere poſſunt, niſi forte in diem Veneris aut Mercurij inciderit.

An Sacerdoti noctu cum vxore concumbenti, mane Eccleſiam ingredi licet? R. Lauet prius eam partem quæ ſub vmbilico eſt, Eccleſiam ingrediatur, Euangelium legat; ad altare vero accedere, vel celebrare prohibeatur.

Volens autem Sacerdos diebus Solis & Martis celebrare, poterit die Lunæ cum vxore concumbere, & ſic deinceps.

An vxorem non habenti, Euchariſtia porrigenda? R. Dummodo per integram Quadrageſimam cum nupta alterius, aut bruto non coierit.

An infantuli poſt baptiſmum communicandi? R. In templo, dum ſacra peraguntur, aut veſpertinæ preces cantantur, communicentur.

Quo cibi genere in ieiunio maiore vtendum? R. Dominicis & Sabbathis diebus, piſcibus, aliis vero Iſchri, hoc eſt piſcium inteſtinis.

In maiori hebdomada, Monachi mel edant, & bibant Kuas, id eſt aquam acetoſam.

In conſecratione Kuthie, cerei, quot ſunt incendendi? R. Pro animabus duo, tres vero pro ſalute viuentis.

Kuthię quomodo conficienda? R. Sint tres partes tritici cocti, quarta vero de piſis, fabis, & cicere, pariter coctis; condiantur melle & Zaccharo: adhibeantur etiam, ſi habentur, alij fructus. Kuthia autem hac, peractis exequiis, in Eccleſia vtantur.

Quando Bulgard, Polouuczy, & Czudi baptiſandi? R. Si quadraginta diebus ante ieiunent, & orationes mundæ ſuper illos dicantur: Si vero Slauus fuerit, octo tantum diebus ieiunet. Baptiſans autem puerum, manicas bene ſuccingat, ne dum immergit puerum, de lauacro baptiſmatis in veſte aliquid remaneat. Puerpera quoq; à partu quadraginta diebus, templum non ingrediatur.

An mulier poſt menſtrua, communicanda? R. non communicetur, niſi prius ſit lota.

An liceat ingredi habitaculum puerperæ? R. In locum vbi mulier peperit, nemo ante triduum ingrediatur. Quemadmodum enim alia immunda vaſa diligenter lauanda; ita habitationem illam orationibus eſſe prius mundandam.

An poſt occaſum ſolis ſepeliendum? R. Occaſio iam Sole, nemo ſepeliatur. eſt enim hæc mortuorum corona, videre Solem antequam ſepeliantur. Plurimum autem meretur, qui oſſa mortuorum & antiquas imagines condit.

An liceat marito, circa feſtum Paſchę ſumere Euchariſtiam? R. Si cum vxore per Quadrageſimam non concubuerit. Item, qui dentibus die Paſchæ ouum attigerit, aut ex cuius gingiua ſanguis manauerit, eadem die à communione abſtineat.

An liceat marito proxima poſt communionem nocte cum vxore concumbere? R. Licet diebus tamen Veneris, Sabbathi, & Dominico exceptis. Si deprauati ingenij conceperit puerum vxor, parentes pœniteant. Si autem nobiles & magni nominis fuerint parentes, dent certas griffnas Sacerdoti, vt pro eis oret.

Si forte lacerata papyrus, quæ aliquid ſacrarum litterarum continebat, in terram proiecta fuerit, an eodem loco deambulare liceat? R. Non.

An liceat lacte alicuius vaccæ, eodem die quo vitulum edidit, vti. R. quod non; quia eſt ſanguine mixtum; poſt biduum autem licebit.

Quando poteſt aliquis à ſacris ſuſpendi? R. Sacerdos tempore ieiunij fœminæ alicuius amore flagrans, inque os eius linguam inſertans, ſemen denique genitale libidine inflammatus ſpargens, à diuinis per integrum annum abſtineat. Si vero ante ſacerdotium tale quid commiſerit, in Sacerdotem non conſecretur. Laicus vero eiuſmodi peccata ac flagitia deſignans, eo anno non communicetur.

An ſit initiandus ſacris is, ex quo aliqua vno dumtaxat cõcubitu cõcepit? R. Raro concipiunt ex primo coitu. decies autem ſi congreſſus fuerit, non conſecretur. Præterea qui virgini ſtuprum intulit, aut vxorem ſuam vitiatam primo concubitu animaduerterit, in Sacerdotem pariter non conſecretur.

Diuortium celebrans, quomodo pœnitebit? R. Perpetuo ab Euchariſtia, niſi iam iam animam agens, abſtineat.

Licebitne cuipiam in vita, pro animæ ſuæ ſalute exequias mortuorum obire? R. Licet.

An coniunx coniugem, in perficienda pœnitentia iuuare poteſt? R. Non poteſt, tamquam frater fratrem.

An Sacerdos ea die qua mortuum ſepeliuit, & deoſculatus eſt, obire ſacra debeat? R. Non debet.

An puerpera deploratæ valetudinis, communicari debet? R. Dummodo ex eo loco vbi enixa eſt aſportata fuerit, atque lota.

An liceat rem habere cum vxore eo loci, vbi ſunt imagines Sanctorum? Reſp. Accedens ad vxorem, nonne deponis crucem de collo? ſimiliter nec in habitatione coram imaginibus, niſi bene recluſæ & opertæ fuerint, coire licebit.

An liceat illico à prandio, vel cœna, antequam dormias, in templo orare? R. Vtrum melius, dormire, an orare?

Poteſtne Sacerdos ſine Sacerdotali habitu accedere ægrotum, eiq; porrigere Sacramentum? R. Poteſt.

Quomodo ducendæ vxores? Volens vxorem ducere, quadraginta, aut minus octo diebus, ſe ab aliis mulieribus contineat.

An mulieri quæ facit abortum, pœnitendum? R. Mulier, non caſu aliquo, ſed temulenta, faciens abortum, pœniteat.

Item, quæ viro ſuo aquam qua ipſa ſe lauit, ad bibendum, vt ſe amet, dederit, ſex hebdomadis ieiunet.

An carne & lacte eius vaccæ, qua cum homo miſcuit corpus vtendum? R. Omnes, præter exceſſorem, vti poſſunt.

An mulier conſilio vetularum, quo concipiat, vtatur? R. Mulieres, antiquarum vetularum conſilio, herbis, vt concipiant, vtentes, & non potius Sacerdotes qui eos orationibus ſuis iuuent accedentes, ſex hebdomadis pœniteant, atque Sacerdoti tres griffnas numerent. Grauidam autem te-

mulentus si læserit, ita vt aborsum faciat, medio anno pœniteat. Obstetrices quoque octo diebus ab æde sacra abstineant, dum orationibus mundentur.

BAPTISMVS.

Baptisantur hoc modo. Nato infante, mox accersitus Sacerdos, ante ianuam habitationis in qua est puerpera certas stando recitat orationes, pueroque nomen imponit. Deinde quadragesimo communiter die, nisi forte puer ægrotet, defertur in templum, & baptizatur, ac ter in aquam totus immergitur: alioqui baptizatum non crederent. Mox inungitur chrismate, quod consecratum est in hebdomada magna; inungitur denique myrrha, vt ipsi dicunt. Aqua vero baptismatis singulis infantibus consecratur, & continuo post baptismum extra templi portam effunditur. Semper in templo baptisantur infantes, nisi longinquitas loci nimia, aut frigus puero obesse queat; vmquam aqua tepida, nisi pueris infirmis, vtuntur. Susceptores ex voluntate parentum assumuntur: & quoties præeunte certis verbis Sacerdote, Diabolo renunciant, toties in terram expuunt. Sacerdos etiam infanti capillos abscindit, eosq; ceræ etiam intricat, & in templo loco certo reponit. Non adhibent Sal, neq; saliuam cum puluere.

Sequitur bulla Alexandri Papæ Sexti, ex qua Baptismus Ruthenorum abunde constat.

Alexander Episcopus, seruus seruorum Dei. Ad perpetuam rei memoriam.

Altitudo diuini consilij, quod humana ratio nequit comprehendere, ex suæ immensæ bonitatis essentia, aliud semper ad salutem humani generis pullulans, tempore congruo, secreto mysterio quod ipse Deus nouit opportuno, producit & manifestat: vt cognoscant homines, ex suis meritis, tamquam ab ipsis, nihil proficere posse, sed eorum salutem, & omne donum gratiæ ab ipso summo Deo & patre luminum prouenire. Sane non sine grandi & speciali mentis nostræ lætitia accepimus, quod nonnulli Rutheni in Ducatu Lithuaniæ, & alij ritu Græco viuentes, fidem tamen Christianam alias profitentes, qui Vilnensem ac Chiouiensem, Lutzeorientem & Medniccnsem ciuitates & diœceses, ac alia loca eiusdem Ducatus inhabitant, sancto Spiritu cooperante illustrati, nonnullos errores, quos hactenus, ritu & more Græcorum viuentes, obseruarunt, penitus ab eorum mentibus & cordibus abdicare, & vnitatem fidei Catholicæ, & Latinæ Romanæ Ecclesiæ amplecti, & secundum ritum eiusdem Latinæ & Romanæ Ecclesiæ viuere desiderãt & proponunt. Sed quia more Græcorum, scilicet in tertia persona baptizati fuerunt, & nonnulli asserunt eos de nouo baptisari debere; sed prædicti qui ritu Græco hactenus vixerunt, & adhuc viuunt, tamquam antea ritè baptisati, renuunt & recusant de nouo baptisma suscipere. Nos igitur, qui ex comisso nobis desuper, licet insufficientibus meritis, officio Pastorali, cupimus singulas oues nobis commissas ad verum ouile Christi perducere, vt fiet ex illis vnus pastor & vnum ouile; & ne sancta Catholica Ecclesia, diuersa & diformia membra à capite discrepantia, sed conformia habeat; attendentes quod per felicis recordationis Eugenium Papam Quartum prædecessorem nostrum, in Concilio per eum Florentiæ celebrato, & in quo Græci atq; Armeni, vna cum Romana Ecclesia sentientes interfuerunt, definitum fuit, formam huius Sacramenti Baptismatis existere: Ego te baptizo in nomine patris & filij & Spiritus sancti Amen; ac etiam per illa verba, Baptizetur talis seruus Iesu Christi, in nomine patris & filij & Spiritus sancti Amen; ac etiam per illa verba, Baptizatur manibus meis talis, in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti, verum perfici baptisma, quoniam eius principalis causa, ex qua baptisma virtutem habet, sit sancta Trinitas, instrumentalis autem sit minister, qui tradit exterius Saaramentum. Si exponitur actus qui per ipsum exercetur ministerium, eius Sanctæ Trinitatis inuocatione efficitur Sacramentum: & propterea huiusmodi Sacramenti; sic in tertia persona collati; reiterationem necessariam non existere: habita etiam super hoc cum Fratribus nostris deliberatione matura, auctoritate Apostolica, nobis & aliis Romanis Pontificibus ab ipso Iesu Domino nostro per Beatum Petrum (cui, & successoribus eius Apostolatus ministerij dispensationem commisit) tradita, tenore præsentium decernimus atq; declaramus, omnes & singulos sic in tertia persona baptizatos, volentes à ritu Græco ad ritum & morem Latinæ & Sanctæ Romanæ Ecclesiæ venire, simpliciter, & sine alia contradictione, aut etiam obligatione, vel coactione, quod iterum rebaptisentur; etiam cum intentione, quod alias ritus per Orientales Ecclesias seruari soliti, hæreticam prauitatem non concernentes obseruari possint; facta prius tamen per eos omnium errorum, rituum Græcorum, à Latina & Romana Ecclesia, & illius ritu ac sanctis institutionibus deuiantium, abiuratione, admittendos fore. exhortantes etiam per viscera misericordiæ Dei nostri, omnes & singulos qui prædicto modo baptizati sunt, & ritu Græco viuunt, vt abnegata omnium errorum, quæ secundum morem & ritum Græcorum hactenus obseruarunt, quique ab immaculata & sancta Catholica, Latina & Romana Ecclesia, & illius Sanctorum Patrum institutionibus approbatis deuenient, velint eidem Catholicæ Ecclesiæ, illiusq; salubribus documentis, pro animarum suarum salute, & veri Dei cognitione adhærere, & ne eorum sanctum propositum à quouis retardari possit, modo Venerabili fratri nostro Episcopo Vilnensi, in virtute sanctæ obedientiæ committimus & mandamus, quatenus omnes & singulos sic baptizatos, & ad vnitatem Latinæ Ecclesiæ venire, & errores prædictos abiurare volentes, ad præfatæ Latinæ Ecclesiæ vnitatem, errorum huiusmodi abiurationem, per se vel per alium, seu etiam alios seculares prælatos Ecclesiasticos, seu Prædicatores, aut Minorum Ordinum Regularis obseruantiæ professores doctos & probos, ac alios idoneos, quibus id duxerit committendum, recipiat & admittat: ac tam sibi, quam illi, aut illis, cui vel quibus, quoties expedierit, id duxerit committendum, singulos præfatos sic venientes, ab excessibus, propter obseruationem huiusmodi errorum, ac hæretica prauitate inde proueniente, necnon excommunicationis sententia, aliisq; censuris & pœnis Ecclesiasticis, quas quomodolibet propter ea incurrerint, dicta Apostolica authoritate absoluendi, ac eis pro modo culpæ pœnitentiam salutarem iniungendi, aliaq; in præmissis necessaria faciendi, plenam & liberam licentiam, & facultatem concedimus per præsentes. Verum quia forsan difficile foret, præsentes nostras literas ad singula loca, vbi opus fuerit, deferre; volumus, & eadem authoritate Apostolica decernimus, quod earumdem literarum transsumpto, manu alicuius notarij publici subscripto, & sigillo præfati Vilnensis, seu alterius alicuius Episcopi, vel prælati Ecclesiastici munito, eadem fides prorsus adhibeatur in iudicio & extra, & alias vbilibet, vbi fuerit exhibitum vel ostensum, sicut ipsis literis originalibus adhiberetur, si forent exhibitæ vel ostensæ, non obstantibus constitutionibus & ordinationibus Apostolicis, cæteris q; contrariis quibuscumq;. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ Constitutionis, declarationis, exhortationis, commissionis, mandati, concessionis, voluntatis, & decreti infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri & Pauli Apostolorum eius, se nouerit incursurum. Datum Romæ apud S. Petrum. Anno Incarnationis Dominicæ M. D. I. XVII. Cal. Septembr. Pontif. nostri anno Nono.

CONFESSIO.

Confessionem quamuis ex constitutione habent, vulgus tamen eam Principum opus esse, & præcipue ad nobiles Dominos & præstantiores viros pertinere existimat. Confitentur circa Paschatis festum, magna cordis contritione ac veneratione. Stat confessor vna cum confitente in medio templo, vultu conuerso ad imaginem quandam ad hoc constitutam. Finita dein confessione, pœnitentiaque iuxta delicti qualitatem iniuncta, ante ipsam imaginem subinde sese inclinant, signoque crucis frontem pectusque signant: magno denique gemitu clamant, Iesu Christe fili Dei, miserere nostri. Nam hæc communis illorum est oratio. Quibusdam pro pœnitentia ieiunia, nonnullis certæ quædam precationes (Dominicam enim orationem perpauci sciunt) iniunguntur: quosdam qui grauius aliquid commiserint, aqua abluunt. Ex profluente etenim aquam in Epiphania Domini hauriũt, eamque consecratam per totum annum in templo, pro mundandis & abluendis grauioribus peccatis seruant. Item peccatum

tum die Sabbatho commissum, leuius iudicant, minusq; pœnitentiæ pro eo iniungunt. Sunt complures & leuissimæ causæ, propter quas in templũ non admittuntur: solent tamẽ exclusi plerumq; portis & fenestris templi astare, atq; inde non minus videre & audire sacra, quam si in templo fuissent. Is qui concubuerit cum vxore sua, & post constitutum tempus se non abluerit, ea die ingredi templum non audet.

COMMVNIO.

Communicant sub vtraq; specie, miscentes panem vino, seu corpus sanguine. Sumit sacerdos cochleari ex calice portiunculam, porrigitq; communicanti. Quotiescumq; aliquis in anno voluerit, modo confessus fuerit, sumere corpus Domini potest: alioqui tempus constitutum ad festum Paschatis habent. Pueris septem annorum porrigunt Sacramentum; dicuntque, tunc hominem peccare. Si puer infirmus fuerit, aut forte animam agere cœperit, vt de pane sumere non possit, infunditur ei gutta ex calice. Sacramentum ad communicandum, non nisi dum sacrum fit, consecratur: pro infirmis autem consecratur die Iouis in maiori hebdomada, & conseruatur per totum annum. Cæterum cum fuerit necesse, accipit inde portiunculam quam vino imponit, & bene humectatam porrigit ægroto, deinde parum aquæ tepidæ addit.

RITVS.

Nullus Monachorum, nec Sacerdotum, horas Canonicat, vt vocant, orat, nisi habeat imaginem præsentem, quam etiam nemo, nisi magna veneratione attingit. Qui eam autem in publicum profert, manu eam in altum tulit, quam omnes prætereuntes, aperto capite, cruce se signantes, inclinando, plurimum venerantur. Libros Euangelij non nisi in locis honestis, tamquam rem sacram reponunt; neque manibus tangunt, nisi prius cruce se munierint, & capite aperto inclinatoque honorem exhibuerint: postea, summa cum veneratione in manus sumunt. Panem quoque, postquam verbis consuetis more nostro consecratus fuerit, circumlatum per Ecclesiam, concæptis verbis venerantur & adorant. In singulis ædibus & habitationibus habent imagines sanctorum, pictas, aut fusas, loco honorificentiore, & cum alius alium accedit, ingressus habitaculum, continuo caput aperit, ac vbi imago sit circumspicit: qua visa, ter se crucis signo munit, caputque inclinans inquit: Domine miserere. Deinde salutat hospitem his verbis; Deus det sanitatem. Mox porrectis manibus deosculantur se mutuo, capitaque inclinant. Deinde continuo alter alterum intuetur, vtrum nimirum se magis inclinaret, demitteretque: atque ita ter quaterque alternatim caput inclinantes, honoremq; mutuo exhibentes, quodammodo concertant. Post sedent, negotioque suo confecto, hospes recta in medium habitaculi procedit, facie ad imaginem conuersa; rursusque ter signo se crucis munit, prioraq; verba inclinato capite repetit. Postrema data acceptaque prioribus verbis salute, abit.

FESTI DIES.

Festos dies viri præstantiores, peractis sacris epulis, ebrietate & vestitu eieganti venerantur: vulgus, domestici ac serui plerumq; laborant, dicentes, feriari & à labore abstinere dominorum esse. Ciues & Mechanici diuinis intersunt; quibus peractis, redeunt ad laborem; sanctius putantes labori incumbere, quam bibendo ludendo, & id genus rebus, substantiam & tempus inaniter perdere. Nam vulgo & plebi cereuisiæ & medonis potus prohibitus est; quibusdam tamen solennioribus diebus, vtputa Natalis Domini, feriis Paschæ, Pentecostes, & aliis quibusdam potare illis permissum est: quibus sane non propter diuinum cultum, sed potum potius, à labore abstinent.

Trinitatis festum celebrant die Lunæ, in feriis Pentecostes. In octaua vero Pentecostes, festum omnium Sanctorum. Diem autem corporis Christi, more nostro non venerantur.

Iurando ac blasphemando, raro nomen Dei vsurpant. Cum autem iurant, per osculum crucis dicta vel promissa firmant. Blasphemiæ eorum, Hungarorum more, communes sunt, Canis matrem tuam subagitet &c.

Quoties se signo crucis, id nam dextera sic faciunt, vt frontem primum, deinde pectus, mox dextram, ac demum sinistram partem punctim in formam crucis tangant. Quod si quis aliter ducat manum, eum non pro domestico fidei suæ, sed pro alieno habent: sicut me huius ceremoniæ ignarum, ac aliter ducentem manum, hoc nomine notatum & obiurgatum esse memini.

PVRGATORIVM.

Purgatorium nullum credunt; sed dicunt, vnicuique vita defuncto, secundum meritum suum esse locum; piis quidem lucidum, cum Angelis placidis: impiis autem obscurum, & cæca caligine obductum, cum Angelis terribilibus destinatum esse, in quo extremum expectant iudicium. Ex loco & Angelis placidis cognoscunt animæ gratiam Dei, semperque petunt extremum iudicium: aliæ contra. Neq; animam à corpore separatam, pœnis obnoxiam esse putant. Nam cum anima in corpore se contaminauerit, cum corpore expiandam esse aiunt. Quod autem pro defunctis funebre sacrum faciunt, credunt, eo posse tolerabiliorem animabus exoriri ac impetrari locum, in quo facilius exspectare futurum iudicium queant. Aqua benedicta nemo se aspergit, nisi à Sacerdote aspergatur. Cœmiteria pro sepeliendis corporibus non consecrant. aiunt enim, corporibus inunctis & consecratis, terram ipsam, non corpora terra, consecrari.

DIVORVM CVLTVS.

Nicolaum Barensem inter Sanctos inprimis venerantur, deq; eius plurimis miraculis quotidie prædicant, quorum vnicum, quod non ante multos annos contigit, adiungere placuit. Michael quidam Kysaletzki, vir magnus & strenuus, in quodam conflictu Tartarico, quendam magni nominis Tartarum fugientem est persecutus: quem cum citato equi cursu assequi non posset, Nicolae, inquit, perdue me ad hunc canem. Tartarus hæc audiens, territus exclamat; Nicolae, si hic tuo auxilio me assequetur, nullum miraculum facies: Si vero me alienum à fide tua, ab illius persecutione incolumem seruaueris, tum magnum erit nomen tuum. aiunt Michaelis equum restitisse, Tartarum que elapsum. Tartarum quoque deinceps Nicolao, ob incolumitatem suam, in singulos vitæ suæ annos, certas mensuras mellis obtulisse; totidemque mensuras Michaeli pariter in memoriam liberationis suæ, adiuncta etiam honoraria veste ex pellibus Madauricis, misisse.

IEIVNIVM.

Ieiunant in Quadragesima septem perpetuas septimanas. Prima lactariis vtuntur, quam Syrna, quasi caseacea, appellant: sequentibus vero septimanis omnes (extra peregrinantes) etiam piscibus abstinent. Sunt qui diebus Dominicis & Sabbatho cibum sumunt, reliquis diebus ab omni cibo abstinent. Sunt item qui diebus Solis, Martis, Iouis & Saturni cibum sumunt, reliquis tribus quoque abstineant. Reperiuntur etiam plurimi, qui diebus Lunæ, Mercurij & Veneris, panis frusto cum aqua sumpto contenti sunt. Reliqua per annum ieiunia non ita stricte obseruant. Ieiunant autem post octauam Pentecostes, quæ illis est dies omnium sanctorum, vsque ad feriam Petri & Pauli: & dicitur ieiunium Petri. Deinde habent ieiunium Diuæ Virginis, à prima Augusti vsque ad Assumptionem B. Mariæ. Item ieiunium Philippi, sex septimanis in aduentu Domini. & dicitur Philippi, quod ad initium eius ieiunij contingit festum Philippi, secundum eorum Calendarium. Si deniq; festum Petri & Pauli, item Assumptionis inciderit in diem Mercurij aut Veneris, tum nec ea die carnibus vescuntur. Nullius sancti vigiliam ieiunio venerantur, præter decollationem S. Ioannis, quam XXIX. Augusti quotannis obseruant. Si denique in maiori ieiunio Quadragesimæ aliquis solennis dies, vt Annunciationis B. Mariæ inciderit, eo piscibus vtuntur. Monachis autem multo grauiora & molestiora ieiunia imposita sunt, quos Kuuas, hoc est potu acetoso, & aqua cum fermento mixta, contentos esse oportet. Sacerdotibus quoque aqua mulsa & cereuisia eo tempore sunt prohibita: licet nunc o-

mnes leges ac ſtatuta diffluant, vitienturque. Porro extra tempus ieiunij, die Sabbatho veſcuntur carnibus, Mercurij vero abſtinent.

DOCTORES.

Doctores quos ſequuntur, ſunt; Baſilius Magnus, Gregorius, & Ioannes Chryſoſtomus, quem dicunt Slatauſta, id eſt aureum os. Concionatoribus carent. Satis eſſe putant, interfuiſſe ſacris, ac Euangelij, Epiſtolarum, aliorumq; Doctorum verba, quæ vernacula lingua recitat Sacerdos, audiuiſſe: ad hoc, quod varias opiniones ac hæreſes, quæ ex concionibus plerumque oriuntur, ſeſe effugere credunt. Feſtos dies proximæ ſeptimanæ die Dominico annunciant, publicamque confeſſionem recitant. Principem porro ipſum quicquid credere aut opinari vident, id rectum, omnibuſque ſequendum eſſe ſtatuunt. Accepimus Moſcouiæ, Patriarcham Conſtantinopolitanum ad petitionem ipſius Moſci, miſiſſe quemdam Monachum Maximilianum nomine, vt omnes libros, Canones, & ſingula ſtatuta ad fidem pertinentia, in ordinem recto iudicio redigeret. Quod cum feciſſet, multisq; & grauiſſimis erroribus animaduerſis, coram principe pronunciaſſet, eum plane eſſe ſchiſmaticum, qui Romanum aut Græcum non ſequatur ritum; hæc inquam vbi dixiſſet, non multo poſt (& ſi eum ſumma proſequeretur Princeps beneuolentia) dicitur euanuiſſe, ac multorum opinione ſubmerſum eſſe. Agebatur tertius annus, dum nos Moſcouiæ eſſemus, quando Marcus Græcus mercator quidam ex Capha, hoc idem dixiſſe ferebatur; captumque pariter (licet pro eo tum Turcarum Orator improbis quodammodo precibus intercederet) ſublatum è medio fuiſſe. Georgius Græcus cognomento Paruus, Theſaurarius, Cancellarius, ſupremuſq; conſiliarius Principis, cum eandem cauſam quoque foueret, defenderetque, ab omnibus continuo officiis remotus, gratiaque Principis deciderat. Sed enim eius opera carere Princeps cum haudquaquam poſſet, rurſus in gratiam receptus, ſed diuerſo erat officio præfectus. Fuit enim vir ſingulari doctrina, & multarum rerum experientia præditus, qui eum matre Principis in Moſcouiam venerat: quem tantopere Princeps venerabatur, vt ægrotum ſemel cum ad ſe vocaſſet, primi nominis aliquot ſuis conſiliariis demandauerat, vt eum in vehiculo ſedentem in ſuam habitationem vſq; ferrent. Sed cũ in aulam eſſet aduectus, ac tot tamq; altis gradibus portari ſe recuſaret, depoſitusque vehiculo, paulatim ad Principem aſcenderet, hunc Princeps cum forte videret, ſtomachari grauiter cæpit, inque lectica collocatum ad ſe deferri iuſſit, tandem communicatis cum eo conſiliis, negotioq; confecto, in lectica virum per gradus deferri iuſſit, ſemperq; deinceps ſurſum ac deorſum portandum mandauit.

RELIGIOSI.

Religioſorum præcipua cura exiſtit, vt quoslibet homines ad fidem ſuam perducant. Monachi heremitæ bonam iam olim idololatrarum partem, die multumque apud illos verbum Dei ſeminantes, ad fidem Chriſti pertraxerunt. Proficiſcuntur etiamnum ad varias regiones ſeptentrionem verſus & Orientem ſitas, quo nonniſi maximis laboribus, famæ ac vitæ periculo perueniunt; neque inde aliquid commodi ſperant, nec petunt; quin hoc vnicum ſpectant, vt rem gratam Deo facere, & animas multorum deuio errore ſeductas (morte aliquando doctrinam Chriſti confirmantes) in viam rectam reuocare, ac eos Chriſto lucrifacere queant.

Eſt etiam in Moſcouia præcipuum Monaſterium S. Trinitatis, quod XII. miliaribus Ger. Occidentem verſus à Moſcouia ciuitate diſtat, vbi S. Sergius ſepultus multa miracula edere dicitur, admirabilique gentium ac populorum concurſu pietateque celebratur. Eo Princeps ipſe ſæpe, vulgus vero quotannis certis diebus confluit, monaſteriique liberalitate alitur. Perhibetur olla cuprea ibi eſſe, in qua certi cibi, & vt plurimum olus coquitur. Fit autem, vt ſiue pauci, ſiue multi eo venerint, ſemper tamen cibi tantum remaneat, quo eius Monaſterij familia ſaturetur; adeo vt nihil vnquam deſit, neque ſuperfluat.

Gloriantur Moſci, ſe ſolos vere Chriſtianos eſſe; nos vero damnant tanquam deſertores primitiuæ Eccleſiæ, & veterum ſanctarum Conſtitutionum. Quod ſi quis noſtræ religionis homo vltro ad Moſcos tranſit, aut etiam inuito domino ad eos profugit, quaſi diſcendæ & complectendæ religionis eorum cauſa, cum negant dimitti, aut etiam repetenti domino reddi oportere. Porro ad Moſcos raro confugere ſolent, niſi quibus alibi viuendi locus & ſecuritas non eſt.

DECIMÆ.

Vuolodimerus myſteriis viuifici lauacri, Anno 496. initiatus, decimas vna cum Leone Metropolita, de omnibus rebus dandas inſtituit. Propter pauperes, pupillos, infirmos, ſenes, aduenas, captiuos, atque pauperes ſuſtentandos; iuuandos etiam eos qui numeroſam habent ſobolem, quibuſue bona igni abſumpta eſſent, ac ſubleuandum denique miſerorum inopiam, Monaſteriorum pauperumque Eccleſias; & inprimis propter viuorum ac defunctorum refrigerium.

TRIBVNAL.

Idem Wolodimerus poteſtati & iuriſdictioni ſpiritualium ſubiecit omnes Abbates, Presbyteros, Diaconos, & totum ſtatum Clericorum, Monachos, Moniales, & eas quæ proſcura ad ſacra conficiunt, quas Proſcurnicas vocant. Item vxores, filiosque ſacerdotum, medicos, viduas, obſtetrices, & eos qui miraculum ab aliquo Sanctorum acceperint, quiue manumiſſi eſſent pro alicuius animæ ſalute. Miniſtros denique ſingulos Monaſteriorum & hoſpitalium, & qui Monachorum veſtes conficiunt. Quicquid itaque inter prædictas perſonas ſimultatis ſeu diſcordiæ exoritur, Epiſcopus ipſe tamquam competens iudex decernere & conſtituere poteſt. Si vero inter laicos & hos, aliquid controuerſiarum oritur, iudicio communi decernitur.

Proſcurnicæ, ſunt mulieres iam effœtæ, quæ amplius menſes non patiuntur; & quæ panem ad ſacrificandum, qui proſcura dicitur, coquunt.

Epiſcopi etiam diuortia, tum inter Kneſos quam Boiarones, atq; omnes ſeculares qui concubinas fouent, conſtituere debent. Item ad Epiſcopalem iuriſdictionem pertinet, ſi quãdo vxor marito non obſequatur; ſi quiſpiam in adulterio ſeu fornicatione deprehenſus fuerit: ſi vxorem conſanguineam duxerit; ſi coniunx coniugi quippiam mali machinetur. Item diuinationes, incantationes, venena, contentiones propter hæreſim vel fornicationem ſuſceptas; aut ſi filius parentes, ſororesue acerbius increpauerit, læſeritue. Præterea Sodomitas, ſacrilegos, mortuorum ſpoliatores, & qui ad incantandum de imaginibus ſanctorum, aut ſtatua Crucis quicquicquam auulſerint; qui canem, auem, aut aliud aliquod animal immundum in ędem ſacram duxerint, aut comederint punire. Ad hæc ſingulas rerum menſuras ordinare, ſtatuereque debent Epiſcopi.

HONOR ECCLESIASTICORVM.

Princeps ſi quando Metropolitam conuiuio accipit, ſolet ei primum in accubitu locum, abſentibus fratribus ſuis deferre. In funebri ſacro, cum Metropolitam atque Epiſcopos inuitauerit, eis ipſe ab initio prandij cibum potumq; porrigit; dein fratrem ſuum, vel principem aliquem virum, qui vices ſuas ad prandij vſq; finem ſuppleat, conſtituit.

Cærimonias illorum quibus ſolenni tempore in templis vtuntur, vt viderem, equidem impetraueram. Atque ita vtroque legationis meæ tempore in feſto Aſſumptionis B. Mariæ, XV. videlicet Auguſti cum maius templum in arce frondibus arborum ſtratum ingreſſus fuiſſem, vidi Principem ad dexteram portæ qua ingreſſus erat, ad parietem aperto capite ſtantem, Poſochque baculo (vt vocant) innitentem, ante ſe quendam Kolpaack dextra tenentem; Conſiliarios vero ad Columnas templi, quo loci & nos deducti eramus, ſtantes: In medio templi, ſuper tabulato, Metropolita ſolenniter veſtitus, mitramque rotundam ſuperne imaginibus Sanctorum, inferne vero Hermellinis pel-

pellibus ornatam geſtans, ſtabat, Poſochque baculo, quemadmodum Princeps innitebatur, atq; mox cantantibus aliis, ipſe cum miniſtris ſuis orabat. Dein chorum verſus procedens, in læuam contra morem noſtrum conuerſus, per minorem portam egreditur, præcedentibus Cantoribus, Sacerdotibus, atque Diaconis: ex quibus vnus in patena, ſuper capite, panem iam ad ſacrificandum præparatum portabat; alter vero coopertum calicem: cæteri promiſcue, Sanctorum Petri, Pauli, Nicolai, Archangeli imagines magna populi circumſtantis acclamatione ac veneratione ferebant. Quidam porro ex circumſtantibus acclamabant; Domine miſerere. alij fronte terram, more patrio tangebant, flebantque. Varia denique veneratione ac cultu circumlata ſigna vulgus proſequebatur. Poſt finito circuitu, per mediam chori portam ingreſſis, ſacrum, ſeu ſummum vt vocant officium cœptum eſt fieri. Cæterum totum Sacrum, ſeu Miſſa, gentili ac vernacula lingua apud illos peragi ſolet. Epiſtola præterea, ac Euangelium pro tempore, quo magis à populo percipiantur, extra chorum, populo aſtanti clara voce recitantur.

RATIO CONTRAHENDI MATRIMONII.

Inhoneſtum ac turpe eſt adoleſcenti ambire puellam, vt ſibi in matrimonio collocetur. Patris eſt iuuenem alloqui, vt ducat filiam ſuam. In hæc autem verba plerumque proloqui ſolent: Cum mihi ſit filia, vellem equidem te mihi generum. Ad quæ iuuenis; Si me, inquit, expetis generum, & tibi ita videtur, conueniam parentes meos, & de hac re ad eos referam. Dein ſi parentes & proximi aſſenſi fuerint, conueniunt, & de his quæ pater filiæ dotis nomine dare velit, tractant. Mox dote conſtituta, nuptiis dies præſcribitur. Interea ſponſus ab ædibus ſponſæ vſque adeo arcetur, vt ſi forte petierit, eam ſaltem vt videret, tum parentes reſpondere ſolent; Cognoſce ex aliis qualis ſit, qui eam norunt. Certè niſi ſponſalia prius maximis pœnis firmata fuerint, ita vt ſponſus non poſſit, etiam ſi vellet, abſque graui pœna eam repudiare: alias non datur illi acceſſus. Dotis nomine dantur plerumque equi, veſtes, framea, pecora, ſerui & ſimilia. Inuitati ad nuptias, pecuniam raro offerunt; munera tamen, ſeu donaria ſponſæ mittunt, quæ ſingula ſponſus diligenter notata reponit. Finitis nuptiis, deprompta rurſus ordine inſpicit; atque ex iis ſi quæ placent, ſibique vſui futura videntur, ea mittit ad forum, iubetque ſingula ab his qui rebus precia imponunt æſtimari: reliqua omnia & ſingula ſingulis remittit, cum gratiarum actione. Ea quæ ſeruauit, in anni ſpatio iuxta æſtimationem, pecunia, aut alia aliqua re æqualis valoris compenſat. Porro ſi aliquis donum ſuum pluris fecerit, tum ſponſus ad iuratos æſtimatores continuo concurrit, illumque horum æſtimationi ſtandum eſſe cogit. Item ſi ſponſus poſt elapſum annum non ſatisfecerit, aut munus acceptum non reſtituerit, tum in duplo ſatisfacere tenetur. Denique ſi alicuius donum iuratis æſtimandum dare neglexerit, ex voluntate atq; arbitrio eius qui dedit reponere cogitur. Ad hunc morem vulgus ipſum in omni liberalitate, ſeu donationis genere obſeruare ſolet.

Matrimonium ita contrahunt, vt quartum gradum conſanguinitatis aut affinitatis non contingant. Hæreticum putant, germanos fratres, germanas ducere ſorores. Item, nemo ſui affinis ſororem ducere in vxorem audet. Obſeruant etiam ſeueriſſimè, ne ſi matrimonio implicentur, inter quos ſpiritualis cognatio baptiſmatis interceſſit. Si quis alteram vxorem ducit, fitque bigamus, concedunt id quidem, ſed vix legitimum matrimonium eſſe putant. Tertiam vxorem ducere, ſine graui cauſa non permittunt. Quartam autem nec concedunt cuipiam, nec etiam Chriſtianum eſſe iudicant. Diuortium admittunt, & dant libellum repudij: id tamen maxime celant, quod contra religionem ac ſtatuta eſſe ſciunt. Principem ipſum Salomeam vxorem propter ſterilitatem repudiatam, in monaſterium intruſiſſe, atq; Helenam filiam Knes Baſilij Lynskj duxiſſe conſtat.

Adulterium non appellant, niſi quis alterius vxorem habuerit. Tepidus eſt vt plurimum coniugatorum amor, præſertim nobilium & principum virorum; eo quod puellas nunquam ante viſas ducunt; ac ſeruitiis Principis occupati deſerere eas coguntur, aliena interim turpique libidine ſeſe contaminantes.

Mulierum conditio miſerrima eſt. Nullam enim honeſtam credunt, niſi domi concluſa viuat, adeoque cuſtodiatur, vt nuſquam prodeat. Parum inquam pudicam exiſtimant, ſi ab alienis externiſue conſpiciatur. Domi autem concluſæ, nent duntaxat & fila trahunt, nihil prorſus iuris aut negotij in ædibus habent. Omnes labores domeſtici ſeruorum opera fiunt. Quicquid mulierum manibus ſuffocatur, ſiue gallina, ſiue aliud aliquod animalium, id abhorrent tamquam impurum. Qui vero pauperiores ſunt, eorum vxores domeſticos labores obeunt, & coquunt. Cęterum cum viris abſentibus forte & ſeruis, gallinas iugulare volunt, ſtant pro foribus tenentes gallinam, aut aliud animal, & cultrum; prætereuntesque viros, vt ipſi interficiant, plurimum rogant.

Rariſſime in templa, rarius etiam ad amicorum colloquia, niſi ſenes admodum ſint, omnique ſuſpicione careant, admittuntur. Certis tamen & feſtiuis diebus animi gratia concedunt vxoribus & filiabus, vt in pratis amœniſſimis conueniant, vbi ſuper quadam rota inſtar Fortunæ inſidentes, alternatim ſurſum ac deorſum mouentur; aut alioquin funem appendunt, quo ſuſpenſæ ac inſidentes, hinc inde impulſæ feruntur, mouenturque; aut denique quibuſdam certis cantilenis, manibus plaudentes ſe oblectant. Choreasque prorſus nullas ducunt. Hæc *Sigiſmundus de ritibus & moribus Moſcouitarum atque Ruthenorum, quorum errores magna ex parte damnauit Concilium Florentinum.*

XIX. Sed nos ad Leonem Pontificem reuertamur. Miſit is hoc anno Andream Corſalum ciuem Florentinum, ad Dauidem Regem Abiſſinorum, vt eum Romanæ Eccleſiæ adiungeret. Ab hoc Rege, quomodo vir quidam Armenius Matthæus nomine ad Emanuelem Regem Luſitaniæ miſſus fuerit, ſuperius expoſuimus. Eum Albuquercius honorifice acceptũ, & beneficiis ornatum in Luſitaniam tranſmittebat. Duces, quibus Matthæus commiſſus fuit, odio Albuquercij inducti, (dicebant enim illum eſſe ſcurram atque præſtigiatorem, & Albuquercium inſanum & temerarium, qui homini leuiſſimo fidem habuiſſet) cum multis iniuriis affecerunt, neque ſicut legatum, ſed tanquam vile mancipium acceperunt, ob quam rem fuere in cuſtodiam dati, vt pro ratione maleficij pœnam debitam luerent. qui tamen poſtea fuere legati eiuſdem precibus è cuſtodia liberati. Quæ autem fuerit huius legationis occaſio, eſt paulo altius repetenda. Rex Ioannes ſecundus, vt dictum eſt, ardebat cupiditate incredibili Indicæ regionis penitus explorandæ. Cum vero accepiſſet, eſſe quendam Chriſtianum Imperatorem mira ſanctimonia præditum, qui Indias Imperio contineret, eumque Preſbyterum Ioannem appellari; & cerneret ſæpenumero ſacerdotes Chriſtianos Æthiopes, qui Romam venerant, & Galliam Hiſpaniamque peragrabant, ſuſpicari cœpit, eos ex ea Indiæ parte profectos eſſe, in qua Presbyter ille Ioannes (ſummum enim ſacerdotium cum Imperij Regis maieſtate obtinere dicebatur) regnum poſſideret. Ipſique Sacerdotes cum interrogarentur, an Rex illorum ſummo Sacerdotio præditus eſſet, & an Ioannes Presbyter appellaretur, & an illorum patria terminis Indiæ contineretur, haud abnuebãt. Putabant enim, ſi ea ſuſpicio penitus in Chriſtianorum animis inſediſſet, fore, vt ipſi multo humanius à noſtris acciperentur. Nemo tunc erat iis litteris præditus, vt quantum inter vtramque regionem intereſſet, diſtinguere poſſet. Ioannes igitur cum de hoc presbytero Ioanne multa percepiſſet, exiſtimauit ſibi vel ad nominis decus, vel ad religionis fructum, vel ad Indiæ perueſtigandæ facilitatem, nihil optatius cadere poſſe, quam cum hoc Chriſtiano Principe fœdere coniungi. Idcirco variis temporibus homines Arabicæ linguæ peritiſſimos magnis præmiis inuitauit, vt eas regiones perluſtrarent. Inter hos extitit quidam nomine Alfonſus Paiua, & alter cui nomen erat Ioannes Petreius. Hi profecti è Luſitania anno ſalutis M. CCCC. LXXXVI. Ægyptum mercatorum habitu peragrarunt, atque inde Adenam peruenerunt. Ibi cum intellexiſſent, in ea Æthiopiæ parte quæ ſub Ægypto eſt, eſſe ſummum quen-

quendam Principem Christianum, cuius imperium esset latissimum, & cui multi Principes obtemperarent, suspicati sunt illum eundem esse, cuius cognoscendi gratia missi à Iohanne fuerant. Sed eos Indiæ nomen interturbabat. Missi namque fuerant, vt Christianum Indiæ imperatorem, nomine Presbyterum Ioannem conuenirent. At nec imperium, neque nomen, neque Sacerdotij dignitas in Æthiopiæ Regem conueniebat. Cum igitur inter se quid optimum esset deliberarent, visum est vt Ioannes Petreius in Indiam nauigaret, & videret, num qua mentio in oris illis Presbyteri Ioannis existeret: Paiua in Ægypto Thebis Petreium præstolaretur: At verum fuerat, Christianum quendam Principem nominis eiusdem secta Nestorianum, in mediterraneis Indiæ locis amplissimum imperium tenuisse; qui tamen fuerat Scytharum armis oppressus, & regnum illius occupatum, cuius iam nomen erat obliuione sepultum. Christiani tamen non pauci in locis illis resederant, Nestorij labe contaminati. Itaque Ioannes Petreius cum sine fructu tempus à se conteri videret, in Ægyptum rediit, vt cum Paiua, quid vtrique agendum esset, deliberaret. Ibi duos Iudæos Lusitanos reperit, cum Regis Ioannis litteris, ad illum atque Paiuam datis. Sed Paiua, vt Iudæi asseruerant, iam obierat. Iudæi Armuzium (sic enim Ioannes impetrauerat) petiere. Petreius variis regionibus peragratis, in montem Sinai, vt sepulchrum virginis Catharinæ inuiseret se contulit: & inde Adenam reuersus, Zeilam & Zeila ad Æthiopiæ Imperatorem se tandem contulit. Nec enim dubitauit, cum non alium Christianum Principem in regionibus illis reperiret, quin is esset ad quem missus à Ioanne fuerat. Rex Alexander appellabatur, qui Ioannis litteris lætitia incredibiliter elatus est, Petreiumque singulari humanitate tractauit. Sed accidit, vt is Rex tunc è vita discederet, antequam ad Ioannem rescriberet. Cum vero nullum filium suscepisset, frater quidam illius, Nau nomine, in regnum successit, à quo numquam Petreius impetrare potuit, vt sibi in patriam redire liceret. Hoc Rege defuncto, filius illius, cui Dauid nomen erat, Rex creatus est: qui tamen in eo perseuerauit, vt nullo modo Petreium è regni sui finibus abire permitteret. Ingenio enim hominis, vt verisimile est, Reges inducti sunt, ne fructu prudentiæ & sagacitatis illius carere vellent. Is igitur cum reditum in patriam omnino desperaret, vxorem duxit, & filios ex ea suscepit, stabilemque sedem in illa regione necessario collocauit. Sed progressu temporis cum Vascus Gama primum in Indiam iter aperiret, & regiones illas exploraret; cum deinde Lusitaniæ classes, & Duces fortissimi in Indiam venirent, & insignes victorias adipiscerentur, fama nominis Lusitani per omnes illas oras cum hominum admiratione vagabatur: & cum ad Dauidis aures peruenisset, & ex Petreio intellexisset, gentem illam Lusitanam eandem esse, à cuius Rege is missus extiterat, miro studio incitatus est, vt legatum ad illum mitteret. Erat autem Rex adhuc puer, & Helena illius auia, singulari prudentia fœmina, regnum illius nomine administrabat. Consilio igitur cum ea communicato, decretum fuit, nihil fore vel ad nominis claritatem, vel ad religionis sanctitatem vtilius, quam Principi virtute clarissimo, & religione sanctissimo singulari amicitiæ fœdere copulari. Ad eam autem legationem Matthæum, quem diximus, natione Armenium, religione Christianum, virum non vulgari prudentia præditum, qui diutissime apud Reges illos versatus, cum non mediocri probitatis & industriæ laude fuerat, delegere, qui munus id obire pro dignitate posset. cum illo veniebat Æthiops quidam adolescens summa nobilitate, vt mores nostros, & instituta perdisceret. Hi fuerunt ab Albuquercio his honoribus accepti, quos supra retulimus; & à Ducibus ea immanitate tractati, quam exposuimus. Fuit Olysippone legatus ab omni nobilitate, & à Pontificibus cum maxima significatione Christianæ charitatis in Regiam deductus, & ab ipso Emanuele Rege satis benigne & comiter acceptus. Post triduum fuit admissus, vt summam legationis exponeret. Is prudenter atque diserte muneri sibi commisso satisfecit, & literas Helenæ Reginæ quinque bullis aureis consignatus Regi detulit: deinde crucem è ligno crucis, qua Christus pro generis humani salute mactari sustinuit, Regi, nomine Principis sui donauit. Hanc Emanuel obortis lachrymis venerabundus accepit, summasque gratias Deo egit, quod in longinquis illis regionibus hostium immanitate vastatis, Christianæ religionis & pietatis semina conseruasset. Alteras deinde literas arundine aurea inclusas eduxit, quas Dauid Rex ad Emanuelem dederat. Omnes hæ literæ erant Arabica & Persica lingua conscriptæ. Sententia illarum hæc erat. Principio quidem Rex trium personarum distinctionem in vna natura & diuinitate coniunctam, debita veneratione prosequutus, Regi Emanueli salutem & felicitatem precabatur. Deinde gratias de epistolis ad Reges Æthiopiæ missis agebat, & suam potentiam & opes exaggerabat, quibus confidebat futurum, si Rex Emanuel mari, ille vero terra in Mahumetanam nationem inuaderent, vt impij & scelerati Mahometi nomen ex omni memoria hominum euellerent, & Christi sepulchrum in libertatem vindicarent. Matthæi legati authoritatem constituebat; & Crucem quam Rex ipse in amoris signum mittebat, è ligno crucis, in quam generis humani liberator sublatus fuerat, perfectam fuisse confirmabat: ad societatem belli atque pacis Emanuelem inuitabat, & ius etiam connubij libenter offerebat. Nihil enim sibi gratius fore dicebat, quam illam amoris coniunctionem, & religionis consensionem matrimonij etiam fœdere sacrosancto inter vtriusque Regis liberos icto confirmari. Laudabat postmodum facinora, quæ in India Regis Emanuelis Duces ediderant, eaq; dicebat non absque Christi præsentia gesta fuisse; &, vt quod instituerat, ad exitum perduceret, hortabatur. Lectis literis Emanuel Matthæum in hospitium deduci, & illi omnia copiosè præberi iussit. Locus autem hic postulat, vt etiam de huius Christiani Principis imperio pauca dicamus. Regnum illius à septentrione Ægypti finibus, ab Austro montibus Lunæ terminatur; ab ortu mari, quod per ostium Arabici sinus influens ad Heroum ciuitatem pertinet, definitur. In occasum vero latissime protenditur, vt ita cum gentibus atro colore, crispoque & adusto capillo, quæ ad Ægesimbam regionē pertinent, coniungantur. Montes tamen multos in illius regno Saraceni tenent, qui illi non obediunt; reliqui principes illi parent, & multi tributi nomine ei non mediocrem auri vim singulis annis pendunt. A Lunæ montibus Nilus exoritur, qui inde varios lacus & insulas efficiens, Ægyptum interfluit, vsque eo dum per Alexandriam in nostrum mare influat. Regni totius ambitus septingentis milliaribus patere dicunt. Multi in ea regione montes editi & excelsi contineri dicuntur, vndique prærupti, aditu perangusto, adeo vt vnus tantum homo per ostium penetrare possit. In summo autem fastigio sunt miræ planicies, late patentes; aquæ perennes, pabula & fruges lætissimæ, amnes pellucidi, pecorum & boum multitudo, aluearia è quibus vis ingens mellis exprimitur. Regio maxima ex parte est fertilis & opima, multisque auri, argenti, & æris metallis abundat; equos nutrit, gossipij copiam ingentem profert; vino caret, sed incolæ potionem è melle & aqua conficiunt potu iucundum, & corpori valde salubrem. Medicis atque Pharmacis raro vtuntur. Gens tamen est supra modum ignaua, & propter ingentem desidiam, & artificum penuriam, telluris bonitate frui nescit. Rex cum finitimis gentibus continenter bella gerit; & ideo vrbes non incolit, sed in castris perpetuo ætatem degit. Tanta est autem hominum & tabernaculorum multitudo, vt castra circiter duodecim millibus passuum in longitudineam pateant, & totidem in latitudinem. Eo autem ordine locantur, vt quamuis crebro mutentur, facillimum sit cuiuis, castrorum vias oculis designare, & in hominum quos conuenire velit tentoria sine vllo errore peruenire, & principes quos velit adire, & tamquam in vrbe notissima versari. In castris septem paræciæ sunt, & singulis paræciis Sacerdotes præfecti, qui sacra peragunt; conciones habent; subditos disciplinis instituunt, & rebelles pœnis à flagitiis deterrent, & ad Christianam moderationem frequenter erudiunt. Vrbes regionis exiguæ sunt, ædes humiles, muri fragiles; templa tamen magnifica, & monasteria maximis sumptibus ædificata. Rex se tamquam numen cæleste coli faciebat: vultum,

Alexander Rex Æthiopiæ mortuus.

Dauid Abissinorū Rex Emanueli crucē mittit.

ne prin-

ne principibus quidem apertum nisi statis diebus ostendebat. Illis qui cum conuenire volebant, aliquando pedem tantum, aliquando vero manū demonstrabat: reliquam speciem Regis intueri, nefas existimatur. Cum vero respondere volebat, internunciis vtebatur, & è cortinis quasi ex adytis oraculum ederet, responsa per interpretes edebat. Sed hæc ineptissima diuinitatis ementitæ fabula, posteaquam Lusitani gentibus illis in vltimum discrimen adductis opem attulere, & morem Christianorum Regum exposuere, iam illos alloqui, iam audire licet. Quod vero ad religionem attinet, multa ab Hebræis desumpta conseruant. Mares octauo ab ortu die circumciduntur: & fœminis etiam aliquid amputatur, vt non omnino incircumcisæ videantur. quod dicunt se facere, non quod in circumcisione vim aliquam ad salutem constituant: sed vt Abrahami, & aliorum Sanctorum Patrum exemplum sibi ob oculos proponant, & illo monumento communiti, acrius & ardentius in similis sanctitatis studium incitentur. Quadragesimo deinde à circumcisione die mares, octuagesimo autem fœminæ salutaribus aquis expiantur, & Eucharistiam eo die infantes initiati in mica panis assumunt. Singulis annis diem, quo Christus à Ioanne aquis Iordanis ablutus Baptismi Sacramentum instituit, eiusdem lustrationis renouatione celebrant; & tamen asserunt, vnico tantum Baptismo peccata deleri, reliquas lustrationes quotannis instauratas corpus tantum tingere, animum vero non expiare: se tamen id facere, vt Christi diuinum beneficium, qui vt nostras sordes elueret, sanguinem & aquam è latere suo profudit, sæpius in memoriam redigant. Fœminæ, si mares ediderint, quadraginta diebus: si fœminam, octuaginta à templorum liminibus arcentur. Sacerdotes vxores ducunt: Si vxores decesserint, cælibes permanent, & summa castimonia vitam peragunt: & si adulterio se contaminauerint, aut post vxorum mortem aliqua se libidine commaculauerint, Sacerdotio priuantur. Antequam rem diuinam faciant, aliquot diebus ab vxoribus abstinent, vt libidinis impuritate dierum numero sublata, Sanctius Christi Sanctissimum corpus immolent, & attentius de rebus diuinis cogitent, & sic facilius perlitent. Monachis vxorem ducere, nefas. In templis flagitium est ridere, sermocinari, deambulare, aut aliquid denique meditari, quod non ad cælestia atque diuina referatur. Nemini, nisi nudis pedibus ingredi in templum licet. Cum ieiunant, vsque ad Solis occasum nec edere quidquam, neque bibere solent. A cibis quos antiqua lex vetabat, abstinent. Flagitia, Sacerdotibus sæpenumero confitentur. Sub vtraque specie Eucharistiam sumunt. Monachi, Antonium Ægyptium authorem religionis habent. Pontifices à Rege creantur. Patriarcha à Monachis deligitur, & à Patriarcha Alexandrino confirmatur. Multa sunt, in quibus Iudaicis ritibus atque cærimoniis adhærescunt: quamquam affirment, se non illis, sed Christi tantum virtute atque meritis inniti. Multos dies festos agunt. Sanctos homines hac vita perfunctos colunt atque venerantur. Hi sunt Æthiopum Christianorum mores, quorum Imperator Dauid legatum, quem diximus, ad Regem Emanuelem misit. *Osorius lib. 9.*

XX. Quæ cum Leo Pontifex ex litteris Regiis intellexisset, suprema voluptate perfusus, & ipse quoque scripsit.

DAVIDI Regi Abissinorum.

Proficiscenti ad te Andreæ Corsalo ciui Florentino mandaui, vt tibi meis verbis plurimam salutem diceret, certioremque te faceret, pro tua in nos obseruantia, & pro ardore tuo atque cultu in Christianam Rempublicam mirifico, propeque singulari, & amari te à me summopere, & fieri sane plurimi. Quod etiam his ad te litteris perferri volui, vt te hortarer, vt in istis remotissimis à Romana Ecclesia regionibus, Dei Dominique nostri IESV CHRISTI nomen atque gloriam, quantum posses maxime propagares & extenderes: poteris autem, si in eo curam atque animum intendes tuum semper quidem plurimum. Ipse etiam Dominus quem colueris, cuique gratum te earum quas ab ipso possides maximarum fortunarum, atque memorem præstiteris, te fouebit, adiuuabit, prouehet. Cæterum Andream ipsum honestum sane virum, & industrium hominem, & ciuem meum, & mihi valde gratum commendo tibi maiorem in modum. Datum Sexto Id. Octobr. anno secundo. Romæ. Bembus lib. 9. epist. 41.

Et quia Pontifex certum habebat, tam ad Ægyptias, Abissinasque, quam in vniuersum ad omnes Orientales Christianitatis res, maximum pondus adferre militiam Rhodianam: vicissimque ijdem Equites & vires suas in commune conferre, & aliorum quoque conferri desiderarent: ea propter illos à morte Magni Magistri consolare, & recens electum ad magna audenda exhortari voluit, datis litteris hoc tenore.

Fabritio Carretto Magno Rhodi Magistro.

Lectis litteris tuis, quæ me cum de Guidonis Magni Rhodi Magistri morte, tum de te in eius locum per Concilium Societatis legitime suffecto certiorem reddiderunt: in altero perinde, atque de optimi præstantissimique viri maximeque temperati prudentisque hominis iactura, sane perquam dolui, illumque tam breue temporis spatium Societati suæ præfuisse: vt parum ei ornamenti accidere ab ipso potuerit, moleste admodum tuli. In altero tanta lætitia is me nuncius affecit, vt statim Deo Optim. Maxim. gratias egerim: & quod dolorem, quem ex Guidonis morte contraxeram, tua declaratione lenierit: & quod illud tibi muneris tradi mandarique voluerit, qui pro tua virtute, animi magnitudine, diligentia, religione, maximis in rebus perspecta sæpe atque cognita nihil es eorum prætermissurus, quæ ad rem Christianam conseruandam atque amplificandam, ipsiusque cultum & illustrandum, & propagandum pertinebunt. Atque hoc cum publice mihi gratum & iocundum est, tum illud priuatim adiungitur. quod te, dum Cardinalem gererem, multos quidem annos & amaui ipse, & abs te amari me plane sensi: vt si vnus ex omni Sociorum tuorum numero mihi optandus fuisset, quem sibi tua Societas præficeret, neminem tibi sane prætulissem. Itaque duplici nomine ea de dignitate ac præfectura tibi tradita magnopere gratulor: altero Reipubl. altero vnius tui ipsius atque proprie meo: optoque, vt & honor tibi iste Salutaris, & tu Societati tuæ vsui atque gloriæ sis futurus: quod quidem plane confido fore. De me quidem tibi ipse omnia promittas volo, quæ ab optimo atque optatissimo filio de patre amantissimo sunt speranda. Non fallam opinionem tuam. Cæterum obsequii tui peregregia perque illustris significatio, quod mihi eædem tuæ litteræ Philippusque Prouanus Societatis Procurator tuis verbis præstiterunt, mihi gratissima accidit, eamque libenti animo sum complexus. Societas etiam ipsa tua, quam mihi magnopere commendas, quæque mihi, tanquam de vniuersa re Christiana optime merita, charissima per se est, erit posthac mihi tuo etiam nomine charior: proque ea, insulaque ista ab Turcarum cupiditate bellicisque apparatibus, de quibus scribis, tuenda & defendenda, si erit opus, nihil sum, neque studiis, neque diligentiæ, neque omnino laboris prætermissurus. Certe non, si vitam ipsam profundere me oporteat ea in re, tuæ vmquam Societatis curam, tutelam, procurationem negligam. Quod te spondere ei meis verbis opto & volo: eamque bono animo esse atque forti iubeo. Cui quidem gratulor, quod te sibi Magistrum legerit; vtque te ea, qua debet obseruantia prosequatur, (quamquam id quidem me scribere pro antiqua ipsius in omnes Magistros pietate minus necesse est) eam tamen hortor. Etiam atque etiam mi Fabrici vale. Datum VIII. Id. Febr. anno I. Romæ. Bembus libro 7. epistol. 6.

XXI. Cum autem Anconitani res Asiaticas & in vniuersum Orientales Christianorum plurimum iuuarent, Veneti autem solito prætextu dominium Adriatici maris ad se pertinere asserentes, opprimendis nauibus illorum essent attenti, Pontifex iuris Romanæ Sedis & officii minime oblitus, has quas adiungo scripsit.

Leonardo Lauredano Venetiarum Principi.

Conquesti apud nos per quam sane grauiter sunt Legati Anconitanorum, ea de causa, quod eorum nauim, & ipsorum & Florentinorum onustam mercibus domo in Asiam tendentem, triremis Venetæ ductor Sebastianus Memmus hostili animo atque impetu non longe ab Ragusio sit aggressus, propeque depresserit tormentorum vi: depressisset autem, nisi se illa in Epidauri portum recepisset. Id quoniam parum successerit: obseruari eam autem aiunt ab eodem Memmo, aliis

etiam

etiam Venetis triremibus in prædæ societatem adscitis vicinis in portubus, vt eam ex Epidauri portu exeuntem intercipiant. Quæ res quoniam contra ius & bonos mores, contraque vestras cum Romanis Pontificibus initas pactiones & fœdera inprimis est; id, quod accidit, existimo præter tuam istiusque Reipubl. voluntatem, accidisse. Hortor autem paterne te atque moneo, des quam primum operam, mandesque, ne quid posthac à vestris triremibus detrimenti nostrorum hominum, præsertimque Anconitanorum nauibus inferatur. Pœnas etiam mulctæsque ductorem illum, qui ei naui tantum molestiæ tantumque iacturæ temere atque hostiliter attulit: vt aliis vestrarum triremium ductoribus & nauarchis exemplo sit, nihil unquam post hac in nostros homines molendi. Id si feceris, quemadmodum pro Senatus istius æquitate confido te facturum, erit & mihi, qui te remque istam pub. vnice amo, sane gratum: & tibi cum honorificum, cum te institiæ colentem fœderumque obseruantem esse bonum intelligent, tum etiam saluare. Omnem enim iis, quorum interest, cogitationem eripies, potiora ei rei fructuosoraque remedia perquirendi. Datum Calendar. Maiis M. D. XIV. Anno secundo. Roma. Bembus lib. 8. epist. 15.

Pari constantia Pontifex, pro amplificatione ditionis Pontificiæ, apud Maximilianum Cæsarem egit: ac numerata ex pacto pecunia, fœderibusque cum illo firmatis Mutinam vrbem obtinuit: & ad eius possessionem capiendam, Fabianum Lippum familiarem suum misit: datis ea de re litteris, in hanc formam.

Vito Frusto Præfecto Mutinæ.

Et mihi, & Maximiliano Imperat. designato fœdus initum est, pactique sumus, vt is Mutinæ oppidi, eiusque agri ius omne mihi cederet atq; remitteret: quemadmodum ex diplomate, quod ea de re confectum est, poteris cognoscere. Tametsi id te scire tam arbitror, litteraq; à Maximiliano quæ tibi eam rem significarint accepisse. Quare velim vt Fabiano Lippo familiari meo viro probo & mihi probato, quem ad te his cum litteris misi, ius & possessionem oppidi Mutinæ, cui præes, eiusq; arcis, agri, vicorumq; omnium des tradasq; liberaliter. Dat. prid. id. Nouembr. anno Secundo. Roma. Bembus lib. 11. epist. 10.

Cum aut Bononiæ, nonnulli scelesti homines, arma sumere, seditionem excitare, in aliorum fortunas impetum facere, & armati per oppidum incedere noctu atq; interdiu ausi fuerint, magna cum perturbatione ingentique motu ciuium: Polæ Episcopo scripsit, vt in turbulentos, seditiososque seuere animaduerteret, scelestosque ac nefarios mulctaret. Immiscuerant se his nonnulli familiares Antonii Grassi Cardinalis Bononiensis. Pro eis cum hic plurimum, & cum lachrymis intercederet, Pontifex iustitiæ tenax, & clementiæ non immemor, hunc in modum rescripsit:

Magistratu Bononiæ Polæ Episcopo.

Quoniam & coli per te legum iussa, animaduersionemque in scelestos fieri summopere volo: & Antonium sancti Sixti presb. Cardinalem Bononiensem, vt scis, vnice amo, charissimumque habeo: vt harum duarum omnium meo quidem iudicio maximarum atque sanctissimarum rerum rationibus, iuris reddendi, amicitiæque coleudæ satisfiat: in reorum istorum causa quas in vinculis habes, de quibus tuis me litteris consulis petisque quid fieri velim, ita tibi respondeo: Nam cum & iustitiæ administratio ostensionem maxime postulet iuris administrati: & humiles atque assiduæ Cardinalis postulationes multis admixtas non modo precibus, sed etiam lachrymis, nihil impetrare à me diu rum admodum atque implacabile videri possit: mando tibi, vt eos ipsos omnibus, quæ iis in rebus fieri assolent, more atque consuetudine seruatis condemnes, perinde atque meriti sunt: condemnatosque ad eum locum duci mandes, vbi eos morte mulctari oporteret, si mulctari vellemus. Cum autem inspectante populo ante mortis instrumenta in habitu damnatorum perducti constiterint, eos Cardinali nostro nomine dono des, facta testificatione postulationis, quæ is apud nos stipplici atque accuratissima est vsus: nostraque erga illum voluntatis: vt plurimum apud nos valere Cardinalis bene ac de Reipubl. meriti auctoritatem omnes homines intelligant. Cæterum de iis quos in posterum scelestos comprehendes, mandata nostra exhauri. D. st. VII. Idus Febru. M. D. XIV. Anno primo. Roma. Bembus lib. 7. Epistol. 8.

Per id temporis imago B. Virginis Anconitanæ apud Florentinos, ingentibus miraculis fulgebat. Inter hæc vnum singulare est, in duobus Lancianensibus captiuis Constantinopolim abductis, & cuidam ex purpuratis viro primario venditis. Nicolao vni nomen erat, alteri Iacobus. Iacobus per vrbē negotiari permissus: eatamen conditione, vt singulis vespertinis horis dominum qui emerat adiret. Nicolaum Gynecæo addixerat, vt reclusis mulieribus ad seruilia ministeria esset. Hic ob elegantiam morum, in suspicionem criminis adductus, & à Ialotypo domino forcipibus ignitis laniatus, defectus, in carcerem compactus, miserabilem expectabat mortem: donec Diuæ Virginis Annunciatæ, quæ Florentiæ colitur, & ad quam vota precisque porrexerat, in pristinum gradum, sed iam eunuchus restitutus esset. Liber iam, sed non liber, in ministerio versabatur. Namque catenis colium, pectus, & pedes vinctus, onustusque inseruiebat. Pari pondere Iacobus premebatur. Factum vna die, quam Selymi Turcarum principis natalem Bassa, solenni epulo celebrabat, vt vterque inter ministeria discurrens, calamitatisque seruilis impatiens, iterum ad Diuam Annunciatam respexerit, preces effuderit, vota conceperit: neque sine fructu. Statim enim vincula, quibus constricti, inter conuiuas incedebant soluti per miraculum perspexerunt, quibus in manus prehensis, videntibus nec tamen videntibus epulonibus, per illorum medium ex aula elapsi, iamque omnino liberi, ostendente viam quodam Macedone, Constantinopoli discesserunt, ac per mille discrimina rerum Venetias, inde Florentiam appulerunt, liberatrici Suæ Diuæ Deiparenti grates persoluentes. *Astolphus de miraculis Mariauis libro XI.* Ab hoc miraculo, & quamplurimis aliis, cum in Sanctissimam Virginem Annuntiatam Florentiæ cultus augeretur, istud diploma quod adiungo Indulgentiarum euulgauit.

XXII. *B. Maria apud Florentinos miracula.*

Leo Episcopus Seruus Seruorum Dei, Vniuersis Christi fidelibus præsentes litteras inspecturis, salutem & Apostolicam benedictionem.

Cum semper Virginis Dei Genitricis Mariæ, pientissimæ humani generis sospitatricis celsitudinem contemplamur, vtpote quæ diuinorum ærarii beneficiorum, atque thesauri fidissima custos, ac splendidissima dispensatrix semper fouendis mortalibus munifica, dulcem matris affectionem miserorum casibus tribuat, nec dies vlla, ac ne momentum quidem tenue eius transcurrat beneficiis ociosum, quin mari terraque protegat homines, & depulsis vitæ procellis, salutarem porrigat dexteram: quo fit vt hanc superi colunt, venerentur mortales, obseruent inferi, ob id duximus nostras esse partes, fana, sacraque in eius nominis celebritatem cuncta loca dicata, gratiis & ornamentis spiritualibus abunde ac magnifice decorare. Quapropter cum celeberrimum Diuæ Annunciatæ Florentiæ sacellum, à maioribus Domus & familiæ nostræ de Medicis, vt nobis lucidissime constat, magnis auri copiis abunde fusis à fundamentis erectum, marmoreis aliisque constructum pretiosis lapidibus: sericis insuper, argenteisque tmmeris ornamentis decoratum, quod triginta lampades in gyrum pendentes die noctuque eorundem impensa lucentes illustrant, pientissima Virgo propriam suamque sedem, ad beneficia, gratiasque mortalibus conferendas elegerit: quod statuarum & imaginum in Ecclesia distinctissimus ordo, nec non populorum ex vniuersis oris & partibus eodem agminatim confluentium attestatur frequentia atque concursus: ideo digne spiritualium bonorum muneribus præfatum Sacellum in honorem eiusdem Virginis, (quæ pro vniuerso populo Christiano fœdula exoratrix est ad Dominum) erectum, quantum in nobis est decreuimus honorare. Cupientes igitur vt idem Sacellum, seu Capella & Ecclesia in qua est conditum, & onera eisdem Capellæ & Ecclesiæ, ac dilectis filiis Fratribus Domus eiusdem Ecclesiæ Beatæ Mariæ Seruorum Ordinis Sancti Augustini pro tempore incumbentibus pro sustentatione Fratrum dicti Ordinis, qui ibi in diuinis in numero satis notabili & copioso deseruiunt, & manutentione fabricæ Ecclesiæ, Capellæ & Fratrum prædictorum, ac diuini cultus augmento, necnon subuentione & eleemosynis pauperum, & miserabilium personarum quæ inibi quotidie fiunt, commodius perferri possint, congruisque frequententur honoribus & in debita veneratione à Christi fidelibus habeantur, ipsique fideles eo libentius deuotionis causa ad illas confluant, quo ex hoc ibidem dono cælestis gratiæ vberius conspexerint se refectos, ac deuotioni nostræ par-

ticu-

riculari, & dilectorum filiorum totius populi Florentini, honorique dictæ Capellæ, & animarum eorundem fidelium saluti consulere volentes, motu proprio, non ad alicuius nobis super hoc oblatæ petitionis instantiam, sed de nostra mera liberalitate, de Omnipotentis Dei misericordia, ac Beatorum Petri & Pauli Apostolorum eius authoritate confisi, omnibus & singulis vtriusque sexus Christi fidelibus prædictis, vere pœnitentibus & confessis, qui Capellam prædictam qualibet die Sabbathi totius anni mille annos, & totidem Quadragenas: ac in omnibus & singulis eiusdem Beatæ & gloriosæ semper Virginis Mariæ festiuitatibus, videlicet Conceptionis, Natiuitatis, Præsentationis, Annunciationis, Visitationis, Purificationis, Assumptionis, Sanctæ Mariæ de Niue, nec non Natiuitatis Domini nostri IESV CHRISTI, ac Veneris & Sabbathi Sancti Martyris hebdomadæ solennitatibus & diebus, duo millia annorum & totidem Quadragenarum, de iniunctis eis pœnitentiis misericorditer in Domino relaxamus. Nec non prædictis, ac defunctorum parentibus, affinibus, vel amicis, & aliis Christi fidelibus, qui per se, & si infirmi vel alias quomodolibet impediti, seu detenti fuerint, per alium, seu alios, etiam pro expiatione animarum eorum qui Deo vniti decesserunt aliquid erogauerint, seu transmiserint, ac erogari aut transmitti fecerint, vt omnibus orationibus, quæ singulis diebus in dicta Capella recitantur seu recitabuntur, participes fiant. & in festo Natiuitatis eiusdem Beatæ Mariæ Virginis, à primis Vesperis, vsque ad occasum Solis diei sequentis dicti festi, per se, aut per alium, si vt præmittitur impediti, vel detenti deuote visitauerint, plenariam omnium peccatorum suorum, de quibus corde contriti, & ore confessi fuerint remissionem concedimus & elargimur. Et nihilominus, vt fideles ipsi dictam indulgentiam commodius consequi valeant, dilecto filio Priori pro tempore existenti dictæ Domus, vel deputandi ab eo per quatuor dies naturales ante, & quatuor post dictum festum immediate sequentes, vel Patres alias de iure habiles, de quibus sibi videtur, qui eosdem Christi fideles vtriusque sexus, pro dicta plenaria indulgentia consequenda ad ipsam Ecclesiam pro tempore accedentes, confessionibus eorum diligenter auditis, ab omnibus & singulis eorum peccatis, criminibus, excessibus & delictis, quantumcumque grauibus & enormibus, etiam à casibus Sedi Apostolicæ reseruatis, exceptis ijs quæ in bulla, quæ in Cœna Domini legi consueuit continentur absoluere, ac eis pro commissis pœnitentiam iniungere: ac vota quæcunque, vltramarino nimirum, ac Beatorum Apostolorum Petri & Pauli de vrbe, & Sancti Iacobi in Compostella, ac Religionis & Castitatis votis duntaxat exceptis, per eos forsan emissa in alia pietatis opera commutare: omnes vero aduenas & peregrinos, qui ad ipsam Capellam ex voto, vel deuotione se contulerint, toties, quoties opus fuerit, etiam in dictis casibus absoluere, & pœnitentiam salutarem iniungere, eisque Eucharistiæ Sacramentum ministrare, Diœcesani loci, & Parochiani, seu Parochianorum licentia super hoc alias minime requisita, libere, & licite valeant, deputandi: ac præmisso tempore dictæ plenariæ Indulgentiæ eisdem infirmis impeditis, seu detentibus, erogantibus vel transmittentibus, & cuilibet ipsorum, Confessorem similem, qui eos similiter absoluere, & vota prædicta commutare valeat eligendi, plenam & liberam authoritate Apostolica tenore præsentium licentiam & facultatem concedimus. Quodque indulgentia plenaria prædicta, sub quibusuis reuocationibus, & suspensionibus, quarumuis indulgentiarum plenariarum, etiam per nos vel dictam sedem, in fauorem fabricæ Basilicæ Principis Apostolorum de vrbe, & S. Annunciatæ nunc & pro tempore factis, & dicto Priori, vel deputandis ab eo intimatis, nullatenus includatur, nisi in eis de illa fiat expressa mentio de verbo ad verbum authoritate prædicta decernimus. Volumus autem quod eleemosynæ ex dictis oblationibus percipiendæ, in reparationem & vtilitatem Capellæ, Ecclesiæ, & Fratrum prædictorum conuerti debeant: præsentibus perpetuis futuris temporibus valituris. Datum Romæ apud Sanctum Petrum anno Incarnationis Dominicæ M. D. XIII. VI. Kal. Maij. Pontificiatus nostri anno secundo. Grassis de Mag. S. D. N. Papæ. A Draco. Iac. Sadoletus. Extat apud Archangelum Gianium cent. 3. Annalium Ord. Seruorum, lib. 5. c. 14.

XXIII. Hoc etiam anno, Leo X. cunctas Iulii 2. sui prædecessoris vltimi, superiorumq; Pontificum Indulgentias, Immunitates, beneficia Lauretanæ Domui tributa luculento diplomate rata esse iussit: ac deinceps aliis superalia diplomatis impense cumulauit. Lauretanam quippe Ecclesiā Collegiatam instituit, Sigillo cæterisque collegialibus insignibus ei attributis. Duodenos ibi Canonicos (ex quorum numero Archipresbyter & Almæ Domus Custos forent) totidemq; Sacerdotes assiduos, quos Mansionarios vocant, senos præterea Clericos Chori adiutores esse voluit. Sui cuiq; annui redditus pro rata portione assignati. Omnes porro Indulgentias, quibus in templorū stationibus Roma perfruitur, Lauretanæ concessit Ædi, vt ijsdem temporibus Laureti percipere aduenæ possent in vna Æde, quæ Romæ percipierentur in pluribus. Pretium operæ visū est, honorarium diplomatis procemium inferere. *Cum nos memoria repetimus grandia, ac fere innumerabilia cotinua miracula, quæ apud Ecclesiam de Laureto multis Christi fidelibus pro variis infortuniis & necessitatibus vbicunq; oppressis, qui ad Ecclesiam ipsam de Laureto sola animi moderatione confugiunt, intercessione dictæ gloriosissimæ Virginis, illius vnigenitus operatur Altissimus: dignum ducimus, atq; debitum, eandem Ecclesiam de Laureto non solum in antiquis concessorum gratiis fouere & conseruare illesam: verum nouis indies prærogatiuarum muneribus, largitionibus, compendiisq; decorare.* Inde Anconitano, Pisaurensi, aliisq; autumnalib. finitimorum oppidorum mercatib. abrogatis, Recineti duntaxat Septembri mense (ornando scilicet diei natali B. Mariæ) celebrari emporium iussit. Adhæc Recinetensis emporii, immunitatumq; nuntiis ad barbaras quoq; nationes, non tantum ad Christianos populos circummissis, eo euocauit vndique mercium institores. Ergo gentium generumque omnium mercatores hac forma exciti, Recinetum ad indictum mercatū confluunt, Itali, Dalmatæ, Germani, Flandri, Græci, Armenii, Iudæi denique Hispania nuper expulsi, Turcæq;. Institorū ergo complores eo usq; generis, seu miraculo loci (& vicinitas inuitabat) ad Lauretanam Ædem veniisse constat, nec quenquam aditu prohibitū, præter obstinatos in auita superstitione, Turcas, Iudæosque, ne videlicet proiicerentur margaritæ ante porcos. Græcos vero, & Armenianos (tametsi plerig; eorū schismatici essent) religione erga B. Virginem cum Latinis certasse accepimus: plures eorum detractis in ipso Templi aditu sibi calceis, manibus & oculis sublatis in cælum, ad Sacrosanctam accessisse Domum: quo vbi ventum esset, ad limen procubuisse venerabundos: ibiq; prostratis humi corporibus, Deū Deiq; parentem adorasse, demū ad conspectū Virginis, aramq; adrepsisse genibus, Iesu Mariæq; nomina enixe inuocantes. Hoc porro Recinetēsis mercatus à Leone instituta celebritas plurimos de inceps durauit annos, ingenti cū Lauretanę celebritatis incremento. At Leo ne quā Lauretani cultus amplificandi omitteret viam, ad vltimum fanxit, ne vota adeundæ S. Mariæ Lauretanæ vllo modo possent cū aliis pietatis operibus cōmutari. Proinde votū hoc quinq; illis vulgo excipi solitis aggregauit. Et est diploma honorario procœmio insigniter ornatū: quod quia est ad Lauretanæ Virginis laudem insigne, attexere placuit. *Gloriosissimæ Virginis Matris Dei Mariæ, à cuius laudibus sicut neminem cessare fas est, ita ad illas explendas neminem sufficere arbitramur. Cū siquidem nullū promptius miseris, aut efficacius peccatoribus refugium apud Deū inueniatur, merito totius animi mentisq; affectibus recolentes illā in cælis primū adorādam, deinde vbiq; in terris venerandā, & loca eius nomini dicata omni studio ornanda esse censemus, & illa maxime, quæ ipsā B. Virgo sibi Angelicis comitata cœtibus elegit, & assidue in eis ad Christi fidelium auxilium & sublenationē miracula fere innumera operatur. Inter quæ omnium consensu testimonio ac deuotione locus ille Lauretanus fama celebris, ac deuotorum frequentia cultissimus merito habetur primus. Cum enim Beatissima Virgo (fide dignorum comprobatum est testimonio) è Nazareth imaginem & cubiculum suum diuino nutu transferens, postquam apud flumen Dalmatiæ oppidum primo & deinde in agro Recinetensi in loco nemoroso ac rursus quodam in colle eiusdem agri particularibus personis addicto posuit. Demum in via publica vbi modo consistit illud angelicis manibus collocando sibi delegit, & in eo assidue miracula innumera illius meritis operatur Altissimus. Ob quod complures Romani Pontifices prædecessores nostri, & præcipue fel. rec. Paul. II. Sixtus IV. & Iulius II. Sacratissimæ Virginis merito deuotissimi, quo populum Christianum omnipotenti Deo & Virgini Matri redderent acceptabilem, Ecclesiam Lauretanam, quo tanto miraculo creuerat, & augetur indies, variis, ac præcipue spiritualibus decorarunt muneribus.* Et cætera, quæ sequuntur. *Tursellin. Lauret. hist. cap. 16. lib. 2.*

XXIV. *Aragoniæ Regina Lauretanā domū visitant.*

Per ea tempora Lauretanæ Religionis ac celebritatis fama Neapolim perlata duas Ioannas Aragonias, seniorem & iuniorem, (Reginas Neapolitanas, quia regia stirpe genitæ erant, vulgus appellabat) ad templum miraculis maxime inclytum visendum accendit. Itaq; magnifico sane comitatu Nea-

politā-

politani Regni interiora penetrantes, per Samnites in Picenū transeunt, ingenti populorum, quacunque transibant, gratulatione cultuq; exceptæ. Quo tempore Leonis præcipue magnificentia enituit. In omnibus Pontificiæ ditionis oppidis, quæ erant in via, Reginas regio apparatu excipi iussit, non tam illarum cultui, quam Lauretanæ Virginis celebritati fauens. Cumulatissimam insuper delictorum veniam, & ipsis Reginis & cæteris Lauretum ad illarum aduentum accurrentibus, eodemque die Lauretanam Ædem rite venerantibus impertiuit. Annus huius seculi Reginarum aduentu insignis fuit, & extat in Piceno celebre huius rei monumentum. Fama est per eam occasionem in agro Montis Sancti (oppidum id est inter Lauretum & firmum) viam illam pulcherrimam esse stratam, quæ hodieque via Reginarum vocatur, ab his videlicet Reginis olim appellata, in quarum gratiam sterneretur. *Tursellin. Laur. hist. cap. 15. lib. 2. Rier. in Annal. Laur.*

In Cathalonia, hoc anno, campana quædam quæ mortem Regum Aragoniæ portendere solet, sponte sua, nemineq; aut mouente aut tāgente, horis XIII. integris sonuit: quā rem Ferdinandus Catholicus mortis aut calamitatis alicuius superuēturæ metuens, Pontifici significauit.

Eodem anno Iudæus Pfefferkorn dictus, Halæ Saxonum, quod Sacrosanctam Eucharistiam prophanasset, combustus est, *Author antiquitatum Saxoniæ.*

ANNO CHRISTI MD. XV.
LEONIS PAPAE X. ANNO 2. & 3.
MAXIMILIANI ROM. REGIS ANNO 30.

I. *Ludouici Galliæ Regis obitus & laus.*

HEre per vniuersum hunc annū Pontificem Maximum Gallici motus tenuere: quando Ludouico Regi vita functo Franciscus Angolismensium Dux succedens, Mediolanensi imperio recuperando, Leo autem Pontifex Gallis Italia arcendis, adeoque Italicæ quieti, diuersa studia agitarent. Initio huius anni Ludouicus, dum ætatis suæq; imbecillitatis oblitus, nouæ nuptæ decimum octauum annum agentis, forma atque indole præstanti cupide operam daret, febre oppressus, & alui profluuio accedente, Calendis Ianuarij repēte ex hac vita migrauit: Rex sane iustus, & populis suis valde gratus: sed qui nec ante, nec postquam regnum est adeptus, vel aduersam, vel secundam fortunam vnquam constantem & firmam habuit. Nam cum ex paruo Aurelianensium Duce, Caroli ipso iunioris, & duorum eius liberorum morte felicissime Galliæ regnū esset consequutus, Insubriæ imperium, & deinde Neapolitanum occuparat: ita vt Italia vniuersa per multos annos fere ex eius arbitrio penderet: Genuam item rebellantem summa felicitate recuperauit: Venetos gloriosissime vicit, atq; his duabus victorijs ipsemet interfuit. Contra vero iuuenis adhuc, à Ludouico vndecimo eius filiam sterilem, ac pene monstrosam vxorem ducere coactus fuit: nec tamen eo matrimonio soceri beneuolentiam patrociniumue sibi comparauit: & post eius mortem, ob Borbonij dominæ potentiam, ad noui Regis pupilli administrationem non admissus, atq; in Britanniam citeriorem fugere pene coactus; deinde in Santalbini prælio captus, duos annos captiuus fuit. His addenda sunt, Nouariēsis obsessio & fames: tot clades in regno Neapolitano acceptæ: Mediolanensis imperij, Genuæ, & omnium locorum Venetis ademptorum iactura: bellum à potentissimis hostibus Galliæ regno intra proprios fines illatum: quo tempore imperium suum ad grauissima pericula redactum vidit. Sed tamen eo tempore obijt, cum secunda fortuna ad eum redire videbatur: Suum enim regnum defenderat: cum Angliæ Rege pacem, affinitatem, maximamque necessitudinem contraxerat, & in magnam Insubrici imperii recuperandi spem venerat. *Guiciardin. lib. 12.* Inerat Ludouico facetiarum facilitas, vt eius multa vel salse, vel lepide dicta circumferantur, in quorum possessionem vulgus iam inuasit. Annam Reginam cum videret cupidine dominandi flagrantem, multa se quoque inscio moliri; Vxori pudicæ multa aiebat condonanda. Eandem acrius instantem, tundendo adepturam se sperantem, vt desponderet Carolo Maximiliani Cæsaris nepoti Claudiam filiam, fædus aiebat velle pacisci inter musculos domesticos & æluros. Atque eidem occinenti eadem æque studere, atque adeo erga nurus ita animum induxisse omnes socrus, vt eis iniquæ sint, ita respondit: Itane vero tantidem esse putas, præesse Britanniæ minori obnoxiam filiam Gallicis Regibus, quanti nuptā potentissimo Regi vna nobilissimi regni commodis frui? Visne, inquit, clitellas asini ephippiis equi præferre? Principio & ceruos cum ceruis cornibus amplis insignitas à natura: at cum ceruæ ceruis se præferrent, indignatum Deum, excornes vt in posterum prodirent, imperasse. Solebat enim vel fabella, vel apologo quid sentiret efferre, admonens Reginam, ne sua sibi insolentia potentiam minueret. Eidem dicenti futurum, vt claudicantem leuiter filiam gener contemneret, id ingessit: Certum esse amorem morum, futurum vt formam ætas popularetur. Iniurias priuato sibi illatas regnum adeptus vlcisci noluit, dictans: Parum decorum esse Regi Gallico, iniurias illatas Aureliorum Duci vlcisci. Lugduni deprehensus ab aulicis duobus viuo Carolo & antequam nosceretur, vexatis multis verborum contumeliis, cum illi conturbati Carolo mortuo abiissent, absentes sua spōte reuocauit, pristinæq; dignitati restituit, exuisse sese personam Aureliorum Ducis dicens: proinde Regi nihil hæc curæ esse. Plebes & rusticos pascua aiebat esse tyrannorū & militū: milites & tyrannos pascua esse dæmonū. Cum audiret Bernenses eos qui Iohanni Nauarorum Regi parent, nobilitatē ex æquo omnes iactare: Atqui, aiebat, decem nobilibus eiusce gentis, vnicus ensis satis superq; fuerit. Hoc & in Pictonicos iactitabat. Cum audisset Franciscū Gallicum Cæsarem, qui postea regno potitus est, magno ære alieno contracto, Regia quoque pecunia à Quæstoribus mutuo sumpta, anxium esse, rationes hæ in fiscum quo referrentur, ipse quidem eum vacuo esse animo iussit, hac tamen fabella admonuit: Equitabam cum patre meo: proximus mihi videbar oppido in quod perueniendum nobis erat. Itaque visis templi pinnis altiusculis, cum è via languerē, ad patrem conuersus; en iam, aio, confecta via; peruenimus ad oppidum (aberamus vero ab eo loco multis stadiis) ille ad me cōuersus: Adolescens (inquit) ne posthac pinnis) visis tēplorum, iter te executum dixeris: tacite innuens, indignū esse, vt spe & specie largitionis, nondū adepti principatus cōmoda se percepturū existimaret. Vnus magni nominis corā eo concionans, argutissimis disputationibus concionem clauserat, dum in dubium reuocat: Si Dei Optim. Maxim. specie dæmon viro integræ vitæ appareat, isque se coli iubeat, si is pro Deo dæmonem habens coluerit, an is in sacrosanctæ persuasionis violatæ crimen inciderit? Eo audito, qui magis deliraret vidisse se neminem, aiebat. proinde futurum vti post hac concionibus sacris abstineat, nisi concionatores lites eas bona inter se fide componant. Gloriabatur, cum solicitum suspicionibus regnum, suspensum metu, perturbatum nouis consiliis Carolus tradidisset, id se Francisco florenti & ætate & viribus tranquillū relicturum. Antonio Viuonio, dum ex condicto vnusquisque narraret, quibus studiis adolescentiam traduxisset, dicenti se pelle vituli contectum, in aucupium quo aues falleret descendere solitum: Tu vero, ait, haud omnino adhuc vitullinam pellem exuisse videris: notans in eo socordiam apertam. Nam Galli socordes & stultos, vituli nomine designare soliti sunt. Vnus ex stipatoribus eius Despensius cum Aulico, genere, honore, existimatione, principe suæ familiæ, exarserat iracundia, cum stipator nobilitate generis non se esse inferiorem Aulico iactitaret, erantque eo nomine in certamen venturi. Hos ante se sisti iubet Ludouicus, rogatque stipatorem, vnde ei genus, qui ita se conferret nobilissimo homini. Tum ille eo se genere natum ait, quo nullum sit nobilius. Id quidem fateri, Regem ortum stirpe Noe: sibi vero genus esse ac gentilitatem ex alterutro eorum, qui cum Noe fuissent eo tempore, quo vniuersus orbis aquis submersus est. Cachinnum dicitur Rex sustulisse, in stipatorem, quasi eadem gentilitate sibi coniunctum, conuersusque ad Aulicum magnæ nobilitatis, rogauit, despiceretne eum cui genus esset Regium, sibique æquale: eoq; ioco placauit vtrumque, dextramque por-

rexit ambobus. Vtriusq; enim animi magnitudinem perspectam habens, iacturam se neutrius facere volebat: quod necesse erat, si ad singulare certamen venissent. Baionensem Centurionem, & Lemouicensem superbius de ordine & exitu prælii differentes hactenus tulit, vt Baionensi diceret, Cum te rogabo pernas quomodo salire oporteat in dolio vel seria: Lemouicensi autem: cum te rogabo, castanea qua in terra, & quo pacto repastinata serenda, & quibus campis rapa & napus lætentur, tum demum respondeto. Silente vtroque, conuersus ad Lemouicum, Nostin', inquam, in alio solo rapam biennio satam conuerti in napum: in alio napum raporum accipere speciem? Ita & tu hausisti à Baionensi superbiam, ille à te ignorantiam quæ sic insolescat. Libros M. T. de Officiis, Catonem Maiorem, Lælium, Paradoxa, Oratiunculas aliquas in Gallicam linguam, etsi parum fideliter versa, summopere exosculabatur. Valde delectabatur M. T. dicto, quo Cæsarem admonuerat: nullam de virtutibus eius plurimis, nec gratiorem, nec admirabiliorem clementia: homines ad Deos nulla re propius accedere, quam salutem hominibus dando: nihil habere nec fortunam Regiam maius quam vt possit: nec naturam melius quam vt velit conseruare plurimos: eaque Francisco genero sæpe inculcabat, conducere arbitratus, talibus aureis eius vocibus vndique circumsonare. Delectabatur & Commentariis Iulii Cæsaris in linguam patriam euersis potius quam versis: ita erroribus scatebant: laudanteque Hieronymo Alcandro clementiam Cæsaris, ipse quidem laude non indignam, cæterum temporariam & alliciendis Romanis ostentatam aiebat: exemplum afferens ex Vxeloduni deditione, cum deditis Cæsar omnibus qui arma tulissent, manus præcidisset, vitamque concessisset: & Galliam ipsam pacatam per se, specie belli vndique conquisita, vexasset & spoliasset. Fidelitatem quoque Cæsaris se desiderare aiebat his in Commentariis, in numero aut cæsorum, aut eorum qui ex vrbibus ad bellum prodiissent, referendo: Alexandroque Xerxis numerum terrestrium copiarum referente, quas fuisse CLXX. myriades: & Semiramidis Assyriorum Reginæ, cui fuerat peditatus centum millia, equitatus centum myriades, falciferorum & plaustrorum decies decem millia, virorum in camelis pugnantium idem numerus; aliorum camelorum (vbi opus erat) vicies dena millia: naues in Bactris ter mille: elegantia venustateque verborum abundantes exteros, historiæ veritatem aiebat transgressos: tantumque abesse, vt aut quæ de Xerxe, aut Semiramide scripsissent, vera sibi esse persuaderet, vt & in probatissimis historiis corruptos interdum numeros bellatorum vereretur: quos & à Valerio Antiate vanissime auctos T. Liuius passim fatetur. Aiebat vero Græcos, qui pauca gessissent, disertissime historiam scripsisse: Romanos & diserte scripsisse, & res gessisse historia non indignas: Gallos, multa strenue cum gessissent, nihil litteris mandasse. Aleandrum Rex, cum Lutetiæ summo auditorum concursu Gryphum Ausonianum primum, & Theodori Gazæ Græcæ linguæ Grammaticis institutiones: mox & Platonis Timæum, & M. Tullii Ciceronis librum de vniuersitate enarraret, quingentorum nummum aureorum stipendio annuo fouerat. Ea liberalitate factum est, vt ad mansuetiorum Musarum studia plures confluxerint. Rogabant Lascaris, & Robertetus susciperet causam Benedicti Scaligeri aduersus Venetos, qui Veronam aliaq; oppida Scaligeris extortissent: at ille vetere versu respondit: Non sibi his esse opus, qui pro diuitijs titulos, & tumulos demum auorum ostentare soliti sint. Narrabat Copus Basileensis medicus, Regi acceptissimus, ex veteribus scriptoribus, ceruos qui ex Sicilia in Calabriam ac Rhegium vrbem transnarent per æstatem desiderio pabuli, longitudine natationis defessos, quod onus capitis super aquas extantis non facile perferant, ad leuandum laborem hanc rationem inire: natare quidem ordine cunctos, vnius ductum alio post alium sequente: ita videri exercitus imaginem, congruo ordine incedentis. Inter natandum vero singulos super anteriores caput imponere: ac si accidat ordinis decurionem animo labare, mox hunc in tergo locari, alium vero decurionis in locum substitui, quasi nouus tergi ductor declaratus sit. Ita repræsentari aciem, in qua Aubignius tergum, frontem Grinianus regat, vtque adeo etiam ad ceruos militaris disciplina transiisse videatur. Hæc narrantem intuitus Rex, risu diffluens: Non mirum igitur si apud Rhegium cerui, disciplina astuque militari pollentes, Gallos crista feroces deuicerint: innuens Gallos militari potius astutia, quam robore Apulia Calabriaque depulsos. Cum Lutetiæ obambulans, obuios quosdam haberet è Senatu, qui raptim ad Senatum properabant: Annon, inquit, hi ad nundinas videntur proficisci? Imitatus Stratoclem & Dioclem qui sese mutuo ad messem auream inuitabant: ita enim tribunal & Curiam vocabant. Cum audiret Armeniacum efflictim deperire puellam Neapolitanam, quæ vultu esset adeo modesto, adeoque venusto, vt nihil supra: Grauem esse aiebat tyrannum voluptatem, quæ ea demum concupiscat quorum sit copia angustior. Pragmaticos forenses variis cauillis impetebat. Itaque valde laudabat aruspicis augurisque eius responsum, qui consulenti quid oculis maxime prodesset, respondit: Si Pragmaticum patronumque rarissime videris. Ipse Lutetiæ persæpe quum Liliatis subselliis ius dicebatur, intererat, patronosque disertos non illibenter audiebat. Eos tamen sutoris artificium impudenter sibi vendicare aiebat. Namque quod sutoris est proprium dentibus alutam producere: hoc patronos in dilatandis prudentum responsis & Cæsarum legibus facere aiebat. Itaque principatum adeptus, multa statuit quæ videbantur vtilia ad litium anfractus tollendos; sed ea adhibitis prudentissimis hominibus vtriusque ordinis. Mortuo Carolo, perlegens, libello oblato, Caroli domesticos, duorum ex ijs cum quibus simultates olim gesserat priuatus, nominibus crucem addidit: illi conturbati abeunt, crucem sibi rati paratam. At mox humanissime reuocantur: eo enim se signo obliuisci ait simultatum. Supræfectum Aurelianēsem quo familiariter priuatus erat vsus, sępeq; sordium reum liberarat: cum in eo essent omnia ad perniciem profligata, damnari passus est, id adiiciens: Contendi priuatus pro amico; regnum cum sum adeptus, leges mihi tuendæ: Nactus ad Braccum Lutetiæ Senatores Parisienses, qui sese pilæ ludo oblectabant, acriter increpitos, si post hac depræhenderentur, pro Senatoribus habiturum se eos stipatorum loco edixit: pertinere hoc ad maiestatem senatoriam putans, si minus occupati ludicris publicis viderentur: Susurrones adulatoresq; aula exegit. Aulicos, gregariosq; milites, ac nobiles, si quos ex his iurisiurandi religionem contemnere rescierat, odio prosequebatur, temereque iurantes variis edictis coercuit, vsus ea in re consilio Guillhelmi Parui, qui a sacris confessionibus illi erat. Denique ea moderatione Gallis imperauit, vt defunctus integri Principis, Patrisque patriæ nomen retulerit. *Ferronius lib. 4.*

Ludouico XII. Franciscus Angolismensis, illi inter Regiæ stirpis mares cognatione proximus, atque ex eodem Aurelianensium Ducum genere prognatus, defuncti Regis filiabus in regni successione, Salicæ legis in Galliæ regno vetustissimæ, qua dum ex eadem stirpe mares supersunt, fæminæ ab Regia dignitate excluduntur, beneficio antepositus successit: de cuius virtute, animi magnitudine, generosoque ingenio, tantam omnes spem conceperant, vt nullus esset, qui neminem à multis annis maiore expectatione ad regnum peruenisse, non fateretur. Summam enim illi gratiam conciliabant ætatis, cum viginti duorum annorum esset, flos, corporis egregia forma, ingens liberalitas, eximia erga omnes humanitas, & plena multarum rerum cognitio. Inprimis vero nobilitati, cuius se summum fautorem ostendebat, vna cum Galliæ Regis appellatione Mediolanensium quoque Ducis nomen, vtpote quod non modo veteri Aurelianensium Ducum iure, sed etiam diplomatis à Cæsare in Cameracensi fædere concessi beneficio ad se spectaret, assumpsit. Nam & eodem quo superior Rex, eius imperii recuperandi desiderio flagrabat: ad quod non modo ipsum, sed & omnis Gallicæ iuuentutis flos, Gastonis Foissei gloria, & tot à proximorum Regum in Italia victoriarum memoria incitabat: quamuis de suorum consilio, ne alios ante tempus, qui sibi resisterent, inuitaret, eam cupiditatem dissimularit. Interea, vt in regni nouitate fit, amicitiæ cum aliis Principibus contrahendæ operam dabat; quo-

um multi ſtatum Legatos ad eum miſerunt: quos ille hilari fronte, ſed præcipue eos qui ab Anglo mittebantur, accepit: qui, cum iniuria ab Hiſpano accepta recens eſſet, cæptam cum Ludouico Rege amicitiam cum eo conſeruare cupiebat. Venit & eodem tempore ab Archi Duce legatio, cuius prifceps fuit Naſſouius regulus, cum magnæ ſubmiſſionis tamquam erga ſupremum dominum, quod Flandriæ Comitatum Galliæ Regum beneficio poſſideret, ſignificatione. Vtraque legatio cito re feliciter dimiſſa. Nam cum Anglo fœdus inter ipſum ac defunctum Regem ictum, ijſdem legibus dum vterque viueret confirmatum eſt: & Scoto trium annorum ad deliberandum num fœdere comprehendi vellet ſpacium conceſſum. Cum Archiduce vero multa quæ pleriſque concordiam impeditura videbantur ſunt remota, ſed Archiducem qui tutelam egreſſus, recenter regnorum ſuorum adminiſtrationem ſumpſerat, multæ cauſæ adhoc impellebant: Flandriæ populorum bello cum Galliæ regno abſtinere cupientium flagitationes: impedimentorum quæ ſibi in aui morte, ad Hiſpaniæ regni ſucceſſionem à Gallis afferri poſſent amouendorum ſtudium: & quia abſque amicitiæ vinculo ſe medium inter Galliæ & Angliæ Reges fœdere iunctos relinqui periculoſum exiſtimaret. Viciſſim quoque Francus, omnes occaſiones quæ illum ad aui paterni vel materni authoritatem conſiliumue ſequendum cogere poſſent, amouere ſummopere cupiebat. Itaque Lutetiæ Pariſiorum pax inter eos & fœdus perpetuum ictum: & Cæſari atque Hiſpano, ſine quorum authoritate Archidux id agebat, locus in trimeſtre tempus relictum: quod coties agitatum fuerat, vt Renata Ludouici Regis filia Archiduci in Matrimonium daretur, de eo ſic conuenerunt, vt ei ſexcentorum aureorum numum millia, & Berrienſis Ducatus, ipſi eiuſque liberis in perpetuum dotis nomine traderentur: eaque quia tunc admodum erat parvula, vbi ad nonum ætatis annum peruenniſſet ſtatim ei daretur: ea tamen lege, vt omnibus quæ ad eam ex paternis vel maternis bonis hæreditario iure peruenire poſſent, & nominatim Mediolani & Britanniæ citerioris iuribus cederet: Francis vero eum poſt Catholici Regis obitum nauibus ac militibus quibus in Hiſpaniam duceretur iuuaret. In Franci gratiam Gheldrenſium Dux nominatus fuit: & præter ea quæ dicta ſunt, nonnulli aiunt pactum fuiſſe, vt poſt tres menſes legati vtriuſque nomine ad Aragoniæ Regem mitterentur: qui vt Archiducem illorum regnorum principem (ſic illi eum ad quem regni ſucceſſio ſpectat appellant) proclamari, eique populos ſacramento obſtringi iuberet: Nauarræ regnum reſtitueret, & ab Inſubriæ imperio tuendo abſtineret, ab eo peterent. Nec dubium erat, quin ſi duo principes in fœdere ineundo, magis præſentis commodi, quam eius in poſterum ſeruandi rationem habuerint. Quod enim fundamentum in connubio, quod pactum fuerat, cum ſponſa nondum quartum annum attigiſſet, eſſe poterat? & quomodo Galliæ Regi, Renatam Archiduci in matrimonium tradi placere poterat, cui cum ipſe eius maiorem natu ſororem in vxorem haberet, in Britonum Ducatum actio competebat? Britones enim proprij Ducis aliquando denuo recipiendi cupidi, quum Anna princeps eorum ad ſecundas nuptias tranſiuit, vt ſi maximus natu ex eius poſteris Galliæ regnum adipiſceretur, ad ſecundum Ducatus ille tranſiret pacti erant. Cum Hiſpano quoque Francus, de inducijs cum ſuperiore Rege factis (ſed Mediolanenſis imperij illis vigentibus non infeſtandi lege ſublata) prorogandis agebat, ſperabatque ſe poſtea facile cum Cæſare conuenturum. quam ob cauſam Venetis, qui ſe ad fœdus cum ſuperiore ictum renouandum paratos offerebant, quia ad fœdus cum Cæſare contra illos ineundum liber eſſe volebat, nihil certi reſpondebat. At Hiſpanus, & ſi vt ſemper bellum ab Hiſpaniæ finibus amouere cupiebat, nihilominus quia quantam ſuſpicionem inducia prorogatæ Heluetijs eſſent allaturæ, idque cum iam nec eius verbis fides haberetur, nec conſilia audirentur, in cauſa fore, vt Pontifex, qui ad eam vſque diem anceps fuerat, Franci ſocietatem amplecteretur, cogitabat: tandem ſe inducias niſi ijſdem legibus quibus eas cum ſuperiore Rege renouarat, prorogare nolle reſpondit. Franciſcus igitur hac ſpe excluſus, & Cæſarem Hiſpano diſſuadente ſecum minime conuenturum ſperans, fœdus cum Veneto Senatu ijſdem legibus quibus cum ſuperiore ictum fuerat ſanxit. Relinquebantur Pontifex & Heluetij. ab his vt legatos ſuos admitterent petijt. Sed ipſi in eadem pertinacia perſiſtentes, publicam fidem eis dare recuſarunt. Cum Pontifice, ex cuius arbitrio prorſus pendebant Florentini, nihil aliud tunc egit, niſi illum, vt ſe integrum liberumque conſeruaret, quo vbi verum ſucceſſus eum ad ſeſe declarandum allicerent, meliorem partem poſſet eligere, eſt hortatus: illud addens, eum numquam ab vllo quam à ſe ſibi & familiæ ſuæ candidiorem benevolentiam, integriorem fidem, ampliores conditiones habiturum. His igitur rerum ſuarum iactis fundamentis Rex, magno ſtudio maximam pecuniæ vim comparare: ſuum equitatum ad quatuor millia ſupplere: hæc vero non quod eo anno alios lacеſſere vellet, ſed vt ſe Heluetijs, qui ei, niſi ea quæ defuncti Regis nomine Diuione promiſſa fuerant præſtaret, bellum vel in Burgundiam, vel in Delphinatum minabantur opponeret, ſe facere aiebat. quæ ſimulatio apud multos veritatis fidem inuenerat: idque proximorum Regum exemplo, qui ſemper primo regni anno noua bella vitarant. Sed non eadem in Cæſaris & Aragoniæ Regis animis opinio imprimebatur: quibus Regis adoleſcentia, & totius Galliæ regni in quo tanta gratia atque exiſtimatione pollebat viribus vtendi, qua præ cæteris Regibus præſtabat, facilitas erat ſuſpecta: & noti ingentes apparatus ab Ludouico relicti, quorum cauſa Angliæ Regis metu ſublato, non nouum bellum decernere, ſed potius iam decretum exequi videbatur. Idcirco ne repente opprimerentur, Pontificem & Heluetios ſibi fœdere coniungere nitebantur. Sed Pontifex omnibus bona verba dans, omnes varia ſpe fouere nitebatur, ſeque quarumnam eſſet partium prodere differebat. In Heluetijs primus ardor non modo perſeuerabat, verum etiam continenter augebatur. quoniam eius cauſæ quæ ex publico dolore, nimirum ob penſionum auctum denegatum, ob Germanos pedites ab Ludouico Rege ad ſtipendia accerſitos, & ob contumelioſa & faſtus plena verba, quibus in illam gentem vſus fuerat, originem habuerant, dolore, angoribus, & cupiditatibus priuatis auctæ, ob inuidiam qua multitudo in multos priuatos ciues qui Franco donati penſiones accipiebant, ferebatur: & quia illi qui ſe Gallicæ factionis principibus, quos tunc vulgo Gallizantes appellabant, vehementius oppoſuerant, eam ob cauſam plebis fauore, exiſtimationem, potentiamque adepti, ne ſi reſpubl. denuo Gallis coniungeretur, ipſorum autoritas minueretur metuebant, adeo vt cum hæc non reipub. charitate, ſed ambitione & ciuilibus diſſidijs agitarentur, ac diſceptaretur, Si Gallicæ factionis ſtudioſos autoritate ſuperarent, effecerint, vt Galliæ Regis maximæ, imo immenſæ pollicitationes, reijcerentur. In hoc animorum rerumque ſtatu, Cæſaris, Aragoniæ Regis & Mediolanenſium Ducis Legati, apud Heluetios ſimul coniuncti, Principum ſuorum nomine cum eis fœdus ad Italiæ defenſionem, Pontifici quinquaginta dierum ſpatio ad deliberandum relicto, percuſſerunt: quo decretum fuit, vt Heluetijs triginta aureorum millibus ſingulis menſibus ab reliquis acceptis fœderatis, quo Galliæ Regem Inſubrici imperij iuribus cedere cogerent, vel in Burgundiam vel in Delphinatum erumperent: & Hiſpanus magnis copijs aut Perpeniatrum, aut Fonterabiam verſus Galliæ regno bellum moueret, vt Francus proprium regnum tueri compulſus, ſi forte aliud in animo haberet, Mediolanum inuadere non poſſet. Rex cum in Inſubriam bellum pararet, aperte à Pontifice vt ſecum faceret petere cæpit; & ad id præter multas rationes & inſtrumenta, Iuliani eius fratris opera vtebatur, qui recenter cum Philiberta Caroli Sabaudiæ Ducis ſorore, & Regis matertera matrimonium contraxerat, eique ex Pontificis pecunia mille auri pondo dotis nomine dederat: quæ res Pontificem ipſius amicitiæ cupidum eſſe, quum ſe illi tanta affinitate coniunxiſſet, ei ſpem fecerat: idque eo magis, quia quum antea cum Catholico Rege de Iuliano cum quadam eius cognata ex Cardonia familia coniungendo egiſſet, magis ipſius gratia quam aliam ob cauſam, has nuptias illis antepoſuiſſe videbatur. nec dubitabat, quin Iulianus, alicuius dominatus, quo tanto matrimonio dignos ſumptus ferre, & perpetuam ſibi recenter à Pontifice, Mutinæ, Regij, Parmæ & Placentiæ traditam præfecturam, qua niſi potentium Principum fauore niteretur, poſt fratris obitum exigua ſpes erat, melius confirmare poſſet, eius opeadipiſcendi ſtudio, eam rem eſſet promoturus.

Sed

Sed cito Regis ſpes turbari cæpit: quoniam Pontifex Aragoniæ Regi, Hiſpanici regni duorum annorum in ſacrum bellum pecuniam deſtinatam, quæ ſupra decem millia auripondo futura credebatur, conceſſerat: & Albertum Carpenſem, atque Hieronymum Vichium, Cæſaris & Hiſpani Oratores, qui ita aſſidui apud illum erant, vt omnium eius conſiliorum participes eſſe viderentur, magna propenſione audiebat. Hanc dubitationem Pontifex grata verba reddens, mentemque benignam ijs qui pro Rege agebant oſtendens, fouebat: ſed nihil decernebat, vt qui præ cæteris rebus omnibus, Mediolanenſe imperium ad exteros deinceps peruenire minime cuperet. Quamobrem Francus, qui eius mentem exploratam habere cupiebat, nouos ad eum legatos miſit: inter quos fuit Guilielmus Budæus Lutetianus, vir in humanioribus litteris tam Græcis quam Latinis inter omnes huius temporis homines ſumma ac fortaſſe ſingulari eruditione præditus: poſt quos Antonium Mariam Palauicinum, hominem Pontifici gratum miſit. Sed irriti erant hi labores: quoniam iam ante eius aduentum, menſe Iulio ſeſe cum aliis occultiſſime ad Inſubriæ defenſionem coniunxerat. Et quia id donec neceſſitate vrgente ſeſe declarare cogeretur, occultiſſimum eſſe, & eius rei aliquem prætextum habere cupiebat, modo vt Parmam atque Placentiam Pontificio imperio permitteret, modo alia ab Rege peteret: vt ſi aliquid eorum ſibi denegaretur, magis coactus quam ſponte cum Regis hoſtibus facere videretur: modo Regem ſibi aliquid eorum quæ non penitus abſque honeſti aliqua ſpecie proponere poterat, denegaturum diffidens, varia, dubia & ambigua reſponſa dabat. Sed erant viciſſim alii, qui iiſdem artibus & prudentia cum eo certarent. Nam Octauianus Fregaſius Genuenſium Dux, potentiſſimos Galliæ Regis apparatus veritus, cum etiam viciſſim fœderatorum ob Mediolanenſium Ducis ac Heluetiorum erga ſuos aduerſarios propenſionem, victoriam ſuſpectam haberet, per Barbonium clam cum Franco conuenerat: quum tamen & dum id ageret, & poſtquam perfectum eſt, ſemper conſtantiſſime contrarium Pontifici aſſeueraſſet. qui, quoniam Octauianus ipſi & Iuliano fratri veteri benevolentia conſtantiſſimus fuerat, & ab ipſis ad Genuæ principatum adipiſcendum adiutus, tantam eius dictis fidem habuit, vt cum Mediolanenſium Dux ſuſpicione ex ea fama concepta cum quatuor Heluetiorum qui iam Nouariam venerant millibus, & Adurniis atque Fliſcis coniunctis ei bellum inferre ſtatuiſſet, Pontifex, ne vlterius progrederetur autor fuerit. Fregoſius in hunc modum pactus eſt: Regi Genuæ imperium vna cum Caſtelleto reſtituitur: Octauianus Ducis nomine depoſito, perpetuis pro Rege Magiſtratuum ac munerum concedendorum cum poteſtate eſto. Ab Rege centum cataphractis præficitor: Diui Michaelis equeſtri ordine, ac quoad vixerit annuo ſtipendio donator: Rex Codienſem arcem Genuenſibus valde odioſam ne inſtaurato: eique ciuitati omnes leges & priuilegia qui ab Ludouico Rege ſublata, & combuſta fuerant, reſtituito: Federico Salernitano Archiepiſcopo Octauiani fratri, certa è Sacerdotiis vectigalia, certaſue penſiones aſſignato: & Octauiano, ſi quando contingeret vt Genua pelleretur, nonnulla caſtella in Prouincia dato. quibus in lucem proditis, Octauiano, quia omnes illum merito Mediolanenſium Ducem & Heluetios metuere norant, conſilii ſui iuſtam cauſam afferre, minime difficile fuit. Illud modo ei notam inurebat, quod totics Pontifici à quo maximis beneficiis affectus fuerat, verum negaſſet; ac de nulla citra eius conſenſum pactione cum quoquam facienda datam fidem non ſeruaſſet. Sed tamen copioſa epiſtola quam poſtea hac de cauſa ad eum ſcripſit, omnibus cauſis quibus motus id fecerat, omnibusque excuſationibus, quibus apud eum famam actioneſque ſuas, & quod obſeruantiam qua eum velut Pontificem, & à qua multa beneficia acceperat, non neglexiſſet, tueri poſſet, accurate enumeratis, tandem huius notæ dilutionem ſibi, ſi ad priuatos homines, vel ad Principem qui priuatis rationibus regnorum res metiretur ſcriberet, difficiliorem fore affirmauit: ſed quum ad omnium huius ætatis Principem ſapientiſſimum, quique pro ſua ſapientia, ſuum ipſum ſtatum alia ratione conſeruari non potuiſſe perſpiceret, literas daret, apud eum qui quid liceret, vel ſaltem quid Principes non modo cum ad eum ſtatum ſunt redacti, verum etiam imperii augendi, vel in meliorem ſtatum redigendi gratia facere conſueuerint, optime cognoſceret, ſciretque, ſe excuſare ſuperuacaneum eſſe. Sed iam res ex verbis & conſiliis ad facta & expeditionem deueniebant. Rex cum omnibus Galliæ nobilibus, & Lotharingiæ ac Gheldrenſium Ducibus Lugdunum profectus, exercitum alpes verſus mouebat, omnium qui iam à multis annis ex Gallia in Italiam tranſiiſſent maximum & florentiſſimum, ab omnibus trans alpinis perturbationibus tutus. quoniam Aragoniæ Rex qui ante, ne tanti apparatus in ſe conuerterentur vertus, fines ſuos munierat: & vt populi ad Nauarræ defenſionem alacriores eſſent, eam Caſtellæ regno in perpetuum coniunxerat, ſtatim vbi bellum aperte in Italiam progredi intellexit, omnes copias quas conſcripſerat, eius quod ſociis promiſerat, ſe eo anno bellum Galliæ finibus moturum non maiore habita ratione, quam eorum quæ iiſdem ſociis ſuperioribus annis recepiſſet, dimiſit. Ad Regis aduentus famam, Neapolitanus ProRex, qui cum multos menſes tacitas inducias cum Venetis habuiſſet, in Vicentinum agrum, vt hoſtibus qui munitiſſimo loco prope Vlmos, non procul à Vicentia caſtra habebant appropinquaret, venerat, exercitum vt (quemadmodum aiebat) Inſubriæ opem ferret, Veronam duxit: & Pontifex, vt & ipſe ei regioni adeſſet, ſuum ac Florentinorum equitatum, ſub fratris, quem Eccleſiæ copiarum imperatorem conſtituerat imperio, in Galliam ciſalpinam, quemadmodum ante multos dies cum ſociis conuenerat, mittebat. quamquam in conſuetis ſimulationibus prudenter ex neceſſitate perſiſtens, ſe eas copias ad Placentiæ modo & Parmæ, & Regii cuſtodiam mittere diuulgaret: & eouſque cum Galliæ Regis Oratoribus eſt progreſſus, vt Rex eius concordiam ſibi certo promittens, Lugdono ad legatos ſuos Parma atque Placentia Pontifici tamdiu donec talem compenſationem acciperet, quam ipſemet Pontifex probaret, conceſſa, tranſigendi poteſtatem miſerit. Sed eas ob cauſas quæ poſt afferentur, erant hi labores inanes. Erat enim fixum vt ſolo Heluetiorum periculo & ſanguine Inſubriæ imperium vel defenderetur, vel amitteretur. Hi nulla negligentia, nec pecuniæ paucitate impediti, ſolicite in Inſubriam deſcendebant, iamque ſupra viginti millia illorum venerant: ex quibus decem millia ad alpes proceſſerant. Illorum namque conſilium erat: earum vallium quæ ex alpibus Italiam à Gallia diuidentibus in aperta loca deflectunt, faucibus occupatis Gallos diſtinere. Rex nihilominus exercitum in Italiam ducebat. Ad illum iam Lugduno profectum, ab Angliæ Rege miſſus nuntius peruenit, qui eum Regis ſui nomine, vt ne Chriſtianæ reipublicæ pacem turbaret, in Italiam ne contenderet vehementer eſt hortatus. Tantæ mutationis cauſa ea fuit, quod cum ei Regi, Galliæ Regis cum Archiduce concordia, quia res illi ex eo nimis iam feliciter ſuccedere videbantur, moleſta fuiſſet: ex hoc initio Hiſpani legatis, qui quam Galliæ Regis, qui tum ob inſitum naturæ odium, tum quia militiæ ſuæ tyrocinium in eum exercuerat, ei non inimiciſſimus eſſe non poterat, potentia ipſi eſſet pernicioſa, oſtendere non deſinebant, aures præbere cæpit: ſed longe magis æmulatione, & illius gloriæ, quæ, ſiquidem ex Inſubria victoriam reportaret, nimium ipſi augeri videretur, inuidia mouebatur: veniebat in mentem ſe, quamuis regnum pacatum, & ob diuturnam pacem opulentiſſimum haberet, tantumque auri à patre congeſti inueniſſet, non tamen niſi poſt aliquot annos regnum Galliæ ſolum tot hoſtibus cinctum, tot moleſtiis feſſum, armis tentare auſum: hunc vero Regem cum ad regni adminiſtrationem peruenit aliquanto iuniorem, quamuis regnum tot bellis fatigatum atque exhauſtum inuenerit, primis regni ſui menſibus expeditionem in qua tot principes aduerſos erat habiturus, aggredi audere: ſe tantis apparatibus, totque occaſionibus aliud nihil quam Tornaci vrbem, intolerandis tamen ingentibuſque ſumptibus, in Angliam retuliſſe: Galliæ autem Regem, ſi, vt credi par erat, victoriam conſequeretur, tam opulento dominatu parto, glorioſiſſimum in regnum ſuum rediturum: ſibi quoque ad regnum Neapolitanum inuadendum viam patefacturum: & fortaſſe antequam ex Italia reuerteretur, eius rei occaſionem captaturum: qui ſtimuli & aculei facile antiquum odium in eius pectore excitarunt.

Idem Lugduni profectus exercitum ad Alpes vertit.

Franciſcus Pontificios & Heluetios opprimit.

Prosper dux belli Pontificii capitur.

Sed cum ad eum armis impediendum tempus non haberet, & fortasse etiam iustiorem causam quereret, hanc legationem ad eum miserat. cuius gratia Rex nihil immoratus Lugduno in Delphinatum, & inde Villam francam descendit, ibidemq; Heluetios & Pontificios, transitum alpium obseruantes, nihil tamen de hostibus suspicantes oppressit. Hic decimaquinta Augusti die Prosper Columna, clari nominis dux, & cum autoritate, tum etiam fide qua in Insubria pollebat, magni ad id bellum momenti, non vt eius antiqua gloria postulabat, captus fuit: atque vna cum illo Petrus Marganus Romanus, & militum ipsius pars; reliqui ad primum tumultum dissipati, in varias partes diffugerunt. Gallorum transitus & Prosperi Columnæ casus singulorum consilia, & rerum omnium statum immutauit, nouaq; studia in Pontificis, Proregis & Heluetiorum animis excitauit. Pontifex enim, qui Heluetios Galliæ Regem alpium transitu prohibituros, sibi cõstantissime persuaserat, & magnam in Prosperi Columnæ virtute spem collocarat, animo valde fractus, Laurentio nepoti Florentinarum copiarum præfecto: cui, quia Iulianus frater diuturna febre detentus Florentiæ manserat, exercitus in cisalpinam Galliam ducendi curam dederat: quique tres dies post Prosperi casum Mutinam venerat, vt lentius progrederetur mandauit: qui Ruberiæ arcis, quam Guido Rangonius occupabat, pro qua tandem ei duo aureorum numum millia numerauit, expugnandi occasione captata, multos dies in Mutinensi Regiensiq; agro consumpsit: & præterea is ipse Pontifex, Cynthium familiarem suum occultissime ad Galliæ Regem, vt res ad eam vsq; diem gestas excusaret, & Allobrogum Ducis opera de fœdere cum illo ageret misit: quo facilius ei esset ex hoc initio, si Mediolanensis imperii defensio aduersum haberet exitum, vlterius progredi. Sed ad magis solers consilium Pontificem impulerunt Bibiena Cardinalis, & nonnulli alij, potius priuatis affectibus, quam principis sui commodi gratia impulsi. Nam cum ei metuendum esse ostenderet, ne rerum ab Gallis feliciter gestarum fama, & Regis incitationibus, & fortasse etiam auxiliis freti, Ferrariensiũ Dux ad Mutinam Regium que recuperandum, & Bentiuoli vt Bononiam redirent arma caperent: quamque in tantis aliis molestiis cum tot hostibus pugnare difficile esset: melius & procul dubio prudentius consilium fore affirmabant, illorum beneuolentiam beneficio ante capere, eosque sibi ad quemuis rerum euentum fidos amicos reddere: quod fieri posset, si Bentiuolos Bononiam redire pateretur, & Ferrariensium Duci Mutinam & Regium restitueret: quod quidem sic illi persuaserant, vt absque vlla mora factum fuisset, nisi Iulius Medices Cardinalis & Bononiæ legatus, quem Pontifex, vt in tam grauibus motibus illarum regionum res tueretur, & Laurentii adolescentiæ quasi moderator consultorque esset, Bononiam miserat, contra sensisset: qui infamiæ notæ quæ ex tam abiecto consilio maior profecto quam Iulii in tanto imperio Ecclesiæ adiiciendo gloria extitisset, Pontificis nomini inureretur dolore, commotus, atque etiam ne legationis suæ memoriam turpem atque infamem redderet, quod ea vix adita Bononiam Pontificii imperii nobilissimam ciuitatem, ith pristinorum tyrannorum potestatem restituisset: totque nobiles qui se contra illos pro Sacrosancta Sede stare professi erant, præda reliquisset: idcirco propriis hominibus ad Pontificem missis, rationibus ac precibus eum ad honestiorem sanioremq; sententiam reuocauit. Proregis quoque hi noui casus consilia variarunt: tum quod militem sine pecunia inde mouere difficulter posset: tum etiam vt recentes copias à Cæsare qui Ispruca venerat, quod Veronæ & Brixiæ idonea præsidia relinquere erat necesse expectaret, nondum Verona profectus, his aliisque coloribus, vt quinam Mediolanensium rerum status esset specularetur, differre cæpit. Heluetios etiam hæc commouerunt: qui simul atque alpes à Gallis superatas viderunt, Pinariolum regressi, postea tũ Regem copias Taurini coniungere certiores facti, cum Clauasium venissent, ob commeatum ipsis denegatum, illud oppidum expugnarunt, ac diripuerunt: deinde Rege Taurini agente, in ipsius pene oculis, Vercellis idem fecerunt: tandem vero Nouariam profecti, eis qui à Gallicis rebus non ita erant alieni ex rebus aduersis animos sumentibus de pace cum Rege Franco agere cæperunt. quo tempore Francorum exercitus pars quæ Genuense iter tenebat, cui se quatuor peditum millia quibus Octauiani Fregosii opera à Genuensibus stipendia pendebantur, se adiunxerant, primo Castellacium oppidum, deinde Alexandriam & Dertonam quibus in ciuitatibus nullus erat miles ingressa, omnem cis Padanam regionem occupauit. Rex autem Vercellas venerat, quo in loco primum intellexit Pontificem sese aduersarium declarasse, quod ei Sabaudiæ Dux illius nomine significauit. quæ res & si ei supra modum molesta fuit, tamen indignatione consilium non perturbante, ne eum irritaret, per publicos præcones, & in exercitu, & militibus qui Alexandriam occupauerant, ne quis Pontificium imperium lædere aut violare auderet, edixit. Pace deinde cum Heluetiorum parte facta, Nouariam & Papiam deditione cepit: pauloque post contra reliquos apud Marinianum feliciter pugnauit. Communi omni hominum consensu nulla à plurimis annis in Italia ferocior ac formidolosior pugna commissa fuisse fertur: quoniam ob impetum quo Heluetii prælium inierunt, deinde ob noctis errores quibus totius exercitus ordinibus perturbatis, permixte, absque imperio, sine tessera pugnabatur, omnia fortunæ penitus erant subiecta, Rex ipse sæpius in periculo versatus, salutem suam magis propriæ virtuti & forti, quam suorum, à quibus sæpius in maxima Martis confusione noctisque tenebris destitutus fuerat, auxilio, acceptam referre debebat: adeo vt Trultius qui tot res viderat, ac decies octies acie conflixerat, hanc non hominum sed gigantum pugnam, & illas cum hac comparatas pueriles prorsus extitisse affirmaret. Rex eo in loco in quo victoriam erat adeptus, per tres dies solennia Sacra peragi curauit: primo die vt Deo de victoria gratias ageret: Secundo, vt pro eorum qui in prælio ecciderant salute preces funderent: tertio, de pace cum reliquis qui Mediolanum ex conflictu refugerant, consequenda. eodemque in loco tam quam victoriæ trophæum ædem Sacram erigi mandauit. Omnes Mediolanensis imperii ciuitates & arces victoriæ fortunam sunt secutæ, Cremonensi arce excepta ac Mediolanensi. Gallorum victoriæ nuncio accepto, Cardonius Prorex, in regnum Neapolitanum proficiscendi studio Pontenurum se recepit. Pontifex etsi rerum successu audito, superioris Pontificis constantiam mortalibus ostentarat, & Sociorum Oratores vt intrepidum vultum fortunæ obiicerent, Heluetiorumque reliquias in ea propensione retinere conarentur: quod si illi sententiam mutarent, vt Germani milites conscriberentur hortatus erat: nihilominus apparatus omnes periculis suis nonnisi seros esse posse, seque primum omnium appetendum ratus, quod etsi Sacrosanctæ potestatis reuerentia Regem à Pontificio imperio violando deterreret: eum tamen à Parma atque Placentia tamque Mediolanensis imperii membris inuadendis, & Florentinorum statu, qua in re omnis religio cessabat, tantique ea offensio à Pontifice fiebat, ac si Ecclesiæ imperium læderetur, turbando, non ea de causa temperaturum credebat. Nec vanus eius erat metus, quoniam Rex Pado prope Papiam, vt ad Parmam atque Placentiam expugnandas mitteret, pontem imponi iam mandauerat: ijsque captis, si Pontifex tamen amicitiam ipsius sperneret, Pontremulensi via copias quæ Medicees Florentia expellere conarentur missurus erat. Sed iam eius Mandato Sabaudus & Tricaricensis Episcopus ipsius Nuncius cum Rege de pace agebant. qui tum, ne noua in se fœdera inirentur metuens, tum ob Iulii dirarum in Galliam terrorem, qui totum Galliæ regnum occupabat, ad Sacrosanctæ Sedis obseruantiam propensus pacem valde exoptabat. Ideo repente inter eos ad Italiæ defensionem fœdus ictum est: & nominatim vt Rex Pontificis, Pontificiique imperii, Iuliani item & Laurentii Mediceorum, ac Florentini status patrocinium sumeret: dominatum aliquem in Gallia atque pensionem Iuliano daret: Laurentio quoque pensionem, & quinquaginta cataphractis cum præficeret: Pontificem Proregi per Pontificium imperium in regnum Neapolitanum cum exercitu redeundi facultatem concedere pateretur: Pontifex milites suos Verona, & ab Cæsaris contra Venetos auxiliis reuocaret: Parmam atque Placentiam Galliæ Regi, à quo vicissim compensationis nomine acciperet, vt Mediolanensis imperii populi salẽ quo vterentur, Ceruiæ accipere tenerenturque ex re magna emolumenta Pontificio imperio accedere credebantur (quod & iam Pontifex in fœdere cũ Mediolanensium

Leonem X. Francisci inter Actiones.

Duce pactus erat) restitueret: Sabaudiæ Duci, num Florentini fœdus cum Ludouico Rege ictum violassent, compromisso iudicandum permitteretur: idemque si eos violasse comperisset, pœnam pronunciaret: quod Rex se magis honoris sui gratia, quam aliam ob causam petere aiebat. His hunc in modum constitutis, Tricaricensis statim mutatis iumentis, vt Pontificem ad ea confirmanda flecteret, Romam contendit: & Laurentius, vt Cardonius citius discedendi causam haberet, copias quæ Placentiæ erant Parmam & Regium contraxit: & ipse ad Regem, vt eum sibi conciliaret, eique ex patrui Mandatis, se in omni rerum euentu ex eo pendere velle persuaderet, est profectus. Pontifex haud facile ad confirmandum flecti potuit: erat enim illi molestissima Parmæ & Placentiæ iactura: & libenter prius quid Heluetii decernerent cognouisset: qui conuentu Tigurum conuocato, (quæ ciuitas inter omnes Heluetios primum locum obtinet, Gallisque est infensissima) de Mediolanensi arce tuenda deliberabant: quamuis valles, & Bellizonam, & Locarnum, arcibus tamen exceptis, & Rex Locarnensi arce, sex aureorum numum millibus eius præfecto datis, potitus esset, decessissent: Rheti vero Clauenam non deseruerant. nihilominus quum ei Tricaricensis, ne Rex absque mora Parmam atque Placentiam inuaderet, & copias in Hetruriam mitteret, periculum ostenderet: & clademab Heluetiis in prælio acceptam exaggeraret: ea moderatione tamen, ne ipse, vel eius procuratores Parmam & Placentiam traderent, sed militibus ac ministris suis nudatas Regi occupandas permitterent: Pontifex ne Cæsarem hac iniuria afficeret, milites suos Verona reuocare ne teneretur, se tamen cito eos aliqua opportuna occasione reuocaturum occulte promitteret, & Florentini fœderis violati crimine liberarentur, confirmauit. additum etiam fuit, vt Rex nullius qui Pontificio imperio beneficiarius subiectusve esset, patrocinium susciperet: non modo Pontificem ab eis persequendis, & vt supremum dominum decet puniendis prohiberet, verum etiam si id ab eo peteretur, ipsi auxilium ferret. Actum est etiam, vt Pontifex & Rex aliquo in loco vtrique commodo ad colloquium venirent: quod ab Rege propositum fuit, sed ab vtroque expetitum: ab Rege quidem, vt hanc amicitiam fortius stabiliret: amicorum quos in Italia habebat res in tuto collocaret: & quia se sua præsentia, nec non amplis fortunis Pontificis fratri ac nepoti promissis, vt eius consensu regnum Neapolitanum, quemadmodum vehementissime cupiebat, sibi inuadere liceret, consequuturum sperabat: à Pontifice autem, vt huiusmodi officio, & suis ad hominum animos sibi conciliandos aptissimis moribus, Regem dum in tanta felicitate erat demulceret: quamuis multi id consilium vt Pontificia maiestate indignum improbarent. Affirmabant enim Regis esse, si cum illo loqui vellet, Romam venire. Sed Pontifex se eo descendere aiebat, vt Regem à regno Neapolitano infestando, saltem Hispano Rege (cuius vita quod iam ante annum in morbum inciderat, breuis futura credebatur) viuo, remoueret. Bononiam congressui delegerunt. Pontifex, octauo Decembris die eam vrbem ingressus est. biduo post Rex: ad quem in Regiensis agri finibus accipiendum duo Pontificii Legati, Flisicus & Mediceus Cardinales missi erant: absque militibus, nec admodum frequenti aula aduenit: ac pro more in purpuratorum Senatum ad Pontificem introductus, ipsemet Magno Cancellario pro eo verba faciente, obedientiam quam antea non exhibuerat exhibuit. deinde triduum simul in iisdem ædibus maximis beneuolentiæ signis mutuo declaratis fuerunt. quo tempore præterquam quod verbis atque promissis iam ictum fœdus confirmarunt, multa de regno Neapolitano simul egerunt: ad quod inuadendum cum Rex tunc paratus non esset, efficaci à Pontifice se quotiescumque Aragoniæ Rex moreretur, quod communi iudicio breui fore credebatur, vel fœdus quod cum illo habebat, & intra sexdecim menses finem erat habiturum, esset extinctum, ei ad eam expeditionem auxilio futurum spe facta, contentus fuit. Egit etiam Rex vt Mutina & Regium Ferrariensium Duci restituerentur: quod Pontifex, si ei Dux quadringentas auri libras quas ipse pro Mutina Cæsari dederat, & præterea in summa ptus in vtraque factos, certam pecuniæ summam daret, se facturum promisit. Pro Francisco Maria Vrbinatium Duce Rex est deprecatus: qui cum Pontificicum ducentis gravis armaturæ equitibus militaret, & vna cum Iuliano Medice ad exercitum proficisci deberet, quum postea ab illius aduersam valetitudinem Laurentius exercitui præpositus esset, non modo se quod contra dignitatis suæ rationem, vt tam quam dux alterius authoritati subiectus in Pontificio exercitu, cuius multoties summus imperator fuerat esse vellet veteri Iuliani amicitiæ concesserat, Laurentio concessurum negauit: verum etiam cum se equitatum suum missurum recepisset, cum ex itinere reuocauerat. Iam enim clam cum Galliæ Rege pactus fuerat, aut pacisci procurabat: & post Regis victoriam vt eum aduersus Pontificem per proprios homines incitaret, nihil prætermiserat: quarum Pontifex rerum memor, Regis petitioni minime annuit: sed dulcissimis verbis quam Ecclesiæ obfuturus esset, si tam pernicioso exemplo subiectorum ad defectionem acueret audaciam, demonstrauit: quibus rationibus, & Pontificis voluntati, Rex patienter cessit: quamuis proprii honoris gratia, eos qui quod ipsi adhæsissent in discrimen vocarentur seruare cuperet: eumque multi ex ipsius Senatu & familiaribus, quam imprudens fuisset superioris Regis, in eo quod Valentino paruos Italiæ regulos opprimi passus erat consilium, ex quo ille ad tantam potentiam ascenderat, vt si diutius Alexander eius pater vixisset, procul dubio Regis rebus obfuturus fuerit, disserentes, ad idem hortarentur. Promisit Pontifex Regi se ei potestatem daturum vnius anni decumas à totius Galliæ regni Sacerdotibus exigere: Vicissim Rex Pontifici, vt annui Sacerdotiorum fructus, quas annatas vocant, non ex vetere censu, qui longe minor erat, in posterum soluerentur, sed ex vero & nouo: in quo deceptus est Pontifex. Nam cum ab eis qui verum censum occultabant, in Galliæ regno exigendus esset, ad idque Quæstores in Gallia constituendi: nemo erat qui contra eos qui Sacerdotium erant adepti agere vellet aut exigere: vnde factum est, vt omnes in eo veterem censum sequerentur. Ad hæc eo Pontifex Regem adegit, vt nullius in Hetruria ciuitatis patrocinium reciperet: quamuis non multo post sibi Lucenses, qui ducentas & quinquaginta auri libras pollicebantur in fide accipere, ad quod se superioris Regis obligatione teneri aiebat, ab eo concedi postularet: quod ei Pontifex denegauit, se tamen nullam eis molestiam illaturum promisit. Præterea Egidium Augustinianorum Sodalium Magistrum præstantissimum concionatorem, Pontificis nomine ad Cæsarem, vt eum ad Brixiam & Veronam certa pecunia accepta Venetis concedendas flecteret, mittere statuerunt: quibus rebus inter ipsos peractis, nullis tamen litterarum monumentis comprehensis, eis exceptis quæ ad Sacerdotiorum nominationem, annatasque nouo censu pendendas, pertinebant, Pontifex in Regis gratiam Adrianum Boyssinum Magni Franciæ Magistri fratrem, qui in reipublicæ administratione primum apud Regem locum obtinebat, Cardinalem nominauit. *Guicciardinus lib. 12.*

III.

De hoc Pontificis & Regis congressu, plura ad rationes venerationis & cærimoniarum habet Paris de Grassis Episcopus Pisaurensis & Præfectus cæremoniarum Pontificiarum, quæ in suis notis diariis reliquit. Ea quamquam rudi stylo concepta sint, non indigna tamen, nec iniucunda scitu sunt. Visum ea istic inserere, vel propter notitiam reuerentiæ atque obsequii à Rege Gallo Pontifici maximo exhibiti. Ita habet.

Itinerarium Pontificis ab vrbe, Viterbium, Florentiam, atque Bononiam.

Die I. mensis Octobris Papa post prandium ab vrbe recessit, spatiaturus versus Viterbium, Montem Falisc̃um, Tuscanellam, & Centumcellas, siue Ciuitatem Veterem. vbi cum esset, rumore vario vulgatum est Regem Gallorum, qui nuper Mediolanum in potestatem receperat, victo Duce Mediolani, & ex composito, velle ad Papam personaliter venire in vrbem deuotionis gratia, & vt limina Apostolorum visitaret, atque pedem Papæ oscularetur. Aliquis etiam addebat

Franciscus Galliæ Rex Pontificem inuisurus Romam venit.

debat rumori, ipsum Regem velle cum omni exercitu cum quo Mediolanum expugnauerat ad vrbem venire, quia aliter securus esse non poterat. Vnde Papa veritus, ne quid nouitatis in transitu Florentiæ, & in ciuitatibus Romanæ Ecclesiæ machinaretur, apud Regem operatus est, quod Rex ab eo proposito diuerteretur. ac concordatis ipsis ambobus inter se ordinatum est, quod Papa vsque ad Bononiam transcenderet, cum omni Curia: in quem locum Rex cum sola sua custodia veniret, & ibi Papam adoraret. Itaque Cardinales omnes in vicinis agentes vocauit, quatenus Viterbij essent in die Omnium Sanctorum, vbi peractis de more Sacris, quid agendum foret consultaretur: & sic die designato intimata est hæc peregrinatio vniuersæ Curiæ, & præsertim Cardinalibus. ex quibus Reuerendissimus Dominus Achilles de Grassis presbyter Cardinalis Sancti Sixti cognomento Bononiensis, habuit Breue à Pontifice in hanc formam, videlicet.

Dilecto filio Achilli de Grassis tituli S. Sixti S.R.E. presbytero Cardinali Bononiensi.

Dilecte fili, salutem & Apostolicam benedictionem.

Accepit, quemadmodum Domino placuit, eas conditiones pacis quæ ab ipso postulauimus, charissimus in Christo filius Franciscus Rex Christianissimus, libentique animo nobiscum, & cum hac Sancta Sede fœdus iniuit: quam rem non solum eidem Sedi, sed & vniuersæ Reipubl. Christianæ speramus, & confidimus in Domino maxime vtilem & salutarem futuram. Nunc autem cum existimaremus ad eandem Sedis & Reipublicæ Christianæ dignitatem magnopere pertinere, vt de tota re eiusque partibus circumspectionem tuam, cæterosque fratres nostros Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinales quamprimum consulamus, vt quæ agenda deinceps sint communi omnium sententia discutiamus: ideo circumspectionem tuam hortamur in Domino, atque ab ea requirimus, vt omni mora postposita Viterbium ad nos se conferat, qua in vrbe ad III. Calendas Nouembris erimus. Id erit & prudentiæ tuæ ac dilectionis quam Apostolicæ Sedi Christianoque nomini debes maxime proprium, & nobis vehementer gratum: quemadmodum à dilecto filio Antonio Dutio Notario nostræ Cameræ Apostolicæ Clerico, quem istuc propterea mittimus, latius circumspectio tua intelliget. Datum Corneti sub annulo Piscatoris die XXI. Octobris M.D.XV. Pontificatus nostri anno III.

IV. In Vigilia Omnium Sanctorum Pontifice in Viterbio existente, habitæ sunt Papales Vesperæ ibidem in Ecclesia S. Francisci, quæ parata est cum omnibus suis requisitis, & Cardinales commodissime manserunt, & omnia bene fuerunt. Cardinales ibidem fuerunt omnes numero XIII. ex quibus Episcopi quatuor, videlicet. Sancti Georgii Decanus: Sancti Crucis: Germanus, & Senogalliensis. Presbyteri septem, scilicet de Flisco, Adrianus, Agennensis, Sancti Vitalis, Ancoritanus, de Grassis, & Sanctorum Quatuor: duo Diaconi, videlicet Senensis, & Sanctæ Mariæ in Porticu. Assistentes Prælati fuerunt quatuor: alii Prælati decem: Officialis duo tm̄, videlicet Subdiaconi: ac præter hos vnus Clericus Cameræ Apostolicæ, qui fecerunt officia Auditorum atque Accolythorum. Papa venit in Sede delatus ex arce in Ecclesiam: vbi facta oratione accepit paramenta: & similiter finitis vesperis ibidem exutus est. Cardinales ex arce secuti sunt Papam in Mantellis, & in Ecclesia acceperunt cappas: & similiter ibidem finito officio illas deposuerunt. Sedilia Cardinalium fuerunt sicut in Capella palatii Romæ: Solium autem Papæ recte fuit sicut ibidem: sed aliquanto angustius propter loci angustiam. Oratores laici fuerunt in Stallis Choralibus, quasi continuantes sicut in Capella. Prælatorum Sedilia fuerunt per scamna Diaconorum: & ibidem etiam Cantores manserunt: & reliqua satis bene.

In die Omnium Sanctorum, Missa per Episcopum Cardinalem Senogalliensem fuit more solito, in omnibus & per omnia sicut Romæ cantata: nisi, quod non fuit sermo: quia non adfuit qui illum faceret. Intra Missam, circuli habiti sunt per Cardinales ante Papam & presbyter astitit in Scabello: & omnia seruata sunt more solito. In fine diuulgata est indulgentia plenaria: & Papa ibidem induit & exuit se, quomodo fecit heri.

In sero Papa venit aliquanto citius solito, & non erant nisi Cardinales quatuor: & indutus cappa fecit officium Defunctorum vt alias, præsentibus omnibus Cardinalibus qui superuenerunt successiue: & seruata sunt omnia solennia & consueta sicut alias.

In die Commemorationis omnium fidelium Defunctorum, fuit Missa ibidem per Cardinalem Agennensem Pœnitentiarium, præsente Pontifice & eisdem omnibus Cardinalibus celebrata: & omnia seruata sunt consueta: & Papa in fine absoluit more solito.

Mediolanense imperii Galliæ Rex recipit.

Eadem die Orator Regis Franciæ ingressus fuit, solenniter à familiis Pontificis & Cardinalium acceptus, & ductus ad hospitium Coronæ. Is fuit Mons. de Boniuento Laicus: & Papa mihi dixit, imposuitque, vt eum Pontificie recipi & tractari facerem: prout feci more solito.

Die Lunæ V. Nouembris fuit Consistorium Secretum in arce, præsentibus XIV. Cardinalibus: in quo conclusum fuit de transmigratione Pontificis & Curiæ versus Florentiam, ac inde Bononiam pro Rege Franciæ excipiendo: & Papa dixit, quod die XX. volebat Senas ingredi, & die Sancti Andreæ Florentiam ingrederetur: vbi circa XV. dies remaneret, deinde versus Bononiam iret, vbi Regem exciperet, & festa Natalitia perageret: & inde Romam ante Dominicam Palmarum venire: quia omnino intendebat palmas in Roma dare. Prorogauit interim Sessionem Concilii Lateranensis ad XV. dies post Pascha: & imposuit mihi, vt simul cum Cardinalibus, Domino Anconitano, & SS. Quattuor facerem Rotulum de omnibus Officialibus Curiæ, qui, & quot ex vnoquoque ordine deberent sequi Pontificem: & sic eadem die fecimus, & conclusimus in hunc modum: videlicet.

Referendarii quinque, Rheginus, Caualicensis, Casertanus, Borgos, & Paccius.

Prothonotarii de participantibus tres, Planca seu alius pro eo, Tarquinius & Iulius.

Subdiaconi duo, Hieronymus Glanderonus Senensis, & Ioannes Albertinus Romanus.

Auditores duo Rotæ, Sermoneta & Capisucculus.

Clerici Cameræ tres, Thesaurarius, Armellinus & Puccius.

Acolythi quatuor per eos eligendi.

Magistri cæremoniarum ambo, si possent: quia alter est infirmus, ego Paris Episcopus Pisaurensis, & Hippolythus substitutus, & nepos meus.

Aduocati Consistoriales tres, Simpla, Regens, & Ferma.

Notarii Cameræ quatuor, Aurelius, Attauantis, Persius, & Hyppolitus de Cæsis.

Capellani Papæ, videlicet Sacrista, Magister Capellæ cum Cantoribus, Diaconus, Subdiaconus, Clericus, vnus cum famulo.

Ex Cancellaria Apostolica.

Regens, Corrector, Custos.

Abbreuiatores de maiori quinq;, Paulus de Castello, Hieronymus Auenzonus, Petrus Lamberti, Ioannes Danello, & Benedictus Accolthus.

Scriptores Apostolici XVII. Rescribendarius, Computator, Receptor, Defensores.

Scribentes XII. per eos eligendi.

Notarius & Ostiarius Cancellariæ.

Solicitatores XII. per eos eligendi.

Secretarii per eos eligendi.

Scriptores Breuium XII. per eos eligendi.

Summator Bullarum.

Ex Camera Apostolica.

Auditor, Depositarius, Notarii quatuor, & totidem Auditores.

Magistri Plumbi duo.

Plumbatores ambo.

Collectores plumbi X. per eos eligendi.

Ex regrestro Bullarum duo Magistri.

Registratores XII.

Ex regestro Supplicationum.

Duo Magistri, duo clerici, Registratores X. per eos eligendi.

Ex Pœnitentiaria Apostolica.

Cardinales deputati. Reges, Correctores quot solent. Scriptores octo, Procuratores totidem, Pœnitentiarii tres.

Ex audientia Contradictarum.

Auditor vnus, Lector, duo Notarii, Procuratores sex.

Ex Archiuio.

Correctores duo. Scriptores XV.
Ex præsidentibus & pensionariis XX. per eos eligendi.
Cubicularii noui per eos eligendi XV.
Cursores octo.]
Mazzerij XV. [per eos eligendi.
Hostiarij octo.]
De porta ferrea tres per eos eligendi.

V. In eodem Consistorio creatus est Legatus Vrbis Romæ Reuerendissimus Dominus Cardinalis Volaterranus Episcopus Prænestinus, & in fine Consistorii conductus est à Collegio ad Cameram suam quam in arce habuit. quam conductionem non debuisse fieri indicaui, nam & Cardinalis Alexandrinus sub Iulio 2. Bononiam pergente noluit à Collegio conduci: imo ipse dixit Papæ se cruce non vsurum, nec iturum in Rocchetto per vrbem: quandoquidem id esset ad honorem Papæ. Iuit postea Papa Orbitum, vbi solitis cæremoniis receptus est, præcedente Eucharistiæ Sacramento & Cardinalibus Mantellatis, & in Ecclesia dedit plenariam indulgentiam: & inde recessit mane sequenti quæ fuit XVIII. Nouembris versus Suillum: inde ad Castrum Plebis, tum ad Castiglionem de lacu, & inde Cortonam, vbi similiter receptus plenariam indulgentiam concessit. Iuit postea ad Castiglionem Arretinum, inde Arretium, cum eisdem indulgentiis, & sic venit vsque ad suburbanas villas Florentiæ: ex quarum vna quæ Marignuolo dicitur, in die S. Andreæ venit ad Monasterium suburbanum Monialium dictum Sancti Galli, vbi corpus Christi repositum fuerat peruenit: vbi Cardinales in cappis rubeis vestiti eum exspectauerunt: & inde sola stola super albam paratus recedens, descendit ad aliud Monialium Monasterium: Sic enim rogatus à populo fuerat, vt ibi acciperet paramenta prout sanctæ mem. Eugenium IIII. fecisse dicebant: & sic fecit. Nam ibi pluuiale pretiosum nouum induit, & ad vrbem peruenit sequentibus Cardinalibus: vbi in porta de more crucem sibi à Cardinali de Medicis Archiepiscopo Florentino oblatam osculatus est, sede eius ad terram demissa, sic volente ipso: & ibidem incepit Thesaurarius Papæ pecunias in populum dispergere. Ego ordinaueram, vt tria millia ducatorum dispergerentur in hoc Florentiæ ingressu, sicut sanctæ mem. Iulius in ingressu Bononiæ.

Francisci Legatus à Pontifice excipitur.

VI. Cæterum antequam Pontifex ingrederetur ciuitatem, quæsiui à sua sanctitate super quibus volebam resolui, sicut est: In qua Ecclesia extra portam vellet paramenta induere, an S. Galli, an in Monticellio: & dixit, quod in vtraque respectiue volebat indui, propter consolationem Monialium, & propter suam commoditatem. De hora ingressus dixit, quod de mane: quia sciebat propter cærimonias, & propter turbas, & longas vias, vix de nocte posse ingredi hospitium. De funalibus ante SS. Eucharistiæ Sacramentum, decreuit, vt præferrentur. De vmbella, seu baldachino, noluit vt aliquis alius illud ferret, nisi ciues ordine ipsorum: dummodo Priores cum vexillifero iustitiæ prima vice illud ferrent, prout factum fuit. De cubiculariis & scutiferis, nouiter per collegia creatis, an vellet vt illos antiquis anteponerem: dixit, quod ex istis illi qui erant antequam assumeretur ad Papatum præcederent: quos sequerentur nouiter creati, & vltimo loco irent qui venissent tempore Paschali. De Datario qui non haberet locum, an placeret facere illum Subdiaconum supranumerarium, etiam habitu, & loco: & placuit. An Thesaurarius qui non est solitus portare Rochetum, pro illa die indueret, & absque Capello proiiceret pecunias. & sic fuit. Facta est etiam vmbella noua, quia antiqua per obliuionem fuit dimissa Romæ. De Capellis Pontificiis, placuit tres anteferri. De sarcinis: vt CC. antecederent, cum omni ornatu & ordine: C. equi nobiles optime ornati anteducerentur. Tormenta nulla, propter terrorem equorum, ne in ingressu exploderentur. Et quia diuulgatum fuerat, quod Vexillifer iustitiæ non intendebat Cardinalibus cedere, neque eis transeuntibus assurgere, an placeret, quod ij in hoc casu à me ipso admonerentur, vt suum errorem cognoscerent: & in hoc Papa misit ad Vexilliferum, qui tres ciues ad Papam destinauit, vt referrent suæ sanctitati maioritatem & authoritatem Dominii Florentini. & Papa eos ad me remisit, qui fuerunt, Iacobus Saluiatus cognatus Papæ, Robertus Acciaiolus, & Lanferdinus de Lanferdinis. qui cũ multa mihi dixissent, præsertim, quod ipsi volebant suũ Vexilliferũ cum Dominis, esse æquales Cardinalibus: ego subridens vanitatem huiusmodi, iussi vt remanerent in Palatio suo: quia non solum non æquales futuri essent Cardinalibus, sed non nisi vt Scutiferi eorum, id est pedites ante frænum equi Pontificis. quod cum mihi credere nollent, adierunt Pontificem, & cum risu exposuerunt meam censuram, quasi ego vanitatem eis exposuissem. Pontifex autem meum iudicium approbando dixit: aut non venirent in isto ingressu: aut si venirent, pedites incederent, & baldachinum portarent. super quo facta est magna collocutio inter illos: sed tandem acquieuerunt in hoc verbo: licet ipsi Vexilliferi, & Priores Domini qui ante venerant ad portam ciuitatis, ascenderant certum pegma, & ibi sedentes, nulli Cardinali obuiam exeunti Pontifici assurrexerant, neque minus capitium è capite deposuerunt. quod cum ego vidissem, statui, quod nullus Cardinalis transiens eleuaret oculos, ad palcum illum: ne contingeret eos videre. & sic Vexillifer & Priores remanserunt in vanitate sua. præter id quod dixi Papæ factum: & Papa misit ad eos, vt omnino Cardinalibus assurgerent, & caput denudarent: quod vix acceperunt, tamen acceptarunt, & fecerunt. Insuper ordinaui, quod Vexillifer nullus claues ciuitatis offerret Papæ, sicut aliæ ciuitates consueuerunt: & hoc quia ipsi Florentini portam ad terram deiecerant, & patefecerant in totum. Quod autem attinet ad Sacram processionem ordinaui, quod omnes de Clero ciuitatis quantumcumque exempti venirent, sub pœnis pecuniariis per me impositis, exceptis Monialibus: licet etiam Papa dedit Monialibus volentibus venire & videre licentiam veniendi ad loca honesta, ita vt viderent, sed non viderentur: prout multa Collegia Monialium Claustralium venerunt, & aliqua omnino abstinuerunt. Multi etiam Religiosorum Conuentus se excusare voluerunt, ne venire cogerentur, sed tamen omnino venerunt, & comparuerunt: non tamen per vias ambulauerunt in processionibus illis, sed feci quod Archiepiscopalis Vicarius assignauit singulis Regulis locum suum, in quo vnaquæque Regula suum Altare quam festiuissime erigeret, & ibidem stantes cantarent, dum equitatus Papalis transiret à principio vsque ad finem: quod placuit Papæ & Cardinalibus, ac etiam Ciuibus vniuersis: & si quæ contentio esset inter aliquos de præcedentia, vt sæpe solet, vt Vicarius eos concordaret: & factum est de facili. Item ordinaui, quod ante triduum semper campanæ sonarent: Item quod omnis Clerus indesinenter oraret pro serenitate cœli, & pro iter agentibus, vsque quo Papa reuerteretur Romam. Feci, vt ducenta funalia portarentur ante Sacramentum per Clericos seculares, qui sub pœnis illa consignarent Sacristæ Matricis Ecclesiæ. Feci quod Soli Canonici Matricis Ecclesiæ portarent baldachinum Sacramenti per varias vices, & non alii. Feci quod Cardinalis de Medices Diaconus esset in porta Cappatus, vt offerret Crucem Papæ osculandam. Item quod ante valuas Ecclesiæ Sanctæ Reparatæ idem Cardinalis affuit cum thuribulo & aspersorio: & super altari cantauit versiculos & orationem: & Archidiaconus incensato Pontifice inchoauit, *Te Deum laudamus, &c.* Duo baldachini fuerunt, vnus albus de Damasco cum floribus aureis intertextis pro Sacramento: alius ex panno aureo super Papam, cum perticis auratis. Iuuenes autem centum pedites in ornatu nobilissimo cum baculis auratis, & totidem equestres similiter exornati: præter centum ciues equites, Doctores ac nobiles, qui erant omnes equestres. In Ecclesia Sanctæ Reparatæ, siue Sanctæ Mariæ de Flore, erat in porta Ecclesiæ vsque ad Tribunal eleua-

Leo X. Florentiam splendide ingreditur.

tus pons quasi duas cannas, & largus tres, sicut fuit in Basilica Sancti Ioannis Lateranensis, quando fuit coronatio noui Pontificis. & hoc factum est propter populi multitudinem quæ fuit innumerabilis. Arcus erant XII. pulcherrimi & ditissimi, æqualibus distantiis eleuati: & super istis erant cantilenæ diuersæ, quas Papa libenter audiuit. Inter arcum & arcum erant variæ structuræ, similes illis quæ videntur in vrbe Roma: videlicet, Obeliscus sicut in Vaticano, columna sicut in Campo Martio, & huiusmodi vsque ad Sanctam Mariam Nouellam (cœnobium est Fratrum Ordinis Sancti Dominici) vbi Papa prima nocte quieuit: qui locus etiam magnifice exornatus est: & in eius campo erat equus auratus magnus, sicut ante ædes Lateranenses. Ordinaui etiam, quod omnes carcerati liberarentur. Sed non omnes liberati sunt, tamen multi. & quod omnes qui ex quacumque funeratione lugubres essent, luctum deponerent. Cardinales fuerunt in cappis rubeis omnes numero XX. & Prælati in mantellis longis, cum latis caputiis. Papa autem fuit cum pluuiali pretioso amplo, & thiara pretiosa: quam cum aliquamdiu portasset, & grauaretur, deposuit, & thiaram simplicem in via resumpsit, & sic vsque ad Ecclesiam Sanctæ Reparatæ delatus est, parafrenariis suis subcolantibus, & iuuenibus Florentinis ad hoc præparatis: & similiter aliis qui baldachinum vicissim ferrent. Deputaui etiam triginta ciues Florentinos, qui per spatia viarum custodirent, ne ordo per me deputatus processionis alteraretur: & super his omnibus præfeci Dominum Iulianum Prothonotarium de Tornabonis, qui ferulam gestaret, & faceret sicut Gubernator vrbis Romæ processionem seruari, prout fecit: & bene successerunt omnia. Nam Papa præcedentibus vt infra processit. Præcedebant Curiales equites, Sarcinæ Papæ ducentæ, Valissarii & familiæ Cardinalium, nobiles Florentini equites, officiales Cancellariæ & Cameræ, Valissarii Papæ, Scutiferi Papæ, equi phalerati C. Scutiferi cum Capellis Pontificiis, Procuratores Ordinum & Principum, Cubicularii antiqui & noui, Accolythi, Clerici Cameræ, Auditores cum Magistro Sacri Palatii, Barones, Oratores, Principes, Magistratus Florentinus, omnes pedites, custodes corporis Papæ pedestres cum Capitaneo equestri solo: Laurentius Medices cum quinquaginta pedestribus suis: Mazerii Papæ sex: Hostiarii: Magister cæremoniarum vnus: Subdiaconi duo: Datarius supernumerarius à sinistris in habitu Subdiaconali: Clerus Cathedralis cum luminaribus ante Sacramentum: Clericus Cameræ Capellæ cum lanterna Corporis Christi sub baldachino quod Canonici portarunt: Cardinales omnes, id est Diaconi, Presbyteri, & duo Diaconi assistentes: iuuenes centum pedites: ego Episcopus Pisaurensis Magister cæremoniarum: assistentes Episcopi: Papa sub baldachino, quod Vexillifer & Priores Domini portarunt per vices, nudato capite: duo cubicularii non capuciati cum Auditore Rotæ de Mitra: Medici duo cum Secretario: Thesaurarius dispensator pecuniarum in populo: Mazerius vnus cum vmbella: assistentes Prælati & alii togati: vltimo milites equestres de guardia Papæ: & iste fuit ordo procedendi à porta ad Ecclesiam Sanctæ Reparatæ, in qua via fuerunt per me ordinati ciues, qui per spatia custodirent, ne qua fieret pressura, aut scandalum, aut mora vt solet ab iuuenibus mulierum spectatoribus. Pontifex primo accepit diadema quod regnum dicunt: quo cum grauaretur, in media via illo deposito, aliud leuius accepit: & delectabatur cum in quolibet arcu aliquid cantaretur in suam laudem, & firmabat gressum vt omnia audiret & intelligeret. In Ecclesiam delatus, in suggestu altiore vsque ad altare porrecto diutius solito orauit, Cardinale Medicæo cantante versiculos & orationem. Benedixit deinde populo cum indulgentia plenaria, & ibi exuit pluuiale, & accepit stolam super Rocchetum, & delatus est in Monasterium Sanctæ Mariæ Nouellæ, vbi non est Ecclesiam ingressus sed recta ædes intrauit, populo indesinenter in vitam & laudem Pontificis & domus suæ exclamante, & in nocte bombardis sine fine crepitantibus.

VII. Die prima Decembris fuit Consistorium Secretum pro nonnullis præparatoriis circa Regis Franciæ aduentum. Nam primo antequam Papa sederet, voluit à me intelligere de cæremoniis quæ seruari possunt, aut debent, & solent, in excipiendo Rege, maxime Franciæ: quia dicebatur, quia Rex Franciæ aliquid plusculum, aut velit, aut consueuit habere præ aliis Regibus. Ego ad hoc succesiue retuli omnem regulam, quæ pertinet ad Regiam admissionem. super qua re multa fuerunt dicta. & præsertim Papa petiit à me, quis locus Regis esset in Consistorio, cum Cardinalibus. Respondi, multiplicem esse locum Regis. Nam in Concilio sedet, sicut ego designaui loca Regia in Concilio Lateranensi: id est ad latera Papæ hinc inde supra Collegium Cardinalium. In Consistorio vero sedet sub primo Episcopo, id est Ostiensi, & supra reliquos omnes Cardinales: dummodo Rex ipse habeat cuscinum purpureum, & pannum similem dorsalem, siue postergalem vsque ad pedes. Simili modo sedet in Missa, quam Papa celebrat. & hoc fuit obseruatum olim in Concilio Constantiensi: & nouissime tempore Regis Dani, qui sedente Sixto IV. venit in vrbem, & sedit cum Cardinalibus isto modo: & de hoc particulari facit vnam epistolam Iacobus Cardinalis Papiensis, qui omnia ista distincte ponit scribens ad Cardinalem Mantuanum tunc Bononiæ in legatione agentem. & hoc per me recitato, voluit Papa cum Cardinalibus consistorialiter consultare me excluso: quo tandem intromisso, mandauit mihi vt legerem memoriale nouum quod feceram super cæremoniis seruandis: quod legi: & placuit Papæ & Cardinalibus: qui omnes mihi imposuerunt, vt sic exequerer, dummodo in aliquo non irritarem Regem, sed semper cum bona sua gratia dicerem, talia consueuisse fieri: sed si ei placeret, faceret, & fieret, sin autem, facerem vt sibi placeret, salua maiestate Sedis Apostolicæ. Insuper Papa dixit, se velle creare legatos ad obuiandum Regi duos, & quid ab ipsis esset agendum. Dixi, non esse vtendum cruce, nec benedicendum inter eundum. alioquin cum essent ipsi duo, oporteret habere duas cruces, & quisque benedicere, quod esset absurdum. & isti deberent semper Regem habere medium inter seipsos duos: & præter istos etiam destinare quatuor ex primioribus Prælatis Curiæ: & Papa petiit à me, qui mihi viderentur: & nominaui Archiepiscopos duos, videlicet, Neapolitanum de domo Caraffa, & Rheginum de domo Vrsinorum, & Episcopum Reatinum qui erat de domo Columnensium, & Prothonotarium de Rubeis Florentinum affinem Papæ: & Papa admisit omnes: sed Prothonotarius de Rubeis noluit ire, ac loco eius iuit Prothonotarius de Gozadinis Bononiensis: qui Prælati decima die recesserunt obuiam Regi vsque ad Parmam: sed Cardinales duo vsque ad terras Ecclesiæ, videlicet Regium & non vltra, pro honore Sedis Apostolicæ.

VIII. Item dixi Papæ, vt aliquot faceret Aduocatos Consistoriales, pro commissionibus in Consistorio publico coram Rege proponendis: maxime quia nulli aduenissent Aduocati ex vrbe, & Papa petiit, qui essent boni. Dixi, bonum esse, si ex Florentia vnus fiat, & ex Bononia fiat alius, & ex Senis tertius. & sic illico Cardinales nominarunt vnum de Guiciardinis Florentinum, & vnũ de Paleotis Bononiensem, & vnum de Talottis Senensem: qui intromissi postea, osculati sunt pedẽ Papæ. Item, me fecit Assistentem Episcopum. Item diuertere illum feci à Conuentu S. Mariæ Nouellæ, ad domum propriam familiæ Medicææ: vbi postea aliquot diebus hospitio mansit: quamquam primo renitens respondisset, quia alij Pontifices, & fere omnes Cardinales transeuntes aut Florentiæ manentes, semper apud S. Mariam Nouellam habitarint. Item ibidem in Consistorio proposui, an Papa vellet donare aliqua munera Regi, sicut inuenio à pleriſq; Pontificibus obseruatũ, & præsertim à Sixto IV. in aduentu Regis Daniæ, cui donauit equum nobilem, quem vocãt Chineam, phaleratum ex auro: & vestes Regias amplas, vnam interiorem & aliam exteriorem similiter aureã, cum zona & biretto. & Papa petiit à me, quid censerem? Dixi, Sixtum Papam sic fecisse Regi Daniæ, qui in habitu peregrinantis & non Regis venerat. Iste autem cum sit ditissimus, neque equo aut vestibus indigeat, bonum videretur, si aliquod munus Ecclesiasticum, quod danti & recipienti conueniret ei offerretur: vt v. g. aliqua pax materialis lapidibus pretiosis ornata, ad aliquam

sum-

summam notabilem ascendens. qua re cum Cardinalibus discussa, statuit ei donare non pacem, quia nullam in promptu tunc haberet, sed vnam crucem ex auro purissimo, quã habuerat ex thesauro Iulij Papæ Secundi, & quæ olim fuerat Cardinalis Ascanij; & huic cruci fecit inseri etiam aliquos lapides pretiosos, qui omnes in totum cum cruce valebant circa XV.M. ducatos.

IX. Die Sabbathi post prandium Papa equitauit, siue potius in lectica gestatus est ad Ecclesiam Virginis Annunciatæ, cum stola & capello, & Cardinales cum cappis violaceis, sicut hodie in Consistorio, & inter eundem fuit discordia inter Oratorem Portugalliæ, & Ducem Camerini super præcedentia. ego mandaui Oratori vt cederet; qui cum nollet, fuit licentiatus, ne impediret progressum Papæ & Cardinalium. qui cum nollet parere, ego alta voce mandaui Mazeriis, vt illum abinde remouerent, audiente Pontifice, qui dixit me bene feciſſe. & similiter superuenientibus aliis Oratoribus Franciæ & Venetiarum, qui noluerunt prima facie Duci cedere. Papa in valuis Ecclesiæ osculatus est Crucem, & aspersus est: & ingressus capellam Annunciatæ orauit, absque eo quod iuberet detegere imaginem gloriosæ virginis Annunciatæ, cui cum ego dixissem, vt faceret discooperiri, timuit ne piaculum aliquod faceret, propterea consuluit Cardinales, qui omnes rogarunt & suaserunt illam detegi. & sic fuit breuissimis interuallis discooperta. Papa deinde recessit ad ædes suas, vbi firmiter deinde mansit.

X. In prima dominica de Aduentu Papa voluit, quod Missa cantaretur in Ecclesia Sancti Laurentij, domui sui paternæ vicina, per Archiepiscopum Senensem Assistentem, in omnibus sicut in Capella Palatij Romæ. nam & hanc Ecclesiam pro capella deputauit in omnibus. Ad quam Papa delatus in gestatorio, venit stolatus & galeratus: deinde in Ecclesia facta oratione vestitus est, & ascendit ad solium, vbi Missa est habita, prout in ordinario. Angustia loci nos aliquantulum coegit esse strictos; licet pauci Cardinales, videlicet in totum decem, ac Prælati circiter XX. interessent. Alia, vt alias: fermo non est habitus: quia Cardinales aliqui voluerunt finita Missa iter arripere versus Bononiam. In fine Missæ Papa creauit duos equites Bononienses qui illac venerunt Oratores ex Bononiensibus conducturi Papam ad Bononiam. Hi fuerunt Dominus Augustinus de Marsiliis, & Dominus Borninus de Blanchis. Tunc Papa ingressus est Sacristiam, vbi visitauit sepulchrum patris sui, & orauit genuflexus, cum stans debuerit.

XI. Die Lunæ, tertia Decembris Papa recessit licentiatis Cardinalibus & omnibus Curialibus ex Florentia versus Bononiam, ad quam die Veneris applicuit, sed non ingressus est: quia in domo Cruciferorum suburbana pernoctauit: & die Sabbathi VIII. post prandium intrauit. Ipse Papa fuit paratus pluuiali & mitra pretiosa, quam assumpsit intra arcem prope portam stratæ maioris, & semper à suis Parafrenariis fuit gestatus vsque ad Ecclesiam Cathedralem; vbi deposito pluuiali & mitra, assumpsit stolam & capellum, & non proiecit aliquas pecunias, & acclamationes auditæ sunt inter eundum, sicut fieri solet in simili casu. Vexilliferi populi equestres accesserunt in habitu longo & togato, & vexilla fecerunt per iuuenes ante ipsos altè deferri. Vexillifer & Antianni semper pedites iuerunt ante Papam. Inter Doctores Medicinę & Artistas, hinc & Legistas & Canonistas inde fuit aliqua lis atque discordia: quia Medici & Artistæ voluerunt ire mixti, cum illis: sed per me non fuit res decisa, eo quia Artistæ & Medici obtulerunt sua priuilegia Apostolicæ sedis iis concessa ostendere, quæ tamen non ostenderunt; & propterea non comparuerunt. In fine Cardinalis de Grassis Episcopus Bononiensis in porta Ecclesiæ obtulit aspersorium & incensum, & apud altare cantauit. Papa benedixit, & concessit plenariam indulgentiam: alia vt alias.

Leonis X. præparatio ad Regis aduẽtum.

XII. Cum pro Missa secunda de Aduentu parata esset Capella Palatij Bononiensis, non visum est Papæ quod populus ibi posset manere. propterea statuit, quod in Ecclesia magna sancti Petronij apparatus fieret, sicut olim sub Iulio factus fuit: sic & illico dicto facto, tabulatum & structura facta fuit in omnibus & per omnia sicut olim. Statuit etiam Papa, quod nullus alius ibi celebraret nisi ego Bononiensis ciuis, nouus assistens nuper Florentiæ creatus, & celebraui prout in ordinario præsentibus Cardinalibus XX. & Prælatis circiter XL. & frequentissimo populo. Indulgentiam in fine ego pronunciaui V. annorum, quia fermo non fuit habitus: Mansiones omnium fuerunt ibidem sicut sub Iulio.

Die Lunæ sequenti quæ fuit 10. Decemb. Papa in Cõsistorio quod propterea tenuit mane illius diei, à me quæsiuit, quem locum darem Regi hodie venienti in vrbem Bononiensem. Respondi, vt supra iam dixeram in Florentino Consistorio. Sed mihi videbatur, quod bonum esset me præire ad Regem, & informare ipsum de cæremoniis nostris solitis in tali casu; & si placeret etiam aliquem Cardinalem præmittere, qui confidentius nomine Apostolico ipsum hortaretur, vt pateretur se honorari Apostolicis cæremoniis. & Papa à me quæsiuit, super quibus admonendus esset Rex; & dixi me informaturum Regem de ordine cæremoniarum nostrarum, quos ad longum explicarem sibi; primo circa ingressum suum in ciuitatem vsque ad palatium; deinde circa ascensum suum ad Consistorium; qualiter ipsum oporteret per viam ire in medio duorum Diaconorum Cardinalium, & in vltimo capite, sicut etiam facit Legatus nouus, aut nouus Cardinalis; & qualiter in Consistorium ingrediendo deberet cum trina genuflexione vsque in terram venerari Pontificem, & osculari pedem & faciem; & dicere in paucis verbis quæ vellet dicere, & sic apud Pontificem manere donec Pontifex ei respondeat, & donec præstet, si præstare intendit obedientiam in publico Consistorio; & si ibidem velit remanere stans, an vero velit ad Cardinalium sedilia transire, & ibidem sub primo Episcopo Cardinali tantisper sedere, donec suus quispiam Secretarius verba obedientiæ præstet, & sic omnia ista ei exponere: & demum intelligere an placeat illa seruari: & non mireter de processionibus & Clero, qui non obuiat nisi quando Rex venit in vrbem Romam religionis gratia: & intelligere à Rege, an aliqua particularia velit tunc, quæ mihi explicet, si vult, & ego curabo ei satisfacere, prouideboque vt illud quicquid sit apte fiat pro fatisfactione sua. Item an placeat vnum de suis expertum deputare, qui mecum omnia ordinet quæ sibi placeant. Item scire ab eo an velit in Consistorio stare, an sedere; & an velit osculari pedem, manum, & faciem Papæ, sicut alij Reges & Imperator. An in præstatione obedientiæ velit, quod aliquis suus alte per modum orationis concionem habeat, & exnunc concipiat verba salutatoria versus ad Papam. & si Rex velit in alio habitu intrare Consistorium, præmittat vestes ad palatium Papæ. Si quos etiam habeat Prælatos, qui velint Consistorio interesse, informari eos faciat de Rochettis & cappis. Quod in Consistorio nihil particularius petat à Papa, sicut olim Carolus Rex fecit, qui multa petiit, & quasi nulla obtinuit; sed ad partem postea petat, quia benigne Papa sibi respondebit. An velit sedere post præstitam obedientiam, donec sui osculabuntur pedes Pontificis. An aliquos magnos Duces & Principes secum habeat, qui sedere debeant cum Cardinalibus in banco Diaconorum, quia eos mihi specificet, & ego referam Pontifici. Item nominet mihi duos suos cubicularios secretos, quia eos semper remanere faciam apud Regem. Item informare, quod sacro Cardinalium Collegio obuianti sibi ad portam detegat caput, & commode ac honorifice respondeat, & auscultet, & similia. quæ motiua mea cum Pontifici ac Collegio retulissem, placuerunt; & mandauit, vt sic exequerer, & intelligerem diligenter omnia prædicta à Rege, ne postea interueniret aliquis error, aut scandalum. Quæsiui etiam à Papa super aliquibus mihi responderi; & sic ibidem mihi respondit: videlicet, scire præscisè diem & horam aduentus Regis; & dixit crastinum, videlicet Martis XI. Decembris, horam autem remisit arbitrio Regis. Quod si Rex velit, post quam in Palatio fuerit quiescere in camera sua, & forsan prandere, an Cardinales interim recedant, vel expectent, & vbi: & Papa dixit, hoc casu intelligerem mentem Regis, quia si forte velit sic facere, ipse Pontifex pareret prandium pro Cardinalibus, prout sic euenit, vt infra. At si Rex habeat præstare obedientiam in Consistorio, placeat quod solium altaris solito plus eleuetur, & dilatetur, & fortificetur latitudo superioris gradus

& placuit, quod supremus gradus super quo est solium Papæ dilatetur & fortificetur solito melius & fortius. An proponendæ commissiones, quot, & quæ, & quid sit, indicent Aduocatis. Placuit, quod vna tantum proponatur. An placeat, quod Rex veniendo in Consistorium ducatur medius inter duos Episcopos Cardinales, in vltimo capite, vt sic veniat medius inter duos eosdem, inter quos etiam sedebit in Consistorio, si sedere voluerit. Placuit, quod ego informarem Regem de cæremonijs Apostolicis, & rogarem vt pateretur se honorari eo ritu; sin minus, facerem vt Regi denique placeret. An placeat quod ostendatur Regi forma obedientiæ, quam Carolus olim Rex præstitit Alexandro Papæ: & placuit, quod eam partem tantum illi monstrarem quæ faceret ad propositum, & quæ esset honesta, si volet videre. An etiam placeret, quod bombardæ crepent in Regis ingressu propter strepitum equorum: & placuit quod non videretur esse quid religiosum. An placeat, quod Cardinales sint obuiantes Regi, & ducentes eum ad Consistorium, & manentes in eo sint in cappis rubeis attento quia in Consistorio numquam consuetum est rubeas cappas habere, præsertim quia sumus intra aduentum; & placuit quod omnino festiuis, id est, cappis rubeis tota die, & hoc actu Cardinales vterentur. An si Rex præstat obedientiam, quod procurator Fiscalis requirat instrumentum vt moris est in aliis protestationib. &c. placuit, quod non Fiscalis, sed Prothonotarius de participantibus faciat hoc caute & moderate coram duobus aut tribus Prælatis domesticis. An præparare sit opus collationem in camera Regis. & placuit quod nequaquam, quia id Rex faciet, tamen informentur nostri dispensatores vini & victualium, vt præsto adsint, si requirentur. Prouideatur, quod in palatio Papali, vbi etiam erit Rex cum custodia sua Gallica, non sit discordia inter seruos nostros & Gallicos suos: & illico mandatum est Capitaneo, vt super hoc omnino inuigilet. Pontifex concipiat verba responsionis ad Regem, quomodo eum salutabit, & quando etiam obedientiam præstabit: & Papa dixit, quod respondebit ex tempore, & ex occasione. Ita quæsitis meis finitis Papa imposuit Cardinali S. Seuerinæ, vt obuiet Regi extra portam, & ego irem secum, & consultaremus ista cum Rege. quem extra portam inuenimus venientem in medio duorum Legatorum Cardinalium nostrorum cum eis hilariter confabulantem, ad quem ego etiam accessi indicans me esse Magistrum cœremoniarum: & Rex subridens ait, se multum indigere opera mea, tamquam rudem & inexpertum; & in hospitio mox colloquemur. Itaque ingressi sumus, & ibi erant Cardinales sex, ex quibus S. Seuerinæ nullum ac optime locutus est cum Rege de propositis meis in Consistorio, & qualiter Papa, & omnes Reuerendissimi Cardinales remittebant omnia facienda arbitrio suæ Maiestatis. & Rex quidem humaniter ad omnia & singula respondit, quamquam vulgari suo Gallico, ita vt ego non intelligerem sermonem illum. quo factum est, vt cum à me petiisset, simul cum Cardinalibus astantibus, an ego bene omnia intellexissem, aperte dixi; me ne vnum quidem illorum verborum intellexisse. Vnde Rex & illi ridentes, in vulgari capita mihi rerum tetigerunt. & primo de processionibus dixit, de his non curare, neque velle particularia aliqua pro se habere, nisi quod ea quæ ad Regem pertinent non omittantur, quin omnia sibi pro honore suo fiant: & illico nominauit vnum de suis Camerariis qui mecum semper sit, & prouideat si quod opus sit Regi, & illud intelligat, & faciat: prout intellexit multa & fecit, forsan plura quam debuerat. Item quod in Consistorio non sedebit cum Cardinalibus, sed tantum veniet, & osculabitur pedem, manum, & faciem Papæ; & postea alia vice faciemus Consistorium pro præstatione obedientiæ; quod mihi non placuit. quia sic mihi Papa mandauerat, vt omnino vnico die, & actu, & contextu omnia expedirentur, propter expensas, vt opinor, & propter mille incommoda quæ cum tempore venire solent, & possunt; & super hoc multum institimus. Tandem conclusum fuit, quod vnico die crastino omnia expedirentur, & quod faciet omnia quæ soliti sunt facere alij Reges Franciæ; videlicet quod osculabitur pedem, manum, & faciem Papæ; & quod ter genu flectet, sicut ego monstrabo; & quod Secretarius, siue vt ipsi appellant Cancellarius eius dedit mihi copiam obedientiæ in scriptis, vt ego hic eam annotabo, quia visa est mihi & omnibus pulcherrima. De verbis autem quæ ipsemet dicet Papæ, non curandum; quia ipse simpliciter & positiue dicet, qualiter venit personaliter, vt videat suam Sanctitatem, & osculetur pedem eius, & vt offerat, & commendet se suę Sanctitati, tamquam optimum filium eius, & Sacrosanctæ Romanæ Ecclesiæ. Quo ad vestimenta & habitum eius dixit, quod ipse cras summo mane descendet ex palatio (in quadam taberna diuerterat extra vrbem) vbi erat, & inde recta veniet ad ciuitatem, & in palatium Papæ, vbi descendet ante cameras sibi paratas, & ibi faciet prandium: quo facto ascendet vestitus, vt conuenienter sibi videbitur. De Prælatis dixit, se aliquos habere quos instrui faciet, si volent sic venire ad Consistorium, vt sint mecum, & quod ego debeam illos instruere. Item promisit, quod nihil particulare petet à Papa in Consistorio; quia bene scit, quod in tali loco non conuenit de particularitatibus contendere, aut colloqui; & quod omnino abstinebit, dummodo Papa, nec aliquis pro eo aliquid à se similiter petat. Quo ad suam sessionem post præstitam obedientiam, non curat sedere vel stare, dummodo sit cum Papa colloquens. desiderat tamen, vt aliqui sui Principes magni Duces & Domini osculentur pedem Papæ, & Papa eos videat, & cognoscat; videlicet Ducem Borbonium, Ducem Aurelianen. Dominum de Ville Bruna, & cum diligentius inuestigarem illos cognoscere, quod illi essent de quibus Papa mihi in Consistorio dixerat, quod possent in sedili longo Diaconorum Cardinalium sedere, prout sederunt, mihi illos indicauit. Item numerauit mihi duos Camerarios suos secretos, qui absque eo quod illos vocem, habeant ipsi semper immediate Regem sequi, & esse apud illum pro quocumque casu contingente. Quo autem ad Collegium Cardinalium obuiam venientium ipse detegat caput, superfluum esse sibi recordari; quia non esset sic rudis vt talia ignoret. ad quod cum ego replicaui; quia cum Rex Carolus cum super hoc fuisset instructus à nostris, tamen semper renuit facere, & quasi pro simplicibus Clericis æstimabat Reuerendissimos Dominos Cardinales: ipse dixit, se non esse in hoc, nec in multis similem Carolo Regi. Itaque Rex super istis resoluit me, & cum aliis me dimisit. Verum quia adhuc videbatur, An omnino ire vellet ad domum sibi pro hospitio paratam, quæ erat Domini Virgilij de Ghisleriis prope sanctum Franciscum: ideo Cardinalis Sanseuerinas nobis ad vrbem remissis remansit, & cum Rege demum conclusit, se recta ad Papam venturum cras manè, prout venit, & omnia fecit, quæ honori tam Pontificis, quam ipsius conueniebant. Ita ego ad Papam reuersus hora quasi III. noctis omnia retuli per nos facta; qui & satisfactus fuit, & remansit contentus. Inter loquendum autem dixit mihi Papa, quod libenter dimitteret celebrationem Missæ; quam intellexerat Regem velle videre, & audire: & si omnino Rex etiam vellet audire, quod non vellet Papa tantum exspectare, id est ad diem Dominicum; sed alia die inter hebdomadam. & dixi, quod die Iouis proxima, id est feria quinta esset Festum sanctæ Luciæ, & posset illa die celebrare; sicut etiam Papa Alexander Sextus celebrauit præsente Rege Carolo, in die Sancti Andreæ; & quod posset vnam orationem in Missa dicere, absque commemoratione feriæ; quia illam Missam de feria possemus prius dici per alium facere: & placuit sermo Pontifici; maximè quia dixi, quod omnia seruabuntur in hac Missa, sicut in die Natalis Domini, cum assistente Episcopo Cardinali, & cum Epistolis & Euangeliis duobus, & aliis solennitatibus: & placuit Papæ sic facere, qui mihi intimauit illico, vt extunc inciperem præparari & ordinari, vt altum ligneum tabulatum erigeretur in Ecclesia S. Petronij, à columna ad columnam, & in latitudine tali, vt chorus ligneus esset totus intra tabulatum & altare.

Die Martis XI. Decembris anno Millesimo, Quingentesimo, vigesimoquinto, de manè summo, Cardinales omnes numero viginti, in palatio Papæ, intra cameram Legati, quæ tunc erat inferius parata congregati sunt, & Collegialiter inde ad portam S. Felicis iuerunt, omnes vestiti rubeis cappis. vbi postquam modicum quieuerunt, ecce Rex in bre-

uibus vestibus medius inter duos Legatos adfuit, quem Cardinalis S. Georgij Episcopus Ostiensis nudo capite, & similiter omnes alij astantes Cardinales, cum eo semper nudo capite stantes aduersus Regem similiter nudo capite stantem, & sæpius orantem, vt tam ipse Cardinalis, quam etiam omnes alij Cardinales cooperirent; verba fecit in Latino aperto, claro, & simplici: (sic enim eum instruxeram de consensu Regis) nomine Papæ, & totius sacri Senatus congratulando de sospitate Regis, & felici aduentu, & optima voluntate aduersus summum Pontificem, & sedem Apostolicam, & Sacrosanctum Collegium, & nomine eodem Principi offerebat omnia quæ in facultatibus essent suæ Sanctitatis, & Rex semper etiam ipse nudo capite stans respondit, in vulgari suo Gallico, vt mihi quidem videbatur satis aperte & conuenienter, se filium suæ Sanctitatis & sanctæ sedis Apostolicæ obsequentem amicum & filium appellans, cupidum omnium bonorum & commoditatum Dominorum Cardinalium, sicut Patrum & Fratrum suorum. Facta collocutione à primo ad vltimum Cardinalem osculati sunt eum in facie fraterne; quos Rex omnes intellexit à me ibi stante, & cognouit qui essent singuli nominatim: & tandem Cardinales seniores præcesserunt, & Diaconi vltimum caput facientes, vt mos eorum est, ipsum Regem in medio duxerunt, videlicet Sanseuerinas & Estensis; duo autem Legati se ad partem vestiuerunt, & in loco congruo incesserunt. Ordo autem venientium eorum qui ex parte Regis erant nullus seruabatur, sed ibant omnes vt eis placebat: nam neminem eorum agnoscebam. Infiniti eorum erant Barones & Principes, illos tantum tres ego cognoui, de quibus supra dixi; quia Rex eos mihi monstrari fecerat, vt eos honorari facerem: & ego quidem eos ante Regem constitui vt præcederent, sed ipsi subsequi voluerunt. Post eos duo Camerarij regij; deinde omnes Officiales Curiæ, quos Papa ab vrbe Roma venire iussit hac de causa, vt Curiam Romanam repræsentarent, adfuerunt quidem, sed nullus comparuit in ordine tali, vt Collegia viderentur esse. postea ibant Araldi tres Regij, quos posui supra Mazerios nostros, id est viciniores Collegio Cardinalium. & quia alij tres Araldi erant trium Ducum quos iam præmisi, posui illos vltra vnam copiam Mazeriorum nostrorum, ita vt sicut Mazerij nostri essent medij inter hos & illos. Campanæ omnes ciuitatis, & inter eundum tubæ infinitæ indesinenter sonuerunt. Populus infinitus processit; Papa in fenestris superioribus stetit & vidit, ac postea modum meum & ordinem commendauit, quod omnia quietè & ordinatè fecerim. Rex tandem ductus est à Collegio Cardinalium ad Cameras suas quæ erant inferius, vbi solent Vexilliferi iustitiæ commorari, & ibi festiuiter dimissus est à Collegio toto, præterquam à quatuor Cardinalibus, videlicet duobus vltimis presbyteris, & duobus vltimis Diaconis, qui continuo manserunt societatem Regi facientes, ac etiam prandentes simul cum eo in eadem mensa. Interea alij Cardinales ascenderunt ad Papam, & illico prandium fecerunt in aula, vbi Papa non voluit quicquam comedere. Quo facto, ego accessi de mandato Papæ ad Regem, & inhibui ne veniret ad Consistorium donec scirem an Papa in eo iam desideret; & sic ascendi, & vestiri feci Papam, & venire in aulam ad Consistorium. Aula erat plenissima populo tam Bononiensi & Curiali, quam etiam Gallico, in tantum vt à pluribus dubitatum fuerit de ruina & ruptura eius. Cardinales præstiterunt reuerentiam Papæ solitam, & incepta Aduocati propositione, qui fuit Iulius Stephanucius Romanus, ego vocaui Sanseuerinum & Estensem, & duxi eos ad Cameras Regis, vnde dimisi duos Diaconos iuniores, ad Papam. Rex veniebat medius inter duos seniores, quem duo presbyteri præcedebant, & sex Prælati assistentes Papæ sequebantur. Tantus populus vtriusque partis aderat, vt vix procedere possemus, & fuit opus quod Rex plures de suis disponeret ad valuas & repagula, vt custodirent ingressum, quem nos vix attingere poteramus. Vnde Rex, vt erat placidus, sæpe risit, quod sic detineretur, nec posset vlterius progredi. Tandem cum quasi per mediam horam detenti fuissemus, ascendimus, & duo presbyteri Cardinales qui nobiscum erant præcesserunt ad reuerentiam Papæ, & vix ipsi illuc adire potuerunt, & firmarunt se se ante Papam hinc & inde super gradibus supremi Solij. Rex quem primo præcedebat San-Seuerinas, deinde ego simul coæqualis cum Rege, quem numquam dimisi, semper cum per manum ducens; sic enim ipse volebat, nec me dimittere volebat. Itaque ter, cum æquali ante Papam in medio quadraturæ distantia, genufleximus Rex, & ego. Inde rex ascendit ad osculum pedis; & ridens ac iubilans pedem, & manum, & faciem osculatus est, & dicens aliqua pauca verba in vulgari Gallico, per quæ demonstrabat se lætissimum, quod videret facie ad faciem Pontificem Vicarium Iesu Christi Domini nostri, cuius se filium & seruitorem præ se ferebat, deditissimumque ad omnia eius mandata: cui etiam Papa benignissimè & humanissimè respondit, vt omnia hæc ad Deum transferret, Deoque omnia tribueret. & in veritate Papa optimè locutus est Regi. Post hanc mutuam collocutionem Rex in Pontificis dextera me indicante se collocauit: & tunc ego vocaui Reuerendissimos Dominos Cardinales vt ad solium venirent, si possent; & vix pauci venire potuerunt. quibus ante Pontificem stantibus, Cancellarius Regis veste aurea longa indutus, & primo quidem genuflexus, per modum longæ & ordinatæ orationis obedientiam in forma solita, nomine Regis præsentis, qui primo voluit caput detegere, quando præcise verba obedientiæ recitabantur, sic enim ego cum inituxeram, detulit: quamquam Papa inhibuerat ne caput detegeret. Finito sermone Rex omnia approbauit, & cum humiliatione capitis atque humerorum, omne quod per Cancellarium eius dictum fuerat sibi summopere placere indicauit. Papa vero elegantissime & commodissimè respondit, commendans publice & multipliciter Regiam fidem, atque obsequium. Tunc vocaui tres illos Duces, qui venerunt ad osculum pedis, manus, & oris Papæ, & Papa eos benigne admisit. Rex autè tunc cum Pontifice confabulabatur de ipsis Principibus, enarrans illorum virtutes & conditiones. Post istos Papa statuit nullos alios admittere ad osculum pedis, ne detineret Regem suspensum: sed Rex vocabat hunc & illum, & Pontifici commendabat, ita vt ad XV. vel XX. venerint, quos omnes Papa osculatus est, vt illos tres priores. Tandem Papa surrexit, sed vix de solio suo, ac magis vix de aula exire potuit, præ multitudine populorum; & semper Regem manu sua sinistra deducebat, vsque quo ad mensam paramenti fuerunt, vbi eo & Cardinalibus dimissis exuit paramenta. Post hæc Rex ad fenestram quæ supra plateam respiciebat accessit, & Papa mox ad eum accessit amicabiliter confabulans: & quia timebam, ne propterea, volens Regem honorare, manum suam quodammodo ad biretum apponeret, sicut sæpius & quasi semper faciebat Papa Alexander cum Rege Carolo, admonui ne id faceret, quinimo caueret, ne ipse Iesu Christi Vicarius in publico aliquem actum reuerentiæ coram Rege; imo nec etiam coram Imperatore quantumcumque coronato exhiberet. Facta consultatione Papa licentiauit Regem; & Cardinalium Collegium reduxit eum in Cameras suas, ordine quo à Papa in vrbem venerunt.

XIV. *Leo X. cum Gallo tractat.*

Franciscus Gallię Rex Bononiam ingreditur.

Pontifex interim cupidus quantum fieri possibile erat absoluere se citius ab omnibus quæ cum Rege acturus erat; non quia de ipso timeret, quoniam data pax & fides pacis hinc inde erat, sed quia dubitabat, ne propter tot millia hominum in agro & ciuitate Bononiensi existentium aliquid mali eueniret ciuitati, populo & comitatui, propterea mihi imposuit, vt quantocius possem Missam ordinarem, neque exspectarem diem solennem Dominicæ vel alterius festiuitatis. hinc consului, vt postridie, scilicet die Sanctæ Luciæ fieret Missa Papalis. Decreto facto, additi operarij tabulatum præparauerunt, vnum solum habens aditum ante fores Ecclesiæ Sancti Petronij directum, cuius custodiam dedimus Gallis, vt non sinerent intrare nisi suos, ex quo ista Missa solum pro causa Gallorum fiebat. addidi tamen duos alios custodes de nostris, qui etiam nostros Prælatos, & Officiales Papæ, item familiares Papæ, Cardinalium ministros, & Magistratum Bononien-

sem admitterent. In eodem loco vbi erat altare sub tabulato, ibi supra posuimus altare pro Missa; & duos abacos hinc inde. disposuimus etiam sedem Papæ pro paramentis excipiendis adhærentem parieti sub organo; & latitudinem graduum vbi erat sedes ista sic spatiosam fieri, & præter tres ministros Diaconos posset etiam si opus esset fandistorium Regis. Nam quotiens Papa de loco ad locum ibat, sic semper Rex sequebatur, vt videret omnia; tum quia deuotionem habebat, tum quia delectabatur videndo & intelligendo mysteria nostra: quin etiam dedi sibi vnum ex nostris Prælatis, qui fuit Reuerendus Pater Dominus Scaramucia Triuultius Episcopus Cumanus, vt singula nostra mysteria declararet. Hunc autem ideo deputaui, quia erat Gallicam linguam optime callens, & ipsi Regi bene notus. Deputaui etiam duos ex Regiis pagiis, qui quoties Rex cum Pontifice iret ad solium, & inde ad altare, ipsi fandistorium Regis portarent, pro ipso sessuro. Item admonui Regem, vt si vellet communionem accipere, in illa Missa posset, & quidem de manibus Pontificis, sicut aliqui Cardinales, & præsertim Diaconus Euangelij & Subdiaconus epistolæ: & de hoc prius consului Papam, An contentaretur dare communionem Regi. Sed Rex dixit, paucis ante diebus communicasse, & propterea non velle communicare, sed quod vellet confiteri, & quod Papa deputaret confessorem qui eum plenarie absolueret; quod & factum est. Nonnulli Principes eiusdem Regis petierunt de gratia, vt Papa dignaretur eis communionem impartiri; & Papa fuit contentus vsque ad xxx. & propterea hostias communicabiles deputauimus & disposuimus pro ista communione. Item quæsiui à Rege, an vellet caudam pluuialis Papæ per quatuor passus subleuare, sicut est de more Imperatoris, & quorumlibet Regum; & respondit quod libentissimè faceret, prout fecit, quin etiam interrogaui, an vellet aquam manibus ministrare in lotione post communionem; & similiter respondit benigne, se facturum, prout fecit, vt modo dicetur. Ego fieri feci coopertam de purpura, id est velluto cremesino super fandistorio Regis: item duos puluinos super cusinos ex eodem velluto cum panniculo dorsali similiter, quos & quod posui in sedili longo Cardinalium, si & quotiens contingeret illic sedere, vt Rex posset, post & sub Episcopo Ostiensi, id est post primum Episcopum Cardinalem. Sed in Missa non sum vsus dorsali, nec cusinis, quia non fuit opus illis. Nam Rex cum Cardinalibus in sedili eorum longo non sedit præsens Missæ, sed super fandistorium. Item quæsiui à Rege, an vellet pacem sibi dari, sicut Sixtus dedit Regi Daniæ; & placuit similiter, quod & factum fuit, vt dicetur.

Itaque omnibus dispositis venimus ad Ecclesiam, & Papa ex sua aula recessit paratus processionaliter: sed Rex non ascendit: nam occurrit eidem descendenti de scalis, & ipse iam fecerat prandium, vt mihi ridens dixit; quod Papa cognouit, & etiam ipse risit versus ad Regem, quiante Papam medius inter duos Episcopos Cardinales incessit, quam duo assistentes Cardinales & Diaconus Euangelij sequebantur. Collaterales eius erant Cancellarius eius, & multi Barones aureis vestibus induti, nobiles etiam infiniti Galli partim iam in Ecclesia erant, partim præcedebant & sequebantur, ita vt mirum fuerit, quomodo Ecclesia illa quantumcumque amplissima tot gentes capere potuerit. Cardinalis Farnesius cantauit Euangelium; quidam Venetus Græcum; Dominus Ioannes Alberinus epistolam Latinam; quidam Amerinus Græcam; Cardinalis S.Georgij fuit Episcopus assistens, San-Seuerinas & Estensis Diaconi Assistentes. Ab altaris gradibus ad sedem paramentorum eunte Pontifice, Rex sustulit caudam pluuialis Papæ, me eidem porrigente; de quo illico auertentem feci Pontificem, & Papa ad Regem conuersus orauit vt dimitteret; & Rex benigne perseuerauit, asserens se Vicario Domini nostri Iesu Christi libenter seruire, etiam in minoribus: & sic vsque ad sedem sustulit; cui in fine Papa benedixit. Rex sedente Pontifice sedit super fandistorio parato ad dextram Papæ, ita vt commode Cardinalis Diaconus Euangelij ibidem astare posset; & fandistorium eius fuit coopertum de purpura circumquaque vsque ad terram, & cusinum similiter superpositum, habens lymbum siue cordellam auream in gyrum, cum armis Regiis, in medio sessionis. Cum autem Rex voluit primo sedere, mirum quod casu accidit ipsum fandistorium, sed Rex non accidit, quin risit: & illico recomposito fandistorio sedit firmiter vsque in finem. Admonui inter hæc Regem, vt quoties Pontifex aliquid sacrum dicturus aut facturus surgeret, etiam ipse Rex surgere vellet; quod benigne semper fecit. Eunte Papa à sede paramentorum ad altare Rex præcessit, & super cusino in eodem latere strato Rex transuersalis genu flexit. Quando Papa fecit confessionem, Rex respondit ei ad longum. Quando Papa similiter ad solium iuit, Rex præiuit, & stetit apud fandistorium suum, quod posuit inter fandistorium Episcopi assistentis, & sedile Episcoporum, & stetit cum stante Pontifice, ac sedit cum eodem sedente. Verum tanta fuit Gallorum multitudo, ac etiam nostrorum Curialium & Bononiensium, vt vix Cardinales in longo sedili sedentes à quoquam viderentur, nisi tantum ab his qui in superioribus minianis erant, id est vbi est organum; vbi etiam multæ mulieres nobiles & matronæ erant. Et quoniam in tanto gentium strepitu vix audita est epistola, quæ apud altaris gradus cantata fuit, feci vt Græca epistola, & deinde Euangelium in vtraque lingua cantaretur apud gradus solij; vt Rex & sui Principes audirent. & Rex habuit suum vt dixi Secretarium apud pedes eius genuflexum, qui singula mysteria nostra cum stylo ferrea in tabula lignea signauit, omnibus videntibus: ad quem ego conuersus Rege audiente dixi, non opus esse illo labore, quia si vellet darem ad longum in scriptis omnia: & Rex approbauit. Reuerso ad altare Pontifice, quia ipse Pontifex stabat, etiam Rex, quantumlibet fandistorium suum apud se haberet, tamen sedere noluit, sed stetit in eodem cum suis loquens, vt laici solent, de variis: & habuit incensum post primum Episcopum Cardinalem. Post eleuationem Sacramenti, cum omnes, præsertim Prælati surrexissent, ipse surgere noluit, sed deuotissimè ambobus genibus terræ innixis, & manibus ante faciem suam coniunctis mansit. Pontifex data pace Episcopo Cardinali assistenti, deinde dedit Regi primo, postea duobus Cardinalibus assistentibus. Accepta Rex pace rediit ad suam genuflexionem; similiter dum Sacramentum ad solium Pontificis portaretur, ibidemque esset, semper Rex sicut supra deuote genuflexus perstitit. Post suam, & Diaconi ac subdiaconi communionem Pontifex petiit à Rege, an vellet communicare: & Rex gratias egit, quia non erat in voluntate: Sed audiuerat, quod aliqui Principes de suis id summo desiderio optarent: & Papa libenter obtulit se facturum. Vnde factæ sunt cœremoniæ in tali actu necessariæ & consuetæ; & Papa communicauit circa XL. Nam cum essent solum hostiæ xxx. Papa videns multos remanere absque communione, fregit circiter x. hostias, & sic satisfecit eisdem. & nisi Rex prouidisset, tanta multitudo suorum concurrisset, vt Papam attriuissent præ voluntate communicandi. Sed Rex assurgens eos compescuit: & multos amouit non ita nobiles nobilissimis mixtos. Post communionem Rex aquam stans ministrauit. & ego dicere volui prius Papæ, An placeret, quod id faceret: & Rex audiens non permisit me de hoc Pontificem interrogare. Itaque duo Barones Regij cum nostris ministris de credentia attulerunt bacilia cum mantilibus, & absque eo quod Rex faceret probam aquæ, cuius ego prægustationem dedi Architriclino Papali: extendimus mappas ad spatulas Regis, & dedimus bacilia in manibus: & Papa continue laudans deuotionem Regis lauit, & demum gratias egit ei. Primam aquam dedimus Duci Alenconio; secundum Duci Aurelianensi, tertiam Duci Borbonio; quartam Regi; & prædicti tres Duces federunt in banco Diaconorum Cardinalium post omnes Cardinales, sic petente ex gratia Rege. Quando corpus Christi, portatum fuit ab altari ad solium, feci quod quatuor funalia per duos Acolythos anteferrentur: & similiter quando sanguis, per duos alios Acolythos alia quatuor funalia antelata fuerunt. & quia tanta fuit pressura gentium, vt vix ambulare per capellam possemus, propterea quando Papa voluit post communionem sumere, non potuimus ire pro calice, sed cum cratere factum est ministerium. In fine Missæ publicata est indulgentia plenaria, primum in Latino per Cardinalem Sancti Georgij; deinde in vulgari Gallico per Cardinalem San-Seuerinatem; vltimo in Italico per Farnesium. Quando finita Missa exiuimus Ecclesiam, fonauit horam XXIII. Rex egit Papæ gratias de Missa, & de laboribus perpessis.

XVI. Die sequenti Regem Papa visitauit in camera illius: altera die Rex iuit ad S. Dominicum vt videret sepulchrum eius & quia multi erant laborantes ex Scroffis; ideo Rex fecit publicè bannimento proclamari, se curaturum huiusmodi infirmos; & multos tetigit, vt curaret eos. Si autem remanserunt liberi, dies indicabit.

Franciscus Gallie Rex Adriano Episcopo Cõstm. Cardinalatũ impetrat.

Die Veneris XIIII. Decembris fuit Consistorium secretum, in quo ad preces Regis vnus Cardinalis creatus est, & publicatus, ac de toto factus cum titulo, & apertione oris, & annulo. Hic fuit Reuerendissimus Dominus Adrianus Episcopus Constantiensis, pater Magni Magistri. Hic prius erat parum in habitu Ecclesiastico: sed ego instruxi eum de habitu, qualiter oporteret esse cappatum, deinde paludatũ ac mitratum, si volebat, prout volebat interesse Consistorio publico, & Missæ populi: & etiam quod haberet coronam Episcopalem; & Rochettum indueret. Papa mihi dixit vt eum instruerem, & præparatum esse facerem, quia volebat eum omnino publicare hodie; quod sic fecit, verum ego reduxi ad mentem suæ sanctitatis illud quod sub Iulio II. statutum fuerat, videlicet, quod isti Prælati Galli, qui sic repente ad preces Regum fuerunt Cardinales, quasi nesciunt quid sit dignitas Cardinalatus quam acquirunt, & solum tenentur Regi vt intercessori, non Pontifici vt factori: & propterea si Papa vnum eis imponat & Rex aliud, magis Regi quam Pontifici obediunt; etiam vbi agitur de honore, & statu sedis Apostolicæ. Propterea statuit sanctæ memoriæ Iulius Papa II. quod tales promouendi debeant omnino præstare iuramentum fidelitatis; quod eloquium legant, & præsent noui Cardinales in manibus Commissariorum in partibus, quando dantur eis Cardinalatus insignia. & licet aliqui Cardinales dicerent non fuisse bene factum, tamen Papa cum saniori parte statuit, quod legerent iuramentum prout in forma. & ego portaui librum meum in Consistorium, & tandem vocatus fuit nouus Cardinalandus, qui cum trina genuflexione accessit ad pedes Papæ; & Papa ei dixit, qualiter ad preces Christianissimi Regis sic petentis, ipse & Cardinales omnes erant contenti, vt ipsum crearet Cardinalem: & sic creauit, In nomine Patris &c. & extraxi ei mantellum quod commodatum habuerat, & imposui illi cappam: demum Papa imposuit capiti illius birretum nouum rubeum, quod ego ab ipso acceperam; & sic in genuflexione manens legit formam iuramenti, vt in textu; de quo ego fui rogatus, & D. Syluius Datarius, & Dominus Latinus Vrsinus Canonicus S.Petri, Cubicularius Papæ. Fuerunt testes per me rogati, prius quam iuraret: & aliqui quasi riserunt de pusillanimitate eius; & post iuramẽtum osculatus est pedem, manum, & faciem Papæ; deinde fuit ad osculandos Cardinales; & posui eum in loco & stallo suo, id est vltimo presbyterorum. & quia Papa volebat ei os aperire, & dare titulum, prius clausit eius os: & fuerunt per duos Cardinales duæ paruæ propositiones factæ. Deinde Papa vocauit & quæsiuit; Quis bonus titulus esset pro eo? & dixi, quod Sancti Petri Marcellini, quia ille titulus vt plurimum solet dari Gallis, prout etiam illum habuerat Cardinalis de Lucemburg: & sic dedit illi titulum hunc, & aperuit os ei; & voluit ei dare annulum, sed non habuit in promptu, quia nondum erat perfectus: & habui vnum aliunde accommodatum, quem ei dedi cum benedictione, & conditione vt illum restitueret. Inde Cardinales duxerunt eum ad cameram illius plenam straminibus & paleis, & osculati sunt eum de more.

XVII. *Franciscus Rex Galliæ Bononia discedit.*

Sabbato xv. Decembris, Rex mane discessit ex Bononia ante prandium; ante cuius discessum Papa misit ad cameram eius crucem ornatam, vt communiter æstimata fuit xv. M. ducatorum auri, quam dono ei dedit; & Rex vt intellexit, ante eam genu flexit, & osculatus est eam in pede: maxime quia ibi erat pars ligni veræ & sanctissimæ Crucis Domini nostri Iesu Christi, in quantitate sicut est auellana. Deinde ascendit ad Papam, cum quo mansit per medium horam vel circa: & tandem descendit ad scalas, vbi omnes Cardinales iam conuenerant, cum exspectantes in cappis rubeis, reducturi sicut & vnde ipsum leuauerunt; prout fecerunt eodem ordine in omnibus & per omnia sicut prius fecerant conducendo; & apud ac extra portam ciuitatis, Cardinalis Sancti Georgij vna cum omnibus aliis, osculum dedit & recepit ab eo: nudo capite illo & Cardinalibus manentibus: ac tandem finitis omnibus, Rex humaniter conuersus ad Cardinales & Prælatos omnibus vale dixit. *Paris de Grassis Episcopus Pisaurensis. in notis Diariis.*

De hoc cum Rege Francisco congressu, deque transactis in commune. Pontifex aliquibus perscripsit: ex quibus pleniora.

I.

Aloisiæ Francisci Regis Gallorum matri.

Quemadmodum ei, qui cum vult atque vbi vult spirat sane placuit, Franciscus Gallorum Rex filius tuus hodie Bononiam ad me veniens clarum atque illustre mihi obsequij obseruantiæque munus præstitit, ea pietate & religione, vt libentissime illum amantissimeque oborti prope paterna lætitia lachrymis complecterer; agremque Deo Optimo Maximo gratias, qui mihi filij sui Vicarium in terris gerenti dederit, vt huius Reipub. maiorem dignitate & authoritate, filium, tantum Regem, tanta opibus, tanta potentia præditum, omnibus animi corporisque dotibus peromatum, florentem ætate, eidem Reipub. se tam pie coniungentem, addicentem, submittentemque conspicerem. Valde enim confido fore, vt eas res vniuersæ Christianæ Reipub. maximam & vtilitatem, & gloriam pariat. Quamquam hoc quidem nostrum tam mirificum gaudium ea etiam lætitia est consecuta; quod cum illum sub poste a priuato in congressu haberemus, spem exspectationemque, quam nobis primo aspectu atque intuitu, præmisque illis habitis à se verbis excitauit, pleno religionis & prudentiæ sermone, sutque in iuuenta Christiana re atque populis erecti propensique animi, deq; nobis bene merendi cupidi ostensione etiam atque etiam auxit. Itaq; has ad te quamprimum litteras dedi, quibus meam ex eius aduentu conceptam tecum lætitiam communicarem, significaremque tibi nulla eum ex parte, nulla ex re mihi non egregie, non ampliter, non cumulatissimè satisfecisse; hortareque te, ageres ipsa etiam Domino gratias, qui te non solum tam potentis atque magni, sed etiam tam pij, tam prudentis, tam alti animi Regis, tam tui; quod quidem perspexisse mihi videor, obseruantis esse matrem voluerit; quodque ipsa tuum in eo educando & instituendo studium, diligentiam, laborem bene positum plane iam videas. Magnosque ex eo atque optatissimos fructus capias: confidas etiam te indies longe quidem maiores atque vberiores percepturam. Non enim vereor quin existimes, qui tibi neque dum plane adolescens, & vt verius dicam, puer matri filius satisfacit, implet cupidum semper animum, eumdem esse etiam deinceps annis pariter cum virtute crescentibus firmiores tibi de se iocunditates pleniorem que lætitiam allaturum. Quod ad me attinet, scire te plane volo, nullum te in nobis erga illum boni patris officium vllo tempore desideraturam. Neque enim vllam Regis ornandi, & dignitatis illius amplificandæ occasionem prætermittam, vt se mihi sentiat esse quam charissimum. Pergat modo ipse, quodque specimen veræ pietatis ac timentis Deum animi, cæterarumque virtutum tua in primis cura, tuisque prudentibus consiliis fultus iam dedit, id in posterum tueatur, vel etiam exaugeat. Quod vt facere melius atque facilius possit, & si currentem, vt credimus, incitatura sis; tuas tamen maternas amantissimasq; hortationes ipsa ne intermittito: adolescentemq; bene institutum tibiq; in primis parentem in eodem Dei cultu & Reipub. obseruantia, à qua sibi sperare omnia ornamenta potest, magis magisque indies tuis præceptis tuisq; monitis confirma & continue. Dat. III. Id. Decemb. Anno III. Bononia. Bembus lib. XI. ep. II.

II.

Emanueli Regi Lusitaniæ.

Cum nobiscũ per litteras & per Internuncios diligenter egisset Fra-

cisçus Gallorum Rex vt se ad nos accedere vellemus, intellexissemusque de illius recto in nos atq; in Rempub. vniuersam propenso animo multa, quæ spem nobis faciebant, si se is ad nos contulisset, fore vt eiusmodi congressus noster aliquid certe in communem vtilitatem boni pareret, libenti animo ei permisi, vt ad me Bononiam accederet. Itaque ille ad III. Id. Decembris Bononiam cum venisset, ita omnes boni & pij, Rempub. atque nos obseruantis, ac vere Regis partes, impleuit; vt nihil neque à me, neque ab vllo fratrum meorum Cardinalium, qui pene omnes mecum erant desideraretur. Secretioribus vero in sermonib. collocutionibusq; nostris cum illius animum atq; mentem diligentius pertentarem; studia cogitationesq; eius omnes ad rem Christianam tuendam, iuuandam, amplificandamque mirifice conuersas atque directas cognouiipsum autem eum & probum, & vt ista ætas fert, etiam prudentem, & alto ac magno animo præditum, tum etiam facilem ad curas suas, desideria, spes, conatusque omnes remittendos perspexi, dum illud tam pium tam iustum, tam sane etiam necessarium in Turcas bellum non verbis & litteris, vt sepe alias, sed re atq; opera vna mi consensu conspirationeq; susciperetur. Quæ cum vidissem, Regiumq; animum, quasi quodmanu tangitur, tenuissem; est enim plane bonus, hoc est aperto ingenio ac perliberali; ego quidem primum Deo Opt. Max. plurimas genibus inuixus gratias, qui mihi eius Filij Vicario in terris dederit, vt tantum Regem, tanta virtute, tanto gerendarum rerum initio, ea ætate, iis opibus, ad eam profectionem suscipiendam tam alacrem, tam nobiscum coniunctum & consociatum, quasi de cœlo missum aspicerem. Deinde has ad te litteras dare volui, tum vt tibi omnia significarem; quæ quidem tibi pro tua religione & pietate, proq; tuis Reipub. Christianæ causa multa impensa, singulari perseuerantia, incredibili labore, nouis inusitatisq; ac prope inauditis antea nauigationibus & bellis fore tibi gratissima non dubitaui: tum vt te hortarer abs teq; etiam atq; etiam peterem; quando imminere nostris cernebam Turcarum Regem acerrimum atq; bellicosissimum vides, te vt nobiscum hoc ad bellum pares; atque ita quidem pares, vt reiectis reliquis consiliis tuis omnibus nihil cogites, nisi hoc quod dixi vnum; quod quidem maximè omnium cogitandum, aggrediendum, explicandumque est. Spero enim in ipso, cuius causam agimus, Deo: si ad nostram Regisq; Gallorum copulatam voluntatem, tuam etiam voluntatem, prudentiam, auctoritatem, & opes alacri magnoq; animo adiunxeris; fore, vt quæ alij omnes multorum sæculorum Reges vix optare ausi sunt, ea nos summa cum Christianæ Reipub. tuaq; inprimis laude celeriter atq; facillime consequamur. Nullus enim reliquorum Christianorum Regum atq; Principum erit, modo vere Christianus sit, qui cum nos ad id coniunctos animatosq; viderit, non se etiam comparet ad bene de Christiano nomine pro virili parte communi in re atque causa promerendum: quemadmodum omnibus his de rebus cum Legato tuo sumus loquuti. Accinge itaque te cum Dei auspicio & nomine ad rem cogitationemq; tam præclaram suscipiendam: & Domino, qui tibi tantum regnorum dedit, eorundem regnorum opes prome; vt recuperare amissa turpiter à maioribus nostris ea, in quibus ipse nasci versariq; inter mortales, demum etiam pro salute nostra obire mortem voluit, loca terramq; plane sanctam possimus: vt qui te illi gratum Christianæ ditionis fines vltimo in orbe terrisque ignotis tua tantum virtute, nullis sociis, nulloq; adiutore longe late q; promouendo præstitisti; idem te media in Europa atq; Asia vna nobiscum recuperanda gratum etiam præbeas; possis; ad tuam propriam pristinamque gloriam communis quoq; gloriæ cumulum adiungere; sisq; omnium pariter & gratissimus, & vera solidaq; laude cumulatissimus. Dat. XIX. Calend. Ian. M.D.XV. Anno III. Bononia. Bembus lib. 11. ep. 17.

XVIII. *Leo X. cum Gallo pacē cōposuit.*

Eodem plane modo significabat Pontifex aliis Regibus & Principibus, ea quæ inter ipsum & Gallorum Regem Bononiæ transacta fuissent; nimirum pacem initam, & bellum meditatum contra Turcas. Singulis illud solenne inculcans; *Imminet nobis omnibus hostis efferus atque prepotens Turca; quem quidem tot prosperrimis successibus atq; victoriis exultantem nisi retuderimus, iam iamque aderit nostris in iugulis suos gladios cruentaturus, quos è fratrum suorum abscisis ceruicibus, ac prope patris sui cano corpore atq; tremulo eduxit. Nam & magnos illum comparare exercitus, & ingentem classem ornare atque instruere ad nos perferunt, qui Byzantio veniunt: quibus vtriq; rebus simul vti nisi contra nos plane non potest. Id veritus rem pulcherrimam illam quidem maximeq; salutarem sed implicatam ac perdifficilem & cogito dudum, & paro; vt pacem inter Christianos Reges omnes atq; populos conficiam; speroq; Dei Opt. Max. benignitate atque munere non frustra me laborare, modo vos vestram mihi operam naueris.*

Præter hæc quid hoc anno contra Turcas Pontifex moliretur, atq; præstiterit, ex infrascriptis ad diuersos datis satius est cognoscere.

I.

Vladislao Regi Pannoniæ.

Cum & Reipublicæ Christianæ dignitas, & tui Regni atq; populorum salus in eo mihi versari hoc tempore maximè videretur, si certa in Illyrico atq; Croacia municipia Turcis exposita loci natura satis adresistendum idonea, etiam hominum operibus atq; præsidiis munirentur; Vincentio Ototiensium Episcopo & Iulio Cortonensi procuratoribus meis mandaui, vt eam curam susciperent, eoq; se conferrent, quam celerrime fieri posset. Eis magnum tritici numerum, magnum ordei illo comportandum iussi dari; puluerisque perfecti ad tormenta impellenda libras mille; sulphuris præterea libras decies mille; salis nitri quinquies mille; quibus ex rebus puluis, si esset opus, confici posset: tormenta etiam varij generis aliquot. atque iis quidem rebus omnibus curatæ pecuniæ adieci nummos aureos vicies centum: qua pecunia quibusque rebus ex Episcopi Vesprimiensium Croaciæ præfecti sententia & consilio vterentur. Audio autem operæ pretium esse maximè quidem, vt Mœnia eorum oppidorum reficiantur, & vallo ac fossa præcingantur: Sed si quid esset aliud quod vel ædificari, vel muniri oporteret; id eos ita iussi procurare, si Episcopus Vesprimiensium mandauisset. Te autem magnopere hortor, vt quam ad te pecuniam ex Reipub. propediem ærario sum missurus, quæ quidem erit ad vicies mille aureorum nummum eius multo maximam insumas partem illis in locis & municipiis, & firmandis, & cōmuniendis. Hæc cum me videas pro tua tuorumque incolumitate laborare, quid te ipsum facile Vladislae oporteat, facile iudicabis. Itaque non ero longior. Datum III. Calend. Aprilis M.D.XV. Anno III. Roma. Bembus libro 10. epist. 23.

II.

Episcopo Vesprimiensium Præfecto Croaciæ.

Dedi ad Vladislaum Pannoniæ Regem Vincentio Ototiensium Episcopo & Ghilio Cortonensi interpretibus & procuratoribus meis litteras; quos ad certa Illyrici Croaciaque municipia, vt scis, & firmanda, & munienda ad Turcarum impetus sustinendos mitto petente maxime & monente te: quibus ex litteris, quantos labores, quantas etiam impensas susceperim, facile intelliges. Nunc te hortor, vt quando in eam procurationem atque curam te auctore sum ingressus; cuius prudentiæ atque in rebus gerendis experientia plurimum tribuo; quibuscumque in rebus esse illis vsui poterit virtus auctoritasque tua, eos iues, Ghilium præsertim; cui mandaui, tuo vt consilio in muniendis illis oppidis & bello, si forte in aliquem tumultum eorum aduentus incideret, administrando & ducendo vteretur. Id facere te oportet, cum Reipub. Christianæ, cuius res agitur, causa; tum tua, quo impulsore vsus sum; tum vero etiam mea, qui te secundum Regem tanti facio, vt tibi tota ista in regione latissima atque populosissima præferam neminem. Dat. III. Calend. April. M.D.XV. Anno III. Roma. Bembus libro 10. epist. 24.

III.

Leonardo Lauredano Venetiarum Principi.

Mitto ad certa Illyrici Croaciæque oppida Turcarum exposita incursionibus Vincentium Episcopum Ototiensium, & Ghilium Cortonensem Procuratores meos cum commeatu armamentisque; vt ea bene atque celeriter muniant; iisq; mandaui, vt omnem diligentiam adhiberent, ne quid illis in locis detrimenti Res Christiana pub. acciperet. Quæ te hortor: mandes quamprimum tuis Magistratibus quos in Illyrico habes: vt quibuscumque in rebus ferre opem meis procuratoribus poterunt, vt mandata nostra facilius atque celerius conficiant, illis præsto sint: maximeque in calce, reliquaque materia atque operis ad vallum, fossas, mœnia vel sarcienda, vel exædificanda submittrandis, recipiantque ac seruent ea omnia fideliter, quæ ij à nobis secum ferrent, quoad illa vlterius deportari opus sit? Demum ita se gerant, vt ea cura, quam ad communem Christi populorum vtilitatem suscipio, quantum maxime potest proficiat: & illos appareat ministros esse Principis optimi summaque religione prædiri. Dat. III. Cal. April. M.D.XV. Anno II. Roma. Bembus lib. 10. ep. 25.

IV.

Eidem Lauredono.

Cum existimarem propter ea quæ tibi fœdera cum Turcarum Rege sunt, non posse te aperte quicquam atque palam contra illos moliri: eorum autem latrociniis & incursionibus, quas creberrimas faciunt, per me ipse ire obuiam, oppositaq; illis loca nostra communire atq; defendere cuperem, statui triremes aliquot, quæ Anconi fabricatæ sunt deducere & ornare eam ob causam. Quare abs te peto, vt tormenta bellica, cæteraque armamenta, quæ ad naues eas instruendas satis sint, mihi commodes. Ea de re Augustinum Beatianum familiarem meum & ciuem tuum, probum ipsum virum & ingenio doctrinaque præstantem ad te mitto, qui tibi mentem meam latius explicabit. Cui etiam mandaui, vt certos Græcorum libros quibus egeo Venetiis perquireret. Ea in re si illum iuueris, erit mihi gratum. Dat. III. Non Iuliæ. Anno III. Roma. Bembus lib. 10. epist. 45.

V.

Emerico Pannoniæ Palatino Principi.

Legi tuas litteras, quibus & tuam in nos mirificam voluntatem, & in Romanam Rempub. singularem cultum pietatemque præfers. Quarum duarum rerum animique tui propensionum & inductionum quæ ad me pertinet, valde mihi grata est: quæ ad Rempub. ea etiam Sancta & vehementer probata & mihi esse debet, & bonis omnibus. Itaque de vtraque valde te amo. Quod vt etiam apertius scire possis, exemplum literarum quas ad Vladislaū Regem dedi, tibi describi iussi: tum vt quam curam pro Christianæ Reipub. dignitate tuenda susceperim, ea ne te lateret: tum etiam vt te hortarer, vt communem causam apud Regem ipsum iuuares auctoritate tua & gratia: vt quas impensas feci sem pro ipsius regni maxime salute atque gloria, ea quam fructuosissimæ essent futuræ. Cæterum quod ad Episcopatum Varadiensem attinet, cui postulas vt filium tuum velim præficere: est illius quidem certe ætas ad id ponderis sustinendum imbecillior: sed quia te vt dixi, valde amo, dabo operam, vt quando aptius & citius pro nostra dignitate fieri possit, satis appareat tum apud me auctoritatem plurimum valuisse. Dat. Calend. April. M.D.XV. Anno III. Roma. Bembus lib. 10. epist. 26.

XIX. *Transiluaniæ Palatinus à Turcis vincitur.*

Suscepit eam curam, tam conciliandorum Regum & Principum Christianorum, quam iuuandi Vladislai Pannoniæ Regis Pontifex tanto acrius, quando intellexit Ioannem Trecinium Scepusiensem Comitem ac Transyluaniæ Palatinum, Turcorum fines cum Vngarorum exercitu ingressum, sub hoc eodem tempore ab immanissimis Turcis prælio superatum, & castris exutum esse. Is enim, quia bellum contra agrestes Crucigeros prospere illi successerat, fortunam eodem semper tenore totius rei principia subsequuturam arbitratus, bellum in Turcas susceperat, & ad obsidendam arcem, æquali fere interuallo inter Taurinum & Samandriam sitam animum adiecerat; quæ à Turcis & Thracibus Dalmatisque Caualla appellabatur, ab Vngaris Sarno vocatur. Hæc est ea arx, in quam Mahometes princeps, Constantipolis expugnator, ab obsidione Taurini per Huniadem & Capistranum cum damno & ignominia reiectus sauciatusque sese è fuga receperat. Sciebat Ioannes maiorem Turcarum numerum traiecto Hellesponto in Asiam transfretasse: sed tamen qui domi in præsidiis relicti erant, frequentibus ac cruentis excursionibus, & latrociniis inferioris Vngariæ ditiones infestas ex eo loco reddebant. Ergo contractis copiis ad decem millium equitum & peditum numerum, Sarnonem infeliciter oppugnauit, castris & tormentis, necnon quinq; millibus bellatorum amissis: quādo reliqui à Turcis dissipati in turpem fugam se dedissent. Multi hanc improspere tentatam expeditionem, præsertim ob priuatæ pœnæ, diuinitus, vt credi par & congruum est inflictæ grauitatem, multis lachrymis deplorauere. Ferunt enim, Ioannem, post deletos agrestes, & fusum innoxium plurimorum sanguinem, Eucharistiam, dum ea à sacrificante Sacerdote astantibus populis ostenditur, mirum dictu, toto biennio videre non potuisse. Vnde ipsum, ac incomparabiles & religiosissimas fœminas, Barbaram sororem Reginam Poloniæ, ac matrem Aduigam, erogato in egenos, ac Monachorum & sacrarum Virginum Collegia, magno auri pondere, obtinuisse assiduis suis & piorum precibus ieiuniisq;, vt Sacrosancti eius mysterii pristinus conspectus illi redderetur. Pontificem sane, ea clades Christianorum ingenti mœrore affecit: nec minima anxietate impleuit, vt eo amplius de concordia inter Maximilianum Cæsarem, ac Vladislaum Vngariæ, Boemiæq;, nec non Sigismundum Poloniæ Reges conciliandā cogitarit: inq; eam rem Ægidium Viterbiensem ad Cæsarem, Laurentium vero Episcopum Feltranum ad Reges nuncios destinarit, ac præterea Gurcensi & Strigoniensi Cardinalibus, Legatis à Latere hoc vnicum curare impetrauerit, vt fœderibus & affinitatibus hi Principes Christianitatis iungerentur, atq; in Turcas mouerentur. Successit ea res feliciter. Sigismundus Rex, & Maximilianus Cæsar, ad pacem ineundā inclinarūt, atq; inprimis Oratores ad Vladislaū, ille Christophorum Sidloueciū Palatinū Cracouiensem, hic Ioannē Cuspinianum Budam miserunt: deinde decreuerunt, vt quoniā res maior erat, quam vt per Oratores confici posset. Reges fratres cum Cæsare Budæ aut Posonii conuenirent. Sigismundus Rex prudentissimus ex tam celebri cum Cæsare & fratre congressu multa Vladislao commoda, Regno deniq; suo prouenire posse sagaciter prospiciebat, quæ vix bellis periculosissimis & multa sanguinis humani profusione pararī potuissent. Addebat tātæ rei calcaria Christophorus Sidlouetius, vir ad Regum natus seruitia, maxime quæ ad pacem, amicitiam, & Regum societatem firmandam attinebant: inter quos veteres intercedebant simultates, ob regna & prouincias sibi inuicem præreptas, illatasq; vt ipsi credi volebant, iniurias, suis quisq; rationibus hitebatur. Inter Austriæ domum illustrem, cuius tunc Maximilianus Cæsar erat longe princeps, & Casimiriadem familiam, quæ in Sarmatia, Pannonia ac Germania late imperitabat, magna odia exarserant, ob regni Vngariæ & Bohemiæ sibi ereptam possessionem. Albertus siquidem olim Romanorum, Vngariæ & Bohemiæ Rex, Austriacus Princeps, ea regna aliquanto tempore tenuit: post cuius decessum, qui Vladislaum posthumum regnorum successorem designauerat, Vladislaus Iagelloniades Casimiri Regis frater, qui contra Turcas pugnando, aduersō apud Varnam prælio occubuit, regni Procerum suffragiis & vocatione Vngariam inuaserat: & iterum post Matthiæ Vngariæ Regis mortem, Vladislaus Casimiriades ex Austriæ Principum manibus excussit. Hinc aspera inter familias præpotentes odii & dissidii fomenta, quæ postea repetitis bellis & multo humano cruore respersa fuerunt. Accessit ad exaggerandam Maximiliani Romanorum Regis inuidiam contra Sigismundum Regem, Barbaræ Reginæ connubium Stephani Scepusiensis Comitis filiæ, Austriacæ domus hostis semper infestissimæ, à quo potissimum tempore Maximilianus Sigismundo Regi ex confesso hostis, eius rebus longe infestior esse cæpit, hostesque ei vndequaq; etiā barbaros & schismaticos nepharia cōspiratione ac societate quæsuit, ac bellicis terroribus concussit. Vetus etiam erat inuidia & simultas inter Polonos & Germanos, quorum caput erat Maximilianus Cæsar, ob Pomerianæ & Prussiæ terras, quas Theutones Cruciferi, idemque aduenæ in Sarmatia sibi vendicabant, Polonosque earum terrarum possessione expungebant: pro quibus Prouinciis in ora maris Sarmatici sitis, Poloni cum Germanis maxima ac periculissima longo tempore bella gessêre: stetitque, vt debuit victoria à Polonis, iustam belli causam fouentibus. Marianis militibus eisdemque Crucigeris ex tota Pomerania & Prussia armis & virtute bellica porro eiectis, posteaquam ab amissa Ptolemayde Syriæ vrbe eas terras per trecentos circiter annos tenuissent, quos postremo Maximilianus tutandos suscepit, Polonosque Reges pro Prusiæ restitutione subinde inquietauit. Quod cum bona gratia assequi non posset, Polonis Regibus ius suum constanter, ac magna virtute tuentibus, res ad vim & arma spectabat. Maximilianusque Moscouitas, Tartaros, Valachos ac Turcos, semotas ac præferoces gentes, frequentibus legationibus contra Sigismundum Poloniæ Regem concitabat: quarum gentium bellis Rex diu multumque est exercitatus. Nec deerant Germanorum minacissimæ belli denunciationes, Maximiliano auctore & impulsore, qui Fredericum ex Ducibus Saxoniæ, & inde Albertum Brandenburgensem vltimos in Prussia Magistros

Leo X. inter Imperatorem & Reges pacem conciliare studet.

Maximilianus Imperator cum Sigismundo colloqui vult.

ad rebellionem animauit: & ne debitum fidelitatis & obedientiæ ex priorum Magistrorum Ordinis formula præstarent, præpediebat. Imminebat propterea acre ac pernicioſum bellum: quod vt pactis aut conditione aliqua tolleretur, Sigiſmundus Rex ſuaſu Pontificis, cum Maximiliano Cæſare congredi voluit, & ad hoc vires omnes & conſilia nullis parcendo ſumptibus intendit: cum prudentem, conſilio prius omnia quam armis experiri deceat. Nec Maximilianus ab eodem Pontifice perſuaſus, victorioſi ac præpotentis Regis congreſſum declinabat. Videbat ſiquidem ab oriente Sole, Scythas, Turcos, & Moldauos fœderatos ſuos, per Polonos cruentis aliquot conflictibus attritos eſſe: & anno exacto Baſilium magnum Moſcouitarum Ducem, in quo ſpem maximam collocabat, per Sigiſmundum Regem magno prælio victum, pacem magis quam bellum quærere: In Germanis vero Principibus, qui mutuis certabant odiis, parum ineſſe ſpei. Opes etiam, & potentiam Vladislai Vngariæ & Bohemiæ Regis vehementer horrebat. Quo factum eſt, vt cum armis & vi non poſſet, affinitate horum duorum Regum fratrum amicitiam eorum, ſocietatem & fœdus nanciſceretur, Turcicam animo voluens expeditionem, ſi res Gallicas ac Italicas, quæ ipſum plus nimio premebant, componi contigiſſet. Animis itaque horum Regum & Maximiliani Cæſaris, per Legatos Pontificios præſertim ad amicabilem congreſſum præparatis, Sigiſmundus Rex prout per Legatos vltro citroque miſſos conſtitutum erat, Cracouia, die quinta Martii Poſonium verſus mouit, trium millium equitum diuerſarum gentium ornatiſſimo comitatu. Superuenit & Vladislaus Vngariæ Boemiæque Rex: ac vterque à Maximiliano Cæſare Viennam inuitati, conceſſere. Et quidem ab initio magnates Vngari congreſſum Viennenſem ſuſpectum habuere: ne Regibus & ipſis in vrbe alioquin munitiſſima inſidiæ ſtruerentur, ob regnorum veteres, quæ olim maximæ intercurrebant, ſimultates. Conſultatumque propterea erat inter ipſos & Polonos, quid potiſſimum ſequerentur. At Sigiſmundus Rex ſententiam rogatus, vt erat Pontifici obſequentiſſimus, ac præterea pacis auidus, & prudentia animique magnitudine ſingulari, numquam ſe in fide & virtute Maximiliani Cæſaris hæſitaſſe dixit. Se Regno ſuo egreſſum, vt tanti Principis conſpectu & colloquio frueretur, vrque voluntati Pontificis faceret ſatis. Iturum ſe quo vterque iuberet intrepide, ducturum ſe Vladislaumfratrem & eius liberos, reducturusque incolumes, in id vadem ſe pro fide Cæſaris ponere: ſe nihil vlterius moraturum, qui velint ſe ſequerentur. Ea vox ad Cæſarem perlata, optimi Regis commendata fide & conſtantia, daturum ſe operam dixit, ne Polonum Regem initæ amicitiæ & congreſſus ſui vnquam pœniteret. Vladislaus Rex cum ſuis Vngaris & Bohemis, Sigiſmundi Regis animoſa & conſtanti ſententia cognita, vna cum Ludouico & Anna filiis, Viennam ire voluit. Dies menſis Iulii erat ſextadecima, cum Reges ducente Cæſare ſunt ingreſſi, quibus ſupremi honores ſunt exhibiti, omnium ordinum frequentia eis obuiam procedente. Cum Imperatore fuerunt, Cardinalis Gurcenſis, Laurentius Epiſcopus Feltrenſis Nuncius Summi Pontificis, Petrus Vrrea Orator Regis Hiſpaniæ, Robertus Orator Regis Angliæ, Archiepiſcopus Bremenſis ex Ducibus Brunſuicenſibus, Epiſcopus Ratiſponenſis ex Ducibus Bauariæ, Vigilius Epiſcopus Patauienſis, Chriſtophorus Epiſcopus Labacenſis adminiſtrator Secouienſis, Bertholdus Epiſcopus Chiemenſis, Georgius Epiſcopus Vicnēſis, Vuilhelmus Dux Bauariæ & Comes Palatinus, Ludouicus Dux Bauariæ & Comes Palatinus, Caſimirus Marchio Brandeburgenſis, Albertus Dux Mechelburgenſis, Vlricus Dux Wirtembergenſis: Cum Vladislao Rege venere, Thomas Cardinalis Strigonienſis Legatus Pontificis Maximi, Archiepiſcopus Colocenſis Comes de Frangapanibus, Georgius Epiſcopus Quinqueccleſienſis, Stanislaus Turſo Epiſcopus Olomucenſis, Epiſcopus Vacienſis, Epiſcopus Gaurienſis, Georgius Marchio Brandeburgenſis, Carolus Dux Minſterbergenſis, Ioannes Comes de Canitsha, Ladislaus de Sternberg regni Boëmiæ Cancellarius, Albertus de Pernſtain regni Bohemiæ Camerarius; Cum Sigiſmundo Rege Poloniæ, Matthias Dreuitius Epiſcopus Vladislauienſis, Ioannes Lubranski Epiſcopus Poſnanienſis, Petrus Tomicius Epiſcopus Præmiſlienſis & regni Poloniæ Vicecancellarius, Nicolaus Firlei Palatinus Sandomirienſis, Nicolaus Dux Radiuilus Palatinus Vilnenſis & magni Ducatus Lituaniæ Cancellarius, Andreas de Tenczin Palatinus Lublinenſis, Georgius de Bayſen Palatinus Marienburgenſis, Lucas Comes de Gorka Caſtellanus Poſnanienſis, & maioris Poloniæ Præfectus, Chriſtophorus de Szydlovviec Caſtellanus Sandomirienſis & regni Poloniæ Cancellarius, Andreas de Koſcieleez regni Poloniæ Theſaurarius, Nicolaus de Szydlovviec Caſtellanus Radomienſis, Stanislaus de Oſtrorog Caſtellanus Caliſſienſis, Stanislaus Halicki Mareſcalcus regni, Ioannes Pilecki Capitaneus Lublinenſis. Aderant & alii Proceres, Comites, Principes, virique innumeri illuſtres Germani, Vngari, Boemi, Poloni: In quorum conſeſſu Riccardus Bartholinus peroravit hiſce verbis.

Vladislaus Vngariæ & Boëmiæ Rex Viennam ingreditur.

Etſi ab orandi officio, in quo tamen mediocriter verſatus ſum, ſemper abhorrui, Sacratiſſime Cæſar, Sereniſſimi Reges, nunc tamen ex ſententia hoc onus, quamquam arduum eſt, ſuſcepi. Nam quis vmquam in diuino ſacratiſſimi Imperatoris, triumque potentiſſimorum Regum conſpectu? Quis (inquam) in tam amplo Reuerendiſſimorum Cardinalium, tot Principum, illuſtriumque virorum conſeſſu orationem ſe habuiſſe gloriari poteſt? Profecto ego diis immortalibus gratias non vulgares habeo tum me præter conſuetudinem reddidiſſe animoſiorem videre videor, tum quia Chriſtianum Imperium, quod conſilio & armis tueri non modo, ſed & amplius reddere & latius vos decet, priſtinas vires reſumpturum eſſe arbitror. Cæterum tanta veſtri omnium, ſiue imperia, ſiue res geſtas complectar animo, magnitudo eſt, vt & ſi mihi ſatis firmam in dicendo fiduciam, ne dicam confidentiam præſumpſerim, nonnihil timere omnino cogar. Nam ſi Demoſtheni apud Philippum Macedonum Regem dicenti contigit vt pene labueretur, eundemque vnius civis Phocionis præſentiam adeo timuiſſe proditum eſt, vt illum linguæ ſuæ notaculum appellare ſolitus fuerit: Si multi ex Latinis etiam in foro hallucinati ſunt, Dii boni quid mihi facere par eſt? cum tuum Sacratiſſime Cæſar, inuictiſſimorumque Regum conſpectum intueor? Quare non tam mea imbecillitas, quam veſtrarum rerum magnitudo, qua candidiſſimum quodque ingenium obrueretur, culpanda erit. Nunc autem cum de hoc feliciſſimo conuentu, quam neceſſarius, & quam vtilis Chriſtianæ Reipublic. futurus ſit, cumque de veſtris laudibus, atque regnorum veſtrorum dignitate verba facturus ſim, æquo animo feratis obſecro ſi aut conciſius quam deceat, aut preſſius quam ipſa fortaſſe rerum ſublimitas expoſcat dixero. Profecto, ſi quid ingenii in me eſt, quantumque coniectura aſſequi poſſum, Dei Optimi Maximi nutu, vt tandem conueniretis, factum indico. Quid enim tam neceſſarium fuerat? quid expetendum magis? quam vt labantibus pene Chriſtianarum gentium rebus, vos qui Dii in terris habiti eſtis, communi omnium vtilitati conſuleretis: inſtarque Numinum cæleſtium curam totius orbis ſuſciperetis: O auſpicatiſſimos dies: O feliciſſima tempora: O Sæculum aureum, in quo tam neceſſarium & vobis Sereniſſimi Reges, & toti orbi terrarum Concilium celebratum eſt. Video enim, nec profecto fallor, ſimultates non modo odiaque, ſi qua prius interceſſerant peritura, ſed etiam tam arctis vinculis ſaluberrimum amicitiæ fœdus oriturum, vt Chriſtiani quid in poſterum timere poſſint, non plane videam. Quandoquidem gentes impiæ, ac perfidum Turcarum genus, quique noſtræ aduerſantur religioni, cum tanti Imperatoris, tot inuictiſſimorum Regum ſocietatem affinitatesque intellexerint, vt ſibi ſuisque ipſorum regnis timeant, nec eſſe erit: cum prius multo liberius, quam dici poſſit: (vt ſæpe intelleximus & experti ſumus) cum maxima Chriſtianorum clade atque internecione (quod meminiſſe piget) in noſtros eruperint fides, prædas abegerint, tantáq; immanitate vſi ferātur, vt ne infantibus quidem parcū fuerit. Idq; tum inprimis auſi ſunt, cum Principes noſtros, quorum tuendi nos prouincia eſt, & odiis & bellis inter ſe implicatos intelligerent. Neq; enim vt eorundem diſcordiis à Turcis Byzantium captum fuerit, reperendum eſt: neq; vt florentiſſimum totius Græciæ euerſum imperium, impoſituq; toi prouinciis iugum: Sed recentioribus inſiſtendum rebus eſt, vt hunc conuentum neceſſarium fuiſſe omnes intelligant. Litteræ ſiquidem ad tuam Maieſtatem, Sacratiſſime Cæſar allatæ fuerunt, quibus ſignificatur Selymum Turcarum Imperatorem, poſt fratres nepotesque ſtrangulatos, cum totius orbis imperium animo proponeret, expeditionem in Italos parare cæpiſſe, ratum (vt litterarum verbis vtar) iis ſubiugatis, reliquum quod deſtinauerat facile perfi-

poſſe. Itaq; ingenti nauiū claſſe parata, cōgregatis vndiq; militibus, cōmeatibus; ad maritimas vrbes diſpoſitis, traſtiū adltalos meditabatur: q; vt tutiusſecuriusq; efficere poſſet, tecū Sereniſſime Vladiſlae pacē firmauit: atq; idipſum quod cogitauerat, iam perfeciſſet, niſi à Sopho Perſarum Imperatore apud Arexem fluuiū, cum ingenti exercitu cæde profligatus fuiſſet. Tanto enim animoſiores ad bellum in Chriſtianos ſuſcipiendum Turcas fuiſſe conūcio, quāto maioribus odiis (vt retuli) Principes noſtri detineri videbantur. Quid ſi littoribus Italiæ, cū quinquaginta millibus equitum appuliſſent? Qui milites deſcribi? Vnde copiæ ex Italia, quæ diutinis bellis iā viribus exhauſta eſt, ad tā immanes impetus repellendos parari poterant? Atqui tu auguſtiſſime Cæſar (nam Italia per ſe defendi debet) tandem ſuccurriſſes, triumphumque reportaſſes. Sed per Deos immortales (libere fari liceat mihi) obſecro, quot prius cæſos, quot populatas regiones, quot oppida deuaſtata fuiſſe putandum eſt, quam Itali tuas, longe enim abes, ſuppetias ſenſiſſent? Quapropter Diis magnis volentibus auguror, qui ſacræ religioni noſtræ numquam defuerunt, actum eſſe, vt & Reges Orientis mutuis ſe bellis debilitarent, & vobis ad corcordiam pacemq; ineundam tempus ſuppeterent: quæ cumprimum ab externis hoſtilibus intellecta fuerint, non ſolum noſtra non laceſſent, ſed etiam ne ſuis quidem limitibus tutos ſe eſſe poſſe arbitrabuntur. Idcirco hic conuentus vt neceſſarius, ita & vtiliſſimus, vt ad hanc quoque partem deſcendamus, videri poterit. Si enim proprium cuiusque commodum proſequi volumus, quid hoc vtilius vmquam cogitari potuerit, quid ſalubrius neſcio, cum regna non modo armis comparari, ſed etiam amicitiis fulciri debeant: quæ cum veræ ſunt, firmiſſimum ſtabilimentum afferunt. contra autem maximo ſæpe exitio fuiſſe manifeſtum eſt: quā de re exempla & apud Romanos, & apud externos, ne de vobis loquar, quamplurima referri poſſunt. Quare hæc ſocietas, & ab aliis, & potiſſimum à vobis, Auguſtiſſime Cæſar, Sereniſſimi Reges, vt diu expetita curataque, ita perpetuo conſeruanda eſt. Nam quemadmodum imperiis coniuncti eſtis, ita & ſocietate, & amicitia coniuncti vt perpetuo ſitis, vtiliſſimum erit. Germania ſiquidem Sarmatiæ, citra vltraque Viſtulam fluuium iungitur: ab ea item Pannones Carpathiis montibus, quos & Sarmatios dicunt, ſeparantur: qui quidem hanc prouinciam in qua ſumus incolunt, mutuoque commercia agitant. Quo tum ergo veſtra hæc imperia interliminium diuidit? vbi alter in alterius ſubſidium, & parare ſimul & tranſmittere copias poteſt. Quamobrem huius fœderis, feliciſſimæque affinitatis vinculum non ſolum vobis vtile erit, ſed poſteris quoque & regnis. Illi pacatiſſima ſceptra, quo nihil prius aut antiquius optari poteſt, excipient: hæc non tantum dignitatem ſuam ac maieſtatem retinebunt, ſed per vos etiam ampliora fient & maiora. Nam cum animo complector, bella ſcilicet à vobis toties feliciter geſta, veſtrique omnium diuina ingenia, Imperiorum potentiam & magnitudinem, procera virorum corpora, promptiſſimosque ad pugnandum animos, quæ plaga orbis terrarum, modo beneuolentia vinciamini, quod tam abſtruſum mortalium genus, quod à vobis & penetrari, & vinci non poſſit? Nam vt à te incipiam inuictiſſime Cæſar, nihil in quopiam mortali, quantum ad vitæ felicitatem, atque animi magnitudinem attinet, quin tibi vel natura largita fuerit, vel tua parauerit virtus, deſiderari poteſt. Si enim genus repetimus: à Clodoueo Francorum Rege, ne priores illos Priamum atque Marcomyrum indagemus, ortum habes: qui quidem non ſolum Alemannos Gotthosque vicit, ſed etiam Alarico in pugna necato Aquitaniam ſubiugauit, tuorumque maiorum in Gallias vſque propagauit imperium. Floruit quadringentēſimo nonageſimo Dominicæ conceptionis anno. Hoc autem à me relatum eſt, vt omnes intelligant, genus tuum mille & amplius, ad hanc vſque ætatem annos, continua Regum, Principum ſerie claruiſſe. Sed multo clarius tui reddunt. quippe qui ex matre Regina Heduardum Luſitaniæ Regem avum, patrem Fridericum Romanum Imperatorem refers. Sed hæc & ſi ornamentum afferre aliquod videantur, tamen niſi virtute & rerum geſtarum gloria excolantur, cum venia præfatione ſordeſcunt quodammodo atque obliterantur. Quantum autem tu Cæſar elaboraueris, vt maius ſacri imperii decus poſteris relinqueres, quam à maioribus acceperis, profecto arduum eſſet recenſere. quod tum in animi tui præſtantia, tum in rebus à te feliciter geſtis poſitum collocatumque videtur. Nam ſi prudentiam qua polles mecum cogiro, qui tibi comparari poſſit, reperio profecto nemiem: cum propria hæc tua laus ſit, non minores copias conſilio quam armis vicisſe. Vnde nullum vmquam fuiſſe Imperatorem puto, ſiue Cæſarem Dictatorem, Auguſtumque recenſeas: ſiue externos illos Philippum Macedonicum, Alexandrum, Antiochum, Mithrydatem, Tygranem: ſiue maiores tuos, Otthones, Albertos, Rudolphos, Fridericos nominēs, qui perinde atque tu Sacratiſſime Cæſar aduerſa, (contigere enim tibi plurima) non ſolum ſortiora animo pertulerint, ſed feliciore quoque exitu ſuperauerint. Alterum prudentiæ, alterum fortitudinis ſpecimen eſt: quibus præuiis, tum domi conſilio, tum foris bello, populoſiſſima atque ampliſſima imperia, & tibi, & poſteris comparaſti. Dixi etiam bello: nam vbi hoſtis conſilio ſuperari non poteſt, ferro decernendum eſt. Qua quidem in parte quam fortis, quam vehemens, quam inuictus ſemper extiteris teſtes ſunt Sycambri, Morini, Galli, Heluetii, quibuscum ſepties aut amplius ſigna contuliſti. qui quidem cum aberas, victoria quodammodo frui videbantur: cum aderas, quantum inuicta tua præſentia atque virtus poſſet, cum facile vincerentur, ſentiebant. Nollem Bohemicam pugnam recenſere: ſed cum à tanto principe vinci etiam glorioſum ſit, audeo hoc dicere, nullibi vmquam neque fortius neque periculoſius pugnatum eſſe: adeoque feroces illos Bohemorum animos & admiratus es, & tibi placuiſſe præ te tuliſti, vt non ſolum iis qui ſuperarant clementiſſime peperceris, ſed in poſterum quoque bellicoſiſſimum populum tanta beneuolentia proſecutus fueris, vt ſtipendiarios & præſidiarios eos ſemper habueris. Contra ii quantæ erga te fidei extiterint; teſtatur illa ad Moranum obſidio, in qua vt tuæ Celſitudini fidem ſeruarent, ad turpium quoque animalium eſum deſcenderunt. Verum enimuero quæ in Gallia egiſti tum iuuenis admodum, tum proximis annis, maiora ſunt quam vt per me in præſentia referri poſſint. Italica autem geſta, & ſi grauia tractatu fuere, tamen vel ob hoc memoratu digna, quod ſeruitutis iugum à nobis quodammodo excuſſiſti. Profecto non tam tibi glorioſum eſt, hoſtes pene fractos reddiſſe, quam etiam tuæ Maieſtatis, & amicis totiusque Italiæ ſaluti conſuluiſſe. Sed quoniam magis aliorum laudibus quam propriis delectaris, ad Sereniſſimum Vladiſlaum orationem convertam. qui quidem cum abs te diligi non modo, ſed & vehementer ſe amari intelligat, nemimem tua Maieſtate (vt liberum Fratrisq; pietatem fileamus) neque oratiorem habet, neque chariorem. Cum igitur de te dicendum ſit Rex feliciſſime, plurima ſunt quæ vltro ſeſe offerunt. Verum quantum ad præclariſſimum tuum attinet genus, quod etiam cum Sereniſſimo fratre tuo commune tibi eſt, conſtat potentiſſimos Lithuaniæ Duces Iagellonem, Vitoldumq; progenitores veſtros fuiſſe: quorū alter, cui Vladiſlao poſteà cognomentū fuit, Polonis imperauit. Is duos ſuſtulit liberos, quorum maior natu, non ſolum Poloniæ, ſed etiā Pannoniæ regnū adeptus, dum pro Catholica fide pugnat in Turcas, deſideratur. Alter Caſimirus; fortunatiſſimus ſcilicet pater veſter à Polonis in eius locum ſuffectus eſt, quem ego mortalium omnium feliciſſimum fuiſſe iudico: quippe qui cum à tam beata Regum progenie deſcenderit, filios quoque continua ſerie futuros poſt ſe Reges reliquerit. Nam cum tu pene iam puer, Bohemiæ prius, deinde Pannoniæ ſceptrum ſuſcepiſſes, feliciſſimo fratri Ioannes Alberius in regnum Poloniæ cooptatus eſt. Huic Alexander: Alexandro tu, qui nunc non minus fortiter quam ſapienter imperas, Sereniſſime Rex Sigiſmunde, poſt Glogouiæ Oppauiæque, ac magnæ Lithuaniæ principatum ſucceſſiſti. Verum hæc aliam dicendi curam expoſcunt. Nunc autem ſi annos, vt ad te redeam, Sereniſſime Vladiſlae, euoluimus, quibus quantum in adoleſcenti à Bohemis, in prouectiore ætate Bohemis ſimul & Pannoniis charus extiteris, nec modum, nec finem noſtra eſſet habitura oratio. Hoc tamen tuæ præcipuum laudis eſt, duobus regnis nec diutius, nec felicius vmquā imperitaſſe quemquam: quæ quidem non ſolum prudentia tua, & defenſa, & auctā ſunt, ſed etiam bello, quod multos annos cum Myſis, Valachis, Turcis ita fortiter confeciſti, vt aut victor omnino ſemper fueris, aut iniquis illi coacti conditionibus abs te pacem popoſcerint. Nam quanti, & nominis, & terroris apud Scythicas nationes ſemper extiteris, vel hinc facile colligi poteſt, quod Turcarum Imperator tunc ſatis ſibi ſuoq; imperio conſultum fore putabat, ſi tecum fœdus pepigiſſet: idq; cum antea ſæpe, tum nuper etiam viſum eſt. quippe qui ad inhoſpita Pariadrorum montium loca, contra Sophum Perſarum Imperatorem ire cum exercitu, niſi tecum prius pace iungeretur formidabat. Mira profecto potentia tuæ laus, cum is te perimeſcat, qui ſe orbi terrarum iugum impoſiturum paulo ante gloriabatur. Hactenus de te dicere decreueram, niſi illud memoratu dignum occurriſſet, in quo ſumma tua & prudentia, & fortitudo cognita eſt. Conflato enim ſeruili bello, quod tam atrox ſcatuiq; fuit, vt propriores periculo fuerint ne qui vicerint, an qui victi fuerint, incertum ſit. totum pene regnum diſtractum videbatur. Tu autem priſtinam animi tui virtutem reſumens, adeo ſeruili furori obſtitiſti, adeo feroces illos contudiſti animos vt in præſentiarum tutius ſecuriusque regnum eſſe non poſſit. Tot igitur rebus à te fortunatiſſime geſtis, hoc etiam felicitatis Deum Optim. Maxim. addidiſſe video, quod cum iam ætate confectus ſis, præſtantiſſimos liberos Sereniſſimum ſcilicet Ludouicum & Annam ſuperſtites habeas: quorum alterum, cum pene iam infans eſſet, non ſolum tibi duobus in regnis ſucceſſorem viuens cooptaſti, ſed etiam

Cæsari Principum Maximo, vna cum sorore Anna, contracta iamdiu affinitate, nuper constanter firmata vt iungeretur, curauisti. Atque mihi, si de his vera augurari licet, duo surgentia regnorum tuorum sydera, duo Solis videri possunt: nihil gratius, nihil venerabilius: pulchri ambo, prudentes ambo, & antequam per ætatem præ se ferri possit, quædam in his latens animi magnitudo atque maiestas internoscitur. Quid erga ad tuam eorumque felicitatem desit, non plane video: cum etiam post felicem obitum tuum tale inuenerint regnorum stabilimentum, vt & tuto, & diu imperare possint. Prosequerer de te plura, nisi me Serenissimi fratris tui Sigismundi partes auocarent. Quamobrem vt de te iam auspicer, inuictissime Princeps, ne generis felicitatem repetam, quam communem te cum fratre habere dixi, vera Laus in dicendo nulla difficilior est, quam vbi multiplex est laudandi locus. Obruitur enim ingenium, nec vnde exordium capiat intelligit. Idem mihi, in te contigisse video. Nam si ea tantum quæ in prouectiore ætate, & ante, & post susceptum regnum sapienter egisti dixero, multa in adolescentia superarunt quæ memoratu digna, siue morum disciplinam, siue animi magnitudinem prosequi velim, viderentur. Cæterum vt tam tecum compendio vtar, quantum diuinam tuam præsentiam contemplatus sum, te maiore vultus maiestate (vnum excipio Cæsarem, cui in terris nemo par est) credo mortalium esse neminem. Illudque tuum silentium quod tibi peculiare fertur, altissimarum cogitationum indicium præfert, in quo maxime etiam prudentiæ vt sedes sita sit, necesse est. Nam vbi & quando opus est sapienter & grauiter loqui, diuini potius ingenii quam humani esse iudico. Sed hæc tibi, vt perquam paucis par esses, attributa sunt. Quantum autem bellicis in rebus (hoc enim meum dicendi institutum est) & inuictus, & fortunatus fueris, omnes norunt. Taceo quam fortiter olim diuque contra Tartaros, quique intra extraque Tauricam incolunt Chersonesum, pugnaueris. Taceo quas clades Moscis, Roxolanisque cis vsque Borysthenem inuleris, quantumque eorundem prouinciæ tuo adiacentis imperio: Cum nuper & quanti ingenii sis, & fortitudinis facile perfectum sit: quippe qui ad Neper fluuium, quem antiqui (vt diceham) Borysthenem appellauerunt, parua manu, ingentes Moscorum copias straueris, vbi quadraginta fere hostium millia cecidere, tuorum autem perpauci, & ii omnes aduersis confecti vulneribus desiderati sunt. Longior essem de te Sigismunde Rex Serenissime, nisi ad exitum properaret oratio. Nam mihi quo3 quanta regnorum vestrorum amplitudo, quantaq; eorum potentia sit, & in iisdem quam impauidi ad vulnera gignantur animi, dicendum esset, nisi tu Sacratissime Cæsar, Serenissimi Reges, verius vos, quam vt per me recitari possit, sciretis. Sed vt breui omnibus innotescat, omnia vestra imperia, ab occasu ad ortum, si à Belgis Pontum vsque auspicemur, decies centenis sexcentis millibus passuũ fere protendunt ur: latitudine autem ab Adriatico sinu Germanicum vsque Oceanum, septies centena quinquaginta millia passuum continent: quæ vt ampla, ita & innumerarum gentium ac populorum atricia sunt, tantique animi atq; roboris in his aluntur viri, vt antiqui & recentiores, siue Septentrionalibus legionibus nihil vnquam vinci potuisse, nihil perfici, sæpissime cognouerint: maximæque gloriæ Imperatoribus Romanis accedebat, si vel Germanici, vel Pannonici, vel Sarmatici appellarentur: non quia vestras prouincias, quæ imperuiæ semper atq; inuiolabiles externis fuere, vincerint, sed quoniam eas in fide retinuerint: vt ab illo merito dictum sit, das Cattis, Daciisq; fidem, cognominatos affirmari. Proinde Augustissime Cæsar, Serenissimi Reges, in hoc Sacro Conuenti, qui quam necessarius & vtilis Reipub. Christianæ futurus sit, intellexistis, hoc agite, quandoquidem vos neq; prudentia, neq; virtute, rerumq; gestarum gloria: quando nec regnorum potentia, gentiumq; bellicosarum multitudine à quoquam superemini, hoc, inquam, agite, vt perpetua copulati, vt occepistis, beneuolentia, non vestra modo imperia conseruandi cura sit, Orientale q; sceptrum à crudelissimis Turcis reposcendi, sed etiam tum gloriæ, tum augendæ Christianæ Reipub. gratia, vltra Armenias, Araxemq; vltra Garamantas & Indos, inferendi signa flagret cupido. Quis vestræ restiterit magnitudini? Quis vestras vires non reformidabit? cum omnes tum bellicis virtutibus, tum regnorum potentia, militumq; fortitudine cunctos facile superetis imperatores: cum vos non alieno auxilio, sed propriis freti viribus, crebros externarum gentium triumphos reportaueritis? Nunc autem cum Dei Opt. Max. nutu, connubia vires, imperiaq; iam fausto affinitatis vinculo connexa sint, obsecro vos (vt vobiscum iam loquar Reuerendissimi Cardinales) quantum salutis, quietisq; Christianæ Reipublic. allaturæ putatis? Quare & si omnibus tum Germaniæ, Pannoniæque, tum Sarmatiæ Principibus: Si omnibus, inquam, qui adsunt pientissimis Præsulibus, vobis autem potissimum Christianus Orbis debere fatetur, qui tam vigili cura, studio, labore, ea pertractaueritis, quæ ad ornamentum gloriamque Christianæ nominis perpetuo futura videantur, quibus non solum communem omnium fortunam exstulistis, sed etiam cum Leone Pontifice maximo non vulgarem initis gratiam: quippe qui nihil aliud cogitat, nisi tranquillum Catholicæ fidei statum facere, Principesq; nostros ita concordes fore optat, vt vigilantius solertiusque nihil hactenus, quam vt pacem beneuolentiamque mutuo amplecterentur, sollicitauerit: idque inprimis tibi, Reuerendissime Gurcensis, & in mandatis adiecit, & crebro per literas significauit: quod quidem in præsentia cum examussim perfeceris, si vtrumque alias, tum in patria, tum apud externos, quanti & ingenii & solertiæ sis, præte tulisti, cum venia tuarum laudidixerim, nullibi tamen maius prudentiæ tuæ præconium, quam in hac abs te feliciter peracta, tam ardui negotii magnitudine, eluceſcet. Ergo Orthodoxum iam gaudeat imperium, exultet Christianum nomen: cum te Sacratissime Cæsar, vos Serenissimi Reges, vestra erga mortales pietas, ad commune omnium bonum vtilitatemque coniunxerit. Quis enim tam hebes, quis regnis etiã vestris, sacrisq; pœnatibus, ac magnis cælitibus sapienter consultum neget? Quis non vestrarum rerum accessus vt felicissimus futurus sit, vtque faustissima in posteros fortuna oriatur, intelligat? Per vos ergo non desit, cum potentia vestra ac magnitudo, promptissimique ad defendendam animam populi, minime desitura videantur. Hoc ita nuper fœdera, copulataque affinitatibus imperia exposcunt: hoc augenda Christianorum Respub. subnaustrandaque vestrarum maiestatum & socijs & amicis auxilia expetunt: hoc, inquam, arma in perfidos Turcos vertenda, quod tantopere ab meunte ætate, Sacratissime Cæsar, optasti, efflagitant. Vestro enim hoc conuentu iam in Scythia tumultuatum est: iam oppida muniri, tormenta parari cœpta. Tollite ergo animos, viresque contra infidum hoc genus colligentes, in Arabiam, vnde oriundum est, pellite. Ita enim tanti Imperatoris, tot Regum conuentum, vt necessarium, sic etiam saluberrimum fuisse intelligemus: vosque regnis non modo vestris incrementum ac perpetuitatem, sed immortalem quoque vobis apud posteros nominis gloriam comparabitis.

XX. Dicebat ista Bartholinus: audierunt summa cum animi voluptate Principes: Cæsar inprimis, astruens ab annis amplius vicenis se eius expeditionis contra Turcas desiderio flagrauisse, quam dudum ad effectum deduxisset, nisi Caroli, & inde Ludouici Galliarum Regum bellis fuisset impeditus: daturum deinceps operam, vt hæc diu desiderata, nec minus pia quã necessaria expeditio, aliis Christianis Principibus iuuantibus terra & mari inchoetur. Thomas Strigoniensis Cardinalis, quæ ad rem erant, Cæsari Regũ nomine respondit. Gurcensis inde Cardinalis iussu Pontificio plura & tempori accõmodata verba fecit, totusq; hic dies salutaribus consiliis absumptus. Decretum in Turcas bellum, Pontificis Legatis virgentibus: Cæsari iniunctum, ne amplius Vladislao Regi de Pannoniæ regno molestiam inferret: vtq; fœdus cum Mosco schismatico nuper pactum rescinderet, vel per Legatos inter Sarmatiæ Regem & Moschorum tyrannum honestis conditionibus pacem conciliaret: Præterea, vt Fratrum Theutonicorum Magistrum, ad præstandam Regi Poloniæ obedientiam, & imperium suscipiendũ induceret, aut omnino desereret. Vt autem citius, faciliusq; pro Repub. Christiana contra Turcas assumeretur expeditio, de fœdere & pace inter Cæsarem, Senatum, populumq; Venetum agere visum est, designatiq; ad hoc ex Pannonico & Polonico Senatu legati: Numerata à Legato Pontificio, in subsidium Vladislai, missa à Leone Pontifice pecunia. Ad vigesimum inde secundum Iulii diem, quæ Diuæ Mariæ Magdalenæ sacra est, Cæsar cum Regibus & Reginulis Anna & Maria, ad Diui Stephani insigne templum, cum summi Pontificis Regumque Legatis, & omnibus Principibus conuenere. vbi per Cardinalem rite diuinis officiis peractis, Maximilianus Cæsareo habitu & maiestate ornatus, in theatrum ad hoc erectum spectaculũ conscendit, & Regibus cinctus, Annam Vngariæ Regis filiam per Strigonien sem Cardinalẽ matrimonio sibi, vel alteri ex nepotibus rite assumplit, coronaque aurea illi imposita Reginam salutauit. Pari lege Ludouico Regi Maria Philippi Hispaniarum Regis filia nupsit. Creati fuere paulo post à Regibus milites, dataque à Cardinale Legato benedictione, sacrisque rite peractis ad prandium discessum est. Die 28. Iulii, Cuspiniano dicente, fœdus Cæsaris cum Regibus publicatum fuit, hac formula:

Maximilianus Annã Hungariæ Regis filiam in matrimonium ducit.

De mandato Sacratissimæ Cæsareæ Maiestatis & Serenissimorum Vladislai & Ludouici Vngariæ & Boemiæ, ac Sigismundi Poloniæ Regum, Notum sit vniuersis, quod ad laudẽ Omnipotentis Dei, & gloriosæ

gloriosæ Virginis Mariæ, & totius Curiæ cælestis, nec non ad incrementum & conseruationem totius Reipubl. Christianæ, & præcipue regnorum, dominiorum & subditorum suorum, inter se inierunt, contractarunt, concluserunt, & confirmarunt, veram, synceram, & inviolabilem, atq; firmam concordiam, amicitiam, vnionem, intelligentiam confœderationis, perpetuo & indissolubiliter duraturam: ad mutuam protectionem & defensionem contra eorum hostes quoscumque, & præsertim contra hostes infideles, & ad hostium suorum futurorum perniciem. Et quo magis hæc vnio inter eos stabilitatur, vltra necessitudinem, quæ alias inter hæreditates eorum intercedit, etiam nouam affinitatem & connubium inter se & nepotes, & liberos eorum contrauerunt. quod felix faustumque Maiestatibus præfatis, regnis & dominiis eorum sit. Amen.

XXI. *Maximilianũ inter & Sigism. Polon. Pax.* Discesserunt tandem vnusquisque ad sua propria fœderati Reges, seruandis pactis intentis: cum satis constaret Maximilianum Cæsarem Sigismundi Regis amicitiam & societatem iam inde ex fide coluisse, comprimisque Basilio Principi Moscouitarum magno Duci, fœdus cum eo antea ictum remisisse, cum belli & asperæ hostilitatis denunciatione, si res Sigismundi Regis aliquando hostiliter infestaret: dedisse etiam operam, vt Prussiaci Ordinis Magister, fidelitatis & obedientiæ iuramentum Sigismundo Regi & regno Poloniæ debitum, iuxta perpetui fœderis formulam præstaret: auxiliares in eum armatorum copias pollicitus, si ille tergiuersari cœpisset. Sigismundus Rex vicissim ad expeditionem Turcicam Polonicum equitatum fœderato Cæsari promisit: quæ expeditio tam pia quam necessaria, vt aliquando terra & mari inchoaretur, & ex sententia perficeretur, Sigismundus Rex in gratiam Cæsaris Regnique sui securitatem Romanum Pontificem, aliosque Principes Christianos sollicitare non destitit. Et quoniam Veneti ea tempestate in mari Ionio & Ægeo classibus potentes esse censebantur, vt Turcorum tyrannus vtrinq; terra & mari vrgeretur, Senatusque Venetus ad tam præclarum & omni auo memorabilem expeditionem impelleretur, Sigismundus Rex Matthiam Drzeuicium Vuladislauiensem Episcopum, necnon Raphaëlem Leszinski Consiliarios, ac Ioannem Dantiscum Secretarium Poëtamque Laureatum ad Venetos legauit. qui inde redeuntes nullo accepto responso, nihil præter verba ab eis retulerunt: vel quia certam pacem, quam incerti euentus bellum prudens Senatus habere maluit, aut quia Maximiliani Cæsaris opes, ad Turcorum euertendum imperium minus potentes esse cognouit.

XXII. Quod negotium Prussiaci Ordinis attinet, in Concilio Lateranensi Oratores Maximiliani contenderant, vt Sigismundus Rex terram Prussiæ Marianis militibus restitueret, & ad id Sigismundum Regem & Polonos compelli multa instantia postularant. Eam impeditionem præter omniũ spem exortam, Ioannes à Lasko Metropolita Gnesnensis Orator Regius, non minus opportunis, quam veris rationibus, dum iura regni verbis & scriptis copiose explicasset, Bernardo Vapouio iuuante discussit, & per hoc omnem inquietudinem sustulit. Cognouit quippe iustissimus & sapientissimus Pontifex Leo, Sacerque Senatus, Sigismundum Regem & Polonos, ad terras Prussiæ in Sarmatia sitas, vbi olim Gythones & Phynni erant, clarum ac solidum ius habere, Crucigerisque Prussiæ, qui in solo alieno tot oppida, tot arces extruxerant, ad eas prouincias nihil iuris competiisse vmquam, neque competere: perpetuo illis propterea, & si indignantibus Germanis, imposito silentio. Secundum hæc Maximilianus quoque Cæsar diploma infrascriptum edidit: hoc anno, Viennæ.

Maximilianus Diuina fauente clementia electus Romanorum Imperator semper Augustus, Germaniæ, Hungariæ Dalmatiæ &c. Rex, Archidux Austriæ, Dux Burgundiæ, Brabantiæ, &c. Comes, Palatinus, &c. Tenore præsentium recognoscimus, & profitemur: Quod cum inter alia quæ nobis curæ, cordiq; sunt, summopere cupiamus, vera, syncera, atq; fraterna vnione cæteris Principibus Christianis coniungi, ac quantum in nobis est, omnes ad Sanctæ pacis & concordiæ fœdera reducere, & cohortari: vt tandem concordibus armis ac viribus Christianis, ferocissimi eiusdem nominis hostes debellari, & exterminari possint: vt hinc quieti, tranquillitati, ac stabilimento vniuersæ religionis ad incrementum & propagationem Christiani nominis consulatur. Cumq; Serenissimus Dominus Rex Poloniæ in ea semper voluntate fuerit, vt cum Sacra Imperiali Maiestate in optima amicitia & beneuolentia fraterna viuat, & maneat, stamq; maiestatem tanquam fratrem maiorem & consanguineum charissimũ etiam obseruet ac veneretur: placet igitur Maiestati nostræ Cæsareæ, vt res & negotia inter eundem Serenissimum Poloniæ Regem, & Magistrum Prussiæ, ac Ordinem suũ, in ea forma & modo remaneãt, quemadmodũ extant vtrinq; conscripta, & obseruabãtur ab annis retroactis, tempore felicis memoriæ Friderici Imperatoris, & Serenissimi Domini Regis Casimiri: nec Magistrum Prussiæ, eiusq; Ordinem subtrahere volumus ab his quæ debẽt suæ Serenitati, & regno Poloniæ, & quæ prædecessores eius Magistri faciebãt: neq; auxiliũ neq; cõsiliũ ei præstabimus in damnũ & detrimẽtũ suæ Serenitatis & regni sui. Item quod ad ciuitates Gdanensem & Elbingensem attinet, quæ hactenus bannis & aliis modis, iuri Serenissimi Regis & regni Poloniæ grauabantur noxiis, Nos exnunciam easdem ciuitates ab iisdem bannis absoluimus, & liberos esse decernimus, ac ipsum iudicio Cameræ nostræ imperialis litteris nostris denunciabimus: mãdabimusq; vt easdẽ ciuitates à præteritis bannis absolutas dimittat, & in futurum ex quibuscunq; causis, ad cuiuscumq; instantiam numquam eas audeat bannire, vel quouis modo infestare: nullumque iudicium contra easdem ciuitates & earum similes, à nostra Imperiali Iudicii Camera deinceps institui, & fieri permittemus. Quos duos articulos, nos summa fide promittimus inuiolabiliter obseruare, ad implere, & exequi, neq; illis quoquo modo contrauenire. harum testimonio literarum nostrarum, sigilli nostri Imperialis munitione roboratarum. Datum in ciuitate nostra Viennensi, die 22. mensis Iulii. Anno Domini M.D. XV.

XXIII. In ea concordia, inter Cæsarem & Sigismundum Regem inita, inq; negotio Prutenico conficiendo nauatæ operæ, Christophorus Sidlouecius, & Ioannes Lascius Archiepiscopus tulerunt merita præmia. Sidlouecius Cæsaris intercessione, non Cracouiensem solum à morte Koscelecii Præfecturam, sed Palatinatum etiam est assecutus, singulari Sigismundi Regis gratia & prærogatiua, vt cum Palatinatu Cracouiensi, (contra regni Constitutiones) summus etiam regni Poloniæ esset Cancellarius: Lascius vero, Cæsare & Rege flagitantibus, à summo Pontifice Legatus natus in regno Poloniæ est renunciatus, isto diplomate.

Leo Episcopus. Seruus Seruorum Dei. Ad perpetuam rei memoriam. Pro excellenti eminentia Sedis Apostolicæ, in qua post Beatum Petrum Apostolorum Principem, quamuis imparibus meritis, pari tamẽ auctoritate constituti sumus, in agro irriguo militantis Ecclesiæ nouas Legationes plantare & instituere, Pontifici dignum arbitramur, per nouas plantationes præsertim in locis Christi fidelium infidelibus vicinis, ac in parte schismata sustinentibus, non solum populorum deuotio, verum etiam hæc ipsa nouæ nominis & fidei Domini nostri Iesu Christi plantatio, schismatumq; eradicatio, vt augeatur, commodiusq; succedat, & animarum salus subsequatur, ac prouinciæ & regna illustrentur. Idq; nos eo libentius agimus in locis prædictis, in quibus tum ex variis inter mortales occasionibus, tamen inprimis interitus schismatum ratione necessitatis plerumque subesse conspicitur, & ad hoc Catholicorum Regum vota tendere noscuntur, vt assistentia & authoritate Legati noui, & alma mater Ecclesia propagationis plantationis nouæ, & genus humanum propositum felicitatis æternæ præmium facilius valeat adipisci. Attendentes igitur quod in toto regno Poloniæ vna Metropolitana, Gnesnensis videlicet principalis Ecclesiæ existit, cui omnes aliæ Ecclesiæ dicti regni Metropolitico iure ac etiam Metropolitana Leopoliensis in terris Russiæ ad regnũ ipsum pertinentibus sita primaciali iure sit subiecta: & quod si Venerabilis frater noster Ioannes de Lasko modernus, & pro tempore existens Archiepiscopus Gnesnensis, suæ Archiepiscopali prouinciæ & Ecclesiis sibi Metropolitico ac prædicto Primatiali iure subiectis, non solum Metropolitico ac Primaciali, sed etiam Legationis iure præesset, & ratione dignitatis eiusdem Primacialis, huiusmodi Legationis officium haberet, ex hoc profecto salubriori & diligẽtiori exercitio, Metropoliticæ Primacialisq; turisdictionis, & commoditati Ecclesiarum, quæ sibi Metropolitico, & Primaciali iure subiiciuntur, ac illis nunc, & pro tempore præsidentium prælatorum, necnon Cleri & populi Ciuitatum & Diœcesium eorundem, qui in eorũ opportunitatibus ad eundem Archiepiscopum & Legatum, ratione eorum quæ vigore legationis huiusmodi exercere poterit, facilius & commodius recurrere possent: & eiusdem Ecclesiæ Gnesnensis, & præfati regni, cuius Reges & incolæ Apostolicæ Sedi deuoti & fideles esse consueuerunt, deuotioni ac maiestati plurimum consuleretur: considerantes q; in regno Angliæ olim & in Germania Archiepiscopos aliquot Legatos natos, qui prædecessores nostros erectos fuisse; eorundem prædecessorum vestigiis inhærentes, & ad magnam instantiam quam super hoc fecit & facit charissimus in Christo filius noster Sigismundus dicti regni Po-

loniæ Rex illustris debitum habendo respectum, ad Dei laudem & honorem, ac fidei Catholicæ exaltationem, prædictum Ioannem de Lasko modernum, ad nos & sacrum Lateranense Concilium pro dicto Rege Oratorem destinatum, & pro tempore existentem Archiepiscopum Gnesnensem Legatum natum, cum omnibus honoribus & oneribus consuetis, ita quod cætero suæ Archiepiscopali, & prædictæ Leopoliensi prouinciis & Ecclesiis sibi Metropolitico & Primatiali iure subiectis, non solum Metropolitico & Primatiali, sed etiam Legationis iure præsit: & ratione dignitatis suæ Primatialis & Legationis officium in ipsis prouinciis habeat, auctoritate Apostolica, & ex certa scientia nostra fecimus & constituimus, & etiam ordinamus: sibi nihilominus concedentes, vt omnibus & singulis priuilegiis, libertatibus, præeminentiis, exemptionibus, immunitatibus, honoribus & gratiis vti & gaudere: ac quod omnia & singula facere, & exercere, ac mandare, ordinare, & exequi, quæ ad Legatos natos, & huiusmodi Legationis officium habentes quomodolibet pertinent, & quæ alii Legati nati, præsertim vero Legatus Cantuariensis, qui in prouinciis suis de iure, priuilegio, & consuetudine mandare, facere, & exequi possint, libere & licite valeat. Mandantes per præsentes vniuersis & singulis Suffraganeis, Leopoliensique terrarum Russiæ Archiepiscopo, & aliis in dictis prouinciis existentibus quatenus eidem Archiepiscopo & Legato nato pro tempore existenti, in his quæ sibi ratione officii Legationis, sic vt præfertur, competut, pareant & intendant: Non obstantibus Constitutionibus & ordinationibus Apostolicis, ac litteris & priuilegiis quibusvis concessis; illorum tenores, ac si de verbo ad verbum exprimerentur, præsentibus pro expressis habentes: quibus quoad præmissa specialiter & expresse derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque. Nulli ergo hominum liceat hanc paginam nostræ creationis, constitutionis, ordinationis, concessionis, mandati, & derogationis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem Omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri & Pauli Apostolorum eius se nouerit incursurum. Datum Romæ apud S. Petrum Anno Incarnationis Dominicæ M. D. XV. Idibus Iulii. Pontificatus nostri anno III. Vapouius in fragmento. Iodocus Decius in Commentar. Cuspinianus & Bartholinus in Diariis. Istuansius hist. Vng. lib. 5. Acta synodi Petricouiensis.

Præter hæc Leo Pontifex, Regno Poloniæ multa indulsit, dato subsequenti diplomate.

Leo Episcopus Seruus Seruorum Dei. Ad perpetuam rei memoriam. Sacrosanctæ vniuersalis Ecclesiæ regimini meritis licet imparibus præsidentes, curis perurgemur assiduis, & continua meditatione pulsamur, vt iuxta creditum nobis pastorale officium Christi fidelium omnium dispendiis, & animarum periculis præsertim à dira infidelium & schismaticorum rabie prouenientibus, quantum cum Deo possumus occurramus, & salubribus profectibus consulamus, ac in his eiusdem partes fauorabiliter impartiamur, prout ad religionis Christianæ, diuinique cultus conseruationem & augmentum, ac animarum salutem, necnon beneviuendi institutionem conspicimus salubriter expedire. Sane cum nuper Venerabilis frater noster Ioannes de Lasko Archiepiscopus Gnesnen. notabilis prælatus ad nos & sedem Apostolicam ac Sanctam Lateranensem synodum, per charissimum in Christo filium nostrum Sigismundum Poloniæ Regem illustrem pro obedientia nobis præstanda Orator, tam suo quam ipsius Regis nomine nobis exposuerit, quod in Poloniæ, Hungariæ & Boemiæ regnis, in quibus magnus hæreticorum & schismaticorum concursus existit, ac aliis prouinciis & partibus illis adiacentibus, tam propter infidelium Scytharum & Turcorum incursiones assiduas quam eorundem hæreticorum & schismaticorum conuersationes, maximas & continuas, sæpius multi errores & scandala orirentur & multæ Ecclesiæ curatæ quasi desertæ, ita vt vna vix aliquando duarum aut trium donorum curam habeat, nec qui eas ob curæ & fructuum tenuitatem obtinere vellet reperiretur, ac sæpius schismatici & Rutheni ad Catholicam reuerterentur religionem, & Christi fideles coniugati ab infidelibus caperentur, ac de eis spes redeundi, & certitudo vitæ nulla haberetur; & propter interdictorum appositionem & diuinorum cessationem nonnunquam populi deuotio & religio minui videretur, ac hæreses & schismata, diuersaque animarum pericula excitarentur: & an excommunicati, non tamen denunciati seu publicati vitandi sint, à nonnullis hæsitaretur: nec non processus & sententiæ quæ in partibus illis formabantur & ferebantur, vt plurimum cum ad Romanam Curiam deferrentur, per viam nullitatis reuocarentur: & sic partes laboribus & expensis fatigarentur, ac iustitia postponeretur, adeo vt sæpe partes ipsæ desperatione ductæ bonum ius eorum dimittere cogerentur: & quod si super his per nos & Sanctam Synodum prædictam prouideretur, proculdubio multis animarum periculis & partium dispendiis obuiaretur. Nos quoque zelus animarum eo potissime vrget, quo pro illis ratio debetur exactior creatori, determinatione synodali in publica sessione, propter varias ipsius synodi occupationes aliter non expectata, Venerabilibus fratribus nostris Bernardino Sabinen. Dominico Portuen. & Marco Prænesten. Episcopis Sacræ Theologiæ professoribus peritissimis, Antonio Sanctæ Praxedis, Petro S. Eusebii & Achilli qui dicti Regni Poloniæ Protector existit, S. Sixti, presbyteris & vtriusque iuris Doctoribus eminentissimis, & qui diu iudicia causarum Palatii nostri cum magna laude rexerunt: necnon Frederico S. Angeli de Sancto Seuerino, ac Hyppolito S. Luciæ in Silice Estensi viris illustribus, & in rebus agendis solertissimis Diaconis Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalibus, vt de præmissis se informarent, & prouidenda discuterent, viuæ vocis oraculo commisimus. Cum autem præfatis Cardinalibus de præmissis per diligentem informationem desuper factam eis, prout nobis retulerunt, legitime constiterit: Nos desiderantes vt ex huiusmodi Pastorali debito tenemur, in præmissis remediis quibus possumus salubriter prouidere, habita cum eisdem Cardinalibus deliberatione matura, authoritate Apostolica, hac nostra perpetuo valitura & irrefragabili constitutione statuimus & ordinamus, ac decernimus & declaramus, quod de cætero Cathedralibus & Metropolitanis Ecclesiis in dictis regnis quomodolibet vacantibus pro tempore, nonnisi docti & vigilantes, aut alias tales præficiantur viri, qui consilio, verbo, auctoritate & exemplo, circa diuinum cultum, animorum profectum prouidere, & periculis inibi prouenturis obuiare sciant, velint, & valeant, & in eorum Ecclesiis continue residere teneantur, & ab illis nisi de licentia Sedis Apostolicæ, aut vrgentibus necessitatibus Reipub. Christianæ, seu suarum Ecclesiarum, aut Regni & dominii in quibus consistant absentari nequeant. & similiter Rectores Parochialium Ecclesiarum inter schismaticos prædictos, vel prope illos consistentium, ad euitanda animarum pericula prædicta, in suis Ecclesiis residere, ac animarum curam per seipsos exercere: necnon Metropolitani, & alii locorum Ordinarii cæterique prælati ad quos id pertinet, per se vel alios, sub pœna suspensionis à diuinis, loca eis tam Metropolitico iure, quam alias subiecta visitare, & in visitationibus huiusmodi necessitatibus tam spiritualium quam temporalium rerum, necnon indemnitatibus Ecclesiarum & Cleri prouidere, & aliis etiam expensis ipsorum, prout iustum & æquum fuerit, negligentias supplere teneantur & debeant. Necnon Episcopi & alii Prælati, ad quos collatio & prouisio dictarum Parochialium Ecclesiarum desertarum spectare dignoscitur, illas, de consensu tamen Patronorum earundem Ecclesiarum, si illæ de iure patronatus Laicorum existant, inuicem, seu vnam alteri perpetuo, vel ad vitam vnius Rectoris duntaxat vnire, & illarum Rectores, vbi necessitas exigerit, ac pro euitandis scandalis, & animarum periculis, in Circumcisionis, Epiphaniæ, Paschatis, Pentecostes, Ascensionis Domini, ac Purificationis & Assumptionis B. Mariæ virginis, necnon Natiuitatis Beati Ioannis Baptistæ & Natalis Beatorum Petri & Pauli Apostolorum festiuitatibus ac celebritate Omnium Sanctorum, & commemoratione Omnium fidelium defunctorum, in duabus tantum Ecclesiis Missarum solennia celebrare, & Eucharistiam, dummodo nonnisi in vltima Missa purificationem recipiant conficere, necnon prælati, Ordinarii & Rectores Parochialium Ecclesiarum prædicti, per se vel suos vicarios, hominibus ruralibus, qui propter timorem conscientiæ in hoc dubio existentibus, in festis solennibus, præterquam Dominicis diebus & festiuitatibus, ac celebritate supradictis, propter necessitatem ac damna in fructibus ruralibus euitanda, labores & opera seruilia exercendi, cultu tamen religionis non contempto, licentiam concedere. nec non in omnibus terris & locis dictorum regnorum, interdicto Ecclesiastico, ordinaria vel Apostolica auctoritate suppositis, non solum in quatuor festiuitatibus alias à iure communi concessis, sed etiam vltra illas, in festo sanctissimi corporis Christi, ac prædictis Natiuitatis sancti Ioannis Baptistæ ac Natalis Beatorum Petri & Pauli Apostolorum festiuitatibus, ac celebritate Omnium Sanctorum, & commemoratione omnium defunctorum, diuina officia solenniter, alta voce, & pulsatis campanis, illis tamen qui causam huiusmodi interdictio dederint, penitus exclusis, celebrari: ac Catholici Schismaticos & Ruthenos huiusmodi sine conscientiæ scrupulo in eorum seruitiis tenere: & vbi Episcopos Sacerdotes, & alios quoscunque Missas & alia diuina officia & ibidem schismaticos, seu hæreticos præsentes fore contigerit, ipsi schismatici & Rutheni, dummodo cum debito diuinorum officiorum honore, & absque aliorum impedimento existant, nec possint sine scandalo aut magna incommoditate prohiberi, tolerari: nec non tam Baptismum, quam alia Sacramenta eisdem schismaticis & Ruthenis ad Catholicam fidem redeuntibus, iuxta ritum Romanæ Ecclesiæ, dummodo alias secundum formam & ritum eiusdem Romanæ Ecclesiæ seruari solitum seu toleratum baptizati, seu confirmati, aut ordinati non fuerint, reiterari, & etiam ab Ordinariis absolui. Quodque Ordinarii, vel eorum Vicarii, constito eis per famam publicam, vel legitimas coniecturas, seu aliter facta sufficiente diligentia, quod capti ab infidelibus sint mortui aut quod de eorum vita certitudo aliqua haberi non potest, licentiam cum aliis contrahendi, infra terminum

minum arbitrio ipsorum Ordinariorum statuendum dare, ac in casu huiusmodi prolem inde susceptam legitimam decernere: absque tamen præiudicio prioris quandocunque redeuntis: Quodque matrimonia in partibus prædictis à septuagesima vsque ad Quadragesimam carnali copula consumari: & nuptiæ, honeste, & sine solemni pompa post septuagesimam celebrari libere & licite valeant. Quodque excommunicati non publicati, seu denunciati, vitari non debeant: ac publici adulteri, manifeste & notorie diffamati, absque alia sententia infames existant, & pro talibus in omnibus iudicari, ac per Ordinarios locorum tamquam infames publicari debeant: ac quod Episcopi, & alii Prælati cruces in pectore cum monilibus seu pectoralibus non deferant, sed quo voluerint illas sub vestibus modeste, & sine pompa deferre possint: Necnon Abbates, quibus in omnibus humilitas & modestia plurimum conuenire dignoscitur, Infulas seu Mitras ad decorem & modestiam, ornatumque religionis, obmissa superflua pompa gemmarum & auri, iuxta Constitutionem Bonifacii VIII. prædecessoris nostri, quæ incipit, Vt Apostolicæ. tam in synodo quam vbique, vbi eis iuxta eorum priuilegia permissum est, deferre debeat, & sub excommunicationis sententiæ pœna se Episcopos nominare non permittant: ac quod occidendentes presbyteros, vel Clericos, habitum & tonsuram Clericales deferentes, etiam vigore commissionis Apostolicæ, nisi per Ordinarios, quibus Ordinariis vel eorum Vicariis absolutiones huiusmodi committi volumus & mandamus, non absoluantur: & similiter presbyteri & Clerici homicidæ, non ad alium quam ad proprium Ordinarium, per sedem prædictam sint pro absolutione remittendi: nec excommunicati ob non solutionem debitorum, seu alias quomodolibet sententiis censurarum inordescentes, etiam absoluti in mortis articulo, sine licentia tamen Loci Ordinarii sepeliri non possint, nisi præstita satisfaciendi cautione, aut de licentia dicti Ordinarii, qui tam indemnitati creditorum, quam auctoritati Ecclesiasticæ prouidere teneantur: Quodque processus & sententiæ in partibus illis alias rite habiti, & latæ, validæ & efficaces existant, nec de nullitate aliqua infringi possint, præterquam ex defectu iurisdictionis, aut citationis, & dummodo aliter partes non reperiantur enormiter læsæ in iustitia negotii principalis: decernentes ex nunc irritum & inane, si secus super his à quocquam quauis auctoritate, scienter vel ignoranter contigerit attentari. Et insuper, cum sicut etiam accepimus, tam præfatus Sigismundus, quam alii qui pro tempore fuerunt Poloniæ Reges, meritis & intercessionibus præfatæ gloriosæ Dei genitricis Virginis Mariæ, contra eosdem schismaticos, hæreticos & alios infideles, in diebus ipsius gloriosæ Virginis quamplures insignes victorias obtinuerint: ac in certo statuto Prouinciali Gnesnensi hactenus obseruato expresse caueatur, quod quilibet Prælatus, Vicarius, & quocumque titulo beneficiatus cum cura vel sine cura, si moritur in primis tribus mensibus anni incipiendo à Circumcisione Domini habeat quartam partem introituum & emolumentorum, iuxta verum valorem suorum beneficiorum: Successori tamen frumenta æstiualia relinquat ad seminandum prædia: si vero in tribus secundis mensibus, habeat medietatem: & si in tertiis tribus mensibus habeat tertiam partem, de fructibus hyemalibus ad quantitatem prædii vel prædiorum non seminatorum successori relictis: Si vero in tribus vltimis mensibus moritur, habeat vniuersos fructus illius anni, prout in eodem statuto dicitur plenius contineri: ordinationem per piæ memoriæ Sixtum IV. & Iulium II. Romanos Pontifices prædecessores nostros de festo Conceptionis Beatæ Mariæ Virginis factam, nec non statutum Prouinciale prædictum, authoritate & tenore prædictis approbamus, & confirmamus, ipsumque statutum etiam ad hæredes Archiepiscoporum, & Episcoporum in fructibus mensarum Metropolitanarum & aliarum Ecclesiarum Cathedralium regni prædicti extendimus & ampliamus, ac in prouincia Gnesnensi, & toto regno, ac dominiis ipsius Regis Poloniæ obseruari, nec non festum prædictum prout in alma vrbe & Curia Romana colitur, coli, necnon die aliqua per ipsum Sigismundum Regem statuenda, semel duntaxat singulis annis perpetuis futuris temporibus in vna Ecclesia per singulos Ordinarios eligenda in qualibet diœcesi, dicti regni Poloniæ & dominiorum eiusdem Regis duntaxat, & vbi ipsum Regem pro tempore fore contigerit, celebrari debeant Missæ solemnes in honorem Beatæ Mariæ Virginis, & ad felicem memoriam ob Victoriam per præfatos Reges Poloniæ obtentam celebrari volumus & mandamus. & nihilominus de Omnipotentis Dei misericordia, ac præfatorum Petri & Pauli Apostolorum eius authoritate confisi, omnibus & singulis vtriusque sexus Christi fidelibus, vere pœnitentibus & confessis, seu propositum confitendi habentibus, qui celebrationi dictæ Missæ, vbi Regem esse contigerit interfuerint, seu eodem die Ecclesiam in qua celebrabitur visitauerint, plenariam omnium suorum remissionem peccatorum: qui vero in aliis Missis interfuerint, & alias Ecclesias eligendas huiusmodi similiter visitauerint, centum annos Indulgentiarum misericorditer in Domino concedimus & elargimur. Quocirca Venerabilibus Fratribus nostris Archiepiscopo Strigoniens. & Olomucens. Episcopo, ac dilecto filio Curiæ causarum Cameræ Apostolicæ Auditori per Apostolica scripta mandamus, quatenus ipsi, vel duo, aut vnus eorum per se, vel per alium, seu per alios, præsentes literas & in eis contenta quæcunque, vbi, quando, & quotiens opus fuerit, solenniter publicantes, ac in præmissis efficacis defensionis præsidio assistentes, faciant statutum, ordinationem, decretum, voluntatem, & mandatum, ac alia prædicta iuxta præsentium continentiam & tenorem, per censuras & pœnas Ecclesiasticas, authoritate nostra firmiter obseruari, ac singulos quos præsentes concernunt, illis pacifice gaudere, nec non quoscumque quos statuto, ordinationi, decreto, voluntati & mandato prædictis quouis modo contrauenisse, & propterea censuras & pœnas prædictas incurrisse constiterit, illis irretitos fore eadem authoritate nostra publicent, & faciant ab aliis publicari, ac ab omnibus arctius deuitari, donec ab eisdem censuris & pœnis meruerint absolutionis beneficium obtinere. Contradictores quoslibet & rebelles, cuiuscumque dignitatis, status, gradus, Ordinis & conditionis existentes, etiam Pontificali dignitate fungentes, per easdem censuras, & alia iuris remedia, appellatione postposita compescendo: Inuocato etiam ad hoc si opus fuerit auxilio brachii secularis. Non obstantibus præmissis, ac quibusuis Apostolicis, nec non in Prouincialibus & Synodalibus Conciliis editis generalibus vel specialibus Constitutionibus & ordinationibus, nec non quibusuis priuilegiis, Indultis & literis Apostolicis, Episcopis, Prælatis, Rectoribus, ac aliis prædictis, sub quibuscumque tenoribus & formis pro tempore concessis, quæ quoad ipsis volumus aliquatenus suffragari, contrariis quibuscumque, aut si aliquibus communiter vel diuisim ab eadem sede sit indultum, quod interdici, suspendi, vel excommunicari non possint per literas Apostolicas, non facientes plenam & expressam, ac de verbo ad verbum de indulto huiusmodi mentionem. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostrorum statuti, ordinationis, declarationis, decreti, approbationis, confirmationis, extensionis, ampliationis, voluntatis, concessionis, elargitionis, & mandati infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem Omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri & Pauli Apostolorum eius se nouerit incursurum. Datum Romæ apud S. Petrum anno Incarnationis Dominicæ M. D. X V. Quinto Idus Augusti. Pontificatus nostri anno III.

Publicata in synodo Prouinciali Petricouiæ. anno 1523.

Inter hæc Pontifex prosecutioni Concilii Lateranensis intentus, die 22. Martii publicato edicto, decimam Sessionem ad IV. Nonas Maii prorogauit. Die 26. Aprilis, literas Salui conductus, Prælatis Galliarum ab Octauiano Fregosio Duce Genuense datæ, in publico PP. consessu lectæ & Oratoribus Regis Galliarum traditæ: quibus quidem securitati venientium ad Concilium cauebatur.

Eodem Anno à Natiuitate Domini Millesimo, Quingentesimo, Quintodecimo, Indictione tertia, Die vero secunda mensis Maii Pontificatus Sanctissimi in Christo patris & Domini Nostri Domini Leonis Diuina prouidentia Papæ Decimi, Anno Tertio fuit congregatio Reuerendissimorum Dominorum Cardinalium, & omnium prælatorum existentium in Curia, & interesse volentium in Palatio Apostolico in superiori Capella, in qua interfuit Sanctissimus Dominus Noster præfatus, & interfuerunt Cardinales numero viginti & vnus, & prælati numero sexaginta & septem, & fuerunt lectæ per Reuerendum patrem Dominum Thomam phædram Secretarium Concilii cedulæ proponendæ in proxima Sessione, & fuerunt ab omnibus approbatæ, & post aliqualem & maturam discussionem super aliquibus ex ipsis tandem votatæ, & approbatæ ad Dei omnipotentis laudem, & Ecclesiæ exaltationem.

SESSIO DECIMA.

Anno à Natiuitate Domini, Millesimo, Quingentesimo, Quintodecimo, Die vero Veneris Quarta mensis Maii, Indictione tertia, Pontificatus Sanctissimi in Christo patris & Domini Nostri Domini Leonis, Diuina prouidentia Papæ Decimi, Anno Tertio, Fuit celebrata Decima Sessio Sacrosancti Concilii generalis in Ecclesia Lateranensi in loco solito, In qua fuit præfatus Sanctissimus Dominus Noster, Et fuerunt præsentes infra scripti Reuerendissimi Cardinales, Patriarchæ, & Archiepiscopi, & Episcopi, ac Principum Oratores, ac Illustres Domini, & Barones videlicet.

Episcopi Cardinales.

Reuerendissimi Domini.

Raphael Ostiensis, Bernard. Sabinensis, Dominicus Portuensis, Franciscus Tiburtinensis, Marcus Prænestinus.

Presbyteri Cardinales.

Reuerendissimi Domini.

Franciscus tituli sanctorum Ioannis & Pauli Surrentinensis, Nicolaus tituli sanctæ Priscæ de Fisco, Hadrianus tituli sancti Grisogonii, Leonardus tituli sanctæ Susannæ Agennensis, Antonius sanctæ Praxedis, Petrus tituli sancti Eusebii Anconitanensis, Achilles tituli sancti Sixti, Bandinellus tituli sanctæ Sabinens. de Saulis, Laurentius tituli sanctorum quatuor Coronatorum.

Diaconi Cardinales.

Reuerendissimi Domini.

Federicus de sancto Seuerino, Sancti Angeli, Hypolitus sanctæ Luciæ in Silice. Alexander sancti Eustachii Farnesius, Ludouicus sanctæ Mariæ in Cosmedim, de Aragonas. Marcus sanctæ Mariæ in via lata de Corneliis, Alphonsus sancti Theodori. Iulius sanctæ Mariæ de Nauicula, Bernardus sanctæ Mariæ in Porticu, Inno. sanctorum Cosme, & Damiani.

Patriarchæ & Assistentes Papæ: & Oratores.

Reuerendi Patres Domini.

Cæsar Patriarcha Alexandrinus, Franciscus Consanus, Vincentius Senens. Gabriel Dirachiens. Robertus Rheginus, Bernardus Taruisinus, Io. Franciscus Taurinensis, Io. Baptista Caualliconsis, Pompeius Rheatinus, Andreas Militens. Dominicus Lucerinensis, Siluester Vigorinens. Episc. Orator Illustr. Regis Angliæ, Ioannes Archiepisc. Gneznen. Orator Regis Poloniæ, Ludouicus Episcop. Maurianensis Orator Ducis Sabaudiæ, Bertrandus Episcop. Adrienf. Orator Ducis Ferrariæ.

Archiepiscopi.

Reuerendi Patres Domini.

Stephanus Patracens. Vincentius Neapolitanus, Ieremias Crainens. Orlandus Auiniorens. Andreas Mononasiens. Gilbertus Surrentin. Georgius Nazarenus, Stephanus Gabriel Baren. Andreas Spalaten. Franciscus Turritan. Alexander Viennens. Anthonius Athanensis.

Episcopi.

Reuerendi Patres Domini.

Iannotius Troianus, Aloysius Parentin. Bartholomeus Iustinopolitan. Ioannes Aquilan. Iacobus Potentin. Octavianus Viterbien. Marinus Tenetens. Hieronymus Bondonens. Iacobus Fauentin. Ioannes Cibinen. Paris Pisaurien. Alexius Melfitan. Siluius Boianensis, Marinus Casinensis, Io. Dominicus Terdonensis, Vasinus Placentinus, Aloysius Interaminensis, Franciscus Manetensis, Marcus Vrgentinensis, Iustinianus Antmerinus, Hugo Regiensis, Bartholomeus Montis viridis, Aloysius sancti Marci, Benedictus Chienensis, Paulus Forosempronensis, Christophorus Cesenatensis. Ioan. Baptista Marianensis, Petrus Castelli Maris, Hieronymus Ilcinensis, Ioan. Antonius Calinensis, Philippus Adiatensis, Theseus Rachanatensis, Matthæus Vmbriacensis, Scabonius Imolensis, Gispertus Rapolanensis, Ioannes Anriacensis, Augustinus Petusinensis, Tranquillus Feretinensis, Baptista Veuerensis, Ioan. Franciscus Vestanus, Hercules Vrbeuetanensis, Angelus Britonoriensis. Vincentius Signinius, Petrus Paulus Esinensis, Ioan. Baptista Ansarinensis, Ioan. Baptista Casertanensis, Augustinus Argiensis, Martinus Nucerinus, Ioannes Algerensis, Iacobus Marsicanus, Natalis Veglienfis, Siluius Comacensis, Valentinus Pettinensis, Thomas Leglinensis, Petrus Sermensis, Lactantius Suanensis, Marcus Ceriualiensis, Laurentius Dalamensis, Sixtus Salucensis, Zacharias Terracinensis, Euangelista Cathacensis, Iulianus Agrigentinensis, Hieronymus Asculanensis.

Oratores.

Illustris. Dominus Albertus Pius de Carpi, Sereniss. mi Maximiliani Electi Imperatoris Orator. Magnificus Ludouicus de Solier Christianissimi Regis Franciæ Orator, Magnificus Hieronymus Vich Catholici Regis Hispaniæ Orator. Reuerendus pater Michael Brut, Illust. Regis Portugalliæ Orator. Magnificus Martinus Georgius Dominii Venetorum Orator. Magnificus Marinus Charatius Illust. Ducis Mediolanensis Orator. Magnificus Franciscus Victorius Dominii Florentinorum Orator. Illust. Ioannes Filbertus de Palude Comes de Iaes: & Reuerendus pater Petrus de Baonia Illustr. Domini Ducis Sabaudiæ Oratores.

Senatores: Conseruatores: Illustr. Domini temporales.

Magnificus Dominus Iacobus Senator Vrbis. Illustr. Prosper de Columna Dux Caniæ, Illustr. Marcus Antonius de Columna, Illust. Ludouicus de Vrsinis Comes Petiliani, Illustr. Nicolaus Volschi Miles Polonus, Illust. Laurentius de Satmat, Illust. Mutius de Columna, Illust. Ioan. Franciscus de Columna, Magnificus Dominus Euangelista Magdalenæ Conseruator Vrbis, Magnif. Dom. Marius de Crescentiis Conseruator Vrbis.

Et quamplures alii nobiles & milites Ierosolymitanen. Celebrata missa per Reuerend. in Christo patrem Ioannem Archiepiscopum Gneznensem, Oratorem Regis Poloniæ, Et habita Oratione per Reuerend. patrem Dominum Stephanum Archiepiscopum Patracensem quæ iuxta morem infra ponetur. Et cantato Euangelio per Reuerendiss. Dominum Alexandrum sancti Eustachii Diaconum Cardin. secundum Matthæum, quod incipit. Dixit Iesus parabolam hanc, simile est regnum cœlorum homini Regi &c. Et cantatis Orationibus consuetis, & hymno. Veni creator, per præfatum Sanctissimum Dominum Nostrum, Præscripti Oratores Illust. Ducis Sabaudiæ dederunt præfato Sanctissimo Domino Nostro mandatum præfati Illustr. Ducis ad interessendum nomine suo in Sacrosancto Lateranensi Concilio, Et idem Sanctissimus dedit illud Reuerendo patri Domino Thomæ phedra legendum in Amborie qui ascendens ambonem legit illud alta & intelligibili voce: Quo perlecto præfati Oratores accesserunt ad pedes Sanctitatis suæ, & genibus flexis osculati sunt beatissimos pedes, Deinde exclusis illis qui de more interesse non debent, & clausis portis Concilii, Reuerend. pater Dominus Bertrandus Episc. Adriensis ascendit ambonem, & legit cedulam super confirmatione montis pietatis, Cuius tenor talis est.

LEO Episcopus Seruus Seruorum Dei ad perpetuam rei memoriam, Sacro approbante Concilio. Inter multiplices nostræ sollicitudinis curas, illam imprimis suscipere pronostro pastorali officio debemus, vt quæ salubria, & laudabilia, ac Catholicæ fidei consona, & bonis moribus conformia nostro tempore non solum enucleentur, verum etiam ad posteros propagentur, & quæ materiam scandali præbere possent penitus succidantur, & radicitus extirpentur, nec pullulare vsquam finantur ea in agro Dominico, & vineæ Domini Sabaoth dumtaxat conseri permittendo, quibus fidelium mentes pasci spiritualiter possint eradicatis Zizaniis, & oleastri sterilitate succisa. Sane cum olim inter nonnullos dilectos filios Sacræ theologiæ magistros, ac iuris vtriusque Doctores controuersiam quandam non sine populorum scandalo & murmuratione exortam, & nuper his diebus innouatam esse comperierimus circa pauperum releuationem in mutuis eis publica auctoritate faciendis, qui montes pietatis vulgo appellantur, quique in multis Italiæ Ciuitatibus ad subueniendum per huiusmodi mutuum pauperum inopiæ, ne vsurarum Voragine deglutiantur à Ciuitatum magistra-

magistratibus, & aliis Christi fidelibus fuit institutis, atque à sanctis Viris diuini verbi præconibus, & laudati, & persuasi, ac à nonnullis, etiam Stemmis Pontificibus prædecessoribus nostris probati & confirmati sint, ne præfati montes à Christiano dogmate dissonantes, vel non vtraque parte diuersimode sentiente, atque prædicante. Nonnullus enim magistris, & Doctoribus dicentibus eos montes non esse licitos in quibus aliquid vltra sortem pro libra decurso certo tempore per ministros huius montis ab ipsis pauperibus quibus mutuum datur, exigitur, & propterea ab vsurarum crimine minus tutum, seu ab aliqua certi specie mali mundos non euadere, Cum Dominus noster, Luca Euangelista attestante, aperto nos præcepto obstrinxerit, ne ex dato mutuo quicquam vltra sortem sperare debeamus. Ea enim propria est vsurarum interpretatio, quando videlicet ex vsu res quæ non germinat, nullo labore, nullo sumptu, nullove periculo lucrum fœtusque conquiri studetur, Addebant etiam iidem magistri & doctores in us montibus, neque commutative, neque distributiue iustitiæ fieri satis, cum tamen iustitiæ terminos contractus huiusmodi excedere non deberent, Si debeant approbari, idque præterea probare nitebantur, quia impensæ pro huiusmodi montium conseruatione à pluribus (vt aiunt) debitæ à solis pauperibus quibus mutuum datur, extorqueantur, pluraque interdum vltra necessarias & moderatas impensis, non absque specie mali ac incentiuo delinquendi quibusdam aliis personis (vt inferre videntur) exhibeantur. Alias vero pluribus magistris, & Doctoribus contra asserentibus, & in multis Italiæ Gymnasiis verbo & scripto conclamantibus pro tanto bono, tanquam Reipublicæ perneccessario, moderatione mutui nihil petatur neque speretur, pro indemnitate tamen eorumdem montium, impensarum videlicet ministrorum eorundem ac rerum omnium ad illorum necessariam conseruationem pertinentium, absque montium huiusmodi lucro, idque moderatum & necessarium ab his qui ex huiusmodi mutuo commodum suscipiunt licite vltra sortem exigi, & capi posse nonnihil licere, cum regula Iuris habeat, quod qui commodum sentit, onus quoque sentire debeat, præsertim si apostolica accedat auctoritas, Quam quidem sententiam à fel. rec. Paulo II. Sixto IV. Innocentio VIII. Alexandro VI. & Iulio II. Rom. Pontificibus prædecessoribus nostris probatam, à sanctis quoque ac Deo deuotis, & in magna ob sanctitatis opinionem existimatione habitis Euangelicæ veritatis prædicationibus prædicatam esse ostendunt, Nos super hoc (prout nobis est ex alto concessum,) opportune prouidere volentes, Alterius quidem partis iustitiæ Zelum, ne vorago aperiretur vsurarum, Alterius pietatis & veritatis amorem, vt pauperibus subueniretur, vtriusque vero partis studium commendantes, cum hæc ad pacem, & tranquillitatem totius Reipublicæ Christianæ spectare videantur sacro approbante Concilio declaramus, & diffinimus montes pietatis ante dictos per Respublicas instituros, & auctoritatate sedis apostolicæ hactenus probatos & confirmatos, in quibus pro eorum impensis & indemnitate aliquid moderatum ad solas ministrorum impensas, & aliarum rerum ad illorum conseruationem (vt præfertur) pertinentium, pro eorum indemnitate dumtaxat, vltra sortem absque lucro eorundem montium recipitur, neque specie mali præsertur, nec peccandi incentiuum præstare, neque vllo pacto improbari, quinimmo meritorium esse ac laudari, & probari debere tale mutuum minime vsurarum putari, licereque illorum pietatem, & misericordiam populis prædicare etiam cum indulgentiis à sancta sede Apostolica eam ob causam concessis, Ac deinceps alios etiam similes montes cum Apostolicæ sedis approbatione erigi posse, multo tamen perfectius, multoque sanctius fore, si omnino tales montes gratuiti constituerentur, hoc est si illos erigentes aliquos census assignarent, quibus si non omni, saltem vel media ex parte huiusmodi montium ministrorum soluantur impensæ, vt ad leuiorem aris soluendi portionem media hæc pauperes grauari contingat, ad quos cum huiusmodi census assignatione, pro impensarum supportatione erigendos, Christi fideles maioribus indulgentiis muitandos esse decernimus. Omnes autem religiosos (& ecclesiasticas ac seculares personas) qui contra præsentis declarationis & sanctionis formam de cætero prædicare, seu disputare verbo vel scriptis ausi fuerint, excommunicationis latæ sententiæ pœnam, priuilegio quocunque non obstante incurrere volumus, Non obstantibus præmissis, ac Constitutionibus, & ordinationibus apostolicis, cæterisque contrariis quibuscunque.

Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ declarationis, diffinitionis, decreti, & excommunicationis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem omnipotentis Dei, ac beatorum Petri, & Pauli Apostolorum eius se nouerit incursurum. Data Romæ in publica Sessione, in Lateranensi sacrosancta Basilica solemniter celebrata, Anno Incarnationis Dominicæ, Millesimo, Quingentesimo, Quinto decimo, Quarto Non. Maij, Pontificatus Nostri, Anno Tertio.

Qua perlecta petiitan placerent paternitatibus suis contenta in cedula, & interrogati per scrutatores votorum responderunt placere contenta in cedula, excepto Reuerendo patre Domino Hieremia Archiepiscopo Crainensi, qui dixit non placere, quia didicit per experientiam quod præfati montes sunt plus damnosi quam vtiles.

Deinde Reuerendus pater Dominus Bernardus Episcopus Taruisinus ascendit ambonem, & legit contra exemptos cedulam, & alias materias Ecclesiasticam libertatem, & dignitatem Episcopalem concernentes, cuius tenor talis est.

LEO Episcopus Seruus Seruorum Dei, ad perpetuam rei memoriam sacro approbante Concilio. Regimini vniuersalis Ecclesiæ (disponente Domino) præsidentes, iuxta pastoralis officii debitum libenter intendimus vtilitatibus subditorum, & ad conseruandam libertatem Ecclesiasticam, & remouenda scandala, perendam concordiam, & nutriendam quietem inter Ecclesiarum prælatos, & eorum subditos, eo propensius Apostolicæ sollicitudinis studium adhibemus, quo dissensionem talium fore dispendiosam experimento comprobatur, nec non indultæ pariter, & priuilegia eisdem subditis in ipsorum prælatorum dispendium, tam per prædecessores nostros, quam sedem apostolicam concessa ita libenter moderamur, ne exinde scandala procedant, neue ex eis vlli detur materia maligandi, & personæ Ecclesiasticæ à bono obedientiæ, necnon diuini perseuerantia seruitii nullatenus retrahantur.

Sane nuper admostrum relatio fide digna perduxit auditum, quod Canonici Patriarchalium, Metropolitanarum, & Cathedralium, & Collegiatarum Ecclesiarum, & alii Clerici seculares plura præsumunt, quæ ipsis infamiam non parum pariunt, & aliis infer[illegible] lesionem prætextu exemptionis, & libertatis à dicta sede obtentæ, Ordinariorum correctiones & ordinationes subtrahigium, ac eorum forum, siue iudicium declinant, Nonnulli etiam impunitatem suorum excessuum per priuilegium exemptionis obtinere sperantes, excessus ipsos committere non verentur, quos, nisi per exemptionem qua gaudent crederent se defendi, nullatenus fuissent committuri. Hinc itaque accidit, vt propter eorum audaciam, qui prætextu priuilegii exemptionis impunitatem excessuum obtinere confidentes, nonnulla multotiens committant enormia, per quæ plurimum diffamatur Ecclesia, & scandala grauia generantur, potissime autem cum talia per eos ad quos horum spectat correctio, incorrecta remaneant, seu illi ad quos spectat illa punire negligunt.

Nos volentes ne eo prætexta delicta remaneant impunita, morbo huiusmodi necessariam adhibere medelam, sacro approbante Concilio statuimus, vt de cætero illi quibus exemptorum correctio & punitio à dicta sede demandata est, circa illam vigilanter intendant, & diligenter officii sibi commissi debitum exequantur, Et quamprimum eis exemptos ipsos deliquisse legitime constiterit, ita eosdem exemptos delinquentes puniant, quod iidem exempti metu pene à suis arceantur insolentiis, & alii eorum exemplo perterriti, prosilire ad similia merito perhorrescant, Et si circa hoc negligentes fuerint, Diœcesani, & alii locorum Ordinarii eosdem, quibus exemptorum correctio huiusmodi competit, personaliter (si illorum copia, & notitia haberi poterit) Alioquin, vel si nullus in partibus exemptorum ipsorum certus iudex fuerit, eos quorum sua in præmissis interesse putauerint, per edictum publicum Cathedralium, seu aliarum Ecclesiarum locorum, in quibus exemptorum iudices huiusmodi residere, seu nullis eorundem exemptorum iudicibus existentibus, ipsos exemptos deliquisse contigerit, valuis affigendum, moneant, vt ipsi tales exemptos delinquentes, & crimmosos puniant, & castigent infra competentem terminum, monentium ipsorum arbitrio moderandum. Et si ipsi moniti in hoc negligentes fuerint, & id adimplere neglexerint, seu recusauerint, tunc vt in eo, in quo deliquerint puniantur, cognitione huiusmodi ea vice sint priuati, & se non intromittant vllatenus de eisdem, Sed diœcesani, & alii locorum ordinarii huiusmodi, contra tales exemptos delinquentes, & crimmosos auctoritate

nostra

nostra ad inquisitionem, vel per accusationem sine aliquibus tormentis procedere, & testes per seipsos examinare possint, ac processum ipsum, quem ratione solennitatis iuris, præterquam ratione citationis omissæ (dummodo delictum alias rite probatum fuerit) nullum allegari vel dici posse prohibemus, sed per eos habitum, clausum, & eorum sigillo munitum ad sedis apostolicæ examen, ipsorum exemptorum delinquentium expensis, etiam in ipso processu factis, ad quarum solutionem Ordinarii ipsi possint eosdem inquisitos & accusatos compellere, per proprium vel alium nuntium quanto citius destinare procurent, apud eandem sedem per Romanum Pontificem vel alium cui duxerit committendum, diligenter examinandum, & ita culpabiles repertos quod ad condemnationem vel propter sufficientia indicia, propter quæ ad torturam pro veritate exquirenda procedi valeat, ad ipsos diœcesanos, seu ordinarios per eos auctoritate nostra in causa inquisitionis, seu accusationis vlterius legitime procedendum, & causam ipsam prout iustum fuerit, terminandam remittendum.

Notarii autem dictæ sedis quorum officium in ipsis primitiuæ Ecclesiæ initiis à fel. rec. Clemente Papa primo ad sanctorum gesta perquirenda atque conscribenda noscitur institutum ad Prothonotariatus officium assumpti, habitum & rochetum deferentes, & alii nostri, & dictæ sedis officiales actu sua officia exercentes, tam in ciuilibus, quam in criminalibus ab omni ordinariorum iurisdictione sint exempti. Alii vero Notarii habitum Prothonotariatus non deferentes, nisi illum infra Trimestre, post præsentium publicationem assumpserint, & ipsi ac alii in posterum assumendi, habitum, & rochetum huiusmodi continue non gestantes, atque alii nostri, & dictæ sedis Officiales officia sua actu non exercentes, tam in crimininalibus, quam in ciuilibus ratione causæ summam. x x v. ducatorum auri de Camera non excedentis duntaxat, eorundem Diœcesanorum & Ordinariorum iurisdictioni subiaceant. In ciuilibus vero causis summam huiusmodi excedentibus, plena gaudeant exemptione, & à dictorum diœcesanorum, & ordinariorum iurisdictione penitus sint exempti.

Dignum quoque & etiam congruum arbitrantes, quod ex Sanctæ Rom. an. Ecclesiæ Cardinalium familiaribus illi duntaxat priuilegio exemptionis gaudeant, qui actu domestici, & continui sunt commensales, vel ab eisdem Cardinalibus ad ipsorum exequenda negocia missi, vel qui recreationis causa ad tempus à Romana curia absentes fuerint. Cæteris vero, etiam familiaritatis litteras habentibus, quominus coertioni Diœcesanorum & Ordinariorum eorundem subiaceant, Familiaritatis huiusmodi priuilegium nullatenus suffragetur.

Et cum eisdem Diœcesanis, vt monasteria monialium sedi Apostolicæ immediate subiecta, in eorum Diœcesibus consistentia, semel in anno visitare possint per Constitutionem in Concilio Viennens. editam quæ incipit Attendentes, plena fuerit data facultas, illam innouamus, ac exemptionibus, & priuilegiis quibuscumque non obstantibus districte seruari præcipimus & mandamus.

Per præmissa quoque eisdem diœcesanis, & ordinariis, casibus quibus in exemptos à iure iurisdictio concessa est, nullatenus præiudicium generetur.

Exemptiones autem de cætero absque rationabili causa, & quorum interest minime citatis, pro tempore concessas, nullius roboris & momenti esse decernimus.

Et cum Ecclesiasticus ordo confundatur, si suæ vnicuique iurisdictio non seruetur, Ordinariorum iurisdictioni (quantum cum Deo possumus) fauere, ac litibus finem celerius imponi, & litigantium immoderatis sumptibus, & expensis parci satagentes, Statuimus & ordinamus, quod singulæ causæ, tam spirituales, quam ciuiles & mixtæ, ac forum ecclesiasticum quomodolibet concernentes, & beneficiales, dummodo beneficia ipsa generaliter reseruata non fuerint, & ipsorum singulorum beneficiorum fructus, redditus, & prouen. x x i v. ducatorum auri de camera secundum communem extimationem valorem annuum non excedant, in prima instantia extra Rom. curiam, & in partibus coram ordinariis locorum duntaxat cognosci, & terminari, ita quod nulli ante diffinitiuam sententiam liceat appellare, nec appellatio (si fuerit emissa) vllatenus admitti, nisi ab interlocutoria, quæ vim habeat diffinitiuæ, vel à grauamine minime concernente negotium principale, quod per appellationem à diffinitiua sententia reparari non possit, nisi alter collitigantium aduersarii sui potentiam merito perhorrescens, seu alia probabili, & honesta causa aliter quam per proprium iuramentum saltem semiplene probata, coram ordinario non auderet litigare. Eo n. casu causa ipsa, etiam appellationi in dicta curia, etiam in prima instantia committi & cognosci & terminari possint. Alioquin appellationes & illarum etiam aliarum causarum huiusmodi cõmissiones impositerum, & quicquid inde secutum fuerit, nullius sint roboris vel momenti.

Iudices autem & Conseruatores à sede apostolica deputati si in altero iurium graduati non fuerint, Assessorem partibus non suspectum ab ipsis partibus, vel earum altera requisiti, assumere & secundum eius relationem iudicare teneantur.

Et quia sæpius & multiplici relatione percepimus quamplurimas ecclesias, & illis præsidentes Episcopos tam citra quam vltra montes vexari in eorum iurisdictionibus, iuribus, & dominiis, ac turbari à domicellis, Principibus, & nobilibus eorundem, qui sub colore iurispatronatus, quod in beneficiis ecclesiasticis habere confingunt, nullo priuilegio apostolico suffulti sine Ordinariorum collationibus, & litteris, & absque aliquo saltem colorato titulo beneficia non solum clericis sed etiam laicis conferre, Sacerdotes & Clericos delinquentes ad eorum libitum punire, Decimas omnium rerum, ad quarum solutionem de iure tenentur, ac Cathedralium, & alia quæ legis Diœcesanæ, & iurisdictionis sunt, & ad ipsos Episcopos dumtaxat pertinent temere auferre, fraudare, vsurpare, seu vt præmissa fiant mandare, ac ipsa & fructus quoscumque ne à ciuitatibus, terris, & locis eorum extrahantur prohibere, feuda, possessiones, & prædia occupare, & indebite detinere, seu ad feuda & bona ipsarum Ecclesiarum eis concedendum, ac beneficia ecclesiastica personis per eos nominatis conferendum minis, & terroribus, ac aliis viis indirectis inducere, & compellere, & alia quam plurima damna, iacturas, & iniurias ecclesiis, & earum prælatis, ac clericis præfatis inferri, non modo permittere, sed etiam expresse mandare præsumant. Attendentes igitur quod laicis in clericos & personas ecclesiasticas, ac bona ecclesiastica non est attributa facultas, atque æquum & iustum esse, vt in eos iura insurgant, qui illa offendere præsumunt, Necnon considerantes quantum ex his tam nostro & apostolicæ sedis honori, quam personarum ecclesiasticarum quieto, & prospero statui, non sine damnanda pernicie derogetur, Ac cupientes eos quos ad obseruantiam iurium virtutum præmia non inducunt, tam adiectarum exaggeratione pœnarum, quam adiiciendarum de nouo formidine à temerariis ausibus refrænare, Omnes & singulas constitutiones, quæ super Decimarum solutione, & contra violatores, & raptores ecclesiarum, & incendiarios, agrorum depopulatores, & tam. S. R. E. Card. quam venerabiles fratres nostros Episcopos, & alias personas ecclesiasticas, seculares, & regulares capientes, detinentes, & eorum iurisdictionem & iura quõlibet indebite occupantes, aut eos in eorum iurisdictionis exercitio perturbantes, seu molestantes, cos quoque ad conferendum beneficia ecclesiastica personis per eos nominatis, aut aliàs de illis pro eorum libito voluntatis disponendum, & feuda ac bona ecclesiastica in emphiteosim concedendum, aut alias vendendum temere compellentes, Necnon statuta contra libertatem Ecclesiasticam facientes, & ad præmissa auxilium, consilium, vel fauorem præstantes hactenus emanarunt, innouamus. Et cum ea nedum iuri contraria, sed etiam ecclesiasticæ libertati opprobriosa sint quam plurimum & aduersa, vt de officio nobis credito dignam Deo possimus reddere rationem, affectibus & monitis paternis Imperatorem, Reges, Principes, Duces, Marchiones, Comites, Barones, & quoscumque alios alterius cuiuscumque nobilitatis, præeminentiæ, potentiæ, seu potestatis, excellentiæ, vel dignitatis existentes, attente hortamur in Domino, eisdem in virtute sanctæ obedientiæ mandantes, vt ipsi constitutiones prædictas obseruent, & faciant à suis etiam subiectis inuiolabiliter obseruari, quacumque consuetudine contraria non obstante, si diuinam offensam, & sedis apostolicæ debitam vitare voluerint vltionem, Ac collationes de dictis beneficiis sic factas, nullas & irritas nihilominus esse decernimus, ac illis vtentes reddantur inhabiles ad alia beneficia ecclesiastica obtinenda, donec cum eis super hoc per sedem prædictam fuerit dispensatum.

Mature quoque considerantes, quod post Christi ad cœlos ascensionem, Apostoli per singulas vrbes & Diœceses Episcopos distribuerunt, sicut sancta Roman. Ecclesia per orbem constituit eosdem Episcopos in partem sollicitudinis vocando, onera gradatim distribuendo per Patriarchas, Primates, Archiepiscopos & Episcopos, ac sacris etiam Canonibus fuerit diffinitum, per eos pro morum correctione, & controuersiarum decisione, & determinatione, ac mandatorum Domini obseruatione, fieri debere Concilium prouinciale, ac Synodum Episcopalem vt deprauata corrigerentur, & illa facere negligentes canonicis pœnis subiacerent, Cum conueniat nos circa ea quæ rempublicam Christianam concernunt esse intentos, desiderantes Canones ipsos firmiter obseruari, eisdem Patriarchis, Primatibus, Archiepiscopis, & Episcopis districte iniungimus, vt de officio eis commisso dignam Deo possint reddere rationem, Canones, Cõcilia, & Synodos huiusmodi fieri

mandan-

mandantes, quocumque priuilegio non obstan. inuiolabiliter obseruent, præterquam quo ad Concilium prouinciale, quod de cætero singulis triennis fieri mandamus, ad illaque etiam exemptos accedere debere decernimus, priuilegio, ac consuetudine quacumque contraria non obstan. Circa hoc autem negligentes pœnas in eisdem Canonibus contentas se nouerit incursuros.

Et cum constitutione in Concilio Viennens. edita, quæ incipit. In plerisque, vt Pont. dignitatis honor seruaretur, statutum fuerit, ne Ecclesiis Cathedralibus bonis temporalibus sine quibus spiritualia diu esse non possunt, priuatis ac clero, & populo Christiano carentibus, de aliquibus personis præsertim religiosis prouideretur. Constitutionem ipsam innouamus, illamque inuiolabiliter obseruari debere volumus, atque mandamus, nisi aliqua iusta causa in Consistorio nostro secreto approbanda alias duxerimus faciendum. Nos enim quicquid contra præmissa, vel aliquod præmissorum contigerit attentari, irritum decernimus, & inane, contraria quæcunque constitutione, vel priuilegio non obstante.

Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostrorum statuti, prohibitionis, præcepti, constitutionis, ordinationis, hortationis, iniunctionis, innouationis, voluntatis, mandati, & decreti infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem omnipotentis Dei, ac beatorum Petri, & Pauli Apostolorum eius se nouerit incursurum. Data Romæ in publica Sessione in Lateranensi sacrosancta Basilica solemniter celebrata. Anno Incarnationis Dominicæ. M. D. XV. Quarto Nonas Maii, Pontificatus Nostri Anno Tertio.

Qua perlecta petiit an placerent paternitatibus suis contenta in cedula, & omnes responderunt placere, dempto præfato Archiepiscopo Crainensi qui dixit non placere in quantum cedula dat ordinem quod Episcopi contra exemptos debeant formare processus & mittere ad Curiam.

Postmodum vero Reuerendus pater Dominus Franciscus Episcopus Nanetens. ascendit ambonem, & legit cedulam super Impressione Librorum, cuius tenor talis est.

LEO Episcopus Seruus Seruorum Dei, Ad perpetuam rei memoriam sacro approbante Concilio. Inter sollicitudines nostris humeris incumbentes perpeti cura reuoluimus, vt errantes in viam veritatis reducere, ipsosque lucrifacere Deo (sua nobis cooperante gratia) valeamus, hoc est quod profecto desideranter exquirimus, ad id nostræ mentis sedulo destinamus affectum, ac circa illud studiosa diligentia vigilamus. Sane licet litterarum peritia per librorum lectionem posit faciliter obtineri, ac ars imprimendi libros temporibus potissimum nostris, diuino fauente numine, inuenta seu aucta, & perpolita, plurima mortalibus attulerit commoda, cum parua impensa copia librorum maxima habeatur. Quibus ingenia ad litterarum studia percommode exerceri, & viri eruditi in omni linguarum genere præsertim autem catholici, quibus sanctam Rom. Ecclesiam abundare affectamus, facile euadere possunt, qui etiam infideles sciant & valeant sacris institutis instruere, fideliumque collegio per doctrinam Christianæ fidei salubriter aggregare.

Quia tamen multorum querela nostrum & sedis apostolicæ pulsauit auditum, quod nonnulli huius artis imprimendi magistri in diuersis mundi partibus libros, tam Græce, Hebraice, Arabice, & Caldææ linguarum in Latinum translatos, quam alios, Latino, ac vulgari sermone editos errores etiam in fide, ac pernitiosa dogmata etiam religioni Christianæ contraria, ac contra famam personarum etiam dignitate fulgentium continentes imprimere, ac publice vendere præsumunt, & quorum lectura non solum legentes non edificantur, sed in maximos potius, tam in fide, quam in vita & moribus prolabuntur errores. Vnde varia sæpe scandala (prout experientia rerum magistra docuit) exorta fuerunt, & maiora indies exoriri formidantur.

Nos itaque ne id quod ad Dei gloriam & fidei augmentum, ac bonarum artium propagationem salubriter est inuentum, in contrarium conuertatur, ac Christi fidelium saluti detrimentum pariat, super librorum impressione curam nostram habendam fore duximus, ne de cætero cum bonis seminibus spinæ coalescant, vel medicinis venena intermisceantur. Volentes igitur de opportuno super his remedio prouidere, hoc sacro approbante Concilio, vt negocium impressionis librorum huiusmodi eo prosperetur felicius quo deinceps indago solertior diligentius & cautius adhibeatur.

Statuimus & ordinamus, quod de cætero perpetuis futuris temporibus nullus librum aliquem, seu aliam quamcunque scripturam, tam in Vrbe nostra, quam aliis quibuscumque Ciuitatibus & Diœcesibus imprimere seu imprimi facere præsumat, nisi prius in Vrbe per Vicarium nostrum & Sacri Palatii magistrum. In aliis vero ciuitatibus, & Diœcesibus per Episcopum vel alium habentem peritiam scientiæ, libri seu scripturæ huiusmodi imprimendæ ab eodem Episcopo ad id deputandum, ac inquisitorem hæreticæ prauitatis ciuitatis siue Diœcesis in quibus librorum impressio huiusmodi fieret, diligenter examinentur, & per eorum manu propria subscriptionem sub excommunicationis sententia gratis & sine dilatione imponendam approbentur.

Qui autem secus præsumpserit, vltra librorum impressorum amissionem, & illorum publicam combustionem, ac centum ducatorum fabricæ basilicæ principis apostolorum de vrbe sine spe remissionis solutionem, ac anni continui exercitii impressionis suspensionem, excommunicationis sententia inodatus existat, ac demum ingrauescente contumacia taliter per Episcopum suum vel Vicarium nostrum respective per omnia iuris remedia castigetur, quod alii eius exemplo similia minime attentare præsumant.

Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostrorum statuti, & ordinationis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem omnipotentis Dei, ac beatorum Petri, & Pauli Apostolorum eius se nouerit incursurum. Data Romæ in publica Sessione, in Lateranensi sacrosancta basilica solemniter celebrata. Anno Incarnationis Dominicæ. M. D. XV. Quarto Nonas Maii Pontificatus Nostri Anno Tertio.

Qua perlecta petiit an placerent Paternitatibus suis contenta in cedula, & responderunt omnes placere excepto Reuerendo patre Domino Alexio Episcopo Melfitano, qui dixit placere de nouis operibus, non autem de antiquis.

Deinde Reuerendus pater Dominus Petrus Episcopus Castellimaris ascendit ambonem & legit cedulam super præfixione termini contra profitentes pragmaticam sanctionem & super indictione vndecimæ Sessionis, Cuius tenor talis est.

LEO Episcopus Seruus Seruorum Dei ad futuram rei memoriam, sacro approbante Concilio. Cum inter alia in hoc sacro Concilio expedienda, quid super Sanctione per nonnullos prælatos Gallicæ Nationis, tam clericos, quam laicos etiam nobiles, ac alios illis fauentes, quam ipsi pragmaticam vocant, edita determinandum, & declarandum foret, expedire, & declarare summopere desideraremus, prout etiam felicis recordationis IVLIVS PAPA II. prædecessor noster huius Concilii indictor desiderabat, & prælati, & alii clerici, ac laici præfati ad comparendum, tam eorum præfato Iulio prædecessore, quam nobis pluries citati fuerint, & eorum contumacia in dicto Concilio sæpius allegata, seu accusata exiterit. Cumque postmodum pro parte prælatorum, clericorum, & laicorum etiam nobilium, ac fautorum prædictorum ad hoc (vt præfertur) legitime vocatorum allegatum fuerit, nullum locum per quem transeundum esset, & iure venire ad comparendum in dicto Concilio possent habere.

Nos ne eo prætextu quoquo modo se excusare possent à communitate Lauuens. per quorum loca ture ad Romanam curiam, ad allegandum ea quæ in huiusmodi causa Pragmatice allegare voluerint, venire possint, amplum Saluum conductum concedi curauimus, & eisdem assignari. Et ne aliquid amplius contra præmissa allegare, & iustam possint prætendere ignorantiam, clericos & laicos etiam nobiles, etiam prælatos & fautores, clericorumque ac secularium collegia, ad eorum contumaciam conuincendam, sacro approbante Concilio, de nouo pro vltimo & peremptorio termino requirimus & monemus, vt ante kalend. Octobris proxime futuri (omni excusatione & dilatione cessantibus) legitime comparere debeant, quem terminum & dilationem huiusmodi ex causis prædictis ad omnes excusationes tollendas ad dictam diem Kalend. Octobris pro vltima & peremptoria dilatione, vt præfertur, prorogamus & de nouo concedimus & assignamus. Quo termino elapso ad vlteriora, & terminationem dicti negocii etiam diffinitiua sententia procedetur, eorum contumacia & non comparitione minime obstantibus, in prima ex tunc futura Sessione, quam ad hoc & alia quam plura vtilia peragenda, videlicet, vndecimam Sessionem quæ erit die Quartadecima Decembris post festum beatæ Luciæ proxime futurum præfato sacro approbante Concilio indicimus.

Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostrarum requisitionis, monitionis, prorogationis, concessionis, assignationis, & indictionis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem omnipotentis Dei, ac beatorum Petri & Pauli Apostolorum eius se nouerit incursurum. Datum Romæ in publica Sessione, in Lateranensi sacrosancta Basilica solenniter celebrata. Anno incarnationis Dominicæ Millesimo, Quingentesimo, Quintodecimo, Quarto Non. Maii, Pontificatus Nostri, Anno Tertio.

Qua perlecta Magnificus Dominus Ludouicus de Solier Orator Christianissimi Regis Franciæ accessit ad pedes Sanctitatis suæ & dixit in excusatione profitentium pragmaticam Sanctionem quod prælati Franciæ fuerunt impediti per inimicos Francorum non verentes censuras contentas in bulla Cœnæ Domini, & ideo Sanctitas sua habuit eos alias excusatos, Cum igitur de præsenti eodem impedimento detenti sint, & non audeant venire, quia inter Delphinatum & Lombardiam est periculum. Quare pro parte eorum supplicatur Sanctitati suæ habeat eos nunc excusatos & cum dabitur eis tutus accessus, offerunt se venire ad Concilium & allegare de iuribus suis, & idem Magnificus Orator dedit cedulam tenoris infra scripti.

Sanctissimo ac Beatissimo. D. N. Papa.

Pater Beatissime nouit optime Sanctitas vestra & nos Christianissimi Regis Oratores apud eandem fidem facimus prælatos ecclesiæ Gallicanæ ad pedes & imperium Sanctitatis Vestræ & ad sacrum Concilium venientes prohibitos fuisse, ac impeditos comminationibus, & detectis insidiis inimicorum Regis eiusdem Christianissimi non verentium censuras & pœnas in bulla Cœnæ Domini comprehensas, & ideo iure merito Beatitudo vestra tunc prælatos illos excusatos habuit, non enim citatum legimus quemquam tenerise periculis committere maris, latronum, itinerum, & inimicorum. Cum igitur pater Beatissime eodem notorio impedimento perdurante maxime inter Delphinatum, & Ligutiam, & Lombardiam prælati ipsi ad hoc sacrum Concilium venire non potuerunt, non etiam venturi sint, donec libere liceat, & expedire, Supplicatur humiliter pro parte illius Gallicanæ Ecclesiæ, quod & nunc Sanctitati Vestræ placeat illam, eosdemque prælatos excusatos habere, & ita pro sua prudentia solita prouidere quod tutus esse possit accessus, ac expeditus ad eandem Sanctitatem & sacrum Concilium, tunc etenim, & quamprimum ad Sanctitatis Vestræ pedes prælati ipsi, aut alii dictæ Ecclesiæ nomine venient, imo obtemperaturi eiusdem imperio, & sanctæ sedis Apostolicæ, alioquin per illos non stabit, prout nec stat quo minus adueniant. Caterum pater Beatissime pro exoneratione Ludouici de Soleriis Oratoris Regis Christianissimi qui has offert, supplicatur humillime vt placeat iubere notariis omnibus & singulis in præsenti Concilio & Sessione assistentibus quos rogat quod de excusatione huiusmodi, declaratione, oblatione, vna cum decreto Sanctitatis Vestræ actum sumant, & inde instrumentum conficiant eidem Oratori expediendum ad Ecclesiæ Gallicanæ, & aliorum quorum interesse poterit vberiorem cautelam.

E. Sanctitatis. V. humillimus Seruitor Christianissimi Francorum Regis Orator Loys de Solias.

Præfatus Sanctissimus Dominus Noster respondit præfato Oratori quod ex prouincia Prouinciæ erat facilis & tutus transitus per Ianuam, & quod prouideret de saluo conductu Ianuensi & eis mandauerat tradi, & si opus esset prouideret de meliori & tutiori Saluoconductu, & propterea volebat Sanctitas sua quod cedula prædicta staret in suo robore.

Deinde præfatus Reuerendus pater Dominus Petrus Episcopus Caltelli Maris petiit an placerent paternitatibus suis contenta in cedula, & responderunt omnes placere, dempto Iacobo Episcopo Potensi qui dixit non placere quod detur iste terminus profitentibus pragmaticam, quia contemnunt bullas & mandata apostolica.

Demum Dominus Marius de Peruschis Sacri Concilii procurator accusauit contumaciam non interessentium in Concilio interesse debentium & petiit per Sanctitatem suam declarari, & præfatus Dominus Noster declarauit nisi ad primam comparerent, & hæc fuerunt pro Decima Sessione.

Fuerunt insuper data mandata inscripta per procuratores infra scriptos excusando principales suos, videlicet Reuerendus pater Dominus Ioan. Franciscus de Ruuere Episcopus Taurinensis dedit mandatum Reuerendi patris Domini Ioannis de Sabaudia Episcopi Gebennensis. Et Venerabilis vir Dominus Humbertus Caneti dedit mandatum Reuerendi patris Domini Archiepiscopi Tarrensis. Et Dominus Godfelsus Vandemberch dedit mandatum Reuerendi patris Domini Ioannis Episcopi Auelbergensis. Et Reuerendus pater Dominus Gisbertus Episcopus Rapolanensis dedit mandatum Reuerendi patris Domini Ioan. Baptistæ Episcopi Valuensis & Submonensis. Et Reuerendus pater Dominus Ioannes Archiepiscopus Gueznensis dedit mandatum Reuerendi patris Domini Fabiani Episcopi Narniensis. Et Discretus Dominus Ludouicus Molon Clericus Cæsaraugustan. dedit mandatum Reuerendi patris Domini Ludouici Episcopi Ampurienſis. Et Reuerend. pater Dominus Bartholomæus Episcopus Iustinopolitan. dedit mandatum Reuerendi patris Domini Bernardini Episcopi Clusien. Et Reuerend. pater Dominus Bernardus Episcopus Taruisin. dedit mandatum Reuerendi patris Domini Georgii Episcopi Nonnens. Et Reuerend. pater Dominus Ioannes Episcopus Sibinicens. dedit mandatum Reuerendi patris Domini Episcopi Farrensis & Dominus Petrus Raymiardi dedit mandatum Reuerendi patris Domini Antonii Episcopi Regienensis. Et Reuerendus pater Dominus frater Guillelmus de Saluaterra dedit mandatum Reuerendi patris Domini Guillelmi Episcopi Gerandens. Et Dominus Zutfeldus Vardemberch dedit mandatum Henrici Episcopi Rotheburgens. Et Reuerendiss. in Christo pater & Dominus Dominus Antonius de Monte tituli sanctæ Præxedis presbyter Cardinalis dedit quasdam litteras missiuas, & quoddam mandatum Reuerendi patris Domini Iacobi Archiepiscopi Vpsalens. ad excusandum eum in Sacro Lateranensi Concilio, & interesse. nomine suo & suæ Prouinciæ, Et Reuerendus pater Dominus Ferdinandus Episcopus Scalensis dedit mandatum Reuerendi patris Domini Bernardi Episcopi Sorani, Et Reuerendiss. in Christo pater & Dominus, Dominus Nicolaus tituli sanctæ Priscæ presbyter Cardin. de Flisco nuncupatus dedit mandatum Reuerendi patris Domini Hieronymi Episcopi Torcelanensis. Et Reuerendus pater Dominus Andreas Archiepiscop. Spalatensis, dedit mandatum Antonii Episcopi Calamonens. & Ioannes Antonius Episcopus Calmensis, dedit mandatum Gallesii Episcopi Bellunens. & Petrus Paulus Episcopus Esitius dedit mandatum Episcopi Auximanens quibus perlectis, & cantato *Te Deum*, sessio absoluta est.

Die vero xx. præfati mensis Maii, Reuerendiss. in Christo pater & Dominus, Dominus Antonius tituli sancti Vitalis, nunc vero sanctæ Praxedis presbyter Card. protector Illust. Caroli Ducis Sabaudiæ dedit mandatum præfati Illustriss. Domini, Cuius tenor talis est.

Mandatum Ducis Sabaudiæ.

Carolus Dux Sabaudiæ, Chablaisii, & Augustæ, Sacri Romani Imperii Princeps, Vicariusque perpetuus, Marchio in Italia, Princeps Pedemontium, Comes Gebennesii, Bangiaci, & Rotundi montis, Baro Vuandi, Foncigmaci, & Gaii, Niciæque, Breyssiæ, ac Vercellarum &c. Dominus. Vniuersis, & singulis præsentes patentes litteras inspecturis, facimus manifestum quod cum quondam fel. rec. Iulius Papa Secundus Sacrum Lateranens. Concilium in Vrbe Roma celebrandum indixerit, quod Sanctissimus Dominus Noster Dominus Leo diuina prouidentia Papa Decimus præfato Iulio (sicut Domino placuit) de medio sublato ad Summi apostolatus apicem, diuina fauente clementia assumptus pro rebus vniuersalis Ecclesiæ, ac totius Christianæ religionis salubriter dirigendis, disponendisque (vt experientia edocet) cum maxima Catholicorum Principum, Christianique populi frequentia prosequitur. Nos igitur tam salubre, & laudabile suæ Beatitudinis propositum, ac permaxime necessarium opus collaudantes, illisque pia deuotione, & reuerentia assistentes, licet superioribus proximis diebus speciales Oratores nostros suæ Beatitudini, tanquam Vicario Christi, & Beati Apostolorum Principis Petri vero successori, reuerentiam, obedientiamque præstandam destinauerimus, Nihilominus vt sanctis institutis suæ Beatitudinis cuius, & sanctæ matris ec-

clesiæ membrum nos esse profitemur, iuxta Illustrissimorum progenitorum nostrorum laudabilem consuetudinem conformemur, ex nostra certa scientia, maturaq; deliberatione, citra tamen quorumcunque procuratorum nostrorum hactenus per nos constitutorum reuocationem, tenore præsentium facimus, constituimus, & deputamus, nostrum verum, legitimum, & indubitatum procuratorem specialem, ita tamen quod specialitas generalitati non deroget, nec è contra, videlicet, Reuerendiss. in Christo patrem & Dominum Dominum Antonium Sanctæ Romanæ Ecclesiæ tituli sancti Vitalis presbyterum Cardinal. nostrum & negociorum nostrorum in Ro. Curia protectorem specialiter & expresse ad se nomine nostro in dicto sacrosancto Concilio, illisque Sessionibus (quatenus expediat) præsentandum, illisque interessendum, ad dicendum, proponendum, tractandum, & procurandum, nec non laudandum, & emologandum, omnia, & singula quæ ad laudem Dei, animarum salutem, morum reformationem, vniuersalisque Ecclesiæ, ac totius religionis Christianæ bonum, pacem quoque & vnionem Christi fidelium concernere videbuntur, & quæ præfatus Sanctissimus Dominus Noster Papa sacro huiusmodi Concilio approbante duxerit reformanda, statuenda, & ordinanda, Nec non & ad alia faciendum, dicendum, gerendum, exercendum, quæ nos ipsi in præmissis, & circa ea faceremus, diceremus, & proponeremus, & ageremus, si præsentes personaliter interessemus, etiamsi talia forent quæ mandatum exigerent magis speciale, quam præsentibus est expressum. Quæ quidem omnia & singula promittimus bona fide nostra, & in verbo Principis perpetuo habere, & tenere, rata, grata, valida, & firma, in nulloque contrafacere, dicere, opponere, vel venire, nec contrauenire volenti aliqualiter consentire, clam, palam, tacite, vel expresse sub obligatione omnium bonorum nostrorum, præsentium, & futurorum, cum renunciationibus, & cæteris clausulis solitis & oportunis. In quorum testimonium has duximus concedendas, quas per Secretarium nostrum subsignatum fieri iussimus, Sigillo Cancellariæ nostræ roboratas. Datæ Taurini, Die Quarta, Mensis Maii, Millesimo, Quingentesimo, Quintodecimo.

CAROLVS.

Primum præsentibus Dominis Illust. Philippo de Sabaudia Comite Geben. R. Ioanne de Sab. Episcopo Gebennarum. R. Vrbano de Myolano Electo Valen. Angelino de Prouais præside patrimoniali. G. Domino Salloysonis Barone sancti Germani, Reuerend. Domino de Piouana Abbate Noualeſiii, Francisco Piouana, Ioan. de Lucerna, Francisco de Boscho Domino Pressiaci magistro hospitii Iafebro Paserii aduocato Fiscali.

Anno à Natiuitate Domini, Millesimo, Quingentesimo, Quintodecimo, Indictione tertia, Die vero vigesima prima mensis Iunii, Pontificatus Sanctissimi in Christo patris, & Domini Nostri Domini Leonis diuina prouidentia Papæ Decimi, Anno Tertio. Dominus Marius de Peruschis Sacri Concilii aut Fisci procurator petiit quòddam instrumentum. Datum coram Sanctissimo Domino Nostro per Magnificum Dominum Ludouicum de Soleriis, & in libris cameræ Apostolicæ registratum in actis Concilii de nouo registrari tradens illud facto tenoris infrascripti.

In nomine Domini, amen. Anno Natiuitatis, Millesimo, Quingentesimo, Quintodecimo, & die vigesima secunda Mensis Februarii, Pontificatus Sanctissimi in Christo patris, & Domini Nostri Domini Leonis Diuina prouidentia Papæ Decimi, Anno Secundo. Nouerit modernorum præsentia, & futurorum posteritas non ignoret, quod Magnifici, & Spectabiles iurium professores, Domini Geruasius de bello monte miles & præsidens, Bertrandus Duranti Dominus de Podiouerio, Simon de Tribucis Dominus de sancta Margarita, Gaspar de Perio, Marcellinus Giuremandi, Bertrandus Rostagui, Antonius de Albis, Claudius Sarente Dominus de Souassu, Regii Consiliarii, in suprema Curia insignis Parlamenti Prouinciæ, Et item Magnifici etiam iurium Doctores, Domini Aymericus de Andrea præsidens computorum, Ioannes Arbaudi, & Michael Guirani Magistri rationales magnæ Regiæ Curiæ, & Cameræ computorum Aquen. nec non egregii Domini Iacobus de Angelo, & Franciscus Guarini iurium licentiati Regii generales procuratores constituti infra Cameram Concilii dictæ supremæ Curiæ certificati, vt dixerunt, de actis, gestis, & promissis per Magnificum & Spectabilem militem Dominum Ludouicum Forbinum Dominum de Soleriis primum in dicta Parlamenti Curia Regium Consiliarium, & apud Summum Pontificem pro Christianissimo Domino Nostro Francorum Rege oratorem dignissimum eorumue Spectabilium Dominorum procuratorem constante de eius procuratoria potestate instrumento in notam sumpto, & rogato per me notarium, & Secretarium Regium infrascriptum apud dictum Sanctissimum Dominum Nostrum Papam iuxta potestatem eorum parte illi datam, prout de actis, gestis, atque promissis iam dictis Spectabilibus Dominis constitit per actum, seu illius exemplum nuper eisdem transmissum per Reuerend. & Spectabilem iurium Doctorem Dominum Petrum de Brandis Archidiaconum Veneten. etiam regium in dicta Curia parlamenti Consiliarium Romæ existentem. Cuius quidem exempli tenor sequitur.

Anno à Natiuitate Domini Millesimo, Quingentesimo Decimoquarto, Indictione Secunda. Die vero Decimaquinta mensis Nouembris, Pontificatus Sanctissimi in Christo patris & Domini Nostri Domini Leonis diuina prouidentia Papæ Decimi Anno Secundo. Constitutus personaliter coram præfato Sanctissimo Domino Nostro, ac testium, & mei notarii Cameræ Apostolicæ infrascriptorum Romæ, in palatio Apostolico, ac in aula, seu camera ipsius palatii, præfatus Magnificus Dominus Ludouicus procurator, & procuratorio nomine præmissorum in eodem procuratorio nominatorum asserens, & notificans eidem Sanctissimo Domino Nostro quod ipsi Consiliarii Regii superius nominati, voluntarie, & scienter non admiserant contenta in dicto monitorio, sed quodammodo inantea intendebant esse obedientes filii suæ Sanctitatis, & nihilominus vigore facultatis sibi in dicto instrumento attributæ omnes & singulas prohibitiones, mandata, & decreta per ipsos Consiliarios, ac parlamentum huiusmodi hactenus contra Ecclesiasticam libertatem, & Canonicas, & Pontificum Sanctiones factas, & facta ac gesta, eis omnibus melioribus, modo, via, iure, causa, & forma, quibus melius potuit, sciuit, & debuit coram ipso Sanctissimo Domino Nostro reuocauit, cassauit, & annullauit, ac reuocat, cassat, & annullat, & ad pristinum statum omnia reducit, ac eisdem literis monitorialibus expresse, quantum potuit, obediuit, & obtemperauit, & quod dicti sui principales illis obedient, & obtemperabunt, ac facient, & exequentur in futurum in omnibus & per omnia, prout in eisdem litteris monitorialibus plenius continetur expresse dixit, atque promisit me notario præsente, & stipulante, &c. prout etiam ipsi principales sui iam in partibus publice reuocauerant, cassauerant, & annullauerant, & alia fecerant prout in publicis documentis desuper factis constantibus, de quibus fidem facit, ac ea mihi notario infrascripto consignauit inferenda, quorum tenores inferius describuntur, Et insuper eosdem principales suos & eorum quemlibet in solidum virtute dicti mandati, & potestatis sibi attributæ quodammodo in antea ipsi sui principales, & eorum quilibet quantum in eis vel eo est omnia, & singula contenta in dicto monitorio adimplebunt, & præmissis omnibus parebunt, & Ecclesiasticam libertatem non perturbabunt, sed tanquam Catholici & obedientes filii suæ Sanctitatis mandatis acquiescent, & quod non contrauenient in futurum, directe, vel indirecte, alio quouis quæsito colore, & eorum, & cuiuslibet ipsorum bona quæcunque, specialiter, & expresse obligant, & pro eis, & eorum quolibet de rato, & ratihabitione, ac se acturum, & curaturum quod infra quatuor menses proxime futuros dicti sui principales, omnia, & singula, supra & infrascripta ratificabunt, & approbabunt, & quod omnia & singula in dictis monitorialibus semper & perpetuo obseruabunt, & adimplebunt prout in eisdem litteris continetur, & præcipitur, solenniter, & expresse promisit me notario infrascripto tanquam publicæ, & auctentica personæ pro sancta Romana Ecclesia, & omnibus aliis quorum interest stipulan. & recipien.

Quibus sic gestis præfatus Sanctissimus Dominus noster more pii patris, motus benignitate, & clementia, considerans, & attendens, quod præfati Consiliarii ad cor reuersi sunt, & quod sancta sedes Apostolica post lapsum cum humilitate ab ea veniam petentibus & recurrentibus ad eam non consueuit claudere suæ pietatis gremium, etiam ad vniuersas preces ipsius magnifici Domini Ludouici præfatos Consiliarios superius nominatos, & eorum singulos auctoritate Apostolica, & ex sua solita clementia præmissis visis & intellectis, exceptis dumtaxat his qui per secundum monitorium ad comparendum personaliter sunt astricti, à censuris & pœnis etiam inhabilitatis, factionis testamenti, eorumque posteritatem, generationes, & descendentes ab eis absoluendos duxit, & absoluit, & facto signo

ſanctæ crucis in perſonam præfati magnifici Domini Ludouici eorum procuratoris benedixit, & interdictum Eccleſiaſticum præmiſſorum occaſione forſan appoſitum penitus & omnino relaxauit, eoſque & eorum quemlibet rehabilitauit, & ab eis & quolibet eorum omnem infamiæ maculam, ſiue notam penitus remouit, ac eos & eorum ſingulos, quatenus opus ſit, ad priſtinos honores, gradus, dignitates, beneficia, & officia reſtituendos duxit, & reſtituit cum reincidentia, & ſine aliqua ſuſpenſione, renouatione, & præiudicio dictarum litterarum monitorialium, & proceſſus perinde, ac ſi præſens abſolutio facta non fuiſſet niſi omnes & ſinguli principales prædicti infra ductos quatuor menſes proxime futuros præmiſſa omnia & ſingula ſic (vt præfertur) ratificauerint, & approbauerint.

Ipſi vero Spectabiles & Magnifici Domini parendo mandatis & beneplacitis ipſius Sanctiſſimi Domini Noſtri Papæ quantum in eis eſt & eos tangit, ſeu tangere poterit in futurum, communiter, & diuiſim omnia, & ſingula per dictum Spectabilem Dominum de Soleriis iuxta mandatum ſibi datum, acta, geſta, promiſſa, & procurata, & quæ in exemplo ſuper inſerto continentur omnibus melioribus modo, via, iure, & forma, quibus potuerunt, & debuerunt, approbarunt, laudarunt, emologarunt, & ratificarunt, laudantque, approbant, emologant, & ratificant, Promittentes emologationem, approbationem, & ratificationem huiuſmodi, ac omnia alia, & ſingula ſupradicta, firma, & valida habere, tenere, & obſeruare, ac nunquam in aliquo contrafacere, dicere, vel venire, per ſe, vel aliam interpoſitam perſonam, tacite, vel expreſſe ſub expreſſa hypotheca, & obligatione omnium bonorum ſupranominatorum Spectabilium Dominorum, & cuiuslibet ipſorum mobilium, immobilium, præſentium, & futurorum, ac ſub omni iuris, & facti renunciatione pariter, & cautela, & ita ad ſancta Dei Euangelia per eoſdem ſeriatim, vnus poſt alium tacta iurarunt, de quibus præmiſſis omnibus fieri, & expediri iuſſerunt, & voluerunt, vnum, & plura, publicum & publica, inſtrumentum & inſtrumenta per me Notarium, & Secretarium Regium infraſcriptum. Acta fuerunt hec omnia in Ciuitate Aquen. vbi ſupra, videlicet infra Cameram Regii Concilii dicte Curie ſuprema Parlamenti præſentibus ibidem nobilibus Viris magiſtris Guilhelmo Morini, Ioanne Malhart, & Antonio Malbequi Regiis Secretariis & eiuſdem Curiæ Grafferiis teſtibus ad præmiſſa vocatis, & aſſumptis.

Et me Ioanne Boycelli Cive Aquen. Regio Secretario, & Notario publico, & comitatibus prouincie, & Fortilqueirin, terris que illis adiacentibus regia, & alias vbique terrarum Apoſtolica & Regia auctoritatibus cõſtituto. Qui præmiſſis ratificationi, approbationi, & emologationi, promiſſionique, & obligationi, & aliis ſupradictis vna cum prænominatis teſtibus, præſens fui, ea quod in notam ſumpſi, legi, & publicaui, à qua, ſeu illius originali exten. hoc inſtrumentum publicum, in hanc publicam formam redactum aliena manu mihi fideli virtute gratiæ mihi conceſſe extrahi feci, & inde collatione facta cum eodem extenſo, compertaque conformitate hic me ſubſcribens ſignum meum interpoſui authenticum. In fidem, robur & teſtimonium omnium præmiſſorum.

Anno prædicto, & die vigeſima ſexta menſis ſupradicti februarii in loco ſupradicto, videlicet infra cameram Concilii in præſentia nobilium Stephani de Gennes Commentarien. Palacii, & Ioannis Draconis Ville exeratum, meique Notarii, & Secretarii Regii ſupra & infraſcripti conſtituti, magnifici, & Spectabiles iurium profeſſores Domini Petrus Matthei Dominus de reneſto Broſſiæ, & Ioannes torutatiris Dominus de Canilhaco etiam Regii in dicta Curia Conſiliarii certiorati per lecturam præſentis inſtrumenti, de ratificatione, approbatione, & emologatione geſtorum, & promiſſorum per ſupraſcriptum Magnificum Dominum de Soleriis illam, & omnia in huiuſmodi inſtrumento contenta, gratam, & ratam, rataque, & grata habentes omnibus melioribus, modo, via, & forma, quibus potuerunt, & debuerunt, quantum in eis eſt, & eoſdem coniunctim, & diuiſim tangit, ſeu tangere poteſt, ratificarunt, approbarunt, & emologarunt, ratificantque approbant, & emologant ſub illis, & eiſdem promiſſionibus, obligationibus, renunciationibus, & iuramento ſupraſcriptis, ac ſi præſentes in præmiſſis interfuiſſent, & hanc ratificationem, & approbationem iuſſerunt notari, & deſcribi per me dictum Notarium & Secretarium, hic me propria manu ſubſignantem.

Boycelli.

Vniuerſis & ſingulis has præſentes teſtimoniales litteras inſpecturis, viſuris, & audituris, Nos Guillelmus de Cordoano Iurium Licentiatus ſanctæ Metropolitan. Aquen. Eccleſiæ Canonicus, Vicariusque generalis in ſpiritualibus, & temporalibus totius Archiepiſcopatus Aquen. Notum facimus, & atteſtamur nobilem virum Magiſtrum Ioannem Boycelli Ciuem Aquen. qui præſens, ſiue præcedens inſtrumentum ratificationis ſumpſit, ſubſcripſit, & ſubſignauit, fore & eſſe Regium Secretarium, Notarium publicum Apoſtolica, & regia auctoritatibus, notum, virumque boni nominis, & famæ, ac laudabilis converſationis, ad eumque tanquam ad Notarium publicum, & perſonam publicam communem & publicam haberi recurſum, & pro tali in tota patria Prouincia reputari, ſuis quoque inſtrumentis, & actis publicis, manu, & ſigno ſuis roboratis in iudicio, & extra ſtari, & fidem indubiam adhiberi, Et vt præſcripto inſtrumento fides indubia, per quoſcunque adhiberi valeat, has præſentes teſtimoniales litteras, per honoratum Parcatoris Notarum, & curie Archiepiſcopalis Aquen. ſcribam fieri, ſigillique eiusdem Curie cum manus noſtre ſubſcriptione fecimus, & iuſſimus debita appenſion. communiri. Date Aquis, Die Vigeſima tertia menſis Februarii, Anno à Natiuitate Domini, Milleſimo, Quingenteſimo, Quintodecimo, Tertiæ Indictionis.

G. de Cordoano Vicarius præfatus.

Anno à Natiuitate Domini, Milleſimo, Quingenteſimo, Quintodecimo, Indictione tertia, Die vero octaua menſis Iulii, Pontificatus Sanctiſſimi in Chriſto patris & Domini Noſtri Domini Leonis diuina prouidentia Papæ Decimi, Anno Tertio. Reuerendiſſimus in Chriſto pater & Dominus Dominus Antonius tituli ſanctæ Praxedis præsbyter Cardin. de mandato præfati Sanctiſſimi Domini Noſtri Domini Leonis Papæ Decimi ſibi viuæ vocis oraculo facto mandauit nobis Bernardo Sculteti, & Bernardino de Conteras, Notariis, & ſcribis ſacri Concilii, vt daremus in publica forma Magnifico Domino Ludouico de Soleriis Chriſtianiſſimi Francorum Oratori inſtrumentum auctenticum eiuſdam proteſtationis per eum factæ in Decima Seſſione excuſando prælatos Gallicanæ nationis, quod quidem inſtrumentum eidem magnifico Oratori fuit traditum tenoris infraſcripti.

Vniuerſis & ſingulis præſentis publici inſtrumenti ſeriem inſpecturis, viſuris, lecturis pariter, & audituris. Notum ſit quod anno à Natiuitate Domini Milleſimo, Quingenteſimo, Quintodecimo, Indictione tertia. Die vero Veneris Quarta menſis Maij, Pontificatus Sanctiſſimi in Chriſto patris & Domini Noſtri Domini Leonis diuina prouidentia Papæ Decimi, Anno Tertio Romæ, in Baſilica Lateranenſ. fuit celebrata decima Seſſio ſacroſancti Generalis Concilii Lateranenſ. in qua quidem Seſſione fuit præfatus Sanctiſſimus Dominus Noſter, & poſt multa tractata, & acta in præfata Seſſione circa finem, Reuerendus pater Dominus Petrus Epiſcopus Caſtelli maris aſcendit ambonem, & legit cedulam tenoris ſupraſcripti.

LEO Epiſcopus Seruus Seruorum Dei, &c. prout ſuperius.

Qua perlecta magnificus Dominus Ludouicus de Soleriis Orator Chriſtianiſſimi Regis Franciæ acceſſit ad pedes præfati Sanctiſſimi Domini Noſtri, & dixit excuſando prælatos Eccleſiæ Gallicanæ profitentes pragmaticam ſanctionem quod Prælati Franciæ fuerunt impediti per inimicos Chriſtianiſſimi Regis Francorum non verentes cenſuras contentas in bulla cœnæ domini, & ideo Sanctitas ſua habuit eos alias excuſatos. Cum igitur de præſenti eodem impedimento detenti ſint, & non audent venire quia inter Delphinatum, & Lombardiam eſt periculum. Qua re pro parte eorum ſupplicatur Sanctitati ſuæ quod habeat eos nunc excuſatos, & cum dabitur tutus acceſſus, offerunt venire ad Concilium & allegare de iuribus ſuis, Facta itaque prædicta excuſatione, idem Magnificus Orator dedit quandam cedulam. Præfatus Sanctiſſimus Dominus Noſter reſpondit præfato Oratori quod ex Prouincia prouinciæ erat facilis & tutus tranſitus per Ianuam, & quod prouiderat de Sal uoconductu Ianuen. & eis mandauerat tradi, & ſi opus eſſet prouideret de meliori & tutiori ſaluoconductu, tamen volebat Sanctitas ſua quod cedula ſupradicta ſtaret in ſuo robore.

Tenor

Tenor autem cedulæ datæ per Oratorem de qua ſupra fit mentio, talis eſt.

Sanctiſſimus &c. prout ſuperius.

Super quibus omnibus & ſingulis idē magnificus Dominus Orator petiit à prothonotariis, notariis, & ſcribis Concilii inſtrumentum & inſtrumenta. Acta fuerunt hæc in præfata Baſilica Lateranen. in Decima Seſſione ſacroſancti Lateranē. Concilii generalis, ſub Anno, Indictione, Die, menſe, & Pontificatu, quibus ſupra, præſentibus ibidem Reuerendo patre Domino Thoma Phedra & Bartholomæo Salyceto Secretariis, & Franciſco de Actauantis, & Benedicto Trocleti, & Aurelio Amerino notariis, & ſcribis præfati Concilii teſtibus ad præmiſſa vocatis ſpecialiter, atque rogatis.

Et ego Bernardus Sculteti decretorū Doctor Decanus Vuarmien. publ. Apoſtolica, & Imperiali auctoritatibus notarius, & ſacri Lateran. generalis Concilii ſcriba deputatus, quia præmiſſis omnibus, & ſingulis dum ſic (vt præmittitur) fierent, & agerentur, vna cum prænominatis teſtibus, ac infraſcripto collega, & connotario meo præſens interfui, eaque omnia & ſingula ſic fieri, vidi, & audiui, ac in notam ſumpſi, ideo hoc præſens publicum inſtrumentum manu alterius fideliter ſcriptum, ex inde confeci, ſubſcripſi, publicaui, & in hanc publicam formam redegi, ſignoque, & nomine meis ſolitis & conſuetis ſignaui, & communiui, rogatus, & requiſitus. In fidem & teſtimonium omnium & ſingulorum præmiſſorum.

Et ego Bernardinus de Contreras Clericus Burgenſ. Iuris vtriuſq; doctor publicus apoſtolica auctoritate notarius, ac Sacri Lateranenſ. Concilii ſcriba, quia præmiſſis omnibus, & ſingulis dum ſic (vt præmittitur) fierent, & dicerentur, vna cum prænominatis teſtibus præſens interfui, ac fieri, vidi, & audiui, & in notam ſumpſi, ex qua præſens publicum inſtrumentum manu alterius fideliter ſcriptum ſubſcripſi, & publicaui, ſignoque & nomine meis ſolitis ſignaui. In fidem & teſtimonium omnium & ſingulorum præmiſſorum rogatus & requiſitus.

Congregatio generalis pro diſcuſſione eorum quæ tractanda ſunt in undecima Seſſione.

Anno à Natiuitate Domini Milleſimo Quingenteſimo, Sextodecimo, Indictione quarta, Die vero Decimaquinta menſis Decembris, Pontificatus Sanctiſſimi in Chriſto patris & Domini Noſtri Domini Leonis diuina prouidentia Papæ Decimi, Anno Quarto. Fuit congregatio generalis Prælatorum in palatio Apoſtolico, in ſuperiori capella dicti palatii pro diſcutiendis & examinandis Cedulis in undecima Seſſione legendis, in qua quidem congregatione fuerunt præſentes Reuerendiſſimi Domini.

Cardinales.

Reuerendiſſimi Domini

Dominicus Epiſcopus Portuenſis, Antonius tituli ſanctæ Praxedis, Petrus ſancti Euſebii, Laurentius ſanctorum quatuor, Alexander ſancti Euſtachii.

Archiepiſcopi: Epiſcopi & Oratores.

Reuerendi Patres Domini

Ioan. Renalienſis Epiſcopus Orator Marchionis Brandenburgenſis, Bertrandus Epiſcopus Adrienſis Orator Ducis Ferrariæ, Hieronymus Antibaren. Gabriel Dirachien. Hieremias Tranen. Georgius Nazarenus, Stephanus Gabriel Barenſis, Andreas Cornelius Spoletanenſis, Ioannes Thebanenſis, Marcus Mononaſienſis, Iulianus Saluciarum, Hugolinus Licienſis, Alexius Melſitanenſis, Bernardus Taruiſinenſis, Andreas Militenſis, Paulus Foroſempronienſis, Ioann. Dominicus Terdonenſis, Bonifacius Iporigienſis, Benedictus Chienſis, Petrus Caſtelli Maris, Alexander Hieronymus ſancti Dominici Inſulæ Hiſpaniarum, Scharamuza Cumanenſis, Marius Aquinatenſ. Simon Ariminenſ. Ioannes Antonius Sutanſ. Ioann Baptiſta Caſertan. Crainenſis, Ioannes Marcus Senogallienſis, Paris Piſaurienſ. Scabonius Imolenſ. Bernardus Soran. Petrus Acceranenſ. Angelus Lozanenſ. Balthaſar Ciuitatis Caſtel. Bartholomæus montis Virid. Tranquillus Seretinſ. Thomas Legelienſ. Valentinus Parmen. Vincentius Arbenſ. Zacharias Seſaſtenſ. Petrus Lancilinus, Paulus Nimoſienſ. Ioann. Baptiſta Cauallicenſ. Maximus Iſernienſ. Thomas Saonenſ. Petrus Paulus Eſinenſ. Ioann Baptiſta Auximanenſ. Guerinus Nucerin. Theſeus Maceratenſ. Auguſtinus Nebienſ. Iacobus Marſicanus, Ioann Baptiſta Valuen. Hieronymus Buduenſ. Philippus Primatenſ. Chriſtophorus Polimacenſ. Giſbertus Rapolan. Simon Modruſienſ. Ioannes Algarenſ. Ioann. Baptiſta Vencienſ. Chriſtophorus Ceſenatenſ. Ac vallis Vmbroſæ, & ſancti Dominici, ſancti Franciſci, ſancti Auguſtini, & ſanctæ Mariæ Seruorum Ordinum Generales, quibus omnibus congregatis, & ſedentibus more ſolito Dominus Andreas Piperarius Secretarius Concilii de mandato præfatorum Reuerendiſſ. Card. legit Cedulam continentem concordata per S. D. N. cum Chriſtianiſſimo Francorum Rege, qua perlecta petiit an placerent paternitatibus ſuis contenta in cedula, & omnes reſponderunt ſimpliciter placere, exceptis infraſcriptis qui dederunt vota particularia, & primo Adrienſ. dixit placere, præſertim quia erant concordata cum S. D. N. Antibarenſ. dixit quod placebant: quia credebat quod ,pueniebant à Spiritu ſancto, Trainenſ. vero Archiepiſcopus dixit quod licet in illis concordatis lectis in cedula multa eſſent quæ ſibi diſplicerent quod ſint facta & concordata, tamen poſtquam S. D. N. iam fecerat, & dederat bullam & ſe obligauerat in vim contractus facere approbari per Concilium non deuiabat à voluntate Sanctitatis ſuæ, & ſi placebant ea de cauſa, Iſernienſ. dixit placere, quia placuit Sanctiſsimo Domino Noſtro, Terdonenſ. dixit, quatenus tribuunt iuriſdictionem laicis contra eccleſiaſticos non placere.

Deinde præfatus Dominus Andreas legit cedulam abrogationis pragmaticæ ſanctionis, qua perlecta petiit an placerent paternitatibus ſuis contenta in cedula, & omnibus vnanimiter & ſimpliciter placuerunt.

Poſtmodum vero fuit per eundem Andream lecta cedula ſuper iis quæ debent obſeruare prædicatores prædicantes verbum Dei, qua prælecta petiit an placerent paternitatibus ſuis contenta in cedula, & placuerunt omnibus excepto Reuerendo Domino Mario Epiſcopo Aquinatenſ. ſi placere dixit quod prædicatores prædicent ſecundum quod ſpiritus ei ſpirat.

Demum idem Dominus Andreas legit cedulam concernentem priuilegium religioſorum, qua perlecta petiit an placerent contenta in cedula paternitatibus ſuis, ſed propter diuerſitatem votorum prælatorum exiſtentium in congregatione circa narratiuam & diſpoſitiuam cedulæ viſum fuit præfatis Reuerendiſs. Cardinalibus quod cedula aptaretur, & die ſequenti fieret alia congregatio in eodem loco, & iterum legeretur cedula aptata & deliberaretur ſuper ea.

Die vero decimaquinta ſupradicti menſis Decembris, fuit congregatio in eadem capella, in qua interfuerunt Reuerendiſs. in Chriſto patres & Domini Antonius ſanctæ Praxedis. Petrus ſancti Euſebii, & Laurentius ſanctorum Quatuor coronatorum tituli. S. R. E. presbyteri Card. Prælati vero XLVI. & generales ordinum qui in ſupradicta congregatione interfuerunt, & fuit lecta per ſupradictum. D. Andream Cedula, continens priuilegia religioſorū, qua perlecta petiit an placerent paternitatibus ſuis, & reſponderunt omnes placere, hoc tamen addito quod Reuerend. Dominus Signinus dixit quod videbatur ſibi quod narratiua vbi ponebantur illa verba, quod Epiſcopi fuerunt aſſumpti à Pontifice debebat poni quod fuerunt aſſumpti à Chriſto, & Cumanus dixit quod placebant ei contenta in cedula dummodo excluderetur approbatio priuilegiorum, & eiuſdem opinionis fuerunt Brunatenſ. Cerutienſ. Senogallienſ. Fereatin. Soranus, & Polignanenſ. Cedulæ vero de quibus ſupra fit mentio inferuntur in infraſcripta Vndecima Seſsione.

Eodem anno Pontifex edictum ſeueriſsimum promulgauit, contra inuadentes & occupantes Ciuitates & loca S. R. Eccleſiæ, illorumq; fautores. Ita habet.

LEO Epiſcopus Seruus Seruorum Dei, ad futuram rei memoriam. Inter graues ſollicitudines, *& curas, quibus pro paſtoralis officii & Apoſtolicæ ſeruitutis debito continue premimur, una eſt peculiaris, qua ſemper angimur, vt defenſioni & cuſtodiæ Ciuitatum & Ter-*

rarum & locorum nobis & S. R. E. subiectorum assidue inuigilemus, ac ne peruersorum temerariis ausibus, a quibusuis gentium armorum ductoribus, qui sine iustitiæ ministerio, sed hostili manu, & propria temeritate procedunt, occupentur, & dissipentur, omnibus remediis & iuris auxilio opportune prohibere, quod tanto periculosius negligitur, quãto exinde turbatio & confusio Ciuitatũ & Terrarũ Ecclesiastici status de facili causaretur, & Pontificalis authoritas minueretur. Cum itaq; opem & operam efficaces adhibere debeamus, vt omnes Christi fideles, præsertim in terris & locis nobis & dictæ sedi mediate vel immediate subiecti & existentes, sublatis quibuscunq; armorum strepitibus & impedimentis quiete & pacifice viuere valeant, omnibus iuris remediis (vbi etiam peruersorum audacia exigit, vibrato Apostolicæ potestatis mucrone) per censuras Ecclesiasticas prouidere volentes. Sane cũ mẽte reuoluimus quot & quãtos labores fel. rec. Iulius PP. II. prædecessor noster pro recuperatione Ciuitatũ, Terrarũ, & locorũ ad Romanã Ecclesiam canonico titulo pertinentiũ, quæ à diuersis Ducibus, Principibus, & Potentatibus longo tempore occupata & detenta fuerãt, passus sit, præsertim cum adductus fuerit consilium capere de adeundis personaliter, visitandis & reformandis aliquibus Rom. Ecclesiæ Ciuitatibus & illarũ statu, assumptis etiam aliquibus copiis, vt contumaces compescere posset, iter matura deliberatione cũ S. R. E. Cardinalibus, ipsis eũ comitantibus arripere, illaq; felici, & prospero successu, dextera Domini sibi etiã assistente recuperauerit, & dictæ Rom. Ecclesiæ reintegrauerit. Nos etiã post nostram ad summi Apostolatus apicẽ Diuina fauente clementia, assumptionẽ, Parmã & Placentiã Ciuitates, quibus Apostolica sedes, ea tunc vacãte, spoliata fuerat, summa diligẽtia restitui curauimus, Vt omnia quæ q; per eundem Iulium prædecessorẽ recuperata, pro nostro & dictæ sedis honore, non minori diligẽtia, ac opportunis iuris remediis conseruare intendimus, quẽadmodum Iulius prædecessor, cũ in humanis ageret, recuperare studuerit, animo etiã semper gessimus. Reges & Principes ac Potentatus, quos tempore assumptionis nostræ huiusmodi inter se bello dissidentes audiuimus, non armis sed concordia eorũ differentias & lites, Domino concedente, terminari, & inter fideles quoslibet, controuersias super quacũq; etiã maximas importantes re, via, iuris, & non armis diuidi & terminari, ipsaq; arma Regũ, & Principum ac potentatuũ prædictorũ vnanimi consensu contra immanissimos Christi nominis hostes, ad fidei exaltationem cõuerti, summo studio concupiuimus. Et cũ à quam pluribus prædecessoribus nostris Romanis Pontificib. constitutiones, diuersas censuras & pœnas in se cõtinentes, contra occupantes Ciuitates & Terras, & loca huiusmodi, aut illa hostiliter inuadentes emanauerint, & singulis annis censuræ huiusmodi cõtra talia præsumentes in die Cœnæ Domini innouentur: quapropter ne Terrarũ, aut locorũ, ac Iurium seu bonorum S. R. E. curam negligere videamur, nec non ad tollendũ super præmissis ignorãtiæ, aut cuiuslibet alterius generis excusationem, omnes & singulas Constitutiones & litteras Apostolicas ac processus, qui singulis annis publice promulgantur, in die Cœnæ Domini. ex more Romanorum Pontificum, ac alias quascũq; constitutiones seu canonicas sanctiones quomodolibet editas, excõmunicationis, ac alias fulmẽtias, censuras & pœnas cõtra Ciuitates & Terras, loca & iura ad dictã Romanã Ecclesiã pertinentia occupantes, aut illa hostiliter inuadentes, vel ad id per se, vel alium, seu alios, auxilium, consilium, vel fauorem, directe vel indirecte, aut alias quouis quæsito colore præstare præsumentes, cuiuscũq; ordinis, præeminentiæ & conditionis & status, etiamsi Cardinalatus, aut Patriarchali, Regali, Reginali, aut alia quauis Ecclesiastici, vel mundana præfulgeant dignitate, continentes, approbamus & innouamus illasq; inuiolabiliter obseruari debere decernimus, ac omnes & singulos Reges, Duces, Principes, Marchiones, Comites, Barones, ac Communitatum, Vniuersitatũ tã in Italia quam extra Italiam existentium singulas personas, Ciuitates, Terras, & loca, præsertim Parmã & Placentiã, ad dictam Rom. Ecclesiã mediate vel immediate pertinẽtia, seu in quarũ vel quorum, aut cuiuslibet earum, vel eorũ possessione quomodolibet eadem S. Rom. Ecclesia perse vel alium extiterit, hostiliter inuadentes aut alias cum gẽtibus armorũ, aut stipendiariis equestribus vel pedestribus, aut sine, etiam aduocationem populorũ seu factionum, aut priuatarũ personarum, aut alias qualitercunq; & quouis quæsito colore, aut ingenio, absq; nostra speciali licentia occupantes, nec non stipendiarios equestres aut pedestres, quomodolibet cõtra præsentes literas nostras, & in eis contenta militantes, aut auxilium, consilium vel fauorem præstãtes, ex parte Omnipotentis Dei, Patris & Filii & Spiritus Sancti, auctoritate Beatorũ Petri & Pauli Apostolorum, ac nostra & de potestatis plenitudine excommunicamus, anathematizamus, ac maledictionis, & damnationis æternæ mucrone percutimus, ac omnium Ecclesiasticarum censurarum laqueis ligatos & irretitos esse, vigore præsentium decernimus, ac reos criminis læsæ Maiestatis, & à Sede Apostolica, & à S. Rom. Ecclesia ac omnibus dictæ Rom. Ecclesiæ demotis cum eorum bonis perpetuo diffidatos, insames & inhabiles ad omnes Ecclesiasticas vel mundanas dignitates, omnesque actus legitimos & Ecclesiasticæ sepulturam indignos esse, auctoritate & potestate prædictis etiam decernimus. Et generaliter Ciuitates Terras, oppida, & loca quæcunque, ad quæ aliquem eorundem excommunicatorum declinare contigerit, quam diu ibidem permanserit, etiam triduo post recessum eiusdem Ecclesiastico interdicto subiicimus, necnon excommunicatos, anathematizatos & maledictos, titulis, dignitatibus, & honoribus, in quibus constituti existunt, & tam ipsos quam Communitates, Castra, oppida & loca prædicta, omnibus priuilegiis & indultis, etiam studii generalis concessionibus, & gratiis, dignitatibus, honoribus, quibus vtuntur & gaudent, seu muniti sunt, nec non bonis omnibus quæ in feudum vel in emphiteosim, seu alias à præfata Romana vel aliis Ecclesiis Monasteriis & locis Ecclesiasticis aut alias quomodolibet, etiam ab Imperatore, Regibus seu aliis Principibus, ac secularibus potestatibus obtinent, penitus priuamus, dictaq; bona feudalia vel emphiteotica, vt præfertur, obtenta, ad Dominos suos reuerti debere, ita vt de illis libere disponere possint, decernimus. Et si aliqui excommunicatis, anathematizatis, & maledictis prædictis, clerici, seculares, vel Prælati, etiam in Archiepiscopali, Episcopali, vel alia dignitate etiã Cardinalatus honore & beneficiati fuerint: illos dignitate ac titulo Cardinalatus, nec non Prælatus, administrationibus, regiminiq; ac omnibus & singulis beneficiis, dignitatibus, personatibus, officiis, Canonicatibus, & præbendis, aliisque beneficiis Ecclesiasticis ac ordinibus, etiã Sacerdotalibus, ad quos promoti forent, sine vlla spe restitutionis, & absq; alia citatione, seu declaratione, priuamus & ex nunc priuatos esse per præsentes decernimus. Absolui autem a prædictis censuris, sententiis ac pœnis nullus ex supradictis per aliũ quam per Rom. Pontificem nisi dumtaxat in mortis constitutus posset, nec etiam tunc, nisi quantum fieri posset, satisfactione præuia, & de standO Sanctæ matris Ecclesiæ mandatis, & similia vberius non committendo, legitima cautione præstita, aliter autem absoluere, aut indignos sepultura Ecclesiastica vt præfertur, sepeliri præsumentes, supradictis omnibus & singulis pœnis eo ipso subiacimus. Quodq; de beneficiis prædictis posset & debeat per sedem prædictã dumtaxat seu ab illa specialem facultatem habentes, absq; alia declaratione incursis pœnæ huiusmodi libere illico prouideri, authoritate prædicta, ex certa scientia, ac de Apostolicæ potestatis plenitudine, ac omnibus & singulis Ciuitatum & Terrarum nobis & Rom. Ecclesiæ mediate vel immediate subiectarum personis, sub eisdem pœnis, quas eo ipso si contra fecerint, absq; alia declaratione incurrant, & à quibus, vt præfertur, nonnisi a nobis & successorib. nostris præterquam in mortis articulo constituti, & debita satisfactione præmissa, absolui possint, in virtute Sanctæ obedientiæ, districte præcipiendo mandamus, ne aliquas gentis armigeras, præterquam ad nostra & dictæ Sanctæ Rom. Ecclesiæ stipendia militantes, quouis quæsito colore in Ciuitatibus, Terris, Castris, oppidis, & locis nobis subiectis, sine nostra speciali licentia admittere, retinere, illisq; victualia, aut aliquod subsidium quoquomodo præstare præsumant; eosq; etiamsi Cardinalatus honore vel Archiepiscopali, Episcopali, aut quauis alia Ecclesiastica vel mundana præfulgeant dignitate, si contra fecerint, ipso facto eisdem pœnis subiacere, Ciuitates quoque, Terras, Castra, Oppida, & loca prædicta, ad quæ inobedientes huiusmodi declinare, & in quibus moram trahere contigerit, Ecclesiastico supposita interdicto, tamdiu firmiter obseruando, donec compuncti corde, huiusmodi interdicti relaxationẽ, debita satisfactione præmissa, meruerint obtinere, ac ibidem permanserint, & per triduum post eorum discessum, auctoritate Apostolica, scientia & potestate prædictis decernimus. Nõ obstantib. præmissis ac constitutionib. & ordinib. Apostolicis, nec non quibuscunq; priuilegus & indultis, siue indulgentiis & litteris Apostolicis generalibus vel specialib. à prædicta sede, sub quauis forma vel tenore, quibusuis ex supradictis, etiam Cardinalib. concessis, quod excommunicari vel anathematizari nõ possint, confuetudinibus quoq; obseruatiis, scriptis, cæterisq; cõtrariis quibuscunq; & quia difficile foret, præsentes literas ad singula quæq; loca, in quibus expediens fuerit illas deferri, volum⁹, & dicta auctoritate decernim⁹, q; illarũ trãsuptis, manu alicui⁹ Notarii inde rogati subscriptis, & sigillo alicui⁹ Prælati, seu alterius personæ in Ecclesiastica dignitate cõstitutæ sigillatis, ea prorsus fides indubia in iudicio & extra ac alias vbilibet adhibeatur, q̃ præsentibus adhiberetur, si essent exhibitæ vel ostẽsæ. Insuper vt præmissa omnia & singula ad omnium ad quos spectat notitia & cognitionem deueniat, omniũq; in præsentibus literis cõtentorũ certa & indubitata notitia habeatur, nullusq; præmissorum ignorantiam iuste prætendere possit, nec se legitime excusare valeat, volumus & decernimus, præsentes literas nostras per aliquos Curiæ nostræ Cursores, vel Notarios publicos in Basilica Principis Apostolorum & Ecclesiasia Lateranensi, hora diuinorum, publice alta & intelligibili voce legi & publicari

publicari, & dictarum Ecclesiarum portis, siue valuis, ac in acie Campi Floræ, & Cancellariæ Apostolicæ affigi & ibidẽ per aliquod temporis spatium demitti debere. Quæsic publicatæ & affixæ, tunc à die publicationis prædictæ immediate ligent, & effectum sortiantur, & eos quos concernunt ita arctent, perinde acsi personaliter eisdem in hac parte intimatæ essent. Nulli ergo omnino hominũ liceat hanc paginã nostræ approbationis, innouationis, excommunicationis, anathematizationis, percussionis, subiectionis, priuationis, mandati, decreti, & voluntatis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autẽ hoc attẽtare præsumpserit, indignationẽ omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri & Pauli Apostolorum eius se nouerit incursurum. Dat. Romæ apud S. Petrum anno incarnationis Dominicæ, millesimo, quingentesimo, decimo quinto octauo Cal. Iunii Pontificat. nostri anno tertio.

XXIV. *Sigismundus Poloniæ Rex Tartaros fugat.*

Hoc anno Sigismundus Poloniæ Rex, insignem victoriam de Tartaris Tauricanis apud Treboulam oppidum reportauit, ac reliquas eorum copias ad Medzibolium in fugam compulit: vnde Mendlikeres eorum Cæsar, necessitate coactus Oratores ad eum misit, postulans fœdus & amicitiam instaurari. *Bernardus Vapouius in fragmento.* Magnum id momentum videbatur ad futuram expeditionem contra Turcas; contra quos in Oriente quiddam præclarum moliebatur Albuquercium, Regis Emanuelis in Indiis Præfectũ inuidia & mors oppressere. Is vt expeditius contra eos aliquid moueret, hoc tempore Armuzii Regem fœdere sibi coniunxerat: Ismaelemque Sophum Persarum Regem ad societatem belli Turcis inferendi pene concitarat. Siquidem Ismael admiratione captus rerum, quas à Lusitanis perexigua manu gestas, consentiens fama toto fere terrarum orbe vulgauerat, Legatum iungendi fœderis ac societatis, ad Albuquercium destinauit. Hunc Albuquercius summo honore excepit; audiuit, & redeunti ad Ismaelem, vicissim legatum Fernandum Lemium cum mandatis & muneribus adiunxit. Inter hæc fuere, aliquot variæ magnitudinis æneæ tormenta, cum Lusitanis ballistis, æraque Cyprio & Stanno, ac postea magistri quoque eius fabricæ cum peritis libratoribus missi, vt quoniam ab Turca nouæ illius terrore procellæ nuper acie victus fuisset, ea quoque virium parte communi hosti esset par. Facinora duo apprime gloriosa vasto dudum agitabat animo. Alterum, vt Nili fluenta, nouo & spatii longe breuioris alueo, Abbassinis adiuuantibus; in Arabicum sinum auerteret ac totam Ægyptum Turcis redderet prorsus infructuosam. Alterum, vt ab Armuzia vectos hippaginibus equites velocissimos ad trecentos, in intimum repente littus eiusdem Arabici sinus exponeret: qui, antequam è vicinis regionibus concursus fieri posset, Mecam, non amplius septemdecim leucarum interuallo aduolarent; & ex inclyto apud eas gentes fano abominanda Mahometis ossa raptim auecherent: Scilicet in perpetuam teterrimi impostoris & hæresiarchæ ignominiam Christiano ritu publice concremanda. Talia meditanti, iniquorum obtrectatio primum, dein mors interuenit; vt seni matura, sic rei Christianæ atque omnibus bonis acerba. Hoc siquidem anno Rex Emanuel multorum inuidorum calumniis aures præbuit. Hæc enim pestis quæ plerumque apud Reges magnas bonorum strages edit; Emanuelem etiam in eam fraudem impulit, vt Albuquercium suspectum haberet. Iam Albuquercius omnem ferme oram Indici maris, quæ Indo fluuio & Cori promontorio definitur sub Emanuelis imperium subiunxerat: Malacam etiam adiecerat: regnum Armuzii armis vel ceperat, vel domuerat, & prudentia stabilierat; atque Emanuelis nomen toto fere meridie atque Oriente latissime propagarat. Nec enim nationes illæ credebant fieri posse, quin Rex, qui Ducem tam insigni virtute præditum haberet, esset diuinis etiam virtutibus ornatissimus: & quo status erat amplior, eò maiorem de amplitudine illius opinionem recepere. Et quidem Rex ipse optime erat in Albuquercium animatus: sed inuidi perpetuo aures illius obtundebant, hominemque aliquando dementiæ & temeritatis, aliquando vero ambitionis non ferendæ, atque adeo proditionis instimulabant. Postremo Regi persuaserunt, Albuquercium ad tyrannnidem aspirare, velleque Indiam vniuersam sibi subdere. Esse namque cognatis & clientibus innixum, Principibus Indiis propter virtutis opinionem charissimum, opes illius esse ampliores quam status hominis legibus astricti ferret. Animos enim in mediocribus opibus enutritos, imperium pati posse: in summis vero insolentius, quam ius & fas postulat, efferri. Quid si, inquiebant, vt est vir singulari astutia & calliditate subnixus, Zabajnum Idalcamum ad suas rationes adiunxerit? Quid si cum Narsingæ Rege societatem inierit? Quid si reliquos Indiæ Reges ad se aggregauerit? non erit ei facilimum à fide deficere? Hoc saltem assequetur, vt Emanuelis Regis nomen contemnatur, & Albuquercii imperium omnes libenter accipiant. Hi sermones cum essent valde frequentes & importuni, maximaque vi & industria iacerentur, Albuquercius meritis & innocentia fretus, quamuis optime sciret, nomen suum multorum inuidia lacerari, numquam quomodo calumniam putaret, excogitandum censuit. Improborum namque fermones factis egregiis facilime retundi putabat. Se verò ea gessisse, & his operibus animi sui fidem confirmasse confebat, vt in India positus, non magno negotio insidiæ flammam, quæ in Lusitania inuidorum ingeniis excitabatur, virtutis exploratæ & cognitæ fama restingueret. Verum cum accusatores sine vllo defensore, qui eorum perditis conatibus occurreret, accusationem instituerent, eò rem deduxerunt, non quidem vt Rex illum non satis magna laude dignum arbitraretur, sed vt saltem ab India reuocandum statueret. Itaque Lupum Suarium Aluarengam illi substituit, & cum eo Matthæum, Dauidis Æthiopiæ Regis legatum dimisit, & alium ad eundem Regem legauit, vt pax & amicitia arctiore vinculo firmaretur. Ismaelis Legatus, & Cides Alles Albuquercio, Lupum Aluarengam successorem illi datum significarant: & si is parere nollet, Regum suorum opes offerebant, quibus facillime tantam à se iniuriam propulsaret. Albuquercius animum gratum habuit, officium aspernatus est. Et tamen non mediocri animi perturbatione commotus (intelligebat enim, eam successionem inuidorum opera constitutam fuisse) se continere non potuit, quin sublatis in cœlum manibus exclamaret: *Proh, Christe Sancte,* inquit: *quonam pacto possum iis molestiis quæ me circumuallant expedire? Si Regi satisfacio, in hominum odium incurro: si hominibus consulo, in Regis offensionem incido. Ad aras, aruminose senex, ad aras, inquam, confugiendum.* Hæc autem verba sæpe repetebat, vt appareret, eum grauibus curis fuisse exulceratum. Deinde sibi laborum omniũ finem instare præ-nunciauit: tandem vbi ad se rediit: Certe, inquit, mecũ statuo; Regem felicissimum diuinitus de multis rebus admoneri, & hanc successionem nonnisi motu & instinctu numinis ab illo constitutam fuisse. Morior enim: & si hoc tempore successorem illius consilio delectũ non haberem, potuisset Indiæ status periclitari. Hæc ille cũ dixisset, animo conquieuit: quo vero magis progrediebatur Goam; eo morbus in quem inciderat erat infestior. Litteras interim perbreues ad Regem Emanuelẽ in hanc sententiã dedit: Has postremas litteras cum frequenti singultu, & reliquis certissimæ mortis signis scribo. Filium vnicum habeo: quem peto pro meis in tuam maiestatem & amplitudinem præstantibus meritis, tua magnificentia & benignitate complectare. Quæ tua causa gesserim, opera ipsa testificabuntur. His litteris vacillante manu cum magna difficultate conscriptis, omnem rerum humanarũ memoriã prorsus abiecit, & totam mentem ad res diuinas animo recolendas, & veniam flagitiorum à diuina clementia postulandã conuertit. Cum vero multa mente recolet, tum vero locũ Ioannis, quo Christi cruciatus exponit, sibi crebro legi faciebat, crebrisq; gemitibus, & aliis eiusmodi signis, se ea lectione mirum in modũ recreari demonstrabat. Cum orã Goæ legeret, famulũ celoce celeriter inuehi præcepit, qui ex vrbe Sacerdotem, quo plurimum fuerat in rebus diuinis vsus, euocaret. Is vbi venit, ante cũ per confessionẽ animi sordes deposuit, & sacro ad supremã luctã oleo inunctus, totã cum eo noctẽ in rebus quæ ad sempiternã vitã pertinebant, attentissima cogitatione pertractãdis consumpsit: ac Christũ, cuius Cruci affixi in sinu fouebat effigiem suauiter alloquens, inter charorũ manus & lachrymas ante lucẽ ex ergastulo corporis emigrauit, prorsus inuicti ad laborẽ ac patientiã æque corporis animiq; vir: & cum quolibet suæ ætatis Ducũ vel naualis rei scientia, vel expediti cõsilii magnitudine cõparandus. Vbi fuit in vrbẽ de illius morte nuncius allatus, non solum Lusitani se lamẽtis dediderunt, sed Sacraceni etiam, & gentes reliquæ à nostris saeris alienæ, plangore & eiulatu vrbem compleuerũt. Tanta

Ismael Sophus Persarũ Rex ad Albuquercium munera mittit.

Albuquertus diffamatus.

Albuquercii mors.

Albuquercii laus.

namq; erat humanitate præditus, vt vtrum magis multi illius virtutē metuerēt, an bonitatem amarent, esset explicatu difficillimū. Inprimis autē ius æquabile colebat, & fidē violatam acerrime puniebat, neminiq; iniuriā fieri patiebatur. Erat insigni pudicitia. Vxorē numquā duxit: filium vnicum ex ancilla suscepit. Fuit in laboribus tolerandis acerrimus, ita, vt homines nimio interdum labore fatigaret: quos tamē magis exemplo, quā propositis minis ad labores excipiendos excitabat. Calūniatoribus erat infensus, adeo, vt nemo auderet alicuius nomē apud illum falsō deferre. Consilio plurimū valebat: incredibili celeritate, quæ statuerat, exequebatur. Erat veritatis amantissimus: vanitatem & mendaciū odio acerbo persequebatur. Iniurias sibi illatas animo maximo ferebat. Iracundia interdū efferebatur, ita tamen, vt in medio iracundiæ ardore, dictum iaceret (erat enim acutissimus) quo omnes qui vultū illius extimescebāt, à nimia conturbatione ad hilaritatem & risum sæpe traduceret. Non erat alienus à litteris: & cū otiū erat, lectione sacrarū præcipue litterarū oblectabatur. Vtrum magis belli, an pacis artibus excelleret, incertū est. Sic enim bellum administrauit, vt merito summus Imperator haberetur. Sic Rempub. multis in locis constituit, vt summus etiam Reipub. moderator existimari iure posset. Itaq; omnes, qui tunc Goæ se tenebant, in illius morte se patre amantissimo orbatos esse querebantur. Elatus est è naui quam amplissimo funere, & comploratione tanta, vt Sacerdotum Christiano ritu plangentium voces nequaquā exaudirentur. Conditus est in ædicula B. Mariæ Virginis, quam Goa capta ipse construxerat, ac deinde Alphonsus filius suis impensis auxit, ornauitq;. Eius morte nunciata, luctus per oram Indicam peruasit, multosq; Reges & Principes mærore afflixit. Inprimis Xuranda Armuzii Rex animi dolorē multis lachrymis & veste lugubri demōstrauit. Rex Emanuel illius mortem acerbe tulit, filiumq; eius ad se continuo venire iussit. Appellabatur ille Blasius Albuquercius. Rex ne tanti viri nomen ex animis elaberetur, ei patris nomen indidit, & pro Blasio Alphonsum vocari præcepit: eum vero, vt parentis merita postulabant, multis muneribus affecit, & splendidis etiam nuptiis ornauit.

XXV.

Emanuel inter hæc non tantum Indis, sed etiā Mauris in Africa, quo Turcicas vires distraheret bellū mouebat. Lupus Barriga, Alfonsus Norogna, & Ioannes Coutignus, castra hostiū apud Marrochiū assecuti, Maurorum ad 40. turmas profligarunt, plurimisq; corū cæsis reliquos in vrbem compulerunt: Amagor castellū cum centū pagis diripuerunt, idemq; Algaballo effecerunt: mox etiam vrbem ipsam Marochiensem quāquam infelici euentu oppugnare attentarunt. Aliubi lam tamē pagum insignem inuaserunt, ac montem in quo ille situs peruagati, vicos exusserunt, alios pagos euerterunt, templa disturbarunt, ædes perantiquas & ædificia diruerunt totiq; monti vastitatem & inflammationem intulerunt, quo etiā anno Emanuel, vt Mauros hostes nominis Christiani sempiternos acriore bello vexaret, classem ducentarum nauium instruendam curauit, & exercitum octo milliū hominū, præter fabros & nautas illi imposuit: data eius præfectura Antonio Norognæ viro clarissimo. Contra hanc Rex Mequinezius cum tribus millibus equitum, & triginta millibus peditū: Rex autem Fessensis cum multo maiore numero processit. Ducebat autem supra centum millia hominum. Certatum leuibus tantum præliis: Sed cū hostes & loco & multitudine superarēt, superiores semper è prælio discedebāt. Lusitani tandē cedere coacti, desideratis quatuor millibus suorū: cuius cladis & dedecoris nūcius Emanueli magnū dolorē inussit. Ad eum modū lætis tristia succedūt ac permiscētur. *Osor. l. 10. Mass. l. 5.*

Lusitani à Mauris cæduntur.

XXVI. *Ludouicus Requesenius naues pyraticas Turcarum vicit.*

Ferdinandus quoq; Catholicus Rex, quamquam affecta valetudine, contra Turcas & Mauros aliquid tentauit. Eius authoritate missus Ludouicus Requesenius nouem triremium Dux ad Cossyram insulam, vulgo Pantalleram, tredecim pyraticas Turcorum triremes, Siciliæ spoliis & præda onustas nactus commissa pugna vicit per æstatem. Aliquanto post Bugiam vrbem obsedit Omichus Turca cognomento Barbarossa, cum sua peculiari classe 40 delatus. Multi præterea Mauri è vicino tractu Turcæ conatus subleuatum accurrerunt. In arcto res positas Raymundus Carrocius vrbi Præfectus supremo conatu defendit. Michael Gurrea in Balearibus Prorex obsessis auxilio opportune superuenit. Ducebatur tamen obsidio in aliquot menses continuata. Obsessi annonæ inopia laborare cæperant: cogitantes dededitione facienda, nauis recreauit à Sardiniæ Prorege missa, cum commeatu & bellico instrumento. qua ope tamdiu sustentatum est, donec Turca abiecta spe vrbem occupandi, soluta obsidione discessit. Contra hos Christianitatis hostes vt expeditior esset Ferdinandus, curante Pontifice, fœdus & amicitiam stabilem cum Henrico Rege Anglo percussit, sanxitque. Cui rei, cum aliquantam operam attulisset Thomas Volsæus, ex Episcopo Lincolniensi Archiepiscopus Eboracensis, intercedente Henrico Rege, hoc anno à summo Pontifice purpura donatus est. Ex infimo is loco ad primum dignitatis gradum in Anglia ascendit, vt ex rerum fastigio grauiori casu præcipitaret. Gratia Principis cui fuit intimus, & praua obsequia pro virtutibus fuere. Superbia atque ambitio exitium ipsi, & vniuersæ Angliæ attulere. *Mariana de rebus Hispan. lib. 30.* Quam execrandæ vero fuerit superbiæ atque arrogantiæ Volsæus, narrabat Polydorus Virgilius. Non multo ait, post Christophorus Cardinalis Eboracensis Romæ moritur (diem clauserat pridie Idus Iulii, anno superiore) exin fit Archiepiscopus Eboracensis Volsæus Lincolniensis Episcopus; Idem perbreui Cardinalis VII. Idus Septembr. huius anni M. D. XV. simul & Cancellarius regni Anglicani, quo Magistratu Guilhelmus Varamus Cantuariensis Archiepiscopus sponte sua abiuerat. Hanc fortunæ abundantiam habere, in summa laude ponendum est, si ad viros illa graues, modestos & temperatos affluat & illabatur, qui se non efferunt in potestate, non fiunt insolentes in pecuniis, non se in bonis præferunt aliis. Horum omnium nihil extitit in Volsæo, qui tot vno ferme tempore adeptis dignitatibus, tantum superbiæ animo concepit, vt sese cum Regibus exæquatum existimans, cæperit mox vti sella aurea, vti puluino aureo, vti velo aureo ad mensam gestari ante se facere in sublimi galerum Cardinalium Ordinis insigne in sublimi, inque sacello Regio super altare illud collocare tantisper dum res fieret diuina. Ita Volsæus sua insolentia & ambitione sibi totius populi inuidiam comparauit, ac quæsiuit, infelius iuxta nobilibus ac plebi, quod illi vanam eius gloriam multum stomacharentur, & ipse vniuersis valde odiosus, quia munia ferme cuncta sustinere posse se autumabat. Sed illud profecto operæ pretium erat, hominem videre imperitum iuris sedere pro tribunali, iusque dicere: qui tamen à principio à iurisconsultis qui ei more vetusto assidebant, adiutus, cæpis nonnullas causas non damnatas, neque rite actas tractare, componere, alias de quarum iure dubium non esset, prohibere vocari in iudicium, modum controuersiarum facere, litigatores falsas causas ad iudices deferentes acerbe punire, simulque iudicum negligentiam seuere increpare, qui eas recepissent, ac lites demum non æquæ æstimassent. Atque Volsæi administratio talem ab initio iustitiæ vmbram in vulgus habuit: verum quia vmbra erat, cito euanuit: ipso Volsæo omnia suo arbitrio agente, quod iam eo pluris Regi esset nemo. Ex quo nempe factum est, vt aliquot principes viri consiliarii, cum vidissent tantam potestatem peruenisse ad vnum, alii alio ex Curia abiuerint, & cumprimis Cantuariensis & Vintoniensis, qui in suas diæceses perrexerunt: Sed antea vt optimi Reipublicæ patres Regem summopere rogarunt, vt ne pateretur quemquam seruum maiorem esse Domino suo: mutuati hanc sententiam à Christo, qui apud Ioannem discipulis suis inquit: Amen, amen dico vobis, non est seruus maior Domino suo. Ad ea Henricus, non vtique ignorabat in Volsæum esse dicta, respondit, se illud primum omnium curare sedulo, vti seruus quisque pareat, non imperet. Verba erant, non facta. Nam Regem ipsum iuuenem blandis suasionibus, quocumque voluit impulit: vt quod de seruis astutis dicit quidam, *Callidus seruus Domino imperat*, de hoc Volsæo qui Regem subditus pessime rexit, dictum existimari potuerit. qui tanto fastu & opinione sui inflatus fuit, vt cum maximis regni de causis ad summum Pontificem, aut exteros Reges scriberet ita plerumque litteras exordiebatur: *Ego & Rex meus.* Eam insolentiam ferre non sustinens Thomas Dux Northfolciæ in suā patriam se recepit: & postremo Carolus Suthfolchiæ Dux alios etiam secutus est. quippe is in legationem Gallicanam,

Volsæus Archiepiscopus creatur.

in nuptias, in nouam familiā magnos sumptus fecerat, pecuniā mutuatus à Rege, qua se donatū iri sperabat: Sed id factū noluit Volsæus, vt Carolus ære alieno oppressus dicto magis audiens foret. Quoniā quemadmodū ingentes opes extollunt mortaliū animos, ita cosdē tenues facultates demittunt. Ex aduerso Guilhelmus Waramus Archiepiscopus Cantuariensis, quasi quā iam ex Cancellarius, Henrico Regi iuueni, numquam nisi honesta, iusta, & sancta suggessit, populiq; vtilitati quoad potuit studuit: seq; his qui populum rapinis exhaurire, & rem suam cum publico damno augere, pro nihilo habuerūt, constanter opposuit. Quæ illius moderatio & pietas, magnam illi apud Volsæum inprimis, iam Eboracensem Archiepiscopum Cardinalem, Legatumq; Pontificiū, maximaq; cæteris Henrici Regis gratia florentem, inuidiam conflauit. Scripserat ad eum Waramus, paulo postquam ei legatio mandata erat, litteras, quibus veteri more in calce subiecit, Guilhelmus frater Cantuariensis. Mirum, quomodo ob id Volsæus stomachatus est. At enim, inquit, propediem efficiam, vt intelligat se mihi non esse parem, tantum abest, vt sit frater. Quæ cum nuncius perturbatiore animo Archiepiscopo renunciasset: Antu, inquit, ignoras, hunc hominem, ob authoritatis suæ magnitudinem, præ gaudio vix apud se esse? Qua ille perdite abusus, in pecuniarum illam aucupium, omnia venum exponens, miserumq; populum variis machinamentis emungens & expilans, sordide conuertit: multaque fecit, quæ ab Ecclesiastici & domestici iuris rationibus & præscripto abhorrebat. Pontificis quidem Maximi authoritatem & iurisdictionem, initio initæ legationis tueri & amplificare videbatur: Sed adeo præfracte, impotenter, & summa cum inuidia id faciebat, vt Clerum quidem libidinose & luxuriose viuere, nec minus quam Ecclesiasticam disciplinam curare permiserit: populum vero pessimis vitæ exemplis, & graui tam supercilio, quam oneribus à vera & solida Sedis Apostolicæ reuerentia, nec non ab antiqui moris obseruantia auerterit: vnicus fons, & causa, paulo post perfligatæ ex Anglia, fidei & sanctitatis auitæ. Eam ab Ecclesia Catholica Anglorum futuram secessionem Waramus, siue naturali quadam prudentia, & ex temporum ratione, Regisque Henrici atque populi propensione: siue alia quacumque ratione coniectabat & prædicebat Angliæ imminere, solebatque suis, negotii suo præsertim Guilhelmo Waramo admodum tum adolescenti, aurato postea Equiti aperte prædicare. Imo huic nepoti dicere solebat, futurum non ita multis postea annis, vt Thomas quidā in Metropolitana illa Canthuariensi sede locaretur, qui per laxā & remissam vitæ licentioris indulgentiam populo conceſſam, perque praua dogmata, magis Cantuariensem, omnemque reliquam Angliæ Ecclesiam deformaret, quam eam olim Thomas Martyr suo martyrio amplificasset: admonuitque nepotem, vt si quis forte Thomas, eo viuo ea sede potiretur, ne vlla ratione in illius familitium se adscribi pateretur. Siquidem Archiepiscopus, ab ea auaritia Volsæiana & libidine Cleri, dolebat in Anglia Wiclefi dogmata pestifera reuiuiscere: ad quæ tamen reprimenda nihil curæ diligentiæque prætermisit. Cumque cæteri omnes propter summam Volsæi authoritatem, nihil mutire contra eum auderent, solus Cantuariensis moribus & conatibus eius intercessit, & de illis tam Pontificem quam Regem certiorem fecit. Sub id tempus Londini orta fuerat rixa, quæ quidem autori exitio fuit. Ciuis quidam nomine Ricardus Hun vestium artifex amisit infantem filium. Parochus Sacerdos ab eo petebat, quemadmodum moris erat, linteolum sibi dari, quo infans inuolutus fuerat cum est baptizatus. Ricardus contra negabat aliquid ei deberi, cum infans nihil ipsius domi proprium habuisset. Ita rixando ambo ad litem intendendam ardebant, & à lite ad maleficium rapiebantur, cum Sacerdos accusatur à Ricardo, quod contrā legem quandam in Anglia terribilem, de præmuniri, commisisset: & à Sacerdote Ricardus hæreseos insimulatur, qui ob id impietatis crimen coniicitur in carcerem, à Ricardo Fiziames Londinensi Episcopo, vbi parum mansit, quia non longe post à custode carceris miser reperitur lapideo suspensus. Hoc vbi factum exiuit in vulgus, peruasitque vrbem, mirum dictu quas ille voces miserit, quas lamentationes fecerit, clamitans impios atq; crudeles ministros Episcopi strangulasse virum innocentem, vnicum pauperum patrem. Is etenim solebat multum subuenire egentibus. Res ea Regi haud minimi momenti visa est, qui protinus iussit Guilhelmum Horsæum Vicarium ipsius Episcopi cum custode, & apparitore Curiæ Episcopalis in vincula abripi, quæstionemque de morte hominis constitui: qua habita, corpus mortui crematum: ac Guilhelmus ad extremum cum sociis captiuis custodia liberatus, missus factus est. scilicet iam tum hæresis Wiccleſi in Anglia pullulabat, à pessimo Cleri exemplo ex quo plurimi in luxum effusi. Varamus boni Pastoris officio functus, & licentiam Ecclesiasticorum frænabat, & praua dogmata voce & scriptis confutabat, & auaritiæ potissimum Volsæi resistebat. Inter alia, cum pecuniam Rex mutuo, sub syngrapha à populo accepisset, & Volsæus omnia tentaret, quo pecunia illi non redderetur: non passus est Waramus hanc indignitatem, tantamquam labem Regio nomine aspergi. Quare & palam ea in re Volsæo obstitit, & Regē ipsum adiit, quæsiuitq; ab eo: num æs alienum quod conflarat exoluere cogitaret: Maxime, inquit. Nam & ob id syngraphas confeci, quibus se creditores mei ad repetitionem mutui munirent. Subiecit tum Varamus: non deesse, qui hunc toti spectarent, vt cum summa Regii nominis macula, solutionem impedirent: quorum ego, inquit, me conatibus, tum ad Regiam tuam existimationem, tum ad populi communem vtilitatem conseruandam memet opposui. Quamquam, quod ad me pertinet, vltro eam tuæ maiestati pecuniam condono: moxque syngraphā reddidit, Regem valde obtestatus, vt eam acciperet. *Harpsfeldius hist. Anglic. seculo XV. Polydorus hist. Angl. lib. 23. auctor antiquit. Ecclesiæ Britann. in Varamo.*

XXVII.

Narrauimus superius exemplum inconstantis fortunæ clarorum virorum apud Principes, in Alfonso Albuquercio editum: æquale huic est in Hispaniis editum in Ferdinando Magno Consaluo, de quo non semel primum. Hunc à supremo culmine deiectum, in Belgas nauigaturum vulgatum est hoc anno, adiectis, Egabri & Vreniæ Comitibus, & Prieghi Marchione. Grandem pecuniam comparatam, vt cum res exegissent, nec facultas fugam, nec inopia moraretur. Ea opinio cum late manasset, Mangiaressius missus est à Rege Catholico cum mandatis discessum prohibendi, & si foret opus in Consaluum iniiciendi manus. Tantum Hispaniæ dedecus auertēre numina de cœlo. Mense Octobri Consaluus febre quartana laborare cœpit Loxæ, vbi morabatur. Simitata valetudine ludere suspicio erat: neque minor proinde cura custodiaque. Sciuit hoc Consaluus: cui ex mærore animi valetudo recrudescebat maiori indies sæuitia, inani medentium cura. Inde mortis angustiis exæstuans lecticariorum humeris Loxa Granatam abiit, si cœli mutatione melius haberet. Nihil ea diligentia est profectum. Altero Decembris die in ea vrbe decessit, vir plane admirabilis animi magnitudine, & perpetuo victoriarum cursu clarior omnibus Dux, quos à multis annis Hispania terra tulit, alioqui magnorum virorum ferax. Extrema ætate magnis procellis iactatus, numquam indignum quidquam est locutus: & quamquam rebus aduersis integra semper virtutis & constantiæ fama: quippe solitus non minus in secundis tristia, quam in asperis secunda cogitare. Aulicorum ex inuidia minor meritis Principis gratia, gloriam non minuit, sed auxit: effecit certe, ne postremis annis offenderet. Multos longæua ætas vertenti fortunæ tribuit: magnique sæpe viri quietis impatientia, & rerū varietate superiorē gloriā obscurarunt: cum sit arduum mare frequenter fulcantem, numquā fluctibus tempestateq; sæuiente iactari. Tempus vitam abstulit: virtutum memoria vigebit quamdiu mundus stabit. *Mariana lib. 30. c. 26, 27.*

XXVIII. *Barbara, Poloni cōiux moritur.*

Eodem anno, die 2. Octobris, Cracouiæ, Barbara Regina Poloniæ, Sigismundi Regis vxor, non seruatis puerperii legibus, subita ægritudine præcipitata, morte extincta est. Hæc ab omnibus Ordinibus tanto maiore luctū atq; mærore deplorata est, quāto maiore fortuna Polonia ea regnāte à Deo Opt. Max. prædita fuit. Eius virtutes atq; laudes tot fuere, vt mortali exutā corpore ad diuorum mox assumptā consortia omnes credidissent. Constabat, nullam vmquā in tam alto loco egisse fœminā, quæ in Sancta & religionem tam pia, in subditos tam clemēs, in egenos tam misericors, in omnes deniq; ordines & hominum status tam benigna & placida semper fuerit. neminē vmquā lædere, ab iniuria omnes tueri, Regni

ritibus ac moribus se conformare, noxiis sæpe principem placatum reddere, & quod vel maxime contra hominum, qui in alto agunt, mores est, superbire numquam: sed summa in humilitate plusquam Reginam oportet viuere, totam, deniq; vitam per omnes fortunæ casus innocenter, sancteq; peregit, vt ex hominum consortio sublatæ, Cœlitum merito beatæ debeantur sedes. Ea re effectum est, vt sicuti vita sanctior, omnibusque charior & gratior: ita illius immatura lugubrisque mors, omnibus fuerit acerbior ac tristior. *Iodocus Decius in Commentar.*

Eo ipso anno, tres Virgines Sacræ, ex Instituto S. Dominici cœlos ornarunt. Vincentia Ferraria Valentina Hispana vna fuit, austeritate vitæ insignis, & contemplationi adeo dedita, vt sæpius in extasim raperetur, & dolores spineæ Christi coronę persenserit. Semel in terram prostratam, sed capite flexo in latus, vultuq; vernante quasi rubore purpuræ perfusam aliqua Monialium reperit. Interrogauit, ecquid mali acciderit: & nũ medico opus haberet: cui illa respondit, se à Christo petiisse, vt dolorum spineæ coronæ particeps fieret: & vnius tantũ solius puncturam persensisse, à quo id illi quod accidit. Par huic Maria à S. Dominico, Monasterii Sanctimonialium apud Petram fixam in Hispaniis conditrix: in quo illa trecentis virginibus, tot virtutibus præluxit, vt aliquot annis meruerit stigmata Domini Iesu in suo corpore portare, Aequalis istis Soror Charitas Gambara, nobili genere Brixię in Italia nata. Vix quinquennis, vidit supra altare Christum in forma Cruci affixi sibi apparentem, qui diceret: *Præbe mihi cor tuum.* Indeadomnem Sanctitatem excitata, orationibus, vigiliis, iciuniis, cilicio, frequentatione Eucharistiæ, dignam se reddidit, quæ in Cœnobio S. Catherinæ inter Sanctimoniales accenseretur. In eo statu, humilitate, patientia, deuotione, vitæ communis obseruantia, sacrorum communione, silentio, vitæ austeritate, diuinorum officiorum non intermissione, atq; aliis virtutibus excelluit: tam iucunda in rebus diuinis, vt semper iubilaret, tam benigna atq; affabilis, vt commune refugium tribulatorum censeretur. Angelorum aspectu sæpissime fruebatur. Christus quoque vna vice, penes Sacerdotem Sanctimonialibus Eucharistiam porrigentem, eas benedicens illis apparuit: altera die in forma paruuli, eam lignorum fascem attollente, adiuuans præsto fuit: alias oranti pro salute cuiusdam qui xx. annis confiteri contempserat, ab imagine Crucifixi respondit: *Exaudita est oratio tua.* Patriarcharum chorum in dormitorio communi canentium sæpius audiuit, Circumdata ab Angelis in Odæo, cum eis Deo laudes cecinit. In eodem Odęo splendore multo circumfusa visa est, cuius capiti stella radians immineret.

Feria VI. Parasceues aspexit Iesum in altari omnia passionis mysteria sibi repræsentantem: die vero Ascensionis eundem Angelis & Innocentibus comitatum in cœlũ ascendentem. Mortem sibi instantem longe ante prædixit: spiritu prophetico prædita, quamplurimia, & in his vastationem Brixiæ quæ anno 1612. accidit prænunciauit. Iesu nomen perpetuo in ore habuit. Moribunda, Iesum spinis coronatum, qui ad biduanam febrium tolerantiam hortabatur videre meruit. Mortuam viderunt plurima luce collucentem, ab Angelis cantantibus in cœlum ferri, & inter Seraphinos collocari. Secuta sunt ab eius inuocatione miracula, gloriaque ad quam in cœlis translata, multis reuelata. *Pius lib. 3. de Sanctimonial. Illustrib. Ord. Præd.*

XXIX. *B. Virg. Lauretanæ miracula.*

Eodem anno permira res, & magis propter infinitam Dei vim, quam propter facti nouitatem credibilis, Lauretanã Aedem longe insigniorem fecit toto orbe terrarum. Sacerdos erat Dalmata vir antiqua simplicitate, idemq; Lauretanæ Virgini vnice deditus. Hic forte captus à Turcis, cum ad deferendam religionem omni artificio pelliceretur, nefarias voces nõ dicam animo, sed auribus admittere nullo modo sustinebat. Itaq; importunos illos hortatores auersatus, vt eis ægre faceret, vltro Christum, ac Mariam identidem inuocabat. Stomachantibus illis, fcisicitantibusq; cur tandem illa nomina vsurparet, quia hærent mihi (inquit) in præcordiis. Ibi Turcæ minitari, se præcordia ipsa extracturos, nisi extemplo Christum Mariamq; execretur. *Erratis* (inquit ille) *præcordia mihi auferre potestis, Christum & Mariam non potestis.* Tum vero illi furentes ira Sacerdotem ferro pariter inuadunt. Hic Dalmata Lauretanam inclamans Virginem vouet, *si vita suppetat, primo quoq; tempore se ad eam iturum.* Ea vox iratos magis accendit. Igitur hominem circumstituat, & discisse apertoque pectore intestina à summo recisa extrahunt: eaque semineci iam iamque vt rebantur, casuro tradunt, simul per ludibrium increpantes. *Abi iam propera, & præcordia in quibus hærere ais Mariam Lauretanam, ad eam perfer, vti vouisti.* Excedit fidem, non tamen diuinam vim, quod deinde memoratur. Moribundus Sacerdos, Deo mortem morante, viresque suggerente, porro ire pergit: multorumque dierum itinere celeriter emenso, Lauretum peruenit sua exta præferens manu. Quacunque incedit, concursus ad eum fieri, seu visendi studio seu rei cognoscendæ. Et ille Lauretani præcipue templi ministris apertum, vacuumque pectus & prætenta manu viscera ostentans, totam rem breuiter enarrat, cunctis stupore atque admiratione attonitis. Ad vltimum gratiis Virgini enixe actis & solennibus Confessionis, Eucharistiæque præsidiis communitus in Deiparæ conspectu, complexuque (vt credere par est) efflauit animam. Exta ipsa è regione Sacros. Cess. suspensa diu aduenis spectaculo fuerunt. Quibus tabe absumptis, exta è ligno assimilata, atque ibidem affixa multos annos monumentum ei fuere miraculo. Cæterum quia rusticani homines Lauretanum Templum ingressi, animis tali spectaculo occupatis, Deiparam segniore colebant cura, tandem ea tolli placuit. Itaque Paulo III. Pont. per oceasionem firmandi pilas, quibus tholus incumbit, sigillum vnde illa pendebant, deiectum est, ad conseruandam tanti miraculi memoriam, Sacerdos præcordia prætendens in tabella depictus, addita breui totius rei narratione, & in publico propositus, qui hodieque visitur. Miraculum quidem ipsum adeo testatum est, vt nefas sit de eo dubitare. Multi adhuc viuunt, qui testantur exta è ligno expressa ab se visa, plurcsque accolarum auditos, cum dicerent, exta ipsa adhuc recentia ab se conspecta esse Dalmatæ Sacerdotis. *Tursellin. Laur. Histor. cap. 18. lib. 2.*

ANNO CHRISTI M. D. XVI.

LEONIS PAPAE X. ANNO 3. & 4.

MAXIMILIANI ROM. REGIS ANNO 31.

STabiliendis transactis cum Ludouico Rege, aliisque rebus ex communi Patrum consilio decretis euulgandis, nec non Concilio Lateranens. continuando, præcipuam operam dedit hoc anno Pontifex. Hæc sunt acta Sessionis XI.

In nomine Domini Amen. Anno à Natiuitate Domini Millesimo, Quingentesimo, Sextodecimo, Indictione Quarta, Die vero Decima Nona mensis Decembris, Pontificatus Sanctissimi in Christo patris & Domini Nostri, Domini Leonis diuina prouidentia Papæ Decimi, Anno quarto, fuit celebrata Vndecima Sessio in Basilica Lateranens. de Vrbe in loco consueto, præsente præfato Sanctissimo Domino Nostro, & fuerunt præsentes infra scripti Reuerendissimi Domini Cardinales, Patriarchæ, Archiepiscopi, & Episcopi: & Abbates, & Magistri generales ordinum, Oratores Principum, & quamplures alii Illust. Domini videlicet.

(:o:)

Episcopi

Episcopi Cardinales.

Reuerendissimi Domini

Raphael Ostiens. Bernar. Sabinens. Dominicus Portuens.

Presbyteri Cardinales.

Reuerendissimi Domini

Franciscus tituli sanctorum Ioannis & Pauli, Surrentinensis, Nicolaus tituli sanctæ Priscæ de Fisco, Hadrianus tituli sancti Grisogoni, Leonardus tituli sanctæ Susannæ Agennens. Antonius sanctæ Praxedis, Bandinellus tituli sanctæ Sabinens. de Saulis, Laurentius tituli sanctorum quatuor Coronatorum.

Diaconi Cardinales.

Reuerendissimi Domini

Alexander sancti Eustachii Farnesius, Ludouicus sanctæ Mariæ in Cosmedim, de Aragonia, Marcus sanctæ Mariæ in via lata de Corneliis, Iulius sanctæ Mariæ de Nauicula, Bernardus sanctæ Mariæ in Porticu, Inno. sanctorum Cosme, & Damiani.

Patriarchæ & Assistentes Papæ & Oratores.

Reuerendi PP. DD.

Cæsar Alexandrin. Io. Vincentius Senen. Gabriel Dirachien. Robertus Regin. Ioan. Bapt. Caullicen. Bernardus Teruisin. Scaramuza Cuman. Dominicus Lucerin. Andreas Militen. Ioannes Reualien. Episcopus Orator Marchionis Brandeburgen. Electoris Imperii, Reuerend. pater Dominus Bertrandus Episcopus Adrien. Orator Illust. Ducis Ferrarien.

Archiepiscopi & Episcopi.

Reuerendi PP. DD.

Aldroandinus Nicosien. Hieremias Crainen. Georgius Nazaren. Clemens Collocen. Stephanus Gab. Baren. Andreas Spalaten. Alexander Viennen. Marcus Mononasien. Ioan. Theban. Alexius Melsitan. Angelus Lanconen. Bonifacius Iporien. Benedictus Chien. Bernardus Soran. Baltasar ciuitatis cast. Blasius Thelesin. Christophorus Cesena. Christophorus Cesena. Christophorus Polinan. Franciscus Dignien. Guerinus Nucerin. Gisbertus Rapolan. Valerius Bellunens. Io. Dominicus Terdon. Iac. Anto. Sutrin. Io. Baptista Casertan. Ioan. Baptista Auximan. Io. Alegarien. Gabriel Caluien. Ianotius Troianens. Hieronymus Aleulan. Maximus Isernien. Marius Aquinaten. Marcus Senogalien. Matthæus sancti Leonis, Thomas Saonens. Petrus Cerutens. Paulus Forosempronens. Petrus Castelli maris, Paulus Nimosien. Petrus Paulus Esinens. Philippus Brimaten. Petrus Accernens. Racomanus Venefran. Tranquillus Ferentin. Theseus Maceraten. Augustinus Perusin. Altobellus Polen. Augustinus Nobiens. Simon Ariminen. Iacobus Polentin. Io. Sibinicen. Paris Pisaurien. Iulianus Saluciarum.

Abbates & Generales Ordinum.

Reuerendus pater Dominus Ioannes sancti Sebastiani extra muros Vrbis Abbas. Generales Vallis Vmbrosæ, sancti Francisci, sancti Dominici & sanctæ Mariæ Seruorum.

Oratores & Illust. Domini temporales.

Illust. Dominus Laurentius de Medicis nepos præfati. S. D. N. secundum carnem Dux Vrbinatens. Illust. Albertus de Carpi Orator Inuictissimi Imperatoris. Magnificus Hieronymus Vich Orator Catholici Regis Hispaniarum, Magnificus Michael de Sylua, Orator Illustr. Regis Portugalliæ.

Et quamplures alii Nobiles, & Milites Ierosolymitan.

Celebrata missa per Reuerend. Dominum Gabrielem Archiepiscopum Dirachien. & cantato per Reuerendissim. in Christo patrem & Dominum, Dominum Marcum sanctæ Mariæ in via lata Diaconum Cardinalem Euangelio secundum Matthæum Incipiente, Sedente Iesu super montem Oliueti &c. ac cantato hymno per Sanctissimum D. N. Incipien. Veni Creator spiritus, ac peractis Orationibus consuetis tres Oratores Patriarchæ Maronitarum Montis Libani præstiterunt obedientiam nomine dicti Patriarchæ Sanctissimo. D. N. & præsentauerunt quoddam mandatum in lingua Caldæa, seu Arabica & præstita obedientia vnus dictorum Oratorum ascendit ambonem, & legit dictum mandatum in lingua propria. Deinde Reuerendus Dominus Andreas Secretarius Concilii ascendit ambonem & legit dictum mandatum à Francisco de Potentia Minorita Archiepiscopo (qui ante biennium ad Maronitas in fide instruendos missus à Sede Apostolica fuerat) interpretatum in lingua Latina. Cuius tenor sequitur & est talis.

Mandatum Patriarchæ Maronitarum.

Gratias Deo reuerenter agimus sub mundissimis pedibus patris nostri Sanctissimi Christi Vicarii & Domini Nostri Papæ Leonis Decimi qui vices beati Petri veritatis petræ gerit in terris, sedetque super apostolicam sedem ipsius Sanctissimæ benedictionis super nos Amen. Cogimur in diuinas laudes erumpere, Deoque à quo omne bonum meritorum actiones indefinenter agere, qui perissimæ S. V. menti illabi dignatus est, eamque per inspirationem pulsare, vt nos per sanctum nuncium suum fratrem Ioannem Franciscum de petentia visitaret, id enim fratre Francisco Reatino interprete, & viam salutis nobis ostendit, & sancta documenta reliquit, nam quomodo sanctum conficiatur chrisma ex puro videlicet oleo, & Balsamo, nihilque præter hæc immiscendum, quo etiam tempore aquis salutaribus infantes ablui debeant, & sacro baptismatis fonte renasci, non sitque quadragesimus postulandus dies sicuti antea erroris tenebris inuoluti præfulari consueuimus, sed in octauo, vel etiam ante cum necessitas expostulauerit, qua vero ratione iuxta patrum, & Sanctæ Romanæ Ecclesiæ institutamatrimonia contrahantur, quæ eadem impediant, ac Sacri quonam pacto conferantur ordines, quibus itẽm verbis in consecratione Dominici corporis, ac sanguinis vti debeamus, & quod Spiritus sanctus à patre procedat, & filio sicuti ab vnico principio, & vnica spiratione, & quod Christianus qui in hac vita sufficientem de suis delictis pœnitentiam non egit, ea finctus ad quendam (diuina permittente iustitia) ducatur locum, qui purgatorium dicitur, vt ibidem (quousque dignius sit cœlum ascendere) maneat, & quod semel saltem in anno nostra propria sacerdoti confiteamur peccata, Sanctissimumque Eucharistiæ sacramentum in paschate suscipiamus Domini Nostri Iesu Christi, & sanctorum Apostolorum Petri & Pauli Natali hoc constituerimus adimplere, & vt semper, & in omnibus apostolicæ sedis, ac S. V. eiusque successorum submittamur mandatis, præsentibus Archiepiscopis, Episcopis, nec non doctoribus nostris cleri & populi maioribus, & alia nos docuit eloquio, & dulciter instruxit, hæc enim pater Sancte, & nonnulla alia ab eo instituta nostrarum salutem concernentia animarum, & in Arabico conscripta sermone nobis relicta, quibus euitantur peccata, moresque reformantur, in melius promptam obedientiam acceptamus, & confitemur, adimplereque speramus, Vt propterea apprime in Domino exultet animus, & animi nostri immodicam spiritalem conceperunt letitiam, Deoque optimo Maximo, ac S. V. gratias egimus fratres hoc sanctos ad nos dirigenti, qui salutis iter nobis ostenderunt, & animas nostras Domino recreauerunt. Nos vero cum præfato fratre Io. Francisco quosdam ex nostris ad S.V. destinamus ea ducti opinione, vt patrum instituta, ac S. R. E. dogmata addiscant, & cum edocti fuerint ad nos, docturi alios postmodum redeant. Interea non paruo afficimur tædio quoniam ad deosculandum, adorandumque sanctissimos S. V. pedes accedere prohibemur, & quæ menti germus fixis in terram poplitibus proprio ore exprimere ipsi nequimus, vt autem affectui nostro, ac voto, vt cumque satisfaciamus eũ præfato S.V. nuncio fratre Io. Francisco Oratorem nostrum Acuri Ioseph cum Helia, ac Helia monacho ad S. V. destinandum decreuimus, vt nostro ac totius cleri, Maronitarumq; populi nomine terram fronte

tangens

tangens, flexisque genibus Sanctissimos pedes. S. V. & adoret, & deosculetur, ac Sanctæ Apostolicæ sedi coram fratribus vestris. S. R. E. Cardinalibus. S. V. obedientiam præstet, & fidelitatem iuret, & quod veraciter sanctæ sedis Apostolicæ, et. S.V. servi fideles sumus, demisso capite firmiter profiteatur, amen, amen. Quædam vero alia supradicto fratri nostro Ioan. Francisco referauimus quem vt. S. V. enarret sub Dei attestatione astranximus, erit enim veluti noster amabilis frater Benedicti Monasterii sanctæ Mariæ de Camibin in monte Libano sancto, ac totius cleri, Maronitarum populi ad pedes. S. V. sollicitus procurator, omnia quidem nostra, & quo modo sub infidelium deseranda seruitute, tanquam omni auxilio orbati infelicissimam vitam ducimus propriis oculis ipse conspexit, hoc est responsum puritatis nostræ Sanctissimo, & purissimo patri nostro. Cuius sanctas benedictiones misericors Deus ad nos transmittat, amen, amen, amen. Scripta sunt hæc anno Dominicæ Incarnationis. M. D. XV. mensis Februarii. Die XIV.

A tergo.

Præsentabuntur cum Dei gratia in manus Sanctissimi. D. N. Leonis qui super sanctam sedem Petri apostoli residet pro parte pauperis discipuli sui Petri Patriarchæ Maronitarum ex Monasterio Camibin in monte Libano servi seruorum Dei.

Quo perlecto dicti Oratores accesserunt ad Sanctissimum. D. N. & deosculati sunt eius beatissimos pedes præstantes eidem. S. D. N. nomine quo supra debitam obedientiam, & reuerentiam, qua præstita D. Marius de Peruschis procurator Concilii petiit instrumentum & instrumenta dictæ obedientiæ.

Deinde Reuerendus pater Dominus Ioannes Episcopus Reatinensis, Orator Marchionis Brandeburgensi. Electoris Imperii ascendit ambonem & legit cedulam disponentem circa modum prædicandi, cuius tenor talis est.

LEO *Episcopus Seruus Seruorum Dei ad perpetuam rei memoriam sacro approbante Concilio. Supernæ Maiestatu præsidio, per cuius messabilem prouidentiam, cœlestia simul, & terrena diriguntur super gregem Dominicum nobis commissum speculatoris officium (quantum imbecillitati nostræ conceditur) exercentes, totaque mente nobiscum ipsi reuoluentes inter alia complura & magna ad nos etiam pertinere, vt munus prædicationis quod in ecclesia Dei præcipuum, ac pernecessarium, magnique fructus, atque vtilitatis dumodo recte, & ex sincera charitate erga Deum, & proximum, præceptisque & exemplis sanctorum patrum qui hæc profitentes cum fidei fundatione, & propagatione plurimum Ecclesiæ contulerunt exerceatur. Quippe quod Redemptor noster primus fecit, & docuit, & eius præcepto, & imitatione duodenus ille Apostolorum numerus, quasi totidem cœli Dei veri gloriam enarrantes per orbem terrarum vniuersum genus humanum quod sub peccati iugo vetusta seruitute continebatur, sensum ab eorum tenebris educentes, & ad perpetuæ salutis lucem excitantes verbum ipsum in omnem terram, & in fine orbis terræ, tamen ipsi prius tum deinde sui successores, longe, lateque propagauerunt, aliisque fundarunt, vt qui nunc tantum subeunt onus meminisse debeant crebrerimeque secum reuoluere præter auctoris ipsius, ac fundatoris Iesu Christi pientissimi redemptoris Petri etiam & Pauli cæterorumque apostolorum & Domini discipulorum se vices quo ad hoc officium subire ac substinere. Sane fide dignorum relatione percepimus quod nonnulli prædicatores nostris temporibus (quod dolenter referimus) non attendentes se eorum quos diximus, & insuper sanctorum ecclesiæ doctorum, aliorumque sacram Theologiam profitentium, qui assistendo iugiter Christianis, ac se falsis prophetis rectam fidem subvertere annitentibus, opponentes Ecclesiam militantem. Illesam prius per se talem eam esse manifestarunt officium exercere, & non nisi vtilia concurrenti eorum sermonibus populo ad vitiorum extirpationem, virtutum laudem, animarum denique salutem fidelium meditanda, & perficienda debere assumere, multa tamen & varia contra institutiones, & exempla quæ diximus, quamque etiam scandalosa populis prædicare, quod mentem certe nostram mirum in modum commouit, dum nobiscum ipsi mente volvimus quod illi officii immemores sui in suis sermonibus non ad vtilitatem audientium, sed ad ficam potius ostentationem laborantes, vanis quorundam auribus blandiuntur, qui ad hoc iam deuenisse apparent, vt verificetur dictum apostoli ad Timotheum, ita scribentis, erit enim tempus cum sanam doctrinam non sustinebunt, sed ad sua desideria coaceruabunt sibi magistros prurientes auribus, & a veritate quidem auditum auertent, ad fabulas autem conuertentur, quorum falsas, & inanes mentes prædicantes ipsi præfati, non modo in rectam, veramque viam reducere minime student, sed illas maioribus etiam erroribus implicant dum sine vlla canonum attestatione vel reuerentia, immo contra ipsas canonicas sanctiones, sacræ scripturæ sensum multifariam peruertentes, temereque ac perperam plærumque interpretantes contra veritatem prædicare, terroresque ac minas, multaque mala prope diem assutura, iamque ingruentia, nulla prorsus legitima ratione muniti, sed suo dumtaxat sensui obsequentes commimantur, representant, adesseque asseuerant, plærumque etiam vana quædam, & inania, & alia huiusmodi populis ingerere, & quod enormius est ab æternitatis lumine, & sancti spiritus admonitione, aut instinctione illaso habere asserere audent. Cumque ii sub confictorum miraculorum mendaciis, varios errores, fraudesque disseminant, denique populos quos in euangelica doctrina sedulo instruere, & in vera fide retinere & conseruare deberent, sermones suos à sensu & præceptis vniuersalis ecclesiæ retrahentes, à sacrisque constitutionibus quas maxime sequi deberent, deuiantes, auditores suos amouent, ac longe faciunt à salute, per hæc namque & alia huiusmodi simpliciores homines, vt ad deceptionem proclniores à via salutis & obedientia Romanæ Ecclesiæ deviantes in errores varios perfacile inducuntur. Propterea Gregorius huius muneris peritissimus & feruore charitatis incensus prædicatores vehementer hortatur, & monet vt dicturi ad populum prudentes, cautique accedant, ne dicendi impetu rapti verborum erroribus quasi iaculis audientium corda confingant, & cum sapientes forte asse videri desiderant, decepti speratæ virtutis compagem insipienter discindant, sæpe namque verborum effectus amittitur, tum loquacitate importuna, vel incauta, audientium corda leugantur, & sane in nullo alio rudem ii plebem maiori damno, scandaloque afficiunt, quam cum vel tacenda prædicant, vel falsa & inutilia docendo ea in errorem inducunt, quæ quoniam huic sacræ religioni diuinitus institutæ, vt noua & aliena omnino contraria esse noscuntur, graui, certe, accuratoque sint examine digna, ne scandalum populo Christiano, & sucrum auctorum, ac aliorum animabus interitum pariant.*

Nos igitur sanctæ Dei ecclesiæ cui disponente Domino præsidemus, quæ quidem vna est, & vnum Deum prædicat, colit, ac vnam fidem firmiter & sincere confitetur, iuxta illud prophetæ vaticinium qui habitare facit vnius moris in domo vniformitatem, quantum cum Deo possumus posthabitam reducere, & retentam conseruare. Quique populo verbum Dei prædicant tales esse cupientes, vt eorum prædicatione Dei ecclesia nullum scandalum patiatur, & si qui corrigibiles sunt ab his quæ proximis, nostrisque temporibus præsumpserunt, cum nonnullos eorum præter illa quæ diximus in prædicationibus non viam amplius Domini in virtute docentes, non Euangelium, vt deberent explanantes, sed conficta miracula & noua ac falsa varicinia, aliaque leuia, & ab anilibus fabulis parum distantia, magnumque scandalum parientia, nulla deuotionis & auctoritatis, eiusque improbantis, ac repellentis hæc habitaratione vastis clamoribus imprimere, ac suadere, vbique conantes, & ne Pontificali quidem dignitate fulgentibus, & aliis ecclesiæ prælatis parcentes, quibus potius honorem ac reuerentiam exhibere deberet, sed in eorum personas ac statum audaciter ac temere imebi consueusse, & alia huiusmodi commisisse constat in futurum abstineant, vt tam periculosum, contagiosumque malum, ac mortifera pestis radicitus euellatur, & à re factum ita penitus deleatur, vt nec memoria eius remaneat sacro approbante Concilio statuimus, & ordinamus vt nullus, tam clericus secularis, quam cuiuscumque etiam mendicantium ordinis regularis, aut quiuis alius ad quem facultas prædicandi, tam de iure, quam de consuetudine vel priuilegio aut alias pertinet, ad huiusmodi officium exercendum admittatur, nisi prius per superiorem suum respectiue diligenter examinatus in qua re conscientiam ipsius superioris oneramus, ac morum honestate, ætate, doctrina, probitate, prudentia, & vitæ exemplaritate ad illud aptus, & idoneus reperiatur, & hic quocumque postea prædicaturus accesserit, de huiusmodi examine & idoneitate sua per litteras auctenticas, seu alias sui examinatoris, approbatorisque Episcopi & aliis locorum ordinariis fidem legitime faciat, Mandantes omnibus qui hoc onus substinent, quique in futurum sustinebunt, vt euangelicam veritatem & sanctam scripturam iuxta declarationem, interpretationem, & ampliationem dictorum quos ecclesia, vel vsus diuturnus approbauit, legendosque hactenus recepit, & in posterum recipiet, prædicent, & explanent, nec quicquam eius proprio sensui contrarium, aut dissonum adiciant, sed illis semper insistant quæ ab

ipsius

ipsius sacræ scripturæ verbis, rite, ac sane & præfatorum doctorum interpretationibus intellectis non discordant, tempus quoque præfixum futurorum malorum, vel Antichristi aduentum, aut certum diem iudicii prædicare vel asserere nequaquam præsumant, cum veritas dicat non esse nostrum nosse tempora vel momenta quæ pater posuit in sua potestate, ipsosque qui hactenus similia asserere ausi sunt mentitos ac eorum causa, reliquorum etiam recte prædicantium auctoritati non modicum detractum fuisse constet, inhibentes omnibus & singulis clericis secularibus vel regularibus præfatis, ceteris que cuiuscumque status, & ordinis existant, qui hoc onus assument ne de cætero in sermonibus suis publicis, alia quæque futura ex litteris sacris constanter prædicere, nec illa à spiritu sancto vel diuina reuelatione se habuisse affirmare, & alienas inanesque diuinationes asseuerandas, aut alio quocumque modo tractanda assumant, sed ex diuina vocis præcepto euangelium omni creaturæ cum vitiorum detestatione, & virtutum commendatione enucleent & declarent, & parent ac dilectionem mutuam à redemptore nostro tantopere commendatam, vbique fouentes non scindant vestem inconsutilem Christi, sed ad Episcoporum & prælatorum, ac aliorum superiorum eorumque status scandalosa detractione quos coram vulgo & laicis non modo incaute, sed etiam intemperanter reprehendunt, & mordent, & ab eis male gestorum expressis quandoque nominibus aperta & manifesta redargutione abstineant, denique constitutionem sel. rec. Clementis Papæ V. quæ incipit, Religiosi quam tenore præsentium innouamus & approbamus inuiolabiliter ab eis obseruari debere decernimus vt hac ratione ad veritatem populi prædicantes, & cum Domino lucrifacientes Talentum quod ab illo acceperant superlucrari, & eiusdem gratiam & gloriam consequi mereantur.

Ceterum si quibusdam eorum Dominus, futura quædam in Dei ecclesia inspiratione quapiam reuelauerit, vt per Amos prophetam ipse promittit, & Paulus Apostolus prædicatorum princeps, Spiritum inquit nolite extinguere, propheias nolite spernere, hos aliorum fabulosorum & mendacium gregi connumerari vel aliter impediri minime volumus. Extinguitur namque ipsius gratia Spiritus Ambrosio teste, si incipientibus loqui feruor contradictione sopitur, & tunc spiritu sancto iniuria certe fieri dicitur.

Et quoniam res magni momenti est eo quod non de facile credendum sit omni spiritui, sed sit probandum spiritus teste Apostolo an ex Deo proueniat, volumus vt lege ordinaria tales asserta inspirationes, antequam publicentur, aut populo prædicentur ex nunc apostolicæ sedis examini reseruatæ intelligantur, quod si fine moræ periculo id fieri non valeret, aut vrgens necessitas aliud suaderet, tunc eodem ordine seruato ordinario loci notificetur, vt ille adhibitis secum tribus aut quatuor doctis & gravibus viris & huiusmodi negotio cum eis diligenter examinato, quando id expedire videbunt, super quo eorum conscientias oneramus, licentiam concedere possint, Si qui autem contra præmissorum aliquod committere quicquam ausi fuerint vltra pœnas contra tales à iure statutas excommunicationis etiam sententiam à qua non nisi à Romano Pontifice præterquam in mortis articulo constituti absolui possint, eos incurrere volumus.

Et vt eorum exemplo alii attentare similia minime audeant eis prædicationis etiam officium interdictum esse perpetuo decernimus. Non obstantibus constitutionibus, ordinationibus, ac priuilegiis & indultis, & litteris apostolicis ordinibus & personis præfatis, etiam in mari magno comprehensis, ac etiam à nobis forsan approbatis, innouatis, vel etiam de nouo concessis, quæ quo ad hoc nolumus eis in aliquo suffragari.

Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostri statuti, ordinationis, mandati, inhibitionis, innouationis, approbationis, decreti, & voluntatis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit indignationem omnipotentis Deiac beatorum Petri & Pauli apostolorum eius se nouerit incursurum. Data Romæ in publica Sessione in Lateranensi sacro sancta Basilica solenniter celebrata, Anno Incarnationis Dominicæ, Millesimo, Quingentesimo, Sexto decimo. Quarto decimo Kalend. Ianuarii Pontificatus Nostri Anno Quarto.

Qua perlecta petiit an placerent paternitatibus suis contenta in cedula, & omnibus vnanimiter placuerunt.

Postmodum vero Reuerendus pater Dominus Episcopus Isernien. ascendit ambonem & legit cedulam in qua continentur concordata cum Christianissimo Rege Francorum. Cuius tenor sequitur & est talis.

LEO *Episcopus seruus seruorum Dei ad perpetuam rei memoriam Sacro approbante Concilio. Diuina disponente clementia per quam Reges regnant, & Principes imperant in eminenti Apostolatus specula, & super gentes & regna meritis licet imparibus constituti animo reuoluentes quod & si ea quæ pro salubri & quieto regimine regnorum & ad pacem & iustitiam populorum perpetua eorundem regnorum stabilitate regibus præsertim de fide Catholica, & de republica Christiana, & Apostolica sede benemeritis, laudabili, & prouida nostra ordinatione cum venerabilibus fratribus nostris S. R. E. Cardin. concessa, ac ad effectum huiusmodi gesta, statuta, ordinata, decreta, factaue sunt, plenam roboris obtineant firmitatem. Illis nihilominus interdum Sacro approbante Concilio nostræ innouationis, & approbationis robur adiicimus, vt eo firmius illibata perdurent quo sapius erunt nostra auctoritate, ac etiam generalis Concilii præsidio communita, efficacemque operam circa eorundem conseruationem libenter adhibemus, vt Reges, & ipsorum Regnorum personæ concessionibus, priuilegiis, statutis, & ordinationibus huiusmodi in Domino plene gaudentes in pacis & tranquillitatis ac amœnitatis dulcedine conquiescant, & in eorum solita erga eandem sedem deuotione feruentius perseuerent. Nuper siquidem vt ecclesia sponsa nostra in sancta vnione conseruaretur, & per Christi fideles sacris Canonibus à Roman. Pontif. & sacris generalibus Conciliis dumtaxat editis vteretur, quasdam constitutiones quas de cætero loco pragmaticæ Sanctionis, & contentorum in ea in regno Francie pro bono pacis & concordiæ, ac illius communi & publica vtilitate cum charissimo in Christo filio nostro Francisco Francorum Rege Christianissimo dum Bononiæ cum nostra curia essemus tractavas, & cum eisdem fratribus nostris diligenter examinatas, & de eorum Consilio cum præfato Rege concordatas, & per ipsius Regis legitimum procuratorem acceptatas de eorundem fratrum consilio & vnanimi consensu statuimus, & ordinauimus, prout in nostris literis desuper confectis plenius continetur, quarum tenor sequitur & est talis.*

LEO *Episcopus Seruus Seruorum Dei ad perpetuam rei memoriam.*

Primitiua illa Ecclesia in angulari petra à Saluatore nostro Iesu Christo fundata apostolorum præconiis elata, Martyrumque sanguine consecrata, & aucta, vbi primum iuuante Domino per orbem terrarum lacertos mouere cepit prouide attendens quantum oneris humeris impositum haberet, quot oues pascere, quot custodire, ad quot etiam remotissima loca oculos intendere oporteret, diuino quodam consilio parrochias instituit, diœceses distinxit, Episcopos creauit, & Metropolitan. præfecit, vt tanquam membra capiti obsequentia cuncta secundum eius voluntatem salubriter in Domino, & tanquam riuuli à perenni fonte Rom.m. videlicet ecclesia derivantes, ne angulum quidem Dominici agri irrigarum dimitteret, vnde sicut alii Romani Pont. prædecessores nostri suo tempore omni studio curarunt, vt dicta ecclesia vniretur, & in sancta vnione sine ruga & macula conseruaretur, & omnes vepres ab eadem ecclesia aboleruntur cui proprium est, diuina opitulante gratia virtutes colere, & vitia radicitus extirpare, ita & nos tempore nostro & præsenti durante Concilio ea facere & curare debemus quæ vnioni & conseruationi eiusdem ecclesiæ conducere videntur, ea propter omnes spinas, quæ vnioni huiusmodi obsistunt, & segetem Domini pullulare non sinunt, tollere prorsus & extirpare, ac virtutes in vineæ Domini inserere satagimus.

Sane inter arcana nostræ mentis reuoluentes quot tractatus inter pia me. Pium II. Sixtum IV. Innocentium VIII. Alexandrum VI. & Iulium II. Roman. Pont. prædecessores nostros, & cla. me. Reges Franciæ Christianissim. super abrogatione certæ constitutionis in dicto regno Franciæ vigentis, quæ pragmatica vocatur, habiti fuerunt, & licet Pius II. præfatus nunciis ad cla. me. Ludouicum Vndecimum Franciæ Regem Christianissim. destinatis tantis eidem persuaserit rationibus, vt Rex ipse pragmaticam Sanctionem huiusmodi, tanquam in seditione & schismatis tempore natam suis patentibus litteris abrogauerit, tamen huiusmodi abrogatio, nec etiam litteræ apostolicæ præfati Sixti super concordata cum Oratoribus præfati Regis Ludouici ad præfatum Sixtum prædecessorem destinatis habita expeditæ per prælatos, & personas ecclesiasticas dicti Regni receptæ fuerunt, nec ipse prælati & persona Ecclesiasticæ illis parere, nec monitis Innocentii, & Iulii prædictorum aures præbere, sed eidem pragmaticæ constitutioni inhærere voluerunt. Vnde præfatus Iulius prædecessor in præsenti Concilio Lateranens. vniuersalem ecclesiam representante per eum legitime indicto abrogationis pragmaticæ

sanctio-

sanctionis huiusmodi negotium, & illius discussionem venerabilium fratrum suorum Cardin. de quorum numero tunc eramus, & aliorum prælatorum congregationibus, relationemque discussorum sibi & eidem Concilio faciendam commisit, Gallicosque prælatos, capitula Ecclesiarum, & Monasteriorum conuentus, ac Parlamenta & laicos illis fauentes cuiuscunque dignitatis etiam si regalis existerent, sanctione prædicta vtentes, seu illam approbantes, omnesque & singulos alios sua communiter vel diuisim interesse putantes per edictum publicũ, cum ad partes illas tutus non pateret accessus, in certis Ecclesiis tunc expressis affigendũ, moneri, & citari infra certũ competentem terminum, præfigendum ad comparendum coram eo in Concilio præfato, causasque dicendum quare sanctio præfata in concernentibus auctoritatem, dignitatem, & vnitatem Ecclesiæ Romanæ & Apostolicæ sedis, Sacrorumque canonum & Ecclesiasticæ libertatis violationem nulla & inualida declarari, decerni, & abrogari non deberet. Et cum super his in forma iuris in præfato Concilio Lateranen. procederetur, dictusque Iulius prædecessor (sicut Domino placuit) rebus fuisset humanis exemptus. Nosque diuina fauente clementia ad summi Apostolatus apicem assumpti fuissemus & contra Prælatos, Capitula, Conuentus & personas huiusmodi ad nonnullos actus processissemus, tandem considerantes pacem esse vinculum charitatis, & spiritualem virtutem qua saluamur, dicente Domino, qui biberit aquam quam ego dabo ei bibere, non sitiet in æternum, & quod in pace consistat salus vniuersorum, Cassiodoro testante, omni quippe regno desiderabilis debet esse tranquillitas in qua & populi proficiunt, & vtilitas gentium custoditur, matura deliberatione cognouimus, non per nuncios aut legatos nostros, sed in præstatione obedientiæ filialis, quam charissimus in Christo filius noster Franciscus Francorum Rex Christianissimus personaliter nobis præstitit.

Hæc cum Maiestate sua coram discutere, eumque paternis hortari monitis vt ad laudem Dei & sui honorem prompto animo, libens ac volens dictæ pragmaticæ Sanctioni abrenunciare, secundum Canones & Constitutiones Sanctæ Romanæ Ecclesiæ quemadmodum cæteri Christiani viuere, mandatis Apostolicis & prouisionibus quæ à sede Apostolica, pro tempore emanarent, parere, & obedire vellet. Et cum ex electionibus quæ in Ecclesiis Cathedralibus, & Metropolitan. ac Monasteriis dicti regni à multis annis citra fiebant grandia animarum pericula prouenirent, cum plerique per abusum sæcularis potestatis, nonnullæ vero præcedentibus illicitis & simoniacis pactionibus, aliæ particulari amore & sanguinis affectione & non sine periurii reatu fierent, cum electores ipsi etiam si ante electionem per eos faciendam magis idoneum, & non eum quem promissione aut datione alicuius rei temporalis seu prece vel precibus per se vel alium interpositis electionem procurare didicissent eligere sponte iurarent, iuramentum huiusmodi non seruarent, sed contra proprium huiusmodi iuramentum in animæ suæ præiudicium veniret, vt nobis notorie constat ex crebris absolutionibus, & rehabilitationibus à nobis & prædecessoribus nostris petitis & obtentis.

Idem Franciscus Rex nostris paternis monitis, tanquam verus obedientiæ filius parere volens, tam pro bono obedientiæ in qua magnum meritum vere consistit, quam pro communi & publica regni sui vtilitate in locum dictæ pragmaticæ sanctionis, ac singulorum capitulorum in ea contentorum. Constitutiones infrascriptas inuicem tractatas, & cum fratribus nostris S. R. E. Cardinalibus diligenter examinatas, & de eorum Consilio cum præfato Rege concordatas per dilectum filium Rogerium Barne Regium aduocatum Oratorem suum ad hoc ab eodem Francisco Rege ad nos destinatum habentem ad hoc speciale & sufficiens mandatum, acceptauit de eorundem fratrum Consilio & vnanimi consensu ex certa nostra scientia & potestatis plenitudine statuimus, & ordinamus, quod de cætero perpetuis futuris temporibus loco dictæ pragmaticæ constitutionis ac omnium & singulorum capitulorum in ea contentorum, in dicto regno Delphinatu & Comitatu Dien. ac Valentinen. infrascriptæ obseruentur constitutiones, videlicet quod Cathedralibus, & Metropolitan. Ecclesiis in regno Delphinatu, & Comitatu prædictis nunc & pro tempore etiam si per cessionem in manibus nostris & successorum nostrorum Roman. Pontificum canonice intrantium sponte factam vacantibus illarum capitula, & Canonici ad electionem seu postulationem inibi futuri prælati procedere non possint, sed illarum occurrente huiusmodi vacatione Rex Franciæ pro tempore existens vnum grauem magistrum seu licentiatum in Theologia, aut in vtroque seu in altero iurium doctorem aut licentiatum in vniuersitate famosa, & rigore examinis & in XXVII. suæ ætatis anno ad minus constitutum, & alias idoneum infra sex menses à die vacationis Ecclesiarum earundem computandum nobis & successoribus nostris Rõ. Pont. seu sedi prædictæ nominare & de persona per Regẽ huiusmodi nominata per nos & successores nostros seu sedem prædictam prouideri, & si contingeret præfatum regem personam taliter non qualificatam ad dictas Ecclesias sic vacan. nominare per nos & successores seu sedem huiusmodi de persona sic nominata eisdem Ecclesiis minime prouideri debeat, sed teneatur idem Rex infra tres alios menses à die recusationis personæ nominatæ non qualificatæ sollicitatori nominationem non qualificatam prosequenti consistorialiter factæ, intimandæ computandos alium supradicto modo qualificatum nominare, alioquin vt dispendiosæ Ecclesiarum huiusmodi vacationi celeriter consulatur, Ecclesiæ tunc sic vacan. per nos & successores nostros, seu sedem huiusmodi de persona (vt præfertur) qualificata, nec non Ecclesiis per obitum apud sedem prædictam vacan. semper nulla dicti Regis præcedente nominatione libere prouideri possit, decernentes electiones contra præmissa attemptatas, ac prouisiones per nos, & successores nostros, seu sedem huiusmodi factas, nullas, & invalidas existere, Consanguineis tamen præfati Regis, ac personis sublimibus ex causa rationabili & legitima innominatione, & Apostolicis litteris exprimenda, nec non religiosis mendicantibus reformatis eminentis scientiæ, & excellentis doctrinæ, qui iuxta sui ordinis regularia instituta ad gradus huiusmodi assumi non possint sub prohibitione præmissa minime comprehensis, sed de eorum personis dictis Ecclesiis pro tempore vacantibus ad dicti Regis nominationem per nos, & successores nostros, seu sedem huiusmodi libere prouideri possit.

Monasteriis vero & prioratibus conuentualibus, & vere electiuis videlicet in quorum electionibus forma capituli, quia propter seruari, & confirmationes electionum huiusmodi solenniter peti consueuerunt in Regno Delphinatu, & Comitatu huiusmodi nunc & pro tempore etiam per similem cessionem vacantibus illorum conuentus ad electionem seu postulationem Abbatis, seu Prioris procedere non possint, sed idem Rex illorum occurrente huiusmodi vacatione, religiosum eiusdem ordinis in ætate, XXVIII. annorum ad minus constitutum infra simile tempus sex mensium à die vacationis Monasteriorum, & Prioratuum huiusmodi computandorum nobis & successoribus nostris, aut sedi huiusmodi nominare, & de persona per Regem huiusmodi Monasterio vacanti nominata per nos & successores nostros, seu sedem huiusmodi prouideri.

Prioratus vero personæ ad illum per eundem Regem nominatæ conferri debeat. Si vero idem Rex præsbyterum sæcularem, aut Religiosum alterius ordinis, aut minorem XXIII. annorum, vel alias inhabilem nobis, aut successoribus nostris infra dictum semestre, seu sedi huiusmodi nominaret, talis nominatus recusari, & nullatenus sibi prouideri debeat, sed Rex ipse infra trimestre à die recusationis supradicto modo intimandæ computandos alium, modo supradicto qualificatum Monasterio, seu Prioratui tunc vacanti nominare, & de persona ad monasterium nominata illi prouideri, ad prioratum vero nominato prioratus ipse per nos & successores nostros, seu sedem prædictam conferri debeat. Alioquin dictis nouem mensibus effluxis nulla, seu de persona minus idonea, & modo præmisso non qualificata facta nominatione, ac etiam vacantibus apud sedem prædictam, semper etiam nulla dicti Regis expectata nominatione per nos, & successores nostros, seu sedem prædictam Monasteriis prouideri, Prioratus vero personis (vt præfertur) qualificatis dumtaxat conferri libere possint.

Electiones autem & illarum confirmationes, necnon prouisiones, per nos, & successores nostros, & sedem prædictam contra præmissa, pro tempore facta nullas, irritas, & inanes esse decernimus, per præmissa tamen non intendimus in aliquo præiudicare capitulis Ecclesiarum, & conuentibus Monasteriorum, & Prioratuum huiusmodi priuilegia à sede Apostolica proprium eligendi prælatum obtinentis quominus ad electionem Episcoporum, ac Abbatum, & Priorum iuxta priuilegia eis concessa libere procedere possint iuxta formam in eorum priuilegiis contentam, & si in eorum priuilegiis forma aliqua expressa non fuerit, tunc formam Concilii generalis, quia propter seruare teneantur, dummodo de priuilegiis sibi concessis huiusmodi per litteras Apostolicas, seu alias auctenticas scripturas docuerint, omni alia specie probationis eis in hoc adempta.

Volumus quoque & ordinamus quod in regno Delphinatu, & comitatu prædictis de cætero non dentur aliquæ gratiæ expectatiuæ, ac speciales vel generales reseruationes ad vacatura beneficia per nos & sedem prædictam non fiant, & si de facto per importunitatem, aut alias à nobis & successoribus nostris & sede prædicta emanauerint, illas irritas, & inanes esse decernimus, in Cathedralibus tamen Metropolita. & Collegiatis Ecclesiis in quarum statutis

caueretur

caueretur expresse, quod nullus ibidem dignitatem, personam, administrationem, vel officium obtinere possit nisi in illis actu Canonicus existat Canonicos ad effectum duxtaxat inibi obtinendum dignitatem, personatum, administrationem vel officium huiusmodi, & non consequendum primam præbendam vacaturam creare posse intendimus.

Statuimus insuper quod ordinarius Collator in vnaquaque Cathedrali, ac etiam Metropolitan. Ecclesia Canonicatum & præbendam Theologalem inibi consisten. conferre teneantur vni magistro, seu licentiato, aut bacchalario formato in Theologia qui per decennium in vniuersitate studii generalis priuilegiata studuerit, ac onus residentiæ, lecturæ, & prædicationis actu subire voluerit, quique bis aut semel ad minus per singulas hebdomadas impedimento cessante legitimo legere debeat, & quoties ipsum in huiusmodi lectura deficere contigerit ad arbitrium capituli per subtractionem distributionum totius hebdomadæ puniri possit, & si residẽtiam deseruerit, de illis alteri prouideri debeat, & vt liberius studio vacare possit, etiam si absens fuerit à diuinis habeatur pro præsente, ita vt nihil perdat, præfatique ordinarii collatores, seu patroni Ecclesiastici quicunque fuerint vltra dictam præbendam Theologiam, quam (vt præfertur) qualificato conferre teneantur, tertiam partem omnium dignitatum, personatuum, administrationum, & officiorum, cæterorumque beneficiorum ecclesiasticorum ad eorum collationem, prouisionem, nominationem, præsentationem, seu quamuis aliam dispositionem quomodolibet spectantium viris literatis, graduatis, & vniuersitates nominatis hoc modo, videlicet primo mense post præsentium acceptationem, earundem publicationem præfati ordinarii collatores dignitates, personatus, administrationes, & officia ad eorum collationem, prouisionem, nominationem, præsentationem, seu quamuis aliam dispositionem (vt præfertur) spectantia, graduatis huiusmodi qui litteras suorum graduum cum tempore studii debite insinuauerint, conferre teneantur.

Beneficia vero quæ in duobus sequentibus mensibus vacare contigerint, illa iuxta iuris communis dispositionem personis idoneis libere conferre, seu personas idoneas ad illa præsentare. Beneficia autem quæ in quarto mense vacare contigerint viris graduatis per vniuersitatem nominatis qui gradus, & nominationis litteras cum tempore studii debite insinuauerint, conferre, seu præsentare teneantur. Beneficia vero quæ quinto mense, & sexto vacare contigerint simili modo personis idoneis libere conferre, seu personas ad illa præsentare possint. Beneficia autem quæ septimo mense vacare contigerint graduatis qui simili modo litteras, gradus cum tempore studij debite insinuauerint, conferre teneantur. Beneficia vero quæ octauo, & nono mensibus vacare contigerint, pari modo personis idoneis conferre, seu personas idoneas ad illa præsentare teneantur. Beneficia autem quæ mense decimo vacare contigerint, graduatis nominatis, qui gradus & nominationis litteras cum tempore studii debite insinuauerint, per eosdem ordinarios conferri, seu ipsi ad illa præsentari debeant. Beneficia autem quæ XI. & XII. mensibus vacare contigerint per eosdem ordinarios personis idoneis iuxta iuris communis dispositionem conferri, seu ipsi ad illa præsentari debeant.

Si quis vero cuiuscumque status etiamsi Cardinalatus, Patriarchalis, Archiepiscopalis, aut Pontificalis, vel alterius cuiuslibet dignitatis contra prædictum ordinem, & qualificationes superius ordinatas de dignitatibus personatibus, administrationibus, vel officiis, seu quibusuis aliis beneficiis Ecclesiasticis huiusmodi aliter quam modo præmisso disposuerit, dispositiones ipsæ sint ipso iure nullæ, Collationesque, & prouisiones, ac dispositiones illorum ad immediatum superiorem deuoluantur, qui eisdem personis modo præmisso qualificatis prouidere teneatur, & si contrauenerit, ad alium superiorem deuoluatur prouisio, & præsentatio huiusmodi gradatim donec ad sedem apostolicam fiat deuolutio.

Præterea volumus quod collatores ordinarii & patroni Ecclesiastici præfati qui dignitates. personatus, administrationes, & officia, ac beneficia in mensibus graduatis, & nominatis, assignatis vacantia illis graduatis simplicibus, aut nominatis illa conferre, aut ad illa eos dumtaxat præsentare teneantur, qui per tempus competens in vniuersitate famosa studuerint, tempus autem competens decennium in magistris seu licentiatis, aut bacchalariis in Theologia. Septennium vero in doctoribus, seu licentiatis in iure canonico, Ciuili, aut medicinis. Quinquennium autem in magistris, seu licentiatis in artibus cum rigore examinis à logicalibus inclusiue, aut in altiori facultate. Sexennium autem in bacchalariis simplicibus in Theologia. Quinquennium vero in Bacchalariis iuris canonici, aut ciuilis in quibus Bacchalariis iuris canonici aut Ciuilis, si ex vtroque parente nobiles fuerint triennium esse decernimus, præfatique graduati, & nominati Collatoribus Ordinariis, siue patronis Ecclesiasticis, semel ante vacationem beneficii de litteris gradus, seu nominationes, & de præfato tempore studii per litteras patentes vniuersitatis in qua studuerint, manu scribæ, & sigillo vniuersitatis signatas fidem facere teneantur. Cum vero probatio nobilitatis fieri deberet ad effectum vt nobiles ipsi gaudere possint beneficio minoris temporis studii, tunc nobilitas ipsa per quatuor testes deponentes in Iudicio coram Iudice Ordinario loci in quo est natus ille de cuius nobilitate ex vtroque parente constare debet, etiam in partis absentia probari possit, teneanturque præfati graduati, tam simplices, quam nominati, patronis Ecclesiasticis, aut Collatoribus ordinariis, quibus gradus aut nominationis litteras huiusmodi insinuare deberent litteras suorum gradus & nominationis, certificationis temporis studii, & attestationis nobilitatis duplicatas dare, ac singulis annis tempore Quadragesimæ per se vel procuratorem suum Collatoribus, nominatoribus, seu patronis Ecclesiasticis, aut eorum vicariis, eorum nomina, & cognomina insinuare, & eo anno quo præfatam insinuationem facere omiserint, beneficium in vim gradus aut nominationis huiusmodi petere non possint, & si Collatoribus ordinariis, aut patronis Ecclesiasticis in mensibus deputatis, graduatis simplicibus, aut graduatis nominatis, non esset graduatus, aut nominatus, qui diligentias præfatas fecerint collatio, seu præsentatio per Collatorem, seu patronum ecclesiasticum etiam eisdem mensibus facta alteri quam graduato vel nominato non propter hoc irrita censeatur, si tamen graduatus simplex aut beneficium post insinuationem gradus aut nominationis in mensibus eis assignatis vacans petierit & inter suam insinuationem & præfatam requisitionem non superuenerit Quadragesima in qua nomen & cognomen insinuare debuerit, ad beneficium sic vacans, eum capacem, ipsumque illud consequi posse & debere decernimus.

Statuimus quoque & ordinamus quod collatores ordinarii & patroni Ecclesiastici præfati inter graduatos qui litteras gradus cum tempore studii & attestatione nobilitatis debite insinuauerint, quo ad beneficia in mensibus eis deputatis vacantia gratificare possint illum ex eis quem voluerint, quo vero ad beneficia in mensibus graduatis, nominatis, deputatis antiquiori nominato conferre seu antiquiorem nominatum qui litteras nominationis temporis studii & attestationis nobilitatis debite insinuauerit præsentare, seu nominare teneantur, concurrentibus autem nominatis eiusdem anni Doctores, Licentiatis, Licentiatos Bacchalariis, demptis Bacchalariis formatis in Theologia quos fauore studii Theologici Licentiatis in iure Canonico, Ciuili, aut medicina præferendos esse decernimus. Bacchalarios iuris Canonici aut Ciuilis magistris in artibus præferri volumus.

Concurrentibus autem pluribus doctoribus in diuersis facultatibus Doctorem Theologum, Doctori in iure, Doctorem in iure canonico, Doctori in iure Ciuili, Doctorem in iure ciuili Doctori in Medicina præferendos esse decernimus, & idem in licentiatis & Bacchalariis seruari debere volumus, & si in eisdem facultate & gradu concurrerent ad datam nominationis seu gradus recurrendum esse volumus, & si in omnibus his concurrerent, tunc collator ordinarius inter eosdem concurrentes gratificare possit.

Volumus autem quod nominati litteras nominationis ab vniuersitatibus in quibus studuerint obtinentes in nominationum litteris beneficia per eos possessa & eorum verum valorem exprimere teneantur, alioquin litteræ nominationu huiusmodi eo ipso nulli sint & esse censeantur.

Si quis vero ex dictis qualificatis, graduatis simplicibus aut nominatis tempore vacationis beneficij in mensibus eis deputatis vacantis duas obtineat præbendas in Cathedralibus etiam Metropolitanensibus aut Collegiatis seu dignitatem vel præbendam, vel aliud beneficium seu alia beneficia quorum insimul vel cuius fructus redditus & prouen. tempore residentiæ, & horis diuinis interessendo ad summam ducentorum florenorum auri de camera ascenderent beneficium in vim gradus seu nominationis huiusmodi tunc petere seu consequi non possit.

Et insuper quod tam graduati simplices quam nominati, beneficia in mensibus eis assignatis vacantia petere & consequi possint secundum propriæ personæ condecentiam & conformitatem, videlicet sæculares sæcularia, & religiosi regularia beneficia ecclesiastica, ita quod sæcularis nominatus beneficia regularia in mensibus deputatis vacantia prætextu cuiusuis dispensationis apostolicæ, & è contra, religiosis beneficia sæcularia petere, aut consequi minime possint. Quodque

beneficia simpliciter vel ex causa permutationis in mensibus graduatis simplicibus, & nominatis assignatis vacantia eis non sint affecta, nec debita, sed ex causa permutationis cum permutantibus dumtaxat, simpliciter vero vacantia beneficia huiusmodi personis idoneis per ipsos ordinarios libere conferri possint.

Statuimus quoque quod Parrochiales Ecclesiæ in Ciuitatibus, aut villis muratis existen. non nisi personis modo præmisso qualificatis, aut saltem qui per tres annos in Theologia vel altero iurium studuerint, seu magistris in artibus qui in aliqua vniuersitate priuilegiata studentes magisterij gradum adepti fuerint conferantur. Monemus autem præfati regni vniuersitates sub pœna priuationis omnium & singulorum priuilegiorum à nobis & sede apostolica obtentorum, ne Collatoribus seu patronis Ecclesiasticis habeant aliquos nominare, nisi eos qui secundum præfata tempora studuerint, & secundum dictarum vniuersitatum statuta ad gradus & non per saltum processerint. Quod si secus fecerint vltra nullitatis pœnam quam in præfatarum nominationum litteris declaramus vniuersitates ipsas, nominandi priuilegium ad tempus secundum culpa qualitatem suspendemus.

Si quis autem graduatorum aut nominatorum in mensibus deputatis Collatoribus ordinarijs aut personis Ecclesiasticis beneficium vacans in vim gradus aut nominationis petierit, & Collatorem ordinarium in vim præfati gradus aut nominationis in processu posuerit, & aliter molestauerit illum vltra expensarum, damnorum, & interesse condemnationem à fructibus sui gradus & nominationis priuandum esse decernimus, eodemque vinculo collatores ordinarios & patronos Ecclesiasticos quibus graduati & nominati debite, vt supra qualificati suos gradus & nominationis litteras insinuauerint, astringimus vt beneficia ad eorum collationem vel præsentationem spectantia, in mensibus graduatorum simplicium & nominatorum vacantia stantibus præfatis graduatis aut nominatis debite qualificatis illa prosequentibus alijs quam graduatis aut nominatis conferant, sub pœna suspensionis potestatis conferendi beneficia in octo mensibus illo anno ad Collationem eorum ac præsentationem liberam spectantibus.

Statuimus quoque & ordinamus quod quilibet Romanus Pontifex semel dumtaxat tempore sui Pontificatus litteras in forma mandati iuxta formam inferius annotatam & non vltra dare possit hoc modo videlicet vnum Collatorem habentem Collationem decem beneficiorum in vno, habentem autem Collationem quinquaginta beneficiorum, & vltra in duobus beneficijs dumtaxat grauare possit, ita tamen quod in eadem Ecclesia, Cathedrali vel Collegiata Collatorem vnum pro tempore in duabus præbendis, non grauet, & vt obuietur litibus quæ occasione litterarum mandatorum huiusmodi oriri possent, mandata huiusmodi sub forma quæ est inferius annotata dari volumus quam ad perpetuam rei memoriam in Cancellaria Apostolica publicari, & in illius quinterno registrari mandamus, declarantes, prosequentes huiusmodi mandata quoad beneficia sub illis comprehensa ordinarijs Collatoribus & graduatis, simplicibus & nominatis præferendos esse. Nosque & successores nostros iure præuentionis, dignitates, personatus, administrationes, & officia, cateraque beneficia Ecclesiastica, sæcularia, & quorumuis ordinum regularia, quæcumque, & quomodocunque qualificata, tam in mensibus graduatis, simplicibus & nominatis, quam ordinarijs Collatoribus præfatis assignatis vacantia, ac etiam sub dictis mandatis comprehensa libere conferre.

Statuimus insuper quod in prouisionibus quas personis quibuslibet de beneficijs vacantibus, seu certo modo vacaturis per nos, & successores nostros, ac sedem prædictam, etiam motu proprio, etiam promotis ad Ecclesias Cathedrales, & Metropolitan. ac Monasteria, vt obtenta per eos beneficia retinere possint, fieri contigerit illorum verus annuus per florenos aut ducatos auri de camera aut libras Turonenses, seu alterius monetæ valor secundum communem extimationem exprimi debeat, aliquingratiæ ipsæ sint ipso iure nullæ.

Statuimus quoque & ordinamus quod in regno delphinatu, & Comitatu prædictis omnes, & singula causæ exceptis maioribus in iure expresse denominatis apud illos iudices in partibus, qui de iure aut consuetudine prescripta, vel priuilegio illarum cognitionem habent, terminari & finiri debeant, & ne sub vmbra appellationum quæ nimium & nonnunquam friuolæ interponi consueuerunt, atque etiam in eodem instantia ad prorogationem litium sæpe multiplicari in iustis vexationibus materia præbeatur.

Volumus quod si quis offensus coram suo iudice iustitiæ complementum habere non posit, ad immediatum superiorem etiam ad nos & successores nostros, vel sedem prædictam omisso medio, nec à grauamine in quacumque instantia ante diffinitiuam sententiam quomodolibet appelletur, nisi forsitan tale grauamen extiterit quod in diffinitiua reparari nequiret, & eo casu non nisi ad immediatum superiorem liceat appellari. Si quis vero immediate subiectus sedi Apostolicæ ad eandem sedem duxerit appellandum causa committatur in partibus per rescriptum vsque ad finem litis videlicet vsque ad tertiam sententiam conformem inclusiue, si ab illis appellari contigerit, nisi propter defectum denegatæ iustitiæ, aut iustum metum, & tunc committi debeat in partibus conuicinis, & cum causarum expressione quæ etiam de illis etiam legitime alias quam per iuramentum coram iudicibus à sede Apostolica deputandis constare debeat, Processus autem contra præmissa attemptatos nullos, & irritos esse volumus, ac rescripta contra præmissa impetrantes in expensis, damnis & interesse condemnari debere decernimus, atque declaramus, Sancta vero Romana Ecclesia Cardinales qui pro vniuersali Ecclesia continue laborant, nec non dicta sedis officiales officia sua actu exercentes sub præsenti decreto non intendimus comprehendi.

Statuimus etiam & ordinamus quod iudices causas quæ in partibus terminari debent coram eis pro tempore pendentes sub pœna excommunicationis & priuationis beneficiorum per eos obtentorum eo ipso incurrenda infra biennium terminare debeant, pars vero diffugiens & expeditionem ipsius causæ malitiosa impediens grauissime per eosdem iudices mulctetur, etiam vsque ad priuationem iuris in huiusmodi processu prætensi si eis visum fuerit, super quo eorum conscientias oneramus, ab interlocutoriis autem secundo, à diffinitiua vero tertio dumtaxat prouocare licere decernimus, Volumusque secundam sententiam interlocutoriam conformem, & tertiam diffinitiuam etiam conformem omni mora cessante executioni debitæ demandari debere, quacumque appellatione interposita, non obstante.

Statuimus quoque quod quicumque dummodo non sit violentus, sed habens coloratum titulum pacifice, & sine lite prælaturam, dignitatem, personatum, administrationem vel officium, seu quodcumque beneficium Ecclesiasticum triennio proximo hactenus possidet vel pro tempore possidebit, in petitorio vel possessorio à quo quam etiam ratione iuris nouiter reperti molestari nequeat, præterquam prætextu hostilitatis aut alterius legitimi impedimenti de quo protestari, & illud iuxta Concilium Viennense intimari debeat, lis autem hoc casu quo ad futuras controuersias intelligatur si ad executionem citationis iurisque sui in iudicio exhibitionem, aut terminorum omnium obseruationem processum fuerit. Monemus etiam ordinarios vt diligenter inquirant, ne quis sine titulo beneficium possideat, & si quem beneficium sine titulo possideri reperierint, declarent illi ius non competere cuiusuis temporis detentione non obstante, de ipsoque beneficio possit illi dummodo non sit intrusus, vel violentus, aut aliàs indignus, vel alteri idoneo prouideri. Et insuper statuimus quod quicunque clericus cuiuscunque conditionis, status, religionis, dignitatis, etiam si Pontificalis, vel alterius præeminentiæ fuerit, qui posthabitam præsentium notitiam quam habere præsumatur post duos menses post earundem præsentium publicationem in Ecclesiis Cathedralibus factam quam ipsi Diocesani omnino facere teneantur, post quam præsentes ad eorum notitiam peruenerint, publicus concubinarius à perceptione fructuum omnium beneficiorum suorum triumm ensium spatio sit ipso facto suspensus quos sicus superior in fabricam vel aliam euidentem Ecclesiarum vtilitatem ex quibus hi fructus percipiuntur, conuertat, nec non huiusmodi publicum concubinarium, vt primum talem esse nouerit, mox suus superior monere teneatur, vt infra breuissimum terminum concubinam dimittat, & si illam non dimiserit, vel dimissam, seu aliam publice resumpserit, iubemus vt ipsum omnibus suis beneficiis omnino priuet. Et nihilominus hi publici concubinarii vsque quo cum eis per suos superiores post ipsarum concubinarum dimissionem, manifestamque vitæ emendationem fuerit dispensatum ad susceptionem quorumcunque honorum, dignitatum, beneficiorum, officiorumue sint inhabiles qui si post dispensationem recidua vomitu ad huiusmodi publicum concubinatum redierint, sine spe alicuius dispensationis ad prædicta prorsus inhabiles existant. Quodque si hi ad quos talium correctio pertinet, eos vt prædicatum est minime negl exerint, eorum superiores, tam in ipsos de neglectu quam in illos pro concubinatu modis omnibus digna punitione animaduertant. In Conciliis etiam prouincialibus, & Synodalibus aduersus

tales

tales punire negligentes, vel de hoc crimine diffamatos etiam per suspensionem à Collatione beneficiorum vel alia condigna pœna seuerius procedatur, & si ij quorum destitutio ad nos & sedem prædictam spectat per Concilia prouincialia, aut suos superiores propter concubinatum publicum reperiantur priuatione digni, statim cum processu inquisitionis ad nos deferantur, eadem diligentia & inquisitio in quibuscumque generalibus capitulis etiam prouincialibus quo ad eos seruetur pœnis aliis contra prædictos, & altos non publicos concubinarios à iure statutis in suo robore permansuris, publici autem intelligendi sunt, non solum hi quorum concubinatus per sententiam aut confessionem in iure factam, sed per rei euidentiam, quæ nulla possit tergiuersatione celari notorium est, sed etiam qui mulierem de incontinentia suspectam & diffamatam tenent, & per suum superiorem admoniti ipsam cum effectu non dimittunt. Quia vero in quibusdam regionibus nonnulli iuris dictionem Ecclesiasticam habentes pecuniarios quæstus à concubinarijs percipere non erubescunt patientes eos in tali fœditate sordescere, sub pœna maledictionis æternæ præcipimus, ne deinceps sub pacto, compositione, aut spe alterius quæstus talis quouis modo tollerent, aut dissimulent alioquin vltra præmissam negligentiæ pœnam duplam eius quod propterea acceperint restituere, & ad pios vsus omnino conuertere teneantur, & compellantur, ipsas autem concubinas aut suspectas prælati omnibus modis curent à suis subditis per auxilium & brachii secularis inuocationem si opus fuerit penitus arcere, qui etiam filios ex tali concubinatu procreatos apud patres suos cohabitare non permittant. Iubemus insuper quod in prædictis Synodis & capitulis præmissa publicentur, & vt quilibet suos subditos ad ipsarum Concubinarum dimissionem maneat diligenter inungimus.

Præterea omnibus sæcularibus viris etiam si regali præfulgeant dignitate ne vllum qualecumque inferant impedimentum quocunque quæsito colore prælatis qui ratione officii sui aduersus subditos suos pro huiusmodi concubinatu, & aliis casibus sibi à iure permissis procedunt, & cum omne fornicationis crimen lege diuina prohibitum sit, & sub pœna peccati mortalis necessario euitandi. Monemus omnes laicos tam vxoratos quam solutos vt similiter à concubinatu abstineant, nimis enim reprehensibilis est, qui vxorem habet, & ad aliam vxorem, seu mulierem, qui vero solutus est, si continere nolit iuxta Apostoli consilium vxorem ducat, pro huiusmodi autem diuini obseruantia præcepti, hi ad quos pertinet, tam salutaribus monitis, quam aliis canonicis remedijs omni studio laborent.

Statuimus insuper quod ad vitandum scandala & multa pericula subeunda nullumque conscientiæ timoratis quod nemo deinceps à communicatione alicuius in sacramentorum administratione, vel receptione, aut aliis quibuscunque diuinis vel extra, prætextu cuiuscumq; sententiæ, aut censuræ Ecclesiasticæ, seu suspensionis, aut prohibitionis ab homine, vel à iure generali promulgatæ teneatur abstinere vel aliquem vitare, vel interdictii ecclesiasticum obseruare, nisi sententia prohibitio, suspensio, vel censura huiusmodi fuerit vel contra personam Collegium, vniuersitatem Ecclesiasticam aut locum certum, aut certa à iudice publicata, & denunciata specialiter & expresse, aut si notoria in excommunicationis sententiam constiterit incidisse, quod nulla possit tergiuersatione celari, aut alioqui iuris suffragio excusari, cum à communione illius abstinere volumus iuxta canonicas sanctiones, per hoc tamen huiusmodi excommunicatos, suspensos, interdictos, seu prohibitos non intendimus in aliquo releuare, nec eis quomodolibet suffragari, & quoniam ex indiscreta interdictorum promulgatione multa consueuerunt scandala euenire, Statuimus quod nulla ciuitas, oppidum, castrum, villa, aut locus Ecclesiastico supponi possit interdicto, nisi ex causa, seu culpa ipsorum locorum, aut Domini, seu rectoris, vel officialium, propter culpam autem seu causam alterius cuiuscumque priuata personæ huiusmodi loca interdici nequaquam possint, auctoritate quacunque ordinaria, vel delegata, nisi talis persona prius fuerit excommunicata, ac denunciata seu in Ecclesia publicata, aut Domini, seu rectores vel officiales ipsorum locorum auctoritate iudicis requisiti huiusmodi personam excommunicatam infra biduum inde cum effectu non eiecerint, aut ad satisfaciendum compulerint, qua etiam post biduum eiecta recedente, vel satisfacience mox diuina resumi possint quod etiam in pendentibus locum habere decernimus, nec non constitutionem de eorundem fratrum nostrorum Concilio editam, quam cum irritanti decreto statuimus, decernimus, & ordinamus quod extunc de cætero perpetuis futuris temporibus de cessione regiminis, & administrationis ecclesiarum, & Monasteriorum facta per eos qui ecclesiis, & Monasteriis ipsis præerunt, seu illa in administrationem, seu commendam, aut vt aliis vnita, aut alias obtinebant, seu resignatione aliorum quorumcumque beneficiorum Ecclesiasticorum, seu cessioni iuris in eis vel ad ea quomodolibet competentis, aut priuationis, vel depositionis, aut censurarum fulminationem, etiam in litteris apostolicis à nobis & sede apostolica etiam motu proprio pro tempore emanatis, quæ in manibus Rom. Pont. facta dicerentur contentis, etiam si super illis narratio fundaretur intentio constare, & apparere deberet per publica instrumenta, vel documenta authentica alioquin tam in iudicio, quam extra illud narratiue, & assertionibus huiusmodi in præiudicium tertii minime stari nec ex illis aliqui præiudicium afferri debere, nisi de huiusmodi narratiua, & assertione, etiam in litteris apostolicis facta alio ex præmissis modis doceretur, innouamus, illamque perpetuis futuris temporibus inuiolabiliter obseruari mandamus.

Et quia ad supradictam concordiam cum præfato F. Rege ob illius sinceram deuotionem, erga nos, & sedem prædictam ostensam cum ad præstandam nobis reuerentiam & filialem obedientiam ad Ciuitatem nostram Bononiæ personaliter accessit, consentimus, illamque inuiolabiliter obseruari desideramus, illam vericontractus, & obligationis inter nos, & sedem apostolicam prædictam ex vna, & præfatum Regem & regnum suũ ex altera partibus legitime initi vim & robur obtinere, ac illi, & præsentibus in aliqua sui parte per quascunque literas, & gratias per nos, & successores nostros desuper concedendas derogari, clausulamque cum earundem derogatione præsentium latissime extendenda, ac quod eadem præsentes literæ, & earum tenor pro expressis habeantur in quibuscunque supplicationibus pro tempore signaris appositam nihil penitus operari, & illius vigore in litteris Apostolicis super ipsis supplicationibus conficiendis quicquam per quod præsentibus, aut aliqua particula de contentis in eis derogaretur, seu derogari videretur, narrari non posse. & sic per quoscunque iudices, & commissarios etiam causarum dicti palatii Apostolici Auditores & præfatæ Rom. Ecclesiæ Cardinales in quibuscis causis super præmissis, vel eorũ aliquo pro tempore motis iudicari, diffiniri, & sententiari debere sublata eis aliter sententiandi, & diffiniendi omnimoda facultate, & auctoritate.

Nec non irritum & inane quicquid secus super his vel eorum aliquo à quoquã quauis auctoritate etiam per nos & successores nostros præfatos, scienter & ignoranter contigerit attemptari decernimus.

Volumus autem quod si præfatus Rex præsentes litteras, ac omnia, & singula in eis contenta, quæ in prima futura Sessione præsentis Concilii Lateranens. approbari, & confirmari facere promisimus, infra sex menses à die approbationis, & confirmationis computandos non approbauerit, & ratificauerit, & ea per suis futuris temporibus in regno suo, & omnibus aliis locis & dominiis dicti regni per omnes prælatos, sed alias etiam Ecclesiasticas personas, ac Curias parlamentorum, legi, publicari, iurari, & registrari ad instar aliarum constitutionum regiarum, & de acceptatione, lectione, publicatione, inramento, & registratione prædictis infra prædictum tempus per omnia & singulorum supradictorum patentes literas aut authenticas scripturas nobis non transmiserit, aut nuncio nostro apud ipsum Regem existente per eum ad nos destinandas non consignauerit, & deinde singulis annis etiam legi prout alias ipsius F. Regis constitutiones, & ordinationes quæ in viridi sunt obseruantia obseruari debent, in uiolabiliter obseruari cum effectu non fecerit, præsentes literæ, & inde secuta quæcumque sint, cassa, & nulla, nullisque roboris vel momenti.

Et cum omnium quæ in regno Delphinatu, & Comitatu prædictis agantur, notitiam non habeamus consuetudines, statuta, seu vsus libertati Ecclesiasticæ, & auctoritati sedis Apostolicæ quomodolibet præiudicantia si qua in regno Delphinatu, & Comitatu prædictis alias quam in præmissis existant non intendimus nobis, & eidem sedi in aliquo præiudicare, seu illa tacite, vel expresse quomodolibet approbare.

Et nihilominus præfato F. & pro tempore existen. Francorum Regi in virtute sanctæ obedientiæ mandamus quatenus per se vel alium, seu alios in dignitate Ecclesiastica constitutos præsentes literas ac omnia & singula in eis contenta quando & quotiens opus fuerit publicari, & ea inuiolabiliter obseruari faciant. Contradictores cuiuscumque dignitatis, & præeminentiæ fuerint per censuras Ecclesiasticas, & pecuniarias pœnas, aliaque iuris & facti quauis opportuna remedia appellatione qualibet omnino postposita compescendo. Non obstan. omnibus supradictis, aut si aliquibus communiter vel diuisim ab eadem sit sede indultum quod interdici, suspendi vel excommunicari non possint per litteras apostolicas non facien. plenam & expressam, ac de verbo ad verbum, de indulto huiusmodi mentionem.

Forma vero supradicti mandati Apostolici sequitur & est talis.

Leo Episcopus seruus seruorum Dei Venerabili fratri Episcopo N. &

dilectis filis Capitulo singulisque canonicis Ecclesia. N. salutem & Apostolicam benedictionem. Vitæ ac morum honestas aliaque laudabilia probitatis & virtutum merita, super quibus dilectus filius N. apud nos fidedigno commendatur testimonio, nos inducunt, vt sibi reddamur ad gratiam liberales. Hinc est quod nos cupientes vt eidem N. iuxta illius quæ olim per fel. rec. Gregorium Papam VIII. prædecessorem nostrum ad tunc Episcopum Nonionens. directa exitit quæ incipit mandatum & aliarum duarum illam immediate sequentium decretalium formas de Canonicatu & præben. aut dignitate, personatu, administratione, vel officio vestræ vel alterius Ecclesiæ, aut alio beneficio, cum cura, vel sine cura, etiam si Parrochialis Ecclesia, vel eius perpetua vicaria. ant capella, siue perpetua capellania ad vestram collationem, nominationem, seu præsentationem, & aliam quamcumque dispositionem prouideri possit, ac volentes præfato N. meritorum suorum intuitu gratiam facere specialem, ipsumque N. à quibusuis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis à iure, vel ab homine quauis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatus existit ad effectum præsentium dumtaxat consequendum harum serie absoluentes, & absolutum fore censentes, nec non omnia & singula beneficia Ecclesiastica cum cura & sine cura quæ præfatus N. etiam ex quibusuis apostolicis dispensationibus obtinet, & expectat, ac in quibus, & ad quæ ius sibi quomodolibet competit, quæcumque, quotcumque, & qualiacumque sint, eorumque fructuum, red. & prouen. veros annuos valores, ac huiusmodi dispensationum tenores præsentibus pro expressis habentes, Motu proprio non ad ipsius N. vel alicuius alterius pro eo nobis super hoc oblatæ petitionis instantiam, sed de nostra mera liberalitate discretione vestræ per Apostolica scripta mandamus, quatenus si vobis pro alio non scripserimus qui simile mandatum, aut similem gratiam prosequatur Canonicatum. & præben. aut dignitatem, personatum, administrationem, vel officium vestræ vel alterius Ecclesiæ aut aliud beneficium Ecclesiasticum cum cura vel sine cura, etiam si parrochialis Ecclesia, vel eius perpetua vicaria, aut capella vel perpetua capellania fuerit ad vestram collationem, prouisionem, præsentationem, nominationem, seu quamuis aliam dispositionem pertinens etiam si dignitati, personatui, administrationi, vel officio huiusmodi cura immineat animarum, dummodo talis dignitas electiua non existat cum creatione in Canonicum vestræ vel vltersus Ecclesiæ, etiam si in ea statuto. & priuilegio expresse cauetur, quod nulli de dignitate, personatu, administratione, vel officio prouideri non possit, nisi cum effectu illius Ecclesiæ Canonicus existat, Canonicatum huiusmodi Ecclesiæ cum plenitudine iuris canonici, & non obstan. de certo Canonicorum numero ad effectum huiusmodi dignitatem, personatum, administrationem, vel officium dumtaxat obtinent. & non alias auctoritate Apostolica, tenore præsentium conferimus, & de illo etiam prouidemus, si quemquam, vel quod post mensem, postquam præsentes litteræ vobis præsentate fuerint extra Rom. Curiam vacare contigerit cum plenitudine iuris canonici, ac omnibus iuribus & pertinent. suis eidem N. conferatis. & de illo, aut illa prouideatis, seu ipsum ad illum, illam, vel illud præsentetis, aut nominetis, ipsumque N. in Canonicum, & in fratrem vestræ vel alterius Ecclesiæ ad effectum tantum obtinendi dignitatem, personatum, administrationem vel officium huiusmodi recipiatis & illum sibi in choro, & locum in capitulo cum plenitudine iuris canonici assignetis: inducentes eundem N. vel procuratorem suum eius nomine in corporalem possessionem Canonicatus & præben. aut dignitatis, personatus, administrationis, vel officii, seu beneficii huiusmodi, iuriumque, & pertinent. vniuersorum prædictorum defendentesque inductum, ac facien. N. vel pro eo procuratorem prædictum ad præben. aut dignitatem personatum administrationem vel officium, vel beneficium huiusmodi, quodcunque fuerit, vt moris est admitti, sibique de illius, vel illorum fructibus redditibus, prouen. iuribus, & obuentionibus vniuersis integre responderi, Non obstan. de certo canonicorum numero, vt præfertur, & aliis Constitutionibus, & ordinationibus Apostolicis, ac dicta vestræ vel alterius Ecclesiæ iuramento, confirmatione Apostolica, vel quauis firmitate alia roboratis, statutis, & consuetudinibus contrariis, quibuscumque, aut si vobis ab Apostolica sit sede indultum quod ad receptionem vel prouisionem alicuius minime teneamini, quodque de Canonicatibus, & præben. seu dignitatibus, personatibus, administrationibus, vel officiis vestræ vel alterius Ecclesiæ, aut aliis beneficiis Ecclesiasticis, quibuscumque ad vestram collationem, prouisionem, præsentationem, nominationem, seu quamuis aliam dispositionem, communiter vel diuisim pertinen. nulli valeat prouideri per litteras Apostolicas non facientes plenam, & expressam, ac de verbo ad verbum, de indulto huiusmodi mentionem, & qualibet alia dicta sedis indulgen. generali vel speciali, cuiuscunque tenoris existant, per quam præsentibus non expressam, vel totaliter non insertam, effectus huiusmodi gratia impediri valeat quomodolibet vel differri, & de qua cuiusque tote tenore habenda sit in nostris litteris mentio specialis, seu si dictus N. præsens non fuerit ad præstandum de obseruan. statutis, & consuetudinibus vestræ, vel alterius Ecclesiæ solitum iuramentum dummodo in absentia tua per procuratorem idoneum, & cum ad Ecclesiam ipsam accesseris corporaliter illud præstes. Datæ &c.

Dilectis filius N. & N. ac N. officialibus salutem & Apostolicam benedictionem. Hodie cupientes vt dilecto filio N. Clerico. N. diæc. iuxta illius quæ olim per fe. re. Gregorium Papam VIII. prædecessorem nostrum ad tunc Episcopum Nonionen. directa extitit, quæ incipit mandatum, & aliarum duarum illam immediate sequentium decretalium formas de Canonicatu, & præben. aut dignitate, personatu, administratione, vel officio Ecclesiæ. N. aut alio beneficio Ecclesiastico cum cura, vel sine cura prouideri posset, motu proprio Venerabili fratri nostro Episcopo. N. & dilectis filius Capitulo singulisque canonicis Ecclesiæ N. per alias nostras litteras mandauimus, quatenus si eis communiter vel diuisim pro alio non scripsissemus qui simile mandatum, aut similem gratiam prosequeretur eidem N. canonicatum, & præben. aut dignitatem, personatum, administrationem, vel officium, aut beneficium Ecclesiæ. N. aut aliud beneficium Ecclesiasticum ad eorum Collationem, prouisionem, præsentationem, seu quamuis aliam dispositionem communiter vel diuisim pertinen. si quem, quam, vel quod, post mensem, post præsentationem earundem litterarum vacare contingeret cum plenitudine iuris canonici, ac omnibus iuribus, & pertinen. suis, prout ad eos communiter, vel diuisim pertineret, conferrent, & assignarent, aut eum ad illa præsentarent, eligerent, nominarent, seu de illis prouiderent, prout in eisdem litteris plenius continetur. Quocirca discretioni vestræ per Apostolica scripta motu simili mandamus, quatenus vos, vel duo, aut vnus vestrum per vos, vel alium, seu alios si Episcopus, capitulum, & canonici prædicti canonicatum, & præben. aut dignitatem, personatum, administrationem, vel officium, aut beneficium huiusmodi eidem N. conferre, & assignare ac de illis etiam prouidere recusauerint, seu distulerint, aut negligentes fuerint, Canonicatum, & præben. aut dignitatem, personatum, administrationem vel officium huiusmodi cum plenitudine iuris Canonici, ac omnibus iuribus, & pertinen. supradictis eidem N. conferre, & assignare, nec non eundem N. ad illa vt moris est admittere, & in canonicum recipere, & in fratrem stallo sibi in choro, & loco in capitulo assignatis, omniaque & singula alia in dictis litteris contenta, aliis iuxta earundem continen. ac formam in omnibus, & per omnia facere, & exequi curetis, contradictores prout iustitia suadebit ad hoc compescendo, Non obstant. omnibus quæ in dictis litteris voluimus non obstare. Datum &c.

Pro regularibus autem similis forma illis conueniens detur, &c.

Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostrorum statuti, ordinationis, suspensionis, astrictionis, declarationis, præcepti, iniectionis, nominationis, innouationis, consensus, decreti, voluntatis, promissionis, & mandati infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attemptare præsumpserit indignationem omnipotentis Dei, ac beatorum Petri, & Pauli Apostolorum eius se nouerit incursurum. Dat. Romæ apud sanctum Petrum, Anno incarnationis Dominicæ, Millesimo, Quingentesimo, Sextodecimo, Quintodecimo Kalend. Septembris, Pontificatus Nostri, Anno Quarto.

Nos igitur vt litteræ ipsæ quæ ob id præcipue editæ fuerunt vt in corpore mistico, sancta videlicet Ecclesia, perpetua charitas, & pax inuiolata perdurent, & si qua membra dissentiant, ea commode suo reinserantur corpori eo magis obseruentur, quo clarius constiterit ipsas litteras ea matura, & salubri deliberatione ac nobis dicto sacro Lateranens. approbante Concilio approbatas, & innouatas, qua statuta, & ordinata fuerunt, liset ad earundem litterarum subsistentiam, & validitatem, alia approbatione non indigerent, Ad abundatiorem tamen cautelam, vt eo tenacius obseruentur, & difficilius tollantur, quo tantorum patrum fuerint vniuersi approbatione munita, litteras prædictas cum omnibus, & singulis statutis, ordinationibus, decretis, diffinitionibus, pactis, conuentionibus, promissione, voluntate, ac pœnis, inhibitione, aliisque omnibus, & singulis clausulis in eis contentis, illa præsertim qua volumus quod si præfatus F. Rex supradictas litteras, ac omnia, &

singula in eis contenta intra sex menses à data præsentium computandos non approbaret, & ratificaret, & ea perpetuis futuris temporibus in regno suo, & aliis locis, & Dominiis dicti regni per omnes prælatos, & alias Ecclesiasticas personas, ac Curias parlamentorum acceptari, legi, publicari, iurari, & registrari ad instar aliarum constitutionum regiarum, & de acceptatione, lectione, publicatione iuramento, & registratione prædictis intra prædictum tempus per omnium & singulorum supradictorum patentes litteras, aut auctenticas Scripturas nobis non transmitteret, aut nuncio nostro apud ipsum Regem existente per eum ad nos destinandum non consignaret, & deinde singulis annis etiam legi prout aliæ ipsius F. Regis Constitutiones, & ordinationes, quæ in viridi sunt obseruantia, obseruari debent, inuiolabiliter obseruari cum effectu non fecerit litteræ ipsæ, & inde secutæ, quæcunq; essent cassa, & nulla, nullisque roboris, vel momenti sacro Lateranen. Concilio approbante, apostolica auctoritate, & potestatis plenitudine approbamus & innouamus eaque inuiolabiliter, & irrefragabiliter obseruari, & custodiri mandamus, robur que perpetuæ firmitatis in euentum dictarum approbationis, & ratificationis, & non aliter, nec alio modo obtinere, omnesque in dictis litteris comprehensos & ipsarum litterarum, ac omnium & singulorum in eis expressorum obseruationem, sub censuris & pœnis, ac aliis in eis contentis iuxta earundem litterarum tenorem, & formam teneri, & obligatos esse decernimus, & declaramus. Non obstantibus Constitutionibus, & ordinationibus Apostolicis, ac omnibus illis quæ in dictis litteris voluimus non obstare, cæterisque contrariis quibuscumque.

Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ approbationis, innouationis, mandati, decreti, declarationis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attemptare præsumpserit indignationem omnipotentis Dei, ac beatorum Petri, & Pauli Apostolorum eius se nouerit incursurum. Datum Romæ in publica Sessione, in Lateran. sacto sanctæ Basilica solenniter celebrata, Anno incarnationis Dominicæ Millesimo, Quingentesimo, Sextodecimo Kalend. Ianuarii. Pontificatus Nostri, Anno Quarto.

Visa Ie. Saluius.

Bembus.

A. de Castillo.

Quæ per lecta petiit an placerent paternitatibus suis contenta in Cedula, & omnibus placuerunt simpliciter, exceptis Reuerendo patre Domino Dominico Episcopo Lucerino qui dixit quod placebant sibi contenta in bulla, dummodo Galli acceptent bullam reuocationis pragmaticæ sanctionis, & in eodem voto fuit Reuerendus pater Dominus Philippus Episcopus Bruniaten. & etiam Petrus Episcopus Castelli maris. Reuerendo patri Domino Benedicto Chien. placuerunt omnia, excepto quod in quantum disponitur circa resignationes factas in Curia quod requiratur consensus Regis, hoc non placuit, nec etiam placuit eidem Benedicto quod appellationes non admittantur, sed placeret ei quod appellationes admitterentur. Reuerendo patre Domino Io. Dominico Terdonen. non placuit consuetudo parlamentorum quod habeant iurisdictionem in personas Ecclesiasticas, & in quantum suprascripta Bulla tribuit iurisdictionem sæcularibus in personas Ecclesiasticas non placet ei. Reuerendo patre Domino Hieronymo Episcopo Atculano placent contenta in Cedula, dummodo acceptentur per partes hinc inde.

Deinde Reuerendus pater Dominus Io. Baptista Episcopus Canallicen. ascendit ambonem, & legit Cedulam abrogationis pragmaticæ sanctionis, seu corruptelæ, cuius tenor sequitur & est talis.

Leo Episcopus Seruus seruorum Dei, ad perpetuam rei memoriam Sacro approbante Concilio. Pastor æternus gregem suum vsq; ad consummationem seculi nunquam deseruit, ita Apostolo teste, obedientiam dilexit vt pro expiando primi parentis inobedientiæ peccato seipsum humiliauerit, factus obediens vsque ad mortem, migraturus vero ex mundo ad patrem in soliditate petræ, Petrum eiusque successores vicarios suos instituit, quibus ex libro Regum testimonio ita obedire necesse est, vt qui non obedierit morte moriatur, & vt alibi legitur in Ecclesia esse non potest qui Roman. Pont. Cathedram deserit, quoniam Augustino, Gregorioque auctoribus sola obedientia est mater, custosque omnium virtutum sola fidei meritum possidens sine qua quisque infidelis conuincitur, etiam si fidelis, esse videatur, itaque nos eodem Petro docente solliciti esse debemus, vt quæ à Ro. Pont. prædecessoribus nostris, præsertim in sacris Conciliis pro obedientia huiusmodi auctoritatis, liberatisque Ecclesiasticæ, & sedis Apostolicæ defensione mature, & ex legitimis causis inchoata sunt nostris studio, cura, & diligentia debite absoluantur, & adoptatum finem perducantur simplicium quoq; animæ quarum etiam rationem Deo reddituri sumus à dolis & laqueis tenebrarum principis liberentur.

Sane fe. re. Iulius Papa II. prædecessor noster post indictum ex legitimis tunc expressis causis de Venerabilium fratrum suorum S. R. E. Card. de quorum numero tunc eramus consilio & assensu sacrum Lateran. Concilium prouide consideranstum eodem sacro Lateranen. Concilio Bituricen. Regni Franciæ corruptelam, quam illi pragmaticam sanctionem vocant, cum maximo animarum periculo, & scandalo, ac dignitatis sedis Apostolicæ detrimento, & vilipendio retroactis temporibus viguisse, & adhuc vigere, eiusdem pragmatica sanctionis negotium eodem approbante Concilio discutiendum certis tunc nominatim deputatis Cardinalibus & prælatis certæ congregationis commisit. Et quamquam sanctio præfata ex multis nullitati notorie subiaceret, scismaque manifestum foueret, & contineret, & propterea citatione aliqua minime precedente per se irrita, nulla, & inualida declarari potuisset, & abundanti tamen cautela idem Iulius prædecessor Gallicos prælatos, capitula Ecclesiarum & Monasteriorum parlamenta, & laicos illis fauentes, & dicta sanctione vtentes, omnesq;, & singulos alios in præmissis sua communiter vel diuisim interesse putantes per edictum publicum, cum ad partes illas tutus tunc non pateret accessus in Mediolan. Asten. & Papien. Ecclesiarum valuis affigendum monuit, & citauit vt infra tunc expressum terminum coram eo, & dicto Concilio comparerent, causasque dicerent, quare sanctio præfata, illiusque corruptela, & abusio in concernentibus auctoritatem Rom. Ecclesiæ, & sacrorum canonum, ac Ecclesiasticæ libertatis violationem nulla & annulida declarari non deberet. Cumque dicto Iulio prædecessore in humanis agente diuersis impedimentis causantibus citatio exequi, & reproduci, ac negotium abrogationis huiusmodi plene discuti, vt intentio ipsius Iulii prædecessoris fuerat non potuisset, sed eodem Iulio prædecessore rebus humanis exempto, Citatio ipsa legitime executa, & per procuratorem fiscalem sacri Concilii promotorem reproducta, ipsorumque citatorum non comparentium contumacia accusata, & ad vlteria procedi petitum fuisset.

Nos diuina fauente clementia ad summi Apostolatus apicem assumpti, omnibus rite pensatis, petitioni prædictæ ex certis causis nullum tunc responsum dedimus, ac deinde cum per dictos monitos, & citatos diuersa impedimenta allegarentur quare in termino eis (vt præfertur) præfixo comparere non potuissent, vt omnis iustæ excusationis, & querelæ occasio eis auferretur, terminum citationis, & monitionis huiusmodi præfixum eodem sacro approbante Concilio ad alium tunc expressum terminum iamdiu efluxum in diuersis sessionibus pluries prorogauimus.

Cum autem moniti & citati prædicti sublatis iam omnibus impedimentis effluxisque omnibus terminis coram nobis & dicto Concilio non comparuerint, nec comparere curauerint, ad allegandum causam quare sanctio prædicta nulla declarari non debeat, ita vt excusationi vltra locus non sit, possintq; merito contumaces reputari, prout eos exigente iustitia reputamus.

Nos mature attendentes pragmaticam sanctionem, vel potius vt dictum est corruptelam scismaticam tempore à non habentibus potestatem editam reliquæ Christianæ Reipublicæ Ecclesiaque sanctæ Dei nullatenus conformem, & à cla. me. Ludouico XI. Francorum Rege Christianissimo reuocatam, cassatam, atque abolitam, auctoritatem, libertatem, ac dignitatem dictæ sedis violare, ac diminuere, facultatemque Roman. Pontificibus pro tempore existen. de S. R. E. Cardinal. pro vniuersali Ecclesia assidue laborantium, virorumq; doctorum personis quibus abundat Curia, & quorum Consiliis sedis Apostolicæ, & Roman. Pontific. atque vniuersalis Ecclesiæ auctoritas, & potestas conseruatur, negotiaque diriguntur, & in prospero statu confouentur, Ecclesiis, & Monasteriis, eisdemque personis de reliquis beneficiis Ecclesiasticis iuxta eorum status exigentiam prouidendi penitus auferre. Prælatis vero Ecclesiasticis illarum partium causam præbere vt ipsi nostrum Ecclesiasticæ disciplinæ obedientiæ sanctum frangant, & violent, ac contra nos, & sedem prædictam eorum matrem cornua erigant, & eis ad præmissa audendum viam aperire, ipsamque notorie nullitati subiacere, nulloque nisi alicuius temporis, seu potius tolerantiæ cuiusdam adminiculo fulciri, & si Romani Pontifices prædecessores nostri præfati, prout ipsi suo tempore summopere optare demonstrarunt. corru-

rupselam, & abusionem huiusmodi, vel malignitate temporum, vel alias illi prouidere & in totum occurrere non valentes, suis temporibus tollerasse visi fuerunt, considerantes tamen ab ipsius Bituricen. sanctionis, editione vix annos septuaginta fluxisse, nullumque infra hoc temporis spatium præter hoc Lateranen. Concilium, legitime fuisse celebratum, in quo ciu(disponente Domino)constitutissimus ab eiusdem improbæ Sanctionis extirpatione & totali annullatione, sine nostra & tantorum patrum in præsenti Concilio congregatorum nota, ac nostræ & dictorum illa vtentium animarum periculo abstinere, seu desistere non posse, Augustino teste, iudicamus, atque censemus, & sicut piæ Me. Leo Papa I. prædecessor noster cuius in hoc libenter quoad possumus vestigia imitamur, ea quæ in Secunda Ephesina Synodo temere contra iustitiam & Catholicam fidem gesta fuerunt, postmodum in Calced. nen. Concilio mandauit, ac sicut pro dictæ fidei firmitate reuocari, ita & nos ætam nephariæ Sanctionis & contentorum in ea reuocatione, retrahi aut desistere salua conscientia, ac nostro & ipsius Ecclesiæ honore non posse, aut debere censemus, nec illud nos mouere debet quod Sanctio ipsa & in ea contenta in Basilien. Concilio edita & ipso Concilio instante à Bituricen. congregatione recepta & acceptata fuerunt cum ea omnia post translationem eiusdem Basilien. Concilij per Re. Me. Eugenium Papam Quartum etiam prædecessorem nostrum factam à Basilien. Conciliabulo, seu potius conuenticula quæ præsertim post huiusmodi translationem Concilium amplius appellari non merebatur, facta extiterint, ac propterea nullum robur habere potuerint, cum etiam solum Roman. Pontificem pro tempore existen. tanquam auctoritatem super omnia Concilia habentem Conciliorum, indicendorum, transferendorum, ac dissoluendorum, plenum ius & potestatem habere ne dum ex Sacra Scriptura testimonio dictis sanctorum patrum, ac aliorum Romanorum Pontificum etiam prædecessorum nostrorum, sacrorumque canonum decretis, sed propria etiam eorundem Conciliorum Confessione manifeste constet: quorum aliqua referre placuit, reliqua vero vtpote notoria silentio præterire: In Alexandrina enim Synodo Athanasio ibidem existente felici Roman. Pontific. ab eadem Synodo scriptum fuisse legimus Nicenam Synodum statuisse non debere absque Roman. Pontific. auctoritate Concilia celebrari, neque nos latet etiam eundem Leonem Pont. Ephesinam secundam Synodum ad Calcedonen. transtulisse Martinum etiam Papam. V. præsidentibus suis in Concilio senen. potestatem transferendi Concilium nulla consensus ipsius Concilii mentione habita dedisse, Ephesinam quoque primam Synodum Celestino ac Calcedonens. eidem Leoni. V I. Agathoni. V I I. Hadriano. V I I I. Nicolao. V I I I. etiam Constantinopolitan. Synodum Hadriano Roman. Pontific. prædecessoribus nostris maximam reuerentiam exhibuisse eorundemque Pontifi. institutionibus & mandatis in sacris Conciliis per eos edita & facta reuerenter & humiliter obtemperasse. Vnde Damasus Papa & cæteri Episcopi Romæ congregati scribentes de Concilio Ariminens. Episcopis in Illirico constitutis præudicium aliquod per numerum Episcoporum Ariminі Congregatorum fieri non potuisse testantur, quandoquidem constet Roman. Pontific. cuius ante omnia decebat spectari decretum talibus non præbuisse consensum, eundemque Leonem Pontificem vniuersis Siciliæ Episcopis scribentem idem noluisse apparet, consueuerunt que antiquorum Conciliorum patres pro eorum quæ in suis Conciliis gesta fuerunt, corroboratione à Roman. Pontific. subscriptionem, approbationemque humiliter petere & obtinere prout ex Nicena & Ephesina ac Calcedonens. huiusmodi & VI. Constantinopolitan. & V I I. eadem Nicena ac Romana sub Symacho Synodis habitis earumque gestis, nec non aimari libro de Synodis manifeste colligitur: Quod etiam nouissime Constantienses patres feciſſe constat, quam laudabilem consuetudinem si Bituricenses Basilienses secuti fuissent huiusmodi molestia proculdubio careremus.

Cupientes quoque huiusmodi negosium ad debitum finem perduci, ac tam vigore citationum hactenus à nobis & præfato Iulio prædecessore ex abundanti emanatarum quam aliorum præmissorum quæ ita notoria sunt, vt nulla valeant excusatione aut tergiuersatione cælari etiam ex nostro pastorali officio procedentes omnesque & singulos, tam iuris quam facti defectus si qui forsan in præmissis intercesserint, supplentes ex certa nostra scientia & de Apostol ca potestatis plenitudine eodem sacro approbante Concilio tenore præsentium præfatam pragmaticam sanctionem seu corruptelam, eiusque approbationem quomodolibet emanatam, omniaque & singula decreta, capitula, statuta, constitutiones, siue ordinationes in eodem quomodolibet contentas, seu etiam insertas ac ab aliis

prius editas, nec non consuetudines, stilum, vsus siue potius abusum ex ea in hanc vsque diem quomodolibet emanatos, seu obseruatos, nullius roboris vel momenti fuisse & esse decernimus & declaramus.

Nec non ad abundantiorem cautelam eandem Bituricen. sanctionem siue corruptelam, eiusque approbationem tacitam vel expressam, vt præfertur, & in ea contenta omnia & singula etiam inserta quæcunq; reuocamus, cassamus, abrogamus, irritamus, annullamus, ac damnamus, & pro infectis, reuocatis, cassatis, abrogatis, irritatis, annullatis, & damnatis haberi volumus, decernimus, & declaramus.

Et cum de necessitate salutis existat omnes Christi fideles Romani Pontifici subesse prout diuinæ Scripturæ & Sanctorum patrum testimonio edocemur, ac Constitutione Fe. Me. Bonifacij Papæ VIII. similiter prædecessoris nostri, quæ incipit. Vnam sanctam declaratur, pro eorundem fidelium animarum salute ac Roman. Pontificis & huius sanctæ sedu suprema auctoritate & Ecclesiæ sponsæ suæ vnitate & potestate Constitutionem ipsam sacro præsenti Concilio approbamus innouamus & approbamus, sine tamen præiudicio declarationis sanctæ me. Clementis Papæ V. quæ incipit, Meruit Inhibentes in virtute sanctæ obedientiæ, ac sub pœnis & censuris infradicen. omnibus & singulis Christi fidelibus, tam laicis quam clericis secularibus, & quorumuis ordinum etiam mendicantium regularibus, & quorumuis ordinum etiam mendicantium regularibus & aliis quibuscunque personis, cuiuscumque status, gradus & conditionis existantibus etiam S. R. E. Cardinali, Patriarchis, Primatibus, Archiepiscopis, Episcopis, & quibusuis aliis, Ecclesiastica vel mundana, vel quauis alia dignitate fulgentibus, omnibusque aliis & singulis prælatis Clericis, Capitulis & Conuentibus secularibus, & ordinum prædictorum regularibus etiam Monasteriorum Abbatibus, Prioribus, Ducibus, Comitibus, Principibus, Baronibus, parlamentis, officialibus etiam Regiis, Iudicibus, Aduocatis, Notariis, & tabellionibus Ecclesiasticis vel Secularibus & quibusuis aliis personis Ecclesiasticis, Regularibus & secularibus, vt præfertur, quacumque dignitate fulgentibus in præfato Regno Franciæ Delphinatu & vbicumque prædicta pragmatica, directe, vel indirecte, tacite, vel expresse vigeret quomodolibet existen. vel pro tempore futuris, ne de cætero præfata pragmatica sanctione, seu potius corruptela, quomodolibet ex quauis causa, tacite, vel expresse, directe, vel indirecte, aut quouis alio quæsito colore vel ingenio in quibuscunque actibus Iudicialibus vti, seu etiam eam allegare, vel secundum eum iudicare, aut quosuis actus Iudiciales, vel extra Iudicia les secundum dicta pragmaticæ tenorem vel capitula in ea contenta per se vel alium seu alios nullatenus facere præsumant, aut per alios fieri permittant, seu mandent, nec præfatam pragmaticam sanctionem aut in ea contenta capitula, seu decreta viterius in domibus suis, aut alijs locis publicis vel priuatis teneant, quin imo illam ex quibus Archiuijs etiam Regiis, seu Capitularibus & locis prædictis infra sex menses à data præsentium computandos deleant, seu deleri faciant, sub maioris excommunicationis latæ sententiæ, nec non quoad Ecclesiasticas & regulares personas prædictas, omnium etiam Patriarchalium, Metropolitan. & aliarum Cathedralium Ecclesiarum Monasteriorum quoque & Prioratuum etiam conuentualium & quarumcunque dignitatum aut beneficiorum Ecclesiasticorum secularium & quorumuis ordinum regularium, priuationis, & inhabilitatis ad illa imposterum obtinenda, quo vero ad seculares præfatæ excommunicationis nec non amissionis, quorumcunque feudorum tam à Roman. quam alia Ecclesia ex quauis causa obtentorum ac etiam inhabilitatis ad illa imposterum obtinenda, inhabilitatisque ad omnes & singulos actus legitimos quomodolibet faciendos, infamesque ac criminis læsæ Maiestatis in iure expressis pœnis eo ipso & absque vlteriori declaratione per omnes & singulos supradictos si(quod absit) contrafecerint incurrendis, à quibus vigore, cuiuscumq; facultatis, ac clausarum etiam in confessionalibus quibusuis personis sub quibusuis verborum formis concessis contentarum, nisi à Rom. Pont. Canonice intrante vel alio ab eo ad id in specie facultatem habente, præterquam in mortis articulo constituti absolui non queant.

Non obstan. præmissis necnon Constitutionibus & ordinationibus, decretis, ac statutis apostolicis, seu quacumque alia etiam Conciliari auctoritate quomodolibet, etiam ex certa scientia: & Apostolicæ potestatis plenitudine editis & emanatis, & sapius innouatis, & repetitis, confirmatis, & approbatis, quibus illorum omnium & singulorum tenores, ac si de verbo ad verbum inserereretur ad effectum præmissorum pro sufficienter expressis & insertis habentes,

bentes, illis alias in suo robore permansuris, scientia, potestate, & tenore præmissis, specialiter & expresse derogamus contrariis quibuscumque. Aut si communitatibus, vniuersitatibus & personis singulis supranominatis etiam Cardinalibus, Patriarchis, Archiepiscopis, Episcopis, Marchionibus, & Ducibus præfatis, vel quibusuis aliis, communiter vel diuisim ab eadem sit sede indultum quod interdici, suspendi, vel excommunicari, aut propere aprinari, & inhabiles veddi non possint per litteras Apostolicas non facientes plenam & expressam, ac de verbo ad verbum, de indulto huiusmodi mentionem & quibuscumque aliis priuilegiis, indulgentiis, & litteris Apostolicis, generalibus, vel specialibus quorumcunque tenorum existant per quæ præsentibus non expressa, vel totaliter non inserta effectum earundem impediri valeat quomodolibet vel differri, & de quibus quorumq; tenoribus de verbo ad verbum habenda sit in nostris litteris mentio specialis.

Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostri supplementi, decreti, declarationis, reuocationis, cassationis, abrogationis, irritationis, annullationis, damnationis, voluntatis, constitutionis, innouationis, approbationis, inhibitionis, & derogationis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attemptare præsumpserit, indignationem omnipotentis Dei, ac beatorum Petri, & Pauli apostolorum eius se nouerit incursurum. Data Romæ in publica Sessione in Lateranensi Sacrosancta Basilica solemniter celebrata, Anno incarnationis Dominicæ, Millesimo, Quingentesimo, Sextodecimo. Quartodecimo, Kalend. Ianuarii, Pontificatus Nostri, Anno Quarto.

Visa Ie. Saluius.

F. De Sancto Iohanne.

Qua per lecta petiit an placerent paternitatibus suis contenta in cedula & omnib. placuerit simpliciter, excepto Reuerend. Domino Episc. Tardonen. qui dixit quod placebant sibi reuocatio illorum quæ habuerunt originem à Basilien. & Bituricen. Concilijs seu conuenticulis.

Postremo Reuerend. pater Dominus Io. Episcopus Sibinicen. accepit cedulam & legit cedulam disponentem circa religiosos & eorum priuilegia Cuius tenor talis est.

Leo Episcopus Seruus seruorum Dei, ad perpetuam rei memoriam, sacro approbante Concilio. Dum intra mentis, arcana reuoluimus, & diligenti consideratione pensamus operosa sollicitudinis studia, continuosq; labores pro diuini nominis gloria, exaltatione Catholicæ fidei Ecclesiæ vnitate seruanda & institutione ac salute fidelium animarum per Coepiscopos eorum que superiores in diuersis orbis pertinentibus ad regimen suarum Ecclesiarum à sede Apostolicæ constituros, nec non fratres diuersorum ordinum præsertim mendicantium indefesse & indesinenter impensos tanta ex eorum in vinea Domini fructuosis operibus & opportune ac laudabiliter gestis cordi nostro prouenit satisfactio vt ijs qui ad pacem & quietem inter eos conseruandam conducere cognoscimus, omni studio intendamus. Nouimus enim Episcopos ipsos in partem sollicitudinis nostræ assumptos fuisse quorum honor & sublimitas teste Ambrosio, nullis potest comparationibus adæquari, religiosos etiam in agro Domino pro Christiana religionis defensione & ampliatione complura fecisse, ac uberes fructus protulisse & indies singulos proferre, ita vt eorundem Episcoporum ac Religiosorum bonis operibus orthodoxam fidem incrementa sumpsisse & per orbem terrarum vndique dilatatam fuisse, fidelium nullus ignoret, & sicut ipsi sepenumero vigilantissima & soleti cura schismata in Dei Ecclesia extinguere & Ecclesiæ vnitatem reddere, & vt eidem Ecclesiæ pacis tranquillitas daretur, innumeros labores subire non dubitarunt, ita quoque par est eos inter se nostris prouisionibus pacis vinculo, ac fraterna charitate & vnitate coniungi vt eorum concordi doctrina & mutuis operibus vberiores in Ecclesia Dei fructus prouenient.

Sane cupien. vt iura spiritualia quæ ad Dei laudem & Christifidelium animarum salutem pertinent & quorum exercitium præfatis Episcopis & eorum superioribus in suis Dioceſis cum ipsis in partem sollicitudinis, vt præfertur assumpti, ac dioceses distincta, & cuilibet eorundem Episcoporum assignatæ fuerunt, commissum extitit: per ipsos Episcopos exerceantur, & ius illa libere exercendi quantum fieri potest, eis illæsum perseruetur, & si aliqua dictis fratribus Mendicantibus in eorundem Episcoporum lasionem per Roman. Pont. prædecessores nostros & sedem Apostolicam concessa fuerint, concessiones huiusmodi eisdem religiosis factas in subsequentibus duximus moderandas, vt ipsi fratres potius ab eisdem Episcopis omni cum charitate foueantur, quam aliquo modo molestentur, & inquietentur. Vna enim est regularium, secularium prælatorum & subditorum exemptorum & non exemptorum vniuersalis Ecclesia, extra quam nullus omnino saluatur, eorumq; omnium vnus Dominus, vna fides, & propterea decet eos qui eiusdem sunt corporis, vnius etiam esse voluntatis, & sicut fratres nexu inuicem charitatis astrictiores, sic non conuenit alterum in alterius iniuriam, seu iacturam prosilire dicente Saluatore, Hoc est præceptum meum, vt diligatis inuicem sicut dilexi vos.

Ad conseruandam igitur inter Episcopos & eorum superiores, ac Prælatos & fratres huiusmodi mutuam charitatem & benevolentiam, diuini quoq; cultus augmentum, pacemq; & tranquillitatem vniuersalis Ecclesiæ status. Quod ita demum fieri posse cognoscimus, si vnicuique quantum fieri potest suæ iurisdictio conseruetur. Sacro approbante Concilio statuimus & ordinamus, quod Episcopi & eorum superiores & alij Prælati prafati, parrochiales Ecclesias, ad eosdem fratres ratione locorum suorum legitime spectantes quo ad ea quæ parrochianorum curam & sacramentorum conservationem, administrationemq; pertinent, sine tamen visitatorum insolito grauamine vel impensa visitare, & illarum curam gerentes & circa illam delinquentes, Si Religiosi fuerint, iuxta ipsius ordinis regularia instituta intra septa regularis loci: Seculares vero Presbyteros & fratres huiusmodi beneficia obtinentes libere tanquam suæ iurisdictioni subiectos punire.

Ac tam Prælati quam Presbyteri seculares qui vinculo excommunicationis legati non fuerint, missas in Ecclesiis domorum eorundem deuotionis causa celebrare volentes celebrare possint: ipsique fratres tales celebrare volentes libenter recipere debeant, ac ab eisdem prælatis ad processiones solennes pro tempore faciendas requisiti, dummodo eorum loca suburbana vltra vnam miliare à Ciuitatibus respective non sint remota accedere, nec non superiores eorundem fratrum, fratres quos ad audiendas Confessiones subditorum eorundem Prælatorum pio tempore elegerint, eisdem Prælatis personaliter exhibere ac præsentare si eos sibi exhiberi & præsentari pecierint, aliquin eorum Vicariis dummodo ad Prælatos vltra duas dietas accedere non cogantur, omnino teneantur, possint que illi per eosdem Episcopos & Prælatos super sufficienti litteratura & aliqua saltem huiusmodi sacramenti peritia dumtaxat examinari, talibusq; præsentatis admissis, vel etiam indebitæ recusatis confitentes, Constitutioni, quæ incipit, Omnis vtriusq; sexus quoad confessionem dumtaxat satisfecisse censeantur, ipsiq; fratres etiam forensium confessiones audire valeant.

Laicos tamen & Clericos seculares à sententijs ab homine latis nullatenus absoluere possint.

Eucharistiæ vero & extremæ vnctionis, aliaq; Ecclesiastica sacramenta illis quorum etiam infirmorum ac decedentium confessiones audierint dicentibus proprium sacerdotem illa sibi dare denegasse, dare nequeant, nisi denegatio sine legitima causa facta vicinorum testimonio probata aut requisitio coram notario publico facta doceretur.

Eorundem vero fratrum obsequio insistentibus, sacramenta huiusmodi nullatenus minis trare valeant nisi illorum durante obsequio.

Pacta autem & conventiones inter eosdem fratres & Prælatos atq; curatos pro tempore inita valeant, nisi per subsequentium capitulum proximum generale vel prouinciale refutata, ac per eos refutatio huiusmodi intimata debito tempore fuerint.

Parrochias autem cum cruce ad leuanda funera eorum qui apud Ecclesias, domorum & locorum eorundem suam elegerint sepulturam intrare non possint nisi prius præmonito & requisito ac recusato parrochiano Presbytero & tunc sine eius ac ordinarij præiudicio, nisi eisdem fratribus super hoc antiqua consuetudo quæ sit in viridi obseruantia & cum pacifica possessione suffragetur.

Volentes quoq; sepeliri in habitu eorundem fratrum in claustro non degentes, sed in propriis domibus habitantes, in eorum vltima voluntate sepulturam sibi libere eligere possint.

Quodq; fratres ipsi ad ordines promouendi per ordinarios de grammatica & sufficientia examinari & dummodo competenter respondeant per eosdem ordinarios libere admitti, ac nullatenus in eorum Ecclesijs seu domibus, aut alijs eorum locis ab alio quam à Diocesano Episcopo, vel eius Vicario super hoc cum debita reuerentia requisito & absq; rationabili causa contradicente vel eo à dioecesi absente ad dictos ordines promoueri debeant.

Nec ab alio Episcopo confecrationem Ecclesiæ, vel altaris, aut Cæmiterii benedictionem petere, seu in Ecclesiis per eas pro tempore ædificandis primum lapidem per alienum Episcopum poni facere

possint, nisi vbi ordinarius bis aut ter cum debitis reuerentia & instantia requisitus sine legitima causa id recusauerit.

Et absque curatorum consensu sponsum & sponsam benedicere nequeant.

Et vt debitus honor matrici Ecclesiæ reddatur, tam ipsi fratres quam alii clerici sæculares etiam super hoc Apostolicæ sedis priuilegio muniti die sabbathi maioris ebdomadæ antequam campana Cathedralis vel matricis Ecclesiæ pulsauerit campanas in Ecclesiis suis pulsare minime possint. Contrafacientes pœnam centum ducat. incurrant.

Censuras autem per eosdem ordinarios latas & promulgatas, ac in matrici Ecclesia Ciuitatum nec non in Collegiatis & Parrochialibus Ecclesiis Castrorum & Oppidorum respectiue solemniter publicatas, quando super hoc ab eisdem Ordinariis requisiti fuerint, in Ecclesiis domorum suarum publicare, ac seruare.

Et vt animarum vtriusque sexus Christifidelium saluti vberius consulatur, illos quorum confessiones pro tempore audierint cuiuscunque status & conditionis fuerint ad soluendum decimas, siue aliam bonorum seu fructuum quotam in locis in quibus decimæ ipsæ aut similia solui consueuerunt etiam sub onere conscientiarum suarum monere, & hortari, ipsisq; etiam illas soluere recusantibus absolutionem denegare, & super hoc requisiti id populo etiam publice prædicare & persuadere teneantur.

Conseruatores autem eisdem fratribus pro tempore à sede Apostolica deputandi doctrina & probitate præstantes & in Ecclesiastica dignitate constituti esse debeant & coram eis per eosdem fratres quibus dati fuerint vltra duas diætas à loco suæ solitæ habitationis nullus trahi possit, priuilegiis super hoc alias eis concessis nullatenus suffragantibus.

Excommunicati quoque ordinem mendicantium profiteri volentes vbi de interesse tertii agetur, absolui non possint, nisi præuia satisfactione.

Procuratores quoque & negociorum gestores, ac operarii eorundem fratrum seruitiis insistentes sententiis excommunicationis promulgatis illaqueati sint & esse censeantur, si illis causam dederint, aut dantibus Consilium, auxilium, vel fauorem præstiterint, fratres autem & sorores tertii ordinis, necnon mantellati Corrigiati, Pizochatæ, Cordellati, & alii quocunq; nomine nuncupati in propriis domib. habitantes sepulturam, vbi voluerint eligere valeant, sed die Paschatis tantum Eucharistiam, necnon extremam vnctionem, cæteraq; Ecclesiastica sacramenta pœnitentiæ sacramento dumtaxat excepto à proprio sacerdote recipere, & ad onera, quæ laicis incumbunt perferenda teneantur, ac in foro sæculari coram Iudicibus sæcularibus conueniri possint.

Et ne censura vilescat Ecclesiastica & minoris auctoritatis interdicti sententia reputetur iidem dicti tertii ordinis ad diuina audienda in Ecclesiis suorum ordinum tempore interdicti nullatenus admittantur, si causam dederint interdicto vel causam ipsam nutriant, seu foueant, aut dantibus auxilium, cōsilium, vel fauorem, quoquomodo præstiterint, collegialiter autem viuentes, seu cum claustralibus habitantes, ac mulieres virginalem, seu cælibem, aut castam vidualem expresso voto, & sub dicto habitu vitam ducentes, priuilegiis quibus fratres ordinis cuius tertiæ regulæ habitum gestant gaudere debeant.

Omnia etiam singula supradicta ad reliquos religiosos ordinum quoruncunque extendi, & per eos etiam seruari debere volumus, atq; decernimus.

Saluis tamen in reliquis desuper non expressis, tam Episcoporum quam fratrum & aliorum religiosorum prædictorum iuribus quibus per præmissa in aliquo præiudicare, seu quicquam innouare non intendimus.

Non obstantibus constitutionibus & ordinationibus Apostolicis ac statutis & consuetudinibus dictorum ordinum iuramento confirmatione Apostolica, vel quauis alia firmitate roboratis, priuilegiis quoq; & indultis, & litteris Apostolicis contra præmissa, seu aliquod præmissorum eisdem ordinibus concessis etiam in mari magno contentis, quibus etiam si ad illorum derogationem de eis, eorumque totis tenoribus specialis specifica, expressa, indiuidua, ac de verbo ad verbum, non autem per generales clausulas id importantes mentio, seu quæuis alia expressio habenda aut alia exquisita forma seruanda esset, illorum tenores præsentibus pro sufficienter expressis & insertis habentes specialiter & expresse derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque decernentes ex nunc irritum & inane si secus super his à quoquam quauis auctoritate, scienter, vel ignoranter contigerit attemptari.

Eosdem insuper fratres in virtute sanctæ obedientiæ monemus, vt eosdem Episcopos loco sanctorum Apostolorum subrogatos pro debita & nostra ac Apostolicæ sedis reuerentia congruo & honore & conuenienti obseruantia venerentur, ipsos quoque Episcopos hortamur, ac per viscera misericordiæ Dei nostri requirimus, vt fratres ipsos affectu beniuolo prosequentes charitatiue tractent, ac benigne foueant, seque illis minime difficiles, aut duros, vel morosos, sed potius faciles, mites, propitios, piaque munificentia liberales exhibeant, ac in omnibus prædictis tanquam in agro Dominico cooperatores, eorumque laborum participes prompta benignitate recipiant, eorumque iura omni cum charitate custodiant, atque defendant, vt tam Episcopi quam fratres præfati quorum opera veluti Lucernæ ardentes supra montem posita omnibus Christifidelibus Lumen præbere debent ad Dei laudem, fidei Catholicæ exaltationem, populorumque salutem, de virtute in virtutem proficiant, ac exinde à largissimo bonorum omnium retributore Domino perennis vitæ præmium consequi mereantur.

Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostrorum statuti, ordinationis, voluntatis, derogationis, decreti, monitionis, exhortationis, & requisitionis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Siquis autem hoc attemptare præsumpserit, indignationem omnipotentis Dei, ac beatorum Petri, & Pauli Apostolorum eius se nouerit incursurum. Data Romæ in publica Sessione, in Lateranensi sacrosancta Basilica solenniter celebrata, Anno incarnationis Dominicæ Millesimo, Quingentesimo, Sextodecimo, Decimonono Decembris. Pontificatus Nostri Anno Quarto.

Qua perlecta idem Episcopus legit indictionem duodecimæ Sessionis videlicet Sexto Non. Martii proxime futuri, & petiit an placerent lecta in dictis Cedulis paternitatibus suis, & fuerunt vota infrascripta aliqualiter discrepantia aliis cæteris respondentibus per verbum placet. Nam Reuerend. Dominus Episcopus Potentin. dixit quod non fuerat vocatus nec informatus, & ea de causa remittit se ad Sanctissimum Dominum Nostrum à quo bona cuncta procedunt.

Cuman. & Taruisin. dixerunt quod videbatur eis quod esset adimenda illa clausula saluis &c. & quod poneretur approbare vbi dicit innouare.

Cauallicen. etiam non placuit illa clausula saluis &c.

Melfitan. dixit placere sibi quo ad ea quæ restituuntur Ordinariis, in alio vero sine præiudicio ordinariorum & successorum suorum.

Yporien. placuerunt sine approbatione priuilegiorum & in eodem uoto fuit Beluacen.

Terdonen. placuerunt exceptis duobus videlicet de conseruatoribus quibus dari deberent assessores & sine approbatione priuilegiorum, quia vnius inclusio est alterius exclusio.

Cesenaten. placuerunt sine approbatione priuilegiorum.

Brunaten. placuerunt dummodo tollatur clausula saluis aut verbum innouare deponatur, & ponatur approbare.

Vincien. Ferentin. & Senogallien. placuerunt sine approbatione priuilegiorum fratrum.

Allegarien. placuerunt pro se, sed pro aliis quibus est procurator dicit se nihil velle dicere.

Dignien. placuerunt sine præiudicio Ecclesiæ suæ.

Fuerunt insuper data mandata Prælatorum absentium, & primo.

Reuerendus Dominus Zutfeldus Vuerdemberg, dedit mandatum Reuerendi patris Domini Henrici Episcopi Curonien.

Et Dominus Petrus de Candia dedit mandatum Reuerendi patris Domini Augustini Episcopi Grassen.

Reuerendus Dominus Ioannes Noendomman dedit mandatum Reuerendi patris Domini Theodorici Episcopi Lubicen.

Reuerendus Dominus Benedictus Episcopus Chien. dedit mandatum Reuerendi Domini Iacobi Episcopi Fauentin.

Reuerendus Dominus Ioannes de Tredra nomine Episcopi Caietan. siue de Lipari dedit mandatum Reuerendi patris Domini Petri Episcopi Lucen.

Reuerendus Dominus Hieronymus Episcopus Asculan. dedit mandatum Reuerendi Domini Episcopi Callinen.

Reuerendus Dominus Alexius Episc. Melfitan. dedit mandatum Reuerendi Domini Iuliani Cibo Episcopi Agrigentinensis.

Reuerendus Dominus Ioannes Episcopus Algaren. dedit mandatum Reuerendi Domini Guilelmi Episcopi Tyrasonensis.

Reuerendus Dominus Petrus Episcopus Castelli maris dedit mandatū Reuerendi Domini F. Episc. Spoletanensis.

Reuerendiss. Dominus Card. sancti Georgii dedit mandatū Reuerendi Domini Alberti Magdeburgen. & Moguntin. Archiepiscopi ac Marchionis Brandeburgensis.

Reuerendus Dominus Ioan. Hinghenuuinhel dedit mandatum Reuerendi Domini Federici Episc. Traiectensis.

Reuerendus Dominus Ioannes Episcopus Algaren. dedit mandatum Reuerendi Domini Petri Conceptionis in Insula Hispan.

Reuerendus pater Dominus Georgius Archiepiscopus Nazarenus dedit mandatum Reuerendi Domini Episcopi Tribunensis & Marcharienfis.

Et Dominus Zutfeldus Noiodeburgen. dedit mandatum pro Domino Ioanne Episcopo Hanilbergensis.

Et Dominus Petrus de Sotto dedit mandatum Reuerendi Domini Alfonsi Archiepiscopi Compostellanensis.

Reuerendus Dominus Episcopus Melfitan. præfatus excusauit Reuerendum Dominum Nicolaum Episcopum Borgoniensem.

Reuerendus Dominus Ioann. Pels dedit mandatum Reuerendi Domini Mannardi Abbatis sancti Adalberti in Egmonda ordinis sancti Benedicti Traiecten. Dioc.

Quibus finitis cantores inceperunt. Te Deum laudamus. Quo finito sanctissimus Dominus Noster Comitatibus Reuerendissimis Dominis Cardinalibus, Patriarchis, Archiepiscopis, & Episcopis, & aliis Prælatis & Nobilibus Viris equitando rediit ad sacrum Palatium Apostolicum in Vaticano, vtq; ad manum Regulares vnitos haberet, qui Pontificem authoritatem & maiestatem, seq; ipsos etiā vnanimiter aduersus Episcopos tuerentur; edito super ea re diplomate, Corpus quoddam, seu congregationē Regularium omnium in vrbe instituit; quorum superiores ad Cænobium Mineruæ, toties quoties necesse haberent, in grauaminibus etiam à summo Pontifice illatis vel inferendis, conuenirent, deliberarent, & in commune decernerēt, præsidente cætui supremo Dominicanorum Magistro, qui moderator consiliorum esset. *extat bulla in archiuo Mineruæ.*

II. Inter hæc, ista quæ Guiciardinus narrat isto anno inter Principes Christianos acciderunt, atq; simul Pontificē inuoluerunt, Rex Galliæ Franciscus Mediolanum reuersus, septingētis cataphractis, sex Germanorū peditum, & quatuor Gallorum millib. ex iis qui ab illis Venturerij, quasi Venturientes & fortuiti dicūtur, à veterib. Voluntarij appellati, ad eius imperii præsidium retentis, illico exercitum dimisit; ipse vero Pontificio fœderi innixus, & quia iisdem diebus cum Heluetiis cōuenerat, se res suas in Italia constabiliuisse ratus & Carolo Borbonio cum Imperio relicto, anni huius initio maximis itinerib. in Galliam contendit. Heluetii n. quamuis Angliæ Rex eos ad bellum denuo Galliæ Regi inferendum incitaret, fœdus cum illo renouauerant, seq; semper & in Italiam & extra, ad defensionem & offensionem contra quemuis, nomine & signis publicis, eum peditum numerum quem petiisset, ad eius stipendia missuros Pontifice, Imperio & Cæsare quoad offensionem attinet, exceptis, receperunt: & vicissim Rex eis veteres pensiones confirmauit, 600. aureorum nummum millia Diuione promissa se certis temporibus soluturum, & 300. millia si ei oppida & valles ad Mediolanense Imperium spectantes restituerēt; promisit, quod cum quinq; pagi qui eas tenebant recusarent, nec concordiam ratam habere vellent. Rex reliquis octo pagis pecuniā pro rata pensione sua repræsentare cæpit; qui ea conditione expressa, ne contra quinq; pagorum cohortes eius stipendijs militare cogerentur, eam acceperunt.

Eiusdem anni initio Petrucius Episcopus Pontifici veteri familiaritate iunctus, eius & Florentinorum ope, Borghesio Pandolfi Petrucii filio patruele suo, qui remp. administrabat Senis pulso, sibi eandē authoritatem vendicauit: quod Pontifex ideo fecit, vt ei ciuitati inter Pontificium & Florētinorum Imperiū sitæ homo ipsi fidus præesset; & fortasse multo magis, quod temporum opportunitate ipse eam cum ipsius Episcopi consensu, vel fratris, vel nepotis imperio subiectum speraret.

III. Ferdinandus Rex Hisp. moritur. Res in Italia inter Cæsarem, & Venetos, Brixiæ & Veronæ Galliæ Regis ope recuperandarum cupidos, accensæ remanserunt: reliqua satis pacata videbatur. Sed mox motuum qui Aragoniæ Regis opera excitabantur, initia apparere cæperunt. Is n. ob Galliæ Regis potentiam regno Neapolitano metuens, cum Cæsare & Angliæ Rege belli in eum denuo excitandi consilia agitabat; quod non modo Cæsari semper nouarum rerum studioso, quiq; per se vix vrbes Venetis ademptas tueri poterat, persuadere haud difficile fuerat: verū etiam Angliæ Rex præsenti in Galliæ Regem æmulatione & odio, fidei à Socero violatæ memoriam superante assentiebatur. Incitabat præterea Anglum, vt Scotiæ Regis pupilli curæ præessent homines vel ab ipso dati, vel ex ipsius authoritate pendentes, efficiendi desiderium. quæ maiori consilio & virib. tentata fuissent, nisi dum agitarentur Aragoniæ Regis mors incidisset, qui diuturno morbo grauatus, mense Ianuario dum Sibilium peteret, Madrigaleii obscurissimo vico obiit: Rex certe præstantissimo consilio & virtute, in quo, vix aliquid reprehensione dignum inueniebatur: quoniam in eius sumptib. tenacitas quæ ei retribuebatur, mors facile falsā declarauit. Nam quum quadraginta duos annos regnasset: nullā tamen collectam pecuniā reliquit. Sed ob deprauatum hominum iudiciū plerumq; accidit, vt in Regib. magis profusio, quāuis ei rapacitas sit annexa, q̄ā parsimonia cum alieni abstinentia coniuncta, laudetur. Huius Regis singulari virtuti accessit eximia perpetuaque totius vitæ (si vnici filii mortem excipias) felicitas. quoniam fœminarum & generi casus, vt ad mortem vsq; potentiā suam retinuerit, in causa fuerunt: & Castellæ regno post coniugis obitum cedēdi necessitas, potius fortunæ ludus quam vulnus fuit. In reliquis rebus omnib. fortunatissimus. Cum secundus Aragoniæ Regis filius, maiore fratre defuncto illud regnum est adeptus, matrimonio cum Isabella contracto, ad Castellæ regnū peruenit: aduersarios eiusdem regni cōpetitores cū victoria expulit: deinde Granatæ regnum, quo religionis nostræ hostes paulominus octingētis annis potiti erāt, recuperauit: Neapolitanum, Nauarræ, Organiq; regna cum multis locis in Africa littorib. oportunis, imperio suo adiecit. victor fere hostium suorū ac domitor fuit: suas cupiditates cunctas prope honesti religionis studii, & sanctæ ad commune bonū promouendum mentis colore velauit: qua in re fortuna cum industria manifeste coniuncta apparuit. Tria testamenta memor mortalitatis confecit. Primum Burgis ante tres annos. Alterum Arandæ ad Durii ripam anno superiori: Tertiū sub mortem. Ioannem Reginā hæredem, Carolum eius filium procuratorem, & antequā in Hispaniam veniret, reb. Aragoniis Cæsaraugustanum Præsulem, Castellæ Cardinalem Hispaniæ præfectos scripsit. Testamento Curatores adhibiti, Regina, Carolus nepos, Cæsaraugustanus præsul, Cardonæ Dux lectissima fœmina, Albanus Prorex Neapolitanus Thomas Matiensus Dominicanus à Cōfessionib. & Michael Clemens ab epistolis, quo excipiente testamentū cōfecerat. Peccata Thomæ Matienso è Dominicano Ordine aperuit. Proximo die Mercurii post mediā noctem vna amplius hora animam placide efflauit X. Cal. Februa. Princeps iustitiæ cultu, prudentiæ laude, animiq; præstantia excellentior omnibus, qui vnquam in Hispania extiterunt. Imperii modestia, religionis amore, bonarum artium studio, forma haud dubium iusti, mitis, benefici, ac vere Christiani Regis, ac speculum in quod omnes Hispani principes intueantur, aureæ pacis in Hispania & publicæ securitatis atq; elegantiæ & amplitudinis conditor. Extincti corpus Granatam delatū templi maximi Sacello Regio compositum. Eius vrbis sacratus Ordo, vrbanus Senatus, Regiusq; iudicum conuentus certatim funus honestarunt. Lecto funebri nobilissimi quiq; humeros supposuerunt. Iusta apparatu celeberrimo facta sunt, dataeq; extincto inferiæ, vti opus erat, expugnatori atq; conditori vrbis, eiusq; atq; adeo vniuersis Granatensis regni bonorum, felicitatisq; optimo patrono atque præclaro. Quanti virum fecerit, quamque grauiter eius obitum tulerit Leo Pontifex declarauit literis scriptis.

Maximiliano Romanorum Imperatori designato.

Etsi existimo eius te rei nuncium iam accepisse, quæ de re graui cum dolore ad te scribo; vel magnitudo tamen ipsius, vel mea in te beneuolentia facit, vt statuerim de ea te certiorem fieri meis etiam litteris oportere. Itaque scies meos in Hispania Internuncios scribere, Ferdinandum Regem, ea nocte, quæ nox diem XI. Calend. Februar. est consecuta, vitam cum morte commutauisse. Equidem satis commemorare nequeo, quantum nobis molestiæ, quantum mœroris, tam grauis, tam prudentis, tam nostri & Ecclesiæ obseruantis, tam bello & pace præclari excellentisque Regis mors atque interitus attulerit, existimantibus multum nobis, multum Romanæ rei, multum etiam Christianæ publicæ eo extincto Rege tum præsidii tum ornamenti esse sublatum. Quas ad caussas tot atque tantas doloris mei, illud etiam accedit, quod te scio eius viri obitum grauiter & moleste laturum, quippe, qui magno sapientissimoque Rege & tui amantissimo, tecumq; coniunctissimo te priuatum & spoliatum intelliges. Quamobrem de communi vtriusque nostrum, atque etiam vniuersæ Christianæ rei damno atque iactura grauiter atque magnopere doleo, animique mei vberrimum tecum mœrorem & ægrimoniam partior. Quod cum facio, tum Deum oro, quæsoque, vt te esse apud homines eo diutius velit, quo Ferdinando Rege optimo atque maximo nostri homines spoliati, authoritatis, prudentiæ, temperantiæ, consiliorumque tuorum impensius indigebunt. Dat. V. Id. Feb. anno III. Florentiæ.

IV. *Franciscus Rex Galliæ Regnũ Neapol. inuadere cogitat.*

Hispani Regis obitus, Galliæ Regis animum ad regni Neapolitani expeditionem accendit; ad quam Borbonii Ducem cum octingentis Gallicis lanceis, & decem peditum millibus se regno Regis morte perturbato, nec satis ad defensionem comparato, quum Carolus Archidux in tempore ei succurrere non posset, facile victoria potiturum persuasus, mittere volebat. nec dubitabat, quin Pontifex ob spem sibi in colloquio Bononiensi factam, & beneuolentiam illo colloquio contractam, nec minus propria caussa, quasi ei nimia Archiducis tot regnorum hæredis, & Cæsaris successoris potentia molesta esset, secum facturum sperabat. Præterea Archiducem quum sibi eius inimicitiam in Hispaniæ regnis confirmandis, & præsertim in Aragoniæ regno, ad quod si cum iure coniuncta potentia fuisset, nonnulli ex eadem familia aspirassent, plurimum obesse posse animaduerteret, moderate secum acturum. Nam & si Rege eiusque vxore Isabella viuis, in totius regni Conciliis declaratum fuerat, veteres eius regni constitutiones fœminas ab regni successione excludentes, maribus ex eis natis quum inter mares demortui Regis fratres, patrui, vel nepotes, vel qui eo qui ex eiusdem styrpis fœmina natus propior, vel saltem pari gradu esset, non reperiuntur, minime obesse, ideoque successionem post Ferdinandi obitum ad Carolum Archiducem spectare, exemplo quod Martino Aragoniæ Rege absque maribus liberis mortuo, iudicum ad id totius regni consensu delectorum sententia, Ferdinandus huius Ferdinandi auus, quamuis ex fœminina stirpe esset, Vrgelii comiti, aliisque Martino per masculum genus, sed remotiori quam Ferdinandus gradu coniunctis antepositus fuerat, adducto; tamen semper tacita apud populos querela fuerat, Ferdinandi & Isabellæ potentiam in hac interpretatione ac declaratione æquo iure plus valuisse: quia multis minime æqua interpretatio videbatur, & fœminis exclusis, liberi earum admittantur: & in sententia secundum Ferdinandum Seniorem lata æquitatem, armorum metu fuisse superatam. quæ cum Galliæ Regi nota essent, & quum etiam Aragoniæ Prouinciæ, Valentiæ & Cataloniæ Comitatus populos qui omnes sub Aragoniæ regno comprehenduntur, proprium Regem exoptare sciret, Archiducem ne tantam hæreditatem totque regna in discrimen adduceret, tandem ab regno Neapolitano ipsi aliqua honesta pactione concedendo, non alienum fore sperabat: quo tempore, vt sese præter alias vires benefaciendo quoque communiret, Prosperum Columnam qui liberandi sui gratia trecentas & quinquaginta auri libras pollicebatur, media tantum parte soluta liberum dimitti voluit: quo factum est, vt multi crediderint, Prosperum ei clam se arma contra eum non sumpturum, vel fortasse ei bello Neapolitano adfuturum, sed cum aliqua exceptione honoris promisisse. Rex itaque hæc animo agitans, & iam bello moram nullam interponere statuens, nouis casibus animum ad propriam defensionem conuertere coactus fuit. quoniam Cæsar Angliæ, Pannoniæ & Poloniæ Regibus fœderatus, mille & ducentis auri libris secundum ea quæ prius cum Aragoniæ Rege agitari cœpta erant acceptis, ad Mediolanense imperium inuadendum, Gallosque Italia pellendos, quemadmodum cum Regibus constitutum fuerat, vbi Veronæ & Brixiæ rebus ope Gallorum à Veneto vexatis succurrisset, sese comparabat. Eas vrbes vt Veneti recuperarent, frustra tentarunt. Cæsar quoque non multum operæ pretio facto, Tridentum rediit. Actum inter hæc Hispanum inter & Galliæ Regem, de fœdere Pontifice, qui bellum ab Italia auertere cupiebat, operante. Decima quinta Augusti die Nouioduni his legibus ictum. Inter Galliæ atque Hispaniæ Regem perpetua pax, & fœdus ad ipsorum regna & prouincias contra quemuis tuendas esto. Galliæ Rex filiam vnum annum natam, Catholico Regi in matrimonium dato, eique iura quæ in regnum Neapolitanum ex diuisione ab ipsorum maioribus olim facta haberet, dotis nomine concedito, donec autem filia ad ætatem connubio aptam peruenerit, Catholicus Rex in eius sumptus quotannis Galliæ Regi mille auri libras pendito. Quod si ea ante ex hac vita migrauerit, & Regi alia nata fuerit, ea iisdem legibus Catholico Regi nubito. Si forte nulla superfuerit, Renata quæ ei Lutetiæ desponsa fuerat, vxor eius esto. Quacunq; autem illarum in matrimonio absq; liberis defuncta, ea regni Neapolitani pars Galliæ Regi restituitor. Catholicus Rex antiquo Nauarræ Regi intra certum tempus regnum restituito, quod ni fecerit, Galliæ Regi eum ad id recuperandum iuuare fas esto (sed vt post Hispani aiebant, si is prius se ius habere probasset.) Cæsar intra duos menses huic fœderi sese adiungendi potestatem habeto: quod & si fecerit, tamen Galliæ Regi Venetos ad Veronam recuperandam iuuare licitum esto. quam vrbem si Cæsar Catholico Regi in manus deposuerit, cum potestate eam Galliæ Regi, vt quod ei visum fuerit de ea ex suo arbitrio statuat tradendi, Galliæ Rex ei mille auri libras repræsentato; & totidem Veneti partim quo tempore tradetur, partim sex post menses numeranto: & circiter trium millium auri librarum quas ab Ludouico Rege quum fœdere iuncti essent accepit, obligatione Cæsar liber esto. Quod si fiat, octodecim mensium induciæ inter Cæsarem & Venetos sunto. Cæsar Tridentinam Ripam, Rouerctum, cum iis omnibus quæ in Foro Iulii possidet obtineto. Veneti Cæsaris castella vti tunc possidebant, sic, donec Galliæ & Hispaniæ Reges finium inter ipsos controuersias composuerint, possidento. Vtraque pars Pontificem nominauit, quamquam is Regi Galliæ valde suspectus fuit. Nam cum ex fœdere quingentos grauis armaturæ equites ad Mediolani defensionem, vel saltem ad eius fines mitteret, & quemadmodum eam Antonio Mariæ Palauicino obtulisse aiebant, in tria Heluetiorum millia stipendia daret ab eo petiisset; Pontifex quod ad Heluetiorum stipendia frigide respondebat; & de copiis, quoniam suæ non satis instructæ essent, se Florentinorum copias missurum promittebat; quæ cum nonnullis ex ipsius militibus lente admodũ Bononiam & Regium versus ire cœperunt. Illum autem Cæsaris aduentus impulsorem fuisse, Bernardi Bibienæ Cardinalis, qui semper apud Pontificem Gallorum res impugnare solebat, vbi eum Italiæ fines attigisse cognouit, ad eum legatio; & multo magis M. Antonii Columnæ Cæsaris exercitum cum suis copiis sequendi potestas data suspicionem auxit. Sed reuera Cæsaris cum tantis viribus aduentus Pontifici propria de causa molestus fuit. Verebatur enim, ne si victor existeret, veterem propensionem suam sequutus, vbi diadema imperii ab Apostolica manu, quemadmodum cupiebat extorsisset, Italiam vniuersam opprimere conaretur. Sed metu ductus, & quia ea ratio naturæ ipsius conueniebat; cõsilia sua occultans, se quãto minus poterat vtriq; parti odiosum reddere nitebatur. Eã ob causam M. Antoniũ reuocare, Regiue debita mittere auxilia non est ausus: & Legatũ misit cum Cæsariam Mediolano recessisset, vt Legatus morbo simulato Ruberiæ, vt antequam vlterius progrederetur, quã in partem res inclinarent specularetur hæreret effecit; deinde vt Regis animum mitigaret, voluit vt Laurentius nepos, in clientelæ simulatione quam Mediolani cœperat

perma-

permanens, ei à Florentinis pecuniam, qua vnius mensis stipendium tribus Heluetiorum millibus daretur, donari curaret: quam pecuniam & si Rex acceperit, tamen vt Pontificis artes sibi notas esse ostenderet, se postquam Pontifex ipsi semper in bello Italico esset aduersus, nec fœdus cũ illo ictum sibi periculorum temporibus profuisset, aliud fœdus quo in pace solum & tutis temporibus teneretur, cum eo inire velle dicebat. *Guicciardin. lib. 12. Mariana libr. 30. Lucius Marinæus lib. 21. Bembus epist. lib. 12. Iouius lib. 3. vita Leon. X. & hist. lib. 16.*

Faciebat Pontifex, vt dixi, bello ab Italia euertendo, & in Turcas conuertendo. Quod dum parat; significatum est illi Turcarum Imperatorem & Ladislaum Pannoniæ & Boemiæ Regem, pacem vel inducias oratum misisse. Ea res quantum affecerit Pontificem, præstat ex literis cognoscere, quas scribebat;

I.

Vladislao Pannoniæ Boëmiæque Regi.

Lectis tuis ad nos litteris, quibus cum erat exemplum earum litterarum quas Turcarum Rex de pace tecum sancienda, aut saltem de induciis statuendis ad te scripserat; quibus me litteris super ea re consulis, petisque à me, velim, quid tibi agendum sit mature constituere, ad teque perscribere: visum est mihi faciendum, vt adhibitis statim meis fratribus S. R. E. Cardinalibus tanta de re inter nos sententia dicerentur. Quod cum esset agitatum, tandem omnium consilio atque sententia decreuimus ad te scribi oportere, nullo vt pacto non solum pacem, sed ne inducias quidem vllas cum Turcarum Rege faceres; nec tuam illi fidem, qui nulla fide obstringitur, obligares; neue dares caussam ea fœdere perpetuis nostris hostibus rem Christianam publicam commodius atque facilius perturbandi. Non enim Rex pacem tecum vult vllius boni causa, sed tantummodo te vt consopiat, quiescereque faciat, dum ipse cæteros suos hostes expugnet: vt postea ab iis quieti nunc imminens hostibus securus, & fortior robustiorque factus, te tuaque regna cum prima rei bene gerendæ occasione aggrediatur atque opprimat. Quamobrem non te quidem pax ista tutum à Turcis reddet, otiumque tibi comparabit, sed te quidem ipse primum tuaque regna ea pace inita, deinde etiam Christianam Rempublicam opportuniorem illi obiicies ad debellandum, & quasi de manu, quantum in te est trades. Quod quantum tibi committendum sit, statues ipse, & puto statues ex tua maiorumque tuorum dignitate. Verumtamen quoniam exploratum nobis est, sine nostro cæterorumque Christianorum Regum & virorum Principum auxilio non posse te à Turcarum impetu regna tua tueri atq; defendere, externis præsertim intestinisq; bellis defessa iam prope ac debilitata; dedi Regib. singulis & Principibus literas, quibus petii diligentissime ab iis, te vt pecunia nobiscum iuuarent, quod eos omnes libenter facturos puto. Quare bono animo esto. confido enim tantum tibi pecuniæ in tempore communiter subministratum iri, vt nihil tibi verendum sit, ne repellere hostem possis, tuosque fines facile tueri. Quod cum ita sit, summopere te hortor, absque te pro tua religione & pietate vehementer quæso, ne te vllo pacis aut induciarum genere cum Turcis coniungas. Quamquam quidem non id peto; vt eorum postulationes iam nunc respuas atque respicias, sed potius vt eis verba des, tempusque interposita spe teras; quemadmodum ipsi tecum fecerunt, qui Legatum tuum ad se profectum ante biennium non admiserunt; dum quid mihi à Christianis Regibus respondebitur, scire possis. Quod vt celeriter fiat, omnem operam adhibebo, incumbamq; in eam rem, vt in te defendendo nullum à me paternæ charitatis & beneuolentiæ munus atque officium prætermittatur. Vale, nosque dilige. Dat. VI. Cal. Febr. M. D. XVI. Florentiæ. Anno III.

II.

Episcopo Vesprimiensi.

Cum intellexissem Turcarum Regem ab Vladislao Pannoniæ Boemiæque Rege per Legatum suum petere, vt ad pacem secum, vel inducias triennales conficeret, de Fratrum meorum S. R. E. Cardinalium sententia dedi ad eum litteras, quibus ab eo magnopere petii, nihil eorum quæ postulabantur faceret; neque se cum hoste suo nostroque vlla conditione coniungeret. Pollicitus autem ei sum, daturam me operam, vt communi Regum omnium & Principum Christianorum pecuniæ collatione iuuetur, vt se suosque populos tueri atque propellere hostem possit; scripsique ad singulos ea de re diligentissime.

Quorum qui vicinus nobis erat, Franciscus Gallorum Rex mihi amantissime rescripsit, omnia quæ vellem liberatissime se facturum. Itaq; confidimus, vt maxime opus est, ita fore: reliquosque Reges omnes idem responsuros, idemque facturos. Quod cum erit ab ipsis confectum omnem illorum stipem mea cum stipe, quanta maxima fieri poterit, per meos homines magnis itineribus isto mittam. Quibus de rebus omnibus te certiorem facere volui, vt spem haberes, Vladislaum Regem & ipsum & eius populos, non solum qua se tueri, sed etiam qua, si volent, offendere hostem possint, propediem habituros. Dum hæc autem interea comparantur, si tibi ad tuenda auxiliisque munienda Illyrici municipia operæ pretium erit commeatus ii, quem in oppido Sibinico Gilius Cortonensis meo nomine asseruandum reliquit, permitto tibi, vt eo vniuerso, quemadmodum tibi videbitur, sic vtare. Hortor autem te, vt studium, diligentiamque tuam, curam, laborem, animique fortitudinem mihi plane iam, vel omnibus potius hominibus cognitam iis in rebus administrandis ita exerceas, vt quod spero, & Reipubl. Christianæ dignitas per te retineatur, & tui gloria nominis augeatur, & tibi ipse magis magisque debeam. Dat. XVII. Calend. Mart. Anno III. Florentiæ. Bembus epist. lib. 12.

Inter hæc Vladislaus, lenta febre, & articulorum doloribus, alterum & sexagesimum ætatis annum agens, octauo Idus Martias extinctus est. Molitiones procerum Pannoniorum detectæ, statim atque Vienna à colloquio Cæsaris Budam reuertisset, caussam aliquam valetudinis attulerat: quas ipse tamen mira patientia aut dissimulauit, aut contempsit. In magno namque silentio quo consilia sua obtegebat, difficile erat diuinare, quid secum cogitaret, aut quali animo hoc, vel illud ageret; sic videlicet taciturnitatem amplexus, vt à plerisq; mutum idolum cognominaretur, quod aliud proloqui nesciret, aut nollet, nisi *bene*, aut *dobre*. Hunc enim morem habuit, vt Hungaris quorum linguæ ignarus erat, vocabulo Latino, *Bene*, Boemis autem vernaculo ipsorum verbo, *dobre*, quod idem cum priore sonat, responderet, cum vtrique illi compendio suo studentes, sibi quidem bene, Regi autem male consulerent. Nihil itaque mirum, si per hæc duo verba regnum vtrumque misere afflictum fuerit, amissis Regijs oppidis, arcibus, vectigalibus, & quibuscumque aliis reditibus, adeo vt in Morauia Rex nullum plane reliquum censum haberet, tenuissimum vero in Boemia. Nam illud omnem fidem excesserit, quod in Vngaria valde dite, & omni commeatu Regio abundante, ad eam non semel penuriam peruenerit, vt nihil in penu esculenti, nihil in cella vini reperiret, cogereturque aliunde sibi prandium emendicare. Visum aliquando Budæ, quando ministri aulici cum aliquot lagenis vacuis ad domum Georgii Episcopi Quinqu Ecclesiensis currerent, vinum pro Regis prandio impetratum; interrogat Episcopus; An vinum in arce non haberent? *Ne vllum quidem obsonium* respondent. Indignitate rei ille concitus, ad Regem properat, accersitoque mox Quæstore, cum illo Rege coram grauissimis verbis expostulat, quod præ quæstu suo officium turpissime deserat, regnumque ad indignam tum infamiam, tum inuidiam adducat, quasi non haberet vnde Regem suum aleret, cum ipsius Quæstoris tam plena sint promptuaria, vt ex hoc in illud quotidie eructent; iussitque protinus complura vini vasa de domo sua in arcem transuehi, vt vini interim adesset copia, dum alia obsonantur. Redacta & in Boemia res ad esuriem, nunquam saturis, qui se annona Regis ex montibus censibusque aurea & argentea saturabant, tantamque authoritatem sibi assumebant, vt pro libidine sua honores, magistratus, officia, inscio plerumque & ignaro Rege, quibuscunque placuit distribuerent, vt eo procliuius ærarium cum multis manibus exhaurirent. Negari non poterat, quin Rex senecta & valetudine, quæ ex podogra sæpius, nonnumquam etiam ex apoplexia tentabatur, lentus, tardusque, & rerum suarum incuriosus haberetur; non autem sponte, voluntateque, sed summa importunitate eorum, qui iniuste petere non desinebant, quod iuste eis negabatur. Factus est sine modo profusus, vt vel per hæc modum se molestantibus imponeret. Sera deinde pœnitentia ductus, in vltimo tandem vitæ actu omnes eiusmodi iniquas largitiones extorta-

VI. *Vladislaus Rex Bohemiæ & Hungariæ moritur.*

in op-

in oppidis & arcibus Regiis hæreditates, cum in Monasteriis noui generis tutelas; quas sibi lupi in oues impetrabant, voce scriptoque, sed post mortem parum valido. Cætera in illo iure optimo laudabant pietatem summam, clementiam singularem, amorem in sibi subiectos, ciuilitatemque insignem, mirificam ab alieno abstinentiam, & pacis studium incomparabile. Quod si rem militarem ab initio rite colendam suscepisset, florentibus adhuc regni viribus, & auxiliis fœderatorum accedentibus, veteres limites qui ab Adriatico mari, ad Euxinum Pontum olim extendebantur, Deo bene iuuante recuperari valuissent. Satis habuit, regnum eodem in statu, quo illud à Matthia magnanimo & bellicoso Rege acceperat, saluis confiniis integrum reliquisse. Dubrauius libr. 32. Istuanfius libr. 6.

VII. Pontifex de Ludouici Vladislai Filii tutela laborat.

Leo Pontifex, statim atque accepit Vladislaum esse vita functum, de tutela Regis Ludouici pueri, & regni Vngariæ cogitauit, atque sequentes in rem vtriusque scripsit.

I.

Ludouico Pannoniæ Boemiæque Regi puero.

Ex litteris Thomæ Cardinalis Strigoniensis Legati intellexi, Vladislaum Pannoniæ Boemiæque Regem patrem tuum magno cum illorum populorum mœrore & luctu viuere desiisse. Quo sane nuncio vehementer sum perturbatus, magnumque vt debui cepi dolorem, ex amantissimi mei prudentissimique Regis morte, præsertim tam alieno Reipublicæ Christianæ tempore, existimoque te quidem primum, qui in tam tenera ætate patrem tuum maximum clarissimumque virum amisisti; reliquos deinde istorum regnorum viros Principes, regna denique ipsa & populos magno esse & præsidio, & ornamento spoliatos: remque hanc publicam beneuolentissimi in se animi Rege, fidelissima societate, maximis auxiliis, eo extincto plane carere. Verum cum eisdem litteris certior sim factus, regnorum te istorum à patre tuo hæredem fuisse institutum, cuius indoles egregium iam specimen magnamque excellentis virtutis spem præbeat, statui mihi à luctu atque molestia esse temperandum; Deumque Optimum Maximum rogandum, & vt illum mortali exutum corpore terrenisque compagibus cœlestem in patriam inter beatissimas fortium optimorumque virorum & sanctissimorum hominum animas conuentumque recipiat, & vt te, cui quidem plane puero duo regna maxima iure recteque obtigerunt, tantum pollere bonis studiis optimisque artibus velit, vt expectationem de te nostram, tuorumque populorum vota æquare atque implere facile possis, euadasque in eum Regem, qui quidem in timore Domini eruditus, omnibus Christianis populis atque gentibus multum gloriæ multumque roboris sis allaturus. Quod profecto animo libentissimo & facio iam, & sæpe in posterum faciam, speroque fore, vt me pro te pie se atque suppliciter precantem Dominus exaudiat. Et quoniam idem Legatus scripsit ad nos patrem tuum extremo vitæ suæ tempore mihi te commendauisse, omnes meas opes, omnem authoritatem ad te fouendum ornandumque polliceor, teque iam in charissimi mihi filii locum agnosco atque recipio, bonisque verbis atque ominibus & complector, & prosequor. Tu vero ipse optimi viri patris tui, maiorumque tuorum fortissimorum & clarissimorum Regum gressibus atque vestigiis inambulans, regnum tuum à Dei pietate & cultu, atque ab huius Reipublicæ obseruantia & studio auspicare; daque operam, vt non minus religione, quam ætate, atque magis corporis viribus quam virtutibus animi subcrescere tui te populi videant. Dat. Prid. Non. April. M. D. XVI. anno I. Romæ. Bembus lib. 12. epist. 3.

II.

Thomæ Cardinali Strigoniensi.

Quantum mihi molestiæ, quantum mœroris Vladislai Pannoniæ Boemiæque Regis mors attulerit, de qua tuis ad nos litteris est allatum: ex mea in illum charitate atque beneuolentia tibi quidem vni omnium maxime perspecta, & cognita, per te ipse facile potes existimare. Videor autem mihi in illo non magnum & prudentem modo Regem, sed optimum etiam filium meique obseruantissimum amisisse: quo tempore propter Turcarum insidias, addictumque ad ista regna semper animum maxime illum viuere oportuisset. Itaque cum mea, & certe istorum populorum, vel potius vniuersæ Christianæ Reipublicæ caussa vehementer dolorem, angererque prope animi omnibus articulis & sensibus, illa me res non mediocriter est consolata, quod is, vt scribis, Ludouicum filium suum mirificæ indolis magnæque spei puerum regni hæredem sibi reliquit. Qui quidem si non satis dum propter ætatem sit ad id regendum & procurandum idoneus; habet certe non paucos excellenti virtute, singulari prudentia viros Principes, quibus nitatur, quorumque consiliis & ipse recte institui, & eius regnum administrari commode atque feliciter possit. Quamobrem sedato, quantum potui, mœrore meo & luctu, consilioque cum meis fratribus S. R. E. Cardinalibus super ea re mature amantissimeque habito, tibi quidem negotium damus, primum, vt Regem puerum saluere iubeas nostris verbis, affirmesque illi salutem eius & dignitatem magnæ curæ nobis fore, nosque singulos in eo & fouendo, & ornando Vladislai patris eius curam & studium plane gesturos. Deinde vt reliquos istius regni Principes, quo maiore animorum nostrorum ostensione poteris, hortere; velint, quemadmodum quidem confidimus, te atque illos esse facturos, in eam præcipue curam incumbere, nihil vt inter vos dissidii, nihil omnino discordiæ suboriatur: sed vno omnium vestrum consensu & voluntate, sedate atque amanter regni & Regis pueri res, prouentus, otium, negotium procuretur. Id erit & prudentia vestra dignum, & nobis omnibus inprimis gratum sic, vt iam nunc libentissime profiteamur, eius nos rei gratiam vobis singulis aliquando relaturos. Cæterum quod ad municipiorum illorum curam & tutelam attinet, quæ municipia isto in regno vicina oppositaque Turcis sunt, atque in summa rerum omnium inopia versantur, celerisque auxilii magnopere indigent, ea in re omnem meam curam adhibebo, daboque operam, vt eis omnibus in tempore succurratur. Itaque volo bono vos animo esse; neque vereri, quin à me omnia paterna in vos officia procurationesque proficiscantur. Quod quidem vt re iam fieri perspicere omnes homines possint, mittere istuc quamprimum decreui Robertum Archiepiscopum Reginum familiarem meum, illustri ortum genere, probumque ipsum hominem, & doctrinæ studiis præditum, quem quidem valde amo, tecum vna vt à Regis pueri latere numquam discedat, auctoritatemque illi afferat nostram, quibuscumque in rebus & opus erit, & oportebit; ne is tam illustrem patris sui de sese commendationem apud nos parum valuisse suspicari possit. Scripsi etiam Bernardo Cantori Agriensi Internuncio meo, vt cum istius regni magnis viris, quos ad singulos etiam litteras dedi, diligenter ageret, vt in regni negotiis procurandis concordiam inprimis exercerent, vt rectius atque commodius publicæ per eos vtilitati Regiæque dignitati consuleretur. Iubebam autem tum has ipsas, tum cæteras, de quibus dixi, litteras eiusmodi tabellario dari, qui celerrime iter faceret, vt ante conuentus vestri tempus, qui ad diem nonum Calend. Maii est futurus, ad te perferrentur. Dat. VIII. Idus April. Anno IIII. Romæ. Bembus libr. 12. ep. 5.

III.

Episcopo Vesprimiensi, tum cæteris singulis in Pannonia magnis viris.

Scribimus ad Bernardum Cantorem Agriensem Internuncium nostrum, ea omnia quæ per illum tibi hoc tempore significanda esse diximus nostris verbis. Hortamur itaque te, vt pro nostra in te paterna sane beneuolentia, expectationeque ea & spe, quam de tua probitate magnitudineque animi, & religione, cæterisque tuis virtutibus magnam atque mirificam semper habuimus, des operam, vt quibuscumque rebus poteris, istorum regnorum quieti & tranquillitati per te consulatur: auctoritateq; tua qua multum polles, ad eam rem cum huiusce Reipublic. dignitate, quæ quidem in tua erga se illustri voluntate & studio libentissime conquiescit, maxime omnium atque inprimis vtare. Erit id cum per se præclarum & tibi laudi atque gloriæ; tum certe egregiæ isti fortissimæque nationi & populis apprime salutare. Dat. Nonis April. anno IIII. Romæ. Bembus lib. 12. ep. 4.

IIII.

Sigismundo Poloniæ Regi.

Cum Vladislai Pannoniæ Boemiæque Regis fratris tui mors, eiusq; filii Ludouici nimis tenera ad perferenda onera duorum regnorum

ætas,

ætas, aliquot nos dies mœrentes suspensosq; habuisset, de Fratrum meorum S.R.E. Cardinalium sententia Robertum Archiepiscopum Reginum designatum familiarem meum, quem propter familiæ splendorem, & singularem ipsius virtutem atque doctrinam ita amplector, vt sit mihi plane charissimus, legaui, quem illuc quam celerrimè mitterem; vt esset, qui vna cum Cardinali Strigoniensi Regi puero meo nomine adesset; atq; ad pacem & otium eius regni procurandum auctoritatem adderet meam; vt quantum pro tempore possem, puerum quem quidem nobis pater extremo vitæ suæ tempore diligentissime amantissimisque verbis commendauit, & pueri regnum ornarem atque protegerem. Volo enim omnes homines intelligere, fratrem me tuum fortem & prudentem, ac religione præditum hominem cum fruentem vita dilexisse; tum eius commendationem morientis non neglexisse; regnorumque illorum, & nationum fortissimarum, & bene de re Christiana meritarum, quam debui, curam & rationem habuisse. Cum quidem Roberto, cum maturare, quantum posset, profectionem suam mandauissem, has ad te litteras iussi dari certo tabellario & celeri, vt te ante omnibus de rebus docerem, quam is Pannoniam attigisset. Ego si commendare tibi fratris tui filium velim, diffidere viderer probitati tuæ, cui sane non diffido; est enim mihi quidem probatissima: sed tamen facere non possum, quin tibi illum commendam. Vale Dat. III. Id. April. anno IV. Romæ. Bembus lib. 12. epist. 7.

Non intermisit Rex Sigismundus voluntati Pontificiæ, in tutela nepotis Regis Ludouici, & quiete Vngariæ regni satisfacere. Statim enim Christophorum Sidlouecium, & Ioannem Lascum in Vngariam legatos destinauit; qui vna cum Cardinali Strigonien. ac proceribus regni, regnum Ludouico constabiliuerunt, & Gubernatoris inuidioso titulo submoto, Palatinum summæ rei admouerunt. Enituit tunc in Comitiis Ludouici Regis pueri magnus animus. Cum enim aliqui Gubernatorem creari flagitarent; Ludouicus Cardinalem ponè assidentem rogauit, Ecquid hoc nominis esset, aut quæ illius authoritas, quem Gubernatorem vocant? ac Cardinalis illi respondisset; Tantam esse, vt in ipsum Regem & regnum habeat imperium: tum Ludouicus; Qualis ergo, ait, Rex ego futurus? Picto, inquit, similis, qui nullam exercet iurisdictionem. At ego, ait, ferre talem non possum. Dubrauius lib. 33. Istuanfius lib. 6.

De eo conuentu, pacifice absoluto, cum Pontifex intellexisset; accepissetque Turcarum Regem Oratores illo misisse, qui pacem vel inducias cum Rege puero postularent, scripsit adiunctas.

Thomæ Cardinali Strigoniensi.

Lectis tuis litteris, quas binas vno tempore accepi, alteris ad decimum, alteris Sexto Cal. Iunias datis, statim fratres meos S.R.E. Cardinales adhibui, vt vna, quid tibi ad illas nos respondere oporteret, maturè consuleremus. Itaque de communi nostrum omnium sententia tibi respondeo, vtar autem ordine, ad priorem scilicet epistolam prius. Gratissimum nobis accidisse, quod in conuentu Pannonico nuper habito, omnia tranquille atque pacate acta, confecta, transactaque sint. Nã cum proximè propter recentem Vladislai Regis mortem, imbecillamque Ludouici eius filij ad regendos populos ætatem, ne turbæ seditionesque inter istos Principes existerent, magnopere timuissemus; nunc, cum res aliter ceciderit, iamque omnia per vos & prudenter & temperate administrentur, magna certe voluptate tuæ nos litteræ affecerunt. Valde enim fore credimus, vt si vos in tractandis regnorum istorum explicandisque negotiis idem atque vnum omnes respicietis, magna cum pacis & quietis, tum dignitatis & commodorum incrementa publice atque priuatim vestris rebus sint accessura. Pacis enim atque concordiæ cupidos & retinentes protegit augetque pacificus & mitissimus Dominus. Quare eo de consensu & voluntate, maximis vos singulos & studiis prosequimur & laudibus. Hortamur autem, vt in instituendo Rege puero, ætateque illa tenera & flectenda, & dirigenda, eundem consensum, eandem curam adhibeatis, quo ad Rex se atque sua per ætatem regere possit. Nam vt arborum semina dum pusilla sunt palis indigent, quibus nitantur, ne ventis & turbinibus incurrescant, obliquitatemque ducant crescentia; sic puerorum ingeniis moderatore opus est & Magistro: qui ea regat atque contineat, ne flectere in vitia malasque artes possint: ad quas tenera omnis & infirma ætas pronos maximeque lubricos lapsus habet. Rescripsi ad priorem epistolam tuam, nunc ad postremam venio; qua me de aduentu ad vos Turcarum Regis Legati certiorem facis, induciarum cum Rege tuo conficiendarum causa; consiliumque requiris meum, vt quid vobis faciendum sit, scire possis. quod quidem nullum habeo, tibi quod dem: præter illud, de quo ad te non vnis litteris scripsi; quod idem nunc scribo, nobis scilicet eandem mentem esse, eundemque animum qui antea fuit, quique semper est futurus. Cupimus enim, vt debemus, ne cum perpetuis nostris hostibus vlli Reges nostri, vlla imperia se coniungant, qui non id postulant propterea, quod pacem & otium velint; (cum nihil nisi bella meditentur vel quod vllo vos commodo affici non ægerrimè molestissimeque ferant; quorum oppida ditionemque ipsas inducias flagitantes depopulantur & proterunt:) sed vt à vobis populisq; istis bellicosissimis atque fortissimis securi tantisper sint, dum vel alia, quæ sibi cordi sunt explicent, aliosque Reges opprimant; vel sibi opes comparent ad vos postea, quibus maxime inhiant, validis integrisq; viribus aggrediendos planeque conficiendos. Itaque non possumus assentiri iis conditionibus, quas in vestras ceruices atque perniciem credimus reuersuras. Eam ob rem, vt scis, diligentissimè ad omnes Christianos Reges non semel scripsimus, multisque precibus contendimus ab iis, vt Regi, regnisque istis ad hostium conatus repellendos vnà nobiscum opem atque suppetias ferant. Id & si serius fit, quam volumus, quamque decebat; futurum tamen in tempore confidimus; vtque fiat, damus nunc quoque ad eos ipsos eadem re litteras, monemusque singulos, longiorem mittendo auxilio moram ne addant; ne dum ipsi cunctabundi sedent, ad id vos necessitas compellat; quod postea factum recidere in maximum vniuersæ Christianæ Reipub. damnum atque dedecus facile possit. Qui si, quod petimus, in tempore fecerint; vobis ante omnes erit vtile, nihil cum Turcis statuisse: quibus fortasse veteres etiam eorum in vos iniurias vlciscendi occasio propterea dabitur. Nos quidem certe pro vestra dignitate tuenda, regnoque defendendo, omnes nostras opes, sanguinem etiam nostrum, si expediat, sumus libentissimè profusuri; quemadmodum cum Francisco Marsupino familiari ab epistolis tuo latius & ipse locutus sum, & meorum fratrum plurimi idem fecerunt, cuius te ad litteras referes. Dat. VIII. Cal. Quintiles M. D. XVI. Anno IV. Romæ. Bembus lib. 13. epist. 1.

Exemplo porro infrascripto, quamquã paululum immutato, Pontifex dabat litteras Regibus & Principibus Christianis, ex quibus libet multa de rerum statu cognoscere.

Francisco Gallorum Regi.

Binas iam ad te litteras dedi, quibus te litteris sum cohortatus, vt fessis atque labantibus Pannoniæ rebus propter assiduam in Dalmatas Turcarum impressionem, diuturnaque nimis bella pecuniæ auxilio mecum, & cum cæteris nostris Regibus pro tua liberalitate succurreres. Ei quoniam ea res magnæ sane diligentiæ celeritatisque indigebat; commonui inprimis te, vt quæ tibi agenda esse ea de causa putares, ageres, efficeresque quamprimum; neque committeres, vt elapsa rei bene gerendæ occasione, quæ quidem erat perbreuis, tueri postea ab audacissimis hostibus nostris regnum illud, cum velles, non posses. Eas ad litteras postulataque nostra, quod te dignum erat, rescripsisti, te scilicet velle facere, quæ proponebantur: itaque ei te rei pro tua portione non defuturum. Quod quidem statim ego Regi Pannoniæ, Principibusque illius regni viris significaui; acciditque eis omnibus plane gratissimum. Verum cum nouissime per litteras Vesprimiensis Episcopi Præfecti Croatiæ Pannoniæque Proregis optimi atque fortissimi viri certior factus sim, ipsum quidem in exigua spe esse, posse se vlterius Turcarum vim atque impetum sustinere; ipsius autem Episcopi Vicarius coram mecum, & cum meis Fratribus S.R.E. Cardinalibus prostratus ante meas pedes, illorumque genibus aduolutus flens, fidemque nostram atque omnium Christianorum Regum implorans obtestansque Deum & homines egerit, ne regnum illud, quod quidem adhuc hostium gladios à nostris iugulis atque ceruicibus semper repulit, iri perditum nostra ignauia atque segnitia sineremus; oppidorum enim eorum, quæ à Turcis hoc tempore obsiderentur premerenturque modis omnibus Iaizæ, Tininij, Clisij, Scardonæ, eam naturam esse cum propter portus, quos haberent maximos atque tutissimos; tum propter materiam ad naues ædificandas idoneam, qua abundarent; demum etiam propter ipsorum situs atque positus ita Pannoniæ atque Italiæ opportunos imminentesque, vt vno eorum aliquo in Turcarum potestatem redacto, Pannonia quidem ipsa se tueri nullo modo possit; Italiæ autem ora quæ ad mare Adriaticum est, noctis vnius nauigatione eorum classibus pateat, quibus diripi atque incendi possit: hæc itaque cum ita se haberent, de eorundem Fratrum meorum sententia statui ad te scribere, teque hortari, & rogare, vt quamprimum, quamque celerrime saltem quindecies mille nummum aureorum ad nos mitteres, qui vna cum meis alteris totidem illuc transmitterentur; quibus se opibus illa municipia communirent; ne nostris hostibus se dedere, fame ac rerum omnium egestate atque inopia, magno cum nostro, nostro inquam te coniungens

reliquorumq; Regum nostrorum dedecore & ignominia cogerentur. Plura me ad te scribere hæc de re fort. asse, res ipsa postulat; quæ quidem secum maximum in vtramque partem rerum omnium motum atque faciem tradit, sed persona quam sustines, nomenque quod geris, plane non postulat. Ea te mouere; etiam tacentibus nobis debent, vt non magis verbo quam re, tuendis Christi populis, & esse; & haberi velis Rex, & maximus, & Christianus maxime. Quod quidem te facturum, & pro animi tui magnitudine, quam & omnes prædicant, & ipse agnoui; proque tua prudentia, religione, pietate, liberalitate sanè confido. Hæc vero ipsa quæ ad te scribo, scribo item cæteris Regibus, quos quidem in eo non defuturos puto. Sed te decet, qui & illis maiores es, & nobis cum vicinus, tum coniunctus magis, ad sui partes muneris peragendas etiam priorem & alacriorem accedere; ex quo tamen & vberior à Deo immortali gratia, & clarior ab hominibus gloria te sequetur. Fratres mei tibi salutem ascribunt. Vale. Dat. Idibus. Maiis M.D.XVI. Anno IV. Roma. Bembus lib.12.epist.24.

VIII. Hæc erant, quæ Pontificem mouebant ad Reges & Principes Christianos contra Turcam excitandos. Grauiora nunciata sunt, præsertim à Fabricio Magno Rhodi Magistro, Selymum ingentem apparatum terra marique fecisse. Et quidem multi metuebant, ne Ludouicum puerum Pannoniæ Regem iret oppressum, vel in proximam Italiam improuisus irrumperet. Cæterum aliter res cecidit. Enimuero quamquam Selymus, potentissimos Septentrionis Reges finitimos suos, Maximilianum Cæsarem, Vladislaum, & Sigismundum celeberrimo conuentu habito in colloquium venisse, & coniuratione facta, inductisque Germaniæ, Pannoniæ, ac Sarmatiæ gentibus contra se ingens bellum, concitante Leone Pontifice parare audiuisset; tamen postquam per certos speculatores, quos magno sumptu in omnes Europæ partes dimittebat, ac obseruari in aulis Regum, & cuncta diligenter explorare iubebat accepisset, Concilia illa Christianorum Regum nihil præter magnificas conciones, sumptuosaque conuiuia certantium inter se Regum & Procerum habuisse; vano solutus metu ad Orientem, quemadmodum Pontifex, Rhodianorum Magistro prædicebat, se conuertit. In Ismaelem Persam bellum continuaturus, ingenti educto exercitu diuertit in Syriam, aduersus Campsonem Sultanum Ægypti & Syriæ, arma mouentem vt Persam adiuuaret. Is inito acerrimo prælio non longe à Damasco, victus perfidia Caierbei præfecti Alepi occubuit 26. Augusti. In eius locum à Mameluci suffectus Tomombeius vir strenuus, pari infelicitate cecidit. Sicque Selymus vniuersam Syriam occupauit, & Hierosolymis ac Bethleemi loca sancta & prophetarum sepulchra veneratus, largas eleemosynas Christianis impendit, ac demum victorem exercitum in Ægyptum duxit. *Iouius histor. libro decimoseptimo & decimooctauo, Iacobus Bosius hist. Rhodian. lib.*18.

Selymus Rex Turcarum Syriam occupat.

De hoc bello Selymi apparatu, Pontifex datis litteris Fabricio Rhodi Magistro censebat, eidemque auxilia quando opus foret promittebat: *Equidem*, ait, *quod assequi coniectura possum, sic existimo, in Asiam illum potius hoc tempore, quam isthuc aut nostras in oras cogitare. Itaque aut contra Sultanum Ægypti Regem, aut contra Sophim Regem Armeniæ puto illum suos exercitus moturum; vt eos, à quibus fere singulis annis premitur, prius aggrediatur atque opprimat; quibus integris, nullum tibi, nullum Christianæ Reipub. periculum impendere magnopere arbitror. Nam nisi illos, quos habet hostes paratissimos atque audacissimos, & quibuscum bello fere semper est implicitus, antea vel deuicerit; vel debilitarit, vel inducias cum iis inierit; vires suas in nos atque furorem exercere satis commode profecto non poterit. Tibi tamen sum auctor, Insulam vt istam, atque oppidum, quod tamquam in ore atque in faucibus est nostrorum hostium, commeatibus, apparatu vel quo, rebusque omnibus ad repellendum, & ad sustinendum bellum idoneis iam nunc fulcias, teque ante compares atque præmunias, ne imparatus offendi possis. Neq; tamen recuso, quin, si accidat vt te Turca velit aggredi; omnes meas opes tibi præsto futuras putes. Volo enim te scire, me pro collegio isto bene de re Romana, optime de re Christiana merito, omni tempore omnia; pro tua vero salute & dignitate, vti & prudentis hominis, & optimi fortissimique viri, & mihi amicissimi, plurima atque maxima esse facturum. Itaque bono animo esto, valetudinemque tuam cura, meque, vt facis, dilige; si te scis à me & amari, & fieri plurimi. Dat. XI. Cal. Septembr. M.D.XVI. anno IV. Roma.* Bembus lib.13.epist.12.

IX. Cum autem intellexisset Pontifex Selymum deuicto Campsone, numerosissimâ classem ad huc retinere, ac tum Petrum Nauarrum Cantabrum, virum in rebus bellicis præstantem operam illi suam contra Turcas offerre, tum Franciscum Ximenium Cardinalem Toletanum exercitum priuatis sumptibus in eodem Turcas missum amisisse; illum quidem laudauit, seque duas classes magna impensa Neapoli alteram, Genuæ alteram parauisse nonis Octobr. significauit, Cardinali autem Toletano in hunc modum scripsit.

Magna molestia tuæ nos litteræ affecerunt, quibus scripsisti eum, quem contra communes nostros hostes in Africam exercitum transmiseras, ab Afris & Turcis reiectum & fugatum magnam plagam apud Alzarem accepisse: Te tamen animo fractum non esse, neque quicquam de tuo ardore & diligentia eam ob causam esse detractum. Quæ quidem tua constantia & fortitudo dolorem meum multo leuiorem fecit. Sic enim existimabam, si te ipse non contraxisses, & ipsem vincendi non abiecisses; fore, vt breui hæc ipsa res secundior multo maiorem luctum & d uturniorem tuis hostibus pareret. Sed auxit eundem illum statim dolorem meum atque molestiam, Turcarum Regis contra Sultanum Ægypti Regem recens mirificaque victoria, de quo arbitror te cognouisse, & ipse his diebus cognoui: tum eiusdem Regis ducentarum longarum nauium classis, quam illum paratam habere dicunt, qui illinc veniunt. Sed hæc Dominus moderabitur. Te autem etiam atque etiam hortor, vt quando hoc tuo parando mittendoque exercitu magna tua diligentia, maiore impensa confecto, maximam verissimamque gloriam apud omnes homines optimi fortissimique Principis, apud nosque inprimis tibi ipse comparuisti, magis etiam ad eosdem hostes opprimendos & profligandos, Rem q; pub. Christianam inuandam pro viribi tua iterum atque sæpius te accendas & pares; atq; in hac quidem causa, dignum te, dignum tua virtute, dignum etiam auctoritate ea, quam tibi Respub. dat, animum, quid dicam sutinas, qui tantam iam rem egeris? sed tamen illum ipsum quem sumpsisti, multo antea, magnum & fortem animum vel retineas diutissime, vel augeas. Nam quod insequentem annum attinet, esse nobis exploratum potest, vere inito mare nostrum omne Turcarum classibus plenum fore. Itaque nos non destitimus reliquos Christianos Principes magnopere hortari, vt se ad capessendum contra Turcas bellum in tempore comparent; neque si quid erit, in quo iuuare ipsi causam tam sanctam, boniq; omnibus tam expetitam possimus, non id summus libentissime iam nunc, si expediat, præstaturi; modo vnum omnes sentiant, vnumque sibi & tentandum, & conandum, & perficiendum putent. Sed vt ad te exercitumque tuum redeam; & doleo cogitationes tuas atq; conatus in communem vtilitatem susceptos non multum profuisse: & lætor tui te studij & voluntatis hoc accepto incommodo nihil remansisse. Dat. IV. Non. Nouembr. Anno IV. Roma. Bembus lib. 13.epist.27.

X. *Leo X. Carolum Ferdinandi filium Regē Hispania declarat.*

Præerat tunc Ximenius rebus Castellæ, curator à Ferdinando Catholico moriente, Carolo Archiduci designatus. Istud porro regnum, ne factionibus Principum distraheretur, hostibusque nominis Christiani ad vastitatem pateret, Leo Pontifex, Cæsare etiam annuente, Carolum Regem dixit & scripsit. Erat quidem is à Ferdinando auo successor regnorum scriptus: sed quoad vigesimum annum non explesset, Regios titulos, vel propter reuerentiam matris Ioannæ viuentis, assumere prohibitus. Multi Belgarum apud quos is natus & educatus, non modo suadebant, verum etiam impellebant, ante hos annos vsurpare. Re ad Hispanos in consilium delata, fere omnes dissuadebant, consultationemque ea de re insolentem iudicabant. Nam præterquam quod superstite matre, Regis nomen legibus patriis interdicebatur, multas alias causas adducebant, propter quas Principi hæredi eo nomine abstinendum esset. Nam ob Regis Catholici mortem nihil iuris amplius acquisierat, neque in eo statu Reginæ morbus erat, vt mentis inops omnino censeretur. Quare iterum atq; iterum videndum esse, ne ea festinata Regij nominis præoccupatio, in re alioqui tranquilla & quieta, Principi molestias, aut negotia compararet. Nam parum, vt ipsis quidem videbatur, ad Principis vere Regiam potestatem intererat, hoc aut illo nomine vocari, si cuncta eius nutu moderanda erant, vt nihil prorsus impedimenti ex matris præsentia, aut mandatis esset habiturus: cum præsertim rerum nouarum cupidis, non mediocris occasio præberetur, ad motus in Repub. concitandos. Neque enim alius prætextus seditiosis hominibus conquisitus semper fuit, quo speciosius suorum Principum imperia detrectarent, aut Rempub. seditiose lacerent, quam alterius Regis, qui iure

iure meliore se regnaturum contendat. & quidem ista Proceres proponebant, datisque quarto Non. Martij ad Principem litteris, ne matre incolumi id faceret, flagitabant. Sed Carolus, qui non tam sibi consilium eo in negotio dari cupiebat, quam Senatus suffragationem habere, difficultatibus quæ ostendebantur posthabitis, ex Pontificis Max. & Patrum Purpuratorum, Maximilianique Cæsaris authoritate, atque Principum necessariorum efflagitatione, titulum Regis Catholici assumpsit; asserentibus omnibus, nullam religionem apud gentes esse, liberos paternarum etiam dignitarum appellationem obtinere, parentibus etiam viuentibus. Assensi sunt paulo post Principes Ximenio persuadente; maxime quando Laurentius Galindus Caruaialius, vir rerum antiquarum & legum Hispanarum cumprimis peritissimus, qui vnus è Senatu Palatij causis, & cubiculi Regij cognitionibus præerat sententiam rogatus; ad hunc modum disseruit.

Neminem vestrum Illustrissimi Principes, in hoc amplissimo consessu esse arbitror, cui sit res pro arbitrio gerenda fuisset, non vehementer Principem adhortaretur, vt quemadmodum leges diuinæ & humanæ exposcunt, Reginæ matri spiritum ducenti, honorem omnem & reuerentiam exhiberet, & Regis nomen tantisper differret, donec dies ipsa, quod proximum futurum est, vltro id quod modo efflagitat, offerret. At cum post eam admonitionem, qua illum ne quid huiusmodi in præsens conaretur, obsecrauimus, palam sibi nomen & Regiam dignitatem desumpserit, maxima cura desiderandi nobis est, quo pacto id, quod multi inflexum & insolens esse censuerunt, rectum & fieri solitum ostendamus. Nam eo in statu negotia esse constat, vt sine dignitatis Principis nostri imminutione, atque totius Reipub. damno, infecta fieri non possint. Hoc inprimis mihi & omnibus vobis verissimum esse constat, Principem nostrum inuitum id seciss e. Nam ab eius miti ingenio, mansuetis & religiosis moribus, nihil est magis alienum, quam vis & tyrannis. Sed cum matris morbus apud omnes mortales notus sit (neque enim Regum casus vllo modo in occulto esse possunt) duo Reipublicæ Christianæ culmina, Pontifex Maximus & Romanus Imperator, vt Regis nomen vsurparet, monuerunt. Sic enim publica negotia posterè. Non potuit Carolus tantis Principibus non parere; nec nos quidem debemus Principis nostri iussa, in re præsertim non inhonesta, neque insolita, vt mox ostendemus, quamuis multis aliter videatur, recusare, aut deprecari. Quod vt planius intelligatur, primum aliqua mihi de causis ipsis quæ Pontificem & Cæsarem mouerunt, deinde quod nihil noui fiat, dicendum est. Si Ioanna Regina Caroli mater, Dei immortalis voluntate, suæ mentis & iudicij compos, ditionem Hispanam gubernare idonea esset, ea est imperij nostri amplitudo, ea maiestas, & prouinciarum regendarum moles, vt in consultationem & dubium vocaretis, an tantarum rerum consilia tuto fœminæ, quamuis illa capacissima esset, committerentur. Nunc vero in tam manifesta mentis offensione, in tam claris animi emoti inducijs, ei consortem dare dubitabimus? Nihil earum rerum quæ per nos geruntur, qui Principe hærede tanto inferiores sumus, ad eam deferimus, & Carolum imperio eius parere, & Principis nomine contentum esse volumus? Non hæc sanè coherent, aut honestam aliquam excusationem habent. At si, quod omnes sentimus, dixeritis nomen tantum illi denegari; rerum summam, atque adeo imperium vniuersum concedi; in errore versaremur, putantes Regio nomine illi denegato, quicquam gesturum, quod vel Reipub. vtilitatem, vel si decus aut gloriam comparare possit. Quicquid enim tentauerit, precario obtinebit. Quod si precibus agendum est, magno quicquid impetrauerit, illi constabit. Principis nomen iure nostro, priuatum quid sonat; & quamdiu hæredis spem tantum habet, nescio quo pacto eius mandata, vel serui negligentius peragunt. Nomen illud Regis, totaque illa Palatina cohors, & imperium non aliunde pendens, humanos animos tacita quadam reuerentia afficit, & ad debitum cultum & obsequium inducit. Iā vero vt demus subditos imperata facturos, cum externis Regibus, quieū ad tot regnorum imperium vocari taciti dolent, nihil ex æquo aget, neque illis titulis & honoribus Carolum prosequentur, quibus ipse in mutuis officiis, illos vtpote Reges decorauerit. Neq; enim alterius dignitatis æmulus, aliquid cupidiosius, aut studiosius captat, quam in re minima superiorē censeri; vt eo saltē prætextu vel causam suam æquiorē probet; vel illum alterum, vt pote imparem, sibi nequaquam opponendum esse efflagiret. Videte igitur inclyti proceres, ne dum nimium Regij nominis cultores esse vultis, atque id Regina mentis & consilij cassa conseruare contenditis, maiestatem Reipub. nostræ minuatis. & hoc quidem de causis satis esse arbitror: neque enim omnia in sapientissimorum virorum consessu, qui ea quam ego multo melius nouistis importuna oratione sunt dicenda. Illud, quod magis vrget, & quod rerum antiquarum imperitos insolenti nouitate perturbat, filium regnorum hæredem futurum, Regij nominis consortem fieri, & imperium cum matre ex æquo moderari; si vos paulisper attentos præbeatis, externorum exemplis præteritis, quæ ex priscis historiis apud omnes Respub. sed præsertim in Romana sese offerunt, ex annalibus nostris solenne esse declarabo. Primum enim Gotthorum temporibus, quando res Hispaniæ frequentibus Episcoporum coactis Synodis sunt stabilitæ, Cindasuindum Regem, quem Cisnandum nonnulli vocant, post Rempub. religiosissime moderatam, post Concilium septimum Toletanum celebratum, post legationem ad summum Pontificem missam, quæ Beati Gregorij Moralium opus in Hispaniam deferendum curauit, & post mille alia optimi & sanctissimi Principis exempla edita, quatuor annis antequā moreretur, Recinsuindum filium regni participem assumpsisse legimus, atque cum eo communicata potestate nihil id facere formidauisse. Sed hæc nimis vetusta mittamus. Post miseram illam vastationem, quam Hispania Iuliani proditione à Mauris pertulit, Veremundus Diaconus patrio Mauracato tyranno mortuo, cum anno à partu Virginis DCC.LXXXIII. *Rex electus esset, ac duobus annis Rempubl. strenue administrauisset, recolens se olim sacris Ordinibus initiatum esse, Iurelione vxore dimissa, quam prolis, quæ in regno succederet suscipiendæ causa proceribus ac populis adhortantibus duxerat, Alphonsum consobrinum cognomento Castum ex Nauarris, ad quos Mauracati timore confugerat, reuocatum, Regem secum pariter constituit: & nullis seditionibus interuenientibus vitam dulcissimam, & tranquillitatis plenam, quatuor & amplius annos cum eo traduxisse, historiæ nostræ referunt. Huic Alphonso qui vitam cælibem & puram egit, Ramirirus Veremundi filius successit; qui ex Iurelione, quam diximus, cum fratre Garsia olim susceptus, sub Alphonsi tutela paruulus relictus, cum iam adoleuisset, Alphonso id inprimis curante, regno præficitur. Hic Ramirirus inter cætera virtutis suæ præclara documenta, tanta fratrem Garsiam benevolentia complectebatur, vt siue pacem, siue bellum gereret, nullam sibi gloriam sine eo conquisiuerit; & tandem eius fide & amore perspectis, regni gubernaculis admouerit; atque ita imperij consortem effecerit, vt rerum nostrarum annales dubitent, an & is quoque inter Reges habeatur. Sed ne, dum omnes enumero, orationem in immensum producam, vnum aut alterum addam. Cum matre Vraca parum ad rempub. moderandam aptam, Alphonsus Raimundi Tolosatis filius regnauit. Ferdinandus, Hispalensis virbis recuperator, quem res piæ & præclarè gestæ Diuorum adscribunt numero, & cœlo asserunt, post Patris Alphonsi mortem in Legionensem Regem assumptus, cum matre Berengiuella fœmina alioqui prudentissima, Regio nomine, paribus sceptris, possessionem maternam, hoc est Castellæ regna, annuentibus populis rexit. Igitur cum tot exempla virī Principes adducta videatis, quibus non modo non nouum & insolens, sed consuetum & pene patrium esse demonstrauimus, & ad regni communionem, non modo filios hæredes, sed fratres, aut fratrum filios assumi: non est cur tranquillitatem Reipub. frustra perturbare velimus. Nam nec Carolus Regis nomen dimitteret, nec si ille, quod optimo consilio assumpsit, mutare vellet; nos eramus vllo modo permissuri: ne in Rege nostro vlla inconstantiæ nota posset hærere. Porro hæc summa est, non petit Carolus à vobis consilium, sed causas cur id fecerit, his litteris declarat, atque eam ob rem ad nos perscripsisse dicit, vt post quam suam sententiam viderimus, de nomine Regio suscepto nobis gaudeamus, & illi gratulemur.*

XI. *Carolus V. Archiduæ Austriacus Rex Hispaniæ declaratur.*

Hæc cum dixisset, litteras Regias de sinu promsit, quas omnibus audientibus recitauit, gratulate & imperio plenas. Ximenius Cardinalis cum senatu, & qui aderant Antistites, aliquotque item ex minoribus Principibus, Galindi sermonibus assenserunt: nonnulli in contrarium disceptarunt, quibus non obstantibus, Cardinalis Petrum Corream Madriti præfectum ad se vocauit, & vt Carolum de Hispaniæ more, in prætorio primum, deinde per oppidi vicos gratulabundus & exultans Regem proclamaret, Decurionibus præeuntibus & vexillis sublatis iussit. Facta est primum Madriti ea proclamatio, sub extremum Maium, cunctis proceribus & populis cōclamantibus Carolum Regem Castellæ. Postridie cius diei ad Conuentus Pintianum & Granatensem, & ad alias Castellæ vrbes, ad Regulos que omnes publico Sigillo litteræ sunt missæ, quibus quid Madriti per Ximenium & Regium senatum gestum esset, declarabant, iubebantque, vt exemplum hoc secuti, ipsi quoque Carolum Principem statim Regem proclamarent. Sententia autem litterarum hæc fuit: Carolum Regem Pontificis Maximi, & aui sui Imperatoris authoritate, suasuq;, Regnorum Castellæ & Hispaniæ possessionem simul cum

Regis nomine, matre Ioanna ſereniſſima ſuperſtite, ob cauſas maxime grauiſſimas atque conuenientes, ſuſcepiſſe; quod in totius Reipub. commodum ceſſurum nihil dubitabant. Quare ea reuerentia à ſe ſuſcipi, quemadmodum ſubditos decebat; hac conditione tamẽ appoſita, vt matris Reginæ nomen omnibus Regiis tabulis officij debiti & obſeruantiæ ergo prænotetur: neque in his ſolum, ſed vbique in Regiis muneribus, Reginæ tamquam præſtantiori, omnes honores & obſequia deferantur. Nam tantum Carolo cordi eſſe, eius imbecillitati ſuppetias ferre, & aliqua parte laboris, quam in tanta mole regnorum ſuſtinebat, ſubleuare. Igitur quod fauſtum felixque eſſet, nomen Regis, quod iuſtis de cauſis & conſilio excellentium virorum ſibi aſſumpſerat, Diuino numine primum inuocato, deinde Iacobi Apoſtoli Diui Tutelaris, lætis vocibus paſſim perſonarent. Nam Regem ipſum primo quoque tempore adfuturum, cuius præſentia, & optata voce plenius eius propoſitum eſſent intellecturi. Cuncti protinus obtemperarunt, tantumque habuit Ximenij ſeueritas momenti, vt ſine vlla populorum cunctatione, id ab omnibus approbatum ſit. Reguli qui Madrito aberant, Ximenij & Regij ſenatus authoritatem veriti, nihil moliri auſi ſunt. Sed ante omnium procerum & ciuitatum officia, Toletanæ ciuitatis ſtudium enituit. Nam ſimulatque litteras Ximenij, & Senatus Regij accepit, incredibili ardore, & veluti quodam numine afflata, maxima omniũ gratulatione, & inſigni pompa, vexilla per Præfectum & Senatum ſunt ſublata, primariis equitibus & nobilibus, cæteros ciues egregie cohortantibus. Tantum apud eos valuit Pontificis Maximi, & Cæſaris authoritas; qui grauiſſimis Reipublicæ Chriſtianæ aduerſus Turcas & Barbaros tuendæ, ſeruandæque de cauſis moti, voluerunt, adeoque Carolum, & ſi tantum XVI. annos natum, impulerunt, vt Regium nomen aſſumeret; omnibus bonis ſibi pollicentibus, fore illum non Traianum aliquem, aut Antoninum Pium, ſed qualem Deus ipſe in Deuteronomio deſcripſit, hoc eſt optimum & ſanctiſſimum Principem, ſub quo quaſi felici quodam ſydere Chriſtianitas tranquillitate perpetua frueretur, atq; in remotiſſimas gentes propagaretur, à barbarorum impetu ſecura.

XII. Duo per id temporis, Ximenius Hiſpaniæ Gubernator adhibuit media, Reipublicæ ab hoſtibus tum internis, tum externis tutandæ. Aliquando ex Ferdinando Catholico, qui tum prudentia, tum rei cognitione & laude inter ætatis ſuæ principes excellebat, intellexerat, militarem exercitum quem ſemper ad manum haberet, voluiſſe ex cuiuſcumque ciuitatis incolis comparare atque inſtruere. Dicebat enim experientia bellorum edoctus, delectus qui ex ignotis & vagis hominibus more maiorum haberentur, perniciem potius quam vtilitatem in Rempub. inducere. Nam obſcuri illi & immodeſti, atque impuri homines, peſſimisque exemplis famoſi quocumque accederent ex rapto viuere, vicos & agros miſere vaſtare, infimam plebem & ruſticos homines affligere, milleque alia ſcelera patrare. Quod ſi per ſingulas vrbes certi quidam ciues nomina ſua ad militiam ſacramento darent, qui quotieſcumque à Rege vocarentur, bellica ſuppellectile inſtructi, ad omnes caſus prompti, & præſto eſſent, innumera incommoda ceſſatura. Hos enim melius & liberalius educatos, atque moribus ciuilioribus præditos, liberis, vxoribus & penatibus timentes, nihil indignum aut atrox auſuros, ſed potius totis viribus pro aris & focis depugnaturos. Iſta cum Ximenius in memoriam reduxiſſet, & præter reliqua emolumenta, ſummum inde præſidium parari animaduerteret, quod Reipub. ſecuritatem; & præſentem rerum ſtatum mirum in modum recreare poſſet, de huiuſmodi militia inſtituenda cœpit illico acrius cogitare. Nam nullam fortiorem aut potentiorem machinam eſſe intelligebat, ad omnium animos ſedandos, & in officio continendos, quam huiuſmodi exercitum ex propriis ciuibus & incolis conſtantem, per ciuitates ſingulas diſpoſitum. Igitur poſt multam conſultationem, quam partim in ſenatu, partim cum viris earum rerum peritis habuit, edictum ad omnes Caſtellæ ciuitates miſit, vt quicumque ex earum incolis, præſertim qui ius ciuitatis & penates haberent, nomen ad delectum quem parabat darent, multis immunitatibus fruerentur. Hi milites reipub. futuri erant, & quotieſcumque neceſſitas ingrueret, ad eam protegendam præſto cum armis futuri, & ſingulis quibuſque Dominicis diebus aciem bellico procinctu ſub populorum conſpectum exhibituri, quam tranſuectionem vocabant. Duces ſe illis, & qui lituis canerent, ac tympana pulſarent, reliquoſque exercitus miniſtros pecunia publica exhibiturum; militibus vero peculiaria priuilegia iure ſuſceptæ militiæ concedi, vt ab exactionibus & tributis, quibus pendendis plebs & pagi circumuicini obnoxij ſunt, puta hoſpitiis Regio Comitatui præſtandis, & de multis aliis oneribus & angariis ſubeundis, ad quæ vectigalis conditionis homines tenentur, immunes eſſent. Nihil principio eo edicto plauſibilius, aut gratius vniuerſæ plebi tunc accidit. Nam ea ratione facile ad nobilitatem viam ſibi paratam ſentiebat, cum præſertim tam paruo labore, intra proprios penates, cum filiis & vxoribus ea ſe munera obituros intelligerent, & non ſolum Reipub. ſaluti conſultaturos, ſed hoſtibus cunctis formidini futuros. Itaque paruo temporis ſpatio, pluſquam triginta millia ſelectorum militum, ex ſingulis vrbibus coacta ſunt, qui per omnes bellicas artes ſeſe in oculis ciuium omnium exercentes, iucundo ſpectaculo erant. *Ximenius Hiſpaniæ gubernator exercitũ copioſum colligit.* Rurſus iuuentus, quæ niſi rebus honeſtis occupetur, continuo voluptatibus diffluit, à quibus plus periculi quam ab armatis hominibus imminet, vt facile parentum exemplis excitatur, curſu & ſaltu, & miſſilibus iaciendis, omnique armorum genere, & pedibus, & equis mirum in modum exercebatur. Denique ludus quidam militaris aperiebatur, quo nihil optabilius reipub. potuit accidere; cum clarum ſit, eo inſtituto, fortiſſimas nationes à viris non perinde validis ſuperatas & domitas fuiſſe. Permultum quoque viſum, huiuſmodi exercitum ad omnes caſus, nullo Regis aut reipub. impendio, in procinctu paratum habere. Eius militiæ notitia poſtquam ad finitimos Reges, & remotiores nationes peruenit, cuncti Ximenij conſilium magnificare, & prudentiam viri ante omnia admirari, qui mirabili inſtituto Hiſpaniam non modo ab externis incurſionibus tutam reddidiſſet, ſed cunctorum mortalium dominam poſſet conſtituere. Sed quoniam fruſtra exercitum terra parat, qui mari etiam vt ſit potens non laborat, triremibus quas eo tempore reſpub. obtinebat, viginti adiungendas curauit, atque ita claſſem inſtruxit, maritimis regionibus benigne quæ ad eam armandam neceſſaria erant ſuppeditantibus, qua à littoribus Hiſpaniæ Turcarum, Afrorũq; arma & piratarum incurſus monente Max. Pontifice depulit. Nam ſtatim ſub menſem Iulium, cum prope Alicantum, ad inſulam non longe in eo littore ſitam, quinque longas Turcarum naues claſſis Hiſpana obuiam habuiſſet, acri prælio cum illis commiſſo, ſexcentis hoſtibus fortiter occiſis, fuſæ captæque ſunt, & ad Alicantum captiuæ remulco ductæ. Qua de re Pontificis Max. gratulationes ad Ximenium ſunt miſſæ, animi præſtantiam, & ſingularem prudentiam qua in his rebus vſus commendantis. Ita aliquis nomine Pontificis Ximenio ſcribebat.

Superioribus diebus, cum à Magnifico Domino Benedicto Hurtado Sanctiſſimus D. N. litteras veſtræ Reuerendiſſimæ Dominationis recepiſſet, eumque diligenter ac copioſe, mandata quæ ab eodem tulerat exponentem audiuiſſet, libentiſſimo animo eius ſanctitas intellexit, tam Chriſtianas, tamque dignas viro Principe cogitationes, animo veſtræ Reuerendiſſimæ Dominationis inſiſtere; ſcilicet quo pacto & ædificari, & armamentis inſtrui, & continenter teneri claſſis neceſſaria poſſet, contra acerrimos Chriſtiani nominis hoſtes; ſummoque opere eius Beatitudo Veſtram Reuerendiſſimam Dominationem commendauit, quod ad tam egregia & glorioſa animum adiecerit. Quæ vt ſunt maxime Principibus Chriſtianis digna, maximeque pro fide Chriſti neceſſaria, ita etiam non mediocre paritura ſunt nomen Reuerendiſſimæ Dominationi Veſtræ, cui nec tenuis à ſummo Deo eſt exſpectanda ex hac re merces; ſed quemadmodum ex ea ſummum percepit, ita etiam ei minime deeſſe vult, quantum in ipſa erit, quin ad optatum finem dirigatur. *Gomecius de rebus Ximenij libro ſexto, Ioannes Chapeauillus in Commentario de Epiſcopis Leodienſibus.*

Dum hæc in Hiſpania agerentur, ac Pontifex Max. con- XIII.

ciliandis magnificandiſque Chriſtianis Principibus vacaret: Franciſcus Valleſius, Galliæ Rex, Legatum ad Emanuelem Luſitaniæ Regem miſit cum litteris officij pleniſſimis. *Franciſcus Rex Galliæ ad Emanuelem Regem Luſitanum legatum mittit.* Petebat autem ab illo, vt ſe ſocietatis fœdere, quam tunc cum aliquot Principibus in aliorum perniciem faciebat, alligari permitteret. Emanuel reſpondit, ſibi regis potentiſſimi voluntatem ſemper fore gratiſſimam, & omnia quæ ſalua fide & Chriſtiani Regis officio poſſet, cauſa illius libentiſſimè facturum. A bellis tamen, quæ Chriſtiani Principes inter ſe gerebant, vehementer abhorrere, Sibi namque in animo eſſe, Saracenis & Turcis, ſi poſſet, perniciem & interitum machinari: Chriſtianis vero Principibus bonam mentem & animorum concordiam precari. Sub id tempus, tres Sarmatæ viri apprime nobiles, in Luſitaniam Emanuelis viſendi gratia venerunt, illius namque fama illas regiones cum hominum admiratione peragrabat. Tempore enim, quo reliqui Principes Chriſtiani, huius tanti nominis obliti, acerbiſſimis odiis ſtimulati, in mutuam perniciem ruebant, & furore cæci, opes hoſtium qui Chriſtianis opibus imminebant, in dies amplificabant; erat illius Regis laus illuſtrior, qui pacem cum Chriſtianis Principibus vnice colebat, nec vllis præmiis allici poterat vt cum vllo Principe funeſtiſſimi belli ſocietatem iniret; qui maximo ſtudio bellum in Africa & India contra Chriſtiani nominis hoſtes comparabat. *Emanuel Arabes & Africanos fugat.* Sane in Africa, hoc anno Regem Feſſenſem, XXX. millibus equitum, & LXX. M. peditum exercitu ferocientem, profligauit, & ab obſidione Arzillæ depulit: Arabas in regno Marochienſi pene proſtrauit; Mameluccos & Mauros, non ſemel fregit; Coulamenſem & Pacenſem in India Reges ad pacem petendam, armorum terrore coegit; ita vt Coulamenſis, templum nomine Diui Thomæ Apoſtoli dedicatum, quod Saraceni paulo ante diſturbarant, ſuis ſumptibus inſtaurarit, & templi vectigalia reſtituerit, & alia deuictis ſolita præſtiterit.

Præter hæc cum intelligeret in Æthiopia Congi regionem quotidie magis Chriſti diſciplinis illuſtrari, vt opus præclare inſtitutum rectius abſolui poſſet, Sacerdotes alios ad Regem Alfonſum, cum libris & muneribus, quibus hominem multo acrius ſtudio religionis incenderet, miſit: quos ille benigne admiſit, audiuit, & totum ſe illis formandum permiſit. Erat Alfonſus in ſceleribus vindicandis acer, & in egentium inopia ſubleuanda benignus, in regni opibus ſtabiliendis induſtrius, in moribus atque vita continens, in religionis ſtudio ſanctus, atque tam inſigni pietate præditus, vt cœlum ſemper intueri videretur. *Alphonſi Regis Æthiopiæ laus.* Siue enim ius diceret, ſiue cum populo ageret, ſiue belli conſilium, ſiue pacis iniret, ſemper Deum in oculis & conſpectu proponebat, omniaque ad illius gloriam reuocabat. Litterarum ludos aperire iubebat, Magiſtros magna mercede conducebat, vt pueros non litteris tantum, ſed multo etiam magis ſtudio pietatis imbuerent. Ipſe vero tempus quod illi à negotiis publicis vacabat, in litteris conſumebat. Euangeliorum ſententias innumerabiles, & prophetarum Oracula in ore ſemper habebat. Nam & lectione perpetua multum in ſanctarum litterarum ſtudio profecerat; & quæcumque à Sacerdotibus audierat, in illius memoria penitus infixa permanebant. Frequentes ad populum conciones habebat, quibus illum ad pietatem, & religionem ardenter incitabat. Erat ingenio acri, & memoria firma præditus.

Quinque libros Luſitanarum legum cum diligenter euolueret, legum quidem ſapientiam, & ordinem atque diſciplinam reipub. laudauit; ſed rebus etiam minutiſſimis leges certas inuentas eſſe, non facile probabat. Itaque hanc legum exactiſſimam diligentiam irridens; de Luſitanis quæſiuit, quænam pœna eſſet iis, qui in terra pedem ponerent, ſtatuta. Regem vero Emanuelem tanta abſens fide colebat, vt ſæpe diceret, ſe nullam eſſe de rebus humanis voluptatem percepturum; antequam in Luſitaniam veniret, vt ad Emanuelis pedes prouolutus, illi ſe totum addiceret. *Emanuel cum Perſarum Rege fœdus cõtra Turcas init.* Quod enim cœleſti luce frueretur, quod verum Deum coleret, quod ad immortalem vitam aſpiraret, id totum eſſe Emanueli Regi clariſſimo atque ſanctiſſimo in acceptis referendum. Super hæc Emanuel; legatos ad Iſmaelem Perſarum Regem deſtinauit, cumque eo ſociale fœdus contra Turcos & Ægyptios iniuit; quando is ipſe de ſtudio Pontificis Maximi in Turcas bellum cientis plurima intellexiſſet, deque ipſius ſtatu, amplitudine & valetudine ſcire à Luſitanis expetiiſſet. neque his contentus; Henricum Lemum ad regnum Pegu, in Indiam vltra Gangem ſitum, & ad Sinas ex quadam parte pertinens; ac præterea Fernandum Petreium Andradium cum nauibus octo miſit in Sinas; ad illas regiones è proximo cognoſcendas, Chriſtique fidem apud eas remotiſſimas gentes propagandam. Vna profectus etiam Thomas Petreius Emanuelis nomine, cum donis ac litteris legatus ad Regem Sinarum, quorum nobis mentio, quia ſæpius in poſterum incidet, aliqua hoc loco de gentis natura, religione, moribus, opibuſque poſuiſſe, non incommodum fuerit.

Sinarum regio, quam hodie Cinam vulgus appellat, vltima terrarum Aſiæ, ab Oriente, & à meridie alluitur. XIV. *Sinarum Regionum deſcriptio, & mores.* Oceano quem Sericum, vel Eoum priſci dixere; ab Occidente Indiam vlteriorem attingit; à Septentrione cingitur Maſſagetarum, Scytharumque limitibus: Multo latius quondam imperaſſe gentem, annales ipſorum ac litteræ, & veterum ædificiorum illuſtria monumenta, & complures, in India præſertim, ab iis denominatæ nationes, haud obſcure teſtantur. Sed cum ſua ipſi mole viribuſque fatigarentur, (quod à Carthaginenſibus in re ſimili factum legimus) ſponte miſſo veluti ſanguine; & caſtigata luxuria, intra hoſce fines recepere ſeſe; graui propoſito edicto, ne quis iniuſſu Magiſtratuum excederet. Regna, ſeu prouincias vaſtæ magnitudinis, numerant quindecim cum ſua cuiuſque metropoli; ad mare ſex, mediterranea reliqua. Tellus, quod maxima ex parte intra temperatæ plagæ terminos continetur, radioſque Solis, ſuapte natura vitales puro ac patenti excipit ſinu, ſic fit, vt ſaluberrimo cœlo, & purioris auræ dulcedine perfruatur; ac ſimul inclytæ fertilitatis gleba, frugum omnis generis fundat copiam, bifero triferoque prouentu. Accedit ad eximiam ſoli fœcunditatem, ſumma cultorum induſtria. & infinita eſt multitudo, quippe ſuboleſcente in dies prole, & in alienas regiones migrationibus interdictis. Neque in tanta mortalium turba ceſſare cuipiam licet. non priuato dedecore tantum, & proximi cuiuſque probris ac iurgiis, verum etiam publicis moribus legibuſque deſidia plectitur. Itaque ruſtici homines nullam agri partem incuria ſqualere patiuntur. Saltus & colles, pinu vitibuſque; campi & planities, oryza, hordeo, frumento, cæteriſque ſegetibus nitent. quamquam è vitibus more noſtro non exprimunt merum. Vuas quodam condimenti genere in hyemem adſeruare mos eſt. cæterum ex herba quadam expreſſus liquor admodum ſalutaris, nomine Chia, calidus hauritur, vt apud Iaponios; cuius maxime beneficio, pituitam, grauedinem, lippitudinem neſciunt, vitamque bene longam, ſine vllo ferme languore traducunt. Oleis alicubi carent; Sed earum vice non deſunt plantæ, quæ humorem vnctui præbeant. Paſcua ſunt etiam gregibus alendis vberrima, & in hortis egregie cultis cum alia noſtri orbis poma, tum ſapidiſſimos melopepones, ſuauiſſima & optima pruna ficuſque, & medica citreaque variæ formæ ac ſaporis, apprime generoſa mala conſpicias. Ad hæc, perſpicui fontes, & miro colorum decore odorumque fragrantia flores ac roſæ perennant. Flumina vero, quæ magnas quoque patiantur naues, piſcoſa & amœna, viridiſſimo riparum veſtitu, pinguibus aruis interfluit. quin, & ora maritima pluribus introrſum æſtuariis ad omnium rerum copiam inuehendam euehendamque, facile patet acceſſu. Ingentem præterea volucrum & ferarum vim, ad aucupium ac venatum, paludes, luci, ſaltuſque ſuppeditant. Metalla auri & argenti, & feri probatiſſimi, & alia, incolæ effodiunt. Margaritas, & præcipuæ nobilitatis vaſa fictilia, quæ vulgo porcellana dicuntur; pretioſas pelles ad frigus arcendum; itemque goſſipij, lini, lanæ, bombyciſque & ſerici fila, veſtem omnis generis mittunt innumerabilem. Saccari & mellis, rhabarbari, caſuræ, minij, glaſtique tingendis veſtibus expetiti, prouentus ingens: odoramentis cum aliis abundant, tum præcipue moſco è feris quibuſdam vulpecularum effigie, crebro verbere enectis, dein putrefactis. Denique

nihil aliunde, non ad victum modo cultumque, sed ne ad delitias quidem ac voluptates requirunt: ac proinde nulla sub Sole gens est, apud quam aliarum gentium opes æque consistant: quippe vendentibus cuncta Sinis, nihil inuicem redimentibus, nisi forte in vsum tectorij cuiusdam odorati, piper ex India. Neque erat externo commercio locus; in Sinam infinita quædam teneret argenti cupiditas. Id præferunt auro; & cum indidem effossum, tum è remotis regionibus illatum, auidissime accumulant. Iam de ædificiis, priuatisque ac publicis operibus explicare, infinitum sit. Vrbes præcipuæ magnitudinis celebrant ferme ducentas: inferioris autem ordinis, longe plurimas. Porro castella & pagi, quorum nonnulli tribus familiarum millibus incoluntur; vicique passim ita multi sese offerunt, vt summa iniri vix possit. Sunt autem egregio situ plerique, scatent aquis, procera circumdati sylua, ex qua turritæ prædiuitum aratorum eminent domus. Cæterum, dispersæ in æstiuos maximè secessus nobilium villæ, opere inprimis eleganti; vel ad opacas amnium ripas garrulos auium concentus, & fugientis aquæ lene murmur excipiunt; vel è montium iugis verticibusque, subiectos vallium anfractus, & vasta maris ac terrarum spatia, longe lateque despectant. Sed ipsarum præcipue vrbium pulchritudo mira. Nauigabilibus impositæ fluuiis, admodum profunda & lata fossa, mœnibusque cinguntur quadrati ab imo lapidis, lateritiæ ad summum structuræ. Lateres autem, ex eodem argillæ genere quo porcellana vasa confecti, & calce optima interliti, in eam duritiem ac firmitatem breui tempore coalescunt, vt ferramentis postmodum labefactari vix possint. crassitudo mœnium, quatuor, & alicubi sex capit homines: additis ad prospectum pergulis, ac mœnianis, & occultis ambulationibus, qua præfecti oblectationis gratia pererrent: pomœrium intra extraque, libero ad circuitum spatio, senis in ordinem equitibus patet. Ad obliquos autem ictus, medico interuallo turres & propugnacula prominent, artificiosis contecta fastigiis, & podiis elegantibus adornata. Ex iis mœnibus cum quædam ante bis mille annos constet constructa, nullam tamen in eis rimam aut sinum, aut labem aspicias; adeo seuere acriterque sarta tecta ab Regiis curatoribus exiguntur. Vrbis vero totius, ea ferme dimensio est. Latissimæ viæ duæ se intersecantes, perpetuo tractu qui lustrari oculis possit, perpetuas quatuor portas aperiunt, præferratas, ornatu magnifico, adituque ad aspectum præclaro. Ab hisce rectis viis, aliæ deinde aliæque transuersæ, priuata & publica ædificia, vicosque distinguunt. & ab vtroque latere viarum excurrunt porticus; quæ commeantem plebem, & fabrum atque institorum Apothecas ac tabernas, à tempestatum iniuria vindicent. Iam vero, è lapide trifores vt plurimum, & quidem summo artificio perfecti, cum inscriptionibus fornices passim visuntur. quæ monumenta, Magistratu abeuntes Regij præfecti relinquunt. Magistratibus autem ipsis, celeberrimo loco stant ampla & operosa Prætoria, cultissimis hortis, capacibus piscinis, fontibusque pellucidis, & variis aquarum deriuationibus ad omnem animi remissionem instructa. Nec desunt auiaria & ferarum septa, & operis topiarij tonsiles syluæ, lucique densissimi, & distincta floribus prata; vt singulæ præfectorum domus oppidi propemodum instar obtineant. Priuatorum ædes, circa maritimam oram humiles: mediterraneis vero locis, multiplici contignatione tolluntur, vel pictura decoratæ, vel operæ albario candoris eximij. A primo ingressu panditur atrium, armariis circumquaque dispositis, in quibus inanium Deorum statuæ collocantur. accedunt lacus pleni piscium, ac pensiles horti. materia in ædificationes vtuntur mire læuigata, & certo lenocinij genere in auri colorem ac splendorem adducta. Pari læuore tegulum est, calce spissatum atque commissum ad pluuias arcendas; durantque seculis tecta talia, extremis imbricibus è marmorato perleganter elaboratis. ad singulas vero ianuas, viridi opacitate arbores ad lineam directæ consurgunt, quarum gratissimo aspectu, quasi pabulo quodam oculorum acies quamlibet fatigata reficitur. Porro vrbes, præterquam quod magnis, vt dixi, fluminibus pleræque alluuntur; sunt etiam quæ ad subuectionis euectionisque commoditatem, canales nauium capaces introrsum admittant; quales multis locis apud Belgas, & alicubi etiam in Italia cernuntur, marginatis vtrinque semitis ad terrestre iter adstructis. lapidei quoque pontes egregie facti, non ad oppida solum, sed etiam in agris plurimi. quæ flumina propter altitudinem pilas arcusque reiiciunt; ea consertis, & contabulatis nauibus pro ponte iunguntur. Sin ex imbri vehementius intumuerint, solutis interim ordinibus, viatorem, gratuitæ cymbæ, Regis impensa transmittunt. Iam voraginibus, & hiatibus terræ, & stagnantibus aquis, quæque alia ad iter impedimento sunt, publice occurritur; quin etiam aspernimis locis ad montium latera excisis cautibus viæ patescunt, ea molitione sumptuque, vt Romanam in eo genere magnificentiam non requiras. Templa etiam cum turribus, culminibusque spectantur (licet alioqui Deos contemnant Sinæ) pulcherrima & maxima. Trans pomærium dein, præsertim ad mare suburbia, eodem ornatu & laxitate viarum, aduenas ferme ac negotiatores frequentissimis diuersoriis & cauponis accipiunt; in quibus præter delicatas de gentis more potiones, omnium etiam generum cocti crudique prostant cibi, & exquisita cupedia. Sunt autem Sinarum populi (quemadmodum eiusdem plagæ alij) prout ad Septentrionem, vel ad meridiem vergunt, magis aut minus æneo colore, vel candido; simis naribus, exiguis admodum ocellis, rara barba, longis crinibus, quos accurate comptos, & in verticem coactos illaqueant, & oblongum ex argento clauum in laqueum inserunt. Neque tamen vna est omnibus capillamenti ratio: quippe, cælibes, comam à fronte discriminant; mariti, confundunt; atque hæc præcipue nota, ordinem vtrumque distinguit. Primarij ac diuites, quique militiam exercent, versicolore serico; plebeij ac pauperes, lino, seu gossipio tegunt corpora. Nam apud Sinas lana, cum maxime suppetat, minime texitur. Sagis ad veterem Hispaniæ consuetudinem vtuntur, media sui parte crispis ac rugosis; cæterum fusa & explicata lacinia, & laxis manicis: ipsum vero Sagum ab læua parte confibulant. Accedit talaris tunica, quam qui è Regia sunt stirpe, vel superiori aliquo Magistratu funguntur; circa baltheum maximè; cæteri limbo tenus acu pingunt. Caput operiunt præcelso ac rotundo pileo, è tenuissimis virgulis atro filo prætextis. Caligas induunt affabre factas, & elegantes cothurnos, aut calceos bombycino obstragulo perpolitos. Vestimenta per hyemem pretiosis murium Scythicorum pellibus, quas vulgo martas, vel Sabellinas vocamus, calore admodum suaui, & ventis impenetrabili densitate suffulciunt; iisdem separatim pellibus circumfouent colla. Molestias flatuum, munitis egregie fenestris, ac specularibus prohibent. Per æstatem vero, ad reliqua remedia; caloribus leniendis illud etiam accedit: subterraneos idoneo loco effodiunt specus: inde conceptam auram, intensiorem aut remissiorem prout libuerit per omnium ædium partes admirabili machinatione dispensant. Mulieres; circa curam capitis multæ sunt. crines diu pexos concinnatosque in summo circumligant vitta gemmis auroque distincta. reliqui corporis ornatus, minimè lasciuus. Præcipuam decoris ac formæ laudem, in pedum breuitate & exilitate constituunt; atque ob id ipsum, tenellos ab infantia fasciis perquam arcte constringunt. Magnus apud nobiles matronas honos pudicitiæ. raro visuntur: nec in publicum prodeunt, nisi gestatoria sella, prætentis ex omni parte velis, &, occultæ speculationis causa, reticulatis ex ebore fenestellis ad latera appositis. succollant serui, magna vndique stipante familia. Deprehensum adulterium æque viri ac fœminæ, capite luitur. Ad nuptias, dotem non viro fœmina, sed vir fœminæ defert. Singulæ vxores in matrisfamilias numerantur loco: pellices procul à conspectu variis locis aluntur. Prostitutis ac meretricibus (ea fere mancipia sunt) proprium ac separatum in suburbiis domicilium est. Annum è Lunaribus periodis duodecim ita conficiunt, vt tertio quoque anno ad duodecim vnam addant. Principium à Martij mensis nouilunio auspicantur. Eum diem publica hilaritate, natalem quisque suum priuata gratulatione concelebrant. munera sibi & sportulas inuicem mittunt.

apparitissimis deinde epulis, noctu præsertim, exquisitissimi interponuntur ludi. Comœdias, ac tragædias exhibet sūptuosas, vel fabulis in præsens à poeta confictis, vel actionibus è vetere historia repetitis. Petauristæ, aretalegi, præstigiatores, mimi non desunt. parietes fornicesque viridi frōde, micantibus rosis, & pretioso peristromate vestiuntur. Fragrant odoramentis ac floribus viæ. accensis funalibus ac laternis, arbores, pergulæ, fenestræ collucent: neruorum pulsu, tibiarum vocumq; concentu omnia personant. Conuiuiorum autem ratio est talis. Inuitantur multi: propria singulis mensa, aut sūmum binis, apponitur ex ligno ad instar ebeni splēdidissimo, variis syluestrium maxime rerum figuris, ac certis linearum ductibus (quo in genere Sinæ admodum excellunt) capreolatim ex argento, vel auro discurrentibus. Ea pictura nitorque pro mappa est. Serica frontalia dein ad humum vsque dependent. Conuiuæ fucatis confident cathedris, præmolli, vt apud nos, culcitra ad gratiorem quietem obductis. Inde elegantissimi primum canistri sertis redimiti, onusti baccis pomisue, toto margine disponuntur. Intra id veluti septum, admirabili structura cæteræ exurgunt dapes. cumq; Sagina omnis generis, ferina æque ac domestica, & piscibus, ostreisq;, & cunctis ferme illecebris, & condimentis abundent: Suilla tamen præcipue caro summorum pariter & infimorum expetitur mentis, neq; ex vllo alio animali copiosior ganea. Cibos digitis attrectare (vt sunt vulgo munditiarum diligentissimi) rusticitatis putant. bracteatis paxillis, vel argenteis aureisue fuscinulis, concisa minutim frusta in os inserunt. Exiguis poculis crebro haustu sedant sitim, & magno cum honore verborum sibi propinant. Miro interim silentio atq; ordine lances ab atriensibus inferuntur, & in singula fercula mēsæ instrumentum omne mutatur. Hæc separatim viri: ac matronæ item seorsum (quæ maritorum Zelotypia est) eodem apparatu in penetralibus conuiuantur. Salutandi ritus, inter plebeios, eiusmodi: læuam in pugnū compressam obtegunt dextera: ambos dein pectori sæpius admouent, & simul, accommodato ad gestum sermone demonstrant, amicum sibi conditum hærere in medullis. At primores, brachiis arcuatim extensis, ac digitis vtriusque manus implexis, idētidem sese ad terram vsq; summittunt, certantq; verborum officiis inter se, vter posterior, alterius honoris causa quiescat. Opificum ac Sollulariorum ingens vbiq; numerus & certus ordini cuiq; vicus est. Sculpendi ac pingēdi artem, itemq; plasticen, toreuticen, encausticen, nec non fabricas, ærariam, ferrariam, cæterasq; metallicas, ac materarias, egregie callent. neq; ad cōflandos ignes (quod vel inprimis mirere) cuiusquam egent opera: quippe, certa ratione ita libratis tubulis quibusdam, atq; ad caminum aptatis, vt acceptam è cauernis auram perpetuo reddant. Mæchanica quælibet, vel ibidem excogitata, vel ex aliis terris inuecta, celerrime arripiunt. Ænea tormenta conflare, literas imaginesque subiectis prælo typis excudere (quibus commentis Europa recentibus adeo gloriatur) vetustissimo in vsū apud Sinas esse, compertum est. Accedit ad artificiū tormētorum, quod ex iis quædam solutilia faciunt, perq; partes imposita baiulis, aut iumentis, quocumq; opus est, sine vexatione circumferunt. Ad scribendum autem, arctas & oblongas adhibent è læui admodum ac tenui papyro pagellas: neque versus ab læua ad dextram, vt Græci: neq; ab dextra ad læuam, vt Hebræi: sed ad imum ab summo perducunt: cuius generis impressum volumen, atque inde transmissum, Romæ in Vaticano: itemque in Laurentiana Philippi Catholici Regis seruatur. Literis vtuntur velut Ægyptiis, quas hieroglyphicas Græci dixere. Eæ singulæ singulis nominibus seruiunt, atque etiam integris interdum sensibus. Ita fit, vt cum Sinæ, varia lingua, quippe tam multis regionibus tamque disiunctis, vtantur, tamen quæ literis consignata sunt, peræque omnes intelligant. Præter suum cuiusque nationis atque prouinciæ, certus insuper & communis eruditorum est sermo. Latinæ apud nos linguæ respondet: vulgò Mandarinum appellant. Hoc aulici, Scribæ, Iurisconsulti, Iudices, Magistratus vtuntur: huic impensa cura dant operam. Qui per plateas errat otiosus, vt supra docuimus, vel manū supplex ad stipem porrigat, ferme est nemo. Māci, vel aliqua parte corporis debiles, vel morbo impliciti grauiore, quam vt sibi parare victum vllo modo possint: cognatis affinibusue alendi attribuuntur à Magistratu. Sin propinqui desint, vel propter inopiam alendo non sint; causa probe cognita, ne quid subsit fraudis, in Regia valetudinaria deportantur. Luminibus capti, si premat egestas, pistrino ac molæ: manci, aut quoquo modo mutili, dum suppetunt vires, aliis alii ministeriis affiguntur. Denique nullus inertiæ, vel ignauiæ locus est. Itinerum spatia, hoc pacto distinguunt. Minimam omnium mensuram patrio nomine vocant Li, hæc, interualli continet quantum æqua planitie, die puro ac sereno, vox humana percurrit. Li decem, vnum explent Pù, quod Hispaniensi ferme leucæ respondet; siquidem Pù dena, diei vnius iter efficiunt, quod vulgò Ychan appellant. Peregrinationibus autem, non iumenta modo, sed etiam varii generis cisia, lecticæ, pilenta deseruiunt. accedunt rhedæ, ac vehicula partim equis iuncta: partim etiam vbi camporum æquora patiuntur, velis euntia. Nec vero minus perite ac scienter aurigæ quam nautæ & gubernacula moderantur, & varia velorum inflexione, prolato vel reducto prout opus est pede, ventos excipiunt. Pretia rerum (vt quondam in Latio) non moneta nummisve: sed, ne locus adulterio pateat, concisi maxime argenti pondere metiuntur: atque in id ipsum, forfices & habilem trutinam ligneolæ inclusam thecæ, in sinu circumferunt. ad maiora vero pondera, cum lancibus libram, publice probatam obsignatamque habent domi. teruntios duntaxat ex ære, publica forma percutiunt, gestantque pertusos in linea, supplendis argenti pretiis; vel etiam ad quisquilias coemendas. Nihil quod vlli vsui possit esse, perire per incuriam sinunt. excrementa sordesque, ad stercorandam agrum: vilissima scruta, in chartarias officinas: ipsa denique canum ossa, in cælaturam & sculptilia conferunt. Fæneratores, vtpote reipubl. noxii, cum aliis pœnis, tum pecunia mulctantur in fænore deprehensa. Debilibus tantum aut cæcis ex infima plebe, ad sustentandam inopiam, aliquid vsuræ nomine exegisse impune est. Suarum quisque mercium institor, descriptum indicem: pharmacopolæ etiam singulorum simplicium quæ appellant, specimen ipsum coguntur pro tabernæ foribus habere propositum. Ea sæpe ab ædilibus inspiciuntur: neque componendi, miscendiue, nisi præsens necessitas vrgeat: neque composita diutius adseruandi, cuiquam omnino ius est. Vocales & gesticulatorias aues enutriunt impensa cura, venduntque, præter naturales colores, vario etiam vestitu ornatuque distinctas.

Iam, naualium copia, ac totius rei maritimæ apparatus, pœne incredibilis: adeo large, materiam & omne instrumentum, cæduæ syluæ, & ferri optimi venæ, & lini gossipiique frequentissimæ textrinæ suppeditant. Maximas naues, vento duntaxat mobiles, vulgò iuncos appellant. ex ijs partim ad bellum parantur, eminentibus ad proram puppimque castellis: partim depressiores, ad mercaturam & onera. Sunt quas Lanteas, quas Bancones vocant: illæ sex remis ingentibus, hæ tribus tantum, quaterno vel seno in scalmum remige ad vtrumque latus instructæ. Longis etiam, triremium instar vtuntur: sed sine rostro: & ad amnes, ac vada sulcanda plano alueo fabricatis. Aliæ conspiciuntur, maxime peragrandis animi causa littoribus, auro & argento cælata puppi, cubiculis, reticulatis fenestris, porticibus, pensilibus hortis pœne in contumeliam maris exornatæ. Ad summam, variæ magnitudinis ac formæ nauium tanta copia est: vt præfecti oræ maritimæ, si quid vrgeat subitæ rei, militares iuncos à quingentis ad mille contrahere momento dicantur. Neque vllo tempore anni desunt classes, ad tuenda & purganda piratis maria pluribus locis paratæ. Hæ, magno totius regni bono, mercatoribus & nauiculariis omnium nationum præstare conantur non modo tuta, sed etiam secura commercia. Carinas oblinunt certo bituminis genere mire fideli cum ad explendas rimas, tum ad teredinem & noxia lignis animalia prohibenda. Purgandæ vero naui, pluribus consertam vasculis antliam, ad latera introrsum applicant eo artificio: vt vnus quilibet sedens, alterno pedum ac perleui motu, paucis horis quantamlibet sentinam exhauriat. Nauigiorum fluuialium incredibilis copia: quippe, in ijs magna pars hominum cum coniugibus & liberis degunt: è quibus alii vecturam exercent, alii pro cauponibus & institoribus in perpetua statione sunt: nec solum in cibos, verum etiam in cultum ac vestitum, ipsasque delicias habent cun-

cta venalia: vt in ipso itinere ac fluuiis, vrbana commoda & copiam non requiras. Sunt qui intra eas naues, altilium, atque anatum præsertim, ingentes alant turmas: & facillima est soboles: propterea quod ex ouis, non matris incubitu, sed leni tepore ex ignibus temperatis adhibito, quotquot visum est, pullos excludunt. Noctu, animantes eas intra septa nauium cohibent: mane, vt diluxit, in campos oryzæ feraces emittunt. Ibi, non paruo agricolarum compendio, noxias frugibus herbas, mira quadam auiditate depastæ, sub noctem ad cymbali, seu tympani pulsum, in suas quæque chortes ac receptacula redeunt. Minutæ vero cymbæ, non fluuiatilem modo, sed ne marinum quidem saporis egregii piscem interioribus incolis deesse patiuntur. Verno tempore anni, tumescentibus imbre ac niue fluminibus, cum ad ipsas maxime fauces fætificandi causa æquorei greges ex alto succedunt: confestim è vicinis regionibus haud ignara prouentus magna hominum multitudo cum retibus & verriculis aduolat: ingens captura nullo negotio fit: Inde amnici nautæ à maritimis quam optimos pisces vili coemptos pretio, & vimineis conditos corbibus, peruncta charta ad continendum liquorem intectis: mutata subinde aqua, & pabulo iniecto, quamuis intima in loca incolumes vehunt. Ibi ex angustiis in ampla transfusi viuaria, & latas vrbium fossas, ad lautiora conuiuia popinasque toto anno sufficiunt. Capiendi autem, cum aliæ sunt artes, tum illa vel inprimis iucunda. Prægrandes, ac domesticos habent coruos, eiusmodi prædæ assuetos. horum colla nodo ita laxo constringunt, vt nequaquam interclusa respiratione, cibos tamen transmittere, ac deglutire non valeant. Ita è caueis dimissi, admirabili solertia sese in aquas immergunt: pisciculos minutos ore conceptos, maiores autem rostro apprehensos, domum inde abiere identidem referunt: quoad solutis omnino faucibus, ad satietatem ipsi quoque pascantur. Ea Magistratuum oblectamenta præcipua. Rei litterariæ magna pars hominum vacat. Medicas artes, & physica, & astronomica attingunt pauci: iura legesque habent ante annos bis mille scripta, neque vmquam (vt ferunt) exinde mutata. his vero, quod ferme ad honores ac Magistratus aditum patefaciant, plerique certatim insudant: deque politicis rebus, regnorumque administratione & quærunt ipsi inter se, & vbi licet, è peregrinis auide sciscitantur. Gymnasia cum egregiis Doctoribus ferme oppidatim ample, & copiose sustenta Rex. In ea Gymnasia è ludo litterario primisque rudimentis pueri & adolescentes leguntur. Studiorum præfecti, quos cessatores, vel tardos animaduerterint, obiurgant primum: deinde plagis afficiunt: ad extremum ignominia notatos expellunt: cæteros pro cuiusque profectu ac diligentia, tollunt laudibus. Ad hæc Regii censores, tertio quoque anno Gymnasia publice recognoscunt: ab ijs, ingenii & doctrinæ hoc fere modo specimen sumitur. Celeberrimis in regni cuiusque Gymnasiis, ad eam ipsam rem, mensis & subselliis instructa visuntur ampla & spatiosa conclauia. In ea ex aliis prouinciis (ne quid gratiæ detur) euocati adolescentes, præsentato sinu ne quem secum inferant librum, mane cum pugillaribus includuntur. Ibi à censoribus theses de republ. & regno, itemque de priuatorum controuersiis, ponuntur ex tempore. In eam sententiam clausis ostiis, adhibitisque custodibus, pro sua quisq; copia & facultate scribunt eo intentiore studio, quod in eiusmodi certamine non dignitas modo, sed etiam res vnius cuiusque disceptat. Sub noctem, apertis foribus, pensa exiguntur, adscriptis auctorum nomine, origine, & patria. dein dimissa iuuentute, censores per otium ea scripta perpendunt: & ex vniuerso numero tria primum millia: rursum ex his trecenta: postremo ex trecentis nonaginta quam optima seligunt. atque is demum habetur sapientiæ flos: neque vltra subcernitur: quippe, totidem iurisperitos, ad supplementum in singula regna describi solenne est. Post hæc edicitur dies, quo die victorum nomina voce præconis pronuncianda fuit. Fit denuo ex omni parte concursus. qui palmam tulere, ij cum exquisito verborum honore Magistri appellantur: atque is dies magna conuiuiorum ac ludorum pompa & celebritate peragitur. Noui Magistri, phaleratis in equis, ingenti omnium ordinum studio & comitatu, per vrbem incedunt: deinde missos in Regiam, referri Rex iubet in Loytias: quo maxime titulo omnis nobilitas censetur, & annuum singulis honorarium ad eam personam tuendam attribuit: ac tum denique inter se amplexantur, eiusque Collegii necessitudinem persanctum existimant. Porro, ex Loytiorum corpore iudices, & consiliarios, & Magistratus creari mos est. neque per ambitionem, aut corruptelas, nullo sui dato in imis documento, raptim ad summa transiliunt, sed in inferioribus probati spectatique, gradatim ad superiora conscendunt. Magistratuum minorum ingens vbique numerus: maiores in vnaquaque metropoli, cum amplissima potestate quinque: neque ij indigene, quo magis inter ignotos odio & amore vacui, rectam in administrando regulam sequantur. Inter hosce, omnium consensu, primum dignitatis & Imperii locum obtinet Tutan. Is quasi Vicario Regis munere, vniuersæ prouinciæ præpositus est: ac dignitatis causa, proprio ac separato à reliquis præfectis habitat loco. Ad hunc grauissima quæque & maxima referuntur: pleraque decidit ipse, ac de toto rerum statu subinde Regem per litteras edocet. Proximus huic honore habetur Ponchasius, penes quem vectigalium & fisci Regii est cura. Is cum ingenti scribarum & custodum copia, tuetur ærarium, rationes & codices recognoscit, annua stipendia, salaria, mercedesque distribuit. Sequitur Aechasius, qui cum consilio delectorum virorum, non de ciuilibus modo controuersiis ac litibus iudicat, sed etiam rei capitalis quæstiones exercet: atque ad hoc tribunal toto eo regno in causis grauioribus prouocatio est. Porro Aitan rem bellicam administrat, conscribit exercitus, comparat classes: ac præcipue in id excubat, ne peregrini in vrbes ac mediterranea sensim irrepant. Aitani subest postremus omnium Luitisius, vir, militaris item rei peritus: qui ad Aitanis arbitrium, prout opus est, varias in expeditiones cum exercitu proficiscitur. Sunt qui præfectorum alia quædam tradant nomina, & plura: sed vtique magna omnium species, mira maiestas, ac singulis, excepto Luitisio, à consilio sunt viri decem lectissimi, verum impari dignitate. Superioris ordinis quini ab dextra sedent, quod apud Sinas honori ducitur: aureo baltheo, & (qui Regius est colos) croceo galero: inferioris classis ab læua totidem. cingulo argenteo, & cæruleo galero distincti. Si Præsidem in prouincia mori contigerit: antiquissimus è consiliariis, in locum defuncti succedit. Ex eodem numero, ad obeundam & lustrandam Regis iussu prouinciam, legati mittuntur. Cœterum cuncti peræque præsides & consiliarii, Regium insigne gestant ad pectus humerosque: serpentem ex auro textili. neque minoribus præfectis, aliisue, Magistro custodiarum excepto, quemquam è superioribus hisce nisi de genu alloqui, aut compellare fas est. Euntibus in prouinciam, præter vestimenta, & famulos aliquot, nihil omnino vel ad iter, vel ad hospitium, vel ad cæteros vitæ vsus parandum. In singulis oppidis Regii sunt parochi: ab his cuique pro dignitate cuncta benigne præbentur. quod si priuatis amicorum hospitiis vti malint: pro cibariis numerantur pecuniæ. Ineuntibus Magistratum, obuiam primum sub signis peditum cohortes, & equitum turmæ: tum reliqui ordines cum insigni pompa, & vario symphoniæ cantu procedunt: ea frequentia per vicos vrbis, magnifico peristromate ornatos, non sine honore florum odorumque, nouus præfectus in prætorium vsque deducitur. Præsto sunt Regii famuli & curatores, qui sine vlla ipsius molestia cibos, instrumentum & supellectilē ex maiestate suppeditent. Intra easdem ædes, propriis conclauibus ac cænationibus, asseclæ, Scribæ, accensi, lictores, & forense ministerium omne alitur, vnius Regis impensa: quo plures omnium actionum & vitæ quotidianæ arbitros ac testes habere se Magistratus intelligat. Iura autem, hoc fere pacto redduntur. A primo mane vsque ad vesperam, paucis horis ad meridiandum intermissis, præcelso in tribunali considet Prætor: cingunt latera iudices: cohors ad imperium parata circumstat: qui ad ius petendum accedunt, intromissi ab ianitoribus procumbunt illico, & vel eminus ipsi, quid velint, elata voce pronunciant: vel supplicem libellum recitandum propalam offerunt Scribis. Prætor, agitata re, de consilii sententia respondet: ipsumque responsum litteris consignatum à Scriba, ipse dein rubricato pigmento sua manu confirmant. Ex aperto administrantur omnia. Solitudo, & secreta colloquia, & arcani susurri vetantur, quo minor flagitiis & fraudibus, quæ oderunt lucem, aditus

sit. Capitalis noxæ reos, identidem comperendinant: nec nisi lente quæsita, & ad liquidum cognita causa, condemnant. Itaque oppido pauci in tanta hominum multitudine carnificis manu finiunt vitam. Cæterum interea, vincti quam diligentissime adseruantur loco amplo, instar oppidi, celsis admodum parietibus circumsepto: eodemq; rerum venalium copia, tabernis, & opificiis, ne quid extra petendum sit, ad omnes vitæ vsus instructo. Carceri, cum magno vigilum numero præest non leui authoritate vir. Is per se, perque suos, custodiarum seriem quotidie recognoscit, & quam intentissima excubat cura, ne cui, delinitis pretio ministris, vel perfosso pariete, suspensiue alicunde funibus, aut alia quapiam ratione effugium pateat. Fori vero ipsius, & prætoriæ turbæ seuera admodum disciplina. graui malo, erratum, atque adeo murmur omne compescitur. qui deliquere, ijs, quo conspectior ignominia sit, vexillum quoddam in manus datur. cum eo vexillo, ad conuentum vsque dimissum, genibus nixi persistunt: ac demum ad Prætoris arbitrium verberibus acerbe mulctantur. ac multos passim videas, (neq; id propter adsuetudinem probro est) vibicibus liuida, & medicamentis oblita facie. Porro præfectis, cum in publicum prodeunt, multo cum satellitio, gregibusq; clientum & aulicorum, sella, vti dicebamus, magnifica gestari mos est: & quidem defixis in vno obtutu oculis (quo in genere à prima ætate exercentur) ac toto vultu ad seueritatem tristitiamque composito. Frænati sequuntur equi: variæ vmbellæ circumstant: lictorum anteit manus: quorum, si Regia vexilla, arundines illi tostas ad verbera, alii claues argenteas ferunt: alii, pendente ex humero tabella gypsata cum sericis floccis, inscriptum Magistratus imperium ac potestatem ostentant. Hi omnes in ordinem bini, magnis clamoribus submouent plebem, quæ vel in domos festina se proripit, vel etiam honoris causa vias euerrit, in transitu vero mirum silentium. Non modo interpellare præfectum, sed ne contra intueri quidem fas est. Rem militarem non tam audacia & firmitate, quam numero, & machinis, & egregia inprimis disciplina sustentant. Præter extraordinarias copias, quæ variis locis, vbi res postulat, comparantur: in singulis vrbibus, firma ac certa præsidia sunt. Pro muris aguntur excubiæ, quas itendidem obit circitor: itemque validæ stationes ad portas. earum fores præter alia repagula serasque, impresso chartæ, & commissuris agglutinato signo, quotidie muniunt: nec nisi eodem à ministris inspecto ac probe agnito, aperire concessum est. Ad limites regni, crebræ & minutæ visuntur arces: qua vero Scythæ contigui sunt, insanæ substructionis murus in ducentas amplius excurrit leucas, quantum inter duos admirandæ altitudinis montes interuallum est. Ea regionis claustra firmissima. vbi ex illa parte increbuit belli rumor, confestim à custodibus dato signo, è vicinis castellis & oppidis concursus ad munimenta fit: quoad ab Rege Duces iusto cum exercitu superueniant. Equites, elegantissimo ornatu armatuque prælium ineunt, quaternis ex ephippio pendentibus gladiis, quorum simul duobus perquam scienter vtuntur. pedites item egregie armati pugnam capessunt. Largum vnicuiq; stipendium optima fide persoluitur. Spectatæ virtuti certus ab imperatore honos: contra, ignauię perfidiæq; supplicium. Qui ad malitiam adscripti non sunt, ijs arma priuatim nulla: quæ maxime res ab intestinis tumultibus otium præstat. Atq; vt cæteri Magistratus, quo magis caste rempub. administrent, ferantque incorruptam in iudicando sententiam, è longinquis petuntur locis: ita ordinum ductores, ac militares præfecti, ea de causa leguntur indidem, vt eos ipsamet charitas liberorum & coniugum ad subeunda belli pericula, & acrius pro aris & focis dimicandum accendat. Porro hisce tot pręfectis, iudicibus, populisq;, cum Regio nomine ac potestate pręest vnus vir necis ac vitæ omnium dominus. Huius, vel è stipatorum & apparitorum frequentia, vel ex ædium admirabili ornatu & laxitate, vel ex ipso genere domesticæ disciplinæ, veneranda maiestas. Octo habet à consiliis è toto Loytiarum ordine lectos viros. Is ab Rege secundus dignitatis est gradus, summumque totius gentis oraculum. Sexaginta circiter alit vxores: fœminę tantum, vel eunuchi ministrant. Ipse, nisi mutandæ sedis causa, vel cum ad bella procedit, fere numquam excedere solet è Regia. De omni statu prouinciarum, & præfectorum actis, certior assidue fit: veredariis seu cursoribus ita distributis, vt in singulos menses ex qualibet prouincia in Regiam perferātur. ij, per equos paribus ferme interuallis in via dispositos celerrime peruolant, suumque in singulas positiones aduētum, quo recentes equi, seu ad flumina traiicienda naues illico expediantur: vel tintinnabulis perargutis è belluæ ceruice pendentibus, vel etiam vt apud nos cornu sæpius inflato prænunciant. Super hæc, statis ipse temporibus idoneos viros ad cuncta eorum inspicienda, per omnes regni partes cum ampla potestate dimittit. quin etiam, extra ordinem certos è suorum fidelium numero in eam ipsam rem destinare consueuit, Sacramento priuatim adactos muneris cum cura & cum fide fungendi. Id vt quam occultissime fiat, multa Rex apud se habet diplomata suo notata chirographo & signo: nominibus tantum speculatoris, & locorum, & personarum, ne quid emanet, consulto suppressis. Inde, vbi tempus est, clam accepto diplomate inspector idem & censor, quam Rex iusserit verbo prouinciam, tamquam vnus de populo circuit: præfectisque ac prætoribus inter publicæ rei administrationem, ac præsertim inter dicendum ius, dissimulanter assistit. Vbi quæ voluit, probe cognouit: tum demum adit consilium, & prolato repente diplomate, mira omnium veneratione summus totius consilii iudex & arbiter in solio collocatur. Inde, prout exigit res, alios ornat laudibus, atque ad altiores extollit gradus: alios, nulla cuiusquam tergiuersatione, vel in ordinem cogit, vel etiam suppliciis grauioribus afficit. atq; in eo præcipue metu magistratus ac iudices in officio continentur. In singulis prouinciis aurea tabula velata inscripto Regis nomine custoditur. Eam tabulam singulis nouiluniis velo reducto, Loytiæ, & præfecti omnes honoris causa inuisunt, & æque ac Regē ipsum adorant. Demortuo Regi, è filiis maximus natu: sin desint liberi (quod in tanta vxorum turba perrarum est) proximus è Regia stirpe succedit. cæteri, ne quid eorum causa tumultus existat, remotis inde palatiis ad instar oppidorum incredibili magnificentia, Regio cultu apparatuque, in libera custodia detinentur: proposita capitis pœna, si extra eos fines iniussu pedem extulerint. Legatos Regum, qui vel amicitiam expetunt, vel æquo iam ante fœdere iuncti sunt, missa obuiam nobilitate Rex comiter accipit: ac legatione peracta, Loytias appellatos honoris causa, cum amplis muneribus domum remittit. Iam de thesauris, & coaceruatis auri & argenti laminis, admiranda narrantur: nec desunt qui ad nostræ monetæ supputationem, aureorum annua millies ferme ac ducenties centena millia Regem capere pro certo perhibeant: quantum vix moriens Imperator Vespasianus, & quidem pecuniæ diligentissimus, in ærario Romano reliquit. Ingens omnino summa, & in cuius contemplatione haud immerito laboret fides. Verumtamen satis constat, in vno Cantonis emporio, quo aliis eius plagæ multis & celebritate, & diuitiis inferius est, ex annonæ salariæ vectigali, centum circiter & octoginta millia coronatorum: & in mediocri quodam oppido eiusdem oræ Cantoniæ, è decimis oryzæ duntaxat, amplius centum millia percipi: vt minime dubitandum sit, quin ad fiscus perueniant immanes pecuniarum acerui quotannis: imperii magnitudinem, frequentiam populorum, exactiones capitum, & ostiorum, portoria mercium, frugum omnium decimas, fructus metallorum, & cætera vectigalia reputantibus. Accedit non mediocris ad summam opulentiam momenti res: quod more Turcico & sectæ Mahometanæ totius, in ditione finibusq; Sinarum, tributa & stipendia, præter vnum Regē, nemo prorsus imperat. Nulli, vt apud nos, Comites, nulli Duces, Marchiones, Barones, vel Dynastæ censentur. Magistratus ac præfecturas, non tam in beneficii aut præmii, quam in laboris ac muneris loco tribuit Rex: neque splendida honorum vocabula, & opimi reditus, hæredē sæpe degenerem sequuntur. Hæc ferme Sinarum bona laudesq;, quorum suas sibi quisq; diuitias ac dignitatem, studio ac diligentia parat: nec virorum fortium & vigilantium loca, per nobilitatis fucum, ignauia & segnities occupat. Grauiora sunt mala vitiaque, quæ illa decora superant. Religionis, quæ iustitiæ prima & præcipua pars est, cura genti postrema. Sacrificulis (quos patrio sermone vocant Hoxiones) exiguus admodum honos. Templa vulgo adeunt consuetudine magis & instituto quodam, quam quod mortalia curari ab Diis: vel humanis dictis, factis, cogitatis cœleste numen interesse existiment. Sane Euangeliū accepisse olim ab Apostola Thoma creduntur: & imago

idipsum testatur proceræ mulieris, puerulum in sinu fouentis, cui ardentes hodieque lychnuchos more nostro suspendunt. (Nammam appellant) quam aiunt esse apud Deum summum humani generis aduocatam, honoribus summis dignam. Est & aliud apud illos simulachrum virginis quam tradunt fuisse Regis cuiusdam filiam, & rerum cælestium cupiditate omnes opes humanas neglexisse, vt diuinarum contemplatione frueretur. In huius tutela Sinarum gentem esse credunt. Alius apud illos Deus sine Sanctus habetur, quem hominem fuisse narrant fortissimum atq; tantis virtutibus præditum, vt miracula multis in locis ediderit: quemq; ob præclaras virtutes, & egregium iustitiæ splendorem in diuos relatum fuisse commemorant. Multos alios Diuos habent; Sed nec Apostoli vlla iam ibi mentio: & cuius nam sit ea effigies prorsus ignorant. adeo, vel ipsa regionum longinquitate, vel diuturno cultorum desiderio, in ea terra semen omne Christianæ pietatis interiit. Qui sapientiores habentur, ij arcanis & quæ non temere vulgent decretis, Pythagoræ ferme somnia de transmigratione animorum sequuntur: & pro meritis actæ vitæ, sua cuique præmia & supplicia, ex communi omnium gentium opinione constituunt: sedesque fingunt refertas cunctis ijs, quæ vulgo vel ad felicitatem prima, vel ad miseriam extrema ducuntur. Capillum tam diligenter ideirco nutriunt, quod credant ea se tamquam ansa in cœlum aliquando sublatum iri. Sacrificuli contra (qui quidem cœnobiticam vitam agunt) abradunt capita, quod sine tali adiumento sydera se conscensuros esse confidant. Mundum vniuersum ex aqua initio conditum affirmant, quæ vehementius agitata, è spumis ampulliſque, cœlo: eximis partibus & crassioribus, materiam terræ præbuerit: reliqua reseruarit sibi. Interrogati, quisnam initio aquas agitarit: sponte ciendi vim iis inditam fuisse respondent. Rursus, vbi quæritur, à quo eam ipsam vim ac virtutem acceperint: subrident, quasi plane ibi sistendum, neque sit vltra procedere. Primos homines vna cum cæteris animantibus ac plantis, aiunt è terra extitisse: ac sine legibus, aut vllo iure, vagos ac feros, arborum baccis, & crudis carnibus initio vesci, & sanguinem potare assuetos: ipsa dein ratione duce ac magistra frugibus ali; tecta moliri, vrbes cõdere didicisse: adhibitoque studio, paulatim à barbara & agresti vita, ad cultum & mansuetudinem fuisse traductos. Non pauci, muta simulachra, vel etiam informes adorant lapides: namque ij ferme Dij gentium sunt. Ad hæc, artis cuiuslibet inuentores, aliosque priuatim aut publice benemeritos: quidam etiam parentes, charosue in numina referunt, ijsque & statuas ac templa ponunt, & vota faciunt, & adolent thura, non mortuis modo, sed interdum etiam (quod magis detestere) viuentibus. Alii Solem, & Lunam, ac stellas, cœlumque præcipue ipsum, vnde cuncta in terras bona promanent, omni studio colendum existimant. Sunt etiam, qui inferna venerentur monstra, succincta colubris, & igneo vomitu, cuiusmodi cacodæmones in Europa depingimus. neque id tam impetrandi cuiuspiam commodi, quam depellendi maleficii causa: quippe obuersantia interdum eiusmodi visa, maiorem in modum extimescunt.

Sed qui simulachris diuinos habent honores: ij inter cætera illo vel inprimis ridiculo genere superstitionis vtuntur. Ad captanda itinera, vel grauiores quaslibet auspicandas res, adhibita ad statuam precatione, sortes obseruant, quarum est ritus eiusmodi. Dimidiatos globulos è ligno duos, ad iuglandis fere magnitudinem, filo traiectos, coram simulachro ipso temere ac fortuito iaciunt. Si ambo supini, vel etiam alterno consederint situ (quod vulgo infaustum putatur) idolum verbis ac iurgiis male admodum accipiunt. dein, quasi contumeliæ pœniteat, rursum delinimentis, votisque, ac supplicationibus propitiare contendunt. Si nihilominus aduersæ appareant sortes: idolum videlicet acrius plectitur. ad verba accedunt verbera: in aquas proiicitur: amburitur igni: dein blanditiis denuo, ac promissis placatur: atque in hac vicissitudine tamdiu persistunt, quoad iacta in sortes ambo missilia prona consistant. Tum vero, modulato carmine grates laudesque canunt inani Deo: mox etiam, egregie conditas coctasque gallinas, anates, anseres, oryzam, &, quod præcipuo est in honore mensarum, offerunt suillum caput, & cantharum vini. Ex ijs vbi singulis aliquid in disco porcini capitis imas auriculas, reliquarũ altilium vngues, vini guttas aliquot in ara simulachro apposuerint, (qui vetus est libandi mos) cæteras ipsi dapes magno cum tripudio, & effusa lætitia comedunt. Mortuorum exsequiæ celebrantur in hunc ferme modum. Patremfamilias, vt expirauit, quam optimis vestimentis indutum, in cathedra collocant. huic ad genua procumbens vxor primum, dein filii, tum reliqui deinceps propinqui & amici cum lamentis & lachrymis vltimum dicunt Vale. Postea corpus in arcam includunt, ex odorata & minime putri materia: commissuris cum alio spissamento, ne fætor emanet: tum lamina ferrea obstructis, eam arcam in amplo conclaui, vestitis lino parietibus, à terra suspendunt, ac linteo tegunt, in quo picta imago defuncti conspicitur. Ante id conclaue, aut in ipso ædium vestibulo, stant mensæ opiparis onustæ dapibus. quindecim ipsos dies arca domi asseruatur: cognati & noti locum officii causa frequentant: Sacerdotes vero, noctu præsertim, piacularia sacra Diis manibus faciunt: ac pictilem chartam vel super demortui cadauer cum certis carminum præfationibus cremantis vel prætentis toto conclaui funibus appensam agitant: vociferantes, eo motu animum defuncti ocyus ad astra tolli. Post quintumdecimum diem, arca in campum sepulturæ dicatum solenni pompa deuehitur. Ibi cadauere incluſum, paulatim absumit dies. Interea sese identidem Hoxiones ingurgitant cibo: eaque illecti fagina, locupletum præcipue funeribus inhiant. Mortuos, proximi biennium, vel etiam triennium lugent. quo temporis spatio crassiorem tunicam apprimunt carnibus, & horrida se reste præcingunt, filii, si personam gerant publicam, illico se abdicant Magistratu. Hæc de sepulchris. Ac ne maritimæ quidem res suis carent superstitionibus. Quæ naues primum deducendæ sunt, hasce Lunæ, vel cuipiam fabuloso dicatas Deo, variis expiamentis & supplicationibus lustrare mos est. Ac cæteris item in rebus alias alii cærimonias ac ritus obseruant. Sunt qui omnem de Diis ac spiritibus opinionem plane & impune deridеant: vnum esse interitum hominum & iumentorum: neque post mortem restare quicquam omnino, arbitrantur. Huic de superis persuasioni, consentanea ipsorum hominum inter ipsos est fides: quam catenus colunt, quatenus commercii necessitas, & fructuosa existimationis ratio postulat. Ea remota, nequaquam ij sunt, quibus cum in tenebris mices. quin etiam, totius humanitatis multis in rebus videntur expertes. Alienigenam ferme auersantur, & interiore (vt dictum est) vsu & hospitio prohibent. Aere alieno pressi, liberos vel mancipio & nexui dant: vel etiam (quod multo flagitiosius est) adhibita omni lenociniorum arte, prostituunt. Vngues enormem in longitudinem excrescere patiuntur: quasi vero id, (quemadmodum apud Græcos olim & crepidis vti, & comam alere) ingenui hominis, & sordidis operibus nequaquam occupati indicium sit. Cognitores capitalium rerum, amplianda toties causa, per speciem lenitatis, diram crudelitatem exercent: quippe rei, quorum magna semper est multitudo, interim onusti catenis, noctu præsertim, arctissimeque inter le constipati & constricti, adeo sæua ac tetra custodia detinentur: vt dilatam à iudicibus mortem haud pauci quotannis accersant, sibique ipsi afferant vim. Interea in conspectu comessantis ac ludibundi sæpe iudicis, seriæ quæstiones per tormenta exercentur: quorum cum alia sint genera, tum istud quotidianum. Pro virgarum fascibus cubitali arundine vtuntur, cuius ante meminimus, lata digitos quatuor, crassa vnum: & quidem igne tosta, quo grauiorem faciant plagam. hoc sæuitiæ genere, humi stratorum, ac sæpe insontium artus ac plantæ adeo acriter & acerbe plectuntur, vt qui non robustissimo sunt corpore, vel fracti ac debilitati discedant, vel etiam interipsa verbera nonnumquam exspirent. Cum hac gentis immanitate, profusa libido coniuncta est. Abdomini cæteriſque indignis homine voluptatibus intemperanter indulgent. Leges & edicta magis ad seruitutem & abiectionem, quam ad virtutem & animi magnitudinem informant populos: atque ob id ipsum, etiam in bellica re nationibus aliis inferiores haud immerito existimantur. Externum ad grauiores expeditiones conducunt militem. Id firmamentum est belli. Rex, barbara quadam & stulta arrogantia, sese Dominum mundi, Cœli filium appellat. Priuatorum fortunas, & partam sudore & vigilantia rem, per publicanos & exactores

res durissimos atterit: ex ipsis etiam capturis impudicarum, quod à Caligula factum legimus, fœdissimo vectigali instituto. Externorum Regum Oratores, quos quidem iure beneficiario sibi habet obnoxios (sunt autem plures variis impositi nationibus, quarum olim imperium depositi Sina) per summum fastum & superbiam tractat. Nonnisi humili equo insidentes, qui pro habenis vili regatur fune, in Regiam vrbem despicatissimi introeunt. dein pedites intra palatii atrium accepti, ad partem eam in qua latere audierint Regem (nam ipsius quidem aspectu procul arcentur) cum quina ex interuallis adoratione procedunt: tum elata voce, legationem, nixi genibus peragunt. Adest Regius apparitor, qui cuncta per Scribam excipiat: idemque veluti numinis internuncius, ferat ab Rege responsum. eo accepto responso cessim orator, & subinde flectens genua, plane inhonoratus abscedit. Inter hæc, & alia longe turpiora, quorum vel mentionem bene morata horreat mens: nihilominus elato supercilio Sinæ reliquas omnes gentes præ se contemnunt: rudes, inertes, barbaras omnino putant: de suis tantum ipsi rebus magnifice & gloriose non sentiunt modo, sed prædicant. Nostris tamẽ hominibus tribuere nonnihil videntur: quippe Sinas vtroque oculo præditos aiunt, Europæos altero, cæteros neutro. In hosce mores & instituta, Christi disciplinam inferre, difficile fuit. Obstabant Regia edicta, & difficilis introitus. Obstabant coniurationes Antistitum, qui peregrina in eas terras inferri Sacra, & extorqueri sibi nefarios quæstus, & coargui mendacia minime patiebantur. Obstabat regionis feracitas, & libidinum illecebræ, & cætera malorum irritamenta: &, quo nihil cœlesti philosophiæ inimicius est, fastus & superbia, & suarum omnium rerum amor quidam infinitus. Accedebat educatio puerilis, & fabulæ, & opinionum hausta cum lacte peruersitas. Verum nihil maiori fuit impedimento, quam aliquorum Lusitanorum, quos ethnicis præluceret ad omnem iustitiam & castitatem oportuerat, Christiano nomini ac professioni minime consentanea quotidianæ vitæ documenta. neq; enim tantam spectata paucorum innocentia & virtus adstruere potuit Euangelio fidem, quantam insignis aliorum auaritia & improbitas aduenit. E Sinarum prouinciis, maxime occidua est Cantonia. Eo priusquam peruenias, multæ occurrunt insulæ, quas præfecti Regij præsidiis & classibus tenent: neq; ipsorum iniussu progredi aduenas Cantonem est fas. Fernandus Antradius, vt exponere cæperam, cum ad Tamum insulam peruenisset: post diuturnam moram, transitu ægre tandem impetrato, cum duobus expeditis & egregie ornatis nauigiis, cætera classe ad Tamum relicta, Cantonis portum inuectus, Magistratuum permissu Thomam legatum exposuit: cui ædes & lautia attributa pro more. Ibi Fernandus, mira lenitate ac iustitia contrahendo cum incolis: haud ita difficili negotio aditum ad amicitiam, atque commercia suis aperuit. Auxit probitatis existimationem, quod sub tempus reuersionis, de suo discessu per præconem tota vrbe denuntiari iussit: vt si quis quid vel ab se, vel ab suorum quopiam, vel crediti, vel commodati, vel quouis alio nomine repetere vellet, maturæ profiteretur. Ea res videlicet magni & innocentis animi visa: & ex vnius viri moribus, de totius & nationis, & Christianitatis virtute nimirum existimabant: apparebatque maximo cum rei tam Lusitanæ, quam Christianæ incremento societatem hanc institutam: nisi post Fernandi profectionem: aliorum deinde nauarchorum cupiditas ac licentia, qui Malaca ad spem ingentis lucri in eadem loca venere, opinionem Lusitanicæ Christianorumque iustitia fidejque propemodum sustulisset omnem. Siquidem ex ijs quidam ad Tamum in terram egressi, primo ne appellatis quidem Magistratibus, castellum excitarunt. Ibi tormentis vigiliisque dispositis, imperium vsurpare, negotiationem cõmunem interuertere, ac sibi proprie vendicare: externos æque atq; incolas iniuriis & contumeliis intolerandis afficere: virginibus vim inferre: à plagiariis ingenuos ingenuasque coemere; non popularibus modo suis, & optimo Regi, verum etiam, quo nihil atrocius est, Christianæ disciplinæ, sanctissimisque parentum institutis, dedecori ac probo esse. Itaque paucis diebus, instigante malo dæmone, meriti sunt, vt non prosociis amicisue, sed pro immanibus piratis atque hostibus haberentur. Igitur à perfectis Regiis valida classe circumsessi, cum in eo iam essent vt caperentur, sæua tempestas repente coorta Sinarum naues dissipauit, ac dispulit. Per eam occasionem elapsi, pecunia, quam gloria conspectiores Malacam rediere. Tristior multo fuit Thomæ Petreii legationis exitus. Is magno labore quadrimestre amplius iter emensus, cum ad Regiam denique peruenisset: præoccupatas cum aliorum, tum vero Cantoniorum Magistratuum litteris & criminationibus, Regis & satrapam offendit aures. Ita, non modo Regis conueniendi potestas legato facta non est: sed etiam de consilii sententia pro exploratore comprehensus, & Cantonem remissus, in carcerem conditur. vbi omnibus incommodis paulatim absumptus, inter maleficos furesque nocturnos vitam miserabili fine concluſit. Hunc maxime in modum, paucorum scelere alienati Sinarum animi, & religioni Christianæ, & famæ fidejque inæstimabile damnum fuit factum: ac deinceps, quotquot ex orbe Christiano in ea loca vel suis, vel alienis nauibus deuenere, pessime accepti mulctatique sunt: & complures in annos, nomini Christiano, ac Lusitano præsertim, ora nulla fuit infestior.

XV. *Gondissalui Vascii in Africa martyrium.*

Sub idem tempus Gundissalus Vascius ab Emanuele in Africam ductor classis missus, illustre martyrium tolerauit. Is vir animi maximi cum fuisset Maurus natione, & olim religione Mahometanus, impiam superstitionem execratus, ad Christi fe nomen & fidem adiunxerat. Hoc tempore in Tingitanam vrbem se contulit, vt opera cuiusdam summi chirurgi ejus, quod illi in bello confracẽm fuerat, sanari posset. Vix sanitatem recuperarat, cum nauem conscendit, vt Arzillam, in qua vrbe domicilium habebat (desiderio enim magno videndi vxorem & filios tenebatur) repeteret. Magister enim nauis dabat fidem, vt intra tres horas nauem saluam in Arzilensi portu constitueret. Sed cum ventus deficeret, duæ longæ Maurorum naues in insidiis collocatæ, in illam inuehuntur. Is quamuis esset vir in armis acerrimus, non tamen arma tunc, neque præsidium vllum quibus hostes repelleret habebat: & cum sibi moriendum esse necessario cerneret, si in manus hostium peruenisset, in scapham desiluit, vt remis periculum declinaret. Captus tamen cum paruulo filio fuit. In nauem similiter (nemo enim erat in ea qui resistere posset) hostes ingressi, viros & mulieres qui ea vehebantur Teruamum abduxerunt. Mulieres vim & libidinem à corporibus suis lachrymis, & ingentis pecuniæ promissis cohibuerunt. Pretio autem persoluto, omnes cum viris qui simul capti fuerant, in libertatem restitutæ sunt. Solus Gundissaluus Vascius, quamuis ingentem pecuniam pro redemptione illius multi viri nobiles offerrent, & Mauri essent auarissimi, non potuit in libertatem vendicari. Erant enim hostes in illum, propter desertam Mahumetis nefariam & impiam superstitionem, vehementer infensi. Itaque cruciatus in illum diros excogitant: & primum filium in illius conspectu dilacerant, quem ipse vt supplicium libenter pro Christi gloria subiret, verbis exhortatur. Illius deinde manus atque pedes duobus asseribus fibula coniunctis, atque discluſis alligant, & illum verberibus concidunt, & vngulas euellunt, atque vt diutius torqueretur ita corpus paulatim carpunt, vt non celeri morte doloribus acerbissimis finis imponeretur. Is interim omnem à corpore dolorem nomine Christi sæpius inuocato depellebat, & illi gratias agebat, quod se tanto beneficio cumularet. Neque enim sibi clarius in hac vita munus concedi potuisse dicebat, quam vt pro illius nomine, qui tantos in cruce pro generis humani salute cruciatus pertulisset vitam cum insigni cruciatu profunderet. Neque solum suppliciis oblectari videbatur, verum & supplicibus verbis flagitiorum veniam postulabat. Hostes fidei constantia perturbati, multo grauiora animis supplicia perferebant. Non poterant enim pati, omnes suos conatus, quos ad illius virtutem frangendam & debilitandam comparauerant, ad nihilum reciciſſe. Itaque flagrabant furore & amentia: & quo ille constantius in fide permanebat, & fortius contemnebat cruciatus, eo illi magis animis efferabantur, & vehementius illum nouis cruciatibus oppugnabant. Cum vero Christum in suppliciis laudari, & Mahumetis nomen lacerari perspicerent, linguam illius præciderunt: qui tamen ipso Spiritu, qui ex vultu & ex oculis eminebat, eorum immanitatem

& impictatem refutabat, & clariorem triumphum tacitus ex eorum crudelitate victor agebat, quam verbis dicere potuisset. Mente enim tunc cum Deo clarius euulsa lingua loquebatur, & magnificentius Christi numini vota persoluebat, quam si summis eloquentiæ humanæ viribus hostes exterreret. Biduo hæc cruciamenta inuicto animo pertulit, & sic tandem in cælum è corporis vinculis expeditus immigrauit. Is fratrem habebat, qui similiter sese ad Christum applicuerat, & post aliquot annos ab hostibus captus, in acerbissimo cruciatu, pro Christi religione fortissime tolerato, clarissimam mortem oppetiuit: & ita fratris vestigiis insistens, idem virtutis præmium in cœlo consequutus est.

XVI. *Alphonsus Regis Lusitaniæ filius Cardinalis creatur.*

Hoc ipso anno Leo Decimus Pontifex Maxim. vt ostenderet quanti faceret Emanuelem Regem, pro Christiana fide propaganda amplificandaque nullis sumptibus, nullisque laboribus parcentem, concessit ille, vt Equitum Iacobensium & Cistercien sium Magistratus, cui vellet assignaret. Alfonsum præterea illius filium in Cardinalium Collegium cooptauit: nec non indulsit, vt Elisabethæ, Dionysii Portugaliæ Regis vxori, fœminæ sanctissimæ, cuius diuina virtus fuerat admirandis signis à Christi numine comprobata, honores in Lusitania publice vt reliquis Beatis haberentur: scilicet, vt imagines illius pingerentur, fingerentur, sculperentur, ac publicæ venerationi exponerentur: templa nomine illius insignia conderentur, æræ erigerentur, statuæ collocarentur, festus dies solemni ritu coleretur, sacra stata pro more fierent, nomen diuæ prædicaretur atque inuocaretur: & in summa, omnia cultus, deuotionis, & venerationis officia, reliquis diuis solennia illi exhiberentur. *Osorius lib. 10. & 11. Mapheus lib. 6.*

XVII. Huius Diuæ apotheosim, Philippus IV. Dominicus, Victor, Rex Catholicus, qua est insigni in cælites pietate, anno isto Seculari M. D C. XXV. apud Vrbanum VIII. Pontificem Maxim. procurauit, atque obtinuit: misso ad eam rem viro nobilissimo, industrio, erudito, & rerum agendarum perito, Michaele Suarez Pereyra Portugallensi Canonico, vt vocant Doctorali, Iuris V. Doctore & in Vniuersitate Conymbricensi publico professore, nec non in vniuerso Lusitaniæ Regno Fidei Con Censore: qui multis tandem exantlatis laboribus, multisque deuoratis molestiis, negotium felicissime confecit, scripta & repræsentata Apostolicæ Sedi, quam adiungere visum relatione.

Elisabetha Regina Lusitaniæ in beatorum numerum relata.

RELATIO FACTA IN CONSISTORIO SECRETO CORAM S. D. N. VRBANO PAPA VIII. A FRANCISCO MARIA EPISCOPO OSTIENSI S. R. E. CARDIN. A Monte.

DIE XIII. IANVARII M. DC. XXV.

SVPER VITA, SANCTITATE, ACTIS CANONIZATIONIS, & miraculis piæ memoriæ Beatæ Elisabethæ Lusitaniæ Reginæ.

SAnctitatem in Regno, quasi gemmam in auro, Beatissime Pater, sapientes rerum æstimatores iure suspiciunt: qui probe norunt, societatem eiusmodi tam præclaram esse, quam raram. Vt enim Veritatis æternæ vox est quouis certior oraculo: difficilis, atque angustus est aditus in Cœlum ijs, qui nimis late possident terram. Quod si ad fastum, & pompam Regiæ Maiestatis, fœminei sexus accedat natura, plus nimio procliuis in vanum formæ studium, & leuem pulchritudinis ambitionem: vix vllus relinquetur sanctimoniæ locus. Atque adeo si quæ sit fœmina regio splendore conspicua, quæ fulgeat etiam claritate virtutum: appellari merito potest, cæleste prodigium. E cœlo quippe detur necesse est, quod tam difficile reperitur in terris. Neque alius quispiam sanctitatem Regibus, quasi nouam coronam imponere, aut debet, aut potest: nisi Rex ille Regum, *in cuius manu cor Regis est, & per quem Reges regnant.* Hic inter alias fœminas nobiliores virtute, quam genere: in quibus dare spectaculum voluit mundo potentiæ suæ: Beatam Elisabetham Lusitaniæ Reginam elegit: vt humanum genus doceret exemplo suo, posse vnum caput corona duplici nobilitari: altera maiestatis in terris, altera sanctitatis in cœlo. Quod geminum decus in Elisabetha statim agnoscet, qui res ab ea tota vita præclare, sancteq. gestas voluerit intueri. Hæc sane Regina *adstitit*, si minus *à dextris*, saltem ante conspectum Dei *in vestitu deaurato circumdata veritate.* Quid enim aliud fuit eius ætas vniuersa cum summa morum integritate, atque innocentiæ laude transacta: quam aurata quædam vestis, quæ non solum oculos, animosque mortalium in sui contemplationem, admirationemque rapiebat: sed ipsos etiam Cœli ciues, ipsum rerum omnium parentem, ac moderatorem Deum ad tam singulare spectaculum inuitabat? Quid tam mulæ, tam variæ, tamquam insignes animi dotes atque virtutes, quibus anima illa purissima fuit à teneris annis exornata; quid, inquam, erant aliud nisi gemmæ pellucidæ, pretiosique lapilli, quorum varietate circumdata cœlesti Regi pulcherrimum sui specimen dedit? His illa conspicuis cœlo, terræque prænitens ornamentis, non Lusitaniæ modo, in qua tanta cum sanctimoniæ laude regnauit: non Hispaniæ, cuius è nobilissima Prouincia Aragonia felicem nacta est huius lucis vsuram: sed Christiano cuilibet regno proposita fuit à supremo rerum Principe Deo, tanquam numeris absolutum omnibus Regum exemplar. Ab illa discent, qui sceptra moderantur: quanto plus Religioni tribuendum sit, ac Deo, quam priuatis, aut publicis vtilitatibus: quanto comparanda sit studio Principes inter pax, atque concordia: quam pie gubernanda sit etiam Regia familia: quanta exhibenda sit egentibus liberalitas; quam humaniter, ac benigne populi complectendi. Nulla denique laus Regalis, ac virtus in hac Principum Christianorum Idæa desideratur.

Vnum tantum desiderari videtur, non tam ad huius absolutionem imaginis, quæ Diuinæ dexteræ ductibus, variis virtutum coloribus iam olim fuit expressa: sed ad religiosissimam Catholici Regis petitionem, ad commune totius Lusitaniæ votum, ad publicam Principum vtilitatem, ad Christiani nominis gloriam, ac splendorem: vt ipse, Beatissime Pater, qui Dei vices apud homines geris, & hominum causas agis apud Deum; Beatam hanc Reginam in Sanctorum numerum vsitatis Ecclesiæ cæremoniis referre non dubites. Quem ad finem de vita, sanctitate, & miraculis huius Beatæ Reginæ iuxta sacros Canones inquiri, pro sua benignitate iussit Sanctitas Vestra. Quapropter fabricatis, de more necessariis processibus, illisque per deputatos idoneos viros mature discussis: in eo statu versari nunc huiusmodi causa censetur, vt legitime instructa videatur. Iussu igitur Sanctitatis Vestræ coram amplissimo sacro Senatu statum illius breuissime relaturus, ordine tripartito, sic illum exponam.

Primo loco, B. Reginæ vitam integerrimam, ac mortem sanctissimam explicabo.

Secundo, præclaras illius virtutes.

Tertio, insignia per eam tam viuentem, quam mortuam patrata miracula: & res in causa gestas.

Quæ tria si satis Vestræ Sanctitati probata fuerint: postremum caput recensendum decreuerit: reliquum erit, rogatis de more singulorum Reuerendissimorum Dominorum meorum sententiis; quid pro Dei gloria, & Catholicæ Fidei exaltatione magis expediat, deliberare, ac statuere.

PARS PRIMA DE VITA.

XVIII. REgium genus ab vtroque Parente traxit Elisabetha. Pater ei fuit Rex Aragoniæ Petrus, Iacobo Rege natus, & Violantia Regis Hungariæ filia. Mater Constantia, Manfredi Siciliæ Regis filia, Federici Secundi Imperatoris neptis. Nata est Elisabetha anno à Virginis partu MCCLXXI. Prodiit autem ex vtero genitricis, ijs (præter morem) vndique

dique obuoluta membranis, quas Secundas appellant; quod fortasse prodigium cœlitus datum fuit, quasi futuræ modestiæ, verecundiæque præsagium. Recens à partu, ad Regem Iacobum auum allata, atque ab eodem ad sextum ætatis annum Christianis moribus imbuta fuit. de qua ille prædicare, ac pene prædicere solitus erat: neptem illam atque alumnam suam, fœminarum omnium optimam, clarissimamque futuram, quæ ex Aragoniorum Regum stirpe natæ vnquam fuissent. Ex humanis erepto Iacobo Rege, sexennis puella reducitur in Patris domum. Ibi quam ab auo didicerat, prosecuta est integerrimæ vitæ rationem. Puerilibus ludos, ornatum corporis, voluptatum delicias fugiebat. Diuinis precibus, ciborum abstinentiæ, charitatis operibus impense vacabat. Vt Pater ipse fuerit solitus affirmare: parum rerum, ac Regni felicitatem Elisabethæ virtutibus, ac meritis apud Deum, acceptam esse referendam. Vbi verò plenis iam annis nubilis fuit, ob egregiam tantæ virtutis famam late vagantem, à pluribus Christianorum Principum filiis per crebras legationes, ac litteras postulata in matrimonium est. Vicit vnus ex omnibus Lusitaniæ Rex Dionysius, Alphonsi Tertii filius: cui Regiis, & Christianis ritibus nupsit Elisabetha Anno partæ salutis MCCLXXXII. Eius discessum ægerrime tulit Parens, cum diceret lacrymabundus: abstrahi à se rem omnium charissimam, & pretiosissimam. Nuptiis maximo cum apparatu, & qua Reges decebat pompa, celebratis: Elisabetha ætatis anno decimo septimo Constantiam peperit: vicesimo vero, Regni hæredem Alphonsum. Interim illam non minorem excolendis virtutibus, quam liberis educandis, dabat operam: viro placere studens, sed magis Deo. In sacris precibus assidua, frequens ad rem Diuinam erat: vbicumque versaretur, sacellum habebat religiose, ac magnifice ornatum, sacerdotibus, symphoniacis, aliisque sacris ministris instructum. Ibi eius erat requies; ibi fere semper habitabat. Humanitatis verò, mansuetudinis, ac prouidentiæ laude omnium sibi animos demerebatur. Cùm verò Dionysius Rex annos aliquot cum illa coniuncte integreque vixisset: vel ætatis flexu, vel flagitiosorum consiliis, & quibusdam quasi voluptatis iniustæ præstygiis fascinatus: animum, ac voluntatem ab ea cœpit auertere; nullo ipsius merito: atque ad alias amorem transtulit mulierculas, à quibus singulis singulos liberos, septem nempe, suscepit. Hæc ab aliis, aliisque nunciis accipiens Elisabetha, tam palmarem iniuriam, tam patienter, ac moderate tulit, vt admirationi omnibus esset. imo pueros ipsos aliunde Regi natos educauit pro suis, & diligenter ad omnem laudem institui curauit. quibus excelsissimæ, ac Deo plenæ mentis indiciis victus, ac mutatus in meliorem frugem Dionysius, reliquum tempus cum vxore caste, sancteq. traduxit.

Interea componendis Principum aliqua sibi affinitate iunctorum dissensionibus, vt multum operæ posuit Elisabetha; ita plurimum gloriæ reportauit. Ac primo quidem ortum inter Dionysium Regem, & eius fratrem Alphonsum graue dissidium, vel potius apertum bellum, copiis vtrinque coactis, & vniuersa ferme Lusitania pro diuersis partibus armata; sedauit, ac diremit amantissima pacis Regina, fusis ad Deum precibus, ac votis assiduis; adhibitis Antistibus, ac Principibus viris; suis postremo ad vtrumque adhortationibus, atque obsecrationibus sæpius interpositis. Deinde verò non minore defuduit industria, vt cessarent mota iam arma ab Rege Dionysio in Ferdinandum puerum Castellæ Regem, eiusque tutores. Tum grauissimæ aliorum Principum affinium dissensiones pacatæ, quæ ruinam vniuersæ Hispaniæ secum trahere videbantur. sed nulla gloriosior, ac magis necessaria conciliata pax ab Elisabetha; quam cum Dionysius pareris, & filius Alphonsus plusquam ciuilia inter se bella suscepissent. Iratus enim Dionysius ob arrogantiam filii, qui stipatus facinorosis hominibus, patris auctoritatem, atque imperia contemnebat, atque ipsum regno deiicere vellevidebatur; eum opprimere statuit ex improuiso. Ad omnes vias posuit custodes, ne quis ad Alphonsum periculi nuncius perueniret. tum armari milites iussit, & expeditos proficisci secum contra filium: vt iustum de illo, sed acerbum supplicium sumeret. At Elisabetha rei facta certior, multos diuersis itineribus nuncios clam dimisit, qui significarent filio summum, in quo erat discrimen; monerentque vt iram patris effugeret. Ipsa interim sacris pluribus ob eam rem fieri iussis, precibus, & lachrymis exposcebat à Deo, vt tantum à viro, à filio, à regno malum auerteret. Eius itaque diligentia, ac pietate factum est: vt saluti suæ consulens filius ex eo loco digrederetur, vbi opprimendus erat à patre. Ad matrem verò se conferens, pro tanto beneficio maximas egit gratias. Illa verbis, monitis, precibus contumacem Alphonsi animum infringere aggressa est: sed frustra. nam is nihilo melior factus, aut sedatior, sceleratum parare cœpit in patrem bellum. Pater, & facinoris indignitate commotus, & stimulatus ab aliis, omnem quærebat viam ad impietatem filii vindicandam. Exulcerabant hæc animum Elisabethæ: quæ summopere cupiebat, ac postulabat à Deo mitiorem viro mentem, filio seniorem. Non tamen defuere, qui eam apud Dionysium nimiæ charitatis in filium, & indulgentiæ mulicbris accusarent: atque adeo segregandam illam dicerent, & ademptis castellis in liberam custodiam tradendam, ne qua filium opeiuuaret. Assentiuntur iis Dionysius: amandat Elisabetham: bonis fere omnibus ereptis, vetat egredi statuto loco. Ne verbum quidem illa contra viri acerbum imperium dixit: statimque paruit. Et reclamantibus aliis moderata est. Interea Alphonsus expugnandis, atque in suam potestatem redigendis vrbibus: Dionysius ijs, quæ à sua potestate defecissent, diruendis, atque euertendis: vterque in Lusitania misere detastanda opes omnes, operamque ponebant. Quo tempore Beata Regina religiosissimis quibusque fœminis vndique ad se conuocatis: cum ijs tota erat in ieiuniis, precibus, lacrymis, aliisque piis operibus, ad exorandum Deum, vt impendentem ruinam cœlesti aliqua ope submoueret. Vbi verò audiuit, bellum vehementibus vtrinque odiis inflammari magis in dies, neque extingui posse quodammodo, nisi vel viri, vel filii sanguine, ciuium strage, ciuitatum excidio: continere se non potuit, quin sua salute suorum incolumitati posthabita, è custodia conuolaret ad castra: virum obsecraret, filium obtestaretur; cum vtroque per Principes virosageret, lapidem omnem moueret, vt patris in gratiam filius reconciliaretur. Concessum tandem est magis Diuino munere, quam humano, quod Elisabethæ pia fedulitas merebatur: sed non diuturna fuit illa concordia. Cum enim contra voluntatem patris Alphonsus ad vrbem Scalabin (vulgo Sanctarenum) accedere instructo agmine conaretur, obuiam illi cum exercitu processit Dionysius. Ergo armatas acies contra filium pater direxerat: datum vtrinque fuerat belli signum: concurrebant ex vtraque parte cognatis armis milites: ventum erat ad manus: cum Elisabetha tam nouæ indignitatis admonita, sine famularum comitatu, sine cultu, raptim accurrit: interponit se inter virum, & filium; non à telis vltro citroque iactis deterrita, non à suæ vitæ periculo retardata: filium adhortationibus morigerum patri: virum obsecrationibus placatum filio reddidit: vtrique vitam, vtrique salutem restituit propemodum desperatam.

Filiam habuit, vt initio dictum est, Elisabetha Constantiam. Hanc vt solarentur ob mortem viri Ferdinandi Castellæ Regis, adiit cum vxore Dionysius. Sentia Reginam est Vraca Vaschia eius familiaris: quæ cum labiis, acerrimisque doloribus cruciaretur, Elisabetham rogauit, vt illius mali cessationem fusis precibus impetraret à Deo. orauit: impetrauit. Cum verò Constantia è viuis erepta, Regina Olyssiponem iret cum Dionysio; ab ignoto quodam Anachorita monita est, vt pro filia, quæ purgante igne torquebatur, vnius anni spatio quotidie sacrum fieri per integrum, castumque sacerdotem curaret. Id enim se in somnis ab ipsa Constantia cognouisse dicebat. fabula videbatur aliis. At Regina, de viri consilio, filiæ voluntati morem gessit. quæ exacto iam anno videndam se per quietem præbuit matri, è cruciatibus in æternam felicitatem transeuntem.

Iam vero Dionysius ætate grauis, & imbecilla valetudine affectus, in morbum incidit. In quo vel maxime nituit coniugalis Elisabethæ charitas, assiduitas, diligentia. non vxorem præstabat se, sed ancillam: adeo in re omnibus demisse, assidueque ministrabat. Igitur annum agens ille sexagesimum quartum, omnibus ritè peractis, quæ vel Christianum hominem, vel prudentem Regem decebant; excessit è vitis

viuis anno à Christo nato MCCCXXV. mense Ianuario: cum sex & quadraginta regnasset annos. Ex hoc obitu sui iam facta iuris Elisabetha, annum agens quartum supra quinquagesimum, statim atque vir mortuus est, in cubiculum se recepit cum vna è charioribus ancillis: ibique ab ea suscepit, cum eximio animi sensu, vestem aliquot annis ante præparatam, religiosarum Virginum propriam: tum rudi funiculo præcincta, candido linteo caput velauit. hoc habitu processit in publicum ante viri cadauer. Prosecuta deinde est solemne funus cum pari laude coniugalis amoris, & plusquam fœminæ fortitudinis, ad vicum vsque Odiuellas prope Olyssiponem, in templum Cistercienstium Virginum S. Dionysio dicatum, atque ab Rege Dionysio ædificatum: vbi Regis eiusdem corpus, ex ipsius testamento, cum præclaro funeris apparatu lepultum est. Ex eo tempore Beata Regina pro mariti anima suas preces, lacrymas, ieiunia, pœnas alias sponte susceptas offerens, aliorum obsecrationes, & sacrificia frequenter, assidueque iussit offerri. Quin etiam ad Compostellanum Diui Iacobi templum, æstate Regis obitum consequente, se contulit; illudque procul aspiciens, descendit in terram, ac pedibus itineris reliquum confecit. Obtulit ad eamdem diem pretiosissima munera: coronam graui pondere, multis, & magnis gemmis illuminatam: vestes pennis pulcherrimis, margaritis, & lapillis lucentibus distinctas: vndulata peripetasmata acu picta: pocula ex argento prægrandia: mulam aureo, argenteo, gemmeo instrumento præclaram: Pontificalem denique sacrorum ornatum numeris omnibus absolutum. Ingentes vero pecunias partim in templi sumptus obtulit, partim egentibus diuisit. Peractis omnibus religionis officiis; Compostellanus Archiepiscopus proficiscenti scipionem dedit, & peram: piæ peregrinationis insignia ipsi longe charissima. Sub anni finem ad anniuersarias Dionysiij exequias, eius adiuit sepulcrum cum Alphonso filio, vbi magna sacerdotum, & monachorum frequentia, iusta funebria Regi magnifice instaurata sunt.

His rite peractis, Regina domesticas omnes opes, vel in sacros vsus conuertit, vel aliis dispensauit. Ipsa solitudini, ieiuniis, precationibus vacare impensius cœpit. Sacrarum Virginum domum prope Conimbricam D. Claræ nomine ædificandam summo studio curauit. ædes etiam sibi aliquas seeus eum locum poni voluit; vt facilior, & breuior esset ad Parthenonem traiectio; cuius pro voluntate ingrediendi, ac famularum Christi dulcissima consuetudine fruendi, potestatem à Summo Pontifice impetrarat. Publicas, & priuatas identidem ad eas adhortationes habebat. Ex illo numero, & S. Claræ familia quinque apud se fœminas integritate conspicuas habebat assidue, cum quibus religiosam extra claustra degebat vitam. Quamquam enim Deo consecrare inter sacras Virgines habuerat in animo: à prudentibus tamen æstimatoribus rerum, datum ei potius consilium fuit, vt ad maiorem omnium vtilitatem, publicam illam personam, ac dignitatem retineret. Omnibus igitur vna præsto erat opibus, consilio, auctoritate, quacunque alia re iuuare poterat. In ædiculis prope memoratum Parthenonem quindecim egentes viros, ac totidem fœminas sibi vicinas ali perpetuo certis sumptibus iussit: Sacerdotemque proximum cum Sacello, & Cœmeterio constituit, qui sacrum ijs præsentibus quotidie faceret, & solemnes omnium horarum precationes concineret. Interea Castellæ, Regem Alphonsum nepotem suum audiens alterius ab vxore fœminæ consuetudine teneri; eum adiuit, ac fidem ab illo extorsit, honestius in posterum viuendi. Plurimum exinde temporis, atque operæ impendit in eo Diuæ Claræ Cœnobio perficiendo, amplificando, exornando: in quo suas omnes contineri delicias existimabat. Quo die primum in noua cœnatione moniales discubuerunt, ministrauit eis Regina cum sua nuru Beatrice Regina, raro Christianæ demissionis, & charitatis exemplo.

Anno vero M CCCXXXIII. Conimbricæ Regina commorante: ingens annonæ caritas, ac fames eam vrbem vexauit. Enituit tunc, vt cum maxime, B. Elisabethæ charitas in omne hominum genus, adeoque liberalem se cunctis præbuit, vt ab opum administratoribus admoneretur, ne ob alienorum opitulationem, ac sustentationem nimis assiduam, sibi postmodum, suisque deesse cogeretur, sed illa Deo freta, angustos aliorum animos reprehendit. Cum vero iam ad quartum, & sexagesimum annum peruenisset; D. Iacobi templum inuisere iterum voluit; quod tamen est maxime mirum, ac minimum credibile videtur: tantum suscepit itineris fœmina id ætatis, & Regina, paucis comitata, mutato vestitu ignobilis, imo sua sarcina grauis, per vicos, & domos mendicans, pedibus & iuit, & rediit. Sed iam tempus erat, vt è terris, vbi peregrinata diutius illa anima fuerat, remearet in Cœlum patriam suam. Ergo, cum ad sedandas Alphonsi filii cum Castellæ Rege Nepote discordias, ad Oppidum Eborense, Stremotium appellatum (vbi tunc filius versabatur cum coniuge) se contulisset: partim ætatis imbecillitate, partim itineris defatigatione, in morbum incidit, qui supremus illi fuit. & quamquam filii, ac nurus assiduitate diligentissime curaretur: inanis tamen omnis cura successit. iam enim illa vocabatur à Deo, Deique Parente; vt illud præmonstrasse videtur, quod paulo ante supremum diem euenit. Nam præsentibus multis, ac nuru præsertim, nihilque videntibus: Filia, filia, exclamauit, concede quæso locum illi mulieri. cui mulieri? respondit nurus admirans; Illi, inquit, quæ amictu candido venit ad nos. Iam vero morti se proximam intelligens, Diuinis mysteriis, ac supremis Ecclesiæ Sacramentis sese sanctissime munit; vt piæ vitæ religiosa mors optime responderet. Postquam autem cum Alphonso necessariis de rebus Regni colloquuta aliquantulum esset, à filio, quem relinquebat: ad cœlestem conuersa Parentem, quam adibat supremis, & solemnibus ijs vocibus illam compellauit.

Maria mater gratiæ,
Mater misericordiæ,
Tu me ab hoste protege,
Et hora mortis suscipe.

Deinde Fidem ex Apostolorum symbolo professa: tradita à Domino precationem, aliasque recitauit, voce paulatim ac sensu deficiente: donec animam auctori suo reddidit; ita composito corporis habitu, vt non tam periisse, quam obdormiisse videretur in Domino. In hunc modum B. Regina vitam integerrime traductam sanctissima morte coronauit, Quarto Nonas Iulii anno à Christo nato MCCCXXXVI. ab ipsius Beatæ Elisabethæ ortu LXV.

PARS SECVNDA.
DE VIRTVTIBVS.

ETsi tota vita Sanctorum hominum perpetua quædam est exercitatio virtutum, atq; adeo illa cognita, hæ debent esse perspectæ: par est tamen ad eorum clarius agnoscendam sanctitatem, virtutes singulas diligentius contemplari. Quæ igitur in B. Regina præstantis animi dotes præcipuæ floruerunt, per RR. PP. Rotæ Auditores confirmatæ, & per Sacrorum Rituum Congregationem legitime comprobatæ fuerunt, hæ potissimum numerantur. XIX.

FIDES.

Quantum hæc prima Christianæ religionis virtute præstiterit B. Regina, nemini poterit obscurum esse, qui reputauerit animo, eam primo à Christianis, & Catholicis Regibus ortam fuisse; qui toties nostram fidem contra perfidos hostes, contra Saracenos, & Barbaros fortissime defenderunt. deinde sacris illam aquis ablutam, & aliis Ecclesiæ mysteriis rite munitam, semel susceptam fidem constanti animo ad extremum vsque vitæ spiritum retinuisse. ac postremo iam ex hac vita migraturam, intermortuis vocibus perfectum illud Fidei compendium ab Apostolis concinnatum, recitasse. quæ omnia meruerunt, vt Elisabetha semper ab omnibus habita fuerit sacrosanctæ fidei non excultrix modo religiosissima, sed etiam strenuissima propugnatrix.

Enituit etiam huius Fidei splendor è pijs illis operibus, quibus Beata Regina tantopere fuit omni tempore vitæ constanter addicta. Licet enim Fides, ex Theologorum sententia, in mente, & cogitatione præcipue sita sit: vt ea tamen iuuet, opus habet operibus Fidem confirmatibus: sine quibus mortua est, vt Iacobus Apostolus pronunciauit. Qualis igitur, & quam viua in illa fuisse Fides dicenda est: cuius vniuersa vita

sa vita bonis operibus consecrata fuit? Integri dies in diuino cultu ab ea traducebantur, præsertim post obitum viri. Nam de multa nocte vigilans cum fœminis piorum studiorum sociis, matutinis precibus recitandis vacabat. Diluculo sacrum fieri iubebat in suo cubiculo. Inde in publico sacello cum omni familia intererat alteri sacrificio, quod cum lugubri cantu fiebat pro defuncto Rege ac marito. Tertium denique sacrum eius diei proprium coram se supplice volebat celebrari. Diuini officii reliquas horas postea peragebat. Tum ad iuuandos alios, vel re, vel verbis incumbebat. Inde ad sese colligendam, vel contemplationi, vel sacri cuiuspiam libri lectioni se dabat. Ad seram postremo noctem Diuinas res mente pertractabat, cum incredibili sensu voluptatis, & dulcium copia lacrymarum. Vt iam tum totos dies non terræ, sed cœlo videre videretur.

Eiusdem Fidei excellentiam tunc Beata Elisabetha præ se tulit, vel maxime: cum grauissimis vexata calamitatibus, & rerum aduersarum iactata tempestatibus: rectum tamen tenuit cursum pietatis in Deum. Et præsertim cum à viro Dionysio Rege fœminis aliis in amore posthabita, post coniugium cum ab eodem relegata in liberam custodiam, periculosissimo tempore: cum tot suorum vidit; & defluit in vniuersis Hispaniæ regnis dissidia. Quibus omnibus acerbissimis casibus, in eius vitæ narratione commemoratis, concuti quidem ipsa potuit, atque percelli; de recta vero mentis, ac fidei statione deturbari non potuit.

SPES.

Non alium sibi proponere visa est Beata Regina scopum, in quem omnia ipsius vota collinearent: nisi illum, qui non confundit, aut deserit sperantes in se. Hinc factum est, vt in quibuscumque periculis, ac necessitatibus nihil haberet antiquius; quam ad sacras preces, ad pia sacrificia, ad ieiunia, ad voluntarias pœnas: vno verbo ad Diuinam opem imploranda confugere. Cumque in Regio collocata fastigio: rebusque circumfluens omnibus; quibus humana inhiare solet ambitio; in ijs spem suam collocare potuisset, vt pleriq; mortalium faciunt: statuit illa, non in Principibus, ac Principatibus; non in copia diuitiarum, non in amplitudine regni, non in multitudine militum subiectorum; sed in eo solo spem omnem reponere, à quo vitam sperabat sempiternam.

CHARITAS IN DEVM.

HÆc Regina virtutum, perfectio legis, & vinculum perfectionis, non vltimum obtinuit locum in anima laudum feracissima B. Reginæ. Testatur hoc vniuersa illius vita, quę perpetuum amorem præse ferebat in Deum. nam & Parentes coluerat, & virum diligebat, & filios materna beneuolētia complectebatur, ob vnius amorem Diuini numinis: quod cæteris omnibus anteferebat. Ex eadem vi charitatis oriebatur ille fluxarum opum, & mortalium rerum contemptus opinione maior. Inde etiam erat odium; quo vitia, & impuritates prosequebatur; vt si quando Diuinam lædi maiestatem animaduertebat; iniuriam sibi fieri, se ipsam læsam existimaret. Huius deniq; vis amoris dulces ei reddebat acerbissimas pœnas, quas ipsa sibi vltro inferebat: iucūda ieiunia, quibus frequenter enutritum in Regum deliciis corpus macerabat: nocturnas vigilias, diurnos labores, longas peregrinationes, non faciles modo, sed etiam apprime suaues.

Verum ille præ cæteris religionis sensus, quo venerabile Sacramentum, eiusque instrumenta, ministros, celebrationem prosequebatur, locupletissime testari potest hanc in Deū eximiam charitatem. Deferre solita erat B. Elisabetha secum, quocumque iret, ad rem Diuinam faciendam aptum altare, omnibus rebus instructum, atque ornatum: vt vbicumque esset, in suo cubiculo ara pararetur ad sacrum; eoque, ceu domestico sacrario frequenter vteretur. quasi moræ impatienti ipsius amori in Deum, ac desiderio, fieri non posset satis, nisi in promptu essent, ac prope, quæcumq; ad euocandum è cœlo sponsum animarum adhiberi solent. Erga sacerdotes vero tanta erat pietate, atque obseruantia: vt sacrificio præsens post Apostolorum symbolum decantatum, accederet ad altaris gradus: more maiorum: & in genua procumbens, osculansque manus sacerdoti, pecuniam offerret modo maiorem, modo minorem, vt dici ratio postulabat. Agnoscebat illa in minimum, modo minorem, vt dici ratio postulabat. Agnoscebat illa in minimum in quolibet Sacerdote, summi Sacerdotis, ac Pontificis Christi personam; eamque demisse venerabatur, diligebat ardenter. Vnde etiam oriebatur sancta illa cupiditas rei Diuinæ, qua impellente, Elisabetha singulis diebus ternis intererat sacris.

CHARITAS IN PROXIMVM.

Amoris in Deum legitimus partus est Amor in proximum. recteque vnum internoscitur ex alio: velut ex imagine filii plerumque cognoscitur parens. Huiusmodi vero virtute quantum B. Elisabetha floruerit, nimium esset exemplis omnibus confirmare. Huius enim exhibuit specimen singulare: cum vitam, ac salutem suam in discrimen adduxit, vt virum cum filio pugnantem eidem pacatum redderet: atque vtriusq; vitam, & ex ea suspensam Lusitani Regni salutem, ac tranquillitatem tueretur. Hanc ostendit illa in Conimbricensi penuria, ac fame liberalitas in omne genus hominum effusissima. Eamdem virtutem declarat celeberrimum illud D. Claræ cœnobium, sacris Virginibus ab ea iussum exædificari tanta cum diligentia, atque assiduitate, tot redditibus dotatum, tot nobilium fœminarum frequentia nobilitatum: illius præsentia toties illustratum: vt ibi iam tum situm cor suum habere videretur, quemadmodum ibidem poni post obitum voluit corpus suum. Almosterienſe quoque monasterium prope Scalabin, seu Sanctarem, à Berengaria nobili fœmina inchoatum Elisabetha perfecit. Aliam domum; vbi partus à parentibus expositi educarentur; quam Martinius Episcopus Guardiensis morte occupatus, absoluere non potuit: non modo absoluit B. Regina, sed redditibus etiam, & excipiendorum numero puerorum amplificauit. Xenodochium è regione suæ domus, prope Conimbricam erexit; vbi triginta pauperes non solum certis attributis sumptibus alebat, ac vestiebat: sed etiam sua identidem præsentia, allocutione, ministrandi quoque officio solabatur. His illa deliciis, his amœnitatibus proxime fruebatur. Non exiguum frumenti numerum dabat religiosis familiis: quæ in quibuslibet Lusitaniæ partibus versabantur. Cœnobiis monachorum, quacumque iter faceret, certam pecuniæ summam quotannis assignabat in vestem. Nullus inopum occurrebat, in quem non stipem illa benignissime conferret: atque ex infinita multitudine, qua se videbat assidue circumfusam: vacuū abire neminem patiebatur. Quos intelligebat præ pudore stipem cogere non audere, quamuis id suaderet necessitas: non solum subleuabat pecunia, sed etiam alebat. Denique communis omnium parens, & patrona censebatur. Hæc autem omnia, quæ memorata sunt è multis pauca, quā aliam habuerunt originem: nisi perennem illam, ac liberalem in proximos charitatem?

PRVDENTIA, IVSTITIA, FORTITVDO, TEMPERANTIA.

Proximum ab ijs virtutibus, quæ Deum spectant, locum obtinent illæ, quæ morales inter præcipuæ, Cardinales dicuntur. Earum etiam ornatu splendido cumulare Deus voluit B. Elisabetham, quæ mundum omnem muliebrem, & exquisitum corporis cultum, animo supra muliebrem conditionem erecto, negligebat.

Prudentiam igitur præ se B. Regina tulit eximiam: quoties grauissimis inter Principes viros dissensionibus, vna ipsa fœmina interueniens, modum, ac finem imponere, & optauit, & sciuit. Ardentia, non tota modo Lusitania, sed per vniuersam Hispaniam, bella prope ciuilia non semel Elisabetha restinxit; ac lites de potestate, atque ambitione difficillimas, quas Reges ferro decidere, ac multorum hominum sanguine terminare decreuerant: ipsa potuit imbellis, sui sagacitate cōsilii, suis ad Principes allocutionibus sedare. In rebus vero domesticis disponēdis, in suę ditionis administratione, mirū, quantam reportauit ab omnibus prudentiæ laudem; quam à sapientissimis maioribus hæreditario iure susceptam, ingenii sui solertia propagauit, auxit industria.

Iustitia vero tantum Elisabethæ cordi fuit: vt quæ semper erat clementissima, atque in iuuandis miseris vere mater: in puniendis tamen sontibus, hoc est in protegenda Iustitia, virilem quemdam rigorem nacta videretur. Illud etiam proprium iustitiæ munus exequebatur: vnicuique tribuendi ius suum. Deferebat enim illa pietatis obsequium Deo charitatis affectum viro, humanitatis officia reliquis omnibus. vt quæ iustitiam, tanquam Regina, exactura esset ab aliis: Iustitiæ specimen præberet in se, tanquam æterno Regi subiecta.

Fortitudinis declarandæ tot habuit argumenta Beata Regina: quot illi Deus obtulit Patientiæ tentamenta. quo enim animo, & quam forti pectore tulerit iuuenis viri in coniugali fide, atque amore inconstantiam: filij patri rebellis, imo bellantis in patrem, arrogantiam, sibi totiq. Regno funestissimam: iacturam charissimorum sibi capitum: & alia multa, quæ illi aduersa, atque aspera contigerunt: satis esse potuit exploratum ex ijs, quæ superius narrata sunt.

Temperantiam postremo diligentissime semper coluit Elisabetha, cum omnium admiratione: nam in cibo, potuque non modo moderata, sed etiam parca: non tam abiecit à se superuacanea, quam necessaria subtraxit. Quadruplex illa ieiunium ab adolescentia solemne habuit: quadragenarium, & commune Christianorum omnium: id quo præparari solent homines religiosi ad Christi aduentum, & quod Angelorum appellant, à die festo B. Virginis Assumptæ ad Archangeli Michaelis diem: ac postremo à feriis S. Ioannis Baptistæ ad diem Assumptæ Virgini sacrum. A vino consueuerat abstinere. In reliquis vero corporis voluptatibus adeo sibi temperauit: vt non è nostræ mortalitatis origine nata, sed è beatorum Choris mentium ad mortales transmissa putauerit existimari.

Aliæ quædam Virtutes.

Quæ basis aliarum virtutum, & fundamentum appellari solent, animi demissio, & Christiana humilitas, tanto fuit in B. Regina admirabilior, quanto videbatur ab eius conditione remotior. Raro siquidem infra alios abiiciunt sese, quos supra cæteros euehit fastigium dignitatis. Et tamen Elisabetha plerumque nõ Reginam se præstitit, sed ancillam. quamquam eo magis tum dici Regina meruit, quod strenue regeret surgentes cum Regia maiestate superbiæ motus. Ministrauit illa, vt dictum est, religiosis D. Claræ Virginibus: famulata sæpius est ægrotis pauperibus. Verum vna præ omnibus humilis animi significatio admirationem pariat maximam necesse est. Sextis omnibus feriis quadragenarii ieiunij tredecim pauperes Elephantiasi, seu Lepra contaminatos, in suas ædes occulte duci iubebat. ibi lauabat eis pedes, ac stipem tribuebat. Feria vero quinta sanctioris hebdomadæ mulieribus aliquot eodem affectis morbo pedes abluebat, abstergebat linteo, osculabatur: postremo nouam vestem, & calceos præbebat. vt ambigi posset, an esset in illa charitas altior, an profundior humilitas.

Cæteras eius virtutes enarrare longum esset. Floruit enim illa Mansuetudine quadam insigni, quæ sibi omnium animos facile demerebatur: Fide in virum, coniugiumque constanti, neque vllis eius iniuriis, aut aliorum delationibus labefactata: Pietate, ac Religione; quæ, vt paulo ante dictum est, integros in eius vita sibi dies vindicaret: Perseuerantia demum in piis, ac iustis rebus, quæ veluti virtutum reliquarum corona, Regium illius caput in Cœli Regia circumplexa est.

Fama, & existimatio Sanctitatis.

Ab ipso statim exortu B. Elisabetha specimen præbuisse visa est sanctitatis; cum Secundinis illis (vt appellant) prodiit inuoluta. quas quidem parens Constantia (quasi iam tum prospiceret in Puella sanctum quid, ac Diuinum) in argentea capsula conditas, in suis thesauris iussit asseruari. Vt vix in lucem editi corporis B. Reginæ, sacræ tanquam reliquiæ, in pretiosis loculamentis reconderentur. Anno v ro Iacobus præsens fisc quodammodo futuram sanctimoniam credi potest, cum eam ex Aragoniæ Regum stirpe fœminarum præstantissimam pronunciauit. Simile de illa iudicium fuit Petri parentis: simile viri Dionysij: simile Alphonsi filij, omnium demum, qui eam nouerant, de eius eximia sanctitate vna fuit sententia. Ad eius non modo humanam opem, sed etiam efficaces ad Deum preces multi mortales cuiusuis generis confugiebant, velut ad sacram anchoram, aut salutis aram. Eiusdem extinctæ patrocinium bono suo imploraueré complures: vt in subiectis miraculis videre erit. Toto denique Lusitaniæ regno, tot continentibus annis, de ipsius sanctimonia, ac meritis apud Deum publica fama percrebuit: ac Deus ipse veracem eam esse, tot collatis per miraculum beneficiis, eius patrocinio impetratis, palam omnibus comprobauit.

PARS TERTIA. DE MIRACVLIS.

VT illustrior esset Elisabethæ Reginæ sanctitas, voluit etiam Deus illi miraculorum addere lucem: quæ tantopere mortalium oculos animosque perstringit. Aliquot igitur B. huius Reginæ meritis patrata miracula, tum è certissimis historiis deprompta, tum iuratis testibus confirmata proferentur in medium. Ac primo quæ dum illa viueret, edita sunt.

DE MIRACVLIS IN VITA.

Puella à natiuitate cæca, solo tactu manus B. Elisabethæ, visum consequitur.

Miraculum Primum.

Cum aliquando Regina Elisabetha proficisceretur Conimbrica in Vrbem Portum, per vicum quemdam iter habebat, nomine Arrifanam. Hic illi processit obuiam rusticana quædam fœmina, filiolam secum ducens ab ortu cœcam. Orauit Reginam supplex, vt oculos puellæ manibus tantum attingeret. Illa obsecratione simul, ac miseratione permota, morem gessit matris voluntati. Post paucos dies obuiam Elisabethæ venit eadem fœmina exultans, & gestiens cum filiola; quæ statim atque tacta fuerat, visum oculorum acceperat. Agunt immortales Reginæ gratias. Hæc vero, vt erat ab ambitione laudis, & gloriæ alienissima; vetuit illas quicquam hac de re dicere, quo ad ipsa viueret. idq. vt ab iis facilius impetraret, vestem vtriquè dono dari iussit; & miraculum beneficio cumulauit. Quod totum, & verissimis mandatum est historiis; & multorum testium iuramento confirmatum.

Tuber in stomacho Margaritæ cuiusdam à B. Regina Crucis signo statim sanatur.

Miraculum Secundum.

In æde Sacrarum Virginum, cui nomen est Chelis, prope Olyssiponem: nobilis erat, & religiosa mulier, Margarita Freila. Hæc Reginam in Vrbe commorantem inuisere decreuit. A qua statim atque pallida visa fuit, macieq. confecta; causam rogatur tantæ tenuitatis. Tuber, inquit, quod natum est super stomachum, huius vultus, & magni mihi cruciatus est causa. Signum illa crucis imposuit ægrę parti. quo facto resedit omnis tumor, discessit dolor. Margarita graui morbo liberata, non potuit se præ gaudio continere, quin illico palam omnibus faceret, se ope Reginæ sanitatem fuisse consequutam. Id cum ad aures Elisabethæ peruenisset, non parum illi molestiæ attulit; accersit ad se mulierem, grauiter accusat, imperat silentium ea super re in posterum. Neq; enim id beneficii suæ deberi virtuti dicebat, sed omnium bonorum auctori Deo, cuius erat laus omnis & gloria.

Leprosus grauiter in capite vulneratus, B. Reginæ manibus oui albo impositò, confestim à vulnere liberatur.

Miraculum Tertium.

Solita erat B. Elisabetha feria sexta sanctioris hebdomadæ Elephantiacos aliquot, seu leprosos ad se accersere, iisq; pedes abluere, & stipem elargiri, cum pari laude demissionis animi, & charitatis. Id aliquando cum perfecisset in Oppido quodã Scalabi appellato (vulgo Sanctarem) ex ijs vnus, quibus id præsti-

præstiterat officium, reliquis tardior, ob morbi vim vehementiorem, substitit parumper in Regia. Quod vbi ianitor quidam animaduerterit, ferox, & asper, ac rei gestæ ignarus; acerrimis cum conuiciis est insectatus. Cumque ille reclamaret: fustem arripiens, hominis, qui se præ morbo commouere vix poterat, caput summa vi percussit, & grauiter vulnerauit. Concidit infelix in terram ea plaga accepta, & calamitatem suam cœpit eiulans lamentari. Adfuit & vocibus, & miserabili spectaculo Vrraca Vaschia, Reginæ ob studium pietatis familiarissima. Ad Elisabetham excurrit; quid factum fuerit, narrat. Illa hominis miseri, atque innocentis calamitate commota: in suum cubiculum eum imperat deportari. deinde album oui exceptum stupa, vulneri suis ipsa manibus imponit, additaque pecunia, in reliquos sumptus; hominem dimittit. Postridie, quam hæc gesta fuerant, scitatum mittit, qui se æger habeat. Optime responsum fuit; & cicatricem post factam à Regina medicinam, statum fuisse obductam. Ita Regii famuli iniuriam B. Reginæ sanctitas, & clementia compensauit.

Insanabilis Cancer signo Crucis, osculoq. Beatæ Reginæ sanatur.

Miraculum Quartum.

Feria quinta Sanctioris hebdomadæ lauabat B. Elisabetha de more duodecim mulierum Elephantiasi, seu Lepra laborantium pedes. Quibus etiam pecuniam, & vestes elargiri solebat; & ad mensam splendide acceptis ministrare. Earum vna pedem alterum cancro affectum tam male habebat; vt parum abesset, quin duo digiti decidérent. Altero igitur abluto pede; vt alterum in peluim immitteret, Regina postulauit. Illa conscia latentis mali, & horribilis deformitatis: pedem illum, aut Reginæ manibus attingi, aut oculis videri indignissimum iudicabat; ideoq. magis eum occulebat. Regina Vrraçę Vaschiæ, quæ liuic facto aderat, iubet, vt ipsa mittat in peluim, recusantis pedem. Id vbi factum est: tam grauis illico afflatus est odor, ac pestilens; vt omnes regiæ ministræ cum eum præ fastidio ferre non possent, se proripuerint foras. Elisabetha sola mansit, quæ Christiana magnanimitate, & charitate memorabili ardens: vlcus non modò non horruit, sed suis manibus tractauit, ac medicinam aliquam adhibere contendit. Accedit ergo plena misericordiæ, plena humanitatis: procumbit ante miseram fœminam: fouet calida pedem: & vlcus leniter, ac molliter expurgat. Deniq; ad operis sanctissimi, & gloriosissimi summam: ipsum cancrum, cuius vel odor erat intolerabilis, osculatur; & salutare signum crucis imponit. mirum dictu: sed tanta virtute dignissimum: nulla interposita mora, & signo crucis, & osculo: & simul tingenti S. Reginæ merito insanabile vlcus factum est sanum.

Aqua in vinum à B. Elisabetha conuersa.

Miraculum Quintum.

Iacebat aliquando B. Regina graui stomachi morbo laborans in Oppido Alenquerio. Præscripserunt ei medici, quod requirere videbant morbi genus: vt vino modico vteretur. Illa, quæ abstinere solita erat vino, cum id curationi valetudinis necessarium esse non duceret, negauit se esse facturam. Aquam igitur affetri sibi iussit: quæ bis allata, bis in vinum est commutata. vt quodammodo videretur eo miraculo Deus: & religioso Beatæ fœminæ proposito, & medentium præscripto satisfacere velle.

Opes pauperibus distribuendæ à B. Regina media hyeme vertuntur in rosas.

Miraculum Sextum.

Vt erat in egenos maxime liberalis B. Elisabetha, in sinu sæpe ferebat, quæ ijs benignissime dispensaret. Accidit vt eam hæc in sinu clam gerentem, vir ipsius Rex Dionysius obseruaret, qui forte factus ei fuerat obuiam. Et facile, quid rei esset, suspicatus; non vt illam à benefaciendo reuocaret, sed vt Regis, ac viri potestate vteretur: interrogauit quid in sinu portaret. Elisabetha vel operis boni gloriam dissimulans: vel timens, ne id facere prohiberetur in posterum, Rosas, respõdit. Ac Dionysij iussu explicato sinu, opes illæ distribuendæ pauperibus in recentes rosas commutatæ cernuntur: manifesto miraculo. cum ea pars anni ageretur, quæ gignèdis intempestiua rosis est, hyems videlicet. Ex quo præclaro facinore duxit originem illa Pictorum consuetudo, Sanctæ huius Reginæ imaginem cum rosis in sinu passim effingendi.

DE MIRACVLIS POST MORTEM.

Incorruptum ex obitu manet B. Reginæ corpus, & miris fragrat odoribus.

Miraculum Primum.

SVmmus ille bonorum omnium auctor, qui *mirabilis est in Sanctis suis*, B. Elisabetham non solum in humanis agentem, Diuinis illustrauit virtutibus & miraculis: sed etiam ad æternæ felicitatis regna translatam, admirabilibus rerum euentibus nobilitauit in terris. Ac primo quidem eius corpus à corruptione liberum, integrumque monstrauit in hunc modum. Testamento mandauerat B. Regina filio Alphonso Regi, vt ipsius corpus ex Oppido Stremotio, vbi diem clausura erat extremum, Conimbricam, in ædem monialium S. Claræ deferri curaret. Cum vero Conimbrica centum & viginti octo millibus passuum à Stremotio distaret: & Iulii mensis vehementissimi calores, quo illa tempore obierat obstarent, quin corpus tam longe deportaretur; sine maximo putrescentis cadaueris fœtore, atque intoleranda tam deferentium, quam funus comitantium molestia: plerique cernebant opportunius fore: si vel in templo D. Francisci in eodem Oppido, vel in æde maxima Eborensi, non ita longe dissita, corpus tumularetur: exesa deinde ossa Conimbricam transferrentur. Abnuit nihilominus Alphonsus à suprema matris voluntate recedere: ac funus iussit Conimbricam deduci. Tempus æstiuum: circumfusi frequentia populi, eam prosequentis extinctam, à qua viuente tot fuerat beneficiis ornatus: succussio loculi, in quo fuerat inclusum cadauer, iustum timorem incusserat omnibus, ne paulo post, ob intolerandum fœtorem cœptum opus deserere cogerentur. Non tamen eius corpus deseruit Diuina prouidentia, cuius animam aspectu suo beabat in cœlo. Septem dierum spatio delatum cadauer non modo grauis odoris nihil afflauit: sed potius tam suaues circumfusæ multitudini inspirauit odores, vt in eo loculo pro putrescente cadauere omnia aromatum genera conclusa viderentur. Quod vbi palam omnes cognouere, ac propius accedentes experimento comprobarunt: in effusam lætitiam in Dei laudem, in venerationem sacri corporis sese totos conuerterunt. Verum adhuc maius exhibere Deus voluit ad Beatæ Reginæ gloriam, in eius corporis integritate miraculum. Anno enim Domini MDCXII. VII. Kalend. Maii, Illustrissimi, & Reuerendissimi DD. Episcopi Conimbricensis, & Leriensis, & Doctor Franciscus Vazius Pintus, huius causæ Iudices Commissarii, cum aliis præcipuis Medicis, Sacræ Theologię Magistris, ac Religiosis viris, præsentes adfuerunt: dum B. Reginæ sepulcrum patefactum, & sacrum eiusdem corpus recognitum fuit. Inuentum igitur hoc est integrum, atque incorruptum, candido colore: cum carne cum rutilis capillis, naso, auribus, oculis minime tabefactis, reliquis etiam partibus instructum, ac membris: quæ tacta non frangebantur aut liquescebant: manabat è corpore suauis admodum, ac iucundus odor. neque solum id expers corruptionis extiterat, sed vestes etiam circumiectæ, ac plura lintea superimposita, solida, atque tenacia permanebant. Nemo deniq; spectantium, & rem adeo nouam atq; inexpectatam admirantium, non agnouit, atq; extulit Diuinæ potentiæ vim: quæ vitæ, animæq; integritatem, qua Beata hæc Regina pollebat, ipsius post mortem corporis integritate censuit remunerandam.

Faber è tecto cadens, Beatæ Reginæ ope implorata, sursum attollitur.

Miraculum Secundum.

In Monasterio D. Claræ pars quædam ædium fabricabatur, & iam tecti ligna imponebantur. Ibi Dominicus Macha-

dus faber lignarius operam dabat lignis clauorum adminiculo configendis. Ecce autem inopinato aliquot ex ijs lignis refixa dilabebantur in terram: secumque fabrum illum præcipitem trahebant. Tum ille B. Elisabethæ salutare subsidium in tanto vitæ discrimine imploravit: nec surdis auditus est auribus. Extemplo, per summum miraculum, ipse vna cum lignis, occulta quadam vi, sursum relatus, & in eundem, è quo ceciderat, restitutus fuit. ligna etiam suis reddita sedibus, & coaptata. Dominicus à præsenti periculo liber, & incolumis, cum admiratione, astupore spectantium: tantum in se B. Reginæ beneficium ex animo testatus est.

Monialis, cruribus male affectis, ab incessu impedita, B. Elisabethæ imploratione sanatur.

Miraculum Tertium.

Anna Azpilcueta vna erat è sacris Virginibus, quæ prope Conimbricam in vico, cui Cellis nomen est, D. Mariæ sacrũ cœnobiũ colunt. Hæc diu capta cruribus, & resolutis neruis ita tenebatur: vt per se incedere nullo modo posset. Nullum à Medicis non tentatum remedium fuit: sed sanitatis restituendæ gloria B. Reginæ relinquebatur. Proximus erat solemnis B. Elisabethæ dies. nocte vero, quæ antecedebat, Annæ Magistra plura exponens beneficia, illius Reginæ imploratione suscepta: hortatur eam, vt ab ipsa præsens auxilium petat. morem gessit illa diligenter: & in arctissimum somnum soluta est. Ecce autem per quietem audire sibi videtur imperantem, vt surgat: valetudine iam Elisabethæ ope, restituta. Excitata virgo artubus contremuit omnibus. Exilit è lecto sola: vestes induit: in Odeum (vulgo Chorum) venit, vbi cæteræ matutinas preces canebant. Mirantur omnes, lætantur, præ animi pietate lacrymantur. Rem hanc totam publicis litteris commendauit Martinus Azpilcueta, is, qui Pontificio iuri lumen suis libris attulit immortale.

Quinquagenaria mulier lac abunde consequitur ope B. Reginæ ad pauperem nepotem alendum.

Miraculum Quartum.

In Oppido Sarnacensi Conimbricensis Diœceseos Maria Antonia, Michaelis Aloysii vxor, quinquagenaria erat: etiam à duobus ac viginti annis infœcunda. quin etiam ex morbo quodam, ab antiquo tempore in sinistro vbere lacte carebat. Hæc nepotem ex paupere filia paruulum susceperat educandum. Equitis etiam cuiusdam Olyssiponensis filium lactabat. Quamobrem nepotem cibis dulcibus enutrire tentauit, quæ tamen ille respuebat. Venit igitur vna cum eo Conimbricam, ad D. Claræ Cœnobium: infelicem pueri conditionem amicis monialibus enarrauit. retulit ab ijs consilium: vt rem totam B. Reginæ commendaret: ac summo mane ieiuna reuerteretur illuc, vinum haustura cum eroco: quam B. Elisabetha potionem ad eius mali remedium præscripserat. Sequitur illa consilium; vino illo sumpto ad B. Reginæ sepulcrum accedit supplex: summis eam precibus obsecrat, vt sibi lac à Deo impetret, ad misellum nepotem enutriendum. Audita est obsecratio: lac statim sensit vberibus largiter affusum, vt abunde potuerit in posterum deriuatum cælitus alimentum instillare nepotulo.

Angina, morbisque aliis Agnes Dalmeida liberata, lactis copiam impetrat à B. Regina.

Miraculum Quintum.

Agnes Dalmeida, Ioannis de Guerres medici vxor, septima post filii partum hebdomade, in anginæ morbum incidit, quo vehementer cruciabatur. neque sumere cibum, neque proferre verbum poterat. lac etiam defecerat ad natum puerum nutriendum. Vir, vt artis medicæ peritus, plurima illi adhibuit medicamenta: sed frustra. quin adeo morbus indies inualescebat, vt iam vir de salute Coniugis desperaret. Ergo Berensem in agrum se contulit, ad accersendam filio nutricem. Ibi dum nocte curis anxius commoratur: subit animum sanctitas B. Elisabethæ. Illi suam enixe, religioseque commendat vxorem. Flagitat ab illa præsens in tanto vitæ discrimine subsidium. Summo mane reuersus domum, vxorem reperit sanam, atque ab omni ægritudine liberam. quærit ex illa, qua hora se melius habere cognouisset. exacte eam vxor indicauit. tum is probe perspexit, eodem temporis articulo, quo ipse procul domo pro vxore B. Reginam orauerat: ab eadem se clementer auditum, impetrasse quod postulabat. Singulares vterque gratias Deo agit, ac B. Elisabethæ. Idem postea vir templum adiuit, vbi B. Reginæ corpus asseruabatur: interfuit sacro, iterumque suppliciter ab eadem poposcit vxori lac, quo natus infans nutriri posset. domum reuersus hoc etiam se beneficio cumulatum agnouit. & veneratus est adeo liberalem B. Reginæ beneficentiam.

Inueteratus morbus sanatur osculo pheretri vbi iacebat B. Elisabethæ corpus.

Miraculum Sextum.

In D. Claræ Cœnobio Constantia Ania, Ciuis Eborensis, iam diu insanabili, atque horribili morbo premebatur. Pestiferum quoddam vlcus ei labia, gingiuasque cum maximo cruciatu corrodebat: sensimque serpebat latius: & parum aberat, quin illa dentes omnes amitteret. Præ doloris impetu vociferabatur assidue, cæterarumque tranquillitatem, ac religiosam quietem interturbabat. Nullum medicorum artificium sufficiens erat ad eam pestem depellendam. Cum igitur B. Reginæ corpus ab Oppido Stremotio, Conimbricam in D. Claræ Cœnobium allatum esset: statim Constantia magna cum pietate, ac fide accessit ad pheretrum, vbi corpus adhuc insepultum iacebat: itaque loculum osculata est, vt oris partem lue confectam ei applicaret. recedit deinde cum cæteris. Vbi vero sacrum B. Elisabethæ corpus ad sepulchrum deferri cœpit: Constantia se cruciatu liberatam cognoscens, aduocat socias: ijs os inspiciendum præbet: nulla pestis illius indicia apparebant. Quo miraculo omnes obstupefactæ conclamant vna voce, magnam esse Reginæ sanctitatem: quam Deus tam insigni miraculo testatam omnibus, atque exploratam esse voluerit.

De actis Causæ, & legitima illorum confectione.

Iam vero quod attinet ad res in causa gestas, & acta Canonizationis, ad S.V. ita refero. Cum fama sanctitatis B. Reginæ, frequentia miraculorum, quæ ipsius apud Deum meritis edebantur, magis ac magis increbresceret: atq; in eius venerationem Christianorum hominum animi vehementius incitarentur, Anno Christi M.D.XVI. Lusitaniæ Rex Emanuel per Michaelem Syluium Legatum suum à Leone X. Pont. Max. S. V. prædecessore, & postulauit, & impetrauit: vt B. Elisabetha tota Conimbricensi Diœcesi solemni ritu cum Beatæ titulo coleretur, eiusque imagines publice, ac priuatim dedicare liceret. Anno vero M.D.LI. Lucius Andreas Resendius vir apprime doctus in eius honorem sacras laudes, quas vulgo vocant officium, composuit. Nec multo post Rex itidem Lusitaniæ Ioannes Emmanuelis filius à Pont. Max. obtinuit, vt in Regia eamdem sibi venerari liceret. Ac Pompeius Zamboccarius Summi Pontificis Legatus anno M.D.LIII. omnibus orationem Dominicam, & salutationem Angelicam ad B. Reginæ sepulchrum recitantibus ipsius festo die, cum octo insequentibus, & aliorum quorundam Sanctorum, concessit omnes pœnarum remissiones (Indulgentias appellant) quas consequuntur qui ijsdem diebus Romæ templa, vel intra, vel extra mœnia religiose inuisunt.

Post aliquot annos Rex etiam Lusitaniæ Sebastianus (qui ad Regni tranquillitatem, ac salutem B. Elisabethæ meritis à Deo dicitur impetratus) egit apud Paulum IV. Pontificem Maximum, vt Superiorum Pontificum diplomata de B. Regina amplificaret: idque consequutus est, ac præterea potestatem

statem eius imagines exponendi, annua sacra faciendi, eique preces fundendi per vniuersam Lusitanorum Regum ditionem. eiusq. festus dies dictus est is, quo migrauit in cœlum, nempe IV. Nonas Iulij.

Anno deinde M.DC.XI. Catholicus Rex Philippus hoc nomine Tertius, & Regina Margarita Austriaca postularunt à Paulo V. Pontifice S. V. prædecessore, vt Canonizare, & in Sanctorum Catalogum adscribere dignaretur B. Elisabetham. Cum igitur tantorum Principum petitioni Sanctissimus Pater plurimum deferendum censuisset, cognitionem eius causæ demandauit tribus sacræ Rotæ Auditoribus, Francisco Peniæ Decano, Francisco Sacrato, & Alphonso Manzanedo. Hi vero concesserunt suam remissoriam, & compulsoriam in forma directa Episcopo Conimbricensi, Lerensi: & Doctori Francisco Vazio Pintò, qui Catholicæ Maiestati erat à consiliis; vt adhiberent necessarias probationes testibus, ac scriptis, aliaque authentica documenta statuerent super vita, sanctitate, ac miraculis Beatæ Reginæ. Hi omnes cum causæ Procuratoribus, examinatis multis testibus, extractis iuribus, & iuridicis processibus formatis; Romam eos ad iam dictos Rotæ Auditores transmiserunt. Dum vero in huiusmodi processibus diligenter expendendis tempus, atque operam illi impenderent; accidit, vt Paulus V. prius; deinde Greg. XV. Pontifices Maximi S.V. prædecessores ex hac vita migrarent; quapropter inchoatum opus absolui non potuit.

Postquam vero S.V. postulantibus meritis, ad istud Pontificatus fastigium euecta est; instare iterum cœpit Catholicus Rex Philippus, per suum totius Lusitanici Regni Agentem Michaelem Suarium Pereiram; vt religiosum hoc munus perduceretur ad exitum. Placuit S.V. tam æquis tanti Principis postulatis assentiri. Quaptopter à Rotæ Auditoribus Ioanne Baptista Coccino Decano, Alphonso Manzanedo, & Rotæ Locumtenente Iacobo de Caualeriis relatum fuit de statu causæ: clareque significatum, posse eam ad nostram Sacrorum Rituum Congregationem transmitti. vt cum ipsa vidisset, ac perpendisset ea quæ in re videnda, & perpendenda iudicaret; super potita Canonizatione suam sententiam diceret.

Nos vero, Beatissimè Pater, accepta relatione vitæ, ac miraculorum Beatæ Reginæ, & S.V. voluntate perceptâ; habitis super ea pluribus sessionibus; in quibus dictorum Auditorum conclusiones accuratè ac diligenter examinauimus; vnanimi consensu censuimus omnes supradictos processus fuisse, & esse validos, legitimos, & legales, & eorum probationes super sanctitate; ac miraculis B. Elisabethæ fuisse legitimas, & sufficientes.

Hæc sunt, Beatissime Pater, quæ ex legitimis actis huius causæ dicenda fuerunt de vita & moribus B. Reginæ Elisabethæ, deque miraculis illius beneficio patratis. Quibus copiosius in multis Congregationibus perpensis atque discussis, Cardinales Congregationis sacrorum Rituum in eam sententiam vnanimes venerunt: Posse Sanctitatem Vestram (si ei placuerit) ad vlteriora procedere, & Canonizationem B. Reginæ Elisabethæ iuxta sacros Romanæ Ecclesiæ ritus perficere, & solemniter celebrare.

Facta ad eum modum per Cardinalem relatione, communibusq; Sacri Senatus Cardinalium, Patriarcharum, Antistitum & Prælatorum suffragiis in commune collatis, Vrbanus Pontifex VIII. die XXV. Maij, Sancto Vrbano martyri sacra; in qua etiam festum SS. Trinitatis anno seculari M.DC.XXV. inciderat; Elisabetham, solenni ritu, in Basilica Vaticana; sanctorum albo adscripsit.

XXI. *Philippus Benitius sanctis adscriptus.*

Pari pietate Leo Pontifex, duo præclara vrbis Florentinæ lumina, Antoninum Prædicatorij instituti Archiepiscopum quondam Florentinum, & Philippum Benitium Ordinis seruorum Beatæ Mariæ Virginis Conditorem, inter Cælites adscribere voluerat hoc ipso anno, Florentiæ agens. Fecisset plusquam volenti animo, maximo ad patriæ suæ honorem; nisi grauissimis curis reipub. Christianæ Romam reuerti coegeretur. Dedit tamen ciuium deuotioni nonnihil, ac Philippum inter Beatos adscripsit, dato diplomate, quod sequitur.

Dilectis filiis Priori Generali, & Fratribus Ord. B.M. seruorum sub Regula S. Augustini.

Leo Papa Decimus.

Dilecti filij salutem & Apostolicam benedictionem. Exposuit nobis nuper dilectus filius noster Antonius tit. S. Praxedis Presbyter Cardinalis, Ordinis vestri Protector ex parte vestra, quod tempore quo institutus fuit Ordo vester Fratrum Beatæ Mariæ seruorum sub Regula S. Augustini, Beatus Philippus Patria Florentinus, ex gente Benitia trans Arnum tunc Prior Generalis eiusdem Ordinis, velut gemma rutilans doctrinæ, humilitate, moribus, ieiuniis, abstinentia, plurimisque miraculis Ordinem ipsum illustrauit; & tam eo in humanis agente, quam etiam vita functo, ob plurima miracula quæ (vt creditur) intercessione ipsius Beati Philippi variis in locis operatus est Altissimus, & præsertim Tuderti, vbi eius corpus summa cum veneratione quiescit, pro Beato habitus est, & ad præsens habetur, & colitur: & propterea pro deuotionis affectu summopere desideratis, instanterque efflagitatis, in vestris Ecclesiis & Oratoriis vtriusque sexus, dictum Philippum pro Beato, ac Deo dilecto, orationibus, & officiis, ac Missarum celebrationibus tam publice quam priuate venerari, ac preces effundere, vt apud Deum pro vobis intercedere dignetur; ac etiam quod in die obitus dicti Beati Philippi liceat vobis à primis vesperis, vsque ad secundas vesperas inclusiue per omnes Ecclesias & Monasteria, seu Domos Fratrum & Monialium dicti Ordinis vestri, ipsi Beato Philippo Festum Duplex cum campanis & luminibus, & aliis cæremoniis in festo Duplici fieri solitis celebrare, seu celebrari facere possit absque superstitione, seu quasi idolatriæ nota. Quare idem Cardinalis, qui (vt præfertur) Ordinis vestri Protector existit, & de præmissis ex mandato nostro ad plenum se informauit, & nobis retulit, ac humillime supplicauit, vt vestro pio desiderio annuere dignaremur. Nos itaque eiusdem Antonij Cardinalis, & vestris in hac parte supplicationibus inclinati, vobis, vt donec ad Canonizationem ipsius Philippi deuentum fuerit, cui ad præsens diuersis urgentibus negotiis præpediti vacare non possumus, in quibuscumque Ecclesiis, Domibus, Monasteriis Monialium, Oratoriis, vtriusque sexus totius Ordinis vestri tantum, tam in Italia quam extra in quibuscumque locis consistentibus, liceat vobis absque aliqua superstitione, vel quasi Idololatriæ nota, ac conscientiæ scrupulo venerari, & in Ecclesiis Domorum ad eumdem Philippum, vt pro vobis apud Deum intercessor existat; in orationibus & officiis, ac Missarum solemnes preces tam publice quam priuate seu secrete fundere, festumque ad secundas vesperas inclusiue diei ipsius Philippi obitus, qui erit dies 23. mensis Augusti sub Duplici festo Confessoris in festo Duplici fieri solitis adbibitis celebrare possitis & valeatis, authoritate Apostolica tenore præsentium de speciali dono gratiæ concedimus, & indulgemus: Constitutionibus & Ordinationibus Apostolicis præsertim fel. record. Alexandri III. & Innocentij III. prædecessorum nostrorum, cæterisque in contrarium facientibus non obstantibus quibuscumque. Et quoniam difficile foret præsentes literas ad diuersas mundi partes transmittere, volumus & earundem præsentium tenore decernimus, quod illarum transsumptis manu publici Notarij subscriptis, & sigillo Protectoris dicti Ordinis, aut Prioris Generalis eiusdem munitis, ea prorsus fides adhibeatur, quæ eisdem præsentibus adhiberetur, si exhibitæ forent vel ostensæ. Volumus autem quod per præmissa præfatus Philippus in Catalogo Sanctorum minime annumeratus, & canonizatus publice censeatur. Datum Florentiæ sub annulo Piscatoris die 24. Ianuarij 1516. Pontificatus nostri anno III. Iacobus Sodoletus. Gianius Cent. III. Annal. Ord. Seruorum lib. 8. c. 11.

XXII. *Franciscus Dux Vrbinatus in Ecclesiæ offensam incurrit.*

Inter alia, quibus præpediebatur Pontifex negotia, erat Francisci Mariæ Ruuereï Ducis Vrbinatis. Grauissime is offenderat sedem Apostolicam. Accusabant, hominem, militibus quorum stipendia acceperat, quum Ecclesiæ stipendia mereret Pontifici denegatis, cum hostibus conuenisse: antiquum etiam Cardinalis Papiensis interfecti crimen, quo non iure sed gratia exemptus fuerat, aliasq; cædes ab illo commissas proponebant. Memorabant præterea, eum in maximo belli feruore inter Iulium Pontificem cuius & nepos & beneficiarius & exercitus præfectus erat, & ad Galliæ Regem Baldassarem Castilionem vt ad eius stipendia transiret misisse; eodem tempore nonnullos milites, qui se Ecclesiæ exercitui coniungere volebant, itinere prohibuisse; & in ea ditione quam Sacrosanctæ sedis beneficio possidebat, eiusdem sedis milites ex Rauennensi prælio fugientes persecutum esse. Meruisse affirmabant proinde, vt Vrbinate spoliaretur imperio: sed imprimis vt edicto promulgato ad satisfaciendum moneretur: quod si contemneret, censuris postmodum, ac tandem armis in eum decerneretur. Pontifex iam ante multos menses, præter ve-

teres ac recentes iniurias, etiam quia sibi & fratri vt Florentinam reducerentur opem ferre recusauerat indignatione motus, eum bello persequi in animo habuerat; sed eum nonnihil pudor ab eius Pontificis, cuius opera Ecclesia tantam potentiam erat adepta, nepote persequendo retrahebat: & multo magis Iuliani fratris, qui quum exilij ipsorum tempore multo tempore in Vrbinatium Ducum aula primum apud Guidum, deinde eo defuncto apud hunc ipsum egisset, eum ab ipsismet eo imperio in quo ipse sustentatus & honore affectus fuerat spoliari ferre non poterat proces. sed Iuliano Medice post diuturnum morbum Florentiæ defuncto, quum Cæsaris in Italiam venientis motus vanus extitisset, Pontifex ab Laurentio nepote & Alfonsina eius matre, eius imperij cupidi incitatus, nullam aliam moram interponere statuit; atque ad ingrati notam, quæ ei à multis obiiciebatur diluendam; non modo iniurias ab illo acceptas, & pœnas quibus iure beneficiarius in dominum suum contumax, miles Sacramento obstrictus, & pecunia accepta milites ei qui soluerat denegaret, subiicitur adducebat; sed multo magis quod periculosum esset eum in sui imperij visceribus ferre, qui quum iam ipsum nulla fidei & honoris habita ratione lædere incepisset, quanto maior occasio darctur, tanto promptior ad idem in posterum patrandum proculdubio esset futurus. Huius belli progressus fuit, quod quamprimum Laurentius cum exercitu ex Pontificij & Florentinorum imperij subiectis collecto, eius dominij fines attigit, Vrbinates & reliquæ ciuitates, Duce, qui se Pisaurum contulerat, postquam eos tueri non posset, saluti suæ consulerent consentiente, sponte sese Pontifici dediderunt. Pisaurenses quoque vbi hostilis exercitus appropinquauit idem fecerunt: nam & si in vrbe essent tria peditum millia, vrbs ipsa munita, & mare apertum. Franciscus Maria Tranquillo Mondolfiensi sibi fidissimo in arce relicto, siue quod militibus, quorum maxima pars stipendium non habebat minime fideret, siue, vt plerique dicebant, metum amoris colore tegens, quod vxoris absentiam ferre non posset, Mantuam, quo prius vxorem & filium miserat petiit. Sic Vrbini Ducatus vna cum Pisauro & Senogallia quatuor tantum dierum spatio, ac paulo post arces earum & Maioli & Sanlei in Pontificis potestatem venerunt. Ea prouincia; quæ vna cum Pisauro & Senogallia membris ab Vrbini Ducatu seiunctis, non supra vicena quina aureorum nummum millia pendebat armis occupata, Leo cœptam actionem persequutus, sententia lata Franciscum Mariam eo imperio spoliauit; & post in Senatu id Laurentio nepoti suo diplomate ea de re confecto adiudicauit; & quo id vim haberet maiorem, ab omnibus Cardinalibus subscribi voluit: quos tamen Dominicus Grimanus Vrbini Episcopus, & Duci illi valde amicus sequi noluit. quam ob rem Pontificis iram metuens, post paucos dies Roma discessit, neque est illo viuo reuersus. Galliæ Regi Vrbini Ducem ob ea quæ cum ipso tractauerat oppressum spoliatumque fuisse molestum erat; & multæ aliæ Pontificis actiones molestiores. Nam quum Prosper Columna ex Gallia rediens Basseti, quod oppidum Palauicinorum est, hæsisset; deinde ob Gallorum metum Mutinam, quod & Hieronymus Moronus sibi & ipse à Gallis qui contra promissa ipsum in Galliam ire iusserant, nonnihil metuens confugerat, venisset; assiduè dum Prosper Mutinæ & postea Bononiæ fuit de aliquo magni momenti loco in Mediolanensi imperio nonnullorum exulum opera furtim occupando consilia agitabant: quibus & Mutius Columna, cui Pontifex harum rerum conscius cum suis militibus in Mutinensi agro agendi potestatem fecerat, intererat: dicebatur præterea hortatus Pontifex Catholicum Regem (sic post auī materni obitum Archidux iam appellabatur) vt nullum nouum cum Galliæ Rege fœdus iniret: & apud Heluetios Ennius Verulanus Episcopus Pontificis internuncius, qui post pene decrepitus in Cardinalium Collegium cooptatus fuit, præter multa alia Regi molesta quinque pagos ad Cæsaris amicitiam sequendam hortabatur. quocirca quum eodem tempore inter Cæsarem qui inter Tridentum & Oenipontem hærens, Gallos magis ostentatione quadam quam factis terrebat, Angliæ Regem & Heluetios, de Mediolanensi imperio denuo inuadendo ageretur: Galliæ Rex hæc cum Pōtifice cuius ab ipso alienus animus aliis quoque in rebus perspiciebatur, consensu agitari metuebat. Variis enim exceptionibus, in sacrorum Galliæ regni beneficiorum decumas, quas Bononiæ promiserat, ipsi concedendis difficultates interponebat: & nihilominus (tanta est Pontificatus maiestas) Rex eum multis officiis placare nitebatur. Quapropter quum post Cæsaris discessum Mirandulæ, Carpi, & Corregij velut Cæsaris oppidis vt ab eis pecuniam eliceret molestus esse vellet; ob Pontificis qui illorum oppidorum dominos in fidem acceperat querelas abstinuit: & Mauritanis inferum mare multis nauigiis infestantibus; ei se ad eam oram tuendam multas naues; quas Petrus Nauarrus Massiliæ ex ipsius consensu, vt cum sex millibus peditum sola prædandi spe Africæ littora, quæ Barbaria dicitur, infestaret; adornabat missurum obtulit. Sed tamen Pontifex in sua sententia permanens, quamuis hæc ex parte negaret, ex parte excusaret; nunquam ei vt saltem Verulanum Episcopum ex Heluetia euocaret, quod ipse vehementissimè petierat est assensus: nec vnquam Mutium Columnam ex Mutinensi agro, in quo se propria authoritate agere dicebat, remouit: nisi dum Prospero Bononia profecto, & rebus omnibus quæ agitabantur euanescentibus, eius mora nullius iam momenti esset: cuius discessus infelicissimus extitit. Nam haud multo post cum Columniorum copiis & nonnullis Hispanis peditibus noctu per insidias Firmum ingressus, dum ciuitati diripiendæ operam daret; vulnere eadem nocte accepto, intra paucos dies interiit. *Guicciardinus hist. sui temporis lib. 12. & MS. Biblioth. Vaticanæ numero 1295.*

XXIII. *Mendlingerus Tartarorum Princeps Russiam inuadit.*

Angebant quidem plurimum hi Vrbinates, & ex his alij motus moti, Pontificem: sed non minus regni Poloniæ calamitates minus speratæ; quandoquidem ex nupera Sigismundi Regis cum Cæsare, Vngaro, & Bohemo Regibus; nec non cum reliquis Christianis Principibus contra Turcas consociatione sperabat, fore fortissimum aduersum omnes impetus hostiles, istud ipsum regnum; cuius solius viribus, & opibus, existimabat, omnem impetum fidei Christianæ hostium posse si non profligari, saltem refrenari. Secus accidit; Rex Polono in magnas difficultates, siue vindice numine, siue malignitate temporum, coniecto. Mendlingerus Tauricanorum Tartarorum Princeps, qui Sigismundo Regi fidem dederat, se accepto stipendio Moscouitis bellum illaturum, præter expectationem Regi fide data scelestissimè violata, contracto trecentorum millium equitum exercitu, omissa Moscouia, per Syluam nigram, Podoliam ac Russiam maximo cum incolarum terrore ac damno inuasit. In exercitu erant quatuor Tartarorum Duces, ipsum Mendligerum Principem arcta sanguinis necessitudine attingentes, qui ad Luscū castris positis, quarta exercitus parte ad castrorum defensionem apud se retenta, reliquum exercitum in cohortes diuisum ad Russiam quaqua versus vastandam emiserunt. Tartari plusquā ferina crudelitate longe lateque diuagati, ferro & igni fertilissimas & populosissimas prouincias defœdarunt, immanitateque & libidine omnia compleuerunt: ita vt quinquaginta M. alij c. M. captiuorum numerent, quos illi in seruitutem abduxerunt; cæsa reliqua imbelli & inutili turba, Senum, infantium, & membris captorum. Et quidem in retrocedentes, Poloni manu subitaria facta non nullum impetum fecerunt: Sed alicubi paruo operæ pretio, alibi grauiore damno; quando barbari in captiuos, quos se non posse abducere viderant, atrocissimè sæuierunt. Hanc Poloniæ regnum iacturam per Iulium atque Augustum mensem accepit. Docuit tunc rerum euentus, in mora esse periculum. Quod enim initio facili negotio auerti potuisset, paucorum negligentia, Rege Sigismundo absente, ignominiam pariter & iacturam Reipubl. peperit. Iam hinc Tartarorum frequentes eruptiones, iterum initium sumpserunt, quæ forte tam negligentia in tuendis rebus, quam populi peccatis merentibus, iusta Dei ira, quæ ad sui vindictam tardius graditur, permissa credebantur. Nam postquam non ita pridem res aliquantulum feliciores esse cœperant, in Deum ac religionem timor refriguit: non modo diuina aliquibus neglecta, sed etiam Dei, religionisque hostes fouere in vsu fuit. Hoc tempore (quod iam antea cœptum) Iudæi magis in pretio habiti: vix teloneum, aut vectigal vllum, cui non præfecti, aut quod saltem inuadere non caperent, passim in ea re Iudæis Christiani submissi; vix etiam ex magnatibus, & ipsis

reipub.

reipub. primoribus aliquis, qui rem domesticam per Iudæum non curaret, Iudæis in Christianos imperium permitteret, atque citius, quam Christianos ab iniuria, vel simulata eriperet. Recte itaque id quod Deus quondam Hebræis minatus est, in hos conuenit, quia videlicet Dei ac Crucis hostes contra diuinam legem; ac Canonum sanctiones fouerent, & ipsi hostibus suis expositi præda in direptionem fierent. Sic quoque Armenis schismaticis iis summum erat. Circumuagabantur quidam per vniuersum regnum mercandi gratia (sic enim titulus fuit) qui non ignorantibus iis qui rebus præfuere, arma Turcis & aliis hostibus Christianorum aduehere studebant. De Ruthenis schismaticis erat etiam aliquod peccatum: qui & in quibusdam articulis, & in cæremoniis à Catholicis diuisi, in vnitate Ecclesiæ permanere contempserant, multis interim implicati erroribus. Præterea in seipsam respub. diuidi cœpit, atque iam Regina Barbara è vita sublata, breui omnem fere decoris speciem exuit. Irrepsit hoc malum pedetentim, atque vtinam non coalescendo in regni ruinam ante maturum fœtum interiret, ne sic in seipso diuiso, Christi vaticinio in desolationem cogeretur abire. Hoc enim in multis rebus publicis compertum est, quando malum pœna digna non mulctatum, virtus & bene merita non remunerata, sed passim vt quemque libido tenuit ad vitia, & rerum inuasionem licentia creuit, mox ex splendidissima specie turbata induta facie, in præceps cuncta ruere cœperunt. Eo malo, & quod pestifera lues fortius, fortius quam anno superiore irrepserat, regnum Poloniæ adeo perturbatum fuit, vt reipublicæ nuper subleuata species plurimum inclinaretur. Verum externis mira hæc videntur; tanta licentia barbaros, vt sæpe in hoc regnum, quod etiam natura locorum facilem habet accessum, excurrere, quicumque existant, qui Sarmatarum proprio etiam malo, & reipub. irrecuperabili iactura rident incommoda, animum statim satiabunt, si crebras barbarorum ex Thracia, Asia, Africaque in eos populos atque nationes, quæ natura locorum ac arte, simul etiam armorum vsu, & regnorum excellentia antecedere se æstimant. Numerent eruptiones, ac eas duntaxat clades, quas in huius temporis hominum memoria Pannoniæ, Dalmatiæ, Croatiæq; regna susceperint; præterea quas per Illyricum non modo splendida Venetorum respub. passa est, sed etiam populi qui ad Germanos pertinent, in principatibus Carniolæ atque Carinthiæ experti sunt. Taceo quod paulo post quā hæc Sarmatis contigerunt, Mauri, parua manu per mare Tyrrhenum vecti, apud Ciuitatem veterem spolia legerunt, ac parum abfuit (vti fama erat) quin Leonem Pontificem Romanum paulo ante digressum intercepissent. Taceo in Apuliam, & in Hispanias barbarorū excursiones, indidemque patratas cædes, vastatas prouincias; neque deesset animus, summas reipub. Christianæ calamitates referre, ex quibus facilius mala Sarmatica ferantur. Si etenim populis, gentibus ac regnis, natura arteq; munitis, armis, milite, ac opibus pollentibus hæc accedunt; multo minus mirādum quod Sarmatarum regnum, omni ex parte hostibus permeabile expositum, tot cladibus Tartaricis afficitur, quas tamen propriis viribus Deo auctore aliquando auerteret, si non ab his quos minime decet, & Christianæ pietatis vinculum merito cohiberet, vltro iniuste impeteretur. Euagatus parum ab instituto redeo. Tartari quum impune ferme prædam abegissent, superato Boristhene, præda in Tauricam pauca manu missa, secundam parabant irruptionem. Auertit aliquantum Sigismundus Rex, misso ad Principem gentis Oratore, qui violatam fidem accusaret. Mendlingerus factum quidem excusauit, & promptissimum exercitum in Moscouitas misit. cæterum eo bello confecto, iterum sub huius anni brumam Podoliam ex improuiso inuasit, populatusque est, quo tempore Leo Pontifex Iubilæum regno Poloniæ in forma Cruciatæ ad triennium concessit, cuius quarta pars pecuniæ collectæ in restaurationem arcis Camenecen.; trium vero reliquarum partium directa medietas, vna in regni Poloniæ contra infideles defensionem; altera in reparationem Ecclesiæ Gnesnensis quæ conflagrauerat, ex æquo cederet. Verum hominum deuotione vel frigescente, vel inopia plurimos premente, siue etiam de indulgentiis remissius, ex Lutheri erroneo dogmate, sentire incipiente, non multum contributum est. *Iodocus Decius in Commentario. Bernardus Vaponius in fragmento. Salomon Cadanus lib. 7.*

Hoc tempore, cum Ratisbonæ ad Danubium fluuium sitæ, eiectis Iudæis ex illorum Synagoga templum in Diuæ virginis honorem erigeretur, quod Formosæ Mariæ templum appellabant, mox magna à Germanis finitimis eo peregrinatio facta est. Sanatæ sunt ibi per miraculum male habentium infirmitates. Acceperunt ibi visum cæci, surdi auditum; saltauerunt in discessu claudi, ac ad vitam mortui reuocati sunt. Durauit hæc Peregrinatio ad octennium; deinde subintrante Lutheranismo ad nihilum redacta est. *Sebastianus Francus in Imperatorum gestis.* XXIV. *B. Virg. apud Ratisbonenses miracula.*

Eodem ipso tempore in Aragonia apud Montem Serratum, ingentia, ope eiusdem SS. Virginis miracula patrabantur. Gaudentius Nadalbas Vasco, magni nominis prælatus, in profundos fluminis vertices vna cum equo collapsus, ad vitam euasit, per inuocationem Diuæ Deiparæ quæ apud Montem Serratum colitur. Ioannes Riola Hispanus Dicœcisanus Vicen. è manibus latronum mirabiliter in libertatem assertus est. Hominem ad quercum ligarant, neque soluere edixerant, donec ducentos aureos numerare & repræsentare promitteret. Miser in angustiis positus, nocte consecuta Diuam Virginem imploraut, seque illi ad Montem Serratum eos quos latrones postulabant aureos quam his dependsurum deuouit. & ecce visus est sibi in momento à vinculis liber, expeditus, alacer & promptus, qui viam inter auia arriperet, seque in libertatem proriperet. Loco se mouit, in fugam dedit, & per incerta abrupta que viarum, per quæ etiam claro incidie intutum esset iter per densissimas ille tenebras, manus latronum fefellit, suæque Liberatrici summas grates soluit. Ioannes Artesius Barchinonensis, eidem Virgini salutem debet quod ab aduersariorum manibus, à quibus duo & viginti vulneribus, etiam in ventre acceptis, confossus, certissimam mortem expectabat, vitæ atque incolumitati seruatus fuerit. Alfaquinus (appellatio est Sacrificorum Mauricorum) etiam quidam meliorem salutem ab eadem Virgine accepit. Captiuum tenebat Eques Solerius nobilis Valentinus, & ad Christi fidem persuadere nitebatur. Multo tempore, Surdo rem narrabat. Aliquando Montem serratum concessit, Alfaquinum secum ducens. Dum ibi ante aram Diuæ erat, Alfaquinus in momento oculos & manus ad virginem tendere, plorare, pectus tundere, diuinum nomen in Diua agnoscere, seq; omnino Christianorum fidem ac legem, pro vera & vna salutis via agnoscere, cupere, amplecti, palam edixit; moxque Christiana sacra suscepit. *Astolphus lib. XI.* XXV. *B. Virg. apud monasterium Serratum miracula.*

ANNO CHRISTI M.D.XVII. LEONIS PAPAE X. ANNO 4.&5. MAXIMILIANI REGIS ROM. ANNO 32.

I. *Franciscus dux Vrbinatis principatū recuperare conatur*

Discessu Vrbinatis Ducis Mantuam, poterat Pontifex Max. Leo quietem sperare ab armis, nisi miles Hispanus omnia turbasset. Huic in Gallico & Veneto exercitu militanti Franciscus Maria Ruuereus principatu Vrbinate exutus, vt se ad eundem recuperandum sequeretur, persuasit: quod quidem facillimum fuit. Externo enim militi, in bellis, oppidorum direptionibus, regionumq; prædæ ac rapinis assueto, nihil pace, ad quas omnes Italiæ res inclinatas videbat, molestius erat. Quapropter circiter quinq; Hispanorum peditum millia, quorum omnium dux erat Maldonatus, homo ex eadem gente natus, & multis in bellis exercitatus, eum sequi statuerunt. quibus se adiunxerunt circiter octingenti leuis armaturæ equites, sub Federico Gonzaga Bozoli domino: qui non modo nominis sui in re militari nouis bellis augenti studio, atque intimæ cum Francisco Maria necessitudinis causa, verum etiam odio in Laurentium Medicem impulsus, qui quum in eum ob Iuliani eius patrui ægritudinem omnium Pontificatus ac Florentinarum copiarum imperium fuisset trāslatum,

pede-

pedestrium copiarum præfecturam antea ab Iuliano concessam, ipsi denegauerat, vires omnes ad recuperandum Francisco Mariæ Vrbinum concessit. Eas copias cum mouisse Pontifex intellexit, vehementer perturbatus est: quod existimaret eum exercitum, ob Hispanorum virtutem & nomen apud omnes formidabile, ingentia ausurum. Eius quoque prouinciæ populorum erga Franciscum Mariam; quod diu sub mansueto Feltriæ familiæ; cuius studium in eum qui apud eos educatus & ex Guidi Ducis sorore natus erat transtulerant, dominatu vixissent, beneuolentiam nouerat. Illud præterea Pontifici molestissimum erat, quod sibi cum exercitu qui quum nihil admittere posset; prædæ modo ac rapinarum cupiditate mouebatur: quarum suauitate ne multi milites ob pacem initam sine quæstu relicti se illis adiungerent, metuebat, bellum gerendum esse videret. Quod vero maximè animum eius angebat, erat metus, ne Galliæ Rex huius motus particeps esset. Nam præterquam quod bellum contra Franciscum Mariam gestum ei molestum fuisse sciebat, videbatur. Regi causas minus in se æqui animi dedisse; quod in Cæsaris aduentu fœdus post Mediolanense imperium occupatum cum illo ictum non ad rigorem seruasset: quod Romam reuersus diploma de Galliæ atque Insubriæ Sacerdotiorum collatione ab eo quod pactum inter eos Bononiæ, sed ob temporis exiguitatem non subsignatum, diuersum, quod Rex indignatus accipere noluit, ei misisset quod cum Heluetiis, & cum aliis Principibus occulta contra illum consilia agitasse diceretur; quod paulo ante, quum Veronæ expugnationem aperte impedire cuperet; Hispanos pedites qui Neapoli ad eius consilium mittebantur, se quod non satis ad eos itinere prohibendos potens esset, vt coniuncti transirent, causam præbere nolle excusans, per Pontificij imperij fines separatim iter facere passus esset; quod ei Decumas non quemadmodum Bononiæ promiserat, sed implicatis conditionibus concessisset; quod denique Ferrariensium Duci ciuitates non restituisset: quæ omnia de Regis voluntate suspicandi causam illi præbebant. Sed nonnulla quoque eius animi alienati indicia sibi animaduertere videbatur. Nam cum hic motus in Veronæ obsidione esset comparatus; quin ante multos dies ad Lautrechij qui pro Rege Mediolano præerat aures peruenisset, fieri non posse: qui cum conticuisset, consensisse censeri poterat. Huc accedebat, quod Federicus Bozolensis ad eum vsque diem Regis stipendia meruerat: nec quod Lautrechius sui excusandi gratia afferebat, nimirum eius militiæ tempus exactum esse, verum esset nec ne, ignorabatur. Dubitabat etiam Pontifex de Venetorum voluntate, quorum Legati, quod is senatus ob rerum præteritarum memoriam non satis æquo in se animo esset, neque eius magnitudine lætaretur; qui Pontificatus beneficio tantam esset potentiam authoritatemque adeptus; vt Florentinorum imperium ex arbitrio gubernaret, hac in re elaborasse dicebatur. & hæc quidem illum terrebant; nec tamen eum solabatur in spemque erigebat reliquorum Principum siue fiducia, siue coniunctio. Nam præterquam quod recenter cum Galliæ Rege vel pacem, vel fœdus inierant, nemini ipsius occulta agendi ratio grata erat: in quibus & si erga illos animo propensus fuisset, tamen quum in se declarando difficilis extitisset, & in promissis decretisque obeundis ac perficiendis lentus, singulis parum satisfecerat: imo cum sæpe omnes metueret, paulo ante Nicolaum natione Germanum, vitæ genere Monachum, Mediceo Cardinali ab epistolis ministrum, ad Catholicum Regem, vt eum à Galliæ Regis colloquio quo de agebatur, ne inter eos maius in fraudem suam fœdus iniretur veritus auerteret, miserat. In hac tamen animi ambiguitate, nec ipsi, nec Laurentius copias in Flaminiam partim ex nouis quos ipsi habebant, partim ex Florentinorum delectibus mittere desinebant, vt hostes progredi prohiberent. Inter hæc Franciscus Maria Vrbinum, Sanct. Leum, & Eugubium primo aggressu per deditionem recuperauit; deinde Fano oppugnando copias admouit: quibus rebus motus Pontifex, sua Pontificali authoritate vsus, omnium Principum, cum illorum Oratoribus qui Romæ erant, & cum ipsismet per litteras conquerens, vehementer opem implorauerat: quamquam non eadem cum omnibus ratione. Nam quum Cæsari & Hispaniæ Regi conspirationem ab Francisco Maria Ruuereo; & Hispanis peditibus in Galliæ Regis exercitu, atque adeo in eius ProRegis oculis factam significaret, huiusmodi verba litteris inserunt, ex quibus intelligi poterat, eum non obscure suspicari, hæc illius Regis consensu facta esse: sed cum Gallo Rege aliquam de Lautrechio suspicionem præ se tulit; neque eius quærelæ vltra processerunt: quæ res istos Principes variè affecit. Cæsar enim & eius nepos, cum Pontifici iniuriam ab Galliæ Rege, sibi quoque illatam existimarent, libenter audiuerunt. Nam Cæsar ob vetus odium; ac suas rationes iam ab Galliæ Rege alienatus, denuo cum Angliæ Rege fœdus pepigerat; & cum nepote prope Antuerpiam locutus, ne cum Galliæ Rege in colloquium veniret, eum erat hortatus: quod tamen cum vtriusque Regis consensu intermissum est: & in Catholico Rege fœdus cum illo ictum; æmulationem suspicionemque delere minime poterat. Quamobrem Pontifici operam suam prompte obtulerunt, omnibus imperij sui subiectis, vt à bello quod contra Pontificem gerebatur discederent mandarunt: & Catholicus, Potentiæ Comitem in regnum Neapolitanum, vt grauis armaturæ equitũ turmis instauratis quadringẽtos cataphractos ad eius auxiliũ duceret misit: & ad maiorẽ voluntatis suę declarationẽ, Franciscũ Mariam tamq; perduellẽ forensi Ducatu quẽ à patre emptũ, in Leborinis campis possidebat spoliauit. At Galliæ Regi aliã ob causam Pontificis vt Principis q animo esset à se alieno molestiæ gratæ erant: Ideo initio, vana illũ spe fouere statuẽs, magnã se ex eo molestiã sensisse respondebat: seq; vt Lautrechius illius reb. faueret effecturũ ꝓmittebat: & tamen Pontificẽ iis q̃ pateretur causam ꝓbuisse subiiciebat: neq; n. Hispanos nisi illorũ numerũ iis q illius cõsensu Neapoli Veronã venerant esset auctus, tantam rẽ aggredi ausuros fuisse. Hoc fuit primũ Regis consiliũ. Sed cum postea Pontificẽ à se desertũ, sine vllo fræno in Hisp. Regis amicitiã ꝑcipitem ruiturũ cogitasset, ei opẽ ferre, & simul aliquẽ ex eo fructũ percipere statuit. Quocirca quum Põtifex ab eo auxiliũ peteret, 300 cataphractos Mediolano mitti iussit, & simul nouũ cum eo fœdus inir. ꝓposuit; & tamen poll. citationib. multas querelas intermiscuit; modo n. se à Pontifice apud cęteros Principes suspicionib. grauari; modo q, vt sibi iniuriam & Sedunensi Card. rem gratã faceret, Georgium supra saxum qui reb. suis apud Heluetios studebat, sacris interdixisset, q̃rebatur. Præterea Regina Regis mater magnæ apud eũ authoritatis, Põtificem, q Principem proprio dominio deiecisse minime cõtentus, eum quoq; censuris subiecisset; & dote vel alimentis viduæ Duci, iuniorìq; principis vxori denegatis, sic vt illæ vnde vitã tuerentur nõ haberẽt, in causa esset, impi... tatis aperte accusabat: q̃ verba ad Pontificis aures perlata, ei suspicionẽ augebant. Sed in tot difficultatib. constitutus, quum eius auxilia nõ ad aliqd gerendũ, sed ob illorũ existimationẽ, ac nomen cuperet, trecentis cataphractis q Mediolano veniebant, à Pontifice qui suspicionẽ dissimulare non poterat, multos dies in Mutinensi ac Bononiensi agro, ac deinde ab Laurẽtio Arimini, q cum ea ciuitas ab hostib. esset remota, minorẽ eis nocendi facultatẽ habebãt, hærere sunt iussi. Nec vero hæc suspicio fœdere q fere hoc ipso tẽpore Romæ est ictum, imminuta est. quia Rex antequã fœdus sanciret, nouas interposuit difficultates, quarum causa res multos dies in dubio fuere. Tandem vero Põtifice in multis cedente, Rex id fœdus cõprobauit. Fædus id mutuã inter Põtificem & Regẽ cum certo militum numero defensionẽ, & duodecim in singulos menses aureorũ numum millium obligationẽ continebat: Inter Galliæ Regẽ ac Florentinos, quib. Laurentij Medicis cum Vrbinati Imperio autoritas coniuncta erat, eadẽ, sed cum minore militum numero, & sex in singulos mẽses aureorũ millibus, Rex Pontifici quũ sacræ sedis subiectos ac beneficiarios ꝑsequi vellet opẽ ferre teneretur: Regi Sacerdotiorũ nominatio & Decumæ secundum ea q̃ Bononiæ ei promissa erãt, ea lege, vt pecunia ad bellũ contra Turcas gerendũ deponeretur concessæ fuerunt. Põtifex separato scripto Regi se numq̃ ab illo auxiliũ contra Ferrariensium Ducem petiturũ promisit; imo vt Rex eius patrocinium susciperet permisit. Vario Marte interim, à Francisco Maria Vrbinate contra Pontificem certatum. Anconam, Perusiam, Iesium, & alia pleraque in Flaminia & Marchia vel tentauit, vel oppugnauit; donec suspicionum de proditione sua plenus arma deposuit, & Pontifici Vrbinum restituit. Rex Catholicus misso Vgone Moncada Prorege Siciliæ, minis etiam propositis, Franciscum Mariam ad concordiam impulit: quæ Auellini Episcopo à Bernardo Bi-

biena

biena Card. Legato misso, pro Pontifice stipulante, hunc in modum componebatur. Pontifex Hispanis peditibus aureorum numum quadraginta quinque millia, quæ, vt aiebant, in quadrimestre stipendium debebantur, Aquitanis & Germanis simul coniunctis sexaginta millia numeraret. Omnes, intra octo dies, Ecclesiæ, Florentinorum, & Vrbinati imperio excederent. Franciscus Maria iis omnibus quæ possidebat, eodem quo erant statu relictis, tuto Mantuam ire posset. tormenta, omnemque suam suppellectilem, & nominatim celebrem illam Bibliothecam, quæ magno sumptu & diligentia à Federico materno eius auo, omnium sui temporis belli ducum clarissimo, sed & inter multas alias egregias virtutes litterarum tutela, & fauore claro comparata fuerat, ei asportare liceret. Pontifex eum sacris censuris eximeret. Omnibus Vrbinati imperio subiectis, aliisque omnibus qui ei hoc in bello aduersi fuissent ignosceret. quarum rerum summa dum prolixius in tabulas refertur, Franciscus Maria quædam verba, quæ Hispanos eos esse, qui Pontifici Vrbinatem Ducatum promittebant innuerent, inseri volebat; quod cum illi vt honori ipsorum contrarium recusarent, contentio inter eos est orta. Quare Franciscus Maria ne se Pontifici venderent veritus, repente cum expeditorum equitum parte, atque Italis, Aquitanis ac Germanis peditibus, & quatuor tormentis Mantuam rediit. Hunc finem habuit Vrbinatis imperij bellum octo mẽses maximo victoris sumptu & molestia gestum. à Pontifice enim octo millia auri pondo expensa fuerunt: cuius auri maximam partem Florentina respub. ob magnam illius in ea ciuitate potentiam persoluit: & Duces penes quos rerum summa erat, ab omnibus summæ ignauiæ & perturbatæ admodum administrationis, & à nonnullis parum sinceræ mentis notabantur. In eius enim belli initio, quum Laurentij vires valde magnæ essent, hostium vero imbecilles, nulla vmquam neque apertæ virtutis, neque industriæ vel prouidentiæ occasione sunt vsi: quibus initiis ob existimationem amissam, militum disciplina collabente, belli progressu multarum rerum in exercitu penuria accessit; ac tandem fortuna ex illorum erratis voluptatem capiens, errores erroribus adeo cumulauit, vt belli res eo deuenerint, vt Pontifex vitæ suæ insidiis detectis, in Ecclesiæ dominatu molestiis exagitatus, & aliquando non parum Florentino imperio metuens, omnium auxilia precibus & nouis obligationibus implorare coactus; se tamen, nisi ex propria pecunia iis hostilis exercitus copiis quæ belli origo fuerant, vel ipsius stipendiis conscriptæ post multas rapinas arma in ipsum turpiter conuerterant, tot molestiis liberare nõ potuerit. Sane Gallus, quamq̃ ex fœdere pecuniam Pontifici & auxilia militũ deberet, illam quidem cunctanter, hęc vero nequaq̃ mittebat: & Catholicus Rex, nonnisi metu, ne Põtifex & Gallus coniuncti de se regno Neapolitano spoliando cogitarent, id quicquid fuerat concordiæ confecit.

II. Inter hæc, vt dicere cœperamus, insidias vitæ suæ ab Alfonso Petrucio Card. Senensi structas, Põt. detexit atq; vindicauit. Is Cardinalis, q Franciscũ Mariam Vrbinatem modis & cõsiliis omnib. iuuisset, à Pontifice paternis ẽt bonis spoliatus, & Senis pulsus, scelestũ facinus tollẽdi Põtificis insano animo cõcepit. Dũ in hoc tractãdo multũ tẽporis interponitur, Alfonsus, q̃ se quin palã de Põtif. obloqueretur cõtinere nõ poterat, quotidie odiosior factus, & ne q d cõtra Põntificis impium moliretur suspectus, tandẽ vt saluti suæ cõsuleret, Roma in Latiũ secedere pene coactus fuit: sed Antoniũ Ninũ suum scribã in vrbe reliquit: q̃ occasio detegendi facinoris fuit, quando inter eos assiduæ litteræ vltro citroq; mitterẽtur. Erat p eos dies fama edita in vulgus, Franciscũ Mariã Feltriũ, infesto exercitu ab Vmbria Senas deflexurũ, vt Lactantiũ Petruciũ Suanẽsem Epis. Alfonsi patruelẽ in patriã Raphaele Petrucio, quẽ Pontifex reb. imposuerat expulso reduceret, atq; inde p agrũ Florẽtinũ euageretur. Ea cõsiliis Alfonsi agi Põtifex existimans, omnẽ curam & diligentiã his reb. cognoscendis intẽderat. Itaq; Antonius scriba cũ Scriniis epistolarũ capitur, litteras ignorabilib. ac arbitrariis notis conscriptas tessera ꝓlata interpretari cogitur: Vercellium q tum erat Florẽtiæ specie curãdi Gallici morbi, quo Gorius Reip. negocij ꝑfectus laborabat, vberrimo ꝓposito q̃stu distinent; obseruant tamẽ hominẽ dissimulãter, ne fugã arriperet, si periculũ alicunde ꝑsensisset. Exinde Põtifex vitæ suæ insidiarũ paratarũ nõ incertus cũ inprimis negotiũ Sarentino, Anconitano & Farnesio Cardinalib. examinã-

Alphonsus Petrucius Cardinalis capitur.

dum cõmisisset, & hi ad sacrum senatũ omnia q̃ cognouerant retulissent, omnesq; ad atrocitatẽ meditati facinoris exhorruissent, Pontifex, quasi reb. Alfonsi consulere vellet, tum litteris ad eũ datis, tũ p idoneos homines, ac ꝑcipue p Catholici Regis Oratorẽ, spe illi cõponendarũ rerũ facta, Romã eum euocauit. Nec Alfonsus cupiditate patriæ ac exilij tædio adductus, accepta fide aduentũ distulit: admirantib. cunctis leuitatẽ incauti iuuenis, ac effuse ridentib. q inanissimi sceleris cõscius, imprudẽs Romã venisset. Itaq; is in exteriori Leonis cubiculo capitur, in arcẽq; deducitur. Cõprehenditur & cum eo Bandinell⁹ Saulius, Genuẽsis Card., q Alfonsũ pecunia iuuẽrat, & cũ eo de Vercellij opa, de futurisq; comitiis ambitiosius quã par esset, cõsociata voluntate fuerat collocut⁹. Statim etiã vt Baptista Vercelli⁹, q tũc Florẽtię artẽ suã exercebat, in vincula cõiiceretur, & illico Romã mitteretur, mãdatũ est. Hisp. Regis Orator vehẽtiss. verbis, attestationibusq; fidẽ sibi vt ei⁹ Regis Oratori datã, nõ secus ac si Regi ipsi dedisset seruandã asserens, vt Alfonsus liberaretur efficere conat⁹ est. Sed Pontifex nullis quantũuis amplissimis validisq; ac peculiarib. promissis plenis fidei litteris vmquã ei qui in Pont. vitam deliquisset, nisi eius delicti expressa mẽtio facta esset, cautũ esse intelligi posse; eandẽ quoq; exceptionẽ & in veneni causa req ri, à qua diuinæ & humanæ leges tantopre abhorreãt, vt peculiari & singulari expressione opus haberet, respõdebat. Duob. his Card. interrogãdis, Põtifex, Mariũ Peruscum Roman. fisci ꝓcuratorẽ ꝑfecit, quo ꝓ acerbe q̃stionẽ habẽte, tormẽtis totius cõsilij veritas exprimitur. Aliquot ẽt Card. iracundiæ, & decreti sui participes nominauit Alfons. quos variis de causis in Pontif. alieno animo esse atq; eius interitũ expectare intelligebat. Ad hos potissimũ q̃relas deferre erat solitus, vultuq; sæpe furoris pleno, ac inanib. verbis quasi ingratũ, atq; maleficũ execrabatur: iurabatq; flagrantib. oculis, se aliquãdo despecti & seruiẽtis Senatus liberatorem fore, vt pro iniquissimo Pont. alius mox ex eo seniorũ globo ad rerũ fastigiũ eueheretur, q suffragiorũ & totius Comitialis opæ gratiã liberali animi gratitudine esset relaturus. Erãt ij Raphael Riarius, Frãcis. Soderin. Hadrianus Cornetanus, & ipse Saulius, q iuuenẽ effrenate loquentẽ cum risu & ioco castigabãt; vtpote q eũ ingenio parũ constantẽ, ac venationi amatoriisq; leuitatib. deditũ, tantũ facinus numquã aggressurũ rebãtur: quamquã ipsi animis ambitione atq; odio corruptis, nihil magis expetere viderẽtur, quã vt ille insania ꝑceps id scelus vi apta, aut occultis insidiis perpetraret. Riarius n. vetustate honoris ac opib. facile Senatus Princeps, proximis comitiis iuniorũ cõcordia, seniorũq; socordia Põtificatum sibi ereptũ fuisse existimabat, seq; tũ amplissimis fortunæ muneribus fretũ, si Pont. ab humanis excederet, in summã imperij sedẽ facile euasurũ arbitrabatur. Insigni siquidẽ ędium magnificẽtia, epularũ sumptu, decore familię, & nobilis. deducẽtiũ comitatu, quũ veras virtutes cũctis adulãtib. minus necessarias putaret, in se vnũ inanis populi studia cõuerterat. Soderinũ recẽtes iniuriæ plurimũ incitabãt, q Petrus frater Medicorũ vi, summi magistratus honore deiectus, & patria pulsus extitisset. Erat ei ingeniũ graue, ꝑspicax, optimisq; litteris egregie excultũ; sed sordidis auaritiæ maculis & lubricæ fidei spectatis ꝓbris magnopere deturpatũ. Hadrianus v. nulla maleuolẽtia, sed vana regnãdi cupidine induct⁹ Leonis mortẽ expectabat. Certã n. spẽ adipiscẽdi Pontificatus cõceperat ex oraculo fatidicæ mulieris; q̃ quum pleraq; iampridẽ interroganti de sua & publica rerum fortuna exactiss. ꝓdixisset, cõstanter ẽt affirmabat fore, vt Leoni inmatura morte sublato succederet vir senex, nomine Hadrianus, obscuro natus loco, litterarũ studiis insignis, qui sacros honores gradatim sola nixus virtute, sine vlla maiorũ cõmendatione meruisset: q̃ omnia sibi vni apertè congruere videbantur. Nã Corneto infami Tuscorũ oræ oppido, familia tenui & ꝓpe sordida ortus, vno bonarũ litter. beneficio, singulas sacrorũ ordinũ dignitates fuerat cõsecutus. Neq; vetulæ oraculũ fidẽ fefellit. Nã Hadrian. senex Batau. egeni opificis filius, doctrina illustris, post Leonẽ ꝓdigiosa felicitate Põtificatum est adeptus. Saulio ẽt Mathematici cõplures, q̃stu in adulationẽ proni, supremũ fortunæ fastigiũ destinabãt. Sed is quamq̃ à Leone, ꝓpter suauitatẽ morũ, & elegãtis vitæ modestiã inter familiarissimos esset ascitus, sese tñ occulto à Põtificis amicitia certis offensionib. auerterat. Nã Leo initio Põtificatus sacerdotia, q̃ sui studiosis & suffragatorib. veluti de se bene meritis ex occas. collaturũ ꝓmisisset, plerũq; summis pre-

cibus

cibus expugnatus, aut consanguineis, aut nouis hominibus concedere cogebatur. ob id plerique Cardinales, ea quæ Pontifex liberaliter non dedisset, iniquè sibi erepta fuisse querebantur. In his intemperantior Saulius est inuentus, adeo vt in petitione Massilensis Sacerdotij, Iulium Medicem Cardinalem summa tum maximis in rebus authoritate potentem, indigne sibi prælatum, neque eam iniuriam animo vmquam depositurum apud incertæ fidei amicos prædicaret.

Igitur quæstione habita, Vercellij chirurgi, Scribæ Antonij, & Poco intestæ Bagnacaualli, qui sub Pandulfo Alfonsi patre, & Borghesio eius fratre, diu præsidij, quod Senis in foro habebatur præfectus fuerat indiciis, qui diu torti cuncta fuerant confessi, & publice in quatuor partes discerpti, Alfonsus in tormentis conuincitur: Saulius tortoris aspectum vix substinens confessus est. Eo modo tabulis totius quæstionis ordine conscriptis in proximo Purpuratorum Senatu Raphael Riarius Sancti Georgij Cardinalis Sacri ærarij præfectus, qui opibus vt dixi, aulæ magnificentia, atque inueterata dignitate proculdubio primum in eo collegio locum obtinebat, captus, & in arcem perductus fuit: qui id consilium sibi non communicatum fuisse, sed tamen Senensem Cardinalem, secum de Pontifice conquerentem, eique minantem sæpius huiusmodi verba protulisse, ex quibus illum si occasio daretur, vt in eius vitam aliquid tentaret in animo habere animaduertere potuerit, confessus est. Quæstus deinde altero confessu, in quo Cardinales violari non assueti, omnes animo dejecti & consternati erant, est Pontifex; quòd tam crudeliter & nefarie ab iis qui in tanta dignitate constituti, quique quod Sacrosanctæ sedis præcipua membra essent, præ cæteris omnibus se tueri deberent, vitæ suæ insidiæ struerentur, aduersam sibi fortunam vehementer accusans; quod que ipsi nihil profuisset, in omnes etiam eo vsque, vt à multis vituperaretur; beneficum & gratum extitisse, & continenter esse: alios quoque Cardinales huic delicto implicitos esse subiungens, quibus si antequam Senatus dimitteretur delictum sponte confiterentur, se ad clementiam & eis ignoscendum paratum esse: Senatu autem dimisso, iustitiæ seueritate in eos qui tanto sceleri essent affines vsurum. Ob hæc verba Hadrianus Cornetanus, & Franciscus Soderinus Volaterranus Cardinales, genibus ante Pontificem flexis, Senensem Cardinalem iisdem secum verbis quibus cum S. Georgij Cardinale vsum fuisse dixerunt. Quæstionibus habitis, & illorum responsis in senatu publicatis, Alfonsus & Bandinellus sententiam publico senatu lata, purpurei galeri dignitate, & sacris exuti, & rerum capitalium iudicibus traditi sunt. Alfonsus proxima nocte in carcere strangulatus fuit; Bandinelli vero supplicium Pontificis beneficio in sempiterna vincula commutatum est: quem etiam Pontifex non multo post, non modo è carcere liberauit, verum etiam, certa pecunia accepta, etsi iustiorem in eum indignationis causam haberet, quia semper beneficiis ab ipso affectus, & benigne admodum acceptus, non aliam ob causam, nisi ob magnam quam cum Alfonso habebat necessitudinem, & quod Mediceus Cardinalis in quorundam beneficiorum petitione ipsi antepositus fuisset, à Pontifice alienatus fuerat haberet, purpureum ei galerum restituit. nec tamen homines maligni, qui ei antequam è carcere egrederetur Pontificis iussu cius generis venenum, quod non statim hominem tollit, sed temporis progressu accipientis vitam paulatim absumit, propinatum esse iudicarent, defuerunt. Cum S. Georgij Cardinale quod leuius deliquisse videretur (etsi leges à Principibus ad status sui securitatem latæ & explicatæ, in maiestatis crimine non modo eos qui machinati fuerint, sed & qui aliquem contra maiestatem nutum feciſſe norint, & multo magis cum de Principis vita agitur, capitali pœnæ addictos esse velint) Pontifex illius ætatis, auctoritatis & maximæ necessitudinis, quadiu ante Pontificatum coniuncti fuerant, ratione habita mitius egit. Ideo & si vt seueritatis auctoritas conseruaretur, eodem iudicio purpureo galero exutus fuerit, statim fore maxima pecuniæ summa promissa, priuilegio excepto suffragij vel ferendi, vel accipiendi iure, quod tñ ei nec dum anno vertente fuit restitutum. Adriano & Volaterrano nulla fuit allata molestia; nisi quod clam certam pecuniæ summam Pontifici persoluerunt. Sed cum neuter se tuto, vel cum sua dignitate Romæ agere posse speraret, Volaterranus accepta à Pontifice venia, Fundos, vbi sub prosperi Columnę patrocinio ad Pontificis vsq; obitum vixit, se contulit; Adrianus vero clam Roma profectus, quicquid tamen eo factum sit, nullo vmquam amplius in loco quod sciatur, vel inuētus, vel visus fuit. Huius casus atrocitas, Pōtificem, cum totum fere collegium horum supplicio, aliasq; ob causas animo à se vehementer alienatum animaduerteret, de nouis Cardinalibus creandis cogitare coegit. qua in re tam immoderatus visus est; vt vnico die ad V. Cal. Iulij, in senatu Cardinalibus potius metu quam voluntate consentientibus, vnum & triginta Cardinales pronunciarit: qua in copia, multis suis consiliis obsequendi, & omnis generis homines in Senatum legendi facultatem habuit. duos enim fororum suarum filios, & nōnullos ex iis qui cum ipsi & in Pōtificatu, & ante operam dedissent, & Cardinali Mediceo atq; ipsi varias ob causas grati fuissent, nullam aliam ob causam tāto gradu digni erant, promouit: in multorum coōptatione magnis Principib. est gratificatus: complures quod pecuniis in bellum Turcicum egeret, pecunia cooptauit. Fuerūt & nonnulli eruditionis fama clari, & tres Dominici, Francisci, Augustini Ordinum generales: & quod rarissimum fuit, duos eadem promotione ex Triultia familia, alterum quia ipsius cubicularius fuerat, & vt Ioanni Iacobo satisfaceret, alterum ob eruditionis famam aliqua pecunia suffultam; quod vero maiorem admirationem peperit, fuit, Franciotti Vrsini, Pompeij Columnæ, & quinque aliorum Romanorum ex præcipuis familiis, qui hanc vel illam factionem sequebantur promotio, consilio defuncti Pontificis decreto prorsus contrario; quodque imprudens iudicatum est, atque eius propinquis exitu parum felix. Nam cum Iulius, quod semper Romanorum procerum potentia Pōtifices depresserit ac turbarit, veteribus illarum familiarum Cardinalibus defunctis, neminem vmquam ex illis in ea dignitate collocare voluisset, Leo tam immoderatè cōtrarium egit; nec tamen eorum meritis impulsus fuisse dici poterat. Franciottus enim ex militia ad Cardinalatum promotus fuit: & Pompeio qui quamuis Episcopus esset, ex Iulij Pont. morbo occasione sumpta, populum Romanum contra Sacerdotum imperium concitare conatus fuerat; à quo hac de causa Episcopatu spoliatus, eius facti memoria obesse debebat. *Guiciardinus lib. 13. Iouius lib. 4. Vit. Leonis X. Paris Grassis in notis diarii.*

Leo X. Cardinales multos creat.

Idem in carcere strangulatur.

Isti sunt Cardinales, quos Pontifex Leo renunciauit, ad V. Cal. Iulij.

1. Franciscus de Comitibus, Romanus, Archiepiscopus Consanus, presb. Card. tt. S. Vitalis.
2. Ioannes Picolomineus, ciuis & Archiescopus Senens. presb. Card. tt. S. Balbinæ.
3. Io. Dominicus Cupis, Romanus, Archiepiscopus Tranens. presb. Card. tt. S. Ioannis ante portam Latinam.
4. Nicolaus Pandolphinus, Florentinus, Episcopus Pistorien. tt. S. Cæarij in Palatio.
5. Raphael Petruccius, Senen. Episcopus Grossetanus, Arcis præfectus, presb. Card. tt. S. Susannæ.
6. Andreas de Valle, Romanus. Episc. Melfiten. Cancellarię Apostolicæ Regens, presb. Card. tt. S. Agnetis in Agone.
7. Bonifacius Ferrerius, Vercellen. Episcopus Eporedien. presb. Card. tt. SS. Nerei & Achillei.
8. Io. Baptista Pallauicinus, Genuen. Episcopus Cauallicen. presb. Card. tt. S. Apollinaris.
9. Scaramuccia Triultius, Mediolanen. Episcopus Comen. tt. S. Cyriaci in Thermis.
10. Pompeius Columna, Romanus, Episcopus Reatinus, presb. Card. Basilicæ SS. XII. Apostolorum.
11. Dominicus Iacobatius, Romanus, Episcopus Lucerinus, presb. Card. tt. S. Laurentij in Pane & Perna.
12. Ludouicus de Borbonio, Picardus, Episcopus Cænomanen. & Laudunen. præsb. Card. tt. S. Syluestri in Campo.
13. Laurentius Campegius, Bononien. Episcopus Feltren. præsb. Card. tt. S. Thomæ in Parione.
14. Hadrianus Florentinus, Traiecten. Batauus, Episcopus Dertusen. præsb. Card. tt. SS. Ioannis & Pauli.
15. Ferdinandus Ponzettus, Florentinus, Episcopus Melfiten. præsb. Card. tt. S. Pancratij.
16. Guillelmus Raymundus Vich, Valentinus, Hispanus, Episcopus Barchinonen. præsb. Card. tt. S. Marcelli.

17. Aloysius Rubeus, Florentinus, Protonot. Apostolicus præsbyt. Card. tt. S. Clementis.
18. Syluius Passerinus, Cartonensis; Datarius & Protonot. Apostolicus, præsbyt. Card. tt. S. Laurentii in Lucina.
19. Franciscus Armellinus, Perusinus, Protonot. Apostolicus præsbyt. Card. tt. S. Calisti.
20. Magister Fr. Thomas de Vio, Caietanus, Ordin. Præd. Generalis Magister, Theologus, præsbyt. Cardin. tt. S. Xysti.
21. Magister Fr. Egidius, Viterbiensis, Ord. Eremitarum S. Augustini Prior Generalis, Theologus, præsbyt. Card. tt. S. Matthæi.
22. Fr. Christophorus Numanus, Foroiuliensis Minister Generalis Ord. Min. de Obseruantia, præsbyt. Card. tt. S. Bartholomæi in Insula.
23. Franciottus Vrsinus, Romanus, Protonot. Apostolicus, Diac. Card. S. Georgii in Velabro.
24. Paulus Cæsius, Romanus, Protonot. Apostolicus, Diac. Card. S. Nicolai inter Imagines.
25. Alexander Cæsarinus, Romanus, Protonot. Apostolicus, Diac. Card. SS. Sergii & Bacchi.
26. Ioannes Saluiatus, Florentinus, Protonot. Apostolicus sororis Papæ filius, Diac. Card. SS. Cosmæ & Damiani.
27. Nicolaus Rodulphus, Florentinus, Protonot. Apostol. sororis Papæ filius, Diac. Card. SS. Viti & Modesti.
28. Hercules Rangonus, Mutinensis, Protonot. Apostolicus, Diac. Card. S. Agathæ.
29. Augustinus Triultius, Mediolanensis, Protonot. Apostolicus, Diac. Card. S. Hadriani.
30. Franciscus Pisanus, Venetus, Protonot. Apostol. Diac. Card. S. Theodori.
31. Alphonsus, Emanuelis Regis Lusitaniæ filius, Protonot. Apostol. Diac. Card. S. Luciæ in septisolio.

Hos Leo Pontifex; Cardinales renunciauit: alio Senatu sibi opus esse existimans, si principem nequaquam incautum; contemtioneque ridiculum; sed sibi maxime sapientem fortemq; agere vellet. *Onuphrius Panuinius in Chronol. Pontificum.*

III. Veneti fœdus cum Gallo renouant.

Inter hæc Veneti, fœdus quod cum Franco Rege ad mutuam defensionem habebant, in biennium renouarunt; cuius amicitia freti, cæterorum omnium amicitiam parui faciebant: ita vt nondum Legatos ad Pontificem adorandum misissent: qui quod Altobellum Polanum Episcopum Nuncium Venetias misisset; quasi ipsius Maiestate rem indignam egisset, in hominum incidit reprehensionem. *Guiciardinus super.* Sed tantus erat ardor belli in Turcas mouendi; & Concilii Lateranensis finiendi: quod tandem Diuina benignitate, ac Pontificis vigilantia conclusum est: vt ex consequentibus actionibus cognoscere facile est. Ita habent:

Concilii Lateranensis finis.

Acta Duodecimæ Sessionis.

Anno à Natiuitate Domini, Millesimo, Quingentesimo, Decimo septimo, Indictione Quinta. Die vero Vigesimaseptima mensis Februarii, Pontificatus Sanctissimi in Christo patris & Domini Nostri, Domini Leonis Diuina prouidentia Papæ Decimi Anno Quarto: præfatus Sanctissimus Dominus Noster de S. R. E. Cardinalium Consilio duodecimam Sessionem ex certis rationabilibus causis & legitimis prorogandam duxit, & prorogauit, prout in Cedula per Cursores in Basilicæ Principis Apostolorum de Vrbe & sancti Ioannis Lateranen. Ecclesiarum Valuis, ac Cancellariæ, & Audientiæ Apostolicæ portis affixa apparuit. Tenor vero Cedulæ & executionis earum sequitur & est talis.

LEO Episcopus Seruus Seruorum Dei duodecimam Sessionem Spiritu sancto fauente, legitime congregandam quam alias VI. *Non. Martii proxime futuri faciendam in* XI. *Sessione indixeramus de Venerabilium fratrum nostrorum S. R. E. Card. consilio, vnanimiq; consensu ex certis rationabilibus & legitimis causis ad* XVI. *diem dicti mensis Martii quæ erit* XVI. *Kalend. Aprilis, Pontificatus Nostri Anno Quarto, prorogauimus pariter & extendimus. Data Romæ apud sanctum Petrum Tertio Kalend. Martii, Pontificatus Nostri Anno Quarto.*

Fiat.

Tenor exequtionis sequitur & est talis.

Die XXVII. Februarii, Millesimi, Quingentesimi, Decimi septimi, præsentes litteræ fuerunt affixæ ad Valuas audientiæ, per me Michaelem de Billeno Cursorem.

Anno, mense, die, & Pontificatu supradictis præsentes litteræ affixæ & publicatæ fuerunt in valuis, seu portis Basilicæ Principis Apostolorum de Vrbe, & sancti Ioannis Lateranen. ac Cancellariæ Apostolicæ, nec non in acie Campi floræ per me Michaelem de Billeno Cursorem.

Anno à Natiuitate Domini Millesimo, Quingentesimo, Decimoseptimo, Indictione Quinta, Die vero Decimatertia mensis Martii, Pontificatus Sanctissimi in Christo patris & Domini Nostri, Domini Leonis Diuina prouidentia Papæ Decimi Anno Quarto. Fuit congregatio prælatorum in superiori Capella palatii Apostolici, in qua interfuerunt infrascripti Reuerendissimi Domini Cardinales; & Reuerendi patres Archiepiscopi & Episcopi, & quia fuerat differentia in quadam congregatione priuata, inter Reuerendum patrem Dominum Petrum Episcopum Saracusanum Catholici Hispaniarum Regis Oratorem, ex vna, & Reuerendum patrem Dominum Marinum Patriarcham Aquilegien. ex alia super antecedentia, hoc est, quis eorum in priori loco sedere deberet; ex ordinatione Reuerendissimorum Dominorum Cardinalium infrascriptorum, in hac congregatione prælati sederunt non ordine consucto, sed vnusquisque prout ingrediebatur capellam, ad libitum voluntatis Reuerendissimorum Dominorum Cardinalium, nomina sunt hæc.

Cardinales.

Reuerendissimi Domini

Antonius sanctæ Praxedis; Petrus sancti Eusebii Anconitan; Laurentius sanctorum quatuor Coronatorum.

Patriarchæ, Archiepiscopi, Episcopi & Oratores.

Reuerendi Patres Domini

Bernardus Episcopus Taruisin. Dominicus Lucerin. Bertrandus Adrien. Orator Ducis Ferrariæ; Petrus Episcopus Saracusanus Orator Catholici regis Hispaniarum; Stephanus Gabriel Archiepiscopus Baren. Io. Baptista Cauallicen. Amadeus Augusten. Io. Vincentius Archiepiscopus Senen. Andreas Militen. Vincentius Octocien. Altobellus Polen. Hieronymus Buden. Gabriel Archiepiscopus Dirachien. Franciscus Salamantin. Petrus Ceruien. Philippus Bruhatell. Io. Reualien. Maximus Iserhien. Georgius Archiepiscopus Nazarehus, Christophorus Cesenaten: Io. Baptista Vincien: Io. Dominicus Terdonen: Galesius Bellunen. Io. Dominicus Archiepiscopus Traiocen. Simon Ariminensis; Bernardus Soranus, Iacobus Ciuitatis Ducalis, Paulus Forosemproniens. Octauianus Viterbien. Petrus Lauelmus, Gisbertus Rapollan. Simon Andren. Zacharias Sebasten. Augustinus Nebien. Franciscus Dignien. Laurentius Dulcinen. Ludouicus Sornen. Valentinus Pennen. Augustinus Crassen. Archangelus Auellinen. Baltazar Ciuitatis Castellæ, Angelus Lanzanen. Simon Modrusien. Marchus Archiepiscopus Mononasien. Camillus Tiburtin. Guerrinus Nucerin. Theseus Maceraten. Bartholomæus Montis viridis, Triphon Catharen. Vincentius Arben. Paulus Minosien. Paris Pisaurien. Scaramuza Comen. Petrus Castelli maris, Petrus Acernen. Lambertus Tudertin. Io. Baptista Casertan. Georgius Castren. Io. Archiepisc. Corinthien. Scribonius Imolen. Vincentius Signinus, Philippus Philadelphen. Iulianus Saluciarum, Hieremias Archiepiscopus Trainen. Ioan. Archiepiscopus Theban. Marcus Senogallien. Hyppolitus Alben. Necnon sancti Dominici, sancti Augustini ordinum Generales.

De mandato Reuerendissimi Domini Antonii tituli sanctæ Praxedis, Præsbyteri Cardinalis de Monte nuncupati, & aliorum Cardinalium ibidem præsentium supra nominatorum; Dominus Andreas Piperarius Secretarius Concilii, legit tres Cedulas, vnam videlicet super confirmatione & extensione Paulinæ de rebus Ecclesiæ non alienandis, aliam vero super punitione inuadentium domos Cardinalium, ac aliam super impositione decimarum, ac absolutione sacri Lateranen. Concilii.

Quibus perlectis petiit an placerent in dictis Cedulis paternitatibus suis, & super Cedula Paulina fuerunt diuersæ opiniones, & variæ altercationes propter quas visum fuit prefatis Reuerendiss. Dominis Cardinalibus quod dicta Cedula omitteretur, & quod Paulina remaneret in eodem statu in quo tunc existebat.

Super Cedula impositionis Decimarum & absolutionis Concilii fuerunt opiniones infrascriptæ videlicet.

Salamantinensi non placuit, quod clauderetur Concilium, immo fuit opinionis quod de nouo vocentur Prælati, ex quo non est pax generalis & possint secure venire, Quo ad approbationem gestorum dixit, quod approbat ea, quæ approbauerat, & quoad decimas quod apponatur clausula in Cedula, quod exigantur postquam fuerit indictum bellum contra Turcos.

Adriensi placuit excepto, quod cupiebat, quod vbi dicit in Cedula esse relatum à Cardinalibus & prælatis nulla remanere indiscussa & inexaminata placeret, quod adderentur ista verba ex deductis seu propositis.

Budensi non placuit, quod approbentur omnia hactenus gesta per Concilium.

Imolensi non placuit, quod soluatur Concilium cum impositione Decimarum.

Et sic post varias & diuersas discussiones fuit absoluta prædicta congregatio.

SESSIO DVODECIMA.

Anno à Natiuitate Domini Millesimo, Quingentesimo, Decimoseptimo, Indictione Quinta, Die vero decimasexta mensis Martii, Pontificatus Sanctissimi in Christo patris & Domini Nostri Domini Leonis, Diuina prouidentia Papæ Decimi Anno Quarto. Fuit celebrata duodecima & vltima Sessio sacrosancti Concilii generalis in Ecclesia Lateranensi in loco solito, in qua fuit præsens præfatus Sanctissimus Dominus Noster, Et fuerunt præsentes in infrascripti Reuerendissimi Domini Cardinales, Patriarchæ, Archiepiscopi, & Episcopi, Necnon Principum Oratores, & Illustres Domini & Barones, & alii quamplurimi Doctores & Nobiles videlicet.

Episcopi Cardinales.

Reuerendissimi Domini

Raphael Ostiensis, Bernar. Sabinensis, Dominicus Portuensis, Franciscus Albanensis.

Presbyteri Cardinales.

Reuerendissimi Domini

Nicolaus tituli sanctæ Luciæ de Flisco, Hadrianus tituli sancti Grisogoni, Leonardus tituli sancti Petri ad Vincula Agennen. Antonius sanctæ Praxedis, Petrus tituli sancti Eusebii Anconitan. Achilles tituli sancti Sixti, Bandinellus tituli sanctæ Mariæ in trans Tyberim de Saulis, Laurentius tituli sanctorum quatuor Coronatorum.

Diaconi Cardinales.

Reuerendissimi Domini

Alexander sancti Eustachii Farnesius, Ludouicus sanctæ Mariæ in Cosmedim, de Aragonia. Marcus sanctæ Mariæ in via lata de Corneliis, Iulius sanctæ Mariæ de Nauicula, Bernardus sanctæ Mariæ in Portien. Inno. sanctorum Cosmæ, & Damiani.

Patriarchæ & Assistentes Papæ & Oratores.

Reuerendi Patres Domini

Alphonsus Antiochen. Cæsar Alexandrinus, Marinus Aquilegien. Io. Vincentius Senen. Latinus Regien. Gabriel Dirachien. Bernardus Teruisin. Franciscus Salamantin. Dominicus Lucerinus, Vincentius Neapolitan. Io. Baptista Caullicen. Andreas Militen. Amadæus Augusten. Gubernator, Petrus Episcopus Cæsaraugustan. Orator Regis Hispaniarum, Ioan. Reualien. Orator Marchionis Brandeburgen. Beltrandus Adrien. Orator Ferrariæ.

Archiepiscopi.

Reuerendi Patres Domini

Aldronandinus Nicosiensis, Hieronymus Antibarensis, Hieremias Crainensis, Clemens Collocensis, Georgius Nazarensis, Stephanus Gabriel Barensis, Andreas Spalatensis, Alexander Viennensis, Marcus Mononasiensis, Io. Thebanus.

Episcopi.

Reuerendi Patres Domini

Altobellus Polensis, Hieronymus Budensis, Simon Ariminensis, Iacobus Potentinensis, Iacobus Ciuitatis Ducalis, Georgius Castrensis, Iulianus Saluciarum, Vincentius Signinus, Theseus Maceratensis, Marcus Senogalliensis, Hugolinus Licinensis, Scabonius Imolensis, Laurentius Dulcinensis, Ianotius Troianensis, Paulus Forosempronien sis, Octauianus Viterbiensis, Bartholomæus mōtis viridis, Christophorus Pollimanensis, Galesius Bellunensis, Maximus Isernien sis, Philippus Brunatensis, Hieronymus Asculanensis, Petrus Ceruiensis, Franciscus Dignien sis, Augustinus Nebien sis, Petrus Paulus Exinensis, Ioannes Castertanensis, Basilius Tudertinensis, Iacobus Sutrinensis, Balthasar ciuitatis Castellæ, Angelus Lazanensis, Gratianus Alandrinensis, Simon Andrensis, Io. Baptista Auximanensis, Io. Baptista Salmonensis, Hieronymus Aretinensis, Ludouicus Sarnensis, Petrus Laualensis, Zacharias Sebastensis, Paulus Nimolien sis, Blasius Thelesinensis, Tripho Catarensis, Vincentius Octocien sis, Bonifacius Iporien sis, Augustinus Grassensis, Benedictus Chienensis, Iacobus Marsicanensis, Christophorus Cesenatensis, Ioan. Baptista Vincien sis, Ioan. Baptista Marianensis, Petrus castel. maris & per Spolet. Marius Aquinatensis, Tranquillus Ferentinensis, Augustin. Perusinensis, Bernardus Soranensis, Valentinus Pennensis, Matthæus sancti Leonis, Ioan. Algarensis, Hyppolitus Albensis, Archangelus Auel. Petrus Acernensis, Petrus Io. Montis marini. Gisbertus Rapollamensis, Thomas Saonensis.

Abbates, & Generales Ordinum.

Generales Ordinum Vallis Vmbrosæ Carmelitarum, ac Minorum, & sancti Dominici, Abbas sancti Sebastiani, Abbas sancti Gregorii.

Oratores & Senator Vrbis.

Illustr. Dominus Albertus de Carpi Maximiliani Romanorum Imperatoris electi Orator, Magnifici Domini Io. Baptista Senator Vrbis, Hieronymus Vich Orator Catholici Regis Hispaniarum, Michael Siluius Orator Regis Portugalliæ, Marcus Minius Orator Dominii Venetorum, Reuerendus pater Alexander Archidiaconus Mantuanus Orator Marchionis Mantuan. Magnificus Virgilius de Poëtis Orator Bononien sis.

Illust. Domini temporales.

Honoratius Dux Traiecti. Illustr. Dominus Franciottus de Vrsinis.

Celebrata missa per Reuerendiss. Dominum Bernardinum Episcopum Sabinens. Cardinalem sanctæ Crucis, & facta oratione per Reuerend. patrem Dominum Maximum Episcopum Isernien. cuius tenor ex more consueto ponetur in fine Sessionis præsentis. Et cantato Euāgelio secundum Matthæum per Reuerendiss. Dominum Bernardum sanctæ Mariæ in porticu, Diaconum Cardinalem, quod incipit, Ascendens Iesus in nauiculam &c. Cantatisque Orationibus & Lætaniis consuetis Sanctissimus Dominus Noster incepit hymnum, Veni Creator Spiritus. Quo finito Dominus Andreas Secretarius Concilii ascendit ambonem & legit quasdam litteras Sereniss imi Maximiliani Electi Imperatoris, quarum tenor talis est.

Beatissime Pater Domine Reuerendissime, Nuntius Beatitudinis V. apud nos reddidit nobis Breue Sanctitatis V. in quo nobis significat Illustrem Victoriam Turcarum Tyranni aduersus Sultanum Aegypti Dominum. Nosque toto animo hortatur, rogat, obtestatur, vt sanctam expeditionem aduersus tam impium Christiani nominis Hostem sumere velimus & vna cum Beatitudine V. illius furorem comprimere, & Christianæ Reipublicæ pariter consulere, idque etiam ex relatione præfati Nuntii sui intelleximus, & quo fidei amore, quo pietate optet, Animam suam pro Ouibus sibi commissis ponere. Quæ quidem res gratissima nobis, sed & molestissima fuit. Quippe non potuimus non afflictim dolere Christiano nomini inimicissimi Tyranni tantam, & tam nobilem victoriam: cui, vbi ille quem optat finem imposuerit, ac suam sibi potentiam firmauerit, in quos potius aut libentius debacchabitur quam in miseros Christianos? miseros eos appellamus, qui quum opibus florentissimi sint, viribus, & animi magnitudine egregii: quorum virtuti non Asia solum cederet, sed & si alter Terrarum Orbis reperiretur. Quasi tamen nullibi locorum diuitiæ extent, nisi inter ipsos Christianos, nullibi Ciuitates sese inuicem absumunt. Perfidos autem Christi hostes hac, & illac victores impune vagari permittunt. Quin & (si Deo placet) de semet triumphum referre sinunt. Cæterum quum animo nostro repetimus quod nullus Deus fortis est præter Deum nostrum, nullus porro alius, qui conuincat gentes in fortitudine brachii sui, in eam sententiam deuenimus, vt pro certo habeamus Turcarum victoriam Christianis salutarem fore. Voluit enim Diuina Maiestas per hanc cæcas Christianorum aliquorum mentes illuminare, & dormientes excitare, ac iamdum pulsare, tempus iam esse ex somno surgere. Quæ nobis cogitantibus omnis mœror ille à nobis recedit, & in letitiam potius vertitur. Speramus enim iam prope futurum, cum externæ & infidæ Gentes agnoscent Christum Dominum Deum suum, neque Turcarum tanta victoria nobis formidolosa esse debet. Scimus enim quotiens Omnipotens Deus Hostibus suis Vires dederit vt suorum scelera, ac peccata vlciscerentur. nouimus etiam quotiens voluerit fidos numinis sui Cultores parua manu ingentes Hostium copias fundere. Sperauerunt in eo Patres Nostri, sperauerunt & liberauit eos. quod si tam cæcæ aliquorum mentes erunt, quæ tam certis futuri exitii nuntiis nondum respiscant, non tamen nobis desperandum erit tali Pontifice, Qualem multa secula non tulerunt. Scimus egregias virtutes: inclytas animi dotes Beatitudinis V. & nunc cernimus quo feruore, qua pietate prò commisso sibi Grege insudet, quæ quanquam nobis gratissima sunt. Vnum tamen nobis summæ admirationi fuit, admirationi ne an potius mœrori. Quod Sanctitas V. optat vt Deus aures nostras aperiat ad audiendam aliquando veritatis vocem, quasi vero veritati aures hactenus occluserimus. atqui ita de nobis respondemus. Nos non tam profundo somno sopitos in hanc vsque horam obdormiuisse, vt hæc demum Turcarum victoria nos excitaret, sed diu ante præuidimus ea: quæ nunc ante oculos habemus, Sanctissimaque memoriæ Prædecessores sanctitatis V. Qui ætate nostra vixerunt montibus rogauimusque & per viscera Misericordiæ Dei obtestati sumus vt Christianæ Reipublicæ consulerent. Quorum aliqui nobiscum consenserunt. Sed tamen semper reperti sunt, Qui tam gloriosæ, & tam Deo acceptæ expeditioni inuiderent, & omni nixu nobis aduersarentur. Quod si illi iidem Sanctitatis V. Prædecessores viuerent, qui ætate nostra fuere, redderent veritatis Testimonium, & nobiscum vna Christianæ Reipublicæ, tam lugubrem hostium victoriam ingemiscerent; & sponte sua faterentur, Expeditionem istam non hac tempestate magis quam semper necessariam fuisse. Verum Deo Optim. Maxim. gratias agimus quod maiestas sua nos potissimum excitare voluit Beatitudine V. eius vicem gerente, & Gregem Ouium suarum egregiè tutante. Quæ si cœptum iter peregerit, duce virtute sua, nullum discrimen, nulla calamitas Christianæ Reipublicæ subeunda, aut pertimescenda est. Nosque quoad vita superexit nunquam deseremus, tam gloriosam prouinciam, tam necessariam, tam ipsi Deo acceptam: sed opes: vires, Sanguinem nostrum etiam ad certum exitium prò Christi fide conferemus. Non laboret in nobis itaque Sanctitas V. qui à teneris annis, cum adhuc. Quid esset bella gerere per ætatem nescieremus, cum tamen audiremus esse Turcas, qui Christi religionem negligerent, odissent, persequerentur, eos potissimum cum primum licuisset radicitus euertere optabamus. Nō laboret in nobis qui vbi adoleuimus & militarem artem didicimus, non eam scire voluimus ad Christianorum Ciuitates occupandas, sed potius ad eas vindicandas, è manibus Tyrannorum, non ad fines adimendos, sed tuendos, non ad eorum dedecus, sed ad laudem: non ad perniciem denique, sed ad custodiam: huiusque rei testes erunt cuncta bella: quæ gessimus semper inuiti, semper lacessiti, semper coacti. Et nunc cum videremus Beatitudinem V. tot persuasionibus nos ad Pacem & concordiam cohortari & ita vellè pro bono Christianitatis flecti. Nos permisimus, & conditiones quascunque suscepimus, ne mora vlla in nobis esset, ne per nos defuisse videretur quin labanti fidei Christianæ opitularemur: neve vnquam vox iusti coram Deo super nos clamaret, Neque vero nos cohortetur Sanctitas V. Qui postquam Imperii sceptrum suscepimus ipsi nunquam destitimus cum quocunque Pontifice agere vt sanctam hanc expeditionem susciperet. Scimus enim eam & necessariam, & vtilem, & gloriosam fore. Excitet modo se Beatitudo V. & Christi vexillum erigat, & cum Reuerendissimis illis Patribus iter felicissime aduersus hostes arripiat: Nos comitabimur eam & opes ac Vires nostras omnes conferemus, neque ætas nostra, quæ iam celeri gradu ad senectutem festinat nos tantillum morabitur, quinimmo illa prò Christi nomine optatissima obtigerit, reuiuiscere nos ad æternam gloriam speramus. Sed quid de nobis dicimus, nemo tam impudens erit, aut tam Christiano nomini inimicus: Qui si viderit Dei Vicarium cum Reuerendissimis Cardinalibus Bellum in Turcas mouentem, ac met in expeditionem euntem, non omn. renunciata merce etiam ad certam mortem conuolet. Imbecillis nimirum sexus, & infirma ætas Beatitudinem V. sequetur. Quare nos itidem rogamus, Sanctitatem V. implorāmus, obtestamur, vt prouideat ne quid detrimenti Christiana Respublica capiat, confirmet opinionem, quam omnes de ea concepērunt, succurrat nutanti Reipublicæ Christianæ, liberet è faucibus sæuissimorum Luporum Oues sibi commissas, neque expectet quòd Christiani Principes congregentur, quippe longum illud esset, & fortasse periculosum. Sed Sanctitas V. Gladio Domini super fœmur potentissimum cincto iter auspicatissimum ingrediatur, Quæ quanto magis ab aliis Principibus derelicta erit, tanto erit glorioſior, tantoque magis immensa Christianorum multitudo confluet Deo victimas gratas offerri optantium. Nos vero qui aut vbi Sanctitatem V. deseremus? qui vltro cupimus hanc fragilem, & corruptibilem coronam, quam gerimus cum illa præciosissimā, & æterna martyrii Corona permutare. Neque vero subuereatur Beatitudo Vestra Turcarum potentiam: non tot Apparatibus: non tanta Bellatorum Copia indigemus. Ipse namque Deus est prò quo certaturi sumus ipse docebit manus nostras ad Prælium, & ponet vt Arcus æreum Bracchia nostra, ipse dabit nobis protectionem salutis suæ & dextera eius suscipiet nos, quod si hæc tam sancta deliberatio in Auras euanescet prout alia hactenus fecerunt neque aliqua expeditio fiet, Tunc Summum illum rerum opificem obtestamur per nos non defuisse quin vita, & sanguine nostro Christianæ Reipublicæ consuleremus, videbuntque gentes, & ipse, cui nihil ignotum est. Deus nos nulla alia prò re magis vnquam elaborasse, per quem vero deerit is sciat se rationem ante tribunal Dei redditurum. Cætera intelliget Sanctitas V. ab Oratore nostro, cui latius scribimus. Dat. in oppido nostro Mechliniæ. Die Vltima Mensis Februarii, Anno Domini M. D. XVII. Regnorum nostrorum Romani Tricesimo secundo, Hungariæ vero Vicesimo Septimo.

MAXIMILIANVS Diuina fauente clementia, Romanorum Imperator semper Augustus, ac Germaniæ, Hungariæ, Dalmatiæ, Croatiæ &c. Rex. Archidux Austriæ, Dux Burgundiæ, Brabantiæ &c. Comes Palatinus &c.

Maximilianus.

Ad Mandatum Cæsareæ Maiestatis proprium.

Ia. de Bannissis.

A tergo.

Sanctissimo in Christo Patri & Domino, Domino Leoni Decimo, Diuina prouidentia sacrosanctæ Romanæ: ac vniuersalis Ecclesiæ Sumo Pontifici, Domino Nostro Reuerendissimo.

Quo finito Reuerendus pater Dominus Andreas Episcopus Militens. ascendit ambonem & legit quandam Cedulam contra inuadentes domos Cardinalium, Qua perlecta petiit an placerent paternitatibus suis contenta in Cedula, & Reuerendissimo Domino Francisco Episcopo Albanensi non placuit narratiua in quantum narrabantur casus particulares, Reuerendissimo Domino Antonio Cardinali sanctæ Praxedis placuit quoad extensiones Canonum Bonifacii & aliorum Romanorum Pontificum disponentes contra contemnentes Reuerendissimos Dominos Cardinales & in eo-

rum res & bona manus violentas imponentes, alia vero non placuerunt, & in eodem voto fuerunt Petrus Tituli sancti Eusebii & Hadrianus tituli Sancti Grysogoni, & Leonardus sancti Petri ad Vincula.

Reuerendo patri Domino Amadæo Episcopo Augusten. placuit dummodo extendatur ad prælatos existen. in Ecclesiis eorum, quia patiuntur multas insidias, & in eadem opinione fuerunt Barensis, Spalatensis, Viennensis, ac Monouesiensis, Archiepiscopi: necnon Ariminensis, & Potentinensis, & Polensis, Episcopi: & propter vota Reuerendissimorum Dominorum Cardinalium supradictorum, Cedula fuit aptata in hunc qui sequitur modum.

LEO Episcopus Seruus Seruorum Dei ad perpetuam rei memoriam sacro approbante Concilio. Temerariorum quorundam qui S. R. E. Card. præcipuas Catholicæ Ecclesiæ columnas, ea qua conuenit reuerentia, obseruare contemnunt, & in eorum res, & bona, manus violentas ausu sacrilego iniicere non verentur, effrenata libido nos admonet, & inducit, vt ad eorum audaciam, antequam longius prorepat, comprimendam, ea quæ à prædecessoribus nostris in dictorum Card. dignitatis conseruationem prouida sunt consideratione statuta, pro illorum obseruantia firmiori nostra innouationis munimine roboremus, extendamus & ampliemus prout temporum qualitas exigit, & tam eminenti in ecclesia Dei dignitati conspicimus in Domino salubriter expedire. Sane ab aliquibus citra tempor. bus damnabilis quidam in Vrbe inoleuit abusus, & licentia delinquendi quo dum Apostolica sede vacan. per Cardinales conclaui existentes de futuri Roman. Pontificis Electione tractatur, si qua de vno ex eisdem Cardinalibus q̃ in Pontificẽ sit electus, vox prodeat, etiã non vera illius domum vulgus armis aggreditur, & super eadiripienda cum ipsius Card. conclaue nondum egressi familiaribus eam custodientibus vi contendit, & si etiam effractis foribus, aut pariete essosso aditus pateat in prædam omnium bonorum quæ ibi extant, hostiliter corruit, nisi armatorum præsidio defendatur, nonnullique quandoque reperiuntur ita temerarii & audaces, vt aliis etiam temporibus prætextu rixarum domos Cardinalium hostiliter & cum armis aggredi non verentur, in eaque morantes offendere & vulnerare, ex quibus Cardinalatus honori quibus sacrosancta militans Ecclesia tanquam purpureo tota decoratur amictu, non parum detrahitur, & eorum generatur contemptus & homicidiorum & aliorũ scandalorum occasio exhibetur. Nos igitur huiusmodi temerarios conatus debita volentes animaduersione reprimere, sacro approbante Concilio Fel. rec. Honorii III. & Bonifacii VIII. Rom. Pontificum prædecessorum nostrorum contra aliquem dictæ Ecclesiæ Card. hostiliter insequentes, & illis præsentia, consilio, aut fauore assistentes, eosve scienter receptantes, aut defendentes, & eorum domos & ædes, vt supra inuadentes & eorum posteros, bona, editas Constitutiones auctoritate Apostolica, tenore præsentium innouamus. Decernentes eas vbique debere perpetuis futuris temporibus inuiolabiliter obseruari, & nihilominus constitutiones easdem, cum omnibus & singulis in eis contentis censuris & pœnis ad omnes & singulas personas, cuiuscumque status, conditionis & excellentiæ existentes, qui alicuius dictorum Card. donum, tam tempore dicti conclauis, etiamsi in Rom. tunc Pontificem sit electus, quam alias quandocunque, & ex quacunque causa armata manu inuadentes & in ea violenter, hostiliter aliquid diripientes, aut quemque ex inibi existentibus vulnerantes & eorum socios, & qui id fieri mandauerint, vel factum eius nomine ratum habuerint, ac ipsis inuasoribus consilium in præmissis vel fauorem præstiterint, & defenderint, extendimus & ampliamus. Non obstan. Constitutionibus & ordinationibus Apostolicis cæterisque contrariis quibuscumq̃.

Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ innouationis, decreti, extensionis, & ampliationis infringere, vel ei ausu temerario contraire: si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri & Pauli Apostolorum eius se nouerit incursurum. Data Romæ in publica Sessione, in Lateranen. sacrosancta Basilica solemniter celebrata. Anno Incarnationis Dominicæ, Millesimo, Quingentesimo, Sexto decimo, Decimoseptimo Kalend. Aprilis, Pontificatus Nostri Anno Quarto.

Deinde Reuerendus pater Dominus Marinus Patriarcha Aquilegien. ascendit ambonem & legit Cedulam impositionis Decimarum & absolutionis Concilii. Cuius tenor talis est.

LEO Episcopus Seruus Seruorum Dei, ad perpetuam rei memoriam, Sacro approbante Concilio. Constituti iuxta verbum Prophe-

temeritis, licet imparibus super gentes & regna officii nostri debitum decenter exequimur. Cum vniuersi status Ecclesiastici, ac vniuersalis Ecclesiæ, eorumq̃ negotiorum reformationem, per nos vtiliter factum innouamus, & pro illius inuiolabili obseruatione opportuna remedia adhibere, & Ecclesiis Cathedralibus, ac etiam Metropolitan. ne diutius suis pastoribus careant, prouidere cogitamus, ac ad illa curis assiduis vigilamus, & operibus intendimus indefessis, per quæ Dominicum gregem curæ nostræ commissum in conspectu Diuinæ Maiestatis, acceptum & obsequentem reddere valeamus. Turcas vero & infideles alios, tam in Orient alibus, quam in Meridionalibus partibus consistẽs. qui veri luminis, veræq; salutis iter pertinacissima mentium caligine contemnentes, viuificæ Cruci in qua Saluator noster mortem vltro suscipere voluit, vt mortem nostram moriendo destrueret, ac vitam sacratiss. mæ vitæ suæ inessabili mysterio repararet insidiantes & hostes Deo odibiles, ac Christianæ religionis persecutores accerrimos sese reddunt reprimere, ac infestissimis, crebrisque eorum insultibus, quibus in Christianum sanguinem crudeliter debacchantur non solum spiritualibus, verum etiam temporalibus muniti præsidiis possumus auctore & fautore Domino contraire. Sane cum Fe. Re. Iulius Papa I I. prædecessor noster Sacrũ generale Lateran. Concilium de Venerabilium fratrum suorum S. R. E. Card. de quorum numero tunc eramus, consilio & assensu laudabiliter, legitime & ex rationabilibus causis, Spiritu sancto cooperante conuocasset, & in eo quinq̃ Sessiones tenuisset, ac Sextam Sessionem indixisset. Nos quibus etiam in minoribus constituti insitum cordi desiderium semper fuerat, generale Concilium vtpote agri Dominici culturam præcipuam celebrari videndi dicto Iulio prædecessore humanis rebus exempto Diuina fauente clementia ad Summi Apostolatus apicem assumpti, honesto, vtiliq; desiderio nostro debitum ex iniuncto nobis curæ Pastoralis officio accessisse conspicientes, rem hanc ardentiori voto, & tota animi alacritate suscepimus, ac in dicta sessione, illius prorogationem ex tunc expressis, & aliis causis nostrum & dictorum fratrum animum mouentibus de eorundem fratrum Consilio & assensu, ad certum tunc expressum tempus, per nos factæ approbante eodem sacro Lateranen. Concilio approbauimus, & Concilium ipsum vsq; ad perfectionem causarum propter quas indictum extiterat, & præsertim inter Principes & potentatus Christianos, bellis atrocibus pacatis, hostilibusque armis depositis, vniuersalis & firma pax componi valeret, pro qua tanquam pro saluberrimo bono, intactum nihil relinquendo, conatus omnes nostros adhibere intendebamus prosequi, & fine debito terminare velle, nostrique incommutabilis animi & intentionis fore & esse declarauimus, vt his quæ ad Dei laudẽ Ecclesiæq; præfatæ exaltationem, & Christi fidelium concordiam pertinent absolutis, sicã & per necessaria expeditio contra Catholicæ fidei hostes fieri, feliciterq; de illis altissimo fauente triumphari posset, & vt ad tam perutile Concilium accedere debentes, ab accessu huiusmodi nullatenus retrahantur, nullamque omnino causam prætendere possent, omnibus & singulis ad celebrationem Concilii per Iulium prædecessorem conuocatis & ad dictum Concilium Lateranense venientibus, ipsorumque venientium seruitoribus ad Concilium Lateranense ad Vrbem huiusmodi veniendi, & in ea libere commorandi saluum conductum dicto sacro Lateranensi approbante Concilio dedimus, & concessimus, ac Reges & Principes hortati fuimus, vt pro sedis Apostolicæ reuerentia venientes huiusmodi non molestarent, sed eos libere venire permitterent, ac septimam Sessionem indiximus, in qua cum nihil magis affectaremus, quam vt causæ vtiles & necessariæ propter quas dictum Concilium Lateranense indictum fuerat, vt desiderii nostri erat, ad finem debitum perducerentur, tres Cardin. aliorumque prælatorum qui causas huiusmodi & alias Conciliares materias audirent, & discuterent, auditaque & discussa in eodem Concilio referrent, particulares deputationes fecimus, atque mandauimus, quarum quidem deputationum vna pacis vniuersalis componendæ inter Reges ac Principes Christianos, quæ vna ex principalioribus congregationis Concilii præfati causa fuerat, & schismatis extirpationis. Altera generalis reformationis etiam Curiæ, reliqua vero discussionis & abrogationis pragmaticæ Sanctionis & rerum Orthodoxam fidem concernentium, peculiarem curam haberent, & cum vnaquæque deputatio, quam plura vtilia & necessaria diligenter examinauerint, & accurate nobis retulerint, ac per eos discussa & examinata in aliis quinque Sessionibus successiue per nos tentis, Sacro approbante Concilio per nos fauente Domino absoluta & terminata fuerint, proculdubio cognoscimus, Deum ipsum bonorum Datorem piis nostris, & non nisi ad commune bonum tendentibus desideriis, pro sua immensa pietate & misericordia plurimum fauisse, ac nobis vt quæ mente nostra

gessi-

gessimus, & circa quæ plurimum laborauimus, videlicet vt Concilium ipsum causis propter quas indictum fuerat iuxta votum terminatis feliciter claudi & absolui posset concessisse. Charissimus namque in Christo filius noster Maximilianus in Imperatorem electus Iulii prædecessoris præfati, nostro vero tempore Cla. Me. Ludouicus Francorum & Ceteri Reges & Principes Christiani summo cum omnium gaudio Lateranens. Concilio in Spiritu sancto legitime congregato adhæserunt, ac Pisanum Conciliabulum per quosdam nullam potestatem habentes indictum, & per eundem Iulium prædecessorem damnatum iuxta ipsius Iulii prædecessoris sententiam pro damnato habuerunt, & schisma ex his pullulare cœptum (quod semper dum viguit quam plurimas calamitates prælatis & aliis Christi fidelibus ex diuersis schismatum temporibus & aliis generalibus Concilii hactenus celebratis attulisse constat) extinctum ac vniuersalis Ecclesiæ pax & vnio secuta extitit, nec non tam Ecclesiasticarum quam Secularium & aliarum personarum mores quantum expedire visum fuit, reformati & nonnullæ causæ Orthodoxam fidem concernentes terminatæ, ac nonnullæ aliæ materiæ in dictis tribus deputationibus Cardinalium & prælatorũ diligenter examinatæ & discussæ in dicto Concilio solerti cura expeditæ & terminatæ fuerunt, nobisque per Cardinales & Prælatos deputationum huiusmodi pluries relatum fuit nulla negotia eis discutienda, examinandaque remansisse, & à pluribus mensibus citra nulla prorsus de nouo à quoquam ad eos prolata fuisse, Episcoposque in partem sollicitudinis ad curam gregis Dominici nobiscum perferendam vocatos, ac alios prælatos in dicta Vrbe præter Sacrorum Conciliorum consuetudinem cum eorum & ecclesiarum suarum incommodo ac damno diutius permansisse, itaque ex præmissis omnibus quæ per nos & dictas deputationes in ipso Concilio expediri desiderabuntur, sola Regum & Principum pax & animorum concordia restare videbatur, pro qua, qualis mens nostra semper fuerit, quantumve omni studio nostro circa illam componendam laborauerimus cunctis litteras à nobis emanatas legentibus apertissime constare potest; nouitq; Deus ipse qui Summa est omnium rerum lux & veritas quot precibus quamue assiduis orationibus ab eo petere & implorare nunquam destiterimus, vt Christianum gregem cuius custodiam nobis, licet immeritis, commisit, mutuo charitatis feruore accensum ad firmam ac perpetuam pacem ineundam pro sua clementia inducere dignaretur, & nihilominus tam nunciis nostris quos apud Maximilianum Imperatorem Electum ac eosdem Reges & Principes habemus, quam litteris eos multis efficacissimis rationibus, præsertim si religioni Christianæ & Catholicæ fidei in graue periculum ac discrimen propter Tyranni Turcarum potentiam nuper dilatatam & auctam deductæ, vt par est, consulere, & prouidere vellent, in Domino Cuius causa præcipue agitur, hortati fuimus, ac ex eorundem Nunciorum, Regumque, & Principum ipsorum litteris percepimus exhortationes nostras tantæ apud eosdem Reges & Principes auctoritatis & efficaciæ fuisse, illorumque corda, & animos adeo flexisse & commouisse, vt fere inter omnes pax tamdiu à nobis pro reipublicæ Christianæ vniuersali bono desiderata, animo concussa fuerit & siquid superest propediem componendum (ipso Deo fauente) speretur: quod mente animoque nostro subinde nobis reuoluentibus exultat cor nostrum in Domino Nostro Iesu Christo, ipsique super hoc gratias agimus, omnium gratiarum Largitori quod ipsos ad optatam nobis concordiam induxerit, ac per omnes Christi fideles ea signa lætitiæ quæ in similibus fieri consueuerunt, & gratias Deo agendas; ipsumque Deum, vt pax concussa perduret, rogandum esse censemus. Solum itaque superest vt sancta ac perneccessaria, contra infidelium rabiem Christianum sanguinem sitientium, expeditio capiatur, nec non omnia & singula quæ in XI. Sessionibus partim per nos, partim per Iulium prædecessorem huiusmodi, hactenus tentis, gesta & facta, potiori pro cautela, approbentur, & innouentur, ac inuiolabiliter obseruari mandentur. Habita igitur super his cum fratribus nostris & aliis prælatis matura deliberatione sacro approbante Concilio omnia & singula in dictis XI. Sessionibus gesta, & facta, ac litteras desuper editas, cum omnibus in eis contentis clausulis, exceptis quibusdam quæ certis personis pro vniuersalis Ecclesiæ pace & vnione duximus concedenda, nec non executorum in illis deputatione apostolica auctoritate approbamus, & innouamus, illaque perpetuis futuris temporibus inuiolabiliter obseruari debere decernimus, atque mandamus, & illorum executores ad illa & in eis contenta obseruari faciendum, in Rom. Curia Gubernatorem almæ Vrbis nostræ, & Vicarium nostrum pro tempore existentes, ac Cameræ Apostolicæ Generalem Auditorem, qui personas sibi respectiue subiectas ad id cogere & compellere valeant, extra vero eam omnes & singulos locorum ordinarios deputamus. Inhibentes sub excommunicationis latæ sententiæ pœna omnibus & singulis Christi fidelibus, ne in

præsenti Concilio gesta & facta sine nostra & dictæ Sedis licentia speciali, glosare, aut interpretari præsumant, ac fidei vrgente nos Zelo dictam contra infideles expeditionem per nos, & dictum Iulium prædecessorem dictis causis Conciliaribus expeditis toties in dictis Sessionibus propositam, & promissam, & cum Oratoribus Regum & Principum apud nos existen. pluries communicatam, & discussam Pie Me. Nicolaum Papam V. etiam prædecessorem nostrum qui post Constantinopolitanens. Vrbis calamitosum excidium ad vindicandas Christi iniurias & infidelium furorẽ reprimendum generalem contra eos expeditionem indixit, & quem solerti studio Re. Me. Calixtus III. ac Pius II. Roman. Pont. etiam prædecessores nostri imitati fuerunt, imitantes ad triennium proxime futurum cum facultate per nos, vna cum eisdem fratribus nostris decimas fructuum ex Ecclesiis & Monasteriis, ac aliis beneficiis in vniuerso orbe consistentibus imponendũ & exigendum, ac omnia & singula alia quæ ad huiusmodi expeditionem necessaria sunt & quæ in similibus expeditionibus fieri consueuerunt faciendi, sacro approbante Concilio, sumendam, faciendam, & prosequendam decernimus, & vt felicem sortiatur effectum pias, humiles, ac deuotas ad omnipotentem Deum preces iugiter fundimus; idemque omnibus vtriusque sexus Christifidelibus faciendum mandamus, eosdem Maximilianum in Imperatorem Electum, ac Reges, Principes, & Potentatus Christianos quorum virtutem Deus excitare nos iubet hortantes, ac per viscera misericordiæ Dei nostri Iesu Christi obsecrantes, perque tremendum eius Iudicium obtestantes, vt ipsi memores se de ipsa Ecclesia Christi sanguine redempta & per eos etiam propriæ vitæ non parcendo, tuenda & conseruanda ratione reddituros esse omnibus inuicem posthabitis odiis, mutuisque dissentionibus, ac simultatibus obliuioni perpetuæ demandatis, ad defensionem Christianæ fidei sicut proprio & necessario eorum incumbit officio, fortiter & potenter exurgant: & in tantæ necessitatis articulo, prout eorum fuerint facultates, prompta auxilia præbere studeant, eosdem nihilominus paterno affectu monentes, ac requirentes, vt pro Summi Dei & Apostolicæ sedis reuerentia, pacem per eos initam, saltem dicta expeditione durante, inuiolabiliter obseruare procurent, ne tantum bonum quod dextera Domini assistente secuturum speramus, & optamus, aliqua interueniente discordia, & dissentione, valeat impediri, & ne prælati ac alii ad præsens Concilium, quod fere quinquennium durauit, laboribus, & expensis vlterius fatigentur; & vt eorum Ecclesias visitare & consolari possint, ac aliis certis rationabilibus, & iustis causis præsens Concilium absoluimus, & cum benedictione Domini dimittimus, omnibusque & singulis in eo existent. ad propria remeandi Sacro eodem approbante Concilio licentiam concedimus, & vt ad propria aliquibus spiritualibus muneribus refecti cumulatiori gaudio remeare possint, illis eorumque familiaribus plenariam omnium peccatorum suorum remissionem, & indulgentiam semel in vita, & in mortis articulo elargimur.

Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ approbationis, innouationis, constitutionis, mandati, deputationis, inhibitionis, decreti, monitionis, requisitionis, absolutionis, dimissionis, concessionis, & elargitionis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attemptare præsumpserit indignationem omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri & Pauli Apostolorum eius se nouerit incursurum. Dat. Romæ in publica Sessione, in Lateran. sacrosancta Basilica solemniter celebrata. Anno Incarnationis Dominicæ, Millesimo, Quingentesimo, Sexto decimo, Decimoseptimo Kal. Aprilis, Pontificatus Nostri Anno Quarto.

Qua perlecta petiit an placerent paternitatibus suis contenta in Cedula & omnibus placuerunt exceptis infrascriptis qui dederunt vota prout infra.

Adrien si placent omnia excepto quod in confirmatione gestorum per Concilium placeret sibi quod ad illa verba omnia negotia addantur illa verba ex propositis ita quod sensus sit, quod omnia negotia ex propositis fuerũt expedita.

Crainensi non placuit clausura Concilii.

Dirachien si quo ad decimas placet quando erit incœpta expeditio contra Turcas.

Salamantinensi placet quo ad decimas quando erit incepta expeditio, sed quo ad dissolutionem Concilii non placuit.

Teruisinensi placet quod confirmentur ea quæ sibi placuerunt in aliis & quo ad decimas quando erit incœpta expeditio.

Grassensi, Chienensi, Monti viridi, Monti Marano, placent quo ad decimas quando erit incœpta expeditio.

Imolensi non placuit de Decimis simpliciter.

Ceruiensi, Liciensi, Ferentinensi, Perusinensi, Soranc. Maceratensi & Nibiensi placent quo ad Decimas prout Dirachien. & aliis quando erit incœpta expeditio.

Algarensi placet quo ad Decimas quod obseruetur consuetudo antiqua quando fuit facta expeditio.

Generali prædicatorum placet dissolutio Concilii in reliquis dixit se paratum obedire.

Et sic collectis votis per scrutatores & facta relatione Sanctissimo D. N. Venerabilis Vir Dominus Marius de Peruschis Procurator Sacri Concilii petiit instrumentum & instrumenta omnium gestorum.

Demum Reuerendissimus in Christo Pater & Dominus, Dominus Alexander sancti Eustachii, S. R. E. Diaconus Cardinalis alta & intelligibili voce cantauit. Domini ite in pace, & Cantores Capellæ Domini Nostri in eodem tono responderunt, Deo gratias, Et consequenter inceperunt Canticum. Te Deum laudamus. Quo finito Sanctissimus Dominus Noster equitauit, Comitantibus Reuerendissimis Dominis Cardinalibus, Patriarchis, Archiepiscopis, & Episcopis, Et quam pluribus aliis Illustr. Dominis & rediit ad Palatium Apostolicum.

IV. Vrgebat Pontificem, ad imponendum Lateranensi Concilio finem, necessitas Reipublicæ Christianæ. Namque Selymus, ab vna & altera victoriis de Sultano Aegyptio partis, omnia Christianis magis infesta velle facere videbatur. Vnde Pannonii, Dalmatæ, Rhodii, & alii Turcis viciniores, sibi vehementer, vt par erat, metuentes, Leonem interpellabant, vt Concilio finem imponeret, atque ad omnium Christianorum Regum pacem conciliandam, illosque ad sacrum bellum suscipiendum quantocius suscipiendum excitandos animum adhiberet. & quidem Pontifex nihil aliud dies noctesq; cogitabat, nihilq; omni sua cura, diligentia, contentione, precibus denique omnibus moliebatur ac nitebatur, quam vt hoc ab illis consequeretur, vt posset communes vires in communes hostes conuertere: quod tum ex superiori edicto, tum ex literis ad Reges datis euidens est. Ita scribebat:

Francisco Gallorum Regi.

Bis iam ad te literas dedimus de ea victoria, quam quidem maximam atque clarissimam Rex Turcarum contra Sultanum Aegypti Regem vnam atq; alteram prosperrimis euentis est consecutus, hortatique sumus te, vt in suscipiendo in eiusmodi hostem bello, quod in postrema Lateranensis Concilii rogatione Senatus decreuit, authoritatem consiliaq; tua nobiscum coniungeres: atq; vt res ad aliquas aliquando tractationes deduceretur, aut Legatos ampla cum potestate ad nos mitteres, aut idonea mandata iis, quæ opus essent conficiendis, ad eos quos hic habes transmitteres. Id etsi te pro tua pietate atq; prudentia, animiq; magnitudine curaturum plane confido: quoniam tamen non vnis ex locis, neq; leuissimis authoribus idem nobis significantibus certiores facti sumus, Turcarum Regem non Sultani modo regno ditioneq; omni potitum, Aegypti & Syriæ maximarum opulentissimarumq; prouinciarum Regem atq; Dominum esse factum: sed classem etiam centum eoq; amplius triremium, cæterarumq; longarum nauium, aptorumq; ad bella nauigiorum prope innumerabilium omni apparatu, tormentisque inprimis bellicis egregie instructam suis è portubus eduxisse: his te etiam literis id, quod antea feci, hortor, ac per Dei matris testata nobis sæpius viscera oro obsecroq;, vt vel missis Romam aliis Legatis tuis, vel eis quos hic habes, facultate addita des operam, vna cum reliquis Christianis Regibus atq; Principibus constituere, quæ sunt constituenda, celeriter atq; in tempore possimus. Non enim dubito, neq; quisquã recte sentiens existimare aliter potest, quin ille, cum primum rebus suis erit vtile, commodeq; poterit, eam suam tantam tamq; opportunam classem in nostrum sit excidium vastitatemq; conuersurus. Itaq; ne à Domino suprema die quasi serui nequam talentis ab eo traditis male vsos fuisse deprehendamur: aut etiam ne iam nunc quidem tanquam indignos, quibus gregem suum regendum fouendumq; permiserit, idem nos ignauiæ atq; inertiæ redarguat, & condamnet Dominus: antequam lupus fame rabidus, sanguinemq; ouium rore baptismatis respersarum sitiens, qui iam è sylua siccis faucibus est egressus, eas prædatum & depopulatum veniat, paremus ipsi quæ paranda sunt, vt postea in tempore vna omnes, pro virili sua quilibet, in communem vtilitatem vires opesq; nostras explicemus. Quod si facere cæteri Christiani Reges debent, vt profecto debent: inita præsertim Dei Opt. Max. beneficio, teq; inprimis adnitente, inter ipsos concordia, sedatisq; controuersiis & disceptationibus omnibus: quid à te cũ maximus maximeq; Christianus sis, omnes homines nõ solum sperent, sed iure prope suo etiam expetant, te nõ latere existimo. Quare per Deum atq; Cœlites excita te, accelera, accingere, atq; ad bellum iam para, nostrisq; gentibus, quæ in te vnum oculos maxime omnium coniecerunt, profer, ostendeq; te: vt non plus fortunam, quã virtutem admirentur tuam: neq; minus quod optimus sis, quam quod maximus veris laudibus in cœlum ferant. Sed de communi bello hactenus. Cæterum quoniam allatum ad nos est, quadraginta hostium biremes inter Corsicæ atq; Sardiniæ littora nuper visas, mare illud omne insulasque ipsas metu atq; formidine impleuisse: peto abs te, vt quicquid habes Genuæ atq; Massiliæ longarum nauium: habere autem te aliquas certo scio: eas imperes mihi præsto esse: vt cum mea, cumq; Caroli Regis classe ad nostras communiter oras tuendas, coniungi possint. Id quo celerius confeceris, eo de hac omnino Repub. in quam quidem optimi clarissimique Reges maiores tui plurima atq; maxima beneficia contulerunt, meritus amplius atq; vberius fueris. Verum hæc atq; alia de Ludouico Episcopo Bellouacorum Legato meo latius intelliges. Vale igitur mi Rex, gloriæq; tuæ veræ atq; solidæ, hoc est hominibus iuuandis, mentem omnem tuam da, neq; vnam horam sine iis cogitationibus transi. Dat. VII. Id. Maias. M.D.XVII. anno V. Romæ. P. Bemb. lib. 15. epist. 17.

V. Eodem fere argumento, paucis immutatis scribebat cæteris Regibus Christianis, cupidus sacræ in Turcas expeditionis: in quam etiam, omnibus iis qui aliquid de suis facultatibus contulissent, per vniuersam Christianam ditionem, plenariam omniũ peccatorũ remissionem, quam Indulgentiam Cruciatæ, vel Iubilæũ vocamus, hoc ipso tempore concessit: eiusq; publicandæ, & pecuniæ conquirendæ curã in Germania Alberto Magdeburgensi Archiep. demãdauit. Ea res more maiorũ, ad communem fidei Christianæ hostem euertendũ, sancto & necessario fine instituta, grauissimas operãte Sathana turbas in Germania inprimis, & paulo post in vniuersa fere Europa excitauit: Martino infausti nominis Luthero, Augustiniani Ordinis Eremita, Indulgentiarum valorem & efficaciam primũ ridente: deinde alia quoq; reliqua Catholicæ fidei dogmata conuellente. Siquidẽ cum Magdeburgensis Archiepisc. ad eam remissionem promulgandam Ioannẽ Tesselium Dominicanũ Concionatorem assumpsisset, Martinus Lutherus Saxo tunc Eremita Augustinianus in eo munere postpositũ se despectumq; prætendens, vt erat animi impotens, sui ipsius admirator, sermone audax & facundus, stylum contra ipsas indulgentias primum vertit, & XCV. propositiones cõtra easdẽ vulgauit. Inde fauore Frederici Saxoniæ Principis opulenti & potentis, in cuius gratiã se per speciem pietatis insinuarat, vlterius progressus, plura alia fidei Catholicæ dogmata damnauit, non alio signo aut argumento, quã scripturæ deprauatæ iactatione, insolentiaq; intolerabili, qua se modo prophetam, modo Euangelistam asserebat, & supra mortales vniuersos, ipsosq; Cœlestes sanctos & Angelos execranda temeritate efferebat. Tanto igitur Prophetæ, *data est clauis* non regni Cœlorum, *at putei abyssi, & ascendit fumus putei,* Apoc. 9. *sicut fumus fornacis magnæ, & obscuratus est sol, & aër de fumo putei: & de fumo putei exierunt locustæ in terram, & data est eis potestas, sicut habent potestatem scorpiones terræ.* Hic, inquam, lætissima paulatim hæreseon & blasphemiarum claustra reserans, inuectus est in Apostolicam Patrum doctrinam, in Ecclesiam, in ipsum Deum, asserens Dei præcepta vires humanas excedere, non æqua hominibus data esse, Deum æque ad malum ac ad bonum hominem impellere: nullum tota Euangelii lege præceptum extare: nullum crimen capitale esse, præter incredulitatem: Sacramenta Christi nullam gratiam hominibus conferre: In homine liberũ arbitrium non esse: hominẽ seipsum damnare si vel maxime cupiat, nisi credere nolit, non posse: fidẽ quolibet mortali peccato amitti: iustũ quouis opere bono peccare, adeoq; opera omnia, etiam sanctissima peccata esse. Sed & Sacrosancti corporis Domini sanctissimum Sacrificiũ execratus est & explosit: Sanctorũ in cœlis cum Christo regnantiũ cultum & intercessionem derisit. Qua errorem caligine ex impietatis eius puteo emergente, Fides Christi, quæ velut vnicus mundi Sol, in hominum animis splendebat, adeo in Sectariorum ipsius animis obscurata est, vt nunc quid potissimum credant, quemve potius sequantur non videant: tot nempe exitialibus locustarũ prædicantiũ artibus, ex fumo putei præceptoris sui prodeuntibus demẽtati. Quodq; caput est, potestate & malignitate Scorpiaca armati, nobilissima ac florentissima Regna, turbulentissimis seditionibus vel fædauerint, vel

etiam perdiderint, Germaniam, Belgas omnes, Galliam, Angliam, Scotiam Daniam, Bohemiam, Poloniam, Vngariam, Austriam, Hiberniam, Noruegiam, & Suetiam: miscere Orientem atque Occidentem, omniaque euertere nati.

VI. Et quandoquidem historica vberior narratio, mater est prudentiæ, & celeris de rebus prouidendis diuinationis, operæ pretium existimaui in hoc ipso de ortu & progressu hæresum huius seculi velut limine, rem paulo fusius attingere, vt velut in speculo omnes, & præsertim Irenarche contemplentur, quæ sit natura & causa hæresum: qui hæreticorum mores: quæ ex his blasphemiæ, sacrilegia, calumniæ, impiæ persecutiones, crudelitates & immanitates, quas variis modis in Catholicos exercent, & innumera alia id genus mala & detrimenta Reipublicæ Christianæ enascantur: & quod omnium periculosissimum est, quam breui tempore in quanta incrementa excrescant hæresum Zizaniæ, si suborientes non statim supprimantur, atque radicitus euellantur. Horum omnium exempla in hac de Luthero & sectariis narratione exponere propositum: quibus ad veterum historias collatis, non difficile erit cognoscere, primũ quã numquam non sibi similes hæretici sint: id est quam omnes, qui vmquam fuerunt, & qui futuri sunt, impiis & in Deum & Sanctos eius blasphemi sint: Dei & hominum contemptores, sacrilegi, crudeles, mendaces, fraudulẽti, fœdi fragi, pacis & tranquillitatis publicæ perturbatores, rerum deniq; publicarum corruptores & euersores. Deinde quæ in confutandis extirpandisq; hæresibus consilia olim vel felicem, vel minus prosperum successum habuerint, ea similibus, emergentibus hæresum & schismatum causis & negociis similem quasi semper euentum sortiri. Vnde ad extirpandas alicubi subortas hæreses, reconciliandamq; in religione discordantium pacem, Magistratus tam Ecclesiastici quam seculares, ea sibi consilia poterunt decerpere, quibus extinctæ alicubi hæreses, non quibus auctæ atq; corroboratæ alibi fuerunt. Ac proinde neq; liberum permittent vnicuiq; quod libeat credere: quo consilio olim quidem Iouianus Imperator, etiamsi Catholicus Princeps, & Valens hæreticus, vsi sunt. Ille quidem, vt hoc modo blandimentis & suasione verborum, discordantium cõtentiones abscinderet: hic vero vt pace vtcumq; inter dissidentes facta, Arrianorũ ipse hæresim confirmaret. Sic nec hæreticis, scholas, aut Ecclesias dabunt, nec sacra docere aut peragere, nec conuenticula congregare aut facere permittent: quod post Gratianum & Valentinianum, quos id lege sanxisse tradunt historiæ, conatus est Carolus V. præstare. Sed nec colloquia inter Catholicos & hæreticos instituent, quod Principes quosdam Catholicos Augustini temporibus fecisse, ipse in Breuiculo suo, & sæpe alias in epistolis testatur. Hæc inquam veterum consilia huius temporis Magistratus siue Ecclesiastici, siue seculares, in extirpandis hæresibus, & componenda inter dissidentes pace, minime amplectentur. Nam & si pia & Catholica veterum Principum fuerit intentio, nempe vt his consiliis perturbatum hæresibus & schismatibus Ecclesiæ statum, ad concordiam & tranquillitatem reducerent: tamen quia huiusmodi consiliorum infelicem fuisse euentum, acta horum temporum ostendunt, minime imitanda erunt, sed omnibus modis, quæ tam male successerunt, repudianda. Contra vero deligenda intelligent, quæ feliciorem successum & euentum habuerunt: cuiusmodi sunt; Vt Catholici Magistratus suborientibus hæresibus in tempore occurrant, vt Ecclesiarum Prælati à Romano Pontifice, de admonendis conuertendisque hæreticis, & qui ab his ipsis decepti fuerint: tum interponendis fundendisque pro ipsis ad Deum precibus: tum damnandis, feriendisque anathemate his, qui pertinaciter in errore perseuerauerint, admoneantur. Vt Ecclesiarum Episcopi & Prælati, quæ ad hunc modum à Romano Pontifice mandata fuerint, quæque iuxta SS. Patrum regulas ad eorum officium pertinent, in conuertendis hæreticis, damnandisq; & anathematizandis hæresibus, earum authoribus, fautoribus, & defensoribus, fideliter exequantur. Vt Imperator, cæteriq; Catholici Principes, à Romano Pontifice, cæterisq; Episcopis & Prælatis admoneantur, vt ipsi quoq; Sanctam Dei Ecclesiam aduersus hæreticorum insultum defendant & quæ aduersus ipsos & eorum errores, Ecclesiastico iudicio decreta fuerint, exequutioni mandent, ac iniuriam Deo & Ecclesiæ eius per eos illatam, ipso etiam gladio vindice persequantur. Denique vt Imperator, & Catholici Principes, ad hunc modum à Prælatis Ecclesiasticis admoniti, tum latis à se quoque legibus, tum publicis edictis propositis, hæc omnia reipsa exequantur. hæc inquam, & similia consilia, quibus ad vindicandas extirpandasque hæreses, Principes Ecclesiæ & Magistratus seculares vsi sunt, & quæ ipsa felicem habuerunt euentum: in nouis emergentibus causis Irenarchæ amplecti debebunt: quorum hic ingentem aceruum annis consequentibus subministrabo: si prius tamen incunabula hæresis Lutheranæ reuelabo, atque summam totius tragediæ sub oculos dabo: idq; verbis, vel contemporaneorum qui viderunt & manibus contrectarunt: vel ipsius Lutheri qui de se scripsit, eiusque intimorum qui propius inspexerunt, & ad posteritatis memoriam transmiserunt.

Natus est Martinus Lutherus Islebii oppido Saxoniæ, in ditione Comitum Mansfeldensium anno Christi 1483. pridie Diui Martini, paulo ante medium noctis. Parentes eius fuerunt Ioannes Lutherus, & Margaretha Lindemana coniuges. De Margaretha aiunt aliqui, illam fricandis in publicis balneis hominibus operam locare consueuisse, camque ab incubo dæmone mangonis habitu à marito hospitio suscepto compressam, ex illo Martinum concepisse: istudque aliquando Luthero ab Erasmo Rotherodamo per allusionem exprobatum fuisse: quod siue verum, siue falsum sit (certe multorum asseuerantiũ testimonia non desunt) Margaretha Lutheri mater iustiores ob causas somniare ac certo credere potuit, ardentem sese facem peperisse, quam Hecuba olim Paridis mater: qui tam benigne ac hospitaliter à Menelao susceptus, tam malam gratiam eidem persoluit, patriamque suam exitio dedit. At Lutherus tamquam sulphure & pice fumans ardensque titio, non patriam tantum, sed magnam vniuersæ Christianæ Reipublicæ partem incendit, & in cinerem ac fauillas pene redegit. Hic ille est, qui Gordium nodum, quo hactenus vniuersæ Ecclesiæ pax & vnitas constricta fuerat, vno ictu dissecuit & dissoluit. Et quemadmodum Troiæ excidium illi præcipue imputatur, qui Durateum illum & doli plenum equum fabricauit: ita ab hoc vno homine omnem seculi huius malorum Iliadem promanasse, vere dicere possumus. Nato infanti & ex sacro fonte suscepto, nomen impositum Martini, vt puer hic, magni illius Martini Turonensis Episcopi vitam, mores, fidem, virtutes & Sanctitatem ad imitandum sibi proponeret: quamquam id factum non est. Cognomen paternum aliquanto post immutauit. Lotter, vocabatur pater: quemadmodum ipse Martinus in prima ad Eckium epistola fatetur. Alii Lautherum appellant. Verum quia primum illud tam ad *Latronis* vocabulum apud Latinos, quam *Lotri* apud omnes quotquot sunt Illyrici sermonis, qui *Lotros* nebulones & furciferos vocant, prope accedit, adeoque etiam in Germanica lingua mali est ominis, vt quod scurram, atque adeo impurum & nihili hominem significat: alterum vero numerum Antichristi in Apocalypsi designatum includit: Martinus & turpitudinem & malum huius & illius omen auersatus, *Luther* dici voluit, quod eadẽ Germanica lingua *Purum* sonat. Simili stoliditate olim Manichæum sui Sectarii, vt Augustinus memorat, id est insanientem, immutato & iam nonnihil infausto nomine dicebant Mannachæum, quasi manna fundentem: quasi impia & impura Pseudoprophetæ illius doctrina, velut manna è cœlo esset defusa. Sed cognomen Lutherus mutare potuit: colorem tamen & suum quasi fatum mutare non potuit. Non enim modo Latinum ipsius nomen, sed idem etiam Hebraicis, vt etiam Sectæ, & gentis è qua illa prodiit, Græcis litteris concepta nomina, truculentæ illius bestiæ sub finem mundi Dei filio sese oppositura numerũ repræsentãt, vt curiosi harũ rerum supputarunt *Genebrardus & Florimundus*. Nec vero illud ratione caret, quod nonnulli Mahumetem & Lutherum in eundem ordinem retulerunt, non minus hunc quam illum Antichristi præcursorem esse existimantes. Vtraque enim infamem illum numerum, à cœlestium rerum Secretario in Apocalypsi expressum, portat. Moscouitas vero aiunt Lutheranis & Picardis exprobare solitos, Luther sua ipsorum lingua significare latronem, hominemque ferum & crudelem; quæ quasi propria est Antichristi nota.

VII. *Lutheri Vita.*

Lutheri natiuitas.

VIII. *Lutherus Magdeburgum proficiscitur.*

Et quidẽ parentũ Lutheri prima cura fuit, vt illum à teneris annis in pietate & studiis educarent. Cũq; ad eam ætatem

peruenisset, vt cæteri puerorum posset adiungi, eum scholis Isiebii manciparunt: ad quas nō deductus, sed vt signate narrat Melanchton, per Æmilium quendam deportatus est: forte quod primum illud Scholastici tyrocinii iugū non libens subiret. Erat autem acri quidem & felici, sed vehementi tamen, pertinaci, atq; impetuoso ingenio. Cuius rei indicia minime obscura in puero, vel à primis annis apparuerūt, vbi fræno disciplinæ coërceri cæpit. Parentes enim cum hanc ingenii ferociam & ceruicositatem non fouendam, sed in pueritia frangendam potius censerent, magnam adhibuerunt curam & paulo arctius filium habuerunt: qui freni seuerioris impatiens, hanc ob causam semel ab eis aufugit. Nec domi tantum, sed & in scholis ingenii peruicaciam, & duritiē ceruicis nonnunquam prodidit. Vnde factum est, vt die quadam horis antemeridianis decies & quinquies à præceptore virgis cæderetur. Cum vero primis studiorum rudimentis imbutus esset, Magdeburgum, quæ est inter præcipuas vrbes ad Albim sita, sede Archiepiscopali, & titulo Germaniæ Primatus insignis à parentibus ablegatus fuit. Id contigit anno 1497. cum decimum quartum ætatis ageret annum. Neq; vero Magdeburgi diu moratus est, sed anno sequenti proximo Isennacum profectus, quæ ciuitas Thuringiæ est, Saxoniæ Ducum imperio subiecta. Voluerunt parentes vt istuc migraret, quod in ea ciuitate habitarent quidā è matris consanguineis, à quibus filio nonnihil præsidii sperabant. Erant enim fortunæ tenuioris, quam vt alere filium in studiis impendio suo possent. Quæ causa fuit vt Lutherus vtrobiq;, Magdeburgi scilicet & Isennaci mendicato viueret. Vnde loco quodam seipsum Germanica voce, *Parhekenhengst* appellat, ac si Gradarium, qui domos ciuium obeundo particulas panis ad vitam sustentandam commendicarit. Isennaci, quia commodum inuenit præceptorem, hæsit ad tricennium, studiiq; cursum, positis Latinæ linguæ fundamentis eo perduxit, vt idoneus videretur qui ad Vniuersitatem aliquam è Scholis inferioribus transiret. Inter artes vero, liberales quas vocant, amabat inprimis Musicam: quam sine præceptore, vt erat ingenii felicis ad eum modum didicerat, vt non viua voce tantum, sed & cheli fidibusque suauiter cantillaret. Vnde factum est, vt Isennaci vidua quædam in Lutherum adolescentiæ iam annos ingressum, perbenignum affectum induceret, eumque non in domum reciperet modo, sed & mensæ suæ admoueret. In huius viduæ familia commode satis aliquamdiu vixit, ab eaq; refert se Germanicum distichon didicisse, quod postmodum in ore nonnumquam habuit, ac demum Bibliis Germanicis ad Caput 30. Prouerb. ceu glossam Margnalem adscripsis, cuius hæc est sententia; *Nihil amabilius est in terris quam amor mulierum, si cui contingat.* Isennaco profectus est Erphordiam, vt in ea vrbe, quæ & amplitudine sua, & Vniuersitatis ornamento inter reliquas Thuringiæ ciuitates maxime insignis est, vberiorem caperet ingenii cultum. Venit isthuc anno Christi 1501. ineunte, & exacto Philosophiæ curriculo, in artium liberalium Magistrum promotus est anno 1503. cum vigesimum ageret ætatis annum. Iacto bonarum artium & Philosophiæ fundamento, iurisprudentiæ studium aggressus est: idq; suasu amicorum, qui propter ingenii facilitatem eximium quid de eo sibi pollicebantur. Dum hoc studii genus tractaret, accidit quiddam, quod eum non tantū auertit à cæpto iuris studio, sed & impulit, vt Regularē vitam amplecteretur. Periit è sociis ipsius quidam, quem plurimum diligebat, inopinato casu confossus: quæ res illi de mutando vitæ statu cogitationē iniecit. Contigit non ita diu post, cum in itinere esset Erphordiā versus, vt orta subito tempestas nō procul ab vrbe ad pagum quendam eum opprimeret: in qua, horrendo fulminis ictu territus, inuocato Diuæ Annæ patrocinio, votum emisit, de suscipiendo Regularis vitæ habitu, si ex illo periculo illæsus euaderet. Fuit hoc sub initium Iulii anno Christi 1505. nec diu post, q̄ vouerat executus est, & parētibus inscijs, circa medium eiusdem mensis, habitū Regularē in Monasterio Augustinensium apud Erphordienses suscepit. Pridie quam id fieret, inuitauit è congerronibus quosdam, iisdemque & mundo simul æternum vale dixit: à quibus postridie in festo S. Alexii solemniter ad Monasterium deductus, habitum Augustinianū induit: quam historiā ipse recenset in libello quodam quem *de votis Monasticis* scripsit, & patri suo, quamuis illiterato, nuncupauit. Tam subi-

Idem Augustinianum ordinem ingreditur.

tam hominis mutationem amici & familiares ipsius magnopere sunt admirati, vt qui hactenus in iuuenili eius pectore numquam vllam pietatis aut religionis scintillam, sed potius aperta omnium vitiorum ad quæ ætas illa propendere solet, semina & indicia perspexerant. Pater cumprimis institutum hoc illius improbauit, vt qui genium & indolem filii propius nouerat, & mores ipsius perspectos habebat. Cumque Paulo post Erphordiam excurrisset, obiurgauit filium, quod se inconsulto Regularis vitæ iugum subiisset, terroribus quibusdam impulsus: quos à maligno potius quam bono spiritu immissos iudicabat. Itaque velut iure suo, quod vt parens in ipsum sese habere dicebat, reuocabat filium ad obedientiam, hortabaturq; vt posito quem induisset habitu, regrederetur ad seculum, deque alio vitæ genere cogitaret. Verum ille perstitit proposito, parentis offensionem iudiciumq; nihil moratus. Dum esset in anno probationis, vt vocant, variis modis, vti fit, exercitus fuit: & quia magnos gerebat spiritus, vilia quædam & abiecta negotia illi sunt demandata: scilicet vt scopis purgaret loca sordida: vt custodis officio fungeretur, & Ecclesiæ fores aperiret claudereteq;, vt horologium dirigeret; vt exiret subinde mendicatum sacco ceruicibus imposito, & quæ sunt eius generis talia alia: quibus ad sui ipsius contemptum & veram humilitatē manuduceretur. Ille vero indignū ratus, hominē Magisterii Laurea decoratū adeo contemptū haberi, Vniuersitatem interpellauit: cuius interuentu tandem ab huiusmodi molestioribus exercitiis liberatus fuit.

IX.

Exacto tyrociniis tempore professionem fecit, seq; porro ad tempus Scholasticæ Theologiæ studiis totum mancipauit. & quia voto solenni iam vinctus erat, Ordines quoq; sacros, vbi per ætatem licuit, de superiorum consilio suscepit, & ab infimis vsq; progressus, demum anno Christi 1507. ætatis 24. Sacerdotio fuit initiatus. Id factum in Quadragesima: nec diu post, Dominica quarta post festum Paschatis, quæ tum in secundum Maij diem incidit, Primitias suas de more publice celebrauit. Dum vero primum sacrificium peragaret, iamque sacrum Canonem ordiretur, subito tantus eum horror inuasit, vt nisi detentus fuisset à Priore, omisso sacrificio fuga se ab altari propripuisset. Quodam etiam tempore, dum illud Euangelium legeretur, *Erat Iesus eiiciens dæmonium, & illud erat mutum*, dicitur ceu attonitus concidisse, & terribili voce exclamasse: *Ha! non sum ego, non sum ego.* Huiusmodi terroribus & alias non raro infestatus memoratur. Vnde fuerunt qui eum de occulto dæmonum commercio suspectum habuerunt. Cæterum ab eo tempore quo Sacerdotio perfungi cæpit, quotidie fere Sanctissimum Missæ sacrificium offerre consuecuerat: donec tandem in nouo Testamento nec Sacerdotium, nec sacrificium externum esse, per Sathanā cauillationibus quibusdam sibi passus est persuaderi: qua de re infra suo loco dicemus. Demum anno proximo 1508. Erphordia missus fuit Wittenbergam: quod est oppidum Electoratus Saxonici ad Albim situm, in quo Fridericus Saxoniæ Dux, Princeps Elector, suasu fratris Ernesti Archiepiscopi Magdeburgensis ante sexennium Vniuersitatē erexerat. quam ad rem inprimis opera consilioq; insignium virorum Ioannis Staupitii Augustiniani, & Martini Polichii Mellerstadii S. Theologiæ, Iuris & Medicinæ Doctoris vsus fuerat. Cum Wittembergam venisset Lutherus, principio Logicam Aristotelis & Physicam in Augustinensium Monasterio docuit. Mellerstadius vbi Lutherum vidit, & in scholis audiuit disputantem, dixisse fertur: Hic Monachus profundos habet oculos: mirabiles habet phantasias: omnibus Doctoribus facesset negotium, & turbas dabit. Nec fefellit præsagium viri prudentis, quemadmodum historia sequentium annorum testabitur. Fuit quidem præ multis Germanis ingenio prompto & viuo, felici memoria, singulari & facili vernaculæ linguæ eloquentia nemini suæ ætatis concedens. E suggestu declamans, velut ceſtro percitus, accommodata verbis actione, auditorum animos mirifice percellebat, & velut torrens, quocumq; vellet abripiebat. Fuit idem omnis laboris patientissimus, quo etiam quasi pro quiete vtebatur: in legendo & scribendo assiduus: magno & vasto animo ad audendum præcipiti, & ad id quo alium vel aliusanimi impetus ipsum rapiebat impigro: in conuersatione quotidiana comis & affabilis, ita tamen vt inter Principes etiam & magnæ dignitatis viros, præsertim propheticum scru-

Lutherus fit sacerdos.

Idem Vitembergæ Philosophiam profitetur.

tans

tans spiritum, supra cæteros grande quid spiraret. Fuit idem multæ lectionis, vt qui quatuordecim annis quibus Regularem egit vitam, bonos libros sedulo euoluerit. Nullus vel in Philosophia, vel Theologia cum ipso Sophista congressus est, quem non labyrintheis nexibus inuoluerit, adeo vt plerique totius Ordinis primas ipsi inter Scholasticos disputatores detulerint. Sed hæc omnia æquabant & contaminabant ingentia vitia, inprimis fera quædam, insolens, & intollerabilis arrogantia. Dissimulari non potest, inquit *Gesnerus Lutheranus*, Lutherum ingenio fuisse vehementi, & qui neminem qui cum ipso non sentiret, ferre posset. Adeo impatientis hominis animum ambitio transuersum rapiebat. Merum virus lingua eius fundebat: adeo vt aculeos eius & morsus vix quisquam etiam amicorum potuerit effugere. Quin etiam ne sanctissimorum quidem hominum cineri pepercit: quod ei tam à Bucero quam Erasmo non semel fuit exprobratum. *Lutherus*, inquit Erasmus, *animum suum iniuriis & conuiciis pascit: nec iis satiatur vnquam, furioso Oresti similis.* Tantum certē sibi tribuebat, vt tamquam alter Iupiter Mineruam capite inclusam tenere, aut tamquam Hippias alter omnia præterita & futura, scire se arbitraretur. Sub hoc tempus exorta erat controuersia quædam inter Vicarium Generalem Ordinis S. Augustini in istis regionibus, & Conuentus illi subiectos, Septem numero, qui à Vicario in rebus nonnullis diffidebant. Hi Lutherum elegerunt, hominem acri præditum ingenio, & ad contradicendum audacem, qui Romam, profectus causam ipsorum ageret. Eam profectionem eò lubentius ille suscepit, quod desiderium haberet videndi Romam, ibiq; cōscientiā suam exonerandi, generali Confessione de totius vitæ delictis edita. Fecerat hoc ipsum antea bis, cum adhuc Erphordiæ esset: verum non ea fuerat secuta conscientiæ tranquillitas, quam ad Apostolorum limina, pio quodam affectu sibi pollicebatur. Itaque Romam proficiscitur anno 1510. cum venisset in conspectum Vrbis, prostratus in terram, *Salue*, inquit, *Sancta Roma.* Dum istic hæsit, magnam exhibuit pietatis speciem. Circuiuit; adeoque reptauit per Ecclesias, & magno feruore sepulchra Martyrum visitauit: fudit ardenter preces, Missasq; legit pro amicis, nec vllum omisit pietatis exercitium, quod in ea Vrbe soleat ab externis obiri. Interim dissidium illud, ob q̄ Romā à fratribus missus fuerat, compositione sopitum est, Lutherus ex Italia Wittembergam rediit.

Idem Romam profiscitur.

X.

Tum vero de gradu Doctoratus anno sequente 1512. cogitari cæptum: ad quem suscipiendum Staupitius ferio Lutherum hortabatur; pecuniam in sumptum ab Electore Friderico Saxoniæ Duce promittens. Cessit Staupitio Lutherus, eiusq; mandato Lipsiam profectus, pecuniam in hos vsus destinatam à Quæstore Principis accepit. Deinde 19. Octobris, anno 1512. per Andream Rodolphi Carlostadium, in Ecclesia Omnium Sanctorum quæ arcis dicitur, publica solennitate, pro more Vniuersitatum in Doctorem SS. Theologiæ promotus est. Fuerunt autem, qui vitio illi verterent, quod Wittēbergæ summum hunc in Theologia gradum susciperet, Erphordiensi Academia contempta, cui iuramento erat obstrictus. Quam ob causam nonnulli, sparsis rumusculis parum commodis, periurii eum insimularunt. Id vbi rescivit Lutherus, vt honorem suum tueretur, datis ad fratres in Conuētu Erphordiensi Apologeticis literis, se quidem, ait, mandato superiorum quibus repugnare licitum non fuerit, ex obedientia Wittembergæ lauream Doctoralem suscepisse. Interim tamen Erphordiensi Academiæ, in qua sit enutritus, honorem debitum & obseruantiam perpetuo delaturum, nec iniuriarum futurum memorem, quibus olim ab illis fratribus, nimirum Augustinianis, præter meritum sit affectus. Eas iniurias remisisse se iampridem, quietum habere paratumq; animum in omnes, per quos annis superioribus læsus fuerit, & grauiter offensus.

Lutherus doctoratū Theol. suscipit.

XI.

Impleuerat fere annum ætatis vigesimum nonum, cum laurea Doctoratus insigniretur: atq; illo honore auctus deinceps Theologiam, quam vocant, Scholasticam publice profiteri cœpit: in qua sese ab annis aliquot diligenter exercuerat, nec pœnitendos fecerat progressus. Legerat inprimis S. Thomam, Gabrielem Biel, Scotum, maxime vero Petrum de Aliaco Episcopum Cameracensem, ex cuius scriptis multa memoriter recitare poterat: quia & Occamum non oscitanter euoluerat, quem Diuo Thomæ & Scoto quantum ad acumen putabat præferendum. Et quia non ingenio tantum valebat plurimum, sed ad labores etiā tolerandos infractus, & propemodum aheneus erat, factum est, vt iā tum oculos hominum in se conueneret. Quin & sui fiducia elatus Diuum Thomā, aliosq; Scholæ Doctores inter docendum carpere cœpit & sugillare, quasi paulatim viā sibi sterneret ad explodēdos hoc genus Theologos, & euertēdā Ecclesiæ Catholicæ doctrinā quā Scholastici à maioribus suis acceptā, adhibitaq; methodo diligenter explicatā posteris tradiderūt. Iam & in disputationibus acer erat ac vehemēs, & in concionibus ad populū felix. Vtrobiq; enim, in Scholis, & in Ecclesia laborē subibat: qua re multorum animos, inprimis vero Friderici Principis Electoris sibi cōciliauit: cui nouerat hoc vnū in votis esse, vt Vniuersitas auspiciis ipsius nō ita pridē erecta, continuis virorū insigniū laboribus & industria magis magisq; efflorescret: quā ad rē omniū iudicio Lutherus magnū allaturus mōmētū putabatur. Itaq; Princeps eū amabat tāquā virū instituto suo cōmodū, & quoquo pacto fouēdū & defendēdū iudicabat. Hūc benignū Principis affectū Ioannes Staupitius Augustinianus, & Georgius Spalatinus Secretarius, idemq; Sacellanus aulicus, quotidianis de Luthero sermonibus multū augebāt. Fretus hoc pīdio Lutherus, nō libere minus quā insolēter & proterue Scholasticis cōtradicebat, quæquæ erāt in Scholis omniū consensu recepta vocabat in dubiū, & à cōmuni Doctorum sentētia frequēter in diuersū ibat. Has autē nouas variasq; quæstiones, nō tā ingenii cōfidētia, aut doctrinæ pstātia, quā cōtentionis studio rixādiq; libidine, iam annos aliquot in Aristotele, & huius ætatis sophismatibus haud infeliciter exercitatus spargere aggredicbatur, nō solū Wittenbergæ vbi Theologiā profitebatur, sed Heidelbergā quoq; curritabat, vanissimū gloriæ quæritandæ mancipiū disputaturiens, atq; themata valuis affigens de libero arbitrio, de operū meritis, de indulgentiis, de pœnitētia & iustificatione, ac de illo inprimis articulo Symboli, *Credo remissionē peccatorū*: quē vt sensu nouo atq; aliis inaudito, vetoribusq; ignoto, ita à deliro quodā sene Augustiniani Ordinis hausto vbi deprauasset, magnā istā exitialemq; Germaniis mouit tragædiam, quæ vti rei Ecclesiasticæ peruersionē, ita Imperii etiā labefactionē complexa videri queat. Vnde Lutherū turbarū omni Germaniæ causam esse fatetur Ioachimus Camerarius, culpāq; omniū ærūnarū, quibus adhuc cōflictatur respub. Christiana, trāsfert in illius contentiones. Atq; enimuero hic primus eius conatus fuit, prima in Ecclesiā machinatio: licet quorsū spectaret conatus iste, tū quidē à paucis animaduersū fuit. Nimirū huc ibat veterator Sathā, q̄ cōsiliorū istorū architectus fuit & moderator, vt Lutherus terminos à maioribus cōstitutos egressus, ruptis obediētiæ vinculis in istum libertatis cāpum erumperet, quē postmodū ingressus, omnia q̄ displicebāt, pro libidine sua simul & semel euertit, & cōculcauit. Erāt interim ex Fratribus Augustinianis, quibus noua hæc docēdi & dicendi ratio, & mordacis linguæ petulātia summopere displiceret, qua de re tacitis etiā sermonibus mussitabāt. Verū res p. eos, qui ius habebāt & potestatē hominis coërcendi, plane dissimulata fuit. Vt vero primus hic conatus in Scholasticos ex voto cederet, duobus vsus est stratagematis, homo vafer. Principio asserebat sincerā Euangelii doctrinam obscuratā esse Philosophiæ quadam eluuione, q̄ omnia passim inundarit: idq; Scholasticorum Theologorū culpa, quos aiebat, in Christi, Prophetarū, Apostolorumq; locū Aristotelē, & gentiles Philosophos in Ecclesiā subinduxisse. Hinc factū, vt quæ quondā Theologia fuerit primis Ecclesiæ tēporibus, nunc per Monachos sophistas in Philosophiā sit trāsformata. Ideoq; laborandū, vt profligatis ex Ecclesia Scholasticorū deliriis, explosaq; cū Aristotele Philosophia, Euangelio primæuus nitor, & Christo gloria, Apostolis Sanctisq; primorū seculorum Patribus authoritas & dignitas sua per sophistas ablata restituatur. Laruam videbant sapientes, & calumniis mendaciisq; consutam, qua tectus homo callidus paulopost in Ecclesiæ viscera miserandū in modū grassatus est. Alterum cōtra Scholasticos stratagema huiusmodi fuit. Circa tēpus hoc quo Theologiā Lutherus in Scholis docuit, passim in Germania linguarū Græcæ Hæbraicæq;, tū politioris literaturæ studia, magno quodā applausu refloruerunt. Qui vero eā in rē cōferebant opā suam (quorū primus ac veluti Dux quidam Erasmus Rotherodamus habebatur) fastidiebant Scholasticos

Idem Vitembergam profiscitur.

Scriptores

Scriptores Sanctum Thomam, Scotum, Gabrielem, Durandum, & cæteros id genus omnes, veluti horridos, incultos, barbaros, & linguarum ignaros: & ab eorum lectione ad historicos, Poëtas, Rhetores, & Scriptores classicos elegantiores, tũ ad Patres Ecclesiæ primitiuæ discipulos suos auocabat. Atq; hi quotquot erant, cũ Lutherus etiã Scholasticos in inuidiã & contemptũ adducere cæptaret, vehementer laudabant institutũ, suũ summoq; studio, ceu facto agmine sese illi cõiũgebãt. Hæc causa fuit, cur Erasmus Rotherodamus sub initiũ huius Tragœdiæ Luthero plusculũ fauere videretur: quãquã semper protestatus est, nihil vnquã in negotio mutatæ religionis sibi cõmune cum eo fuisse. Ista vero litteratorũ hominum accessio, nõ modo maiores addidit Luthero spiritus, eiusq; ferocitatẽ auxit, sed etiã in causa fuit, quominus Fridericus Saxoniæ Dux, Princeps alioquin pius & Catholicus, qui prudẽtia valebat plurimũ, & authoritate præ cæteris in Germania pollebat, mature satis remediũ adhiberet nascenti malo, & nouis Lutheri machinationibus obsisteret. Metuebat nimirũ bonus Princeps, ne si Lutherum compesceret, bonis literis postliminio renascentibus (vti tum linguarũ & artiũ patroni loquebãtur) hospitium in Vniuersitate noua negare videretur. Nam Lutheri causa quorundam astu primis annis ad eũ modũ cum hoc literario negotio conuoluta fuit, vt si illi quispiam obniteretur, continuo patronus barbariei, linguarum osor, bonarũq; literarũ hostis audiret. Et Lutherus quidẽ postmodum, vbi aperto Marte Romanã Ecclesiã oppugnauit, his literarũ humaniorũ cultoribus in certamine tamquã leuioris armaturæ velitibus vsus est. Nã si quis in aciẽ prodiret in scholis Theologicis enutritus, cuius oratio nec pigmẽtis Rhetorũ delibuta esset, nec Poëtarũ flosculis ornata, in hunc ille tãquã indignũ cum quo ipse, vir tantus congrederetur, è litterariorum suorum grege quosdã immittebat, qui pasquillos spargerent, & dentatos libellos, amarulentis scommatibus, sannisq; turpissimis, & scurrilibus dicteriis refertos, quibus jocularii moriones, tamquã scurræ de triuio, exagitabant viros grauissimos, & rem seriã, in qua Dei honor Ecclesiæq; salus vertitur, in ludibriũ vertebãt. Cuius generis libelli quidã à Lutheri discipulis sub initium huius tragœdiæ scripti supersunt, in quos tam fœdæ turpissimorũ scomatum & scurriliũ verborũ sordes congestæ sunt, vt authores integrã immundi spiritus cloacam exhausisse videantur. Hoc ergo præludium in Scholæ Doctores machinationibus suis præmisit Lutherus, in quo nihil minus agere videri voluit quam quod egit.

Idem Rom. Ecclesiam oppugnat.

XII. Sub hoc tempus Fridericus Elector Staupitium in inferiorem Germaniam misit ad conquirendas Sanctorum reliquias, quibus Ecclesiam Omniũ Sanctorum exornaret. Huius absentis vices Luthero commissæ fuerunt: qui functionẽ istam imperiose admodũ obiuit, magno vsus supercilio. Nam & quosdam loco mouit qui præerant, & mutationes pro arbitratu instituit. Quin & liberius apud Fratres Ordinis Philosophiæ studium, & Scholasticam Theologiam in odium contemptumq; adduxit. Nec infeliciter cessit conatus hic, quem admodũ Lutherus ipse in litteris ad Ioannẽ Langum Erphordiensem gloriatur: Theologia nostra, *inquit*, & S. Augustinus prospere procedunt & regnant in nostra Vniuersitate, Deo operante. Aristoteles descendit paulatim, inclinatus ad ruinam prope futuram sempiternam. Mire fastidiuntur lectiones Sententiariæ: nec est, vt quis sibi auditores sperare possit, nisi Theologiam hanc, id est. Biblia, aut S. Augustinũ, aliumue Ecclesiasticæ autoritatis Doctorem velit profiteri. Superiore porro anno 1516. idem Lutherus disputauit contra Scholasticos Theologos, de libero arbitrio, meritis bonorum operum, & traditionibus Ecclesiasticis: easq; propositiones Tomo 1. operum suorum inseruit: vt vnicuiq; appareat illum iam corruptum animo fuisse, antequam contra Indulgentias blatterare hoc anno 1517. bellumque gerere cæpisset.

XIII. Iam præmisimus, quanto terrore Selimus Turcarum Imperator vniuersum mundũ hoc tempore impleuerit: adeo vt tam Oriens quam Occidens vel ad famam continuarum eius victoriarum contremisceret. Hic enim populorum domitor & crudelis parricida, postquam debellatis Persarum, Ægyptiorum & Mamaluchorum Regibus tot regna & ditiones imperio suo adiecit, nihil aliud nisi vniuersalem Monarchiã somniabat & cogitabat. Iam ille in opulentissimas Hungariæ & Italiæ regiones oculos defixerat: jam Romanum imperium ad prædam, iam Christianorum templa ad impiæ suæ superstitionis receptacula designabat. Exstimulabat illũ animus vastus: quem frequens rerum ab Alexandro Magno & Iulio Cæsare gestarum lectio & accendebat, & alebat. Horum ille Commentarios in patriam linguam traductos numquam fere è manibus deponebat: adeoq; horũ exempla in omnibus ad imitandum sibi habebat proposita. Iam ergo ille catenas & compedes miseris Christianis vinciendis præparat: non aliter quàm Germanii olim, qui multos currus funibus & catenis onustos secum adduxerant: vt iis Romanos, ad captiuitatem opinionis errore & falsa spe sibi designatos vincirent. Hoc omnium Christianorum periculo excitatus, vt diximus, Leo Pont. Max. Deiq; in magno hoc animarum Imperio Vicarius, Sacram expeditionem in Turcas, omnibus Regibus & Principibus Christianis edixit: non ignarus eas expeditiones, quas Cruciatas vulgo vocant, Othomanico Imperio semper formidabiles fuisse, postquam prima earum hæc verba signis inscripta prætulisset; DEVS VVLT. Harum vna Mahumetis II. aliquamdiu quasi fræno constrictus, nihil contra Christianos ausus fuit. *Ego*, ait idem in quadam ad PP. Pium II. epistola, *mortis Iesu Christi culpam nullam habeo: quin etiam Iudæos à quibus ille crucifixus est execror & detestor. Cur ergo tu tuos contra me armas? Cur remissionem peccatorum iis promittis, qui bellum mihi intulerint?* Tum quidem Christiani vno nomine, & vna religione coniuncti, sub vno & eodem Sactæ crucis vexillo militabant. Saxo & Italus, Hispanus & Anglus eidem cohorti erant adscripti. Vna & eadem fides, vna eademque lex omnium animos stimulabat, voluntates coniungebat, & ad tam periculosam expeditionem Principes Christianorum suasu & mandato non solum contra infideles, verum etiam hæreticos suscipiendam animabat.

XIV. Cæterum quandoquidem pecunia belli neruus est, sine qua nihil non dico præclare, sed ne geri quidem potest, Pontifex ad eam in bellum Turcicum conficiendam, Imperatoris, aliorumque Principum rogatu Iubileum per omnes Christianas prouincias pronunciauit, vt deuoti homines qui ipsi ad sacrum hoc bellum ire non poterant, ad eleemosynas & quasi contributionem quandam excitarentur. Quod ex deuotis hisce contributionibus colligebatur argentum, non eò destinatum erat, vt Sanctæ Sedis calumniatores dicebant, vt in Vaticani seu Capitolii ærarium inferretur: vel quod absurdius, Magdalenæ Sorori, Francisco Cibo Innocentii VIII. necessario iunctæ, resarciendis sumptibus, Genuæ in eum olim à familia Cibo factis cederet: sed vt in stipendia militum, ad instruendam classem, & reliquos tanti belli apparatus erogaretur: parte etiam eius aliqua, magnum S. Petri Ecclesiæ ab Iulio II. Papa cæptum ædificium absolueretur. Neq; istud aut nouum, aut insolens fuit: quippe cum etiam olim in Sanctuarii & tabernaculi Mosayci structuram atque ornatum, Moyse hortante atque præscribente vniuersus populus, quamuis in vasta solitudine vagus argentum, aurum, lapides pretiosos, & quod quisque ad manum habuit, contulerit.

XV. Erat autem hoc tempore inter Germaniæ Prælatos Ecclesiasticos, eminentissimus & dignitatis apice, & natalii splẽdore Princeps Albertus, Archiepiscopus Moguntinus & Magdeburgensis, Germaniæ Primas, & S. R. imperii Princeps Elector, Marchio Brandeburgensis. Huncigitur speciali commissione præfecit summus Pontifex Indulgentiarũ publicãdarũ negotio. Is autẽ, & si multorũ consilio & sententia assumpturus fuerat ad id negotii, Fratres Ordinis S. Augustini heremitarum, qui & antea perstrenuã ea in re operã nõ solum prædicando ad populos, sed etiam scribendo & euulgando libros (quales sunt, verbi gratia, Cœli fodina & eius supplementum) Sedi Apostolicæ nauauerant: nisi Ioannes Tetzelius Frater Ordinis Prædicatorum, magis idoneus quibusdam visus fuisset, eo quod recens esset tunc sermonum eius de Indulgentiis memoria, quibus amplam pecuniam acquisiuerat Fratribus S. Mariæ Militaris Ordinis Theutonicorum Dominorum in Germania & Liuonia, qui à Moscouitis & aliis vicinis hostibus premebantur. Id vero quam ægerrime tulerunt Fratres Augustiniani, inprimis Ioannes Staupitius, vir genere nobilis, facundia & eruditione clarus, Generalis eorum per Germaniam Vicarius, & Martinus Lutherus, Theologiæ Doctor, Ordinarius Wittenbergensis, velut præcipui duo gregis

sui arietes, fama & authoritate celebres, & præ aliis conspicui. Staupitius, non ad sui tantum verum etiam totius Ordinis cõtemptum & iniuriam pertinere id arbitratus, aperte protestabatur, eam se minime laturum, vt qui longo iam tempore id muneris prædicandarum indulgentiarum in Germania obire consueuisset. Faces addebant inuidia & auaritia, eo quod bolum sibi è faucibus ereptũ, molestissime ferret. Odium præterea & æmulatio hominem stimulabant, quod æmula religioni Dominicanæ, cum qua ob diuersitatem in Scholis opinionum Augustiniani certare soliti, officium tam amplum, tamq; honorificum commissum fuisset. Metus deinde à Tetzelio aculeos ministrabat, quod is per Germaniam Supremus Fidei Inquisitor poterat, quemadmodum paulo post fecit, prudentem aliquot Augustinianorum, & præsertim Lutheri quiduis docendi & blatterandi libidinem reprimere. Enimuero tum ipse, tum circumissis vndiq; Ordinis sui Fratribus, non viua tantum voce, sed scriptis etiam Indulgentias annunciauit & defendit, ac primus sese iis qui S. Sedem sub Indulgentiarum abusus prætextu oppugnare instituerant, opposuit, Strenueq; omnia administrauit; vt erat satis exercitatus in illa palæstra. Dum vero Tetzelius & alii, quibus ea res commissa erat, de indulgentiis ad populũ concionantur, earumq; virtutem magnifice prædicant, forte voces quædam per imprudentiam alicui eorum exciderunt, quas malignus animus, & iniquus interpres, in contumeliam religionis detorsit. Fuerunt etiam in vulgo (vt minus sanum est promiscuæ multitudinis iudicium) qui redemptis indulgentiarum diplomatis securi, de vera pœnitentia eiusq; dignis fructibus, de conuersione mentis ad Deum, deq; interna voluntatis mortificatione parum cogitarent: hoc vno contenti, quod indulgentiarum diploma ære suo redemtum haberent. Vnde factum est, vt partim quorundam concionatorum importunitate, partim vulgi ẽ rudelitate & imprudentia, partim etiam Antistitum incuria & securitate, abusus quidam in hoc sanctissimo subnascerentur negotio. Ergo Staupitius hanc vlciscendi se occasionem sibi opportune oblatam arbitratus, Dominicanis quæcumq; possent impedimenta obiicere constituit: id quod facile se effecturum putabat, si modum hunc Indulgentias prædicandi quasi nouum & commentitium salutis subsidium criminaretur, & deuotam Germanorum liberalitatem frigefaceret, auaritiam & latrocinia quæstorum seu conciõatorum mentiendo atq; exaggerando, & vti mos est maleuolis vera quædam plurimis falsis ac mendaciis miscendo. Quis enim crederet, tam procul illorum animas ab omni pietate ac Dei timore abfuisse, vt eam exectabiles blasphemias, quarum ab aduersariis accusabantur, proferre ausi fuerint? Ex contentione & obtrectatione hac tamquam scintilla initio neglecta, tantum quantum videmus incendium natum est, quod momento longe lateque omnia amplexum, incomparabile damnum Ecclesiæ inuexit, & totum terrarum miscuit orbem.

XVI. Primis his motibus statim potentissimus Germaniæ Princeps Fridericus Dux Saxoniæ sese immiscuit: eo quod Alberto Moguntino in Archiepiscopatus Magdeburgici petitione fuisset posthabitus: tum etiam quod Ecclesiasticorũ magnitudini & opibus inuideret. Tanto ergo faciliores aures Staupitio præbuit, à Stationariis illis seu Quæstoribus Germaniam expilari, & paucorum auaritiã vix totius populi opibus expleri conquerenti: quem eundem vt acriter sese Alberto Archiepiscopo, ciusq; subdelegatis opponeret, promisso suo fauore & auxilio est cohortatus. Id cp Staupitium ad vrgenda cæpta vehemẽter animasse creditur. Erat enim, vt diximus, nobili familia ortus, ac magnis clientelis & affinitatibus innexus: tum etiam ob muneris dignitatẽ venerandus, & qui in quamcunq; partem se daret, nõ paruum allaturus esset momentum. Is ergo à Duce animatus, cæptam telam pertexere summa quidem diligentia allaborauit: nihilominus tamen vt Alexander Bucalis olim primus Arianismi autor, hæresi suæ nomen non dedit: (Arrio hunc ei honorem præripiente) ita Staupitius quoque quamuis primus lapidẽ, validiori postea bracchio vibrãdum, contra Ecclesiam conieciisset, sectæ tamen, cuius si non auctor, certe promotor fuerat, nomen dare non potuit, sed turpitudinem hanc Luthero reliquit. Huius ingenium & mores optime perspectos habens, ei mandauit, vt contra Indulgentias prædicaret, eorumq; quibus illas publicandi munus demandatum erat, vitia & abusus si qui essent populo ostenderet. Et hoc quidem munus lubenter ille suscepit, quũ vt iniuriam Ordinis sui Fratribus, vt putabant, illatã, vindicaret; tum vt lucrum ex Indulgentiis speratum Dominicanis è faucibus eriperet. Sic illi per inuidiam & auaritiam in suggestũ producto, propria ambitio & arrogantia arma contra Ecclesiam subministrauit. Excitatæ huius turbæ Staupitiũ non semel pœnituit: iacta tamen alea, pedem referre non curauit.

XVII. *Lutherus indulgentias oppugnat.* Lutherus enim ambitione tumidus, cp tantũ munus iamdudũ expetitum sibi demandatũ esset, suggestũ ascendit, nunc huc nunc illuc discurrens, abusus Indulgentiarũ, pdicatorũ fraudes & expilationes mentitus cõdiosissime perstringere & exagitare nusq; cessans, inter alia iactabat: pulchram hanc esse fraudẽ ab Ecclesia ad homines ad pietatem & deuotionẽ prouocandos inuentam. Et licet malum non sit, decipiendum ita se pbere, non tamen nimiam his credulitatem aut fidũciã adhibendam esse. Ridicula etiam, vt erat ingenio festiuo & mordaci, nonnumq; intermiscebat: ita tamẽ vt non raro verba aliqua ipsũ exciderent, quibus non solũ S. Romanæ Sedis dignitas violabatur, verũ etiã capitis Ecclesiæ potestas in dubiũ vocabatur. His suis ille clamoribus tantũ effecit, vt complures Indulgentiarum pcones pro argento iniurias & conuicia domum retulerint. Neq; vero Lutherus his contẽtus, vt erat ærdentioris naturæ, arrepto calamo mox ad supradictũ Germaniæ Primatẽ Albertũ Archiepiscopũ scripsit indignabũdus epistolã, vltimo Octobris hoc anno 1517. datam, qua eum admonuit, vt ille vocat, abusuũ. Circumferuntur, *inquit*, indulgentiæ Papales, sub tuo præclarissimo titulo, ad fabricã S. Petri. In quibus non adeo accuso Prædicatorum exclamationes, quas non audiui, sed doleo falsissimas intelligentias populi ex illis conceptas, quas vulgo vndiq; iactant; videlicet, cp credũt infelices animæ, si literas indulgentiarum redemerint, se securas esse de salute sua. Itẽ, Quod animæ de Purgatorio statim euolent, vbi contributionẽ in cistã cõiecerint. & post pauca. Idcirco tacere hæc amplius nõ potui. Non enim sit homo per vllũ munus Episcopi securus de salute, cum nec per gratiã Dei infusã fiat securus: sed semper in timore & tremore iubet nos operari salutẽ nostrã Apostolus. & iustus, inquit Petrus, vix saluabitur. Deniq; tã arcta est via quæ ducit ad vitã, vt Dominus per Prophetas Amos & Zachariã, saluãdos appellet *Torres*, raptos de incendio. & vbiq; Dominus difficultatẽ salutis enũciat. Cur ergo per illas falsas, *dicebat*, veniarũ fabulas & promissiones, pdicatores earum faciunt populum securum & sine timore? cum indulgentiæ prorsus nihil boni conferant animabus ad salutem aut sanctitatẽ, sed tantummodo pœnam externam, olim Canonice imponi solitã, auferant. Hæc & id genus alia plura ibi Lutherus, monens Archiepiscopũ, vt ex officio cohiberet declamatores istos, & abolitis libellis, qui hac de re scripti circumferebantur, alium ipsis pscriberet modum docẽdi, quẽ in hoc negotio sequerentur: ne populus inani diplomatũ emptitiorũ fiducia deceptus, à veris pœnitentiæ fructibus, atq; pietatis & dilectionis officiis auocaretur. Ex Wittenberga, in Vigilia Omniũ Sanctorũ, Anno Domini M.D.XVII. Quæ idcirco retulimus, vt manifestum sit, cã epistolã nõ tam ex animi sententia, q; ex liuido inuidiæ affectu à Luthero scriptã esse: cum nulla aliorũ doctrina, tã securum de salute, & ad bona opera pigrum negligentemq; redderit populum, q; fecit noua doctrina Lutheri apostatæ. qui publice scripsit in suo Babylonico præludio: Tam diuitem esse hominem Christianum, vt etiãsi velit, non possit perdere salutẽ nisi nolit credere: nec vlla peccata eum damnare queant, eo cp per fidem, in promissionem, quæ baptizato facta sit, mox absorbeantur ac deleantur omnia peccata, modo credat, aut cogitet se baptizatũ esse. Non contentus Lutherus priuatam misisse epistolam, scripsit & theses quasdam numero XCV. quibus iuxta Scholæ morem sententiam suam de indulgentiis breuiter complexus est: quas literas ad Archiepiscopũ Moguntinũ scriptis adiunxit, insinuãs, quẽ in hoc genere pscribi docẽdi modum indulgentiarum pconibus vellet. Easdẽ vero theses eo ipso die quo literas ad Moguntinum dedit, valuis affixit Ecclesiæ Collegiatæ, quæ Wittẽbergæ sub Omniũ Sanctorũ nomine cõstructa, castro Principis versus Ciuitatẽ adhæret, prouocãs ad disputãdũ omnes qui secũ vellẽt in hãc arenã descẽdere. In his propositionibus, cõmunem & receptã de indulgentiis opinionẽ, Ecclesiæq; sententiã impugnabat. Eas propositiones Tetzellius, qui Francofordiæ ad Oderam fluuium, vbi Ioachimus

Marchio Brandenburgensis Elector nouam circa idem tempus erexerat studiorum Vniuersitatẽ, morabatur, statim atq; habuit, vt erat Commissarius Apostolicus, prædicator Indulgentiarum, atq; etiã hæreticæ prauitatis Inquisitor, indigne ferens Lutheri proteruam audaciam, ex aduerso centũ & sex edidit propositiones, quibus contrariam, adeoq; Orthodoxã explicabat sententiã. Verbi gratia. Lutherus sic exorsus est: Dominus & Magister noster Iesus Christus, dicendo: Pœnitentiam agite, &c. omnẽ vitam fideliũ pœnitentiã esse voluit. ꝙ verbum de sacramentali pœnitentia Confessionis & satisfactionis, quæ sacerdotũ ministerio celebratur, nõ potest intelligi. Non tamen solam intendit interiorem: imo interior nulla est, nisi foris operetur varias carnis mortificationes, &c. Cõtra verò hanc eius sententiã ita exorsus est Tetzellius: Dominus noster Iesus Christus, Sacramenta nouæ legis, ad quæ voluit cunctos obligari post suam passionem & ascensionem, voluit etiam cunctos docere ante suam passionem, peraptissimam suã prædicationẽ. Quisquis ergo dicit, Christũ, dũ prædicauit, Pœnitentiam agite, sic docuisse pœnitentiã interiorẽ, & exteriorem carnis mortificationem, vt non etiam docere vel cointelligere voluerit Pœnitentiæ Sacramentũ, eiusq; partes Confessionem & Satisfactionem, tamquam obligatorias, errat: imo nihil nunc iuuat, si interior pœna etiam operetur exteriorem mortificationem, nisi adsit facto vel voto. Confessio & Satisfactio, &c. Præter hæc Tetzelius, Lutheri theses veluti hæreticas, vtpote Sedis Apostolicæ commissione atque authoritate, atq; etiam Inquisitionis officio suffultus exussit: quod in illis Lutherus receptam de pœnitentia Ecclesiæ Catholicæ doctrinam arroderet, & ipsius summi Pontificis potestatem in dubiũ vocaret. Obuiã etiam ire hac ratione voluit Tetzelius motibus, ad publicationẽ Lutheri thesium erũpentibus. Nam hæ typis statim expressæ, & in omnẽ partẽ longe lateq; diuulgatæ, in hominum animis varias opiniones conciuerunt. Fuerunt & Tetzellianæ propositiones prælo datæ, & Wittenbergã magno numero vt distraherentur delatæ. Quod cum innotuisset, studiosi quidã insolentiores, qui iam tũ primitias hauserant Lutherani spiritus ad octingẽta exemplaria, bibliopolæ cuidã erepta, in foro cõbusserunt: monitis prius scripto publico studiosis omnibus, vt ad deducendum funus Tetzelianarũ thesium cõuenirent. Ita cõcionibus nõ modo, sed & scriptis & calamis magno plebis offendiculo digladiari cæptum: quod certamen ex paruis abusuum quorundam initiis ortum, in maximum bellum euasit.

XVIII. Thesibus ad hunc modum diuulgatis Lutherus, Concionẽ quoq; Germanicam quam de Indulgentiis ad populũ habuit, typis excusam in vulgus emisit: cui statim exegesim subiunxit apologiæ loco: nimirũ vt labem hæreseos à Tetzelio & Dominicanis aspersam detergeret. In hac exegesi pertinaciter defendit omnia, quæ in thesibus, tũ in Cõcione asseruerat, & quædã obscurius dicta magno verborum ambitu declarat. Vnde factum est, vt quã à se remouere voluit hæreseos suspicionẽ, ea in prudentiorũ animis, hoc scripto non parum augeretur. Neq; enim de indulgentiis tantũ receptã in Scholis & Ecclesia sententiã oppugnabat: verũ etiã de pœnitentia eiusq; partibus & virtute, de Satisfactione, de Purgatorio, tum de potestate Romani Pontificis, de fide speciali quam vocat, opiniones ab Ecclesiæ doctrina prorsus alienas tuebatur. Ista enim pleraq; omnia mutuo nexu quodam interse cohærent, vt si vnum loco moueas, reliqua etiam necesse sit labefactari. *Ioannes Cochlæus in Commentario de actis & scriptis Lutheri. Florimundus Ramundus de origine hæreseon lib. 1. VVilhelmus Damasi Episcopus Ruremunden. in Dubitantio. Surius in Commentariis rerum in Orbe gestarum. Caspar Vlenbergius Lippiensis, in Vita Lutheri ex diuersis eiusdẽ Lutheri scriptis & ex authoribus conscripta.* Nicolaus Crusenius Augustinianus, ista de Luthero fatebatur.

XIX. *Lutherus à fide deficit.*

Quo tempore, *ait*, Leonis X. authoritate, Ægidius Cardinalis Augustinianus, Christianos Principes excitabat ad bellũ Turcis inferendum, etiam à vera fide Catholica defecit Martinus Lutherus, merum Diaboli instrumentum, non tam ob præsumptam euidentiam veritatis Euangelicæ, quam ob conceptum odium P. Ioannis Techelii, Ordinis S. Dominici, qui Saxo Pyrnæ natus, authoritate Leonis X. Pontificias indulgẽtias Wittembergæ prædicabat, sese ibidem magnum & gratũ Ecclesiastem posthabitum nequaquã ferens. quæ nec prima causa fuit odii quod altiores egerat radices, Ordinis in Ordinem, ob frequentes concertationes pro suggestis ac cathedris: quæ æmulationes quantum noceant, voueo vt alios doceant. Accedebat magnum animi mali fomentum, Fredericus Saxoniæ Dux, qui cum iniquo in Romanos esset animo, præsertim ob Carolum Austriacum paulo post ad Imperiũ promotum, venabatur ansam vindictæ. vnde faciles aures obgannientibus Romanæ dignitati præbebat. Sicq; placuit Altissimo permittere vnius Lutheri casum, forte vt plures ex eodem Ordine ardentius assurgerent, & magni Parentis Augustini vitam, mores, ac doctrinam penitius imitarentur. Apologiam vltcriorem pro huius nobilissimi Ordinis causa nolim hic adscribere, cum pro eo eandem scripserit S. Augustinus in Psal. III. *Qui dicturus es mihi, &c.* Nec ordini quisquam succenseat: bonus est Ordo: bonũ est Caput Ordinis Augustinus Sanctissimus ac doctissimus, q adhuc hodie & pugnat, pugnabit scriptis suis pro Dei Ecclesia: de quo scribit ipse hæreticus Stancarus: *Plus valet vnus Augustinus quam centum Lutheri, ducenti Melanchthones, trecenti Bullingeri, quadringenti Petrim, qui omnes si in mortario tunderentur, nõ exprimeretur vna uncia veræ Theologiæ.* Imo inter Sancti Augustini encomia, & Lutheri infamiam magnum est chaos.

De S. Augustino cantat Ecclesia.	De Luthero Pius Poëta.
a. *De profundis tenebrarum*	a. *De profundis tenebrarum*
Lumen mundo exit clarum	*Prædo surgit animarum*
Et scintillat hodie.	*Et punitur hodie.*
b. *Olim quidem vas erroris,*	b. *Olim quidem vas honoris*
Augustinus vas honoris	*Luther erat, nox erroris*
Datus est Ecclesiæ.	*Hostis inde Ecclesiæ.*
c. *Verbo Dei dum obedit,*	c. *Verbo Dei dum vix credit*
Credit, sperans, & accedit	*Furit errans, & recedit*
Ad Baptismi gratiam.	*A Baptismi gratia.*
d. *Quam inprimis tuebatur.*	d. *Quæ iam prius tuebatur*
Verbis scriptis execratur	*Nunc blasphemans execratur*
Erroris fallaciam.	*Veritatis dogmata.*
e. *Firmans fidem, formans mores,*	e. *Scindens fidem, fœdans mores*
Legis sacræ peruersores	*Legis sacræ professores*
Verbi necat gladio.	*Linguæ truncat gladio.*
f. *Obmutescit Fortunatus,*	f. *Stant Hussitæ, Anabaptistæ,*
Cedunt Manes & Donatus,	*Et inclamant, Quis est iste,*
Tantæ lucis radio.	*Nouus author hæresis?*
g. *Mundus marcens & inanis,*	g. *Saxo mollis, & inanis*
Et doctrinis doctus vanis,	*Fores recludit profanis.*
Per pestem hæreticam.	*Per pestem hæreticam.*
h. *Multum cœpit fructum ferre,*	h. *Malam cœpit frugem ferre,*
Dum in fines Orbis terræ,	*Dum per fines suæ terræ,*
Fidem sparsit vnicam.	*Seminat Zizania.*
i. *Monachalis vitæ formam*	i. *Monachalis vitæ formam*

Conqua-

Conquadratum iuxta normam	*Deformatum iuxta normam*
Cœtus Apostolici.	*Cœtus Diabolici.*
k *Sui procul nil habebant*	k *Sui quicquid rapiebant,*
Tamquam sum, sed viuebant	*Suum erat, & viuebant,*
In commune clerici,	*Vxorati Clerici.*
l *Sic multorum pro salute,*	l *Sic multorum cum ruina,*
Diu viuens in virtute,	*Diu viuens hac doctrina,*
Tandem bona senectute,	*Morte tandem repentina*
Dormiuit cum Patribus.	*Decidit in barathrum.*
m *In extremis nil legauit*	m *In extremis nil legauit,*
Qui nil suum æstimauit:	*Qui tunc miori non parauit,*
Immo totum reputauit	*Immo cum bene potauit,*
Commune cum Fratribus.	*Ore cl.uso crepuit.*
n *Salue gemma Confessorum,*	n *Procul este, dux cæcorum*
Lumen Christi, vox cœlorum.	*Vmbra, fetor inferorum,*
Tuba vitæ, lux Doctorum,	*Tuba mortis, vox bellorum,*
Præsul beatissime.	*Exul perfidissime.*
o *Qui te Patrem venerantur,*	o *Qui te patrem venerantur*
Te ductore consequantur,	*Te ductore condemnantur*
Vitam in qua gloriantur	*Igni, in quo cruciantur*
Beatorum animæ.	*Damnatorum animæ.*

Notauit Isaias casum Luciferi: Euangelistæ casum Iudæ coApostoli, & Diuus Ioannes casum Antichristi: quidni & nos exprimamus casum Lutheri? Frater fuit in Ordine S. Augustini: sed fuit, fugit, esse desiit, vbi ex Ordine ad confusionem transiit. *Crusenius de Monachismo S. Augustpart. 3. cap. 35.*

Eodem porro tempore, quo Lutherus in Germania Indulgentias pro sacra expeditione promulgatas impugnabat, nonnulli in Hispaniis Antistites, sacras decimas ad eundem vsum impositas contribuere detrectabant. In iis regionibus recens acquisitis, cũ inter Insulanos & Hispanos magnas lites esse accepisset, & tam Didaci Columbi Almiranti maris Oceani, quam Insulanorum petitionibus compellaretur, videretq; vir prudentissimus, ad eas componendas homines aliquot integerrimos mittendos, qui non tam auri & argenti cupiditate, quã religionis & reipub. studio ad eũ laborem capessendũ inuitarentur, nullibi eos commodius posse reperiri existimauit, quã in monachorum cœnobiis, sed potissimum Hieronymianorũ, quos rei priuatæ tractandę industria, & negotiorum agendorũ prudentia, inter cæteros pollere palam erat. Ergo Ludouicũ Figueroam, & Alphonsum S. Ioannis, illũ Meliorataæ apud Olmedum, hunc Ortegæ apud Burgos administrationi præfectos, & tertiũ cum his Bernardinum Manzanedũ; qui olim magnis muneribus perfunctus, tunc emeritus erat, viros probitate & prudentia insignes, vocari iussit. habere.n.se nonnulla reipub. negotia, quæ illorũ consilio essent peragẽda: Hosce igitur tres, post multos cum illis habitos sermones, de magnitudine rerũ ad quas destinabantur, & communi vtilitate reipub. Christianæ è sua opera emanatura, si vt sperabat se gererent, cum summa potestate ad Lucaiorũ insulas misit, sed potissimum ad Haytinam, quam alii Hispanicam, alii Sancti Dominici promiscue appellant, ab vrbis nomine quam Christophorus Columbus in ea condidit, quæ sola per id tempus Imperio Hispanico cesserat, ad Almiranti & Hispanorũ controuersias cognoscendas, cæteraq; omnia quæ ad indigenarũ quietẽ & vtilitatem necessaria forent perspicienda. Post diligentem vero cognitionem habitam, cuncta ex bono & æquo componenda, omni vi Hispanorum militum & tyrannide inprimis sublata: sed ante omnia, vt rudibus illis populis doctrinã Christianam syncere exponerent, maximopere cõmendauit. Datus est illis comes ad fontes puniendos, & reliqua munia obeunda, Alphonsus Suazus, ob vitæ sanctimoniam & iuris peritiã Ximenio notus. Igitur Hispali soluẽtes, ad S. Dominici vrbẽ sub extremum Decembrẽ Monachi peruenerunt, Suazus vero sub primum Aprilem insequentis anni. Hieronymianis apud Franciscanos diuersari placuit: qui dum pridie Natalis Domini horis matutinis cum hospitibus Franciscanis interfunt, eo calore ex regionis situ, quæ non longe à circulo æquatore distat, correpti sunt, vt sudare & æstuare cogerẽtur, quo die vuæ è vitibus recens demessæ, atq; itidem maturæ ficus primis mensis fuerunt appositæ. Horum imperio cũ multa sint prouidenter facta, illud potissimũ memorabile est. Insulani, quos Rex Ferdinandus quibusdam qui in Hispania degebant, velut patronis protegendos cõmendauerat, vnde & Cõmentarii vocabãtur, Ferdinandi actis rescissis, prorsus sunt, *Insulanorũ Acta.*

absentibus ablati. Erat enim iniquum, vt homines absentes, otio & delitiis in Hispania dediti, potiores haberentur quam fortissimi viri, qui post vastũ mare emensum, magnos labores in armis tolerarunt, ob religionis Christianæ & Hispani imperii propagationẽ. Itaq; Insulani veteranis militibus prò cuiusque labore & meritis sunt attributi. Tunc vulgò prò certo habebatur, Insulanos iure belli seruos esse: quare non solum iis imperabant vt mancipiis, sed ad onera vehenda, vt iumentis vtebantur. Hieronymiani Christiana pietate id indignum & alienum esse intelligentes, quamuis non omnino in prima illa censura opinionem inueteratam abstulerint, tamen vt Insulani in vicos redigerentur, ãtq; vt oppida incolerent effecerunt. Nam primum nullum illis municipii ius, nullum coloniæ, aut priuatarum legum concedebatur: sed dominorum tantum voluntate, aut stabant, aut cadebant. Curatum est ergò, vt diuinis mysteriis, & Christianæ religionis documentis, per sacros ministros probe imbuerentur, & tyrannica militum seruitute qua oppressi tenebantur, nonnihil liberati, quoquo modo tandem respirarent. Actum id fuit magnis contentionibus, & vt in rebus nouis & incertis contigit, non adeo claro & euidenti operæ pretio. Nam cum aliæ Insulanorum diuisiones, partim per Columbum Almirantum, partim per Regios ministros iam olim factæ essent, atq; nunc idẽ per Hieronymianos nouam hanc tentari Hispani milites intuerentur, cõiectantes quod postea fuit, alias atq; alias superuenturas, donec Insulani solida libertate donarentur; multi malis animis & mentibus præditi, immodicis laboribus Insulanos diuexantes, è vita tandem migrare coëgerunt.

XXI. Erat inter hæc istis temporibus numerus eorum frequens, qui Iudæorum superstitione relicta, ad verum Dei cultum transierant: sed multi quotidie ob violatã religionem accusabantur, & cum iudicia exercerentur, nulla testium publicatione facta, apud Regẽ omni studio & arte cõtendebant, vt apertis testimoniis vniuersa negotia tractarentur, oblata interim ingenti quadã pecuniarum summa. Nam vt ex Mazuequi Regii consiliarii ad Ximenium literis intelligitur, plusquam octingenta aureorum millia, eo tẽpore Regi offerebantur: idq; iam confectum per Belgas esse crebris rumoribus apud Hispanos iactabatur. Rursus Cathalonii apud Pont. Max. altera ex parte instabant, hoc ipsum petentes. & fortasse impetrassent pecunia oppugnantes, nisi Laurentius Putius Cardinalis, Hispani nominis studiosus haberi volens, Regium legatum admonuisset, qui Ximenium certiorem ea de re fecit: cuius authoritate & monitis, Cathalonii summum Pontificẽ solicitare desiterunt. Ad Carolum vero Regẽ adhuc in Belgio hærentem mirari se Ximenius scripsit, ꝙ ex Sacrosancti Tribunalis legibus, quę per Reges Catholicos tam accurato cõsilio examinatæ & exploratæ fuissent, quicquam mutari (vt aiebant) permisisset. Priuatim quoq; doluisse, quod se adiutore & hortatore id esse factum à quibusdam iactaretur: cum apud Pont. Max. Cathaloniis, ne id consequerentur, ipse potissimum impedimento fuisset: & multo ante apud ayum Ferdinandum rei nummariæ inopia laborantẽ, quando bellum Nauarrense gerebatur, intercessisset, ne sexcenta aureorum millia acciperet, *Ximenius ad Carolum Regẽ scribit.*

quæ

quæ modo annuisset, continuo numerabantur: qui Christianæ religionis cultum & obseruatiam, atque in Deum immortalem insignem pietatem, pluris quam diuitias & auri aceruos faciens, illius sacri Tribunalis leges stabiles ratasq; manere voluit. Haberet itaq; in oculis tam præclarum & recens aui sui exemplum, ne quid mutandum in cognitione causarum, quæ ad religionem pertinent, censeret. Nam quicquid ab aduersariis obiiciebatur, sub Regibus Catholicis in vtramque partem satis disputatum fuit: & hanc vnicam viam fuisse repertam, qua religioni labanti consuleretur. Quare si à Deo Opt. Max. incrementa etiam suscipere, & exornari cuperet, eandem quoque viam iniret, qua eius aui perpetuam sibi gloriam pepererunt. Nam vt cætera exempla taceret, vnde satis constaret, legem de testium nominibus non edendis immotam esse oportere: illud recensere velle, quod nuper in Talabricensi tractu acciderat: nouum quendam ex Iudæo Christianum ad Tribunal Inquisitionis appellatum, qui absolutus, cum in cuiusdam testis notitiam deuenisset, insidiis dum in solitudine iter facit circumuenit, & hasta transfixit. Tanta enim est ea ex re infamiæ acerbitas, & tanta turpitudinis nota inuritur, vt si hoc remedio non succurratur, permulti ad hunc modum, non solum in solitudine, sed in foro ipso & iudicum subsellijs, perituri atrociter sint. De quibus omnibus si certior fieri accuratius cupiebat, habere apud se Alphonsum Mauricum Cordubensem Episcopum, & Lupum Aialam procuratorem suum, qui rerum istarum magnam cognitionem tenerent. Carolus Rex religiosissime se gerens, qua virtute ab illis adeo initijs ad vltimam vsque ætatem semper enituit, Ximenii consilium secutus, Sacrosancti Tribunalis quo pax Hispaniæ stabat authoritatem conseruauit. *Gomecius de rebus gestis Ximenii lib. 6. & 7.*

Diximus superius, Selymum Turcarum Imperatorem, Italiæ terrorem intulisse: eiusdemq; Italiæ quietem à Francisco Vrbinate interturbatum fuisse. In his motibus B. Virgo quam sibi Lauretana Domus cordi esset, haud dubiis argumentis ostendit. Selymus Turcarum Imperator Mahometis nepos, intactis æuo Lauretanæ cellæ thesauris imminens, nihilo feliciore exitu tantum facinus tentauit, quam Mahometes eius auus tanto ante tentauerat. Iam Selymus suis, maiorumq; suorum victoriis erectus, omnia pene maria classibus habebat infesta, totam subinde Europam, vltimiq; occidētis oras imperio destinans. Igitur illo authore, ingens piratarum manus in Italiam appulit, & Dalmatarum Appulorumq; littoribus depopulatis, Lauretanæ prædæ spe inuitante, in Picenum vela fecerunt. Descensione inde facta, Castro Portus Recinetensis potiuntur, tecta cædibus & incendio fædant. Iam nemine cōtra arma ferente, Lauretū inflammatis studiis contendebant, cum desertam à mortalibus propugnatoribus ædem à cælestibus defendi, propugnatriq; senserunt. Quippe ipsemet Lauretanæ Ædis conspectus tantum eis terrorem incussit, vt è vestigio trepidi rei infecta, repeterent classem, haud dubii, quin dilecta illa Domus cœlesti præsidio tegeretur. Selymus porro conādi sceleris autor paulo post haud dubia diuini numinis ira periit cācro, fœdissimo iuxta, atrocissimoq; morbo misere absumptus. Nec tamen exitialis Selymi exitus aliorū compressit audaciam. Cognitum est deinde ex Turcarum captiuis qui fuga elapsi, Lauretum ad vota B. Virgini reddenda venerunt, Archipiratas, in quorum ipsi fuerant potestate, sæpius Lauretani templi prædandi spoliandiq; studio Lauretum instructa classe petiisse. Cæterum vt in Sacrosanctæ conspectū Ædis ventum esset, repente pauore ingenti diuinitus iniecto, regredi coactos, latens vbiq; numen inibi esse confitentes. Ita audacia in venerationem vertit. Nam cum hæc fama inter barbaros increbuisset, ex eo tempore piratici myoparones oram Piceni legentes in conspectu Ædis Lauretanæ vix ausi sunt quicquam hostile conari, nedum ad Ædem ipsam diripiendam accedere. Semel duntaxat biremes Turcicæ duæ ex agro Lauretano prædas agere ausæ: quæ mox Deiparam Virginem expertæ sunt vindicem rerum suarum. Eodem ipso die à Canaletto Vinetæ classis Duce captæ, prædatores suspensi, præda omnis recepta. Lauretana res barbarorum clade sancita. *Tursell. Laur. Hist. cap. 19. lib. 2.*

XXII. *Selymus Turcarum Imperator Lauretanam ædem spoliare conatur.*

Turcæ piratæ à B. Virg. puniuntur.

XXIII.

Eodem anno, non tantum à Barbarorum vi intentata sed etiam ab auaritia Christianorum militum Lauretana Domus cœlesti vtiq; præsidio intacta mānsit. Franciscus Maua Vrbini Dux ditione à Leone exutus fuerat. Qua deinde armis recepta, vltro ipse Picenū agrum infesta populatione percurrit, Pontificis, ut ipse dictitabat, iniuriam ulturus. Exercitum habebat ex multarum gentium colluuione mistum, quibus nec mos, nec lingua communis & præda potior religione erat. Proinde neq; Ducis imperio satis regi poterat, neq; vlla ratione à rapina prohiberi. Et Præfectorum, Centurionumq; pleriq; iampridem Lauretanis thesauris inhiabant. Iamq; per internuncios de his diripiēdis clandestina inter se consilia agitarant. Ergo ex composito ad Montē Filatranum non procul à Laureto sub vesperam subsistunt ea mente, vt postero die illucescente, Lauretanam Ædem de fensore vacuam direptum eant. Haud fefellit pium iuxta prudentemq; Ducem impius conatus exercitus sui. Itaq; per interpretes deterrere ab impio consilio perditos barbarorū Duces, per Italicas copias nefariū facinus impedire instituit, omnia agere, omnia moliri, vt quolibet potius auerteretur incensa prædæ cupido. Cæterum surdę erant omnium aures obstrepente auaritia. Ita maior pars, vt plerumq; fit, vicit meliorem. Luce nondū certa, præmissis exploratoribus, agi cœptum est agmen. Dissuadere iterum Dux ac minas precibus miscens deprecari sacrilegam profectiōnē. Postea quam nihil proficiebat, orat, si stetisset animo Lauretū pergere, vt mutata in diuersum voluntate, pietatis ergo, vt cæteri mortales ad Sacrosanctam Deiparæ Virginis cellam accederent: si ea cus fecerint, non suā modo sed cælestē quoq; intētatiram, recentia Turcarum exempla proponens. At illi animis væsania auaritiaq; occupatis, nullius salubris cōsilii patientes, ad deuoratam spe & opione prædā incensi studiis tendūt. Sequitur Exercitum Dux, quem regere nequibat, sacrilegium, cp impedire non poterat, temperaturus. Sed non defuit Sacrosanctæ cellæ præsidium Virginis. Præmissi exploratores haud procul Laureto aberant: omniaq; tuta esse cernentes lætitia geticbant: eum subito acrium grex luporum (vt ferinam hominum rabiem feræ comprimerent) è saltu proximo erumpunt, ac velut facto agmine in præcursores impetum faciunt: illorum plerosq; repētino terrore amentes iugulant laniantq;, cæteros in fugam vertunt, salutis iam magis quam prędæ memores. Qui vt ad primum agmen metu, cursu, lassitudine exanimati peruenere, receptis demum à pauore tanto animis, effusę fugæ terrorisq; causam sociis tanti sceleris aperiunt. monent etiam atq; etiam, viderent quid agerent: Ædi Lauretanę Deum custodem, ac vindicem adesse. tantam vim luporum, tam immania corpora belluarum non è nemore illo egressam, sed diuinitus in prædatores emissam: nec ipsis tam cum belluarum exercitu, quam Deo cælestibusque esse pugnandum. At væsani exercitus Duces exploratorum terrorem tanquam vanum, militari deridiculo eludentes, nihilominus properabant ad prædam. Verum enimuero, vt Sacra Ædes in conspectum se dedit: repente ingens exercitum pauor inuasit: cunctique lymphatis similes trepidare cæperunt, diuinitus incussa formidine omnium pectora percurrente. Tum vero excussa væsania, ad se redeunt sceleris Duces: & siue Diuini ira numinis, siue Templi religione cōterriti cuncti pariter præmeditato latrocinio desistūt. Cæterū ne subinde militares animi ad ingenium redirent, consternatis nouum miraculum addit ur. Iam multum diei processerat, cum repente nebulam de cœlo lapsam ferunt, quæ paulatim circa templum densata eius conspectum ademit, cum tamen cætera circum loca Sole essent illustria. Ea species oculis obiecta militū animos quoque immobiles tenuit. Exinde ingenti horrore perfusi procumbunt in genua, versaque in religionem audacia, ad placandam Dei ac Deiparæ iram, Lauretum ire pergunt. Quo vt ventum est, cuncti ac præcipue cohortium Duces, Lauretanam Ædem intrant venerabundi: ac positis humi genibus cogitati sceleris veniā exposcunt. Vltro etiam Virginem, quam diripere destinauerant, muneribus colunt ita susceptum ab insano principio iter exitu facinoris mire lætus, Deo ac B. Virgini auersum sacrilegum gratulatur: mox detracta sibi arma in primo augustissimæ cellæ aditu suspendit tanti miraculi monumentum: simul se ex agro Piceno exercitum abducturum vouet. Nec votum fefellit. Extemplo formidabiles copiæ abductæ, eademque opera, & Lauretana Ædes, & Picena regio direptionis metu diuinitus liberata. *Tursellin. cap. 20. lib. 2.*

Franciscus dux Vrbinatus Lauretum spoliare conatur.

Ipsius socii à B. Virg. puniuntur.

Vtriusque

XXIV. Vtriusq; huius periculi Lauretani, diuiniq; præsidii rumor Leonem Pontificem perpulit, vt humana etiam ope talia pericula arceret in posterum. Apparebat Pontificiarum ædium molem Ædis monimento destinatam esse tantam, quantam vix assiduus plurimorum annorum absoluere posset labor. Ergo tam fera spe damnata, aduersus subitas hostium populationes, Lauretum fossis, aggeribus, mœnibus, propugnaculis cingit. Satis etiā tormentorum æneorum adiicit ad propugnandum, & procul arcendum hostem. Ex quo Lauretum templi oppidiq; munitionibus septum, adiuuante collis situ, muniti castelli etiam eminus haud vanam speciem gerere cœpit. Huius rei fama finitimos ad incolendum, non tantū peregrinos ad visendum excitit: barbaros vero ac cæteros à conando in posterum scelere retardauit. Inter quæ Cardinali Roburco Laureti Patrono vita functo Bernardus Cardinalis Bibiennensis, huic Iulianus Rodulphus Prior Capuan⁹ à Pontifice suffectus est: qui Leonis iussu, quoniam iam paratum erat Dynastis hospitium, domum hospitalem pauperibus peregrinis denuo extruxit. At Pontifex perfectis Laureti munimentis, campanam raræ magnitudinis fundendam curauit xx. millium pondo, eam Lauretam oppidi nomine appellauit. Exinde haud parum memor egregii monumenti, quod circa Sacrosanctum Sacellum relinquere moliebatur, Sansouinum cæteroq; artifices literis, præmiis, promissis impensius vrgere instituit, vt se viuo tam eximium opus absoluerēt. Extat Leonis super ea re ad Sansouinū literæ, quarum initium, quia plurimum valet ad Lauretanæ Domus commendationem, visum est hoc loco referre. Id tale est: *'Cum pro immensis, & infinitis in humanum genus, ac præcipuę in nos ipsos ab immaculata summi Dei Redemptoris nostri Genitrice collatis beneficiis, Sacrosanctam, totoq; terrarum orbe venerandam Lauretanam Ecclesiam, quam eiusdem virginis carnis sarcinam ferentis cellulā exstitisse, & Angelicæ salutationis, atq; diuini partus, quem edituā esset, nuncii fuisse deuote, ac pie credimus & in quā se virgo ipsa vberiorem in dies singulos exhibet gratiarum largitricem, fidelium cunctorum votis præsto succurrens*: & cætera quæ sequuntur, quorum summa est: Sacrosanctam virginis cellam dignam vtiq; esse, cui præcipuus quidam honos habeatur. Proinde ei summa ope, omnibus viribus consitendum, vt quam maturrime ornamentum eius absoluat. Iam bina templo sacraria, circumdatis segmentato opere armariis adornata adiunxerat. Inde ad ipsam sacrosanctam cellam honestandam animū conuerterat. Ac sacros quidem parietes intrinsecus ornandos ratus nō est, ne quid in eis ornati esset præter ipsos, quos Christi ac Beatæ Virginis habitatio, contactusq; satis superq; adornarant. Cæterum intentus sacello extrinsecus magnifice exornando (& materies ad id nuper ab Iulio præparata simulabat) eam ornatus amplitudinem concepit animo, quæ digna Deipara virgine, digna Romano Pontifice Christi Vicario, digna ipsius loci maiestate religioneq; quoad paterentur humanæ opes, foret. Ergo huic quem dixi Sansouino Architecto simul ac statuario his temporibus nobilissimo, formæ describendæ negotiū dedit, monito quid sui consilii esset. sibi vtiq; esse in animo tale moliri opus quod in parua mole, omnem eius seculi magnificentiam vinceret. Nec defuit Regio Pontificis animo sapientissimi architecti solertia. Formam quippe talem descripsit, quæ Leonis responderet optatis. Nec Pontifici minus animi in perficiundo opere fuit, quam studii in forma optanda probandaq; fuerat. Prætiosi marmoris haud quaquam satis erat: & descripta forma requirebat ingentes marmoris glebas. Igitur eas inde vsq; à Carraria (quæ candidi marmoris lapidicina in Ligurib⁹ est inprimis nobilis) peti iussit. nullaq; habita sumptus ratione Ligustica marmora nauagis imposita longissimo circuitu (quippe infero superoq; mari, Italiæ oram pene quam longa est, circumuehi necesse erat) subuehenda curauit. quæ ad Anconam, siue ad Recinetensem portum demum exposita Lauretum aduehebantur plaustris: ibi ab eximiis fabris eius ætatis maxima mercede conductis, antiqua illa Græcorum, Romanorumq; arte perpoliebantur. Inter hæc auxit loci maiestatem, religionemq;, haud exiguum Lauretanæ Basilicæ additum decus. Leo, vt augustiorem sedis Lauretanæ speciē faceret, Petrū Antoniū Perottum Præfidem sacris operantem cum cætero habitu, tum vero Episcopalibus insignibus venerabilem fecit: eidemq; concessit, vt sacris operatus populo bene precaretur Episcopali ritu. Nec Leonis cura Lauretanū Antistitem magis, quam aram Pontificiis muneribus honestauit. Candelabra argentea quatuor sesquicubitalia auro interlita, & præclaro opere cælata pondo fere quinquaginta: vmbella insuper quadrata egregia Leonis dona sunt. Per quæ tempora Lauretana Ædes aliis quoq; nobilissimorum hominū muneribus culta est. Antonius Leiua Dux Hispanicus exercitus Sacerdotalem ornatum dono misit ex veste Damascena, auro cripso magnifice intertexta. Regina Vngariæ effigiem suam ex argento supplicem pondo xxx. Marchionissa Mantuana Sacerdotis, ac ministrorum solenni ceremonia sacrificantiū vestimenta, argento auroq; contexta. Alii porro alia, qui & si nobiles ipsi erant, tamen sua nomina in suis donis ignota esse voluerunt. quibus ex donis illa eminēt maxime. Statuta argentea B. virginis, cum effigie pueri Iesu globosum orbem tenentis manu, pondo librarum VIII. Huic altera adiecta argentea item statua, & pondere par, & specie similis: hoc vno differt, quod Christus puer gremio matris insidet, dextra prætendens pyrum. Alia rursus ex argento expressa B. Mariæ effigies librarum XI. Itemq; alia, pari fere pondere, cum Cæsareæ aquilæ insignibus, vt vnde ea sit, haud ægre appareat. *Thursellinus lib. 2. c. 17. 21.*

Lauretum magna munera mittuntur.

XXV. *B. Virg. ad montem serratum miracula.*

Non minora miracula edebat, Sanctissima Virgo, apud Monserratum in Hispaniis culta. In prouincia Guiennensi oppidum est Aspi, Diœcesis Tarbensis. In ea vir cum vxore, causa arenæ ad ædificiū eruendæ cum altam fossam fodissent, operiq; insisterent, mole terræ superruentis obruti fuissent, atq; viui sepulti occubuissent, nisi Diuam Virginem momentanea quidem prece sed efficaci tamē ad incolumitatem inuocassent. Hæc enim tali habitu, specieq;, quali apud Monserratum visitur miseris apparuit, terram immensam super impendentem illorum capitibus manu suspendit: donec vicini accurrissent, & aggestam illam molem amoliti, periculo vtrumque exemissent.

Ex eadem prouincia adolescens quidā Ioannes Cassaia Fossolensis, annos XXIV. motus, sed à casu quodam mutus, cum opis causa Monserratum venisset, & in sacello Maiano orationibus nocte vna incubuisset, summo diluculo ad Sacerdotis sacris operantis extremam benedictionem, loquendi vsum recuperauit: votiuam q; tabellam suæ curatrici appendit, in qua gratus beneficii factum fatebatur.

Antonius Quisquier Leocatensis, Aquitanus, ex dolore acutissimo capitis cæcus, cū suadēte quodā Religioso Montē Serratum ab vxore & duab⁹ filiab⁹ duct⁹ fuisset votiuusq; ex cera oculos Diuæ virgini obtulisset visum postliminio recepit.

Bertrandus Benet Vrgellitanus, ex altissimo quōdam fastigio deciduus, cum iam mortem certissimam sibi imminere cognosceret, voto Diuæ Virgini Monserratensi facto incolumis euasit.

Antonius Roius à pyratis captus, ligatusq; cū à nulla ope humanā libertatē speraret, ad S S. virginem conuersus, vt sese compeditum solueret, liberaretq; orauit, atq; impetrauit. Nā pyratis aquatum perrectis perq; continentem excurrentibus, vincula captiuo diuinitus detracta fuere: quib⁹ solutus in mare desiliit, & ad proximum oppidum assiliit, pyratas incolis denuncians, & ad arma populum euocans. Ad hunc modum liber Monserratum iuit, & gratias suæ liberatrici persoluit.

Antonius Calamar, Tarraconensis, accusatus, sed falso, homicidii perpetrati, atq; innocens cædis patratæ in carceres publicos compactus, in manicis & compedibus expectabat, iam decretam capitalem pœnam. Nulla amplius erat illi spes in patronis causarum, nulla in iudice, nulla in homine vllo. Ad Mariam innocentum protectricem opus erat refugere, atq; illius auxilium implorare. Fecit: impetrauit. Nam per miraculum manicis ferreis dissolutis, quibus illigatus fuit, per quandam carceris fenestram effugiens, in tectum conscendens, ab eoq; per cubiculum quoddam, quod etiam miraculose patuit descendens, vt erat compedibus adhuc impeditus domum reuertit, & iniustæ sententiæ mortem euasit, vitam vni & soli post Deum virgini debens.

Biduo post eū, alter Antonius Pedemontanus, voti soluendi causa Monserratum venit. Ibat hic Compostellam, vt visitaret Diui Iacobi Apostoli monumentum. Incidit forte in latrones, quorum vnus iaculo, alter lancea, alii aliis armis miserum male lancinarunt, & caput, latusque vtrumque

ictibus iteratis confoderunt. Alter eorum hominem iam collapsum capillitio comprehendit, & caput ad desecandum tenuit suspensum: cum ille moriturus SS. Virginem, & S. Iacobum inuocauit: ac vterq; per miraculum apparuit, radiisq; fulgentissimis latrones perculsos in fugam coniecit: medica postmodum manu illi saucio adhibita, quæ mortifera vulnera sanauit, atq; incolumitatem restituit. *Aſtolfius lib.* XI. *de imaginibus miraculosis B. M. V.*

XXVI. *B. Columbæ obitus & res gestæ.*

Hoc anno M. D. XVII. B. Columba Trocazani Mediolanensis, institutum S. Dominici in cœnobio S. Lazari professa ad cœlestem patriam euolauit. Puella à teneris annis, ad omnē perfectionem spiritualem aspirauit: vigiliis, ieiuniis, orationi & contemplationi intenta. Cilicio, & flagris ferreis domabat corpus. Diebus Veneris, insomnes noctes in meditatione passionis Christi traducebat. Singulis diebus officium B. V. & Psalmos quos à pœnitentia vocant, nec non multas alias orationes deuotissimè recitabat. Puellas æquales, ad contemptum mundi sollicitabat. Non mortales tantum culpas, sed etiam veniales omnino fugiebat, adeo vt nec verba otiosa loqui vellet. Sacerdos, cui adhuc secularis confitebatur, aliquando vultum eius confitentis aspexit lumine quodam insolito circumfusum, quo puritas animæ illius indicabatur. Peste Mediolani grassante, ex qua etiam matrē amisit, cum domi conclusa ægra iacerct, nec esset qui adiuuaret, aspexit Diuam Virginem Deiparam, quæ duabus virginibus comitata, multis diebus cibum illi & reliqua, necessaria ministraret. In Xenodochium, quod Lazaretum vocant, translata, cum conualesceret, & ab impudente Medico sollicitata ad nefas fuisset, constanter recusauit, & ministris infirmorum scelus aperuit: tandemq; SS. Virginem, cum iisdē quibus prius comitibus vidit, quæ se vnguēto quodam pretioso vnxisset, atq; sanitati restituisset. Habitum postmodum Tertii Ordinis S. Dominici suscepit, totoq; decennio portauit: donec Religiosis visum illam secundi Ordinis insigniis velo & scapulari ornare: quibus illa dies, seipsa maior esse contendebat, dies noctesq; æstuans amoris diuini incendio. In summa erat exemplar totius sanctitatis: quam etiam Deus mirabilibus signis illustrauit. Orante semel ante imaginē Crucifixi, quinq; radii ex quinq; stigmatibus imaginis erumpentes, illam illuminarunt. Alias dormientem, immensus quidam splendor circumdedit: q̄ iterum eidem in oratione positæ euenisse visum fuit. Aliquando à Crucifixi simulachro radius emergens, in os illius intrauit. Perstante in Cantico Salue Regina, flamma quædam innoxia ex illius ore emanens, vsq; ad tectum Ecclesiæ ferri conspecta est. Christus illam semel aureo diademate coronauit. Inter communicandum Sacris mysteriis, candida columba splendoribus corrusca capiti illius insedit. Angelorum concentus in choro aliquando audiuit: & cum de illusione dæmonum nonnihil suspicar. tur, tandē Angelos iubilantes esse certo certissime didicit. Duas animas, vnam Minoritæ, fratris sui, alteram F. Hieronymi Alexandrini Dominicani, pœnis purgatorii, q̄ nudus mortem obiisset, addictas, conspexit. prothetico spiritu multa, & in his secreta cordium, tentamentaque plurimorum cognouit. In orationibus tantæ efficaciæ, vt nihil quod petebat non obtinuerit: vel saltem per reuelationem non didicerit, non expedire illi exaudiri, pro quo postulasset. Sale aliquando in cœnobio minime existente, impetrauit, vt cibaria sapidissima gustarentur. Cupiens & orans experiri dolores Christi passi, eos inuisibiles per multos menses persensit in locis cicatricum quinque. Alias legati Iesu ad columnam cruciatus experta est, quando manus & pedes inuisibilibus vinculis ligari sibi visa, præ dolore in terram corruit, inque lectum translata toto eo die in extasi iacuit. Tentatione carnis à dæmone aliquando exagitata, cum in orationem se prostrauisset, apparuit illi S. Thomas Aquinas duobus Angelis stipatus, qui illam suo cingulo cingeret, atque ardorem libidinis extingueret. Tribus vicibus Sanctimonialibus præposita, matrem, & speculum se omnibus omnium virtutum exhibuit. Moritura, genibus flexis in terram Sacrum Missæ audire, & Sacra mysteria recipere voluit. In agone sitiens, ob memoriam sitis Christi bibere recusauit: sed eius cruci affixi imagine ori admota: *Tu*, inquit, *tu meam sitim extingue dulcis Iesu*: atque vna hora in extasi mansit. Ridens mortem obiit, erectis in cœlum luminibus. Sepulturæ traditæ, oculos aperuit, multisque editis miraculis, quam ingentis fuerit sanctitatis declarauit. *Pius lib. 3. de Sanctimonialibus Illustribus Ordin. Præd.*

Crux punicei coloris in Saxonia visa.

Hoc anno, in festo Natiuitatis Domini, in Saxonia circa Cœnobium Vinariense, media nocte cœlo sereno, Crux punicei coloris in cœlo visa est. *Author de prodigiis & ostentis.*

ANNO CHRISTI M. D. XVIII.

LEONIS PAPAE X. ANNO 5. & 6.

MAXIMILIANI ROM. REGIS ANNO 33.

I. *Selymi Actorum repetitio.*

Equitur annus M. D. XVIII. quo Italia, quod iam ante multos annos non contigerat, ne minimum quidem belli motum sensit: imo idem in omnibus Christianis Principibus apparebat, inter quos Pontifice auctore, non tam speciatis sermonibus quam grauibus consiliis, de communi totius Christianæ reipublicæ contra Selymum Turcarum Principem expeditione agebatur: qui superiore anno, vt sæpius diximus, ita imperium suum auxerat, vt eius potentia, nec minus dominandi cupiditate, virtute, ac ferocitate cognita: ne, nisi Christiani eum primo quoq; tempore adorirentur, intra non multum tempus, victricia arma in Christianos conuerteret, merito dubitaretur. Selymus enim, vt paucis rememoremus, quum Baiasetum patrem suum, iam valde senem, de Achomate maximo natu filio in imperii successione firmando cogitare præuidisset, contra eum coniuratione facta, prætorianis militibus largitione corruptis, armis illum, vt sibi imperii ius cederet coegit: quin etiam communis opinio fuit, illū, quo prorsus tutus esset, veneno eum nefarie sustuliſſe. Fratrē quidem prælio victum aperte vita priuauit: idem & Corchuto minimo natu fratri fecit: neq; nepotum atq; omnium qui ex illa stirpe viuebant ex Ottomanorum consuetudine cæde contentus, aliquando (tam fuit acerbo & immiti ingenio) de Solymano vnico filio necando cogitasse creditur. Ex his initiis bella ex bellis ferens, Adulitis siue Aladulis montanis & ferocibus populis deuictis, in Persidem contra Sophū progressus, cum prælio vicit: Taurim eius Imperii sedem, cum maxima Persiæ parte occupauit: quam post, non quidem hostium, qui ipsius exercitus timore sese in montana syluestriaque loca receperant virtute, sed cum eo anno summa sterilitas esset, commeatu deficiente, deferere coactus est. Ab hac expeditione Constantinopolim reuersus, & multis militibus qui seditionum authores fuerant supplicio affectis, copiis peraliquot mensis refectis ac suppletis, se iterum ad Persas debellandos redire velle simulans, in Assyriæ & Aegypti Sultanum arma conuertit. Erat is princeps non modo in ea religione vetustissima reuerentia & dignitate maximus, verum etiam Imperii amplitudine, maximis vectigalibus, & Mamaluchorum, quorum armis imperium illud per trecentos annos summa cum dignitate possessum fuerat, militia potentissimus. Cum enim ei Imperio Sultani, qui nō successione, sed suffragiis ad supremum gradum euehebantur, ad quem nulli nisi spectatæ virtutis viri, & per omnes militiæ gradus ad prouinciarum exercituumq; administrationem prouecti extollebantur, præfuissent: cumq; illorum militiæ neruus non ex mercenariis externisq; militibus, sed delectis viris qui ab infantia ex victis prouinciis abrepti, ac per multos annos in victus parcitate, laborum tolerantia, & assidua armorum equestris omnisq; militaris disciplinæ exercitatione educati, in Mamaluchorum ordinem referebantur: defunctorum haud quidem Mamaluchorum liberis, sed aliis qui ab infantia in seruitutem abducti, eadem disciplina, iisdemque artibus quibus priores paulatim ascendebant, in eorum locum succedentibus constaret: hi numero non supra sexdecim vel octodecim millia, omnes Aegypti, Assyriæque populos armis omnibus spoliatos, & equorum vsu interdicto acerbissimo seruitutis iugo premebant. & cum tanta virtute ac ferocitate essent præditi,

diti, vt ipsi per se bella gererent (ex illorum enim numero & ab ipsis Sultani creabantur) ac penes ipsos omnes illius opulentissimi ditissimiq; imperii honores, emolumenta, & Magistratus essent, nō modo multas vicinas gentes domuerant, Arabesq; afflixerant; sed multis etiam cum Turcis bellis gestis, complures victorias ex illis reportarant: ipsi autem raro vel numquam potius ab eis victi fuerant. Contra hos igitur cum exercitu suo profectus Selymus, cisq; plurib⁹ prælijs in quibus cæsus fuit Sultanus, & deinde alio prælio alter Sultanus qui illi succesſerat captus, & ab illo publice turpi supplicio affectus, in acie deuictis; ingentiq; cæde facta, imo Mamaluchorum nomine pene extincto, Cayro frequentissima vrbe, in qua Sultani sedem habebant expugnata, breuissimo temporis spatio omnem Assyriam, omnemq; Ægyptum occupauit: adeo vt quum tam breui tempore imperium suum tantopere propagasset, Imperii Ottomanici vectigalia fere duplicasset, ac tam potentes tantæq; æstimationis æmulos amouisset, non sine causa Christianis esset formidabilis. Prætcrea illud quoq; merito timorem augebat, quod tantæ potentiæ ac virtuti, ardens dominandi; nominisq; sui victoriis apud posteros gloria illustrandi cupiditas coniuncta esset; qua (vt fama erat) quum sæpe res ab Alexandro Magno & Iulio Cæsare gestas legeret, quod res à se gestæ nulla in parte tot illustrium virorum victoriis atque triumphis essent comparandæ; mirum in modum animo excruciabatur. cumque assidue copias militiamq; suam suppleret; maximum nauium numerum ædificari curaret, nouosq; ad bellum necessarios apparatus faceret: alii; ne vbi paratus esset; Rhodum Christianæ Reipublicæ in Oriente propugnaculum, alii Pannoniæ regnum ob incolarum ferocitatem à Turcis formidatum: tunc verò quod pupillum Regem; cuius curæ regni Antistites & proceres inter se dissentientes præerant haberet eneruatum, oppugnatum vaderet metuebant. Alii vero eius cogitationes omnes in Italiam, vtpote ad quam inuadendam, eum Principum discordiæ, quodq; quam diuturnis bellis esset lacerata minime ignoraret, & Mahumetis aui sui qui viribus longe minoribus paruaq; classe in regnum Neapolitanum missa, repentino impetu Hydruntum expugnarat; & nisi eum mors obruisset ianuam sibi aperuerat, sedemq; ad Italos assidue vexandos fixerat, memoria alliceret atq; inuitaret; cōuersas aiebant. Quamobrem Romanus Pontifex vna cum vniuersa Romana Curia tanto successu territus, & se vt tam graui periculo occurreret, prius Diuinam opem implorare velle ostendens; religiosissimas supplicationes quas ipse toto triduo nudis pedibus obiit; ad præcipua vrbis templa decreuit. deinde ad humanorū auxiliorum cogitationem conuersus, ad omnes Christianos Reges ac Principes epistolas dedit, quibus eos de tanto periculo admoneret: atq; vt dissidiis contentionibusq; depositis, religioni Christianæ & communi saluti, quæ nisi animis omnium viribusq; coniunctis, bellum in Turcici imperii fines transferretur, hostisq; intra proprios parietes oppugnaretur; grauissimis periculis assidue esset subiecta, tuendæ prompte operam darent hortabatur. qua de re multorum militarium virorum, & regionum ac prouinciarum situs, eius imperii virium & armorum peritiam habentium sententiis rogatis sic decernebatur, vt maxima pecuniæ vi ex voluntaria Principum contributione, & omnibus Christianis populis impositio censu collecta, Cæsar Pannonico Sarmaticoq; bellicosarum, & assiduis cum Turcis bellis exercitatarū gentium equitatu, & talib. Germanorum equitum & peditum legionibus quales tanta expeditio postularet stipatus, Danubio in Bossinam, quæ veteribus Mysia dicebatur nauigaret: inde in Thraciam transiret, & Constantinopolitanæ vrbi, Otthomanorum imperii Sedi appropinquaret: Galliæ Rex cum omnibus regni sui & Venetorum, reliquorumq; Italorum viribus, & Heluetiorum pedestribus copiis, ex Brundusino portu in Epirum facili breuissimaq; nauigatione traiiceret: vt inde in Græciam Christianis habitatoribus refertum, eamq; ob causam, & ob Turcici imperii acerbitatem ad defectionem paratissimam irrumperet. Hispaniæ, Lusitaniæ, Angliæq; Reges classibus suis Cartagine noua, & in vicinis Hispaniæ portubus coniunctis, ducentis nauibus Hispanis peditibus aliisq; militibus refertis, Gallipolitanum fretum vt Dardanellis siue castellis expugnatis, Constantinopolim oppugnarent, peterent; quo & Pontifex ipse cum centum rostratis nauibus Ancona soluens nauigaret: quibus apparatibus, quum terræ & maria tegerentur, Turcarumque qui præcipuam defensionis spem in campestri pugna ponunt, imperium tot ex partibus oppugnaretur, diuino præsertim præcunte præsidio, tam pii belli felicissimus exitus sperari posse videbatur. Hæc vt tractarentur, & vt ne Pontificio muneri defuisset, Leo Principum animis prius exploratis, in Purpuratorum Senatu inter omnes Christianos Principes, grauissimis in eos qui nō paruissent sacrosanctæ potestatis adiectis minis, quinque annorum inducias promulgauit, *Guiciardinus lib. 13. & M.S. Bibliothecæ Vaticanæ num. 1295. & Paris Episcopus in notis diariis*, inque modum sequentem paruper pro diuersitate Principū imutatis verbis illis scripsit.

Pontifex Leo X. Romæ supplicationes instituit.

I.

Regi Britanniæ.

II. *Idem Imperii Principes contra Turcā excitat.*

Sane quam pro mea in rem Christianam pietate gauisus sum, & Maximilianum Romanorum Imperatorem designatum, & Francisc um Gallorū Regē & Carolū Regem Hispaniæ, super capessendo in Turcas communi sententia paratos se esse omnia facere nuper mihi amantissime significauisse: qui quidem omnia sua studia, opes, facultates, semetipsos denique ad id pollicendo, nostram omnem de illis spem expectationemq; impleuerint. Itaq; sperare iam incipio, non longissime abesse illud tempus, quo viuere nos non pœnitebat. Nam vt adhuc quidem se res habuit, dum & nos nostris inter nos odiis dissentionibus conterimur, & Turca suis progressibus maior in dies formidabilior q; sit; bene cum illis actum videri poterat, qui se ab iis, qua impendere mala putabantur, moriendo præripuerāt: præsertim si esset eiusmodi qui alios regerent: vt si quid mali accidisset, ipsis tribueretur. Nunc vero, cum & illi, quos dico Reges nihil se recusaturos profiteantur, vt bellum suscipiatur: & tuæ item litteræ tuorumq; Legatorum sermones in eandem nos opinionem erexerint: vt quod ad te attinet, nihil simus desideraturi eorum, quæ per te parari conficiq; poterunt: cum, vt dixi, labor tantum esse consensum vestrorum animorum bellum gerendi, tum in eam spem adducor: vt existimem, qui extrudere nos nostris sedibus cogitarunt, audaciores hostes nostri, suis ipsos regnis exturbatos, suis expulsos terris tempore domiciliis ea nobis victoribus relicturos. Quamobrem cum Venerabilibus Fratribus meis S. R. E. Cardinalibus re mature considerata, adhibitis ad id tuis caterorumq; Regum Legatis, primum quidem quinquennales inducias inter Christianos omnes indicimus, eas q; uno his diebus inter Sacra, Deo & Sanctis festibus edicto nostro publice sanciturī. Deinde, quoniam nummi quasi nerui bellorum sunt: ad eos cogendos eam propè rationem inire nobis placuit, de qua nos Maximilianus admonuit scripto suo: cuius exemplum ad te mitto, additis quæ mihi addenda esse & ad celeritatem, & ad facilitatē sunt visa: vt vel id tu quoq; si tibi videbitur, probes; vel scribas ad nos cui non probes, afferasq; ipse meliora. Sed te puto facile probaturum nouū eminentium & liberalitatem tuam. Atq; vt hæc, & reliqua quæ agenda sunt maiori cum dignitate transigantur, ad te, Regesq; reliquos mittes Legatos decreui ex iis qui Cardinales sunt, magnos & claros viros: quibus ea sola cura sit, quæ ad bellum pertinent apud vos procurādi: vt celerius omnia confici atq; festatius possint. Quæ cum ita informata sint, vt res iam caput habere videatur, quod est omnium difficillimum atq; maximum, te non hortor modo, sed plane etiam atq; etiā obs te peto, quæsoq; vt quod mihi significasti velle facere te, id itaiam re cures, agas, efficias: vt si quis erit Regum nostrorum ad fidem suam præstandam lentior, is tuo exemplo commoueri possit: vt cum tu, à quo propter longinquitatem minus coleriter curari potest, tuas iam partes citius impleueris, sese pudeat tardiorem te fuisse, negligentiamq; suam, plura etiam quam pollicitus fuerit in commune conferens reponat. Id quanta gloria tibi futurum sit, nemo te melius intelligit. Plura non dicam: res enim satis per se ipsa loquitur: vel Deus Dominusq; noster potius te pro se alloquitur. Eum te par est audire, cui tantum ipse rerum optimarū maximeq; experendarum dedit: vt nisi earum multo maximam, si sit opus, partem ipsi te hoc tempore poscenti profuderis, non satis dignus eo munere fuisse videare. Hæc dies atq; noctes cogitare te oportet: & vt video, cogitas. Sed non tam pulchrum est profiteri atq; recipere te facturum recte aliqu: d: quam perficere quod pollicitus es, etiam necessarium: vt boni Regis nomen adipiscare. In altero nutus animi voluntasq; tantum ostenditur, quæ flecti & commutari facile potest: in altero ineſt constantia perpetuitasq; voluntatis: quæ quidem multum roboris multumq; virtutis requirit. Sed tu hæc fortasse melius. Reliqua quæ sunt, ea de tuis Legatis intelliges, quibus cum & multa & sæpe sumus locuti. Tu velim ad nos literas omnibus de rebus des quam crebberrimas: vt quod locorum longinquitas intercipit, sedulitate nobis diligentiaq; tua restituatur. Datum. III. Non. Martias. M. D. XVIII. Anno V. Roma. P. Bembus lib. 14. epist. 21.

II.

Ludouico Regi Pannoniæ.

Indictis per nos his diebus inter Christianos omnes quinquennalibus inducijs, ob suscipiendum in Turcas communi consensu bellum, statueram ad te mittere certum hominem, qui temultis de rebus doceret, quas te scire oportere maiorem in modum existimabã. Itaq; nunc ad te mitto Nicolaum Scombergium Germanum, qui est ex societate Augustinianorum, cum qui tibi has litteras reddidit, & prudentem sane hominem, maximisq; tractandis rebus exercitatũ, & mihi summopere probatum & gratum: vt & illa quæ duco, tibi significet: & curam gerat, ea quæ ad bellum pertinent, tecum & cum tuis procurandi, quod si Cardinalis aliquis ei succedat, qui tibi nostro nomine præsto sit: quem admodum tibi reliquisq; Regibus scripseram facere me velle. Reliquum est vt te horter, vt prætermissis omnibus aliis occupationibus tuis huic curæ totum te plane des: hoc cogites: in hoc nervos omnes intendas tuos, vt Christianæ Reipub. plurimũ opis afferq; præsidii compares. In quo & maiorum tuorum, qui multa cum Turcis bella magno animo gesserunt, æquare gloriam poteris: & tuos fines longe lateq; promouere: & Dei Opt. Max. qui tibi tantum regnorum dedit, causam valde quidem illam periclitantem defendere, planeq; restituere. Datum XVI. Cal. Aprilis M. D. XVIII. Anno V. Roma. P. Bembus lib. 15. epist. 1.

III. *Leo X. ad varios Reges mittit Legatos.*

Cæterum vt ea quæ ad tantam expeditionem spectabãt, de quibus etiam Pontifex assidue cum Principum Oratoribus agebat, probarẽtur & tractarentur, Thomam Caietanũ Dominicanum Sancti Sixti Cardinalem ad Cæsarem, Bernardũ Bibienam ad Francum, Egidium Augustinianum ad Hispanos, & Laurentium Campegium ad Anglum Reges, omnes aut negotiorum tractandorum peritia, aut doctrinæ præstantia aut Pontificis familiaritate magnæ authoritatis Cardinales legatos destinauit: reseruata Thomæ Cardinali Strigoniensi apud Hungariæ, Boemiæ, & Poloniæ Reges authoritate Legationis, non ita pridem concessa: cui quidem, si opus foret, Cardinalis Caietanus subueniret. Ista omnia, & si magna expectatione cæpta fuerint inducięq; ab omnibus confirmatæ, & omnes se contra Turcas si cæteri concurrerẽt, verborum ostentatione & magnificentia ad tam iustam causam paratos ostenderint: tamen cum ab omnibus periculũ incertum & valde remotum, magisq; ad vnius, quam alterius rationes spectare censeretur: cumq; tantum omnium ardorem cõsensumq; conciliare difficile admodum esset, multumq; temporis postularet, priuatæ rationes & commoda vincebant: adeo vt hæc non modo eo vsq; vt spes aliqua haberi posset non sint perducta, verum etiam leniter & ad ostentationem tantum tractata fuerint: cum etiam hominum naturæ insitum sit, vt ea quæ initio terrori fuerunt, indies sic paulatim minuantur, ac deleantur, vt nisi noui casus qui terrorem renouent incidant, exiguo tempore temere homines prorsus fere desinant. *Guiciardinus lib. 13.*

IV. *Maximilianus Augustam Imperii Principes conuocat.*

Et quidem Maximilianus Cæsar Augustam Vindelicorum, Principes imperii ad Comitium ea de expeditione vocauerat. In eorum frequentissimo consessu, Legati Apostolici ad hunc modum verba fecerunt.

Boni adsumus nuncii, Illustrissimi Principes. Leo Pontifex Maximus post Apostolicam benedictionem, Romanum, Christianum, idemq; vestrum imperium occupatum à Turcis, restitutũ vobis vestra ac Christianæ reipublicæ virtute & opera cupit, dissonit, ac primum à vobis petit. Memoria siquidem cum repetimus maiorum vestrorum gloriam, animi magnitudinem, & ea quæ fortiter ac strenue gesserunt pro republica gesserunt, si Ecclesiæ præsertim religionisve causa ageretur, non possumus læti atq; hilares nos ipsos continere. cum non intra nos dicamus, non admiremur, non coniectamus, non æstimemus, sed ipsis, vt aiunt, oculis conspiciamus, quãto sitis animo, quantis viribus ad Christi rempublicã capessendã, priscorum vestigiis insistentes accersiti. Ita vt qui annis prope septingẽtis Romanum imperium ereptum à Græcis, receptum à Gallis, summa side Apostolicæ Sedi seruastis: idem quoq; nunc sit non modo non dissidẽdum, sed quacunq; orbis patet, vestra quoq; virtute ac fide propagandum. Italia omnis si quam spem reliquam habet, si quam victoriæ lucem videt, Germanos Christiani huius belli auctores, ac duces, eosdemq; confectores sibi pollicetur. Nullibi enim tantum Christiani nominis ac fidei patrocinium, quantum in Cæsare & Germanis principibus esse, & residere arbitratur. nec vos degeneres futuros ab Ottonibus, Henricis, & id genus aliis, in periculo præsertim religionis & imperii, sibi persuadet. Nolite itaq; pati, vt qui tantam de vobis opinionem concepерunt, irritã ac inanem fuisse postea fateantur: præsertim cum præsidere Deum Opt. Max. vestris ductibus sciamus. Cum enim causa hæc agitur, Dei causa agitur: cum in nefarium impurumq; Turcam acies instruitur, pro Deo pugnatur. Cum in hoc mortis genus itur, pro Deo cadimus. Felicissimum profecto mortis genus, quo vita comparatur, & ea æterna. An forte timendum vobis est Germani, vt hostibus cedatis, qui ipsas quoq; Romanas legiones, alias inuictas, profligastis? Etsi enim qui imminet hostis late dominetur, ne dicam regnet: licet Syriam & Ægyptum nuper subegerit: si tamen ad mentem reuocemus, cũ quibus pugnam manuq; conseruerit, nihil est quod vltra admiremur, cum imbelles quosq; deuicisset. Cum Orientalibus quippe pugnatum est. Sinite, sinite cum Germanis congrediatur: inueniet legitimos milites, experietur inuicti roboris viros, sentiet Omnipotentis Dei in vobis manum. Persequi mini tantum (vt diuinum vsurpem oraculum) inimicos vestros, & corruent coram vobis. Persequentur quinq; de vestris centum alienos, & centum ex vobis decem millia. An forte abbreuiata est manus Domini, vt saluare nequeat? In promptu est, vnde conuertatur Deus & ignoscat. Dabunt siquidem tot millia hominum nomen in Christi militiam: signum sacrosanctæ crucis, omnium culparum expiatium tanta multitudo suscipiet: criminaq; nostra passim pis in sanctum hoc opus largitionibus redimemus, vt procul dubio factus caro & frater noster Deus, non sæuiat in suas: qui cum nisi Dominus humani generis esset, pugnauit pro externis, ac pro seruis. Agite quod vestra interest, & venite, & arguite me, si deero vobis, dicit Deus Optimus Maximus. Bella non vsquequaq; extincta, ne tam necessario diuoq; operi impedimento sint, Apostolicis, vt par est, mandatis quinquennalibus inducijs tollitis roganus. Iesu Christi proprium admiramur, veneramurq; opus, efficere pacem hominibus bonæ voluntatis. Nobiscum bene agetur, si aliquãtula fiet quies, etiã inquieto animo retento. Bello autẽ suscipiendo, quæ via, quisve modus habendus, (licet quot capita, tot sensus) probatã cum plurimorum sapientum consilio sententia fuit, oportere imponere sacris initiatis Decimas, plebeijs quinquagesimas, cuiq; domui stipendium vnius militis, diuitibus annui census ac lucri vicesimam. nec vos terreant, Decimæ, vicesimæ, aut quinquagesimæ insuetæ nomina nouaq;: horrenda quoq; nobis (hæc affirmauerimus) si nuda occurrerent. Verum cum quinquagesimas, vicesimas, decimasq; non sit soluere sed deponere, idq; tutissime, vt ea lege debeant; vt nisi desinto tempore in expeditionis istius opus conferantur, illis qui deposuerint restituantur, pium, sanctum, optabileq; cuilibet fore Christiano censebitis. Quare trepidare timore vbi non est timor, desinant: desinant & circumloqui, asserentes, expeditionem hanc fucatam esse, & auri sacram subtegere famem. Desinant inquam iactare, nos Turcæ sumus, quibus expellendis incumbitur: in nos expeditio ista seuiet. Vacate & videte, quæso, quã superuacaneus est metus & sermo iste. Percipite, quã pie, quã sancte, & cum sacris mitiatis, & populis vniuersis agatur. Nolumus nos aut Thesaurarii, aut Exactoris officio fungi. Non eo tendimus, vt in nostrã potestatẽ æra redigantur. Veteres reuoluite historias, inquirite, si vllo vmquã tempore Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinales de Latere Legati, interdictis etiam à iure facultatibus, ad Pontifices, eorumq; rem pertinentibus, vt in præsentia cernitis, prodierint? & animaduertite omni exceptione laudeq; dignam, maiorem Leonis Pont. Max. pietatem, atq; liberalitatem, ex propriis tot per regna legatis opportuna conferentem. Non quærit profecto vestra, qui sua pro vobis sponte magnificeq; largitur. Sed quid Pontificii animi argumentis immoramur? Reipsa comprobare operæ pretium est, nos non quærere vestra. Inuenite vos ipsi: inueniant metuentes ipsi modum quempiam, quo quicquid auri ab gentiue collatum fuerit, tutum adeo sit, vt nec in exactorum custodumue stipendia aliquid cedat: sed integra vniuersa, aut ad expeditionis huius vsum cedant, aut ad eos qui dederint redeant. Non quærimus Germanicum erarium in Italiam transferre: at in Germanorum militum stipendia erogare cuncta summus Pontifex vult: atq; præcipit, nullum locum dolo fraudiue relinqui. quin & vos clara luce videtis, quod Christiana Respub. religio, regnum, templa, vrbes, oppida, in vestra se propugnacula contulerunt, vestram opem implorant, vestris genibus aduoluuntur. Si ista destituitis, vos ipsos Germani destituitis: quãdo omnes in Maximiliani aquilas respiciamus, nec aliunde quam à Romano imperio auxilium expectamus: quando res vestra non minus quã aliorum regnorum agatur. Contermina siquidem Turcis Germania præ aliis est. Italia enim, quamuis Turcarum classi magis sit obuia, prius tamen quam in Italiam Turcarum copiæ terrestri itinere inuadant, (quo in exercitu constat vim omnem belli victorieq; sitam esse) Germaniam oppetere oportet: nisi Carinthiam, Styriam, Croatiam & Vngariam Germaniæ mœnia esse inficiati fuerimus. Solertissimus Leo Pontifex, dici non potest, quantis vigiliis in hanc rem incumbat. Non dies, neque noctes ab hac cogitatione auelli potest: non si comedat, aut bibat, aliud pectore agitat. Non sua tantum iam, sed ipsum, sanguinem & vitam ipsam, pro Christiana religione & impe-

V. *Pontificiorum Legatorum Augustæ Acta & consultationes.*

Dicebant ista Apostolici Legati, in consessu Principum Augustano. Secundum hæc exhibuerunt Principibus, Consultationem Romanam istis verbis conceptam.

Consultatio Romana. id est.

Proposita & tractata Romæ à Summo Pontifice & Sacro Cardinalium Collegio, in Consultationibus sanctæ expeditionis, quæ ad Principes Imperii mittenda visa sunt, eorum quoq; prudentia & consilio examinanda. si quid addendum, minuendumve videatur, corrigendum. Die XII. Nouembris, M. D. XVII.

I. An hoc bellum sit suscipiendum.
II. Si suscipiendum, defensiuumne an offensiuum.
III. Quæ belli susceptionem impedire posse videantur: & quoquo modo ea dimouenda.
IV. An bellum susceptum per omnes Christianos Principes gerendum, an per aliquos tantum, & per quot, aut quos.
V. Quanto apparatu bellum hoc instrui & geri conueniat: & de rebus ad apparatum necessariis. Primo de reconciliando Deo: secundo, de pecuniis: tertio, de copiis militaribus. Quo

ad pecunias, quomodo cogendæ quæ satis esse possent: & per quos custodiendæ, ac dispensandæ. Quoad militares copias, ex quibus potissimum nationibus, & ad quem numerum tam equestres quam pedestres assumendæ sint. & hæc ad belli apparatum pertinent.

VI. Ad consultationem vero & administrationẽ belli gerendi. Primo, qua via eundum sit aduersus hostes, Terrane an mari, an vtroq; modo. Secundo, an diuiso in partes exercitu & terrestri & maritimo, an viribus in vnum coactis. Tertio, quo itinere & terra milites ducendi, & mari traiiciendi. Quarto, vbi conuenire in vnum exercitus, & quæ primum aut potissimum loca hostium debeat inuadere. Quinto, quæ prouidenda, vt commeatus necessarii nostris exercitibus suppeditẽtur.

Erunt & alia duo, extrinsecus ad huiusmodi belli rationem vel necessaria, vel vtilia. Primum ea, quæ hoc bello acquirentur, si Deus adfuerit, quomodo inter Christianos Principes, & quorum iudicio diuidenda: & ante ne bellum, an post, vt causa litium amoueatur. Alterum, an aliquis infidelium sibi metuens, & hispectam habens Turcæ potentiam, sit ad huiusmodi belli partem capessendam ex suo latere per nos incitandus. Præmisimus capita rerum, quæ in consultationem veniunt per ordinem: nunc singulis eodem ordine explicandis nostram sententiam accommodabimus.

CAP. I.

An hoc bellum sit suscipiendum.

Hoc non videtur cadere in consultationem. Non enim iam est in potestate nostra, cum noster æternus & potentissimus hostis, maximos apparatus fecerit, faciatq; ad nos, & Istatu, & fortunis, & vita ipsa exturbandos ac spoliandos, palamque iactet valde ferociter se Orientem modo subegisse: nunc Istatim ad Occidentẽ arma conuertere: nec sit nisi vniuersa Christianitate capta vllo modo quieturus, vt nos aut dare illi gratis nostrum sanguinem, aut ferro cũ eo decernere oporteat. Nullum igitur habet locum consultatio, vbi interuenit necessitas.

CAP. II.

Suscipiendum ne bellum offensiuum, an defensiuum.

Ne hoc quidem valde dubitandum est, quia longe melior sit cõditio inferentis bellum, quam propulsantis. Primũ, quia aggredi vltro hostem maioris est & animi & authoritatis, quã illius impetum expectare: cũ aduersarii animus eo magis minuatur, quo magis illum audere viderit, contra quem decertaturus est. Deinde si quid debile aut infidum est in Istatu inimici, id data occasione detegatur: qualia multa profecto in Istatu Turcarum, si eo nostri exercitus peruenerint, deprehendentur, quæ & pro nobis valde & contra illos facient. Postremo Ciuitates & populi externo bello perturbati, de salute sua cogitant, nec habent spatium ad ea comparanda, quibus hostis in suis regionibus vexetur. Atq; hæc incommoda cũ hostibus importantur inferendo vltro bello, tũ à nostris remouentur. Possunt & aliæ plures rationes adduci, quare inferri bellum vtilius sit: sed eæ faciles cogitatu sunt. Duo tamen in bello offensiuo diligenter animaduertenda sunt: primum vt eis viribus contra hostem eatur, quibus ille opprimi debeat. Deinde vt periti locorum atq; hostium, ad omnia belli consilia adhibeantur. Sed hæc & alia multa prudentia & vigilantia ducum non fallent.

CAP. III.

Quæ impedire hoc bellum possent, & quomodo ea dimouenda.

Essent enim impedimento maxime discordiæ & dissensiones, quod Deus auertat, Christianorum Principum inter se, si quæ nunc sunt, aut si quæ postea exorirentur. Ad quod malum exitiale tamquam semen Sathanæ penitus eiiciendum, pax quidem optanda esset, sed generales omnino inducię saltem ad annum, ac deinde donec hoc sanctissimum bellum manserit, ac eo finito ad sex menses faciendæ sunt: Quæ omnium Principum religiosissimo iureiurando sanciantur: ac omnium Ecclesiasticarum censurarum, Anathematisque, priuationis quoque regni, bonorum, priuilegiorum, Iurium pœnis muniantur: vt qui eas læserit, hostis publicus Dei & fidei Christianæ sit, appelleturque, dictasq; pœnas cæteri ab eo Principes repetere debeant

Si quæ vero oriantur controuersiæ, aut per Romanum Pontificem & sacrum Cardinalium Collegium decidantur, aut post finem belli differantur, Esset etiam fortasse sanctius & vtilius, vt fieret vna sancta fraternitas Principum cum Romano Pontifice, Iuramento votoque vallato, sub eisdem censuris & pœnis contra eam violantes: Iurarentque omnes & obligarent se, ruptorem huiusmodi fraternitatis se communiter armis persecuturos, appellareturque ista Fraternitas Sanctæ Cruciatæ.

CAP. IV.

An bellum gerendum per omnes Principes sit, an per aliquos tantum, & quos.

Scribitur in Actibus Apostolorum, quod post aduentum Spiritus Sancti in discipulos Christi, erat credentium cor vnum & mens vna. Hoc si in Christianis Principibus maximo Dei munere inesset, iam pateret Dei voluntas, non solum de hac victoria, sed de vniuerso orbe terrarum ad suam sanctam fidem conuertendo: quod tamen per eiusdem gratiam Dei futurum confidimus. Nunc vero non videtur numerus Ducũ pari potestate in vno exercitu necessarius: & tamen propter casus humanos duos præesse conuenit, qui sint potentia & auctoritate magni, & mutua charitate Deo auspice coniuncti. Nec vero dubium est, qui maxime apti propter plurimas causas, Sacra Cæsarea Maiestas, & Christianissimus Francorum Rex: quas causas, eo quod pateant, non commemorabimus. Sed his duobus tantum terrestrium exercitum ducentibus; & si cæteros Reges & Principes ad hunc laborem propter longinquitatem non vocamus, eorum tamen auxiliũ vt quisque commodius potest, vel pecuniarum, vel militũ necessaria ducimus. Ad quæ conferenda omnes prompti esse debebunt: cũ vnusquisque eorum nobilis sit pars Christianæ reipublicæ, Deoque acceptam referat Regiam suam dignitatem, & in communi salute defendenda suam quoque & suorum defendat. Omnium igitur auxiliis, sed horum duorum concordi Imperio & prouidentia, bellum hoc recte administraturum iri confidimus. Qui duo iam se obtulerunt; simulq; multi alii Reges, Principes, & Nobiles, suas facultates huic sanctissimæ expeditioni polliciti sunt: quorum virtutis & pietatis exemplum, Deo corda disponente, reliqui, vt speramus, sequentur.

CAP. V.

De apparatu belli, & rebus ad apparatum necessariis: ac primum de Dei auxilio.

Apparatus vero huius belli, cum multa & magna postulet: inprimis est Dei auxilium pro nobis comparandum. In manu enim eius sunt omnium fines, & omnium iura regnorum, Sine quo nihil validum est, nihil forte. Qui quamquam nostris peccatis grauiter offensus credi potest; tam est idem, si ad eius misericordiam compuncti corde confugimus, clemens ac placabilis, qui Niniuem quam subuertere destinauerat, propter pœnitentiam illius populi saluam esse permisit: Is ergo cum propter Principum olim populorumque peccata Asiam, Græciam, Traciam, Africam, aliasque prouincias in prædam hosti eidem concesserit, tota mente ab omnibus nobis deprecandus, obsecrandus, humillimeq; orandus est, ne nos in similem det calamitatem. Modi autem quibus reconciletur Dominus, sunt preces diurnæ nocturnæq;, ieiunia, eleemosynæ, sacrificia, & inprimis cor contritum pœnitentia & humiliatum. Hoc enim maxime vult Dominus, qui teste prophæta, non eget aliis honoribus, nec bonis nostris. Reformandi igitur mores, animi ad Deum conuertendi, prædicatoresq; passim in omnes populos, qui eos ad pœnitentiam hortentur, sunt mittendi, Prælatiq; Ecclesiastici vt exemplis religionis, & bonis operibus ac verbis eosdem populos inducant, commonendi. Sic enim placatus Deus cum fuerit nobis propitius, de hoste suo & nostro nobis concedet victoriam.

De pecuniis.

Quo ad pecunias vero, quæ nerui sunt belli, quoquo modo cogendas, & per quos custodiendas ac dispensandas attinet: pensanda inprimis huius belli magnitudo, & vires hostis æstimandæ: quæ sunt profecto maximæ, & propter latitudinem Imperii, accessione quoq; Aegypti ac Syriæ nuper aucti: & propter multitudinem militum: & propter copiam innumerabiliũ, vt fertur pecuniarũ. & quia assiduis prosperitatibus sublatus animo ac spiritu, nihil iam nisi maximũ & spectat, & cogitat. Vt ergo par contra illum vel superior etiam instruatur exercitus, ingenti opus est pecunia: quã nos ad summam hanc existimauimus proponendam fat fore, si octuagies centena millia aureum inueniantur. Hæc aũt pecunia nõ difficulter redigi poterit. Primũ vt Reges ipsi ac Principes Christiani, ex suis vectigalibus bonam partẽ ad hoc sanctissimũ opus conferant: cum ipsorum inprimis res agatur. cum si hostis victoriam, quod absit, habuerit, plus amissuri sint quã priuati. Qui quidẽ hostis, ea fertur esse natura, vt plebẽ quidem negligat, nobilibus vero ac Principibus odio aduersetur exitiali, eorumq; capita inprimis poscat. Itaq; quocumq; victor se cõtulit, Principũ stirpes penitus excidit, Nobiles ad nihilũ redegit, inaudita crudelitate horum sanguinem sitiens. Quo magis Christiani Principes de suis vectigalibus bona parte oblata, vitæ & honori, & statibus suis contulere debent, quam partem nos non ducimus esse taxandam: sed eorum prudentiæ ac liberalitati hoc remittendum.

Reliqua sunt duo genera, Ecclesiasticorum ac Laicorũ. Ecclesiasti omnes decimas soluent in singulos annos, vel etiam si visum fuerit vigesima aut trigesima parte bonorũ stabilium, quibus maiores redditus fuerint, vendita, repræsentabunt semel pecuniam plurium decimarum.

At si aptius visum fuerit, quòdq; forsitan est deliberatione dignũ, si perpensis & æstimatis Ecclesiasticorũ beneficiorum, præsertim Monasteriorum, & Cathedralium ac Metropolitanarum Ecclesiarum redditibus, tantũ his relinquetur ex fructu annuo, qui eorum beneficiorum sunt possessores, quod ad supplendas necessitates mediocres etiam commoditates, habita ratione personarũ dignitatumq; sat fuerit: reliquũ vero omne in hunc sanctissimum vsum conuertetur. In quo quasi gradibus quibusdam, iudicio prudentium est facienda æstimatio, vt qui minus habent in annuis redditibus, decimã soluant partem: qui plus, quartam, tertiam, dimidiam: qui plurimum, duas tertias, vel tres quartas partes. Deniq; vt referuata vnicuique Ecclesiastico portione, ad commoditatem victus frugalis necessaria, quod superest, huc conferant. Quod tanto magis fieri ab illis debet, quod patrimonii Christi possessores debent omnia Deo, & certum exemplum cæteri imitaturi sint, libentiusq; sua Deo oblaturi:

Laici vero si nobiles fuerint, & aut dominia, aut feuda habuerint, Decimam, si priuati, vigesimam: si vero artifices manibus victum quærentes, eam partẽ suorum reddituũ soluent, quæ videbitur conuenire. Publicandæ etiam indulgentiæ Sanctissimæ Cruciatæ, ferentibus opem defensioni sanctæ fidei. Ex quibus, si bellum fide bona geritur, magnæ profecto pecuniæ cõparabuntur. Non enim mortua est fides in cordibus fidelium, nec cœlestis patria vsquequaque contemnitur: sed multi sunt, & erunt, qui paruo pretio vitam æternam libenter ement, si viderint serio, & non simulanter pro Deo pugnari.

Has vero pecunias nos iudicamus ita esse & exigendas, & custodiendas, & dispensandas. Primum, vt vniuscuiusq; Ciuitatis cum sua Diœcesi Ordinarius, Sacerdotem vnũ, & Capitulum Cathedralis Ecclesiæ alterum deputent, qui sint timentes Deum, & moribus probatis. Deinde Diœcesanus ciuitatis vnum idoneum eligat: deinde vniuersitas Ciuitum vnũ idoneũ seu duos, aut ex numero ciuium, aut Clericis secularibus, siue Regularibus, vt melius iudicant, constituat. Qui simul omnes & exigant pecunias ad supradictam rationem, & eas in capsa, aut in loco apto, cuius seorsum singuli habeant claues diuersas, vt nullus eorum sine cæteris omnibus attingere quicquam possit; congregatas & sepositas teneant: rationemq; totius huius pecuniæ diligenter in scriptis redigant. Quas pecunias nemo quauis dignitate præditus, sub excommunicationis latæ sententiæ incurrendæ, nec non anathematis perpetuæq; indignationis quauis dignitate præditus, sub excommunicationis latæ sententiæ incurrendæ, nec non anathematis perpetuæq; indignationis Omnipotentis Dei pœnis constituendis, à quibus nisi per Romanum Pontificẽ, vel in mortis articulo, & debita satisfactione tunc præuia, non possit absolui, nefario sacrilegio audeat attingere, aut vllam aliam in rem quam ad belli huius vsum conuertere: vt vel Sanctissimo huic & necessario bello deseruiant: vel si quo casu bellum omissum fuerit, iis vnde exactæ fuerint, optima fide restituantur.

Quoniam autẽ neq; simul omnis pecuniarum summa exigi, & cõtinue in exercitu militibus stipendia solui opus est, ne-

cesse

cesse est, in omni prouincia cõquiri mercatores, & nummularios boni nominis, qui hanc assumant curam pecunias transmittendi, ac vbi necessarium fuerit permutandi, cum honesto lucro laboris sui: quo quidem labore etiam cœlum lucrabuntur. Ac singulis mercatoribus suæ regiones diuidendæ, ex quibus redactæ pecuniæ ad eos referantur. Hæc enim videtur esse optima, & custodiendi, & dispensandi ratio. Sed necessarium videtur ad cogendum exercitum, habere saltem tertiam partem summæ totius, quam diximus, in pecunia numerata statim à principio. postea reliquum cum commoditate temporis exigeretur, ac supradicto modo ad exercitum mitteretur.

De copiis militaribus.

Robur omne exercituum positum est in peditatu, & equitibus cathaphractis: quo genere vtroq; Christiani excellunt. Pedites aut sumendi sunt ex eis nationibus, quæ maxime huic militiæ pedestri & ordinibus seruandis studeant, vt Heluetiis, Germanis quos Lantzknechtos vocant, Hispanis, Boëmis. Ac ex toto hoc numero Sclopetarii multi sunt necessarii; propterea, quod ea quoq; parte militum qui sclopis vtuntur aduersarius abundat. Videntur ergo peditum fortium virorum in exercitu necessaria ad minus sexaginta millia. Cataphracti vero equites Gallici optimi & Italici, qui videntur ad numerum quatuor millium accedere debere. Duodecim autem millia leuis armaturæ equitum, quo vno fere militiæ genere prævalet hostis nobis, duntaxat qui alia potiora ducimus, necessaria sunt ex nationibus huius studii gnaris, Hispanis, Italis, Dalmatis & Græcis. Hic terrestris exercitus bonis gubernatus consiliis, commeatuum non egens, suorum tormentorum opportunis præsidiis instructus, cum Domini benedictione futurus est inuictus. In maritimo autem classis apparatu Veneti & Genuenses ex Italia, Galli ex prouincia Britannia, & aliis locis: Hispani à seipsis & vtraq; Sicilia, Angliæ quoq; & Portugalliæ Reges optimam & hominum, & nauium militiam ac copiam suppeditabunt, vt mox dicemus.

CAP. VI.

Quomodo consultandum, & administrandum bellum.

Ad consultationem vero, & administrationem belli gerendi, quod sexto loco proposueramus, Primo, an sit hostis terra an mari aggrediendus, deliberandum est. Et videtur omnino maritima quoq; classis, & ea potens cum ducibus suis ad bellum necessaria, cum hostis trecentas iam triremes paratas habeat, aliaq; quotidie nauagia paret ad traiiciendos, vt nos arbitramur, equos. Ergo è contrario nobis classis instituenda. Primum cum dimidiũ belli mari geritur, dura in conditione essemus sine classe. Iam enim dimidio belli inferiores essemus. Foret enim hostis dominus maris. deinde sine classe, nec commeatus vehi ad exercitum, nec vrbes & littora nostra ab hoste defendi possent. Tertio magnam authoritatis partem amitteremus, si sine classe bellum gereremus, magisq; animum hostis & spem accenderemus. Postremo, nec toto bello pares essemus, & frustra apparatus terrestres faceremus, si maritimos dimitteremus. Quare est omnino classis necessaria: sed ea ita potens est comparanda, vt hostilem classem non pertimescat. Ac triremium quidem numero pares esse non possumus: sed facilis est aut certe non difficillima potentioris classis comparatio hoc modo. Triremes videmur habituri centum, hac computatione. Rex Christianissimus in portu Massiliæ complures habet. has vt viginti sint, poterit efficere. totidem Rex Catholicus, si ad eas duodecim, quæ continue in Sicilia sunt, alias octo addiderit: quod non erit magni operis. Ad quadraginta Veneti. Romanus Pontifex cum sacro Collegio vt decem conferant, conabuntur. A Genuensibus vero tum triremes viginti, tum naues magnas quas Carachas, seu Galeones vocamus, exquiremus. Sed & magnarum huiusmodi nauium copiam Reges Franciæ & Angliæ poterunt suppeditare. Habent enim non mediocrem earum numerum paulo ante ædificatarum. Reges quoq; Hispaniæ & Portugalliæ grandem earum copiam afferent. Hanc autem classem præbebunt quæq; nationes partim sumptu suo, partim communi omnium collatione, & prouentibus sanctæ expeditionis adiutæ. Hæ naues cum illis triremibus instructæ militibus Hispanis, & præcipue Biscainis, Portugallensibus, Gallicanis ex prouincia Britannia, Normandia aliundeq;, & item Anglicanis ac Italis: tormentisq; idoneis armatæ, stabilitate sua pro numero erunt triremibus, classemq; hostium absq; controuersia, aut repellent, aut obruent.

Duces a. maritimi belli ab vnaquaque natione suis quidem classibus præficiendi sunt: sed ad quos totius belli summam referrent, qui amplissimam potestatem haberent, optandi essent Angliæ & Portugalliæ Reges, qui ambo sese summa pietate obtulerunt. Verum si Rex Angliæ ob longinquitatem commodo ire non posset, Duce & Imperatore Portugalliæ Rege contenta esset maritima expeditio.

Secundo, an diuisis, an coniunctis viribus & exercitu aggrediendus hostis sit. non est dubium, quin nostris vnitas & coniunctio virium, præsertim terrestri bello sit aptior. Nam & in minori numero, diuisio minuit vires animosq; & hosti, qui copiis innumerabilibus abundat, nequaquam contingeret, & in vnum locum coactis copiis hostium erit inutilis minima multitudo. Noster exercitus, nec præ turba confusus, & viribus non impar, nullum pugnandi discrimen pertimescet. Deinde non carpere diuersa loca, sed ad hostem protinus, vel ad Regiam hostilem accedere, erit & virtutis, & dignitatis, & maximæ in vniuerso bello vtilitatis.

Tertio, Quoad iter exercituum, & qua regione possint commode incedere: triplex via proponitur. Vna per Germaniam & Vngariam. Commoda hæc quidem, vbi ad Vngariam peruentum erit. Nam per Danubium flumen vehi exercitus, & paucorum dierum itinere ad Constantinopolim exponi posset: sed hac longior, & quibusdam Principum forsan parum grata. Altera per Dalmatiam & Illyricum non longe fere à mari: sed hæc difficilibus locis sæpe impedita est, & equitatui maxime incommoda. Tertia quæ has difficultates euitat omnes, vt per Italiam ad vrbem Anconam ac Brundusium Cæsarea Maiestas, & Christianissimus Rex perueniant cum suis copiis. hinc enim satis commodus est transitus in Epirum & Græciam: & per amicas ambo regiones sunt profecturi. Ab Ancona vero traiectus classe faciendus est, præmissaq; copiarum parte, Imperatores postea sub sequi poterunt.

Quarto, vbi conuenire exercitus in vnum, & quæ primum loca hostium debeat inuadere. Terrestres quidem copiæ Anconæ, & Brundusii, vt diximus: nauales vero in Sicilia cõuenire debebũt, atq; inde maiore agmine, ad prædictos Anconæ port⁹ & Brundusii cõtendere, vt inde quoq; nostras copias traducere ad hostium littus possint. In terra autem hostili videtur portus Dyrrachii opportunissimus, quamuis sit hostium. Sed non erit cæptu difficilis, classe & exercitu nostris eo conuenientibus, quamquam tutum illud littus hospitale & portuosum est, vt futura sit facilis adhibitis locorum peritis in terram, & si opus fuerit ad portum Venetorum Catharri defensio. Primus autem conatus nostri exercitus, vel ad ipsum Ducem hostium, vel ad Constantinopolim aggrediendam faciendus est. Caput enim petendum, quo oppresso facilior est reliquorum omnium acquisitio. Sed hoc si nostrarum & hostis virium periti, nos prævalere senserint. Nam aliter non esset transmissio facienda, sed nostra potius præsidiis tuenda. Sed hæc consilio & prudentia Imperatorum diligentissime perpendenda sunt.

Quinto, de commeatibus non erit difficile prouidere, classe nostra mari dominante, vt dictum est. Nam & mercatores tuto commeabunt, ex Marchia, Apulia, Calabria, Neapoli, Sicilia maximos commeatus poterunt suppeditare. Venient etiam ex Lombardia, & tota fere Italia, ac etiam Gallia copiæ ingentes per commoditates fluminum, maximeq; Padi, ad mare deuectæ: atq; inde facile ad exercitũ comportare vsq; ad littus parui negotii erit: à littore vero ad exercitum, quomodo tuto fieri possit, eorum qui in re præsenti fuerint erit deliberatio. Sed illud erit curandum, vt mercatores idoneo conducantur, qui hanc prouinciã deferendorum commeatuum pro honesto lucro capiant: atq; eis potestas & nomen Commissariorum à locorum Dominis detur, quo maiore auctoritate negociari & ibidem curare necessaria possint.

Capitula extrinseca.

De duobus vero, quæ extrinsecus consideranda duximus, tentare aliquem infidelem Principem, vtpote Sophin, ad bellum hoc contra Turcas, quibus inimicissimus esse debet, communicandum forte non esset inutile. Sed non in hoc magna spes à nobis, verum in Deo, & viribus, consiliisque nostris est collocanda.

De

De diuisione vero eorum, quæ bello acquirentur: sic iuste facienda, vt nemo conqueri, nec dissensionem quærere iure possit, videtur esse cōmodissimum, iam nunc iudices & arbitros huius diuisionis eligere: puta Romanum Pontificem & Sacrum Collegiũ: aut alios communiter à Principibus constituendos: qui confecto bello iudicare deberent, secundum rationē proportionis sumptus & laboris in hoc bellũ impensi: vel alia præscripta, & ab omnibus accepta ratione: quorũ iudicio omnes stare deberent, sub pœnis supra in induciis appositis. Vel si illa sancta Confraternitas fieret, quæ recuperarentur communiter, ab ea tenerentur pro indiuiso: quousq; per eandem deputati iudices determinarent. Diuidere autē res antequam partæ sint, incongruũ: & postea finito bello, ad dissensiones venire periculosum. Hoc autem modo vnusquisque iam sciret fere, quid ad se venturum esset, & nunc operā tempusq; in hac diuisione, alienarum adhuc rerũ non contereret.

Hactenus nostræ sunt in singulis capitulis suprapositis dictæ sententiæ. Nunc quædam præterea addemus.

Si fieri posset, vt Vngariæ & Poloniæ Reges, paratis exercitibus Turcam ex ea parte inuaderent, non est dubiũ, quin multum proficeretur ad bellũ conficiendum. Magnus enim terror inde iniiceretur hosti, eiusq; vires distraherentur. Itaq; sunt illi quidem cohortandi atq; incitandi, auxiliaq; illis danda: sed ita vt de eo exercitu, & de ea apparatione, quā diximus, nihil omnino iminuatur. In hac.n. neruus, & vis, & spes belli ac victoriæ sita est. Verũ si sine huius apparatus detrimēto, pecuniæ ex Cruciatis ac decimis ab illis extremis nationibus, Noruegiæ, Daniæ, Saxoniæ illis attribui possent, quibus exercitum alerent, esset id rebus nostris magno adiumento.

Item, si præter eũ exercitum, quem supra vnitate coniunctum esse voluimus, tanta præterea militũ copia esset, vt pluribus locis, impetus in hostiũ fines fieri, præsidia crebris in locis disponi possent: quis non videt & hoc vtilissimũ nostris rebus futurũ? Sed ea tantũ, quæ necessaria ad bellũ & ad victoriā essent, fieri oportere, diximus. Hæc reliqua adiuncta, optandaq; tamen in Domino confidimus abundantius affutura. Quis.n. erit nobili animo aut ingenio vir, qui non accensus cupiditate veræ gloriæ ad hoc bellũ studeat properare? Quis cupidus rerum visendarũ, qui hac occasione oblata suis armis arreptis nō iter aggrediatur? Quis studio acquirendi præditus, qui non ad tantā prædam conuolet? Quis virtuti deniq; & fortitudini suę fidē, qui non eam in hoc pulcherrimo & sanctissimo opere, & Deo, & hominibus velit comprobare. Nā illa, quæ sunt maxima, honor & amor Dei, salus veræ fidei, cœlestis patriæ potiundæ cupiditas, omnes pariter commouere debebunt: Principes vt suas opes & authoritatē: fortes viros, vt suam virtutem: reliquos vt partē suarũ facultatum in communē consensum, & præclaram hanc societatem Dei & hominum conferant, ad acquirendā sibi præmiũ sempiternũ. Nam quamquam hostis & potens vehementer, & ferox sit: tamen hominũ & militum robore ac disciplina longe nobis inferior est, quæ in bellis valet maxime: vt (Deus modo preces nostras benignis auribus admittat) sit nobis victoria pro certo expectanda. Non ergo deerunt, nec opũ, nec virorũ magna subsidia. Clarissimorum Regũ suorũ & Principum virtutē atq; exemplũ imitabuntur, qui quidē Principes nō longo labore, nec maximo sumptu, & suā augebunt hac victoria dignitatē, & fidem Dei sui illustrabunt, & patrimoniũ Christi amplificabunt: digni qui ab ipso Deo in tam excelsum honorem Regalis solii sublati fuerint: cum tam grati Deo sint futuri, qui hoc opere, hocq; sanctissimo bello consequentur, vt præter amplificationem opum suarum, sempiternam laudem suæ virtutis inter homines ferant, eorum autem nomina in cœlis scribantur.

De itineribus expeditionis.

Imperator per viam Vngariæ, cum Rege Poloniæ, & Electoribus, cum gentibus Germanis Lantzknechtis, Boemis, Vngaris, Polonis, Danis, militibus Ordinis Teutonicorum LXX. M. armatorum, scil. equitum XX. M. & peditum L. M. in ordinantia, & bona copia tormentorum.

Rex Franciæ per viam Fori Iulii, cum Gallis, Scotis, Suizzeris, Lotoringis, Sabaudiensibus, Venetis, Florentinis, Senensibus, Lucensibus, cum IV. M. cataphractis: VIII. M. leuis armaturæ, L. M. peditibus, & bona copia tormentorum.

Rex Portugalliæ cum classe maritima CCC. nauium magnarum & paruarum, & ad minus LX. triremium. quæ classis remanens armata exponet. vbi vellet XL. M. homines in terra, cum gentibus Hispanis, Anglicis, Portugallensibus, Ianuensibus, Neapolitanis, Siculis, Flandrensibus maritimis, ita quod essent alia LX. M. armatorum equestrium & pedestrium, & bona copia tormentorum, & equorum ad illa deferenda per terram. & Sanctissimi P.N. classis posset esse cum ista, vel sicut videbitur: & hæc deduceret commeatus pro alio exercitu Occidentali præ terrestri per Forum Iulii venienti. & poterit ire hæc classis Apoloniam & Dyrrachium, & ibi expectare alium exercitum cum Rege Franciæ venientem. &, si videbitur, inde diuertere ad Peloponessum, vel recta via Constantinopolim, vel iungere se ad sinum Thessalonicensem cum prædicto exercitu, si erit necesse: vel ire ad Hierusalem & Aegyptum: & alius exercitus per Vngariam, non erit tunc à Thessalonicensi sinu multum distans.

Pro istis omnibus in duobus annis sufficerent duodecim milliones ducatorum. Quod si Principes, non recognoscentes superiorem, volunt dare quartam partem reddituum suorum: ac similiter spirituales Principes vnam quartam partem reddituum suorum: & alii Principes, communitates, & Domini seculares recognoscentes superiorem vnam dimidiam decimam reddituum: & populus impositionem vnius quatreni, in minutis venditionibus per libram: & cum Cruciata plenissima bene prædicata, & soluta per totum orbem, creditur cum istis quinque rebus bene exactis & dispensatis, introitus erunt in duobus annis multo maiores quam impensæ, vel exitus XII. Millionum.

Alia consultatio à Cæsaris Consiliariis non ita pridem Romam missa: deinde etiam proposita Electoribus, Principibus & Statibus Sacri Romani Imperii, in Conuentu Augustano. Anno Domini M. D. XVIII.

VI. Auspicio Sancti paracleti spiritus, In Dei nomine Amen. Cũ SS. Dominus Noster Leo X. Romanus Pontifex, vna cum Sacro Reuerendissimorũ Cardinalium Collegio, ac Christianorũ Regum & Principum Oratoribus, qui pro consultandis vniuersæ Christianæ Reipub. vrgentibus negotiis, ac incumbenti huius tēporis necessitate in vrbē Romanā cōuenerunt, non absq; imēnso cordis sui dolore, pro pastoralis sui officii in Dominicum gregē sibi credita cura animo reuoluerit, exacteque ac diligenter perpenderit, quanto iā tēpore Sacrosanctæ fidei nostræ perpetui hostes, imanissima ac spurcissima Turcarũ gens impune in Christianos debacchata, non modo finitimas regiones Ætholiā, Peloponesum, Achaiā, Arcadiā, Thraciam, vniuersam Græciā, Thessaliam, Magnesiā, Macedoniā, Epyrũ, Euboeam, Mesiam, ipsamq; Orientalis quondam Imperii Sedem Constantinopolim, multis prius excursionibus, stragibus, cædibusq; vastatas, ditioni tandē suæ subieceerit: sed in ipsius Italiæ viscera, & aliquando nō procul à Romanæ vrbis mœnibus, vbi Christiani nominis caput, & Apostolorum Sedē locatā scimus, furoris sui rabie penetrauerit, spoliisque nostris ouans, prædaq; onustus multiplici, in patrium solum inultus concesserit: animaduerteritq; Christianorũ mentes, aut ita delictis nostris exposcentibus, aut fortasse propriis tātum cōmodis inhiantes, communisq; salutis imēmores, lamētantiũ gemitus, & oppressorũ lachrymas surdis auribus & conniuentibus oculis prætereuntes, nulla hactenus tā crudelium hostiũ conatibus, vulneribusq; Christianæ Reipub. illatis remedia adhibuisse. Quod si fortasse ea tollerari potuerunt, dũ hostis publicus nondũ in eos accessus creuerat, in quibus nunc palā ab omnibus inspicitur: quodq; si fortasse cæteri Turcarũ tyranni eo facilius à Christianis Principibus terrebantur, qui dũ etiā quædam non modica regna & Imperia suæ ditioni subdidissent, nondum tamen cogitatus conatusq; suos omnes eo direxerant, vt sibi vniuersum orbē subderent: At profecto cũ in præsentiarũ sibi ante oculos proponendum arbitratus sit: qualis quantusq; sit præsens hic cōmunis omnium hostis, qui nō innumeris suis ditionibus, nō regnis & Imperiis, quæ antehac progenitores sui à Principibus Christianis rapuerunt, nō tota fere Asia, & magna parte Europæ contentus, fuso prius attritoq; variis cladibus Persarum Rege, duobusq; Aegyptiorum Sultanis crudeliter trucidatis, Assyriæq;, Arabiæ, Aegypti, & multis Africæ regionibus, præsertim, vt fertur, Bugiæ, Tunesi, Tremezeniq; regnis potitus, natura ferox, regnandi, dominandiq; cupidus, Christianum cruorē in expleto furore sitiens, omnisq; Nobilitatis & Principum hostis acerrimus: cũ iam fere Orientem, & Meridionalē plagam sibi subiecisse glo-

rietur:

rietur: in Occidentem, h.e. in Christianorum viscera, cũ nullũ alium posse sibi obesse existimet, arma conuertit, totumq; sibi Orbem subdere, & inprimis Christianam Ecclesiam crucifixi Iesu Christi sanguine fundatam, & Catholicam ac Sanctā fidē nostrā spurcissimę Mahumetanorũ sectæ subiicere, Christianosq; populos religionē suā nō modo deserere, sed per varias pœnas atrocissimosq; cruciatus pernegare cogēdos proposuit. Qui & eo magis elatus, ac superbus superiori victoria incedit, quod in eo bello & terram ipsam, quæ Iesu Christi cunabulis gaudet, & Caluariæ locũ vbi Crucis eius adhuc vestigia inhærent, Sanctiq; eius corporis venerandũ sepulchrũ, intemeratæq; Virginis Mariæ ac Sanctorũ Apostolorum natiuũ solũ, suæ ditioni acquisiuerit. Quæ loca nunc contaminatis & spurcissimis pedibus calcantur, fœdatisq; Christiano sanguine manibus, proh dolor! in nominis nostri perpetuum dedecus tractari à nobis inspiciuntur: quorũ etiā visitatione, qua sola antehac consolari poterat, Christianum genus priuatum est. His aũt singulis diligenter consideratis, quandoquidē Christianorũ ceruicibus non modo magna pericula immineant, cum iā trecentarũ triremium velorum paruorum ac magnorum paratam classem hostis habeat, ac indies plures ad hoc fabricet: deq; fortunis, de vita, de salute cũ hoste decernere incuitabilis necessitas nos cogat, non esse diutius quiescendũ, neq; locum vllũ diuturnioribus disceptationibus relictũ Sāctitas eius existimauit, sumendamq; in hostē communē, generalem à Christianis omnibus expeditionem necessarium fore dixit, participato omniũ prædictorum consilio. Cum inprimis Deũ Opt. Maxim. incessantibus precibus, orationibus, ieiuniis, sacrificiis, pœnitentia, contritisq; & humiliatis cordibus constituerit, vt non attentis peccatis nostris, sed memor suæ solitæ misericordiæ mitius ac clementius nobiscũ agat, suoq; auspicio ad sanctũ hoc opus, & bellum suscipiendũ mentes nostras dirigat. Deinde vt singula bella, hostilitates, dissensiones, quæ inter Christianos Principes & potentatus vigent, de medio omnino tollantur: quibus pacatis, si non firma pace, saltem per inducias, vt eo liberius ad generalē expeditionem in hostes ipsos sumendā quilibet se accingere & parare possit. Cæteraq; omnia, quæ ad tantæ rei molē attinent, præhabita tam de modo belli sumendi, quā de copiis, de pecuniis, de cōmeatibus articulatim abunde ac prudentissime cōplexa fuerit, eamq; consultationē, & communem omniũ congregatorum sententiam in scriptis redactam, ad inuictissimum Cæsarē Maxim. Rom. Imper. electum, tamquam ad caput secularium Principum, & Aduocatũ Sanctæ Apostolicæ Sedis, Christianæq; fidei protectorē, & rei militaris inter omnes Principes expertissimum, examinandam perpendamq; miserit: vt si quid pro bellicarũ rerum experientia minuendum addendumq; existimauerit, iudicio atq; consilio ostendat. & licet Serenissimus Cæsar, pręterita omnia iam plurimis documentis satis superq; nouerit, de præsentibusq; etiam multorũ literis, nunciis, & testimoniis certior fuerit redditus, cordeq; intimo, & sæpius indoluerit, & apud SS. D. N. aliosq; Reges & Principes Christianos his malis remedia, & quæsiuerit, & ostenderit, sæpiusq; cum Natione Germanica, & Consiliariis suis super iisdē rebus consultauerit, ac ab ineunte ætate, nihil aliud feruentius vmquam optarit, quam aliquando in eiusmodi expeditionē proficisci posse: nihilominus gratissimus eidē fuit Nuncius, qui huiusmodi ad se consultationem & tantorum virorum sententiam attulit. Quam quidem etsi in omnibus articulis prudentissime, summo ingenio, summa solertia elimatam recognouerit: voluit tamen singula à Consiliariis suis, qui pro tempore apud se præsentes erant, perlegi, considerari, ponderariq;: & si quid ad ea addendum arbitrarentur, id inscriptis etiam committerent.

VII. Cum aũt ipsi consiliarii singulis diligenter inspectis consideratisq;, nihil addendum minuendumq; arbitrati sint, quod ad huiusmodi expeditionē, sumendam prosequendamq; attineat: si præsertim Christianorum res ita dispositæ essent, vt quamprimum id bellum sumi, & generalis illa expeditio executioni demandari posset. Sed cum negotium id maximi ponderis, & diuturnioris laboris sit, quam ad futuram æstatem parari & expediri possit: præsertimq; cum Germanica natio, quę multis ac magnis regionibus late patet, & quæ plurimorum Principum ac Communitatum ductu variis moribus & legibus gubernatur, non tam repente induci, & in tanti momenti expeditione armari facile possit. Turcus autem cum classem, & immensos iam apparatus belli coegit, proculdubio non sit quieturus, quin aliquam Christiani Orbis regionē inuadat: ne omnino proximus hic annus immunis transeat, quin saltē ad diuertendas vires tanti hostis quippiam prodesse possit; & ne is sibi nuper acquisita regna firmo, ac stabili ductu regere, & in fide ac beneuolentia sua confirmare, ac reliquos Africę Reges ac potentatus, quos nondũ subegit, bello interea aggredi possit: ex quibus omnibus magna sibi, & opũ, & pecuniarũ, & gētium incrementa contra Christianos accedere posse nō dubiũ est: Cæsarei Cōsiliarii nonnullas suas cōsultationes, quid ad futurũ annũ cōtra hostes ipsos tentari posse existimēt, quibusq; modis, duobus proximis deinde annis, cætera generalis expeditio subsequi valeat, & quibus Ducibus, qua pecunia, quibus copiis res agenda videatur, reuerēter in his scriptis proposuerunt. Volentes tamē ea singula & sanctissimi Dñi Nostri, aliorumq; in Vrbe Congregatorũ Oratorum & Christianorũ etiam Regum ac Principũ iudicio subiici: neq; propterea ab iam dicta consultatione, quæ ad Cæsaream Maiestatem missa est, in cæteris discrepare, sed his omnibus tamquam prudenter perpensis, & ad amussim consideratis acquiescere.

1. Arbitrantur ergo, nisi quippiā in futura æstate Christianarũ virium in hostē paretur, eũ & omnem occasionem in sequentes annos Christianis nocendi arrepturum, & auxilia omnia, quæ ab externis nationibus sperari possent, nisi nos id ipsum agamus, omnino præoccupaturũ, prærepturumq;. Nequaquā igitur in futurā proxime æstatē cessandũ, sed Afrorũ Reges cōfirmandi, animandiq;, & iuuandi: Scytharũ & Tartarorũ Duces aliquot præmiis & stipendiis alliciendi, & in expeditionē nostrā inuitandi, antequā à Turcis præueniantur. qui cũ in proximis bellis cũ Sultano & Sophi florē militum suorũ perdiderint, proculdubio à finitimis gentibus auxilia sunt quæsituri. Si vero à nobis Afri & Scythæ seu Tartari conduci & attrahi poterunt, eo minora auxilia hostibus reliqua erunt.

2. Quibus vero modis pecuniæ cogendæ sint, præsertim ꝙ Germaniæ populis tollerandum existimarant, ipsi Consiliarii Cæsarei in sequentibus adnotarunt: nō intendentes tamen, si qui Principes in regnis ac ditionibus suis meliorē viā inuenerint pecuniæ acquirendæ, his hanc legē fixam apposuisse, sed semper melioribus inuentis eorum acquiescere velle. Quo aũt ordine in proximũ annũ bellum suscipiendum, & quibus ducibus prosequendũ, ne vlla in parte propositi triennii quiescēdum sit, etiā in subsequentibus paginis legi poterit. Primumq; de pecuniis totius expeditionis dicetur, deinde de sedandis Christianorũ discordiis: & quorum authoritate & viribus vbiq; gentium Christiani orbis id fieri debeat: quiq; dum hoc futuro anno quippiā in hostes incipitur, dissensiones cōposituri, domi manere debeant: tertio quid in futurum annum incipiendum: quidque postea in reliquos duos annos prosequendum sit, singula ex ordine ponentur.

3. Et primo ad copias, & ad tantæ expeditionis molē alendā, cōgruisq; stipendiis sustinendā, toto eiusmodi triennio attinet, arbitrantur Cęsari consiliarii cōmodum atq; necessariũ fore, si ex vniuerso Christiano orbe recensitis vbiq; regionum populis Quinquagesimus quisq; tā spiritualis q̃ secularis per focos, siue familias miles vnus in hanc militiā eligatur: cui quidē reliqui quadraginta nouē stipendiũ annuũ subministrent: ꝙ tamē stipendiũ vnius equitis cōputari debeat. Stipendiũ aũt ipsum à prędicto Sumō Pōtifice & cęteris (vt supra) cōgregatis adscribi atq; nominari debeat in hunc modũ videlicet: vt equitibus bene instructis & armis sufficientibus armatis, sex ducati aurei: leuioris autē armaturæ pro eorum æstimatione & arbitrio, quinq; aut quatuor: peditibus vero tres, in singulos menses persoluantur. cuius quidem oneris seu impetratæ pecuniæ ratio, ad id se extendit, vt per focos singulos, siue familias florenus vnus Renensis vel circa impendi debeat.

4. Item ꝙ præter ordinariā hanc pecuniam quæ per focos exigenda fuerit, vniuersus status spiritualis totius Christianæ Reipub. exceptis Mendicantium Ordinibus, qui nullas habēt redditus aut ꝓuentus, supradicto trienio ex omnibus suis ꝓuētibus & redditibus rectā decimā in hāc expeditionē ꝑsoluat.

5. Item omnis & vniuersus secularis status, & præsertim qui domos regunt, siue familiæ præsunt, vigesimam suorum reddituum partem exhibeant.

6. Item quod omnes spirituales ac seculares, ac viduæ mulieres, qui neq; redditus habent, neq; prouentus, sed quacũq; numeratæ pecuniæ, siue mobiliũ bonorũ cōditione censeātur, iidē media iuramēti, secreto tamē, facultates suas pādēt.

quibus

qbus ad æstimationẽ annorũ redditus cõputatis, etiã vigesimam æque vt priores erogare compellant.

7. Item omnes mercenarii, & qui qualitercũq; aut quacumq; mercede & salario dominis famulãtur, viritim singulo huiusmodi expeditionis anno, medium florenum Rhenẽsem: adeo tamen vt plus lucri eos, qui minus habentæ que cõpensatis stipendiis sustineant, exhibere teneantur. Si qui vero inter eiusmodi famulitio dominorũ addictos inueniantur, qui vel redditus habeant, vel mobilia, ii sicut de cæteris proximo articulo prædictũ est, eadem ratione atq; conditione censeantur.

8. Item præter hæc omnia S S.D. Nostri Sanctam Cruciatam in totum Christianum orbem emittat: ex cuius cruciatæ deuotione indictus, si quis Rex, Princeps, seu priuatus quicumq; suis impensis absq; aliquo stipendio in hanc sanctam expeditionem proficisci voluerit, is ab omnibus supradictis oneribus liber & immunis intelligatur.

9. Qui vero aliis causis præpediti expeditionẽ ipsam personaliter ingredi, nequiuerint, solutis primũ his taxis & oneribus, vt supra generaliter impositis, poterãt etiam Cruciatæ thesauros nõ min⁹ adipisci, si ꝓ cõditione facultatũ suarũ zelo suæ deuotionis, in subsidium ipsius sanctæ expeditionis quicquam erogauerint.

10. Numerus autem hominum per totam Christianam Rempublicam facile haberi poterit, si à spiritualibus ac secularibus Principibus, à Præfectis & Magistratibus suis per Præfecturas, Archipresbyteratus & Parochias diligenter viritim omnes per capita recenseri curabunt.

11. In ipsis vero ordinariis exactionibus ex quinquagesimo quocũq; per focos siue per familias, vt prædictũ est: Item ex vigesimis, decimis, seu alio quocũq; censu & ordine accipiendis: nec nõ & pecuniis quæ ex indultis & gratiis sanctæ Cruciatæ cõgregabuntur, debebunt à summo Pontifice, Sacratissimo Imperatore, Regibus, Principibus Communitatibus totius Christianæ Reipublicæ, solertes, integri ac prudentes Commissarii constitui, & spirituales, & seculares, qui susceptam & exactam pecuniam fideliter administrent, & de susceptis & administratis integram rationem reddant.

12. Machinæ vero & tormenta bellica, quæ tamẽ expeditioni necessaria erunt, Regib⁹, Principib⁹, & Communitatibus ꝓ cuiusq; cõditione & qualitate mutuãda & commodãda imponẽtur. Quæ vero ꝓ exercẽdis & vehendis his ad ea pertinẽt, vt sunt pulueres, balotæ, & similia, vecturarũq; omnes impẽsæ communi totius Christianæ exactionis onere persoluãt?

13. Et fortasse cõmodius atq; vtilius huic expeditioni euenire posset, si in ea militaturi partim integro stipẽdio, partim sub necessariis alimoniis conducerentur: ea ꝑsertim ratione, q̃ haberi non poterunt tot mercatores, qui tantis cõmeatib⁹ sub ministrãdis sufficiãt. Sed qui annonæ & cõmeatib⁹ exercituũ ꝑfecti fuerint, debebũt per totũ Christianũ orbẽ, & lõginquis regionib⁹, etiã vltramarinis necessarias alimonias passim incessanterq; emere, persoluere ac subordinare. Itaq; cõueniens ac necessariũ sumopere videtur, vt huiusmodi annonæ & commeatuũ ꝑfecti, in hanc ꝓfectionẽ tã citra mare, q̃ vltra cõstituãtur: q̃ annonã & necessaria alimenta cõparẽt, & exercitibus ꝓ eorũ necessitate vendant & distribuãt, inuicẽq; sibi ꝓ qualitate locorũ correspõdeãt, ac de omnib⁹ administratis, electis ad hoc à Christiãa vniuersitate integrã & fidelẽ rationẽ reddãt.

14. Et quoniam, vt omnibus notum est, pleræq; inter Christianos discordiæ sunt, & dissensiones, præsertimq; inter multos magnos Principes & Potẽtatus, q̃ ad hunc diem inter se dissident, multisq; emergentibus causis etiã paulo post dissidere possint: ne priuatorũ cõtrouersiæ & hostilitates, huic cõmuni Christiani nominis bono, & tã sanctæ ac necessariæ expeditioni obesse vsquequaq; possint: vt omnibus libere ac securehuic proposito accingere tuto liceat: neq; huiusmodi bellorũ aut discordiarũ ꝓturbationibus impediri, retardari, aut prorsus auerti valeant: necessariũ magnopere ducendũ est, vt omniũ eiusmodi bella, discordiæ, atq; dissensiones, absq; alicuius cõtradictione, inter quoscumq; aut nunc vigeant, aut paulo post exoriri possint, suspendantur, prorogentur, & differãtur. Et quoniam longi nimis temporis & laboriosi operis esset, pacem inter omnes & amicitias quærere: fiant saltim sinceræ ac inuiolabiles induciæ, seu terguæ sex annorum, inter dissidentes partes, omniũ, & quarumcũq; dissensionum & bellorum, qualicũq; etiã grauissima causa exorta fuerint: adeo vt omnes Christiani Principes & potentatus, vera quiete, securitate & tranquillitate gaudere possint. & vltra id suscipiendæ expeditionis decretũ tempus, altero optatæ pacis triennio Christianus populus ea ratione merito frui valeat; ne cum post lõgos & tã difficiles pugnæ labores ad patrios lares redierit, iterũ ad belli molestias, damna, & animi perturbationes reuocetur.

15. Quæ vero singulo huius propositi triennii anno suscipi, atq; expediri debeant, diligenter considerãda sunt. ꝑsertim cum apud pleroſq; Christianorũ populos ea sit rerũ omniũ inscitia & ignorantia, ea indomitorũ animorũ pugnax obstinatio, & morum quædã inconcinnitas, vt quæ cõmunis salutis sint, aut parum aduertãt, aut prorsus ignorent, euenire haud difficulter posset, vt in ꝓposita generali ista exactione, q̃ siue ꝓ familias & focos, siue decimarũ vigesimarũmq;, vt ꝓdictum est, alioue quocumq; modo expetenda fuerit, non desint, q̃ se & totis viribus opponant, & impositi oneris conditionem prorsus detrectent, seseque inobedientes ac rebelles exhibeant. Quapropter proximo ab hinc anno, qui erit Quingentesimus octauus decimus post Millesimũm, curari imprimis debet, vt proposita huiusmodi exactio vbiq; terrarũ Christiani nominis, & diligenter constituatur, & quicquid in ea renitentiæ aut obstaculi fuerit, salubriter amoueatur. Bella deinde ac dissensiones Principum, ac potentatuum Christianorũ sub ꝓdictis sex annorum iudiciis sedenter, & reiiciantur adiectis in eos q̃ reluctentur, Sanctæ Apostolicæ Sedis censuris & anathemate, ac Cæsareæ & imperialis indignationis & bãni arctissimis edictis & pœnis. Quib⁹ si q̃ temerarie se opponentes, in rebellione sua perseuerarent, ii communib⁹ armis & exercitib⁹ Christianorum absq; aliqua mora oppugnentur, & pœnis debitis plectãtur. Huius autem executionis & ꝓpositi, ad rebelles puniendos caput sit & director Serenissim⁹ Francorũ Rex, q̃ eos ꝑsertim & potentatus & populos, q̃ ad Solis ortum & Septentionẽ vergunt regnis suis finitimos, inuitos etiã, ꝓpositæ exactioni & dissensionũ remediis parere compellat. Qui vero ad Occidentalẽ plagã à Septentrionis finib⁹ ſpectant, à Serenissimo Anglorũ Rege, q̃ eius etiã negotii principalis executor in eisdem regionibus constituatur. Si violatores optatæ huius quietis & propositi fuerint, seuere puniantur. Qui vero ab Occidentis plaga vsque ad meridiem incolunt, si ruptores tanti fœderis sese obiecerint, à Sanctissimo D. N. Romano Pontifice, seu Sanctæ Sedis Apostolicæ vexillifero, pro demeritorum suorum qualitate corrigantur.

16. Quamobrẽ nõ inconsultũ videtur, vt ad sedãdos eos tumult⁹, q̃ ita, vt ꝓdictum est exoriri facile possent, primo hoc expeditionis anno ipsi Serenissimi Francorum & Angliæ Reges domi se cõtineãt, & eiusmodi sibi comẽdatis negotiis inuigilẽt, & incumbant. In his a. expeditionib⁹ ꝓ rebellib⁹ coercẽdis, si necessarium fuerit media exactionis portione vtentur: q̃ in capita familiarum, siue in focos inscribetur. Quod vero ex Decimis & vigesimis cumulari poterit, id in Africanã expeditionẽ impẽdetur, vt paulo post hic infra narrabitur. Hui⁹ a. expeditionis & negotii, q̃ cõtra rebelles & inobedientes suscipiẽdũ fuerit, ꝓ Pontifice Maximũ & Reges iã dictos: in singulas regiones, militiæ ac armorũ periti ſpiciãtur: q̃ vbi opus fuerit, præsto sint, & emergentibus incomodis consulãt opportune.

17. Quid a. in proximũ futurum annum, anteq̃ generalis illa expeditio suscipietur agendũ videatur: occurrit hæc oblata occasio bene gerẽdæ rei, ne ab impugnatione tyranni hostis ann⁹ hic, dũm cætera q̃ ad expeditionẽ pertinẽt procurantur, prorsus iminunis trãseat. Cũ Christianis Principib⁹ videatur relicta spes Sophi Persarũ Regis excitãdi vt arma in Turcos capiat: quãdoquidẽ tot pugnis iã defessus, ac vltima ista expeditione ab Ægyptiorũ Rege deuicto nõ ampli⁹ auxilia expectet cogitandũ est, vt in Africa, q̃ etiã nuper magna ex parte tyrannus ille sibi subiecit, quippiã Christiani intententi: & si q̃ Turcorum exercit⁹ sese opponãt, oblata occasione & spe victoriæ iniecta, cum eis decertare, & primum felicis expeditionis initium Deo duce auspicari, ac si Christianorum pia vota, & humilesapud Deo Opt. ꝑces valuerint, Alchayrum vsq;, h.e. debellati Ægyptiorum Sultani Regiã, victores subseq., eamq; vrbẽ ditioni nostræ ꝓ fortasse cum nulla mole aut aggerib⁹ munita sit, facile fieri posset, subiicere, cum qua & Nil⁹, & vniuersa Africa Christiano nomini cedere, Turcorũq; tyrannustãta rerum occasione ſpoliari posset. Inde in posterũ facilis ad Persarũ Regis animũ sollicitãdum in cõmunẽ hostẽ adit⁹ pateret.

18. Videtur itaq; non inconueniens, si proxima æstate prima quædam expeditio in Africam suscipiatur: præsertim

ad confirmandos animos illorum Regum, qui nondum in Turcorum tyranni deditionem venerunt, vt sunt Rex de Tremezen, de Fex, & Marochi, Arabesque qui Lybiæ montana incolunt: eosque & armis iuuare, & vna cum Christianis copiis in eam expeditionem proficisci, omnibus modis eos adhortari, præmiisque & stipendiis allicere.

19. Huius expeditionis proximi anni duces esse debent, Sacratissimus Imperator, & Portugalliæ Rex, cum potentia Catholici Regis qui modo etiam citra eam expeditionem laborat; & aliorum Principum, exceptis his qui ad Poloniam profectionem deputati sunt, auxiliis. Ipsi etiam in aliis futuris expeditionibus sequentium duorum annorum, vna cum aliis perseuerabunt, & vsque ad finem in bello persistent. Et ad huiusmodi negotium peragendum, pro alendis, & sustentandis exercitibus, reliquam dimidiam portionem imperatæ exactionis quinquagesimæ prædictæ; item & integram decimam & vigesimam, ac singulas reliquas taxationes, quæ supra expositæ sunt, in vsum eius expeditionis conuertent: præsertimq, ex vniuersa Germania, vnde inprimis facilius imperata huiusmodi pecunia exigi poterat. cuius meritis, & emolumenta, & annona, & necessitates quæque exercitibus Alemaniæ comparari, & milites ex Christianis aut gentilibus, vbi commodiores susceptæ prouinciæ videbuntur, conduci ad eam expeditionem poterunt. Ad quã peragendam, Serenissimus Francorum Rex cum alijs quibusdam classem suam administrabunt, & cum eiusmodi exercitibus, & Cæsar, & Portugaliæ Rex mari terraque vna permanete, neque separari inuicem debebunt.

20. Necessarium autem inprimis ducitur; vt Sanctissimus Dominus noster, cum cæteris qui Romæ ad eam rem congregati sunt, ad prædictos Africæ Reges, & si fortasse plures sint, qui nondum sedibus suis cesserunt, Oratorem mittant, propositumque hoc negotium eis significent, eosque adhortentur, vt vna cum Afris sibi subditis, & montanis Arabibus qui partem Africæ tenent, & si quos etiam ex iam subiectis allicere poterunt, qui cum nuper à Turcorum tyranno maximas stragis & incommoda sint perpessi, haud difficulter inducti in aliorum sententiam deflectentur.

21. Altera autem expeditio & exercitus fieri posse videtur eodem proximo anno à Serenissimo Poloniæ Rege suo nomine, & vti tutore Serenissimi Ludouici Regis Vngariæ cum copiis regnorum Poloniæ, Vngariæ, Bohemiæ, Moraviæ, Sclesiæ, & aliarum nationum regnis eiusmodi subiectarum. Item cum Austriæ inferioris subsidiis, & conuenienti Machinarum, & artellariarum portione, quam eis Sacratissimus Cæsar in eam expeditionem impartietur: ac etiam Bauariæ Principum, qui iuxta sibi impositæ exactionis onus, etiam exercitus ipsos augere opportune poterunt.

22. Qui vero personaliter in eam expeditionem proficisci aut nollent, aut nequirent, debebunt ea pecunia quæ eos contingeret, alii milites, vt sunt Bohemi, conduci. Lantzknechti enim in præsens hoc negotium minime conducentur, sed in alteram Africanam expeditionem comparabuntur.

23. Non minus etiam expediens ducendum est, si ipse summus Pontifex cum cæteris congregatis operam dabunt, vt nonnulli Scytharum seu Tartarorum, qui Polonis, Ruthenis & Moldauis finitimi sunt, conuenienti stipendio in expeditionem alliciantur, & conducantur. Qui vna cum Moldauis & Valachis, qui maiores Missi vulgo nominantur, qui facile ab ea tributaria conditione quam cum Turcis habent seperari poterunt, primam hanc proximi anni expeditionem cum Poloniæ Rege suscipiant, & minorem etiam Valachiam secum trahant.

24. Qui quidem Tartari, etiam pecuniæ præmiis, vt necessarium videbitur, vltra debita stipendia, poterunt à Sancta sede, & aliis congregatis opportune inuitari.

25. Et his tribus nationibus, Scytharum, Moldauiæ ac Valachiæ copiis, exercitibus suis adiectis, poterit Serenissimus Poloniæ Rex prædictam expeditionem suam Samedriam versus, & Chiliam oppidum dirigere, iisque locis felici ductu expugnatis, præsidiisque in eis pro necessitate collocatis, ad hyberna cum copiis omnibus reuerti.

26. Quod quidem ea ratione facilius eidem Poloniæ Regi futurum est, quod Turcorum tyrannus non ad eas regiones, sed potius ad conseruandum Syriam, Arabiam, & Africam, quas nuper suæ ditioni subiecit, aut versus alias Asiæ partes animum intendit.

27. Secundo autem huius suscipiendæ expeditionis anno, qui erit Decimus Nonus post Millesimum & Quingentesimum, Maximilianus Cæsar & Lusitaniæ seu Portugalliæ Rex, susceptam in Africa expeditionem prosequi latius poterunt, & vltra Alcayrum & Alexandriam proficisci, viresque suas Afris, Mauritanis & Arabibus stipendio conductis augere; præsertim cum ex Marochiorum & Fexio, Montanisque Arabiæ regnis, vsque ad centena millia militum facile comparari possint.

28. Hoc autem secundo expeditionis anno, poterit Serenissimus Anglorum Rex cum classe & exercitibus suis, ad eam vlteriorem expeditionem Cæsari, & in finitimo adiungi: quem Sanctissimus Dominus Noster vna cum cæteris congregatis monere obiter debebunt, vt eam fidem, quam Cæsareæ Maiestati in id Sanctissimum negotium astrinxit, in hac oblata occasione seruare non abnuat. Et cum ipso Anglorum Rege poterunt etiam, Daniæ Rex, & cum eo Magnus Magister Prussiæ cum copiis regnorum atq; ditionum suarum, ac cum Ruthenorum sagittariis, quorum magnam copiam habent, & marinis classibus admodum vtiles sunt; terrestriq; itineri, & nimium longę expeditioni non omnino apti, alioquin sese coniungere.

29. Qui quidem omnes cum Cæsare & Lusitanis congregati, Africanæ expeditioni, & ad comparandam earum regionum victoriam, Alcayrum, Alexandriamque subiiciendam, ac Nilum traiiciendum, Persarumque Regem Sophi contra Turcos animandum, & ad Christianorum partes alliciendum facile sufficient. Quod ea occasione leuius existimandum est Christianis futurum, quandoquidem Turcorum tyrannus contra eundem Persarum Regem, Scytharum seu Tartarorum auxiliis, qui nimis ab eisdem regionib. distant, nequaquam commode vti poterit; quos etiam Christiani potentatus pecunia & roberibus allectos stipendiis attrahere ad se, vt prædictum est, omni studio & astu procurabunt.

30. In eodem autem anno decimonono, Serenissimus Francorum Rex cum exercitibus suis & copiis, quascumque poterit citra classem iam, vt dictum est, Africanam anno decimooctauo mittendam cum cæteris Christianorum auxiliis, quæ ex altera parte media impositæ exactionis, & ex residuis Africani negotii, Decimisque etiam & Vigesimis denariis, vt præfertur, additis comparari poterunt, sese ad sanctam hanc expeditionem accinget, iterque suum per Italiam & Foroiulium, perque Illyricum, Croatiam & Dalmatiæ regiones dirigens, ad Turcorum emporium; quod Oberbosna appellatur, contendere poterit.

31. Qua autem ratione, conditioneque, magis Christianæ reipublicæ & ipsi Francorum Regi vtilior ac tutior eiusmodi itineris expeditio videatur, quam aut Africana, aut Septemtrionalis, facile perpendi potest. Quia cum proximis annis nonnulli Occidentales Christianorum populi; Principes suos secuti; dissensiones & bella cum ipso Rege habuerint, quorum recenti memoria facile inter exercitus suscitari incommoda multa possent; Orientales, nulla vnquam habita cum eo discordia, eiusmodi incommoda & inimicitias nequaquam excitabunt.

32. Eodem anno decimonono iam dictus Poloniæ Rex cum exercitibus & copiis suis, cumque auxiliaribus Valachis, Moldauis, & Scythis, ad inceptum prioris anni decimi octaui prosequendum reuertetur; & se in emporio Oberbosna prædicto cum Francorum Rege coniunget; qui vna omnes latius profecti Philippopolin & Andrinopolin Traciæ vrbes oppugnabunt; &, si fieri poterit, expugnatas munient, & apud eas tam quam in antemurali quodam se continentes, cæteras finitimas Turcorum regiones, præsertim cum Tartaris & Valachis, quibus in his vrbibus domicilium constituent, discurrent, deprædabunturque, & hoc pacto exercitui sustinendo pecuniam imperabunt. Adnitenturque omnes, si forte Chalcidensem, seu Nigroponti, aut in ea proxima maritima ora portum quempiam acquirere possint, in quem Africana classis, quæ tertio expeditionis anno, perfectis Africæ rebus, ad eos contender, delata exercitum

facile in ea loca exponere, & terrestribus Christianorum copiis sese adiungere possit.

33. Tertio autem anno, qui erit vigesimus post quingentesimum & millesimum, Sacratissimus Imperator & Portugalliæ Rex, liberata iam, vt supradictum est, Africa, expugnatisque vrbibus Alcayro, & Alexandria, fusaque & dissipata, vt in animo est, Turcorum classe, exercitus suos, cum præsertim maritimam ad eam rem perficiendam classem, sufficientem habebunt, in Græciam traiicient, Francorumque ac Poloniæ Regibus adiuncti, demum Turcorum tyranni Regiam vrbem Constantinopolim obsidebunt; eaque capta in minorem Asiam, siue Natoliam, cæterasq; remotiores Turcorum regiones, adiuuante tunc absque dubio Sophi Persarum Rege, aggredientur, & ditioni suæ subiicient. Et in hũc modum sanctissimæ huic expeditioni, deuictis dissipatisque Christiani nominis hostibus, finem imponent.

34. Poterunt autem his præmiis Christiani expeditionis duces, Persarum Regem Sophi facile allicere, si cum eo conuenerint, vt captis & in deditionem illis prouinciis redactis illi Natoliæ medietas, vniuersaque Caramania & Armenia cedat, cætera vero, quæ & in Asia, & in Africa sunt, & præsertim Ægyptum, Sanctam Hierusalem, vbi sepulchrum Christi est, Christianis dimittat.

35. His autem successibus Christiana Respublica in triplum fere adaucta, successu temporis, etiam Africos Reges ad Christi fidem sanctis persuasionibus poterit conuertere.

36. Quæ vero regna, prouinciæ, ditiones, ex iis Sanctæ huius expeditionis victoriis parta fuerint, ea omni semota fraude inter Christianos Reges, Principes, & potentatus, arbitrio iudicum, qui vndequaque ex omnibus Christianis potentatibus deputabuntur, super arbitris Sanctissimo Domino nostro & Sacro Cardinalium Collegio, æqua portione diuidentur.

37. Postremo autem, vt omnia citius concludi, ac mature executioni mandari possint, necessarium videtur, vt quamprimum Christiani Reges, Principes & Potentatus, qui, vt supradictum est, in Africana expeditione eam comitabuntur, Oratores suos ad Sacram Cæsaream Maiestatem mittant, singulaque, & supra proposito, cum ea examinent & consultent, & ad executionem dirigant, ac pro conditione & necessitate rerum concludant, & apud eam toto eo triennio durante expeditione persistant, & ea quæ Romæ per summum Pontificem, ac omnium Regum, Principum ac Potentatuum Oratores concludentur, executioni mandari iuuent: & præsertim quæ ad Africanam profectionem spectare videbuntur, prout & res ipsa, & hostium ad futuram æstatem apparatus requirere videtur.

38. Idem facient Reges, Principes & Potentatus, qui Frãcorum Regem secuturi sunt, & suos Oratores ad negotia illa perficienda ad illum mittent, & etiam apud eum persistentes ea ratione singula curare habeant, & expedire.

39. Tertio etiam, quicunque cum Poloniæ Rege hoc proximo anno profecturi sunt, Oratores suos similiter pro tractandis rebus omnino mittent.

40. Non minus etiam negotium expostulare creditur, vt Reges ac Principes Christiani, alios Oratores in Vrbem ad SS. Dominum nostrum mittant, aut eos qui nunc sunt confirment, qui his tribus annis suscipiendæ expeditionis cum sua sanctitate negotia singula tractent, & eam inducant adhortentur, ac iuuent omni studio & conatu, vt quæ conclusa fuerint, pręsertim autem imperatæ vndequaque pecuniæ exactionem, copiasque expediendas, stipendia soluenda, concordiamque Christianæ Reipublicæ, ac præsertim iam dictas sex annorum inducias, exequi ac conseruare totis viribus curent.

Propositis suprascriptis consultationibus, antequam ad deliberationem & suffragia ferenda itum esset. Vdalricus Huttonus rabularum princeps, à Friderico Duce Saxoniæ, summo Pontifici, Austriacis, & Alberto Primati iniquiore adductus iamque Lutheri classico contra sedem Apostolicã ad impudentiam excitatus, dissuasoriam calumniis & læsotiis plenam, in consessu Electorum euomuit: inter alia mentitus, Pontificem auri sitientem, per speciem belli sacri velle orbem expilare: ea de causa Legatos quatuor, vt pecuniam mulgeant, destinasse: nouam nunc tyrannidem, super alias solennes, super Christianos excogitasse, Turcam iam non in Asia, sed in Italia quærendum; qui iubente superstitione aurum petit, renuentibus fulmen ostentat: Templi speciem prætendit, & necessariis suis palatia molitur: Christi fidelium libertatem ostentat, qui suis regna donat. Alia plura contumeliose blatterabat Huttonus: tantumq; potuit dicendo, vt Friderico Saxoni non difficile fuerit, Principes Electores eo adducere, vt schedam conceperint; in qua expeditionis contra Turcas negotium, ad alia Comitia differendum esse existimarint, eamq; loco responsionis Maximiliano & Legatis Apostolicis obtruserint. Ea perlecta, & mature examinata, Cæsar ex sententia Legatorum & Oratorum in modum sequentem respondit.

CÆSARIS RESPONSVM.

VIII. Sacratissima Cæsarea Maiestas, recepta nuper scedula responsionis Principum ac Statuum sacri Romani Imperii, in hoc Augustensi Conuentu congregatorũ, super generali expeditione contra Turcas suscipienda, videns ac perpendens illam à proposito & desiderio Sanctissimi Domini nostri, ac vnanimi fere omnium Regum ac reliquorum Christianorũ Potentatuum assensu & voluntate valde dissonam ac alienã esse, non est sibi visum eisdem Principib. ac Statibus respondere, nisi prius super eiusmodi responsionis tenore & continentia cum Reuerendissimis Sanctæ Apostolicæ sedis Legatis, ac Oratoribus Franciæ & Poloniæ qui apud eam agunt, quoniam communis res agebatur, diligenter ac mature disceptaret. Exhibita igitur eadem schedula, omniq; studio ac diligentia tam arduæ & necessariæ prępositionis responso inuicem examinato. Vnanimi tandem voto & assensu, nomine totius Christianæ Reip. quam ipsi in hoc conuentu vniuersam repræsentant; cum præsertim Cæsar in hoc Turcarum negotio non tantum sua & Imperiali authoritate fungatur, sed etiam Serenissimorum Principum, filiorum ac fratrum suorum Catholici, Vngariæ, & Daniæ Regum, quorũ & consensus, & voluntas arbitrio suo est demandata, partes ac vices gerat, arbitreturq; etiam Portugalliæ Regem, licet assiduum cum Indis ac Marochiorum Regibus bellum gerat, quantum fieri poterit, huic Sanctissimo operi non defuturum, statuerunt ac concluserunt, Serenissimis Sacri Imperii Principibus ac Statibus super eorum schedula & conclusione in hunc modum respondere. Arbitrari se, Principes & Status ipsos, pro tantæ rei magnitudine non perpendisse ingentia mala & pericula, quæ Christianorum ceruicibus imminent, præsertim post reditum Turcarum tyranni in Europam: qui quidem, vt ipsi fide dignis multorum scriptis & testimoniis edocti sunt, non modo contra Syriæ & Ægyptiorum Sultanum parta victoria, illiusque ditione vniuersa, ac parte etiam Africæ in potestatem redactis, sed (quod prius ignorabatur) fuso fugatoque in semotissimas regni sui regiones Persarum Rege, quem Sophi appellant, deuictaq; ac superata fere tota Armenia, tantis nunc elatus successibus, totque Ægyptiorum ac Persarum opibus ditatus, & potentissimas terrestres copias, & maritimam ingentem classem, quam descriptis iã remigibus ac bellatoribus, portubus suis eduxit, cum nullum amplius aut Asiaticum, & Africum hostem timeat, in quorum viribus aliqua nobis spes locata fuerat, nunc in solos Christianos totis suis virib. comparat. Putant enim, ipse Cæsar, Legati & Oratores, non prorsus Principes ipsos ante oculos suos potuisse, si Conuentus iste tam potentis, tam famigeratæ nationis, in quam reliqui Christianorum populi oculos coniecerunt, cuius robore & virtute se inprimis protegi ac defendi sperabant, in vanum resoluatur, quantam & hosti bene gerendæ rei fiduciam, ac Christianæ Reipubl. terrorem ac desperationem iniecturus sit, & eam Dominici gregis gentem, quæ in Turcarum finibus noster vti clypeus & antemurale in hunc adhuc diẽ semi-ustas ac desolatas reliquias suas quibus potest viribus protegit, luporum dentibus in prædam, & vltimum excidium relicturus: huncque tantorum Principum instructuc sum recessum, & tantæ expectationis inanem resolutionem, non modo vniuersæ Christianæ Reipubl. damnosam futuram, sed omnibus Sacri Imperii Principibus & statibus, imo toti Germanicæ nationi nõ paruam negligentiæ & ignauiæ, imo dedecoris & opprobrii potius notam apud reliquos Christiani nominis Potentatus allaturam; quod cęteris se prompto ala-

crique

crique animo in tam sanctum, tamque necessarium opus afferentibus, soli Germani, veluti à progenitoribus suis degeneres, solitamq; gentis virtutem obliti, torpeant prorsus atq; obdormiant. Non enim adduci possunt, aut Cæsar, aut cæteri, futurum aliquid aut vtilius, aut salubrius in alio Cõuentu, quem instituere pollicentur, quum in hoc, vbi nihil desse videtur, quod rem iure in longum distrahere debeat, nihil actum conclusumve fuerit. Adsunt hic omnes Electores, adsunt & cæteri clarissimi, ac sapientissimi, & potentissimi Principes, ac Sacri Imperii status; quorum consilio, prudentia, ac gerendarum rerum dexteritate mature omnia, si modo bonus animus, bonaque voluntas adsit, si modo quemq; debiti sui Zelus Domini moueat, & consultari, & confici, ac concludi possint. Nouit præterea Cæsar, quo labore, qua difficultate conuentum hunc congregauerit, quem, quum semel dissoluatur, nullis deinceps artibus, aut persuasionib. comparare posse sperat. Nescit igitur aut ipse, aut Legati, & Oratores prædicti, cur ipsis Principibus & Statibus tantam rei necessitatem procrastinari liceat, & tot dignorum virorum cætum, tot laboribus, tot impensis in vnum redactum, non absque totius fere orbis proprio infectis rebus, inutiliter abire. Cogitent itaque secum singula, & maturius, & tantæ rei magnitudini ac necessitati procurandæ diligentius insistant, & totis animis negotium complectantur. Quod si se nihil debere putant iis, qui in præsenti periculo sunt; cogitent tamen se debere posteris suis, quos nisi ab ipsis vt nunc vtilius fuerit consultum, in eadem paulo post naui & non minori periculo relicturi sunt. Quod si tandem & suos cõtemnunt, resipiscant demum, & fateantur se hanc propositam expeditionem Christo Deo, qui Catholicam hanc fidé, cui nati sunt, sanguine suo fundauit, omni iure, omni semota exceptione debere. Sistant igitur, ac ad salubriorem consultationem redeant, rebusq; omnibus maturè discussis, & ad amussim perpensis, cum cæteris Christianis Regibus ac potentatibus, qui ad hoc ardentes & cupidi accedunt, concordes & vnanimes propositum à Sanctissimo Domino nostro & reliquis negotium; & ipsi lęti intrepidiquë suscipiant: iis tamen semper repetitis modis ac cõditionibus, quas in hoc Principum Conuentũ, & ipsa Cæsarea Maiestas; & Sanctæ Apostolicæ Sedis Legati initio proposuerunt; quamcumque videlicet pecuniam, & singula in id negotium collata emolumenta, & suffragia, quæ per vniuersam Germaniam quomodo colligentur, in nullum alienum vsum, nullius hominis arbitrio, quam in Turcarum expeditionem & pro ipsorum Principum & Statuum voluntate ac dispositione conuerti & administrari debere.

Ista Cæsar respondebat, consilio Alberti Archiepiscopi animatus. Eos vt ad bellum Sacrum Pontifex amplius incitaret, Cæsari quidem gladium & pileum. Alberto autem dignitatem Cardinalitiam transmisit. Vtraq; insignia, Cardinalis Caietanus Legatus detulit, & in eodem Augustano Conuentu, vtrique repræsentauit, hoc ordine, quem Iacobus Manlius Friburgensis, Historiographus & Consiliarius Cæsareus in sua historiola descripsit, quam adscribere visum.

IX. *Leo X. Cæsari gladium & pileum mittit.*

Felicissima post festum Pentecostes Dominica nona, quæ anni millesimi quingentesimi decimi octaui primus dies mensis Augusti erat, Apostolicæ commissionis satisfaciendi causa, Reuerendissimus in Christo Pater & Dominus, Dominus Thomas tituli S. Sixti Presbyter Cardinalis, Sanctissimi Leonis Decimi Põtificis Maximi Legatus de Latere, vir quidem omni virtutum genere cumulatissimus, circa sextã eiusdem diei horam ante meridiem, in ciuitate Augustensi palatium vna cum familia pedes exiens, & Reuerendissimus in Christo Pater & Dominus, Dominus Matthæus S. Angeli Sacrosanctæ Romanæ Ecclesiæ Diaconus Cardinalis, Gurcensis, Princeps, Coadiutor Salisburgensis, ac Apostolicæ sedis in Germania Legatus de Latere, collega suus, Reuerendissimi in Christo Patris & Principis Alberti, noui Cardinalis &c. ædes pedestres petierunt; quo per dictum Principem comperto, mox illis ad fores vsq; obuiam venit, eosdem dulcissime suscipiendo; & deinde omnes tres vna simul earundem ædium Sacellum intrauerunt, ibiq; supranominati Reuerendissimi D. Legati à dicto Cardinali, summi Pontificis nomine iuramentum, quale singulis ad Cardineum apicem transcendentibus præstari solet, receperunt. Quo facto, eiusdem noui Cardinalis Cancellarius, vir quidam multa laude dignus, palam voce alta Sanctissimi Domini nostri Breue ad prælibatum Cardinalem missum legit, cuius tenor de verbo ad verbum est, vt sequitur.

Idem Albertum Archiepiscopũ Moguntinen. Cardinalẽ declarat.

Leo Papa X.

Dilecte fili noster, Salutem & Apostolicam benedictionem.

Fraternitatem tuam, quæ ex illustri Brandeburgensi prosapia, & in Germania vetustissima, magniq; ponderis familia ortũ ducit, quaq; clarissimorum progenitorum suorum sancta vestigia secuta, de nobis sanctaq; Apostolica sede bene mereri semper studuit, ad summum Cardinalatus honorẽ, quo nullus maior à Christi vicario concedi potest, & ipsam per se dignã, & à charissimo in Christo filio nostro Maximiliano Electo Imperatore nobis per literas ipsius, & nuncios sæpe ac vehemẽter commendatam promouere statuentes; id vt nacta temporis atq; rerum opportunitate faceremus, ex quo nostro desiderio, & tuæ fraternitatis atq; decori magis consultum videretur, ea nunc nobis visa est huius tẽporis non solum commoda & honesta, sed etiã laudab. occasio, in qua de expeditione sanctissima contra Salutiferæ crucis hostes agendum est; vt Fraternitas tua tanto honore ornata, magis de nobis Christianaq; religione propagãda bene mereri possit. Itaq; hæc nostra nunc de te promotio non solum grata, sed etiam periucunda tibi longe magis esse debet, quod circumspectionis tuæ fide, religione, & deuotione erga nos & dictam sedem, exigentibusq; tuis meritis & præclaris virtutib. te solum, non in magno numero Cardinalem creauimus. Nos quoq; in bonorum omniũ operum Satore, & te spem locauimus, quod si antehac de nobis, Sancta Apostolica Sede, & Rep. Christiana bene mereri studuisti, iamiam eo maiore alacrioreue animo, tuo officio, atq; nostris piis desideriis satisfacere poteris, quo hoc sacratissimo dignissimo munere ornatus eris. Te igitur ad Omnipotentis Dei, & totius Curiæ cœlestis laudem & gloriã, personæq; tuæ ornamentũ, clarissimæq; Marchionum Brandeburgensiũ prosapiæ perpetuũ decus & amplitudinẽ, hoc die 24. Mar. in Cõsistorio nostro secreto, de aliorum venerabilium fratrũ nostrorũ S. R. E. Cardinalium consilio pariter & assensu in Cardinalẽ creauimus. Superest vt tu qui ex Moguntin. Elector Imperii, & Magdeburg. Ecclesiis, Germaniæ Primas, in Ecclesia & agro Domini magnus & diues eras, atq; es, nũc Cardinalatus onere atq; honore decoratus, quid dignitas tã sibi velit, quid Deus ipse abs te postulet, intelligas, & sedulo mediteris, quid te deceat, atq; etiã dilectum filium nostrum Thom. tituli S. Sixti presbyterũ Card. Legatum nostrum, de sanctissima & pernecessaria cõtra pfidissimos fidei nostræ hostes, & Christianorum sanguinẽ deletioneq; sitientes, pertractaturum, & nostro nomine curaturum, eiusq; pias & optimas persuasiones, & sana consilia, quæ nostra sunt, audias, eaq; executioni debitæ mandes: vt quæ pulchrior totius orbis Europæ pars iam parua conspicitur, non solum dieb. nostris ab impiorum manib. seruetur, sed illorum imperium sauaq; potestas, vel ad sanctam fidem conuertatur, vel eruatur. Qui vero nos, & sancta piaq; vota nostra sequẽtur, rectam viam ingressi, promissa felicitatis æternæ præmia consequantur. Dat. Romæ apud Sanctum Petrum, sub annulo Piscatoris: die 8. Maii. M.D.XVIII. Pontificatus nostri anno sexto.

Lecto breui, Reuerend. Domini Legati, vnã cum venerabili Domino Felice Turphino Ceremoniarũ Magistro, viro quidem literis ac morib. ornato, ipsi nouo Cardinali cardineum rubri coloris habitũ, quem vulgo cappã vocãt, imposuerunt. Insuper vnanimiter Sacellũ ædesq; egredientes, & medio nouo Card. R. tituli S. Sixti à dextris, & C. S. Angeli legati à sinistris, ad inclytissimæ Beatissimæq; Mariæ Virginis Cathedralem Ecclesiã Augustæ ibant. His quoq; sic ingressis cũ dextera Cęsari dicata esset, ipsi sinistrã chori partem occupauerunt: vbi nouus Card. primã, Legatus v. tituli S. Sixti secundã, & S. Angeli Legatus tertiã occupauerunt sedes. Cum itaq; præfati C. P. Cæsaris aduentum prope esse perciperent tunc C. tituli S. Sixti locum suũ relinquens, ad maius eiusdẽ chori altare accessit: vbi mox Missæ celebrandæ gratia, se, vt fieri solet, accinxit, & inter accingẽdum Sacratissimus Cæsar, & nõnulli Principes tã Electores, q̃ alii, ingenti comitatu dictæ Ecclesiæ chorum petierunt. Cui sane Cæsari, sũma quadam dexteritate, C. S. Angeli Legatus, & nouus Card. obuiã se dederũt. Cæsar v. heros omni maior laude, postquam gloriosissimis gestib. ac morib. Moguntino Principi tamquam nouo sponso congratulatus est, cum hilari fronte ad læuam accipiens, vnaq; chorum ingressi Cæsar dextrum illic supremum aureis ornamentis, vt debuit, locum fulgentẽ occupauit. Secundum v. Moguntinus Card. tertium: Illustrissimus Princeps Ludouicus Comes Palatinus Rheni, Dux Bauariæ Princeps Elector, Quartũ Illustrissimus Princeps Fridericus

X. *Alberti Archipiscopi Moguntini inauguratio coram Cæsare.*

Dux

Dux Saxoniæ &c. Princeps Elector. Quintum Illustris Princeps Casimirus Marchio Brandeburgensis. Sextum Illustris Princeps Fridericus, frater Casimiri. Septimum Illustris Princeps Ioannes Albertus, alter frater. Octauum Illustris Princeps Ioannes Comes prouincialis de Leuchtemberg. Nonum deniq; Illustris Lotharingiæ Ducis Antonii Oratores. In alio vero latere ex opposito primus extitit Reuerendiss. S. Angeli Cardinalis Legatus de Latere. Secundus vero Marinus Carraciolus Sanctissimi Domini nostri Papæ Protonotarius, ad Serenissimum Cæsaré Nuncius. Tertius R. in Christo pater, Illustrisq; Princeps Christophorus Archiepiscopus Bremensis, & Collegio Verdensis Administrator cõfirmatus. Dux de Braunsuuig & Luneburk. Quartus R. in Christo pater & Princeps Georgius Episcopus Bambergensis. Quintus R. in Christo pater & Princeps Gabriel Episcopus Aichstetensis. Sextus R. in Christo pater Princeps Christophorus Episcopus Augustensis. Septimus R. in Christo pater Illustrisq; Princeps Io. Administrator Ratisponensis, Comes Palatinus Rheni, Dux Bauariæ. Octauus R. in Christo pater & Illustris Princeps Arnestus Administrator Ecclesiæ Patauiensis, Comes Palatinus Rheni, vtriusque Bauariæ Dux. Nonus R. in Christo pater Princepsq; Hẽricus Episc. Ratzeburgensis. Decimus & vltimus R. in Christo pater & Princeps, Petrus Bonomus Episc. Tergestinus Cæsareæ Maiest. Consiliarius. His itaq; Principib. eo quo ostendimus ordine locatis, sedato populo, impositoq; silẽtio. R. tituli S. Sixti Legatus rem diuinam exorsus est. Domesticus v. eius Sacellanus, ad altaris latus vbi Euangelium legi solet, crucẽ; & à tergo, Aulicus quidam ex Illustriss. Vrsinorum familia ensem & galerum, seu galeam tenentes steterunt. In latere vero vbi epistola legitur, Magister Domus, ex Legati fratri nepos, qui pro nouo Cardin. rubeum pileum erecta teuuit manu. Deinde perfecta re diuina, cum verum sit quod idem nouus Cardinalis ab Apostolica Sede, XXIV. die mensis Mar. proxime præterito Romæ in Cardinalium numerum receptus fuerit, Tituli S. Sixti Legatus, eundem, habito prius ad Sacratissimum Inuictissimumq; Cæsarem & Electores Imperii aliosq; Principes Sermone, ad altare vocauit. Cuius sermonis tenor talis est.

Serenissime Cæsar. Leo X. Pontifex Maximus, Maiestate tua intercedente, præclarum, proindeq; in terris rarum opus nũc efficit. Fiunt sæpe cardines orbis egregio aliquo splendore fulgentes; verum hominẽ inuenisse vnum omni ex parte probatum, non facile fuit. Asciuit siquidẽ in SS. Romanæ Ecclesiæ presbyterum Card. Albertũ Moguntinæ Ecclesiæ Præsulem, Primatemq; Germaniæ gentis fortunæ, corporis, animiq; bonis non mediocrib. ornatum. Is namq; Illustriss. genere, corpore vegeto atq; pulchro, ætate florida, ingenio, mentis acumine, sacris literis, diuitiis, dignitate, potestate, authoritateq; præstans, continentia quoq;, religionis, & Ecclesiæ reformationis radiis sic splendet, vt luceat lux sua coram omnib. hominib. Accedit ad hæc, quod dũ Imperatoris summiq; Pontificis vnus atq; idem Elector excellit, & nos Pontificii, & vos Cæsarei electoris gloria illustramur. Commune itaq; ornamentum, decus, atque beneficium, communis lætitia comitetur. Surge igitur Illustrissime Princeps, & obseruandissime Domine, & Cardineæ dignitatis insigne tuis debitum virtutibus susceptum veni.

Eo itaq; veniente, & humiliter flexis genibus coram altari constituto, idẽ Legatus, quidnam dignitas ea sibi velit, quid Deus ab eo postulet, ac etiam quid eum contra truculentissimos fidei nostræ hostes Christianum sanguinem perniciemq; sitientes, ac ipsius summi Pontificis nomine pro virili parte curare deceat, declarauit. Et cum ipse ad singula proposita se tamquam obedientiæ filium promptum atq; paratum exhibuerit, Legatus, caput eius pileo rubro decorauit: quo peracto nouus Card. nouo apice insignitus, in Faldisterio ante altare genuflexus perstitit, donec cãticum diui Ambrosii & Augustini per Cantores Cæsareæ Maiestatis (qui & totam Missam solenniter cecinerunt) solenni ritu cum organis decantaretur. Deinde perlectis certis collectis & orarationib. per Legatum Sedis Apostolicæ, nouus Cardinalis surrexit, & cum maxima tam corporis quam mentis prẽstantia ab altari, ante Cæsaris, aliorumq; Principum conspectum venit, vbi de multiplici eadem die exhibito sibi honore per doctissimum virum Laurentium Zcochen vtriusque iuris Doctorem, suum Cancellarium, viua altaque voce gratias persoluit hoc modo.

Maxime deceret, Sacratissime Cæsar, Reuerendiss. in Christo Patres ac Domini S.R.E. Card. de Latere Legati, Illustrissimiq; Principes, hominem summa eruditione ac non mediocri facundia præditum, in hoc splẽdidissimo ac pene diuino vestro cõspectu verba facere: in quo esset ea dicendi vis, ea loquendi copia, quæ Maiestati vestræ, rei magnitudini & loci huius dignitati conuenire posset. Ego a. cum nihil harum rerũ in me agnoscam, iure vererer, ne aut vitio mihi dari posset, aut temeritatis incuser, si vel mea spõte, vel meo ipsius consilio hanc prouinciam suscepissem. Verum cum Reuerendiss. Patris, Illustrissimiq; Principis ac Domini, Domini Alberti Sanctæ Moguntinensis Sedis & Magdeburgensis Ecclesiæ Archiepiscopi, Principis Electoris Primatis, & nunc Sanctæ Romanæ Ecclesiæ denunciati presbyteri Card. authoritas & volũtas me ad id coegerit, vt in præsentiarum gratias agere debeã: & si hoc meã imbecillitatẽ longe superat, quod & eruditissimi Demosthenis, & eloquentissimi Ciceronis oratio consequi posit, tamen in Sacræ Maiestatis & Reuerendiss. Dominationum vestrarum clementia confisus, non temerario ausu, sed magis obediendi volũtate, breui oratione perstringam, quæ Reuerendiss. Domini Principis mei, erga Sacratissimam Maiestatem, Dominationesq; vestras Reuerend. grati animi testimonia argumentumq; perhibeant. Prius a. quam id quod mihi in mandatis est peragam, vnum quod iamiam in mentem subijt, paucis exponam. Reuerendiss. Dominum & Principem meum, amplissimæ huius Cardineæ dignitatis apicem minime ambiuisse: quoniam Dominatio sua Reuerendissima non clam habuit, maximum & laborem, & animi sollicitudinem sibi adeptam dignitatem expostulare, exactamq; pro tam locupleti tradito talento dandam sibi esse rationem, non ignorans, Card. ipsos in Sanctorum Apostolorum vicem succedere, eademque ab ipsis requiri quæ illi virtute multa præstiterunt. Cum a. sua amplitudo SS. Domini nostri liberalissimum & pientissimum in se animum perspexerit, in ea dignitate sibi deleganda, pro qua Sacra Cæsarea Maiestas plus studij, quam Dominus iste meus Reuerendiss. animi, pro peculiari qua illum amplectitur clementia adiecit; voluit sua Reuerendiss. Paternitas hanc sibi oblatam dignitatem, simulatque omnem curam & sollicitudinem illi coniunctam modeste agnoscere & amplecti, & tam officiosis amantissimisq; votis obtemperare. Igitur pro hoc immortali beneficio, inprimis Deo vni & trino, poplite flexo, non quas debet, sed quas potest maximas agit gratias, suæque nunquam satis laudatæ Matri Virgini ac toti Cælitum cohorti, eius summi Dei clementissimam Maiestatẽ deuotissime implorans, quo his diuinis munerib. atque suscepti officii dignitati ad sanctæ Catholicæ fidei sua profectum satisfaciat atq; ac par est respondeat, propitius sibi adesse velit: tum Beatitudini Sanctiss. Domini nostri, & Sacræ Cæsareæ Maiestati vestræ immortales dicit & habet gratias, quod Dominationẽ suam Reuerendiss. hoc amplissimo munere ornare dignatæ sunt. Quicquid n. Reuerendissima Dominatio sua vel honoris, vel dignitatis, ex hac consecuta est, id totum Sanctitati & Maiestati vestris, vobis Reuerendiss. Dominis de Latere Legatis ac SS. Senarui tribuit; quod D. suam Reuerendissimam in splendidissimum Ordinẽ suum asciri alboque suo præclarissimo adscribi annuerint: offerens se, omneq; studium suum, & Beatitudini Pontificis, & Sacræ Cæsareæ vestræ Maiestati, vestrisq; Dominationib. Reuerendissimis ex animo propensum; precaturq; vt Deus. Opt. Max. & Beatitudinẽ Pontificis, & Sacram vestram Cæsaream Maiestatem, atq; vos amplissimos Reuerendissimosq; Dominos Legatos, pro SS. Ecclesiæ suæ beneficio, & amplificatione, dierum longitudine, & omni bono replere, atque post exutam carnem immortali corona pro ingentibus meritis, & gloriosis actibus coronare dignetur.

Qua gratiarum actione finita, Cæsareæ Maiestatis nomine per Reuerendissimum Principem Petrum Bononum ita responsum fuit.

Non erant, Reuerendiss. in Christo Pater, ac Princeps Illustrissime, Sacratissimæ Cæsareæ Maiest. à Reuerendissima P.R. agendæ gratiæ, quod ea apud Sanctam Apostolicam Sedem huic susceptæ suæ dignitati partes suas adhibuerit, quodq; se licet inuitam & retractantẽ ad Cardinalatus apicem suo studio, sua industria, & auctoritate prouehi curauerit. Licet n. vestra Reuerendissima P. sua singulari modestia eum honorem effugere, ac tanti cardinis ornamenta euitare constituisset, arbitratus est tamen Cæsar, non parum officii sui interesse, non id tantum perpendere quod erat modestiæ P.V. Reuerendiss. proprium, quam quod erat Imperialis honoris ac Cæsarei culminis peculiare, & nõ quod ipsa modeste renuebat. Sed quod religio, quod Sanctimonia, quod frugalitas, quod cæteræ virtutes & dotes eius exposcere videbantur, id totis virib. prosequi ac procurare niteretur. Quicquid igitur à Sanctissimo Domino Leone X. Pontifice Maximo, quicquid à Sacro Cardinalium Collegio, in Reuerendis. P.V collatum est, id non studio non auctoritati Sacratissimæ Cæsareæ Maiest. sed virtutib. & meritis eius est cõcessum.

Ea igitur sibi concessa merito dignitate, in æuum felix ac sospes perfruatur, non tantum pro suo honore, sed pro vniuersæ Christianæ reipublicæ commodo, & in æternam laudem ac gloriam totius Germanicæ nationis, sibi hoc de Cæsare persuadeat, quod si etiam multis progenitorum suorum ac Illustrissimæ suæ prosapiæ meritis inuitatus esset, à quibus se maximis commodis & honoribus exornatum profitetur; poterat tamẽ solius V.P. Reuerendissimæ intuitu ad multa maiora promoueri. Cui etiam in posterum pro honore & dignitate sua conseruanda adaugendaq;, omnem opem, industriam, & auctoritatem perpetuo pollicetur.

Postea Dominus Card. Caietanus Legatus quasdam literas Apostolicas manibus suis in publicum protulit, & Cæsari Augusto honorificentissime tradidit: quæ tunc clara voce per eximium Iurisconsult. Iacobum Spiegel Cæsareæ Maiestatis Secretarium & Consiliarium lectæ fuerunt, quarum tenor ita se habet.

Charissimo in Christo filio nostro Maximiliano, in Romanorum Imperatorem Electo, semper Augusto.

Leo Papa X.

Charissime in Christo fili noster. Salutem & Apostolicam benedictionem.

Veniente ad Maiestatem tuam dilecto filio nostro Thoma, tituli S. Sixti Sanctæ Romanæ Ecclesiæ presbytero Cardinali, nostro & sedis Apostolicæ de Latere Legato, ob eas causas quas ad vniuersam salutem Christianæ Reipubl. pertinentes, per alias nostras litteras, & eo ipso Cardinali interprete tibi significauimus, non putauimus alienum, ensem & pileum præclaro & solenni anniuersario Natali Domini nostri Iesu Christi nocte nostris manib. consecratos, eidem Legato tradere tibi consignandos; quamquam non sumus ignari, Maiestatem tuã hoc excellenti munere à Romanis Pontificib. sæpenumero iam honestatam fuisse. Sed cum argumentum huiusce doni mysterium contineat Ecclesiasticæ potestatis, cuius tutela ac defẽsio tibi præcipue incumbit, vt qui Sanctæ Ecclesiæ Aduocatus existis: voluimus nos quoq; in hoc nũc munere nostrum exaltare, & virtutis tuæ iudicium, & egregiæ in fidem Christi voluntatis testimonium: quum præsertim nullo vnquã tempore iustius quam hoc, quo Christiana Resp. impiis conatibus crudelissimorum hostium in discrimen vocata, tuam pietatem, sapientiãq;, tuã auctoritatem animiq; magnitudinem maxime requirit, huiusmodi SS. arma maiestati tuæ data fuerint ac donata. Ac semper quidem te pro amplitudine auctoritatis tuæ accinctum gladio esse decuit, super femur tuum, vt esses promptus ac paratus tum coercere improbos, tum bonis præsidio esse, vt esset in tua præstantissima dignitate, & tutela æquitati, & iniuriæ pœna constituta: Sed nunc non tam eo accinctũ esse quam eum distringi iam, & vibrari oportet dextera tuæ potentiæ. Quæ enim non modo causa, verum etiam occasio maior esse potest, quam ea qua nos nõ in mediocres aut de longinquo metus, sed in maximũ & præsens periculum vocamur, non modo dignitatis nostræ: sed etiam salutis amittendæ, nisi concordibus animis Principum, tuoq; inprimis, Christiana Resp. fuerit fulta præsidio. Nec vero nos vehementius Maiestatem tuam, aut ad hoc præclarissimum opus, suscipiendæ in fidem tuam publicæ salutis hortati fuimus, aut illi tantam gloriam, tantumue nomen optauimus, quam ipsa non nobis solum, sed cuncto orbi Christiano suam operam, fidem, auxilium, & litteris, & nunciis iam dudum pollicita est. Quibus quidem tuis promissionibus, quam in spem & expectationem ab omnibus ventum sit, quanta alacritas animorum in omnium fidelium cordibus fuerit conciliata, libenter scriberemus, nisi Maiestatem tuam nihil latere sideremus. Quare cum ita res se habeat, cape arma manu Princeps fortissime; & sacri gladii quem tibi mittimus, aciẽ aduersus Dei hostes atq; tuos exercere, appara Dux belli sanctiss. Defensor gentium verum Deum colentium, vltor Barbarorum. Quib. enim titulis honoratior, aut quo genere curæ atq; laboris Illustrior esse potes, quam si Augustam istam dignitatem qua polles, ac singularem virtutẽ qua præditus es, in his rebus collocaueris, quæ maxime & Catholici Imperatoris pietatem postulant, & præstantissimi ducis virtutem. Nos quidem quod officii nostri & amoris erga Maiestatem tuam fuerit, nullum locũ tempusue prætermittemus testificandæ, atq; illustrandæ tum pietatis & magnanimitatis, tum nostræ in te summæ perpetuæq; beneuolentiæ. Erit a. tuæ illius nobis notæ, omnibus vero laudatæ sapientiæ, animaduersa occasione & opportunitate temporum, periculoq; (quod nisi obuiam eatur, omnibus imminet) dare operam & efficere, vt tua eximia virtus, ac dignitas, tibi gloriosa, orbi terrarum salutaris fuisse videatur. Dat. Romæ apud S. Petrum sub annulo Piscatoris die V. Maii Anno 1518. Pontificatus nostri anno sexto.

XII. Quibus litteris perlectis, Cæsar exhortatione Card. Caietani Legati ad altare Domini transiit, ibiq; SS. arma, ensem videlicet, & galerum seu galeam, quæ Ecclesiasticæ potestatis ministerium continent, velut fidelissimus Catholicæ Fidei Dux, tutor, & protector accepit. Legatus vero ad dictum Cæsarem orationem habuit talem.

Maximilianus Cæsar ensem fidei à Põtifice missum publice suscipit

Petrum Apostolum, Serenis. Cæsar, constat gladios habuisse duos: alterum omni ex parte suum, alterum ita suum vt ab altero educẽdus sit. Idem nunc in successore suo Leone X. Pontifice Maximo, illius in terris Vicario cui data est omnis potestas in cœlo & in terra, agnoscimus. qui ensem istum Euangelicæ veritatis defensorem nuncupatum, qui etiam Apostolicæ potestatis super gentes & regna sacrum & mysterium & diuinæ nihilominus in Iesu Christo nato, quamuis secundum carnẽ paruulo quiescentis Omnipotentiæ est sacramentum, Maiestati tuæ offert, vtpote de Romano & Apostolico throno, deq; sedente in illo, optime meritæ, ad hæc fortitudinis, magnanimitatis, pietatis, religionis, iustitiæ, sapientiæq; splendoribus effulgenti, & iure quidem Maiestati tuæ ensis iste debetur, tuus enim est. Tuum esse ritus ille satis comprobat, quo tu Cæsar inter Sacra Pontificia anniuersario die Natalis Dominici, si te contingat interesse, eductum de vagina gladium, galeaq; hac adopertus, dum Euangelium Ioannis cantatur, Euangelicæ veritatis assertor & tutor vibras. Solus namq; Ecclesiæ Defensoris Aduocatiq; nomen accepisti. Tuum porro esse atq; fore, nostra hæc tempestas exposcit quando Christianorum omnium oculi in te sperant Domine, vt aperias manum tuam ad ensem hunc capiendum, stringendumq; atq; in Christi hostes educendum. Sume Cæsar inuictiss. me Spiritus S. galeam, in columba gemmea, vt recondita animi mentisque sedes, absque dolo & fraude, tranquilla & fæcunda à Spiritu S. in columbæ specie donante ac protegente seruetur. Non enim Christianissimum Imperatorem, gentilium tyrannorum decet ferinos imitari mores; verum ita se iustum, fortem, magnanimumq; victorem exhibere, vt columbina mansuetudine mitis, serenus, semperq; Augustus perseueret. Accipe & gladium hunc tuum, quo mystice non solum iustitia & iudicium, præparatio sedis tuæ tribuuntur; sed Euangelicæ veritatis professores vniuersi sub tua protectione locantur. Firmetur itaq; manus tua & exaltetur dextera tua, contra Turcarum rabiem atq; feritatem; faustum autẽ felixq; sit, quod hodiernus his sacris obtigerit dies, communis primo Romano Pontifici, primoq; Augusto. Petro siquidem Apostolorum Principi dies hic dicatus est, sed & Octauius deuictis hodie Cleopatra & Antonio orbis terrarum Monarchia potitus est, auctaq; vehementer republica Augusti nomẽ accepit, Sextilisq; mensi dedit. Felicissimo igitur hodierno hoc ense, post Constantinopolim, Hierosolymamq; partã, Romanum Imperium, Apostolicamq; Ecclesiam, ad fines vsq; orbis terrarum propagare Maiestati tuæ semper Augustæ largiatur Iesus Christus Dominus noster.

Post quam quidem orationem, sacrarumque armorum susceptionem, Cæsaris iussu, Episcopus Tergestinus gratias egit hoc modo.

Sacratissimus Imperator, Reuerendiss. in Christo Pater. munus hoc nomine sanctissimi Domini nostri Leonis X. Pontificis Maximi à P.V. Reuerendiss. sibi oblatum, gratissimo animo suscepit: offertq; se pro Sanctæ Apostolicæ sedis gloria, proque vniuersæ Christianæ Resp. necessitate non modo opes & facultates suas, sed vitam ipsam & sanguinem, vti ab ineunte ætate semper concupiuit, quandocumq; occasio se se obtulerit expositurum. Cuius quidem rei magnitudo, & si viridem magis iuuentam, & fortius corporis robur, quam in eo nunc sit exposcere videatur, Spiritus S. galea, ac fidei clypeo frameaque protectus, vbi vires deficient, consilio tamen ac imperterrito animo, Christo auspice & ductore, huic sancto proposito, ac necessariæ in hostes fidei expeditioni numquam est defuturus.

Peractis demum pulcherrime rebus omnibus, Legatus Caietanus ad altare stans populo benedixit, & deinde Sacerdotalibus vestibus exutus, sese Cardineis vestiuit ornamentis: & tãdem simul cum Cæsare ac aliis Principibus Cardinalibusque Ecclesiam exiuit, Cæsar autem cum ambobus Legatis, ac etiam Nuncio Apostolico Principibus Electoribus, aliisque Imperii Proceribus, nouum Cardinalem ad palatium vsq; suum reduxit: deinde vero vtrumq; Legatum versus eorum hospitia comitatus est. Post hæc ipse, atq; alii Principes ad sua quisque tecta redierunt. Ita nobilissimus splendidissimus hic actus absolutus est. Augustæ, Calend. Augusti Anno M.D.XVIII. *Extant hæc superiora, in authoribus rerum Germanicarum.*

Quo tempore ab omni parte, secundum quod Leoni erat in optatis, ad cõcordiam omnia spectabant. Inprimis ipsum inter Pontificem, & Galliæ Regem maximæ necessitudinis XIII.

signa apparebant. Rex enim Laurentio eius nepoti Magdalenam ex Illustri Bononiæ stirpe natam, cum decem aureorum numum millibus in annos singulos, partim ex Regis liberalitate, partim ex sponsæ patrimonio in matrimonium collocauit: cumque Regi filius natus esset, à Pontifice qui illum ipsius nomine ad sacrum Fõtem ferret infantem, mitteret petiit. Vicissim Pontifex diploma Regi misit, quo ei pecuniam ex decumis, & ad sacrum bellum collectam, ad arbitrium suum tamdiu donec contra Turcas esset vtenda, modo se eam quotiescumque ad eum finem ad quam collecta fuerat necessaria foret, restitutum promitteret vtendam concessit. Cæsar quoque inducias cum Venetis in quinquennium prorogauit, ea lege, vt ei quotannis toto quinquennio ducentas auri libras, & ciuitatum suarum exulibus qui Cæsarem erant secuti, quartam fructuũ ex bonis quibus antea fruebantur partem penderent; constitutumq; fuit vt ea de causa auri libras quinquaginta quotannis repræsentarent, & fortasse Cæsar, si ei maiorem pecuniæ vim adiecissent, ad pacem inclinasset. Controuersiæ quoq; inter Galliæ & Angliæ Reges, pace, vt firmior esset, noua affinitate confirmata, compositæ sunt. Quoniam Angliæ Rex filiam suam vnicam, ad quam quum alios liberos non haberet, regni successio peruentura sperabatur, Delphino Regis nato, cum quatuor mille auribus dotis nomine despondit. qui ambo ætate vsque adeo tenera erant, vt antequam ad eam ætatem qua ad matrimonium perficiendum essent apti peruenerint innumeri casus exoriri possent. Fœdus præterea ad mutuam defensionem, cuius Principes Cæsar & Hispanus, si id intra certum tempus ratum haberent, nominabantur, inter eos est ictum: & Anglus se Tornacum, cuius custodia grauem ei sumptum afferebat, si ei Gallus in sumptus factos duo millia & sexcenta auri pondo in præsentia numeraret, tria millia se dotis nomine accepisse fateretur, & alia tria millia duodecim annorum spatio dissolueret; & si neque pax, neque affinitas contrahere tur, Tornacum restituturum promitteret. cuius rei gratia, legatis ad fœderis affinitatisque confirmationem & fidem accipiendam vtroque missis, hæc in vtriusque aula maxima cum lætitia & cerimonia sunt peracta; constitutumque, vt si duo Reges inter Caletum & Bononiam ad colloquium conuenirent: nec multo post Tornacum restitutum. Eodem quoq; tempore Galliæ Regis filia, quæ Hispaniæ Regi in matrimonium erat destinata, defuncta, pax inter eos, & primum fœdus, cum alterius filiæ in matrimonium dandæ promissione, vtroque Principe hanc necessitudinem maximis in specie beneuolentiæ signis celebrante, fuit confirmata. Nam Hispaniæ Rex qui ei iam mille auri pondo Lugduni dari curara, Diui Michaelis Equestris Ordinis torquem, die qui eidem Michaeli sacer est publice gestauit: & vicissim Galliæ Rex, die Diuo Andreæ Sacro palam aurei velleris insigne tulit.

Maximilianus inducias cũ Venetis prorogat.

Sic Italiæ & transalpinis rebus pacatis, Pontifex, de tranquillitate quoque imperii cogitabat, familiamque Austriacam ornare pergebat. Enimuero hoc anno, in iisdem Augustanis Comitiis Cæsar, Imperii Romani post obitum suum in alterum ex nepotibus successionis firmandæ cupidus, cũ Septem-Viris, vt vnum ex illis Romanorum Regem (quem gradũ qui est consecutus, Imperatore defuncto statim absq; alia suffragatione in Imperio succedit) crearent agebat: & quia id antequam, qui Imperator designatus erat Imperii coronam sit adeptus fieri nõ potest, apud Pontificem vt nouo exemplo sibi per aliquot Cardinales ad id munus delegatos, coronam in Germania imponi curaret instabat. Et quamuis Cæsar Ferdinandum nepotem suum; quod maior natu frater tot regna, tantamq; potentiam obtineret, hoc gradu sustentari æquum censeret, & quo familiæ maiorem splendorem conseruaret, atq; ob quæuis aduersa quæ fratri accidere possent, duos potentes habere quam vnum tantum melius esse ratus, in ea dignitate collocari antea exoptasset; tamen multis familiaribus, ac Sedunensi Cardinale præsertim, iisq; omnib. qui Gallorum potentiam & formidabant, & oderant, contrarium suadentib. priori sententia reiecta, ad Hispaniæ Regem ad eam dignitatem promoueri curandum animum conuertit. Ostendebant enim illi, ad Austriæ familiæ amplitudinem longe vtilius esse potentiam omnem in vnum cumulare, quam ea in plures partes distributa, illos ad cogitata perficienda minus potentes reddere. tanta & talia esse Caroli magnitudinis fundamẽta, vt eum Imperii dignitate accedente, Italiæ omnem & maximam Christiani orbis partem sub vnum Imperiũ redacturum esse sperari posset, quę res non modo ad posterorum potentiam, vetumetiã ad populorum tranquillitatem, & ob SS. religionis hostes ad totius Christianæ Reip. cõmodum spectaret. eius munus esse de Cæsarea dignitate, quam tot annos ipse & Austria familia obtinuisset, & quam (quum ad eam diem cum ipsius, tum maiorum suorum tenuiratem, (specie & nomine maior quam reipsa, & factis extitisset) nisi in Carolum transferretur, eiusq; potentiæ adiungeretur, erigi atq; in pristinũ splendorem reuocari posse sperandum non esse, augenda & extollenda cogitare. cuius rei occasionem naturæ & fortunæ ordine oblatam, non debere ipsum impedire, sed potius augere; veterum Imperatorũ Cæsaris, Augusti, multorumq; eius successorum exemplis cerni, illos, cum liberis aliisq; ex sua stirpe natis carerent, vt dignitas quam ipsi obtinuerant non extingueretur minueretur ne, studiosos, cogitatione remotos, vel etiam nulla ex parte sanguine iunctos, adoptionibus successores quæsiuisse. recens esse Catholici Regis exemplũ, qui quum Ferdinandum affidue apud se educatum vt filium diligeret, neq; vnquam Carolum vidisset, imo illum in extrema sua ætate præceptis suis parum obtemperantem esset expertus; tamen eius quem vt filium amabat inopię minime misertum, nullam ei tot regnorum suorum, ne exillis quidẽ de quibus cum ipsemet ea acquisiuisset, ex arbitrio suo constituere poterat partem dedisset, imo ei quem fere tantum vt alienum agnoscebat, omnia legasset, memoria tenere Cæsarẽ se ab eodem Rege semper, vt Ferdinando noua regna pararet, sed Imperiũ Carolo relinqueret hortatum fuisse; illũq; vt successori potentiam maiorem redderet, consilio à multis improbato, sed non aliam quam hanc ob causam, propriã familiam tam nobilem, tamque illustrem Aragoniæ regno spoliasse, & contra omnium fere commune desiderium, familiæ suæ nomen extingui, & in nihilum interire permisisse. Huic Cæsaris petitioni Galliæ Rex, cui tot Hispaniæ Regis regnis atq; Imperiis Cæsaream dignitatem, quæ viribus ex tanta potentia recuperatis omnibus formidabilis fieret, adiungi molestissimum erat, omni arte atq; industria intercedebat: Idq; & apud Septem-Viros occulte impedire nitebatur; & apud Pontificem ne nouo exemplo Cæsari coronam mitteret instabat; & ad Venetos vt secum ad hæc consilia instingenda facerent, Pontificem & illos periculi ex anta potentia ipsis imminentis, admonens, legatos miserat. Sed tamen Septem-Viri, iam magna ex parte in Cæsaris sententiã pertracti erant, & iam fere de pecunia ab Hispaniæ Rege eis in eum finem promissa certi (is enim bina millia auri pondo hanc ob causam in Germaniam miserat) nec honeste, nec forte etiam sine offensionis periculo, præteritorum exemplorum ratione habita id ei denegare poterant; nec Pontifex, vt Cæsar in Germania per Cardinales Legatos Imperii coronam acciperet, cum Romam ad coronam capiendam proficisci, & si maiore Sacrosanctæ sedis dignitate fieret, ob imminentia Christianæ Reipub. pericula non posset, recusaturus videbatur; vt tanto facilius, maioreq; cum authoritate, tum expeditio contra Turcas institueretur, tum iam primum oriens inualescem q; per Germaniam Martini Lutheri, aliorumq; ambitiosorum hominum, noua de Religione doctrina tolleretur. *Guiciardinus libr. 13. Beuter lib. 9.*

XV. *Lutheri theses oppugnatur.*

Enimuero Lutherus magnos in impietate progressus faciebat, iam semel in reprobum ex inuidia & auaritia datus sensum; ita & magis procax euaserit, quo à pluribus tum in Germania, tum in Italia Doctoribus, erraſſe, & alios in errorem trahere conuinceretur. In Germania siquidem, Ioannes Maior ab Eck, in Scholis enutritus Theologus, vir eruditione summa, qui sub id tempus in Academia Ingolstadiensi Theologiam docebat, cum passim circumferretur Lutheri erroneæ theses, in quasdam ex earum numero, quæ nimirum ad pœnitentiam pertinent, notationes scripsit, easque priuatim Aistetensi Episcopo Gabrieli, rogatus sententiam communicauit. Ad has Lutheri suasu & nomine, mense Maio huius anni 1518. Andreas Rodolphi Carlostadius. Archidiaconus Wittebergensis, propositionibus quibusdam

busdam editis, quas atro maledicentiæ felle pro genio suo conspersérat, respondit. Huic Eckius modestam responsionem opposuit, ad iudicium Romani Pontificis & Sedis Apostolicæ, vel Vniuersitatis Romanæ in Italia, Parisinæ in Galliis, aut Colonien sis in Germania pronocans, Carlostadius vero, cum legitimam causſædiscussionem defugeret, ira præceps, vt erat ingenio turbulento, alterum quoq; scriptum, non minus amarulentum emisit, ex quo conflictu originem habuit Lipsica disputatio, quæ postmodum anno sequente hanc ob causam inter Eckium & Carlostadium instituta est, vt infra suo loco dicemus.

Prodiit simul in aren im contra Lutherum, Iacobus Hochstratanus Dominicanus, Theologus insigni doctrina prædtus, qui Lutheranas theses, & Resolutionum earundẽ librum à Luthero editum doctissime impugnauit, ipsumq; authorem ad dira supplicia pronocauit. Iam vero & Romæ Syluester Prierias Dominicanus, Sacri Palati Magister, vir grandæuus, dialogo quodam in lucem edito, easdem Lutheri theses oppugnauit; cui Lutherus ita respondit, vt recusata S. Thomæ & Scholasticorum authoritate ad solas Scripturas pronocaret: quamquam in iudicanda indulgentiarum controuersia, Pontificum decretis, locum adhuc relinquere videretur.

XVI. *Lutherus Heidelbergam disputaturus proficiscitur.*

Interea de voluntate Friderici Ducis Saxoniæ Principis Electoris, anno hoc 1518. ineunte, Heidelbergam profectus est, vt cum istius Academiæ Theologis in colloquium veniret de moto certamine, de quo varii sermones, pro diuersa hominum in hanc illamue partem affectu spargebantur. In Itinere salutauit Episcopum Herbipolensem, à quo perquã humaniter & benigne fuit exceptus. Vbi venit Heidelbergam, Princeps ipse VVolffgangus Palatinus admodum liberaliter eum habuit. Cum autem ad disputationem admissus esset, quæ publica fuit instituta, sententiam suam de indulgentiis magno conatu tueri cæpit, idq; præsentibus SS. Theologiæ Doctoribus; qui cum disputantem audirent cogitabundi, audaciam hominis in propugnandis opinionibus mirabãtur. Reuersus deinde Vuittembergam, quod ad XV. Maii factum est, cum se propter sparsas theses, & conciones in hæreseos suspicionem vocari intelligeret, scripto quodam ipsum sibi putauit ad eundem summum Pontificẽ, eluendam q; maculam, quam publicus illi rumor, propter motam hanc controuersiam, asperserat. Scripsit ergo Analysin thesium suarum, vel Exegesin dicere mauis, valde prolixã eamq; primum censuræ Brandeburgensis Episcopi Hieronymi, ad cuius Ecclesiasticam iurisdictionem pertinet Vuittemberga submisit, datis ad eundem Episcopum literis, quibus inuitum sese & renitentem ab aduersariis in hanc arenam pertractum esse queritur. Et licet theses de indulgentiis non asserẽdi sed disputandi tantum animo scripserit, eamq; ob causam in publicum emiserit, vt aliarum sententias audiret; intelligere se tamen ait, quod eædem thesis pro certis assertionibus passim haberentur. Itaque necessitate compulsum, hanc earundem thesium analysin & declarationem scripsisse, quam ipsius, tamquam Ordinarii censuræ subiiciat. Rogare humiliter, vt eam examinet, probet quæ probanda videantur, arreptoque calamo inducat, quicquid improbandum duxerit: Imo non repugnare se dicit, quin scriptum hoc totum flammis iniectum abolearur. Deinde ad Staupitium quoq;, Generalem Ordinis Sanct. Augustini in Germania Vicarium literas dedit, & multa de aduersariis questus, tandem rogat, vt hanc analysin ad Leonem X. Pont. Max. perferri curet; cui libellum hunc in eum finem dedicare voluit, vt omnem à se hæreseos & inobedientiæ suspicionem remoueret. In præfatione vero, postquam eam sibi necessitatem impositam fuisse scripsisset, tantam præ se fert animi demissionem, vt si verbis fuerit adhibenda fides, nihil ab eo nisi summam obedientiam deinceps expectandam putaris. *Inuitus venio*, ait, *in publicum, præsertim ego indoctus, stupidus ingenio, vacuus eruditione. Sed cogit necessitas, me anserem strepere inter olores. Itaque quo & ipsos aduersarios mitigem, & desideria multorum expleam, emitto ecce nugas meas.* & infra. *Beatissime Pater, inquit, prostratum me pedibus Tuæ B. offero, cum omnibus quæ sum & habeo. Viuifica, occide, voca, reuoca, approba, reproba, vt placuerit. Vocem tuam, vocem Christi in te præsidentis & loquentis agnoscam. Si mortem merui, mori non recusabo.*

Hæc in præfatione ad Leonem X. Lutherus. & nequisquam de syncero ipsius in religionem affectu dubitaret, solennem edam libello protestationem inseruit, his vsus verbis: *Protestor*, inquit, *me prorsus nihil dicere, aut tenere velle, nisi quod in, & ex sacris literis, deinde Ecclesiasticis Patribus, ac Decretalibus Pontificiis habetur, & haberi potest.* Quid senserit Lutherus, cum ista scriberet, & qua mente fuerit, nouit qui cordium Scrutator est & renum Deus. Certe quæ paulo post secuta sunt, eum nihil minus in animo habuisse testantur, quam quæ calamo ad hunc modum effudit, vt hac sua missione nihil aliud spectasse videatur, quam vt captaret fauorem hominum, omnemque turbatæ pacis culpam à se remoueret: atque interim dum res suas in Germania stabiliret, summo Pontifici glaucoma obiiceret, aut fumos, quod aiunt, venderet.

XVII. *Zuinglii acta.*

Hoc ipsius fuisse consilium argumento sint edita circa hoc tempus duo quædam scripta, quibus ad Syluestri Prieratis Epitomen respondet, breuissima quidem illa, sed qua non iniuria humano sanguine, non atramento exarata dicas. In his enim paulo liberius prodit arcanum mentis suæ, dum tra furoreque totus æstuans in hæc verba prorumpit: Si Romæ sic sentitur & docetur, (nimirum vt Syluester Catholice scripserat) scientibus Pontifice & Cardinalibus, quod non spero, inquit, libere pronuncio his scriptis, Antichristum illum verum sedere in templo Dei, & regnare in Babylone illa purpurata Roma, & Curiam Romanam esse Synagogam Sathanæ. & paulo post; Si sic Roma credit, beata Græcia, beata Boemia, beati omnes qui esse ab illa separarunt, & de medio illis Babylonis exierunt: Damnati vero omnes, qui ei communicauerint. Et ego quoque si Pontifex & Cardinales, hoc os Sathanæ, (Syluestrum) non compescuerint, & ad palinodiam adegerint, his testibus confiteor me dissentire Romanæ Ecclesiæ, & negare eam cum Papa & Cardinalibus, tamquam abominationem stantem in loco sancto. ac iterum post pauca; Nunc vale infælix, perdita, & blasphema Roma &c. Hæc in epistola priore. In altera vero paulo longius proiectus, in Pontificem Ecclesiamque Romanam & Catholicos omnes classicum canit. Quid enim? An non militarem tubam inflare videtur, & in pugnam ac cædes suos accendere, dum hæc verba ebuccinat: Mihi vero videtur, inquit, si sic pergat furor Romanistarum, nullum reliquum esse remedium, quam vt Imperator, Reges, & Principes vi & armis accincti aggrediantur has pestes orbis terrarum, remque non iam verbis sed ferro decernant. & post pauca: Si fures furca, si latrones gladio, si hæreticos igne plectimus; cur non magis hos magistros perditionis, hos Cardinales, hos Papas, & totam istam Romanæ Sodomæ colluuiem, quæ Ecclesiam Dei sine fine corrumpit, omnibus armis impetimus, & manus nostras in sanguine istorum lauamus, tamquam à communi & omnium periculosissimo incendio nos nostrosque liberaturi. Hæc omnia Lutherus: qui eodem anno, forsan & eodem mense, in scriptis, ad pedes Pontificis humiliter prostratus, supplicesq; tendẽs manus, eas ipsas cupit lauare in sanguine Pontificis. Ea versutia & calliditate, dum quereretur se iniuste premi ab aduersariis, nec nisi ob parrocinium veritatis suggillari, breui maximum sibi conciliauit fauorem, non modo apud simplicem populum qui facile credit, & ad omnem nouitatem aures libenter arrigit patulas, ac prurientes, verum etiam apud plerosque graues & eruditos viros, qui verbis eius genuina simplicitate credentes, putabant Lutherum nihil aliud quærere quam veritatis defensionẽ contra Prædicatores indulgentiarum, qui magis pecuniarum quam animarum zelatores viderentur, sicut criminabatur eos Lutherus. Ego miseria illius, Poetarum inprimis Rethorumque cohors, & in aduersarios eius, imo & in Pontificem odio accensa, impigre pro eo, & lingua, & calamo decertabat, causamq; eius laicis cõmendabilem reddebat, ac variis cauillis & inuectiuis Prælatos Ecclesiæ Theologosq; perstringebat, incusans eos auaritiæ, superbiæ, inuidiæ, barbariei & ignorantiæ: qui innocentẽ, aiebant, Lutherũ, non ob aliud persequerentur, quã ob doctrinã, quod videretur & esset doctior eis, & libe-

rior ad dicendam veritatem, contra impostúras & præstigias hypocritarum. cumq; valerent non solum ingenio & acrimonia, verum etiam eloquentia sermonis, siue loquendum, siue scribendum esset, facile traxerunt plurimorum laicorũ animos in fauorem cõmiserationemq; Lutheri, tamquam is propter veritatem & iustitiam vexaretur ab Ecclesiasticis iniuidis, auaris, & indoctis, qui in otio luxuq; viuentes, superstitionũ adinuentionib. à simplici plebe pecuniã emulgerẽt. Terzellio præcipue, indulgentiarum prædicatori, per huiusmodi querimonias criminationesq; tum Lutheri, tum Poetarum & Rhetorum, indies magis ac magis ad populum decrescebat authoritas, minuebatur plebis ad indulgẽtias deuotio, inuisi reddebantur Collectores & Comissarii, rarescebant manus largientiũ, Luthero a contra augebatur authoritas, fauor, fides, existimatio, fama; quod tam liber, acerque videretur veritatis assertor contra prædicatores indulgentiarum & collectores pecuniarum. Hæ ad fraudem illecebræ fuere, ex quib. permulti sibi ad famam & libidinem materiam corripuerunt. In his Vdalricus Zuinglius fuit. Is integrum biennium quidem in Heremo S. Mariæ apud Heluetios Benedictinos, ad quam pulsus Glarona concesserat, & parochi munus obtinuerat, ita vixit, vt nullum luxuriæ, insolentiæ, fœdæ libidinis, & petulantiæ exemplum prætermiserit, contracta maxima, ex morum similitudine, cũ Theobaldo curatore necessitudine, & amicitia. Hic assumptis duobus aliis Capellanis Leone & Lucã, artium Magistris, & Curatore Theobaldo, ad omnem libidinem & licentiam incenso & præcipiti, primum suæ vesaniæ specimen publicis concionibus hoc anno 1518. inter Angelicæ consecrationis festiuitatẽ ea in heremo edidit, recte ipse & fraudulenter, adeo vt egre etiam prudentiores fraudem agnoscerent, metu Suitiorum; siue faciliorem, eo pacto, viam institutis sperabat. Multo apertius & impudentius Lucas & Leo. Illi non modo publice Indulgentias, & ad loca Sacra piaque peregrinationes, vota, & donaria ridere, & calumniari, sed facellum Deiparæ non alio loco habendum, quam quodlibet è oampestrib. blatterare, Deum esse vbiq;, neq; certis locis retineri; Quicunq; honos Deiparæ matri deferrur, auferri eũdem & detrahi Deo omnipotenti. Postea, his veluti fundamentis, ad alia delabi, & falsissima pro veris ad firmate. Quẽlibet Sacerdotem Papam esse, & Episcopum, & rursus; Quẽlibet laicum Sacerdotem esse. Sacrum Ordinem nullum esse. Nulla præterquã tria Sacramenta. Antecessorum animas cœlo omnes, aut inferno receptas. Nullum Purgatorium. Vanas proinde, & inanes pro defunctis memorias, benefacta & Sacrificia. Missæ sacrificium rem mendicariam, variis è centonibus contextam. Quo monasteriis, & locis piis plura offeruntur pietatis, & religionis amore, aut obligatione, eo maiora supperere monachis, & presbyteris in luxum & nequitiam. Frustrari enim laicos, si credunt ab aliis aliquid ideo præstari. Nullum fraudulentius, & deterius aliud hominum genus, quam falsos presbyteros. Numquam Euangelium antea recte annũciatum; omnes ad id tempus velut infideles, & paganos vixisse. Postremo tamquam vno verbo omnem religionem euertere conarentur; Nihil interesse, asserebant, quid quisq; crederet, & perinde Platonem, Aristotelem, Hippocratem, Ouidium, Martialem ad æternam beatitudinem admissos esse. Hæc ferme erant eorum putidissima dogmata, eo plausibiliora & gratiora, quo ad omnem licentiam iamiam patentiorem aperiebant. Accessit proinde incolarum Heremi, quorum hactenus magna pietatis hospitalitas & religio viguerat, repentina arrogantia, leuitas, & aduenarum & externorum contemptus; quasi eodem tempore, veluti tabe omnibus pariter corruptis, quicquid veteris moris & religionis fuerat corruisset. Quæ omnia, & insolita, & noua, tædaq; & inopina, peregrinos admodum attonitos, & incertos reddiderunt. Igitur multi eorum conciones, tamquam Lutheranas (iam istud vocabulum ab authore Luthero dabant) resquere & queribundi, minaresq; palam deferere: alii cereos, donaria, & alia quæ vori, aut religionis causa detulerant, domum reportare. Multi intellectis quę gerebantur, medium iter interrumpere, plurimi peregrinationem intermittere. Omnes deniq; ad tam inopinatam, & repentinam, detestabilemq; rerum conuersionẽ obstupescere, & abhorrere. Addiderunt his alia sacrilegia. Sanctorum Eberhardi & Gregorii Abbatum Sacras reliquias, è suis feretris, manibus impiis auulsas, qui Conditores primi, & illustratores heremi fuerant, loco eo addiderunt, quo parochus nempe audiendis confessionibus adsidebat; dubium, in contemptumue, an quo eorum memoria penitus obsoleasceret. Tabellam etiam in Sacelli virginei frontispicio collocatam, in qua scriptum erat, *Hic est plena indulgentia*, sæpius deiecerunt; nihil deinde intermiserunt, quod ad Deiparæ contemptum, indulgentiarum, confessionum, donationum, precum, facere videbatur. Hęc adeo ex more suo & genio, per tales ministros ausus Sathanas: credens, vt per eiusmodi sacrilegos buccinatores, & eius coniuratos hostes, Mariæ cultus labefactaretur aut plane concideret; & si nul malitię, & impietatis suæ labes adplures pervaderet. Addebat Zuinglius pari furori, æqualia sacrilegia, cum maritaris, monialibus, alijsque virginibus perpetrata, ne prodigium videretur, hæreticus, non quouis flagitio contaminatus.

XVIII. Lutherus porro non sui oblitus, vt sibi authoritatẽ, plausumque popularem conciliaret, duo ante alia inculcabat; Primum, Verbo Dei scripto, omnes controuersias Theologicas dirimi debere; adeoque Pontificis censuram non magnificiendam esse. Alterum; Quemuis verba Dei audientem, & in Christum credentem, salutis æternæ securum esse debere, neque in timore & tremore eam operari. Istud cum hoc anno, Dresdæ, coram Georgio Duce Saxoniæ pro concione asseruisset, magnoque verborum pompa amplificasset Dux, Catholicæ fidei retinentissimus, iratior pro merito factus *se magna redempturum pecunia respondit, talem non audiuisse concionem, quæ homines temerarios faceret*; idq; aliquoties repetiuit.

XIX. *Maximilianus Augustæ Vindelicorum Comitia celebrat.* Interea Maximilianus Imperator, Augustæ Vindelicorum, vt diximus, Comitia celebrauit: quibus durantib. Augusto mense, summum Pontificem per litteras de periculo monuit, quod Germaniæ videbatur à Lutheri machinationibus impendere: præsertim cum ille mordicus defenderet errores suos; & multos, etiam quosdã magni nominis, causæ suæ fauentes haberet. Hortabatur ergo Pontificem, vt medicinam faceret nascenti malo, & pro authoritate sua disputationibus istis modum poneret, ne quod ex hoc negotio grauius incommodum oriretur. Curaturum se, vt quodque ipse in hac causa decreuisset, id per omnes Imperii prouincias ratum haberi. Ita scribebat;

Beatissime Pater, Domine Reuerendissime. Accepimus non adeo multos ante dies, quendam Fratrem Augustinianum, Martinum Lutherum, nonnullas Conclusiones in materia Indulgentiarum, Scholastico more discutiendas disseminasse, necnon in conclusionib. suis & de ea re, & de vi Apostolicarum excommunicationum plurima docuisse, in quibus damnosa & haretica plraque videantur, atque ea nunc per Magistrum Sacri vestri Palatii notata esse. Quares nobis eo magis displicuit, quo pertinacius dictus Frater, vt edocti sumus, doctrinæ suæ inhærere, atque complures errorum suorum defensores & patronos, etiam potentes, consequutus esse dicitur. Verum cum suspectæ assertiones, & periculosa dogmata, à nemine melius, rectius & verius diiudicari queant, quam à Beatitudine vestra, quæ sola, vt potest, ita debet, vanarum quæstionum, Sophisticarum rationum, & verbosarum contentionum autores compescere, quibus pestilentiores Christianæ pietati nulli contigerunt, huc tantum spectantes, vt quod ipsi didicerunt, id solum habeatur in precio: Quod vero & præsentis seculi eruditorum consensus, & pie antea in Christo defunctorum candida & solida doctrina comprobat, id prorsus reiiciatur. Extat sane peruetustum Pontificii Senatus Decretum, de constituendis Doctoribus, in quo de Sophistica, nusquam vnquam quicquam cautum est, nisi quod ista in Decretis vocantur in dubium. Vtrum fas sit ea discere, nec ne; atque horum studium à multis & magnis authoribus improbatur. Cum igitur, quod Pontificum authoritas iussit, neglegitur, & de quo dubitatum, imo quod improbatum est, id solum recipitur: necesse est interdum hallucinari, somniare & cæcutire Magistros istos, quib. id vnum debetur, quod non solũ hactenus Doctores ab Ecclesia recepti solidiores non lecti, sed plerig, deprauati sunt, atq, mutili redditi. Taceamus, his auctoribus pullulasse longe plures, quam vnquam damnatas fuisse hæreses; Taceamus Reuchlinianam infamationem, & nunc præsentem hanc periculosissimam de Indulgentiis atque censuris Apostolicis disceptationem his per-

hij perniciosis autorib. in mundum emanasse. Quib. nisi Beatitudinis vestræ, & Reuerendissimi Patrum autoritas, legem, finemq; imposuerit, breui non solum imperia imponent multitudini sed & Principum virorum sibi auram & fauorem in mutuã perniciẽ comparabunt. Quib. si conniuentib. oculis campus apertus atq; liber dimittatur, futurum est vt, quod omnium maxime in votis habent, pro optimis & Sanctissimis Doctorib. istorum namias præ oculis habere cogatur totus mundus. Hæc pro singulari nostra in Sedem Apostolicam reuerentia, Beatitudini vestræ significauimus, vt sinceritas Christiana, huiusmodi temerariis disputationibus & captiosis argumentis non lædatur & scandalizetur. Nos enim, quicquid super his sancte statuerit, in Imperio nostro, ad laudem & honorem Dei Omnipotentis, & Christifidelium salutem, ab omnibus obseruari faciemus. Datum in ciuitate nostra Imperiali Augusta, die quinta mensis Augusti Anno M. D. XVIII. Regnorum nostrorum Romani XXXIII. Hungariæ vero XXIX. Maximilianus diuinæ fauente clementia Romanorum Rex.

XX. *Lutherus à Pontifice ad causam Romæ dicendam citatur.* Pontifex v. iam antea per alios è Germania, de rerum statu certior factus, Hieronymo de Genutiis, Episcopo Asculano, Auditori Cameræ, & Syluestro Prierati, Theologo, Magistro Sacri Palatii dederat in mandatis, vt Lutherum Romã citarent ad causam dicendam. Quod illi fecerunt, constituto sexaginta dierum termino ad comparendum. Litteræ citationis die 7. Aug. Romæ exaratæ fuerunt. & nõ multo post Vuittembergam delatæ. Tum nonnihil trepidari cœptum, & ferocia quorundam repressa est. Cessarunt etiam ad tempus operæ Typographicæ, nec tam libere sparsi in vulgus distractiq; libelli. Et Lutherus quidem hærebat dubius, in quã se partem verteret. Neq; enim satis tutum iudicabat, ire Romã; non ire vero, parum honestum videbatur, præsertim cũ se suaq; omnia Pontificis arbitrio plane submisisset, vt supra diximus. Excusauit se quidem apud suos, vt potuit, pericula itineris, hostium machinationes & potentiam paupertatem tum corporis constitutionem minus firmam causatus, Verũ hoc non fuit satis. Pontifex quoq; placandus erat & mitigãdus, ne quid grauius in ipsum decerneret propter citationis contemptum. Quia vero Princeps Elector Fridericus aberat ad Comitia profectus Augustam, Vniuersitatis Vuittembergensis opem putauit implorandam, apud quam precib. obtinuit, vt Professores, qui tum Vuittembergæ docebant, Academiæ nomine literis darent ad summum Pontificẽ, scriptas XXV. Sept. quib. Lutherum ipsum, tamquam virum eruditione non vulgari, summaq; morum honestate præditum vehementer commendant, cumq; testantur nullius vnquã erroris macula contaminatum fuisse, quem Ecclesia Romana damnauit. Se quoq; profitentur fideles & obsequentes eiusdem Ecclesiæ filios, cuius aduersariis omnium minime patrocinari velint. Demum summopere rogare Pontificẽ, vt fidẽ habeat huic testimonio, & Lutherum, vt virum bonum & innocentem, benigno affectu complectatur. Iam v. & Fridericus Elector, qui Augustæ erat in Comitiis, tempestiue monitus fuit de processu Romæ contra Lutherum instituto, deq; periculo in quo ille propter citationem editam versaretur. Itaq; Princeps nullum non mouit lapidem, vt causa hæc non Romæ, sed in Germania primum cognosceretur: quod difficulter quidem, sed impetratum tandem fuit.

XXI. *Lutherus ad Monasterium reuertitur.* Erat in Augustanis Comitiis, Legatus Sedis Apostolicæ, Thomas de Vio Caietanus, Card. S. Sixti, vir longe doctissimus, & multis in lucẽ editis lucubrationibus clarus. Huic in gratiam Electoris Friderici mandauit Pontifex, vt Lutherum Augustam euocatum audiret, eumq; si fanabilis esset, extra iudicii strepitum in viam reduceret. Eam rem Card. prudenter & sedulo executus est, tametsi frustra laborauit. Egit n. cum Electore, cum is sub finem Comitiorũ Augusta discederet, in Saxoniam rediturus, vt Lutherum istuc statim ablegaret: quod & sine mora factum est. Igitur Lutherus Augustam venit sub initium Octobris, & ad Monasterium suiOrdinis diuertit, vt ab Electore mandatum erat. Adduxit secum VVenceslaum Link, Augustinianum, S. Theologiæ Doctorem, qui Norinbergæ in templo Augustinensium Ecclesiastis munere fungebatur. Hunc postmodũ & doctrinæ consortẽ, & apostaliæ socium, & ab hoc tempore per omnem vitã sibi vehementur addictum habuit. Cum ergo ad octauũ Octob. vrbem ingressus esset, postridie per VVenceslaum socium, Caietano aduentum suum denunciauit: à quo per internuncium vocatus, vt se præsentem sisteret: renuit venire: quod ab Imperatore sibi de securitate nondum cautum esse diceret. Neque enim aliter quam fide publica munitus, in publicum prodire voluit. Qua de re Cardinalis nonnihil offensus fuit, ratus Lutheri diffidentia fidem suam in dubium vocari.

XXII. *Lutheri cum Cardinale Caietano acta.* Erat Cardinali familiaris admodum legatus Marchionis Montisferrati, Vrbanus nomine, vir prudẽs, qui iam ante salutauerat Lutherum, acq; autor illi fuerat, vt posito contradicendi studio, Põtifici se submitteret; Card. sedis Apostolicæ Legatum, virum esse non excellenti tantum eruditione præditum, sed & longe mitissimum, qui paterno sic in ipsum affectu; nec aliud in hoc negotio quam tranquillitatem Ecclesiæ, ipsiusq; Lutheri salutem spectet. Facturũ igitur prudenter Lutherum, si ductum illius atq; consilium sequatur, seq; totum illi committat. Hæc, inquam, Montisferratẽsis Legatus, bono prorsus affectu Luthero suggesserat, priusquam ad Caietanum vocaretur. Verũ cum tergiuersari hominem intelligeret, nec prodire velle, nisi sub fide publica, reuersus ad Lutherum, nullã esse causam ait, cur se difficilem præbeat, cum omnino sit extra periculum. Hoc vnũ agere Caietanum, vt res tota sine strepitu iudicii componatur. Accedat igitur, ceu filius ad parentẽ benignissimũ, auditurus, quas ille rationes proponat ad sedãdos hosce motus. Lutherus, se quidem, ait, non repugnare, quin Cardinali morem gerat. Verũ obstare mandatum Principis Electoris, qui præcauerit, ne se vllo pacto Cardinali sisteret, nisi fide publica, vel litteris de securitate per Cæsarem ido neè sit munitus. Alter post varios sermones, testari saris, ait, hanc ipsius suspicionem & diffidentiam, quo animo sit in Cardinales, adeoq; nPontificem ipsum: quib. nihil aliud sit expectandum, si quidem in manus ipsius veniant, quam quod eos in se machinatum per summam iniuriam suspicetur. Quæsiuit demum Montisferratensis, quid faceret, si Põtificem & Cardinales haberet in manu sua? Quomodo eos tractaret? Cui respondit Lutherus, omnem se reuerentiam illis exhibiturum. Alter, erecto digito, non credo, inquit, te tam mitem futurum, si res esset in potestate tua. Hæc ille, & plane quidem ad genium Lutheri, qui non ita pridem sparsis libellis, Pontificem & Cardinales omniũ impetendos armis, imo manus in eorum sanguine lauandas scripserat, vt paulo supra diximus.

XXIII. *Lutherus respiscere cupit.* Tandem cum literas de securitate per Consiliarios Cæsaris obtinuisset, adiit Card. qui per benigne excepit venientem, & tria quædam nomine Pontificis illi proposuit. Primum erat, vt ab erroribus rediret in viam, eaque reuocaret, quæ contra receptam Ecclesiæ doctrinam in Thesibus, & in sermone de indulgentiis asseruisset. Alterum, vt & deinceps ab iis docendis abstineret, eamq; rem data fide promitteret. Tertium, vt nec in posterũ alia diuulgaret, à probatis in Ecclesia dogmatib. aliena, quib. publica tranquillitas perturbari posset. Respondit Lutherus, se nullos in scriptis suis errores agnoscere. Si qui sint, tamen rogare se, vt ii demonstrẽtur. Cardinalis illi duos obiecit errores è thesib. excerptos, nimirum quod virtutem indulgentiarum è thesauro meritorum Christi dimanare neget; Deinde quod in vsu Sacramentorum nouam quandã fidem exigat, quo scilicet homo certo statuat, peccata sibi remissa esse, non habita ratione dispositionis suæ, quodq; persuasionem illam fidem appellet, eaq; sola dicat hominem iustificari. Prius illud Clementis VI. decreto, quod Extrauagantem vocant de Indulgentiis; Alterum multis sacrarum litterarũ testimoniis aduersari, quẽadmodum Cardinalis breuiter demonstrauit. Lutherus vtramq; hanc assertionem tueri volens, principio Clementis decretum, conciliare cum sua opinione nitebatur. Quod frustra fieri Cardinalis asserebat, vnde disceptatio quædam inter illos exorta est. Verbis vltro citroque commutatis, vt inter disceptantes fieri solet, Lutherus deliberandi spatium petiit in diem sequentem. Reuersus postridie Staupitium secum adduxit, aliosque nonnullos, tum Notarium & testes, & magnis quibusdam viris præsentibus, inter quos ex Consiliariis Imperatoris quatuor erant, vt omnem hæreseos suspicionem è mentibus illorum tolleret, coram Legato personaliter, ex Scheda quam in manibus tenebat, solenniter in hæc verba protestatus est; *Ego frater Martinus Luther Augustinianus, professor, me colere & sequi Sanctam Romanam Ecclesiam, in omnibus meis dictis & factis præsentibus, præteritis & futuris. Quod si quid contra*

vel aliter dictum fuit vel fuerit pro non dicto haberi, & habere volo. Legatus vero vt erat vir doctiſſimus probe ſciens, illum nō ſolum in ſuis reſolutionib. verum etiam in proximo colloquio multa protuliſſe de indulgētiis & poteſtate Papæ, aliter q̃ ſentit Romana Eccleſia, ore renidēti ac perbenigne Lutherum admonuit, vt miſſis ambagib. in ſe deſcēderet, faceretq; tandem, quod pridie trib. capitib. propoſitis, nomine Pontificis ab ipſo fuerit poſtulatum. Ille v. vlterius proteſtabatur, ſe nullius erroris conſcium eſſe: nihilq; à ſe dictum, quod ſacris literis, Eccleſiaſticis Patrib. Decretalibus Pontificū, aut rectæ rationi aduerſetur. Verum quia ſe hominē tamē noſcat, qui errare poſſit & falli, paratum ſe ſcripto reſpōdere ad ea, quæ propoſita ſint, ac deinde ſubmittere cauſam hanc Eccleſiæ, tum omnium eorum iudicio, qui rectius ſentirent: inprimis Vniuerſitatum in Germania Baſilienſis, Friburgenſis, & Louanienſis, quib. & Pariſienſem adiungebat, quam aiebat ſtudiorum parentē, & à primis vſq; temporib. Chriſtianiſſimam, inque ſtudiis Theologicis Florētiſſimam ſemper fuiſſe, quamuis paulo poſt longe aliter de ea & ſenſerit, & ſcripſerit. Cardinalis, tametſi cum Luthero diſputationem ordiri, vel in certamen ingredi nollet, permiſit tamen, vt ſcripto reſponderet; præſertim cum Staupitius etiam hoc ipſum concedi poſtularet.

XXIV. *Lutherus Cardinali Caietano ſcriptum contra Indulgentias offert.*

Rediit itaque ſequenti die Lutherus, & Scriptum obtulit valde prolixum, in quo multa cōtraſit argumenta, cōtra Extrauagantē Clementis VI. de indulgentiis, contra autoritatē Decretalium & Romanorum Pontif. contra merita Sanctorum, contra indulgentiarum theſaurum, & contra bonorum operum merita: à quib. tandem delapſus ad dogma ſuum de ſola fide, ſcriptum ita concluſit, vt ſatis appareret eum verba dare, & habere mentē in errorib. obſtinatam. Itaq; cum ſcriptum legiſſet, cōmotus nonnihil Cardinalis, verborum cōgeriē eſſe reſpondit; Lutherum, Extrauagantem non minus quam Scripturæ dicta in alienum ſenſum detorſiſſe, nec veram Clementis ac Sp. S. mentē aſſecutum. Poſt hæc grauiter eum & paterne monuit, vnaq; rogauit, ne ſui fiducia nimium elatus plus ſaperet quam par ſit, nec nouis ſpargendis dogmatib. perturbaret Eccleſiam, ſeque ipſum & alios in ſempiternum exitium coniiceret: flecteret potius rigidam ceruicē, & caput in Eccleſię ſinum declinaret. Concluſit tandē, niſi aliam mentem indueret, & miſſis huiuſmodi circuitionib. rectam ingrederetur viam, ferre ſe poſſe, vt à ſuo congreſſu deinceps abſtineret. Atque ita quidem Lutherum à ſe dimiſit. Monuit v. & Staupitium, Ordinis S. Auguſtini Vicarium Generalem, daret operam, adeoq; authoritate ſua Lutherum permoueret, vt miſſis quas hactenus pertinaciter defendiſſet opinionib. in cōmunem Eccleſiæ viam rediret. Non diu poſtquam hæc acta ſunt, Staupitius & Lutheri Socius VVenceslaus Linck, Cardinalē acceſſerunt, cum quib. ille, præſente Legato Montferratenſe, varios de hoc negotio ſermones habuit. Deliberatum ad horas aliquot de mediis, quib. hæc controuerſia, ſine religionis & Eccleſiæ detrimēto ad eum modum ſopiri poſſet, vt & Salua eſſet Pontificis autoritas, nec Lutherus infamiæ notam ſubiret. Paulo poſtquam ſolutum fuit hoc colloquium, VVenceslaus qui Luthero impenſe fauebat, ſolus ad Cardinalem rediit, eiq; non exiguam huius rei feliciter cōficiendæ ſpem iniecit. Cumq; iam nouæ actionis fundamenta quædam iacta viderentur, Staupitius vna cum VVenceslao, inſcio Cardinale, nec hoſpite ſalutato, Auguſta diſceſſit, cum Lutherum prius, quod ad hancquidem cauſam attinebat, ab obedientiæ vinculo, liberum feciſſet. Lutherus cum audiuiſſet, Legatum habere mandatum capiendi ac incarcerandi & ipſum, & Vicarium ſuum Staupitium, anxietate plenus, quia vetabatur in cōſpectū redire illius, niſi reuocaret, cæpit occulte per amicos ſollicitare Cæſarianos pro impetrando Saluo cōductu, quo impetrato, fretus conſilio ſui Staupitii, ſcripſit appellationem à Legato ad Pontificem vel potius à Pontifice non ſatis informato, ad melius informandum prouocans, quam vbi occulte, noctu abiiſſet Auguſta, iuſſit affigi palam in locis publicis ad concitandam maiorem in populo, contra Pontificem & Cardinalem Legatum inuidiam, odiumq; laicorum. cum tamen & præſens ad faciem, & diſcedens per literas, multas diceret & ſcripſiſſet laudes atq; blanditias, quib. bonum virum doloſus nequiter lactabat & ludebat. Etenim abiturus Auguſta ſcripſit ad eum blandiſſime, & gratias agens pro exhibita in ſe clementia, & appellandi neceſſitatem excuſans, non ſolum quod amici ita iuſſiſſent, verumetiam quod ſciret, Principi ſuo longe gratiorem fore appellationē, quam retractationem. Addebat præterea, nō omnino neceſſariam ſibi videri appellationem, cum omnia ſubmiſerit iudicio Eccleſiæ, nec aliud quam ſententiam illius expectet. Vuittembergam vero vltima Octobris reuerſus, adhuc multo blandius ſcripſit Cardinali Caietano, cōmemorans & extollens illius clementiam, humanitatem, & ſapientiam, quod qui vi agere potuiſſet, per Staupitium agere maluerit, qui talis ac tantus ſit in oculis ſuis, vt nullus ſit in mundo, cui libentius auſcultet atq; conſentiat. In iiſdem literis, culpam agnoſcebat nimiæ tum vehementiæ, tum irreuerentiæ ſuæ in Pontificem; proinde petebat veniam, quaſi pure & ex animo dolens ac pœnitens: quod & per omnes conciones ſe populo annunciaturum pronunciabat, promittebatque operamq; daturum, vt poſtea alius eſſet, aliterq; loqueretur quam antea: Vnum enixe flagitabat, vt poſſet audire vocem ſponſæ: quam certam haberet audire vocem ſponſi. Hæc & id genus alia multa honorifice ſcribebat ad ipſum Cardinalem Legatum: & alios vero longe aliter ſcripſit, non ſolum priuatim, ſed ad publice, virum illum benigniſſimum accuſans grauiſſimæ tyrannidis, ſuperbiæ, infidelitatis, ignorantiæ, &c. Sic enim ſcripſit in Actis. Video, inquit, libellos ædi, & rumores varios ſpargi de actis meis Auguſtenſibus. Quamquam venihil ibi egerim, quam quod tempus & ſumptus perdidi, niſi id ſatis abunde fuerit operis, quod nouam audiui linguam Latinam, ſcilicet, quod veritatem docere, idē ſit quod Eccleſiam perturbare: adulari vero, & Chriſtum negare, id eſt, Eccleſiam pacificare & exaltare. In appellatione deinde ſua ſecunda ait, Cardinalem nimium factionis ſuæ fratribus affectum, faciem iniquitatis aſſumpſiſſe, minaſque diras & crudeliſſimas intentaſſe, atque ouem Chriſti, petentem humiliter doceri veritatem, & reduci ab errore, contempſiſſe. Item in præfatione ad Galatas; Cardinalis, inquit, Caietanus paſſim ſe pro Romana Eccleſia venditat in Germania; ſub nomine illius Breuia Apoſtolica comminiſci ſatis doctus. Denique in epiſtola ſua ſecunda ad Leonem X. grauiſſime ſimul & calumnioſiſſime illum accuſans, ait; Notum eſſe arbitror tibi, quid mecum egerit Cardinalis S. Sixti Legatus tuus, imprudens & infelix, imo infidelis: in cuius manu, ob tui nominis reuerentiam cum me & omnia mea poſuiſſem, non hoc egit, vt pacem ſtatueret, quam vno vel bulo potuiſſet facile ſtatuere: cum ego tum promitterem ſilentium, & finem cauſæ meæ facturum, ſi aduerſariis idem mandaretur. At homo gloriæ, non contentus eo pacto, cæpit aduerſarios iuſtificare, licentiam aperire, & mihi palinodiam mandare, in quod in mandatis prorſus non habuit. Hic ſane, vbi cauſa in optimo loco erat, illius importuna tyrannide venit in multo peiorem. Vnde quicquid poſtea ſecutum eſt, non mea ſed Caietani tota culpa eſt, qui vt ſilerem & quieſcerem, non eſt paſſus, quod tum ſummis viribus poſcebam. Quid enim amplius facere debui? Ergo vt Legati quoque victor videretur, ac maiorem inde famam, fidemq; & authoritatem ſibi acquireret, ſcripſit in Actis ſuis, quod ille nullam Syllabam ex ſacris litteris contra ipſum produxerit vmquam, nec poſſit etiam, ſi quam maxime vellet. Cōtra vero, vbi Scripturas attuliſſet Lutherus, Legatus de corde ſuo effinxerit gloſſas, iuxta longam Romanæ Curiæ conſuetudinem: qua, relictis ſacris litteris, & acceptis traditionib. verbiſque hominum, factum ſit, vt Eccleſia Chriſti non menſura tritici paſcatur; nec verbo Chriſti, ſed non raro temeritate & voluntate alicuius indoctiſſimi adulatoris regatur, & eo profecerit noſtræ infelicitatis magnitudo, vt ad reuocationem & abnegationem fidei Chriſtianæ & Sacratiſſimæ Scripturæ incipiant compellere. Eiuſmodi quærelis auxit Lutherus apud quamplurimos ſibi quidem fauorem & æſtimationem, aduerſariis vero odium & contemptum. Auſus etiam fuit, fretus Protectoris & Principis ſui authoritate, Vuittembergam publico ſcripto citare quoslibet hæreticæ prauitatis Inquiſitores, ſi qui videantur ſibi deuorare ferrum, petraſque dirumpere, vt venirent il-

luc

luc cum ipſo diſputaturi, habituri non modo ſaluum conductum, ſed etiam liberum hoſpitium ſumptiſque à Principe. Hæc & id genus multa iactitans, ſibique Scripturarum peritiam præ omnibus arrogans, plurimos in partem ſuam traxit, clamitans, non ſolum Scholaſticos Theologos, verum etiam Papam ipſum, eiuſque Decretales vim facere ſacris Scripturis, eaſque torquere, ac improprie & abuſiue intelligere. Exclamabat igitur aliquando in tales, qui aliter quam ipſe vellet, Scripturas interpretantur; quod ſint centuplo Turcis peiores: quoniam verbum Dei, quod omnia ſanctificat, ſcelerate, ait, in nihilum redigant. Simulabat quidem eo tempore blandioribus verbis modeſtiam, humilitatemque & obedientiam, vt partem ſuam & auctiorem, & commendatiorem redderet: cor tamen eius ſemper erat in mordacitatem, ſuperbiamque & rebellionem erectum. Quod ſane alicubi ipſemet palam fecit. Ait enim in actis ad Lectorem. Poſteriorem reſponſionem meam, & ſi multa cum reuerentia dedi, ac velut in arbitrium ſummi Pontificis repoſui, non tamen id me feciſſe credas, quod de re ipſa dubitem, aut animi ſententiam ſim vnquam mutaturus, ſed quia oportuit reuerentiam ſeruare ei, qui vice Summi Pontificis fungebatur. Dixerat autem in eadem reſponſione, animam ſuam paratiſſimam cedere, mutare, reuocare omnia, vbi aliter intelligenda eſſe edoctus fuerit. Quomodo autem doceri poterat, qui animi ſententiam numquam mutaturus fuerat? qui non ſolum Legatum, ſummæ alioqui eruditionis virum, quem & ipſe Lutherus, inſignibus dotibus, præſertim iudicii acrimonia donatum fateretur; ſed & Pontificem Max. reprehendebat: quique Syluestrum Prieratem, Sacri Palatii Magiſtrum ſimul cum S. Thoma proteruiſſime contemnebat: calumnians vtrumque, quod nudis verbis incedant, ſine Scriptura, ſine Patribus, ſine Canonibus, denique ſine vllis rationibus. Mera igitur verba dabat, cum aut reuocaturum ſe promitteret, aut arbitrio Pontificio ſeſe ſubmitteret.

XXV. *Lutherus clam in Saxoniā fugit.*

Clancularium Lutheri diſceſſum, vel potius fugam, tulit dolenter & indigne Cardinalis, eaque de re Fridericum Electorem Saxoniæ 25. Octobris per litteras certiorem fecit, in quibus breuiter commemorabat, quid Auguſtæ per dies aliquot egerit cum Luthero, quam humaniter eum exceperit, quamq; curam habuerit, vt exorbitātem reduceret in viam, & ſummo Pontifici Eccleſiæque reconciliaret. Verum quia fruſtra ſumpſerit laborem hunc, & Lutherus antequam actio finita eſſet, proterue diſceſſerit, hortabatur Principem, vt eum vel Romam ire compelleret, quo nuper admodum citatus fuerat ad cauſam dicendam; vel parere recuſantem è ditionibus ſuis eiiceret, neque labem hanc ſuo maiorumque ſuorum honeſtiſſimo nomini aſpergeret, vt Eccleſiæ perduellem fouiſſe videatur. Has litteras 19. Nouembris redditas, Elector cōtinuo Vuittembergam miſit ad Lutherum; qui ſtatim ad eas reſpondit, datis ad eundem Principem litteris admodum prolixis, in quibus & ipſe recenſet, more ſuo videlicet, quid Auguſtæ coram Cardinali ſit actū. Demum ne Princeps ſui cauſa veniat in periculum, alio ſe migraturum denunciabat, ipſique veluti ad iter iam accinctus gratias agebat pro beneficiis, ac felicia precatus omnia, valedicebat. Cæterum cum intelligeret ex Caietani litteris, futurum vt Romæ continuaretur proceſſus, ad quem non ita pridem citatus fuerat, & cauſæ ſuæ parum fideret in iudicio: 28. Nouembris nouam appellationem interpoſuit à Pontifice, quem hominem eſſe dicebat erroribus non minus, quam cæteros mortales obnoxium ad futurum Concilium prouocans. Quod vt faceret, extrema ſe neceſſitate compulſum dicebat. Interim Elector, pro ſuo in Lutherum affectu, vehementer ſollicitus erat. Videbat ingentem ex Italia procellā ingruere: nec improbabat eorum ſententiam qui putabant è re futurum, ſi Lutherus ad tempus alicubi latitaret, vbi eſſet extra periculum, donec nubes illa vel tempeſtas tranſiiſſet. Suadebant nonnulli, vt in Franciam extra fines Imperii ſecederet. Verum id conſilium diſplicuit Principi Electori. Qua de re mentem ſuam per Georgium Spalatinum Luthero aperuit, eidemque tandem renunciari iuſſit, vt eſſet animo præſente, neque Wittembergam diſcederet, donec aliud quippiam eſſet conſtitutum. *Cochleus de actis Lutheri. Vlenbergius de vita Lutheri. Florimundus de origine hæreſeon libr. 1. Surius in Commentariis, hoc anno.*

Cauſam interpoſitę à Luthero appellationis alii aliam memorant. nempe. Leo Pontifex rerum perturbationem in Germania maiorem veritus, imminuta non modo indulgētiarum, ſed ſua quoq; auctoritate, IX. Nouemb. huius anni M.D.XVIII. nouo diplomate eorū dignitatē validitatemq; confirmauit, atq; declarauit, ſibi tanquam Chriſti Vicario, & Petri Succeſſori relictam eſſe poteſtatem tantum beneficium, tam viuis, quam defunctis concedendi. Eam eſſe doctrinam Eccleſiæ Romanæ, quæ Mater ſit ac Magiſtra omniū Chriſtianorum; eandem ab omnibus recipiendam, qui nolint ab Eccleſiæ cōſortio ſeparari. Edictum hoc miſit ad Cardinalem Caietanum Lintzii, quod eſt Auſtriæ ſuperioris oppidum, tum commorantem: vbi ille & promulgandum curauit, & in authentica exemplaria multa diſcribendum, quib. mox ad Epiſcopos per Germaniam miſſis, iuſſit ea publicari graueſq; pœnas omnibus denunciari, qui aliter ſentirent. Ex hac Bulla Pontificia ſuſpicatus Lutherus, Roma ſibi nihil aliud, niſi condemnationē expectandum: quam pro leui honorem & iudicium ſummi Pontificis haberet, appellatione interiecta declarauit; cuius initio profeſſus nolle ſe auctoritatem Papæ veritati adhærentis conuellere; ſubdidit, nō eſſe eum à communi mortalium conditione eatenus immunem vt labi non poſſit aut errare; cum Petri à B. Paulo acriter reprehenſi exemplo, contrarium ſit teſtatum. Eſſe quidē perfacile Pontifici tantis opibus ac clientelis ſuffulto, quemuis à ſe diſſentientem opprimere: ſed vnicum oppreſſis ſupereſſe perfugium, prouocationem ad Concilium, Papæ omnib. modis anteferendum. Hæc Lutherus, more omnium ad hæreſim procliuium, vel in errore obſtinatorum ſcribebat; diſſimulans, Petrum à Paulo, non de errore; ſed facto reprehenſum fuiſſe; Pontificemq; Romanum iure diuino omnibus ouibus & agnis, id eſt vniuerſali Eccleſiæ prælatum, Concilio ſuperiorem eſſe.

Nactus fuit eo ipſo tempore Lutherus, ad impugnandam Pontificis autoritatem Socium, Vlricum Zwinglium. Nam cum pro indulgentiis publicandis ad Heluetios deſtinatus fuiſſet à Leone Fr. Samſon Mediolanenſis Franciſcanus, exindeque in ſubſidium belli ſacri ad CXX. millia aureorum collegiſſet, Zwinglius, Canonicus, qui tunc prædicatoris munus Tiguri obibat, eodem quo Lutherus inuidiæ morbo exagitatus, non tantum indulgentias, verumetiam poteſtatem Pontificis impugnauit, ſectamque Sacramentariorum ſuſcitare incepit, Luthero in pleriſque deterior.

XXVI. *Maximilianus in comitiis Lutheri humeris inſidētem putat Cacodæmonē.*

Inter hæc accidit quiddam mirandum, ſupraq; mirandū: Cum Maximilianus Cæſar, Auguſtæ Vindelicorū imperialia comitia celebraret, ac patentib. valuis, vt moris eſt, prāderet ingreſſusq; eſſet cum aliis multis triclinium prandentis Lutherus, atq; Imperator viſum eum exactius paulo ac diutius intueretur, tandem Baronem ex familia Schenk de Eipach ſuum pincernam allocutus his verbis: Vade; ait, & aſpicias illum Monachum cucullo veſtitum, à vertice capitis vſq; ad plantam pedis, & à planta pedis vſq; ad verticem capitis diligentiſſime, & quicquid videris referto. Baro Imperatori interroganti reſpondit; ſe Monachum illum Lutherū cucullo veſtitum vidiſſe, quid vero pectori & animo eius inſediſſet, videre non potuiſſe. Imperator rurſus iiſdem quib. antea verbis mandauit Baroni, Monachum denuo colluſtrare. Baro, etiamſi iterata vice adiret, retulit ſe nihilo plus quam antea videre potuiſſe. Imperator, phraſi ſibi familiari regerebat: Amore boni Dei, fac quæ iubeo. Baro obtemperans, vadenſq, ac rediens eundem ſermonem Imperatori, vt ſupradictum eſt, interroganti repetiit. Subiunxit protinus Imperator; *Si tu nihil vidiſti, nec vides, dicam tibi quid ego videam. Video cacodæmonem forma corporea humeris iſtius Monachi incubantē, & te quidem ſuperſtite, me vero defuncto, iſte Monachus turbas, calamitates & miſerias grauiſſimas in Imperio ſuſcitabit.* Hæc verba ex ore Cæſaris Maximiliani audiuit quidam præcipuus Germaniæ Princeps ſæcularis, cuius nomen à Scriptore, conſulto, id temporis prætermiſſum, qui eo ipſo tempore menſæ Imperatoris cum aliis Principibus, Comitibus, Baronibus & nobilibus adſtitit. Iſte vero Princeps hæc veraciter contigiſſe filio ſuo retulit; qui filius, Princeps & hæres hæc omnia & ſingula duobus Principum Electorum conſiliariis primariis fide dignis recenſuit; quem vtrumque ſe

probe

probe nouisse, & ab altero illorum superstite, ista & voce, & scripto accepisse testatur qui in Commentarios retulit, *Tilmannus Bredembachius S. T. Doctor libr. 1. Collat. Sacr. capit. 41.*

XXVII. *Steno Sueco rũ Princeps Archiepiscopum Vpsalẽsem opprimit.*

Et has quidem molestias, impedimentaque Lutherus exhibuit Pontifici, ne tam vberes suppetias ex Germania colligere pro sacro in Turcas bello. Nihilo minora impedimenta fuere in regnis Daniæ, Sueciæ, atque Norwegiæ, ad quæ Ioannem Angelum Arcimboldum, Nuncium destinarat Leo. Regnabat apud Succos Ioannes Steno Sture, melioris partis procerum suffragiis rebus admotus. Contra hunc, aliqua pars Senatus Ericum Trolle nobilissimum Succorum, Principem designarat. quo facto incidit inter Stenonem, & Gostauum Erici filium, Archiepiscopum Vpsalensem discordia nimium perniciosa, ob quam non solum illi duo, sed tota Suecia ad extremam ruinam deuenit. Erant ambo iuuenes, ambo illustrissimo sanguine nati, ambo vehementis spiritus; sed Steno iustior, & modestior in sua causa videbatur, vt pote qui legibus Ecclesiasticis, & bonorum virorum arbitrio se parere velle affirmabat. Fecitque Gostauum tam per Leonem summum Pontificem, quam per regni Sueciæ Pontifices sufficienter admoneri, ne patriæ tranquillitatem tolleret aut turbaret. Sed durior erat in Archiepiscopo animus, quam quod permitteret sibi aliquam concordiam persuaderi, cum Stenone, qui parrem Ericum à tam amplo principatu seclusisset; spemque maximam in Danorũ Rege Christierno sereponere ostendebat. Tum Steno, considerans Archiepiscopum nullo ingenio, nullaque admonitione ab illo implacabili odio reuocari posse, collectis militum copiis ipsum in castro Almerstech inclusum obsedit, exercitumque Danici Regis, qui vt eum insidione liberaret aduenerat debellatum profligauit. Deinde obsessum, & Danica auxilia frustra expectantem, ad deditionem coegit, euersaq; funditus arce, ipsum in Monasterio Arosiensi, quod Insulense vocant, inclusit. Quo facto, causam eius coram summi Pontificis Legato Ioanne Arcimboldo, in comitiis Arbogensibus exponi fecit, eoque intercedente Legato, & regni Senatu, à Stenone sub ea conditione in gratiam receptus, vt de cæteros se in Vpsalensem Archiepiscopatum non ingereret, sed in bonis paternis paci & tranquillitati studens resideret. Nactus ex hac dissensione occasionem Christiernus Rex Daniæ, Sueciam inuasit, atque Stenonem bello vexauit: inter quos vt Leo Pontifex pacem conciliaret, plurimũ per Arcimboldum laborauit. Erat Arcimboldus summopere acceptus Stenoni, qui pluries eum honestauit insignibus conuiuiis, multisque donariis onerauit: inter quæ obtulit illi, argenti puri massam vnam magnitudine latitudineque orbicularis mensæ: multaque in subsidium belli sacri, vna cum principibus regni sui & populis exhibuit: ita vt decies centena millia florenorum numerarentur, quæ Arcimboldus ex vna Suecia & Gothia, libere & absque thelonis, gabellis, deciis, pedagiis, aut aliis inexplebilis auaritiæ commentis exportauit. *Olaus hist. lib. 24. & lib. 5. & 6. & Vilis Pontif. Vpsalensium.*

XXVIII. *Polon. Basilium Moscorũ ducem diuinitus cædunt.*

Æqualia impedimenta fuere in regnis Poloniæ, Boemiæ, atque Vngariæ, subsidiis contra Turcas comparandis. Vngaria atque Boemia intestinis procerum odiis ac dispensationibus grauiter distrahebantur, Rege puero nec quicquam potente. Eas vt Pontifex sopiret, Thomæ Cardinali Strigoniensi Legato rem commisit; Maximilianumque Cæsarem & Sigismundum Poloniæ Regem admonuit, vt inter dissidentes discordias componerent. Polonia à duobus potentissimis hostibus infestabatur. Basilius Moscorum Dux, exercitu conscripto, ad intercipiendam Polociam septem millia equitum præmiserat. Cessit tunc Polonis victoria, ab auxiliatorio Diui Casimiri Duina fluuius tranandus fuerat, si obsidione voluissent Polociam liberare. Vndari is non poterat. Ergo euenit, vt Ioanne Boratini oripam fluminis adequitare, vadumque diligentius scrutante, adolescens quidam humana specie illustrior, insigni vectus equo, angustiore forma & amictu candido ei appatuerit; *hac, hac*, inquit exclamans, *me sequimini*. his dictis incitato equo calcaribus in flumen insiluisse, vado queostenso ad ripam vlteriorem omnibus stupentibus euasisse, posteaque disparuisse. Adolescens vero ille Beatus Casimirus Sigismundi Regis frater creditus est fuisse. Eius consilium subsecuti Regiarum copiarum duces, ea parte exercitum omnem traduxerunt, instructaque acie progressi in Moscos nil tale veritos magno impetu irruerunt; & prælio acri commisso hostes profligarunt, castrisque eorum potiti Polociam metu & obsidione liberarunt. Mense deinde Augusto Tartari Tauricani quindecim mille equites, cum Borysthene & Tyra fluuiis traiectis, Moldauiam & Russiam conterminam vastaturi intrassent, à Moldauis & Polonis omni præda exuti, fusi fugatique sunt. Cuius victoriæ fama Sigismundus Rex summopere exhilaratus, pro ea publice priuatimque Deo gratias agi iussit. *Vapouius in fragmento. Cadanus lib. VII. hist. Polonicæ.*

XXIX.

Vnde autem eæ, & tam frequentes, Poloniæ clades ingruerent, Erasmus Vitellius Episcopus Plocensis, Sigismundi Regis Poloniæ ad Cæsarem & Comitia Augustana missus Legatus, die Veneris, XX. Augusti, Sacri Imperij Electoribus, plurimisque Germaniæ Principibus, in ea quam Augustæ dixit oratione recitabat. *Vrgetur*, dicebat, *regnum illud amplissimum, tribus à parte vna Scytharum ducibus potentissimis, multa centena millia bellatorum in statione campestri secum ducentibus, qui se etiam Cæsares dicunt; vno Theodosiæ propinquo, post Borysthenem ad latus maris Pontici in Taurica residente, altero circa Tanaym & paludem Meotidem; tertii sunt remotiores Asiatici, vastissimam incolentes solitudinem, & latissimas tenentes campos. Hi omnes repentinæ incursionibus regnum depradari, & continue defatigare non cessant, famem, sitim, æstum, & algorem & omnem inediam contemnentes: sæpius etiam Turcis iuncti, qui Moncastrum & Licostomum occuparunt, maiora & horrenda damna nostris inferunt. A Turcarum enim Imperio Scytha omnes dependent, dum eadem secta sit, Mahometicis simul erroribus implicata; ex quibus plane deprehendi potest, facilius catulos à maternis vberibus, quam Tartaros à Turcarum assistentia auelli posse; qui nunc etiam contra Regem Persarum optatas viginti millium equitum suppetias tulerunt. De his Rex noster Sigismundus multas & insignes reportauit victorias; vt arces, & loca regni munitissima ostendunt, quæ pacis tempore pro sui nominis immortalitate ornatissime instaurat; vbi Scytharum cathenatæ acies, latericio in muris erigendis certamine quotidie congredi videntur. Est & alter hostis non minor ad rigentem Arctον, circa mare glaciale consistens, Roxolanorum Dux, quem nos Moscum dicimus, sola perfidia, & detestando schismate famosus. Is partem regni, videlicet Lithuanorum prouinciam, magno etiam bellorum motu turbat indies. Sed & hunc Rex noster, patrocinante iustitia fudit sæpius, eiusque potentiam triginta millibus in vno loco cæsis profligauit, quamplurimis primoribus in vincula coniectis, qui in Lituania castris arctissima detinentur custodia: multis etiam alijs captiuorum millibus per vniuersum fere orbem, variis Christianorum Principibus, mancipiorum loco & dono datis. Iamque cruentum hoc bellum decennium superauit, dum sint, qui eas discordias seminent, concitent, & turpiter alere non verentur. Sed, proh dolor, non pudet etiam Religionis professores (Crucifèros Marianos Theutonas, in quorum nostro hoc tempore successerunt conatum, confœderati hæretici, Angelus, Danus, Gabor, Gostauus, Palatinus, & nonnulli indicabat) tantorum malorum auctores & faces esse, qui literis & nunciis ad eam rem fouendam, magisque irritandam, terra & mari sursum ac deorsum cursitant, vt Reges & principes alioquin forte quieturos, ad pugnam inflamment.*

Salutis insigne, & candidam innocentiæ vestem deferunt, tamquam pacis amatores; & tamen fratrum perniciem sitiunt, bellorumque fomitem & totam causam præstant. Si sunt qui loquuntur pacem cum proximo suo, mala autem in cordibus eorum. Sed reuera, Deus fucis non illuditur. Breui namque eis secundum nequitiam adinuentionum ipsorum retribuet. Ab ipsorum machinatione, ẽstis hostibus & quidem assiduis regnum nostrum à trecentis pene annis premitur. Verum suo ære tantum, suo milite, & maximis laboribus, totam hanc belli molum sustinuit; nemine Christianorum Principum suffragante. Spe alebamur continua, & nudis semper pollicitationibus detinebamur: sumptibus & humeris nostris vicina hucusque alia fouebamur, vt iam tamquam defessi & imbecilles à maioribus impensis continere non possemus, vt deberemus merito.

Ista deplorabat Vitellius, atque simul ad sacram expeditionem hortabatur, inter alia memorans;

Quantum vero necessaria sint, simulque cum vita omnium nostrum desideratissimæ præparationes istæ, Christianorum coadunctis viribus, hostis aucta potentia testatur, iam annos circiter septuaginta, post infelicem & calamitosam Byzantis captionem, quæ patulam ad nos hostibus ianuam præbuit, nihil aliud audimus, quam clades atque excidia continua Christianorum à Turcis. & dum omnes ad resistendum, vt par esset, consurgere negligimus, tot principes, cum subditis suis, tot Reges cum eorum populis, tot denique ditissima dominia, cum magna iniuria religionis nostræ, & maxima indignitate Christiani imperij, miserabiliter deleta sunt: quæ singillatim enumerare, dolor profecto mœrore plenus prohibet. Quandoquidem neque ea me referre, neque vos audire sicis oculis liceret, capita vtcumque decerpam. Nonne videmus Asiam vniuersam, quæ è tribus orbis angulis maior est, ab his & aliis infidelibus occupatam? Africam vero totam, impiis ac sceleratis eorum manibus desolatam? Europæ magnam partem, tot incendiis, & assiduis vastationibus debilitatam? & hucusque dormitauimus. Sed neque his contentus hostis, vt fortior fieret, Ægypti & Syriæ Regem aggressus, superauit, totiusque Syriæ & Ægypti ea victoria, sed & Hierosolymæ matris nostræ, vbi salus orta est, vnicum se dominum constituit, & altero imperio longe ante formidabilem potentiam suam auxit. Nos vero torpemus, & bellis intestinis, plus insolenter quam necessario exagitati, gladiis nostris, domesticos fidei, aut potius nos ipsos, detestanda malignitate confodimus: nec prophetæ sapientis verba, quæ aduersum nos tamquam ethnicos clamitant, dignaque facinori supplicia annunciant, audiuntur: Ipse, inquit, contra sanguinem suum insidiantur; ego vero dum eu repentina ingruerit calamitas, non exaudiam. Parat nunc in Christianos terra marique arma sua; instat Turcarum framea capiti & cervicibus nostris; & adhuc oscitamus, vixque ad pacem mutuo amplectendam, tanta periculi magnitudine vrgente mentes componere volumus, Leone Sanctissimo id dies nocteque curante. Hortatur nos hostis, excitat à somno, commonefacit desides, torpentes terret, dum iampridem ad ostia Tiberina; nunc vero ante paucos menses, circum Recanati mœnia; & hisce iam diebus dum hic agimus, iterum ad Ostiæ portus ferro, & sanguine debacchatus sit: Nos tamen satis sic volentibus, omnia hæc quæ vltimum exitium omnibus minantur, ridiculum putamus, vt iam illud Diui Petri naufragantis, dum sibi in fluctibus dextera nudari popposcit, & meruit, dicere libeat: Salua nos Domine perimus.

Collegerat similem Conuentum felicis recordationis charissimus genitor tuus; post insperatam Carniolæ suæ depopulationem. Multa illic in eam sententiam à viris doctissimis declamata sunt; multa etiam prophetico quodam spiritu prædicta, nisi tunc instantibus, & euidentissimis periculis aliter prouisum fuisset. Quæ omnia flebilis tandem affectus compleuit; cum nulla consulta inuicem, & constituta nulla, suo ordine; vt necessitas postulabat, debitæ executioni mandarentur; & omnis rei bene gerendæ commoditas, simul cum tempore amissa fuit turpiter aut neglecta. Nunc iterum Cæsar inuictissime, pro dignitate & debito tuo, conuentum hunc bono cœptum omine diligenter prosequeris, vt labenti Reipublicæ Christianæ efficaci opera subuenire possis. Habet eandem rem cordi, æqua lance, Sedes sancta, Religionis nostræ caput & Magistra, quæ tot annorum Concilium feliciter continuans, singulares & vrgentissimas admonitiones qualibet sessione, ad hunc effectum instituere solebat; vbi etiam Turcarum tela pectoribus suis infixæ, Episcopi declamantes, ostendere visi sunt; vt non verbis tantum, sed rebus & sanguine ipso pungerent segnitiem nostram, & deiectos Christianorum animos quantum possent erigerent: cuius nauiculæ gubernator, verum se Leonem in his præstat; quippe qui salutiferos rugitus, & vigilantissimas cogitationes summoque & vero Pastore dignas, ad hoc vnum conuertit, vt communi potentia tantis periculis vltimum iam interitum secum ferentibus, quantocius succurratur. Quæ omnia dignissimi hi Legati Sanctitatis suæ magis abunde explicarunt. Recte gubernabant populum Dei Moyses & Aaron, Dauid & Nathan; pluresque Romani Pontifices cum Imperatoribus Christianis. Iuncta simul gratia, vtraque potestas. Binum nobis reliquit gladium transiturus ad Patrem Saluator noster. Curabis & tu Cæsar inclyte, cum Leone Sanctissimo, vtroq; iuncto gladio, eripere de faucibus inimicorum, & tot calamitatibus, oues Christi. Inconsutilem enim tunicam suam reprætentatis, quæ sub hoc tempore vestro, non abs re profecto inuenta est. Adhibebit ignem orationis, & spiritum fortitudinis benedictum Sacerdotium, neque impensa deerit. Tu aquam non gelidam, sed feruentissimæ defensionis, cum Regibus Christianis indefesse suggeres, fidemq; nostram & spem omnium opere adimplebis, vt à ferocitate Turcarum salui simus. Vnica namque est gloria, penates nostros, & religionem in qua nati sumus tueri & defendere; pro qua omnes maiores tui, tot Reges & Cæsares Sancto-

rum nonnulli Catalogo adscripti, felices & candidissimæ animæ plura bella in Europa & Asia gloriose fuscepere.

Sed ia m factis res aggrediendæ vobis etiam Principes foret, constantique pectore, sine omni vlteriore cunctatione prosequenda. Post tot consilia, & decreta multa; post tot concentus, & exhortationes varias: post tot instructiones & tractatus plurimos, armis tandem non argumentis opus est. Iam enim de his tam crebris, sed vanis, aut nullis consultationibus, & præparamentis nostris (vt quidam Mediolanensis ex Turcia profugus nuper in conspectu Regis nostri retulit) sæpius dicit Turca, ad modum subsannantis; Consulant Christiani, consulant, & ego faciam. quod re ipsa, & stupendis in dies victoriis demonstrat. Nos si veri Christiani sumus, quemadmodum Turca in dedecus nostrum potius affirmat, Christi fidem, ad sanguinem vsque, mente intrepida, non ostentatione solum sed affectibus synceris obseruare, fueri, & quantum in nobis est manu tenere debemus. Neq; id deterreat, quod tam lõgo tempore, Orientali imperio hostis crudelitas potita sit, & desidia nostra, eius potentia sic increuerit, vt firmata esse videatur. Supra septingentos annos Granatam, & magnam Hispaniæ partem Saracẽni occuparant: & tamen vltius Ferdinandi Catholici & Elisabethæ armis eiecti sunt. Quod si nunc vobiscum, omnes alij Principes & Reges Christiani, contra Turcam conuenerint? Non deerit votis tuis Cæsar, & Leonis Sanctissimi, Serenissimus Rex noster cum omnibus dominiis suis, & tota illa Septentrionis ora, modo bellis aliis quibus, vt dixi, continuo impetitur, finem optatum imponere possit. Expeditionem hanc generalem commendat summopere, & approbat: laudat modum de colligendo nerũo bellico, & exercitu congregando, quem SS. D. noster, & tuæ Celsitudinis prouidentia constituit, aliique Reges & Principes Christiani proponunt. Sed neque de eo pro nunc cum Senatu & subditis suis quicquam decernere potuit, inter domesticas difficultates, & bellicas occupationes, quibus compositis, & de colligendo nummo, & de scribendo militẽ, in regnis & dominiis suis idem constituet: neque quicquam prætermittet, quæ vires eius, & regni, ac dominorum suorum ferre potuerint, & quæ ad tam sanctum, diuque desideratum opus pertinebunt; dummodo aliquando cum effectu aliquo Christianæ saluti consulatur, pro qua (vt verbis vtar Regiis) & thesauros omnes, & sanguinem ipsum cum vita effundere paratus est. Extat tomo III. rerum Polonicarum.

XXX. *Volsci Cardinalis acta in Anglia.*

Anglicanam, pro subsidiis in bellum sacrum expeditionem, corrupit fraus & auaritia Volcei (cuius superius mentionem fecimus) Cardinalis. Destinarat in Angliam Pontifex ad Henricum Regem, Laurentium Campegium Cardinalem Legatum, cum amplissima omnia absoluendi & faciendi potestate; suppetias pro tuitione à Turcis Hungariæ, comparaturus. Eius aduentus tanto motu concitauit ambitiosos Volcei Angli spiritus, qui metuebat ne superiorem ferre cogeretur, qui parem æquo animo tolerare non poterat; vt ei obuiam miserit, abunde omnia ad negotium iniunctum exequendum promittens, si modo collegam saltem se, in hac noua potestate acciperet. Campegius spe rei bene cõficiendæ allectus, facile aurem dedit; sed id tamen Pontifex permitteret. Scriptum Romam; summo Pontifici, quicquid Volseus offerebat, insinuabatque, placuit. Ita Campegius artibus Volcei detentus, inescatusque, antequam in Angliam traiiceret, Caleti aliquanto tempore hæsit: neque maius operæ pretium in Regnum penetrans facere potuit: persuasus à Volceo, deludsque, vt Romam reuerteretur, eique munus Cruciatæ prædicandæ relinqueret. Rex iam à Volceo seductus, non modo istud, sed quæcumque alia cuiusuis momenti negotia, Campegio recedente, commisit Volceo; qui statim Curiam, sed pro genio suo prædatoriam aperuit. Omnium enim Episcoporum, & cæterorum Ecclesiasticorum iudicium, atque Prælatorum iura, & exemptorum etiam locorum priuilegia deuorauit; Scelerũ quorumcunq; non tantũ veniam sed etiã impunitatẽ, quibus libuit, indulsit: ipsam Cantuariensem prærogatiuã heluo inuasit: omnesq; diuini ac humani iuris habenas, & relaxationes vsurpauit. Atq; hæc effrenata Volcei potẽtia, eo magis insuperabilis visa est, q̃ Pontificia & Regia simul authoritate suffulta, non modo Præsules, Clerumq; conculcauit, sed proceres; populumq; prostrauit. Nam vt multitudinis beneuolentia cõparata iustus iudex videretur, ostendit se populares, suscepitq; inferioris plebis querelas contra Procerum atque Potentiorum, à quibus opprimebantur iniurias: quas sane non minori seueritate, quam causidicorum, leguleiorum, & formulariorum falsitates, periuria, litigatoriasq; cautelas vindicauit. Repleuit itaq; breui suum tribunal, Pontificio & Regio

nomine excitatum, tanta multitudine causarum, vt cæteris tam Ecclesiasticis quam Regiis foris exhaustis & exinanitis, è suo solio delegationes infinitas educeret. His de causis, odium erga se Præsulum, Procerum, & iuris regni peritorum excitauit: Campegio per imprudentiam abeunte, & illi omnia relinquente. *Polyd.lib.vlt.hist.Anglic.Autor antiquit.Eccl.Britann.*

XXXI. In Hispaniis etiam, non omnia, omnino quieta, vt ex omni sententia Ægidius Legatus posset negotia commissa conficere. Ante Caroli Regis ex Belgio aduentum, Reguli quamplurimi contra Ximenium Cardinalem Proregem multa tentabant, mouebantq; faciebant. *Gomecius de gestis Ximenij.* Inter hæc actum etiam, de Toletano Archiepiscopatu, quo minor Archiepiscopis potentia esset, in plures partes diuidendo, Episcopisq; peculiaribus Madriti & Talaueræ constituendis. Extat Leonis Pontificis diploma, decimo kalendas Augusti datum, quo Hadriano Cardinali, & Alfonso Mauricio Mirobrigæ Episcopo mandat, vti inquisitione habita, quid faciendum sentiatur, significent. Multæ difficultates opponebantur. Ita eo conatu cessatum. *Mariana in summario.* Sancti quoq; Officij negotia, non ex fide transigebantur; subornatis à potentioribus & malignis, falsis testibus. Id vero Pontifex grauissimè tulit, eidemque Hadriano titul. SS. Ioannis & Pauli presbytero Cardinali has quas adiungo scripsit.

Dilecte fili noster, Salutem & Apostolicam benedictionem.

Intelleximus quod in Hispania, cæteris q; regnis & dominiis charissimæ in Christo filiæ nostræ Ioannæ Reginæ, & Charissimi in Christo filij nostri Caroli Regis Hispaniæ Catholicorum ditioni subiectis, in quibus tu hæreticæ prauitatis Inquisitor Generalis per sedem Apostolicam deputatus existis, multi perditi ingenij homines, in testimoniis quæ perhibent, super dicta prauitatis veritate inquirenda, falsitatem quandoq; prece, precio, odio vel amore, quandoq; metu committere, aut se eandem falsitatem commisisse publice, licet falsò, fateri non verentur: sicq; huiusmodi diabolicæ artis ministerio, plerumq;, vel damnentur insontes, vel diuinæ maiestatis Dei, & Orthodoxæ fidei sub Christiano nomine derisores, veniam consequuntur. Ad quæ facinora perpetranda, ipsi falsi testes ram propria improbitate & inconstantia, quâ audacia & impunita temeritate, eorum qui illos ad talia cõmittenda minis cogunt, aut pecunia alliciunt, impelluntur. Nos igitur scelestum hoc hominum genus, qui in diuinam humanamque naturam simul conspirant, & in nefandi criminis causa, vel iniustæ absolutionis, vel iniquæ condemnationis actores existunt, acriori longe supplicio quam cæteri falsidici testes plecti soleant, dignam censentes; circumspectioni tuæ, & Vniuersis, & singulis aliis per te, & pro tempore existentem Generalem dictæ prauitatis, in regnis & dominiis prædictis Inquisitorem, ad ipsum inquisitionis officium pro tẽpore deputatis, contra omnes & singulas personas cuiuscunq; status, gradꝰ, ordinis, dignitatis, & conditionis existant, quas tibi aut aliis Inquisitorib. prædictis, in crimine hæresis falsum scienter depositisse, aut alium ad falsum deponendũ, aut verum tacendum induxisse, vel quempiam ob perhibitum veritatis testimonium, vel propter falsum non attestatum occidisse, aut membro aliquo mutilasse, aut bonis suis omnibus vel maiori illorum parte spoliasse, vel spoliari fecisse, seu atrocissima iniuria affecisse legitime constiterit, tuo, aut à te deputando, seu deputandis & subdelegandis arbitrio procedendi, & eos pœnis de quibus tibi vel illis videbitur condemnandi; super quo tuam & illorum quibus negotia huiusmodi commiseris, conscientiam oneramus; absq; alicuius pœnæ seu censuræ Ecclesiasticæ metu, aut irregularitatis nota, tradedi, vel relaxandi, etiam curiæ seculari, plenam & liberam concedimus facultatem. Non obstantibus Constitutionibus & ordinationibus Apostolicis cæteris q; contrariis quibuscumq;. Dat. Romæ apud S. Petrum sub annulo Piscatoris, die XIV. Decembris M. D. XVIII. Pontificatus nostri anno sexto. Euangelista.

Quo anno, Carolus Hispaniarum Rex magnas emisit copias aduersus Mauros, & expugnato ex munitissimis eorũ oppidis vno, plus minus 40. barbarorum millia prostrauit; & ex præda, victoriaque, duo pretiosissima vexilla Cæsari Maximiliano auo suo paterno transmisit. *Surius in Commentar.*

XXXII. *Ferdinandus Cortesius Nouã Indiam penetrat.* Hoc etiam anno, Ferdinandus Cortesius, auspiciis eiusdem Caroli Regis Catholici, nouam Hispaniam in Indiis, auri, argenti, & vnionum diuitem, magna suorum, ingẽti incolarum pro libertate pugnantium, strage penetrauit. *Abraham Ortelius in theatro Orbis terrarum*, fidemq; Christianã indidem inuexit. Natus est Cortesius eodem anno, quo portentum illud Orbis terrarum, & funesta Catholicæ Ecclesiæ pestis Martinus Lutherus editus fuit in lucem; vt tum Deus futuri conscius, videretur nouã stellam, quæ Indias fidei radio illustraret, excitare. quando ad eandẽ in Septentrione obruendã Satanas nouũ tenebrionẽ excitaret. Ortus est Cortesius nobili & claro inprimis genere, Medelini in Hispania patre Martino Cortesio, Monroyo, matre Catharina Pizarra Altamira. Mater, vt erat deuota, puero ægrẽti aliquẽ ex Apostolorũ choro Aduocatũ additura, sortitione p schedulas facta, Principẽ Apostolici senatus obtinere, promeruit; qnẽ Cortesius toto vitæ suæ curriculo singulari deuotione excoluit. Salamãticæ primis litterarum studiis incubuit: verũ cum id inuita faceret Minerua, ad Martis potius palæstrã natus, collectis ex parsimonia aliquot millib. autreorũ nummis, comparatisq; nauigiis, vna cũ quingẽtis quinquaginta sociis, ad Indiarũ continentẽ indagandã, impetrata à Fratre Ludouico Figueroa, Fratre Alfonso à sancto Dominico, & à F. Bernardino Manzanedo, Insularum pfectis, facultate, nauigauit. Vexilla porro vndecim, q in vndecim turmas distribueret, flamulis cãdido cæruleis crucem ambientib. insigniuit, inscriptis his monitis; *Amici sequamur crucem; Si enim fidem habuerimus, in hoc signo vincemus.* Mouebatur scilicet ad istud iter suscipiendum fortis & pius dux, quod in Occidentalibus Indiis, quas animo vasto designabat, nullus adhuc vero Deo cultus tribueretur. Cubam primum, deinde Guanaganigum delatus est. Hinc Druydas primum emersisse ferũt, qui post in Britanniam fecesserunt; atq; inde vt scribit Cæsar lib. 6. belli Gallici, in Galliam superstitionis plenam, disciplinam transtulerunt. Hi multa de syderibus, atque eorum motu, de mũdo, ac terræ magnitudine, de rerum natura, de Deorum immortalium vi ac potestate disputare, ac iuuentuti tradere eredebantur. Audiuerat præterea Cortesius, Mexicanam prouinciam incoli ab hominibus, & studio litterarum claris, & vario artificio insignibus, qui inter cætera, more nostro, ædificia illustria erigerent marmoribus cælaris, eademque picturis exornarent. Cum ad hæc loca appulisset, vbi inter se decertare eos populos audiit, eo se facilius in ea regna penetrare posse sperabat, si alteri parti operam suam polliceretur. Neque vero hominem deterruit exiguus suorum numerus. Procedebat barbarorum exercitus; sequebantur Hispani milites; humeris deportabantur necessaria ad victum, ac commeatum, more veterum Romanorum; denique tormenta bellica trahebantur. Vbi ventum est ad pugnam, monstro simile esse putabant, quod homines equis insiderent, Centauros eos existimantes, vel nouum monstri genus. Quanquam illud erat apud eas gentes maioris admirationis, quod tormenta bellica quasi è cœlo emissa esse fulmina viderentur. Itaque; parta victoria, auctisque copiis, Cortesius admouit ea instrumenta Temistitanæ vrbi, vndique pernauigabili, & Venetæ, vt ferunt, plane simillimæ. In hoc conflictu nonnullis barbaris desideratis, Rege quem deditionis pœnituerat interempto, Cortesius, vt vices eius ageret, conclamatus est. Temistitano in foro Regiam ad ius dicendum exædificauit. Hinc ad spargenda religionis semina concursus, pro qua vna tantum fuscperat incommodi. Inde breui cœpta barbarorum templa per Sacerdotes expiari, cruces erigi, vero Deo aræ ædesque dicari, gentes salutari aqua lustrari, de fide Christiana conciones habere, sacra fieri. *Ilefeas hist.Pontificial.lib.6. cap.8. Iulius Hortinus in Cortesio.*

Eius in India victoria.

XXXIII. *Sequana à Lusitanis in Indiam mittitur.* Non minorem curam Emanuel Lusitaniæ Rex adhibuit, in Indiis subigendis, atq; Christo adiungendis. Hoc anno naues nouem, cum bellatoribus mille quingentis, duce Didaco Lupio Sequeria, Cocinum transmisit. Is inprimis Regulum Baticalæ, detrectantem iugum, pactumque nuper Emanueli stipendium persoluere recusantem, ad fidem officiumque minis & malo adegit. Cum Rege Pegusiorum amicitiam sanxit, propositisq; conditionibus per Legatos vltro citroq; missos firmauit. Raulinũ gentis Pontificẽ, & Samibeleganum Satrapam Rex Pegusianus amicitiæ & fœderibus iucundis trãsmiserat; Antonium Corream Sequeria. Libet cognoscere ordinem cœrimoniæ in ea transactione. Samibeleganus prior, in aurea plagula diligenter inscriptas eius amicitiæ leges, tum Pegusia, tum Lusitana lingua; vt & populares, & hospites intelligerent, elata voce recitari iussit. Idem à Lusitanis vicissim est factum. Lectis, & subscriptis conditionibus, Raulinus, seu sacrificulus, quædam ex ritualibus Pegusiorum libris de more pronunciauit. papyracea deinde segmenta crocei coloris (qui colos apud eam gentem cultui diuino dicatus est) & aliquot simul arboris odoratæ folia certis notata litteris, ignæ subie-

subiecto combussit. Tum, suis insertam manibus, manum vtramque Samibelegani, cinerib. iis imposuit, pauca ex eo percontatus, quibus ille ita respondebat; vt sui Regis nomine ratam & fixam eam societatem fore, iureiurando promitteret. Hæc omnia, summa attentione miroque silentio peracta. Dissimiles animorum habitus, Antonius Correa comitesque in eam cæremoniam attulerant: quippe qui vano errore ducti, Christianam fidem ethnicis iureiurando obligari, fas esse vix ducerent. Itaque Antonij accitu, linteatus Antistes, qui nauticis præerat sacris, diuini humanique iuris haud multo quam cæteri Lusitani peritior, in medium prodiit. Sacræ paginæ, Christiano ritu, erant ab Antonio cum solenni imprecatione tangendæ. Atqui Sacerdos pro Euangeliis Bibliisque, librum ex composito protulit, eleganter & artificiose compactum, in quo variis generis lusus, & cantica Lusitanico sermone scripta continebantur, nonnullis tamen immistis, vt fit, sententiis moralibus atque diuerbiis. Huic ergo libro dum Antonius fallacem admouisset manum, diuinitus factum est, vt in ea verba ex Ecclesiaste incideret, *Vanitas vanitatum, & omnia vanitas.* quod ille vbi præter omnem expectationem animaduertisset, subita perculsus religione, cohorruit; ac præclare sensit, quam integram & inuiolatam fœderum fidem, vel cum ipsis barbaris ethnicisque, esse iubeat cœleste numen. Ergo apud se perinde iustum atque legitimum id iusurandum Antonius habuit, ac si pro vulgari eo libro sacrosancta vtriusque testamenti volumina contigisset. His rebus confectis Sequeria, enixe operam dedit, vt pedem, si posset, in Malduis insulis figeret. Eæ Canarino & Malabarico littori obiectæ, numero plus mille censentur. Multitudinem hanc, intercursantes Euripi faciunt, adeo angusti, vt alibi nauium antennæ iubas arborum deterant; alibi etiam, qui valentiores sunt viribus, ramo quopiam manibus apprehenso, ex vna in alteram insulam saltu transmittant. Multis rebus ad victum necessariis carent incolæ; sed pro iis omnibus, vna est palma (sic enim appellant) Iudaicis & Africanis, carectas ferentibus longe præstantior. quippe, non proceritate solum & pulchritudine excellit, verum etiam tota prorsus in vsu est ita multiplici, vt vulgo, si quem frugi & industrium laudibus efferre volunt, palma vtiliorem appellent. Prima dos, in fructu ipso. Tengam, Narlemue Indi; cocum, seu nucem Indicam Lusitani dixere; humani ferme capitis magnitudine, duplici operimento; quorum exterius, in summo læue, stupea intus densitate (cairum vocant) netur ac texitur, cannabis & sparti modo, cum aliis in vsus, tum præcipue in vtilium nexus, & anchoralia; neque materia vlla ad nauticos funes & maris impetus obsequentior. Namque, vt salsuginem amat ea planta, cairum quoque ex ea prognatum, & marinis aquis immersum, identidem reuiescit; & anchoris illigatum, fluitantes in Salo naues egregie continet, non tam ab innata duritie, vel operis firmitate, quam viriditate ipsa, & lentitia quadam ad instar corij: vt sese vel in altum elato nauigio, miram in tenuitatem extendat; vel residente, rursus in craffitudinem contrahat; quod secus in nostris euenit rudentibus, quæ nimirum ipsa vi ac pertinacia sæpe rumpuntur. Interior autem calix, rufo calore, & globosa rotunditate prædurus, addito auro vel argento, in pocula figuratur. Ipsa vero pomi carò, amygdalæ in modum, pinguedine quadam & grato sapore lactescens, non per se tantum in cibo grata est, ac salubris; verum etiam, vbi visum fuerit, exhausto lacte, paulatim in oleum eliquatur. totus autem racemus, dum ex eo tener emicat fructus, nodo constrictus, ac leuiter incisus, in obdita oris angusti vascula opimum instillat succum, ex quo variis artibus, coctionibusque, veteri, vt Strabo ipse testatur, inuento, mel seu saccarium, vinum, acetumque perficitur. Iam folia, cum & librariis pro papyro sint, & loco tegularum imposita domibus, arceant imbres: tum etiam in vestis formam facili simul & spisso contextu nectuntur: Denique; vna eademque arbor, omnia prorsus ad rem nauticam instrumenta ac materiam præbet: quippe truncum & ramos, in malum, assamenta, clauosque; comam in vela; cairum in funes, vt dictum est, omnium optimos, filaque ad laterum futuras: postremo cocum ipsum, quæque ex eo conficiuntur, in onera. Ita non sine miraculo quodam, omnibus plane rebus ex semet apta & instructa nauigat palma; cademque discissa per hyemem, vinaces ad prunas, lenta ignium alimenta suppeditat. Incolæ importato lino, sericoque, talares tunicas eleganti opere texunt; quibus honestius multo, quam cæteri Indi velant corpora. Piscantur etiam palmeis verriculis minuto conchylia, (sunt qui Veneræ conchæ genus putent) miro splendore, & colorum varietate, hæc, faburræ loco in onerarias indita, ac diuersas in regiones euecta, apud Gangaridas & Sionios, vilioris monetæ explent vicem, ad res parui precij coemendas: apud Hesperios autem Æthiopas, cum rebus etiam carioribus permutantur. In ea nauigatione Sequeriæ contigit res minime prætereunda silentio. Magnitudinis vastæ piscis est in Africo Oceano, quem piscem, à figura videlicet, acum appellant (Xiphiam ego fuisse crediderim) prælongo rostro, & in mucronem desinente, eodemque ita duro & hispido, vt ferrum deterat in modum limæ. Ex iis belluis vna, dum subterfugientem prædam furibunda persequitur, in aduersam onerariam plenis euntem velis, toto impetu illata, in imas compages, pertuso alueo, acutissimum caput infixit. Ex eo laqueo dum sese per vim conatur excutere: quamuis libratam suis ponderibus nauem adeo quatefecit, vt sein Syrtim impactos nautæ non sine horrore putauerint. Quo dein ex foramine, cum ignaro quidnam rei esset magistro, sentinam traheret nauis, in terram subducta, insertum in carinam, vt dixi, plane cubitale rostrum ostendit: quod illico extractum, & in Lusitaniam argumenti & miraculi causa, deinde transmissum est. At Sequeria Insularum quas diximus, omnium caput Malduam, ex qua cæteris cognomentum appulsus, Regem donis ac promissis allexit, vt amicitiam cum Lusitanis firmarit, Regiamque illis ædificare permiserit; vnde Christianis securitas, tum ad fidem Christianam propagandam, tum ad imperium proferendum. *Maffeus histor. Indicarum lib.7.*

Eius ibidẽ progressus & acta.

Malduarum insularum descriptio.

XXXIV. Hoc anno Ferrariæ, Philippo Albrisio, Vicario Generali Ordinis Seruorum curante, eius Ordinis templo, à pio quodam viro, sub confessionis sigillo, oblata fuit insignis & supra modum veneranda reliquia vnius cuspidis illorum clauorum, quibus Redemptor mundi fuerat cruci affixus: quam postea Leo Pontifex die 29. Augusti facta collatione cum aliis eiusdem generis cuspidibus approbauit, & tamquam ex clauis SS. crucifixi adorandum censuit. *Archangelus Gianius cent.3. Annal.Ordinis seruorum lib.6.c.2.*

B. Virg. Montisserratensis miracula. Eodem anno, aliquot insignia miracula, ab inuocatione SS. Virginis Monserratensis, in Hispaniis patrata sunt. Ioannes Perezius à Valle viridi Teruelensis, ibat peregre cum filio, cui inimicitiæ erant cum cubiculario Marchionis Cenetensis. Is eum obseruabat, sicubi posset confodere. Opportune accidit, vt vtrumque in quodam hospitio diuersantem inuenerit, Ioanne in cubiculum secedente, tamque cubitum compositio, filium à cura equorum redeuntem, septem sicarij adorti, sexaginta plus minus iam ictibus confoderant, & prope occiderant, cum ad vota parentis, qui non poterat cubiculo clausus aliam quam à SS. Virginis inuocatione opem adferre, vocem quandam cœlestem lancinatus audiuit, sese vt prosterneret in terram. Fecit, & sæpius nomen Iesu ac Mariæ conclamans corruit. quod vbi aduersarij vidissent, mortuum existimantes reliquerunt; Cæterum is ab accurrentibus non modo viuus, sed & incolumis, & sine vulneribus, imo & sine cicatricibus vulnerum repertus est.

XXXV. Aliquis Genuensis, Honofrius nomine, à quadam Maris tempestate iactatus loquẽdi vsum amiserat. Duodecim circiter annos misere, eleemosynis vitam in vrbe Valentiæ tolerranti, inspiratum, vt Monserratum sese conferret, & à SS. Virgine opem imploraret. Ad XIIII. Martij diem huius anni venit; ante cancellos Sacelli Mariani ardentius orauit, & in momento videre sibi visus est Reginam cœlorum niueo paludamento indutam, & ab Iacobo Apostolo ad latus comitatam, quæ diceret, *se esse Matrem Dei*, quæ cum mutus audiuit, *O Regina paradisi*, exclamauit; & ex eo momento, cunctis admirantibus loquendi vsum recuperauit.

Augustinus Serra Tarraconensis, duos susceperat filiolos. Cum his mater eorum inerat lauatum ad flumen, & ecce ipsa inaduertente, vnus ex eis ad marginem ludens, in flumen cecidit, submersusque interiit. Respiciente illa paulo post,

cum filium, quod erat, submersum animaduertisset; primum SS. Virginem inuocauit; deinde vicinos ad quærendum illum euocauit. qui dum in aluei voraginibus scrutarentur; iamque demersum inuenissent, puer, per miraculum, è profundo fluminis viuus & sanus emersit, euasitque. quo diutius vota soluere cunctante; cum iterum ex arbore cadens brachium; in pœnam neglecti voti fregisset; cum iterum pro eodem moribundo preces & vota obtulissent parentes; Monserratumq; ducere promisissent, sanum & incolumem, citra quæuis medicamina aspexerunt. *Astolfus lib. xi.*

Circa hoc tempus vixit inter Dominicanos in Hispaniis F. Matthias conuersus, vir multæ patientiæ & humilitatis, de quo ferunt istud memorandum, pariter & admirandum: quod singulis diebus Officium diuinum maius & minus, quemadmodum Clerici consueuerunt, nec non mortuorum officium soleret recitare; alioquin ignarus legendi & litterarum. *Pius lib. I. de viris illustrib. Ord. Præd.*

ANNO CHRISTI M. D. XIX.

LEONIS PAPAE X. ANNO 6.&7.

CAROLI V. ROM. REGIS ANNO I.

I. *Maximilianus Cæsar obiit.* ANni huius initio, XII. Ianuarij, in oppido Wels Austriæ Maximilianus Cæsar obiit, Princeps mitis, placidus, lenis, prouidus, æquus, humanus, patriæ pater, magnanimus, pecuniæ contemptor; nemini magis quam sibi ipsi imperans, voluptates subiiciens, affectibus nullis prauis obnoxius, magna cogitans, pro iis, quibus imperabat sollicitus, ad beneficientiam omnium promptissimus, ad vindictam lentus, pacis amans, rei bellicæ peritissimus, fidei Catholicæ retinentissimus, Sedis Apostolicæ reuerentissimus, vnitatis Ecclesiasticæ seruator, hæresum & schismatum extirpator, multisque egregiis dotibus atque ornamentis excultus. Numerabat eas pro funebri depositione, coram Matthæo Cardinale, tituli S. Angeli, Episcopo Tergestino, aliisque Prælatis & nobilibus, ibidem Welsij die XVI. Ianuarij præsentibus, Frater Ioannes Faber Augustanus, Theologus Ordinis Fratrum Prædicatorum. Dicebat itaque:

II. *Eius laus, vita, mores.* Maximilianus Princeps Christianus, Christi legem ad amussim sciebat; litteras sacras quantum decebat Principem, ac si longis seculis diligentissimam dedisset operam, adeo nouerat, vt cum quouis homine etiam doctissimo atque exercitatissimo de his potuerit sane conferre. Nihil fere arcani vel mysterij in diuinis litteris comprehensum; quod ipsum latuisset. Voluit, dum adhuc viueret, quædam arcana, paucis aut nullis hactenus pandita, in lucem prodere, habito super hoc nonnullorum doctissimorum hominum consilio: adeo scilicet diuinorum scatebat notitia, vt & in alios effundere summo teneretur desiderio. Vt vero Ecclesiæ Romanæ conseruaret vnitatem, & vindicaret patrimonium, multos conatus contra schismaticos, & contra Venetos adhibuit, adeoque & schisma Pisanum extinxit, & vrbes à Venetis occupatas, Sanctæ sedi vindicauit. Præceptis diuinis ita se accommodauit, vt Princeps an homo priuatus Deo quam maxime addictus esset, non facile diiudicasses; quandoquidem secundum legem Dei vitam suam instituerit. Consiliis quidem Euangelicis omnibus vsus non est. cum & mundo nonnumquam adhæserit, in mundo conuersatus fuerit, orbique imperauerit. Neque tamen adeo mundum illecebrem excoluit, vt mentem ipsius serenissimam à Deo Opt. potuerit auellere. Si forte tamen aliquando, vt est inter homines praui inclinatio, atque à iuuentute sensus ad malum quam proni, non est malis immoratus. Cæsar, neque malo addictus, sed quamprimum ad se reuersus, Deum quam deuotissime excoluit, atque in pristinam redijt amicitiam. Quæ ad Dei Opt. Sanctorumque cultum; ad diuini item nominis honorem attinent, feruentissime, & attentissime persoluit. Diuinis singulis diebus interfuit; mysteria diuina nullo die prætermisit; aderat illis tanta deuotione, tam animo recollecto, vt nil nisi diuinum, nil præter Christi mortem, cuius mysteria in Missa sciebat tractari, pro tunc cogitaret. At si forte; vt fit, mens sibi nonnunquam surriperetur; dilabereturque prorsus ad alia, quibus forte tum deditus esset magna Imp. negotia, statim vt perpendit ad se reuersus iterum in Deum ferebatur. Vnde & militaribus fratribus Sancti Georgij inter cætera id quasi præcipuum dedit statutum, vt quam attentissime singulis diebus diuinis intersint, nec quantum eis immineat negotium, ad alia quam diuina eo tempore illorum mens feratur. Testantur & deuotionem Cæsaris Sanctorum plurimi, in quos magno ac feruido semper ferebatur amore; præcipue in Diuum Andream, Georgium, atque alios plerosque, quorum & facta tam exacte, tam sincere singulis annis peregit, vt putasses nil præter Sanctorum Festa sibi fuisse menti. Diuum quoque Leopoldum Austriæ quondam sanctissimum Principem, consanguineum suum ob præcipuam in eum deuotionem inter Diuos referri curauit. Templa atque monasteria quamplurima, deuotionem eius ac in Deum & Sanctos cultum testantur, quibus cum emolumento, tum ornamento fuit. Nominis vero diuini tam feruens zelator, vt numquam vllo tempore, vel Dei, vel Sanctorum quisquam blasphemium audierit; imo nec vmquam in vanum nomen Dei aut Sanctorum assumpsisse, testes locupletissimi omnes qui ei die noctuq; abstiterunt. Sed nec blasphemum vllum etiamsi alias sibi charissimus esset apud se passus; experti id plerique malo suo edocti. Ieiunia ab Ecclesia instituta pie semper ac religiose obseruauit. Non potuit tamen (vt dicebat) non commisereri miseræ plebiculæ Christianæ, cui neque ad victum cibus, nec alia quæ ad ieiunium requirantur, in Germania ac Septentrionali plaga suppeterent necessaria. Institit ob id magnis apud Pontificem Max. Leonem X. precibus, vt misero misertus popello, ne magis hæc de ieiunio Christi fidelibus, præcepta atque mandata sint in ruinam quam salutem occasio, quatenus ieiunij tempus, quod Quadragesimale dicimus, in plures diuideretur anni partes, ciborumque iuxta Regiones haberetur exacta ratio, atque discretio, quo omnibus quos ligaret huiusmodi præceptum, esset ieiunandi facultas. Verum id interrumptum est consilium, quominus Pontifex assenserit, ne occasionem daret, alia pariter postulandi, quæ soluerent Ecclesiasticam disciplinam.

III. In parentes piissimus fuit, vt qui ab ineunte ætate ardentissime, & patrem Fridericum, & matrem Leonoram Imperatores Aug. semper veneratus sit, coluerit, atque summo prosecutus amore; vt Coriolani erga Veturiam matrem, Claudiæ Vestalis Cimonis Atheniensis, Antigoni Macedonum Regis erga parentes amorem, aut æquauerit, aut superarit. Amorem eius maximum erga parentes suos testantur monumenta, patri Friderico in Vienna Pannoniæ; matri in ciuitate Noua; tanto apparatu, tantis sumptibus constructa, vt cum per annos iam amplius viginti multi continuo adsint artifices, magnæque indies habeantur impensæ, neq; tamen ob magnitudinem atq; excellētiam operis adhuc in finem perduci potuerunt. Continentiæ quoq; incomparabilis atq; pudicitiæ fuit, cum Mariam Burgundam Caroli clarissimi illius Principis Burgūdionum filiam primo in vxorem duxisset, ita apud eam matrimonij iura conseruauit, vt pauci admodum continentiores ipso, seu puriores, nedum inter huius nostræ ætatis, sed neq; vetusti seculi principes facile reperiantur. Ea casu ex equo defuncta, Blancam Mariam Mediolanensem Principem duxit vxorem. vtramq; vero adamauit vnice, castoq; amore dilexit: puto quod neque Græcus Corneliam Romanam, neq; Iulia Pompeium Magnum adamauerit magis. Continentiæ, inquam, ac modestiæ tantæ, ac talis, vt nullo vmquam tempore quisquam audierit, ab ipso nec ingenuas, sed neque inferioris sortis virgines pollutas. vt maiora interim taceam: matronarū puta seu virginum raptus, aut incestus, seu id generis multa, quib. (proh dolor) Reges nonnulli ac Principes huius nostræ ætatis (vt fertur) pleriq; dant operā. Abhorruit, ob mentis (puto) perpetuam puritatem, nedum veterum, vt Neronis, Caligulæ, Tiberij, Artaxerxis, Darii filij, & aliorum quorum notæ histo-

historias, sed & quorumcumq; suorum maxime incontinentiam. Vnde si quem ex his de adulterio notasset, semper toruis oculis aspexit. Testantur & purissimam eius mentem, decreta Fratribus militaribus Sancti Georgij per eum tradita, quibus ipsos inter cætera plurimum ad continentiam à Venereq; abstinentiam hortatur, ostendens ac plane demonstrans quot inde mala, quanta infamia, quam praua subinde exempla apud mortales oriantur.

IV. In bellis inferendis tardus, vt qui damna irreparabilia, quæ ex bellis euenire solent semper præcogitarit. Pertulit ob id à plerisque iniurias multas per longa etiam tempora, maiori etiam quam humana nonnumquam patiētia vsus, priusquam bellum inferret. At vbi secus fieri non posset, magno animo bella & indixit, & prosecutus est. In misericordiam tamen ac pietatem semper procliuior. Vnde & sæpius victorias, quæ iam in manibus haberentur & essent, cum se hostes recognoscerent, ad pedesq; prostrassent, elabi passus est. Multos exercitus & si fuderit, ad internecionemq; deleuerit, hostesq; simul habuerit truculentissimos; numquam tamen humanæ conditionis ac fragilitatis immemor, omnibus quantum in se erat ad parcendum fuit paratus; vt visus sit cum Iulio Cæsare, omnium, præterquam iniuriarum memor. Experti sunt id quamplurimi suorum hostium, quos enumerare facile esset, si aliorum contumeliis illius laus quæreretur.

V. Fastum mentis, ac elatum animum semper abhorruit, nec quosuis quam superbos magis habuit despectui. Gallos atque Venetos ob id habuit inuisos, quod existimaret eos esse, fuisseq; semper animi elati. In eo nihil nisi modestum, nil quod nō summam moderationem redoleret ac præ se ferret. Habitus, incessus, gestus, omnia in eo modestiam quandam redolebāt. Si quando tamen vel locus, vel tempus expostularet; & Principem magnanimum, simul ac Imperatorem Romanum vultu & gestu sese magnanimiter demonstrabat. Cibi atq; vini temperantissimus, vt qui vltra necessariū naturæ nihil nec cibi nec potus sumeret. Parcissimi fuit potus, vt qui raro vltra quam ter in prandio aut cœna potum sumpserit; infra prandium vero ac cœnam quam rarissime bibisse visus est. Germanorum Principum more bis in die cibū sumpsit: determinatas horas cibum sumendi nō obseruauit, verum iuxta importunitatem negotiorum differebat aut præueniebat horam consuetam. Neque in se solum temperans fuit, verum & eos maxime prosequebatur odio, quos vino se ingurgitasse notasset. Legem etiam seueram pluries contra eos, qui intemperate nimis vino abuterentur, essentq; immoderatissimi, promulgari fecit; ac nonnumquam quos deliquisse comperisset, iuxta legem vel curia sua depulit, vel alia pœna mulctauit.

VI. Cum a. simile simili oblectetur, cupiebat, vt omnes ad exēplum sui, legem atq; vitam Christi sequerentur: In conuentibus Imperialibus, quos plures celebrauit, regulas, decreta ac leges sanxit, quibus sancte ac impollutè viuerent omnes. Nihil magis indoluit, quam quod totiens verba fuerunt habita de Christianorum reformatione, atq; pristinæ disciplinæ Christianæ reductione, cum tamen nullus vmquam subsecutus fuerit effectus. Sciebat, pluriesq; replicabat, quod inanis est medela, ac plane frustra apponitur cura pedibus, nisi capiti, brachiis, atq; cordi prius abunde fuerit prouisum. Vnde vniuersalem semper desiderauit collapsorum morum reformationem, nō quidem fictam, non verbis palliatam, cui nihil subsit operis, sed synceram, veram, & integram; quemadmodum & sibi in Deum atq; Ecclesiam mens erat vera, integra, atq; syncera.

VII. Alieni æris numquam cupidus, vt qui sui esset largissimus, ac in erogando profusissimus. Maximo odio prosecutus est eos qui latrocinia exercerent: si quosq; deprehendit, capitali supplicio affecit. Nō minus abominatus est eos, qui sub specie religionis hypocrisi laborarent. vtq; hominibus placerent, parum quo Deum offenderent ipsi curarent. hos tales, nec videre, neq; coram audire voluit; aliquādo in eos iocatus, *lupos sub specie ouina* esse dicebat. Nihil etiam nisi apertum, nil nisi integrum atq; syncerum amauit, aut coluit. Boni Principis partes vbiq; peregit; tyrannicas omnino auersatus est. Licuit omnibus sub eius imperio degentibus altum dormire: nam is vigilauit semper, diesque ac noctes pene vigilando absumpsit, vt mirum etiam hostibus ac exteris sit visum, quod homo quispiam huiusce ac tantas perferre potuerit vigiliarum molestias: qui tribus aliquando vix horis, ad summum vero quatuor aut quinque quieti indulsit; reliquam noctis partem in negotiis versatus duxit insomnem. Labores itineris, qui vel gregario militi exitiales esse potuissent, inuictus prorsus animo tolerauit: quando paucæ sint in Germania prouinciæ, paucæ vrbes, quas pro temporum atq; negotiorum opportunitate ipse præsens non adierit. Nullum habuit vel temporum, vel locorum discrimen: niues quales habere solet Germania maximas etiam inter Alpes altissimas, vbi nonnihil periculi & sibi & suis aliquando esset, superauit crebro: seu frigora, seu calores forent immensi, modo prodesse posset, ab itinere numquam destitit; & quidem nonnumquam tanta velocitate iter emensus est, vt tabellario fuisset supra quam satis.

VIII. Clementia, Austriæ Principibus connata, ei tanta: vt omnibus etiam hostibus, modo voluissent, benefacere; delinquentibus vero, si ad melioris vitæ frugem reuerterentur, parcere consueuerit. Erat ei peculiare, vt homines magis patrem atq; parentem, quam dominum in ipso se habere testarentur. Liberalitatis tantæ, vt hostes etiam prodigum cum fuisse iocati sint. Cum ex magnatibus suis quidam aliquotiens eum admonuisset, ne tam profusè sua effunderet; ob id enim nonumquam & passum, & passurum æris inopiam: sibi potius exemplo atque cordi esset Princeps quidam, quem tum referebat, qui cum rerum ac censuum esset perexiguus; omnia tamen abunde apud eum essent, ob id vel maxime, quod non tam vbertim sua effunderet: Quin abi tu potius, *respondit Maximilianus*, neque post hac de his mecum conferas. Meminisse enim te oporteat, me Austriæ non alterius familiæ esse Principem. Hactenus Austriæ Principes longe plura liberalitate sua, quam alij tenacitate, seu mauis auaritia sua acquisierunt. Cum aliquando religiosis domibus, seu etiam priuatis personis aliqua dona dari iussisset: hi vero quæ his præessent, aut negligentia aut alia ratione quadam in soluendo fuissent tardiores; nonnumquam etiam pertæsi, tamquam si nimis multa in huiusmodi erogaret; idque ille rescisset, pluries duplum dari iubebat, nonnunquam triplum. Nemo qui aliqua singulari arte, aut doctrina esset præditus, modo sciret ille, sine singulari munere ab eo discessit. Poetæ, Oratores, seu cuiusuis doctrinæ homines quam multi, ab eo & ad publicos honores euecti, & magnis vitæ cōmodis locupletati. Militares, nobiles, exercituū ductores, qui essent bellorū gnari, plures castris, oppidis & agris donati sunt: quæ illi liberalitas plurimos ex hostibus amicos, ex alienis pene domesticos, ex insidis fidos fecit: passimq; omnes etiam peregrinos ad se amandum atq; colendum traxit.

IX. Militari disciplina adeo excelluit, vt nemo ei suo tempore par fuerit: nedum superauerit quisquam. Disciplinæ suæ militaris documenta satis humana reliquit. In milite enim, non philosophorum austeritatem: sicuti nonulli duri militaris modestiæ exactores, sed ciuilem moderationem ac virtutem ad res gerendas requirebat. Quam ob rem lōginquo hoste, liberiora militibus disciplinæ fræna remittebat, vt postea propinquior factus, cum ita militum animos viresque recreasset, promptioribus diligentioribusque aduersus hostem vteretur. Prælij aut expeditionis tempus raro militi prædicebat, vt horis omnibus esse præsto se debere, atque in mediis deliciis, si iuberentur, descendendum in prælium scirent. quæ norma & ei plurimas peperit victorias, atque perpetuam gloriam: & hostes in magnas deduxit sæpius calamitates. Militarem seditionem, siue militum contumaciam, aut si quando accidit ad hostes defectionem, seuera animaduersione castigauit: & in summa, neq; Iulio Cæsare, neq; Octauiano Augusto inferior erat in militari arte: qui & nouum genus bellandi, ac nouum militum genus (quos Landsknecht appellant) ipse instituit atq; fouit primus.

X. Amoris in Deum erat feruentissimi: qui amor ipsum inter varia aduersa quibus pene per omnem vitam suam premebatur, tam patientem, tam mitem, tamq; constantis animi fecit, vt cum altero Iob veræ patientiæ cunctis & mortalibus visus sit datus à Deo exemplar. Is ipse amor Dei, ipsum inter prospera quoq; quæ plura sibi contigere, tam modestum, tamque sui minime oblitum reddidit, vt difficile fuerit cognitu, prosperane an diuersa vteretur fortuna, semper sibi idem, atque vniformis in vtraque. Ex eodem Dei amore pius, atque in pauperes misericors, compatiens, & largus sibi animus. Xenodochia decem in pauperum Iesu Christi vsum construi, atque ex suo ære prouideri, vltimo testamento quam liberalissime

me iussit atque voluit. Mortis memoriam, numquam ex animo depositi; quam proxime imminentem nonnulla portenta præcessere. Mense Iunio præterito, horrenda solis eclipsis visa est, ex qua Georgius Transteter insignis Mathematicus obitum eius prædixit. Eodem superiore anno, in oppido Werd sex milliaribus Germanicis ab Augusta distante, spina coronæ Domini, quæ per illum magna deuotione illic in Cœnobium Sanctæ Crucis Ordinis Diui Benedicti fuerat deportata, in die Veneris sancti, in præsentia plurium fide dignorum per eundem ad hoc quam diligentissime deputatorum sanguinem sudauit.

XI. Anno quinto priusquam diem obierit vltimum, quantumuis in magnis versaretur, & Imperij, & regnorum negotiis, essentque sibi Gallus & Veneti quam molestissimi, sarcophagum cum omnibus suppellectili, quæ ad sepeliendum foret mortuo necessaria, pro se quam diligentissime ordinauit. Eo enim tempore in Isprugk Regio oppido Tirolis, cum palatium amplissimum ac plane Cæsare dignum fabricaret, ac nescio quid erroris artifices commisissent, ad Matthæum Cubicularium, secretius in aurem insusurrans dixit: *Nihil hi faciunt quod gratum sit. Ego vero domum mihi construam, quæ placeat*, eaque die Sarcophagum, cum ea quam diximus suppellectili fieri iussit; & clanculo quidem, ne ad hominum ostentationem id feciss videretur. Istud secretissime apud se quinque illis annis, vbicumque locorum esset, etiam dum Mediolanum contra Gallos proficisceretur, quam diligentissime singulis noctibus semper conseruauit, ac reponi iussit. Arbitrabantur quidem homines; etiam quibus rerum magnarum demandata erat cura, thesaurum aliquem ibidem conseruari; alij nonnihil librorum, quibus historiæ veteres continerentur; alij aliud quidpiam magni eo deferri. Ille vero sibi conscius, in quem secum deferret vsum, vt semper hilaris erat, subridendo, in rei cuiusdam sibi omnium charissimæ vsum id secum deferri dicebat. Mortem fere præcisse illum visus est. Cum enim Augustanis comitiis absolutis Insprugkum, ac inde Kopffstainum veniss; atque ab eo minister quidam licentiam Insprugkum reuertendi, vxoremque ac liberos inuisendi petiisset, respondit: Nec tu sane domum hoc tempore ascendes, sed mecum potius perges, sepulturæ me traditurus. Abhorrente viro dictum: longeque aliter imprecante: Quin tu optime Cæsar, inquiens, per longos atque multos nobis viuas annos. Ita erit vt dixi (respondit Cæsar) tu mecum descendes: meque sepulturæ trades: nam breui moriturus sum. Per dies aliquot dum adhuc Augustæ esset, prius quam aduersa valetudine laboraret, vocauerat ad se Carthusiensem ex Friburgo Brisgaudiæ, Dominum Georgium Reisch, magnæ famæ ac doctrinæ hominem, quò se in Wels oppido conueniret. Illuc cum veniret, staretque coram Cæsare perhumaniter ab eo susceptus; Bono, inquit, pater venisti omine, atque tempore, qui mihi auxilio aderis quo cœlos petam. Reguli vero nonnulli, qui tum forte Cæsari astabant subriserunt, nihil minus quam Cæsaris mortem fore propinquam credentes. At Cæsar constantissime affirmauit, breui se moriturum. Somnus inde sibi per dies ac noctes ademptus, valetudoque aduersa in dies aucta. Adhibiti medici doctissimi, domestici primo, deinde etiam externi ex Vienna Pannoniæ: qui licet omnem suam operam quam diligentissime apponerent, nihil tamen profecerunt. Nec tamen, etiam lecto decumbens à publicis curis abstinuit; maxime autem quæ concernerent bellum aduersus Turcas assumendum. Aduenerant ex Croatia Oratores viri magni, contra Turcas qui ceruicibus suis imminerent subsidia, atque auxilia subnixe postulantes. Quibus per benigne respondens, se eis non defuturum, pecunias subministrans, spe plenos ac bono animo absoluit. Vt autem se Christianum verum atq; deuotum ostenderet, semel atque iterum peccata sua Christiano ritu ac more confessus est. Die enim XXVIII. mensis Decembris, ex monasterio Gleinck Ordinis Sancti Benedicti fratrem ad se accersiri fecit, cui & magna humilitate ac summa peccatorum suorum contritione confessus est. Domum infirmitate iam, plane plurimum aucta, die VIII. Ianuarij, secundo est confessus. Sequenti vero luce; quæ erat IX. dies Ianuarij, Corporis ac sanguinis Christi Sacramentum tanta suscepit deuotione, tantis lachrymis ac reuerentia, vt ex circumstantibus affuerit nemo (aderant autem quamplurimi, nam voluit suos omnes) qui non collachrymans cum magna deuotione discesserit. Testamentum, non obstante graui qua laborabat infirmitate, per se confecit atque perfecit, adhibitis viris Deum timentibus. Die XI. Ianuarij, summo etiam diluculo; vti Christianus ac optimus Catholicus, extremæ vnctionis Sacramentū per se se deuotissime expetiit; quo assumpto, coram se per religiosum virum Abbatem Monasterij Kremsminster, qui tum Cæsari semper adhærebat, diuinis celebratis, Christi Sacramentum maxima, qua præ infirmitate poterat, reuerentia salutauit: ac Crucis per se signo facto: omnibus qui tum aderant, valedixit. Cumque à lachrymis nemo astantium continere se posset; aderant autem ex magnatibus plerique, eis Cæsar dixit: Quid me ploratis, cum sim mortalis, moriturum hominem? Ite potius, virorum officia peragite. lachrymæ enim huiusce modi mulierculas decent, non tales quales estis vos viros. Extases deinde plures passus, vt ab his qui astabant, nonnumquam pro mortuo iam haberetur. Accensam interim iuxta Christianum morem candelam, sibi vtique morituro allatam, ad se reuersus, sua manu sponte prehendit. Clericis qui tum aderant, sibique momentis singulis astabant, vt se Deo, Virgini gloriosæ, Diuo Georgio vti patrono vnice à se amato commendaret, exhortantibus, contraque inuisibiles hostes fortiter dimicaret, quem admodum dum licuisset contra visibiles hostes suos fecisset, resumptis viribus, clare, quantum poterat respondit; Id toto corde & animo, desidero & exposco. Post pauxillum temporis ad circumstantes Clericos loquutus, subiunxit; Singulane perfeci, quæ Christianum hominem moriturum decent, an quidpiam restat adhuc vt faciam? Respondentibus his qui astabant; omnia illum perfecte perfeciss, statim extento brachio, candelam quam hactenus in manu reseruauerat benedictam, astantibus restituit. Inde hora eius diei septima, orationes publice vt postulauerat coram se habitæ. Voluit autem vt Psalmi, quos vocant, Pœnitentiales, Orationes item Diuæ Brigittæ, tum alta voce legerentur. Mortem item ac passionem Domini Iesu Christi, iuxta i l quod Euangelistæ describunt, fecit coram se continuo recitari, nec voluit vt ea lectio vnquam intermitteretur. Aderant tum illi quamplures, maximè autem ex Clero, Abbas de Krembsminster, Carthusiensis, Friburgensis; Sacellani quoque domestici pene omnes; præcipui vero Dominus Thomas Krieger, atque Dominus Willhelmus Waldner, qui passionem Christi & mortem crebro coram eo recitabant. Hora octaua infirmitas plurimum aucta, vt vires iam pene deficerent. Ad Georgium Vogel, qui à cubiculo erat, tum dixit: Pergam ego sane pauco ab hinc tempore. & illo, quo perrecturus esset, percontante; Ad Deum Optimum, Dominum meum Iesum Christum pergam, respondit: Nam ad iter (Dei munere ac gratia) plene ac perfecte paratus sum. Obdormiuit deinde pauliper, qualis iam iam moriturus potest adesse somnus. Hora tertia post noctis medium, cum Christi passio alte coram se recitaretur, deuentumque esset ad id, quod Ioannes Euangelista scripsit, Christum inclinato capite spiritum emisisse, Cæsar Deo altissimo animam deuotissime commendans, post pauxillum temporis & ipse spiritum emisit. Patientiæ tantæ in omni ea infirmitate fuit, vt nedum verbo, sed nec gestu, aut nutu quicquam impatientiæ ostenderit, discretionis tam enixæ, vt vsque in vltimum tempus vitæ omnes agnosceret, perciperetque plane quæcumq; sibi à circumstantibus dicerentur. In vltima quoq; mortis hora, dum ex Clero multi sibi astarent, signo admonuit ne circa se starent, sed potius sederēt. Nam ea, dum viueret, semper sibi consuetudo erat, vt nullum ex Sacerdotibus coram se stare, sed semper præ modestia sibi assidere fecerit. Deuotione vero tanta mortuus est, vt à nemine facile vmquam exprimi posse crediderim. Pudicitiæ talis ac tam ingenuæ, vt & in hora mortis, vltimique agonis, illius non fuerit oblitus, panniculo, quem manibus tum forte moriens gestabat, pudenda (ne se mortuo à quoquam videri possent) obtexit. Deo, Matri Genitrici, Sanctisque suis patronis Sancto Georgio, ac Diuo Andreæ, frequentissime simul ac deuotissime plurimum sese moriens commendauit.

XII. Mortuus est infra tertiam & quartam horas, die XII. mensis Ianuarij, Anno Salutis M. D. XIX. postea quam vixisset annos LIX. menses IX. dies vero nouendecim, regnasset que

annos

annos XXXIII. Tali quidem moriendi genere, vt Christiano homini vltra id ad bene Christianeq; moriendum, non facile quidpiam addi posset. Sepulturæ locum delegit in ciuitate Noua Austriæ, in Capella sumptuosissime à Friderico patre illic in castro amplissimo constructa. Credo obid, voluisse illic sepeliri, quod in eo castro sit genitus, in eadem Capella per Sacramentū Baptismi regeneratus. Matre quoq; Leonora Imp. Aug. quam vnice dilexit, eo loci sepulta. Inhibuit autem, dum adhuc viueret, ne præter communem hominū sepeliendi modum pompa sibi adhiberetur, vt balsamo condiretur. Neque voluit, ob pudicitiam illam innatam exenterari, sed corpus sacco obtegeretur, palam vt conspiceretur permissum. Ita enim iusserat viuens, quatenus homines vel suo exemplo arderent, cogitarentq;, cuiuscumq; status essent, se mortales esse: quodq; nec diademata, nec opes, nec regna aut imperia, à morte præseruare homines queant. *Ioannes Faber in oratione funebri.*

XIII. *Leo X. principes imperii ad expeditionem hortatur.* Vita functo Maximiliano, Pontifex partium suarū esse duxit, Principes Electores eius rei admonere simulq; ad electionem Imperatoris hortari: præscribens, qualem hæc tempora periculosa requirerent. Ita scribebat. *Dilecto filio nobili viro Ludouico Comiti Palatino, Sacri Romani Imperii Principi Electori.*

I.

Dilecte fili, Salutem & Apostolicam benedictionem.

Cum post eum animi dolorem, quem ex obitu claræ memoriæ Maximiliani electi Imperatoris non mediocrem acceperamus, propter & nostram singularem in illū beneuolentiam, & commune incommodū, quod tanti Principis optimique Ducis morte Christiana passa erat Respublica, illa cogitatio nos ad animi æquitatem reuocauisset, quod illius eximias, Christianissimasq; virtutes, mitem inprimis clementemq; naturam, animum Deo ac Dei religioni deditum, per Dei misericordiam donatum immortalitate, multoq; maiora & beatiora præmia cœlestis vitæ illi comparata esse confidebamus: etiam iudicauimus hanc rationē eandem apud Nobilitatem tuam esse valituram, de cuius prudētia eam semper, quam decuit, habuimus opinionem. Cum autem & boni nos Pastoris cura sollicitas haberet, & hoc non minus ad nobilitatis tuæ officiū pertineret, has ad te summo animi studio scribendas duximus, te impēsius hortantes, vt post pietatis officia in mortuum, te nobiscum vna ad eam curam ac diligentiam velis conuertere, in qua omnis maxime salus Christianæ Reipubl. consistit, vt illi defuncto par aut etiam superior, si fieri potest, eligatur Imperator. Communis hæc nobis tecum cogitatio: sed opera & sententia tua huic facto coniunctior est. Non arbitramur Nobilitatem tuam præstantē prudentia, egere consilio: sed tamen nostra dignitas ac persona requirit, vt quod optimū factu videatur esse in medium consulamus. Etenim si vllum vnquam tempus post Romani Imperii nomen extitit, quod tuam postularet & Collegarum tuorum fidem, vigilantiam, religionē, sapientiam, hoc illud est, in quo omnis industria adhibenda, vt in Imperatore deligendo, Dei Redemptoris honori, Imperatoriæ authoritati, Christianæ Reipub. quieti, vestræ quoq; ipsorum qui electuri estis, saluti consulatur. Numquam (quod tibi in oculis esse certo scimus) habuit fides Christi potentiores hostes: nunquam aduersus eam animo infestiores, crudelitate efferaciores. Horū igitur faucibus atq; immanitati tota exposita cum sit, actum necesse est de Dei Republ. nisi is deligatur Imperator, qui pari potentia illorum retundere insolētiam, & authoritatis, nominisq; sui magnitudine salutem regere Christianitatis queat. Hoc igitur inprimis nobilitas tua, positis ante oculos & pensitatis hostium viribus, vt prouideat, rogamus, per quem maxime illorum nefariæ crudelitati resisti possit. Atq; hæc necessaria est cogitatio: illa vero ad dignitatē Imperii atq; decus spectans, quod sine eximia potentia, nec autoritatem habere potest, nec maiestatē Imperator. Capite aūt labefactato & debili, quid ex cæteris sperandum in bono publico sit, tuam profecto non latet prudentiam. Ergo quod petimus à te, Nobilitati tuæ vt curæ & cordi sit, in Dom. nostro Iesu Christo obtestamur, id est: vt cum nobilitas tua ad dicendam suam sententiam, suumq; dandum suffragium accesserit, ponat sibi ante oculos & salutem, & dignitatem Christianæ fidei. Salutem: vt quoniam graue ab impiis hostibus discrimen, & prope suprema imminet pernicies in eam partem studium suum conuertat, vt par tantis rebus ac negotiis, & nomine, & genere, & animo, & potentia eligatur Imperator. Dignitatem: vt cum post hanc S. Sed. quæ ex Deo est, summū sit in seculo Imperii culmen, qui tuo & Collegarum tuorum iudicio in id ascensurus est, ea habeat ornamenta, quæ in tanto Principe requiruntur potissima. Sit grauis authoritate, prudens consilio, maximarum rerum peritus, animo extollens, qui diuinam erga se liberalitatē agnoscat, fidei Sanctæ faueat, S. Sed. Apost. vt filius matrem vereatur: qui pacem inter Christianos populos teneat: bella & minas & terrores transferat contra impios: sub quo sperare & confidere possit Christiana Respublica, se in maiorum suorum decus & possessionem veteris Imperii esse peruenturam. Hæc nos dilecte fili, à Nobilitate tua postulamus, tuo quidem honori & officio debita, præclaroq; generi, & tuæ maiorumq; tuorum virtuti conuenientia: sed vt præterea Nobilitas tua aliquid nobis bene consulentibus, atq; hoc in magni beneficii loco pro cōmuni salute abs te expectantibus, tribuere debeat. Quod si effeceris, quod te non dubitamus facturum, cū Deo ac nobis rem gratissimam, tum vero publicæ saluti, in qua & tua continetur, admodum vtilem feceris: sicut de omnibus latius tecum dilecti filii nostri, Thomas tituli S. Sixti presbyter Cardinalis, noster & Apostolicæ Sedis de latere Legatus, & Marinus Carraciolus Notarius & Nuncius referent, quibus Nobilitas tua fidem amplam adhibebit. Datum Pali Portuensis Diœceseos, sub annulo Piscatoris, die X. Feb. M. D. XIX. Pontificatus nostri anno Sexto. Ia. Sadoletus.

Hæ litteræ proximo mense postea totidem verbis repetitæ fuerunt, & iteratæ, hac tantum sub finem, post illa verba, *tribuere debeat*, clausula addita.

II.

Quod si forte aliqua ratione vel causa, qualem nos cupimus, & Respublica postulat, Imperatorem omnino habere non licitum fuerit: at illud saltēm pro tua in communem pacem vtilitate mq; Christianæ fidei egregia voluntate, cogitandum atq; agendum tibi est, vt is eligatur, in quo nulla sit vel causa, vel voluntas, aut vniuersalis Christianæ Reipub. querela, aut Sanctæ huius Sed. Apost. perturbandæ. In quo nobilitatē tuā non dubitamus fium singulare ingenium adhibituram. Quod Deo nobisq; gratissimum, tuæ nobilitati inprimis honorificum, ac publicæ vtilitati, in qua & tua, & omnium salus continetur, perquam erit opportunum. Dat. Romæ apud S. Petrum sub annulo Piscatoris die XI. Martii M. D. XIX. Pontificatus nostri Anno Sexto. Ia. Sadoletus.

XIV. III.

Dilecto filio, nobili viro, Ludouico Comiti Palatino, Sacri Romani Imperii Principi Electori.

Leo Papa X.

Dilecte fili, Salutem & Apostolicam benedictionem.

Perfertur ad nos Nobilitatem tuam optimo animo, & præstanti in Rempublicam Christianam studio bene promptam esse in hac proxima creatione futuri Imperatoris id consilii capere, quod eā nos totiens iam hortati sumus, cū iudicaremus, San. Christianæ fidei & huic Sedi Apost. maxime expedire hoc tempore, vt is in tantum gradum vocaretur, qui pacem firmare inter Christianos, bellum transferre in impios hostes Dei nostri, & virtute, & prudentia, & opum suarum potētia inprimis posset: quiq; esset in maximis rebus cū laude versatus, ætate integer, animo excellens, in gratificando largus, in bonos liberalis. Sic enim salus communis postulat, quo immanitū Turcarum furori & crudelitati obsistatur, vt similis princeps, & par illis potentia, superior virtute eligatur Imperator. Nos vero hoc de nobilitate tua audientes, quamquā essemus certi, tē pro religione & sapientia tua non solū præclara omnia cogitasse, sed etiam quæ præclara à te essent cogitata, ea ad effectum perducturum esse: tamen has ad te scribere voluimus, quæ & gratiam tibi referrent de præterito, & hortarentur in futurū, vt pristinas admonitiones, suasiones q; nostras, quibus te ad respectum vniuersæ rei Christianæ, & huius Sanctæ Sedis, pro honore, & gradu, & præstanti virtute tua vocauimus, & quibus te multum tribuisse cognouimus, haberes semper ante oculos, agereq; id quod agis: vt ex tua sententia, tuoq; suffragio in creatione noui Cæsaris, & nos, & fides Christiana, & S. S. Apostol. maxime letaremur. Diceremus quātum hoc conueniat generi, nominiq; tuo, & ei quæ de tua prudentia ac bonitate est opinioni: nisi & alias dixissemus, & teipsū intelligere consideremus. Illud quod ad nos pertinet, id debemus sæpe & sæpius cōmemorare, si tua nobilitas in hoc munere fungendo eā se nobis præbuerit, quam speramus, rationemq; nostri voti ac desiderii, quod cum vtilitate publica coniunctum est, se habuisse ostenderit: præter conscientiam & gloriam clarissimi facti, nos etiam curaturos, vt te nobis morem gessisse nullo tempore pœniteat. Sicut latius tecū dilectus filius noster, Thomas tituli S. Sixti presbyter Cardinalis, Legatus noster, & Rubertus Archiepiscopus Rhegiensis, & Marinus Caraciolus, nuncii nostri agent, quibus & eorum cuiq; fidem habebis. Dat. Romæ apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris die XIII. Maii. Anno M. D. XIX. Pontificatus nostri anno Septimo. Ia. Sadoletus

XV. *Magna inter Hispaniæ & Galliæ Reges de regno Romano disputatio.*

Ad eum modum Pontifex & aliis Principibus Electoribus scribebat, monens vt dignum Imperatorem eligerent. Galliæ & Hispaniæ Rex aspirabant. quæ controuersia & si de tanti momenti re, & inter tam potentes Principes esset, modeste tamen inter eos tractata fuit: ita vt nec ad verborũ cõtumelias, nec ad armorum minas ventum sit: sed vterq; sua autoritate & instrumentis Septem-Virum animos ad se allicere nitebatur. quinimo Francus laudabili admodum consilio, eâ de re cum Hispaniæ Regis legatis verba faciens, vt vterque ipsorum honesta ratione se tantæ dignitatis, quæ diuersis temporibus in suis, maiorumq; suorum familiis fuerat splendore ornare niteretur, decere dixit: sed non ideo alterum sibi ab altero iniuriam fieri censere, vel beneuolentiam necessitudinemq; minui debere: imo exemplũ, quod aliquando in duobus alicuius eximiæ puellæ amore captis iuuenibus cernitur, qui etsi eandem ament, & vterq; illorum omni arte, & industria quantum potest adhibita, ea potiri nititur, non tamẽ ideo aliquod inter eos dissidium oritur, ab ipsis esse sequendum. Hispaniæ Rex Imperiũ, quod multos annos in Austria domo perseuerasset, nec Septem-Viris eum esse morem, defuncti posteros absque manifesta eorum indignitatis causa Imperii dignitate priuare, iure ad se spectare existimabat: nec aliquem in Germania tantæ vel potentiæ, vel autoritatis esse, quia eâ in re ipsius competitor esse deberet: neq; æquum aut verisimile videri Septem-Viros tantam dignitatem, quæ iam a multis seculis in Germanica gente permanserat, in externum Principem transferre velle: quod si quis pecunia, vel alia ratione corruptus, aliam mentem haberet, & se armis opportuno tempore paratis ei terrorem incussurum: & reliquos Septem-Viros sese oppositurос, vel saltem cæteros omnes Germaniæ Principes ac liberas ciuitates, tantam omnium ignominiam tantumq; dedecus minime laturas sperare: præsertim si de ea in Galliæ Regem transferenda ageretur: quod quidem aliud esset nihil, quam Regis ipsorum nationis hostis potentiam augere velle, vnde certo sibi persuadere possent, eam dignitatẽ numquam in Germaniam redituram. Itaque quod ab auo agitatum fuerat, quam iam cum singulis Septem-Viris de præmiis & donatiuis esset constitutum perficere facile existimabat. Ab altera vero parte Galliæ Regis nec cupiditas, nec spes minor erat: quæ suffragiorum Septem-Viralium maxima pecuniæ vi emendorum opinione præcipue nitebatur, quorum aliqui ipsi veteri amicitia & pensionibus addicti rei facilitatem demonstrantes, eum ad rem aggrediendam incitabant. quam spem (vt mortalium animi facile quod cupiunt, id etiam sperant) rationibus potius verisimilibus quam veris fouebat. Sciebat enim Germaniæ Principibus nimiam Cæsarum potentiam, ne forte ea freti omnia vel saltem aliqua Imperii iura autoritatemq; à multis occupata recognoscere vellent, esse molestam: ideo illos nulla vnquam ratione Hispaniæ Regem, ne seipsos, omnium quotquot post priscorum Cæsarum memoriam fuissent potentissimo Imperatori sponte subiicerent, admissuros persuasum habebat, quæ quidem in ipso non per omnia similia videbantur. Cum enim nec vrbes, nec veteres clientelas in Germania haberet, eius potentia illis tam suspecta esse non poterat. qua etiam re in liberis ciuitatibus gentis gloriæ rationem non modo compensari, verum etiam vt solent in hominibus proprii commodi stimuli, communis boni rationem longe superare, penitus opprimi existimabat. Multis præterea Illustribus in Germania familiis, quæ se ad eam dignitatem idoneas ducebant, Imperium tot annos in eadem familia permanere: & id quod iam vni, iam alteri suffragiis tribuendum erat, in eadem stirpe fere hæreditario iure permanere cœpisse, quod is eligendi modus, quo à proximis ex defunctorum Cæsarum stirpe recedere non auderent, successio appellari posset, molestissimũ esse norat. Sic ab Alberto Austrio Imperium ad Fridericũ eius fratrem, à Friderico in Maximilianũ eius filium venisse, & nunc de eo à Maximiliano in Carolum nepotem transferẽdo actum: quæ Germaniæ Principum studia & indignationes, illorum inter se dissidia æmulationemq;, cum sæpe in contentionibus accidere soleat, vt qui se aut eum cum ipse studet excludi videt, omni ratione posthabita, potius ad aliquem externum assumendũ præceps ruat, quã vt ei qui ipsius sententiæ est aduersatus cedat, causæ suæ profuturam ei spem faciebant. Præterea Francus Pontificem cum ob necessitudinem & beneuolentiam quam se cum illo contraxisse existimabat, tum quia Carolum tam potentem Principem, quiq; quum regnum Neapolitanum Pontificio Imperio obnoxium finitimumque haberet, ob Gibellinę factionis procerum studiũ iter ad Vrbis portas vsq; apertum haberet, Imperiũ quoq; adipisci ei placere posse minime credebat, sibi fauturum sperauit. neq; hanc contra Carolum verissimam rationem sibi quoq; aduersam esse animaduertebat: neque enim vel Pontifici, vel cuius alteri, Imperium cum Galliæ regno coniunctum minus formidolosum quã in Carolo esse debebat: non si forte alter plura regna & plures prouincias obtinebat, idcirco minoris alter erat faciendus, quod potentiam suam sparsam & in varia loca diuulsam non haberet, sed regnum collectum atq; coniũctum cum populorum mira obedientia, & maximis opibus refertum, tamen cum id in se non perspiceret quod facile cernebat in altero, ad Pontificem conuersus, vt sibi, quo cum suis regnis semper vt proprio filio vti posset, fauere vellet, supplex ab illo petiit. Huius electionis causa, quod quemuis illorum Imperium adipisci, propter Pontificatus & reliquæ Italiæ securitatem ei molestissimum esset, Pontificem vehementer angebat: eumq; non tãtum apud Septem-Viros authoritatem haberet, vt se multum ea proficere posse speraret, in re tam graui prudẽtiam sibi necessariam esse censuit. Galliæ Regem à Septem-Virum aliquo delusum, nullam in ea re partem habiturum, nec vel in eiusmodi hominibus largitiones tantam vim, vt Imperiũ ex Germana gente in Galliæ Regem turpiter transferrent, habituras, sibi persuaserat. Hispaniæ Regem quod ex eadem gente esset, ob præsentationem à Maximiliano captam, multaq; alias ob causas, nisi validum admodum illi impedimentum inueniretur, facile id consequuturum censebat. Id autem multa alia ratione, nisi vt Galliæ Rex eadem instrumenta, eandemq; pecuniam qua pro seipso vtebatur, ad vnum ex Septem-Viris promouendum conuerteret inueniri posse: Regi autem illum inani spe efferuesceret, id persuaderi nulla ratione posse videbatur: Idcirco illum quo vehementius & maiori spe; sese in eam præsentationem immergeret, eo facilius vbi consilia sua irrita reddi animaduertere inciperet, se iam in æmulatione deiectum & irritatum animaduertens, ad tertium quempiam non minori ardore quam pro seipso fuisset, promouendum præcipitem ruiturum sperabat. Interea vero fieri posse, vt vbi sibi apud Regem quod ei faueret, quodque idem quod ipse exoptaret fidem conciliasset, autoritas consiliumq; suum admitteretur: fieri etiam posse, vt si initio Galliæ Regis partes valide promouerentur, alter Rex desiderio suo difficultates interponi animaduertens, & ne Rex æmulus suus aliquã partem haberet metuens, pari ratione in tertii alicuius sentẽtiam se præcipitem daret. Quocirca, nõ modo se vt ipse Imperium adipisceretur summopere cupere Galliæ Regi ostendit, verum etiam multis rationibus vt in id vehementer incumberet, se illi tota Pontificatus autoritate affuturũ largissime promittens est cum hortatus. cumq; eam esse mentẽ suam, nulla alia ratione melius ostẽdere posse videretur, quam si eo in negotio huiusmodi hominem adhiberet, quem Gallus magis ex se quam ex quouis alio pendere existimaret, præter Cardinalem Caietanum Legatum & Carraciolum Nuncium, statim Robertum Vrsinum Rhegiensem Archiepiscopum, hominẽ Regi deditum, suum in Germaniam Internuncium cum huiusmodi mandatis, vt & seorsim, & vna cum Regis Procuratoribus qui illic erant, quantum posset apud Septem-Viros eius desiderium promoueret, destinauit: monens tamen illum, vt maiore minoreue, prout in Germania Septem-Virum studia & rerum statum inueniret, moderatione vteretur: quæ à Pontifice prudenter excogitata, & summo silentio tecta, in Galliæ Rege & eius ministris qui in Germania erant, maiore prudentia, in Pontificis autem Internuncio maiori grauitate & fide opus habebant. Et quidem Galliæ Rex quotidie magis ingentibus Brandeburgensis Marchionis Septem-Viri, qui ingenti pecunia promissa, & fortasse aliqua ex parte repræsentata, clam non modo suum, sed & Moguntini Archiepiscopi fratris sui, qui ex tribus Antistitibus Septem-Viris vnus erat, suffragium illi pollicitus fuerat promissis, allectus decipiebatur. Plurimum quoq; Rex sibi de altera Septem-Virum parte pollicebatur: & si paria essent suffragia in Bohemiæ Regis suffragio, quod reliquis sex, quorũ tres sunt Antistites & tres Principes, dissidentibus controuersiam dirimit, spem habe-

bat. Idcirco maximam pecuniæ vim quæ Septem-Viris daretur, ad oræ maritimæ pręfectum, quem Ammiralium vocant, qui antea hanc ob causam in Germaniam erat profectus misit: & cum multas liberas ciuitates vna cum Wirtembergensi Duce ijs qui Imperium in externum transferre vellẽt minantes, multos milites conscribere audiret: alias pecunias vt sese ijs qui quo minus ipse eligeretur, prohibere vellent, armis opponeret, colligebat. Sed magnũ erat Germaniæ populorum, vt Imperii dignitas ex ea gente non moueretur, studium, quin etiam Heluetii Germaniæ communis patriæ amore ducti, Pontificem, vt nemini quæ Germanicæ sermonis non esset, faueret, rogarent. Is tamen Galliæ Regi, illum si se tam pro eo vehementem ostenderet, maiorem consiliis suis fidem habiturum sperans fauebat: & tandem vt Imperii adipiscendi spe deposita, eodem ardore pro quouis alio ex Germaniæ Principibus procuraret, ei persuadere conatus est. cuius consilii, quia Ammiralius & Rubertus Vrsinus, illorum qui vt pecuniam ex Gallorum manibus extorquerent, certissimam spem faciebant, promissis decepti, & factionis studio alter quod Gallico ingenio & Regis minister esset, alter natura leuis, & gratiæ sibi apud eum conciliandis cupidus occupati, quotidie magis illum leuibus nunciis in spe cõfirmabant, nullum fructum retulit. Quibus consiliis, cum ij penes quos, nõ antiquiori consuetudine, vllaue firma alia ratione, sed Gregorii Quinti Romani Pontificis natione Germani authoritate, Romani Imperatoris eligendi ius est, veterem cõsuetudinem secuti, Francofurti conuenissent, dum eligendi Cæsaris tempus ex ipsorum institutis in variis altercationibus, de quibus Cardinalis Caietanus, deque rationibus quibus hi Carolo, alii Galliæ fauebant, Leoni Pontifici perscripsit, præstolantur, ecce exercitus, Hispaniæ Regis, qui ad eum pecunia conscribendum, quam ad eandem Septem-Viris largiendam promptior fuit, iussu collectus, Francofurto quasi eos qui Septem-Viris vim adferre vellent prohibiturus esset appropinquans, Septem-Viris qui eius causæ fauebant animum auxit: mutantes in aliorum sententiam pertraxit: & Brandeburgensem qui Galliæ Regi fauebat ita terruit, vt reliquorum consensus spe omissa, totius gentis odium & infamiam apud eam metuens, mentem suam aperire non sit ausus. Itaque cum ad deliberationem venissent, vigesima octaua Iunii die, Carolus Austrius Hispaniæ Rex, Imperator est electus. Expectabant Moguntiæ Legati Regis Caroli, rei euentum, erantque Matthæus Cardinalis Salisburgensis, Fridericus Bauarus Comes Palatinus, Casimirus Brandeburgius, Henricus Nassauii Comes, Euerardus Marcanus Antistes Leodiensis, Bernardus Præsul Tridentinus, Maximilianus Zeuenbergius Belga; cum aliquot Caroli è Belgio Consiliariis. His Septem-Viri sententiam de Carolo factam renunciarunt, ac leges, secundum quos ille imperare deberet, ad subscribendum obtulerunt, quæ à Cardinale Apostolico Legato visæ, probatæque huiusmodi.

Carolus V. in Regem Romanorum eligitur.

XVI.

1. Tueatur Rempublicam Christianam, Pontificem & Ecclesiam Romanam, cuius sit Aduocatus.
2. Ius æqualiter administret, & paci consulat.
3. Leges omnes Imperii, præcipue quam Auream vocant Bullam, non modo confirmet, sed de ipsorum cõsilio, cum res ita foret, amplificet etiam.
4. Senatum in Imperio constituat, ex Germanis delectum; qui Rempublicam gerat.
5. Iura, priuilegia, dignitatem Principum & Ordinum Imperii minime conuellat, aut imminuat.
6. Electoribus liceat, cũ erit opus, inter se conuenire, deque Republica deliberare: nullũ a. ipse, quominus id faciat, impedimentum eis inferat, nec in malã partẽ accipiat.
7. Multitudinis & nobilitatis fœdera vel societates initas aduersum Principes aboleat, & ne tales in posterum fiant, lege prohibeat.
8. De rebus Imperii nullum fœdus, aut pactum faciat cum externis, nisi de Septemvirorum assensu.
9. Facultates Imperii neque distrahat, nec oppignoret, nec alio quouis modo deteriores faciat: & quæ sunt ab aliis nationibus occupata, vel ab Imperio diuulsa bona, primo quoq; tempore recuperet, sic tamen, ne quid fraudi sit illis, qui vel priuilegio, vel iure nituntur.
10. Si quid etiam vel ipse, vel ipsius familiæ quispiam possideat, quod sit Imperii, non acquisitum legitime, reddat interpellatus à Septem-Viris.
11. Cum vicinis aliisque Regibus pacem & amicitiam colat, neq; pro rebus Imperii, nisi de Ordinum omnium, præcipue Septemvirorum voluntate, bellum suscipiat vllum, intra vel extra fines Imperij.
12. Peregrinum quoque militem nullum in Germaniã adducat, nisi cõsentiẽtibus illis. Quod si aũt bello petatur ipse vel Imperium, liceat vti quibuscumque præsidijs.
13. Conuentum Imperii nullum edicat, neq; vectigal aut tributum imperet, nisi de consensu Electorum. Conuentus etiam non agat extra fines Imperii.
14. Negotiis publicis præficiat non exteros, verum Germanos, ex nobilitate delectos, & conficiantur litteræ omnes Latino vel populari sermone.
15. Extra fines Imperii nullum Ordinem in ius vocet.
16. Quia Romæ multa fiunt aduersus pacta quondam inita cum Pontificibus, det operam apud Pontificem, ne qua fraus priuilegiis fiat, & Imperii libertati.
17. Quando mercatorum monopolia, valde perniciosa Germaniæ, coerceri debeant, rationem ineat cum Electoribus, ac rem sæpe deliberatam ad exitum perducat.
18. Portorium nullum aut vectigal imponat, nisi assentiantur Electores, neq; literis cõmendatitiis Electorum qui sunt ad Rhenum, vectigalia deteriora faciat.
19. Si quam habet actionem in aliquem ordinem, legibus experiatur: vim autem nullam adhibeat ijs, qui se cognitioni legitimæ sistunt.
20. Neminem indicta causa præscribat, sed iuris ordinem in eo sequatur.
21. Imperii bona, quæ forte vacabunt, nemini conferat, sed ad publicum patrimonium referat.
22. Si quam alienam prouinciam auxiliis Ordinum acquiret, Imperio coniungat. Si publicum quid suis copiis atque marte recuperabit, Reipublicæ restituat.
23. Quod Interregni tempore Palatinus atque Saxo publice egerint, ratum habeat.
24. Consilium nullum ineat, quo dignitatem Imperii, suæ familiæ peculiarem & hæreditariam faciat, sed liberam & integram permittat Septem-Viris eligendi facultatẽ, iuxta Caroli Quarti legẽ, & Iuris Põtificii c. Venerabilẽ de elect. & elect. potest. Itẽ Clement. De iureiuran. c. vn. præscriptum. Quod secus factum erit, irritũ habeatur.
25. Vbi primum licebit, in Germaniam sese conferat inaugurationis causa, si extra Germaniam consistat.

XVII. *Eius inauguratio.*

Eas conditiones, cum Oratores Caroli electi subscripsissent, pactisq; cum Pontifice maximo de more firmatis, roboratisq; Carolum velle satisfacere, omniaq; priuilegia Apostolicæ Sedi confirmare, diplomataque super his aurea dare pronunciassent: ac Legatus Apostolicus Cardinalis Caietanus, illum de non suspiciendo Romano Imperio, si Regnum Neapolitanum detineret, conditione, legeque soluisset, Archiepiscopus Moguntinus vna cum reliquis Electoribus templum S. Bartholomæi ingressus, Carolum electum Romanorum Imperatorem renunciari iussit his verbis.

Vacante nuper Sacro Romano Imperio per obitum quondam Inuictissimi & Serenissimi Principis & Domini, Domino Maximiliani Electi Romanorum Imperatoris, eiusdem Sacri Imperii Reuerendissimi, Illustrissimique Domini Principes Electores, Domini mei Clementissimi, gratiosissimique, eorundemque nuncii deputati, iuxta tenorem Constitutionum Imperialium desuper confectarum, & hactenus obseruatarum, ad electionem Romani Regis futuri Imperatoris Christianorum præcedentes, & in præsentiarum, ad honorẽ & laudem Dei Opt. Max. commodum atque vtilitatem ipsius Sacri Romani Imperii, ac vniuersæ etiam Christianæ Reipublicæ incrementum, coniunctim & vnanimiter super eiusmodi electione conuenientes, & consentientes, Serenissimum, potentissimumq; Principem & Dominum, Dominũ Carolũ Archiducem Austriæ, Regem Hispaniarum & Neapolis, &c. Dominum, Dominum nostrum gratiosissimum, Romanorum Regẽ & futurum Imperatorẽ censuerunt, pronunciarũt, & elegerunt, in nomine Dei Omnipotentis: quam electionem vnanimẽ ac cõcordem pronuncio, & publico, ego Laurentius Truchses de Bomersfelden, Decanus Moguntinus, nomine

præfatorum meorum Dominorum gratiosissimorum Principum Electorum, præfatum Dominum Carolum in Romanorum Regem, & futurum Imperatorem deinceps obseruandum & honorandum.

Certior de ea electione Pontifex factus, has subsequentes Carolo electo Regi Romanorum scripsit.

Charissimo in Christo filio nostro Carolo Romanorum & Hispanorum Regi Catholico.

Leo Papa Decimus.

Charissime in Christo fili noster, Salutẽ & Apostolicã benedictionẽ.

Litteras Maiestatis tuæ, quibus personam suam in Regem Romanorum, concordi vnanimiq; sacri Romani Imperii Electorum consensu, electam fuisse significabat, in Consistorio nostro secreto, coram venerabilibus Fratribus nostris Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalibus legi fecimus, quæ talem prudentiam modestiamq; præferebant, vt non solum à nobis, verum & ab omnibus Cardinalibus, eadem maiestas tua plurimũ laudata & commendata fuit. Nouit ille qui scrutator est cordium, & cognitor Secretorum, quo animi gaudio, quanta cordis lætitia exultauerimus, gratias agẽtes gratiarum omnium largitori, qui cùm sit magnus in magnis, magna gloriosus operatur in minimis, & superbos terræ humiliat, vnde timentibus se gloriam tribuit & honorem. Habita igitur super ijs, cum dictis Fratribus matura deliberatione, vt pro tam fausta felicique electione, illius auctori Deo gratias Deo ageremus Missam de Spiritu Sancto, qui Electorum corda illuminare, ac in tuã Maiestatem dirigere dignatus fuit, in Sacello nostro, in quo nos & præfati Cardinales interfuimus, per vnum ex eisdem Cardinalibus solenniter celebrari, ac per almam vrbem nostram ignes, & alia lætitiæ signa fieri iussimus, in eo, cuius vices in terris (licet immerite) gerimus; confidentes, quod ipse cui omnia, etiam futura præsentia sunt, eximias virtutes omnes, quæ tam in paterno, quàm in materno auo tuo fuerunt, in te vno clarissimas fore præuidens, te fidei suæ firmissimum futurum præsidium, vtriusq; aui titulis ac honoribus decorare, eorundemq; Imperii ac regnorum potentia ac viribus augere merito voluerit. Sperantesque, quod tu Euangelici dicti memor, quanto plura in hoc mundo & maiora, ab ipsius mundi creatore te adeptũ fuisse cognoueris, tanto humiliorem te reddes, cogitabisq; vna cum maioribus honoribus, magna & laborum onera, ingentemq; curarum molem subiisse, non solum pro Ecclesia matre tua, cuius, & S. Apost. Sedis factus es aduocatus, omnisq; Christianæ Reipublicæ quiete ac pacificatione cõseruanda, & Liga inter Maiestatem tuam & alios Reges ac Principes, cuius nos caput esse voluistis, inuiolabiliter seruanda: verũ etiam Mahumetica secta penitus eliminanda: quæ omnia sane difficilia, atq; ardua efficere, nostrasq; & omnium spes de te conceptas facile implere poteris, si vanis cupiditatibus posthabitis atq; contemptis, tuos in Dominum cogitatus direxeris: eiusq; præcepta & mandata præ oculis & animo semper habueris. Ille n. per quem Reges regnant, & Principes imperãt, Principatus tui solium confirmabit, & dabit tibi virtutẽ & fortitudinem, quibus populos curæ tuæ creditos, trãquille regere & gubernare, inimicis autem resistere, Christianamq; fidem sicut prædecessores tui fecerunt, non solum seruare, sed & propagare, & quæ semper nobis pollicitus fuisti, reipsa præstare atq; adimplere poteris. Tu ergo charissime fili noster, cuncta quæ habes & possides, à Domino bonorum omnium largitore, vt par est, recognoscens, teipsum præpara, vt tam præclaris eminentibusq; dignitatibus & honoribus, quibus præter cæteros elucescis, & micantissimi syderis instar coruscas, propriis virtutum meritis parem te reddas, illisq; dignus iudiceris. Quòd si (vt speramus) feceris, te in summo maiestatis fastigio positum, omnes admirabuntur: indeq; nomini tuo præconia veræ laudis accrescent, & ab altissimo Rege, cui puero Reges venientes de Saba plena deuotionis munera obtulerunt, remunerationis æternæ tibi corona proueniet. Nosq; maiestati tuæ incremẽta, non spiritualibus tantũ, sed tẽporalibus etiam fauoribus, & gratiis promouere studebimus: sperantes in Domino, quod nostrã, & dictæ sedis dilectionẽ, paternamq; beneuolẽtiam, tu tamquã gratus ac deuotus filius, corde semper atq; opere promereri curabis. Dat. Romæ apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris, die XVI. Augusti. M.D.XIX. Pontificatus nostri anno septimo. Euangelista.

XVIII. Scribebat hæc Pontifex, necessitate omnium quam maxima adductus: quippe qui cum acerrimo ingenio, tot regna in vnum collata conspiceret, nimiam Cæsarum potentiam veluti fatali dispositione Pontificiæ dignitati fere semper infestam vehementissime formidabat.

Ea etiam porro Caroli ad Imperium electio, Galliæ Regis, & eorum qui in Italia ab illo pẽdebant animũ magnopere depressit: & contra ijs qui contrariam spem consiliaue habebãt, cum tantam potentiam in vno Principe eoque iuuene, & cui maximum Imperium, & mira felicitas multis vaticiniis portendi audiebatur, coniunctam viderent, spem auxit. & quamuis non perinde vt Galliæ Rex pecunia abundaret, tamen exercitus suos Germanico Hispanicoq; peditatu, qui magnæ existimationis & virtutis erat, replere posse maximi fiebat: quod in Galliæ Rege contra accidebat. Nam cum in regno suo pedites, quos his opponerent non haberet, grauibus bellis nisi maximo sumptu, & nonnumquam difficultate ab exteris nationibus pedestres copias conduceret, sese implicare non poterat. quæ res eum magno sumpto & diligentia Heluetios demulcere, & multa ab illis ferre cogebat: cum tamen numquam de constantia fideq; illorum certus esset. neq; vlli dubium erat, quin inter duos Principes iuuenes, & inter quos multæ erant æmulationis ac controuersiarum causę, tandem grauissimum bellum esset exoriturum. Gallię namq; Regi regni Neapolitani in quo se ius habere existimabat, recuperandi desiderium animo fixum hærebat: & vt Ioanni Regi Nauarræ regnũ restitueretur, qua de re tãdem vanam sibi spem factam animaduertebat, illi curæ erat. Cæsari vero annua mille auri pondo Nouioduni promissa soluere molestum, & Regem conuentione antea Lutetiæ facta contempta; suæ in Hispaniam necessariæ profectionis occasione immoderate vsum, se fere ad nouam pactionem coegisse censebat: semper inter eos recens erat Gheldrensium Ducis causa: quæ sola, quod Rex Galliæ eius patrocinium sustineret, quem Flandri sibi inimicissimum iudicarent, eos ad arma poterat concitare. Sed præcipue Burgundiæ Ducatus, à Ludouico XI. Caroli Burgundiæ Ducis, qui Cæsaris patris maternus auus fuit, mortis occasione occupatus, semper eorum qui successerant animos excruciauerat, ardentissimis aculeis noui Cæsaris animum pungebat. Neque Mediolanensis Imperii causa stimuli, seu controuersiarum semina deesse poterant: cuius nomine cum hic Rex post Ludouici duodecimi mortem diploma nec obtinuisset, nec petiisset, multaque tum quod non esset validum, tum quod causa excidisset, exceptiones contra iura ex diplomate defuncto Regi cõcesso manantes prætexerentur, hoc ad bellum inter eos excitandum satis esse videbatur. Sed tamen eos tunc aliquem motum concitare, nec tempora, nec occasiones patiebantur. Nam præterquam quod Cæsari, vt Aquisgrani aliorum Imperatorum more coronam caperet, in Germaniam redire erat necesse: accedebat, quod cum vterq; illorum potens esset; mutuæ offensionis difficultas eos à bello, antequã cæterorũ Principum, & præsertim si bellum in Italia esset gerendum Pontificis mentem exploratum haberet, inferendo retinebat: Pontificis vero mens à prudentia recondita, quamuis potius quod id nisi eius animo grauiter offenso denegandi occasionem non haberet, quàm libera voluntate, Carolo contra regni Neapolitani diplomatis leges, quibus ex veterum diplomatũ forma id ei expresse interdicebatur, Imperii ad se delati accipiendi potestatem concessisset, nemini erat nota, ac ne ipsi quidem forte semper propter incerta rerũ constabat. Italia igitur has ob causas pace fruebatur: & si sub huius anni finem Pontifex Ferrariam non apertis armis, sed artibus occupare sit conatus: quod Alphonsus Atestinus Ferrariæ Dux in Galliam profectus, res nouas moliri diceretur. Quo vero tempore de Imperio adipiscendo, armis & consilio tractabatur, Galliæ Rex Petrum Nauarrum cum viginti triremibus aliisq; nauibus, in quibus erant quatuor peditum mercenariorum millia, Maurorum audaciam, qui cum iam per multos annos nemine resistente maria Italiæ percurrissent, eo ipso anno plusquam antea prædabantur, reprimẽdi, & si Pontifici visum esset, Mauros in ipsa Africa adoriendi colore, sed præcipue vt Pontifex qui se prorsus ipsi in Imperii causa fauere declararat, Hispaniæ Regis, qui magis rerum suarum timore quam alios lacessendi studio classem quam ad regni Neapolitani custodiam mittere solicite adornabat, vires metuendi causam non haberet, è portu soluere iussit. & nihilominus cum in his suspicionibus & mutua diffidentia vterque Rex in amicitiæ simulatione perseueraret, illorum nomine magnus Franciæ Magister & Ceures, in quibus singulis sui Regis consilium & mens omnis sita erat, Montempessulum, vt de secundæ Galliæ Regis filiæ cum Hispanicæ Rege matrimonio firmando, & multo magis vt de Nauarræ regno cuius restitutio priori Regi Nouiodunensi promissa, quamuis pro ea Galliæ Rex vehementer institisset, ab Hispaniæ Rege variis excusationibus ad eam vsque diem di-

lata fuerat decernerent, conuenerunt. Sed Magni Magistri mors, quæ antequam simul loquerentur incidit, huius conuentus spem sustulit.

Quo ipso tempore, cum Laurentius Medices matrimonio infelicibus auspiciis peracto è Gallia rediisset (nam & vxor paucos dies ante enixa, moriens ei viam munierat) continuo ferme morbo oppressus obiit. ob cuius mortem Pontifex Florentinorum potentiam dum viueret Sacræ Sedi coniunctam cupiens, nonnullorũ, qui vt cum præter ipsum nemo ex Cosmi Medicis, qui tantæ potentiæ fundamenta iecerat posteris, qui ab eo per mares ex legitimo connubio originem traherent superesset, patriæ suæ libertatem restitueret suadebant, consiliis neglectis, siue familiæ suæ nominis conseruãdi desiderio, siue odio in reipublicæ nomen ob exilium cõcepto ductus, Iulium Mediceum Cardinalem eius Imperii administrationi præfecit: & Vrbini principatum ob populorum erga veterem Ducem beneuolentiam, difficile filiæ vnicæ à Laurentio relictæ, quæ in diplomate patri concesso comprehendebatur nomine retineri posse ratus, eum vna cum Pisauro, & Senogallia Ecclesiæ restituit. cumq; ne id quidem ad populorum ardorem reprimendũ satis esse censeret, Vrbini aliorumque eius Imperii præcipuorum locorũ mænia dirui iussit. Eugubio excepto, in quam ciuitatem quod ea tãquam Vrbini æmula non ita Francisci Mariæ studiosa esset, quasi eius imperij caput constitutam, gratiam omnem existimationemq; conuertit: & vt eius Imperii vires imbecilliores redderet, S. Lei arcem, cum omni Mõtisfeltrii agro, & Sest... Priuerium quod in Cæsenatium ditione esse solebat, Florentinis, quibus id minime satisfaciebat, sed eius voluntati repugnare non poterant, pro ea pecunia quam in Vrbinate bello pro eo exposuerant, cuius eos antea in sacri ærarii tabulis creditores constituerat, tradidit. *Guiciardinus lib. 13. Iouius in vita Leonis X. lib. 4. Epistolæ Card. Caietani ad Leonem X. datæ Francofurto, hoc anno 29. Iunii. 5. & 7. Iulii. Beuter rerum Belgicarum libr. 8. Surius in Commentariis huius anni. Franciscus Hareus in Annal. rerum Burgund. in Carolo V. Collectores rerum Germanicarum tom. 1. & 2. Georgius Sabinus Brandeburgicus de electione & coronatione Caroli V.*

XIX. Sane Pontifex Leo, multa in gratiam Regis Francisci fecit. Nam & hoc anno postulante illo, Franciscum Paulanum, Ordinis Minimorũ Conditorem, in album Sanctorum retulit: Rege ipso sumptus in solennitatem suppeditante.

S. Franciscus Paulanus Beatis adscriptis.

Canonizatus est S. Franciscus Paulanus die Dominica, Calendis Maii: de qua re Pontifex Leo diploma vulgauit, eodem die, hoc anno M.D.XIX. quod extat apud *Surium in vitis SS. tomo 2.*

XX. Cæterum hoc ipso anno, quo Pontifex quietem salutemq; orbis Christiani fundabat, atq; Diuis honores promeritos decernebat, Satan per suos ministros rempub. Christianam miscere, Sanctorumq; merita eleuare, atque cælitibus ornamenta detrahere conabatur: Luthero, Carolostadio, Melãchthone submissis, inflammatisq;. Postquam enim rebus humanis subtractus est Maximilianus Cæsar, cœpit Lutherus indies magis insolescere, maiorisque audaciæ non obscura signa dare: Quamquam enim iam antea quoq; multa proterue dixerat in Pontificem, quod ipse in datis ad Caietanum Cardinalem Legatum litteris fatetur, his verbis: *Fateor, vt & alias fassus sum, me profecto nimis indiscretum, vt ipsi dicunt, vehementem & irreuerentem fuisse contra nomen Pontificis: & quamuis admodum vehementer ad eiusmodi irreuerentiam lacessitus fuerim, intelligo tamen nunc, quod decuisset me modestius, humilius, ac reuerentius istam materiam tractare, & non sic respondere stulto, vt fierem ei similis: quod mihi synceriter dolet, veniamque peto:* idem tamen ipse mortem Cæsaris impudentior factus, veluti excusso fræno, maiorem sibi ferociam indulsit, & conuitiis ac criminationibus intemperantissime ministros Pontificios, cuiuscumque conditionis impetiuit, summoque Pontifici maiori contemptu rebellauit: adeo quidem ferociter, vt etiam in epistola 2. ad Leonem Pont. iactet, quod Carolus Miltitius, Nuncius Apostolicus; post Caietanum multo & vario negotio cursans & recursans, nihilque omittens, quod ad reparandum causæ statum, quem Caietanus temere, *ait*, & superbe turbauerat, pertineret, vix tandem etiam auxilio Illustrissimi Principis Friderici Electoris effecerit; vt semel & iterum familiariter cum ipso loqueretur. Inter hæc enim venerat in Germaniam Carolus Miltitius, Pontificis Cubicularius, à Leone Pontif. missus ad Electorem Saxoniæ Fridericum, vt illi Rosam auream, quam singulis annis Pontifices Dominica quarta in Quadragesima consecrare solent, in argumentum beneuolentiæ singularis offerret. Erat Miltitius hic Germanus, vir nobilis, ex insigni familia Miltitiorum oriundus in Misnia, cui Pontifex inter cætera cumprimis hoc in mandatis dederat, vt ad sedandas turbas, quas de religione Lutherus in Germania excitarat, nihil ad summam diligentiam reliquum faceret. Et principio quidem Miltitius autor fuit Electori Friderico, ne Lutherum è Saxonia discedere pateretur: quod metueret vir prudens, ne Wittemberga migrare iussus, profugeret ad Bohemos, seque cum Hussitis coniungeret: quod putabat magno cum detrimento rei Christianæ futurum. Deinde Princeps ipsius monitu Lutherum per litteras Altemburgum euocauit, vbi Miltitius perbenige cum eo contulit de hac controuersia, & quantum Pontifex eius sopiendę desiderium haberet, demonstrauit. Eam vero moderationem adhibuit, vt Lutherus postmodum fateretur, omnia iampridem procul dubio sopiri potuisse, si negotium hoc ab aliis ea dexteritate tractatũ fuisset. Quamquam vero ad errorem agnoscendum induci nõ potuit; tamen duo quædam à Luthero Miltitius impetrauit, in quibus ad sedandam procellam, non parum momenti positum arbitrabatur. Principio conuentum est, vt Lutherus ipse daret litteras ad Pontificem, humiliter & modeste scriptas, in quibus breuiter exponeret statum huius negotii & seipsum deinde, causamque vniuersam voluntati censuræque Pontificis subiiceret. Quod ipsum Lutherus, dum Alteburgi esset, statim executus fuit, datis ad Pontificem tertio Martii litteris, in quibus Deum testatur & omnes creaturas, se numquam id hactenus egisse serio, vt potestatem Ecclesiæ Romanæ, summiq; Pontificis labefactaret, vel illius authoritate per fraudem quicquam detraheret. Imo libere fatetur, huius Ecclesiæ potestatem eminere super omnia, nec illi quicquam in cœlo vel in terra præferendam, præter solum Christum, qui Dominus sit omnium. Promittit etiam se rerũ istarum, ex quibus nata sit hæc contentio, numquam porro deinceps facturum mentionem, modo silentium etiam aduersariis imponatur. Quin & scripto in lucem edito, populum se ait, monere velle, vt omnes in honore habeant Ecclesiam Romanam, nec illi temeritatem blateronum quorundam adscribant, neue suam imitentur acerbitatem, qua se contra eandem Ecclesiam vsum, imo potius abusum esse; eaque re grauiter deliquisse fatetur. Hæc Lutherus ad Pontificem. Iam vero & illud inter eos conuenerat, negotium hoc vniuersum Episcopo alicui committẽdum in Germania, Treuirensi scilicet, aut Cardinali Salisburgensi, vel Frisingensi, atque interea dum causa cognoscitur, imponendum vtrique parti silentium. Hæc duo cum obtinuisset Miltitius, magnum se quiddam consequutum existimauit. Itaque multum sibi gratulabatur, quasi re præclare gesta, & inter cœnandum hanc ob causam factus hilarior, Lutherum osculatus est, ac si certam sopiendæ controuersiam rationem in manu haberet. Cumque non sibi quiescendum putaret, vt cæptam actionem persequeretur, Treuiros profectus Archiepiscopum interpellauit, eique quid Altenburgi cum Luthero egerit, & quam de eo in viam reuocando spem haberet, exposuit. Offendit istic & Cardinalem Caietanum sedis Apostolicæ Legatum; qui superiore anno proximo Augustæ Lutheri animum frustra pertentarat. Eam nactus occasionem, vtrumq; rogauit, Archiepiscopum inquam & Caietanum, vt negotio quod in Thuringia satis feliciter agi cæptum erat, transigendo manum vna secum admouerent: quam ad rem se paratos exhibuerunt. Erat Archiepiscopus ex nobili Greiffenclauiorum familia, Richardus nomine, vir prudens, circumspectus & eloquens, multisque naturæ dotibus insigniter ornatus, qui non minus quam Caietanus ipse restinctum cupiebat istud incendium. Assensit igitur Miltitio perquam lubens, pacis restituendæ studio, & locum actioni designauit Confluentiam, quæ ciuitas est diœcesis Treuerensis, ad Rheni Mosellæque confluentem amæno loco sita. Miltitius igitur Lutherum isthuc euocauit, datis ad eum litteris perhumaniter scriptis, quibus in memoriam illi redigebat, quæ non ita pridem acta fuerant Altenburgi, rogauitque vt se Confluentiæ præsentem sisteret ad diem actioni constitutum: vnaque paucis insinuauit, Caietanum quoque

Leo Pontifex Friderico Saxoni rosam auream mittit.

præter Archiepiscopum Treuirensem actioni huic interfuturum. Hic vero Solem refugiens Lutherus, respondit: Instare tempus disputationis publicæ, quæ breui Lipsiæ cum Ioanne Eccio esset habenda: à qua saluo honore abesse nequeat. Neq; vero si ad actionem veniẽdum fuerit, Caietanum se ferre posse, qui causam hanc ad eum modum egerit in Conciliis Augustanis, vt an Catholicus esset & Christianus, ipse quidẽ vehementer ambigeret. Ita insolens homo & versutus cũ propter reprobata & hæretica dogmata, atq; etiam propter turbatam Ecclesiæ pacem, læsamq; Sedis Apostolicæ omni iure Sacrosanctam auctoritatem maiestatem, reus apud supremũ in terris Iudicem suum perageretur: & tamen ministri Pontificii benignius quam par erat cum illo, vt ægrum animi persanarent, agerent: illos ipsos contempsit, atque delusit. Ad hunc modum Militii spes, quam de motibus sopiendis conceperat, tum labores omnes & molestiæ, tandem in fumos abierunt, Luthero perpetuo restitante: qui licet se ostendisset tractabilem, & bona verba dedisset, cum vrgeretur: tamen iam tum longe aliud, quam pacem & concordiam meditabatur, animoque voluebat.

XXI. Cum vero Lutherus, expectationem Pontificis, & Caietani, Miltitiique industriam ad hunc modum elusisset, sparsis in Germania libellis, & sermonibus diuulgatis, virus suum eiaculari non desiit. Quia vero scripta eius cupide, magnoque cum applausu hominum passim excipiebantur, factum est vt augesceret malum; & contagio breui se longe lateq; in omnem partem diffunderet. Quam ad rem non parum attulit momenti, quod Imperatore mortuo, vti diximus, quinq; mẽsium & amplius interregnum esset: quo tempore, dum omnium animi in electionem futuri Cæsaris intenti essent, liberius serpsit lues ista, & multas per Germaniam ciuitates infecit: præsertim cum Fridericus Elector, Saxoniæ Dux, cuius in Imperio summa erat autoritas, Lutherum suo patrocinio foueret, & veluti obiecto sui nominis clypeo tueretur. Vnde factum est, vt quæ per Pontificem & Ecclesiastici fori iudices adhibenda erant, gliscenti malo remedia, ea non satis expedita essent, & tardius procederent. Quin & ipse Lutherus mira quadam calliditate multorum animos sibi adiunxit, dum Ecclesiæ Romanæ & Pontificis Max. iudicio, se suaque omnia submitteret: simulate quidem, quemadmodum post satis apparuit: at ita tamen, vt consilia eorum ad quos huius causæ cognitio pertinebat, hærerent & ob hanc ipsius submissionem suspenderentur. Vsus est & ista alia fraude, quam Caietanus Cardinalis, Augustæ, in eius actionibus deprehendit. Si vrgeretur pressius, protestabatur, se ea quæ aliena erant à receptis in Ecclesia dogmatibus, inquirendæ veritatis, non asserendi animo proposuisse. In concionibus vero ad populum, & alibi, vbi applausum inuenit, eadem ipsa constanter asseruit, velut ipsam veritatem. Hac stropha suspendit multorum animos, & Principi suo, aliisque non paucis imposuit. tametsi post, vbi satis accreuit virium, iamque occupati fuerunt Germanorum animi, abiecit laruam hanc, omissisque huiusmodi imposturis apertum bellum gessit.

XXII. *Disputatio Lipsiæ inter Lutherum & Eccium instituitur.*

Interim disputatio quædã inter Lutherum, Carlstadium, & Ioannem Eccium instituta fuit Lipsiæ in Misnia, permissu Georgii Saxoniæ Ducis, ad cuius ditionem ciuitas illa pertinebat. Erat is Georgius, Alberti filius, Friderici Electoris patruelis, princeps prudentia, zelo Catholicæ Religionis, & multarum virtutum ornamentis insignis: qui studio restinguendi feralis huius incendii, non modo disputationibus concessit locum, & patrocinium præstitit: sed in ipsam quoq; disputationem, cui frequẽter interfuit, magnos fecit sumptus, & Lutherum non minus quam Eccium liberaliter habuit. Occasionem dederant huic congressui scripta quædam aduersaria, per Carlostadium & Eccium anno superiore proximo de Lutheri thesibus in lucem edita: quæ quidem Eccius contra Lutherum, Carlostadius pro, euulgarant. Videbat nimirum Eccius, spargendis in vulgus cumulandisque scriptis polemicis turbari pacem Ecclesiæ, populum in partes distrahi, atque incendium istud recẽs exortum augeri potius, quam restingui. Itaque cum intelligeret Lutherum Augustam missum à Principe, vt Cardinali Caietano se sisteret, isthuc quoque profectus sermonem cum eo habuit, de certamine nuper admodũ exorto, & Scholasticũ congressum vel disputationẽ obtulit, asserens multo præstare, vt huiusmodi congressu semel finiretur controuersia, quam vt alios alii dentatis scriptis perpetuo lacesserent, ac morderent: quod aiebat fieri non posse, nisi luxaretur concordia, & populus non parum offenderetur.

XXIII. Erat Ioannes Eccius, vir ingenio non minus acri quam alacri, iudicio exacto, eruditione summa, memoria vero stupenda præditus: qui natus annos quatuordecim & menses aliquot, in Magistrum artium liberalium promotus, ad hoc vsq; tempus ætatem triuerat in Scholis, iamque celebritatem nominis & authoritatem in quibusdam magni nominis Academiis, disputando fuerat consecutus. Hic igitur cum Lutherũ ingenio versatili & ætate florentem, hominum applausu & quorũdam prehensationibus incitatum eo ferri videret, vnde facillimum esset in præcipitium ruere; referre pedem difficillimum, manum illi putauit iniiciendam, laborandumque, vt in communem Ecclesiæ viam reduceretur. Egit itaque cum illo perhumaniter, cum Augustæ colloquerentur, atque hoc consilii proposuit, vt fieret periculum instituta disputatione: nũ tempestas collatis inter se sententiis & rationibus sedari posset, ne quod grauius incommodum ex istis concertationibus in Ecclesiam inundaret. Lutherus tametsi non admodum propenderet ad incundum hoc certamen, ne lucem tamen omnino defugere videretur, accepit conditionem: siquidem Carlostadius non detractaret congressum. Is enim, vti supra diximus, in Eccium scripserat pro Luthero, eiusque causam thesibus propugnandis suam fecerat: quæ causa fuit, vt hunc inprimis Eccius ad certamen prouocaret. Cumq; de loco consultarent vbi habenda esset disputatio, Eccius Erphordiam & Lipsiam proposuit, vnaq; fecit liberũ, vt vtramuis vellent, ad hunc congressum eligerent. Placuit tandem vtriusque partis consensu, Lipsiæ: quem locum Eccius etiam hoc nomine libenter designauit, licet sibi valde incommodum, ne Lutherus & Carlostadius vllam haberent tergiuersandi causam. Igitur Eccius à Georgio Duce Saxoniæ per literas obtinuit, vt in ea ciuitate, quę ad ipsius ditionem pertinebat, disputationẽ hanc instituti pateretur. Quanquam id ea cõditione permisit Princeps, vt non Carlostadius modo, sed & Lutherus ipse cum Eccio congrederetur. Displicuit tamen id vehementer Episcopo Merseburgensi, vt loci Ordinario, atq; Theologis Lipsiensibus, qui maluissent talem disputationem prohiberi atque omitti. Et quidem Eccius Academiam Lipsiensem, inprimis vero facultatem Theologicam interpellauit, vt huic instituto fauere vellent. Postea duodecim themata vel assertiones diuulgauit, iisq; breuiter, more Scholastico ea cõplexus est, quæ in hac disputatione propugnare decreuerat. His Lutherus duodecim, Carlostadius vero paulo plures, nempe septemdecim contrarias theses opposuerunt, quas in ea disputatione cõtra Eccium essent defensuri. Priusquam vero illuxisset dies ille, quo congredi Lipsiæ deberent, amica quædam contentio exorta erat, inter duos illos tenebrosos luciferos Wittenbergæ, quam etiam libellis editis contestabantur, in magnum sane Eccii contemptum; dum Lutherus pro Carlostadio congredi cuperet humilitatis gratia: quasi Eccius non dignus foret, cum quo congrederetur tantę dignitatis & eminentiæ vir, Carlostadius Archidiaconus Wittenbergensis: Carlostadius vero illum sibi deposceret ad vindicandum ab Obeliscis Eccij Lutherum. erant autem obelisci, annotationes repræhensoriæ, quas Eccius circa primas Lutheri de Indulgentiis propositiones apposuerat priuatim, ab amico quodam quid super ijs sentiret rogatus. Scribebat præterea Lectori Lutherus: Eccium Sedis Apostolicæ consecratorem, Sacræ Scripturæ Patrumq; verbis vti, veluti Anaxagoræ elementis, vt iuxta Apostolum non intelligat quid loquatur, neq; de quibus affirmet: Carlostadium vero, victorem Ecciani erroris iamdudũ venturum esse non fugitiuũ militem, sed mortuum illum & à se prostratum Leonem, cum fiducia excepturum. Se vero in hac re non timere seu Papam, seu nomen Papæ: multo minus pappos, & puppas istas. Ad eum modum, nomen vniuersæ Ecclesiæ venerandum, Lutherus contemnebat, ridebatque.

XXIV. *Lutherus & Eccius Lipsiam disputandi causa veniunt.*

Venerunt tandem Lipsiam, ad diem XXVII. Iunij præfixum. Wittembergenses quidem, non solum multos comites, sed & libros subsidiarios secum afferentes, quasi Lipsiæ non fuissent libri, si quibus opus fuisset: Eccius vero, cui non solum à latronibus & raptoribus, verum etiam à Lutheranorum in se frendentium gladiis & insidiis metuendum, vno tantum famulo comitatus, ignotus ad ignotos, multo prolixius iter e-

mensus quã illi quippe distat Lipsia ab Ingolstadio, vbi Theologiam Eccius profitebatur, circiter quinquaginta milliaria Germanica: Wittemberga vero tantum septem. Excepti ergo sunt omnes & amice, & honorifice, non solum à Senatu & Vniuersitate Vrbis, verum etiam à Principe & Domino vrbis, Saxoniæ Duce Georgio: qui non modo consiliarios suos, pro seruanda vtrique parti æquitate, adhibuit, sed in arce sua, ne quis tumultus oriretur, disputantibus locum concessit, atque etiam personali præsentia sua disputationem honorare promisit. In principio, de modo disputationibus & forma difficultas orta est atq; dissensio. Lutherus liberam esse disputationem voluit, quæ non huius aut illius Academiæ, sed omnium, adeoque promiscuæ multitudinis iudicio subiaceret: Eccius vero certum iudicem constitui dixit oportere, qui rationibus vtriusque partis examinatis, discussisque, iudicium ferret. Et quidẽ ipse, Eccius inquam, Iudicis partes S. Theologiæ Doctoribus in Academia Lipsiensi deferendas censuit: vt qui præsentes auditis argumentis & responsionibus, facilius iudicium interponere possent: quo fieret, vt disputantes dictandi fastidio leuarentur, eamque ob causam expeditior esset & pressior agendi ratio. Verum Lipsienses Theologi nescio quibus moti rationibus, hanc prouinciam subire recusarunt. Tandem re vltro citroque disceptata, conuentum, vt Scribæ ab vtraque parte delecti fideliter exciperent omnia, quæ vtrinque dicerentur: addita conditione, ne quisquam disputationem hanc referret in publicum, priusquã per Iudices, vtriusq; partis consensu designandos, in causa pronunciatum esset. Placuit Luthero quidem, quod de Scribis constitutum est: verum quod de Iudice fuit additum, tũ de non diuulgandis actis ante latam sententiam, id illi prorsus displicuit: eamque ob causam initio negauit, se quidem hac cõditione disputaturum: quæ res sinistram de illo suspicionem apud Lipsienses concitauit. Tandem persuasus à suis, cum rubore consensit: initus tamen: aliorum potius, quam sui genii ductum secutus. Et ne noua deinceps difficultas emergeret in deligendo Iudice, dedit Eccius Wittembergensibus optionẽ, vt quascumque vellent Academias, in Italia, Gallia, Hispania, Germania & Anglia designarent, duabus tantum exceptis, Basileensi scilicet & Friburgensi, quas habebat suspectas. Demum Vniuersitates duæ, Parisiensis & Erphordiensis per Lutherum & Carlostadium nominatæ sunt, quarum iudicio causam hanc submiserunt. Lutherus, vt denuo turbaret negotium, adiecit hanc conditionem, ne Theologi solum, sed & cæterarum facultatum Professores, Iureconsulti, Medici, Philosophi, Artistæ coniuncti sententiam ferrent. Vidit Eccius pro sua prudentia, quorsum hæc conditio spectaret: nimirum, vt iudicandi facultas Theologis adempta, reliquarum facultatum Professoribus, hominibus laicis, & rerum Theologicarum ignaris deferretur: qui coniuncti, numero & suffragiis Theologos facile superarent. Igitur Lutherum monuit, indignum sibi videri, quod eam conditionem adiiceret: causam hanc esse mere Theologicam: ideoque ad solos Theologos, pro more Vniuersitatum referendum: quemadmodum & reliquarum Facultatum controuersiæ non soleant, nisi à suis vnaquælibet Professoribus iudicari. Interim huius rei arbitrium ad Principem ipsum & Consiliarios reiiciendum dixit. Lutherus denuo rubore suffusus destitit vrgere subterfugium hoc, nec Principis sententiam expectauit.

XXV. Omnibus ad hunc modum constitutis, primum congressi sunt Eccius & Carlostadius, de libero arbitrio hominis, de gratia, deq; bonorum operum origine, valore & natura disputaturi; solenniter protestantes ambo, quod ab Ecclesia Catholica nusquam, ne ad latum quidem digitum discedere vellent, nec eruditorum iudicio præire, nec Vniuersitatum authoritati præiudicare. Et Carlostadius quidem librorum & chartarum præsidio inter disputandum vsus est: quam rem Eccius initio dissimulauit. Tandem sub finem actionis tertiæ, cum ex scripto recitaret multa Carlostadius, & libris frequenter vteretur, interpellatus est ab Eccio & monitus, id prę ter consuetudinem aliarum Vniuersitatum fieri: missas faceret chartas & libros, & Academico more disputaret, vt æqualis esset vtriusque conditio. Ille reclamauit, librorum chartarumque vsum sibi concedi postulans. Cum id Eccius iniquum esse contenderet, res ad Theologos præsentes, & Principis Consiliarios relata est: qui deliberatione habita, decreuerunt, Carlostadio permittendum, vt illo die libris & chartis adhuc vteretur: deinceps vero diebus sequentibus, à librorum vsu, scriptisque legendis abstineret. Hæc cum Cæsar Pflugius, vir nobilis, & Lipsiensis Satrapa in consessu retulisset, Carlostadius obmurmurans, satis significauit, se Theologorum & Consiliariorum decreto non pariturum. Quæ res in causa fuit, vt tum quidẽ auditorium solueretur; Lutheranis effuse foras erumpentibus. Vnde factum est, vt abrupta videretur disputatio: idq; eo magis, quod sequẽte biduo nullus fuit conuentus. Postea tamen Calendis Iulii, ad cõtinuandam disputationem reditum est: tametsi Carlostadius adduci non potuit, vt ab vsu librorum & chartarum abstineret: imo protestatus est in sexto congressu, qui primæ disputationis vltimus fuit, non magni pendere se decretum de intermittendo librorum vsu: quin potius hoc sibi gloriosum ducere, quod disputarit ex libris, eoq; nomine sit reprehensus: & habere in votis, vt hoc suum studium etiam posteris innotescat. Atque hæc prima fuit disputatio de gratia & libero arbitrio, deque bonis operibus: in qua non inuenit mortuum in Eccio Leonem Carlostadius, vt iactitauerat Lutherus, sed virum ingenio, & alacritate longe magis viuidum, quam erat Carlostadius, qui Eccius aduersarium, eo vel adduxit, vel adegit, vt contra, quam in thesibus asseruerat, libero arbitrio per Dei gratiam excitato, partes suas in operibus bonis exequendis concederet. Lutherus interim ægreferens, Eccium superiorem fuisse Carlostadio, in festo Apostolorum Petri & Pauli, sermonem habuit ad populum in Sacello Arcis: in quo sane, cum frequens haberet auditorium, palam vt acriter perstrinxit, tum Pontificis Maximi authoritatem, tum Clauium potestatem, non absque offendiculo multorum. Vnde factum est, vt paulo post Eccius eum Sermonem Lutheri, qui per Typographos quoque euulgatus est, reprehenderit publice, dum secunda die Iulii, in festo Visitationis B. Mariæ concionaretur ad populum, in Parochiali Ecclesia D. Nicolai.

XXVI. Carlostadio ex disputatione iam fesso & exhausto, successit in certamen Lutherus, die IV. Iulii, vsq; in diem XIV. Longa tamen Consiliariis Principis Georgii cum Luthero dissertatio fuit, priusquam disputationem cum Eccio iniret. Iterum enim diu reluctabatur, se certis submittere Iudicibus: quãdoquidem magis appetebat iudicium vulgi & confusæ multitudinis, quam Doctorum in Vniuersitatibus. Cum autem nullo prætextu honeste recusare posset, consensit tandẽ iterũ, quãquam inuitus & iratus, in Iudices Parisienses & Erphordienses: sed iam solius Theologicæ facultatis. In hos sane, quod apud eos in litteris educatus, plus notitiæ & fauoris haberet quam Eccius: apud illos vero, quod offensos nuper à Pontifice in causa Capnionis, atque in priuilegiis Cleri Gallicani, speraret approbaturos potius impugnatoris, quam propugnatoris Romanæ Ecclesiæ partes. Maluisset tamẽ Poetas Theologorum irrisores, & plebem Cleri osorem, quam quoslibet Theologos causæ suæ Iudices habere. Videntes itaq; Consiliarii, Ducis Georgii, vultum eius iracundum, admonuerunt, vt nihil per iram, sed omnia modeste ageret, ne auditoribus scandalo fieret: Tum ille ira victus, in apertam secreti sui pessimi confessionem erupit dicens: *Non propter Deum hæc res cœpta est, neque propter Deum finietur.* Illi autem, ne ludibrio fieret illa orbi proclamata disputatio, hoc verbum dissimulantes, animum eius mitigabant, vt iuxta quod promiserat cum Eccio disputaret.

XXVII. *Disputationis initium.*

Huius disputationis factum est initium quarto Iulii, hora septima Matutina. Disputatum est acriter, copiose, & ordine, primum de Primatu & potestate Romani Pontificis: deinde de Purgatorio, de Indulgentiis, de Pœnitentia, de Absoluendi potestate, & Casuum reseruatione. Lutherus, quamquam inter protestandum diceret, se non impugnare, neque Christiane à quaquam impugnari posse, Primatum & obediẽtiam Romanæ Ecclesiæ, nec derogare se Pontifici: quicquid tribuitur ei: Primatum tamen illius asserebat, non diuino, sed humano iure, tacita populorum consensione inductum. Eccius porro eundem Primatum, ad ius diuinum, & ipsius Christi ordinationem referebat. In hoc cardine omnis de Pontifice disputatio vertebatur: quem causæ statum Eccius initio dilucidis verbis proposuit, additis rationibus & argumẽtis, quibus sententiam suam confirmabat. Lutherus autem non ita

pridem libellum ic ripserat, de authoritate Pontificis Romani, quem secum habuit, atque ex eo pleraque, quę contra Eccium produxit, opinionis suæ firmamenta recitauit.

XXVIII. Actione III. quæ quinto die Iulii fuit horis matutinis, Eccius antagonista obiecit, quam ipse tueretur de Primatu Pontificis opinionem, eam non multum abludere ab Hussitarum sententia, per Concilium Constantiense damnata. Itaque Boemos, vti fama sit, multum gloriari, quod contra Romanam Ecclesiam nouum adepti sint causæ suæ Patronum. Lutherus ad hanc obiectionem vehementer commotus, iniuriam sibi fieri protestatus est, cum contumelia coniunctam: *nullum se vnquam probasse sibi sima, nec in æternum* (ea voce vtebatur) *probaturum. Inique fecisse Boemos, quod ab Ecclesię communione discesserint, eamque ob causam sibi quidem inimicos semper fuisse: rogare Eccium, ne tantam sibi deinceps contumeliam impingat.* Idem repetiit horis pomeridianis, sub initium actionis quartæ: seque nequaquam probare Boemorum causam, publice testatus est. Respondit Eccius, quod disiungeret se ab Hussitis, atque hac excusatione detergere conaretur aspersam hæreseos labem, id sibi quidem nō displicere: optare autem, vt verbis facta responderēt. Interim damnatos quosdam, eosque pestilentissimos Hussitarum articulos, ab illo, parum Christiane, Christianissimos & Euangelicos appellari. Hac voce grauius irritatus Lutherus, cousque frænos iracundiæ laxauit, vt Eccium diceret hocipsum impudenter & mendaciter prolocutum. Ille contra, sibi promptum esse, dixit, ex ipsius Lutheri scriptis, dictisque, dilucide probare quicquid obiecisset. Hunc vero sermonem de patrocinio Boemorum, qui Lutherum vehementer vrebat, Eccius subinde repetiuit, vbi tulit occasio: quin & capita quædam protulit ex damnatis Boemorum erroribus, quibus demonstrauit assertiones Lutheri consonare. Ille nihil aliud, quam obmurmurans simpliciter negauit, se quicquam asseruisse, quod Decretis Concilii Constantiensis aduersaretur. Ex hac disputantium contentione rumor etiam in vulgum manauit, Lutherum damnatis iam pridem Hussitarum erroribus addictum esse: quod tametsi verum erat, causas tamē habuit Lutherus, cur hanc de se opinionem animis vulgi tum quidem inseri nollet: quandoquidem erat odiosum in Germania Hussitarum nomen. Videbat igitur Lutherus, si cum illis publica professione sese coniūgeret, futurum vt à se multorum animos alienaret. Itaque tam sollicite, tantoque studio hoc egit, vt quibusdam verborum & protestationum inuolucris, mentis arcanum ad tempus tegeret, eosque simularet sibi inuisos, quibus intimo affectu, secreto tamen adhærebat. Huc nimirum spectabat, cum de illata iniuria protestatus, Eccium vera loquentem, in publico confessu tam impudenter mendacii argueret: quemadmodum paulo superius diximus. Cæterum, vt apud vulgum quoque iustam Hussici nominis maculam elueret, sub initium actionis sextæ, antequam disputationem ingrederetur, ad auditores conuersus, Germanice protestationem repetiit, iam antea Latine factam, seque præter meritum innocentem, in hanc suspicionem ab aduersario trahi conquestus est.

XXIX. Postmodum octauo cōgressu, qui octauo Iulii pomeridianis horis fuit, de Purgatorio & Indulgentiis disputari cæptū: & quidem satis placide: quandoquidem initio Lutherus testatus est, & dixit ista publice: *Ego, qui credo fortiter, imo audsim dicere, scio, Purgatorium esse, facile persuadeor, in scripturis de eo fieri mentionem. quemadmodum illud Matthæi 2. inducit Gregorius in Dialogis: Non remittitur neque in hoc seculo, nec in futuro: volens peccata quædam remitti in purgatorio. Admitto & illud 2. Machabæorum 12. Sancta est & salubris cogitatio pro defunctis exorare, vt à peccatis soluantur.* Itaque de reipsa disputantes consenserunt: dissensum nonnihil de conditione animarum in Purgatorio, nimirum: An possint augere meritum, & se in statu gratiæ esse certum habeant. Indulgentias etiam Lutherus non simpliciter reiecit, quin potius ita declarauit assertiones suas, vt quantum quidem ad rem ipsam pertinebat, non multum dissidere ab Eccii, imo ab Ecclesiæ sententia viderentur. Abusus quosdam irreptitios, & opiniones vulgi, minus sanas, vtraque pars improbauit. Disputatum tamen de quæstione, An indulgentiæ à bonis operibus auocent: &, An propter abusum sint reiiciendæ: quod in vndecima thesi Lutherus asseruerat. Deinde de pœnitentia, & absoluendi potestate quatuor congressus habiti, quorum vltimus, decimo quarto Iulii, circa octauam matutinam finem habuit. Lassato tandem Luthero, Eccius intrepidus & infatigabilis Carlostadio, rursus in arenam progredienti congressus est, eodem die, eademq; hora qua Lutherus cessauerat: vt ille peregrinus, à suis tum libris tum amicis & notis lōge positis in regione longinqua, si non possit argumentis vinci, saltem labore tandē & cauillorum fastidio delassatus, ex arena cederet, ac victi speciem præberet. Rursum igitur impetitus est de libero hominis arbitrio, de qua prima disputatio non admodū bene Carlostadio cesserat: ac loco coronidis istud paradoxum Carlostadius adiūxit, Iustū in omni opere bono peccare. Ea disputatio tribus congressibus absoluta fuit, & decimo quinto Iulii post meridiem conclusa. quod vt fieret, Lutherus & Carlostadius vehementer vrgebant, detrimentū causati, quod Vniuersitas Wittembergensis propter diuturnam ipsorum absentiam pateretur.

XXX. Quanquam vero cautum erat vtriusq; partis consensu, ne disputationis huius acta diuulgarētur, antequā per Iudices lata esset sententia, non potuit hoc pacto tamen impediri, quin quæ priuatim erant à quibusdam notata, in publicum exirent. Nam cū publica esset disputatio, vt cuiuis pateret aditus, tāto hominum studio disputantium dicta audita fuerunt, & excepta, vt actorum exemplaria triginta, præter ea quæ à delectis Notariis scripta erant, inuenta sint, quæ passim circumferebantur. Et Eccius quidem reuersus domū quiescebat, Iudicū sententiā expectaturus. At Witembergenses mirum in modū tumultuati sunt, & datis ad suos literis, vāriisq; scriptis in lucē editis, informationibus, apologiis, additionibus, declarationibus, analysibus, inquam, in hoc multū studii posuerūt, vt ad se transferrent victoriæ palmam, quam Eccio Princeps Georgius, cum Consiliariis, Vniuersitas & Senatus Lipsiensis, tum fama publica tribuebat. Lutherus ipse irarum & quærelarum plenus ediditepistolam ad Spalatinum suū, qui Friderici Ducis Electoris & à sacris & à secretis erat, ac pro illo multa secreto egerat. Ait eam disputationem fuisse perditionem temporis, non inquisitionem veritatis: & quantum in Eccio fuit, nullum fere scopum fuisse tactum: aut si tactus sit, nonnisi notissimis & vulgo proculcatis argumentis certatum fuisse. Deinde in Lipsienses inuectus ait: Non mihi, sed sibi imputabunt, si tanguntur & ipsi, quos par gloriæ studium, & inueterata iamdiu inuidia coegit, pro Eccio contra nos machinari non bonas machinas. Confitebatur tamen, optimæ illi Vniuersitati se nihil debere, quam omnem honorem & omne officiū, duntaxat inuidiam quorundam displicuisse sibi. Quamuis vero laudaret ibi Ducem Georgium, quod vere Principali clementia & munificentia nihil omiserit, quod ad felicissimum illius disputationis fructum facere posset: omnia cauens, & monens, vt modeste, & veritatis quærendæ studio ageretur: multa tamen in Consiliariorum eius fugillationem querībundus adiunxit. Primo, ruptum est, inquit, pactum, quo inter Eccium & nos conuenerat, vt libere disputaretur, & excepta per Notarios in publicum totius orbis iudicium ederentur. Illi autem statuerunt, ne excepta per Notarios ederentur, nisi Iudicibus nominatim & cōmuniter electis oblata, accepissent sententiam: quasi Orbis, & cuiusque optimi viri iudicium parum sit. Alteram machinam fuisse ait, cum Carlostadius libros secum attulisset, illos statuisse pro Eccii voluntate, libros domi relinquendos esse, ac solius memoriæ & linguæ viribus ac libertate disputandum. Cum vero sibi obiiceretur, quod conuentioni non pareat, nec fœdus seruet, disputationem edens ante decretum Iudicium, ita respōdit: Quasi vero vllum pactum nobis vmquam seruerint ipsi. addens, se conuenisse, ne disputatio euulgaretur, quæ manu Notariorū excepta fuit: verum ne præterea scriberet, se non pepigisse. Ducem tamen Georgium rursus laudans ait, illum prudentissime ambos verberantem dixisse: Siue hoc sit iure diuino, siue humano, Romanus Pontifex est & manet summus Pontifex: ita vere dixisse & non leuiter, inutilem illorum disputationem ipsorū insigni hac modestia taxasse. Lutherus igitur, qui pro summo bono habebat multitudinis applausū, cum Lipsiæ populo minus plausibilē fuisse suā disputationem sentiret, omnem iram in Eccium qui victor in omnium ore habebatur effudit: innumeris illū diuerberās cōuiciis, per multas epistolas, varioſque libellos. Ausus eū etiam ad Leonem Pōtificem grauissime

accusare

accusare palam, tamquam Eccii mendaciis, simul actionibus, & technis, omnia vbique fuerint turbata & exulcerata. Hic est, inquit, ille hostis tuus, mi Leo, seu potius Curiæ tuæ, qui onus supra vires suscipiens, dum gloriam suam furiose captat, ignominiam Romanam in totum orbem reuelat. Huius vnius exemplo discere possumus, inquit, non esse hostem adulatore nocentiorem. Quid enim sua adulatione promouit, nisi malum, quod nullus Regum promouere potuisset? Patet enim hodie nomen Romanæ Curiæ in orbe, & languet Papalis authoritas: famosa inscitia male audit: quorum nullum audiremus, si Eccius Caroli Militii & meum de pace consilium non turbasset. Occurrit his Lutheri & aliorum Wittembergensium scriptis impostoris, non segniter Eccius, eorumque fumos datis ad Pontificem, & Fridericum Electorem prolixis litteris, aliisque quibusdam scriptis editis, illæsa veritatis luce dissipauit. Scripsit pariter de eadem disputatione epistolam quandam Hieronymus Emser, vir apprime & disertus, & eruditus, ad Pragensis Ecclesiæ Administratorem, B. Ioannem Zackium, cum audisset, Boemos vane gloriari, quod partes eorum defendisset Lutherus. In qua sane epistola, quam modestissime ac æquissime rei gestæ veritatem prosecutus, citra omnem Lutheri iniuriam atque detractionem asseruit, illum non defendisse partem Boemorum, sed palā contradixisse. Eccium vero Theologum acriter propositiones suas defendisse. Lutherus autem, siue quod nactus interim fuerat ex Boemia libros Ioannis Hus, cui impensius fauebat, siue ignominiam suam reputans, quod Eccius diceretur ab Emsero fortissimus Theologus, scripsit mox petulantissime Venationem quandam in Capricornum Emseri, (hoc enim insigne pro armis à maioribus suis habebat Emser) tot sanc conuitiis exuberantem, tot scommatis mordacem, tot calumniis acerbam, vt Emser magis obrutus, quam inuasus videretur: qui tamen paulo ante honorifice susceperat illum conuiuio Dresdæ. Hac sane cautela vtebatur Lutherus, vt aduersarios suos mox fragosa conuitiorum ingeminatione ac strepitu absterrere, & omnibus ridendos præbere studeret. Sic enim scribit ad Leonem Pontificem. *In hoc ipsum tanto spiritu sum tumultuatus, vt eos, quos mihi longissime impares esse videbam, magnitudine & impetu tam verborum quam animi compescerem.* At stratagemate hoc suo fortem Capricornum illum, neque in fugam, neque in latebras coegit: quin venatorem istum robustam, Nymbrotum Saxonicum, ita repulit, ac repercussit ille, tum multis aliis ei grauiter obiectis, tum illo grauissime, quod Lipsiæ Lutherus dixerat: *Rem istam non esse propter Deum cæptam, nec propter Deum finiendam.* quo sane ictu, fama Lutheri apud bonos grauiter sauciata fuit: præsertim, cum ad eum ictum Lutherus tam diu taceret, nihil reclamans, nemussitans quidem, sed callide dissimulans rea conscientia per menses x. quamuis interea vārium ei esset, cum Emsero editis libellis certamen. Nulli enim aduersariorum sæpius quam illi respondit. Tandem vbi sæpius propter verbum illud ab amicis compellaretur, vt tam grauem suspicionis notā à se reiiceret, scripsit Theutonice quendam libellum, quo mendacii argere conabatur Emserum: sed meris fucis & nugis, nullo argumento solido, inani exclamationum Rhetoricārum tinnitu. quandoquidem mox conuicii nugas eius Emser certis & irrefragabilibus testibus, ludificationem que ipsius futilem, ipsius chirographo ad Tetzelium, aliisque grauiter obiectis repressit, & quam libet verbosum ibi prorsus obmutescere coegit, causamque illius certe viris prudentibus suspectam reddidit. quam suspicionem postea rumusculi quidam auxerunt, in vulgus de Luthero sparsi, quasi secretum & familiare commercium haberet cum dæmone, quem in pixide concluſum circumferret. Obseruatum certe fuit, quod in digito gestaret annuluni argenteum, cui filo quippiam alligatum erat: quæ res sermonibus huiusmodi parum commodis occasionem dedit.

XXXI. De Duce Georgio diximus supra, quod non modo securitatem præstiterit disputantibus, sed & iisdem summam clementiam exhibuerit. Inuitauit eos quandoq; ad prandium: cumq; mēsa remota esset, Lutherum à reliquis duxit seorsum, eumq; perbenigne monuit, Boemos lectis ipsius libellis in erroribus confirmari, ac pertinaciores fieri: nec obscure præse ferre, quod ipsum haberent causæ suæ patronum. Esse præterea plures in istis region ibus homines, quos ipsius libelli reddiderint in conscientia perplexos, & in magnum periculum coniecerint. Suggesserat, ita Princeps piissimus, vt ad saniora consilia mentem ipsius inflecteret. Quamquam id frustra fuit. Imo Lutherus annis sequentibus in hunc Principem, à quo adeo clementer & liberaliter habitus est, tanto exarsit odio, vt si potuisset, lingua, calamo, dentibusq; viuum dilacerarit. Erant præterea Lipsiæ, dum hæc disputatio haberetur, è Lutheri fautoribus nonnulli (inter quos & Hussitas fuisse affirmant) qui ferociam, proteruiam, & virulentiam animorum in Catholicos haud obscuris indiciis subinde prodiderunt. Nam visi sunt aliquando inter disputandum, cum audirent ea dici quæ minime placerent, manus admouere pugionibus & gladiis, eoque gestu minitari. Quin & hoc genus homines nocte quadam ad hospitium Eccii, clamoribus editis mouerunt turbas, quasi vim intentaturi si possent, vel auderent. Itaque Senatus Lipsiensis, excubias in vicinia disposuit, ne Eccio vis aut iniuria à Zelosis illis nebulonibus inferretur. Lutherus autem, quia traduci se passim ab æmulis intelligebat, quasi dogmata quædam tueretur, à communi fidelium & Ecclesiæ sensu aliena, breue quoddam scriptum arte veteratoria edidit, quo conatus est omnem hæreseos suspicionem à se remouere. In eo fidem suam, de Sanctorum intercessione, de purgatorio, de Indulgentiis, de præceptis Ecclesiæ, de bonis operibus, & Ecclesia Romana breuissime declarat, in hanc fere sententiam. Profitetur se firmiter credere cum orbe Christiano vniuerso, Sanctos, cœlestis patriæ ciues honorandos esse & inuocandos. Nequaquā dubitādum, quin animæ defunctorum in purgatorio magnos patiantur cruciatus, quibus ex charitatis debito subuenire teneamur, ieiunio, precibus, eleemosynis. Indulgentias, relaxationem esse pœnarum temporalium, quæ peccatis remissis, post absolutionē luendæ remaneant. Dei mandata præceptis Ecclesiæ præferenda: vtrisque vero parendum: quam quam obseruato quodam discrimine. Bona esse opera per Dei gratiam facta: verum ijs non fidendum, sed miserationi diuinæ. Ecclesiam Romanam à Deo præaliis honoratam esse: tametsi vero Romæ nunc is foret status, quem emēdatum optare liceret. eam tamen ob causam, vel vllam aliam quæ tum existeret, aut futuris temporibus existere posset, tanti momenti non censendam, vt ab illa Ecclesia diuelli nos, vel abduci patiamur. Ante omnia habendam vnitatis rationem, nec Pontificum Romanorum decretis aut sanctionibus vllo pacto nō obtemperandum. Scilicet, fucum facere volebat aliquibus: cum tamen alias coram aliis, plenis buccis concreparet, ea quæ nullo modo ferenda, viris Orthodoxis viderentur. Carolus Militius, vt tandem pacis componendi laudem ex patria sua Romam apportaret, iterum tentauit Lutherum ad silentium saltem redigere. De qua re ita gloriatus est ipse Lutherus scriptis ad Leonem Pontificem: Nihil, inquit, hac disputatione promouentibus nobis, nisi maiorem confusionem Romanæ causæ, iam tertio Carolus Militius Patres Ordinis in Capitulo congregatos adit: consilium petit componendæ causæ, quæ iam disturbatissima & periculosissima esset. Mittuntur hinc ad me, cum viribus in me (Deo propitio) non sit spes grassandi, aliquot celebriores ex illis, qui petunt, vt saltem tuæ Beatitudinis personam honorem, & litteris humilitatis excusem innocentiam & tuam, & meam. Esse adhuc rem non in extremo desperationis loco, si Leo X. pro sua innata bonitate manum admoueret. & post pauca; rebellis & contumax, Summo Pontificis, leges pacis præscribere ausus, ista subiunxit: *Porro palinodiam vt canam, Beatissime Pater, non est quod vllus præsumat, nisi malit adhuc maiore turbine causam inuoluere. Deinde leges interpretandi verbi Dei non patior, cum oporteat verbum Dei esse non alligatum, quod libertatem docet omnium aliorum. His duobus saluis, nihil est quod non facere & pati possim, ac libentissime velim. Contentiones odi. neminem prouocabo: sed prouocari rursus nolo: prouocatus autem, Christo Magistro, eliuguis non ero.* Cum tamen eodem fere tempore quo Lipsiæ disputatum fuit, SS. Theologiæ Doctores in Vniuersitate Colonienſi sub examen reuocarunt librum quendam, à Louanienſibus Theologis missum, qui Lutheri tractatus aliquot & Sermones continebat, eundemque tamquam variis scatentem erroribus, & Christi fidelibus noxium, publico decreto condemnarunt, ea conditione, vt librum quidem flammis absumendum, autorem vero com-

Lutherus tumultus ad Eccii Hospitium de nocte excitat.

pellendum ad palinodiam censuerint. Decretum istud trigesimo die Augusti, hoc anno 1519. factum est & publicatum. Exemplum hoc Louanienses Theologi secuti, eiusdem generis sententiam de Lutheri doctrina & opusculis tulerunt, quæ VII. Nouembris eodem anno promulgata fuit: quin & Parisienses Theologi idem decreuerunt, qui pro Eccii parte iudicauerunt, atque 104. Lutheri propositiones, publico scripto edito condemnauerunt. Tulit hoc perinique Lutherus, & continuo in Theologos Vniuersitatum more suo turpiter debacchatus est, edito scripto valde mordaci, in quo non aliter tractat viros eruditione & pietate conspicuos, ac si capita sine cerebro, adeoque truncis stupidiores essent. Quin & ex litteratorum & Poetastrarum grege quosdam subornauit, qui viris grauissimis scurrarum more petulâter insultarunt; quorum sannas & ludibria, quemadmodum & ipsius Lutheri furiosos latratus & virulentas criminationes, Theologi pro sua prudentia facile contempserunt. Quamquam vt bonis quibusdam satisfieret, qui mirabantur hunc procedendi modum, Iacobus Latomus vir doctus, apud Louanienses S. Theologiæ Professor, edito scripto è sacris libris, & vetustis Ecclesiæ Doctoribus, rationem reddidit, cur Lutheri dogmata sint ad hunc modum condemnata.

XXXII. *Lutherus tractatus quosdam noxios in lucem edit.*

Lutherus interim præter ea quæ in Eccium scripsit, & alios quosdam edidit tractatus: cumprimis Sermones ad populum habitos de rebus variis, quibus opiniones suas secreto passim & dissimulanter infarciuit. Inter quos vnus de Eucharistiæ Sacramento sub finem huius anni 1519. in lucem prodiit: qui prudentioribus, Hussiticum quid sapere visus est. Sensit hoc primum omnium Georgius Saxoniæ Dux, qui Lutherum paulo ante Lipsiæ disputantem audierat: ideoque Fridericum Electorem Saxoniæ de periculo per litteras admonuit, quod à Luthero regionibus istis immineret. *Scriptum hoc, inquit, si à Doctoribus examinetur Bohemicum videri posse, ex hæreseos radice natum: quod quia Germanicum sit, facile offendat miselli mcautumq; vulgus, & Ecclesiam destruat potius quam ædificet. Ipsum Electorem male in Germania auditurum, si Lutherus huiusmodi quid doceat in vniuersitate Vvittembergensi, quod alienum sit à fide Christiana, & Bohemorum hæresi patrocinetur. Magnam hominis præsumptionem & arrogantiam ex eo deprehendi, quod conciunculas suas omnes ad populum habitas, continuo spargat in vulgus, quasi solus ipse sapiat, nec quisquam fuerit hactenus, qui vel intellexerit veritatẽ, vel eam ausus fuerit profiteri. Non dubitare se, quin ipse Fridericus, vt Princeps ætate iam & prudentia maturus, serio negotium hoc expendat, caueatque, ne quod ex eo detrimentum Ecclesia patiatur.* Hæc Georgius Princeps 27. Decemb. anno hoc 1519. exeunte.

XXXIII. *Lutheri libelli in Diœcesi Misenensi prohibentur.*

Iam & Episcopus Misenensis vicinus, edicto publico libellum hunc in Diœcesi sua distrahi vetuit: exemplaria vero iam sparsa diligenter conquiri iussit, & ad manus suas deferri. Decretum ea de re, anni consequentis 1520. initio, quarta die Ianuarii publicatum fuit quo Lutherus vehementer exasperatus, edito breui schediasmate, Episcopum acriter exagitauit: idq; dissimulanter, sub Officialis Stolpensis nomine, quem inter suos Tolpensem, vel Talpensem per ludibrium appellabat. Erat Episcopus Misenensis Ioannes, ex nobili Sleinitiorum familia, vir insignis, & magno religionis Catholicæ conseruandæ zelo præditus. Ideoque quanto studio potuit, conatus est impedire, ne ad Diœcesin istam Lutherana contagio dimanaret: quamquam ipsius vigilantia, tandem astutis Lutheranorum machinationibus superata fuit. Cæterũ multos habebat in aula Principis Electoris Consanguineos & affines, qui Luthero grauiter eam ob causam succensebãt, quod publico scripto suggillaret Episcopum, eiq; per latus Officialis, venenatum aculeum infigeret. Lutherus, vbi nobiles in se cõcitatos intellexit, vereri cæpit, ne & Princeps ipse paulatim ipsorum sermonibus auerteretur: quod si fieret, facile videbat in summo se periculo futurum. Itaq; de Wittemberga relinquenda cogitationem suscepit: præsertim cum istic insidias sibi parari, per quosdã sui amantissimos admonitus esset. Hærebat aũt incertus, quo se vitãdi periculi causa reciperet. Tandem cum omnia circumspexisset, ad Hussitas in Boemiã proficisci decreuerat, vbi tutum sibi receptaculum pollicebatur.

XXXIV. Paulo antequam publicatum fuit Episcopi Misnẽsis decretum, iamq; ad accersiendum ex Hispaniis Carolum V. Imperatorem electum Oratores missi fuissent, ad hunc circumue-

niendum, & in partes Lutheri trahendũ, multæ quærebantur vario prætextu occasiones: adeo vt Lutherani certissimum sibi persuaderent, Carolum totũ fore Lutheranum. Iactabantur merita Ducis Saxoniæ, Friderici Electoris. Spargebantur criminationes in Leonem Pontificem, cuiusq; Legatum Cardinalem Caietanum, q̃ cupientes eligi Regem Franciæ, & clam, & plane palam Carolo detraxerint. Edebantur conuitia libelliq; famosi in Papã, in quosdã Episcopos atq; Theologos. Tũ Lutherus ipse astu colubrino, suorum etiam consilio fretus; sese in animum Principis adolescentis insinuare cupiens, scripsit ad eundẽ Carolum epistolam simulata humilitate, odiosisq; in aduersarios querelis accurate depictam, addens etiam oblationem seu protestationem, haud minus & fictã & calũniatricẽ, vt sibi gratiam, Pontifici vero maximo ac Theologis odium tum Cæsaris, tum aulicorum eius, atq; adeo totius populi cõciaret. Ait igitur in epistola illa, post captatam blanditiis beneuolentiam. *Editi sunt à me nonnulli libelli, quibus multorum & magnorum mihi conflaui inuidiam & indignationem, vbi duplici debui præsidio tutus esse. Primum, quod inuitus in publicum veni, nec nisi aliorum vi & insidiis proditus, scripsi quicquid scripsi: nihil vnquam maioribus votis expetens, quam vt in angulo meo laterem. Deinde quod vestor mea conscientia, ac optimorum virorum iudicio, nonnisi Euangelicam veritatem studui euulgare, aduersus superstitiosas humanæ traditionis opiniones. Propter quam, tertius iam finitur annus, ex quo patior sine fine iras, contumelias, pericula, & quicquid possunt mali excogitare. Frustra veniam peto, frustra silentia offero, frustra pacis conditiones propono, frustra eruditi meliora postulo. Vnum est, quod in me paratur, tantum vt extinguar cum vniuerso Euangelio. Cum autem frustra omnia tentarim, visum est tandem, exemplo Sancti Athanasii, Imperatoriam Maiestatem inuocare, si forte Dominus dignetur per eam suæ causæ adesse.* Et paulo post in protestatione sua: *Sed ne hoc quidem promoui, inquit, quod me sæpenumero & multifariam obtulerim (vt filius supplex & obediens Sanctæ Ecclesiæ Catholicæ, qualis, Deo Optim. Maxim. adiutore, mori volo) taciturum, si per meos aduersarios liceat, omnium Vniuersitatum non suspectarum cognitionem & sententiam passurum: coram non suspectis Iudicibus, sacris & prophanis, sub fide publica, idonea & sufficienti, conductu libero, & libenter, & humiliter compariturum, eorumque cognitionem & sententiam suscepturum. Se itaque in hoc statu rerum ad Cæsaream Maiestatem, tamquam ad asylum confugere voluisse, & vt huius causæ patrocinium suscipiat suppliciter orare.* Scilicet, talem iudicem & patronum Lutherus volebat, qualis inter Catholicos nedum inueniri, sed ne excogitari aut fieri potuerit: qui scilicet causam Lutheri, sensu Lutheri definiret.

Lutherus ad Carolum V. scribit.

XXXV. Multæ interim id genus querimoniæ spargebantur in vulgus, non solum à Luthero ipso, sed etiam à complicibus eius, maxime à Poetis & Rhetoribus plerisque, qui Theologis & Religiosis oppido infesti erant, non solum propter Lutherum, sed etiam propter Ioannem Capnionem & Erasmum Rotherodamum: quibus plurimum contentionis & causæ erat cum illis. Sed & Iureconsulti non pauci, ac aulici, qui opibus, autoritate & gratia pollebant, pro Luthero contra Ecclesiasticos multa, non tam scriptis libris quam epistolis & sermone, tum clam ad aures Principum, tum palam ad populum agebant, ac gliscens laicorum in Clericos odium, suis detractionibus callide adaugebant. Maxime vero incendebat animos, non modo procerum & nobilium, verum etiam ciuium & rusticorum, Vlricus Huttenus Eques Germanus, vir & nobilis familiæ, & ingenii acerrimi: qui & antea, priusquam Lutheri nomen orbi notum esset, multa contra pensiones, citationes, iudiciaque quibus Romana Curia Germaniam grauare videbatur, scripserat, Non solum carmine, verum etiam soluta oratione vehemens & acer. Is tum ediderat Triadem Rom. libellum quidem paruulum sed mire festiuum, & inuentionis ingeniosæ argumento laicis admodum plausibilem & acceptum: quo sane effecit, vt nihil æq; inuisum esset Germanis complurimis, ac nomen Romanæ Curiæ & Curtisanorum. Philippus quoque Melanchton, qui tum iuuenis Luthero sese adiunxerat, causam illius non parum iuuit. Ductus enim Lipsiam à Luthero, cum ex disputationis illius, de qua diximus, successu, Vvittembergensium honori metueret, simulatque conclusa fuit disputatio epistolam scripsit ad quendam Lutheranæ factionis anonymum, quæ statim typis diuulgata fuit. In ea

Philippus Melanchton Luthero adhæret.

perstrin-

perstringit Eccium paulo liberius, ciusq; in disputando vehementiam, tum dicta quædam parum benigne interpretatur. Effudit Melanchton epistolium hoc præcipitanter, inuenili quodam impetu concitatus, scilicet vt consuleret authoritati suorum Wittembergensium, & famam auteueteret, quæ constanter Eccio victoriæ palmam tribuebat. Vidit, priusquam Lipsia discessit, Eccius epistolium istud, editoq; scripto valde breui, quòd vigesimò quinto Iulii conceptum fuit, ad ea respondit, quæ Melanchtõ obiecerat: quam ille velut grammatellum ad Scholasticos pulueres ablegat, parum asserens idoneum, cum quò Theologus de re Theologica congrederetur. Expleuerat vigesimum secundum ætatis annum, cum Eccium suggillaret Melanchton. Itaq; temeritatem inprimis & iuuenilem arrogantiam in eo reprehendit Eccius, quod cum Grammaticus esset & iuuenis, nec causa hæc ad ipsum pertineret, iudicis vsurparit officium, & sententiam veluti pro tribunali Sedens pronuntiarit. Parisienses, *ait*, delectos esse iudices vtriusque partis consensu, qui suo tempore rationibus examinatis, quod æquum fuerit in hac causa sint pronunciaturi. Offensus hac increpatione Melanchton, continuo scriptum apologeticum emisit, quo se factumq; suum tuetur, vt potest. Inprimis verò Sanctos Patres in hoc scripto inuenili temeritate reuocat ad censuram, eosq; dum Scripturas explicant, variare sententias asserit, & affectu raptos in sensum impertinentem, liberrime sacris litteris abuti: quin & frequenter eos errare dicit. Quæso, *inquit*, quotiens lapsus est Hieronymus? quoties Augustinus? quoties Ambrosius? Nec enim tam ignoti mihi sunt, vt non hoc libere ausim dicere: imo fortasse notiores aliquanto mihi sunt, quam Eccius suus Aristoteles. Hæc Melanchton, vt diluceret obiectum rerum Theologicarum ignorantiam, seq; non Grammaticum, sed Theologum esse demonstraret, nec adeo crassum, quin cum Theologo de rebus Theologicis in cõgressum venire possit. Cæterum vt vindicaret, quam sibi factam putabat iniuriam, Poetastrorum & litterionum gregem in Eccium concitauit, qui contumeliis, sannis scurrilibus & rhonchis exceptum insignem Theologum petulanter exagitarunt. quod deinceps solenne fuit istius factionis hominibus: vt nimirum Theologis eruditione atq; pietate præstantibus, qui Lutheri machinationibus abstinebant, sese petulanter obiicerent, morionum & scurrarum instar, eosq; sparsis pasquillis, famosisq; libellis, apud omnes in odium & contemptum adducerent: quibus Melanchton etiam, vt erat litterio & Poeta non inelegans, primis annis sese coniunxit.

XXXVI. *Erasmus Roterodamus Lutheri socius fit.*

Visus est etiam Erasmus Roterodamus, litterionum antesignanus Luthero fauere, adeo vt multi tum dicerent, *Aut Erasmus Lutherizat, aut Lutherus Erasmizat.* qui tamen ferre non potens procacitatem in dicendo, & in scribendo Lutheri, per epistolam 30. Maii huc an. 1519. Lutherum ad moderationem reuocabat dicẽs: mihi videtur plus profici ciuili modestia quã impetu. Magis expedit clamare in eos qui Pontificum autoritate abutantur, quàm in ipsos Pontifices. Idem de Regibus faciendum censeo. Scholæ non tam aspernandæ sunt, quam ad studia magis sobria reuocandæ. De rebus multo receptioribus, quam vt subito possint ex animo euelli, disputandum est argumentis densis & efficacibus potius quam asseuerandum. Quorundam virulentas contentiones magis conducit contemnere, quam refellere. Vbiq; cauendum, ne quid arroganter aut factiose loquamur aut faciamus. Sic arbitror esse gratum Spiritui Christi. Interea seruandus animus, ne vel ira, vel odio, vel gloria corrũpatur. Nã hæc in medio pietatis studio hominib⁹ insidiari solet. Hæc admonco nõ vt facias, sed vt q̃ facis, perpetuo facias. Degustaui Cõmentarios tuos in Psalm. vehementer arridens, & spero magnam vtilitatem allaturos. Erasm. lib. 6. epist. 4. Hæc vero epistola varie à multis accepta est, aliis eam pro Luthero, aliis contra interpretantibus: aliis etiam responsionem nimis ciuilem, amicam & blandam reprehendentibus. Quamobrem Erasmus necesse habuit excusationem scribere Laurentio Compegio Cardinali Legato, censuramque & iudicium ferre de Luthero, scripta alia ad Fridericum Saxoniæ Electorem, 14. Aprilis huius anni, epistola: cum tamen ipse hominẽ palparet, & interdum inflammaret, æque procax in Regulares & vniuersum Clerum, atq; Martinus Lutherus: neque minus eo vafer, & versatili lingua, calamoque, modo pro, alias contra Pontificem, Sacerdotes, & Sacra. Atrocius nonnulli, ex Viennensi Academia Doctores, Ioachimus Vadianus S. Gallensis, Georgius Binder & Schelerus, vterque Tigurinus, Vienna propter pestem in Heluetiam patriam reduces, qui nouarum rerum libidine, repertos per viam Lutheri libros, & coemptos, passim publicabant, ingerebantque, improbantes ipsi pariter, vt est procliuis ad deteriora mortalium lapsus, honorem & intercessionem Deiparæ, & Beatorum cælitum, & alia quæ Lutherus iam tunc infectabatur: quibus etiã se Zuinglius adiungere, consilia communicare, eodemq; modo in Lutheri notitiam & discipulorum peruenire: de Luthero tamen adhuc pauca in publico intermiscere, quia odiosum, vt nouum & monstrosum intelligebat: doctrinã solummodo admirari, & puram putam Euangelicam prædicare, ab eodem post mille annorum cursum latam tandem in medium, & pro dignitate promulgatam, & adsertam: haud pauca interim de suo interiicere, & literis etiam ad amicos patefacere, eadem ipsa in re studiosorũ, Magistrorumq; operam & suffragia adhibere: quibus modis efficiebat, vt non paucos impotentes, superbos, ambitiosos, cupidos, curiosos, vtriusq; sexus, viros & fœminas in sententiam prius adduxerit, quàm pro concione quidquam attigerit, vnde suspicio suboriri posset hæreseos aut nouitatis. Vbi autem se satis firmum intellexit, & auditorũ, fautorumq; copia adfuit, Calend. Ianu. huius anni 1519. primam contra veterem & inueteratam religionem concionem habuit: sed tum quoq; cautus, vt Ecclesiæ abusus, quibus indulgentias admiscebat, criminaretur: tum in Republ. libera, Regum & Principum pensiones, tamquam inhonestas, sanguinarias, exitiosas: eademq; occasione in Pontifices Romanos, eo acerbius, quia ipsum ex quo Glarona pulsus erat, pensione annua & beneficiis Pontifex priuauerat, inuehebatur: vnde, Zuinglianæ sectæ, & nominationis, prima fundamẽta atq; exordia extitere. Sic monstrũ, aliud monstrum degenerauit. *Vlembergius in vita Lutheri & Melanchtonis. Cochleus de actis Lutheri. Surius in Commentariis huius anni. Erasmus in epistolis. Hartmannus in Annalibus heremi Mariani. Florimundus de origine hæreseon lib. 1.*

ANNO CHRISTI M. D. XX. LEONIS PAPAE X. ANNO 7.&8. CAROLI V. ROM. REGIS ANNO I.

I. HOc anno magis ac magis conturbata est Ecclesia, paradoxis cõcionibus ac scriptis Martini Lutheri, qui Summi Pontificis ac veterum Conciliorũ, Scriptorumque sacra volumina interpretantium authoritatem in dubium vocabat, Christianaq; instituta, ad piũ Dei cultũ conseruandum, eiq; hac obedientia placendum, à maioribus per manus tradita, Sacrorumq; voluminum sufficiẽte authoritate comprobata, conuellere, tandemq; vt noxia, falsa, execranda, Deoq; ingratissima reiicere conabatur, scommatibus, falsibusq; argumenti loco apud populum vsus, quo risum ac applausum (vt erat natura vehemẽs, dicax ac turbidus) inter Saxonica pocula excitaret. Ad hæc in mores ac vitam Sacrorum ministrorum, ac Summorum Pontificum digressus, ex humanæ naturæ imbecilla conditione occasionem carpendi, mordendi, lacerandi, ac in odium eos adducendi arripiens; quasi ipse cum suis omni vitio ac peccato caruisset, vt cõtra bruta animalia imperiose detonebat, extremoq; conatu Sacrorum præfectos, dogmata sacra, ritus antiquos apud homines rerum imperitos, quantum poterat, in contemptũ trahebat. In publicis disputationibus ac concionibus, cũ esset inconstans & varius, apud inexpertam nouisq; rebus gaudentẽ plebem insigniter triumphabat: qua iactatione & arrogantia efficiebat, vt ea nil eum ignorare sibi persuaderet: eo magis quod destitutum se palã iactaret, si ab aliquo erroris conuinceretur: quod cum difficulter fieri posse sciret, quamdiu maiorum interpretationes ac ritus reiecisset, nilque præter nuda sacrorum voluminum scripta admisisset, exultabũdus triumphũ sine victoria agebat. Etenim, quod neminẽ sanæ mentis latere arbitror, Sacræ litteræ eius conditionis & naturæ, si in refractarium ac cauillatorem incidant, vt in varios facile sensus trahi detorqueriq; possint, tam propter re-

rum quas tractant sublimitatem, quam ob ingenii humani imbecillitatem & arrogantiam, quod ea quæ Deus abscondit, aut non existere, aut plane se intelligere existimant: adeo subinde audacter de ijs sententiam pronunciantes, ac si nihil quam quod sub intellectum cadit humanum, illeque videat, in religione foret admittendum. Volubilitas enim humani ingenii facile probabiliter de rebus omnibus in vtramque partem disputat, quum (vt vulgo dicitur) nil sit tam incredibile, quod non dicendo fiat probabile: quod cum in rebus ciuilibus nonnumquam est admittendum, certe in religione, vt pestilens & pernicioſum, nulla ratione est ferendum. Nil enim magis animorum saluti, ac corporum tranquillitati est contrarium. Quare ijs quæ iam olim communis Christianitatis autoritate (Ecclesiam Catholicam vocamus) ac maiorum constanti successione & consensu semel sunt recepta, necessario est standum, nisi singulis fere seculis nouas recipientes interpretationes, ipsam tandem religionem, interpretationum multiplici inconstantia vilescẽtem, extinguere ac amittere velimus. Veteres enim interpretes Ecclesia Catholica, in explicatione sacrorum voluminum non sequitur, nisi per omnia Dei honorem, sincerum eius cultum, populorum quietem ac concordiam promouere, auxilio Spiritus S. vnanimi consensu reperiantur. Id autem fieri iudicatur, quando eorũ scripta cum Ecclesiæ capite, maiorumq; traditionibus, in necessariis ad salutem humanam apicibus, quæ Sacramenta vocamus, omnino conueniunt. Proinde nemini sapienti Theologo visum, quare nouis olimq; damnatis interpretationibus iterum ab inferis resuscitatis, Christiana Respublica fuerit vel sit perturbanda, populorumq; inter se amor atq; coniunctio, quæ ex vnius religionis cum vehementissima & constantissima esse solet, sit, vel fuerit rescindenda. Quandoquidẽ Christianæ religionis veritatem, inter varias opinionum ac interpretationum varietates, nemo demonstrabit, nisi ad eam confugiat probationem, quę sumitur ex antiquissima veterũ inter se scriptorũ consensione, Conciliorumq; concordia, ab ipsis Apostolis non interrupta serie ad nos vsq; deducta. Pro certo n. haberi debet, Deum non tam fauendos, doctos, peritosq; rerum perturbationes, ac inquieta sciolorum ingenia, q̃ tranquillos, ac in receptis à maioribus religionis dogmatibus modeste obedienterq; conquiescentes homines, pro veris piisq; (si iustitiam temperantiamq; non deseruerint) amplecti cultoribus. Ab hac regula discedere volens Lutherus, gradum in deterius promouit: adiutoribus non contemnendæ in seculo authoritatis. Friderico inprimis Duce Saxoniæ, Principe Electore, qui hominẽ in patrocinio habebat: deinde quibusdã in Franconia ex præcipua nobilitate proceribus, qui Lutherũ in Boemiã ad Hussitas fugere parantẽ, litteris perscriptis admonuerunt, vt infracto esset animo, cæptumq; contra Papam & Romanã Ecclesiã negotiũ, & fortiter, & audacter prosequeretur, neq; omnino quemq̃ metueret. Sese n. *aiebant*, & quam, pfitebatur doctrinam, si res ita postularet, facultatũ suarum omniũ, imo & vitæ, & sanguinis impendio tueri decreuisse, hũc in modum affectos esse in Franconia viros nobiles, Equestris Ordinis cẽtum & amplius, qui laturi non sint, vt quisq; illi doctrinæ causa molestiam exhibeat, aut vim intẽtet. quod si fiat, eam se vim atq; molestiam, vel obiectu corporũ suorũ depulsuros. Hæc nobiles isti, inter quos primi nominis erant, Franciscus à Sickingen, vir manu consilioq; prõptus, & potens admodum Syluester Schaumburgius, & Vlricus Huttenus, is qui in Augustanis Comitiis, contra Cardinales Legatos, Caietanũ & Sedunensem imo vero cõtra summũ Pontificem poetaster, litterator, & rabula declamauerat: haud dubio Caietanũ, doctrina & authoritate potentissimum, eiq; adiunctum Archiepiscopum Treuirensem literis insinuans: ne ab illis sibi ex propinquo metueret, tantorum virorũ patrocinio suffultus. Iam Huttenus, virulenti animi, Augustæ, iudicia ostẽderat: quãdo præter futilem & putidam declamationẽ, litteras salui conductus Luthero discedere volenti à Cæsaris ministris, vel potius per istos à Maximiliano Cæsare impetrauerat: quominus Legatus Caietanus in Lutherum iure merito agere posset. Itaq; causæ patrocinio semel susceptо, iterum atq; iterũ admonuit Lutherum ne sibi à quocquam, etiamsi is vel Treuirensis, vel Caietanus, vel ipse electus Imperator, aut summus Pontifex esset timeret: sed animo libero, quemadmodum cæpis, iisdem vestigiis inhæreret. quibus literis Lutherus insigniter recreatus fuit, & quod cæperat ad Hussitas transeundi consilium immutauit: nec mansit tantum Wittembergæ, sed & factus ferocior, calamum deinceps in Pontificem & Catholicos vehementius acuit, vt testatur libellus Germanicus hoc anno editus, de reformando communi rerum statu, virulentiam & seditionẽ spirans, quem Nobilitati Germanicæ dedicauit. Hanc enim cum rebus suis haberet fauentem, idoneum cum primis iudicauit, quæ armata manu tãdem exequeretur, quod animo iampridem contra Pontificem & Ecclesiam Dei machinatus fuerat. In eius libelli præfatione ad Nicolaum Ambsdorffiũ, tacendi tempus, ait, demum esse transactum, iamq; venisse tẽpus loquendi de consilio sapientis. Itaq; se capita quædã congessisse pro instituto suo, ad emendationem orbis Christiani pertinentia, quæ Nobilitati Germanicæ nationis in hoc scripto proponere decreuerit: si forte per laicos Ecclesiam iuuare vellet Deus: quandoquidẽ Ecclesiasticus ordo, ad quẽ potius ea res pertineret, curam hanc prorsus abiecisset. Hæc in præfatione Lutherus, non obscure insinuans, quorsum hoc tractatu diuulgãdo spectarit: nimirum vt Nobiles in Germania, homines laicos, feroces, militares pleroſq;, & odio flagrantes in Clerum, ad opprimendum Hierarchicũ Ordinem, & euertendam religionem à maioribus per manus traditam incitaret. In ipso vero tractatu duas machinas adhibuit callidus architectus, cumprimis necessarias ad hoc opus, quod animo, iampridem machinabatur. Principio tollit Sacerdotium externum: & vtrumque Ordinem, Ecclesiasticum scilicet & Politicum in eosdem cancellos cogit: negans vllum esse Sacerdotium aliud in nouo Testamento, quã quo per Baptismum initiamur: baptizatosq; omnes asserens, ex æquo Sacerdotes esse: quod est, de gratu dciicere Christum, eique Sacerdotium Melchisedechicum Dei iuramẽto firmatum penitus abrogare. Deinde Pontificem Romanum, qui caput est Ecclesiasticæ Hierarchiæ in Ecclesia militãte, decernit Antichristum illum esse, de quo Scriptura loquitur: cp, vt persuadeat, omnes Romanæ Curiæ næuos, rugas, abusus, dedecora, pompas, & quicquid ibi reprehensibile vel erat, vel saltem videretur, ex libello Triadis Romanæ per Vlricum Huttenũ non ita pridem edito, diligenter cõgerit: additis amarulentiæ, conuitiorum, & tragicarũ vociferationũ clamoribus, ex intimo calumniæ penu depromptis: nimirum vt Pontificem & Curiam ipsius adducat in odium, & omnes homines ab eius obedientia atq; reuerentia deterreat. Multa insuper commemorat, quæ illi contra Romanos Imperatores alioſq; Principes egissent: quodq; fererent bella ex bellis, & vbiq; disseminarẽt inter Reges & Principes discordias, per quas ipsi suam augerent potentiam: Regib⁹ bellico apparatu fumptuq; exhaustis, depauperatis, & ad extrema redactis. Atq; vt etiam Cæsarem adhuc iuuenẽ, magis in Romanũ Pontificẽ, omnemq; Clerũ persequendũ animaret, multis ex scriptura sacra rationibus & argumẽtis probare satagebat, Cæsaris gladium in omnes non modo laicos sed & clericos, liberam habere absque vllo impedimento potestatem. Non enim esse nisi fictitiam inter laicos Clericosq; differẽtiam præterquam in officio: præsertim cum per Baptismũ omnes consecremur in Sacerdotes: adeo vt vnusquisq;, qui ex Baptismo repserit, possit iactare se iam Presbyterum, Episcopum & Papam esse: licet non cuilibet conueniat, eiusmodi officium exercere. Inde audacior factus, defectionem à Papa suasit apertissime, dicens: Ideo potestati Papali nequaquam obtemperandum est, sed resistendũ potius, corpore, substantia, ac cũctis quibus possumus viribus. Euigilemus igitur, ait, ô chari Theutones, ne rei pariter efficiamur infelicis animarũ omnium, quæ pereũt per istud sceleratum ac Diabolicum regimen Romanorum. His & id genus plurimis, quamquã atrocissime scriptis, prætendebat colorẽ pietatis, & salutare nomẽ Iesus singulis paginis in fronte superponebat, vt lector crederet, omnia illa à Spiritu sancto suggesta esse, & tendere ad optimum finem. Primum ergo in reformatione illa, subiecit Papam & Episcopos gladio Cæsaris. Deinde ademit Papæ authoritatẽ, tum interpretandi Sacram Scripturam, tum indicendi Concilium Generale. quibus vario & Scripturarum & rationum fuco probatis, exclamabat, indignum esse, vt Papa triplicem gestet coronam, cum summi Reges vnicam gerant: eũ esse non exaltati, sed Crucifixi Christi Vicarium: Cardinales eius esse inutilẽ, imo pernicioſum populum, qui Italiã & Germaniã exsugit: ex familia Papæ centesimã partẽ retinẽdam;

Lutherus acriter in Pontificẽ inuehitur.

dam; nonaginta nouem partes ex illa abolendas esse: tollendas Annatas & mensis Papales; abiiciendas Episcoporum confirmationes, & Archiepiscoporum pallia: Domum Datarij esse lupanar super omnia lupanaria; Papæ nihil iuris competere ad regnum Neapolis & Siciliæ; vim & prædam esse omnia quæ possidet; Romanam Excommunicationem, simul cum litteris & sigillis Indulgentiarum, in frigidum ducendam balneum: Ius Canonicum, à prima littera vsq; ad nouissimam, funditus delendum; præsertim vero Decretales. Causam vero huiusmodi abrogationis reddere volens, xxx. articulos ex Decretorum volumine collectos cõmemorabat, quasi absurdos & impios: quos & per calumniam in deteriorem sensum pertrahens, multis flagellabat impropoperiis & conuiciis, ac tandem hæc verba subiunxit; In his & huiusmodi articulis, quorum innumerabiliter plures sunt, omnes tamen eo tendentes, vt Papa sit & Deo, & omnibus hominibus superior, & ipse solus nemini mortalium, sed ipsi omnes, etiam Deus & Angeli sint subiecti; vt Papæ discipuli dicant, Papam esse rem mirabilem, non esse Deum, & non esse hominem; fortassis Diabolum & Sathanam ipsum. & infra; Summa, inquit; summarum totius iuris Canonici hoc est; Papa est Deus in terris, superior omnibus cœlestibus, terrenis, spiritualibus & secularibus; & omnia sunt Papæ propria, cui nemo audeat dicere, Quid facis?

II. *Ambrosius Catherinus Luthero se opponit.*

Opposuit se inter hæc huic blatteroni, Ambrosius Catharinus Politianus ex Ordine Dominicano vir plane doctissimus, qui editis quinq; libris, illius errores & conatus acerrime reprehendit, in hæc verba illi, tam grauiter sane, quam verè respondens; *Vere summa summarum, omnium stultitiarum tuarum hæc est; quia non sunt nisi calumniæ & mendacia manifesta, quibus respondere stultissimum esset. Nam si hæc persuadeas, etiam circa vllum contradictionem turbæ tuæ, nihil profecto tam absonum atq; absurdum superest, quod persuadere non possis. Quis enim possit credere, quod in Decretis dicatur, Papam esse supra Deum, aut supra Scripturam, aut super omnia cœlestia? Quæ istum crudelissimam blasphemiam possint recipere piæ aures, quod Papatus sit regimen Antichristi præfuere, Gregorius, Leo, atq; maiores, pleni scientia & Spiritu Dei? O mundum vere positum in maligno. Non iam in Papæ personam, aut mores malos, sed in officium, sedem, Maiestatem à Deo positam, ac immobiliter fundatam, serpens malignissimus, venenum effundit & insultat.*

III. *Lutherus ad Carolũ V. & Moguntinum scribit.*

Scribebat, scilicet, iam impudenter Lutherus, & per summam proteruiam, postquam experimentum cœpisset se dolis nihil profecisse. Nam paulo ante hoc anno, sub initium Februarij, iterum ad Carolum Regem Romanorum electum, item ad Archiepiscopum Moguntinum Albertum, tum ad Adolphum Merseburgensem Archiepiscopum litteras dederat, fere eiusdem argumenti; quibus se præter culpam ab aduersariis apud ipsos delatum esse queritur, rogatque demisse ne fidem habeant delatoribus istis, sed vt se causamque suam in patrocinium suscipiant. Ita Lutherus versutus & versipellis, Principum & Magnatum animos sibi conciliare studuit. At postquam vidit, quod nec Cæsar, nec Antistites prensationibus istis & lenociniis eo potuerint perduci, quo Saxoniæ Princeps Fridericus Elector, eiusque frater Ioannes, cum Filio Ioanne Friderico, & illis quos nominaui ex nobilitate, Lutheri blandimentis & fraudibus illecti deuenerunt: iam non dissimulandum ratus scriptum illud virulentissimum pestilentissimo calamo effudit; cui eodem isto anno 1520. addidit alium libellum de Sacramentis, quem hac inscriptione insigniuit, *De Captiuitate Babylonica Ecclesiæ, Martini Lutheri præludium*: Præludium sane Babylonis hæreticæ, quam dum ædificauit Lutherus, plures in orbem Christianum hæreses inuexit, quam linguas olim peperit illorum dispersio, qui sub exordium mundi turrim Babylonicam ædificarunt. Mirum vero, quam fœde tumultuetur homo vertiginosus & spiritu erroris ebrius, in eo libello. Principio tria tantum Sacramenta, in fine duo, in medio vnum, fidem scilicet, & duo Sacramentalia signa ponit. Interim dum velut scepticus omnia sursum deorsum voluit, & disputat, suspensum tenet Lectoris animum, nec quicquam certum de Sacramentorum numero definit. Deinde repetit ea quoque, quæ de Sacerdotio in anteriore libello scripserat, prolixius idem inculcans; nullum in Ecclesia Sacerdotium esse, præter vnicum illud spirituale, quod baptizatis omnibus est commune. Subiungit & aliud quippiam, quod in priore scripto, velut intempestiuum, studiose dissimulauerat, proferẽdum tamen suo tempore, quemadmodum nutu tum quidem insinuabat; nullum scilicet in Eucharistia sacrificium agnoscendum. *Rem arduam*, inquit, *& quam forte impossibile sit conuelli, aggredior, vt quæ tanto seculorum vsu firmata omniumque consensu probata sit, sic insederit, vt necesse sit, maiorem partem librorum qui hodie regnant, & pene vniuersum Ecclesiarum faciem tolli & immutari.* Hæc ille. Profecto res ardua, & opus à nemine tentatum vmquam, tollere *iuge sacrificium*, quod Antichristo reseruauit veterator ille Satan, extremis mundi temporibus exequendum. Huic igitur viam muniuit, fidelemque præstitit operam Lutherus, dum primus omnium post erectum noui testamenti fœdus, institutum à Christo Melchisedechum sacrificium, quod solum abrogatis Synagogæ sacrificiis omnibus successit, Germanis suis antiquandum suasit & conculcandum. Est & illud obseruatu dignum, quod sub initium huius Præludij Babylonici voluisse se dicit hoc vno scripto respondere aduersariis in vniuersum omnibus; quos deinceps præuenturum se minatur, vt dum illi de vna quadam hæresi ex se nata triumphant, ipse nouam interim aliam parturiat. In fine vero ait, rumorem ad se delatum, de Pontificis decreto quodam in Germania breui publicando, quo vel ad reuocandos errores cogendus sit, vel hæreticus declarandus. Hoc si verum sit, velle se dicit, vt hic libellus prima pars habeatur istius reuocationis; alteram se propediem editurum, talem certe qualem hactenus Romana sedes nec viderit vmquam, nec audiuerit. Hæc Lutherus; qui sane quod de nouis hæresibus parturiendis minatur, in eo fidem minime fefellit. Ab hoc enim tempore deinceps alios errores, ex aliis perpetuo seminauit, donec è fœcundo errorum pectore magnum illud variarum hæreseon examen natum est, quod Ecclesiam horrendum in modum affligit.

Iam vero, quod ad sparsum de nouo Pontificis decreto rumorem attinet, is vanus non fuit. Nam Ioannes Eccius cum Lutherum in dies in peius proficere videret, & insolentiorem fieri, Romam profectus demonstrauit Pontifici, quos in Germania progressus faceret Lutherus, quæque ab eo imminerent pericula, nisi serio & tempestiue quidem machinationibus ipsius occurratur. Itaque Pontifex rediu multumque deliberata, Theologis primum, deinde Cardinalibus in consilium adhibitis, Lutheri doctrinam quadraginta & vno capitibus comprehensam, decreto publico solenniter condemnauit, quod decretum promulgatum est, decimo quarto Iunij, hoc anno 1520. & foribus Ecclesiæ S. Petri Principis Apostolorum affixum: in quo Pontifex libros quidem Lutheri damnat, eosque per ignem iubet aboleri, sed authorem ad resipiscentiam inuitat, eumque cum fautoribus per viscera misericordiæ Dei, & per aspersionem sanguinis Iesu Christi, quo redemptum est humanum genus, intimo cordis affectu rogat, hortaturque, vt Ecclesiæ pacem perturbare, ac veritati contradicere desinant, & relictis erroribus in viam demum reuertantur. His verbis decretum conceptum est:

Leo Episcopus seruus seruorum Dei. Ad perpetuam rei memoriam.

Exurge Domine, & iudica causam tuam: memor esto improperiorum tuorum, eorum quæ ab insipientibus sunt tota die: Inclina aures tuas ad preces nostras, quoniam surrexerunt vulpes quærentes demoliri vineam, cuius tu torcular calcasti solus, & ascensurus ad patrẽ, eius curam, regimen, & administrationem Petro tanquam capiti, & tuo Vicario: eiusq; successoribus instar triumphantis Ecclesiæ commisisti. Exterminare meditur eam aper de sylua, & singularis ferus depascitur eã. Exurge Petre, & pro pastorali cura præfata tibi (vt præfertur diuinitus demandata, intende in causam Sanctæ Romanæ Ecclesiæ, matris omniũ Ecclesiarum, ac fidei magistræ, quam tu, iubente Deo, tuo sanguine consecrasti: contra quã sicut tu præmonere dignatus es, insurgunt Magistri mendaces, introducentes sectas perditionis, sibi celerem interitum superducentes; quorum lingua ignis est, inquietum malum, plena veneno mortifero; qui zelum amarum habentes & contentiones in cordibus suis, gloriantur, & mendaces sunt aduersus veritatem. Exurge tu quoque, quæsumus Paule, qui eam tua doctrina, ac pari martyrio illuminasti atque illustrasti. Iam enim surgit nouus Porphyrius: quia sicut ille olim sanctos Apostolos iniuste momordit; ita hic sanctos Pontifices prædecessores nostros contra tuam doctrinam eos non obsecrando, sed increpando, mordere, lacerare, ac vbi causæ suæ diffidit, ad conuicia accedere non veretur more hæreticorum, quorum (vt inquit Hieronymus) vltimum præsti-

dium est, vecum conspiciant causas suas damnatum iri, incipiant virus serpentis lingua diffundere; & cum se victos conspiciant, ad contumelias prosilire. Nam licet hæreses esse, ad exercitationem fidelium, tu dixeris oportere; eas tamen, ne incrementum accipiant, neue vulpeculæ coalescant, in ipso ortu, te intercedente & adiuuante, extingui necesse est. Exurgat denique omnis Sanctorum ac reliqua vniuersalis Ecclesia, cuius vera Sacrarum litterarum interpretatione post habita, quidam, quorum mentem patermendacij excæcauit, ex veteri hæreticorum instituto, apud semetipsos sapientes, Scripturas easdem aliter quam Spiritus Sanctus flagitet, proprio duntaxat sensu, ambitionis, auaritiæ popularis causa, teste Apostolo, interpretantur, imo vero torquent & adulterant; ita vt iuxta Hieronymum, iam non sit Euangelium Christi, sed hominis, aut quod peius est, d aboli. Exurgat, inquam, præfata Ecclesia sancta Dei, vt vna cum Beatissimis Apostolis præfatis, apud Deum Omnipotentem intercedat, vt purgatis ouium suarum erroribus, eliminatisque à fidelium finibus hæresibus vniuersis, Ecclesiæ suæ sanctæ pacem & vnitatem conseruare dignetur.

Dudum siquidem, quod præanimi angustia & mœrore exprimere vix possumus, fide dignorum relatu ac fama publica referente, ad nostrum peruenit auditum; imo vero, proh dolor, oculis nostris vidimus ac legimus multos & varios errores, quosdam videlicet iam per Concilia ac prædecessorum nostrorum Constitutiones damnatos, hæresim etiam Græcorum & Bohemicam expresse continentes; alios vero respectiue vel hæreticos, vel falsos, vel scandalosos, vel piarum aurium offensiuos, vel simplicium mentium seductiuos; à falsis fidei cultoribus, qui per superbam curiositatem mundi gloriam cupientes, contra Apostoli doctrinam plus sapere volunt, quam oporteat; quorum garrulitas (vt inquit Hieronymus) sine scripturarum authoritate non haberet fidem, nisi viderentur peruersam doctrinam etiam diuinis testimoniis, male tamen interpretatis roborare. A quorum oculis timor Dei recessit, humani generis hoste suggerente, nouerit suscitatos, & nuper apud quosdam leuiores in inclyta natione Germanica seminatos. Quod eo magis dolemus ibi euenisse, quod eandem nationem & nos, & prædecessores nostri, in visceribus semper gesserimus charitatis. Nam post translatum ex Græcis à Romana Ecclesia in eosdem Germanos imperium, iidem prædecessores nostri, & nos, eiusdem Ecclesiæ Aduocatos, defensoresque ex eis semper accepimus, quos quidam Germanos Catholicæ veritatis vere Germanos, constantiæ hæresum acerrimos oppugnatores semper fuisse; cuius rei testes sunt laudabiles illa constitutiones Germanorum Imperatorum pro libertate Ecclesiæ, proque expellendis exterminandisque ex omni Germania hæreticis sub grauissimis pœnis etiam amissionis terrarum & dominiorum, contra receptatores, vel non expellentes olim editæ, & à nostris prædecessoribus confirmatæ; quæ si hodie seruarentur, & nos & ipsi vtique de hac molestia careremus. Testis est in Concilio Constantiensi Hussitarum ac Wicclefistarum, nec non Hieronymi Pragensis damnata ac punita perfidia. Testis est toties contra Bohemos Germanorum sanguis effusus. Testis denique est prædictorum omnium, seu multorum ex eis per Colonienses & Louanienses Vniuersitates, vepote agri Dominici piissimas religiosissimasque cultrices, non minus docta quam vera ac sancta confutatio, reprobatio, & damnatio. Multa quoque alia allegare possemus, quæ ne historiam texere videamur, prætermittenda censuimus. Pro pastoralis igitur officij diuina gratia nobis iniuncti cura, quam gerimus, prædictorum errorum virus pestiferum vlterius tolerare seu dissimulare, sine Christianæ religionis nota, atque Orthodoxæ fidei iniuria, nullo modo possumus. Eorum autem errorum aliquos præsentibus duximus inserendos, quorum tenor sequitur & est talis.

Hæretica sententia est, sed vsitata, Sacramenta nouæ legis iustificantem gratiam illis dare, qui non ponunt obicem.

In puero post baptismum negare remanens peccatum, est Paulum & Christum simul conculcare.

Fomes peccati, etiamsi nullum adsit actuale peccatum, moratur exeuntem à corpore animam ab ingressu cœli.

Imperfecta charitas morituri, fert secum necessario magnum timorem, qui se solo satis est facere pœnam Purgatorij, & impedit introitum regni.

Tres esse partes pœnitentiæ, contritionem, confessionem & satisfactionem, non est fundatum in sacra scriptura, nec in antiquis sanctis Christianis Doctoribus.

Contritio, quæ paratur per discussionem, collectionem & detestationem peccatorum, qua quis recogitat annos suos in amaritudine animæ suæ, ponderando peccatorum grauitatem, multitudinem, fœditatem, amissionem æternæ beatitudinis, ac æternæ damnationis acquisitionem, hæc contritio facit hypocritam, immo magis peccatorem.

Verissimum est prouerbium, & omnium doctrina de contritionibus hucusque data præstantius, de cætero non facere, summa pœnitentia; optima pœnitentia, noua vita.

Nullo modo præsumas confiteri peccata venialia, sed nec omnia mortalia cognoscas.

Vnde in primitiua Ecclesia solum manifesta mortalia confitebatur.

Dum volumus omnia pure confiteri, nihil aliud facimus, quam quod misericordiæ Dei nihil volumus relinquere ignoscendum.

Peccata non sunt vlli remissa, nisi remittente Sacerdote, credat sibi remitti: immo peccatum maneret, nisi remissum crederet; non enim sufficit remissio peccati, & gratiæ donatio, sed oportet etiam credere esse remissum.

Nullo modo confidas absolui propter tuam contritionem, sed propter verbum Christi, Quandocunque solueris &c. Hic inquam confide, si Sacerdotis obtinueris absolutionem; & crede fortiter te absolutum, & absolutus vere eris, quicquid sit de contritione.

Si per impossibile confessus non esset contritus, aut Sacerdos non seruio, sed ioco absolueret, si tamen credat se absolutum, verissime est absolutus.

In Sacramento pœnitentiæ, ac remissione culpæ, non plus facit Papa aut Episcopus, quam infimus Sacerdos: imo vbi non est Sacerdos, æque tantum quilibet Christianus, etiam si mulier aut puer esset.

Nullus debet Sacerdoti respondere, se esse contritum, nec Sacerdos requirere.

Magnus est error eorum qui ad Sacramenta Eucharistiæ accedunt, huic innixi, quod sint confessi, quod non sint sibi conscij alicuius peccati mortalis, quod præmiserint orationes suas, & præparatoria: omnes illi ad iudicium sibi manducant & bibunt: sed si credant & confidant se gratianibi consecutores, hæc sola fides facit eos puros & dignos.

Consultum videtur, quod Ecclesia in communi Concilio statueret, laicos sub vtraque specie communicandos, nec Boemi communicantes sub vtraque specie, sint hæretici, sed schismatici.

Thesauri Ecclesiæ, vnde Papa dat indulgentias, non sunt merita Christi & Sanctorum.

Indulgentiæ sunt piæ fraudes fidelium, & remissiones bonorum operum; & sunt de numero eorum quæ licent, & non de numero eorum quæ expediunt.

Indulgentiæ his qui veraciter eas consequuntur, non valent ad remissionem pœnæ pro peccatis actualibus debitæ apud diuinam iustitiam.

Seducuntur credentes indulgentias esse salutares, & ad fructum spiritus vtiles.

Indulgentiæ necessaria sunt solum publicis criminibus, & proprie conceduntur duris solummodo & impatientibus.

Sex generibus hominum indulgentiæ nec sunt necessariæ, nec vtiles; videlicet mortuis seu morituris infirmis, legitime impeditis, his qui non commiserunt crimina, his qui crimina commiserunt, sed non publica, his qui meliora operantur.

Excommunicationes sunt tantum externæ pœnæ, nec priuant hominem communibus spiritualibus Ecclesiæ orationibus.

Docendi sunt Christiani, plus diligere excommunicationem, quam timere.

Romanus Pontifex Petri successor, non est Christi Vicarius super omnes totius mundi Ecclesias, ab ipso Christo in Beato Petro institutus.

Verbum Christi ad Petrum, Quodcunque solueris super terram &c. extenditur duntaxat ad ligata ab ipso Petro.

Certum est, in manu Ecclesiæ aut Papæ prorsus non esse, statuere articulos fidei, imo nec leges morum, seu bonorum operum.

Si Papa cum magna parte Ecclesiæ sic vel sic sentiret, nec etiam erraret; adhuc non est peccatum aut hæresis contrarium sentire, præsertim in re non necessaria ad salutem, donec fuerit per Concilium vniuersale alterum reprobatum, alterum approbatum.

Via nobis facta est enarrandi auctoritatem Conciliorum, & libere contradicendi eorum gestis, & iudicandi eorum decreta, & confidenter confitendi, quicquid verum videtur, siue probatum fuerit, siue reprobatum à quocunque Concilio.

Aliqui articuli Ioannis Husz condemnati in Concilio Constantiensi, sunt Christianissimi, verissimi, & Euangelici, quos nec Vniuersalis Ecclesia posset damnare.

In omni opere bono iustus peccat.

Opus bonum optimè factum, est veniale peccatum.

Hæreticos comburi, est contra voluntatem spiritus.

Præ-

Prælari aduersus Turcas; est repugnare Deo visitanti iniquitates nostras per illos.

Nemo est certus, se non semper peccare mortaliter propter occultissimum superbiæ vitium.

Liberum arbitrium post peccatum, est res de solo titulo; & dum facit quod in se est, peccat mortaliter.

Purgatorium non potest probari ex Sacra Scriptura, quæ sit in Canone.

Animæ in purgatorio non sunt securæ de eor um salute, saltem omnes; nec probatum est vllis aut rationibus aut scripturis, ipsas esse extra statum merendi, aut augendæ charitatis.

Animæ in Purgatorio peccant sine intermissione, quamdiu quærunt requiem, & horrent pœnas.

Animæ ex Purgatorio liberatæ suffragiis viuentium, minus beantur, quam si per se satisfecissent.

Prælati Ecclesiastici & Principes seculares non malefacerent, si omnes saccos mendacitatis delerent.

Qui quidem errores, respective, quam sint pestiferi, quam pernicioſi, quam scandalosi, quam piarum & simplicium mentium seductiui, quam deniq; sint contra omnem charitatem, ac S. R. E. matris omnium fidelium; & Magistræ fidei reuerentiam, atq; nerum Ecclesiasticæ disciplinæ, obedientiam scilicet, quæ fons est & origo omnium virtutum, sine qua facile vnusquisque infidelis esse conuincitur, nemo sanæ mentis ignorat. Nos igitur in præmissis, vepote grauissimis, properius (vt decet) procedere, nec non huiusmodi pesti morboque cancerosо, ne in agro Dominico tanquam vepris nocina vlterius serpat, viam præcludere cupientes, habita super prædictis erroribus & eorum singulis diligenti trutinatione, discussione, ac districto examine, maturaque deliberatione, omnibusque rite pensatis, ac sæpius ventilatis cum Venerabilibus Fratribus nostris Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalibus, ac Regularium Ordinum Prioribus seu ministris Generalibus, pluribusque aliis Sacræ Theologiæ, nec non vtriusque Iuris professoribus, siue magistris, & quidem peritissimis; reperimus eosdem errores, respective (vt præfertur) aut articulos non esse Catholicos: nec tamquam tales, esse dogmatizandos; sed contra Ecclesiæ Catholicæ doctrinam siue traditionem, atque adeo veram diuinarum scripturarum receptam interpretationem, cuius auctoritati ita acquiescendum censuit Augustinus, vt dixerit se Euangelio non fuisse crediturum, nisi Ecclesiæ Catholicæ interuenisset auctoritas. Nam ex eisdem erroribus, vel eorum aliquo, vel aliquibus palam sequitur, eandem Ecclesiam quæ Spiritu sancto regitur, errare & semper erraſſe. Quod est vtique contra illud, quod Christus discipulis suis in Ascensione sua, vt in sancto Euangelio Matthei legitur, promisit, dicens; Ego vobiscum sum vsque ad consummationem seculi. nec non contra Sanctorum Patrum determinationes. Conciliorum quoque & summorum Pontificum expressas ordinationes, seu Canones; quibus non obtemperasse, omnium hæresum & schismatum, teste Cypriano, fomes & causa semper fuit. De eorumdem itaque Venerabilium fratrum nostrorum concilio & assensu, ac omnium & singulorum prædictorum matura deliberatione prædicta, auctoritate omnipotentis Dei, & Beatorum Apostolorum Petri & Pauli, & nostra, præfatos omnes & singulos articulos, seu errores, tanquam (vt præmittitur) respective hæreticos, aut scandalosos, aut falsos, aut piarum aurium offensiuos, vel simplicium mentium seductiuos, & veritati Catholicæ obuiantes, damnamus, reprobamus, atque omnino reiicimus, ac pro damnatis, reprobatis, & reiectis, ab omnibus vtriusque sexus Christi fidelibus haberi debere, harum serie decernimus & declaramus; Inhibentes in virtute sanctæ obedientiæ, ac sub maioris excommunicationis latæ sententiæ; nec non quoad Ecclesiasticas & Regulares personas, Episcopalium omnium etiam Patriarchalium, Metropolitanarum, & aliarum Cathedralium Ecclesiarum quoque & Prioratuum etiam Conuentualium, & quarumcunq; dignitatum, aut beneficiorum Ecclesiasticorum, secularium, aut quorumuis Ordinum Regularium, priuationis, & inhabilitatis ad illa & alia in posterum obtinenda; quo vero ad Conuentus, Capitula, seu Domos, aut pia loca secularium, vel Regularium, etiam Mendicantium, nec non Vniuersitatis etiam studiorum Generalium, quorumcunq; priuilegiorum indultorum à sede Apostolica, vel eius Legatis, aut alias quomodolibet habitorum vel obtentorum, cuiuscunq; tenoris existant; nec non nominis & potestatis studium Generale tenendi, legendi, ac interpretandi quasuis scientias & facultates, & inhabilitatis ad illa, & alia in posterum obtinenda: Prædicationis quoq; officij, ac amissionis studij Generalis, & omnium priuilegiorum eiusdem. Quo vero ad seculares eiusdem excommunicationis, necnon amissionis cuiuscunq; emphyteoseos, seu quorumcunque feudorum tam à Romana Ecclesia, quam alias quomodolibet obtentorum, ac etiam inhabilitatis ad illa, & alia in posterum obtinenda. Nec non quoad omnes & singulos superius nominatos, inhibitionis Ecclesiasticæ sepulturæ, inhabilitatisq; ad omnes & singulos actus legitimos, infamiæ ac diffidationis, & criminis læsæ maiestatis & hæreticorum, & fautorum eorumdem in iure expressis pœnis, eo ipso & absque vlteriori declaratione per omnes & singulos supradictos, si (quod absit) contra fecerint, incurrendis. A quibus vigore cuiuscunque facultatis, & clausularum, etiam in confessionalibus quibuscunq; personis, sub quibuscunq; verborum formis contentarum, nisi à Romano Pontifice, vel alio ab eo ad id in specie facultatem habente, præterquam in mortis articulo constituti, absolui nequeat. Omnibus & singulis vtriusque sexus Christi fidelibus, tam Laicis quam Clericis secularibus, & quorumuis Ordinum Regularibus & aliis quibuscunque personis, cuiuscunq; status, gradus, vel conditionis existant; & quacunque Ecclesiastica vel mundana præfulgeant dignitate, etiam S. R. E. Cardinalibus, Patriarchis, Primatibus, Archiepiscopis, Episcopis, Patriarchalium, Metropolitanarum, & aliarum Cathedralium, Collegiatarum, ac inferiorum Ecclesiarum Prælatis, Clericis, aliisq; personis Ecclesiasticis, secularibus, & quorumcunq; Ordinum etiam Mendicantium Regularibus, Abbatibus, Prioribus, vel ministris Generalibus vel particularibus; Fratribus seu Religiosis, exemptis & non exemptis; studiorum quoq; Vniuersitatibus secularibus, & quorumuis Ordinum etiam Mendicantium Regularibus, nec non Regibus, Imperatoris Electoribus, Principibus, Ducibus, Marchionibus, Comitibus, Baronibus, Capitaneis, Conductoribus. Domicellis, omniumque Officialibus, iudicibus, Notarijs, Ecclesiasticis & secularibus, Communitatibus. Vniuersitatibus, potentatibus, Ciuitatibus, castris, terris & locis, seu eorum vel earum ciuibus, habitatoribus & incolis, ac quibuslibet alis personis Ecclesiasticis vel Regularibus (vt præfertur) per vniuersum Orbem, vbicunq; præsertim in Alemania existentibus, vel pro tempore futuris, ne præfatos errores, aut eorum aliquos, peruersam; doctrinam huiusmodi asserere, affirmare, defendere, prædicare, aut illi quomodolibet, publice vel occulte, quouis quæsito ingenio, vel colore, tacite vel expresse fauere præsumant.

Insuper, quia errores præfati, & plures alij, continentur in libellis, seu scriptis cuiusdam Martini Lutheri dictos libellos & omnia dicti Martini scripta, seu prædicationes, in Latino, vel quocunq; alio idiomate reperiantur, in quibus dicti errores, seu eorum aliquis continetur, similiter damnamus, reprobamus, atq; omnino reijcimus; & pro omnino damnatis, reprobatis, ac reiectis (vt præfertur) haberi volumus: mandantes in virtute sanctæ obedientiæ, & sub pœnis prædictis eo ipso incurrendis, omnibus & singulis vtriusq; sexus Christi fidelibus superius nominatis, ne huiusmodi scripta, libellos, prædicationes, seu schedulas, vel in eis contenta capitula, errores aut articulos supradictos continentia legere, asserere, prædicare, laudare, imprimere, publicare siue defendere, per se vel alium, seu alios, directe vel indirecte, tacite vel expresse, publice vel occulte, aut in domibus suis, siue aliis publicis vel priuatis locis tenere quoquo modo præsumant: quinimo illa statim post harum publicationem vbicunq; fuerint, per Ordinarios, & alios supradictos diligenter quæsita, publice & solemiter in præsentia Cleri & populi; sub omnibus & singulis supradictis pœnis, comburant.

Quod vero ad ipsum Martinum attinet, bone Deus, quid prætermisimus, quid non fecimus, quid paternæ charitatis omisimus, vt eum ab huiusmodi erroribus reuocaremus? Postquam enim ipsum citauimus, mitius cum eo procedere volentes, illum inuitauimus, atq; tam per diuersos tractatus, cum Legato nostro habitos, quam per litteras nostras hortati fuimus, vt à prædictis erroribus discederet, aut ad nos, ablato etiam saluo conductu, & pecunia ad iter necessaria, sine metu seu timore aliquo, quem perfecta charitas foras mittere debuit, veniret, ac Salutoris nostri Apostolique Pauli exemplo, non in occulto, sed palam & in facie loqueretur. Quod si feciſſet, pro certo (vt arbitramur) ad cor reuersus, errores suos cognouiſſet: nec in Romana Curia quam tantopere, vanis maleuolorum rumoribus plusquam oportuit tribuendo, vituperat, tot reperiſſet errata: docuiſſemusq; eum luce clarius, Sactos Romanos Pontifices prædecessores nostros, quos præter omnem modestiam iniuriosè lacerat, in suis Canonibus, seu Constitutionibus, quas mordere nititur, nunquam erraſſe: quia iuxta prophetam, nec in Galaad resina, nec medicus deest. Sed obauduit semper, & prædicta citatione, omnibusq; & singulis supradictis spretis venire contempſit, ac vsq; in præsentem diem contumax, atq; animo indurato, censuras, vltra annum sustinuit; & quod deterius est, addens mala malis, de citatione huiusmodi notitiam habens, in vocem temeratiæ appellationis prorupit, ad futurum Concilium, contra Constitutionem Pij II. ac Iulij II. prædecessorum nostrorum, qua cauetur, taliter appellantes hæreticorum pœna plectendos, (Frustra etiam Concilij auxilium imploraut, qui illi se non credere palam profitetur) ita vt contra ipsum, tamquam de fide notoric suspectum, imò vere hæreticum, absque vlteriori citatione

vel mora

vel mora, ad condemnationem & damnationem eius, tamquam hæretici, ac ad omnium & singularum supra scriptarum pœnarum & censurarum seueritatem procedere possemus. Nihilominus de eorundem Fratrum nostrorum consilio, Omnipotentis Dei imitantes clementiam, qui non vult mortem peccatoris, sed magis vt conuertatur & viuat; omnium iniuriarum hactenus nobis & Apostolicæ sedi illatarum obliti, omni qua possumus pietate vti decreuimus, & quantum in nobis est agere, vt proposita mansuetudinis via ad cor reuertatur, & à prædictis recedat erroribus; vt ipsum tamquam filium illum prodigum ad gremium Ecclesiæ reuertentem, benigne recipiamus. Ipsum igitur Martinum, & quoscunque ei adherentes, eiusque receptatores & fautores, per viscera misericordiæ Dei nostri, & per aspersionem sanguinis Domini nostri Iesu Christi, quo & per quem humani generis redemptio, & sanctæ matris Ecclesiæ ædificatio facta est, ex toto corde hortamur, & obsecramus, vt ipsius Ecclesiæ pacem, vnitatem, veritatem, pro qua ipse Saluator tam instanter oranit ad patrem, turbare desistant, & à prædictis tam perniciosis erroribus, prorsus abstineant: inuenturi apud nos, si effectualiter paruerint, & paruisse per legitimã documenta, nos certificauerint, paternæ charitatis affectum, & apertum mansuetudinis & clementiæ fontem.

Inhibentes nihilominus eidem Martino exnunc, vt interim ab omni prædicatione, seu prædicationis officio omnino desistat. Alioquin, vt ipsum Martinum, si forte iustitiæ & virtutis amor à peccato non retraheat, indulgentiaque spes ad pœnitentiam non reducat, pœnarum terror coerceat disciplinæ eundem Martinum, eiusque adherentes, complices, fautores, & receptatores tenore præsentium requirimus & monemus, in virtute sanctæ obedientiæ, & sub prædictis omnibus & singulis pœnis, eo ipso incurrendis, districte præcipiendo mandamus, quatenus infra sexaginta dies, quorum viginti pro primo, viginti pro secundo, & reliquos viginti dies pro tertio & peremptorio termino assignamus, ab affixione præsentium in locis infrascriptis, immediate sequentes numerandos, ipse Martinus, complices, fautores, adherentes & receptatores prædicti, à præfatis erroribus, eorumque prædicatione, ac publicatione & assertione, defensione quoque, & librorum seu scripturarum editione super eisdem, sine eorum aliquo omnino desistant, libros, ac scripturas omnes & singulas, præfatos errores, seu eorum aliquos quomodolibet continentes comburant, vel comburi faciant. Ipse etiam Martinus errores & assertiones huiusmodi omnino reuocet, ac de reuocatione huiusmodi per publica documenta in forma iuris valida, in manibus duorum Prælatorum consignata, ad nos infra alios similes sexaginta dies transmittenda, vel per ipsummet (si ad nos venire voluerit, quod magis placeret) cum præfato plenissimo saluo conductu, quem extunc concedimus, deferenda, nos certiores efficiat, vt de eius vera obedientia nullus dubitationis scrupulus valeat remanere. Alias, si (quod absit) Martinus præfatus, complices, fautores, adherentes, & receptatores prædicti secus egerint, seu promissa omnia & singula infra terminum prædictum cum effectu non adimpleuerint, Apostoli imitantes doctrinam, qui hæreticum hominem, post primam & secundam correptionem vitandum docuit, exnunc prout extunc, & è conuerso, eundem Martinum, complices, adherentes, fautores, & receptatores præfatos, & eorum quemlibet, tamquam aridos palmites in Christo non manentes, sed doctrinam contrariam Catholicæ fidei inimicam, siue scandalosam, seu damnatam, in non modicam offensam diuinæ maiestatis, ac vniuersalis Ecclesiæ, & fidei Catholicæ detrimentum & scandalũ dogmatizantes & prædicates, Claues quoq; Ecclesiæ vilipendentes, notorios & pertinaces hæreticos eadem authoritate fuisse & esse declarantes, eosdem vt tales, harum serie condemnamus, & eos pro talibus haberi ab omnib. vtriusq; sexus Christifidelibus supradictis volumus & mandamus, eosq; omnes & singulos omnibus supradictis & aliis contra tales à iure inflictis pœnis, præsentium tenore subiicimus, & eisdem irretitos fuisse & esse decernimus & declaramus.

Inhibemus præterea sub omnibus & singulis præmissis pœnis, eo ipso incurrendis, omnibus & singulis Christifidelibus superius nominatis, ne scripta, etiam præfatos errores non continentia, ab eodem Martino quomodolibet condita vel edita, aut condenda vel edenda, seu eorum aliqua, tamquam ab homine Orthodoxæ fidei inimico, atque ideo vehementer suspecta; & vt eius memoria omnino deleatur de Christi fidelium consortio, legere, asserere, prædicare, laudari, imprimere, publicare siue defendere, per se vel alium, seu alios, directe vel indirecte, tacite vel expresse, publice vel occulte, seu in domibus suis, siue aliis locis publicis vel priuatis, tenere quo quo modo præsumant: quinimo illa comburant, vt præfertur. Monemus insuper omnes & singulos Christi fideles supradictos, sub eadem excommunicationis latæ sententiæ pœna, vt hæreticos prædictos declaratos & condemnatos, mandatis nostris non obtemperantes, post lapsum termini supradicti euitent, & quantum in eis est, euitari faciant, nec cum eisdem vel eorum aliquo commercium, aut aliquam conuersationem, seu communionem habeant, nec eis necessaria ministrent. Ad maiorem præterea dicti Martini, suorumque complicum, fautorum & adherentium, ac receptatorum prædictorum, sic post lapsum termini prædicti declaratorum hæreticorum, & condemnatorum confusionem, vniuersis & singulis vtriusque sexus Christifidelibus; Patriarchis, Archiepiscopis; Episcopis, Patriarchalium, Metropolitanarum, & aliarum Cathedralium, Collegiatarum; ac inferiorum Ecclesiarum Prælatis, Capitulis, aliisque personis Ecclesiasticis, secularibus, & quorumuis Ordinum etiam Mendicantium (præsertim eius Congregationis, cuius dictus Martinus est professus, & in qua degere vel morari dicitur) Regularibus, exemptis & non exemptis, nec non vniuersis & singulis Principibus, quacunque Ecclesiastica vel mundana fulgentibus dignitate, Regibus, Imperatori; Electoribus, Ducibus, Marchionibus, Comitibus, Baronibus, Capitaneis, Conductoribus, Domicellis, Communitatibus, Vniuersitatibus, Potentatibus, Ciuitatibus, terris, castris & locis, seu eorum habitatoribus, ciuibus & incolis, omnibusque & aliis supradictis, per vniuersum orbem, præsertim in eadem Alemania constitutis, Mandamus, quatenus sub prædictis omnibus & singulis pœnis, ipsi vel eorum quilibet, præfatum Martinum, complices, adherentes, receptantes, & fautores personaliter capiant, & captos ad nostram instantiam retineant, & ad nos mittant: Reportaturi pro tam bono opere à nobis & sede Apostolica remunerationem, præmiumque condignum; vel saltem eos, & eorum quemlibet, de Metropolitanis, Cathedralibus, Collegiatis & aliis Ecclesiis, domibus, Monasteriis, Conuentibus, Ciuitatibus, dominiis, vniuersitatibus, Communitatibus, castris, terris ac locis respective, tam Clerici & Regulares, quam laici omnes & singuli supradicti, omnino expellant. Ciuitates vero, dominia, terras, castra, villas, comitatus, fortalitia, oppida & loca quæcunque vbiliber consistentia eorum & earum respective; Metropolitanas, Cathedrales, Collegiatas & alias Ecclesias, Monasteria, Prioratus, Domus, Conuentus, & loca religiosa vel pia, cuiuscumque Ordinis, vt præfertur, ad quæ præfatum Martinum, vel aliquem ex prædictis declinare contigerit, quamdiu ibi permanserint, & triduo post recessum, Ecclesiastico subiicimus interdicto.

Et vt præmissa omnibus innotescant, mandamus insuper vniuersis Patriarchis, Archiepiscopis, Episcopis, Patriarchalium, Metropolitanarum, & aliarum Cathedralium, ac Collegiatarum Ecclesiarum Prælatis, Capitulis, aliisque personis Ecclesiasticis, secularibus, & quorumuis Ordinum supradictorum regularibus, fratribus, religiosis, monachis, exemptis & non exemptis supradictis, vbilibet, præsertim in Alemania constitutis, quatenus ipsi vel eorum quilibet, sub similibus censuris & pœnis eo ipso incurrendis, Martinum omnesque & singulos supradictos, qui elapso termino huiusmodi mandatis seu monitis nostris non paruerint, in eorum Ecclesiis, Dominicis & aliis festiuis diebus, dum ibi maior populi multitudo ad diuina conuenerit, declaratos hæreticos & condemnatos publice nuncient, faciantque & mandent ab aliis nunciari, & ab omnibus arctius euitari: Nec non omnibus Christi fidelibus, vt eos euitent, pari modo sub prædictis censuris & pœnis: & præsentes litteras vel eorum transumptum sub forma infrascripta factum, in eorum Ecclesiis, Monasteriis, domibus, conuentibus & aliis locis, legi, publicari & affigi faciant. Excommunicamus quoque & anathematizamus omnes & singulos, cuiuscumque status, gradus, conditionis, præeminentiæ, dignitatis, aut excellentiæ fuerint, qui, quominus præsentes litteræ, vel earum transumpta, copiæ seu exemplaria in suis terris & domitiis, legi, affigi & publicari possint, fecerint; vel quoquo modo procurauerint per se vel alium, seu alios, publice vel occulte, directe vel indirecte, tacite vel expresse.

Postremo, quia difficile foret præsentes litteras ad singula quæque loca deferri, in quibus necessarium foret; volumus & Apostolica authoritate decernimus, quod earum transumptis manu publici notarij confectis & subscriptis, vel in alma vrbe impressis, & sigillo alicuius Ecclesiastici Prælati munitis, vbique stetur, & plena fides adhibeatur, prout originalibus litteris staretur, & adhiberetur, si forent adhibitæ vel ostensæ. Et ne præfatus Martinus, omnesque alij supradicti, quos præsentes litteræ quomodolibet concernent, ignorantiam earundem litterarum, & in eis contentorum omnium & singulorum prætendere valeant, litteras ipsas in Basilicæ Principis Apostolorum, & Cancellariæ Apostolicæ, nec non Cathedralium Ecclesiarum Brandenburgen. Misnen. & Merspurgen. valuis affigi & publicari debere vo-

mus; decernentes, quod earundem litterarum publicatio sic facta, supradictum Martinum, omnesque alios & singulos prænominatos, quos litteras huiusmodi quoquomodo concernunt, perinde arceant, ac si litteræ ipse die affixionis, & publicationis huiusmodi, eis personaliter lectæ & intimatæ forent; cum non sit verisimile, quod ea quæ tam patenter fiunt, debeant apud eos incognita remanere. Nam obstantibus Constitutionibus & ordinationibus Apostolicis, seu si supradictis omnibus & singulis, vel eorum alicui, aut quibusuis aliis à sede Apostolica prædicta, vel ab ea potestatem habentibus, sub quauis forma etiam Confessionali; & cum quibusuis etiam fortissimis clausulis, aut ex quauis causa seu grandi consideratione, indultum vel concessum existat, quod interdici, suspendi, vel excommunicari non possint per litteras Apostolicas, non facientes plenam & expressam, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales id importantes, de indulto huiusmodi mentionem, eiusdem indulti tenores, causas, & formas, perinde ac si de verbo ad verbum insererentur, ita vt omnino tollantur, præsentibus pro expressis habentes.

Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ damnationis, reprobationis, reiectionis, decreti, declarationis, inhibitionis, voluntatis, mandati, hortationis, obsecrationis, requisitionis, monitionis, assignationis, concessionis, condemnationis, subiectionis, excommunicationis, & anathematizationis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem Omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri & Pauli Apostolorum eius se nouerit incursurum.

Datum Romæ apud Sanctum Petrum, anno Incarnationis Dominicæ Millesimo, Quingentesimo Vicesimo, decimoseptimo Calendas Iulij, Pontificatus nostri anno octauo. Visa. R. Milanesius Albergatus.

IV. *Lutherus varia scõmata in Pontificẽ conjicit.*

De hoc decreto, antequam publicaretur, cum subolfecisset Lutherus, popularis auræ iam securus, & nobilium, quos dixi, fauore subnixus, Rhetorumque & Poetarum laudibus propugnationibusq; confidens, audacissime progressus ad quælibet facinora, renouauit suam ad Concilium appellationem à Papa, velut ab Antichristo & abnegatore Scripturarum. Syllestrum etiam Prieratem Magistrum Sacri Palatij propter Epitomen editam, diris infectatus est maledictis & conuitiis, imo & ad arma publice proclamauit. Mihi vero videtur, *inquit*, si sic pergat furor Romanistarum; nullum esse reliquum remedium, quam vt Imperator, Reges, & Principes, vi & armis accincti, aggrediantur has pestes orbis terrarum, remque iam non verbis sed ferro decernant. Quid enim lallant perditi homines, etiam communi sensu priuati, quam id quod Antichristus facturus prædicitur? Si fures furca, si latrones gladio, si hæreticos igne plectimus: cur non magis hos magistros perditionis, hos Cardinales, hos Papas, & totam istam Romanæ Zodomæ colluuiem, quæ Ecclesiam Dei sine fine corrumpit, omnibus armis impetimus, & manus nostras in sanguine istorum lauamus? Hæc & id genus multa quam atrocissime decernebat reus iste in iudices suos: ex quibus Magister sacri Palatij delegatus, Papa supremus erat. Ausus est & in Louanienses atque Colonienses Theologos, qui doctrinali quadam censura aliquot eius propositiones, libros que, & sermones nominatim condemnauerant, grauissimis inuehi & conuitiis, & calumniis. Dicitur, *inquit*, Euangelium Christi apud Turcas non licere prædicari. At ij stis doctrinalibus damnatoribus; sua fiducia, & tanta arrogantia Bullæ constiterit: quæ Tyrannis Turcarum poterit ei conferri? & *infra*. Prima agitur fiducia pronunciandi Magistris nostris, siue veris, siue personatis, adimenda est; ostendendumque, quanto opus sit firmamentis, vt credatur iis, qui raro pronunciarunt bene, frequenter autem ac fere semper pronunciauerunt male. Quin cum semel malus, semper præsumatur malus, iuxta iuris Regulam, nusquam, numquam, in nulla re credendum erit Magistris nostris quibuslibet. quorum iudicium constat iam à multis annis fuisse, non modo inconstans & præceps, sed & erroneum, hæreticum, temerarium & cæcum; cui nemo debeat fidere tutò, nisi quem Deus iratus operationibus erroris mandet illudi. In huius rei fidem adduxit & quædam exempla, nempe, quod iniuste damnauerint Vuilhelmum Occam, Scholasticorum doctorum sine dubio Principem, *inquit*, & ingeniosissimum: Ioannem Picum, Mirandulanum Comitem; Laurentium Vallensem, quem ait Ecclesiæ Primitiuæ, vel reliquam scintillam, vel nouum fomitem, & post hos Ioannem Reuchlin; in quo deprehensos ait. Quinq; vniuersitatum Theologos, quid sapiant, quid cernant, quid

quærant. Atque vt adhuc magis extenuaret illorum autoritatem, in aliis quoque libellis eos sæpe conuitiis & lædoriis irrisit; adiiciens alicubi in margine libri, si quid ineptius dictum videretur, hæc ridicula, & à se se inuenta aduerbia, Louãnialiter, Colonialiter, Nostraliter &c. vt omnem eis ciperet, per contemptum & scurrilia scommata, apud plebem & iuuentutem litterarum studiosam & authoritatem, & doctrinæ existimationem; tametsi Augustæ cum esset Louanienses venerabiliter postulasset sibi iudices. Sed & contra Ioannem Eccium, & contra Fratrem Augustinum Alueldium, virum pium & eruditum, Ordinis Sancti Francisci de Obseruantia, acerbissimos edidit libellos Theutonice, quibus causam suam populo commendatiorem reddebat. In Eccium sane scribens, hoc vtitur initio: Doctorem Eccium Romam rediisse, constantibus nunciatur mihi indiciis; quorum firmissimum est, quod & si prius in Bauaria, Sueuia, Austria, Tractu Rheni, Roma, Bononia, atque etiam in Misnia & Saxonia, talis agnitus ac diffamatus est homo falsus, qui omnia mentitur & fallit, quæcumque loquitur, scribit, & agit: quemadmodum eius Canonici indocti; & Eccius Dedolatus (hi duo erant libelli aduersus Eccium editi) multi præterea viri graues demonstrarunt: nunc tamen voluit profectionem suam Romanam egregie declarare, ac decreuit seipsum mendaciis superare. Tales enim homines nunc dat Roma, & nullos alios. Contra Alueldum vero sic ait in præfatione: Si Lipsia tales tulit Gigantes, oportet eam terram diuitem habere fundum. Vt intelligas vero quid velim, attende. Syluester, Caietanus, Eccius, Emserus, & iam Colonienses atque Louanienses, egregia & militaria facinora sua in me ostenderunt, decus & gloriam consequuti pro merito suo. Papæ, & indulgentiarum causam sic defenderunt aduersum me, vt vellent, eis melius succedisse. Tandem cogitauerunt nonnulli aggredi me, sicut Pharisæi aggressi sunt Christum. &c. Cæterum in Captiuitate Babylonica, Bohemos aperte iustificans, Catholicæ autem Ecclesiæ ferocissimè insultans, ait: Surgite ergo hic adulatores Papæ in communi, satagite, defendite vos ab impietate, tyrannide, læsa maiestate Euangelij, iniuria fraterni opprobrij; qui hæreticos iactatis eos, qui non secundum merum capitis vestri somnium, contra tam patentes & potentes Scripturas sapiunt. Si vtri sunt hæretici & schismatici nominandi, non Bohemi, non Græci (quia Euangeliis nituntur) sed vos Romani estis hæretici & impij schismatici, qui solo vestro figmento præsumitis, contra euidentes Dei scripturas. Eluite hæc viri. & in fine illius libri ita subiunxit: Auditum audio, paratas esse in me denuo Bullas & diras Papisticas; quibus ad reuocationem vrgear, aut hæreticus declarer, Quæ si vera sunt, hunc libellum volo partem esse reuocationis meæ futuræ, ne suam tyrannidem frustra inflatam querantur. Reliquam partem editurus propediem sum talem, Christo propitio, qualem hactenus non viderit, nec audierit Romana sedes; obedientiam meam abunde testaturus. Adiecit denique hoc carmen sacrum.

Hostis Herodes impie, Christum venire quid times?
Non arripiat mortalis, qui regna dat cœlestia.

Innuens per hoc Lectori, Romanum Pontificem Herodi similem, propter terrenum imperium persequi hæreticos, imo Euangelium Christi. Reliquam vero partem, de qua ibi minabatur, edidit postea, contra Ambrosium Catharinum, De visione Danielis, in qua xxii. facies Romani Pontificis ita appinxit, vt per eas omnẽ Dei in Ecclesia cultũ, in ludibriũ verteret.

Tandem Pontifex, cũ iam videret Lutherũ in reprobum sensum datum, in dies; magis ac magis fieri procacem, petulantem, & blasphemum, Ioannem Eccium, & Hieronymum Aleandrum virum doctissimum Commissarios fecit, eisque dedit in mandatis vt in Germania decretum superius exequerentur. Eccius igitur ex Italia reuersus domum, Bullam suprascriptam, vbi constitutum erat à Pontifice, tribus Episcopis VVittenbergæ vicinioribus, Misnensi, Merseburgensi, & Brandenburgensi missis, valuis Ecclesiarum affigendam; qui Pontifici continuo paruerunt. Misit eiusdem Decreti exemplar impressum Romæ, & Notarij publici manu confirmatum, Rectori & Professoribus Academiæ VVittembergensis, eosq; per litteras monuit, Octobris die tertio exaratas, vt parerẽt Apostolicæ sedis mãdato, nec articulos in eo damnatos à

V.

quoquam in Vniuersitate sua docere permitterent ; nisi id fieret, futurum, vt quas haberent à Pontifice immunitates & priuilegia, iis omnibus spoliarentur. Aberat tum Fridericus elector, Aquisgranum euocatus, vt Imperatori nouo, Carolo V. coronam Imperij suscepturo assisteret. Igitur Rector & Professores Vniuersitatis territi nonnihil ; & inopes consilij rem totam Principi perscripserunt ; qui decimo octauo Nouembris ex itinere, cum in Hassia esset, ita respondit, vt suspensos eos ac dubios reliquere videretur. Eccius interea ad fratrem Friderici Ioannem Saxoniæ Ducem, qui domi remanserat ; litteras dedit Octobris die sexto scriptas, quibus adiunxit Decretum condemnationis, & Breue quoddam, vt vocant, ad Electorem ipsum : in quo Pontifex Friderici pietatem & prudentiam commendat, quod hactenus Lutheri causæ non sit patrocinatus : monet etiam, vt iustis adhortationibus in viam reducat hominem perditum ; vel recalcitrantem, elapso termino, quem Decretum constituit, tamquam hæreticum legitime declaratum custodiæ mancipet, donec de ipso quod iustum sit, secundum Ecclesiæ decreta statuatur.

Lutherus Bullam Pontificis reijcit.

Dum hæc aguntur, Lutherus iracundiæ præceps, edito libello contra Bullam Antichristi, vt ipse loquitur, quem Antibullam nominat ; in Pontificem totam commoti stomachi bilem euomit, eumque clamat habendum pro persecutore Christi, pro Dei hoste, adeoque pro vero Antichristo, nisi reuocet Decretum hoc, & in Eccium eiusque socios inflictis pœnis animaduertat. Totus hic libellus meris exundat conuitiis, & calumniis, ad excitandam defectionem, & seditionem contra Apostolicam sedem. Ego, *inquit*, quisquis fiterit huius Bullæ author, eum pro Antichristo habeo : atque primum profiteor, me dissentire toto corde damnationi huius Bullæ, quam & maledico, & execror, velut hostem sacrilegam & blaphemam Christi filij Dei. Deinde asserо fiducia tota spiritus mei, articulos per eam damnatos ; asserendosque pronuncio omnibus Christianis, sub pœna æternæ maledictionis, & Antichristos habendos quicumque bullæ consenserint, quos & his scriptis pro Ethnicis habeo & deuito. Item : & non timetis Bullatinos Antichristi, ne saxa & ligna sanguinem sudent, præ horrendissimo hoc spectro impietatis vestræ & blasphemiæ ? Vbi es nunc optime Carole Imperator ? Vbi estis Reges & Principes Christiani ? Christo dedistis nomen in Baptismo, & has tartareas voces Antichristi potestis ferre ? Item : & vnde illud, quod compertum habeo, esse videlicet pestrapezitas istos (quod Bancum vocant) definitos in Germania aliquot centenarios aureorum scariis, qui Lutherum confiscerent ? His enim rationibus & scripturis hodie pugnat, regnat, triumphat, sancta illa Apostolica sedes, magistra fidei & mater Ecclesiarum, iamdudum Antichristiana, & bis septies hæretica conuicta, si gladio spiritus, quod est verbum Dei pugnasset. Id quod non ignorat. Ideo ne quando ad id cogatur periculi, sic fuerit in orbe Christiano bellis, cædibus, cruoribus, mortibus, vastationibus, omnia inuoluens & perdens.

VI. *Lutherus articulos suos condemnatos vult defendere.*

Quod autem solent homines iracundia excæcati, & impotentes animi facere, vt quocumque modo valeant iniurias repellant, id Lutherus minime omisit : cumque non posset gladio, maledico ore & calamo sese vindicare statuit. Ne autem eminentia & authoritas summorum capitum Papæ & Imperatoris, populo Lutheri libros, si non omnino damnandos & execrabiles, saltem ambiguos & suspectos redderent ; ipse astu serpentino, vel potius diabolico illorum publica & mandata & facta dissimulans, totum quod agebatur illorum iussu, ascripsit inuidiæ Theologorum : qui cum nihil possint contra ipsum scripturis & rationibus, falsis criminationibus Pontificem Imperatoremque incitarent, vt illi eum vi & potestate opprimerent, quem iure & causa vincere non possent. Edidit igitur assertionem omnium articulorum suorum, quos Leo Decimus in sua bulla damnauerat. Edidit autem non solum Latinè, sed etiam Theutonicè, & tanto quidem superbiæ spiritu inflatus, vt præ se vno non solum scholasticos omnes Doctores contemneret, vt antea quoque solitus fuerat ; verum etiam Ecclesiasticis Patribus, Romanis Pontificibus, & Conciliis Generalibus minus credi volebat, quam vni sibi. Adeo impudenter sibi præ cunctis peritiam Scripturarum arrogabat. In odium præterea & Pontificis & Theologorum adornabat omnia, fœdis criminationibus improperiisque & calumniis aures populi, mentemque & oculos Lectoris præoccupans, & crebrius quidem ferociusque Theutonice quam Latine. Hæc enim sunt verba tituli in Theutonico, Fundamentum & ratio omnium articulorum Doctoris Martini Lutheri, qui per Romanam Bullam iniuste damnati sunt. Deinde amarulentis suis conuitiis præmittebat hoc dulce nomen Iesus, cum salutatione ista. Omnibus bonis Christianis, hunc libellum lecturis seu audituris, gratiam & pacem à Deo, Amen. Postea præfari incipiens, mox à laude laicorum benevolentiam ; & à cæcitate Clericorum fidem & authoritatem sibi captabat, ac diuinæ tribuebat bonitati, quæ aliquos Christianitatis tyrannos ita excæcasset : ac spiritu vertiginis erroribus inuoluisset, vt in summum dedecus suum, atque ad insignem ac irrecuperabilem defectionem, ediderint bullam ; in qua adeo manifestam veritatem damnauerint, vt ipsi plane lapides ac ligna contra ipsos clament. Item : Non dico, *inquit*, me prophetam esse : Dico autem eis eo magis timendum esse, quod sim propheta, quo plus me contemnunt, ac seipsos æstimant. Si non sum propheta ; attamen certus sum pro me ipso, verbum Dei esse apud me, & non apud eos. Ego enim Scripturam pro me habeo, & ipsi solummodo doctrinam suam propriam. Hæc & id genus multa in prologo, ad feroces Germaniæ populos, contra Pontificem & omnem Clerum concitandos. In processu vero tanta fuit illi petulantia verborum, tanta insultandi scurrilitas, tantus in contemnendo fastus, vt vel ad lixas & lotrices italoqui, dedecus foret. In Latino autem libro, ne doctis ira & philautia eiusmodi prorsus insanire videretur, nonnihil modestiæ præ se tulit, quamuis vero immodestissimus esset. Titulus erat ; Assertio omnium articulorum &c. Quam sequebatur epistola ad Equitem Germanum, in qua spiritum iudicij & intelligentiæ Scripturarum, adimebat Clericis ; attribuebat laicis. Addebat Deum nos in sensum reprobum tradidisse, vt Clerici veritatem damnemus, quam laici amplectuntur ; & fiant Sacerdotes, qui Sacerdotes non sint ; laici, qui laici non sunt. Quare visum est, *inquit*, deinceps ad vos laicos, nouum genus Clericorum scribere. Post epistolam sequitur Prologus bene prolixus : in quo primum protestabatur : se prorsus nullius quantumlibet Sancti Patris auctoritate cogi velle, nisi quatenus iudicio diuinæ Scripturæ fuerit probatus. Addebat post multa, in omnium Patrum scriptis multos inueniri errores : sæpe sibi ipsis pugnare, sæpe inuicem dissentire, scripturas torquere : Augustinum sæpe solum disputare, nihil diffinire : Hieronymum in Commentariis fere nihil asserere. Cæterum quod hactenus à Scholasticis Doctoribus ad Ecclesiasticos semper prouocauerit, non sic ad eos se prouocasse *aiebat*, vt omnia eorum vera arbitraretur : sed quod propiora veritati senserint, quam Scholastici, qui fere nihil veri habeant reliquum, In processu autem libri, etiam Concilia superbe ac iniuriose reiiciebat ; dicens : Igitur siue Papa, siue pars, siue Concilium sic aut sic sentiat, nemini debet esse præiudicium, sed abundet quisque in sensu suo, in eis rebus ; quæ necessariæ non sunt ad salutem. In libertatem enim vocati sumus.

VII.

Ex libellis, non obscure deprehensum fuit, quorsum spectaret ipsius machinatio ; hoc agi nimirum, vt Ecclesiam subducto Sacerdotij fulcro dimoueret ab eo statu, ad quem per Christum & Apostolos erecta est, eamque deinde variis exagitationibus quassatam euerteret, & nouam quandam in locum substitueret, formatam arbitratu suo, qualem ab eo tempore, quo mundo nomen Christi Saluatoris innotuit, nulla vmquam secula viderunt : ex qua Sacerdotium Christi Melchisedechicum ; & Pastorale pedum Diuo Petro eiusque successoribus à Christo traditum, perpetuo proscriptum esset & explosum. Cum autem obiectum illi fuisset à Catholicis probri loco, quod elatus superbia seipsum aliis insolenter præferret, & insurgeret contra omnes, quasi solus ipse saperet, & omnes alios docendi ius haberet : ideo ibidem, non apertis quidem verbis, quemadmodũ prophetæ veteris Testamenti consueuerunt, sed quadam vsus circuitione, nictu, nutuq; se pro-

Prophetam esse significat, vocatum à Deo, & in hunc finem suscitatum, vt quod in manib⁹ habebat Ecclesiæ trãsformandæ negotium exequeretur. Itaq; non se, sed Deum ipsum à Papistis contemni. quæ dum ille non obscuris indiciis innuit, apud stolidos quosdam Germanos suos proculdubio venatus est augustum Prophetæ nomen, quod illi deinceps magno applausu per eos tributum est, qui præceptorem eum agnouerunt. Viderunt viri prudentes hoc Lutheri consilium : ideoq; se pro Ecclesia magno zelo, conatibus ipsius obiecerunt. Et quidem ex propinquo Thomas Murnerus Franciscanus, & Hieronymus Emserus, scriptis editis, Sacerdotium noui Testamenti iusto rationum præsidio, contra vanos ipsius latratus insigniter munierunt, illumq; impostorem, Pseudoprophetam esse mendacem, clarissimis documentis ostenderunt. Quibus ipse more suo velitabundus occurrit, libellis quibusdam editis : atq; ita rem gessit, vt quia solida rationum momẽta deerant, calumniis, sannis, dicteriis, & dicteriis labantem causam fulciret. vt non iniuria dubitatum sit, an morionem iocularium, an vero thrasonem potius intolerabili fastu turgentem agere voluerit.

VIII. *Lutherus Pontifici scribit.*

Priusquam vero Bulla Pontificis in Germania publicaretur, Lutherus sexto die Septembris epistolam edidit, scriptã ad Leonem Pontificem, cui tractatum adiunxit de libertate Christiana, quem eidem Pontifici in argumentum amoris & obedientiæ dedicauit. In hac epistola stilum subinde nonnihil temperat ad modestiam, palpat, blanditur : subinde, velut ad ingenium reuersus tumultuatur, calcitrat, & plaustra conuitiorum effundit. Leonem quidem, *ait*, se magni semper fecisse, nec aliter nominasse vnquam, quam honoris causa. At Sedẽ, Curiam, Ecclesiamq; Romanam, tanquam spelũcam latronum, & lupanar omnium impudentissimum semper detestatum fuisse. Omnem deinde turbatæ pacis causam, culpamq;, in aduersarios reiicit : inter quos Eccium inprimis odio Vaticano persequebatur. Fatetur se vehemẽter & importune tumultuatũ, dum in Antagonistas scriberet, scilicet, vt eos quos sibi longissime impares esse videret, magnitudine & impetu, tam verborum quam animi compesceret. Venire se nunc denuo, ait, & pedibus ipsius Pontificis aduolutum, rogare, vt negotio componendo manum apponat : omnia se pollicetur facturum studio pacis, si duo quædam integra sint, quæ verbis ipsius Lutheri eloquar : *Palinodiam*, inquit, *vt canam, Beatissime Pater, non est quod vllus præsumat, nisi malit adhuc maiori turbine causam inuoluere. Deinde leges interpretandi verbi Dei non patior, cum oportet verbum Dei non esse alligatum.* Hactenus Lutherus : qui dum asserit, Dei verbum non oportere esse alligatum, nec se eius interpretandi leges accipere, nimirum hoc ipso scripturas alligat ad sensum suum, easq; interpretandi ius, quod est Ecclesiæ publicum, priuatim ad sui cerebri tribunal reuocat. Interim hæc duo si salua maneant, si venenum hæreseos intimis visceribus haustum euomere non compellatur, & scripturas arbitratu suo torquere liceat ad errores fucandos ; in cæteris ad omnia paratum offert quæ postulentur. Appellationem tandem suam à Pontifice ad Concilium, cui tamen non credere se dixerat, repetiit, & obstinatum in defendendis erroribus animum, modis omnibus declaratuit.

IX. *Fridericus Dux Saxoniæ pontificis mandatum de Luthero castigando recusat.*

Quod autem executionem Decreti Pontificii contra Lutherum lati attinet : res hoc ordine successit. Cum Fridericus Elector Aquisgrano reuersus, Coloniæ ad dies aliquot subsisteret, per Marinum Carracciolum & Hieronymum Alcandrũ, Sedis Apostolicæ Nuncios interpellatus fuit, initio Nouembris, vt pro sua maiorũq; suorum Saxoniæ Ducũ erga Sedẽ Romanã obseruantia, Decreti nuper in Lutherũ editi executionẽ promoueret, hocq; daret operã, vt Lutherus in viam rediret : vel si mentem haberet in erroribus obduratam, pœnis in eodẽ Decreto constitutis afficeretur. Respondit Princeps, semper hoc sibi quidem studio fuisse, vt laudatis maiorũ vestigiis insisteret : deinceps quoq; daturũ operam, adiuuante Deo, ne quid admittat indignum Christiano Principe, sed obediẽtem se præstet in omnib⁹ Ecclesiæ filium. Verum hoc negotiũ quibusdã esse difficultatibus impeditũ, vt parere simpliciter non possit. Eccium, *ait*, per absentiam suam Decreti Pontificii terminos egressum, alios etiam in communem cum Luthero culpam inuoluisse : quod sibi fratriq; suo Ioanni permolestũ acciderit, nec vllo pacto videri tolerandum. Rogare itaq;, vt in Germaniæ loco quodam à periculis immuni Luthero iudices constituantur viri docti : nullo coram iudicio, qui causam hanc cognoscant. Quod si reus inueniatur, se quidem Christiani Principis officio non defuturum. Caracciolus & Aleander audita Principis excusatione, tametsi causam hanc ad Pontificis cognitionem pertinere dicerẽt, ac denuo vrgerent, vt Princeps Commissarios Pontificis ad exequẽdũ ope consilioq; iuuaret : nihil tamen obtinuerunt amplius : quod Princeps negotia causatus à secundo conuictu sese abstraheret : atq; id consulto quidem, quod Luthero vehementer addictus esset : quæ affectum eodem tempore sermo quidam Erasmi Roterodami de Luthero non parum confirmauit. Hunc enim Electorem Fridericus, dum Coloniæ morabatur, Louanio per literas euocarat, vt q̃ de causa Lutheri, deq; motis controuersiis ipsius esset sententia, præsens familiarius scisciteretur. Vbi Coloniam venit Erasmus, septimo Nouembris ad Principem vocatus fuit : quæsitusq; de negotio Lutherano ; Eũ, *inquit*, Ecclesiæ statũ esse, qui reformationẽ omnino desideret. Et Lutherũ quidem non iniuria reprehendisse varios abusus, qui negligẽtia Prælatorũ irrepserint : quorũ emendationem boni omnes iam pridem desiderarint. Nec deesse, qui probent ipsius institutum, ab humanis Constitutionibus, & argutiis Scholasticorum auocantis. Interim in scriptis eũ nimis acerbum, ferocẽ, & violentum videri. Ideoq; optandũ, vt posita ferocitate mãsuetius agat, sibiq; temperet à maledicentia, & verborum asperitate, qua bonorũ animi sine dubio prorsus alienentur. Hæc Erasmus, cuius sermonẽ eo pertinere cẽsuit Elector, quasi nihil in Lutherũ, præter vehementiores animi motus, & nimiã styli mordacitatem reprehenderet. Et erat illius viri, propter nominis celebritatem, etiam apud Principes summa authoritas. Itaq; iudicium ipsius de Luthero, eiusq; causa, magnum pondus habuit : quo Princeps confirmatus, Aleandrum & Caracciolũ, qui Pontificiæ Bullæ executionem vrgebant, vti diximus, deinceps audire noluit.

Hi igitur, cũ apud Saxonẽ nihil obtinerẽt, paulo post ipsum adierunt Cæsarem, qui iam ex Hispania reuerterat in Belgiũ, Wormatiã iturus ad habendã Comitia, eumq; nomine Pontificis ob eandẽ causam interpellarunt : qui Lutheri libros à Sede Apostolica damnatos flammis aboleri iussit, quod in Brabantia passim, tum in quibusdam Imperii ciuitatibus, Coloniæ, Moguntiæ, Treuiris & Leodii factum est.

Carolus V. Lutheri libros passim comburi iussit.

X. *Lutherus VVittembergæ bullam & decretales pontificis comburit.*

Lutherus hac, quam sibi fieri putabat, iniuria vehementer irritatus, datis ad Spalatinũ suum literis, inter cætera : Damnẽt, *inquit*, exurantq; mea, ego vicissim, nisi ignẽ habere nequeam, damnabo, publiceq; concremabo Ius Pontificiũ totũ. Neq; vero fefellit fidem homo pertinacissimus, sed vt summo Pontifici talionem redderet, eodẽ visus vindictæ genere, Bullã Leonis X. vna cum Decretalibus Pontificum, Wittembergæ vicissim in cineres redegit. Quam rem sub finem huius anni 1520. ad hunc modum executus est. Decimo die Decembris, ad fores auditorii scriptum quoddam affigi iussit, quo conuocati sunt omnes studiosi, qui tum Wittembergæ morabantur, vnaque significatum, Ius Canonicum circa nonam matutinam abolendum incendio publico, & in cineres redigendum : Incendii locus extra portam Elsterianam non procul ab oppido designatus fuit : ad quem hora constituta, studiosi magno numero confluxerunt. Ibi Magister quidam primi nominis, congesta lignorum strue, pyram concinnat, eamq; postea, vbi Lutherum visum, admota flamma succendit. Accessit deinde Lutherus, qui carnificis munere fungi voluit, fuisq; manibus Bullam Leonis Pontificis & Decretales Pontificũ in ardentẽ rogum iniecit, additis his verbis : Quia tu sanctum Domini conturbasti, conturbet te vicissim & consumat sempiternus ignis. Expedito hoc negotio domum rediit, magno Doctorum, Magistrorum ac studiosorum agmine stipatus. Postridie cum lectionem absoluisset (explicabat vero Psalmos Dauidicos) auditores cohortatus est, quotquot aderant, vt sibi diligenter cauerent à Decretis & Constitutionibus Romanorum Pontificum, quibus nemo adhærere possit vel obtemperare, nisi prius negarit Christum. Quod Decretales & Bullam Pontificis exusserit, pro lusu habendum, & ioco : maius quiddam reliquum esse, & summopere necessarium, vt nimirum ipse Pontifex & Sedes Romana, cum omnibus abominationibus incendio consumatur. Edidit deinde velut apologiæ loco breue scriptum, in quo facti sui rationem reddit, & causas commemorat, quibus

permotus, Pontificis & quorundam ipsius discipulorum libros exusserit. Eæ vero sunt omnino quinq; . Prima, quod ab initio fuerit in more positum, vt libri mendaciis & erroribus referti exurantur. Id fieri cæptum ex consilio Diui Pauli, vti liber Actuum Apostolicorum testetur, cap. 19. Secũda, quod cum ipse Christianus sit, Sacro Baptismate initiatus, atq; adeo Theologiæ Doctor & Concionator, ratione nominis, conditionis, iuramenti præstiti, abolere falsa dogmata teneatur. Tertia, quod Pontifex Romanus, quique illi adhærent, licet eos frequenter admonuerit, vt ab erroribus discederent, non sint obsecuti tamen : imo quod condemnarint Euangelii doctrinam, eamque flammis abolendam iudicarint. Quarta, quod Louanienses & Colonienses Theologi libros suos exusserunt prius : idque citra mandatum Cæsaris , Magistratibus quibusdam pecunia corruptis. Quinta, quod ad exurendos vicissim aduersariorum libros, Spiritus Sancti instinctum habuerit : præsertim cum desperata sit ipsorum pertinacia. In fine loco coronidis illud Samsonis adiungit, Iudic. 15. *Sicut fecerunt mihi, sic feci eis.* Neque vmquam postea vllam animus ipsius quietem habuit. Inuadamus (exclamabat homo ille omnis humanitatis expers, in epist. contra Sylvest.) invadamus omnibus quibus possumus armis filium perditionis, Pontifices, Cardinales, ac totam hanc sentinam Romanam : lauemus in sanguine ipsorum manus nostras. Scilicet, Sathanas tam lingua eius, quam calamo, ad summam crudelitatem abutebatur : cum impelleret, vt verba gladiatoriis suis libellis non vna lingua editis ac circummissis insereret, talia : quæ nec S. Paulus, nec quiuis Apostolorum, cum iis quos ad Iesu Christi cognitionem adducere cupiebant, vsurparint : quandoquidem quæ desursum est sapientia, vt inquit Iacobus, pudica est, pacifica, modesta : at scientia filiorum superbiæ turgida est, arrogans, minax, pugnax. qua quidem Lutherus imbutus, cum non studio veritatis, neque Iesu Christi amore, sed Pontificis odio, cui igne & sanguine bellum denunciabat certamen suscepisset, manifesteque in Lipsiensi disputatione, vt modestius ageret, admonitus, hæc respondisset : *Ego longe alia scribam, si Romanæ Sedi hæc displicere intellexero* : mirum non est, si perditionis filius, tam perdite, tamquam effrenate in Ecclesiam Romanam arietarit, eam exemplo Pelagianorum pestilentiæ cathedram appellans : Item Babylonem, cuius in Apocalypsi fit mentio, Sanctorum interfectricem, & Sathanæ Sedem. Neque contentus scurrilibus conuiciis & atrocibus iniuriis scripta sua infercire, etiam scalprum & penicillum adhibuit. Sicut enim Leopardus omnium animalium homini infestissimus vbi ipsum hominem nanciscì non potest imaginem eius sibi obiectam inuadit, & articulatim dilaniat : Sic Lutherus furiis & intemperiis actus, Leonis Pontificis imaginem centum modis à se depictam misere habuit , & depexuit. Iam ad instar cornuti Diaboli , iam sub forma asini Midæ habentis auriculas, iam serpentis aperta ingluuie , & faucibus minantis figura. Magno numero passim eiusmodi tabulæ Pontificis figura pictæ & sculptæ visebantur, non solum ineptæ & ridiculæ, verum etiam ignominiosæ, adeoque profligatissimi hominis Chirophanis picturis turpiores, scommatis & dicteriis adiectis, non tam Theologo quam effronti nebulone dignis. Has ille plerumque librorum suorum frontispiciis præfigere solebat, vt Sleidanus non sine voluptate quadam recitat, qui Scrophæ & Asini picturam à Luthero editam repræsentat, eaque occasione Prophetam illum appellat, addita tabulæ eiusmodi inscriptione. Lutherus prophetico spiritu donatus. nec dissimulat tamen eundem propterea à multis fuisse reprehensum. Scilicet, sicut Simonidis calcei distortos ipsius pedes arguebant : sic Lutheri dicta, scripta, & sculpturæ, & picturæ, & malesani cerebri omnia inuenta, commentaque, animum eius indicant & depingunt : vt quemadmodum in priscis illis Ecclesiæ Doctoribus, non nisi humilitas, mansuetudo, benignitas, continentia, modestia & pietas mirabiliter eluxerunt, ita in Luthero, nihil nisi superbia, furor, crudelitas, insolentia, maledicentia & impietas notaretur, deque ea illud Euripidis solenne vsurparetur ;

O impudentem audaciam ! omnis ô mali
Lernam atque abyssum !

Cochleus de actis & scriptis Lutheri. Vlembergius in vita Lutheri. Remundus de origine hæreseon. lib. 1.

XI. *Carolus V. Aquisgrani inauguratur.*

Diximus de Carolo Romanorum Rege, in Germaniam hoc anno reduce. Diadematis primi accipiendi, ex Hispania aduenerat. Coronatio autem in hunc facta est modum. Designatus erat à Carolo Septem-Viris Octobris dies sextus huius anni conueniendi Aquisgranum, sed qui in vigesimum primum est translatus, propter pullulantem ea in vrbe pestem. Rogarant eum Septem-Viri, coronationis locum mutaret : sed ciuibus morbi frequentiam ob factos sumptus extenuantibus, respondit, se Caroli Quarti Cæsaris legem infringere nolle. Conueneruntitaque Aquisgranum Archipræsul Moguntinus, Colonienſis ac Treuirensis, Legati Regis Bohemiæ, Ducis Saxoniæ qui ob morbum Coloniæ substiterat, ac Marchionis Brandeburgii. Palatinus cæterique Principes obuiam Regi Carolo, cum mille sexcentis equitibus profecti, venientem cum bis mille equitibus, desilientes è suis, magna cum reuerentia susceperunt, ac, Moguntino verba faciente, felicem aduentum gratulati sunt. Respondit humaniter per Cardinalem Salsburgensem Rex Carolus, gratiasque omnibus egit. Ad vrbem equitantis latera Moguntinus & Colonienſis claudebant. pone sequebantur, Bohemiæ Regis Legatus, Cardinalis Sedunensis, Salsburgensis, atque Crouiacus, multique alii Regum Principumque Legati. In medio summi templi Aquisgranensis perampla dependebat corona, subtus quam Carolus procubuit, dum præsul Colonienſis precaretur. Precibus finitis, à Moguntino ac Treuirensi subleuatus, ad summam aram Deiparenti Virgini Mariæ Sacram ductus est : vbi pronus facta prece, deinde in deaurato collocatus est Solio , faciente interea Colonienſi rem diuinam. Post Euangelii decantationem, Latinis Carolum verbis rogauit Colonienſis : *An fidei Catholica decretis sit staturus : Ecclesiam defensurus : iustitiam administraturus : Imperium restauraturus : Papæ debitum antiquumque honorem exhibiturus : pupillorum, viduarum, ac calamitosorum hominum defensor futurus.* Cum annuisset, ad altare ductus Sacramentum dixit, ac ad solium reuersus consedit. Deinde Colonienſis, cæteros Septem-Viros rogauit : An fidem Regi Carolo, ac obedientiam Cæsari debitam sint præstaturi. Cum promisissent, eum in pectore, capite, scapulis, ac palmis, ad singula precibus consuetis vsus, inunxit. Tunc in morem Diaconi Sacris vestitum, ac iterum in solio collocatũ, Colonienſis, nudũ ei manu gladiũ tradens Rempublicã Christianam commendauit, annulum digito inseruit, Regali chlamyde sumptuosissima induit, sceptrumque cum pomo in manus dedit. Diadema vero tres dicti Archipræsules adhibitis manibus capiti eius imposuerunt. Hac ornatus ratione, ad summum altare reuersus, boni Imperatoris officio se functurum iurauit. Tum in primam conscendens templi concamerationem , in Saxea Cæsarum Sede collocatus fuit. Moguntinus inde verba ad populum faciens, salutem nouo Cæsari, ac Reipublicæ Christianæ precatus est, seque cõllegas, Ecclesiam, Imperiumque enixe ei commendauit. Tubicenes, Musicique canoris vtentes instrumentis, lætitiæ ingentia ediderunt signa. Peracta cæremonia, Sacrosanctum Iesu Christi corpus summa cum reuerentia Cæsar ore menteque assumpsit : pauloque post, gladio quo Carolus Magnus in præliis dicitur vsus, tactis leuiter humeris Nobiles id petentes in Equitum cooptauit numerum. Tertio die inter Missarum solennia Moguntinus suggestum ascendens, populo exposuit, Leonem X. Summum Pontificem, creationem & coronationem Caroli Regis approbasse, eique Cæsaris titulum concessisse. *Beuter in Chron. Belg. lib. 6.*

Inter hæc, vbique etiam per Europam tumultuatum, siue bellatum. Hispani, Siculi, Austrii, Vascones contra Carolum Regem : ipse Carolus non omnino bene animatus in Gallum : Pannones inter se proceres : Albertus Marchio Brandeburgicus & milites Mariani contra Sigismundum Poloniæ Regem : quibus omnibus pacandis, Pontifex maximus diligentiam omnem adhibuit. In Polonia, Albertus Marchio Sigismundi ex sorore nepos, Cruciferorũ Magister, subiectionis ac fidelitatis iuramentum Regi Sigismundo præstare hactenus detrectarat, ac præterea in Prussia bellum contra Regem, copiis ex Germania accitis

excitarat.

Albertus Marchio Brandeburgicus contra Regem Poloniæ bellat.

excitarat. Sigismundus porro Rex vt ingratum, perfidumq; reprimeret, exercitum aduersario opposuerat. Ad eius belli accensi rumorem Pontifex Max. Nuncios ad Regem misit, qui pacem vtrimque æquis conditionibus componerent. Rex Pontificis & Cæsaris cognitioni atque arbitrio ius suum in Prussiam, de qua certamen erat, lubenter se submissurum respondit : optareque, vt perpetua pax à Crucigerorum Magistro subiectionis ac fidelitatis iuramento præstito, post atrocissimum bellum sanciretur, & sancita obseruaretur. Ex hoc fragmento legationis Sigismundi Regis ad Leonem Pontificem, & Carolum V. Cæsarem cognoscere licet, quid iuris Polono in Prussiam.

Ita Orator missus referebat.

XIII. In summa Sanctitas & Maiestas Vestra accipiant. Introductum fuisse ipsum Ordinem ad terras Prussiæ & loca, ac ditionem illam ei à Principibus Poloniæ datam, hac conditione, vt se contra vim infidelium, quibus vndique septi erant, iuuaret, & cum illis vna militaret. Qui firmatis illic rebus suis, & radicibus bene actis, cœpit sensim occupare latius terras ipsas Principum Poloniæ, & illos pro infidelibus armis impetere. Vnde cum multa essent vtrimque acta prælia, multi item tractatus, & concordiæ secutæ, nihil tamen vmquam adeo firmum & certum confici potuit, vt non Ordo ipse per omnem occasionem illud infringeret, ac violaret. Ad extremum post ingentem belli molem, quæ per Serenissimos olim Reges auum & parentem Maiestatis Domini mei & Ordinem ipsum agitata fuit, qua tantum impendii fuit factum, tantum Christiani sanguinis fusum, quantum nulla ratione possit æstimari, subsecuta fuit solennis concordia , Pauli secundi Summi Pontificis auctoritate, ipsiusque Legati, ac aliorum Principum medio. Quam etiam Ordo ipse sensim labefactare cœpit : de hinc Modernus Dominus Magister nulla de causa totum dissoluit, & irritum fecit. Quocirca hic Ordo ad hoc vnum fundatus esse videtur, vbi vbi sit, vt omnia misceat & perturbet. Sed cum illum olim regna Hispaniæ & Angliæ, ac nonnullæ aliæ gentes, vti rem noxiam penitus exterminarunt, nescimus quo fato nostro fit , vt nos soli qui pro tota re Christiana ingentem vim infidelium solis viribus nostris arcemus , nec vmquam ab hoc labore & bello requiescere possumus, hunc obicem domesticæ pacis habere, & tantam eius insolentiam perpeti cogamur ? ne liceat nobis citra inuidiam quod licitum est in aliis, hanc calamitatem vel excutere, vel saltem compescere. Verum confidimus virtuti Sanctitatis & Maiestatis Vestræ, quod si nostram, & Illustr. Domini Nepotis nostri coniunctionem & officia cordi habent, si recte statui Christiano consultum iri , & cum ab infidelibus defendi cupiunt, cum quibus vtcumque hic distinemur, milites tamen nostri quos in illis finibus habemus assidue & feliciter dimicant, operam & fauorem suum nobis præstabunt, quo tandem hac molestia & impedimento domestico carere, & arma nostra pro commodo rei Christianæ liberius exercere possemus.

XIV. Ita etiam Pontifex Regi respondebat.

Leo Papa X. Sigismundo I. Regi Polonie.

Charissime in Christo fili. Salutem & Apostolicam benedictionem.

Dilectus filius Ioannes Theobaldus, Ciuis Florentinens. quem & Venerabilem fratrem Zachariam Episcopum Gardiensem Nuncios Nostros alias ad Maiestatem tuam destinauimus, nuper ad nos reuersus, nobis retulit, quo amore, & quanta humanitate Regia Maiestas tua eos venientes exceperit, ac semper tractauerit, ipsumque deinde recessurum benigne ac liberaliter dimiserit : quod vt nobis gratum & acceptum fuit, ita valde & supra modum displicuit, ab eodem Ioanne intellexisse, bellum inter te & dilectum filium Albertum ex Marchionibus Brandeburgensibus, Hospitalis domus Beatæ Mariæ in Prussia Magnum Magistrum bellum, quod pluribus literis ac monitionibus per dictos & alios Nuncios nostros vtrique vestrum nostro nomine factis, extinctum, vel saltem sedatum, ac sopitum esse credebamus, adeo recrudescere cœpisse, vt inde populorum strages, & deuastationes, ac innumera scandala, qualia pluribus ab hinc annis acciderunt magnopere timenda sint, ac formidanda. & nobis quidem persuademus Maiestatem tuam ad huiusmodi bellum , ex quo nulla laus, vel vtilitas sperari, ignominia vero & ingens damnum formidari debet , inuitam trahi à bellis illis contra infideles & Schismaticos, ex quibus maximũ & immortalem gloriam sibi comparauit : non possumus tamen solitam eius mansuetudinem ac bonitatem non desiderare, ergà eum præsertim, quem filii loco habere, & cuius iuueniles impetus patientia quadam potius & consilii maturitate retinere deberet, quam vi frangere , ac non sine magna rerum prope omnium confusione destruere. Quamquam si vera sunt quæ nobis nunciantur, & quæ vix credere possumus , ipsum videlicet Albertum non suos tantum, sed complures alios Germaniæ populos pro se contra Maiestatem tuam conuocasse, ac tantum comparasse exercitum, vt illi vix resistere possis , quin regni tui ciuitates & loca Tartaris ac Moscouitis, aliisq; infidelibus & Schismaticis confinia solitis ac necessariis præsidiis quasi denudare cogaris : propter quod Maiestas ipsa tua nonnullam irascendi , ac vim vi repellendi causam habet. ac propterea ipsum Albertum per alias nostras, ad pacem & concordiam cum Maiestate sua ineundam monemus. Præterea ad charissimum in Christo filium nostrum Carolum Romanorum ac Hispaniarum Regem Catholicum, in Imperatorem electum scribimus, eum hortantes, vt pro concordia inter vos componenda laborare, eamq; per Oratores suos procurare velit , ac etiam dicto Zachariæ Episcopo & Nuncio committimus, vt pro eadem pace componenda nostro nomine operari, atq; efficere debeat : speramusq; Omnipotentem Deum sua clementia permissurum fore, vt pia desideria nostra non alio quam ad publicam totius Christianitatis pacem & quietem , eiusq; sanctæ fidei conseruationem & exaltationem tendentia felicem sortiantur effectum. Quod autem ad maiestatem tuam attinet, te fili noster charissime hortamur , ac per viscera misericordiæ Dei nostri rogamus, vt si vlla vmquam in re prudentiam, æquitatem, ac mansuetudinem tibi à natura insitas ostendisti, nunc illis erga nepotem tuum vti velis : ac satis habens regnum tuum defendere, ac tutari, noli vlterius progredi, ac eiusdem Alberti fines ingredi temperes, ac abstineas : non ignarus potiorem ac magis Regiam virtutem esse iniuriarum obliuisci, quam eas vlcisci velle: ac ex omnibus victoriis nullam maiorem esse quam seipsum vincere, Tua igitur Maiestas ita se geret, vt quemadmodum omnes singularem eius virtutem & præclara gesta iure ac merito prædicant, veris laudibus, præconiis & laudibus in cælum tollunt, ita etiam eiusdem pietatem, & continentiam: atq; animi moderationem dignis ac veris laudibus prosequantur. Quod si Maiestas tua, vt speramus, fecerit, magno cæteris Principibus exemplo erit : qua ipsi etiam temperantia ac modestia vti debeant : & coram Christo Redemptore nostro, qui in ligno Crucis pendens Deum patrem pro crucifigentibus se rogauit, non paruum sibi meritum acquiret. Nobis insuper, qui eam tamquam peculiarem filium nostrum in visceribus charitatis semper gessimus , rem gratam & numquam obliuiscendam faciet. Datum Romæ die 26. Decemb. anno Domini 1520. Pontificatus nostri anno Octauo.

XV. *Georgius Dux Saxoniæ Albertum Brandeburgicũ & Polonũ conciliare studet.*

Eadem de pace, & Carolus Cæsar, & Archiepisc. Moguntinus Alberti patruelis, & Georgius Dux Saxoniæ, missis Oratoribus Sigismundum Regem, & Albertum non minus quam Pontifex interpellarunt. Episc. item Varmiensis, adiunctis etiam ex Nobilitate ac Ciuitatibus, Ordinis legatis , apud Regẽ egerat , vt Principi Alberto siue à Pontifice & Principibus quos nominaui persuaso, siue necessitate adacto, ipsi ad Regẽ venire, ac de pace tuto tractare liceret. Induciæ igitur 14. dierum, dum Torunium, vbi Rex Comitiis intererat, iret redireret Albertus factæ, & litteræ fidei publicæ ei missæ , ea tamen adiecta conditione, qua Torunii Homagium, vt vocant, Regi ac regno Poloniæ præstare teneretur. Recusanti, fidẽ publicã non seruandam, ipsumq; pro hoste habendum. Venit ad diẽ destinatum iusto cum comitatu Albertus ad Regem, cũ quo aliquoties collocutus, saluo expirante conductu, in verba Regis iurare iussus fuit, quod proculdubio fecisset , nisi infelici sydere eadem vespera quidam Ordinis Commendator Regiomonte præter spem aduenies, Magistro nunciasset, Hafnia 4. millia peditum Menelaum , inde Regiomontum appulisse, magna præterea aliarum copiarum spe, equitum ac peditum, qui terrestri aduenirent itinere, ipsi facta. Magnis itaq; spebus iam plenus Albertus , promissis pridie Regi factis renocatis, summo mane à Rege discedendi veniam petiit. Rex quamuis ob datam fidem iustam retinendi illius causam haberet, tamen eum abire permisit, Præfecto Opocensi qui eum in Sambiam tuto deduceret, ei adiuncto , sicq; pactis, de quibus conuentum fuerat, rescisis, bellum recruduit. *Cadanus lib. 7. Vapouius in fragmento Rerum Polonic. Collector. tomo 1.*

XVI. Curauit etiam Pontifex, inter Carolum Cæsarem, Gallum, & Anglum perpetua fœdere sancire: vt virtutibus eorum coniunctis maiorem formidinem Turcis incuteret. Namque Magister Rhodianorum Equitum, fere in singulos dies datis literis Pontificem periculi à Turcarum classe ac terrestri exer-

citu

Carolus V. in Angliam nauigans honorifice excipitur.

citu admonebat, vtq; pacem inter Principes Christianos stabiliret, ac eorum arma vnita, tam potentissimo hosti opponeret flagitabat. & quidem Carolus, ex Hispania in Germaniam nauigans, non fortuito, sed data opera in Angliam appuilt, nõ tam Catherinam amitam Henrico Anglo iunctam visurus, quam fœdera renouaturus, confirmaturusq;. Is cum Ducrũ appulisset, ab Vvarrhamo Cantuariensi Archiepisc. & Cardinali Vvolseo, maxima Præsulum, Procerum, Prælatorum atq; nobilium turba stipatus Cantuariam ductus est. Clerus Cantuariensis aliquot milliaribus in splendidissimis cappis ex vtraque viæ parte, odorum suffimenta ex incenso thure emittens stetit. Rex etiam ac Regina obuiam Cæsari processerunt. Actum à Volseo Pontificis Legato, de firmanda, vt diximus pace: expeditionem in Turcas perfacilem inde futuram, si Cæsar, Angliæ & Galliæ Reges vno fœdere iungerentur. Cæsar annuit statuum se his pactis, quæ inter Angliæ & Galliæ Reges inirentur: & in Belgium mox discessit. Actum inter istos duos, Ardis in mutuo congressu. Anglus amplissimam totius rei procurationem sigillo magno Angliæ confirmatam Volseo Cardinali concessit, vt quæcumque vellet rata vel irrita haberet. Gallus, quamquam initio aliquantulum reluctaretur, tandem tamen confisus Anglo æquitati, etiam eandem sub sui regni sigillo procuratoriæ potestatis plenitudinem, quam Henricus Rex Angliæ concessit, eidem Volseo Cardinali concessit. Ita Volseus Cæsari, ac duobus tam excellis & inclytis Regibus fœderum atq; pacis conditiones præscripsit. *Author antiquitatum Ecclesiæ Britannicæ in Vvarhamo. Polydorus Hist. Anglic. lib. vltimo.*

Non minore studio Pontifex, Iacobum Scotiæ Regem, aliis Regibus confœderare laborauit: cuius Oratorem hoc anno Romam missum benigne audiuit. Obedientiam is nomine Regio, Pontifici deferebat: & rebus in Scotia, qua ab Anglis, qua à domesticis vehementer laborantibus, consilium, tutelamque à Sede Apostolica flagitabat. Abunde omnia Pontifex promisit, Regisque negotia tum Gallo, tum Anglo Regibus plurimum commendauit. *Paris Episcopus in notis diariis.*

XVII. *Selymus Turcarum Imperator mortuus.*

Vnicum, hoc anno à Turcâ metuentibus Christianis, leuamen fere diuinitus accidit. Selymus Turcarum Imperator, qui terror Orbis terrarum videri volebat, mense Octobr. apud Ciurlum Thraciæ, non absque manifesta Dei vindicta, pestilenti circa renes enato vlcere extinctus est, magno Occidentis commodo, cui prope diem arma illaturus videbatur. In eodem loco paucis ante annis parricidale patri suo bellum intulerat, ac infami congressu conflixerat, dignus qui ibidem quoque pœnas lueret. Vnicum ex Bosphorani Regis filia reliquit Solimannum, tot regnorum hæredem: qui hoc anno nihil contra Christianos, quemadmodum destinatum illi fuit, mouere potuit: aliis bellis implicatus. Audita enim Selymi morte, Gazelles Syriæ Præfectus rebellauit, Syrosque & Arabes habuit suæ defectionis approbatores. Sed cum Caierbeius Aegypti Præfectus, eius consilium vsque adeo non probaret, vt etiam legatum illius supplicio affecerit, Solimannus è Cilicia misit contra illum Frahatem Bassam, qui eum cum omnibus ipsi adhærentibus & fortissime præliantibus interfecit. *Surius in Commentariis.*

XVIII. *Sequeiræ in India facta.*

Eodem anno pro Emanuele Lusitaniæ Rege in Indiis Siqueira Prætor, de rubri maris possessione cum Turcis decernere volebat. Contractis enim ex omni ora nauibus maioris formæ quatuor & viginti, bellatorum tria millia imposuit: quorum erant Lusitani mille & octingenti: cæteram summam, è Malabaribus & Canarinis expleuerat. Cum iis copiis Goa profectus, Februario mense, ad Aromata promontorium Africæ, secunda nauigatione transmisit. Ibi cognito ad Giddam stare sex Turcarum triremes, manusque armatorum cogi ad fauces Adeni occupandas: intra ipsas fauces inuehi, & longitudine sinus emensa, circa Giddam lacessere bello Turcas decreuit: si forte posset eos maris rubri possessione eiicere. Sed pertinaci complurium dierum Aquilone prohibitus est, vt interim aduentante hyeme, idoneum rei gerendæ tempus effluxerit. Itaque bello omisso, ad pacem cum Dauide Abassino Rege firmandam animum adiecit. cuius Regis imperium, cætera mediterraneum, modica tantum ex parte ad rubri maris littora pertinet. Eam oram Dauidis nomine tenebat Præfectus maximus, quem honoris titulo Barnagazium vocant. oppidis ac vicis, Præfecti minores præerant. Cum hisce Præfectis de Societate agendum erat Sequeriæ, & Legati duo in terram exponendi. alter, Mattheus Armenius, is qui ab ipso Dauide Helenaque ad Emanuelem cum donis ante aliquot annos venerat: atque ob suspectam eius legationis fidem, ab Lusitanis nullo suo merito multa indigna & acerba pertulerat. alter, Emanuelis ad Abassinum erat Legatus, Rhotericus Lima, suffectus in locum Eduardi Galuani, qui superioribus annis in ipso itinere, nondum peracta legatione decesserat. Simul etiam erat ei Mazua insula (quæ Ptolemais ferarum olim fuit) haud procul à Camarano visenda, si forte locus arci ad eius regionis custodiam ædificandæ idoneus foret. Ea insula Arquico oppido maritimo Abassini littoris obiectæ, peranguſto freto à continente dirimitur, & lunato sinu in idem littus obuersa, inprimis tutam ac placidam stationem nauibus præbet: ad hæc cisternis, armentisque varii generis, in vsum classium & præsidiorum abundat. Prætor, totam insulam per otium contemplatus, tametsi Mahometani incolebant: tamen vitandæ inuidiæ gratia, suos ab incendiis ac præda continuit: Mahometis vero fanum rite expiatum, intemeratæ Conceptioni Deiparæ Virginis dedicauit: ibi per eos dies Christiana sacra peracta non semel.

Interea ab Arquici Præfecto oratores affuere cum donis & commeatu: quibus, vtpote Christi cultoribus, sericum vexillum Cruce insignitum, amicitiæ causa datum est. Illi, cognito Christianos & Lusitanos aduenas esse, cuius gentis fama iampridem eo tractu increbuerat, mirum in modum gratulati, cum signum Crucis in vexillo vidissent, in terram se proiecerunt, & Christi nomen cum admirabili pietatis studio sæpius inclamarunt, ita vt Lusitani qui aderant lachrymas tenere non potuerint. deinde de Matthæo Armenio cum cura perquisiuerunt. quem ipsum vbi adesse præter exspectationem audiere, & mox in conspectum esset productus veneranda canitie senex, obortæ cunctis sunt præ gaudio lachrymæ: & vulgata eius rei fama, certatim ad optatos viri amplexus, & manuum oscula confluebant. Ea demum celebritas, & Matthæum omni suspicione liberauit: & Lusitanis, quod insontem adeo aspere & inhumane tractassent, dolorem simul ac pudorem iniecit: eo magis, quod etiam aliquot è sacra Visionis æde Monachi (multa autem cœnobia, ex Diui Antonii ferme institutis, toto eo regno visuntur) salutandi eiusdem Matthæi causa ad classem accesserant: qui ab Lusitanis Sacerdotibus linteatis, cum symphonia & psalmis accepti, magnam animi voluptatem præseferebant, non ex Matthæi solum, sed etiam ex ipso Lusitanorum aduentu: quod vetus oraculum sibi à maioribus traditum ferrent, ex occiduis aliquando regionibus, Christianæ religionis homines in ea loca venturos. Eius vaticinationis promissa, tantæ classis appulsu tandem esse confecta: & in illo sacratorum hominum cœtu, Hesperiam cum Eoa Ecclesia, tanto locorum interuallo, dextras quodammodo miscuisse, magnopere lætabantur. Ab ea classe Petrus Gomezius Teixeira, Siqueiræ permissu aliquot passuum millia progressus, ad Monasterium magnum peruenit: vbi à Monachis cum admirabili significatione charitatis exceptus fuit. Is mira de eorum religione & abstinentia memorabat, à quibus tamen scisitatus est: Cur non Ecclesiam Romanam, quæ summum in vniuersa Republica Christiana principatum tenebat, agnoscerent? Responderunt illi, Pontificis Maximi nomen, vt par erat, debita pietate venerari: sed quo minus Romam libere commearent, Saracenorum & Turcarum armis impediri.

Ventum deinde est in sermonem cum Arquicano Præfecto, & paulo post, ad stabiliendam societatem (quod ita Dauidem velle non ignoraret) Barnagazius cum peramplo comitatu Arquicum processit. Paululum ibi

altercatio-

altercationis fuit, dum dies locusque colloquio constituitur. littus ipsum aduena: Arquicum oppidum Barnagazius præoptabat, nonnulla fraudis ac periculi suspicione ab Saracenis iniecta. Ad eam suspicionem tollendam (quando per obsides transigi, indignum Christiana amicitia & hospitio videbatur) eum synceri animi pignus Crucem nudari & porrigi à Sacerdote iuberet Antonius Saldania, Lusitani Prætoris Internuncius: seuero vultu Barnagazius confestim exurgens obstitit, negans, tam leui de re, tam augusta attrectanda mysteria. Quin ego potius, inquit, de iure meo decedam, meque vltro in omne discrimen obiiciam. Ita, mediæ regionis campus, inter oppidum & mare, consensu deligitur. Barnagazius cum equitibus ducentis, peditum duobus millibus ab Arquico: Sequeria cum sexcentis non amplius armatis è classe descendit. iis copiis in statione vtrinque conspecta relictis, cum senis ambo comitibus in medium prodiere. Primus congressus fuit, mutuo, blande & amice consalutantium: & Regis vtriusque in alterum, beneuolentiam studiumque accurata oratione testificantium. deinde societas ac fœdus hoc maxime modo sancita. Classiarius Sacerdos argenteam Crucem in medium attulit: ea Barnagazius prior apprehensa, nixus genibus: *Quam*, inquit, *pacem Iesus Christus, generis humani Redemptor discipulis reliquit suis, eadem esto inter nos, qui eiusdem Christi cultum profitemur, ac fidem. Hanc ego pacem, quantum in me fuerit, Regis mei nomine spondeo: atque it a iuro per hanc sacrosanctam nostræ salutis effigiem.* In eandem ferme sententiam conceptis verbis iurauit Prætor. Dimisso dein colloquio, per triduum ex vtraque parte donis officiis certatum: & ingens omnium fuit lætitia, quod opulenti duo Reges terra marique, contra Christianæ rei aduersarios arma iunxissent. Post hæc, Sequeria Rothericum Limam legatum Barnagazio commendauit, ac tradidit, ad Regiam vsque tuto mittendum. cuius in comitatu cum alii honesti viri complures fuere: tum vero Franciscus Aluarus Sacerdos, qui dein reuectus in Lusitaniam, eius peregrinationis seriem patria lingua descriptam edidit: eodemque postea auctore, Paulus Iouius gentis ritus moresque Latino sermone diligenter est persecutus.

XIX. *Eiusdem acta Indiana.*

Per eosdem fere dies, quibus in Arabico sinu agebat Prætor, è Paceno Somatræ insulæ regno, summus Mahometicæ superstitionis Calisa, seu Antistes, nomine Molana, supplex illuc vsque contendit, Puerum adducebat duodecim ferme natum annos, Paceii Regis filium: cuius parente occiso, Geinal tyrannus, ab Alodino socero adiutus, regnum inuaserat. huic si contra communem hostem Lusitani suppetias tulissent: restitutum in patrias fortunas puerum, in Emanuelis auctoritate cum annuo tributo Molana spondebat futurum: & pupilli orbitas, & Calisæ obtestatio, apud Sequeriam valuit. Ad Geinalem ex ea possessione pellendum, sex naues cum valida manu armatorum, Georgio Albuquercio attributæ. Cuius rei, & iunctæ cum Dauide amicitiæ nuncios qui ad Emanuelem afferret, Petrus Vasæus in Lusitaniam à Prætore missus. Magna toto regno omnium ordinum gratulatio fuit: & in singulis oppidis miro populi studio supplicatum. Cesit feliciter Albuquercio illa missio: Geinalem secundo prælio interfecit, pupillum in regnum restituit, Emanuelique tributarium fecit, Molanam puero regendo admouit, & castellum ad Mahometanos in officio continendos in ipsius portus aditu extruxit.

XX. *Emanuel Lusitaniæ Rex in Indiam classem mittit.*

Emanuel porro hoc ipso tempore, aliam classem nauium nouem, duce Georgio Britto ex Lusitania in Indiam misit: nauiganti cui, nouum & multiplex accidit miraculum. Rostrata celsior Rotherici Vasæi Pereriæ, in medio cursu, repente, veluti fræno equus adducto, ita substitit magno cum aquæ sonitu ac motu, qualis, vbi in vnda & syrtes incurritur, edi consueuit. Eo ipso terrore perculsi nautæ, demissa vtrinque bolide, profundum sine dubio mare comperiunt. Cum inflatis vento velis hæreret nauigium nihilominus: dispiciendi causa (quod esset nox) admotis ad marginem luminibus, implexam aluco ingentem belluam vident: Carinæ centum & quinque dodrantium longitudine, applicuerat corpus: cauda gubernaculum illigaret: alis immanibus latera ad summum vsque cingebat: quas iam in alas per imprudentiam nonnulli manus iniecerant. Ad spectaculum adeo tetrum, ingenti videlicet horrore nautæ militesque perfusi. vt vero dolii magnitudine, vasto hiatu nouissime caput extulit: metu exanimati pene omnes, infernum profecto monstrum diuinitus immissum credere, ad viua tot noxiorum corpora glutienda. Pauci, quibus in tanto discrimine mens animusque constiterat, consultandi gratia in vnam partem secedunt. Erant qui contis, & iaculis, ballistisque depellendum censerent cetum: alii contra, nihil magis tali tempore vitandum aiebant: ne tantæ molis animal vulneribus irritatum, concussu ipso & agitatione violenta nauem euerteret. In summa inopia consilii cum nihil explicaretur, & maior in singula momenta terror instaret: suppliciter ac demisse veniam pacemque Dei & cœlestium exposcere, atque ad vota precesque confugere placitum est. Neque ea irrita fuere. Sacerdos cum linteo, & stola, & signo Crucis in medium prodiit. ab eo, sacris carminibus, & exorcismis delinita bellua (mirum dictu) vel perterrefacta, nulla cuiusquã noxa relicto nauigio, cum è portentosis narium fistulis ingentem resflasset aquæ vim, sese admodum placido lapsu in mare demisit. Lusitani, tamquam ex orco præter spem erepti, debitas diuinæ clementiæ laudes & grates peregerunt.

XXI. *Emanuelis in India Victoriæ.*

Eodem tempore, Emanuel per suos Lusitanos in Indiam missos, cum Peguensi Rege fœdus percusit: Pacemensem Regem prælio victum ad pacem petendam compulit: Bintamenses & Coulamenses rebelles, armis ad officium reuocauit, nominisque sui existimationem, & Christianam fidem longe lateque propagauit. Nec minore felicitate, in Africa contra Mauros aliqua tentauit: & tum excursionibus factis plurimas eorum phalanges dissipauit: tum præsidiis & commeatibus Arzillæ impositis, eam vrbem à conanatibus Fessensis Regis potentissime seruauit. Accidit inter hæc vna res, quæ cum à non mediocri belli apparatu ortum habuisset, in risum conuersa fuit. Rex Fessensis cum esset vir bellicosus & impiger, atque suos in armis continere studueret, crebras in Lusitanos excursiones faciebat. Itaque hoc anno agrum Tingitanum populatus est, & prædas non valde magnas egit. & cum nemo illi obuiam prodiret, Arzillam contendit. Erat Arzillæ quidam plebeius homo, qui lento atque diuturno morbo paulatim intabescebat. Medici præceperant, vt testudinibus vesceretur. Is propter probitatem charus erat vniuersis. Cum vero testudines non haberet, conquestus est, quod vnico illo careret morbi remedio. Tum equites viginti operam suam ad eam rem polliciti sunt, modo exeundi potestas illis à Ioanne Coutigno vrbis præfecto fieret. Coutignus eam facultatem non grauate concessit. Illi prodeunt, & in proximum fluuium se conferunt: equis frena & ephippia detrahunt, eosque capistris ad arbusta deligant, & hastas in terra defigunt. tum omni metu soluti arma deponunt, & omnes vestes exuunt, & toto corpore nudi in fluuium se demittunt. Erat autem æstus: & illi cum essent natandi studio dediti, tum vt calorem depellerent, multo liberius atque iucundius natabant, & magnam interim vim aquatilium testudinum maribus capiebant. Speculator quidam hostium cum illos equites viginti egressos animadverteret, multo maiores esse copias arbitratus est, quæ silenti agmine, vt fieri solebat, exirent, vt mõtes & syluas insiderent, vt ex insidiis in hostes incautos impetum facerent: illos viginti, primi tantũ agminis partem esse credidit. Id igitur continuo ad Regem detulit. Rex ducentis equitibus Hamelicem itinerum ductorem, eundem ipsum qui Lusitanos speculatus fuerat, præfecit, eumq; iussit fluminis transitum, qua eos transmissuros opinabatur, obsidere. Alios ducentos equites Martino Abrahami auunculo, qui religionem Christianam abiurauerat, (erat enim Abrahamus mulieris Christianæ filius) assignauit, cum quibus eum aliũm fluminis aditum custodire præcepit. Hamelix omnes vias, quibus illos ingressuros sperauit, oculis perlustrauit: & cum nulla vestigia reperiret, in fluuium Dulcem (sic enim fluuius ille nominatur) se contulit. Non potuit Hamelix tanto silentio aciem ducere, quin ab Arzillæ speculatoribus conspiceretur. Itaque ingentis tormenti ictu, qui foras exierant, admonentur, & qui in vrbe se tenebant, æris sonitu ad arma vocantur. At natatores egregii cum tanta animi relaxatione atque iucunditate ludebant, vt vix possent vllo tormentorum strepitu, de periculo in quo versabantur admoneri. Piscatio enim felicissime procedebat, & alii in alios conuicia iaciebant: omnia clamoribus & ritu immodico personabant, cum repente hostes ap-

Lusitanorũ nauigia ingẽs bellua adhæret.

parent. Lusitani hastas euellunt, & nudi equos nudos insiliunt, & in vrbem confugiunt: hostes illos insequuntur. Illi interdum ita vt nudi erant, in hostes equos conuertebant, & eorum impetũ, vt poterãt, repellebãt. Vnus tamen ex equo cecidit. Antonius Coutignus (is fuerat Saracenus, & se ad Christi nomen & religionem aggregarat) vt equiti qui deciderat auxilium afferret, in hostem qui reliquos antecesserat impetum dedit, eumque ex equo deturbauit, sociumque iacentem manibus iuuit, vt facilius post se equi eiusdem tergo supersederet. Ioannes Coutignus vt fugientes exciperet, ex vrbe cum instructis copiis egressus fuerat. Cum igitur agmen nudum cerneret, risu prope modum corruit. Deinde (erat enim vrbanissimus) tam multa dicta dixit, & tam facete in omnes lusit, vt omnes cachinnos tollerent. Factũ vero Antonii Coutigni multis laudibus celebrauit. Postremo autem adiecit, Ne commilitones nostri hoc cultu virginibus quibus inseruiunt offensionem inferant, par est, vt eos antequam in vrbem inuehantur contegamus. Tum quilibet partem sibi vestium detraxit, qua sociorum corpora contegerent: & sic demum in vrbem cum omnium incidentium iocis ingressi sunt. Hamelix cum casum illum Regi Fessensi nunciaret, magni illius & omnium qui aderant, risus consecuti sunt. spolia deinde legit, nempe vestes, & parmas, & retia; frena & ephippia, & vnum equum: & sic demum Rex ille potentissimus Mauritaniæ, cum tam opulentis manubiis domum reuersus est. At Coutignus nudis vestem sumptibus suis præbuit, præcipue vero Antonium Coutignum munere donauit, & factum hominis publice collaudauit, vt alios ad eiusdem virtutis exemplum acrius incenderet.

XXII. Eodem anno percepit Rex Emanuel ab homine quodã curioso & diligente multa, quæ animum illius ad rerũ magnarum studium multo vehementius incitarunt. Superioribus annis, dum classis Odoardi Lemii promontorium Guardafumense peragrabat, celox, cui Georgius Quadra præerat, à reliqua classe disiecta ad Zeilæ portum appulsa fuerat: Lusitani qui illa vehebantur capti, & ad Regem Adenensem abducti sunt, qui eos in ergastulum detrudi iussit, in quo diutissime vitam in extrema inopia & mendicitate traduxerunt. Quidam interim Rex Arabiæ huic tyranno finitimus, illi bellum intulit, multisque illum præliis deuicit, & maxima regni parte spoliauit, atque vinctos, qui ergastulo inclusi fuerant, liberos abire permisit. Ad hunc modum Quadra cum quinque Lusitanis (reliqui enim laboribus attriti & fame consumpti perierant) è vinculis emissus, & in libertatem restitutus est. Is vero, vt facilius eas terras quas lustrare cupiebat, minore cum periculo peragraret, & Arabicam linguam prope teneret, (eo namque tempore quo vinctus fuerat, illi summam operam, dederat) se Saracenum esse simulauit, egregiamque in Mahumetis disciplina sanctitatem præ se tulit. Illa igitur ficta specie religionis, quam ementiebatur, & singulari calliditate simulabat, omnium oculos in se conuertit, atque tandem ea opinione sese in familiaritatem Regis insinuauit. Erat enim Rex humanus, & religioni illi deditus: qui deinde ingenio hominis delectatus, eum à se dimittere nolebat. Cum vero sepulchrum Mahumetis inuiseret, Quadram secum duxit. Ibi cum accepisset Quadra, camelorum turmam ante duos dies, quam Rex in eam vrbem venisset, Damascum profectam esse, finxit, se miro desiderio teneri sepulchra nepotum Mahumetis, quæ erant in Perside visendi. Damasco enim faciliorem, & minus periculosam esse in Persidem viam. A Rege igitur contendit, vt sibi faceret potestatem turmæ illius vestigiis insistendi, vt eam consequeretur. Rex illum ab eo consilio deterrere conatus fuit, tum quia non libenter consuetudine illius carebat, tum quia illam turmam consequi posse omnino desperabat. Sed cum Quadra illum precibus vrgeret, illi non modo facultatem quam petebat, verum & pecuniam, & commeatum, quantum ipse portare posset attribuit. A Rege digressus, in regiones vastas & incultas, ipsique prorsus ignotas penetrauit, camelos minime consequi potuit: & quo se conferret, penitus ignorabat. Commeatum intra paucis dies consumpsit: Soles ardentissimi illum vehementer excruciabant: vestigia ex arcanarum ingentibus molibus vix præ nimia lassitudine corporis euellebat. Cum se in tantas angustias adductum animaduerteret, oculis in cœlum sublatis, maximam vim lachrymarum profudit, & flagitiorum veniam suppliciter implorauit. Inde ope diuina ad locum, vnde arenæ collis assurgebat delatus est: Cum vero collem superaret, camelum & hominem conspexit. Eo igitur lætus gradum intulit, & turmam interim aliam camelorum ad eum locum (ibi enim æquatio erat) properantem animaduertit. Ad homines accedit: miseriam in qua versabatur exponit: opem ab illis efflagitat. Illi & misericordia commoti, & specie religionis quam is habitu simulabat inflexi, hominem non cibo tantum & potu, verum & rebus omnibus necessariis abunde refecerunt. Illorum autem ductu, quamdiu deserta loca peragranda fuerunt, & postquam ex vastitate solitudinis illius emersus est, religionis assimulatæ cultu, varias regiones perlustrauit, & oculis atque mente multa percepit, & tandem Arabiam atque Persidem peruagatus, Armuzium à Saracenis mercatoribus deductus est: vbi cultum & personam Saraceni deposuit, & Christiani hominis cultum, quem mente semper gestauerat, assumpsit. Vbi tamen flagitium, quod admiserat religionis impuræ simulatione, debitis lachrymis expiauit, Garsia Coutignus qui tum Armuzio præerat, illum vestibus, & pecuniis, atque muneribus affecit. Qui deinde in Indiam, ex India in Lusitaniam veniens, hoc anno M. D. XX. ad Emanuelem intromissus, omnia quæ lustrauerat & prudenter animaduerterat, luculentis sane verbis explicuit. In primis autem quomodo Aethiopiam vniuersam, quæ supra Aegyptum est, explorauisset: & quomodo in lacum ingentem, vnde Nilus in Aegyptum influit, peruenisset: quibus moribus, legibus, & institutis Aethiopes illi Christiani viuerent: qui situs Aegypti, qui Arabum mores, qui Persarum victus esset, exposuit. ex cuius oratione Emanuel voluptatem non mediocrem cepit. Ad ea enim, quæ in Arabia & Aethiopia facere designabat, illa Quadræ oratio nimis apposita videbatur. & quia suspicari cepit, à regno Congensi facile in eum locum, vnde Nilus erumpit, transitum fore, hominem iam sponte sua satis incitatum, ad illud explorandum promissis inuitat. Illum igitur in Congum cum literis mittit, vt inde in Nili fontes iter faciat, atque inde ad Dauidem Regem Aethiopiæ tandem perueniat. Qui cum ad Congi portum delatus, deinde ad Regem perductus fuisset, exceptus benigne fuit. Itineris tamen illius explorandi facultatem non impetrauit. Itaque reuersus, Diui Francisci institutum sequi decreuit, in quo vitam Sanctissime ad extremum perduxit.

XXIII. *Ferdinandi Magaliani ad Molucas insulas nauigatio.*

Dum vero illa apud Indos alterna succedunt vice: interim ex alia quoque parte, atque adeo plane diuersa, perquam insigne ab homine Lusitano facinus editum est. Ferdinandus Magalianes agebat Olissipone, ingenti animo vir, & rei naualis apprime callens. Is, quod in India sub Albuquercio Duce stipendia multa fecisset: nequaquam pro spe præmiorum (vt in suis plerumque meritis æstimandis nimium sibi fauet humana cupiditas) ab Emanuele tractari se questus, ad opulentiorem Caroli Cæsaris Castellæ Regis aulam transit. Ibi, cum astronomis aliquot communicato consilio, & implacabili odio in Emanuelem accensus, Cæsarem & consiliarios docet: Molucas insulas, quarum celeberrimis toto iam terrarum orbe diuitiis Lusitani fruantur, intra Castellanæ conquisitionis limites haud dubie contineri. Idque non pluribus tantum argumentis è Mathematica supputatione contendit: sed etiam acceptis inde literis à Francisco Serrano, in quibus de admirabili quadam eius regionis cum opulentia, tum ab aurea Chersoneso longinquitate dissereret. Profecto, si à fortibus & peritis hominibus tentetur ex Occidente iter: haud ita magno negotio è Peruana terra in easdem insulas penetrari posse. opem dein addit monitis: ac se, modo in eam expeditionem necessaria præbeantur, in omne discrimen, experiundi causa paratum ostendit. Mouit Cæsarem & magnitudo promissi, & Fernandi authoritas cum testimonio Serrani coniuncta. Quinque compactis egregie nauibus, eximio & nauta & milite ad Hispalim instructis, (quo in numero exules erant Lusitani complures) vnus Magalianes cum summo imperio ac potestate præficitur. Cum iis nauibus, Bæti fluuio in altum Oceanum euectus, Canarias primum insulas, tum Brasiliam certo iampridem itinere petiit. Inde velis in

Austrum datis, cum ignota littora diu legisset, ad magni fluminis ostia ventum est, quod Sancti Iuliani vulgus appellat. Is locus quinquaginta gradibus ab æquinoctiali abest circulo. Neque inde longe, infesto rigore, & æterno pressa gelu, niuosa montium cacumina in cœlum exurgunt. Terram incolunt homines immani duodecim amplius dodrantium statura, efferis moribus, crudis in cibum carnibus adsueti: è quibus duo ad classem attracti, blandimentisque ac muneribus à Magaliane deliniti, intra paucos dies ex insolita victus consuetudine periere. Ad eam oram explorandam missa nauis vna, cui præerat Ioannes Serranus, in scopulos illata, saluis tamen hominibus, frangitur. Hisce rebus conterriti classiarii, & pter alia maris incõmoda, sæuissimo frigore enecti, incerta vitæ, & perueniendi quo intenderant spe, reuersionẽ plerique suadebant, quidam etiam conuitio efflagitare instituerunt. Hosce Magalianes obfirmato ad omnem patientiam animo, benignis adhortationibus aliquamdiu sustentare conatus, comperta demum coniuratione, partim capite, partim exilio puniit. qua supplicii ac minarum acerbitate, obstupefactis interim ab omni rerum nouarum conatu reliquorum animis: vltra eum locum, tres ferme gradus, hoc est leucas circiter quinquaginta processit: atque ibi demum, mense Septembr. huius anni M. D. XX. sese ostendit euripus, sinuoso meatu Oceanum vtrumque coniungens. Ea re tum ex incitatissimo aquarum æstu animaduersa, tum ex cetorum ossibus in litus eiectis: quasi peracto iam itinere, gratulatio ingens à Magaliane facta: & euripo ipsi, ab inuentore, perpetuum ac nobile nomen inditum est. Ibi, commeatibus valde imminutis, cum denuo fremitum vel querimonias quorundam inaudisset, capitis pœna proposita, vetuit ea de re sermones inferri. Tum alia nauis ad inquirendum exitum præmissa, ducem frustrata per tenebras retro vnde venerat Hispalim reuertit octauo mense quam ex eo eo portu discesserat. Eam nauem missis qui quærerent, incassum dies aliquos præstolatus, cum reliquis tribus audacter ipse progreditur: perque varios mæandros, & cæcas ambages, crebro velorum flexu tandem ex altera parte vastissimum rursus in æquor euasit. & quoniam sub æquatore ipso positas Molucas esse didicerit, in eam partem proras dirigere Magistros iussit. Leucas mille quingentas procul ab omni terræ conspectu prouecti, in desertas aliquot insulas incidere: quas ex aduerso Italiæ oppositas nonnulli arbitrantur. Inde continuato in Septentriones itinere, ad Subum insulam leucarum ferme duodecim ambitu, auri feracem, frequentem incolis ventum est. Ibi Magalianis labores exitu nec opinato conclusi. quippe Insulæ Regulus, quod armis eo tempore cum finitimo Rege Mathani contenderet, oblata recentis auxilii spe, aduenas non solum hospitio libenter excepit, sed etiam in eorum gratiam sese cum vxore liberisque, & popularibus circiter octingentis, Christianum fieri voluit: & honoris causa in sacro baptismate Fernandi nomen assumpsit. Hisce necessitudinum vinculis magis magisque Lusitanus obstrictus, petenti opem & Christiano, & hospiti negare non potuit. Descensione cum præstantibus aliquot facta, Magalianes, cum semel iterumque fudisset hostes, tertio denique ex insidiis ipse circumuentus occiditur. Cæteri, partim circa eum interfecti, partim elapsi vix ad naues tristi cum nuncio peruenere. Neque hic finis miseriarum fuit: ex quo facile existimari potest, quam non temere, nec sine diligenti præparatione, barbaris Christiana impertienda sit mysteria. Regulus, qui vix adhibito catechismo, vel anteactæ vitæ sceleribus cum salutari detestatione damnatis, amicitiæ & temporis causa, peregrina sacra suscepisset; qua mobilitate Christum induerat, eadem paulo post & Christum ipsum, & vna cum Christo ius fœderum, fas, humanitatem, fidem penitus exuit. Oblatam ab hoste pacem, cum eo si aduenas è medio sustulisset: recentia merita & iunctas nuper dexteras oblitus, minime recusauit. Tam scelerati dein facinoris perpetrandi, cum in aperta vi nulla esset spes, primarios è classe ad viginti, per officii ac beneuolentiæ speciem ad ferale conuiuium inuitatos, repente inter ipsas dapes & pocula contrucidat: vno Ioanne Serrano vel ad ludibrium, vel ad lucri spem reseruato: quod ex redemptione se partem aliquam sulphurei pulueris, & aliquot ænea tormenta (cuius machinæ in iis locis nihil vmquam simile visum fuisset) capturum esse confideret. Atque vna hæc spes salutis afflicto quoque Serrano restabat. Verum vtrumque postmodum euentus fefellit. Namque productus in vinclis ad mare Serranus noua clade exponenda primo socios ad misericordiam lachrymasque commouit, eodemque interprete, per consuetos iam nutus ac symbola, cum incolis agi de pretio cæptum. Paciscebantur vtrimque pecuniæ loco, duas minoris formæ bombardas, & pulueris aliquantum. Ea cum lintribus ad terram nautæ admouissent, subito pretium augere insulani, & recedere à conditionibus, ac redemptorem variis artibus detinere. Inde altercatione cum iurgiis orta, cum maior maiorque hominum frequentia ad littus afflueret, veriti fraudem & insidias classiarii, sese ad naues re infecta subducunt: anchorisque sublatis, miserum Serranum, frustra fas religionis, amicitiæ, patriæ, lamentabili vociferatione obtestantem, in barbara & crudeli terra destituunt. Ad insulam decem leucas inde prouecti, variis casibus imminutas recensent copias. fusis ac laceris magna ex parte armamentis, centum & octuaginta non amplius homines in vniuersum inuẽti. Cũ in ipsas tres naues, neq; nautæ neq; funes, neq; vela sufficerẽt: alueo vno qui præ cæteris quassatus erat incenso, turbam cum instrumento omni in alteram transferunt. Ita duobus tantum reliquis nauibus ex eo loco discedunt, ac proris in Occidentem Solem obuersis, diu errabundi, ad Molucas insulas tandem aliquando perueniunt. Ibi cum Tidoris regulo haud ægre societate inita, Lusitana tum aberat classis: eo facilius corrasis vndique frugibus, Regulo enixe adiuuante, per tot ærumnas & pericula petitum ex insula specimen auehunt, ac trito inde itinere vtraque primum institit nauis. dein Lusitanæ tum classis abiecto metu: altera fluctibus quassata, cum omnibus compagibus aquam acciperet, ad Molucas recurrit, ibique egressis in terram hominibus, ad scopulos allisa distringitur: altera Indis ad dexteram relictis, immani ausu proximo altum præcidere, & recta Bonæ spei promontorium petere intendit: quo superata cum ad Hesperidas vsque insulas peruenisset, inaudito post omnium seculorum memoriam cursu toto orbẽ emensa, & æmulis classibus illuc vsque feliciter euitatis, ab Lusitano demum Limenarcha in eo portu detenta est: & pauci qui superfuerant semianimes in custodiam traditi: è quibus tamen aliqui, naui deinde recuperata, in Hispaniam, vnus etiam, patria Vicelinus, obstupescentibus cunctis miraculi nouitate, in Italiam rediit. Huic naui non sine causa Victoriæ inditum fuerat nomen. Nauclerus erat Ioannes Sebastianus Canus, ex oppido Guetaria Vardulorum ad Pyrenæum; vir animi fortitudine, peritia gubernandi, & inaudita felicitate sane promeritus, vt ipsius ac patriæ nomen, nullus vmquam casus, nulla temporum longinquitas obruat. Ex eo deinde tempore sæpius in Molucas è Bætica primum, ac postmodum è noua Hispania nauigari cæptum, quæ res ingentem discordiarum molem inter Lusitanos ac Bæticos peperit: nec sine magno motu, cum in Europa legibus apud Romanum Pontificem, tum in Asia ferro, de illius maris & commercii possessione certatum est. *Osorius lib.* 11. & 12. *Maphæus lib.* 8.

XXIV. *Fessensis Regis Legatus Orator à Pontificiis captus Romæ baptizatur.*

Hoc anno, ipso die Epiphaniarum, Sacro fonte ablutus est, Romæ apud S. Petrum Orator Regis Fessensis: à legatione Turcica in Africam reuertens, à classe Pontificia in mari mediterraneo captus: sponte sua baptismum expetiit, & sacra Christianorum professus est: metus ex hinc, quod in lege Mahumetana, eiusque institutis multa absurda, profana impia, impura, adeoque homine indigna perspexisset: è contra vero in Christianorum placitis, ritibus, & religione, omnia illi rationi consona, imo vero diuina viderentur, Ductus in Basilicam Vaticanam iam de articulis fidei edoctus, & ante Crucifixi aram procumbens, à Leone Pontifice sacrum baptisma, & nomen Ioannes Leo de Medicis accepit: suscipientibus eum ex sacro fonte Cardinalibus, Bernardino Caruaialo, Laurentio Puccio, & Egidio Viterbien. *Paris de Grassis in notis diariis.*

XXV. *Franciscus Cordubensis in Ind. a martyrio affectus.*

Hoc anno, in Indiis Occidentalibus, pro fide Christi occubuit, Franciscus Cortubensis Dominicanus: eo momento, quo Euangelium disseminabat, & conuersionem infidelium

procurabat. quo etiam anno, die 29. Octobris, Florentiæ in Cœnobio S. Catherinæ Senensis, fundatrix eiusdem, Lucia Rucellaia diem clausit extremum, sanctitatis ingens. Camillæ, ex baptismo nomen susceperat: adulta Rudulpho Rucellaio nupserat: à quo ad sanctioris vitæ electionem persuasa, habitum S. Dominici, vna cum marito, in templo S. Marci ex Hieronymi Sauonarolæ manibus induerat. Reuertente ad vomitum marito, & ab eodem ad matrimonii nexum sollicitata, neutiquá redire voluit: quinimo in felici illi, omnẽ admonitionẽ spernenti, multa infausta, spiritu prophetico prædixit: ac virili animo, tribus cum ancillulis in quodam ædicula Sancti Marci templo vicina, seſe concluſit, ad omnem sanctimoniam intenta. Itidem cum Angelicam vitam viueret, ad septuaginta virgines congregauit, easq; flammeo S. Dominici ornatas, Iesu sponso consecrauit: Cœnobiumq; insigne 150. & amplius Sanctimonialium condidit: vsq; hodie mira perfectione effulgens. *Pius de viris, & Sanctimonialibus illustribus Ord. Præd. lib. 1. & 3.*

XXVI. *B. Luciæ Seruitarũ monialiũ fundatricis obitus, acta.*

Eiusdem nominis, altera Lucia, Seruitarum Sanctimonialium apud Bagolinum Tridentinæ Diœcesis oppidum, fundatrix, die 20. Septembris sancto fine quieuit. In eo oppido honestis parentibus nata, ac sanctissimis moribus educata, cũ deuotissima esset B. Virginis, anno 16. ætatis suæ perpetuo virginitatem vouit, ieiuniis, disciplinis, & orationibus semper intenta. Cum ad 26. annum peruenisset, pluries piis Religiosis testata fuit se in sua cella visiones habuisse Beatissimæ Virginis illam hortantis, vt se à seculi commercio abstraheret, quo commodius vitæ spirituali posset vacare. Obtemperauit: & Massia de Macinatis virgine in sociam assumpta, in locum solitarium supra Bagolinũ secessit, ibiq; sub rupe quadam antro reperto, & vtcumq; poterat asseribus circumcluso, quamquam reclamantibus parentibus, asperrimam vitam egit. Ad famam sanctitatis vtriusq; Virginis, cum plurimi ex oppido, & ex vicinia accurrerent, multasq; eleemosynas conferrent, sacellum ad modũ paruæ Ecclesiæ extruere cæperunt: quo sensim aliæ Virgines adolescentulæ concurrere certatim cæperunt. Lucia, per visum à B. Virgine de habitu Ordinis Seruorum suscipiendo admonita, acquieuit, & à Priore Brixiensi animata, eundem ex manibus Deodati Copirolæ Brixien. Vicarii Generalis seruorum induit, atq; Bagolinum reuersa Monasterium pro Sanctimonialibus condidit: in quo post multa sanctitatis eximiæ data exempla, ad sponsum Virginum Iesum euoluit: cum tota ea nocte, in eius cellula dum moreretur, Sorores testatæ sint, vidisse se cum aliis mulieribus præsentibus varios splendores, velut micantia sydera per illam cellulam continuo errantia. De miraculis illius post mortem, multa apud Bagolinum circumferuntur. *A. Gianus. Cent. 3. Annal. Ord. seruorum lib. 6. c. 3.*

XXVII. *Margaretæ Austriacæ obitus & res gestæ.*

Viuebat adhuc hoc anno Margareta Austriaca, Maximiliani eius nominis primi Imperatoris & Mariæ Burgundæ filia, Caroli Delphini Viennensis primum, deinde Ioannis Hispaniarum Principis, & tertio Philiberti secundi Ducis Sabaudiæ coniunx, in tolerandis aduersis constantia patientiaq; mirabili. Hæc Philiberto marito sibi longe charissimo non diu potita, quartas, multis petentibus, aspernata nuptias, Carolum & Ferdinandum fratris sui Philippi filios, suæ commissos fidei pueros, ea cura (tamquam ipse enixa foret) instituit, & eorum regna ditionesq; plurimas licet eas ea administrauit sedulitate, vt ipsa omnibus esset admirationi, illi ea felices amitæ institutione ad imperium ambo peruenire mererẽtur. Bellorum dissidiorumq; causas, pace inter Christianos principes procurata, sustulit sæpissime. Belgio pro Carolo quinto fratris sui filio annis aliquot præfuit, prouinciasq; eas omnes tanta rexit prudentia, ea moderatione, vt num quam magis floruerint. Abbatiam quam Brouziam vulgus vocat, in soceri focusq; (qui facturos id se vouerant) memoriam Sebusiano in solo ex pario solidoq; marmore, sumptibus maximis ædificauit, sodalitiisq; Augustiniani, ad Diui Nicolai Tolentinatis institutum vitam suam efformantes religiosos, in ea collocauit. Præclarum sane opus, & inter celeberrima orbis huiusmonumenta conspiciendum: quod etiamnum, cum summa mortalium omniũ admiratione visitur, ob structuræ artem singularem partim magnificentiamq; partim ob fenestras vitreas, comitum Ducumq; Sabaudiæ omnium à Bertoldo vsq; liberorumq;, & eorum quoq; quibus affinitate iuncti fuere, insignia omnia decenti ordine repræsentantes, vt omittam erectas ipsi Philiberto, duabusq; Margaretis, matri nimirum, coniugiq; eius ornatissimas statuas, & tessellata asarota in superiore Sacræ ædis parte (Chorum appellant) & in ipsius Margaretæ Austriacæ sacello pauimenta, in quibus varia passim antiquitatis monumenta, & ipsius maritiq; eius effigies in tessellis quamplurimis, tres ad summum in quadrum latis digitos, eo artificio ad viuum vna cum vtriusq; titulo symboloq; (Latinis maioribus exaratis litteris) expressas cernere est, vt neminẽ non in admirationem ea res rapiat. Hominum quotquot ad eum veniunt locum videre sese existimant, cum in quam partem templi oculos primum dirigere conueniat dubitent: q̃ vnaquaq; res quantulacumq; ea sit, spectatorem detineat. & in sui rapiat admirationem: adeo & ipsemet Galliarum Rex Franciscus cum ingressus locum, prorsus obstupuerit, nullamq; ea se structura, magnificentia, ornatuq; ædem vmquamq; vidisse testatus sit. *Lambert. Vanderburchius in hist. Princ. Sabaud.*

ANNO CHRISTI M. D. XXI.

LEONIS PAPAE X. ANNO vltim.

CAROLI V. ROM. REGIS ANNO I.

I. *Lutheri scripta & libelli hæterodoxi.*

DEcretum Pontificium superioribus mensibus in Germania euulgatum, tantum abest vt respexerit Lutherus, vt etiam insolentior factus, multa uomuerit contra Pontificem, plurima scripserit contra fidem, longe plura effutierit in Caietanum Cardinalem Sedis Apostolicæ Legatum, adhuc in Germania hærentem, extirpationi hæreseos intentum. Vt autem erat versipellis, perquam multos edidit libros tum Latinos, tum Theutonicos: in quibus ad aucupandam & eruditionis & pietatis gloriam, gratiamque non solum plebium, sed & Principum promerendam, multa bona tum exponendo scripturas, tum adhortando & corripiendo homines, pessimis machinationibus suis admiscebat: adeo, vt plerique etiam magnæ autoritatis viri crederent, illum vero agi & zelo virtutis, & spiritu Dei, ad tollendos hypocritarũ abusus, ad reformandos mores & studia Clericorum, ad erigendos in amorẽ & cultum Dei animos mortalium: quales erant libri isti: Expositio decem præceptorum, De libertate Christiana, Tessaradecas consolatoria, Explanatio orationis Dominicæ, Commentarius in epistolam Pauli ad Galatas, Enarrationes Epistolarum & Euangeliorum per Dominicas Aduentus, Operationes in XX. Psalmos, Expositio septem Psalmorum Pœnitentialium: Item Psalmorum trigesimi sexti, Sexagesimi Septimi, & Centesimi noni: Expositio Cantici B. Mariæ, Magnificat: De bonis operibus ad Ducem Saxoniæ Ioannem fratrem Friderici Electoris, & id genus alia quæ speciem & doctrinæ, & pietatis præse ferre videbantur. Quibus ne amplius Orbem inficeret veterator, nouum in eum edictum Pontifex, initio huius anni strinxit, his verbis conceptum.

LEO Episcopus, Seruus Seruorum Dei. Ad futuram rei memoriam.

Decet Romanum Pontificem, ex tradita sibi diuinitus potestate, pœnarum spiritualium & temporalium, pro meritorum diuersitate, dispensatorem constitutum, ad reprimendum nefarios conatus peruersorum, quos noxiæ voluntatis adeo deprauata captiuat intentio, vt Dei timore postposito, canonicis sanctionibus, mandatisq; Apostolicis neglectis, atque contemptis, noua & falsa dogmata excogitare, ac in Ecclesia Dei nefarium schisma inducere, aut schismaticis ipsis, inconsutilem Redemptoris nostri tunicam, Orthodoxæq; fidei vnitatem scindere sat agentibus, fauorem præbere, assistere, adhærereq; non verentur: ne Petri nauicula sine gubernatore & remige nauigare videatur, contra tales eorumque sequaces acrius insurgere, & exaggeratione pœnarum, & alias opportuno remedio ita prouidere, ne iidem contemptores in reprobum sensum dati, illiq; adhærentes, falsis commentis, ac

subdolis

subdolis eorum malitiis simplicem turbam ita decipiant, ac in eundem errorem & ruinam secum trahant, ac veluti morbo contagioso contamment, & ad maiorem ipsorum damnatorum confusionem, omnibus Christi fidelibus publice ostendere ac palam declarare, quam formidabilium censurarum & pœnarum illi rei existant, ad hoc vt ipsi sic declarati & publicati, confusi tandem & compuncti, ad cor suum redire, & propriæ saluti consulere valeant: cæteriq;, eorum exemplo discant à similibus abstinere, & ab eorundem excommunicatorum, & anathematizatorum prohibita conuersatione & participatione, ac etiam obedientia se penitus subtrahant: vt diuinam vltionem euadant, illorumque damnationis participes minime sint. Sane alias, cum quidam falsi fideicultores, mundi gloriam quærentes, ac (humani generis hoste instigante) quamplures & varios errores, iamdiu per Concilia, & prædecessorum nostrorum Constitutiones damnatos, vtpote hæresim etiam Græcorum, & Bohemorum, vt vidimus & legimus continentes: alios vero vel hæreticos, aut falsos, seu scandalosos, vel parium aurium offensuos, vel simplicium mentium seductiuos nouiter suscitassent, & in inclyta natione Germanica seminassent: Nos nostro prout pastorali incumbebat officio, errorum huiusmodi virus pestiferum vlterius tolerare, seu dissimulare sine Christianæ religionis nota, atque Orthodoxæ fidei iniuria, non valentes: ac huiusmodi pesti, morboque cancerosõ, ne in agro Dominico tamquam vepris nocua vlterius serperet, viam præcludere cupientes: habita super eisdem erroribus & eorum singulis, cum Venerabilibus Fratribus nostris Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalibus, nec non Sacræ Theologiæ & vtriusque iuris professoribus, diligenti discussione & matura deliberatione: cum illi à Catholica fidei traditione, & à vera diuinarum scripturarum recepta interpretatione diuiare, & contra Sanctorum Patrum determinationes, Conciliorumque & summorum Pontificum expressas ordinationes, seu Canones esse, reperti fuissent: Articulos, siue errores ipsos, vt hæreticos, aut scandalosos, seu falsos, aut piarum aurium offensuos, & veritati Catholicæ obtiuantes, de eorundem Fratrum consilio & assensu, & aliorum Prælatorum matura deliberatione, prout in similibus consueuerunt prædecessores nostri, ac Sedes Apostolica procedere, damnauimus, reprobauimus, & omnino reiecimus: & pro damnatis, reprobatis & reiectis ab omnibus vtriusque sexus Christi fidelibus haberi debere decreuimus, & declarauimus: ac omnibus & singulis Christi fidelibus tam laicis, quam Clericis secularibus, & quorumuis Ordinum Regularibus, & aliis quibuscumque personis quauis dignitate, etiam Cardinalatus honore fulgentibus, & aliis Prælatis, ac Conuentibus, & Vniuersitatibus, etiam studiorum Generalium, nec non Regibus, & Imperatoris electoribus Principibus, Ducibus, Marchionibus, Comitibus, Baronibus, Capitaneis, Conductoribus, Domicellis omnibusque officialibus, iudicibus, notariis, Ecclesiasticis & secularibus; Communitatibus, Vniuersitatibus, potestatibus, ciuitatibus, castris, terris & locis, seu eorum vel eorum ciuibus, habitatoribus & incolis, & quibusuis aliis personis Ecclesiasticis vel Regularibus, per vniuersum orbem vbicumque, præsertim in Alemania constitutis, in virtute Sanctæ obedientiæ, & sub excommunicationis latæ sententiæ, ac diffidationis & criminis lesæ maiestatis, & hæreticorum, & fautorum eorundem in iure expressis, ac aliis etiam tunc expressis pœnis, eo ipso, & absque vlteriori declaratione, per omnes & singulos supradictos (si contra fecerint) incurrendis, præcepimus atque mandauimus: ne præfatos errores, aut eorum aliquos, peruersamque doctrinam huiusmodi asserere, affirmare, defendere, prædicare, aut illa quomodolibet, publice vel occulte, quouis quæsito ingenio vel colore, tacite vel expresse fouere præsumerent. Et quia supradicti errores, & plures alii in libellis seu scriptis cuiusdam Martini Lutheri continebantur: libellos ipsos, & omnia dicti Martini scripta, seu prædicationes, quæ in Latino vel quocumque alio idiomate reperiebantur, in quibus dicti errores, seu aliquis eorum continerentur, similiter damnauimus, reprobauimus, atque reiecimus, & pro omnino damnatis, reprobatis, & reiectis haberi voluimus: ac in virtute Sanctæ obedientiæ, & sub pœnis prædictis, omnibus & singulis Christi fidelibus tunc expressis mandauimus, ne huiusmodi scripta, libellos, prædicationes, seu cedulas, vel in eis contenta capitula, errores, aut articulos supradictos continentia legere, asserere, prædicare, laudare, imprimere, publicare, seu defendere, per se vel alium seu alios, directe vel in directe, tacite vel expresse, publice vel occulte, aut in domibus suis, siue aliis publicis vel priuatis locis tenere quoquomodo præsumerent: Quinimo, illa statim post literarum nostrarum super his editarum publicationem, vbicumque forent, per Ordinarios, & alios in dictis literis expressos, diligenter quæsita, publice & solenniter in præsentia Cleri & populi sub omnibus pœnis, in dictis literis expressis comburerent: ipsique Martino, vt ab omni prædicationis officio omnino desisteret: aliosque eum, eiusque adhærentes, complices, fautores, & receptatores requisiuimus & monuimus, in virtute sanctæ obedientiæ, & supradictis pœnis districte præcipiendo mandauimus, vt infra sexaginta dies, quorum viginti pro primo, viginti pro secundo, & reliquos viginti dies pro tertio & peremptorio termino assignauimus: ab affixione in locis tunc expressis, immediate sequentibus numerandos, vt à præfatis erroribus, eorumque prædicatione, & publicatione, & assertione: defensione quoque, & librorum seu scripturarum super eisdem, seu eorum aliquo editione omnino desisterent: librosque & scripturas errores huiusmodi continentes comburerent, vel comburi facerent: ac illos ipse Martinus omnino reuocaret, ac de reuocatione huiusmodi per publica documenta nos certiores faceret: & cum pleno saluo conductu sibi concesso, ad nos veniret, vt de eius vera obedientia omnibus plane constaret: Alias eum, eiusque complices, adhærentes, fautores & receptores, & eorum quemlibet, tamquam notorios & pertinaces hæreticos fuisse & esse declarauimus: eosque vt tales condemnauimus, & eos pro talibus, ab omnibus vtriusque sexus Christi fidelibus haberi voluimus atque mandauimus; eosque his & aliis contra tales à iure statutis pœnis subiecimus, & illos hæreticos fuisse & esse decreuimus & declarauimus. Inhibuimus quoque, sub eisdem pœnis, eisdem Christi fidelibus, ne eius scripta, etiam præfatos errores non continentia, tamquam ab homine Orthodoxæ fidei inimico, vt eius memoria omnino de Christi fidelium consortio deleretur, legere, asserere, prædicare, laudare, imprimere, publicare siue defendere, seu in domibus, aut in aliis locis publicis vel priuatis tenere quoquo modo præsumerent, sed illa comburerent: Ipsosque Christi fideles sub dictis pœnis monuimus, vt ipsos hæreticos declaratos & condemnatos mandatis nostris non obtemperantes, post lapsum dicti termini euitarent, & euitari facerent, quantum in eis esset, nec cum eis commercium aut aliquam conuersationem seu communionem haberent, nec eis necessaria ministrarent. Et pro maiori Martini, fiorumque complicum, fautorum, adhærentium & receptatorum post lapsum termini declaratorum hæreticorum huiusmodi confusione: eisdem Christi fidelibus, Patriarchis, Archiepiscopis, Episcopis, & aliis Prælatis Ecclesiarum, Capitulis & personis Ecclesiasticis, secularibus & Regularibus, exemptis & non exemptis, vniuersis Principibus quacumque Ecclesiastica & mundana fulgentibus dignitate, Regibus, & Imperatoris Electoribus, & aliis tunc expressis per vniuersum Orbem, præsertim in eadem Alemania constitutis, mandauimus, vt ipsi & eorum quilibet, Martinum, complices, adhærentes, receptatores, fautores huiusmodi personaliter caperent, & captos ad nostram instantiam retinerent, vel saltem eos, & eorũ quemlibet à suis Ecclesiis, domibus, Monasteriis, Conuentibus, Ciuitatibus, dominiis, Vniuersitatibus, Comitatibus, castris & terris omnino expellerent: Ciuitates vero, dominia, castra, terras, villas, comitatus, fortalitia, oppida & loca quæcumque vbilibet consistentia, & eorum Metropolitanas, Cathedrales, Collegiatas, vel alias Ecclesias, Monasteria, Prioratus, Domos, Conuentus & loca religiosa vel pia, cuiuscumque Ordinis forent, ad quæ ipsum præfatum Martinum, vel aliquem ex prædictis declinare contingeret, quamdiu ibi permanerent, & triduo post eorum inde discessum Ecclesiastico subiecimus interdicto: nec non Patriarchis, Archiepiscopis, Episcopis, & aliis Prælatis, Capitulis, & aliis personis supradictis, præsertim in Alemania constitutis sub similibus pœnis & censuris mandauimus, vt Martinum, & alios supradictos, si elapso dicto termino, mandato & monitioni nostris huiusmodi non paruissent, in eorum Ecclesiis, Dominicis & aliis festiuis diebus, dum ibi maior populi multitudo ad diuina conueniret, declaratos hæreticos & condemnatos, publice nunciarent, facerentq; & mandarent ab aliis nunciari, & ab omnibus arctius deuitari: ac omnibus Christi fidelibus, vt eos euitarent, pari modo, sub prædictis censuris & pœnis: & literas nostras prædictas, vel earum transumptum, cui vbiq; stari, & plenã fidem adhiberi voluimus, in eorum Ecclesiis, Monasteriis, domibus, Conuentibus, & aliis locis legi, publicari, atq; affigi facerent: Excommunicauimus quoq; & anathematizauimus omnes & singulos, cuiuscumque status, gradus, conditionis, præeminentiæ, dignitatis, aut excellentiæ forent, quominus literæ veleiusmodi transumptum, copiæ siue exemplaria, in suis terris & dominiis legi, affigi & publicari pessent, facerent publice vel occulte, directe vel indirecte, tacite vel expresse, prout in dictis nostris literis desuper confectis, quarum veriorem tenorem haberi voluimus pro expresso: quasque vt ad Martini & aliorum monitorum necnon damnatorum & declaratorũ, ac sub eisdem literis comprehensorum notitiam

deduceren-

deduceretur, in certis in Romana Curia, & aliis extra eam expressis locis affigi & publicari iussimus, & per Cursores in dicta Curia, extra tamen eam per certos Nuncios nostros id exequi fecimus, ac voluimus, vt illos litera ipsæ post affixionem prædictum perinde arctarent, acsi eis eadem litera personaliter intimatæ forent, plenius continetur.

Cum autem (sicut accepimus) licet post literarum affixionem & publicationem post elapsum termini, seu terminorum huiusmodi in literis per nos præfixi huiusmodi seu præfixorum (quos quidem terminos elapsos fuisse, & esse, omnibus Christi fidelibus & per præsentes significamus, & fidem facimus) nonnulli ex eis, qui einsdem Martini errores secuti fuerunt, ipsarum literarum ac monitionum & mandatorum nostrorum notitiam habentes, spiritu sanioris consilii ad cor reuersi, errores suos confitentes, & hæresim in manibus nostris abiurantes, & ad veram fidem Catholicam se conuertentes, absolutionis beneficium, iuxta facultatem eisdem Nuncijs desuper concessam obtinuerit, & in nonnullis ciuitatibus & locis dictæ Alemaniæ, libri & scripturæ dicti Martini iuxta mandata nostra publice cremati fuerint: tamen ipse Martinus (quod non sine grani animi molestia & mentis nostræ perturbatione referimus) in reprobum sensum datus, non solum errores suos infra præmissum terminum reuocare, & de reuocatione huiusmodi nos certiores facere, seu ad nos venire contempsit: verum tamquam petra scandali peiora prioribus contra nos, & hanc sanctam Sedem, & fidem Catholicam scribere & prædicare, & alios ad hoc inducere non veritus, propter quod, sicut iam ipse hæreticus est declaratus, ita & alii etiam non parue authoritatis & dignitatis, propriæ suæ salutis immemores ipsius Martini pestiferam hæreticorum sectam publice, & notorie sequentes, eique palam & publice auxilium, consilium, & fauorem subministrantes, ipsumque Martinum in suis inobedientia & contumacia confouentes, & alii publicationem dictarum literarum impedientes, pœnas in dictis nostris literis contentas damnabiliter incurrerunt: & hæretici merito sunt habendi, atq; ab omnibus Christi fidelibus euitandi, dicente Apostolo: Hæreticum hominem, post vnam & secundam correctionem deuita: sciens quia subuersus est, qui eiusmodi est, delinquit, cum sit proprio iudicio condemnatus. Vt igitur cum Martino & aliis hæreticis excommunicatis, & anathematizatis, & maledictis merito copulentur, & sicut in delinquendo dicti Martini pertinaciam sequuntur, ita pœnarum & nominis participes fiant secumque Lutheri vocem & debitas portent pœnas cum prædicta adeo manifesta & notoria sunt effecta, & permanentia, ita vt nulla probatione, aut monitione, vel citatione indigeant, prout sic fore decernimus & declaramus: Martinum, & alios qui eundem Martinum in sito prauo & damnato proposito obstinatum sequuntur, ac etiam eos, qui eum præsidio militari defendunt, custodiunt, & propriis facultatibus, vel alias quomodolibet sustentare non verentur, ac auxilium, consilium, vel fauorem quouis modo præstare & subministrare præsumpserunt & præsumant: quorum omnium nomina & cognomina, & qualitates, etiamsi quauis celsa vel grandi præfulgeant dignitate, præsentibus voluimus haberi pro expressis, ac si nominatim exprimerentur, ac in illorum publicatione vigore præsentium faciendo nominatim exprimi possent, decernimus excommunicationis & etiam anathematis, nec non maledictionis æternæ & interdicti, ac in eos & eorum descendentes, dignitatum, honorum, & bonorum priuationis & inhabilitationis ad illa: nec non bonorum confiscationis, & criminis læsæ maiestatis, & alias sententias, censuras & pœnas, etiã in hæreticos à canonibus inflictas, in dictis literis contentas damnabiliter incidisse: Ciuitates quoq; terras, castra, oppida & loca, in quibus pro tempore tunc fuerint, & ad quæ eos declinare contigerit, ac quæ in illis sunt Ecclesias, etiam Cathedrales & Metropolitanas, Monasteria, & alia religiosa & pia loca, etiam exempta, quocumq; Ecclesiastico interdicto suppositæ esse ita, vt illo durante, illis, prætextu cuiusuis indulti Apostolici, præterquam in casibus à iure permissis, & in illis, non alias quam ianuis clausis, ac excommunicatis & interdictis exclusis, nequeant missas & alia diuina officia celebrari: Apostolicæ auctoritate tenore præsentium declaramus: illosq; pro excommunicatis, & anathematizatis, maledictis, interdictis, priuatis, & inhabilibus vbicumq; locorum denunciari, & publicari, ac ab omnibus Christi fidelibus arctius euitari præcipimus & mandamus. Et vt in omnibus tantum in Dei & Ecclesiæ suæ vilipendium, Martini & sequacium, & aliorum inobedientium obstinatæ temeritatis audacia innotescat, ne morbida pecus gregem inficiat, parsq; sincera ad infectionem trahatur, vniuersis & singulis Patriarchis, Archiepiscopis, Episcopis Patriarchalium, Metropolitanarum, Cathedralium & Collegiatarum Ecclesiarum Prælatis, Capitulis & personis Ecclesiasticis, & quorumuis Ordinũ etiam Mendicantium Religiosis exemptis vbilibet constitutis, in virtute Sanctæ obedientiæ, & sub dictæ excommunicationis latæ sententiæ pœnis mandamus: quatenus ipsi, & postquam vigore præsentium requisiti fuerint, infra tres dies, quorum vnum pro primo, & alium pro secundo, & reliquum pro tertio & peremptorio termino, ac canonica monitione præmissa assignamus, eosdem Martinum, & alios excommunicatos, anathematizatos, maledictos & hæreticos declaratos, aggrauatos, interdictos, priuatos & inhabiles, & in præsentium executione nominatos, in eorum Ecclesiis, Dominicis & aliis festiuis diebus, dum maior inibi populi multitudo conuenit ad diuina, cum Crucis vexillo, pulsatis campanis & accensis candelis, ac demum extinctis, & in terram proiectis, & conculcatis, cum trina lapidum proiectione, aliisque cæremoniis in similibus obseruari solitis, publice nuncient, & faciant, & mandent ab aliis nunciari, & ab omnibus Christi fidelibus arctius euiteri. Ad maiorem insuper præfati Martini, aliorumq; hæreticorum supradictorum adhærentium, & sequacium, & fautorum confusionem, in virtute sanctæ obedientiæ mandamus omnibus & singulis Patriarchis, Archiepiscopis, Episcopis, & aliarum Ecclesiarum Prælatis, vt sicuti ipsi ad sedandum schisma, autore Hieronymo) constituti fuerunt: ita nunc vrgente necessitate, prout eorum incumbit officio, constituant se murum pro populo Christiano, non tacendo, tamquam canes muti non valentes latrare, sed incessanter clamando, & exaltando vocem, & prædicando, & prædicari faciendo verbum Dei, ac veritatem fidei Catholicæ contra damnatos articulos, & hæreticos supradictos. Nec non omnibus & singulis Parochialium Ecclesiarum Rectoribus, ac Religiosis quorumque Ordinum, etiam Mendicantium, exemptis & non exemptis, vt præmittitur, similiter in virtute Sanctæ obedientiæ mandamus, vt sicut ipsi nubes à Domino constituti sunt, ita spiritualem imbrem in populo Dei seminare, & contra supradictos articulos, vt præfertur, damnatas, sicut etiam eorum incumbit officio, publice prædicare non vereantur. Scriptum est enim, quod perfecta charitas foras mittit timorem. Vos igitur & vestrum singuli onus tam meritorii negotii deuota mente suscipientes, vos in illius executione sic sollicitos, ac verbo & opere studiosos, atque diligentes exhibeatis, quod ex vestris laboribus, diuina vobis fauente gratia, sperati fructus eueniant, ac per solicitudinem vestram, quæ causas pias gerentibus pro retributione debetur, palmam gloriæ non solum consequi mereamini, verum etiam apud nos & Sedem prædictam, non immerito valeatis de exacta diligentia vestra vberius commendari.

Verum quia difficile foret præsentes declarationis & publicationis literas ad præsentiam & personam propriam Martini, & aliorum declaratorum & excommunicatorum huiusmodi personaliter deducere, propter eis fauentium potentiam: volumus, vt affixio & publicatio præsentium literarum in valuis duarum Cathedralium, seu Metropolitanarum, aut vnius Cathedralis & alterius Metropolitanæ in dicta Alemania consistentium Ecclesiarum, per vnum ex Nunciis nostris ibidem existentibus facta, ita eos liget & arctet, Martinumque & alios declaratos, & damnatos huiusmodi demonstret, in omnibus & per omnia, ac si eis & eorum cuilibet personaliter intimatæ & præsentatæ fuissent. Et quia etiam difficile foret præsentes literas ad singula quæque loca deferre, in quibus earum publicatio necessaria foret, volumus, & præfata auctoritate decernimus, quod earum transumptis, sigillo alicuius Prælati Ecclesiastici, seu ex Nunciis nostris prædictis munitis, & manu alicuius publici Notarii subscriptis vbique stetur, prout præsentibus originalibus literis staretur, si essent exhibitæ vel ostensæ. Non obstantibus Constitutionibus & ordinationibus Apostolicis, ac omnibus illis, quæ in prioribus literis numeris prædictis voluimus non obstare: cæterisque contrariis quibuscumque.

Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ constitutionis, declarationis, Præcepti, mandati, assignationis, voluntatis & decreti infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem Omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri & Pauli Apostolorum eius, nouerit incursurum. Datum Romæ apud S. Petrum anno Incarnationis Dominicæ M. D. XXI. III. Nonas Ianuarii. Pontificatus nostri anno VIII. De Curia. De. de Comitibus.

II. Præter hæc Pontifex, Carolo Cæsari scripsit, ac per Caietanum Cardinalem Legatum admonuit, vt in causa Lutheri, Catholicum se Regem esse factis demonstraret, & quacumque ratione posset, pestiferum dogma quidem extirpari, Lutherum vero aut ad sanam mentem reuocari, aut si istud minime assequeretur, castigari curaret: inque Comitiis Wormatiam indictis, negotium fidei Orthodoxæ atque Ecclesiæ Catholicæ inprimis & ante omnia

cordi

cordi haberet. Enimuero hoc anno incunte, Carolus, prima Comitia VVormatiæ celebrauit, præsentia Electorum omnium, & multorum Principum, Comitum, Baronum, Legatorumque longe celeberrima, Monuerat inter hæc Fridericus Elector Lutherum, de consilio Cæsaris, quòd nimirum in his Comitiis, ipsius quoque causa in consultationem ventura esset: cui ille respondit literis 25. Ianuarii scriptis: pergratum sibi fore, si negotio manum admoueret Cæsar, cui se commendari petiit, atque hoc apud eundem effici, vt huius rei cura viris quibusdam ex vtroque genere bonis, doctis, & sacrarum literarum peritia sufficienter instructis committeretur, qui causam hanc vna secum cognoscerent atque expenderent. addensi se paratum venire VVormatiam, modo de securitate literas idonee sibi caueretur. Quia vero Fridericus nouo Cæsari causam hanc omnino cordi esse videbat, per literas denuo Lutherum admonuit, vt capita quædam à Pontifice nuper damnata reuocaret ad mandatum Cæsaris, & viam ad restinguendum hoc incendium propositam ingrederetur. Ille datis vicissim ad Electorem literis, principio quasi nonnihil emollitus, vel subactus authoritate Principis, Ecclesiam Romanam, *ait*, se paratum humiliter venerari, eoque habere loco, vt in cælo & in terra nihil illi præferat, præter solum Deum, eiusq; verbum: quin & animo libente reuocaturum errores, si particulatim in scriptis suis demonstrentur. Nam vt omnia promiscue reuocet, fieri prorsus non posse. habere se in votis, vt Iudex constituatur non suspectus, qui cognoscat causam hanc, & quod æquum sit decernat: nec recusare, quin id muneris Archiepiscopo Treuirensi, vel Cardinali Salisburgensi, aut Philippo Frisingensi, aut Naumburgensi Episcopo demandetur. Post multa concludit tandem: si non conuictus argumentis, inuitus ad palinodiam adigatur, reuocaturum se verbo quidem, verum addita declaratione, quod aliud corde credat, aliud ore confiteatur.

Leo X. Pontifex Carolo V. de Luthero apprimendo scribit.

III. *Lutherus in Comitiis VVormatiensibus accusatur.*

Postquam vero Principes VVormatiam conuenerunt, iamque factum esset Comitiorum initium, Hieronymus Aleander Summi Pontificis Nuncius, vir doctus, eloquens, & præter cætera etiam Græcæ & Hebraicæ linguarum peritissimus, multis verbis coram Cæsare & Principibus, grauissime accusauit Lutherum hæreseos, impietatis, blasphemiæ, læsæ diuinæ & Pontificiæ Maiestatis, rebellionis, seditionis ac schismatis: simulque de periculo monuit, quod Ecclesiæ, simul & Imperio Germanico à Lutheri furiosis machinationibus impenderet, cuius scripta non hæresim modo, impietatem & blasphemiam, sed & seditionem aduersus omnem, etiam secularem potestatem spirarent. Hæc cum Aleander nomine Pontificis identidem repeteret, atque inculcaret, non defuerunt inter Principes, qui per inuidiam, & vindictæ studio potius quam zelo iustitiæ, vel pietatis, in Lutherum ista dici putarent: donec tandem ex libro Lutheri de Captiuitate Babylonica, recens tum edito, excepisset articulos quosdam plus minus XL. In quibus Lutherus, non solum ritus & Sacramenta Ecclesiæ, verum etiam leges Principum, & quaslibet Constitutiones hominum reiicere, conculcare, damnare ausus fuit. Quales sunt: Neganda esse septem Sacramenta, & tantum tria pro tempore ponenda, Transubstantiationem in Sacramento Altaris pro humano figmento haberi, quia nulla scriptura, nulla ratione nitatur, Manifestum ac impium errorem esse, Missam pro peccatis, pro satisfactionibus, pro defunctis, aut quibuscumque necessitatibus suis aut aliorum offerre, seu applicare. Digne communicare eos solos, qui tristes, afflictas, confusas & erroneas habent conscientias. Baptismum neminem iustificare, nec vlli prodesse: sed fidem in verbum promissionis, cui additur Baptismus. Neque Papam, neque Episcopum, neque vllum hominem habere ius vnius syllabæ constituendæ super vnum Christianum hominem, nisi id fiat eiusdem consensu. Hoc esse vere hominum seruos fieri, statutis & tyrannicis eorum legibus subiici. Christianis nihil vllo iure posse imponi legum, nisi quantum volunt, cum sint liberi ab omnibus, &c. Hos ergo & id genus multos Lutheri articulos impios & seditiosos, cum ex scheda recitasset, & tamquam esculenta frusta Lutherani vomitus omne scelus redolentia exposuisset Aleander, atque disertissime & grauissime in eos exclamasset, Principes, qui eum librum nuper editum nondum viderant, ncq; de Luthero aliquid tale suspicabantur, vehementer exterriti atq; commoti, alter alterum intuebantur, atq; in Lutherũ eiusq; fautores murmurare cœperunt. Quod vbi sensit Fridericus Elector, declinandæ inuidiæ gratia, ne scilic. Ecclesiæ vastatorem, & hominem impiũ, huiusmodi ferentem dogmata patrocinio suo fouere videretur, dixit: eos articulos non esse Lutheri, sed in eius odium ab aduersariis effingi. Orta itaq; contentione, dum hic negaret, ille affirmaret articulos Lutheri esse, visum est Cæsari & Principibus, Lutherum VVormatiam euocandum esse, scisciturandumq; ex ipso præsente: Num libros hactenus editos ipsius nomine pro suis agnosceret, tum, an errores per Pontificem Maximum in Bulla condemnatos reuocare vellet, quos contra fidem à maioribus per manus traditam in iisdem libris asseruisset. Tum vero longa consultatio difficilisq; disceptatio inter Imperii Proceres exorta est, qua cautione, quibusq; conditionibus adducendus ille foret, Lutheri enim patronis, solius Cæsaris fides publica, quantumuis sancto iureiurando litterisque & sigillo firmata, non videbatur sufficere. Timebant enim, ne forte, vbi aduenisset, ab illo traderetur in manus Romani Pontificis, aut ipse eum velut iam hæreticum damnatum declaratumque vltimo traderet supplicio, cum tamquam perfido nulla esset amplius fides seruanda. Multis res nimium indigna visa est, vltra Cæsaris fidem quippiam aliud desiderari, pro vnius perduellis & impii Saluo conductu. Cum autem iam grandis vndique per Germaniam fere vniuersam excitata esset in populis per Lutheri libros in Clericos animorũ commotio, vt res à tumultu & seditione parum abesse videretur, permisit Cæsar, vt pro saluo conductu eundi & redeundi, non nulli Principum suam quoque cum ipso interponerent fidẽ. Igitur sub finem Martii missus est VVittembergam Caspar Sturmius Oppenheimius fecialis Cæsaris, qui Lutherum sub fide publica VVormatiam euocaret. Habebat is secum à Cæsare literas salui conductus, vt vocant, quibus Luthero de securitate cautum erat: ea conditione tamen, vt à concionibus habendis in itinere prorsus abstineret. Addiderunt suas quoque literas Fridericus Elector cum Ioanne fratre, tum Georgius Saxoniæ Duces, vt de fide publica tanto securior esset Lutherus, neq; vllam haberet tergiuersandi causam. Cum his literis Sturmius VVittembergam venit 20. Martii, eaque Luthero statim obtulit: qui cognita Cæsaris & Principum voluntate, Hieronymum Schurffium Iuris Doctorem & Professorem ordinarium elegit, quem in Comitiis assistentem haberet. Huic & Iustum Ionam adiunxit, & Nicolaum Amsdorffium, cum quibus conscenso curru, sub initium Aprilis in viam se dedit. Quacumq; iter faciebant, frequens erat concursus hominum videndi Lutheri studio. In diuersoriis multa propinatio, multa ad æquales haustus compotatio, Musices quoq; gaudia: adeo vt Lutherus ipse alicubi sonora testudine ludens, omnium in se oculos conuerteret, velut Orpheus quidam, sed qui homines dementaret, inq; animalia ventris mutaret. Plausibile enim Euangelium, non à pœnitentiæ, quem admodũ Christi, prædicatione, sed ab his mundi oblectamentis, crapula, cõfessationibus & ebrietatibus ordiendum erat.

Lutherus VVormaciam citatur.

IV. Cum Erphordiam venisset, ad Augustinianorum Monasterium diuertit, vetus domicilium, in quo Eremitani instituti habitum non animum induerat. Quamuis autem ea lege Saluum conductum ei Cæsar dedisset, vt in itinere nusquam concionaretur, nec quicquam scriberet: ipse tamen insignis legum humanarum contemptor, Erphordiæ Dominica prima post festum Paschalis, quæ hoc anno in septimum Aprilis diem incidit, Concionem ad populum habuit, eamque typis excussam in vulgus sparsit: scilicet vt ad multos præclara illa contra bonorum operum merita, contra Pontificem Romanum, contra Clerum, contra leges humanas doctrina peueniret. Hanc rem Sturmius caduceator, qui iam tum Lutheri partibus secreto fauebat, suauiter dissimulauit: quamquam nouerat in literis Salui conductus cautum, vti diximus, ne Lutherus vspiam in itinere conciones ad populum haberet. Cæterum ingens hominum multitudo confluxit ad hanc Concionem, in qua contigit quiddam memoratu dignum, quod magnam populo trepidationem incussit. Templi pars quædam editior, in medio Concionis cursu, subito tremefacta est & concussa, editoq; ingenti strepitu moueri cœpit, quasi ruinam minaretur. Populus quiconfertim eo loco se conglobarat, inopinata re vehementer territus fuit: atque hoc vnum cogitabant omnes, vt fuga ruinam anteuerterent. Tanta vero trepidatio fuit, vt quidam fene-

stras

stras vitreas iam excuterent, saltu per eas euasuri, nisi Lutherus impetum repressisset. Monuit enim auditores, vt manerent, & præsenti essent animo: Dæmonem spectrum hoc & terriculamentum excitasse: nihil ab eo periculi futurum. Ita paulatim motus sic conquieuit. Narrat historiam hanc in libro de cursu vitæ suæ Daniel Gresserus, Superintendens Dresensis, non infimi subsellii vir inter Lutheranos, seq; cum id temporis Erphordiæ moraretur studiorum causa, concionem hanc audiuisse memorat. Inter cætera quæ Lutherus in ea Concione de bonis operibus, de Constitutionibus humanis, de peregrinationibus, de variis Monachorũ institutis, in contumeliam Religionis Catholicæ, pro vulgi pruritu morderaciter effutiuit, multa quoq; petulanter dixit in Ecclesiasticos & Sacerdotes Catholicos, quorum in ea vrbe magnus erat numerus. In hos non diu post, quam Lutherus Erphordia discessit, mense Iunio nimirum, ingens exorta fuit seditio, quam dubium non est, quin linguæ flabello per concionẽ hanc Lutherus excitarit. Res per studiosos cœpta primum, quibus vilissimi quiq; de fece vulgi sese coniunxerunt. Canonicorum domus per vim expugnatæ, direptæ, expilatæq; ablata suppellex omnis generis, mensæ, lecticæq;, & quæ sunt hoc genus alia, concisa frustillatim, & in plateas tumultuanter eiecta: cereuisia & vinum belluino more potatum, & quod ingluuies non capiebat, vasis fractis effusum: scissi lecti, & plumæ è fenestris domorum in aërem effusæ, quæ per totam vrbem volitarunt instar densæ nubis, & paulo post longe lateque solum ipsum operuerunt. Ad hunc modum quinquaginta Canonicorum domus vna nocte direptæ: è quibus septem incensæ solotenus conflagrarunt. Hæ primitiæ fuerunt illius spiritus, qui Luthero ex cathedra docente commouit templum, & in animos auditorum collapsus, paulo post excitauit seditionem hanc, eaque re præsagium dedit, quid in templo Dei, in orbe Christiano per hominis illius doctrinam machinaretur.

V. *Lutherus VVormaciam venit.*

Ingressus est VVormaciam Lutherus ad decimum sextum Aprilis, ibiq; mansit vsq; ad vigesimum septum eiusdem mensis diem. Quid autem Wormaciæ cum eo actum sit, ipsemet descripsit, sed parum integra fide: quippe cum esset laudis cupidissimus, omnia in gloriam suam retulit, falsa veris admiscens. Vtque minus impudens videretur sui ipsius laudator, effinxit tertiam personam loquentem & omnia recitantem. Alicubi tamen nimio laudis desiderio præoccupatus, omissa tertia persona ait, *Hic ego.* Item, *Orator Imperii dixit, me non ad rem respondisse &c.* Ex quibus sane verbis, Lector non omnino stupidus intelligit, ea acta ab ipsomet conscripta fuisse: quamvis etiam stylus & secreta ipsius colloquia, quæ ibi narrantur, idipsum plane indicent. Ita de seipso in exordio actorum suorum Lutherus; Feria tertia post Dominicam Misericordia Domini, D. Martinus Lutherus, professione Augustinianus, VVormaciam inuectus est, Anno post Millesimum quingentesimum vigesimo primo, vocatus à Carolo Imperatore, eius appellationis Quinto. Cum ante triennium paradoxa quædam disputanda proposuisset VVittembergæ vrbe Saxonum, D. Martinus Lutherus, aduersus tyrannidem Romani Episcopi, quæ lacerata sunt interim & exusta à multis, à nullo tamen aut Scripturis, aut ratione conuicta: cœpit res ad tumultum spectare, vulgo causam Euangelii aduersus Clericos tuente. & ob id bonum videbatur, instigantibus Romanis legatis, vt accerseretur homo à Feciali Cæsareo, & literis Salui conductus, in hoc à Cæsare & Principibus datis. Accersitur, venit, ac diuertit in Curiam Rhodiensium, vbi hospitio collectus est, & à multis Comitibus, Baronibus, Equitibus, auratis, nobilibus, Sacrificis & prophanis in imam vsque noctẽ salutatus ac requisitus. Hæc de seipso homo vanus & prophanus. Postridie quam ingressus est vrbem, circa quartam pomeridianam, in conspectum Cæsareæ Maiestatis, & Principum ac Ordinum Sacri Imperii perductus, venit. & principio quidem mandatum illi, ne quod verbum proloqueretur, nisi interrogatus. Deinde Cæsaris & Ordinum mandatu, Ioannes ab Eck, non ille Theologus Ingolstadiensis, sed Iurisconsultus, vir eloquens, Officialis Generalis Archiepiscopi Trevirensis, Latine primum, deinde & Germanice Lutherum allocutus est in hanc sententiam: Martine Luthere, Cæsarea Maiestas duo quædam ex te scire vult, quæ in causa fuerunt, vt hoc te iuberet accersiri. Primum est, An libros omnes hactenus sub nomine tuo euulgatos, pro tuis agnoscas? Alterũ, an quicquam eorũ reuocare velis, quæ contra Decreta Conciliorum, & religionem à maioribus per manus traditã in iisdem libris scripta continentur? Astitit Luthero Hieronymus Schurffius Iurisconsultus, qui recitari librorum titulos postulauit. quod cum factum esset, Lutherus omnes pro suis agnouit, quorum inscriptionem legerat Eccius ex fasciculo conuoluto. Ad alterum caput quod attinet, an reuocare vellet ea, quæ in libris illis asseruisset? Tempus sibi concedi petiit ad deliberandum, rem asserens arduam esse magniq; momenti, de qua necesse haberet pressius cogitare. Re in consessu deliberata, respondit Eccius: & si satis intellexerit ex mandato Cæsaris, in quem finem accersitus esset: ideoq; dignus non sit, cui longior ad deliberandam mora concedatur: Cæsarem tamen pro ingenita benignitate diem vnum indulgere, verũ ea conditione, vt postridie circa hoc idem tempus se sistat præsentẽ, & ad propositam quæstionem, non scripto, sed viua voce respondeat. Ita dimissus tum quidem, & per fecialem ad hospitium reductus est. Vbi postridie rediit ad tempus constitutũ, Ordines aliis consultationibus occupatos inuenit. Itaq; foris in aula publica fuit expectandum, donec Cæsar & Principes ex interiori conclaui prodirent in locum publici consessus: quod demum circa sextam vespertinam factum est. Ibi Cæsaris Orator Eccius ingenti hominum turba circumfusa, Lutherum alloquutus Latine primum, deinde & Germanice, tempus effluxisse dixit, quod ad deliberandum pridie concedi rogarit: responderet igitur nunc demum, An libros hesterno die pro suis agnitos in vniuersum tueri velit: an vero, quæ contra definitiones Conciliorum, & religionem à maioribus per manus acceptam, in iis asseruisset, reuocare. Lutherus ad hæc prolixo verborum ambitu respondit, libros suos in triplici esse differentia: quosdam didacticos esse, scriptos simpliciter, ad informandum populum de fide & pietatis doctrina, & deque moribus Christiana professione dignis. Hos vel aduersariorum iudicio vtiles, & piis mentibus innoxios censeri: quos si retractare institueret, ipsam proculdubio veritatẽ pro deret ac damnaret: Deinde quosdam à se libros editos, in quibus Papatum (vt loquebatur) & Papistarum dogmata reprehendebat: cuius rei cum iustas habuerit causas, nec id genus scripta sibi videri retractanda, ne stabiliret tyrannidem Pontificiam, & impietatem aduersariorum confirmaret. Tertii generis esse libros quosdam polemicos, editos in lucem aduersus antagonistas, qui Romanã tyrannidẽ tueri conati sint, & traditam à se veritatis doctrinã opprimere. Quamquã vero se vehementiorẽ in libris illis fuisse, & duriorem fateatur, quam Christianum, maxime vero religiosum decuerit: tamen nec eos sibi retractandos esse, ne furorem aduersariorum & tyrannidẽ probare videatur. Interim se non Deum esse, sed hominem erroribus obnoxium, quod si forte à veritate deflexerit, atq; is error à propheticis & Apostolicis scriptis demonstretur, reuocaturum se continuo, nec recusaturum, quin primus omnium libellos suos flammis iniectos aboleat.

Lutherus examinatur.

VI. *Lutheri ad quæstiones sibi in Comitiis propositas responsio.*

Cum in hanc sententiam locutus esset, Cæsareus Orator Eccius, responsionem hanc ad rem non facere dixit: Vocasse eum in dubium illa, quæ iampridem in Conciliis Generalibus legitime definita sint, & publico Christiani Orbis consensione firmata. Itaque simplex, rotundum, & cathegoricum responsum ab eo requiri, Velit nec ne reuocare, quæ contra communem Ecclesiæ doctrinam, & religionem à maioribus acceptam, in libris suis asseruerit: Tum Lutherus: Quoniam Cæsarea Maiestas & Principes simplex & planum responsum desiderent, huiusmodi se daturum, ait, quod nec cornutum sit, nec dentatum. Nisi manifestis Scripturæ Sacræ testimoniis, & apertis dilucidisque rationibus erroris conuincatur, nec posse se reuocare, nec velle. Se nec Pontifici Romano fidem adhibere, neque Conciliis, quæ frequenter errarint, & sibi ipsis contradixerint, quemadmodum manifestum sit & satis apertum.

Audita hac responsione, Cæsar & Principes consultandum censuerunt. Cumq; negotium aliquam diu diligenter expendissent, Eccius tandem, nomine Cæsaris & Ordinũ increpauit Lutherum, quod insolentius respondisset, & minus modeste, quam personam ipsius deceret. quæ de librorum suorum discrimine dixerit, ea non dirigi ad scopum propositæ quæstionis: ideoq; ad rem ipsam, quæ sub manibus sit, non pertinere. Si reuocasset errores, & libros retractasset, quibus

ii maxima parte continentur, Cæsarem pro innata clementia permissurum non fuisse, vt vim paterentur reliqui tractatus, qui ab errorum contagii essent immunes. Errare Lutherum toto cœlo, quod dogmata quondã in Generali Concilio Cõstantiensi damnata resuscitet, idq; sub scripturæ sacræ prætextu. Quod si cuiuis ea sit indulgenda libertas: vt quæ per Ecclesiam & Concilia iampridem ante annos centenos aliquot annos legitime definita sunt, in disputationem reuocare liceat, obtentu scripturæ: futurum, vt in religionis doctrina nihil fere certum & legitimum habeamus. Hanc vero fenestram, ad condemnandam Ecclesiæ & Conciliorum autoritatem, non esse omnino aperiendam: Atq; hanc fuisse causam, cur Cæsar, ab illo simplex planumq; responsum postularit: An scilicet decretum habeat, omnia sua tamquam Catholica, Ecclesiæq; conformia tueri: vel, An palinodiam canere velit de quibusdam, quæ contra receptam Ecclesiæ doctrinam asseruisset. Tum Lutherus Cæsarem interpellans rogare cæpit, ne se conscientiæ vinculis astrictum, ad palinodiam compelli pateretur. Responsum quod dederit, minime sophisticum esse, sed planum satis atque apertum: nec aliud à se deinceps expectandum. Non esse vera omnia & certa, quæ per Concilia definita sint. Itaque nihil habere roboris argumentum hoc aduersariorum, quod ab authoritate Conciliorum sumeretur: Ea enim errasse frequenter, & pugnantia definiuisse: quemadmodum promptum sibi sit demonstrare. Orator Cæsareus, paucis, falsum esse respondit, quod de Conciliis generalibus diceret: nec quod errarint, vmquam solide demonstrari posse. Ingruebant iam tenebræ, cum huc ventum esset. Itaque solutus fuit consessus, & Principes ad hospitia sua diuerterunt.

VII.

Postridie, qui decimus nonus dies Aprilis fuit, cum Principes & Ordines rursus consedissent, Cæsar ad conuentum non venit, sed mentem suam de Lutheri causa, scripto suæ ipsius manu propria exarata declarauit, quod ad consessum deferri iussit. Eius hæc erat sententia.

Maiores suos Hispaniæ Reges, Archiduces Austriæ, & Burgũdiæ Duces Principes pietate & zelo Christianæ religionis insignes, obedientes Ecclesiæ Romanæ filios, tum defensores & propugnatores semper fuisse, illiq; non modo fideliter & constanter adhæsisse, vsq; ad extremũ vitæ spiritũ, sed & eiusdẽ Ecclesiæ Decretis, sanctionibus atq; ordinationibus religiose semper obtemperasse. Sed magis præstat verba illius, ex autographo Burgundica lingua concepto, Latine reddita perlegere. Ita scribebat, vt Eccius reddebat, vertebat q;.

Vobis constat, genus me ducere à Christianissimis Imperatoribus à nobili natione Germaniæ, à Catholicis Hispaniæ Regibus, ab Archiducibus Austriæ, à Burgundiæ Ducibus: qui omnes Ecclesiæ Romanæ filii ad mortem vsq; fideles perstitere, semperq; Catholicæ fidei, sacrarũ cæremoniarum, decretorum, ordinationum, Sanctorum morum, pro honore Dei, pro fidei augmentatione, pro animarum salute defensores extitere, qui quidem fato functi, nobis ex instituto naturæ, iureq; ipso hæreditario, sanctas, quas diximus, Catholicas obseruationes, quas per manus traditas, reliquere, vt eorum secuti exempla viueremus, & in iis etiam moreremur. Atq; ita nos, vt pote qui maiorum nostrorum veri imitatores esse volumus, diuina fauente gratia, tenore eodem ad hanc vsq; diem viximus. Itaq; stat sententia, tueri & propugnare quæcumq; tum antecessores mei, tum ego ipse hucusq; obseruaui: id autem vel maxime, quod per antecessores meos, tam in Constantiensi, quam aliis synodis sancitum est. Cum vero in aperto sit, vnum solum Fratrem Hallucinari, priuata opinione deceptum, quæ quidem cum totius Christianitatis sententia pugnet, tam eorum qui ante mille annos nos præcesserunt, quam eorum qui in præsens viuunt: ex cuius quidem opinionis ostentatione, vniuersum Christianum nomen in errore semper versatum esse videretur: eam ob rem plane deliberatũ mihi est, regna mea omnia, imperium, ditiones, amicos, corpus, sanguinem, vitam denique, ipsam & animam impendere, ne prauum hoc incaptum longius progrediatur: quandoquidem in meam haud exiguam, itemq; vestram id cederet ignominiam, qui præclara & cumprimis celebris estis Germaniæ natio; quibus id ad honorem, autoritatem, & prærogatiuam accesit ex priuilegio, vt præcipui iustitiæ obseruatores, Catholicæq; fidei defensores & protectores habeamur. Quod si qua nostris temporibus non solum hæresis, verumetiam hæreseos suspitio, aut vlla Christianæ religionis immutatio in cordibus hominum relinqueretur, id nobis & successoribus nostris perpetuæ vitiuperationi fuerit. Quandoquidem ergo pertinax hesterno die Lutheri responsum coram omnes audiuimus, meam ego vobis sententiam, mentem q; aperio ac testatam facio, pœnitere me quod tam diu distulerim contra hominem illum eius q; falsam doctrinam procedere: illumq; quicquid dicturus aut allaturus sit, nolle amplius audire, decreui. Itibeo autem, vt quam primum ex mandati præscripto reducatur, caueatq; ne ipse ex publicæ fidei ipsi datæ formula, ne amplius publicè & palam concionetur, neue populo praua sua dogmata instillare pergat, neq; demum vllam det operam, vt noui quicquã vsq; excitetur, aut aliquis motus fiat. Equidem sicut iam dixi, constitui accingere me ad procedendum aduersus eum, haud secus atq; contra notorium hæreticum: simulq; à vobis reposco, vt in ista causa id statuatis, quod decet probe Christianos, & vt vos futuros recepistis. Scriptum hoc manu mea, die 19. Aprilis, anno 1521.

VIII.

Hæc Cæsaris tam Catholici & pii sententia, lecta est, non solum Wormaciæ coram vniuersis Principibus & Ordinibus Imperii, verum etiam Romæ postea mense proximo, die x. May. in publico Consistorio coram purpurato Cardinalium Senatu, iussu Leonis Pontificis: & vtrobiq; collaudata est Caroli in fide Catholica constantia, zelusq; pietatis ac religionis auitæ in pectore iuuenili. Quantum vero laudabant illum viri boni, graues ac pii: tantum in occulto criminabantur Lutheriani, obtrectantes, Cæsarem esse puerum, qui nutu & blanditiis Papistarum & Episcoporum, eo quo illi vellent, traheretur. Præcipue vero irascebatur, minisq; & clamoribus frendebant duo ex Germanorũ Poëtis, stemmate quidem auito nobiles & ingenio clari, sed animo maxime ferocës, Vlricus Huttenus Francus, & Hermannus Buschius Westphalus: hostes sane antiqui, hic Theologorum Scholasticorum & Religiosorum, ille Curtisanorum quos vocant, ac Nunciorum Romanæ Curiæ. Inscribebatur itaq; valuis noctu passim per plateas vrbis: *Væ terræ, cuius Rex puer est.* Affigebatur item valuis Prætorii hostilis schedula, in qua fingebantur Cccc. Equites Germani bellũ indicere Cardinali & Archiepiscopo Moguntino, qui per Germaniam inter Imperii Principes Electores Decanus est, loco & dignitate post Imperatorem proximus. nullius tamen Equitis nomen schedulæ adscriptum erat: cæterum in fine comminationis apposita cernebatur seditiosa vox ista Germanica *Buntschuch, Buntschuch, Buntschuch,* quæ significat fœdus populare, seu potius coniurationem cõtra superiores. Atq; vt maior incuteretur Catholicis terror, nõ longe aberat à Wormacia vir nobilis ac potens Franciscus de Sicking, magnã ex militia famam nactus: quippe qui per se bellum intulerat tum Hassiæ Lantgrauio, tum ciuitati Metensi, & vtrumq; hostem grauibus affecerat damnis. Is igitur in arcibus suis, quas munitissimas habebat, ex propinquo consistens, dicebatur collectum habere equitatum manumq; militarem, expectans Lutheranæ causæ exitum, cum Luthero impensissime faueret. Principes igitur & reliqui Ordines Romani imperii, tametsi Cæsaris constantiam pietatemq; laudarent, videntes tamen & in vrbe Wormacia vbi erant, & extra, non solum in propinquis locis, verum etiam in longinquis ciuitatibus Germaniæ, murmurationes & motus plebium, nec non multorum nobilium propensiores in Lutherum animos, orabant Cæsarem, vt illis permitteret deligere quosdã ex Ordinibus imperii, qui tentarent, an flecti possit homo contumacia rigidus, eoq; permoueri, vt posito mẽtis tumore, agnosceret Pontificis authoritatem, & caput in Ecclesiæ sinum reclinaret, damnatosq; à fede Apostolica articulos reuocaret. Cæsar die Aprilis 22. respondit Principibus & Ordinibus imperii: permittere quidem se, vt cum Luthero agant aliqui ex ipsis, periculumq; faciant, an hominem possint ad mentem reducere: hac conditione tamen, vt maturarent negotium, ne Lutherus vltra triduum istic moraretur: Interim protestatus est se in sententia permanere, quam ante triduum scripto declarasset, neq; ab ea discessurum, antequam Lutherum intelligat eiuratis erroribus Ecclesiæ reconciliatum. Dato istiusmodi à Cæsare responso, designati fuerunt ex omnium numero, qui cum Luthero agerent, Richardus Treuirensis Archiepiscopus, & Marchio Brandeburgensis Elector, Augustanus & Brandeburgẽsis Episcopi, tum Georgius Saxoniæ Dux, & Magister Ordinis Theutonici. His adiuncti fuerunt Georgius Comes à Wertheim, & Ioannes Bock Argentinẽsis, tum Doctor Beutingerus Augustanus, & Hieronymus Væus Iuris Doctor, Badensis Cancellarius, cui mandatum est, vt omnium nomine verba faceret. Hi vigesimo quarto die Aprilis in Archiepiscopi Treuirensis hospitio conuenerunt, quo

Lutherus etiam per Fecialem Cæsaris deductus fuit. Vbi confessum est, initium actionis per Cancellarium Badensem factum fuit, qui principio protestatus est, non disputandi gratia conuentum hunc institutum: sed Principes ab Ordinibus delectos permissu Cæsaris, de rebus quibusdã magni momẽti clementer illum & benigne, adeoq; fraterne monere voluisse, idq; non alio, quam veræ charitatis affectu. Deinde sermonem ingressus, de Conciliis Generalibus iniqueLutherum, ait, fecisse, quod ea sugillarit, quasi falsa frequenter decreuerint, & ipsa secum non raro pugnent: quemadmodũ in publico confessu coram ipso Cæsare nimis libere atq; falso asseruerit. Varias quidem à Conciliis ordinationes & Constitutiones pro locorum, temporum, & hominum diuersitate nonnumquam fieri: contrarias vero vel pugnantes numquã nec adeo temere conculcandam aut condemnendam Conciliorum authoritatem, ex quibus multũ boni semper Ecclesiæ prouenisset. Certe horũ beneficio schismati cumprimis impediri, caueriq; ne inconsutilis Christi tunica dissuatur. Temperaret igitur sibi ab huiusmodi contumeliosis vocibus, nec ad eũmodũ Concilia sugillaret, vel in contemptum adduceret, sed illorum authoritati suam opinionem postponeret. Iam & libros Lutheri magnos in populo conciuisse motus. Quosdã ex iis, qui sub initiũ huius contentionis in lucem exierint, non omnino malo zelo scriptos, neq; contemnendos videri: at posteriores longe aliũ spirare geniũ. Futurũ autem, vt de causa ipsius non ex primis illis quæ moderata videntur, sed ex his posterioribus scriptis iudicetur: quemadmodũ arborem, non ex floribus, sed ex fructibus agnosci oporteat & iudicari. Hortari Principes, vt hæc diligenter secum expendat: cogitet obtemperandum iis esse, quos Deus legitime vocatos ad Ecclesiæ Reipublicæq; clauum collocarit; nec fuiipsius fiducia securus eo præceps ruat, vt suas opiniones sanis aliorum consiliis anteponat. Habeat rationẽ honoris, conscientiæ, salutis suæ: cogitet in quæ pericula non modo seipsum, sed Ecclesiam, & Imperiũ quoq; sit cõiecturus, nisi deposita pertinacia sanam mentem induat, & relictis erroribus, Ecclesiæ reconcilietur. Lutherus adhæc, se gratias, ait, quam possit maximas agere pro sollicitudine benignoq; affectu, ex quo non dubitet admonitionem hanc proficisci. Indignum esse se, quem tanti Principes tam benigne, tamq; clementer admoneant. Ad rem ipsam cp spectet, non omnia se Concilia reprehendisse, sed Constantiense tantum, quod in Hussi quadam assertione de Ecclesia, verbum Dei cõdemnarit, & articulum fidei, quo sanctam Ecclesiam Catholicam nos credere profitemur. Quod doctrina sua motus excitarit, id se, quin fieret præstarenõ potuisse: cũ Christus in signũ positus sit cui contradicetur, & in multorum ruinam. Non ignorare se, quod Magistratui sit obtemperandum: tum quod non deceat inniti prudentiæ suæ & conceptis opinionibus adhærescere: nec recusare, quin obtẽperet in rebus omnibus, modo ne Dei verbum reuocare, vel abnegare cogatur. In hunc enim casum, Deo magis quam hominibus obediendum. Hæc Lutherus, sibi semper & vbiq; similis, vano verbi Dei prætextu ludens, quo deinceps per omne tempus, impios & antea sæpe damnatos Vualdensium, wicclephitarum & Hussitarum errores, Germanorum plurimis obtrusit, vendidit, inculcauit, persuasitq; : quandoquidem vt constat, vtq; pius & eruditus Pontifex Ioannes Fischerius Episcopus Roffensis in Anglia, paulo post, satis clare & copiose prolixo volumine ostendit, nullus articulorum Lutheri, quos in suo decreto summus Pontifex Leo damnauit, habetur in sacris scripturis, aut est verbum Dei. Quod assertionem Hussi attinet, affirmabat proterue : Ecclesiam esse tantum prædestinatorum : nimirum, vt prælatos malos, & peccatores damnandos, quantumuis baptizatos & Christianos, ex Ecclesia eiiceret, neq; Ecclesiæ militantis membra esse, obtineret. Istud porro, si verbum Dei esse Lutherus cõtendebat, toto cælo aberrabat, quandoquidem illa sententia à Constantiensi Concilio damnata, adeo non est verbum Dei, aut in scriptura sacra continetur, vt contrarium ex sacris scripturis manifestissime appareat: præcipue vero ex parabolis Christi de tritico & Zizania in eodem agro: de sagena missa in mare, & ex omni genere piscium cõgregante: de decem virginibus, ex quibus quinque fuerunt prudentes, & quinque fatuæ. Sanctus quoque Paulus, dum Ecclesiam militantem Domum esse nuncupat, in ea numerat, alia vasa in honorẽ, alia in contumeliã: & quidẽ sempiternã. Sed Luthero placuit Hussum cõsectari, & scandalosa illius dogmata, verbũ Dei mentiri: vt Prælatos & Magistratus omnes, quibus non difficile erat flagitia affingere, atque imponere, ex Ecclesia eiiceret, adeoq; ipsi, quicquid perpetrasset, impune foret.

IX. Aderat tunc wormaciæ Ioannes Cochlæus, Ecclesiæ B. M. Virginis Francofordiæ ad Mænum Decanus, qui Lutherum illac transeuntem subsecutus, venerat eo priuatim & vltro, à nemine vocatus. Venerat verò non aliam ob causam, quam vt pro fide & honore Ecclesiæ, corpus & vitam suam in extremum, si opus foret, periculum exponeret. Magno enim vrebatur zelo, tam pro Sacramentis Ecclesiæ, quæ Lutherus in Babylone sua, vel reiecerat omnino, vel prophanauerat pessima alteratione: quam pro religione auita Catholica, quam ab illo superbe contemni ac hostiliter impugnari dolebat. Et scripserat iam pro Venerabili Sacramento Eucharistiæ, contra Babylonicam captiuitatem Lutheri, libros tres quos secum ferebat. Ad wolffgangum Capitonem primum venit, virum quidem eruditum & facundum, sed astutia plusquam vulpina callidum & astutum, qui tum à consiliis erat Archiepiscopo Cardinali Moguntino, ac Lutherismum, quem occulte in pectore fouebat, versutissime dissimulabat. Hic illum Pontificis Nuncio Aleandro insinuauit: is vero Cochleum, colloquio Principum cum Luthero interesse, non tamen quicquam disputare, sed audire tantum iussit: ac peracto prandio, ad colloquium cum Luthero, ire ad huius diuersorium permisit: ex quo, tum disceptando, tum familiarius ac seorsim conferendo, istud retulit tantũmodo, quod ab eo tempore semper infesti fuerunt Cochlæo Lutherani: neque enim expectantes vt aliquid aduersus Lutherum euulgaret, mox variis tum conuitiis & maledictis, tum strophis & calumniis in eum vndique surrexerunt. Spargebant inter hæc famam, subornatum fuisse Cochlæum à Papistis ad hoc, vt dolo induceret Lutherum ad renunciandum saluo conductui, atque ita traderet eum carnificinæ. Edebant item carmina, seu verius crimina & conuitia, quæ & confestim in alias vrbes emiserunt: adeo vt citius peruenerint Nurembergam ac VVittembergam, quam redierit Francofordiam Cochlæus. quorum initium est: O vaſana Cochlæa, Lutheri noua fabula, morionum memoria, notanda vel ignauia, describenda versibus, depingenda cornibus, perungenda fecibus, defricanda calcibus, &c. Confinxerant præterea in eundem Theutonica cantica quibus homini illudebant: ac præterea monebant, ne quid in Lutherum ederet: esse enim viros XL. qui exacturi essent in eum, si quid ederet, stylũ. At Cochlæus, nõ solum stylos iniuriosos, sed etiam mortem pro asserenda fide Ecclesiæ contemnere doctus, tantum abest vt his criminationibus deterreri potuerit, vt etiam libere in lucem protulerit, actionem eius diei, in qua Lutherus multa indigna, erroneaque effutiit.

X. Propositum vero erat iis, qui delectu Principum & Ordinum ad hanc collationem venerant, disputationem cum Luthero prorsus non ingredi, quod indignum putarent, ea rursus in dubium vocare, quæ superioribus seculis in Conciliis generalibus prudenter discussa, & legitime definita essent, iamque nationum omnium assensu firmata. Hoc agebant tantum, vt ab animi pertinacia reuocarent hominem, & suaui fraternaque cohortatione rigidam illam ceruicem ad obedientiam inflecterent. Ille vero cum sciret ad disputationem non veniendum, abusus clementia Principum & benignitate, tam petulanter & contemptim, quod collibitum fuit, de Conciliis Generalibus effutiuit: ea scilicet frequenter erraſſe, & decreuisse pugnantia, imo Dei verbum & articulos Apostolicæ fidei condemnasse: quæ non minus inuerecunde, quam falso ab eo dicta sunt: quemadmodum paulo post Treuirensis Archiepiscopus priuatim per Officialem suum demonstrauit: Interim cum responsionem suam absoluisset, iussus secedere Principibus deliberandi locum dedit. Paulo post, cum reuocatus esset, habita consultatione, Badensis Cancellarius breuiter repetiit, quæ prius dixerat, monuitq; vt cederet voluntati Principum, erroresque reuocaret: vel vt scripta sua Cæsaris & Ordinum iudicio submitteret. Tum Lutherus, se nullius hominis iudiciũ examenq; defugere vel exactissimum, modo per Dei verbum & scripturas res agatur. Soluto Conuentu Treuirensis

Lutherum retinuit, eumque seorsim duxit ad conclaue suum: quem Hieronymus Schurffius Iureconsultus, & Nicolaus Amsdorffius secuti sunt. Adhibuit deinde Ioannem Eckium Officialem Oratorem Cæsaris, & Ioannem Cochlæum Ecclesiæ, B. M. V. Francofurti Decanum. Atque ille quidem, Eccius inquam, Lutherum compellans: Quod scripturas opinionibus suis ad hunc modum obtenderet, & doctrinam suam verbi diuini titulo, tam confidenter & libere venditaret, id nouum non esse. Nullam vmquam hæresim exortam, quæ non hunc clypeum contra Ecclesiam leuarit. Arrianos ipsos ad confirmandum errorem de Christi diuinitate, scripturæ testimoniis vsos, & multis quidem: non tamen verbum Dei fuisse, sed detestandam blasphemiam, quod scripturæ sacræ, diuinique verbi velamine tegebant. Gentile semper hoc fuisse superiorum temporum hæreticis, vt commentis suis omnibus Scripturæ diuinique verbi laruam induerint. Quod vero paulo ante tam audacter dixerit, Concilium Constantiense Dei verbum & articulum fidei de Ecclesia condemnasse: magnam fuisse temeritatem & impudentiam, cum insigni veritatis iniuria coniunctam. Non Dei verbum, vel articulum symboli, sed Hussi errorem anathemate notatum. Nam quod ille asseruit, Ecclesiam ex electis constare solum, non scripturæ vel symboli mentem, sed Hussi commentum fuisse, quod Patres Concilii non iniuria tamquam erroneum damnarint. Ecclesiam enim, quam in symbolo nos credere profitemur, non prædestinatos tantum, sed & vocatos omnes ambitu suo complecti: quemadmodum poteſt ex scripturis solide demonstrari. Itaque Concilio Constantiensi non fuisse tam petulanter insultandum. Insignem esse veritatis contumeliam, quod Hussi Vuiccleffique commentum de Ecclesia, Dei verbum, Apostolicæque fidei articulum appellarit. Deinde vero, nec Principes hoc vrgere, vt ipse Dei verbum abneget, quemadmodum cum quadam iniuria Principum insinuare videatur: sed quia videant eum falsis opinionibus irretitum, bono affectu suadere, vt habita ratione salutis & honoris, deponat pertinaciam, & de erroribus sub diuini verbi titulo sparsis palinodiam canat. Hæc Eccius Cæsaris Orator, Archiepiscopi præsentis nomine grauiter & serio ad ea respondit, quæ paulo ante Lutherus in consessu Principum delectorum, in contumeliam Catholicæ religionis paulo liberius dixerat. Cochlæus autem subinde quædam inseruit, ad confirmandum Eccii sermonem; Lutherumque perhumaniter admonuit, vt calamum à mordacibus illis & turbulentis scriptis cohiberet, nec sibi tam impotenter & contumelioſe, supra modum humanum, in quoſuis debacchandi licentiam permitteret. Imo potius, quam ad eum modum turbaret omnia, à scribendo docendoque prorsus abstineret. At Lutherus hæc omnia, pro suo fastu & pertinacia, facile contempsit. Itaque verbis vltro citroque commutatis dimissus fuit.

XI. Atque hæc quidem horis matutinis acta sunt in hospitio Treuirensis Archiepiscopi, qui sub vesperam eiusdem diei Luthero per Amsdorffium renunciauit, Cæsarem rogatum ab Ordinibus, tempus salui conductus ad biduum prorogasse. Venturos igitur postridie Peutingerum Iuris Doctorem cum Badensi Cancellario, & cum ipso nomine delectorum Principum acturos. Quod & factum est. Venerunt enim ad hospitium Lutheri Doctores isti 25. Aprilis ante meridiem, factoque sermonis initio de iis quæ pridie acta fuerant, hoc vnum conati sunt persuadere, vt Cæsari & Principibus Imperii de libris suis iudicandi potestatem deferret. Respondit ille facturum sese, & toleraturum omnia, si modo secundum Scripturas, adeoque ex ipsis Scripturis sententiam ferrent: ita vt non Cæsar & Ordines, sed ipsa Scriptura iudicis & Magistri officio fungeretur: secus si fieret, assentiri se non posse: cum Deus per prophetam Regum dicat: Nolite confidere in Principibus, in filios hominum, in quibus non est salus. & per Hieremiam: Maledictus qui confidit in homine. Cum autem ad hoc subterfugium diuerteret, vrgebant illi vicissim, vt simpliciter assentiretur. Tum Lutherus rotundis verbis, nequaquam se permissurum ait, vt de verbo Dei (sic enim doctrinam suam appellabat) homines sententiam ferant, aut iudicent. Responderunt illi, vocem hanc nimis crudam esse: reuersuros se post meridiem. Interea rem prudenter expenderet, & mitius deinde responsum daret. Cum horis pomeridianis rediissent, Lutherum quouis silice duriorem inueneruint, in sententia prorsus obstinatum. Igitur aliam ingressi viam rogarunt, Velletne causam futuro Concilio iudicandam submittere, ad quod protestatione publica prouocarit? Lutherus, placere sibi, inquit, vt articuli suo consensu ex libris editis excerpti Concilio submittantur: ea conditione tamen, vt quæ ferenda sit sententia, non aliunde quam ex Sacris literis desumatur. Subiungunt illi: Si placeat hanc viam ingredi, æquũ fore, vt deinceps quiesceret, vel abstineret à disputationibus & de capitibus excerptis Concilii sententiã expectaret. Quod Lutherus, se facturũ nõ abnuit. Peutingerus & Væus Archiepiscopo statim, quid egerint, retulerũt: Lutherũ paratũ esse Cõcilio Generali submittere causam: atq; interim dũ ea decideretur; de cõtrouersis articulis tacere. Ille gauisus, quod aliqua tandem inuenta videretur hanc tempestatẽ sedãdi ratio, Lutherũ eodẽ die iussit ad se vocari; eiq; summã exhibuit humanitatẽ, & seorsim cum eo remotis arbitris de hoc negotio sermone habuit. Ibi Lutherus silentiũ se promisisse de rebus in controuersia positis vsq; ad Concilii definitionẽ fortiter more suo negauit, id asserens numquã in animo sibi fuisse. Archiepiscopus ita per Doctores illos ad se delatũ, ait: nec decere, vt hanc tam æquã conditionem recuset; præsertim cum antehac à Pontifice ad Concilii appellarit. Interim miratus lubricitatẽ hominis & inconstantiam perbenigne monuit: Si Concilii cognitionem defugeret, cur non cp ante propositum fuerat, Cæsaris & Ordinum censuræ libros suos submitteret? Respondit ille: Nullo pacto sibi committendum, vt hanc tam arduam causam eorũ potestati committat, qui nuper admodũ damnarint libros suos; & promulgatum contrà se Pontificis Decretũ impridem approbarint. Archiepiscopus offensus hac importunitate secessit nonnihil, ac paulo post per quẽdam ex familiaribus ipsius postulauit, vt Lutherus ipse viam deinonstraret, aut ratione proponeret, qua gliscenti huic malo censeret occurrendum. Ille, nullũ sibi consiliũ videri melius illo Gamalielis, quod in Sacra Scriptura his verbis describitur extet: si ex hominibus est consilium hoc, aut opus, dissoluetur. Si verò ex Deo est, dissoluere non poteritis: tacite insinuans, sibi tamquam excitato diuinitus Prophetæ vel Apostolo in exequẽdo, cp meditabatur, mutandæ Religionis opere, per Pontificem, Cæsarem, Ordines Imperii, alioſq; Rerumpublicarũ moderatores; obsisti nequaquã oportere. Quæsiuit deinde Treuirensis Archiepiscopus, Quid facturus esset, si decerperentur ex libris ipsius articuli quidã, Concilio futuris tẽporibus submittẽdi? An nõ quiesceret, donec res per Cõciliũ definiretur: Respondit ille: Modo nõ essent articuli, quos Concilii Constantiense damnauit. Archiepiscopus, eos ipsos, suo quidẽ iudicio futuros ait. Tũ Lutherus: si id fieret, nec posse se, ait, nec velle tacere: quemadmodũ certũ habeat, Concilium illud Dei verbũ condemnasse. Archiepiscopus, cum se frustra niti videret, cp Lutherus propositas conditiones, quamuis æquissimas, impudenter magnoq; cum fastu reiiceret, dimisit hominem; & quid cum eo actum esset, ad Cæsarem retulit. Atq; hunc finẽ habuit ista Wormacienſis ad sedandos motus instituta tractatio: ad quam Wittemberga per Cæsarem euocatus est author turbarum Lutherus ipse. Cuius extrema pertinacia, vel colubrina vafricies, omnem Cæsareæ Maiestatis, Ordinum Imperii, delectorumq; Principum industriam, solicitudinem, laborem, omne sopiendi huius incendii studium in ludibriũ vertit: quandoquidem nec benignis admonitionibus, nec suo ipsius, aut publico Christiani Orbis periculo, nec vllis rationibus se moueri passus est, vt vel palinodiam caneret errorum, vel libros quibus opiniones inferret, ab Ecclesia olim iam damnatas, Ordinum Imperii vel Concilii Generalis, aut vllorum hominum cognitioni iudicioq; subiiceret. Qua de re vbi Cæsar per Archiepiscopum Treuirensem admonitus fuit, eodem die Ioannem Eccium Oratorem suum, cum duobus aliis ad Lutherum misit, qui renunciaret: Quoniam ipse Cæsaris, Electorum, Principum, aliorumq; Ordinum Imperii, varias admonitiones proterue contempserit, nec se passus sit vllis rationibus in viam reduci, vel ad Ecclesiæ communionem atq; obedientiam reuocari, Cæsarem tamquam Aduocatũ Ecclesiæ, Catholicæq; fidei Defensorem facturum, quod officii ratio postularet. Interim mandare, vt hinc intra viginti dies in

Luthero à Carolo V. mandatū imponitur.

tutum se cedat, eoq; vnde venerit reuertatur: atq; id sub fide publica, quam illi Cæsar inuiolatam esse velit: hac conditione tamē, vt in itinere nec scribat quicquā, &à concionibus ad populū habēdis sibi tēperet. At hæc Lutherus, omnia se facturū respondit, quæ Maiestas Cæsarea vellet: at nō laturū interim, vt verbū Dei sit alligatū. Insinuans, fore, vt ꝙ de nō habēdis in itinere cōciohibus mandatū erat, nō magno pere curaret. Nec sane curauit: sed aliquot in itinere cōciones habuit, priusquā mandatu Principis prope Isenacū interceptus fuit, & in tutū deductus, vt infra suo loco dicemus. Igitur postridie, qui 26. Aprilis fuit, circa decimā matutinā, Lutherus wormacia cum sociis egressus est, & iter ingressus: quem Caspar Sturmius caduceator, aliquot horis post insequutus Oppenheimii offendit, deduxitq; porro securitatis causa, vti erat p Cæsarē mandatū.

VVormacia discedit.

XII. *Lutheri symbolum & pertinacia.*

Mirabantur multi sumā Lutheri pertinaciā in hac actione, & pfractū animū, ꝙ cū humanissime tractaretur, calcitraret tamē ppetuo, nec vllis rationibus posset flecti, vt quæ proponebātur ad restinguendū istud incendiū, æquissimas cōditiones admitteret. Verū si mores eius spectes & indolem, non valde mireris, ꝙ ad hunc modū egerit. Erat enim vehemens, rigidus, ferox ab ingenio, & iracundus supra modū. Quo factum est, vt in rebus agendis nulli cederet, sed genii sui ductū potius, quam aliorum sana consilia sequeretur. Quod vitium in puero deprehensum quidem fuit, ac seueritate quadam cohibitum: sed radicitus euelli non potuit: Imo cum ætate sumpsit incrementa, donec ad hanc maturitatē creuit, vt qui puer contumacia sua ac ferocitate parētes & præceptores exercuit: iam vir factus, cōtra Principes, Episcopos, Vniuersitates, Cæsarem, Pontificem, Ecclesiam ipsam non triumphantē minus q̄ militantem proteruia fastuq; tumens insurgeret, ac demum ab hac indomita pertinacia Symbolum sibi desumeret CEDO NEMINI. Et licet subinde verbis ad humilitatem compositis se demitteret, quasi locum dare vellet sanis consiliis, & ad aliorum se ductū adiungere: tamēn simulata fuit illa, & fuco picta demissio, ad captandum fauorem, & prensandos hominū animos comparata, quā ipse postmodū, vbi rerum potit⁹ est, stolidam humilitatem appellare consueuit. Egit igitur in Comitiis wormacien sibus progenio & ingenio suo, dum nemini cessit, imo iampridem decretum habuit, à sententia non discedere vel latum vnguem, sed mordicus omniatueri, q̄ contra communem Ecclesiæ doctrinam editis libellis sparserat in vulgus: quemadmodum ex ipsius epistola ad Leonem x. anno superiore typis diuulgata iam ante demōstrauimus. Itaq; priusquā wittemberga pedem efferret, wormaciam iturus, hanc sibi mentis obstinationē imperauerit, quā fautores ipsius constantiam appellabant, cuius nomine summis illū laudibus extulerunt. Iam vero etiā si regredi maxime voluisset, & à cæpto negotio manum amoliri, id illi per nobilitatem Germanicam vix integrū fuisset. Eam nispem excitarat, non excutiendi modo iugū Pontificis Ecclesiæq; Romanæ, ꝙ imaginabantur, sed & in bona Monachorum & Sacerdotum inuoladi. Quamobrem ex hac quam Lutherū machinari nouerant, status publici mutatione, dona Bohemica, vt Thomas Munzerus loquitur, fundos inquam & prædia Monasteriorum expectabant: cuiusmodi donaria Monachis & Sacerdotibus per Lutherum oppressis extirpatisq;, velut exuuias deuicti Papatus, & opima spolia, inter proceres & nobiles in Germania largiter distribuenda sperabant: quemadmodum in vicina Bohemia factum meminerant ab Hussitis, qui taliū donariorum illecebris nobilitatem Bohemicam in factionis suæ studium pellexerant. Vnde non dubitanter asserunt quidam, Lutherum, si wormaciæ palinodiam ceciniſſet, vel conditiones accepisset ad instaurandam concordiam opportunas, ab ipsis Nobilibus confodendum fuisse, vel quoquo pacto è medio tollendū: quod scripto publico Muntzerus Anabaptistarum Dux illi obiecit. Certe Lutherus, ab eo tempore quo librum edidit ad Nobilitatem Germanicam de reformando publico rerum statu, eādem Nobilitatem rebus suis impense fauentem habuit: quem affectum quidam ex Nobilium Ordine in his Comitiis non obscure prodiderunt, cum Lutherum suspicarentur in periculo versari: licet suspicionem hanc non rei veritas peperit, sed eximius ipsorum & tenerrimus affectus suggessit. Nam vt Ecclesiasticos Principes deterrerent à seuerioribus consiliis, & Lutherum animarent, schedam noctu prætorii valuis adfigi, vt diximus, curarunt, per quā à quadringentis Equitibus Germanis Archiepiscopo Moguntino bellū indicebatur. In charta post denunciatum bellū vox illa Germanica Buntschuch legebatur, ter repetita, quæ Latine, Calceum Fœderis significat. Hac voce cōiuratio promissuæ multitudinis contra Magistratū, his temporibus denotari solebat: quasi & Nobilitatis arma, & populi conspirationem in Principes minitaretur Zelotæisti, si quid Luthero, præterquam ipsi vellent, acciderent.

XIII. *Lutherus Friburgū veniens ad Cæsarem aliasque principes litteras mittit.*

Lutherus vbi Friburgū venit, in itinere literas ad Cæsarem vnas, alias vero separatim ad Principes & Ordines Imperii dedit, vtrasq; eiusdē generis & argumenti. Narrat breuiter, & succincte repetit, quæ Wormatiæ secum acta sint, primum in publico Cæsaris, omniū q; Ordinū, ac deinde in priuato delectorum quorundam consessu. Rationes etiam adducit, cur libellos suos, adeoq; causam vniuersam, ad eum modum vti postulatum fuerat, Principum & Ordinum Imperii vel futuri Concilii iudicio, atq; censuræ subiicere recusarit. Non se priuatum, *ait*, commodū aliquod suum aut honorem, sed bonum publicum, & multorum salutē in hac causa semper quæsiuisse: rogare Cæsarem & Ordines, ne per aduersarios opprimi se patiantur. Scripsit has literas tertio postquam wormatia discessit die, id q; Friburgi, vt dictum est, quo loco Sturmium Fecialem cum his literis ab se dimisit. Hunc enim præsentem esse noluit eo tempore, quo furtim ex composito per laruatos quosdam intercipiendus erat, & in tutū abducendus, vt paulo post dicemus. Postquam in Thuringiam rediit, Principis sui ditionem, die III. Maii Inuentionis S. Crucis festo, Isennaci publice concionem habuit ad populū, contra, quam à Cæsare erat mandatum. Literas etiā, quas eum ad Cæsarē & Ordines scripsisse diximus, typis excussas in vulgus sparsit, vt omnē importunitatis & pertinaciæ suæ culpā in ipsum Cæsarē & Ordines Imperii transferret: conquerens, ꝙ obtinere nō potuerit, vt verbū Dei esset liberum, & non ligatum. Cæterum quia Fridericus Elector, Lutherum nouerat publico decreto proscribendum, pro affectu suo rationem excogitauit, vt illum præsenti periculo subduceret. Censuit igitur furtim adducendum ad secessum aliquem secretiorem, adeoq; ad tempus abdendum, donec ille Cæsaris ardor in hac causa nonnihil defer buisset. Ea res mandatu Principis ad hunc modū instituta est: Delecti fuerunt duo quidam exploratæ fidei nobiles, quorū alter Capitaneus erat Prelopsius, alter è nobili Steinbergiorū familia oriundus, quibus negotium hoc tuto credi mandariq; poterat. Hi ad tempus constitutū, non procul ab oppido Isennaco, cū paucis in sylua, loco quodā insidiis opportuno, abditi delituerūt. Deinde Lutherus, qui totā rei gerendæ seriē exacte nouerat, consensō curru cum sotiis Isennaco egressus, itineri se dedit, quasi wittembergam reuersurus. Erant illi quidam adiuncti, securitatis causa, qui per syluam deducerent. Hos primum à se dimisit: deinde & alios quosdā itineris comites, quos huius fabulæ spectatores esse nolebat; præcedere iussit waltershusium vsq; ad hospitium tempestiue curandum. Ipse cum Amsdorffio solus in curru mansit: cumq; ad locum insidiarum delatus esset, eruperunt nobiles illi laruati cum duobus ministris, & facto in currum impetu, aurigam equo deiectum nonnihil pulsarunt, ne res non agi serio videretur. Post vbi Lutherum simulata ferocitate è curru, quasi per vim extraxissent, aurigæ potestatem fecerunt, vt pergeret, quo vellet. Adduxerant equum sessore vacuū, in quem Lutherus, tectus primum chlamide militari, iussus est ascendere atque comitari. Circumductus deinde fuit aliquandiu per syluam; & tandem sub medium noctis ad Castrum wartbergum in monte, non procul ab Alstetо situm, deductus est. In eo paratum erat conclaue valde secretum & semotum à familiæ tumultibus, in quo nouem mensibus & vltra secure latitauit, & laute admodum habitus fuit: vt miraretur Cellarius Arcis, qui curabat illi necessaria, tam lautē captiuū haberi. Nec quisquam hominum accessum ad eum habuit, propter puerum nobilem, qui cibum illi quotidie deferebat. Cum in hanc eremum sese abdidisset Augustinianæ familiæ degener eremita, continuo rumor per Germaniam sparsus fuit, Lutherum, violata fide publica, per aduersarios Papistas interceptum esse: quidam duriter tractatum, alii etiam occisum addiderunt: qui rumor hoc nomine quandam verisimilitudinem habuit, quod & comites itineris, adeoque auriga ipse, strophæ huius ignari, captum hostili manu serio putabant. Nam hæc fabula tecte admodum adornata fuit, tantoq, silentio res peracta,

Lutherus in via à duobus Laruatis nobilibus intercipitur.

acta, vt valde pauci conscii essent eorum quæ agebantur. Imo Princeps ipse Fridericus Elector, tametsi mandauerat, vt Lutherus ad latibulum aliquod in ditionibus suis secederet, scire tamen de industria noluisse dicitur, vbi delicesceret: nimirum, vt interpellatus à Cæsare, sine mendacio dicere posset, ignorare se quo loco Lutherus esset. Interim in ciuitatibus Lutherano fermento corruptis, graue murmur exortum in Cæsarem, in Episcopos, in Clerum, in Papistas. Et cum fama Wormatiam quoq; peruenisset, inter ipsos Principes sinistræ suspiciones enatæ sunt; quas non parum confirmauit Friderici Electoris simulatio, de non seruata fide conquerentis. Augebant & fictæ rei indignitatem Poëtæ quidam: inprimis Vlricus Huttenus, & Hermannus Buschius: duo Lutheri mancipia, nobilis vterque, & literis politioribus insigniter ornatus, quorum ille prope Wormatiam apud Franciscum à Sickingen, hic vero in ipsa vrbe morabatur. Hi tragicis lamētationibus opplebant hominum aures, & animos odiis in Papistas accendebant. Ita factum, vt murmur de fide non seruata, deq; Lutheri captiuitate in apertos clamores erumperet, & res ad turbas spectare videretur: maxime quando Huttenus conuitiosissimam misit Wormatiam, aduersus omnes Episcopos & Clericos epistolam, ex qua nihil expectaretur certius, quam grauis & cruenta contra Cæsarem omnemq; Clerum seditio.

XIV. *Lutherus edicto publico à Carolo V. VVormatiæ proscribitur.*

Eodem fere tempore, quo Lutherus in tutum secessit periculi vitandi causa, Carolus Cæsar eū proscripsit, Edicto publico, quod octauo die Maii, Wormatiæ promulgatum est. In eo promulgando nouus Cæsar, Imperii noui primordia, Deo Catholicæq; Ecclesiæ consecrare voluit, & insignem fidei Orthodoxæ religionisq; autæ propugnandæ contestari zelum, quo vehementer ardebat. Et quidem principio, Cæsaris officium, *ait*, non in eo solum consistere, vt Imperii fines, maiorū virtute & sanguine constitutos proferat: verum, vt prouideat quoq;, ne qua labes aut macula hæreseos, in ditionibus Imperio Romano subiectis, sanctissimam Christi fidem contaminet: & si cubi iam forsan huiusmodi lues deprehendatur, aut gliscere cœpta rit, vt adhibitis remediis, eam extinguere atque delere summa vi connitatur. Qua in re sequenda sibi dicit vestigia maiorum, quos paterni maternique generis habeat Imperatores, Reges, & Principes laudatissimos, celebres etiam rebus magnis prō fide Christiana præclare gestis, quorum memoriam nulla temporum iniuria vel hominum obliuio sit vnquam deleturа. Quod si quis antecessorum vnquam rem Christianā iure defenderit, se cumprimis, vt id faciat, arctioribus vinculis adstrictum teneri, quem immensa Dei bonitas accessione regnorum quorundam & prouinciarum, potentia & opibus præ maioribus auxerit & locupletarit. Itaq; si negligentia sua hæreses in Germania nuper exortas foueat, atq; insidere altius & radices agere patiatur, plane futurum, vt onus imponat conscientiæ suæ non exiguum: imo vt illustri suo maiorumq; suorum nomini, tum felicibus nouis Principatus auspiciis, nebulam quandam offundat. Hæc præfatus, omnibus, ait, proculdubio notum esse, quam detestandos errores, quidam Augustinianæ familiæ Monachus, Martinus Lutherus, editis libellis in vulgus disseminarit: id q; in ipsis inclytæ Germaniæ visceribus; quæ natio cumprimis nascentes hæreses auersari consueuerit, & natas fortiter expugnare. Quod si machinationibus istis mature non obsistatur, metuendum videri, ne malum hoc per vniuersam Germaniam, ac deinde porro in reliquas etiam Orbis Christiani prouincias diffusum, perturbationem pacis publicæ, miserandam apostasiam, & fœdam fidelium dissipationem gignat. Quæ res meritō Leonem Decimum in eam cogitationem impulerit, vt ex officio tamquam summus Ecclesiæ Catholicæ Pastor, nascenti malo remedium adhibendum iudicarit. Et principio quidem Pontificem affectu paterno monuisse Lutherum, vt desisteret ab infandis machinationibus & erroribus, quos in vulgus sparsisset, abdicatis, Ecclesiæ satisfaceret. Quam admonitionem cum ille negligeret: imo post eam factus ceruicosior, indies peiora machinaretur, ad alia fuisse remedia veniendum, ab Ecclesiæ Decretis & consuetudine non aliena. Itaq; Pontificis mandatu, Cardinales, Episcopos, Prælatos, Theologos variorum Ordinum, aliosq; pietate atq; doctrina præstantes viros conuocatos esse magno numero, qui causam hanc cognoscerent: Lutherum quoq; per literas Romam à Pontifice citatum termino constituto, in quo causam diceret. Quia vero per contumaciam emanserit, atq; interim adeo non reuocarit errores, vt earum cumulum additamento nouarum hæreseon potius auxerit, Pontificem habito priusmaturo examine, libros ipsius omnes editos hactenus, ac deinceps edendos, tam Germanico quā Latino idiomate scriptos, publico decreto condemnasse, eosq; mandasse flammis vbiq; locorum aboleri: veniam autori tamen obtulisse, modo rediret in viam, & intra bimestre spatium hæresibus eiuratis, admissum scelus expiaret. nisi hoc faceret, deinceps elapso sexaginta dierum spatio pro turbatore fidelium, Ecclesiæ hoste, & hæretico pestilentissimo palam ab omnibus habendū. Hoc decretum sibi deinde per Oratorem sedis Apostolicæ Hieronymum Aleandrum, quē Pontifex hanc ob causam in Germaniam ablegarit, transmissum, vnaq; postulatum, vt in eo promulgando Catholici Principis & Imperatoris officiū exequeretur. Fecisse igitur se, quod supremū Ecclesiæ Defensorem & Aduocatū decuerit: & decretum Pontificis in hæreditariis prouinciis primum, deinde & in quibusdam Imperii Ciuitatibus, Coloniæ, Treuiris, Moguntiæ, Leodii promulgasse. Lutherum vero ne sic quidē respuisse: imo deinceps quasi furiis agitatum, aut versum in rabiem, horrendum in modū sæuiisse, & libris in Ecclesiæ perniciem magno numero diuulgatis, errores partim veteres ab Ecclesia damnatos, partim nouos indies in vulgus sparsisse. In iis libris Sacramentorum magnam partē ab ipso de gradu deiici ac violari: matrimonium affici contumelia, fœdeq; prophanari: Extremam vnctionem tamquam rem commentitiam contemni: Bohemicum Eucharistiæ participandæ ritum vrgeri: saluberrimam piis mentibus peccatorum Confessionem in desuetudinem & contemptum adduci: Negari Sacerdotium nouæ legis, & parem cum Sacerdotibus potestatem baptizatis omnibus, adeoq; fœminis & pueris tribui: imo laicos etiam in Sacerdotum cœdem, vel, vt ipse loquitur, ad lauandas in Ecclesiasticorum sanguine manus concitari: summum Pontificem Diui Petri successorē, Christiq; Vicarium in terris conspui maledictis, & inauditis contumeliis affici: negari liberū hominis arbitrium, & fatalem in rebus omnibus necessitatem, ex Manichæorum & wiccleffistarum disciplina reuocari: Missæ sacrificium eneruari, eiusque negari virtutem atq; energiam: receptam in Ecclesia eiunandi orandique consuetudinem peruerti penitus & antiquari: Doctores Ecclesiæ veteris vel Patres contemni, eorūq; autoritatem conculcari, & scripta prō nihilō haberi: tolli prorsus obedientiam, fractisq; legum repagulis quemdam aperiri libertatis campū, & effrenē peccandi licentiā introduci: populum cōtra Magistratū vtriusq; Ordinis, Ecclesiastici nimirum & Ciuilis incitari, & ad seditiones, incendia, cædes, rapinas adeoq; ad defectionē à fide Catholica prouocari: Cōciliis Generalibus prō libidine, sine omni verecundia cōtradici, eorumq; decreta violari: inprimis vero Concilium Constantiense, cuius beneficio luctuosum illud & diuturnum Ecclesiæ schisma sublatum sit, & pax orbi Christiano restituta, in Catholicæ religionis & nationis Germanicæ contumeliam, Sathanæ Synagogam, quiq; in eo conuenerunt, Antichristos, Sathanæq; ministros appellari: quæ contumelia in Sigismundū Cæsarem, & Sacri Imperii Principes redundet. Quin etiam Lutherum ipsum, vt se legum contemptorem, hostem obedientiæ, & rebellionis patronum reipsa declararet, libros Decretalium publice flammis iniectos exussisse neq; mitius acturum fuisse cum iure ciuili, nisi plus politicū quam Ecclesiasticum gladium formidarit. Porro tam multiplicem illius esse malitiam & impietatem, tam varios errores, tam immanē omnia turbandi libidinem, vt omnia quæ istuc faciant, nullius oratione sigillatim possint explicari: Quasi hic vnus non homo, sed humana specie Cacodæmon aliquis, monachi cucullo tectus in orbem prodierit, vt ipsius ministerio varii generis hæreses, partim damnatæ quondam & hactenus sepultæ, partim nunc excogitatæ primum, in vnam sententiam confluerent. Hæc omnia, cum apud animum suum expendisset, rationem Cæsarei muneris à Deo impositi, cuius per Pontificem admonitus sit, tum sincerum in religionem Christianam & Sedem Apostolicam affectum, quem à maioribus imbiberit, famam etiam & nominis existimationem, demum illatam orbi Christiano summam contumeliam, & præsens Ecclesiæ periculū à se postulasse, vt hanc tanti momenti causam prout

Summa Edicti.

æquũ sit, non segniter, aut negligẽter ageret, sed laudatissimis insisteret superiorum Cæsarum vestigiis, eorumq; decretis saluberrimis ad iuuandã Ecclesiã, & hæreses extirpãdas quondã editis, inhæreret. Atq; hanc fuisse causam, cur in hoc Wormatiensi Conuentu, Sacri imperii Principes & Ordines nõ semel conuocarit, eisq; hoc negotiũ proposuerit diligẽter & mature discutiendũ. Tametsi vero sacris legibus prohibitũ sit, ne hæreticus obduratus pertinacia, & per sententiã ab Ecclesiæ corpore resectus, audiatur: tamen, vt nulla calumniãdi remaneret causa, omnes Ordines communibus suffragiis in eam sententiã descendisse, vt Lutherũ sub fide publica Wormatiã euocandum censerẽt atq; audiendũ, priusquã vlterius in exequẽdo Pontificis decreto ipse progrederetur. Itaq; missum cum literis, qui ipsum adduceret, Fecialẽ publicum. Quidnã vero cum eo sit actum, ordine Cæsar hoc loco recenset: quemadmodũ hoc ipsum à nobis quoq; paulo superius commemoratũ est. Quoniã igitur animum omnino peruersum habeat, & in erroribus penitus obduratũ atq; hæreses Ecclesiæ iudicio pridẽ damnatas, obstinata mente tueri pergat, eamq; ob causam omnibus, qui timore Domini & rationis vsu præditi sunt, vel lapsus in phrenesin, vel à malo dæmone quopiã obsessus videatur, mãdatum illi fuisse 25. Aprilis, vt discederet: idq; sub eadem fide publica, qua munitus Wormatiam venerit. Eam vero securitatem à tempore, quo iussus fuerit abire, ad viginti dies non amplius extendi: quibus elapsis decretum hoc, aliaq; remedia contra pestem hanc adhibẽda, robur habere debeant. Et principio quidem autoritate Cæsarea, consilio atq; voluntate Electorum, Principum atq; Ordinum Imperii accedente, decretũ condemnationis à Leone Decimo pridem editum ratum habet & confirmat, Lutherum pro reiectitio, & ab Ecclesia præciso membro, pro schismatico, pertinacia obdurato, atq; hæretico manifesto, ab omnibus vniuersim & singulis habendũ decernit. Mandat deinde, sub pœna criminis læsæ Maiestatis, & proscriptionis, ne quisquã à decimo quarto die Maii, qui promissæ securitatis vltimus sit, in domum illum recipiat, defendat, aut foueat: vel vllum illi clam palamue præstet auxilium: sed vt, qui hominem deprehenderit, in potestatem redigat, captiuumq; detineat, donec, quod iustitia postulat, de eo statuatur. Deinde vero & fautores, & asseclas Lutheri proscribit. qui scilicet eum ope, consilioq; duxerint quoquo pacto iuuãdum. Demum Lutheri libros damnatos per decretum Pontificis, emi, vendi, retineri, vel legi prohibet: sed omnes, siue Latine, siue Germanice scriptos per Magistratus vrbium & regionum in Imperio, tum in Belgio quoq;, flammis aboleri mandat: quin & Commissariis Apostolicæ Sedis, quibus executio decreti per Pontificẽ demandata sit, auxilio consilioq; adesse præcipit, vbi necessitas id vel vsus postularit. Iam & seuere Typographis & Bibliopolis interdicit, ne vllibi in in Imperio Romano, vel hæreditariis suis ditionibus libellos famosos, vel Lutheri sordibus contaminatos, aut scripta contumeliosa, vel picturas in Pontificẽ, Ecclesiã Romanam, Prælatos, Principes, vniuersitates, aliosq; viros honestos excudant, aut vllo pacto distrahãt, vel hoc ipsum ab aliis quocumq; demum titulo fieri patiantur. Eadem seueritate mandat omnibus in vniuersum, quibus administrãdæ iustitiæ cura commissa est, vt quocumq; loco huiusmodi libellos, chartas, vel scripta cuiuscumq; generis inueniant, excusa iam, vel futuris temporibus excudenda, lacerentur confestim, & publice flammis cõsumantur: tum, vt ii qui ea scripserint, excuderint, distraxerint, aut legerint, pœnis afficiantur in hoc edicto constitutis. Demum, vt libertas virulentos huiusmodi, ac hæresibus infectos libellos edendi deinceps cohibeatur, præcipit sub eadem proscriptionis pœna, ne quisquã Typographus in Imperii Romani prouinciis, vel Belgicis ditionibus, libros vllos vel tractatus, in quibus de rebus ad fidem pertinẽtibus agitur, deinceps excudat, vel alibi prius excusas, prælo rursus subiiciat, nisi prius visos ab Ordinario loci illius, & per facultatẽ Theologicam vicinioris Vniuersitatis approbatos & admissos. Hoc decretum tamquã Constitutionem, authoritate Cæsarea, & communibus omnium Ordinum suffragiis legitime factum, in perpetuum atq; inuiolate mandat obseruari: cuius vnum aut plures articulos, si quis vllo modo, quẽ humana vafricies excogitare possit, vel comminisci, per inobediẽtiã violarit, eum pœnis in hoc decreto, tũ in iure communi cõstitutis, afficiẽdũ definit. Hæc est suma edicti Cæsarei: ipsũ vero vt est in fõte, est his verbis cõceptum.

CAROLI V. IMPERAtoris electi Edictum.

XV. *Ipsum Edictum.*

Contra Martinum Lutherum, & Nouatores Religionum. Promulgatum Wormatiæ in Comitiis. Anno Domini M. D. XXI.

CAROLVS V. *Dei benignitate electus Romanus Imperator, semper Augustus: Germaniæ, Hispaniæ, vtriusq; Siciliæ, Hierosolymæ, Hungariæ, Dalmatiæ, Croaciæ, &c. Rex: Archidux Austriæ, Dux Burgundiæ, &c. Comes Habspurgi, Flandriæ, Tirolis, &c. Vniuersis & singulis Electoribus, Principibus Ecclesiasticarum vel secularium potestatũ, Comitibus, Baronibus, Equitibus, Proceribus, Militibus, Præfectis, Præsidibus, Gubernatoribus, Locum tenentibus, Prætoribus, Assessoribus, Consulibus, Iudicibus, Ciuibus & Communitatibus: item Rectoribus & Magistratibus Vniuersitatum, cæterisq; nostris & Sacri Imperii subditis, dilectis ac fidelibus, cuiuscumq; dignitatis, præeminentiæ, conditionis, ordinis, quibus hæ nostræ Cæsareæ literæ, aut eorum exempla vel transumpta, manu sigillove personæ alicuius in Ecclesiastica dignitate constitutæ, aut publici Notarii, subscripta seu munita, exhibitæ vel ostensæ fuerint, Salutẽ ac prosperitatẽ cũ denũciatione clementiæ nostræ.*

1. *Reuerendissimi, dignissimi, charissimiq; cognati, propinqui, religiosi & fideles: Cum ad nostrum, id est, Romani Cæsaris officium pertineat, non solum prouincias, orbem, terminosq; Sacri Romani Imperii, quod maiores nostri Germanicæ nationis ob defensionem Sacrosanctæ Romanæ & Catholicæ Ecclesiæ, diuina adiuti ope, multo sanguine vulneribusq; suis pepererunt, repressis belloq; domitis infidelibus pro virili proferre, augere ac promouere, verum etiã iuxta regulã canonesq; hactenus à Sacrosancta Romana Ecclesia obseruatũ, prospicere ac prouidere, ne qua labes hæresis, minima deniq; suspicio in Romano Imperio Religionem nostram vitiet atq; infestet: aut si quid huius forte radices agere & virere contigerit, omni diligentia, adhibitis mediis, remediis, rationibusq; probatis & moderatis, prout negotii magnitudo postulat, euellere at extirpare.*

2. *Proinde reputamus nobiscum, si cuiquã ex Maioribus nostris hac in re bene mereri de nomine Christiano non fuit recusandũ à nobis quoq; longe pluribus de causis idem muneris onerisq; suscipi: postquam Omnipotentis Dei bonitas, ad propugnationem & incrementum Sacrosanctæ fidei suæ, nos tot accessione regnorum, prouinciarum, maiorisq; potentiæ, quam aliquot retro seculis quemquã in Imperio ex maioribus nostris, amplificauit, ornauit, & armauit: cumq; gente quidem à Christianissimis Cæsaribus, Archiducibus Austriæ, & Burgundiæ Ducibus, stirpe vero à Catholicis Hispaniæ, Siciliæ, Hierosolymæ Regibus, noster descendat ortus, quorum de facinoribus egregiis, pro tuenda Religione Christiana domi militiæq; designatis, nulla conticescet ætas.*

3. *Quocirca si hæreses quasdam vix ab hinc triennio in Natione Germanica spargi cæptas, & antehac per Sacrosancta Concilia, Põtificumq; decreta, cum Ecclesiæ Catholicæ consensu, vere condemnatas & eiectas, iamq; denuo velut ex profundis orci faucibus retractas, altius radiculas diffundere ac propagare pateremur, negligentesq; conniuere, indulgere, dissimulare pergeremus, primo conscientiæ nostræ quasi contagione pestilentissimi carcinomatis adflatæ plaga grauior insideret: deinde sempiternam nominis nostri gloriam, in tam felici florescentis Imperii vestibulo, ceu caliginosa quædã nebula inũbraret, atq; inuolueret.*

4. *Cum itaq; sine dubio nemini vestrum sit obscurum, quam procul errores hæresesq; à Christiana via recedant ac declinent, quas Augustinianæ familiæ quidam Martinus Lutherus, in Ordine & Religione Christiana, inprimis autem in illustri natione Germanica, vt pote indefatigabili hæresum impiorumq; dogmatum deletrice, violenter introducere, virulenterq; disseminare conatur, tanto cum profectu, vt nisi mature celeriterq; tam proruptæ occurratur audaciæ, postmodum vniuersa Germania, his morbis inueterascentibus, miserabilem ruinam & interitum omnis virtutis, honestorum morum, pacis, fideiq; Christianæ sit passura.*

5. *Propterea non immerito Sanctissimus Pater Leo X. Sacrosanctæ Romanæ & Catholicæ Ecclesiæ summus Episcopus, qui præter cæteros in ea quasi vigiliæ stationeq; collocatus est, vt diligenter & nauiter attendat, ne quid Respublica Christiana labis detrimentiq; accipiat, rei atrocitate periculisq; permotus initio Lutherum paterne cæpit & benigne admonere, àq; parum fausto proposito dehortari, & vt errores à se diuulgatos reuocaret, instare. Hic ille cum resisteret, & plura peioraq; misceret indies, experrectus Pontifex contra sibi nitendum, non inusitatis, sed æquis & conuenientibus modis viisq; putauit.*

6. *Proinde semel atq; iterũ Cardinales, Episcopos, aliosq; Prælatos nonnullos etiã ex Ordine Regulatorum Priores Generales & Ministros,*

præterea multos præstantes & honestos homines, omni laude virtutu, eruditionis, prudentiæ cumulatos, tum aliarum quoque Nationum Doctores ac Magistros conuocauit, & accersiuit, ad eundemq; contentum Martinum Lutherum citauit. Quo contumaciter absente, omnia eius scripta Latina & vernacula, quæ vel iam emisit, vel adhuc emittet, tamquam perniciosa, fidisque, & vnitati Ecclesiæ prorsus aduersaria damnauit.

7. *Deinde potestate authoritateq; Pontificia, dictorum Cardinalium consilio & voluntate, maturaq; pensatione Episcoporum, Prælatorum, Doctorum, & hæreticæ prauitatis Inquisitorum illa vbique comburi penitusq; aboleri mandauit. Tum ipsum Lutherum, nisi præstituto definitoq; tempore: secundum determinationem decreti suæ Sanctitatis, ostenderit se errorem pœnitere, eosq; abiecerit & reuocauerit, velut inobedientiæ malitiæq; filium, schismatis hæresiumq; authorem, ab omnibus vitandum fugiendumq; iuxta legum pondere constituit & ordinauit, sub pœnis in bulla Pontificia comprehensis. Quam Beatitudo eius nobis, tamquam Christianæ fidei vero summoq; Defensori, Sanctæque Sedis Pontificiæ & Romanæ atq; Catholicæ Ecclesiæ Aduocato, per suum Romanæq; Sedis Oratorem & Nuncium, à Beatitudine ipsius peculiariter: hanc ipsam ob causam ad nos ablegatum: curauit exhiberi, adiuncta cohortatione postulatisq;, vt pro ratione muneris, officii, legitimæq; procurationis Cæsareæ Maiestatis nostræ, Beatitudini suæ, in huiusmodi perturbatione, gladii ciuilis auxilium, ad Religionem gloriamque Christi vindicandam, impertire, & quod Christianissimo Catholicoque Rege, ac Principe dignum est, in nostris hæreditariis regnis, Ducatibus, ditionibusq;, præcipue vero in Germania, edicere atq; sancire velimus, vt vniuersa & singula, quæ in Bulla Sanctitatis suæ continentur, inuiolabiliter, indispensabiliterq; seruentur, & in his executio legumq; voluntas administratur.*

8. *Et quamquam nos eam adhortationem, post allatam Bullam Pontificiam, tandemq; ipsam Lutheri condemnationẽ, in pluribus Germaniæ locis annunciari celebrariq; fecimus, eiusq; in nostris inferioribus Burgundicis regionibus, ac præsertim Coloniæ, Treueris, Moguntiæ, Leodii executionem administrationemq; seuere mandauimus: interim tamen Martinus Lutherus non solum non ad meliorem frugem se recepit, nec errata reuocauit, aut à Pontificia Sanctitate absolutionem, & rursus in sancta Catholica Ecclesia remissionem veniamq; petiuit, verum etiam deprauati animi sui peruersæq; intelligentiæ plures malos fructus atq; effectus, ceu rabiose manifestam oppressionem Ecclesiæ machinans, multis aceruatis voluminibus, quæ cum Latina, tum vernacula, non recentibus nouisq; tantum, sed iam olim quoq; reprobatis autoritate Conciliorum hæresibus blasphemiisque scatent, à se genitis aut certe nomine suo publicatis, quotidie dissipauit.*

9. *In quibus à Sancta Ecclesia tot obseruatum receptumq; seculis septem Sacramentorum numerum, institutionem & vsum dissipat, conuellit, defœdat, atq; peruertit, indissolubilesq; sacri Matrimonii Canones, variis & mirabilibus modis indigne polluit. Affirmat item, Sacram vnctionem rem inefficacem & commenticiam esse. Vsum quoq;, & inenarrabilem Sacrosanctæ Cœnæ Domini fructum, ad morẽ consuetudinemq; Bohemorum damnatam accommodare studet. Tum Confessionem, quæ conscientiis mole peccati grauatis contaminatisque omniũ saluberrima existit, adeo implicare & inuoluere cœpit, vt nulla fundamentalis, inde informatio, nulla idonea consolatio sumi possit & hauriri. Postremo minatur se porro tot de Confessione scripta proditurum, vt si hoc concedatur, non solum pleriq; ex talibus eius insanis libris dicere sint ausuri, Confessionem inutilem & infructuosam esse, verum etiam paucissimi futuri, qui non clamitent, prorsus à Confessione abstinendum.*

10. *Quid quod de functione & Ordine Sacerdotali non irreligiose tantum leuiterq; sentit, sed imperitum quoq; prophanorum laicorum vulgus concitare & permouere nititur, vti manus suas cruore Sacerdotum respergant? Ac Summum Sacrosanctæ fidei nostræ Pontificem Diui Petri successorem, verumq; Christi Vicarium, fœde, scurriliter, contumeliosequẽ nominat, nec cessat in eum debacchari multiplicibus, & inauditis, hostilibus, famosisque maledictis.*

11. *Confirmat etiam ex Ethnicorum Poetarumque fabulis, nullam esse libertatem naturæ hominis, eò quod determinatio diuina sit rata & immutabilis. Docet item adplicationem in Missa pro aliis impie fieri. Præterea abrogat stata ieiuniorum orationumq; tempora, & initio à sancta Ecclesia tradita, & constanter hactenus retenta. Inprimis autem contemnit Sanctorum authoritatem Patrum, qui ab Ecclesia recepti sunt, tollitq; funditus obedientiam ac politiam Ecclesiasticam. Denique vniuersaliter nihil aliud spirant eius scripta, quàm seditionum, distractionum, bellorum, cædium, rapinarum, exustionum, & occasus fidei Christianæ materiam, causamq; præbeat. Quemadmodum enim cæteris permittit habenas laxare omnibus animi cupiditatibus, & dissolute, effractis legum repagulis pecudumq; more viuere, sic ipse homo præfracti & effrenati ingenii omnia veterum instituta legesq; repudiat, conculcat & opprimit. Velut nuper à Decretis & Constitutionibus Ecclesiasticis publice cremandis, nullo pudore, metu, reuerentiaq; deterritus: & nisi ciuilis gladii aciem magis quam fulmina, execrationes, pœnasq; Pontificias reformidasset, indigniora longe in ciuilia iura commisisset.*

12. *Nec erubescit palam petulanterq; Sancta Concilia perstringere, proq; animi sui morbo taxare, deformare, lædere, ex quibus singulariter Constantiense Conciliũ vbiq; lutulento & maledico ore conuiciis exagitat, quod appellat aliquoties Synagogam Sathanæ: graui afficiens dedecore & ignominia Germanicam nationem, omnesq; eos qui Synodo interfuerunt, ac Ioannem Huss propter hæreticas eius machinationes viuum ardenti rogo adiudicauerunt, nempe Sigismundum Cæsarem antecessorem nostrum, Sacriq; Imperii Principes, atq; Senatum publicum, quos Antichristos, Diaboli Apostolos, parricidas & Pharisæos nominat. Asseuerat item omnes errores Huss in illa Synodo condemnatos, in Euangelio Christiq; doctrina contineri, hocq; se probaturum defensurumq; profitetur. Tum ad eam intemperiem animi dementiamque progressus est, vt aperte glorietur, si prædictus Huss semel hæreticus fuerit, se merito decies pro hæretico habendum esse.*

13. *Ne vero cætera, studio breuitatis, innumera Lutheri flagitia ordine persequamur, constat hunc vnicum non hominẽ, sed Dæmonem potius figura & specie humana, cucullo q; Monastico indutũ, complurium hæreticorũ extreme damnatas hæreses, quæ iamdiu obsoleuerant, in vnã quasi Lernæam paludẽ coegisse, multasq; præterea recentes atq; nouas excogitasse, hoc prætextu, quod fidẽ prædicet, quam propterea sedulo inculcat omnibus, vt veram sinceramq; fidẽ destruat & labefactet, ac sub nomine fucoq; Euangelicæ doctrinæ, omnẽ Euangelicam pacem & charitatẽ, bonarũ rerũ harmoniã atq; constitutione, ipsam deniq; pulcherrimam Ecclesiæ hierarchiam extinguat, euertat, dissoluat, & obruat.*

14. *Hæc omnia mente cogitationeq; cõplexi, pro potestate atq; fastigio Cæsareæ nostræ functionis, ad quod diuinitus euecti sumus, proque singulari amore & propensione voluntatis, qua cũ Religionẽ Christianã nostrorũ exemplo maiorum asserere, tueri, propugnare: tum Pontificis, Sanctæq; Sedis honorem dignitatemq; cumulare & stabilire mirifice cupimus, expendimus, nequaquã nos, præter supra commemoratas Pontificiæ Sanctitatis exhortationes atq; postulata, sine insigni vituperatione nostri, contumelia, detrimentoq; Ecclesiæ, in tanta tamq; atroci causa, negligentia peccare posse, sicut nec facere debemus, nec hactenus vmquã faciendi nobis fuit animus: verũ potius Cæsarum Romanorum, Maiorum nostrorum vestigiis inhærere, eorumq; præclare pro salute & defensione Catholicæ Ecclesiæ gesta imitari, laudatisq; Constitutionibus, quæ in perniciem, vltionem & extirpationem hæreticorum factæ sunt, pro virili parere studebimus.*

15. *Ac peculiariter huius negotii causa, nostros Sacriq; Imperii Electores, Principes, & Status, iam aliquoties hic Vuormatiæ ad nos venire iussimus: totaq; controuersia, vt euidens necessitas requirit, acerrime peruestigata, ponderata & examinata: communi & vnanimi consilio, consensuque decreuimus, vt sequitur.*

16. *Quamquã hominem toties condemnatũ, & in obfirmata peruersione animi perseuerantem, atq; ab vnione Catholicæ Ecclesiæ separatum, manifestumq; hæreticum, ad cognitionẽ admittere, omnia iura excipiunt: tamen vt ansa maledicorum sermonum praecideretur: præsertim cũ aliqui palã contendant, multos Lutheri nomine libros cõponi & excudi, ab ipso nec lucubratos nec editos: alii quoq; existiment æquitati consentaneum esse, si antequã in Lutherum atrocius aliquid statuatur, prius accersitus, saluoq; conductu munitus, à nobis audiatur: Ideo eum ad Aulã nostrã citauimus, & per caduceatorẽ datis literis de securitate hic eum venire curauimus, inq; nostra & supradictorum omnium nostrorum Imperiiq; Electorum, Principum & Ordinum præsentia interrogauimus: An libellorum, quos illi tunc proposuimus, aliorumq; similium, qui nomine eius passim circumferuntur, autorem se fateatur? &, An in huiusmodi scriptis contra Sancta Concilia, Decreta, morem consuetudinemq; à Maioribus nostris vsq; in hodiernum diem religiose obseruatam, disceptata reuocare, suppliciterque ad gremium & vnitatem Ecclesiæ redire velit?*

17. *Tanta vero lenitate, tãta sermonis comitate, tã æquis conditionibus, tã paternis admonitionibus hæc illi commemorata sunt, vt pertinacissimum hominẽ & rupibus Caucasi duriorẽ merito flectere, mollire atq; permouere debuerint. Is autem horum opusculorum facta mentione, quamprimũ suos esse partus affirmauit, simulq; protestatus est, nũquam se hos negaturum. Præterea adiecit, plures à se libros conscriptos fuisse, qui cum ignoti sint nobis, hic non enumerantur.*

18. *Sed quantum ad reuocationẽ, deliberandi spatium moramq; postulauit. Quæ cũ illi iure optimo denegari potuisset, eò quod contra nouas*

corruptelas & fanatica deliria in fide absq; cunctatione continuo procedi oporteat: & quod ipse cum ex nostro superiori mandato literisq; sibi inscriptis certoq; redditis, clare intellexerit, cuius rei causa ad nos vocatus esset, nisi præparata meditatáq; responsione in nostrum statumq; Imperii conspectum prodire non debuisset: nihilominus tamen illi benigne & clementer indulgentes, diem vnum cogitandi tribuimus.

19. Postridie igitur in nostrum Procerumq; Imperii consessum reuersus, iterum grauissime atq; luculenter admonitus est, vt se colligeret, & quo progrederetur etiam atq; etiam videret, adiuncta pollicitatione nostra, si quæ vitiosa quæq; condemnanda essent, in libellis suis retractaret: nos illi rursus Sanctissimi Patris nostri Papæ beneuolentiā & amorem conciliaturos, daturosq; operam, vt Beatitudo illius ex singulis Christiani nominis gentibus ac nationibus binos excellentes viros, probatæ vitæ, exquisitæq; doctrinæ eligat, qui de libris eius censuram agant, erroresq; expungant: reliqua vero, nulla hæreseos labe infecta, vt Pontificia sanctitas approbet.

20. Itaq; post tot attestationes, adhortationes, preces, nec in reuocationem consentire, nec vberrimas pollicitationes nostras amplecti voluit, sed omnino respuit ac detrectauit: idq; tam inconsiderato sermone, tam indecenti vultu atq; gestu, qui suæ mentis consiliiq; compoti, ac religione sacrisq; initiato, & dicato homini nequaquā conuenit. Tunc enim manifeste cum dixisset, se in lucubrationibus suis ne verbū quidem mutaturum, ac nobis statibusq; Imperii præsentibus impudenter & flagitiose Sacra Concilia derisisset, abiecisset, & aspernatus fuisset: inprimis autem Constantiense, quod nationē Germanicam cum æterna laude atq; honore cumulauit, tum pacis, otii, concordiæq; vinculū fuit: hac tande se conditione obligauit; si in disputatione, quam fretus nostris de securitate promissis expetiuit, non ignorans id humano diuinoque iure prohiberi, succubuisset.

21. Etsi autem hac contumaci responsione, non exigua nostri Procerumq; molestia & offensione, populiq; scandalo audita, probabilibus de causis induxeramus animum, continuo seuerius eum cohercere, rectaq; domum ex conuentu dimittere, quemadmodum hanc nostram voluntatem postero die manu nostra perscriptam reuelari fecimus: præfatorum Ordinumq; intercessione flagitationibusq; adducti sumus, vt triduum illi ad liberandam isto quasi stupore mentem largiremur.

22. Sed interea duo Electores, duo item Ecclesiastici, duoq; seculares Principes, duo postremum ex nostris Imperiiq; ciuitatibus adhibiti, delecti, destinatiq; sunt, qui mādato & nomine Congregationis totius Imperii, Lutherum ad se vocatum familiariter & amanter admonerent, adhortarentur, erudirent, nec vllam rem idoneam ad eū de sententia deducendum intermitterent, cum interminatione: nisi fanaticas opiniones abiiciat, quam graues & acerbas, tum à nobis, tum à Sacro Imperio pœnas, approbantibus Canonibus expectare debeat.

23. Ac vbi tam seria diligensq; cohortatio irrita, frustraq; suscepta fuit, quidam ex nostris Electoribus, assumptis duobus placido ingenio nobiliq; doctrina præditis Doctoribus, & vna cum illis & separatim ipse, non modo summa obtestatione speciosaq; demonstratione multiplicium eius erratorum persuadere Luthero conatus est, vt pluris Patris nostri Papæ, similiterq; nostrum, & omnium Imperii Ordinum, aliarum item Catholicarum nationum, consensum, ritus, & consuetudinem, tot seculis iuxta Ecclesiæ Constitutiones, tamquam per manus traditam, quam proprias speculationes, suiq; commenta cerebri faceret: hac adiectione, si pertinaciam morositatemq; deposuerit, & ad meliora se conuerterit, reipsa illum intellecturum, hoc illustri multorum Sanctorum Patrum exemplo, & ad conseruationem corporis, animæ, existimationisq; suæ fieri.

24. Ad hæc, vt bona fide nobis renunciatum est, Martinus Lutherus respondisse fertur, se non solum omnes iam dictas personas, sed etiam Generale Concilium (si quod futurum sit) pro suspecto & partiali habiturum: & quod in libris suis, ne minimam quidem syllabam velit mutare, quod antea quoq; in nostra statuumq; imperii præsentia protestatus fuisset, præterquam si à viro excellenter erudito conuinceretur, idq; secundum suam duntaxat Regulam, nec ex Conciliis, aut Cæsareis Pontificiisq; Decretis, aut vllius Patrum authoritatibus, quantumlibet Sancti, sed tantum ex testimoniis verbi Dei: quæ vult ad suam arbitriū, suasq; inextricabiles & spinosas opiniones inflecti, detorqueri, ac enarrari: cum pateat atq; in promptu sit, illis authoritatibus id, quod in vtroq; Testamento, aut non ponitur, aut minus clare exprimitur, supplētibus, hactenus Sanctam Catholicam Ecclesiam fuisse gubernatam.

25. Quandoquidem igitur hæc ita gesta sunt, & Martinus Lutherus tam obstinate, ac peruerse, in opinionibus manifeste hæreticis perseuerat: ideoq; eum omnes pii & intelligentes, tamquam furiosum & à Dæmone correptum fugiant & execrentur. Nos iuxta nostrarum tenorem litterarum de securitate die proximo mensis Aprilis 25. abire illum è conspectu nostro iussimus, caduceatoremq; rursus adiunximus, vt secundum hunc vigesimum quintum diem Aprilis adhuc viginti dies consequentes conductu saluo muniatur, hisq; transactis nihil à nobis præsidii defensionisq; habeat amplius: inde nimirum opportunis remediis contra hanc exulceratissimam pestem procedi debet: vt sequitur.

26. Principio, ad laudem gloriamq; Omnipotentis Dei, & propugnationem Christianæ fidei, Pontificis quoq; Romani & sedis Apostolicæ honorem debitum, authoritate ac potestate nostra Cæsareæ dignitatis atq; officii: præterea vnanimi consensu & volūtate nostrorum sacriq; Imperii Electorum, Principum, & Ordinum hic iam congregatorū, Nos ad perpetuam rei memoriam, præstandamq; Decreti, sententiæ, ac condemnationis Bullæ, quam sanctus noster Pater Papa velut Ordinarius iudex controuersiarum Religionis edidit, executionem, supra memoratum Martinum Lutherum, tamquam membrum ab Ecclesia Dei separatum, perniciosi schismatis authorem, manifestū pertinacemq; hæreticum, à nobis vobisq; vniuersis & singulis existimandū detestandūq; renunciamus & declaramus: idq; publice testatū his literis volumus, edicentes & imperantes vobis omnibus & vnicuiq; sub sponsione atq; iuramento, quo nobis sacroq; imperio deuincti estis, ad effugiendā item criminis læsæ Maiestatis pœnam, nostramq; & Imperii proscriptionem ac excommunicationem: præterea sub priuatione, amissione, despoliatione omnium Regalium, Feudorum, Priuilegiorū, Immunitatū, quas ad hoc vsq; tempus ab Antecessoribus nostris, Nobis & sacro Imperio vlla ratione concessas obtinuistis.

27. Imperantes, inquam, Romana Cæsareaq; Maiestate, ac potestate, seuere hoc Edicto volumus, vt elapsis præfatis viginti diebus, qui 14. huius mensis Maii terminabuntur, prædictum Martinum Lutherum nemo vestrum hospitio, tecto, lectove recipiat ac foueat: nemo cibo potuq; alat & sustentet: nec quisquam verbis ac factis, clam palamue, consilio vel auxilio iuvet aut promoueat: sed vbicumq; locorum in eum incideritis, si tantum habebitis virium, vinctum comprehendatis, diligentiq; septum custodia nobis vel adducatis ipsi, vel adduci curetis, aut saltem è vestigio nobis vbi captus fuerit, indicetis: intereaq; carcere clausum prouidenter asseruetis, donec quid porro illi inferendum sit, instructionem nostram acceperitis: vosq; propter huiusmodi sanctum & pium opus, ad compensationē laborum quoq; & sumptuū, benigne remuneremini.

28. Verum cōtra illius necessarios, coniunctos, thiasoras, patronos, altores, fautores, cōsentientes, æmulos atq; imitatores horumq; mobilia vel immobilia bona, debetis in vigore sanctæ Constitutionis, nostræ & Imperii proscriptionis, & excommunicationis hoc ordine procedere: videlicet, iter facientes prosternere, prehēdere, fortunas diripere, ad vestrum dominium transferre, nemine obstāte vel impediente: excepto, si verisimiliter probabiliterque confirment, se hac scopulosa via deserta Pontificiam absolutionem impetrasse.

29. Præterea mandamus vobis omnibus & vnicuiq; priuatim, sub antescriptis pœnis, ne quisquā vestrum iam sæpe nominati Martini Lutheri libros à Sancto Patre nostro Papa, vt supra indicatur, condemnatos, eiusdemq; alia multa scripta, quæ seu vernacula seu Latina lingua composuit hactenus, tamquā impia, fœda, suspecta, diluta, & à notorio pertinaciq; hæretico edita, amplius emere, venundare, seruare, describere, imprimere, describi vel imprimi facere, nec ipsius opinioni suffragari, adhærere, aut prædicare, defendere, asserere vllis modis, qui ab ingeniis humanaq; solertia excogitari, vsurpariq; possunt, præsumat.

30. Nec vero quem facile moueat, quod hæc interdum aliquid boni ad decipiendos imperitos admixtum habere videntur. Nam si à saluberrimis epulis vnica veneni guttula infectis sani omnes abhorrent: quanto magis huiusmodi libri & scripta, mille venenis animæ lethiferisq; pestibus imbuta, non solum à nobis omnibus refugienda, sed etiā ex memoria hominum tollenda, penitusq; obruenda sunt, ne cuiquam damnum aliquod, aut æternam mortem afferant? Postquam omnia, quæ eius libris recte ac laudabiliter inserta sunt, multo ante à sanctis Patribus, ab Ecclesia Catholica receptis & approbatis, frequenter vsurpantur, introducuntur, & explicantur, vbi absq; sollicitudine, suspicione aut vllius mali periculo attingi, legi, tractariq; possunt.

31. Insuper decernimus, vt vniuersi & singuli, cuiuscumq; dignitatis, gradus, ordinis, conditionis fuerint, ac præsertim gerentes Magistratus, & superiore, vel inferiore iurisdictione armati, sub incursione pœnæ supra expressæ, in omnibus sacro Imperio subiectis ditionibus, in nostris item hæreditariis Ducatibus atq; territorio, de facto seuere ordinent, pœnas irrogent, imperent atq; procurent, quoscumque tales antedictos Lutheri virulentas commentationes, libellos & lucubrationes, ingentium tumultuum, damnorum, dissipationum, hæresium in Ecclesia Dei administras, igni comburant, & his aliisq; mediis funditus abolendas, extirpandas, ad nihilumq; redigendas. Similiter Beatitudinis Pontificiæ Nunciis, ipsorumq; delectis Commissariis, in his ad illorum

petitionem

petitionem & requisitionem, summa voluntate atque promptitudine animi adesse, obsequi, moremque genere, ac nihilominus illis absentibus ad hæc vniuersa & singula administranda, exequenda, perficienda, nostro iussu mandatoque accedere, operasque conferre debeatis.

32. Interim quoq; præcipimus omnibus aliis, & Sacri Imperii, & nostrarum etiā hæreditariarum ditionum territoriiq; subditis ac fidelibus seuere præsentibus literis, vt in prædictis ordinibus magistratibusque constituti, pariter nobismetipsis auxilium, obedientiam, alacritatem, promptitudinemq; præstent: ac volumus transgressores præfatis pœnis, mulctis, castigationibusq; subiacere.

33. Cumq; euidens necessitas efflagitet præuenire ac præcauere, ne libri Lutheri, aut hinc male excerpta, vel suppresso nomine autoris edita, vel aliorum scriptis intertexta, cæterorumque eiusdem farinæ hominum opuscula, qualia magno cum dolore passim in Germania conscripta & publicata, perniciosis dogmatibus exemplisq; referta, percepimus, in posterum aut componantur, aut in vulgus spargantur, vnde pii simplices horum lectione fascinati, errores in fide comprobare, honestatem vitæ morumque negligere inciperent: quæ res scandalorum, acerbitatum, odiorum in Ecclesia, ceu seminarium quoddam existit, quemadmodum hactenus perspicue vidimus, quod indies magis magisque in omnibus regnis, Ducatibus, Populis, Nationibus, conspirationes, schismata, factiones, confusionesque metuendæ erant. propterea ad huius morbi sæuissimi vim extinguendam, iterum mandamus, consilio nostrorum Imperiiq; Electorum, Principum & Statuum, sub præfatis grauibus pœnis, mulctis, castigationibusq; vobis nostri & Imperii, nostrorumq; hæreditariorum Ducatuum atq; ditionum subditis, vniuersis & singulis, tamquam Romanus Imperator, legitimus hæres, ac ordinaria Potestas, ne quis vestrum posthac eiusmodi famosos, plenosque veneni libellos, aliasue chartas, aut exempla vel transumpta, vt quæ in Christiana Religione nefandos errores pariunt, ac ritus & instituta Ecclesiæ conuellunt.

34. Præterea ne quis infesta maledicaque scripta in Sanctum Patrem nostrum Papam, Prælatos, Principes, Academias, horum facultates, aliasque honestas personas, denique offectura bonis moribus, & Ecclesiæ tranquillitatem turbatura amplius pingat, fingat, scribat, imprimat, vendat, emat, clam palamue seruet, aut imprimi, scribi, pingive faciat, nec aliis hæc rationibus quomodocumque excogitentur fieri procuret, conniueat, vel permittat.

35. Similiter imperamus seuere, sub indicatis pœnis, omnibus, qui ad ornandam tuendamque iustitiam in præsidiis Reipublicæ, vel ad gubernacula sedent, vt talia scripta, libros, paginas, picturasque, quæ aut sub oculos cadere hactenus potuerunt, aut deinceps cadentur, scribentur, pingentur, quemcumque habeant dominum, & vbicumque hæc reperientur per ambitum totius Imperii Romani nostrasq; hæreditarias ditiones, vigore huius nostri Edicti, ad se recipiāt, discerpāt, & inflammēt.

36. Auctores quoque, scriptores, impressores & pictores, emptores item venditoresq; talium fœdissimorum scriptorum, poematum, librorum, paginarum, picturarum, post factam promulgationem nostri præsentis Cæsarei Decreti, perseuerantes, aut de nouo aliquid molientes, si notorium fuerit, corporibus, fortunis, priuilegiis, vbicumq; eos assequi poteritis, plectatis, denudetis, priuetis, & quæ placuerit, in eos statuatis. Hoc liberum vobis concessumq; iure optimo putatote; nec idcirco iniuriam fecisse cuiquam arguemini, aut legē vel extra iudicium ad disceptandum cum hac de re expostulantibus obligati eritis.

37. Postremo, quo cum præsentia mala, tum occasiones futurarum hæresium præcidantur, penitusq; remoueantur, nec venena ab horum libellorum autoribus introducta latius dissipentur, atq; celeberrima ars typographica deinceps tantum ad præclaros & laude dignos vsus adhibeatur, Nos Cæsarea Regiaq; potestate, consulto, vnanimique consensu nostrorum & Imperii Electorum, Principum atq; Ordinum, sub nostra Imperii proscriptione, excommunicatione, & reliquis ante commemoratis pœnis, decreuimus, rursumq; scienter decernimus, vigore huius Edicti, cui autoritatem legis tribuimus, idq; inuiolabiliter seruari volumus: ne quis in posterum Typographus, aut alius quicumq; vel vbicumq; fuerit in Imperio Romano, aut in nostris hæreditariis regnis, Ducatibus, ac territoriis, vllum opus scriptumve, in quo fidei Christianæ mentio, seu prolixe, seu breuiter fiat, aut primus imprimat, aut ab aliis editum recudat, nisi conscio & annuente loci illius Ordinario, vel eius substituto, ad hanc rem ordinato, cum permissione facultatis Theologicæ in Academia aliqua finiendi. Cæteri vero libri, qua de cumque facultate, professione, materia confecti, consensu, & voluntate Ordinarii, nec aliter excudantur, venundentur, imprimi, venumdariq; curentur, & subornentur vllis imposturis.

38. Si qui vero, quocumq; splendore, dignitate, amplitudineque præditi, huiusmodi nostra Christiana, & Cæsarea Decreta, leges, statuta, Ordinationes, mandata, quæ per omnia firma, fixa, rata volumus, in vno pluribusue articulis commemoratis, Lutheri dogmata vel officinas typographicas perstringentibus, vllis modis, qui venire in mentem homini possunt, contumaciter attenuare, violare, infringere, euertere, abrogare præsumpserint, hi sciant supradictis, & aliis in iure desinitis pœnis, secundum formam & processum Pontificiæ excommunicationis, nostræque proscriptionis, se irremissibiliter subiacere. Hæc omnes proponant animis, quibus vt satisfiat, fidesq; adhibeatur, præsentes Cæsareo sigillo nostro communiuimus.

Datæ VVormatiæ nostra & Sacri Imperii ciuitate, 8. Maii, Anno à Christo Nato M. D. XXI. Nostri vero Imperii Romani anno secundo, aliorum regnorum sexto. Ad mādatū Domini Imperatoris proprium.

XVI. *Imperatoris Edictū impeditur.*

Decreti huius iustam executionem, Cæsaris in Belgium & Hispaniam suscepta profectio, tum Principum quorundā secretus in Lutherum fauor impediuit, & promiscuæ multitudinis ad seditionē propensio. Iam tum enim in animis vulgi scintillare videbatur malum illud, ex Lutheri libris haustū, quod tandem anno 1525. in publicum, & luctuosum rusticanæ seditionis incendium erupit. Erant autem, quibus decretum istud paulo durius & acerbius, quam par esset, in Lutherum videretur, quem in eo non hominem, sed dæmonem sub humana specie, vel phreneticum, aut à dæmone quopiam obsessum, Cæsar appellat. At non defuerunt causæ, cur Princeps insigni prudentia, magnoq; in Catholicam religionem affectu præditus, ad hunc modum loqueretur. Non enim rumorem ignorare potuit, qui tum de Lutheri ortu spargebatur, quod nimirum matre natus esset ex abominando congressu, cum incubo grauidata, antequam Ioanni Luthero nuberet: quod occultis dæmonum infestationibus à primis annis obnoxius fuerit: quod aliquando cum in Ecclesia sub Sacro Euangelium cantaretur, de dæmonio ab homine surdo & muto eiecto, ipse subito prostratus, alta voce clamare cœperit, Non sum, non sum: quod illicitū cum dæmonibus commercium habere videretur: quod cum Lipsiæ esset ante bienniū, familiarem quendam ab eo dæmonem inclusum pixidi circumferri spargeretur: quod Maximilianus Cæsar, cum Augustæ Lutherum in turba videret, dæmonem in eius cucullo latitantem obseruasse à fide dignis diceretur: quod ille tam indomitus furor, tam insana rabies, tam effrenis & insatiabilis conuiciandi libido, illaq; scurrilium verborum affluentia, diabolum potius, vel hominem à dæmonibus agitatum, quam virum sui compotem referre videretur. Neq; vero defuerunt ex noui huius Euangelii sectatoribus, ipsius Lutheri filiis, qui Cæsaris hoc de parente suo iudicium paulo post suo quoque calculo confirmarunt: Sacramentarios dico, vel Zvvinglianos, qui Lutherum non obsessum ab vno spiritu, sed occupatum à caterua dæmonum, ex ipsius actionibus & scriptis iudicarunt: quemadmodum & ipse vicissim Sacramentarios, ab id genus habitatoribus occupari agitarique publicè scripsit. Horrenda sunt ista, fateor: sed iusto Dei iudicio ab iis hominibus prodita, qui cum turbis inuoluunt orbem Christianū, & in Ecclesiæ viscera grassantur (quod maligni spiritus impulsu fieri certum est) id se veluti à Deo missos exequi iactant, ipsius Christi nomine: & Spiritum Sanctum actionum suarum authorē & moderatorem mentiuntur. At, cum inter se disceptant, apertius produnt, à quo gubernentur spiritu, dum alii alios clamant esse mancipia dæmonum, & ab immundorum spiritum caterua possideri. Quæ cum viri prudentes legunt, nullo præiudicio fascinati, nihil aliud in mentem venire potest, quam neutros aberrare, sed vtrosq; dicere, quod res est, cum aliis alii factis suis & machinationibus huiusmodi verba dictasse videantur. *Vlembergius in vita Lutheri. Cochleus de actis & scriptis Lutheri. Surius in Comment. Const. Imp.*

Exemplo Pontificio, atque Cæsareo, incitatus Henricus VIII. Rex Angliæ, qua erat hoc tempore doctrina, & pietate, tam Lutherum, quam damnata eius dogmata, publico edicto à regno suo proscripsit, librumque doctissimum, pro Sanctissimis Ecclesiæ Sacramentis, contra impiam illam Lutheri Captiuitatem nuper editam scripsit; atque summo Pontifici ad arbitrandum probandumque die I. Octobris, in publico huius anni M. D. XXI. Purpuratorum & Patrum consessu, per Oratorem suum repræsentauit: sane ab omnibus causis dignum, qui hic incorporetur.

ASSERTIO

ASSERTIO

SEPTEM SACRAMENTORVM

ADVERSVS MART. LVTHERVM,
Henrico VIII. Angliæ Rege
auctore.

Sanctissimo Domino nostro, Domino LEONI X. Pontif. Maxim. Henricus Dei gratia Rex Angliæ, ac dominus Hyberniæ, perpetuam fœlicitatem.

QVum partim bellicis, partim aliis longe diuersis studiis, reipublicæ causa adolescentiam nostram insueuerimus, miraturum te beatissime Pater non dubitamus, quod eius nunc hominis partes sumpserimus, qui omnem potius ætatem consumpsisset in literis, vt grauem scilicet hæresim pullulantem comprimamus. Sed desinet, opinor, tua sanctitudo mirari, postquam causas expenderit, quæ nos subegerunt vt hoc scribendi onus, quanquam non ignari quam sumus impares, subierimus. Vidimus siquidē in messem domini iactā zizania semina, pullulare sectas, hereses in fide succrescere, & tantam per orbem totum Christianum seminatam discordiæ materiam, vt nemo qui syncera mēte Christianus sit, hæc tanta mala tam late serpentia ferre diutius possit, quin & studium cogatur, & vires qualescunque possit, opponere. Mirum igitur videri non debet, si nos quoque, tametsi potestate non maximi, fide tamen ac voluntate nemini secundi, in opus tam pium, tam vtile, tam necessarium, vt à nemine ferme possit absque piaculo prætermitti, & nostram erga tuam sanctitatem obseruantiam, & erga religionem Christi, studium, & erga dei cultum, obsequium nostrum declarare constituimus; maxime fidentes, etsi eruditio nostra sit tam exigua, vt propemodum nulla, gratiam tamen dei sic cooperaturam nobiscum, vt quod doctrina nequiuimus perficere, id ipse pro sua benignitate, summaque potentia plenius absoluat, ac nostram in literis imbecillitatem, suo vigore suppleat. Quanquam in literis quoque, præsertim, etsi certo sciamus, nusquam non esse multos qui hoc scribendi munus & obire commodius, & præstare potuissent vberius, tamen non vsque adeo rudes sumus, vt in communi causa dedeceat. nos quoque pro nostra virili, calamo quid possemus, quantulum id cunque fuerit, experiri. Postquam enim in administranda republica maximam semper vim, maximumque momentum, religionem habere multo vsu aduertimus, vt primum maturiores annos attigimus, cœpimus contemplationi nonnihil studii impendere. Plurimum profecto, postquam cœpimus, in eo delectati, consecuti tamen non nos latet quam exiguum: tantum tamen, vt speramus, quantum adiuuantibus præsertim, vel potius instigantibus iis quæ vel admodum rudem abunde reddere instructum possent, pietate scilicet, & læsa religionis dolore, ad Lutherianæ hæresis fraudes rationibus detegendas, sit satis. Itaque etiam hac fiducia rem tentauimus, & quæ in ea meditati sumus, sanctitati tuæ dedicauimus, vt sub tuo nomine, qui Christi vicem in terris geris, publicum iudicium subeant. Sic enim nobis perfuasimus, quum ea hæresis aliquandiu inter Christianos grassata, grauissimæ saluberrimaque sententiæ tuæ vi è manibus hominum sit excussa, si quid eius in pectoribus vel captione aliqua deceptis, vel blandis pollicitationibus inescatis, adhuc resedit, id esse iustis rationibus eximendum. Sic enim futurum, vt quum duci quā trahi se ingenia libentius patiantur, non desit his mitioris quoque remedii ratio. In qua promouerimus nē nos quicquam, an non, beatitudinis tuæ iudicium erit: cuius etiam arbitrio, si quid est à nobis erratum, corrigendum offerimus.

AD LECTORES.

MOtus quidem fidelitate ac pietate, quanquam mihi nec eloquentia sit, nec scientiæ copia, cogor tamen, ne ingratitudine maculer, matrem meam Christi sponsam, vtinam tanta facultate quanta cum voluntate, defendere. Quod licet alii præstare possint vberius ac copiosius, mei tamen officii esse duxi, vt ipse quoq; quantumuis tenuiter eruditus, quibus rationibus possem ecclesiam tuerer, meq; aduersus venenata iacula hostis eam oppugnantis obiicerem. Quod vt faciam, tempus ipsum, & præsens rerum status efflagitat. Nam antea quum nemo oppugnaret, nemini propugnare necesse erat. At quum iam hostis exortus sit, quo nullus potuit exoriri malignior, qui dæmonis instinctu, charitatem prætexens, ira atque odio stimulatus, & contra ecclesiam, & contra catholicam fidem vipereum virus euomuit, necesse est aduersus hostem communem Christianæ fidei, omnis Christi seruus, omnis ætas, omnis sexus, omnis ordo consurgat: vt qui viribus non valent, officium saltē alacri testentur adfectu. Nunc itaque conuenit, vt duplici armatura muniamur, cœlesti scilicet, ac terrestri. Cœlesti, vt qui ficta charitate & alios perdit, & perit ipse, vera charitate lucrifactus, alios lucrifaciat: & qui falsa doctrina depugnat, doctrina vera vincatur. Terrestri vero, vt si tam obstinatæ malitiæ sit, vt consilia sancta spernat, & correptionem piam contemnat, merito coërceatur supplicio: vt qui benefacere non vult, desinat malefacere: & qui nocuit verbo malitiæ, supplicii prosit exemplo. Quæ pestis vnquam tam pernicio sa inuasit gregem Christi? Quis serpens vnquam tam venenatus irrepsit, quam is qui de Babylonica captiuitate Ecclesiæ scripsit, qui scripturam sacram ex suo sensu contra Christi sacramenta detorquet, traditōs ab antiquis patribus Ecclesiasticos ritus eludit, sanctissimos viros, vetustissimos sacrarum literarum interpretes, nisi quatenus ipsius sensui conueniunt & consentiunt, nihili pendit, sacrosanctam sedem Romanam Babylonem appellat, summum pontificium vocat tyrannidem, totius Ecclesiæ decreta saluberrima captiuitatem censet, sanctissimi pontificis nomen in Antichristum conuertit? O detestabilis arrogantiæ, contumeliæ, ac schismatis buccinator. Quantus inferorum lupus est iste, qui Christi gregem dispergere quærit? Quantum diaboli membrum, qui Christianos Christi membra quærit à capite suo decerpere? Quam putris huius animus, quam execrabile propositum, qui & sepulta resuscitat schismata, & vetustis adiicit noua, & hæreses æternis abdendas tenebris, velut Cerberum ex inferis producit in lucem, dignumque ducit se, cuius vnius verbo, posthabitis antiquis omnibus, vniuersa regatur, immo subuertatur Ecclesia? De cuius ego malitia quid dicam nescio, quam tantam censeo, quantam neque lingua cuiusquam, neque calamus exprimere possit. Quamobrem vos omnes Christi fideles hortor, oro, & per Christi nomen, quod professi sumus, obtestor: vt qui Lutheri opera, si modo is Babylonicæ captiuitatis sit author, omnino velint inspicere, caute illud, & cum iudicio faciant, vt quemadmodum Vergilius aurum se colligere dixit è stercore Ennii, sic è mediis malis colligant bona. Nec ita, si quid arridet ipsis, afficiantur, vt cum melle simul imbibant venenum. Multo enim satius fuerit vtroque carere quam vtrumque glutire. Quod ne accidat, vtinam author aliquando resipiscat, vt conuertatur & viuat: ac suos libros omni malitia refertos, exemplo Augustini, cuius regulam profitetur, retractet, erroresq; reuocet. Quod si recusset Lutherus, breui certe fiet, si Christiani principes suum officium fecerint, vt errores eius, eumque ipsum, si in errore perstiterit, ignis exurat. Interea nobis visum est, in captiuitate Babylonica quædam loca commonstrare lectoribus, in quibus præcipuum latet venenum. Ex quibus aperte satis constabit, quam exulcerato animo aggressus sit opus, qui quum publicum bonum prætendat, nihil præter malitiam ad scribendum afferat.

Vt hæc doceamus quæ diximus, haud longe nobis petendæ probationes sunt. Nam ne quis ob eam rem sursum deorsum cursitet, Lutherus vltro sese, atque animum suum primo statim principio prodit. Quis enim dubitet quo tendat, quo se proripiat is, cuius vel hunc vnum versum legerit?

Lutheri superbia.

Indulgentiæ sunt adulatorum Romanorum nequitiæ.

Quemadmodum animal omne potissimum ex facie dinoscitur, ita ex hac quoque prima propositione clarescit, quā suppuratum ac putridum is habeat cor, cuius os amaritudine plenum, tali exundat sanie. Nam quæ de indulgentiis olim disseruit, ea plerisque multum videbantur adimere non modo de potestate pontificis, verumetiam de bona spe ac sancta consolatione fidelium, hominesque vehementer animare, vt in pœnitentiæ suæ confisi diuitiis, Ecclesiæ thesaurum & vltroneam dei benignitatem contemnerent. Et tamen ea quæ tum scripsit omnia, id circo mitius accepta sunt, quia pleraque differebat duntaxat, non asserebat, subinde etiam petens doceri, sese que pollicens meliora docenti pariturum. Verum istud quam simplice scripsit animo, homo sanctulus, & omnia referens ad spiritum, qui fictum effugit, hinc facile deprehenditur, quod simul atque à quoquam salubriter admo-

Lutheri assertiones contra indulgentias & pontificatum.

Lutherus caute legendus.

Lutherus matrem oppugnat.

Lutheri fictio. Spiritus sanctus est-

tus

Fugit fictū. Sap. 1.

nitus, ilicet pro benefacto regessit maledictum, conuiciis & contumeliis insaniens: quibus operæ pretium est videre, quo vesaniæ tandem prouectus est. Ante fatsus est indulgentias hactenus saltem valere, vt præter culpam etiam à pœnis absoluerent, quascunque videlicet vel Ecclesia statuerat, vel suus cuique sacerdos iniunxerat. Nunc vero non eruditione, vt ipse inquit, sed malitia tantum profecit, vt sibi ipsi contrarius, indulgentias in vniuersum condemnet, ac nihil aliud eas dicat esse, quam meras impostu ras, ad nihil omnino valere præterquam ad perdendam hominum pecuniam, ac Dei fidem. Qua in re quam non scelerate modo, verumetiam furiose bacchatur, nemo est qui non videt. Nam si nihil omnino valent indulgentiæ, sed meræ sunt, vt Lutherus ait, impostu ræ, tunc necesse est impostores fuerint, non hic tantum Pontifex Leo decimus, cuius innocens & inculpata vita, moresque sanctissimi ab incunte ætate per orbem totum satis explorati sunt, quemadmodum in epistola quadam ad pontificem Lutherus etiam ipse fatetur, verumetiam tot retro seculis omnes Romani pontifices, qui, quod Lutherus ipse commemorat, indulgere solebant, alius remissionem annuam, alius triennem, quidam aliquot condonare quadragesimas, nonnulli certam totius pœnitentiæ partem, tertiam puta, vel dimidiam: aliqui demum remissionem indulserunt & pœnæ & culpæ plenariam. Omnes ergo, si vera dicit Lutherus, fuerunt impostores. At quanta magis eam ratione creditur, hunc vnum fraterculum, morbidam esse ouem, quam tot olim pontifices perfidos fuisse pastores? Nam Lutherus, vt dixi, cuiusmodi vir sit, quam nihil omnino charitatis habeat, euidentissime declarat, quum non vereatur tot summis, tot sanctis pontificibus tantum crimen impingere. Si Deus in Leuitico dicit omnibus: Non eris criminator, nec susurro in populis: quid de Luthero censendum est, qui tam immane crimen non in vnum aliquem hominem, sed in tam multos, tam venerandos spargit antistites, idemque non in vna quapiam vrbe susurrat, sed per totum buccinat orbem? Si maledictus in Deuteronomio dicitur, qui clam percusserit proximum, quanta maledictione percutitur, qui palam tantis opprobriis insultat in præpositos? Denique si homicida est, vt ait Euangelista, nec vitam habet æternam, qui odit fratrem: an non hic æterna dignus morte parricida est, qui odio prosequitur patrem? Qui quum eousque progreditur, vt neget indulgentias quicquam valere in terris, frustra cum eo disputem, quantum valeant in purgatorio.

Leuit. 19.

Deut. 27.

1. Ioan. 3.

Lutherus sibi ipsi cōtrarius.

Leo decimus.

Lutherus libros suos deuouet igni.

Lutherus de purgatorio.

Præterea, quid profuerit cum illo loqui, quibus subsidiis liberemur à purgatorio, qui totum ferme tollit purgatorium? Vnde quum pati non possit vt pontifex quenquam eximat, ipse sibi tantum sumit, vt neminem ibi relinquat. Quid attinet cum eo pugnare, qui pugnat ipse secum? quid argumentis promoueam si cum eo agam vt donet quod ante negauit, qui nunc id ipsum negat, quod ante donauerat? Verum quantumuis disputentur indulgentiæ pontificis, necesse est inconcussa maneant verba Christi quibus Petro claues commisit Ecclesiæ, quum dixit: Quicquid ligaueris super terram, erit ligatum & in cœlo: & quicquid solueris super terram, erit solutum & in cœlo. Item quorum remiseritis peccata, remittentur: & quorum retinueritis peccata, retinebuntur. Quibus verbis si satis constat sacerdotem quemlibet habere potestatem à mortalibus absoluendi criminibus, & æternitatem pœnæ tollendi, cui non videatur absurdum, sacerdotum omnium principem nihil habere iuris in pœnam temporariam? Verum aliquis fortasse dicit, Lutherus ista non admittet, sacerdotem vllum quicquam ligare vel soluere, aut pontificem summum plus habere potestatis, quam alium quemuis episcopum, immo quam quemlibet sacerdotem. At quid id mea, quid admittat, aut quid non admittat is, qui quorum nihil admittat nunc, eorum pleraque paulo prius admisit, quiq; omnia nunc reiicit solus, quæ tot tot seculis admisit Ecclesia? Nam vt cætera taceam quæ nouus iste Momus reprehendit, certe indulgentias si pontifices peccauere qui concesserunt, immunis à peccato non erat tota congregatio fidelium, qui eas tam diu tanto consensu susceperunt. Quorum eo iudicio, & obseruatæ sanctorum consuetudini non dubito potius ac-

Matth. 16.

Lutherus super Bohemos detestabatur.

quiescendum, quam Luthero soli, qui totam ecclesiam tam furiose condemnat: cuius non modo summum pontificem conuiciis insanis incessit, verumetiam proclamare non veretur, Pontificium ipsum inane prorsus nomen esse, nec re quicquam aliud esse censendum, quam regnum Babylonis, & potentiam Nembroth robusti venatoris: eoque lectores orat, orat librarios, vt omnibus quæ prius de papatu scripsit, exustis, hanc vnam propositionem teneant.

Lutherus contra facit, ac docet.

PAPATVS EST ROBVSTA VENATIO Romani pontificis.

Illud hercle non absurdum votum est, quod quæ ante scripsit, flammis optat absumi. Erant enim pleraque flammis digna, sed multo tamen ista propositio dignior, quam exustis illis iubet velut dignam æternitate substitui. Quanquam quis non hic quoque, nisi qui malitiam norit, miretur inconstantiam? Nam prius papatum negauerat esse diuini iuris sed humani iuris esse concesserat. Nunc vero secum dissidens, neutrius iuris esse confirmat, sed pontificem sibi mera vi sumpsisse atque vsurpasse tyrannidem. Sentiebat ergo pridem, humano saltem consensu propter bonum publicum Romano pontifici super ecclesiam catholicam delatam esse potestatem. Idque vsque adeo sentiebat, vt Bohemorum quoque schisma detestaretur, quod se ab obedientia Romanæ sedis abscinderent, pronuncians eos peccare damnabiliter, quicunque papæ non obtemperarent. Hæc quum haud ita pridem scripserit, nunc in idem, quod tum detestabatur, incidit. Quin istud quoque simile est constantiæ, quod quum in concione quadam ad populum, excommunicationem doceat esse medicinam, & obedienter patienterque ferendam, paulo post excommunicatus ipse, idque merito iure, sententiam tamen tam impotenter tulit, vt rabie quadam furibundus, in contumelias, conuicia, blasphemias, supra quam vllæ possint aures ferre, proruperit, sic vt suo furore plane perspicuum fecerit, eos qui pelluntur gremio matris Ecclesiæ, statim furiis corripi, atque agitari dæmonibus. Sed istud roge, qui illa tam nuper vidit, vnde nunc subito videt nihil se tunc vidisse? Quos nouos oculos induit? An acutiore cernit obtutu, postquam ad superbiam solitam ira quoque superuenit & odium, & longius videlicet prospicit, vsus tam præclaris conspiciliis?

Lutheri conspicilia.

Non tam iniurius ero Pontifici, vt anxie ac solicite de eius iure disceptem, tanquam res haberetur pro dubia. Satis est ad præsens negotium, quod inimicus eius ita furore prouehitur, vt sibi fidem deroget ipse, ac dilucide se ostendat præ malitia neq; constare secum neque videre quid dicat. Nam negare non potest, quin omnis ecclesia fidelium, sacrosanctam sedem Romanam velut matrem primatemq; recognoscat ac veneretur, quæcunque saltem neq; locorum distantia, neque periculis interiacentibus prohibetur accessu. Quamquam, si vera dicunt qui ex India quoque veniunt huc, Indi etiam ipsi, tot terrarum, tot marium, tot solitudinum plagis disiuncti, Romano tamen se pontifici submittunt. Ergo si tanta ac tam late fusam potestatē, neq; dei iussu pontifex, neq; hominum voluntate consecutus est, sed sua sibi vi vendicauit, dicat velim Lutherus, quando in tantæ ditionis irrupit possessionem: Non potest obscurum initium esse tam immensæ potentiæ præsertim si intra memoriam hominum nata sit. Quod si rem dixerit vnam fortassis aut duas ætates superare, in memoriam nobis rem redigat ex historiis.

Amplitudo papatus.

Alioqui si tam vetusta sit, vt rei etiam tantæ obliterata sit origo: legibus omnibus cautum esse cognoscit, vt cuius ius omnem hominum memoriam ita supergreditur, vt sciri non possit cuiusmodi habuerit initium, censeatur habuisse legitimum: vetitumq; esse constat, omnium consensu gentium, ne, quæ diu manserunt immota, moueantur. Certe si quis rerum gestarum monumenta reuoluat, inueniet iam olim protinus post pacatum orbem pleraque omnes Christiani orbis ecclesias obtemperasse Romanæ. Quin Græciam ipsam, quanquam ad ipsos commigrasset imperium, reperiemus tamen quod ad Ecclesiæ primatum pertinebat, præterquam dum schismate laborabat, Ecclesiæ Romanæ cessisse.

Antiquitas papatus.

Græcia Romano paret pontifici.

Beatus

Diuus Hieronymus.

Beatus vero Hieronymus quantum Romanæ sedi cenſeat deferendum, vel inde luculenter oſtendit, quod quum Romanus ipſe non eſſet, tamen aperte fatetur ſibi ſatis eſſe, ſi ſuam fidem, quibuſuis improbantibus aliis, comprobaret papa Romanus. Cui quum Lutherus tam impudenter pronunciet, idque contra ſuam pridem ſententiam, nihil omnino iuris in eccleſiam catholicam ne humano quidem iure competere, ſed Papam mera vi meram occupaſſe tyrannidem, vehementer admiror, quod aut tam faciles, aut tam ſtupidos ſperet eſſe lectores, vt facerdotem credant inermem, ſolum, nullo ſeptum ſatellitio, qualem fuiſſe eum neceſſe eſt priuſquam eo potiretur quod eum Lutherus ait inuaſiſſe, vel in ſpem venire vnquam potuiſſe, vt nullo iure fultus, nullo fretus titulo, in tot vbique pares epiſcopos, apud tam diuerſas, tam procul diſiectas gentes, tantum obtineret imperium: nedum vt credat quiſquam populos omnes, vrbes, regna, prouincias, ſuarum rerum, iuris, libertatis fuiſſe tam prodigos, vt externo ſacerdoti, cui nihil deberent, tantum in ſeſe poteſtatis darent, quātum ipſe vix eſſet auſus optare. Sed quid refert quid in hac re Lutherus ſentiat? qui præ ira atque inuidia non ſentit ipſe quid ſentiat, ſed bene declarat obfuſcatam ſcientiam ſuam, & cor ipſius inſipiens, obſcuratum, traditumque in reprobum ſenſum, vt faciat ac dicat ea quæ non conueniunt. Quam verum eſt illud apoſtoli, Si habuero prophetiam, & nouerim omnia myſteria, & omnem ſcientiam, & ſi habuero omnem fidem, ita vt montes transferam, charitatem autem non habuero, nihil ſum. A qua quām longe abeſt iſte, non illud tantum oſtendit, quod præ furore perit ipſe, ſed iſtud multo magis, quod vniuerſos ſecum trahere conatur in perditionē, dum omnes ab obedientia ſummi pontificis laborat auertere, cui ipſe triplici vinculo tenetur aſtrictus, vtpote Chriſtianus, ſacerdos, & poſtremo fraterculus: tripliciter à deo viciſſim puniendus. Neque meminit quicquam, quanto melior eſt obedientia, quam victimæ. Neque conſiderat, ſi in Deuteronomio cauetur, vt qui ſuperbierit nolens obedire ſacerdotis imperio qui pro tempore miniſtrat domino deo ſuo, & decreto iudicis, moriatur: quam atroci ſit ſupplicio dignus is qui ſacerdoti omnium ſummo, eidemque ſupremo in terris iudici, non paruerit. Nam & quum vocaretur ad pontificem oblatis expenſis, & data fide, venire tamen fraterculus, niſi munitus præſidio, contempſit, & iam, quoad poteſt, totam perturbat eccleſiam, corpuſque totum ſollicitat ad rebellandum capiti, cui quaſi peccatum hariolandi eſt repugnare, & quaſi ſcelus idololatriæ: nolle acquieſcere. Quamobrem quum Lutherus odio prouectus, ſe præcipitet in perniciem, & legi Dei recuſet eſſe ſubiectus, ſuam nimirum quærens conſtituere, nos viciſſim Chriſticolæ caueamus, ne, quod Apoſtolus ait, per inobedientiam vnius hominis, peccatores conſtituti ſimus multi: ſed illius iniquitatem peroſi, domino cum propheta canamus: Iniquos odio habui, legem autem tuam dilexi.

1. Cor. 13.

1. Reg. 15. Deut. 14.

Modeſtia fraterculi.

1. Reg. 15.

Rom. 10.

Pſal. 118.

At iſta duo capita de tollendis prorſus indulgentiis, & auferenda poteſtate ſummi pontificis, de quibus quid nobis videtur expoſuimus, quantumuis impia ſint, Lutheri tamen non niſi præludia ſunt ad ſacramenta perimenda, quod toto agit libro. Quem librum totum fatetur præludium ad operis opinor quippiam, in quo decreuit ſerio moliri totius expugnationem fidei. Quanquam vehementer admiror, ſi quicquam edet vnquam tam ſeriū, vt plus tumere veneno queat, quam totum hoc turget præludium. In quo protinus ex ſacramentis ſeptem tantum relinquit tria, nec ea tamen niſi pro tempore, nimirum ſignificans, illa etiam ipſa propediem ſeſe ſublaturum. Nam è tribus vnum aufert paulo poſt eodem libro, quo plane declaret, quid proponet in reliquis.

Lutherus vnum tantum Sacramentū admittit.

Quam in rem, viam etiam videtur præſtruere, quum ait ſe, ſi ſcripturarum more loqui velit, non niſi vnum ſacramentum, & tria ſigna ſacramentalia poſiturum.

Luberus quo tendat.

Quod ſiquis diligenter inſpiciat, quo pacto tractet hæc tria ſacramenta, quæ ſeu tria, ſeu tribus ſub ſignis vnum ponit pro tempore, videbit ea ſic abillo tractata, vt nemini relinquat dubium, id illum in animo moliri, vt omnia tria poſſit ſuo rurſus tempore prorſus amoliri. Quas colubri iſtius aſtutias quo facilius lector poſſis deprehendere, obſerua diligenter ſingula veſtigia eius, & ſuſpende greſſus tuos, neque nimium ſecurus inter vepres ac tribulos, latebras & ſpeluncas eius obambula, ne ex occulto inſidiatus calcaneo tuo, exitiale virus inſtillet. Deprehenſus enim torpebit ignauus, & ſuo ipſe veneno tabeſcet.

Luth. vt coluber cauendus.

De Sacramento Altaris.

XVIII. *Lutheri aſſertiones contra 7. Sacramenta. Lutherus vocat Sacramentū panis. Ambroſius.*

Incipiamus ergo vnde ipſe incepit, à venerabili ſacramento Corporis Chriſti, cuius primo quod nomen mutet, ac vocari velit Sacramentum panis, indicat hominem non valde bene ferre, quod ipſo ſacramēti nomine admoneamur corporis Chriſti: & ſicubi reperire colorem potuiſſet, quo nomen dare potuiſſet, deterius, libenter fuiſſe datūrum. Cuius ab animo perquam longe diſſidet ac diſſentit beatus Ambroſius, quum dicit: Licet figura panis & vini in altari videatur, nihil tamen aliud quam caro & ſanguis Chriſti credenda eſt. Ex quibus verbis euidentiſſime clareſcit, Ambroſium fateri nullam aliam ſubſtantiam cum Chriſti corpore manere permixtam, quum dicat nihil aliud eſſe quam corpus & ſanguinem Chriſti, id quod figura panis videtur & vini. Si tantum dixiſſet Ambroſius, caro & ſanguis, potuiſſet fortaſſe Lutherus dicere, quod Ambroſius fatendo eſſe carnem & ſanguinem, non negaret tamen panem ſimul eſſe ac vinum, quemadmodum Lutherus ipſe dicit carnis ſubſtantiam cum pane, & ſanguinis vna cum vino ſubſiſtere. Sed quum Ambroſius dicat nihil eſſe aliud quam carnem & ſanguinem, aperte contradicit Luthero, qui ſimul cum carne dicit eſſe panem, & ſimul cum ſanguine vinum. Quanquam ſi id quod Lutherus dicit, tam verum eſſet quam falſum eſt, panem cum Chriſti carne ſimul manere permixtum, tamen ne ſic quidem neceſſe fuit Luthero delere nomen corporis Chriſti ex ſacramento in quo fatetur verum Chriſti corpus eſſe. Nam ſi panis etiam ſubſtantia ſimul cum Chriſti corpore adeſſet, quēadmodum iſte contendit, non eſt tamen ratio cur inferior ſubſtantia nomen præripiat digniori. Nam etſi rudibus adhuc populis, ad auditorum captum ſe demittens apoſtolus, panem vocauit, tunc tamen tam diu ſtabilita fide, nomen tam venerabile, quod rem ſacramenti repræſentet audientibus, in id nomen quod auditorum animos à corpore in panem auerteret, non oportebat immutari. Nec immutaſſet haud dubie Lutherus, niſi ſecum ſtatuiſſet, populum paulatim à Chriſto corpore, à quo ipſe iam præciſus eſt, in panis venerationem traducere: qua de re paulo poſt dicemus vberius.

Lutheri propoſitū.

Interim vero libet excutere quam fraudulenter per ſpeciem fauoris in laicos, conetur eorum odium concitare in ſacerdotes. Nam quum decreuiſſet eccleſiæ fidem ſuſpectam reddere, ne quid ponderis, eius haberet authoritas, atque ita facta via, præcipua quæque Chriſtianæ religionis euertere, ab ea re ſumpſit initium, cui populum ſperabat alacriter applauſurum. Tetigit enim vetus vlcus, quo pridem vlcerata eſt Bohemia, quod laici ſub vtraque ſpecie non recipiant euchariſtiam. Eam rem quum prius ita tractaſſet, vt duntaxat diceret, recte facturum pontificem, ſi curaret communi concilio ſtatuendum vt ſub vtraque ſpecie laici communicarent: poſt vbi neſcio quis illud ei negauit, non contentus in eo manere quod dixerat, ſic profecit in peius, vt totum clerum condemnet impietatis, quod iſtud non faciant non expectato cōcilio. Ego de primo non diſputo. Cæterum etiam ſi cauſas non viderem, cur non decernat eccleſia vt vtraque ſpecies miniſtretur laicis, tamen dubitare non poſſem, quin ſint idoneę, quæ & olim fecerunt vt id omitteretur, & nunc quoque faciant ne redintegretur. Nec plane aſſentior totum clerum per tot ſecula fuiſſe tam ſtolidum, vt ſe obſtrinxerit æterno ſupplicio propter eam rem vnde nihil reportaret commodi temporalis: immo vero, quam nihil ſit talis periculi, vel hoc euidenter oſtendit, quod eos qui non tantum iſtud fecerunt, verum etiam qui ſcripſerunt eſſe faciendum, Deus non modo ſuſcepit in cœlum, verumetiam voluit eſſe venerandos in terris, & ab hominibus honorari, à quibus honoratur ipſe. Inter quos fuit, vt de aliis interim taceam, vir eruditiſsimus, & idem ſanctiſsimus diuus Thomas Aquinas: quem ideo libentius commemoro, quoniam eius viri ſanctitatem, Lutheri ferre non poteſt impietas, ſed quem omnes Chriſtiani venerantur, pollutis labiis vbique blaſphemat. Quanquam ſunt permulti, qui etiam ſi pro ſanctis recepti non ſunt, tamen ſiue doctrina, ſiue pietate ſpectentur, tales ſunt, vt Lutherus eis comparari

Lutherus ſibi contrarius.

Miraculis clarent quos Lutherus damnat.

non

non poſſit, qui hac in re contrarium Luthero ſentiunt: inter quos ſunt Magiſter ſententiarum, & Nicolaus de Lyra, & complures alii, quorum cuilibet magis expedit Chriſtianos omnes, quam Luthero credere. At vide quæſo, quam vacillat, ac ſibi repugnat Lutherus. Vno loco dicit, Chriſtum in cœna omnibus omnino fidelib. non permitteudo ſed præcipiendo dixiſſe: Bibite ex eo omnes. Poſtea vero timens ne laicos quidem in ſacerdotum odium adulatur, offenderet, hæc verba ſubiungit: Non quod peccent in Chriſtum, qui vna ſpecie vtuntur, quum Chriſtus non præceperit vlla vti, ſed arbitrio cuiuslibet reliquerit, dicens: Quotieſcunq; hæc feceritis, in mei memoriam facietis: ſed quod illi peccant, qui hocarbitrio volentibus vti, prohibent vtranque dari. Culpa non eſt in laicis, ſed in ſacerdotibus. Videtis aperte, quod primo dixit eſſe præceptum, hic dicit non eſſe præceptum, ſed cuiuslibet arbitrio relictum. Quid opus eſt ergo nos illi contradicere, qui ſibi toties contradicit ipſe? Et tamen quū dixit omnia, laicos non ſatis defendit, ſi quis rem vrgeret: & in ſacerdotibus quos tam atrociter accuſat, nihil probat eſſe peccati. Nam in eo dicit totum eſſe peccatum quod ſacerdotes alterius ſpeciei laicis inuitis adimerent libertatem. Hic igitur ſi quis eum perconretur, qui ſciat iſtum ritum inoleuiſſe tenitē ore populo, non poteſt opinor, docere. Cur ergo totum condemnat clerum, quod laicis inuitis ademerit ſuum ius, quum id inuitis eſſe factum, nullo poſſit documento probari? Quanto fuit æquius, ſi niſi volentibus illis recte nequiuit initiui, pronunciare, pro tot ſeculorum conſuetudine plebis interueniſſe conſenſum? Ego certe qui video quas res à plebe clerus obtinere non poteſt, ne tantum quidem, quin ferme ſub ipſo altari ſuorum concubant cadauera, non facile credo populum fuiſſe paſſurum, vt inuiti per contumeliam in tanta re ab vlla iuris ſui parte pellerentur, ſed cauſis aliquot idoneis à laicorū quoq; voluntate conſtitutum. At iſtud miror, tam vehementer indignari Lutherum, laicis ademptam alteram, quum nihil eum permoueat, quod vtraque ſpecies adimatur in antibus. nam illos olim communicaſſe, nec ipſe negare poteſt. Qui mos ſi recte fuit omiſſus, quanquam Chriſtus dicat, Bibite ex hoc omnes nec quiſquam dubitat, quin cauſæ fuerint magnæ, etiam ſi nunc earum nemo meminiſſet, cur non etiam cogitemus bonis iuſtiſque rationibus, quantumuis nunc ignoratis, abolitam eſſe conſuetudinem, qua laici olim; nec id fortaſſe diu, ſub vtraq; ſpecie ſoleb ant recipere ſacramentum? Præterea ſi eam rem ad exactam euangelicæ narrationis formam reuocat, neque quicquam prorſus permittit eccleſiæ, cur euchariſtiam nō iubet ſemper in cœna recipi, imo vero poſt cœnam? Deniquē non minus incommodi fuerit, in hoc ſacramento facere ſi quid feciſſe non debeas, quam ſi quid non facias quod feciſſe debueras. Ergo ſi totius Eccleſiæ conſuetudo rectum non facit, vt in laicis omittatur ſpecies vini, qua ratione aquam in vinum audet Lutherus infundere? Neque enim tam audacem puto, vt ſine aqua conſecret, quam tamen vt admiſceret, neq; exemplum habet ex cœna dominica, neque ex Apoſtoli traditione compertum, ſed ſola eccleſiæ conſuetudine didicit: cui ſi putat hac in parte parendum, cur eam in altera tam arroganter oppugnat? Qua de re quicquid Lutherus obgannit, ego certe tutius opinor credere, laicos recte ſub altera tantum ſpecie communicatos, quam per tot ſecula totum clerum, quod ipſe diſputat, hac vna de cauſa fuiſſe damnatum. Nam omnes appellat impios, & tales, vt in crimen inciderint læſæ maieſtatis euāgelicæ. Quod ſi vtri ſint (inquit) hæretici & ſchiſmatici nominandi: non Bohemi, non Græci, quia euangeliis nituntur ſed vos Romani eſtis hæretici & impii ſchiſmatici, qui ſolo veſtro figmento præſumitis contra euidentes Dei Scripturas. Si Lutherus nihil admittit aliud, quam euidentes Dei Scripturas, cur non iubet Euchariſtiam, vt dixi, ſumi à cœnantibus? Nam ſic factum à Chriſto Scriptura commemorat. Quanto melius crederet Lutherus, non humano figmento, ſed eodem authore Deo factum in Eccleſia ne laici ſub vtraque ſpecie reciperent Euchariſtiam, quo authore factum eſt vt reciperetur à ieiunis? Placuit enim, vt ait beatus Auguſtinus, Spiritui Sancto, vt corpus domini quod poſt alios cibos ab Apoſtolis in cœna receptum eſt, ante alios cibos à ieiunis reciperetur in Eccleſia. Videtur ergo verisimile, quod Spiritus Sanctus, qui Chriſti regit Eccleſiam, ſicut Euchariſtiæ Sacramentum mutauit à cœnantibus ad ieiunos, ita laicos ab vtraque ſpecie deduxit in alteram. Nam qui alterum mutare potuit, cur non alterare potuerit & alterum? Hoc loco plane ſe oſtendit Lutherus, qui agitet in animo, quum Bohemos (quorum perfidiam pridem execrabatur) nunc tam blande viciſſim demulceat. neque enim quiſquam eorum quos ille Papiſtas appellat, & adulatores Pontificis, ita Romano blanditur antiſtiti, quomodo Lutherus etiam fæci Bohemicæ plebis adulatur. Nec id tamen abs re. Videt enim breui fore, vt Germani, quibus pridem per ſpeciem ouinæ ſimplicitatis impoſuit, aghitum tandem lupum ſint eiecturi: atque ideo Bohemis ante ſe inſinuat, ac ſibi quoad poteſt, amicos facit de mammona iniquitatis, vt in quorum immigrauit errores, aliquando ſua extorris, illorum immigrare & natur in patriam. Ad quos vt ob facinus aliquod inſigne veniat commendatior, conatur interim Eccleſiaſticæ conſuetudinis omnem vim atque authoritatem extinguere: poſt, ſiid, quod omen auertant ſuperi, fœliciter ei ceſſerit, concuſſurus omnia. Longius enim deſtinat, quam quo putatur, tendere. Atque ita cauſſam agit laicorum, vt longe mediterit aliud, quam præ ſe ferat: quibus quantumuis blande porrigit alteram manu panem, altera tamen geſtat ſcorpionem. Nam multis primum verbis agit, vt laici permittantur vtranque ſpeciem ſumere. Et quis nunc credat hoc eum conari, vt laicorum cultum erga ſacramentum adaugeat? Verum pauliſper obſerua quo tendat. Nam tandem ſic rem totam claudit, vt id quoq; permitti poſtuler, ne laici communicare cogantur in paſchate, neue vllum eis ſumendæ Euchariſtiæ tempus indicatur, ſed liber quiſque ſuo relinquatur arbitrio, immo vero vt ne ſæpius in tota vita quiſquam ſumat quam ſemel, idque non ante extremum vitæ diem, qui & incertus eſt, & quum ad eum ventum eſt, ſumere plerique non ſuſtinent. Ita qui videbatur id agere, vt laici recipere ſinerentur vtranq., id oblique procurat, vt impune liceat ne ſpeciem vnquam quiſquam ſumat vllam: & hanc præclaram libertatem ducit, vt populus in roto à ſuſcipiendo ſacramento liberetur. Quumobrem vteunque ſerpens amico blandiatur aſpectu, certe venenata iſta cauda ſpiculum quærit infigere, facitque perſpicuum, hoc magis illum torquere, quod populus alteram ſpeciem recipiat, quam quod altera abſtineat. Nam quemadmodum ſerpens antiquus electus è celo, inuidit homini paradiſum, ita Lutherus quoque poſtquam ſua culpa ſic in excommunicationis incidit laqueum, vt vtriuſq; ſpeciei ſalubri communione priuetur, reliquos omnes eodē laqueo cupit implicare, vt vtriuſq; recipiendæ vinculo ſoluti, neutrā paulatim aſſueſcant recipere. Quod illius execrandum propoſitum, quo magis in libello progrederis, eo magis magiſq; perlucet. Nam ſecundam captiuitatem facit, quod quitquā veteretur credere verum panem, vtrumq; vinum reſtare poſt conſecrationem. Quā in re contra quam totus iam credit Chriſtianus orbis, ac multis retro ſeculis credidit, perſuadere conatur Lutherus in Euchariſtia ſic eſſe Chriſti corpus & ſanguinem, vt tamen ſubſtantia veri panis, vtriq; vini remaneat. poſthac opinor, quum libebit, corporis aliquando ſubſtantiam ſanguiniſq; negaturus, tāquam poſt in melius mutata ſententia, quēadmodum ter ante iam fecit, nempe in indulgentiis, in poteſtate pontificis, & cōmunione laicorū. Interea ſe fingit iſta docere, motum videlicet miſericordia captiuitatis quā populus Iſraeliticus ſeruiat Babyloni. Ita totam Eccleſiam appellat Babylonem, Eccleſiæ fidem vocat ſeruitutem. & homo miſericors offert libertatem omnibus qui velint ab Eccleſia ſeparari, & iſtius putridi & abſciſſi membri contagione corrumpi. At quibus modis inuitat in hanc plus quam ſeruilem libertatem, operæpretium eſt cognoſcere.

Infantes olim ad communionem admittebantur.

Lutherus ſibi repugnans.

Lutheri verba.

Lutheri verba contumelioſa in totum clerum.

Auguſtin.

Lutherus fugā meditatur ad Bohemos.

Lutheri dolus deprehenſus.

Speciosa Lutheri libertas Ægyptiacæ ſeruitute deterior.

Lutheri hypocriſis.

Lutheri inſignis miſericordia.

Magnam cenſet primariam rationem, quod verbis diuinis non eſt vlla facienda vis, neq; per hominem, neque per angelum, ſed quantum fieri poteſt, inquit, in ſimpliciſſima ſignificatione ſeruanda ſunt, & niſi manifeſta circumſtantia cogat, extra gramaticam, & propriam, accipienda non ſunt, ne detur aduerſariis occaſio vniuerſam Scripturam eludendi. At vis (inquit,) ſit verbis diuinis, ſi quod Chriſtus ipſe vocat panem, hoc nos dicamus intelligi panis accidentia: &

Lutheri argumentū.

quod ille vinum vocat, hoc nos dicamus esse tantum vini speciem. Omnibus ergo modis verus panis, ac verum vinum restat in altari, ne verbis Christi fiat vis, si species sumatur pro substantia. Nam cum Euangelistæ clare scribant (inquit) Christum accepisse panem ac benedixisse, & Actuum liber, & Paulus panem deinceps appellent, verum oportet intelligi panem, verumq; vinum, sicut verum calicem. Non enim calicem transubstantiari etiam ipsi dicunt.

Lutheri argumentũ dissoluitur

Hæc est ergo magna, & quemadmodum ipse ait, primaria Lutheri ratio, quam ego me spero facturum vt omnes quamprimum intelligant nihil magni habere momenti. Nã primum id quod ait, Euangelistas clare dicere, quantumuis clare dicant, pro Luthero tamen nihil clare probant, contra vero, quod pro illo probaret, hoc nusquam dicunt. An non scribunt (inquit) accepisse panem, & benedixisse? Quid tum postea? Accepisse panem & benedixisse, etiam nos fatemur. Panem vero dedisse discipulis, postquam inde suum corpus confecerat, hoc & nos instanter negamus, & Euangelistæ non dicunt. Quæ res quo fiat apertior & tergiuersandi minus pateat locus, Euangelistas ipsos audiamus. Matthæus ergo sic narrat. Cœnantibus autem eis, accepit Iesus panem, & benedixit, ac fregit, deditque discipulis suis, & ait: Accipite, & comedite: Hoc est corpus meum. Et accipiens calicem, gratias egit, & dedit illis dicẽs: Bibite ex hoc omnes. Hic est sanguis meus noui testamenti, qui pro multis effundetur in remissionem peccatorum. Marci vero verba sunt ista: Et manducantibus illis, accepit Iesus panem, & benedicens fregit, & dedit eis, & ait: Sumite, hoc est corpus meum. Et accepto calice, gratias agens dedit eis, & biberunt ex illo omnes, & ait illis: Hic est sanguis meus noui testamenti, qui pro multis effundetur. Lucas denique narrat hoc pacto: Et accepto pane gratias egit ac fregit, & dedit eis dicens: Hoc est corpus meum quod pro vobis datur. Hoc facit in meam commemorationem. Similiter & calicem postquam cœnauit, dicens: Hic est calix nouum testamentum in sanguine meo, qui pro vobis fundetur. Ex omnibus his Euangelistarum verbis nullum video locum in quo post consecrationẽ sacramentum vocetur panis aut vinum, sed tantum corpus & sanguis. Dicunt in manus Christum sumpsisse panem, id quod etiam nunc fatemur omnes: at quum reciperent Apostoli, non panis nominatur, sed corpus. At Lutherus Euangelistæ verba in suam partem conatur interpretatione torquere. Accipite, manducate: hoc, id est hic panis, inquit is, quem acceperat & fregerat, est corpus meum. Sed hæc est interpretatio Lutheri, non verba Christi, neque verborum sensus. Si panem quem accepit, quemadmodum accepit, sic tradidisset discipulis, nec ante conuertisset in carnem, ac porrigendo dixisset, Accipite & manducate, recte diceretur porrexisse quod in manus acceperat: nihil enim fuisset aliud quod porrigeretur. At quum priusquam daret Apostolis manducandum, panem conuertit in carnem, non iam accipiunt panem, quem ille susceperat, sed corpus eius in quod panem conuerterat. Quemadmodum si quis quum semen accepisset, alii daret inde natum florem, non id dedisset, quod acceperat, quanquam naturæ communis ordo alterum fecisset ex altero: ita multo minus porrexit Apostolis id quod in manus acceperat Christus, quum panem susceptum in suam ipse carnem tanto vertisset miraculo: nisi quis contendat, quoniam Aaron virgam sumpsit in manum, & virgam proiecit è manu, ideo cum colubro quoque, virgæ restitisse substantiam, aut colubri denuo cum recepta virgula. Quod si cum colubro virga restare non potuit, quanto minus restare potest panis cum carne Christi, tam incomparabili substantia? Nam quod arguatur, imo nugatur Lutherus, pro suæ simplicitate fidei facere, quum de vino dicat Christus, non, hoc est sanguis meus, sed, hic est sanguis meus: miror quid homini venerit in mentem, quum istud scriberet. Quis enim non videt quam nihil omnino facit pro eo, imo contra? videretur magis pro eo fecisse, si dixisset Christus, Hoc est sanguis meus. Habuisset enim ansam saltem Lutherus, qua demonstrandi articulum referret ad vinum. Nunc vero quum vinũ sit neutri generis, Christus ait, non hoc, sed hic est sanguis meus. & quum panis sit generis masculini, ait tamen: Hoc est corpus meum, non hic: vt vterque ostendat articulus, Christum neque panem propinare, neque vinum, seu suum ipsius corpus & sanguinem. Nam quod videri vult Lutherus, pronomen hoc, ad corpus referri, non Christi proposito, sed occasione linguarum, nempe Latinæ & Græcæ, ac proinde nos remittit ad Hebraicam, an non ridiculum est? Nam Hebræa lingua si neutrum genus non habet, non potest tam aperte declarare, vt vtrumque Christus retulit articulum, quam latina vel græca. Nam in Hebræa lingua si articulus fuisset masculus, tanquam diceret, hic est corpus meum, tamen res relinqueretur ambigua, quia potuisset ea locutio videri coacta, necessitate linguæ non habentis neutrum. Sed quum apud Latinos panis & corpus sint diuersi generis, is qui transtulit è græca, articulum cõiunxisset cum pane, nisi apud Euangelistam reperisset demonstrationem factam de corpore. Præterea quum Lutherus fateatur idem generis discrimen esse & græcis, facile potuisset cognoscere Euangelistas, qui scripserunt græce, articulum fuisse posituros qui referretur ad panem, nisi quod conscii mentis dominicæ voluerunt admonere Christianos articulo corporis, Christum non panem communicasse discipulis, sed corpus. Quamobrem quod Lutherus interpretatur in suam partem verba Christi, Accipite & manducate, hoc est corpus meum, id est hic panis, quem acceperat: non ego, sed ipse Christus contra docet sua verba intelligi, nempe, hoc quod eis porrigebat, non esse quod ipsis videbatur, panem, sed suum ipsius corpus, si recte Christi verba recensent Euangelistæ. Nam alioqui poterat dicere, non hoc, quod exponeretur id est hic, sed aperte potius, hic panis est corpus meum: quo sermone docerentur discipuli id quod nunc Lutherus docet Ecclesiam, nempe in Eucharistia pariter & Christi esse corpus & panem. Nunc vero sic locutus est vt ostenderet et manifeste, corpus duntaxat esse, non panem.

Argutula Lutheri interpretatio.

Cõparatio elegans.

Cõparatio efficax.

Lutheri nugax argutia eluditur.

Luth. argumentũ de articulo vetorum.

Iam quod tam magnifice transfert ad se Lutherus, quod Christus etiam loquitur de calice, quẽ nemo dicat esse transubstantiatum, miror hominem non pudere tam intemperantis ineptiæ. Quum dicit Christus, Hic calix noui testamenti in meo sanguine, quid facit pro Luthero? Quid enim significat aliud, quam id quod discipulis propinabat in calice, suum esse sanguinem? An ex his Christi verbis ostendet nobis Lutherus, manere vini substantiam, quia Christus loquitur de sanguine? aut vinum in sanguinem non posse mutari, quia adhuc restat calix? Vtinam præludiũ delegisset sib. Lutherus ex alia materia, in qua minori periculo potuisset ludere. Nam quum Bohemos & Græcos sibi excusset ab hæresi, vt hæreticos clamet omnes esse Romanos, multo magis ostendit se Lutherus hæreticum, qui non solum fidem abnegat, quam tota credit Ecclesia, sed etiam deteriora credi suadet, quam aut crediderunt Græci, aut vnquam crediderе Bohemi. Hactenus ista disserui, duntaxat vt ostenderẽ, ex ipsius Christi verbis & Euangelistarum ostendi non posse, quod iste se iactat ostendere, imo contra liquere perspicue, in eucharistia panem non esse. Quo in actis Apostolorum ait eucharistiam appellari panem, vellem protulisset locum: ego nullum reperio qui non sit ambiguus, & potius videatur de cõmuni conuiuio dicere, quã sacramento. Apostolus tamen fateor, panem non semel appellat, vt scripturæ sæcutus in sermone morem, quæ solet interdum vocare quippiam non id quod est, sed quod ante fuerat, vt quum ait, Virga Aaron deuorauit virgas magorum, quæ tamen tunc virgæ non erant, sed serpentes: vel contentus fortasse vocare quod specie præ se ferebat, quum satis haberet, rudem adhuc in fide populũ lacte pascere, nec primum aliud exigere, quam vt quocumque modo crederent in sacramento esse corpus Christi, postea paulatim solidiore cibo pasturus, postquam adoleuisset in domino. Idem potuit & in Apostolorum actis contingere, vbi nec beatus Petrus alloquens populum, & illis Christi fidem insinuans, ausus est adhuc aperte quicquã de eius diuinitate dicere: ita abdita & populis dubia mysteria non temere proferebant. At Christus Apostolos suos, quos tandiu sua doctrina formauerat, ipso sacramenti instituendi principio docere non dubitauit, panis viniq; non amplius restare substantiam, sed manente vtriusq; speciei vtrunq; tamen & panem & vinum in corpus & sanguinem suum esse conuersum. Quod tam aperte docuit, vt plane mirandum sit, exortum

Argumentum Luth. ineptissimum.

1. Cor. 2.

Exod. 7.

tum quenquam postea, qui rem tam claram rursus vocaret in dubium, Quomodo enim potuisset apertius dicere, nihil illic remanere panis, quam quum dixit. Hoc est corpus meũ? Non enim dixit. In hoc est corpus meum, aut cum hoc quod videtis, est corpus meum: tanquam in pane aut simul cum pane consisteret, sed hoc est, inquit, corpus meum: nimirum declarans manifeste (vt os cuiusq; gannientis, obstrueret) hoc totum quod porrigebat, ipsius corpus esse. Quod ita porrectum Apostolis, etiãsi (quod non fecit) nomine panis appellasset, tamen quũ simul admoneret audientes, idipsum quod vocaret panem, nihil aliud esse quam suum corpus, in quod totus fuerat ipso mutante conuersus: nemo potuisset dubitare, quid Christus vellet panis appellatione significari eoq; circumstantia ipsa (nam circumstantiã Lutherus admittit) declarat euidenter, vocabulum panis, quum panis mutatur in carnem, absq; vlla violentia facta verbo diuino, panis significare speciem, non substantiam: nisi Lutherus adeo inhæreat proprietati verborum, vt Christum credat in cœlis quoq; fuisse panem triticeum, aut hordeaceum, propterea quod ipse dicit de se, Ego sum panis qui de cœlo descẽdi. aut veris vsus onustam vitem, quia dixit ipse, Ego sum vitis vera & pater meus agricola est, aut electos deniq; remunerandos in cœlo voluptate corporea, propterea quod Christus ait: Ego disponо vobis, sicut mihi disposuit pater meus regnum, vt edatis & bibatis super mensam meam in regno meo.

Contra Lutherum ex ipsis Christi verbis.

Contra Lutherum ex circumstantia.

Lutheri facta illusio.

Luca 22.

Neotericorum cõtra Luthe rũ defensio

Lutherus multus est in destruendis neotericorum argumentis, quibus defendere nititur & probare transubstantiationem, rationibus peritis Aristotelica schola. Qua in re videtur plus laboris in sumere quam res exigat. Neque enim ideo credit Ecclesia, quia sic illi disputant: sed quia sic Ecclesia iam inde ab initio credidit, & ne quis vacillet, ita credendum esse decreuit: ideo illis rationibus etiam Philosophicis exercent ingenium, quibus vtcunque docere possint, quod ex tali fide nihil sequatur absurdum, aut controuersio panis in substantiam nouam necessario collat ac non relinquat priorem.

Nam quod Lutherus ait hanc fidem transubstantiationis iam intra trecentos annos proximos esse natam, quum prius à Christo plus annis mille ducentis Ecclesia recte credidерit, nec interim de transubstantiatione tam portentoso, (vt ait ille) vocabulo, mentio vnquam illa sit facta: si de vocabulo tantum litiget, nemo erit, opinor illi molestus, vt credat transubstantiationem, modo credat panem sic esse cõuersum in carnem, & vinum in sanguinem, vt nihil neque panis remaneat neq; vini, præter speciem, quod ipsum vno verbo volunt quicunq; ponunt transubstantiationem. At istud postquam Ecclesia verum esse decreuit, etiam si nunc primum decerneret, tamen si veteres non credidere contrariũ, quanquam de eare nunquam ante quisquam cogitasset, cur non obtemperaret Lutherus Ecclesiæ totius præsenti decreto persuasus, id nunc tandem reluelatum Ecclesiæ, quid ante latuisset? Spiritus enim sicut vult spirat, ita spirat & quando vult.

Ioan. 3.

Nunc vero non est istud tam nouum, quam fingit Lutherus, qui quum hanc transubstantiationis fidem natam esse dicat ab annis hinc trecentis, ne grauetur quæso concedere saltem quadringentos. Totidem enim opinor effluxisse post editum ab Hugone de sancto Victore librum de sacramentis, in quo transubstantiationis etsi non verbum, rem certe & sententiam reperias. Ait enim hoc pacto: Iam quum vnũ sit sacramentum, tria ibi discreta proponuntur, species videlicet visibilis, & veritas corporis, & virtus gratiæ spiritualis. Vides vt speciem ponat panis, non veritatem: veritatem corporis, non speciem? Et paulo post apertius. Quod enim videmus, species est panis & vini: quod autem sub specie illa credimus, verum corpus Christi est, & verus sanguis Iesu Christi quod pependit in cruce, & qui fluxit de latere: Item alio loco multo adhuc manifestius, quum ait: Verbo sanctificationis, vera panis & vera vini substantia, in verum corpus & sanguinem Christi conuertitur, sola specie panis & vini remanente & substantia in substantiam transeunte. Clarum est igitur, hanc transubstantiationis fidem antiquiorem esse aliquanto, quam fingit Lutherus. At vt eũ astringamus fortius, ostendemus, quod ille natum videri vult intra annos trecentos, fidem fuisse sanctissimorum patrum ab annis hinc plus mille. Constant enim ante annos plus mille sic credidisse fideles vt fatererntur totam panis viniq; substantiam in Christi corpus & sanguinem veraciter esse conuersam. Quo magis miror non pudere Lutherum, quum dicat hanc fidem transubstantiationis intra annos natam esse trecentos. Eusebium Emissenum quis nescit ante annos plus sexcẽtos esse defunctum? qui quasi veritus olim fore qui talia molirentur, tot annis iam præteritis clamauit: Recedat (inquit) omne infidelitatis ambiguum, quoniam quidem qui author est muneris, ipse est etiam testis veritatis. Iam inuisibilis sacerdos, visibiles creaturas, in substantiam corporis & sanguinis sui secreta potestate conuertit, ita dicens: Accipite & comedite: hoc est corpus meum: & repetita benedictione, Accipite & bibite: hic est sanguis meus. Nõne hic vir sanctissimus aperte dicit, panis ac vini substantias in substantias corporis & sanguinis esse conuersas? Quid beatus Augustinus quum ait? Nos autem in specie panis & vini, quam videmus, res inuisibiles, id est carnem & sanguinem honoramus. Quid potest apertius dici? Non enim dicit in pane & vino, sed in specie panis & vini. Lutherus negat panem appellandum esse, quod tantum sit species panis, & putat Augustinum fuisse vocaturum speciem panis id quod esset panis vera substantia? Gregorius item Nyssenus, Panis, inquit, est ante cõsecrationem, sed vbi consecratur mysterio, fit & dicitur corpus Christi. Quod ait esse ante consecrationẽ, hoc designat post consecrationem non esse. Quin Theophilus quoq; declarans hæc verba, Hoc est corpus meum, hoc, inquit, quod nunc do, & & quod nunc sumitis. Non autem panis figura tantum est corporis Christi, sed in proprium Christi corpus transmutatur. & paulo post ait: Si carnem & sanguinem cerneremus, sumere non sustineremus, propter hoc dominus nostræ infirmitati condescendẽs, species panis & vini cõseruat, sed panem & vinum in veritatẽ conuertit carnis & sanguinis. Hic vir piissimis, idemq; doctissimus, bis premit Lutherum. Nam primum illum articulum, hoc, docet nõ quomodo Lutherus docet exponendum, Hoc, id est hic panis, sed hoc, id est id quod nunc ego do, & quod vos sumitis. deinde dicit aperte, panis & vini non nisi species esse conseruatas, substantias ipsas in corpus & sanguinem esse conuersas. Ad quid aliud volunt qui ponunt transubstantiationẽ, quam quod hic ait Theophilus, non intra trecentos hos annos proximos, quippe qui defunctus est aliquot annorum centenariis priusquam transubstantiationis vocabulum nasceretur? Quid beatum Cyrillum commemorem, qui non tantum dicit idem, sed ferme etiam eodem modo? Ait enim, Ne horreremus carnem & sanguinem apposita sacris altaribus, condescendẽs Deus fragilitatib. nostris, infundit oblatis vim vitæ, conuertens ea in veritatem propriæ carnis. Præterea ne quis dicat antiquos patres credidisse sic in Eucharistia corpus esse Christi, vt tamen remaneat panis, non ista tantũ obstant quæ diximus (quæ tamen obstant apertissime) sed illud præterea, quod supra diximus ex Ambrosio, quum ait: Licet figura panis & vini videatur, nihil tamen aliud quam caro Christi & sanguis post consecrationem credendum est. Videtis vt beatissimus pater dicat non tantum corpus esse & sanguinem, sed etiam nihil esse præterea, licet panis & vinũ esse videatur? Et istud qui dicit non intra trecentos annos proximos hoc dixit, intra quos hanc transmutationis fidem exortam esse fingit Lutherus, sed dixit ante annos plus mille. Nec ego certe veterum fere sanctorum patrum quenquã puto fuisse probaturum concinnam istam Lutheri similitudinem ferri cum igne coniuncti. Nam nemo vnquam dixit, ferrum sic in ignẽ conuerti, vt tantum ferri species relinquatur, substantia ferri in ignis mutata substãtiam: quod de pane & Christi carne veteres senserunt omnes. Aut si quis vnus forte sensit aliter, tamen neq; vna hirundo facit ver, & ille quisquis fuerit, potius excusandus est quod in re tum nõ satis excussa parum peruiderit, quam contra cæterorum omnium, contra totius Ecclesiæ, contra tot ætatum fidem sequendus, in quam ipse quoque quisquis fuerit, modo bonus fuerit, si nunc viueret, dubio procul fuerat concessurus. Nam quisquis beatissimum Christi corpus sic vt debet existimat, facilius assentietur quascunque duas substantias simul manere coniunctas, quam vllum corpus aliud manere commixtum cum venerando corpore Christi. Neque enim

Eusebius Emissenus

Augustin.

Gregorius Nyssenus.

Theophyl.

Ambros.

Comparatio Lutheri eluditur.

Cyrillus.

vlla substantia digna est, quæ cum ea misceatur substantia, quæ substantias omnes condidit. Præterea olim patribus opinor multo adhuc minus fuisse placituram illam Lutheri collationem, qua sic vult panem simul restare cum carne, sicut restabat in vna Christi persona Deus cum homine. Nam vt passim veterum quisq; patrum doctissimus atq; sanctissimus fatetur panem mutari in carnem, ita nemo tam impius erat, aut inscius, vt humanitatem conuerti senserit in diuinitatem, nisi forte nouam nobis personam fingat Lutherus, vt quomodo Deus assumpsit hominem, ita Deus & homo assumant panem & vinum. quod si credat, habebitur opinor hæreticus apud omnes qui nō sunt hæretici. Quamobrem vt aliquando finem de transsubstantiatione faciam, ex ipsis Christi verbis & sanctorum virorum sententiis, euidenter liquet hanc quam nunc tenet ecclesia veram esse fidem, qua creditur panis aut vini substantiam in Eucharistia non manere, ex qua & istud sequitur, hoc Lutheri dogma, quod cōtra docet, falsum esse prorsus & hæreticum. Quo ex dogmate miror quid fructus populo spondeat. An, quod ait ipse, ne quis propterea semet credat hæreticū, quod fors ita cum Luthero sentiat?

Lutheri verba.

At Lutherus ipse fatetur nihil esse periculi, si quis hac in re sentiat quod tota iam sentit ecclesia. At coram à tota Ecclesia censet hæreticum esse eum, qui sentiat cum Luthero. Non debet ergo Lutherus animare quenquā cui bene cupit, vt secum sentiat, cuius sententiam tota condēnat Ecclesia, sed debet his suadere quos amat, vt accedant illis quos ipse quoq; indicat in nullo versari periculo. Falsa est ergo ista Lutheri via. contra publicam fidem non huius temporis, sed etiam ætatum omnium: nec liberat captiuitate credentes ei

Exitus credentiū Luthero.

sed educentes è libertate fidei, hoc est è loco tuto, quod Lutherus ipse fatetur, captiuat in errorem, ducens in præcipitium, & vias inuias, incertas, dubias, eoq; plenas periculi, & qui amat periculum, perit in illo.

Tertia Lutheri captiuitas excutitur.

Postquam duas illas, quas ibi sibi fingit captiuitates, homo in malum liber, euasit, ne mētem in Dei captiuet obsequium expugnat, vt simulat, captiuitatem tertiam, & libertatē proponit, qua totam captiuet Ecclesiam: vtpote cuius lucidissimam nubem dispergere, columnā ignis extinguere, arcam violare fœderis, summum atq; vnicum sacrificium Dei propitiatorium, quod assidue pro populi peccatis offertur, homo plusquam sacrilegus, conatur auferre. Nam missam, omni fructu qui ex ea promanat in populum, pro sua virili despoliat, quum missam negat bonum opus esse, aut populo quicquam prodesse. Qua in re nescio, magisne impietatem hominis admirer, an stultissimam spem, vel potius insanam superbiam, qui quum tam multas ipse commemoret sibi obiectas obices, nihil affert secum, quo reuellat vllam, sed perinde agit, ac si rupes foret arundine perfossurus.

Quæ sibi Lutherus obiicit, ipse non diluit.

Videt enim & fatetur obstare sibi sanctorum patrum sententias, missæ canonem, totam deniq; totius Ecclesiæ consuetudinem, tot seculorum vsu, tot populorū consensu corroboratam. Quid ergo præsidij aduersus tot acies tam validas, tā inuictas opponit? Vsitata via grassatur, laborat seminare discordiam, & serere seditiones, plebem in patres excitare & quo vulgus ad defectionem prouocet, stultissima solertia, & facillime coarguenda, mentitur, totius exercitus ducem Christum in suis sese castris habere, & Euangelii tubam pro se simulat canere. Quo stratagemate nullum vnquam fuit excogitatum stultius. Nam quis vsquam viuit aut tam impius, aut tam omnino stupidus, qui Ecclesiam corpus Christi mysticum sic laceratam censeat, vt vbi membrorum omnium cōpago sit, illinc

Argumentum validum ex Christi promissione.

caput putet esse diuulsum? vt is qui carnem quam sumpsit, nunquam deseruit, Ecclesiā, propter quam sumpsit carnem deseruerit: & cum qua se promisit ad finem vsq; seculi permansurum, ab ea prorsus tot iam seculis absuerit, atq; ad Lutherum tandem coniuratissimum eius hostem transfugerit?

Verum videamus obsecro, quid afferat præstigij, quo faciat verum videri, quod dicit Christum pro se stare. Post lōgas ambages definit missam, deinde separat à missa missæ cæremonias, excutit cœnam dominicam, & verba Christi trutinat quibus vsus est quum institueret missæ sacramentum. Ibi quum testamenti verbum, rem videlicet tam abstrusam reperisset, iam tanquam profligatis hostibus, cœpit ingeminare victoriam: verbis adornat inuentum, vt iactat, suum, & tanquam mysterium hactenus inauditum, magno supercilio docet quid sit testamentum.

Verba Lutheri testamentum definientis.

Notandum esse clamat, ac memoria tenendum, testamentum esse morituri promissionem, qua nuncupat hæreditatem, & instituit hæredes. Hoc igitur sacramentum, inquit, missæ, nihil est aliud quam testamentum Christi. testamentum v. nihil aliud est, quam promissio hæreditatis æternæ nobis Christianis, quos suos hæredes instituit, corpus & sanguinem suum velut signum ratæ promissionis adijciens. Hoc igitur decies repetit, inculcat, infigit, vtpote quod haberi vult immobile fundamentum, super quod ædificet ligna, fœnum, stipulam. Nam hoc fundamento iacto, quod missa Christi sit testamentum, omnem sese iactat impietatem euersurum, quam impij, vt ait, homines inuexerunt in hoc sacramentum,

Sacrosancta Lutheri dogmata.

& se dilucide probaturum, ad communionem recipiendam sola fide veniendum esse: de operibus cuiusmodi sint, non admodum esse curandum: conscientia quanto magis erronea sit, ac peccatorum vel morsu vel titillatione moueatur, tanto sanctius accedi: quanto serenior, purior, & errore purgatior, tanto sumi deterius. Ad hæc, Missam, bonum opus non esse. Missam nō esse sacrificium. Missam sacerdoti tantum, non autem populo prodesse. Nihil prodesse defunctis, nihil cuiquam viuētium. Impium esse errorem si missa canatur pro peccatis, si pro cuiusquam necessitate, si pro mortuis. Inanem esse rem & impiam fraternitates, & annuas defunctorum memorias: abolendam esse talem omnem sacerdotum, monachorum, canonicorum, fratrum, religiosorum deniq;, quos vocamus, omnium alimonium.

Et tu Luthere ex illis.

Hæc igitur tot & tam immensa bona se reperisse gloriatur in eo solo quod hoc sacrosanctum Sacramentum competit esse Christi testamentum. Iamque in Sententiarios protinus, quos vocat, doctores inuehitur. Exclamat in oēs qui declamant apud populum, quod quum illi tam multa scribant, hi tam multa loquantur & prædicent de Eucharistiæ Sacramento, neutri tamen attingant quicquam de testamento, sed impie celent populum, bonum illud incōparabile, quod tamen iam olim fuisse profuisset: ex Missa nihil vnquam boni laicos neq; viuos neq; defunctos esse consecuturos. Ob cuius rei ignorantiam denunciat vniuersos hodie sacerdotes & monachos cum Episcopis & omnibus suis maioribus idololatras esse, atque in statu periculosissimo versari. Igitur istud Lutheri mysterium, è quo tantas efflat glorias, quod definitionem testamenti tam accurate ad Sacramentum applicat, quam verum sit non excutio, sed interim certe nō video cur hoc inuentum tanquam nouum tam magnifice iactet pro suo. Nescio quos illic concionantes audiat, hic certe non semel audiuimus eam similitudinem ad tædium vsq; tractantes fraterculos, vt qui non ea duntaxat afferrent, quæ nunc pro nouis & exquisitis affert Lutherus, Christum esse testatorem, testamentum in cœna condidisse, hæreditatem promisisse, eandem nuncupasse regnum cœlorum, hæredes instituisse fidelium cœtum, sacramentum hoc sacrum esse signum, quod sit adhibitum pro sigillo: non hæc, inquam tantum, sed & testium numerum, & syngrapham, & alios testamentorum ritus, ex intimis vtriusque iuris erutos penetralibus explicant, atq; ad amussim omnia applicarent ad sacramentum. Hoc aliquanto concinnius, ac verius quoq; quam Lutherus, quod ad idem testamentum referebant non tantum quæ Christus fecit in cœna sed etiam quæ passus est in cruce. Hoc vno tantum impares Luthero, quod mirabiles, & hactenus inauditos Missæ fructus non inuenerunt, quibus & clerus præsentis vitæ fructum omnem. & populus futuræ perderet. Neque enim sacerdotibus quicquam laici temporalis boni conferrent ob Missam, è qua persuaderentur nihil se spiritualis boni referre. Sed operæpretium est videre, qua ex arbore tam salubres fructus colligat Lutherus. Postquam ergo sæpius inculcauit, Eucharistiæ sacramentum, signum esse testamenti, testamentum vero nihil esse aliud quam promissionem hæreditatis, inde continuo censet consequi, vt Missa neq; bonum opus esse possit, neq; sacrificium.

Quod missa non sit opus, argumentum Lutheri primum.

quod quisquis ei concesserit, tam illi statim admittendus erit totus ille pestium catalogus, quo totam Ecclesiæ faciem confundit. At quisquis negauerit illi, iam tam magno molimine nihil egerit. Nam argumenta quibus ea docere præ se fert, pudet propemodum recensere: ita sunt in re tantæ maiestatis nugacia prorsus ac friuola. Sic enim colligit, (nam ipsius verba recitabo)

Verba Lutheri.

Audisti, missam nihil aliud esse, quam promissionem diuinam, seu testamentum Christi, sacramento corporis & sanguinis sui commendatum. Quod si verum est, intelligis eam non posse opus esse vllo modo, nec alio studio à quoquam tractari, quam sola fide. fides autem non est opus, sed magistra & vita operum.

Mirum est, quanto nixu parturiens, quam nihil peperit, nisi merum ventum, quem quum ipse tam validum velit videri, vt montes posset euertere, mihi profecto videtur tam languidus, vt agitare non possit arundinem. Nam si verborum tollas inuolucra, quibus rem absurdam velut simiam purpura vestit, si tollas exclamationes illas quibus iam velut re dilucide probata, toties in totam debacchatur Ecclesiam, & nondum collata manu tanquam ferox victor insultat, nihil aliud restare videbis quam nudum & miserum sophisma. Quid enim aliud dicit tanto verborum ambitu, quam, missa est promissio, ergo non potest esse opus? Quem non misereat hominis, si tam stupidus sit, vt ineptiam suam non sentiat? aut quis non indignetur, si sibi conscius, nam stupidos tamen omnes existimet Christianos, vt tam manifestas insanias nequeant deprehendere? Non contendam cum eo de testamento & promissione, & tota illa definitione & applicatione testamenti ad sacramentum. Non ero tam molestus ei, quam alios fortassis inueniet, si qui bonam ei partem istius fundamenti subruerint, qui & testamentum nouum dicant promissionem esse legis Euangelicæ, quemadmodum vetus fuit Mosaicæ, & testamentum istud negent à Luthero satis scire tractari.

Lutherus adulterat Christi testamentū.

neque enim testatori nuncupandum esse nominatim quid relinquat hæredi quem ex asse instituat: neque remissionem peccatorum quam pro hæreditate nuncupatam Lutherus ait, idem esse quod regnum cœlorum, sed viam potius ad cœlum. Quas res atque alias item aliquot, quisquis vrgere volet ac premere, posset fortassis fundamenti Lutheriani structuram machinis alicunde concutere. Verum istud eis permittam, qui volent. Ego istud ei fundamentum, quod immobile postulat esse, nō mouebo: tantum ostendam, ædificium quod superstruxit, facile per se corruere. Quod quo liquidius appareat, consideremus paulisper originem rei, missamque ad primum eius exemplar examinemus.

Cœna dominica pulchre expenditur.

Christus igitur in illa cœna sanctissima, qua sacramentum illud instituit, corpus suum & sanguinem ex pane & vino confecit, ac tradidit manducandum bibendumq; discipulis, tunc intra paucas horas idem corpus, eundem sanguinem in ara crucis obtulit in sacrificium patri pro peccatis populi, quo sacrificio peracto, testamentum consummatum est. In cœna iam morti proximus quemadmodum solent morientes, testamento quodam testatus est mentem suam, quid se defuncto fieret in memoriam sui. Instituens igitur sacramentum, quum suum corpus ac sanguinem exhibuisset discipulis, ait illis, Hoc facite in meam commemorationem. Hoc si quis expendat diligenter, videbit Christum sacerdotem æternum loco sacrificiorum omnium quæ temporarium Mosaicæ legis sacerdotium offerebat, quorum etiam pleraque sacrosancti huius sacrificii typum gerebant, vnum sacrificium, omnium summum, omnium plenitudinem, & quandam veluti summam instituisse, quod & offerretur Deo, & in cibum daretur populo. Qua in re vt Christus sacerdos erat, ita discipuli eatenus repræsentabant populum, qui non consecrabant ipsi, sed consecratum de manu sacerdotis sui sumebant, sed eos statim Deus in sacerdotes elegit atque instituit, vt ipsi idem sacramentum facerent in commemorationem eius. Quod quid aliud est, quam vt consecrarent, nec sibi tātum sumerent, sed & exhiberent populo, & offerrent Deo? Nam si ibi nobis instet Lutherus, sacerdotem offerre non posse, quia Christus in cœna non obtulit: recordetur eorum quæ dixit ipse, testamentum inuoluere mortem testatoris, nec ante vires & robur sumere, & tota perfectione compleri, quam eo moriente qui testatus est. Quamobrem non ea solum pertinent ad testamentum, quæ prius fecit in cœna, sed etiam oblatio eius in cruce. nam in cruce consummauit sacrificium, quod inchoauit in cœna: eoque totius rei commemoratio, nempe consecrationis in cœna, & oblationis in cruce, vno celebratur ac repræsentatur sacramento Missæ, atque adeo verius mors repræsentatur quam cœna. Apostolus enim quum Corinthiis scriberet, Quotiescunque panem hunc comederitis, & calicem biberitis, adiecit, non cœnam Domini, sed mortem Domini annunciabitis.

Respondetur argumentis Lutheri.

Veniamus ergo nunc ad præclaras istas Lutheri rationes, quibus probat missam neque bonum opus esse, neque sacrificium. & quanquam præstaret prius tractare de sacrificio, tamen quoniam ille primam quæstionem fecit de opere, sequemur illum.

Cōfutatio efficax argumenti Lutheri.

Quum igitur ita colligit, missa est promissio, ergo non est bonum opus, quia nulla promissio est opus: dicemus missam, quam sacerdos celebrat, non verius esse promissionem, quam fuit consecratio Christi: & simul quæremus ab eo, an non aliquod opus tum fecerit Christus. quod si neget, mirabimur profecto, si quum is opus faciat qui imaginem facit ex ligno, Christus nullum prorsus opus fecerit quum carnem suam fecerit ex pane.

Cōfirmatio confutationis.

Quod si vllum opus fecerit, quin id bonum fuerit, nemo opinor dubitabit. nam si bonum opus fecit mulier quæ caput eius perfudit vnguento, quis potest ambigere an bonum opus fecerit Christus, quum corpus proprium & in cibum exhiberet hominibus, & in sacrificium offerret Deo?

Marc. 14.

Quod si negari non potest, nisi ab eo qui in re maxime seria valde velit nugari, bonum opus fecisse Christum, nec istud etiam negari potest, in missa bonū opus facere sacerdotem, quippe qui non aliud facit in Missa, quam Christus in cœna fecit, & cruce.

Alia confirmatio eiusdem.

Hoc enim declarant verba Christi: Hoc facite in meam commemorationem. Quibus verbis quid aliud volebat vt in Missa repræsentarent ac facerent, quam quod ipse faciebat in cœna & cruce? Instituebat enim, & inchoabat in cœna sacramentum quod in cruce perfecit.

Aquæ miscendæ in calice, occasio.

Nam hac ratione potissimum nata esse videtur occasio vt aqua ex Ecclesiæ ritu vino misceretur in calice, quia aqua cum sanguine de latere morientis effluxit in cruce. Quum ergo negari non possit, quin bonum opus & in cœna & in cruce fecerit Christus, neque etiam quod sacerdos eadem repræsentat ac facit in Missa, quomodo tamen fingi potest Missam bonum opus non esse? Quamobrem etiam quum Lutherus ita rem tractet, vt quia laici communio alteri non prodest laico, ideo nec sacerdotis missa prosit populo: vehementer ipse cæcutit, dum tenebras aliis conatur offundere, quum non videat hoc interesse, quod laicus nunc recipit tantum è manu sacerdotis, sicut primo receperunt Apostoli è manu Christi, sacerdos vero facit quod tum fecit Christus. Nam ideo corpus offert Deo, quod obtulit Christus.

Aliud Lutheri argumentum.

Qua ex re & illud patet, quam frigidum argumentum sit, quo Missam comparat cum sacramento baptismi, aut coniugii, contendens efficere, vt quoniam laicus baptizari non potest pro alio, aut pro alio vxorem ducere, ideo nec sacerdos Missam pro alio possit celebrare. Nam coniugium plane sustulit è sacramentis, & recte etiam baptismum, quum dicit non esse vere nisi vnum sacramentum. Cum ergo nunc baptismum comparat & coniugium cum sacramento Missæ, si illa non habet pro sacramentis? Quanquam etiam si vtrunque fateretur esse sacramentum, (quod re vera sunt) tamen neutrum erat sic comparandum huic sacramento Missæ, quin hoc sacramentum, quod est proprium corpus ipsius qui Dominus est sacramentorum omnium, sacramenta reliqua possit, quæ fecit ipse, singulari aliqua prærogatiua præcellere, quum clare constet, quod quemadmodum in omnibus aliis sacramentis sacerdos prodest ministrando singulis, sic in hoc sacramento dum offert in Missa, prodest & bonum communicat vniuersis.

Cōfutatio eiusdem.

Alioqui si tam seuere Lutherus exigat vt omnia sacramenta sint inter se similia, & in Eucharistiæ sacramento nihilo potior sit sacerdotis conditio, quam laicorum, quare non cogit vt sacerdos alterius manu semper communicet, nec sinatur sibi sacramentum sumere, quanquam potest conficere, quemadmodum licet claues habeat pœnitentiæ, semet non potest absoluere?

Aliud Lutheri argumentum.

Nam quod affert de fide, quam à singulis censet oportere præstari, & suam cuique fidem prodesse, non sacerdotis, quemadmodum nec Abraham, vt ait, pro omnibus Iudæis credidit: istuc quidem verum dicit, at nihil tamen magis id probat, quod proponit: Nam neque Christus ipse à semet oblatus in cruce, sine sua cuiusque fide seruauit populum; ne quis id missam putet cu-

Elegans eiusdem confutatio

iusque sacerdotis efficere, quæ tamen missa cuiuslibet sacerdotis illis prodest ad salutem, quorum propria fides meruit, vt boni quod tam immensum missa communicat multis, possint esse participes. Quanquam potest & ad hoc valere nonnunquam, vt incredulo quoque fidem procuret infundi, quemadmodum Christi mors & passio procurauit vt gratia daretur gentibus, qua per auditum verbi venirent in fidem Christi. Sed Lutherus saris sentit ipse facile destrui quicquid astruxerat, si Missa possit esse sacrificium, aut oblatio quæ offeratur Deo. Hancigitur obicem sepolliceturamoturum: quod quo fidelius facere videatur & efficacius, obiicit sibi ipse prius quædam, quæ sibi sentit obstare. Iam & alterum (inquit) scandalum amouendum est, quod multo grandius est, & speciosissimum, id est, quod Missa creditur passim esse sacrificium quod offertur Deo. In quam opinionem & verba canonis sonare videntur, vbi dicitur, Hæc dona, hæc munera, hæc sancta sacrificia. & infra. Hanc oblationem. Item clarissime postulatur, vt acceptum sit sacrificium, sicut sacrificium Abel &c. Inde Christus hostia altaris dicitur. Accedunt his dicta sanctorum patrum, tot exempla, tantusque vsus per orbem constanter obseruatus.

Quod Missa non sit sacrificium: Lutheri verba.

Audisti lector quas obices ipse sibi sentit obiectas. Audi nunc vicissim quam Herculeis viribus aggreditur amouere. His omnibus, inquit, oportet constantissime opponere verbum & exemplum Christi. At quæ sunt igitur illa verba Christi, quæ tot olim sanctis patribus, ac toti Christi Ecclesiæ tot ignorata seculis, velut nouus Esdras nobis Lutherus inuenit? Hoc declarat ipse quum dicit. Nisi enim Missam obtinuerimus esse promissionem seu testamentum, vt verba clare sonant, totum Euangelium, & vniuersum solatium amittimus. Verba nunc audiuimus, restat vt videamus exemplum. Exemplum ergo subiungit. Christus (inquit) in cœna nouissima quum institueret hoc sacramentum, & condidit testamentum, non obtulit ipsum Deo patri, aut vt opus bonum pro aliis perficit, sed in mensa sedens singulis idem testamentum proposuit, & signum exhibuit. Ista sunt ergo verba Christi, istud est exemplum: è quibus nunc demum Lutherus vnus perspicue videt Missam non esse sacrificium, nec oblationem. Mirum est igitur, ex tot sanctis patribus, ex tot oculis, quotin Ecclesia tam multis seculis idem legerunt Euangelium, nullum fuisse vnquam tam perspicacem, vt rem tam apertam deprehenderet, immo omnes etiamnum tam cæcos esse, vt ne adhuc quidem queant id quod cernere se Lutherus iactat, quanquam ipso monstrante perspicere. An non Lutherus hallucinatur potius & aliquid se videre putat quod non videt, & digito conatur ostendere, quod nusquam est? Nam obsecro, qualis est ista probatio, quum docere nititur missam non esse sacrificium, ex eo quod sit promissio? quasi promissio & sacrificium ita sibi mutuo pugnarent, quemadmodum frigus & calor. Quæ Lutheri ratio adeo prorsus friget, vt nec. responso digna videatur. Nam legis Mosaicæ tam multa sacrificia, quanquam essent figuræ omnia futurarum rerum, tamen promissiones erant & ipsi. Promittebant enim ea propter quæ fiebant, non modo futura quondam illa quorum erant figuræ, sed etiam liberationes, expiationes, purgationes, purificationes populi tunc præsentis, pro quo more solenni quotannis offerebantur. Quæ res quum tam aperta sit, vt nemo prorsus eam possit ignorare, ridicula plane dissimulatio est ista Lutheri, quum nunc argumentetur fieri id non posse, quod non ipse tantum, sed populus quoque nouit tam sæpe factum. Nunc veniamus ad exemplum Christi, quo nos arbitratur Lutherus vehementer opprimi, propterea quod Christus in cœna sacramento non vsus est pro sacrificio, nec obtulit patri, ex quo probare conatur quod Missa quæ respondere debet exemplo Christi, quo fuit instituta, non potest esse sacrificium, nec oblatio.

Lutherus nouus Esdras.

Argumentū Lutheri ab exẽplo, vt ipse putat, Christi.

Responsio.

Promissiones sacrificiorum veteris testamenti.

Respondetur argumento Lutheri ab exemplo.

Præcipuū Lutheri fundamẽtum subuertitur.

Si Lutherus tam rigide nos reuocet ad exemplum cœnæ dominicæ, vt nihil sacerdotes permittat facere, quod ibi Christus fecisse non legitur, sacramentum quod conficrant nunquam ipsi recipient. Suum enim corpus Christus in Euangelio non legitur, vbi cœna scribitur, ipse recepisse. Nam quod Doctores aliquot eum recepisse tradunt, & quod idem canit Ecclesia, nihil potest pro Luthero facere, quum illi neque doctores omnes, neque totius Ecclesiæ fides vllam faciat fidem, neque credendum censeat quicquam, (nam ita scribit in sacramento ordinis) nisi firmatum scripturis, & ijsdem etiam claris: cuiusmodi certe Scripturis, non, opinor, inueniet quod suum corpus in cœna receperit Christus: ex quo sequitur, vt dixi, nec sacerdotes debere quod conficrant ipsi, recipere, si tam rigide nos obstringat Lutherus ad exemplum cœnæ dominicæ. Quod si idco concedat recipiendum sacerdotibus, qui receperunt apostoli, & eos contendat id iussos facere, quod tunc Apostoli fecerunt, non quod Christus: hac ratione nunquam consecrabunt sacerdotes. Consecrabat enim Christus, non Apostoli. Res ergo docet non id solum sacerdotes in hoc sacramento facere, quod Christus fecit in cœna: sed etiam quod postea fecit in cruce, quædam etiam tradentibus Apostolis, quæ Christus aut nusquam fecit, aut certe non legitur vsquam fociſſe: cuiusmodi sunt gestus & signa quibus vtuntur dum conficrant: quorum ego nonnulla credo ab ipsis promanasse Apostolis. Præterea, quod in canone Missæ quædam verba velut à Christo prolata recensent, quæ nusquam in Scriptura sacra leguntur, & tamen non dubitatur quin dixerit. Multa enim dicta sunt & facta per Christum, quæ nullus Euangelistarum complectitur, sed quædam recente memoria eorum qui interfuerunt, velut per manus deinceps tradita, ab ipso Apostolorum tempore ad nos vsque peruenerunt. Lutherus non dubitat Christum in cœna dixisse: Hæc quotiescunque feceritis, in mei memoriam facietis: atque hæc vsque adeo pro comperto habet Christi verba fuisse, vt inde sumat argumentum, neminem cogi ad recipiendum sacramentum, sed rem cuiusque relictam arbitrio: tantum ad hoc astringi, vt quoties facimus, faciamus in memoriam Christi. Hæc ergo verba non legit apud Euangelistas in cœna Domini. Nam illic nihil aliud legitur, quam, Hoc facite in mei commemorationem. Vbi ergo legit illa verba, Hæc quotiescunque feceritis, an non in Missa? opinor corte, non alibi. Nam apud Apostolum alia sunt. Igitur qui tantum fidit & vritur illis verbis, quia reperit in canone: cur non pari fide suscipit eiusdem verba canonis, quibus Missa oblatio dicitur & sacrificium? Quamobrem si sacerdotes in Missa fatetur recte recipere quod conficrant, quanquam nulla Scriptura clara, cuiusmodi solam recipit Lutherus, Christum testetur illud nec in cœna fecisse, nec vsquam, non debet mirum videri Luthero, si sacerdos offerat Christum patri, quod non vno loco (clara testante Scriptura) Christus ipse fecit in cruce. Nam crucem etiam ad testamentum in cœna factum pertinere, Lutheri quoque ratio demonstrat, quum testamentum dicit mortem testatoris inuoluere, vtpote qua sola perficitur. Præterea non aliunde (quod dixi) videtur & id institutum, vt aqua vino misceretur in sacramento: quæ res non in cœna legitur esse facta, sed cruce. Desinat ergo Lutherus argumentum nugax opponere, vt quia Christus in cœna sese non obtulit, ideo sacerdos non offerre credatur in Missa, in qua non solum repræsentat quod in cœna fecit Christus, sed etiam quod in cruce, in quam consummauit Christus quod inchoauit in cœna.

Missa passionem repræsentat, nedum cœnam.

Posterem̃ argumenti Lutheri Anchora sacra Lutheri præciditur.

Insignis in scitia Lutheri.

Argumẽtum satis probabile.

Ad postremum argumentum Lutheri, quo velut anchora sacra sustinetur nauis, omnium est nugaciſſimum. Quomodo (inquit) fieri potest vt sacerdos offerat Deo, quod ipse sumit? Repugnat (inquit) Missam esse sacrificium, quum illam recipiamus. Idem simul recipi & offerri non potest, nec ab eodem simul dari & accipi. Deterret nos vbique Lutherus à rationibus Philosophicis, quum ipse in re tam sacra se firmet in meraciſſimo sophismate. Nam quod vnquam fuit sacrificium in lege Mosaica, quod non sumebant qui offerebant? An quod Deo offerebatur, ipse comedebat? Nunquid ego manducabo carnes taurorum, aut sanguinem, inquit Deus, hircorum potabo? Præterea si Christus & sacerdos fuit & sacrificium, cur non potuit Christus instituere vt sacerdos qui idem sacrificium repræsentaret, victimam & offerret & sumeret? Sed hac in re, ne Lutherum videar imitari, qui nihil habet pro se, nisi quod è suo fingit capite, afferemus quod dicit beatus Ambrosius de

Psal. 49.

Ambrosius

Missa. Quanta, inquit, cordis contritione, & lachrymarum fonte, quanta reuerentia & tremore, quanta corporis castitate, atque animi puritate, istud diuinum & cœleste mysterium est celebrandum domine Deus, vbi Caro tua in veritate sumitur, vbi sanguis tuus in veritate bibitur, vbi summis ima, humanis diuina iunguntur: vbi adest sanctorum præsentia, & angelorum: vbi tu es sacerdos & sacrificium, mirabiliter & ineffabiliter? Quis digne hoc potest celebrare mysterium, nisi tu Deus omnipotens offerentem feceris dignum? Videtis vt hic beatissimus pater & oblationem appellet Missam, & in eadem Christum ipsum dicat & sacerdotem esse & sacrificium, quemadmodum fuit in cruce. Cuius authoritati quantum Lutherus tribuat, viderit ipse: quantum vero tribuerit beatus Gregorius, facile declarauit, quum illum imitatus ita scriberet: Quis fidelium dubitare possit, in ipsa immolationis hora, ad sacerdotis vocem cœlos aperiri in illo Christi mysterio, angelorum choros adesse, summis ima sociari, terram cœlestibus iungi, vnum quid ex visibilibus & inuisibilibus fieri? Eralibi: Hæc namque singularis victima abæterno interitu animas soluit, quæ illam nobis mortem vnigeniti reparat. Nec minus aperte, quum dicit: Hinc ergo pensemus, quale sit pro nobis istud sacrificium, quod vnigeniti filii passionem semper imitatur. Videmus vt non solum diuus Ambrosius, sed & beatus Gregorius immolationem appellat missam & sacrificium, ac fateatur in ea non vltimam tantum Christi cœnam quod Lutherus ait, sed & passionem eius repræsentari. Nec tamen istud soli censuerunt illi: nam & Augustinus non semel idem fatetur: Ait enim de Missa: Iteratur quotidie hæc oblatio, licet Christus semel passus sit. Quia quotidie labimur, Christus pro nobis quotidie immolatur. Item: Eucharistia est oblatio benedicta, per quam benedicimur. ascripta, per quam omnes in cælum ascribimur. rata, per quam in visceribus Christi censemur.

Gregorius.

Augustin.

Epilogus.

Quum igitur viri tam eruditi, tam sancti, Missam dicant oblationem & sacrificium, quum per eam, non cœnam tantum sentiant, sed etiam passionem Christi commemorari, quum inde tam immensa bona prouenire fateantur, quum ijsdem consentiens eadem in Missa tota decantet Ecclesia, vehementer admiror, qua fronte Lutherus audeat clamare contrarium, Missam non esse sacrificium, non esse oblationem, non prodesse populo, eludens authoritatem tot sanctorum patrum, immo totius ecclesiæ, vanissimo figmento suo, quasi omnia quæ de oblatione & sacrificio fiunt & dicuntur in missa, intelligerentur de reliquiis Iudaici ritus, quo leuasse dicit sacerdotem ea quæ offerebantur à populo. Quod Lutheri commentum tam ineptum visum est, & tam absurdum etiam ipsi Luthero, vt dubitauerit, an sanctorum patrum sententias, & Ecclesiæ totius consuetudinem tam futili ratione defenderet, an potius ex professo contemneret. Nam quid dicemus (inquit) ad canones & authoritates patrum? Respondeo (inquit) si nihil habetur quod dicatur, tutius est omnia negare, quam missam concedere opus aut sacrificium esse, ne verbum Christi negemus, simul cum missa pessundantes, tamen quo seruemus & eos, dicemus illa omnia reliquias esse ritus Iudaici. Ergo ne nihil dicatur, homo ciuilis, & honori sanctorum patrum parcens, & honori totius Ecclesiæ, tanquam officij gratia, ne stulte loqui videretur, præclarum illud figmentum suum de reliquijs Iudaici ritus, pro velamento dignatus est eorum pudendis præexere: quod si quis amouerat, illorum periculo fecerit. Nam Lutherus ingenue non veretur, si quis eum stringat arctius, quicquid vnquam fuit sanctorum patrum, quicquid vnquam in Ecclesia moris fuit, exsufflare potius videlicet, quam concedat missam bonum opus esse, vel sacrificium, hoc est, potius, quam concedat verum esse, quod verum est. Nam quod ait eos negare verbum Christi, ac fidem simul cum missa pessundare, quicunque dicunt missam esse sacrificium, nemo est, opinor, qui credet hac in parte Luthero, nisi primum doceat aut aliud Euangelium legisse se, quam sancti illi patres legerunt, aut illud idem vel legisse diligentius, vel intellexisse melius, aut sibi denique maiorem esse curam fidei, quam vlli vnquam hactenus mortalium fuerit. At Euangelium credo non proferet nobis aliud, neque si proferet, audietur, etiam si angelus cum eo de cœlo descenderit. Illud vero quod profert, neque diligentius excussit, neque perspicacutius quam olim & excussum est & perspectum ab illis quorum nemo sereperisse dixit illic, quod nunc iste iactat reperisse se, missam bonum opus non esse nõ esse oblationem, non esse sacrificium. Deniq; fidei cura cuiusmodi fuit vtriq;, non potest cuiquam esse obscurum, qui quid vtrinque scriptum sit, non ociositer expenderit. Veteres illi viri sanctissimi viderunt, sicut sacramentorum omnium hoc est summum, qp ipsum sacramentorum dominũ cõplectatur, ita sacrificiorũ omnium hoc esse vnicum, quod solum in loco tot olim sacrificiorum restiterit: postremo, operum omnium quæ pro salute populi fieri possunt, longe lateque saluberrimum. Nam quum cætera sacramenta prosint singulis solum, hoc in missa prodest vniuersis, & quum omnes orationes, quib. alius pro alio intercedit apud Deum non impediri tantum, sed & frustra fieri possint, hominum vitio: misericors Dei clementia missam instituit pro salute fidelium, in qua suum ipsius corpus offerretur, tã salubre sacrificium, vt eius fructum, nullius ministri quantauis iniquitas à populo suo vel auertere possit, vel imminuere. Hæc patres illi sanctissimi quum vidissent, summam habuerunt curam, summam adhibuere diligentiam, vt propitiatorium hoc sacramentum, & fide quam maxima posset, haberetur, & honore quam posset maximo coleretur. eoq; cum alia multa, tum hoc quoque sedulo tradiderunt panem & vinum in Eucharistia non manere, sed in carnem & sanguinem Christi veraciter esse conuersa. Missam sacrificium esse docuerunt, in quo Christus ipse pro populi Christiani peccatis immolatur. Tum, quod mortalibus licet, immortale mysterium venerando cultu & mysticis ornarunt ritibus. Populum, dum celebratur, in suæ salutis procuratione venerabundum adesse iusserunt. Denique ne laici diffutudine recipiendi sacramenti, paulatim ex toto desinerent, sanxerunt vt semel saltem quotannis Eucharistiam quisque susciperet. His igitur alijs eiusmodi multis, sancti patres Ecclesiæ, alijs alii temporibus solicitudinem suam circa sacramenti huius reuerendi fidem venerationemque declararunt. Ideo iactare non debet Lutherus, id quod iactat tamen, eos qui missam dicunt esse sacrificium, aut alij quam sumenti prodesse, verbum Christi fidemq; ac missam ipsam pessundare.

Verba Lutheri.

Obenignitatem Lutheri.

Lutherus vel doctri- na vel stul titia singularis.

Excellentia missæ.

At Lutherus Christi verbum, fidemq;, ac missam ipsam, ne pessundentur & corruant, quo pacto suis humeris sustinet, id vero vicissim considerare profuerit. Initio, nomen ipsum sacramenti demutat in deterius. & quum tot seculis appellatum sit Eucharistia, vel sacramentum corporis Christi, ille, ne nomen audientes admoneat maiestatis rei, iubet vocari panem. Deinde panem & vinum, quæ veteres conuersa fatentur in corpus & sanguinem Domini, Lutherus adhuc manere docet integra, vt ordine paulatim honorem à Christo traducat in panem. Tum, licet non damnet Ecclesiam, quæ ritibus & cæremonijs ornauit & ampliauit missam, tamen censet quod missa foret multo Christianior, si vestium, cantuum, gestuum, & cæterarum cæremoniarum omnium pompa tolleretur, vt esset vicinior & similior primæ omnium missæ, quam Christus in cœna celebrauit cum Apostolis: immo vero, vt quam nimium supersit eorum quæ simplices animos plebeculæ commoueant, & in veneratioñem numinis inuisibilis, visibilis honoris maiestate conuertant. Ad hæc docet, & omnibus modis inculcat missam bonum opus non esse, sacrificium non esse, oblationem non esse, nemini prorsus è populo prodesse. Quorsum hæc tam sancta & Euangelica lectio? nempe vt populus totus, missa relicta sacerdoti, cui soli prodesse persuasum habeant, negligant ipsi, & suum officium rei sibi inutili subducant. Deniq; vt ipsi quando communicantur, tantum fidem afferant testamenti se fore compotes, qualescunq; conscientias attulerint, immo quo magis erroneas attulerint, & peccatorum vel morsu vel titillatione turbatas, tanto magis se nouerint diuinæ promissionis esse participes, præsertim quum sacramentum hoc sit medicina peccatorum, præteritorum, præsentium & futurorum, quæ nullum sibi locum reperiret, scilicet in eo qui nimis anxie semet prius adeo à peccati morbo purgauerit, vt secundum Apostoli præceptum probans semetipsum, conscientia quam maxime potest pura & syncera discumbat in mensa Domini: vt quum dicere

Lutherus Atlas.

Institutiones ecclesiasticæ Luth.

Lutherus populum abigit à missa.

Præparatio Lutheriana ad Eucharistiam.

non possit, Iustificatus sum, illud saltem possit, Nullius mihi conscius sum. Lutherus ergo postea quam præparationem istam docuit breuem & compendiariam ad suscipiendam Eucharistiam, nempe in sola fide promissionis, nullis operibus bonis, leuissima disquisitione conscientiæ, postremo, ne quicquam desit absolutæ sanctimoniæ ad suscipiendum sacramentum, suum votum aperit, quoties & quibus anni temporibus potissimum velit cogi populum communionem sumere, nempe, prorsus nullo. Quid ita? quid? an quisquam tam cæcus est, vt non videat quorsum hæc tam putida tendant? Certe non aliorsum, quam vt populus sensim à communione sacramenti desciscat in totum, qui primum à quotidiana communione deflexit in septimum quenque diem, post in longius distulit, tandem destituturus videbatur omnino, nisi patres illud veriti, sanxissent, vt ter in anno quisque communicaret, interminati non habendum pro Christiano, qui non obtemperasset. At nec id tamen diu potuit obtineri. Quamobrem ad vltimum eo descensum est, vt inferius descendi non possit, nisi ferme prorsus ad inferos, nempe vt semel saltem in anno communicemus. quam consuetudinem si Lutherus, vt optat, posset amoliri, mundus refrigescente in dies feruore fidei, propediem profecto redigeretur eo quo iampridem peruenisset, nisi hoc solenni quotannis communicandi ritu fuisset retentus, vt aliquando nullum ferme remaneat, in populo communicandi vestigium, fortasse nec in clero quidem, si Lutherus obtinere possit vt missa non apparatu tantum & cæremoniis, sed populi quoque frequentia, spe ac veneratione spolietur. Hæc sunt ergo præclara illa promissa Lutheri. Hæc est speciosa illa libertas, quam pollicetur ex Ecclesia Catholica venientibus ad se, nempe vt liberentur aliquando ab vsu & fide sacramenti. Quamobrem ego hac de re amplius disputare supersedeo, vtpote re magis ex se perspicua, quam vt cuiquam disputari debuerit. Tantum indicasse non oberit astutissimas versuti serpentis insidias, quibus iam perspectis, (perspicit enim non dubito, quisquis non plane cæcus est) non erit opus hortari quenquam vt præuisa mala deuitet. Nemo erit, opinor, tam vecors, vt ex Ecclesia Dei desciscat in synagogam satanæ: è Christi seruitute fugiens, cui seruire regnare est, afferat se in libertatem propositam à Luthero, vbi solo libertatis nomine sciens prudensque in præmonstratas diaboli pedicas iniiciat pedes. Sed vna cum psalmista omnes Christi fideles hunc versum clament: A iudiciis tuis non declinabimus, quia tu legem posuisti nobis.

Tempora plebi à Luthero statuta ad cōmunicandum.

Libertas transfugientium ab Ecclesia Christi ad Lutherum

Psal. 118.

Reliquis ergo sacramentis nihil opus est immorari, quorum pleraque omnia tollit, quum Eucharistiæ sacramentum quod vnicum ferme relinquere videbatur, tamen vt ostendimus, ita tractari, vt nemini relinquat dubium, quin & illud quoque paulatim machinetur amoliri. nec vllum sane sacramentum laudat, nisi in alterius iniuriam. Nam sic & baptismum effert, vt deprimat pœnitentiam. Quanquam baptismum etiam ipsum tractauit sic, vt satius multo fuerit non attigisse. Nam primum, quo videretur sancte rem sanctam tractaturus, multis verbis docet fidem habendam promissioni diuinæ, qua salutem promittit credentibus & baptizatis. Irascitur, & insectatur Ecclesiam, quod Christiani non docentur hanc fidem, quasi quisquam sit vsquam tam rudis Christianæ fidei, vt hoc sit docendus: & tanquam rem nouam & inauditam ferme Luthe[illegible]c proponit, cum insigni contumelia doctorum omnium. Sed hoc non est ei nouum, in rebus notis tanquam nouis nugari. Qui postquam hanc fidem verbis multis ostendit, deinde fidei diuitias in hoc extollit, vt nos reddat pauperes bonorum operum, sine quibus, vt beatus Iacobus ait, fides omnino mortua est. At Lutherus sic fidem nobis commendat, vt non solum permittat nobis vacationem ab operibus bonis, sed etiam suggerat audaciam qualiumcunque facinorum. Ait enim: Iam vides, quam diues sit homo Christianus siue baptizatus, qui etiam volens non potest perdere salutē suam quantiscunque peccatis, nisi nolit credere. Nulla enim peccata eum possunt damnare, nisi sola incredulitas. O vocem impiam, & omnia impietatis magistram, ita per se exosam piis auribus, vt non sit opus eam redarguere. Ergo non damnabit adulterium, non damnabit homicidium, non periurium, non parricidium, si tantum credat se quisque saluandum fore per virtutem promissionis in baptismate? Nam hoc dicit apertissime, neque quicquam corrigunt hanc sententiam verba quæ statim subiungit, immo verius augent. ait enim: Cætera omnia, si redeat vel stet fides in promissionem diuinam baptizato factam, in momento absorbentur per eandem fidem, immo veritatem Dei, quia seipsum negare non potest, si tu eum confessus fueris, & promittenti fideliter adhæseris. Quibus verbis quid aliud dicit, quam quod dixit prius? si absit incredulitas, cætera flagitia omnia in momento absorberi in sola fide, si confessus fueris Christum, & eius promissioni fideliter adhæseris, hoc est, firmiter credideris te saluandum per fidem, quicquid feceris. Et quo minus dubites quo tendat, contritio (inquit) & peccatorum confessio, deinde & satisfactio, & omnia illa hominum excogitata studia, subito te deserent, & infeliciorem reddent, si in ipsis te te distenderis, oblitus veritatis huius diuinæ. Cuius veritatis? nempe huius, quod nulla peccata possunt te damnare, nisi sola incredulitas. Quæ Christianæ ferent aures pestilens hoc serpentis sibilum, quod baptismum non in aliud leuat, quam vt premat pœnitentiam, & baptismatis gratiam statuat impune peccandi licentiam? In quam sententiam & istud facit, quod ei non placet illud beati Hieronymi, pœnitentiam esse secundam tabulam post naufragium. negat peccatum fidei esse naufragium, & sic disputat, tanquam illud verbum prorsus interimat omne robur fidei. At quis nescit, nisi Lutherus, peccatorem non solum non saluari per solam fidem baptismi, sed etiam illum ipsum baptismum ei cessurum in cumulum damnationis? & merito, quia læsit Deum, à quo totam acceperat baptismi gratiam: & cui plus à Deo datur, ab illo vicissim plus exigitur. Igitur quum fidem per opera mala peremerit, cur dici non potest fecisse naufragium, qui è Dei gratia decidit in manus dæmonum, è quibus absque pœnitentia non reponitur in eum statum, vt baptismus ei rursus prodesse possit? Num hic impie scripsit Hieronymus? Num impie tota sentit Ecclesia, quæ non credit Luthero, sine pœnitentia per solam fidem Christianos esse tutos in mediis sceleribus? Præterea sic totus est in fide sacramenti, vt non admodum curet de forma verborum, quum verbum tamen per quod significatur aqua, non minoris esse momenti debeat, quam aqua ipsa: in qua si putat adhibendam esse curam, vt puta sit & elementaris, nullamne decet adhiberi ad inquirendam & exercendam veram aliquam verborum formam, quam certum sit & nunc obseruari per Ecclesiam, & olim in vsu fuisse veteribus?

Luth. mos perpetuus.

Iacobi. 2.

Luth verba perniciosissima.

Lutheri verba.

Lutheri verba.

Hierony.

Post hæc ita magnificat fidem, vt propemodum videatur innuere solam fidem sine sacramento sufficere. Nam interim sacramentum priuat gratia, dicit sacramentum ipsum nihil prodesse, negat sacramenta gratiam conferre, aut gratiæ efficacia signa esse, aut omnino quo ad efficaciam significationis sacramenta legis Euangelicæ differre quicquam à sacramentis legis Mosaicæ. Qua in re non multum disputabo, sed tamen videtur mihi, quum omnia in figuris contigerint Iudæis, quarum veritas est in lege Christiana, nihil absurdi consecuturum, si quis credat sacramenta quibus vtitur Ecclesia, tantum præcellere synagogæ sacramentis, quantum lex noua veterem legem antecellit, hoc est, quantum corpus vmbram superat. Quod ego tamen neque primus cogito, neque solus. Hugo de sancto Victore, quem nemo non habet & pro viro docto & bono: Dicimus, inquit sacramenta omnia signa esse quædam eius quæ per illa datur gratiæ spiritalis. Oportet autem, vt secundum processum temporum, spiritualium gratiarum signa magis semper ac magis euidentia ac declaratiua formarentur, vt cum effectu salutis cresceret cognitio veritatis. Et paulo post: Quia circuncisio eas tantum quæ foris sunt enormitates amputare poterat; eas vero quæ intrinsecus sunt pollutionū sordes, mūdare non poterat: venit post circuncisionem lauacrum aquæ, totum purgans, vt perfecta iustitia significaretur. Nemo negabit, opinor, hunc saltem doctorem sentire sacramentum baptismi & interius purgare, & efficacius perfectam significasse iustitiam, quam fecerit circuncisio. Qua in re Lutherus duas vias commemorat, & vtranque refutat. alte-

Lutherus quam tribuat sacramentis.

Hugo de sancto Victore.

Duæ opiniones de potestate sacramētorum.

ram,

ram, qua arbitrati sunt plurimi esse aliquam virtutem occultam spiritalem in verbo & aqua, quæ operetur in animo recipientis gratiam Dei: alteram eorum, qui nihil virtutis tribuerunt sacramentis, sed gratiam censuerunt à solo Deo dari, qui assistit ex pacto sacramentis à se institutis. Sed quoniam vtriq; in hoc consentiunt, sacramenta esse efficacia signa gratiæ, vtranq; viam reiicit Lutherus. Ego vt nescio vtra via sit verior, ita neutram audeo plane contemnere. Nam & illa ipsa via, cui nunc pauciores assentiunt, non omnino videtur absurda, quod aqua ipsa per verbum occultam habeat animæ purgandæ potentiam. Nam si creditur ignis in animā agere vel ad punienda vel ad expurganda peccata, quid vetat potestate Dei, per quam & illud fit, aquam quoque ad eluendas animæ sordes posse penetrare? In quam sententiam videntur & Augustini verba facere, quum ait, Aqua baptismi corpus tangit, & cor abluit. Et illud Bedæ quoque dicentis quod Christus tactæ mundissimæ carnis suæ vim regeneratiuam contulit aquis. Præterea videtur illud in idem vergere, quod Propheta canit Ezechiel, Laui tē aqua, & emundaui sanguinem tuum ex te. Quæ verba quanquam de præterito loquitur ante baptismum institutum, tamen vt mos est Prophetarum, de futuro intelliguntur: nec de corpore duntaxat abluendo loquitur, in quo nihil est dignum quod Propheta prædiceret, nec alia ablutio vnquam abluit animæ crimina, præter sacramentum baptismi. De illo igitur locutus videtur Ezechiel in persona Dei prædicentis in Sacramento baptismi mundationem futuram esse per aquæ lauacrum. Quod ipsum paulo post idem Propheta prosequitur apertius per verbum de futuro. Effundam, inquit, super vos aquam mundam, & mundabimini ab omnibus inquinamentis vestris. An non per aquam promittit emendationem? Quanquam multo adhuc apertius rem videtur ostendere Zacharias. Exibunt, inquit, aquæ viuæ de Hierusalem, medium earum ad mare orientale, & medium earum ad mare nouissimum. Hic sermo an non nobis euidenter baptisma depingit? aquam videlicet de Ecclesia manantem, quæ & originale peccatum purget, & actuale: quam non mortuam appellat, sed viuam, vt ostendat, opinor, per occultā sanctificationem Dei, elemento corporeo vim vitæ spiritalis infusam. Quanquam, vt dixi, qua via Deus per Sacramenta infundat gratiam, neque mihi iudicium arrogo, neque valde vestigo, quum sint inuestigabiles viæ eius: sed certe aliqua via credo fecisse Deum, vt illic aqua non sit ociosa, vbi tam multa & tam magna prædicat facienda per aquam, præsertim quum & aqua, & sal, & alia quoque corporea, sine sacramento fidei per verbum Dei recipiant spiritalem vim, nisi prorsus vana sint omnia quibus cerei, ignis, aqua, sal, panis, altare, vestes, annuli, vel adiurantur exorcismis, vel inuocatione gratiæ benedicuntur. Quæ si vim vllam recipiunt, aut vllam numinis præsentiam extra sacramentum, quanto magis credibile est, aquam è Christi latere manantem, spiritalem vitæ vim fonti regenerationis infundere? De quo Christus ipse pronunciat, quod nisi quis renatus fuerit ex aqua & spiritu sancto, non poterit videre regnum Dei: ad quod, vt ait Apostolus, vocamur in baptismo. Quo in baptismo quod Lutherus multum tribuit fidei, non aduersor, modo ne tantum tribuat fidei, vt fides malam vitam defendat, aut quæ formare debet, exterminet sacramenta. At quum certam illam & indubitatam fidem exigit in suscipiente sacramentum, ego potius optandam quam exigendam puto. Nam & beatus Petrus quum ita populum hortaretur, Pœnitentiam agite, & baptizetur vnusquisque vestrum in nomine Iesu Christi, in remissionem peccatorum vestrorum, & accipietis donum spiritus sancti: non dubito quin paratus fuerit ad baptismum recipere totum populum, nec tamen à toto populo repente exegisset illam summam, certam, & indubitatam fidem Lutheri, quam nemo se satis sciret attigisse: sed promittebat ex ipso Sacramento, omnibus qui se duntaxat offerrent, & cuperent remissionem peccatorum & gratiam. Nam magna quædam res est, certa & indubitata fides, neque semper, neque cuique contingit etiam ex his fortasse qui sibi contigisse non dubitant. Ego profecto sperare non dubitem, quin Dei benignitas suis Sacramentis assistat, & visibilibus signis inuisibilem infundat gratiam, & Sacramenti sui feruore teporem credentium adiuuet: multos per Sacramenta consequi salutem, qui de sua fide non amplius polliceri possunt, quam potuit ille qui dixit, Credo domine, adiuua incredulitatem meam. Qua in re cui alii præterquam aduersario videar nimium sacramento tribuere, sciat me nihil definire, nihil omnino statuere, quod præiudicet fidei, cui ego nihil derogo: sed vt solam fidem sine sacramento nō puto sufficere in eo qui sacramenti cōpos esse potest, ita neq; Sacramentū sufficere sine fide, sed vtrūq; oportere concurrere, & vtriusque robur cooperari: & tutius opinor aliquid Sacramento concedere, quam tantum dare fidei, quantum donat Lutherus, qui sacramento neque gratiam relinquit, neq; efficaciam signi. Præterea fidem ipsam nihil facit aliud, quam flagitiosæ vitæ patrocinium, quemadmodum ante vberius declarauimus.

Cōparatio

Augustin.

Beda.

Ezech. 10.

Ezech. 36

Zach. 14.

Roman. 2.

Actuū. 2.

Fides & ratione & scripturis suffulta.

Marc. 9.

Quam rem quo magis astrueret, postquam sacramenta priuauit gratia, ecclesiam priuat & votis omnibus, & legibus. Nec quicquam mouet illum, quod Deus ait, Vouete, & reddite. Sed de votis non dubito quin exurgent ex his, quos ille Vouistas vocat, & Votarios, qui pro sua professione respondeant. Nam illos ex Ecclesia semel ferme prorsus eliminat vniuersos. De legibus vero demiror hominem præ pudore potuisse tam absurda cogitare, quasi Christiani peccare non possent: sed tam perfecta foret tanta multitudo credentium, vt nihil decerni debeat vel ad cultum Dei, vel ad vitanda flagitia. Sed eadem opera & eadem prudentia tollit omnem potestatem & authoritatem principum & prælatorum. Nam quid faciet rex aut prælatus, si neque legem potest ponere, neque positam exequi, sed populus absque lege velut nauis absque gubernaculo fluctuet? Vbi est ergo illud Apostoli, Omnis creatura potestatibus sublimioribus subiecta sit? Vbi illud? Si male agis, regem time. non enim sine causa gladium portat? Vbi illud, Obedite præpositis vestris, siue regi quasi præcellenti, & quæ sequuntur. Cur igitur ait Paulus, Bona est lex? Et alibi: Lex est vinculum perfectionis. Præterea cur ait Augustinus, Non frustra sunt instituta potestas regis, & cognitoris ius, vngula carnificis, arma militis, disciplina dominantis, seueritas etiam boni patris. Habent omnia ista modos suos, caussas suas, rationes, vtilitates: & hæc quum timentur, & mali coercentur, & boni quieti inter malos viuunt. Sed de regibus dicere supersedeo, ne videar meam caussam agere. Illud quæro, si nemo nec homo nec angelus potest super hominem Christianum legem ponere, cur tot leges ponit Apostolus & de legendis Episcopis, & de viduis, & velandis fœminarum capitibus? cur statuit ne fidelis coniunx ab infideli discedat, nisi deseratur? Cur audet dicere, Cæteris dico ego, non Dominus? Cur exercuit tantam potestatem, vt fornicarium satanæ iuberet tradi in interitum carnis? Cur Petrus Ananiam & Sapphiram simili pœna percussit, quod è sua ipsorum pecunia paulum reseruassent sibi? Si multa statuebant Apostoli præter speciale præceptum Domini super Christianum populum, cur non idem propter populi commodum faciant ii qui successerunt in Apostolorum locum? Ambrosius Mediolanensis Episcopus, vir sanctus, & nihil arrogans, iubere non dubitauit vt per suam diœcesim coniuges in quadragesima coniugalibus abstinerent amplexibus: & indignatur Lutherus, si Romanus Pontifex successor Petri, vicarius Christi, cur Christus velut Apostolorum principi tradidisse creditur claues Ecclesiæ, vt cæteri per illum & intrarent, & pellerentur ieiunium indicat aut preculas? Nam quod suadet, corpore parendum esse, animo retinendam libertatem quis tam cæcus est vt strophas istas non videat? Cur ignem gerit & aquam, homo simplex & sanctulus? Cur iubet velut Apostoli verbis, hominum seruos non fieri, hominum statutis non subiici, & tamen parere iubet pontificis iniustæ tyrannidi? An Apostolus hoc pacto prædicat: Reges nihil iuris habent in vos, iniustum feratis imperium: Domini ius non habent in vos: feratis iniustam seruitutem? Si Lutherus parendum esse non putet, cur parendum dicit? si parendum censet, cur ipse non paret? Cur homo versipellis talib. ludit technis? Cur in pontificē, cui dicit obediendū esse, conuiciis insurgit? cur tumultū suscitat? cur in illum concitat populos, cuius vel tyrannidem (vt vocat) fatetur esse ferendam? Profecto non ob aliud, opinor, quam vt fauorem sibi conciliet improborum, qui suorum scelerum impunitatem cuperent,

Psal. 75.

Vouistæ & votarii.

De legibus.

Lutherus Christianis summā decernit licentiam

Rom. 13.

Ibidem, Hebr. 13. 1. Timo. 1. Coloss. 3. Augustin.

1. Cor. 7. Ibidem. 5. Actuū 5.

Ambrosius coniuges ab amplexibus in quadragesima iussit abstinere.

Quā dissidet Lutheri technaà simplicitate Pauli.

& eum

& eum qui pro libertate eorum iam decertat, caput ipsis instituerent, & Ecclesiam Christi tam diu supra firmam petrã fundatam, demolirentur, & Ecclesiam nouam ex improbis & flagitiosis conflatam erigerent, contra quam clamat Propheta: Odiui Ecclesiam malignantium, & cum impiis non sedebo. & vna cum illo nostra clamet Ecclesia: Dirige me in veritate tua, quia tu es Deus saluator meus, & te sustinui tota die.

Psal.25.

Psal.24.

DE POENITENTIA.

Lutheri mos, notissima ceu ignota proponere.

DE pœnitentia pœniter audisse quas nugas, quæ somnia, quam absurda, quam impia, quam sibi repugnantia deblateret. Primum, suo more, velut nouum proponit, quod omnibus est notissimum, fidem habendam promissioni Dei qua promisit pœnitenti remissionem peccatorum, & iam insectatur Ecclesiam, quod hanc fidem non doceat. Quis est, obsecro, qui hortatur quemquam ad Iudæ pœnitentiam vt doleat quod commisit, nec tamen speret remissionem? Quis doceret orandum pro venia, nisi qui doceret promissam pœnitenti veniam? Quid prædicatur sæpius, quam Dei tam immensa clementia, vt nulli quantumuis scelerato se emendanti claudat misericordiam? Nemo ne præter Lutherum legit vnquam: Quacumq; hora ingemuerit peccator, saluus erit? Nemo legit dimissam adulteram, veniam Prophetæ datam non adulterii tantũ, sed homicidij quoq;? Paradisum latroni datum, & eo datum tempore, quo commissa prius flagitia, nulla potuit satisfactione redimere? Tãtum abest vt hæc non doceatur fiducia consequendæ veniæ, quã præteritam esse clamat Lutherus, vt potius in eam partem nimij sint qui populos docent, ita per se libenter in hanc fiduciam præcipites, vt magis in alteram partem sint auocandi, qua contemplentur seueram atque inflexibilem Dei iustitiam. Decuplo enim plures inuenies, qui nimia peccent istius promissionis fiducia, quam desperatione remissionis obtinendæ. Desinat ergo Lutherus eam rem pro nobis & admiranda proponere, quam nemo non nouit. Desinat quiritari desuetam esse, qua nihil est vsitatius.

Ezech.18. Ioan. 8. 2.Reg. 12. Luc. 23.

Populus nimis præceps in fiduciam consequẽdæ veniæ.

DE CONTRITIONE.

Lutheri verba.

OBliteratis, inquit, promissione & fide, videamus quid substituerunt in locum earum. Tres, inquit partes dederunt pœnitentiæ, contritionem, confessionem, satisfactionem. Quas omnes tres ita tractat Lutherus, vt satis perspicuum faciat, nullam earum satis ei placere. Nam primum, in contritione indignatur, & iram Dei vocat insustentabilem, quod attritioni fiat locus, & credatur Deus in dolore nõ satis de se vehementi, per sacramentum supplere quod deest homini. Videamus ergo quam præclare tuetur, quod dicit, quid ipse contra statuat. Magnam rem docet esse contritionem, nec facile parabilem. Iubet omnes habere pro certo, & indubitate credere, propter verbum promissionis omnia sibi peccata esse dimissa, & à Deo se solutos in cœlo, postquam per os hominis soluti sunt in terra. Qua in re, ipsius assertio vel in idem recidet quod repræhendit, vel multo magis erit absurda. Nam Deus aut his duntaxat per pœnitentiam promisit peccata remittere, qui quantum peccati moles exigit, ante conteruntur, aut his etiam qui minus, aut denique remittit & illis qui nihil conteruntur omnino. Si non promisit nisi quantum poscat peccati magnitudo contritis, non potest Lutherus, quod omnes iubet, certus esse & indubius se esse solutum. Nam quomodo scire se potest obtinere promissum, qui se scire non potest satis esse contritum? Nemo enim nouit mortalium omnium, quantum contritionis exigat mortale peccatum. Quod si veniam promisit Deus harum pro sceleris mole contritis, tunc promisit his quos isti vocant attritos: & iam cum his consentit Lutherus, quos reprehendit. At si promisit Deus nihil omnino dolentibus, magis promisit attritis, hoc est vtcunque dolentibus. Quamobrem si tantum contritionem admittit, hoc est sufficientem dolorem, nemo certus esse potest se esse absolutum: & sic Luthero perierit, aut falsa fuerit & erronea absolutionis certa illa & indubitata fiducia. Sin ei dicat, cuius alioqui tepido ac remisso dolori peccata non remitterentur, per pœnitentiæ Sacramentum remitti omnia, fatenti se peccatorem, & petenti veniam, & per os fratris obtinenti: qui dicit aliud quam sentiunt illi quos insectatur, qui dicunt ex attritione per Sacramentum superueniens fieri contritionem? Sacramentum enim supplere, quod deest homini: Aut ergo falsa est positio Lutheri, certum esse hominem de absolutione: aut velit nolit, admittendum est ei, si non verbum attritionis, certe res quam isto verbo designant: quam si concesserit, (concedet autem, nisi velit de sua sententia discedere) hominis est intempestiue nugantis, re concessa, contendere de vocabulo. Rursus magnificis verbis totam inuadit Ecclesiam, tanquam peruerse doceat contritionem, dum ex peccatorum collectu & conspectu doceat parare contritionem, quum prius docere deberemus, vt ait ille, principia & causas contritionis, nempe diuinæ comminationis & promissionis immobilem veritatem: quasi non talia passim dicantur apud populum, prolatis etiam in eandem sententiam locis multis è Scriptura sacra neque minus minacibus, neque minus consolantibus, additis præterea causis in procurandam contritionem neque minus efficacibus quam sunt istæ quas Lutherus exigit, & longe sanctioribus. Nam hæ causæ nihil fere proponunt præter metum pœnæ, & spem præmii: quæ conuersio ad Deum non tam grata est, ac si quis conuertatur amore. hoc fiet, si non ista quisque tantum proponet sibi, quæ Lutherus affert, comminationem Dei, & remissionis promissionem, sed illa etiam quæ docent hi quos Lutherus tanquam nihil docentes irridet, nempe Dei in se benignitatem, & toties in nihil bene merentem, in toties merentem male, ampliter collata beneficia. His enim rebus sibi à se propositis, adducetur peccator vt plus doceat offensum tam pium patrem, quam tam potentem dominum: & minus pœnam suam timeat, quam iram Dei, nec tam cœlum cupiat, quam fauorem Dei. Hæc consideratio bonitatis diuinæ format contritionem. An nescis homo, inquit Apostolus, quod Dei benignitas ad pœnitentiam te inuitat? & format, vt dixit, sanctiorem, quam sit hæc, quam ex metu pœnæ & spe remissionis format Lutherus, qui neminem iactat illa docere præter se, quum omnes & eadem doceant, & meliora.

Lutherus in labyrintho.

Iustior e contritionis causa, quã quas affert Lutherus.

Roman.2.

Arrogãtia Lutheri.

DE CONFESSIONE.

CONfessionem ita tractat, vt in publicis criminibus, quæ sine confessione nota sunt toti populo, confessionem exigat, vbi minus est opus: occultorum vero confessionem ita versat lubricus, vt quum non reiiciat prorsus, tamen relinquat incertum, an pro re iussa & demandata recipiat. Nam è scripturis eam negat probari, tamen placere sibi dicit, & vtilem esse, ac necessariam, nec tamen dicit omnibus sed ad pacandas duntaxat afflictas conscientias, opinor significans, quod si quis habeat conscientiam suæ similem, quæ vel de sua sanctitate secura sit, vel de verbo promissionis diuinæ certa sit, ei non sit opus occultorum confessione. Alioqui si quis meticulosus sit, ad pacandam conscientiam confitendum esse. Quamobrem quoniam tam dubie verba sua suspendit, mihi visum est afferre quædam, quæ de necessitate confessionis loquuntur apertius. Et qui ex scripturis haberi negat occultorum confessionẽ, Primo loco proponam eum locum ex Ecclesiastico, qui, non soli mihi, videtur omnes tres pœnitentiæ partes complecti. Fili, inquit, in tua infirmitate ne despicias teipsum, sed adora dominum, & ipse curabit te. auerte à delicto, & dirige manus, & ab omni delicto munda cor tuum. Curat enim Deus dum soluit in cœlo, quod sacerdos soluit in terra. dirigimus manus in satisfactione: auertimus à delicto per contritionem: cor vero à delicto in confessione mundamus, iuxta illud Prophetæ: Effundite coram illo corda vestra. Tres pœnitentiæ partes complectitur & Chrysostomus, quum ait, Perfecta pœnitentia cogit peccatorem omnia libenter sufferre. Et infra, In corde eius contritio, in ore eius confessio, in opere tota humilitas hæc est fructifera pœnitentia. Pro confessione facit & illud: Cognosce vultum pecoris tui. Quomodo enim poterit cognoscere, si non indicetur? Quid eo manifestius, quod legitur Numeri capit. 5. Locutus est Dominus ad Mosen dicens, Loquere ad filios Israel: Vir siue mulier quum fecerit

Psal.61. Chrysost.

Prou. 27.

Num.5.

ex omni-

ex omnibus peccatis quæ solent hominibus accidere, & per negligentiam transgressi fuerint mandatum Domini, atque deliquerint, confitebuntur peccatum suum. Huc & illud pertinet, quod in lege veteri Iudæorum, quibus omnia contingebant in figura, populus infectus lepra iussus est se sacerdotibus ostendere. Nam si Deus ideo scripsit in lege, Non alligabis os boui trituranti, vt nos admoneret æquum esse, vt qui altari seruit, de altari viueret (quemad modum declarat Apostolus, qui illud ait in lege scriptum, non propter boues, sed propter homines. Nunquid de bobus, inquit, cura est Deo,) non est cur quisquam dubiter, per illam corpoream in lege carnali, significatum esse peccatum in lege spiritali. In quam intelligentiam vt nos paulatim duceret Christus, ait leprosis (quos dum irent, non à corporis tantum, sed ab animæ quoq; lepra mundauit) Ite (inquit) ostendite vos sacerdotibus. Iam illud diuiiacobi, Confitemini alterutrum peccata vestra: etiam si non nesciam alios alio trahere, mihi certe (nec soli) videtur de sacramentali confessione manda um. An non illud quoq; facit aperte pro confessione, quod per Esaiam ait dominus: Tu dic iniquitates tuas, vt iustificeris? Quod si quid valere debet authoritas sanctorum patrũ, valere debet in primis, quod ait beatus Ambrosius: Nõ potest quisquam iustificari à peccato, nisi peccatum ipsum fuerit confessus. Quid dici potest apertius? Præterea Io. Chrysostomus, Non potest, inquit, gratiam Dei accipere, nisi purgatus fuerit ab omni peccato per confessionẽ. Deniq; beatus Augustinus, Agite pœnitentiam qualis agitur in ecclesia. Nemo dicat sibi, occulte ago, quia apud Deum ago. Ergo sine causa dictum est, Quæ solueritis super terram, &c. Ergo sine causa claues datę sunt. Verum de confessione si verbum nullum neq; nominatim neq; in figura legeretur, neque quicquam à sanctis patribus diceretur, tamen quum videam totum populũ tot seculis peccata sua patefacere sacerdotibus, quum de ea re tam assidue videam tantum boni prouenire, tam nihil enatum mali, aliud neq; credere neq; cogitare possum, quã eam rem non humano consilio, sed diuino plane mandato & constituram esse, & conseruatam. Neq; enim vlla humana authoritate populus vnquam potuisset adduci, vt occultissima scelera, quorum tacitam conscientiam horrebant, quæ ne prodirent in lucem, tanti referebat ipsorũ, inalienas aures posset quum vellet prodere, tanto cum pudore, tanto cum periculo tam incunctanter effunderent. Neq; fieri potuisse, quum tam numerosi presbyteri boni maliq; promiscue cõfessiones audiant, vt audita continerent etiam ii qui alias nihil continent, nisi Deus ipse, qui Sacramentum instituit, tem tam salubrem speciali gratia defenderet. Mihi ergo, quicquid ait Lutherus, non ex aliqua populi consuetudine, nec ex institutione patrum, sed ab ipso Deo videtur instituta & præseruata confessio.

Leuit. 13. Deut. 25.

1.Cor.9.

Luc. 17.

Iacob.5

Esaiæ 43.

Ambros.

Chrysost.

Augustin.

Matt. 18 Matth.16

Solita cõfirmatio confessionis clandestinæ.

Argumentũ non improbabile.

Iam quod Lutherus reseruationes peccatorum damnat, per quas interdicitur ne quilibet sacerdos remittat omnia, sed quædam Episcopi requirant manum, quædam etiam Papæ: istuc spectat, quod homo popularis sic exæquat omnia, vt summi Pontificis odio, pontifices omnes in classem cogat infimorum sacerdotum: tã cæcus odio, vt iurisdictionem nõ discernat ab ordine: immo vero multo adhuc cæcior, vt qui nec ordiné videat vllum, sed omnia plane permisceat & confundat horrore, sacerdotes q; ipsos prorsus in laicorum classem redigat. Quum Deus Ecclesiam hanc militantem, ad exemplar triumphantis effinxerit, cur tot gradus, tot ordines legens illic, nullum gradum, nullum ordinem, nullũ prorsus discrimen admittit hic? Quorsum igitur tam multa scripsit apostolus de episcopis, si nihil iuris in gregem suum pluspiã sacerdotes reliqui, nihil plus quam laicus quiuis haberet Episcopus? Sed de laicis dicemus postea, interim de sacerdote dicamus, Sacerdos quilibet ordinem quidem habet, sed authoritatem iudicandi non habet; quæ res ad absoluentẽ pertinet) priusquam ei gregis alicuius cura cõmittitur: idoneus tamen ante reputatur, cui cura tuto possit committi: Episcopus ergo, qui curam habet totius diœcesis, si cui sacerdoti partem quampiam suæ curæ commiserit, an non ipsa ratio docet hunc nõ amplius aut ligare posse aut soluere, nisi quatenus ille permiserit, sine cuius mandato nihil omnino in illius populo vel ligare quequam, vel soluere potuisset? Quippe, quod nec ipsi licebat Episcopo in aliena diœcesi. Quid ergo miri est, si quædam sibi reseruat Episcopus, quorum curã putat esse maiorẽ, quam vt cuilibet possit (etiam non imperito) cõmitti? Quod quum tot seculis obseruatum sit, ne populus nimis facili proposita remissionis facultate, procliuius in scelera prolaberetur: Lutherus nunc demum, ne quisquã difficultate pœnitentiæ deterreretur à peccando, quidlibet iubet permitti cuilibet, non sacerdoti modo, sed etiam laico in tantum progressus ineptiæ, vt quum vulgo mulieres male audiant quasi parum probe taceant si quid audierint secretius, ille mulieres etiam velit viris esse à confessionibus. At mulierem quum docere non permittat Apostolus, non eliget opinor in sacerdotem Lutherus, qui nisi prædicantem, negat ferme quenquam esse sacerdotem. At sacerdoti tantũ confitendum esse, (nisi necessitas ingruat) sanctorum patrũ declarat sententia. Veniat, inquit Augustinus, ad Antistites, per quos illi claues ministrantur Ecclesiæ. Non dicit, veniat ad laicos, veniat ad mulieres. Item alibi dicit apertius: Quę pœnitet, omnino pœniteat, & dolorem lachrymis ostendat: repræsentet vitam suam Deo per sacerdotem, præueniat iudicium Dei per confessionem. Præcepit enim dominus mundandis, vt ostenderent ora sacerdotibus, docens corporali præsentia confitenda peccata. Item Leo Papa. Christus hanc præpositis Ecclesiæ tradidit potestatem, vt confitentibus pœnitentiæ satisfactionem darent. Denique venerabilis Beda: Coæqualibus quotidiana & lenia, grauiora vero sacerdotibus pandamus, & quanto iusserint tempore purgare curemus, quia sine confessione peccata nequeant dimitti. Præterea quid prodesset confessio, nisi per claues Ecclesiæ sequeretur absolutio: At hoc ius, inquit Ambrosius, solis permissum est sacerdotibus. Quod quomodo velit intelligi, declarat alibi, quum dicit, Verbum Dei dimittit peccata, sacerdos est iudex. Alio item loco scribit Augustinus apertissime: Frustratur claues Ecclesiæ, qui sine sacerdotis arbitrio pœnitentiam agit. Nunc igitur indicet quisque quam vere sentit Lutherus, qui contra sanctorum omnium sententiam, claues Ecclesiæ trahit ad laicos, trahit ad mulieres: & ait, verba Christi, Quæcumque ligaueritis &c. non sacerdotibus tantum, sed omnibus dicta fidelibus. M. Æmilius Scaurus vir clarissimus, & exploratæ probitatis, Romæ quum à Vario Sucronensi, homine parum syncero, accusaretur apud populum, & accusator oratione longa peroraret, ille breuiter, & sua & populi freetus conscientia, non dignatus oratione contendere, Quirites, inquit, Varius Sucronensis ait, Æmilius Scaurus negat: vtri potius credendum censetis? Quibus verbis applaudente populo, vir honoratus, hominis nihili futilem accusationem eluit. Quæ per contratio non illic magis mihi visa est, quam in præsente quæstione congruere. Nam verba Christi de clauibus, laicis dicta Lutherus ait, Augustinus negat: vtri magis credendum esse censetis? Lutherus ait, negat Beda: vtri magis credendum censetis: Lutherus ait, negat Ambrosius; vtri magis credendum censeris? Denique Lutherus ait, tota negat Ecclesia: vtri magis censetis esse credendum? At si quis adeo desipiat, vt authore Luthero, mulieri quoque putet esse confitendum, huic non inutile forsasse fuerit illud alterum Lutheri dogma suscipere, quod suadet non adhibendum multum studii ad recogitanda peccata. Non expedit profecto nimis anxie multa reuocare in memoriam, vt omnia in eius infundas aurem, quæ patuiam & patulam viam ab auribus habet ad linguam. Alioqui, quum res fieri potest absque tali periculo, non dubitem Lutheri consilio exemplum Prophetæ præponere, qui dicit: Recogitabo tibi omnes annos meos, sed in amaritudine. Omnes, inquit, annos meos in amaritudine. Talis enim confessio non solum præterita diluit, sed nouam etiam parit vbertim gratiam, iuxta illud Ambrosii: Fidelior factus est Petrus, postquam fidem se perdidisse defleuit: atque ideo maiorem gratiam reperit, quam amisit. Quem secutus Gregorius, Fit, inquit, plerunque gratior Deo, amore ardens vita post culpam, quam in securitate torpens innocentia. Nam quum Lutherus ociosos homines appellet, qui censuerunt confitendas peccatorum circumstantias, Augustinus longe censet aliter. Consideret, inquit, Augustinus, qualitatem criminis in loco, in tempore, in perse-

Lutherus omnia cõfundit.

Ratio aduersus Lutherũ pro episcoporũ authoritate, vt reseruent peccata.

Lutherus etiam multo lierib. authoritatẽ permittit audiendi cõfessiones 1.Tim.2. Patrum authoritas aduersus Lutherũ. Augustin.

Luc. 17.

Leo Papa.

Beda.

Ambros.

Augustin.

M. Æmilius Scaurus.

Cedepatribus Luthere.

Mulieres quas Lutherus statuit à cõfessionibus rimarum sunt plenæ. Esaiæ. 38.

Ambros.

Gregorius.

Augustin.

ueran

Confitenda peccatorum circumstantia.

uerantia, in varietate personæ, & quali hoc fecerit tentatione, an ipsius vitii multiplici executione. Oportet enim pœnitere fornicantem secundum excellentiam sui status vel officii, & secundum modum meretricis, & modum operis sui, & qualiter turpitudinem peregit, si in loco sacrato, si in tempore orationi constituto, vt sunt festiuitates, & tempora ieiunii. Considerat quantum perseuerauerit, & doleat, quam perseueranter peccauerit, & quanta victus fuerit oppugnatione. Sunt enim qui non solum non vincuntur, sed etiam vltrò non peccato offerunt: nec expectant tentationem, sed præueniunt voluptatem. Et pertractet secum, quam multiplici actione vitii, quam delectabiliter peccauit. Omnis ista varietas confitenda est & deflenda: vt quum cognouerit quod peccatum est, cito inueniat Deum sibi propitium. In cognoscendo augmentum peccati, inueniat se cuius ætatis fuerit, cuius sapientiæ & ordinis. Immoretur in singulis istis, & sentiat modum criminis, purgans lachrymis omnem qualitatem vitii. Hactenus Augustinus. Quo vno haud scio an repetiat quem quam Lutherus ex his quos otiosos vocat, qui diligentius enumerarit peccatorum circumstantias: ne puret Lutherus circumstantiarū nihil quicquam ad confessionem pertinere. Quod si eiusdem peccati variæ circumstantiæ sint, quoad possumus, in memoriam reuocandæ, quanto magis gratia & diuersa crimina colligenda sunt, & diligenter excurienda conscientia, vt fieri possit, nullum nobis patiamur excidere? Nam quod Lutherus velut acutissimum telum conijcit, neminem posse omnia peccata cōfiteri, propterea quod nemo potest omnium recordari, telum est obtusissimum. Quis enim nesciat, neminem, qui dixit omnia peccata confitenda fuisse, tam stolidū, vt senserit etiam illa sacerdoti narranda in aurem, quæ confitenti non venissent in mentem?

DE SATISFACTIONE.

Lutherus tam verborum prodigus, vt malit multis verbis nihil dicere. quam tacere.

DE satisfactione nescio an satisfaciat aliis, mihi profecto videtur potius quam taceret, maluisse multis verbis nihil dicere. Nam primum quod ait Ecclesiam sic docere satisfactionem, vt populus veram satisfactionem non intelligat vnquam, quæ est innouatio vitæ, quis non videt meram esse calumniam? Quis Lutherum docuit Ecclesiam non docere, innouandam esse vitam? Totam non peragauit Ecclesiam, non omnibus interfuit confessionibus, vt hanc audiret inscitiam sacerdotum. Necesse est ergo aut Spiritum sanctum habeat in sinu, aut dæmonem aliquem in pectore, qui istud ei in spirauerit. Sed quisquis hic spiritus fuit, bonus esse non potuit, qui falsitatem docuit, sed spiritus ille de quo dictum est, Diabolus mendax est, & pater eius. Nam nemo nescit falsum esse quod Lutherus affert pro vero. Quis enim vnquam adeo stipes fuit, vt sic indicaret opera satisfactoria pro præteritis, vt indulgeret futura: Quis non assidue, quam absoluit, illa Christi verba succinit: Vade, & noli amplius peccare? Et illud Pauli. Sicut exhibuistis membra vestra seruire immunditiæ & iniquitati ad iniquitatem, ita nunc exhibete membra vestra seruire iustitiæ in sanctificationem. Quis non legit illud Gregorij: Pœnitentiam quippe agere digne non possumus, nisi modum quoque eiusdem pœnitentiæ cognoscamus? pœnitentiam quippe agere, est & perpetrata mala plangere, & plangenda non perpetrare. Nam qui sic alia deplorat, vt iterum alia committat, adhuc pœnitentiam agere ignorat, aut dissimulat. Quid enim prodest, si peccata luxuriæ quis defleat, & tamen adhuc auaritiæ æstibus anhelat? Quod si nihil horum diceretur, tamen quum sacerdos indicit pœnitentiam pro commissis, ipsa re docet non esse rursus committenda, quæ rursus sint punienda. Lutherum ergo manifeste liquet nihil habere pensi quid dicat, modo verborum effutiat aliquid quo calumnietur Ecclesiam. Quæ res maxime semper patet vbicunque velut in re maximi momenti, maxima voce declamat, quemadmodum in his verbis facit: Quæ monstra tibi debemus Romana sedes, & tuis homicidis legibus & ritibus, quibus mundum totum eo perdidisti, vt arbitrentur sese posse Deo per opera pro peccatis satisfacere, cui sola fide cordis contriti satisfit, quam tu his tumultibus non solum taceri facis, sed opprimis etiam, tantum, vt habeat sanguisuga tua insatiabilis, quibus dicat, affer, affer: & peccata vendat? Quis non arbitretur, quum hæc verba legat tam atrocia, quam tragica, Lutherum in sede Romana deprehendisse ingentia & abominanda portenta? At si quis omnia penseculet diligentius, videbit parturiente monte natum ridiculum murem. Nam primum, quam ridiculum est illud quod exclamat in Romanam sedē? quasi Romæ tantum, & non per omnem totius orbis Ecclesiam exigerentur opera satisfactionis, & iniungatur pœnitentia: aut quasi leges, quas ille vocat homicidas, non sint editæ pleræque à sanctissimis olim patribus, & publico Christianorum consensu in synodis ac generalibus conciliis. Deinde quum dicit, quod per opera non satisfit deo, sed sola fide, si sentit quod non per sola opera sine fide, stulte bacchatur in sedem Romanam, in qua nemo fuit vnquam tam stultus, qui diceret opera sine fide satisfacere, quum nemo nesciat illud Pauli: Quod non est ex fide, peccatum est. Sin opera sentit superflua, & fidem solam sufficere qualiacunque sint opera, tum dicit aliquid, & vere dissentit à fede Romana, quæ credit diuo Iacobo, quod fides sine operibus mortua est. Videtis igitur, quam ineptè se commouet Lutherus, qui sic inuehitur in Romanam sedem, vt semet interea vel stultitiæ retibus vel impietatis inuoluat. Quanquam profecto propinquius opinor vero, Lutherum sentire fidem semper absque operibus bonis satis esse ad salutem. Nam id illum sentire, tum ex aliis locis multis euidenter liquet, tum ex eo quod dicit, Opera deus nihil curat, nec eis indigeri. Indiget autem, vt verax in suis promissis à nobis habeatur. Quibus verbis quid senserit Lutherus, viderit ipse, ergo certe deum credo & fidem nostram & opera nostra curare, & neque operibus nostris egere, neque fide. Nam vt bonorum nostrorum non eget, qui deus est, ita curam habet omnium quæ faciunt homines, qui aliud ab his fieri vetat, aliud iubet, sine cuius cura ne vnus quidem passer cadit super terram, quorum duo veneunt dipondio. Sed quia videtur Lutherus eo vergere, vt pœnitens tantum ingrediatur nouam vitam, ac negligat à sacerdote pro commissorum satisfactione suscipere pœnitentiam, audiamus quid in hac quoque parte scribat sanctissimus Augustinus. Non sufficit, inquit, mores in melius commutare, & à præteritis malis recedere, nisi etiam de his quæ facta sunt, satisfaciat domino, per pœnitentiæ dolorem, per humilitatis gemitum, per contriti cordis sacrificium, cooperantibus eleemosynis & ieiuniis. Et alibi: Ponat se pœnitens, inquit, omnino in iudicio & potestate sacerdotis, nihil sui reseruans sibi, vt omnia eo iubente paratus sit facere pro recipienda vita animæ, quæ faceret pro vitanda corporis morte. Item alibi. Ligant quoque (inquit) sacerdotes, dum satisfactionem pœnitentiæ confitentibus imponunt: soluunt quum de ea aliquid dimittunt. Opus enim iustitiæ exercent in peccatores. quum eos iusta pœna ligant: opus misericordiæ, quum de ea aliquid relaxant. Satis igitur aperte me docuisse confido, quam temere calumniatur Ecclesiam, & per omnem pœnitentiæ partem quam inepta, quam impia, & quam absurda contra sanctos patres, contra Scripturam sacram, contra publicam Ecclesiæ fidem, contra tot ætatum, tot populorum consensum, contra sensum ferme communem constituat: quibus tamen ille non est contentus, sed quum diu fassus esset pœnitentiam esse sacramentum, tandem in fine totius libri pœnitere cœpit eum quod quicquam omnino liberet veri: eoque mutata (quod solet) in deterius sententia, pœnitentiam prorsus negat esse sacramentum. At idem ante fatetur se non dubitare, quin quicunque coram quouis priuatim fratre vel sponte confessus vel correptus veniam petierit, & emendauerit, ab omnibus occultis absolutus sit. Si ita sentit, quanquam falsum in hoc sentit, quod ait coram quouis priuatim fratre, & hoc item quod nisi interesse censet an confiteatur vltro, an correptus petat veniam: tamen si pœnitentiam etiam talem censet esse tam vtilem, cur pœnitentiam eximit è numero Sacramentorum? Non ob aliud omnino, quam vt haberetur in minore pretio, & viduata nomine sacramenti (quod apud Christianos est in veneratione) vilesceret. Quam in rem non alium reperit prætextum, quam quod pœnitentia non habeat signum visibile: quasi vel exterior

Rom. 14.

Iacobi 2.

Verba Lutheri.

Deum curare opera nostra.

Luc. 12.

Augustin.

Satisfactione pœnitentia necessaria esse confitentibus.

Lutheri constantia.

terior pœnitentia, vel ille ipse corporeus actus & gestus quo sacerdos absoluit pœnitentem, signum esse non possit spiritalis gratiæ qua pœnitens consequitur remissionem. Sed vt aliquando finem loquendi faciam de pœnitentia, vtinam aliquando pœniteat ipsum tam male tractatæ pœnitentiæ, & cuius omnes partes conatur euertere, salubriter olim partes omnes adimpleat, conteratur de malitia, publice confiteatur errores, & ecclesiæ (quam tot blasphemiis offendit) iudicio se subiiciens, quicquid ante commisit, quanta maxima potest, (nam digna profecto non potest) satisfactione recompenset.

DE CONFIRMATIONE.

Lutheri nugacitas.

COnfirmationem adeo non recipit pro sacramento, vt etiam mirari se dicat, quid Ecclesiæ in mentem venerit, vt confirmationem faceret sacramentum: & in re tam sacra ludit & nugatur homo nugacissimus, quærens cur non ex pane quoque faciant sacramenta tria, quum ansas quasdam habeant ex scripturis. Ideo non facit Ecclesia, quia non apprehendit ansam ex qualibuscunque scripturæ verbis alia condendi sacramenta, quam quæ Christus instituit, & suo sanctificauit sanguine: quemadmodum è diuerso nullum eorum omittit, quæ à Christo & Apostolis per manus deinceps tradita sunt, etiam si nusquam quicquam de eis scriberetur. Nam quod ait confirmationem nullam operari salutem, nulla fulciri promissione Christi, hoc dicit tantum, neque probat quicquam: duntaxat negat omnia. At quum loco quædam Lutherus ipse commemorat, è quibus (quanquam id Lutherus irridet) habere non absurde potuerit sacramentum confirmationis initium, cur tam maligne de tota iudicat Ecclesia, quasi temere sacramentum susciperit, propterea quod in illis locis nullum legit verbum promissionis? quasi nihil omnino promiserit, dixerit, fecerit Christus, quod non complectantur Euangelistæ. Hac ratione, si tantum Ioannis extaret Euangelium, negaret institutionem Sacramenti in Cœna Domini, de qua institutione nihil omnino perscribit Ioannes, qui eodem Dei consilio non tetigit istud, quo multa alia præterierunt omnes quæ fecit Iesus, quæ (vt inquit Euangelista) non sunt scripta in libro hoc, & quæ totus mundus non posset capere. Ex quibus nonnulla per Apostolorum ora fidelibus patefacta sunt, & perpetua deinceps Ecclesiæ Catholicæ fide conseruata. Cui quare non debeas de quibusdam credere quanquam non legantur in Euangeliis, quum (vt Augustinus ait) nisi tradente Ecclesia scire non posses quæ sint Euangelia? Quorum si nullum vnquam scriptum esset, maneret tamen Euangelium scriptum in cordibus fidelium, quod antiquius fuit omnium Euangelistarum codicibus: manerent Sacramenta, quæ & ipsa non dubito Euangelistarum libris esse omnibus antiquiora: ne putet Lutherus efficax argumentum esse frustra susceptī Sacramenti, si non reperit institutum in Euangeliis. Alio qui si nihil omnino recipiat, quod non tam aperte legat in Euangelio, vt tergiuersandi non sit locus, quomodo credit (si modo credit, qui fere nihil credit) perpetuam Mariæ virginitatem? De qua adeo nihil inuenit in scripturis, vt Heluidius non aliunde, quam ex scripturarum verbis arripuerit ansam decernendi contrarium. Nec aliud opponitur illi, quam totius Ecclesiæ, fides, quæ nusquam maior est aut fortior quam in Sacramentis. Ego certe neminem esse puto, qui scintillam vllam habeat fidei, cui persuaderi possit, quod Christus qui pro Petro orauit ne fides eius deficeret, qui Ecclesiam suam supra firmam petram collocauit, paterctur eam tot seculis vniuersam, corporalium rerum signis inanibus erroneaque fiducia velut diuinis Sacramentis obstringi. Si nusquam inde quicquam legeretur, illi tamen verbo mentem Domini poterant enarrasse, qui præsentes versati sunt cum eo, de quibus ait ipse: Vos testes estis, qui mecum ab initio fuistis. Docere poterat quid debebat fieri, paracletus ipse, de quo dixit Christus: Quum autem venerit paracletus, quem ego mittam vobis à patre meo, spiritus veritatis, qui à patre procedit, ille testimonium perhibebit de me. Et rursus, Quum veneritille, qui est spiritus veritatis, ducet vos in omnem veritatem. non enim loquetur à semetipso, sed quæcumque audierit loquetur, & quæ futura sunt, annunciabit vobis. Ecclesia ergo quum tot & tales habuerit præceptores, tot viuos Euangelistas, & spiritum illum qui veritatem inspirat, credetur temere instituisse Sacramentum, & spem in signo collocare nihili? Non credetur potius ab Apostolis, non credetur potius à Spiritu sancto didicisse? Certe si quis nomen huius Sacramenti, si quis ministrum, si quis virtutem quam spondet æstimet, videbit rem non esse talem, quam [illegible]re credatur Ecclesia suscepisse. A chrismate enim, vt inquit Hugo de sancto Victore, Christus dicitur, à Christo Christianus: cuius ex quo nomen omnes communicare cœperint, omnes vnctionem accipere debuerunt: quia in Christo omnes electum genus sumus, & regale Sacerdotium. Nec vngimur, excepta necessitate, nisi per Episcopos, vt Christianum consignent, & spiritum paracletum tradant, quem admodum idem ait Hugo, sicut in primitiua Ecclesia Spiritum sanctum per impositionem manuum dandi, soli Apostoli potestatem habuisse leguntur. Fructum quoque Sacramenti idem doctor declarat. Sicut (inquit) in Baptismo remissio peccatorum accipitur, ita per manus impositionem spiritus paracletus datur. Illic gratia tribuitur ad remissionem peccatorum, hic gratia datur ad confirmationem. Quid autem prodest si à lapsu erigeris, nisi ad stādum confirmeris? Hactenus Hugo. Cui recta quoque consentit ratio. Quemadmodum enim in vita corporali, præter generationem, per quam vitam consequimur; alia requiritur actio, per quam & crescimus, & ad perfectionem virtutis perducimur: ita in spiritali vita quæ per generationem baptismatis acquiritur, opus est Sacramento confirmationis, per quam vita spiritualis ad perfectam virtutem perducitur, & Spiritus sanctus datur ad perfectum robur. Et præter Sacramentum Baptismi, quod adiuuat ad credendum, confirmatio prodest in adiutorium fortitudinis ad audacter confitendum. Ad hoc enim ordinatur, vt homo coram persecutore fidem confiteatur audacter. Et hoc est quod Melchiades, In baptismo regeneramur ad vitam, post baptismo confirmamur ad pugnam. Nam confirmatio ad huius mundi agones armat & instruit.

Efficax ratio aduersus Lutherum quod recipi oportet etiam quæ nusquam sunt scripta.

Ioan. vltimo.

Et hic locus fortiter premit Lutherum vt veneretur Ecclesiæ traditiones non scriptas.

Luc. 22.

Matth. 7.

Ioan. 15.

Eodem.

Ioan. 16.

Denique vt Lutherus intelligat hoc Sacramentum neque nouum esse neque inane figmentum, sed adeo non vacare gratia, vt spiritum etiam gratiæ conferat ac veritatis, afferimus in medium quid beatus Hieronymus de confirmationis Sacramento scripserit. Ait enim: Episcopus si imponit manum, iis imponit, qui recta fide baptizati sunt, qui in Patre & Filio & Spiritu sancto tres personas & vnam substantiam crediderunt. Arrianus vero quum nihil aliud crediderit (claudite quæso aures qui audituri estis, ne tantæ impietatis vocibus polluamini) nisi in Patre solo vero Deo, & in Iesu Christo Saluatore creatura, & in Spiritu sancto vtriusque seruo, quomodo Spiritum sanctum ab Ecclesia recipiet, qui necdum remissionem peccatorum consequutus est? Spiritus quippe Sanctus nisi mundam fidem non incolit, nec habitator eius templi efficitur, quod antistitem non habet veram fidem. Quod si hoc loco quæras, quare in Ecclesia baptizatus, nisi per manus Episcopi non accipiat Spiritum sanctum, disce hanc obseruationem ex ea authoritate descendere, quod post ascensum domini, Spiritus sanctus ad Apostolos descendit, & multis in locis idem factitatum deprimus. Hactenus Hieronymus. Cuius sententiæ cum alia multa scripturæ loca subscribunt, tum ille multo clarissime, qui in Actis Apostolorum declarat, quod populus qui ante baptizatus est in Samaria, descendentibus ad eos Petro ac Ioanne, ac manus eis imponentibus, accepit Spiritum sanctum, Demiror igitur, quid in mentem Luthero venerit, vt confirmationem pro ritu tantum ac cæremonia contendat habendam, pro sacramento vero neget: quæ non solum sanctorum testimonio doctorum, & totius Ecclesiæ fide, sed etiam sacræ scripturæ clarissimis locis ostenditur, visibili signo manus Pontificiæ non gratiam tantum, sed & ipsum gratiæ spiritum conferre. Desinat ergo Lutherus confirmationis Sacramentum contemnere, quod ministri dignitas, Ecclesiæ authoritas, & ipsius Sacramenti commendat vtilitas.

Hugo de sancto Victore.

De consecratione. d. 5. c. De his. In actis Apostolicis. Fructus Sacramēti confirmationis.

Ratio instituti Sacramenti confirmationis.

De consecratione di. 5. Spiritus sanctus.

Aduersus Luciferianos.

Cur soli Episcopi baptizatis manus imponunt vt accipiant Spiritum sanctum. Actor. 8.

DE SACRAMENTO Matrimonij.

MAtrimonium, sacramentorum omnium primum, inter primos homines celebratum, primo Christi miraculo cohonestatum, quod propter sacramenti nomen ipsum, tam diu, tam religiose cultum est, Lutherus nunc demum, ne coniugalem fidem tanti quisquam putet in posterum, negat esse sacramentum vllum: & cum alia sacramenta sic sustulerit, vt in vno negaret institutum signum, in alio negaret promissam gratiam, in matrimonio negat vtrunque. Nam negat vsquam promissam esse gratiam. Negat vsquam institutum esse pro signo. Vnde hæc nouit? Quia non legitur, inquit. O rationem fortem, & multarum hæresium parentem. Ex hoc fonte venenum hausit Heluidius. Nullum sacramentum admittis, cuius institutionem non legis in libro? Quem librum vnquam scripsit ille, qui instituit omnia? De quibusdam, inquit, credo Euangelistis Christi. Cur ergo de quibusdam Christi non credis Ecclesiæ, quam Christus omnibus præponit Euangelistis, qui non nisi membra quædam fuerunt Ecclesiæ? Quamobrem si fidis vni, cur diffidis omnibus? Si membro tribuis tantum, cur toti nihil tribuis corpori? Ecclesia credit esse sacramentum, Ecclesia credit à Deo institutum, à Christo traditum, ab Apostolis traditum, à sanctis patribus per manus deinceps pro sacramento traditum ad nos peruenisse, pro sacramento per nos tradendum posteris, ad finem vsque seculi pro sacramento venerandum. Hoc Ecclesia credit: & quod credit, dicit. Hoc, inquam, tibi dicit eadem Ecclesia, quæ tibi dicit Euangelistas scripsisse Euangelium. Nam si Ecclesia diceret Euangelium Ioannis, Ioannis esse, nescires esse Ioannis. Non enim adsediti scribenti. Cur ergo non credis Ecclesiæ quum dicit hæc Christum fecisse, hæc sacramenta instituisse, hæc Apostolos tradidisse, quemadmodum credis ei quum dicit hæc Euangelistam scripsisse?

Ratio Lutheri. Heluidius.

Lutheri baculus arundineus.

Luth. ratio

Matrimonium, inquit Lutherus, erat apud antiquos patres, erat apud gentiles, & tamen apud neutros matrimonium erat Sacramentum, quum tamen apud vtrosque matrimonium fuerit æque verum, atque apud nos. De patribus qui sub lege erant, & ante legem non accedo Luthero, immo plane censeo matrimonium fuisse illis Sacramentum, sicut fuit & circuncisio. De gentibus alia quæstio est, quarũ coniugium totum pendebat à moribus ac legibus cuiusque populi: eoque talia erant apud alias legitima coniugia, qualia haberentur alibi per absurda. Quanquam non desunt, qui contra Lutherum sentiant, etiam gentium coniugium Sacramentum esse. Nam & beatus Augustinus ait, quod Sacramentum Coniugij omnibus gentibus commune est, sanctitas autem Sacramenti non est nisi in ciuitate Dei nostri, & monte sancto eius. In quam sententiam, qui volet, Hugonem de sancto Victore perlegat. Quanquam si coniugium infidelium Sacramentum non esset, non sequeretur tamen, quod Lutherus infert, vt ideo ne fidelium quidem coniugium Sacramentum sit. Populus enim Dei in matrimonio quiddam habet sanctius, habuitque semper, & quum primum institueretur, & quum datis à Deo legibus honestaretur: porro apud gentes, quoniam humana tantum res agebatur, adscilcere sibi coniuges, ac reiicere, pactis ac legibus humanis solebant. In Dei populo, iunctos coniugio non licuit olim diuelli. Nam quod per Moysen Deus permisit Hebræis libellum repudij, Christus fatetur indultum propter duritiam populi, alioquin vxores animo suo non satis commodas interfecturi. Nam ab initio, inquit Christus, non erat sic. Christianos vero Christus ad pristinam reuocauit sanctitatem, consecrans matrimonium indissolubili vinculo societatis, excepta fornicationis causa, inter eos quos non humanus error, sed Deus rite coniunxit. Non sequitur igitur, vt si coniugium non fuerit Sacramentum gentibus, idcirco Sacramentum aut nunc non sit Christianis, aut non fuerit priscis olim patribus. Nam quod ad Christianos pertinet, etiam si nusquam legetur, Ecclesiæ fides sufficeret. Et tamen vnus ille locus ex Apostolo, quem Lutherus cauillo conatus eludere, manifeste docet matrimonium non nunc tantum, sed & olim quoque in generis humani primordiis institutum pro sacramento. Quod nemini, opinor, dubium relinquitur, qui locum illum ex epistola ad Ephesios perleget, & considerabit attentius: quem totum placuit inserere, propterea quod nullius interpretatione poterit res elucere clarius, quam ipsis verbis Apostoli, qui tam aperte quod sensit, explicuit, vt ineptis Lutheri calumniis nullum reliquerit locum. Ait enim: Mulieres viris suis subditæ sint sicut domino: quoniam vir caput est mulieris, sicut Christus caput est Ecclesiæ, ipse Saluator corporis eius. sed sicut Ecclesia subiecta est Christo, ita & mulieres viris suis in omnibus. Viri diligite vxores vestras, sicut & Christus dilexit Ecclesiam, & semetipsum tradidit pro ea, vt illam sanctificaret, mundans eam lauacro aquæ in verbo vitæ, vt exhiberet ipse sibi gloriosam Ecclesiam, non habentem maculam, aut rugam, aut aliquid huiusmodi, sed vt sit sancta & immaculata. Ita & viri debent diligere vxores suas, vt corpora sua. Qui suam vxorem diligit, seipsum diligit. Nemo enim vnquam carnem suam odio habuit, sed nutrit & fouet eam, sicut & Christus Ecclesiam, quia membra sumus corporis eius, & de carne eius, & de ossibus eius. Propter hoc relinquet homo patrem suum & matrem suam, & adhærebit vxori suæ, & erunt duo in carne vna. Sacramentum hoc magnum est, ego autem dico, in Christo & Ecclesia.

Ephes. 5.

Matrimonij sacramentum assertum ex Pauli verbis.

Expensa Pauli verba.

Videtis vt beatus Apostolus matrimonium viri & vxoris docet vndique Sacramentum esse, quod repræsentat coniunctionem Christi cum Ecclesia. Docet enim consecratum à Deo matrimonium, vt esset Christi cum Ecclesia coniuncti Sacramentum: atque ideo virum comparat Christo, vxorem Ecclesiæ. Virum caput esse dicit eius corporis quod vnum facit cum fœmina: Christum caput esse dicit eius corporis quod vnum facit cum Ecclesia. Præcipuam causam facit, cur vir vxorem diligat, non aliam, quam ne dissimile signum sit Christi, quem repræsentat, & hanc potiorem causam facit, quam communem masculi & fœmellæ naturam, quæ & ipsa potuisset incitare ad diligendum. Mulierem vero vt virum timeat ac reuereatur, eodem exemplo prouocat, nempe quod illa referat Ecclesiam obedientem Christo. Quæ quum iterum atque iterum multis verbis inculcasset, nequis hanc viri cum Christo, & vxoris cum Ecclesia collationem, putaret similitudinem esse quampiam duntaxat exhortandi gratia desumptam, ostendit rem esse veram, verum esse Sacramentum, à prophetarum omnium primo, primoque eius ipsius vaticinio, orbe iam tum recens condito, prænuntiatum. Nam quum dixisset, Qui suam vxorem diligit, seipsum diligit: nemo enim vnquam carnem suam odio habuit, sed nutrit & fouet eam, sicut & Christus Ecclesiam: quia membra sumus (inquit) corporis eius, & de carne eius: & de ossibus eius. Quæ verba dixit Apostolus, vt nos in memoriam duceret eorum verborum, quæ verbis istis similia dixit Adam quum in conspectum eius primum adducta est Eua: Hoc nunc os ex ossibus meis, & caro de carne mea. Et vt euidentius ostenderet Apostolus, ad Christi copulam cum Ecclesia, pertinere Sacramentum coniunctionis Adæ cum Eua, Adæ verba ipsa subiunxit: Propterea relinquet homo patrem & matrem, & adhærebit vxori suæ, & erunt duo in carne vna. Hoc Sacramentum, inquit Apostolus, magnum est in Christo & Ecclesia. Quomodo potuisset Apostolus euidentius refellisse Lutherum, quam his ipsis verbis, quæ Lutherus inepte conatur eludere? qui ex eo quod Apostolus dixit, Sacramentum hoc magnum esse in Christo & Ecclesia, contendit Apostolum abstulisse Sacramẽtum à matrimonio viri & vxoris, tanquam si ita loqueretur. Sacramentum baptismi magnum est in ablutione animæ, negaret baptismum corporis esse Sacramentum. aut si qui diceret Sacramentum Eucharistiæ magnum esse in ipso Christi corpore, negaret panis & vini species esse Sacramentum: aut si dicat, idẽ Sacramentum esse magnum in Christi corpore mystico, Sacramentum detraheret corpori quod sumpsit de virgine. Quis vnquam vidit quẽquam tam nugace glossemate tanta se cum gloria iactantem? Nam si Apostolus hoc sensisset, & sic voluisset accipi, vt hoc Sacramentum magnum esset duntaxat in Christo & Ecclesia, neque pertineret quicquam ad viri & vxoris matrimonium, imminuisset robur & pondus illorum

Expensa Pauli verba.

Gene. 3.

Argutatur inepte Lutherus.

Prima ratio probãs Paulum ad Ephes. 5 sensisse de sacramento matrimonij.

Secunda ratio.

rum omnium, quibus illa comparatione duarum coniunctionum commendauerat ante coniugium. Quin alia quoque ratione nocuisset causæ quam susceperat, si illa protoplasti verba, quæ per se posita videbantur coniuges in mutuum amorem trahere; sic traxisset ad Christum & Ecclesiam, vt nihil pertinere doceret ad virum & vxorem. Verba illa Adæ, fuisse vaticinium de Christo & Ecclesia, docet Apostolus, & omnes doctores sancti confirmant, & ipsa res ostendit. Nam ad primum Euæ conspectum protulit ea verba, quibus patri & matri præferebat vxorem, quum ipse neque patrem habuisset neque matrem, neque adhuc præceptum procreandi liberos, vt parentum & liberorum collatione cognosceret quid pater esset, aut mater. Quod si illa protoplasti verba fuerunt vaticinium de Christo & Ecclesia, tunc aut nihil pertinuisse videntur ad matrimonium quod agebatur, & de quo dici videbantur: aut illud ipsum matrimonium, velut illius coniunctionis idoneum signum, ab ipso Deo, cuius spiritu formabatur Adæ loquentis os, sacramentum institutebatur, vt eadem verba possent & in id quod agebatur, & in id etiam quod prænunciabatur, hoc est in hominum coniugium, & Christi cum Ecclesia copulam competere: & tanquam vnum Sacramentum, ex re sacratissima, & eiusdem rei sacro & congruente signo, comprehendere. Præterea vt liquidò patere possit, Lutherum nihil dicere, non hoc agit Apostolus in illo loco ad Ephesios, vt doceret ex illis verbis, quam magnum esset Sacramentum Christus coniunctus cum Ecclesia sed vt moneret coniunctos matrimonio, vt se sic mutuò gererent, vt ipsorum coniugium, rei tam sacræ, cuius Sacramentum erat, idoneum & quam simillimum Sacramentum redderent. Lutherus igitur hoc in loco vel oscitat ipse, atque indiligenter & inconsultè legit illum locum; aut quod lectione comperit, impietate dissimulat, quum hunc intellectum, quem attulimus, & quomodo intelligit Ecclesia, respondet esse magnæ oscitantiæ, & indiligentis inconsultæque lectionis. Ergo Augustinus oscitanter legit Apostolum, oscitanter legit Hieronymus, oscitanter omnes præter vnum Lutherum, qui vigilantia sua deprehendit Paulum ipsum non scripsisse Sacramentum sed Mysterium? O hominem oculatum, qui viderit totam Ecclesiam Latinam perperam vocare Sacramentum, id quod Apostolus, dum Græce scriberet, appellet Mysterium, non Sacramentum: quasi ideo Latini errarent, qui rem efferant latine, quia Paulus in lingua græca non vtatur Latino vocabulo. Quod si non sacramentum sed mysterium vertisset interpres, & græcam vocem reliquisset integram, non abstulisset tamen argumentum quo ex eo loco Apostoli concluditur, matrimonium esse Sacramentum, quum id ita esse rei totius doceat circunstantia. Nam vt maxime torqueat mysterij verbum, nunquam tamen efficiet vt etiam si non statuat Sacramentum, ideo tollat ac neget sacramentum: neque male aut sentire dicetur, aut loqui, qui sic loquatur, Eucharistia magnum est mysterium. Quamobrem quum nullum sit è Sacramentis, quod non idem sit mysterium, vtpote quod sub visibili signo complectitur arcanam & intisibilem gratiam, interpres animaduertens in illis Pauli verbis ad Ephesios, totius loci seriem declarare planissime id mysterij genus Apostolum describere, quod vere sit Sacramentum: ac præterea videns Ecclesiam totam matrimonium obseruare pro Sacramento, mysterium illic, vt debuit, vertit Sacramentum. Qui si verbum non recte vertisset, neque tam oscitantes erant lectores, aut Hieronymus, aut Augustinus, vt vertentis errorem non deprehenderent: neque tam proni fautores coniugij, vt deprehensum sequerentur potius, quam castigarent, præsertim quum Augustinus Græcarum literarum peritia non cederet Luthero, & Hieronymus eius linguæ sine controuersia doctissimus, adeo virginitati fauerit, vt apud multos matrimonio parum æquus fuisse videretur. Quamobrem vt omnes facilius intelligant, non eos tantum quos per contemptum vocat Sententiarios, à Luthero nunc appellari lectores oscitantes, sed veteres etiam Ecclesiæ patres optimos & doctissimos, audiamus quid ait beatissimus Augustinus. Non tantum (inquit) fœcunditas, cuius fructus in prole est, nec tantum pudicitia, cuius vinculum est fides, verum etiam Sacramentum nuptiarum commendatur fidelibus coniugatis. Vndedicit Apostolus: Viri diligite vxores vestras, sicut & Christus dilexit Ecclesiam. Augustinus igitur Sacramentum vocat: quem ne dicat Lutherus oscitanter & indiligenter legisse locum, iterum atque iterum, aliis atque aliis operibus in eandem sententiam eundem locum tractat. Ait enim alibi, Dictum est in paradiso: Relinquet homo patrem & matrem, & adhærebit vxori suæ: quod magnum Sacramentum dicit Apostolus in Christo & Ecclesia. Cur hic non explicat Augustinus illud Lutheri mysterium, errorem esse: quod Latini vocant Sacramentum, quoniam græce Paulus appellat mysterium, non Sacramentum? Augustinus plus milites appellat Sacramentum connubij, & Sacramentum nuptiarum: quem admodum & illic vbi dicit quod omne nuptiarum bonum impletum est in ipsis Christi parentibus, proles, fides, Sacramentum. Cur hic non admonuit nos non esse Sacramentum, sed mysterium? Præterea si verum dicit Lutherus, Sacramentum non esse nisi in Christo & Ecclesia, verum non dicit Augustinus. Nam neque illud Sacramentum bonum est nuptiarum, præsertim vt accipit Lutherus, qui dixit duntaxat esse mysterium, neque in Mariæ nuptiis impletum est. Et iterum super eadem Apostoli verba dicit Augustinus: Quod in Christo & Ecclesia est magnum, hoc in singulis quibusque viris & vxoribus est minimum, sed tamen coniunctionis inseparabile Sacramentum. Quod si Lutherus dicat non vocari Sacramentum nisi in Christo & Ecclesia, reuincetur etiam ipsis Apostoli verbis, si diligenter expendantur vel à grammatico. Nam quum Apostolus dicat, Sacramentum hoc magnum est, ego autem dico in Christo & Ecclesia: quod est illud Sacramentum, quod magnum est in Christo & Ecclesia? Christus & Ecclesia non potest esse Sacramentum in Christo & Ecclesia. Nemo enim sic loquitur. Necesse est igitur vt id Sacramentum quod dicit esse magnum in Christo & Ecclesia, sit illa coniunctio viri cum coniuge, de qua dixerat: Non aliud igitur dicit Apostolus, quam, hoc, id est illa coniunctio viri & mulieris, magnum est Sacramentum in Christo & Ecclesia, tamquam sacrum signum in rescerrima. Denique si pertinaciter neget Lutherus, in illis Apostoli verbis coniugium vocari Sacramentum, sed tantum Christi copulam cum Ecclesia, saltem non negabit istud, quin illa coniunctio viri & mulieris signum saltem sit sacræ illius coniunctionis qua Christus coniungitur cum Ecclesia, idque ex institutione Dei, quum primi parentes Deo ipso copulante coniuncti sunt, non autem humano ingenio inuentum postea. Istud saltem quod dixi, Lutherus si neget ex Apostoli verbis patere, negabit impudentissimè. Nam hoc in eo loco tam sæpe, tam aperte dicitur, vt qui non id videat, cæcum se fateatur oportet. Igitur si coniugio, quod rem tam sacram significat, constabit etiam conferri gratiam, tunc velit nolit cogetur Lutherus aut coniugium pro Sacramento suscipere, aut omnia prorsus Sacramenta reiicere; quum ipso fatente, signum rei sacræ cum promissione gratiæ faciant Sacramentum. Videamus igitur an aliquo modo liquere possit infundi coniugio gratiam. nam id aperte negat Lutherus. Nusquam, inquit, legitur aliquid gratiæ Dei acceptarum, quisquis vxorem duxerit. Honorabile coniugium, inquit Apostolus, in omnibus, & thorus immaculatus. Thorus macula carere non posset, si coniugium careret gratia. Nec aliunde habet coniugium vt thorum seruet immaculatum, quam quod Deus, cuius prouidæ bonitas, & nec rebus iis quæ naturali feruntur ordine, etiam si non ratione tantum sed etiam sensu careant, quicquam deesse eorum quæ pro cuiusque captu sint necessaria, simili benignitate curauit, vt coniugio gratiam iungeret, qua quisquis eam nollet abiicere, & fidem debitam seruaret coniugi, & ex commixtione carnali, cuius alioqui fœda concupiscentia macularetur, non solum non contraheret labem, sed etiam proueheretur ad gloriam. Coniugium enim non haberet thorum immaculatum, nisi quia gratia quæ infunditur coniugio, verteret illud in bonum, quod alias esset peccatum. Quod ipsum & alibi quoque, quum de mulieris agit officio, Paulus designat apertius. Saluabitur, inquit, per filiorum generationem. At si tollas coniugium, quid aliud fuerit generatio, per quam, vt Apostolus ait, saluabitur in coniugio, quam mors, & æterna damnatio? Nam tolle, inquit beatus Bernardus, de Ecclesia honorabile cõnubium, & thorum im-

Augustin.

Auguſt. de nup. & cõcu. ad Valerium.

Verba Lutheri. ad Heb. 12. In Sacramẽto coniugij infundi gratiam.

Secunda ratio.

1. Tim. 2.

Bernardus

Lutherus ridicule ridet Ecclesiam.

Defensus interpres quod mysterium verterit Sacramentum.

Vide quos appellet Lutherus oscitantes lectores.

maculatum, nonne reples eam concubinariis, inceſtuoſis, feminiſluis mollibus, maſculorum concubitoribus, & omni denique genere immũdorum? Si igitur extra coniugium omnis generatio damnabilis eſt, magna videtur gratia matrimonij, quæ eundẽ actum, ſi naturam reſpicis, ex quo macularetis in pœnam, non ſolum ita purgat vt eluat labem, ſed etiam ſic ſanctificat, vt Apoſtolo teſte reportet præmium. Nec iſtud habet priuilegium gratiæ, niſi virtute ſacramenti ab ipſo Deo in id conſecrati, vt hominiipſius cultori foret & in propagationis officium quum creatus eſt, & in remedium concupiſcentiæ quum reſtitutus eſt. Quanquam ille ipſe coniugalis actus quid eſſet aliud quam concupiſcentia, niſi Deus illum faceret remedium concupiſcentiæ? quem nunc ſancta ſacramenti gratia ſic fecit concupiſcentiæ remedium, vt eos qui gratiæ paternæ ſubſtantiam, quam Deus infundit coniugio, negligenter nolit, vt filius prodigus fecit, effundere, nõ ſolum defendat ne quid aquæ furtiuæ ſitiant è ciſternis alienis, ſed etiam ne ſe inebrient ſuis, & ſobrios hauſtus efficiant tam ſalubres, vt in vitam proficiant æternam. Nam & Apoſtolus in illo etiam loco, vbi quantum potuit, hortabatur ad continentiam & virginitatem, contrariam coniugali generationi virtutem, tamen matrimonium etiã Dei donum fatetur, nimirum ex illis de quib. dicitur, Omne datum optimum, & omne donum perfectum, deſurſum eſt deſcendẽs à patre luminum. Et certe donum Dei, quod ideo datur, vt qui accipit, in eo vitæ ſtatu ſit, in quo ſeruari debeat, ne in eum decidat ſtatum, in quem ſi cadit, pereat: an non habere ſe docet adiunctam præſeruatricem gratiam?

Luce. 20. *1. Cor. 7.* *Iacob. 7.* *Tertia ratio.* *1. Cor. 7.*

Ad hæc quum ita dicat Apoſtolus, Si quis frater vxorem habet infidelem, & hæc conſentit habitare cum illo, non dimittat illam. Et ſi qua mulier fidelis habet virum infidelem, & hic conſentit habitare cum illa, non dimittat virum. Sanctificatus eſt enim vir infidelis per mulierem fidelem, & ſanctificata eſt mulier infidelis per virum fidelem. Alioqui enim filij veſtri immundi eſſent, nunc autem ſancti ſunt. An non his verbis oſtendit Apoſtolus, quod quum integra quædam res ſit coniugium poſtquam alterutra pars ad fidem conuerſa eſt, ſanctitas Sacramenti totum ſignificat coniugium, quod prius totum fuit immundum? At eũ iſtud coniugium plus haberet ſancti, quam prius, quatenus coniugium eſt, niſi propter alterius accedentem fidem accedere coniugio ſacramentalis gratia, quæ ante baptiſmum (qui ſacramentorum omnium ianua eſt) ad infidelium coniugium non potuit ingredi? Sed prætereamus apoſtolum. Conſideremus huius ſacramenti conſecratorem Deum. An non ille quum primos parentes coniungeret, coniugium benedictione ſacrauit? Ait enim ſcriptura: Benedixit illis Deus, ac dixit, Creſcite & multiplicamini. Cuius benedictio quum in reliquis animantibus ad corporis robur pro cuiuſque captu ſit operata, quis dubitet in homine rationis capace vim gratiæ ſpiritalis infudiſſe ſpiritui, niſi quis Deum credat, quum infimis quibuſque beſtiolis fuiſſet tam benignus, vt pro ſua cuique natura largitus ſit affluenter, homini, quem ad ipſius condiciſſet imaginem, tam parce manum in benedictione reſtringeret, vt corporis duntaxat habita ratione, animam, illud vitæ ſpiraculum quod ipſe inſpirauerat, & qua maxime repræſentabatur, tanta benedictione præteriret intactam?

Quarta ratio. *Gene. 2.* *Gene. 1.*

Iterum, quum Chriſtus homo & idem Deus verſatus inter homines, nuptias non ſolum ſua honorauit præſentia, ſed etiã nobilitauit miraculo, an non docuit honorandum eſſe connubium? Quod ego certe non video quid honore dignum habere poſſit abſque gratia. Neque illum puto ad nuptias fuiſſe venturum, niſi vel iam tum haberet aliquid gratiæ coniugium, quod ipſum Chriſto faceret gratum, vel vt coniugio gratiam ipſe conferret. Quin & miraculum quod operabatur, nos admonere video, inſipidam concupiſcentiæ carnalis quam, per occultam Dei gratiam in optimi ſaporis vinum eſſe conuerſam. Sed quid opus eſt in re tam clara tot probamenta conquirere? præſertim quum vel vnus ille locus abunde ſufficiat, quo Chriſtus ait: Quos Deus coniunxit; homo non ſeparet. O verbum admirabile, & quod nemo potuiſſet effari, præter verbum quod caro factum eſt. Quis non putaſſet abunde ſatis eſſe, quod primos homines initium generis coniunxiſſet Deus? Atque id ipſum fuerat in tanta deitatis maieſtate nulli non admiranda benignitas. At nunc veritate

Quinta ratio. *Ioan. 2.* *Eodem.* *Ratio 6.* *Matt. 19.*

referente didicimus, quicumque legitimo coniugio copulantur, eos non temere, neque mortalium duntaxat cæremoniis, ſed ipſo Deo inuiſibiliter adſiſtente, & inſenſibiliter cooperante coniungi. Atque ideo vetitum, ne quos Deus iunxit, vllo ſeparentur ab homine. O verbum non admiratione magis quam gaudio pariter & timore plenum. Quis non lætetur, Deo tantæ curæ eſſe ſuum coniugium, vt non ſolum intereſſe, ſed etiam præeſſe dignetur? Quis non inhorreſcat, dum dubitet quomodo debeat tractare coniugem, quam non ſolum teneatur amare, ſed etiam ſic conuiuere, vt puram & ſine macula poſſit Deo, quo tradente recepit, repoſcenti reddere? Igitur quum Deus, vt dicit ipſe, coniungat omnes, quis ab illo credet coniugio non infundi gratiam? An qui ſemper copulat, ſemel duntaxat benedixit? Cur iungendi reſumit officium, niſi credatur & benedicendi repetere? An ſanctiſſimum illum ſpiritum, quem in ſpiritu & veritate oportet adorare, putandum eſt aſſidue ſubire miniſterium copulandorum coniugum, copulæ tantum cura carnalis? Certe quod ad eam rem attinet, ſufficeret Deo, ſi genus humanum, quẽadmodum cætera animalia, naturæ ab ipſo inditæ, & hominis vitio corruptæ, relinqueret. Sanctius igitur aliquid ſubeſſe oportet vltra carnis propagandæ curam, quod auguſtum illud Dei numen in coniugio peragat. id eſt haud dubie quod antiſtes ſacramentorum omnium coniugibus infundit, in coniugio conſecrando gratiam. Ergo quum tot modis probauimus conferri in coniugio gratiam, coniugium vero ſacræ rei ſignum eſſe patet & ex Apoſtolo, quod ſignum quum gratiam ſicut oſtendimus, adiunctam habeat, figura duntaxat eſſe non poſſit, conſequens eſt, vt inuito Luthero, coniugium Sacramentum ſit, etiam ſi ſacramenti nomen (quod tamen facit) non appellaret Apoſtolus. Sed quis vnquam aũt veterum aut nouorum, niſi quos exploſit eccleſia, matrimonium dubitauit appellare ſacramentum: In quo vno, q̃ Hugo de ſancto Victore cõmemorat, duplex inuenere ſignum, nam & coniugium ipſum ſacramentum eſt illius ſocietatis quæ in ſpiritu eſt inter Deum & animam: officium vero coniugij, ſacramentum eſt illius ſocietatis quæ in carne eſt inter Chriſtum & Eccleſiam. Nam ſi magnum eſt, inquit, quod in carne eſt, multo maius vtique eſt quod in ſpiritu eſt. Et ſi recte per ſcripturam ſanctam Deus ſponſus dicitur, & anima rationalis ſponſa vocatur, aliquid profecto inter Deum & animam eſt, cuius id quod in coniugio inter maſculum & fœminam conſtat, ſacramentum, & imago eſt. Sed forte, vt expreſſius dicam, ipſa ſocietas, & quæ exterius in coniugio, pacto fœderis ſeruatur, ſacramentum eſt, & ipſius ſacramenti res eſt dilectio mutua animorum, quæ ad inuicem ſocietatis & fœderis coniugalis vinculo cuſtoditur. Et hæc rurſus ipſa dilectio, qua maſculus & fœmina in ſanctitate coniugij animis vniuntur, ſacramentum eſt, & ſignum illius dilectionis qua Deus animæ rationali intus per infuſionem gratiæ ſuæ & ſpiritus ſui participationem coniungitur. Hactenus Hugo. Quamobrem quum nõ ſolum publica fides Eccleſiæ tot ante nos ſeculis, ac vetuſti patres ſcripturarum ſcientia & vitæ meritis inſignes, ſed ipſe etiam beatus apoſtolus & doctor gentiũ Paulus, matrimonium habuerint pro ſacramento, quod honorabile faciat connubium, & thorum per gratiam non ſolum ſeruet immaculatum ab adulterio, ſed & abluat immunditiam libidinis, & aquam conuertat in vinum, ſanctãq; procuret voluntatem à licitis nonnunquam abſtinendi complexibus: non video quid cõtra Lutherus poſſit afferre, niſi quod hæretici (vt beatus ait Bernardus) pro libitu quiſque ſuo ſacramenta eccleſiæ tanquam matris viſcera dente vipereo certatim inter ſe dilacerare contendunt.

Repudij ius adempti coniugibus abipſo Chriſto *Ioan. 4.* *Hugo de ſancto Victore.* *Bernardus*

DE SACRAMENTO Ordinis.

IN Sacramento ordinis nullo procedit ordine, ſed hinc atque inde colligens omnes malitiæ ſuæ theſauros effundit, animum oſtendit egregie verſum ad nocendum, ſi reſpondeant vires. proponit multa, atque affirmat peſſima: ſed omnia ſat habens dicere, nihil prorſus vlla ratione confirmat. Qua ex re videre licet inſignem hominis impudentiam, qui quum toti credere non dignetur eccleſiæ, niſi rationem reddenti ſuæ fidei, ſibi vt credatur vni, ſine ratione

Inſignis Lutheri impudẽtia

poſtu-

poſtulet, idque de rebus eiuſmodi, de quibus quid credat, cognoſcere, niſi Eccleſia docente, non poteſt. Et tamen ſic poſtulat ſibi credi, quo modo ſi quis credat, non aliud agat, quam vt totam confundat atque peſſundet Eccleſiam. Nam quid aliud molitur, qui conatur tollere ſacroſanctum Sacramentum ordinis, quam vt poſtquam myſteriorum miniſtri viluerint, incipiant, vtpote quæ etiam per viles miniſtrentur, vileſcere ſacramenta. Quem vnum ſopũ toto petit opuſculo. De ordine igitur, quia nullo procedit ordine, colligemus hinc inde Lutheri dogmata, vt acerum illum malorum lector ſemel habeat ſub oculis, quo conſpecto non erit (opinor) multum inſumendum operæ, vt illum coarguamus, cuius impiam doctrinam videbunt omnes eo recta contendere, vt omnem Chriſti fidem poſſit infidelitate peruertere. Quid enim deſtinat aliud, qui decernit inter laicos & ſacerdotes nullum eſſe diſcrimen ſacerdotij? omnes ex æquo presbyteros eſſe? omnes eandem habere poteſtatem in quocunque ſacramento? Sacerdotibus Sacramentorum miniſterium nõ niſi laicorum conſenſu committi. Sacramentum ordinis nihil aliud eſſe poſſe, quam ritum quendam eligendi concionatoris in Eccleſia. Quicunq; non prædicat, cum non eſſe ſacerdotem, niſi æquiuoce, quemadmodum homo pictus eſt homo. Qui ſacerdos eſt, rurſus fieri poſſe laicum. Characterem enim nihil eſſe. Ordinem deniq; ipſum, qui velut Sacramentum homines clericos ordinat qui prædicare neſciunt, eſſe vere, mere, omninoque figmentum ex hominibus natum, nihil de re Eccleſiaſtica, de Sacerdotio; de miniſterio verbi, de Sacramento intelligentibus. Poſtremo ſanctus iſte ſacerdos (vt quam caſtus ipſe ſit, coniecturam præbeat) tanquam errorem ſummum, & ſummam cæcitatem ponit, & captiuitatem maximam, quod ſibi ſacerdotes indixerint cœlibem caſtitatem. Et quum Chriſtus eos laudet eximie, qui ſe caſtrauerunt ob regnum cœlorum, Antichriſtus iſte ſpurciſſimus eoſdem comparat euiratis olim Cybeles Deæ ſacerdotibus idololatris. Iam dudum, ſcio, aures pij lectoris exhorrent impium hunc dogmatum pernicioſorum catalogum, quorum ferè quo duis magis fœtum eſt hæreſibus, quam fuiſſe fertur equus ille Troianus armatis. Sed omnium veluti quidam fons eſt, quod ordinem negat eſſe ſacramentum: quo obſtructo cæteros neceſſe eſt riuulos exareſcere. Hoc ſacramẽtum, inquit, Eccleſia Chriſti ignorat, inuẽtumque eſt ab Eccleſia papæ. Hæc pauca verba non paruum habent & falſitatis & abſurditatis aceruum. Nam & Eccleſiam papæ diſcernit ab Eccleſia Chriſti, quum papa ſit eiuſdem eccleſiæ pontifex, cuius & Chriſtus. Ait eccleſiã inueniſſe; quod non inuenit, ſed accepit inſtitutum. Ait eccleſiam Chriſti hoc ignorare ſacramentum, quum ſatis cõſtet nullam fere mundi plagam eſſe quæ rite profitetur fidem Chriſti, quin ordinem habeat pro ſacramento. Nam ſi poſſet obſcurum aliquem angulum reperire (quod opinor non poteſt) in quo neſciatur ſacramentum ordinis, tamen angulus ille non eſſet cum reliqua comparandus eccleſia, quæ non Chriſto ſolum ſubeſt, ſed & propter Chriſtum, vnico Chriſti vicario papæ Romano, & ordinem credit eſſe ſacramentum. Alioqui ſi perſtet in eo Lutherus, vt eccleſiam papæ diſcernat ab eccleſia Chriſti, & apud alteram dicat ordinem haberi pro ſacramento, non haberi apud alteram, proferat illam eccleſiam Chriſti, quæ contra fidem papalis (vt vocat) eccleſiæ, ignorat ſacramentum ordinis. Interim certe perſpicuum eſt, quum dicat hoc ſacramentum ignorari ab eccleſia Chriſti, & de Chriſti Eccleſia dicat eos quibus præſidet papa, non eſſe, vtraque ratione ab eccleſia Chriſti eum ſegregare non Romam tantum, ſed Italiam totam, Germaniam, Hiſpanias, Gallias, Britannias, reliquaſque gentes omnes, quæcunque Romano pontifici parent, aut ordinem pro Sacramento recipiunt. Quos populos omnes quum de Chriſti tollat eccleſia, neceſſe eſt vt aut eccleſiam Chriſti fateatur eſſe nuſquam, aut more Donatiſtarum eccleſiam Chriſti catholicam ad duos aut tres hæreticos redigat de Chriſto ſuſurrantes in angulo.

Machina Lutheri de prehenſa. *Obſerua quo tendat Lutherus.* *Lutheri noua dogmata.* *Sacerdotũ cœlibatum damnat Lutherus.* *Matt. 19.* *Lutheri verba, ſed vide quam abſurda.* *Luthero alia eſt papalis eccleſia, alia Chriſti.* *Lutheri eccleſia, ea quæ dicitur maligñantium.* *Lutheri verba.*

Sed velut ineuitabile telum promit, quod hoc ſacramentum nullam habeat promiſſionem gratiæ vllibi, vt inquit, poſitam, cuius ſacramenti vel verbo meminiſſe negat totum nouum teſtamentum, & ridiculum ait afferere pro ſacramento Dei, quod à Deo inſtitutum nuſquam poteſt monſtrari: nec licet, inquit, aſtruere aliquid diuinitus ordinatum, quod diuinitus ordinatum non eſt, ſed conandum eſt, vt omnia nobis claris, inquit, ſcripturis ſint firmata. Vtrum in nouo teſtamento nulla prorſus fiat huius ſacramẽti mẽtio, poſt excutiemus. Interim ſic agam cum illo, tanquam nulla prorſus mentio fieret. Nã eodem telo ſperat omnia ferme ſacramẽta perfodere. Aduerſus quod telum ego *in ſcutum mihi idipſum ferrum* coniiciam, quod Lutherus ipſe fatetur impenetrabile. Sic enim ſe habent ipſius verba: Hoc ſane habet Eccleſia, quod poteſt diſcernere verbum Dei à verbis hominum, ſic Auguſtinus confitetur ſe Euangelio credidiſſe, motum auctoritate eccleſiæ, quæ hoc eſſe Euangelium prædicabat. Igitur quum iſtud habeat (vt Lutherus) eccleſia, quod verbum Dei diſcernere poteſt à verbis hominum: certum eſt iſtud non aliunde haberi quam à Deo, nec ob aliam cauſam, quam ne in his erraret eccleſia, in quibus non erratum eſſe oporteat. Sequitur igitur ex hoc fundamento, quod nobis ſubſtrauit Lutherus, vt eccleſia habeat à Deo non id ſolum quod cõcedit Lutherus, diſcretionem verborum Dei à verbis hominum, ſed etiam diſcernẽdi facultatem, qua in ſcripturis diuinis diuinum ſenſum ab humano diſcriminet. Alioqui enim quid profuerit ſi eccleſia (Deo docente) ſcripturam veram diſcernat à falſa, & in ſcriptura vera falſum ſenſum non diſcernat à vero? Deniq; eadem ratione & iſtud ſequitur, vt & in his quæ non ſcribuntur, eccleſiam ſuam doceat Deus, ne per errorem poſſit falſa pro veris amplecti, quum ex ea re non minus impendeat periculi, quam ſi vel ſcripturas hominum teneat pro verbis Dei, vel è veris Dei verbis falſum eliciat ſenſum, præſertim ſi falſa ſuſcipiat Sacramenta pro veris, & traditiones hominum, pro traditionibus Dei: immo non traditiones hominum, ſed figmenta diaboli, ſi ſuam ſpem in fictis ac vanis corporalium rerum ſignis, (quemadmodum magi faciunt) Eccleſia Chriſti velut in Chriſti ſacramentis collocet. Liquet ergo manifeſte ex eo quod fatetur Lutherus eccleſiam hoc habere, vt verba Dei diſcernat à verbis hominum, hoc quoque non minus habere, vt traditiones Dei diſcernat à traditionibus hominum: quum alioqui vtrobique poſſit ex æquo vitandus error exoriri, nec id agat Chriſtus, ne eccleſia ſua hoc aut illo erret modo, ſed ne erret vllo. Errare vero maiore cum iniuria Chriſti non poſſit, quam ſi fiduciam in illo ponendam ſolo, ponat in ſignis nulla prorſus fultis gratia, ſed omni bono fidei vacuis atque inanibus. Non igitur errare poteſt Eccleſia in ſuſcipiendis ſacramentis fidei, non magis inquam, quam errare poteſt in ſuſcipiendis (quain re eccleſiam errare *non poſſe* fatetur Lutherus ipſe) ſcripturis. Quæres ſi ſe haberet aliter, multa ſequerentur abſurda: ſed hoc in primis, quo nihil eſſe poteſt abſurdius, quod pleraq; omnia fidei Chriſtianæ dogmata, tot ſtabilita ſeculis, ad ſuccreſcentium hæreticorum libidinem denuo reuocarenturin dubium. Nam ſi nihil haberi pro certo debet, niſi quod ſcripturis & iiſdem (vt Lutherus ait) claris firmatum eſt: non ſolum non aſſeremus diuæ Mariæ virginitatem perpetuam, ſed & inexhauſta ſuggeretur fidei oppugnandæ materia, ſicui vnquam libeat aut noua excitare ſectas, aut reſuſcitare ſepultas. Nam pauciſſimi fuerunt hæretici, qui non receperint ſcripturas, ſed omnes fere ex eo ſua ſtatuebant dogmata, quod aut ea contenderent eſſe firmata ſcripturis, aut quum illis viderentur rationi conſentanea, cõtrarium non definiri ſcripturis: quoniam ea quæ proponebantur aduerſus ſuam ſectam, aliter contendebant intelligi, quam orthodoxa intelligebat eccleſia. & ne clara dici poſſent, aut alio excogitato ſenſu, aut prolatis aliunde ex eadem ſcriptura locis in ſpeciem valde contrariis, omnia ſic turbarunt, vt viderentur ambigua. Itaque aduerſus Arrium niſi publica ſtetiſſet fides eccleſiæ, haud ſcio an defuiſſet vnquam de ſcripturis diſputandi materia. Nunc quoniam ex ipſius Lutheri fundamento probauimus, ſacramenta quę credit eccleſia, non aliunde quam à Deo potuiſſe conſtitui, etiam ſi nihil inde prorſus in ſcriptura legeretur, videamus an ſcriptura tam nullam omnino mentionem faciat huius ſacramenti. Omnes vna voce fatẽtur, apoſtolos in cœna domini ordinatos in ſacerdotes: ſolus iſtud Lutherus negat, quum plane conſtet illic datã poteſtatem cõficiendi corporis Chriſti, quod ſolus conficere ſacerdos poteſt. At non eſt, inquit ille, ſacramentum, quia non fuit illis vlla promiſſa. Vnde id nouit Lutherus? Quia nõ legitur, inquit. Familiaris eſt iſta Luthero conſequentia, Non eſt in Euangelio ſcriptum, ergo nõ eſt à Chriſto factum. Quã colligendi formam infirmat Euangeliſta, quum dicit: Multa

Lutheri verba. Auguſtin. *Pleroſq; omnes hæreticos ſcripturis nixi.* *Ioan. 21.*

sunt facta, quæ non sunt scripta in libro hoc. Sed tangemus tamen Lutherum aliquanto propius. Eucharistiam concedit esse sacramentum, quod nisi fatetur, insaniret. At vbi reperit in scriptura promissam in illo sacramento gratiam? Nam ille nihil recipit nisi scripturas, & easdem claras. Legatur locus de cœna dominica, non reperiet apud vllum Euangelistarum in susceptione sacramenti promissam gratiam. Legitur à Christo dictum, Hic est sanguis meus noui testamenti, qui pro multis effundetur in remissionem peccatorum quib. verbis significauit semet in cruce per passionẽ redempturum genus humanum: sed quum dixit ante, Hoc facite in meã cõmemorationem: nullam hoc facienti, id est sacerdoti consecranti, aut Eucharistiam recipienti, gratiam ibi promittit, nullam peccatorum remissionem. At nec apostolus in epistola ad Corinthios, quum interminetur male manducantibus iudicium, vllam mentionem facit de gratia bene manducantium. Quod si quid ex capite sexto Ioannis gratiam promittat suscipienti sacramentum carnis & sanguinis domini, ne id quidem quicquam iuuare Lutherum potest, quippe qui totum illud caput negat ad Eucharistiam quicquam pertinere. Videtis ergo, vt istam promissionem gratiæ, quam pro totius sacramenti fundamẽto magnificè nobis in toto promisit opere, non potest in eo tueri sacramento, quod fere solum reliquit, nisi (quod necesse habet) præter scripturæ verba recurrat ad ecclesiæ fidem. Igitur quemadmodum satis est nobis quod in Euangelio legimus, conficiendi sacramenti potestatẽ commissam iis in quorum locum succedunt sacerdotes: ita satis est quod ab apostolo legimus cõsilium datum Timothæo, vt nemini cito manum imponeret. quæ loca plane significant ordinationem sacerdotum, non cõsensu communitatis fieri, quo solo interueniente fieri sacerdotẽ posse Lutherus ait, sed sola ordinatione Episcopi, idq; certa impositione manuum, in qua per exterius signum Deus infunderet interiorẽ gratiã: de qua gratia quid obstat quo minus credamus ecclesiæ Dei viuiq; quæ est (vt ait apostolus) columna & firmamẽtum veritatis, quando eidem ecclesiæ necesse est ipse credat Lutherus de gratia promissa in sacramento Eucharistiæ. Nam in hac fide cognoscitur aut illius gratiæ promissio, aut certe sine promissione donatio.

Demiror profecto tam vecordem esse quenquã, vt dubitet an sacerdotib. Euangelicis in ordine conferatur gratia, quum passim legantur plurima quæ significare videntur etiã veteris legis sacerdotib. gratiam esse collatã. Nam Aaron, inquit Deus, & filios eius vnges, & sanctificabis eos, vt sacerdotio fungãtur mihi. Alioqui enim quid profuisset exterior sanctificatio in cultum Dei, nisi Deus pariter infudisset gratiã, qua sanctificarentur interius; atq; id quoq; per Christum, cuius venturi fides, robur & vim potuit indidisse sacramentis præcedentibus, sicut capacem fecit populum Iudaicum consequendæ aliquãdo salutis æternæ. Verum si quis id non admittat, veteris legis sacerdotio collatam gratiam, certe nõ est cur grauetur tamen admittere sacerdotibus Euangelicæ legis infundi, quia iam per Christi passionem venit plenitudo gratiæ.

In actis Apostolorum, quum Barnabas & Paulus segregarentur in opus in quod eos spiritus sanctus accersiuit, nõ ante dimissi sunt, quam impositis manibus ordinati sunt. At cur obsecro manus eis imposuerunt apostoli? an vt corpus inani tactu pulsarent, nulla spirituali gratia prodessent animæ? Quomodo potest ergo Lutherus hoc sacramentum dicere ecclesiæ Christi esse incognitum, quo nulla natio Christiana non vtitur? Quomodo potest appellare nouum, quod instituit Christus? quod in vsu habebant Apostoli? At nunquã (inquit) appellatum est sacramentum apud veteres doctores vsquam, excepto Dionysio. Nihil enim prorsus in reliquis patribus de istis sacramentis legimus (inquit) nec sacramenti nomine censuerunt, quoties de his rebus locuti sunt. Recens enim est inuentio sacramentorum. Egregia sane ratio est ista Lutheri, quæ & manifeste falsa est: & si forte vera, nihil tamen efficeret. Nam si veteres de re fortassis olim non controuersa nihil scripsissent omnino, aut si quum scriberent aliquid, rem proprio tamen, non communi sacramentorum nomine designassent, non necessario colligeretur ex eo, aut ordinem non fuisse prorsus, aut non fuisse sacramentum. Nam si quis baptismum vocet baptismum, nec addat sacramentum, dicetur ideo non habuisse baptismum pro sacramento? Præterea si solus ex antiquis patribus Dionysius Ordinem scriberet esse sacramentum, vel satis esset ad euertendam Lutheri obiectionem, qua videri vult inuentionem sacramentorum nouam esse. repugnat enim esse nouum, quod ab illo fatetur scriptis comprehẽsum, quem fateturantiquam. Atque istud quidem verum esset, etiam si talis esset sacer Dionysius, qualem eum depingit sacrilegus Lutherus, qui ferme nihil in eo dicit esse solidæ eruditionis, nihil eorum quæ scribit, aut authoritate quicquam, aut ratione probari, sed omnia esse illius meditata, ac prope somniis simillima, quæcunque in cœlesti scribit Hierarchia. In theologia mystica, quam sic inflant (inquit) ignorantissimi quidam theologistæ, est (inquit) etiam pernicios issimus, plus Platonizans, quam Christianizans. In qua, inquit, Christum adeo non discES, vt etiam si scias, amittas. Expertus (inquit) loquor, hoc est (vt opinor) expertus est ibi se Christum perdidisse. Demum in ecclesiastica Hierarchia quid facit, inquit, nisi quod ritus quosdam ecclesiastico's describit, ludens allegoriis: Denique vt ostenderet in re quam leui diuus Dionysius luderet operam, An mihi putas, inquit, difficile esse, in qualibet re creata allegoriis ludere? Mihi non fuerit operosum meliorem Hierarchiam scribere, quam Dionysij sit. Quis patienter ferat in viri sancti pios labores sic debacchantem rabulam, quæ vere meritoque in sui similem debaccharetur hæreticum? Nam & indoctum vocat, & ludicrum, & scribentem non tantum somnia, sed etiam pernicios a, & Christum destruentia dogmata. Quæ tamen omnia conuicia sancto viro cedunt in gloriam, cuius opera omnia vel hoc abunde demonstrat esse bona, quod viro malo displiceant. Nam quæ consortia luci cum tenebris, Christo cum Belial? At quod è piis viri sancti libellis nihil pietatis hausit, impium ipsius caput erat in causa, quando quidem vere scribit Horatius: Syncerum est nisi vas, quodcunque infundis, acescit. Nam quod ait sibi non operosum esse meliorem Hierarchiam scribere, quam fuerit illa Dionysij: postquam scripserit, tum istud iactitet. Interea vero rem aggreditur multo magis operosam, Hierarchiam alteram, quæ supra firmam fundata est petram, demoliri.

Longius aliquanto nos auexit indignatio, qua moleste ferimus, in virum sanctum ab impio euomita tam contumelios a conuicia. Verum, vt cœpi dicere, etiam si solus Dionysius docuisset ordinem esse sacramentum, sufficisset illud ad reuincendum Lutherum, asserentem nostam esse inuentionem Sacramentorum, quum Dionysium non solum Lutherus fateatur antiquum, sed & totus orbis Christianus veneretur vt sanctum. Cui quod Lutherus irascitur, non aliud facit, quam sola malitia, qua nihil ferre potest, quod impiis ipsius hæresibus aduersatur. At nunc vt plane liqueat quam vanus vndique sit Lutherus, ostendam non solum Dionysium, sed etiam Gregorium, & quem sibi patronum Lutherus mentitur Augustinum, ordinem habuisse pro sacramento. Præterea characterem (quem Lutherus irridet) indelebilem, etiam si non vocetur nomine, re tamen aperte describi & ab Hieronymo in sacramento baptismatis, & rationem eius haberi ab Augustino in vtroque sacramento, tam baptismi, quam ordinis. Incipiam igitur à Hieronymo de charactere baptismatis, vt appareat manifestius character ordinis, quem & Augustinus & Gregorius ob indelebilem characterem cum baptismo comparant. Igitur super illa Pauli verba ad Ephesios, Nolite contristare Spiritũ sanctum Dei, in quo signati estis in die redemptionis, Hieronymus in hunc scribit modum: Signati autem sumus spiritu Dei sancto, vt & spiritus noster, & anima imprimatur signaculo Dei, & illam recipiamus imaginem & similitudinem, ad quam in exordio conditi sumus. Hoc signaculum sancti spiritus, iuxta eloquium saluatoris, Deo imprimente signatur. Hunc enim ait, signauit pater Deus. Et paulo post, Idcirco signatur, inquit, vt seruet signaculum, & ostendat illud in die redemptionis purum atque syncerum, & nulla ex parte mutilatum, & ob id remunerari valeat cum iis qui redempti sunt. Quicunque scripsere de sacramentorum charactere, nullis vnquam verbis apertius expressere characterem (quem animæ per sacramenta imprimit Deus) quam verbis his beatus expressit Hieronymus, non humano figmento (vt Lutherus fingit, sacramentorum execrandus irrisor) sed solidis scripturæ sacræ testimoniis. Character enim illa qualitas animæ, quam Deus sibi notam, nobis incogitabilem, impri-

Sacrilegi Lutheri contumelia in sacrum Dionysium.

Ad Lutherum (si Luthero credat) nihil est diuus Dionysius.

Horatius.

Ephe. 4.

Hieronymus pro charactere

Character quid sit.

Exod. 28.

Lutherum cur irascatur Dionysio.

Matt. 26.

1. Cor. 11.

1. Timo. 5.

1. Tim. 3.

Actor. 13. In sacramento ordinis conferri gratiam.

Confutatur ratio Lutheri.

imprimit in signaculum quo suum gregem discernit ab alienis. quod signaculum etiam si vitiis maculent, & è candido reddant atrum, ex integro mutilum, è purissimo reddant impurum, nunquam tamen ita poterunt eradere, quin illo characteris impressi signaculo, in cuius gregem signati sunt, orbi toti maneant in iudicii die cognobiles. Nec alia ratione tam constanter obseruat Ecclesia, vt quum alia Sacramenta toties iteret, (quod in Eucharistiæ sumptione facit ac pœnitentia, coniugio, & vnctione languentium) Baptisma, confirmationem, atque ordinem nunquam iterari permittat. In ijs enim Sacramentis, sancto docente spiritu, didicit Ecclesia characteris conferri signaculum: quod quum deleri non possit, iterari non debeat. Sed vt manifeste pateat, ordini hac in parte parem esse cum Baptismo conditionem, audiamus quid ait Gregorius. Quod dicitis (inquit) vt qui ordinatus est, iterum ordinetur, valde ridiculum est. Vt enim baptizatus semel, iterum baptizari non debet: ita qui consecratus est semel, in eodem ordine non valet iterum consecrari. Videtis vt ordinis Sacramentum non magis iterari patiatur Ecclesia, quam Sacramentum baptismatis. quæ res, vt dixi, pendet ab indelebili to characterе. Qua de re vt os obstruamus Luthero, ne rursus obganniat figmentum esse characterem, & solum ex antiquis Dionysium, ordinem vocasse Sacramentum: subiungemus, vt polliciti sumus, hac de re etiam Diui Augustini sententiam. Is igitur quum de Baptismo & ordine differit, in hunc modum scribit: Vtrunque enim Sacramentum est, & quadam consecratione vtrunq; homini datur: illud quum baptizatur, & istud quum ordinatur. Ideo non licet in Ecclesia catholica vtrunq; iterari. Nam si quando ex hæreticorum parte venientes etiam præpositi, pro bono pacis, correcto schismatis errore susceperit sunt, etsi visum est opus esse, vt eadem officia gererent, quæ gerebant, non sunt rursus ordinandi, sed sicut Baptismus in eis, ita manserit ordinatio integra, quia in præcisione fuerat vitium, non in Sacramentis, quæ vbicunq; sunt, ipsa sunt. Et paulo post: Neutri Sacramento facienda est iniuria. Et addit de Sacramento ordinis, Sicut non recte habet, qui ab vnitate recedit, sed tamen habet: sic etiam non recte dat, qui ab vnitate recedit, & tamen dat. Et rursus ad vtrunque reuersus adiecit: Non ergo ideo non sunt Sacramenta Christi & Ecclesiæ, quia eis illicite vtuntur non modo hæretici, sed etiam omnes impii: sed illi corrigendi sunt, & puniendi, illa autem sunt agnoscenda & veneranda. Videtis nunc quam verum sit illud quod Lutherus tanta iactauit audacia, Sacramentum ordinis Ecclesiam Christi nescire, Characterem inane figmentum esse, Sacramẽtorum inuentionem nouam esse, Ordinem veteribus non habitum pro Sacramento. Quorum omnium nihil dixit, quod non videtis eorum testimonio reprobatum, quos neq; de Christi Ecclesia potest eximere (vtpote quam illi & doctrina fidei, & exemplo virtutis illustrarunt) neq; inter nouos numerare, nisi talis sit, vt ei mille sint anni tanquam dies vnus. Sed ille tamẽ aduersus omnes omnium rationes, authoritatem, fidem, vno se tuetur argumento: Omnes, inquit, sumus Sacerdotes, secundum illud Petri, Vos estis regale sacerdotium, & sacerdotale regnum. Sed alius alio non potest magis esse Sacerdos, quẽadmodum alius alio non potest magis esse homo. Igitur Sacerdotes qui vocantur, nihil sunt aliud, quam laici quidam solo vel consensu populi, vel Episcopi vocatione non absque populo delecti ad concionandum: & ordo nihil est aliud, quam merum sine Sacramento ministerium. Recensuimus eius argumentum non solum fideliter, sed etiam liberaliter adiicientes quod fulciat: & tamen cui non excutiat risum, tam hebes Theologantis argutia? Nam si ideo nihil est ordo Sacerdotii, quia quilibet Christianus est Sacerdos: eadem ratione sequetur, vt nihil supra Saul habuerit Christus. Nam & de Saul dixit Dauid: Peccaui tangens Christum Domini. Nihil habuerit Christus supra quenquam eorum de quibus dictum est: Nolite tangere Christos meos. Nihil deniq; supra quenquam Deus, eorum omnium de quibus per prophetam dixit ipse: Ego dixi, dii estis, & filii excelsi omnes. Postremo, qua ratione Christiani omnes sacerdotes sunt, eadem etiam ratione reges sunt. Non n. solum dicitur, Vos estis regale sacerdotium, sed etiam Sacerdotale regnum. Sedulo considerandum est, serpens iste quid destinet: quem ego certe callidiorem puto, quam vt vllius esse momenti putet tam friuolum argumẽtum, sed qui tantũ ideo lambit, vt mordeat. laicos ideo tollit in sacerdotium, vt sacerdotes redigat in classem laicorum. Nam Sacramẽtum esse negat, & ritum tantum esse dicit eligendi concionatoris. Nam qui non concionantur, nihil minus ait esse quam Sacerdotes, nec aliter Sacerdotes esse, quam homo pictus est homo, contra Paulum Apostolum, qui ad Timotheum scribens ait: Qui bene præsunt presbyteri, duplici honore digni sunt, maxime qui laborant in verbo & doctrina. Apostolus hoc manifeste docet, quanquam ij præcipue duplici honore digni sunt, qui quum presbyteri sint, laborant in verbo & doctrina: tamen & qui hoc non faciunt, non solum esse presbyteros, sed bene præesse posse, & duplicem quoque honorem permereri: alioqui non dixisset, maxime qui laborant in verbo & doctrina, sed solum ij qui laborant in verbo & doctrina. Præterea ne possit dicere Lutherus, id quod dicit, officium Sacerdotis erga populum nihil esse nisi prædicare, nam missas, inquit, canere, nihil est aliud, quam communicare seipsum: hoc inquam vt appareat quam falsum sit, rursus audiamus Apostolum. Omnis, inquit, Pontifex ex hominibus assumptus, pro hominibus constituitur in ijs quæ sunt ad Deum, vt offerat dona & sacrificia pro peccatis. An non Apostolus aperte declarat, etiam Pontificis officium istud poscere, vt pro hominibus offerat sacrificium Deo? quod cum scribat, quanquã Hebræis, tamen Christianis, quos nolit iudaizare, clarum est loqui de Pontifice legis vtriusque: atq; ideo bis Lutherum suo premere testimonio. Nam & Missam docet esse sacrificium, & offerri pro populo, quum Ecclesia nullum offerat aliud: & docet offerendi officium præcipuam partẽ esse muneris Pontificii. Et certe, nisi falsum esset quod dicit Lutherus, facile videtis consequi, vt quum nemo nisi Sacerdos possit consecrare corpus Domini, si è tot Sacerdotum millibus, qui concionari nesciunt, nullus vere Sacerdos est, sed tantum vocatur æquiuoce, quemadmodum homo pictus vocatur homo: totus Christianus orbis Deum populumque fere me non habet alium, quam idololatras, panem pro Christo colentes, & genua sua curuantes ante Baal.

In eligendi (vt vocat) ritu, præcipuum ius tribuit populo. Nam licet vno loco tribuere videatur Episcopo aut populo ius promiscuum, quum dicit quod quanquam certum sit omnes Christianos æqualiter esse Sacerdotes, & eandem in verbo & sacramento quocunque habere potestatem, non licere tamen quenquam hac ipsa vti, nisi consensu communitatis, aut vocatione maioris: alio tamen loco superiores partes tribuit populo, quum de Sacerdotibus dicit: Qui si cogerentur admittere nos omnes æqualiter esse Sacerdotes, quotquot baptizati sumus, sicut reuera sumus, illisque solum ministerium, nostro tamen consensu permissum, scirent simul nullum eis esse super nos ius imperii, nisi quantum nos sponte nostra admitteremus.

Quæ duo loca si conferantur, ostendunt hoc sentire Lutherum, vt populus absque Episcopo possit ordinare Sacerdotem, Episcopus sine populi consensu non possit, quum dicit Sacerdotibus solum ministerium, nec id tamen nisi populi consensu permissum. Nam si hoc verum est, Sacerdos fieri nisi populi consensu non potest, cuius consensu solo dicit olim præfectos Ecclesiis Episcopos. Negari non potest (inquit) Ecclesias olim à senioribus fuisse rectas absq; istis ordinationibus & consecrationibus, propter ætatem & longum rerum vsum in hoc electis. Lutherus vbi ista reperit, ostendat ipse: mihi interim vera non videntur. Nam si laicus quisque æqualem habet potestatem cum Sacerdote in quocunq; Sacramento, & ordo Sacerdotii nihil est, cur ita scribit Apostolus Timotheo: Noli negligere gratiam quæ est in te, quæ data est tibi per prophetiam cum impositione manuum presbyterii? Et alibi ad eundem: Admoneo te, vt resuscites gratiam Dei quæ in te est per impositionẽ manuum mearum. Iterum: Nemini, inquit, cito manus imposueris, neq; communices peccatis alienis. Deniq; hunc in modum Apostolus scribit ad Titum: Huius rei gratia reliquit te Cretæ, vt ea quæ desunt, corrigas, & constituas per ciuitates presbyteros, sicut & ego disposui tibi. Habes nunc lector, semel sub oculis Apostoli pauca loca, & non multa verba, quibus inter se collatis, facile potes deprehendere falsa fictaque esse omnia quibus tam inordinate Lutherus debacchatur in ordinẽ. Nam quos dicit populi consensu fieri, Paulus ostendit fieri ab Episcopo, quem

In quibus sacramentis imprimatur character.

Gregorius.

Augustinus.

Non esse iterandum ordinis sacramentum.

Lutheri verba.

1. Petri 2.

Lutherani Sacerdotes laici.

Plumbea Lutheri ratio.

1. Reg. 24.

Psal. 100. Nemo Luthero rex, quia illi omnes sunt reges.

Lut. verba.

1. Timo. 5.

Lut. verba.

Ad Heb. 5.

Lut. verba. Sacramentum ordinis prophanat Lutherus.

1. ad Ti. 4. Aduersus Lutherum Paulus.

Ad Tit. 2.

Sacerdotes non nisi ab Episcopis fieri.
In Sacramento Ordinis conferri gratiam.
Quantum delirauit Lutherus.

in hoc ait se reliquisse Cretæ, vt oppidatim presbyteros constitueret, nec tamen temere, sed sicut ipse præsens disposuerat. Vides impositis manibus fieri Sacerdotem. Et ne dubitari possit simul conferri gratiam, vides illam manuum impositione collatam. Resuscita, inquit, gratiam quæ data est tibi per impositionem manuum mearum. Et illud quoque: Noli negligere gratiam quę in te est, quæ data est tibi per prophetiam, cum impositione manuum presbyterii. In his te exerce. Miror igitur non pudere Lutherum, quum negat Sacramentum Ordinis, haud ignarus in manibus omnium versari verba Pauli, quæ doceant non nisi à Sacerdote fieri Sacerdotem, nec sine consecratione fieri: in qua & signum adhibeatur corporeum, & tantum spiritalis infundatur gratiæ; vt is qui consecratur, non solum accipiat ipse Spiritum sanctum, sed etiam potestatem conferendi aliis. Nouum vero qui potest esse, quanquam id Lutherus ait, de quo scribit Apostolus? Quomodo ignoratum Ecclesiæ, quod in omnibus Christi legitur & nunquam non legebatur Ecclesiis? Quibus ex rebus manifestum est, è tam multis quæ tanta cum confidentia pro compertissimis Lutherus eblaterauit in ordinem, ne vnam quidem syllabam fuisse veram, sed per malitiam ficta falsaque omnia.

DE SACRAMENTO EXTREMÆ VNCTIONIS.

IN Sacramento extremæ vnctionis Lutherus bis ipse ridendus, bis irridet Ecclesiam. Primum, quod Theologi, vt ait, hanc vnctionem appellent Sacramentum: quasi soli hoc dicant ij quos ille vocat Theologos. Deinde, quod appellent extremam. Et quod ad secundum pertinet, obiicit sibi tanquam ioco, quod nunquam soluet serio. Nam & ideo quoque vere dici potest extrema, quod extrema sit è quatuor. Postea, vt doceat non esse Sacramentum, obiicit sibi primum id, quod neminem videt non obiecturum, Apostoli Iacobi verba: Si infirmatur quis in vobis, inducat presbyteros Ecclesiæ, & orent super eum, vngentes oleo in nomine Domini: & oratio fidei saluabit infirmum, & alleuiabit eum Dominus: & si in peccatis sit, remittentur ei. *(Iaco. 5.)* Hæc verba, quæ ex ipsius etiam finitione apertissime declarant hanc vnctionem Sacramentum esse, quæ neque signo careat visibili, nec promissione gratiæ, protinus incipit Phormiana confidentia, tanquam nihil haberent vigoris, eludere. *(Lutherus.)* Ego autem dico (inquit) si vspiã deliratũ est, hoc loco pcipue deliratũ est. *(Author.)* At ego cõtra non verebor dicere, ꝙ si vspiã delirat Lutherus, qui fere delirat vbiq;, hic in sacramẽto vnctionis extremæ ad extremam vsque delirat amentiam. *(Lutherus.)* Omitto, inquit, quod hanc epistolam non esse apostoli Iacobi, nec apostolico spiritu dignam, multi valde probabiliter asserant, licet consuetudine authoritatem, cuiuscunque sit, obtinuerit. Tamen, inquit, si esset Apostoli Iacobi, dicerem non licere Apostolum sua authoritate Sacramentum instituere; id est diuinam promissionem cum adiuncto signo dare. hoc ad Christum solum pertinebat. Sic Paulus sese accepisse à Domino dicit Sacramentum Eucharistiæ, & missum non vt baptizet, sed vt Euangelizet. Nusquam autem legitur in Euangelio vnctionis istius extremæ Sacramentum.

His verbis videtis vt Apostoli verba duobus modis eneruare conatur. Primum, quod Epistola non sit Apostoli, deinde quod etiam si sit Apostoli, tamen Apostolus authoritatem non habeat instituendi Sacramenta. Hęc duo quanquam proponat paucis, ac statim ad alia transiliat, tamen præcipua tela sunt quibus instituit hoc Sacramentum perimere. Nam cœtera quæ dicit omnia, nugamenta sunt, ridendi occasionem captantia, tanquam Ecclesia non recte Sacramentum obseruet. Sed hæc duo vnum tangunt: Nam si Epistola non Apostoli sit, nec Apostolico Spiritu digna, aut si Apostolo tradente vnctionem hanc pro Sacramento, tamen nihilo magis probetur Sacramentum, consequeretur omnino, vt hæc verba nihil efficerent. Si dixisset olim fuisse dubitatum cuius illa fuerit Epistola, dixisset vere. neq; enim temere quicquam recepit Ecclesia, omnia diligenter excussit: idq; ipsum facit, vt certiora deberent haberi omnia quæ receperit, etiam si duntaxat humana prudentia regeretur Ecclesia. Verum quũ dicat multos asserere hanc Epistolam non solum non esse Apostoli, sed esse præterea indignam Apostolico Spiritu, atque istud non asserere solum, sed asserere etiam probabiliter: probabile est illum istud probare non posse. Alioqui proferat è multis aliquos, qui si ex Ecclesia sunt, neq; tam multi sunt opinor, neq; tam magni, vt pondus obtinere mereantur aduersus reliquos omnes. Adhuc produxit nullum. Ego producam vnum, qui sufficere debet aduersus multos, beatum Hieronymum, quo neq; doctior quisquam fuit in Scripturis sacris, neque qui veras ac germanas exactiore censura distinxit à dubiis.

Iacobi Epistola asseritur authore Hieronymo.

Is igitur quum aliquandiu de Epistola Pauli dubitasset, sed tunc dubitasset, quum res adhuc non esset tam pleno Ecclesiæ consensu firmata, Iacobi tamen quæ vocatur Epistola, ipsius esse sine vlla dubitatione pronunciat. Nam hunc in modum scribit: Iacobus, Petrus, Iudas, & Ioannes, septem Epistolas ediderunt, tam mysticas, quam succinctas, & breues pariter & longas: breues in verbis, lõgas in sententiis: vt rarus sit, qui nõ in earum cæcutiat lectione. Idem in prologo in septẽ Epistolas canonicas, sic ait: Est n. prima earum vna Iacobi, duæ Petri, tres Ioannis, vna Iudæ. Videtis vt beatus Hieronymus idem iudicium de Iacobi profert Epistola, quod de Petri, nec putat indignam Apostolico Spiritu.

Iacobi Epistolam Luthero non esse dignã spiritu Apostolico. Lutherus suo ipsius perfossus.

Certe si rationes attulisset Lutherus, quare Epistola non esset Iacobi, sed tamen alterius cuiuspiam, qui eodẽ loqueretur Spiritu, potuisset vtcumq; ferri. Nũc vero dicit esse probabile, ideo non esse, quod sit indigna Spiritu Apostolico. Qua in re non alium obiiciam Luthero, quam Lutherum ipsum. neque enim Luthero quisquam aut sæpius ferme contradicit, aut validius, quam Lutherus. Is igitur in Sacramento Ordinis ait Ecclesiam hoc habere datum, vt possit discernere verba Dei à verbis hominum. Quomodo ergo nunc dicit Epistolam Apostolico Spiritu indignam esse, quam Ecclesia cuius iudiciũ, vt ait, hac in re falli non potest, Apostolico spiritu iudicauit plenam? Quamobrem nunc ita se sua sapientia constrinxit vndique, vt aut necessario comprobet Epistolam esse Apostoli, cuius contrarium dixit esse probabile: aut dicat Ecclesiam in Scriptura Sacra posse diiudicanda falli, quod eam posse negauerat. Quod si dicat velut Apostolico dignum Spiritu comprobasse quod Apostolico Spiritu sit indignum, blasphemus est in Ecclesiam. Si fatetur Apostolum scripsisse quod Apostolo sit indignum, blasphemus est in Apostolum.

Satis igitur illud confutauimus, immo semet satis confutauit ipse, quod epistolam negauit aut esse Apostoli, aut dignã Apostolico spiritu. Veniamus nunc ad id, in quo, vt fortem virum decet, aperte oppugnat Apostolum, dicens, etiam si sit Apostoli Iacobi, tamen non licere Apostolo sua authoritate Sacramentum instituere; id est diuinam promissionem cum adiuncto signo dare. Hoc enim pertinet (inquit) ad solum Christum. O nostri seculi magnam fœlicitatem, quo nouus iste gentium doctor exortus est Lutherus, qui hoc sibi arrogans, tanquam Pauli sequeretur exemplum, in faciem resistat Apostolo, quod non recta via ingrediatur ad Euangeliũ Christi, sed (quod plus est quam si gentes doceat iudaizare) arroget sibi facultatem promittendi gratiam, & Sacramenta condendi, hoc est quod vsurpet sibi potestatem Christi, ad modum superbientis & præuaricantis Angeli, qui dixit, Ponam solium meum ad aquilonem, & ero similis altissimo. *(Esaiæ 12.)* Non est nunc quod ægre ferat Pontifex ab illo reprehendi, qui de tam atroce crimine reprehendit Apostolum. Nam quum certum sit Epistolam esse Apostoli, quid aliud, quam manifeste dicit Apostolum sine authoritate, & contra fas instituere Sacramentum? Immo quum neget Epistolam illius esse, tamen ne abstineret contumelia, dicit id se dicturum etiã si esset Apostoli. Ego certe, etsi nonnullis visum sit, Apostolis non sine Spiritu sancto, quem Deus in Pentecoste misit, rationem traditam esse concedendi Sacramenti, de quo Spiritu Christus prædixerat, Spiritus sanctus quem ego mittam, ille vos docebit omnia: *(Ioan. 14.)* tamen in præsenti non disputabo vtrum Apostolus authoritatẽ habeat instituendi Sacramenti, quippe quod nunc disputari non opus est: sed quum plane constet Apostolum vnctionẽ istam pro Sacramento tradere, non dubito vere Sacramentum esse, & Apostolũ non fuisse tam impie arrogantem, vt pro Sacramento traderet populo, quod Sacramentum non esset: sed si condendi Sacramenti potesta-

tem non habuit, verbis illis id tradidisse populo, quod ipse acceperat à Christo, qui vt alia mundo volebat innotescere per Matthæum, alia per Lucam, per Ioannem alia, alia pręterea per Apostolum Paulum, cur fieri non possit, vt quædam etiam doceri voluerit per Apostolum Iacobum?

Lutherus postquam se tam strenue quam videtis, gessit aduersus Apostolum, iam totum se conuertit ad ridendum Ecclesiã, quæ verbis Apostoli, vt dicit Lutherus, abutitur, quod non ministret nisi ad mortem vsque ægrotanti, quum Iacobus dicat: Si quis infirmatur, non si quis moriatur: quasi ideo peccet Ecclesia, quod rem tantam, quanta est Sacramentum, non adhibeat temere in qualibet leui febricula, quam aliquis nimium fortasse potando contraxerit, neque in eo morbo, qui vel dormiendo paululum vel abstinendo curari possit, Ecclesia per Sacramentum velit efflagitare miraculum.

Consentaneum est non id voluisse Iacobum, vt in leui quolibet morbo vngeretur infirmus.

Ne dubitari possit, etiam si duntaxat infirmum scripserit Iacobus, sensisse tamen haud ægrotantem leuiter, sed eo morbo vexatum, cuius depulsio posset ostendere, si sanaretur, sanatum Sacramento: orationes omnes quæ dicuntur super infirmum, (quas nemo dubitat esse vetustissimas, non nouum inuentum eorum quos iste vocat Theologos) ostendunt non adhibendum hoc Sacramentum nisi in laborante grauiter: & tamen vt non promittunt certam salutem corporis, ita non desperant salutem, nec veniunt (quod Lutherus ait) tanquam ad eos qui iam tum sint omnino morituri. Frustra enim tot orationibus orarent salutem, si certo sibi sponderent mortem. Non igitur id agit Ecclesia (quod inepte cauillatur iste) vt sit extrema vnctio, licet vocetur extrema, sed agit vt non sit extrema, sed conualescat ægrotus. Quod si nolit eum Deus conualescere, id tamen non euacuat vim ac virtutem Sacramenti, cuius præcipua cura non in corpus fertur, sed animam.

Ratio Lutheri.

Nam ratio illa Lutheri de efficacia signi, nihil omnino rationis habet, aut efficaciæ. Si vnctio ista Sacramentum est, inquit, debet sine dubio esse, vt dicũt, efficax signum eius quod signat & promittit. At sanitatem & restitutionem infirmi promittit, vt stant aperta verba, Oratio fidei saluabit infirmum, & alleuiabit eum Dominus. Quis autem non videt hanc promissionem in paucis impleri? Quid ergo dicemus? (inquit) aut Apostolus hac promissione mentitur, aut vnctio ista Sacramentum non erit. Promissio enim Sacramentalis certa est: at hæc maiore parte fallit. Vel ex hoc argumento patere potest, nihil curare Lutherum, quam apertas afferat calumnias, modo specie aliqua veritatis imponere possit incautis: quem non pudet ea contra Theologos afferre, quasi ab ipsis dicta, quæ nusquam dicunt. Sacramentum (inquit) vt dicunt, est efficax signum eius quod promittit: ac hoc Sacramentum sanitatem corporis non efficit, quam promittit.

Confutatur ratio Lutheri.

Theologi non istud dicunt, sed quod est efficax signum gratiæ. sic enim definiunt, Sacramentum est visibile signum inuisibilis gratiæ. non dicunt salutis corporeæ, quæ dari possit & sine gratia. Quamobrem, quod ait cõsequi, vt si hæc vnctio Sacramentum esset, Apostolus mentiretur: Lutherus ipse mentitur. Nam Sacramentum quatenus Sacramentum est, non salutem promittit corporis, sed animæ, per signa corporea. Alioqui Lutherus nihilominus eodem concludit mendacio non Apostolum solum, sed etiam Christum ipsum, quanquam vnctio non esset Sacramentum. Debent enim verba & promissiones etiam extra Sacramenta veraces esse. Igitur quũ Apostolus dicat sanãdum per vnctionem & orationem, eum qui infirmus est, & Christus signa illa secutura credentes, vt super ægros manus imponerent, & bene haberent: quis non videt, hæc sic interdum fieri, vt tamen non fiant semper? Neque tamen falsos esse qui promiserint, quum eos nemo dubitet corporalia quibuscunq; verbis promiserint, nunquã promisisse perpetua, quum corpus in quo fieri deberent, perpetuum esse non possit. Spiritalia vero, quia sua natura Spiritus æternum victus est, perpetuo consecutura pollicentur. Nam Lutheri sententia, quæ à Theologis exigit, vt si Sacramentum sit vnctio, semper sanet, ne sit signum inefficax: eo tendit, vt Sacramentum esse non possit, nisi reddat corpus immortale, quod ipse tamen fieri posse promittit per orationem factam à bonis viris nihil hæsitante fide.

Lutheri verba. Lutheriana vnctio homines reddit immortales. Lutheri fides.

Nam prorsus dubium nõ esse dicit, hodie quoq; sic sanari posse quotquot vellemus. Hoc si dicit verum, talis fides qualis est illius, hominẽ seruare potest immortalem. Nam quum ista fieri possint per fidem, non solum interdum, sed (quod Lutherus ait) perpetuo (modo sit fides indubia, quæ nihil hæsitet) credibile est fidem istã, si cuiquam alteri, potissimum contigisse Luthero, homini sic in fidem propenso, vt fidei fauore bonis operibus multis in locis propemodum indicat bellum. Homini præterea, cui nunc tot & tanta mysteria reuelauit Deus, & qui nouam condit Ecclesiam, quam in rem opus est & miraculis. Igitur verisimile est, quicquid fieri per fidem potest, abũde Lutherum facere. Demiror igitur, si vera dicit, ipsũ non curare quoscũq; moriẽtes. Et quotidie auscultamus rumores è Germania, qui referant resuscitatos etiam sepultos: quũ interim semper audimus non modo sanatũ nullum, sed etiam per illius quosdam satellites, occisos & crudeliter trucidatos eius causa bonos & innocẽtes Sacerdotes, vt exemplo doceret ordinem nihil esse, figmẽtum esse characterem, meticulosum fuisse Dauidem, quem pœnituerit tetigisse Christum Domini.

Hæ sũt Lutheri sanationes, quas nihil vacillãs eius fides operatur absque bonis operibus. Nam quod occidit, non sanat, inde plane accidit, quod vt Lutherus ait, oratio non tantum cum fide facienda est, sed etiam à bono viro. quæ res Lutherum, qui vir bonus non est, ne quemquam sanet, impedit. Vnctio hæc Sacramentũ non est, quia non semper sanat corpus.

Lutherus & corporũ & animarũ occisor.

Lutherus vir sacer est, per quem & corpus, vt ferunt, occiditur, & certe occiduntur animæ. Iacobus Apostolus nihil dignum scribit Apostolico spiritu, Lutherus Apostolico spiritu digna scribit omnia, & quæ sint indigna discernit, idque contra totã Ecclesiam, quam in talium discretione Scripturarum falli fassus est ipse non posse.

Iacobi Epistola quam sancta ac grauis sit, dignaque Apostolico spiritu.

Qua in re, quũ Epistolã Iacobi legerem, atq; ibi tam multa conspicerem Apostolico digna spiritu, vehementer admiratus sum, quid in mentem venerit Luthero, vt gaudium in tentationibus, patientiam in aduersis, à Deo petendã sapiẽtiam, in Deo fiducia nihil hæsitante sperandum, & huiusmodi multa (nam talia sunt, quæ tota leguntur Epistola) miratus inquam sum, cur Lutherus putarit indigna quæ scriberentur ab Apostolo. An illa potius scribere debebat Apostolus, populo nihil esse fructus in missa, & ordinem inane figmentum esse, & alia quæ Lutherus scribit huiusmodi?

Lutherus contra digna scribit apostatico spiritu. Lutherus cur tam infensus sit Epistolæ Iacobi.

quæ quanquam sint omnia dignissima spiritu Apostatico, tamen contemnere non debet, si minora scribant minores Apostoli. Atqui licet aliquandiu (quod dixi) miratus sum, cur Luthero displiceat Epistola Iacobi, tamen vbi legi sępius, & oculos intendi pressius, desii profecto mirari. Nam ea scribit Apostolus, vt plane videri possit prophetico spiritu prænouisse Lutherum: ita virum vndique pungit ad viuum. Nam quum Lutherus fidei prætextu contemnat opera, Iacobus è diuerso disputat, ratione, Scripturis, exẽplis, fidem sine operibus mortuam esse. Præterea garrulam istam Lutheri petulantiam, non vno loco verbis inuadit acerrimis. Si quis (inquit) putat se religiosum esse, non refrenans linguam suam, sed seducens cor suum, huius vana est religio. *(Iacob. 1.)* Accedit ad hæc, quod in suam linguam Lutherus aptissime videt competere, quod illic frendit legens: Lingua inquietum malum, plena veneno mortifero. *(Iacob. 3.)* Denique sentit in sua dogmata verissime dici, quæ de contentiosis hunc in modum scribit pluribus ibi verbis Apostolus: Quis sapiens & discipli natus inter vos? *(Ibidem.)* ostendat ex bona conuersatione operationem suam in mansuetudine sapientiæ. Quod si zelum amarum habetis, & contentiones sint in cordibus vestris, nolite gloriari, & mendaces esse aduersus veritatem. Non est enim ista sapientia desursum descendens à patre luminum, sed terrena, animalis, diabolica. Vbi enim zelus & contentio, ibi inconstantia, & omne opus prauum. Quæ autem desursum est sapientia, primum quidem pudica est, deinde pacifica, modesta, suadibilis, bonis consentiens, plena misericordia, & fructibus bonis, iudicans sine simulatione. Fructus autem iustitiæ in pace seminatur facientibus pacem.

Hæc sunt, lector, quæ Lutherum commouent vt ei non placeat Apostolus. Hæc inquam sunt quibus Apostolus aperte Lutherum ac Lutheri petulantiam, maledicentiam, impia & contentiosa dogmata, non secus ac si vidisset virum, & verba legisset, attingit. Cuius epistolam, quantumuis eam contemnat Lutherus, non dubito satis approbare Christianis omnibus, vnctionis extremæ Sacramentum, nec tam potentem fore Lutherum, vt vllum Sacramentũ possit euertere,

quod in salutem fidelium fides recepit Ecclesiæ, aduersus quã nec portæ prævalebunt inferorum, nedum fraterculus vnus inferni fuliginosum posticum.

Peroratio.

Fecimus hoc libello tibi lector, vt spero, perspicuũ, quam absurde Lutherus & impie tractarit sacramenta. Nam etsi nõ attigimus omnia quæ liber ipsius continet, tamen quod attinet ad tuenda sacramenta ipsa (neque enim aliud erat institutum meum) tractasse rem videor si non quam multis fieri potuit, certe pluribus ferme quam necesse fuit: tantum abest vt oporteat immorari diutius. Alioqui & rationibus, & legibus, & doctorum sententiis, & Scripturis ipsis non fuisset difficile rem locupletare cumulatius, nisi & erga Lutherum frustra fecissemus, & erga cæteros superuacue. Nam si Lutherum docendo conemur immutare, citius & nigrorem Æthiops, & varietatem pardus immutabit. Sin aliis ostendere, quam falso & quam maligne sentiat, ne quis ita fallatur, vt de illo sentiat bene, passim doctissimos viros esse non dubito, qui vel tacentibus nobis id multo clarius perpendant, quam ipse queam ostendere: & si qui sint qui alienam in id operam desiderant, his abunde iam nunc opinor ostendisse me. quum enim ex his quæ disseruimus, inclaresçat omnibus, quam sacrilega statuat dogmata de Sacramento illo quod ipsius Christi corpus est, è quo Sacramenta reliqua quicquid habent sacri prõanat, quis dubitare potuisset, etiam si nihil adiecissem amplius, quam indignis ille modis tractare cætera Sacramenta non dubitet? Quæ sicut videtis, tractauit sic, vt præter Baptismum vnum, & illum quoque male vexatum, & omni priuatum gratia, nec in aliud relictum, quam in contumeliam pœnitentiæ, tollat prorsus atque euertat omnia, in aliis signum negans, in aliis rem inficians: nec in tanta re probat quicquam, nec affert aliquid, quo confirmet sua, sat habens negare tantum quicquid recepit Ecclesia. Quicquid creditur ab omnibus, ratione futili solus cludit, ac se denunciat nihil admissurum præter claras & euidentes Scripturas. Quas ipsas tamen si quis afferat, vel aliquo repellit commento, vel authoris esse cuius feruntur negat. Doctorum vero nemo tam vetus est, nemo tam sanctus, nemo tantæ auctoritatis in tractatu sacrarum literarum, quem non iste nouus doctorculus, sanctulus, & eruditulus magna cum authoritate reiiciat. Quamobrem quum Lutherus omnes contemnat, & credat nemini, debet non indignari si nemo vicissim credat illi. Cum quo tantum abest vt disputem pluribus, vt propemodum pigeat disputasse tam multis. Quid enim prõdest amplius cum illo disserere, qui cæteris dissentit omnibus, & non consentit sibi? qui quod alibi negat, alibi dicit: quod dicit, id rursum negat. Qui si fidem obiicias, ratione dimicat: si ratione ferias, prætendit fidem. Si philosophos alleges, appellat Scripturam: si Scripturam proponas, nugatur sophismate. Quem neque pudet quicquam, neque timet quenquam, neque legem putat tenere se vllam. Qui veteres Ecclesiæ Doctores contemnit, nouos è sublimi deridet. Summum Ecclesiæ Pontificem insectatur conuiciis. Ecclesiæ consuetudines, dogmata, mores, leges, decreta, fidem, Ecclesiam denique ipsam adeo floccifacit vniuersam, vt nec esse fere fateatur vllam, nisi fors Ecclesiam illam, quam facit ipse duorum vel trium hæreticorum, quorum sit ipse caput. Quamobrem quum sit eiusmodi, vt nihil statuat principii, q certum sit ac solidum, quod ei cum disputante conueniat, sed sibi liberum relinqui postulet, vt quicquid libet, quando libet, quoties libet, id illi liceat & afferre vicissim, & negare, quum neque ratione sese, neque Scriptura, neque moribus, neque legibus, neque authoritate demum vel humana vel diuina patiatur adstringi, non constitui cum eo disserendum amplius, nec aduersus eas hæreses quæ nulla ratione firmantur, operosa ratione pugnandum, sed admonendos potius Christianos omnes, vt tanquam teterrimam pestem deuitent illum, qui tam fœda portenta, ipsissima Antichristi dogmata in Ecclesiam Christi conatur inuehere. Nam si omni modo curandum est vt extirpetur qui de quauis vna re schisma suscitare studuerit, quanto studio conniti decet, vt euellatur is qui non dissidium modo pergit serere, & populum in pontificem, filios in parentem, Christianos in Christi vicarium prouocare, totam denique Ecclesiam Christi, quam ille moriens amore & charitate colligauit, tumultu, rixis, & contentione dissoluere, verumetiam quicquid est in ea sacro sanctum, execrabili mente, spurcissima lingua, scelerato contactu, rescindere, temerare, polluere? Quis quam tamen de se salutis spem, si quod emendandi sui signum daret, hortaretur omnes, vt hominis si affecti curam susciperent, & in hoc incumberent, vt modis quam possent optimis medicarentur, & sanitati mentis restitutum facerent, vt hæreses à se propositas reuocaret. Verum adhuc profecto quæcunque sõlent ad mortem esse signa, omnia huic esse video. Quod vt censeam, non tam morbus eius, quantumuis lethalis, me mouet, quam ipse, quippe qui medicinam nullam, nullam prorsus manum medicamentis admittit. Quomodo enim curari potest, qui se tractari non patitur? Aut quomodo tractari potest, quem si quid doces, nugatur? Si quid mones, irascitur? Si quid hortaris, obnititur? Si quid placas, incenditur? Si quid aduersaris, insanit? Alioquin si curari potuisset, quid omisit pientissimus Christi vicarius, quo pastoris sui secutus exemplum, ouem hanc errantem quæreret, inueniret, in humeros tolleret, ac reportaret in stabulum? Sed heu lupus Auerni pessimus anteceperat, deuorauerat, atque in imum ventrem demiserat, vbi semiuiuus adhuc in morte iacens, aduersus inclamantem se pastorem pium, & perditionem eius deplorantem, è spurco Tartarei lupi rictu fœdos illos latratus eructat, quos totius gregis aures auersantur, abominantur, exhorrent. Nam primum, nihil omnino lacessitus, articulos proposuit de indulgentiis, quibus prætextu pietatis impie traduceret summum Pontificem. Deinde, vt per honoris eum & officii speciem maiore contumelia perfunderet, eos transmisit Romam, tanquam Pontificis iudicio submittens, sed auctos ante declarationibus multo quam essent ipsi, deterioribus: vt plane liqueret omnibus, Pontificem non à viro bono pioque consuli, sed à fraterculo nebulone rideri, tanquam ita stupidum, vt pro honore duceret insignem, & nullius vnquam exempli contumeliam, barbamque (quod aiunt) vellendam præberet irrisori. Si nihil mali comerebatur Pontifex, cur filius degener immerentem patrem falsa conspersit infamia? At si quid Romæ fiebat, quod oporteret immutari, tamen si fuisset Lutherus (quod haberi volebat) probus, & Christianæ rei studiosus, non præposuisset priuatam gloriam suam publico omnium commodo, nec scurrandi famam sibi venatus esset apud improbos, dormientis pudenda parentis irridens, & reuelata commonstrans digito, sed auersus contexisset potius, & vel coram vel per Epistolam secretius reuerenter admonuisset, Apostoli præceptum secutus, qui iubet vt maiores non rideamus, non obiurgemus, sed obsecremus. Quod si feciisset Lutherus, haud dubito quin beatissimus Pontifex (tanta est eius nulli non explorata benignitas) expergefactus benedixisset filio suo Iaphet, & pietatis retulisset gratiam, non maledixisset iratus, qui ne sic quidem adhuc maledixit illudenti, sed misertus miseri, magisque filii memor, quam irriforis, egit cum eo per viros honoratissimos, in quorum ille conspectum prodire non erat dignus, vt ab iniquitate desisteret. Cui tam pio ac salubri consilio tantum abfuit vt paruerit, vt non solum deriserit legatum de ipsius salute solicitum, sed etiam nouũ librum ederet euestigio, in quo Pontificis potestatem machinabatur euertere. Vocatus deinde Romam, vt vel Scriptorum caussam redderet, vel temere scripta recantaret, quauis oblata securitate non subeundi supplicii quod meruerat, oblato quod in rem satis esset viatico, tamen vt insignem declararet obedientis viri modestiam, venire contempsit fraterculus ad Pontificem, nisi regio instructus apparatu, & bellico stipatus exercitu. Sed homo cautus appellauit ad generale concilium, nec tamen quodlibet, sed quod proxime congregaretur in Spiritu sancto, vt in quocunque damnaretur, ibi negaret esse Spiritum sanctum, quem homo sanctus & spiritalis nusquam fatetur esse nisi in sinu suo. Quamobrem iterum atque iterum admonitus, vt ab impietate resipisceret, quum iterum atque iterum impietatem ad impietatem adiiceret, ad actus est tandem pientissimus pastor, ouem immedicabili scabie laborantem, (ne sanas attactu corrumperet) ex ouili procul eiicere, & filii sui Absalonis, (cuius vitam seruare non poterat) mortem deplorare, dum ab arbore pendentem conspicit decora Cæsarie, qua stulte superbierat. Lutherus ergo sentiens eiectum se è societate fidelium, facere cœpit quod deplorati solent impii, qui quum in profundum venerint,

Lutherus reliquit baptismum in contumeliam pœnitentiæ. Qualis in disputando Lutherus.

Lutherus Proteus.

Petitiones Lutheri in disputãdo.

Lutherus ceu pestis vitandus.

Lutheri studium.

Authoris institutum.

Lutherus immedicabilis.

Pia cura pontificis erga Lutherum.

Qua via grassatur Lutherus.

Gene. 9.

1. Tim. 5.

Friuola appellatio Lutheri ad concilium.

Tandem eiecto Luthero immedicabili, reliquo gregi prospici pius pastor. 2. Reg. 18.

contemnunt. Non ingemuit, non planxit casum suum, quo sicut Lucifer exaltatus, sicut fulgur corruerat & allisus est, sed imitatus diaboli desperationem, diabolus etiam ipse, hoc est calumniator effectus, aduersus pontificem in blasphemias & calumnias cœpit erumpere, & reliquis inuidens fidelibus, velut serpens antiquus, infidelitatis laqueos tendere, vt eos è vetito scientiæ noxiæ ligno gustantes, ex Ecclesiæ paradiso (vnde ipse deciderat) procuraret expelli in terram germinantem spinas & tribulos. Ego profecto tantam hominis dementiam, & miserrimum casum perquam molestè fero, cupioque vt vel adhuc (inspirante gratiam Deo) resipiscat tandem, conuertaturque & viuat. nec id tam ipsius caussa cupio, (quanquam ipsius etiam, vt qui omnes cupiam saluos, si possit fieri) quam vt aliquando conuersus, ac velut filius prodigus reuersus ad misericordiam tam benigni patris, & errorem suum confessus, in viam reuocet si quos effecit errare. Cæterum si is tam profunde se demerserit, vt iam super eum puteus impietatis ac desperationis vrgeat os suum, blateret, blasphemet, calumnietur, insaniat, vt qui sordet, sordescat adhuc. Cæteros vero Christianos omnes obsecro, & per CHRISTI viscera (cuius fidem profitemur) obtestor, vt ab impiis verbis auertant aures, neque schismata foueant & discordias, hoc præsertim tempore, in quo maxime oportebat aduersus hostes Christi Christianos esse concordes. Neque aduersus Christi vicarium probris & detractionibus auscultent, quas in Pontificem fraterculi furor eructat: neque sacrata Christo pectora hæresibus impiis contaminent: quas si seminat, charitate vacat, gloria turget, ratione friget, feruet inuidia. Denique quibus animis aduersus Turcas, aduersus Saracenos, aduersus quicquid est vspiam infidelium consisterent, ipsdem animis consistant aduersus vnum istum vribus imbecillum, sed animo Turcis omnibus, omnibus Saracenis, omnibus vlquam infidelibus nocentiorem fraterculum. Finis.

Luc. 10.

Gene. 3.

Lucæ 15.

Psal. 68.

Apoca. 22.

Regis exhortatio ad omnes Christianos.

Ad calcem libri in charta virgine, Londini, typis dati, addidit Henricus Rex manu propria hoc subsequens distichon.

Anglorum Rex Henricus Leo Decime mittit
Hoc opus & fidei testem & amicitiæ.

Istud opus cum Pontifex inter Cardinales legendum exhibuisset, in tantum placuit, vt Regem ex Senatus Consulto ornauerit titulo FIDEI DEFENSORIS, eaq; de re diploma subsequens illi scripserit.

XIX. *Leo X. Regem Angliæ fidei defensorem appellat.*

Leo Episcopus Seruus Seruorum Dei. Charissimo in Christo filio Henrico Angliæ Regi illustri, Fidei Defensori. Salutem & Apostolicam benedictionem.

Ex supernæ dispositionis arbitrio, licet imparibus meritis, vniuersalis Ecclesiæ regimini præsidentes, ad hoc cordis nostri longe late ej; diffundimus cogitatus, vt fides Catholica, sine qua nemo proficit ad salutem, continuum suscipiat incrementum: & vt ea quæ pro cohibendis contrabus illam deprimere, aut prauis mendacibusq; commentis peruertere, & denigrare molientiũ, sana Christi fidelium, præsertim Regali dignitate fulgentium doctrina sunt dispositа, continuis proficiant incrementis, partes nostri ministerii & operam impendimus efficacem. & sicut alii Romani Pontifices prædecessores nostri Catholicos Principes, prout rerum & temporum qualitas exigebat, specialibus fauoribus prosequi consueuerunt, illos præsertim qui præcellosis temporibus, & rabida schismaticorum & hæreticorum feruente perfidia, non solum in fidei serenitate & deuotione illibata Sacrosanctæ Romanæ Ecclesiæ immobiles perstiterunt, verum etiam tanquam ipsius Ecclesiæ legitimi filii, ac fortissimi athletæ, schismaticorum & hæreticorum insanis furoribus, spiritualiter & temporaliter se opposuerunt: ita etiam nos Maiestatem tuam propter excelsa, & immortalia eius erga nos, & hanc Sanctam Sedem in qua permissione diuina sedemus, opera & gesta, condignis ac immortalibus præconiis, & laudibus efferre desideramus, & ea fibi concedere, propter quæ inuigilare debeat à grege Dominico lupos arcere, & putrida membra quæ mysticum Christi corpus inficiunt, ferro & materiali gladio abscindere, & mutantium corda fidelium in fidei soliditate confirmare. Sane cum nuper dilectus filius Ioannes Clerck Maiestatis tuæ apud nos Orator in Consistorio nostro coram Venerabilibus Fratribus nostris Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalibus, & compluribus aliis Romanæ Curiæ Prælatis, librum, quem Maiestas tua, charitate quæ omnia sedulo, & nihil perperam agit: fideiq; Catholicæ zelo accensa, ac deuotionis erga nos, & hanc Sanctam Sedem feruore inflammata, contra errores diuersorum hæreticorum sæpius ab hac Sancta Se- de damnatos, nuperq; per Martinum Lutherum suscitatos & innouatos, tamquam nobile ac salutare quoddam antidotum compositus, nobis examinandum, & deinde authoritate nostra approbandum obtulisset, ac laculenta oratione sua exposuisset Maiestatem tuam paratam ac dispositam esse: vt quemadmodũ veru rationibus, & irrefragabilibus Sacræ Scripturæ, ac Sanctorũ Patrũ authoritatibus, notorios errores eiusde Martini confutauerat: ita etiam omnes sequi, ac defensare præsumentes, totius regni sui viribus, & armis persequatur: nosque eius libri admirabilem quandam, & cælestis gratiæ rore conspersam doctrinam diligenter accurateq; introspexissemus: Omnipotenti Deo, à qua omne datum optimum & omne donum perfectum est, immensas gratias egimus, qui optimam, & ad omne bonum inclinatam mentem tuam inspirare, eiq; tantam gratiam superne infundere dignatus fuit: vt ea scriberes, quibus sanctam eius fidem contra nouum, errorum damnatorum huiusmodi suscitatore defenderes, ac reliquos Reges & Principes Christianos tuo exemplo inuitares: vt ipsi etiam Orthodoxæ fidei, & Euangelicæ veritati in periculum & discrimen adductæ omni ope sua adesse, opportuneq; fauere vellent. Æquum autem esse censentes eos, qui pro fidei Christi huiusmodi defensione pios labores susceperunt, omni laude & honore afficere: volentes non solum ea, quæ Maiestas tua contra eundem Lutherum absolutissima doctrina, nec minori eloquentia scripsit, condignis laudibus extollere & magnificare, authoritateque nostra approbare, & confirmare: sed etiam Maiestatem ipsam tuam tali honore & titulo decorare, vt nostris ac perpetuis futuris temporibus Christi fideles omnes intelligant, quam gratum acceptumq; nobis fuerit Maiestatis tuæ munus, hoc præsertim tempore nobis oblatum: Nos qui Petri, quem Christus in cælum ascensurus Vicarium suum in terris reliquit, & cui curam gregis sui commisit, veri successores sumus, & in hac Sancta Sede, à qua omnes dignitates ac tituli emanant, sedemus: habita super his cum eisdem Fratribus nostris matura deliberatione, de eorum vnanimi consilio & assensu, Maiestati tuæ titulum hunc, videlicet, Fidei defensorem donare decreuimus: prout te tali titulo per præsentes insignimus: mandantes omnibus Christi fidelibus, vt maiestatem tuam hoc titulo nominent: & cum ad eam scribent, post dictionem Regi, adiungant Fidei defensori. & profecto huius tituli excellentia & dignitate, ac singularibus meritis tuis diligenter perpensis, & consideratis, nullum neque dignius, neq; maiestati tuæ conuenientius nomen excogitare potuissemus. Quod quotiens aut audies, aut leges, toties propriæ virtutis optimiq; meritui tui recordaberis: nec huiusmodi titulo intumesces, vel in superbiam eleuaberis, sed solita tua prudentia humilior, & in fide Christi, ac deuotione huius Sanctæ Sedis, à qua exaltatus fueris, fortior & constantior euades, ac in Domino bonorum omnium largitore lætaberis, perpetuum hoc & immortale gloriæ tuæ monumentum posteris tuis relinquere, illisque viam ostendere: vt si tali titulo ipsi quoq; insigniri optabunt, talia etiam opera efficere, præclaraque maiestatis tuæ vestigia sequi studeant. Quam, prout de nobis, & dicta Sede optime merita est, vna cum vxore, & filiis, ac omnibus, qui à te, & ab illis nascentur: nostra benedictione, in nomine illius à quo illam concedendi potestas nobis data est, larga & liberali mana benedicentes, Altissimum illum, qui dixit: Per me Reges regnant, & Principes imperant, & in cuius manu corda sunt Regum, rogamus & obsecramus, vt eam in suo sancto proposito confirmet, eiusque deuotionem multiplicet, ac præclaris pro sancta fide gestis ita illustret, ac toti orbi terrarum conspicuam reddat: vt iudicium quod de ipsa fecimus, eam tam insigni titulo decorantes, à nemine falsum, aut vanum iudicari possit: demum mortalis huius vitæ finito curriculo, sempiternæ illius gloriæ consortem, atque participem reddat. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ insignitionis & mandati infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem Omnipotentis Dei, ac beatorum Petri & Pauli Apostolorum eius se nouerit incursurum. Dat. Romæ apud S. Petrum. Anno Incarnationis Dominicæ M. D. XXI. Quinto Idus Octobris Pontificatus nostri anno Nono.

Præter hæc Pontifex, ad lectionem operis Regii allicere omnes cupiens, concessit legentibus librum Henrici VII. Angliæ Regis Fidei Defensoris, decem annorum, & decem Quadragenarum Indulgentiam, fuitq; Bulla per Ioannem Clerck reportata Londinum, ac in eadem vrbe impressa in ædibus Pynsonianis vna cum epistola ad Saxoniæ Duces, in qua Pontifex illos monebat, ne Lutherum permitterent Sacros Scripturæ libros in Saxonicam linguam transferre. eum enim id non bona fide esse facturum. Transmisit opus suum Henricus Rex, etiam Cæsari Carolo, & Regibus Galliæ, Lusitaniæ, Poloniæ, Scotiæ, Suetiæ, Daniæ, Hungariæ & Bohemiæ, nec non Principibus fere omnibus

XX. *Henricus VIII. Rex Angliæ assertiones Lutheri Carolo V. mittit.*

Catholicis, vt eos aduersus pestilentissimas hæreses velut antidoto præmuniret. Erasmus Roterodamus, ex Procerum & Montioii narratione, se certo persuasum habere scribit, librum ipsius Regis Marte, quod aiunt, elaboratum & confectum esse. Et in epistola ad Cochlæum de eodem sic ait: Quod subdubitare videris, an Rex Henricus libellum, ac duas epistolas aduersus Lutherum, suo marte confecerit, id tibi cum multis cõmune est: nec mirum, cum hactenus prodigij simile sit habitum, præsertim apud Germanos, Principem scire litteras. Cæterum vt non contenderim, neminem scribenti fuisse auxilio, cum eruditissimi quiq; viri nonnumquam vtantur amicorum subsidio: ita non dubitem affirmare, ipsum eorum quæ edit, parentem & autorem esse. *Opmerus in opere Chronographico. & Regij Codices in Vaticano archiuio: eo transmissi à quibusdam Regibus, quibus Rex miserat.*

XXI. Cum autem Lutherus, tam Augustæ primum, anno 1518. quam postea Lipsiæ in illa disputatione cum Eccio, causæ suæ Iudices delegisset Parisienses Theologos, ipsi etiam libros illius & dogmata publice condemnarunt. Decretum ea de re, hoc anno M. D. XXI. decimo quinto die Aprilis, promulgatum est: In quo hæreticorum hanc dicunt esse consuetudinem, vt venenum hæreseos quibusdam verborum lenociniis obuolutũ hominibus fraudulenter obtrudant: quod vbi simplicium animos occuparit, diffundatur longius, perpetuoque serpat in cancri morem, donec corpori certum exitiũ adferat. Id exemplis demonstrari posse hæreticorum omnium, qui ab Ecclesiæ nascentis incunabulis, vsque ad hanc eius ætatem à fide defecerint, Hermogenis scilicet, Phileti, Hymenæi, Ebionis, Marcionis, Apellis, Sabellii, Arrii, Manichæi, Vvaldonis, Vvicleffi, Hussi. Horum vestigiis nostro seculo quosdam insistere, de viperina progenie, filios nequam, qui viperarum instar exeso ventre matris in lucem prodierint: inter quos Lutherum veluti ducem primo loco non iniuria censendum asserunt: quem idem hoc tempore machinari dicunt, quod Hielem quondam feciſſe Scriptura testetur 3. Reg. 16. Quemadmodum enim Hiel Iericho ciuitatem à Iosua destructam & maledicto subiectam rursus instaurarit, ita Lutherum, aiunt, dum errores anathemate quondam ab Ecclesia notatos ab inferis reuocet, nouam quandam Iericho moliri. Hunc autem, quia non didicerit sapere ad sobrietatem, eo iam impudentiæ progressum, vt omnes in vniuersum præse contemnat, qui nunc sunt in Ecclesia, & qui superioribus seculis vmquam fuerunt: vtq; suas opiniones omnium Vniuersitatum non modo, sed & omnium Ecclesiæ Doctorum, Sanctorumq; Patrum, & Conciliorum iudicio præponat; quasi scilicet vni Luthero manifestanda reseruarit ea Deus, quæ sunt fidelibus ad salutem necessaria, eaque superioribus seculis Ecclesia prorsus ignorauit: vel quasi Christus Ecclesiam sponsam charissimam ad hunc vsq; diem plane deseruerit, eamq; tanto seculorum tractu, passus sit extincto veræ fidei lumine, in densissimis errorum tenebris versari. Impiam hanc esse dicunt, & prorsus inuerecundam arrogantiam, vinculis, censuris, imo ignibus & flammis coercendam potius, quam rationibus conuincendam. Hanc porro peculiarem esse hæreticorum insaniam, quod ad instituti sui rationem pro libidine torqueant Scripturas, seq; solos eas intelligere persuasum habeant, & ad Euangelii veritatem ambulare: imo quod se solos cum asseclis arbitrentur salutem consequi, nec in Scripturis explicandis contra suam, quam ipsi commenti sunt, intelligentiam, vllius Ecclesiæ Doctoris, quantauis sanctitate atq; eruditione præcellat, sed nec ipsius Ecclesiæ authoritatem recipiant. Id exemplis planum faciunt ex Ecclesia primitiua desumptis, vnaque demonstrant, ex quorum hæreticorum lacunis Lutherus pestiferam antiquarum hæreseon sentinam in pectus suum deriuarit: quam cum ille nunc plenis faucibus & licenter euomat, iamque errores ex libris illius hausti indies magis magisque pullulare videantur, voluisse se, dicunt, pro viribus obuiam ire gliscenti malo, suamque de Lutheri libris & dogmatibus sententiam in publicum proferre: &, quantum in ipsis quidem sit, cauere, ne longius serpat tam multiplex impietas, & populum Christianum grauius inficiat. Postquam igitur diligenter euoluerint Lutheri libros, & vniuersam eius doctrinam sub examen reuocarint, hanc se de ea ferre sententiam, quod execrandis scateat erroribus, & populum Christianum à veritate seducat: quod iniuria Sanctos Ecclesiæ Doctores afficiat: quod authoritati Ecclesiæ, atq; Hierarchio Ordini, magna cum impietate deroget; quod schismatica sit, & contraria Sacris litteris, adeoq; in Spiritum S. blasphema, ideoq; extirpanda penitus, & flammis vltricibus abolenda: demum quod author ipse modis omnibus ad publicam palinodiam sit cõpellendus. Deinde capita Christianæ religionis enumerant, quæ Lutherus errorum suorũ inquinamento fœdarit. Ipsos etiam errores, quos hac sententia damnarint, ex variis Lutheri tractatibus excerptos, in aphorismos redigunt, iisque singulis, more Scholastico, breuiter & succincte censuram adiiciunt. Inquiunt:

Sollicitius per nos examinata ac maturius, vniuersa doctrina, Lutheriano ascripta nomini, & ad plenum discussa: execrandis illam erroribus scatere certo deprehendimus, & iudicauimus, fidem potissimum contingentibus & mores. quodq; simplicis populi seductiua sit, omnibus Doctoribus iniuria, potestati Ecclesiæ & Ordini Hierarchico impie derogatiua: aperte schismatica: Sacræ Scripturæ aduersa, & eius deprauatiua, atq; in Spiritum S. blasphema. Et ideo veluti Reipublicæ Christianæ perniciosam, censemus omnino exterminandam, ac palam vltricibus flammis comittendam. Autorem vero ad publicam abiurationem modis omnibus iuridicis compellendum.

XXII. *Lutheri libros Parisienses Theologi condemnant.* Hæc censebant Parisienses Theologi solenniter congregati, & Sacramento adscripti. Quæ cum Wormatiam, dum causa Lutheri agebatur allata fuissent: tum vero fautores illius & defensores pudore suffusi, spargere & mentiri desierunt, quasi Parisienses ex bulla Pontificia articulos Lutheri 38. approbassent, duos tantum sub dubio reliquissent. Nam diuulgato Parisiensi decreto, contrarium apparuit. Quamobrem strophis non succedentibus, ad hoc decretum Philippus Melanchton respondit edito libello, in quo iuuenis, vix dum annum ætatis vigesimum quartum egressus, veteranis Theologis, viris ætate, iudicio, doctrina & solidioris Theologiæ scientia præstantissimis insultat petulanter satis, & rem instar morionis in ludibrium vertit. Respondit etiam Lutherus ipse, verum more suo: vt si scurriles iocos, mordaces sannas, risus Sardonios, & insana conuitia remoueas, nihil admodum in libello reliquum esse videatur. Respondit & Henrico Regi, aliquot postannis; cui tamen ipse Rex caput perfricuit, vt suo loco dicemus.

XXIII. *Lutherus in Castro Wartbergo detinetur.* Wartbergum porro castrum, in quo abditus fuit, deinceps Pathmum & eremum suam appellare consueuit, ad S. Ioannis exiliũ alludẽs futilis nugator. Sane delicatum fuit istud exilium, & iucunda captiuitas, quam occupatior aliquis, negotiis tractandis fatigatus, ad laxandum animum, & quietem captandam optare potuisset. Et Lutherus quidem in hoc secessu nouem mensibus & vltra commoratus est, lauteque habitus, vt nihil desideraret præter delicias suas, Ionam, Amsdorffium, Melanchtonem, aliosque congerrones, quibus cum iucunde viuere solebat, & suauiter confabulari. Interim, vt erat ingenio turbulento, non quicuit, sed varias epistolas scripsit ad amicos, & libros non paucos edidit, quibus non modo stabilire conatus est errores iampridem sparsos, sed & cumulos eorum perpetuis additamẽtis auxit. Nam quo diutius versauit hoc negotium, eo plures illi hæreses ex sentina fœcundi pectoris in calamum influxerunt, vt idem prorsus accidisse Luthero videatur, quod pueris hyemali tempore niuis massam versantibus: ea enim quo diutius voluitur, hoc maioribus augetur incrementis.

XXIV. Cæterum libri quos in Wartbergensi eremo vel Pathmo scripsit, vel auxit, hi fere sunt: Enarratio Psalmorum aliquot, nempe 68. 119. 31. Exegesis in Canticũ D. Virginis, quam Ioanni Friderico Saxoniæ Duci dedicauit: Tractatus de Confessione, cui epistola præfixa est ad Franciscum à Sickingen, primo die Iunii, sub initium exilii Thuringici, scripta: Liber contra Catharinum de Antichristo: Explicatio Euangeliorũ & Epistolarum Dominicalium, quam Postillam vocant: Responsio ad librum Bartholomæi Latomi Theologi Louaniensis: Liber de votis monasticis, quem Latine scriptum patri suo dedicauit, homini prorsus illiterato. Bulla Cœnæ Domini Germanice versa per Lutherũ, & fœdis glossematis contaminata, quam Bullam de vespertina ingluuie, vel deuoratione vocat. Cohortatio ad Christianos omnes, vt à seditiosis consiliis abstineant. Demum liber de abroganda Missa, scriptis in gra-

gratiam Fratrũ Augustinensium, qui Wittembergæ per ipsius absentiã Missam aboleuerant. In huius libri frõtispicio posuit illud Amos 3. *Leo rugiet, quis non timebit?* quasi vocem editurus esset, ad quam Orbis Christianus iure contremisceret. Et certe rugitum in hoc libro dedit de tremendis Eucharistiæ mysteriis, ad quẽ pia mens non iniuria cohorrescat: rugitũ, inq, illius Leonis, qui circuit quærens quem deuoret, cui fide fortiter resistendum monet D. Petrus. Hic n. Diabolus, inquam, quem Apostolus Leoni prædæ desiderio rugiẽti comparat, de iugi sacrificio, deq; Sacerdotio noui legis nocturnum cũ Luthero colloquium habuit, & quas auribus illius animoq; blasphemias irrugiit, eas ille velut œstro percitus in vulgꝰ sparsit, verbi diuini larua fraudulenter obuolutas, quemadmodum à patre mẽdaciorum edoctus erat. Sane rem hanc, vti gesta est, accurate descripsit Lutherus ipse in libello de Missa angulari, & Sacerdotũ cõsecratione: cui prolixe satis ipsius diaboli verba, tum rationes omnes, quibus ad persuadẽdum vsus est, ordine non inepto digestas inseruit. Qua in re nõ iniuria Dei prouidẽtiam admiramur, qui memorabilem Colloquii huius historiam in publicũ tandẽ emitti voluit: idq; per Lutherũ ipsũ, qui cum solus nocturnum hunc præceptorẽ disserentem audierit, solus etiam hac de re potuit testificari. Quamquã vero libellum hunc non eo tempore, quo in eremo Thuringia latitauit, sed annis duodecim integris post typis diuulgatum edidit: causæ sunt tamen, cur disputationem inter Luciferum & Lutherum hoc anno 1521. in latibulo Wartbergensi mensibus æstiuis, vel sub initium autumni habitam esse putem. Equidem nolim hac de re cum quopiam contẽdere, quam ipse Lutherus, vt apparet, obscuram esse voluit: sed quia de tempore transactæ disputationis inter Catholicos & Lutheranos disceptari video, libuit cõsecturas aliquot, quæ me quidem omnia circumspicientem, ad hunc annum quẽ dixi 1521. tum ad eremum Wartbergensem, deduxerunt. Principio, notum est ex ipsius Sathanæ verbis, habitum esse colloquium vel disputationem hanc decimoquinto anno, postquã Lutherus Sacerdotio initiatus fuit: quod anno Christi 1507. in Quadragesima factum, ex Lutheranis Scriptoribus constat. Nam, vt Bucholtzerus refert, sub hoc eodẽ anno, Lutherus primitias suas secundo Maii, quæ tum Dominica Quarta post Pascha fuit, in Ecclesia Augustinensium publice celebrauit, quemadmodum & superius diximus. Vnde consequens est, siue à die cõsecrationis vel ordinationis, siue à celebratis Sacerdotii primitiis initiũ sumas, quindecim annorũ, quos diabolus supputat, tẽpus illud totũ, quo delibuit in castro Wartbergensi, ad decimum quintum annum referendum esse. Nã hoc an. 1520. sub initium Maii deductus est ad lãtebras Thuringicas: è quibus anno sequente 1522. quinto Martii, decem circiter elapsis mensibus egressus, postridie Wittembergam rediit. Quod vero vel æstiuis mensibus, vel sub initiũ autumni, rem hanc cum diabolo transactã dixi, causa est, quod, vt serius id factũ dicas, tempus nõ patitur à Luthero designatum, quo librum de abroganda Missa Fratribus suis Augustinensibus dedicauit, Calend. Nouemb. scilicet. Nam liber hic ex Colloquio cum dæmone natus est: quemadmodum & alter ille, qui Protocollum Colloquii cum dæmone vel historiam rei gestæ descriptam continet Vtrumq; hunc fœtum peperit nocturna cũ dæmone consurratio: Tãetsi Lutherus in illo priore non prodit Præceptorem: in altera vero libere profitetur, cuius Magisterio ad hoc impietatis fastigium profecerit. Igitur nox illa, qua tandẽ Lutherus argumentis à Sathana conclusus in partes eius concessit: hæc, inquam, fatalis nox, inter diẽ illum quo Wartbergam deductus est, & Calend. Nouem. huius an. 1521. quærenda videtur. At Lutherus (dicet aliquis) iam ante quædam scripserat, ex quibus eum hostem Eucharistiæ sacrificii fuisse non obscure colligas. Scripsit istius generis quædam fateor, in libro ad nobilitatem Germanicam, in Tractatu de nouo Testamento, tum in præludio Babylonico: verum cunctanter & remisse, quasi rem tam solide fundatam quam postillam vocant: Responsio ad librum Bartholomæi Latomi Theologi Louaniensis: Liber de votis monasticis, quem Latine scriptum patri suo dedicauit, homini prorsus illiterato. Bulla Cœnæ Domini Germanice versa per Lutherũ, & fœdis glossematis contaminata, quam Bullam de vespertina ingluuie, vel deuoratione vocat. Cohortatio ad Christianos omnes, vt à seditiosis consiliis abstineant. Demum liber de abroganda Missa, scriptis in publicum proiecit: periculum facturus, more suo, quomodo tam impius conatus acciperetur. Stabat igitur, cum in latebras secederet, quod ad iuge sacrificium attinet, velut hæsitans & mutabundus, ac si inter conscientiæ dictamen, & suggestiones dæmonis fluctuaret: incertus, an huius impulsum, aut ductum illius sequeretur. Tandem vero cõscientia succubuit, peruicitq; Sathan, & Lutherum in sententiam pertraxit, nocturna disputatione superatum, qꝰ decimoquinto Sacerdotii anno factum est; & quidem antequam librum scriberet, de abroganda Missa: certe quin in Pathmo Thuringica contigerit æstiuis mensibus, vel ineunte autumno, vix potest dubitari. Deinde coniecturam hanc & illud confirmat, quod eodẽ tẽpore quo Lutherus in Thuringia delituit, fratres ipsius Augustinenses Wittẽbergæ Missam abrogarunt. Testantur hoc literæ, quas ea de re Calend. Nouem. huius an. 1521. ad eosdem Augustinenses dedit. Ex quibus satis euidenter colligi potest, institutam fuisse mutationem hanc per æstatem vel sub initiũ autumni: vt astute negotium istud egisse videatur, Sathan, dũ eosdem, quo Lutherum in castro Wartbergensi disputando aggressus fuit, Augustinenses ipsius socios impulit, vt quod argumentis Luthero faciendũ persuasit, id ille facto simul exiquerentur. Eundem n. fuisse spiritum, qui contra Missam noctu cum Luthero disputauit, & qui socios Augustinenses ad eã abrogandã impulit: ex ipsius Lutheri testimonio nouimus: qui protocollum habitæ disputationis ipse diuulgauit, & in literis ad Electorem Saxoniæ Fridericum, tum ad alios, institutam Wittembergæ mutationẽ, Diabolo tanquam authori nõ dubitanter tribuit: Nihil itaq; verosimilius, quam vt dæmon, cum tanti momenti negotiũ disputando pro voto transegisset, ad hoc ipsum exequẽdum sine more progrederetur. Itaq; factum Augustinẽsiũ qui dæmonis instinctu primi omnium Missæ sacrificium abrogarunt, colloquii ea de re cũ dæmone habiti locum & tempus secreto nutu designat. Eodem pertinet, qꝰ Ioan. Mathesius cõmemorat in vita Lutheri, eũ scilicet à diabolo grauiter in hac eremo diuexatũ afflictumq; fuisse: ita vt viribus exhaustis contraxerit morbum & propemodum ad extrema deuenerit: quæ corporis infirmitas ab exagitatione dæmonis originẽ habuisse videtur. Neq; vero dubium est, quia varios angores difficilemq; luctã sustinuerit, antequam Sathanæ ductum secutus, sese potuit ex conscientiæ vinculis expedire. quę res mihi quidẽ transacta videtur in castro Wartbergensi, vbi loci situs & solitudo cõfoditatem Satanæ præstitit, vt rugitum hunc contra Missę sacrificium liberius in aures & animum eius intonaret. Fauet huic coniecturæ, quod de fœmina quadam Nobili è Berlipsiorum familia narratur: dignũ memoratu. Erat hæc Luthero vehementer addicta: cũq; velut per nebulam intellexisset, eum in Wartbergensi castro delitescere, desiderio videndi hominis accensa istuc venit. Excepit eã hospitio Castri Præfectus; sed Lutherum istic esse, vti mandatum erat, constanter negauit: quem etiam confestim è cubiculo in quo morabatur, ad aliud quoddam latibulum in eadem arce traduxit, & Lutheri cubiculum eidem matronæ nobili per noctem occupãdam dedit: in quo tantos illa nocte strepitus audiuit, & terriculamenta, ac si catherua dæmonum istic habitaret. Vnde coniecturam facio, Lutherũ eo loco detestandum hoc cum Sathana cõsortium habuisse, in quo, post diuturnam luctam, succubuit tandẽ, atq; hosti manum dedit. Et quẽadmodum Christo, postquam is in solitudine Sathanã deuicit, Angeli præsto fuerunt in ministerium: sic in eremo Thuringica ad locum illum, vbi Luthero per Sathanam deuicto ad euertendum iuge Sacrificium prima fuerunt iacta fundamenta, maligni Spiritus ceu triumphabũdæ confluxerunt, magno numero spectrisq; per noctem editis, ob rem bene gestam, luctuosæ victoriæ signa dederunt. Præterea paulo ante de conscientia diximus, quæ primis annis Luthero vehementer obluctata fuit. Hanc vero molestiã in libro de vsu vtriusq; speciei sese fatetur ad triennium sustinuisse, priusquam ex Papatu, vt ipse loquitur, solutis obedientiæ vinculis potuerit eluctari. Quoties, inquit in præfatione libri de abroganda Missa, mihi palpitauit tremulum cor, & reprehendens obiecit eorum fortissimum, & vnicũ argumentum: Tu solus sapis? Totne errant vniuersi? Tanta secula ignorauerunt? Quid si tu erres, & tot tecum in errorem trahas, damnandos æternaliter. Et tandẽ confirmauit me verbis suis certis & fidelibus Christus, vt iam nec tremat, nec palpet, sed insultet cor meum his Papi-

sticis argumentis. Scripsit ista Lutherus Calendis Nouembr. huius anni 1521. ex eremo Thuringica. Hunc vero conscientiæ palpitantis angorem an. 1518. initium habuisse, facile mihi concedet opinor, quisquis negotii Lutherani cursum intentis oculis obseruare voluerit. Eo enim tempore causa hæc, quæ prius inter doctos tantum habitis concionibus, editisq; libellis & thesibus agitata fuit, ipsi quoq; Pontifici atq; Imperatori curæ esse cordiq; cœpit, ita vt orbis Christianus iam commoueri videtur. Vnde Lutherus iustissimam in conscientia trepidandi causam habuit. Progressus tamẽ est, quantumuis palpitaret cor tremulũ, & errores perpetuo contra conscientiæ dictamen cumulauit: donec tandẽ victus importunitate dæmonis, saluberrimum illud conscientiæ murmur penitus cõpressit: quod non alibi quam in Wartbergensi latibulo, mensibus æstiuis factum, cursus temporum & annorum series euincit. Porro dignum est obseruatu, quod Lutherus, cum se certis fidelibusq; verbis Christi à mortificantis conscientiæ puncturis liberatum dicit, de cœlesti quadam reuelatione loqui videtur: quam si post triennalem cõscientiæ luctam habuisse creditur, quin habuerit in latebris, vix est causa, cur quisquã ambigat. Vtrũq; hoc suadent ipsius Lutheri literæ, quas ex secessu Wittembergam reuersurus, ad Fridericum Electorem ex itinere dedit, quinto die Martii an. 1522. Bornæ exaratas. In ijs enim eodem se plane modo cælitus accepisse doctrinam suam, quo D. Paulus, per reuelationem Iesu Christi scilicet, non obscuris verbis insinuat. Notum sit, inquit, Illustris. C. V. quod Euangelium non ab hominibus, sed tantum è cœlo per Dominũ nostrum Iesum Christum acceperim: vt non iniuria me seruũ eius & Euangelistam nominare potuerim: quod ipsum deinceps quoq; faciam. Concludit epistolam his verbis: Alius quidam vir est, quam Dux Georgius, cum quo mihi negotiũ intercedit, is me valde bene nouit: nec mihi vicissim incognitus. Si fidem haberet Illustris. C. V. videret gloriam Dei. Sed quia nondum credit, nihil vidit hactenus. Hæc cum scribit Lutherus, dubium non est, quin de cælesti reuelatione quadam loquatur: nec aliter ipsi Lutherani verba sui præceptoris accipiunt, quemadmodum ex breui glossemate manifestum est, q̃ ad initium huius epistolæ Tomo secundo Ienensis in margine adiectum legitur. Iam vero reuelationem hanc in Pathmo factam, inficiari nemo poterit, nisi Luthero contradicat, quise priusquã à Vvartbergensi secessu domum rediit, imo ante Calend. Nouemb. à fluctuatione mentis, & triennali conscientiæ luctа Christi sermone liberatum asserit. Vnde & illud porro sequitur, reuelationem hanc, de qua Lutherus ad Fridericum gloriatur, & quod habuit cum dæmone colloquium, in idem fere tẽpus incidisse: in menses æstiuos, inquam, vel in autumnum huius an. 1521. Qua in re non iniuria mireris, quod Lutherus nocturnam dæmonis apparitionem, & quid in ea contigerit, non accurate minus quam prolixe descripsit. At qualis illa fuerit apparitio, in qua se doctrinam suam ab ipso Dei filio cælitus accepisse iactat, nusquam aperte prodidit. Sane quidem D. Paulus, cum quo Lutherani præceptorem suum hac parte conferunt, visiones suas aperte satis & explicate recensuit, ijs etiam audientibus, qui fide Christi nondum erant imbuti, Actor. 22. & 26. Lutherus autem se quidem visionem habuisse innuit: verum cuiusmodi illa fuerit, numquam ausus fuit in apertum proferre. Quę res argumento est, quod huic reuelationi non multum fideret: quamquam eius obtentu, velut Gorgonis obiecto capite, Fridericum Electorem à seuerioribus consiliis deterruit. Cæterum qualis hæc fuerit apparitio, certe diuinam non fuisse, sed illusoriam, inde colligas, quod eam Lutherus, vt paulo ante diximus, ad exemplum Diui Pauli describere, vel commemorare nunquam ausus fuit: quod Christus ille qui Luthero per visionem apparuit, eandem sententiam de Sacrificio, deque Sacerdotio nouæ legis inter cętera confirmauit, quã in nocturno colloquio, tam operose multis rationibus firmatam Diabolus inculcauerat: quod gloriatio de visione hac, qua se velut Euangelistam, Christi seruum, prophetam immediate vocatum venditat, paulo post in aerem euanuit: cum Muntzerus, Carlostadius, Pelargus, aliique fanatici Nouatores, enthusiasmos suos & reuelationes iactarent: vt frequens erat his temporibus stratagema Sathanæ, in Angelum lucis, in patrem cœlestem, in Christum, in Spiritum Sanctum se transformantis. Itaque dubium non est, quin is CHRISTVS huic Martino Saxoni per visionem fraudulenter illuserit, quem Seuerus Sulpitius autor est Diuo Martino Turonensium Episcopo quondam apparuisse. quamquam hic fraudem Sathanæ persensit, euasitque deceptionis periculum, & Christi laruam astuto veteratori detraxit: Saxo vero, sub CHRISTI specie per Sathanam misere deceptus est, & in errorem abductus. Interim nouum non est hoc imposturæ genus, vel dæmonis artificium sub aliena specie decipientis, quemadmodum ex 3. libro Regum capit. 22. ex prioris Epistolæ ad Corinthios capit. 11. tum ex historiis Enthusiastarum constat: Vt mirum non sit, si Lutherus hac strophа circumuentus, à via veritatis aberrarit: Scilicet, nec primus fuit, nec vltimus, cui per huiusmodi fraudem veterator Sathan imposuit. Illud vero mirandum est, quod in causa tam ardua, ex qua mutatio publici status in orbe Christiano pendebat, obtentu reuelationis in eam se viam duci passus est, quam eandem Sathan ipse, non transformatus in Angelum lucis, sed aperta fronte congressus demonstrabat; quam ingredi non potuit, nisi Melchisedechicum Sacerdotium abrogaret Christo, hierarchicum Ordinem in Ecclesia conuelleret, & ad euertendum iuge sacrificium viam muniret Antichristo. Adiungo & istam non postremam coniecturam, quæ Lutherum in castro Wartbergensi cum Diabolo de Missa Sacrificio collocutum suadet. Deprehensum est, nouos illum in hac solitudine quosdam afflatus hausisse, quibus ad eum modum intumuit, vt furor hominis & rabies, in Pathmo non paruum incrementi sumpsisse videretur. Testantur hoc imprimis libelli ipsius, quos istic scripsit: doctrinam in eis exaratam non fuisse hausta à patre luminum, sed à principe tenebrarum & turbinum. In eo libello quem ad Franciscum Sickingen *de Confessione* scripsit, Pontificem Max. Episcopum & omnem Clerum comparat populis Chananæis, qui noluerunt se dedere victoribus vltro, sed expugnati sunt gladio Iosue Reges XXXI. Deinde minatur eis, si non mutarent instituta sua, fore vt alius eos doceat, non litteris & verbis vt Lutherus, sed factis & armis. Agit item gratias Deo, quod terror Romanæ Sedis minutus sit: & Capitulum illud in Decretis, *Si quis suadente Diabolo*, homines non amplius incantet.

In alio deinde libello, quem in Lathomum Louaniensem Theologum scripsit, in præfatione sic ait, non minus petulanter quam impudenter: Sedet portentum Romæ in medio Ecclesiæ, & venditat se pro Deo: adulantur Pontifices, obsequuntur Sophistæ, & nihil non pro eo faciunt hypocritæ. Interim infernus dilatat animam suam, & aperit os suum absque termino, & ludit Sathan in perditione animarum. Cumque eam præfationem scriberet ad Ionam Præpositum Wittembergensem, monuit, vt Decretales Antichristi pestilentissimas, quibus docendis mandatus esset, non alio studio profiteretur, quam vt doceat dedicęda esse quæ doceat, & sciant fugienda sicut mortifera quæcumq; Papa & Papistæ statuunt ac sentiunt. Et in fine libri ait: Ex ijs puto satis monstratum, Theologiam Scholasticam esse aliud nihil, quam ignorantiam veritatis, & scandalum iuxta Scripturas positum. Meum vero consilium dixi, vt adolescens vitet Philosophiam & Theologiam Scholasticam, vt mortem animæ suæ. Thomas multa hæretica scripsit, & author est regnantis Aristotelis, vastatoris piæ doctrinæ. Quid ad me, quod Bullarum Episcopus eum canonizauit? Ideo meo consilio qui volet cautus sit: facio quod debeo, & iterum moneo cum Apostolo: Videte, ne quis vos decipiat per Philosophiam, & inanem fallaciam (hanc ego Theologiam Scholasticam interpretor fortiter & cum fiducia) secundum traditiones hominum, secundum elementa huius mundi (hæc sunt iura Bullarum, & quicquid vltra Scripturas statutum est in Ecclesia) & non secundum Christum. Tandem ista subiungit: Et quare vestrum aliquis ad reliqua non respondet? vel tu, vel Andreas Carlostadius? Ecquid cessat Ambsdorffius? An non omnibus vobis pariter Euangelii gloria vindicanda est? Caput ego contriui serpentis: corpus cur non queatis calcare? Addebat in Diuum Hieronymum calumniam, quasi Arrii fautorem, quod noluerit recipere Homousion, tamquam veneni aliquid lateat ibi in litteris & syllabis. In eo porro libello, quem de abroganda Missa extrusit, præter

illa

illa quæ superius de palpitatione cordis tremuli retulimus, in fium diuertit, quem itineris comitem ad Comitia habuerat. Eo quidam ex amicis conuenerunt ipsius vocatu, cum quibus ad dies aliquot suauiter & iucunde vixit, ac deinde secrẽto Vvartbergam rediit. Interea Vvittembergæ mussitari cæptum de reditu Lutheri: quæ res tum per Scribam aulicum enunciata esset, Princeps quidam rumore dubio excitus, & nobiles aliquot matronæ venerunt, vt Lutherum reducem salutarent: quibus tamen eius videndi copia facta non est. Alius cum acre & cœlo vel mutasset, vel saltem mansuefecisset animum. at non Lutherus, qui totus in ferocitatem versus, nulla mutatione cœlorum potuit mutari. Viuebat id temporis, Albertus Archiepiscopus Moguntinus, cuius imprimis maximam apud exteros, posterosque omnes laudem semper foret eximia, in auita & Sacrosancta Catholica fide constantia: quod hac tempestate, cum ad nouæ fistulæ modulos, leuiter ac fæde saltitarent tam multi, tam quam magni & propinqui: cum seditionum, bellorum, & atrocissimarum coniurationum tempestates insurgerent vndique: cum eum ditionum amplitudo, insitæ mortalium corporibus illecebræ, florentis ætatis ardor, maximarum opum instrumenta, potentiæ longe lateque dominantis magnitudo, Lutheranarum Sirenum blanditiæ plurimæ, ipsiusque adeo Lutheri Epicureæ voces ac litteræ, ipsius identidem ad nouæ sectæ licentiam animum titillarent, ac prolectarent: potuerit transgredi, & non est transgressus: sed cogitaret, nihil noui esse in Ecclesia oriri hæreses: harum architectos semper operam dare solitos, vt inani sacrarum litterarum iactatione, vitiorum quæ in Ecclesiasticis quibusdam sunt exaggeratione, legum veterum contemptu, corporeatum voluptatum indulgentia, popularique blandiloquentia, in simplicium minusque attentorum animos influant: eaque propter ab omni religionis nouitate abhorreret, ad antiquæ fidei petram firmissime adhæreret, atque nouum Iouinianum, aut Vigilantium abhorreret. Ad hunc Lutherus, iam per syluas, prata & villas, vagus, nihilque ea mutatione immutatus, datis mense Nouem. exeunte litteris, iracundissime ac superbissime ex postulat, suis nullas literis litteras reddi, suisq; ab Archiepiscopo consiliis non obediri stomachatur. *Mihi, Luthero,* ait, *eusmodi iocus non fiat. Aliter hac de re canendum, & audiendum. Lutherus inceptabit cum Moguntino Cardinale ludum, de quo non suspicantur multi.* Deinde obiurgat, quod scortatores è Clero Archiepiscopus puniat, neque ad sacrilegas procurrere nuptias patiatur. Id ægerrime fert Lutherus, eorumque causam agit impudentissime, minas adiiciens, se post dies XIV. librum satis vehementem editurum. Archiepiscopus vero, cogitans Sacerdotibus Domini apud Catholicos, vetita iam pridem esse Sacris politicisque legibus connubia, contempsit hominis insaniam: & non Lutheri, sed suæ ipsius habita ratione personæ, grauiter modesteque respondit. Exemplum, quod à posteritate legatur dignissimum, ex Germanico est hoc. *Dilecte D. Doctor.* (stylo scilicet Germanico ita loquitur, prout etiam cum hæreticis quandoque fieri posse docet S. Augustinus epistol. 147.) *Litteras tuas, quæ Dominico post S. Catharinæ festum die datæ sunt: accepi & perlegi gratiose, bonamque in partem interpretans, Confido penitus, causam prudens, quæ ad eiusmodi (libri scilicet nominati) scriptionem te commouit, sublatam. Et, Deo bene iuuante, ita me gerere, palamque præ me ferre volo, quemadmodum bonum Ecclesiasticum, & Christianum Principem decet: quamdiu suam mihi Deus gratiam, vires & rationem concesserit: Quam ad rem & Deum rogo ipse, & ab aliis eum rogari curare volo. Nam à me ipso possum nihil: libenterque confiteor Dei gratiæ egere me, vt pote qui miser peccator homo sum, qui errare & peccare potest, quotidieque peccat & errat. Non hoc inficior. Probo equidem noui, absque Dei gratia in me boni esse nihil: & instar cuiuscumque vmquam alterius, si non magis, esse me inutile, olidumque lutum. Hoc ad tuas literas volui bono animo te non celatum. Nam ad bene de te merendum sum, Christi gratiæ, parato paratior. Misericordem, bonum Deum, hisce in rebus vlterius, gratiam, robur, & patientiam, vt secundum suam voluntatem in omnibus viuamus, largiturũ spero. Dat. Hallæ ipso S. Thom. Apost. 1521. Albertus manu propria.* Certe tam admirandæ fuerunt hæ literæ demissionis, vt Lutherus ipse in subiuncta ad Wolfgangum Capitonem Epist. dixerat: *Si ex animo ille scripsisset, se velle hilariter, ac humiliter ad illius pedes accidere, seq; indignum existimare, qui pedum illius puluerem oscularetur.* Ita Lutherus reuera indignus, qui Põtificis Maximi, ad Christi Domini honorem

XXV. *Lutherus morbo correptus.*

Diximus Lutherum, dum in Pathmo moraretur, morbo fuisse correptum satis difficili & periculoso, ex quo cum respirare nonnihil inciperet, suasertunt amici vt sanitatis causa moueret corpus, & locum aeremq; subinde mutaret. Itaque deambulabat nonnumquam in monte, cui castrum impositum est. Comitabatur & eos subinde qui venatũ exibant: quam q̃ istius exercitationis breui tædium cœpit, vt litteræ testantur, quas de venationis successu dedit, ad Spalatinum. Demum cũ vires iam essent restitutæ, placuit, animi causa, paulo longius euagari ad vicinos pagos. Assumpsit igitur comitem itineris ministrum nobilis cuiusdam, hominem probatæ fidei, & valde taciturnum, cum quo iter ingressus ad pagum quendam venit Martsallum nomine, vbi nonnulli habitabant ex ipsius consanguineis, à quibus agnitus tamen non fuit. Mutauerat enim habitum, seque nobilem salutari iusserat, nomine Georgium: *Iuncker Iorgen.* Erat per ministrum hunc monitus, antequam exirent, ne gladium in diuersorio deponeret, neue statim inuolaret in libros obuios, si quos forte videret: Eo enim indicio prodi dicebat studiosos & litteratos homines. Paruit huic monito Lutherus in Georgium nobilẽ transformatus, atque ita circumductus ad monasterium tandem peruenit, quod Reinardi fontem appellant. Ibi quidam ex Fratribus, quos Conuersos vocant, Lutherum agnouit ex facie: quod cum socius ipsius animaduerteret, confestim monuit nobilem laruatum, vt se daret in viam: tempus id postulare, si modo actioni vellet interesse, quam ad vesperam sciret institutam. Vsus hoc commento minister, vt Lutherum isthinc abduceret. nec ille diu moratus est, vbi se vidit agnitum: sed statim subduxit sese, atque iter ingressus, Vuartbergum cum socio reuertit. Incidit illi postea desiderium excurrendi Vvittembergam, vt quo loco res istic essent, videret coram, & amicos consaluraret. Igitur venit istuc secreto, mense Nouembri, in alieno habitu, & ad Nicolaum Amsdorf-

pedes oſculari, ſcelus & idololatriam clamabat: more improborum ſuſpicioſorum, ſuo cæteros omnes pede metientium, nihil cuiq; bono credens, ſed omnia in diuerſum accipiens, de Alberti Cardinalis ex animo demiſſa humilitate cenſebat: ipſe dedicatus iam illi, qui *Rex eſt ſuper omnes filios ſuperbiæ. Vlembergius in vita Lutheri. Cochlæus de actis & ſcriptis Lutheri. Surius in Comment. Serrarius rerum Mogunt. libr. 5. in Alberto. Reimundus de ortu hæreſeon lib.* 1.

XXVI. Hoc ipſo anno & menſe ſtatim à promulgatione in Lutherum & Sectarios edicti Cæſarei, Hugo Epiſc. Conſtantienſis, cuius iuriſdictioni Eccleſiaſtica ſubiecta eſt Tiguri ciuitas, dedit literas ad Collegium Canonicorum, in quibus erat Zvvinglius, & alteras ad eiuſdem oppidi Senatũ. His receſſuit incommoda in Eccleſiã, Remq; publicam nouitate ſectarũ importata, non modo in ſalutis animarum detrimẽtum, ſed quietis quoq; publicæ perturbationẽ. Hortabatur itaq; vt diligenter ſibi caueret, à nouis illis doctoribus, ambitione propria, & inſtinctu diabolico impulſis. Miſit vna & Diploma Pontificis, & edictũ Cæſaris, hortatus, vt illi parerẽt, & obſequerentur: hoc reciperent, & imitarẽtur. Sigillatim perſtringebat Zvvinglĩ, & doctrinæ eius fautores. Conatus eſt Zvvinglius, doctrinæ q̃ ſpargebat peſtilentis rationẽ: ſimulq; Epiſc. ſcripſit, inuectus in concubinarios Sacerdotes, quibus præſtare, aiebat, cõcedi vxores, q̃ impudice viuentes tolerare. Præter hæc LXVII. concluſiones, doctrinã ſuã & abuſus Cleri Præſulũq; cõplectẽtes, ſcripto diuulgauit. quas cũ Dominicani ſedulo impugnarent, at Zvinglius mordaciter defẽderet, Senatus Tigurinus Epiſc. admonuit, vt aliquẽ ex ſuis, prudentia & doctrina inſignẽ mitteret, q̃ colloquio intereſſet, ad turbas facilius ſedandas, eaq; ſtatuenda quæ gloriã Dei promouerent. Atq; is quidẽ eo deſtinauit, Iacob. Fabrũ ſuũ tunc Vicariũ, q̃ aliquãto poſt Viennẽſi Eccleſiæ datus fuit Epiſc. qui cum vtriuſq; partis propoſitiones & oppoſitiones audiſſet, ac Zvinglium in ſententia temere perſiſtere, vidiſſet, vniuerſum negotium ad Pontificem Maxim. reiecit.

XXVII. Contra hæc monſtra, dum moriente iubenteq; Sumo Põtifice depugnaret Cæſar Carolus, omninoq; deſignaret, de ciuitate Domini, Eccleſia Catholica, atq; Germanico Imperio diſperdere operarios erroris, totiuſq; iniquitatis cõcitatores: impedimẽto illi fuere quãplurimi: quominus huic vni rei, extirpationi videlicet exorientis hæreſis incumberet. Robertus imprimis Marcianus, Epiſcopi Leodienſis frater, neſcio quid iniuriarum prætexẽs, Carolo Wormatiæ agenti, in ipſa comitiorum corona, bellum palam denunciauit, atq; ſtatim fædiſſime intulit: fœtus patrocinio Francifci Gallorum Regis, ad quem deſciuit, & à quo militum & pecuniarum ſubſidia proinde ſuſcepit. Alia quoque ex parte idem Franciſcus Rex Carolum bello laceſſiuit. Repetebat videlicet regnum Nauarræ: quoniam Ioannes Rex, qui à Ferdinando Catholico ſub Britannici belli tempus fuerat expulſus, in fide & clientela Galliæ Regem extitiſſet. Ergo nactus occaſionem, quando Cæſar contra ſerpentem hæreſim in Germania totus intentus eſſet: & quando vna eodemque tempore Cæſari, validiſſimæ vlterioris Hiſpaniæ ciuitates, & fere omnes proceres Hiſpani rebellaſſent, miſſis copiis regnum Nauarræum illi eripuit: neque eo contentus, ad Hiberum vſque ſecundo ſucceſſu ſigna promouit: proculdubio & Hiſpaniæ regna occupaturus, niſi Hiſpani, depoſito erga Cæſarem odio, armis communibus hoſtem depulſiſſent, regnumque Nauarræ amiſſum Carolo recuperaſſent. Conabatur Pontifex, pariter & Anglus, id quicquid erat controuerſiarum inter Cæſarem & Gallum, antequam arma ab vtroque expedirentur dirimere, atque nouo fœdere vtrumque deuincire. Sed placuit Franciſco bello decernere, & tam Pontificis quam Angli conſilia poſthabere: ex quo Pontifici dolor ingens, quod Cæſar tantis difficultatibus diſtraheretur, ne cauſam fidei Catholicæ, etiam armis tueri quemadmodum oportebat potuerit: aduerſus Nobilitatem Germanicam Lutheri hæreſim fouentem, atque iam tunc contra Cæſarem Gallicis pecuniis militantem. Erant & aliæ cauſæ, quæ Leonem Pontificem Gallo addictum, fœdereque mutuo coniunctum, ab eodem alienarunt, & Cæſari ſociarunt. Cõuenerat inter Leonem & Gallum, vt ad pacem Italiæ conſeruandam, fineſque mutuos tuendos, vterque inuigilaret, & alter alteri vbi opus eſſet auxilia ſub mitteret. Pactis, Gallus, inprimis non ſtetit. Nam cum paulo ante Hiſpanicæ copiæ in ditionem Pontificiam ſuiſſent ingreſſæ: & aduerſus eas Pontifex coactus fuerat Heluetiorum exercitum accerſere: quam ad rem quum ſumptus dimidia ex parte Rex ſuppeditare deberet, primo quidem menſe præſtiterat, cæteris deficerat. In pactis deinde, Regi neceſſitas imponebatur, vt Venetos ad incundum illud fœdus adducerẽtur: quod quidem Rex non ſatis diligenter curauit: quinimo illos ſibi tantum peculiari fœdere adiunxit. Præterea Pontifex, de regno Neapolitano communibus viribus recuperando, à Rege admonitus, cum nuncio Regio numerum oſtendiſſet tum equitatus & peditatus, tum machinarum qui ad rem ſuſcipiendam requirebatur, monerctque Regem atque poſtularet, vt ipſe quoque intra viginti duorum dierum ſpatium pactis reſponderet: Rex omnino nihil reſpondit. Vnde eo tempore, & præterea toto menſe exacto, ſuſpicari cæpit, neque vnquam eximi animo illius potuit hæc ſuſpicio, Regem aliquid ſe inſcio, & ſibi detrimento ſum pactum eſſe. Continebat præterea id fœdus, vt Rex cum contra Pontificii Imperii ſubiectos & beneficiarios iuuaret: quod quidem Rex tantum abeſt vt præſtiterit, vt etiam Alfonſum Eſtenſem adiuuerit, quominus à Pontifice Ferraria eiiceretur. Angebant præter hæc Pontificem, Parma atque Placentia, Sedi Apoſtolicæ à Gallis impotenter ereptæ: quas quidem vrbes tanta cum gloria Eccleſiæ Imperio adiecerat Iulius, ipſe vero turpiſſima pactione amiſerat. Super id ferre non poterat, Gallorum in Inſubria profectorum ſuperbiam, qui Sacerdotia totius Galliæ Ciſalpinæ, deſpecto plane Pontifice, contra eius authoritatem, vti libido ferret, indignis hominibus adiudicabant, quos ad vrbem de more citari & vocari in ius propoſita pœna vetuerant, nullaq; Pontificia edicta mandataue in Inſubria admittentes, ſuperbiſſimis inſolentiſſimiſque verbis ea contemnebant. Eam rem, periniquæ impotentiſque inſolentiæ plenam, cum Pontifex dignitatis ac exiſtimationis nomen tueri ſolitus, Regia liquoties expoſuiſſet: neque vero is præfectos ad officium reuocaret: habuit cauſam vel grauiſſimam, cur ab amicitia Regis diſcedendum ſibi putauerit: quando quidem Rex, ſuper illa quæ commemorauimus, diſſimulanter Feltrianum bellum contra Pontificem aluiſſe credebatur: & quidem non inanibus coniecturis: quum eius auxilia Ambra Carbonesque Vaſconum Ducibus ad Ducem Feltrium transfugiſſent: & à Siſſcio equitum præfecto, qui numquam in conſpectum hoſtium veniſſet, quædam oppida ex fideliſſimis fœde ac hoſtiliter directa fuiſſe conſtaret. Iſta porro fuit inter alias cauſas vehementiſſima, quæ Pontificem à Rege alienauit. Cum Pontifex illum pactorũ admoneret, quæ non ita pridem Romæ percuſſerant, Rex ſuſpicioſus, anceps euaſit: vel ex eo metu. Inter vtrumque, de regno Neapolitano communibus auſpiciis adoriendo cõuenerat, ea lege, vt Caieta, & quicquid inter Garilianum amnem & Pontificii Imperii fines poſitum eſt, Pontificatui adiiceretur: reliquum regni ſecundo Galliæ Regis filio cederet: qui quod impubes eſſet, tamdiu donec ad pubertatem perueniſſet, vna cum regno Pontificii Legati, qui Neapoli Sedem haberet, tutelæ eſſet ſubiectus. In hoc vero, fraudem aliquam eſſe metuendam, aliqui ſcrupulum Regi iniecerant. Non veriſimile videri, Pontificem vt regnum Neapolitanum in ipſius Filiorumve poteſtatem veniret cupere: quod, ſi eo regno & Inſubria potiretur, nimis ipſius potentiam eſſet formidaturus: tantam profecto benevolentiam dolo non carere. rebus ſuis diligenter à fraudibus caueret, ne cum ſe regnum Neapolitanum adepturum crederet, Inſubriæ imperium amitteret. Si enim exercitũ Neapolim mitteret, in Pontificis qui ſex Heluetiorum millia haberet poteſtate fore, cum Cæſarianis conſpiratione facta eum extinguere: & ſic Mediolanum propugnatoribus nudare. nec mirum videri debere, ſi Pontifex, vt ei illud Imperium viribus eriperetur tentauerat, eius alia ratione adipiſcendi ſpe fruſtratus, dolis id perficere niteretur. Hæ rationes Regem ita commouerunt, vt cum de fœderis ſanctione dubitaret, & fortaſſe aliunde reſpõſum aliquod expectaret, Pontificem & Legatos ſuos ancipites dimittens, nihil Romam ſcriberet. Quod vbi Pontifex vidit, id quod erat ſuſpicatus: & ne Rex conſilia ſua Cæſari aperiret, ſicq; inter eos fœdus contra ſe hac de cauſa exoriretur veritus: ac præterea officio Cæſaris in proſcribẽdo Lutherus deuinctus,

Franciſcus Rex Galliæ Carolum V. bello laceſſit.

Pontifex & Rex Angliæ eos conciliare ſtudent.

Leo X. cum Cæſare fœdus init.

cum

cum Cæſare ſocietatem iniuit: eo etiam libentius, quoniam à Gallis ſe Florentia pulſum, & ad Rauennam demum captum, Soderinianiſque temporibus eorum armis, quominus patriam repeteret, diu prohibitum fuiſſe memoria retinebat, neque recentis beneficii ingrato animo obliuiſci vellet, quum Ferdinandi Regis ſtudio, ac inſigni opera Hiſpanorum militum Florentiam reductus, ac etiam non obſcura eius amiciſſimi Regis commendatione ad Pontificatum euectus extitiſſet: Iam etiam cum Rege Galliæ affinitatis iura, magna ex parte abrupta videbantur, mortuo cum vxore Laurentio Mediceo, & Iuliani fratris vxore in Galliã remiſſa. Iam deinde à Gallis, præter ſupradicta, datum belli principium, immiſſo in Pontificiam ditionem exercitu. Res eſt. Lautrecus ,p Gallo Mediolani Pro Rex, Manaldi Tarbellorũ Epiſc. hominis improbi & ingrati temeritate, cuius cõſilia pro oraculis ſectabatur, adductus impulſuq;, impotẽter Mediolanenſibus imperabat. Multa per crudelitatẽ auaritiã & libidinem flagitia Galli perpetrabant: quando & pecuniam potius eriperent q̃ exigerent à ciuibus, & non nullius honeſtioris matronæ atq; puellæ pudicitiam, non pertentarent modo, ſed & violare auderent: minime etiam abſtinẽtes ab impetu in domos ciuium opulẽtorum, atq; à direptionibus nocturnis. Deſtinarat propterea Lautrecus, Triuultiorum & Palauicinorum (potentiores eæ familiæ Mediolani cenſenbantur hoc tempore) agros maximos & feraciſſimos, villas, caſtra, oppida, in ſuum quæſtum conuertere: aliis in exilium proſcriptis, quibuſdam ad vincula & carceres damnatis: pro quibus liberandis, neq; Pontificis deprecationes audire ſuſtinuit. Nonnulli ex proſcriptis, in Lepidi Regiũ conceſſerant, Pontificis patrocinio in eius ditione ſe tutos fore arbitrati. Ad hos repetendos, ſpecie tenus quidem, reuera autem ad Regiũ occupandum, Leſcutus Lautreci frater & Thomas Toxius, cum exercitum vrbi admouiſſent, vixq; non occupaſſent, Pontifex, vt par erat vehemẽter commotus, in Cardinalium Senatu ea de re grauiſſime cõqueſtus, exinde inimicam Galliæ Regis in Sacroſanctæ Sedis imperium mentem perſpici oſtendit: ideoq; ad eius defenſionem ſe ad fœdus cum Cæſare, cuius nullũ vmquam niſi Chriſtiano Principe, cum in aliis omnibus eius actionibus, tũ quod nouiſſime religionis patrociniũ tanto ardore Wormaciæ ſuſcepiſſet, dignum facinus viſum eſſe, incundum cogi. Dixit: & inprimis Foxium & Scutũ, quod ſuos fines hoſtium inſtar ingreſſi, negotiis quoq; Regis ſui male conſuluiſſent reprehẽdit, diriſque deuoluit, & ab Eccleſiæ communione ſubmouit: deinde fœdus cum Cæſare, ad communem etiam Mediceæ familiæ & Florentinorum defenſionem percuſſit: addito: vt bellum in Inſubria coniunctis viribus mouerent, eaq; occupata, Pontificatui, Parma & Placentia, à quo ijſdem iuribus quibus antea eas obtinuerat poſſiderentur, cederent: cumq; Franciſcus Sforcia, qui Tridenti exulabat, ius in Mediolanenſe Imperium ob diploma patri conceſſum, & fratris Maximiliani ceſſionem haberet, ſi id obtinuiſſent, ei traderetur, & fœderati illũ in Imperio tueri ac conſeruare tenerentur: nullo alio ſale in Inſubria niſi eo qui ex Ceruiæ ſalinis ſumptus eſſet, vti liceret: Pontifici non modo in ſubiectos ac beneficiarios ſuos agere permitteretur, verum etiam Cæſar vbi Mediolanenſe bellum confeciſſet, ei contra illos, & nominatim ad Ferrariam occupandam opem ferret. Regni Neapolitani item tributum auctum fuit. Medicco Cardinali quotãnis decem aureorum nummillia, ex Toletani Archiepiſcopatus cenſu: & Alexandro Medici Laurentii olim Vrbini Ducis extra matrimoniũ nato, in regno Neapolitano principatus, ex quo tantundem perciperet, promiſſus. Contra Genuenſium quoque Ducem Octauianum Fregoſium expeditio decreta: quod is Franciſcũ Regem, initio cum eo occulto fœdere, contra authoritatem atq; iudicium bene meriti de ſe Pontificis in Italiam euocaſſet, & grauiſſima contumelia Pontifici illata, vniuerſæ prope Italiæ libertatem prodidiſſet. Aderat concitator vehemens & opportunus Hieronymus Adurnus, qui cum Leone Pontifice, & Emanuele Cæſaris Legato ęgerat, vt ipſe, electo Fregoſio, Genuenſium principatum adſequeretur. Ad hæc peragẽda, in bellicos ſumptus ingentem auri vim Pontifex collegit: non ex Indulgẽtiarum prædicatione vt Ferronius & quiſquis alius fingit: nam ne vna quidem prouinciarum transalpinarum, vllum teruncium trãſmiſit: ſed nequaquã etiam ex prouincialibus expilatis: ſed inſtituto nouo equeſtri ordine ad numerum quadringentorum: cuius ordinis equites coemptis priuata pecunia eius dignitatis officiis, ex vectigalibus demũ quotannis centenos aureos accipiebant, & immunitatis prærogatiua iuuabantur. Addidit etiam Cubicullariorum Scutiferorumq; Collegia, officiis eorum venalibus, ad eam ſpem vberrimi reditus, ſicuti antea Iulius officia annonæ præſidentium inſtituiſſet. Summa belli Proſpero Columnæ demandata eſt, cuius prudentiæ virtutiq; bellicæ Leo plurimum confidebat. Subſecutus quoque eſt Ferdinandus Daualus Piſcarius cum Hiſpanorum cohortibus XX. & Antonius Leua cum valido equitatu. Præfuit Pontificiis Fridericus Gonzaga Mantuæ Princeps. Legati duo Cardinales, Medicæus & Sedunenſis, conſiliis omnibus præfecti, Sacroſancta poteſtate omnia moderabantur. Parma primum, Placentia, Ticinum & Cremona in poteſtatem Pontificiorum & Cæſarianorum venere: hoſtibus deinde Mediolano fugatis, ipſa quoq; Vrbs Pontificios & Cæſarianos admiſit. Lauda Pompeia, Comum, & Alexandria exemplum Mediolani ſecutæ, etiam ſeſe Pontificiis & Cæſarianis dediderunt. Lautrecus Borbonius, Leſcutus, M. Antonius Columna, Vandeneſius, & reliqui Gallicarum copiarum duces, Alfonſus Eſtenſis Dux, Feltrius Vrbinas, & Andreas Grittus Veneti exercitus ductor, turpi fuga euaſere: multi capti, innumerabiles occiſi: Defuit Pontificiis & Cæſarianis ad ſummam victoriam perſequendi hoſtis facultas, haud dubie obſcuræ noctis tenebris intercepta. Nã multo maxima copiarũ pars, & totus ferme equitatus, ipſiq; præſertim Heluetii, qui poſtremam aciem ea die tenuerant, extra vrbem vix accepta per manus rei geſtę fama conſtiterant: quando Iulius Cardinalis Legatus, & Proſper, ipſeq; Mantuanus Ticinenſi porta, ſuſcipientibus Gibellinæ factionis principibus, interiorem Mediolani vrbem à Gallis fugientibus incenſam ingreſſi ſunt.

Leo X. cum Gallo bellum habet.

Leo X. vrbes ſuas amiſſas recipit.

Tantæ victoriæ nuncio accepto Pontifex, cum in Manliana villa eſſet, incredibili lætitia eſt affectus: nam eo triduo literæ de Heluetiorum ambigua fide acceptæ, animum incerta & ancipiti ſpe victoriæ ſuſpenſum ſollicitis cogitationibus excruciarant: nec multo poſt, priuſquam cænaret obriguit, ſenſimque exorta eſt febris à quodam miti tempore longe leniſſima, Sed quæ ei ſuprema extitit. ob id ſequenti die in vrbem eſt reuectus, iam certius ac plenius erumpente morbo: peſſimumque omen imminentis mortis in ipſo cubiculi limine accepit, in quo conſtiterat architectus ligneam offerrens ſepulchri effigiem, quod tum inſigni marmoris cælatura Henrico Regi Anglo in Britannia parabatur. Sed ea febris, quod ex interuallis laceſſeret, à medicis adulantibus, aut iudicio deceptis aliquamdiu neglecta, adeo vehementer demum incubuit, vt pene priuſquam morbus dignoſci poſſet, & fatalis hora ſentiretur, turbata ratione ſit ereptus: paucis tamen ante horis quam è vita migraret, ſupplex, iunctis, elatiſque manibus, atque oculis in cœlum pie coniectis, Deo gratias egit, conſtantiſſime profeſſus, ſe vel funeſtum morbi exitum æquo pacatoque animo laturum, poſtquam Parmam Placentiamq; ſine vulnere recuperatus, honeſtiſſima de ſuperbo hoſte parta victoria, conſpiceret. Vixit annis quadraginta ſeptem, imperauit octo, totidemque menſibus, & diebus vnde viginti. Fuere qui exiſtimarent cum indito poculis veneno fuiſſe ſublatum. nam cor eius atri liuoris maculas oſtendit, & lien prodigioſæ tenuitatis eſt repertus, quaſi peculiaris & occulta veneni poteſtas totum id viſceris expediſſet. Ob id coniectus eſt in carcerem Barnabos Maleſpina miniſter à poculis, non obſcuro indicio, quod Leonem, pridie quam decumberet, in cœna poſt hauſtum vini calicem, ſtatim obducta & triſti fronte ab eo quæſiuiſſe cõſtabat, vnde nam ſibi adeo amarum & inſuaue vinum propinaſſet. Adauxit quoq; patrati ſceleris ſuſpicionem, quod ipſe ſub auroram, quum ſeptima noctis hora Pontifex expiraſſet, ſpecie venandi cum canibus Vaticanam portam exiuiſſet, adeo vt prætorianis vti fugitiuus caperetur, his ſcilicet admirantibus diſſolutum hominis ingenium, qui intempeſtiuas abſq; vllo pudore quæreret voluptates, quum tota aula extincto beneficentiſſimo Domino in lachrymis & luctu verſaretur. Sed Iulius Medices Cardinalis, quum è caſtris ad comitia in vrbem eſſet reuerſus, inſigni prudentia de veneno quæſtionem haberi vetuit, ne in nomen alicuius magni Principis inexpiabili cum inuidia quęreretur. Sed qualiſcumque Maleſpinæ animus fuerit, temere

X XVIII

Leonis X. obitus & acta.

non affirmauerim: is certe post nonum annum alterius ambigui criminis reus, quasi reseruata à Deo in eum diem impij flagitij pœna, Mediolani capitali supplicio punitus est. Erant & qui potius crederent, venenum in pillulis ex aloe, quibus p hebdomadam ad subducẽdum aluum vtebatur, sumptum fuisse, decepto scilicet Serapica Cubiculario, qui eas in loculo, vti ad frequentem vsum, negligentius seruare consueuisset. nã biduo antequã Leo moreretur, Lesbius abaci præfectus nullo concepto morbo interiit, quum duas ex his pillulis de more ad tuendam valetudinem forte præsumpsisset. Non defuere tamen, qui & ministros, & Principes ea calumnia omnino liberatos vellent, quasi Pontifex obstructa iam plane fistula, & obid saniosis humoribus ad præcordia reiectis, lethalé morbum facile cõceperit: præsertim quum & his diebus turbidus auster nebulam pestilentem ex palustribus campis ad villam importune detulisset. Iouius tamẽ haud obscuris ab arte medica innixus coniecturis, nusquam adduci potuit vt crederet, ea membrorum Pontificis robora, eamq; vim largissimi caloris, in ipsa corporis temperatura ferme æquali, & obid ad producendam vitam maxime idonea concidere potuisse, nisi alicuius nobilis veneni sæuitia multo impetu ad ipsa vitalia penetrasset: quando ad perferendam quamlibet inusitatę, vel etiam continuæ febris contumeliam, ea firmitate corporis atq; animi in multos dies omnino paratus esse videretur. Erat n. statura corporis admodum excelsa, toto habitu succoso potius quam pingui, & eo quidem per singula membra venuste commensurato, teretibus scilicet directisq; cruribus, & manibus candore formaq; longe pulcherrimis: sed vna capitis amplitudo, cætera membra, enormi prope excessu, nec tamen sine dignitatę superauit. vnde illi naturæ dono admirabilis ingenii captus, & memoria rerum omnium singularis. Subtrahebant autem magna ex parte oris suauitatem obesæ malæ, & oculi extantes, conuolutiq; & hebetes, verum si ad pupillam inspicienda propius admoueret, supra fidem acutissimi. Supplices enim libellos, vel minutissimis literis, & crebris syllabarum compendiis properanter exaratos celerrime & distinctissime lectitabat: admota autem crystallo concaua, oculorum aciem in venationibus & aucupiis adeo late extendere erat solitus, vt non modo spatiis & finibus, sed ipsa etiam discernendi felicitate cunctos anteiret. Ex ore eius voce suaui & tenera sermones profluebant, ad omnes affectus exprimẽdos peruenusti. Nam neque in seriis astricta grauitas, neque in communibus liberalis lepor, neque in mollioribus vrbana fœcunditas vmquam defuit. Dictabat literas Etrusce & Latine perelegãter & expedite: componebat etiam versus non illepide Latinos, Etruscos vero peramæna iucunditate delectabiles. Nouerat quoque Græcas literas, nequaquam ad ostentationem, sed ad præsidia Latinæ eruditionis. Legendi autem ac relegendi oblata quæque, & prælatos etiam codices, absque vlla fastidii suspicione auidissimus æque & patientissimus fuit: adeo vt quum incomparabili memoria frueretur, omnium gentium seculorumq; historiis, in exemplum actionum suarum opportunissime recitaret. Sed in eo maxime ad absolutam laudem, singulis rebus æstimandis viguit iudicium excellens, eruditum, illustre: tanta admiratione omnium, vti plerique ex academia fæcunditate ingenii insignes, nõ temere aliunde quam ab ipso Leone rerum suarum censuram expeterent. Cultus diuini & Sanctorum studiosus, Franciscum à Paula, Elisabetham Lusitanam, Casimirum Iagellon iadem Polonum, Philippum Benitium; illum quidem Sanctorum, istos beatorum albo adscripsit. Sacra confecit, singulaque ceremoniarum obiuit munia singulari cum maiestate: vt non falso, nemo superiorum Pontificum eo augustius & decentius sacrificasse diceretur. Componebat etiam vocem, vultum, gestumque in omni occasione negotii aptissime atque celerrime: transferebatque mores ad personam, eximia quadam præsensione petentium votis occurrens: vt quum fortealiquid esset negandum, tenerrimis excusationibus supplicantis animum præoccuparet, speque vltro iniecta nouæ liberalitatis, totum imminentis repulsæ dolorem extingueret. quod si erat, vti fermè semper fiebat, rogantibus obsequendum, tum vero naturæ suæ propensius indulgebat, & ad cumulandum beneficium tota benignitatis & gratiæ vela pandebantur. Neminem enim adeo liberaliter beneficio est prosecutus, quin ab eo, veluti concepto pudore exigui muneris veniam non peteret: vt non obscure multo plura ac vberiora, quam tum concederat, ex occasione daturus esse censeretur. Sæpeque accidit, vt sibi gratiæ à pluribus simul competitoribus agerentur, nemine promissa sibi eripi indignante: quando vnus demum è multis subscripti libelli voto potiretur, & cæteri explorata benignitate propensi verecundique Principis, nequaquam remittendas spes suas, sed omnino adaugendas esse iudicarent. In deliberationibus grauissimarum rerum, diu cuncta excutiebat penситabatque: ita tamen vt decernendi tarditatem, mira exequendi celeritate compensaret. Exigebat autem à ministris, non modo taciturnitatem & fidem, sed obediendi extemploque parendi expeditum & vehemens studium: eos maxime perosus, qui ad ostentandum cautæ subtilitatis ingenium, quo minus prompte iussis parerent, importunis & curiosis interpretationibus vterentur. Tria esse prædicabat, vti à Laurentio patre sæpius audisset, quæ magno Principi in gerendis rebus & laudem & felicitatem pararent: cum amicissimis iudicii atque prudentiæ opinione præstantibus diffuse consultare, statimque ab ipso animi decreto maturare ad perficiendum: numquam obliuisci absentium amicorum: & nullam omnino suspicionem superfluam putare, quæ vitæ principatusque salutem respiceret. Summæ vero esse popularitatis, ad opulentiam vrbis annonæ commercia nullis præscriptis pretiis aut legibus violare, sublatisque Monopoliis omnia sicuti & ora hominum, libera & vacua metu, priuatis negotiatorum arbitriis relinquere: quoniam ea proposita libertas, mercatorum auiditatem incitaret, quorum concursu & æmulatione cuncta demum vilescerent, & vrbs ipsa repletis horreis copiosissima redderetur. In vindicandis autem publicis priuatisque iniuriis existimabat, vti ipse consuesset, vtendum esse temperamento, ratione non omnino difficili, veluti personis atque temporibus accommodata, vt neque ex nimia seueritate odium, neque ex ipsa clementia existimationis iactura pararetur: Volebat enim cum à familiaribus & consanguineis, tum à peregrinis & ciuibus magnopere timeri: verum incolumi omnium erga se beneuolentia. Nam damnabat illam diræ immanitatis vocem: *Oderint, dum metuant.* & certe non obscuro nobilissimi consilii proposita, id in tota vita præcipue spectauit, vt beneficiendo & promerendo ab omnibus hominum ordinibus amaretur, famaque Medicei nominis ad perennem laudem quam lõgissime proferretur. Illo rerum potiente, florebat maxime Roma incredibili rerum omnium vbertate, omnisque generis hominum lætitia. Nam Pontifex quietis atque otii studio, Romanorum inimicitias capitalis odii conciliatione edictoque sustulerat. Tradebatur enim posteris dira animorum obstinatione memoria iniuriarũ, adeo vt affines innoxii tracti in causam metu mortis publico carere cogerentur. Peregrinos vero immunitate multarum rerum, & perbeata quadam securitate vndique ad incolendam augendamque vrbem inuitabat. Nam ab Insubribus atque Cænomanis, circum Padanisque populis ingens multitudo exagitata diuturnis barbarorum vexationibus, fortunas suas Romam auidissime transferebat: adeo vt ad campum Martium extructis domibus peramplam coloniam condere videretur. Nam sicuti eximiis artibus spectatus honor, ita mediocribus opificiis certa merces nõ deerat. Cuncti n. pro fortuna sua ædificando ornandoq; domos & villas, elegantiæ magnopere studebant. Censebantur eo tẽpore ciuiũ & inquilinorũ octuaginta quinq; millia. Dabat itẽ opem diligenter, vt in prouinciis omnia pacata & læta præfectorum vigilantia & seueritate tenerentur: & quum esset natura lenissimus, sæpissime patientiam abrumpebat, si renouatis improborum iniuriis post primam delicti veniam contumelioſe læderetur. Paulum ante alios Baleonum claris militiæ honoribus functum, & ergaMediceam domum studio ac operibus insignem, è Perusia Romam vocatum, eiusq; lenitati impense confidentem, quin capitali supplicio afficeret, vel deprecantibus Vrsinis exorari non potuit. Vir enim impotens & factiosus apud Perusinos cruentam maxime & rapinis infamẽ despectis Pontificiis epistolis tyrannidem exercebat. Est & laqueo suspensus Amadeus Recinatiũ tyrannus, rerũ nouarum author. Itemq; è Fabricano Piceni oppido nobilis Zibichius, qui turbulentissimis consiliis & concionibus passim habitis, exules & obæratos ad arma concitarat. Luit & capite pœnas

apud Beneuentanos Hector Seuerianus, vir sanguinarius, factione potens, & virium robore insignis. Verum ab initio Pontificatus strenui expeditique ingenij laudem est consecutus, Rencio Mancina nobilissimo stirpis Romanæ ciue in arce securi percusso. Is ab immani audacia truculentus affinem suum Cornetanum in templo Mineruæ confoderat, & vecordi impetu cunctis minitari, Magistratus imperia despicere, vexare denique omnes vel in media vrbe consueuerat. Ab exercitu Veneto, in quo alam sagittariorum equitum ductabat, cum ignominia quondam eiectus, quod turmalem suum de fuga cogitantem deligatum arbori totius alæ sagittis crudelissime transfixisset. Exercuit & supra naturæ consuetudinem summum ius in damnandis, qui falsos libellos ipsius subscribentis manum mentiti in iudiciis protulissent: adeo vt Sebastianum Taruisinum tum in Gymnasio Romano leges profitentem, & alioqui ea calamitate indignum in Campo Flore concremarit. In hæreticos præterea, maleficos, veneficos, necromantas, & dœmonicolas omnis generis seueriſſimus vltor, Inquisitores, iſtis criminibus cognoscendis designatos legibus armauit, & vel contra Principes intrepidos esse iussit, promulgato infrascripto edicto, edito hocipso anno 1521. Ita habet.

Contra maleficos, sortilegos, à fide apostatantes.

Leo Episcopus seruus seruorum Dei. Vniuersis & singulis locorum Ordinariis, ac hæreticæ prauitatis Inquisitoribus in Dominio Venetorum constitutis, Salutem & Apostolicam benedictionem.

Honestis petentium votis libenter annuimus, eaque fauoribus prosequimur opportunis. Alias ad petitionem dilectorum filiorum nobilium virorum Ducis Dominij Venetorum; cum in Brixiensi & Bergomensi ciuitatibus & diœcesibus, quoddam hominum genus pernitiosissimum ac damnatissimum labe hæretica, per quam suscepto renunciabatur baptismatis Sacramento, Dominum abnegabant, & Satanæ, cuius consilio seducebantur, corpora & animas conferebant, & vt illi rem gratam facerent, in necandis infantibus paßim studebant, & alia maleficia & sortilegia exercere non verebãtur: quod ita factum esse videbatur, vt ad eorum errorem extirpandam opportuna adhiberentur remedia. Volentes etiam eiusdem generis nonnullos indicibili pœna obstinate vitam potius perfide amittere, quam errorem suum cognoscere maluisse: & propterea de rigoroso nimium (vt dicebatur) vestri ordinariorũ contra tales processu dubitantes, Venerabilem Fratrem Episcopum Polensem, nostrum & Apostolicæ sedis apud eosdem Ducem & Dominium nuntium vobis adiungendum duximus, cum facultate per se vel alium, seu alios, processus per vos habitos, seu factos examinandi & reuidendi; & si vos Inquisitores processus prædictos rite & recte, ac iuxta formam iuris habitos feciſſetis, contra tale hominum damnatorum genus vna vobiscum procedendi & inquirendi; necnon procuratores & aduocatos, scribas, cæterosq; ad Inquisitionis præfatæ exercitiũ necessarios & opportunos, officiales & ministros cum competentib. salariis deputandi, & homines prædictos (quod redire ad Ecclesiæ vnitatem vellent) clementer suscipiẽdi, eisq; pœnitentiam salutarem iniungendi, & eos absoluendi etiam in vtroq; foro, & incorrigibles condemnãdi, & brachio seculari tradendi, cæteraq; quæ vos de iure, vel consuetudine facere posſetis, & deberetis, faciendi, gerendi, exercendi, & exequendi, prout in litteris desuper confectis continetur. Cum igitur commissionis huiusmodi vigore præfatus Nũcius, Venerabilem Fratrem Episcopum Iustinopolitanum in partib. illis commorantẽ, ad præmissa vna vobiscum pertractanda & exequenda subdelegauerit, vosq; & ipse subdelegatus in valle Comunica Brixiẽsis Diœcesis, vbi maxime huiusmodi damnati generis homines vigẽt & pullulant, processeritis; ac nonnullos culpabiles repertos, & curiæ seculari tradendos, nec non iam condemnatos habueritis, videtur, quod per Venetorum Collegium Prætori Brixiensi mandatum fuerit, ne sententias huiusmodi exequeretur, & vobis & eidem subdelegato, ne ad executionem illarum procederitis inhiberet, prout inhibitum fuit; ac expensas & salaria pro huiusmodi Inquisitionis negotio necessaria submoueret, & retraheret: nec non processus contra culpabiles prædictos habitos & factos eis transmitteret, seu transmitti faceret: &, quod deterius est, subdelegatum prædictum ad corã eis in ciuitate Venetiarum comparendum cogeret, & compelleret, prout coactus & compulsus fuit. & quia propter dictas litteras, in quibus dictus nuncius adiunctus fuit, ab aliquibus hæsitatur, an propter hoc facultas vestra diminuta existat, ita quod prout ante data huiusmodi litteras potuissetis, procedere non possitis, indecensq; & contra iuris & sacrorum canonum dispositionem; ac Ecclesiasticam libertatem existat, laicos de personis & causis Ecclesiasticis se intromittere; nolleq; iniunctam à nobis executionẽ adimplere, nisi processibus ac sententiis per eos visis & examinatis; ac si ipsi in Clericos causasq; Ecclesiasticas superioritatem & iurisdictionem haberent; cum tamen in clericos causasque huiusmodi laicis nulla facultas attributa sit, quos obsequendi & exequẽdi manet necessitas, non auctoritas imperandi, propter quod inter Christifideles non modicum surgit scandalum; Nos igitur, ne quod ad salutẽ animarum, & dictarum causarum facilioꝛẽ expeditionẽ introductum est, in damnum & periclitationem conuertatur, & propterea ob diuturnitatem temporis infelices animæ huiusmodi peccatis magis grauentur: & ad omne circa hoc dubium tollendum, vos prout ante datas dictas litteras de iure & consuetudine, seu priuilegio procedere poteratis, nec non etiam contra maleficos & sortilegos, ac à fide apostatantes; prout criminis postulauerit qualitas, procedere posse & debere, auctoritate Apostolica, tenore præsentiũ decernimus & declaramus: vobis cõmittentes & mãdantes, vt eosdẽ Venetos, & illorũ Ducem, ac officiales suos, ne ipsi vlterius in huiusmodi causis se intromittant, sed quod iniunctas sibi executiones, & forte iniungidas, postquã requisiti fuerint sine aliqua processuũ, per dictos Ecclesiasticos iudices factorum visione, vel examinatione prompte exequantur, moneatis & hortemini. & si hoc facere neglexerint, vel recusauerint, vos eos per censuras Ecclesiasticas, & alia iuris opportuna remedia, appellatione postposita compellatis. Præmissis ac constitutionib. & ordinationibus Apostolicis, statutisq; & consuetudinibus ciuitatum & diœcesium prædictarum, iuramento, confirmatione Apostolica vel quauis firmitate alia roboratis, cæterisque contrariis non obstantibus quibuscumq;. Datum Romæ apud S. Petrum sub annulo Piscatoris die XV. *Februarij* M.D.XXI. *Pontificatus nostri anno* VIII.

XXIX. *Eius laus.*

Hæc in grauioribus criminibus puniendis: in cæteris vero eum ciuilis animi tenorem semper obtinuit, vt ad clementiæ laudẽ auide properare remissa seueritate diceretur. Cæterum nulla in re ardentius atque effusius, quam ad liberalitatis laudem anhelauit, eos principe loco indignos existimans, qui nequaquam benefica manu fortunæ muneribus vterentur. Nemo enim vel ciuis, vel peregrinus, qui paulo nobilioris artis famam teneret, nemo vel malesanus poeta, nemo alicuius optimarum literarum partis non ignarus vmquam fuit, qui benignitatem humanissimi Pontificis non senserit: quin etiam ipsum cœnantem spectantes, & ex his aduentitios & parum notos homines vltro pecunia donare erat solitus; eo præsertim libentius, quũ obsoleta veste indutos cõspiceret. Purpuream enim crumenam quotidiè aureis nummis sibi repleri iubebat, ad incertas exercendæ liberalitatis occasiones. Sacerdotes quoque Religiosos, & sacras virgines, quæ intra claustra religiose pudicitiam custodirent, menstruis subsidiis eleemosynæ nomine iuuabat. Magnum veteranum militum ac exulum alebat numerum: nihilq; vehementius contendebat, quam vt nemo calamitatem & fortunæ aduersæ mala & incommoda pateretur. Nihil enim in magno Principe dignius atque præstantius arbitrabatur, quam iuuare mortales, alienæ calamitati obuiam ire, lætosque omnes ab se dimittere; vt ad beneficium humani generis sẽ, vti antea in minore fortuna concupiuisset, supremæ potestatis dignitatem appetiuisse testaretur: vt proinde ab hac virtute, optimi atque benefici cognomentum facile meruerit. Nec minus liberalis fuit, in sacris vel extruendis, vel exornandis. Eninuero Basilicam Vaticanam, miro artificio ab Iulio II. inchoatam, perficiendam, quantum in eo fuit, suscepit. Palatium Vaticanum triplicibus longis & peramplis porticibus eximia structura, auratis laquearibus, egregiis, nobilissimique operis picturis splendidissimum fecit. Deiparæ virginis ædem, cui Cardinalis præfuerat, in monte Cœlio, à fundamentis pene refecit, & laqueari aureo exornauit. Lauacrum Constantini Lateranense ruinam minitans restituit, laminis plumbeis tectum operuit. Sancti Alexij caput argentea theca inclusit. Quinquaginta etiam millia aureorum nummum impendit in aulea Belgica, ab intertexto auro nobilitateque artificum magnopere pretiosa, quæ tametsi supra fortunam præsentis seculi sumptuosa erant, vel ob id tamen non veniæ modo, sed laudis etiam nomen ferre posse videbantur, quando non inanium rerum figuris ostentandæ luxuriæ, sed expressis Apostolorum historiis Sixti sacello ad augustiorem Sacrorum maiestatem dicarentur. Præter hæc pyrgorum portum cœno & saxis repletum publicæ commoditati purgauit: oppidumque muro cingere cœpit. Arcem montis Falisæ, Corneti Cardinalis Vitellesci, & in multis patrimonij oppidis peramplas ædes vel restaurauit, vel à fundamentis ædificauit. Manlianam villam aqua

corriuata, elegantiori ædificio exornauit. Romanam vrbem læta pace, & vbertate rerum felicem habuit. Sacerdotium nullum vmquam venale proposuit: quamquàm Laurentius Pucius Cardinalis prædicaret, nullum omnino quæstum Pontificibus illicitum esse. Mortuus, aliquandiu in Basilica Vaticana iacuit; tandem vna cum Clemente VII. ad Mineruæ translatus, ibidemque marmoreo tumulo conditus, hoc epitaphium promeruit.

Delitiæ humani generis Leo Maximè, tecum
Vt simul illuxere, interiere simul.

Paulus Iouius in vita lib. 4. & in epitom. hist. lib. 20. Onuphrius & Ciaconius in Leonè X. Ferronius in Francisco I. Bellaius Comment. lib. 2. Guiciardinus lib. 14. Baronius in notis Martyrol.

XXX. *Litteræ Dauidis Regis Æthiopiæ ad Emanuelẽ Regem Lusitaniæ.*

Aliquot mensibus, ante mortem, Leo Pontifex ad diem XI. Augusti supplicationes publicas celebrauit, gratiasq; solennes in Basilica Vaticana post sacrum Missæ officium pergit, quod intellexisset, Emanuelem Lusitaniæ Regem fœdus percussisse cum Dauide Æthiopum Imperatore, contra Turcas. *Paris in diario.* Placuit inserere litteras eius Imperatoris ad Emanuelem Regem, scriptas hoc anno M. D. XXI. Paulo Iouio interprete.

In nomine Dei Patris, vti semper fuit, cui non inuenitur principium. In nomine Dei filij vnici qui est similis ei, antequã sit visum lumẽ stellarum, antequam fundamenta poneret maris Oceani; alio autem tempore conceptus fuit in vtero Virginis, sine semine virili, & sine nuptiis: In hunc enim modum scientia erat officij eius. In nomine paracleti Spiritus Sanctitatis, qui scit cuncta secreta; quæ sunt, vbi antea fuit, omnium scilicet altitudinum cœli, quod sine columnis, & absque vllis fulcimentis sustinetur, qui amplificauit terram, quæ antea non erat creata, nec cognita, ad omnes partes ab ortu ad occasum, & à Septentrione ad Austrum. Nec iste est primus, vel secundus, sed est Trinitas coniuncta in vno æterno creatore rerum omnium, ab vno tantum consilio, & vno verbo per secula seculorum Amen. Has litteras mittit Atani Tinghil, id est thus virginis, quod nomen est à baptismate, nunc vero in ipso suscepti regno initio, assumpsit nomen Dauid, dilectus à Deo, columna fidei, cognatus stirpis Iudæ, filius Dauid, filius Salomonis, filius columnæ Syon, filius seminis Iacob, filius manus Mariæ, filius Nasi per carnem, Imperator magnæ & altæ Æthiopiæ, magnorum regnorum, & ditionum, & terrarum, Rex de Xoa, de Caffate, de Fatigar, de Angote, de Baru, de Baaliganze, de Adea, de Vangue, de Goiame, vbi Nilus oritur, de Damaraa, de Vaguemedri, de Ambeaa, de Vagne, de Tigri Mahon, de Sabaym vnde fuit Regina Saba, de Bernagars, & Dominus vsque ad Nobiam finem Ægypti. Hæ litteræ diriguntur Regi potentissimo & excellentissimo, semper victori Domino Emanueli, qui habitat in amore Dei, & firmus permanet in fide Catholica, filio Apostolorum Petri, & Pauli, Regi Portugalliæ, & Algarbiorum, amico Christianorum, hosti, Iudici, Imperatori, domitori Maurorum, & gentium Africæ, & Guineæ, à promontorio atque insula Lunæ maris rubri, Arabiæ & Persidis, & Armutiæ, magnæ Indiæ, & omnium locorum earum & omnium insularum, terrarum adiacentium, prosligatori Maurorum, & fortium paganorum, domino arcium & altorum Castellorum, & Murorum, propagatori fidei Iesu Christi. Pax tibi Domine Rex Emanuel, qui Dei fretus auxilio Mauros occidis, & tua classe, tuo exercitu, & tuis Ducibus vndique tamquam infideles canes expellis. Pax tibi sit cum Regina vxore tua, amica Iesu Christi, serua Mariæ virginis matris ipsius Saluatoris totius mundi: pax sit filiis tuis, nunc vt in virenti horto, & florentibus liliis mensis esculentis parata: pax filiabus vestris, quæ sunt indumentis ornatæ, sicut palatia aulæis exornantur. pax assimilibus tuis, ex sanctorum semine procreatis, sicuti dicit sacra scriptura, Filij sanctorum sunt benedicti, & magni foris, & intra domum. Pax sit consiliariis & officialibus tuis, potestatibus, & ius dicentibus. Pax Ducibus tuis castrorum & confinium, & omnium rerum munitarum. Pax omnibus gentibus, populis, & vrbibus, cunctis inhabitantibus, præter Mauros & Iudæos. Pax omnibus parochiis, & omnibus Christo & tibi fidelibus. Amen. Cognoui Domine Rex, & mi pater; quod cum ad te nominis mei fama, per Matthæum Oratorem nostrum fuisset delata, statim Archiepiscoporum ac Prælatorum magnum numerum aduocari iussisti qui de ea legatione Deo Christo gratias agerent, ipsumque Matthæum summo cum honore, & hilaritate fuisse susceptum; qua de re mirifice sum lætatus, & gratias pariter Deo egi, & hoc deuote fecit etiam populus meus. Dolui autem cum ab his intellexi ipsum Matthæum in reditu suo dum intraret fines meos in monasterio de Bisayn fuisse mortuum. Eum autem ego non miseram, quoniam adhuc puer eram vndecim annorum? vix dum susceptò regni sceptro post mortem patris, sed Helena Regina, quam loco matris colebam, & regnum pro me gubernabat. Is Matthæus mercator erat, Habraham vocatus, sed filij nouum nomen idcirco imposuerat, vt securius per fines Maurorum iter faceret. Verum is in Dabul à Mauris pro Christiano agnitus, in carcerem fuit coniectus. quod cum significasset vestrorum exercituum Præfecto, is misit fortes viros, qui Christianum hominem è tetterrimo carcere liberarent; maxime cum didicisset eum esse legatum meum. Ita que illum ereptum è manibus inimicorum, curauit vestris nauibus ad conspectum vestrum transuehendum. Is Matthæus meo nomine, tibi Regi mandata exposuit, rescripsitq; se honorifice susceptum fuisse, & cumulate omnis generis muneribus honestatum, quod & nuncij pariter vestri affirmabant, quos magnus vestra classis Præfectus Didacus Lupez de Sequeira ad nos misit, qui litteras præsentarunt, quas afferre debuerat Eduardus Galuanus, qui in Insula Cameronis diem obierat; quibus conspectis litteris magnopere gauisus, & Deo egi gratias, & tum magnam cœpi voluptatem, cum pectora nostrorum nunciorum Crucibus insignita conspicerem, & experirer percunctando eos, ritus tenere fidei Christianæ, qui essent verissimi; & illud me singulari deuotione iniecta vehementer permouit, quod intelligerem iter in Æthiopiam inuentum esse, non sine miraculo. Nam referebant Præfectum classis, quum diu per mare Arabicum errasset, & propterea de inueniendo nostro portu desperasset, re infecta, redire in Indiam voluisse, maxime propter sæuas maris tempestates: sed in aurora opportune rubram crucem in cœlo apparuisse, qua salutata, à nautis proras in eam partem esse conuersas, monstrante eo, Deo reperturn esse portum nostrum; quæ res mihi pro miraculo visa est, & certe is classis præfectus Deo debet admodum esse dilectus, postquam tantam ei felicitatem concessam videmus, quantam nemo ante eum à Deo impetrare potuerit.

De hac autem mutua legatione antiquitus prædictum fuit à propheta in libro de vita & passione sancti Victoris, & in libris sanctorum Patrum, quod Rex magnus Christianus, cum Rege Æthiopiæ esset cum mutua pace conuenturus: sed hoc nequaquam futurum existimabam diebus vitæ meæ. Verum Deus certum sciebat, vt laudetur nomen eius, qui nuncium eius ad me detulit, vt ego pariter id mittere possem ad te patrem meum in Christo, & amicum, vt simus in vna fide, postquam ànullo alio Rege Christiano nuncium, aut certam notitiam habuerim. Hactenus circum me Mauri erant, filij Mahometis, & Gentiles, & reliqui sunt serui, qui Deum non agnoscunt, & alij qui ligna & ignem venerantur, & alij qui solem adorant, & alij qui serpentes Deos esse putant; cum his numquam pacem habui: quoniam ad veritatem venire recusant, & frustra his prædicabam fidem; nunc vero conquiesco, & Deus quietem dono mihi dedit cum hostibus meis & tuis. Nam in finibus meis cum armatus contra eos progredior, ipsi faciem & terga vertunt; Duces, & milites mei, per campos de eis victorias consequuntur. Neque mihi Deus irascitur, vt dicit Psalterium, & Deus vota eorum Regum implet, qui iusta petunt: nec hoc ad laudem nostram pertinet. Nam Deo agendæ sunt gratiæ: is est qui mundum vobis dedit, & terram Gentilium perpetuo concessit, ac aliorum terras quæ sunt à finibus vestris ad initium Æthiopiæ. Propterea ingentes Deo gratias ago, & prædico summam eius potentiam, cum sperem eorum populorum filios, qui in tuam ditionem venient, proculdubio fidei veritatem esse cognituros; Quamobrem do gratias Deo, & spero quod filij vestri, & ego, & vos, de felicibus earum rerum successibus abunde lætabimur, & vos Deo debetis continue supplicare, donec gratiam vobis det potiundi templi sancti in Hierusalem, quæ est in potestate hostium Christi, Maurorum, & Gentilium, & hæreticorum. & si hoc perfeceris, caput tuum omni laude pleniissimum erit.

Cæterum ex numero Legatorum, qui ad me veniebant, cum prædicto Matthæo tres periere, & Præfectus Magnus vestræ classis deuenit apud Arquicum cum Rege de Bernagais, qui est imperio meo subiectus, & statim Legatos ad me misit, & munera ingentia quæ mihi charissima fuerunt. Verum nomen vestrum omni gemmæ & thesauro mihi pretiosius videtur. Sed hæc transeamus, & agamus inter nos, quomodo inuadere & capere possimus alias infidelium terras. Ego certe dabo millies centena millia drachmarum auri, & totidem millia militarium virorum. Itemque materiam & ferrum; & cuprum, in vsum ædificandæ & ornandæ classis; magnam etiam commeatus copiam; amice vna conueniemus. & quoniam non est consuetudinis & dignitatis meæ, ad petendam pacem Legatos mittere, & tu primus à me eam syncere quæsiisti, ad verificanda Christi verba. Nam scriptum est, Beati pedes, qui portant pacẽ. Et ego propterea sum ad id paratus, more Apostolorum, qui erant vnanimes, & vnius cordis. O Rex, & pater mi Emanuel, vnus Deus te sospitem velit, & seruet, qui est Deus cœli, & semper vnius substantiæ, nec iuuenescit, nec senescit. Is qui à te nuncium attulit, Rodericus Lima vocabatur, legationis optimorum virorum princeps, & cum eo Franciscus Aluarez, quem propter vitæ probitatem, & singularem religionem, & institutam valde charissimam habui; maxime quod verissimis verbis, cum esset interrogatus de fide, aptissime respondebat. & it a debetis eum exaltare, & magistrum appellare, & dare ei officium conuertendi populos de Macua, & de Dalaca, de Zeila, & omnium insularum maris rubri, quoniam sunt in finibus regnorum meorum, & ego ei concessi Crucem & baculum, in signum potestatis: ita vos iubete, vt hæc ei concedantur, & creetur Episcopus illarum terrarum, & Insularum, quoniam hoc meretur, & idoneus est in hoc officio administrando; & tibi Deus plurimum beneficiet, vt semper sis fortis contra hostes tuos, & eos cogatis ad pedes vestros procidere; & Deus tibi vitam prolonget, & participem faciat regni cœlorum in optimo loco, sicuti ego pro me opto. Audiui autem auribus meis multa bona de te, & oculis video, nequaquam credebam; & Deus cuncta de bono in melius succedere velit, & ibi sit vester locus supra lignum vitæ, vbi est locus Sanctorum. Amen.

XXXI. *Emanuelis Regis Lusitaniæ obitus & laus.*

Ego sicuti filius paruulus, quæ iussistis feci, & faciam si venerint Legati vestri, vt inuicem mutuis opibus adiuuemur. Singulis autem Oratoribus vestris qui venient, sicut tum feci stis ad Mazuzi, aut Delacam, & ad portus intra angustias maris rubri, eatribuam, tribuique curabo, quæ fienda significabitis, sicuti maxime desidero, vt in consilio, & rerum actione, prospere coniungamur. Nam cum ad ea litora copiæ vestræ peruenerint, mature & ego cum meis exercitibus adero. Et quoniam in finibus meis nemo est Christianus, neque templa Christianorum visuntur, concedam vestris hominibus habitandas illas terras, quæ sunt proximæ Maurorum ditioni; propterea opus est, vt cœptis vestris debitum finem afferatis. Interim mittitote ad me viros eruditos, atque etiam calatores imaginum auri & argenti; & fabros cupri, & ferri, & stanni, & plumbi item artifices, qui litteris nostræ linguæ, pro Ecclesia libros imprimant; Item aliquos, qui ex auro bracteolas facere, & cum his inaurare metalla sciunt. Hi erunt in domo mea honestissime tractati; & si discedere voluerint, laborum suorum eis amplam mercedem soluam. Itaque per Deum Iesum Christum Dei filium, me eos libere cum voluerint, esse dimissurum. Hoc autem peto fidentissime, quoniam mihi vestra virtus spectata est, & bonitas maxime agnita, & scio me amari abs te plurimum; & hoc agnoui certius, quod Matthæum mei gratia honorifice & liberaliter susceperitis, & remiseritis. & ideo adnitor ea impetrare. Neque hoc vobis pudorem afferat, nam omnia persoluam. & id quod filius petit à patre, negari non debet. & tu es pater meus, & ego filius tuus. & simus coniuncti simul, sicut lateculus cum lacerculo in pariete copulatur, ita duo in vno corde, & amore Iesu Christi consentimus, qui est caput mundi. & qui cum eo sunt, assimilantur lateculis in muro coniunctis. Amen.

Hæc omnia cum Rex Emanuel summo Pontifici significasset, multasq; à suis in Indiis & Africa victorias de hostibus Christiani nominis partas accepisset, in anni huius exitu, eo tempore, quo magis opibus & imperio, summaque nominis gloria & celebritate florebat, & optima, vt videbatur valetudine, & corporis robore, & incolumitate vigebat, in morbum subito incidit, ex quo post dies nouem, decima tertia die mensis Decembris ex hac vita migrauit. Quinquaginta duobus annis & sex mensibus vixerat: è quibus viginti sex annis & mense cum dimidio regnauit. In ipso vitæ fine, maxima quædam insitæ religionis & pietatis documenta dedit. Testamentum cum singulari prudentia fecit; animam sacris sanctissimis expiauit; mortis certissimæ nuncium æquissimo animo tulit: Sacerdotes, qui illum circumstabant, & hymnis atque precibus ad Deum adhibitis, vota pro illius sempiterna salute faciebant, adiuuabat, atque versus sacrorum carminum multis in locis memoriter pronunciabat. Fuit in Bethlemitico templo, quod fundarat, multis cum lachrymis, quas desiderii illius excitabat, cum Regio funere, omnium que Principum, & nobilitatis vniuersæ celebritate, in sepulchro conditus. Fuit toto vitæ cursu, si felicitas vlla in rebus humanis extare potest, felicissimus. Cum esset Regia stirpe procreatus, & si nulla in spe Regiæ dignitatis & magnitudinis enutritus extitisset, Regnum tamen adeptus est; cum omnes qui illum iure propinquitatis & antiquitatis antecedebant variis casibus extincti decessissent. Regni vero patrimonium miris accessionibus amplificauit. Armuzium, Arabiæ partem, Indiam Indo & Gange definitam, eam etiam quæ vltra Gangem est, extremasque Orientis solis regione imperio adiecit, terras incognitas perlustrauit. Africæ magnam partem perdomuit. Fuit vita continens, natura benignus in religione pius; præterea mitis atque mansuetus, & in summa grauitate comis & perhumanus. Aditus facillimos habebat; In administrando iure, & negotiis impigrè gerendis summam diligentiam adhibebat. Mane, & sæpenumero ante lucem surgebat, & rebus diuinis operam dabat; tum in supplicum postulatis audiendis, & negotiis Reipublicæ transigendis tempus omne consumebat. Erat in sermone iucundus, & non mediocri vrbanitate præditus, & admodum liberalis. Domesticorum necessitatibus summa benignitate consulebat. Milites alebat; res præclare gestas non solum laudibus, sed multis etiam muneribus & beneficiis prosequebatur. Egentium inopiam opibus suis egregie sustentabat. Viris religiosis, & virginibus sacris, non solum ea quæ ad cultum religionis, verum etiam quæ ad domesticum vsum pertinebant, large & munifice suppeditabat. Erat in scelcribus vindicandis, & erratis suorum coercendis seuerus; quamuis esset natura magis ad lenitatem, quam ad seueritatem propensus. Musica multum delectabatur, sed non ita vt Musicæ studium illum à negotiis auocaret. In eadem domo multi fidibus pulsabant, & ad cytharam canebant: & non pauci Quæstores, & Iurisconsulti, & reliqui variis muneribus præfecti, ad illum multa regni negotia deferebant; ita vt simul cum honestissima oblectatione multa negotia conficeret. Erat ille quidem cultu vitæ lautissimus, mensaque illius conquisitissimis epulis extructa: verum admodum temperate cibis vtebatur. A vino semper abstinuit; & diebus solenni iciunio consecratis, ciborum abstinentiam summa religione conseruabat. Fœbat plurimum litteris: de moribus externis multa percontari solebat; historias libenter audiebat: quotidie cibum publice sumebat; erant epulæ magis iucundo & vtili sermone, quam coquorum artificio conditæ. Nam cum hominibus eruditis, & cum iis qui varias regiones peragrauerant, sermonem libentissime conferebat. Quocumque ludo se oblectaret, semper tamen munera Regia non intermittebat. Ecclesiæ sanctionibus alacritate singulari parebat; mores & ritus ab Ecclesia constitutos summa sanctitate & cæremonia tuebatur. Tempore, quo memoria suppliciorum, quæ Christus pro nobis in cruce pertulit, ritu solenni consecratur, à templo minime discedebat; & tribus diebus, quibus sanctissimum Eucharistiæ Sacramentum erat in sepulchri quadam similitudine conditum, vt nobis memoriam nostræ salutis repræsentaret, neque vestes exuebat, nec ab eo loco, nisi ad aliquid breue tempus abscedebat: & cum somnus illum complectebatur, ibi sine vllo vitæ delicatioris instrumento parumper accubabat. Multas sanctorum hominum religiones instaurauit, fluxosque mores ad pristinam seueritatem & sanctimoniam reduxit. Ædes sacras quamplurimis vel à fundamentis extruxit, vel collapsas refecit. Odio acerbo Mahumetis sectam persequebatur, & ea de causa tanto studio bellum in Africa & Asia comparabat. vt quantum in illo esset, memoriam erroris pestiferi deleret. Sic autem religionem colebat, vt numquam studium publici iuris, & Reipublicæ rationem intermitteret. Sic Reipub. constituendæ, & moribus atque legibus inuigilabat, vt bellicarum rerum curam nullo modo deponeret. Sic se cum Musicis, aut venatoribus oblectabat, vt in mediis voluptatibus; salutis publicæ memoriam retineret: Itaque eodem tempore classes in Mauritaniam, Æthiopiam, & in orientis Solis regiones instruebat, præsidia in varias partes submittebat, iuri dicundo operam dabat, hominum querelis aures assidue præbebat, commissa facinora vindicabat. Tanta autem lenitate præditus erat, vt non facile hominum cupidorum, & omnia pericula metuentium, postulatis importunis obsisteret. Id autem effecit, vt manus multorum immodicè rebus sacris afferri permitteret; & transmissionem in Africam, cuius studio magnopere flagrabat, ita differret, vt mors improuisa posset omnes illius cogitationes impedire. Attamen quamuis, vt res humanæ sunt, aliquid eiusmodi quod reprehensione aliqua dignum videatur, in se admitteret, fuit is Princeps multis Regiis virtutibus ornatissi-

mus,& immortali memoria consecrandus: *Osorius lib. 12. de rebus gestis illius.*

XXXII. Antonius Vasconcelius, natales, indolem, virtutes, res gestas,& merita eius Regis, in hanc anacephalœosim cõtrahebat.

Emanuelis vitæ breuis synopsis.

1. Fortunatissimus Emanuel, vnicum nomen, Regni singulare præsidium, & ingens tam Lusitaniæ gloriæ incrementum, quam imperij, vtpote qui latiores,& opulentiores regno terminos adiecit, quam à maioribus accepit; patrem habuit Ferdinandum Regis Alphonsi V. Fratrem natu secundum; matrem vero Beatricem filiam Principis Ioannis, qui eiusdem Regis Alphonsi frater fuit: proauum maternum Eduardum Regem: abauum Ioannem huius nominis primum. Ex numerosa Ferdinandi sobole natu minimus, & Ioannis II. patruelis, ad quem proinde regnum, superstite nulla Ioannis legitima prole, hæreditario iure pertinebat. Natus legitima prole, hæreditario iure pertinebat. Natus est Alcocheti in oppido ripæ trans Taganæ pridie Kalend. Iunij anno M. CCCC. LXIX. feria quinta corporis Christi, non sine magno felicitatis argumento. Nam, cum Beatrix mater iampridem acerbo dolore parturiret, & solennis Eucharistiæ pompa pro domicilii foribus traduceretur, tandem bene ominato illo Numinis accessu partum edidit. Quod ego sane maxima Emanuelis in gloria posuerim: quippe cui gerendis in rebus, perinde ac natalitiis, se affuturum Deus ipse polliceri videretur. Ergo à felici aduentu Emanuel apposite denominatus, eiusdem nominis Numen ac maiestatem, vt verè atque vnice diuinam, toto Orientis orbe, maximo cum animarum fructu, longè latèque diuulgauit.

2. Ætatis anno vigesimosexto Rempublicam accessit, Christianæ pietatis, prudentiæ, mansuetudinis, cæterumque virtutum luminibus apprime conspicuus. Vnde filij loco semper apud Ioannem fuerat, cuius ipse amori, & voluntati per omnia grati animi officia respondebat. Rex salutatus, comitiis habitis: Monte maiore noua, multa furi, Reique publicæ consentanea decreuit, Accersiuit Iacobum ac Dionysium Brigantini Ducis filios, eorumque auunculum Aluarum, & Pharensis Comitis filium Sancium, qui omnes est Regio sanguine proceres, extra Lusitaniæ fines vagabantur. Redeuntes perhumaniter,& liberaliter accepit; duos præcipue Duces Brigantini filios, vt qui Emanuelem gradu arctissimo contingebant. Horum alteri Iacobo, eiusque in perpetuum soboli confiscata paternę ditionis oppida super quinquaginta, pristinamque dignitatem ac fortunas, quemadmodum Nonio familiæ auctori à primordio concessa fuerant, immensa liberalitate redonauit. Nusquam enim, vel si totius antiquitatis monumenta percurras, Regem, aut Imperatorem offendes, qui tantam patrimonij sui partem clienti adeo munificenter erogauerit.

3. Cæterum Emanuel, cum generosos sortitus esset spiritus,& arduam mentem, patriis Europæ finibus haudquaquam contentus, duas animo suo dignas in Asiam & Africam suscepit expeditiones, & pene confecit. Vt nempe terrarum orbi in sphæræ figura effigiato; sibique à patruele Ioanne in symbolum relicto par foret. (nondum enim id ætatis quarta orbis terræ pars venerat in Europæ notitiam) nec vero ea rerum mole oppressus interea Reipubl. administrationi, aut exercendæ iustitiæ defuit, cum per eos dies animo indefesso, vel domi litteras signando exhauriret vel in capitalium rerum tribunali necessario tempore perseueraret.

4. Primam igitur Emanuel auspicatus Orientis conquisitionem quæ maximè ob oculos versabatur, Vascum Gamam, strenuissimum equitem,& rei naualis experientissimum quem Ioannes ante ob excellentes ingenij dotes designauerat, Expeditioni, classique summa cum potestate præfecit. Is postridie Nonas Iunij anno 1499. nauibus instructis duabus, epibatis centum quadraginta octo, soluens Olysipone, Bonæ spei promontorio, Mosambico insula, Quiloæ regno, Mombaza, Melindeque superatis, Calecutum appulit suæ nauigationis terminum, & Imperatoris Malabarici sedem, ac domicilium. De barbaris Regibus tribus, quatuorue, post insidias ac dolos feliciter euitatos, laureatam semper & incruentam victoriam reportauit. In regionibus à se patefactis quinq; circiter monumenta constituit, & cum illarum gentium ad fidem, Euangeliumq; recipiendum opportunitatem, aromatum differentias, & pretia, commercij quæstum, cæteraq; bello inferendo necessaria didicisset: in patriã renauigans, saluis è supra memorato numero quinquaginta quinq; militibus, Olysiponem tenuit. Consumpti in ea expeditione sex & viginti menses, enauigata leucarum supra tria millia. Maria vero tempestuosa & incognita, morborum inaudita genera, cœli varia temperies, ac terrarum, Barbarorum fraudes,& insidiæ, inedia, sitis, procellæ, & quas omnifariam labores deuorarunt, nulla possunt oratione recenseri. Deo tamen immortali, cuius in eo negotio causa agebatur, opitulante, susceptam expeditionem insana defuncti nauigatione confecerunt.

5. Igitur Emanuel multis, maximisq; Gamam beneficiis, ob res fortiter ac præclare gestas insigniuit. Deinde accepta Orientalis Indiæ notitia, maiorẽ erectus in spem, ornatissimas singulis annis classes in eam conquisitionẽ mittere constituit. vt si qui Reges oblata pacis & amicitiæ fœdera, præconesq; Euangelicos acciperent, cum his societatẽ & cõmercia institueret; alios infestis armis depopularetur. In secunda deinde expeditione, Petro Aluaro Caprali Prefecto, anno M. D. patefacta est ex occursu sanctæ Crucis terra, quæ vulgari nomine appellata Brassilia,& saccari, aliis frequentata mercimoniis, ad immensa quoq; vectigalia succreuit. Aucta Oriẽtis ditio multorum obedientia Regum, qui se Emanuelis potestati cum præclaris stipendiis dediderunt. Arces ædificatæ Cocini, Cananoris, Coulani, Quiloæ, Sofalæ, Mozambici, Anchediuæ, Socotoræ, Ciauli, Armuziæ, Goæ: Pacena, Pedirensis, Calecutana, Zeilandia, Malacensis. Maximæ classes profligatæ tam Comorini Malabarici Imperatoris,& aliorum Regum potentissimorum, quibus Turcæ, bellicosæque gentes aliæ astipulabantur: quam Sultani, qui Memphitico Cairi regno præpotẽs, cum à Lusitanorum in Indiam accessu sua paulatim vectigalia, inter uersis nauibus,& rubri maris cõmercio attenuari sensisset: inita multorum Principum societate, missisq; ad eam rem classibus instrumento bellico, ac militum robore præclare ornatis, Lusitanos toto Oriente depellere omni opere, sed irrito conatu, moliebatur. Quippe cum Dei partes agerent, eo mirabiliter adiuuante, gloriosas sæpe victorias ab hostium innumerabili multitudine retulerunt. Ductore maxime Alphonso Albuquercio, qui cum summa Lusitanici nominis gloria, & incredibili rerum gestarum fulgore, insulam, & insulæ caput Goam pro Regum Lusitanorum sedem ac domicilium, non sine sudore cõparatum, barbaris necquicquam reluctantibus, in potestate retinuit. Armusiam nobilissimum Persiæ, Arabię, Indiæq; totius emporium, Rege stipẽdiario facto, Emanuelis Imperio adiecit. Malacã in aurea Chersonneso, veterum geographorum laudibus inclytam, sitam, totius Orientis opulẽtissimam vrbem, & frequẽtissimam, admirabili virtute debellauit, quippe ad id temporis egregiis aucta munitionibus, propugnatoribus triginta millibus, & præter enormes è ferro fistulas, tormentis supra octo mille constabilita, nullam de se spem viribus externis, aut alienæ potentiæ faciebat. Manu tamen Albuquercij capta, direptaque est. præda tricies centenis circiter aureorum millibus æstimata. Moluccas insuper insulas (vbi arcem Ternatensem extruxit) Emanuelis arma penetrarunt. Primus instituit Æthiopiæ commercium, annoq; 1500. proauitis agnominibus, Æthiopicæ, Arabicæ, Persicæ, atq; Indicæ conquisitionis, nauigationis, & commercij titulos gloriosissimos apposuit. In his, atq; aliis ætatis huius expeditionibus, ac præliis, adeo admiranda bellicæ virtutis exempla, facinoraque Lusitani tam milites, quam Imperatores edidere, vt Græcorum, Romanorumq; fortitudo, aut rerum gestarum gloria, cum illis comparari minime posse videatur.

6. Ergo Emanuel cum tanta Lusitaniæ ditionis incrementa, victorias,& parta trophæa Deo referret accepta, tam grati animi ostentandi causa, quam vt noua deinde beneficia promereretur, multa pientissimè ac religiosissimè patrauit. Ac primum ædem SS. Virginis à Bethleem, quam Henricus Princeps nobilissimorum Christi equitum domicilio ad ostium Tagi dedicauerat, magnifico auxit eiusdem nominis templo, veluti Indicæ conquisitionis,& Orientalium victoriarum trophæo. Vnde primo ex auri stipendio à Regibus dedititiis persoluto, sumptuosam pyxidem ad seruandum SS. Eucharistiæ sacramentum curiose fabrefecit, eidemq; templo destinauit, cuius instructurã, dum opera durauerunt, hostilis prædæ partem

tem, quæ sibi pertinebat, liberaliter impẽdit. Nec summa vulgaris fuit, vna enim ex Malacensi direptione ducentorum aureorum millia recepit. Templum vero non multo post cum suis reditibus, ac prædiis, ædificato ibidem Hieronymianæ familiæ cœnobio addicens, cum equitibus alio in loco paria fecit. E regione cœnobij propugnaculũ sancti Vincentij condidit, firmoq; præsidio,& bellicis tormentis ornauit, vt fluminis ostium ac templum ab hostibus vndequaq; tutaretur.

7. Neque ea Christianæ pietatis officia satis habuit. Anno enim 1513. vt suo, & subacti Orientis nomine obedientiam apud Christi Vicarium Leonem X. profiteretur, oratorem misit Tristanum Acuniam summæ dignitatis hominem cum eleganti procerum comitatu, qui ad eam legationem sese ad ostentationem adornarunt. Addidit & munera Regiæ digna magnificentiæ. In quibus Attalicum Pontificis ornamentum, auro trifariam crispante, scutulatum gemmis pulcherrimis, eoque artificio fimbriatum, par vt nusquam vel materiæ, vel manus pretio post hominum memoriam reperiatur. Alia insuper minoris taxata dona, & exquisita Indiæ munuscula, sed auro, gemmisque mirum in modum cælata. Misit præterea rhinocerotem & elephantem, quem primum ex Oriente Roma conspexit. Ad vltimum, Persicum venatorem Emanueli à Rege Armusiano missum, equo insidentem, cum venatica post ephippium panthera ingeniosè & affabre inaurata. quarum rerum omnium summa apud eos, qui singula accuratius æstimauere, sexcentorum mille aureorum fuit. Neq; ad eam ætatem, vel nostram deinde, Rex vllus extitit, aut Imperator, qui donis æque opulentis summum Pontificem veneraretur. Hæc scilicet Emanuelis pietas, hæc prima conquisitio fuit.

8. Africam secundo aggressus est loco, in quam ita inflammato propendebat affectu, vt eius conquisitionem sæpenumero suam, reliquas suorum clientum appellaret. Quamobrem nondum suscepta prole, ipsemet in Africam meditabatur, delectis in idipsum è Lusitania viginti quinque millibus, classeque ingenti ædificata, & curiose admodum instructa. hæc tamen in irritum cecidere. Nam, cum per eos dies Turcæ bellum periculosum Venetis ex insperato indixissent, nec rebus ornandis spatium daretur, ij, summi Pontificis authoritate interposita, opportunum Emanuelis auxilium implorauerunt. Triginta igitur naues eo missæ, triaq; bellatorum millia præfecto Ioanne Menesio, quem idcirco Emanuel Aroquæ Comitem creauerat. Hæ, cum in altum vela fecissent, & nonnihil ex occursu felicissime prædarentur, Venetias appulsæ, inde, quod ab incœpto Turca destiterat, quam ocissime remearunt. Ante hos tamen apparatus Emanuel, adaucto stipendio, præsidiisque commeatum & bellica instrumenta continentibus Africæ Castellis, in eam rem abunde suppeditauerat, præscripseratque vt institutis ibidem parochiis, tributorum omnium decimæ Ecclesiastico ritu persoluerentur; nec sine fœnore. Deus enim qui centuplicato hominum semper obsequia remuneratur, benigne præstitit, vt quo die Emanuel in Lusitania decreuerat, eodem Ioannes Menesius Arzillæ gloriosissimam à barbaris victoriam adipisceretur. plurésque deinde Arzillæ, Septæ, Azamori, Tingitanæque arcis Duces, æquabili rerum, victoriarumque prosperitate continenter floruerunt.

9. Omitto Lusitanorum audacissimos excursus, & prælia plusquam vicies animose profligata. quippe Emanuele Lusitaniam moderante, eo Lusitanorum virtus & fortuna creuit, vt potentissimos Fezij ac Marrochij Reges, & Xarifes insuper permagnis exercitibus infensos, ipsi numero longe impares, animo tamen superiores, nunc impetentes, impetiti alias facili semper negotio debellarent. Cælo nimirum auxiliari vtebantur; eoque præcipue Diua Virgine & S. Iacobo adiutore & auspice, non semel in hominum terga pertinaciter hærentes, & Marrochianas adusque portas insecuti ferratis hastarum calcibus fores, ingeminato Emanuelis nomine, conuerberarunt. Extruxit Emanuel in Africa Castellum Regium, quod (expugnata subinde, & stipendiaria facta vrbe Saphino opulentissima, & ciuium, inquilinorumque Iudæorum familiis quatuor mille quadringentis frequẽtissima, impositoque cum arce præsidio) vt minime necessarium, ita stabile nõ fuit. Anno deinde M. D. XIII. nauigia circiter quadringenta fabricatus, peditibus duodeuiginti mille cõmuniit, duobus millibus equitum; ex his trecenti cataphracti. E tota vero summa, peditum tria millia, equites quadringenti quinquaginta, in quibus cataphracti centum, Iacobi Ducis Brigantini, quem totius classis præfectum Emanuel summo cum imperio iussit, clientes erant. Ea expeditio suscepta est in Azamorum, quæ cum vectigalis vrbs esset, & stipendia, iugumque sæpissime detrectaret, exscendente Lusitano, & castra metante pro mœnibus, primo statim impetu, sine vllo Lusitanorum damno expugnata est, & militibus permissa, vt licenter & hostili more diriperetur. Ad eius supplicij famam desertæ mox à barbaris vrbes Tite, Almediuaque in Lusitanorum potestatem deuenerunt. Sed Almediua reuocatis habitatoribus, muris magna ex parte complanatis, tributaria constituitur. Breui deinde interiecto tempore oppida Benacafiz,& Tusue capta, direpta, incensa. Eaque tempestate in Africa præsidiarij milites non solum partas vrbes, & gloriam insuperabili virtute tuebantur; sed etiam in Mauritaniæ fines audacter excurrendo ad leucas ferme triginta, præter abactas prædas & seruitia, castella, mapaliaque nunc vicena, tricena iterum, aliquando quadraginta, semel centum, partim manu capiebant, partim manu demoliebantur. & vt compendiario dicam, ea tum fuere in Africo bello Lusitanorum virtus & præclare facta, quæ priscæ fortitudinis admiranda facinora, longo post se relinquerent interuallo. Stringam breuiter aliqua, ne omnia videar silentio præterire.

10. Octies Arzilla, Azamorum, Tingi, Cafij arces à potentissimis Fezij, Marrochij, & Mequinezij Regibus coniuratis, coacto peditatus ad centum, equitatus ad viginti millia exercitu, obsessæ obsidionis pericula incredibili virtute, Deoque palam obsecundante propulsarunt. Anno 1520. cum in agro Arzillano Fecij Rex cum maximis copiis clanculum grassaretur prædabundus, animo recuperandi amissa, si qua forte sese daret occasio; egressi è Lusitanis viginti ad expiscandas in fluuio testudines, præstantissimam phtisico militi veterano medicinam, adeo eo vel otio, vel negotio destinebatur, vt imminentes iam hostes tum demum præsenserint, cum vix fugiendi, nedum adornandi sese spatium dabatur. Ergo arreptis, qui ad tela humi defixa hærebant equis, sine ephippiis, sine calcaribus; sine habenis, ipsi prorsus inermes ac nudi, circumfusos in hostes intrepidi se coniiciunt, & hastis intentis, impetuque ipso horrendi per confertissimum globum viam rumpunt, & Arzillam præter omnium opinionem incolumes, incruentique perueniunt. Hæsit incredibili admiratione defixus Rex Barbarus. Lusitani equites, publicis cum gratulationibus ac tripudiis excepti, ab eo fluuio nouam gloriæ prædam & ornamenta retulerunt. Arzillæ tum Ioannes Menesius præerat; is cum accepisset Fezij Regem fratre quodam suo: permagnisque comitatum copiis properare ad Tingim obsidendam; nec alio modo posset Lusitanos impendentis periculi præmonere, scriptum eius rei nuncio epistolium, cereoque inclusum globulo, Tingitanæ cani, quæ id temporis in arce casu quodam reperta est, ad collum appendit, eductamque deinde ad portas, post longam & asperam verberationem emisit: auolasse crederes: ita maturè ad Tingitanos peruenit. Exceptis litteris præsidiarij, rebusque compositis aduentantes hostes opperiuntur.

11. Emanuel itaque eo potentiæ ac felicitatis euasit, in Africa ei prouinciæ; quæ Xerquiæ, Garabiæ, ac Dabidæ fines complectitur, late imperaret, splendidaque è multis earum regionum pagis & mapalibus tributa exigeret, quorum nonnulli Fezij & Marrochij Regibus, ac Xarifibus ea tempestate vectigales erant. Sed ne de felicitate cum Timotheo Atheniensi contenderet, imo fortunæ variantis, vtramque legeret paginam, nonnihil detrimenti anno 1515. accepit. Ducentarum quippe nauium adornatæ classi, & impositis ad octo millia (præter opifices & nautas) bellatoribus, cum Antonium Noxoniam Linariensem postea Comitem præfecisset, imperauit, vt arcem præsidiumque in Mamorini fluminis ripa collocaret (eo nempe Emanuelis studia respiciebant, vt quamplurimis posset munimentis Africæ confinia tutaretur) Ea res parum felices habuit exitus. Nam, cum opus pene ad fastigium iam spectaret, aduentantibus Fezij, Mequiniique Regibus, cum maximo & fortissimo exercitu, post varias oppugnationes, & magnam vtrimq;

cædem, de Emanuelis consilio, & consensu Ducum, animos quorum periclitari iusserat, non sine dedecore, damnoque intermissum ac derelictum est. Quo enim tempore Lusitani ab eo periculo recepere in tutum, nauigia centum, quatuor hominum millia tormenta aliquot, bellicique instrumenti nonnihil, vtpote in tanta rerum trepidatione, ac tumultu amiserunt.

12. Sed iam ad Emanuelis propria recurramus. Mox vt principatum iniit. Isabellam Principem duxit Regum Catholicorum filiam, quæ à demortuo marito Alphonso Principe Lusitano vidua perseueraucrat. ex eo matrimonio affulsit Emanueli spes amplissimi imperij, extincto enim Castellano Principe Ioanne, cum ad Isabellam coniugem, vtpote natu maiorem filiam regnum veniret, extemplo Emanuel, vxorq; Toletum profecti, à Legionensibus, Castellanisq; dynastis, interposito solenni Sacramento, legitimi Principes, ac principatus hæredes instituti sunt. Sed occulta fatorum dispensatione agebatur, vt eo Lusitania nisi bellicæ virtutis, & gloriæ terminos promoueret. quippe, dum reuerterent, Cæsaraugustæ in Aragonia puerperio enecta Isabella (regni iure mox ad Ioannam sororem Burgundiæ Ducis Philippi coniugem transeunte) spes omnes, veluti inie cta securi iugulauit.

13. Secundas cum Maria Isabellæ sorore natu tertia nuptias celebrauit, anno M.D. Inde numerosa Emanueli soboles; inprimis Ioannes Princeps, & patris in regno successor; Isabella, Caroli eo nomine Imperatoris V. vxor; Beatrix Pedemõtano Principi, Ducique Sabaudiæ Carolo nupta: Ludouicus Pacis Iuliæ Dux, & Lusitaniæ Conestabilis, multis & maximis animi dotibus ornatissimus, & Cratensis Prioris Antonij pater; Ferdinandus Francisci Cotinij Marialbæ Comitis gener, ante susceptam prolem præreptus immatura morte; Alphonsus, Cardinalis, Olysiponis, Eborænque Archiepiscopus, & Alcobacensis Abbas; Henricus, præter Alphonsi titulos, Braccarensi Primatu insignis; Eduardus, qui Iacobi Ducis Brigantini filiam Isabellam habuit in matrimonio; Maria infantilis ætatis in primo flore peracerbo funere occupata; Antoniusq; natu vltimus, & paucis à natali diebus extinctus. quo ex partu Regina in posterum ita male habuit, vt post ætatis anno 35. animam efflauerit. Emanuel vero cum integer adhuc, & vegetus annum ageret 49. tertias ad nuptias animum appulit, vxoremque assumpsit Eleonoram Caroli V. Imperatoris sororem, Philippi eo nomine primi Castellani Regis filiam: ex qua Carolum sustulit breui intermortuum, & Mariam, quæ illibato virginitatis flore, singularisque virtutis exemplo spectatissima obiit Olysipone, iacetque in Diuæ Virginis à Luce ad aram maximam; quod opus cum Lusitaniæ magnificentissimis, absolutissimisq; iure comparandum propriis ipsa sumptibus ædificauit.

14. Statura fuit Emanuel mediocris, corpus non ita succulentum; frons libera, oculi cœsij, barba, capilluscq; æneicoloris; facies candida, & apprime liberalis; ipse mente adaperta præditus, & in sermone consideratissimus; summa cum modestia, subtilitatem, prudentiamque mirifice copulauit. Venationi deditus, & musicæ amantissimus; cui non solum inter epulas, sed in laboriosissimis etiam occupationibus vacabat sine vllo negotiorum detrimento. Primam noctem sæpe spectandis ancillarum & aulicorum ludicris, veteri Regum consuetudine traducebat. Dominicis, festisq; diebus equorum ad curriculum ibat, vbi & puerorum equos agitandum dexteritatem laudabat, & agitabat ipse, vt cæteros ad equestrem disciplinam vehementius adhortaretur. Arundinum, tauranumq; ludos sæpius, vtq; colludentium parceret immodicis sumptibus, phaleras, chlamydesq; Mauricas domi in vestiario habebat, ac mutuas dabat. Arundines interdum & ipse cum cæteris lusit, nõ sine dexteritatis ac venustatis applausu. Ad cœnobia sacris interfuturus non raro se conferebat; quibus peractis, scisciabatur ab iis qui præerant, num aliqua opprimerentur egestate; cui non solum statim ferebat opem, sed etiam dono missis religiosis vestibus, atque ornamentis altaria condecorabat. Argentum, quod Alphonsus aunnculus è templis ad Castellani belli sumptus corrogauerat, demum restituit. Lateranos habuit, non cõmunes tantum, sed lectissimos etiã equites, quorum eximio splendore mirum in modum gloriabatur. In cibo tantæ moderationis, vt inter exquisitas epulas animaduerti vix posset, quibus potissimum titillaretur. Lautissime plerumq; epulatus, vino semper abstinuit, atq; oleo. Vsque ad ætatis quadragesimum totius anni feriæ sextas simplicis aquæ, panisq; transegit alimento; exinde ad obitum, commune ieiunium tenuit.

15. Litteratos viros diligebat ex animo, libriscq; doctis, Regum maxime superiorum monumentis impensissimè delectabatur. Pueris nobilibus, & cubicularijs mandabat, vt Latinum præceptorem quotidie bis audirent. Apud clientes miro fuit in amore & obseruantia. Vnde cum Eboræ nuntios de Arzillæ obsidione accepisset, cum equitib. quatuor in Algarbios propere contendit, obsessis opem laturus; præmonensq;, vt in eam expeditionem se voluntarij tantum sequerentur, vix iter cõfecerat, cum intra dies octo ad eum bellatores viginti mille è primaria nobilitate conuolarunt. Ea tamẽ auxilia cum reintentata ob exemptam de repẽte obsidionem rediissent; nihilominus Emanuel officiosam totius regni voluntatẽ, data occasione pro meritis, & sæpe ante petitionem remuneratus est. Variarum familiarum cœnobia, & gynæcea multis in Lusitaniæ locis condidit: sed Hieronymianæ præcipuum & opere, & magnificentia, titulo Bethlem, de quo supra mentionem feci. Tomarience deinde tam magnitudine, quam architectura celebratum. Templa vndecim posuit in Lusitania; in Africa, Indiaq; multa, quibus præter ornatum, necessarios reditus attribuit in alimenta Curionum. Eborense Diui Francisci templum extruxit, fornicis vniusadmirabili magnitudine, & artificio concameratum.

16. Olysipone Regium verè palatium ad Tagi ripam ædificauit, & Conimbricæ in montis dorso aliud, quod postea Academia à Philippo I. pecunia emptum in gymnasia conuertit; itemq; tertium Azambuziæ in oppido venationis, & rusticandi causa. Optimos totius Lusitaniæ pontes Conimbricæ atque Oliuentiæ fecit. Domum, quam vocant Misericordiæ, Olysipone instituit; assignatis per singulos annos in pauperum & orborum subsidia aureorum duobus mille quingentis; & annuis præterea mille centenis in alia pietatis opera. Qua Africa & Asia centesimari iussit. In duodecim Apostolorum gratiam & memoriam totidem equitibus, vel senio, vel paupertate confectis, annuas mercedes ea lege destinauit, vt pro se piaculares funderent orationes. Armamentaria condidit, bellicisque tormentis & omne genus armaturis apparauit, ac per totum regnum distribuit, imperauitque ciuitatibus fere omnibus, vt armorum conficiendorum officinas, ac fabros haberent, ne vllo vmquam tempore desiderarentur.

17. Impetrauit à summo Pontifice Leone X. vt militares equites Christi, Sancti Iacobi, & Auisij inire matrimonium possent (iis exceptis, qui voto castimoniæ iam nuncupato erant obstricti) quoniam ita expedire comperiebatur. Item obtinuit, vt saluo Curionum alimento, ex reditibus Ecclesiasticis in quæstum eorum, qui in Africæ conquisitione meruissent, aureorum viginti millia alienarentur. Ordinis Christi Equites, personas Ecclesiasticas, religiosasque familias à quouis emptionum soluendo tributo reddidit immunes; nec non populos à publicis aliquot exactionibus. Veterum Maurorum reliquias exegit è Lusitania. Iudæos qui ex Castella migrauerant, ad fidem Christianam adduxit. quorum & magna cædes Olysipone erat, glisente leuibus de causis seditione, populoque aduersus miseros arma capiente, in quibus, & alterius generis nonnulli per insaniam vel errorem trucidati. Doluit Emanuel pro rei indignitate tam insigne maleficium, prætoresque ac Magistratus, quorum erat ea vulgi turbamenta componere, seueriſſime puniuit, vtpote in seruanda iustitia constantissimus, atque integerrimus. Eodem stomacho antiquum regni ius, legesque reformauit, ac recoxit, adiectis magni momenti nonnullis. Lusitaniam Orientali commercio vsque adeo locupletauit, vt aurum pro argento vilesceret, ob vnam difficultatem pecuniæ quotidianos in sumptus permutandæ.

18. Ad vltimum Emanuel toto vitæ curriculo, quem non nemo ad instar Samij Polycratis fortunæ alumnum, vel partum, præstantissimo & incomparabili iure appellaret. Tanta nempe erat, & regni, & rerum ea tempestate felicitas, tanta bonorum omnium affluentia, vt Emanuelis principatus ætas aurea vulgo diceretur. Defuncto, vt maiestas

ipsius

ipsius ac merita postulabant, plurimis Europæ, Africæque & Asiæ locus cum sumptuoso apparatu iusta funebria persoluta. Neque Christiani modo Reges luxere defunctum, verumetiam ethnici, Cocinensis, Cananorius, Armuzianus & alii. *Vasconcellus in anacephaleosi Regum Lusitaniæ. Mapheus lib.* 8.

XXIII. Ferdinandus Cortesius Mexicana expugnata capit Pontonhauiã.

Eodem anno, die XIII. Augusti. Ferdinandus Cortesius post multos labores expugnata vrbe Mexica, Venetiarum æmula, etiam Pontonhauiam cæpit, victoriamq; nominari iussit, ob miraculosam hoc loco contra Indianos obtentam victoriam, in qua sanctum Iacobum Christi Apostolum equo insidentem, ac nudum manu gladium vibrantem, pro Hispanis pugnare visum esse narrant. Cecidere in vrbis expugnatione circiter quinquaginta Hispani, ac Indi permulti pro Hispanis pugnantes. Habebat enim Cortesius supra ducenta Indorum millia secum militantia. Periere cum Rege Montecuna, vltra centum millia Indorum. *Beuterlib. 8. in Carolo V.*

XXXIV Hungari Solymãni legatos Capiuos detinent.

Per idem tempus, Solymanus patri Selymo succedens, cum de more finitimis Regibus se paterni imperii hæreditatem adiisse, & portam suam omnibus siue pacem, siue bellum petentibus patere denunciasset, tanta Vngarorum fuit stoliditas & arrogantia, vt Turcam hostem vicinũ & præpotentem non modo insolenter contemperint, sed etiam legatos Solymani captiuos detinuerint: quib. ille iniuriis irritatus, maximos belli apparatus terra marique facere decreuit. Quod cum Ludouicus Rex intellexisset, legatũ ad Leonem X. Pontificem misit Stephanum Verbecium, regni Prætorem, qui cum in vrbem venisset, Leonem, audito Selymi atrocissimi hostis obitu, sacrum in Turcas bellum apud Christianos Principes per literas & legatos sponte vrgentẽ reperit. Vnde capta occasione contendit, ne Ludouico ac Vngaris periclitantibus deesse vellet.

Solymanus in Hungariã impetu facto capit Belgradum vrbem.

Huic Pontifex, cum se causæ publicæ iuuandæ minime defuturum respondisset, Thomam Cardinalem Caietanum Budam misit, qui certum auri pondus ferret, & Ludouicum contra Turcas animaret: effecturum se, vt cæteri quoq; Principes Christiani, sociatis terra mariq; viribus, idem efficerent. Cæterum Solymanus, mense Maio huius anni 1521. ingentem exercitum in Rasciam duxit, ac initio mensis Iulii Belgradum vrbem, ad Sani & Danubii confluentes munitissimam, oppugnare cæpit, quam tandem 29. Augusti, ac paulo post Sabacensem arcem, quinque inde passuum millibus distantem, ad Sauum expugnauit: Principibus Christianis, per intestina bella occupatis, ac nec quicquam opis ferentibus: excepto Sigismundo Poloniæ Rege, qui sex millia mercenariorum equitum peditumque Ioanne Tarnouio duce nepoti transmisit. *Istuanfius hist. Vngar. libro 6. & 7. Bernardus Vapouius. in fragmento. Cadanus hist. Polon. libr. 7.*

ANNO CHRISTI M. D. XXII.

HADRIANI PAPAE VI. ANNO I.

CAROLI V. ROM. REGIS ANNO 3.

I. NEmo vnquam ab vlla Sacrorum Comitiorum memoria, ex his quæ litterarum & virtutis opinione claruerit, vel minore sua ambitione, vel tenuioribus amicorum studiis Hadriano Sexto, Pontificatũ est adeptus; quippe qui tot cãdidatis, qui gratia, meritis, opibus nitebantur, sine contentione superatis, ipse Romæ nulli cognitus, & vix ex nomine auditus, ab Hispania extremisque Germaniæ oris ad summum rerum fastigium, tam felici, quam inopinato euentu facile peruenerit. Ita vt hinc liquido constet, Pontificatum cœlitus dari, Comitiorumq; suffragia nequaquam libidine decretoq; hominum, sed certa & incredibili Dei sapientissimi prouidentia gubernari. Natus est Hadrianus 6. Non. Martii anno Domini M CD LIX. in inferiore Germania ad Belgicum Oceanum in vrbe Traiecto, quæ prouinciæ dat nomẽ ac inter Batauos & Canenifates summam obtinet claritatẽ. Nam Episcopus Sacrorum Princeps armatis etiam præsit, & late dominatur; estq; ex eorum procerum insignium numero, qui Cæsaribus adesse, & bello pace que opem præstare consueuerunt. Hunc vltimum terræ tractum Hollandiam vocant, cuius fines ab occasu Oceani fluctibus alluuntur, cætera ad insulę formam bicornis Rhenus intercipit. Hadriano pater fuit Florentius aulæorum textor, qui familiæ nomen tulerat, viranimi probitate & ciuili industria potius quã honestis opibus insignis. Nam adeo angusta re familiari vrebatur, vt quum à filio à primis statim pueritiæ initijs miram indolem nobiliorisingenii deprehenderet, & ob id eum altius omnino eruidendum arbitraretur, pecuniam vel in frugalissimæ vitæ sumptus facile suppeditare nõ posset. Itaq; Louanium missus impetrauerit, vt in Collegio Portiorum gratuito aleretur. Sunt n. in eo celebri gymnasio quatuor Collegia disciplinarum omnium referta doctorib. Lilium scilicet, Falconium, Castrense & Portium, in quib. vetere instituto, honestis atq; ingenuis quos egestas presserit, in aliquot annos, ad capiendum animi cultum alimenta publice præbentur. Per hunc modum Hadrianus patre Florẽtio annuæ impensæ metu liberato, sese ita liberalibus artibus exercuit, vt nemo eo attentius aut ardentius litteris operam nauare diceretur, Nulla fere eum vmquam à scholis inuenilis voluptas euocabat; & cum esset supra disciplinæ duritiẽ vini, cibiq; parcissimus, etiam cæteros æquales suos perenni continentia, & lenitate animi superabat; eratq, in eo tanta discẽdi felicitas, vt quæ aliis essent obscura, vel nimia commentãtiũ subtilitate abstrusiora, & iucunde rimanti apprehẽdẽtiq; longe facillima viderentur. Ita paucis annis singulas scholarum classes ingenio & doctrina facile princeps, secundissimo cursu percurrit. Primum ei Dialectici honorem detulerunt, quum nemo esset eius ordinis, qui ei solertia & acumine disputandi conferretur. Pari quoq; fauore apud Philosophos, vt sepius spectata eruditione insignis, ante omnes candidatos lauream promeruit. Porro in mathematicis ei, prope vnica contigit laus, quũ plerumq; sine præceptore conuolutas earũ artium subtilitates, & per se caperet sedulo, & cæteris admirãtib. lucidissime recitaret. Ad extremum tantis instructũ disciplinis Theologi in scholam auide receperunt, quib. in studiis perpetua cum laude vsque ad senectutem religiose conquieuit, ita vt carptim tamen, & subciſiuis temporib. Pontificii iuris decreta perdisceret. Cæterum quod vnum ei viri elegantes defuisse prædicant, eloquentiæ cultioris flores & poetarum amœnitates contemnere erat solitus; siue quod putaret eas sibi aliquid de grauissimorum studiorum authoritate detrahere; siue quod castis & piis ingeniis poetarum lusus, prauos mores importare, & religionib. plurimum officere arbitraretur. Erat enim seueritate Christiana adeo verecundus, vt nihil nisi sobrium & pudicum, vel ioculariter auribus admitteret. Eo modo probatissimi nominis fama fruentem Margarita Maximiliani Cæsaris filia, quæ tũm Belgis imperabat, Sacerdotio Parochialiin Hollandia liberaliter honestauit; quod tam sibi inopinatum est visum, quam postea Pontificatus summus, per singulos officiorum & sacrorum ordines euadenti, inexpectatus fuit. Enimuero præclara virtus adeo ei prospere fortunã, & principum animos conciliarat, vtquum nihil prorsus ambiret vel appeteret, sed in altitudinem studiorum abditus, sæpe hominum qui litteras nescirent colloquia deuitaret, ad honores, & dignitates occultiore quadam vi non inuitari, sed rapi crederetur. Nec multo post ab hac morum & doctrinæ prærogatiua, suffragiis Sacerdotum omnium Louanii in templo maximo Decanus est effectus, qui est in ea vrbe inter Sacratos homines summæ dignitatis locus. Id quoq; sacerdotium alium honorem secum traxit. Is est in Gymnasio præcipuæ potestatis & præcellentiæ Magistratus, Vice Cancellariũ vocant, in scholis Collegiorum omnium cuncta moderantem. Nam ei professores deligendi, commutandiq;, & quod est præcipuum & insigne munus, benemeritos de optimis studiis laurea exornandi, cura demandatur, tam quam viro in omni doctrinę genere peritissimo, qui nõ temere quẽquam, nec nisi accerri-

mis è graui iudicio disputationibus excussum, omnibusque obiter probatum suffragijs, laurea corona, & peramplis priuilegiorum codicillis decoraret. Ab hoc sacerdotio, Magistratuq; ditior factus, nihil mox antiquius duxit, quam Louanij Collegium vt quintum adiiceretur, sub Hadriani nomine luculenter ædificare, adiunctis prædijs, quib. studiosi adolescentes oppressi inopia cum Doctorib. alerentur. Gratissimo namq; animo, quum Porcij collegij benignitatem agnosceret, priuati beneficij gratiam, publica liberalitate reponendam statuebat. Quod adeo supra eius vires Louaniensib. est visum, vt non minus ambitiose quam pie tantæ rei inchoandæ consilium suscepisse diceretur, quando facultates eius quæ erant mediocres, vix iaciendis fundamentis sufficturas appareret. Sed quum parsimonia, & sancta frugalitate auctiores sibi efficeret rerum omnium reditus, adeo ingẽti animo cuncta est complexus, vt sibi eam tum ampliorem, & supremæ quidem proximam fortunam præsagire videretur. Ferunt Bernardinum Caruaialem Hispanum, qui erat inter Cardinales authoritate atq; opib. insignis, quum id collegium tam felici ausu cæptum, quam facili successu operis perfectum admiraretur, quodam ingenuo dolore concepto fortunæ suæ indignantẽ suspirasse, quoniam id opus ad laudem sempiternam Decanus haud plane dies condere fuisset ausus, quod ipse tantus Cardinalis sibi ab antiquo animi decreto destinasset, nondum inchoare potuisset.

II. *Caroli Maximiliani filii pædagogus fit.*

Per id tempus Philippus Hispaniæ Rex Maximiliani Cæsaris filius apud vrbem Burgos morbo correptus interijt, relicto Carolo septenni filio, qui postea amplitudine imperij & augusti Cæsaris nomine insignis, rerum potitus est. Huic ipse auus, Cæsar felici prudentia, quum præceptorem esset daturus, vnum Hadrianum præcipua quæsitum cura delegit, repudiatis qui se ambitiose obtulerant, vel amicorum studio producti, ingenium varijs artib. ostentabant. Enimuero ille grauis, & pius Imperator, non modo lectissimarum litterarũ magistrum, sed optimorum etiam morum egregium formatorem, tantæ indolis & fortunæ puero adhibendum existimabat, quasi eum iam supra Hispaniæ regni hæreditatẽ quæ ei materno nomine obueniebat, sibi in imperio fore successorem diuinaret. Diceren. solebat, turpe quidem esse magno Principi nescire litteras, sed longe turpissimum his eum morib. atq; virtutibus omnino caruisse, quæ populis & gentibus imperanti, cum eximia pietatis atq; excellentiæ laude, contra superbiam atq; libidem, & reliquas immoderati animi cupiditates, inuictum penitus, & incorruptum præstarent. Nec Hadrianus Cæsaris opinionem fefellit, quum nemo fere ipso solidæ doctrinæ opinione celebrior, nemo sobrietatis & castimoniæ laude ornatior, nemo vitæ modestia, innocentia, religione præclarior haberetur. His enim exactæ disciplinæ præceptis Carolum adolescentem per se natura docilem, ingenioq; pacatum, ad has quas in ipso maximo, atq; optimo postea Imperatore homines agnoscebant & admirabantur, incomparabiles iustitiæ, probitatis & clementiæ laudes prouexit; ita, vt, afflicta tot malis Italia, quum æquissimi & moderatissimi Principis beneficio sublatis bellis pacem receperit, in eiusq; salutari tutela, nunc demum secure admodum respiraret, & periucunde refloresceret, non modo gratissimis votis, Cæsari gratias, vti salutis & quietis authori, habendas existimauerit, sed magistrum etiam pro sua pietate in cœlum receptum, qui discipuli animum sanctissimis morib. instruxerit, religiosissime veneretur: Quoniam aliquanto maius & augustius fuit, optimi, quam maximi Principis cognomen bonorum omnium iudicio meruisse: Quum ea omnia quæ benigna manu fortuna præbuerit, eius etiam nunc potestate impotentique, vt homines existimant, arbitrio teneantur; illa vero diuina virtus, qua duce, non modo ad totius orbis Imperium, verumetiam consummata victoriarum laude, in cœlum certis passibus contendit firmissimam possessionem sempiterni fructus, & perennis gloriæ præstare videatur. Defuit tamen Hadriano summa felicitas in excolendo puero: Nam Carolus quum mores in Principe literis potiores existimaret, nec his perdiscendis tantum operæ, vel temporis, quantum equorum & armorum studijs impertiendum arbitraretur, deprecante præceptore cirus quam debebat scholam destruit. Ferũt Carolum Ceurium nobilem Belgam, qui tum erat nutritius, vt integra adolescentis possessione frueretur, alumnum, militares iocos, sæpius offerendo sensim auertisse à litteris propter eaq; Hadrianum authoritate imparem, & natura leniss imum officio facile decessisse; ita tamen vt discipulo per blande diceret, futurum aliquando, vt eum præsentis negligentiæ pæniteret. Audiuere aliqui Cæsarem, quam Genuæ Latinam orationẽ à quodam recitatam nequaquam præclare intelligeret, suspirantem hæc verba ingenuo pudore protulisse; Agnosco, inquit, nunc maxime, & cum dolore quidem, Hadriani Magistri mei diuina monita, quum hos flores & elegantias Latini sermonis percipere nequeam, & meminerim eum sæpe prædixisse me aliquando puerilis incuriæ pœnas daturum. Itaq; Ceurio ad summa potentiam contendente, Hadrianus ad Ferdinandum Regem in Hispaniam mittitur, amplissimo quidem cum munere legationis, nisi ea honoris specie vir æquissimus longius ablegari videretur.

III.

Erat eo tempore Ferdinandus animo nequaquam pacato erga regulos vlterioris Hispaniæ, quod primo statim Philippi generi aduentu, deserta veteri aula sese ad illius amicitiam recepissent; quum fere omnes pro sene, & eo quidẽ genere Catalano, & parum liberali, nouum atq, legitimũ Regem, iuuenta, natalibus, & vitæ splendore maxime florẽtem cupide sequerentur; vsq; adeo, vt Fedelicus Toletanus Albæ regulus fere omnium solus integra sacramenti religione fidem seruaret. Quibus procerum studijs Philippus sese extulerat, vt socerum plane exutum vlteriore Hispania inuenili quadam alacritate contemnere videretur, maneretque sola inter eos imago necessitudinis & amicitiæ, non expressa quidem mutuis officiis, sed inanibus tantum epistolarum & verborum tritulis sustentata; tanta quidem vtrimq; suspicione, vt cum ad constituendas leges quibus in regendis prouincijs vterentur, speciemq; coniuncti animi populis præbendã, necesse esset vt in colloquium deueniret, delecto campestri loco, parum familiari habitu, tamquam ad hostilem aciem promotis vtrinq; equis sint congressi. Nec multo post Ferdinandus Neapolim nauigauit, vt inde magnum Consaluũ abduceret, virtute & liberalitate, suspectisq; artibus ad imperium aspirantem. Sed eo in Italiam nauigante Philippum vehemens, extinxit morbus. Itaq; rebus cum Neapoli, tum in Hispania feliciter confectis, rediẽs Ferdinandus aliquanto amarior, & asperior est effectus aduersus proceres, qui propter intempestiuam ingrati animi leuitatem, intemperanti obsequio nouii Regis gratiam, veteris maiestatis honori prætulissent. Harum igitur offensionum memoriam Hadrianus ex animo Regis opportunissimo tempore deterfit. Erat n. ad temperandas affectiones Regis tum exulceratas, & ad vindictam vergentis ingenij vehementer accommodatus; tum ipsa sanctissimorum morum existimatione, tum suauissimis Philosophiæ Christianæ præceptis, quib. Rex ipse prudentiæ & religionis laude insignis, facile obtemperabat.

Dorthusensis Episcopus fit.

Regulis eo modo sincera fide ab Rege in amicitiam receptis, Dorthusensis Episcopus fato cessit; in cuius locum iudicio Regis & procerum omnium, Hadrianus, nequaquam eius honoris appetens sufficitur est. Existimabat n. eo Sacerdotio longe dignissimus; quoniam præter incomparabiles virtutum omnium dotes, se etiam tanto oneri fore imparem, verecunda reluctatione prædicabat; & non modo opes verum & conspicui nominis amplitudinem, non exiguo sed modesto animo contemnere videretur. His susceptis Episcopatus insignib. nihilo secius in vetere obeundæ legationis munere perseuerauit vsq; ad vitæ exitum Ferdinandi regis, qui eum propter eximiæ probitatis; atq; iustitiæ laudem, sanctissimi parẽtis loco enixe coluerat. Mortuo a. Ferdinando, quum Carolus nepos summo populorum studio, tot regnorum hæreditatem adiuisset, remansit etiam tum in Hispania ex legato consiliorum rerumq; omnium particeps & moderator effectus; quam quam summa regendæ Hispaniæ Ximenium Cardinalem Toletanum respiceret.

IV.

Secutum demum est id tempus, quo Leo Pontifex in Vmbria difficili bello implicitus, eam Cardinaliũ coniurationẽ detexit, cuius princeps fuerat Alfonsus Petrucius Senensis. Is n. à Leone patria pulsus, quum vindictæ libidine atrox facinus animo cogitaret, iracundiæ suę decretum cum aliquot Cardinalibus stultissima linguæ libertate communicarat; vnde mox indicijs nefarij consilij facile deprehensis, ipse

ipsein quæstione tortus, & demum necatus insanæ suæ pœnas dedit, cæteri quod neglecta salute Pontificis, tantæ periculi consilia minime detulissent, adempto iure punicei pilei cum ignominia Senatu sunt amoti. Fuere ii Raphael Riarius & Bendinellus Saulius Ligures, & Hadrianus Cornetanus. Franciſco autem Soderino clementer ignouit, ne si ob recentem iniuriam Senatu motus esset, id veteribus odiis dedisse videretur. Ad horum calamitatem Senatus reputatione periculi consternatus, quum alienos ab ea scelere animos in dicendis sententiis ostendisset, Pontificem impulit, vt nouis Cardinalibus Curiam impleret, indignarum quod parum beneuolo fideliq; animo detectæ coniurationi crederetur, Ea enim tum videbatur Senatorum naturæ lenitas, vt pleriq; in miserit ordiam versi, nequaquam vti debebant Principis periculo permouerentur, & eam cogitati sceleris pœnam, non iustitiæ, sed crudelitatis nomine, haud obscuris sermonibus appellarent. Quibus de causis Leo, beneficii pariter atq; iniuriæ natura grauis æstimator, vt inimicorum contunderet spiritus & maiores, & fideliores necessitudines sibi, & Medicææ familiæ compararet, vnum & triginta Cardinales, vna atque eadem liberali pronunciatione in Senatum legit, egregio excellentique delectu: si in vniuersum quisq; à morum litterarumque censura spectaretur, nec immodicus numerus seueriorum animos offenderet, qui sacrosancti Ordinis dignitatem imminui, & fœderi tanta multitudine prædicabant. In his fuit Hadrianus Leoni quidem antea ab egregia nominis fama plane cognitus, sed tum præsertim Maximiliani Cæsaris litteris, & Alberti Pii, Guilhelmiq; Enchauordii plenissima commendatione laudatus. Erat hic Guilhelmus ex eadem inferiore Germania vetus eius familiaris; qui quum Pontificia in aula ab ineunte ætate honesta cum laude solertis industriæ versaretur, Hadrianum impense laudare, & doctis sanctissimisq; viris omnibus huius ætatis præferre erat solitus. Itaque Hadrianum arridentis fortunæ prorsus ignarum, nec quicquam tale trãquillo animo cupientem, is qui pileum ab vrbe detulerat, operandis sacris occupatum inuenit, ita vt quieta admodum, & lenta quadam hilaritate venientem excipere, nec paulo iucundius, & liberalius tanto munere lætari videretur, qui animi habitus ea moderatione definitus erat, vt nihil ad inuidiam propter fastum, sed propter incorrupti animi simplicitatem ad gloriam omnium testimonio verteretur.

Fit Cardinalis.

V. *Toti Hispaniæ præficitur.*

Carolo in Cæsarem electo, & in Germaniam contendente, Hadrianus cum Imperio toti Hispaniæ præficitur, tanta cum dignitate, vt Cæsar recusantem, & præoptantem sequi, humanissimis precibus, vt manere vellet, exorare cogeretur quando Rege absente in Hispania præside opus foret præclare dignitatis & famæ, qui populos nequaquam adhuc parendi obsequio confirmatos, omnibus moderationis atque iustitiæ exemplis in officio contineret. Verum Hadrianus, vel ob id in Hispania remanebat inuitus quod alienæ improbitatis inuidiam sibi viro innocentissimo minime subeundam esse iudicabat. Erant enim Hispani fermè omnes Belgis ipsis vehementer irati, qui Ceurio principe, authoreq; ciuitates inusitatis auaritiæ commentis expilassent. Siquidem Ceurius Caroli nutritius, vbi erat in procuratione rerum omnium cum incredibili authoritate constitutus, in vnam eam præsertim curã rapacis ingenii nerues intenderat, vt quanta vis maxime posset signati auri, vel impudenti ratione cogeretur. Erat enim nouo Cæsari paranda classis, exornandus in Germania exercitus, remunerandi qui proceres, qui eximia & constanti suffragiorum benignitate, Augusti Imperii coronam detulissent. Is erat in Ceurio consilii prætextus. Cæterum quum omnia apud eum essent venalia, non Cæsarianos modo, sed priuatos etiam loculos inexhausta cupiditate auro replebat, adeo vt passim fœdissimis auaritiæ probris & maledictis proscinderetur. Oderat Ceurium Hadrianus propter acerbitatem atq; insolentiam auarioris animi, & super hæc manebant adhuc vestigia veteris iniuriæ. Nam Hadrianus dum Louanii Collegium conderet, coniuncti soli non magnam aream cum attigua domuncula ad maiorem publici ædificii laxitatem & elegantiam, à Ceurio nec æquo pretio, nec religiosissimis precibus impetrare potuerat. Existimabat etiam se in Hispaniam specie honoris fuisse ablegatum Ceurii impulsu, vt Carolus adolescens vno ipsius imperio pro libidine regeretur. Tum vero minime dubitabat, quin & eius quoque opera in Hispania relinqueretur, vt ad arma consternatæ, & plane desciscentis prouinciæ, immani æstu & sæuis fluctibus iactatus & absorptus interiret. Nec eum fefellit opinio. Nam Cæsare iam adhuc Toleti agente, haud vanus rumor increbuit coniurare in vnum vlterioris Hispaniæ populos, & Toleti esse qui Ceurium opprimere cogitarent. quibus cognitis Carolus Ceurio trepide suadẽte adeo propere cunctisq; inopinatibus, & spurcissima quidem cœli tempestate vrbe excessit, vt nequaquam proficisci sed præ metu prorsus effugere crederetur. Vbi Cæsar ad Oceanum peruenit; legationes ad conuentum euocantur, & quæ est conuentuum fere omnium summa, pecuniæ postulantur; quas imperare nefas est, nisi Reges ad promouenda ea subsidia, populis variarum rerum immunitates concedant: Petebantur autem ab vniuersis, vt ciuitates Belgis præfidib. liberaret, hiq; honores æquissima liberalitate in digenis hominib. mandarentur. Namq; ea officia ita adquæstum Belgis dono data erant, vt ea domum præsenti pecunia Hispanis hominib. venderentur. Sed Cæsar durior est inuẽtus, quoniam ea insolenter atq; superbe petentib. nihil fere concedendum arbitrabatur. Comminatus etiam fuerat Petro Pyroni Regulo, qui non dubitasset contumaciore præsiteri, se ostensurum quid in Hispania authoritate clientelisq; valeret; postquam Cæsar sibi iniqua lite circumuento, & semiopprẽsso ius dicere recusaret, Cæterum aliquot ciuitatum legati, qui, vt priuatim gratiam & præmia promererent, Cæsari grauiora pecuniæ subsidia petenti propensiore obsequio obtemperarant, à ciuibus ignominia mulctantur, nonnullique etiam populari tumultu pulsantur. Eodem quoq; iudicio Segobienses Legatos suos, quoniam audacter & fortiter pecuniam se collaturos pernegassent, nisi amplissima immunitatis priuilegia essent consecuti, tanta cũlætitia & gratulatione receperunt, vt honoris causa triumphantium more vrbẽ intrarent. Quib. de causis Hadrianus initia rebellionis mature opprimenda existimans, aduersus Segobiensis Ronchillium sæuum atq; atrocem rerum capitalium præfectum, cum ala prætoria, & cohorte custodum corporis mittit; à Regulis etiam proximis auxilia implorat, quib. discedẽs Cæsar ipsum totius Hispaniæ Præsidem creatum vehementissime cõmendarat. Verum Ronchillio Segobiensium agrũ deuastante, & commeatus è proximis oppidis in vrbem importari prohibente, vt fame subigeret, Toletani & Salmanticenses in auxilium Segobiensib. aduolant, & pulsõ Rõchillio obsidionem soluunt. Tum vero Hadrianus ingenti cura angi, euocare beneficiarios proceres, & ampliores copias parare, quib. effrenes insanientesq; populos ad officium reuocaret. Ante alios Antonius Fonsecà Cæsaris partes suscipit, & ad Metimnam campi nobile emporium proficiscitur, vt inde ænea tormenta, quæ Regis armamentariis seruabantur in præsentes vsus educeret: Facile intelligens nullam vim, vel militarib. copiis, nullamq; vel optimo duci inesse authoritatem, quæ iusto tormentorum apparatu carniffet. At Metimnenses, vti plane eodem iudicio publicam causam secuti fœderatiq; finitimis, captis repente armis, ne tormenta educantur, egregie resistunt. Id vero minime ferens Fonseca vir nobilis, & ingenio ferox, vt plerumq; fit in turbidis & repẽtinis casib, auxilium plane audax, & successu longe fœdissimum capit, proximis n. tectis ignem inferri iubet, vt in summo vrbis & fortunarum omnium periculo, ciues à tuendis tormentis, ad restinguendum incendium seruandam q; patriam hequaquã inepta ratione reuocaret. Sed tanta vesanis obstinatisq; animis contumacia inerat, vt tueri tormenta, quam patriam à miserabili incendi seruare pulchrius existimarent adeo vt discedente Antonio, seruatisq; tormentis, tamquam victores in patriæ cinerib. effuse lætarentur. Ferunt ingentes opes, & pretiosa totius Europæ mercatorum, qui nundinas ibi celebrarent, mercimonia omnis generis, & aromata item Lusitani Regis incomparabili iactura conflagrasse: quæ res sicuti Hadrianum incredibili dolore affecit, quod tanta cladi causam præbuisse videretur, ita populos iam suopte ingenio nequaquam Regiis præfectis & Magistratibus parentes ad rebellandũ ea veluti accepta iniuria vehementer incitauit nam haud dubie totius Hispaniæ opes vno eo incendio absumptæ videbantur. Nec mora, singulæ fere ciuitates præter

Bethicas in vnum coniurant, copias instruunt, & non obscure, vti ei e&tæ ad libertatem à præsidib. Cæsaris rebellant. Regium tamen nomē in honore habent, & Magistratus tantum odisse videri volunt, à quib. expilati oppressiq; indignissima paterentur. Ante omnia iudices creantur viri fortes acerrimiq; qui causam populorum cognoscant. Tum v. humillimo cuiq; fas fuit iniurias deferre, & liberrime conqueri de impotentia acerbitateq; Pretorum, qui contra consuetudinem antiquorum Hispaniæ Regum populos omnes nulla moderatione vexauissent; ea n. diserte conscripta ad Cæsarē, vt flagitia suorum inspiceret, continuo missuros dictitabant. Erat tum Valleoleti Hadrianus cum Senatu euocandis Regulis & parandis præsidijs intentus, cum ad eum popularium copiæ, duce Petro Girone, qui vnus fere nobilissimi generis à Cæsare defecerat, pacato agmine veniunt, quorum aduentu cognito, Senatores metu territi, alij alio habitu, atq; itinere dilabuntur. Hadrianus a. eodem animo vrbe egressus, dum abire contendit, à Girone Ioanneq; Padillia sistitur. ij summo cum honore verborum eum cohortantur, vt redire in vrbem & cōquiescere vellet, satis superq; n. perspectam esse omnib. Hispaniæ populis ipsius virtutem, innocentiam, moderationem; atq; ita ipsum, atq; ipsius nomen omni tempore propēsissime colituros, se & tum Cæsaris nomine parere, & perpetuo fidem seruaturos: sed decreuisse benemeritas de Regū nomine ciuitates nolle eas turpissimæ seruitutis compedes diutius perferre, quas auarissimi & iniquissimi viri adolescētis Regis præsides nihil tale expectantib. innexuissent. Hadrianus itaq; tranquillo vultu postquam ita necesse erat, armatis hostib. paret: verum dat secreto operam cum sacerdote quodam, vt perfosso vrbis muro qui vetustate obsitus facile terebrari poterat, noctu educeretur: quoniam priuato captoq; similis, postquam Senatores diffugissent, parum incolumi dignitate, sibi nequaquam diutius permanendum apud rebelles arbitrabatur; & in proximo Riuosicci oppidum erat Amirātis Reguli, ad quem perfugere cupiebat, nec multopost omnib. deceptis intempesta nocte perforato muro sese eiecit, conscensisq; ad id præparatis equis cum Sacerdote in pacatum euasit. Eius fugam Valleoletani quamquam grauiter tulissent, tamen familiam cum vniuerso apparatu ad eum inuiolatam postero die venerationis atq; obseruantiæ testificatione dimiserunt.

Tredecim Hispaniæ ciuitates à Carolo V. deficiūt

Interea Cæsar cognita tredecim ciuitatum defectione, opportuno salubriq; consilio, duos summæ dignitatis atq; virtutis Regulos regendæ Hispaniæ præficit, eosq; ad persequendos qui defecissent, pari cum imperio duces creat; Indacum scilicet Vellascum qui erat Magister equitum, & Federicum Henricum, quem ab ipsa maritimi officij præfectura Amirantem vocabant. Hi coactis vndiq; copiis, ad Riuosiccum Egurrorum olim forum, vbi tum erat Hadrianus, cum paucis Senatorib. perueniunt, & de gerendo bello consultant, omnibusq; consiliis Hadrianum adhibent, quamquam is nouo successorum aduentu veluti abrogata potestate pene priuatus esse videretur: quasi is qui esset externus & Belga, itemq; vir Sacratus & senex, belliq; penitus ignarus, militarib. consilijs minime foret admiscendus. Sed singulari humanitate æquitateq; ducum facile fiebat, vt pristino honore, & solita reb. in omnibus authoritate potiretur ita vt ambo Hadriani domū honoris & reuerentiæ causa cōmuni quadam benignitate frequentarent. Repressa paulo post fuit seditio captis ducib. & popularium copijs dissipatis: Hadrianus Burgos reuersus, operam dedit, vt nulla in re Cæsar, aut diligentiam, aut fidem desideraret, exardente bello tum in Belgica, tum in Italia aduersus Gallos.

VI. *Cardinales ad nouā Pontificis electionem cōueniunt*

Interea Leone Pontifice vita functo, cum Cardinales iustis nouemdialib. eidem persoluissent, ad comitia coierunt, omnes numero XXXIX. clauso cōclaui die XXVI. Decēbr. superioris anni M. D. XXII. Aduenerat Mediolano mutatis ad celeritatem iumentis Iulius Medices Cardinalis, qui pulsis Gallis apud exercitum erat Legatus. Is magnis opib. & clientelis innixus, recentiq; fama rerum prospere gestarum, & prudentiæ ciuilisq; modestiæ nomine cōmendatus, ante omnes Pontificatum petebat, traxeratq; in partes sexdecim Cardinales, in quib. pleriq; erant iuniores, qui vel ob id ardentius atq; expeditius Iulio fauebāt, quod prose ipsis minime petendum arbitrarentur, & gratiam apud nouum Pontificem præclaro maxime studio, apertisq; suffragiis omnino parandam existimarent; atq; inprimis beneficiorū ab Leone acceptorū recordatione mouerentur. Huic a. Medicei Cardinalis desiderio vel illud repugnabat, quod multis defuncto Pōtifici alium ex eadem familia surrogari, vt quod quasi hæreditario iure in Pontificatu succedendi exemplum foret, valde perniciosum videretur. Seniores præsertim quorum plures erant candidati, quamquam duplici fere numero cæteros superarent, multis tamen de causis vt Pontificem declararent adduci non poterant. Prodierat candidatus ante alios Bernardinus Caruaial, Senatus Princeps, sed is facile repulsam tulit: præsertim quod à Iulio Pōtifice excitato schismate desciuisset, recentis adhuc ignominiæ notam præferebat. Secutus est Alexander Farnesius, magna Romanæ nobilitatis & optimarum literarum præsidia secum ferens. Is vti nemini inuisus, nec omnib. gratus, nō multum abfuit à summo honoris fastigio; nec hæsisset in cursu, si ad suffragiorum numerum, quem superauerat tenorem, in accessib. esset consecutus. Cardinalis Mediceus ante alios reliquos ab accessu destinebat, & ne tum propere Pontifex crearetur moras iniiciebat. Itaq; seniores ad illum legatos mittunt, Antonium Montanum iuris scientia illustrem, & Thomam Caietanum Sacrarum literarum studijs longe clarissimum. Ii meditatis orationib. orsi à religione, Pontificatum cœlo dari non humanis studijs dicebant: propterea debere ipsum conatibus finem imponere, & æquo animo pati, vt tandem aliquis ab ætate, moribus, & doctrina probatus, etiam si ex omni parte minime placeret, Pontifex crearetur; vt is Christianis sacris preesset, qui non malis artibus, sed commendatione virtutis eueheretur. Prouectis enim ad sanctissimam sedem, nequaquā amicis & fautorib. sed Deo & Cælitib. habendas esse gratias, quando quidem Pontificatus semper calamitosus & infelix extitisset ijs, qui vi contendendō contra leges ambibus, illum inuitis meliorib. essent consecuti, ad futurum pro certo cœleste numen in suffragia euntib. si Cardinales rerum omnium præterquā veræ pietatis obliuiscerentur. Ad ea Medices, graui & moderato sermone respondit, nulli magis quā ipsis eas adhortationes conuenire, qui nefaria coniuratione inita, iurare minime dubitassent, nemini nisi ex ipsorum seniorum corpore suffragia daturos: Non deesse apud iuniores omni virtutum prærogatiua dignissimos, qui expedita senioribus ex æquo mererentur, quos eo summæ iniquitatis decreto, & detestabili secessione ad contumeliam notatos alienassent: Neq; se, qui tametsi exquisitis literis abunde non sit instructus, illi vmquam vel moderatione, vel iustitia, vel pietate, vel senatoriis officijs, vel clarissimis erga Remp. meritis esse concessurum. Ad hæc etiam liquido cōstare, quanta fide, quantaq; propensione, & frequentia grauissimorum amicorū confirmatus, id petere, & sperare posset, quod tamen ad declarandam animi temperantiam alteri concedere paratus foret; propterea se nominaturum virum insignem, vt se illo inuidiæ & ambitionis onere liberaret, & præclara voluntate Reip. Christianæ consuleret, quod si is à seniorib. minime probaretur, tum vero manifeste eorum consilia obtrectationis, & cæcæ malignitatis plenissima nudarentur. Ab eo colloquio cum esset discessum, Medices prolixe cum iuniorib. disputando constituit, vt postero die Hadrianus Cardinalis Derthusensis, conscriptis in eius nomen syngraphis, in Comitio numeraretur, quoniam is esset omni pietatis & cōtinentiæ laude conspicuus; nec Cęsarianas partes deserturus esse videretur, quib. ipse vehementer esset implicatus. Erat n. ei magnopere timendum, ne si Gallus noui Pontificis studio bellum in Insubribus renouaret, Placentia & Parma vix dum receptæ, atque ægre per inter Pontificium defensæ vrbes protinus amitterentur, & subinde ipse vti belli socius Florentia patria pelleretur. Iam n. Franciscus Maria Feltrius Gallicis instructus auxiliis, Vrbinum, secundissima populorum voluntate, eiectis Florentinis Magistratib. receperat. Malatesta quoq; Baleonus, qui tum cum laude apud Venetos militabat, cum Horatio fratre in Vmbriam delatus, paternis amicis ad arma excitis, pulsisq; Perusia Gentile patruo, & Vitellio Tifernate, Pauli patris necem vlturus esse videbatur, quem Leo Pontifex in mole Hadriani biennio ante capitali supplicio affecisset. Nec deerat in agro Romano Rencius Ceres, qui pro Gallis cohortes conscriberet, coniunctisq; cum Baleono & Feltrio copiis bellum atrox Senensib. & Florenti-

nis

VIII.

nis se illaturum tamquam Gallorum hostib. minaretur. Hæc omnia p notas arbitrarias augustissime cōscripta, syngraphis inter fercula sedulo occultatis, intra Comitia & cōclaue Iulio Medici quotidie nunciabantur. Quib. rerū grauiss. periculis adductus, nequaquā diutius in Comitio perseuerandum arbitrabatur, ne dum incertam spē adipiscendi Pōtificatus obstinatius sequeretur, præsentē dignitatē quę erat amplissima, & regnum item Ethruriæ togatæq; Galliæ ditionem, in qua ipse legationem obtinebat, in manifestum discrimen deuocaret. Sup hæc tenuissimā quoq; spē vel ob id cōceperat, q certā fidē, vt optimo iure antea sperauisset, in quibusdā Card. minime reperiebat, quas præsertim ipso enixe flagitante, Leo Pōt. in senatum legisset. Ii erant ante alios Scaramutia Triuultius Pōpeius, Columna, Dominic9 Iacobati9 Baptista Pallauicin9 Ligur, & Raymund9 Vicus Hispanus. Itaq; Medices desperato vel neglecto Pōtificatu Hadrianum nominat, iuniorum suffragia perpetuo syngrapharum tenore illi fauent, subit cunctos admiratio ad inexpectatum candidati nomē. Tum v. Tho. Caietanus ad proximos conuersus, vbi perpetua fere oratiōe Hadriani virtutes eruditionemq; comendasset: Ergo, inquit, pedib. in sententiā accedamus, vt postquā Deo & hominib. placet, vir sanctissimus omnib. numeris Christianæ virtutis insignis Pōtifex creetur. Nec mora plerisq; tactis religione animis alacres accedunt, alii cunctabundi qui nec nomen eius audiuissent erecti tamen ac veluti præsenti numine impulsi spes suas abrumpunt, & nationum suarum obliuiscuntur Hadrianumq; Derthusensem Pontificē renuntiant. Vnus omnium Franciotus Card. Vrsinus, vt suffragio accessu iuuaret, adduci nō potuit: quoniam nefas esse diceret eum Christianis sacris præficere, quem nō vidisset vnquā nec ab opinione virtutis plane cognouisset. Cæterum exultante Iulio Medice quasi vicisset, q ab inimicis minime superatus animū ingenti cura liberasset, alii ferme omnes deformi quadā mæstitia deiecti & tristes, ægris animis reputabant, quisnā rerū exitus esset futurus, postquā amisso è manib. Pōtificatu, eum homini externo, nulli fere cognito, & procul egenti in extremis terrarū oris quasi præcipiti temeritate detulissent. Id v. populus adeo indignanter tulit, vt quū patefacto Conclaui Card. domum redirent, passim maledictis incesserētur, quod infamib. Comitiis nō modo vrbē Romā suo Antistite orbatam prodidissent, sed quod insaniæ proximū videretur Italiam et Pōtificatus honore spoliassent. Erat n. opinio statim edita in vulgus, Pontificē neglecta Roma, vi aut sua spōte permansurum in Hispania, aut enauigato protinus Oceano Germaniam esse petiturum, vt ad immortale decus gentis sacrorū Princeps in terra patria conspiceretur. Adaperto cōclaui, quū globus Card. Hadriani pontē esset prætervectus, & opifices pueriq; oculis, voceq; & manib. obstreperent, nec à fœdissimis probris abstinerent, Sigismundus Gōzaga Card. renidenti vultu his egit gratias, quod aduersus extrema supplicia meritos contumeliis essent contenti, nec lapidib. publicā iniuriam vindicarent. Nec multo pōst Cardin. ne quod detrimenti Resp. pateretur, Trium-viros authoritate Pontificia constituunt, qui menstruo cum imperio ex triplici Senatorum Ordine sorte ducti, pacis & belli negotiis præsint. Ii in Vaticano Pontificia in parte ædiū cuncta administrabant.

VIII. *Hadrianus in Hispania Pōtifex salutatur.*

Interim tabellarii cum priuatis literis per Gallias, & Pyreneos saltus ad Victoriam Vellicam Cantabriæ vrbē 13. die peruolarunt. Redibat tum forte Hadrianus à Federico Henrico Amirante, quē ægrotantem inuiserat. Itaq; tabellarij ędium scalas cōscendenti ad pedes prouoluuntur, eūq; porrectis literis Pont. Max. salutant. Ille nihil ad tanti nuncii nomē vultu animoue commotus paulum substitit: & cum tabellarios ab osculo pedū auerteret, conuersis ad amicos oculis, si vera sunt, inquit, quæ nunciantur, mihi profecto plurimū est dolendum. Nec mora exultantis & salutantis populi turba atriū porticus, atq; ipsa etiam superiora conclauia replentur. Ingruente v. nocte nobiles equites vti in publica lætitia decuit Maurorum habitu vibratis funalib. decurrerūt. Verum Hadrianus nihil propterea aut de corporis cultu, aut de pristina vitæ cōsuetudine sibi mutandum esse iudicauit, quum prius expectandas à Senatu literas arbitraretur, quā quicquam vel muneris, vel habitus de Pontificia maiestate, vti præpostero leuiq; similis, vsurparet. Erat n. nō fastu aliquo, vt iis plerūq; accidit, qui in secundis fortunæ flatib. facile contumescunt, sed à simplici morū nitore stabiliq; vitæ continentia grauissimus. Siquidem literæ conscriptæ erant à Gerundensi Episc. haud plane graui & certo authore, quib. ille ad promerendā gratiā, Pontificatum omnib. suffragiis ei delatum effuse gratulabatur. Sed omnes erecti erant in expectatione literarum quæ à Card. cum SC. electi Pōtificis in Hispaniā mitterentur. Obstabat mare hybernis tempestatibus sæuum, infestisq; per omnia littora Gallis prædonibus inclusum, Pyreneiq; saltus iuga cum præaltis niuib. tū perpetuis Gallorum custodijs tenebantur: adeo vt quum tredecim dierū spatio nihil ad confirmandam tantæ rei famā penitus adferretur, iam de ea re pleriq; dubitarent, quasi Galli hostes fictitiis literis ad eludendam hominis dignitatem totum id commeatum in Hispaniā deferri curauissent. Cæterum ipse, mirum dictu, ea omnia de se vti Romæ acta erant, ab initio constantissime credidit, quasi ab oculis fatidicarum virginum edoctus, quæ tanto rerum euentu promissis fidem attulissent, adeo vt Acredio medico anxie nimis, & tristi fronte, tantæ moræ spatium per singulos dies vti spe deposita supputanti dicere non dubitarit, vt in spe concepta maneret, neq; amplius eo literarum desiderio torqueretur: se n. Dei Opt. Max. beneficio creatū esse Pontificē, & breui fore vt ab ipso in sede Principis Apostolor. in vrbe Roma sub illa solēni tyara conspiceretur.

Interea à Cæsarea Augusta, os mandibulæ Diui Lamberti martyris, ad eum pro insigni munere delatum, incredibili cū lætitia suscepit. IX.
Id n. antea vel assiduis precib. impetrare nequiuerat, quamuis id Leo Pont. ab ipsis Cæsare Augustanis sacerdotib. per epistolam flagitasset, & Carolus Cæsar eas ad cōmunicandas sanctissimi viri reliquias etiam atq; etiam hortaretur. Hinc natum fuit persacetum Hadriani dictum ad familiares languidiore spe in cartisti mora literas de Pōtificatu ab vrbe prestolantes: Si nō vobis arridendo inquit, sed mihi futurus eram Pontifex, mihi quidē amplius non est opus ipsi tanta summi honoris potestate, quando iā Diui Lāberti reliquias, quod vnū in tota vita vehementer optauerim, vel ad falsam delati Pontificatus famam felicissime sim consequutus. Inter has ambiguę spei sermones, quū per tredecim dies tota eius aula, & omnes fere Hispania suspensis animis versaretur cęnanti superuenere nuncii ab vrbe Roma, qui literas à Trium-Viris cum SC. ipsisque Comitiorum actib. deferebant, quos tanta animi tranquillitate suscepit, vt perlectis literis, atq; his quod honeste conscriptæ viderentur, pacata voce & leni capitis nutu laudatis, nihil plus sit locutus quam vt nuncios tamquam de via fessos ad quietē hortaretur, adeo vt in eo sedati animi habitu frigidioreq; lætitia, Vianesius Albergatus, qui à Leone missus, sacerdotum defunctorum hæreditates in Hispania colligebat, indignanti similis nō obscura voce dixerit; Renuatur ergo hic summus Pontificatus, post quam tam lenta hilaritate suscipitur. Petebat senatus, vt postquā legitimis omnium suffragiis Pontifex esset creatus, de se benemeritos Card. diutius frustrari nollet, paratisq; ad nauigandum reb. omnib. in Italiam primo quoq; tempore maturaret, vt quod Deo Opt. Senatuiq; deberet, opportuna ope afflictis Italiæ reb. mature allata, religiose solueretur. Ferunt Hadrianum, vti ipse postea testatus est, ea nocte diu mente ambiguæ volutasse, an Pontificatum susciperet: nullaque grauiore de causa inductum suscepisse, quā vt Dei Opt. Max. nutib. obtemperaret, postquam aspirante cælesti numine ab ignotis hominib. tantus honor deferretur. Apparebat n. ipso recusante, Christianæ Reip. dignitatē, dira dissensione Card. conuelli penitus, & ad non dubium interitū fœdissime lacerari, quoniam instauratis Comitiis, exitioso diroq; schismati materia præberetur. Nolebat etiam vti Cæsari deditissimus, recentis eius victoriæ cursum impedire. Nam Gallos Leonis morte plurimum exultare, sub atisque animis in spem noui Pontificis, qui partib. adesset, bellum in Insubrib. renouare didicerat: quæ omnia abrupta spe pacis atq; concordiæ, ad conturbationem humanarum & diuinarum rerum proculdubio pertinerent. Igitur sequenti die stolatus in publicum prodit, calceamenta aureis crucib. exornat, salutanti turbæ omnis generis hominum exosculandos præbet pedes, desumptoq; Hadriani sexti nomine, id confestim in publicis literis præscribit. Tum v. finitimi populi ad constantem famā creati Pontificis Victoriam vndique conuenire, vlteriores trans Hibernum amnem gentes pia quadam hilaritate postpositis reb. omnib. ad iter excitari; quoniam, q tum rarissimæ felicitati datum videbatur, ab vlla maiorum memoria Pon-

tificem in Hispania numquam vidissent. Ipsi Reguli insignes, natura admodum pii & magnifici, opulentiq; item sacerdotes, & Episcopi inprimis nobilium ciuitatum inter se ambitiosa liberalitate certabant, nam quisq; munificentiæ studio in sacros præsertim vsus sese regalib. donis onerabat, quib. apud Pontificem opimæ gratulationis nomine ad parandam gratiã vteretur. Nec defuere etiam pleriq; matronæ nobiles & sacratæ virgines cænobiorum septis inclusæ, quæ lintea omnis generis elaborata pictis operib. & ad cultum Pontificis & in sacras vestes ornamentaq; altarium cupidissime conferrent. Iamq; Hadrianus, vel ipso comitatu, vel aulæ frequentia vel instrumentis omnib. in augenda maiestate ad augustiorẽ pompã exquisitis, Romano, atq; ornatissimo Pontifici simillimus erat. Quum ad Cæsareã-Augustã contendit, ipse purpurea in sella succollantib. Hispaniæ Regulis, effusa obuiam ingenti equitum multitudine, vrbem est inuectus. Venerat tum Alexander Cæsarinus Card. ab vrbe, qui Pontificem sacri senatus, & Romani populi nomine vehementer impellebat ad nauigandum, vt Italiam atrocib. bellis, & inprimis Romani Pont. prouincias ab ipsa factionum insania, cædib. ac incendiis expositas, maturata profectione liberaret. Quum esset Cæsareæ-Augustæ, libido ei incessit ab singulari pietate inspiciẽdi Diui Lamberti cadaueris, è quo paulo ante vt diximus, mandibulam dono missam, tam læto animo suscepisset. Itaq; loculum & ossa cupidissime, & cũ eximia quidem veneratione contemplatus est, quæ res in prodigiũ continuo versa quoniam primum ipsius operum cadauer extitisset, famam præbuit, eum cito inter mortales esse desiturũ. Quam etiam portenti suspicionem auxisse visa est lampadis crystallus in templi medio ante aram temere effracta, ob cuius casum, & ipsum Pont. & qui circa erãt solenni in veste sacerdotes, lucernali oleo fœdissime conspersos constat, ariolis id totum ad funesti ominis interpretationẽ facile trahentib.

X. *Hadriani Pontificis electi ex Hispania Romam nauigatio*

Cæterum Hadrianus, cum pio, tum egregio consilio, in vnam eam curam corpore atq; animo erat intentus, vt quamprimũ Romam relicta Hispania nauigaret. Quamquam pleriq; Hispaniæ nobiles summis precib. & ingentib. promissis eũ in Hispania retinere conarentur. Henricusq; Angliæ Rex eũ ad se religiosa cõtentione in insulam euocare perseueraret, polliceretur q; viaticũ Regiæ munificentiæ venienti pariter, ac demum quum aliquot dies in Britania substitisset, per Germaniam ad vrbẽ in Italiam profecturo. Sed nihil hæc in tam pia quam decora proposita seueritate permanentem omnino morabantur, quin ipse spes omnium, vti parum honestas, sanctissima castigatione præcideret, & per Derthusiam, in qua vrbe ipse fuerat Antistes, Tarraconem ad mare deferretur, vbi classem exornarat, cõtractis vndecim triremib. & nauib. triginta onerariis, quib. præsidiariæ cohortes decem, & totius aulæ comitatus imponeretur. Expectabat etiam Io. Lusitanæ Regis naues aliquot à Gaditano freto, atq; item nonnullos terrestri itinere equites, vt aliquanto maiore nobilioreq; frequẽtia nauigaret. Verũ hæc diutius nõ esse exspectãda iudicauit, quũ Cæsarẽ è Germania in Hispaniam redeuntẽ ad partẽ, cui in Asturia Villæ Vitiosæ nomẽ est, felici nauigatione peruenisse cognouisset. Nolebat n. à Cæsare vel retardari vel omnino in Hispania retineri: quamquam nihil ei foret optatius, quam Cæsarem vbiq; victorẽ, & à Germanis Cæsarẽ appellatum conspicere cõplectiq; arctius, ac itẽ coram docere, quo in statu singulæ totius Hispaniæ prouinciæ relinquerentur. Sed se, vti pius & grauis, iam plane Pontificẽ esse meminerat, & propterea publicæ personę rationibus potius quã priuatæ beneuolentiæ seruiendum arbitrabatur, vtpote qui statim repudiatis minorum negotiorum officiis, rerum omnium cogitationes ad pietatem, publicamq; salutẽ prudentissime reuocaret. Cupiebat n. sese confestim eripere ab ea ingentis inuidiæ procella, quæ sub aduentum Cæsaris sibi vni multi grauior, quam cæteris Magistratib. iminebat. Erat n. in eos seuere animaduertendum, qui in tumultuosissima populorum defectione, perturbata vniuersa fere Hispania à Regio nomine rebellassent. Nam si eorum nomina deferret, & in tabulis ad cæteros metu liberandos proscriberet, nolebat eos ipsius potius quam Magistratus iudicio damnatos videri, quos Cæsar, vti æquum foret, ex merito ad pacandas prouincias esset percussurus: Quando ad sanctissimi Pontificis opinionem pie & clementer dictis factisq; omnib. retinendam, nihil melius atq; præclarius foret, quam à miserorum suppliciis, atq; omni cruenta seueritate inuiolatum atq; purissimum animum seruauisse. Itaq; scribit ad Cæsarem, vt eas colloquii spes abiiceret, & vti pium iustumq; Principem deceret, æquo animo pateretur, si ipse grauissimis de caussis incitatus, omnib. postpositis rebus quamprimum in Italiam nauigaret. Ibi n. cuncta bello deflagrare, populosq; præsertim Pontificiæ ditioni subiectos, per se factionib. implicitos obnoxiosque potentiorum iniurijs vexari passim, & vagantib. extremarum gentium armis crudeliter euastari, nec populum Romanum, qui suo Principe esset orbatus, nec SS. Senatum, qui de lato Pontificatu tantum de se iudicium fecisset, & spes suas in externi hominis fide collocare minime dubitasset, deserendos videri: Quando nihil turpius esset futurum, quam eorum opinionem fefellisse, qui vni probitatis atq; iustitiæ nomini famæq; ante periculum, non minus pie, quam benigne credidissent, proinde vt maturo aduentu benemeritis de se Card. gratiam referret, dum per lenissimas tempestates, mare esset idoneum, continuo ab Hispania soluturum, daturumq; operam, vbi primum in vrbe consedisset, vt Cæsariani Duces aliquanto opportuniore maioreque studio, quam si in Hispania moraretur, aduentus sui beneficium sentirent. Nec multo post cõmonefactus sæpius Senatu & Guillhelmo Enchauordio ob spectatam fidẽ negotiis in vrbe præposito, circiter quatuor millia peditum & paucos equites nauib. imponi, administrante Ferdinando Andrada, quem copijs & classi præfecerat, vel ob id quod sub magno Consaluo ante viginti annos in Italia cum eximia laude militasset: pridieq; Nonas Augusti Tarracone profectus lenissimis tempestatib. Genuam peruenit. Excepere aduenientem Genuenses cumpte tum liberaliter, quamquam à recenti calamitate direptæ vrbis, neq; apparatu, neq; animis vllam omnino lætitiam ferrẽt. Erat tum Princeps in ciuitate Hieronymus Adurnius, virtute animi & bellica laude insignis, qui dudum expugnata arce Gallicum præsidium expulerat. Is ingentia dona recentis præcipue comeatus cum publico ciuium, tum suo etiam nomine Pontifici detulit, quæ tanta fuere, vt Hadrianus quasi non omnia oculis plane contemplatus, singularum rerum indicem deposceret, vt grato ad eius officii memoriã animo cuncta consideratius æstimarentur. Aduenere etiam à Mediolano ipse Franciscus Sfortia, Prosperq; Columna, & Ferdinandus Pescarius, vt de statu rerum Italiæ explicando, & cõmunicando sociorum atq; hostium consilia, ipsum etiam rerum nõ plane peritum accurate perdocerent. Quum triduo Genuæ substitisset, celebratam illã smaragdum excauatam in hexagonium populum, quæ vna omnium gemarum pretium superare existimatur, tã cupide, quam humaniter inspexit, demiratus, quod in tumultu direptæ vrbis seruari potuisset. Ab Genua demum in Delphini portum, atq; inde secundissima nauigatione, comitantibus Adurniorum triremib. ad Liturnum Pisanum portum deuectus est, quo iam venerat Iulius Medices, quinq; Card. & totius Italiæ Principum legatos secum adducens. Superuenit & ipse Federicus Gonzaga Mantuanus Pontificii exercitus Imperator. Itaq; extructo ligneo ponte, qui in mare prominebat, atque eo festa fronde, & pictis insignib. exornato, inter magnas acclamantis populi gratulationes, & tormentorum bombos excipitur. Is primo statim egressu peruenusto totius corporis habitu omnium oculos simul atq; animos impleuit. Erat n. ore probo, graui, verecundo, ab sancta quadã hilaritate valde conspicuo. Venerabundis a. Card. & felicem aduentum enixe gratulantib. Florentinisq; legatis, qui ingentem copiam rerum esculentarum ad alendum aulæ comitatum recreandosq; remiges dono attulerant, tranquillo potius quam læto vultu, & sermone dulci breuitate periucundo respondebat, ita vt quum nulla in gestu aut verbis familiaritate vteretur, nihil temere, quod esset elatum, & insolens, & subagreste penitus emineret. Id solum Card. & reliquos blandimentis Romanæ aulæ assuetos vehementer permouit, quod Pontifex parum humaniter, & fere contemptim secum agere videretur. Nam quum solus cœnasset & nautæ vtendum nocturna aura suaderent, adeo cupide & festinanter ad mare se proripuit, vt Cardin. in proximo simul cænantes nec moneret, nec expectaret. Itaq; omnib. raptim & triremes contendentib. de secunda vigilia oram soluit, &

ad Centumcellas est prouectus. Ibi affuere à Senatu missi, Põpeius Colũna, & Frãciotus Vrsinus Romani Card. qui exceptum sub vmbella Pontificẽ ad templum deduxerunt, vbi postquam ad aram supplicatum fuit, oratio habita est à Pompeio tanti aduentus lætitiæ accomodata. A Cẽtumcellis postero die Ostiam peruenit periculosa nauigatione, nisi maturasset. Nam Tyberinas intranti fauces sæua tempestas exorta est, quę triremes violento cursu in diuersũ abripuit. Ab Ostia etiam pari festinatione est profectus, adeo vt Card. qui iumẽta ab vrbe expectabant, vel paucarum quidem horarum morã impetrare nequiuerint. Per hunc modũ tumultuario deformiq; agmine, quum Card. ignobilib. iumentis veherentur, & nonnulli minores Antistites, & totius aulæ incondita multitudo onusta sarcinulis in feruidõ sole iter faceret, ad Diui Pauli templum extra Trigeminam portã est peruentũ. Postero die IV. Cal. Sept. Populus Romanus, singuliq; sacerdotum Ordines, solenni põpa per vrbẽ inuectum ad Vaticanas ædes deduxerunt. bi ante fores Basilicæ sancti Petri vetere instituto pridie Calen. coronatus est. Sequenti die se totum præbuit Vrbanis Magistratib. vt cuncta sigillatim cognosceret, opemq; afferret labanti Reip. Nã Romæ pestilentia vulgatis morbis, ignobile præsertim vulgus inuaserat: & ærarium nõ modo erat inane, sed gemas publicas, & sacrorũ solenniũ ornamẽta, & Leo ipse X. & Trium-viri demũ Card. fæneratorib. oppignorarant, vt prẽsidia afflictis reb. pararẽt. Ariminum quoq; per insidias occuparat Sigismundus Malatestę, quoniã eam vrbẽ à patre Pandulfo diuenditam progenitores eius per ducentos amplius años imperio tenuissent. Nunciabatur etiã Solymannus Turcarum Imperator Rhodũ validissimis tormentis & cũ incredibili militum & rerum omniũ apparatu iam tertiũ mensem oppugnare; Præfectosq; Turcarũ qui in Illyrico fines tuerentur Pañoniam citeriorẽ crebris incursionib. vastare, nec Ludouicum Regẽ vti ætate nondũ integra atq; ingenii virib. parum validũ sustinere hostes posse, nisi in stipendiũ Põtificia pecunia iuuaretur. Quib. de causis necesse erat Pontificem rerum Italicarum penitus ignarum, & tum primum vrbium suarum, & prouinciarum, regulorumq; nomina perdiscentem, in omnib. consiliis vehementissime cõturbari, adeo vt quum his curarum fluctib. iactaretur, aliquando diceret, sibi fuisse iucundius Louanii gymnasium cum studiorum laude moderari, quam Romæ Pontificia in sede Christianam Remp. administrare, quando inquit, in eam affectam omnibus malis, & recisis neruis magnopere debilitatam, miser inciderim.

XI.

Erant vni omniũ Hadriano valde intimi, Guillhelmus ipse Enchauordius & Theodoricus Hetius Belgæ viri optimarum literarum notitia, & Christiana modestia insignes. Illũ statim gratissima voluntate à subnotãdis supplicib. libellis Datariũ, & demũ Derthusensem Episcopum fecit, hunc v. à secretiorib. epistolis esse iussit: quib. propter vsum grauissimarum rerum aliquando miscebatur. Ioan. Rufus Antistes Consentinus, ei antea familiaris, quum in Hispania apud Ferdinandum Regem pro Pontifice legationis munere fungeretur. Hi summam diuinarum atq; humanarum rerum nequaquã late communicata auctoritate gubernabant, ab eorumque consilio totus Pontifex pendebat.

XII. *Cæsarem & Gallum studet cõciliare.*

Prima, eaq; maxima Hadriano cura, Cæsarẽ & Gallum ad concordiã adducere. Quamquã n. suopte ingenio esset Cæsaris amantissimus, & quantum salua Pontificii nominis maiestate poterat, eius victoriis non obscure lætaretur, tamẽ vti æquus & quietis & otii cupidus, execrato bello maxime cupiebat, curabatq; sedare eam cõtrouersiam, quæ inter illos sine spe cõpositionis agitabatur. Ergo ad vtrũq; literis & nunciis missis, hortabatur, arma deponere, & vniuersa negotia de quib. certamen fuerat, arbitrio sedis Apostolicæ permittere: quo tandem virib. coniunctis irent in Solymannũ, Rhodiis militib. tantopere infestum. Enimuero anxium illũ & diuersis difficultatib. implicatũ, vnus præcipue de amittẽda Rhodo metus agitabat, cuius clarissimæ vrbis salus neq; negligi sine summo dedecore, neq; mature strenueq; defendi sine grauissima impensa ingẽtiq; periculo posse videbatur: cũ magnis Turcarũ classib. nõ modo portus vrbis fretumq; ipsum sed totius etiam insulæ littora, & circumiecta maria obsessa tenerentur. Et quidem interim suadebat Iulius Medices ante alios, vt delectas ex his quas adduxisset cohortes, iisdem nauib. omnium rerum copia repletis Rhodum continuo transportandas curaret, fore n. vt eæ per autumnales tẽpestates validiorib. vsæ ventis, contempta aut elusa Turcarum classe in portum plenis velis inferrentur, quarum nauium profectione auiuros fortasse aliquid Venetæ classis Præfectos, qui in Creta cum quinquaginta rostratis diligẽter excubarẽt, imitariq; percuperent ad egregium facinus, si casu aliquo delẽdæ Turcarum classis facultas offerretur. Quod si Venetus nihil omnino contra veteres inducias in Ottomannis tentãdum putaret, eo certe subsidio cum fortium, tum maxime recentium militum feliciter adducto, necesse fore spes ipsas ex desidia & dissidio Christianorum Principum cõceptas Turcis imminui, & contra Rhodiis plurimum augeri, qui in eorum auxiliorum expectatione erecti, tantã belli molẽ fortissime sustinerent. Sed quoniã fixum erat vt Rhodus amitteretur, Hadrianus eius rei gerendæ occasionem propter multas, & rei præsertim nummariæ difficultates penitus amisit. Hispani quoq; vtpote qui semel terrã Italiam pedibus attigerant, longinquæ nauigationis laborẽ, ad incertum maxime rerum exitum recusabant: & Ludouicus à Corduba Princeps Suessanus, qui apud Põtificem pro Cæsare erat legatus, Italiæ vrbes certo præsidio tueri, atq; exercitum inprimis qui erat in Gallia Cisalpina Hispano milite supplere, quam Rhodiis opem ferre malebat, quoniam Rex Gallus etiamsi tot bellis & præliis victus, quin Italiam repeteret, minime quieturus esse videbatur. proinde singulis in rebus orando, instandoque, Pontificẽ, ne Cæsari deesse vellet, vehementissime perurgebat. Pontifex, cum eas cohortes mittere, reluctante Hispano, non posset; ad Adurnios Petrum Raborium Genuam misit, qui onerarias naues in subsidium Rhodiorum conduceret. Sed ægre admodum expedita pecunia, aliquanto tardius quam oporteret, tres excelsæ naues sunt exornatæ, quibus incredibili euentu felicẽ cursum fortuna denegauit. Nã perpetuos duos menses prodigio quodam contra anni consuetudinem, Eurus & Vulturnus, qui sunt venti omnium aduersissimi nauigantib. ad Orientem, maria tenuerunt, quum eo tẽpore naturali terrarum halitu Etesiæ flare cõsueuerint.

Rhodiis opem ferre vult.

Periit & Rhodii Magistri insignis oneraria, quæ à Nicæa Prouinciæ omnium rerum ingentem copiam ad insulam deuehebat. Interim Rhodii magnitudine incredibilium operum superati, fessiq; perpetuo sex mensium labore, & vulneribus ferme omnes debilitati, Solymanno deditionem fecerunt. Neq; n. vlla iam spes auxiliorum supererat, & cuncta intus in maxime diuturna propugnatione defecerant. Ostentabat veniam præclare victis Solymañus, quasi in parte gloriæ reponeret, si longe fortissimis viris iam plane partã victoria pepercisset. Enimuero vix credibile erat, nõ amplius septingentos illustres equites cum paucis militibus Græcis, tot mensium vigilijs atque laborib. nequaquam cessisse: quum minore indies sui fiducia, & maioribus semper rerum omnium periculis, aduersus ducenta millia bellatorum nihil intermissa dimicatione restitissent. Adæquauerat Solymañus murorum & turrium fastigia terrenis duob. ingentib. tumulis, quos coacta ad opus innumerabili fossorum multitudine excauantium, & sensim ante se contra vrbem terrenum aggerem prouolentium paucis dieb. erexerat, ex quib. tormenta inusitatę magnitudinis directa cõtra primarum summitatem ad æquissimos ictus omnibus horis emittebatur; inuaserantque iam fossas Turcæ, muroq; successerant, fundamento ab imo dolabris & vectibus subruendo, ita vt amplissimis vbiq; cuniculis in vrbem penetrarent, & sæpe Rhodiis occurrendo per subterraneos specus decertarent, iustis quoq; præliis sæpe prætoriani, quos Ianizaros vocant, aggressi mirum in summa propugnacula euaserant; sed fortissime repulsi præcipitatique in fossas temeritatis pœnas dederant.

Rhodus à Turcis obsessa.

Nam tametsi à lateribus ex obliquo minoribus tormentis sternerentur, nihil vel certissimæ mortis metu, quo minus occisis integri recentesque succederent, omnino deterrebãtur: Erat Rhodiis tormentum quod ab immani violentia Basiliscum appellant, excelso in loco constitutum, cuius pilis sesquipedali crassitudine castra & tabernacula longissime cum miserabili obuiorum Turcarum interitu petebantur. magnam etiam gregariorum, & opus facientium militum manum autumnus solito grauior absumpserat, inductoque & euulgato ventris profluuio,

dum illi fatigata corpora meridianis ventis intemperanter exponerent. Sed Solymañus stabili decreto innixus singulari perseuerentia has tantas difficultates nõ minore sua virtute quam Christianorum desidia superarat. Proposuerat n. emori potius, q̃ abscedere irrito incepto, suadentiq; Pyrrho Bassæ vt in proximã Curiæ continentẽ transiret, atq; inde administrato bello ex tuto victoriæ exitũ expectaret, grauiter increpita ignauia succensuerat, nequaquã eam insignẽ esse victoriã prædicans, quæ præsentis Imp. manu minime pararetur. Itaq; nouis delectib. in Cilicia, Syria, Ægyptoq; habitis, copias egregie suppleuit. Nã Feracatus Gazelle victo cæsoq;, & Mamaluchis ad internecionẽ deletis maxime illustris, ab Athalia, Isicoq; sinu, & Antiochia, atq; item Caierbeius à Mẽphi Pelusioq; & Alexandria, in parandis & transmittendis comeatib. & copiis omnẽ, vti op⁹ erat diligentiã adhibebãt. His tantis adductus difficultatib. Philip. Villadamus militiæ Rhodiæ Magister in consilio disseruit, summæ esse stoliditatis id vltra defendere conari, quod nec recentib. quidẽ receptis auxiliis, egregia spe tueri possent: quando iam cuncti fere ꝓpugnatores consauciati confectiq; vigiliis animos despondisse videretur, non esse funesta pertinacia diutius cum fortuna cõtendendũ, quando ipsi qui in præsidio essent, satis superq; officio & dignitati satisfecerint, amissę siquidẽ insulæ dedec⁹ ad eos pertinere, qui toties implorantib. opẽ ferre noluissent eius certe admissi flagitii, quod extrema necessitas attulisset, nõ Rhodios, sed totius Europæ Reges infamia deflagraturos: proinde sumendũ esse consilium à prudentia q̃ necessitas exprimeret, non ab inani animorum ostentatione, qua nihil ijs qui in extremo casu versarẽtur, lethalius accidere posset. Sibi ergo tam honestum, quam omnib. ad salutẽ necessarium videri, dedere vrbem, & Solymanni qui pro gloria certare existimari vellet, fidẽ experiri, vt bene meritos de Repub. Christiana milites conseruaret; nec fortib. viris opportunũ in Europa locũ defuturum, vbi meliore fato Rhodiæ militiæ signa defigerent, & acceptas à barbaris iniurias, egregio religionis studio, & cõmodiore tempore vindicarent. Itaq; emissis Legatis, atq; ipso demũ Philippo sub fide publica ad Solymannũ in castro profecto, conditiones de dedẽda vrbe sunt cõscriptæ, quas Solymannus alioqui sæuus hostis religiosissime seruari iussit. Ipse n. vrbẽ ingresso, neq; templa, neq; priuatas domos, neq; obuios milites Christianos, quisquã vel ingenio ferox barbarus omnino violauit: ita vt Philip. clementer admissus, & à Solymanno Pater appellatus, quum omnia prope præter bellici apparatus instrumentum suis triremib. imponeret, septẽ etiã ænea tormenta pręsidij nomine contra piratas impetrarit. Eo die quo Rhodus est dedita, prodigioso casu epistylium portæ sacelli in Vaticano sponte corruit, quum non plus passu altero Pontifex abesset à limine ad operandã sacra soleñi die Christi Natalis statim ingressurus, ita vt prætoriani duo milites effracti marmoris fragmine opprimerẽtur. Cæterum is nuncius toti Europę admodũ lugubris, Põtificẽ incredibili dolore affecit, quasi recens adhuc primorũ mensiũ principatus, aduerso quodã rumore adlatrantis vulgi ea ferali clade notaretur: quũ tamen nihil omnino omiserit de sollicitudine pastorali, vt & Reges Christianos ad opẽ obsessis ferendam incitaret, & ipse, quantũ exhausto p iniuria temporum Pontificio, vt diximus, ærario potuerit, auxilia ꝓcuraret. Mentitur g. L. Giraldus, scribens, Pontificẽ rogatũ ab Iulio Medice, aliisq; Card. vt naues ac pedites Hispanos vna Rhodũ mitteret, id aperte detractasse, eosq; pedites quos secũ ex Hispania duxerat missos in Gallos ab Adriano, auditasq; palã infaustas Pontificis voces, non in eum vsum paratas sibi copias vt Rhodijs opem ferret, vertendum alio impetum dictitantes, quandoquidem, & Iouius, & Fontanus, & plures alii grauissimi huius temporis Scriptores, Pontificem, virum sanctum, Rhodiis iuuandis omnẽ conatum adhibuisse, asserunt, ac testãtur. Sed hic præstat inserere, ad clariorẽ rerũ notitiã, quæ de bello Rhodio scripsit Iac. Fõtanus.

Rhodii Solymanno vrbẽ tradunt.

DE BELLO RHODIO LIBRI TRES IACOBO FONTANO BRVGENSI AVTORE.

PRÆFATIO.

PRæfari mihi licet, quod professi pleriq; sunt rerũ scriptores, bellũ maxime memorabile, omniũ quæ vnquã gesta sunt, me scripturum: Sic Liuius, sic ego, & forte verius, quod Magnus Turcarũ Tyrañus Solymañus, terra & mari gessit cũ equitib. diuo Io. consecratis, & imperii Christiani milites ad Orientẽ defensantib. Nunquã n. prælium tã crudele, & atrox Mars æque dubius fuit: norunt qui mecũ in parte laboris & periculi fuere. Credet facile quisquis sacræ & nobilis militię (nullus n. nomen recipitur, nisi ad aram, & exhibito indice nataliũ) olim institutũ & hactenus obseruatum, pugnandi cũ Turcis morẽ animaduerterit: tum horum opes & potentiã, qui virilib. & incertis primordijs (nec originem suam ne ipsi quidẽ satis tenent) ab antris Caucasi. Debellata initio Asia, deinde Thracia, postremo reliqua Græcia, duob. florentissimis Imperijs Trapezuntio & Cõstantinopolitano euersis, omni prope Illirico perdomito, in Italiã vsq; Hydrunte capta (quæ in Italiæ & Calabriæ finib. est) penetrarunt: & recenti adhuc memoria. quasi hesternæ diei, Sultano vno post alterũ, uita & imperio priuato, totã Syriam cum omni Ægypto Arabiaq; opib. suis adiecerunt. Quod bellum sic ex sentẽtia confectum, Rhodiano initium dedit. Est n. filio Solymanno visum, qui anno ab hinc quinto maxima classe Rhodum obsidẽdã parata, vita defunctus est, difficilẽ sibi ex Lesbo, Chio, Peloponeso, Eubæa, Propontide, ipsoq; Bizãtio nauigationẽ futuram in Syriam atq; Ægyptum, stante incolumi Rhodo arce militũ: vtpote ex qua illis maritimis suis excursionibus, totum littoreũ tractum deuastent, nonnunquã iusta classe congredi audentes. Præterea, ducere dedecus imperii sui, ferre gentẽ inimicam in ipsis regni penetralib. Adhæc ambitioso inueniri magnos spiritus ministrare. Alba anno superiore ad confluentẽ Saui & Danubii victa. Tum, quæ nequaq̃ multa molienti negligenda est, occasio tẽporis quo Principes occidentis maximis cladib. sese inuicem afficiebant. Veruntamen priusquã belli gesti, Rhodianæq; obsidionis initium aggrediar quoad cognoscendũ omnia, vt magis magisq; in aperto sint. quædã altius repetere necessariũ est. Nam vt experior, istud bellum multorum fide maius, ita eius quoq; historiam inuenio magis laboriosam mihi quam putaram. Sed istud quoq; malum post tot acerbos casus hostium iniurias, bonorum direptiones, cædes, exilia, pericula vasti maris, febres, morbos, pestẽ, oculorum ophtalamiã, mihi deuorandũ est. Etsi laborib. meis nulla certa merces, quam non tam specto, quam laudem defensionemq; veritatis, & sacrorum nobiliumq; Hierosolymitanorum equitum gloriam itam: & si nemo dicendo aut scribendo tantam illis gloriam parare potest: quantam sibi ipsi pugnando pepererunt. Quod igitur sacræ militiæ & mihi vertat bene, sic exordior.

Belli Rhodiani exactissima descriptio.

XIV. Fabricio Carectano ingenti luctu, desiderioq; plebis nouendium vita functo (fuerat n. ad populi fauorẽ aucupandũ, affabre factus) doctus literas Latinas, callidus, acer ingenio, cui consiliũ nec inceptum illum frustra fuit, magnificus siquidẽ magnã vrbis partẽ nouo, validoq; murorum ambitu cinxit, arma, tela, quæ in bello vario, & multarum rerũ egenti vsui esse solent. Culpant aliqui, quod ærarium imodestius tractauerit, quib. ego nec assentio, nec repugno. Vbi luce orta, ęs campanã sonuit, vniuersa militaris concio in classes suas distributa, ad fanũ diui Ioan. conuenit: peracto soleñi sacro, quæq; testata crucem, Intermagistro pridẽ ob antesignanis constituto spondet allaturã sese de corpore suo militem, quẽ habeat optimũ & prudentiss. Cõstituitur hac ratione ex singulis militũ decuriis octumuiratus quidam, cui ius, fasq; est, præfectum comitiorum nominare, & tres mox suffragia daturos, dicere quidem, qui sumus suffragantium vocatur. Sacrificium, optionemq; militaẽ, hi triũuiri frequenti ordine præfecto comitiorum ante aram (neq; n. iam octumuiratus amplius, aut intermagister, cuius potestatem voluerunt maiores momentaneã esse, ne qua fraus suffragiis fieret) sacramento adstipulantur, quæsituros ex toto ordine militari, quatuor & decem integros aç spectatæ fidei viros, quib. socii s tribum naufragantem perficiant. Quæ simul atque exit Christianorũ ritu expiata, per adorandam crucem quatuor Didascalicos libros volumini sacrificiorũ, omi priuato affectu abiurato, nõ aliũ sacræ nobilissimæq; militiæ præfecturã se vouet, nisi claris legitimisq; natalib. & maximis in Remp. meritis commendatum. Quo voto, sacramentoq; à præside comitiorum stipulato, suffragatores secedunt, qui post graues de multorum vitiis virtutib. censuras, duorum potissimũ rationẽ habẽdam esse duxerunt, Philippi Vilerii Liladami, & Thomæ Docrai præfecti equitum Anglorum, Hunc siquidẽ plurimum comendabant magnę opes, ingenium, magna experientia, consuetudo regum & principum: ad quos arduis

sæpe

sæpe legationib. functus est: Illum negotia militiæ bene prudenterq; in Galliis & Hispaniis administrata, vsus rerum Rhodiensium, fortitudo animi & corporis, virtus omnib. spectatissima: nec, vt quorundam esse solet supremum magistratũ ambig: nriũ, simulata atq; efficta ad tempus. Factum hoc modo est, vt sors vtriusq; par exierit, sed Liladami prærogatiua fuit suffragio equitis summi primiq; inter suffragatores: qui appellatis more maiorũ Decuriis, vellentne suffragatrici tribui intercedere, aut obnuntiare quippiã, simul respõderunt, nolle: Quod ergo inquit, Deus, & nomen tutelare prophetes Baptista, sacræ nobilissimæque militiæ nostræ bene & feliciter vertat, renuntio vobis magnum magistrum nobilissimum equitẽ, F. Philip. Vilerium Liladamum. Statimq; reclamatũ est ab vniuersa cõcione: Nobilissimo equiti F. Philip. Vilerio Liladamo, magno magistro nostro vita, victoria & decus alternum. Qui quãprimum literis nuntiisq; à Rhodo comissis, fortunæ suæ certior factus esset, celerrime ad iter se accinxit, mouens è Lutetia Parisiorum maximo splẽdidoq; comitatu, Frãcisc. Christianiss. Regem Galliarum, Burgundionum fines ab incursib. Cæsarianorum tuentem, adiit: benigne acceptus & dimissus Rhodano flumine (in quo nauigium armamentis bellicis onustum, negligentia gubernatoris ad põtem ciuitatis Viennę periit) Massiliã nauigat vrbẽ, quod sciunt omes vetustissimã, in qua ob vetustatem nimiã, nulla vetustatis extant monumenta. Paucos hic dies cõmoratus, classem conscendit: leui inde vento Niceã, in finib. Allobrogum delati, maximã nauium nostrarum puero coquinario negligentius ignem seruante, incendio prope amisimus: actumq; iam erat nisi magnus magister graui edicto facto, ne quis nauim relinqueret, suos voce & exemplo confirmans, ardorem flam̃æ enascentis restinxisset. Liberati ancipiti periculo hanc quoq; deserimus sedẽ, vastumq; caua trabe currimus æquor. Corsicã & Sardiniã præteruecti, in fædã maximamq; tempestatẽ incidimus. Cælum strepere ingenti sono, & inter horrendos fragores crebri micare ignes: capti omes aurib. oculisq; vota nuncupabant. Miserrimus ego insolita rerum facie, præ cæteris magis perterritus, flam̃a micanti exanimatus, vexatione fractus, nausea ac vomitu sordens, interq; vndę furẽtis, procellas obrutus, Deũ hominũq; fidẽ implorabam. Affuit votis præsens numen, Syracusis antiquitate & fortibus gestis illustri vrbi applicamus, nouẽ hominib. fulmine enectis, plurib. percussis: animaliũ brutorum, boum, ouium, maior lues fuit. Hic ad curã, quietemq; corporis & nauium refectionẽ aliquantisper cõmorati, ractiq; aurã secundã, vela & anchoros tollimus. Prosequitur à puppi vẽtus euntes: sed ecce mox aliud malũ. Nunciatur Cortugolum archipiratam, cui duos vterinos fratres (præter tertium, quẽ in vinculis tenebant) Rhodiani occidere, classe ex triremibus nauigiisq; rostratis collecta, expectare in statione ad Maleæ promontorium aduentũ magistri. Diu disceptatũ, essetne vtile quatuor tantũ nauib. merces opulentas multorum negotiatorum, materiã incendiorum copiosissimam, ac cõmeatum omnis generis, prætẽrea ipsum Principẽ vehentib. occurrere maritimo latroni, nihil præter tela & hostes afferẽti. Sed cõsilia nostra sors imutauit. Adiuti n. aura, & secundo vento satis vehementi, portũ Rhodiũ intramus, suma nostra & oppidanorũ lætitia atq; alacritate. Processere obuiã armatæ triremes sacræ militiæ cũ signis, sono, cõcentuq; tubarum. Arx Nicolea, & turres quæ vtrinq; portũ muniunt, omniaq; vrbis propugnacula, multa crebraq; bõbarda intonuere. Equites antesignani magnũ magistrum obuiis exceptum vlnis, festo apparatu, per medias turbas hominũ vndiq; sese effundentium & precantium fausta lætaq; in vrbẽ ad fanũ diui Io. induxerunt. Hinc peracto solenni sacro, cum plausib. & clamorib, aliisq; quib. effusa lætitia vulgo significatur, in prætoriũ paucis inde dieb. interiectis, Cortigolus nauigatione nostra elusus, fremens frendensq; subito secundo exorto vento, obscuræ, quietæq; noctis auxilio speculatorẽ fallens, in fretum Rhodium erupit, ex insula forte deuastationẽ agrorum, prædã abacturus: & inciderant in eum, nisi sese commodum ventus mutasset, duæ naues Venetę ab Hierosolymis reduces, quæ eadẽ nocte à portu Rhodio soluerant. Aduentu hostili & discrimine sociorum, classe quæ in anchoris stabat, q̃ celerrime expedita, equites Rhodii in piratam tendunt, quod ille videns effuse fugere cæpit. Rhodii in in spe erant classis potiundæ, satis pertinaciter secuti sunt. Verum postquam celeritate nauium vt pote leuium, suas grauiores eludi viderunt, abstiterunt incæpto, naues sociorum in pagarum ducentes. Tẽpore haud multo post, venit Rhodum è castris iuxta Taurinũ Pannoniæ positis orator, missus à tyrãno Turcarũ cũ huiusmodi literis:

Philippus Villerius Liladamus summus Rhodii Magister creatur.

Eius ex Galliis Rhodum nauigatio.

Idem à Rhodiis excipitur honorifice

Solymannus Tsaccus, Dei gratia rex regum, dominus dominantium, maximus Imperator Bizantii & Trapezuntarũ; rex præpotẽtissimus Persidis, Arabiæ, Syriæ, ac Ægypti, dominus Asiæ & Europæ, princeps Mechæ, Alepi, Hierosolymorum dominator, possessorq; mari vniuersi. Reuerendo P. F. Philippo Vilerio Liladamo, magno magistro Rhodi, & Asiæ legato. Salutem.

Gratulor tibi aduentũ & nouũ principatum, quẽ, vt habeas diu faustum & felicẽ, cupio. Spes est n. mihi, quod virtute & fide superaturus sis omnes, qui retro in insula Rhodiẽsi imperarunt; à quib. maiores mei semper vim suam abstinuerunt, quorũ exẽplo ineo tecum amicitiã & gratiã. Gaude igitur amice, & gratulare mihi victoriam & triumphum. Siquidem ætate superiori Danubio traiecto, Regem Vngarorum, quẽ occursurũ credebã in acie, sub signis expectaui inauso pręlio decertare. Taurinum totius Regionis vrbẽ munitissimam, & vicinas aliquot arces vi abstuli, multis mortalib. ferro & flãma trucidatis, plerisq; in seruitutem redactis. Victor & triumphator dimisso exercitu in Hybernia, regressus sum ad regiam meã almã vrbem Cõstantinopolim. Vale, ex castris.

Solymannus Liladamo per literas gratulatur.

Recitata hac epistola in sacro augustoq; consilio procerũ antesignorum, intellexit illico prudens Magister verbis sibi nunciari pacẽ, re a. vim, q̃ quod paratus esset alia vi repellere, non dissimili artificio literis sic compositis significauit.

Philippus Vilerius Liladamus, magnus Magister Rhodi, Turcæ.

Epistolam quam ad me attulit orator tuus, recte intellexi. De amicitia quod scribis, tam gratum est mihi, quam ingratum Cortugolo. Conatus est siquidẽ, dum huc venirem à Gallicis, me ex improuiso opprimere. Quod vbi non successit obscura nocte fretum Rhodium inuectus, naues onerarias, quæ ab Hierosolymis Venetias nauigabant, deprædari tentabat. Sed classe è portu meo mox deducta, vim prohibui, coegiq; piratam fugere, & prædam Cretensibus negotiatoribus ereptam relinquere. Vale, ex Rhodio.

Liladami responsio

Remissus est legatus cũ suma fide & munerib. adiuncto ei comite, qui literas Magistri perferebat, homine quodã priuato: raro n. dignata est Rhodus Turcã legatione publici equitis. Tyrannus præcoci ingenio adolescens, cui rerũ prudentia velox ante pilos venit, contẽplatus ingenio sam talionẽ literarum redditarum, sentit secũ agi suis artib. & Rhodios paratos esse vim cõtraria vi repellere, neq; tam leniter q̃ Taurini defensores, deditionẽ & imperata facturos. Veniebat præterea in mentem, quæ proauo Mahometi acciderunt accidere sibi posse. Fortunam & Martem fallacia esse numina, quæ fidẽ in paruis sibi præstruunt, vt cum operæpreciũ sit, cum magna mercede fallant. Hoc modo animum celerẽ nunc huc, nunc diuidens illuc, in partesq; rapiens varias, libidine aduersum nos, metu pro nobis suadente, Cortugolũ accersi ei iubet. Vocatus accedit præeuntib. duob. augustalibus Mustapho & Farao, cui, vt mihi narrat, tyrannus sororem collocauit, hiq; omia in Rhodios acerbe atq; ad gratiã principis sunt locuti, vt facere solent quos regiæ opes alunt: Sed acerbissime Cortugolus, vir natura ferox, belli haud ignarus probe intelligens literis de se quærentib. gratiæ suæ apud regem nõ modo decreuisse quippiam, sed etiam permagnam esse accessionẽ factã, quẽ in hunc modũ locutũ fuisse accepi.

Solymannus erga Rhodios accẽditur.

Ingentia tua erga me merita, optime maximeq; imperator, faciunt, vt quæ æstimem tibi & imperio gloriæ decoriq; futura, libere loquar. Voces quotidie ad me miserabilium hominum, ex insulis Mitylene, Eubææ, Peloponneso, Achaia, & continenti, Caria, Lycia, atq; omni littoreo tractu Syriæ ac Ægypti perferuntur, exponentium agrorum suorum depopulationes, direptiones vrbium, prædas hominum & armentorum, multaque infinita alia & incredibilia mala quæ in dies patiuntur, nemine vim prohibente à cruciferis illis & piratis Rhodiensibus. Tendunt mihi miseri supplices manus, opẽ meam orant, instant, vrgent, vt illis auxilium, ab imperiali tua maiestate implorẽ, vt illos ab iniuria cæde, rapinis istorum Cruciferorũ defendas. Oro te igitur per adorã-

Cortugoli Præfecti Turcici de Rhodiis obsidentibus oratio.

dum.

dum nomen Mahometis, per genium imperialẽ, vt populum tuum ab his crudelissimis hostib. liberes, vt ex ferro, flamã, & ex graui seruitute, quæ morte durior est, aliquando eripias. Atq; illud tecum etiã cogites, non tã populo & priuatæ plebeculæ hanc iniuriam, quam publico honori & nomine tuo inferri. Quasi regum, si principum aliquis Christianorum inferret, non patereris, scio, inultam; & nunc sinis latrones, sicarios, colluuiẽ hominum agros tuos vastare, vrbes diripere populum trucidare, mare totũ vnicuiq; nostrum infestũ reddere? Quis n. nauigat Damascum, Alexandriam, Memphim, Chalcidem, Lesbum, Chium, regiam tuã Cõstantinopolim, qui non maximis ac certis quidem ab istis cruciferis iminentib. periculis se exponat; Qui per tot annos statim post vernũ ęquinoctium audimus aliud, q̃ Cruciferos Rhodios portum aliquem Turcarum occupasse? Turcas in seruitutem misserimã redegisse? prædam hominum ac rerum preciosissimarũ ex vrbib. atq, agris direptam, Rhodum aduexisse; Et quod turpissimum est, te inspectãte, in medio & penetralib. regnorũ tuorum hæc omnia fecisse. Ignosce mihi obsecro, imperator, si aperte nimium dico, quod sentio: quicquid n. à me dicitur, nulla alia de causa dicitur, nisi vt tu aliquando facias, q̧ iam multos ante annos factum esse oportuit: Quod ad religionem nostram Mahometicam ampliandam, ad imperii & nominis tui protelationẽ pertineat, pro quo quidẽ propagãdo nostras fortunas in quodlibet discrimen afferre, corpus telis armisq; obiicere, nihil laboris, nihil periculi subterfugere debemus. Quod si laudum & pugnæ amore flagras & ad perpetuam imortalitatem mirum in modum tendis, quo eã bello facilius cõsequi poteris, quam si Rhodum, quæ quoddã Christianorum propugnaculum est, & dicitur, quæ sola nos ab illorum regionib. prohibet, expugnes, & in deditionẽ cogas. Dices fortasse hic: Maiores mei toties vrbẽ illam frustra tentarunt: tentarunt & Taurinum Pannoniæ vrbẽ. Tu tamẽ multo magis munitam nunc quam priscis illis seculis in potestatẽ tuam redegisti, & de Rhodo desperas? Depone vanũ istum timorẽ, audendo agendoq; res Turcica creuit. Properemus ad illam obsidendã terra & mari. Si populus tuus seruitute gemens, manib. suis eam construxerit, tum libertate, cupidine atq; occasione, tot illatas iniurias vindicandi gaudens, eisdem manib. destruere poterit? Quod si cognoscas, Imperator est tibi, procurante summo propheta Mahomete diuinitus oblata occasio, dum Christianus occasus intestinis cladibus laborat. Num in gerendis negotiis ignoras sequendas esse temporum opportunitas, & in occasione rerum desidiam ac tarditatem omnem, quam diligentissime fugiendam? Mutabilissimæ quidem sunt temporum vices, & fortunam cum abire permiseris, frustra postmodum discedentem ac fugientem sis imploraturus.

XVIII. *Solymanni oratio.* Hac oratione animus iuuenilis inuidia Christiani nominis æger, honorem & Imperij appetentissimis, facile ad bellũ decernendum impulsus est. Sed primum rem ad proceres detulit, vbi sic locutus fuisse traditur. Etsi non dubito, viri fortissimi, eandem vobis nunc mentẽ esse quæ in alijs aggrediendis gentib. semper fuit, do comuni tamẽ gloria atq; comodo cõmune indicare consiliũ volui. Ex eo tempore quo pater meus vita defunctus est, cũ diuersis populis ac nationib. bellũ gessimus, Syros, vt sunt natura instabiles, & ad res nouas moliendas proni, rebellionẽ tentantes, vi in officio continuimus. Sophum magnum Vsuncassani ex filia nepotẽ, quę Iacupi regis soror fuit, præpotentẽ illum regẽ, semper nobis corde & opere mala machinantem, nec dum Assyria, Media, Armenia maiore, Perside, Mesopotamia, contentum armis nostris intra septa sua conclusimus. Anno superiore, omnem Pannoniam vltra citraq; Danubium peruagati, Taurinum totius regionis locũ munitissimum cepimus, quæcunq; tentauimus subegimus. Tamen, vt de me ingenue dicã, animus supra imperium & sanguinem Ottomanicũ ingens, in his victoriis conquiescere nõ potest. Nam quæcunq; hactenus egistis, etsi magna sunt, minora tamen virtute vestra æstimo. Huc me rapit cupido, hoc semper exarsi, Rhodum illã petere omnesq; Rhodianæ milites vires & castra radicitus euertere, Nonne vos idẽ haud sane minus quã ego semper optauistis? Quoties n. voces audiui Rhodũ, Rhodum conclamantium, tempus à me expectatum est, vt expediti aliarum gentiũ bellis, huc om̃es neruos, animosq; in vnum intẽderemus. Quod tã diu cupiuistis, in manib. vestris est. Nulla maior vnq̃ facultas data benegerẽdæ rei: murorum vrbis Rhodiæ per magna pars solo æquata iacet, quæ haud paruo tẽpore restitui poterit, ęrario expilato. Adhæc arcis præsidiũ parua manu militum constat, auxilia à Gallis longinqua, post Rhodium expugnata futura sunt, aut q̧ mihi verisimilius est, nunquã. Neq; n. Rex Francorum cum Imperatore Germaniæ, & Italiæ domino ad internecionẽ depugnans, patietur naualia sua dearmari, portus suos denudari præsidio nauiũ. Nec credatis etiã Hispani generis homines domi fame, bello, intestinis odiis implicitos foris huc ex Sicilia & Campania tam facile militẽ & comeatum portaturos. Sed maior instat, vt putatis, à classe Veneta, ab auxiliis Cretæ insulæ timor, imo nullus. Scio, neq; debeo omnib. palãfacere, quomodo huic malo occurrerim. Ergo magnanimi viri natiad subigendã vniuersam Christianorum ditionẽ, nedum Rhodum sequamini alacres me crudelissimis & perfidis hostib. bellum inferentẽ. Quousq; patiemini quæso familiæ Ottomannicæ, & in vniuersum Turcis omnibus maculam eam adhærere, quam Rhodii nobis asperserunt, victoria superiori obsidione parta; quam nõ tam virtus illorũ fecit, quam proaui Mahometis consiliũ infelix, Mysachum Pallæologum militiæ ducẽ vna infeliciter commissa pugna reuocãtis. Sed fecerit sane illorum virtus victoriã, tolerabitisne ideo semper toto mari piraticas istas excursiones continenti & in insulis, vrbium atq; agrorum deuastationes, prædas animaliũ & quarumcunq; rerum optimarum incendia suppliciaq;, raptus coniugum, cædes liberorũ seruitutẽ affinium cognatorum vestrorũ? Non sic me bene Mahometus meus adiuuet, cuius ope atq; auxilio, inuitis Christo & Ioan. cruciferorum magnis diis, spondeo me breui lunata signa medio vrbis Rhodiæ foro defixurum. Nec quicq̃ mihi nisi gloriam quæro, vtilitatẽ do vobis comilitones: auri & argenti cælata vasa, mundum muliebrẽ (qui preciosissimus esse dicitur) omnẽ pecuniam, splendidamq; suppellectilem, ad vxores, ad liberos vestros, domum onustis nauigiis deportare. Nunc ergo ad Rhodum oppugnandã totis virib, bonoq; animo transeamus. Cumq; hoc faciendum omnes vna voce succlamarent, assurgens Pyrrhus, natus (vt mihi relatum est) patre vulgare desertore fidei, cui lõga vita & odiũ orthodoxæ fidei, mille artes & nomina mille nocendi peperunt: Non possum (inquit) non plurimum admirari præcocẽ maximamq; prudentiam & virtutes, atq; ingenium Imperatoris nostri adeo prudẽter & diserte omnia, maximi clarissimiq; ducis in bello suscipiendo consilia exposuit. Felix Mahometus ter quaterq; hoc imperiũ, beata hæc Resp. fortunati nos tali principe, qui nõ tantum viros & arma, sed prudentiã atq; cõsilia in prælium ducit. Quẽ optimum atq; laudatissimum pugnandi morẽ, si semper ad manum semper ante oculos habeamus, nũ modo Rhodum, sed breui omnẽ Christianorum ditionẽ in potestatem nostrã redigemus. Verũ ætas & experientia mea, præter ea quæ iuuenis princeps sedulo & diligẽter inuestigauit, suadet ex equitum ciuiumq; Rhodiensium ordine, maximos (si fieri potest) viros corrumpendos esse, & præmio, pollicitatione, mercede, gratia, deniq; modis omnibus, ad proditionẽ secretorũ cõsiliorum sollicitandos, quod quomodo fieri possit, accipite. Ego quasi pacis quietisq; cupidissimus arbiter, inducam nunciis literisq; magnum Magistrum, vt ad principẽ nostrum legatos mittat, qui vbi in nostra erunt manu, finite agere Pyrrhum. Placuit omnib. & in primis ipsi Tyranno, senis viri consilium, mandatumque vt rem illico summa cura fideq; expediret. Cæteris ducibus, vt pararent terrestres naualesq; copias, quam maximas possent. Neq diu continuit se bellici apparatus rumor. Mense intercalari pridie nonas, Rhodi nunciatum est. Turcã nauium longarum carinis positis, contracta ad effectum eius operis ex Chio & reliquis portib. multitudine fabrorum, omnia alia nauali materia ferro, linteis, sparto maximã clasẽ Cõstantinopoli fabricare. *Solymannus contra Rhodios classem parat.* Quæ fama dum in dies crebrior, cõstãtiorq; circos cõuentusq; hominũ pmearet, misit equestris ordo om̃ia exploratum quendã Epidaurensẽ, Turcaicæ linguæ peritũ. Renũtiat is è Bizãtio, epistola inter liquamina pisciũ abscõdita, clasẽ maximã parari, militẽ scribi, numerũ præterea & formã tormentorũ. Cæterũ hostem impetendũ vulgo incertũ esse: multos, tam de Rhodo quã Italia dubitare plerosq; de Cypro, aut Corcyra. Nuncium istud multorum

animos

animos, õmen à se alienantium, securiores fecit: sed dum homines in quosuis potius, quam semetipsos bellum apparari credunt, affertur Sociorum amicorũq; literis, finitimos hostium portus diligẽtissima custodia obseruari. Inter has belli imminentis curas, minime idoneo tempore, quidã ex equitib. Italicis missionem & præmia flagitarunt, acerbe in Romanam curiam locuti, cui stipendiorum suorum defraudationem acceptam referebant. Verum Magister prudentia ac consilio suo tantum effecit, vt responderent omnes; non cõsueuisse equites Italos Remp. in ancipiti discrimine constitutam relinquere, nec nunc quidem relicturos. Verum quo plura bene ac strenue fecissent, eo minus iniuriam tolerare. Cupere igitur se, vt primo quoq; pacatiori tempore legionis optime meritæ ratio habeatur. Deinde cæptum est de vrbis Rhodiæ cura & præsidio cogitari. Equites nauteq; lignatum missi sunt, in desertum continentis Latonæ lucum, Phisco antiquo oppido vicinum. Arma, tormenta, telaq; recognita sunt: lapides molares, quibus molas manuales, asinariasque quisq; sibi fabricare iussus erat, ex Nysiro insula importari: vrbana multitudo inepta curias suas partita est. Muri & propugnaculum auernorum, à Basilio Cæsaris Caroli V. architecto, magistratu fabricii modulatum, maiori cum diligentia perficiebantur; captiuis ad voluntarios labores pręmio liberalitateq; magni Magistri inuitatis. Dum hæc tanto studio atq; ardore aguntur, venit Byzantio nuncius à Pyrrho, quẽ diximus supra, missus, homo festiuus atq; ingeniosus, munus suum verbis mire adornans, prædicando dominum, indolẽ præterea ac facile ingenium Imperatoris sui: attuliq; ab eo & Pyrrho ad magnum Magistrum bonas litteras, quale exemplar tale est.

XIX. Solymannus Tsaccus, Dei gratia Rex regũm, dominus dominantium, Reuerendo Philippo Vilerio Liladamo, magno Magistro Rhodi & Asiæ legato. Salutem.

Certior factus sum epistolam meam redditam esse, quam quod recte intellexisti (mirum dictu) quam placuit. Confide, quod victoria Taurini minime sum contentus, alteram spero, imo mihi polliceor, quam tibi, cuius semper sum memor, nequaquam occultã esse sinã. Vale ex Constantinopoli

Pyrrhi Epistola hac fere sententia erat.

Pyrrhus Apocletus, Philippo Vilerio Liladamo, magno Magistro Rhodi, legato Asiæ, S. Epistolam tuã sensũ maiorẽ quam litteris, exhibui maximo Imperatori nostro, tabellariũ a. nõ sum passus admitti, ne plebeio nimium nuncio offenderetur, ad quẽ mittes deinceps viros illustres, ætate ac prudentia commendatos, quibus cum si in animo habeat, possit de re communi transigere. Quod si facias, nec te facti neq; me consilii pœnitebit. Quem mitto, affert ad te etiam literas à nostro Imperatore, cuius diuino numini quomodo sit respondendum, monitus es. Vale ex Constantinopoli.

XX. Hæ literæ trahebant in varias partes multorum animas qui à quietis consiliis non abhorrebant, Mentientes alios ex fide probitateq; propria, commendabant Pyrrhi consilium, dicentes virum eum & prudentem, non tam nostræ quã patriæ & Imperatoris sui quieti studere, cupere eum consilio componere, quę iuuenis princeps ferro, metuentem incertũ casuum humanorum, comunem belli Martem, vim fortunę quæ maximos sæpe reges & exercitus parua manu hostium paruoq; negotio pessundedit. Tantum valuerunt horũ consilia, vt deligerentur oratores frater Raymundus Marchetus eques natus in Hispania citeriori, nunc Eubeicæ præfectura titulo insignis, vir magnanimus, carus, facũdus, & castrophylaca, ciuis Rhodiẽsis, Turcaice callens. Multis dispar sentẽtia fuit, qui fraudem dolumq; sentientes, ab hostili consilio cauendum prædicabant. Quorsum n. ista legatio? Vt timeri scilicet se intelligatis, qui iã timet. Qua securitate, qua fronte etiã ibunt oratores non vocati à domino, sine diplomate per alienum agrum, quẽ nos indies exurimus & vastamus? Sed Pyrrhi literas proferent. Huius scilicet comiseratio, huius fides & autoritas eos ab iniuria proteget, quasi seruus domino leges imponat, domino simillimus hoc est crudelis, perfidus osor omnium Christianorum, maxime Rhodiensium, quos tyrannus, si reperiat iã parata classe, & delectu militũ habito, vario cruciatu afficiet, vt vires nostras, nostros comeatus, secreta vrbis & militiæ nostræ sibi prodant. Magnã accessionẽ fecit huius sententiæ hominũ vere prudentum, diligens studium missi oratoris, multa & varia inuestigãdi de statu vrbis, verbis, numero & fortitudine equitum, quapropter remissus est cum vno tantũ comite homine priuato, Magistri epistolam ad tyrannum afferente, cuius sententia talis erat: Quod memor sis mei, haud molestum est, ego vicissim tui memor sum. Repetis victoriam Pannonicam, qua non contentus alteram speras; imo vel ante bellum tibi promittis & canis, vide ne te fallas, nusquam minus quam in bello euentus respondet. Epistola autem ad Pyrrhum missa talis erat.

Frater Philippus Vilerius Liladamus, Magnus Magister Rhodi, Pyrro Apocleto S.

Literas tuas, simul & nuncii mores atq; ingenium diligẽter perpendi. Consilium tuum non contemno, nec obseruo quidem, dum miles meus agros portusq; domini tui depredatur, quot vt tolerarem, fecere iniuriæ, quas à piratis Turcis acceperunt: Verum reuocabo excurrentes, missurus ad imperatorem tuum oratores, ad quos fidem, publicam eundi & redeundi eius diplomate testatã præmittas. Vale, ex Rhodio.

Verum animaduertendũ hic Magistri literas ad tyrannũ non allatas esse. Nã Turca vbi transfretasset equũ ascẽdẽs, qui in reditum paratus steterat, adactis calcarib. cursu quam velocissimo effugit, socium Christianũ relinquẽs, qui reditu suo in vrbẽ, magnam pacis desperationẽ afferebat. XXI. Quapropter missi sunt in Cretam coemptores qui ex Insula vinum & sagittarios importarẽt: nã arcub. & sagittis plurimum vtitur Creta, à septentrione Ægeum, occasu Ionium, Europę maris habens: ab ortu Carpathium, quæ Asiatici sunt, Meridie Affricũ. Literæ interea à Naxo missæ, dicebant naues instructas armatasq; in aquã deduci. Barbaros moturos inchoãte luna. Nam hoc signũ reb. gerendis auspicatissimum habent. Idem nunciabant frumentatores insulæ Pathmos, celebris ossibus Ioan. Theologi, qui nauigio quodã capaciore optimũ frumentũ Euboicum inferebant: cuius venundandi specie ac prætextu, multa quæ in vrbe obsidẽda agebantur, iussu Turcarũ, quib. sunt vectigales explorauere. Nec segnius magnus Magister, nauiculas ad omnia exploranda circa insulas mittebat. F. Ioan. Lupus, quẽ Bellouacum appellant, strenuus eques, qui postea in defensione propugnaculi Britannici grauiter læsus fuit, rẽ sibi mandatã diligenter peregit, nanimq; vnam rostratam onustam frumento Rhodum secũ adduxit. *Eques Rhodianus à Turcis dolo captus Constantinopoli supplicio afficitur.* Fuit infelicior vnius celocis præfectus eques Alphonsus, hic cum in statione quadam ventum expectans remiges longius diuagari pateretur, à piratica quadã naue fortuito interceptus, obnixus diu, ne viuus in potestatẽ hostium veniret, grauiter sauciatus, captus est. Biremis præter paucos, quos sors & fuga saluauerãt, cum nautis capta est, ignominia magis q̃ damnum Rhodios comouit: nam multis annis retro, nulla nauis Rhodia hosti in prædam cesserat. Armatæ exemplo triremes, omnem oram viciniam circumnauigare iubentur, sicubi forte latentẽ piratam reperiant. Per idem tempus crebris ignib. vna nocte post aliam in hostico sublatis, signũ factum est, esse ibi mortalẽ colloquendi cum Rhodiis cupidum. Quare F. Menetonus, eques Gallus, prudens cõtra pericula & insidias, naui viris armisq; satis instructa, ad cõtinentẽ iussu procerum mittebatur comite Iacobo Xayco triremiũ rationale, vt à loci incolis atq; amicis omnia de futuro bello industrie diligenterq; inquireret. Erat n. Xaycus præter maris ac regionum notitiam, ciuilium quoq; rerum gnarus, & Turcis negociatorib. quorum didicerat idioma, vtrice carus atq; acceptus. Quos vbi ad fontẽ inter calices ac libamina reperisset, circumseptos tapetis, bombyce & aliis talib. quæ Barbari mutare cum Rhodianis mercatorib. pannolaneo solebant, salutem ac fidem inuicem dat & accipit, Rogatus descẽdere ad comessandum, donec veniret è proximo tugurio quidam, cum quo multum familiariterq; vixerat, respondit nõ posse, nisi prius in nauim recepto. Perfidi dictum cachinnis excipientes vltro merces & obsidem imponunt. Egressus tum & obuios amplexans dato statim signo, vndiq; ex insidiis inuaditur, ac raptim pernici impositus equo protrahitur Byzantium, vbi acerbis quæstionibus omnibusque affectus supplicijs, quæ corpus vllum pati potest ad sacietatem inimicorum dicere facta, atque infecta cogitur.

XXI. *Rhodum ingens cõmeatus vehitur.* Postq̃ isto dolo amissus est Xaycus, tũ magis ac magis vulgo celebrari cæpit illorũ prouidẽtia, qui militarib. comitiis reuocãdę nup decretæ legatiõis ad Turcarũ autores extiterãt.

Itaque

Iraq; ne mora diuturnior damnum afferret, iustitium indictũ est, vigiliæ vicatim exactæ, in procestris militarib. acutæ lanceæ dispositæ sunt, tormenta per muros locata, singula locafirmata custodib. Publicum armamẽtarium, instructum omnium bellicarum rerum incredibili apparatu, reseratum est. Armorum atque telorum portationibus tota ciuitas feruere, à procerib. antesignanis lustrum conditum, recensa liberorum hominum, qui arma ferre possent minus quinque millia. Inter quos strenuè pugnarunt sexcenti fere equites, quingenti Cretenses, cęteri qui pugnæ diligenter fideliterq; vacarunt, fuere nautæ, remiges classiarii, quorum virtutem iuuerunt duces ipsi maritimiq; excursores Michael Vitalis Gallus, prælio nauali semper acerrimus, & felicissimus Serin gus Vandalus, ac Siculus quidam, & vnus Rhodius Nicolaus Mego. Rustici qui exagris insulaq; conuenerant, non tam pugnando, quam fodiendo ferrendoq; terram, obsidioni vtiles fuere. Reliqua vrbana multitudo, aliquot tamen vere strenuis viris exceptis, imbellis, iners, neq; laboris neq; periculi satispatiens, ægre minis & imperio sub signis & stationibus suis retenta, lingua quam manu promptior, enses clypeosq; gestando plus omnino ostentationis quàm fortitudinis habuit. Dum fama futuri belli & animorum nostrorum per Cycladas, insulasq; alias Ægei maris late effunditur, Ioannes Antonius Bouladius Venetus faber, fortunæ fuę à Creta Rhodum venit. Nã cum esset loco haud illustri natus concordante suffragio, contra omnia vetustatis exempla, ob bene diligenterq; nauatam Reip. operam, inter equites receptus est: donatusq; iure aureorum calcarium, importauit vina, commeatum omnis generis cum delecta iuuenũ manu. Paulo post Dominicus Fornarius Ligur, vir cautus, impiger strenuus prælio, bonus consilio, cum ab Alexandria nauigaret in Siciliã ingenti onerariа naui, preciosissimis causa mercibus, secundo ab vrbe lapide vi Insulã descendit, inde consilio & prudentia nostrorum in vrbem ductus est, exceptusq; obuiis tribus. Nam tantæ nauis aduentu, quæ arma virosq; afferebat, Rhodi ingens gaudio merito exortum est, animis omnium nihilominus curam defensionemq; remittentib. quos flexamina & vehementi sua eloquentia (haud dissimili illi quem in Cynea Periclęq; fuisse scribunt) ad omne egregium audendum & faciendum inflammauerat Leonardus Calestrinus Ligur, archiepiscopus Latinorum, vir summa doctrina litterarum, & memoria prope monstrosa, qua Cyrum ac Mithridatem vel æquat vel superat, in dicendo sententiis acutus, & creber, verbis ornatus atq; efficax, cuius luculentissimam orationem, quam in fano diui Ioannis ad equites habuit, subiicio.

XXIII. *Oratio Equitis Rhodiani.*

Vt hodierna die, quam maiores nostri, Deo trino & vni sacram esse voluerunt, vel celsitudinem tuam, magne Magister vos ô nobilissimi equites, de fide & de Religione verba faciam, monet officij mei ratio. Sed dum Reip. faciem statumq; intueor, quod numinis venia mihi liceat, orationi tempori accommodabo, quo non tam prędicanda est fides quam defendenda ab hoste immanissimo, maximis huc terra mariq; copijs ad nostram euersionem properãte. Cui, nihil dubito resistetis, vt viros fortes & equites Rhodios decet, vsq; hactenus facere consueuistis. Neq; est is, aut mea aut cuiuspiam oratione monendi: tamen quo mihi faciam satis, quem etiam pectoralis ista crux ad omnem Turcici nominis internecionem laborare admonet, & ne qua mentibus hæsitatio, scrupulusue restare possit, proposui (equites) facere vobis fidem victoriæ, argumentis minime inanibus. Quare attendite quæso, vt cæpistis, diligenter, vtar enim oratione, qualẽ tempus locusq; expostulat; fideli, facili, & compẽdiaria. Primum igitur hortor ac obtestor, ne aures, multominus animos, quorundam ominosis vocibus præstetis, omnia in peiorem partem rapientium quasi diuina maiestas durius aliquid de nobis statuerit. Ego enim tunc timorem vos mittere iubeo, non quod inficias ire velim, extrema omnia exempla nos promerituros si lege talionis & summo stricto; iure agere libeat, sed nihil tale Deo pientissimo in mentem venisse credendum est, quippe qui semel familiæ suæ spopondit, omnẽ sese malæ administratæ rei noxam seruis remissurum, quotiescunque frugi diligentioresq; fieri cæperint, vt vos nunc fecistis, Sacri equites, quod vt semper faciatis velim. Ne formidetis ergo immanem istum apparatum, quem facile concesserim volente & procurante rerum omnium opifice Deo, in capita vestra excitatum, sed non ideo vt confringantur illa, aut euertatur hic florentissimus vester militaris status, diuum Baptistam præsidem habens, qui secundum Deum primus & selectus in cœlo esse creditur. Nunquam enim ille sinet, diro sui nominis hosti tantum licere sed vt seueri patres cariores filios per duriora agunt, sic vult Deus optimus maximus, hac potissimum ætate, qua ducem Magistrum que elegistis, quo bello maior & armis, nec pietate fuit, per durum & difficile bellum militiam vestram clariorem celebriorem efficere, ne semper à macherophoris istis in occidente ocium & ignauia vobis obiiciatur, cum ipsi iidẽ sint ignauissimi. Quare magnas agite gratias Deo trino eidẽ & vni cuiuoc die litamus. Ne cogitetis illum omnia satis & casuũ temeritati permittere, sed res suas sibi curæ esse, fouere idem, stabilire religionẽ, cupere exaltationem cultus & nominis sui, explorare humana omnia consilia, etiam altissima, scire quid immanissimo, & crudelissimo hosti suo in mentem venerit, iamiam serenti virus Machometicum gladio, quo semine primũ enatum est. Cui oportebat duces, Reges, principes Occidẽtis, primo quoq; conatu obuiam ire, ne vis mali latius serperet: & depositis priuatis simultatibus in solescente Tyranno (duobus acerrimis stimulis ad alienas opes inuadendum, instigato, ambitione nempe & cupiditate, hanc siquidẽ natura sanguinis Scythici, illam ætas 28. annorum suppetit) cõcordibus armis, animisque ostendere, quam stulta, quamq; periculosa res sit, in consulto iuueniliq; feruore belli artibus gloriam cohærere, gentem Christo deuotam impetere, ac suas copias, suas classes, suo exercitus, eosq; gladios quib. vsi sunt hactenus in semetipsos contra communem cuiusq; nostrum hostem conuertere, vt quas ille nobis cogitat inferre calamitates aliquando ipse experiatur, verum ista frustra ocinuntur surdis aurib. Tenent supplices manus capiæ vrbes & Christianorum Regum auxilium implorant. Confidit sese breui & crudelissima seruitute in libertatem pristinam restitutum iri, Taurinum nuper captum. Constantinopolis Traciæ nobilissima ciuitas tot annos inter compedes, ac pedicas immanissimæ seruitutis Turcicæ computrescens, adhuc liberationem à nobis expectat: Eubœa Cretam respicit ad Diui Marci signa ægre aspirans. Verum illi infelicium calamitates & miserabiles quæ relas aspernantur, intestinis seditionibus intenti, nihil aliud secum animo versantes, nisi alter in alterum exercitus ducere, signa inferre, manus conferere. Quod enim nunc annos imperia occidentis inter se commissa cernimus, & Reges bellum vicissim propulsantes & inferentes? dum interim populus agro & vrbe vastatus, cædium, rapinarum, proscriptionum pertęsus, ad delubra pacis & concordiæ infulas, ac propitiatoria ferculà circumferens, frustra bellum in Turcas clamat. O dira portenta quæ præstigia quibus humanę acies sic fascinantur. Hispanis atq; confœderatis gentibus speciosissimum videtur Italiam bustis Gallicis insignire: Gallis denuo palmarium per cæsorũ cadauera vltra citraque alpes commeare: Heluecijs interim ambobus magno auro pugnam vel pacem suam cauponantibus. Heu fatalis furor vtrarumq; partium. O incredibilem nostrorum temporum ignominiam. O insignem nostræ huius tempestatis maculam, quæ nullo vnquam tempore deleri poterit. Heu pietas, heu prisca fides maiorum nostrorum, qui priuata animorum studia defendendi Christianæ Reip. causa deponentes, copias, classes exercitus instruxerunt, & reliqua ad diuturnum bellum necessaria collegerunt, quib. longinquas istas Asiæ regiones inuaderent. Nunc cedo ex Pontificum, ex Imperatorum & Regum ordine aliquem de Imperii Christiani finibus ampliandis sollicitum & Alcyonem vidisse me gloriabor. Olim Vrbanus secundus Pontifex Max. habito ad clarum montem consilio, ita Christianorum animos ad mouendum contra crudelissimos Turcas istos bellum inflammauit, vt tercenta fortissimorum hominum millia Sauaienos qui eisdem auspiciis cum Turcis bellum gerebant, Hierosolymæ recuperandæ causa proficisci non dubitarint, & maximis itineribus terra mariq; celeriter superatis, Nicæam expugnarunt, Antiochiam cæperunt, Ierosolymam, Herculeam, Tarsum, plurimaq; alia oppida in Christianorum potestatẽ redegerunt. Carolus à rerum gestarum magnitudine magnus non contentus Hispanos, Sa-

xones bellicosissimos & duræ repugnantisq; ceruicis populos, Christi Iesu iugo subdidisse, quum audiret Hierosolymã graui Barbarorum dominatu oppressam, celerrime illuc se cõtulit, & Barbaros profligauit, Christianosque in vrbem restituit, omni metu liberatam ac firmis munitam præsidiis. Huc etiam cum Morinis suis extremis hominum Balduinus Flandrus, Constantinopolcosq; imperator venit. Venit Germaniæ Imperator, Fridericus Barbarusus. Quod si nunc cõtingat, digito cœlum contingam. O cœlum, o terra, o maria Neptuni, erumpunt crebrius, vel inuito mihi Demeanæ istæ exclamationes. Nam cogor alta silentia rumpere, & obductũ verbis vulgare dolorem. Neq; continere me possum in tam publica morum & fidei calamitate cernẽs ipsos ordinum ductores, œstro vindictæ percitos, frameam quam illis credidit Deus opt. maximus ad salutarem tutelam innocẽtum, plebeculæ suæ dearmatæ custodiam, fidei præsidia vibrandam insontes, in noxios, in cõtemptores religionis, in hostes diuinæ maiestatis stringere, ac fodere in cognata fratrum viscera (simus siquidem fratres, cum habeamus cõmunem in cœlo patrem Christum Iesum.) Sed vt vere & liberè aliquando dicã quod sentio, nos veri germaniq; Christianismi effigiem nullam tenemus, vmbra tantũ & imaginibus vtimur. Hactenus Hercules & Liber pater (vt est in prouerbio) vlterius fortasse Christianæ libertati aqua fluere non videtur. In viam institutam ergo reuertor, & vos equites bene sperare iubeo, quibus Christus Iesus, dum cæteri eam prouinciam negligunt, crudelissimum hostem numinis sui debellandum & triumphandum tradidit. Eia ergo spe bona, & animo pleni, duce Deo arma capite, ac retũdite mihi nobili illo mucrone vestro, præsrocientes illos spiritus in Turcarum vultibus eminentes: & quemadmodum Dauid Goliadem occidit, sic vos infame tyranni corpus, cultu indumẽtoq; Barbarico tectum, quod ritu patrio post largas epulas, & amplissimam ingurgationem, mulierbria quoq; agere & pati solet, gladiis vestris confodite, confossus Cossianis Brutiisq; vulneribus vltricibus flammis exurite. Quod si tu fortissime Magister equitum cum ista nobili sacraq; militari cohorte tua effeceris, egregiã certe laudẽ & ampla spolia referes. Si enim Scipio clarus est, qui Hannibalẽ ex Italia decedere coegit, si ornatur eximia laude Africanus, qui duas vrbes Romano imperio infestissimas deleuit: si est æterna gloria Mario, quod bis Italiam obsidione, seruitutisque formidine liberauit, quanta te gloria putas manet? si Turcas Christianis finibus, quibus imminent; excedere cogas, & legem Mahometicam deleas, ac reliquam catholicam Græciam, Cyprum, Cretam, imo & ipsam Italiã, seruitutis formidine liberes? si enim hic vicerit, hostis (quod Deus nolit) continuo istas prouincias permagno ex diuersis gentibus comparato exercitu inuadet, vastabit, exuret, & miserrima seruitute opprimet. Accingere igitur gladio tuo super femur tuum potentissime magister, & vos sacri equites estote fortes in bello expugnate cũ serpente isto antiquo. Neq; moueant vos ingentes hostiũ exercitus, sed reputate animo quod res est, vitam & interitum hominum esse in manu Dei, qui nõ tam multitudini fauet, quam pietati. Quoties, quæso, populo, Israelitico, locorum angustiis circumuento, & parua manu cũ innumeris gentib. Amorrẽis, Ægyptiis, Moabitis, Philistinis, Madianis, Cananæis depugnanti, præclarissimas victorias cõcessit, hoste ad interfectionem vsq; cæso? Recensere nunc (nisi breuitatem essem pollicitus) copiarum Xerxis, Darij, cæteraq; Græcæ & Latinæ historiæ profana exempla, ex Iulij Frontini stratagematicon lib. 4. nota, quibus aperte instruimur virtute & audacia, ad victoriam non numero opus esse. Rudis enim & indocta multitudo, vt inquit ille bellicæ rei scriptor, ad fugam & cædem sæpe exposita est. Quare Alexander Magnus, cum pter Macedones suos vniuerso Illirico innumerum delectum possit indicere, nunquã maiores quadraginta millium copias duxit, inhabile regenti ratus quicquid excederet. Quapropter moneo vos equites, vt ista obsidione geratis spiritus dignos nobilitate vestra, hoc est egregios, audaces in prælio: siquidẽ maximum semper his periculum, qui maxime timent, audacia pro muro habetur. Quam omnia ad bellum prospere feliciterq; gerendum necessaria, quæ abunde ad sunt, vobis addere & augere debent. Siquidem, vt omittam necessitatem pugnandi, quę sola vel timidos fortes facit, armis ac militari peritia hostem superatis. Tenere enim licet vos loricis semper lectos, verticem tegit galea minaci crista emicans, pectore eneus splendet thorax, manus armantur ense & clypeo pedes innodantur duro solidoq; ferro, neq; ideo minus ad saltum & luctam habiles: nam arma & ferri graue põdus leue facit vsus, ac quotidiana exercitatio, quæ vos belli stratagemata, artesque docuit, iaculum recte emittere, tormentum excutere, hastam valide vibrare, gladio cæsim & punctim ferire, mari classem dirigere, & inter duo maxima ineutabiliaque mala, quæ animus meminisse horret, ignem & aquam inuictos esse. Et timebitis, quæso, nunc septiuallo, fossa, mœnibus, muro cõtumpedali in præsidio vestro, in arce vestra incredibili tormentorũ machinarumq; apparatu instructa, quam annis ab hinc 40. contra tot barbaros nudum & inermem defendistis, eam nunc relinquetis, nec pugnabitis duce hoc Magistro vestro Philippo Villerio Liladamo, cui bellicæ omnes artes, ac fortissimorum Liladamorum patrio auitoq; sanguine hæreditariæ ac gentilitiæ sunt, cuius solum nomen, victoriam & triumphum, se cõtemplantibus pollicetur? siquidem Philippos ab equorum studio Græcis dicta vox perinde sonat Latinis, quasi dicas bellacem ac victorem. Nonne si colligamus gerenda gestis, huius tam felix, tamq; incruenta Suldaniæ classis expugnatio, abunde id temporis victoriam pollicetur? Eia ergo fortissimo & constãti animo obsidionem tolerate, aderunt ab Occasu regum ac ordines vestri, parata subitaque auxilia, & pugnam alacriter capessite, nec timete hostes tantum angusto scuto & ense, nudis femoribus dependenti contentos. Nam galea & lorica omnino non vtuntur, & prudenter: huiusmodi enim arma non decent stolidos & fugaces. Si res primo conatu non successerit, viros decent in acie stantes, paratos vincere, vel pulcram per vulnera mortẽ oppetere, quorum alterum optabile, alterũ (si necessitas cogat virum) Christum simul & militiam professis non pertimescendum. Hac oratione accensi equites sunt, & magnus magister, dataq; ei notitia est omnium, quæ nuper allatus obses manifestauerat, quæ vt inueni vrbane vestitutum, ita morib. rusticum (siquidem gens Turcica à pueris nulli officio, aut disciplinæ, sed tantum pascendo pecori assuefit) & ad omnia libere, minimeq; fucate respõdentem, Turcam classem parare in finitimis Cariæ, Lyciæ regionibus, delectum militum habere mittendorum in lõginquas Hismaelis Sophi prouincias, nec fefellit. Siquidem tyrannus, vt à nobis, quos omnia explorare non dubitabat, belli suspicionem auerteret, gentem vicinam duramq;, & bello natam, procul ad angustias Amani mortis tuendas misit, ne inde Sophus in nuper acceptũ Suldani regnum eruumperet. Sed parum profuit dolus. Nã magister stipatus armato satellitio centum delectissimorum iuuenum, quibus præerat F. Ioannes Bonauallis, pollens viribus & decora facie, eques Auernus, vt obsidendis animum adderet, muros, stationes, locaq; singula obequitauit, impigre suorum & hostium res pariter explorans, quid boni vtrisque, aut contra esset, inquirit. Molem molẽdinariam munire iubet, qua parte Occasum spectat, mariq; haud alto alluitur. Franciscus Fresnayus Romangius, eques Gallus, morum facilitate, liberalitateq; omnibus acceptissimus, qui postea ad stationem Italicam pugnans occiibuit, loci & magnæ onerariæ nauis sacræ militiæ præfectus, mandatam prouinciam summa cura atq; industria exequebatur. Nam ante molem quam aggere, contabulatisq; turrib. ac vasis luto & terra madefacta impletis munierat, tormentisq; variæ magnitudinis, vt cuiq; aptũ visum est, loco dispositis firmauerat. Naues magnæ minorisque formæ faburra, saxoq; grauatas, paululum à muro altiore mari depressit, quarum obiectu impedimentoq; triremes hostium, à loco prius machinamentis, audaciaq; militum expugnabili remotius arcebãtur. Portus septus est vallida ferreaq; catena immanis põderis transuersum ante fauces proiecta, trabibus etiam quæ supra vndas natabant validis anchorariis funibus inter se connexis, quæ à turri molendinaria ad arcem Nicolcam obliquo tractu protendebantur: quo opere vsus maris hostibus ademptus est, elusaq; maritima oppugnatio, postulata & commissa cum cæteris piratis Turcensibus Cortugolo, cuius frater in Robore, carcereque Rhodiano cum diu squalluisset admotus obsidione hostili, inter mille & amplius Turcas, publicis operibus insolens, auræ & lucis diem extremum obiit cum aliis multis: quos tam hostium foris immissa tormenta, quam domesticæ ærumnæ vigilando, agendo, festinando, portando omnia debilitatos orco tradiderũt. Plures præterea in tumultu quodã populari temere exorto, miserabiliter occisi sunt. Nec

canum melior, quam Turcarum fortuna fuit. Hi enim quod in culina pascantur, & cibatu qui homini propior est, à pueris tota vrbe supplicio affecti sunt. Magister equitũ ne quid imperatum inexpertumue sineret, paratis omnibus ad bellum necessariis, ciues ad se in prætorium vocatos in hanc sententiã alloquutus est: Magnanimi viri, ciuesq; optimi, audimus hostem Turcam permagno ex diuersis gentibus collecto exercitu ad nos properare: à cuius innata crudelitate, solitaq; perfidia, nisi nos ferro vindicemus, mihi equitibusq; meis, ac vobis etiam vnum & commune periculum est. Siquidem vnanimi cõspiratione & opera, res eius grauiter terra mariq; affliximus: præda ex agris eius vi abacta, eius locupletati. Gentem suam hodierno etiã die graui seruitute opprimimus, iniuria ille nos, iure optimo dicimus. Siquidem maiores sui specus subterraneos & tenebrosa antra Caucasæ rupis amplius non ferentes nullo iure, nullo titulo, nulla causa, sola auaritia & dominandi cupiditate, odioq; sanctissimæ religionis nostræ irritati, Christianos Syria expulerunt. Deinde Græcos sua Græcia non vna morte gentis contenti, sed (vt semper fera & immanis est barbaries) animam variis exquisitisque tormentis eripuerunt: Quos iste supra ætatem malus & arrogans puer omnibus grauis accola Arabiæ, Syriæ, Ægypti, regni Persarum, magna parte totius Asiæ dominatu, tot præterea locorum ac populorum imperio non contentus, tyrannide, cœde, bello, rapinis, perfidia, odio, impietate erga Christum & homines superare conatur: & nostras insulas, terrasque Christianorum vniuersas occupare mirabiliter laborat, vt tandem rerum omnium & mundi dominus, diruat Christianas vrbes, Christianos obtruncet, Christianum nomen sibi tantopere inuisum penitus deleat: quam non ferendam iniuriam vt propulsaremus, sedem potissimum in hac Rhodiensi insula delegimus: quod hic locus ad bellum barbaris inferendum visus sit cæteris opportunior. Fecimus quantum in nobis fuit, adiuti sumus à vobis, experimento cognouimus, quanta sit virtus fides vestra, quam ne tunc mutetis, nulla suspicio. Quapropter non agam multis, vt in fide & officio permaneatis: nec longa ambage ad virtutem vos hortabor, quam fortibus verba nec abdunt, nec demunt. De me ac equitibus meis diuo Ioanni deuotis parce quædam loquar. Sum cum his, quibus (vt spero) aderit principum Christianorum, & aliorum equitum meorum, qui in Occasu sunt, peroportunum auxilium, paratissimus defendere vos, liberos vestros, coniuges, fortunas, fana, monumenta maiorum vestrorum, vt cœlestium Deorum delubra. Quam opinionem vt fixam immo tamque vestris mentibus retineatis, efficere possunt (ne quid dicam aliud) fidele ingenium meum in bello, nec segne omnino nec rude corpus, sana & perpetua valetudine ferendis laboribus, & excubiis aptissimum, equitum meorum nobilitas & amor erga vos, inimicitia in hostes, vrbis præterea fortitudo, quam hic sacer & nobilis ordo ingenti pecunia aduersus omnem tormentorum vim atque impetum, sic egregie muniuit fossa, vallo, muro, mænibus, turribus, propugnaculis, vt nulla sit ciuitas, quæ huic nedum præferri sed nec æquari possit. Ad hæc armorum telorumque incredibilis copia, vinum, caro, frumentum sub terris conditum, ne humor, aer, gurgulioue corrumpere possit, mirè abundat: hominum ab bellum aptorum haud paruus numerus. Lignorum magna vndique strues. Aquæ saluberrimæ, quæ inclusis obsessisque, plurimum ad varias necessitates vtilis esse solet, larga & indeficiens vbertas: quæ omnia certam victoriam, certissimum & optatum belli euentum nobis spondent. Addo quod ex nostra parte pugnabit necessitas, pugnabit fides, pietas, constantia, pugnabit amor patriæ, amor libertatis, amor parentum, coniugum, liberorum. Illic voluntas magis ducum quam militum, perfidia, impietas, inconstantia, desiderium vestræ seruitutis, odium parentum, coniugum, liberorum vestrorum. Procul dubio (carissimi ciues) non sinet Deus optimus tot tantasque virtutes ab iltis vitiis superari. Estote ergo animo pacato & securo, nihil hostile nihil ominosum metuentes. Tantum in fide, quam tot annis difficillimis bellorum & fortunæ casibus impliciti, sacro militari ordini illæsam seruastis, permanete: & si necessitas postulet, armis dextrisque virtutem vestram hostibus ostendite, fidem facite Hispanis, Gallis, Pannoniis, Italiæ, Britanniæ, Rhodios homines posse Turcarum spiritus reprimere, illorum classes, & exercitus ab Italia auertere: cui tot annos ferrum & flammas minantur. Ad quam mirabiliter festinant & peruenient, si (quod animus abhorret dicere) hic vicerint. Neque enim ambitiosus iste puer, animo perfidia, crudelitate, Hannibalem superans, Hannibalem imitabitur, qui facta ingenti ad Cannas Romanorum strage, victoria vti nescierit; sed continuo celeritate Iulium Cæsarem vincens, expositis omnibus opibus Ægyptiis, quas pater in direptione Cairi reperit, Apuliam, Calabriam, Siciliam magna classe magnis exercitibus inuadet. Inde in Gallias irrumpet, mox petet Hispaniam, cæterasque Christianorum regiones; omneque crudelitatis genus in vniuersos exercebit. Sed altius me rapit oratio, quam velum, aut opus sit. Fides enim & virtus vestra, magnanimi ciues, in tolerando & oppugnando hoste firmior est, quam vt oratione indigeat: constantior, quam vt malis, quæ inclusos obsessosque pati necesse est, confringi possit, quanquam illa quæ vere mala sunt, famem & sitim, omnino non sentietis. Quas tamen populi aliquot, fide, virtute, & animo vobis nequaquam comparandi, constantissime pertulerunt. Siquidem Petilini à Pœnis obsessi; parentes & liberos propter inopiam eiecerunt, ipsi coriis madefactis, & igni siccatis, foliisque arborum & omni genere animalium victum trahentes, vndecim mensibus obsidionem toleraverunt: nec antequam vires ad stãdum in muris ferendaq; arma deerant, expugnati sunt. Casillini obsessi ab Hannibale, murem centum denariis emerunt. Excubias in stationibus agere necessarium erit: domorum ruinas si tormentis eiaculata saxa inciderint, æquanimiter tolerate. Sed reparari possunt hæc mala & minora quam vt ideo deditionem faciamus hosti, in cuius clementia fideque nulla spes est. Præterquam enim quod natura crudelis & perfidus est, tum nobis, qui illi tot mala intulimus, à quibus solis sibi, vt ait dominatori terræ & maris, quo eum sæpe deturbauimus, resisti dolet, nullo modo mitis, fideliſque esse poterit, quos toties Marte aperto, vi publica, ingenio, astu, dolo, fraude adortus est: verum semper conatu irrito, opitulante nobis Deo optimo maximo, quem ante omnia velim (carissimi ciues) propiciemus. Nisi enim ille custodierit ciuitatem, frustra vigilant custodes.

XXIV. Postquam omnium animos alacres vidit, cohortatus, vt petitionem suam curę haberent, conuentum dimisit: & solennem supplicationem, quam etiam dies tempusque anni expostulabat, ad fanum Deiparæ virginis indixit, comitatus sacram maximamque hostiam, latam circum omnia compita medius inter paludatos equites, sequête maxima hominum multitudine, Deum optimum maximum precatus est: vt bellum quod instaret, bene feliciterq; sibi, populo Rhodio, & nomini Christiano eueniret. Respondere omnes rem diuinam rite peractã esse, precationi annuere cælites, iri posse quo vocaret Christiana religio & inimicorum audacia: Deum & sanctissimum tutelare numen omnia læta faustaq; portẽdere, vrbis protectionem, victoriam & triumphum: quæ dum vulgus (cui plerunq; plus animorum, quam consilij est) festiuissime ante bellũ cantaret, viros primores prudentioresq; magna cura occupauit: qui summo studio, vt vulgo feliciter opinata contingere possent; procurare non cessabant: Inter quos frater Clemens pontifex Græcorum clarus, abstinentia & ingenio, nec nõ Græca facundia merito connumerandus est: qui Græcos suos ex vetere fortuna olim stupenda orbi, animum adhuc retinẽtes, oratione quam appositissima ad obsidionem fortiter strenueq; tolerandam est cohortatus, loco publico, pro basilica mercatorum, & ante sacrã imaginem Deiparæ virginis è summo primarioq; fano gentis allatam; vt oratio hoc modo luce religioneq; cõmendatior, cui populus ille alioquin deuotissimus est, benignioribus auribus accepta, efficacem magis aculeum in animis audientium relinqueret. Sed nunc orationem ipsam adscribo. Optimi magnanimiq; Duces, rumor aut verius certitudo belli, quod nobis instat, diuertissimas inter se res gaudiũ & metum in animum ingessit meum. Neq; profecto scio, vtro magis commouear. Nam dum tacitus mecum classis, copias, exercitus, vim, magnitudinẽq; hostium monte reuoluo, totus tremore horreo. Verũ dũ animus æger ex sollicitudine (vt fit) in spẽ rapitur, atq; in admirationẽ ꝓsidij Latini, & fidei, fortitudiniq; Græcorũ, repête mutor, & is q. nõ erã, sio ex solicito liberrimus, ex pauido timidoq; audax, è tristi alacer & gaudẽs:

spon-

spondeoque mihi titulos, spolia, exuuias, victoriam ac triumphum de immanissimis hostibus. Et si me benignis vt cœpistis pergatis audire auribus, aperiam vobis spei & pollicitationis meæ rationem. Sed inuocato prius Christi Iesu Dei nostri optimi & maximi, & Deiparæ Virginis Mariæ auxilio, ante cuius imaginem sacrosanctam conuenistis, in quo primam, maximaq; victoriæ nostræ rationem pono: hinc sensim ad humani ingenii vires, consiliaq; mortalium descendens, corno generosissimorum equitum constantissimam fidem erga Deum, erga Rempublicam: cum qua collata illa Marci Attilij Reguli, multum lucis dignitatisq; amittit. Video horũ nobilitatem, ad quodque maximum facinus sic animatam, vt nullo cruciatu, nullo metu inde terreatur. Adspicio vrbem inexpugnabilem muro, mænibus, propugnaculis, vario genere tormentorum, multiplici commeatu, omnibusq; aliis, quæ ad nostram salutem, hostium excidia pertinent refertissimã. Tamen libere dicam, quod sentio meo more, neq; ad gloriam nostram, nec ad Latini præsidii vires nimium eleuandas. Hæc vrbs contra tot hostium conatus, tantas barbarorum copias, nihil potest, nihil etiam valet Latinum præsidium, nisi coeat fortitudo & fides Græca: quæ ne Latinis tam necessario tempore fraudi, doloq; sit vos precor: non quod hic prece multũ opus putem, sed quod sciam Turcas vos hortaturos, vt à Latinis desciscatis. Quid enim est illis optatius quam vno tẽpore & vos circumuenire & nefario scelere vos obstringere? Aut quid irati grauius de vobis sentire possunt, quam vt eos prodatis, qui se vobis & omnia sua crediderunt, & in eorum potestatem veniatis, qui se per vos periisse, ac tot damnis, tot contumeliis, totque iniuriis affectos æstimant? Redeat obsecro in memoriam maiorum vestrorum fides, non domestici scriptoris, sed externi Latini T. Liuij, omnium mortalium iudicio digni, cuius inuicto calamo, inuictæ populi Romani res gestæ conscriberentur, testimonio celebrata: qui multa egregia erga populum Romanum terra mariq; ausi sunt: Nam cum Antiochus Philippum Macedonem aduersus Romanos exercitu, nauibusque adiuturus videretur, legatos ad Regem miserunt, si non contineret copias suas, se obuiam iturος: non ab odio vllo, sed ne coniungi cum Philippo pateretur & impedimẽto esset Romanis. Quæ honestissima legatio cum parum profuisset, Rhodij Romanos adiuuãtes, Antiochum Regem fusum fugatumq; & exutum castris, prius Europa, post Asia, quæ cis Taurum montem est, expulerunt. Quare merito à Catone, quinto Originum libro (vt autor est Gellius) appellati sunt optimi fidelissimiq; socij Romanorum, quibus nec animum dunt axat bonum, ac fidelem præstiterunt: Sed etiam nauali b. præliis, quæ multis locis facta sunt, omnib. adfuerunt: nec labori suo nec periculo vsquam parcentes: & quod miserrimum est in bello, cum Mithridates Asiã occupasset, Q. Oppium proconsulem, item Aquilium legatum in vincula cõiecisset, iussuq; eius quidquid ciuium Romanorũ permanerent, passi sunt. Et in dissensione ciuili inter Antonium & Octauiũ vltores necis Cæsaris, & Cassium ac Brutum, cum petiissent; si in ciuili discordia à partibus abstinere, & æque omnes Romanos colere non liceret, tantisper dum ipsi ad senatũ mitterent, bellum differri, vt ex eius autoritate arma caperẽt, inuasa mox vrbe cum ira victoris cuncta quæ collibuisset, in matronas, in virgines esset operata, omnibus bonis multati sunt: frustra misericordiam cum multis lachrymis rogante venerãdo Sene Archelao, à quo Cassius Rhodi Græce fuerat eruditus: Nam Æschines cum à Repub excidisset, huc doctrinã Athenarumque studia intulit: fuitq; gymnasium ea tempestate hic florentissimũ: id quod cum Aristippus Philosophus Socraticus, naufragio in littus nostrum iectus diuertisset, & de Philosophia disputasset, magnis adeo muneribus est donatus, vt non tantũ se ornaret, sed etiã cis qui vna fuerant, vestitum & cætera quæ opus essent, ad victum præstaret. Hoc gymnasio Tyberius, postea Romanorum Imperator amœnitate & salubritate insulæ captus, sine lictore aut viatore sæpe obambulans, mutua cum Græcis professoribus officia vsurpabat. In quo vt Athenodorum audiret, Cato huc ab exercitu nauigauit. Cicero, quem vnum Latini contra tot nostros Rhetores & Philosophos obiicere solent, quique primus, vnusque cuncta Philosophiæ dogmata à Græcis accepta, eis tradidit. Hic Apollonio, qui eũ tantum, quantus est, effecit, operam dedit. Et quam gratiam reddiderunt oro Romani Græcis? à quibus omnia honestatis probitatisque exempla, omnem armorum litterarumq; scientiam accepere, quorum fideli opera & industria domi forisque imperij sui ditiones propagarunt: Nempe Cassianam, vt audiuistis, & Rhodiorum, quos ideo superbiæ insimulabant, quod sese superari superbia æstimarent, opibus diripiendis intenti, infensique fuerunt, gentem vetustissimam nobilissimamque vel fama rerum gestarum, vel omni commendatione humanitatis, doctrinarumque ciuitatibus, quas non tam liberaliter, quam merito ob nauatam bello Macedonico & Asiatico operam dedere, mulctauerunt. Neque hac iniuria contentus Vespasianus Rhodum cum adiacentibus insulis adempta libertate, in prouinciæ formam redegit. Verum optimi maiores vestri, tot aliis supra alias affecti iniuriis, magis quid illos deceret cogitantes, quam quid mererctur aliorum improbitas: vtq; leuitatis ac perfidiæ notam fugerent, semper in fide Romanorum permanserunt. Vos quid nunc facere conuenit laudatissimi viri, tam præclara substantiæ, & fidei domestica monumenta animo reputantes, pro Christo Iesu Deo & homine, pro sacra militia, quæ non modo æquis legibus, & facillimo imperio, vos semper indulgentissime habuit, sed etiam fouit, nutriuit, locupletauit? Ingrati maliq; animi est reticere, quorum beneficio sis adiutus. Ingratissimi, pessimique vero non rependere gratiam, cum possis & debeas, cumque omni modo opus sit tua ope. Defendetis ergo hoc necessario & difficillimo tempore Rhodios, in quos nulla ingratitudo perfidiaq; vnquam cecidit. Qui liberi etiam aliorum libertatis causſam egistis, sacrum militarem ordinem, arcem equitum, imo capita, focos, aras & fortunas vestras, quibus insultat & vltima exẽpla parat perfidus tyrannus, hostis fidei ac religionis, quam à maioribus vestris accepistis: pro cuius dignitate gloriaq; asserenda nullum discrimen, ne mortem quidem certam intentatamq; perfugere debetis. Sed cũ vos cõsidero Græci fidi, fortes, pij, ac vt vno nomine omnia complectar, verè Christiani cum equitum Latinorum audaciam nobilitatemque æstimo, magna me spes victoriæ tenet. Ite igitur duce Christo Iesu, Ioannis Baptistæ, ac sanctissimi equitis Georgij, secunda fiducia contra gentem impiam & nefariam, perfidam, quæ nunquam virtute, sed semper occasione freta vicit, nullam regionem, nisi domesticis malis ruentem occupauit. Eunuchos seruos Orientis, imbelles Syros, fugaces Persas, aliosque quos tepens Pharius & leuium populorum nutritor Nilus emittit, tenero perlucentes amictu: & vix leue pallium vitando Sole tolerãtes oppugnare solitam: non Rhodios qui istas primum gentes cũ imperatore suo Memphitico Halbuzato ingenti & fœda cæde ferè ad internecionem vsque deleuerunt, & iterum adiuti à Pontifice maximo Calisto III. Quiq; ipsorum Turcarum obsidione tantum nouem & octoginta dierum, octo millia præter quindecim fauciatos morti tradiderũt. Sic enim numerum init Cauorsinus quasi pollinctor mortuorum, & vulneratorum omnium chirurgus. Vidit sol lætus spectaculo, audierunt diuersarum terrarum populi, intra paucos dies euersores Asiæ atque Europæ ab Ambusono vno; vnius Græcæ gentis ducestratos, cadaueribus suis eam terram metientes, quam pugnacommittenda sibi spondebant. Si diuina pietas ducẽ auspiciisque Ambusonios, quos genus Christianum iuxta ac veteres illos Græcos heroas iampridem intuetur, tanta cæde hostium, tam celebri triumpho insignire voluerit; quid creditis Christum Deum optimum maximum socio tutelari numine iam ministerio vestri, ac serui sui Liladami principis, vere optimi & nobilissimi, aduersus crudelissimos hostes suos acturum? certe mens maiora omnino concipit, quam exprimere audeat: Verum euentus rectius spem pollicitationemque quame vosq; animaui, dubio procul confirmabit.

XXV. Mirum in modum Græcorum animi hac oratione accensi sunt, nam ducitur, rapiturque hæc gens inter cæteras maximè nationes laude & gloria, tantumq; suadendo & hortando hinc inde apud homines effectum est, vt hostis magis cupidus sit, quam detestatus: nec diu multorum stultas voces inficiaque sibi nota remoratus est. Quadam enim nocte elatis speculagnibus in Lostico signum dedit; missaq; extemplo cum Leinbo armata militaris triremis, & in ea Castrophilaca interpres. Qui cum in portam processisset: Commodius, inquit, vnus hostium turma equestri circumfusus; si in terram egrediaris, cũ id facturum se negaret: quid, inquit, Xayci fortunam metuis? Adhuc ille minaci & Rhodio animo, Xaycus, quẽ contra

fidem sacramentumque cepistis, nihil me sollicitat. Nec vos, quibus non credo, metuo; cum sermonibus de industria compositis vellent tempus protrahere, poma remigia dencientes: aut paucis, inquit, præfectus de puppi loquens, mandata explicate, aut hinc facessite, nisi malueritis actutum bombardis obrui. Barbari primum equis & arcubus ferocientes vno verbo attoniti obsignatam epistolam super saxum quod dam ponunt, ibimandata contineri, & cum dicto calcaria adigentes, cursu quam concitatissimo aufugiunt. Epistolæ autem talis fuit sententia.

XXVI. Solymannus Tsaccus Dei gratia Rex regum Dominus dominantium maximus Imperator Byzantij, & Trapezuntis &c. Reuerendo Patri Philippo Viletio Liladamo Magno Magistro Rodi, equitibusq; suis, & vniuerso populo.

Solymannus Rhodios ad deditionem hortatur.

Commouerunt me afflictissimę gentis meæ commiseratio, & summa iniuria vestra. Impero igitur vobis per celerem insulæ, & arcis Rhodiæ deditionem pie, vtroq; concessa gratia secure abeundi cum omni preciosa supellectile: aut si libet manendi sub Imperio meo, in nullo nec tributo quidem minuta libertate aut religione vestra. Si sapitis, pferte amicitiã, & pacem bello crudelissimo. Nã victos vi manent acerbissima omnia, q victi, à victoribus pati solent: A quibus non defendent vos arma domestica, externaue auxilia, nec ingẽtes muri, quos radicitus euertam. Valete bene. Quod nunc demum fiet, si potius vim, quam amicitiam maluerit is, quæ neq; fraudi vobis erit. Iuro Deum cœli, terræque auctorem, iuro quatuor Euangelicæ historiæ Chronographos, vicies quater mille Prophetas lapsos è cœlo, summumque inter hos nostrum Mahumetem, adorandos item manes aui patresq;, tum hoc sacrum augustumque meum imperiale caput. Ex regia nostra Constantinopoli. Huic cum alij acerbius, quidam lenius, quisque pro ingenio suo respondendum sentirent nihil est resposum. Eodem die qui mensis Iunij decimus quartus fuit appulerunt ad Cos Insulam Hippocrate suo Venereq; Apellea non minus quam solo Cœloque nobilem triginta triremes hostiles: harum præfectus leui præsidio in nauibus retento militemque fermè omnem in terram exposuit ad exurenda tecta, & frumenta quæ iam prope maturitatem erant, atque ad vicos, agrosque depopulandos. Verum Præianes insulæ dominus vehemens, impiger, summæ audaciæ vir accensus indignatione funestam illis hanc populationem fecit. Nam expedita manu peditum cum tumultuario equitatu leuis armaturæ erumpens in prædatores, per segetes, per agros palantes clamore classico, strepitu armorum simul à diuersis locis facto, tantũ terrorẽ Barbaris incussit, vt cæcis & lymphaticis nedum fugientibus similes, sine vi, sine defensione in obuia tela, armaque incurrerent: Nec nisi naues littori propinquæ plerosque trepidos & fugientes excepissent, superfuisset cædi, aut fugæ quisquam. Ita re infeliciter gesta præfectus naues inde auertit, nec postea littus attigit. Rhodij haud minori ardore, quam Turcæ, in Langone cœperunt agros, cam posque suos deuastare, & ex eis quæ diutinæ obsidioni tolerandæ necessaria erant, in vrbem importarunt: exciderunt arbores, confregeruntque omnia suburbana, & quidquid amœni, sanctiue prope vrbem infra lapidem stabat, demolitum, soloque æquatum est, ne hosti integrum vsui, commodoque foret. Persuaserat hoc pridem populo F. Gabriel Pomerolus promagister ærarij triumuir, spectandus domi, forisque, facundus, callidus, amicitia facilis, multasque alias bonas animi, & corporis artes possidens: Hic postea in anticuniculum via admodum incommoda gradiens, pede lapsus, læso paululum capite ilia perfregit: Pauciscque inde diebus extinctus est. Nunc orationem ipsam adscribo.

Turcæ Cos Insulam depopulantur.

XXVII. Ornatissimi ciues, auditis Turcam ingens bellum moliri terra, marique. Erga quem incertum, signa ostendunt aduersus vos militiamque nostram. Laborandum igitur, ac prospiciendum nobis communiter omnibus, ne ab hoste immanissimo imparati offendamur, neue negligentia, aut imperitia nostra illi vires addat. Statuit igitur magnus magister vicinas vrbi arbores excindi debere, domus dirui, ambitus murorum, qui foris sunt, solo æquari: Quod vt sinatis rogat, ac iubet. Compertum est enim relatione militum, qui vrbes defenderunt, & oppugnarunt hæc posse obsessis nocere, & hosti prodesse: à quo vobis fortunisque vestris idem quod nobis, & commune periculum. Nam in eadem vt dicitur, naui nauigamus. Magister quem hoc difficillimo tempore magnum, & sapientem virum esse expertus sum, omnia leniter & modeste cum populo, cum equitibus agens, etiam vbi res poscebat grauiter: vt alios exemplo confirmaret, Viridarium suum stationi Gallicæ præiacens haud dubie amœnissimum prius demoliri, extirparique præcepit. Dum per hunc modum omnia amœna iucundaque aspectu deformantur tutius omnino, deformeque magis spectaculum erat, quod vrbem prope maiori luctu, mœstitiaque confecit quam ipse aduentus hostium: miserabilis scilicet multitudo inconditæ turbæ agrestium hominum, ligna, frumentum, pecora, legumina: aues cortiles, cæteraque necessaria vsibus & quibus diuturnior obsidio subsistineri posset, ex agris quod Magister iusserat, Vrbi inferentium: quos immista ac circunfusa turba sequebatur, puerorum ac mulierum plorantium, quæ sparsis crinibus genas faciemque suam consuetudine patria, fœde laniabat: supinas manus ad cœlum ad Deum tendentes orabant vt claram Rhodum ea flãma, ferro; peneque fati faucibus eriperet: matresque Rhodias & liberos paruos inuiolatos seruaret. Colluuio ista agrestium in arcta tecta cum vrbanis locatorum, animantiumque omnis generis cœlum graue, morbosque fecit contagiosos tamen magis quam pernitiales profluuium albi & febrim: Verum cum istorum brutorum maxima pars decrescente annona, impasta, neglectaque ac sæpe morbida per strata per vicos relinqueretur, maioris & pestilentissimi prorsus mali factum est seminarium: quod vero post fugam deditionemque nostram vim suam in hostes, & miseros, qui remanscre Christianos sæue exercuit. Nec intacta ab hoc malo fuere obsidentium nos hostium castra. facile enim à tactu, mutuaque familiaritate morbum contraxit gens immunda, incompositaque multitudo: cui cibus caro præter suillam vix semicocta, massaque tritico manu molito facta, atque in carbonibus decocta humi vti pecoribus pabulum, & stratum confecta vigiliis, sitique. Nam iudex venerabilis, & exactæ iam ætatis vir, pabulum, & aquarum fontes lino putrido, aliaque simili materia corruperat qua venturum credidit hostem. Qui priusquam tota classe ad insulam obsidendam descenderet, arte, atq; insidiis vsus cum viginti longis nauibus, reliquis aliquot auxiliaribus cum supplemento in statione ad Gnidum promontorium, haud procul ab vrbe Rhodo, atque in sinu Symæ insitæ, quæ Rhodiorum est, relictis per continuatos aliquot dies fretum medium inter oram Lyciæ, & Rhodum insulam nauigauit cogitans isto modo ad nauale certamen nos è portu elicere. Spem enim habebat optimo sane cum consilio propositam si respondisset euentus, aut nauali prælio vincere, quod tunc temporis nõ multo minus fuisset quam Rhodum expugnasse: aut res nostras destructe inter pugnandum flore militum, hominumque Nauticorum plurimum debilitare posse. Qui cum nullo sine facto nunc ad medium vsque fretum veniret, nunc in altum regrederetur, inde iterum ad portum prope procedens classem in conspectu explicaret plerisq; cum ætate tum ingenio feruidis, quibus non tolleranda superba ista fiducia videbatur, consilium haberi placuit, faciendum ne periculum naualis certaminis foret. Cancellarius sacræ militiæ, idemque ærarij triumuir multis illustribus factis domi belliq; clarus animo immoderato incredibilia nimis alta cupienti ingenio magno varioque copia dicendi larga, & exuberanti, quam prouectiori iam ætate cum in puerilia litteris non vacasset feriatus à bellis, negotiisque cum publicis, tum priuatis, quotidiana lectione omnis disciplinæ autorum sibi præparauerat. Plinium enim ita nouit, vt nemo melius nomen digito sque suos: cui ad summum honorem magistratumque nihil obstitit nisi nimia inconsultaque honorum cupido, negabat cessandum esse. Aut enim inquit vt erat lingua immodice liber, ingens ista classis, ad cuius necdum vim, aut aspectum, sed solam famam plerique contremunt, quæ tamen noua non est (nam singulis annis venire ad nos solet) hiis piraticis nauigiis veluti membris caput iungenda est, & tum vtilissimum fuerit, quod quidem superioribus nauium róbore, numero, & virtute militari facillimum est, capiti membris defractis, huiusmodi dolorem, atque

Oratio equitis Rhodiani ad ciues.

igno-

ignominiam infligere, vt perpetuo inde langueat: Vel nulla, quæ in nos fabricata sit classis illam sequitur. Quod mihi fremant licet homines, qui vmbram suam ac cœli ruinam metuunt, verisimilius videtur. Neque enim tam vecors est Turca, vt hoc sero anni tempore, post septimum Calend. Iulias huc moueat parte ætatis ad oppugnandam vrbem commodiori exacta; & quam vrbem? munitissimam nullius idoneæ rei egentem validissimo firmatam præsidio; Vnde maiores sui semper cum clade, & ignominia repulsi sunt. Cui prius quam cuncta expugnandis vrbibus reperta apud veteres, aut nouis ingeniis inuenta admoueat, reliquum omne ætatis transierit. Hyeme autem cum vbiq; incommoda sit oppugnatio, tum insula incommodissima præsertim hac, in qua non portus vllus non consistendi vsquam locus, Quin igitur Deo, & tutelari numine bene iuuantibus, imus hosti superbissimo obuiã? Sed vno minaci in dictulo ab adolescẽte anxio, ne classem suam alio destinatam à tergo inuadamus, dolo fraudeque ad nos transmisso desides intra muros mœniaque nostra complosis manibus sedemus, husquam motu ac pauore trepidi caput efferentes timiditatem atq; segniciem nostram vocamus, si diis placet, artes Fabianas: & vtinam Fabij essemus, non potius Antiochi, Ætholi, (Quorum omnis ferocia in verbis) Vitellij, credentes sedendo, aut votis debellari posse. Verum non votis, neque supplicationibus mulieribus, aut his sensibus, consiliisue quam timidi cauta vocant, auxilia Dei parantur, vigilando, agendo, prospere omnia eueniunt. Propalam his ferociora dicendo, tantum apud multitudinem effecit, quæ plerunque ex incertissimo animos sibi sumere solet, vt sibi pugnam deposceret: Velle ait se abolere indignitatis maculam cœde & sanguine hostium: non esse se sine armis, sine animis, sine manibus. Patribus sine quorum consilio Magistro quippiam decernereius, fasque non est. Visum in hac rerum difficultate fortunã, non esse tentandam. Lictoribus tantum, & apopulationibus conscriptis ad hoc mille viris, hostem arcère placuit, qui cum videret spem sũam illudi retro agens classem ad Villam nouam sit loco nomen, duodecimo ab Vrbe milliario iactis anchoris descensionem fecit. Segetibus tantum quæ prope maturitatem & pro derelicto habitę erant deuastatis. Nam hominum quod aut in vicis, aut in agris erat, iam in vrbem castella que sparsa per insulam hac, illac munitiora concesserant. Quam iniuriam dum vindicatum iret leuis armatura equitum, misso ad hoc nuncio à magno magistro redire iussa est. prudens enim dux militem ad maiores rerum casus seruabat, qui tota obsidione non ducem, sed etiam militem egit, & interdiu aliquando cum hiis cibum cepit, noctu sæpissimè ad tertiam Vigiliam in stationibus mansit, aut obambulans, aut fortuito sedili è ligno vel lapide insidens. In oppugnationibus ferocior, quam patribus placeret, nec tela, nec hostes formidans: semper tamen causa potius consilia cum ratione, quam prospera ex euentu probauit. fuitque quod mireris inter tot curas, tam varios, & ancipites casus, semper eadem vultus gratia, & maiestate. Quem intuentes venerabantur, & amabant. Huic addendum, quod quidquid otij, ac quietis à curis ab oppugnationibus, à naturali vsu, & desiderio corporis habere poterat, id totum in preces, & rem sacram conuertebat. Sæpissime enim maximam noctis partem solus ante altaria, thorace tantum & galea manicisque depositis orando psallendoq; transigebat. Palam equitum & populi vox erat nihil timescendum: Rhodum magni magistri vigilantia, precibusque inuictam futuram.

Nunc restat operi difficillimi pars laboriosissima nunquam sine ingentissimo luctu atque mœrore omnium hominum, nedum meo memoranda, nempe in qua vrbis nobilissimæ semper lugenda deditio, & miserrima Hierosolymitanorum equitum fuga continetur. Quam qui fando, audiendoue temperare à lachrymis potest, meo quidem iudicio modicè Christianus est, aut parum prudens male intelligit quantum victoria Rhodia vires Turcicæ auctæ sint, nostræ accisæ. Verum nunc omnis querela etiam necessaria sera est atque ingrata. Quandoquidem Occidentis Principes qui obsidione moti non sunt, neque excidio commouuntur, poti calice furoris, indignationis, & iræ Dei, quod vtinam iuuenili meo tantum calore effuderim. Sed vereor, atque adeo vereor ne repugnans reluctansque dolori meo veram vocem efferre sim coactus, & ne hi, qui immisericorditer aliorum miserabilissimas querelas aspernantur iubentes quemque saluti suæ consulere, dicentes secum, non continget malum, nec flamma, nec gladius hostilis nocebit nobis, mox ad palinodiam adacti Hieronymiæ Vatis fatale, ac lacrymabile carmen recantare cogantur: Ecce gentem à longinquis, & procul dissitis regionibus, gentem robustam, gentem antiquam, gentem cuius linguam ignoramus, nec intelligimus quid loquatur, comedit segetem, vineam, ficam & stirpem nostram: deuorat panem, gregem, armentumque nostrum, & ignis suus late omnia comburit: quem ego iamiam scintillantem video, imo proximos lambẽtem flammã parietes, nec credimus insani rem agi nostram, sed cum omnia fulgure flammæ hostilis propius admoto Italiam, Hispanias, deinde Gallias lucere videbimus; tunc imo pes auxilij humani ante aras, & delubra diuum frustra adflictantes nosmetipsos veniam irarum cœlestium, & malis nostris finem efflagitabimus. An respondebitur timeo ab irato numine. Oratio vestra conuertitur in peccatum, manus vestra, & imperium vestrum sanguine madet suo prope diem flamma aliena Turcica exarsurum. Par est enim vt qui in terra vestra Christum Dominum Deum vestrum contempsistis, in terra iam non vestra sed hostium Barbaros, & immanissimos Turcas perferatis, quod vt vehementer futurum timeo; ita rursus spero, & si quid veri mens augurat, opto vt amor ac delitiæ nostri generis Christus Iesus satis se pœnarum habere putabit si errati pœniteat. Illud enim potius quam funestum quippiam in præfatione ominari libet, ac precari vt velit orsis secundi libri prosperos successus attribuere.

DE BELLO RHODIO
Liber Secundus.

XXVIII. Sexto Calendas Iulias mane diei nunciatum est è specula stante in vertice montis, Diuo Stephano sacri, vno ferme ab vrbe milliario maximam classem aduenire secundum flexum occidentalis littoris Licij, commota ciuitas est acerbo, non etiam inopinato nũcio: cuncta vario tumultu strepere, suo quisque metu pericula metiri: & clamor vbique erat qualis in obsidenda iamiam vrbe esse solet. Cumque dies octauus esset ab annua supplicatione, circumlataque sancta hostia, iterum exacto solemni sacro, vultu habituque supplicium, reuerendissime in circuitu fani tutelaris numinis, ab antistite sacri militaris ordinis portata est, & Deus obsecratus, vt equites hominesque Rhodios, quos religionis suæ propugnatores esse voluerit, etiam robore militandi, & fœlicitate vincendi donaret ferrum, flammam, ædes, rapinas in hostes numinis sui auertere. Religione, & sancta spe firmatis per hunc modum animis, sacraque hostia sedibus suis reposita, clausis raptim portis in muros concursum est turba quoque mulierum, puerorum, senumque: gressus suos baculo regentium, & effundentium sese è domibus ad spectaculum maximæ classis (nam ad trecentum, & amplius naues omnis generis fuisse dicuntur) vias passim, & turres, tectaque domorum complebat. Venerunt naues hostium longo agmine. Prima prætoria nauis Præsidis Gallipolitani erat, cui classis cura, maritimæque oppugnationis imperium mandatum à Tyranno fuerat? Agmen cogebat Archipirata Carra Mahometes, postea tormento ab arce Telea accuratius emisso, arco traditus. Dux, qui mediæ classi præerat incertum quare (nam vento Fauonio secundissimo vtebatur, neque aliter oppugnationem tentauit) haud procul à portu, qui duabus vtrinque turribus multiplici, & vario bombardarum genere munitis fauces suas dilatat, triremes explicare iussit velaque contrahens, malos inclinans, & simul armamenta componens demersis vtroque latere in aquam remis, oram, vrbem versus legere cœpit. Re conspecta subito ad arma conclamatum est, signa canere, decursus tota vrbe fieri, fortissimus quisque tendere ad portum, & molem, quæ portus ipsius læuum latus efficit, quamque hostium iniuriæ obnoxiam esse diximus, & ab hoste peti homines putabant. Verum pirata cernens se bombardis obrui, nulla aliter mora facta, sublatis raptim doloribus, in altum non sine discrimine ignominioso que clamore Rhodiorum

Classis Turcarum Rhodum appropinquat.

ſtantium pro muris ad reliquam claſſem ſe recepit. Quæ præterecta ante vrbem & ora propugnatorum, ſub ſignis ſuis acie inſtructa adſtantium, cum ſono cantuque Muſicæ militaris, terrorem non tam incuſſit, quam accepit, occupauitque promontorium (Bo incolæ vocant) tertio ab vrbe lapide diſtans in Orientem verſum. Cumque is locus haud ſatis commodè tot naues capere poſſet, plerèq; ante hoſtium in ſalo ſtabant. Sed cum Rhodij tormentis per muros diſpoſitis barbaro hanc ſtationem infeſtam facerent, propius ad terram naues contraxit: ſtabantque ita in arcto ſtipatæ vt vix vllum telum in mari vacuum intercideret.. Audiui propoſitam eſſe à Hieronymo Bartolutio Florentino, in rebus bellicis non inexercitato rationem exurendæ claſſis: quæ cum ab vno ex præfectis æratij (vt pleraq; alia ad hoſtium perniciem inuenta) non probaretur à collegis quoque improbari cœpta eſt. Verum dum hoſtis tormenta & machinas, cæteraq; ad vrbis excidium pertinentia, è nauibus in terram exponit, locum caſtris eligit, terreſtres exercitus à continenti in Inſulam traiicit, & vrbis mœnia ac ſitum cõtemplatur, & qua facilius oppugnationem pati poſſet. Oppidani in omnes occaſiones intenti, haud ſegne otium terebant. Siquidem ante murorum fundamenta nullo ætatis ſexuſue diſcrimine facto, profundiſſimos puteos altaq; incilia infoſſatis effodiebant ad cuniculos hoſtium excipiendos. Quam rem vſu experimentoque compertum eſt, non tantum Chriſtianis ſed etiam barbaris inhiatibus & effoſſis lacunis ſeſe occultantibus profuiſſe: magnus magiſter F. Ludouicum Andugum equitem ad Imperatorem Carolum V. in Hiſpanias miſit: Romam ad Cardinales & ſacros milites ſuos Italos equitem Claudium Ducenuillum, in Gallias ad regem atque equites ſuos Gallos, cum litteris, quibus opem miſerrimæ vrbi terra & mari obſeſſæ implorabat. Par autem erat communem Chriſtianæ Religionis cauſam à Rhodiis primo ſtrenueque ſuſceptam, cæterorum quoque Chriſtianorum principum concordibus armis adiuuari. Sed ſors aliter cecidit. Preianes cuius ſupra fecimus mentionem, vir cuiuis antiquorum & huius ætatis ducibus conferendus, terreſtri prælio bonus, nauali optimus, ad pericula capeſſenda plurimum habens audaciæ, & inter ipſa pericula plurimum benignioris fortunæ, vt iure dubites, fortiorne, an felicior ſit hyemem & æſtatem iuxta pati, humi quieſcere, eodem tempore laborem & inopiam tolerare à pueritia aſſuetus, & quæ cæteri miſerias vocant, voluptati habere, cum duos treſue dies metu hoſtium in deſerto quodam ſcopulo latuiſſet, nauicula exploratoria ſilente noctu excubitores fallens, Rhodum intrauit, magnam ſpem & animum omnibus afferens. Neque enim milites alio duce plus confidere aut audere, nec magiſter vbi quid fortiter ac ſtrenue agendum eſſet, alium quenquam proficere malle: Is dies noctesq; armatus intentuſque milites hortabatur, vigilias & ſtationes circuibat, opera, quæ hoſtes igni ferroque violauerant, ſedulo reficiebat. Aduenit etiam è Creta inſula conſiliis atque adhortationibus prudentis viri fratris Antonij Boſij, Gabriel Martiningus Brixienſis, in militia & toga ſpectandus, ac ex veteri illa Brixienſi probitate, quam Plinius celebrat, multum referens, mirabilis inuentor, ac artifex operum bellicorum. Qui quam plurimos cuniculos (nam quinquaginta quinque fuiſſe dicuntur) quos Turca propter ſcaturientem alibi aquam, alibi occurſum indomiti ſilicis, ingenti cum mole difficultate; agebat, perleui negocio ludificabatur, actis contra cuniculis & ſpecubus introrſum ad murorum radices effoſſis. Res ipſa hortari videtur, quoniam de Rhodo obſeſſa agimus, eius ſitum paucis exponere, ac inſtituta maiorum domi militiæque: quomodo Rempub. habuerit, vt in manus equitum Hieroſolymitanorum venerit, diſſerere.

XXIX. Inſulam Rhodum Carpathij maris, ſicut ego accepi, habuere initio Telchines è Creta profecti, faſcinatores & malefici generis homines, aſperi incultique, quos primum ferrum & æs operatos ſcribunt. Hi neque moribus, neque lege, aut imperio cuiuſpiam regebantur: Sed poſtquam Neoptolemus populis ſecum iunctis, quos poſtea nouem nauibus ad bellum Troianum duxit, eam habitare cœpiſſet, multo inde, & apud deos, & apud homines celebrior facta eſt. Siquidem optimus, maximus illius ætatis, & gentis Deus Iupiter, non contentus ibi ex diuino vertice, Mineruam ſuam peperiſſe etiam auro pluit, quod poctas fabulatos crediderim ob nimias opes omnium que bonarum artium egregia ſtudia, quibus his locus adeo refloruit, vt multi diſſimulata patria mallent ſe Rhodios nũncupari. Quod duobus Apoloniis, aliiſque contigiſſe, memoriæ proditum eſt. Breuiqueres Rhodia in tantam claritatem & potentiam euaſit, vt multis annis ante quam Olympia inſtruerentur, plurimum toto mari polleret, eamque potentiam ad Romanorum vſque tempora Rhodij ſumma cum vi, & autoritate conſeruarunt. Eſtque horum fideli opera, & induſtria, nomen Romanorum in Oriente rerum potitum. His ſiquidem Rhodiorum vrbs magna, atque magnifica commeatum, ſocios, naues, cæteraque bello maritimo neceſſaria ſine quo Oriens inuadi, capique non potuit, facile ſuppeditabat. Verum haud eodem omnino loco ſita, quo nunc ab equitib. Latinis ære ingentiſſimo, atq; opere ducentorum, & quatuordecim annorum conſtructa conſpicitur ad extremam oram inſulæ, quam Manuel Byzantius imperator poſt euictam Mactim Lycię vrbem, & diu peruagatam, verius quam habitatam Cyprum, ipſis donauit, poſſeſſionem tamen armis adepti ſunt, Græcis nimiopere Syris familiaribus, vt qui ægre iuſtum, Germanumque dominium ferrent Latinos recuſantibus; quos partim metu, tædioque longioris belli Guielmus Vilaretus Gallus variam fortunam domi, foriſque expertus, æquis vtrinque conditionibus imperata facere coegit adiutus à Ioanne XXII. Pontifice, & Rege Neapolitano. Semper enim Regnum iſtud Rhodiis fauit. Hac etiam obſidione commeatus duorum millium ducatorum, & gratis, & libere, ſero tamen hinc ad nos miſſus eſt. Cum quadriennium retro Lutetiæ ſcholia quædam ederem in Iuſtiniani codicem, & conſtitutiones Bonifacij, Clementis, & huius, quem dixi Ioannis XXII. deſcripſi vitam eius è variis autoribus, quorum nemo auxilij Hieroſolymitanæ militiæ præſtiti meminit; quamquam inter omnes conueniat pontificem hunc nimiopere ſtuduiſſe Gallis, & ſacrum bellum in Saracenos molitum. Verum domeſticos annales hic ſequimur: Regem tamen Neapolitanum haud nominatim experimentes. Volaterranus Ladislaum appellat. Oppidum in planiſſimo loco poſitum eſt, & circum vallari, coronaque militum cingi poteſt. Nam portu tantum Septentrionem ſpectante mari cingitur, reliqua parte in Occidentem vergit: planicie lapidoſa haud magna latitudine, longitudine maiori inter ipſum, colleſque apricos patente: qui vrbi adiacentæ frequentes, fontibus, domibuſque conſiti oleaſtris, ficu, Vineto, ac cæteris id genus arboribus, quæ in humo arida, & arenoſa gigni ſolent. Verum manus, & ars naturæ defectum ſupplerunt, muro enim, atque promuro validiſſimo ſeptum eſt, præterea tredecim turribus aſſurgentibus, Minaci, ſpecie horrens, quinque maximis propugnaculis, omnem aduerſus vim iniuriamque hoſtilem firmatum, pluribus portis nobile diſciplinam militarem, mea opinione, nuſquam ſeuerius obſeruatam, aut exactam reperies vrbis totius cuſtodia in has partes diuiſa erat: à turri Franca ingenti, altaque magnitudine cacumen ſuum in cœlum prope ferenti ad portam vſque Ambroſianam, qua iter ad montem Phileremum eſt, ſuper cuius verticem Tyrannus ſacello Deiparæ virginis in balneas, ſedemque arcanarum libidinum, & monſtroſi concubitus mutato, arcem erexit. Sub ſignis lileatis Franci ſtabant, quorum caput erat Frater Ioannes Aubinus, Natalibus, & meritis in ſacram militiam clarus. Hinc ad portam vſque Diuo Georgio ſacram, infractum robur equitum Germanorum, Vexillis Aquilaribus ſplendens. Tertio loco Galli, Auerni, finitimi equitibus Hiſpanis, ambo belli molem perferentes, quod ibi foſſatum latitudine profunditateque minori foret. Quinto loco Phalanx Britannica pugnabat, duce magno Magiſtro: poſtea Galli Narbonenſes nouiſſima ſtatione, ſed prima virtute, legio Italica vrbem aduerſus Pyrrhi vim fraudeſque defendebat, ducibus F. Petro Palino, qui Fratre Gregorio Aimaro Montaphio, præfectis ſauciis ſucceſſerat, & Gregorio Morguto anteſignano Nauarrorum, copiarum auxiliariarum præſide. Verum fraudes non tam extraneus hoſtis, quam domeſticus efficaciſſima ad nocendum peſtis ſtruebat. Siquidem ferox vna fœmina, ſanguinis Turcici, incom-

Rhodianorum Equitum ſtationes.

pos mentis, an amentia ſimulata, incertum (quæſtionibus enim nihil exprimi potuit) ſerua ciuis ampliſſimi, ad rem atrocem, ex maximo cuique viro audendam animum adiecit. Decreuerat enim cum aliquot coniuratis (numerum non teneo) in maximo quopiam tumultu & inuaſione hoſtili, per diuerſa vrbis loca incendia miſcere: quorum periculo conſternatis, & deferentibus ſtationes ſuas pugnatoribus, Turcam nudata præſidio mœnia occupare poſſe, non inepta ratione colligebat: Sed defuit, re indiciis & confeſſione conſciorum comperta, audaci incepto ſuus euentus, ſumptumque de noxiis ſupplicium eſt. Turca per idem tempus non dum vniuerſo apparatu oppugnandarum vrbium mœnibus admoto, collem quendam eminentiorem occupauerat: in quo fanum D D. Coſmi & Damiani ſtabat, pone Virginis Elimonitræ Sacellum fronte in ſtationem Anglicanam directa. Hinc magis exercendi militis cauſa, quam nocendi nobis, leuibus tantum tormentis vtens, in vrbem iaculari cœpit. Poſtea vineas agere, ſuperque aggerem iacere, vallo & foſſa loca vrbis, quibus imminebat, circundare, comparatis ad opus huiuſmodi impletionemque foſſarum & cuniculorum maximos ſubterraneoſque labores die ac noctu continuatos, quinquaginta millibus agreſtium hominum, aſſuetorum magis agro ac pecori, quam bello: qui cum moræ culpam ſtatim fuſſe, aliquando capite luerent, incredibili celeritate effecerunt, quod poſſe effici negaretur. Exciſæ ſunt ab his rupes duriſſimi ſilicis, & campi montibus aggere æquati, & complanata foſſuris montium iuga, quos Rhodii nihil tutum munientibus patientes, primum miſſilibus ſummouere, deinde ad erumpendum etiam in munitiones atque opera animati, porta patefacta inuaſerunt: turbatis vndique clamore & impetu, feſſis laboribus, nec animus nec ars ad reſiſtendum fuit, qua quiſque potuit per diuerſas vias fugam faciebat, etiam milites cuſtodes operum. Inſtabant ferociter Rhodii creſcente (vt ſit) & alieno metu audacia. Multi qui explicare ſe ab impedimentis nequibant, aut alio caſu tardati, fœde occiſi ſunt. Et cum ingens multitudo accurreret è caſtris ſuis opem latura, maxima & latiſſima ſtrages tunc per totos campos edita eſt: omnia qua viſus erat, conſtrata globis æneis, armis, cadaueribus, & interea humus infecta ſanguine. Nam tormenta in eũm euentum per mauros & turres præparata, in medias hoſtium phalanges, cuneoſque confortiſſimos, cum maxima vi fragoreque & tonitru erumpentia, multos mortales peſſundederunt. Quo genere pugnæ cum hoſtem ſemel bis atque iterum eluderemus, munimenta ſua noctu intentiſſimis vigiliis, quanta maxima poterat diligentia, accelerabat. Die cuſtodiæ duplicatæ ſunt, & tormenta ad exitum Rhodiorum oppoſita: quæ non tam in vrbe eos continuerunt, quam quod timebant, ne crebris eruptionibus nimium attenuarentur præſidii vires. Cumque per hunc modum Rhodus terra vere obſeſſa eſſet, mari etiam, die noctuque naues aliquot vento & remigio mobiles ante portus hoſtium in ſalo ſtarent, adierunt præpropere magnum Magiſtrum nautici quidam, parati ſeu verſare dolos, ſeu certæ occumbere morti, dicentes rationem à ſe inuentam, qua hoſti per opportunas inſidias ſtruerent: ſineret modo eos facere, periculi eſſe nihil. Animus Magiſtri paululum arrectus annuit. Illi melopepones, vuas, alioſque anni & regionis fructus ſcaphæ imponũnt, mutati arma atque ornatum promiſſa barba, capite conſuetudine Turcarum linteis turrito, conſcendunt, tertia vigilia cœlo obſcuro tendentes ad eam inſulæ partem, qua traiectus in continentem erat, gnari linguæ & gentis, fructus ſuos vænum exponunt. Coemerunt mox barbari profunda intempeſtiuaque ac ſordidæ gulæ. Epulas enim & quocunque tempore, vel ante lucem, & quocunque loco ſumunt, protrahuntque illas à medio ſæpe die ad mediam noctem diſtenti, & madentes inter exoletorum miniſteria. Sunt enim libidinis in mares profuſiſſimæ, nam perfuaſiſſimum habeo, neminem Turcam pudicum aut vlla corporis parte purum eſſe. Diuenditis hoc modo pomis ac fructibus, & inter contrahendum hoſtium animis atq; conſiliis caute exploratis, noſtri nauiculam à terra moliuntur. Turcæ, quibus obſidionis initia tantum mirum in modum diſplicebant, nam præ inuſitata multitudine tormentorum, qualem nec viderant vnquam, nec audierãt, nuſquam recipiendi ſe ſe nudus locus erat. Omnia enim vi & impetu lethales bombardæ Rhodienſes penetrabant: hortari, obſecrare noſtros, vt in continentem illos traiiciant. Qui ſimulata recuſatione negare ſe id facturos nauiculam modicã eſſe, nec tantæ multitudinis capacem, ægre tamen vt videbatur barbaris, ſeptem aut octo admiſerunt. Hi ingenti dolore ſuo, noſtro vero gaudio Rhodum adducti, ſocio interprete à Preioanne, & F. Gabriele ſummo militiæ præfecto turrim tẽpli D. Ioannis editiſſimam ſcandere iuſſi ſunt: vnde per omnem circumuicinam inſulam atq; in caſtra hoſtium proſpectus erat. Cum multa & varia pro ducum arbitrio rogati fincere reſpondiſſent, inter cætera (quod hic adſcribendum putaui) renuntiarunt tumultum, ac etiam rerum nouarum initia, coniurationeſq; complures intra hoſtium caſtra exoriri, militum aliquot cum ingens multitudo quotidie fame, miſeria, tormentiſque ab vrbe emiſſis periret, & locus ſepulturæ vacans nullus extaret, ſub pellibus tugurioliſque ſe continere: hec inde à ducibus, voce præconis extrahi poſſe, plurimos receſſionem & fugam meditari metu, magnitudinemque præſentium & futurorum periculorum, quærentes fruſtra ſe conati dicẽtes, duces ſi ſani eſſent, vim expugnabilibus inuictiſq; non intentaturos: Rhodum nequaquam Albæ Pannonicæ cõparãdam, præeſſe Liladamũ cum ſelectiſſimo equitũ robore, nouas auxiliarium copias, vel iuſto prælio acceſſuras, req; melioribus & felicioribus quam ad Albam ducibus geri. Nam Pyrrhus aſſiduus deſertorum & ſeditioſorum inquiſitor placatorq; (tali enim tempore lenienda magis, quã punienda vis erat) literis Conſtantinopolim miſſis, tyrannum in caſtra vocabat opus eſſe celeri ſuo acceſſu, omnia ſeditionem & turpem fugam ſpectare, militem obſequiũ rumpere auſum & imperia aſpernari. Interim dum tyrannus iter parat, compertum à ducibus per transfugas eſt (quos leuitas ingeniorũ omnibus bellis præbere ſolet) turrim fani Chriſtianis pro ſpecula eſſe. Quare promouente etiam odio crucis in faſtigio erectæ, nihil antiquius habuerunt, quam crebro ære, magnitudine capitali bombardis excuſſo, turrim illam deiicere. Quod cum diligentiſſime faciunt, ecce tyrannus quinto Cal. Sept. hora poſt meridiana in caſtra venit: ibi cũ in villam per neceſſarii mei Iacobi Galteri quæ Magaſandras dicitur, vel caſu vel nomine loci arridente deſcendiſſet, offendens omnia quęcunq; dici aut fingi queunt, ignauiæ ac pauoris exempla in illo exercitu, nihil inſtituto diſciplinaq; militum, aut imperio eorum qui præerãt, agi: plus ex malis moribus ſollicitudinis, quam ex copia ducentorum millium militum auxilii, aut bonæ ſpei accipiebat. Nihilominus ætate & indignatione tam erga ſuos quam Rhodios efferuens, ſeruata tamen temperantia inter iram ſuam & culpam ſubiectorum, vocatos ad concionem inermes, atque etiam gladiis depoſitis, armato peditatu quindecim millium Chiriboardericorum, quos ſecum adduxerat, circũdedit, ſimul & ſuggeſtum aſcendens, ſedit tacitus pauliſper ſecum cogitans vtrum in autores tantum ſeditionis animaduerteret, an plurium ſupplicio vindicanda, tam fœdi exempli defectio, magis quam ſeditio eſſet. Vicit ſententia leniſſima ad multitudinem ſatis eſſe caſtigationem, tum ſilentio per præconem facto ita cœpit: Serui (neque enim eos milites appellabat, ambitioſius id æſtimans, quam aut ratio militaris, aut maieſtas ſua poſtularet) quod genus hominum? Turcæne? militare, vincere aduſueti? equidem corpora, ora, veſtitum, habitum meorum facta, dicta, conſilia leuium transfugarum & deſertorum video. Heu quantum me fefellit opinio mea. Abiit illa vis, vigorque Turcenſis: dilapſa ſunt robora corporum & animorum, quibus Arabes, Perſæ, Syrii, Ægyptii, Meſſii, Pannonii, Tribali, Epirotæ, Macedones, Thraces ſuperati ſunt: immemores patriæ, Sacramenti, diſciplinæ militaris aduerſus ducum iuſſiones, aduerſus ſummi imperii mei maieſtatem auſi eſtis pugnam detractare: fugam moliri, inani cogitatione ac timore mortis & periculorum militaribus viris indigno. Rhodum, ſi quis domi in conuiuiis, in compotationibus in circo, in foro nominaret, expugnaturos vos lingua iactabatis, vix tẽperabatis manibus: hic experiri vim virtutemque volo. Sed credidiſtis forte conſpectis ſignis Rhodios ſupplices ante portam ſe & ſua in fidẽ poteſtatemq; veſtram traditurõs. Deſinãt omnes hoc ſperare & dicere, mihi qui cõpertiſſimũ habeo credant. Ignobilis & infamis iſta cauea (quam videtis) plena eſt feris efferaciſſimis,

quarum rabiem nunquam sine maximo labore & cruore vestro domare poteritis: Domabimus tamen: nemo enim adeo ferus est, vt non mitescere possit. Quod donec perfecero, hic aut mori, aut consenescere decretum, aut iuratum: secus si vnquam dixero fecerouе, tum hoc caput cum classe, exercitu & imperio, diris execrationibusque obnoxium deuotumque semper esto. Nec plura effarus, nisi quod clemens magis, quam seuerus princeps videri & esse cupiens, omnibus primorum erratorum veniam condonebat. Citatis deinde nominatim omnibus apud tribunos impulsoribus, timore pudoreque in verba tyranni iurauerunt. Hunc finem exitumque seditio militum apud Rhodum cœpta habuit: Omnia deinde melioribus auspiciis & intensiore ducum militumque cura acta sunt. Statuebantur locis diuersis duodecim æneæ machinæ, obsidione Ambusoni, quintum numerum haud superantes, ore in cœlum erecto, base arctiori versus terram, iacto bimestri, qui altera obsidione tantum nouem dierum fuit, dies noctesque continuato, globos saxeos eptapalmares in tecta templaque, semel fere in caput magni Magistri proiicientes, sed plus omnino timoris quam veri periculi attulerunt. Nam cum sonitu compacti æris diuerso ab eo, qui vel oppugnationem vel vim tormentorum in muros quatiendos iudicaret, homines à speculatore fedente in fastigio fani periculi admonerentur. Duobus millibus huiusmodi globorum tantum decem occisi sunt. Quod inter cœtera quidam Apella renatus medendi artis professor hosti prodidit, cui versato inter milites trepidatione detecto tormentis expressa confessio est peracti facinoris. Iecerunt etiam globos cupreos, plenos intus bombardis digitalibus, & inter eas exurimenta erant, bitumen, sulphur, pix liquida, foris coopertus sæpius in vrbem torsis funibus cui stili ferrei acutissimi inhærebant. Hi longo igneoque tractu volantes, dum casu suo crepabant, omnia fœdo fumo atque odore obfuscantes, quidquid adstabat, cui inciderent stili illi, bombardulæque fœdæ, necabant. Sed cum huiusmodi tormenta nec diu plueret & sæpius frangeretur liberata est ciuitas ancipiti periculo. Efferatior vis erat quadraginta bombardarum, quæ iactu saxorum, rotunditatis palmorum nouem, aliquando vndecim, deformare magis, quam solo æquare murum poterant. Harum vna, cum in domum, quam forte fortuna haud infelicissime præteribam, furibundo impetu irruisset, volatu suo me prostrauit. Æthiopi sequenti, lapis cuulsus caput & collum minutim contrinit. Et quia in Æthiopum nomen incidimus, nolo gentem, quanquam seruilem, fraudari sua laude. Tota enim oppugnatione Dominos strenue & fidelissime adiuuit. Inter machinamenta hæc quæ oppugnatione altera Ducis Paleologi haud plura, quam quindecim erant: duodecim vastæ & immoderatæ longitudinis, æneæ machinæ globos æreos saxeosque multo maiores iusto capite, in oppidum emouebant: quibus appositissime nomina à serpentibus basiliscis indiderunt: quod tam machinæ, quam belluæ contractu suo omnia fœdantes parem noxam miseris mortalibus adferant: ante ora omnium istarum machinarum sæpius vno die in stationes singulas centum & triginta missilia, excutientium: quod licet multis supra naturam videatur, tamen ita rem esse diligenti obseruatione compertum est. Barbari quo eas seque à bombardis & conspectu Rhodiensium intactiores seruarent, tabulas attignatione contigua inter se iunctas opposuerant: quarum medium transuersus introrsum axis sustinebat. Has Turca superiori capite funibus ad tormentorum calcem reducto, cum in tantum altitudinis subduxisset, vt capita machinarum detecta apparerent, mox appositio ad forulum tormenti igne, murum quatiebat. Est etiam alia arte atque ingenio hostis vsus, ad tutelam suorum tormentorum, quæ sine rotarum adminiculo super contignas tabulas humi prostratas facentia texerat, valuis non altis, neque se expandentibus, sed quæ fune ductorio à milite vtrinque intra fossas abscondito clauderentur & aperirentur. Rhodius huiusmodi opera, quibus confractis reliquum dici & tormentum hosti inutile reddebatur, præcipua cura, ac diligentia tollebat: Sed tantam animi præsentiam, virtutemque hostes præstiterunt, vt noctu reficerent, quæ interdiu bombardis dissipata erant: quæ reficiendi pertinacia, & crebro fino missili igne, incendiisque cuniculorum Rhodii sero, inopiam tormentarii senserunt: quem rotatu molarum per dies, noctesque quinque mensium continuato, bis septem fortissimi equi ex splendido illo equitio magni Magistri atterebant, inter irrequietos triginta, & sex liberorum hominum labores. Neque enim tum temporis seruili ministerio in re tam periculosa vtendum videbatur: idque ne qua fraus contingeret loco fideli custodia septo: Cuius caput erat primum Frat. Desiderius Antagallus præfectus Manuacensis: postea Guilielmus Parisottus eques Gallus. Turris Nicolea, quam liberalitas Ducum Burgundiæ struxit, quod insculpta Marmoribus insignia attestantur, super molem, dextro cornu ante portum admirabili antiquitatis arte, & sumptu in mare proiectam: in qua stetisse ferunt Colossum illum Solis, inter septem orbis miracula, primum: qui cum terræmotu corruissit, iacens quoque miraculo fuit: Neque Rhodii, quod Strabo dicit, prohibiti erigere rursus potuerunt. Mira & supra fidem, captumque humani ingenii de hoc Colosso prodit Liber Græcus, quem penes me habeo, seu verius Libri quædam vetusta pars incerto autore. Quæ licet nihil minus semper quæsuerim, quam vt plus iusto à rerum ordine declinarem, historia in quinque libros dilatata, eum multis aliis inter iter, & fugam mihi visis, auditisque explicare proposueram, vt opere varietatibus distincto, legentibus amæna diuerticula essent: & animus mihi per varios casus, per tot discrimina rerum in Latium acto, memoria, repetitione que præteritorum periculorum constantior, ac deuotior Deo liberatori redderetur. Sed id quoque alia ratione effici potest, quare non putaui operæprteium bonas horas vlterius in re nec vtili, nec necessaria collocare. Verum nunc ad rem, Turrimque Diuo Nicolao consecratam, cui cum supplemento trecentorum militum, inter quos fuere triginta fortissimi, & nobilissimi sacri equites, præsidebat Frat. Guiotus Ragusus Gallus, eques magnitudine, animique industria singulari. Hanc Turcæ per idem tempus diutino impetu tormentorum non modo inutili, sed etiam opprobrioso ipsis teritarunt. Quæcunque enim tormenta opponebantur, ea tormentarii arcis primis fere ictibus, aut arte sua, aut Diui Nicolai ope adiuti disrumpebant. Cumque per hunc modum omnis conatus diurnus irritus, ludibrioque hosti esset, noctu ad lunæ lumen nihilo meliori fortuna (bombardis interdiu sub terra defossis, ne à nobis frangerentur) turrim impetiit. Quæ cum occasum versus pateret hiatu, commode equitem cataphractum capiente, factis supra quingentis bombardarum ictibus. Dimissa, nec aliter tenta à Barbaris est. Verum circa mœnia ciuitatis cum totius orbis oculi hoc bellum spectarent, opus mirum in modum ferebat. Ingens cæptum, pertinax conatus par vtrinque labor, industria & spes haud dissimilis. Rhodiensi die noctuque irrequietissimo ad varios conatus hostium, neque ars neque, vis defuit. Nam immani specie sub terram infra propugnaculum nouum effosso, fossatum rudere, saxo, terra, sarmentis, opera hostili impletum, sedulo repurgabat. Transuersis cuniculis hostium cuniculos duos, & triginta excipiebat, & palam, ac clam cœptis inimicorum audacter obuiam ibat: qui cum nonis Septembribus ab imo ad summum aperuissent, partem haud paruam peregregij propugnaculi Anglicani, incenso, inflammatoque cuniculo cuius violentissimo crepitu tota vrbs non aliter, quam motu naturali semel obsidionis tempore facto contremit. Quem cum sentiret magnus Magister ante altaria armatus, mediusque inter preces Sacerdotum canentium in Sacello pro introitu propugnaculi, Deus in adiutorium meum intende, Domine ad adiuuandum me festina: Capio omen (inquit) hostis adest, festinat in adiutorium Deus. Danda nunc opera nobis est commilitones fidelissimi, fortissimique. Vt hic ordo auspicato institutus, per tot ætates maioribus cultus, nec ab vllo hostium adhuc læsus, quantum in nobis erit, incolumis posteritati tradatur. Eoque vehementius, quod magis dedecus est, parta amittere, quam omnino non parauisse. Plura dicerem nisi strenuis abunde dictum esse putarem. Et simul cum dicto, sequente satellitio armatorum, plenus spei bonæ, atque animi in hostes tendit: contra quos inferentes signa, licet vndique tela conicerentur, custodis propugnaculi arma, & corpora intre-

pide

pide obiiciebant, deturbabantque manipulos militum, per hiantem fossuram ingredi conantes. Hisque turbatis, ac pedem referentibus, cœteri qui pone erant, quos neque structi aggeres, nec timor satis munierat (nam pleroque iacula tormentis: aut manu emissa vulnerabant) paulatim retrocedere cœperunt, quorum ignauia increpita, Dux Mustaphus si ipsi cunctentur, solum adscensurum se minatur. Barbari ducem circunfundentes cum vlulatu, strepituque moris suiin pugna ineundi, certamen instaurant. Æquatis itaque viribus, prælium aliquandiu atrox fuit: summa vi, & duces hortabantur & milites pugnabant. Potuissentque barbari, si aduersus partem ruina prostratum leuia tormenta opposuissent, cum vix quisquam nostrum sine cæde, aut vulnere stare potuisset, eo impetu propugnaculum capere. Sed cum vndique tubæ, clamor, adhortationes, aures circumsonarent, in capita toto turbida cœlo tempestas, telorum ferreusque ingrueret imber & oppidani equitibus immixtis, saxa, & picem sulphure, tædaque admixtam in Turcas coniicerent, nec animos, nec vires Christianorum amplius ferentes nondum receptui signo dato, terga verterunt, turmatimque abibant: Nihilque ordinum, aut imperii memores passim, qua cuique proximum fuit, fuga effunduntur. Bombardæ per muros dispositæ in abeuntes, & vagos cruentissimam stragem fecerunt, vti prius cum è castris magno agmine in prælium ruerent. Ceciderunt hac oppugnatione multi Christiani, & inter strenue pugnantes, & occisos equites Gallos, Hispanosque Philippus quidam Lommelinus Ligur negociator quiab Alexandria venerat, Stamphalea ciuis Rhodius. Plurimi vulnerati sunt, Frat. Henricus Mansellus signifer, Frat. Petrus Mela Saonensis Præfectus cuiusdam onerariæ nauis, qui ambo vulnere obierunt. Frat. Michael amisso sagitta oculo, post grauem infirmitatem Dargelmunt summus triremium & propugnaculi præfectus superuixit. Enituit etiam in huius propugnaculi custodia, fortitudo cuiusdam Equitis Itali, quem Baptistam Romanum vocant, & Frat. Francisci Telis Lusitani. Hostium, quos belli euentus aut læsit, aut necauit, certum numerum scribere non possum. Qui modestissime mihi loqui videntur, mille cæsos ferunt. Templa lustrata, supplicationes indictæ: Deo ob victoriam, honos habitus. Miracula quædam Hispanæ gentis, singulari vitæ sanctimonia, quæ ab vrbe Hierosolyma redierat nudis pedibus frequens circa aras & templa, stipem publicam, quam non tam sæpe emendicabat, quam à sponte offerentibus accepit, rursus in pauperes erogans, sedulo hominibus religionem incutiabat: Deum pœnas flagitiosorum isto bello expetere: cœterum vltione sceleratorum facta, vrbi & mœnibus parsurum. Hæc sibi per quietem, atque interpretes obnunciata esse, perfuncte affirmabat: & iam sanctum aliquid & prouidum habere putabatur: nec aut consilia eius aspernari, aut responsa negligere vulgus volebat: adeo deuinctas sibi habet mortalium mentes religio, sed miseros fefellit sua vates. Dum hæc domi aguntur Frat. Desiderius Podius Præfectus arcis Feracleæ, qui multarum rerum cognitionem in recessu habet, quam, vt est modestissimus, palam non ostentat, ex insula per nauiculam nunciabat, captos perfugasque ad se dicere, quod magnates quidam in Rhodio secreta consilia cum hostibus communicabant, qui viam sibi subterraneam sternebant, in septo equitum exituram ad fanum Ioannis Colossensis. Sic enim à Colossi illius, quem diximus memoria (non quod quisquam Colossas Phrigiæ ciuitatem cum Rhodo confundat) locum appellant Græci, tam Turcorum quam Latinorum imperio subiecti, qui linguam tantum Græcorum habent, sicut speciem hominum, moribus ritibusque efferatiores quam vlli barbari. Magnis animorum motibus ciuitas agitata est nuncio pernicioſi & occultissimi mali, neque n. scire poterant homines, qua via contra foderent, quo loco, quo tempore, die ac noctu, in ocio vel in tumultu eruptura foret vis illa terrigenarum. Iamque non pro muris & mœnibus solum vigiliæ erant, sed quisque domi suæ, magnis præmiis primo eiulgatori à Magistro propositis, armatus, anxiusque terræ partum expectabat. Indicia coniuratorum, cum nomina haud exprimerentur Magister silentio

Rhodi Coniuratio orta.

suppressit: verum prodidit exitus, quinto Idus Septembres, quintoque die post primam oppugnationem. Propugnaculum Britannorum, quorum hac obsidione non contemnanda manus bello periit, prælio multo acriori primo, iterum tentatum est, irruperant per ruinas septem animosi vexilliferi cum delecta iuuenum manu. Et cum pauci propugnatores pluribus pares esse non possent, ignominia accepta fuisset, nisi delecti equites duce magno Magistro, cum signo sacræ militiæ superueniſſent. Mustaphus impigre suo munere fungens inclinatam nulla notabili causa aciem sedulo restituebat. Cœteri duces militem terga vertentem, iterum vi, gladius & exhortationibus in prælium retruserunt. Itaque pudore & imperio superante metum pugnam denuo capessunt. Rhodii imbre sagittarum laborabant. Sed ceperat omnium animos pectoraque obliuio vulnerum, mortis cogitatio aberat. Hoc vnum solum meminerant, hos esse hostes, quos superiori pugna cum strage & ignominia repulissent. Qua virtute dum prælium in tertiam horam protraheretur, barbaris vires animique defecerunt: inter duo millia, quæ manus militaris & tormenta prostrarunt, missa sinistro cornu è propugnaculo Consquinense (quod vocant) dextro Hispanienſi, ceciderunt tres satrapæ, induti holoserico pallio ad pedes demisso: tam inhabili ad pugnam indumento barbaros vestiri moris est. Ex nostris pro tanta multitudine hostium, sane pauci signifero Frat. Ioachimo de Cluys sagitta exoculato vexillum amissum fuisset, nisi propere Frat. Enricus Ruyaulx singulari magnitudine eques Auernus illud ab hostibus seruasset. Venerat hic cum commilitione suo Frat. Balthasare Augustino equite Hispano, ex Creta insula in Rhodum obsessam. Magnum & audax facinus. Iterumque per mediam hostium classem in Pactolum iuit, copias auxiliares acceleraturus: sed inuidit diligentiæ suæ, & miseræ vrbi fortuna. Mustaphus secundo iam prælio infeliciter commisso, vilescere apud Tyrannum cœpit. Pyrrhus quo apud eum, omnesque Turcas gratiam & dignitatem suam tueretur, aggerem è terra lapideque ante stationem Italicam intra mœnia prostructum magna diligentia, continuoque impetu decem & septem inanium bombardarum quatiebat. Nec segnius stationem equitum Galliæ Narbonensis, quibus imperabat Frat. Raymundus Ricaeri præses Bithyniæ, cuniculis & tormentis demoliebatur. Habuerant ambo sibi à quopiam, qui specie emendæ ancillulæ, à Georgio Sanctorino, ciue Rhodio, secreta vrbis notauerat persuasum, oppidum hac parte capi posse: quos quoniam res obtulit silentio præterire non fuit consilium, quin vtriusque mores, quantum ingenio possem, aperirem. Igitur his ingenium, crudelitas, perfidia æqualia fuere: magnitudo animi par. Item religionis nostræ contemptus, in mares libido ambobus profusissima: quam in Pyrrho minuit ætas, auget in præside Cassio. Hic dando, audendo, ignoscendo (simulat enim clementiam vt pleraque alia bona) gloriam adeptus est: ille autoritate, consilio, studio, publicæ vtilitatis apud suos clarior. Sed hac parte, & reliquis oppidi locis, nobilissimus eques è Narbonensi Gallia Frat. Gabriel Chier Præfectus Augustalis fraudibus & conatui hostium semper maturè obuius fuit: pauperes vrbanos atque agrestes profusissima largitione pecuniarum suarum, ad cuniculorum effossionem, cui operi præsidebat impellens. Quod vbi sentiebat Cassius, paululum impetus suos repressit. Pyrrhus prædurus & pertinax senex; equites Italos quotidianis fere ac leuibus præliis facessabat. Sæpe etiam instructa sub signis acie, illos aggressus est. Siquidem decimo Calend. Septembr. iustis copiis occultatis intra vallum decem pedum altitudine, muros ciuitatis superans, fructum seruili ministerio hominum ex Mæsia Valachia allatorum, aggerem militarem illum erectum principatu optimi Emerici Amboſi magni Magistri Rhodii, quem diximus nuro Italico præiacere; cum subita iuuenum manu inuasit, trucidatis aliquot, qui præsidio erant; & omnia magis quam prælium expectantibus. Sed cum repentino sonitu æris campani, ingens vrbana multitudo, immisti etiam sacri milites accurrerent, ma-

xima

xima vi certari cæptum: hostes æquo loco pedem firmantes haud facile depelli quiverunt. Pyrrhus strenuè laborantibus succurrere, integros pro sauciis accersere, omnia prouidere: contra equites memores nominis Rhodiani & pristinæ virtutis suæ pugnam æquabant. Quod ille videns signo dato, recentes suos extra vallum prodire iubet, scalis grumisque ac cumulis lapidum tormentis cuulsorum, aggressi milites, prope summa ceperant. Oppidani in subeuntes, saxa voluere, ignes longuriis ad ipsum factis immittere, detrudere eos sparris ferratisque fudibus. Bombardarii propugnaculi Cosquinensis & Carectani, quod custodiebat Venerandus senex F. Fernandus gentilis, latus oppugnantium petendo, & nullo tormento fere frustra emisso, maximam hominum armatorumque stragem ediderunt. Extremum tunc agmen procedere non audebat, primores sensim retrocedere cœperunt, signa equinæ caudæ, quæ principum naualium sunt, & impicta linteaque ducum terrestris exercitus fluctuare. Quod Dux videns, postquam duas horas maiore animo, quam fructu pugnasset, canere receptui iussit: nostrum plurimi cæsi, inter cæsos occubuerunt equites Itali, hostium ingens numerus. Mouerat iratum ducem in nos iactura nobilissimi viri (si modo vlla sit inter barbaros & vnius tyranni mancipia nobilitas) qui pridie huius dici tormento traiectus, occubuerat, dum incautius inferiore, veste holoserica: superiore, redemiculo aureo indutus, longam virgam rubram manu gestans, ante ora propugnatorum obambularet: aiunt fuisse Protyrannum, penes quem summa rerum insulæ Eubeæ erat. Solymanus hoc amisso, haud minorem dolorem concepit, quam antea, quum bombarda accuratius è statione Anglica emissa, ei ingeniosissimum artificem, summumque rei tormentariæ præfectum abstulisset. Sed nunc ad tertiam oppugnationem Anglicanam stylum diuertimus, quæ vt felicius quam duæ primæ Mustapho procederet, operam & consilium cum Achimeto Hispanorum oppugnatore partitus est. Hic cum maximam muri partem, quem illi tuebantur, ignito, violentoque diffractu subter effossorum cuniculorum, in altum aera ciecisset, nube terreni pulueris obfuscatos statim maxima vi adortus est, neque segnius Mustaphas quinque vexilla inferens, Britannos aggrediebatur. Pugna duobus locis simul anceps & atrox fuit. Mustaphus vnumquemque nominans hortabatur, putaret se contra latrones, piratas, pro patria, pro libertate, pro aris atque focis, quæ toties illi violarunt certare. Contra Rhodii manu magis, quam verbis strenui, intrepide resistebant. Christophorus Walderic armorum & nauigandi peritus, Germanus eques, vrbisque imperialis Hagenau summus præfectus ac commendator, qui Rhodiis in pace ius laboriosissime ac integerrime dicebat, quum præsidis Græciæ omnes contra se conatus, supra terram bombardis, & subter cuniculis ludificatus esset, necessario præsidio ad stationem suam dimisso, huc se conferens, cominus gladio cum hoste depugnans, duo illi vexilla extorsit. Barbari omnes cum strage & ignominia reiecti. Achimetanus miles etsi animosior fuerit, iam in summa altissimi muri euaserat nihilo tamen felicior. Leuibus enim tormentis iussu & consilio Martininghi per tecta domorum in frontem oppositis, & leuo latere bombardis noui propugnaculi, cui præsidebat F. Ioannes Maupasus: item dextro ex opere militari ad radices portæ Athanasianæ, quod F. Florentius Guiueraux diu magno animo & periculo corporis defendit, missilibus impetitus, victoriam nobis reliquit, nec lætam nec incruentam. Nam strenuissimus quisque aut occiderat in prælio aut grauiter vulneratus decesserat. Prcianus in gula tormento vulnus accepit, nec tamen lethale. Ioannes Buch strenuus & magnanimus eques, ærari; triumuir, & Turcomastix (id dignitatis nomen in legione Britannica est) cum semper vim & oppugnationem Turcicam futuram negasset, morte sua vtramque expertus est. Occisus est enim inter Anglos quibus vt Hispanis cum supplemento auxiliari opem ferebat, hunc finem habuit secundus ærarii triumuir. Tertium Deus ad grauiora meritaque supplicia seruauit. Achimetus strenuus alioquin ac prudens dux indignatus quod voti compos non fuisset, propugnaculum Hispanum maiore postea vi tormentorum quatiebat, modico inde spacio locatorum. Nec minorem vim omnium, quæ ad vrbes euertendas pertinent, experti sunt Auerni, quos in prælium ducebat F. Raymundus Rogerius, magnanimus & strenuus eques, patre Gallo, Rhodi natus, nono Calendas Octobris. Aduersus hunc commissum sibi locum strenue, impigreque tuentem, magna vis Barbarorum è castris processit, spem habens fragore cuniculi ducti ad basim murorum, & pleni materiæ inflammatilis, ingentem mox impositio igne ruinam adfuturam: qua oppidum capi posse militi duces sponderant. Stabant iniquo loco barbari, telisque nostrorum obruebantur, nec cuniculus, cuius tota vis in venas subterraneas contraque actos cuniculos euanuit, murum paratis ingredi aperiebat. Quapropter signo dato, clade aliqua accepta, nulla illata, statim redire in castra iussi sunt. Murus, qui occultam introrsum vim cuniculi, & si palam non apparentem accepisse à ducibus æstimabatur, magno bombardarum numero, & impetu, per reliquam diei, noctemque insequentem diruptus est. Tota nocte omnibus castris strepitus armorum ingens hominum concursus exaudiri. Duces de summa rerum deliberabant, decreta in crastinum oppugnatio est. Tyrannus cupidus simul vincendi, & anxius contrario metu: quippe bellum hominibus sumere licere, Victoriam in manu fortunæ esse, quæ ad eum diem ingentibus cæptis suis haud adfuisset. Confidere tamen copiis suis, sperare fortunæ erga se mutationem: nulli hæreditarium Vincere, Victoriam vagari, à victore ad Victum venire. Itaque cum spes metum vinceret, vrbi paucis arbitris in tentorio suo obambulans, diu multa secum animo volutasset, duces ac tribunos Militum ad se vocari iubet: eosque pro prætorio huic in modum allocutus fuisse traditur. Vestra, magnanimi duces, fortitudo, atque prudentia nulla indigent oratione. Verum vt pauca dicam, male sane mens hostium facit, qui dum vrbe tormentis lacera, cuniculis suffossa, dirutis templis, domibusque cæde, labore, vulneribus fessi, quæ mala potius oppugnatis accidere necesse est, primos Spiritus, solitumque pugnandi ardorem non remittunt: Videntur militi nostro merito inuicti, & inexpugnabiles. Quam opinionem immutatam esse plurimum ad strenue fæliciterque pugnandum refert. Facietis igitur illius vrbis potiundæ spem hortando, animum dando, promittendoque omnia. Ad hæc aperietis consilii mei rationem, ne credant se ad vnam vrbem oppugnandam, adductos, oppugnabunt vere mœnia vnius vrbis, sed in vna vrbe vniuersam Christianam capimus ditionem. Hic cognati, affines, necessarii sunt omnium nobilium, regum, Principum, dominatorum Catholicæ gentis. Hic pecunia omnis hostium: Cuius concessa direptio, maximo vobis vsui, ad conciliandos animos militum erit. Hic tormenta, arma, omnis apparatus belli est: qui simul nos instruet, & reliquos Christianos miserabiliter olim trucidabit. Potiemur præterea tum pulcerrima, opulentaque vrbe, tum opportunissima, portu egregio: Vnde terra, marique quæ belli vsus poscunt, suppeditentur: quæ cum magna ipsi habebimus, tum demserimus hostibus multa maiora. Hæc illis arx, horreum, ærarium, armamentarium: Hæc omnium, quæ Turcas Maritimo bello infestant, receptaculum. Hic tutus in Brutios, Salentinos. Apulos, Siculos excursus. Sed cum considero vos Magnanimi duces, qui virtute, prudentiaque vestra, opibus, atque imperio meo, ante duos omnino menses Belgradum adiecistis vrbem inuictam, inexpugnabilemque. vel proaui Mahometis viribus, magna mihi spes, quod non diu latebris, claustrisque ciuitatis tuti manebunt crudeles & contumaces isti cruciferi. Duces finita concione, mandata militibus explicabant. His vrbis nobilissimæ & opulentissimæ direptio voce præconis per omnia castra concessa est. Tyrannus cum ægrum curis animum (vti solet) somnus inuaderet, strato se reposuit. Magnus autem Magister (cui insolitus hostium nocturnus tumultus magnum quidpiam portendebat) armatus, intentusque singula vrbis loca

circuire, quenque amica voce aut nomine proprio compellans hortari: neminerit se pro patria, pro libertate, pro vita excubare: omnibus necesse viris fortibus esse, si motus intempestæ noctis in diurnam pugnam euadat. Respondere omnes bono animo sit, neminem illi se viuis Magistratum aut vitam erupturum. Cumque ab hostium seruo quopiam Christiano ad vigiles clamaretur, vltimam pugnam parari, vrbem prima luce diuersis simul locis inuadendam, Liladamus nihil temere, trepideue agens, conuocatos equites suos sic allocutus est.

XXX. Lætor, sacri commilitones, incidisse tempus, vt vno prælio ingentem gloriam parare, & arcem vestram tutando, orbis Christiani defensores, & nominis vindices à genere humano vocari possitis. Gens, inquam crastina luce pugnaturi sumus, sola multitudine freta nos impetit. Cæterum, si non numero, sed dextra pectoreque virtutem metimur, haud dubium pauci strenui multitudinem superabunt. Nec genus belli nec hostem ignoratis. Cum his est vobis equites pugnandum, quos semper mari iam quinquies, terra iusto prælio (omitto tumultuaria) tota acie mœnibus admota vicistis. Erit igitur crastino certamine is vobis illisque animus, qui victoribus & victis esse solet. Neque illi, quia audent, pugnaturi sunt, sed quia Tyrannus, & violenta imperia ducum sic cogunt. Igitur memores, quibus parentibus, & quam Christiani orbis de vobis opinionem orti, quæ terra vos genuerit, quæ exceperit. In illos, sequentem vnum furiosum iuuenem, cum indignatione quadam atque ira veluti si seruos videatis vestros, arma repente contra vos ferentes pugnabitis. Ad faciendum non solum indignitas, sed etiam necessitas (quæ sola vel timidos fortes facit) cogit. Siquidem hic in insula estis vnde nullus fugiendi locus: tum in vrbe, cuius laceri & defracti muri, non tam vos, quam arma vestra defendunt. Ideo crastina luce hic vincendum, aut moriendum vobis est. Vna dies vel lætam victoriam vel laudandam omnibus seculis, mortem præstabit. Plura dicere parantem, nuncius aduentantium hostium impediuit. Equites populareseque quos nouissimæ pugnæ fides, & sperata victoria fortes faciebat, in muros concurrerunt. Subito signa hostium canere, & vrbs ad stationem Italicam, Narbonensium, Gallorum, portam Athanasianam (quam aliter propugnaculum Anglorum vocamus) murum Hispanorum, & Auernorum quinque simul loca inuadi cœpit. Mustaphus pauca pro tempore suos cohortatus, patentem ruina locum inuadere iubet. Turcæ propugnatorum globo illati summa vi pugnabant: oppidani vbi maius periculum, eo acerrime niti ac hostem propulsare. Neque alius in alio magis quam in se ipso spem habere. Vndique ingens clamor est strepitus armorum. Funditur ater vndique cruor. Dant funera ferro certantes: hi cominus gladio, illi tormentis: quæ mira dexteritate torquebat Frater Toros eques Hispanus, vita & moribus integerrimus: alii balistis & arcubus vtebantur. Vicarius Agonothetæ ac summi principis desertorum Catholicæ fidei inter conferrissimos Christianos egregia animi magnitudine pugnans, postquam multam intulisset cædem, tormento traiectus occubuit. Debuerat merito mors fortissimi ducis, suis pauorem incutere. Sed nihil tam incertum, quam belli euentus, occisio vnius barbari, reliquos in furorem atque amentiam vertit. Mortem enim clarissimi viri vltum iri cupientes cominus gladio, & procul nube telorum iniecta, nostros paulatim loco summouebant. Mustaphus suorum alacritatem cernens, flammæ (vt dicitur) addebat oleum. Mahometem nomenque Turcicum, obtestans spolia, manubias, prædam memorabat: Ferro viam per medias acies faciendam: quo sibi minus peperciscent eo minus periculi. Adfuere commodum fessis submissa subsidia, pugnam priorum cæde hactenus inclinatam recentes æquabant. Et cum viri propugnarent, fœminæ tela omnis generis saxaque in muros gerebant: anhelos sudore pugna, cibo, & potu adportato reficiebant: nec minoribus animis milites Pyrrhi equites Italicos oppugnabant. Anceps vtroque loco prælium, totius negotii facies varia, incerta, fœda atque miserabilis: hostes pro præda, pro imperio: Rhodiani pro vita, pro libertate certabant. Nec erat vllus ordo, aut vlla tam inutilis ad bellum ætas: quæ eo die Hierosolymitanos milites non iuuaret. Pugnarunt prophani & sacri, neque crucigeri Sacerdotes tantum, quorum virtus tota obsidione haud sane minor, quam equitum fuit, sed etiam cuculati: & inter eos Franciscanus quidam, cui Ioanni Antonio nomen: fœminæ, pueri, & cum his immisti senes supra animi corporisque vires, defensoribus tela ministrabant. Lapides stratis effossos manu fundis eiiciebant. Ignes, sulphur, oleum incendiarium, picem liquefactam deuoluebant in subeuntes. Nec vlla perniciosior pestis ibi vehementius timebatur. Quippe vbi feruens semel materia artus aliquos apprehenderat, nec vlli vi quidem excuti poterat, & quicquid attigerat, perurebat: iaciendo arma, lacerando indumenta, vnus alium impediebat: turbari ordines, fluctuare signa, nec recentes audere sauciis succurrere, cum vndique in pectora tela è muris missa volarent, in capita imber ignium & lapidum plueret. Adhæc clangor tubarum parua dictu, sed magni eadem in re gerenda momenti res, non tantum barbarorum aures, sed etiam animos mire perturbabat.

XXXI. In isto ardore magno Magistro hortanti suos pro porta sancti Athanasii (huc enim eum cum prius ad stationem Italicam resedisset, prætorii sui cura strenuo ac nobilissimo equiti Fratri Antonio Monterolo commissa, belli necessitas periculorumque magnitudo aduocauerat) nunciatur propugnaculum Hispanum ab hoste captum, Atroci nuncio (vt par erat) motus, non tamen defecit animo. Sed belli curam Emerico Gombaulio præfecturæ Peloponensis tituli insigni relinquens, cum delecta manu iuuenum eo tendit. Ceperat illud hostes admirabili casu: nam custodum maxima pars excesserat auxilio laborantibus, tredecimo inde passu manipulis equitum Hispanorum, quibus cum acriter conferebant manus. Achimetani milites pauci, qui relicti erant, tormentum quoddam armis manu positis intentissime aptabant, in dextrum cornu integrorum, qui fessis aduersus Hispanos succedebant. Et vt sunt in omnibus bellis ignaui multi, quidem ex his hostes, cum scandere in murum animus non esset, inter disiecta saxa, ruinasque ad pedem propugnaculi aliquantisper pauentes remansere. Tandem eum supra se solitudinem esse intelligerent, metu in confidentiam & fortunam verso, per cliuum reptantes occupata deserta parte, paucos inermes, & tormento aptando intentos à tergo occiderunt, & extollentes patrium trucemque clamorem: deiecerunt vexilla. Turcæ qui intra munitiones suas parati intentique stabant, concitato per mediam fossam cursu, suis agglomerare sese non cessabant, donec cõdensatæ vndique pilæ æneæ tormentis euolantes, impedimento barbaris essent. Duas horas super muros ancipiti Marte propugnaculo dimicatum est. Barbari loco superiores, inuenta ibi saxa in subeuntes Christianos iacebant, summouebantque arcubus & tormentis multitudinem. Magister hortatur, imperat, quæ in rem sunt, quod plurimum ad accendendos animos militum intererat, testis, spectatorque virtutis atque ignauiæ cuiusque adest. Itaque in vulnera ac tela ruunt: nec illos muri nec superstantes armati arcere queunt, quin subeant. Hugo Caponus, Hispanus eques, vnus è quatuor tribunis militum, & Menotius eques Gallus, cum aliquot auxiliaribus Cretensibus in portam negligentia Barbarorum obice ferreo non clausam irruperunt. Cretenses infra teli iactum, barbaros brachio apprehensos strictis pugionibus transfodiunt, multi in subter patentia mœnia deiecti, illisoque cerebro exspirarunt. Accendit recens ignominia iram in fortissimo viro Magistro militum, qui fidem Christi deseruerunt, & hortatus vulgum vt sequeretur, primus cum duodecim fortissimis viris pari robore & animorum, in suprema muri Hispani clausit, quadraginta signa sua lunata defendens, nostra cruciata deturbans. Imperatorem suum milites (quanquam fessi labore, fame, siti & pugna matutina quæ in mediam diei lucem processerat) nauiter sequebantur. Liladamus cum sæpe alias memorabilis, tum hac præcipua pugna fuit. Nam parte prætorianorum demissa intra recuperatum

propugnaculum cum reliqua cohorte ad atrox dubiiq; euentus prælium accurrit. Hispani, cæteriq; Sacri milites, & immisti his profani, qui vulneribus cæde ac lassitudine confecti erant, conspectu Magistri velut tunc primum pugnæ signum accepissent, redintegrato animo & clamore, certamen restituunt, gladiis, saxis, contisque ignes præferentibus, ac densatis missilibus, stragem & cædem continuabant. Bombardæ locatæ per transuersa opera, in summitate murorum, hostium latus fæde discerpebant, neque segnius Auerni & Galli Narbonenses Turcas trucidabant. Per hunc modum cum pugna æquata esset recens præsidium ex arce Nicolea duce F. Alioro Hispano equite animi magnitudine, & cæteris pacis, bellique artibus, cuius veterum conferendo, eductum, rem ad se inclinabat, cuius vbi per interuncios certior factus esset Solymanus, oppugnationem cernens ab alta specula procul, è malis antenniſq; nauium structa, receptui canere iussit, & Rhodiis & Barbaris grato, Iacho Basso autem gratissimo: nam dum alii pugnabant maxime, ipse fugiebat maxime. Quam ignauiam prope stipite luisset, per obscenas inferioresq; partes acto. Huiusmodi enim supplicii fœditate, barbari fontes plectunt. Verum nulli iratior, infestiorque Tyrannus fuit, quam Mustapho belli istius machinatori: quod vaniloquus vt plerique Palatini esse solent, spem suam inflasset: quod falsis adulationibus extollendo (verbis multiplicatis) eius vires, Rhodianas nimium mendaciis deprimendo, occursum ad littora populum, vbi Regiam classem aspexisset facturumque deditionem & imperata spoponderat. Quæ vanitas promissorum non sine maximo damno & dedecore nominis Othomanici iam patere: quare ntors ei indicta, coramque transfigi à speculatore telo imperans: Volo, aiebat, oculos pascere. Iamque supplicii apparatum lictor promebat, adeo torpentibus metu qui aderant, vt non modo ferocior vox aduersus atrocitatem pœnæ, sed nec gemitus quidem audiretur. Pyrrhus vnus, parantem se sagittarium summouere ausus, prodiens ante Tyrannum, clementiam eius appellat, & vitam Mustapho rogabat. Accensus ille audaci facto & indignatione, eundem pari supplicio damnat, quod se procul à regia, ab ocio & quiete in insulam ad maxima belli, tempestatisque pericula euocasset. Vniuersa Apocletorum concio factum deprecari, turmam hostilem satis madere, non esse rigandam vlteriori sanguine duorum clarissimorum ducum. Itaque cum ira iam deferbuisset, & admoneri se pateretur, Pyrrho prudentia & sua ætas Mustapho coniunx, sororq; aui sui materni vitam impetrarunt. Illuxit itaque dies hic tanta hostium strage, Rhodianis tam celeber, quantum vnquam alius quispiam ab vrbe condita. Inter coaceruatos corporum cumulos reperti duodecim Satrapæ, & is quem dixi vicarium Magister Scholæ militaris cumulatæ corporibus fossæ, strages omnia tenebat, corpora quædam adhuc spirantia, multi trunci artus, diuisa quædam à corporibus capita, pectora, latera, terga multorum saciata vulneribus: quidam ictibus saxorum integri, vel in mortem sopiti iacebant, vel ægram trahebant animam, tellus cruore atra, vndique tristissima facies, & plurima mortis imago, & victoria ipsis miseranda victoribus erat, si de alio contigisset hoste. Turcæ qui suos humare parant, cernentes patentia occisorum viscera, fœditatem immanium vulnerum, horrorem concipiebant ingentem, nec desiteri aduersus quosque viros, quæ tela demicarent. Vigiles Rhodii pro muris excubantes, palam eis maledicere. Pyrrho Mustaphoque vecordiam obiectare, tyranno masculam libidinem, Rhodios caudæ salaci nouaculas acuere, ignem insamibus parare corporibus quorum interemptorum, vulneratorumque numerum certum nescio, nec si sciam, referre ausim. Is quem in diurnos commentarios suos, temere tamen conscriptos retulit nobilissimus eques & antiquarius F. Macedonius, haud dubie multo inferior vero est, duo tantum millia occisa prodit. Sed F. Georgius Iaucellus eques Lugdunensis, qui hac oppugnatione egregium sane de se specimen exhibuit, hunc numerum ad cæsos solum pro vallo Italico restringit. Robertus Perusinus moribus & ætate grauis, atque omnium quæ hostibus aut prospera aut aduersa fuere diligentissimus inuestigator, in oratione, quam ad Hadrianum Pontificem habere proposuit, cæsa narrat decem millia F. Iacobus Barbonius eques clarus literis natalibus, ac virtute cæsorum sauciatorumque numerum ad quindecim millia extendit. Ego ad hunc modum argumento neq; temerario, neque improbabili, numerum ad viginti millia augere non verebor. Quantam enim hominum, tum suapte natura, sanguinis & bonorum nostrorum auida, tum imperiis & exhortationibus ducum in cædem nostram impulsorum stragem fecisse sex horarum spacio, & quinque simul locis putabimus, tormenta, arcus, tela, saxa, hastas, lupos ferreos, curuos harpagines, denique omnia quæ ars aut prauitas humana hactenus ab æuo condito in suam perniciem excogitauit? Plura vexilla hostes amisere. Itaque equites ceperunt duo regia ingentis splendoris æstimationisque, A nostris præter plurimos sacros equites centum fere & quinquaginta profanæ militiæ desiderati sunt, sauciatorum maior numerus. Decretum erat singulos equites aut læsos aut interfectos nominatim recensere: sed cum huiusmodi diligentia haud necessaria in historia sit, sim ne nimio studio recitandorum nominum fides mea lectioni suspecta fieret, cunctos ob patriam pugnando vulnera passos æquali silentio transire animus fuit, sua cuique gloria contigit: alii aliud decus tulerunt, nulla è Rhodiana militia natio expers suæ pietatis, religionis meritorum est. Classis centum triremium armis virisque instructa tota oppugnatione fauces portus obsidebat, occasionem expectans, si quomodo posset subito inuadendi. Sed præfectus cum videret ab equite Franco qui F. Petro de Cluicis militabat, & sacro milite vlterioris Hispaniæ Lusitaniæque omnes aditus à mari præclusos, haud ausus est concurrere, homo nequaquam militaris sanguinis, cui celebre, mutato ad Achimeti preces capitali supplicio, quod tyrannus sumere iussit. Plenus adhuc ira, & vehementi admiratione ob importatum ab Andugo in summo loci, temporisque discrimine auxilium, palam tota concione, & in puppi prætoriæ nauis centies virgis, fustibusque cæso, maris imperium postea ademptum est ob animi ignauiam, & quod sæpe nimium falli se pateretur à nautis nostris: qui in dies crescente inter oppidanos hominum & rerum bellicarum inopia, supplementum & commeatum, importabant ex arcibus Luido, Mautolito, Foraclo, Petrea, quam ex ruinis Halicarnassi, Pyramidibusque Mausoli sepulcri inter septem orbis miracula nominatissimi, structure cœpit Heinricus Schlegelholt eques Germanus, tum Tamberlanus inuaderet Asiam, coniceretque in vincula Bayazetum Turcarum Regem, qui prius Pannonios & Ioannem Burgundiæ ducē, insignii apud Nicopolim prælio profligauerat: præterea ex insulis Coo, Lero, Calymnia, Nisero. Telum autem & chalcea barbari haud longo ab aduentus sui die, inopia aquarum ceperunt omnia crudelitatis exempla inuictos exercentes. Sed cum res sic obtulit, non putaui silentio prætereundum facinus, nescio vtrum atrocitate, an animi magnitudine nobilius quod causa est supra vires, supra sexum suum mulier vna Græcanici sanguinis, quæ cum arcis præfecto consuetudinem habebat: quem vt agnouit fortiter demicando occisum, amplexa duos venusto corpore & amabili indole pueros, quos defuncto genuerat, postquam maternæ pietatis oscula extrema libasset, & notam crucis Christi lachrimantium perturorumque frontibus impressisset, ferro atrox fœmina iugulauit, & trementes adhuc, exeunte simul sanguine & spiritu artus cum cœteris, quæ cara habebat, in ardentissimum rogum coniecit, ne hostis (dicebat) vilissimus viuis ac mortuis, gemini nobilitate corporibus potiretur: & cum dicto induens cari amatoris paludamentum madidum multo adhuc sanguine, accepta framea in hostes tendit, ibi egregia bellatrix, & omnium seculorum dignissima virago, inter cōfertas hostium phalanges, more virorum fortiter bellando occubuit. Tyrāno (vt à diuerticulo quo damniodo in viam reuertar) postquam tot locis, omnibus copiis, tanto tempore vrbem summa vi frustra oppugnasset: nulla amplius libido inuadendi aliena regna erat, ingentes illi Spiritus concidarant: nihil præter recessum & fugam meditari. Linqui adhæc sæpe animo, atq; collabi diu sine voce simillimus mortuo iacere, memoria tot præliorum infeliciter commissorum, strage tantorum ducum, tot fortium militum quorum sanguine haud temnenda Italiæ pars parari poterat, æger, torpens ac silens, diu omni humano accessu atque colloquio, etiam complexibus & Venere Abrami abstinere, quem perditi deperit, quamuis agrestem opilionem & patre pecoratio Ragusino natum. Non equidem hoc dubites amborum fedare certo consentire dies,

& ab vno fidere duci: huius consilio Asiam ille regit, maximam Europæ partem moderatur, ab hoc bardo inepto, agrestri monstro, emasculato, nobilissimæ Italiæ tot præclaris ingeniis, tot præterea strenuis atq; magnis ducibus, fœda mors & ignominiosa seruitus parantur. Sed Tyranni mentē nihil æq; sollicitabat quam Lunæ ante initam pugnam deficiens lumen: quæ colore sanguinis suffuso, dira, fœdaque, apparuit. Diis inuitis ad Rhodum fatalem Turcicæ gentis pestem se venisse dicebat, Abrainus & quæstor, cui publicæ pecuniæ in diuersos vsus erogandæ cura fuit, animo metum excutiebant, naturæ vicem esse lunamque defecere. Cum aut terram subiret aut sole premeretur, tempus quod omnia domat, expugnaturum, quos ferunt, flamma vincere non potest. Interea amæni recessus causa etiam terrendi magis obsessos munimenta in verticem montis Philoremi erigenda Tyrannus annuit. Cæpta strui arx est ingēti opere atq; sumptu. Mustaphus dum in dies Tyranno suspectior esset, sine autoritate sine gratia (præterea exulceratam mentem habens ignominia nuper patrati supplicii, nihil enim magnorum virorum animis tenacius inhæret, quam iniuria) literis ad sagittam ligatis, hostium consilia oppidanos docebat, & fugam in vrbem moliebatur. Sed inuidit fortuna incæpto nobis salutari, nam cum in castris nunciata esset mors rectoris Syriæ quē barbari Caierbechum appellant, Mustaphus ad leniēdum minati supplicii iniuriam, cum amplissimo imperio, vt Syros in fide atque officio contineret, ad Babylonem Memphiticam missus est. Verum quando historiam scribentem non deceat, parum comperta pro veris narrare, lectorem hic admonco, quæ de Mustapho hoc loco dixi, accepisse me ab hominibus magis opinionem suam, quam rei certam cognitionem sequutis. Quicunq; tamē proditor & fugitiuus iste fuerit, magnum eum virum secretorum, consiliorum participem fuisse, liquido constat. Tria millia Syrorum postea & quingenti Mammaluchi, qui rectoris mortem attulerant, per triduum leui certamine, sed quo nullum nobis, nec molestius nec nocentius saxa igneſque iaciendo, cum custodibus propugnaculi Athanasiani bellum gesserūt. Verum leui certamine, nec iusto prælio, neque bombardis, cuniculis, tormentisue clara Rhodus capi potuit. Iam quietis aliqua facies apparere, efferacior vis tormentotum continere paulisper ictus & boatus suos. In summa, obsidio magis, quam oppugnatio aliquot dies fuit. Hostis tamen dies & noctes in fossis excubans, dolum tentabat defensoribus mæniū, præmia modo, modo formidinem ostentans. Latinos tantum ad supplicium se cupere: Græcos vero imperatorem Græciæ inuiolatos seruaturum dicebat. Sequuta est inde fœda imbribus hyems, tonitrua, minæ cœlestes, non solum corpora fessa labore, metu ac vulneribus, sed etiam animos barbarorum frangebant. Præterea asperum mare naues in statione, qua haud facile alia infestior classi esse potest, ita afflictabat, vt Præfectus vbi nulla facultas administrandi, aut adiuuandi daretur, cum vexata & lacera classe, dimissis funibus & anchoris continentem petere sit coactus: quamobrem, magnam, quod necesse erat accidere, totius exercitus sui perturbationem Tyrannus sensit. Vnus posteaquam Achimetus ei promiserat, quod ima murorum dolabris vectibusque ferreis euerteret, tanti mali patiens, conuocatosque ante prætorium suum milites: quorum lubricæ ac rigentes manus vix arma tenere poterant. in hunc modum alloquutus est: Quanta pro dignitate atq; decore imperii mei feratis magnanimi milites, haud ignoro. Continuus cœli fragor, immensa imbriū vis, sonorum cœlum, algor, fames, sitis, cæteraq; longe istius obsidionis mala, vt arma vos deponere, quietemq; necessariā sumere sinam, multum me hortātur. Sed videamus primum, anne turpe sit viris fortibus victoriam, quæ in manu est hosti, tædio imbrium & tempestatis relinquere, vallum, fossam, aggeres, non in vrbem modo, sed in cælum etiam spectātes, munitiones, turres, & talium oppugnandarum vrbium apparatū deserere. Certe aut non suscipi bellum oportuit, aut geri pro dignitate Imperii Turcici oportet. Quod si æstate factum nō est, hyeme vt faciamus, cogit me cum publicum imperii decus, tum vestrum priuata quenq; vtilitas. Si n.hinc reducimus exercitum, quis est qui dubitet hostes non cupiditate solum vlciscendi, sed etiam necessitate imposita ex alieno prædandi eum fua amiserint, agros vestros, domos, fortunas vestras inuasuros: vos coniuges, liberos necessariosq; in multo fœdiorē, quam nūc est, seruitutem redacturos. Vrgete igitur obsessos, nec ante absc edatis, suadeo, quam spei vestræ finem caperitis. Si hercle nulla necessitas subesset, tamen ipsa dignitas, famaq; corporum & animorum vestrorum perseuerantiā imponere debet. Nam ora, oculi omnium gentium, omniū Christianorum in istud bellum, in vos conuersa sunt. Quos hyemem vnā durare in castris non posse intellexerint, merito æstiuas aues appellabunt: qui statim nubilo cœlo, tecta ac recessum circūspicitis. Græcos ob vnam pellicem Troiam decem annos oppugnasse dicent: sed Turcas cædibus, rapinis, excursionibus terra & mari factis, seruitute præterea ducētorum & quatuordecim annorum vexatos, oppressosq; vnam hybernam obsidionem perferre nō posse, terrorem nominis vestri hactenus vanum fuisse: famam illam (vt pleraq; alia quæ non visa magis timētur) auxisse apud homines ignaros in regionibus exteris: iam tuto sustinere quenq; vos posse, qui impetu potius bella geritis, quam perseuerantia, quæ in omni genere militiæ, maxime autem in obsidendis vrbibus necessaria est, quarum pleraq; munitionibus, ac naturali situ inexpugnabiles fame sitique tempus ipsum vincit atq; expugnat, sicut Rhodum expugnabit: in quam occultum telum paratum est carissimi comilitones. Verum cunctis præsentibus res se tractare nō patitur. tam nescire enim quēdam multitudinem, quam scire oportet. Plerique id callide magis, quam vere dictum existimabant, & quanquam ingentia præmia & placida ducis oratio mæstos & fatigatos militum animos parum reficerent, vicit tamen in gēte obsequentissima imperatoris amor, & magni secreti auida exspectatio. Achimetus teli illius autor sponsorq; victoriæ, ad murorum fundamenta septa haud alto promuro, postquam custodes nostri excubabant, crebro (licet haud satis tuto loco) militem suum submittebat, qui cum (nescio quo infelici fato nostro) promurum illum occupasset, factus voti cōpos auxiliares inuocabat: hi intra locum se munierunt, donec dux murum musculis testitudine pluteis in eum casum paratis subiret. Quod quidem illi facillimū factu fuit, per fossas iam complanatas, multa terra iniecta, cuius eminens supra modū altitudo vsum tormentorum è cauis propugnaculi Auerni latus hostium tentantium impediebat, neque Rhodii è fastigio murorum immanibus bombardis illis dirutorum, cum nusq; in illis esset consistendi locus propter Chiriobardericos, intra aggeres suos tormentis paratis latitantes, quicquam deuoluere in subeuntes poterant. Itaque homines defunctos, vt videbatur, omnibus periculis, & in vmbra quodam modo quietæ pacis existentes, recens atq; inopinatum malum mire perturbabat. Conspectus primum pauorem, silentiumq; torpens in iecit, admiratio deinde ac commiseratio, huiusque aperta querimonia subiit. Prcianus ad omnia impiger & audax, perforantes igne, oleo, pice ardenti, reliquaq; materia incēdiaria summouebat. Sed cum fugientibus ignem, fustuarium, moxque parata esset, & pro sauciis semper reponerentur integri, fatale opus septimo die Octobris in cæptum, magno conatu miserimorum seruorum procedebat. Serui enim sunt Turcæ omnes, etiam consilio, autoritate armis præstantissimi, solus vnus Tyrannus in tam immenso imperio cuncta sibi possidet, cæteros omnes quēnque pro dignitate & merito stipendijs alens: hi quo pleno discriminis opere ocyus se liberarent, excauatū circa fundamenta murum stipitibus fulciebant, quos adiectis malleolis, ignibusq; torrendo muri ruinam parabant. Verum cum res ex sententia non procederet, eundem cathenis ferreis, funibusque anchorariis mirabili machinamento distraherein terram conabantur. Sed tormenta per Auernum propugnaculum dispositā, exiguo tempore insani & multorum dierum operis molem deiecerunt. Dux Achimetus postquam omnem conatum suum ludibrio esse vidit, atq; obuiā sibi veniri ab oppidanis intellexerat, anxius trahere cum animo suo, omitteret ne incæptum, quoniam frustra videbatur, an fortunam operiretur, quæ sola promissiones suas Turcano factas implere & morte eum liberare poterat. Interea vt iussum fuit à Gabriele Martiningo Drachones fieri intra murum crassissimum, vt educta inde arma iuuentus operarios trucidaret, & minutorum tormentorum vtroque latere positorum conglobatis ictibus muri faciem, ad quam hosti aditus erat, tueretur. Sed Martiningi mandatum specie satis tutum, cuentu nobis & sibi satis infelix fuit. Nam oculo ictu Chiriobardæ inter opus ordinandum priuatus est, vt plc-

rique alii strenui equites, inter quos haud immerito retulerim F. Ioannem Omendé equitem Aragonensem, cui cura vestitus militaris distribuendi incumbit. Disposuerunt barbari multitudinem horum tormentorum per rimas partis muri, quæ inter eos & nos media adhuc restabat. Quem, cum ignari essent, quantum hæ Chiriboardæ nobis nocerent, suspenso opere terebrandi, denuo bombardis maiori mole acriter feriebant: quarum vis iam solito erat efficacior erga murum tot modis debilitatum. Qui vbi in dies magis magisq; tormentorum continua violentia labaret, oppidani ad omnia tuenda obeundaque multimoda arte destineri cœpti sunt, non nocte, non die cessauerunt ab opere, vt nouum murum ab ea parte, qua patefactum oppidum ruinis erat, reficerent. Hostibus & defensoribus par labor, similis animus: quem illinc spes, hic desperatio fecerat. Cretenses quorum operam atque industriam scriptores in bello nauali commendant, etiam huic terrestri vtiles fuere, & locum difficillimæ custodiæ, cum supplemento sacrorum equitum, à Deo egregie, fideliterque obseruarunt, vt non sint veriti Castrophilacam ciuem Rhodium, opibus, & cognatorum atque affinium celebri multitudine potentem, cuiusque in extruendis operibus disponendis munitionibus, summa toto bello fuerat diligentia, quique ipsos sæpissime pauit cibo ac potu largissime administrato, in vincula publicitus coniicere, quod tempore & loco suspecto contra Magistri edictum per singulas stationes voce præconis diuulgatum, sagittam in hostes eiecisset. Quem vbi variis & multis quæstionibus affecissem, nihil potui expectorare, adiutus etiam opera prudentissimi & nobilissimi Hispani equitis Frat. Ludouici Luel: cui cum quatuor tribunis militum iuris dicendi ac distribuendæ annonæ cura erat, quam quod inter amicas & fortuitas cum plerisque ciuibus confabulationis hostis iram, si auxilia transmarina non venirent, aliqua tributi specie vel manu missione seruorum leniendam dixisset. Hanc grandi cum difficultate expressam à reo confessionem, vbi nocte ad magnum Magistrum retulissem, strato (cui indumento militari septus incumbebat) se attollens ac gemens ad vigilias perrexit, iussitque nullo alio addito verbo vt reus seruaretur. Per hoc temporis Tyrannus foris comitia celebrare, cum ducibus de summa rerum frequenter consilia inire. Omnium vnanimis sententia erat, vrbem eo die capi posse. Cœterum vt in multitudine semper aliis aliud placet, quidam sentiebant (si enim mihi obsidi hostes ipsi retulerunt) Rhodiorum animos prius colloquio tentandos, si forsan pacati quippiam responderent. Ad hunc modum victoriam minori sanguine imperatori futuram, & orbis totius imperium anhelanti vtilem esse clementiæ famam, quam summis ducibus ad opes propagandas miro vsui esse Cassius & Achimetus affirmabant. His magna animorum contentione desertorum fidei Magister contristabat, qui sæuitia ingenti & cupiditate prædæ ad excidium ciuitatis trahebatur. Tyrannus placitorum Mahometis studiosissimus ingenio infido & supra naturam hominum, ac feræ cuiusquam trucissimæ crudeli, quam tamen crudelitatem altitudine ingenii vbi expedit, mire dissimulat, in sententiam seueriorem magna totius corporis & animi alacritate accessit, & per omnia castra vrbis direptionem militibus concedens, eos in hanc sententiam alloquutus est: Victoria & opes hostium, quæ tam diu cupiuistis, in manibus vestris sunt: nunc tempus GræcoLatinos istos, qui plures pene perierunt, quam supersint, non homines sed effigies & vmbras hominum, fame, vulnere, squalore, laboribus debiles, impotentesque trucidandi, qui scio vobis resistent: non quia audent, sed quia necessitas perituros cogit. Sumite perfidiæ, crudelitatis & sceleris pœnas nunc à Cruciferis & documentum modo graue posteritati exhibete: ne quis vnquam Turcam vlla in fortuna opportunum iniuriæ ducat. Strata in vrbem via est, patet oppidum immani ruina, quæ commode alam triginta equitum amplecti potest. Ab hac exhortatione imperatoris milites incitati, cum per aliquot dies inter stragem ac ruinas captæ vrbis nihil superesse præter armatos hostes viderent, nec quicquam tot cladibus territos, nec flexuros ad deditionem animos ni vis adhiberetur experiri vltima & impetum se facturos in vrbem Tyranno promiserunt. Vtque omnia eis opportuna magis ad vincendum forent, oppidanis palam obscænam necem & miserrimam seruitutem pridie diei quam pugnam inirent minabantur, & lapides crebris tormentis excutiebant, quæ per hiatum disiecti muri in vrbem volantes, multas vno die domos prosternebant. Interiorem autem recenter oppositum murum propter suam decliuitatem raro attigerunt, quæ res magnæ nobis saluti fuit. Fragor ruentium tectorum, sonitus hostium, tonitru fulgorque bombardarum, magnam miserrimæ plebi perturbationem iniecit ploratus mulierum, puerorumque vndique audiebatur, omnia triste spectaculum erat, dira & feralis vndique rerum facies, diem tam fœde exactum, turbulentior omnino non excepit, noctem lux turbulentissima insecuta est. Albescenti enim cœlo fulgentia legionum signa in patentibus campis conspiciebantur. Barbari spe prædæ & victoriæ alacres, cum immenso strepitu armorum cantu vlulatuque patrio ad diruta atque disiecta mœnia properabant, maximam vexillorum multitudinem cinctam festa fronde ante portam Ambrosianam statuentes, quam Angelus eques multis fortibus factis atque prudentia animi insignis, præfectus modo Aquilarius & Augustalis Thomas Chiensel custodiebat, nec segniter, nec imprudenter. nam tria magnæ molis hostilia tormenta contrariis suis tormẽtis, quo suo facto & opere Christophori Waldenric, cuius supra feci mentionem, ciuitas hac parte non admodum firma ab excussionibus & vi vndecim immanium tormentorum liberata est. Regia classis portum locaq; maritima circumnauigans inuasionem simulauit, dixisses vrbẽ terra & mari inuadendam, exspiratura respublica, casurum omnibus imperium merito videbatur. Nihil tamen tot onerati atq; obruti malis flexerunt animos: sed tantum arma ferrumq; in dextris velut solas reliquias spei intuentes, abalienatis à memoria periculi sensibus ad sonitum æris campani effusi vndiq; ex domibus, antris ac latebris, quas pleriq; contra imbrem ignium & immanium saxorum sibi parauerant, densato agmine in rabiem versi ad pugnam concurrerunt, pro nudata mænibus patria corpora sua oppositurі. nihil ducum exhortationibus, nil imperio opus erat: sua quenque conscientia recordatione malorum hosti illatorum ad defendendam impigre vrbem hortabatur: & proponebat alius alteri hostile iugum, ludibria & victoris superbos vultus, vltima omnibus supplicia & fœda mors ob oculos erant. pugnabant inter ruinas collapsi disiectique muri velut campo patente equites & ciues Rhodii: fœminæ viros suos ad cœlum manibus tensis, poscentes à Deo & numine tutelari victoriam, vt pro patria, pro libertate, pro domesticis opus, pro religione Christiana fortiter pugnarent, hortabantur, mortem clamabant timendam non esse, quæ nouam beatissimis animis vitam afferret. Mulier quædam corpore quæstum facere solens, hoc die S. Andreæ profecto, vt commissum sæpissime scelus morte expiaret, multos barbaros acuta cuspide transfodit. Quædã afflictæ matronæ in domibus suis patriæ occasum cum suo exitio exspectabant: multæ mæstissimæ matres cum cætu virginum in templis ante aras, ante imagines Sanctorum prostratæ, funesto comploratu atq; vlulatu fœmineo inter se dissonæ, votis ac lachrymis delubra implebant, dubiis rebus diuinam opem implorabant: & vt optimi cælites nefandam vim à pudicis corporibus auerterent. Frat. Clemens Metropolita (cuius ante prælium in re diuina placandisq; superis, in prælio cohortandis excitandisq; & consilio & exemplo virtutis militibus opera singularis ac diuina extitit) homines Græcos manu Sacrosanctam crucem gestãs, sancta spe & fortitudine bellandi implebat. Si more virorum, pugnarent cuncti, inquit, multos victores superuicturos: contra si ignaui remissique in acie sibi parcerent, inuasa mox vrbe omnes ante ora captarum coniugum, liberorumque inter verbera & vincula, omnia fæda atque indigna passuros. Antistes sacræ militiæ & fani Diui Ioannis Colossensis equites hominesque Latinos exhortabatur, ne vllum ante finem, pugnæ, quam morientes facerent. F. Ludouicus Tentauillus iuuenis congestis omnibus à natura fortunaq; bonis splendens, nobilis, diues, forma, viribusque corporis excellens, facundia pollens, bello quoque bonus, propius cum Liladamo magno Magistro pernecessario suo vexillum Christi crucifixi quod ferebat, in hostes intulit. Pugnatum est circa illud vtrinque

summa vi & vario Marte: Barbari cepisse iam se vrbem si paululum adnitantur credebant. Itaque quo plus terroris adderent, cuncta clamoribus permiscebant. Rhodii vero eos pro victis habebant quia non vicissent ipsi numero & robore corporum maiores. Sunt enim Turcæ fere omnes procero altoque corpore capitibus tonsis, & raso plerique vultu, excepto superiore labro, quod omnibus (cum tondere inter eos aut nefas aut dedecus sit) pilis contortis reflexis vtrinque ad ambas aures horridumque est: præterea loco ad pugnam & victoriam aptissimo. Accendebantur ergo animi & certamine laboris & periculi, atque ipso inter se conspectu, ita ferox natio bello orbem peruagata, si tamen Turcæ bella, & non potius latrocinia agant, occasione semper, raro vera virtute adiuti, ab vnius oppidi defensoribus longa obsidione prope enectis fœde reiecta est. Oppidani pedem & terga vertentem barbarum clamore incessebant. Turcæ genus hominum in iram & cæcam rabiem præceps, indignati, quód victores plurimi à paucis & victis, si incepto prælio perseuerantia adesset, irriderentur, versis in frontem cuneis, Rhodios aliquanto atrocius, quam antea adorti sunt: cecidissemus haud dubium omnes eo die & prælio cum patria, nisi commodum custodes qui summa extremaq; murorum adhuc stantium tuebantur, è tabulatis atq; ibi erectis operibus nubem sagittarum & machinalium globorum in dorsa per ruinas vrbem incurrentiũ, eiecissent: & quod maximum atq; omnium vtilissimum fuit, tormenta dextra leuaque parte muri recenter in speciem quadratam extructi, barbarorum latera fæde confringebant. Magna strages edita, atrox spectaculum, gemitus & vlulatus non clamor amplius morientium erat, & plures omnino mortui fuissent, nisi imber Cheriboarderiis obstitisset, nam illorum puluis pluuia madefactus, haud facile incendi potuit. Achimetus astutus vir & tenuis, boniq; sensus, quamuis obeso & propenso sesquipede ventre, veritus ne suorum cæde nobis cresceret nimium animus, gnarus præterea maximarum rerũ, cardinẽ momento temporis in bello verti, & quod hostis contemptus, sæpe cruentum certamen daret, ingentesq; exercitus infelici hora, parua manu deleri posse, milites in castra reduxit: compertum ibi (si modo vera narrant) cecidisse eo die prę-ter ingentem sauciatorum turbam, quinq; millia fortissimorum virorum. Duces omnes territi tanta suorũ cæde (quanquam nemo ex eis victoriam desperaret) vnanimi sententia statuerunt, vrbem haud amplius iusto congressu tentandam. Verum inductis per medias ruinas in eam quinque fossis atque incilibus murum illum, qui oppositus erat, & alterum opponendum pone, quæ adhuc vallum ligneum obiecimus, dolabris, terrebrisque subrui debere: obsessos interea in dies, inque singulas horas leuibus, & tumultuariis pugnis lacessendos. Vnicum istud consilium magis, quàm omnia alia prælia hostibus profuit: qui dum indies, nouaque pro dirutis opponebantur, opera ferro igneque violarent, & oppidani præmio quadraginta millium ducatorum, quæ summa in sanctiore ærario ad vltimos casus testamento Ambusoni relicta & seruata fuerat remunerati, tuendo, diruendo, domos, fossas transversas viis perducendo, minorem in dies vrbẽ facerent: breui in tantam extremitatem sunt adducti, vt qua primum aut potissimum parte ferrent opem, cum omnia longe lateque hostium essent, satis scire non poterant. Nam altitudo areæ in vrbem ab hostibus occupatæ passuum erat fere ducentorum, longitudo centum & quinquaginta. Tyrannus interea quanquam certus vincendi animum ad consilia Achimeti & Cassii applicat. Qui nuper frequenti ordine procerum dixerant, volentibus imperii fines propagare, vtilem esse clementiæ famam. Et Pyrrho mandauit, vt obsessorum animos colloquio tentaret, ille quendam Hieronymum Moniliam Ligurem ad mænia misit, qui fidem & tutelam corporis à defensoribus impetrans, pauca quædam & vtilia desolatæ vrbi velle se exponere aiebat. Omnium animi arrecti erant, iussus est dicere: negat sibi palam id licere, sed secreto cum Mattheo de Via Ligure, habitatore Rhodi, aut per epistolam loqui velle. Frat. Forouius eques Auernus, qui forte adstabat, cuius tota obsidione virtus atque vigilantia singularissima extitit. Ferunt enim hunc solum è turri diuo Georgio sacra, quæ in mœnia & ruinam murorum spectabat, vltra quingentos Turcas, vi tormentorum neci tradidisse, indignatus mentione secreti colloquii, nuncium bombardis abegit. Multi quorum animi in spe vltima obstinati ad certandum fuerant, posteaquam victor obsidens colloquium tentauit, & spes vitæ adfulsit, magnum magistrum rogare, vt genti suę optimi meritæ prouideat, tot præliis sese victos, vrbem dirutam, multos mortales ægros, occisosq;, rem bellicam cõminutam esse, satis sæpe iam & virtutem militum & fortunã tentatam; caueat, ne se cunctante, hostis maiorem indignationem concipiat, si videat postulata sua sperni. Mittuntur ad tyrannum legati F. Antonius Groelus eques Auernus, ingenio & Græci sermonis cognitione commẽdatus, qui toto bello signifer sacri, militarisq; vexilli fuerat, Robertus Perusinus, homo ætate grauis, & Græca facundia pollens accepti pro his obsides, cognatus vnus ducis Achimeti, Epirota quidam qui per patentem ruinam murorum à nobis ad hostes transfugerat, quod quidam Græcæ gentis præfectus faciem illi depalmasset homo cuius acre ingenium & linguæ Græcæ, Turcaicæ, Italicæ vsus apud nos in obscuro magno nostro damno inter hostes illuxit: accessit deinde Tyranni ipsius interpres, neque enim ille peregrinam aliquam linguam nouit, quemadmodum apud nos imperator Germanus Gallicam, aut Hispanam, ratus id contra decorem esse sermonis patrii & Othomanicam maiestatem. Oratores ergo nostri prætentatis & excussis prius diligenter vestibus, si quod ferrum absconditum esset, Tyrannum rogant, quam ob causam colloquium expostulasset, ille similis nescienti cum ira & indignatione factum negabat, & castris quam primum excedere iussis, hanc epistolam ad magnum magistrum & oppidanos dedit: Nisi misertum me foret humanæ infirmitatis, quæ multorum ambitiosas mentes plerumq; in maxima, & minime necessaria mala præcipitat, profecto hasce literas direxissem minime. Sed morte qua digni estis & miserrima seruitute vos afficerem, quod quam mihi sit facile, ipsi cognoscitis: egregie iam experti vim meam, si sapitis experiamini gratiam, satis indulsistis furori, satis dementiæ vestræ: redite ad cor, facite ocyus quam impero deditionem, do vitam, do opes, præterea optionem manendi & abeundi: nolite si quod omnibus votis petendum erat, vltro offeratur, fastidire: non quemadmodum hodie vtrunque vobis licet, sic semper liciturum erit. Reditu oratorum in vrbem, magnus concursus hominum omnis generis eos sequentium factus est ad domum, qua magnus magister se tenebat, haud procul à muro vrbis diruto, summota cætera multitudine, ciues primores inducti sũt. Recitatum cum esset frequenti ordine equitum & ciuium Rhodiensium, minax imperiosi Tyranni mandatum, magnus magister, cui satis honorum, satis superque vitæ erat honeste mori, sic exorsus est: Audiuistis sacri commilitones, vosque magnanimi mei Rhodii, feralem & tristem epistolam: cui quomodo sit respondendum, haud anceps deliberatio est. Vel parendum fortioribus vel moriendum, victoriæ omnis spes deuolauit, nisi adueniant foris auxilia. Si meum igitur approbatis consilium, fidem, nobilitatem à maioribus nostris acceptum, bellicam laudem domi, militiaque partam per tot annos, fortiter ferro, ac dextra ad extremum vsque spiritum & sanguinem tuebimur, ne viris sit fortibus gloriæ, quam vitæ finis. Huiusmodi ducis oratio amarior multis visa est, quam Tyranni imperium, diu mæstum silentium aliorum alios intuentium fuit: multa occulta oris mutatione motuque corporis magis, quam voce, quid ipsi sentirent exprimebant, tandem Sacerdos quidam Græcus cum summa animi commiseratione & lachrymis in hæc verba prorupit: Tacerem ego quoque si priuatus essem, aut in vario turbulentoque tumultu, non primus meam sententiam dicerem. Verum quando cura communis salutis vocem nemini exprimere potest, & omnes sciunt dicendi, ac suadendi, quod quisq; velit, aut optimum putet occasionem modo esse, quæ nec semper, nec diu erit, eam præterlabi nõ sinam. Fingamus igitur potentissimi principis obsidetis nullum nobis mandatum factum, sed veluti priuatus cum priuato, amiculus cum amiculo, ante focum & inter compotationes, sine cura, sine studio immodico alterius partis, sine libidine, aut odio de rebus principum nihil ad se pertinentibus solet, nos disserere: & tum neq; ingrata, neque vt spero, infructuosa erit oratio mea. Sex iam menses Græci & Latini vnanimis armis, non solum foris ante muros sed in visceribus vrbis infestum hostem sustinuimus, sine vllo auxilio, sine vlla externa ope, quam vt diu omnes frustra

Solymannus Legatum ad obsessos Rhodios mittit.

Solymannus Rhodiis vt vrbem tradant magna promittit.

Rhodiorum de vrbe tradendo deliberatio.

sperauimus, ita singuli nunc certo speramus: hostis autem vel occulta Dei benignitate motus, vel virium & animorum nostrorum ignarus, quæ vulneribus, cæde, morbo, dies ac noctes continuato opere perierunt, id vltro offert, quod optandum nobis, ac summa ope petendum erat: aurum argentumque omne publicum & priuatum, corpora vestra, fœminarũ, puerorum seruat inuiolata, vrbem tantum, quam ex magna parte dirutam captamque fere totam habet, adimit. Magne Magister, nobilissimiq; equites, cum aliis multis naualibus præliis, tum hoc terrestri præcipue oppugnatione fortitudinem vestram sum expertus, cuius cũ in re desperata amplius nullus sit vsus, clementiam vestram & prudentiam appello. Cum iam omnia victoris sint, quod vitam, opes relinquet, in lucro est, non in damno vrbis insulæque deditio, quam victor hostis imperat: quæ licet grauis, acerbaque nobilitati videantur, fortuna vestra vobis suadet. Deditionem ergo faciendam censeo potius, quam trucidari corpora vestra, rapi trahique ante ora vestra vos, coniuges, liberos, belliiure, finatis, si vlla misericordia flecti potestis. Si qua Christiana pietas in militaribus animis est, ne ad vltimum perditum eatis rogo. innocentem hunc populum, & vt modestissime dicam, non male de vobis meritum, quem Christus IESVS, quem hostis infestus seruare vult. Pietatis causa, nec vllius alterius loqui, quæ loquor apud vos, vel ea fides sit, quod neque dum vestris viribus restititis, neque dum auxilia à principibus speratis, deditionis vnquam apud vos mentionem feci. Postcaquam autem cernam omnia fatis in peius ruere, communes fortunas nostras in extremo sitas, hostem infestum, spem ali nullam, penuria rerum necessarium bellum non posse trahi, deditionem suadeo, pacem quam bellum malo, & gratiam potius quam vim experiri.

Cum hic perorasset, nemini certare cum eo ratione necesse fuit, adeo prope omnis ciuium audientium cætus Sacerdotis erat, aliqui tamen conscientia iniuriarum, quas Turcæ intulerant, & quia nec deditio tuta ad tam infestos hostes videbatur, nec spes mœnibus aut armis tuendæ salutis erat, se ac cœteros periculis obiectare, & more virorum cruentam luctuosamque victoriam hosti relinquere cogitabant. E quorum numero quidam quem & iuuentus & extrema (vt credebat) hora non solum liberum & loquacem, sed etiam inermen inter armatos proceres & seniores viros ciuitatis, coramque ipso magno Magistro audacem faciebat, sic eloquutus est: Nihil vnquam minus consueui, quam quod ipse sentirem coram principibus viris, aut in magna hominum frequentia dicere, adeo malui semper aliena verecunde audire, quam impudenter ingerere mea. Sed nunc cum extrema dicendi necessitas institutum vitæ tenorem obseruare me vlterius non patiatur, quid nobis diro nuncio & graui imperio perfidissimi Tyranni commotis faciundum sentiam, liberrime loquar. Deiecit immanissimus hostis murum, & ciuitatem nostram trecentos & amplius pedes ingressus est, molestissimus hospes sub eisdem tectis nobiscum viuit ac versatur. Qui dorum aduenam & grauem vicinum proferre amplius nolunt, turbari tota possessione cedendum suadent. Mihi longe alia mens est sacri equites. Nec enim tam leuiter fundum ducentos & quatuordecim annos cultum relinquendum verendum sentio, sed molesto inquietatori aliam molestiam inferendam, & cum prædatore continuo præliandum: quem vbi armis animisque nostris inuitum & repugnantem quinque menses exclusum tenuissemus, irrupit tandem in ciuitatem nostram nulla sua virtute fretus, sed tempore quod omnia domat, hodieque agitur ab introitu suo dies fere quadragesimus, nec dum iter longum centum & sexaginta integris passibus, quanquam mire festinans, conficere potuit, tardatus impedimentis, quæ illi obiecimus & obiectare non cessabimus, si viri sumus, si sani, si pristinæ virtutis memores: me prius perdant cælites, quam isto gemino obtuitu cernam sacros equites tradere claram Rhodum, antequam propugnatricem Christianæ religionis, immanissimis hostibus, contaminatis omni infamia Mahumetis, qui præter anhelam sitem nostri sanguinis, quam sint infido maligmoque ingenio si nescimus satis nobis exemplorum præbent, ne quæramus, quomodo aliis exemplo simus, Constantinopolitana calamitas, posterior Eubææ clades, recentior Metonensis, tum Mamaluchorum Cayrensium contra fœdus, contra acceptam & datam ab ipso imperatore fidem miserabilis trucidatio. Quid? Nonne in mentem venit summorum ducum, qui Belgrado imperabant, dolo fraudeque hostium procurata mors? Eamus nunc sani homines & fidem adhibeamus insanissimis belluis, permittamus corporum nostrorum potestatem, quibus non lex, non ratio, nihil sancti, nihil pensi est: quorum nescias maior sit auaritia an crudelitas, qui nihil aliud multos iam annos meditantur, aguntur, quam quomodo dolo, vi, nomen Rhodianum ipsis tantopere inuisum penitus deleant. Sextum iam mensem circumuallatos inclusosque nos tenent, nobiscum vltima pericula grauissimos labores perpessi; ante propugnacula & muros sæpe trucidati, postremo iniuria fulgurum, imbrium, tempestatis, hyemę, quæ omnium bellorum terra ac mari quies est, hinc auerti non potuerunt, tanta auiditas supplicii expetendi, tanta sanguinis nostri hauriendi est sitis, nec omnino iniuria, nos quoque illorum cruorem fudimus & adhuc funderemus libenter si per fortunam liceret. Verum quando Deo immortali aliter visum est, & vltimam necessitatem effugere non possumus, cruciatus & contumelias quæ hostis sperat dum liberi dum potentes nostri sumus, honesta velim morte inter arma inter vexilla Sancti Crucis cuadamus, hoc pacto æterna gloria quæ pro Republica cadentibus inter superos & mortales parata est, perpetuo perfruemur, quam virtuti & nomini tuo nobilissimo, Magne Magister, inuidere eos non conuenit, qui multorum annorum pacis commodo atque fructu vsi, tum liberalitate etiam Sacrosancti militaris ordinis, extremum nunc belli onus fere accusant. Quæ verba excipiens quidam Græca nobilitate atque prudentia insignis vir, magno silentio gentis suæ etiam multorum Latinorum assensu hunc in modum sententiam deditionis perorauit. Quod dolor & desperatio facundos homines facere possint magis quam prudentes, cum sæpe alias, tum hoc die cognoscere potuistis sacri equites. Nunquam enim prudens à molestia labitur ad maledicentiam: non commiscet vera falsis, non cupit cædem ciuium, non suadet furorem, non hortatur ad dementiam. Sed ita profecto multis ingenium est, cum ipsi nec prudentia nec consilio malis suis explicare se possint, cœteros in eandem perniciem protrahere, adeo semper noxiæ & auidæ fuerunt societatis calamitas & malitia. Verum si tu Magne Magister mihi quoque dicendi potestatem facis, homini inter suos neque potentia, neque autoritate vltimo, quod cum præsens calamitas tum ipsa etiam necessitas impetrare abs te debet. Disseram quæ acuti istius oratoris plura atque magnifica verba, & rei agendæ causa conquisita, non solum refellant, sed etiam mentem tuam ad id, quod vtile, honestum, ac necessarium est, motis inde odio, metu, turbatione, differentia erigere possint. N. noster quem non solum vehementem oratorem esse, sed interdum etiam trucem scimus omnes, quum tamen ingenio sit mitis, vt neminem ex his, quos appellat barbaros, insanos, immanissimos, quorum detestatur perfidiam, accusat crudelitatem, quos sine lege, sine penso, sine ratione viuere exclamat, ne dum occidere, sed ne modice quidem vulnerare voluerit. Et nunc tempore inducirum, dum sagittarum imber pluuia globorum cessat ferreorum, ignis, lapidum, prodiens de causa sua miros excitat tumultus: omnia commiscet tragœdiis, & quanto in discrimine versetur, ignarus, mortem quam hactenus factis se horrere manifestauit, nunc dictis inuocat, ne ludibria & contumelias hostium, inquit, ferre cogatur: superbia hæc est, non fortitudo aut Christiana humilitas. Verum ista nec minatur nec parat hostis, nequaquam tam perfidus aut crudelis quam ipse videri vult, refricatis cædibus Cayri, Eubææ, Metonis, Constantinopolis, vrbium vi vel ingenio militari expugnatorem: non obsidentis & obsessi conuentione permissarum in fidem victoris: qui quia peperciſſe nobis vult, committere cur peccatis non patitur. Sed vnde hæc noua clementia? Inusitata erga populũ Rhodium pietas. Ego rerum arca-

narum

narum tyranni non sum cõscius, nec vnquam alieni beneficij rationem inquisiui, cum opus esse accipere gaudeo. Verum quid ipse in re dubia sentiã, minime dissitebor. Vult, existimo Rhodiensi oppugnatione & victoria cæteris gentibus, quibus imminet, vim suã ostendere & gratiam, ne sæper sæuiendo aut solitudinem eam facere, quibus imperaturus aduenit aut animis mortaliũ perpetuo à se alienis cũ omnibus ferro & flamma certare cogatur: quibus malis non tam hostiuni, quam suorum iacturam fecit. Hanc ob causam (vt reor) vitam nobis & opes relinquit, ne dum ipse eas vi auferre, & nos insano bello retinere velimus, ambo in maximam ruamus perniciem, victori prope tam luctuosam, quam victo. Præterea si omnes hic trucidat, licebit tunc quidem nemine viuo hic resistente per cæsorum cadauera Rhodum ruinis patentem ingredi. Sed clausa est Lerus, serata Petreia, munita Arangia, Lynchus situ inexpugnabilis, hic tela, hic enses, arma, viros esse credit, & nouus belli iterum apparet desudandus labor: nisi malit vestram militiam fatalem imperii sui pestem in suos grassari: quæ loca sine cœde & sanguine (vt par est) habebit, si te magne Magister, si vos equites, & nos miseros incolumes hinc cum leui supellectili dimittat. Hæc humana consilia nisi illum ad gratiam & miserationem nostri commouerunt, tum dubio procul numine agitur & occulta erga nos Dei ac Domini nostri Christi IESV crucifixi pia clementia. Cui vos si sani estis, si viri religiosi, si virtutis hominum vere Christianorum memores, obicem opponere non conuenit, & vestra ruina hanc miserabilem plebem extinguere. Quæ semestri obsidione ista vix quod satis ad naturale desiderium corporum esset, quieti dare potuit, pro vobis in acie stans, pro vestra gloria victoriaque vulnera & mortem ferens. Cuius fidei opera & diligentia domi forisque adiuti estis. Siue Turcam inuaderetis terra Mytilene, Naupacto, Metone, Patris, totaque Peloponneso, siue eundem turbaretis possessione maris Ionij & Ægæi, qua ex re vel cœco apparet, quam sit iniurium & à veritate alienum, obiicere nobis, quod pacis fructus metientes, belli onera recusamus, imo bellum nunquam reculauimus. Nunc autem & si maxime gerere velimus, non possumus, robore iuuentutis occiso paucis reliquis, quæ supersunt non tantum corpore, vulneribus, morbo, vigiliis, labore irrequieto, sed etiam animo fractis, dum hosti secunda aduersus nobis omnia sunt. Tũ maxima eadẽq; optima parte ænearum machinarum continuo vsu rupta: cuius si hodie integra exstaret, nullus vsus, nulla vtilitas esse potest, inopia tormentarii pulueris, qua non modo laborat hæc ciuitas, sed etiam Lerus, Lyndus, Halicarnassus, Arangia. Nunquam fui Secretorum cuiuspiam aut cupidus, aut diligens explorator, multominus militiæ vestræ, tamen hæc ita esse dissimulare non potes magne Magister, qui illinc palam militem secreto machinalem pulueremque importare huc fecisti, quo tua prudentia, sex menses externum sustinuisti hostem, & vnius atque alterius domestici proditoris fefellisti impietatem. Sed sino libenter hæc omnia, defero veritatem, relinquo multitudinem, venio & loquor ad paucorum gratiam, & fingo armorum & animorum nobis esse satis. Sed hoc rogo, hisne ad custodiam, an perditionem vtendum suadeant? Ad vtranque fieri nequit, non magis quam seruum esse & liberum. Ad perditionem? Dementia hæc est, & vecors superbia exosa Deo atque hominibus. Ad custodiam ergo: sed quomodo custodiemus vrbem (non dico quod res est) iam amissam atque ab hoste occupatam, in qua ille regnum possidet, diruit, mutat, versat, ima sursum, suprema deorsum? Sed mœnibus nudatam immani ruina ad stationem Hispanam patentem, qualis muro Italico non impendet modo, sed adest iam atque infertur. Quo pacto seruabimus infelix istud oppidum ad stationes Narbonensem, Britannicam, Auernam, & turrim D. Nicolai lacerum? Quo etsi tam lacerum, si tam egenum omnium rerum bellicarum non esset, sed integrum, & armis, & commeatu infructuosissimum, cogente sic necessitate, suadente prudentia, relinquere deberetis, quando omnis vlterior pugnandi facultas vobis ablata est. An non videtis, vt leui imo nullo negocio, hostis ex noua, quam supra montem Philerenmum extruxit arce, tantũ duobus milliaribus hinc distante, omnem commeatum vobis intercipere potest, & insula & mari: præterea omnem accessum & exitum prohibere. Profecto videtis viri armis & prudentia insignes, cuncta hæc diu melius præuidistis, quam ego armorum & bellandi prorsus rudis, tantum mercibus vcnundandis, & alendæ familiæ adsuetus. Sinite me ergo dicere verum. Excessere omnes adytis, arisque relictis, dii, quibus imperium hoc steterat. Aduersus vim hostium nulla ars aut custodia hominum reliqua est. Expectare autem exercitus Angelicos, diuinas è cœlo acies, aliaque id genus miracula: est meo iudicio iratum Deum, quanquam in ipsã ira adhuc miserantem magis ac magis irritare: Consulamus ergo destituti omni humano auxilio, saluti nostræ, nolite, rogo magne Magister per has lacrymas, per innatam tuæ nobilitati pietatem, istam miseram vrbem direptionibus hostium exponere, senes & mediam ætatem gladio, vxores & filias nostras stupro, pueros nostros infami, abominãdæq; Veneri barbarorũ tum insanis æterniq; erroribus impii & virulentissimi dogmatis Mahumeti. Vtinã vidissetis equites, quibus lacrymis quãto gemitu, mœsta familia, & plorãtes circum matres pueri, nos huc dimiserint, quibus precibus sint prosequuti, vellẽ sciretis quali animo quantaq; cum spe incolumitatem suam à vestra clementia expectant. Potuisset hæc oratio vel lapidem cõmouere, verũ magister, cui nobilis ille & ingentior spiritus quam presens fortuna postularet, in vultu apparebat, singulos ad vigilias cum sermo in multam noctẽ protractus esset, ire iubẽs, nihil aliud respondit, quã cogitaturum se de communi salute. Et sequente luce peracto sacro viros rei militaris peritos, nominatim Preianum, Gabrielẽ Tadinũ, quem supra Martinigum appellauimus de statu & salute vrbis diligentius percunctari cæpit, omniũ concors sententia fuit, in vrbem q̃ hosti & fronte & vtroq; latere expeditus ingressus esset, amplius nulla arte teneri posse. Prolata hac tristi suorum sententia, post longam sanctioris consilii, tandem omnium equitum & ciniũ, in quo diuini ac humani iuris peritissimi viri fuere, disputationẽ, vtrumne despondere vitam, & ruere in perniciem sagũtinam, & fatum Abydenorũ, an seruare tot miserabilium hominum corpora, signa, tabulas, æra, monumenta, orthodoxiæ præstaret? Magister vnanimo omnium suffragio & instigatione deditionem faciendam pronunciauit. Dum hæc disceptarentur, quatriduana pax fuit, timoris tamen & periculorũ plena. Violauit hanc Fornocius iniussu ducum. Indignatus enim homo nobilissimi & Gallici sanguinis barbaros vrbem audentius inspectare, tormentarios globos in confertam multitudinem excussit. Venit ad hæc per idem tempus ex insula Creta, naue Hieronymi Carmanioli iussu astuq;, qui vel cautissimos fefellit, & opera Fr. Ludouici Andugi à Morsia oppido regni Castellæ equitis splendore natalium & animi corporisque bonis ornatissimi, Alphonsus Hispanus summus triremiũ nostrarũ nauarchus, vir ad omnia maris & armorũ pericula summe audax & impiger, intulitq; in Rhodum vina, & inconsulto Senatu Veneto centum voluntarios Latinos milites, nullum Cretensem. Turcæ, & fractione fœderum, & quod nauim receperamus, quã multo milite, & ipsi & nos refertam crediderimus, merito commoti, versi in rabiem & furorem, sine fignis, sine ducum imperio, per disiecti stratique muri ruinas, in vrbem ad tabulatum vsq; vice quarti muri oppositum incurrerunt. Magnus Magister, dimisso consilio & Senatu procerum antesignanorum, ad tumultum accurrit. Pugnatum aliquandiu hinc inde est acri animorum contentione, Magister (quod quoties rem quispiam impigre fortiterq; gessisset, tota oppugnatione fecit) ingenti eo die præmio remunerauit virtutem. Dalmatæ cuiusdam familiaris D. Martini Restii, ciuis Ragusini, quem insana plebs cum more humani ingenii, multa noscendi cupido de dispositis insidiis, & suffosso ad cremandos hostes puluere inquireret, quasi proditionis conuictum, non expectato iussu Magistri, in carceres coniecit. Parum à ui, tumultuque populari iniuriam accepit coquus antistitis fani Colossensis, non tamen tam immerito, quam innocenter. Siquidem octauo Calendas Octobres, dum omnis ordo & ætas circa mœnia propugnaret, magnanimus ipse miles in fastigium fani scandendo irrupit, inde bellantium vtrinque cædes & vulnera secure, minime tamen ociose prospexit. Nam hostibus à quibus neque videri, neque audiri poterat, procul in aere minabatur, defensoribus agitatione vexilli ibi reperti (vt videbatur) animum addens. Et primum ab hominibus religiosis Diuus Ioannes æstimabatur, inde cognitus homo vocatur furcifer, verbero, sacrilega, proditor, fau-

Rhodij vrbem suam Turco tradere statuunt.

tor hoſtium, qui eis è ſpecula ſignum faceret. Et quanquam miſſi nuncii ad deſcenſionem illum hortarentur, nihilominus perſonam ſuam egit, donec iaculis & lapidibus funda excuſſis, impetitus deſcendiſſet. Ibi mox turba puerorum & mulierum circumfuſus, rapitur, cæditur, mulctatur miſer: vnus barbam euellebat, alius depalmauit faciem, tertius conculcauit ventrem, quartus iugulo enſem intentauit. Accurri, & hominem ereptum è fati faucibus in publica vincula conieci. Hac pœna non contenta muliebris commotio, opera puerorum carceres effregit. Et collo grandi fune iniecto (quem manibus puerorum ſors obtulerat) miſerrimum inter verborum ludibria & contumelias ad crucem protraxerunt, pars ſacrilegum, pars proditorem, multi recutitum appellabant: nonnulli conſtantius aſſerebant Turcam eſſe, & miſſum exploratorem. Perierat infelix manibus furientium, niſi commodum renunciatum & aſſertum fuiſſet, ab antiſtite templi, eſſe culinarium ſuum, natum in Gallia ad foſſas marianas, nec Turcaicæ, nec Græcæ linguæ peritum. Simili iniurioſo ſpectaculo, ſubque ipſum deditionis noſtræ tempus, & poſt violatas inducias, Magiſter gladiatorum Turcenſium crudelis, ſanguinarius, bellator, corpore vaſto & rudi, quod cõuenientes ſequebantur mores, contemptus hominum, ſuperbæ aures, contumelioſa dicta, libidines nouæ, inhumana crudelitas, affecit tres Chriſtianos, quos barbari incautos extra vrbem in hoſtilem campum lupis ferreis protraxerunt. Nam manus illis aureſque abſcindebat, poſtea vulnere inhoneſto nares truncauit, & in vrbem remiſit cum huiuſmodi literis: Nullam ſalutem magne Magiſter. Quem ego ante tres, quatuorue ad ſummum dies his manibus minutim conſcindam, & milites mei populo tuo nulla habita conſideratione ætatis, ſexus, ordinis, vi, ferro, flamma miſerabilem animam eripient, vt inſigni exemplo poſteritati innoteſcat iuſtitia Turcarum & Chriſtianorum perfidia. Quos violatis induciis externa auxilia recipere, & improuiſos milites trucidare non pudet, quorum nemo (credas) amiſit multam animam. Magiſter minaci epiſtola perlecta ſubridens. Ne modis omnibus (inquit) oppugnati non eſſemus, etiam minæ & conuitia addita ſunt. Verum magis turbati ſunt animo, Robertus Peruſinus, Frat. Raymundus Marchetus, de quo ſupra primo lib. dixi, & F. Raymundus Lupus à Pacis eques vlterioris Hiſpaniæ ingenio acri, & ſummo iudicio orator: in caſtris hoſtium, quos Achimetus incandens ira ob fœdus violatum & nauim vix mediocrem receptam, procul dubio omni tormentorum & cruciatus genere affeciſſet, niſi in oppido noſtro egiſſent obſides. Verum cum Nicolaus Vergotus & Georgius Sandriticus ciues Rhodii, vrbis tradendæ formulam attuliſſent, repente lenita eſt omnis efferatorum hoſtium exaſperata rabies. Tyrannus cinctus ingenti exercitu & proximiora cohorte prætoria, quæ ad pompam & terrorem auro, armiſque præfulgebat, ſingulas pacis ac deditionis leges teſtibus Deo & Mahumete fœderum inſpectoribus, conceptis verbis pronunciauit. Conuenit inter cætera capita: Diuorum templa inuiolata manere pueros non auellendos è parentum familia, neminem cogi debere, vt Mahumeti nomen daret, manſuris quinquennalem tributorum immunitatem concedi: abituris dari naues, & commeatum vſque in Cretam, tormentorum bellicorum quantum liberet, tolli poſſe, diem referendæ vrbis arbitrii Chriſtianorum eſſe. Quæ perfidus Tyrannus Deorum ac hominum iuxta contemtor vt ſeruaret, tantum abfuit, vt die Natalis Chriſti, antequam quiſquam fugam adornaſſet, porta Coſquinii propugnaculi vi effracta vrbi infeſta ſigna intulerit. Et ſacra omnia profanans, primarium fanum, numini tutelari ſacrum in ædem Mahumetis conuertit. Euulſis è ſedibus ſuis ſtatuis, & beatorum imaginibus abraſis, ſepulcra Magiſtrorum, & quidquid ſcriptum ſculptumque Magiſtratus cauſa erat, dirui ac complanari iuſſit. Ornata eximie ſacra Baſilica fuit, & copia vicini marmoris & ingeniis artificum. Nec diruere modo ipſa ſimulachra, ac ſepulcra euertere ſatis habuit, ſed lapides quoque ne integri cumularent ruinas, frangi iuſſit. Et poſteaquam non tam ira ſatiata quam iræ exercendæ materia deerat, templum omni compoſita effigie & ſimulacro vacans ingreſſus, veneratus eſt Mahumetem qui ſecundum illud ſummum & æternum neque mutabile neque interiturum numen, ſelectus maximuſque in cœlo eſſe à barbaris creditur. Poſtea hi qui ſpretis patriæ religionibus Mahumeti nomina dederunt, gens ad rapinam & immanitatem prona, Iudæis haud abſimilis (nam genitalia circumcidere inſtituuntur, vt diuerſitate noſcantur) tranſgreſſi in morem Turcarum idem vſurpant, nec quicquam prius imbuuntur, quam contemnere Chriſtum, exuere patriam, parentes, liberos, fratres vilia habere, paſſim tota vrbe templa conſpurcare incœperunt, rapere quæ oculis ac manibus obuia eſſent, miſerorum hominum ſarcinas ad portum deportatas vt nauibus imponerentur, diripuerunt. Sacrum Xenodochium omni ornatu vultuque & ſuppellectile, argentea plane maximi valoris ſpoliarunt. nullum tormentum nauibus imponi patiebantur, triremibus tamen ſua remanſerunt magis caſu, quam illorum vel fide vel gratia. Chriſtianis cæſis fuſtibus & colaphis vice iumentorum ad ferendum onus vtebantur. Iuuæos vel quadraginta annos retro renatos ad Moſem redire compellebant: vernas, ſeruos tinctos aqua luſtrali, Mahumeti ſacra facere. Chriſti crucifixi ſtatuas luto cœnoque conſperſas per ſtrata diecerunt: Chriſtianis tollere volentibus, ſtatim fuſtuarium paratum erat. In foro aut loco publico nemo expers iniuriæ aut contumeliæ eſſe poterat. Nec is quidem qui imperatam pecuniam exoluebat. Nam ego cum vno Soldato Gallico & aliquot Marcellis Venetis à pluribus barbaris vexationem meam redemiſſem, neque poſſem omnium auaritiam inopia nummorum explere, miſer ad necem vſque vapulaui. Magnus Magiſter cõſilio ſuo iuſſu Achimeti aſſumpta humili veſte, qualis ſupplici, victo, & victoris maieſtatem veneraturo conueniebat, foris in caſtra hoſtium ad prætorium Tyranni iuit, paucis comitibus ex illo infelici ordine equitũ. Qui cũ die ac noctu ſemeſtri oppugnatione vltima auſi paſſique eſſent, & iam poſt vniuerſa vitæ & victoriæ amiſſa atque deſperata ſubſidia, affecti continuis vigiliis, longo diurnoque morbo, cæde, opere irrequieto exhauſti viribus, arma ſubſtinere nequirẽt, neceſſitatibus humanis magis vi in ignominioſam ſuperbiſſimorum hoſtium poteſtatem deuenerunt. Magiſter cum à ſumma luce in maximam vſque diei partem impotus impranſuſque ſub denſiſſima etiam pluuia & grandinum turbine diu ante prætorium expectaſſet, tandem lato clauo à barbaris indutus, ad conſpectum Tyranni inductus eſt. Ambo alter alterius intuitu & admiratione mutua attonitus, inuicem ſeſe pauliſper contemplati ſunt. Tum ſalutatus primum à Magiſtro, & manum ſuam paſſus oſculari, ſic loquutus perhibetur. Et in merito iureque optimo deditionis leges quas præſcripſi irritas facere poſſim ſceleſtiſſimis tuis Cruciferis, ac populo Rhodio, tibique imprimis hoſti tam infenſo, à cuius merita pœna iuſtiſſimum victorem nec Sacramentum flectere deberet: decreui tamen inſontem & nouiſſima exempla promeritum, non tantum pius eſſe & clemens, ſed etiam liberaliſſimus: cui ſi grauiſſimos vitæ anteactæ errores bene agendo emendare velit, honeſtiſſimos ordines, ſummos Magiſtratus, ſuprema imperia in bello, in exercitu, in toga, in pace polliceor. Hæc ne recuſes & præſens fortuna tibi ſuadet, & Chriſtiani quorum cauſam meliore incepto, quam exitu aduerſus metuendam cœpiſti, hanc talionem merentur. Quid enim prohibet, quin à tuis omnibus deſertus & proditus, victus, in perpetuam fidem & vltro oblatam gratiam, potentiſſimi & benigni victoris venias? Ad hæc Liladamus? Maxime clementiſſime Imperator, inquit, oblatam conditionem ego præ tantis ducibus tuis minime mereor: ſors autem & merita de te mea haud talia ſunt, vt refutare illam vel auſim vel debeam. Libere tamen dicam inter arma victricia, victus ante victorem, cuius ſummam clementiam nunquam deſperaui, cuius fidem haud ſum veritus malo aut ſtatim amiſſo imperio priuatam & infelicem hanc vitam amittere, aut ſemper ingloriam eam viuere, quam à meis transfuga potius quam victus appellari. Vinci enim fortuitum eſt, & à tanto victore etiam ipſi victo non prorſus pudendum: ſed ſuos deſerere, & militiam mutare ignauiæ & perfidiæ plenum duco. Solymannus admiratus cani principis in tanta difficultate animum & modeſtiam, iuſſit dimiſſum à colloquio cum ſumma fide & ſatellitio Turcaico in vrbem reduci & auguſtate. Singuli etiam equites, qui magnum Magiſtrum ſuum comitati fuerãt, veſt coccinea donati ſunt. Neq; hoc officio ſatis ſe feciſſe

Solymannus Rhodijs grauiter minatur.

Solymanno Rhodus traditur.

Rupto fœdere Solymannus Rhodum vi occupat.

Liladamus Magnus Magister Rhodi ad Solymannum supplicabundus venit.

Solymannus prudentiæ & fortitudini magni magiſtri credidit. Die ergo quadam improuiſo vrbẽ ingreſſus, ſalutato Mahumete, magnum Magiſtrum reculis ſuis componendum intentũ inuiſit. Hic cum ſe ſubmittere in genua, & victoris maieſtatem adorare vellet, ille nullo modo id paſſus eſt. Imo motis pauliſper à fronte manu dextera in ſulis imperialibus, quod reuerentiæ genus Turcarum reges Deo tantum, & Mahumeti exhibere ſolent, magnum magiſtrum, Babba, hoc eſt patrem amantiſſimum & reuerendiſſimum appellauit. Et inſra ſcripta alter alteri per interpretem loquutus eſt. Prior magnus Magiſter modeſtia, prudentia, magnanimitate non minus inermis in vrbe capta, quam armatus in acie eſſe ſolebat admirabilis, ſic exorſus eſt: Si quanta audacia mihi fuit, tanta fortuna rerumque proſperarum acceſſio fuiſſet, victor potius in hac vrbe, quam victus eſſem. Verum poſteaquam claram Rhodum euertere fata voluerunt, lætor te mihi ſorte potiſſimum datum eſſe, à quo vim acciperem & gratiam: tibi quoque inter alia multa egregia non in vltimis laudum, hoc eſt, viciſſe Rhodum & pepercisſe. Adieciſti hoc modo potentiæ tuæ clementiæ famam, quæ neque ſummis mortalium ſpernenda eſt: nam per hanc ſolam æquales Deo æſtimamur. Seruabis igitur, nihil dubito, pacis leges, quas dare clementia tibi ſuadit, mihi accipere neceſſitas. Æternum tunc exemplar clementiæ & virtutis Turcicæ ero magis, quam ſi ſtatim deditionem feciſſem. Pertinacia modo mea, gloria & pietas tua per orbem terrarum inclaruit. Adhæc, mihi, inquit, tyrannus etiam magna lætitia eſt, quod te Deus monuerit, vt aliquando pacem quam bellum malles, atque hoc vtinam tibi à principio placuiſſet: profecto à ſumma potentiſſimaque maieſtate mea ad hoc tempus plura bona acceppiſſes, quam mala perpeſſus es: Quæ quod nullo odio tibi intulerim, ſed ſola dominandi libidine, vel hinc colligere potes, quod te uſque inuiolatis corporibus, intactis fortunis hinc dimittam. Haud enim bellum gero, vt diuitias, vt opes comparem, ſed ad gloriam, famam, immortalitatem, protelationem imperij tendo. Eſt enim regis ſanguine regum orti proprium, rapere atque inuadere aliena, non quidem auaritia, ſed gloriosa cupidine dominandi, cui quum obſtat vicinus, armis & vi eum tollere ſatis habeo. Verum tyrannus ficta omnia loquebatur, & longe aliter, quam animo agitabat. Priuſquam enim hunc amicum ſermonem meditatus eſſet, ducibus delegauerat, vt maximam onerariam nauim triremeſq; militiæ & in eis magiſtrum cum equitum cœtu Conſtantinopolim veherent. Cuius rei non modo occultus inter duces rumor, ſed etiam inter milites publica vox erat. Quam vbi percepit Liladamus, cum proceribus Turcarum egit, vt imperatorem ſuum fidei ſacramentique admonerent. Interea ipſe ſub noctem Chriſtianæ circumciſionis enauigauit vrbem ſuam infeliciſſimam perfido tyranno relinquens: cui quantum vno ab aſpectu curuatis more patrio, antrorſum poplitibus equo inſidentem iudicare poſſum, nec autoritas, nec dignitas formæ deeſt: ſtatura eſt recta, oculis nigris paululumq; trucioribus: cæterum vultu gratioſo & ſubfuſco. Ante ambulabant pedites ſagittarij, ore, circa ſuprema labra offero, pilis intortis, quos Myſticas appellant. A tergo ſequebantur equis inſidentes molles pueri miniſtri libidinum, forma tamen non ſatis venuſta, & incompto nigroq; capillitio ad humeros promiſſo. Siniſtrum tyranni latus obequitabat Farraus præfectus ripæ Euphratis, qua minor Armenia Ciciliæ coniungitur, & etiam vltra Amanum montem in Comagenæ finibus, quibus Meſopotamia prima Hiſmaëlis Sophi prouincia à vetere Sultanorũ ditione diſterminatur. Adduxerat iſte nocte natalis Dominici xx. millia integrorum militum, qui cum decem aliis millibus ripam memoratam aduerſus eruptiones Perſarum cuſtodierant, dum Rhodus oppugnaretur. Quę cum ſæpe alias obſeſſa oppugnataque & fortiſſime defenſa fuerit maiore vi vincente cauſam meliorem, vt dixi in oratione mea ad Adrianum VI. Tandem anno à nato Chriſto XXIII. ſupra ſeſquimilleſimum ſub iuſto clypeo miſerabiliter occubuit Chriſtiani imperij antiqua propugnatrix: &, vt inquit eloquentiſſimus vir frater Thomas Guichardus, in oratione ſua pro Rhodiis, ærumnoſæ Græciæ protectio, peregrinantium diuerſorum, naufragorum, portus, miſerorum aſylum, languidorum Xenodochium.

Eidem inſidiæ ſtructa.

DE BELLO RHODIO.

Liber Tertius.

Compertum ſemper habui operis præſentis materiam vires meas excedere, & feliciore ſtylo poſteris tradendum eſſe. Verum vt palam & in vrbe Roma hominum doctiſſimorum theatro ineptus eſſem, coegit me primum obſeruantia ſacrorum & nobiliſſimorum equitum, coegerunt deinde mala mea: iam hæ pectori altius inhærent, quam vt eorundem nulla à me mentio fiat. Difficile quidem eſt ſilere; cum ames & doleas. Et mouebit forte abſonus & incompoſitus hic planctus meus talium animos, qui qua ſunt eruditione, bellũ omnium maximum, maxima cum eloquentia poſteris commendabũt. Quod cum multi in Germania, Italia, Hiſpaniis, Galliis, & in alma vrbe Roma præſtare poſſent, cumulatiſſime vt ſperamus præſtabit Paulus Iouius, artis medendi, & litteraturæ cultioris Antiſtes, tum hiſtoricus imprimis celeber & verus. Deus immortalis, quanta fide, quam graui iudicio, quo rerum ordine, quali proprietate verborum, qua orationis facilitate, deſcribit ille, aut verius ante oculos ponit omnium regum, principum, populorum, tam in Oriente, quam in Occidente acta, geſtaque? atque vtinam facundis omnibus ingeniis placeret, quod inſtituerunt doctiſſimus humaniſſimuſque Iouius noſter, & Petrus Aleyonius, iuuenis, ingenio, eloquentia, & multiplici rerum ſcientia præſtantiſſimus, quod præclariſſima, & nunquam peritura ingenij ſui monimenta teſtantur, Ariſtoteles & Galenus verſi, Legatus Medices de exilio, oratio elegantiſſima de nece Chriſti ad Quirites, funebris item laudatio defenſorum Rhodi, quæ fortiter ſcilicet fecerunt aut dixerunt prudenter alij quam quæ ipſi ſentiant vulgo tradere, profecto res humanæ melius ſe haberet. Sed hic eſt præſentium temporum ſtatus & optima magis optari quam fieri poſſunt. Verum ne prologus ſit prolixior fabula, tertium librum aggredior libri Rhodij. Bellum enim potius quam oppugnationem vocare libuit, quando non tantum vrbis noſtræ mœnia, ſed omnes arces Rhodi, & aliarum inſularum, quæ Rhodiorum ſunt, terra marique acriter pugnatum ſit. Narrabo hic igitur paucis multa, quæ toto itinere ad almam vſque vrbem equitibus & populo Rhodio contigerunt, inſularum, regionum, vrbium, locorum deſcriptione exactiori omiſſa. Hanc enim in appendice magis quam in libro, tum hiſtoria non topographia facere mihi, nec otium nec animus eſt.

XXXIII.

Expulſi patria, laribus antiquis, affecti humanis omnibus incommodis, claſſi laceræ hyberno tempore poſiti, decem dies aſpero mari & tempeſtuoſo erravimus. Appulit tandem ad Scythiam, Cretæ inſulæ vicum & promontorium maxima nauis noſtra, quæ in ipſo portu dum ſub noctem anchoras iaceret, prope impegit, nauis caſtellata Hieronymi Carmanioli, quem ordo equeſtris, quod tempore difficili Rhodio ſuccurriſſet, vice aureorum calcarium donauit, vento pomeridiano vehementius flante in ipſius ſtationis cautes acta fœde periit. Ibi vnda maris Turca inclementior, cuncta quæ miſeri homines ſecum attulerant, abſorbuit. Reliqua claſſis alto & ignoto mari iactabatur Ioannis Bouladij nauis, poſtquam Cortugoli claſſem euaſiſſet, vndis per laxas compages incurrentibus ferè ſubmerſa fuit. Nihilo ſecundiori fortuna triremes, quæ magnum magiſtrum portabat in mari Carpatio vſæ ſunt, nam naufragium prope fecerunt: ſed Deo optimo maximo rebus præter ſpem ſuccurrente, cum duodecim aliis leuioribus Cretenſium ciuitas in plano ſita duodecimo forte ab antro Minois miliario, verum proximior monti Idæ, qui Iouis incunabulis & poetarum carminibus famatus apprime eſt. In hac Veneti ius dicunt & imperant, vt reliquis omnibus inſulæ vrbibus. Nam Creta Venetorum colonia eſt. Magnus Magiſter, omni ordine ciuitatis obuiam procedente, lacrymanteque ſumma cum veneratione à Dominico Treuiſano grauiſſimo & ſapientiſſimo cõſule exceptus eſt. Miſerat hunc ſenatus Venetus dum Rhodus obſideretur in Cretã cum ſummo imperio & claſſe ſexaginta

XXXIII.

Eiuſdem à Rhodo nauigatio.

triremium viris armisque egregie instructarum. Mansit hic sacer equitum ordo ad inchoatam vsq; quadragesimam, summa cum cura & diligentia mœsta negotia sua componēs, classem laceram reficiens, nauibus nautas imponens, nam flos horum bello periit, inter quos sedulo industrieq; omnia quæuis hostium diruerat, reficiendo, enituerunt Petrus quidam faber nauticus Rhodiensis, & Georgius quidam Ligur, classe nostra, quæ tormentorum ictibus Rhodi acceptis, tum nautarum negligentia circa vrbis defensionem occupatorum & multa vnda maris lacera ruptaque fuerat, vtcunque refecta & necessario commeatu accepto, Februario exeunte à Creta insula soluimus iussu magni magistri, & nobilissimi equitis Angli, F. Gulielmi Austoni, viri integritate vitæ, & facilitate morum excultissimi: quem proceres antesignani maximæ; imo vniuersæ classi nauium castellatarum præfecerunt, quas ventus, & parum propitia aura, postquam vela nautæ expandissent, diu in conspectu insulæ aspero mari hinc inde vagas retinuerunt. Tandem post longam cum vnda & ventis conflictationem, neque vllam in insulam, nisi parum soli niueo marmore splendentis, cœlique amœnissimi descensione facta, superatis Naxo vino suo nobili, in quo etiam hodie Bacchi vetustissimum templum cernitur, Zacyntho, Cephalenia, Strophadibus insulis, ad altum pelagus in sinum Adriaticum æstuans peruenimus, magno magistro procul è conspectu & à tergo relicto: qui cum triremibus, quæ nunquam altum pelagus tranant, & nauigiis minoris formæ semper secundum oram maritimam nauigauit, omni in loco ad quem descendisset, cunctorum lacrymis, studio, officio, & humanitate, honoreque exceptus. In Corcyra vero & Gallipoli quantus sit ei publicè priuatimque à magistratu, à popularibus exhibitus honor, haud facile dixerim. Sed cum omnium officiosa obsequia, atque præterea commoditatem, & commeatus recentis frequentiam, cætera mala quæ nauigantes pati necesse est, superarent, ingens morbus remiges classiarios, sacrosque equites inuasit, cuius vis nequaquam tamen tam efferata erat, quam illius, qui inuectos nauibus onerariis, & affectos omnibus humanis incommodis, squalore, vomitu, fame, siti grassabatur. Hac rerum incommoditate, cibi potusque defectu factum est seminarium magnarum ægritudinum, quæ postea in Messana ciuitate regni Siculi nobilissima in ora post Pelorum sita, modico interiecto freto, à regio Calabriæ oppido distanti, enascentes sæue & atrociter omnes molestarunt: plurimos quibus nec hostes, nec maris tempestates nocuerunt, in aliud seculum retrusere: mihi etiam ne animam morbi ius eriperet, magis diuina clementia quam humana res effecit. Et dum infelices exules patrui & sedibus maiorum nostrorum expulsi, has calamitates & miserias in terra ignota pateremur, penè cunctis malis grauior omnibus erat mora magni magistri. Cum enim grauiora nauigia tertio Idus Aprilis ad Siciliam appulissent, neque de se nuncium mitteret, nec veniret ille tertia aut quarta hebdomada post, merito omnes plurimum timere, ne cum triremibus male ad bellum paratis in Afrorum potestatem venisset, qui piraticis nauigiis mare Siculum apprime infestum reddunt: quidam naufragium fecisse credebant, alius classem suam pestilenti aliquo morbo infectam non audere procedere vaticinabatur: omnia vario tumultu strepere, & vt in rebus tristibus ac dubiis fieri solet, suo quisque metu pericula sibi fingebat. Tandem ineunte mense Maio, Rhodius etiam Messanæ inhabitatoribus omnibus lux pergrata aduentu magni Magistri orta est. Gratior tamen fuisset dies illa mortalibus si principem militiæ Rhodiæ triumphatorem in classe victrice & spolia hostium præferenti conspexissent. In lacero autem & morbido nauigio, vixque vt à prædatoribus tolleretur digno, vbi viderunt: nemo lacrymas continere potuit. Dici vix potest, qualis gemitus, quantusque ploratus circumfusæ vndique turbæ fuerit: nemo suspiria, nemo lacrymas sponte vbertim que profluentes reprimere potuit, nisi quem dolor mutum effecerat. Et vltra promiscuæ multitudinis optimi erga Rhodios animi ista signa, amplissimus etiam honor & fauor magistro Rhodiorum exhibitus est à primoribus regni Siculi, & ipso prorege Hectore Penitagello, Comite montis Leonis, heroe natalibus, litteris, virtute præclarissimo: qui obuius cum Ioanne Lignano Archiepiscopo Messanensi reuerendissimo, & fratre suo Fabricio Penitagello Priore Baruli, eum inter vlnas humanissimè exceptum & osculatum splendido comitatu multorum nobilium virorum in vrbem induxit. Venerat Fabricius hic Messanam cum bis mille expeditis peditibus in agro, & ex iuuentute Regni Neapolitani selectis, vt Rhodum suam subleuaret. Est enim vnus ex equestri ordine sacrorum equitum, idque fecit sola animi sui magnitudine & pietatis affectu, nullo maiorum suorum imperio coactus. Mandatum enim receperat tantum de commeatu & nauibus parandis, qua in re diligenter industrieque se habuit cum collega suo Carolo Iosuualdo Priore sancti Stephani, qui non semel tantum Rhodianorum animos ad spem fidemque venturi auxilij erexit, litteris missis per F. Ioannem Bressolum equitem Italicum: qui cum prælij naualis peritia etiam litteras & historiæ cognitionem coniunxit. Quin etiam nepotem carissimum Ioannem Iosuualdum, qui Rhodi fortiter dimicando occubuit, nauicula præmisit exploratoria ad obsessos consolandos, socio F. Michaele Peralto equite Nauarro, cuius admiranda parandi salis petrarum ars, & tormentarij pulueris faciendi dexteritas, operumque ignotorum industriæ Rhodiis in tempore difficillimo, magno & necessario vsui fuit. Saluti autem esse non potuit rebus fessis nemini succurrente. Et his qui succurrere voluerunt, obstitit fatum. Ne culpam reiiciam in Adrianum Sextum & maximum Pontificem & mortuum, aut in viuentem quempiam Regem vel Principem. Nam Reges & Principes omnes iam constat Rhodo obsessæ bene voluisse, optasse defensoribus victoriam & triumphum, quibus vt potirentur Carolus Quintus Imperator inter homines opt. max. è regnis suis Neapoli, Sicilia, militem, arma, commeatum decem millium ducatorum & gratis & libere tollere permisit. E portubus sociorum & confœderatarum gentium in Italia, naues maximas onerarias abducere. Adrianus etiam summus Pontifex quanquam summa rei nummariæ inopia premeretur, & iam legatum cum ingenti pecunia in Hungariam misisset, vt regnum illud in fide atque officio Christianæ religionis contineret, procurante nobilissimo & prudentissimo equite Iuliano à Rodolphis antesignano cruciferorum Capuanorum, in auxilium vrbis obsessæ sex millia ducatorum erogauit: quorum loco vtinam sex triremes, vel vacuas equestri ordini concedere potuisset & voluisset. Nam arma, viros, commeatum, & cætera bello necessaria inuenisset hic, & iam forte victrix Rhodus de hoste suo triumpharet, imo hostium summum principem (credo) in vinculis contineret. Quod vt fieret, maxime optasse non dubito Franciscum Galliarum regem, & nomine, & re ipsa Christianissimum, qui vel summis regni proceribus factum haud satis probantibus, & re sub ipsum tempus in Insubribus parum feliciter gesta, etiam à Cæsare, & socio populo confœderatisque regibus vim expectans, sex naues & inter eas Tremoliam à portu suo Massiliensi, vt his Rhodo auxiliarentur Franci Hierosolymitani equites soluere passus est. Quos vbi magnus Magister Messanæ reperisset simul cum equitibus Hispanis & Italis auxiliaribus seuero grauique consilio indicto, causam publicè in cœtu omnium equitum dicere, & moram expurgare iussit: fuit oratio omnium & diserta & vera. Sed nobilissimi Auerni equitis F. Ioannis Lidserami longe omnium disertissima & apertissima, adeo vt singuli veritatem manibus pedibusque palpare (vt prouerbio dicitur) potuerunt. Missus fuerat à Magistro Lidseramus, hic tres prope menses ante obsidionem, cum ob alia negotia, tum vt increbrescente fama belli in nos Turcaici, copias auxiliares quanto ocyus posset expediret. Sed neque ipse, nec Dauceauillus & Andugus, quorum supra feci mentionem in secundo libro, quicquam profecere, imo nec Nicolaus Hussonus Secretarius magni Magistri, & quarta vice missus cum litteris à Bartholomæo Politiano, viro doctissimo prudentissimoque, scriptis F. Antonius Boysius accensus equitum Italorum, vir rebus gerendis longe accommodatissimus: qui cum Fabricio Carectano optimo & laudatissimo principi ob fidem, industriam, diligentiamque suam semper fuerit carus, etiam ob virtutes suas huic magistro acceptissimus est. Postremo denique cum totius rei nostræ summa grauiter peri-

clitari

clitari inciperet, exiit, vt supra dixi F. Emericus Reaux ad transmarina auxilia acceleranda. Sed cum horum omnium nec diligentia nec industria profuerit, in durum atque inexductabile fatum, cladem nostram sine cuiusquam offensione reiicere possum, & merito (vt puto) & prudenter. An non fato potius quam hominum nauticorum vel perfidiæ vel ignorantiæ adscribam? quod nauis Ianuensis maxima quam Faiam vocant, commeatu, armis, viris refertissima, tranquillo mariatque in ipso oræ Ligusticæ portu Monecho Herculi sacro fœde perierit? Etiam Thomas Nuport Prior Aquilarius legionis Anglicæ delectam manum sagittariorum Britannicorum & auxiliū viæ ignotum argenti pondus & auri Rhodum ferens, cum in ventum contrarium incidisset, vi tempestatis iterum in insulæ desertum quoddam promontorium repulsus, vnda maris cum omni gente sua submersus est. Et ne in omni loco fortuna, vt Iuno Troianis, Rhodiorum nauigationi non aduersaretur, Fratrem Antonium à Sancto Martino priorem citerioris Hispaniæ, senem in armis à puero excitatum, & Homerico Nestori simillimum in piraticam classem Afrorum iniecit, à quorum tormentariorum saxorum ictibus tantam vim rostrata nauis sua passa est, vt pene fluctibus depressa fuerit. Similem etiam vim ab hostibus accepit nauis oneraria Prioris Castellæ Didaci Toletani illustrissimi ducis Albæ filij, digni profecto tanto patre: nam præter egregias corporis dotes, animi quoque bonis, iustitia, prudentia, fortitudine egregiè excultus est. Cum ergo Messanæ sacer equitum ordo subsisteret, & pestis futuræ suspicio hominum mentes iam præoccupasset, ne tanto malo miserrimi Rhodij exules post tot tantasque ærumnas suas contaminarentur, visum est patribus, locum, aeraque salubriorem inquirere. Indicto igitur hanc ob rem sacro magnoque concilio, omnium suffragiis ager Neapolitanus & amœnitate cœli & fertilitate glebæ, rerumque omnium quibus vita sustinetur copia aliis prouinciis præstare iudicabatur. Placuit igitur eo cursum dirigere. Sed Puteolani, cum post Idus Iulias classis nostra eo peruenisset mandante magistratu Neapolitano, timore contagiosæ pestis, terra nos prohibuerunt. In ruinis igitur Baiarum & specubus circumuicinis aliquandiu nos continuimus, vitam trahentes. Missa è Neapoli & Puteolis alimonia, quam distribuit industrius eques Narbonensis F. Ioannes Bonifacius qui hostili obsidione tribunatum militarem & diligentissime & sapientissime gessit. Verum cum suspicionem hanc vanam fuisse compertum esset, laxior annona ab vrbe ad nos redit, & honor magno magistro proceribus regni exhibere cœptus. Carolus Lanouis rei militaris & regni iuste sapienterque administrati laude illustris, munera cerealia ad magnum magistrum misit. Postea etiam in æde sacra diuæ virgini ad fauces scriptæ Neapolitanæ eum honorifice excepit, cinctus ipse splendidissima & nobilissima corona procerum regni, atque custodibus corporis hastas præacutas gestantibus, quorum tunicis ante & retro aquilæ imperiales intextæ erant. Verum cum sulphurea Puteolorum graui insuetoque odore suo multorum capita & sanitatem læderet, & aliæ multæ causæ recessum suaderent, nec haberet mœstus senex regno electus, patria extorris, quo & salubrius & decentius confugeret, quam ad sacrosanctam Romanam Ecclesiam, vt eius Sanctissimo tunc Antistiti Adriano Sexto, casus suos exponeret, vnanimo suorum decreta petiit ciuitatem veterem quæ in ora est maris inferi, distans ab vrbe Roma trigesimo miliario. Estq; ibi à Reuerendissimo Episcopo Conquensi Hispano, summi Pontificis nomine, mira & ingenti gratulatione exceptus: admonitus etiam, vt quam primum Pont. max. inuiseret, cum sacra militia non nisi diuum nomine è tam rabidis hostium, & perfidiæ Turcaicæ faucibus erepta. Cupere sanctissimum senem & Pontificem ante vitæ exitum dare sacratissimo & nobilissimo ordini equitum & vago miserrimoque populo Rhodio, quietas sedes vrbemque mansuram. Magnus igitur Magister non diu cunctatus Romam profectus est, sacræ militiæ summo imperio delegato nobilissimo equiti F. Bernardino Arafchæ præfecto maris & olim arcis D. Petri in Caria, in qua contra vim & insidias Barbarorum (dum Rhodus obsideretur) custodienda & prudenter & fortiter se habuit. Quomodo autem magnus magister quantoque cum splendore & ornamento Romam ad ædes ipsas Pontificis inductus sit, haud satis eleganter explicare possim homo tenuis facundiæ, in bello ad hæc angusto. Præcesserat obuiam, vel extra muros vrbis Pontificis maximi ea domestica familia, induta palliis rubris, patres purpurati, quos summa secundum pontificem maximum dignitas atque autoritas raro in publicum prodire sinit: familiares missit honorarios, qui ante magnum Magistrum vecti, mulis coopertis, stragulo coccineo ad terram demisso, dominorum galeros gestabant. Hos sequebatur Archiepiscoporum, Episcoporum aliorumque prælatorum sanctæ Romanæ Ecclesiæ, & virorum, quos aut insignis eruditio, aut vitæ autoritas commendaret, magnus numerus sane maiestate & grauitate morum conspicuus. Ipsum autem magnum Magistrum cingebat vtrinque pedestre agmen Heluetiorum custodum corporis pontificij, ambulans passu militari, compositoque ad sonitum tympanorum, fistulæque Germanicæ, manu longa hostilia gestans, quibus ferox illa natio hostes suos in præliis confodere solet. Adfuit etiam prætoria cohors equitum. Item præfectus vrbis cum satellitio suo, & vigilum ministrorumque iustitiæ equestris, pedestrisque turma. Hac pompa comitatuque omnium ordinum & magistratuum vrbis Romæ, dum per medias turbas hominum omnis ætatis sexus atque ordinis, qui passim ad spectaculum è vicis, domibusque sese effuderant, ille ad Vaticanum veheretur, moles Hadriani, eademque diui Angeli arx honoris & lætitiæ signum, immanes frequentissimosque bombos tormentariis machinis expressit. Postea locatus in honoratiore parte ædium, cum Sacrosancti antistitis maximam in terris potestatem adoratum supplex de more veniret, processit ei obuiam aliquot passibus Adrianus Sextus, quanquam senex, & æger, & summus Pontifex. Qua in re ostendit egregiè Adrianus diuinus homo, humanus Deus innatam sibi cum cæteris virtutibus à puero humilitatem. Equidem si historiam liceret in panegyricum vertere, optarem hic mihi ad Adriani laudes describendas eloquentiam (non dico Ciceronis) quam assequi nullo modo possumus, sed F. Hippoliti Æmilij à Pennabilibus Augustiniani declamatoris diuini verbi facundissimi: qui dum defensores Rhodios vehementia orationis in prælium animaret, ipse lapide ictus exanimatus est. Persuasi enim mihi, si iustus Deus vicario suo longiores annos tribuisset, restituturum fuisse in integrum (vt verbo Iurisconsultorum vtar) sacrum Hierosolymitanorum equitum ordinem. Quod vnice apud illum procurabat popularis suus, idemque militiæ Hierosolymitanæ nobilissimus eques Frater Petrus Dux, spes tamen est, imo fides certissima facta equestri ordini, quod omnia, quæ Adrianus diem vita ereptus omisit, Clemens Septimus Pontifex maximus, laudatissimus, vel supra vota reseret. Qui cum omni cura, industria, vigilantia, semper apud Leonem Decimum pontificem maximum eius germanum fratrem, & Adrianum Sextum militiam Rhodiam protexerit, fouerit, amplificauerit, iam meritis suis & diuina prouidentia adiutrice orbis & vrbis imperium assequutus, eadem omni studio viuat, fauore prosequitur, beneficiis accumulat. Gratias, Priuilegia, indulta Romanorum Pontificum antecessorum suorum, non solum nouo diplomate firmauit, verum etiam sua sponte quam locupletissime auxit. Quod vt semper faciat, & inter Principes Christianos acerbissimis inter se odiis dissentientes, æternam pacem clementia, prudentiaque sua componat, longam & felicem vitam sanctitati suæ optemus. Philippo quoque Vilerio de communi hoste Solymanno Turcarum tyranno, victoriam tam felicem, quam olim de Gaurio Syriæ, Arabiæ, atque Ægypti rege tulit, cum ei duas classes in sinu Issico caperet, vnam factam quidem, alteram ferè fabricatam, & in regem Lusitaniæ principesq, occidentis destinatam. Quod cum sanctissimus & prudentissimus Pontifex compertissimum habeat, nec non alias innumeras virtutes, quibus Romæ inter pontificatum singularis Liladamus extitit, nam Præfectus à collegio patrum Purpuratorum custodiæ sacrorum penetralium, quibus comitia includebantur, prudentissimè mandatum sibi munus gerens, sacro ordini fidem & diligentiam suam approbauit. Cum collegis omnibus

Idem Romam proficiscitur.

mode-

Viterbium vrbem primariam Rhodiatis inhabitandam Pontifex concessit.

modeste & familiariter vixit, nemini se præponens, omnes obseruans, nullarum partium studiosus: vnde facile summam laudem sine inuidia inuenit. Et merito suo summo pontifici factus est carissimus, qui in eo ornando omnia studia sua omnem operam, curam, industriam, cogitationem, mentem denique omnem fixit & locauit. Viterbium Ecclesiasticæ ditionis vel primariam vrbem inhabitandam concessit. Ad quam magister dum hæc scriberem, vt sibi venturo cuncta præpararet F. Carolum Pipam misit præfectum agentium in rebus suis, virum ingenio, morumque facilitate & industria animi ad res omnes gerendas longe aptissimum. Quod cum sæpe alias, tum optimè in obsidione Rhodia perspexi.

XXXIV. Iam vero & in Vngariam, Thomam Caietanum Cardinalem Diui Sixti misit Legatum, cum quinquaginta aureorum millibus, erogandis in subsidium Ludouico Regi, opem contra eundem Solymannum à sede Apostolica flagitanti. Hic vero Vngariam profectus, cum summa omnium, tum inprimis ipsius Regis lætitia exceptus, ita illorum animos authoritate, consilio, operibus cõfirmauit, vt non solum qua ratione resisteretur, sed de bello vltro hostibus inferendo cogitarent. Illud porro fideliter ac fortiter præstitit Caietanus, quod cum ea quam afferebat pecunia, ita demum eroganda esset, si expeditio aliqua memoranda ab Vngaris in Turcam pararetur, eam ille nullo modo aliter atque ex præscripto erogare sustinuit; tametsi à nonnullis proceribus Pannoniis, magnis & conuitiis & minis, vt pro eorum potius arbitratu, qui necessitates suas magis quam quiuis externus nossent, erogaretur, acerrime vrgeretur. Eadem pietate Hadrianus permagnam vim frumenti puluerisque tormentarij, per extremas vrbes arcesque Dalmatiæ & Croatiæ misit, quæ à Turcarum hostilitate in summo discrimine versabantur. Cum autem id temporis Conuentus Principum, liberarum que ciuitatum Germaniæ apud Nurembergam ageretur, huc Franciscum Cheregatum misit, sibi in Hispania cognitum, dum is illic Nuncius Apostolicus ageret, tum recens à se, propter opinionem virtutis Præsulem Fabrianensem declaratum; qui verbis suis acerrime Germanos hortaretur, si ditiones quoque suas saluas vellent, nollentque, omnia sua etiam fœde cuastari, mitterent auxilia primo quoque tempore, abrupta omni tergiuersatione, proxime vicino Ludouico Vngariæ Regi adolescenti, tum de impetu Turcarum grauius laboranti, quam vt solus posset resistere; neque sinerent nobilissimum regnum, quod vniuersæ Germaniæ velut firmissimus obex præiaceret, immanissimo hosti prædæ fieri, qui alioquin ad ipsos quoque pronum accessum habiturus esset, simul monebat, explodérent impia dogmata à litteris sacris, traditisque Ecclesiæ & Priscorum Patrum aliena, quæ apud eos passim subolescerent; memores, quanto ardore maiores eorum religionem sanam, remque Catholicam olim asseruissent, à quibus degenerare, cum ad famam turpe, tum vero impium foret. Dedit ad hæc litteras fere ad singulos quosq; Principes, & Ecclesiasticos & laicos ciusdem exempli, sed præsertim ad Ducem Saxoniæ Fridericum, in cuius dominatu totius incendij fax Lutherus agebat, monens eum, vt haberet ob oculos, quam ineluibilis tetraque gloriæ ad posteros macula foret, fouisse hominem phreneticum, qui non minus impiis ac Sathanicis, quam stolidis næniis orbem pene vniuersum in exilium inuolueret. Præterea adiutorem fuisse labefactandæ pietati, quam tot martyrum fusus sanguis, tot eruditissimorum hominum vigiliæ, tot fortissimorum Principum inuicta arma, summo nixu stabiliuissent: alioquin non cum de ea temeritate causam feliciter dicturum, cum standum esset ad tribunal iudicis Christi. Resipisceret igitur, & ingressus per vestigia fidei maiorum suorum, non sineret prudentiam suam præstigiis vnius rabiosi homunculi illudi, qui scilicet nihil scriptis suis nefandis produceret, quod superiorum temporum Conciliis ex professo damnatum non esset. Spondebat ad hæc, vbi primum sedatis bellorum turbis posset indicere Concilium vniuersale, vt quicquid Romæ, quicquid alibi apud Episcopos, Abbates, & vniuersum denique ordinem Ecclesiasticum coll ipsum esset, in pristinum gradum restitueretur, ne quid hac in parte possent obtendere, quo minus monitis suis morem gererent. Ita scribebat.

Pontifex Saxonem incausa Lutheri admonet.

I.

Friderico Saxoniæ Duci.

Dilecte fili. Salutem & Apostolicam benedictionem.

Satis & plusquam satis sustinuimus, dilecte in Christo, si forte Dei pietas tuam animam dignetur misereac dare pœnitentiam ad cognoscendam veritatem, vt respiscceres à Diaboli laqueis, à quo captiuus detineris. Nouimus te paterne monitum à fe. rec. prædecessore nostro, vt à te separes perniciem illam Christianæ religionis Martinum Lutherum; & cum iam toti orbi manifestæ essent scelestissima machinationes illius, sperauimus & te ad cor pœnitens reuersurum. Sed quoniam exspectauimus uuas, & ecce quia frustra conflauit conflator, malitia enim tua non sunt consumptæ; coegit nos miseratio tui, coegit paternus amor, quo te & tibi subditos Saxones in Domino semper fuimus prosecuti, salutaribus & paternis monitis adhuc conuenire, vt vel tandem respiscatis, antequam plane in vos conueniat, quod mox subdit propheta, Argentum reprobum vocate eos, quia Dominus proiecit eos, & quid dicemus vobis, quam quod Galatis suis Paulus: O insensati, quis vos fascinauit, non obedire veritati? Currebatis bene. Interrogate Patres vestros, ac dicent vobis; maiores vestros, & annunciabunt vobis; quod ab ea ætate, quo vno eodemque tempore vixere Hadrianus Romanus Pontifex, & Carolus ille magnus Imperator Saxonicæ fidei plantatores, ad nostra vsque & charissimi in Christo filij nostri Caroli tempora, aui & proaui vestri, atque adeo Saxones omnes semper habiti estis veluti pacis amatores, fidei propugnatores, & per omnia obedientiæ pacifici filij; taleque, vt non immerito Gregorius V. natione Saxo olim Romanus Pontifex, Saxoniæ Ducem in Romani Imperatoris constituerit Electorem. Quomodo ergo tam cito mutatus est color optimus? Cur tam facile transferimini ab eo, qui vos vocauit in gratiam Christi, in aliud Euangelium, quod non est aliud, nisi sunt quidam qui vos perturbant, & vólunt peruertere Euangelium Christi? Quis vineam Domini Sabbaoth tam pulchrè plantatam est demolitus? Certe exterminauit eam aper de sylua, & singularis ferus depastus est eam. Sed væ illud à vobis, à domesticis & amicis, à cruciatu præcordiorum. Obsecramus te fili dilecte in Christo, leua oculos tuos in directum, & vide vbi sis prostratus. Considera quantum Ecclesiæ Christi, tot malis vndique circumuallatæ, ac pene oppressæ, pro opera qua illi subuenire debueras; cladem insuper intulisti. Oppugnatur foris ab infestissimo illo ac potentissimo Christiani nominis hoste. Dissident intus principes Reipublicæ Christianæ, & in mutuam armati perniciem, cruentissimis inter se odiis conflictantur, & in fraterna viscera ferrum stringunt, vt vix ethnici inter se crudelius. An hæc ita tibi visa sunt non satis grauia, nisi contritionem induceres super contritionem, nutriens ac fouens serpentem illum in sinu tuo, qui veneno linguæ suæ Ecclesiam & terras infecit adeo, vt nunc peruenerit gladius etiam vsque ad animam? Quanto autem pluris est anima quam corpus, tanto grauius est prædictis omnibus horrendum illud & plusquam tartareum venenum, quo hæresum ac schismatum contagione tot myriades animarum interierunt, intereuntque. Ita tibi debemus omnes, quod nunc passim ab vnitate matris Ecclesiæ recedatur: quod auertatur vulgus indoctum, ac bis mille prestigiis ac fascinationibus retrahatur à fide, quam fuxit ab vbere materno: quod Basilicæ sint sine plebibus, plebs sine sacerdotibus, sacerdotes sine debita reuerentia, & sine Christo denique Christiani: quod Sacramenta fidei, non sacra censeantur; quod sanctuarium Christi, sanctum esse negetur; quod dies festi festiue frustrentur solennitis; quod moriantur homines in peccatis suis, rapiantur animæ ad tribunal terrificum, nec pœnitentia reconciliati, nec sacra communione muniti: quod pulcherrimus ille tabernaculi ordo confusus sit, & pro Christiana pace & tranquillitate ad rebellionem, ad rapinas, ad cædes, ad incendia, cum magno ac manifesto Christianæ Reipublicæ discrimine, veluti classico passim excitati. Pro quibus egregiis tuis in Ecclesiam Christi meritis, quo te præmio, imo quo non supplicio dignum censebimus? At dices forte; Serpens me decepit. Dignũ certe recepisti mercedem, qui illum nutriusti in sinu tuo, Sed itane stultus es, & sine corde, vt in eis maxime rebus in quibus errare damnari est, vni homuncioni cooperto peccatis, quam tot sanctissimis ab initio Patribus, qui in lege Dei meditati sunt die ac nocte; & quam tot vniuersalibus Conciliis, aduersus quæ impudens os illud velut sepulchrũ patens, se aperire non erubescat; Sanctæ denique & Catholicæ Ecclesiæ, cuius ritum, consuetudinem & decreta, à temporibus Apostolorum ad nos vsque inuiolabiliter obseruata, vnus iste sacrilega temeritate damnare præsumit, plus credere potueris? O cæcam dementiam, ac plusquam Iudaicam cæcitatem. At fortassis hoc tibi imposuit, quod veterator ille Martinus, & eius sequaces, de capitulis scripturarum visi sunt sua confirmare. & quis tandem hereticorum id non fecit? An non hæ sunt veteris serpentis astutiæ, qui hac veluti esca obducto hamo, miseris animabus mille technis & versutiis semper est insidiatus; quique, quo an-

angularem infringeret veræ fidei lapidem, ac Christianam scinderet vnitatem, in scripturarum agrum, suum seminare semen, & peruersarũ scripturarum intelligentiam; iampridem est egressus? Cum itaq; maxima semper pars Ecclesiarum, imperita turba sit, & vix vnus reperiatur aut alter, qui spiritualibus oculis de scripturarum intelligẽtia digne valeat iudicare: siquidem librum signatum legimus, quem solus Leo de Tribu Iuda dignatus est aperire; ac soluere signacula eius: quæ tandem est ista Diabolica exœcatio, vni carnali homuncioni, semper eructanti cruentum & potum, quam reliquo Orbi vniuerso, quam tot spiritualibus Patribus, quorum voluntas semper fuit in lege Domini: qui vitæ sanctimonia, ostẽsione spiritus ac virtute, glorioso deniq; martyrio suã doctrinam comprobauerunt, in scripturarum intelligentia plus te fidei habere potuisse. O cæcitatem nouã, & inauditã. Vnus apostatans tibi potuit persuadere, fefelliss priores vniuersos, errore posteros, & in solũ se, & quos decepit peruenisse regnum Dei, peruenisse totas miserationum Dei diuitias, ac gratiam vniuersitatis? Et quid non dicimus cum propheta; Heu, heu, heu Domine: ergone decepisti populum tuum? Quin potius, cur non deuitatis, secundum Apostolicum præceptum, quæstionib. ac pugnis verborum, ex quib. oriuntur inuidiæ, contentiones, blasphemiæ, suspiciones malæ, conflictiones hominũ mente corruptorũ, & subuertunt corda audientium, ex operib. suis iuxta Dominicã destinationem, studuistis cognoscere filiũ prophanum istũ, qui ad vos venit primũ in vestimẽtis ouiũ, lupus intrinsecus rapacissimus? Siquidem non ex foliis, non ex floribus, sed ex fructibus arbor cognoscenda erat. An non manifesti sunt nequissimi fructus eius? Siquidẽ sacrilegus hic aduersus Deum, imagines sacras, atq; adeo ipsam Crucẽ Christi sceleratis manibus confringere, & pollutis conculcare pedibus non formidat: contra sacerdotes Dei furore impio temerarie debacchans, non desinit laicos, ad lauandas sibi in eorum sanguine manus sedulo concitare Ecclesiã Christi parricidalibus armis oppugnans, hoc agit assiduo, vt suffocentur homines in peccatis suis: hoc vnum elaborat, ne diuina misericordia suis Sacramẽtis, quæ peccatorum remedia efficacia esse voluit, vulneratos in Ecclesia sua curet. Itan. ea aut sustulit vniuersa, aut hæreseos suæ pestifero infecit veneno, vt toxicum magis requirat, quã animarũ medicinas. Præcepit suis, ne indignãti Deo quis satisfaciat, ne ieiuniis, orationibus, lamẽtationib. peccata redimat: ne hostia illa placens Deo, corpus & sanguis Domini nostri Iesu Christi à Sacerdotib. offeratur quotidie pro peccatis nostris: vota docet non reddere Domino Deo suo: & cum ipso sit apostata, ac professionis suæ desertor, vt plurimos sui faciat similes. sanctã illã Deo vasa polluere non veretur, consecratas q; Christo virgines, & vitã Monasticã professas, extrahere à Monasteriis suis, & mundo, imo Diabolo quem semel abiurauerũt reddere. Quod in veteri lege, in vmbraticis sacerdotib. Dominus non tulit: quod ethnici in idolorũ suorum Flaminib. omnes sunt abominati, Christi Sacerdotes etiam vilissimis copulat meretricibus: S. Patres illos, quorũ vita & doctrina illustrauit vniuersum mundũ, nõ solũ debito honore nõ ꝓsequitur, sed multo quãCam scelestius despicit, deridet, contemnit, insectatur. Sacrosanctis omnib. vniuersalib. Conciliis impudenter ore palã contradicit, ac sacrilega lingua detrahit: libertatis specie, licentiosam quandã vitam, nullis constrictã legibus, ac vere ferinã, induere conatur. vnde & exlex homo, conceptor atq; violator legũ omniũ, in tãtam erupit mentis vesaniã, vt SS. Patrum decreta: & Ecclesiasticos Canones igne publico concremare non formidarit, & breuiter, Christianã veritatẽ, omnẽ rerũ ordinẽ, pulcherrimã deniq; Ecclesiæ faciẽ, à Christo, ab Apostolis, Apostolicisq; viris, ac SS. Patribus ab initio constitutã, vnus hic post tot centenos annos discindere, inuertere, ac deformare molitur. Quod si nondũ satis etiã interno sois, de Christiano Magisterio, an de Antichristi spiritu ista proficyscãtur; si ita fascinauit te præstigiator ille, vt credere possis vnũ hunc perfidissimum apostatã, veluti alterũ Helisæum habere duplicẽ spiritum Heliæ, aut alterũ esse (quem se iactat) Danielẽ, in quo sit spiritus amplior, & intelligentia scripturarũ maior, quã in omnib. olim sanctissimis illis doctissimis q; viris. quã in Sacrosancta Ecclesia Catholica, quid est te vno cæcius? Aut si ex fructib. arborem cognoscens, in errore persistis tamen, quid te miserius? Sed esto: trãsfiguratus sit coram te Sathanas ille in Angelũ lucis; & quæ manifesta sunt opera carnis & Diabolica, spiritus esse & Christi opera. venenata sua facũdia persuadere potuerit? Numquid nõ vbiq; vel hoc ipso prodidit, cuiusnam spiritus sit, quod omnis eius sermo amarus est, virulentus, arrogans, ac maledicentissimus, numquã non scatẽs conuiciis, basphemiis, ac scõmatibus plusquã venenatis, aduersus omne Christianæ pietatis, modestiæ, mansuetudinis ac benignitatis officiũ? Numquid ita docuit Paulus, cuius se iactitat spiritum habere, cũ nulla eius extet epistola, quæ non pacẽ & vnitatẽ, ac alias id genus virtutes redoleat? An nõ Romanos suos hortatur in Domino, vt in charitate fraternitatis se diligãt, inuicẽ sectẽtur q̃ sunt pacis, & quæ ædificationis custodiant? Corinthiis an nõ testatus, se docere in Ecclesiis, Deum, non dissensionis sed pacis Deum esse? & breuiter, Christi Hadriani Pap. VI. Caroli V. Rom. 1522. Anno I. Reg. 3. Ecclesiastici. Caroli V. Rom. Hadriani Pap. VI. Christi Reg. 3. Anno I. 1522. 467

uiter: Numquid, non vbiq; clamat, vbiq, docet Euangelica illa tuba, vt digne ambulemus in omni humilitate, ac mansuetudine cum patientia, supportantes inuicem in charitate, soliciti seruare vnitatem spiritus in vinculo pacis: vtq; deponamus omnem irã, indignationẽ, malitiã, blasphemiã, turpem sermonẽ? Quo igitur pacto maledicentiam, amaritudinem, iram, indignationem, blasphemiam, inflationem, iactationem, quæ huic ita peculiaria sunt, vt illa Paulo, ac illius discipulis vniuersis, qui mitis est ac humilis corde; non Paulini, non Christiani, sed Diabolici spiritus esse certissima indicia, vel cæco non clarissime apparebat? Ex verbis illius, quomodo non intellexisti, Christum in corde suo, an vero Antichristum haberet, secundum quod ipsa veritas in Euangelio ait: Progenies viperarum, quomodo potestis bona loqui, cum sitis mali? De abundantia enim cordis os loquitur. & cum scriptum sit, quod maledici regnum Dei non possidebunt; Item cum in Euangelio dicit Dominus, Non n.te spreuerunt sed me, ne regnẽ super eos: manifeste ostendens, inuisibile se contemni, cum visibilem quis spernit sacerdotem? Quare & Moyses murmuranti aduersus se populo respondit; Non aduersum me murmuratis, sed aduersus Dominum Deum vestrum. Quod si Leuiticos illos Sacerdotes tãta honoris prærogatiua præcellere voluerit Dominus, qui exemplari tantum ac vmbræ deseruiebant cœlestium, in vmbrat. eo illo tabernaculo sacrificiorum officia consummantes; quo tandem honoris loco eos haberi voluit, quibus tradidit claues regni cœlorum? tantamque tribuit potestatem, vt quæ ligarent super terram, ligarentur & in cœlis; & quæ soluerent super terram, soluta essent & in cœlis; vtque quorum ipsi dimitterent peccata, dimissa forent; quorum retinerent, forent & retenta? Qui non sanguinem hircorum aut vitulorum, sed hostiam viuam, sanctam, immaculatam, Corpus & sanguinem Domini nostri Iesu Christi offerunt quotidie pro peccatis nostris; conficiunt verbo suo & manibus tractant; & breuiter, Sacramenta omnia: quibus hominibus vita salusque tribuitur animarum suis perficiunt orationibus: Quanto inquam, honore hos præcellere voluerit Dominus, quis tandem dubitabat, quod nec ipse tacuit in Euangelio, cum dicit ad eos; Qui vos audit, me audit; & qui vos spernit, me spernit; qui autem me spernit, spernit & eum qui misit me? & quod consequitur? Quod in eundem Christum blasphemus esset & maledicus, qui sacerdoti Christi blasphemat & maledicit. An non hoc mandatum primum in retributione, Honora patrem & matrem, vt sis longæuus super terram? Qui autem maledicit patri aut matri, morte moriatur. Numquid ad carnales tantum parentes illud est referendum. & num minus ad eos qui nos in Christo regenerauerunt, per quos Christiani sumus, qui nobis peccata dimittunt, qui cœlestibus nos pascunt Sacramentis? Quid si

peccatores sint, & mali Sacerdotes? Quid si & parentes? Numquid propterea eos non honorare, aut eis maledicere licebit? Numquid & Iudas erat inter eos, quos Dominus misit ante faciem suam, & ad quos dicebat; Quicumque non receperit vos, neque audierit sermones vestros, exeuntes foras de domo aut ciuitate, excutite puluerem de pedibus vestris; Amen dico vobis, tolerabilius erit terræ Sodomorum & Gomorrhæorum in die iudicij, quam illi ciuitati. An non ita præcepit Apostolus, Obedite præpositis vestris, & subiacete eis? Quod si malis & peccatoribus non sit obediendum, quibus tandem? Quoniam si dixerimus, peccatum non habemus, ipsi nos seducimus, & veritas in nobis non est. Quis es? noli discutere pastorem: Noli te iudicem Dei constituere & Christi. An non ita præcepit Dominus in Euangelio, dicens: Super cathedram Moysis sederunt Scribæ & Pharisæi: omnia quæcumque dixerint vobis, seruate & facite; Si quæ autem fecerint male, facere nolite: manifeste significans, habere eos dignitatem, tametsi vitæ essent perditæ. Numquid idem Dominus, cum postea tempore passionis alapam accepisset à seruo Sacerdotis, dicenti sibi; Sic respondes Pontifici? aduersus Pontificem quidquam dixit contumeliose? quin magis innocentiam suam asserens & ostendens, Si male, inquit, locutus sum, exprobra de malo: Sin bene, quid me cædis? An non & Paulus, cum cæderetur in concilio iussu Ananiæ, diceretque ad eum, Percutiet te Deus paries dealbate; & tu sedens iudicas me secundum legem, & contra legem iubes me percuti; audiens ab astantibus, Sic insimulas sacerdotem Dei, maledicendo ipsum? tamen inane nomen, & vmbram quandam sacerdotis cogitans, expauit: Nesciebam, inquit, fratres, quia Princeps est Sacerdotum. Scriptum est enim; Principi populi tui non maledices. Quo magis miramur, quod ex istis Diabolici spiritus operibus, veluti fructibus noxiissimis, arborem pessimam nondum agnouistis, & quis tandem est ita hebes animo, vt non videat quo nunc prorumpant furiosissimi conatus istius, cum vt quisque est facinorosissimus, desperatissimus, aut perditissimus latro, aut homicida, sub istius vexillis ac signis conueniant? Ecclesiam iam Christi parricidalibus armis ac sacrilegis manibus, non clam, sed palam oppugnantes; consecrata Deo loca, templa & monasteria exurunt, & prophanant; Christo dicatas virgines, sacerdotes Christi & monachos crudelissime persequuntur; Ecclesiarum bona diripiunt: & breuiter, rapinis, latrociniis, cædibus ac incendiis confundunt vniuersa; excæcante nimirum eos iusto Dei iudicio, & in insaniam tam manifestam erumpere permittente, vt neminem iam latere possint scelestissimæ machinationes istius. Atque, hi qui pestifera contagione ipsius infectos sese nunc tandem cognouerant, schismatico errore deposito, ac hæretico furore deserto, vnitatis ac veritatis domicilium fidei sanitate repetunt. Inter quos, dilecte nobis in Christo Iesu, cum & te non ex postremis reuersurum ad salutarem matris sinum sperassemus: quem reuertentem libenter & obuiis excepissemus manibus, bona spe nostra tandem frustrati, videmus supra petram indurauisse te faciem tuam: videmus perniciem illam animarum Lutherum, sub tuo patrocinio latitantem, suum adhuc virus longe lateque spargere. Sed quoniam adhuc potens est Dominus Deus etiam de lapidibus istis suscitare filios Abrahæ, antequam egrediatur vt ignis indignatio eius, & succendatur, nec sit qui extinguat; ideo te fili dilecte in Christo obsecramus, per viscera nostri redemptoris Domini nostri Iesu Christi, per Christianam vnitatem, per patriæ charitatem, per tuam denique ipsius tuorumque salutem, miserere Ecclesiæ Christi, & tot iam malorum procellis vndique exagitatæ, ac pene oppressæ tua maxime culpa, aliquando fer opem: Miserere patriæ nostræ, quæ sinceræ olim fidei, eximiæ religionis, sanctæ sub iugo Domini ac religiosæ obedientiæ insigni præcellens gloria, perniciem istam religionis Christianæ, & fidei ac pietatis publicum hostem Martinum, in suis se peperisse ac fouisse visceribus, nunc erubescit. Miserere denique tui ipsius, tuorumque misere seductorum Saxonum. Quos, nisi resipiscatis, & quidem cito, manet præsens & certa vltio diuina, quam neque in hoc seculo effugietis, neque in futuro. Hæc dicit Dominus Deus; Audi popule stulte, audi Princeps qui non habes cor; qui habetis oculos, & non videtis; aures, & non auditis: Me ergo non timebitis, & à facie mea non dolebitis. Numquid non audistis, quæ fecerim in diebus antiquis? Legite scripturas, in quibus putatis vos vitam æternam habere, & inuenietis, quam grauis semper fuerit, & quam terribilis diuina vindicta in illos, qui in populo Dei schismata concitauerunt. Numquid non legistis horribilem diuinam vltionem aduersus Dathan & Abiron, quod multitudinem aduersus Moysen concitauissent, quos dehiscens sub pedibus terra, & aperiens os suum deglutiuit, & omnia quæ ad eos pertinuerunt, ita vt descenderent viuentes in infernum? & aduersus Core, quem eandem ob causam cum ducentis & quinquaginta viris cœlestis flamma deuorauit. Quod si ob durius imperium fortassis, aut quorundam Pastorum seu ignauiam, seu malitiam, schismata excitanda putatis, numquid non ex libro Regũ audistis, adeo indignatum fuisse Dominum aduersus decem tribus filiorum Israel, & in omne semen eorum, vt dimouerit eos, & tradiderit in direptionem, donec proiiceret eos à facie sua? Ob quam tandem culpam, nisi quod ob durius imperium Salomonis, & imprudentius arrogantiusq; responsum Roboam Regis Hierusalem, scissæ fuerunt à tribu Iuda & Beniamin? Quam præsens semper fuerit Dominus vindex sacerdotibus suis, an non Saul ab Regio abiectus honore, & Ozias Rex Iuda percussus lepra, propterea quod quæ sacerdotum erant, contra Sacerdotes Domini ausi sunt vsurpare, sufficienti vobis potuerunt esse argumẽto? & breuiter: An non omnes testantur historiæ, vniuersos vltrice Domini manu infelici periisse exitu, qui in Christos Domini sacrilegas manus iniicere non formidauerunt? Contra autem, felicia omnia, & longam illis contigisse vitam, qui Christum in sacerdotibus suis venerati sunt? Moueant ergo vos exẽpla aliorum, & cogitate quid vobis sit expectandum, qui venerabilem Dei chorum, in manus tendatis tradere profanas. Proinde quod Dominus præcepit per Moysen, vniuerso populo Israel, vt separarentur à tabernaculis Core, Dathan, & Abiron, nec tangerent quidquam quod ad eos pertineret, ne inuoluerentur in peccatis eorum; hoc & vobis, præcipue autem tibi dilecte fili, eiusdem Domini nostri authoritate præcipimus, & obsecramus in Christo Iesu, vt separamini à Martino Luthero; auferatis à vobis petram illam scandali, neq; tangatis quod illius est; ne & vos diuina vltio inuoluat subito in peccatis illius. Expurgate quamprimum fermentum illud, quod reliquam fidei vestræ massam corrupit; vt sitis noua conspersio, nouaq; creatura. Non dedigneris fili dilecte Paulum imitari; quem sicut vicisti in Ecclesiæ Dei persecutione, tam grauem animarum perniciem sub tuo nutriens patrocinio; ita reuersus ad cor, effice vt omnes intelligant tuam conuersionem; vtq; qui per te sunt scandalizati, in te rursus glorificent Deum. Maxime autem hoc præsta quamprimum, vt impurum os illud obstruatur, vt capuletur blasphema lingua, quæ contra Deum ac sanctos eius loqui non cessat, & virus suum vndique spargit; & vt propheticis vos verbis admoneamus; state super vias, & videte, ac interrogate de semitis antiquis, quæ sit via bona, & ambulate in ea, & inuenietis refrigerium animabus vestris. State inquam, & doctrinis variis & peregrinis nolite abduci. Interrogate de semitis antiquis, quæ sit via bona per quam ambulauerunt patres nostri quam demonstrauerunt tot myriades martyrum, docueruntq; tot millia confessorum, & ambulate in ea. Quod si à vobis impetrauerimus, sicut & sincere speramus, erit quod gaudeamus cum Angelis de peccatore pœnitentiam agente, & perditam, ac rursum inuentam ouem humeris nostris ad ouile Domini gaudentes reportabimus, paternaque pietate, quantum in nobis fuerit, stolam vobis pristinam restituemus. Quod si dixeritis: Non ambulabimus; & paternè salubriterq; vos monenti respondebitis; Non audiemus: Ideo audite gentes, dicit Dominus, & cognoscite congregationes, quanta ego faciam eis.

Ecce ego adducam mala super populum istum, fructum cogitationum eius, quia verba mea non audierunt, & legem meam proiecerunt. Sed & hoc tibi denunciamus in virtute Omnipotentis Dei, & Domini nostri Iesu Christi, cuius in terris vicarius sumus, nec te in præsenti seculo hoc laturum impunè, & in futuro æterni te ignis expectare incendium. Viuunt vna Pontifex Hadrianus, & religiosissimus Imperator Carolus, meus charissimus in Christo filius & alumnus; cuius tu edictum vere Christianum aduersus Lutheranam perfidiam, & quod talem decebat Imperatorem, Non sine graui offensa ac vilipensione Cæsareæ Maiestatis violare non timuisti. Non committemus, vt quos olim cum Magno Carolo Hadrianus Pontifex & Imperator Carolus, sub schismatico ac hæretico tyranno, hæresum ac schismatum sinamus interire contagione. Quare reuertimini ad cor, & resipiscite, tu, tuique misere seducti Saxones, nisi vtrumque gladium, Apostolicum simul & Cæsareum, olim velitis experiri. Dat. Romæ apud S. Petrum anno Domini M.D.XXII.

II.

Electoribus & aliis Principibus Imperij.

ADRIANVS PAPA VI.

Venerabiles fratres & dilecti filij salutem & Apostolicam benedictionem. Postquam ad Apostolatus officium, diuina disponente prouidentia, assumpti sumus, testis nobis est ille, qui nos vt immeritos, ita nil tale expectantes, promouit, nil nos aliud die noctuq; cogitasse, quam vt in curando grege nobis credito, tam in vniuersum, quam singulatim

boni pastoris partes, modis omnibus impleremus: atq; adeo nullam existimasse è nostris ouibus tam morbosam, quam non pro viribus curare: nullam tam vagam, & à cæteris errantem, quam non perquirere, & ad dominicam caulam reducere summopere cuperemus. Et sane ab ineunte statim Pontificatu nostro, (quod tum potissimum expedire videbamus) Christianorum Principum animos, heu nimis iam inter se dissidentes, ad pacem & concordiam ineundam, deponendaque arma, (aut si bellandum esset, ea in fidei hostes conuertenda) tam per diuersos nuncios nostros: quam per quotidianas fere litteras hortari, animare, precari, hactenus nunquam destitimus. Et ne verbo tantum: sed & re ipsa huius nostri desiderii ederemus exempla. Deus sit, quanto rei nostræ familiaris, hic præsertim temporibus incommodo, pecunias: & alia subsidia ad Rhodienses milites strenuos fidei propugnatores, ab immanissimo Turcarum tyranno atrociter obsessos, ac in alia etiam loca in eiusdem hostis faucibus periclitantia, misimus. Mox vero ab externis ad intestina animum aduertentes, non sine graui animi molestia percepimus, Martinum Lutherum (quem sua culpa iam filium nostrum vocare non posse dolemus) hominem veterum, & iam dãnatarum hæresum suscitatorem, post sedis Apostolicæ paterna primum monita, deinde etiam sententiam, non absque consilio optimorum & doctissimorum virorum: & diuersarum vniuersitatum legitime contra eum latam. Post charissimi in Christo filii Caroli nostri Romanorum & Hispaniarum Regis Catholici in Imperatorem electi: & vestrum Imperiale edictum, super eiusdem sententiæ executione, in proximis comitiis Wormatiæ habitis, mature decretum: & per totam fere Germaniam promulgatum: non modo per quos deceret, non punitum, aut per se cohibitum, à prauissimis inceptis non desistere: sed omnis Christianæ charitatis & pietatis Euangelicæ non oblitum modo: sed & impie contemnentem, nouos quotidie libros, errorum, hæresum, contumeliarum; ac seditionum plenos: siue de suo, siue ab aliis adiutum, diuulgare: ac veluti pestẽ quandam Germaniam, & vicinas regiones longe lateque peruadentem, venenatæ linguæ spiculis bonas & animas & mores inficere & corrumpere conari: &, quod peius est, horum suorum facinorum non plebeios modo, sed & nobiles plerosque habere fautores: adeo, (vt quæ fortasse istorum tumultuum primaria fuit causa) in sacerdotum bona iri: & obedientiam tam Ecclesiasticis quã secularibus debitam, vilipendi cœptum sit: & tandem inter nonnullos vestrum ad ciuilia bella deuentum. Quod quam male cadat Christianæ Reipublicæ hoc præsertim tempore, mente & cogitatione facile prospicere potestis. Etsi enim prædixit Apostolus; oportere hæreses esse: vt & qui probati sunt, manifesti fiant, nullum tamen videas tempus huic rei magis importunum, quam hoc, aut quod citius ab hæresibus, si quæ ortæ sint, necessario veniat repurgandum. Quum enim humani generis perpetuus hostis diabolus, sub leonis rugientis specie, per Turcarum vires in Christianas oues continue debacchetur, non videmus, quo modo contra tantos impetus absistere possimus, quam diu eundem diabolum sub draconis subdoli forma, istas hæreses domi nostræ disseminantem, interque fortissimos Germanos nostros discordias & seditiones suscitantem, fouebimus. Atque vt etiam debellare externos hostes maxime possimus, irritus tamen fuerit labor, impensaque: & animarum saluti minime vtilis foris hostes vincere, & domi hæresibus, schismatibusque laborare meminimus; quum etiam in minoribus constituti, in Hispania essemus, multa ad nos & varia de Luthero, & eius peruersis dogmatibus frequenter perferri: Quæ cum per se durissima auditu, eo nobis duriora videbantur, quod ex ea regione venirent, vnde nobis secundum carnem origo est. Sed solebantur nos tum rei ipsius adeo manifesta, vel iniquitas, vel stoliditas: vt à nemine diu toleranda crederetur. Tum illa subinde nobiscum facta reputatio, qua dubio procul confidebamus istas venenatas plantas aliunde in Germaniam translatas, non peruenturas ad frugem in ea terra, quæ acerrimos hæresum, & omnis infidelitatis hostes semper protulisset. Nunc vero postquam hæc mala arbor sine diuino iudicio sic populi sui peccata punienti siue socordia eorum, qui, vt debebant & poterant, principio non obstiterunt. Quos videtis & auditis longe lateque ramos expandere cœpit. Considerandum vobis est, Germani principes & populi, ac prouidendum, ne vos qui ab initio huius mali culpa aliunde orta, facile excusari poteratis, per istam nimiam tolerantiam, & pristinæ virtutis naturaque obliti, & tanto facinori, dum illi non resistitis, consentire videamini. Omittimus quod enormissimum est, tantam, tamq; religiosam nationem per vnum fraterculum (qui à Catholica fide & religione Christiana, quam ab ineunte ætate, non solum profiteri & sequi visus est, sed etiam multis annis prædicasse ac docuisse dicit, nouissime infœliciter apostatauit, ac Deo mentitus est) seduci ab ea via, qua à redemptore nostro, & eius sanctissimis Apostolis demonstrata, tot martyres, tot præclari doctrina & sanctitate viri, & maiores denique vestri, omnes hactenus incesserunt, quasi solus Lutherus sapiat & sciat: solus nunc primum (vt de se hæreticus Montanus gloriabatur) spiritum sanctum acceperit, & Ecclesia ipsa, cum qua se futurum ad consumationem seculi benignissimus humani generis redemptor pollicitus est, in tenebris ignorantiæ & perditionis ambagibus semper errauerit, donec nouo Lutheri lumine illustrarent. Quæ omnia quanquam apud eos qui sapiunt, perridicula iudicantur. Simplicibus tamen animis plurimum sunt perniciosa, & eis qui nouarum rerum cupiditate omnem ordinem immutatum vellent, plurimas ad ea perpetranda, quæ nunc experimini, causas & fomenta subministrant. An non consideratis Germani Principes & populi, præludium esse quoddam, hoc eorum malorum, quæ Lutherus & eius sectatores moliuntur? An non aperte videtis, istud prætensum principio à Lutheranis veritatis Euangelicæ patrocinium detectum, nunc esse merum rerum vestrarum latrocinium: An putatis, alio tendere istos iniquitatis filios, quam vt libertatis nomine, omni obedientia sublata quod cuiq; libuerit, faciendi licentiam inducant? An vllius pensi iussa & leges vestras habituras creditis, qui sacros canones, & patrum decreta necnon sacrosancta cõcilia, quorum auctoritati Imperatorum leges semper, & libenter cesserunt, & promptæ famulatæ sunt, non solum vilipendunt, sed etiã diabolica rabie lacerare & cõburere nõ verentur? Deniq; qui sacerdotibus qui Episcopis, qui Pontifici summo debitam obedientiam detractant? An speratis contenturos, sacrilegas manus à laicorum bonis, & non omnia potius sibi, quæ poterunt, vindicaturos, qui res Deo dicatas, quotidie vobis præsentibus & videntibus ferunt, aguntque? An denique vestris ceruicibus parsuros, qui non tangendos Christos Domini contemerare, cedere, trucidare ausi sunt? In vos, in vestras res, domos, vxores, liberos, ditiones, dominatus, templa, quæ colitis, hæc miseranda calamitas tendit, nisi mature obuiam eatis. Proinde fraternitates, nobilitates, & deuotiones vestras, omnium & singulorum in Domino hortamur, & per Christianam charitatem & religionem, quam tam sæpe maiores vestri suo sanguine & tutati sunt, & auxerunt, obsecramus, atque in virtute sanctæ obedientiæ, quam Deo & beato Petro, eiusque vicario omnes Christiani debent, à vobis requirimus: vt depositis, si quæ sunt inter vos simultatibus ad hoc commune incendium extinguendum, nunc saltem toto animo incumbatis: & Martinum Lutherum, cæterosque istorum tumultuum & errorum autores, ad rectam sentiendi & viuendi viã (quod nobis gratissimum & iucundissimum esset) omnib. sanctis modis reducere enitamini. Quod si (quod auertat Deus) veluti aspides, obturatis auribus, audire recusauerint, ne quod reliquum, & nunc sanum constat: cum magna & euidenti nationis vestræ macula: & totius Reipublic. Christianæ manifesto periculo inficiatur: ni eos iuxta sacras constitutiones, iuxta leges vestratibus imperatoribus latas; adeoque adeo recens vestrum super hac re imperiale edictum, seueritatis virga animaduertatis. Nouit ille, cui sola arcana humanorum pectorum aperta sunt, quàm nos: & pro natura nostra, instituto que: & pro pastorali, quod gerimus, officio, ad ignoscendum potius, quàm ad vlciscendum simus propensi. Sed vbi tetrum istud cancer ita hulcerosum esset, vt blandis, leuibusque medicamentis curari non posset: aspera erunt & ignita cauteria adhibenda, & abalienata membra ab integro corpore penitus resecanda. Sic Deus omnipotens schismaticos fratres: Dathan & Abiron in terræ baratrum viuos demersit; & nolentem obedire sacerdotis imperio, capitali supplicio puniri iussit. Sic Apostolorum Princeps Petrus Ananiam & Saphiram sibi in Deum mentientes, subito morituros denunciauit. Sic veteres & pii Imperatores Iouinianum, & Priscilianum hæreticos gladio seculi sustulerunt. Sic diuus Hieronymus Vigilantium item hæreticum optat in interitum carnis tradi, vt spiritus saluus fiat. Sic deniq; maiores vestri de Ioanne Husita, & Hieronymo Pragensi, quod nunc in Luthero reuixisse videntur, à quo & in summa habentur veneratione, in Constantiensi concilio debitas sumpsere pœnas. Quorum sancta & præclara gesta si etiam hac in parte (vbi aliter fieri nequeat) fueritis imitati, non dubitamus, quin diuina clementia ad eundem mox suppetias Ecclesiæ Dei, quæ ab infidelibus vexata, in nationem vestram virtute bellica & hominum numero facile præstantem, os oculosq; iamdudum intendit, sensus & corda vestra inspires Vnde omnipotentis Dei & beati Petri benedictione per nos accepta, & de triumphato dracone ac leone diabolo, id est sublatis domo hæresibus, & de victis foris fidei hostibus, gloriosam victoriam, & in futuro seculo æternæ salutis præmia reportetis. Vos vero pro compertissimo habeatis, quicquid nobis opum & auctoritatis altissimus concedere dignatus est, id omne & vitam ipsam pro tam sanctis operibus, & pro salute commissa

rum nobis omnium libentissime exposituros. Cætera quæ tam in hoc Lutherano, quam aliis negotiis vobiscum particularibus communicata cupimus, dilecto filio Francisco Cheregato, electo Aprutino: quem nuper mense Septembri ad negocia fidei & religionis, nostro nomine vobiscum tractanda, nostrum & huius sanctæ sedis nuncium: ad insignem istum conuentum ire iussimus, vobis latius explicanda commisimus. Cuius verbis hortamur vos, eandem quam nostris haberetis, fidem adhibere. Dat. Romæ apud sanctum Petrum, sub annulo piscatoris, die XXV. Nouembr. M.D.XXII. Pontificatus nostri anno primo.

T. Hezius.

Venerabilibus fratribus, dilectis filiis, nobilibus viris sacri Romani Imperii Principibus, electoribus, & aliis principibus, tam Ecclesiasticis, quam secularibus, ac etiam communitatuum omnium, inclitæ Germanicæ nationis oratoribus, in dieta Nurimbergen. congregatis.

Instructio pro te D. Francisco Cheregato, de quibusdam quæ prælatis, Principibus, & ciuitatum Germanicarum oratoribus dicere poteris viua voce, vbi, & quando opportunum iudicaueris.

In primis declarabis eis maximum dolorem, quo affligimur, ex prosperatione secta Lutheranæ, ob id potissimum, quod videmus innumerabiles animas Christi sanguine redemptas, & curæ nostræ pastorali commissas, illius occasione à vera fide ac religione auerti, & in perditionem ire, idque in natione, ex qua nobis secundum carnem origo est, quæ ab initio, ex quo ad Christum conuersa fuit, vsque ad ipsos proximos annos semper extitit fidelissima, ac religiosissima, ac propterea nobis vehementissimum desiderium esse: vt huic pesti celerius occurratur, priusquam Germaniæ ipsi contingat, quod Bohemia olim contigit, nosque paratissimos esse, ad faciendum omnia in hunc effectum, quæ ex parte nostra expectari poterunt, ac summopere desiderare, vt etiam vnusquisque eorum hac ipsum pro viribus facere studeat, vtque id faciant, nos quantum possumus vnumquemq; eorum hortari & rogare. Debebunt autem eos ad hoc mouere sequentia.

Primo, & ante omnia honor Dei omnibus rebus præferendus, qui per istas hæreses grauiter læditur, eiusque cultus consuetus non solum diminuitur, sed potius ex toto corrumpitur. Item charitas erga proximos, qua vnusquisque pro viribus studere debet, proximos errantes ab errore reuocare. Quod nisi fecerit, Deus eos qui suæ negligentiæ perierunt, de manu eius requiret.

Secundo, mouere eos debet infamia nationis suæ quæ cum semper præ cæteris nationibus Christianissima sit habita, nunc propter eos, qui sectam Lutheranam insequuntur, apud omnes pessime audit.

Tertio, moueat eos respectus honoris eorum proprij, qui maxime læditur, si ipsi, qui apud nationem Germanicam auctoritate & potentia pollent, hæreses istas non totis viribus expellere laborant, tum quia degenerabunt à progenitoribus suis, viris Christianissimis, qui in Constantiensi concilio ex magna parte interfuerunt condemnationi Ioannis Huss, & aliorum hæreticorum, quorum aliqui ipsum Ioannem Huss propriis manibus ad ignem duxisse dicuntur. Tum quia ipsi, vel maior eorum pars, edictum imperiale in executione sententiæ Apostolicæ contra Martinum Lutherum & suos late factum approbarunt, eiq; auctoritatem suam adhibuerunt, & propterea nisi illud pro viribus executi fuerint, vel inconstantes iudicabuntur, vel etiam fauere reputabuntur, cum manifestum sit, eos vbi efficaciter velint, illum exterminare facile posse.

Quarto, moueat eos iniuria, quæ per Lutherum, eis, & eorum parentibus, ac progenitoribus infertur. Cum enim ipsorum parentes & progenitores, & ipsimet semper tenuerint fidem, quam Ecclesia Romana atque Catholica approbat, & Lutherus, suique sectatores, longe diuersam fidem teneant, asserendo multa non esse de fide, quæ tamen illi tenuerint esse de fide, manifestum est, illos à Luthero condemnari, pro infidelibus & hæreticis, & per consequens secundum Lutherum omnes eorum maiores, qui in fide nostra decesserunt, fuit in inferno, cum error in fide homines damnationis reos faciat.

Quinto, attendant finem, ad quem Lutherani tendunt, vt scilicet sub colore libertatis tollantur. Nam licet ab initio præ se tulerint, Ecclesiasticam potestatem tanquam tyrannice, & contra Euangelium occupatam annihilare: seu reprimere velle, tamen cum eorum fundamentum, scilicet libertas, quam prædicant, æque vel plus militet contra potestatem secularem, quam scilicet illa nullis præceptis, quantumuis iustis & rationalibus obligare possit homines ad parendum, sub pœna mortalis peccati. Manifestum est, eos etiam illam eneruare velle, quamuis astute fecerint illam saluando, vt scilicet principibus secularibus credentibus, machinationem hanc, non contra se, sed dumtaxat contra Ecclesiasticos, (quibus laici communiter infensi sunt) dirigi, ac propterea partim in eorum fauorem tractis, partim dissimulantibus, seu non contradicentibus, ipsi facilius Ecclesiasticos euerterent. Quo facto, dubium non est, quin populi idem contra seculares principes tentaturi essent.

Sexto, moueant eos maxima scandala, turbationes, direptiones bonorum, homicidia, lites, dissensiones, quas secta hæc pessima excitauit, & quotidie excitat per totam Germaniam. Item blasphemiæ, maledicta, scurrilitates & amaritudines, quæ istis semper in ore sunt quæ nisi ipsi sedare curauerint, verendum est, ne ira Dei desolatio veniat, super Germaniam, in se tam diuisam, immo super ipsosmet Principes, qui cum potestatem & gladium à Domino acceperint, ad vindictam malorum, talia in subditos suis fieri permittant. Maledictus, inquit Propheta qui facit opus Dei negligenter, & prohibet gladium suum à sanguine iniquorum.

Septimo, considerent Lutherum prope consimili via ad seducendum populum Christianum vti, qua Machometus ille spurcissimus vsus, tot animarum millia decepit, permittendo videlicet ea, ad quæ homines carnales inclinantur. Et exinde eximendo eos ab his, quæ in lege nostra grauiore videntur, nisi quod Lutherus paulo modestius agere videtur, vt eo efficacius decipiat. Machometus plures vxores habendi, & eas pro arbitrio repellendi, aliasque ducendi licentiam concessit. Iste vt monachorum & Deo dicatarum virginum ac sacerdotum, lasciuia carnis gestientium sibi fauores conciliet, prædicat vota perpetuæ continentiæ etiam illicita esse, nedum non obligatoria. Propterea q; licere illis, per Euangelicam libertatem, nubere: immemor verbi Apostoli, cum dicit de viduis adolescentioribus, quod cum luxuriatæ fuerint, in Christo nubere volunt, habentes damnationem, quia primam fidem irritam fecerunt.

Quibus per te expositis, & aliis pluribus, quæ in hanc sententiam partim ex literarum nostrarum exemplis colligere, partim ex tua prudentia excogitare poteris, hortaberis nostro nomine dictos Principes, prælatos, ac populos, vt tandem expergiscantur, & excitentur, ad obuiandum, & tam grandi iniuriæ, quam Lutherani Deo & sacræ religioni eius & maxime ignominiæ: quam tanti nationi vestræ Germaniæ, ipsisquemet Principibus, & maximæ opprobrio atq; contumeliæ, quam maioribus eorum, quos (vt diximus) in effectu ad gehennam condemnant, inferre noscuntur, & ad executionem sententiæ Apostolicæ ac imperialis edicti facti, omnino procedant, detur venia his, qui respiscere, & errores suos abiurare voluerint: semperque proniores sint ad miserandum, quam ad vindicandum, exemplo Dei nostri, qui non vult mortem peccatorum, sed magis vt conuertantur, & viuant. At qui in errore pertinaces permanserint, districtionis virga iuxta sacrorum canonum & legum decreta, sic puniantur, vt cæteri eorum exemplo vel in fide recta permaneant, vel lapsi in rectam viam redeant.

Quod si quis forte dixerit, Lutherum inauditum & indefensum fuisse per Sedem Apostolicam condemnatum, & propterea audiri omnino debere, nec ante quam conuictus sit, condemnandum esse: Respondebitis, quod illa quæ fidei sunt, propter diuinam auctoritatem credenda sunt, non probanda. Auser (inquit Ambrosius) argumenta, vbi fides queritur. piscatoribus creditur, non dialecticis. Et certe fatemur, ei defensionem negari non debere, in his quæ sunt facti: hoc est vtrum dixerit, nec ne, vtrum prædicauerit, vel scripserit, nec ne, semper diuino iure vero & materia sacramentorum standum auctoritate Sanctorum & Ecclesiæ. Adde quod fere omnia, in quibus Lutherus ab aliis dissentit, sunt per diuersa concilia prius reprobata. Non debet autem reuocare in dubium quod per concilia generalia & vniuersam Ecclesiam constat esse approbatum, tanquam fide tenendum. Iniuriam nam q; facit Ecclesiæ Synodo, qui semel recte disposita nititur in dubium reuocare. Quid enim vnquam certi esse poterit inter homines, vel quis disputationum contentionum q; finis erit: si pra sumptuoso & peruerso cuiq; libertas seu licentia erui recedendi ab his, quæ non vnius neq; paucorum, sed tot seculorum, & tot sapientissimorum hominum consensum, & catholicæ Ecclesiæ (quam Deus in his quæ fidei sunt, nunquam errare permittit) determinatione sancita sunt, cum tamen vnaquæq; ciuitas leges suas inuiolabiter, obseruari exigat? Quomodo non omnia turbationibus & scandalis & confusione plena erunt, nisi ea qui semel imo sepius maturo iudicio constituta, ab omnibus inconcusse obseruentur: Cum igitur Lutherus & sui concilia sanctorum patrum condemnant sacros canones comburant, & cuncta pro arbitrio suo confundant, ac totum mundum perturbent, manifestum est eos tamquam publicæ pacis inimicos & perturbatores, ab omnibus eiusdem pacis amatoribus exterminandos esse.

Item, dices non ingenue fateri, quod Deus hanc persecutionem Ec-

clesiæ

clesiæ suæ inferre permittit, propter peccata hominum, maxime sacerdotum & Ecclesiæ prælatorum. Certum enim est, non esse abbreuiatam manum Domini, vt saluare nequeat, sed peccata diuidere inter nos & ipsum, & abscondere faciem suam à nobis, vt non exaudiat. Clamant Scripturæ, peccata populi deriuari à peccatis sacerdotum: propterea q; (vt ait Chrysostomus) saluator noster curaturus infirmam ciuitatem Hierusalem, ingressus est prius templum, vt peccata sacerdotii primo castigaret, instar boni medici, qui morbum à radice curat. Scimus in hac sancta sede, aliquot iam annis, multa abominanda fuisse, abusus in spiritualibus, excessus in mandatis, & omnia deniq; in peruersum mutata. Nec mirum, si agritudo à capite in membra, à summis Pontificibus in alios inferiores prælatos descenderit. Omnes nos (id est prælati & Ecclesiastici) declinauimus, vnusquisque in vias suas, nec fuit iam diu, qui faceret bonum, non fuit vsque ad vnum. Quam ob rem necesse est, vt omnes demus gloriam Deo, & humiliemus animas nostras ei, videat que vnusquisq; nostrum, vnde ceciderit, & se potius quilibet iudicet, quam à Deo in virga furoris sui iudicari velit. Quæ in re, quod ad nos attinet polliceberis nos omnem operam adhibituros, vt primum curia hæc, vnde forte omne hoc malum processit, reformetur, vt sicut inde corruptio in omnes inferiores emanauit, ita etiam ab eadem sanitas & reformatio omnium emaneat. Ad quod procurandum nos tanto arctius obligatos reputamus, quanto vniuersum humanum huiusmodi reformationem auidius desiderare videmus. Nos (vti alias tibi dixisse credimus) Pontificatum hunc numquam ambiuimus, immo quantum in nobis fuit, longe maluissemus priuatam vitam agere, & in sancto ocio Deo seruire. Et profecto Pontificatum ipsum plane recusassemus, nisi Dei timor, & sincerus electionis nostri modus nec non schismatis ex recusatione nostra imminentis metus nos acceptare illum coegisset. Subiciimus igitur colla summæ dignitati, non ob dominandi libidinem, neq; ad ditandos propinquos nostros, sed ad diuinæ voluntati parendum, ad deformatam eius sponsam Ecclesiam Catholicam reformandam, ad subueniendum oppressis, & doctos ac virtute præditos, qui multo iam tempore neglecti iacuerunt, erigendum & ornandum, & denique ad omnia alia agendum, quæ bonum Pontificem & legitimum beati Petri successorem agere oportet. Quanquam nemo mirari debebit, si non statim omnia errata & abusus omnes per nos emendatos viderit. Inueteratus nimium morbus est, nec simplex, sed varius & multiplex, pedetentim in eius cura procedendum est, & prius grauioribus magis q; periculosis occurrendum, ne omnia pariter reformari volentes, omnia perturbemus. Omnes subitæ mutationes (inquit Aristoteles in republica) periculosæ sunt. Qui nimis emungit, elicit sanguinem.

Quod autem vltimis literis tuis scribis, quæstos fuisse tecum Principes istos, quod concordatis eorum per hanc sedem derogatum sit: dices, nos de his, quæ ante nos facta fuere, culpari non posse nec debere nobisque eiusmodi derogationes etiam dum in minoribus essemus, semper plurimum displicuisse. Proinde nobis certissimam sententiam esse: etiam si ipsi non requirerent, illis nostri Pontificatus tempore penitus abstinere, partim, vt vnicuique ius suum seruemus, partim, quia æquitas & humanitas exposcit, vt inclitam nationem nostram solum non offendamus, sed etiam peculiares ei fauores impendamus.

De processibus vero, quos à rota auocari, & ad partes remitti postulant, dices nos cupere eis in hoc gratificari, quantum honeste possimus. Sed propter absentiam auditorum ab vrbe pestis gratia, non posse nos de qualitate & habitudine ipsorum processuum ad præsens informari, reuersis vero illis, quod peste iam decrescente, breui futurum speramus, facturos in gratiam dictorum Principum, quicquid rationabiliter poterimus.

Item, sollicitabis diligenter, responsa litterarum nostrarum, & requires eos, ad quos scribimus, vt nos literis sui informent, quibus meditis eorum iudicio videatur huic pestis mæ sectæ commodius obuiare posse, vt ea quæ per nos prouidenda fuerint, celerius prouideri possint. Et super hoc ipso etiam tu te diligentissime informabis, & nobis plene perscribes.

Item, quia intelleximus, in Germania esse multos bonos & doctos viros pauperes, aliqua etiam præclara ingenia, quæ ex dignitate Apostolicarum prouisionum histrionibus & stabulariis potius, quam viris doctis fieri solitarum, à sedis huius deuotione auersæ, cupimus, vt inquiras, qui nam illi sint, eorumque nomina ad nos transmittas, vt accurrente beneficiorum Germanicorum vacatione, illis proprio motu prouidere possimus. Scimus enim quantum Dei honori & animarum saluti ac ædificationi obfuerit, quod iam diu beneficia Ecclesiastica maxime curam & regimen animarum habentia, data fuerunt hominibus indignis.

De subsidio procurando, pro Hungaris, non damus aliam informationem, quam discedenti tibi dedimus, excepto, quod te hortamur, vt rem illam summo studio (vti facis) cures, nos etiam apud Principes & respublicas Italicas, missis oratoribus, sollicitabimus, vt pro viribus quisq; subueniat.

Adrianus Papa VI.

T. Hezius.

Responsio Illustrissimorum ac Reuerendissimorum Principum, nec non aliorum sacri Romani Imperii ordinum Pontificio legato reddita.

SErenissimus & illustrissimus Princeps & Dominus, Dominus Ferdinandus, sacræ Cæsareæ Maiestatis Locumtenens, nec non Reuerendissimi in Christo patres, Illustrissimi, Reuerendi, ac Illustres Principes Electores, aliorumque omnium ordinum huius sacri Romani Imperii conuentus proceres, literas beatissimi in Christo patris & Domini, Domini Adriani, sanctæ Romanæ & vniuersalis Ecclesiæ Pontificis optimi & maximi, in forma Breuis simulque ea, quæ vestra Reuerendissima dominatio verbo proposuit, tandemque instructionem, quam scriptis nomine suæ beatitudinis præsentauit, in negocio Lutheranæ factionis, cum debita honoris & reuerentiæ exhibitione, atq; non sine singulari animorum gratitudine acceperunt, & diligentissime intellexerunt.

In primis, ex quo Serenissimus & Illustrissimus Princeps & Dominus Locum tenens, cæteriq; electores Principes, & huius sacri conuentus proceres nouerunt beatitudinẽ Pontificis ex nobilissima Germaniæ natione originem traxisse & natum esse: Cuius eximias ac præstantes animi & corporis dotes virtutesque toto fere orbe, etiam dum in minoribus esset, celebratas, iam pridem perspicuas habent. Quare de sua beatitudinis ad summum Apostolatus apicem concordi ac diuina electione & vocatione incredibili quadam animorum hilaritate & lætitia sunt affecti, aguntque Deo optimo maximo q; summas gratias, quod sanctæ suæ Ecclesiæ de tali ac tam digno, optimo q; pastore prouidere dignatus est. Ex animo q; precantur, & pro sua summa clementia, & perpetua sui nominis gloria, animarum q; salute, & Ecclesiæ vniuersalis incolumitate, suæ beatitudini omnem felicitatem rerum atque corporum diutinam prosperitatem largiri velit: Nihil dubitantes, quod ex hac tam sancti & virtuosi pastoris concordi electione, sanctæ, Christianæ, Catholicæq; Ecclesiæ, plurimum fructus & salutis sit euenturus. Cuius rei euidens facit argumentum, quod sua beatitudo iterum atque iterum testatur, nihil se tam die noctuque cogitare, quam vt in curando gregi sibi commisso, boni pastoris partes modis omnibus præstare possit, in primisque sibi curæ esse, Christianorum principum animos, iam nimis inter se dissidentes, ad pacem & concordiam ineundam componere, deponendaq; arma (aut si bellandum esset, ea in fidei hostes conuertenda) quotidianis fere literis hortari, precarique hactenus non destitit: Simulque declarando, quanta huius tam sancti & præclari desiderii (iuuando, & subsidia mittendo Rhodianis militibus cum incommodo suæ rei familiaris) re ipsa ediderit exempla. Ex' quib. omnibus sacræ Cæsareæ Maiestatis dominus Locumtenens, cæterique huius sacri Imperij ordines, non mediocrem spem & consolationem cum maxima animorum gratitudine accepere, plane intelligentes, hãc concordiam Christianorum Principum in omnibus rebus bene gerendis ac ordinandis non minimum momenti habere, sine qua profecto nec Respublica Christiana religionis recte curari, vel instituni, multo q; minus tyrannidi immanissimi Turcæ commode obsisti poterit.

Quemadmodum hæc ex his, quæ reuerendissimus dominus suæ beatitudinis nuncius Apostolicus nuper, cum pro subsidiis Hungarorum regno determinandis, perorando proposuit, simulque ex his, quæ per serenissimi Hungarorum regis & illius regni legatos lamentabiliter exposita & declarata sunt, quas scilicet calamitates, iniurias, & ad extremum vsq; exitium Hungarorum regnum ab impiis hostibus tulerit, indies q; maiora timere habeat, abunde intellecta sunt.

Quare serenissimus Princeps sacræ Cæsareæ Maiestatis Locumtenens, cæteriq; Principes, electores & ordines, summo studio ex animo orant, vt sua sanctitas, in hoc sancto proposito, ea quæ cæpit diligentia, vt pius pater & verus pastor pro incumbentis officii sui debito pergat, nihilque intentatum relinquat, quo Christianorum Principum dissidentes animos ad pacem reducat, vel si in totum fieri non possit, saltem ad tempus, in tanta temporum & rerum necessita-

inducias facere laboret, quo instantibus Christianæ reip. periculis & Turcæ perfidissimi conantibus, Dei auxilio communibus Christianorum copiis, & commodius faciliusq; obsisti: & Christianus populus ab illius tyrannide liberari possit, pro quo serenissimus Princeps locumtenens, aliiq; principes Germani, vna cum cæteris potentatibus omni ope & opera fideliter sunt laboraturi.

Deinde suæ beatitudinis literæ, simul instructio per suæ beatitudinis nuncium Apostolicum coram ordinibus imperii oblata, continebant suam beatitudinem maximo dolore affligi, ex prosperatione sectæ Lutheranæ ob id potissimum, quod innumerabiles animæ Christi sanguine redemptæ, ac suæ beatitudinis curæ commissæ, illius occasione, à vera religione auertantur, atq; in perditionem eant, ob id suam beatitudinem vehementissime desiderare, vt huic pesti celerius occurratur, ne deteriora inde contingant, cum explicatione quarundam necessariarum rationum, quod principes Germanos ad hæc quam celerius conandum, maxime mouere possint, ac debeant, in primisq; adhortando; vt sententiam per sedem apostolicam in Lutherum legitime latam, & post sacræ Cæsareæ & Catholicæ maiestatis edictum, super eiusdem sententiæ executione in proximis comitiis Wormatiæ habitis decretum, debitæ demandentur executioni.

Ad hæc sacræ Cæsareæ Maiestatis locumtenens, & principes, aliiq; ordines dicunt, se non minus, quam beatitudinem Pontificis ex animo dolere, de impietatibus, animarum periculis & incommodis, quæ in Christiana religione ex Lutherana secta, aliisue prouenerint. Quicquid enim auxilii & consilij pro extirpandis erroribus & animarum periculis amouendis sua moderatione præstare vnquam poterint, sunt pro summa sua in Christi religionem deuotione & pietate paratissimi, ingenueq; agnoscunt, se, & beatitudini Pontificis, & sacræ Cæsareæ maiestati, vt Christianos decet principes, ad omnem obedientiam esse obnoxios.

Sed quod sedis Apostolicæ sententia in Lutherum lata, simulque sacræ Cæsareæ maiestatis edictum, non sit debitæ executioni demandatũ non sine maximis vrgentissimisque rationibus, vtputa, ne peiora inde causarentur, &c. hactenus prætermissum esse.

Maiori namque populi parte iam pridem persuasum est, & modo Lutheranis libris ac dogmatibus populorum opinio sic informata, vt iam pro comperto habeant, nationi Germanicæ à curia Romana per certos abusus, multa & magna grauamina & incommoda illata esse, ob id, si pro executione Apostolicæ sententiæ, vel imperatoriæ maiestatis edicti, quidpiam acerbius attentatum esset, mox popularis multitudo sibi hanc suspicionem animo concepisset, ac si talia fierent pro euertenda Euangelica veritate, & sustinendis, manutenendisque malis abusib. impietatibusq;. Vnde indubie aliud nihil, quam grauissimi tumultus populares, intestinaq; bella speranda essent. Quemadmodum ex multis ac variis rerum argumentis principes, aliiq; ordines iam plane didicere, & cognouere. Opportunioribus itaq; remediis his malis, in hac potissimum temporum difficultate, succurendum esse existimant.

Nam quemadmodum & reuerendissimus Dominus nuncius Apostolicus, nomine beatiss. Pontificis, in sua instructione inter alia pie, Christiane, & vere fatetur & agnoscit, quod Deus hanc Ecclesiæ suæ persecutionem inferri permittit, propter peccata hominum, polliceturque beatitud. Pontificis omnem adhibituram operam, vt primum Romana curia, vnde forte omne hoc malum processit, reformetur, vt sicut inde corruptio in omnes inferiores emanauit, ita etiam ab eadem sanitas & reformatio omnium emaneat.

Ad hæc beatissimus Pontifex pio ac paterno amore testatur, sibi etiam dum in minoribus esset, plurimum displicuisse, quotiens concordatis principum per curiam Roman. derogaretur, suæque Beatitudini hanc certissimam esse sententiam, etiam si Principes nunquam requirerent, sui Pontificatus tempore penitus abstinere, vnicuique, & maxime nationi Germanicæ: ius suum conseruare: illique nationi peculiares fauores impendere. Quis itaque ex his omnibus non videt, sanctissimum Pontificem nihil penitus illorum omittere, quæ vel pius pater & verus pastor ouibus suis vnquam vel præstare posset: vel debeat? Quis etiam per hæc ad veram pietatem filialem amorem: & erratorum suorum emendationem non moueretur, maxime, cum sua sanctitas hæc tam pia, sanctaque instituta opere ipso vti cœpit, præstiterit.

Quemadmodum sereniss. Dominus locumtenens, cæteriq; Principes, & omnium huius imperii ordinum proceres indubie sperant: idque pro summa immortalis Dei gloria, animarum salute, ac publica pace & tranquillitate seruanda fieri ex animo efflagitant: orantque. Nam nisi istiusmodi abusus & grauamina, simulq; certi articuli, quos seculares Principes iuxta hæc specialiter designatos, scriptis, exhibebunt, fideliter reformentur, vera pax & concordia inter Ecclesiasticos, secularesq; ordines, huiusque tumultus & errorum extirpatio per Germaniam minime speranda est. Nam ex longis & variis bellorum tumultibus, quibus Germania nostra multis annis interturbata: Item ob alia grauamina & incommoda, quæ huic nationi hactenus incubuerunt: hæc natio pecuniis ac diuitiis adeo est extenuata & exhausta, vt etiam iam pro necessaria iustitiæ ac pacis conseruatione in his deficiat. Multo maiori itaq; incommodo & difficultate Hungarorum regno & Croatiæ petita auxilia contra Turcam præstare poterit. Cum autem ordines sacri Romani Imperii nihil dubitant, beatitudinem Pontificis pro comperto habere, Principes Germaniæ in solutionem Annatorum ad aliquot annos sedi Apostolicæ soluendorum, ea lege ac conditione consensisse, vt illa in oppugnationem perfidissimi Turcæ, & defensionem fidei Catholicæ conuertentur. Ex quo autem numerus annorum, intra quos annata illa solui debeant, nunc longo interuallo transactus sit: neq; annata illa à beatitudinis suæ prædecessoribus Pontificibus Romanis in hunc vsum, in quem decreta sunt conuersa: Ob id, si modo necessitate exigente, communia auxilia in oppugnationem Turcæ per Germaniam essent decernenda & colligenda, causatur inde populus Germanicus, quare Annata prius iam multis in hunc vsum reseruata, ad hoc opus non applicentur, auersaturque alia in se ob hanc caussam grauamina recipere. Ex quo prælati Ecclesiastici pro annatis sedi Apostolicæ soluendis, vt plurimum suis subditis super indicta, & collectas imponere, & talia ab eisdem recuperare causauerunt. Quare illustrissim. Princeps Dominus Locumtenens, aliique Principes, & Imperii Romani ordines vehementer orant, vt beatitudo Pontificis velit hæc & alia paterno affectu considerare, & illa Annata, quæ post obitum Episcoporum, aliorumque prælatorum, seu Ecclesiasticorum, ad curiam Romanam soluendæ fuerint, in futurum non exigere, sed illa fisco sacri Romani Imperij applicanda relinquere, vt eo commodius iustitia, pax & tranquillitas nationi Germanicæ conseruari, & respubl. eo melius per hæc ordinari, possitque per Germanicam nationem aliis Christianis potentatibus contra Turcam communem hostem auxilia & præsidia præstari, quod alias & absq; eo, minime sperandum erit.

Item cum beatitudo Pontificis inter alia desiderat informari, quibus mediis huic Lutherano errori commodius obuiare possit, vt ea, quæ per suam beatitudinem prouidenda fuerint, celerius curari possint. Ad hæc Illustrissim. Princeps Dominus locumtenens, aliique Principes & ordines dicunt, quicquid hac in re pro pietate & Christianæ religionis deuotione vtilitatis & auxilii præstare poterint, sunt eruntque semper ex animo paratissimi. Ex quo autem hoc seculum in omni statu, tam Ecclesiastico, quam seculari corruptissimos habeat mores, sintque non tantum ex parte Lutheranæ sectæ, sed ex aliis causis multi errores, abusus & corruptelæ, quæ ita inoleuerunt, vt istis opportunis remediis prouideri summopere necessarium sit, ob id simulque propter immensam tyrannidem crudelissimi Turcæ, quam multis iam annis Christianitati multa incommoda & calamitates varias intulit, hodieque maiora inferre molitur. Nullum itaque commodius, efficacius & opportunius remedium Illustriss. Dominus Princeps locumtenens, cæterique Principes & ordines cogitare possunt, quam quod beatitudo Pontificis, accedente ad hæc sacræ Cæsareæ Maiestatis consensu, liberum Christianum Concilium, ad locum conuenientem in natione Germanica, quanto otius & celerius quoad fieri possit: videlicet vel in Argentoratum, vel Moguntiam, Coloniam, Agrippinam, vel ad ciuitatem Metensem vel alium conuenientem locum in Germania indicere, nec vltra vnius anni spacium (si possibile foret) hæc Concilii conuocatio & designatio differenter, & quod in tali concilio, cuius qui interesse deberet, Ecclesiastici, vel laicalis ordinis non obstantibus quibuscumque iuramentis & obligationibus, libere liceret loqui & consulere pro gloria summi Dei, & salute animarum, proque Republica Christiana, absque aliquo impedimento, quinimo quilibet ad hæc debeat esse obnoxius, vt non dulcia, sed vera & meliora consulat, summa cura & diligentia per salutem animæ suæ, & absque aliqua adulatione doli vel fraudis suspicione.

Verum quibus modis & rationibus interim & medio tempore isti tumultus & populi errores poterint pacari, interteneri, & compesci, maxima cura & diligentia illustriss. & serenissimus dominus locumtenens, & alij principes consuluerunt, cum non minima pars istius negotij ex hac medij temporis intercapedine pendeat.

Itaque deliberauerunt in primis, ex quo Lutherus, & aliqui illius sectatores in ditione ac territorio illustrissimi ducis Friderici, Saxoniæ Principis electoris &c. agant. Ob id Illustrissim. Princeps locumtenens, & alij ordines Imperij, apud prædictum Principem Sa-

xoniæ summa diligentia curare volunt, & per eundem Principem efficere sperant, ne Lutherus & sui sectatores aliquid amplius scribat, edat, & typis excudi faciat: indubieque sibi persuadent, quod prædictus Illustrissimus Princeps Saxoniæ, pro sua in religionẽ Christianam pietate, & in sacrum Romanũ imperium obseruantia & obedientia vt virtute præditum deceat Principem electorem, omnẽ operam in hac sit adhibiturus. Curabuntq; simul illustrissimus Dominus Locumtenens Principes, & Imperii ordines, vt per omnem Germaniam cum diuini verbi concionatoribus, siue prædicatoribus diligenter agatur ne in populum Christianũ spargant, vel dicant ea, per quæ possit popularis multitudo ad tumultum vel rebellionem moueri, aut in aliquem errorem induci, sed quod nihil præter verum, purum, sincerum, & sanctum Euangelium, & approbatam Scripturam pie, mansuete & Christiane, iuxta doctrinam & expositionem approbatæ, & ab Ecclesia Christiana receptæ Scripturæ doceant & prædicent omniaq; illa omittant, quæ à populo doctius & sanctius ignorantur, quam sciantur, quæ ne subtilius indagare, & ad imum vsq; exigere, minime expedit, nihilq; in populo per concionem disputationum moueãt, sed quicquid controuersiæ fuerit vsq; ad determinationem futuri concilij reseruent. Ordinabunt præterea Archiepiscopi & Episcopi, ac alij prælati, per suas dioceses viros doctos, & probos, & sacris literis peritos, qui prædicantibus fideliter & diligenter intendere debebunt. Et si quid ab illis vel erratum, vel minus idonea dictum esse offenderint, pie, mansuete, ac modeste eos corrigent, & informabunt, in hunc modum, ne quispiam suspicari possit, vt veritas Euangelica per hoc impediri quæretur. Qui prædicatores si tales monitores audire nollent, nec à suis ineptiis abstinere debebunt per locorum ordinarios congruis pœnis coerceri & puniri. Præterea in omnibus Bibliothecis, & apud Typographos diligentissime, quantum possibile erit, prouidebunt ne in futurum aliquid noui typis excudatur, maxime ne libell. famosi, neq; publice, neq; secrete vendantur. Et ordinabuntur apud omnes potestates, vt si quispiam aliquid noui edere, vendere, vel typis excudere voluerit, vt prius per aliquos viros, probos, doctos, & litterarum peritos ista reuideantur & recognoscantur, & nisi per eosdem admissum, vel approbatum fuerit, minime vendatur: excudatur, vel publicetur. Et per hæc media sperant, quod hoc tempore poterit istis tumultibus, erroribus, & offendiculis commodius mederi, maxime, vbi beatitudo Pontificis in istis grauaminibus congruam & debitam faciet reformationem, & prouisionem, atq; liberum & Christianum designabit Concilium. Per hæc enim maxime satisfieret populari, & nunc fluctuanti multitudini. Et si hic tumultus tam illico in totum forsan per ista sedari non posset, nihil tamen dubitant quod maior pars istius per hunc modum ad tranquillitatem & pacem moueretur. Indubie enim multi probi & boni viri Christiani futurum & proxime indicendum Concilium magno desiderio essent expectaturi.

Postremo de presbyteris, qui matrimonium contrahunt, & de religiosis qui relictis monasteriis, ad seculum redeunt, de quibus reuerendissimus Dominus nuncius Apostolicus, tam inter cætera meminit, considerant Principes, & Imperii ordines, ex quo in legibus ciuilibus nulla pœna specialiter super his sit statuta, ob id congruum & iustum ipsi visum est, vt tales per eorum ordinarios debita pœna sacris canonum constitutionibus super hoc expressæ, vtputa amissione beneficiorum, & priuilegiorum, & aliis condignis pœnis puniantur, & coerceantur, & quod ordinarij illi aptantibus secularibus in ista animaduersione & punitione minime impediantur. Sed quod pro tuitione iurisdictionis Ecclesiasticæ eis auxilium & fauorem impendant, & super his omnibus publica mandata & edicta faciant, ne quispiam ordinarios in punitione & coertione talium impediat: sed quando aliis illi vota transgressores in ditione & territorio alicuius Principis vel potestatis secularis delinquerent, quod ex tunc debitis & congruis pœnis puniantur & coercerentur.

Postremo super his omnibus illustrissimus & serenissimus Princeps Dominus Locumtenens, aliiq; Principes & ordines vehementer, & ex animo iterum atq; iterum orant, vt beatitudo Pontificis, simulq; reuerendus Dominus orator, ista omnia non aliter accipere & intelligere velint, quam à bono pio, sincero, & Christiano animo profecta, cogitata & edicta esse. Nihil enim est, quod omnes isti Principes & ordines tam ex animo velint, atq; cupiant, quam statum sanctæ Catholicæ, & Romanæ Ecclesiæ, beatitudinisque Pontificis fœlicem, incolumem, & saluum, ad cuius vota, desideria, & obedientiam, vt fideles filij, se paratissimos offerunt, atq; commedant.

REPLICATIO PONTIFICII ORATORIS.

Serenissime Cæsareæ Locumtenens, Reuerendissimi Patres, Illustrissimi Principes, & totius sacri Cæsarei senatus ordines amplissimi, cum pridie mihi longo tempore expectanti, datum fuerit tandem à vobis responsum, in re Lutherana, volui illustrissimis dominationibus vestris non solum verbo, sed & litteris indicare, quam parum mihi illud satisfaciat, & per subsequens Pontifici maximo, ac vniuersæ Christianitati sit minus satisfacturum. Et omissis multis, quæ de pietate, fide & obseruantia vestra erga sanctissimum Dominum nostrum & sanctam sedem Apostolicam in prohemio vestri responsi habentur, de quibus tamen nomine suæ sanctæ sanctitatis vestris illustrissimis dominationibus gratias ego, veniam tandem ad ea, quæ suppletione, correctione & declaratione indigere videntur, reliqua prout stant, quatenus placeant sanctissimo domino nostro acceptanda.

Et primo, quantum pertinet ad id, quod illustrissimæ dominationes vestræ dicunt, & se excusando asserunt, quod attento, quod populis Germaniæ sit persuasum, quod ipsis multa grauamina à Curia Romana sit illata & ab ipsa multa scandala & incommoda indies patiantur, non fuisse visum, sibi expedire vt sententia apostolicæ sedis, & imperiale decretum, debitæ executioni mãdetur, ne inde contingat peiora & acerbiora mala prouenire. Ad hoc replicatur, quod nec sanctissimus Dominus noster, nec Cæsarea Maiestas, nec vllus Christianorũ Principum expectauit vnquam tale à vobis responsum in hac re dari. Nam si Lutherus ante sententiam Apostolicam, tot clarissimorum virorum ac vniuersitatum iudiciis fundatam, & demq; ante Cæsareum decretum, ipsiusque edictum errauerat in vno, post eandem sententiam & decretum errauit in longe pluribus, & nihil reliquum fecit, quo minus toto orthodoxa religio à fundamentis euersa sit. Quapropter cum pœna debeant de iure commensurari delicto, attento, quod indies magis cum suis sequacibus errauit, & errat, vt notorium debent pœnæ ipsæ augeri, atque grauari, & non diminui, prout ex præsenti vestro decreto fit. Et quantum ad responsum ipsum, ex eo in primis offenditur diuina maiestas, cuius causa tam segniter curanda proponitur. Offenditur Pontificis & Apostolicæ sedis dignitas, offenditur postremo imperialis culminis celsitudo, quorum decreta & ordinationes tam impune suspenduntur, abrogantur deprimunturque, offenditur & pariter communis honor vester, cum omnes vnanimes interfueritis eidem imperiali decreto decernendo, & vestram auctoritatem præstando. Nec satisfacit illa ratio, quod propter scandala euitanda, dicta Apostolica sententia, & imperiale edictum, exequi non debeant. Nam non sunt toleranda mala, vt proueniant bona, & magis sunt curanda ea, quæ pertinent ad animæ, quam ad corporis salutem. Neque videtur excusandi, qui Lutherum sectari velint, quod propter sibi inflicta scandala & grauamina à curia Romana (etiã si verum illud esset) deberent ad vnitatem Catholicæ fidei propterea resilire, & in profundum malorum se præcipitare.

Nam omnia potius mala deberent æquo animo & patienter sustinere, quam se & animam suam, cum animæ periculo in præcipitium dare. Et si illud in omni tempore præstare debuissent, quanto magis deberent resipiscere, cum intelligant, Deum optimum maximumque dedisse Ecclesiæ suæ sanctæ pastorem optimum, pastorem inquam sanctissimum, eundemque Germanum, qui non solum vniuersam Ecclesiam sit curaturus & instauraturus, sed etiam Germaniam suam ad pristinam pietatem restituturus, ac pluribus & insignibus donis, in his quæ honeste poterit, illustraturus. Quare Principes illustrissimi & excellentissimi, vos tantis affectib. rogo, & vehementer obtestor, vt his rationibus verissimis adducti, velitis, antequam huiusmodi celeberrimus vester conuentus dissoluatur, omnino statuere, & firmiter deliberare, quod eadem apostolica sententia, ac imperiale edictum exequatur, & executioni mandetur sine aliqua diminutione, cum ex hac magna pars, quinimo tota Germaniæ salus dependeat. Et si in aliquibus Germani populi vt asseritur, sunt à curia Romana grauati, illud declarent. Nam semper Apostolica sedes, quæ est mater pijssima omnium oppressorum, parata erit, illos subleuare, & pro viribus iuuare, & tueri.

Quo ad seditiones & discordias, qui sunt inter Ecclesiasticos, & seculares Principes Germaniæ pacandas, ac ad articulos dandos eosdem moderandos, respondetur, quod sanctissimus D. N. vbi eas seditiones, discordias intellexerit pro officio humeris suis incumbenti, curabit, vt omnino componantur, & extinguantur, cum non minus habeat in filios suos & Ecclesiæ temporales Principes, ac habeant eosdem Ecclesiasticos. Pariformiter moderabitur omnia inter eos, vt vnusquisq; habeat quid suum est, & neutri iniurietur.

Quo ad Annatas non persoluendas Romæ, sed in Germania retinendas, pro sustentatione Imperialis gubernii, habita ea declaratione, quæ facta est verbo difficultate, quæ fieri posit ad eam concedendam, reseruatur responsio ipsi Pontifici, quæ dabitur, vel imperiali regimini vel futuro Principum conuentui, prout magis expedire suæ sanctitati videbitur.

Quo ad Concilium, quod datur per illustrissimas dominationes vestras, quod attentis legitimis causis, quas adducunt sanctissimus dominus noster debeat conuocare œcumenicum generale concilium, replicatur, quod illud speratur non debere displicere suæ sanctitati, ob omnes præcipue illas causas, tamen peritur, vt illud concilium aliis verbis magis idoneis reformetur, & quod tollantur ea, qui possent aliquam umbram facere suæ sanctitati, prout est, quod sua sanctitas debeat conuocare Concilium de consensu Cæsaræ Maiestatis, quod sit liberum, & quod relaxentur iuramenta, item quod ponatur magis in pyne ciuitate quam in alia, & similia, &c. Quia nisi tolerentur ista, videretur sanctitat. suæ ligari manus per illustrissimas D. vestras, prout in vota declaratum est.

Quo ad prædicatores, qui in posterum fidelibus habebunt prædicare verbum Dei, replicatur, quod seruari debeat illud, quod sanctissimus dominus noster nuper pie, & sancte statuit, & ordinauit de venerabili fratrum suorum consilio & assensu. Quod est, vt stante ista pernitiosa secta in Germania, nullus deinceps possit prædicare verbum Dei per ciuitatem vel diœcesim alicuius, nisi ille talis prius fuerit examinatus per episcopū. vel officialem suum de doctrina & sufficientia sua, & eadem fuerit ab eo approbata, vel propia & Christiana reputata. Et pariformiter, nisi ille talis fuerit ad minus prædicandi per eundē episcopū, vel suum Officialem institutus, quod habeat etiam illum amouere & castigare, quin à recta via ceciderit. In cæteris placet, quantum de dictis prædicatoribus per illustriss. D V. respondetur, id est: quod prædicent Euāgelium iuxta interpretatione Scripturæ, quæ sit per Ecclesiā approbata.

Quo ad impressores & venditores, seu alios diuulgatores Lutheranorum librorum, & aliorum, qui sectam suam sustinent & fouent, replicatur quod nullo pacto placet data responsio: quod curabunt illustrissima dominationes vestra prouidere, quantumpossibile erit, ne tales libri imprimantur, vel vendantur &c. Sed dico in hoc, prout in aliis totaliter deberi exequi, sedis Apostolicæ & imperialis celsitudinis sententia, idest, quod libri impressi & imprimendi comburantur, imprimentes vero & vendentes, seu alios inuulgantes dictos libros, iuxta easdem sententias puniantur. Et in hoc maximepeto, deberi aduerti, nam in hoc stat tota vis, pro ista pernitiosa secta comprimenda, ne tales libri ampliusinueniantur. Nam ex illorum lectione omnia hæc mala profecta sunt. Et quantum pertinet ad id quod nullus possit in posterum libros nouos imprimere nisi illi tales libri prius videantur & examinentur per aliquem virum doctum, dico, in hoc non debere recedi à constitutione moderni Concilij Lateranen quæ iam est in vsu, vt nullus sub pœnis in ea contentis, possit aliquos libros imprimere, nisi per ordinarium Episcopum loci, vel eius officialem tales libri lecti & examinati ac pro Christianis reputati & habiti sint.

Quo ad clericos qui vxorem ducunt, replicatur, quod illa, quæ pro responsione scripta sunt, non displicere videntur, quin in cauda aculeū non habeant. Propter quod petuntur illa verba declarari, qua sunt in fine capituli dicti responsi sub eisdem verbis. Sed quin alios illi votorum transgressores in ditione & territorio alicuius Principis, vel potestatis secularis delinquerent, quod ex tunc debitis & congruis pœnis puniantur, & coerceant. &c. dico, quod sit talia verba intelligi debent secundū prædicta, id est quod tales puniantur à suis iudicibus Ecclesiasticis, bene stant, sed si referatur, quod seculares Principes vel potentes illos punire debeant, in hoc dico: & instantissime peto tale responsum, vtpote, contra libertatē & in Ecclesia omnino corrigi debere, & reduci ad verum sensum. Nam si Principes seculares auderēt tales iudicare, & in eos iurisdictionem exercere, esset ponere falcem in messem alienam, & tangere eos, qui sunt peculiater Christo reseruati, nec ob transgressionem voti, seu ob apostasiā præsumant credere Principes tales ad suā potestatē, vel iurisdictionē deuolutos esse, si delinquent in suis dominiis, vel territoriis: cum propter talem transgressionem, vel abusum ordinis sui nō desinant propterea esse de iurisdictione Ecclesiæ. Quia cum remaneat illis character & ordo, semper sunt in eiusdē Ecclesiæ potestate. Vnde in tale casu, quod in dominiis Principum delinquant: ipsi Principes denuncient illos suis episcopis, vel aliis superioribus, qui eos castigant, corrigant, & si opus fuerit, pro viribus suis dictos Episcopos seu superiores brachio suo iuuent & auis præsto sint.

Super quibus omnibus & singulis petitur per me nuncium Apostolicum, habita matura deliberatione, ab illustrissimis dominationibus vestris, melius, clarius, sanius & consultius responderi.

XXXV. *Quamuis Principes, & reliqui ordines Germanicæ nationis iterum pro verbis verba dare potuissent, quum tamen aliis magis necessariis occupati essent negotiis, Pontificium oratorem priori responsione contentum esse iusserunt, donec grauamina nationis Germanicæ summo Pontifici transmissa forent. ac inde manifestum fieret, num verba eius tam blanda facta, etiam debita, sequutura essent.*

Ista ad clatiorem rerum gestarum notitiam totidem verbis volui inserere, vt posteris appareat, omnia Hadrianum fecisse, Turcarum potentiæ debellandæ, ac hæresi extirpandæ: Principes vero Germaniæ, aliud quam quod à Pontifice desiderabatur procurasse, nouaq; difficultates sedi Apostolicæ attulisse. Enimuero proposita tunc ab eis sunt centum postulata, quæ Grauamina Germaniæ appellauerunt: in quibus tametsi nonnulla summæ æquitatis videri poterant, quod sæpius à Curiæ Romanæ ministris veluti impositis sacrarum rerum vectigalibus auarissime premerentur, cæterum multo plura iniqua, enormia, & non flagiranda numerabantur, quibus & Pontificiam maiestatem, & Apostolicæ sedis authoritatem, & Cleri obedientiam, & Ecclesiasticum ordinem deprimere, miscerq; cōabantur. Iam ereni. in corruptis impietate animis id vnum maxime spectabant, vt honestissimo prætextu auaritiæ fædæq; licentiæ, vti quisq; sua libidine raperetur, ianuam penitus aperirent. Alii namque dicata templis prædia impudenter vsurpabant; alii professione Sacerdotes, abdicato cultu, & abiurata continentia, sacratas virgines ex templorum septis tamquam vxores celebratis nuptiis ducebant, alii gulæ dediti nefastis diebus contra maiorum instituta carnibus vescebantur, nonnullietiam inani furore perciti, Deiparæ Virginis & aliorum sanctorum simulachra fœdabant, & qui ingenio atq; eruditione insignes videri volauerant, sanctissimorum Patrum dogmata in sanis interpretationibus peruertere properabant. *Iouius in vita Hadriani 6. num. 1976. & MS. Biblioth. Vatic.* Sed quæ, tum Lutherus, tum alij Sectarii, hoc anno 1522. tentarint, patrarintue, placet cognoscere.

XXXIV *Lutherus Vuittembergam reuertitur.*

Cum in successu Thuringico, nouem mensibus & vltra delituisset Lutherus, pertæsus solitudinis, hoc anno 1522. sub initium Martii Vuittembergam ad suos redire decreuit: quod institutum Electori Friderico vehementer displicuit. Itaque Lutherum monuit, datis ad eum literis, ne sibi ipsi crearet periculum, sed in castro Vuartbergensi ad tempus porro delitesceret. Verum id frustra fuit. Lutherus enim, qui nouos iam in eremo Spiritus hauserat, nec Principem, deinceps curabat, nec Cæsarem, nec omnino quemquam hominum, Itaque contra voluntarem Principis, equo conscenso, sub initium Quadragesimæ, sexto die Martii. Vuittembergam reuersus est. Dedit vero literas ad Electorem Friderici ipso die Cinerum, quas Bornæ scripsit itineri iam accinctus, quibus initio placare conatur ipsum Principem, literis à se pridem asperiore calamo scriptis offensum. Deinde quod spectat ad causam suam, Euangelium non ab homine, sed è cælo tantum accepisse, per Dominum nostrū Iesum Christum insinuat. redire se nunc, air, Vuittembergam, longe sublimiori protectione munitum, quam Electoris, à quo se decretū habere dicit, protectionem non petere, quod infirmior sit in fide Princeps, quam vt patrocinium sibi præstare possit; imo se potius Principi, quam ipsum sibi præsidio deinceps futurum. Interim de Duce Georgio quædam subiungit amatulentiæ veneno tincta, atq; his verbis epistolam demum claudit. Alius quidam vir est, inquit, quam Georgius cum quo mihi negotium intercedit. Is me valde bene nouit, nec mihi vicissim incognitus est. Si fidem haberet Illustriss. C. V. videret gloriam Dei; sed quia nondum credit, nihil vidit hactenus. Hæc verba volui istic repetere, vt omnes Lutheri Magistrum, qui Sathan fuit, deprehendant.

XXXVII.

Hæc ex itinere scripsit Vuittembergam iturus: quo postquam venit ad sextum Martij, vt diximus, denuo litteras dedit ad eundem Electorem Principem, in quib. causas recenset, cur citra consensum, imo cōtra voluntatem ipsius Vuittembergam redierit. Principio se vocatum per literas ait, ab Ecclesia Vuittembergensi, cuius cum minister sit à Deo constitutus, integrum sibi non fuisse, vt oues suas deseret, quas compertum haberet tanto sui desiderio teneri. Nec morari se iudicia aliorum, qui dicturi sint, Diabolicum esse negotiū istud, quod Vuittembergæ sit agi cœptum, cum certo sciat verbum

verbum suum originem habere ex Deo. Deinde, Sathanam in ouile sibi creditum irruptisse, dicit, & Vuittembergæ per absentiam suam mouisse turbas, quas nisi præsens sopire nequiuerit. Itaq; cum ipsa necessitas & vrgens conscientia postularit reditum, Principis gratiam, vel inclementiam, aut indignationem mundi sibi non fuisse magnopere curandam. Demum, ominati se dicit adeoq; certum habere, quod ingēs Germaniæ periculum immineat à seditione publica, quā licet hactenus in Ecclesiasticos tantum & sacerdotes orituram putarit, quemadmodum huc sane spectauerit in scriptis suis vt illorum potentiā imminueret ac deliberaret: tamē se nuper admodum didicisse, quod & ciuilis potestas, nolit velit, per suum Euangelium sit in ordinem redigenda. Itaq; redeundū sibi fuisse ad suos, & de eorū consilio, tēpestiue de remediis cogitandum, quib. instans Dei iudicium auerti possit, aut suspēdi. Has causas esse maxime, dicit, vrgentes, quib. permotus Vuittembergam redeundi consilium cæperit. In fine rogat Principem, ne ferat inclementer, quod ad ciuitatem illi subditam, insciо adeoq; inuitо ipso reuertatur: Principem enim in facultates & corpora; Christum vero etiam in animas subditorum potestatem habere, ad quas curandas se diuinitus missum dicit, & excitatum. Hæc Lutherus.

XXXVIII. *Lutheri de missa abrogāda scripta.*

Cæterum, quod turbas per absentiam suam à Sathana concitatas scribit, ea res ad hunc modum gesta est. Dum in Thuringia delitesceret, Augustiniani fratres in Monasterio Vuittembergensi Missam abrogarunt, quemadmodum superius narratum est. Lutherus, vbi per suos ea de re certior factus fuit, Calend. Nouem. epistolam ad eos scripsit ex eremo, cui tractatum adiunxit, bene prolixum, de abroganda Missa, nō alio fine scriptam, quam vt probaret factum, atq; animum illis adderet, ad rem quam cæperant fortiter exequendā. Vt Princeps Elector Fridericus, veritus, ne q̄ grauis incōmodū ex hac mutatione nasceretur, per Gregorium Pontanū Iuris Doctorem vniuersitati mandauit, vt rei gestæ veritatem, & quas Augustiniani habērent facti sui rationes, tum quæ ipsorum esset hac de re sententia, per quosdam è numero suorū ad se perscriberent. Delecti sunt qui rem hanc exequerētur. Iustus Ionas, Ioan. Dolzius, Andreas Carlostadius, Hieron. Schurffius. Nicolaus Amsdorffius, & Philipp. Melanchthon. Hi cum Augustinianis in colloquium veniunt, & auditis rationib. quibus nimirum permoti Missam abrogarint, factū, datis ad electorem literis, calculo suo probant. Rationes v. quib. hæc causa nitebatur, ex libro Lutheri de abroganda Missa, desumptæ erant; quos illi Diabolus in nocturno colloquio pridē suggesserat. His freti Doctores illi per Vniuersitatem delecti Principem hortantur, vt in reliquis etiam Ecclesiis per ditiones sibi subiectas Missam aboleri iubeat, nec hominum obloquia curet, aut infamiam nominis, quod ob hanc causam pro Deo emo, vel hæretico sit habendus. Eā ignominiam propter Dei verbum æquo animo sustinendam dicunt. Princeps v. qui rem hanc pro sua prudentia paulo altius expendebat, tam præcipiti iudicio non contentus, statim alium quemdam ex Cōsiliariis Vuittembergam mittit, Christianum Baxer Iuris Doctorem, per quem delectos grauiter admonet. Negotium hoc valde arduū esse, magniq; momēti q̄ ab ipsis vti pauciorib. confici nō possit, quando quidē Ecclesiæ totius, omnium q; per vrbem fideliū interfit. Itaq; non temere vel præcipitanter agendū in hac causa; quæ si fundata sit in Euāgelio, proculdubio futurū, vt id etiā alii animaduertant: atq; ita fieri posse, vt hæc mutatio cōmodius multis accidentib. instituatur. Ignorare Principem, qui rerū Theologicarum ignarus sit, quo tempore primū cæperit ea Sacrificii peragendi ratio, q̄ ipsi nunc abolitam velint, quæ si leniter antiquetur, meruendū videri, ne facultates hoc nomine donatæ Monasteriis & Collegiis subtrahātur, ex quo necesse sit magnas oriri turbas & difficultates, tum obloquia quoq;, quasi hæretici sint, & Ecclesiæ persecutores, qui mutationem hanc induxerint. Itaq; prudēter, & moderate tractandum hoc negotium, ne quod statuatur, vnde dissidiæ, seditiones, aliaue id genus incōmoda possint oriri. Ad hæc illi deliberatione rursus habita respondent, Missam, vti nunc quidē cum opinione diuini cultus & sacrificii peragitur, aīs ab hisce circiter quadringentis primum natā. aliā fuisse veterem Missam ab Apostolis institutam, quæ Diui Augustini seculo fuerit in vsū, & ad S. Bernardi tēpora durarit. hanc restituendam esse dicunt, nouā v. illam non iniuria, velut abusib. & impietate scatentē aboleri. Si ex eo scādala, seditiones & tumultus oriantur, id in hac causa non magnopere curandū: metum hunc externorum periculorum à Sathana incuti hoc agente nimirū, vt rei bene cæptæ cursus impediatur. Fridericus a. tametsi consilium non probaret, dissimulauit tamen factum; præsertim, cum Lutherum, & eos qui primas in Vniuersitate tenebant, Augustinianis accedere videret, earumq; causam & factum publice tueri. Mādauit interim Canonicis Ecclesiæ Collegiatæ (q̄ Vuittembergæ sub Omnium Sanctorum titulo per maiores suos erectam, magnis possessionib. ipse locupletauerat) ne discederent ab institutis maiorum, neve quicquam in diuino cultu, vel receptis ceremoniis immutarēt. Huic mandato Principis paruerunt illi quidem, sed ringente interim, ac præiracundia frendente Luthero: cuius minis & violenta importunitate tandem, anno 1524. exeunte, coacti, diuino cultu reiecto, Lutheranum substituerunt, quemadmodum suo loco dicemus. XXXIX.

Adq; hæc prima Sathanæ machinatio publice fuit, ad euertend-m religionē Catholicam Vuittembergæ per absentiā Lutheri suscepta; quæ cū nō infeliciter cederet, fuerunt, qui ad alia quoq; censerent progrediendū. Horū primus adeoq; ductor fuit Andreas Rodolphi Carlostadius, Archidiaconus omnium Sanctorū, & S. Theol. Doctor, Luthero cōiunctissimus; cui se coniungebant ex Augustinēnsib. Gabriel quidam, tum ex Vniuersitate non nulli: ijdē, ni fallor, quos supradiximus per Vniuersitatē delegnatos, vt ab Augustinentio causas scisciterētur, cur Missæ sacrificiū abrogarint. Hi igitur plebe concitata Sanctorum imagines è templis eiiciebant, laicis potestatē dabant Eucharistiā profano ritu manib. contrectandi, camq; sumendi, cōscientiis per confessionē non p. ius expiatis, suadebāt esum carnium, ijs diēb. quib. ecclesia præcipit abstinēdū; Scholas, literarum studia, gradus promotionū Academicos, in cōtēptum adducebant: Hæc machinatus est Sathan, an. isto 1522. ineunte, idq; ministerio Carlostadii inprimis, qui se reliquis antesignanū, in hoc negotio præbebat.

Lutherus a. vbi rē per suos intellexit, grauiter commotus Vuittembergam redire statuit: idq; sine mora, Principe inconsulto; ne, si tēpus extraheretur, Carlostadius pergeret via cæpta, sibiq; palmam mutatæ religionis præriperet. Rediit ergo Vuittembergam incōsulto, adeoq; inuito Principe, vti paulo diximus, tempestatē illam sedaturus, q̄ Carlostadius, aliiq; nonnulli per Sathanam impulsi cōcitarant. Venit autē istuc, postridie illius diei, quo Quadragesimā Ecclesia cinerib. aspersis orditur, ac deinceps à Dominica proxima, quę in nonum Martii diē incidit per totā hebdomadam sequentem in turbatores istos, Diaboli ministros, acres aliquot Cōciones habuit, deq; capitib. supramemoratis ad populū stomachabundus more suo declamauit. Rē ipsam non improbauit quidē ille, sed desiderabat ordinē in iis exequendis, quæ per tumultum facta erant. In primis a. vehementer illi displicuit, q̄ se præterito vel inconsulto, mutationē hanc instituissent. Id prorsus inexpiabile crimen erat. Vt v. pauca quædā ex his concionib. delibemus; *Fratres*, inquit, *me sequimini, ego certe in hac causa nunquam exorbitaui. Iam & primus fui, quem Deus in hoc stadium posuit, & cui verbū suum reuelauit. & certus sum vos parum habere Dei verbum. Putatis dormire diabolum? Non dormit, ego bene illum noui: spero etiam me dominum ipsius esse. Si concedamus illi vel latum pedem, difficulter postmodum ab eo liberabimur. Quamobrem errarunt omnes illi, qui vel auxilium, vel cōsilium suum ad abrogandā missam contulerant: non quod id bonum non fuerit, sed quod res nō est ordinate peracta. Potuisti si me consulere in hac causa. Non tā longe aberā, quin mecum per literas, vel per internuncium agere potuisses. Ego prædicaui Dei verbum, & scripsi, nihil aliud feci. Id verbum, dum ego dormiui, dū Vuittēbergensem ceruisiam bibi, cum Philippo meo & Amsdorffio, tantum Papatui detrimentum intuli, quantum nullus vnquam Princeps vel Imperator. Si voluissem excitare turbas, vel violenter agere, magnā in Germania sanguinis effusionē excitassem. Imo lusum inchoassem, Vuormatiæ, vt nec Cæsar ibi securus fuisset. Quid putatis cogitare Diabolum, quando per tumultum huiusmodi res agūtur? sedet retro infernū, & cogitat: O quā insignē tragediā excitabunt moriones isti: Vrinā omnes Monachi & moniales audirēt concionē hāc, & intelligerēt, omnes q; profugerēt ex Monasteriis, vt omnia cœnobia p vniuersum mundū euacuata corruerent: hoc in votis haberē. Imagines habere vel nō habere licet, est res libera. quamquā præstaret nullas esse*

prorsus imagines. Ego illis infensus sum: sed non sunt per tumultum eiiciendæ. hoc diabolus à me non obtinuisset. Putatis necessarium esse, vt manibus sumatis Eucharistiam, in eoq; boni Christiani esse vultis? Qua in re, ad eum modum egistis cum Eucharistia, quæ summus noster thesaurus est, vt non esset mirum, si vos sulmine tactos, vel tonitru, terra deuorasset. Nisi ab eo desistatis, non opus erit, vt Cæsar me, vel alius quispiam hinc eijciat. discedam à vobis non coactus. Certe possum dicere, quamquam hostes mei magna me molestia affecerunt, tamen nullus eorum ita me tetigit aut læsit, vti vos me tetigistis & læsistis. Nimis enormiter peccastis. Esse, istis, vt nunc dicatur: Ha, Vuittembergæ sunt boni Christiani: nam Sacramentum manu contrectant, & calicem item apprehendunt: postea vinum adustum bibunt in cauponis, & sese ingurgitant. Cum scripsi de Confessione, nimirum hoc improbauit, quod Papa eam præcipit: imo propterea non confitebor. Volo enim vt liberum mihi faciat confessionem, nec ad eum me cogat. Verumtamen non patiar mihi auferri confessionem priuatam, quam omnibus mundi thesauris non permutarem. Scio enim quantam mihi consolationem, quantumq; robur dederit. Iampridem occisus essem à diabolo, nisi confessio me conseruasset. Hæc Lutherus.

XLI. *Carlostadius peruersa sua doctrina in Ecclesia.*

Quia vero Carlostadius excitarat turbas istas, aliosque in nassam suam pertractos secum inuoluerat, ipsum tamquam rebellionis authorem paulo durius tractauit: parum memor quod ab illo tamquam præceptore suo Doctoralem laureã acceperat. Reliquos autem, inter quos & Ionas fuisse videtur, & Melanchton ipse, cum sese demitterent, & culpã deprecarentur, velut obedientiæ filios in gratiam recepit. Carlostadius vero, qui dogma suum de Eucharistia iam tunc cõceptum in animo velut monstrum in vtero gerebat, cũ eius pariendi locum Vuittembergæ non inueniret, oppressus à Luthero, & contemptus ab omnibus discessit tandem, & Orlamundam venit, à ciuibus istius oppidi vocatur, vt istic Pastoris munere fungeretur. Igitur rebus vtcumq; pro voto domi compositis, Lutherus, ad Ecclesiam oppugnandam se rursus comparauit. Agebatur sub hoc tempus in Bohemiæ Conuentus Ordinum, in quo rumor erat, deliberari cœptum de medijs, quib. cum sede Romana Bohemi recõciliari possent. Quod vbi Luthero innotuit, datis ad Conuentũ literis, dehortatur Ordines ab hoc instituto. Fuisse se quidem, ait, Bohemis antehac infensum: at nunc inobedientiam ipsorũ erga Pontificem ita prædicare, vt Bohemici nominis inuidiã nemo grauius, quã ipse sustineat, qui & Bohemus à quibusdam habeatur. Habuisse se aliquando desiderium videndi regnum istud, & Hussitarum fidem perdiscendi. Verum ne illa profectio fugæ speciem præberet aduersariis Papistis, consulto se hactenus à congressu illorũ abstinuisse. Et quia nunc Bohemorum nomen quibusdam in Germania procerib. inuisum perinde non sit, nec apud vulgus tam inuidiosum, vti quondam fuerit, sperare se breui futurum, vt vterq; populus Bohem. Germaniq; per Euangelium ipsius, Deiq; verbum, animis & professione publica in vnum coalescant. Pontificẽ non recepturum eos in gratiam, nisi communionẽ omittãt vtriusq; speciei, & Io. Hussum cum Hieronymo Pragensi, eorum q; doctrinam eiurent. Quod si faciant negaturos eos Christum, futurosq; gehennæ filios. Interim tamen si tota Bohemia desciscat, se tamen cum suis sanctum Christi martyrem Ioannem Hus nihilominus defensurum. Vt in pauca rem conferat, rogare se, vt consistant inmobiles, & in inobedientia perseuerent, nec deficiendo contumelia Lutheranum Euangelium afficiant. Hæc Lutherus ad Bohemos scripsit 10. Iul. postquam ex secessu Thuringico reuerterat. Scripsit vero & alios quosdam tractatus inter quos cum primis Sathanæ cõsortium & officinam redolet liber contra falso nominatum Ordinem Ecclesiasticum; tum alter contra Henricum VIII. Angliæ Regem, & quem de vita coniugali scripsit. In his afflatum illius spiritus aperte prodit, cum quo in secessu Thuringico consueuerat, & tantam effundit scurrilium verborũ copiam, tam turpiter & insolenter in Episcopos, in Regem Angliæ, alios q; debacchatur, vt æstro Sathanico perciti non iniuria dicas. Neq; vero conuiciatur tantum, & intimã hausti spiritus virulentia euomit sed & classicum canit voce publica, suorumq; animos in eadem Ecclesiasticorum accẽdit quasi Deo huius seculi, patri mendaciorum & homicidæ, nõ alio quam Episcoporum sanguine litaturus, vti tertium Eliã decebat. Accusatus inuectus est in Bullam Papæ Leonis X. i n-

Cœna Domini Romæ publicatam, priusquam Vuormatiam veniret Lutherus. Nam cum in ea iuxta consuetudinem antiquam excommunicati & anathematizati fuissent omnes hæretici, nominatim vero Gazari, Patareni, Pauperes de Lugduno, Arnaldistæ, Speronistæ, item Wicklephitæ, Hussitæ, & nouissime Martinus Luther, simul cum omnib. complicibus fautoribusq; suis; is edidit contra eam Theutonicum quendam libellum, fœdissima scurrilitate refertum, quam Xenii loco pro nouo anno retribuit sedi Apostolicæ. Edidit deinde Bullam suam, breuem illam quidem, sed quam dictante Sathana, calamumq; moderante, non atramẽto, sed sanguine humano scripsisse videretur, quam hoc loco ad faciendam fidem insero. *Attendite, inquit, Episcopi, imo larvæ Diaboli. Doctor Lutherus Bullam vobis & reformationem legere vult, quæ vobis non bene sonabit* Sequitur deinde Titulus. *Doctoris Lutheri Bulla & Reformatio. Quicumq; opem ferunt, corpus, bona, & famam in hoc impendũt, vt Episcopatus deuastentur, & Episcoporũ regimen excindatur hi sunt dilecti filii Dei, & veri Christiani, obseruantes præcepta Dei, & ordinationib. Diaboli repugnantes. Aut si hoc non possunt, regimẽ tamen illud saltem condemnant ac vitant. Contra vero, quicumque defendunt Episcoporum regimen, eiusq; obtemperant voluntaria obedientia, hi sunt Diaboli ministri proprii, diuinaque ordinationi ac legi repugnant.* Hoc Lutheri sanguinarium edictum rustici non diu post exequi voluerunt, quas ille scriptis suis excuiit proculdubio, vt id facerent, sed sub initium aliquandiu fouit: postmodum vero, vbi vidit eos in conatu deficere, iussit eos omnes, instar pecudum, miserandum in modum contrucidari; quemadmodum infra suo loco dicemus.

XLII.

Jam v. quoad librum in Angliæ Regem attinet, in eo lõge atrocissime contra omnem pudorem humanum inuectus est in Regẽ, postea quã sensit illius libro contra nouæ Babylonis præludium, pro Sacramentorum dignitate ab iniuria vindicanda scripto, multum existimationis detrahi Euangelio Lutherico, etiam apud Germanos, translato eo per Hieronymũ Emserum in linguã Germanicam. Nulla sane conuitia, quæ mens pessima & os maledicentissimum excogitare poterant illi visa sunt nimis vel iniuriosa vel scurrilia. Quicquid in buccã venit, sine omni verecundia euomuit: ius gentiũ quo Regiæ dignitati defertur, ac fas omne furiose contemneas. & inter conuitia, etiam prodigiosam sæpe interponit arrogantiã, & contemptũ, dum falso iactat se de verbo Dei. Ego v. inquit, aduersus dicta Patrũ, hominũ, Angelorũ, Dæmonum, pono, non antiquum vsum, non multitudinem hominum, sed vnius maiestatis æternæ verbum, Euangelion, q ipsimet coguntur probare. Hic sto, hic sedeo, hic maneo, hic glorior, hic triumpho, hic insulto Papistis, Thomistis, Hæreticistis, Sophistis, & omnib. portis inferi, nedum dictis hominũ quantumlibet Sanctorum aut consuetudini fallaci. Dei verbũ est super omnia. Diuina maiestas mecum facit, vt nihil curẽ, si mille Augustini, mille Cypriani, mille Ecclesiæ Henricianæ contra me starent. Deus errare & fallere nõ potest: Augustinus & Cyprianus, sicut omnes electi, errare potuerunt, & errauerũt. Itẽ, si solius Christi sumus, quis est iste stolidus Rex, qui suis mendaciis nos Papæ facere molitur? Nos non sumus Papæ, sed Papa noster est. Nostrũ est, nõ iudicari ab ipso, sed ipsũ iudicare. Spiritualis n. à nemine iudicatur, & ipse iudicat omnes, quia verũ est: Omnia vestra, etiã Papa, quanto magis sordes istæ & labes hominũ Thomistæ, & Henrici. Itẽ, Missam ita q; extorsimus, & triumphamus aduersus assertorem sacramentorũ. Triumphata vero Missa, puto nos totum Papatũ triumphare. Nam super Missam, ceu rupẽ, nititur totus Papatus, cũ suis Monasteriis, Episcopatib. Collegiis, altaribus, ministeriis, & doctrinis, atq; adeo cum toto ventre suo. quæ omnia ruere necesse est, ruẽnte Missa eorũ sacrilega & abominanda. An v. impudens & monstruosa improperatio & iactantia eius non est ista, vbi ait: Si idolũ Romanæ abominationis propter Christũ conculcaui, q se in locũ Dei statuerat magistrum q; Regũ & totius mundi fecerat: quis est iste Henricus, nouus Thomista, discipulus duntaxat tũ ignaui mõstri, vt virulentas blasphemias eius honorẽ? Sit ipse defensor Ecclesiæ, sed eius Ecclesiæ, quẽ tanto libro iactat & tuetur, nẽpe purpuratæ meretricis, & ebriæ, & fornicationum matris; Ego & Ecclesiam eius, & defensorẽ ipsam pro eodẽ ducens, vtroq; eodẽ impetu inuadam, & Christo duce conficiam. Certus n. sum, dogmata mea me habere de cœlo, quæ etiam

aduer-

aduersus eum triumphaui, qui in vngue nouissimo plus habet virtutis & astutiæ, quam omnes Papæ, & Reges, & Doctores, vt nihil agant, qui Bullas nominum & titulorũ contra me iactant, & libellos sub Regiis inscriptionib. venditãt. Dogmata mea stabunt, & Papa cadet, inuitis omnib. portis inferi, & potestatibus aeris, & terræ, & maris. Ipsi me prouocauerunt ad bellum, bellum igitur habebunt. pacem oblatã contempserunt, pacem igitur non habebunt. Deus viderit, vter primo fessus defecerit, Papa, an Lutherus. Instat n. mors Papatus abominabilis; vrget eum ineluctabile suum fatum, &, vt Daniel ait, ad finem sui venit, & nemo auxiliabitur ei. His omnibus & id genus aliis quamplurimis vasanæ iactantiæ spumis minisq; non contentus, addidit etiã calumnias & Sycophantias, easq; atrocissimas, non solum in Papam & Regem Angliæ, verum etiam & in Imperatorem, & in Principes Germaniæ, & Germanice quidem multo ferocius quam Latine, vt scilicet plebem in Principes alacrius concitaret. Ait ergo. Apparui ego iam tertio coram eis: deniq; Vuormaciã ingressus sum, etiam cum scirem mihi violatam esse à Cæsare publicam fidem. Nam didicerunt Principes Germaniæ, olim de fide laudatissimæ gentis, nunc in obsequiũ idoli Romani nihil magis quam fidem contemnere, in perpetuam nationis ignominiam. Item. Hæc sunt arma quib. hæretici vincuntur hodie, ignis & furor insulsissimorum asinorum, & Thomisticorum porcorum. Sed pergant porci illi, & si audent exurant me. Hic sum, & expectabo eos: cinerib. solis post mortẽ, etiam in mille maria proiectis, persequar & fatigabo hoc abominabile vulgus. Summa. Viuens, Papatus hostis ero: exustus, bis hostis ero. Facite porci Thomistæ quod potestis, Lutherum habebitis vt sam in via, & leænam in semita. Vndiq; vobis occurret, & pacem habere non sinet, donec ferreas vestras ceruices, & æreas frontes contriuerit, vel in salutẽ, vel in perditionem. Item Theutonice. Quanto plura scribebant, inquit, tanto insanius, stultius, impudentius q; mẽtiebantur, donec compertum est tandem per dilucidas Scripturas, Dei gratia, Papatum, Episcopatus, Collegia, Monasteria, Academias, simul cum omni Sacerdotio, Monachatu, Monialatu, Missis, cultibusque Dei meras esse sectas damnatas Diaboli. Populus enim iste ad hoc intendit, vt coram Deo agat operibus, & non nuda fide: per quod sane & Christus negatur, & fides extinguitur; itẽ. Recte coniungitur simul, Papa & Henricus de Anglia. Ille Papatum suum tam bona habet conscientia, quam hic suum possidet regnum: ideo alter alterum scalpit, sicut mulæ solent, &c.

XLIII.

Interim non defuerunt ex iis, qui monerent hominem, vt modestiæ memor & Christianæ charitatis, à tam scurrilibus conuitijs & contumeliis in Principes abstineret. Fecit hoc ex amicis quidam, cum liber hic in publicum prodiisset, & datis ad eum literis, rogauit causam cur tam duriter tractarit Angliæ Regem, eumque tot conuitiis lancinarit. Respondet, id non temere, vel ex subitanea commotione factum, sed deliberato: nec expectandum deinceps, vt aduersarios mitius tractet. Principem Electorem, ait, alios q; complures hoc ipsum quoq; monuisse per literas, vt à conuitijs sibi tẽperaret, quod se facturum constanter & perpetuo negarit. Non ferre causam suam, vt vel cedat minimũ, vel cuiquã se submittat. Stultum sẽ fuisse, quod id hactenus tamen fecerit. Præstitit quod edixit. Nam adhuc multo atrocius magisque seditiose scripsit hoc ipso anno, in vniuersum statum Ecclesiasticum: in quo libello, se, vt cornua contra Papam & Episcopos erigeret superbius, nominabat Ecclesiasten Dei gratia: addens, si & Euangelistam Dei gratia se nominaret, facilius hoc probare posse, quam vllus Episcoporum possit probare titulum suum. Sic enim certum esse, quod Christus ipse sic ipsum nominet, & pro tali habeat, qui & doctrinæ ipsius Magister sit, testisque futurus in die nouissimo, quod scilicet ea doctrina non sit Lutheri, sed Christi purum Euangelium. Ait ergo in prologo libri. His certiores vos facio inquit, me de cætero vobis non amplius eum honorem exhibiturum esse, vt me submitterem vel vobis, vel etiam vlli Angelo de cœlo, ad iudicandum aut examinandum doctrinam meam. Nam stultæ humilitati satisfactum est iam tertio Vuormatiæ, & tamen nihil prodest. Sed volo audiri, & iuxta doctrinam S. Petri, doctrinæ meæ rationem & fundamentum ostendere coram vniuerso mundo, eamq; habere

XLIV. *Lutheri de matr. monodoctrina.*

iniudicatam à quolibet, etiam à cunctis Angelis. Cum enim de ea certus sim, volo per eam & vester, & Angelorum quoque (vt Paulus ait) iudex esse, vt quisquis doctrinam meam non acceptauerit saluari non possit. Dei enim est, non mea. Idcirco & iudicium meum, non meum, sed Dei est. & infra. At si dixerint, timendum esse, ne fiat seditio contra Ecclesiasticos. Respondeo, inquit, nũ ob id verbum Dei negligi, omnisque mundus perire debet? Estne æquum, vt omnes animæ intereant æternaliter, & harum laruarum temporalis pompa permaneat quieta? Melius foret, vt omnes Episcopi occiderentur, omnia Collegia & Monasteria funditus eradicarentur, quam vt vna periret anima, ne dicam, vt omnes animæ perderentur, propter inutiles laruas & puppas. Ad quid profunt, nisi vt voluptatibus indulgeant, ex aliorum sudore & labore, verbumque Dei impediant? Si autem nolunt audire verbum Dei, sed insaniunt ac furunt excommunicationibus, incendiis, cædib. & omni malo; quid iustius continget eis, quam fortis quædam seditio, quæ illos è mundo exterminet? Et ob hoc ridendum solũmodo esset, si fieret, sicut ait sapientia diuina, Prou. 1. Hæc in prologo. Quantis vero conuitijs, opprobrijs, sannis, improperiis, fœdis agnominib. amarulentijs, calumnijs, blasphemijs & execrationibus debacchatus sit in omnes Ordines Ecclesiasticos, maxime in Episcopos, per totum illum librum Theutonicum, nemo rectius referre aut enumerare poterit quam liber ipse pestilentissimus, & sanguineo colore tinctus.

Cæterum in sermone de vita Coniugali, quẽ in libelli formam redactum hoc anno typis diuulgauit, contra castitatem virginalem, & pudiciiam honestatemque coniugalis thori, fœda quædam eblaterauit, quæ pudicis piisque mentibus nauseam & horrorem non iniuria moueant. Huius generis sunt, quæ hoc loco subiungimus; Quam non est in viri potestate positum, vt vir non sit, sed fœmina; tam non esse, dicit, in ipsius arbitrio, sine fœmina viuere, quemadmodum nec in arbitrio fœminæ sit, esse sine viro. Conjunctionem vtriusque non ex voluntate consiliove nostro pendere, sed cuiquam esse naturaliter insitæ necessitatis: nimirum vt quicquid masculini sexus est, vxorem habere necessario debeat; & quicquid fœminini, maritum: Cum verbum illud, Crescite & multiplicamini, non præcepti modo vim habeat, sed & fortius & maius quidem sit quam præceptum, adeoque Dei opus, quod impedire vel non exequi, prorsus non sit in potestate nostra, adeoq; necessariũ, quam edere & bibere, excernere & eiicere, dormire & vigilare. His ita positis, infert; Si quis contra necessitatem hanc, vel decẽ votis, iuramentis, pactove seipsum vinxerit, & ferreis adeoque adamantinis nexibus sese obligarit, id frustra esse, idemque prorsus, ac si vir non masculum, mulier non fœminam se esse voueat. Quod si fœcunda mulier viro nupserit impotenti, necalii publice matrimonio iungi possit, suadet, vt illa cum mariti fratre, vel cognato proximo concumbat, vel si maritus id concedere nolit, vt clam aufugiat in regionem aliam, ibique nouum quærat thori socium. Præterea, si alter coniugum adulterio se polluat, partem innocentem, vxore, maritove viuente, liberam pronunciat à matrimonii nexu, eiq; potestatem facit cum alio contrahendi, ac si pars criminis rea morte mulctata esset, vti meruerit. Nec enim innocenti fraudi esse debere, si Magistratus adulteris è medio tollendis officium suum non exequatur. Item, Matrimoniũ docet contractum esse mere politicum, vt hoc nomine vel cum infideli, gentili, Turca, Iudæo contrahere liceat: quemadmodum cum id genus hominum exercere mercaturam, & ciuiles facere contractus illicitũ non sit: ideoq; & Matrimoniales causas ad seculare tribunal, vel politici magistratus iudicium pertinere. Si quis vero morosam habeat coniugem quæ coniugale debitum marito reddere pertinaciter recusat hunc ad ancillam remittit: Si nõ vult vxor, inquit, veniat ancilla, dimissaq; Vasthi, Hesterem ad exẽplum Assueri matrimonio tibi iungas. Postremo coniuges instruit, quomodo viuendum sit in matrimonio, & molestiæ superandæ, quib. obnoxium est hoc vitæ genus. Virũ docet, vbi prolẽ è coniuge sustulerit, cunas motare, fascias lauare, aliaque id genus vulgo contẽpta ministeria ram matri, quã infanti exhibere. Quod si propterea ludibrio sit aliis, & simia vel mulierosus appelletur, id non curandũ. Deum interim ridere cũ omnib.

Angelis

Angelis & creaturis, dum ista facit, & irrisores istos vicissim ludibrio habere. Omnes Moniales & Monachos, qui castitatis & obedientiæ votis astricti, statū suum magni faciunt, dignos non esse qui cunas moueant, in quib. infans baptizatus quieſcit, vel eidem pulpamentum præparēt, etiamsi spurius esset, vel illicito concubitu natus. Hæc ad populum Vuittēbergensem Lutherus publice declamat, quod vt faceret, coactum se dicit necessitate quadam, vt miseras, & irritas conscientias informaret.

XLV. Decreuerat etiam pridem, cum adhuc in secessu Thuringico delitesceret, integrū Bibliorū corpus in linguam Germanicam transferre: cuius laboris hoc anno dedit specimen quoddā, dum Noui Testamenti libros in Germanicam linguam translatos separatim edidit. Qua in re certe mala fide versatus est, verbiq; diuini maiestatē non parum imminuit. Præterquam n. quod è Canone libros quosdam remouit, Epistolas nimirum Diui Pauli ad Hebræos, Iacobi (quā suma cum contumelia stramineam vocat) Iudæ, Petri alteram, secundam & tertiam Ioan, eiusdemq; Apocalypsin: propter id, inquam, & volens scienſq; N. T. centenis aliquot locis fœde corrupit. Insuper in præfatione generali, etiā in sacratissima Euangelia audacissime manum misit, volens in primis repudiandam esse vetustissimam hanc, & omnibus Christianis notam ac receptam sententiam, esse scilicet quatuor tantum Euangelia, totidemq; Euangelistas, reprobans per hoc etiā sacratissimas figuras, & visiones, atq; mysteria Scripturarum quæ quaternarium illum numerum præmonstrant in Genesi, in Ezechiele, in Apocalypsi. Reiiciebat item diuisionem librorum N. T. in Legales, historiales, prophetales & sapientiales, vulgo vsitatam. Iubebat præterea cauere Lectorem, ne ex Euangelio, legis aut doctrinæ librum faciat; sicut factū fuit hactenus, inquit, & præfationes quædam Hieronymi docuerunt. Euangelium enim non requirere opera, aut præcepta præscribere, sed solam fidē in Christum docere, & dulciter consolari credentes, affirmabat. Et data opera, ipse plærasq; loca Scripturæ aliter vertebat, in aliumque sensum trahebat, quam habebat Ecclesia: præsertim vero in iis locis, quæ notissima cunctis vulgo erant, qualia sunt, Oratio Dominica, Salutatio Angelica, Canticum SS. Virginis & Zachariæ, vt ex iis populus eo facilius crederet, Ecclesiam non habuisse hactenus verum textum Euangelicum. In oratione igitur Dominica, quæ à Matthæo commemoratur sexto Capitulo, mox immutauit initium dicens: Noster pater in cœlo, tuum nomen sit sanctum. At vniuersa Ecclesia, & omnis Germania hactenus sic dixit; Pater noster qui es in cœlis, sanctificetur nomen tuum; neque Græci aliter habent. In medio autem illius orationis pro supersubstantiali posuit Quotidianum, quod Lucas dicit. In fine addit integram clausulam, quam vel antiquissima Ecclesiarum exemplaria ante annos DCC. aut DCCC. scripta nusquam habent. Et enim ait Ecclesia, sed libera nos à malo Amen. Lutherus vero sic ait, sed libera nos à malo; Quia tuum est regnum, & virtus, & gloria in sæcula Amen. Cætera tria habentur Lucæ 1. In salutatione itaque Angelica, vbi Ecclesia ait, Aue gratia plena, Lutherus ait; Aue gratiosa, seu amabilis. In Cantico Mariæ, quod Magnificat vulgo dicitur, vbi Ecclesia legit vel canit, Beatam me dicent omnes generationes, Lutherus ait; Beatam me glorificabunt omnes filiorum filii. Denique in Cantico Zachariæ, quod per omnes Matutinas legitur, ac Benedictus appellatur, vbi Ecclesia canit, In sanctitate & iustitia coram ipso, omnibus diebus nostris, Lutherus sic vertit. Quo ad viuimus in sanctitate & iustitia, quæ ipsi placita est. In Ioannis initio, Ecclesia legit, In principio erat Verbum; Lutherus autem. In principio erat sermo. Hoc exempli gratia commemorata sunt. Ex quibus facile cognoscitur, Lutherum pessima intentione nouum Testamentum hoc tempore in linguam vertisse Germanicam, scilicet, vt conuinceret, aut saltem persuaderet populo, Ecclesiam in textu Sacro sæpe erasse, & Germanos (quod postea publice iactare ausus fuit) hactenus vsque ad prædicationem suam numquam antea verum & germanum audiisse Euangelium. Ipsemet tamen post aliquot annos, priorem suam editionem in aliquot locis mutauit: adeo sane, vt ex Solo Matthæi Euangelio adnotauerint quidam locos XXXIII. in quibus aliter habet eius secunda editio q̄ prima quæ posteriorem quinque annis præcessit. Nec his versionibus contentus, Latinam quoque editionem, à propria sua Theutonica in multis diuersam adiecit, anno post primam editionem septimo, scilicet, vt non solum Germanos, verum etiam Latinos quoslibet in sacra Euangelii lectione perturbaret.

XLVI. *Lutheri ineptæ noui Testamenti trāslatio.*

Nemo vero satis enarrare queat, quantus diſſidiorum, tui bationumque & ruinarum fomes & occasio fuerit ea noui Testamenti translatio, in qua vir iurgiorum, data opera, contra veterem & probatam Ecclesiæ lectionem multa, vt diximus, immutauit, multa decerpsit, multa addidit, & in alium sensum detorsit: multas insuper adiecit in marginibus passim glossas erroneas atque cauillosas, & in præfationibus nihil malignitatis omisit, vt in partes suas traderet Lectorem. Inuenti sunt ex Germanis, qui ex ea translatione admissos ab eo passim errores, & mutationes colligerunt, alii supra mille, alii non multo pauciores. Inter quos sane Hieronymus Emser præcipuam laudem promeruit, qui non solum notauit, ac populo edidit Lutheri errata in translatione, verum etiam propriam translationem, quæ probato & recepto Ecclesiæ textui Latino per omnia consonaret, veluti antidotum contra Lutheri venena euulgauit, non sine grandi consulatione populi Catholici. Ex eo enim labore didicerunt Catholici, vbi errasset Lutherus, & gloriantes de suo Euangelio Lutheranos, poterat cum fiducia confutare. Antequam vero prodiret labor Emseri, mirum in modum multiplicabatur per Chalcographos nouum Testamentum Lutheri, vt etiam Sutores, & mulieres, & quilibet Idiotæ, qui Theutonicas litteras vtcumque didicerant, nouum illud Testamentum, tamquam fontem omnis veritatis auidissime legerent, quicumque Lutherani erant: illudque sæpe legendo memoriæ commendarent, in sinu portantes secum codicem, ex quo tantam intra paucos menses sibi doctrinam arrogabant, vt non solum cum laicis partis Catholicæ, verum etiam cum Sacerdotibus & Monachis, atque adeo etiam cum Magistris & Sanct. Theologiæ Doctoribus, disputare de fide & Euangelio non erubescerent, quinimo reperta sunt mulierculæ, quæ propositis thematis, editisque libellis Theutonicorum, ausæ fuerint vltro prouocare: & quidem procacissime insultantes, ignorantiamque improperantes, & contemptui habentes viros, non modo laicos atque priuatos homines, verum etiam quoslibet Doctores, & Licenciatos totius facultatis Theologicæ, ac totas etiam Vniuersitates: id quod de Argula, Nobili quadam muliere, compertum habetur. eoque audaciæ, abiecto muliebri pudore, processerunt mulieres Lutheriscæ, vt etiam ius officiumque publice in Ecclesia docendi, tametsi Paulus aperte contradiceret atque prohiberet, sibi vsurparent. Nec deerant eis defensores viri Lutherisci, qui dicerent, Paulum eatenus prohibuisse docendi munus muliebribus, quatenus adsint viri, qui docere sciant & valeant. Et Lutherus ipse longe ante docuerat, mulieres quoque Christianorum vere Sacerdotes esse, atque adeo quicquid ex Baptismo reperit, vere Papam, Episcopum, & Sacerdotem esse, iuxta Petri dictum; Vos autem genus electum, Regale Sacerdotium, gens Sancta &c. Cum igitur mobile vulgus vbique magis intentum sit & auidum, ad res nouas late diuulgandas, quam ad res consuetas in suo statu conseruandas, factum est, vt turba Lutheranorum longe plus operæ impenderit, discendis sacris litteris ita translatis, quam impendit populus Catholicorum, vbi laici eam curam potissime in Sacerdotes & Monachos reiiciebant. Vnde contigit nonnumquam, à laicis Lutheranis plures Scripturæ locos ex tempore citari in colloquiis, quam citarentur à presbyteris & Monachis Catholicis. At iamdudum persuaserat Lutherus turbis suis, nullis dictis habendam esse fidem, nisi quæ ex sacris literis proferrentur. Idcirco reputabātur Catholici ab illis ignari scripturarū, etiamsi eruditissimi essent Theologi, quin etiam palam aliquādo coram multitudine contradicebant eis laici aliqui tamquā mera pro concione dixerint mendacia, aut hominū figmenta. Accedebant & alia incommoda. Nā cum antiqui Theologi, multis retro annis peritiam linguarū & politiores literas neglexissent, Lutherus mox ab initio per Philippum Melanchthonem, & per Zuinglium, Oecolampadiumque

& Bu-

& Bucerum, antequam ab eo in nonullis articulis dissentire cæpisset, toram fere iuuentutem eloquentiæ, linguarum & studio deditam, ac ingenio ex Erasmi Rotherodami opusculis excultam, in partem suam traxit. Iuuenes vero & ingenio alacres, & laborum patientes, mox in sacris literis, quibus Lutherus vnicum, & eum solummodo litteralem tribuebat sensum, ita profecerunt literaliter, vt vel XXX. annorum Theologi tam prompti in citandis Scripturæ locis non viderentur, quam erant illi scioli: qui & de peritia linguarum, & de stylo elegantia superbientes, mox quolibet veteris fatinæ Theologos, non solum contemnere, verumetiam prouocare cæperunt, maxime quando ad populum verba faciebant. Quod si quis nouitatibus eorum contradiceret mox prætendebant lectionem Græcam vel Hebraicam, aut aliquem ex vetustissimis authorib. & confestim plenis conuitiorum plaustris inuehebantur in Græcarum & Hebraicarum literarum ignaros Theologos, quos odiose sophistas, asinos, porcos, animalia ventris, & inutilia terræ pondera vocitabant, superaddentes etiam ronchos & cachinnos immodestissime, ac vnum Lutherum, velut verum Theologum populo commendantes: eius aduersarios veluti ignaros, imo hostes veritatis, & ob alimoniam sibi præcisam aut imminutam Luthero inuidentes inuidiosissime traducebant.

XLVII. *Henricus VIII. Lutheri libros subditis suis prohibet.*

Et quidem Henricus Angliæ Rex, cum intellexisset, quam studiose, Codex ille noui Testamenti ex Lutheri versione, lectus esset à plebe, cui Lutherus iudicium deferebat de fidei controuersiis, quod Vniuersitatib. & Theologis in ea palæstra exercitatis abrogabat, simulq; cum deprehendisset, quā operto stratagemate Lutherus multis sane per Germaniam imposuerit, qui cum Testamentum illud Germanicum legerent, hæreseos venenum præfationib. Commentariolis, adeoq; ipsis sacrorum librorum contextui, vel Euangelistarum & Apostolorum verbis fraudulenter infusum per ignorantiam simul imbiberent, de hoc periculo Fridericum & Ioan. fratres, eorumq; patruelem Georgium, Saxoniæ Duces per literas prudenter quidem admonuit, verum id serius factū est, cum Testamenti codex iam diuulgatus esset. & Fridericus quidem cum Io. fratre circumuenti per Lutherum, vel contumaciam eius & importunitatē pertæsi, rem dissimularunt; Georgius v. Lutherani Codicis vsum, tamquam venenosis hæreseon sordib. contaminati, subditis suis interdixit. Quod ne rapi posset in calumniam, quasi suis diuini verbi pabulum inuideret, libros N. T. per Hieronymum Emserum in Germanicam linguam bona fide translatos edidit, nimirum vt intelligerent subditi, se non à cælestib. eloquiis, Deiq; verbo sed à Lutheri damnatis errorib. & inquinamentis mandato sui Principis arceri. Aberat rum ab Germania Carolus V. in Hispaniam ad coercendos rebelles profectus. Cæterum frater eius Ferdinādus Archidux Austriæ, Cæsaris tunc Vicarius seu locum tenens, aliiq; Principes Catholici, videntes noua Lutheri translatione populos maxime in sectam Lutheranā allici ac induci, editis mandatis præceperunt, vt quicunque subditorum nouum Lutheri Testamentum, aut quoslibet alios eius libros domi haberet, traderet in publicum iis, quib. recipiendi cura esset demandata, & in plerisq; sane locis subditi Principum, quib. dictabat conscientia, ne contra Pontificis, Cæsarisque & aliorum Principum suorum Edicta & prohibitiones, vetitos domi retinerent libros, obedienter tradiderunt eiusmodi codices, qui & alicubi in vnum congesti rogum, publice combusti sunt.

XLVIII. *Idē Saxoni in causa Lutheri admonet.*

Cæterum quas Regem Angliæ diximus ad Saxoniæ Principes dedisse literas, ex Grenvvici scriptæ sunt die 20. Ian. an. 1525. quib. eosdem hortatur, vt consiliis viribusq; coniunctis mature cohiberent factionē Lutheranam, qua malus genius nullam vnquam nocentiorem in terras inuexerit, aut quæ maiorem perniciem sit allatura prope diem, nisi boni pii que omnes obstiterint & inprimis, qui plurimum possint ac debeant, ipsi Principes. Lutherum initio quidem, vt multa parum bene, ita quædam non omnino male scribere visum, at postea illum profecisse in peius, vt multi continuo perspexerint, quicquid vnquam vel plausibile scripsit, vel tolerabile, non alio fecisse consilio, quam vt meliorem ostentatione viam pararet peiorib. & prælito melle venenum vendibilius redderet. Quam rem successione perpetua, nocentium semper dogmatum adeo testatā fecerit, ve neminem esse putet, cui scintilla remanserit aut in capite cerebri, aut pietatis in pectore, qui nō eum totum cum suis insaniis ex animo prorsus eiecerit. Se quidem, ait, insulsa Lutheri scōmata, & insana conuitia facile contemnere: & licet insanus ab eo plus millies proclametur, numquam tamen adeo se futurum insanum vt ægre ferat, quod insanus vocetur ab insano. Illud interim perquam indignum sibi videri, quod lingua virulentissima Cæsarem, alios q; Germaniæ Principes criminetur, quasi in Comitijs Vuormatiensib. datam sibi fidem publicam, in gratiam idoli Romani turpiter violarint, quod impudens sit & malitiose confictum mendacium. Mirari vero se, quod non modo Germaniæ Principes, sed & Principum caput Cæsar ipse, qui fidei seruandæ sit studiosissimus, ab huiusmodi nebulone Monacho nomine suo dedecus sempiternum, & detestandam perfidiæ maculam inuri patiantur. Quamquam nouum Luthero non sit, omnia comminisci ac fingere, quib. in odium Principum scelerate concitet, atq; extimulet populum, ad quod negotium promouendum, sceleratorū hominum cateruam iamdudū contraxerit, atq; adiunxerit sibi. Itaq; nullam vnquam factionem fuisse tam seditiosam, pestilentem, nefariam, quæ sic religionem omnem tollere, leges omnes obruere, mores omnes bonos corrumpere, Respub. omnes euertere machinata sit, vt nunc ista coniuratio Lutherana, quæ & sacra omnia profanet, & profana contaminet, quæ ita Christum prædicet, vt eius sacramenta enucleet, ita Dei buccinet gratiam, vt arbitrij libertatem destruat; ita fidem extollat, vt operib. bonis detrahat, & inuehat peccandi licentiam, ita miseri cordiam subleuet, vt iustitiam deprimat & malorum omnium causam, ineuitabilem, non in Deum, aliquem malum, quod Manichei saltem commenti sunt, sed vnicum illum vere bonum conijciat. Quicum adhuc modū impie diuina tractarit, velut à cœlo deiectus serpens virus effundat in terras, in Ecclesia commoueat dissensionem, leges omnes abroget, magistratus omnes eneruet, laicos in sacerdotes conciret, vt rosq; aduersus Pontificem, populos aduersus Principes: nec aliud plane moliatur, quam ut (quod omen auertant superi) Germaniæ primum populus tamquam pro libertate bellum indicat procerib. deinde vt Christianicontra Christianos, spectantib, & irridentibus Christi hostibus, pro Christi fide ac religione depugnent. Quod si quis forte nō credat, ab vno homine nihili, tantum vnquam periculi nasci posse, huic in mentem subeat, inquit, Tu cica illa rabies, quæ cum nunc tot per terras, & maria se diffundens, maximam ac pulcherrimam totius mundi partem occuparit, à duob. olim nebulonib. sumpserit initium: vt interim taceat factionem Bohemicam, quæ & ipsa quis nesciat, è quam exiguo vermiculo, in quam immanem draconem, haud absq; magno Germaniæ malo, quam propere adoleuerit. ita proclive esse, malum segetem nullo demetente crescere. Nec vllum vmquam socio caruisse ad nocendum, neque tam imbecillum esse quemquam, quin secuto possit & tamquam lusum spectandi lethale vulnus infligere. Quæ res quo minus contingat, in præsentē negotio, Principib. omnibus adnitendum esse. Hæc & id genus plura Rex Angliæ: concludit tandem, obsecrāre se Principes per omnia sacra, vt quam maxime possint mature dent operam, vt execrabilis ista Lutheri secta coerceatur, absq; cæde cuiusquam, aut sanguine, si fieri possit. Sin id quo minus possit, peruicax obsistat audacia, quoquo modo coerceatur tamen. Neq; permittant, vt leges, Magistratus, Principes, Resp. diuina deniq; atq; humana omnia, sic assuescāt paulatim vilescere, 'coculcari, proteri, & inuale scentib. improbis, mussitantib. bonis, eo tandē res redeat, vt alteri pernersæ malitiæ, alteri præposteræ patientiæ Deum aliquando vindicem atque vltorem habeant.

XLIX. *Saxoniæ ducum ad Regem Angliæ de Luthero responsum.*

Has literas nuncius eam ob causam missus ad Fridericum Electorem, eiusq; fratrem Ioannem, & Georgium vtriusq; patruelem Saxoniæ Duces pertulit, quem illi liberaliter habitum, donatumq; muneribus in Angliam remiserunt. Cæterum hanc Regis admonitionem non eodem animo Principes acceperunt. Elector enim Fridericus, eiusque frater Ioannes, tametsi nondum ab Ecclesia Romana publica professione fecerant, fauebant tamen impense Luthero. Itaque Regi quidem honoris causa respondebant, literis Altenburgi scriptis in Aprili, sed frigide prorsus, & generatim, in hanc fere sententiā. Agnoscere se dicunt benignū Regis affe-

ctum

ctum,ex quo non dubitent hanc admonitionem proficisci. Interim per quam dolenter se laturos,si suis temporib. errores spargi videant,sacræ fidei contrarios, ex quib. discordia, perturbationes, motus publici, seditiones, aliaque id genus incommoda possent oriri:idque eo magis, si vel ipsi dedisse causam huiusmodi erroribus, vel eos patrocinio suo fouisse viderentur: Quod ne fiat vnquam intimis se votis precari Deum. Semper obedientes se fuisse Ecclesiæ filios,nec alios futuros deinceps per Dei gratiam. Si quid contra Regem ipsum, aliosue Principes, eos inprimis,quibus ipsi iuramenti vinculo sint ad obediendum adstricti,scriptum forte fuerit paulo acerbius,aut parum Christiane factum,id sibi bona fide graue futurum & permolestum. Numquam si Lutheri dogmatum aut librorum patrocinium hactenus suscepisse: quemadmodum Apostolicæ sedis Nuncius,tum ipsi Cæsari, & Principibus & Conuentu Vuormatiensi mentem suam declarint. Neq; consensu,vel voluntate sua factum,quod Lutherus Vuittembergam redierit: qua de re Senatũ Imperii purgandi sui causa datis Norimbergam literis admonuerint. Ex quibus omnibus satis manifestum euadat,quod ita sese habuerint in hoc negotio, vt causæ non sint,cur debeant à quoquã reprehendi. Hæc Fridericus Elector,eiusque frater Ioannes. At Georgius pro sua prudentia,& ardente in religionem zelo,Regis cohortationem paulo altius in animum demisit. Testantur hoc, quas separatim ad Regem dedit ipsius literæ,in quibus nullam,ait,sollicitudinem animum suum magis vmquam torsisse, quam Lutheranæ factionis,cum primum suspecta videretur prohibendæ,& postmodum cum passim grassaretur cohibendæ coercendæque. Quartum nunc annum agi,quod Ioanni Eccio,Luthero,& Carlostadio,primis pugnæ tam infelicis ducibus,de certis capitibus Lutheranæ doctrinæ disputandi locum in vrbe Academiaque sua Lipsiensi dederit,non alio consilio,quam vt vtriusque partis rationibus diligenter excussis veritas patesceret,& rebus Pariensis Erfordiensisq; Academiæ iudiciaria autoritate compositis,omnia contentionum seminaria tollerentur. Sed Lutherum,quia in Iudicum sententia,parum spei posuerit,omnia perturbandi libidine inflammatum præuertisse iudicii calculos, & ante victoriam editis varij generis libellis triumphos ostentasse. Quod si res in manu sua fuisset, nequaquam se fuisse typographis permissurum,vt libellos postea per Lutherum scriptos diuulgarent. Statim enim,ait,se sensisse. quid homo factiosus moliretur,& quorsum se tandem,si non obsisteretur prorepturus esset. Nam cum videret omnibus bonis hoc vnice in votis esse,vt Ecclesiastici quidam abusus ad pristinæ religionis sanitatem corrigerentur,hac velut persona tectũ, magno spectatorum plausu,in orbis pene vniuersi theatro, tragœdiæ suæ principium dedisse. Verum haud ita multo post,cum ea cõuellere tentaret,quæ ne moueri quidem,religione Catholica salua possent, facile deprehendisse viros prudentes,quod lupus lateret sub ouina pelle. Iam vero postea,quam inaudita hominis audacia eo profecerit, vt non modo mediocres viros,eruditione pariter & integritatis opinione celebros petulanti calamo inuaderet, verum etiam (quod nemo facile expectasset) in Angliæ Regem, omnium humanorum ornamentorum laude spectatissimum, maledicentiæ suæ frænos laxaret, certissima eum tum perfrictæ frontis,tum malitiosæ mentis argumenta omnibus de se dedisse. Dici vero nõ posse,quam inique tulerit impudentis istius belli editione. Continuo enim,vt de ea resciuerit, edicto se cauisse,ne in ditione sua libellus iste vel venderetur, vel legeretur,& acerba carceris pœna in bibliopolam animaduertisse,qui primus eum in ditionibus suis venũ exposuerit. Quamuis vero ipse præ cæteris Germaniæ proceribus in Lutheri scriptis & concionibus,nunc apertius nunc obscurius impetatur,quod sibi commune sit cum heroib. alioqui laudatissimis Carolo V. & Henrico VIII. potentissimo Anglorum Rege,cum quibus vituperari se malle dicit,quã cum Lutherana colluuie laudari, non effecturum tamen istum, vel minis suis,vel conuitijs,vt ab exequendo probi Christianique Principis officio desistat. Quamquam vero ipse certo scire nequeat,quid alij Germaniæ Principes sint facturi,cum incendium hoc adeo longe lateque iam sparsum sit,vt & exterorum etiam hominum animos corripuisse feratur,se tamen operam daturum ait,vt si flamma non extinguatur, omnes intelligant,id sibi non imputandum. Concludit tandem: vtcumque res exeat,hoc se certe effecturum,vt si aliorsum euadat,quam ad Ecclesiæ totius vtilitatem,omnibus innotescat si ad rem bene gerendam,non tam voluntatem quam facultatem defuisse.

L. *Ludouicus Rex Vngariæ Saxonem vt Lutherum componat hortatur.*

Eodem fere tempore,Ludouicus etiam Vngariæ Rex,ad Electorem Saxoniæ de Lutherano negotio dedit litteras, quarum hæc fuit sententia: ipsum non ignorare, quam abominandos errores contra sanctissimam Christi fidem,& laudabiles Ecclesiæ sanctiones in orbem inuexerit Lutherus, quamq; impudenter & scurriliter in Reges omnes,& Christianos Principes debacchetur,quib. eos afficiat cõtumeliis quæ ludibria,quas sannas in eos eructet;cum laudibus interim extollat Turcam,eumque Christianis Principibus anteponat. Quia vero Monachus iste fretus ipsius Friderici patrocinio tantam proteruiam exerceat,hortari se, vt compescat hominem turbulentissimum,nec eum tam libere, tamque proterue spargendis erroribus, seditionibus concitandis,& conuitiis in Principes euomendis,contra Deum, contra fidem Christianam,& vniuersam Ecclesiam insanire patiatur; sed vt pœnis eum afficiat quas meruerit,atque hac in re totius orbis Christiani potius, quam vnius apostatæ monachi rationem habeat. Fridericus ad hæc,datis vicissim ad Regem literis,rumorem hunc,ait,de se, quasi Monacho patrocinium præstet ad hæreses seminandas, & afficiendos contumelia Principes,ab iis spargi proculdubio, quorum in se parum benignus sit affectus,idque præter meritum suum in hunc finem fieret,vt sibi Regem infensum reddant. Itaq; multum se rogaret, ne fidem habeat sinistris huiusmodi sermonib. verum,vt prodat delatores istos,qui nomen suum apud ipsum hac calumnia grauarint. Semper hactenus obedientem se fuisse, futurumque deinceps per Dei gratiam, Ecclesiæ ciuem, nec quemquam futurum, qui Lutherum vel errores contra fidem,vel conuitia spargentem in Regem & Principes,sua in ea re patrocinio fretum,sine veritatis iniuria,dicar. Hæc ad Regem Vngariæ Fridericus. Quamuis vero Lutheranæ scurrilitatis ac petulantiæ infamiam, quibus potuit rationibus à nomine suo remouere conatus est: vidit tamen pro sua prudentia, displicere bonis omnibus, quod Lutherum foueret,hominem maledicum,desultoria leuitate,more scurrarum,in Cæsarem,Reges,Principes,Episcopos demum quosuis omnium Ordinum homines, magna verborum contumelia & spurcitie debacchantem. Itaque per literas illi mandauit,vt ab effreni maledicentia, furiosisque conuitiis,in homines omnium Ordinum, cumprimis vero in Principes,calamum deinceps cohiberet. Ad hæc Lutherus circa Pentecosten respondet,quod hactenus quodam diuersi status & conditionis homines duriter & ferociter tractarit,id non sine causa, sed sine odio tamen animique acerbitate factum. Quamquam non ignoret, quod huiusmodi cruditas in scribendo,& durities multis,ipsi quoq; Principi displicuerit semper,atque etiamnum displiceat. Neque diffiteri se,quin ab ipso frequenter sibi mandatum sit, vt ab acerbitate verbo & contumeliis abstinerent. Verum omnem huius rei culpam in aduersariis hærere,qui hanc sibi verborum asperitatem extorqueant. Non esse dubium, quin dogmata sua & scripta sint ex Deo, quæ contra dæmones omnes se defensurum speret.

LI. Antequam nouum Testamentum diuulgaret,librum edidit contra Traditiones,cui titulum fecit: De vitandis hominum doctrinis. Hunc in præfatione dicit in eorum gratiam scriptum,qui passim in Monasteriis, atque Collegiis viuebant,castitatis & obedientiæ votis adstricti,quibus libertatis vel potius licentiæ ianuam aperit in hoc scripto eosque instruit,quod citra diuinæ maiestatis offensionem, ruptis votorum repagulis, è monasteriis velut è carcere quadam erumpere possint,& carnalibus desideriis indulgere. Neque vero frustra fuit hæc Lutheri instructio. Nam Monachi & moniales è monasteriis magno numero profugere cœperunt,quorum commune profugium,ac velut asylum Vuittemberga fuit. Huc enim conuolarunt id genus legirupæ, & fœdifragi homines,quibus alibi sub Catholicis Magistratibus,propter apostasiæ crimen,tutum non fugit commorari. Vt Vuittembergam,non iniuria, sentinam dixeris, in

quam sordes & purgamenta vicinorum monasteriorum confluxerunt.

Lutherus 9. Virgines ex monasterio per libellos suos egredi facit.

Cumprimis vero dignum est memoratu, quod anno sequente 1523. circa festum Paschatis, in hoc genere contigit. Erant in Monasterio Nimicensi Virgines quædam nobiles, quæ lectis Lutheri libellis excitatæ,de freno Monastices excutiendo cogitare cœperunt,rogaruntq; parentes & cognatos,vt sese liberarent ex molestiis istius vitę,in qua sine morsu conscientiæ salutisq; dispendio durare non possent. Quod cum illi negligerent,ciuis quidam Torgauiensis,Leonardus Coppius per Lutherum instigatus,vna nocte ex cœnobio Nimicensi nouem Virgines,Lutherano fermento corruptas eduxit,quæ Vuittembergam sese receperunt. Factum est hoc in septimana sancta,quo tempore maiorum instituto fideles accuratius colere pietatem,& mortis Christi,rerumq; diuinarum meditationi vacare solent. Lutherus autem,edito confestim libello,vehementer commendat facinus illud, & summis laudibus Coppium hunc extollit, quem beatum raptorem nominat,vt qui bonas Virgines, duris monasticæ vitæ compedibus exemptas,in libertatem vindicarit, quas reuera suaui iugo Christi subtractas, sub libertatis nomine fecit mancipia vitiorum, & in seruitutem carnis abduxit. Erant Virgines illæ nobiles omnes, quarum nomina libello suo Lutherus inseruit. scilicet, vt factum hoc, tamquam sempiterna memoria dignum ad posteras celebraret: Quãquam id inter eos locum habet, vbi laudi ducitur apostasia; neque piaculum est, fidem Deo datam violare: apud timentes Deum vero,dum laudare voluit misellas istas, affecit ignominia, & sempiternam illis apostasiæ maculam inussit. Fuit ex harum numero Catharina de Bore, quam post biennium ipse Lutherus sacrilegis nuptiis sibi copulauit, vel potius incestauit; monachus monialem,apostata fugitiuam, vt infra suo loco dicemus.

Lutheri vxor.

LII. Interim agebantur,vt diximus,Comitia Norimbergæ,quę cœpta quidem sunt hoc anno 1522. sed in sequentem vsque 1523. protracta. In ijs Cæsar ipse Carolus Quintus non interfuit,ad turbas in Hispania sedandas profectus. Franciscus Cheregatus Pontificis Nuncius,cum apud Principes,& Ordines Imperij,pro hæresi extirpanda intercederet,nihil obtinuit,quia iam tum quidam erant inter Principes, qui non obscure Lutheri partibus fauebant. Antequam Cæsar ex Imperij finibus discederet,Vicarium constituerat,per absentiã suam Fridericum Palatinũ, eiq; Principes quosdam, aliosq; nõnullos per modũ Senatus adiunxerat,penes quos erat in Imperij negotijs rerum summa. Hi Norimbergæ coniuncti, per absentiam Cæsaris,Rempubl. administrabant: quæ causa fuit,vt in ea vrbe Conuentus Ordinum indiceretur. Ad hunc licet Fridericus Elector non venit,monitus tamen fuit subinde per literas à Barone quodam Ioan. Domino in Plauinther, quid in causa Lutheri fieret,quod Nuncius Apostolicæ sedis proponeret,& vrgeret nomine Pontificis,tum quid Principes & Ordines ad eius postulata responderent,& quæ cumprimis essent Catholicorum Ordinum in negotio religionis consilia. De his omnib. Baro,quem dixi, Fridericum Electorem per literas certiorem fecit: quæ Luthero per Georgium Spalatinum,Electoris Secretarium statim innotuerunt. Hunc n. Lutherus in aula Principis,vt in familia Mogũtini Archiepiscopi Vuolffgangum Capitonem, exploratorẽ habuit,vt nihil ipsum lateret eorum,quæ tũ in Electoris Friderici concilio,tum in ipsis Comitijs agebantur. Cum igitur videret,Palatinum Cæsaris Vicarium,& Principes ad regimẽ delectos habere cordi religionis negotium, atq; eo referre consilia sua,vt turbulentis Lutheri ipsius conatib. obsisteretur,iracũdia cõmotus,librum edidit de seculari Magistratu; in quo cumprimis hoc agere videtur, vt Principes adducat in contemptum,eorumq; autoritatẽ apud subditos eneruet. In exordio, Deum,ait,Germaniæ Principes ad insaniã redegisse, vt existiment,posse se mandare subditis,quicquid collibitum fuerit;idq; sub vmbra Cæsaris, cuius se mandatum exequi profiteantur,vti Christianos & obsequentes deceat. Quasi vero,inquit,hoc agant serio,nec quisquam sit,qui nequitiam illorum occultam deprehendat. Id genus homines olim nebulones vocari solitos,nunc v. Christianos atq; obedientes Principes appellari. atq; hos esse Principes,quos nũc ad Imperij clauum in Germania Cæsar collocarit. Cũ igitur insania morionum istorum ad exterminium fidei Christianę diuinæq; maiestatis blasphemiam desæuiat,sibi cõmittendũ non fuisse,quin illis verbo saltem resisteret. Quod si nõ formidarit Papã ipsum,idolum illud Romanũ,nec squamas eius aut bullas,Principes Catholicos sibi magnopere formidandos. Hæc præfatus,Scripturæ dicta quædam in speciem pugnantia congerit,quæ de Magistratus officio,tum de vi non repellenda loquuntur,eaq; suo more conciliat,& interpretatur. Deinde genus humanũ,vel vniuersam hominum multitudinẽ in duos cætus diuidit,quorum alterum in regno Dei Christo alterũ v. in huius mundi regno,magistratui politico subditum esse dicit. Priorẽ illum Christianorum aut fideliũ cætum asserit,non indigere gladij ciuilis,aut iuris ministerio vel politico Magistratu,nec in eo quemquã reliquis superiorẽ,propter Christum ipsum,& solum quidem. Sacerdotes & Episcopos nõ superiores esse fidelib. sed æquales,ab iisq; solo ministerio distingui. Itaq; leges cõdere, vel mãdare quippiã eos non posse, sine fidelium assensu permissuq;. Leges v. non humanas modo,sed & à Deo promulgatas, tum iudicia & magistratus,non ad Christianos,sed ad alterum illum infidelium cætum pertinere,cui ista tantum inseruiant. Posse quidem hominem Christianum,Sacerdotes etiã & Episcopos portare gladium,& politicum Magistratum gerere: verũ nonnisi inter infideles,qui Christiani nõ sint. Quemadmodum & gladii iuriue ciuilis præsidio nemo Christianus vti, vel politici iudicis officium ad iustitiam administrandã implorare possit aut debeat; imo quisquis id facit, quisquis litigat in iudicio,siue de bonis temporalib. controuersia sit, siue de honore,eum constanter asserit non Christianum, sed sub Christi nomine gentilem esse vel infidelẽ. Inter eos qui baptizati sunt, paucissimos esse Christianos, ad Christi regnum pertinentes,qui in medio magnæ illius infideliũ (baptizatorum tamẽ) multitudinis versentur,longe à se mutuo disiuncti. His ita positis,furori laxat frænum, & quod reliquum sibi fecerat amarulentiæ, contra Regem Angliæ scribens,& in Catholicos Germaniæ Principes licenter effundit. Deus,inquit,dedit eos (Principes Catholicos) in sensum reprobum,& ad finẽ cum illis festinat, sicut cũ Ecclesiasticis illis magnatib. Itaq; præpostere agunt, vt Dei omniumq; hominum odio grauati pereant cum Episcopis, cũ Sacerdotib. cum Monachis, vnus nebulo cum alio. Ab initio mundi valde rara auis in terris fuit, Princeps prudentia pollens, multo rarior probus Princeps. Vt plurimũ vel maximi sunt moriones,vel nebulones omnium,qui sub sole viuunt, pessimi. Lictores Dei sunt & carnifices,quib. in ira vtitur ad puniendos malos,& pacem externam conseruandam. Nimirum Deus noster magnus est Dominus. Itaq; necesse est,vt tales,adeoq; nobiles,illustres,& diuites habeat; estq; hoc ipsius beneplacitum,vt hos carnifices clementissimos Dominos appellemus. Deinde conuersus ad ipsos Principes, imo vobis, inquit,per Deũ,si causam dederitis,vt super vos ingruat illud Dauidis: Effusa est cõtemptio super Principes,perijstis, etiãsi quilibet vestrum vel ipso Turca potentior si. Malum hoc magnam partẽ iam cœpit. Pauci n. sunt Principes,qui nõ pro morionibus,vel pro nebulonibus habeantur,quia tales sese exhibent. Vulgus incipit sapere,& pœna Principum, quam Deus contemptum vocat, potenter ingruit in populo,nec auerti poterit,vti metuo. Tyrannidem & proteruiam vestram homines nec possunt nec volunt diutius ferre; nec vt ferant Deo placet amplius. Non est hic mundus,qui fuit olim, cũ homines instar pecudũ tractabatis &c. Hæc & id genus plura Lutherus; posteaquam in eremo didicerat,seditionẽ à Sathana concitandam in Germania, quæ non minus politicũ, quam Ecclesiasticum Ordinum eluuione publica inundaret.

LIII. Eodem anno Lutherus scriptum quoddam, vel potius literas, paulo prolixiores edidit ad milites Ordinis Theutonici, quos hortatur,vt rupto continentiæ voto,matrimonium contrahant. Ad hoc persuadendum his fere rationibus vtitur: Quod de vitæ necessariis sit illis abunde prospectum; quod Ordo Theutonicus hoc nomine populo futurus sit longe gratior, qui iam nec Deo, nec hominibus prosit: quod conscientia, & necessitas hoc carnalis infirmitatis remedium postulet; quod impossibile sit viuere cõtinenter, licet id se facturos stulte vouerint; ꝙ Ecclesiasticus Ordo per se nihil omnino valeat ꝙ Dei verbum id mandet;

quod hoc tempore cumprimis ad subeundum matrimonii iugum omnia cogant simul, & inuitent, alliciantque, quod Deo eiusq; verbo, si hoc agant, non exiguum honorem exhibituri sint, aliosq; vacillantes suo exemplo confirmaturi: Nec impedimento illis esse debere, quod vetustissima sit consuetudo vouendi castitatem, vt quæ ab Apostolorum vsq; temporibus viguerit, multorumq; Conciliorum decretis, & sanctorum Patrum authoritate sit confirmata. Deum omnibus Conciliis & Patribus antiquiorem esse, cum quo, propter Scripturam ipsam, omnes Angeli consentiant. Esse præterea consuetudinem crescendi, quam continendi vetustiorem, vt quæ ab Adamo habeat originem. Neq; vero expectandum vt Concilia matrimonii vsum concedant decreto publico. imo si casus eueniat, vt vnum aliquod, vel duo, vel centum, imo mille, vel plura Concilia viris Ecclesiasticis matrimonii contrahendi potestatem faciant, conniuere se malle dicit, & credere, quod is potius sit in gratia Dei, qui per omnem vitam vnum vel duo triaue scorta domi foueat, quam alius quispiam, qui iuxta Concilii definitionem matrimonii se nexu vinciri patiatur. Quin & omnibus, inquit, Dei nomine se mandaturum, idque sub pœna salutis amittendæ, ne quisquam vxorem ducat huiusmodi Concilii permissu; sed tum primum, vel continenter viuat, vel in statu Scortationis vel peccati Dei præsidio implorato, de salute non desperet.

LIV. Quis de Ven. Sacramenti adoratione doctrina.

Circa idem tempus, Tractatum scripsit bene prolixum ad fratres Vualdenses, qui in Bohemia & Morauia morabantur, sub titulo; De adoratione Sacramenti. Occasionem huic scripto dedit legatio Vualdensium, qui iam ante nonnullos è suorum numero miserant ad Lutherum, periculum facturos, an cum Ecclesia noua quam Vuittembergēses moliebantur, in communionem possent veniri ipsi, & coalescere. Cum ijs Lutherus de varijs rebus egerat, ad religionem pertinentibus, inprimis vero de Baptismate, deque S. Eucharistiæ Sacramento. Legati Pædobaptismum dixerant à suis retineri, ea conditione tamen, vt, quia per ætatem infantes nondum crederent, postmodum informarentur de fide, vbi rationis vsum haberent. Id Lutherus improbauerat, præstare asserens, in vniuersum omitti puerorum baptismum, quam eos sine fide propria baptizari. quod ipsum in hoc scripto repetit, Anabaptistarum errori fundamentum sternens. Ad Eucharistiam quod attinet, professi fuerant Legati, verum Christi carnem, & verum sanguinem, vel corpus ipsius assumptum ex Virgine Maria, & postmodū in crucem affixum, Eucharistiæ Sacramento vere contineri. Rogauerat vero Lutherus Vualdenses per Legatos istos, vt edito libello dilucide sententiam suam de hoc Sacramento declararent: quod paulo post factum est. Ediderunt enim libellum Catechisticum, Bohemice & Germanice scriptum, in quo nec Christum in Eucharistia vere præsentem, nec, quod est ex eo consequens, istic adornandum asseruerunt. Hanc nactus occasionem, Tractatum, quem diximus, ad Bohemos & Morauos Lutherus edidit, in quo Christi præsentiam asserit in Eucharistia, eorumq; rationes diluit, qui contrariam sententiam tuentur. Quia vero sit præsens Christus honorē debitum ait, illi sine piaculo negari non posse. Diuerso quidem modo Christum in cœlo, in Eucharistia, & in cordibus iustorum esse, nec in eum finem proprie in Sacramento se præsentem exhibere, vt adoretur, verum ex eo non rite colligi, quod non sit istic adorandus. Quandoquidem nec ob eam causam venerit in mundum, vt se præberet adorandum sed vt aliis potius ministraret: fuisse tamen legitime, cū adhuc infans esset, à Magis & postmodum ab alijs adoratum; nec huiusmodi cultum repudiasse. Concludit, quia nec præceptum hac de re vllum extet, nec vlla prohibitio, adorationem hanc esse debere liberam; vt siue quis adoret Christum in Eucharistia, siue non adoret, eam ob causam pro hæretico non habeatur. Sub finem recenset, quæ dogmata Gualdensium ipse probet, quę improbet. Probat ipsorum de vno Deo deq; Trinitatis & Incarnationis mysterio sententiā, probat, quod Pontificem Romanum, & Episcopos illi subiectos, tum traditiones hominum contemnant, quod negent Purgatorium, & quæ ex eo pendent, probat disciplinam Ecclesiasticā tum quam inter eos vigere dicit honestam morum compositionem. habuisse se illos olim pro hæreticis; at nunc aliam sibi mentem esse dicit. Improbat vero, quod Christi verum corpus in Eucharistia præsens esse negent; quod baptizent infantes, quos fide nondum præditos existiment; quod bonis operibus plusculum tribuant, nec ascribant soli fidei salutem; quod cum Ecclesia Romana eundem Sacramentorum numerum agnoscant, quod Ecclesiæ ministros non habeant nisi cœlibes. Hortatur demum, vt literarum & linguarum studia, non ad eum modum aspernentur, sed curent, & ministri Ecclesiæ & iuuentus, præter vernaculam, Latinā quoq; Græcam & Hebraicam linguam addiscant, id illis, ait, ad vberiorem Dei cognitionem vehementer profuturum.

LV.

Hæc & alia multa, quæ superius, Lutherum docuisse ac scripsisse diximus, tanto facilius ab hominibus admissa sunt, quanto plus abdomini & ventri seruiebant, & in omnem luxum atq; libidinem ruebant, omnemq; disciplinam tam Ecclesiasticam, quam Politicam effudiebant, imo ipsam quoq; moderationem rationis, & humanitatem exuere; & à Christiana seueritate ad Mahometismum, seu adeo ipsum atheismum præcipites ruere videbantur; vt mihi longe audacissimum turbulentissimumque facinus aggressus videatur Lutherus, qui non solum per libellos imposturis & fallaciis plenos, sed & per ipsum Euangelium, sanctitatis, pacis, & vnitatis fontē, omnē honestatis speciem discipulis suis detraxit, maximeq; omnia commiscuit, ac perturbauit, quemadmodū scilicet fecit olim Iudas proditor, cui dixit Dominus; Iuda, osculo (quod pacis & amicitiæ symbolum erat) filium hominis tradis? Sic profecto & Lutherus Euangelio pacis præcipitauit in bella & seditiones Germaniam, in qua paulo post, non solum ciuitas vna contra aliā, & gens aduersus gentem, prouincia aduersus prouinciam pertinaci odio insurrexit, verum etiam plebs contra Senatum in eadem ciuitate, populus aduersus Principem suum, & Princeps aduersus Imperatorem suum: & quod plus est, in eadem domo & stirpe, filius contra patrem, filiá contra matrem, & proximus aduersus consanguineum suum; & quanto quis plus iactaret nouum Euangelium, magisq; præ cæteris Euāgelicus videri desideraret, tanto ardentius ad tumultum, cædes, & sanguinem aspiraret, persuasus à Luthero docente; tanto verius Euangelium esse, quanto plus tumultuum excitaret. Nam non multo antea Vuormaciæ in conspectu Cæsaris coram omnibus Imperii Principibus & Ordinibus dicere palam ausus fuerat; sibi plane omnium iucundissimam faciem istam in rebus esse, videre, ob verbum Dei studia & dissensiones fieri. Eum quippe esse verbi Dei cursum, casum, & euentum; sicut dicit; Non veni pacem mittere, sed gladium: cum tamen ipse Rex pacificus Christus, in prædicatione Euangelii pacis, linum fumigans non extinxit, neque calamum quassatum confregit; seque, quia mitis & humilis corde fuerat imitandum proposuit: nec non Apostolos ad docendas omnes gentes missos, oues esse, non lupos, neq; vrsas aut leænas, quemadmodum volebat videri Lutherus, esse voluit.

LVI.

Cæterum, quos Deus misericorditer præseruarat sibi, ne Saxonico huic Baal genua sua flecterent, sed pio zelo ei resisterent, & contra eum publice vel scriberent, vel prædicarēt, ij potissimum mox illud Pauli nimiū verum esse experiebātur; Omnes qui pie viuere volunt in Christo Iesu, persecutionē patientur. Cum enim Lutherus, atq; eius sectarij, dicerēt populo placentia, ac sub omni cubito puluinos consuerent supponerentq; falsam iactantes libertatem Christianā, quasi omnes liberi essent ab omnib. Diuinis legibus, præceptis Ecclesiæ, Pontificis, Episcoporum & Conciliorū, ac Scripturarū fuco probantes, nihil esse ieiunia, orationes, vigilias, & alia pœnitentiæ opera, Christum satisfecisse pro peccatis nostris sufficere solam fidem; opera nostra bona non esse meritoria, sed peccata, etiamsi optime fiant: & id genus multa; eaque omnia prompte ac eloquenter; ex aduerso vero Catholici iuxta debitum officiis sui, reprehenderent populum de peccatis, iuberent obedire præceptis, & ritibus Ecclesiæ, docerent ieiunandum, orandum, aliisq; bonis operib. insistēdum dignosq; pro peccatis fructus faciendos esse, adeoq; ex diametro noua Lutheri dogmata reprobarent: inde profecto factum est, vt populo maxime plausibiles essent quidem Lutherani, odibiles vero Catholici concionatores, adeo vt in plerisque ciuitatibus leues iuuenes, nouitiique & aduenæ homines Lutherani, etiam quorum vita libidinibus, apostasia, & alijs sceleribus contaminata erat, non

solum facile admitterentur ad prædicandum populo; verum etiam præferrentur grauib. & maturis viris Pastorib. & Prioribus, qui honeste semper conuersati, fidelissime populum verbo & exemplo docuerant. Inde euenit, vt veri & legitimi Pastores, quantūlibet chari ac venerabiles antea fuerint, aut vi pellerentur tumultuante plebe, aut subsannationib. iniuriisq; quotidianis fatigati fractiq; vltro cederent, aut subtractis censibus decimis & oblationibus, ad extremam redacti inopiam, aliunde sibi victū quęrere cogerentur, triumphantibus interim atque etiam ditescentibus nouis prædicatoribus qui sequacem populum verbo pseudoeuangelii sui ducebant quocumque volebant: maxime vero in odium Cleri & in licentiosam totius malitiæ libertatem, ita vt protinus formidabiles forent, non solum Clero, irruptionem frendentis populi anxie timenti, & in horas expectanti, verum etiam Senatui, & honestissimis quibusque ciuibus, & Magistratib. in quorum bona domosq; plebs obærata fraternam (quia essent eorum fratres in Christo; imo in cista) diuisionē meditabatur. Erat enim tempus de quo prædixerat Apostolus cum sanam doctrinam non sustinerent, sed ad sua desideria coaceruarent sibi magistros, prurientes auribus. Mira propter hæc erat Lutheranis & strenuitas, & industria, ad propagandam, propugnandamq; Luthericam sectam, Multi omissa re domestica, scribebant hinc inde amicis, vt eam rem magnopere curarent. Multi in speciem veri Euangelii, parentes & amicos relinquebant, vt nouum pseudoëuangelium proclamarent. Et quod perniciosissimum erat toti Germaniæ, Lutherus iactitabat, & multi cum eo, Germanis in eam vsque diem numquam germane ac syncere prædicatum fuisse Euangelium, se autem verum proferre Euangelium, quod multis ante seculis sub scamno latitasset. Si quis autem fidelium contra mutiret: mox tota plebeiorum concio in eū exasperabatur, tamquam ventris gratia Pseudoëuangelio resisteret. Lutherani vero se passim gratis insinuabant vltronea peregrinatione vrbibus, non ob aliud sane, nisi vt suum Pseudoeuāngelium illis conculcarent: & res ea, cum magnā haberet speciem pietatis, præ consuetis Ecclesiæ ministris, qui præfixa & certa habebant stipendia; multos profecto à vera Ecclesiæ fide auertit, qui magis perpendebant illud Christi, Gratis accepistis, gratis date, quam istud eiusdem, Dignus est operarius mercede sua. Et illud Pauli; Quis vmquā militat suis stipendijs? Item, Si nos vobis spiritualia seminauimus, magnū est, si carnalia vestra metamus? Quamquā vero Lutherani Concionatores, postquam radices egissent, non minus essent in rem propriam intenti & auidi, quā Catholici: attamen in prima plantatione, mira eis erat & industria, & liberalitas. Primo namque, ne obiiceretur eis illud Apostoli ad Romanos; Quomodo vero prædicabunt, nisi mittantur? & illud eiusdem ad Hebræos, nec quisquam sumit sibi honorem, sed qui vocatur à Deo tamquam Aaron, curabant occultis literis & nūciis, vt ab ipsa plebe, vel ab aliquo Optimatum quem scirent suæ fictioni fauere, vocarentur in vrbem aliquam bene munitam & populosam, aut si non vocarentur, vel vltroneum sibi fingebant exilium, vel nacessariam sibi à Tyrannica (ita mentiebantur) Euangelij persecutione fugam (etiamsi propriis illaqueati facinoribus profugissent) obtendebant, vt eo facilius admitterentur. Vbi vero aliquos nacti fuissent amicos in ea ciuitate, cui pseudoeuāngelium suum annunciare intendebant; procurabant per illos, vt saltem semel aut iterum permitterentur, populo Christi gratis annunciare verbum Dei. Quod si compotes voti fierent, mox incendebant plebem in odium Cleri. Sin minus, clanculum agebant in angulis, donec aliquos in partem suam pertractos, permouerent ad sollicitandos alios, qui à Magistratibus & Senatu obtinerent, siue precibus, siue minis, vt liceret eis libere prędicare. Vnde factum est, vt in populosissimas quasq; Germaniæ vrbes Imperiales Lutheranismus sub eo prætextu irrepserit: exceptis perpaucis, maxime Colonia Agrippina, quam tot millia sanctorum martyrum, qui ibidem vel passi sunt, vel religiose coluntur, ab ista lue præseruari hactenus meruerunt. Multum præterea promouit Lutheranismum, chalcographorum ac Bibliopolarum opera, industria & impensa. Nam quicquid pro Luthero erat, quam diligentissime & emendatissime imprimebatur: quicquid vero pro Catholicis ignauissime ac vitiosissime, & quæ Lutheri aut pro Luthero erant, chalcographi suis sumptibus imprimebant, & in maximo quidem numero, vt latissime dispergerentur; Nam Apostatarum infinitus iam erat numerus, qui victum ex Lutheranis libris quæritātes, in speciem Bibliopolarum longe lateque per Germaniæ prouincias vagabantur: quæ vero Catholicorum, veluti indocta, & veteris barbariei triuialia scripta, contemnebant chalcographi, nihil eorum imprimentes vltro: quamquam nōnulli ob inopiam rei familiaris compulsi, aut maxima spe proposita lucri inducti, alienisq; sumptibus adiuti, quædam ex iis imprimenda suscipiebant, ea tamen ita neglectim, festinanter, ac vitiose imprimebant, vt maiorem gratiam eo obsequio referrent Lutheranis, quam Catholicis. Si qui autem eorum iustiorem Catholicis operam impenderent, hi à cæteris in publicis mercatibus Francofordiæ & alibi vexabantur, ac ridebantur, velut Papistæ & Sacerdotū serui. Quāuis vero Cæsar, aliiq; Reges ac Principes Catholici, seuerissimis edictis prohibuissent Lutherica aut imprimi, aut venum exponi, adeo tamen non profecerunt edictis suis, vt Lutheranis Bibliopolis plus inde lucri accresceret: quippe cū Magistratus & Senatores, quibus inquirendi & animaduertendi cura commissa fuerat, vel conniuerent malitiose, vel neglectim & inuite rem illam curarent, velut odiosam, & apud populum detractione plenam, quarū rerum Bibliopolæ non ignari, & à Magistratu corrupto nonnumquam præmoniti, quæ Lutherica erant in occulto, in publico prostantib. quibusdam prophanis, & alterius negotii libris. Vnde fiebat, vt emptores Lutherica quærentes, cogerentur eā, prætexente Bibliopola metum & periculum, charius & maiori pretio emere ex occulto, quam empturi fuissent in publico. Secuta sunt proinde calamitosa & luctuosa tempora, à paucis illis ab initio, quib. per ambitionem, & insanam nouandi libidinem inaudita, aut multis ante seculis condemnata de religione dogmata, in publicum proferre libuit, quiq; succrescentes, & ab inuicem abeuntes eo turbarum, dissensionumq;, atq; tenebrarum rem Germanam adduxerunt, vt, animis in diuersa concitatis, plurimi mortalium, dū modo isthunc, modo illum nouitatis authorem, & religionum fabricatorem consectantur, dubii, anxiiq;, & per incerta diu multumq; raptati, omnem deniq; religionē aut exuerint, aut toties mutarint, quotiens mutandi artificem nacti sunt; haud dissimiles illis, qui Regia & recta deserta via, quo longius gradiuntur, eo magis à spe votoq; aberrāt: & abeunt: adeo dum paucos Ecclesiasticorum abusus & maculas reformare, vt ipsi loquebantur, & perpurgare videri volunt, pulcherrimas Ecclesiæ, & integerrimas, sanctissimasque partes, fœdissimis & pestilentissimis hæresum & opinionum sordib. ita collutularunt, deformaruntq;, vt ne species quidem amplius apud eos remanserit. Sacrosanctum inprimis Missæ sacrificium, ab omni Christianitatis memoria tremendum, & adorandum, ex aris, templisq; explosum, & proculcatum: deiecta altaria, & ipsa etiam pluribus locis templa. Eadem impietate, nouæ legis Sacramenta, æternæ salutis certa remedia, vel penitus abolita, aut in breuem & arbitrium numerum coacta. Iā Christi Redēptoris nostri, eiusq; intemeratissimæ matris, & tot beatorum millium, qui vel sanguine suo, vel scriptis & vitæ sanctitate fidem stabilierunt, aut collustrarunt simulachra, monumenta, aut pariter confracta, aut in ignes proiecta, ne quid vsquam occurreret, quod in prisca [illegible] veritate retineretur, quod illorum improbitatem redargueret. Prętererea omnis diuinorum mysteriorum & ministeriorum supellex, tot annis sancta & intacta, tot Regum & Principum donaria, & grati, piiq; animi testimonia, iisdem flammis exusta, vel in priuatos, profanosq;, & sæpius pudendos vsus mutata. Nam quāplurimi deinde Ecclesiastici Ordinis, postquam primis nouandi Magistris, quod iisdē secum legib. ac ritibus obligatos, & institutos nouerāt, processisse, & pro temeritate auctoritatem; pro sacrilegio, præmium & laudem reperisse palā fuit, velut agmine facto, eodem subito prosiliere, diuerso plæriq; prætextu, sed omnes tamen obsequendi animo cupiditate: dum alii petulantiæ male eousq; coercitæ ardorem, & impotentiam explere per illam viam concupiscerent: alii ex disciplinæ & votorum vinculis, libertatem, & quidlibet agendi patrandiq; impunem licentiam sibi somniarent, nōnulli etiam famam, præpostera de se opinione eruditionis, &

lucem extra castra Ecclesiæ clariorem aucuparentur: multi ex tot, & tam amplis veterum fundationum opibus partem multo maiorem, & liberiorem reportaturos considerēt, postremo dū alii alio, effreni voluptate tracti, semel deterso pudore, & conscientia postergata, nihil fædum, nihil illicitū, cuncta tamquam in medio posita, in prædam & libidinem verterent. Igitur his ministris & concitoribus, quibus, vt prædiximus, vetera diuidiæ, atq; odio, & recentia omnia in quæstum euaserant, primo aliqui per eādem rerum nouarū lasciuiā in abruptum acti, post integrę vrbes, prouinciæ, regna eo maiori ruina, quo ampliores ad omnem licentiam fenestras patefecissent. Ita quæ tot seculorum cursus, quæq; populorum & nationum consensu, sacra, instituta, ceremonias, leges, disciplinam, ordinem approbauerant, retinuerantq;, paucorum per factionem, arrogantiamq; vno prope tempore antiquata, & in ludibrium data. Quæ, ne porro accideret, Hadrianus Pontifex modis omnibus obuiare, sed frustra voluit. *Vlembergius in vita Lutheri. Cochleus de actis Lutheri. Surius in Comment. huius anni.*

LVII. *Hadrianus Pontifex Venetorū impulsu Principes ad expeditionem Turcicam hortatur.*

Inter hæc Hadrianus Pontifex, in commune Christianitatis bonum optime propensus, Senatusq; Veneti literis excitatus omnes Reges & Principes Christianos, vt ad pacis studia se conuerterent, atq; ab armis discederent, sedulo hortabatur; vt confirmatis ac coniunctis viribus, quæ intestinis bellis debilitatæ fuerant, Turcis Italiæ minitantibus obsisteretur. Verum hæc ad speciem magis, quam ad veritatē Principum animis excipiebantur: quamuis Carolus Cæsar, Gallis ex Cisalpina Gallia eiectis, Lantrechio Alpes transgresso, vt Insubribus tuto potiretur, mirum in modum reb. suis cōducere existimaret, si pace cum Venetis inita, illorum auxilia sibi ad nuper adeptam prouinciam retinendam adiungeret. Quid effecerit Pontifex cum Cæsare, ac Venetis, consequenti anno narrabimus. *Maurocenus hist. Venet lib. 1.*

LVIII. *Christiernus Rex Daniæ & Norvvegiæ Sueciā inuadit.*

Præterea Pontifex, in Poloniam & Sueciam, nuncium Apostolicæ sedis pro grauissimis negotiis misit. De Suecia primum dicam. Ante aliquot annos, Christiernus Rex Daniæ & Noruegiæ Sueciam occupare cupiens, cum virib. non posset ad artes conuersus, cæpit ad defectionem quosdam ex primoribus regni sollicitare. Gostauus Vpsalensis Episcopus, cū nonnullis alijs in eius partes concesserat. Sed illo à Stenone Gubernatore Sueciæ represso, Christiernus rem ad arma cōtulit, & Stocholmiam regni metropolim, sed frustra obsedit. Iterum ad dolos reuertens, induciis postulatis & acceptis, vbi à Stenone exercitus eius, qui summa rerum omnium inopia iam diu premebatur, recreatus esset, datis obsidib. Stenonem in castra euocauerat. Sed is à Senatu Stocholmiensi de dolo admonitus, ire noluerat. Missi aliquot obsides, nobilissimi iuuenes, ad eum, Stocholmiam pacifice ingredi simulantem, capti, in vincula coniecti, & in Daniam asportati fuere. Quarto post anno sc. 1520. conscripto milite Stocholmiam iterum obsedit; Senatus iam occiso in pugna Stenone sub certis conditionib. Dano vrbem dedidit. Is dum nec militē & arcem confirmaret, fidem datam minime fefellit. Sed iam satis munitus, consilium perdendi optimates iniuit, illosque ad conuiuium inuitauit. In eo iucundum se ostendit; idem Sueci fecerunt periculi ignorantes. Postquam triduo epulatum est, conuiuæ rapiuntur in carceres, altera luce portæ vrbis clauduntur, milites armati ingenti terrore edito per regiones disponuntur, ex Regia, duo Episcopi Vincētius Scarcensis & Matthæus Strengenēsis ad aream quæ est ante prætorium à carnificibus producuntur, & mox prostrati capitibus truncantur. Idem factum aliis procerib. atq; Senatui vrbis: Inde in plebem sæuitum. Multis sese occultantib. impunitas edicto proposita fuerat omnib. quos tamen ex latebris prodeuntes, ad vnum omnes trucidauit immanis. Durauit ea cædes aliquot dies continuos, barbara crudelitate Christierno in miseros sæuiente. Georgiū præterea a Schotborch Archiepiscopum Lundensem, quod ei nollet tradere insulā Bornholmensem, in exilium eiecit. Cumq; salutaris pœnitētiæ partes à summo Pontifice, ob violationem & cædem sanctorum hominum petere debuisset, adiecit, taliter & tā indigne occisos multa infamia vbiq; aspergere, vt credibile faceret, tales Episcopos non iniuste trucidatos. Insuper conatus est quosdam indignos sanguinarios, in eorum locum (sanctæ sedis Apostolicæ illudens authoritati) intrudere: cuius rei indignitate Ioannes Gothus prouocatus, non cessauit. Leonem tunc Papam X. & amplissimum Senatum Cardinalium, de occisorum innocentia, sanctimonia, religione pietate in patriam, constanti fide in Deum, in sedem Apostolicam obseruantia, & de omnibus aliis quæ gloriosam cæsorum memoriam decebant informare; atq; summopere suadere, vt Ecclesiæ vacantes in libertate conseruarētur, & Rex ad subeundam canonicam pœnitentiam, potius Dauid pœnitentem sibi imitandum proponeret, quam illum Saul, qui Sacerdotum sanguine conspersus, vita & regno pariter occubuit. Doluerat vehementer summus Pontifex Leo: doluerant & omnes boni, tam atrox vulnus Ecclesiastici libertati inflictum. Et quidem Pontifex miserat ad eum sedis Apostolicæ Nunciū, Franciscum à Potentia, qui ipsum ad sinceriorē facti confessionem conuersum efficaciter induceret, vt tanti delicti contagium plenis pœnitentiæ lachrymis expiare conaretur, & læsam sedis Apostolicæ Maiestatem, dignæ satisfactionis partibus placare contenderet. In cuius locum suffectus Hadrianus, cum intellexisset, quomodo occisis Episcopis in Suecia hæreticorum impietas nimia susciperet incrementa, & iam pene funditus totam Christianam religionem euertisset, Ioanni Gotho, sedis Apostolicæ legationem in causa periclitantis fidei, & occisionis Episcoporum ad regna Gothiæ & Sueciæ imposuit. & quia eundum erat per Poloniam, eidem legationem adiunxit ad Sigismundum I. Regem Poloniæ, super induciis inter eundem Regem, & Albertum Magistrum Prussiæ Ordinis Theutonicorum. Cæterum Christiernus, suæ crudelitatis pęnas luens, regno eiectus, vna cum vxore Isabella Caroli Cæsaris sorore, hoc anno, in Belgium, sed iam abiurata fide Catholica secessit, vbi perpetuis vinctus cathenis, tamquam indomita bellua clatrata in cauea ad mortem vsque seruatus est. *Surius in Comment. rerum in orbe gestarum & Ioannes Gotthus de vitis Pont. Vpsal. lib. 6. Iouius lib. 7. viror. Illustr.*

LIX.

Inter hæc etiam Pontifex, procurandis Romanæ aulæ negotiis animum occupauit, ac de recipiendo Arimino, ac reconciliando Alfonso Atestino Ferrariensi Duce egit: quantūuis pestilentia exitioso prodigio mirandum in modum in vrbe grassaretur. Repertus est id temporis Romæ Græculus quidam nomine Demetrius Spartanus; qui cum fauēte turba hominum, sedandæ pestilentiæ negotium suscepisset; nemine superstitionem vetare auso, ferum taurum cui dimidium cornu dissecarat, magico carmine dextram in aurē prolato repente ita mansuefactum reddiderat, vt iniecto tenui filo ad integrum cornu, quo vellet, perducens pestilentiæ placando numini ad amphitheatrum immolarit. Credula multitudo in fraudem ab euentu inducta, existimauit ab ea inanis sacrificii litatione, morbum mitescere cæpisse: cum tamen potius, ab orationibus & supplicationibus piorum, qui delatis Christi crucifixi, SS. Deiparentis, & aliorum Diuorum imaginibus, misericordiaque diuina, in processionibus ad præcipuas vrbis Ecclesias institutis conclamata, per lachrymarum & sanguinis profusionem, ea contagio sublata sit. Enimuero omnis ætatis & sexus deuoti, nudipedes & contriti, flagris sese cruentantes, ac simulachra præcipua comitabantur, quocumque in supplicationibus præferrentur, peccatorum indulgentiam tam feruenter, quam efficaciter deprecantes. Edita tunc aliquot insignia miracula. Cum imago SS. Virginis, quæ apud S. Mariam in Porticu asseruatur, per aream Iudæis conuicinam deferretur, vna Hebræa, cum auerteret oculos, cæca facta est. Hebræus quoq; aliquis similiter auertens oculos, ceruice stetit inuersa, quæ numquam post reuersa est in statum & locum suum. Aliqua mater contagione, infectum infantem, ad SS. Virginem quæ in Diui Augustini templo colitur voto concepto, illico sanatū aspexit, cumque ad spectaculum in processionibus detulit. *Franciscus Belcarius lib. 17. Iouius in epitom. lib. 21. Hieronymus Niger in literis ad Antonium Michaelium Venetum hoc anno 1522. die 15. Augusti. ext. tom. 1. epistol. ad Princip.*

B. Virg. Romæ miracula patrat.

ANNO CHRISTI M. D. XXIII.

HADRIANI PAPAE VI. ANNO 2.

CAROLI V. ROM. REGIS ANNO 4.

I. *Hadrianus pontifex Ariminum recipit.*

INitio huius anni, Malatestij qui Ariminū occupauerant, se Pontificis vires sustinere nequaquam posse animaduertentes, Vrbinatium Duce interueniente, Arimino & arce cesserunt. Vrbinatium etiam Dux paulo post ad Pontificem est profectus, à quo illustri Iulij Pontificis memoria ei & apud illum, & apud maximam Senatus partem gratiam conciliante, vt censuris absolueretur, & Vrbini Dux appellaretur, modo ne quid in Florentinorum quibus Monsfeltrius traditus fuerat, quiq; se Leoni ad illud imperium tuendum trecenta & quinquaginta aureorum numum millia mutua dedisse, & post eius obitum variis in locis ad Pontificij imperij tutelam supra septuaginta millia impendisse aiebant, fraudem fieret, exceptione addita, impetrauit. Ferrariensium quoque Ducem Alfonsum Pontifex in gratiam recepit; eique non modo Ferrariensis imperij, & eorum omnium quæ ante bellum ab Leone Gallis illatum ad Pontificium Imperium spectantia possidebat iura concessit; verum etiam cum graui eius vel ministrorum qui ipsius imperitia abutebantur nota, Sancti Felicis & Finalis Castella, quæ ab illo cum Leoni bellum intulit capta, & deinde ante eius mortem amissa, interregni occasione iterum occuparat, ei permisit. *Ferrariensium Dux in gratiā receptus.* Ferrariensium Dux se ad Pontificatum, quotiescumque ad eius imperij defensionem opus foret, certo militum numero iuuandum obstrinxit; & si quid in posterum in sacrosanctam sedem committeret, grauissimis pœnis, etiam cum omnium priuilegiorum & iurium amissione subiecit. Non paruam quoq; ei Pontifex Mutinæ & Regij restituendi spem fecit: quamuis ab hac sententia rei magnitudine, & superiorum Pontificum exemplis macula quæ inde in ipsius nomen redundaret, illi postea ostensa, in dies magis ab ea sententia discederet.

II.

Præter hæc Pontifex, communis pacis studiosus, Cæsari, Gallo, Anglo, vt positis discordiis, in Turcam tot tantisque victoriis superbum arma transferrent per legatos denunciauit: cuius belli consilia vt commodius expedirentur, legatos vicissim ipsi Romam mitterent; deinde ex communi decreto in bellum ipsum incumberent. Sed legati Romæ conuenientes, vbi rebus pertractandis operam dederunt, rem vniuersam maximis difficultatibus inuolutam offenderunt; vt frustra conuenisse viderentur. Inducias in breue tempus non admittebat Cæsar, quasi inutiles futuras: diuturnas, recipiendi Mediolani auidus Franciscus inire recusabat. *Hadrianus pontifex Cæsarem & Gallum conciliare studet.* Quamobrem Pontifex, siue veteri erga Cæsarem beneuolentia in eo excitata, siue Galliæ Regis consilia à pace aliena ratus, plus consueto, iis qui ne illum Regem Insubria iterum potiri pateretur eum hortabantur aures accommodare, seque Cæsari magis adiungere cœpit. Accessit istud, quod Pontificem, erga Regem Galliæ maxime incitauit. Aberat Roma, Iulius Medices Cardinalis Florentiæ tum agens. Is quod omnibus sensibus cum Cæsare coniunctus esset, plerique eius veteres hostes, & ante alios Franciscus Soderinus Cardinalis, illius existimationem conuellere contendebant, ita vt apud Hadrianum cum palam accusarent, quasi veteribus Pontificum thesauris potiretur, quos conniuente Leone fratre in administranda Republica rapuisset. Quæ tametsi falsa & ridenda erant; quoniam abunde constabat Leonem immodicis sumptibus natura gaudentem, & postremo grauissimis implicitum bellis, suos pariter atque alienos loculos pecunia penitus exhausisse, contractoque insuper graui ære alieno vectigalia etiam publica fœneratoribus addixisse; tamen hæc apud externum hominem ingenio suspicacem, imperitum Romanæ aulæ, & inopia plurimum æstuantem; verisimilia videbantur. Inuoluit & iisdem prope suspicionibus Soderinus mirabili astu Laurentium Pucium, & Franciscum Armellinum Cardinales, vetere amicitia Iulio Medici coniunctissimos; quasi hic, veluti prædator insignis, nullo iure Quæsturæ officio potiretur; ille vero sanctissimis indulgentiis, quibus animæ defunctorum expiarentur, immani quæstu diuenditis, ingentem pecuniæ vim nullo metu pœnæ peculatus auertisset. Quasi si hos publica flagrantes inuidia repetundarum postulari, & facile conuictos damnari pateretur, ærarium inane celeriter eorum opibus esset repleturus. Cæterum Iulio auctoritate sua atque innocentia præclare cuncta refellenti potentes amici non deerant, qui eius absentis causam dissimulanter & obliquis maxime sermonibus tuerentur, & manebat quidem apud æquum gratumque Pontificem recentis & antiqui beneficij memoria prorsus interrupta, ita vt parum ea subtili & accurata Soderini delatione commoueretur, quominus pie & grauiter se gereret aduersus eum, qui præclare cum Pontificio nomini, tum ipsi Cæsari bellum gerenti, totius Ethruriæ viribus nixus semper adfuisset. Verum casus accidit, qui & Iulio peregregie fauit, & Soderinum in extremum periculum coniecit, & quod ad rem communem attinet, causam Pontifici patefecit, cur ad Cæsarem magis inclinarit, atque fœdus cum eo percusserit. Suessani Ducis opera, Franciscus Imperialis à Sicilia exul, qui in Galliam proficiscebatur, Castellanoni prope Romam captus fuit. Apud illum inuentæ sunt Cardinalis Volaterrani ad Santonum Episcopum nepotem suum litteræ, quibus Galliæ Regem ad Siciliam insulam classe adoriendam accendebat; propterea quod Cæsaris armis ad eam tuendam conuersis, ipsi Insubriam occupare facilius esset futurum. In transitu quoque Arni amnis aliæ Soderini litteræ à Mediceis exploratoribus, sub idem fere tempus interceptæ sunt, quibus ille eundem Franciscum Regem hortabatur ad transferendum in Siciliam bellum, exulum multitudine & Hispanorum odio nouandis rebus insulam opportunam, vt Cæsariam ab Insubribus ad tuendum in regnum traherentur; monebatque, vt nihil Pontifici temere crederet, qui quum de pace agere videri vellet, Cæsari tamen perenni quodam studio cunctis in rebus obsequeretur, nec quicquam aliud propensa voluntate magis cuperet, quam Cæsarem noua semper dignitate, nouisque victoriis auctum florentemque conspicare; neque eum debere existimare in componenda controuersia æquissimum iudicem fore, qui in excolendo attollendoque Cæsare parentis & præceptoris officia semper impleuisset. Erant eæ litteræ arbitrariis conscriptæ notis, sed adeo rudi artificio, vt vel à mediocri interprete obseruatis, & deprehensis characteribus legerentur. Has itaque Iulius confestim Romam transmisit ad Ludouicum Regulum Suessanum Cæsaris Legatum, eumque magis diserte edocuit, quanto cum periculo Soderinus Pontificiis consiliis, & grauissimarum rerum disceptationibus adhiberetur. eum enim esse hominem eximiis simulationibus, ambiguæque fidei artibus valde instructum; & super hæc infensum Cæsari, & Gallorum amicissimum; propterea se ab eo occultis insidiis & atrocissimis criminationibus peti apud Pontificem, qui à sancta illa naturæ simplicitate nullas de magnis rebus suspiciones superfluas esse duceret; vt illo falsa persuasione deprauato, ipse concideret, circumuentusque & distractus Florentia pelleretur, pateretque Soderinis Respublica Florentina, & tota simul Ethruria vetere suo studio Gallico nomini iungeretur. Conspectis litteris Hadrianus, quamquam ab initio confictas crederet, incredibile odium aduersus Soderinum, veluti Pontificiæ maiestatis violatæ reum, propterea quod Galliæ Regem & Siciliam cuius insulæ supremum ius ad Pontificium Imperium spectat armis oppugnandam, pacem Italiæ perturbandam, & conatus Pontificios pro fœdere conciliando infringendos hortaretur, concepit; ita vt id tamen egregie comprimeret, donec Iulius ad conuincendum Soderinum ab Ethruria vocaretur. Is non multo post intrauit Vrbem à Flaminia triumphali ferme pompa, incredibili ordinum omnium fauore exceptus. Nam veteres etiam hostes cum eo in gratiam redierant, adeo vt Horatius Baleonus, cuius pater recenti

Leonis fœueritate conciderat, & Fabius Petruccius frater Cardinalis in arce Hadriani fuerat necatus, itemque ipſe Franciſcus Maria Feltrius bis Vrbino Mediceis armis ejectus, à Miluio ponte aduentante obuiam honoris cauſa prodirent. Nec multo poſt à Pontifice Soderinus & Iulius in Vaticanum euocantur. Nam de induſtria erat euulgatum, Pontificem enixe picque daturum operam, & duo maximi Cardinales, qui affinitate eſſent coniuncti, ſe pacificatore atque arbitro, cognitis & ſublatis ſimultatum cauſis ad amicitias redirent. Verum vbi eos in penitiorem Borgiæ teſtudinem abduxit, & illi inter ſe parum familiari vultu colloquerentur, Pontifex ad Soderinum conuerſus, interrogauit: An vmquam in Galliam per arbitrarias notas ſcripſiſſet; prolatiſque litteris, ita conuicit, vt protinus lethali pallore confuſus cuncta deiectis ad terram oculis fateretur: nec mora quum interruptis verbis defenſionem pararet, & ſupplex, ne in carcerem duceretur, oblatis vadibus locum in Vaticano ad dicendam cauſam ſibi dari poſtularet, à Prætorij Præfecto in arcem deductus eſt. quo ſimul tempore, ab Imperialis, quem diximus, calamitate, coniuratio quæ pro Galliæ Rege in Sicilia contra Cæſarem conflabatur, detecta eſt: cuius cauſa Cameratæ Comes, Magiſter Portulanus, & eius Inſulæ Quæſtor in partes diſſecti fuerunt. Quas ob res Pontifex tanto magis in Galliæ Regem commotus ac tandem Gallorum in Italiam aduentus fama quotidie magis creſcente, cum ſeſe illis opponere ſtatuiſſet, in Cardinalium conſueto Collegio, periculorum à Turcarum Principe imminentium exordio facto, Galliæ Regem ſolum in cauſa eſſe, vt tantum periculum à Chriſtianæ Reipublicæ finibus non arceretur expoſuit; propterea quod iis induciis, quæ tractabantur, pertinaciter aſſentiri recuſarent, atq; ad occupandam Siciliam, Romani Pontificatus fundum, ſeu, vt vulgo loquuntur, feudum inhiarent, pacemque Italiæ perturbatam vellent. Cumque ſui, vtpote Chriſti Vicarij & Apoſtolorum Principis ſucceſſoris muneris eſſet, quàtum poſſet, vt pax cõ ſeruaretur prouidere, ſe cõmunis ſalutis ſtudio, cum iis qui in id, vt Italiæ ſtatus non turbaretur, quod ex eius quiete vel perturbatione totius terrarũ orbis quies aut perturbatio oriretur, incumbebant facere cogi. Itaque hanc ſententiam ſequutus, cum Carolus Lanoius Neapolitanus Prorex eam ob cauſam Romam veniſſet, tertia Auguſti die, inter Pontificem, Cæſarem, Angliæ Regem, Ferdinandum Archiducem Auſtriæ, Franciſcum Sfortiam Mediolani Ducem, & Iulium Mediceum Cardinalem vna cum Florentino impetio, itemque Genuenſes, Senenſes ac Lucenſes fœdus ad Italiæ propugnationem eſt ictum; & ſocietas quæ ſociis viuis, & annum vnum poſt ſingulorum mortem ſtaret, conſtituta: aliis omnibus dummodo à Pontifice, Cæſare, Angliæ Rege & Archiduce admitterentur, & ſe ſuas controuerſias iure non armis diſceptaturos cautionem darent, ſeſe adiungendi locus eſt reſeruatus. Si quis quemquam ex fœderatis in Italia adoriretur, communibus fœderatorum viribus repelleretur, exercituſque compararetur, ad quem Pontifex ducentos grauis armaturæ equites, Cæſar octingentos, Florentini ducentos, Mediolanenſium Dux ducentos, & totidem leuis armaturæ attribueret. Pontifex, Cæſar, & Mediolanenſium Dux, tormenta & omnem eorum apparatum ſuppeditarent; ad pedeſtres copias conſcribendas, alioſque ſumptus in bellis neceſſarios faciendos, Pontifex ſingulis menſibus vicena aureorum numum millia daret; totidem Mediolanenſium Dux & Florentini; Cæſar triginta millia; Genuenſes, Senenſes & Lucenſes ſimul decem millia; ita tamen vt Genuenſes claſſem atque alios ad ſuam ipſorum propugnationem neceſſarios ſumptus facere tenerentur. Ad hanc vero pecuniam omnes per tres menſes, & tanto diutius, quantum Pontifici, Cæſari & Angliæ Regi viſum eſſet perſoluerent. In Pontificis & Cæſaris poteſtate eſſet totius belli Imperatorem eligere, qui vt Neapolitanus ProRex eſſet Mediceo Cardinale, cuius apud Cæſarem ſumma erat authoritas, ob odium quo in Proſperum Columnam flagrabat, præcipue in id adnitente, agebatur. Huic fœderi extra ordinem adiunctus fuit Mantuanus Marchio, quem Pontifex ac Florentini communibus ſumptibus copiis ſuis omnibus præfecerunt. Cardinali Volaterrano iudices, qui quæſtionem de eo haberent dati. qua in re & ſi mitius cum eo actum ſit, & quæſtionibus habitis, cique per cauſidicos & procuratores, defendendi ſui poteſtas data fuerit, non tamen eadem in bonis eius moderatio eſt adhibita. eodem enim die quo captus eſt, Pontifex omnes quæ in eius domo erant opes occupauit. *Belcarius lib.* 17. *Guiciardinus lib.* 15.

III.

Cæterum cum amiſſæ Rhodi iactura omnium mentes ſtupore defixiſſet, inteſtinarum diſſenſionum acerbis caſibus ante oculos obſeruantibus, vt inſolitus cunctos terror occuparet, ac iam ceruicibus Italiæ potentiſſimum hoſtem imminentem perhorreſcerent, Hadrianus Pontifex, cum neque litteris, neque tractationibus, neque fuſis ad Deum orationibus, Gallum ad pacem cum Cęſare ineundam, armaq; in Turcam iungenda flectere poſſet, Venetos illius ſocios pertrahere inſtituit. Quam ob rem ad eos Thomam Campegium Electum Feltrenſem, Nuncium Apoſtolicæ Sedis deſtinauit. Is enixe Pontificis nomine Senatum rogauit, vt qui cogitationes, conſilia, actiones, ad concordiam que pacem que direxiſſet, turbulentiſſima tempeſtate, qua Petri nauis patenti pelago prehenſa, atra bellorum ac diſſenſionum nube omnia inuoluente premeretur, ab iiſdem conſiliis non abhorreret, quibus per totætatum ſeriem ingentem gloriam adeptus fuerat; reſpiceret exundantia maria, terraſque tot hominum ſanguine, qui pretioſo Chriſti cruore redempti forent: Eubœam, Peloponneſum, Rhodum, & alias inſulas, ſupplices ad victricia olim Venetorum ſigna manus tendere, vt ab infanda barbaræ gentis ſeruitute vindicarentur: Pontifici ſtatutum eſſe, animi ardore & contentione ſumma conniti, vt Chriſtianos Principes aduerſus communem, immaniſſimumque religionis hoſtem ſancito fœdere connecteret, ac deuinciret: Rempublicam vehementer hortari ac rogare, pace cum Cæſare firmata, cum reliquis Chriſtianis Regibus ac Principibus arma ſumeret; neque diutius torpeſcere ingentes quondam Venetorum ciuium ſpiritus pateretur, vt iugo barbarorum miſerrimæ ſeruitutis, tot gentibus, vrbibus, prouinciis liberatis, regna ab illis per Chriſtianorum ſocordiam occupata eriperentur; ac denique ex eorum manibus Dei Saluatoris noſtri vniuerſo orbi adorandum ſepulchrum auelleretur. non ignorare magnos veterum auorum animos adhuc in Republica vigere, illuſtria de hoſtibus inſignia ad propagandam religionem, atque imperium reportata, menti infixa eſſe: quæ licet hoc tempore ob clades ſuperioribus annis à Republica acceptas; ob ingentes communis hoſtis terreſtres maritimaſque copias: ob illa, quæ in eorum faucibus regna ac prouincias poſſidet, conſopita iacere videantur; non ambigit ſummus Pontifex Hadrianus, quin omnium Chriſtiani nominis Regum, ac Principum armis excitata haud abſimilia, præclara, atque egregia facinora, cum Chriſtiani Venetique nominis gloria editura. In hanc ſententiam locuto Campegio à Senatu reſponſum eſt; ſummis laudibus extollere ſanctiſſimi Pontificis mentem, curam, ſolicitudinem pro communi pace, concordiaque ſuſceptam, ex qua eximij fructus ad publicam vtilitatem, immortalemque Hadriani Pontificatus memoriam manatura eſſent: nil à Republica ardentiori affectu exoptatum vllo vmquam tempore fuiſſe; ab honeſtis pacis conditionibus numquam auerſum fore, teſtari, quę ſtatim ad illum, cum ad ſummum dignitatis faſtigium perueniſſet. Senatus perſcripſerat. Cæterum quod ad fœdus cum aliis Principibus aduerſus Turcas ineundum attineret, nulli altius menti hærere quot damna, & clades ab ea gente illatæ ſint, poſtquam malo noſtro creſcere Ottomanorum potentia cœpit; cum, quæ poſt Byzantium Orientalium Imperatorum ſedem occupatum, à Republica per quinquaginta fere annos continua bella geſta ſint, quibus ciues occumbere, diripi vrbes, ſpoliari diti ſſimas inſulas oculis pene ipſis ſenatus conſpexerit; vt nulla ſit gens, quæ, tum publici, tum priuati commodi cauſa illorum potentiam repreſſam, atque immutatam vehementius cupere, magiſque niti debeat. Vtinam vero huic ſummo Pontifici conceſſum foret, vt præteritorum ſeculorum præclara facta inſtauraret, ac ſacro fœdere adſtrictos Chriſtianos Principes in communem hoſtem impelleret. Quis enim ambigat, ſi ſemel pia arma induerint, atque in illum vnanimi conſenſu, conſilio, viribus bellum intulerint, non in eandem mentem Venetos quoque conſenſuros? Nemo ſane, neq; animum, neq; quotquot cogi poterũt copias, neq; præ-

Venetos in auxilium contra Turcas vocat.

præclaros auſus deſiderauerit. Verum egregius iſte, cunctique laudibus ſuperior Hadriani Pontificis conatus eundem finem habuit, quem Leonis tempora experta fuerant. Nam ſpecioſis ac inanibus conſiliis iactata Chriſtianæ Reipublicæ vulnera refricarunt: ac grauí quodam veluti veterno oppreſſam patefecerunt: nedum, vt ex ijs fructus aliquis priſtinæ virtutis maiorum, atque gloriæ poturit: cum grauioribus multo calamitatibus Europa, atque Italia præſertim redundauerat. Conatus eſt deinde Pontifex, Venetos ſaltem Cæſari conciliare. Ea pax, cooperante etiam Anglo à Pontifice incitato, variis obortis difficultatibus, ac diſceptationibus trahebatur: cum ingentem auri vim Cæſaris Oratores à Rempublica peterent, ad quam perſoluendam Senatus nullo pacto adduci poterat. deinde cum pro Inſubribus tuendis, ac Franciſco Sfortia in Mediolanenſi Imperio retinendo ſe fœdere obſtringi Senatus minime abnueret: Cæſareanis eõdem fœdere ad Neapolitanum regnum defendendum teneri Venetos placebat: quod ne à Senatu probaretur id in cauſa erat: ne Turcæ, quibus per immenſam fere longitudinem Venetæ ditiones finitimæ ſunt, indead pacem turbandam occaſionem arriperent: cum ex Neapolitano regno facilis in Epirum, Græciam, aliaſque prouincias in viſceribus Ottomanici Imperii traiectus ſit: neque timendum videretur, vt dum ſtaret Mediolanum, illudque copiæ Cæſaris, ac Reipublicæ tuerentur, hoſtes Neapolitanum regnum inuaderent: cum haud quaquam tutum Senatus cenſeret, Reipublicæ copias tam longè à finibus ſuis abeſſe, vt terreſtre imperium viribus deſtitutum, hoſtium iniuriis atque libidini pateret. Præterea haud parui momenti controuerſia accedebant de exulibus reuocandis, deque bonis reſtituendis. De Wormacienſibus quoque pactionibus inter Ferdinandum & Carolum fratres, ac Venetos multa ſupererant, quæ non facile explicari poterant, præſentiamque Oratoris, qui Ferdinandi nomine ageret, expoſcerent: vt negotium ob varias, quæ indies oriebantur difficultates, breui temporis interuallo perfici non poſſet. Pontifex vero omnibus de rebus à Senatu edoctus, cum vereretur, ne priuatæ inter Cæſarem, ac Rempublicam controuerſiæ communi pacis bono eſſent impedimento, adhortando, omniaque in ſe recepturum pollicendo nitebatur, ne leuioribus difficultatibus eximium communis concordiæ fructum, ac præſentiſſimum Chriſtianis rebus auxilium cunctationibus, atque ancipiti conſilio moraretur. Veniente poſtmodum Ferdinandi Archiducis Oratore, cum Pontifex, & Cæſarei, atque Angli Regis legati tractationi incumberent, Gallorũ Rex de ijs certior factus, vt Venetos à Cæſareano fœdere auerteret. Ambroſium Florentinum Venetias miſit, qui vna cum Vilierio ordinario Legato Patrum Collegium ingreſſi, quæ mens in Italicam expeditionem Franciſci foret, expoſuerunt: præpotentem Regem pedite, equite, pecunia, bellicis machinis cito Italiam ingreſſurum: Senatum rogare, vt in mutuo fœdere quod antea percuſſum fuerat, permaneret: Gallis cum ſuis copiis ac viribus præſto foret: id cum veteri Reipublicæ in Regem beneuolentiæ atque amicitiæ, tum ipſius in Rempublicam meritis reſponſurum. Senatus, cum in re admodum ancipiti ac perplexa verſaretur, hinc Cæſaris, inde Regis Oratoribus illius amicitiam petentibus, aliquid certi pronunciare difficile admodum erat: nec alterius partis in ſe odium, atque arma prouocaret. Licet enim cum Cæſare de pacis conditionibus agitaretur, Hieronymi Adurni Cæſarei Oratoris morte negotium intermiſſum fuerat: Gallorum vero vires, Regiſque Inſubres inuadendi conſilium Patrum animos valde ſuſpenſos tenebant, vt neque deſerere inchoatas concordiæ ineundæ rationes, neque Gallis quidque áperte, aut negare, aut polliceri vellent: tandem Senatus conſulto ita reſponſum eſt: Optima ſemper mente erga potentiſſimum, atque inuictiſſimum Regem Rempublicam fuiſſe: cunctis ſemper ſtudii atq; obſeruantiæ officiis coluiſſe, quæ ſuperioribus annis præſtiterit argumento eſſe: de auxiliis in Italiam venturo ſubminiſtrandis nil eſſe, quod modo ageretur: cum ſummus Pontifex de communi inter Chriſtianos Principes concordia ſummopere ſollicitus, id ſedulo meditaretur, vt ſemotis armis, tandem quies orbi Chriſtiano affulgeret, ac Pannoniis trepidantibus, bellique incendio conflagraturis cito ſubueniretur: ne communis hoſtis ferrum in ampliſſimi regni viſcera, nullo repugnante ac obſiſtente, miſerrime adigeret: apud Cardinalium Collegium dixiſſe, ſibi Principes omnes monere in animo eſſe, vt in triennium, vel quinquennium inducias pacifcantur: ni id faciant, anathematis pœnas additurum. Cum itaque res ita ſe haberent, de armis inferendis certi quidquam minime afferre poſſe: ne Reſpublica communi huic bono obſtitiſſe, ac ſpem quæ mortalium animos ad pacem erexerat, immaturo, ac præcipiti conſilio turbaſſe videretur. Pridie Calend. Maij Senatus Conſulto Gallicis Oratoribus de more perlecto, Nonis, Antonius Grimanus Princeps naturæ conceſſit: cui omnium ſuffragio in Principatu ſucceſſit Andreas Grittus, pace belloque clarus, apud ſummos Reges ac Principes in honore habitus. Actum denuo in Senatu, de pace ineunda cum Cæſare, Pontificis nuncio, & Cæſaris Oratore, Marino Caraciolo vrgentibus. Ob diuerſas ſentẽtias diu decerni nil poterat, cum maiori parti quidquam in re tam ardua non liqueret. Quamuis enim Collegii Patres cum Cæſare pacem firmandam arbitrarentur, atque ea de re decretum tuliſſent: complures tamen acerrime oppugnabãt, neque à vetere cum Gallo fœdere, atq; amicitia recedendum eſſe contendebant, qui ſi, vt conſtanti omnium prædicatione ferebatur, in Italiam armatus deſcendiſſet, pro ingenita gentis ferocia ac viribus, Regis præſentia haud difficulter Cremonæ arci opem laturus, ac Mediolano potiturus videbatur. Addebant, Cæſareanos pecunia laborare; quamplurimarum rerum inopia premi; iam præda ac rapinis alienos, à Galliſque auerſos populorum animos ad veteris dominationis deſiderium redire: ea ſi contingerent, Rempublicam impetum omnem irati Regis excepturam: eo acrius fines illius intaſurum, quo magis ob ſpretam amicitiam, fœduſq; fractum, ſe ab ea laceſſitum fuiſſe ſentiret. Vires, aiebant iſti, Gallorum ſummo Reipublicæ damno experti ſumus, qui cum primum, licet, immerito, à Reipublicæ amicitia regnandi cupidine deſciuiſſent, nobis ingentem calamitatum cumulum intulere, cæde, ferro, ſanguine noſtra oppida, agrique redundarunt: neque antea tot malis finis impoſitus fuit, quam in priſtinam cum ijs amicitiam, ac gratiam rediremus. Franciſcus hic, qui nunc rerum potitur, fœdere vobiſcum icto, ad Imperium recuperandum ſociis vos armis adiuuit: cui ſane, quod Brixia, Veronaque ampliſſimis ac ditiſſimis vrbibus potiamini, acceptum referre debetis. Illum igitur Regem, qui poſt regni ſuſcepta gubernacula ſemper amicus ſociuſque fuit, deſerere, aduerſus amicitiæ iura, ac fœderis religionem nefas eſſet: maxime, vt Carolus Cæſar acerrimus illius hoſtis, nullo contradicente, in Italia dominetur, atque ea prouincia, quæ ad Græciam & Macedoniam obtinendam, atque adeo ad totam Europam coercendum ſitus natura, virium robore opportuna ſemper eſt habita, ſibi ad Chriſtianam Rempublicam moderandam, ac ſubigendam gradum paret, & adſtruat: cum nihil illi deſit, quominus illam integre poſſideat: quandoquidem ampliſſimum regnum Neapolitanum poſſideret: Inſubribus potirctur; Pontifex illi opera & ſtudio faueret: reliqui Italiæ Principe, vel fide, vel obſequiis deuincti ſint. Ipſi vero Veneti illi ſint, quibus, ſi in Galliæ Regis amicitia perſeuerare inconcuſſa opinio foret, librare potentiſſimorum Principum opes, regnandique immodicam cupiditatem compeſcere datum eſſet: vnde cum immortali eorum gloria, ipſorum auctoritatem cœteri Principes ſequerentur: ac vniuerſa Italia, libertatem ac ſplendores illis ipſis acceptam referret. Contra ijs, qui temporum conditionem, præſentemq; rerum ſtatum attentiore cura diſpiciebant, minime tutum videbatur, Wormacienſibus induciis clapſis, cum Cæſareanis ob Inſubres ſubiectos, ac Mediolanenſem arcem nuper in deditionem acceptam, tumeſcentibus iterum ad bellum redire, qui ob propinquitatem momento in agros, oppidaque Reipublicæ irruere poterant, pacemque honeſtam certo ac difficili bello anteferendam eſſe Senatui auctores erant: ſatisfactum iam eſſe Gallicis fœderibus, copiis, pecunia, tormentis: illorum rebus in Gallia ciſalpina opem latam eſſe: modo eiectos atq; Italia pulſos, nihil, præter Cremonenſem arcem, eamque cito ad hoſtes caſurum, poſſidere. Non expedire, bellum cum Cæſare, cum quo ſemper inducias ſeruaſſent, modo ſuſcipere: dum cunctis bellicis rebus inſtructus apparatus Regius in dies frigeret, elangueſceretque. Quod ſi etiam Anglus, vt frequenti rumore increbuit, in Galliam impetum faciat: non eſſe credibile, vt ille regni ſui oblitus, periclitanti Italiæ, Vene-

tæque Reipublicæ opem ferret. Non esse procellis patriam obiectandam, vt præterita vulnera, cicatrice nondum coalitæ, acerbius recrudescant. Nihil illis ipsis, ad Italiæ vel libertatem, vel dignitatem optatius accidere posse, quam Insubrum Imperium retroactis ætatibus propriis Principibus parere assuetum, ad Franciscum Sfortiam peruenisse: Venetos, neq; Gallum, neque Cæsarem finitimos habere, qui aliquando Reipublicæ felicitati inuidere, atque illius Imperio inhiare queant: quod paucis ante annis, Ludouico Mediolano electo, summo cum damno experti fuissent: quandoquidem in Insubrum regione is Princeps foret, à quo turbandæ quietis, ciendiq; belli nullum esset periculum pertimescendum. Id porro esse in eorum potestate, si pacem ac fœdus, quod Cæsar vltro offerret amplecterentur, quieta, securaque consilia dubiis atque incertis anteferre vellent. Itum in hanc sententiam, ipso Duce Gritto persuasore. Quod igitur fausto felixque esset, IIII. Cal. Augusti, pax & fœdus in hanc sententiam inita sunt. Carolos diuina fauente clementia Romanorum Imperatori electo, nihil vmquam antiquius fuisse, quam ijs non modo malis ac calamitatibus obuiam ire, quibus nobilissima Italiæ prouincia bellis præteritis afflicta atque attrita, non sine graui Reipublicæ Christianæ iactura fuerat: verum in posterum turbari ac vexari posset: proinde veram, certamque pacem ac quietem firmare, vt inde communis inter omnes Principes concordiæ bonum manare queat. ad hanc rem consequendam nihil conducibilius, nihil firmius esse, quam si pacis fœderisque nexu, cum Illustrissimo Andrea Gritto, Dei gratia Duce, & Excellentissimo Venetiarum Domino adstringeretur. His de causis ad communem præsertim vtilitatem spectantibus, cuius semper Veneta Respublica studiosissima fuerat. summi, Sanctissimique Hadriani Sexti Pontificis, Serenissimique ac potentissimi Henrici Angliæ Regis, fidei defensoris, interuenientibus Thoma Campegio electo Feltrensi, Sanctissimi Pontificis Legato, Richardo Paceo Consiliario & Primario à Secretis Angliæ Regis Oratore, tractatione primum Hieronymi Adurni qui vitam cum morte commutauit: mox Marini Caraccioli Protonotarii Apostolici, ac Alphonsi Sanches, Consiliariorum, apud Rempublicam Cæsaris nomine Oratorum munere fungentium: in id Serenissimo Domino Ferdinando Hispaniarum Infante & Principe, Cæsaris fratre, per Balthasarem Gleisum eius Consiliarium, Oratoremq; concurrente, cum clarissimis viris Aloysio Mocenico Equite Consiliario, Georgio Cornelio Equite Procuratore Sancti Marci, & M. Antonio Venerio Doctore, Illustrissimi Ducis & Dominii Procuratoribus, ad pacis ac fœderis pactiones deuenere, quæ inter ipsum Sacratissimum & Inuictissimum Imperatorem, ac Illustrissimum Ducem, Excellentissimumque Dominum Venetorum ratæ, firmæque sunt. Illarum summa capita hæc fuerunt.

Præteritorum bellorum memoria inter Maximilianum ac Rempublicam deleta, ac penitus sublata, mutua pax, eademdemque perpetuo sanciatur.

Qua vulgata, vltro, citroque iniri commercia terra, marique regiones vtrinque adiri queant: piratæ, genus hominum inuisum pellantur, excindantur: qui hoc vitæ institutum arripuerint, merita nece pœnas luant.

Extoribus in patriam receptis, ius ciuium amissum restituatur: quæ bona fisco adiudicata fuerint, in eis ius non habeant: quinque aurcorum millia illorum vice singulis annis pendantur.

Quæ loca, atque oppida Venetis à Ferdinando ex Wormacien sibus conditionibus adhuc reddita non fuere, restituantur.

Ducentorum aureorum millia octo annorum spatio, singulis viginti quinque millia persoluat Cæsari Respublica: solutione, nisi prius oppidis, locisque à Ferdinando receptis, minime teneatur.

Hæc pacis conditionibus continebantur. Fœdere vero cauebatur, vt Franciscus Sfortia Mediolani Dux quingentos Italos cataphractos in Insubribus pace, belloque aleret: cuius rei se sponsorem, ac vadem Cæsar promitteret.

Si aduersus Ducem, aut Venetos bellum moueretur, cataphractorum numerum ad octingentos Cæsar augere deberet, adiecto sex peditum millium, ac quingentorum leuioris armaturæ equitum numero, tormentorumque bellicorum apparatu: vt his viribus aucti, hostium impetus arcerent, suoisque fines tuerentur.

Contra vero Veneti Insubrum ditione bello petita, ac vexata, præsto futuros, omnique ope Ducem adiuturos: cataphractos octingentos, quingentos leuioris armaturæ equites, sex mille Italos pedites, præter bellicas machinas, subsidio missuros pollicerentur.

Neapolitano regno à quouis Christiano Principe, summo Pontifice Hadriano excepto, bellis lacessito, quindecim triremes, omni bellico apparatu instructæ à Republica in eas oras ad regnum tuendum mittantur.

Hadrianus Pontifex, Henricus Angliæ Rex, pace hac atque fœderibus, si illis libuerit, honorifice excipiantur, eorumque Conseruatores sunto.

Qui ambarum partium fœderati, ac socii fuerint, eadem pace, ac fœdere comprehendantur.

A Cæsare adscripti fuere Reges Lusitaniæ, Pannoniæ & Poloniæ: Sabaudiæ Dux: Florentina Respublica, Iulius Medicæus Cardinalis, omnesque eius gentiles: Antonius, Adurnus Genuæ Dux: Mantuæ Marchio; Senarum & Lucæ ciuitates: Marchio Montisferrati.

Sex mensium spatium, tam Cæsari, quam Reipublicæ, ad aliorum quos vellent nomina apponenda constitutum est. IV.

XVIII. Calend. Septembr. pax, fœdusque inter Cæsarem, Rempublicamque, ac reliquos fœderatos ictum, solenni ritu ac more promulgatum est. Subscripsere, Hadrianus Papa, Henricus Angliæ Rex, Carolus Canoius pro Rex pro Cæsare, Ferdinandus Archidux Austriæ, Franciscus Sfortia, Iulius Medices Cardinalis, Veneti, Florentini, Genuenses, Senenses, Lucenses.

Gallicus exercitus interea continenter in Italiam transcendebat: quem Franciscus Rex, nihil illis fœderibus perterritus sequi constituerat, nisi eius consilium, Caroli Borbonii defecto ad Cæsarem conturbasset. Causa memoratur. In eum Regiæ stirpis adolescentem innuptum, omniumque Franciæ procerum formosissimum, procaces oculos Ludouica Sabauda Regis Francisci mater vidua coniecerat, nuptiasque eius non obscure appetierat: in quas vt facilius consentiret, apud filium Regem effecerat, vt Franciæ Cõnestabilis crearetur, maiorum ei honorum spem non simulate, confectis secum nuptiis, faciens. Sed cum eas Carolus, ducta Susanna Borbonii Duce, dedignari ac fastidire se demonstrasset, concepto Ludouica contra eum odio, omnibus in rebus aduersari, ac apud filium Regem calumniari, criminarique non desistebat. Hinc Carolus Regi parum gratus, nec ad secretiora admittebatur consilia, nec vllis se dignis amplius ornabatur honoribus, sed in priuatim rerum administratione relictus, rarius solito in aula conspiciebatur. Cumque vxor eius Susanna anno superiore 1522. nullis relictis liberis diem obiisset, denuo de nuptiis inter eum ac Ludouicam contrahendis agi est cæptũ. Ille matrimonium cum effœta, sterili fœmina contrahere plane recusabat. Contemni se Ludouica ægerrime ferens, veteri resumpta ac in immensum aucta indignatione, cum alio illi modo nocere non posset, litem in Senatu Regio, de iure propinquitatis ac successionis Ducatus Borbonii, in quem Ludouica, causa matris Margaritæ Borboniæ ius repetebat, mouit. Rege, matris partes tuente, Carolus causa decidit, atque ad Cæsarem inclinauit. Re detecta, cum & fortunas sibi diripi videret, & militem qui in vincula traderet iam se missum esse didicisset, dissimulatis quamplurimis, in Italiam elapsus, Cæsarianas vires auxit: allectus vel ea spe à Cæsare, ducendi in vxorem Eleonoram illius sororem, Emanuelis Lusitaniæ Regis morte viduam relictam. Destinabat, cum duodecim peditum millibus, qui Cæsaris & Angliæ Regis ære occultissime colligebantur, in Burgundiam irrumpere: & qua apud omnes Gallos pollebat gratia, plura quæ posset occupare: dummodo ex ijs quæ occuparentur, Prouinciam sibi, Comitis Prouinciæ in Regis nomen commutato, retineret: cuius dominatum, iure ab Andiouinis repetito, sibi arrogabat: reliqua omnia Angliæ Regi concedebat. Necessitas scilicet Gallo imponebat, sua tuendi, & de Italica minime cogitandi: quam esse hoc tempore pacatam, multum Reipublicæ Christianæ intererat. *Guiciardinus & Belcarius supra. Maurocenus lib. 17. Beuter. l. 8.* *Carolus Borbonius à Gallorege deficit.*

Merebatur Cæsar eum Sedis Apostolicæ fauorem, qui totus erat in hæresi Lutherana extirpanda. Hoc enim etiãm

anno

anno M. D. XXIII. in Conuentu Norimbergensi publicauit edictum contra Lutheranos, hoc tenore.

Carolus V. Dei gratia Romanus electus Imperator semper Augustus, ac Germaniæ, Hispaniarum, vtriusq; Siciliæ, Hierusalem, Hungariæ, Dalmatiæ, Croatiæ &c. Rex, Archidux Austriæ, Dux Burgundiæ, Comes Habspurgi, Flandriæ & Tirolis &c. Vniuersis & singulis nostris & Sacri Imperij Electoribus, Principibus, Ecclesiastici ac Politici Ordinis, Prælatis, Comitibus, Baronibus, Nobilibus, Magistratibus-Officialibus, Ciuitatibus & reliquis nostris & Imperij subditis, cuiuscumque status, dignitatis, præeminentiæ, vel conditionis sint, ad quos hoc nostrum Cæsareum scriptum peruenerit, desiderium nostram benevolentiam & gratiam, atque omnem precamur felicitatem.

1. *Reuerẽdissimi, dignissimi, Illustrissimi, charissimiq; cognati propinqui, Electores, Principes, Generosi, Venerandi Nobiles, Reuerendi ac Fideles. Cum in nostris Comitijs atque Imperialis Conuentu Norimbergæ iam habito, summi Pontificis Beatitudo per Legatum Apostolicum, præterquam quod de præsidiis atque defensione regni Hungariæ aduersus Turcam, Christiani nominis hostem hereditarium decernenda, summa cum obtestatione reculisset, etiam Lutheri, suorumque consectaneorum doctrinæ ac Scriptorum, quæ plurima nunc in lucem edunt, per Breue, vt vocant Apostolicum, & instructionem, partim quoque suis verbis mentionem fecit: subindicans, ipsam necessitatem summopere nunc flagitare, vt matura deliberatione aliqua susciperetur cura, quo eiusmodi genus doctrinæ & scripta, quæ facerent ad excitandos tumultus, inhiberentur ac supprimerentur, addita simul obtestatione, vt Cæsareæ nostræ Maiestatis Locumtenens, cæterique Electores Principes & status Imperij, communicatis inter se sententiis atque consiliis, monstrarent Beatitudini suæ, quibus mediis, aut qua via Lutheranæ hereseos occurrendum esset: suam Beatitudinem daturam operam, ne aliquid eorum desiderari posset, quæ sibi ex officio incumbunt.*

2. *Ad hæc igitur Cæsareæ Maiestatis nostræ Locumtenens, Electores, Principes, & Status Imperij accurata deliberatione, prout ratio & commoditas totius negotij ferebat, nullum hoc tempore consilij efficacius, nec salubrius excogitare, aut recipere potuerunt, quam vt Pontificis Beatitudo, consensu nostro, liberum & Christianum Concilium, opportuna quadam ciuitate Germanicæ nationis celebrandum indiceret, videlicet Argentorati Moguntiæ, Coloniæ, ciuitate Metensi, aut alibi locorum de quo Pontificis sanctitati & vobis pacisci liceret: quod tamen intra spatium vnius anni auspicandum foret, quemadmodum & Cæsareæ Maiestatis nostræ Locumtenens, Electores, Principes, & cæteri Ordines Imperij eandem consultationem, atque animi sui sententiam loco responsi perscriptam, vna cum cæteris quibusdam articulis & grauaminibus aliis, quæ superioribus proximis Comitiis Vuormatiæ celebratis, à secularibus Principibus & Statibus Imperij aduersus Sedem Romanã literis sunt mandata, Beatitudini suæ transmitti curarunt, simul petentes, vt sanctitas sua debitam inspectionem facere, atq; reformationem aliquam suscipere vellet.*

3. *Et præter illam sui consilij & sententiæ declarationem, promiserunt etiam, se interim dum Synodus conuocetur, omnem diligentiam adhibituros esse, præcipue vero cum illo Magistratu, sub cuius imperio Lutherus, & quidam eius sectatores fouentur, magno studio velle agere, vt is efficiat, ne Lutherus aut alij sectatores porro aliquid noui scribant, aut in publicum edant.*

4. *Deinde singuli Electores, Principes, & Status Imperij Romani dent operam, vt in suis territorijs præter sanctum Euangelium, idque iuxta interpretationem doctrinæ iam antea ab Ecclesia Catholica receptæ & approbatæ, nihil doceatur.*

5. *Præterea, ne posthac publicis typis imprimantur aut vendantur noua scripta, nisi prius à doctis quibusdam viris peculiariter ad hoc designandis, inspecta & explorata sint, atq; admissa quemadmodum ista omnia vberius in literis ad suam Beatitudinem transmissis continentur.*

6. *Ad hoc etiam singuli Electores, Principes, Prælati, cæterique Ordines Imperij quanta fieri potest diligentia, in suis ditionibus curent atq; efficiant, omnes diuini verbi Concionatores commode & moderate admoneri, vt in publicis concionibus abstineant ab omnibus ijs, quæ tumultibus, rebellionibus, discordijs aut seditionibus in Sacro Romano Imperio occasionem præbere, aut alioqui populum Christianum in errorem trahere possent, tantummodo Sacrosanctum Euangelium iuxta interpretationem Scripturæ à Sancta Ecclesia Catholica approbata & recepta, sicut supra dictum est, proponant & doceant quæ sint inutiles ac disputabiles materiæ, vt eas in docendo penitus omittant, ac potius iudicium prefati Christiani Concilij expectent.*

7. *Archiepiscopi insuper & Episcopi, quosdam sacrarum literarũ peritos viros ordinent, qui eiusmodi Concionibus ac doctrinis diligenter attendant, in quibus si forte errores deprehenderint, tum hos Concionatores siue Doctores, placide, benigne, & prorsus ea moderatione de hortari studeant, ne aliquibus suspicio moueatur, quasi hoc modo Euangelij veritatem impedire aut opprimere velint. Quod si Concionatorum aliqui admonitionibus à suo proposito flecti non possent, tum Ordinarii dent operam, vt iustis pœnis, quemadmodum ipsi recte norunt, quid facto opus sit, coerceantur, ne locus detur suspitioni, quasi veritatem Euangelicam velimus impeditam, aut suppressam.*

8. *Postremo Cæsareæ nostræ Maiestatis Locumtenens, Electores, Principes, & status Imperij, quantum in ipsis est situm, in omnibus officinis typographicis, item apud Bibliopolas, in suis territorijs diligenter prospicient, ne posthac aliquid nouorum scriptorum intra tempus futuræ synodi excudatur, seu venum exponatur, aut alioqui, vt vendi possit, circumferatur, nisi primum à doctis & in quolibet emporio ad hoc delectis viris quemadmodum in præcedenti quoq; articulo monitum, recognitum sit & approbatum.*

9. *Cæterum si quid præterea excusum, vel vt excudatur ab aliquo traditum fuerit, in quo vitium deprehendetur, eiusmodi scriptum, præsertim libellos famosos, nemini sub graui pœna excudere, vel excusos distrahere licebit, sed hæc ita interdicti, & omnino seruari debent.*

10. *De personis Ecclesiasticis matrimonium contrahentibus, item de Religiosis personis deserentibus sua Monasteria, cum in communi iure Ciuili nulla peculiariter constituta sit pœna, valeant & ratæ sint illæ, quæ iure Canonico in tales decernuntur; amissio videlicet libertatis, priuilegiorum, beneficiorum, & aliarum rerum, atq; vt Ordinarij in exequutione istarum pœnarum, à ciuili Magistratu nequaquã impediatur, sed illi ad defensionem Ecclesiasticæ iurisdictionem opem auxiliumq; ferant.*

11. *Si vero Ecclesiasticæ personæ contra hæc importune vel contumaciter se gererent, illi secundum præscriptum sancitarum legum puniri debebunt, quemadmodum si omnes articuli per prædictum Cæsareæ Maiestatis nostræ Locumtenentem, Electores, Principes, & reliquos Imperij status decisi sunt, atq; in communi nostro sacriq; Imperij Recessu comprehensi.*

12. *Vt autem suprà memorati articuli omnes & singuli certius seruarentur, mandauimus, vt in forma publici Edicti passim affigantur, & recitentur.*

13. *Proinde serio vobis omnibus ac singulis, & imprimis auctoritate Cæsareæ Maiestatis, hoc publico Edicto mandamus, & volumus, vt vos Ordines Imperij Romanos omnes, & quemq; pro se in suo territorio curet ac prospiciat, vt intra ẽpus futuri Concilij tantummodo sacrum Euangelium, iuxta interpretationem Scripturæ ab Ecclesia Catholica iam approbatæ & receptæ, prædicetur ac doceatur.*

14. Deinde etiam quisque singulari diligentia curabit, omnes Concionatores moderate ac commode cum illis agendo, commonefieri, vt abstineant in suis Concionibus ab omnibus iis, quæ inobedientiæ, discordiis atque tumultibus in sacro Imperio Romano ansam præbere, aut alioqui pios in errorem abducere possent, parum vtiles ac disputabiles materias inter concionandum præcidant ac vitẽt, sed de his Christianæ Synodi determinationem expectent.

15. *Vos etiam Archiepiscopi, & cæteri Episcopi, viros aliquot, intelligentia sacræ Scripturæ præditos ordinetis, qui vigilanter obseruent quid in sacris concionibus doceatur. Qui si errores alicubi sparsos animaduerterint, tum illos Concionatores aut Doctores comiter & moderate corrigant, ita vt nemo suspicari possit, Euangelicam veritatem per hoc impeditam aut suppressam iri: Si vero prædicatores aliqui contumaciter admonitionibus repugnauerint, vos Ordinarii dignis pœnis in eos animaduertatis.*

16. *Postremo vos etiam suprà iam dicti omnes Imperii status, hinc vsque ad præfatum Concilium in singulis Officinis typographorum & apud Bibliopolas vestri cuiusq; dominii, summo studio præcauere debetis, ne posthac aliquid noui imprimatur, neq; venale exponatur: aut alioqui, vt vendi possit, circumferatur, nisi à prudentibus & literarum peritis viris, peculiariter ad hoc in qualibet vestra ditione delectis, recognitum sit atq; approbatum.*

17. *Quod si post illa quædam impressa vel vt imprimantur ab alio tradita forent, atq; in iis vitia subesse deprehenderentur, tum illa, atque inprimis famosa scripta, nequaquam imprimi, aut impressa vẽdi permittatis, sed summa seueritate prohibeatur, quemadmodum & nos quoq; auctoritate huius Edicti, sub grauis indignatione ac pœna nostra & Imperii Romani prohibitum volumus esse.*

18. *Cæterum de personis Ecclesiasticis contrahentib. matrimoniũ,*

& de religiosis personis deferentibus Monasteria sua, volumus & sancimus, vt tales iuxta decreta Sacrorum Canonum, libertate, priuilegiis, beneficiis, & cæteris rebus priuentur, atq; secundum constitutas leges pœnis adficiantur.

19. Vobis autem secularibus Magistratibus præcipientes volumus, ne aliquo modo Ecclesiasticos Ordinarios in executione talium pœnarium impediatis, sed illis pro defensione Ecclesiasticæ iurisdictionis opem atq; auxilium fratis. atq; ita vos omnes & singuli commemoratos articulos iuxta sententiam in illis expressam seruari curetis, vt illa quæ ad Pontificiam Beatitudinem perscripta, & suprarecitato Edicto, nostroque & sacri Imperii Recessu comprehensa sunt, omnino præstentur, quatenus quicq; vestrum cupit nostram & Imperii grauem indignationem ac pœnam euitare.

Data in nostra & Imperii vrbe Norimberga die VI. Mart. anno à Christi Saluatoris nostri Natiuitate M. D. XXIII.

Ad mandatum Domini Imperatoris in Consilio Imperiali.

Fridericus Comes Palatinus, Cæsareæ Maiestatis Locumtenens.

Henricus Dux Mekelburgensis.

VI. Istud decretum vbi publicatum fuit, Lutherus addito glossemate commendat, & contramentem Principum, incausæ suæ patrocinium torquer. Quod si locum hat ere debeat, iam se vtroque vinculo, Pontificiæ nimirum excommunicationis, & proscriptionis Cæsareæ clamat. Quamquã interim paulo durius ipsi videtur, quod de Sacerdotum & Monachorum luxuriantium pœna constitutum fuit. Hic vero quiritatur miserabilem in modum, & minitandum esse dicit Pontificii iuris duritiem atque rigorem. Diabolum hac parte fœda quædam, ait, & horrenda machinari, hactenus ignorata, quæ per Euangelium nunc erumpant. Perinde facere, qui continenter viuere instituant, ac si quis excrementa (venia sit verbo) vel lotium contra impetum naturæ retinere velit. Fœda certe vox, & indigna, quæ in pudicas aures insonet. *Vlembergius in vita Lutheri.*

VII. Sed de Luthero paulo inferius, multo plura narrabimus nunc ad Hadrianum reuertamur.

VIII. *Sigismundus Rex Poloniæ edictũ contra Lutherum promulgat.* Eiusdem Pontificis opus est, Constitutio contra hæreticos, à Sigismundo I. Rege Poloniæ, in hoc ipsius regno Poloniæ, hoc ipso anno edita. Siquidem ille pro pastorali vigilantia præcauens, ne regnum illud hactenus nulla hæreseos labe pollutum, à vicinis Bohemis & Germanis inficeretur, Ioanni Gotho nuncio ad regna Septentrionalia destinato, in mandatis dederat, vt eos Reges, & præsertim Sigismundum officii admoneret, ne permitterent quicquam in rebus fidei Orthodoxæ nouati, aut hæreticos venena sua diffundere. Obsecutus est Sigismundus, & sanctionem quam adiungo promulgauit.

Sigismundus Dei gratia Rex Poloniæ, Magnus Dux Lituaniæ, Russiæ, Prussiæq;, Dominus & hæres.

Manifestum facimus omnibus & singulis, cuiuscumque status & Ordinis subditis nostris, nec non etiam aduenis quibuscumq; in regno & dominiis nostris vbilibet existentibus, quia cum humanus ingenijs, præsertim vulgi, ad res nouas ac insolentes propensis necesse sit tum alia mala pleraque, tum vero schismata & hæreses emergere, necesse item sit illas per eos qui diuinis ac humanis institutis præpositi sunt, tamquam Zizania ex agro petari ac eradicari, siquidem sola est religio, quæ legibus ac institutis suis homines in disciplina, in virtute, ac in fide erga Deum & homines continet & regit: & qua in norma & obseruantia sua veteri turbata & dissoluta, turbari ac dissolui necesse est vniuersa. quod postea, vt multis exemplis constat, in seditiones vergere, ac in perniciem rerum publicarum, earumque Rectores redundare solet. Nos pro officio Christiani Principis, eam ipsam religionem à SS. Patribus ordinatam, ac per Sanctam Romanam Ecclesiam directam, nobisq; à maioribus nostris per manus traditam, ac per nos denique & gentes nostras multo sanguine, & clarissimis gratia Dei victoriis hactenus defensam, etiam à labe hæretica his temporibus in vicinia emergente, integram & immaculatam in regno & dominiis nostris conseruare volentes, publicis edictis mandauimus, ne quilibri Lutheri cuiusdam, eiusque sequacium quorumcumque, quos seua insolentia in reprobum egit sensum, quiq; prætextu libertatis Christianæ, ac prætextu eiũ vitiorum Ordinis Ecclesiastici, & scandalorum quæ ab hominibus & ab his qui ab hominibus assumpti, ac perinde infirmi sunt venire necesse est, tamquam sub melle virus suum in vulgus spargunt & scriptis ac sermonibus famosissimis non solum mores salubres & instituta Ecclesiastica, sed ipsos etiam Sanctos Patres turpissime proscindunt, & Sacra prophanis miscent, nequaquam ad regnum & dominia nostra inferrentur & legerentur, neue quis dogma ipsum pestiferum, ac iampridem damnatum approbare, profiteri, vel tueri auderet sub pœna capitis & confiscatione bonorum omnium: ad quæ posteà edicta nostra exequenda, modum etiam opportunum statuere volentes, delegauimus in Prætorio Ciuitatis nostræ Regiæ Cracouiensis, nonnullos primarios nostros, tum spirituales quam etiam seculares consiliarios, qui cum Consulibus ac Officialibus Ciuitatis, sic edicta ipsa nostra exequenda statuerunt. Vt inprimis quandocumq; opportunum videretur Reuerendissimo Domino Episcopo Cracouiensi, fieret per Inquisitores eius, cum Decurionibus, quos Consulatus in tota Ciuitate, ad huius negotij aliorumque excessium tollendorum custodiam delegit, per omnes & singulas domos, testudines, ac cistas diligens scrutatio, & vbi aliqui libri hæretici inuenirentur, illinc pœna edicti exigerentur. Deinde vt impressores librorum, nihil prorsus imprimere, & Bibliopolæ vel alij quicumq; exponere ac vendere deinceps ex libris vndecumque adductis, nisi illos Rector Vniuersitatis, vel aliquis per Ordinarium cõstitutus prior viderit, & tam imprimi quam vendi permiserit, sub pœnis prædictis. Vt autem & reliquæ ciuitates nostræ, hoc exemplo instarent, ac vnusquisque in tempore præmoneretur, ne ipsa mandata nostra Regia transgrediatur, & ignorantiam prætendere possit; Nos hanc ipsorum Consiliariorum simul ac Consulatus Cracouiensis ordinationem per has literas nostras omnibus testatam esse volumus: mandantes omnibus aliis ciuitatibus regni & dominiorum nostrorum, vt eum modum edicta nostra exequendi faciant cum Loci Ordinariis, aut eorum delegatis, ordinationes opportunas, easq; diligentissime exequãtur, pro gratia nostra aliter non facturi. Datum Cracouiæ Sabbatho ante festum Natalis Sanctissimæ Mariæ Virginis Domina nostræ. anno Domini M. D. XXIII. Regni autem nostri XVII.

IX. Præterea Sigismundus, vt magis ac magis se Apostolicis admonitionibus obsequentem ostenderet, misso Ioanne Choienseo Archidiacono Cracouiensi, quem à Secretis habebat, ad Ioannem Lascium Archiepiscopum Gnesnensem, Legatum Natum, ac Regni Poloniæ, Primatem, Synodum Prouincialem, Lanciciæ, omnium Regni Episcoporum congregari curauit: In ea congregati Antistites, hoc ipso anno M. D. XXIII. feria III. post festum S. Francisci istud edixerunt.

Excommunicamus & anathematizamus omnem hæresim extollẽtem se aduersus hanc Sanctam Orthodoxam & Catholicam fidem, Ecclesiamq; Romanam, condemnantes hæreticos vniuersos quibuscũq; nominibus censeantur, & præsertim Lutherianos nouiter exortos, & Hussitas quosdam quasi postliminij iure reuersos, damnati vero præsentibus, secularibus potestatibus iuxta Bullæ Apostolicæ, Sacræ Maiestatis Regiæ generale decretum, & Canonica institutа, relinquantur animaduersione debita puniendi, Clericus prius à suis Ordinibus degradatur, ita quod bona taliter damnatorum, si laici fuerint, confiscentur: Si vero Clerici, applicentur Ecclesiis à quibus stipendia acceperunt. Qui autem inuenti fuerint sola suspicione notabiles, nisi iuxta considerationem suspitionis, qualitatemque personæ propriam innocentiam congrua purgatione monstrauerint, anathematis gladio feriantur & vsque ad satisfactionem condignam ab omnibus euitentur, ita quod si per annum in excommunicatione perstiterint, extunc velut hæretici condemnentur. Deinde vt impressores librorum in nostra prouincia nihil prorsus imprimere, & Bibliopolæ vel alij quicumque exponere ac vendere deinceps audeant, ex libris vndecumque adductis, nisi illos Ordinarij, vel per eos constituti viderint, & tam imprimi, quam vendi permiserint. Contrafacientes autem, si reperti fuerint libros hæreticos impressisse, aduinxisse seu vendidisse, pœnis suprædictis subiaceant.

Ista Antistites, actis suis inserentes, Bullam Leonis X. aduersus Lutherum & sequaces, atque Regis Sigismundi edicta in eosdem *ex actis Synodi Prouincialis Lanciciensis.*

X. *Hadrianus VI. Pontifex Legatũ in Sueciam mittit.* In regno porro Sueciæ, Ioannes Magnus Gotthus, ab Hadriano Pontifice Nuncius destinatus, vbi negotia fidei Christianæ coram Gustauo Electo Rege propositurus esset. Sensit Lutheranæ perfidiæ authores longe plus apud ipsum iuuenem Regem valuisse. Erat autem Lutheranæ hæresis in Suecia fundator quidam Olaus Petri Strengenensis ordine Diaconus, iam pridem ex Vuittemberga, vbi Lutheri impietatem imbiberat, reuersus. Is idoneum sortitus discipulum, quendam Laurentium Andreæ presbyterum & Archidiaconum Ecclesiæ Strengenensis, virum quidem specie & forma magis quam virtute religiosum; & gloriæ laudisque ac nouitatis improbe cupidum, atque ita perciturn, quod nuper in defuncti Antistitis locum electus non

fuisset quemadmodum iam historiæ de Arrio Alexandrino meminerunt. Hi deo tantam perniciem vniuersa Sueciæ regno intulerunt, vt vere credi potuerint ex maligno Spiritu in omnium bonorum destructionem, & totius fidei, ac patriæ desolationem procreati, aut suscitati. Horum consilio persuasus Rex, voluit quod Prouincialis Synodus, per Legatum, sed in fauorem hæresis Lutheranæ celebraretur. Quamobrem cogitauit Legatus consilium fore, non celebrare tam pernicioſum Concilium, moxque secum deliberauit de modo, quo Lutheranas terras egredi & Romam posset redire. Eo proposito dum ferretur, à nonnullis ex Capitulo Vpsalensi per literas & nuncios rogabatur. Vt liceret Capitulo, se ad ipsius conspectum conferre: quo impetrato, duo ex Senioribus Capituli obtulerunt manibus eius literas summo Pontifici Hadriano scriptas, quibus Capitulares Vpsalenses significabant, se superioribus diebus Vpsaliæ Capitulariter congregaros nominasse ipsum Legatum in Archiepiscopum Vpsalensem. Quo audito Legatus, multa adduxit, quare ea nominatio de sua persona minus idonea esse possit. Meminitque sempiternæ discordiæ, quæ inter Ecclesiam Vpsalensem, & Præsides regni esse consueuisset, iamque ipsam adeo desolatam esse, vt nullam mansionem, imo nec foueam præstare queat suo Archiepiscopo, vbi ipse caput suum reclinet; nec tacuit pericula, quæ Lutherana impietas iam tunc Suecanæ Ecclesiæ inuexerat, & ampliora illatura videbatur. Præterea adiecit, maiorem sibi quietem, & feliciorem rerum successum in Italia ab Hadriano Papa patre suo vnico polliceri, quam quod opus habeat se in continua Suecorum iurgia immergere. Quo circa suasit, vt cassata ea nominatione, alium quempiam concorditer nominarent vel eligerent, præfatus, se longe efficacius confirmationi illius Electi apud Sedem Apostolicam cooperaturum, quam si suam personam promoturus esset. Hoc modo Prælati & Canonici Vpsalenses persuasi conclaue ingrediuntur; sed denuo Legatum concorditer in suum Archiepiscopum eligentes, ipsum importunissimis precib. rogare, postulare, obsecrare cœperunt, ne Ecclesiam Metropolitanam & eos desolatos relinquat; omnino futurum asserentes, nisi se permittat eorum precibus superari, cogerentur hæreticorum potentia superati, aliquem Lutherani schismatis authorem supra se intrusum, cum sempiterna iactura totius Ecclesiæ Suecanæ, admittere. Itaque hac pia importunitate, & vrgentissima ratione consensit in electionem tam concorditer factam, eam conditionem adijciens, si sanctæ sedi Apostolicæ ita placeret, &, si Rex prædia, & quascumq; possessiones, ac reditus Archiepiscopales, dudum violenter occupatos, integre restitueret, cui honestæ & iustæ condition Rex non solum consensit, sed etiam precib. importunis Legatum aggressus orauit, vt plenum consensum electioni præberet; præfatus, se non solum pristinos redditus, & omnia priuilegia ac libertates Ecclesiæ redditurum, sed maiore adiecturum, imo etiam sanguinem suum, pro salute ipsius Legati, si necesse foret, erogaturum. In has magnificas promissiones, sigillo & litteris Regiis confirmatas, Legatus nimium confidens, & ad cor altum accedens, submisit se regimini & persecutionibus Ecclesiæ Vpsalensis, suãq; libertatem, & eximiam quam ei Sedes Apostolica pollicebatur promotionem, proplexa solicitudine commutauit, missoque Romam fratre suo Olauo Magno, Ecclesiæ Strengenensis Præposito, Romanam Curiam de suis & omnium aliorum in Suecia electorum Antistitum negotijs, de que Christianæ fidei ruina pene irreparabili, fideliter informauit. Ea tamen pia, sancta, & necessaria omnium Ecclesiarum Cathedralium postulatione nihil assequi potuit, morte Hadriani Pontificis rebus Ecclesiæ Suecanæ, ne tam cito in pristinum statum resurgerer, interueniente. *Ioannes Gotthus lib. 6.*

Suecia hæresi infi-citur.

XI. *Bruxellis duo Lutherani comburuntur.* Eiusdem Hadriani Pontificis opus est, quod hoc anno, mense Maio, habitis Leodii Comitijs, tam Leonis Papæ X. quam Caroli Cæsaris edicta, contra Lutherum & Lutheranos, non solum per ciuitatem, sed & alia Belgii loca publicarentur, atque executioni demandarentur. *Chapeauille in Erardo Marcano.* Enimuero hoc ipso anno Bruxellis, quæ est Brabantiæ præclara vrbs, duo professionis Augustinianæ ob Lutheri dogma flammis exusti sunt. Illos vero statim Lutherani non alio quam martyrum loco habere voluerunt: ignari, quod *martyres Christi non pœna facit, sed causa*, vt præclare docet Sanct. Augustinus. Quam enim sibi pacem promittunt inimici fratrum? inquit Sanctissimus ille martyr Cyprianus libro de vnitate Ecclesiæ; aut quæ sacrificia celebrare se credunt æmuli Sacerdotum? An secum esse Christum, cum collecti fuerint, opinantur, qui extra Christi Ecclesiam colliguntur? Tales etiamsi occisi fuerint in confessione nominis, macula ista nec sanguine abluitur. Inexpiabilis & grauis culpa discordiæ, nec passione purgatur. Esse martyr non potest, quia in Ecclesia non est. Cum Deo manere non possunt, qui esse in Ecclesia Dei vnanimes noluerunt. Ardeant licet flammis, & ignibus traditi vel bestiis obiecti animas suas ponant: non erit illa fidei corona, sed pœna perfidiæ, nec religiosæ virtutis exitus gloriosus, sed desperationis interitus. Occidi talis potest, coronari non potest. Hæc ille. *Surius in Comment.*

In eos etiam qui alibi fidem susceptam abnegarent, imagines Sanctorum conculcarent, Sacramentis abuterentur, Diabolum inuocarent, & incantationibus, carminibus sortilegiis, aliisque maleficiis iumenta & fructus terræ læderent, Inquisitores hæreticæ prauitatis animauit, armauitque. Inter hos Inquisitori Comensi ad eum modum præscripsit.

Dilecte fili, Salutem & Apostolicam benedictionem.

Dudum, vti nobis exponi fecisti, per felicis recordationis Iulium Papam II. prædecessorem nostrum, non sine magna tunc animi sui displicentia accepto, quod per quendam Georgium de Casali, Ordinis fratrum Prædicatorum professorem, & in ciuitate Cremonensi hæreticæ prauitatis Inquisitorem deputatum, in nonnullis Lombardiæ partibus & præsertim in loco, in quibus dictus Georgius Inquisitor deputatus erat, reperta fuerunt quamplures vtriusque sexus personæ propriæ salutis immemores, & à fide Catholica deuiantes, certam sectam facientes, fidem quam in sacri susceptione baptismatis susceperant abnegantes, sanctam Crucem pedibus conculcantes, & opprobria super eam perpetrantes, Ecclesiasticis & præsertim Eucharistiæ Sacramentis abutentes, Diabolum in suum dominum & patronum assumentes, eiq; obedientiam & reuerentiam exhibentes, & suis incantationibus, carminibus, sortilegiis, aliisq; nefandis superstitionibus, iumenta & fructus terræ multipliciter lædentes, aliaq; quãplurima nefanda, excessus & crimina eodem Diabolo instigante committentes & perpetrantes, in animarum suarum periculum, diuinæ Maiestatis offensam, perniciosumque exemplum & scandalum plurimorum. Contra quas cum dictus Georgius tunc (vt asserebat) in dictis locis suæ Inquisitioni deputatis, prout ipsius Georgij incumbebat officio, ipse Georgius processisset, nonnulli autem tam Clerici quam laici illarum partium, quæ rentes plus sapere quam oportet, præmissa delicta, ad eiusdem Georgij Inquisitionis officium non pertinere temere asserentes, præsumentes in populo terrores & scandala seminauerunt, sicque eundem Georgium in populo odiosum reddere, & dicti Georgij officium impedire conati fuerunt, prout etiam tunc impediebant, ita quod propter præmissa, personæ prædicta delicta huiusmodi pe trantes remanebant impunitæ, & aliæ eorum exemplo ad similia perpetranda quotidie inducebantur, in non modicum fidei opprobrium, animarum periculum, & scandalum plurimorum. Dictus prædecessor volens (ne Inquisitionis officii executio, quomodolibet retardaretur, & labes hæreticæ prauitatis longius venena diffunderet) prouidere, dicto Georgio per quasdam suas in forma Breuis literas commisit & mandauit quatenus in locis eiusdem Georgij Inquisitioni deputatis, de excessibus huiusmodi cognoscere, & contra quascumq; personas, cuiuscumque conditionis & præeminentiæ forent, Inquisitionis officium exercere & exequi, ipsasque personas, quas in præmissis culpabiles reperiret, vna cum locorum Ordinariorum Vicariis, quatenus voluissent interesse, iuxta dictarum personarum demerita, corrigere & punire deberet, secundum modum contra alios hæreticos à iure ex sacris canonibus statutum: Contradictores quoscumque per censuram Ecclesiasticam, & alia iuris opportuna remedia compescendo. Eos vero qui in præmissis, consilium, auxilium, vel fauorem præstarent, præfatus prædecessor noster, eisdem Indulgentiis vti & gaudere decreuit, quibus Crucesignati contra alios hæreticos, ex Indulto Apostolico eis concesso, tunc gaudebant & vtebantur, prout in dictis literis plenius continetur dicitur. Et sicut eadem expositio suo iungebat, non solum delicta & crimina huiusmodi contra fidem Catholicam, & Christianam religionem, sub iurisdictione Inquisitoris Cremonensis committuntur, & perpetrantur, sed in omnibus aliis locis & diœcesibus, sub iurisdictione aliorum Inquisitorum dicti Ordinis Congregationis Lombardiæ, indies perpetrantur & com-

mittuntur. Et cum eadem sint delicta, eadem profecto prouisione & castigatione est earundem literarum tenore prouidendum. Quare tu, sicut asseris, in ciuitate Comensi vbi dictæ prauitatis Inquisitor existis tam tuo, quam omnium aliorum dictorum Ordinis & Congregationis hereticæ prauitatis Inquisitorum vbilibet consistentium & deputatorum nominibus, feciſti nobis humiliter supplicari, vt literas prædictas ad vos extendere & ampliare, aliasque desuper opportune dignaremur prouidere. Nos igitur huiusmodi supplicationibus inclinati literas prædictas, cum omnibus in eis contentis clausulis, in omnibus & per omnia, prout in eisdem litteris continetur, ad te & ad alios Ordinis & Congregationis huiusmodi Inquisitores, tam in præsentiarum deputatos, quam in futurum perpetuis futuris temporibus deputandos, ac si tibi, & cuilibet Inquisitorum prædictorum dirigerentur, & directæ fuissent, Apostolica authoritate, tenore præsentium extendimus: Ipsasque literas, tibi & illis, vt præmittitur, eisdem auctoritate & tenore concedimus. Non obstantibus omnibus illis, quæ Iulius prædecessor noster voluit non obstare, cæterisque contrariis quibuscumq;. Et quia difficile foret præsentes literas ad singula loca, in quibus de eis fides forsan fuerit facienda, deferre volumus, & Apostolica auctoritate decernimus, quod ipsarum transumptis, manu cuiuscumq; notarij publici subscriptis, & sigillo alicuius Curiæ, seu personæ in dignitate Ecclesiastica constitutæ munitis, in iudicio & alibi, vbi opus fuerit, eadem prorsus fides adhibeatur, quæ adhiberetur eisdem præsentibus, si forent exhibitæ & ostensæ. Datum Romæ apud S. Petrum sub annulo Piscatoris die XX. Iulii M. D. XXIII. Pontificatus nostri anno 2. Euangelista.

Adieceratis animum ad Ecclesiam fœdis abusibus scatentem, vt fine ruga & macula esset, pristino nitori restituendam. Eius rei causa in vrbem Vaticanasque ædes acciuerat Ioannem Petrum Caraffam Archiepiscopum Theatinum, & Marcellum Caietanum, veteris Christianæ disciplinæ moribus venerabiles, & in omni grauiore doctrina lectissimos, vt eorum consilio in morum censura & Ecclesiæ restitutione veteretur. Atque vt promissum de corrigendis Ecclesiasticis, etiam re non verbis præstaturus videretur, multa protinus Romæ in alium statum vertit. Indulgentias, quas vocamus, parcius löge quam antecessores concedebat; propterea quod profusiore largitione ad vtilitatem contemptumque apud plebem recidissent, & Lutherus ex earum abusu prima vesaniæ suæ auspicia sumpsisset; vt spes esset, si diutius superuixisset, ad pristin ã redituras fuisse, prout iam tum opera ipsius vtcumque cæperant. Adde quod reseruationes, accessus, regressus, coadiutorias, præsertim concessas sine assensu eorum quorum erant Sacerdotia, & id genus alia, quæ facilitate Leonis supra modum propagata erant, magna ex parte sustulit, præsertim quod ea via plurimi probrosi ineptique ad opima Sacerdotia obreperent, qui pecuniam haberent, probi vero, litteratique qui hanc non haberent, ab eis excluderentur. Multaque alia, quæ longum esset commemorare, quę antecessores illius, non sine graui offendiculo populorum, & Sacro Sanctæ potestatis contemptu concedere solebant, noluit concedere. Decreuerat itẽ, benemeritis & eruditis viris stipendia honoraria cõferre, ac de facto, quos idoneos sciret, nec ambientes, nec expectantes, Sacerdotiis auxit: diplomatibus etiam, quæ in huiusmodi precio nancisci necesse est, gratis plumbatis, ad eosque transmissis. Hinc etiam fuit, vt difficulter cognatos ad beneficia proueheret, non quia eis candide non faueret, si alioqui idonei fuissent, sed quia, vt dicere solebat, ædificare Sion in sanguinibus nollebat: hoc est, quia in sacris respicere naturæ necessitudinem detrectaret, vt quæ ibi locum non haberent. quinimo in iis etiam in paribus dotibus, alienorum potius quam suorum rationem habiturus videbatur. Ex quo fuit, quod literis magnatum quorundam inferioris Germaniæ sollicitatus, vt quendam propinquum suum adolescentem & forma & ingenio præstantem, qui tum recens Magister Philosophiæ creatus, studia altiora Louanii sequebatur, galero Cardinalitio ornaret, ex more solenni aliorum Pontificum, nequaquam sustinuit. Patruelis sui filium, Senis Ethruriæ in gymnasio literis operam nauantem quod Romam nequaquam vocatus intermissis studiis repente venerat, confestim meritorio equo impositum remisit, animi leuitatem identidem obiectans, & seuere admonens, vt ab se modestiæ & temperantiæ exempla sumeret opportune. Alios quoque nec remoto affinitatis gradu necessarios, qui spe celsioris fortunæ è Germania pedibus Romam venerant, mirum in modum increpauit, donatisq; singulis sagis laneis, & frugi viatico, pedibus similiter in patriam redire iussit: quarum rerum testimonio, superiorum Pontificum profusam erga propinquos liberalitatem, vti grauem & Reipublicæ perniciosam detestari erat solitus. Constituerat quoque antiquare exemptiones secundariarum, vt vocant, Ecclesiarum, Collegiorumque diœcesis Leodiensis, etiamsi opera sua aliquando impetratas; quod videret eas, contra quam ratus esset; ad nihil aliud vsurpari quam ad impunitatem scelerum, & materiam maioris lasciuiæ atque nequitiæ, neque visitationem annuam ad vitia exemptorum corrigenda, à Decanis ad id deputatis fieri, iuxta formam diplomatis à se impetrati. Destinauerat deniq; iis ipsis vocationibus quæ obitum eius antecesserunt, adhibitis Theologis, iurisperitisque Romanæ Curiæ, discutere leges Compositionum, vt vocant, ad quas Datarius ab his quibus quid Pontifex indulget, aliquid subsidii nummarii in Pontificias necessitates de more exigit, vt si quæ moderatæ & tolerabiles forent, retinerent vsum, si quæ graues & immodicæ, tollerentur.

XII. *Hadriani VI. Pontificis adhuc Pontificatus.*

Præter hæc Hadrianus, ne quid in moribus suis priuatis desideraretur, illico à Pontificatu Romæ de numero satellitum, equitum, peditumque, quos Pontifices vetusto more adscisсere solent, multum præcidit. In atrocissima pestilentiæ vastitate, quæ hoc tẽpore omnia Romæ depasсebatur, Pastor ones nõ deseruit, sed aliis pletisq; Magnatibus sibi fuga consulentibus, ipse nec pauidus multum, nec anxie pharmacis armatus in vrbe permansit, eo officio incolis mirifice gratificatus, maxime cum ingentem pauperibus stipem erogaret, opemque afferret. Si quando antea, tum maxime speciem omnem impudicitiæ amouit, eoque cum adolescentes aliquot honestæ tum indolis, tum stirpis in gratiam parentum in familiam adscitos, ex Hispaniis secum in vrbem duxisset, intellexisserque nonnullos ex conuictu illorum, nescio quæ abominandi, Germanis inusitata suspicari, statim in Hispanias remisit, in Academia Salmaticensi plenius literis imbuendos, quibus antea in domo ipsius à pio simul & erudito viro Theodorico Hezio Secretario ipsius vtcumque imbuti fuerant eo iubente. Inter prandendum & cænandum semper lectorem assistentem habebat, quem admodum & antea. Æque parce, vt soleret, aut etiam parcius cibum capiebat. Ædes sacras per vrbem cum religione subinde visebat. Cum suis Flandris, ex qua gente ipse erat, templum elegans Romæ summa ope ædificauit, Sanctæ Mariæ Sacrum, cui ab Anima cognomen est factum. Dinæ Lauretanæ Virginis Basilicæ, à superioribus Pontificibus immunitates, Indulgentias, & beneficia concessa, datis ad eius loci Præfidem litteris confirmauit. Antonium Archiepiscopum Florentinum, virum suo æuo & pietate, & doctrina singulari, vt luculenter scripta eius demonstrant, atq; Bennonem Misnensis Ecclesiæ Præsulem, & apud Germanos, tum vitæ sanctitate olim, tum miraculis etiam hodie nobilem in cathalogum Sanctorum adscripsit. Ferunt eo Pontifice Theophylum Patriarcham Alexandrinum, permotum fortasse claritate nominis illius, literas Græce scriptas, ad eum transmisisse, quibus sedi Apostolicæ obedientiam & obsequium detulerit, & caput Ecclesiæ Catholicæ illum agnouerit, quas vir multarum linguarum simul & disciplinarum exacta cognitione clarus Hieronymus Alexander, hoc tempore Pontificiæ Bibliothecæ Curator, Latine interpretatus, in Scrinijs Pontificijs ad posteritatis memoriam reliquit.

XIII.

Ettamen cum magna integritate esset, studereque pro viribus, in omnibus absoluti Pontificis partes implere, aliquibus non æque affectis, in quibusdam nonnihil officio defuisse visus est. In absoluendis negotijs vndique Romam confluentibus, aliquanto lentior timidiorque dicebatur quam pro nonnullorum animo. Vnde illa in eum Hieronymi Balbi Vngari libertas, qui cum legatus Romani missus à Ferdinando Cæsaris fratre, coercendis Lutheranis & Turcis auxilium imploraret, & ille cunctantius perplexiusque in re perita ageret, frequẽti cætu Patrum; Sanctissime, inquit, Pater, Fabius Maximus cunctando rem Romanam restituit, tu cunctando rem Romanam, atque adeo vniuersam Europam perditurus videris: qua Scommate & Pontifex mirifice pudefactus, & plerisque Patribus, risus ex cussus fuit. Sed causam cessationis in eo putant, quod cum de omnibus rite firmeque statuere cuperet, non haberet quibus cum ex animo consultaret, quiq; adiutarent, vti opus esset: neque sciret, vtpote nouus Romæ hospes, quibus quid tuto committeret, quos processu temporis cogniturus erat: alioqui in absoluendis negotiis nihil minus quam cessator aut cunctator semper antea fuit. Cæperat quidem initio arcana rerum Soderino liberali fiducia communicare, & magna ex parte consilijs eius regi. Nam is erat ætate atque oris habitu grauis, ingenio & facundia insignis, cultiorum etiam literarum humani diuiniq; iuris scientia perornatus; quibus virtutum vmbraculis sicuti subtilissimas artes incerti & parum sinceri animi peregregie contegebat, ita Hadrianum nihil vltra perstrutantem facile deceperat. ob idque Pontifex neminem fallere solitus iniquissime ferebat se ab eo fuisse deceptum, qui lenocinio quodam bonarum artium tam ingrate, quam impie fidem fefellisset. His de caussis postea suspicacior, & Senatui nihilo familiarior erat affectus; adeo vt Cardinalibus tamquam factiosis & parum fidelibus, de belli pacisque negotijs nihil omnino communicandum existimabat. Proinde Bernardino Caruaiali, & Nicolao Fliſco Cardinalibus respondere aliquando veritus non est, neminem vel Cardinali se temere credere, quod cum periculo Reipublicæ credẽdum foret: Cum illi forte quererentur, quod in consilium Cardinales superiorum Pontificum more nequaquam adhiberet, quando tot graues peritique rerum Senatores, ipsi nouo externoque homini, alleuando curas, & in partem laboris impigre succedendo in regenda Republica singulari adiumento futuri viderentur. Ioannes quoq; Ruffus Antistes Consentinus, qui vsu rerum insigniq; prudentia plurimum valebat, ab intimis arcanorum articulis pene reiectus fuerat, quoniam Foro Liuij in Æmilia, quod illi natale solum, Gibellini, quibus impensius fauisset, complures Guelfos nocturna irruptione trucidassent. Oderat enim Pontifex factiosos homines, nec eos publicarum rerum cõsilijs adhibendos putabat, qui priuati studij rationes nequaquam sincera iudicii libertate respicerent. Hinc istud fiebat, vt durior & hebetior in administranda Republica videretur, atque diceretur. Nam cum in valde prudentibus, & maximarum rerum peritis, variis de caussis nullam omnino vel exiguam fidem reponendam esse iudicaret, necesse erat vt vnis maxime Belgis, quibus præclara fides abunde superesset, in arduis consiliis vteretur: quamquam in eis maiorem vim rationis atque solertiæ, in expendendis absoluendisque negotiis desideraret. Offendebat quoque statim primo aduentu in vniuersum Cardinales omnes. Nam præmia quæ illi Triumvirali Magistratu ipso absente bene meritis de Republica tribuissent, ita antiquatis decretis irrita fecerat, vt officia aliquot, vel grauissimis de caussis dono data, repereret. Dicebat enim, sibi inopi postquam ærarium penitus esset inane, ea pecunia opus esse, ad tuendam Pontificii nominis dignitatem; nec debuisse Cardinales alioqui rei suæ minime profusos, liberalitatis laudem ex aliena pecunia quærirare. Eodem etiam consilio venalicia officia his omnibus protinus ademit, quæ singulari benignitate Leo Pontifex litteratis viris, & præcellentibus ingeniis virtutis caussa tribuisset; ita tamen vt eius inusitatæ acerbitatis inuidiam humanissimis verbis deliniret; quum eadem detrimenta se totidem Sacerdotiorum redditibus pensaturum polliceretur, & certe nemini vmquam lætius atque propensius Sacerdotia conferre erat solitus, quam his qui ab optimis studiis commendationem aliquam meruissent. Iouium dimidia parte equestris officii protinus exutum, quam Leo Pontifex historiam horum temporum ad eius genium non iniucunde scribenti dono dederat, Comẽti sacerdotio adeo studiose remuneratus est, vt Scaramuciæ Triultio Cardinali vehemẽter pro alio impetrare contendenti responderit, Iouium omnino eo, quamquam tenui, Sacerdotio esse perornandum, quem audisset optimis disciplinis liberaliter eruditum, & scriptorem annalium valde elegantem, nec tamen esse Poetam vt cæteri, qui cultiores litteras sectarentur. Suspecta enim habebat Poetarum ingenia, vtpote qui minus sincero animo de Christiana religione sentirẽ, & damnata falsissimorum Deorum nomina ad veterum imitationem studiose celebrare dicerentur: ita vt Iouio plus aliquanto profuerit non attigisse Poeticam, quam in cæteris grauioribus studiis perpetuo multorum labore defudasse. Grauissime etiam tulerat se famosis carminibus apud Pasquilli statuam fuisse laceratum; sed id postea ciuili animo tulit, quum didicisset eam maledicendi licentiam obscurorum hominum libertati atque nequitiæ dari, vt quum insignes viros impune carpserint, fortunam suam, ea vindictæ voluptate consolarentur. Decreuerat Hadrianus vti Poetis non obscure subiratus, Pasquilli statuam quæ est in Patione demoliri, atque eam in Tyberim præcipitare; Sed Ludouicus Suessanus vrbano falsoque ingenio id fieri debere pernegauit, subdens, Pasquillum vel in imo vado, ranarum more non esse taciturum. ad id vero Pontifex; Exuratur ergo, inquit, in calcem, ne eius vestigii vlla omnino memoria superſit. Tum rursus Suessanus; Recte, inquit. Sed tam crudeliter concremato poëtæ clientes non deerunt, qui patroni cineres inuidiosis carminibus profequantur, & supplicii locum quotannis statuto solenni die concelebrent. Quibus verborum lusibus Pontifex ab iracundia ad iocos hilaritatemque, sensus omnes lenissime reuocauit. Cæterum qui ab eximiis doctrinæ & pietatis laudibus, primo aduentu omnibus gratus atque admirabilis euaserat, quum equitum S. Petri, & annonæ præfidentium officia sublatis aut dimidiatis reditibus deteriora reddidisset, multis ordinibus aulæ & ciuitatis inuisus esse cæpit. Namplærique vniuersum patrimoniorum substantiam, & totius vitæ laborum atque industriæ fructus in officia contulerant, allecti scilicet vberrate prouentus; cum pecuniæ sub fide publica Pontificibus creditæ, supra decumam in annum liquidissime respondere rent. Sed oppigneratis prouinciarum vectigalibus atque portoriis, tantæ facultates minime supererant, vt debitæ pecuniæ, tenore illo veteris instituti persolui possent. Hinc fiebat; vt Pontifex contra naturam suam ab inopia tenacior & illiberalior affectus, iniquitatis & auaritiæ calumniam subiret, ne vti ipse crebro dicere solebat, dum omnibus satis facere contendit, omnibus demum decoquere cogeretur. Eò decrero exacerbatis officialium animis, quando quisque se imporenter exutum bonis, & sub fide publica deceptum graui vociferatione quæreretur. Matius Placentinus, vir togatus, sacratique nominis, desperatis honestæ vitæ commodis, immane facinus confodiendi Pontificis vecordi animo concepit; ita vt quum egressurum cubiculo aliquamdiu expectauisset, sese demum eodem ferro transuerberatit, siue imperu commotæ bilis, siue atrocioris supplicii timore, quod rem communicasset, nec constituto in loco socius facinoris, vti crediderat, esset repertus. Ferunt Pontificem eo casu vere cunda consternatione perturbatum, sæpius id omnino esse verissimum prædicasse, quod ab antiquis authoribus traderetur, multum scilicet referre ad feliciorem fortunam, in quæ tempora alicuius vel præclara virtus incidisset. Aurea namque tempora Leonis, omnibus florentis pacis atque opulentiæ commodis ad luxum beatique otii lætitiam affluentia, ira bella & fames & pestilentia, tot per interPontificium Pontificisque absentis incommoda detrimentis illatis euerterant, vt ea recentis status publici recordatione, cuncta mala vel immerito ad execrationem innocentissimi Pontificis verterentur. Displicuit quoque hoc nomine, quod mensæ suæ ad remittendum animum sæpenumero Sannionem quendam falsissimum, Hispanum, Toccinum nomine, quo etiam pro speculatore Vrbanarum rerum vtebatur, assistentem haberet, eoque impensius delectaretur: cum tamen is ad eum in vrbem, toleratus potius quam accersitus veniſſet. Neque minus istud offendebat, quod ignoræ hominum facies, Vaticano à Belgis atque Hispanis occupato, aditum petentibus, circa eum vbique occurrerent: vnde longum atq; operosum erat, familiaritate difficili, nouas amicitias comparare: ita vt quisque nouo statim principatu, eam luctuosi & pestilentis seculi fortunam præuerti posse existimaret, quasi ea incommoda nequaquam malignitate temporum,

quæ tot calamitatibus essent notata, sed quadam inexperti
dutique Pontificis acerbitate prouenissent. Illud etiam sub-
agrestis naturæ fuisse notabant, quod ornamenta insignis
picturæ & statuarum priscæ artis nequaquam magnificaret;
adeo vt Vianesio Bononiensium Legato commendante sta-
tuam Laocoontis, quam in Beluederii vitidariis Iulius in-
genti pretio coemptam ad loci dignitatem collocarat, a-
uersis statim oculis tamquam impiæ gentis simulachra vi-
tuperaret. Sed illud magis carpebant, quod in nonnullos
Sacerdotio contulerit, qui ad ea non satis idonei viderentur.
Ad hæc, quod quibusdam deformatibus Romanæ Curiæ,
vix aut nullo pacto excusandis, diutius iusto indulserit, cum
tamen non sic indulserit, quin ratio aliqua probabilis, cur
indulgeret, ei constiterit, aut certe constare visa fuerit.
Non dubium quin multa conceserit, ad grauiora incom-
moda, qui alioqui satis idoneis indicijs oritura videbantur,
excludenda. multa quoque male doctus concessit, quod ali-
ter exponerentur, quam veritas haberet. multa per ignoran-
tiam, quod eo fuco coloreque pulcrentur, vt quod improba
essent, à tantis curis distracto ægre potuissent deprehendi.
Iam vero nonnulla primum intuentibus, visus est inconsul-
tius agere; quæ tamen ab acutis attendentibus, & ex ipso e-
uentu rerum, non solum non inconsulte, sed salubriter ad-
modum & prudenter ab eo acta compertum est. Adde quod
plurima non approbauit quidem, sed tantum ad tempus to-
lerault, quia protinus corrigere non potuit: correcturus ta-
men suo tempore, quando commodius potuisset. Illud con-
stat, si quando per affectus, aut per fucatas aliquorũ strophas
sibi impositum sentiret, illico sua sponte, nulloq; monente,
erratum correxisse, si modo integrum foret, vel vehementer
doluisse, si non foret. Super omnia vero hæc, improborum
animos hac ratione, quam protinus narrabo offendit. Ma-
nauerat in vulgus fama haud incerto auctore, Pontificé no-
uo summæ seueritatis edicto publicatis super id bullaris so-
lennibus codicilis, dissolutæ ciuitatis mores esse correctu-
rum, ita vt atroci pœna tria præsertim hominum genera per-
sequeretur, eos scilicet ante omnes, qui ad Christi fidem
conuersi, impia animorum deuotione Iudaicæ superstitio-
nis ritus obseruarent, quorum maxime pecunioſorum in-
gens turba, iudiciorum metu ab Hispanis delapsa, in vr-
bem, ac si in portum certissimæ salutis confluxerat. His
enim Hadrianus vetere consuetudine plurimum erat infe-
stus; vtpote qui in Hispania ipsis inquirendis damnandisq;
cum insigni Magistratus honore præfuisset. Sub id genus
ij quoque veniebant, qui Superis impuro sceleſtoque ore
maledicerent, & contemptim aut ioculariter de religione
Christiana loquerentur; & ij etiam, qui minime dubitarent
profana negotiatione Sacerdotia venditare. Secundo lo-
co erant fœneratores, atque mensarii, qui egentium fortu-
nas acerbissimis vsuris inuerterent, & annonam impotenti
monopolio, & diris præoccupationibus impudentissima
flagellarent. Vltimo, inquirere punireq; decreuerat inuen-
tatis corruptores; Qua inopinata & grauissima legis
mentione, quosdã terruerat. Laudabant in doctissimo Pon-
tifice & longe grauissimo sanctimoniã: illiberalitatem non
probabant; odérant seueritatẽ, quam vbi, sicuti sæpe erat so-
litus, lenitate remisisset, eam demum clementiæ laudem a-
uaritiæ calumniis inuoluebant; quasi sontibus & conuictis
nequaquam naturæ facillitate, sed parum honesta cupiditate
præsentis quæstus omnino parceretur, nec sæuissima tem-
porum conditione, valde egentis, & multis simul difficul-
tatibus circumuenti Pontificis necessitatem excusarent. Ita
vt tum ciuitatis status misere deplorandus videretur, quum
quisque fere insignium atque infimorum ordinum, recti
atque honesti penitus oblitus, cuncta sibi in summa vitæ li-
bertate licere vellet, nec vllum omnino corrigendis mori-
bus censorem pateretur, etiam vel sola pecunia, digna sup-
plicio crimina vindicantem. Scilicet, vt repudiatis Chri-
stianæ medicinæ præsidiis, affecti corruptique eo insaniæ
proueherentur, indignantibus demum Cælitibus atque ho-
minibus, in ipsa quæ imminebat horribili cadentis vrbis ru-
ina, immanibus barbaris corpora atq; animos ad omnia ex-
empla crudelitatis atque ignominiæ præberent. Da-
mnabant etiam in eo parsimoniam ac frugalitatem Ba-
uaricam, cum merluccio vilissimo pisciculo vesceretur liben-
ter, præciumq; ac honos illi generi accresceret, ridente toto
foro piscario insulsum Pontificis palatum. At ille exhorrebat
cum fortuito rationes sumptuarias Leonis inspexisset. Nam
petentibus etiam Leonis dem ortui stipendiariis, an eo vellet
in famulatu Apostolico retinere, cum illi, quot essent, inter-
roganti, respondissent, centum se esse, frontem signo crucis
munuit, seque duodecim ex illo numero retenturum dixit, vt
duplo plures quam Cardinales haberet.

XIV. Hadriani VI. Pontificij obitus & laus.

Cæterum, quonam modo amplissimam spem, quam om-
nibus de se conciarat, & honestissimos eius maximarum re-
rum conatus, præsertim in sarciendis quæ passim diruta ia-
cebant, obrepens mors eluserit, restat vt paucis item expo-
namus. Dum totus & mente & viribus reformationem Ec-
clesiæ meditaretur, putaretque Principes eam ad rem, pi-
am scilicet & necessariam hauddub e enixe adiuturos esse,
euentus non omnino votis & conatibus eius respondit.
Fædere tamen, vt supra diximus, iunxit, non quidem om-
nes, sed præcipuos Christianæ pietatis Monarchas, liberaſ-
que Italiæ ciuitates. Huic fœderi publicando locus con-
stitutus, ædes Virginis Matris erat, vulgo Sanctæ Mariæ
Maioris, olim Sanctæ Mariæ ad præsepe appellata. Hic cum
Pontifex per se interesse cuperet, quo res maioris authorita-
tis esset. Medici vetuerunt, qui ppe iam tum laborare è re-
nibus cæpit, quo malo ante quadragesimum postea diem
absumptus est. Conatique sunt persuadere, eam publica-
tionem in Basilica Diui Petri celebrari iuberet, palatio vi-
delicet Pontificio proxima, ad quam accedere sine magno
valetudinis incommodo posset: cum, si ad ædem illam SS.
Virginis concederet, quæ longo satis interuallo inde distat,
id non posset sine magna corporis concussione, quæ sic af-
fecto, non posset non esse vehementer noxia, & propemo-
dum exitilis. Verum ille, siue confisus auxilio numinis, cu-
ius negotium bona fide ageret; Siue non ratus tantum sub-
esse discrimis quantum denunciaretur, vt sententia cederet,
adduci non potuit. Quarto itaque Augusti, qui dies lon-
ge feruidissimus erat, aliquanto post meridiem in palatium
concessit, ædi illi SS. Virginis, de qua diximus, vicinum,
comitantibus aulicis omnibus. In quo quidem itinere
plurimum puluris hausit, qui multitudine equorum, in-
genti scilicet terræ siccitate, qualis per æstatem Romæ
esse solet, excitabatur: ac diuturniore equitatione adeo de-
fatigatus est, vt vesperi cubitum discesserit incænatus;
appetentia scilicet cibi prorsus deiecta. Postridie, qui di-
es item plurimum feruebat, languidus admodum in tem-
plum venit, & amictu Pontificali non parum ponderoso o-
neratus, sacro solenni prolixoque, quod Pompeius, Colu-
mna Cardinalis celebrauerat, publicationique fœderis,
quæ à Vincentio Pompeio à secretis fiebat, ad finem vsque
interfuit. Vnde multo magis deiectus, totoque corpore su-
doribus destillans, vt etiam ipsæ vestes maderent, in pala-
rium vbi pernoctarat rediit: atque mox vestibus positis, in-
lectum concessit. Cubantem, sudor ingens reperit, vt lec-
tum stragulamque penitus madefecerit, neque vllum ci-
borum desiderium adfuit, vt maximis sudoribus exhaustas
vires posset refouere. Et tamen sic prostratus, eodem die
sub vesperam, pari difficultate Vaticanum repetiit. ex
quo tempore rerum dolor indies magis ingraueſcebat, vt
suprema illi adesse facile potuisset intelligi. Quo animad-
uerso, conuocatis Cardinalibus vltimum vale dixit, sum-
mo eis studio re Christiana commendata, quæ tum, si ali-
as vnquam grauissime laboraret, quamque ipse ad statum
meliorem, pacem, quietemque reducere cupuisset qui-
dem, si modo rerum arbiter Deus, vitam longiorem con-
cessisset, atque vires & auxilia suppeditasset. Porro pi-
leum Cardinalitium, quo titulo ipse habuerat, circum-
stantibus Patribus, præsertim Iulio Medice, & Ludouico
Suessano, in Guilhelmum Enchauordium contulit, in quem
etiam paulo antea Episcopatum suum Derthusensem tran-
stulerat: nonnullis agentibus, & eo ipso pileo Theodori-
cum Hezium decoraret: quod & forte factum fuisset, si
modo viro illi optimo, ad eam dignitatem tuendam,
aliunde satis prospectum fuisset. Ad eum modum re-
bus omnibus publice priuatimque, quantum potuit

rite

rite ordinatis, Christianoque ritu Sacramentis Eccleſiaſticis
religiose susceptis, Decimooctauo Calend. Octobr. ad ex-
tremum vsque halitum mentis compos, Romæ in Vaticano
naturæ concessit, Pontificatus sui anno secundo, cum an
nos LXIIII. menses VI. dies XVI. ætatis impleuisset. Defun-
cti corpus in templo Diui Petri, in vesperam vsque in seq;é-
tis diei in publico constitit, accurrentibus eo certatim om-
nis generis mortalibus, aliis religione quadam manus pe-
desque quos hominis vere sancti esse credebant osculaturis;
aliis propius libereque visuris mortuum, quem reuerentia
quadam contingere ausi non fuerant viuum. Quamobrem
ex multorum afflatu, vtique in tanto æstu, quantus tum Ro-
mæ erat, resoluto corpore, adeo facies deformata fuit, vt
Hadriani esse vix agnosceretur; vt inde plerique suspicio-
nem caperent, sublatum fuisse veneno. quod vt familiares
eius cõstanter asserere nolebant, ita nec inficiari audebant.
Sane dissecto corpore, quo rei fides exploraretur, veneficii
certas notas nullas comperta ferunt. In orificio stomachi
initia quædam fuere apostemaris arti. quod vel solum breui
extinguendo illi, medicus qui aderat suffecturum aiebat. Id
autem natum coniectabant ex mœrore, tristioreque Melan-
cholia, quod tot passim malis ex vniuerso orbe velut de cõ-
posito irrumpentibus, exanimi sententia non potuisset oc-
currere; cum alioqui nihil minus quam melancholicus es-
set. Præterea nihil singularis vitii in corpore repertum aiũt.
Conditus fuit temporario monumento in Basilica S. Petri
inter duos Pios, secundum & tertiũ, Piccolhomineæ fami-
liæ Pontifices, cum hoc elogio: *Hadrianus Sextus hic situs est, qui nihil sibi infelicius in vita, quam quod imperaret, duxit.* Vix
dici potest, quanto gaudio malignorum, mors eius excepta
sit. Quem enim viuentem propter integritatem vitæ, non-
nisi sceleſti & flagitioſi oderant, mortuum contumeliis exa-
gitarunt:

Actius Sincerus Scannazarius, Pontificibus infamandis
natus. Adriano præ aliis poetis magis exagitauit, ac potissi-
mum, Rhodi insulæ amissæ culpam in eum conijciens. Cæ-
terum qui mittit ab Adriano auxilia obsessis non potuisse sci-
unt, ij si in mordaces Actij versus inciderint, quibus breui-
ter Pontificem in Vaticano latitantem perstringit, furore
poetico potius atque impetu quam ratione effusos putent.
Decreto deinde meliorum, hæc carmina, Adriani sepulchro
fuerunt affixa.

Quam potes merito optimo, iure
Inter Pontifices Pios tacere
Maximæ pietatis Hadriane
Insignis pietas tua Hadriane
Viuente tibi profuit, decusque
Auro diadematis paranit
Iure id me hercule, at æquius tuo
Certius pietatis hoc trophæum est,
Defunctus quod honoribus tot, inter
Duos contigerit PIOS iacere.

Guilhelmus Enchauordius Cardinalis egregia gratissimi
animi liberalitate, non multo post magnifici operis sepul-
chrum Hadriano extruxit in templo Deiparæ Virginis Ger-
manorum ad Circum Flaminium; in quo marmoreis pluri-
bus signis, clarissimarum virtutum effigies erudita arte re-
præsentauit, quarum auspicijs Hadrianus humanæ fortunæ
fastigium immortali cum laude esset adeptus, & demum
moriens, certissimum inter Cælites numquam interituræ
felicitatis locum optimorum omnium iudicio meruisset.
Iouius in vita Hadriani. Onuphrius & Massonius in Hadriano. MS. Bibliothecæ Vaticanæ numero 3976. Huic sepulchro insculpta est
sequens inscriptio literis maiusculis.

Hadrianus VI. Pont. Max.
Ex Traiecto insigni
Inferioris Germaniæ vrbe
Qui dum rerum humanarum
Maxime auersatus splenderem
Vltra à Proverbius
Ob incomparabilem
Sacrarum disciplinarum
Scientiam
ac prope diuinam castissimi animi
moderationem.
Caroli V. Cæsaris Augusti
Præceptor.
Eccleſiæ Derthusensis Antistes
Sacri Senatus Patribus Collega
Hispaniarum Regni Præses
Reipublicæ denique Christianæ
Diuinitus Pontifex absens
Adscitus.
Vixit annis LXIIII. mens. VI. dies XIII.
Decessit XVIII. Kal. Octobris
Anno à partu Virginis M. D. XXIII.
Pontificatus sui anno secundo.
Vuilhelmus Enckenuoort, illius benignitate
& auspiciis TT. SS. Ioannis & Pauli presbyter
Cardinalis Derthusen. Fac. Cur.
Quo Romanorum Sextus Pater atq; Sacerdos
Hoc etiam pietas conditur in tumulo.

XV. Pauli Æmilij Cæsii Aquitani Cardinalis vita & acta.

Viuebat id temporis Romæ Paulus Æmilius Cæsius A-
quitanus S. R. E. Cardinalis: multo rerum vsu præstantissi-
mus, atque virtutibus summo loco dignis exornatus. Eius
opera qui Iulius, Leo, & Hadrianus Pontifices, in maximis
ac grauissimis negotijs vsi sunt, placuit istic ad eorum notiti-
am vitam illius attexere.

EX HISTORIA IOANNIS BAptistæ Fontei.

DE POSTERITATE PRISCORVM Cæsorum.

PAulus Æmilius Cæsius Aquitanus natus est in Vmbriæ patriis ditionibus Pontifice Innocentio Octauo, Imperatore Federico Quarto anno post salutẽ MCCCCLXXXVII. nono pri-
die Kal. Aui Petri mortem ad XI. diem Martij ineunte tertia nocte Vigilia, quo quidem die & anno Ludouicus Vicecomes Sforcia irrumpentes in Insubriam Heluetios habi-
to certamine satis represserat, nisi pacem eo die composi-
tam triginta quinque post diebus soli Sedusii nouo exercitu
comparato violantes maius bellum concitassent non leui
profecto augurio eorum quæ Paulo Æmilio acciderunt,
namque trigesimo quinto post anno cum in faca concessis-
set Matthæus ille Sedusiorum Antistes desertæ Eccleſiæ tur-
batisque Heluetiis Sanctissimus Pontifex Adrianus Sextus
consuluerat subrogato in defunctæ locum Paulo Æmilio o
ptimo Cardinali nisi pauci quidam factiosi ac seditiosi Sedu-
sii non tam illa impietas semina fouentes in quam postea e-
ruperunt diuinas magnasque designato Præsidi exhibuis-
sent, ac summa vi restitissent quo minus possessionem adi
piscereturr. De Pauli Æmilij genere hoc loco minus dicen-
dum videtur, siquidem satis meminisse Patre Angelo Comite, & li-
terarissimo in Politicis omnisque iuris doctrina viro, Auo
Petro Manzani Comite Romano Senatore. Maternus Pro
auus fuit Erasmus ille magni nominis Dux, & Venetorum
Imperator Galtamelaca cuius statua ac monumentum vr-
bem Patauium ornat, Ipsius ex filia Neptis Franciſchina
Cardula primaria Narnienſis nobilitatis familia ex Domi
nis Coppii primum omnium filiorum in lucem edidit Pau-
lum Æmilium hoc nomine à Parente vocatum, vel quoniam
rerum Romanarum studioſus mirifice Pauli Æmilij vita af-
ficiebatur, vel omine certo diuino forte vtſi domesticam
claritudinem vt ille eueheret, & tantam in aduersa fortuna
patientiam quantam ille olim cum maxima laude adhiberet
cum scilicet post dibaphum sumptum in Parentum & Fratrũ
suisque calamitatibus & rei familiaris crebris detrimentis,
ac demum negotiorum suorum perpetuis quibusdam ac fa-
talibus difficultatibus numquam à moderati & fortis animi
virtute discesserit de quo filio dicere solitus pater sexagena-
rio maior omnes sibi liberos culpa aliqua molestiam paruã,
magna attulisse Paulum nullam vnquam ne exiguam quidẽ.
Traditus scholis progressus celebres fecit humanioribus in

disciplinis, ac Iure diuino & humano perdiscendo in quo vt audio Præceptore Patre sapientissimo est vsus omnino ætate adhuc tenera studiorum lauream consequutus Romæ versari in Curia cœpit, & ab Alexandro Sexto Pontifice Maximo agens annum decimumsextum titulo quem à secretis appellant decoratus est, aliaque plura officia obtinuit quæ facile prætereo, vel quoniam Latinis nominibus carent, vel quia pleraque non virtuti magis quam opibus tribui videntur, cuiusmodi sane libenter Paulus cedebat Fratribus, ipse ea optabat in quibus laborando industriam, peritiam, famam augeret, cuius mores ac consuetudinem perciperet, quod breui consequutus est. Iulius vero secundus Clericum Collegii amplissimi Ordinis creauit, ac deinceps Prothonotarium honorarium in præsentia mox commodorum participem futurum quam postea illi accessionem Leo Decimus fecit quanquam Iulius vt in Angelo diximus id animi habebat vt Paulum in amplissimum ordinem legeret, nisi Parens plus amicitiæ quam Fisco studuisset. Vt breuiter complectar exercuit fere omnia tum honoraria, tum laboriosa Curiæ munera antequam amplissimam dignitatem adipisceretur, eaque Iuuenis admodum, cum enim virtus tanta esset vt annos longe superaret, ætatis ei gratiam diplomatibus, quæ exstant fecerunt Alexander Iulius & Leo Pontifices Maximi M. D. XIIII. XV. XVI. Regentem vt vocant agebat Cancellariæ tanta cum vigilantia vt omnibus satisfaceret, multi in horas de ipso sermones tenerentur, nam & omni comitate ac sedulitate expectationi satisfaciebat & moribus ac Religionis cultu cœlestes propitios habebat quod eum Iulius Secundus Canonicum Diuæ Mariæ maioris creauit, deinde post bienniam canonicum Diui Petri designatum successor Leo Decimus confirmauit anno M.D.XIII. in quibus sacerdotii ita se gessit, vt ijs ac longe maioribus dignus iudicaretur. Inter ipsa initia cum Romæ versari cœpit nimiis laboribus ac studiis in grauissimum morbum incidit anno M. D. V. quo per menses duos Maium & Iunium ita iacuit, vt ad extremum desperata salute demissis medicis à Patre mœstissimo funeri necessaria compararentur, quo tempore quanquam ægritudine oppressus, animi se tamen robore sustentabat, & matri adstanti ac cibum porrigenti somniasse se commemorauit eam sibi Cardinali gratulatam deinceps non comparuisse atque à se diutius frustra quæsitam, quod illa intellexisse fertur ac dixisse ægrorum esse somnia, vt nam tamen id eueniat; Cum sumpta virili toga in Leonis X. Pōtificatum incidisset hominis benefici, affabilis & humaniora studia amantis non putauit in Principis gratiam, atque amicitiam irripere se posse nisi naturam eius laudabilem imitaretur. Itaq; id quo sponte ferebatur tam hilariter aggressus est, vt quod ad beneficētiam attinet, nulla domus magis pateret, & qui peregre venirent, nisi prius haberent quærere quam de Angeli Cæsii ædibus & filio. Exstant literæ Principum, ac summorum virorum qui cum audisse se dicant hoc Patrem hoc Filiū profiteri vt probis ac litteratis faueant quæsiisse scribunt, vsque ex vltimis horis quos litteris suis commendatos Romam venientes ipsis hospites conciliarent, ac natos esse vellent, salutandi quidem humanitatem à Patre didicit qui in eo vicit omnes ipse tamen vt eius natura ostendit Auctor Patri fuit si is Auctore eguit Narnienses & Cæsienses municipes suos ac complures sæpe subleuasset, etiam cum Leone Pontifice liberalitatis certamen susciperet, Leo vt munificus erat hominum æstimator Paulum Aemilium comperit eximiū inter eos esse qui ciuilis, ac Pontificii iuris disciplinam exactissime cognitam prudentissime exercerent, tenentem vrbis omnes & officiorum & Magistratuum consuetudines, neque iis contentum ita florere litteris humanis vt optimorum Poetarum carmina in ore haberet, ita scribere quasi in nullis nisi Rhetorum campis ambulasset, ita monumentis antiquis delectari vt in vrbe atque extra vrbem in omnibus Italiæ & Europæ ciuitatibus lapides omnes quæsitos ac notatos, signa, numismata collecta intelligeret quasi nulli alii studio addictus, ita vero in historiis sacris & prophanis versari vt nihil eum falleret, nemo opportunius exemplorum meminisset quæ præsertim ad Pontifices & sacrum Senatum pertinerent, præterea tam splendidum esse, quam qui sui ordinis maxime, neque cum claritudine Patris nisi Paternis artibus certare. Quæ omnia dici non potest, quæ grata quantopere Decimi genio satisfacerent qui supra mortales omnes his tangeretur, itaq; non solum complectendum sibi Iuuenem omnino proposuit verum & indicia aperta fecit quam diligeret, quantique eum faceret, vt aliquando Patrem inter Cultores aspiciens ac cito dixisse feratur probe se gerere Regentem, dignumque esse de quo ornando cogitaret. Venit Annus M. D. XVII. quo amplissimum ordinem instaurari decuit, cum enim pestifera quorundam Cardinalium coniuratione detecta alii laqueo, alii veneno periissent quidam in vltimas oras fugiens latebat vitæ clypeum perisset, alii tanquam relegati abessent, quidam honore deiecti abdicassent, quidam male mulctati in summa infamia & inopia degerent. cæteri Collegarum casibus exulcerati contumaciores aliquanto essent quam Principis voluntas postularet veterem vocem vsurpauit, atque alio sibi senatu opus esse dixit quem partim ex amicissimis legere instituit, legitque Cardinales sex ex plurimis nationibus & Italiæ plurimis partibus vnum & triginta. In iis secundo loco & Diaconorum ordinē Paulum Aemilium annos agentem vnum & triginta titulo addito sancti Nicolai inter Imagines factum id calend. Iuliis, cum antea calend. Iuniis Prothonotarius creatus esset, non possum licet rudis & inculti scriptoris legitimum tamen testimonium omittere Stephani Ioanninensis IC. in Medicea historia verba hæc sunt, Accersitur ad eandem Sacrorum Patrum celeberrimam Synodum, & maximo quidē iure Paulus Cæsius Romana dignitate adauctus qui Diui Nicolai inter imagines Cardineo galero à Diuo Leone redimitus est, huius enim politioris vitæ instituta, obseruandiq; mores, atq; peregregia scientiæ summæ laus Cardinei muneris expectationem promeruerunt, quique cum ingenii dexteritate floreat doctrina absoluta, sciētia multiiuga, ac gloria demum verissima suo ipsius iure cardineo stemmate claret cuius celebritatem Angelus Cæsius Parens Apostolici Consistorii Aduocatus propagauit atque adauxit; Porro titulum Diui Nicolai paulo post cum sancti Eustachii titulo commutauit. Ergo coaptatus in ordinē amplissimum multum statim cum Pontificem esse cœpit, operamque ei nauare in iis rebus quæ ad formandam, temperandamq; Curiam pertinebant, cuius rei testes complura sunt chirographa emendata, & inducta manu ipsius, sanctionum Pontificarum postea editarum aut aliquo transmissarum. Cæteris porro Collegiis & Primatibus inprimis gratus cum tanta prudentia vigeret, vt neminem offenderet, ipse optima instituta sequeretur & opportune quod licebat daret moribus eius tēpestatis. In senatu autem quod ageret tam diligenter & sedulo exequebatur vt munus referendi, de conferendis Ecclesiis creberrime ad ipsum trāsferretur, ipse scripta percurri quibus facile ac perite simul de Mediolanensi, Rhenensi, atque aliis Archiepiscopatibus, Episcopatibusque quamplurimis in senatu verba fecit, colligens ex omnibus scriptoribus, quæ ad notitiam Prouinciæ, & Ciuitatis pertinebant, procœmiis sic vtebatur, vt doceret maxime secundum decreta esse, ac Dei voluntatem quod faciendum proponeretur in quibus non valde ille quidem laborabat vt qui iamdudum maximam legum præsertim Pontificiarum allegandarum assiduo sibi vsu facultatem, & præterea diuinarum atque humanarum rerum historiam & cognitionem comparasset, hæc in senatu, domi vero omni cura ac vigilantia splendorem quantum poterat tuebatur. Confluxerant in Aulam ipsius præter Episcopos quosdā multitudo quædam Clientum qui vt amantes Patroni essent, ac cæteris rebus ornati fato tamen quodam, tenui omnes fortuna atq; egentes erant, quos ipse cum non diu lactandos suscepisset, & iuuabat, quantum poterat, & quamprimum, neque benignitati opes consentiebant. Itaque in rationibus domesticis alicubi manu ipsius scriptum inuenio expensum quotannis quatuor aureorum millia subleuandis familiaribus Domini simillimis vulgari verbo addito fallitis: neque erant hi Ecclesiastici prouentus, quibus se, suosque sustentabat, sed suarum ac paternarum pecuniarum fructus; Carolus quidem Quintus inter initia Imperii vltro litteras ad Paulum dedit, quibus consentire se aiebat vt in Siuilo & Neapolitano Regno cum vsus veniret trium millium aureorum redditum Ecclesiasticum obtinere sine vlla contentione pos-

set, neque tamen video quicquam Paulum in eis Regnis vnquam habuisse. Leo vero Decimus vt optime merenti consuleret VI. Februarii M D. XX. Lundensi Archiepiscopatu quem qui obtinet is primas ac legatus Regni Daciæ est ad Oceanum Germanicum Paulum de senatus sententia ornauit, at is quod semper atque vt alii facerent legum diuinarum ac Pontificiarum testimoniis hortari solitus est, cum non putaret eundem sibi in Regionem vltimam statim ad optimum virum dignitatem eam transtulit. Et quanquam ex ea Prouincia amplius quam sex millia aureorum caperentur, quingentorum dumtaxat pensione contentus fuit, quā opinor semel aut iterum ad summum accepit, nam cum bello coorto Rex immanissimus Christiernus pulsus esset, omnia ita turbari cœpta, vt peiore loco Regni atque Ecclesiæ res esse non potuerint, fuit qui contra leges eum dignitatis locum occuparet, & frequens conspiratio fuit Hæreticorum hominum quin in senatu relatum lego ab Rege Tyranno viuum exustum Archiepiscopum quem Sedes Apostolica paulo ante destinasset, quibus temporibus non debeo præterire insignem humanitatem Pauli Aemilii, nam cum Laurentius Campegius Germaniæ Legatus & Paulus Vergerius Pontificius internuncius ad Cæsarem missis litteris fidem Paulo fecisset Georgium quem Paulus in demortui locum suffici curarat diu exulem huc atque illuc errantem consumptis paternis, & Amicorum bonis miserrime degere, deque ea re Antistes Bremensis Dux Brunsuisius Senatus Populusque Lubecensis atque alii Pontifices ad eum scriberent, dedit litteras Paulus amoris atque humanitatis plenas quibus Exulem Antistitem solatus Romam inuitabat vbi domo sua ipse cum certo seruorum numero atque Equis vti posset, quin illud addidit corrogaturum se tantum pecuniarum quarum depositarum apud mensarios certissimis fructibus, idem suam tueri egestatem posset & Rationes suas cum Ioanne Ang. Archimboldo Prothonotario cōficeret, qua benignitate non habeo compertum an Georgius sit vsus, quanquam litteras eius legi petentis sibi Coloniæ Agrippinæ aut alicubi prope redditura aliquem quadringentorum aut quingentorum aureorum à summo Pontifice impetrari, aut credere libet eum qui res suas vltro deferebat operæ rogatur auarum non fuisse. Quod ad Lundensem Ecclesiam attinet difficillimis temporibus adductus cum suis commodis illius Curam & salutem præponeret posthabita pensionis omni mentione aut petitione transegit, ac contendit summis viribus vt ad idoneum atque integerrimum virum ea Pontificis auctoritate deferretur qui religionem instaurare collabantem & fidei Aduersariis obstare suumq; munus obire posset, non reiecto interim omnino exacti atque exulis Antistitis patrocinio sed hæc postea sub Clemente VII. contigerunt Leone vita functo cui Paulus sua munia fere per annos quinque egregie probarat, summis in rebus adhibitus, sed euacante primum de consilio Patrum Vniuersi Pontificalis funeris curam atque itidem Vrbis portarum, viarum, pontium & negotiorum vna cum Antonio Montio & Ioanune Piccolhomineo Collegis suscepit, deinde initio Comitiorum adiuncto Francisco Armellino conclaue quod vocant lustrauit, ne quis in eo esset non scriptus & præter constitutum numerum quo tribus sanos Cardinales, quinque ministris ægros contentos esse debere statutum fuerat, vnusquisque quos vellet nominabat Paulus Clementem fratrem Africanū Seuerolum qui ea comitia diligentissime descripsit Andream Centolinum cuius semper fideli opera vsus est delegit, fuitque inter eos qui apertis suffragiis agendum censeret, nam vt grati animi significationem præberet diuisis in partes duas Comitiis, quorum altera seniorum, altera Iuniorum dicebatur Iulio Medici, amicissimo studebat quod Mediceorum familiæ ita Pater Angelus deditus erat vt etiam nomine vteretur, ac plerumq; Cardinalis Filius Cæsius Mediceus memoraretur: Absolutis Comitiis quib. Adrianus Sextus Pontif. Max. renunciatus est Clementem fratrem Iuuenem Iurisconsultum, magnæque Indolis atque expectationis, qui multis Vrbis & Curiæ officiis fungeretur amisit, paulo post in morbum grauem ipse incidit, & aeris mutandi gratia ad Cæsium ad Auitos agros se recepit. Litteras Adrianus Pontifex ad eum humanitatis plenas dedit quas vidi, deinde absenti neque opinanti Sedusiorum Ecclesiam in senatu fere omnium consensu detulit; Interim casus incidit Volaterrani Cardinalis, is vel perpetua familiæ suæ factione vel quoniam à Leone X. iniuriam se accepisse quærebatur, non leues inimicitias cum Mediceo Iulio qui postea Clemens fuit gerebat quem etiam in Adriani Comitiis ad se venientem primo non admiserat, redeuntem tam graui sermone occupauerat vt erubescere, & tacitum discedere cogeret, Adrianus cum sciret Pauli Patrem vtrique carissimum esse, illius operam in iis reconciliandis adhibuerat, deinde cum Volaterranus paulatim præuenisset aurei optimi Pōtificis, Medicem parum gratum atque acceptum illi reddiderat. Is vero Florentiam abscesserat, sed eum reuocauit detecta simulatio Volaterrani qui cum pacis cupidissimum semper se ostendisset, studiosissimus est deprehensus rerum Gallicarum, quod confirmarunt interceptæ litteræ ad fratris filium Xantonium Antistitem quibus Regi Galliæ persuadebat vt nauali exercitu Siciliam adoriretur quo facilius occupatis ea defendenda Cæsarianis Mediolanense Imperium armis reciperet: hoc cognito Volaterranum captum Pontifex in Adriani molem coniecit hominis rem familiarem statim Fisco vendicauit, illius causam (nam reum primum læsæ maiestatis Pontificiæ ac Cæsarianæ agebat, deinde turbatæ publicæ pacis, postremo parricidij quod indice quodam Veratiano de Medice Cardinali tollendo Volaterrano Auctore initam coniurationem arguebat) Paulo Æmilio Cæsio Pontifex commisit inquirendam ac iudicandam additis ei Carauagiale quod esset primæ sententiæ Senator & Anconitanæ rei grauitatis causa, tertioque Henrico Cardona Archiepiscopo Montis Regalis viro insigni Arcis Adrianæ Præfecto Paulique Amico, & in Cardinalium ordinem deinceps adlecto. Qua in re cum iuris ac legum ciuilium non valde peritus Adrianus esset, nulli magis fidebat quā Paulo de quo & tota ipsius domo mirum quam bene sentiret, nam difficile probabatur nullum læsæ maiestatis crimen incurrere posse, nisi diuinæ aut Pontificiæ, ac multo etiam minus Soderinus qui lares non habuit Cæsari subiectos, sed neque Pontificiæ cum siquidem veræ sint eæ literæ non in Dominum supremum Siciliæ sed in possessorem ageretur qua in re atque in cæteris æquitas Pauli (hunc enim quod præfecerit lego, quid Collegæ egerint nescio) facile cunctis patuit, nec Pontifici displicuit & vehementer senatoribus placuit, Qua in re Pauli æquitas crimina facile diluentis vehementer Pontifici, Cardinalibus atque omnibus probata est. Neque vero Medices offendebatur qui Volaterranum tamen euertendum non susceperat, quin constat non posse noluisse, quo humanius deinceps passus est eum è carcere ductum in Comitia venire & cum renunciandus Pontifex esset Paulo Internuntio amicitia reconciliata matrimonium Neptis suæ cum Volaterrani Nepote spopondit. Paulus autem ab Adriano consequutus summum verborum honorem, summam beneuolentiam Sedusiorum Ecclesia nihilo re auctior fuit. Nam Sedusii mortuo Mattheo Cardinali impotentis animi & auarissimi homine tanto eius odio flagrarunt vt ex pagis in oppidum Sedunum conuenientes conspirarint Duce Georgio Suprasaxo quem multis iniurijs Matthæus affecerat, ac statuerint nullum vnquam aut externum, aut Cardinalem Antistitem admittere. Itaque Philippum Plateam ex eorum corpore Episcopum eligere Canonicos cogerunt, pars coniurauit inter se futuros se quicunq; Roma in eam Prouinciā missus esset cum Pontificis Maximi litteris ad Philippum exturbandum & aliā Prouinciam decernendam, Suprasaxus etiam Regis Galliarum cui studebat, & acceptissimus erat ob factionum studia in ea re patrocinium comparare, omnes in armis spem habere, & natura ipsa Religionis cui non facile quis nocere posset confidere atque agebant sane præter fœdera, Germaniæ cum Apostolica sede inita quibus cautum fuerat vt si qua antistitis intra Curiam Romanam defuncti Prouincia vacasset sedes Antistitem imponeret, cumque huiusmodi fœderibus minime continerentur Sedusii iis recenti Leonis X. beneficio comprehensi fuerant, quod cum exploratum

haberet Adrianus iuris sui retinendi gratia & absenti, & nihil tale cogitanti vt antea docui, licet permulta peterent Paulo Prouinciam demandaret, facile eum omnibus prætulit quod antea Sedusii Angeli Patrocinio vti fuerant Pauli Filij Cardinalis virtutes notas habebant, fuere in senatu qui contradicerent & populorum male à Mattheo habitorum atque exasperatorum rationem habendam dicerent, ijs tamen minime assensus est Adrianus obfirmauerat animo ea Natio magnam se iniuriam à Sede Apostolica accepisse quod ab ea iussum contra summam cradulitatem atque iniustitiam Matthæi obtinere non potuerat, sicque de omnibus existimabat si quis Romæ aduersus Cardinales litem suscepisset nunquam fore vt benigne ac iuste pro eo neque à Rotæ decem viris, neque à Principe iudicaretur. Paulus qui nunquam prudentia eguerat & priuatorum amicitia fretus & iustitia, ingenioque suo ac Patris consisus, Adriani in se collatum beneficium tueri voluit Sedusiorum Primates qui verbis ac litteris Pauli Æmilij Clientes ac seruos se futuros semper profiterentur, corrigi præteritas Sedis Apostolicæ iniurias postulabant, & vero dictitabant non maiorem se summo Pontifici obedientiam debere quàm summus Pontifex ipsis Iustitiam debeat, missi qui agerent, qui Pauli Æmilij nomine possessionem acciperent fauentibus Triuultiis nihil actum diu ea res agitata. Tandem Caroli Quinti precibus Paulus ius suum in eam Prouinciam summo Pontifici libere concessit vt ei præficeretur qui vtilior ac magis idoneus ab eo putaretur. Quamobrem quod ad Paulum attinet nollem vnquam summis Pontificibus in mentem venisset hoc genere ornamentorum vitum optimum ac bene meritum afficere quibus nihil in omni vita contentionis habuit, nam sicuti antea propter Landensem ita nunc propter Sedusiorum Ecclesiam quærelæ Prouincias omnes sunt peruagatæ ac Reges multi ac Principes necesse habuerunt datis ad Paulum litteris ab ipsius animi bonitate obtinere quod à Iure Apostolico impetrari non poterat, in caussa erat retinentissima sui Iuris Natio quæ præsertim prauis dogmatibus imbui cœpta, tum primum Sedis authoritatem contemnebat, huc accedebat magnitudo Ecclesiarum earum dignitatis namque & Landensis & Sedusianus Antistes tam ea quæ ad Religionem attinent, moderabantur, quam cæteris in rebus omnibus vti Principes dominatum exercebant, neque hunc facile ad exteras traducinationes ferebant. Quamobrem accidit vt cum virtus omnia se Paulo daturam existimari vellet pati non posset quicquam aperte à fortuna datum videri. Itaque neque à Leone, neque ab Adriano Ecclesiasticos redditus tantos accepit qui quadringentorum aureorum summam attingerent, verum Patris industria & Senatus emolumentis splendorem dignitatis proprium sustinebat. Clemens vero qui successit Adriano atque in Comitiis quibus est creatus Pontifex singulari Pauli & Patris ipsius Cura summum gradum consequutus est, præcipuaque Cæsiorum opera, scientia, fide, omnibus in rebus perpetuo est vsus, quædam contulit. Diximus in Ang. quod in Comitijs præstiterit, ac de aureis præceptis meminimus quibus filium informabat, ipsas Comitiorum Conditiones quæ capitula vocant tam priuata quam publica Paulus in primis ad exemplar Leonianorum moderatus est, atque cum certis è senatorum numero præfuit diuidendis designati Pontificis bonis ac Prouinciis sordibus ductis, quibus ipsi quoque Clareuallis Insubrum Monasterij titulus bono potius posterorum quam suo contigit, namque ob multas pensiones ab anno XXIV. ad XXIX. annum, addere quotannis de suo ducentos aureos Paulum oportuit reliquo tempore ita possedit vt bene secum agi putaret si nihil adderet, aut sumptus tantum compensaret, quanquam iure ipsius posteritas optimis eius monasterii prouentibus ad hunc vsque diem fruitur, quandoquidem par erat tot sumptibus conseruandis, & recuperandis Monasterii Iuribus ac bonis atque molestijs à Paulo exantlatis præmium aliquod succedere, nihil enim propius fuit, quam vt relinqueret atque abiiceret cum titulo curam tantopere vexabatur, illudque in primis modestissimum animum angebat, quod ipse amari quam locupletior esse malebat, Res autem eo ferebatur vt inimicitias multas acerseret in quas alij præter Paulum omnes incidissent, sed is dum arbitrum Clementem deligit, dum victos arbitrium rursus ad Hippolitum Medicem transferri patitur, dum æquissimas semper conditiones proponit, auidissimos homines atque adolescentia feruidos in amore continuit: simile quicpiam accidit in portione quam fuerat fortitus pensionis super Ecclesiæ Toletanæ fructibus reseruatæ quam antea Clemens potius creatus Pontifex inter Cardinales diuidendam transtulerat, sed diu re agitata, neq; id patiente Carolo Toletanus Antistes diserte rescripsit seuere & grauibus minis sibi à Rege interdictum ne soluere pensionem audeat in Regis præiud. iniustumque & difficile addit esse non Toletanam tantum Ecclesiam sed quoduis ex alijs beneficiis in quæ Cæsar Patronii iure vtatur, eo inuito pensione grauari. Itaque ne ea contentio progrederetur Paulus magno animo Princeps fuit eorum qui ius suum in ea pensione Toletano remiserunt quod maxime delectauit Clementé, deq; ea re scripsit ad Carolum, enixurum que profitetur, vt cæteri quoque Cardinales qui adhuc nõ consenserant idem quod Paulus, aliique nonnulli faciant Cæsarum agnouit Clemẽs Pauli moderationem quo paratior fuit occasionibus oblatis ei subleuando. Reperio multas Ecclesias ad Paulum delatas Narniensem, Ortanam, Tudertinam, Ceruiensem, Tolonensem, atque alias quasdam, causa fuit ipsa Pauli Christiana pietas, neque enim vnquam ne vnam quidem retinuit, cum enim videret non posse præsen em se eis vacare & credito; Populos regere statim optabat qui munus illud recte beneficio suo obire posset. Itaque Narniensem Bartholomeo Patruo Ecclesiæ Canonico, Ortam & Castellanã Vrbem Auditori suo (hoc enim habebat virille eximius ac semper laudandus vt Aulicos suos, ac Ministros qui digni essent, quantum posset eueheret) Tudertum Federico fratri, Ceruium alteri fratri Octauio, atque eo mortuo Ioanni Andreæ patrueli, qui deinde ad Tudertinam translatus est à summis Pontificibus procurauit. Tolonensem vero etiam inquam defuncto Hesco Cardinali sue cesserat antistiti. Sibi coniunctissimo Triuultio reliquit. Porro alias Lucanam, Agennensem, & si quæ erant in quas ius aliquod aut ex liberalitate Principis, aut ex pactis Comitiorum haberet, promptissime vel ignotis cessit, neque vnquam tanto se onere premi sustinuit, hoc video illum factitasse vt in huiusmodi Ecclesijs simul ac ipsas obtinuerat eleemosynas certas instituerit quibus fiebat vt non modo fructum nullum ex ijs caperet, sed etiam de suo multum adderet, quare ipse admodum gaudebat illud ante omnia curari, in huiusmodi pijs largitionibus, mãdabat intelligerent omnes non ad amicos comparandos aut inanem laudem, quærendam fieri, sed ex officio & Religione quod deberetur dissolui, aliud esse volebat, ac seorsum poni quod propinquis aut Amicis impendebatur. Exstant frequentes Epistolæ rationes ephemerides vnde hæc liquidissime apparent, ne quid dicam de constanti fama & hominum testimonio ac memoria. Lego in eius epistolis queis mandat nullo casu omitti debere eiusmodi institutas eleemosinas, malle se care atque inopia opprimi quam eas imminui, si lautissime agitarere non potero, inquit, humilius viuã, non erunt tàm multæ vestes. contentus ero paucioribus, alam minorem familiam, omnia faciam priusquam vt ista deserantur, vbique sarta tecta Templa esse volebat atque in ijs omni reuerentia ac cultus sacerdotes sacrum suum munus obire. Exstãt manu ipsius descripta instituta, quæ seruari decerneret, addita si quis aduersus ea delinqueret pecuniaria pœna quam appositissimam omnium esse aiebat ad continendas in officio huiusmodi personas: sunt autem eiusmodi, vt meliori constitui vix queant, ne quis statis ac certis horis desit quin ad celebrandum hymnis Deum de more conueniat, nec ante tempus discedat ne incomposite ac properanter recitent, ne inter se fabulentur, ne Præfecto Cæremoniarum aduersentur, ne vicarios suos mittant, sed ipsi qui titulum habent intersint, ac multo plura grauiora quæ postea in Prouinciarum Synodis optimos quoq; Pastores decreuisse animaduertimus. Permulta quoq; iussit sacella exædificari quæ apparent ac Narniæ quidẽ q̃ sanctæ crucis nomẽ habet monasteriũ in

staurari suis sumptibus curauit, quæ autem dixi de dignitatibus Ecclesiarum distributis, idem aio de minoribus sacerdotiis, nam ante aliquot annos exorta erat Ecclesiasticæ disciplinæ deformatio quædam, qua sexcenta vni hominibeneficia sacra tribuebantur, atque in vnum omnis generis sacerdotia cu nulabantur; Paulus iuris diuini & humani scientissimus quod de Episcopatibus dicere solitus erat, idem de hisce etiam confirmabat Apostoli dictũ & Synodi Chalcedonensis decretum afferebat, nequis in duabus Ecclesiis præscribatur: Itaque inter viros optimos, doctissimos familiares, propinquos, omnia diuidebat tanta celeritate vt metuere videretur ne non inueniret qui acciperet posset. Simon Andreocinus tametsi semper aditus quoddam ab eo sacerdotium præstolatus quod Paulus in alterum contulerat, auditus est conqueri, continuo ille factum excusans pensionem illi ex fraterna domo, hoc est patrimonii bonis aureorum quinquaginta in annos singulos pendi iussit. Atque in eum libenter sacerdotia daret portiones tamen aliquando quæ vitæ honeste degendæ satis essent retinebat, hoc enim minus iniustum censebat & annuam pensionem tolerabiliorem iudicabat, quam si omnino retineantur omnia cum graui dispendio rei Ecclesiasticæ & periculo salutis animarum: Ius etiam illud in huiusmodi sacerdotia quod regressum & accessum vocant non inuitus est persequutus sine studio multis benefaciendi vt videtur siue illa culpa propria fuit eius tempestatis quam hodie Dei & Tridentin. Concilii & optimorum Pontificum ope pene sublata videmus, eiusmodi circa pene infinita obtinebat Iulius Medices quem vbi contigit Pontificem Clementem creari, oportuit ea quoque ex conuentis pactis inter Senatores distribui. Quorum quidem rationem habendam Paulus Æmilius prædicabat vt liberam sententiam ferre, & sustinere tantam dignitatem possent, ita Oeconomiam Ecclesiastici corporis esse compositam vt alia pleraque & membra quæ caput sustinent à capite ali debere, & Senatores qui Pontifici assistebant, à Pontifice curari æquum esse sentiebant. Fuit omnino illud tempus non omnino ad perfectam religiosæ professionis normam comparatum, sed tamen quę nunc in multis, tunc in paucis lumina quædam recte disciplinæ cernebantur, in quibus Paulus eminebat cuius prope vnius sapientiæ, consilio, labori, res quoque maximæ Clementiani Pontificatus innitebantur, Anglicanæ matrimonij causæ præfuit pro qua diuersorũ Regum contraria rogantium in litteras crebras accipiebat. In caussa Mutinensi aduersus Ferrariæ Ducem ipse Triumuir cum Iliisco & Puccio creatus; Præterea Præfectus signandis iustitiæ & gratiæ libellis, tum si quid Cæsari aut Regibus respondendum fuit, hoc onus ipsius fuit quod aperte declaratur. Archetipa manu ipsius scripta, inducta atque emendata, quicquid vero ex Legum & iuris & Iurisperitia statui opus fuit ex vna domo ipsius prolatum, præfuit deliberantibus de re pecuniaria iuuanda, ac constituenda, multaque præclara ab eo excogitata, neque scio ad quem è collegarum numero plures Epistolas Principes dederint illius tempestatis, nemo certe fuit quoad eum sæpissime non scripserit quanquam rei huius dignitas quoque illa quam protexionem vocant in caussa fuit, nam Angliæ & Hiberniæ Protectorem egit multis annis ab sente videlicet Campegio Germaniæ Legato, Protectoritem Ducis fuit Allobrogum, tum Romualdæ societatis Camaldulensis ordinis, deinde Heremitarum ordinis societatis Pisanæ, non protectionem modo, sed quasi censoriam in eum potestatem vt susciperet Paulus tertius Farnesius decreuit, patrocinia huiusmodi & Pauli summa eruditio, & eloquentia fecerunt, vt nemo crebrius de dandis Ecclesiis & minoribus Sacerdotiis conferendis ad Senatum & Pontificem referret quod ille animaduerteret qui consistoriorum quæ dicunt acta percurrer. Germanicas multas proposuit, Gallicas atque Anglicas plures, tum Hispanicas, Italicasque atque exteras quas infidelium dicunt Ecclesias, præterea tanta rerum cognitione ac prudentia præditum cum Patres vniuersi probe scirent onus ei imposuerunt vt suo arbitratu Episcolis responderet quæ ad Cardinalium Collegium mittebantur, in quo ille rationem Pontificis, Senatorum, suæque dignitatis semper habuit, ac periculosissimo illo tempore quo Carolus de pace cum Pontifice agens rem indiem ducebat vt commodius quæ sibi conducere arbitrabatur à Ducibus suis gererentur, ac propterea litteras ad Senatum dedisset, in quibus testatum volebat se maxime pacis esse cupidum sibi iniuste bellum in Italia quæ ad ius suum pertineret inferri debere, Pontificem Apostolicæ Sedis Thesaurum in alios vsus quam effusionem Christiani sanguinis effundere, quod si nollet concilium indicere rogabat Patres vt ipsi quamprimũ indicerent, atq; huiusmodi alia. Sic Paulus Æmilius respondit vt diceret cum Pontifex & Cæsar pacem per litteras peterent, Cæsarisque Duces in occupanda Italia bellis afflicta & deuastata vsque laboarent facile perspici posse vt per paci impedimento esset, si sit ipsius Italia nihil esse cur Pontificum iudicio diffidat, quod paternum semper esset expertus, tum fore iustam admonitionem de Thesauris Ecclesiæ si à Ducibus Cæsarianis vi ex torta restituerentur, iustiorem si de conseruandis in sua possessione singulis, non de exturbandis cogitaretur non egere Ecclesiam nudo nomine defensoris, quod aliqui iactent, sed re ipsa; Quod ad concilium attinet neminem posse præter Christi Vicarium in terris concilium aduocare, sequitur curasse iam pridem, acrogasse Pontificem, vt illud indiceret, id que illum libenter fecisse, eiusque nomine iam nunc ab se indici Concilium, cuius potestati meminisset Carolus non magis alios quam ipsum obnoxium esse, cuius Dux Vgo Moncada spe pacis missus tantum incendium conflasset, quo cum æterna ipsius nota atque infamia Diuorum Apostolorum domicilia Sanctæ Eucharistiæ, Christi Vicariorum sedes, diuina omnia atque humana euersa, deuastata, deformata conflagrassent. Quanta vero familiaritas Paulo Aemilio cum Clemente VII. Pont. Max. intercesserit incredibile dictu est, atque in tanta tamen familiaritate nihil arroganter agens si quid priuatim sibi optaret id ab aliquo ex affinibus Cardinalibus peti curabat. Clemens in Pauli ædes interdum ventitauit, idem in Pauli fide summopere acquieuit, neque Pontifex Nepotem vllus vnquam amauit magis quam ille veterem amicum Paulum dilexit. Quanti autem eum fecerit Clemens vel vnica Res ex multis exemplo sit, petebat aliquot à Clemente Diploma Senatoriæ dignitatis atque in possessionem admitti postulabant, quod se dicerent ab eo Cardinales creatos in Arce Sancti Angeli, id vero grauissimum & infamiæ plenum Clementi videbatur quod perinuitus in ea trepidatione rerum & pecuniæ gentissimus alios crearet, alios nominarat, neque satis constabat quinam ii essent. In tam arduo negotio ex altera parte fidem cum magnam pecuniæ partem persoluisset, ex altera existimationem Pontificiam tangebat, qui vt se in rebus dubiis exolueret plane pro Pontifice Paulum sibi ipsi suffecisse visus est cum huiusmodi petitores omnino ad eum reiecit, agite inquit (vt ex præscripto constat) cum Paulo Aemilio, illum adite, videat is, consulat, quicquid dixerit, fecerit, æquum indicarit id natum esto, tanti Pauli sapientiam fidem, amorem, erga se faciebat, erat in omni consuetudine ac sermone iucundus, carusque idcirco primoribus Senatoribus è quibus Gonzaga Cardinalis Mantuanus suauissime ac frequenter cum Paulo liberales admodum sermones serebat ac iocabatur; Quibus miserrimis temporibus ac fœderatis exercitibus dictitantibus ferre se suppetias obsesso Pontifici Cæsiani & proximi Clientes huius familiæ vt alij plerique incredibili rerum omnium excidio affecti vnam spem in Paulo Aemilio collocarunt; à quo maxime sunt adiuti Cæsiani scilicet Tudertini Narniensesalique proximi Clientes ac Municipes frequentissime inde Pauli ædes obsidebant cum nullam familiam aliam haberent, à qua inauditis stragibus ac calamitatibus oppressi leuarentur, vt enim antea Gallorum aduentu ciectis affluisis ac dispersis Cæsianis Pauer Angelus, quemadmodum in eius vita diximus sua pecunia ac præcibus apud Alexandrum VI. opem tulerat, quanquam anno illo calamitosissimo post salutem M. D. XXVII. vniuersa eius Domus miserandum in modum deleta fuerat, capta enim Vrbe à Borboniensis cum supra quam dici posset omnia sacra prophana ferro, ac flamma vastarentur ac diriperentur Ciues atque Incolæ Romani spoliarentur fame, gladiis, peste, carceribus conficerentur, tantam cladem Pau-

lus accepit quantam commemorare non licet paternis primum ædibus, tum Octauii fratris cum suis direptis trium, hoc est omnium Cæsiorum in vrbe auro, argento, veste, suppellectile amissa, amissis propinquis, amicis multis ac famulis omnibus præter duos, æger, inops cum Angelo Patre & Octauio fratre in Arcem Adrianam cum Pontifice confugit fratrem L. Vespasianum vix triduo ante captam Vrbem extrudere in Picenum potuerat, cum præuideret casum, & propterea idem etiam Octauio suaderet, sed frustra: sibi enim & Patri non videbatur tristissimo tempore deserendus Pontifex amicissimus cum quo septem menses in Arce partim obsessus, partim custoditus necesse habuit fratrem Ioannem Iacobum ab hostibus captum intolerabili pretio redimere atque eiusdem temere factis obsistere ac mederi, coactus item sua sibi sacerdotia fere cuncta imminuere dum promissa patris ac sua pro honestis Ciuibus Romanis Raymundo Capiteferreo, Ricchardo Marracosto, multisque alijs intimis amicis, ac summis Viris molestis militibus persolui. Interim duabus sororibus capta, altera nupta, altera Deo dicata, & ad Interamnates deductis quanquam in Amicorum Hispanorum manu esse dicerentur omnino ijs atque aliis coniunctissimis Ciuibus succurrendus fuit, subleuandus etiam Federicus frater qui peregre in Gallijs æger & rerum omnium egenus agebat, agros, fundos ac possessiones omnes exercitus depopulatus euerteret, fructus officiorum confiderant, neque emptorem neque venditorem reperiebant, frumenti copiæ quædam annis superioribus ab ipso coacta Centilio Procuratore mortuo ita perijt vt vix exigua pars redimeretur. Villici alij vehementer pecuniæ subsidium flagitanti dulcia tamen verba remittebant, maximus metus, maxima desperatio accedebat, Antonium Patruelem summæ doctrinæ & virtutis Iuuenem patruelis alter interfecerat, Patris Angeli morbus ingrauescebat, iam pestis arcem inuaserat, & ministrorum partem absumebat, fames tanta vt asinina & fœdissimorum Animalium carne vescerentur; In hoc statu rerum scriptas à Paulo epistolas aliquot reperio, animi fortitudine, sapientia, fiduciaque in DEVM plenissimas, alios hortatur, de se actum ait, non posse durare, inquit, quod si viuat fore vt meliore aliquando loco res suas DEI benignitas constituat, omne se obsequium capto Pontifici, omnem curam decumbenti Patri præstare, omnes neruos animo suo componendo ac confirmando omnino adhibere si saluus carcere teterrimo exeat, plus se à Deo accipere quam vnquam sit meritus, præclare agi cum omnibus modo ipse nulla contagione affectus viuus in aliquam libertatem restituatur tanta certe verborum & vi & affectu, vt ingemiscere miseriis tanti viri nisi plane silex sit quiuis debeat, ex altera tamen parte magnopere confirmetur, neque vereri possit quin eum secundissima quæque consequutura fuerint, qui nulla sua culpa tantum religione & amore ductus in fortunæ acerbitatem sese dimiserat deditione facta cum Horatio Balliono, quoniam fœderati exercitus educi postularunt fratrem Octauium amiserat, in cuius domo Idibus martijs, hoc est ipso die quo de funesta pace Clemens cum Cæsarianis consensit misera res acciderat, quæ tanquam prodigium portendisse putanda est, illum vel verbis vel familiæ casum, nam cum in foro quod est ad Pontem Aelium & mensarium vocant grauis armatorum tumultus coortus esset, armisque eductis disceptaretur Iohannes Paulus Cerius qui forte ex Palatio redibat dum pacis componendæ studiosus temere se immiscet vulnus accipit, quo audito ab Vicanis Iordani Montis ad mille homines tela corripiunt, in forum prosiliunt, quosdam tametsi non Aduersarios propellunt, illi cædentes paulatim coacti versus ædes Octauij sese recipiunt atque inde ex porticu longis hastis acceptis rursus exsiliunt, & Iordanenses repellunt, ii cauti numero hos rursus intra ædes coniiciunt, machinas admouent, ianuam impellunt, irrumpunt, forte fortuna aberat Octauius, Pauli Cardinalis Famulum, qui illuc heri iracundiam vitans diuerterat innumeris illatis ictibus innoxium trucidant, Iacobi puerum vulnerant, totam domum non secus ac si hostilis esset spoliant, diripiunt, euertunt, sine caussa familiam immerentem tam graui damno atque iniuria afficiunt, qui si singula compararit non idem accidisse ad publicum Ciuitatis casum videbitur quod in priuata domo contigit, quin Ioannes Paulus caussa cladis huius existimatus est, cuius Pater Rentius Ceres defendendæ vrbi Præpositus vere imprudens totius mali, ac vastitatis Auctor iudicatus est. Quod ad Paulum Aemilium attinet, & antea tot amicitiis florebat vt sibi & Patri priuatim consulere posset nisi officium erga Pontificem beneuolum præposuisset, & tunc ita multos vere sui Amantes, atque multis ex locis sua omnia deferentes, ac pollicentes inuenit vt expertus sit non fortunam suam, sed animi mores ac virtutem amicitias aduersum se conciliasse. Clemens ipse Pauli nihil vnquam querentis quod plerique facerent, modestiam, constantiam & prudentiam admiratus sponte adductus est, vt sacerdotia aliquot quæ tunc vacare contigit in eum conferret ac Patri certe quem putabat non minus angore animi quam incommodo rerum omnium in ægritudinem incidisse Ceruiæ Episcopatum dedit, Filio Perusinum, Vallispontis Monasterium quod Aemillini fuerat. Demum post septimum mensem ex Arce septimus Clemens magnis conditionibus eductus cum vades posceretur sanctæ ac synceræ fidei Cæsari obligandæ Cardinales quinque obsides dare coactus est; Triuulsium qui cum duobus alijs Neapolim abductus est, Cæsium & Vrsinum Romanos quos Pompeius Columna non passus tam longe in hostium potestatem abstrahi fideiussorem iis se præbens, in Tusculanum primum vt Guicciardinus scribit, deinde vt Iouius ad sublaqueanos secessus perduxit. Exstant Pauli eo in loco detenti litteræ ad Amicos quibus fatetur liberaliter haberi se, atque omni humanitate à Pompeio tractari. Sunt item inde litteræ ad Bernardinum Contem qui Angelo Patri grauiter decumbenti aderat, eique gratias agit quod & non desit, laudat, pollicetur effecturum se, ne ipse liberius vnquam re vlla indigeant, si diligenter operam nauarit, solitus liberaliter præstare, quæ liberaliter promisisset, ac profecto vna de magnis Pauli virtutibus perpetua & constans fuit in Parentem pietas, cui cum gradu dignitatis longe superior esset, ita semper paruit, obsecutusque est, ac si dignitate illa minime præditus esset, semper monentem audiit, nunquam contempsit, cumque eum interdum cæteri fratres vt durum ferre non possent ipse mapis complexus curauit, ne quam illi tristitiam animi pareret, quanquam quibusdam in rebus vti sororis nuptiis celebrandis minus illius consensum expectandum sibi duxit, quod interdum tractandis ijs morosior esset Pater habitus, tametsi eum affines omnes expeterent. Paulo post parentis obitum à Pompeio Columna quo amicissimo est vsus libertati redditus incidit in molestam febrim quartanam, atque anno sequenti in grauissimam duplicem tertianam cum Viterbii in itinere esset, vnde in Ciuitatem Castellanam translatus summum vitæ periculum adijt, adeo vt testamento facto omnes eum complorarent, voto tamen sanctissimæ Virgini Lauretanæ facto conualuit, quod reddidit salutato prius post longum interuallum Pontifice qui summo Pauli videndi desiderio tenebatur: eodem tempore fratres ipsius Octauius & Ioannes Iacobus Tuderti apud Chiappinum Patruelem longissima incommoda valetudine afflictabantur cuius eximia Cura pristinas vires recuperant. Subsequuta molestia est erciscundæ familiæ, cuius curam omnem Paulo supremo testamento Pater demandarat conditione addita vt reliqui fratres Ratum haberent quicquid is statuisset, quam Prouinciam fratri Octauio reliquit. Eodem anno qui fuit M. D. XXIX. nonis Octobribus Roma Bononiam versus discessit, cum Pontifice Clemente, appulitque eo nono Calendas Nouembris, præcipuamque operam nauauit in omnibus iis colloquijs ac negotiis Bononiensibus misso Octauio fratre Legato Pontificio Cæsarianis Legionibus ad Florentiam & Etruriæ Vrbes Mediceo nomine recipiendas, quod munus cum Paulus vehementer decreparetur, respondit Pontifex egere se grauissimis in rebus fide ac beneuolentia Cæsiorum, iret libens Octauius, persuaderetque sibi ad gratissimum fore, ac sciret si

quid ei humanitus accidisset, nihil damni in redditibus Ecclesiasticis facturum Paulum, sed omnes habiturum, vt contra Octauium si quid simile quod Dij auerterent fratri accidisset parendum fuisse atque in eo munere peregregie se gessit Octauius vt in eius vita relatum est, vere enim existimabat Clemens nihil fore quod studio Mediceæ familiæ Cæsii non obirent quando Leo Decimus ita Cæsiam amplexus esset vt Mediceos dici Cæsios vellet, ex quo Hippolitum Clemens Medicem Iuliani filium in amplissimum ordinum adscitum & in locum demortui Pompei Columnæ Quinto Cancellarium vt vocant factum Iuuenem Curiæ rerum omnium imperitum formandum & imbuendum Paulo tradiderat cum eum quam amplissimum in Senatu ac potentissimum esse vellet, quod Paulus studiosè præstitit, vehementerque illum dilexit ac iuueniliter interdum exultantem ita compressit vt extant iudicia eorum, quæ viuenti monita scripta transmitteret, cum Iuuenem indignis sacro ordine ineptiis & voluptatibus deditum Clementis iussu ad grauitatem animi, & rectoria studia traducere conaretur, quod facilius putauit consequi posse si cum ad spem sacri principatus aliquando consequendi erigeret, in quo tum alia tum non ita remotum exemplum proposuit Roderici Cancellarii, qui neque litteris, neque gente, neque opibus cum Hippolito conferendus, tamen industria, cura, labore, senatum colendo, amicis colligendis, multis obseruandis Pontifex etiam multis renunciatus est & Sextus Alexander dictus. Non frustra omnino hæc commemorabat Paulus. Hippolitus eius monitis adeptus est prudentiam, ac peritiam, sui similibus opus esse audiebat, seque suaque omnia fidei, ac voluntati Pauli permisit, eique in amore sic respondit vt crederent Homines quemadmodum Paulo potior nullus esset in omni factione Hippoliti qui proponeretur summus Pontifex accrearetur, sic neminem Hippolito libentius id conaturum quando res ferret, quod vtrumque sensiue & testatus esse Farnesius qui tertius Paulus fuit memoratur, peractis enim Comitijs quanquam erga se summum atque apertum Pauli studium semper esset expertus tamen à nullo sibi timuisse nisi à Paulo dixisse fertur, neque temere cogitarunt homines nullum alium futurum Pontificem si Farnesio Paulus Aemilius superstes esset quem is in excelso gradu positus, & Camaldolensi patrocinio suo donauit, & de Fratris Octauii recenti morte consolatus est, & summis consiliis adhibuit, cumque eum sciret Hippoliti maxime omnium & amantem & moderatorem prudentissimum esse effudit, in sinum eius querelas offensus Hippolito quem ita se deligere confirmauit, atque ex animo ostendit ac si natus ex se esset, offenderat ipsis statim initiis Hippolitus quod nec salutato Pontifice, neque venia de more petita quibusdam suspicionibus adductus quasi contumax Roma abscesserat. Id contigisse memorant cum Senatum aliquando ad ædem sancti Marci Pontifex habuisset, quo die dimisso Senatu cum Domum reuersi vellet & mulam suam qua vehi solitus à corpore Parafrenariorum (sic vocant seruos ab equis) quod is pecuniam quandam iis more debitam soluere contempserat, abactam comperit & vnum ex intimis suis familiaribus cum publicis Apparitoribus manum conseruisse didicit, & famam increbuisse audiit ipsius opera Alexandro Fratri rerum Florentiæ potiente necem intentatam, quibus subditis rebus perceps ipse perturbato animo antequam domum rediret commutata veste, arrepto pernice Equo continuo cursu ad Fanum Archangeli in Tiburte aufugerat, vrbemque Sermonibus variis nouitate rei complerat. Quod tantum Paulo Aemilio dolorem attuli vt vix vllo domestico damno perturbari magis potuerit, cœpit tum animo longe præuidere imminentem Iuuenis cladem, ac Mediceæ familiæ damnum, & quod is cupiditatibus intemperantius ferebatur, & quod ea hoc amisso, magno præsidio destituta erat, neque destitit, prædicere quod est consequutum, & amice grauiterque simul Hippolitum cohortari vt rediret quod pro perpetua in eum fide ac beneuolentia omittere non posset, ante oculos aiebat sibi poneret qui status sit eius Cardinalis de cuius discessu tam fœde fama loqueretur, eius qui cum tam multa haberet quæ amitteret simultatem importuno discessu cum Pontifice quandam nunciaret, quantam eo facto inuidis atque Inimicis facultatem sui carpendi apud Principem præberet, atque ea forsan suggerendi quæ ipse nunquam somniasset, videret in quem & vitæ & fortunarum periculum incideret, cum neque munito vllo loco, neque certo Principis cuiusquam patrocinio tutus esset, exemplaque ad rem meminisset. Huiusmodi Paulus Hippolitum sapientissimus Consiliarius deterrebat, ne in eam mentem veniret vt cum posset habere beneuolum Pontificem temere contumaci absentia inimicum mallet, quibus monitis accensus Hippolitus sæpius à Diui Archangeli Fano cuius arcem tenebat Romam noctu incognitus vno Comite contentus ad Paulum in Quirinali habitantem venit cum eo in interiori conclaui sine Arbitris longissimos sermones habere, auditusque interdum dicere, ô Paule, ô Pater ô canis mihi constitutum est nolle adriana mole aut macerari, aut interire suadere desine, sed & auritissimi atrienses Pauli verba excepisse paucula feruntur, quam quæso noxam puta puer commisisti, vt te is perditum nihil caussæ reperiri potest à Iure vt in custodiam tradatis, non potes mihi & aliquid intelligenti, & te amanti fidem adhibere, te ipsum interroga, te audi, te consule, certa tua eiusmodi sunt quæ præter leuem reprahensionem mali nihil expectare possint. At Hippolitum iniqua fata præcipitem abstraxerunt, isque exitum vitæ immaturum indigne sortitus frustra monente Paulo Aemilio se, suos, suaque omnia pessum dedit, de cuius obitu cum allatum esset Paulum Aemilium crudeli vulnere consternatum. Pontifex Farnesius accersit, confert cum eo de genere mortis, & vtrum veneno an morbo perierit, structorem quidem qui suspectus fuerat durissime & grauissime in Adriani mole tortum innocentissimum compertum dixit, quæ in sententia Paulus erat, nimium sanguinem effusum accusabat à medicis atque importuna hominum iudicia de veneno damnabat, cum à primo ægritudinis die valetudinis aduersæ caussas ac processus semper cognouisset, defleuit amicissimi atque innocentissimi Iuuenis casum Paulus Aemilius simulq; florentissimæ familiæ proximum damnum. Consolatus est per litteras Fratrem Alexandrum, & quoniam ingens opinio erat ne scelere ipsius mortem frater obiisset cohortatus est vt diluendo & parricidio suspicionis caussa hæreditatem adiret, æs paternum alienum dissolueret tam gloriose à maioribus parta non fineret sub hastam tribus obolis venundari quæ redimere ipse decem millibus aureorum posset, simulque præcepta addidit quibus si obtemperasset felicius cum eo actum esset, respondit gratias agens simul frigide excusans, quas redimere non posset, non id prius se facturum quam publice constitisset abfuisse se longissime à beneficio, neque sua culpa fratrem obiisse, à quo tamen petitus semper insidiis esset, cuiusmodi alii quoque attingunt, illud prætereundum non puto quod ipse ex consciorum sermone didici Hippolitum soli tum ab eo loco vbi mirabatur ad vrbem feruente æstate dispositis equis properare cum opportunum tempus accepisset, tum ob æstum crebro bibere, ob suspicionem armis crura, corpus, caputque contegere, ob defatigationem frigidas auras captare, atque iterum incalescere, hoc fuisse venenum quo perierit, illam sui fundi calamitatem quod dictum anno ante ludis publicis se suosque laureatos infelici omine vestiens magnis litteris scriptum vsurparat, cæterum demandarat Paulo Clemens curam extruendi Sacelli cum sepulchro Petri Medicis apud Cæsinates sodales quod cum egregie curaret, & operi tres statuæ deessent quas statuarius biennio se absoluturum receperat, aliis litteris rogauit Alexandrum Paulus Aui memoriam obtestatus cuius sepulchrum erat per sanctissimorum Pontificum Leonis & Clementis nomen efficeret vt absolueretur opus remque adiuuaret, se nulli operi ac labori pariturum, quod is fertur neglexisse, qui enim Hippolitum vehementissime oderat, qui Hippolitum vehementer amarant valde diligere non poterat, non destitit tamen Paulus donec res ea perficeretur. Nã sodales Cæsinates quib. ipse multa à Ponti-

ficibus impetrarat cum eos adiuuisset veterum pensionum caussa quas Decimo ante Principatum debuissent sumptum facere oportere, vt necessaria suppeditarent adduxit, & tamen Alexandro pro viribus fauit siue cum Pontifice de nepote siue cum Cæsare de filia ageretur in matrimonium Alexandro tradenda, probauitque cæterum se beneficiorum quæ à maioribus eius acceperat valde memorem tametsi tuiturum eum sua sponte diuinaret ac crebris litteris testaretur. Quod Alexandro Hippoliti Cardinalis Patre mortuo accidit ex quo Paulus Aemilius cum Leonis Decimi & Clementis septimi absumptâ posteritatem & Amicorum multorum funera vidisset, cũ orbis terrarum bellorũ incendiis arderet Religio hæresibus & morum corruptela pessum iret, nihil in vita iucundum esset nouis Augusti illis ipsis quibus biennio ante carissimus sibi Hippolitus fato functus est mortis euentum hunc fuisse audio: Habitabat in Quirinali quam vrbis partem mire amabat ac cæteris omnibus præferebat, cessarat aliquandiu ab ambulatione quam ad vires firmandas adhibere consueuerat ob pluuium tempus, pridie nonas Augusti de repente sereno cœlo conspecto confectis muneris tui negotiis solitam exerci ationem repetere instituit extulit domo pedem progressusque coeſt vbi vulgus Neronis Tuxxim esse dicit, eminenti loco atque imminenti columniis ædibus eo in spatio incedentem adijt vetus Amicus ex Leonis Decimi familia, qui eià cubiculo fuerat, cum eo prolixum sermonem conferre cœpit, simulque ambulare vsque ad noctem, cum nihil iucundius audire posset quam facta memoriamque temporum Leonis ea suauitate abductus cum aduentantis noctis humidas auras perpessus tum quod multo magis obfuit pedes minime curauit, fuerat enim delicatissimi incessus atque vbi paulum progressus si forte sudare accepisset, aut per vdum inambulans affici pedes sensisset calceos, ac reliqua mutare instituerat, ne quid humidum pœnetraret, tum fabulando intentus cum pluuia madefactum solum calcaret, mirabantur ministri quid diutius ibi insisteret aut crepidas calceosue non poscret quarum tanta cura gerebatur vt etiam propriis nominibus distingnerentur, cumque attrienses cocleas repentes collegissent quibus in vespera vescereturn (nam sequentis diei festi caussa sanctæ Mariæ ad Niues cuius Fani maximus Archiepiscopus erat) eo die carnibus abstinebat, fuere qui in eas mortis caussam referrent, verumtamen quod familiares eaſdem degustarent id minus credibile visum. Domum reuersus dum Iurisconsultis familiaribus suis quos Auditores dicunt de more dat operam, magis etiam frigus humidum pedes læserat, ac ministri valde madefacta pedum integumenta animaduerterunt, sobrie aut solitus atque hilare cenatus cubitum iuit, de media nocte intestinis doloribus correptus occurrentibus familiaribus sese mortuum dixit, mirantibus, animumque vt fit, ego me inquit mortuum scio; Medici acuti curata omnia frustra pernicio-
1487. 11. Martii moritur. 1537. 5. Apr. m. sus dolor Paulum intra homines quatuor & viginti confecit, suspicio dati veneni etiam tormentis adhibitis probari non potuit, decessit cum annos vixisset vnum & quinquaginta menses quatuor dies XXV. Paulo ante prodigiosa Aetnæ montis conflagratio contigerat, elatus est funere publico atque in Mariæ maioris cuius Archipresbyterum agebat, sacello suo depositus, tanto luctu & sui desiderio relicto vt nihil supra fieri potuerit, non putabantur apud alium reperiri posse tantam vitæ innocentiam & æqualitatem tantam sermonis comitatem, tam faciles aditus, tam assiduam subscribendis gratiæ & iustitiæ libellis laboris tolerantiam tam semper fidelem, tam semper opportunam supplicantibus opere promptitudinem prædicabant Religionem ac pietatem omnis Iuris summam peritiam atque intelligentiam miram tractandæ Reipublicæ solertiam, qua annis viginti Cardinalis tam quatuor Pontificibus Maximis carissimus atque acceptissimus fuisset tum incredibili prudentia, modestia, humanitate, etiam diuersarum partium animos sibi deuinxisset Domestici meminerant, splendidissimam frugalitatem, mansuetudinem in vniuersos, in singulos singularem beneficentiam, neque enim ipsi dolendum fuit, aut venia à familiaribus petenda quod nec opina morte preuentus liberalem se erga illos non præstitisset, nemo fuit qui à Viuente certum vitæ subsidium non acceperit, nemo qui non eius morientis iussu largissime donatus talem benignitatem non senserit defuncti qualem viuentis expertus fuerat, ita ille tuos semper extulit vt quam honestissimos ac si fieri posset etiam sui pares esse studuerit. Itaque Aduocatos, Auditores, Præsides multos Episcopos aliquot, Cardinales tres in iis Sebastianum Pighinum, Bernardinum Scotum ex ipsius familia tamquam è laudatissima schola factos accepimus. Iure itaque quærebantur ademptum sibi verum arq; vnicum Patronorum exemplar Patronum non diutissime abuentem Clientium seruitute non gratis consumptos simulata spe producentem aut frustrantem assiduitatis obsequij obseruantiæ fructus intercipientem. Refert Galassus Benius Eugubinus senex & probitate morum & ingenua animi circumspectione præditus quod Paulo à poculis fuit Federiço & Petro Donato Cardinalibus, Domus Magistrum egit dici non posse quam se facilem atque intentum Nobilibus suis Clientibus ac familiaribus domesticis honorandis præberet atque ita interdum ferendis quasi non ad ministerium, sed ad disciplinam imbuendos in domum recepisset, ignobiliorum non tantum quidem rationem habuisse, sed omnino curasse ne quid ii vnquam conqueri viri possent. Sed longe maior ex Pauli morte dolor fuit litteratorum, nam Filius eius Angeli qui dicere solebat nullos se magis in hac vita venerari quam literatos, horum se libenter pedes exosculaturum, pro his semper omnia se facturum dicebat quod præstitit, in omni vita. Ita vt quamplurimi ad illum confluerent quos amplexabatur, in oculis ferebat mirifice rationibus eorum consulebat, quod ita profitebatur vt cæteri Cardinales quoſpiam eiusmodi nacti omnes ad Paulum tanquam ad portum remitterent, hinc ille optimarum artium, cultus, hinc studium conquirendorum signorum comparandorum lapidum sartæ, tectæ, tuendæ vetustatis, qua in re celeberrimum nemo superauit, nam post miseram Vrbis cladem in qua plurima & atrocissima vulnera acceperat, cum adhuc in arce Adriana custodiretur cum suæ res aliæ omnes in incerto essent, cum de salute desperaret nihil antiquius habuit quam curare ne antiquæ inscriptiones aut Tabulæ à militibus perderentur, auferrentur, alienarent? non prius ædes instaurare, è Galienum dissoluere, suppellectilem restituere fategit quam sacra eiusmodi monumenta quantum liceret in patria retinere hoc tum ardens studium priuatæ tabulæ atque emptionum monumenta reliquæ ex multis apud Cæsios satis testantur, celebre & illud cum forte muliebris illius peregrinæ atque insignis statuæ quam maximam in arca ædium constitutam. Alii Amazonem ob sectam mammam Peritiores vocant caput quod admirandum à Prædatoribus sublatum aeque ob pulchritudinem distractum nullo modo inueniretur, tanta sollicitudine affectus est Paulus vt neque dies neque noctes quieſceret, nulli sumptui parceret inaudiis comparandis tandem cum subodoratus aliquid certi esset, nemine sciente decem familiaribus Comitibus Caietam profectus inuestigare haud destitit, donec fauente sibi cum Prorege Pompeio Columnio priuata quædam horrea excuteret, & marmoreum caput immenso tritici aceruo se præsente erutum moræ impatiens peruadens peraltissimos cumulos arriperet, agnosceret, amplecteretur, & prorsus intolerabilis visa fuisset amissio tanti viri cui nemo laude comparandus fuit nisi cum tantarum virtutum, non minus quam fortunarum hæres Germanus Federicus esset, imitatus qui diligentius describi, seruari, colligi iussit numismata veterum virorum tam præsentium Principum nummos lapideas clarissimorum hominum inscriptiones, quam marmorea Palatia elegantiaque proborum Artificium figma quam speciosorum seruorum apparatum. Non possum hoc loco doctissimi Poetæ Iani Vitalis ex eorum numero qui Paulum diuinum hominem vocabant paucos versus in eam rem prætermittere, sane que accommodatos.

Si Genitorem humeris quod post euersi tulisset
Pergama, Tros Iteros dicitur esse prius.

Quæ tibi spes Patriæ lux, & clarissima Cesi,
Debentur meritis nomina digna tuis.
Tu legis ..... lachrimosa cadauera Romæ
Et facis æterna posteritate frui.
Tu reparas quicquid caries absumit & ignis
Et quicquid duro t. empora dente terunt
Viua tibi spirant Romanæ robora molis
Imperiis quorum vix satis orbis erat.
Macte animo illustri qui fracta atque ora resulsa
Ista tua patriæ non sinis ossa mori.

SED hoc genere scribendi multi Paulum merito celebrarunt, multi libros illi dedicarunt, cum is aut vnus aut cum paucis sua tempestate litteris faueret, rerum porro antiquarum volenti atque expetenti Pontifici Farnesio coactus est maximam partem largiri cui equidem comperio fuisse carum & familiarem Paulum quod Farnesium Pater Angelus plurimis officijs olim sibi suorumque familiæ magnopere obligasset, & quoniam vt fere fit immaturam Pauli mortem nonnulli veneficio procuratam annuunt de ea re nihil certi inuenio neque hanc suspicionem in vlla familia resedisse inuenio tantum docti cuiusdam querela de Pauli obitu sic habet. Qui dum eo vno iam quinquagesimum compleret annum repentino ac inopinato (heu vbi tuta fides serue nequam) longe vltro victurus maxima cum omnium ac Curiæ totius incredibili dolore eripitur, non video quamobrem mors Paulo Æmilio properaretur, quod prodesset omnibus quem nemo non amaret, & non magnum lucrum ex eius morte factum intelligeret, translata erant in suos sacerdotia neque ipse nisi laboriosam libellorum præfecturam exercebat. Vidi inter eas schedas manu ipsius annotatum ante paucos annos quam moreretur nunquam se liberos atque integros Ecclesiasticos possedisse redditus maiores annuis quingentis aureis. Erat eodem loco additum duo tantum se in optatis habere, alterum vt porticum ædis Diui Eustachij cuius titulum gerebat absolueretur, alterum vt debitum Parenti sepulchrum cum Sacello exstrueretur, hæc cum perfecisset libenter reliquos Thesauros suos de quibus homines loquerentur filijs suis relicturum. Ita enim per iocum & filios quos vir castissimus nullos habuit, & Thesauros appellauit qui ingens æs alienum tribus fratribus dissoluendum reliquerit. Nam quantum video, maluit alios, rei augendæ operam dare, ipse semper in grauioribus ingenuis studijs animum exercere, quibus in omni vita excellenti animi virtute interdiu laborare, nocte vigilare, omnibus se velle earum esse, egentes subleuare, assidue Principi adesse, templa frequentare, pietatem colere non fuerunt hominis quicquam fortunæ cedentis, sed in Deo & virtute præsidium ponentis quod per litteras vt facerent hortari fratres non cessabat, quorum vt omnium propinquorum tantam curam gessit vt Parentis officia cunctis eximie præstaret Chiappinum fratrem patruelem sic dilexit vt nullum magis eiusque liberos vti suos duxit, quorum natu maiorem Petrum Donatum cum eius adhuc teneri ingenium atque indolem egregium probaret non destitit, donec in disciplinam magno Alciato traderet, sic Chiappini Fratres Franc. perpet. muneribus ac magistratibus per Pontifices exornauit. Iulium in intimis habuit, eoque petente multis concessit, Ioannem Andream & Ceruiensem Episcopum, & rerum omnium suarum summum Procuratorem constituit se suos, suaque omnia illius fidei ac beneuolentiæ tradidit. In Sanctacrucios, Montorios, Attios omnia contulit demum neminem suorum habuit, in quem non fuerit beneficus. Tanta porro facilitate erga eos quos semel complexus esset, vt è male meritis & grauiter peccantibus nocere non sustineret. Omittam nimis priuata quædam. Cæsiani municipes qui tantum Cardinali atque eius familiæ, ac maioribus debebant quantum alicui post Deum deberi à quoquam possit fratrem ipsius Ioannem Iacobum nescio quid iuueniliter vt erat militaris impotentis ingenij conantem seditione coorta in apertissimum vitæ periculum conicerant, & armis persequuti è publicis oppidi mœnibus desilientem exturbarunt, quo audito Paulus cui Cæsianorum prætecturam ante X. an. Clemens Pontifex demandarat & si nullam iracundiæ causam habeat atque iniuriam vlcisci poterat, tamen satis habuit scripto leniter castigare, monere eos de officio, beneficia sua ac suorum in memoriam illis reuocare, deinde rursus solitam beneuolentiam polliceri, quam reipsa quamprimum demonstrari voluit, missi ad eos Franc. Patrucle Præfecto arcis ac Pontificio Quæstore qui vniuersi populi & singulorum ex Plebe æs alienum in publicas tabulas referret, quod leuare omnes & Arario eximere propositum esset atque in perpetuum tributis quib. olim à Spoletinis grauarentur liberare, in omnes amicos tenues, mediocres similiter se gessit quod & de alloquendi copia & potestate secutos esse voluit & scribendi, rescribendique officio ac Comitate plerumque superauit cum illos interdum puderet quod is nullis acceptis litteris ad eos bis, terue scriberet, argutas a. & iocosis, latinasque Epistolas ita adamauit. vt nulla re magis multi ab illo gratiam inirent & laudem ipse magnam talib. mittendis consequeretur. Exarabat a. maximam partem manu sua certe omnes in quibus arcani quidpiam esset, nam accurate & diligenter maxima minima scribendo cedere potuit. at aduersus eos quibus exhibere honorẽ instituerat tum semper diligens tum constans erat, vt siue coram ageret, siue literis nunquam desiderari officium suum passus sit, cæteraque omnia post haberet, etiamsi contra sua commoda veniendum esset. Cum propter grauia negotia quædam Fabium Arcam I C. affinem suum publice profitentem Ingolstadij necessario reuocasset, cuperetque maiorem in modum quam citissime illum reuerti atque is idem discuperet, iamq; itineri se accingeret tamen vbi litteras de ea re à Bauariæ Principibus accepit & est à Cardinali Mantuano rogatus, vt Fabium in gratiam suam atque eorum Principum iuberet annum tertium ibidem profiteri omnino libenter consilia sua distulit, commoda interrupit, ne non ei quem amicissime coleret morem gessisse videretur. Quod quidem perpetuo obseruauisse commemoratur, adeo vt ne dissimilitudinem quidem tametsi rectam pati vellet Institutorum quæ cuipiam eiusmodi Principi amico placuissent. Quinque Viris vici Nidi Neapolitanis rogantibus vt Decreta sodalitatum Monasterij Mariæ Gratiæ cuius esset patronus immutaret, corrigeret, temperaret, hoc suo instituto vsus respondit id non esse sibi integrum, cum enim in eo patrocinio successor sit Paulus III. Pont. Max. qui magno cum iudicio semper Prouincias suas administrasset, hominesque sibi subiectos recte gubernasset nihil vnquam in ea sodalitate innouandum putasset, haud decere modestiam suam instituto discedere Magni ac sapientissimi Principis, quæsiturum quidem si se occasio offerat eius sententiam eamq; sequuturum. hoc tenore Paulus Æmilius nunquam in obtrectationes incidisse fertur, nam & si non semper grauissimum in obtrectatores incidere, multo tamen iucundius est nullos nancisci. Neque v. tantopere obseruandos optimatum voluntatibus ambitione habebatur à qua nemo longius abfuit, solitus vno ministro sacrificio comite extra frequentiam hominum longius prouehi, vincas petere, inuidere (quod sæpe testatur) ijs qui nullo satellite nullo atriensi, nullo custode indigentes, libero, tranquillo otio recte sibi conscij fruerentur, Agricolas ipsos ad cœlum ferebat. Litteras dedit ad Octauium fratrem Episcopum Ceruiens. & rarij Pontificij septemvirum quibus hominem hortarat ad Agricolarum artem aggredi, nihil suauius, nihil iustius aut vtilius experturum, præuidere se inquit toto triennio proximo magnam frumenti penuriam futuram qua propter vtilissima hæc futura exordia agricolationis quib. blanditijs retineri non posset Aulicos ijs afficeret Colonos, atq; in ijs iam primum discederet tam verbis quam reb. munificum sese præbere, quod præstare solitus erat Paulus quoties aut ad municipes aut Sutrium accederet cum Sutrium oppidum Clemens illi quoad viueret dedisset possidendum, Sutrienses tametsi priuilegijs quibusdam muniti essent, ne hoc modo cuiq; in feudum traderentur, tamen sine contentione Paulum æquissimo animo acceperunt, eius patrocinio id consequuti, vt postea semper more aliarum patrocinij Ciuitatum à Legato, Gubernatoreue moderarentur. quanq; Paulus Ciuitati quoque Albanæ alijsque oppidis eodem iure præfuit, Pra toribusq; in ijs cõstituendis bonoq; publico procurando Pontifici sibi atq; Oppidanis satisfecit, vnum tantum genus quantum apparet mortalium insectari

præcipue solitus quas stryges, lanias, veneficasque vocant quarum copiam cum illa tempestas tulisset iure debet Pauli seueritas commendari.

Cæterum Romæ in summa Republic. sic est versatus vt factionum nomina effugerit, neque à quoquam aut Cæsarianus, aut Gallicanus appellari iure potuerit, non enim putabat sapientis senatoris hisce contentionibus se committere & sententiam suam fouendis partibus accommodare, sed cum per intimam familiaritatem cum Pontificibus Max. eorum animum ac consilium inspiceret ea plerumq; probauit, quæ illos sentire ac cupere animaduertit, alias nonnisi quæ decus sui ordinis & bonum publicum postularet suasioneq; Carolo ingratus à quo summis ornamẽtis priuatus ipse cum familia affectus fuerat, neque Regi Francisco non acceptus cum fratrem apud eum honorifica stipendia merentem haberet, veterique studio Cæsij easdem quas Vrsini partes tuerentur. Quod ad ipsius figuram corporis attinet, statura ea fuit quæ neq; magna neq; parua dici posset, colore subalbo non candido, barba subnigra non admodum prolixa æqualiter genas vestiente, crinibus non curtissimis vsus, facie decora, qualem pictura & statua ænea sepulchro imposita præ se fert. Ad D. M. maioris vbi sepultum diximus hoc Epitaphio addito.

D. O. M.

Paulo Æmilio Cæsio S. Eustachij Diac.
Cardinali à Leone X. electo libellis gratiæ signandis Præfecto à Clemente VII.
Ad præcipuas res agendas adhibito.
Basilicæ huius Archipresbytero Federicus
Cardinalis B. M. P. vixit annos 56. obijt anno salutis M. D. XVII. nonis Augusti.

ANNO CHRISTI M. D. XXIII.
CLEMENTIS PAPÆ VII. ANNO I.
CAROLI V. ROM. REGIS ANNO 4.

Hadriano Pontifice defuncto Romæ summa inter Patres de pontifice eligendo contentio oritur.

NOuemdialibus sacris Hadriano defuncto absolutis, Cardinales Comitium ingressi sunt ipsis Calendis Octobris. Quinque & triginta numerabantur, suffragijs ferendis. Principes actionum, seu factionum, duo inter Senatores potentissimi, Pompeius Columna, & Iulius Mediceus. Inter illas Nouemdiales cærimonias, quum Iulius facile primus omnium, ex professo ipsius sectæ candidatus prodiret, & præhensando singulos Senatum sibi conciliaret, Pompeius aut commutata, aut certe detecta voluntate, respondebat se initis Comitijs illi suffragaturum, qui bonus Reipublicæ futurus Pontifex optimorum iudicio censeretur. quæ verba parum propensi, & plane alienati animi indicia præferebant. Ob id Ludouicus à Corduba Cæsaris Legatus, seuera quadam & parum familiari obtestatione vsus à Pompeio postulare cœpit, vt studium atque suffragium suum in attollendo Iulio conferre vellet: Si secus fecisset, eum aduersus Cæsarem facturum, à quo vnus omnium Iulius maxime probaretur. Ad ea Pompeius, arrogantia hominis plurimum offensus, nihil aliud respondit, quam se daturum operam, vt plane intelligeret neq̃uaquam legatorum iussu, sed liberis Senatorum suffragijs, Summos Pontifices creari. Inerat enim Pompeio ea vis ingenij, vt si quid ab eo impetrandum foret, demissis ac blandioribus alloquijs, lenienda potius, quam vlla superba denunciatione exagitanda videretur. Nemo enim eo superbius arrogantiam elatorum hominum contempsit, atque irrisit; quam ex aduerso erga modestos iocundoque demisse & comiter omnibus humanitatis officijs vteretur; vtpote qui in tota vita humanitate vinci longe turpissimum esse dicere consuesset. Fuere qui existimarent Pompeium ab Iulio studium suum his maxime de causis auertisse: quod Pontificatum in vna domo, duobusque fratribus continuari, parum æquum & maxime ambitiosum putaret; quod senioribus iure optimo suffragandum arbitraretur, quodque demum valde indignum censeret, eum Christiano orbi, & sacrosanctis cærimonijs ante omnes Patrum iudicio præfici, qui parum certa, neque propalam legitima Iuliani patris vxore natus esse diceretur. Quamquam eius rei notam, quum ille inter Senatores ascisceretur, prolixa iuris testificatione sacrati iudices aboleuissent. Itaque summa contentione Comitijs initis, in duas partes scissus fuit Senatus. Seniorem prærogatiuam Pompeius vehementissime tuebatur; iuniores in vnum densati globum constantissime Iulio fauebant; & eo quidem firmius atque felicius, quod nemo eorum fere esset, qui vel occulte ambiret: quum ex aduerso corpore Seniorum plerique essent, qui flagrantibus animis ad Pontificatum aspirarent; fiebatque, vt quum obtrectatione atque inuidia alienæ felicitatis, & dolore simul frustra susceptæ petitionis angerentur, inter se nequaquam syncera fine suffragia ferrent; colludentesque syngrapharum nominibus rem impedirent, magnisque propterea æstibus Comitia iactarentur. Adauxere seniorum spes Galli Senatores, hyberno & procelloso mari, cunctis inopinantibus Romam delati; qui id vnum contendebant, ne Medices Gallici nominis apertus hostis Pontificatu potiretur. Ij fuere Claramontius, Lotharingus, atque Borbonius; *quibus cum Pompeius frequenter epulabatur.* Extractaque iam erant Comitia ad quinquagesimum fere diem, cum inuidia generis humani, & summo dolore consternatæ ad arma vrbis; adeo vt plerique magnopere timerent, ne dira Patrum obstinatione, Senatus in diuersa secederet, Comitij claustra frangerentur, creatisque inde duobus Pontificibus supremam cladem sacris, & reipublicæ allatam conspicerent. Sed in ipsos præsertim contentionis authores & principes Iulium atque Pompeium inuidia vertebatur, lacerabaturque amborum fama acerbissime atque liberrime: quum quisque in periculo publico, priuatim saluti suæ, fortunisque metueret: adeo vt quum in maledicentissima ciuitate probrosis carminibus vti lasciuireque liceret, Crotus è Regio Lepidi, poeta amarulentus, virulentum quoddam epigramma in foro legendum affixerit.

Neque poetæ demum fides defuit, quum paulo post ex eorum dissidio, vrbs Roma, summæ calamitatis cladem pene funditus euersa subierit. Porro Iulius ad declinandam inuidiam, superiorum Comitiorum euentu doctior & constantior effectus, se iturum in suffragia dixit, cohortaturumque amicos suos vt idem facerent, si quispiam ex Senioribus, supremo honore dignus, virtuteque animi insignis nominaretur. Erant dignitate, gratia, atque ætate pares plerique, & in his Flisicus, Farnesius, Montanus, Crassus, Soderinus, & Caruaial; qui vel occulto suo, vel publico iudicio sibi neminem præferebant, æquali ambitu spes alebant: ita vt consilia, votaque varijs animi recessibus implicarent. In eo æstu occultarum voluntatum, Pompeius quum Iacobatium nominasset exactæ ætatis Senatorem, vitæ innocentia, & iurisdicundi laude conspicuum, illumque minus probari à Gallis Senioribusque earum partium videret, commutata consilij ratione sibi mature prospiciendum esse constituit. Nam quum Iacobatium vti Columniæ familiæ clientem, & Cæsarianæ factionibus studiosum repudiare viderentur, etiam Claromontius Franciottum Vrsinum, vti nobili & moderato, tractabilique ingenio hominem, cumulata cum laude nominarat. Quamobrem commotus cœca bile & eo motu Pompeius, ne Vrsinus familiæ suæ Cæsarisque ex professo hostis Pontificatu potiretur, ad Iulium se conuertit, quem si ei obstinatius obniteretur proculdubio Vrsino suffragaturum videbat, vti amico veteri, beneficarioque, & arctissima cognatione Mediceæ domui coniuncto. Iam enim ex insolito tetroque odore, nonnullos Senatores inuaserat grauis morbus, senioresque macie deformati & exangues cupiditati & reliquæ spei consequendi honoris finem imponere, quam pestilentissimi carceris tædia ad certum vitæ discrimen diutius perpeti malle

videbantur. Galli eo tempore compulsis in vrbem Cæsarianis, & tum ægre sustinentibus, Mediolanum obsidebant; Prosperque Columna ex morbo qui ei supremus fuit, decumbens, frequentibus literis Pompeium obtestabatur, vt pertinaciæ & contentioni finem faceret, verteretur que totus ad subleuandum Iulium, quo vno Pontifice creato, propter amplissimas Ethruscі imperij facultates, & insigne eius studium, defendi omnino res Cæsaris, & profligari Gallorum copiæ possent. Itaque Pompeius, vbi Seniores magna ex parte Gallicæ factionis studiosos esse comperit, Secreto Iulium adiens: An non mihi, inquit gratiam habebis, si te iam ad Pontificatum extulero? At ille; Si serio dicis, egregie profecto tecum agam, respondit: & tu cum priuatis rebus tuis honeste seruies, tum publicis, Cæsarisque inprimis præclare atque opportune consuleris. Tum Pompeius altitudine generosi animi honestissimam laudem quærens, id vnum enixe postulauit, vt Sederino veteri inimico, & plerisque item Cardinalibus à quibus acerbissime atque inimicissime fuerat oppugnatus, syncera fide parceret, eosque omnes in gratiam reciperet. Forte enim vt ex clementiæ laude, qua nihil esset in Sacrosancto Pontifice præstantius, insignem apud omnes Christiani orbis nationes gloriam adsequeretur. Dexteram tum Iulius Pompeio dedit, prolixe pollicitus id se præstaturum; obligauitque ea in re fidem suam Clementis septimi nomine desumpto, qua vna nominis professione, tamquam edicto, inimicos aduersarioque omni metu liberare videretur. Nec mora, authore atque hortatore Pompeio, quum is nudatis conuersi animi consilijs Comitiorum haud dubie princeps prodiret, illustrique authoritate quam plurimos adduceret, cuncti fere Cardinales Iulium adorarunt, tanta seniorum mœstitia, vt non multos post dies, ex ægritudine animi conceptis morbis, Soderinus ipse & Crassus, itemque Carualal & Flisicus perierint. Nocte, quæ diem XIX. Nouembris præcessit, communi omnium consensu Pontifex est salutatus, & sequenti luce, eo ipso die quo ante duos annos victor Mediolanum erat ingressus, mane statim solenni sortitione de more facta, Pontifex Maxim. est renunciatus. Iulij nomen retinere volebat; sed à nonnullis Cardinalibus obseruatum fuisse, eos qui Pontificatum adepti nomen non mutassent, omnes intra breue tempus obijsse admonitus: & quod eius Diui festus dies prope adesset, & quod Volaterrano Cardinali alisque simul ac designatus fuerat omnes offensiones condonasset, eumque cum suis in gratiam recepisset, Clementis septimi nomen assumpsit. Nam, etsi Volaterranum extremis vitæ diebus indignum qui Conclaue ingrederetur, Hadrianus declarasset, Collegio tamen concedente erat ingressus: & ad extremum vsque contra Iulium Medicem cum suis omnibus perstiterat. Clementis VII. nomine assumpto, ante Basilicam Vaticanam, à Marco Cornelio Veneto, S. R. E. Archidiacono, insignia Pontificatus accepit, primum de more consecratus. In ea solenni pompa, tantus populi plausus & acclamatio orta est, quantum post conditam vrbem non sæpe auditam fuisse memorabant. Namque prædicabant illum à Deo Principem summo loco natum, pium, iustum, vtramque fortunam singulari constantia & moderatione sæpius expertum, magni animi, maximæ fidei, & diuinæ propemodum sapientiæ, nullis obnoxium vitijs, aut voluptatibus deditum; in administranda Republica & maximis in rebus summa cum laude versatum, ad iuuandos mortales, & ad Dei gloriam propagandam vnice æducatum. Augebat opinionem, quod res maximas atque singulares esset aggressurus, atque confecturus, quod quum multa Leonis facta illi tribuerentur, omnes illum animo vasto, atque magnarum rerum cupidissimo esse existimarent; deinde quod in consilijs suis grauis & constans haberetur; quod Leonis tempore tot annos Pontificatum administrasset; quodque amplissimo Ecclesiæ Imperio, Florentinorum potentiam ex arbitrio suo coniunctam haberet: & quod non postremum censebant, Cæsaris, Angli, Poloni, Vngari, Lusitani, Regum necessitudine niteretur. Et sane ipsius creatio, statim Pontificio imperio summam peperit securitatem. Quoniam Alfonsus Ferrariensium Dux, tali Pontifice in ea Sede collocato territus, quum Mutinam, tribus & quadraginta millibus aureorum apud Maximilianum Cæsarem à Leone X. Pontifice emptam & iuris Ecclesiæ Romanæ vnicum Regio Lepidi factam, per interpositicium inuasisset ac Neapolitani Proregis aduentus illam retinere non amplius speraret; & minorem in Gallis qui antea per Theodorum Triuultium, qui ad eius exercitum venerat, vt ipsis adhæreret, multa ei pollicebantur spem haberet, idoneo præsidio Regij & Ruberiæ relicto Ferrariam redijt. In Flaminia quoque quo aduersæ factionis opprimendæ colore, sed reuera à Gallis incitatus, Ioannes Saxatellus, Hadriano regnante. Gibellinorum potentia pulsus, Guelforum ope venerat, cunctaque fere vastauerat, tumultus sedati sunt. Eo quoque nouo Clementis Pontificatu, Cæsarianorum, Venetorumque armis, virtuteque maxime Piscarij summi Ducis. Guilhelmus Amiras Gallicarum Imperator copiarum, duobus ad Sesithem amnem victus prælijs, Italiæ finibus depulsus est; quando Clementi, Italicæ quietis cupientissimo desiderium fuerit, vniuersa ea prouincia, omnes expellere Gallos. *Iouius in Pompeio Columna. Panuinius in Clemente 7. Guicciardinus lib. 15. Ciacconius in Clemente. M S. Bibliothecæ Vaticanæ numero 3577. & 3915.*

Clemens VII. Pontifex creatus.

Italia nouo Pontifice creato magnis liberatur miseriis.

III. *Lutheri ad Ioannẽ Saxoniæ Ducem de principibus Catholicis calumnie.*

Fuissent ad hũc modum in Germania res securæ à Luthero, nunquam quieto, sed ad turbandas omnino res nato, & à malo genio excitato. Is vbi accepit, à Catholicis Principibus nouum Testamentum, quod Germanicum fecerat, vel potius infecerat prohiberi ne emeretur, ac publicis edictis præcipi vt emptum traderetur delectis Commissarijs aut Præfectis, ita profecto in seculares quoque Principes & ira exarsit, & maledico calamo debacchatus est, vt omnes Maledicendi vires, & omnia conuitiorum tela in eos solos, in Papam vero & Episcopos nihil antea euomuisse visus fuerit. Mox igitur ad initium huius anni 1523. edidit librum Theutonicum, *De potestate seculari*, ad principem suum Ducem Saxoniæ Ioannem, qui hoc tempore fratre seniore adhuc viuente, nondum erat Elector. Ad quem sane tanta mendacitate in Principes libere inuectus est, perinde ac si is, ad quem scribebat, aut Princeps natus non esset, aut ab alijs Principibus velut hostis, aut apostata degener ad ignobile vulgus defecisset. Nemo enim est qui non miretur, Principem tot retro clarissimis nobilissimisque Atauis illustrem, æquis auribus accipere potuisse hæc ignobilis ex plebeia fæce apostatæ in eo libro verba. In Missnia, inquit, in Bauaria, in Marchia, alijsque in locis promulgauerunt tyranni edictum, vt noua Testamenta hinc inde in Præfecturas tradantur. Hic subditi sic agant. Non foliolum, non litteram, vnam tradant, sub periculo salutis suæ. Quisquis enim id fecerit, is tradit CHRISTVM Herodi in manus. Illi enimagunt velut Christicidæ, sicut Herodes. Hoc autem ferre debent, si iubeatur, irruptionem in domos fieri, & vi tolli siue libros, siue bona. Temeritati resisti non debet, sed ferenda est, non autem iustificanda: nec ad eam præstari obsequium, aut sequela, aut obedientia, ne vestigio quidem aut digito vno. Tales namque tyranni agunt, sicut agere debent Principes mundani. Mundani Principes sunt: Mundus autem inimicus est Deo. Idcirco & ipsos quoque facere oportet, quod Deo contrarium, mundo autem consentaneum fit; vt scilicet non fiant infames, sed Principes mundani permaneant. Ne mirerisigitur, si contra Euangelium furunt, & fatue agunt. Oportet ipsos titulo nominique suo satisfacere. Et scire debes, quod ab initio mundi admodum rara auis est Princeps prudens: adhuc multo rarior Princeps probus. Sunt communiter maximi fatui, aut pessimi nebulones super terram. Quapropter semper pessima quæque ab ipsis expectanda sunt, & parum boni sperandum est: præsertim in rebus diuinis, quæ ad salutem animarum pertinent. Ipsi enim lictores sunt & carnifices Dei, quibus vitetur ira diuina in vltionem malorum, & ad externam pacem conseruandam. Magnus Dominus est Deus noster; idcirco & tales, nobiles scilicet, illustres, & diuites carnifices & lictores, cum habere oportet: & vult, vt habeant opes, honorem, & timorem ab omnibus copiose & abunde. Placet diuinæ eius voluntati, vt carnifices eius vocitemus clementes Dominos; ad pedes eorum procidamus, eisque cum omni humilitate subiecti simus; sed eatenus, quatenus artificium suum non extendant nimis longe, vt ex car-

nificibus pastores fieri vellent. Si Princeps prosperatur, vt sit prudens, probus, aut Christianus, hoc ex magnis miraculis vnum est, & pretiosissimum signum diuinæ gratiæ super eam prouinciam. Nam iuxta communem rursum euenit secundum illud Isaiæ III. Dabo pueros Principes eorum, & effœminati dominabuntur eis. Et Oseæ XIII. Dabo eis Regem in furore meo, & auferam in indignatione mea. Mundus nimis malus est, nec dignus, vt multos habeat Principes prudentes & probos. Oportet ranos habere ciconias. Hæc ibi Lutherus in odium & contemptum Principum secularium, ad Principum & Protectorem suum.

IV. Sed adhuc multo minacius seditiosiusque paulo post hæc verba subiunxit. Hi sunt, inquit, Christiani Principes nostri, qui fidem Turcamque deuorant; imo vero pulchri socij, super quibus bene confidendum est, vt eiusmodi pulchra prudentia aliquid efficiant; nempe, vt præcipitio collum frangant, terrasque & homines in clades & miserias perducant. Ego autem excæcatis hominibus perquam libenter consulerem, vt prospiciant sibi à quodam paruo dicto, quod Psalmo 106. habetur. Effudit contemptum super Principes. Ego vobis iuro per Deum, si neglexeritis, vt hoc paruum dictum super vos veniat cum impetu, perditi estis, etiamsi vnusquisque vestrum tam potens esset, quam Turca est; & nihil proderit vobis inflari ac furere. Et iam magna eius dicti pars in effectum processit. Nam admodum pauci sunt Principes, qui non habeantur pro fatuis, aut nebulonibus. Causa huius est; quia & tales se demonstrant, & populus communis sit intelligens: & Principum plaga, quam Deus contemptum vocat, potenter progreditur in plebe & communi populo. Et vereor, ne prohiberi non possit, nisi Principes agant vt Principes decet, & incipiant rursus cum ratione & modestia gubernare. Non ferent, non possunt, nec volunt vestram tyrannidem petulantiamque diu perferre, boni Principes & Domini. Secundum hoc agere sciatis: Deus non vult diutius permittere. Non amplius nunc mundus est, vt olim, quando homines sicut feras venabamini, & exagitabatis, &c.

V. Interea dum sic furet Lutherus, quidam Germani piam ac eruditam illam Regis Angliæ assertionem, qua gloriose ac fortiter defendit à Lutheri captiuitate Babylonica, Septem Ecclesiæ Sacramenta, cœperunt à Lutheranis calumnijs asserere, & mendacia in os & calamum Lutheri retorquere, Ioannes Eckius Latine, Thomas Murnerus Theutonice. & quidem hic festiuissime cum enumerasset & conuicisset Lutheri mendacia Quinquaginta, ex vno libello in Regem edito, quinquagesimo & vltimo eius mendacio affinxit in margine coronam insignem, eo quod insignissimum, & velut Rex quidem cæterorum eius mendaciorum, illud esset. Nempe dixerat in fine libri sui Lutherus; *A virulentia & mendaciis abstinui.* quod nobile eius mendacium, Murnero visum est corona dignissimum; cum satis constet, omnes, quotquot in Lutherum scripsere, aduersarios, illum quamplurimorum conuicisse mendaciorum. Nam vnus Ioannes Dietenbergius Dominicanus, pius & eximius Theologus, in duabus duntaxat Confutationibus, quas in eum de votis, & de Confessione scripsit, arguit eum non minus quam DCC. & LXXIV. mendaciorum: præter alia innumera, quæ alijs in responsionibus suis illi nec falso, nec iniuste imputauit. Cæterum ex Anglis quoque viri duo, Regem suum à Lutheri obiectionibus & calumnijs defenderunt, editis libris doctissimis: nempe Ioannes Fyscherus Episcopus Roffensis, vir iuxta & summæ eruditionis, & integerrimæ vitæ, famæque ac pietatis: qui vt summus erat Theologus, & trium præcipuarum linguarum pertitissimus, grauissime sane & copiosissime confutauit Lutherum, atque Oecolampadium: hunc libris quinque, De venerabili Eucharistiæ Sacramento; illum grandi primum volumine, contra assertionem LI. articulorum, quos in Bulla damnauerat Leo Papa: deinde alio libro, pro defensione Regiæ assertionis: & alio item libro, pro defensione Sacerdotij sacri. In quibus sane omnibus, & mira vsus est modestia contra immodestissimum & profunda in confutandis erroribus, detegendis impostoris, conuincendis mendacijs, citandisque tum Scripturæ, tum veterum authorum testimonijs, eruditione. Cuius sane initium in Regij libri defensione, propter insignem Lutheri malignitatem, ex iusto dolore est aliquanto acrius, quam summa viri lenitas & mansuetudo loqui aut scribere consueuerat. Sic enim ait: Christi vox in Canticis est, Capite nobis vulpes paruulas, quæ demoliuntur vineas. Qua plane monet, hæreticos esse capiendos, antequam adolescant. Nam si vulpinis fraudibus vineas, hoc est Ecclesiam CHRISTI demoliri student. Optarim igitur, vt hanc vocem audijssent si, quibus ex officio incumbit, hæreticos, dum paruuli sunt, comprehendere. Neque enim hodie tam grauis esset in Ecclesia tempestas, & rerum omnium perturbatio, si Lutherus, dum esset vulpecula, fuisset repressus. At nunc euasit in vulpem grandiusculam, annosam & veteratricem, tot dolis, astutijs, artibus instructam, vt medium teneri difficillimum sit. Sed quid dixi vulpem? Parum est; canem dixissem rabidum, imo lupum rapacissimum, aut sæuissimam quandam vrsam, quæ raptis catulis, furore quodam agitur; vel magis hæc omnia simul. Multos enim hoc monstrum inter se bestias alit. Sed & eiusmodi nomenclaturis apprime gloriatur; Seipsum enim appellat vrsam & leænam: nam & vtramque se futurum Catholicis profitetur. Alter Anglorum qui Regem suum egregie defendit, fuit Thomas Morus, sub nomine Guilhelmi Rossæi, vir acutissimi ingenij, ac insignis tum eruditionis, tum eloquentiæ; qui omnia dexteritate & facete ludens, & grauiter obiurgans, certissimis testimonijs ita conuincit Lutherum, & in os eius improbum omnia ipsius mendacia retrusit, vt is contra ne hiscere quidem ausus fuerit; quemadmodum & Episcopo Roffensi, neque Lutherus, neque Lutheranorum quispiam respondere vmquam attentauit. Quoniam vero liber Rossei, Londini editus, apud alios vulgo non extat, opere pretium fuerit, vnum aut alterum ex eo locum recitare, ex quo clarius omnes intelligant, quam nulla fuerit apud exteros, quibus fides aut probitas cordi erat, Lutheri existimatio. Ait ergo Rossæus.

Thomas Morus Angliæ Regem à Lutheri Conuitijs defendit.

Vidisti lector aliquando cæcum, qui pugna se cuperet irritatus vlcisci? verum, vt scire possit quam in partem dirigat ictum, elicit ab aduersario vocem, quam prolatam protinus prosequitur verbere, nisi citius alter se subduxerit, quam vt à cæco possit attingi. Hunc cæcum mihi videtur agere Lutherus: sed ita, vt nemo vmquam magis egerit ridicule. Nam cum Rex appellatus ei respondet ad dextram, ille contra ictum proijcit in sinistram. Itaque specta, quæso, quam festiuiter Lutherus hunc ludit ludum. Cogita nunc videre illum, obcæcatis oculis intentum stare ad ingerendum colaphum. Vbi estis, inquit, Domine Henrice? Hic in proximo. Adhuc inuitat, vt accedat propius, vt feriat certius. Producite, inquit, vestrum egregium contra Lutherum libellum. Produco. Adhuc propius. Quid asserit vestra Dominatio? An septem Sacramenta? Assero. Adhuc propius paululum. Quibus doctrinis? Dei, an hominum? Dei. Iam feriendi certus scilicet, en quam recte librat ictum. Audiat, inquit, ergo Dominatio vestra. Frustra colunt me doctrinis hominum.

VI

Spectatum admissi risum teneatis amici.

Guilhelmi Rossei contra Lutherum exaggeratio.

Qui videtis hunc cæcum insciam, quam longe aberrarit in diuersam partem, sic exultare præ gaudio, vt compos non sit sui, quasi egregium colaphum infregerit aduersario. Et infra. Verum, quis nebulonem ferre po-

test talem, qui mille vitijs ostendat se possessum, atque agitatum à legione dæmonum, & tamen ita se iactat stolide, dicendo; Sancti Patres omnes errauerunt: Ecclesia tota sæpius errauit: doctrina mea non potest errare, quia certissimus sum, doctrinam meam non esse meam, sed Christi. videlicet alludens ad illa verba Christi, verba mea non sunt mea, sed eius, qui misit me pater. Quid vero istud? Papa cadet, dogmata mea stabunt. Nonne certare videtur cum illo Christi. Cœlum & terra transibunt, vnum iota non peribit de verbis meis? Nam cum ait: Rapuit me Dominus imprudentem in medias has turbas: hoc plus est, quam, tulit illum Diabolus, & statuit supra pinnaculum templi Quod si quis respondeat, Testimonium tuum non est verum: quia testimonium perhibes de teipso: recurret illico ad nouam Scripturam suam; Ego certus sum, dogmata mea habere me de cœlo: atque ibi sistet, in hoc suo principio velut firmissimo fundamento, quod non omnes Papæ, Reges, Doctores, homines, Angeli poterunt euertere. Certus igitur, imo certissimus, dogmata sua habere se de cœlo; sicut certi sunt & certissimi, qui dormiunt, omnia vera esse quæ somniant. Imo vero certus & certissimus, mentiri se vigilantem, dogmata sua esse de cœlo, quæ sua sibi murmurat conscientia, dæmonum illi præstigijs immissa. Hominibus maledicis & Angelis, quicumque dogmatis ipsius contradicunt, & eos clamat os in cœlum ponere, conspurcare sacra, blasphemare Deum, quicumque non verentur arguere spurcissimas ipsius blasphemias. Tantum modo clamat, Anathema sint omnes, quo impetunt dogmata mea; quia certus sum, dogmata mea habere me de cœlo. Hoc igitur principio à reuerendo patre posito, & à nemine concesso, sic arguit vlterius reuerendus frater, pater, potator, Lutherus, extra Ordinem sancti Augustini fugitiuus, vnus ex magistris inertibus Wittenbergensibus, vtriusque iuris Bacchanalius informis, & in Sacra Theologia Doctor indoctus. Ego certus sum, dogmata mea habere me de cœlo; ergo dogmata mea sunt cœlestia. Et tunc vlterius sic; Dogmata mea sunt cœlestia: ergo quicumque contradicit dogmatis meis, os ponit in cœlum, & blasphemat Deum. Quoniam quidem igitur contradicunt meis dogmatibus, Pontifex, Imperator, Reges, Episcopi, Sacerdotes, laici, & omnes in summa boni, mihi licebit pro Dei mei maiestate Pontificem, Cæsarem, Reges, Episcopos, Sacerdotes, laicos, omnes denique bonos anathematizare, maledictis & comitijs ineessare, atque in omnium coronas & capita, licebit ex ore meo lutum, cænum, stercora, merdas expuere. Et rursus libro secundo in fine, idem Rossæus ait: Iam illud quam ridiculum, quod excusat se, ne videatur scilicet nimis inclementer mordere Principem. Ego profecto non dubito, Regem illi facile morsus omnes condonaturum; quippe qui verum videat illud esse Senecæ; Raro mordet canis, qui latrat. Latratibus profecto Lutherus æquiparat Cerberum, morsu vix culicem. Verum quidni latret strenue, vir videlicet optimus & modestissimus, quando cum insensatis, vt ait, monstris, quæ non sentiant, eius omnia scripta esse ipsius vnius præconia optima & modestissima, id est hæresibus & blasphemijs tam inflata, quam nullum vmquam vtrem quisquam inflauit vento. Quæ monstra induruerunt etiam ex illius humillima submissione, qua sic se submisit fraterculus Vicario Christi, quomodo Iudæi submiserunt se Christo, quum datis alapis flexerunt genua, clamantes per ludibrium, Aue Rex Iudæorum. Verum à mendacijs & virulentia prorsus abstinuisse se testatur ipse, cui nihil est aliud in calamo, quam calumniæ, mendacia, sycophantiæ; cui nihil est in animo, quam virus, tumor, inuidia: qui nihil in capite concipit, præter stultitias, furores, amentias; qui nihil habet in ore præter latrinas, merdas, stercora, quibus fœdius & spurcius quam vllus vmquam scurra scurratur: quorum nemo repertus est vmquam præter istum, tam stolidus plagepatida, vt sibi stercus in os conijceret, quod alij spuerent in sinum. Quamobrem quum sit huiusmodi, nihil miror, si nunc indignus habeatur, quo cum quisquam disputet. Certe quando quidem totum se deuouit inferis, & obdurauit in schismate, nec vmquam decreuit hæreses recantare; statuere tamen secum debet, aliquam saltem vt habeat ciuilis honestatis rationem, quo sibi potius vendicet autoritatem dogmatistæ, quam vilis in hæretico scurræ. Quod si quandoque velet, si disceptabit serio, si mendacia sua recantet, ac sycophantias; si abegerit stultitias, furores, & hactenus nimium familiares furias; si merdas suas resorbeat, & sua relingat stercora, quibus tam fœde linguam suam calamumque conspurcauit; non deerunt, qui de re graui grauiter, quod decet, disserant. Verum si ad istum quo cæpit modum scurrari pergat, & furere; si grassari calumnia, nugari stultitia, insanire dementia, scurrilitate ludere, nec aliud in ore gestare quam sentinas, cloacas, latrinas, merdas, stercora; faciant quod volent alij, nos ex tempore capiemus consilium, velimus ne sic bacchantem ex eius tractare virtutibus, & coloribus suis depingere, an furiosum fraterculum, & latrinarium nebulonem, cum suis furijs & furoribus, cum suis merdis & stercoribus cacantem cacatumque relinquere. Et in peroratione operis hæc quoque adiungit. Nam is eo modo rem tractat, vt plane se declaret meditari secum, immortalitatis quoddam genus absurdissimum, eaque iam cœpisse perfrui, & totus esse, versari, viuere in huiusmodi sensu & titillatione gloriolæ, quod futurum præsumat post aliquot ad huc ætatum myriadas, vt recordentur & loquantur homines fuisse olim aliquando apud seculum prius nebulonem quemdam, cui nomen Luthero fuerit, qui quum Cacodæmones impietate vicisset, vt dignis emblematis ornaret sectam suam, picas garrulitate, lenones improbitate, prostibula obscænitate, scurras omnes scurrilitate superarit: qui id studuerit, curarit, effecerit, vt velut Philosophorum sectæ ex ipsis habent vocabula; & Gnato meditatus sit, parasiti itidem vt Gnatonici vocentur; sic absurdissimum genus hæreticorum, impietatis, scelerum, spurcitiæque colluuies, appellentur Lutherani. Hæc Rossæus, seu Thomas Morus, Angliæ supremus Cancellarius. Rex vero ipse, vbi vidisset Lutheri in Maiestatem suã furorẽ verius quam librum, nõ contra Lutherum iratus rescripsit leuiter aut contentiose; sed grauiter, cum summa & pietate, & prudentia per litteras admonuit periculi Saxoniæ Duces, Fridericum Principem Electorem velut seniorem, & fratrem patruelemque eius, Ioannem & Georgium, hunc Catholicum, illum exemplo fratris Lutheranum, itidem Saxoniæ Duces, Turingiæ Lantgrauios, ac Misniæ Marchiones. quas sane litteras Latine scriptas, attulit eis Nuncius Regis, qui à Principibus illis tum honorifice susceptus, tum liberaliter habitus, litterisque & muneribus datis, dimissus ad Regem suum redijt. Rex autem in epistola sua, quæ sane grauissima tum verbis, tum sententijs erat, captata primum à cognatione beneuolentia, illos de multis periculis quæ ipse prudenter præuidit, & Germania post calamitose experta est, admonuit. De quibus & Dux Georgius se honeste purgauit, eiusque admonitioni reuerenter gratias egit. Verba Regis inter cætera sic habent. Quid ad vos, inquit, & tam potentes, & in Christi cultu tam deuotos Principes, aut propius spectare potest, aut debet mouere vehementius, quam cohibendæ factionis istius Lutheranæ studium? qua nullam vmquam in terras nocentiorem malus inuexit Genius, aut quæ maiorem perniciem sit allatura propediem, nisi boni pijque omnes obsteterint; & inprimis qui plurimum & possunt & debent Principes. Et infra. Quamquam non admodum decorum putem, ita me comparare, vt cum homine tali publice componar ac disputem; tamen cum Rex & propheta Dauid, non censuit indecorum, ante arcam fœderis nudum saltare cum quolibet; ipse certe non eram quemquam habiturus indignum, quo cum in gratiam religionis, pro fidei veritate differerem. Nunc vero, cum nihil ad rem respondeat, sed rationum loco proferat mera deliria, alios cum illo congredi nec dehortabor, nec prohibebo: ipse certe non committam, vt cum insaniente insaniam. Nam quisquis & æquus lector & prudens, libellum meum cum illius libro perleget, is profecto facile iudicabit, iam

Anglia Rex Henricus VIII. Saxones Principes de Luthero admonet.

nunc Lutheri nænijs satis superque responsum esse. Quod si quis illi tam inique faueat, vt mea verba non sustineat inspicere, aut tam insigniter instupescat, vt collatis vtrimque locis, non sentiat rem ad huc responso non egere, huic nulla vmquam responsione satisfecero. Et rursus. At nunc effecit hostis, vt orbi toti inclarescat alterum, nempe aut ipsum esse prorsus imbecillum, aut meas rationes admodum valuisse; quas contra inuenire nihil potuerit, præter insulsa scommata, & prorsus insana conuitia; quibus si me commoueri putat, egregie profecto fallitur. Etenim quantumuis ille me vocet insanum (vocat opinor plus millies) numquam tamen tam insanus ero, vt ægre feram, quod insanus vocer ab insano. Itaque aut mea me fallit opinio, aut istius in me ac Regium nomen contumeliosa spurcitia, vos haud paulo magis quam me, viri Clarissimi, commouet. Solet enim generosus animus nobilium reuerentia quadam inter se colligari, qua vel in hoste, qua oderint ac persequantur hominem, personam tamen honorent, ac reuereantur officium. Nec generosus fere quisquam inuenitur vsquam tam inciuilis ac barbarus, qui vel inimicitijs vllis adduci possit, vt scurrilem in modum, linguæ petulantia conspergat nobilem. Et infra. Nam si quid maledictis illis immiscuit, de cuius veritate poterat, quisquis rem non nosset, aliquid fortasse dubitare; nunc in animum succurret lectoribus, nihil illius maledicentiæ credendum, cui perpetuum institutum esse videat, de Principibus prorsus omnibus, atque ipso etiam Cæsare mentiendi. Neque enim istud Luthero nouum est, omnia comminisci ac fingere, quibus in odium Principum scelerate concitet, atque extimulet populum. In quod negotium promouendum, sceleratorum hominum caternam iamdudum contraxit atque adiunxit sibi. Itaque nulla vmquam factio fuit ita seditiosa, pestilens, nepharia, quæ sic religionem omnem tollere, leges omnes obruere, mores omnes bonos corrumpere, Respublicas omnes euertere machinata sit, vt nunc ista coniuratio Lutherana, quæ & sacra omnia prophanat, & prophana contaminat. Plurima alia Rex suggerit, atque inculcat, modeste satis & prudenter. cui quum Georgius Dux responderet, post alia adiungit: Atqui hominis scripta, perinde atque nocentissimos hostes à ciuitatibus pariter & finibus meis, quacumque ratione datur, abarceo. Id quod diligenter adeo persequor, vt cum nuper, præter expectationem meam exijsset, Germanica illa noui testamenti translatio, eius libri exemplaria omnia, quotquot importata ac diuendita fuerant, mea ipsius pecunia ab ijs qui emerant redimerem. Nimirum quod iam tum animus hoc mihi dictaret, & diligenter inspectio librorum satis indicaret, ea gratia susceptum à Luthero hunc vertendi laborem, vt hac arte vniuersam Scripturam suo commodo translatam, ad dogmata sua confirmanda detorqueret. Nam quia videbat fieri non posse, vt absurda sua illa paradoxa, veterum Theologorum, à quorum doctrina pariter & vita procul abest Lutherus, scitis astrueret, Scripturæ simplicitate aliquoties in alienum, atque adeo repugnantem sensum flexibili, ad eum modum abuti instituit. Quod autem consilium callidius aptiusque, ad simpliciorum animos captandos capere potuisset, quam vt vniuersam noui Testamenti Scripturam, nouo genere, tum interpretationis, tum annotationis, in suum iudicium deflexam, velut hamum esca tectum, vulgo porrigeret? Alioqui aut nullis, aut non nisi stupidissimis persuaderet, vt bonorum, ita & malorum necessitatem à Deo pendere. quod dogma cum in philosophis suis Ethnici homines, non tolerarint, nos Christiani, quibus fidei doctrina clariori veritatis luce affulsit, in Luthero amplectemur? Quod si semel cum Luthero recipimus, omnia euenire necessario, iam sane omnis humanæ rationis vis, omne consilium, ius denique omne, quo vel præmium bonis, vel pœna malis decernitur, frustra esse comperientur. Hæc & id genus multa Dux Georgius grauiter & ex animo, vt erat syncerus & sine fictione, ad Regem Angliæ.

VII. *Lutherus acriter & contumaciter Anglo Regi respondet.*

Idem Princeps, posteaquam vidit libellum Lutheri Theutonicum, ad nobilem quendam Hartmannum de Crōneberg editum, in quo multis iniurijs & calumnijs ille eum publice traduxerat; cœpit per litteras Lutherum interrogare, An fateretur eum libellum vere suum esse. Is autem, ferox Principum contemptor, mox ferocissime illi respondit; plus fere iniuriarum ingerens in epistola, quam fecerat prius in libello: quamuis in Lipsica disputatione longe aliter de eo Principe sensisset, atque etiam publice scripsisset antea. His igitur verbis in Theutonico exorsus est epistolam. Cessare à furendo & insaniendo contra Deum & Christum eius, loco mei obsequij, inprimis, Inclemens Princeps ac Domine; vestræ Illustris Inclementiæ litteras simul cum libello seu epistola, quam ad Dominum Hartmannum à Croneberg scripserim, accepi, & feci mihi præcipue legi eum locum, de quo vestra Illustris Inclementia quæritur, tamquam de atrocibus iniurijs, quæ ad animam, Iusiurandum & famam spectant. Ille enim libellus antea & hic & alibi excussus est. Cum igitur scire desideret vestra Illustris Inclementia quibusnam verbis in eo stare velim; breue responsum meum est, mihi tantundem valere coram vestra Illustri Inclementia vtcumque accipiatur, siue pro stando, siue pro iacendo, sedendo aut currendo. & post pauca. Nam si vestra Illustris Inclementia non mentiretur inciuiliter, me vestram animam, honorem & bonam famam lædere, Christianam veritatem non ita scelerate criminaretur & persequeretur. attamen hoc non primum est, quod à vestra Illustri Inclementia calumniatus ac male accusatus sum. & in fine sic habet. Wittembergæ octauo die Ioannis XXIII. cum hac subscriptione. Martinus Luther, Dei gratia Euangelista Wittembergensis.

Lutherus Euangelistam Wittenbergensem se nuncupat.

VIII. Paulo ante ediderat Romæ insigne in Lutherum volumen, Ioannes Fabri Episcopi Constantiensis tunc in caussis Ecclesiasticis Vicarius & Suffraganeus: quod cum admodum copiose ex Scripturis & vetustissimis quibusque authoribus Græcis & Latinis, potestatem summi Pontificis, Sacramēta Ecclesiæ, & sacros ritus assereret, in Germania quoque excusum est denuo, non solum Lipsiæ iussu supradicti Principis Ducis Georgij, verum etiam Coloniæ Agrippinæ, vbi titulum istum promeruit, vt diceretur, *Malteus* in hæresim Lutheri. In quem sane librum nihil aliud scripsit Lutherus, quam atrocem quandam columniam Theutonice in præfatione sua quam præfixit expositioni septimi capitis epistolæ B. Pauli primæ ad Corinthios. Ait enim. Prudentes seculi, stultis scelestisque scriptionibus & clamoribus suis, contra statum Matrimonij mundum replent, & ab eo cunctos dehortantur; cum tamen ipsimet interim bene sentiant, atq; etiam facto satis demonstrent, se mulieribus carere non posse; tamquam ij, qui non nisi ad matrimonium creati sunt, venantur, agitant & tractant, meretrices die noctuque. Huius generis quoque est nunc Archimorio ille Ioannes Faber Constantiensis, imo famosus ille fornicator, qui magnum scripsit librum Lipsiæ nuper excusum, contra statum matrimonij, ad dehortandum ab eo vnumquemque: nihil tamen amplius dicens, nisi quam multæ molestiæ & labores in eo sint: perinde ac si id non sciret iam olim totus mundus, & asininum istud caput nos primo idipsum doceret, quod nemo rusticorum vel in villis ignorat. Si essem ego ipsa Castitas, non scirem maiorem magisq; intolerabilem iniuriam & opprobrium, quam quod huiusmodi nebulones, meretricumq; venatores & hostes castitatis, me laudarent. Nebulones sunt, non solum in cute, verum etiam in fundo sui pectoris, qui digni non sunt vt eis respondeatur. & post pauca. Cū igitur Deus mulierem ita creauerit, vt debeat & cogatur esse circa virum, satis nobis fuerit, Deum esse nobiscum. Ideoq; matrimonium honoremus velut diuinum nobileque negotium. Quod si scioli isti illud inire noluerint, dimittamus eos in sua cæcitate fornicari ac scortari, quamdiu permiserit eis Deus. Nos habemus verbum Dei pro nobis, quod manebit, & non obstupescet coram eiusmodi crassis fabris, etiamsi plures forent quam arena maris. Hac impudenti calumnia totum Fabri librum, populo suspectū atq; inuisum reddere fategit Lutherus. At vir eruditissimus non contra matrimonium, sed pro eo; nempe, quod recte connumeretur ab Ecclesia inter septem Sacramenta (quod negauerat Lutherus) in eo libro scripserat; & quidem per digressionem, cum eius præcipua esset intensio, confutare librū Lutheri de potestate Papæ. cōtra quem sane longa serie dedu-

Lutheri de matrimonio disceptatio contra Episcopum Constantiensem.

xit (vt vberrimi erat ingenij) responsiones CXXVI. In quem & Ioannes Eckius, vir doctissimus, tres iustos perscripsit & Parisijs edididit libros, quibus nec Lutherus, nec Lutheranorū quisq; respondit. Quamuis aūt Paulus in eo capite, quod Lutherus breuissima expositione peruertit, multis argumentis virginitatem commendet, atque etiam matrimonio præferat; quippe vbi ait: Volo autem omnes vos homines esse sicut meipsum. Item. Dico autem non nuptis & viduis, bonum est illis si sic permanserint, sicut & ego. Item. De virginibus autem præceptum Domini non habeo; consilium autem do. Item. Quoniam bonum est homini sic esse. Item. Solutus es ab vxore, noli quærere vxorem. & adhuc multo apertius. Volo, inquit, vos sine sollicitudine esse. Qui sine vxore est, sollicitus est quæ domini sunt, quomodo placeat Deo, & mulier innupta & virgo, cogitat quæ Domini sunt, vt sit sancta corpore & spiritu. Quæ autem nupta est, cogitat quæ sunt mundi, quomodo placeat viro. Item. Igitur & qui matrimonio iungit virginem suam, bene facit; & qui non iungit, melius facit. Hæc tamen omnia Pauli dicta, Lutherus impudentissimè pariter & impiissime peruertit, & in sceleratæ libidinis, cui Monachi monialesque sacrilegas nuptias prætexerent, patrocinium detorquet expositione sua Theutonica, quam Epithalamion vocat. Vbi ergo Apostolus ait; Volo omnes homines esse sicut meipsum; sed vnusquisque proprium donum habet ex Deo; alius quidem sic, alius vero sic. Ibi Lutherus egregia expositione sua sic infert. Ex his sequitur, inquit, quam immaniter errent, qui Moniales inflant, quod status earum coram Deo præstantior ac melior sit matrimonio. & fingunt ibi speciales aureolas, & nescio quot prærogatiuas ac dignitates, easque vocant sponsas Christi, quæ potius Diaboli sponsæ sunt, cum non vtantur castitate, sicut ea vti oportet: nempe, non vt coram Deo melior sit, sed vt super terram liberiores aptioresque reddat homines ad insistendum verbo Dei, quam matrimonium. & post pauca. Cum vero hic simus in eo loco, vbi Paulus matrimonium tam sublimiter extollit, & domum diuinum vocat. Nos quoque amplius considerabimus & ostendemus, Matrimonij statum omnium maximè spiritualem esse, falsoque & inique quosdam ordines dictos fuisse spirituales, matrimonium vero statum secularem. Sed vice versa, Matrimonium dici debere vere spiritualem statum, vt est; Ordines vero vere seculares status, vt sunt. Mere igitur peruersum abusum verborum mundo intulerunt, ac omnibus imposuerunt, seducentes, vt diceretur seculare, quod spirituale erat: spirituale vero, quod reuera seculare erat. & infra. Vbi Paulus ait, Virginitatem à Deo præceptam non esse, non magis quam matrimonium; hoc est liberam omnibus esse debere, per hoc auferat ab ea omnem honorem, qui ei ab altis prædicatoribus datus hactenus fuit. Vbi enim non est præceptum, ibi coram Deo, nec meritum vllum est, nec præmium, sed libertas quædam secundum se. Coram Deo enim tantundem valet, siue sis, siue non sis virgo. & sicut supra dicit; Qui vocatus est seruus, libertus est Domini: Ita & hic dici potest: Quæ vocata est virgo, mulier est coram Deo; & quæ vocata est mulier, coram Deo virgo est. Coram Deo enim omnia æquiualent, nec vlla est distinctio personarum, nec meritum operum; sed solummodo æqualis fides in omnibus, & per omnia. Hunc librum latinè translatum, confutauit insignis Theologus, Doctor Conradus Kollin Dominicanus, Ordinarius Theologiæ professor Coloniæ in Cœnobio Prædicatorum; sed adeo copiose; vt prima pars confutationis in sex haud ita breues libros extensa sit, vsque adeo exquisitè, ad singula illius dicta respondit. Summatim vero dicit, à Luthero per Epithalamum suum lasciuum, verum Paulini textus sensum deprauatum; Pauli virginitatem (viduum enim fuisse affirmat Lutherus) negatam; patrias Germaniç leges abrogatas; Religionum famam denigratam; continentiæ apud Deum & fructum & aureolam sublatam; Cleri cælibatum fœdis ac vetitis nuptiis conspurcatum; digamiam Clericis concessam; sancta nostra prophanata: Ecclesiæ pulchritudinem deformatam; monialium pudicitiam in fornicum turpitudinem versam; pia monasticorum vota conculcata: breuiter, Christum de cordibus hominum cum omni pietate & religione pariter eiectum: Turcæ doctrinam Germanis traditam, eique ad occupandam vi Germaniam, quam perfidis Apostatis ille repleuit, eo libro paratam esse viam.

IX. Exierat iam à Ioanne Cochlæo editus de gratia Sacramentorum liber vnus, alter item de Baptismo paruulorum Argentorati. quorum sane priorem vt vidit Lutherus, mox in eum parauit responsionem, adeo quidem ludicram & conuitiosam, vt ipsemet diceret suo Neseno (quem postea in Albi misere submersum, spe miraculi, vanis immurmurationibus frustra in vitam reuocare tentauit) si pro bacchanalibus illis ineptire videretur, ipsum Nesenum eius ineptiæ sibi autorem esse, & satis quidem imperiosum. Atque vt maior appareret contemptus, septem ludendo carmina præmisit, quorum sic habet initium:

Arma virumq; cano, Mogoni qui nuper ab oris,
Leucoteam, fato stolidus saxonaq; venit
Littora, multum ille & furiis vexatus & æstro,
Vi scelerum, memorem rasorum cladis ob iram.

X. Huic eius libello protinus respondit Cochlæus, haud multum dissimili ludendi genere, temporis opportunitate inductus. Nam paulo ante monstrosus in propinquis Wittenbergæ finibus visus fuerat vaccæ partus, qui caluo capite, monastico cernebatur circumdatus cucullo vt scilicet monstrosum illum orbi portenderet apostatam, qui cucullum suum paulo ante abiecerat; licet ipse aliter interpretari frustra conaretur. Titulus itaque libelli sic habebat. Aduersus cucullatum Minotaurum Wittenbergensem Ioannes Cochlæus de Sacramentorum gratia, iterum. Initium vero libelli pro carminibus carmina reddebat in hunc modum.

Lutherus Minotaurus Wittenbergensis dictus.

Monstra bouemq; cano, Boreæ qui primus ab oris.
Theutonicas terras profugus conspurcat, & omnem
Sub specie Monachi violat pacemq; fidemq;.
Vi Sathanæ, sæuis furiis agitatus & æstro
Diræ Thesiphones, vltrici Anathemate pœnas
Exposcente, furit, mugitum vastus inani
Semiuiri lacero sub semibouisq; cucullo.

XI. Cæterum Typographus Coloniensis, qui libellum inscio Cochlæo excudebat, hæc verba pro sui excusatione in frontispicio præmisit. Criminationes, inquit, Lutheri, quibus ex ordine hic respondetur, particulatim singulis responsionibus ex industria prætexuimus, vt æquus iudex, re æqua lance expensa cognoscat, omni Minotauro non deesse suum Thesea. Sub finem vero libelli sic ait Cochlæus. Sed quid mirum, si hoc in libro quantumlibet breui, ter mutaueris super vna eademque re sententiam, qui hoc idem super eadem re, ter quoque feceris prius in vno folio tuæ assertionis? Quem igitur non tædeat, tecum, qui vsque adeo varius mobilisque & impudens es, disputare? Ad ea vero nihil amplius respondit, neque Lutherus, nec complicum eius quisquam.

Lutherus contra Missam librum in lucem dat.

Edidit vero alium libellum Lutherus, de formula Missæ & Communionis, adeo sane imperiosum, vt arrogauerit sibi ius constituendorum rituum, quod ipse prius immani superbia, nec summo Pontifici, nec Generali Concilio permittere volebat. Hoc igitur est eius libri exordium. Hactenus, inquit, libellis & sermonibus egi inter populos, vt corda primum ab impiis opinionibus ceremoniarum auocarem: Christianum & commodum arbitratus me facere, si causa fierem, vt absque manibus contereretur abominatio, quam Sathan per hominem peccati in loco sancto statuerat. Proinde nihil vi, aut imperio tentaui, nec vetera nouis mutaui. & post pauca. Quare de formula, inquit, aliqua pia Missandi, vt vocant, & communicandi agemus; ac sic agemus, vt non amplius solo verbo doctrinæ corda regamus, sed manum quoque apponamus, & publica administratione in opus perducamus; nulli prorsus præiudicantes, ne

aliam amplecti & sequi liceat.&c. In hunc eius librum scripsit Propugnaculum quoddam Ecclesiæ, longe clarissimus Theologus, vir & vitæ innocentia, & eruditionis vbertate insignis, Iudocus Clichtoueus Doctor Parisiensis; qui antea Anti Lutherum quoque scripserat. Ternos autem libros complectitur opus vtrumque, & eos quidem tum styli facilitate, tũ doctrinæ multiiugis copia & varietate conspicuos. Ad quos tamen omnes, quia Latini sunt, Theutonicus Euangelista perpetuo tacuit, caute dissimulans, ne quid eorum Germaniæ plebes, in quas Apostolicam sibi arrogabat autoritatem, intelligerent. Hic autem breuitatis causa suffecerit, recitare pauca ex iis, quæ vir ille ad Lutheranum respondit exordium. Seuera, inquit, dignum est censura, quod impias vocat Lutherus cæremoniarum opiniones, in Ecclesiastico officio fieri solitarum. Nam veteris legis ritus, in oblationibus & sacrificiis illius temporis obseruati consuetos, nemo sanæ mentis impios dixerit; cum iusserit sæpissime Dominus in Exodo, Leuitico, libro Numeri & Deuteronomio, illos diligenter & districte pro legis illius decursu custodiri. Quis igitur nisi planè improbus, & mente parum constans, Nouæ legis ceremonias, Magisterio spiritus sancti institutas, & sacratiorum mysteriorum significatiuas, promouentesque populum in maiorem diuini cultus reuerentiam appellauerit impias & sacrilegas? & infra. Quæ obsecro nocentior posset induci pestis in Ecclesiam Dei, aut quæ magis horrenda confusio, quam vt tandem nulla habeatur certa forma, celebrandi diuinum Missæ mysterium? Quod omnium, quæ in Ecclesiastico geruntur ordine, excellentissimum est & supremum. Cum que vniformis fuerit ritus apud Hebræos, immolandi atque manducandi agnum Paschalem typicum, quam diu veteris Synagogæ decursus agebatur; nonne pudendum esset & abominandum, ipsum verum agnum Christum immolari in altari, multiformi ritu & vario, atque pro cuiusque nutu permutando? & rursus. Verum percontari nunc, inquit, id vnum à Luthero velim, in qua potestate hæc facit, & quis dedit illi hanc potestatem, vt antiquam formam celebrandi diuini mysterij immutet, & nouam fabricet? Si enim de cœlo se missum contendit, aut à Dei spirtu, ad molicndum hoc opus: signa sui Apostolatus ostendat oportet, quibus fidem faciat, à Deo ipsum esse, quod tentat. Huiusmodi autem signa necdum cuiquam conspecta sunt, aut cognita. Hæc ille. Ægerrimè autem ferebat Lutherus, Wittembergæ coram oculis suis perdurare adhuc veteres ceremonias in Ecclesia Collegiata, quæ memoriæ & Venerationi omnium sanctorum dedicata erat. Dux enim Fridericus Elector, quamuis nimis multa Luthero contra Ecclesiam permiserat, non tamen omnem pro libitu impietatem ei passim admittebat, vti postea admisit frater eius. Ait itaque in fine istius libelli sui, quem de formula Missandi ediderat. Nos vos aut quoslibet alios absterreat, quod in nostra Wittemberga adhuc perseuerat Tophet illa sacrilega, quæ Principum Saxoniæ impia & perdita pecunia est: Ecclesiam dico omnium sanctorum. Nam tantum est, miserente Deo, apud nos antidoti per copiosum verbum Dei, vt pestis illa in angulo suo languens, non nisi sibi ipsi pestilens sit. Denique vix tres aut quatuor porci & ventres sunt in illa ipsa perditionis domo, qui pecuniam illam colunt: cæteris omnibus simul & vniuerso populo insignis nausea & abominatio est. Præter hæc, Canonicos Baalalitas; Collegium ipsum Bethauen; Ecclesiam vero, quæ Deo, sub omnium sanctorum nomine dedicata fuit, templum omnium Diabolorum nominauit. & quia iam Papatum (Ecclesiam Catholicam) euertere prorsus, nouosque ritus instituere decreuerat, perquam indigne ferebat, Canonicos omnium SS. huic sui conatui solos obsistere, quos certe blanditiis suis & strophis ad mutandam religionem inducere nequiuerat. Offensus igitur illorum constantia, monebat Spalatinum suum, per quem Federicum fere totum occupauerat, Baalitas Wittebergenses (ita Canonicos appellat) qui in Ecclesia sua Missæ sacrificium abrogari, mutarique veteres ritus non paterentur, ex officio sibi duriter increpandos esse, & populum ab iis auertendum in communem cum illis culpam & pœnam inuoluerctur. Consilium Principis, qui mutari quicquam prohibuerit, sibi quidem displicere, quod incredulitatem nescio quam saperet, & pusillanimitatem aulicam, cuius vitio temporalia spiritualibus soleat anteponi. Hæc ad Spalatinum scripsit Octobri mense, vt is Principis animum, quem non ignorabat hac machinatione contra Canonicos offensum iri, quibusdam excusationum lenimentis placaret. Non diu post Canonicos ipsos per litteras interpellauit, in hanc fere sententiam: Obiisse duos ex ipsorum cætu, in quorum gratiam hactenus ipse cum suis annum integrum & amplius patienter omnia dissimularit, quæ contra Euangelium in ipsorum templo peracta sint; iamque plus satis ipsorum infirmitati concessum. Quia vero deprehendat esse nonnullos, quorum pertinacia per hanc indulgentiam augeatur, qui ludibrio habeant Euangelium, sibi necessitatem imponi, vt officij sui partes exequatur. Hortari igitur, vt abrogent sponte sua ceremonias, & ritus hactenus patienter toleratos, quos Euangelium ferre non possit; ne necesse sit eos, si non pareant, huius rei publicè de cathedra in concionibus ad populum admoneri; quod ipsis futurum sit forte non admodum gratum. vti eos fruique cum aliis eodem aere, foro, rebusque cæteris ad vitam sustentandum necessariis; quod deinceps concedi nequeat, nisi discedant à detestandis erroribus, & scandalum amoueant. Hæc Lutherus. At Canonici contemptis minis diuinum cultum, vti à maioribus traditum acceperant, peragere non destiterunt, fræti præsidio Principis Electoris, à quo mandatum erat, ne quidquam in ritibus immutarent, quemadmodum iam ante diximus. Ea re grauiter irritatus Lutherus ad cathedram traxit causam hanc, & in concione publica se Canonicos, ait, iam bis monuisse per litteras, Latine primum, postmodum & Germanice, vt in Ecclesia sua collegiata Papisticos abusus, ritusq; impios antiquarent, & alios instituerent Euangelio conformes. Quia vero non respiscant, sed ita se potius habeãt, vt impietatem suam per vim tueri velle videantur, & stabilire, tertiam se nunc, eamque publicam admonitionem subiungerẽ, cuius ipsos auditores testes esse velit. Causari eos mandatum Principis, qui veterem diuini cultus formam mutari nolit. Sed quid ad nos, inquit, in hoc casu mandatum Principis? Ille secularis est Magistratus, ait, ad quem temporalis gladij, non Ecclesiastici ministerij cura pertinet. & norunt Canonici, Deo magis quam hominibus obtemperandum. Ego vero à vobis ad ministerium vocatus sum; ideoq; Dei mandatum habeo, vt Ecclesiam hanc pascam puro verbo. Igitur ex officio mihi curandum est, vt malum hoc & scandalum, q̃ in Ecclesia Collegiata viget, è medio tollatur, ne nos alienæ culpæ pœnæq; participes efficiamur. Quod si Canonici volentes ductum nostrum sequantur, loco fratrum eos habebimus; sin minus, patiemur quidem eos agere modo suo, hac conditione tamen, vt fateantur, se, dum cultum diuinum more maiorum peragunt, non vero seruire Deo, sed velut idololatras diabolum adorare. Hæc cum è cathedra stomachabundus in Canonicos detonasset, futurum sibi persuasit, vt territi manus darent: inprimis, quia mandatum Principis in hac causa contumeliosè reiecerat, satis insinuans, id se non magnopere curaturum. Verum illi ne sic quidem se passi sunt à sententia dimoueri. Sustinuerunt enim & hunc, quantumuis vehementem impetum, & publicum Catholicæ religionis exercitium retinuerũt in annum vsque sequentem 1524. quo tandem exeunte per vim oppressi, destitutique à Principe, qui tum senio, morbo, curisque confectus deficiebat, manus dare coacti sunt; quam rem, licet sub finem anni sequentis gesta sit, non incommodum erit forte, propter seriem historiæ, vt huic narrationi subiungamus. Igitur anno 1524. mense Decembri, circa festum S. Nicolai, denuo Canonicos aggressus est, scriptis litteris, quarum hæc erat sententia. Intelligere se, quod Eucharistiam in Ecclesia sua ministrent sub vna specie, contra quam decretum sit, & promissum olim à Collegij Decano. Quoniam igitur insigni sua, vel nimia potius patientia, qua diabolicos ritus, & idololatriã hactenꝰ in ipsorũ Ecclesia tolerarit, hoc solũ efficiat, vt

Lutherus Canonicos Wittenbergenses à Missa auocare studet.

pro-

proteruia ipsorum & contumacia maioribus incrementis augeatur; nec aliud videantur habere propositum, quam vt populum in factiones & sectas distrahant, vnde motus tandem oriri possent, & seditio; se necessitate quadam vrgeri, cum concionator sit illius Ecclesiæ legitimè vocatus, vt ad liberandam conscientiam contra nitatur, & ignem hunc opprimat adhuc in fomite scintillantem, antequam in maius incendium crumpat. Itaque rogare se benigno affectu, vnaque serio postulare, vt catastrophen imponant huic actioni; missam, orationes pro defunctis, & cæteraid genus omnia aboleant, quæ Euangelio aduersentur, & huiusmodi ritus in locum substituant, quos ipse cum suis in conscientia tolerare coram Deo, & coram mundo defendere possint, qui hactenus dæmonis consortium in ipsis vitarint. Quod si facere recusent, non se quieturum, donec ad hanc rem exequendam vel inuitos & renitentes compulerit. Postulare vero, vt sine mora, nimirum antequam tridui spatium elabatur, certum decretumque ad quæstionem hanc; velint, nec ne? responsum habeat. Has litteras feria quinta scripsit, post festum Diui Nicolai, & ante Dominicam proximè sequentem responsum in hanc vel illam partem dari postulauit. Præterea & Vniuersitatem ipsam, & senatum oppidi Wittembergensis, vniuersumque populum commouit, vt negotium hoc vna secum vrgerent. Igitur Rector vniuersitatis eum Professoribus, tum Pastor Ecclesiæ Parochialis, Consules etiam & Senatus coniuncti, scriptum Canonicis offerunt, eique rationes quasdam infarciunt ex Lutheri libello de Canone, quibus ad persuadendum vtuntur. Quod Canonici Principis mandatum obiiciant, id sibi, dicunt, non esse satis, cum notum sit eam esse Principis pietatem, vt neminem cogere velit ad male agendum, multo minus ad blasphemandum Deum. Nec Principes spectandos in rebus ad religionem pertinentibus, in quibus salus animæ vertitur. Imo Canonicos hoc ipso causam suam facere deteriorem, quod impietatem suam velent nomine Principum, eoque fateantur, quod in hominum gratiam Deum perpetuo blasphemare decretum habeant. Itaque se non permissuros, aiunt, vt reiiciant causam hanc ad Principem, sed omnino velle, vt rem in Capitulo definiant ipsi, & quid velint in hanc illamue partem, sine mora respondeant. Hac impressione fracti Canonici, cum, breuitate temporis exclusi, Principem adire non possent, cesserunt tandem, omissoque diuino cultu, cuius gratia Collegium illud à Principibus Saxoniæ quondam erectum erat, Lutheranos ritus receperunt; cuius rei 24. Decembris factum est initium. Atque ita Lutherus demum factus voti compos, reliquam hanc Catholicæ religionis scintillam penitus extinxit, & hac potitus victoria, statim litteras dedit ad Electorem Fridericum, quibus significat, se cum Priore Augustinensium in monasterio solum superesse, reliquos discessisse pridem, quemque commodo suo. Quia vero prior annum integrum, & vltra manserit in gratiam suam, vt sibi ministeria exhiberet; iamque ad aliud vitæ genus ductum conscientiæ secutus transire decreuerit; ipse vero, si solus remaneat, molestias illas censuum & reditnum monasterij colligendorum sustinere non possit, se, dicit, vna cum Priore Monasterium ipsum cum bonis omnibus & iuribus in ipsius Principis, tamquam hæredis proximi manus tradere constituisse: Rogare vero Principem, vt quia ipse cum priore postremi sint omnium, qui Monasterium euacuent, ne se vacuis omnino manibus abire patiatur; inprimis, vt sibi partem illam Monasterij occupandam retinendamque concedat, quæ sita versus Xenodochium, in vsum fratrum pridem sit empta. Non hoc agere se, vt Princeps aliquod ea de re diploma det, vel instrumentum publicum, sed vt ipso conniuente, & secreto annuente, locum istum occupare liceat; Nimirum vt quoquo pacto tueri se possit, & ad Principem tuto prouocare, si forsan ab harpiis quibusdam in Monasterij res inuolantibus impetatur.

Clerus VVittenbergensis à Missa desistere coactus.

Iam tum temporis euacuabantur monasteria, passim diffugientibus regularibus, & ad sacrilegas nuptias vel scortationes potius transeuntibus, vt monstris hoc anno natis in Saxonia, portendentibus scilicet monstrosam sectam quam Lutherus parturierat, res in manifesto succederent. Freibergæ siquidem natus est vitulus cucullatus, habitu monachum referens: & Landesbergæ vitulus etiam Sacerdotis habitu insignitus. scilicet, Lutherus reuulserat repagula monasteriorum vtriusque sexus, & septa castitatis perfregerat. Itaque Monachi, Sacerdotes, Moniales, carnalibus desideriis incitati, vitulorum lasciuientium instar, è monasteriis proruperunt; cuius rei turpitudinem monstra illa vitulina delinearunt; maxime prius illud cucullatum, quod anterius, tum circa clunes lacerum cucullum habuit, & coronam vel rasuram capitis duabus verrucis deturpatam; labrum inferius humano, superius autem cum naso vitulino simile erat: linguam habebat ex ore semi vitulino & semi humano prominentem; pedem dextrum anteriorem ceu concionabundus instar brachij iactabat. Sic salaces illos & verrucosos apostatas vitulo monachos, quorum omnis virtus in lingua erat, qui rupta lumborum cinctura, lacerato abiecto-que professionis habitu ad Ecclesiastica ministeria se tum passim ingerebant, diuina prouidentia depingere voluerit. Nec minus Sacerdotibus secularibus aperuerat, imo prius his quam Regularibus ostenderat iter, ad omnem seculi licentiam, atque libidinem. nam, si fides est Bucholzero, primus Bartholomæus Bernardus Feldkirchius, Præpositus in oppido Kemberg duxit Sacerdos vxorem; eum secutus est Andreas Carolostadius Archidiaconus Wittembergensis, cui facetus quidam Morio Epithalamij loco, vt opinor, scripsit houæ Missæ nuptialis formulam multo sale respersam: fortè ne nuptiis deesset risus materia. His se adiunxit Vldricus Zuinglius Canonicus Constantiensis; vt omittam gregem aliorum secularium Sacerdotum, qui fibulam carni laxarunt, & fidem Catholicam eiurantes, hæresum antesignani precones extiterunt: Oecolampadius Schwenckfeldius, Seruetus, Gentilis, Blandratus, Stancarus, Socinus, Brentzius, Zwinglius, Caluinus, Beza, Ægydius Aquensis, Munzerus; &c.

XII. *Freibergæ & Landesbergæ, 2. monstra Lutheri impuritatem portẽdentia nascuntur.*

Præter hæc Lutherus edidit hoc anno libellum, in quo demonstrare nititur, quemlibet Christiani nominis cætum ius habere, & potestatem iudicandi de doctrina fidei, & Ecclesiæ ministros instituendi. Subiunxit & alium quendam tractatum, in quo modum describit, quo publicè diuinum cultum in conuentu peragi deceat, & festa sanctorum omnia, paucis quibusdam exceptis, abroganda decernit.

XIII.

Sub idem tempus oblata fuit Luthero ordinatio ciuitatis Leisnicensis, quæ modum continebat, & formam varij cuiusdam in publicos vsus instituendi; in quod bona Ecclesiastica, quæ sub ipsorum potestate erant, colligenda censuerunt. Hanc ille typis excusam in publicum emisit, addita præfatione; in cuius principio valde commendat Leisnicẽses ipsos, quod nouam diuini cultus formam ordinarint, & bonorum quandam instituerint communionem ad Apostolorum instar. Id scriptum se dicit in publicum referre voluisse, vt quę ab ipsis in hoc genere facta sit ordinatio, aliarũ etiam communitatum vsui deseruiat; sperare se, futuros, qui hoc ipsorum exemplum ad imitandum sibi proponãt. Quod si fiat, & hæc consuetudo paulatim inolescat, secuturam breui Collegiorum, Monasteriorũ, aliarumq; fundationum ingentem ruinam; quam ad rem Euangelium postliminio renascens potenter operaretur. Iam verò si Monasteria & collegia Monachis & Sacerdotibus exterminatis euacuentur, prouidẽdum tempestiue; ne bona Ecclesiastica in prædam versa, pro cuiusq; libidine diripiantur; vti quondam in Bohemia factũ sit, Hussitarum tẽpore. Igitur voluisse se dicit in medium consulere, & declarare sententiam suã, quid de Monachis & Sacerdotibus, deque Monasteriis, & Collegiis, tum de bonis eorundem temporalibus fieri censeat oportere. Principio expedire, ait, vt omnia Benedictorũ, Cistercienſiũ, Cęlestinorũ, aliaq; id genus Monasteria, q̃ extra muros vrbiũ ædificata sunt, intereãt, & prorsus diruã-

tur.

tur. Id vero duobus modis effici posse demonstrat; si nimirum vel libertas exeundi concedatur religiosis ipsis, vel cuiusque loci Magistratus politicus suæ ditionis Monasteriis interdicat, ne quemquam deinceps recipiant ad hoc vitæ genus. Ita futurum, vt monastici cœtus paulatim euanescant. Consulit vero, vt Magistratus, bona Monasteriorum in suam potestatem redigat, ex iisque sustentet eos, qui reliqui fortè fuerint, dum viuunt. Deinde dona huiusmodi per Magistratum occupata; in triplicem vsum dicit conuerti oportere. Principio superstites religiosos ex iis alendos vsq; ad mortem, vt dictum est. Deinde qui egrediuntur, iis ex communibus Monasteriorum bonis summam pecuniæ numerandam in vitæ subsidium. Demum rationem optimam esse, si omnia redigantur in communem fiscum, velut in ærarium publicum, ex quo indigentibus necessaria suppeditentur. Si qui vero sint ex fundatorum posteris ad paupertatem redacti, æquum videri, vt ad eos redeat illa bonorum portio, quam maiores olim in sacros vsus contulerunt. Quod autem ad Episcopatus & Collegia spectet, quibus ditiones integræ subiectæ sunt, & ciuitates, aliaque bona, cum iis eodem modo agendum. Episcopatus ipsos in seculares principatus mutandos esse, vel eorum possessiones inter hæredes fundatorum, pauperes, & fiscum diuidendas. Canonicatus & beneficia relinquenda possessoribus ad dies vitæ; iis vero mortuis neminem substituendum, sed redditus beneficiorum inter egenos fundatorum posteros, & ærarium publicum diuidendos. Demum mendicantium Ordinum Monasteria passim per ciuitates in scholarum vsum conuertenda. Ex reliquis ædificiis domos fieri posse in Reipublicæ necessarios vsus. Hæc in eum finem scripsit Lutherus, vt viam ostenderet, qua Collegia Sacerdotum, & Monasteria vtriusque sexus euacuari primum, ac deinde fundibus excindi possent: vt deficientibus paulo post dispensatoribus mysteriorum Dei, esset populus sicut & Sacerdos, & sacerdos sicut populus; vnde fide Christiana paulatim decrescente, & disciplina Ecclesiastica atque politica eneruata, Mahometismus, vel verius atheismus succederet. Non potuit istud dissimulasse, vel tacuisse Lutherus: quando scribens ad senatum Pragensem, commemorat quid in Bohemia secutum fuerit, Episcopis & Sacerdotibus Catholicis ciectis. *Facta est tandem, ait, hac ratione copia crudelissima quibuslibet nebulonibus, apostatis, & quos alioqui nulla pars terrarum ferre potuit, ad vestrum ministerium perueniendi; ita vt in fabulam abierit hac misera vestra necessitas: videlicet, quod Bohemis dignus sit Sacerdos, qui apud Teuthonas laqueos & coruos meruit. Sic Bohemiam repleri oportuit insigniter sceleratis simul & indoctis Pastoribus, vel lupis potius rapacibus. Hinc manat chaos illud & Babylonia confusissima in clarissimo regno vestro, dum partim necessitate habendi ministros, partim impotentia corrigendi sit, vt quisq; doceat quod voluerit; aliud in alio loco prædicet; nonnulli ficto sacerdotis titulo, populos ludificentur: alij Parochias emant; alij vi intrudantur; successor contraria antecessori statuat.* Hæc Luthetus: apud *Vlembergium in vita, & Cochlæum in Commentario de actis & scriptis Lutheri hoc anno* 1523.

XIV. Peperit hoc ipso tempore, idem Lutherus, nouam Anabaptistarum hæresim. Enimuero hoc est proprium huius exitialis pestis, vt non tantum seditiones cieat, verum etiam humanas mentes errorum virulentia disiungat, vt inter se diuisæ, in quæuis malitiosorum hominum consortia, extra Christianæ communitatis sepia prolabantur. Atque inde est, quod vbi ea viget; tot penè sectæ & schismata pullulent, quot eorum sunt, qui eandem profitentur: quæ vti peculiari suo nomine distincta fouet, ita & certos sui defensores, qui ea pro virili propagent, facili negotio nanciscitur. Qui quidem inter se & grauissimis laborant dissidiis, & nihilominus in eo, quod mirere, omnes quotquot reperire licet, conueniunt, vt vno impetu Christianam Rempublicam, & qui ei legitime præsidet, Magistratum, præter animarum exitia quæ moliuntur, oppugnent, opprimantque. Vnde, vt quam studiosè ab iis cauere sibi vel quilibet possit; non abs re fore existimani, si eius sectæ, quæ & maximè sanctitatem simulat, & seditionibus ac Christianorum sanguine vt plurimum lætatur, ortum progressumque traderemus. Eam vero Anabaptistarum esse hæresim, eo quod & proxime Christianæ fidei principiis repugnet, & omnem bene constitutæ Reipublicæ statum turbatum sublatumque è medio cupiat, nemo facile inficias ierit.

XV. *Nicolaus Pelargus Anabaptisticam sectã incipit*

Principium mihi narrationis fuerit Nicolaus Pelargus, Cygneæ in Zuiccauia, non ignobili Siliesiæ oppido natus; homo vafer & versipellis. Hic primum impiè spreta maiorum fide, Lutheri apud Saxones doctrinam pseudeuangelicam sectabatur, eamque velut recens è tenebris erutam magno feruore propagabat. Accidit vero vt & ipse eius pertæsus, cum ob excitatam hæresim, Vormatiæ Edicto Imperiali proscriptus in Wartpurgensi castro Lutherus exul delitesceret, ex eius scriptis ad Waldenses non oscitanter lectis, nouam suo de nomine sectam meditaretur, adscitis in auxilium sociis, quorum opera latius palam per Germaniam diffunderet. Factum est id annis superioribus 1521. & 1522. quorum secundũ, erectæ, vel si mauis reformatæ fidei suæ Retincti primum numerant. Socios Pelargus non vulgaris notæ habuit, quos inter facile principes fuere Andreas Bodestenius Carlostadius Doctor, Philippus Melanchthon Brettanus, Gerardus Westenberg Agrippinas, Marcus Zuiccauius, Gabriel Didymus, Georgius Morus, quibus & alij non indocti viri, insolitis reuelationibus & futurorum præsagiis moti, censim accessere. His ille instructus publicè ibidem caput exeruit, ciuibusque nouo doctrinæ genere in cœmiterium pellectis, omnia litterarum monumenta ignibus vt abolerent, nec iis amplius operam darent, modo de salute sua pericliari nolint, edixit: satis esse asseuerans, eò impunè labi, quo spiritus & interni motus raperent. Displicuit ea res plurimis, qui recens exorta Lutheri dogmata sequebantur, præcipue vero ex reliquis Matthiæ Cellario, homini & ingenio acutissimo, & Lutheranæ fidei præconi non incelebri. Hic sano multorum consilio Pelargum aggressus, nouam Enthusiastarum doctrinam omnibus machinis euertere conabatur; quod eo citius facturum se confidebat, quo maiore fraude & impostoris noui dogmatis autores, progredi didicerat. Verum ille, dum cursum tanti mali remorari contendit, proprio exemplo edocuit, quam facile is, qui semel à Regia veritatis via deflexit, in quasuis easque absurdissimas hæreses nullo negotio prolabatur. quippe cœlestium rerum, quas iactitabant illi, visionibus adductus, & scripturæ testimoniis nouo adhibito sensu expugnatus, ne victus veritati refragari videretur, in Pelargi partes concessit. Quem illi præstaten nacti, cum nemo amplius resisteret, maiori spiritu cœptum negotium peregere. Siquidem Gabriel Didymus, cuius initio meminimus, concione cõuocata, modis omnibus à litterarum studiis pro suggestu ciuiũ filios dehortabatur, honestaque eruditionis exercitia petulanter irridens, scholas cum triuiales, tum superiores, quas Academias dicimus, omnem simul bonum ordinem statumque labefactabat; quin & ipsa diuina sacræ Scripturæ volumina è medio sublata percuteret, quæ ad salutem consequendam, non modo nihil conferre, sed & impedimento vt plurimum esse, conatu nefario asserebat. Hunc imitatus Morus oppidanæ scholæ Rector, ipsam in ludo iuuentutem pari doctrina imbuebat, ac inde domum redire iussis, vt neglectis liberalium artium studiis manuum labore sibi victum compararent, consilium dabat. Vnde imperitum vulgus, quod quouis vento facile in hanc illamue partem instar paleæ pertrahitur, in varios errores abreptum nullo discrimine sibi coniunxere. Pelargus tantis successibus elatus, vt ex doctioribus, & quos cæteris dignitate, prudentia, ac rerum vsu præpollere non ignoraret, patronos suæ causæ veneraretur, Doctorem Carlostadium Wittembergensis Ecclesiæ Archidiaconum, virum in sublimiori gradu constitutum subornat, qui pietatis specie, vt nomen initæ pridem societati darent, inducerent: sperans fore, vt si ipse, vir tantus doctrinam hanc propalam profiteretur, eamque Scripturis consonam necessario Christiano homini amplectendam adstrueret, omnes obuiis eam vlnis facile essent amplexuri. Annuit ille, nec mora petentis voluntatem exequitur. Ostiatim simpliciori amictu tectus circumit, ab imperitis difficiliores sacræ Scripturæ sensus rogitans. cui si quis forte commissi muneris rationem obiiceret, huc illico dilabebatur, sic æterno Dei consilio decretum, qui cum profunda doctrinæ suæ mysteria sapientes latere voluerit, paruulos solum, quibus ea reuelarit, in rebus dubiis adeundos præceperit. Quamobrem iis modo incumbere, ardua Scripturæ loca pandere, ac se qui genuinum hactenus sensum assequi nequierit, ex ignorantiæ tenebris eruere. Post hæc damnatam Iconomachorum hæresim ab inferis resuscitans, consecratas cultui diuino Ecclesias nefando sacrilegio contaminat, sanctorum imaginibus, quas laicorum Biblia vetustas censuit, violentas manus iniectans. Quo facinore ne seipsum solus polluëret, commune vulgus sacris Altaribus subuertendis collegas adhibuit. quin & Iesu Christi Testamentum impio glossemate adulterans, verba clarissima, *Hoc est corpus meum*, perperam exposuit, execrando Berengarii, quod olim ipse sæpius retractarat, dogmate suffultus. Quod velut indignum Ecclesiastico viro cum multi passim obuerterent, à spiritu viro persimili, sed humana tantũ maiori id sibi diuinitus reuelatum reddidit, qui profundius mentem saluatoris perscrutantem patefacto sensu semet dubio liberasset. Inde Ioannis Felthirchij Kembergensis Ecclesiæ Pastoris, qui primus inter sacerdotes apostatas castitatis votum, ducta nuper coniuge, depresserat, exemplum secutus, incestas nuptias summo Academicorum Wittembergensium applausu adulter peregit; quas quo feliciore auspicio incepit, hoc postea grauius pertulit. Lutherus namque vt omnia profana non minus litterarum studia, quam diuina Christianæ fidei dogmata susque deque haberi cognouit, rebus turbatis vel sero demum mederi compulsus, ne adeptam nominis sui ex schismate gloriam amitteret, è latibulo Vartpurgen. Wittembergam reuersus, plerisque quæ causam hisce motibus dederant pro concione reprobatis, Pelargum, Morum, Didymum, Carlostadium & reliquos Enthusiasmi Defensores, recepto solum in gratiam Philippo Melanchtone, vrbe dignitateque summouit, ac grauissimo in exilium edicto pepulit. Carlostadius, vt qui Archidiaconatus gradu defunctus erat, rem eam præ aliis indignissimè ferens, libellis editis Lutherum insectari cœpit, eumque velut sycophantam & insignem Antichristi præcursorem, qui in gratiam Romani Præsulis emortuas in Ecclesiis statuas, & plures id genus ceremonias tolleret, acriter perstrinxit; Orlamundamque Thuringiæ cum asseclis concedens, Pastore Cunrado per vim remoto, Vniuersitati paræciam, stipendium simul & reditus, tametsi wittembergæ non profiteretur amplius, furto cripuit. Ibi tutius asylum consecuti, quæ dudum animo coxerant homines fanatici dogmata procudere instituunt, initoque consilio nouum reformationis genus inceptant, emissis subinde in confinia sociis, qui foris Cac Euangelicam libertatem dilatarent. Quod quo maiore feruore exequerentur. Pelargus ipse incertis sedibus per Thuringiam vagabatur, habituque viliore vinctus, miram quoque sanctitatem præ se ferens, agricolarum casas obibat, cum Michaele Archangelo, quem secreta Patris in somno aperire sibi dictitabat, colloquium comminiscens. Atque vbi dictis fidem tribui sensit, eo dementiæ temeritatisque processit, vt se vel solo intuitu quis è fidelium numero foret, nec ne; quis æuiternos gehennæ cruciatus, aut perpetua cœlestis vitæ gaudia habiturus esset, certò cognoscere adstrueret; tempus iam præterlapsum inquiens, quo mortales densis errorum nebulis obsepti, caducam atque adeo vitam multis fæcundam vitiis transegerint; instare nunc aliud, quod non solum electi omnes vehementer olim anhelarint, sed & assiduis à patre cœlesti precibus obtentum nonnulli (suos designans) nunc demum ingressi sint: quorum communione si & ipsi frui desiderent, serio requiri, vt repudiatis Pontificiorum & imprimis Lutheri documentis, ea, quæ ipsis patefacturus sit, actutum amplectantur. Ob id enim se peculiari à Deo miraculo ad vindicandam è tenebris Christi doctrinam missam; quo fideles omnes in vnum collectos, ad nouum, qui breui oriturus sit, orbem deduceret, extinctisque impiis in pace altissima, iustitia vera & gloria numquam peritura protegeret, gubernaretque. Itaque sibi necessarium videri, vt rupto obedientiæ, quod superioribus præstiterint iuramento, libertatem Euangelicam profiteantur, & rebus mundanis valere iussis, mentem oculosque ad Deum eleuent, seq; rebaptizandos sine mora submittant; ac tum demum eos omnes qui huic doctrinæ contradicerent, Magistratus in simul ac Principes tyrannorum instar, qui nullum in electos

XVI. *Thomæ Munceri defectio fidei.*

Dei imperium habeant, igne ferroque ad internecionem deleant; Episcopos & Pastores vel trucident, vel finibus suis eiiciant, ac bona eorum tamquam impie iniusteq; possessa inuadant, Monasteria diruant, & abusus omnes penitus pessumdent; hanc patris supremi voluntatem esse, cui mortalium nulli refragari liceat.

Hærebat id temporis Alsteti Thomas Muticertus, homo doctrinæ non mediocris. hunc cum nouitatis auidum, & ad quæuis scelera præcipitem perspeteret, id vnice agebat, vt in eius amicitiam irreperet. Itaque captata occasione hominem adiit, promissisque eò induxit, vt quo vellet, facile abduceret. His vt erat natura facundus, quippe qui aliquot annos concionatorem egerat, clam palamque furiosa isthæc dogmata humanis pectoribus instillabat, ac nullo defatigatus labore, nec vllo periculo absterritus, longe lateque per Saxoniam diffundebat: quin etiam Wittembergam ingredi ausus, Lutherum ad hæresim sollicitauit; qui hominem ad saniorem mentem reuocare nequiens, multis exceptum dictériis à se dimisit, tamquam Dæmonum legione obsessum. Ille nihilo secius Wittemberga vlterius per Saxoniam digressus, exitiale virus spargere non ante destitit, quam seuero Electoris Saxoniæ edicto proscriptus, alibi doctrinæ suæ patronos quærere cogeretur. Igitur Norimbergam profectus est, ibidem quod hactenus negabatur, tutius transacturus. Verum detecto eius consilio, maturè istinc Senatus mandato deiectus fuit. Inde Pragam Bohemiæ versus iter direxit; sed & ibi frustrato conatu, ad Pelargum Cygneæ commorantem repedauit, firmius ab eo dilatandi dogmatis consilium allaturus. Ibi cum aliquamdiu subsisteret, pulchritudine puellæ cuiusdam captus, quo ea potiretur, à Deo se ipsum abligatum asserebat, eamque nisi cognosceret, non posse verbum Dei pure prædicari falacissimus nebulo diuinabat; quemadmodum & viduam quandam, cum forte in rebus arduis hominis iudicium expeteret, pari fraude induxit. Commune enim ipsi erat & dogma Carpocratianorum, & nixus tuebatur adulterium peccatum non esse, sed potius misericordiæ opus proximis præstare, hoc Deo gratius, quo facinus eiusmodi oblata commoditate citius accelerarent. Præter hæc sicubi hospitium subibat, miram in vultu grauitatem, morumque candorem præ se ferebat, & sapiens videri, & specialis Dei amicus venerari cupiebat. Vnde si qui ipsum conuenirent, & salutatum alloquerentur, raptus quasi & mente in cœlum defixus hærebat; neminem se conspicari simulans, quousque sibi consultum videbatur; ac tum demum; vbi longius aliquanto detentos autumaret, ex alto velut somno & extasi ad se reuersus fortuito respectabat, & ad se in colloquium præsentes admittebat; quo dolo plurimos circumuenit, diuinarum rerum visionibus intentum arbitratos. Hæc & aliæ id genus complures impostura, postquam in vulgus emanassent, extemplo ditionibus suis profligauit. cum profligauit, Dei notitiam & timorem, superioribus venerationem & obsequium abrogare, ac in summa omnem modestiam, pudorem, humanitatem, disciplinam, abolere conantem. *Arnoldus Meshouius hist. Anabaptistarum lib.* 1.

XVII. *Iacobus præpositi Augustinianus sectam suam reuocare cogitur & comburitur.*

Diximus superius, duos Augustinianos Bruxellis fuisse exustos. Ex his vnus dicebatur Iacobus Præpositi, Flander nationę, secta Lutheranus. Hic cum apud Antuerpiam variis in locis Lutheri dogmata loco Euangelij disseminasset, tandem comprehensus, & ad palinodiam decantandam damnatus, in maiori Ecclesia Bruxellensi, coram ingenti hominum multitudine, solennem fecit suorum dogmatum reuocationem, in hæc verba: Ego Fr. Iacobus Præpositi, religiosus Ordinis Eremitarum Sancti Augustini, anathematizo omnem hæresim, eamque præcipue de qua diffamatus sum, quam Fr. Martinus Luther in suis libris, & ad populum sermonibus, his temporibus & docuit, & tenuit, propter quam à sede Apostolica tamquam hæreticus cum sua doctrina damnatus est, maxime quoad articulos in litteris Apostolicis comprehensos. Consentio etiam cum Romana Ecclesia in omnibus quæ ad Christianam religionem spectãt; & confiteor quæcumque sedes Apostolica confitetur, & reprobo quæ reprobanda censet. Sentio præterea & teneo præfatum Martinum cum sua doctrina rite atque legitime à dicta sede condemnatum, eius libros, tractatus, vel sermones, tam editos quam edendos, recte vetitos legi, vel tenei

ac incendio tradi mandatos. Specialiter autem reprobo quosdam articulos, quorum alios publicè prædicari, alios priuatim & dolosè expressi, reliquos apud me sensi, iuxta formam quæ sequitur.

1. Tantum tria Ecclesiæ Sacramenta, Baptisma videlicet, Pœnitentia, & Eucharistia, expressa in sacra Scriptura, sunt diuinitus instituta; reliqua autem quatuor humanitus per Ecclesiam.

2. Non est indulgentiis confidendum.

3. Papa indulgentias dare non potest.

4. Indulgentiæ non sunt efficaces.

5. Nulli merita sanctorum applicari possunt.

6. Omnia opera sanctorum, peccata sunt, & egent misericordia ignoscente & remittente.

7. Nullus est Ecclesiæ thesaurus præter Christi merita, quæ duntaxat per ipsum Christum vnicuiq; secundum suam fidem applicantur.

8. Lutherus cum sua doctrina, non est legitimè per sedem Apostolicam condemnatus.

9. Liberum arbitrium causa non est effectiua actuum suorum interiorum, sed receptiua duntaxat, & vt solummodo passiue se habet ad ea.

10. Omne opus liberi arbitrij quantumcumque bonum, peccatum est, egens misericordia Dei ignoscente & remittente.

11. Quicquid agit homo ante iustificatam gratiam, peccatum est.

12. Vnica refectio, & à certis cibis abstinentia tempore ieiunij, contra rationem præcipiuntur, & contra scripturam.

13. Christiani sunt liberi ab eiuscemodi ieiuniorum obseruantia, nec ipsa facit quidquam ad legis diuinæ obseruantiam.

14. Dubium est, an homo se voto obligare possit ad supradictum ieiunium.

15. Papa, vel Ecclesia, non vult; nec quidem potest sibi subditos sub pœna peccati mortalis obligare ad hunc sensum, quod quis transgrediens præceptum hominis, peccet mortaliter.

16. Superiores non tenentur subditos obligare sub pœna peccati mortalis.

17. Subditus sui superioris præceptum transgrediens ex ignorantia supina, vel passione, seclusa scandalo, non peccat.

18. Papa, de iure diuino, non est caput Ecclesiæ.

19. Petrus solo iure humano factus primus & supremus reliquos Apostolos; & idem censendum est de quolibet Petri successore.

20. In omni foro tam exteriori quam interiori, omnes Episcopi sunt æquales.

21. Concilium ritè congregatum, præcisè tantum decidere potest, quantum sacra scriptura expressè continet.

22. Concupiscentia quæ in baptizato relinquitur, est peccatum propriè dictum, contra hoc; Non concupisces.

23. Caro tali concupiscentia infecta, ad omne opus liberi arbitrij concurrit; vnde quodlibet opus humanum, peccatum efficitur. Idem censendum est de martyrio Petri, & aliorum sanctorum operibus.

24. Omnes laici sunt Sacerdotes.

25. Qui manet in peccato mortali, non manet in baptismo, Sacerdotio, Episcopatu vel Papatu.

26. Diplicentia de peccatis admissis, non est via ad gratiam iustificantem, sed è diuerso, gratia est via ad ipsam diplicentiam.

27. Dolor de vno peccato sine dolore omnium, est peccatum.

Omnes igitur & singulos iam dictos articulos, ego Iacobus præpositus improbo, reuoco & condemno; quorum quidem aliqui sunt notoriæ hæretici, & à sanctis Patribus reprobati; quidam vero scandalum & offensionem pariunt; alij vero pias aures & simplicium mentes offendunt, atque seducunt: & omnes in summa veræ vnitati Catholicæ obluctantur. Profiteor autem hæc omnia pure, & sine vlla coactione, aut conditione, & ex syncericate animi, planeque de veritate edoctus, & in quæ iuro per sanctam Trinitatem.

Quæ omnia, cum ab eo hoc ritu & ordine peracta fuissent, tandem in errorem pristinum relapsus est, & in eundem lapidem offendit.

Ex quo effectum, vt Fratres illius Conuentus quos ille seduxerat, vinculis & custodiis sint mancipati; at ipse tandem sub Inquisitore Iacobo Hogostrato Dominicano Calend. Iunij mandato summi Pontificis exustus. *Bernardus Lutzemburgen. in Cathalogo hæreticorum. Bucholzerus in Chron.*

XVIII. *Lusitani S. Thomæ Apostoli corpus in India inuenunt.*

Cæterum quo tempore in Septentrione per apostatas, fides & disciplina Christiana abolebantur, alibi, & præcipue in Indiis per Reges Catholicos mira accessione amplificabantur, & alicubi inferebantur. Ioannes enim Rex Lusitaniæ, statim post mortem Emanuelis patris, acceptis regni gubernaculis, ad propitiandum cœleste numen, ac populos in officio continendos, illud curabat inprimis, vti studium Christianæ religionis antiquissimum sibi esse cuncti perspicerent. Idcirco, & in Lusitania salutariter in eo genere multa decreuit; & per litteras Eduardo Indiæ Prætori mandauit; cultui diuino, & sacerdotum commodis enixè prospiceret; ac nominatim, Diuini Apostoli Thomæ sepulchrum in Coromandelio littore peruestigandum curaret; daretque operam, vti sacrosanctæ illæ reliquiæ (quamquam easdem, vel earum certe partem Mesopotamia sibi vindicat) cum dignitate custodirentur. Eduardus, Emanueli Friæ, præposito Coromandelicæ oræ, cum Sacerdotibus aliquot, & architecto id negotium dedit. Profecti Meliaporem (nam ibi situm Apostoli corpus audierant) æquatam solo ingentis amplitudinis vrbem offendunt. Paucæ tantum pyramides, turresque, & columnæ, miserabili è strage supererant: necnon varij coloris lapides, ac velut porphyretica peregregiè sculpta fragmenta, quæ antiquum vrbis ornatum & elegantiam satis arguerent. In his visebantur operosa magnifici cuiusdam templi vestigia, vno tantum superstite ad orientalem plagam sacello, crebris intus forisque lapideis Crucibus è vetere disciplina consperso. Sub eo tecto latere Apostoli ossa cum accolæ pro certo affirmarent, primum omnium sarcire ipsum ædificium placuit; quod testudinis pondere pressi parietes, aliquot locis vitium fecissent. Ad eos ergo fulciendos, ac renouanda fundamenta, conductis è vicino operis, dum effoditur humus; ad quintum ferme dodrantem apparuit loculus lapidea tabula tectus; in quam ab interiore parte incisæ priscæ gentis lingua (vti à peritis cognitum est) litteræ testabantur; templum id à sancto Dei Apostolo Thoma quondam extructum; ei templo tuendo colendoque, mercium quæ in vrbem importarentur, decimam ab Sagano Rege attributam. accedebat obtestatio ad posteros, ne quid ex eo vectigali & donatione imminutum vellent. paulo infra eam tabulam, ipsius Regis (vti ex priscorum traditione Indi referebant) cadauer inuentum. Altius dein molientibus terram, quadratum, primo lateritiæ, postremo lapideæ structuræ septum apparuit, multiplici operimento, pedum circiter nouē altitudine. Ibi quod sepultum haud dubie corp⁹ Apostoli diceba tur esse. adhibiti ad amouendū operculū Lusitani duo (nam Indis rem eiusmodi committere non est visum) non nisi noxis per sacram confessionem expiatis, & reconciliato per Eucharistiam Deo, aggredi rem ausi, locum aperiunt. Immista calci & arenæ, candidissima specie ossa, & apposita lanceæ cuspis, & viatorij baculi frustum, itemque vas fictile, fidem inuenti demum sacri thesauri Lusitanis fecere. Sub hæc repertum aliud cuiusdam è Thomæ discipulis cadauer; cæterum tetro ac terreo aspectu, quemadmodum & Sagami Regis. vt, si alia argumenta defuissent, ex ipso propemodum colore dignosci Apostoli ossa potuerint. Eo maior gratulatio fuit Christianorum; & affabrè factas arte Sinarum duas arculas ex proximo emporio Paleacate confestim afferri placuit; quarum in altera eximij operis argento cœlata, ipsius Apostoli; in altera discipulorum eius reliquiæ inclusæ: & commune gaudium solenni supplicatione pompaque, & priuatis omnium qui aderant studiis celebratum est. Propositis deinde in ipso altari arculis, adhibitoque custode: claues vtriusque Emanuel Frias Cocinum Prætori Menesio detulit. Hoc maximè modo per eos dies, & sacello, & religioni consultum. Biennio deinde post, eadem ossa intra ipsam aram occulto loco, duobus tantum conscijs Lusitanis abdita; ac postremo Goam, Constantino Brigantio Pro Rege, qui Diui Thomæ templum in ea vrbe extruebat, à Patre quodam Franciscano translata fuisse comperio. *Maphæus hist. Ind. lib. 8.*

XIX. Per eadem tempora, quando imagines beatissimæ Virginis, in septentrione deturbabantur ab Anabaptistis & Lutheranis, Deus alibi, earum venerationem atque cultum comprobat; editis ingentibus miraculis. Aliqua his tribus circiter superioribus annis narrabo, quæ apud Montem Serratum in Hispaniis patrata.

1. Paschalis Rocca San Miniatensis, homicidij innocens accusatus, damnatusque in manicis & pedicis ferreis, certissimam mortem exspectabat. Votis ad SS. virginem conceptis, statim per miraculum manicas & pedicas sibi detractas sensit, & per fenestram quandam è carcere exiliens, voti compos euasit; vita simul & libertate donatus.

2. Honofrius Ribes par huic, etiam flagitij cuiusdam postulatus, ac in vincula & carcerem compactus, vitam atq; innocentiam suam Diuæ virgini commendans, nocte quadam lucem miraculosam Solis meridiani æmulam, ergastulum illustrasse, ac in momento portas carceris sponte, ac sine strepitu reseratas aspexit, catenisq; exsolutus liber euasit: eodemq; anno quo Paschalis Monserratum venit, votaq; suæ liberatrici persoluit.

3. Michael Arpinas, Prior Cœnobij Augustinianorum S. Ioannis apud Caietam ibat Romam pro sui Ordinis Comitiis celebrandis. Dum in Pontiam insulam exscendisset, à pyratis captus, Tunetum ductus, quadraginta quinque aureis diuenditus, atque catena ad pedem onustus, aquam lagena per vrbem singulis diebus circumferens ac diuendens, lucrum quotidianum Loranco Mauro qui eum emerat, acquirebat. Si quando destinatam pecuniam non quæsiisset, vel fustibus mactabatur, vel assungia liquefacta & adhuc feruente caput perfundebatur: quodq; grauius religioso Christiano fuerat, vt fidem Christi ciuraret, septies sub asciam submittebatur, iam iam capite imminuendus. Semel iugulum exponere iussis, illud securi circumducta signauit Maurus, supremamque cutem vsque ad sanguinis effusionem strinxit, si modo potuisset illum ad Mahometismum metu mortis impellere. sustinuit hæc & alia constanter Ioannes: nam post verbera verberibus addita, etiam articulos manuum illi præcidit Maurus: quos tamen voto ad SS. Virginem facto, per miraculum recuperauit, & reliquis manibus, ac si numquam præcisi fuissent coniunctos recepit. Cumque aliquis Maurus illum in laudibus B. Virginis perseuerantem, & fere non aliud quam nomen Mariæ inclamantem audiret, linguamque illi iam truncare properaret, manum ad scelus extentam mox sibi arefactam sensit: quo prodigio perculsus, & deinceps Christianus factus occasionem dedit Ioanni ex ea captiuitate euadendi, inque Italiam, cum nauis quædam Christiana eo appulisset, redeundi. Eandem calamitatem Matthæus Castillorius Caietanus, Diui Benedicti institutum apud Oliuetanos Neapoli professus, ac Tunetum, cum nonnullis aliis Benedictinis ductus sustinuit, atque ope SS. Virginis quam ardentissimè inuocauerat, omnia tormentorum genera, ne Christum abnegaret tolerauit, ac tandem in libertatem restitutus fuit.

5. Franciscus Pratus Barchinonensis, sub signis Didaci Veræ in Africa miles, dum Christiani aduersus Mauros apud Algherium infeliciter pugnassent, & ipse cruetenus vulnere accepto, vix sibi fuga consuluit, & in quoddam latibulum sese recondidit. Certus, posse ab exploratoribus vicinis inueniri, adiutorio SS. virginis implorato, in mare sese deiecit, enandi, quamuis & ignarus nandi, & à vulnere claudus, securus. Non deseruit naufragum potentissima virgo; sed tamdiu inter vndas iactatum super vno scuto seruauit, quoad vna Christianorum nauis fortuito adnauigans, miserum excepisset, & in Hispanias reuexisset.

6. Blasius Noguerius Tarbensis, triginta circiter vulneribus lethalibus pene enectus, ex quibus septem in capite, sex in brachio sinistro, duo in dextro, duodecim in pede sinistro, vnum supra genu in vena organica, vnum in latere, aliud quod ab aduersa parte vsque ad aduersam patebat; nullis adhibitis vnguentis aut medicamentis, sola inuocatione Dei genitricis Mariæ quæ apud Montem Serratum colitur, conualuit, vt ne cicatricum quidem vestigia remanserint.

7. Eandem opem accepit Raynerius Romandus, qui ligna scindens, pedem quoque sibi casu præciderat, vt sola pelle os concisum dependeret. Implorata virgine, os ossi coniunctum compagi natumque, & pedem omnino redintegratum accepit.

8. Christopherus Casa, Bartholomeus Aloa, & Martinus quidam ciues Valentini, ex Italia Valentiam nauigantes, diutissimè iactati, & primum Maioricam, deinde Panormum in Siciliam, inde Massiliam tempestatibus delati, cum nequaquam portum attingere potuerint, ab vndis perpetuo repulsi, inq; extremum discrimen vitæ adducti, voto prius SS. Virgini sponsos, in mare sese deiecerunt, si fortè nando possent appellere. Ibi prope naufragis; inter medios vorticos apparuit Deipara candidissimo pallio amicta filiolum in brachio gestans; cuius visione recreati & roborati, viribus resumptis tandem emerserunt incolumes.

9. Villabordes Tarbensis, ex diuturna infirmitate cæcus, statim atq; Monserratum ductus est, ante imaginem Reginæ cœlorum prostratus, & gemens, visum recuperauit. *Astolfus lib. 11. de miraculis B.M.V.*

ANNO CHRISTI
M. D. XXIV.

CLEMENTIS PAPÆ VII.
ANNO 1. & 2.

CAROLI V. REGIS ROM.
ANNO 5.

Mediolani in B. Virginis statua prodigium cernitur.

IN hos dies Mediolani contigit prodigium, nullo modo prætereundum silentio, quod non tantum illi vrbi, aut vni familiæ, sed fere vniuersæ Italiæ calamitatem portenderit. In quodam domestico Oratorio antiquarum ædium Triuultiæ familiæ in via quæ dicitur *Ruga Bella* aderat Icona quædam depicta cū imagine B. M. Virginis, quam duo præcipuè sancti, Sebastianus & Hieronymus circumstabant venerabundi. Illuc Domicella quædam Dominicæ Hippolytæ Comitissæ de Triuultiis consueuerat quotidie statutis horis ad orationem descendere; quando die quadam videre visa fuit ex oculis S. Hieronymi sanguineas effundi lachrymas. cumq; sibi simplex puella non crederet, accepto bombice, cæpit eius oculos & illas sanguineas lachrymas abstergere, quibus bombyx ipse sanguineis maculis madefactus euasit. Ad hoc ergo portentum perterrefacta puella, ingentique admiratione & pauore perculsa, ad suam heram magna cum vociferatione accurrens singula retulit, & bombicem sanguine madidum ostendit. Comitissa grauis matrona delirare puellam arbitrata, obiurgare de leuitate cœpit; quando tandem ex aliis ancillis veritatem edocta illico accurrit, vidit, tetigit, bombyce sanguineas mananter ex oculis sancti Hieronymi lachrymas absterfit, & maxima cum veneratione adorauit. Quid plura? Ad famam miraculi tota commota domus, vicinia, ciuitas: quisque trepidus ad ædes Triuultiorum cucurrit; nec solum Mediolanensibus, verum etiam exterarum gentium populis, Gallis, Hispanis, Heluetiis atque Germanis ad nouum illud miraculum videndum confluentibus, die, noctuque, ædes illæ non absque magno Triuultiorum tædio atque discrimine complebantur: donec Benedictus & Vrbanus fratres, cum aliis de Triuultia gente, Patribus seruitis, cœnobium cum Ecclesia ad honorem beatæ Mariæ Virginis, & sancti Hieronymi, in oppido quod Locatum dicitur, non procul à Mediolano situm ædificassent, & in sacello suæ familiæ imaginem illam collocassent. Ibi ad hæc vsque oo ftra tempora imago illa sancti Hieronymi visitur, cuius oculus sinister adhuc rubricato sanguine madidus apparet; & cum residua quadam illius bombycis particula sanguine conspersa, conspicitur quodammodo maculatus. Sanctus Carolus Barrhomeus Cardinalis Archiepiscopus dum aliquando suam diœcesim ex visu visitaret, & Locatum peruenisset, imaginem illam sublato velo & cortinis diligentissimè intuitus per horam supplex adorauit; cumque assurgeret, à quodam familiari, qui rem potius detrectari quam credere videbatur. Num

vera essent, quæ de lachrymis S. Hieronymi circumferebantur interrogatus, illum obiurgando, ea verissima fuisse, & se de singulis certissimum esse testatus fuit Carolus quoque Triuultius, eius gentis anno Domini 1612. princeps, datis illo anno, die 2. Maij litteris significauit, guttas quasdam eiusdem sanguinis dum puer esset, ab amita sua, Monasterij Sancti Bernardi in vrbe Mediolanensi sanctimoniali (nam in eodem quoque Monasterio pars aliqua eius bombycis seruabatur) ob deuotionem Sancti Hieronymi recepisse. De hoc ipso miraculo agit Paulus Morigia, in suo Commentario de rebus sacris Mediolani: & *Archangelius Gianius Florentinus lib. 6. cap. 5.* Portendebat inprimis, is Sancti Hieronymi, (quem familia Triuultia semper Protectorem venerata est,) ploratus calamitatem Mediolani, qua à bello, qua à peste, quibus ea vrbs hoc & subsequente anno deformata fuit, Carolo Cæsare, cum Francisco Galliarum Rege, de eius vrbis, & totius Insubriæ possessione certantibus, atque ad Italiæ vniuersæ imperium aspirantibus.

II. *Clemens VII. variè belli tumultu iactatur.*

Inter hos armis certantes, Clemens Pontifex variè iactatus est, dum se deinceps, non magis vnius quam alterius partis studiosum ostendere conaretur. Cum enim & Cæsar, & Rex, statim atque Pontifex factus est, alter Beureno, alter Sanmassano ad eum misso, illum sibi adiungere niterentur, præsentibus periculis remotis, ea moderatione quæ in Christianorum Principum dissidiis Romanum Pontificem decet vtens, vt qui neutri magis quam alteri faueret, paci conciliandæ operam dare statuerat. quod consilium Regi quidem, qui ne Pontifex factus eodem in se quo Cardinalis fuerat animo esset metuerat, non omnino ingratum: at Cæsari, cui ob superiorum temporum necessitudinem, quodque ei post Leonis obitum, & Hadriani in Pontificatu adipiscendo fauisset, illum abs se disiungi iniquum videbatur, displicebat. Idcirco quod illi Pontificis nomine, ipsum quamuis beneuolentiam, qua illum ad eam vsque diem prosecutus erat animo non deponeret, tamen cum priuati personam deposuisset, & communis Patris assumpsisset; deinceps communia tantum officia præstare cogi est significatum, molestissimè tulit. Ergo cum huius anni initio, Pontifex, ad Cæsarem, Galliæ, & Angliæ Reges, Nuncios, qui aut de pace, aut de induciis ageret misisset, animos eorum ad id male affectos offendit: maxime post Fonterabiam, Gallis à Cæsare ereptam. Nam ex hinc Pontificiis suasionibus auctoritateque reiecta, longius spectabant. quoniam Gallorum Rex, duorum annorum induciis assentiens, pacem se nihil in ea quod ipsi satisfaceret obtinere posse sperans, recusabat: Cæsar inducias quibus Galliæ Regi sese ad nouum bellum comparandi tempus concederetur improbans, pacem exoptabat: & Angliæ Regi, quia pacis negotium tandem totum ad se deferri, ad id Eboracensis Cardinalis qui vere hac ætate immoderatæ superbiæ exemplum, & si inter infimæ sortis homines sordidissimis parentibus natus, tantam apud illum Regem autoritatem erat adeptus, vt Regis voluntatem Eboracensis consensu non confirmatam, nullius momenti; & contra, quicquid solus Eboracensis statuisset, firmissimum esse omnibus esset notissimum, ambitiosis consiliis impulsus cupiebat, qualiscumque pactio Pontificis opera fieret, molesta erat. Hanc vero suam cogitationem Rex & Cardinalis apud Cæsarem dissimulabant, seque belli Galliæ regno, quod Angliæ Rex variis rationibus ad se spectare aiebat, inferendi cupidos ostendebant. Tanto autem magis Gallorum Rex difficiliorem se Pontifici reddebat, quando intellexit illum à fœdere, quod Hadrianus cum Cæsare inierat non solum nolle discedere, sed & Cæsaris Oratori, occultissimè quidem viginti aureorum numum millia numerasse, & Florentinos à quibus Prorex Neapolitanus fæderis Hadriano regnante icti vi, nouam contributionem petebat, trecentas auri libras, quasi summæ debitæ reliquum soluere iussisse: ac insuper sub ipsam pacis tractationem Cæsarianos Duces Massiliam oppugnare ausos fuisse, bellumque in Galliam transtulisse. Quamobrem, siue ne pacis colloquia audiret, siue quod Pontifici non fideret, Nicolaum Scombergium Capuanum Archiepiscopum ad se, vt postea ad Cæsarem transiret, missum vlterius progredi voluit; sed vt vel Auenione apud matrem exspectans, per litteras secum ageret; vel ad Pontificem rediret iussit; atque ipse hostium tergo imminens in Italiam exercitum duxit. Primus omnino Nicolaus Achiepiscopus, qui in Gallia retentus fuerat, pernici tabellario, de Francisci transitu in Italiam, deque Auenione Pontificij iuris vrbe à Rege occupata; Clementem admonuit. Clemens tamen, nihil omittendum, sed iterum atque iterum instandum sibi existimans, Gibertum Veronensem Antistitem, qui summorum eius consiliorum erat arbiter, summæ fidei virtutisque hominem, & Gallis impense fauentem ad Regem misit, ad pacem vel inducias pertractandas: vt ipse tamquam ex æquo arbiter, quæ petebat, mollius atque facilius impetraret. Cum pacis mentionem Rex minime admitteret, instabat Gibertus, vt induciæ fierent: Interim eas vrbes vterque teneret, quas ab initio belli cœpisset, aut antea possedisset. Id Franciscus Sfortia, Mediolano iam à Gallis eiectus minime probabat. Nec etiam de Ticino vrbe poterant conuenire; quum Cæsariani, qui auxilia propediem exspectabant, nihil concedendum arbitrarentur; nec Franciscus Rex suæ dignitatis esse putaret, ab ea vrbe discedere, qua se omnino potiturum speraret. Ita abrupta spe concordiæ, Gibertus aliam tractationem cum Rege exorsus est, pro salute & quiete Italiæ. Res est.

Cæsari in bellum Italiæ intento, inprimis pecuniæ defecerant. Hispani, quatuor millia pondo auri, in comitijs postulati dare recusarant. Ex Mediolanensi Imperio, in quo belli sedes, aurum extorquendi facultas defuerat. Neapolitani regni vectigalia, vendi non poterant: à veteribus sociis exiguum, vel fortasse nullum militum, pecuniarumue subsidium conferebatur. Deficiebat & spes, Galliæ Regem aliis ex partibus, vt conuenerat, oppugnatum, quo minus omnes suos apparatus vnicam in partem conuerteret impeditum iri: quoniam Rex Angliæ, & si Richardum Paccæum ad Borbonium misisset, mille auri pondo in secundum mensem dare recusabat: neque belli in Belgis gerendi signa ostendebat: imo cum Ioannem Ioachimum Spedianum à Galliæ Rege ad se missum in Insulam admisisset, & Cardinalis Eboracensis sinistra Cæsaris Oratoribus responsa daret, animi sui haud mediocrem suspicionem præbebat. Ex finibus pariter suis Cæsar, contra Galliæ Regem, alios quam tenues & exiguæ autoritatis poterat facere apparatus. Vnde ipsi primum Cæsariani Massiliæ expugnandæ spe deiecti, & ne Rege appropinquante in grauissimum periculum inciderent metu perterrefacti, Massiliæ obsidionem soluerant, & fugientibus magis similes in Italiam reuerterant, Gallo potentissimis viribus eos impellente. Inde metus Pontifici & Venetis iniectus, ne ingentis animi Rex, qui tam potens contra imparatos Hispanos in Italiam venisset, iamque Mediolano potitus fuisset, si Ticino demum potiretur, infesto demum exercitu veteres iniurias opportune vindicaret. Iam inde etiam studia in Cæsarem remissa illorum, quod is cunctatius quam oporteret, ad promerendas eorum voluntates, cum Francisco Sfortia agere videbatur; quippe qui nondum Mediolanensis principatus diploma, tot legationibus ac pene querelis totius Italiæ efflagitatum, ei tradiderat. Inde in animis illorum ipsorum, nec aliena ab vsu rerum opinio, non inanibus certe coniecturis nata: Cæsarem si victor vndique foret, eiecto Sfortia, Cisalpinæ Galliæ principatum protinus arrepturum, vt inde duorum demum regnorum opibus fretus, totius Italiæ Imperium occuparet. Id etiam iniquo maximè animo ferebant, quod Cæsariani Duces post exactos Italia Gallos parta pace, impotenti demum cupiditate, & plane superba insolentique audacia inducti, tantulis copiis Galliæ regnum inuadere ausi fuissent, vt exagitatis domi Gallis, atque his pro salute ad arma excitis, & in Italiam pertractis, constitutæ pacis ocium perturbarent. Non enim eos pro sociis & fœderatis haberi colique debere existimabant, qui bella ex bellis sererent, pacem pati non possent, nec vlla conditione quieti esse vellent: vt prætextu belli, prouinciarum populationibus alerentur. Inter hæc postulabat etiam Rex Gallus à Pontifice Venetoque senatu, vt neutri parti adesse vellent; spectatores tantum essent; Nec tamen commeatus impedirent. Ipsum per se daturum operam, vt

nullius ope ad superandos hostes indigeret, si illi pariter à nemine vlla in re iuuarentur. Ergo Pontifex, cum se iis bellis prorsus non immiscere statuisset, & si se Cæsari & Angliæ Regi fauere ostenderet, fœdus tamen cum superiore Pontifice à Cæsare & Anglo ictum numquam renouare, vel nouum cum vllo Principe inire voluerat; ac de pecunia à Cæsarianis rogatus, ambigue respondebat. Idem Florentini faciebant: Idem & Veneti, siue memores veteris cum Galliæ Rege fœderis, siue Cæsaris ambitionem metuentes, siue consilia ex rerum successu moderantes. Pontifex præter hæc vbi Mediolanum à Rege occupatum cognouit, tam secundo initio commotus, ideoque res suas ac Italiæ in tuto collocãdi cupidus. Ioannem Matthæum Gibertum quem diximus Veronensem Episcopum, Datarium suum, homini ipsi fidum, nec Regi ingratum ad eum misit. Ei vero vt prius Soncinum peteret, ac Proregem & cæteros Cæsarianos duces ad pacem, se eandem ob causam ad Galliæ Regem iturum ostendens, hortaretur, mandauit. Hi autem spe ob Papiæ propugnationem iam aucta, se nullum pacis, quæ Rex vel vnicum terræ palmum in Insubria retineret, sermonem audire velle ferociter illi responderunt. Neque dissimilem, & fortasse etiam duriorem in Rege mentem inuenit. Is enim exercitus magnitudine, eiusque non modo sustentandi, verum etiam augendi facultate, qua præcipue non sola hostes anteuertendi spe (quamuis & id quoque sibi successisse diceret) nixum, se in Italiam venisse aiebat elatus, operibus & machinis quæ circa mœnia faciebat, quibus hostes, qui vt ex eiaculandi in frequentia cernebatur, tormentariæ materiæ penuria laborabant, resistere non posse sperabat, ab Ticini fluminis diuersionem cuius spes nondum erat amissa, & commeatus inopiam, Papiæ obtinendæ, quam atrociter, pulsare non cessabat, certam spem habere; nec Mediolanense Imperium modo, & Genuam tantis laboribus, tamquam immodicis sumptibus dignum ab se præmium iudicari, sed non minus de regno Neapolitano inuadendo cogitare, respõdit. Tractatum deinde inter eos est negotium, istud quod iam iam narrabo. Pontifex ad auxilia nulli, neq; aperta, neque occulta contra Regem danda sese obstrinxit; idemq; pro Florentinis spopondit. Rex autem Pontificẽ & Florentinos, Medicææ familiæ Florentiæ autoritate expresse adiecta, in fidem accepit. Eam pactionem non prius quam Pontifici visum esset diuulgandam constituerunt: & nihilominus quamuis tunc id Cæsarianis ducibus non innotuerit, in illis tamen suspicio de eo concepta subinde crescebat. Quare vt eius animum prorsus exploratum haberent, Marinum Nageriæ Abbatem exercitus procuratorem, qui ei simul & spem & metum proponeret ad eum miserunt. Hinc n. ei res maximas offerebant; illinc ostendebant, quum Cæsar & Rex ad extremam controuersiam venissent, Cæsarem non posse eos qui medij extitissent non pro hostibus habere. Pontifex autem respondebat, nihil minus se dignum esse, quam in Christianorum Principũ inter se bellis in alterutram partem inclinare; Id enim ab se Pastoris munus exigere; & sic posse se maiori authoritate de pace agere; de qua eodem tempore cum Cæsare agebat, ad quem Lugduno in Hispaniam transeundi potestate ab Regis matre accepta, post Mediolanum captũ Capuanus Archiepiscopus peruenerat. qui cum Pontificem, quod fædus quemadmodũ Cæsar Regis in Italiam profectione cognita vehementer flagitaret, instaurare noluisset, iisdem rationib. excusasset; vt aut induciis aut pace arma deponerentur, vehemẽter illum ipsius nomine hortatus est. Animum Cæsaris ad pacem flectebant difficultates ad quas se redactum animaduertebat, quod nullã pecuniæ in Hispania ad Italiæ res sustentandas, explicandæ rationem haberet; felicitas quæ in Galliæ Rege cernebatur: & Angliæ Regem clam cum hoste conuenisse suspicio. Quoniã is Rex non modo quinquaginta aureorum numũ millia, quæ tandem in Prouinciæ bellum Romam miserat, & exercitum qui in Insubria erat mitti nolebat; sed, quod maiorem suspicionem afferebat, à Cęsare mutuo datam pecuniam, & reliquã omnem quam ei deberet repetebat. Quia Cæsar iam cum in Hispaniam proficisceretur, eius societatis cupidissimus, vt omnia impedimenta quæ illum dubium reddere poterant remoueret, annuas pensiones quas ei Galliæ Rex pendebat, & viginti aureorum numum millia, quæ idem Rex Cardinali Eboracensi & quibusdam aliis soluebat; & trecentas auri libras, quæ Blancæ Reginæ Ludouici olim vxori dabantur, se ei daturum receperat; ex quib. nihil ad eam vsq; diem soluerat. Nihilominus Cæsar quamuis ad animi ægritudinem corporis quoq; inualetudo accederet, quoniam dolor, quum Massiliæ expugnandæ difficultates apparere cœperunt conceptus, eam febrim q̃ quarto quoq; die recurrit ei pepererat; siue quod eius mẽs ad hosti cedendum minimè prona natura nullis difficultatib. flecteretur; siue exercitus sui, si quando fortè ad pugnã cum hostib. conserendam ventum esset virtuti cõfideret; siue sibi in posterum fortunam non minus immodice propitiam quam hactenus fuisset polliceretur, vllas pacis leges dum Galliæ Rex Insubriam armis vexaret, admittere ex dignitate sua non esse, Capuano atq; Pontifici respondebat.

III. *Galliæ Rex Regnum Neapolitanum inuadere statuit.*

Interea Gallus Neapolitanum etiam regnum inuadere statuerat, sperans proRegẽ, quia nullum in eo relictum erat præsidium, periculo motum, vel Insubriã, vt ad illud propugnandum cõtenderet deserturum, vel saltem iniquis legibus vt arma deponeretur, quod Rex Papiæ expugnandæ difficultatib. motus, iam fere exoptare incipiebat, conuenturum. Ad id bellum Ioannem Stuardum Albaniæ Ducem, ex Scotiæ Regum sanguine ortum, cum ducentis lanceis, sexcentis leuis armaturæ equitibus, & quatuor peditũ millibus, qui pedites ex ipsius exercitus corpore caperentur, destinauit. Iussit præterea, vt Rentius Ceres, ac cæteri Vrsini quatuor peditum millia in Latio conscriberent. Istud consilium per Albertum Carpensem Comitem Oratorem suum Pontifici significauit; & vt peditatum Romæ conscribi, exercitumq; suum per Pontificij imperij terras iter facere pateretur, expetiit. Id Pontifici, cui Galliæ Regẽ præter Mediolanense Imperium etiam Neapolitano regno potiri molestissimum fuisset, graue erat. Sed quum id ei aperte denegare non auderet, Regem, ne eam expeditionem tunc aggrederetur, neue sibi id ei quod iustis de causis concedere non poterat, denegandi necessitatem imponeret, hortabatur: & prudenti oratione, id ipsiusmet vtilitati contrarium esse ostendebat. Si n. Mediolanensis imperij recuperãdi cupiditas hactenus tot in eũ hostes concitarat; quid si ipsum nunc ad regnum Neapolitanũ aspirare cernerent, fieret? cui mirum esset, si Veneti ea re moti bellum etiam vltra fœderis limites pro Cæsare susciperẽt? Cogitaret, si forte in Insubria res ipsius difficiliores progressus sortirentur, quam existimationem in regno Neapolitano essent habituri, inclinationẽ in alterutro horum locorum, in altero occasum pariturã. Deniq; memoria repeteret, se, quod intra Pontificis muneris limites cõtineret, ab ipso cõmendatum; idcirco vt nunc ipsum in contrariũ cogeret, nõ decere. Sed hæc frustra dicebantur: quia Dux respõso non expectato, vt qui id à Pontifice certò concessum iri existimaret, copias mouit. Pontifex igitur cũ Regẽ à bello Neapolitano numq̃ remouere potuisset, & forte ne ei suspicandi causam p̃beret nõ multum institisset. quod reliquum fuerat, existimabat metũ Cæsarianis propius admouendum, vt de induciis impetraret, quod antea postulasset. Ad ipsius enim dignitatẽ, qui ad æquitatis & pietatis nomen sacrosanctæ authoritati innitebatur, maximè pertinebat, vt vtriq; ab armis discederent, ipso disceptatore atq; arbitro controuersiam componerent; vt ea arma quibus adeo funeste inter se deseuirent aduersus Christiani nominis hostes verterentur. Sed & ante omnia pulchrum erat atq; magnificum, solo consilio, nulla impensa, Italorum omnium libertati præcauisse, ne si bellũ Marte iudice victoria finiretur, qui superior euaderet victricibus innixus copiis, victoria & fortuna vtẽdum arbitraretur ad perdonandos reliquos hostes, subiungendamq; Italiam; q̃ afflicta viribus, & dissociatis Principum animis, haud dubie in præmiũ laboris atq; periculi victorib. cessura videretur. Sed Clemens alioqui ab inueterata prudentia circũspectus, dũ errore inductus, neutri parti nocere velle vult videri, vtrumq; tacito sensu vehementer offendens, sibi ac toti Italiæ graue & planè funestum bellum peperit. Erant plerique ex amicorum & familiarium numero, qui recta quadam ingenij libertate suadebant, vt Placentiæ iustum exercitum pararet, consilia & vires cum Veneto ad id maximè parato, opportunè commisceret; vt qui inermis, dum paces conditiones armatis proponit, esset despectus, vim demum haberet ad compellendum, si Cæsariani vel Rex ipse ab induciis atq; concordia pertinacius atque insolentius abhorrerent. Nihil enim Italo Principe, atque eo præsertim qui summæ pietatis atque prudentiæ personam sustineret, tutius ac honestius esse poterat, quã parato exerci-

firmissima vti authoritate; & denunciato vtrique periculo, in eum qui pacem abnueret, diuinis ac humanis armis deferri, atque inde præclarissimo facto, in Italia pacem atque ocium parare. Sed multa obstabant, ne Pontifex ea consilia plena securitatis & laudis protinus expediret, vt ab his mox peccatis ac erroribus hominum merito diuina humanaq; omnia perderentur. Bellici namque sumptus qui exhausto ærario impenderent, à conscribendis copiis Pontificem maximè deterrebant, natura tenacem, & pecuniæ numquam profusum, temperantia & cunctatione gaudentem, & ex alienis rerum successibus consilia sua solitum expendere. Quæ artes sicuti dignæ erant sancto moderatoque Pontifice, qui peculiari studio veterum more sacra procuraret; ita ei importunæ ac exitiales esse videbantur, qui generoso fortique consilio ad salutem omnium excubare vellet, vt Italia validissimarum gentium pertinacibus armis vexata, ab imminenti interitu incolumis & libera seruaretur. Igitur Clemens, quum pro Cæsare animus esset in officio, & Gallorum tñ res saluas esse cuperet, vt medium se gerere videretur, metuque Cæsarianos ad inducias impelleret, fœdus antea cum Rege Francisco initum Cæsarianis notum faciendi, & concordiæ, ad quam ob Papiæ expugnandæ difficultatem, & regni Neapolitani periculum, vtramq; partem se faciliorem inuenturum sperabat, mentionẽ iterandi tempus ei opportunum est visum. Quapropter Paulum Victorium classis suæ præfectum, ProRegi hæc significatum misit; se numquam, & si summo studio in id incubuisset, Regẽ à regni Neapolitani inuadendi sententia remouere potuisse; quem ne nunc quidem nisi bellum quod sustinere non posset, in seipsum concitare vellet, itinere prohibere posse: imo quo suæ securitati consulat, ad nouas pactiones cogi: in quibus tamen nullam vmquam legem in Cæsaris detrimentum esset admissurus, cui nihil in tantis difficultatibus pace vtilius esse agnosceret; de qua, vt, priusquam offensiones procederent, agi posset, ProRegem hortari, vt arma suspenderentur: & iis quæ Cæsaris & Ducis nomine in Mediolanensi imperio retinebantur, in alicuius minime suspecti hominis manus depositis (propterea quod alioqui Rex his minime assentiretur) inducias vellet admittere: quo facto ipsos aliqua honesta ratione de pace conuenturos speraret: pro qua proponebat, vt Mediolanense regnum à Galliæ regno prorsus disiunctum, Cæsaris, qui eius rei gratia æquam pecuniȩ summam acciperet, authoritate, Regis secundo filio concederetur: Frãcisco Sfortiæ atque Borbonio Ducibus honesta quapiam ratione prospiceretur: & Pontifex, Veneti, ac Florentini cum Cæsare contra Regem, nisi promissis staret, coniungerentur. & quidem Cæsariani duces plerique obsequendum Pontifici differebant: sed Piscarij tamen sententia vicit: qui quamuis ad ea quæ Pontificis nomine sibi proposita fuerant, modestè respondissent. acerbe tamen admodum, se nullam pacis mentionem audire velle, Romam scripsit. Quamobrem Pontifex, quod Stuardus iter suum Neapolim versus persequeretur, se necessitate duci ostendens, non vt rem antea factam, se cum Galliæ Rege simpliciter tantum, vt alter alterum non læderet conuenisse promulgauit: quod etiam per epistolam causis, ac præsertim necessitate qua id impulsus fecisset, expositis, Cæsaris procuratoribus significauit, quæ ab Ioanne Corsio Florentino Oratore reddita est, iis verbis, quæ huiusmodi negotium postulabat, additis. Expeditionis in regnum Neapolitanum à Francisco Rege susceptæ, Clementem Pontificem, vel autorem, vel saltem approbatorem, ex Gallis Bellaius, ex Italis Galeatius Capella scribunt: sed Francisco Belcario. Metensium Episcopo, Francisci Guicciardini potior sententia videtur, quam & Ioannes Belcarius Peguilio frater, *ait*, meus, qui tum admodum adolescens Stuardi Albaniæ reguli domesticus eidem bello interfuit, confirmauit. Se enim à Stuardo sæpius audiuisse mihi, *inquit*, narrauit, Clementem Francisco suasisse, ne exercitum diuideret, donec toto Mediolanensi principatu potitus esset: nullam regni Neapolitani repetendi suspicionem moueret; tot hostes Mediolanum illi peperisse, quid si regni Neapolitani cupiditas accedat? Venetos, qui nunc cum Cæsare de societate disceptant, tum statim se apertas hostes declaraturos, vti se aduersus Carolum VIII. declararunt: ne ab ipso postularet, quæ ex officio recusare cogeretur: Se enim neutram in partem propensurum, & semper conciliandæ pacis locum reseruaturum, nec vlla initæ societatis iudicia professurum. Ista *Belcarius Commentariorum lib.* 18.

IV. Diploma initæ societatis quum Ioannes Corsus Cæsari obtulisset, Cæsar qui prius Pontificem in tãto periculo deserturum sibi persuaderi non posse ostendebat, vehementer animo commotus respondit: se neq; odio, neq; ambitione, neq; alia vlla priuata cupiditate, sed Leonis Pontificis ad id (vt ipse aiebat) ab hoc Pontifice, qui tunc Mediceus Cardinalis vocabatur, multum publicæ salutis interesse, vt is Rex nihil in Italia possideret demonstrante incitatum, auctoritate & cohortationibus impulsum, initio bellum contra Galliæ Regem suscepisse: eundem Cardinalem fœderis, quod eandem ob causam ante Hadriani Pontificis obitum sancitum erat, autorem fuisse: idcirco summopere sibi molestum esse, quod is qui minime omnium se in periculis, quorum subeundorum ipsi autor fuerat deserere debebat, tam perniciosam sententiæ mutationem, nulla necessitate coactus fecisset. Quam enim dum Papia defenditur, nisi nimium metum eius causam inueniri posse? Quid pro eius amplitudine post Leonis obitum, & præcipue in binis Conclauibus fecisset: & suum eius, cuius opera Italiæ communem libertatem commodumque firmatum iri crediderat, ad Pontificatum prouehendi studium commemorauit: nec Pontificem fluxæ Regis Galliæ fidei, quidue ex eius victoria vel timere, vel sperare posset oblitum esse, sibi persuaderi posse. Demum se neque Pontificis, quamuis iniquo atque inexpectato decreto, neque quouis alio casu, sibi ipsi defuturum: nec debere aliquem sperare ipsum ob pecuniæ inopiam sententiam mutaturum; sua potius regna omnia, & propriam vitam cuiuis periculo obiecturum; seque in hoc proposito tantopere obfirmatum esse, vt Deum supplex rogaret, ne eam ob causam se æternis pœnis morteque mulctaret. Ad quæ Florentinus Orator respondebat, Pontificem, postquam ad supremum dignitatis gradum ascendisset, non debere amplius se vt Mediceum Cardinalem gerere, sed vt Romanum Pontificem; cuius munus esset de pace inter Christianos concilianda cogitare & laborare; idcirco nihil aliud vmquam, nisi quam ea esset necessaria monuisse tam crebro ea de re ad eum scripsisse, & Capuanum Archiepiscopum bis misisse, seque vtram in partem inclinare nefas esse attestatum fuisse. Idem cum Amminralius ex Italia discederet, quod nullo alio tempore maiore ipsius dignitate fieri potuisset, monuisse: neque aliud responsum, nisi absque Angliæ Regis consensu nihil fieri posse, retulisse. Reuocaret Cæsar in memoriam, quantopere Pontifex illum in Prouinciam expeditionem dissuasisset, quia pacis spem omnem perturbabat: quodque vt rerum quæ post successerant præsagus, armorum capiendorum necessitatem quæ Galliæ Regi imponebatur, maioris incendij in Italia excitandi occasionem esse posse prædixisset. Per Veronensem quoq; Episcopum Regem iam Mediolani dominum, & ProRegem ad pacem cohortatum fuisse, in neutro autem animũ ad eam propensum inuenisse: multis post adductis rationibus, copiis quę in regnum Neapolitanum proficiscebantur itineris per Pontificij imperij fines faciendi facultatem prorsus denegasse: Regem vero non modo ad ea surdum fuisse, verum eius respõso minimè expectato, eam in Placentinum agrum misisse: idcirco postremo Paulũ Victorium qui ProRegem ad armorum suspensionem hortaretur, ac quas temporis ratio poscebat leges proponeret; eumq; de imminentis periculi vitandi necessitate doceret: cum præsertim Venetos dubios, & Angliæ Regem à sumptib. in Insubriæ propugnatione, nisi eodem tempore Cæsar & ipse vna trans alpes arma mouerent faciendis alienum cerneret, misisse. Sed cum omnes propositas rationes à ProRege reiici, & Regias copias ꝓgredi videret, fidẽ ab illo & securitatẽ accipere coactũ; se vero nulla re, quam ne & ipse vicissim, eum læderet, obstrictum. Quærebatur Cæsar conditionẽ ProRegi propositã, vt ipse omnia q̃ teneret deponeret à Galliȩ Rege quoq; idem faciendũ nulla facta mentione, valde durã fuisse: ac deniq; quamuis Piscarius ad concordiã cohortatus, multa incõmoda in exercitu, resq; in maximo periculo esse ei significasset, non tamen animum (quia si ad pugnam ventum esset, ob militum suorum virtutẽ victoriam speraret) ad pacem inclinare. Ad quæ Corsius reponebat; Piscarium, omnino animum à pace alienum declarasse: de deponendis quæ Rex tenuisset, grauissimis de causis vsum sibi non esse.

His

His ad eum modum expositis, Galli ad Papiam oppugnãdam properabant; quibus ne Pontifex impedimento esset, non solum permisit vt per Parmensem & Placentinum agrum apparatus tormentarij, sed etiam vt incolarum Placentini & Parmensis agri iumentis (quam quã ProRex id esse expresse Galliæ Regem adiuuare quereretur) commodatis veherẽtur. Iam Galli per Regiensem agrum & Caferonianam Apenninum transgressi; Lucam hoc anno peruenerunt: Cæsarianis adeo de victoria securis, vt ne ad defensionem quidem Neapolitani regni, ad quod inuadẽdum ibat Stuardus, exercitum distrahere quin imo neq; ad eiiciendum Mediolano hostem concedere voluerint. *Franciscus Guiciard. lib.* 15. *Iouius in Piscario lib.* 4. & 5. *Franciscus Belcarius Comment. rerum Gallicarum lib.* 18. Per hos tumultus bellicos, pestifera lues Galliam Cisalpinam, ac præcipue Mediolanum inuasit; ita vt hoc anno in ea sola ciuitate quinquaginta fermè mortalium millia absumpserit, scilicet, vt non frustra sancti Hieronymi imago sanguineis lachrymis plorasse visa fuerit. *Maurocenus hist. Venet. l.* 1. qui etiam sequentia narrat, magis explicate.

Ingens pestis in Gallia cisalpina grassatur.

V. Suscepta à Rege in regnum Neapolitanum expeditio, Pontificis animum nihil tale suspicantẽ perculit. Angebatur, quod Gallorum exercitus per suos fines facturus esset: Ducum cõsilia, militum insolentiam pertimescebat; Regno Neapolitano Regem potiri æquo animo pati non poterat. Si transitum Gallis per Pontificios fines permitteret, Cæsarẽ illum pro hoste habiturum; sin vero renueret, Regis offensam subiturũ: vtroq; bellũ in fines illi⁹ allici; nec sine magno Italiæ discrimine Regem euehi: in clientela Romanæ Ecclesiæ Neapolitanũ regnum esse: beneficiarium illius Cæsarem, qui nuper à Leone Neapolitanus Rex declaratus fuerit: se inuito, atq; inconsulto nil huiusmodi Regem moliri oportere. Omni itaq; studio ab hac sententia illũ auertere contendit: nondum perfecta Mediolanensi expeditione, Neapolitanum regnũ inuadere, periculi rem plenam esse: seiũctas copias, neq; in Insubribus, neq; Neapoli onus belli sustinere posse: Cæsareanos pecunia, recẽtibusq; auxiliis auctos, in Gallia Cisalpina superiores futuros: magnã Italiæ partem, antequam in Neapolitanum regnũ perueniat, emetiri exercitum oportere: interea classe milites, auxilia, cæteraq; ad illius defensionem conuehi posse. his pollicitationes adiiciebat, vt Mediolanensi ditione Rex potiretur, omni ope enixurum. Dum hæc cum Rege ageret, Cæsari pollicebatur, Gallos se numq̃ Neapolitano regno potiri passurũ: cunctis virib. ea in re illi adfuturum: hoc pacto Principũ spes alere, vtriq; amicũ & gratum se reddere: atq; vt se ab implicita & inuoluta consiliorum ratione explicaret, de cõcordia inter Regem & Cæsarẽ concilianda multa mente agitare: id vero se consequi posse arbitrabatur, si Regi Insubres, Cæsari Neapolitani parerent: Franciscus Sfortia in Cardinalium Collegium cooptaretur, atq; illi viginti aureorum millia singulis annis ꝑsoluerẽtur. Hæc Marco Foscaro Venetorum apud se Oratori exponebat. addidit velle se singula Suessano Duci Cæsaris legato, ac ProRegi significare: qui si Insubrib. cedere velint, statim ad pacis conditiones venturũ: si abnuant, bellũ quoq; indicturũ. Si eadẽ mente fuerint Veneti, eandemq; fortunæ aleã subire velint, eodẽ adstrictos fœdere sibi adiuncturũ: interea rogare, ne q̃d certi de senatus sentẽtia Cæsareanis respondeãt: cunctatione vtantur, ac mora tẽpus trahant, dũ Ticinensi oppugnationi finis imponatur. Paulũ quoq; Victoriũ statim ad ProRegẽ mittit, q̃ nunciet, Pontificẽ, vti in terris Christi vices sustinentem decet, nil vehementius cupere, q̃ vt restinctis aliquãdo odiis, bellisq; fine imposito, optata pax toti orbi Christiano affulgeat: id vt facilius consequi queat, arma sæpius iniquo Italiæ fato sumpta recõdi iubere: sponsorem se, vademq; statuere: nihil molestię Neapolitano regno, Regẽ illaturũ: si id moliretur, nullo pacto passurũ: summis votis optare, hortari, Insubres funestum tot incendiorũ pabulum sibi oppignerari: è Republica esse censere, vt Rex ea regione potiatur, potentissimiq; Principes haud exiguo singuli in Italia imperio cõtenti sint. Ad hæc Clementis postulata Prorex respõdit: sapienter à Cæsare Italiæ pacis diuturnitati cõsultum fuisse, dum superiorib. annis cum Leone Pont. Max. cõmunicatis consiliis, Franciscum Sfortiã Insubrum prouinciæ ꝑficere, Gallos penitus ex Italia eiicere statuerat: summis impensis, ingenti labore, magnis copiis instructis, votis fortunã non defuisse: pulsos Italia Gallos, Sfortiæ impium restitutum: mirari, quanã ratione permotus Pontifex, nouis reb. consiliisq; studere velit. Si pax Italiæ illi, vt ꝑdicat, cordi sit, gentem turbidã, inquietã, noua semper appetentẽ, ac molientem lõge ab huius ꝓuinciæ finib. arceat: neq; Principi, ad quem iure Insubres spectant, illorũ imperium adimat. Si diuersas rationes cogitatiõ illum ac consiliorum inierit, Italiã, Christianamq; Remp. continentib. bellorum fluctib. iactatum iri. Vt vero Mediolanensem ditionem Pontificis potestati permittat: id à Cæsare in mandatis nõ habere: neq; sibi suaderi posse, vllo vmq̃ tempore id Cæsarem facturum: nihil sibi illum aliud ꝑcepisse, quam, vt omni conatu, viribus, sanguine deniq; ipso Insubres tueretur: numquam se motu, vel spe; vel si fœderati quoq; arma aduersus Cæsarẽ sumerent, ab officio recessurum. Suessanus eadẽ ferme Pontifici respondit; nullã se ad ea negotia perficienda facultatem habere: verum de totã re ad Proregem scripturũ. Senatus, consiliis Pontificis intellectis, eo magis adducebatur, vt tempus proferendo nihil certi Proregis, ac Ducis legatis responderet: & ꝓsertim, quoniam rumor de Neapolitana expeditione confirmatus suspicionẽ animis senatorũ iniecerat: ne Prorex, vt regno sibi credito opem ferret, Mediolanenses res desereret, ac Rempublicam Gallorum virib. obiiceret: quando iã Stuardus Albaniæ Dux rebus ad Neapolitanam expeditionẽ cõparatis, itineri sese cõmiserat, atq; Apennini iuga transmittebat: quare vehementer Cæsareanorum animi angebantur: cum nondum auxiliis firmato exercitu pecunia laborantes, duplici lacessiti bello, vel deserere Insubres, Galliarũq; Regi vltro obiicere: vel Neapolitanos, copiis ac subsidiis nudatos, hostium libidini relinquere cogerentur. ProRegis mens cum primorib. qui illi à consiliis erant, eo vergebat, vt Insubrib. relictis, cum copiis Neapolim quam maximis itinerib. ꝓperarent: ne militeac Ducibus destitutum regnum, in quo vetus in Gallos populorum studium adhuc vigebat, imparatum hostes adorirẽtur. At Daualus, q̃ rei militaris disciplina. atq; animi magnitudine cæteris anteibat, contra differere: neq; ex Cæsaris dignitate, neq; ex vtilitate publicã esse, paulo ante armis partũ imperium per summum dedecus amittere: ac nondũ signis collatis, nondum robur ac virtutẽ hostium expertos, nullo incõmodo accepto, oppida, vrbes, populos prædæ loco Gallis relinquere: inuictum Cæsaris nomen perpetuæ notæ labe commaculatum posteritati mandare: amplissimum Italiæ imperiũ in discrimen adducere, si sponte derelicta Mediolanensi ditione pro Neapolitano regno decertaretur. Sex millia Germanici peditatus, robora iam in castris esse; totidem paulo post aduentura, si adhuc ad non multos dies cõtineatur exercitus rerum præclare gerendarum opportunitates, Ducũ prudentiæ, virtuti militum non defuturas: ex hoc vno salutem Italiæ, incolumitatem, ac decus imperij pendere. Nam Insubribus amissis, & Gallicæ victoriæ fama per cunctorum populorũ ora peruagata, Neapolitanum quoq; regnum cito in hostium potestatem casurum: iisdem retentis, Neapolitanos non modo, & quicquid in Italia Cæsar obtinet conseruaturos: sed victoriæ certos fructus ingenti gloria cumulaturos. Vicit Dauali sententia: Neapolis tuendæ cura Honorato Caietano & Ascanio Columnæ demandata: pacis & induciarum propositiones reiectæ: necessitas Pontificis res suas tuendi, inque tuto collocandi iniecta: Papiensis vrbis oppugnatio atque defensio, altrinsecus imposita, accelerataque, Pontifice inter malleum & incudem coniecto. *Maurocenus lib.* 1.

VI. Ex litteris eorum, qui rerum hoc anno gestarũ, vel tractatores, vel conscij fuerunt, ista subiũgere visum est. I. Gibertus Datarius Marchioni Lango, apud Anglũ Legato Pontificio scribebat, vt summa cum dexteritate insinuaret Regi, Pontificem in Cæsare desiderare, constantiam, & officiorum memoriam: illam quidem in partis retinendis, istam vero in meritis agnoscendis compensandisq;: quandoquidẽ Pontifex, & si ꝓpter supremam in terris maiestatem, dignitatemq; Pontificiã, omni veneratione & obseruãtiæ significationib. dignus esset: priuatis rationibus quoq; eam meruisset: primum ꝙ patruelis foret Leonis Põtificis, à quo tot beneficia, quot à patre indulgẽtissimo conferri poterant, in Cæsarem collata: deinde quod ipse in anteriore fortuna, fortunas omnes, ac vitam deniq; in extremum periculum coniecerit, Gallis Insubria totaq; Italia eiiciendis: vt Cæsar Mediolani imperium, non regni Galliæ membrum sed Imperij prouinciam, cuicumque vellet posset concedere: Florentiam deinde patriam suam, totis tribus an-

nis

nis ad contribuendas pecunias, apparatusque bellicos pro Cæsare faciendos compulerit, eamque in gratiam illius ipsius exhauserit, & pene in extremam necessitatem coniecerit. Decere Cæsarem, ne sedem Apostolicam in spiritualium administratione, & temporalium possessione impedire, quinimo potius & adiuuare, & promouere velit. Decere pariter, ne amplius vel Florentinos, vel Franciscum Sfortiam in supputatione bellicarum expensarum cogitet grauare: quandoquidem ad Florentinos nihil ex acquisitis pertinuerit, & Mediolanum non ita diues sit, vt cupiditati vel necessitati Cæsarianorum possit sufficere. Quoad indictionem vniuersalis Concilij, & abrogationem Pontificatus attineret; ista Pontificem minime pauere; quandoquidem & indicendi Concilij magis quam aliquis desiderio teneatur; & nullius culpæ, vel affinis, vel conscius sit, propter quam mereretur eo fastigio decidere. *Ioannes Matthæus Gibertus Datarius.* 2. Carolo Lanoio ProRegi Neapolitano. Postquam Cæsar perspectis rationibus Pontificis & Florentinorum, eos ab auxiliis pecuniariis in bellum Insubricum ferendis liberos pronunciasset, ne in eos grauaret, extorqueretque id quod ex causis grauissimis non possent conferre. Romæ 15. Maij. 1524. *Ioannes Baptista Sanga.* 3. Oratoribus Florentinis apud Cæsarem, Ægre ferre Pontificem, quod ProRex illi verba daret, neque authoritatem suam, quemadmodum ex conditionibus par fuerat interponeret, vt Alfonsus Ferrariæ Dux Regium Lepidi, Ruberiam, & alia ditionis Pontificiæ loca, quæ inter Pontificij tempore occupauerat, Sedi Apostolicæ restituere in animum induceret. Addere insuper Pontifici dolorem, quod is ipse ProRex per contumeliam subiungeret, debere Pontificem in gratiam Cæsaris, Alfonso, etiam Mutinam concedere; præmium videlicet societatis inter illum & Cæsarem initæ. Romæ 22. Septembris 1524. *Gibertus Datarius.* 4. ProRegi Neapolitano. Mirari Pontificem, quod pro Alfonso Duce interpellet, & quasi extorquere velit: impunitatem eorum quæ is in infestanda ditione Pontificia tempore interregni, & præsertim in occupando Regio & Ruberia admisit; absolutionem à censuris & pœnis, quos propterea is incurrit: non modo sine vlla restitutione aut satisfactione; verū etiam, quasi is operæpretiū sedi Apostolicæ præstitisset, vel ipsam cōtra hostes iuuasset, vel aduersus infideles aliquid præclari gessisset, cum remissione quadraginta millium aureorum numū, quos is pro sale intercepto, idq; tempore fœderis sedis Apostolicæ debebat: quasi parum ei sit, Ferrariensem principatum beneficio iure à Romana Ecclesia possidere; filium inter purpuratos Patres suspicere: ipsum supremam Vexilliferi S. R. Ecclesiæ dignitatem sustinere; atq; aliis quamplurimis beneficiis à superioribus Pontificibus exornatum, tamē adhuc ingratum viuere, ac insuper insultare: vel eo præcipue, dum & Regium cum Ruberia, aliaq; loca sedis Apostolicæ occupata, & nihilominus quadraginta millia numum aureorum, pro quibus & Regium & omnia illa emi possent, retinere pergat. Romæ 3. Octobr. 1524. *Ioannes Baptista Sanga. extant 1. tomo epist. ad Principes.*

VII. Inter hæc Pontifex extirpandæ hæresis cupidus, inito Pontificatu, plenariam peccatorum remissionem iis omnibus, edicto publicato indulsit, qui contritione, & peccatorum suorum Sacerdoti facta confessione, nec non triduano ieiunio præparati, sacram communionem perciperent, oraturi pro Lutheranorum cōuersione, cōcordia Principum Christianorū, & felici Pontificatus successu. *Chap. in Erar. Marc. Leod. Episc.*

VIII. *Pontifex ad Comitia Norimbergam legatos ob Hæresim extirpandam mittit.*

Cumq; audisset, Imperialia Comitia rursus celebrari Norimbergæ, transmisit eo Laurentium Campegium Bononiēsem, S.R.E. Cardinalem, virum pietate, prudentia, doctrinaque non vulgari præditum. Huic, cum Norimbergæ propinquus esset, honoris causa, Principes propemodum omnes, & cum iis Ferdinandus, frater Cæsaris, Archidux Austriæ & Locumtenens Caroli, obuiam processerunt. cumq; in eo habitu vellet vrbem ingredi, quo solent vti Cardinales, cum Legatorum munere funguntur, perbenigne monitus fuit à Principibus, de petulantia plebis Lutheranæ (cum & Norimbergam iam tum infecerat lues ista) quæ paulo momento per concionatores impulsa, facile, honoris exhibendi loco, cōtumeliam inferret. Igitur Cardinalatus insignia deposuit, & in communi habitu, quo toto itinere fuerat vsus, ad hospitiū deductus est. Vbi postmodum venit ad consessum Ordinum, quædam initio de insigni Pontificis in Germanicā nationem affectu, deq; sua ipsius in eandem beneuolentia, & ad obsequēdum promptitudine præfatus est. Deinde sermonem ingressus, de communi periculo, quod à motibus in Germania concitatis omnium ceruicibus impenderet, Principes & Ordines, nomine Pontificis grauiter & prudenter admonuit: vt comprimerēt factionem hanc Lutheranam, quæ non Reipublicæ minus & imperio, quam Ecclesiæ ruinam exitiumq; certum machinaretur. Rationem etiam demonstrauit, qua machinationib. istis occurri possit, si nimirum latā iampridem à Pōtifice, tū à Cæsare proscriptionis sententiam, serio tandem Principes exequerētur. Hoc ipsum & Cæsar, qui id temporis adhuc in Hispania morabatur, per Oratorem suum Ioannem Hannardum vehementer vrsit, vnaq; de Principum negligentia questus est, quod edictum Vormatiense, communi procerum omnium atque Ordinum consensione factum & promulgatum, hactenus non sint executi. Verum distracti iam erāt Principum animi, nec de remedio, quod sanandis Ecclesiæ vulnerib. adhibendum esset, idem omnes sentiebant. Pullulabat iam tum in Germania malum illud, cuius semina Lutherus in animos hominum pridem sparserat; quod, anno sequente proximo, horrendam rusticani motus segetem maturuit. Ea res in causa fuit, vt de negotio Lutherano difficilis esset & impedita deliberatio, quæ Principes & Ordines per totam ferè Quadragesimam occupatos habuit. Post diuturnam deliberationem, in causa religionis decretum tandem fuit, ad 18. Aprilis. Agendum cum Pontifice, Cæsaris & Ordinum communi nomine, vt quamprimum fieri possit, in Germania liberum & Generale Concilium indicat, cuius authoritate definiantur ortæ de religione controuersiæ, & motus isti sopiantur. Interim vero nouum Conuentum Spiræ habendum ad diem vndecimum Nouembris, in quo maturè deliberandum sit, & salubriter constituendū, quomodo se quilibet in hac distractione habere debeat, interea temporis, dum res per Concilium definiatur. Euangelium simpliciter & modestè docendum, iuxta sensum & interpretationem SS. Patrum, quos Ecclesia probarit. Prouidendum etiam, ne libelli famosi, vel contumeliosæ picturæ deinceps in vulgus spargantur. Vt constet vero, quænam illa sint, quæ futuro Concilio ad discutiendum oporteat proponi, Electores, Principes & Ordines Imperij, maxime qui Vniuersitates haberent sibi subiectas, doctis quibusdā & prudentibus viris negotium darent, vt Lutheri aliorumq; Nouatorum libros diligenter examinent & discutiant, quæq; bona sunt ab iis prudenter discernerent, quæ tolerari non possent: Grauamina quoq; Nationis Germanicæ in superioribus Comitiis hoc eodem loco proposita maturè secum expenderent, adhibitoque iudicio nonnihil moderarētur, & in tolerabilem formam redigerent. Ad Vormatiense decretum quod attinebat, vt id Electores, Principes & Ordines, in suis quique prouinciis, quantum quidem eius fieri possit, pro temporis conditione, fideliter exequerentur. Ita habet edictum.

Caroli V. contra Lutherum ad Comites Mansfeldiæ edictū.

Carolus V. Dei benignitate electus Romanus Imperator, semper Augustus, Germaniæ, Hispaniæ, vtriusque Siciliæ, Hierosolymæ, Hungariæ, Dalmatiæ, Croatiæ &c. Rex: Archidux Austriæ, Dux Burgundiæ &c. Comes Habspurgi, Flandriæ, Tirolis &c. Illustribus ac Generosis nostris Imperiique dilectis & fidelibus, Gunthero, Ernesto, Hoyero, Gobbardo, & Alberto Comitibus & Dominis in Mansfeld, Dominis in Heldrungen, salutem & prosperitatem, cum denunciatione clementiæ nostræ. 1. *Illustres, Generosi, dilecti ac fideles: Postquam illustrissimus Princeps, Dominus Ferdinandus, Infans Hispaniæ &c. Archidux Austriæ &c. frater noster suauissimus & optatissimus, atque in sacro Imperio Vicarius, magna & euitabili necessitate adductus, propter arduos quosdam magnique momenti articulos, orbis terræ procurationem religionemq; Christianam complectentes, nondum finaliter in Conuentu superiore diiudicatos, sed in aliud deliberandi tempus reseruatos, alium Conuentum imperij feria sancti Martini iam præterita hic Norembergæ inchoandum, indici promulgarique fecit, quem ipsemet in propria persona, Nosque per Nobilem & splendidum virum, Consiliarium nostrum & summum Secretarium, Ioannem Hannart, Burggrauium in Lumbeck, Equitem auratum Ordinis Diui Iacobi; cum instructione mandatisque sufficientibus illuc à nobis ablegatum, cæteri quoq; Electores, Principes, Prælati, Comites atq; sacri Imperij Ordines, obediēter & præsentes, & per Oratores Nunciosq; suos, mandatis sufficientibus instructos celebrarūt, in eoq; de statu publico, negotiis controuersiis, atq; periculis Imperij necessario cum dirimendis, tum propulsandis, grauissime &*

maturrime consilia inierunt: pleraq; etiam earundē causarum, quæ in disceptationem cadebant, autoritate prudentiaq; definierunt: Duo cum reliquis articuli: nempe primo, quoad Lutheranos aliosq; præterea nouarum rerum repertores: deinde quantum ad terribilem & atrocem hostis Dei tyranni Turcici aduersus omne nomen Christianum susceptam expeditionem, propositi sunt, de quibus post diuturnam consultationem finaliter concludi non potuit, sed ob vtrumque horum capitum, post accuratam considerationem necessariarum omnium circumstantiarum in hanc sententiam pronunciauerunt: videlicet de primo.

2. *Quandoquidem Lutheri aliorumq; fanaticorum dogmata, disputationes, conciones, omnium opinione maiorē in modum conualuerunt, ausæ velut regnum in simplicium Christianorum animis sibi vindicare, quos à vere constantiq; sententia deiectos periculosis admodum scrupulosisq; dubitationibus illaqueauerunt, adeo vt nisi mature sapienterq; capto cōsilio, his tot incōmodis obuiā pergatur, nihil inde præter insignes offensiones, scandala, perturbationes imperitæ multitudinis, ad infringendum amorem Deiq; metum: ad supplantationē laudabilis, honestæ, Christianæq; disciplinæ, omnisq; recti moris: effrenē porro contumaciā, motus inferiorē contra Superiores: ad funestū animæ interitū corporis facultatumq; indubitatam perniciē erupturum videatur. Idcirco quo de sanandis Ecclesiæ vulneribus grauis & salutaris deliberatio instituatur, nec sine discrimine vitiosis an integris partibus cauteriū adhibeatur, sed detectis reiectisq; erroribus bona conseruentur, subditiq; nostri & omnes qui Christo nomen dedere, ad vnanimem in religione consensionem concordiamq; reducantur, supra commemorati nostri Vicarius & Orator, necnon Electores, Principes, Prælati, Comites & Ordines vtile necessariumq; fore duxerunt, vt quoad facultas ferat, primo quoq; tempore generalis libera Synodus per Summum Pontificē, nobis approbantibus, loco commodo in Germania proclametur, & denuncietur: vbi de prædictis, aliisq; ad vniuersam Ecclesiæ communionem pertinentibus negotiis, candidè, sincereq; decidatur. ex quo iā Pontificio Legato misso ad hunc Conuentum, diligenter egerunt, qui se Beatitudini eius, quæ vellent, expositurum, summaq; fide rem promoturū accepit ac ostendit.*

3. *Vt autem quilibet interim Christianus norit, quid ante Synodi consociationem rerum pro sua functione gerere debeat, conuenit inter præfatos nostrum Vicarium & Oratorem, Electores itē, Principes, Prælatos, Comites & Ordines, de congregatione Imperij Conuentuq; Procerum Spiræ cogendo, ad quem tamquam parasceuen futuræ Synodi, in qua consultatio de doctrina nuper introducta suscipietur, bona recipiētur, mala explodentur, profutura quæ sequuntur capitula censuerunt.*

4. *Nempe vt singuli Electores, Principes & status, præsertim illi, quorum sub iurisdictione cætus Gymnasiorum & Academiarum coluntur, interea temporis quibusdam doctrina excellentibus, pietate conspicuis, sapientia claris, id partium negotiiq; dent, Lutheri aliorumq; noua dogmata, conciones, volumina, manibus versata & oculis inspecta, diligenter examinandi, disputandi, exigendi, censuram delectumque agendi, recta à deprauatis segregandi.*

5. *Similiter onera seu incommoda Germanicæ Nationis à secularibus Principibus in hoc Conuentu contra Romanam Sedem exaggerata, cæterasq; Politicorū aduersus Ecclesiasticos expostulationes adornatas, atq; exhibitas, attentione summa cognoscendi & expendendi. quæ tūc omnia adiuncto consilio, qua conditione nec iniqua, nec intolerabili has offensiones componi deponiq; posse existiment, nobis, vel in absentia nostra nostro Vicario, Electoribus, Principibus & Ordinibus, in futuro Cōuentu Imperijq; congregatione sic offerantur, quo planior & expeditior via sit ad Generale Concilium progrediendi, atq; pro rei magnitudine cuncta sufficienter explorandi & statuendi.*

6. *Itaque vobis quoque mandamus & iniungimus, vt iam dicto modo sigillatim doctos aliquos, honestos & intelligentes homines, huic de noua doctrina, deque fremitu aduersus Curiam Romanam deliberationi præficiatis, à quibus examinata, disputata, ponderata, delecta, consulta, præstituto tempore curetis exhiberi.*

7. *Et quia Cæsarea instructio, qua præfatum nostrum Cæsareum Commissarium & Oratorem ad præteritum Conuentū ablegauimus, inter cætera continet, quā in bonā spē venerimus, Imperij sacri status, velut assertores & vindices fidei Catholicæ, nostrum Wormatiæ, cum suffragatione Electorum, Principum & Ordinum, editum Mandatum, obedienter vita, executione, propugnatione administrasse. Si vero id neglectum sit, propter Ecclesiæ communionem, nationemq; Germanicam, non leuem inde ad animum nostrum accedere molestiam: Ideoq; rursus amanter postulauimus, vt quilibet Elector, Princeps, Prælatus, Comes & Ordo, quantum ad suam personam, sibique Imperio subiectos, in eo esse, id agere atque efficere velit, quo mandato Vormatiæ à nobis promulgato, pio obsequio mos geratur. Ad quam petitionem nostram denuò nostri, sacrique Romani Imperij Electores, Principes, Comites, & publici status, tamquam obedientia Sacri Imperij membra, concordi pectore decreuerunt, se illi ipsi Mandato, prout agnoscant sui muneris esse, pro virili obtemperaturos, seuereque coercendo transgressores, præsidio futuros.*

8. *Adiecimus præterea, vt quælibet Potestas in suis officinis typographicis, alibique locorum, tamquam in specula prouidentiam omnem adhibeat, quo post hac libelli maledici, picturæque contumeliosæ prorsus remoueantur, nec latius in posterum dissipentur. Ac si cui quid inde sit molestiæ maculæue aspersum, is apud Vicarium Regimenque nostrum conqueratur; quibus itidem seuere præcepimus, vt subuenire laborantibus, supplicantes auxilio consilioque iuuare, atque sententiam nostri Edicti vindicare & exequi neruis omnibus enitantur, iuxta declarationem prius vsurpati Recessus.*

9. *Quare ad conuentionem, consensionem, decretumq; illud perficiendum & stabiliendū, Cæsarea vobis imperamus authoritate, serioq; volumus, vt prædicto nostro propterea q; Vormatiæ publicato Mandato, deinceps inuiolabiliter pareatis, vitam moresq; conformetis, castigatione delinquentiū respondeatis, idemq; à subditis vestris fieri sedulo curetis & exigatis. Item vt in typographicis officinis & alias inuestigationē faciatis, quo litteræ picturæq; contumeliosæ supprimantur, nec latius posthac in vulgus emanent. Hoc nobis gratius nihil optatiusq; facietis.*

10. *Secundò, postquam Legatus Pontificius, & suauissimi fratris nostri Vngariæ Bohemiæque Regis Nuncius, præfato nostro Vicario, Oratori, Electoribus, Principibus & Ordinibus voce mœroris, vultu lachrymarum pleno commemorauit, tyrannum Turcicum pro immani odio, sibi cruoris insatiabili furore, quo Ecclesiam nomenq; Christianum penitus extinctum atq; absorptum cupit, innumerabilem contrahere militem, incredibilemq; parare exercitum, ad vastandum, obsidendum, excindendum hac æstate nobilissimum Hungariæ Regnum, quod tamquam vere Catholicum, pro incolumitate Germaniæ aliarumq; Christianarum gentium, tanto tempore, sanguine, corporibus, fortunis fortissimorum Ciuium, hostis crudelissime grassantis impetum excipiens, & sustinens, ita copiis opibusq; exinanitum atq; exhaustum est, vt nisi externis viribus confirmatur, proprio marte defendere ac tueri se nequeat diutius: ac propterea singulos etiam atque etiam obtestatus flebiliter appellauit, implorauit, ne in tanto discrimine salutis, imperij, potentiæ, vitæ socios deserere, multis honestis vinculis nobis coniunctos, aut prodere Turcis velimus; sed ferendo suppetias, auxiliaque conferendo pauidos recreemus, perculsosque erigamus.*

11. *Cum itaque manifestum sit, quantum luctuosarum, euidentium, acerbissimarumque cladium orbis Christianus, tot amissione populorum atque ditionum, à tyranno Turcico hactenus acceperit, & pertulerit, qua ille manu, vigilantia, celeritate, felicitate, sæuitia, breui temporis spatio Albam Græcam, multasque præterea ciuitates, arces, castella, oppidula Vngariæ, finitimarumque regionum, necnon Rhodum insulam, ceu munimentum & tutamen orbis Christiani expugnarit, occuparit, euerterit: propterea prius vsurpati nostri Vicarius & Orator, vna cum Electoribus, Principibus, & Ordinibus, ingentem & ineuitabilem necessitatem, periculumque Ecclesiæ ante oculos ponentes, animisque præmetientes decreuerunt, tam violentis tyranni Turcici machinationibus, in tempore, quoad ferat facultas, valentibus armis, illustri expeditione, cunctoque apparatu bellico occurrendum esse.*

12. *Et quos ad hos barbaricos conatus reprimendos ope, conspiratione, auxilio omnium Catholicorum nationum, nec non indictione tributorum, collatione pecuniarum per totum orbem Christianum opus fore viderent, consenserunt de modo, forma & præscriptione vniuersalium exactionum, vt de his quasi fundamenta porro deliberandi iacta sint: quam præscriptionem vna cum præsentibus litteris reddi vobis curauimus.*

13. *Vtq; articuli supra relati plene tandem finaliterq; concludantur & determinentur, publicum Germaniæ Conuentum atq; Congregationem omnium Imperij membrorum & Ordinum, feria S. Martini inchoandum, in nostra sacrique ciuitate Imperij Spira proposuerunt & indixerūt. Quod hic vobis aperientes, Cæsarea Romanaq; potestate, ac sub comminatione iurisiurandi, quo nobis, imperioq; deuincti estis, præcipimus, vt absq; recusatione ad præfinitum S. Martini diem proximum, in propria persona Spiram veniatis. Si vero magnis occupationibus distracti, morboue oppressi adesse non poteritis, vnum atque alterum vestrum à consiliis primarium, cum sufficientibus mādatis horum dirimendorum negotiorum, definiendorumq; causa, præstituto tempore illinc certo destinetis & amandetis, nec rem diutius extrahatis. Nam post sequenti die Lunæ proximo congressionum consultationumq; publicarum initium fieri volumus, vna cum aliis Ordinibus, quos vigore prædicti Recessus eodem modo conuocauimus.*

14. *Itaque cum ad præfatorum capitum de noua doctrina, deque firmo præsidio Turcicis apponendo phælangibus, disquisitionem & constitutionem, tum quo sententiam vestram de irrogatione communium tributorum, ad sustinendam belle Turcici molem, vestro subditorum nomine declaretis, ac tandem de his omnibus in consilium Concilium que, deinde cum opus fuerit, ad arma eatur. Nolite tantæ Reipublicæ opportunitati deesse; nec propter allorum tergiuersationem venire dubitetis, aut differatis, vt quæ restant ad emolumentum orbis Christiani, eo maturius agantur, atque sine mora decidantur. Hoc facto & de Imperio bene mereri, & nostram retinere atque augere benevolentiam vobis facultas erit. Datæ Norimbergæ, nostra imperijq; ciuitate, XVIII. die mensis Aprilis, a nato Christo M.D.XXIV. Romani Imperij nostri anno V. cæterorum regnorum anno IX.*

IX. Non poterat placere huiusmodi Edictum Summo Pontifici: eo quod Principes viderentur sibi arrogare potestatem, decreta Apostolicæ Sedis abrogandi: cum post censuras Pontificis de libris Lutheri, postque Conciliorum, de alijs erroribus recens excitatis, sed iam olim damnatis deffinitiones, examen dogmatum & librorum, promiscue omnibus deferebant: & Vormacienſem contra Lutherum & Nouatores Constitutionem, & quod magis erat Leonis Pontificis contra eosdem Bullam, nimis, nimisque frigide executioni mandatam esse volebant, si volebant. Quamobrem Pontifex datis ad Cæsarem litteris, serio monebat, ne tantum audaciæ in rebus fidei vel ipse sibi assumeret, vel alijs permitteret: videret, ne spreta conculcataque religione, maiestas quoque & authoritas Cæsarea in contemptum adducatur: huius nouatorum contumaciæ atque pertinaciæ, non obscura indicia erumpere; Vormacienſe edictum, consensu omnium Principum & Ordinum tam mature pronunciatum, à parum Christianis in dubium vocari, & retractari, refractarios, & omnis diuinæ ac Cæsare Maiestatis irreuerentes, & negligentes, vel potius contemptores, luce meridiana clarius ostendere: proindeque rogare, vt omnia quæ imminerent pericula anteuerteret; Vormatienſia scita omnino obseruari iuberet; Conuentum Spiram indictum ne congregi toleraret; & in summa, Principibus, ac quibuscumque interdiceret; ne rerum ad fidem spectantium cognitionem, vel deffinitionem sibi vsurparent; sed potius, pro vetusto iure atq; more, Sedi Apostolicæ relinquerent. In huius potestate, arbitrio, & quando adlibuerit atq; iudicio esse, de negotijs fidei sententiam ferre, Canonum & dogmatum difficultates explicare, &, si opus fuerit, Concilia indicere.

X. *Lutherus in Cæsarē & Principes acriter debacchatur.*

Quamquam autem Nurimbergenſe edictum, tã iniquum Romano Pontifici, quam tolerandum Luthero fuerat, Lutherus tamen ex eo occasionem sumpsit, virulentos maledicentiæ aculeos in Cæsarem & Principes rursus exerendi. Itaque duo simul Edicta, Vormatienſe nimirum, & Norimbergenſe typis excusa diuulgauit, & Germanos suos alloquutus, Edere se, *dicit*, Edicta illa, si forte Principes quidam ex ijs non videre (nam id vel porcos & asinos posse) sed manibus contrectare possint & palpare, quam cæci sint, & obstinati. Esse quidem audita turpe, quod Cæsar & Principes publice mentiantur: at multo turpius dicto videri, quod eodem tempore simul contraria mandata promulgent. Temulentos profecto, & furore percitos hos esse Principes. Deinde ad ipsos conuersus; Si aures haberetis, *inquit*, ad audiendum, rarum quiddam & admiratione dignum, vobis dicerem. Quid, si tanti esset coram Deo Lutheri vita, vt nisi ille viueret, nemo vestrum de vita sua, deque Principatu securus esse? Quid, si mors ipsius, infortunium ficret vestrum omnium? Deus non itridetur. Pergite alacriter, occidite, exurite: ego non cedam, volente Deo. Hic sum; vosque rogo peramanter, ne me, posteaquam semel occidistis reuocetis in vitam, ac denuo occidatis. Deus negotium mihi dedit, vt video, non cum hominibus ratione præditis; sed occidere me debent, si dignus sum, Germaniæ bestiæ, perinde ac si lupi & porci me dilaniarent. Vbi vero me interficient, homicidium perpetrabunt huiusmodi, quod nec ipsi, nec ipsorum filij vmquam eleuent, aut superabunt. De quo præmonitos eos malłem; nec certe velim hoc illis accidere. Sed frustra sunt hæc. Deus eos excæcauit, & obstinatos reddidit. Vere, vere præ foribus est infortunium aliquod. Ingruit ira Dei, quam non effugietis, si sic perrexeritis. De ipso dictum est illud: Deposuit potentes de Sede. Id, ô boni Domini, ad vos quoque nunc pertinet, si modo intelligitis. Hæc in præfatione Lutherus. At in peroratione vehementer excandescens: In fine, *inquit*, rogo Christianos omnes, vt dignentur vna preces fundere pro huiusmodi miseris & excæcatis Principibus, per quos proculdubio Deus nos affligit in magna ira: Ne vlla ratione sequamur eas vel ad pugnandum, vel ad contribuendum contra Turcam: quandoquidem Turca decuplo prudentior est & iustior, quam nostri Principes. Quid contra Turcam feliciter cedcret morionibus istis, qui Deum tam insigniter tentant, & blasphemant? Hic enim vides, quomodo miser ille, & morti obnoxius, Saccus vermium, Cæsar, qui de vita sua nec ad momentum securus est, impudenter iactat, se verum & supremum esse Christianæ fidei defensorem. Hac de re apud Christianos omnes ex intimo pectore quærimoniam depono, vt vna mecum erga tam insanos, stolidos, fatuos, & amentes, & furiosos moriones, misericordia moueantur. Deus nos ab illis liberet, alioſque nobis ex gratia det gubernatores. Amen. Hæc Lutherus. Audis Lector, clangentem buccinam, qua rustici paulo post exciti, contra Principes per Germaniam insurrexerunt; nimirum vt remotis à clauo Reipublicæ, morionibus istis, alios iuxta Lutheri votum, Gubernatores instituerent. Dubium vero non est, quin idem spiritus Lutherum impulerit, vt ista scriberet, qui rusticos ad eadem exequenda post modum incitauit.

Cum autem Principes, solutis Comitijs, Norimberga discederent, Legatus Pontificis Campegius, securitatis gratia, Ferdinando Cæsaris fratri se coniunxit, & Stutgardiam cum eo profectus est. Quia vero negotium religionis in hoc Conuentu longe remissius, vt diximus, actum fuerat, quam necessitas, pro periculi magnitudine postulabat; Ferdinandus & Campegius communicatus inter se concilijs, operæ pretium rati sunt, si conuenirent separatim Principes quidam & Episcopi, quorum sincerus esset in religionem Catholicam affectus, & se suosque contra Lutheri furiosas machinationes serpensq; venenum arctius coniungerent, ac munirent. Conuenerunt ergo Ratisbonam, sub finem Iunij, circa festum Sancti Ioannis Baptistæ, præter Ferdinandum Archiducem & Compegium Cardinalem, Cardinalis Archiepiscopus Saltzburgenſis, Duces Bauariæ fratres, Ratisbonenſis & Tridentinus Episcopus, tum Episcoporum quorundam Legati, Bambergenſis inquam, Spirenſis, Argentinenſis, Augustani, Constantienſis, Basileenſis, Frisingenſis, Passauienſis, & Brixinenſis. qui deliberatione habita, die 6. Iulij facto quodam inter se fœdere decretum ediderunt, in hanc fere sententiam. 1. Vt Edicto Vormatienſi omnes obtemperent, atque idipsum in prouincijs suis, & Episcopatibus exequantur. 2. Vt Euangelium Deique verbum iuxta Sanctorum Patrum interpretationem doceatur. 3. Vt concionari non liceat cuiquam in ipsorum prouincijs, nisi per Ordinarium cuiusque loci sit approbatus. 4. Vt in Missa, in Sacramentorum administratione, in vsitatis Ecclesiæ Catholicæ cærimonijs, ieiunijs, orationibus, cæteriſque ritibus à maioribus acceptis nihil immutetur. 5. Vt puniantur Sacerdotes apostatæ monachi & moniales, alijsque Ordinis Ecclesiastici desertores, qui contra votum & Ecclesiæ leges illicita matrimonia contraxerunt. 6. Vt typographi nihil excudant, aut distrahant, nisi prius examinatum probatumque per eos, quibus eius rei cura demandabitur. 7. vt subditorum filij, qui Wittembergæ versantur studiorum causa, intra trimestre spatium istinc auocentur domum, vel ad alias scholas ire iubeantur Lutherano contagio non infectas; qui contra fecerint, beneficijs omnibus & hæreditate spolientur. 8. Vt ijs qui Wittembergæ deinceps litteris operam nauabunt, nec vllum conferatur beneficium Ecclesiasticum, nec vmquam in Gymnasijs Catholicis locus ad docendum concedatur. 9. vt quem aliquis illorum propter inobedientiam ditionibus suis eiecerit, eum cæterorum nemo recipiat; sed ab vno in exilium ire iussus, ab omnibus, quam late patent illorum ditiones, proscriptus habeatur. 10. Demum, si cui ipsorum propter decretum hoc molestia creetur à subditis, vel seditio moueatur, vt reliqui subsidio veniant, opemq; sibi ferant mutuo: Ita tamen, vt quæ singuli iam ante cum alijs habent pacta, ijs hoc fœdere nihil derogetur.

Cæte-

I. Cæterum cum Cardinalis Legatus Pontificis intelligeret, corruptos Ecclesiasticorum mores hæresi Lutheranæ magnam occasionem dedisse, per delectos quosdam Principum Consiliarios edoctus, quibus in rebus per Germaniam maxime delinqueretur, seluberrimam edidit Constitutionem, per quam abusus, & omnem morum turpitudinem à Sacerdotũ Ordine ad viuũ resecare conatus est. Ita habet decretũ.

Laurentius miseratione diuina tituli Sanctæ Anastasiæ Sanctæ Romanæ Ecclesiæ presbyter Cardinalis, per vniuersam Germaniam, ac Hungariæ & Bohemiæ, Polomæque regna, & quæcunque alia loca ad quæ nos declinare contigerit, Domini nostri Papæ & Apostolicæ Sedis Legatus, ad perpetuam rei memoriam.

Ex Legationis officio à Sede Apostolica nobis commisso obligamur, vt circa statum personarum Ecclesiasticarum sub finibus nostræ legationis consistentium, in melius reducendum, propensius cogitemus, vt quæ in eis à Sanctorum Patrum decretis & ordinatione deuiare perpendimus, ad debitam reformationis normam dirigentes, eis opem & operam adhibeamus efficaces. Nuper siquidem cum Sanctissimus Dominus noster Clemens Papa Septimus, cum pro pastorali suo officio, tum pro ea affectione qua inclytam nationem Germanicam prosequitur, intellectus eius fluctuationibus, hæreticorumque impietate indies crescente, Nos ad vniuersam Germaniam suum & Apostolicæ Sedis Legatum de latere miserit, non aliam ob causam, quam vt tranquillitati prouincia & saluti animarum, quæ periclitantur, ob dictam nuper natam impiissimam omnis hæreseos sentinam, consulat. Quod onus, licet humeris nostris impar, eius tamen præceptis & mandatis obedire, vt tenemur, volentes, freti Christi fauore Seruatoris nostri, cuius negotium agitur, subiuimus: nihil hic prorsus nostris viribus tribuentes, aut præterea cupientes, quam quod ad munus hoc feliciter implendum attineat. Cumque aliquot mensium experientia, multa collapsa, & præter omnem opinionem difficultatibus plena perpendeimus, cum Serenissimo Ferdinando Hispaniarum Principe, Archiduce Austriæ, Imperiali locum tenente generali, communicatis consilijs, concordi sententia particularem Conuentum in ciuitate Ratisponæ conuocare decreuimus: in quo vna nobiscum interfuerunt præfatus Serenissimus Princeps & Archidux, Reuerendissimus Matthæus Sanctæ Romanæ Ecclesiæ tituli Sancti Angeli presbyter Cardinalis Archiepiscopus Saltzburgensis, ac Illustrissimi Guilhelmus & Ludouicus Palatinii Rheni Duces in superiori & inferiori Bauaria fratres Germani; Venerabiles in Christo Patres Bernardus Episcopus Tridentinus, Ioannes Administrator Ecclesiæ Ratisponensis Palatinus Rheni Dux Bauariæ, ac Nuncij siue Oratores omnes cum pleno mandato Venerabiliũ in Christo Patrum & Illustrissimorum Principum, Vigandi Episcopi Bambergensis, Gregorij Episcopi Spirensis, Palatini, Wilhelmi Episcopi Argentinensis, Christophori Episcopi Augustensis, Hugonis Episcopi Constantiensis, Christophori Episcopi Basileensis, Philippi Episcopi Frisingensis Palatini Rheni Ducis Bauariæ, Ernesti Administratoris Ecclesiæ Patauiensis ac Palatini Rheni Ducis superioris & inferioris Bauariæ, & Sebastiani Episcopi Brixinensis. cum quibus pluribus hinc inde in discussionem allatis, & præcipue quibus consilijs, quibusque modis præfatæ nationi Germanicæ periclitanti consuleretur, pariter sententijs receptum fuit, hanc perditissimam hæresim rudi populo plausibilem, ob libertatem illi falso persuasam prætextu Euangelicæ charitatis, non paruam habuisse occasionem partim à perditis moribus & vita clericorum, partim ob non diutius dissimulandum sacrarum sanctionum, Ecclesiasticarumque constitutionum abusum; & proinde non parum momenti fore extirpandæ hereticorum Lutheranorum & eorum sequacium sectæ, vt Clerici ad honestatem vitæ moresque suos illos, quos Diuus Paulus exigit & præscribit, debita censura reducti, abususque laicos male offendentes, sublati fuerint. Itaque habitis maturis deliberationibus, & pijs consilijs præfatorum Ferdinandi Principis, Cardinalis, ac Ducum, & Episcoporum atque nunciorum suorum, infra scriptos salutares aliquot, tam necessariæ reformationis Sacerdotum, presbyterorum, religiosorum & clericorum modos præscribere, statuere, sancire, atque edere necessarium duximus. Quocirca autoritate Apostolica, qua fungimur in hac parte, statuta & ordinationes per nos (vt præfertur) edita, ab omnibus & singulis Archiepiscopis, Episcopis, Abbatibus, Præpositis, Decanis, Archidiaconis, & alijs personis in Ecclesiastica dignitate constitutis, ac parochialium Ecclesiarum aliorumque beneficiorum Ecclesiasticorum Rectoribus, presbyteris, religiosis & Clericis, in vniuersa Germania residentibus, prout eos & eorum quemlibet respective tangit, aut tangere poterit in futurum, perpetuis futuris temporibus inuiolabiliter obseruari volumus; decernentes irritum & inane, si secus super his à quoquam quauis authoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari. Et nihilominus vniuersis & singulis Archiepiscopis, Episcopis, Abbatibus, & alijs personis in Ecclesiastica dignitate constitutis, necnon Metropolitanarum, & aliarum Cathedralium Ecclesiarum Canonicis, ipsorumque Archiepiscoporum & Episcoporum Officialibus & Vicarijs Generalibus per præsentes committimus & mandamus, quatenus ipsi & eorum quilibet, & postquam pro parte illorum quorum interest, aut in futurum interesse poterit, fuerint requisiti, statuta & ordinationes huiusmodi, & horum singulæ, inviolabiliter obseruari faciant, contradictores per censuras Ecclesiasticas & alia iuris remedia compescendo; inuocato, si opus fuerit, auxilio brachij secularis. non obstante Constitutione felicis recordationis Bonifacij Papæ VIII. qua cauetur, ne quinis extra suum ciuitatem & diœcesim, nisi in certis expressis casibus, & in illis vltra vnam dietam à fine suæ diœcesis ad iudicium euocetur: seu ne iudices à Sede Apostolica, vel eius authoritate deputati, extra ciuitatem & diœcesim, in quibus deputati fuerint, contra quoscumque procedere, aut alij, vel alijs vices suas committere præsumant. Et in Concilio Generali de duobus dictis & personis, vltra certum numerum ad iudicium non vocandis: & alijs Constitutionibus & orationibus Apostolicis, cæteriſque contrarijs quibuscumque. Verum quia difficile foret, præsentes litteras ad singula loca ad quæ expediens fuerit, deferri; volumus, & authoritate Apostolica decernimus, quod transumptis præsentium litterarum, manu Notarij publici subscriptis, & sigillo alicuius personæ in Ecclesiastica dignitate constitutæ munitis, ea fides adhibeatur, quæ esset originalibus, si essent exhibitæ vel ostensæ adhiberetur. Et vt huiusmodi statuta & ordinationes ad singulorum notitiam deducantur, vniuersis locorum Ordinarijs authoritate Apostolica præfata, in virtute Sanctæ obedientiæ mandamus, quatenus statuta & ordinationes huiusmodi per se, vel alium, seu alios in eorum Ecclesijs vel ciuitatibus publicent, seu publicari faciant: quæ post publicationem ipsam eosdem quorum interest, aut interesse poterit perinde arctent, ac si eis personaliter intimatæ essent, aut intimarentur. Tenor vero statutorum & ordinationum prædictarum sequitur, & est talis.

1. *Cum potissimum anima verbo quod ex ore Dei procedit, viuat; id autem nec passim, nec ab omnibus expediat prædicari, admonente Apostolo qui inquit: Quomodo enim prædicabunt, misi mittantur? Ideo statuimus & ordinamus, vt non liceat cuiquam, etiam religionem professo, ac quomodolibet exemplo Euangelium docere, nisi ab Ordinario, vel eius Vicario, tam moribus quam doctrina probatus fuerit, facta side per patentes litteras, quæ præter Notarij mercedem gratis prorsus concedantur. Missi itaque atque probati, Euangelicum negotium tractabunt recte, sobrie, & pure; loca quaque recondita magis & abstrusa, intellectuque difficilia, non ad nouum & adulterium sensum, sed iuxta Sanctorum Patrum, & ab Ecclesia receptorum Doctorum, præcipue Cypriani, Chrysostomi, Ambrosij, Hieronymi, Augustini & Gregorij exponant, & interpretentur. Omni etiam opere studeant, ne pro veris somnia & aniles fabulas, pro certis dubia, pro receptis apocrypha, & iamdudum explosa, damnataque ab Orthodoxa Ecclesia, vendant vel depromant. Idq; omni modestia, ne vmquam eos ad conuicia iniuriasq; delabi contingat, locusq; ille cum populi offendiculo dehonestetur. Itaq; Ordinarius aliquot excellenti doctrina præditos constituat, qui per diœceses inquirant, qui sint ad Euangelicã doctrinam disseminandam idonei; quiq; ad impias nouitates & perfidiam aliquam non deflectant; vt remedia adhibeantur, quo populus recte institutus in Christiana lege; & ab ea deciens, ne secum alias trahat, debite coerceatur; cultus diuinus obseruetur; peragaturque his modis & ritibus, qui per manus Sanctorum Patrum modis traditus, & per maiores nostros obseruatus est, in Sacrificio altaris, officijs defunctorum, canonicis horis, cæteriſque diuinis laudibus atque cerimonijs.*

2. *Hinc hortamur atque monemus omnes & singulos, qui sacris initiati sunt, vt viuant vitam, quam professio exigit, & Christus requirit, inquiens: Sic luceat lux vestra coram hominibus, vt videant opera vestra bona, & glorificent patrem vestrum qui in cœlis est. Cum vestitu honesto incedant, quem Paulus alibi præscripsit. Quapropter singulari cura intendat quisque Prælatus, ne hi quibus præest, in sacris Ordinibus constituti, vestes varij coloris velut virgatas & fimbriatas deferant, sed longis atque talaribus vtantur. Nulla arma induant, nisi itinerantes: barbam & comam non nutriant, coronam & tonsuram deferentes, tum sumnope curantes, ne quam laicorum indecentia vestitus offendant, vt sacris canonibus cauetur est.*

3. *Insuper tabernas publicas euitent, nisi eas peregre proficiscentes ingredi oporteat: & tã mihi quã domi & alibi, à crapula & ebrietatib⁹, omniq; ludo à iure prohibito, blasphemijs, vicijs, ac alijs quibuscumque excessibus & offensionibus penitus abstineant. Choreas, spectaculaque*

& con-

& conuiuia publica vitent: ne ob luxum, petulantiamque eorum, nomen Ecclesiasticum male audiat.

4. Cumque secundum Apostolum, Nemo militans Deo, sese negotijs secularibus implicare debeat: nemini liceat contra Prouincialia statuta & synodalia domi suæ tabernam, compotandique locum aperire laicis: quoniam non raro sequi solent ebrietatem rixæ, cædes, & multa hoc genus scelera, quæ Sacerdotalem polluunt dignitatem. Præterea negotiationibus mercimonijsque more mercatorum abstineant.

5. Sacerdotes autem Curati, quiq; vicem eorum referunt, subditos in remedijs & alijs iuribus Parochialibus, vltra ea quæ sibi de iure debentur, non grauent, vltraq; depositionē, eos ad peractiones septimi, tricesimi, vel anniuersarij peragi faciendas non cogant: tū præterea oblationes festis solennibus fieri solitas, cum illa pro arbitrio fieri debeant, ab inuitis non exigant.

6. De sepultura quoq; ac administratione Sacramentorum, alijsque spiritualibus pacisci, aut aliquid ab inuito exigere nemo possit aut debeat, & propter eiusmodi à Parochianis neglecta, cuiquam non liceat aliquod Sacramentorum denegare: neq; propter debita quempiam ab Ecclesiastica sepultura prohibere. Parochialia tamen iura, quæ vsus recepit, & debentur altari seruienti, per prædicta non abrogamus.

7. Cum autem in diœcesibus non sit eadem consuetudo, & inter subditos & pastores, multa & varia emergant dissidia, pastoribus quibusdā plura exigere propensis, subditis vero ob penuriam & egestatem reclamantibus & recusātibus: ordinamus, quod quilibet Ordinarius infra sex menses post præsentium publicationē, omnibus perpensis beneq; & sufficiēter examinatis, super prædictis certam legem ordinationemq;, vna cum Principum aut Dominorum secularium consilio, quos ista negotia tangunt, constituat: ne viduæ, pupilli, & alij pauperes, nimium vltra vires iniuste grauētur: quod nos, si neglectum fuerit, si in prouincia adfuerimus, vel successor noster, habita de his plena informatione, facturos pollicemur: aut rem ipsam Sanctissimo Domino nostro relaturi sumus, qui huic rei prospiciendæ iudices deputabit.

8. Conuiuia presbyterorum, quæ in exequijs & fraternitatibus publice in tabernis hucusq; exhibita sunt, prorsus abrogamus, quod plerūq; laicis sint scandalo. Si aūt conuiuium, vel consuetudo, vel locorū distantia exiget, fiat illud in domo Sacerdotis: honesteq; non ad luxum, sed ad necessitatem instruatur. Siquidem neq; commessationi, neq; compotationi vacandum est Sacerdotibus, cum quod ne audiant: Quorum Deus venter est: tum quod officij eorum est, & sobrie, & caste pro peccatis Deo dona sacrificiaque offerre.

9. Porro ne & ipsi videantur pecuniæ aucupium magis, quam salutis animarum studiū amplecti, dum laicos grauiora delicta confessos hinc inde remittunt, non sine famæ rerumq; dispendio: constituimus & ordinamus, vt deinceps quilibet Confessor absoluere possit laicos contritos & confessos, à quibuscumq; peccatis occultis, quantumcumq; grauibus & enormibus, quæ Ordinarij suæ authoritati reseruauerint: exceptis duntaxat homicidis, hæreticis, & excommunicatis, ad Episcopum, vel eius Vicarium mittendis. Quo autem ad Clericos, nihil, quo ad hoc statutum, intelligatur innouatum. Pro condonatione autem & remissione peccatorum, quam absolutionem vocant, nihil omnino ab inuito exigant.

10. Statuimus quoq; iuxta Apostoli sententiam, quæ dicit, Nemini cito esse imponendam manum: ne cui temere cura animarum committatur. Itaq; probetur primum per Episcopum vel eius Officialem, etiam religionem professus. Nec liceat vlli, Vicarium Ecclesiæ & plebis suæ sufficere, illamue locare, siue emolumentum, quod absentiæ nomine reciperet, constituere sine authoritate Episcopi, aut eius Vicarij. Nā cum os boui trituranti non sit alligandū, Episcopi vel Officialis arbitrio, eiusmodi emolumenta locationum & absentiarum moderanda censemus.

11. Domos quoque, fundosque dotales beneficiorum collapsos instaurent possessores, quantum necessitas postulauerit, reparataq; in debita structura conseruent, & per Archidiaconos, & Decanos rurales, ac alios ad quos de iure vel consuetudine spectat, vbi negligētes fuerint, per subtractionem prouentuum authoritate nostra arctius compellantur.

12. Expresse cauentes, ne cura beneficiorum Ecclesiarumque concedatur religionem quamcumque professis, etiam exemptis. quod si hactenus aliqui admissi, vel recepti essent, nisi de voluntate fauoreque superioris sui, legitimisque causis constiterit, extra sua Monasteria degere nequaquam sibi integrum fore putent: quando illos sic vagos, per Ordinarios, vel Vicarios ad superiores suos, per victus denegationem, aut alia iuris remedia remittendos esse iubemus.

13. Monasteriorum Prælati vnitas Ecclesias habentes, prædictos Vicarios perpetuos vel ad nutum amouendos, in eisdem Ecclesiis in posterum non constituant, nisi prius per Ordinarios aut eorum Vicarios, vt idonei & apti fuerint admissi. Ecclesia tamen suis Monasterijs vnitæ, vsque adeo propinquæ, quod religiosi earundem curam habituri, sub religione in Monasterio sub debitaque obedientia stare possent, modo sint habiles & idonei, per huiusmodi religiosos prouideri possint. Id quoque promittimus de Monasterio, quod tam tenue est, vt debitam sustentationem habere nequeat: volentes religiosos & qualitercumque exemptos, curata beneficia habentes, Ordinario loci esse subiectos. Cumque in Ecclesia Dei magis præstet, paucos bonos & doctos, quam plures indoctos & imperitos habere ministros, id quod ratio nostrorum temporum exigere videtur: idcirco deinceps non initientur Sacris Ordinibus, nisi viri morum vitæ candore & doctrina præ cæteris spectati, probatique per testimonium ex animis rite seruandi.

14. Quod attinet ad ordinatos in vrbe, vel in alia quamcumq; aliena diœcesi, sancimus, vt & illi suarum ordinationum literas & titulos ostendant. & simili modo ad diuina peragenda prius non admittantur, quam ab Episcopo vel Vicario, seu Officiali fuerint rite admissi.

15. Præterea, cum nihil æquè conueniāt omnibus numeris, ac eos esse mundos qui vasa Domini portant, & in Sacrario operantur, quales Sacerdotes constituit ipse Dominus, qui quotidie Sacrosancta tractant, & in illis versantur: igitur volumus, atq; iuxta sanctiones Canonicas, feliciter à Sanctis Patribus institutas sancimus, vt caste continenterq; viuant: Sacerdotes Concubinarij, incontinenterq; vitam agentes, Canonum pœnis in ordinem redigantur: nulla consuetudine eis, nulla conniuentia, imo damnosa prælatorum negligentia patrocinante.

16. Quo vero ad Quæstores, qui vulgo stationarij appellātur, statuimus, ne quis, quauis authoritate & literarū occasione, vel ad prædicandam, vel subsidia eleemosynasq; colligēdas se ingerat, vt cumq; se iactet indulgētijs abundare; nisi prius literæ admissionis & approbationis Ordinariorum vel Vicariorum ab eo prolatæ fuerint: adstringentes ipsos Ordinarios, vt tales admittant, qui probæ vitæ testimonium habeant, & de prædicatione sua, dum opus erit, rationem reddere possint: eleemosynis oblationibusq; piorum non abusuri per luxum proprium, religione iusiurandi affirmaturi, se nec quotam, nec totam colligendi facultatem certa summa pecuniarum pactos esse. Fratribus tamen Mendicantibus, integras saluasque concessiones, à Sede Apostolica factas relinquimus.

17. Et vt Pastor agnoscat vocem ouis, & illa vicissim vocem pastoris audiat, tollaturque omnis vagandi occasio, ordinamus, quod presbyteri peregrini & ignoti, ad Missarum sacrificium non admittantur, nec vltra mensis spatium in consortio presbyterorum tolerentur, nisi exhibeant literas admissionis alterius ex Archiepiscopis, vel Episcopis, in cuius diœcesim se transtulerint, ac documenta & litteras testimoniales sui Ordinarij, à cuius diœcesi proxime discesserunt, quibus de eorum Ordinibus & honestate constet: ne aliquis incorrigibilis post perpetratos excessus, impune ad aliam diœcesim transeundo euadat.

18. Vt autem Christi fidelium eleemosynæ, in vsum pro quo erogantur, vertantur; non liceat procuratoribus seu vitricis fabricarum, in singulis Ecclesijs quicquam de pecunijs ad fabricam prouenientibus distribuere, aut ædificiorū, vel alterius rei vsum dispensare, sine Rectoris scitu: sed ad armaria fabricæ reponantur, vt hactenus seruatum est, duabus vel tribus clauibus pro loci consuetudine tenendis: quarum vna ipsi Rectori seruanda tradatur, obseruato vsu, in clauibus & rationibus reddendis à Principibus & superioribus hactenus recepto.

19. Statuimus quoq; & ordinamus, ne Episcoporum in Pontificalibus Vicarij in consecrandis Ecclesijs & altaribus, quod sacri iubent canones, quicquam omnino exigant, excepta procuratione. Conuenit namq;, vt pro qualitate status ipsorum, Episcopi prospiciant, præstando præcipue pensiones super fructibus mensæ Episcopalis à Sede Apostolica constitutas, ne aliquid attentare habeant in dedecus Episcopalis dignitatis.

20. Nec abs re, imo iustis de causis adducti festorum multitudinem constringendam esse duximus: statuentes & ordinantes, vt de cætero Dominica dies, quæ in gloriam Dominicæ Resurrectionis ad nos vsque à primitiua Ecclesia maxime celebris semper habita est: dies quoque Natiuitatis Christi, Sancti Stephani, Ioannis & Innocentum, Circumcisionis, Epiphaniorum, Paschæ cum feria secunda & tertia duntaxat, Ascensionis, Georgij, Pētecostes cū feria secunda & tertia duntaxat, Corporis Christi, & præsertim quatuor B. Virginis, Purificationis, Annunciationis, Assumptionis, Natiuitatis, Natalia Apostolorum, Ioan. Baptistæ, Magdalenæ, Laurentij, Dedicationis, Michaelis, Omnium Sanctorum, Martini, Nicolai & Catharinæ, & per diœcesim Saltzburgensem festiuitates sancti Ruperti, sicut hactenus obseruatæ fuere, celebres quoq; & festi habeantur. In cæteris autem festiuitatibus, quamcumque ratione vel institutis vel receptis, & quæ præcepto celebrari debeāt, permittimus, liberūq; cuiq; facimus, vt Missa audita, ad operas suas, quibus suam suorumq; alimoniam quærere cogitur, redire possit. Festis tamen Dedicationū & Patronorū principaliū nihil derogantes, quo ad eorum

celebra-

celebrationem in Cathedrali sede, ciuitateque ac loco etiam Episcopalis residentiæ duntaxat.

21. Cumque in certis locis & diœcesibus inter Pastores & gregem, propter nuptiarum celebritatem quam alij inthronizationem, alij solennizationem vocare solent, multa & iurgia & scandala eueniant; declaramus & statuimus, quod matrimonia in conspectu Ecclesiæ possint solennizari, nullo ab Ordinario ad hoc consensu petito, aut quapiā re pro ea exposita: exceptis tamen tota Quadragesima, vltima hebdomada Aduentus, festis Paschæ, Pentecostes & Natiuitatis Dominicæ, cū Octauis, ac diebus Rogationum. Ieiunia quoq; ab Ecclesia instituta, sub debito obedientiæ Sanctæ Ecclesiæ Catholicæ in posterum indici debent, omisso excommunicationis verbo, ne infirmorum conscientiæ offendantur; cum his temporibus pietas pene omnis iaceat, Sacerdotibusque parum deferatur.

22. Vt igitur extinctus cultus excitetur, populusque non fiat indies negligentior; statuimus, vt propter cædem Clericorum, persona tantum, non autem locus interdicendus veniat, nisi cætu concursuque populari facinus patratum esset.

23. Inhibemus insuper, ne in posterum Episcopi Clericis legitimis, ab intestato decedentibus, in patrimonialibus bonis, aut industria propria acquisitis, succedere possint, aut debeant.

24. Cumq; quotidie ob nouas, imo iam olim damnatas hæreses, apostatarum numerus tam religiosorum, quam Sacerdotum in immēsum crescat, quamplurimis eorum vxores ducentibus, vt ergo hæc sacrilegia impunita non remaneant, concedimus quibuscumq; Principibus, statibusque potestatis secularis, eorumq; Officialibus facultatem, vt eiusmodi apostatas & sacrilegos capere possint: modo reos ipsos Ordinarijs infra tempus debitum tradant & assignent, absq; aliqua in eos tortura & animaduersione, debite puniendos: quibus enixe mandamus, vt omni posita mora fauoreque, diligentius quam hactenus factum fuit, iuxta sacras sanctiones, omnino puniant facinorosos: adeo quod criminis enormitate expostulante, possit Episcopus, seruata forma Capituli primi de hæreticis in sexto, reum Curiæ seculari relinquere, vel ad perpetui carceris ærumnam damnare. Negligentia autem Ordinariorum ad Apostolicam sedem deducta, Iudices Ecclesiastici ab ea deputabuntur, qui constito de Ordinariorum negligentia, ad preces Principum aliorumq; secularium, reos maxime hæreseos, meritis pœnis afficient.

25. Quod iam Episcoporum quidam, vt accepimus, de beneficiorum pensionibus atq; absentijs decimas exigant, cum sit in contrarium iuri: lōgeq; præstet, male inductos vsus delere, quā inusitatū quid admittere: idcirco decimas eiusmodi vlterius exigi soluiq; interdicimus, vsumq; talem qualitercumq; receptum cassantes, cassatumq; esse censentes.

26. Item improbamus, & vt absonum prorsus reijcimus, ab Episcopis medios exigi fructus de beneficijs, quæ vnius sustentationi vix sufficiunt, vt sunt quæ non excedunt valorem triginta duorum Rhēnensium, de quibus in Romana Curia medij fructus non exiguntur: Quod etiam ab Ordinarijs obseruandum esse præcipimus: nisi concordatis aliter nutum esset, vt honesta ratione aliquid, sine tamen reprehendibili grauamine recipiant.

27. Cæterum quo magis fiat coniunctio, firmaque magis inter prouinciales stabiliatur concordia totius prouinciæ, antiquum morem synodorum innouantes, statuimus vt singulo triennio post Pascha Prouinciale Concilium celebratur.

28. Adhæc cum beneficia, propter officia, iuxta Patrum sanctiones dari consueuerint, fieriq; vix possit, vt in tanta præbendarum caterua non reperiatur, qui officij oblitus horas negligat Canonicas: hinc statuētes volumus, & ordinamus, vt locorum Ordinarij per Archidiaconos & Decanos de huiusmodi Sacerdotibus negligentibus sese diligenter edoceant, & secundum vniuscuiusq; negligentiam atq; desidiam, fructus præceptos vel in vtilitatem Ecclesiæ, vel in vsum pauperum conuertant. Quod si post legitimas monitiones, & simul primam correctionem, in eandem negligentiam, quæ dissolutæ prorsus mentis indicium est, quis relabatur, tum beneficio etiam Ecclesiastico priuetur: Collatorique vel Patrono de alio idoneo prouidendi aut præsentandi sit potestas.

29. Sanctionem Patrum, qua Ecclesiastica sepultura priuatur, quisquis non confessus, nec Eucharistiæ Paschali tempore communionem sumpserit inuiolabiliter obseruandam esse statuimus: ac vbi quem contigerit inopinata morte obire inconfessum, sepultura præfata illum carere non volumus, modo ipsius Curato constet, vel doceat ille, ipsum secundum iam dictam sanctionem confessum esse, & simul communicatum: aliudque non obstet canonicum impedimentum.

30. Ad tollendam execrabilem blasphemiam diuini nominis ac Diuorum, quos temnere fas non est, statuimus & ordinamus vt quicumque Clericus vel Sacerdos Deo palam maledixerit, conuicijs, contumelijsque, atq; adeo obscænis verbis incesserit Deum & Dominum nostrum IESVM Christum, aut nunquam satis laudatam Matrem eius gloriosam Virginem, pari blasphema lingua impetiuerit, aliosque sanctos blasphemauerit, fructum vel bonorum priuatione, seu alijs pœnis pro qualitate blasphemiæ & delicti plectatur.

31. Contra Simoniæ labem non discedimus à Patrum sanctionibus, iubentes eas sub pœnis in illis contentis obseruari.

32. In sortilegos, diuinaculos, incantatoresque Clericos, quos tam sacræ leges, quam Patrum decreta execrantur, statuimus & ordinamus; vt arbitrio superiorum infamia notentur: si qui moniti non destiterint, Ordine amoueantur, inque monasterium ad tempus iuxta arbitrium superioris relegentur, beneficiis officijsque suis Ecclesiasticis priuati. Cæteri autem pseudochristiani, de fideque parum probe sentientes, citra delectum personarum; hæretici quoque vel Iudaismum referentes à sacra congregatione Christianorum procul arceantur: contraque eos diligenti Inquisitione procedatur per ordinarios, vel eorundem Vicarios, aut hæreticæ prauitatis Inquisitores, vel per Iudices à Sede Apostolica, vel per nos deputandos, vt non resipiscentes, pœnis debitis puniantur.

33. Prohibemus etiam tam Clericis quam laicis, de Sacrosancta fide temere, præcipue inter pocula atque conuiuia disceptare: iniungentes Sacerdotibus, vt omni modestia vtantur: & peculiariter operam impendant, nouo veterique testamento legendo, vt par est: ne per otia in vitia voluptatesque labantur.

34. Statuimus & ordinamus, vt quilibet Episcopus diligenter prouideat, atque inprimis id curet, vt Vicarij, siue perpetui, siue ad nutum positi, competentem viuendi portionem assequantur: ne detur eis ansa suos subditos ob rei familiaris penuriam grauandi. Porro, quod proxime accedit ad Apostolorum institutionem, hortamur, cum Prælatos, tum reliquos Sacerdotes, vt meminerint pauperum, & eleemosynis studeant alter alterum vincere.

35. Sunt item pleraque alia à Summis Pontificibus, Sacris Concilijs, Prouincialibusque & synodalibus constitutionibus tradita, quæ mire decent & adornant candorem vitæ Clericalis. Nec minus obuiant offendiculis, quæ Christus passim cauenda præcipit, quæ velut sancta teneri & obseruari mandamus, transgressores secundum Canones ipsos prædictasq; Constitutiones puniri volentes.

36. Inhibentesque propterea omnibus & singulis Vicarijs & Officialibus, nec non Archidiaconis & Decanis ruralibus, alijsque ad quos criminum denunciatio, correctioque quomodolibet spectant, aut quibus id per Ordinarios committetur: ne ad excessus transgressionesque alicuius dictarum Constitutionum, statutorum & ordinationum nostrarum, ob pecuniam etiam vltro oblatam, aut alterius rei gratia conueniant: sed potius ad pœnas de iure vel consuetudine debitas, contra delinquentes, pro delicti qualitate, & officij sui debito procedant. Atque vt ita fiat, quoniam nihil proderit leges condere, nisi sint qui conditis viuant, mentemque earum exequantur: vtque refloreat Catholica fides, Ecclesiasticaque dignitas, hæresibus radicitus extirpatis, suum locum recuperet: idque vix alio medio aptius atque commodius fieri possit, quam synodis: Itaque priscum Synodorum morem renouare cupientes, statuimus & ordinamus, vt singulo anno saltem diœcesana Synodus opportuno tempore à singulis Episcopis celebretur, cum potioribus prælatis, Decanis Ruralibus, vtrisque dignis. In quibus per quartas designentur Iudices, qui diligenter intendant, si statuta prædicta, ac alia per Synodos de scitu Episcopi statuenda obseruentur: inuocato ad hoc, si opus fuerit, brachio seculari. Mandantes propterea, vt huius nostræ Constitutionis ordinationisque series, in præfatis Synodis tum prouincialibus, quam diœcesanis, in earumdem principio diligenter legatur; ne quis in futurum ignorantiam prætexere possit. Datum Ratisponæ, anno à Natiuitate Domini M.D.XXIV. nonis Iulij Pontificatus præfati Domini nostri, anno 1. Visa. Iul. Flo. Montinus.

D. de Patermina.
G. Prego.

XII. *Spiræ Conuentum habent legati Germani.*

Dum Cardinalis Legatus, & Principes Catholici decretum hoc Ratisponæ faciunt, Spiræ Conuentum agunt Legati Ciuitatum in Germania, quas Imperiales vocant. Erant inter illas non paucæ, quas iampridem infecerat contagio Lutherana; quibus Norimbergense decretum non valde displicebat, hanc ob causam maxime, quod in eo zelum Principum, & ardorem illum pro fide Catholica, quam præ se fert Edictum Wormatiense, multum refrixisse videbant. Placuit inprimis ea decreti pars, in qua de Lutheri aliorumq; illius farinæ Nouatorum libris examinandis, deque seligendis ijs, quæ probanda, quæ reijcienda viderentur,

con

constitutum erat. Nam quia Ciuitates illæ transfugas multos habebant, & Apostatas, viros disertos, & linguarum non imperitos, siquidem de controuersijs fidei dogmatibus congrediendum esset, certam sibi de Catholicis victoriam pollicebantur. Quæ causa fuit vt hunc Conuentum instituerent; in quo, mense Iulio decretum est, vt singulæ ciuitates viros bonos, & sacrarum litterarum peritos deligerent, qui capita religionis Christianæ, cumprimis ea, de quibus controuertebatur, diligenter & mature expenderent, deque ijs sententiam suam Senatui scripto comprehensum offerrent: quod scriptum deinde Senatus cuiuslibet vrbis per Legatos ad proximum Imperij conuentum transmitteret, quem iuxta decretum Norimbergense, Spiræ futurum arbitrabantur. Ibi porro deinde laborandum, vt ex varijs illis consultationibus conficeretur vnum quoddam scriptum, quod in eodem Conuentu, communi Ciuitatum nomine reliquis Ordinibus offerretur. Hoc decreto passim in ciuitatibus excitati sunt Cõcionatores apostatæ; vt ad scribendum magno se studio compararent. Quamquam frustra sumpserunt laborem istum, vt ex sequentibus manifestum erit. Hærebat adhuc in Hispania Cæsar, cum hi Conuentus agerentur. Vbi vero decretum vidit, quod Norimbergæ factum diximus, perindigne tulit, quod ne nunc quidem Ordines per Legatum Pontificis, ipsiusque Cæsaris Oratorem grauiter admoniti, de Vormacien si decreto exequendo, deque frangendis hæreticorum conatibus maiore cum cura cogitarint. Itaque monente Pontifice, per litteras, cum illis expostulauit, Burgis in Hispania scriptas 15. Iulij, in quibus & decretum illud rescidit, quod Norimbergæ factum diximus, & quem Spiræ conuentum indixerat ad vndecimum Nouembris, eum haberi prorsus vetuit, imo Cæsarea authoritate præcepit, ne quid vllo pacto de rebus ad fidem Catholicam pertinentibus, sine Pontificis & Concilij authoritate, suoque consensu constituere atque ordinare deinceps aggrederentur. Hac in re ad obedientiam eos reuocat, qua secundum conscientiam Omnipotenti Deo, Ecclesiæq; Catholicæ, tum Pontifici Romano, sibique tamquam constitutis à Deo superioribus obstricti tenerentur.

Inter alia sic scribit:

Cumque nos in proximis Vormaciæ habitis Comitijs, in Principum Electorum, aliorumque Principum & Ordinum Sacri Romani Imperij generali congregatione, vnanimi illorum consilio, scitu & consensu, Lutheranam doctrinam ac hallucinationem, velut hæreticam, malignam ac venenosam, sub magnis grauibusque mulctis & pœnis, publice denunciari ac interdici, omnesque præterea scripturas, libros que Lutherico, postea quam à sanctissima Apostolica iure ac ordine Christiano legitime reprobati ac damnati fuissent, deleri atque comburi mandauimus: vos & communes status in nouissimis Nurembergæ actis Comitijs, solum propter iniuriosos & conuitiosos Lutheri libellos, indecorasque impressiones & picturas, ordinationem proposuistis atque dedistis, eam vnicuique quantum ei obseruare possibile sit, imposuistis. quasi nos in prioribus nostris mandatis & edictis aliquid noui, onerosi, aut iniqui proposuerimus, ac constituerimus: & non facilius æquiusque foret, in prioribus antiquis, laudabilibus, Catholicisque ritibus & ordinationibus permanere, quam ita alienos ac inauditos abusus accepisse ac tenere. Et infra.

Quod autem vos & status pariter, tamquam pro vobis ipsis proposuistis, ac decreuistis ad proxime futurum diem S. Martini, in nostra & Imperij vrbe Spira, generalem ac vniuersalem Germanicæ Nationis conuentum celebrare, atque in eo vias, media, & ordinationes considerare ac proponere, qualiter, quibusque modis & formis, cum cultu diuino, aliisque Ecclesiasticis officijs & ordinationibus, constitutionibusque & consuetudinibus agendũ, seruandumque sit, vsque ad futurum Generale Concilium: vt interea periti sacrarum litterarum, atque eruditæ personæ, quicquid fidei non consonum, sed contrarium videatur, in scripturis comprehendant, dubioque & alia pro viribus determinent. Talia nos neque possumus, neque volumus vllo pacto vel admittere, vel permittere: sed sicut nos, tamquam Defensorem & Protectorem Sedis Apostolicæ, inprimis decet ac conuenit, maxime præcauere, ne Dei Omnipotentis, ac Sanctitatis Apostolicæ iram & indignationem per hoc in nos concitemus. Quanta enim iniuria, contumelia que & dedecus Sanctæ, diuinæ ac Catholicæ Ecclesiæ irrogaretur, si pius Dei timor & obedientia eo modo lederetur ac minueretur, si Germanica Natio sola, quæ hactenus timoratissima iudicata est, quæ & Catholicæ Ecclesiæ mandata, constitutionesque obedienter continue obseruauit, ea de quæ præsumeret ac moliretur, quod omnes alij Principes Christiani, neque incipere, neque intendere auderent, vt diuinas ac laudabiles Catholicas ordinationes, consuetudines, constitutiones ac ritus, qui tot annis hactenus in tota Christianitate, in solatium omnium fidelium animarum & hominum, perfectè ac sine contradictione obseruati sunt, reijceret, ac aboleret. A quibus sane nullus vnquam recessit, quem iustum Dei iudicium ob hoc non grauiter punierit. Quamuis inhumanus & impius Lutherus illis præsumat solus obsistere, ac dulci suo veneno, quantum queat, inficere, atque in anima & corpore perdere mortales, seque per suam astutam malitiam coram hominibus magnum & conspicuum reddere. Et rursus.

Cum igitur nos, ex supramemoratis, aliisque bene fundatis rationibus, eiusmodi vestram & communium statuum intentionem, actionemque velut iniquam cognoscamus, comperiamusque, nisi id in tempore præueniremus ac prospiceremus, quãtum damni, abusionum, turbationum, seditionumque in vniuersa Christianitate, præsertim vero in Germanica Natione inde sequi posset, petimus à vobis, & iniungimus vobis, sub iuramento, quo vos nobis ac sacro Imperio estis obstricti, & sub vitando crimine Læsæ Maiestatis; sub nostro & Imperij Banno ac reBanno; sub priuatione item ac destitutione omnium gratiarum ac priuilegiorum, quæ ab Antecessoribus nostris Romanis Imperatoribus ac Regibus, à nobis quoque & sacro Imperio obtinuistis; ad hæc, sub pœnis, in nostro Imperiali edicto propter hoc Wormatiæ edito, contentis; ex Imperiali potestate serio mandantes, vt vos ab illo nostro mandato & edicto nulla via aut forma discedatis, nihilque contra illud agatis aut faciatis: sed illud, quantum ad vos spectat & attinet, omnino ac simpliciter obseruetis & exequamini: præsertim vero in prædicta statuum intentione, de Concilio, aliisque disputationibus, declarationibus, & interpretationibus, quæ Catholicam fidẽ concernũt: ne quid vllo pacto, absque Apostolicæ sanctitatis, nostræque aut Generalis Concilij authoritate, ordinatione, ac admissione, attentetis, agatis, aut peragatis; sed id totum in proximũ generale Concilium, quod Sanctissimi Patris nostri Papæ authoritate & consensu, vt dictum est, super, indici debet, ac indicetur differatis, atque in his omnibus vos exhibeat is obedientes: quemadmodum iuxta conscientiam obligationem vestram, Deo Omnipotenti, Sanctæ Ecclesiæ Catholicæ, Apostolicæ Sanctitati & nobis, tamquam vestris à diuina prouidentia præordinatis superioribus capitibusque facere tenemini, & quam charum vobis est, nostram & Imperij grauem indignationem, ac superdictas mulctas & pœnas euitare. Hæc serio dicta volumus. Datum in nostra vrbe Burgis in Castilia, die XV. *Iulij anno Christi M. D. XXIV.*

XIII. *B. Bennonis Episcopus Misnensis exaltatur.*

Lutherus inter hæc euertebat cultum diuinum, religionem Catholicam abolebat, omnia rite olim institutra à Patribus, diruebat, pessumdabat, dissipabat, conculcabat, neque vita pie functis, aut inter Cælites receptis parcebat. Anno superiore Hadrianus Sextus, cum audisset, ac certis testimonijs comprobata accepisset, præclara merita & miracula Beati Bennonis Misnensis olim Episcopi, singulari autoritate Sedis Apostolicæ retulerat eum in numerum Diuorum. Huius rei sollicitus maxime erat eiusdem Ecclesiæ Misnensis Episcopus, Ioannes à Schleinitz, vir nobilis iuxta piusque & eruditus, ac laborum tolerantissimus: qui ope & consilio pij ac maxime Orthodoxi Principis, Saxoniæ Ducis Georgij, ossa & reliquias Beati Patris Bennonis iam canonizati, venerabiliter in maxima populi frequentia, è vetusto tumulo in altum subleuauit, ac anniuersarium eius memorię festum autoritate Apostolica instituit. Ea igitur celebritas & fama pietatis antiquæ, maxime obscuratura videbatur barbaricas Lutheri nouitates. Vnde factum est, vt ira inuidiaque accensus, conuitiosissimum simul & impijssimum ediderit mox libellum Lutherus, cui Theutonice hunc dedit titulum. Aduersus nouum Idolum, & antiquum Diabolum, qui Misnæ exaltandus est: festinans nimirum, vt suo libello populos ab ea deuotione auerteret. Sed frustra pium ac inclytum cœli incolam oppugnauit, impius & infamis terrigena. Tanta enim populi frequentia, & fuit tunc, & quotannis eo die, quo sancti Bennonis reliquiæ solenni apotheosi sublimatæ sunt, esse solebat, vt Deus ipse videatur pia populorum deuotione, irridere ipso facto impios versuti & verbosi apostatæ conatus. Nam Misna vix decem milliaribus distat à Witteberga: vrbs vtraque ad ripam Albis posita, à nobilissimis Principibus claritatem accepit: hæc à Marchionibus Misnæ, quorum maximus numerus ibi sepultus requiescit; illa à Ducibus Saxoniæ, vt Electori Saxonico propria sit. Ex eo itaque Dei opere, Lutherus, si non fuisset impia rebellione prorsus excæcatus, merito considerare debuerat, se frustra contra stimulum calci-

trare;

trare; cum tot haberet in propinquo, etiam ex rustica plebe adiutarios perpetuo. At vir temerarius insania fiducia plenus, vane sperabat, se pestilenti conuitiorum libello auersurum populum ab ea celebritate. Mille igitur mendacijs detractionibusque fugillabat, non solum vitam miraculaque Bennonis, verum etiam pium factum Hadriani; ac probatissimorum retro Sanctorum pietatem, Gregorij Septimi, & Thomæ Aquinatis, non timens historiæ veritatem vbique peruertere. Etenim S. Bennonem calumniatur, quasi adulatus fuerit contra Cæsarem Henricum Quartum Gregorio Papæ Septimo, eique adhæserit inique contra ius & fas, & in omni scelere illum adiuuerit. Quid ergo, *inquit*, exaltant nunc Misnenses? Multiplicem latronem & sanguinarium, causam omnis calamitatis in Germania; hostem Euangelij, ac socium Antichristi cui adhæsit, eiusque iniquitatis participeps factus est. In Gregorium vero Papam Septimum, cui multa laus est in vera historia, hanc ferebat ex folio Wittembergensi sententiam; Quod contra Imperatorem Henricum Quartum egerit, velut proditor & nequam; quod filium contra patrem concitauerit; quod in excommunicatione illum mori dimiserit, idque totum fecerit propter temporales opes, pompas q; & potentias. At satis constat ex veris historijs, illum Gregorium ab Imperatore iniquè vexatum, obsessum, atque eiectum fuisse, & in exilio diem obijsse, longe ante obitum Henrici Quarti, atque etiam ante dissidium, quod inter patrem & filium postea in Imperio exortum fuit. Cæterum cum Hadriani Sexti vita sic esset apud Germanos laudibus celebrata, vt citra eorum offensam vituperari non posset; alijs cauillis eius authoritatem & famam labefactare conatus est. Ait igitur in eodem libello. Primum, vt à summo exordiamur, pulchre contigit, vt Sathan iste Misnensis exaltaretur per Papam Hadrianum. Quamquam enim audiò de illo Hadriano, quod fuerit splendidæ ac laudatæ vitæ, fuit tamen (vt huiusmodi hypocritæ solent) pessimus hostis Dei & eius verbi. propter ipsum duo admisit homicidia Bruxellis, duo q; martyres Christi parauit, ac eos ignorans nolens q; vere sanctos exaltauit. & post pauca; Agitur hic ad modum Papaliter, quemadmodum & Constantiæ in Concilio actum fuit, vbi Ioannes Huss & Hieronymus Pragensis damnati & exusti sunt, vere sancti filij & martyres Dei. Contra vero Thomas Aquinas, fons & sentina omnis hæreseos, errorisque, & & extinctionis Euangelij (sicut indicant libri eius) exaltatus fuit; ita & nunc facere oportet Magistrum Hadrianum. Veros Sanctos, Ioannem & Henricum exussit Bruxellis: nunc contra exaltat Bennonem, imo ipsummet Diabolum. Singulare Romanorum Pontificum officium est, oportet eos ita agere, veros sanctos interficere, falsos sanctos exaltare; verbum Dei damnare, suam propriam doctrinam confirmare, ac deinde dicere: Totum fieri in honorem Dei, & Sanctorum eius, &c. Cæterum ad huiusmodi calumnias Lutheri, grauiter ac erudite respondit Theutonice Hieronymus Emser, qui & vitam S. Bennonis longe prius elegantissime descripserat libro Latino, antequam Lutheri nomen fuisset orbi notum. & Hadrianum Papam à Lutheri calumnijs vindicare poterant verba omnium Principum & statuum Imperij, quæ Norimbergæ in Comitijs responderant Nuncio Apostolico; nempe quod nouissent illum ex nobilissima Germanica natione originem traxisse, & natum esse, eiusque eximias ac præstantes animi & corporis dotes virtutesque, toto fere orbe, etiam dum in minoribus fuisset, celebratas, iampridem perspicuas haberent, &c.

Lutheri in B. Bennonem calumnia.

XIX. *Lutherus submersum Belgam ad vitam reuocare conatur.*

Quamquam vero Lutherus Sanctum Bennonem miraculorum opificem vel propter admiranda ab eo gesta fugillauerit, ipse tamen miracula, non vulgaria, sed supremi ordinis patrare hoc anno tentauit. Erat Wittembergæ Belga quidam Guillhelmus Nesenus, vir litteratus admodum, quem Lutherus & Melanchton in delicijs habebant, tũ ob morum suauitatem, quæ Belgis fere congenita est; tum vero, quod Lutherus illius operam suo tẽpore in Belgio, ad errores proseminandos non inutilem sibi futuram videbat. Hic in media æstate, cum animi gratia Albim scapha piscatoria traijcere vellet, quod & alias frequenter fecerat, & scapham in truncum arboris sub aquis latentem impingeret, excussus in fluuium, atque submersus fuit. Quem casum Lutheras admodum acerbe doluit. Cumque egressus ad cadauer, quod è fluuio extractum in ripa iacebat proprius accessisset; fusis vbertim lachrymis, oculisque in cœlum sublatis; O Nesene, *inquit*, si mihi datum esset donum miraculorum excitandi mortuos, si vllum vnquam excitassem, te nunc excitarem. Accessit deinde proprius, & verbis quibusdam immurmuratis hominem excitare, sed frustra, tentauit.

XVI. *Lutherii monialis fugitiua ad Comites Mansfeldiæ historia.*

Eodem anno, in Quadragesima, Lutherus historiam edidit de moniali quadam fugitiua, quæ in Comitatu Mansfeldensi furtim ex Monasterio quodam euasit. Quam rem in epistola ad Comites Mansfeldenses (ijs enim historiam hanc legendam dedicauit) inter huius temporis miracula refert, quibus nouum illud Cacoëuangelium confirmatum esse dicit. Nomen Florentinæ fuit; quæ lectis Lutheri libellis; tædium habere cœpit vitæ monasticæ, & mundanis desideriis accensa foras spectare. Itaque litteras dedit ad Lutherum, eique mentis arcanum aperuit, quod nimirum Monasticæ pertæsa, cuperet in libertatem ab eo prædicatam vindicari: quam ad rem consilium ipsius & opem implorauit. Id cum superioribus innotuisset, iuxta leges Monasticas ad disciplinam reuocata fuit, & custodiæ mandata. Tandem vero sub emendationis spe dimissa fuit; & paulo post cũm minus obseruaretur, è Monasterio profugit. Huius rei gestæ historiam ipsa descripsit honoris sui tuendi gratia, scilicet vt aspersam furti maculam abstergeret. Interim florenos aliquot, & duos annulos se fatetur sublegisse; quamquam eos sibi rursus ablatos esse dicit, cum detecto fugæ consilio in carcerem detruderetur. Hanc monialis illius in furto deprehensæ fugam Lutherus, inter miracula numerat; cuiusmodi plura triennio proxisso Deum fecisse dicit, quæ paulatim sint in lucem proferenda, quamquam ij, quibus ignotum est Cacoëuangelium, huius Florentinæ fugam, non pro miraculo, sed pro signo habituri sint ex eorum genere, quæ per Diabolum patrantur. Id se dicit non morari; sibi nihilominus, aliisque Cacoëuangelij virtutem magnoscentibus, huiusmodi stupenda diuinæ maiestatis opera (fugam Monialium ex Monasterijs) non esse negligenda. Inter hæc dum Lutherus ad religionem mutandam homines compelleret, & fundamentis Synagogæ Lutheranæ occupatus collocandis fuit, duo nati sunt Wittembergæ, quorum alter capite carebat, alter retortos habebat inuersosque pedes. Quibus Monstris, nihil aliud quam quod Lutherus agebat, & quidem aperte satis, delineatum fuit. Ecclesiam moliebatur sine visibili capite in terris, quod puer hic acephalus monstrum esse insinuat. Ad eam erigendam gradiebatur ere peruerso, vt de apostatis Scriptura loquitur Prouer. 6. & retortis à Sanctorum Patrum rectitudine greffibus incedebat; cuius rei Wittembergenses potuit vel portentum illud admonere.

Vvittenbergæ dirum monstrum natum.

XVII. *Magdeburgum Lutheranismo infi citur.*

Cum autem à reditu Lutheri è latibulo, contagiosa lues nouorum dogmatum, in vicinas vrbes & regiones liberius sese diffunderet, peruasit quoq; Magdeburgum, eamq; ciuitatem, quæ milliaribus aliquot infra Wittembergam ad Albim sita est, serpendo infecit. Erat isthic Monachus quidam ex Augustinianorũ familia, Theologiæ Doctor, Melchior Miricius, qui primus omnium in concionibus sparsit Lutheranismi semen, ex quo paulatim odium in Pontificem, in Episcopos, in Sacerdotes, contemptus sacrorum rituum, diuinique; cultus, & Catholicæ religionis fastidium in animis hominum pullulauit. quæ vitia post quam maturuerũt in segetem, Consul quidam Nicolaus Sturmius, & ciues magno numero, qui venenum hæreseos iam hauserant, Lutherum hoc anno 1524. Vvittenberga euocarunt, vt in ea ciuitate faceret abolendæ Catholicæ religionis initium, & nouos ritus instituret. Venit ille, & ad Augustinianos suos diuertit: quorum eum angustior Ecclesia videretur, placuit ijs, quibus ardens inerat mutandæ religionis desiderium, vt Lutherus in Ecclesia S. Ioannis ad populum haberet conciones. Docuit igitur in eo loco, magno plebis concursu, & Ecclesiam Lutheranam nouis ritibus institutis arbitratu suo firmauit. Cæterum, cum diu istic commorari non posset, rebus vtcumque constitutis, Consuli Sturmio, delectisq; ciuibus se quendam Vvittembergam missurum promisit, virum doctum, & ad perficiendum hoc opus cumprimis idoneum, cui, monuit, vt nõ secus ac sibi ipsi fidem in rebus omnibus adhiberent. Misit

ranum; de quo velut altero quodam Eliseo, Lutherum Eliam dicere solitum aiunt: Spiritus meus requieſcet in Ambsdorffio: & alium quemdam Luthero intimũ, Hieronymum Wellerum, testimonium hoc aiunt reliquisse: Nemo tantum hausit de spiritu Lutheri, ac Ambsdorffius. Hic igitur vbi Magdeburgum venit, cæptum à Luthero peregit opus, & ciuitatem hanc Lutherano Euangelio ad saturitatem impleuit. Præfuit vero Magdeburgensibus Lutheranis ad annos paulominus octodecim donec postmodum anno 1542. de voluntate Saxonis Electoris in Episcopum Naumburgensem per Lutherum consecratus fuit, vt infra suo loco dicemus.

XVII. Sub idem tempus Lutherus per litteras consolatur Miltenbergenſes ciues, quorum subreptitius concionator, Lutheranæ factionis homo, Ioannes Carlostadius per Carronicos Moguntinos solum vertere iussus erat. In hoc igitur calamum acuit more suo, mancipia scortorum saginatos ventres, Templarios Moguntinos eos appellans, quos Deus ipsorum Sathanas obsessos teneat, & moderatur. Claudit epistolam vaticinio quodam edito, quod certo certius euenturum dicit Papistæ, *inquit*, ferre cogentur, vt Lutherus, eiusque doctrina, & discipuli maneant, atque in honore sint: Ipsi vero cum doctrina sua interibunt, & erunt in ignominia; etiam si repugnet totus mundus, & omnes diaboli hoc ipsum dolenter ferant. Si viuimus, pacem à nobis non habebunt: si moriamur, multo minus. Breuiter, non omittemus eos, nec à nobis liberabuntur, donec victi subactique nostris partibus libenter accesserint. Scimus enim, cuius verbum sit, quod docemus; neque id nobis omnibus auferent.

XVIII. *Lutherus Rigenſes à fide Catholica deterrere ſtudet.* Scripsit etiam ad Rigenses in Liuonia, postcaquam eos nouis dogmatibus in vrbe sua locum dedisse intellexit, & Psalmum 126. illis dedicauit, breui quodam exegesi nonnihil illustratum. Quod in præfatione se facere voluisse dicit, vt eos ab auaritia, rerumque temporalium cura dehortetur. Ea enim futurum, ait, vt cursus Euangelij sui multum impediatur. Scholas & cathedras iustis stipendiorum præsidijs destitui. Interim multa profundi passim in vsus non necessarios. Videri prorsus eorem redituram, vt ludorum Magistris, pastoribus & concionatoribus ad pellendam inediam, ad mechanicas, aliasque id genus operas confugiendum sit. Superiori tempore seductoribus Monachis & Sacerdotibus, virginum & matronarum stupratoribus, tyrannidem exercentibus affatim datum fuisse, ac abunde prospectum de rebus temporalibus: nunc vero missos à Deo veritatis Doctores, qui magno impendio ab extremis mundi partibus essent vocandi, prorsus deseri, eodemque propemodum haberi loco, quo Lazarus pauper habitus sit ab Euangelico helluone. Difficulter tres honestos, doctrinaq; conspicuos concionatores sustentari nunc posse, vbi prius centum scortorum venatoribus abunde fuerit prospectum. Itaque nihil esse melius, quam vt in locum Papatus Romani, nouus quidam Papatus erigatur, priore longe deterior, qui fœdius omnia perdat, quam factum est pridem: Nec dubitandum, quin futurum hoc sit, nisi dies Domini superueniat. Mundum, *ait*, decipi, seduci, excoriari, & ignominia affici prorsus velle. Hæc Lutherus velut indignabundus; ad quæ postrema verba, post ipsius obitum, in margine quidam ex discipulis, quæstus hoc est, *inquit*, vir Dei ante annos triginta: Quod si nunc viueret, profecto longe maiorem conquerendi causam haberet. Ita nimirum perpetuo quiritantur isti, qui CHRISTI patrimonium, & peculium Ecclesiæ rapacibus harpijs diripiendum obiecerint: fitque iusto DEI iudicio, vt ex bonis Ecclesiasticis nec ditescant, qui ea diripiunt, nec lupis istis, qui Ordinem hierarchicum in Ecclesia subuerterunt, ex opimis ciusdem Ecclesiæ spolijs tantum obueniat, quantum ad esuriem pellendam est satis.

XIX. *Lutherum inter & Eraſmum Rotherodamum de libero arbitrio hominis certamen oritur.* Hoc eodem anno certamen exarsit, & satis acerbum quidem, inter Erasmum Rotherodamum, & Lutherum, de libero arbitrio hominis. Erasmus de hoc religionis capite Tractatum scripserat, Angliæ Regis, vt aiunt, & Cardinalis Eboracensis hortatu, cui Diatribæ titulum fecit. Huic Lutherus scriptum, oppositum valde prolixum, quod à multis elaboratum, & multo tempore (vt Erasmus scribit) anno sequente 1525. primum in lucem prodijt. Tribuit Erasmo Lutherus modestiam, ingenium, & eloquentiam; sibi vero scientiam & spiritum arrogat; rogatque, vt quemadmodum ipse patienter ferat Erasmi ignorantiam, ita vicissim ille suam insantiam non fastidiat, aut contemnat. In fine reprehendit Erasmum, quod se nihil asseruisse scribat in causa, sed contulisse tantum. Ego vero, *inquit*, hoc libro non contuli, sed asserui & assero, ac penes nullum volo esse iudicium, sed omnibus suadeo, vt præstent obsequium.

Interim in populo magis magisque gliscebat horrendum illud rusticanæ seditionis incendium, quod anno sequente 1525. non nisi fuso multorum millium sanguine restingui potuit. Tumultuantibus aperte se ducem in Thuringia præbuit, Thomas Muntzerus, è Sacerdote Catholico Lutheranus primum, deinde factionis Enthusiasticæ tribunitius concionator, qui populum tandem per ciuitates & pagos ad arma vocauit. Carlostadius etiam huic instituto clam fauere putabatur. Ille Alstedi docuit, quod est Thuringiæ oppidum versus Saxoniam: hic vero Orlamundæ, quo Wittemberga per ciues fuerat euocatus. Qui hos sequebantur, cœlestes iactabant afflatus, seque DEI vocem intus loquentis audire gloriabantur: vnde cœlestes prophetæ per Lutherum sunt appellati. Somnijs, visionibus, & enthusianismis multum tribuebant; mortificationem carnis instanter vrgebant, & reformationem hominis interioris. Ab illa morum laxitate & dissolutione quam gignebat Euangelium Lutheri, ad austeritatem quandam, & seueriorem viuendi rationem hominis reuocabant. In concionibus, in scriptis, vtebantur illi quidem Scripturæ sacræ testimonijs, & frequentibus quidem; verum detortis ad ipsorum secreta mysteria, quæ se per cœlestem inspirationem à DEO in mentibus ipsorum, sine strepitu sermocinante didicisse iactabant. Lutherum tamquam adhærentem occidenti litteræ, seque suauiter in carne & sanguine volutantem contemnebant: quamquam tota hæc factio gemina esset Lutheri soboles, quam non iniuria ex intimo illius pectore, turbulentoque cerebro natam dicerent: quod ipse sane non ignorauit. Vnde deinceps, oppressis iam Muntzerianis, Carlostadij sectatores, vel Sacramentarios, filios, adeoque velut alter Dauid Absalones suos appellare consueuerat. Ipsi vero parentem Lutherum, tanquam carnalia sapientem & spiritu vacuum ex alto despiciebant, eumque dicebant machinari tyrannidem, instar Romani Pontificis, quo longe deteriorem eum esse clamabant. Cumque iam secreto per Thuringiam, vicinasque regiones multorum animos occupassent, tandem hoc anno 1524. per æstatem liberius agere cœperunt, & confringendis imaginibus, monasterijsque diripiendis manum admouere.

bero arbitrio certamen oritur.

XX. *Thomas Muntzerus tumultuantibus ſe ducem præbet.*

Hærebat id temporis factionis caput Thomas Muntzerus Alstedi in Thuringia, vbi pastoris munere fungebatur lupus rapacissimus. Lutherus autem, cum ad seditionem publicam spectare videret conatus istos, litteras dedit ad Fridericum Electorem & Ioannem, fratres, Saxoniæ Duces, quibus eos hortatur, vt præuertant ingruenti malo, & seditiosas istorum machinationes compescant, ne serpens pernicioſa lues in publicam sæuitiam erumpat. Permittendum quidem illis, *ait*, vt concionentur, obeantque verbi DEI ministerium, imo vt & quidvis dicant in quosuis; sed vi cohibendos interim, ne violentiam exerceant. Oportere sectas esse & hæreses; verbo DEI velut apertis campis in acie contra aduersarios dimicandum. Si spiritus ipsorum verus est, *inquit*, non metuet nos, sed bene consistit. Si vero noster spiritus verus est, & probatus, nec illos formidabit, nec quemquam hominum. Aggrediantur se mutuo Spiritus isti, consertisque manibus in pugnam veniant. Si quidam interea corrunt & seducuntur, nimirum id fit iure belli. Vbi collatis signis pugnatur aut confligitur, ibi quosdam obtruncari necesse est: nonnullos etiam vulnerari. Concludit, spiritualem esse pugnam hanc, in qua sit verbi solius armis decertandum; vitandæ vero seditiones, ad quas promiscua multitudo per se satis propendeat. Qui præter verbum, externam vim adhibent, eos Christianos non esse, tametsi glorientur, sed vel à decem spiritibus sanctis occupari. His litteris Lutheri effectum est, vt Principes Vinariam euocarent Muntzerum, eique serio mandarent, vt abstineret ab huiusmodi concionibus, quibus seditio posset & motus in populo concitari. Ille Vinaria domum reuersus, Alstetensem Senatum inuenit à se prorsus alienum; futuque monitus, futurum, si ad exequendum ministerium redire vellet, vt in hostium suorum manus traderetur. Itaque decusso puluere, periculi vitandi gratia Alsteto discessit. Quia vero Lutherum huius fabulæ autorem esse nouerat, Apologiam in eum scriptam continuo diuulgauit: in qua Christum compellans gloriæ Regem, & Principem fidelium omnium, Spiritum Sanctum, inquit, semper ab aduersarijs gratia Dei vacuis pro deterrimo dæmone habitum fuisse. Itaque mirandum non esse, quod superbissimus omnium hominum, Scripturarius ille Doctor mendax Lutherus, quotidie stolidor factus & arrogantior, integumentis seipsum obuoluat sacrarum litterarũ, & in conspectu Christi, Spiritum Dei rectum penitus contemnat. Vocari se à Luthero furore, inuidia, odioque plusquam Vatiniano flagrante, diabolum: idque ab eo tempore, quo discesserit à scelerato adulatore Principum. Sic olim & Christum Beelzebub à Pharisæis appellatum. Doctorem hunc Ludibrium (sic Lutherum appellat) versutissimum esse Scripturæ depeculatorem, qui vertat in ludibrium, contemnatque Christum ipsum, in quem ceu scopum vnicum Scriptura dirigatur. Scripturarios huius temporis Doctores (Lutheranos) iactare sacras litteras, implere magna volumina, multa verba profundere, clamitare fidem, fidem; cum reuera fidem abnegent, & risui habeant Dei Spiritum, atque interea nihil prorsus credant. Se quidem in Noachicum illum fæde crocitantem coruum, veteratorem insignem, nihil aliud commisisse, nisi quod instar columbæ simplicis argenteas alas quassarit. Illum vero teterrimum coruum, vt cadauer suum inueniat, porcorum oculos configere, & excæcare voluptuosos homines, quorum bonis repleat ingluuiem suam, & honores ab ijs, magnosque titulos consequatur. Miserum hunc gnatonem Principum, & fecialem, captare fauorem ex humano profuso sanguine: vt eum non iniuria per prophetam Regium, sub Basilisci, Draconis, Aspidis, & Leonis nomine designatum dicas; cum subinde venenum infundens blanditer aduletur: subinde vero sæuiat horrendum in modum, vti suadet ipsius genius. Magnas eum somniare persecutiones, quas se glorietur sustinere. Scilicet impudentem monachum, dum vino malũatico, & meretricijs vel delicatissimis cibis abundet, ingentes ferre persecutiones. Venditare se detestandum Monachum, ceu nouum quendam CHRISTVM; vt qui Monachis & Sacerdotibus Matrimonij contrahendi licentiam dederit. Ipsum reuera negare verbum Dei, eiusque quandam vmbram & laruam mundo proponere. Supra modum horrendum esse, quod obtentu Scripturæ Deum autorem peccati faciat. Eo fieri, vt seipsum constituat dæmoniorum Principem. Bene igitur meruisse Lutherum, velut alterum Esau, vt per Iacobum opprimatur, cum iusculo ius primogenituræ vendiderit. Quod se Wormatiæ glorietur stetisse coram Imperio, stolidam insaniam esse, & futile nugamentum. Satis illum habuisse præsidij in Nobilitate Germania; quæ per ipsum blanditijs quibusdam illecta, dona Bohemica, fundos scilicet, & præsidia Monasteriorum expectarit, quæ nunc Principibus ille polliceatur. Si Wormatiæ vacillarit, ab ipsis Nobilibus confossum fuisse potius, quam euaserit. Hæc Muntzerus; aliaque id genus multa.

Lutherus Saxones Principes adeo tumultuantem ſedandum hortatur.

Thomæ Mũtzceri in Lutherũ calumnia.

XXI.

XXII. Videns autem Muntzerus nusquam se tuto subsistere, relictis vrbibus ad rusticos diuertebat, cum ijsque percusso fœdere grauissimam contra Principes seditionem machinabatur. Qui, vt facile libertatem arripiunt homines, non secus ac prophetam cælitus demissum suspectabant, eique in omnibus morem gerebant, aduersus vim omnem, si à Principibus forsan inferretur, eum defendere polliciti. Interea Pelargus ad suos reuersus, occultas in Thuringia conuentiones agebat, & ingentem simpliciorum hominum turbam post se trahens, pedetentim in publicum crumpebat, ablegans nonnumquam ex suis, qui Muntzerum ad maiora callidis consilijs inflammarent; quod & sæpius effectum succes-

su non caruit. Ille siquidem inuitatis ad Ecclesiam agricolis, non iam clandestine amplius, sed publice & rebellionem ineitabat, causas quas propter Magistratui insuper obediendum non sit demonstrans. I. Principio etenim illuc grauaminis loco prætendebat, quod Pastorum electio ipsis contra fas à Principibus subtracta, & in Episcopos translata esset; qui quo suis, & parum idoneos, publicis etiam quandoque flagitijs infames obtruderent, curæque animarum præficerent, vt nullum iam tales deponendi potestatem, sine graui Præsulum offensione sibi vsurpare liceret. II. Decimas, & quicquid prouentuum Ecclesia habet, id Principes & Episcopos ad se pertrahere: ad hæc oneribus & vectigalibus subditos supra modum premere, frumento fere omnes emungere, nec quicquam præter sudores perpetuos reliquum facere: hæc nequaquam deinceps toleranda, sed decimas & quicquid demum redituum sit, id eorum esse pro libitu erogare, quorum laboribus acquisitum fuerit, censebat; adeoque nec Pastoribus amplius, quam ad victum vestitumque iudicarent, dandum præscribebat. III. Agros quoque & feuda, de quibus certam pecuniæ summam annuatim pendunt, non Principum, sed eorum esse, qui à principio possederint. IV. Seruitutem illam, qua subditos non secus, imo deterius quam mancipia hactenus vexarint, intolerabile iugum, & merito omni conatu excutiendum sibi videri; quandoquidem aliud nil sit, quam expulsæ Euangelij lumine seruitutis introductio. V. Piscinas, flumina, saltus, bruta tam cicurata, quam Syluestria, siue per venationem, siue alijs medijs ad manus peruenerint, vnicuique licere vsui proprio adscribere. VI. Census, tributa, mulctas, moderandas esse, nec vllum vltra, quam vires patiantur, grauandum. VII. Bona orphanorum, quæ per obitum parentum Magistratus ad se pertraxerit, integra reponenda; ne qui ad tantam, quam hactenus obligerit inopiam deinceps redigantur: impium enim esse, orbatos parentibus adeo denudare, & miseros subditos exugere, vt illi quo vitam sustentent, si qui sibi ac egenis prosint è sadoribus suis reliquum nil habeant. Hæ sunt causæ, quibus adducti agricolæ Muncerum vnice tuendum susceperant: quas in articulos redactas Principibus postmodum miserunt, ea declaratione adiuncta, vt nisi ijs assentirentur, fore vt præstitam hucusque subiectionem simul & semel sint abiecturi, ac de Magistratu tyrannidis pœnas seuere satis exacturi.

Vix isthæc in vulgus abierant, & ecce non in Saxonia modo, sed & in circumiacentibus prouincijs populares in Magistratum seditiones mouebantur; quæ cum à Munceranis originem traherent, ad alios è vestigio dimanarunt. Heluetij enim, orto apud eos Zvvinglianismo, crudeliter in personas DEO dicatas grassabantur; & Monachis vna cum Episcopo ciectis, pie extructas à maioribus Ecclesias deuastabant, Sanctorum imagines, & omnia antiquitatis vestigia abolentes. Quas secuti viciniores agricolæ, quasi & ipsi Euangelij doctrinam tueri, & seruitutem à se profligare vellent, data fide Societatem inibant, sumptisque armis contra Magistratum, omnia fœdis tumultibus complebant; eo audaciæ exiguo dierum spatio progressi, vt obuia quæque diripere, & qui fœderi eorum nomen dare abnuerent, eos grauissimis supplicijs afficere nequaquam vererentur: quin & fortissimas per dolum ciuitates occuparent; nobiles etiam & præcipuam familiarum viros, nulla status ratione habita, crudeliter ad necem raptarent, ac hastis vtrinque proiectis per ludibrium confoderent. Quo mortis genere Ludouicum Comitem Helfestenum, frustra ipsius coninge Maximiliani Cæsaris filia tantum facinus deprecante, è medio sustulerunt. Verum cum nec missis à Senatu Imperij Legatis, nec vllis minis aut mandatis Principum flecterentur, grauiter in eos vi publica animaduersum est: plurimis aut in deditionem acceptis: aut lento igne, aut capitis supplicio enectis; adeo equidem, vt & dissipati mox fuerint, & fuga dilapsi alio, periculi metu sedes animumque conuerterint. Huic tanto tamque formidabili bello, cum multos, tum maxime vero Muncerum causam dedisse, nec ipse Nouatorum historicus Sleidanus it inficias, qui varijs hinc inde prouincijs

Heluetij Zvvinglianiſmo infecti in Eccleſiaſticos cæde & rapinis irrumpunt.

XXIII.

iectum iam eo migrasse memorat, vbi primum Lutherus infaustæ huius doctrinæ dogmata triennio ante Dæmonis auxilio procuderat. Et quidem Lutherus à Principe Electore in Thuringiam, vt hos motus authoritate sua sedaret, euocatus, vbi Muntzerum Altsteto profugisse, & Mulhusij nidificasse accepisset, datis Vinaria ad Mulhusianum Senatum litteris admonuit, ne locum daret homini turbulento, qui cum lupus sit & pseudopropheta, fraudulenter irrumpere conetur, ouina pelle tectus. Eum alibi, Zwiccauiæ nimirum & Altsteti tales protulisse fructus, ex quibus arbor ipsa non difficulter agnoscatur. Quod si seipsum ingerat ad docendi ministerium, vocandum à Senatu, etiam præsente populo si fieri possit: & quærendum, à quo missus sit, aut vocatus ad docendum? Si respondeat, à Deo eiusque Spiritu; probet hoc ipsum editis signis & miraculis. Deum enim, quoticscumque mutare vult ordinariam agendi rationem, semper opus illud adiunctis miraculis confirmare. Se quidem numquam hactenus concionari voluisse, nisi per homines vocatum rogatumque; quandoquidem gloriari nequeat, se cælitus immediate (attamen contrarium superius dixerat) missum à Deo; quemadmodum faciant isti, qui currant à seipsis incitati, cum nemo tamen eos miserit, aut vocarit. Has litteras Vinaria scripsit Lutherus xv. Austi. & octiduo post Ienam profectus est.

Lutherus Ienam pro ficiscitur.

Muntzerus porro, cum Pelargo non minus quam prius docebat, non solum aduersus Romanum Pontificem, sed ipsum quoque Lutherum, vtriusque doctrinam esse vitiosam & impuram dictitans. Illum nimium duris legibus atque vinculis alligasse hominum mentes; hunc solusse quidem ea vincula, sed in contrariam partem peccare, minimumque indulgere, nec tradere ea quæ sint spiritus. Suam vero doctrinam ex omnibus optimam esse, vt pote quæ non tam medium teneat, quam & veram viuendi methodum præscribat. Interim etiam more suo, externa quadam sanctitatis specie vitia quæque detestabatur, etiam ea quæ alioqui leuiora videbantur: castigandum insimul corpus ac ieiunijs perquam sæpe macerandum esse, nec ante remittendum, quam nimia illa à Luthero inuecta ventris sagina destitutum flaccesceret, vrgebat. Quod non verbis solum, sed & facto, vultuad austeritatem compositio, homo versipellis declarabat. Nam & habitum viliorem sumens mirabilem simplicitatem simulabat, loca ab hominum consortio remota subinde frequentans, DEO quasi pro omnibus preces oblaturus: eaque ratione magnam sibi apud vulgus autoritatem comparebat. Cumque tam insolitam & fere ad miraculum vsque hominis deuotionem simpliciores mirarentur, passimque per Germaniam, quam ipse diuino, vt fama vagabatur, instinctu, præclara pœnitentiæ exempla præberet, quamque optatam diu libertatem polliceretur ijs, qui sincero corde Deum quærerent, increbresceret; mirum quanta breui ad eum multitudo confluxerit. Vndique, inquit, Pomarius, ex finitimis ditionibus, Isebiensi, Mansfeldensi, Francusio, Halis, alijsque quamplurimis locis ad Muntzerum, quem plenum Dei Spiritu plerique putabant, agminatim plebs maturabat, ab eoque conditæ recens fidei præcepta capiebat. Docebat enim, Dei voluntatem esse, quem frequenter sibi in somno adstare, ac futurorum euentus patefacere nugabatur, vt nunc demum electi omnes (complices suos existimans) Magistratus Imperium detrectarent, & libertatem præter fas ablatam ex manibus eorum deposcerent: Annuas etiam pensiones tributaque quibus supra modum grauarentur, subtraherent, & de ijs in communem massam redactis, Apostolorum more vitam deinceps tolerarent. Fratres, inquit, omnes sumus, & filij Adami. Quare æquum non est, vt alij intereant fame, dum alij in summis diuitijs ac rerum abundantia deliciantur. Apostoli nihil proprium habuerunt, sed omnia erant communia. Quæ cum vera sint, quousque impiorum (sic enim de Principibus loquebatur) exactiones tolerabimus? Quamdiu vitam tot miserijs & ærumnis plenam in summa paupertate ac inopia transigemus? siquidem natura nos liberos genuit, non ad seruitutem destinauit. Bonis fortuna prouidit ijs nos frui, non grauari voluit. Agite ergo, si libertatem quæritis, si verbo Dei, si Scripturis moueamini, iugum seruitutis excutite, &c. Cum vero dicunt, qui Scripturis ea repugnare dicerent, per contemptum reddebat; Quid? Bibel, Babel, Bubel, Babal: Scio quid loquor. DEI vobis voluntatem annuncio, cui contraire neminem decet. Vrgentibus vero diuina miracula, dare nihil aliud poterat, quam solitos animi raptus, & ficta futurarum rerum præsagia. Si vlterius institissent, cur præ alijs ipsi citius voluntatem suam, cur secreta reuelaret; huc dilabebatur, sic secum DEO conuenisse, sic velle. Quod ni faceret, nec sibi, velut olim Patriarchis Abrahamo, Isaaco & Iacobo, in somnio appareret, crepitu ventris cum à se quamprimum reiecturum esse. Vnde & ipse & discipuli eius, eleuatis ad cœlum oculis preces in verba hæc fundebant; Pater, infunde animo meo porrectum desiderium iustitiæ tuæ: alioquin te tuosque Apostolos ad vnum omnes abnegabo. His & similibus strophis non irrito euentu vsus, vt tandem aliquando cœpti operis initium duceret, conuocatis magno numero agricolis Witterbachium progressus, ibi Ecclesiam peregrinantium frequentia claram, multisque ornamentis & rebus pretiosis conspicuam inuasit, vulgoque profanatam direptui dedit; quam & ipsam paucis post diebus iniecta flamma, in cineres redegit. Mulhusij, à Ioanne Rodenio, pellione, alijsque ciuitatis incolis, qui alibi docentem audierant, magno applausu exceptus, idque laudis præ reliquis adeptus, vt concionatoris munere dotatus cathedram conscenderet, ibique antiqua doctrinæ suæ placita repetens, de Magistratu, ineundoque fœdere ad consequendam pacatioris vitæ licentiam multa perperam pro concione differeret, ad idque ciues identidem inflammaret; ac Senatus à Luthero admonitus eum de vocatione, an à Deo immediate, vel ab hominibus missus foret, in examine interrogasset: abnuens rationem missionis reddere, functionem commissam deferere, & à seditiosis declamationibus vacare iussus fuit: quæ res noui motus principium extitit. quippe ciues eo facto vehementer offensi, in Senatum, quasi immunitati suæ aduersantem seditionem commouerunt; eoque, quod libertatis præconem concionandi munere priuasset, per vim iecto, nouum ex suis furrogarunt, qui & Muntzerum pristinæ dignitati restitueret, & ab ipso alienos in consortium compelleret. Mira inde secuta rerum mutatio. Ecclesiæ effractis valuarum claustris vulgi irruptionibus violatæ, destructa altaria, amotæ Diuorum imagines, sacra vasa, calicesque ablati; ornamenta varia cum Sanctorum reliquijs, & consecratis, si quæ supererant hostijs, pedibus protrita; religiosorum ædes, & quæ fouendis virginibus cœnobia pietas maiorum considerat, turbatis inde aut matrimonio iunctis monialibus, occupata; expilati pauperum loculi; reditus, ærario ciuitatis illati; & nihil non motum, quod specimen nouæ tyrannidis non designaret. Muntzerus ipse collegium D D. Ioannitarum expulsis, fratribus inuadens, non secus ac proprias ædes sibi vsurpabat, & Curiam frequentans consilia prophetæ instar dabat: leges etiam secundum quas ius vnicuique tribueretur, vt pote ex DEI quasi reuelantis & bibliorum codicis præscripto depromptas, sanciebat: ciues omnes ad vitam, vt dicebat, Apostolicam, bonis in communem massam comportatis, indies adhortans. Quæ sane res facilem ijs qui penuria premebantur, alienas domos & scrinia inuolandi viam ostendit; tanta quidem licentia, vt si in furto coram deprehenderentur, Scripturæ testimonijs palliare factum nefas, nullum ducerent; sed opus potius Euangelio conforme, quod pauperiem tolerantibus subueniendum in necessitatis casu imperet, dictabant. Vnde, quem fructum seditiosa societas ipso suo primordio edidit, nemo non videt.

Lutherus Carlostadium reprehendit. XXVI.

Muntzerus Lutheri doctrinam condemnat. XXV.

Sunt Scriptores, qui hoc tempore motuum, Pelargum, primum seditionis autorem, rusticos congregasse, ac numerosum exercitum quadraginta virorum millibus excedentem, qui præter alia facinora, centum & quinquaginta nobilium domos pulsis habitatoribus, cum viginti tribus Ecclesijs pauculo dierum spatio direptis euerterent, ex Francosia Muntzero adduxisse existimant; de quorum aduentu certior factus Muntzerus, indicto conuentu, ciues vt nunc demum militiæ huic se se adsociarent, & seruitutis iugum

Nicolaus Pelargus in Saxonia 40000. millia rusticorum concitat. XXV.

cerui cibus excuberent, tum finitos Comites à Mansfeld ab Hoëstein, maxime vero Stolbergenses, quod patrem eius, si Manlio credimus, suspendio sustulissent, velut tyrannidem vulturi opprimerent, nobiles etiam omnes, & publicis muneribus præfectos, solo æquatis arcibus, igne ferroque exciderent, instigabat. Et ne arma deficerent, Monasterium Franciscanorum tormentis bellicis fundendis applicuit; missisque nuncijs palantes ruri agricolas, opimis multarum rerum pollicitationibus eo pertraxit, vt quo ille ducturus esset, istuc se sequi velle reciperent. Obstabant Mansfeldici quo minus in publicum rebelles educeret. Igitur scriptis ad subditos eorum, & qui rei metallinæ præerant litteris, ad arma in Magistratum vertenda concitabat; & ne diu cunctarentur, Socios adesse aiebat, quorum freti auxilijs initium ordirentur, peragerent saltem, & principibus apertum bellum indicerent; tempus nunc esse, quo trucidatis impijs in libertatem se se vindicarent; & non metu vllo aut minis frangerentur, sed audacter gladios stringerent: impossibile sibi videri, quempiam ex ijs tantæ multitudini posse resistere: Germaniam, Galliam, & Italiam in motu esse: Fuldæ, sociorum conatus feliciter successisse; quatuor ibi Monachorum collegia, ablatis ornamentis destructa: rusticorum in Klegau, Hegau, & nigra sylua supra 300. millia collecta; indies magis plurium accessu augeri; adfuturos etiam breui ex Franconia fratres, opem si vrgeret necessitas latturos. agerent ergo, pugnarent viriliter, & sana monenti, si libertatem quærerent, obsequerentur; hoc citius, quo Comites grauiore metu concussos, imo & canibus meticulosiores acciperet. Non abs re fuerit ipsammet Munceri epistolam subiungere, vt discat posteritas, è quam cruentis & seditiosis principijs furiosorum hominum secta, in maximam amplitudinem excreuerit. Sic ergo ille lingua vernacula ex Mulhusio rusticos affatur.

Eiusdem ad rusticos seditiosos adhortatio.

Purus Dei timor inprimis. Quousque chari fratres obdormiscitis? Quamdiu voluntati Dei repugnatis, quem vsque adeo deseruisse vos arbitramini? At quoties iam dixi, quid agere vos deceat. Deus diutius se manifestare abnuit; standum vobis est. Si detrectaueritis sacrificium, euadet suspirium, & maior orietur tribulatio. Identidem repeto, nisi pari vobis in animo: eritis Diaboli martyres. Itaque prospicite vobis; timorem pellite & ignauiam. Nolite amplius adulari peruersis fatuis, impijs nebulonibus. Incipite, & bellate bellum Domini; necessitas postulat. Inflammate fratres, diuamm ne sperna testimonium; alioqui omnes peribitis. Vniuersa Germania, Italia, Gallia in motu est: tragœdiam inchoabit magister; nebulones perire oportet. Fuldæin septimana sacra quatuor demolita religiosorum cœnobia. Rustici in Klegau, Hegau, & saltu nigro in armis sunt, trecenta ipsorum millia, præterquam quod in dies numero non pauci confluant. Id vnum me reddit anxium, ne homines fanatici in simulatam concordiam consentiant, eoque pacto sibi imminens nocumentum non aduertant. Vos, vos certo confidite. Vbi tres vestrum fuerint, qui solum Dei auxilio fisi, & nomen, & gloriam eius quæsierint, centum millia non timebitis. Pergite modo, pergite, pergite. Sume necessarium est. Nebulones in desperationem acti sunt; metuunt vt canes; rumpite moram; nocuit differre paratis. Instruite fratres, vt coeant; & quod verbis promisere, opere actutum exequantur. Tempus adest, pergite, pergite, pergite. Ne misericordia vos flectat, si blandis verbis Esau aures demulceat, Gen. 33. Calamitatem impiorum ne respiciatis: supplices ad vos accedent, eiulabunt, adeoque precabuntur benigne, ac pueri essent. Nolite misereri, quemadmodum per Moysen præcepit Dominus Deuteronom. 7. Idem & nobis quidem patefacit. Concitate in pagis & vrbibus, præcipue vero metallorum fossores, alioque fideles id genus complices, & quos idoneos operi perficiendo putaueritis, commouete: diutius non dormiendum suadet occasio. Hæcce dum verba in chartam conijcio, ecce nouum à Salza nuncium comperio referentem mihi quam alacri animo ex fœcijs quidam satrapam Ducis Georgij, eo quod tribus mortem minatus fuisset, ex arce turbare tentarint. Agricolæ Eichsfeldenses de nobilibus suis triumphum egerunt, nulla prorsus de cætero misericordia mouendi. Exemplo vobis huiusmodi esse poterunt. Prælegite litteras met allarijs. Typographus meus breui aderit: sic nuncius retulit. aliter hoc tempore fieri non potuit. Ipsemet, fratres nouo coram gaudio excitassem, vt cor ipsis multo exurgeret maius, quam sunt impiorum in terris arces & panoplia. Verum ordiendum vobis est: pergite, pergite, tempus morâm non patitur. Pergite, pergite, pergite, dum ignis valet, vt feruefcat à sanguine gladius vestet. Pulsate pinckepanck super Nemrodi incude, turrim ipsis deijcite. Impossibile est vos fore hominum timore vacuos, quamdiu illos impune viuere permittitis. Diuina non capitis? Quousque dominantur vobis? Pergite, pergite, pergite dum lucem habetis. Præit Deus; agite, vel tantum Ducem sequimini. Acta calamo excepta & explanata Matth. 24. Ideoque nolite expauescere. Deus vobis præsto est, 2. Paral. 2. scribitur. Hæc dicit Dominus, ne timeatis, aut ad numerosam illam multitudinem animus exhorreat: non vestrum est, sed Domini prælium: neque estis vos qui prælio decertatis: præstate vos viros: adiutricem super vos Domini manum persentietis. Iosaphat, cum verba isthæc auribus perciperet, ad terram procidit; ita & vos facite in Domino, qui ab omni humano metu in recta fide vos semper confortet Amen. Datum Mulhusij. Thomas Munceris, seruus Dei contra impios.

Cæterum digna sunt memoratu, quæ Luthero, dum popularium animos à seditiosis consilijs auocare nititur, per Thuringiam acciderint. Pertinent ea cumprimis ad historiam Lutheri, & ad cognoscendum modum, quo veteratores, ac temulenti de rebus serijs differere visi, auditoribus illudebant; quamque aliud, quam proposuissent dialogismi sui materiam, ludicram sane esse voluerant; ideoque minime prætereunda fuerunt. Venit igitur Lutherus Ienam 22. Augusti, qui Dominicus dies fuit, Wolffgango Steinio, Concionatore Vinariensi aulico comitatus, & postridie, septima matutina, Concionem habuit ad sesquihoram, contra turbulentos spiritus. In ea nominatim Altstetensem spiritum reprehendit (Thomam Muntzerum notans) eiusque recensuit fructus quosdam, seditiones, homicidia, ædium sacrarum direptiones, confractionem imaginum; addidit, Sacramentorum Baptismatis & Eucharistiæ conculcationem & exterminium; Diabolicum esse spiritum asserens, qui hos aliosque id genus fructus proferat. Monuit interim auditores, ne nimium terreantur, hac rerum facie. Paucos esse huius factionis homines, quamquam & satis multi sint. Videri necessarium, vt longæ plures adhuc sectæ oriantur. Nos vero, *inquit*, iam ante eos iudicauimus, vti sermones editi testantur: & adhuc eos, Deo propitio, iudicare possumus, quod nimirum spiritus ille, qui talia molitur, bonus non sit, sed ipse Diabolus. Hæc prolixius in Concione Lutherus; quæ cum Carlostadius audiret, qui præsens erat, in se quoque figi sensit istum aculeum. Itaque paulo post, cum Lutherus in diuersorio publico iam pranderet, per litteras insinuauit, cupere se venire istuc, deq; rebus quibusdam illo conferre, si commodam Luthero esset, & non displiceret. Ille verbo respondit: Posse venire Carlostadium, si velit; aut si malit, emanere. Reiectus austeriore responso Carlostadius, denuo se venturum nunciauit, modo esset commodum. Tum Lutherus: Veniat igitur, *inquit*, in nomine Domini, quando collibitum fuerit. Ego paratus sum. Erant in diuersorio peregrini magno numero, ijque varij generis homines; tum ciuitatis ipsius Ienensis incolæ permulti; atque alter Consulum inter eos, quos huic colloquio præsentes esse Lutherus voluit. Venit Carlostadius tandem, & Doctorem quendam Gerardum Westenbergium, Colonienscm, secum adduxit: Quod cum Luthero nunciatum esset; Ingrediatur, inquit, & publice mecum agat. Ille cænaculum ingressus, vbi consedisset, veniam rogat principio, quod importunius accedat; facere se hoc, *ait*, magna necessitate coactum, innocentiæ suæ tuendæ gratia. Tu enim, *inquit ad Lutherum conuersus*, Domine Doctor, in concione duriter hodie me tetigisti, dum implicuisti me cum spiritibus seditionem & homicidium spirantibus; quibuscum mihi sane consortium esse pernego. tametsi quædam ijs à te tribui video, quod ad internam Dei vocem attinet, quæ nunquam ego quidem audiui. Non hoc in eum finem dico, quasi causam illorum tueri velim; sed id solum affero; Quisquis spiritibus illis, homicidium machinantibus me coniunxit, eorumue me fecit focium, hunc parcere veritati, nec habendum pro viro bono. Cæterum, cur me quoque verbis tuis designatum putem, causa est, quod sermonem habuisti de Eucharistiæ Sacramento, eoque me paulo acerbius pupugisti. Dico enim, me certo scire, quod post Apostolos nullus vmquam hominum eo modo de Eucharistia scripserit, & docuerit,

eiusque sententiam & fundamentum ita declararit, atq; ego; quod, erecta fronte, profiteor. Hunc vero spiritum meum eundem esse cum Altstetensi spiritu, seditionis & homicidij cupido, vt tu hodie dixisti, nego. Ille enim cum meis sermonibus de Sacramento, nihil habet commune.

XXVII. *Lutheri & Carlostadij Dialogus.*

Ad hæc Lutherus, Charissime D. Doctor, ordiar ego ab eo, quod à re postremo loco dictũ est. Numquam probabis, quod à me sis in concione nominatus. Verum, quia sermonem meum ad te pertinere dicis, adeoq; pũcturam sentis; esto sane, his tactus. Scripsisti litteras ad me satis mordaces; quod vt faceres, necessarium non fuit: siquidem nihil tecum est negotij. Itaque, quid tibi velis, miror. Interim, quod te verbis meis tactum esse video, nec placet admodum, nec omnino displicet. Placet, quod nunc te quoq; prodis in eorum numero censendum, de quibus in concione mea dixi. Displicet vero, vnaq; dolet, quod homines ad eum modum seducuntur. Ego hodie contra Spiritus habui concionem, habeboq; rursus paulo post. Si te tetigi, tetigerim.

Carlostad. D. Doctor, *inquit*: Et ego vicissim à posterioribus initium sumam. Quæ de Sacramento dixisti, ea prorsus ad me pertinere puto. Demonstrabo vero scriptis, quod Euangelium peruerse docueris. Facis iniuriam mihi, quod cum homicidij spiritu me conuoluis. Protestor publice coram his fratribus, quotquot adsunt, me nihil cum illo spiritu habere commune, qui seditionem machinatur.

Luth. Non est necesse D. Doctor, vt protesteris. Legi litteras tuas Orlamundæ scriptas ad Thomam Muntzerum: ex quibus satis intellexi, quod seditionem auerseris.

Carl. Cur igitur dixisti, vnum eundemq; spiritum esse sanguinarium illũ Altstetensem, & eũ qui comminuit imagines, & Eucharistiam manibus accipiendum præbet?

Luth. Atqui ego neminem nominaui: Tuum inprimis nomen non attigi.

Carlostad. Ego vero propter circumstantias hæc accipio, tamquam de me dicta. Solus enim is ego sum, qui Eucharistiam in huius temporis abusu manibus contrectandam præbui: nec mihi tamen in doctrina de Sacramento, cum Altstetico spiritu quicquam est commune. Interim tu dicis, hunc esse spiritum, qui cædem, sanguinem, & seditionem spiret. Quæ vero litteris ad te datis scripsi, de ijs quoque non defugio, quin colloquamur, si placet.

Hic vterque siluit; eratque ad tempus conticinium. Carlostadius tandem resumpto sermone; Quod si fuissem in errore, *inquit*, & opus voluisses exequi dignum homine Christiano, vti sane Christianus haberi vis, monuisses me fraterne priuatim, antequam in concione publica mihi venenosum aculeum infigeres. Clamatis in concionibus, Charitas, Charitas. At quænam est illa charitas, dare particulam panis indigenti, & fratrem interim errantem videre, nec in viam reducere.

Luth. Si ego non recte docui Euangelium, nescio quid dicam.

Carl. Imo demonstrabo quod dixi, in articulo de Sacramento, quomodo Christum docueris; an eum scilicet, qui suffixus est in crucem; an alium potius imaginatione propria formatum Christum. quin & contraria docuisti, quemadmodum ex libris tuis videre est.

Luth. Si hoc scis, charissime D. Doctor, progredere in publicum, vti virum decet, & scribe; vt quid huius sit, in lucem proferatur.

Carlostad. Faciam: non manebit occultum. Ego nequaquam fugio lucem, vti de me spargis. Imo disputationem offero, Wittembergæ vel Erphordiæ instituendam; vel, si mauis, amicam, Christianamque collationem; in qua rationes vtriusque partis audiantur. Eam non defugio, quocumque loco habenda sit; modo de securitate mihi recte caueatur, fide publica.

Luth. Metuisne tibi? Nunquid securitatem habes Wittembergæ?

Carl. Imo vero; nec ita pridem isthic fui. Verum in disputatione publica, nec tu mihi parceres, nec ego tibi vicissim. Noui autem, quam firmo nexu promiscuam multitudinem tibi deuinctam habeas.

Luth. Eia, D. Doctor. nemo tibi molestiam exhibebit: prodi audacter.

Carl. Ego vero in lucem prodibo: Vel ignominiam subibo publicam; vel Dei veritas erit manifestanda.

Luth. Fiet: stoliditas tua manifestanda veniet.

Carlostad. Portabo lubens ignominiam, vt Deo suus constet honor.

Luth. Redundabit in te ignominia. Miror autem quod scripturum te miniteris, cum nemo sibi à te quidem metuat.

Carl. Nec ego formido quemquam. Scio doctrinam meam esse veram, adeoque ex Deo.

Luth. Si vera est, & ex Deo doctrina tua, cur spiritus tuus non perrexit, cum imagines Wittembergæ comminueres.

Carlost. Id negotium ego non solus aggressus sum. Definitum fuit per triplicem Senatum, & quosdam ex gregalibus tuis, qui postea subduxerunt se periculo, neque solum reliquerunt.

Luth. De eo protestor.

Carl. & ego.

Luth. Ego vero tibi consulo, ne ad Wittembergenses prouoces: Non habes eos adeo fauentes vti putas.

Carlostad. Neque tu tam addictos habes, vt existimas. Verum me consolatur, quod veritas est ex parte mea. Dies Domini in fine temporum omnia manifestabit, quæ nunc in occulto sunt. Tum videbitur, quid vnusquisque rerum gesserit; quid ego fecerim, quid tui; nec quicquam sub velamine manebit occultum.

Luth. Tu semper cum fiducia prouocas ad diem Domini: ego vero misericordiam peto.

Carlostad. Quidni? Nemini faciet iniuriam Deus, nec personam hominis intuebitur. Magnus paruusque eodem loco erunt.

Ego in hac causa secundum misericordiam & iustitiam iudicari postulo. Cæterum, quod nunc contemnis spiritum meum, & scisciteris ex me, cur non sim progressus, insignem mihi præbes occasionem dicendi. Quod res est; manus mihi ligabas & pedes: deinde percutiebas me.

Luth. Vbi vero te percussi?

Carlostad. Nunquid hoc erat ligare primum, ac deinde percutere, cum solus contra me scriberes, libros emitteres, pro concione declamares? Interim vero efficiebas, vt libri mei typographis auferrentur, imo vt scribere prohiberer, & concionari. Si mihi permissa fuisset ea scribendi docendique libertas, quam tu habebas, expertus profecto fuisses, quid spiritus meus effecerit.

Luther. Cur voluisti concionari, cum non esses vocatus? vel quis in mandatis tibi dederat, vt doceres populum?

Carlostad. Si de vocatione loquamur, quæ fit per homines, eram Archidiaconus, eamque ob causam docendi potestatem habebam. Si vero sermo sit de vocatione diuina de ea quoque quod dicerem, haberem.

Luth. Quis mandauerat, vt in Ecclesia Parochiali pro concione doceres populum?

Carl. Si ea in re deliquissem, corripiendus eram, antequam ad eum modum me confoderes, & ictus in me geminares.

An vero non est vnus idemque populus, qui Collegiatam Ecclesiam frequentat, & qui Parochialem?

Luth. Tu mihi prius aculeum infixisti, quam ego tibi.

Carl. Id ego non feci.

Luth. Testantur hoc libelli tui, in quibus verba mea producis.

Carl. Qui libelli? Scripsi non ita pridem tractatum de vocatione, qui forte pungit nonnullos. At quando me monuisti?

Profer quæso, vel vnum caput, in quo me vnquam commonefeceris. Nunquam per omnem vitam meam indicium feci, qua in re culpabilis essem, vel quid in te deliquissem. Verum per vim, velut impetu facto, me semper aggressus es.

Quod si solus agere mecum non volebas, assumpsisses vnum atq; alterum.

Luth. Id feci.

Carl. Si id feci, Deum precor, vt hic publice confundar in conspectu vestro.

Luth. Id tibi eueniet.

Carl. Ego vero scio non esse verum.

Luth. Feci, inquam.

Carl. Quo præsente?

Luth. Philippo & Pomerano.

Carl. Vbi quæso?

Luth. In hypocausto tuo.

Carl. Hoc falsum est. Adfuistis mihi forte; verum nec corripuistis vmquam me, nec articulos tradidistis, in quibus errare me putaretis.

Luth. Schedam ad te detulimus, Vniuersitatis nominẽ, in qua notati erant articuli, qui nobis erronei videbantur.

Carl. Domine Doctor, vim infers veritati. Numquam ad me delata est charta hęc; imo ne ostensa mihi quidem. Memini tamen audire me, quod articuli, qui erronei putabantur, nondum essent per vniuersitatem designati.

Luth. Eia vero, charissimè D. Doctor, etiam si multa dicam, mendacij me reum arguis tamen.

Carl. Si verum hoc est, permittat Deus, vt me dæmones frustillatim discerpant in conspectu vestro. Articulos istos mihi numquam obtulistis.

Luth. Ego ipse ad domum tuam eos detuli.

Carl. Quid autem, D. Doctor, si litteras proferre possim Hieronymi Schurffij, quibus obiicit, offerendos mihi fuisse huiusmodi erroneos articulos, siquidem sollicitassem? Quomodo tum subsisteres? Vniuersitas certe tum temporis ad designandos articulos nondum fuerat congregata.

Hoc loco Lutherus siluit ad tempus. Interim Carlostadius ad alios conuersus, qui assidebant; Charissimi fratres, inquit, rogo, ne vos offendat sermo meus paulo concitatior. Vehementia hęc à natura mihi insita est, at animus mihi nec malus, nec iracundus, Lutherus cum aliquamdiu tacuisset, resumpto sermone, D. Doctor, inquit, ego te bene noui.

Carl. Ego quoq; te noui; & propius quidem, quam putes.

Luth. Scio quod semper alte voles, & superbis incedas gressibus; quod arroganter multa iactes, quod solus extolli velis, & sublimis videri.

Carl. Si facerem hæc, tu me doceres. At satis video, quis ille sit, qui magnifice prædicat seipsum, & honorem venatur, nominisq; celebritatem.

Luth. Lipsiæ reprehendi te, vbi tam arrogans eras, vt ante me disputandi locum tibi concedi velles: quod ego quidem fieri passus sum, nec istum tibi honorem inuidebam.

Carl. Ah! Domine Doctor; qua fronte potes hoc dicere? Scis nimirum, quod cum ego iam essem disputationẽ ingressus, adhuc verteretur in dubio, num ad disputandum admittendus esses, nec ne. Qua in re ad consiliarios Ducis Georgij, tum ad Vniuersitatẽ Lipsiensem prouoco. Verum ita tibi perpetuo loquendum est, vt captes honorem tuum, & alios in odium adducas. Quid aliud effecisti hodie, quam quod in concionibus tuis agere perpetuo soles, more quodam tuo, nimirum vt in primo ingressu populo facias odiosos, & inuidia graues eos, in quos declamare consueueras.

Luth. Repeto, quod iam ante dixi. Contra spiritus hodie concionem habui. Id faciam denuo; experiar, an id quisquam sit prohibiturus.

Carl. Perge vero concionari D. Doctor, & fac strenuè quod facis. Facient & alij, quod ipsos decebit.

Luth. Alacriter vero. Si quid habes, profer in publicum, & liberè quidem.

Carl. Faciam intrepidè.

Luth. Interim nouis istis prophetis astipularis.

Carl. Vbi iusta est istorum causa, & veritas illis patrocinatur; vbi vero malam causam fouent, diabolus illis astipuletur.

Luth. Scribe contra me publicè, non secreto.

Carl. Siquidem tanto te scirem eius rei desiderio teneri, acciperes portionem tuam.

Luth. Fac igitur.

Carl. Benè.

Luth. Fac vero: florenum aureum in sumptũ tibi donabo.

Carl. Florenum?

Luth. Nebulo sim: si non faciam.

Carl. Si mihi florenum porrigis, ego quidem cum profecto accipio. Tum Lutherus aureum florenum de pera sua depromptum Carlostadio porrigens; hunc, inquit, accipe, & fortiter fac mecum impetum; alacriter aggredere. Carlostadius; cum aureum accepisset, videndum eum præbuit assidentibus quotquot erant: deinde fratres, inquit, hic aureus in arrhabonem mihi datur, & in signum quod protestatem habeam scribendi contra Doctorem Lutherum. Post hæc florentum curuatum recondidit, porrectaq; Luthero dextera stipulatus est. Ille vicissim super hac re Carlostadio præbibit; qui cum æqualem hausturn bibisset, more Germanico, D. Doctor, inquit, rogo te, ne conatum meum impedias apud typographos; nec me persequaris, aut obstaculum mihi obiicias in eo vitæ genere, ex quo mihi victus deinceps quærendus erit. Ego enim post hac beneficio manuum mearum ex agricultura viuere decreui. Quid alatrum dederit, suo tempore experieris.

Luth. Vt impediam te, nullo pacto me decebit, cum petieris vt contra me scribas, imo eam ob causam dedi florenum aureum, ne mihi parcas. Quo magis strenuè me fueris aggressus, eo mihi charior eris.

XXVIII. *Lutherus Orlamundæ à senatu honorifice excipitur.*

Carl. Age vero, inquit, si tibi pepercero, meum hoc sit detrimentum. Atque ita datis mutuo dextris solutum fuit colloquium; de quo varia fuerunt eorum iudicia, qui præsentes erant. Quibusdam volupe fuit, altercantium inter se Doctorum pugnam intueri: alij vehementer mirabantur hanc eorum colloquendi rationem: nec deerant, quibus ea terrorem incuteret, quod Lutherus in tam graui negotio nugas ageret, & rem seriam verteret in ludibrium: quod fecit sanè, dum, sibi præsentibus multis, antagonistam aureo floreno conduxit. Cum autem Ienæ legationem suam executus esset, inde profectus est Calam; vbi concionem habuit ad populum, in qua monuit auditores, vt sibi cauerent à turbulentis spiritibus, & debitam Magistratui obedientiam præstarent. Antequam vero cathedram ascenderet, quidam ex incolis frustillatim comminuerant imaginem crucifixi, eiusque fragmenta in cathedram sparserant. quæ vbi vidit inter ascendendum Lutherus, initio nonnihil commotus fuit; ascendit tamen, & fragmentis in angulum cathedræ remotis, re prorsus dissimulata, concionem ad populum peregit. Inde discessit Neostadium; post ad 24. Augusti circa primam pomeridianam, Orlamundam venit, vbi pridie magno desiderio fuerat exspectatus. Præmisit vero Wolffgangum Steinium ad Consulem ciuitatis, qui nunciaret; adesse nunc Lutherum, quem, vt isthic veniret, per Secretarium litteris & precibus inuitarint. Igitur senatum conuocaret, & ciues, cum quibus necesse habeat de rebus quibusdam in colloquium venire. Consul, aduentu Lutheri cognito, cum Senatoribus quibusdam obuiam illi progressus, omnium nomine, cum summa honoris exhibitione, corpore reuerenter inclinato, venientem excepit, aduentum illi felicem gratulatus. Lutherus vero nec tegmẽ capitis loco mouit, quo puniceo quadrato, pro more Doctorum vtebatur; nec vllum illis vicissim honorem exhibuit. Consulem etiam, cum is sermonem prosequi vellet, contemptim allocutus; in hospitio, inquit, pluribus agemus. Igitur ciuitatem iniuit vectus curru, Cõsul cum Senatoribus, instar satellitum secuti sunt. Cum ad domum Prætoris ventum esset, Cõsul Lutherum denuo perquam honorifice compellat, agitque gratias senatus & populi nomine, quod ipsorum rogatu istuc venerit: petit deinde, vt propter honorem Dei, concionem ad informãdum populum habere velit. Respondit ille, non se concionum habendarũ gratia Orlamundam venisse; sed habere quasdã ipsorum litteras, de quibus cum senatu & ciuib. in colloquium conuenire cupiat. Dũ vero reliqui senatores & ciues, qui maximam partem in agris erant, ad colloquium cõueniunt, temporis non nihil intercessit, quod bibendo transactum est, more Germanico. Post, vbi multitudo confluxit, Senatores surgunt, & è cænaculo in quo Lutherus cum illis consederat, ad deliberandum alio secedũt. Reuersi denuo propter Dei nomen instanter & humiliter petunt, vt concionem habeat ad populum, & Dei verbũ doceat. Esse se, dicebant, illi suspectos, quasi nõ recte sentiant de quibusdam fidei capitibus. Rogare igitur, vt fraternè iuxta legem charitatis errorem demonstret. Si vicissim, aiebant, mentem suam & sententiam declaraturos; & siquidem in errore versentur, ipsius institutionem lubentibus animis, & humiliter suscepturos. Lutherus, quassato capite, non faciam, inquit, neque eam ob causam veni. Profert deinde litteras, quas ipsi paulo ante, 17. Augusti ad se dederant; ostensoque sigillo,

quærit, an id pro sigillo ciuitatis agnoscant ? Illi litteras & sigillum agnoscunt. Lutherus, benigne se litteras illas interpretaturum, ait, quas non ab ipsis, vti simplicioribus, sed à Carlostadio potius scriptas esse suspicetur, qui sigillo ciuitatis ad eas confignandas sit abusus. Respondent illi, suas esse litteras, nec in iis vel apicem inueniri, qui Carlostadium auctorem agnoscat. Sigillum ciuitatis accuratius custodiri, quam vt in priuatorum manus veniat. Deinde Lutherus ipsis audientibus litteras perlegit, quarum hic erat tenor. Pax Dei per Christum Saluatorem nostrum. Chare frater. Retulit nobis Andreas Carlostadius, pastor noster & animarum curator, nuper admodum Witteberga reuersus, audiuisse se cum istic esset, quod in Cathedra tua nos tamquam hæreticos, erroneos spiritus, & Swermeros impudenter proclamaueris; cum nec probaueris spiritum nostrum, nec hisce de rebus sermonem nobiscum habueris. Quod si hoc ipsum negare velis, conuinci poteris ex scriptis tuis, quæ nos ipsi sane non oscitanter legimus. cuius generis est scriptum illud ad Principes Saxoniæ, in quo contemnis omnes illos, qui Dei mandatu idola muta, & imagines gentilium de medio tollunt; contra quos elumbem, philosophicam, & instabilem rationem, non è sacris litteris, sed ex cerebro tuo depromptam coloribus mirifice pingis. Quod vero nos qui Christi membra sumus, & patris plantatio, nec auditos, nec conuictos ad eum modum publice conuitiaris & traducis, argumento est; te veri huius Christi, & filij Dei membrum non esse: quemadmodum nos non Christiano fraternoque amore corripis, quemadmodum à Christo tibi mandatum est, sed procacibus conuiciis laceras. Mouit igitur nos Christiana & fraterna charitas, vt quia tam imprudenter & impudenter egisti, per litteras te rogaremus, ne eos qui Dei sunt, vtpote per Christum vnicum Dei filium redempti, tam audaciter contamines & crimineris. Dicas forte: Vide Christianos istos! Non possunt ferre, vt vel leuiter tangantur; quamquam Christus hoc ipsum & longe plura tolerauit. Id non ignoramus, chare frater. An vero tu nescis, quod Christus Scribas & Iudæos qui iusti videbantur, perpetuo grauissimè corripuit, & pœnas illis minatus est; pro Crucifixoribus vero patrem rogauit, qui nesciebant quid facerent. Præterea paratos nos offerimus coram te, & quibusuis aliis, etiam iis locis, vbi nihil apparet præter speciem mortis, ad reddendam fidei nostræ, operumque ex charitate factorum rationem. Rogamus etiam te, quia talem de nobis suspicionem concepisti, vt commodo tuo, quam primum fieri potest nos inuisas, in colloquium nobiscum venturus; & si in errore versamur, (quod Deus auertat) vt nos benigne sine conuiciis & minis instruas; quod ad concordiæ stabilimentum, ad honorem Dei, & ædificationem Ecclesiæ cedet. Petimus, vt fraterne respondeas. Orlamundæ 17. Augusti 1524.

XXIX. Perlectis litteris, principio Lutherus in eo erratum esse dicit, quod Carlostadium pastorem suum appellent, nec Ducem Saxoniæ Fridericum, nec Academiam Wittembergensem hunc illi titulum concedere. Respondet quidam è Senatorum ordine; si Carlostadius non est parochus noster, Dini Pauli doctrina falsa est, & erronei sunt libri tui. Nos enim illum elegimus, vti litteræ nostræ testantur, ad Vniuersitatem ea de re scriptæ. Lutherus nihil ad hæc respondit, sed ad aliam transiuit epistolæ partem; de statuis & imaginibus è medio tollendis. Cumque ea de re verba facere inciperet, Carlostadius ipse venit; cui quidam ex præsentibus nutu significarunt, vt sederet vna cum reliquis. Ille vero Lutherum prius honestatis causa salutandum putauit. Accessit igitur, & Domine Doctor, inquit, si ferre potes, aduentum tibi gratulor. Ille superbus; nequaquam ferre possum, ait. Tum Carlostadius; Perinde est. Cumque se verteret, Lutherus eum his verbis aggreditur; Aduersarius meus es, & hostis. In eius rei arrabonem aureum florenum tibi dedi. Carlostadius ad hæc: Manebo aduersarius & hostis tuus, omniumque eorum qui Deo adseruantur, quamdiu veritatem ipsumque Deum oppugnatis. Lutherus D. Doctor, inquit, exi: ego te in hac actione præsentem ferre nolo. Carlostadius; An non hæc est actio publica? Si recte agis; non est quod me formides. Lutherus: Tu mihi suspectus es: Imo es hostis meus. Carlostadius; Tametsi me suspectum habeas, non sum tamen iudex tuus. Posset vero, meo iudicio, hostis apud aduersarios tuos consistere, vnaque audire quid agatur. Tum Wolffgangus Steinius, Vinariensis Aulæ Concionator ad Carlostadium conuersus, Domine Doctor, inquit, tu Ienæ dimissus es. Itaque potes exire. Respondet Carlostadius; Non es vero tu princeps meus, vt hoc mihi mandare possis. Si quid tamen habes ea de re mandatum Principis, id profer. Hæc cum diceret, satis præ se ferebat mansurum se cum cæteris, & auditurum quæ dicerentur, vel inuito Luthero, qui ministrum aurigam compellans; Iunge equos, inquit, & currum præpara vt discedamus. Mihi nihil est negotij cum Carlostadio. Nisi excat, ego conscendam currum. Surrexit interim, quasi discessurus. Tum vero Carlostadius, ne Lutheri discessu, q̃ cœptum erat colloquium abrumperetur, ipse potius è conuentu abiit. Deinde Lutherus litteris denuo prolatis, excusat se principio, quod Orlamundensium, nec in cathedra, nec in scriptis suis vnquam fecerit mentionem. Grauiores esse, ait, wittembergensium occupationes, quam vt de ipsis cogitare sit integrum. Tum Secretarius ciuitatis; At qui demostrari potest, ait, ex libris tuis, quod Orlamundenses cum Swermeris & vertiginosis spiritibus in eundem album refers; quasi nos eodem modo agamus, vt Altsteti factum est; quia imagines sustulimus, quod fecisse nos apertè libereque profitemur. Lutherus; Ego, inquit, in genere locutus sum; sunt vero & aliæ ciuitates, quæ hoc ipsum fecerunt. Quod si vos tetigi, quin id fieret, præstare non potui. Tum Secretarius: Interim vero mendacium fuit, quo nos tetigisti, quando cum vertiginosis spiritibus nos coniungebas. Hunc ictum, quod mendacij argueretur, Lutherus dissimulauit; & progressus in sermone: Scripsistis epistolam, inquit, ad me prorsus hostilem, in qua titulum honoris mihi non tribuitis, quo Principes quidam & magnates, licet aduersarij sint, hactenus me non spoliarunt: quæ causa est, vt epistolam vestram, hostilium litterarum loco habeam. Epigraphe in tergo scripta Christianum me Doctorem nominat: at in ipsis litteris plane me condemnatis. Tum Consul: Non te condemnauimus, ait, sed fraterne scripsimus, & secreto per litteras clausas tecum locuti sumus. Lutherus; Fraternè vero? Id ego in litteris vestris deprehendere non possum. Igitur eas hostiles iudico. Succlamauit quidam è cœtu populi; Quas vero causas adfers, cur hostilem dicas epistolam? Lutherus ad cœtum conuersus; Si Swermeros esse vos, inquit, alioquin ignorarem, vel nunc hoc ipsum mihi innotesceret. Ardetis enim omnes in conspectu meo velut ignis. Interim me non deuorabitis. Deinde progressus; Ex quo scripturæ loco probabitis, inquit, imagines abolendas esse? Respodit è Senatoribus quidam: Domine Doctor, frater charissimè, concediſne Moysen expositorem esse Decalogi? Lutherus; Concedo, ait. Ille; Scriptum est in Decalogo; Non habebis Deos alienos coram me. Subiungitur explicatio statim per Moysen addita: Omnes imagines è medio tollas, nec vllam retinebis. Lutherus; Id de Idolis dictum est, vel de imaginibus quæ adorantur: Quid obest imago Crucifixi, quam non adoro? Ad hæc Sutor quidam ex turba: Ego frequenter, inquit, coram imagine vel in parietate depicta, vel posita secus viam detexi caput, eique honorem exhibui: ea vero idololatria est, qua Deus afficitur ignominia: non igitur ferendæ sunt imagines; ergo & mulieres tollantur è medio, & vinum effundatur. Tum alius quidam è turba: Nequaquam, inquit. Nam hæ sunt Dei creaturæ in adiutorium & sustentationem nostram ordinatæ, quas non mandauit Deus è medio tolli. verum de tollendis imaginibus hominum manu factis præceptum habemus. Vrget contra Lutherus: id de idolis intelligendum. Tum sutor: Hoc tibi concederem, ait, nisi per Moysen omnes imagines essent prohibitæ. Lutherus: Id in Scripturis non extat. Sutor vero: Certabo tecum, inquit, quouis deposito pignore, quod extat in sacris litteris. Ibi dextras iungunt, Lutherus & Sutor, vti certantes solent constituto pignore; placetque, vt codex Moysis afferatur. Interim feruescit pugna, & promiscuis clamoribus agitur. Erat Sutor ille præ cæteris vehemens, & Luthero non minus fortiter, quam proterue contradicebat, ad scripturas prouocãs; nec sibi cohiberi patiebatur à sociis, qui hominem subinde ad modestiam reuocabant. At ille velut zelo æstuans: Heus tu, inquit ad Lutherum: mihi vero licitum est ad hunc modum te compellare. Nunquid Christianus es? Lutherus: Compella me, quocunque modo placuerit. Tum Sutor: Si Moysen sequi non vis, debes tamen locum dare Euangelio, quod eo per te redactum est, vt sub scamno iaceat. Verum

non

non ita: producendum est in lucem. Lutherus; Quid igitur dicit Euangelium? Sutor: Iesus dicit in Euangelio (nescio, quo loco; fratres mei nouerunt) sponsum si cum sponso cubare debear, prorsus oportere nudam esse, etiam indusio exutam. Ad hanc vocem Lutherus, qui stabat erectus in pedes, paulatim resedit, faciem manu demulcens; cumque paululum siluisset, Eia attende, inquit; Hoccine est imagines abolere? Mirabilis vero Germanissimus. Tum alius quidam è turba: Idem prorsus est, inquit, ac si diceretur; Deus vult, vt anima nudata sit ab omnibus creaturis. Certè, quamprimum iis nos creaturis oblectamus; quibus licitum est frui, statim cor imaginibus repletur, iisque adhæresit. Quanto magis anima, cum prohibitis imaginibus oblectatur. Interim adferuntur libri Moysis in linguam Germanicam translati per Lutherum, & verba textus leguntur de sculptilibus, vel idolis, Exod. 20. Deuter. 4. ex quibus inferebat lector, imagines non idololatricas tantum, sed & omnes alias in vniuersum prohibitas esse, nec licere Christianis eas vel facere, vel retinere. Lutherus additum esse dicit; Non adorabis: ex quo sequatur, Deum de idolis locutum. Tum quidam ex populo; Vox, idolum, non est in textu: Sed dicitur; Non facies, nec habebis vllam imaginem. Sutor interim vrget textum Deut. 4. Custodite sollicitè animas vestras. Non viditis aliquam similitudinem in die, qua locutus est vobis Dominus in Horeb de medio ignis; ne forte decepti faciatis vobis sculptam similitudinem, aut imaginẽ masculi, vel fœminæ &c. Lutherus vicissim inhæret declarationi suæ, Moysen scilicet, non de quibusuis imaginibus, sed de idolis intelligendum: quibus honor soli Deo conueniens impenditur. Deinde ad sutorem; lege cætera, inquit, quæ sequũtur. Pergit alter; ne forte elevatis oculis ad cœlum videas solem & lunam; & omnia astra cœli, & errore deceptus adores ea & colas. Quærit Lutherus; Curista non adoles? Respondit sutor; stellæ cœli nec factæ sunt manibus nostris, nec nobis à Deo subditæ, vt eas abolere possimus. Hoc loco Consul: Audite Domini mei, inquit, audite. Cum omnes ad eam vocem conticuissent, rursus ille; Audite Domini mei. Non directe sequimur Dei verbum. Scriptum est enim: Non addetis ad verbum, quod ego vobis loquor, nec auferetis ex eo. Interpellat hunc loquentem Steinius Vinariensis Concionator, his verbis; Tace tu, senior charissimè. Lutherus autem, Vos me condemnastis, inquit. Excipit Sutor: Si prorsus ita vis, ego te, & quemcumque alium habeo pro condemnato, qui contra Deum eiusque veritatem loquitur, aut docet. Lutherus; Id vel pueri potuissent mihi dicere in plateis; vnaque surgens ad currum festinat. Tum ex Camerariis vnus: Heus, inquit, Domine Doctor, prius de Sacramento Eucharistiæ, deq; Baptismo quædam differe. Ille respiciens inter eundem: De iis, inquit, abunde scripsi: legite libros meos. Subiungit alter: Eos iampridem legi, sed non satisfaciunt mihi in conscientia. Lutherus: Si quid in iis tibi displicet, Scribe contra me. His dictis conscendit currum, & festinanter abiit, excessit, euasit, erupit: nec multum abfuit, quin lapidibus & luto à quibusdam obrueretur. Erant certè, qui discedentem hac exclamatione prosequerentur; Abi in nomine mille dæmonum: vtinam præceps corruas fractis ceruicibus, antequam ciuitatem egrediaris. Ille, re parum feliciter gesta, Wittembergam reuersus est. Atq; hic exitus fuit præclarę istius legationis, in qua iusto Dei iudicio, pater seditiosorum omniũ Lutherus, à filiis Absolonibus ad eundẽ planè modum exceptus fuit, quo ipse degener Ecclesiæ filius ac perduellis eos tractare consueuerat, quibus, cum honorem deberet & reuerentiam, atq; obedientiam, cõtumeliam & rebellionem opposuit. Indigne vero tulit, quod ab Orlamundensibus Carlostadij discipulis ad eum modum exceptus esset. Itaq; per Ioannem Fridericum, Ioannis Saxoniæ Ducis filium paulo post effecit, vt Carlostadius è ditione Saxoniæ Principum ciiceretur: idq; contra datam fidem, imo contra pactum arrabone floreni aurei, dextræ stipulatione, hausturq; Germanico solenniter firmatum, quo cautum erat, ne Lutherus Carlostadio molestiam crearet, aut scripturo contra se vllum obiiceret impedimentum, vti paulo ante diximus. Neque vero satis habuit, è Saxonia miscrum Carlostadium expulisse, sed & profugum, incertisque sedibus oberrantem, scriptis & calamo acerbe persequutus est. Cum enim intelligeret eum Argentinæ morari, datis ad illius vrbis senatum litteris impedire conatus est, ne quod exilij solatium ist-

Carlostadius hostis Lutheri è Saxonia eiusdem ope eiicitur.

hæc inueniret. Gratulatur quidem Argentinensibus, quod eruti è tenebris errorum, & ex Ægyptiaca seruitute liberati in terram promissionis peruenerint: interim hortatur vt concordiæ studeant, nec diuisionem in vrbe sua fieri patiantur. Monitum se, dicit, amicorum litteris, quod Carlostadius apud ipsos res nouas moliatur, & de Sacramento Eucharistiæ, de imaginibus, & baptismate turbas moueat, quemadmodũ & alibi fecerit; tum, quod præ se ferat, quasi per ipsum è Saxonia sit profligatus. Se quidem hactenus, ait, ea religionis capita, quæ necessaria sint ad salutem, & ad ipsius Christianissimi substantiam pertineant, adeo luculenter & solide tractasse, vt à nemine coargui potuerit, vel reprehendi. Carlostadium vero, ne vnum quidem istorum capitum attigisse vnquam, sed dilapsum ad externa quædam imperuose circa Baptismum, Eucharistiam, imagines, tumultuari; scilicet, vt hoc veluti obiecto fumo solem Euangelij nuper exortum obscuret. Lætari se plurimum, quod ciectus sit è regionibus istis homo turbulentus, vnaq; habere in votis, ne Argentinæ locum inueniat. Consulere se fideliter, vt vitent mendacem hunc & impostorem spiritum, qui nihil boni machinetur. Id le, cum apud Orlamundenses esset, satis expertum; vbi per ipsius discipulos lapidibus & luto propemodum fuerit oppressus. Hæc cum ad Argentinenses scripsisset, habitum monasticum deposuit. Licet enim ab annis aliquot Monasticen infeste cumprimis oderit, omnesq; passim religiosos vtriusq; sexus, editis libellis ad deserendũ hoc vitæ genus ardenter incitarat, ipse tamen habitum Augustinianæ professionis, vsque ad hunc annum 1524. non abiecit. Tandem vero frequenter per suos interpellatus fuit, & monitus, vt quia Monachatum animo iampridẽ exuerit, vestẽ quoq; deponeret, quæ monasticæ professionis esset indicium; nec aliud præ se ferret externo corporis habitu, quã ab annis aliquot credere se lingua simul & calamo profiteretur. Inter cæteros, qui hoc vrgebant, erat & pater Lutheri, qui vti consilium de vita monastica vehementer improbauerat, ita nunc vna cum aliis restitantem nonnihil (vti quidem videbatur) impellere non desiit, vt vestem religiosam ciuili habitu permutaret. Horum cohortationibus cessit demum, vt doctrinam suam facto comprobaret; abruto cucullo habitum secularem sumpsit, togam scilicet paululum infra genua dependentem. Primam huius generis vestem, hoc anno 1524. in festo omnium Sanctorum induit, factam ex panno nigro texturæ Anglicanæ satis pretioso; quem illi Fridericus Elector primus donauerat. Simul ac deposuit vestem, deposuit quoque, si quid reliquum erat moderationis; ita vt Hieronymus Emserus necesse habuerit, vel ad, hoc pacto, refrænandam hominis ac sequacium petulantiam, viuendiq; licentiam, istos versus euulgare:

Lutherus habitu seculari sumpto Monachatum abiicit

His magistris licet nobis,
Omne nefas, licet probis
Omnibus obstreperis.
Cum Iubilo.
Conculcare iura leges,
Infamare licet Reges,
Papamque, cum Cæsare.
Cum Iubilo.
Sed & ipsos irridemus
Christi sanctos, & delemus
Eorum imagines.
Cum Iubilo.
At Priapum Lampsaconum
Veneramur, & Silenum,
Bacchumque cum Venere.
Cum Iubilo.
Hi sunt veteres coloni,
Nostri ordinis patroni,
Quibus ille militat;
Cum Iubilo.
Septa claustri dissipamus,
Sacra vasa compilamus,
Sumptus vnde supperatur,
Cum Iubilo.
I cuculla, vale cappa,
Vale Prior, Custos, Abba,
Cum obedientia.
Cum Iubilo.

Emseri Carmen ad cucullũ Lutheri.

Ite vo-

Ite vota, preces, horæ,
Vale timor, cum pudore.
Vale conscientia.
Cum Iubilo.
Io, io, io, io
Gaudemus cum Iubilo.
Dulces Lutheriaci
Cum Iubilo.

Non poterat, scilicet, ferre Emserus, quod Lutherus probaret, edictisque libellis laudaret apostasiam, votifragium, viuendi & quiduis faciendi libidinem, præ qua ipsi Turcæ, honestiores & moderatiores haberentur.

XXX. *Georgius Dux Saxoniæ mãdatum Cæsaris cõtra Lutherum in ditione sua seuerissimè promulgat*

Inter hæc Dux Saxoniæ Georgius, Princeps per omnia Catholicus, cum accepisset mandatum Cæsaris signatum, simul cum edicto Wormaciensi, vtrumque per omnem ditionem suam vulgauit, seuerissimè cunctis suis subditis præcipiens, vt in omnibus punctis & articulis edicto & mandato obtemperarent: acerrimè comminatus, se omnem transgressionem vlturum esse. Erat enim Princeps, non modo pius & religiosus, verum etiam Romani Pontificis & Cæsaris obseruantissimus. Cæterum soluto illo, de quo diximus, conuentu Ratisponensi Ferdinandus frater Cæsaris, vna cum Campegio Cardinale Legato, secundo Danubio in Austriam descenderunt, vbi Viennæ residentes, mandata & edicta Cæsarea executioni demandarunt: In duobus præsertim hæreticis, Iacobo Peregrino, presbytero Patauiensis diœcesis, & Caspar o Taubero ciue Viennensi: quorum vtrumque de hæresi Lutherana suspectum, conuictum & confessum, ac legitimo iuris processu condemnatum, per viros eruditos tum Theologos, tum Iureconsultos, ad reuocationem & pœnitentiam clementer induxerunt. Vbi vero ciuis ille in hæresim quam publicè abiurauerat, recidisset, vltimo affectus est supplicio. His enim verbis reuocationem suam ipse Germanice concluserat. *Cum igitur ego, Gaspar us Tauber, aliquos libros à damnato hæretico Martino Luthero editos, contra Imperiale edictum, & contra clementissimum Principis mei Domini Ferdinandi mandatum retinuerim, atque etiam proprios ipse tractatus perscripserim, & in iisce multas iniurias & scandala, multiplicesque hæreses & errores damnatos complexus fuerim; quibus & ego, & alij Christi fideles, sub Euangelij colore, ab omni obedientia tum diuina, tum alia, ad omnis generis mala & temeritates, contra Deum, animarumque nostrarum salutem seducti fuimus; voueo & promitto, me de cætero, quoad vixero, eiusmodi damnatos libros, seu magnos, seu paruos numquam lecturum, aut retenturum, nec suprædictos errores, omnesque damnatos hæreses prædicaturum, disseminaturum, defensurum, aut asserturum esse. Si vero ista transgressus fuero, tunc iuxta formam iuris, ego à seculari potestate, tamquam conuictus hæreticus puniar. Hoc totum confiteor in conspectu Ecclesiæ his litteris quas ego manu propria subscripsi.* Ad vomitum reuersus, libros retinuit, hæreses defendit, disseminauitque; eaque propter in seipsum sententia prælata, pœnas iuris promeruit. Æquali supplicio Dietmarsij in Dania addictus fuit, Henricus Sudphanus apostata Augustinianus, Antuerpiæ hæreseos conuictus, & post palinodiam cantatam relapsus, Bremamque profugus, nouissimè Meldorpiæ apud Dietmarsios, voti fracti, periurij, atque perfidiæ pœnas iusto Dei iudicio dedit. Tulit grauiter Lutherus eam rem; eaque propter lamentabilem ad Bremenses epistolam scripsit: cum etiam hoc anno, vt plebem sibi conciliaret, & Principibus infensam redderet, scripsisset Germanice libellum, De negociatione & vsura: in quo cum permulta recensuisset grauamina Germaniæ à nimia auaritia mercatorum, vt videretur plebis & patriæ amantissimus, & publicæ vtilitatis erga populum communem studiosissimus, eo tendebat popularis auræ captator, & seditionum machinator nequissimus, quo plebem egenam fortius in principes propter mercatorum grauamina, tamquam in socios furum, & lucrorum iniquorum participes conciteret. Sic enim ibi inter alia multa decernit. Reges, *inquit*, & Principes deberent hic attendere, & secundum ius strictum talia prohibere. Sed audio eos habere ibi & caput, & partem: atque euenit iuxta dictum Isaiæ 1. Principes tui facti sunt socij furum. Interim vero fures, qui florenum vnum aut dimidium furati fuerint, suspendunt: & negociantur cum illis qui totum mundum spoliant, & plus furantur quam omnes alij: vt permaneat illud verum, Magni fures, parum furem suspendunt. & sicut Romanus Senator Cato dicebat: Priuati fures iacent in turribus & carceribus: publici vero fures incedunt in auro & serico. Quid autem Deus ad hæc tandem dicet? Ipse faciet sicut per Ezechielem dicit 17. Principes & Mercatores, vnum furem cum altero conflabit in vnum, sicut plumbum & æs: quemadmodum comburitur vrbs aliqua, vt neque Principes, neque mercatores amplius sint. sicut timeo iã ante fores esse. hæc & alia Lutherus. & tamẽ volebat videri, non esse inter spiritus vertiginosos, qui populum in Principes inflammabant, atque iugulum illorum parricidali ferro ostendebant. Nec minus alio quodam libello, pro illa quam diximus Florentina moniali ex cœnobio profuga scripto, plebem contra Magistratum concitabat: quum videret Principes ægre tulisse illud flagitium, & ad disciplinam Ecclesiasticam, sacratioris ordinis aut voti desertores reuocare. Nam & Episcopus Argentinensis, inter alios, hoc anno, illis Ordinis Ecclesiastici viris qui duxerãt vxores, diem ad sententiam audiendam ob cõtractum matrimonium dixerat; quod Ecclesiæ, & sanctorum Patrum, & Pontificum leges violassent, & Ordini summam fecissent iniuriam, & maiestatem læsissent diuinam. Istud vero facere non poterat Lutherus, dum propter votifragium aliquis iudicio sisteretur. Quid facitis, *inquit*, vos Principes & Domini, vt homines ad Deum compellatis absque eorum voluntate? Tamen hoc non est vestri, vel officij, vel potestatis ad faciendum. Ad externam probitatem compellere debetis. Sinite vota vota esse: sinite præcepta præcepta esse. Attamen Deus ea non vult, nisi voluntarie & cum iucunditate obseruentur. Ipse dicit, nemo venit ad me, nisi pater meus traxerit eum. Nonne hoc satis clarum est. Bone Deus? Patrem trahere oportet, & homo vult compellere. Quod Deus non conatur, id miser vermis vult conari, idque per quendam alium inuitum facere, quod ipsemet facere non potest? Non vultis cogi ad Euangelium nostrum, quare ergo nos compellitis ad vestrum? Hæc Lutherus scribebat, perstringens pariter Principes & Magistratus, qui secundum Cæsarea mandata hæresim inhibebant, & Catholicam fidem retineri iubebant. Inter alia hoc anno, die 26. Ianuarij, Lucernæ in conuictu publico ab Heluetiis statutum erat: ne quis doctrinam aliam, quam quæ à mille quadringentis circiter annis à Patribus per manus tradita acceptaque fuit, afferre aut defendere auderet; ne sacrificium Missæ, in quo verum Christi corpus conficeratur, offerturque derideretur atque contemneret. Qui corpus Dominicum in Paschate percipiunt, ij Quadragesimali tempore, Sacerdoti bis confiterentur, cæteraque omnia more solito perficerent. Ecclesiæ Romanæ ritus omnes, atque consuetudines seruarentur. Vnusquisq; suo Parocho obtemperaret, ab eoque sacramenta perciperet, & quam deberet annuam pecuniam ei persolueret. Sacerdotibus honor exhiberetur. Diebus vetitis abstinerent ab esu carnium; Quadragesimali vero tempore, etiam à lacticiniis. Lutheri nihil publice aut priuatim doceretur, tenereturque. In cauponis atque conuiciis, Lutheri vel nouæ cuiusque doctrinæ nulla mentio haberetur. Diuorum imagines pictæ, siue sculptæ, inuiolatæ seruarentur. Sacerdotes & Concionatores, superioribus suis, doctrinæ quam traderent, rationem redderent. Eosdem, Magistratus ciuilis, ab omni motu ac impetu tueretur. Reliquias diuorum ferentes, vel venerantes, nemo irrideret. Quas Constantiensis Episcopus leges de religione tulisset, eæ obseruarentur. Transgressores huius decreti seuere punirentur. Factum hoc decretum, non minus in Lutherum quam Zuinglium. Iam enim Zuinglius eam gentem ad res nouas concitare cœperat; cuius impia dogmata ad temporis soli fere Tigurini, vel conquærentibus circumuicinis sequebantur. Ita, missis ad eos Oratoribus deplorabant: Anciquitus omnia recte pieque constituta, nec vllam doctrinæ fuisse contentionem; nunc autem à temerariis aliquot hominibus pulcherrimum hoc otium & quietem tum Ecclesiæ, tum Reipublicæ turbari, & discordiæ semina spargi: nimirum oportuisse iampridem crescenti malo medicinam facere, ac more maiorum vindicare Dei omnipotentis & SS. Mariæ virginis, atque Diuorum gloriam & nomen, in eoque facultates omnes, vitam atque sanguinem profundere: nunc etiam in primis, vt ita fiat, tempus ipsum postulare. Nam alioqui futurum, vt ipsis omnibus perniciem, & animarum quoque iacturam ea res adferat. Cuiusmodi enim sit huius, quam Lutherus inuexit doctrinæ fructus, nunc satis apparere: populum vi-

Vienna duo Lutherani ob hæresin supplicio afficiuntur.

Lutherus ad Bremẽses scribit.

delicet ac promiscuam multitudinem vix cohiberi iam posse; multa facere proteruè ac insolenter, sumere sibi magnos spiritus & ad rebellionem omnino spectare: quin etiam eius rei nuper dedisse non obscuram significationem, huius vero mali contagionem à Zuinglio esse profectam ad ipsos, atque Leone Iuda, qui Verbum Dei quod pacem atque concordiam adferre debebat, sic decerent, proque suo arbitratu interpretarentur, vt turbis atque dissidiis aditum patefecerint. quid ex eorum doctrina incommodi sequatur, quotidie experiri: nimirum diebus ab Ecclesia vetitis carnes & lacticinia indifferenter comedi. Sacerdotes à Deo consecratos, ac Moniales, Deo dicatas, violata fide deserere professionem & ordinem suum, & matrimonia sacrilegia contrahere: cultum omnem diuinum intermitti; nihil iam in templis cantari, nullas fieri preces, in contemptum venire Sacerdotes, Monachorum dissipari collegia, delictorum confessionem atque pœnitentiam, negligi sic quidem, vt iis prætermissis, percipere corpus Dominicum aliqui non vereantur. Missam proscindi conuiciis; sacrosanctam Deiparam cæterosque Diuos affici contumelia: status & imagines reuelli, confringi & dissecari: Sacramentis Ecclesiæ nullum deferri honorem: & tantam nunc esse licentiam ac impietatem, vt in manibus Sacerdotis vix tuta sit hostia sacrosancta, corpus verum Domini nostri Iesu Christi: hæc omnia tanti esse momenti, vt merito sint deploranda. Se quidem illa non posse ferre diutius: orare interim vt opem adferrent, inque veteri maiorum religione permanerent: si quid vero sit in quo se grauari putent, à summo Pontifice, Cardinalibus, Episcopis auxilium & solamen requirerẽt. Ista omnia alij Heluetij, Tigurinis, sed frustra exponebant, non minus quam Campegius Cardinalis, Legatus Pontificis, in conuertendo Philippo Melanchtone laborauit. Heidelbergam is veniens, offendit isthic Melanchtonem. Ad eũ itaq; quendam è suis, Fridericum Nauseam misit, vt colloquium cum illo de controuersiis ingressus, quænam ipsius esset sententia, certius exploraret, eumque suauiter à Lutheri aliorumque Nouitorum consortio dehortaretur. Fecit hoc Nausea quidem, sed in vanum laborauit, quandoquidem ille iam se totum Lutheri partibus addixerat. *Vlembergius in vitis. Cochleus de actis & scriptis Lutheri. Surius in Comment. huius anni. Villegas in Luthero. Florimundus Remundus lib. 1. de ortu & progressu hæretic. Meshouius hist. Anabaptist. lib. 1.*

XXXI. *Zuinglius Luthero se opponit.*

Zuinglius interim, non contentus à Luthero dici Lutheranus, sed ipse potius de suo nomine sectam auspicari cupiens non solum Catholicos Transubstantiationis assertores, sed etiam Lutherum ipsum, vna cum pane & vino verum Christi corpus & sanguinem in Eucharistia haberi dicentem, oppugnare cœpit. Hoc quidem pessime habuit Lutherum, & hæc res occasionem fuit atrocissimæ inter Lutheranos & Zuinglianos digladiationi, quæ in hunc vsque diem componi non potuit.

Recte hoc permisit sapiens & bonus Deus, vt Lutheri arrogantia à proprio discipulo comprimeretur, & mortales omnes intelligerent rectissimè dixisse S. Hieronymum: Scripturas, non in legendo, sed intelligendo consistere. Ab vtraque enim parte isti sectarij verbum Dei crepant, Scripturas certatim proferunt; & tamen cum certissimum sit, non posse vtrosque verum docere dum contraria dicunt. At nihilominus alij aliis cedere nolunt, & vtrique praua diuinæ scripturæ interpretatione, & se, & suos omnes miserabiliter perdunt: cum vtrosque recte iam olim damnarit, hodieq; damnet Catholica fides, qua certissime credimus, in Eucharistia sub speciebus panis & vini, post Christi verba in sacrificio prolata, ipsissimum Christi corpus & sanguinem substantialiter contineri, etiam extra sumptionem; cum hoc Sacramentum non nisi Omnipotenti Christi Iesu sermone conficiatur. A Luthero hac in re iam dissenserat Carlostadius: cui ille, vt erat contentionum auidus, aureum florenum Ienæ contulerat, qui contra se scriberet, quemadmodum minabatur. Zuinglius etiam, datis hoc anno, die 16. Nouembris, ad Alberum Prædicantem Reutlingensem litteris, sententiam suam, diuersam omnino à Luthero & Carlostadio, in qua verba Consecrationis per tropum, *est* pro *significat*, explicauit: in calce tamen epistolæ, ne cuiquam mortalium eam communicaret, præterquam ei quem constaret eius partem esse, ipsum adiurauit. Carlostadius pariter libellos aliquot Basiliæ edidit, quorum summa erat, non esse Christi corpus naturaliter in Eucharistia: nec tamen Zuinglij sententiam sequebatur, sed noua interpretatione, *ziehat*, pronomine *hoc* demonstratiuo demonstrasse Christum corpus suum mensæ assidens, non autem sub panis specie contentum. Eam stultissimam opinionem Anabaptistæ quidam amplectebantur, & Zuinglij atque Lutheri interpretationem reiiciebant. Porro Zuinglius Carlostadium dicebat veritatem quidem agnoscere; sed quia troporum vim ignoraret, verba non recto ordine collocare. At ridicula fuit ea Zuinglij oratio; qui iam sibi de collega, licet inepto, nonnihil applaudebat. Alij Carlostadij expositionem velut nimis duram & violentam respuebant. Inde accidit, vt Senatus Tigurinus ediderit, ne libelli Carlostadij in vrbe sua venderentur. Lutherus vero Zuinglij expositionem libello quodam confutauit. Ita nimirum spiritus vertiginis in Lutherum & eius præclaram sobolem ab Angelo malo immissus, repente multas ab illis extorsit verborum consecrationis interpretationes, alias ab aliis simul omnes à Catholicæ Ecclesiæ sententia, adeoq; ipsissima veritate diserepantes: iortum. que est implacabile dissidium inter ipsos factiosos spiritus: qui cum omnes iactitent se veritatem demum in lucem protulisse, non possent tamen in vnam aliquam de re tanta conspirare sententia, & à veritate sunt prorsus alieni; sed interim miserrimam rudem plebeculam, in diuersas opiniones & factiones distrahũt, efficiuntq;, vt iam permulti non videant, quem potissimum in hac dogmatum mirabili varietate sequi debeant. Nemo inter hæc satis deplorare potest, tam innumeras Christi Iesu sanguine redemptas animas, aliquot importunorum & turbulentorum ingeniorum arrogantia atque phlautia, in certissimum exitium, horrendamque æterni ignis damnationem præcipites agi. Verum hoc perditi tenebriones pro ludo habebant, modo ipsi Ecclesiæ Catholicæ incommodarent: cuius odio ad eum modum flagrabant, vt serio profiterentur: Si hoc Catholica Ecclesia credit & docet: nos contra docebimus: & si illa ipsa contrarium casu aliquo teneret: nos omnino oppositum, quod primo fuerat à nobis reiectum, oppugnatumque recipiemus, atque tuebimur. *Surius vbi sup. & in Chronologia Bucholzerus.* Ab his natæ sunt postea plusquam sexaginta diuersæ sectæ. Sic enim qui semel Fidei Regulam deserunt, quot capita habent: tot hæreses & errores comminiscuntur. Inter has Sacramentariorum sectas, memoranda illa, quam paulo post adinuenit Ioannes Brentius Sueuus Semi Lutheranus: qui quod transsubstantiationis doctrinam ferre non posset, veram tamen ac realem corporis Christi in Eucharistia præsentiam tueri vellet, asseruit corpus Christi, ex quo in cœlum ascendit, esse vbique, factusque est Vbiquetariorum author. *Hosius Cardinalis contr. Brentium.* Exustus est hoc anno die 12. Ianuarij, hæreseos causa in Lotharingia Ioannes Castellanus Theologiæ Doctor: Annebergæ vero in monasterio Franciscanorum, excommunicatus Fridericus Miconius, quod hæresim disseminare cœpisset.

Ioannes Castellanus Doctor in Lotharingia ob hæresim combustus

XXXII.

Cum autem Lutherus apostata, malo bonorum morum publico exortus, audax, vafer, subdolus, varius, vt qui pugnãtibus & contrariis, tum studiis, tum consiliis semper vteretur, in hoc solum esset intentus, vt ad suam apostasiam traduceret quamplurimos, idque faceret religione euersa; quæ præuaricatores, periurosque & transfugas abominatur; nouaque instituta, quæ & vota, & periuria, continentiamque & castimoniam, tum preces & ieiunia, aliaque pia opera confidentissimè contemnit; iamque breui temporis spatio totum illum terræ angulum in quo morabatur, fidefragis, periuris, adulteris, incestuosis, sacrilegis, seditiosis, parricidis, flagitiosisque omnibus repleuisset; ac præterea conaretur Bohemos, ad Romanæ Ecclesiæ vnionem id temporis propendentes, à proposito suscepto retrahere, suosq; sectarios illos efficere; ideo Clemens Pontifex, præter Caietanum Cardinalem, quem ad Ludouicum Vngariæ Regem miserat, Laurentium etiam Campegium Cardinalem, etiam in Bohemiam, ac vicina regna Hungariæ & Poloniæ, eidem, periculo contagionis hæreseos proxima Legatum ire iussit, vt consilio cum Regibus Catholicis communicato, si quæ semina iam asperfa fuissent, antequam pullularent in messem; eradicarentur; ac de cætero aditus malis hominibus præcluderetur ad serenda Zizania. Fecit officio satis Rex Ludouicus, à Caietano Legato admonitus. Nam in Comitiis lege lata, quæ extat sanciendum curauit, ne à quo

Clemens VII. in Bohemiã & Vngariam legatos ad hæreticos cõprimendos mittit.

piam peruersum, atque à Leone Pontifice Romæ, à Carolo Cæsare & Principibus Imperij Wormatiæ, à Francisco Gallorum Rege Parisiis, ab Henrico Anglo Londini, & à Sigismundo Polono Tericouiæ prædamnatum Lutheri & quorumuis sectatorum dogma reciperetur, sed tam authores, quam libelli si qui essent, ignibus addicti concremarentur. In Bohemiam quoque profectus, multa saluberrimè, ad arcendam hæresim irrumpentem constituit: confectisque ibidem ex animi sententia rebus, cum Olomucij ad Stanislaum Turzonem Episcopum diuertisset, potiores ex Iglauia ciues ad certum diem ad se conuocauit, quos venientes, seuerissimis verbis castigauit, quod spreta Catholica fide, veteribusque diuinorum dogmatum ac librorum interpretibus, ad nouas & depranatas, ob idque à summo Pontifice & Cæsare damnatas Lutheri opiniones transiisse dicerentur. Se illis sub extremi supplicij pœna mandare, vt quamprimum ad sanitatem redeant, & illius dogmatis sectatores procul à se & ciuitate arceant. Inter hæc etiam Ioannem Sperantium, qui illis mutandæ religionis occasionem attulisset, captum & vinculis constrictum Olomucij in carcere reliquit.

Inter hæc vero Solymanus Turcarum tyrannus, Rhodo & Belgrado in potestatem redactis, cum multos ex suis desiderasset, apparatusque Principum Christianorum, si forte cohortante summo Pontifice arma sumerent, pertimesceret, pacem Ludouico Vngariæ Regi offerebat. Eam rem cum Sigismundus Poloniæ Rex Ludouici patruus intellexisset, cum, eiusque regni Proceres per Oratores Andream Critium Episcopum Præmislien sem, & Castellanum Plocensem, hortabatur & obtestabatur, ne pacem à Turca oblatam repudiarent, neque Solymanum tantum hostem in maxima rerum omnium perturbatione concitarent: à Principibus Christianis: Cæsare & Gallo de Mediolanensi imperio certantibus nulla auxilia debere exspectari; Germaniam, ob dissidium religionis tumultuantem suppetias ferre non posse à summo Pontifice, Florentinis ac Venetis si quæ suppeditarentur, & non in tempore, & exigua fore: se Tartaricis bellis impeditum eis opem ferre non posse; & potentiam Turcarum eam esse, cui Vngariæ vires conferri nullo modo queant; & nisi mari quoque instructissima Christianorum classe oppugnentur, inuictos semper fore. Contra Pontifex Max. per Cardinalem Caietanum Legatum, datis ad eum 30. Martij litteris differebat, Ludouicumque à pace ineunda & pactis cum Solymano sanciendis auertebat: dicens, satius esse fidem Christianam & omnia patria sacra tueri, proque iis fortunas & vitam offerre, quam turpi pactione illa prodere, suoque nomini maculam inelluibilem comparare: quandoquidem & Christus pro nostra omnium salute sanguinem fudisset; & maiores sui superiores Vngariæ Reges, gloriosa bella cum Turcis; paci cuicumque semper antepositissent: non decere eum ab illorum virtute degenerare; non sibi seruitutis iugum, non vicinis Germanis, Italis, Bohemis, periculum accersere; Pontificem eo fine Legatos vndequaque destinasse, vt concordia inter Reges Christianos composita, auxilia ab eis impetrare possit: illum ipsum maiora si opus fuerit missurum; Ferdinandum Archiducem affinem, & Sigismundum Poloniæ Regem patruum potentissimos Principes, illi subsidio futuros: gloriam & decus sempiternum illum manere, si Turcas bello infestaret. Ad eum modum instabant, Pontifex, Caietanus, & Venetorum Legati, Turcarum vires ab Vngaris infringi cupientes, vt interim Italia Vngariæ periculo, bello in eam translato, quieta esset. Ad hoc etiam pecuniæ vim ingentem Regi Ludouico in stipendia militum pendebant, quam proceres quidam Vngari summa pollentes autoritate inter se partiti sunt, militibus stipendiis fraudatis; quo factum sæpius est, vt limitaneæ arces atque munitiones Vngaricæ, decedentibus defectu stipendiorum militibus præsidiis vacuæ à Turcis interuerterentur. Ludouicus Rex, & si patrui Regis monita verissima esse iudicaret, pacemque cum Turcis vellet, tamen proceribus, rebus ipsorum ad interitum inclinantibus, secus visum est, palam iactantibus, gentem Vngaricam bellis assiduis assuetam, assiduaque exercitatione militari egentem, ocio ac pace torpescere & elanguescere, Turcasque simulata & commodo suo facta pace plus eis semper nocuisse, quam bello ape to, Caietanus Cardinalis re confecta, pecuniaque Pontificia ad Regium ærarium in vsus belli Turcici collata, vocatus Romam recessit: Vngariæ tamen aliquot regiones, Belgrado amisso, & præsertim Bacia & Colocia, quæ duæ Archiepiscopi Colocensis sedes habebantur; frequentissimis Turcarum excursionibus expositæ erant: mortuo iam videlicet Georgio Frangepano Colociano Antistite, qui prouinciam strenuè tuebatur. Diu quæsitum est ab ipso Rege & proceribus, quis nam illi sufficiendus videretur, qui scilicet non solum Sacerdotij autoritate, sed etiam armis militarique virtute præcelleret: postremo omnium votis & suffragiis, Paulus Tomoræus Regi commendatus est, quod is antea clarus & insignis equitum ductor, arcisque Budensis præfectus, commutato vitæ militaris instituto, ad religionem Mendicantium qui à Diuo Francisco nomen ducunt, pio salubrique consilio transisset, omniumque iudicio ad id muneris aptissimus haberetur. Sed quoniam Tomoræi nomen nos admonet, vt pauca de eo dicamus, haud incongruum ei memorando hunc locum fore putamus. Nobili & honesta familia Tomoræa, è Gemerienli prouincia ortus, in Transsiluania contra Siculos, & bello ab agrestibus concitato, fortem operam nauauit: deinde aliis præliis consilio, manuque iuxta haud spernendus, litteris latinis eruditus, animo ingenti, industrioque fuit. Cumque nobilem in propinquo puellam Puthnoquianam (id familiæ nomen est) sibi ducendam despondisset, illaque ante nuptias immiti morte erepta esset; ad alterum præduitis viduæ matrimonium mentem applicuit. Verum quum illa etiam, antequam coniungerentur, pari fato decessisset, insperato duarum sponsarum obitu territus, quasi diuinitus ab incundo coniugio profligaretur, se perpetuo cælibem victurum, ac religionem quampiam ingressurum, votis nuncupatis professus est. Inde cum Bartholomæus Prior Auranæ, ex equitum Rhodiorum ordine, qui cœlibem vitam agunt, diem suum obiisset, eius dignitatem, quamquam singulari studio & maximis precibus contenderet, à Ludouico Rege consequi nequaquam potuit, quod eam Matthiæ Baracio, dispensatori suo, diu ante promissam, alteri nequaquam dare posse respondisset. Igitur quum huic quoque petitioni fortuna successum eripuisset, Vilacum se contulit ad Cherium, quæ in Sirmio sunt, vbi celebre Capistrani inter Beatos recepti templum sepulchrumque habebatur, ibique sumpto Minoritano habitu, circumtonsaque coma, religiosum atque austerum vitæ genus amplexus est, cique singulari erga Deum fide, & pietate, omnibusque officiis, quæ sacro viro conueniunt, satisfecit. Cum igitur vel reluctantem, ac ingenue se excusantem, Ludouicus Rex, adhibita etiam quo magis obtemperaret, Legati Pontificij authoritate collegio Minoritano exemptum, Colocensi dignitate, ac earum partium militari præfectura honestauit, quibus vsque ad suum & Ludouici interitum, domi forisque cum laude præfuisse visus est; dignus encomio perpetuo, nisi præpostero præcipitique consilio, se, Regem & Vngariam paulo post perdidisset. *Istuanfius libro septimo, Cadanus libro septimo, Dubrauius libro 33. Gibertus Datarius in epist. ad Thomam Caietanum Cardinalem, inter epist. Princip. tomo 1.*

Solymanus Turcarum Imperator Ludouico Regi pacem offert.

Clemens VII. Ludouicum Regem Vngariæ à pace Turcica auertere conatur.

Dum hæc in Europa agerentur, Dauid Rex Æthiopum, quem vulgo Pretiosum Ioannem appellant, Franciscum Aluarez, & Christophorum Licanati seu Zagazabo Oratores ad Clementem Pontificem, & Ioannem Lusitaniæ Regem, cum litteris ad vtrumque scriptis misit, Pontificiam Maiestatem & authoritatem, nec non fidem Catholicam, quam hæretici Septemtrionales cupiebant depressam, magna cum animi demissione agnoscens, deprædicans, & vnionem mutuam deposcens. Ita habent, Paulo Iouio interprete.

XXXIII. *Dauid Francisci Aluarez ad Pontificem & Lusitanũ mittit.*

Litteræ Dauidis Æthiopiæ Imperatoris, ad Ioannem huius nominis III. Portugalliæ &c. Regem. Scriptæ anno M.D.XXIV.

In nomine Dei Patris Omnipotentis creatoris cœli & terræ, & omnium rerum factarum visibilium, & inuisibilium. In nomine Dei filij Christi, qui est filius, & consilium, & propheta patris. In nomine Dei Spiritus sancti paracleti, Dei viui, æqualis patri & filio, qui locutus est per os prophetæ, spirando super Apostolos, vt gratias agerent, & laudarent Trinitatem perfectam, in cœlo & in terra, in mari & in profundo semper. Amen.

Mitto

Eiusdem ad Pontificem & Lusit. anil. littera.

Mitto has litteras & nuncium ego Thus virginis, quod est mihi nomen à Baptismate, nunc vero cum Imperij sceptro assumpsi nomen Dauid, dilectus Deo, columna fidei, stirps Iuda, filius Dauid, filius Salomonis Regum Israel, filius columnæ Sion, filius seminis Iacob, filius de manu Mariæ, & filius Nau per carnem, maximo & potentissimo, & altissimo Ioanni Regi Portugalliæ & Algarbiorum, filio Regis Emanuelis. Pax sit tibi, & gratia Domini nostri Iesu Christi sit semper tecum. Amen.

Eo tempore quo ad me relatum est de potentia Regis patris tui, qui Mauros fœdissimos Mahumetis filios debellabat, Deo gratias ingentes egi, propter incrementum & magnitudinem, & coronam conseruationis, in domo Christianitatis. Similiter summam cepi voluptatem ex legatorum aduentu, qui verba ipsius Regis ad me detulerunt, ex quibus singularis amor & notitia, & amicitia inter nos effecta est, ad eradicandos expellendosque malignos Mauros, & incredulos Gentiles, qui habitant inter tua meaque regna. Dum essem in hac lætitia, audiui tuum meumque patrem, prius esse vita defunctum, quam hinc legatos ad eum mitterem. Quamobrem gaudium meum in mœrorem subito conuersum est, ita vt in hoc cordis mei dolore, mecum etiam aula nostræ proceres, & Prælati Ecclesiastici, & qui in Monasteriis sunt, omnesque demum subditi nostri vehementissimum luctum fecerint, ita vt voluptas primi nuncij, cum tristitia huius nouissimi exæquaretur. Domine, à principio regnorum meorum hactenus nulla legatio, nullusque nuncius, vel à Rege, vel à Regno Portugalliæ ad me peruenit, nisi dum viueret Rex, pater tuus, qui duces suos ad me misit, & proceres cum Clericis & Diaconis, qui totum solennium Missarum apparatum attulerunt. & propterea maxime sum lætatus, & eos honorifice suscepi, & non multo post eos dimisi, vt reuerterentur cum honore & pace. & postquam peruenerunt ad portum maris, qui est in finibus meis, in mari Rubro, non inuenere magnum Præfectum classis, quem pater tuus miserat. Is enim non expectauit, & de hoc me fecerat certiorem, quoniam non poterat expectare; cum esset moris vestri, de triennio in triennium magnum classis Præfectum creare. Interim alius nouiter creatus aduenit; qua de causa longiorem, quam opus esset, moram legati contraxerunt. Nunc vero mitto mandata mea per fratrem Christophorum Licanati, cui nomen à baptismate est Zaga Zabo, nempe gratia patris, qui desideria mea coram vobis explicabit: & item ad Papam Romanum mitto Franciscum Aluarez, qui nomine meo præstet obedientiam, vt iustum est. O Domine Rex frater mi attende, & da operam amicitiæ, quam inter nos pater tuus aperuit, & crebrò mitto nuncios, & litteras; nam eas magnopere videre desidero, vti à fratre meo. Nam id æquum est, cum ambo simus Christiani. & Mauri, qui mali sunt, semper in sua secta concordes existunt, & nunc profiteor me nolle in posterum legationes Regis Ægyptij admittere, nec aliorum item Regum, qui ad me sæpe legatos mittebant, sed solum Celsitudinis tuæ, quos venire maxime opto, quoniam Reges Mauri me loco amici non habent, propter Religionis dissensionem: sed amicitiam simulant, vt tutius & liberius mercaturam in nostris regnis exerceant, vnde magnum commodum consequuntur. Ingentem enim vim auri, cuius sunt auidissimi, ex regnis meis exportant, cum parum mihi sint amici, & commoda eorum nullam mihi afferunt lætitiam. Sed hoc tolerandum fuit, quoniam superiorum Regum nostrorum vetus est institutum, & si eis nequaquam bellum infero, & penitus profligo, temperandum in hoc mihi arbitror, ne illi sanctum templum in Hierusalem violent, & diruant, in quo sepultura est Iesu Christi, quam Deus in potestate fœdissimorum Maurorum reliquit, & pariter solo æquarent alia templa, quæ sunt in Ægypto & Syria, & hæc causa est, cur eos non inuadam & debellem, cuius rei me plurimum tædet. Etiam hoc mihi facilius persuadeo esse faciendum, quum neminem Christianum Regem habeam finitimum, qui me adiuuet, & cor meum exhilaret. Ego mi Rex, nequaquam lætari possum de Christianis Europæis Regibus, cum eos audiam in vno corde minime consentire, vigereq; inter eos bella. Estote simul omnes in vna concordia vnanimes.

Deberetis enim inter vos certo fœdere esse contenti. & certe si mihi Christianus Rex finibus esset coniunctus, vnamquam vna hora ab ipso discederem: & de hoc non plane scio quid dicam, aut omnino faciam, cum hæc à Deo ordinata esse videantur. Domine mi, mitte obsecro frequentes ad me nuncios: nam cum litteras tuas video, vultum certe tuum intueor. Quoniam maior amicitia oritur inter longinquos, distantes, quam inter eos qui propinqui sunt, propter desiderium quo tenentur. Nam is qui reconditos habet thesauros, cum eos oculis non videat, corde semper & quidem vehementissime diligit: sicuti Dominus Iesus Christus in Euangelio dicit; Vbi thesaurus tuus, ibi cor tuum. ita cor meum apud te est, quum tu ipse meus sis thesaurus: & in pariter me, tuum thesaurum debes efficere, & cum meo tuum cor sincere copulare. O Domine frater, seria verbum hoc. Nam ea prudentissimus, & (vti audio) patri in sapientia similis, & de hac re cognita statim Deo gratias egi, abiectoque dolore, gaudium à me susceptum est, & dixi, Benedictus sit filius sapiens & magni capitis, filius Regis Emanuelis, qui sedet in cathedra regnorum suorum. Domine mi, cane ne desatigaris, cum sis fortis non secus ac pater tuus, nec ostende debiles vires aduersus Mauros & Gentiles, Nam eos cum Dei auxilio adiuuante, virtute tua facile debellabis & destrues: & non dicas tibi esse à patre tuo vires exiguas. Nam eæ sunt certe satis magnæ, & Deus semper opem ferret. Mihi adsunt viri, aurum, commeatus instar arenæ maris & stellarum cœli. Nos simul coniuncti totam Maurorum barbariem destruemus. neque aliud à vobis peto; quam peritos viros, qui meos milites in præliis ordines seruare doceant. & tu Rex vir integræ ætatis existis. Rex Salomon duodecim annorum ætatis imperium suscepit, habuitque magnas vires, & patre sapientior fuit. Ego quoque cum Nau pater meus excesserit ab humanis, puer vndecim annorum remansi, ingressusque sedem patris, Deo dante ampliores opes & vires eo sum consecutus. Nam in manu mea omnes finitimi & Regni gentes existunt. propterea ambo gratias Deo agere debemus tanti accepti beneficij. Præbe mihi aures frater & Domine. Nam hoc vno verbo à vobis postulo, vt viri docti, atque etiam artifices mihi mittantur, qui imagines, & libros impressos, enses, & omnis generis arma militaria fabricare sciant. Itemque architecti, fabri lignarij, & medici qui pharmaca componere, & vulnera curare didicerint. Cupio etiam eos haberè, qui aurum in bracteas extenuare, & aurum & argentum egregie celare valeant, ac etiam aurum & argentum è venis terræ eruere, & metallorum omnium fodinas exercere sciant. Præter hos apud me etiam chari erunt, qui plumbeas tegulas ducent, & tegulas ex creta facere docebunt. omnes denique artifices mihi vsui erunt, & præsertim sclopetorum. Adiuua me obsecro in his rebus, sicut frater fratrem, & te Deus ita adiuuabit, & ab omni malo liberabit. Deus exaudiat orationes & petitiones tuas, sicut recepit sancta sacrificia in omni tempore, & inprimis sacrificia Abel & Noe quando exiuit ex arca; & illud Abraham quando fuit in terra Madiam, & illud de Isaac quando discessit à fossa iuramenti, & illud Iacob in domo Bethleem, & Moysis in Ægypto, & Aaron in monte, & Iesu filij Nau in Galgala, & Gedeonis supra plagam, & Sampsonis quando sitim habuit in terra sicca, & Samuelis prophetæ in Rhama, & Dauid Nacira, & Salomonis in ciuitate Gabeon, & Heliæ in monte Carmelo, quando suscitauit filium viduæ mulieris è Richa supra puteum, & Iosaphat in prælio, & Manasse quando peccauit, & ad cum est conuersus: & Danielis in spelunca leonum; trium sociorum Sydrach, Misach, Abdenago in camino ignis: & Annæ ante altare, & Neemiæ qui fecit muros cum Zorobabel, & Mathathiæ cum filiis supra quartam partem mundi, & de Esau supra benedictionem. Ita Domine, Deus recipiet tua sacrificia, & supplicationes, & te adiuuabit, & erit pro te contra omnes peruersitates in omni tempore, & singulis diebus. Pax sit tecum, & ego te amplector sanctitatis brachiis, & similiter singulos amplector, qui tibi sunt à consiliis sanctis regni Portugalliæ. Item á Archiepiscopos, & Episcopos, Sacerdotes & Diaconos, viros que pariter & mulieres. Gratia Dei, & benedictio Virginis Mariæ Matris Dei sit tecum & omnibus. Amen.

Litteræ eiusdem sereniſſimi Dauidis Æthiopiæ Imperatoris, ad Pontificem Romanum. Scriptæ eodem anno M.D.XXIV. Paulo Iouio interprete.

In nomine Dei patris Omnipotentis, creatoris & cœli & terræ, visibilium & inuisibilium. In nomine Dei filij Iesu Christi, qui est idē cū ipso à principio mundi, & est lumen de lumine. & Deus verus de Deo vero. In nomine Dei spiritus sancti, Dei viui, qui processit ex Deo Patre. Has litteras is ego Rex mitto, cuius nomen leones venerantur, & Dei gratia vocor, Athani Tinghil, id est Thus Virginis, filius Regis Dauid, filius Salomonis, filius Nau per carnem, filius sanctorum Petri & Pauli per gratiam. Pax sit tibi iuste Domine, pater Sancte, potens, pure, sacrate, qui es caput Pontificum omnium, neminem metuis, nemo tibi possit maledicere, qui es vigilantissimus supra animas curator, & amicus peregrinantium, consecrate magister & prædator fidei, & earum rerum hostis quæ conscientiam offendunt, amator optimorum morum, vir sanctus, quem omnes laudant & benedicunt. O felix sancte Pater, ego tibi reuerenter obedio, cum sis pax omnium, & cuncta bona

merearis; & ita æquum, vt omnes tibi obedientiam præstent, sicuti sancti Apostoli præcipiunt apud Deum.

Hoc vere vestrum est; ita etiam præcipiunt, vt veneremur Episcopos, Archiepiscopos, & Prælatos. Similiter vt te loco patris amemus, & loco Regis vereamur, & tibi vti Deo fidem habeamus. Propterea dico ego humiliter, ad terram genibus flexis, tibi pater sancte, syncero admodum corde, quod tu pater meus es, & ego filius tuus. O pater sancte potentissime, cur neminem vmquam ad nos misisti, vt certius de vita, saluteque mea cognosceres, cum tu sis pastor, & ego ouis tua. Bonus etenim pastor sui gregis numquam obliuiscitur. nec tibi à regionibus vestris nimium semotus debeo existimari, vt nuncij nequeant peruenire, cum ex remotissimis terrarum regnis Portugalliæ Rex Emanuel, filius tuus, Oratores suos commodissime ad nos miserit: & si Deus eum ad se euocare distulisset, ea quæ tum agitabamus, proculdubio felicem exitum habuissent. Nunc vero maxime opto pro: & salutaria de sanctitate vestra, per certos nuncios audire. Neque enim vmquam à sanctitate vestra verbum recepi: quum aliqua tantum à nostris, qui ex voto peregrinantur audierim. Sed hi cum, neque nomine proficiscantur, neque quicquam litterarum à vobis afferant, incerta fide nobis percontantibus, dicunt se ab Hierosolyma, deinde solutis votis, ad visitanda Apostolorum limina Romam peruenisse: cum intelligant ea loca facile peti, quod à Christianis teneantur. & certe summam capio ex eorum sermonibus voluptatem: quoniam dulcissima cogitatione sancti vultus tui imaginem intueor, quæ mihi Angeli formæ simillima videtur, & illam sicuti Angelicam me diligere, venerarique fateor. Sed profecto mihi esset gratius atque iucundius, verba tua, tuasque litteras deuotissime contemplari. Atque ita nunc te oro, vt nuncium tuum cum benedictione ad me mittere velis, ad exhilarandum cor meum, Nam cum in religione & fide consentiamus, id mihi ante omnia videtur expetendum, suppliciterque item oro, vt amicitiam meam, ad instar annuli quem induis in digitum, & torquis aurei quem humeris imponis, in intimum cor reponere velis, vt mei memoria numquam ex animo vestro deleatur. Gratis etenim verbis & litteris amicitia maxime crescit, cum eam sancta pax complectitur, è qua omnis humana lætitia facile prouenit.

Quemadmodum enim is qui vehementer sitit, frigidam maxime aquam desiderat, vt in sacris scripturis habetur: ita animus meus ex nunciis & litteris, quæ ex remotissimis terris deferuntur, incredibile gaudium concipere solet. Neq; tantummodo de sanctitate vestra, si aliqua audiero, verum si certa de singulis terræ Christianæ Regibus referrentur, mirum in modum lætabor: sicuti his accidit, qui præliando opima spolia reperiunt & legunt: hoc enim facillime potest fieri, postquam Rex Portugalliæ totum id iter aperuit, qui ad nos iampridem legatos suos misit cum strenuissimis equitibus. Dum autem pater meus esset in humanis, neque tum, aut demum à quoquam alio Rege Christiano, vel ipso Pontifice, aut nuncium, aut omnino litteras recepimus. Quamquam in Archiuis proaui nostri seminis Iacob earum litterarum memoria conseruetur, quas Papa Romanus, nomine Eugenius, ad has terras misit, cum ipse semen Iacob regnaret, Rex Regum in vniuersa Æthiopia, Rex metuendus. Præscriptio autem litterarum hæc erat.

Eugenius Romanus Pontifex, filio dilecto nostro Regi, ex semine Iacob, Regi Regum in vniuersa Æthiopia, maxime metuendo. &c. In summa autem litterarum, significabat filium suum Ioannem Palæologum, qui biennio ante esset mortuus, Regem Regum Romanorum, ad sacrosanctam Synodum celebrandam euocatum fuisse, & cum Iosephum Patriarcham Constantinopolitanum venisse, cum magno numero Archiepiscoporum, & Episcoporum, & omnis generis Prælatorum, in quibus etiam fuissent Procuratores Patriarcharum, Antiocheni, Alexandrini, & Hierosolymitani. Qui omnes se cum sanctæ fidei, & religionis amore firmiter coniunxissent, constitutaq; vnitate Ecclesiæ, sublatas fuisse antiqui temporis difficultates, non sine diuino auxilio, quæ erroneæ & religioni contrariæ videbantur: quibus rebus ritè sancitis, & constitutis, ipse Papa omnibus singularem lætitiam peperisset. Hunc autem librum Papæ Eugenij ad vos mittimus, quem incorruptum seruauimus; totum etiam Pontificiæ benedictionis ordinem & potestatem misissemus, nisi harum rerum nimis magnum volumen esse videretur, quum magnitudine librum Pauli ad gentes omnino superet. Legati vero, qui hæc à Pontifice ad nos detulerunt, fuere Theodorus, Petrus, Didymus, & Georgius serui Iesu Christi. Tu vero sanctissime Pater recte feceris, si euolui vestros libros iusseris, vbi harum rerum de quibus scribimus, vti facile arbitror, aliqua memoria reperiatur. Itaque sancte Pater, si aliqua ad nos perscribes, firmiter existimato, cuncta in nostros libros diligentissime fore conscripta, vt posteris nostris earum rerum sempiterna memoria relinquatur. & certe is mihi beatus esse videtur, cuius memoria custodita litteris, in vrbe sancta Roma, & in sede SS. Petri & Pauli conseruatur. Hi enim Domini sunt regni cœlorum, & totius mundi Iudices. Et quoniam ita credo, propterea has mitto litteras, vt mihi gratia pareatur apud sanctitatem vestram, & vestrum sanctissimum Senatum, vt inde sancta benedictio mihi proueniat, & bonorum omnium incrementum. Obnixe etiam precor sanctitatem vestram, vt mihi mittere velit aliquas Sanctorum imagines, & præcipue Beatæ Mariæ Virginis, vt sæpissime sit in ore, atque memoria mea nomen vestræ sanctitatis, & continuam ex muneribus vestris capiam voluptatem. Idcirco etiam vehementer postulo, vt mihi viros sacrarum litterarum doctos, atque etiam artifices mittatis, qui imagines fabricent: atque ita enses, & arma bellica omnis generis: itemque celatores auri atque argenti, & fabros lignarios, præcipue architectos, qui domos ex lapide construant, & tegulas ex plumbo, cuproque ducere sciant, quibus domorum tecta protegantur: ad hos etiam nobis chari erunt, qui vitrum conflare, organaque musica scite facere, & docte pulsare sciant, itemque fistulatores, & tibicines. Hos vero artifices ex domo vestra præcipue mihi mitti vellem. vel si horum domi vestræ exigua erit copia, ab aliis Regibus filiis vestris, eos sanctitas vestra poterit impetrare: quoniam vestris imperiis & nutibus facile obediunt. Hi cum ad me peruenerint, pro meritis summo in honore habebuntur, ex liberalitate mea, mercedem amplam accipient; & si domum aliquis redire concupiscet, præmiis abunde ornatus abibit, vti placuerit, quando nec muisum quemquam sim retenturus; cum fructum aliquem ex eius industria percepero.

Nunc ad alia transeundum est, & iam à te postulo sanctissime pater, cur non hortaris Reges Christianos filios tuos, vt arma deponant, & vti fratres decet, concordes inter se esse velint, postquam ipsi oues tuæ sunt, & tu ipse pastor earum? Optime quidem sanctitas tua nouit, quid Euangelium præcipiat, quod dicit; Omne regnum in se diuisum desolabitur. Nam si Reges animis, & fœdere certo consentient, facillime Mahumetanos omnes delebunt, & pseudoprophetæ sepulchrum felici irruptione disturbabunt, & diruent. Ob hanc rem da operam Pater Sancte, vt inter eos bona pax fiat, & certum fœdus amicitiæ percutiatur, hortareque eos, vt mihi adesse, opemque ferre velint, cum in regnorum meorum finibus, à Mahumetanis Mauris pessimis hominibus, sim ex omni latere circumdatus. Ipsi autem Mauri Mahumetani inter se mutuis auxiliis vtuntur, Regesque cum Regibus, & Reguli cum Regulis, aduersus nos syncere & constantissime conueniunt. Mihi Maurus quidam admodum vicinus est, cui finitimi alij Mauri arma, equos: atque instrumenta bellica suppeditant. Hi sunt Reges Indiæ, Persidis, Arabiæ atque Ægypti. Quibus de rebus singularem animo indies capio molestiam, cum hostes Christianæ religionis, fraterna charitate inter se coniunctos, pace frui conspiciam: Reges vero Christianos fratres meos, nihil omnino istis iniuriis commoueri, neque vllam mihi opem afferre, vti certe deceret Christianos, postquam fœdissimi filij Mahumetis inter se mutuis opibus adiuuantur. Neque ego is sum, qui ad id militares copias postulem, cum milites mihi supersint. Orationes & supplicationes tantum peto, locumque gratiæ apud sanctitatem vestram, & Reges fratres meos exopto. Quærenda enim mihi est hæc vobiscum amicitia, vt copiose his rebus, quas supra postulaui ad terrorem Maurorum sim instructus, & Christiani nominis hostes, vicini mei intelligant, Reges fratres meos singulari studio mihi fauere, atque opem ferre. quod certe ad commune decus pertinet; postquam in vna religionis, & fidei veritate consentimus, & in eo consilio sumus permansuri; quod firmum, atque absolutum erit cum eo, quod vtilius eueniet. Deus itaque vestra desideria impleat, super laudibus Iesu Christi, & Dei patris nostri, quem omnes laudant, per omnia secula. & tu Domine pater sancte complectere me, cum omnibus sanctis Iesu Christi qui sunt Romæ: & pariter in hos amplexus recipiantur omnes incolæ regnorum meorum, & qui Æthiopiam inhabitant, & reddatur gratia Domino Iesu Christo cum spiritu vestro. Has vero litteras sanctitas tua accipiet, de manu fratris mei Ioannis Regis Portugalliæ, filij potentissimi Regis Emanuel, per Oratorem nostrum Franciscum Aluarez.

Aliæ litteræ eiusdem Dauidis Æthiopiæ Imperatoris, ad Pontificem Romanum scriptæ anno M.D.XXIV. Paulo Iouio interprete.

Felix Sancte Pater, qui à Deo effectus es Gentium consecrator, & S. Petri sedem obtines. Tibi datæ sunt claues regni cœlorum, & quodcumque

cumque ligaueris vel solueris super terram, erit ligatum vel solutum & in cœlis, sicut dixit Christus, & ita in Euangelio Matthæi scribitur. Ego Rex, cuius nomen Leones venerantur, & Dei gratia Athani Tingit, hoc est, Thus Virginis vocor, quod nomen est à baptismate, nunc vero in ipso suscepti regni initio assumpsi nomen Dauid, dilectus à Deo, columna fidei, cognatus stirpis Iuda, filius Dauid, filius Salomonis, filius columnæ Sion, filius seminis Iacob, filius de manu Mariæ, filius Nau per carnem, Imperator magnæ & altæ Aethiopiæ, magnorum regnorum & ditionum, & terrarum, Rex de Xoa, de Castate, de Fatigati, de Angote, de Baru, de Baalinganze, de Adea, de Vangue, de Goiame vbi Nilus oritur, de Pamaraa, de Vagemedri, de Ambeaa, de Vagne, de Tigri Mahon, de Sabaym vnde fuit Regina Saba, de Bernagaes, & Dominus vsque ad Nobiam finem Aegypti. Hæ prouinciæ omnes in mea potestate sunt, & pleræque aliæ magnæ, & item paruæ, quæ nunc à me nequaquam numerantur, neque regna & prouincias suis nominibus expressi, non veluti superbia & vana gloria inductus, verum ob id, vt summus Deus magis ac magis laudaretur, qui singulari benignitate, tot amplissimorum regnorum Christianæ religionis, superioribus meis Regibus tanta imperia tribuisset: sed profecto me clariore gratia, inter alios Reges dignum fecit, vt religioni continuè inseruirem: quoniam me Adel Dominum fecerit, hostem Maurorum & Gentilium, qui adorant idola. Mitto ad deosculandos pedes Sanctitatis Vestræ, more cæterorum Christianæ fidei Regum, fratrum meorum, quibus neque religione, neque potentia sum inferior. Ego enim in regnis meis sum columna fidei; neque externis iuuor auxiliis, cum in solo Deo spem & opem reponam, qui me sustinet, & gubernat, ab eo tempore, quo Angelus Dei allocutus est Philippum, qui fidem doceret Eunuchum potentis Reginæ Candacis, Reginæ Aethiopiæ, qui ab Hierosolyma Gazam pergebat. Philippus tum baptizauit Eunuchum, & Eunuchus demum Reginam, cum magna parte familiæ, & populi eius, qui nunquam desierunt esse Christiani, omnique sequenti tempore perstiterunt fortes in fide. Prædecessores vero mei nulla alia ope adiuti quam diuina, fidem in latissimis regnis propagarunt, quod & ego quotidie efficere contendo. Maneo enim inter maximos regnorum meorum fines, vt leo ingenti sylua circumdatus, & septus aduersus Mauros obsidentes, & alias nationes fidei Christianæ inimicissimas, quæ nolunt audire verbum Dei, neque cohortationes meas: & ego gladio accinctus eos persequor, & paulatim extrudo, diuino [illegible] et fretus auxilio, quod nunquam mihi deest, quod secus accidit Regibus Christianis. Nam si regnorum suorum fines extendunt, id facile possunt assequi; quoniam alter alteri opem ferre potest, & au[illegible]strare, iuuariq; benedictione vestræ Sanctitatis; cuius par[illegible]am, cum in libris meis habeantur literæ, quas superioribus temporibus Eugenius Papa cum benedictione misit, ad Regem semen Iacob. Qua accepta, tradita per manus benedictione ego fruor, & magnopere lætor. Cæterum ego in magna veneratione habeo sanctum templum in Hierusalem, ad quod sæpissime mitto oblationes debitas, per nostros peregrinantes: & multò plures & pinguiores mitterem, nisi itinera à Mauris & infidelibus obsiderentur. Nam præter illud, quod dona nostra, & thesauros nunciis eripiunt, etiam eos libere pertransire non sinunt. Quod si paterent itinera, in familiaritatem & commercium Romanæ Ecclesiæ deuenirem, vt sit à cæteris Christianis Regibus, quibus in religione Christiana non sum inferior. Et ita vt illi credunt, vnam fidem rectam, & vnam Ecclesiam confiteor, credoque syncerissime in sanctam Trinitatem, & in vnum Deum, & virginitatem Dominæ nostræ Virginis Mariæ, & articulos fidei teneo & obseruo, vti ab Apostolis conscripti fuerunt. Nunc Deus optimus manu potentissimi & Christianissimi Regis Emanuelis, iter patefecit, vt per legatos conueniremus, & in fide coniuncti Christiani, cum Christianis Deo inseruiremus. Sed dum in aula mea eius Oratores essent, allatum est vitam cum morte commutasse, filiumque eius fratrem meum Ioannem paterni regni sceptrum accepisse. Vnde sicut ex patris morte summum senseram dolorem, ita ex filii felici in regnum assumptione mirifice sum lætatus; adeo vt sperem nos communibus copiis & viribus, per regiones Maurorum pessimorum, terra marique iter aperturos, atque eos magno terrore illato sedibus & regnis esse depulsuros, vt commodo pacatoque itinere, Christiani Hierosolymitanum templum petere, & liberè commeare possint: atque ego inprimis, sicuti vehementer exopto, diuini amoris particeps esse possim, in templo Apostolorũ Petri & Pauli. Cupio autem ingenti desiderio consequi sacrosanctam benedictionem, à Vicario Domini nostri Iesu Christi. Nam proculdubio sanctitas vestra, Dei est Vicarius. Et cum à peregrinis, qui ex regionibus nostris ad Hierusalem, atque inde Romam non sine miraculo eunt, & redeunt, de sanctitate vestra ab his multa audio, quæ mihi incredibilem afferunt voluptatem & gaudium: sed multo maiorem caperem lætitiam, si mei Oratores breuiore itineris compendio vti possent, & noua referrent: sicuti, antequam moriar, aliquando allaturos spero, non sine gratia Dei Omnipotentis, qui vos in sanitate & sanctitate conseruet. Amen. Has quoque literas sanctitas tua accipiet de manu fratris mei Ioannis Regis Portugaliæ, per eundem Oratorem nostrum Franciscum Aluarez.

Confessio fidei Christianæ, vna cum ritibus, legibus, moribus, vsu, consuetudinib. statu, ac fere vniuersa ratione viuẽdi, docendi, sacrificandi, sacra omnia tractandi, facta ab vno ex Oratoribus, missis Romam & in Lusitaniam, à Dauide Imperatore Aethiopum.

In nomine Domini nostri Iesu Christi, Amen.

Hæc sunt quæ de fide & religione apud nos Aethiopes habentur & obseruantur.

Credimus in nomen sanctæ Trinitatis, Patrem, Filium & Spiritum sanctum, qui vnus est Dominus, tria quidem nomina, vna diuinitas; tres facies, vna vero similitudo, æqualis trium personarũ coniunctio, æqualis inquã in diuinitate; vnum regnum, vnus thronus, vnus iudex, vna charitas, vnum verbum, & vnus Spiritus. Verbum autem Patris & Filii; verbum Spiritus S. & filius est idem verbum, & verbum apud Deum, & apud Spiritum S. & apud semetipsum, sine defectu vllo, aut diuisione, filius patris, & filius ipsius Patris sine principio, nempe primo sine matre filius patris. Nemo enim nouit secretum & mysterium eius natiuitatis, nisi pater, & filius, & Spiritus sanctus. Is autem filius in principio erat verbum, & verbum erat apud Deum, & Deus erat verbum. Spiritus patris, Spiritus sanctus: Spiritus filii, Spiritus sanctus est; Spiritus autem sanctus Spiritus sui, sine vlla diminutione, aut augmentatione. Is etenim Spiritus sanctus paracletus, Deus vnus, qui ex patre & filio procedit, locutus est per os Prophetarum, & in flamma ignis descendit super Apostolos, in Atrium Syon. Qui per totum terrarum orbem denunciarunt, ac prædicarunt verbum patris, quod verbum erat ipse filius. Præterea, neque pater est primus inde quod pater sit, nec filius postremus, inde quod filius sit; sic Spiritus sanctus nec primus, neque postremus est. Tres personæ vnus Deus, qui videt, & à nemine videtur, qui vnico suo consilio cuncta creauit. Postea vero filius propter nostram salutem, ipso Patre volente, Spiritu sancto consentiente, ex altissimo suo domicilio descendit, & incarnatus est de Spiritu sancto, ex Maria Virgine, quæ Maria duplici ornabatur virginitate. vna spirituali, altera vero carnali. Et natus est sine aliqua corruptione, ipsa Maria matre post partum virgine permanente, & magno cum miraculo, & arcano igne diuinitatis afflata, sine semine, & doloribus peperit filium suum Iesum Christum, qui homo innocens & sine peccato fuit. perfectus Deus, & perfectus homo, vnum solummodo habens aspectum. Adoleuit sensim vt infans, sugens lac Mariæ Virginis matris suæ; & cum attigisset trigesimum annum, baptizatus est in Iordane, & vt cæteri homines ambulauit, fuitque lassus, sudauit, esuriuit, & sitiuit. Hæc omnia passus est sponte & voluntariè, plurimaque fecit miracula: atque per suam diuinitatem cæcis visum restituit, claudos sanauit, leprosos mundauit, mortuosque suscitauit: ipseque postremo volens captus est, & flagellatus, ac colaphis verberatus, & crucifixus, & languit, & mortuus est propter peccata nostra, & sua morte vicit mortem ac diabolum, & sua vita ægritudine dissoluit peccata nostra, & languores nostros tulit, & baptismo sanguinis sui, qui baptismus mors eius fuit, baptizauit Patriarchas & Prophetas, descenditque ad inferos, vbi erat anima Adæ, & eius filiorum, atque anima ipsius Christi, quæ est ab Adam, quam animam Adæ ipse Christus accepit ex sancta Maria Virgine; & in splendore, & potentia diuinitatis suæ, & Crucis fortitudine fregit æneas, ac igneas inferorum portas, & catenis ferreis Sathanam colligauit; & redemit Adam, & filios eius. Hæc omnia Christus fecit, propterea quod plenus diuinitate erat, & ipsa diuinitas erat cum ipsius anima, & erat etiam cum ipsius sanctissimo corpore, quæ diuinitas virtutem dedit cruci. Quam quidem diuinitatem, is cum patre in Trinitate & vnitate habuit semper, & habet communem. Nec enim ipse Christus obambulans in terris, caruit oculi momento diuinitate, vel dignitate sua. Tum demum sepultus, tertia die ipse Iesus Christus, Princeps resurrectionis, Iesus Christus dulcissimus, Iesus Christus Princeps Sacerdotum, Iesus Christus Rex Israel, cum magna potentia & fortitudine resurrexit. Et postquam omnia fuerunt adimpleta, quæ sancti Prophetæ prædixerunt, ascendit in cœlum cum gloria, & sedet ad dextram patris, & venturus est cum gloria, ferens ante faciem suam crucem, & in manu gladium iustitiæ, iudicare viuos & mortuos, cuius regni non erit finis. Credo vnam sanctam Catholicam & Apostolicam Ecclesiam; credo vnum Baptisma, qui est remissio peccatorum;

iorum ; spero resurrectionem mortuorum, & vitam venturi seculi. Amen.

Credo Dominam sanctam Mariam Virginem, Virginem inquam spiritu & carne, quae vt Dei Mater, charitas omnium gentium est, sancta sanctorum, & virgo virginum, quam modo omnibus veneror. Credo sanctum lignum Crucis, lectum aegritudinis Domini nostri Iesu Christi Filii Dei esse, qui Christus salus nostra est, propter quem salui sumus. Iudaeis quidem scandalum, Gentibus autem stultitia. Nos vero praedicamus & credimus fortitudinem Crucis Domini nostri Iesu Christi, quemadmodum S. Paulus Doctor noster praecipit. Credo S. Petrum petram legis esse, quae lex aedificata est super sanctos Prophetas ; fundamentum & caput Ecclesiae Catholicae & Apostolicae, Orientalis & Occidentalis, vbi est nomen Domini nostri Iesu Christi: cuius Ecclesiae potestatem Petrus Apostolus habet, ac claues regni caelorum, quibus claudere & aperire, soluere & ligare potest. Is autem sedebit cum aliis Apostolis eius socius super duodecim sedes, cum honore & laude apud Dominum nostrum Iesum Christum, qui in die iudicii sententiam est de nobis laturus. quae dies gaudii quidem sanctis, doloris autem & stridoris dentium peccatoribus erit, cum deficientur in ardentes flammas inferni cum eorum patre Diabolo. Credo sanctos Prophetas & Apostolos, Martyres & Confessores veros Christi imitatores fuisse, quos cum sanctissimis Dei Angelis veneror & honoro : pariq; modo etiam omnes illorum sectatores coplector & deosculor. Deinde confessionem vocalem omnium meorum peccatorum credo faciendam esse apud Sacerdotem, cuius precibus per Christum Dominum nostrum, salutem animae meae spero me consecuturum. Praeterea Pontificem Romanum tanquam primum Episcopum, & pastorem omnium Christi agnosco ; ac omnes Patriarchas, Cardinales, Archiepiscopos, Episcopos, quorum ille caput est, quibus tanquam ipsius Christi ministris pareo atque obedio.

Haec est fides & lex mea, & populi Aethiopici, qui est sub ditione Preciosi Ioannis ; quae fides, atq; Christi amor, ita sunt apud nos confirmata, vt ea nec per mortem, nec per ignem, nec per gladium, fretus auxilio Saluatoris nostri Iesu Christi, vnquam sim abnegaturus ; quam fidem omnes portaturi sumus in die iudicii ante faciem eiusdem Domini nostri Iesu Christi.

Iam his enumeratis, erit nobis explicanda disciplina & doctrina, ac lex, quae Apostoli in sanctis Synodorum libris & Canonum (quos Mandat, atq; Abethilis vocamus) nobis praeceperunt. Sunt enim ii S. Ecclesiae legum libri octo, quos omnes Apostoli Hierosolymis congregati scripserunt. Obseruationes vero, quos sancti Apostoli nobis in libris praescripserunt, hae sunt.

Primo oportere nos ieiunare singulis diebus Mercurii, in memoriam consilii Iudaeorum, quo die ab eis decretum & consultum fuit, Christum occidendum esse. Praeterea ieiunandum esse singulis diebus Veneris, quo in die Christus Iesus crucifixus & mortuus est pro peccatis nostris. Et in his duobus diebus praeceptum est ieiunare vsq; ad occasum solis. Quadragesimalibus, pane & aqua ieiunandum indixerunt. Iniunxerunt etiam septem dies ac noctis horis membere rebus diuinis. Ex iis edictis quoq; tenemur & sacrum celebrare diebus Mercurii, ac Veneris tempore vespertino ; quoniam tunc expirauit Dominus noster Iesus Christus in sancto ligno Crucis.

Diebus autem Dominicis, omnes vnaniniter vt congregaremur in sancta aede hora tertia die ab ortu solis ad legendum & audiendã Prophetarum libros voluerunt, atq; postea vt S. Euangelium praedicemus, sacrum quoque faciamus. Praeterea nouem dies festos in Christi memoriam celebrandos constituerunt, scil. Annunciationis, Natiuitatis, Circumcisionis, Purificationis siue Candelarum, Baptismi, Transfigurationis, Dom. Palmarum vsq; ad octauam Veneris sancti (vt vocamus) qui dies duodecim sunt. Ascensionis quoq; & Pentecostes, cum suis etiã feriis. Et ex horum librorum praeceptis, sine aliqua exceptione a festo Paschae vsq; ad Pentecostem singulis diebus vescimur carnibus ; nec per hos dies, vsque ad octauam Pentecostes ieiunare tenemur, id quidem propter maiorem venerationem & honorem Resurrectionis Domini nostri Iesu Christi. Item voluerunt, vt diem mortis & Assumptionis Mariae Virginis cum omni honore celebraremus. Praeterea praeter Apostolorũ praecepta, quidam Preciosus Ioannes nomine semen Iacob constituit in honorem eiusdem B. Virginis, singulis annis triginta supra tres dies etiam celebrandos. Deinde propter Christi Saluatoris Natiuitatem, celebrari iussit de vnoquoque mense diem vnum, qui dies viget mus quintus semper est. Constituit quoque ex singulis mensibus vnum diem propter S. Michaelem celebrandum. Vlterius ex indicto Synodorum Apostolorum, diem Martyrii S. Stephani, ac aliorum martyrum celebramus. Ex institutione quoque Apostolorum celebrare tenemur duos dies, scil. Sabbathi & Dominici, in quibus non licet nobis aliquam rem facere, ne minimam quidem. Dum vero Sabbathi ob id, quod Deus in eo perfecta mundi creatione quieuisset, seruamus, quem vt voluit vocari sanctum sanctorum, ita plane videretur contra eius voluntate & praeceptum fieri, qui caelum & terram potius, quam suum verbum perire vult, si cum magno honore, ac religione, is dies non celebraretur ; praesertim cum ipse Christus non ad soluendum legem, sed ad implendum venerit. Quapropter non ad imitationem Iudaeorum, sed in iussu Domini nostri Iesu Christi, & SS. Apostolorum cum seruamus, quorum Iudaeorũ gratia in nos translata est. In quo die Sabbathi, excepto tempore Quadragesimali, carnes semper comedimus. Id tamen in regno Bernagaes, ac Tigri Mahon non seruatur, quorum duorum regnorum indigenae ex veteri consuetudine, carnibus in diebus Sabbathi & Dominicis Quadragesimalibus vescuntur. Diem autem Dominicam, vt caeteri Christiani, in memoriã Christi Resurrectionis celebramus. Diem tamen Sabbathi ex legis libris & non ex Euangelio celebrandum esse scimus : nihilominus Euangelium finem legis, ac Prophetarum esse non ignoramus : in quibus duobus diebus credimus animas piorum defunctorum, in purgatorio minime cruciari. Quam quietem Deus in his sanctissimis diebus animabus concedit, donec inde (finito termino suarum poenarum pro facinoribus in hoc seculo meritarum) penitus emergant. Ad quas poenas minuendas, ac earum cruciatus tempus attenuandum, eleemosynas pro defunctis factas, credimus ipsis animab. in purgatorio degentibus maxime prodesse. Ad quarum animarum remissionem Patriarcha nullas dat indulgentias ; id ad solum Deum, ac poenarum temporis constitutionem credimus spectare. Nullos quoque dies indulgentiarum Patriarcha concedit. Ex Euangelii lectione, sex tantum tenemur seruare praecepta, quae Christus ore proprio ita explanauit. Sitiui, & dedistis mihi manducare. Sitiui, & dedistis mihi bibere. Hospes eram, & collegistis me. Nudus, & operuistis me. Infirmus, & visitastis me. In carcere eram, & venistis ad me. Quae vero ba Christus in die iudicii solumodo est prolaturus. Quoniã lex, teste Paulo, peccata nobis ostẽdit; quam legẽ, excepto Iesu Christo, nemo custodire potuit. Ipso Paulo quoque teste. Omnes ex peccato nati sumus, propter Euae matris nostrae transgressionem, & propter eius maledictionẽ. Praeterea, inquit ipsemet Paulus, nos propter Adam mori, & propter Christi vitam viuere ; qui Christus ob suam immensam misericordiam, nobis haec sex praecepta dedit, vt cum venerit in sua maiestate, iudicatũ vivos & mortuos, saluemur. Quibus verbis, ac praeceptis in ipso tremendo iudicii die, bonis gloriam sempiternã, malis ignem & perpetuam damnationem, denunciabit. Et quinq; tantum peccata mortalia (vt vocant) annumeramus, id quidem ex vlt. Apocal. cap. vbi dicitur ; Foris autem canes & venefici & impudici, & homicidae, & idolis seruientes, & omnis, qui amat, & facit mendacium. Item constitutum est a sanctis Apostolis in Synodorũ libris, clericis vxores licere ducere, id quidẽ postquam cognitionem aliquam habuerint rerum diuinarũ. Deinde inito matrimonio in ordinem Presbyterorum recipiuntur, in quem nisi post annum trigesimum nemo recipitur, nec spurii, nec nothi aliqua ratione ad eundem sacratissimum Ordinem intromitti utur, qui Ordines a nemine, nisi ab ipso Patriarcha dantur. Mortua tamen prima vxore, Episcopi aut Clerici aliam ducere non possunt, nisi Patriarcha ad id dispensauerit (quod aliquando indulgetur magnatibus propter publicum bonum) nec habere concubinam, nisi se voluerint a sacris abdicare : quod si fecerint, res diuinas amplius tractare non possunt. Et tam stricte seruatur, vt ii presbyteri, qui secundo vxorem duxerint, ne candelam quidem vnam Ecclesiae consecratam, in manum auderent accipere. Quod si inuentum fuerit Episcopum aut Clericum filium spurium habere, ab omnibus beneficiis ac sacris Ordinibus abdicatur, quorum bona, si sine legitima prole discedant, ad Preciosum Ioannem, & non ad Patriarcham veniunt. Et id, quod presbyteri apud nos vxores possideant, ex sancto Paulo accepimus, qui mauult Clericum nubere quam vri. Is quoque inquit, oportere Episcopum virum vnius vxoris esse, & irreprehensibilem, sobrium, pariq; modo vult esse Diaconos. Atque etiam vt Ecclesiastici perinde atque seculares proprias vxores in legitimo matrimonio habeant. Monachi tamen vxores non ducunt. Et tam laici quam clerici vnam tantum possident vxorem, & matrimonium non contrahitur pro foribus sacrae aedis, sed in priuatis domibus Paranymphorum. Ex sanctorum Apostolorum constitutione habemus, vt si Sacerdos fuerit comprehensus in adulterio, homicidio, latrocinio, vel falsum testimonium tulerit, vt a sacris Ordinibus deiiciatur, ac vt caeteri malefici puniatur. Rursus ex eorundem Apostolorum instituto, si aliquis siue Ecclesiasticus, siue laicus cum vxore congressus fuerit, vel in somnis pollutus fuerit, spatio quatuor & viginti horarum templum non ingreditur, nec id quoque menstruatis mulieribus licet, nisi septimo quoque die a menstruo, id quidem omnibus vestibus ablatis, quibus tempore menstrui vtebantur, ipsaque bene lota, atque a sordibus repurgata. Item

mulieri parienti masculum, non conceditur venire in templum, nisi post quadragesimum diem ; pariẽti vero foeminam, post octuagesimum. Hanc consuetudinem ex veteri lege, ac ex nouis Apostolica habemus : quas leges, institutaq; ac praecepta diligenter in omnibus, quatenus fieri possit, obseruamus. Deinde prohibitum est apud nos, ne aut gentes, aut canes, aut alia huiusmodi animalia, in templa nostra intrent. Item non datur potestas nobis adeundi templum, nisi nudis pedibus : neque licet nobis in ipso templo ridere, obambulare, aut de rebus prophanis loqui, nec spuere, aut seuerare in ipso templo. Quia Ecclesiae Aethiopicae non sunt similes terrae illi, vbi populus Israel comedit agnum Paschalem decedens ab Aegypto, in quo loco Deus iussit eos comedere indutos caleamentis, & zonis accinctos, propter terrae pollutionem : sed similes sunt monti Synai, vbi Dominus locutus est Moysi dicẽs : Moyses, Moyses, exue calceamenta tua, quoniam terra quam pedes tui premunt, sancta est. Et hic mons Synai parens nostrarum Ecclesiarum est, ex quo suam acceperunt originem, ita vt Apostoli ex Prophetis, & nouum testamentum a vetere. Praeterea nec Sacerdoti, nec laico, vel alij personae cuius conditionis sit, assumpta venerabili Eucharistia licet exspuere, a tempore matutino, vsque ad occasum solis ; & si spuerit, grauissima poena multatur.

Item in memoriã Christi Baptismi, singulis annis, omnes in Epiphaniis Domini baptizamur ; id quidem facimus, non quod ad salutem spectare credimus, sed propter Seruatoris nostri laudem & gloriã. Neq; vbertus, aut refertus, spectaculis, iocis, & cerimonijs vllum aliud festum celebramus ; quoniam in hoc die, primo manifeste apparuit sanctissima Trinitas : cum Dominus noster Iesus Christus baptizaretur in flumine Iordane, cum Sp. Sanctus in specie columbae super caput eius desiderit, & vox de caelo dixerit : Hic est filius meus dilectus, in quo mihi complacuit. Qui Sp. Sanctus apparens in specie albae columbae, cum facies & figura patris & filij apparuit in vna diuinitate. Pariq; modo Christus visus est a sanctis prophetis per multas similitudines & formas. Primũ in specie arietis albi, propter salutem Isaac filij Abrahae : coq; modo nominauit Iacob, Israel, & Iacob, Iudam catulum leonis, eum super alios fratres potestatem tribuit dicens : Ad praedam fili mi ascendisti, requiescens recubuisti vt leo, & quasi leaena : quis suscitabit eum ? Item manifestauit se Moysi in monte Synai, in specie flammae igneae : ostendit se sancto Danieli prophetae in similitudine Petrae. Ezechieli quoq; in filio hominis apparuit, & Isaiae in forma infantis. Manifestauit se etiam Regi Dauidi, & Gedeoni in rore super vellus. Praeter has recensitas formas in multis aliis visus est a sanctis prophetis. Tametsi vero tam variis formis fuerit visus, semper similitudinem Patris & Spiritus sancti repraesentauit. & cum Deus etiam creasset mundũ, dixit ; Faciamus hominẽ ad imaginẽ & similitudinẽ nostrã. Propterea nos dicimus Patrẽ, Filium & Sp. Sanctum esse tres vultus, in vna similitudine & diuinitate. Habemus quoq; a temporib. Reginae Sabae circumcisionem, quam ad hunc vsq; diem seruamus. Erat autem huic Reginae Saba, nomẽ proprium Maqueda, quae more maiorũ colebat idola. Ad cuius aures fama sapientiae Salomonis cũ peruenisset, quendam virũ prudentẽ Hierosolymam misit, vt re omni explorata certior de Regis prudentia redderetur. Quo reuerso, & re explanata, subito se ad iter Hierusalem versus componit. Atq; cũ eo peruenisset, praeter multa alia quibus a Salomone erudita est, legẽ ac prophetas didicit, eaq; in patriã (facultate impetrata abeundi) proficiscens, in itinere filium quem ex Salomone concepit, peperit, q vocatus est Meilech, quẽ ipsa Reginam Aethiopia vsq; ad vigesimum aetatis annum apud se educauit, ac postea ad Salomonem eius patrem remisit, vt ab eo scientiam & sapientiam disceret : quem per litteras obsecrauit, vt filium Meilech, coram arca foederis testamenti Domini, Regẽ Aethiopiae consecraret, ac crearet, neue vlterius foeminae ius regnandi in Aethiopia haberent, vt tum in more erat, sed vt recto tramite masculi in regnũ succederent. Qui cum Hierosolymam venit, a patre facile matris postulata obtinuit, ac pro Meilech vocatus est Dauid, quem ita abũde in lege, atq; in aliis disciplinis edoctum, pater Salomon constituit ad matrem remittere, id quidẽ cum maiore ornatu, Regioq; apparatu. Ad quod munificentius conficiendum, comites illi nobiles, ac primorum virorũ filios tradidit, qui ei pro Regio more inseruirẽt. Praeterea decreuit cum eo mittere Azariam Principem Sacerdotum, filium Sadoch Principis quoq; Sacerdotũ. Quod cũ Azarias intellexisset, Dauidem hortatus est, vt ei a patre impetraret potestatem sacrificandi pro successu itineris, ante arcã foederis Domini. Qua re a Salomone impetrata, Azarias subito tabulas, quam secretissime potuit, ad imitationem tabularũ foederis Domini dedolare curat. Quib. perfectis ad sacrificandum se cõponit, in ipsoq; sacrificio clanculum, atq; mira arte, veras foederis Domini tabulas ex arca surripuit, praeciq; adulterinas quas secum portauerat reposuit, se solo, ac Deo conscio. Hae narratio apud nos Aethiopes sanctissima & probatissima habetur, vt ex historia ipsius Regis Dauidis (quae iucundissima lectu est) apparet : cuius historiae liber tantae crassitudinis est, quantae omnes Pauli epistolae. Caeterum cũ iam Dauid ad fines Aethiopiae peruenisset, Azarias eius tẽtorium ingressus, id q; semper apud se occultum tenuerat, ei reuelat, nempe tabulas foederis Domini penes se esse. Qua re audita, subito Dauid ad tẽtorium vbi Azarias tabulas foederis Domini habebat accurrit, ibiq; p nimio gaudio ad exemplũ aui sui Dauidis, ante arcã in qua tabulae erãt, incepit saltare. Quo a suis viso ; & re intellecta, omnes pari modo gaudiũ & laetitiã ingentẽ celebrauerunt. Tandem peragrata magna Aethiopiae parte, ad suã matrẽ peruenit ; q statim ei imperiũ omnium prouinciarũ detulit, omnemq; administrandi regni curã in eius humeros reclinauit. Et ab eo tempore ferme iã inde vsq; in hunc diem, elapsis interim bis millenis, sexcentenis annis, regnũ Aethiopiae recto tramite, de masculo semper ad masculũ transfertur. Et ab his temporib. legẽ Domini, & circumcisionẽ seruamus, vt dictum est. Ab eodem quoq; tempore hucusq; ministeria, quae Salomon filio suo Dauidi ad aulam suam gubernandam ordinauit, in eo ordine ac familiis, quo tunc temporis erant conseruantur, nec aulica ministeria ex alia stirpe deligere fas habet, vel ipse imperator. Insuper iussit, & decreto ipsius Regina Maqueda, mulieres quoq ; circumciduntur. Ad id ea ratione deducta est, vt quemadmodum viri praeputium habet, mulieres quoque eodem modo ceteam quandam glandulosam carnem, quam Nymphan vocant, in genitalibus habent, non inept. am accipiendo characteri circumcisionis. Id quod fit tam in masculis quam in foeminis ad octauum diem. & post circumcisionem, masculi baptizantur ad quadragesimum diem, mulieres vero ad octuagesimum, nisi aliqua interuenerit aegritudo, vt opus sit festinatione. Quod si ante tempus constitutum baptizentur, infantibus non licet lacte matris lactari, sed nutricis tantum, id quidem donec matres purificentur. Et aqua in qua baptizantur, exorcismis consecratur & benedicitur, & ea ipsa die qua pueri baptizantur, venerabile corpus Domini accipiunt, sub exigua specie panis. Nos ferme prius caeteris Christianis omnibus, baptismum ab Eunucho Candacis Reginae Aethiopiae, cui nomen erat Indich accepimus, ita in actis Apostolorum traditur, quam vna cum circumcisione (quam tum temporis, vt prius dictum est, habebamus) sancte & Christiane obseruamus, & Deo adiutore sumus perpetuo obseruaturi. Nec quicquam praeter ea, quae in lege & prophetis, & in Euangelio, atque in libris Synodorum Apostolorum sunt, seruamus, aut admittimus ; & si quae alia praeter haec recipiamus, ea seruantur interim, quae ad ordinem & pacem Ecclesiae videntur spectare, id tamen sine aliquo peccati vinculo. Quamobrem circumcisio nostra immunda non est, sed lex & gratia data patri nostro Abrahae est, quam a Deo tamquam signũ accepit, nõ vt propter circumcisionẽ saluus fieret, aut filij eius, sed vt ipsi filij Abrahae, a caeteris nationibus dignoscerentur. Et id quod symbolo circumcisionis latenter ostenditur, eximie seruamus, nempe vt corde circumcisi simus. Nec ob circumcisionem gloriamur, nec etiam caeteris Christianis putamus nos ob id nobiliores, nec Deo acceptiores esse, apud quem nulla est acceptio personarum, teste Paulo, qui etiam ostendit nos saluos fieri non propter circumcisionem, sed propter fidem : quia in Christo Iesu, nec circumcisio aliquid valet, nec praeputium, sed noua creatura. Is autem Paulus non praedicauit ad destruendam legem, sed ad stabiliendam, qui circumcisus quoque fuit, & ex semine Beniamin. Is quoque Timotheum iam Christianum factum, ex matre Hebraea & patre Gentili, natum circumcidit ; sciens Deum circumcisionem ex fide, & praeputium per fidem iustificare. Et vt ipsemet ait, factus est omnibus omnia, vt omnes faceret saluos ; Iudaeis tamquam Iudaeus, vt Iudaeos lucrifaceret : his qui sub lege erant, quasi sub lege esset : cum ipse non esset sub lege, vt eos qui sub lege erant lucrifaceret : his qui sine lege erant, tamquam sine lege esset, cum sine lege Dei non esset, sed in lege Christi, vt lucrifaceret eos, qui sine lege erant. Et factus est infirmus, vt infirmos lucrifaceret : id quod fecit, vt ostenderet, non ex circumcisione, sed ex fide nos salutem consecuturos. Vnde cum Hebraeis praedicasset, tamquam Hebraeus variis sermonibus locutus est, dicens ; Multifariè, multisque modis olim Deus locutus est patribus nostris in prophetis, ostendens eis ex ipsis Prophetis, Christum ex semine Dauidis secundũ carnem. Deinde Christum eis praedicauit, cum patribus nostris in tentoriis, in deserto fuisse, eosque in terram promissionis introduxisse, per manum Iosue. Praeterea idem quoque Paulus mihi testatur, Christum fuisse Principem Sacerdotum, ac in nouum tentorium intrasse, quod est Sanctum Sanctorum, & sacrificio sui Corporis & sanguinis, sanguinem hircorum & taurorum, quo nemo acce-

dentium poterat iustificari abolenisse; & sic multis modis locutus est Iudæis: multis quoq; ritibus, sancta & incorrupta fide, se à suis coli patitur.

Præterea apud nos habentur Semi Christiani pueri illi, quos hic audio paganos ab Ecclesia Romana vocari; qui quamuis sine baptismo moriantur, semiChristiani debent appellari: quoniam filij sacrati sanguinis parentum per Baptismum ex Baptismo, & ex S. Sancto, & ex sanguine Domini nostri Iesu Christi nati sunt, ex quibus tribus testimoniis omnes Christiani reputantur. Quoniã tres sunt qui testimonium dant in terra, Spiritus, Aqua, & Sanguis, teste Ioanne in sua Canonica, & vt Euangelium etiam dicit: Bona arbor fert bonos fructus, mala vero arbor malos: ideoq; filij Christianorum non sunt, vt filij Gentilium & Iudæorum, atq; Maurorum, qui sunt arbores aridæ sine aliquo fructu. Christiani autem sunt electi in vtero matrum suarum, vt sanctus Hieremias propheta, & sanctus Ioannes Baptista fuerant. Insuper infantes Christianarum mulierum, sunt electi & consecrati, ex corporis & sanguinis Domini nostri Iesu Christi communicatione. Nam fœminæ grauidæ, cum assumunt venerabile corpus Domini nostri Saluatoris Iesu Christi, infans capiens inde nutrimentum, fit sacratus. Quoniam sicut infans existẽs in vtero, ex eius effectibus cõtristatur, ac lætatur, sic etiã ex matris nutrimento nutritur, & vt ipse Dominus ait in suo Euangelio: si quis comederit corpus meũ, & biberit sanguinem meum, non gustabit mortem in æternum. Rursus: Si quis gustauerit meum corpus, & biberit meum sanguinem, erit mecum. Ad hæc Paulus Doctor Gentium ait: Vir infidelis iustificatus est per mulierem fidelem, & mulier infidelis sanctificata est per virum fidelem: alioquin filij vestri immundi essent, nunc autem sancti sunt. Quod si ita est, vt filij matris infidelis sanctificentur in patris fidelitate, multo sacratiores esse debent illi, qui ex patre & matre fidelibus nati sunt. Ob quam rem longe magis pium erit, vocare infantes antequam baptizati sint, semiChristianos, quam paganos. Id quoq; dixerunt Apostoli in suis Synodorum libris. Omnes qui habent fidem, & non acceperunt Baptismum merito possunt dici semiChristiani: qui etiam dicunt in memoratis libris: Si Iudæus, Maurus, Gentilis fidẽ accipere voluerit, nõ esset illico admittẽdus: sed voluerunt eum prius venire ad valuas templi, ibiq; audire conciones & verba seruatoris Christi: vt qui prius ad fidem incitatus, ac quasi arreptus fuit, iugum legis cognoscat: quod cum fecerit, vocari possit semiChristianus, quamquam baptizatus non sit, quemadmodum Euangelium docet: Qui crediderit & baptizatus fuerit, saluus erit: qui vero non crediderit, condemnabitur.

Et est etiam moris apud nos, vt mulieres grauidæ ante partus tempus semper confiteantur, ac vt corpus Dominicum confessæ accipiant, & eæ quæ hoc non faciunt, & puerorum patres, si eas ad id non impulerint, habentur impij & mali Christiani.

Præterea sciendum, apud nos Confirmationem & chrysma, siue extremam olei vnctionem, pro Sacramento non haberi, nec in vsu esse, vt dicitur ex Romanæ Ecclesiæ consuetudine fieri. Item ex lege Moysi, & Apostolorum instituto, non licet nobis cibos immundos comedere. Id facimus ad omnem legis, ac scripturarum obseruationem; quarum octuaginta & vnum libros, tam veteris quam noui testamenti annumeramus: scilicet ex vetere quadraginta sex, & ex nouo triginta & quinque, quem numerum singulorum librorum habemus expressum ab ipsis Apostolis: quibus libris veteris & noui testamenti nihil addere, nec minuere licet: quamquam Angelus de cœlo id nobis persuadere conaretur. & qui talia auderet tentare, pro anathemate reputaretur. Quare, nec Patriarcha, nec Episcopi nostri per se, nec in Conciliis putant, aut opinantur vllas leges se condere posse, quibus ad mortale peccatum obligari quis possit.

In ipsis etiam Synodorum libris constitutum à sanctis Apostolis est, oportere nos confiteri, atq;, quam pœnitentiam pro magnitudine singulorum peccatorum à confessore accipere debemus. Instruunt quoque nos, quomodo orandum & ieiunandum sit, & charitas exercenda. Præterea hoc familiarissime vtimur, quod statim ad pedes Confessoris, cum peccatum commissum est, accurrimus: & hoc faciunt omnes tam masculi, quam fœminæ, cuiuscumq; conditionis sint. & quotiescumq; confitemur, assumimus corpus Domini, & id quidem sub vtraq; specie, in pane azymo triticeo. Quod si singulis diebus confiteamur, singulis quoque diebus accipimus venerabile sacramentum: & id tam apud Clericos, quam apud laicos in vsu est. & Sacramentum Eucharistiæ non seruatur apud nos in templis, vt sit hic apud Europæos, nec ægroti corpus Dominicum accipiunt, nisi dum conualuerint. Id fit, quoniam omnes tam laici, quam Clerici consueuerunt illud, ad minus bis in hebdomada accipere: & omnes idem volentes facere, templum accedunt: quippe nemini datur, nisi in ipso templo, nec id conceditur Patriarchæ, nec ipsi Precioso Ioãni. Vtimur etiam semper vno confessore, nec alium accipimus, nisi ipso absente: quo reuerso, ad ipsum redimus. Et Confessores omnium peccatorum dant nobis ex Ecclesiæ potestate absolutionem: nullo casu Episcopis, aut Patriarchæ reseruato, quamuis grauissimo. Vlterius, presbyteri non possunt audire confessionem eius, cui confitentur. Præterea presbyteri, & monachi, & omnes Ecclesiæ ministri, apud nos suo labore viuũt. Quippe Ecclesia nullas habet decimas, nec accipit: habet tamen prouentus & agros, quos ipsi Clerici & monachi fodiũt: aut sua, aut aliena opera colunt, & nullas alias habent eleemosynas, præter eas quæ gratis in templis offeruntur pro exequiis mortuorum, & aliis piis rebus: nec eis licet vicatim mendicare, nec à plebe aliquid eleemosynarum extorquere.

Item in nostris templis singulis diebus, vna tantum celebratur Missa, quã sacrificij loco habemus: nec plures, ex veteri instituto celebrare licet. Pro qua quidẽ Missa, nullum preciũ, aut mercedem accipimus. In quo ministerio, Sacramentum Eucharistiæ non ostẽditur, ibiq; omnes Sacerdotes & Diaconi, Subdiaconi, & templum Domini accedentes, corpus Domini accipiunt: & nullam pro remissione animarum facimus Missam: sed mortui, cum Crucibus & orationibus sepeliuntur in certo loco: super quos mortuos, præcipue, inter alias orationes, initium Euangelij Ioannis dicimus: & sequenti die, à sepulto mortuo, eleemosynas pro eis offerimus. Id etiam postea facimus certis diebus, in quibus omnibus epulis funebribus indulgemus.

Sciendum autem est, nos ex veteri testamẽto delectum ciborum seruare; qui delectus ab ipso verbo Dei constitutus est: quod Verbum postea natum est ex Maria Virgine, & ambulauit, atq; versatum est cum suis Apostolis. Id quoq; Verbum Dei semper viuum, integrum, inuiolatum sermonem ac verbum habuit. Nec id quod olim ex immunditia prohibuit comedere, postea in aliquo sui Euangelij loco dixit esse comedendũ. Id vero quod in Euangelio ait, Quod per os intrat, hominem non coinquinare, sed ea quæ ex ore procedunt: non ea de causa dixit, vt frangeret id quod antea constituerat, sed vt refutaret superstitionem Iudæorum, qui arguebant Apostolos, quod illotis manibus panẽ manducarent. Imo nec Apostoli id temporis, quando versabantur cum Domino nostro Iesu Christo, vmquam vsi sunt immundis, nec gustauerunt ea quæ in lege prohibita sunt, nec vllus eorũ eã trãsgressus est. Nec iis temporib. quæ passionẽ Domini insecuta sunt, cũ Euangeliũ cœperũt prædicare Apostoli, vllis apud nos scriptis probari potest eos edisse, aut occidisse immũda. Verũ tamẽ est Paulũ dicere: Omne quod in macello venit, mãducate, nihil interrogãtes propter conscientiã. Postea, Si quis vos vocat infideliũ ad cœnam, & vultis ire, omne quod vobis apponitur mãducate, nihil interrogãtes propter conscientiã. Si quis autẽ dixerit, hoc immolatũ est idolis, nolite mãducare propter eũ qui indicauit, & conscientiã, &c. Omnia hæc dixit Paulus, vt placeret iis, qui in fide non erant admodum cõfirmati; quoniã inter hos & Iudæos, variæ consurgebant disputationes ac contẽtiones, quas vt sedaret, Christianis nondũ satis confirmatis indulgentius morigerabatur, & acquiescebat. Id tamẽ faciebat, non quod legẽ frangere vellet, sed vt plures ita in ceremoniis relaxandis gratificando, ad fidẽ alliceret. Idẽ Apostolus quoq; ait: Is qui manducat, non mãducantem non spernet: & qui non manducat, manducantem non iudicet: quoniam is qui manducat, Domino manducat; & qui non manducat, Domino non manducat. Quamobrem indignum est, peregrinos Christianos tã acriter ac hostiliter reprehendi: sed multo consultius erit huiusmodi Christianos homines, siue Græcos, siue Armenios, siue Æthiopes, siue ex quauis septẽ Christianarũ Ecclesiarũ, in charitate & Christi amplexibus sustinere, & eos sine contumeliis permittere, inter alios fratres Christianos viuere ac versari; quoniam omnes filij baptismi sumus, & de vera fide vnanimiter sentimus. Nec est causa, cur acriter de cerimoniis disputetur; nisi vt vnusquisq; suas obseruet, sine odio & insectatione aliorum: nec commerciis Ecclesiæ ob id excludendus est, si peregre in alienis prouinciis domesticos ritus obseruet. Id præterea, quod in Actis Apostolorum habemus, nempe quo pacto Petrus vidit cœlum apertum, & vas descendere quoddam, veluti linteum magnum, quatuor initiis submitti de cœlo in terram, in quo erant omnia quadrupedia, & serpentia terræ, & volatilia cœli. cui vox dixit: Surge Petre, occide & manduca. Cui Petrus, Absit Domine, quoniam numquam manducaui omne commune, aut immundum. Cui vox iterum: Quod Deus purificauit, tu commune ne dixeris. Quod vbi cum tertio repetitis vicibus cõrigisset, statim illud vas in cœlum receptum est. Quibus peractis, spiritus misit eum in Cæsaream, ad Cornelium virum pium, & timentem Deum, apud quem loquẽte Petro, cecidit super omnes qui verbum Dei audiebant Spiritus Sanctus: quo Spiritu Sãcto accepto, Petrus totã familiã Cornelij baptizari iussit. Quod cum cæteri Apostoli, ac fratres qui in Iudæa erant, Cornelium esse baptizatum audiuissent, Petro quod dedisset baptismum & verbũ Dei gentilibus, succensere cœperunt dicentes, Quare introisti ad viros præputiũ habẽtes, & mãducasti cum

illis?

illis? Qui à Petro tota visione exposita, placati sunt, atque Deo gratias egerunt dicentes; Ergo & Gentibus pœnitentiam dedit Deus ad vitam? Et recordati sunt verbi Domini, quod in cœlum ascendens dixit: Ite per omnem terram, & prædicate Euangelium omni creaturæ; qui crediderit & baptizatus fuerit, saluus erit: Qui vero non crediderit, condemnabitur. Tunc Apostoli cœperunt prædicare Euangelium per totum mundum omni creaturæ, In nomine Patris, & Filij, & Spiritus S. atq; per omnem terram exiuit sonus eorum. Et hanc visionem, in qua munda & immunda apparebant, ita in Æthiopia exponimus: munda animalia fuisse populum Israel, immunda autem populum Gentilium. Ideo vero Gentiles sunt vocati immundi, quod Idolorum cultores essent, & inseruirent operibus Diabolorum, quæ immunda sunt. Quod autem vox illa dicit, Petre occide, id apud nos in hunc modum interpretatur: Petre baptiza: & quod dixit, Petre manduca, interpretamentum habet, ac si dixisset, doce & prædica fidem, & legem Domini nostri IESV Christi populo Israel, & gentibus. Ad hæc certissimum est, nullibi in Scripturis reperiri Petrum, aut alios Apostolos immunda occidisse, aut comedisse post hanc visionem. Porro sciendum est, cum Scriptura loquitur de pane, non intelligendum esse cibum, nec corporale nutrimentum, sed explicationem & expositionem Christi, & Scripturarum doctrinæ. Consultum profecto esset, omnes Doctores & Prædicatores de hoc linteo quod ostensum est Petro, sublimia & alta docere, & non illa quæ infima sunt, & quæ nihil ad salutem videntur pertinere, ac non inde documenta aucupari: quasi fas & licitum esset nobis immunda comedere, quando ex Scriptura id minime colligere possunt. Quid quod ipsi Apostoli in suis Synodorum libris, præceperunt nobis ne comedamus animalia suspensa, suffocata, lacerata, neque semesa ab aliis bestijs, nec sanguinem. quoniam Dominus amat munditiam, & sobrietatem, & odit gulam & immunditiam: & plurimum etiam Dominus diligit eos, qui abstinent à carnibus: & multo magis eos, qui ieiunant pane & aqua, & herbis, vt Ioannes Baptista eremita, vltra Iordanem fecit, qui semper vsus est herbis. & sanctus Paulus eremita, qui octuaginta annis semper ieiunans, commoratus est in deserto; atque sanctus Antonius, & sanctus Macarius, ac plurimi alij filij eius spirituales, qui numquam gustauerunt carnes. Ideoque non oportet nos contemnere, neque insectari proximos nostros, quoniam Iacobus ait, Qui detrahit fratri, aut iudicat fratrem suum, detrahit legi, & iudicat legem. Paulus quoque docet, melius esse vnumquemque viuere contentum suis traditionibus, quam cum fratre Christiano de lege disputare. Rursus non plus sapere, quam oportet sapere, sed sapere ad sobrietatem, & vnicuique sicut Deus diuisit mensuram fidei. Quapropter indecens est cum fratribus de lege, aut de delectu ciborum disputare, quod esca non commendet nos Deo: præsertim cum ipse Paulus dicat Apostolus; nec si manducauerimus, abundabimus: nec si non manducauerimus, deficiemus. Idcirco altiora & cibum cœlestem quæramus, & has infimas & inanes disputationes omittamus. Hæc omnia quæ de traditionibus scripsi, non ad disputationem, nec contentionem scripsi, sed vt nostros quatenus fieri potuit protegerem ac defenderem, contra acerbissimas multorum reprehensiones, quibus nulla fuit reuerentia, quominus potentissimum pretiosum Ioannem, ac eius subditos conuiciis proscinderent, ac Iudæos & Mahometanos appellarent, eo quod circumcisionem seruamus, & sabbathum sanctificamus vt Iudæi. deinde quod veluti Mahumetani, ad occasum solis vsq; ieiunamus, id hominem Christianum minime decere asserentes. Id quoq; acerbissime obijciunt, Sacerdotum coniugia, vt laicorum licita esse apud nos. Præterea nec id sine morsu omittitur, quod primo Baptismo, quasi diffisi, singulis annis rebaptizamur: quod præter viros, etiam mulieres circumcidantur, more nec apud Iudæos quidem recepto: deniq; quod delectũ ciborum, sanctissimi obseruatum volumus. postremo, quod infantes, qui ante baptismum pagani vocari solent, semichristianos nuncupemus. quibus obtrectationibus coactus sum talia dicere, vt nostros purgarem ab huiusmodi calumnijs, & vt Doctores sanctæ Ecclesiæ Romanæ, redderem nobis affabiliores. Ego enim non sum missus à potentissimo Domino Imperatore Æthiopum, ad Romanum Pontificem, & Serenissimum Ioannem Lusitaniæ Regem ad disputationum & contentionum rixas, sed ad amicitiam & Societatem contrahendam, non autem ad traditiones humanas vel augendas, vel diminuendas: & vt etiam de erroribus Arij principis hæreticorum diligenter exquirerem, & intelligerem, an id Europæi Christiani cum nostris, ad huius hominis opiniones deuincendas conuenirent. Propter cuius errores Niceæ, sub Syluestro Papa congregatum fuit Concilium trecentorum octodecim Episcoporum; ac deinde vt scirem, an id apud Europæos Christianos seruaretur, quod Apostoli in suo Synodorum libro præcipiunt, scilicet, vt singulis annis bis in Ecclesia Christi Concilium celebretur, in quo de rebus fidei rationem habendam statuerunt. quorum primum voluerunt cogi ad festum Pentecostes, secundum decima die Octobris. Deinde vt intelligerem, quomodo inter eos conueniret de erroribus Macedonij, cuius causa, sub Damaso Papa congregatum fuit Constantinopoli Concilium centum quinquaginta Episcoporum. Præterea de erroribus Nestorij propter quem sub Cælestino Papa congregatum fuit in Epheso Concilium ducentorum Episcoporum. Postremo vt etiam scirem de quarto a magno Concilio Chalcedonensi, in quo propter errores Eutychis, congregati fuerunt sexcenti, triginta duo Episcopi, quo tempore Pontificatum obtinebat Romanus sanctus Leo, ex quo Concilio varijs disceptationibus habitis, & nihil ad concordiam Ecclesiæ constituto, omnes discesserunt, vnusquisq; retinens opinionem suam. Quarum Synodorum libros, & aliarum quæ postea celebratæ fuere, potentissimus Dominus meus Æthiopum Imperator penes se habet; & de hac zizania, quã aduersarius veritatis Diabolus seminauit inter Christianos, Dominus meus plurimum dolet, vna cum omnibus suis subditis Christi fidelibus.

Nostri certe ab exordio primitiuæ Ecclesiæ, Romanum Pontificem vt primum Episcopũ agnouerunt; cui etiã hodierno die, vt Christi Vicario paremus: in cuius Curia frequentissime essemus, nisi obstarent magna itinerum interualla, ac multorum Mahumetanorum regna interiecta, quæ transitũ impediunt, ita vt susceptis maximis periculis, nihil tamen efficias. Quamquã prudentissimus & inuictissimus Rex Emanuel felicis memoriæ, qui primus non sine cælesti numine itinerum Orientalium Indiarum suis nauigationibus aperuit, magnam spem præbuit, id in posterum commodius futurum. Is enim superato Oceano, Rubrum mare in classibus edomuit; nihil deterritus magnitudine sumptuũ, quo & Christi fidem augeret, & ad vsum nostræ amicitiæ, quasi viam patefaceret; & id quoniam iam factum est, & vtraque gens alterius opibus vti potest, breui speramus fore, vt ab Lusitanis, vna cum nostris armis, omnes Mahumetani, cæteriq; Ethnici, ex mari Erythræo, ac vniuersa Arabia, Perside, ac India depellantur. Itidem & illud futurum confidimus, pace inter omnes Europæos Christianos composita, vt etiam ex mediterraneis locis, Ponto, alijsque prouincijs, inimici Crucis profligantur vt sit iuxta Christi verbum, super faciem terræ vna lex, vnum ouile, & vnus pastor. Cuius rei oracula duo habemus, alterum ex prophetia S. Ficatoris, alterum ex S. Synoda eremita, nato in extremis Ægypti cautibus, quorum neutrum ab altero dissentit. & ex quo Dominus meus potentissimus, legatos Serenissimi & prudentissimi Regis Emanuelis accepit, videtur fides oraculorum ad euenta properare. Certe iam inde noster princeps nihil magis cogitat, consilijsque & armis meditatur, quam vt Mahometani de facie terræ deleantur. His de causis, alijsque, quas coram Serenissimo Rege Ioanne Emanuelis filio exposui, istuc missus sum, à Domino meo potentissimo, non ad friuolas & inutiles disputationes; atque vtinam instituta ac conatus Principis nostri, pro quibus legatus sum, Deus Optimus Maximus ad finem optimum, & ad suam gloriam perducat. Amen.

His omnibus explicatis, obiter & breuissime aliquid de statu nostri Patriarchæ, ac Imperatoris exponam.

Primum sciendum, solenni ritu Patriarcham nostrum ab Hierosolymitanis Monachis nostris, qui ibi apud sepulchrum Domini habitant, suffragijs creari, idque hoc modo. Vita defuncto Patriarcha, statim Imperator noster Preciosus Ioannes Nuncium aliquem expeditum mittit Hierosolymam ad Monachos ibidem agentes, vt dictum est, qui nuncio accepto ac muneribus, quæ Imperator Dominus noster ad sanctum sepulchrum dono mittit, continuo alium Patriarcham suffragijs plurium eligunt; sed fas non est alium, quam Alexandrinum eligere, ac moribus incorruptum. Quo creato, suffragia sua obsignant, eaque legato qui ad id venit in manus tradunt. Is statim Cayrum contendit; quo vbi ventum est, Patriarchæ Alexandrino qui ibi semper sedes habet, creationem illam legendam porrigit. Cognito autem, quem ex Alexandrinis delegerunt, virum tantis honoribus destinatum, cum legato in Æthiopiam mittit; qui ex veteri instituto Monachus Ordinis Diui Antonij eremitæ debet esse; cum quo in Æthiopiam confestim Nuncius proficiscitur, vbi cum magno gaudio & honore ab omnibus excipitur. In quo negotio aliquando annus vnus atque alter transigitur: interimque Preciosus Ioannes de prouentibus ipsius Patriarchæ pro libitu dispensat. Præcipuum autem Patriarchæ officium est, Sacros Ordines dare; quos nemo, ipso excepto, aut dare, aut auferre potest. Cæterũ nullum Episcopatum, aut Ecclesiæ beneficium in vllos confert: id solum ad Preciosum Ioannem spectãs, qui omnia pro suo arbitrio dispensat: mortuoque Patriarcha, cuius ditiones ac prouentus amplissimi sunt, ex solido omnium illius bonorum fit hæres. Est præterea Patriarchæ muneris, excommunicationibus aduersus contumaces procedere; quarum tum arcta obseruatio est, vt præuaricatori pœna perpetuæ inediæ vsque ad mortem infligatur. Indulgentias nullas dat, neque concedit. Nec pro vllo delicto, quãtumcumq; magno, cuiquã Sacramẽta Ecclesiæ

inter-

interdicuntur, nisi tantum propter homicidia. Ipsum nomen Patriarchiatus, nostro Idiomate Abunna dicitur. Cæterum qui nunc hoc solium tenet, proprio nomine quod ex baptismate accepit, Marcus vocatur, vir centum annorum, aut vltra.

Sciendum etiam, apud nos Calendis Septembris annum incipere, qui dies semper incidit in vigiliam S. Ioannis Baptistæ. Reliqui dies festi, vt Natalis Domini, Paschæ, aliique deinceps eodem tempore apud nos celebrantur, quo in Ecclesia Romana. Id quoque dissimulanter prætereundum non est, apud sanctum Philippum Apostolum, Euangelium & fidem Saluatoris nostri prædicasse.

Quod si libeat suscitari, de agnomine nostri Imperatoris, is sibi persuasum habeat, illum perpetuo appellari Preciosum Ioannem, & non Presbyterum Ioannem, quomodo sic passim falso iactatur. Scribitur enim nostris characteribus, nostroque sermone Ioannes Belul, hoc est Ioannes Preciosus, siue Altus: & in Chaldaica lingua scribitur Ioannes Encoe, quod si interpreteris, etiam Ioannis Pretiosi, siue Alti significatum habet. nec est nominandus, vt Matthæus falso indicauit, Imperator Abessynorum, sed Æthiopum. Matthæus enim quoniam Armenius erat, non poterat res nostras perspicue scire: præsertim eas quæ ad fidem spectabant. Idcirco multa coram prudentissimo felicis memoriæ Rege Emanuele exposuit, quæ minime apud nos habentur. Id autem fecit, non quod mentiri voluerit: quippe vir bonus erat; sed quod in rebus religionis nostræ non admodum erat edoctus. Regnorum autem & Imperij successio, non in filium natu maximum transmittitur, sed ad eum in quem pater id vult conferre. Et is qui modo imperium tenet, ordine nascendi tertius est: quod pia quadam reuerentia emeruit. Cum enim filij à patre moribundo, in Regijs solijs sedere iuberentur, cæteris id facientibus, solus id facere recusauit: Absit, inquit, id mihi tribui, vt in cathedra Domini mei sedeam. Qua pietate à patre circumspecta, ei regna ac imperium tradidit. Vocatur autem is Dauid: cuius imperij ditiones, tam Christianorum, quam Ethnicorum magnæ amplitudinis sunt: in quibus nulli Reges & Reguli, Comites, Barones ac proceres, multaque nobilitas inest, ad eius mandata obtemperantissima. In cuius omnibus ditionibus, nulla præter peregrinam habetur moneta: aurum vero & argentum pondere datur, atque accipitur. Oppida & ciuitates apud nos permultæ sunt: sed non tales quales in Europa videmus: quod magna ex parte venit, quia Preciosus Ioannes semper in castris & tentorijs versatur. quæ consuetudo ideo recepta est, vt Nobilitas continue & perpetuo, se in rebus militaribus exerceat. Nec illud prætereundum videtur, nos ab omnibus lateribus circumdatos esse ab hostibus Christianæ fidei, cum quibus crebro confligimus, semper fore secundo marte vti: quas victorias Numinis auxilio imputamus.

Ius scriptum apud nos in vsu non habetur, nec ligantium quærelæ libellis, sed ore peraguntur. Id fit, ne lites auaritia Iudicum & patronorum in longum protrahantur.

Id quoque admonitione dignum videtur, Matthæum non fuisse ab Imperatore nostro Dauide missum, ad inuictissimum, potentissimumque Regem Emanuelem felicis memoriæ, sed ab Regina Helena vxore Imperatoris, cognomento Manus Mariæ, qui huius Dauidis, de quo loquimur, auus fuit: quæ tunc temporis ob tenellam Dauidis ætatem, regnorum gubernacula administrabat: mulier haud dubie prudentissima & sanctissima. Eadem ista Helena duos composuit libros sermone Chaldaico, vt erat doctissima. quorum vnus dicitur Enzera Chebaa, id est, Laudate Dominum in organis; in quo de Trinitate doctissima disputat, & de Matris Christi Mariæ virginitate. Alter vocatur Chedale Chaay, hoc est, Radius Solis, in quo acutissime de lege Dei disputationes habet.

Hæc Zaga Zabo, quod gratia patris interpretatur, Episcopus & Sacerdos, ac Bugana Raz, nempe miles, ac Pro rex prouinciæ quæ Bugana dicitur, de fide, Sacramentis, ritibus, institutis, moribus, vsu, consuetudinibus, statu, Ordinibus, & imperio Æthiopum referebat, ac paulo post scripto euulgabat.

XXXIII. Superioribus autem litteris Regijs, coram Summo Pontifice in Sacro Senatu perlectis, cum idem Franciscus Aluarez Orator, hæc ipsa quæ obsequuntur Lusitano sermone protulisset: tum deinde Secretarius eiusdem Oratoris Portugaliæ eadem verba, vt ab omnibus intelligi possent, Latine pronunciauit, videlicet.

Sanctissime ac Beatissime Pater, Serenissimus ac potentissimus Dominus Dauid Rex magnæ & altæ Æthiopiæ, vulgo Pretegyam appellatus, haud minus cultu veræ religionis, quam imperio, opibus, ac regnis præcellens, hunc suum Oratorem ad Sanctitatem vestram, cum his litteris quas ei reddidit, destinauit: mandans vt eidem Sanctitati vestræ, tamquam vero Christi Vicario, Petri successori, ac vniuersæ Ecclesiæ Summo Pontifici, veram obedientiam & subiectionem nomine suæ maiestatis, ac omnium regnorum suorum, humiliter, sicut fecit, præstaret: eique munusculum aureæ crucis, non tam precio, quod tenue est, quam veneratione eiusdem crucis, quam Dominus noster IESVS Christus pro nobis subire dignatus est, à vestra Sanctitate æstimandum offerret: supplicans eidem humiliter eiusdem Regis sui nomine, vt hæc omnia pro parentis affectu à deuotissimo filio suo suscipere dignetur.

Ad hæc Secretarius eiusdem SS. D. nostri, à Sanctitate sua iussus, hunc in modum respondit. XXXIV.

Sanctissimus Dominus noster, Te Domine Francisce Aluarez, serenissimi Dauid Æthiopiæ Regis Oratorem, vna cum obedientia, munere, & litteris quas attulisti, grato admodum animo, benigna voluntate, & paterno affectu recepit: gratias Deo agens, quod suis temporibus, litteras & Oratorem tanti Christiani Regis, ac tam remoti videre sibi concesserit. Itaque litteras ac tua verba diligenter ac libenter audiuit; obedientiam, vna cum venerabilibus Fratribus suis S. R. Ecclesiæ Cardinalibus benigne acceptat: munusque ipsum, cum ob imaginem & honorem sanctæ Crucis, tum ob mittentis affectum valde gratum habet; tum vero Serenissimum Portugalliæ Regem summe collaudat in Domino, quod is præter cætera eius & progenitorum suorum ingentia erga Rempublicam & fidem Christianam merita, etiam de ipso Dauid Rege bene mereatur; amicitiam, commerciumque cum eo coniungat, ac te cum his litteris tuto ad sanctitatem suam peruenire curauerit. Quod ad reliqua attinet, sua sanctitas omnem datura est operam, vt pijs dicti Regis desiderijs, quantum in tanta terrarum disiunctione fieri ab ea poterit, satisfiat; vtque is semper intelligat, se apud sanctitatem suam, & sanctam Apostolicam Sedem, inter cæteros Christianos Principes, charissimi in Christo filij loco, amore, & honore esse, ac fore. deque his rebus sua sanctitas, & cum Oratore Portugaliæ, ac tecum sic aget, & per litteras ac Nuncios suos Maiestati tui Regis particularius respondebit. Damianus Goez de rebus Æthiopum, in secundo Tomo Hispaniæ Illustratæ.

Hæc dum Clemens Pontifex, de rebus Æthiopicis accipit, vel expedit, eodem anno & tempore aggreditur negotium ingens, à quo fere solo, omnia alia in Ecclesia Catholica dependent. Delectus est inprimis, deinde institutio, eorum qui sacris admouendi, vel præficiendi: ne vel temere manus alicui imponantur; vel ij qui per manuum impositionem sacrati fuerint, profanis institutis imbuantur. Iniquitas temporum attulerat id temporis, vt & indigni passim ad summæ dignitatis officia admitterentur: & qui populis præire sanctitate debuerant, nihilo populum anteirent probitate; locumque illi prophetico facerent, *Sicut populus, sic & Sacerdos.* Vtriusque rei ad normam Ecclesiasticam reuocandæ, curam susceperat Hadrianus paulo ante defunctus: quo fatis defuncto, Clemens eandem sibi omnino suscipiendam duxit; ac primum vt Sacri Ordines rite conferrentur, speculatores, & inter hos Ioannem Petrum Caraffam, Episcopum Theatinum, huius rei & cognitorem, & administratorem constituit, scripto isto diplomate. XXXV.

Clemens Papa VII.

Venerabili fratri Ioanni Petro Episcopo Theatino, in Romana Curia residenti.

Venerabilis frater, Salutem & Apostolicam benedictionem.

Pastoralis nostri officij cura, quo de nobis commisso fidelium populorum grege Deo Omnipotenti rationem reddere tenemur, nos inducit, vt quæ ad omnium, præsertim Clericorum rectum regimen pertinere dignoscuntur, solicitis studijs ordinare non postponamus. Dudum nos cupientes nonnullis abusionibus & corruptelis, quæ retroactis temporibus in Romano Curia, ob negligentiam præsertim in locorum Ordinariorum, & aliorum Antistitum viguere, non solum obuiare, verum etiam illas totis viribus radicitus euellere & extirpare: Te de cuius integritate, experientia docente, plenam notitiam habuimus, ad sacrorum Ordinum collationes, & promotiones, nec non quorumcumque ordinandorum diligentes examinationes faciendas, cum plena authoritate & potestate ordinandi eos, qui promouendi essent, ac examinatores & scriptores ad id necessarios deputandi, aliaque tunc expressa faciendi, motu proprio deputauimus. Cum autem simul tam tua, quam illorum Prælatorum per nos ad reformationem necessariam, iuxta nouissimi Lateranensis Concilij, & alias Canonicas sanctiones faciendam deputatorum

tatorum relatione, non sine animi nostri displicentia acceperimus, quod ab eisdem temporalibus citra in eadem ordinatione quamplurimæ corruptelæ, & abusiones, tam ex parte Antistitum, quam Notariorum, & aliorum ministrorum, ac eorundem pro tempore ordinatorum diuersa Simoniaca præmia, diuersis respectibus, vel occasionibus interuenisse cēseantur; & aliqui eorum conscientiæ prodigi illa prætextu Scripturarū, seu chartarum, vel laborum, aut postillarum, seu Bibalium recipere posse asserere non verentur: Nos diuersorum prædecessorum nostrorum, qui Simoniacam labem huiusmodi totaliter extirpare conati fuerunt vestigijs inhærentes, ac sperantes, quod fauente Domino ad illam extirpandam & funditus euellendam te studiosum reddes, motu simili, & ex certa scientia nostris, ac de Apostolicæ potestatis plenitudine, tibi omnes & singulos, in dicta Romana Curia nunc & pro tempore residentes, & ad illam confluentes & venientes vndecumque, & cuiuscumque nationis, sufficientes tamen & idoneos, ad primam Clericalem tonsuram, & minores, ac sacros etiam presbyteratus Ordines, temporibus ad id à iure statutis, quin etiā extra illa, in quibusuis tribus Dominicis, vel festiuis alias, tamen rite promouendi, illosque ad id examinandi, & examinari faciendi; ac pro tanti negotij faciliori expeditione, quoscumque examinatores, etiam singularum nationum, ad eosdem promouendos diligentissime examinandum, ac Notarios vel scribas, qui de examine & promotione, & alijs necessarijs actibus plenam fidem faciant, & alios quoscumque ministros ad id necessarios deputandi: ac quibusuis alijs Episcopis, & etiam Cameræ Apostolicæ, ac Vicarij vrbis, & alijs Notarijs & scribis, seu ab eis nunc & pro tempore deputatis, qui in similibus se hactenus exercuerunt, ne de cætero in illis, etiam vigore quarumcumque nostrarum, & Sacræ Pœnitentiariæ nostræ literarum, supplicationum, & mandatorum eis pro tempore factorum, & concessorum se intromittant; sub excommunicationis, suspensionis & interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententijs, censuris & pœnis, etiam pecuniarijs arbitrio tuo infligendis, & alicui pio operi per te applicandis, inhibendi. Et si (quod absit) aliquem eorundem per te deputandum quocumque siue muneris, siue taxæ, etiam quantumcumque inueteratæ, siue etiam esculentorum & poculentorum præmium, vel aliam exactionem ab eis ordinatis, vel ordinandis, aut examinatis, vel examinandis, seu alijs pro eis, directe vel indirecte, quomodolibet exegisse, extorsisse, seu alias etiam à sponte dantibus recepisse repereris, illas eisdem, & alijs ab eisdem prædecessoribus nostris, contra Simoniacos latis pœnis corrigendi & castigandi; ipsosque promotos in regulis more, & norma celebrationis, & recitationis Missarum, horarum Canonicarum, & aliorum diuinorum officiorum, ac ministerio Sacramentorum docendi, & imbuendi; omniaque alia & singula in præmissis, & circa ea necessaria quomodolibet & opportuna faciendi, & exequendi, plenam & liberam licentiam & facultatem per præsentes concedimus, ac super præmissis omnibus tuam conscientiam oneramus: distinctius inhibendo dilecto filio nostro Francisco tituli S. Callisti presbytero Cardinali, & alijs modernis, & pro tēpore existentibus nostris Camerarijs, & in vrbe Vicarijs, ac eiusdem Cameræ Clericis, præsidentibus, eorumque Notarijs, & scribis, & quibusuis alijs, quibus præsentes intimatæ fuerint, ne contra monitiones & inhibitiones per te faciendas, aut præsentium tenorem, in promotionibus, vel eorum testimonijs, ministerijs, & exercitijs, seu eorundem ordinandorū examinationibus, se vllatenus intromittant. Non obstantibus constitutionibus & ordinationibus Apostolicis, ac dictæ Cameræ & officiorum quorumcumque, etiam iuramento, confirmatione Apostolica, vel quauis firmitate alia roboratis, statutis, consuetudinibus, priuilegiisque & indultis Apostolicis illis concessis, confirmatis, & innouatis: quibus, illorum tenores præsentibus pro expressis habentes, illis alias in suo robore permansuris, hac vice duntaxat, horum serie specialiter & expresse derogamus; cæterisque contrarijs quibuscumque non obstantibus. Datum Romæ apud S. Petrum sub annulo Piscatoris, die xi. Maij 1524. Pontificatus nostri anno I. Iacobus Sadoletus.

XXXVI. Et quia Pontifex intellexerat, velle Caraffam, & quosdam alios presbyteros, vitam Cleri Apostolicam restituere, exemplumque quod alij sequerentur ex seipsis statuere, eis facultatem concessit, dato paulo post diplomate quod adscribo.

Venerabili Fratri Ioanni Petro Episcopo Theatino, & dilecto filio Caietano Presbytero Vicentino, ac eorum socijs & successoribus.

Clemens Papa VII.

Venerabilis frater, & dilecte fili. Salutem & Apostolicam benedictionem.

Exponi nobis nuper fecistis, quod vos, & nonnulli alij eiusdem propositi, socij vestri, diuina, vt creditur, inspiratione ducti, cupientes cum maiori animi quiete Deo seruire, & illi magis pro desiderio adhærere posse, tria substantialia Religiosæ vitæ, paupertatis scilicet, castitatis, & obedientiæ vota emittere, & sub solito & communi habitu Clericali in vnum commorantes, & in communi, ac de communi, Deo humiliter & deuote, quantum ipse dederit seruientes, sub nostra & Apostolicæ Sedis humili & immediata subiectione, & speciali protectione, Clericalem vitam ducere decreuistis, supplicareque nobis fecistis, vt de nostra, atque huius Sanctæ Sedis plenitudine potestatis, solitaque clementia, in præmissis benigne annuentes: de ijs, quæ ad huius vitæ propositum conducere, aut quomodolibet expedire videntur, vobis, socijs, successoribusque vestris prouidere dignaremur. Nos qui omnium Christi fidelium, pijs & honestis desiderijs libenter annuimus, vestrum in hac parte laudabile desiderium, plurimum in Domino commendantes, vestrisque huiusmodi supplicationibus inclinati, vobis, & cuilibet vestrum, vt quandocumque visum fuerit, possitis tria substantialia religiosæ vitæ, vt petitis, Paupertatis, Castitatis, & Obedientiæ vota publice emittere, & in manibus cuiusque presbyteri secularis, vel cuiusque Ordinis Regularis, solenniter profiteri, ac sub solito, & communi habitu Clericali, subque nomine & nuncupatione Clericorum Regularium, in communi viuentes, in locis Religiosis, aut secularibus, prout vobis ab illis quorum loca ipsa concessum fuerit, seu expedire videbitur, sub nostra, & Sanctæ huius Sedis Apostolicæ immediata subiectione, & speciali protectione in vnum habitare, atque ex vobis, inter vos, singulis annis superiorem eligere Præpositum nuncupandum, qui vsque ad triennium, & non vltra confirmari possit: aliosque quoscumque seculares Clericos, quauis dignitate fulgentes, seu laicos, qui Deo inspirante ad huiusmodi vitæ propositum, & communem viuendi modum, sese conferre voluerint, recipere, & post annum probationem, ad talem trium votorum professionem, in manibus Superioris, seu Præpositi emittendam, ad huiusmodi communem viuendi modum admittere; nec non statuta quæcumque, ordinationes, & Constitutiones, de omnibus & singulis, quæ ad huiusmodi vitæ propositum conducere, moresque, & institutum honeste & deuote clericaliter viuendum concernere videbuntur: de Missis præcipue, & alijs diuinis officijs seu Horis Canonicis, prout vobis melius videbitur celebrandis & recitandis, licita tamen, & honesta, rationabilia, & bonis moribus, & sacris Canonibus non contraria facere, edere, & pro tempore facta, edita, corrigere, reformare, & in parte, vel in totum immutare, ac de nouo alia prout vobis expedire videbitur, instituere & ordinare, & iuxta illa viuere; quæ postquam à vobis condita, edita, & reformata, instituta aut immutata, & ordinata, ac nobis, seu successoribus nostris exhibita fuerint, Apostolica auctoritate approbata, & confirmata sint, & esse censeantur: & vt omnibus, & singulis priuilegijs, exemptionibus, immunitatibus, Indulgentijs, facultatibus, libertatibus, auctoritatibus, indultis, fauoribus, concessionibus, & gratijs spiritualibus, & temporalibus, quibus potiuntur & gaudent, aut in futurum potientur & gaudebunt Canonici Regulares Lateranenses, Congregationes, personæ & loca eorum, vos, personæ, & loca vestra, vti, potiri, & gaudere possitis; quorum tenores præsentibus pro sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis haberi volumus; ita vt litteræ Apostolicæ, super eisdem priuilegijs, exemptionibus, immunitatibus, concessionibus, & gratijs eisdem concessis, vel pro tempore concedendis, mutatis duntaxat nominibus, cognominibus, inuocationibus, & diebus ad libitum expediri possint, perinde ac si illa omnia, & singula, non solum per clausulas generales, sed per eorum tenorem de verbo ad verbum expressionem & insertionem, fuissent vobis per has nostras litteras, sub hac ipsa die expressa, & specialiter concessa, tenore præsentium, ex certa nostra scientia, & ex Apostolicæ plenitudine potestatis, vobis, ac socijs, & successoribus vestris in perpetuum concedimus pariter & indulgemus: & ad præmissa omnia & singula, quibuscumque impedimentis & contrarietatibus amotis liberam plenamque auctoritatem & facultatem elargimur. Non obstantibus, nomine, dignitate, & officio Episcopali, quæ Ioanni Petro supradicto, per alias nostras litteras reseruauimus, Apostolicisque, & generalibus aut specialibus Constitutionibus, ordinationibus, etiam iuramento, aut quauis alia firmitate roboratis, etiam si qua specialiter, seu de verbo ad verbum exprimenda essent, quæ pro expressis haberi, & quibus quoad effectum præsentium duntaxat, specialiter & expresse derogamus, aliisque contrarijs non obstantibus quibuscumque. Datum Romæ apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris die 24. Iunij. M. D. XXIV. Pontificatus nostri, anno primo. Iacobus Sadoletus.

Ista Pontifex Caraffæ, Caietano, & duobus eorum primis socijs, Bonifacio à Colle & Paulo Consiliario concedebat; quas à nobilitate generis, à morum probitate, à zelo sanctitatis depangendæ, & ab Ecclesiæ reformandæ studio, maxime commendatos habuerat. De Caraffarum stemmate, ex XXXVII.

quo Ioannes Petrus prodijt, nihil opus est dicere. Audiuisse, cognouisse est: adeo nota eius nobilitas per Europam pene vniuersam. Vngariæ, Poloniæ, Siciliæ amplissima, nobilissimaque regna, inter principes familias Caraffarum genus annumerant; ex quo magni proceres, ad vtrumque clauum nati. Is igitur ortus est summo loco, & quasi maiorum gentium domo, quam Summi Pontificatus insulæ non primo nobilitarunt, sed iam olim clarum copia Equitum & Ducum domi bellique illustrium, ac septem Cardinalium sacratam purpuris, magis magisque prouexerunt. Maternum etiam Ioannis Petri è Camponescorum stirpe genus, æque propemodum illustre fuit. Fortissima ea gens in Vestinis, vetustaque admodum, & Guelfæ, hoc est Pontificiæ partis causæque non sequax modo, sed & princeps in ijs regionibus, & egregiorum facinorum pro ea tutanda auctor fuit. In ijs Braccium Perusinum Pontificibus Romanis rebellem, & Ghibellinorum insignem Ducem, bello captum, in Camponescorum domo, terebrato cerebro, necatum legimus. Vniuerse autem de Vestinis populis Pius Quintus Pontifex Maximus testatus est, numquam in ijs oris aut natam hæresim, aut aliunde inspersam coaluisse: vt non sine diuini nutu numinis Ioannes Petrus Catholicæ religionis vindex acerrimus, ex ea regione, simplicitate ac integritate morum ornata, maternum genus duxisse credendus sit. Itaque Victoria Camponesca Petri Lalli filia atque hæres vnica, in qua ea primaria Vestinorum familia defecit, Ioanni Antonio Caraffæ nupsit, dotisque nomine Montorij in Marrucinis Toparchiam in viri domum intulit. Eo mater, sanctissimis fœmina moribus grauida dum montem, qui Virginis nuncupatur, vbi Deiparæ Templum, religione venerabile, non longe à Caraffarum oppidis constructum cernitur, pietatis ergo conscenderet, à quodam eremita ætate & moribus graui, & qui sanctus poterat videri monita fuit, vt pedetentim pergeret, vterique sui magnam curam haberet, quod Summum Pontificem concepisset, ac gestaret; qui olim rebus magnis orbem impleret, atque inprimis efficeret, vt Ecclesia esset sine ruga, & sine macula, nec habens amplius aliquid huiusmodi, quod oculos aut aures offenderet.

XXXVIII. Natus est Ioannes Petrus Capriliæ, in oppido paterno, ad furcas Caudinas sito in Hirpinis, anno salutis M. CCCC. LXXVI. III. Kal. Quinctil. illucescente aurora: quem mater Victoria magis effudisse, quam peperisse visa est: nempe, nullum fere dolorem, aut nixum perpessa: ita vt prius infantem genuerit, quam potuerit obstetrix ad lætandum partum accurrisse. Puero geminum id nomen parentes indidere, quod intra Octauas Sancti Ioannis Baptistæ, atque in peruigilio beatissimi Petri Apostoli lucem hanc primo aspexerit. Fratrem vnicum & maiorem se natu Ioannem Alphonsum habuit; Sorores quinque, Mariam, Beatricem, Dianam, Elizabetham, Ioannam. Prima Christo æterno Regi desponsa, Sapientiæ Monasterium Sanctimonialibus condidit, rexitque sanctissimè: Cœteræ nobilibus viris in matrimonium datæ, in Leonissam, Carboniam, Tolphiam, Cantelmiam illustres domos migrauere.

XXXIX. *Ioannis Petri Caraffæ Episcopi Theatini prosapia & vita.* Puer, à patre viro clarissimo tam diligenter, tam pie fuit educatus vt vix credi potuerit, quanta præter egregiam indolem, ac prope incredibilem ingenij celebritatem in illo eximiæ virtutis significatio apparuerit. Nullum vmquam is verbum insolens effudit: nihil vmquam nobili puero quid indignum egit. In omni actione caste & continenter, vt fere in perpetua vita se gessit. Virginitatem intemeratam ad vsque mortem seruauit. Cum viris religiosis, aut Benedictinis, aut Dominicanis magis, quam cum quouis alio assiduus, magno se regularis vitæ desiderio teneri ostendit. Annum vix duodecimum natus, è domo paterna ad Sancti Dominici Cœnobium Neapoli fugiens, eius instituti habitum à Patribus extorsisset, nisi illi Parentum pueri offensionem timuissent, eaque in re illis pronè par erat detulissent. Frustratus voto puer, non tamen cogitationem Dominicam Ordinis subeundi deposuit: quin imo magis ac magis inflammatus, dies noctesque pensitauit, qua ratione tandem parentibus imponeret, & his vel percalcatis, ad vexillum crucis conuolaret. Secretorum conscium, sororem natu maiorem Mariam, eadem religiosi instituti cupiditate flagrantem, quæque Ioanni Petro ad omnem sanctitatem præibat, huius desiderij sui fecerat participem. Atilla æquali volutate exæstuans, consilium dedit, ipsaq; destinauit. quando Victoria mater aliquo solenni die, ad Diui Sebastiani Dominicanarum cœnobium iret, ac vtrumque secum ex more duceret; ipsa inprimis intra claustra penetrans, non amplius exire, sed illic Monialibus accensere vellet. qua de re dum mater cum Sanctimonialibus litigaret, omniaque sus deque misceret, ille etiam ex occasione ad Sancti Dominici, nemine aut comitante, aut animaduertente confugeret, atque togam Prædicatoriam, prius denegatam impetraret, induceret. Dictum, factum. Dum Victoria, Sanctimoniales Dominicanas, vt Mariam à se expellant exagitat, terramque ac cœlum fidei appellat, Ioannes Petrus ad Sancti Dominici accurrit, vota exponit, habitum Dominicanum postulat, flagitat, impetrat, & non maior quatuordecim annis induit: quem paulo post, parentibus, omnia extrema Cœnobitis minantibus, & nihil non facientibus, summo cum ciulatu exueret: è cœnobio velut è paradiso, in domum paternam retractus.

XL. Domum reductus, sub vigilantiore custodia vixit, iam studijs honestarum artium à patre addictus. Latinæ, Græcæ, Hebraicæ linguarum cognitionem, tam exacte hausit, vt non tantum legere ac scribere, verum etiam loqui diserte, eleganterque ac interpretari omnia distincte, profundeque potuerit; atque ex eloquentia Latina, cognomen Christiani Ciceronis aliquando meruerit. Philosophiæ scita, Theologiæ tam eius quæ circa controuersias cum hæreticis versatur, quam eius quæ vel mores format, iudicatque, vel abscondita à vulgo secreta rimatur; illam moralem, hanc Scholasticam vocant, ita ad vnguem didicit, vt summis Theologis prope par esset. Pontanum, Albinum, Grauinam, Lippum Brasdolinum, Hermolaum Barbarum, Gabrielem Altilium, & alios illius temporis viros doctissimos audiuit: maxime tamen à lectione operum Diui Thomæ Aquinatis sui gentilis profecit: de quo postea dicebat: *Neapolim, edito Aquinate obijsse.* Scilicet, parere, æquales Aquinati desijsse.

XLI. Pubertatis annos vix ingressus, ab Oliuerio Caraffa patruo, magno Cardinale Romam euocatus, cum illius domum semper doctissimis viris refertam adijsset, ab illis doctior & prudentior euadere contendebat. cumque tempus superasset, sæpissime in angulis libellum aliquem raptim, furtimue adolescens inspiciebat: vt qui intelligeret, vel exiguum in adolescentia laborem, vberrimos afferre fructus in senecta. A suis perbenigne sibi oblatum Episcopatum, tantum abest vt prensarit; vt non modo aperte recusarit, verum etiam (quod in magna laude patruus ponebat) suo præceptori, non sine magna quadam charitate, conferendam curauerit. Paulo post, Alexandro Sexto Pontifici propter modestiam & integritatem vitæ charus, atque inter Cubicularios & Prothonotarios Pontificios assumptus, non tantum incontaminatum se inter vitia seculi seruauit, verum etiam plurima sanctitatis & moderationis exempla alijs dedit, vt Pontifex non alio frequentius, in rebus spiritualibus quam Ioanne Petro Caraffa vteretur: quem etiam in extremo vitæ articulo, dum poculi venenati maleficio extingueretur, pro diuinissimo Eucharistiæ Sacramento, quod secretissime in palla aurea seruabat, vt superius memorauimus, miserat; vade postmodum adolescenti Caraffæ magna occasio terrena despiciendi, & ad cœlestia suspirandi.

XLII. Iulio Secundo Pontificatum adepto, non iam amplius patruo resistere potuit, quin Episcopatum Theatinum acciperet. Cum enim à natura haberet adiumenta rerum gerendarum, natusque ad hoc potius quam ad Sacerdotium videretur, Oliuerio vix ægroque obtemperauit: quando is persuaderet, non defuturas ei occasiones & campum, in quo vires ingenij sui atque industriæ posset exerere: atqueita eum breui induxit in Pontificis Iulij gratiam, vt ille & charissimum Ioannem Petrum haberet, & in rebus arduis Christianæ Reipublicæ, neminem fere præter hunc audiret. Factumque est, vt illum ad Ferdinandum Catholicum Regem Siciliæ, ad incundam regni Neapolitani possessionem ex Hispania venientem, Internuncium miserit: quo in munere tam præclare se gessit, vt & dignitatem iurisdictionemque Apostolicæ Sedis inuiolatam seruauerit, & inter Pontificem ac Regem simultates quæ fuerant sustulerit, synceriore amicitia inter eos conciliata atque constabilita.

XLIII. Rebus Neapolitanis ad mentem Pontificiam confectis, Ecclesiam Theatinam inuisit, formamque gregi suo, per omnia exempla virtutum sese exhibuit; non immemor illius, quod semper in ore habebat: Tempus est, vt iudicium incipiat à domo mea. Itaque cultum diuinum amplificauit, clerum ad astrictiorem viuendi modum reduxit, frequentiam Sacramentorum populis persuasit, publica delicta si quæ erant extirpauit, abusus quicumque irrepserant correxit; censuram Ecclesiasticam ad vsum reuocauit; dissensiones inter ciues à factionibus residuas sustulit; immunitatem & libertatem Ecclesiæ & Cleri, ab iniuria vindicauit: Regios ministros, qui violabant, vel inuolabant compescuit; & in summa, omnia boni Pastoris officia ibidem præstitit: quamquam plurima impedimenta inuenisset, quæ siue iam nata, siue in dies emergentia, inuicto vbique animo superauit.

XLIV. Romam reuocatus, in magno Lateranensi Concilio, rebus quam maxime grauissimis tractandis schismati Pisano extirpando, scilicet, vnitati Ecclesiæ procurandæ, Regibus ac Principibus Christianis conciliandis, & in Turcas armandis, admotus, par omnibus negotijs fuit: atque inter alia Ludouici Galliarum Regis, Pisanorum Patrum fautoris, ac propterea eo tempore Iulio Pontifici intensi hostis, audaciam fregit, & ad vnicum Christianitatis ouile reduxit, pedibus Pontificijs aduolutum, & pestiferas sanctiones abrogantem.

XLV. In Angliam, & Hispaniam à Leone X. Pontifice ad Henricum VIII. & Carolum Reges Nuncius, cum potestate Legati de Latere destinatus, eos ad sacrum bellum excitare conatus, magno apud vtrumque in pretio fuit. In vrbem reuertens, extirpandæ hæresi Lutheranæ, vna cum cæteris à Leone designatis incubuit, librumque valde eruditum, vt erat in lectione Sacræ Scripturæ & S S. Patrum adeo versatus, vt textum Biblicum memoria fere retineret, plurimumque ex Patribus quæ legerat memoriter recitaret, de iustificatione contra hæresiarcham composuit. Hadrianus præterea Leonis successor, Caraffam & Marcellum Caietanum, veteris Christianæ disciplinæ moribus venerabiles, & in omni grauiore doctrina longe doctissimos, in Vaticanas ædes acceperat, vt eorum consilio in morum censura, ac administranda ea parte Reipublicæ, quæ sacra respiceret, omnibus horis vteretur. Eodem loco & gradu Caraffam voluit habere Clemens: nisi ille forensium curarum pertæsus, ad sublimioris perfectionis professionem, cum socijs properasset?

XLVI. Ex his primus B. Caietan. Thienæus, Protonotarius Apostolicus, sacris humanisque litteris eruditissimus, nobilitate & vitæ innocentia Ioanni Petro Caraffæ æqualis. Natus est Caietanus Vicentiæ, quæ Italiæ in Venetis vrbs est ornatissima. Genus ei ab vtroque parente Illustre admodum, & cum paucis comparandum. Ex eius stirpe floruerũt olim duo Hugutiones, alter ante CCC CXXX. annos Cælestino III. Summo Pontifice S.R.E. Cardinalis, & ab Innocentio III. in Picænum aduersus Marcuualdum tyrannum summa cum potestate Legatus: alter Gregorij XI. primum ad Venetos, mox ad superiores Pannonios Orator. Floruit etiam post Hugutiones, Clarissimus Ioannes Thienæus, cognomento Taurus, qui Consiliorum Caroli III. Andegauensis conscius, particepsque, & primarius administer fuit, & qui multorum ab eo oppidorum vrbiumque Dominio auctus, pro Ladislao Rege in Ethruria pugnante, Neapolitanum regnum administrauit. Neque ea dignitas postrema illi obtigit: nam paucis post annis Mediolanum accersitus, Insubriæ, donec Philippus Maria ViceComes, cuius tum pueri tutela ipsi delata fuerat, adolesceret, excelsa cum dignitate præfuit. Filius Ioannis Caietanus, ideo hoc nomine, quod Caietæ apud Ladislaum Regem natus esset, vocatus, solida eruditione adeo excelluit, vt publicum à Patauina Schola habuerit testimonium, quod in sepulchro illius hodieque in hæc verba legitur; *Caietano Vicetino, ex clara Thienea familia Canonico Patauiano, viro integerrimo, Theologorum sui aut facile Principi, Philosophoque eximio, cuius doctrina cuncta orbis Gymnasia illustrantur, locus hic datus est.* Mitto alios cõplures præclaros viros, qui Friderico III. ac Maximiliano I. Cæsaribus, Galliæ Regibus, Reipublicæ Venetæ, Ferrariæ Ducibus, alijsque Dynastis operam suam, militari gloria conspicui, atque eximijs Præfecturarum insigniti titulis probauerunt. Mitto intimos Regum Consiliarios, Cameræ & Rotæ Romanæ (vt vocant) Auditores, eodem stirpe prognatos. Præterea, quod Thienæi, Estensi, Malatestæ, Cuniæ, alijsque eiusmodi nobilissimis familijs per legitima innexi connubia, inter Italiæ Proceres locum & lucem eximiam tenuerunt. Et vero etiam nostrorum propemodum ætate patrum isclaruit, Caietanus Thienæus III. qui Cortis nouæ in Pannonia Dominus, apud Ferdinandum I. & Maximilianum II. Augustos, Dux alæ equestris, & Pannonici regni magnus Vexillifer, post militiæ egregie nauatam operam, anno 1560. fato concessit. Hæc volui recensere, vt Caietanus Prothonotarius dicere posse videatur, se non tam quod hæc mundi decora in sua stirpe habuerit, quam quod hæc pro CHRISTO reliquerit, lætari. Venio ad Gasparem eius parentem, de quo ambigebatur, præstantior ne domi, an bello extiterit; adeo dum domi esset, prudentia ac pacis artibus; dum sub signis cataphractorum turmam duceret, animo impiger, manu strenuus, industrijs, fortis fuit. Ex eo viro, & ex Maria Portia, pari nobilitate, ac virtute matrona, Caietanus, anno circiter M. CCCC. LXXXV. in lucem editus est. Caietani vocabulum illi parentes indiderunt, vt senioris Caietani patrui sui magni, de quo diximus, & nomen, & virtutem repræsentaret. Ab illis nobilibus, & morum probitate conspicuis, puer, liberaliter atque ingenue educatus, iam firma ætate iuuenis, & præstanti admodum ingenio Romam migrauit, ibidemque Iulio II. Pontif. Maxim. honesto gradu inseruiuit; donec ad excelsius vitæ genus transijsset.

XLVII. Alter Caraffæ Socius fuit Bonifacius à Colle, natus Alexandriæ Insubrum, Collensi prosapia, maiorum imaginibus satis clara. Extat hodieque in primario eius Municipij templo frustum Sanctissimæ Crucis, cui Redemptor Orbis Christus affixus fuit: ac vna item ex spinis quæ caput eiusdem (vt cum Tertulliano dicam) lancinauerunt.

XLVIII. Hanc ab eius gentis fortissimo quodam & pijssimo Equite (nomen Annales non produnt) ab vsque Palæstina, Alexandriam Italiæ vrbem fuisse aduectam, è veterum monumentorum fide compertum est. Credibile porro fuerit, aliquam Collensis familiæ ex Syriaco bello, quod Haymericus Rex Hierosolymorum ante CCCC. annos, hoc est paulo post conditam Alexandriam, aduersus Saracenos prospere gessit, reuersum in Italiam, eam vrbem, quæ Alexandri III. Pontificis Maximi auspicijs, finitimarum ciuitatum conspiratione, & populorum vndique aduentantium concursu in dies augebatur, sibi posteriscue suis patriam delegisse, hisque sacris donarijs, quæ secum ex Oriente aduexerat, locupletasse. Merito itaque vnus ex nobilibus Octo-Viris, qui arcam, qua eiusmodi victricia Redemptoris instrumenta ad seruantur, totidem clauibus obserant atque referant, perpetua lege è Collensi stirpe est. Pietatis igitur & fortitudinis præclaras imagines, ad quas sese identidem cõformaret, à suis maioribus habuit Bonifacius. Postea vero natu grandior, ac iurisprudentia, cui diu multum studuerat, probe excultus, Romam accessit. Ibi cum se Christianæ pietatis officijs addixisset, in media Aula, & forensium causarum strepitu (quod est difficillimum) diuinarum rerum contemplationi, & munificentiæ in pauperes sedulo vocabat; haud ignarus, hominem, qui in homine calamitoso est misericors, meminisse sui. Nulla etenim res cœlum Deumque promerendi maiorem vim habet, quam charitas & miseratio in egenos. Ijs virtutibus, ad Apostolicum institutum amplectendum, profitendumque, sibi gradum faciebat.

XLIX. Tertius Caraffæ Socius fuit Paulus Consiliarius, ex nobilissima Consiliaria stirpe, quam eandem esse prorsus atque

Ghisleriam, Pius Quintus ex Ghisleria gente Summus Pontifex affirmabat, Romæ natus, inter æquales sui temporis adeo emicuit sinceritate animi, modestia, grauitate, in rebus gerendis dexteritate, solertia, prudentia, vt omnibus charus gratusque accederet. Inprimis autem se in Ioannis Petri Caraffæ amicitiam insinuauit, quæ morum similitudine mirum in modum coaluit, quippe seueriori ille ingenio fuit, iste amæno magis ac facili; at par propemodum vtrique morum probitas, & (quod gluten amoris est) eadem ferme indoles ac voluntas.

L. *Clerorum Regularium fundatio.*

Iſtis Quatuor-Viris, Clemens Pontifex potestatem fecit, votis religiosis sese astringendi, nouamque Clericorum Regularium Religionem instituendi; natam ab hoc, quod iam narrabo, initio.

Exortis, auctore Luthero, monstro illo scelerum atque flagitiorum immanissimo, fœdis hisce hæresibus, quæ Aquilonares pleraſque prouincias, nostrorum æuo Patrum miserrime infecerunt, in media etiam Italia, atque in ipsa vrbe Roma (vt malum ex male ferit) praui indies pullulabant mores, quibus non solum populi, verum etiam Clerici atque religiosi homines passim contaminabantur: atque adeo ij, qui imperitæ & infimæ plebi ad virtutem præire debuissent, suo eam exemplo inflectebant ad vitia. Nonnulli igitur, qui Romæ erant solida probitate viri, vt tantis malis aliqua ratione pro sua virili parte possent occurrere, & labantem Ecclesiasticum Ordinem ad pristinam puritatem, dignitatemque reuocare, Leone X. Pont. Maxim. viuente Sodalitium insigne fundauerunt, in ipsa vrbe Roma, cique à Diuino amore cognomentum imposuerunt. Primi & præcipui Sodales Gaspar Contarenus, Iacobus Sadoletus, Matthæus Gibertus, Ioannes Petrus Caraffa, Caietanus Thienæus, Aloysius Lippomanus, Latinus Iuuenalis, Tullius Crispoldus, & Iulianus Dathius memorantur. Accessere postmodum, vt fit, alij, ad quinquaginta scilicet Aulæ Romanæ Proceres. Tanta est in vtramque partem vis exemplorum. Locus quo ad conciones, sacraſque preces conueniebant, erat Ædicula SS. Syluestri & Dorotheæ in regione trans-Tyberina, prope illam meritoriam Tabernam, quam veteres Christiani, Alexandro Imperatore pro ipsis aduersus Ethnicos rescribente, in templum vero Numini dedicatum, Calisto I. Summo Pontifice mutauerunt: non longe item à Ianiculo, vbi Apostolorum Princeps Petrus cruci affixus fuisse dicitur. Itaque libenter eo secedebant Patres, qua Numini diuini laudibus celebrando, qua hominibus salutari doctrina imbuendis; vbi & Apostolum Petrum, quippe Iudæum, cum Iudæis incolis degere solitum, & primitiuos illos Christianos hæc eadem pietatis officia obiisse sciebant. Accedebat commodum, quod ea ædicula cum attiguis domibus, in cura esset iam dicti Iuliani Dathi, qui tunc eius Sacerdotij & Paræciæ Rector, atque apud Lateranensem Basilicam presbyteris Pœnitentiarijs Præfectus, magna vir auctoritate & prudentia, probitateque conspicuus in vrbe erat. Quocirca cum eius hortatu optimi ij Præsules statis diebus illo concederent, paulatim cœpit pristinus pene intermortuus Christianorum calor: ab eoque postmodum Sodalitio, circumquaque increbrescente fama, eandem rituum, morumque formam sumpsere, alia quæ plerisque Italiæ vrbibus à Romano isto deriuata, eidemque subdita passim conflabantur. In quorum numero Hieronymianum, quod Vicetiæ constitutum est, cum virorum, qui in illud adlecti præstantia, tum officiorum, quibus ij assidue vacabant vtilitate, dignum profecto fuit, in quo & Caietanus Thienæus Vicetinorum facile pijssimus adscisceretur. Igitur reuersus Roma in patriam, horum quoque Hieronymianorum Sodalium numero adscribi petijt & impetrauit. Inseram huc ipsissima verba, ex Diario Vicetinæ Sodalitatis excerpta, vt quam alta ac solida ad virtutum ædificium fundamenta Caietanus præiecisset, Lector agnoscat. Ita habent.

Eius primi fundatores.

LI. Exceptus in Societatem Caietanus est perhumaniter, Anno Salutis M.D.XIX. Is vero efficaci verbo, sedulo obsequio, beneficentia in pauperes, & insigni vitæ probitate præire cœteris, & Sodalitati bonæ famæ odorem in dies spargere. Multa ab eo viro egregie patrata memorantur. Referre libet nonnulla. Primum Sodales induxit, vt qui antea quater tantùm Eucharistiam sumebant, deinde duodecies ad minimũ, facerent. Suo valde suaui alloquio cœpit paulatim corda Sodalium commouere, atque igne charitatis accendere, idque præcipue inter communicãdum. Sua enim manu ipse panem cælestem dum Socijs porrigeret, identidem alloquebatur, asseuerabatque; adeo, vt de frequenti Sacramentorum vsu instaurando consilium cæperint; multique eorum qualibet hebdomada, multi festis etiam diebus, qui intra hebdomadam inciderent, ac sextis insuper quibusq; ferijs, Sanctis Christi epulis alerentur. Statuit deinde Caietanus Societatem locupletare Summi Pontificis priuilegijs, & piacularibus Diplomatibus, quibus per Dei gratiam nunc etiam fruuntur Sodales. Ea ipse sua industria ac solertia non difficile obtinuit, vt pote in Romana aula diu versatus, & rerum gerendarum apprime gnarus. Præcipue vero, postquam Sodales infanabilium ægrotorum curam susceperunt, eius opera impetratum ab vrbe est, vt S. Iacobi Augustano, vti vocant, Nosocomio, quod aliorum per Italiam princeps est, Vicetinum illud vniretur, ab eoque veluti à capite dependeret. In hunc itaque modum firmata iam Sodalitate atque Nosocomo, cœpit is aggregare huc inopes, mendicosque complures, quibus quotidie suisipse manibus opem ferebat, eosque ignitis plane verbis inducebat ad tolerantiam ærumnarum. Postremo, is qui Sodalitatem iam constituerat, legibusq; munierat, ipse idem se sponte sua subdidit Baptistæ Cremensis è Dominicano Ordine Religiosi viri nutui, atque imperio. Hic diuino, reor, instinctu in animum induxit suum, Caietano præcipere, vt relicto lare familiari, propinquis agnatisque omnibus, deserto item Nosocomio, quod nuperrime fundauerat, abiectaque cura eius Sodalitij, quod cum rerum gestarum claritudine celebre esse incipiebat, Venetias concederet. Reputabat quidem secum Caietanus tot Sodales, eosque fere omnes pauperie pressos, & vix suarum manuum labore, vel collectitia ad templi fores stipe vitam tolerantes, si ipse discederet, se pessime habituros: verum tamen fide nixus eximia, & obedientiæ atque obsequelæ virtutem cæteris omnibus anteponens cum omni sua supellectili & domestico instrumento Venetias commigrauit, ibique Xenodochium, quod Nouum appellant, egregie sane, qua erat prudentia reformauit: viget que eius institutio ad hanc vsque diem. In eamet vrbe excitauit animos virorum fœminarumque nobilium, atque plurimorum è plebe ad opera misericordiæ & charitatis; iactique ab eo ignículi ardent in dies magis magisque. Ea, opinor, opera pijssime instituta, causa fuerunt placandi irati Venetæ vrbi numinis: quando vniuersa fere Europa exitiali bello afflicta; & præcipue Italia, Gallis, Hispanis, Germanisque inuadentibus quassata: Turcicus furor capta Rhodo, in Cretam, Cyprum, aliasque vicinas Venetorum prouincias inhiare videretur: Venetorum nihilominus ditioni fortunisque vsque eo fauit DEVS, vt & Turca è Rhodo in Pannonios arma conuerterit, & alijs Italiæ Regulis extremo discrimine implicitis, Veneti soli inter tot diras Europæ clades non tantum incolumes tutique steterint, verum etiam oppida atque vrbes nonnullas, quas pridem amiserant felicissime recuperarint. Quos tam prosperos euentus, tametsi alij aut Columnæ, aut Liuiani Ducum fortitudini industriæque attribuant, sanctius tamen atque veriusiam dicti Diarij Scriptor, pijs operibus, atque assiduis precibus, quæ, Caietano auctore, per ea tempora Venetijs institutæ Deum placauerunt, adscribit. Adeo vtrum certumque est, non facile à barbaris hostibus posse eos lædi, qui intra suos fines habeant insignes aliquot diuini cultores Numinis amicosque, quorum rogata atque innocentia reliquis vel noxijs Rex ille parcat cœlestis. alioquin DEO scleribus violato atq; infenso, valida vis copiarum, commeatuumque & humanæ potentiæ, aut prudentiæ fulcra, nihil sunt nisi vani fastus nutriculæ, & certæ pignora calamitatis.

Historia eiusdem ordinis.

Sed Caietanus fundatis iam, aut firmatis Romæ, Vicetiæ, Veronæ, Venetijsque Sodalitatibus sacris, ac Xenodochijs, Romam redux anno circiter XXI. versabat animo, qua potissimum ratione illud reipsa præstaret, quod diu ante conceperat, & sodali suo Dominico Zaninellio probatæ pietatis viro fidenter Vicetiæ dixerat in hæc verba; Non desistam rogare in egenos quicquid habeo, donec pro Christo adeo pauper cuadam, vt nec sepulturam mortuus nisi precario obtineam. Et vero suo eiusmodi voto, abunde ille potitus est.

LII.

Nam

Nam Romam, vti diximus, reuersus, postquam aliquamdiu pijs sese operibus, vna cum Diuini amoris Sodalibus exercuit, amplissimo in pauperes, propinquosque tenuiores distributo patrimonio, atq; opulentis Sacerdotijs, non vt pleriq; faciunt, in suum commodum, sed in Summi Pontificis manus libere dimissis, ad extremam, vti cupiebat sese redegit inopiam. Inter hæc & ipse accepit, cum Caraffa exerto viro ingenio, & ad Dei gloriam procurandam exaugendamq; semper intento, cogitare Clericorum mores corruptos reformare, animaduertentes vero eam morum atq; animorum corruptelam, quæ etiam Christianos populos longe lateq; peruaserat, malus omnino esse malum, quam vt vnius Secularium Clericorum Sodalitij, neq; perpetuo duraturi ope aut industria posset sanari; & venenum quod tam alte radices fixerat excutiendum non nisi perpetuo & præpotenti pharmaco videbatur. Accedebat, quod ij sexaginta viri, qui ad Beatæ Dorotheæ societatem, inierant, neq; vna Romæ perpetuo degere, neque dum Romæ essent, assidue salutaribus ijs officijs, vt pote suis quisq; priuatis rebus impliciti, poterant incumberé. Ipse itaque diuino, vti par est credere, motis instinctu, in eam venire cogitationem, si primæuum illud Apostolicum institutum sua ætate instauraretur, Sacrorumq; ac solennium votorum nuncupatione perpetuo firmaretur, non inepta eam fore reparandæ Christianæ Reipublicæ rationem. Clericos quidẽ Sacrorum ministros, egregiam olim laboranti Ecclesiæ tulisse opem; sed vt sunt res mortalium expositæ casibus, iam eos mole sua atq; senio defetisere. Excitari igitur oportere mortalium animos, nouo atq; Apostolico spiritu; & Clericis quos ingenti populorum exitio improbitas, insciticq; corrupisset, Clericos alios atq; alios debere suffici, quorum opera, damnũ quod illi per prauum exemplum Christiano orbi intulissent, commode farciretur. Sciebant, non secus olim euenisse, cum alias sæpe, tum vero potissimum, quando S. August. Pastor ille eximius, Clericorum Ordine ad Apostolicam formam restituto, Africam Europamq; pene vniuersam hæresibus perpurgauit, & Ecclesiæ Catholicæ addidit egregiũ ornamentũ. Ista omnino voluebant animo, Ioan. Petrus Caraffa Episcopus Theatinus, iam à Sede Apost. restaurandæ Ecclesiasticæ disciplinæ destinatus, ad motusq; & B. Caietan. nimirum vt eiusmodi Ordinem instituerant, qui Monasticæ simul & Clericalis vitæ munera laudesq; coniungeret, reformandæ Ecclesiæ vniuersæ aptus esset, & in quam veluti portum aliquem secum & tranquillum, ex mundi fluctibus, & curarum aulicarum vertice cus confugerent. Et quidem nõnulli, quibus Caraffæ propositũ iam vtcumq; notum erat, homini dissuadebant, ne stationem Episcopatem desereret, neue nouas in Ecclesia res moliretur. Nõ licere Episcopo Ecclesiã cui despõsatus abdicare: tẽpora præsentia, ipsius, sed fortioribus quam regularibus exẽplis indigere: illum qui oppositus esset à Deo murus pro dono Dei, non debere ad leuiora subsidia confugere; pergeret cum alijs Episcopis in acie stare, atque Ducis partes implere: gregarios milites ex iam recte institutis Ordinibus non defore: nouitiam istam viuendi normam, ne forte monstri loco habendam: & vt non esset, illum forte vel exequendis cogitatis, vel tolerandis oneribus non parem futurum. At Caraffa, recti quod semel apprehendisset tenacissimus, & nulli difficillimo operi aggrediendo perficiendoque impar, præclare, quod concepisset instituto & de Ecclesia vniuersa bene mereri, & animarum lucra procurare, tãto fortius insistere decreuit, quo maiores difficultates ostẽderent, si qui dehortabantur. Erant alij, qui non modo prædictorum insignium duorum virorum Io. Petri Caraffæ, & B. Caiet. institutum probarent, sed etiã ad illud admitti postularent, Bonifacius à Colle, ac Paulus Consiliarius; viri, qui poterant nouæ plantationi adiumenta non exigui momenti adferre. Hos Caraffa cũ B. Caiet. nõ modo admisit, adsciuitq;, sed primos esse voluit, quibuscum ad Pontificem maximum iret, & Socios tanti moliminis, non ignauos, non inutiles, neque angusti pectoris ad tam augustum opus ostenderet; vt de eis Clemens sibi omnia polliceri posset, quæ nouo condendo instituto apprime necessaria desideraret.

LIII. Ad triginta octo numerabantur alij, qui & si ad primum noui instituti nunciũ incaluissent, & se quisq; Socium ineundo Clericorum Ordini prompte obtulisset, difficultate tamen rei, & arctissimæ paupertatis voto, quod concipere debuerant perterrefacti, refrixerunt. Soli quatuor, velut quatuor rosæ, in mediam algentium altorũ hyeme, ex ædicula, velut quondam ex pollicitatione, Theophilus Sanctæ Dorotheæ, Ecclesiam vniuersam tunc amænarunt, & velut quatuor bases eminentissimi ædificij, sese nouo Ordini excitando subiecerunt.

In festo Inuentionis S. Crucis, huius anni M.D.XXIV. propositum animi sui summo Pontifici exposuerunt. Magnis primum difficultatibus res impedita esse videbatur, plerisque Romanæ Aulæ Proceribus nouum id fore pronunciantibus, Clericos à Monachis, habitu, nuncupatione, nonnullo etiam instituto distinctos, ad instar nihilominus Monachorum, septis Claustri rigide contineri, & solennibus Christo nuncupatis votis ducere vitam obligatam. Præterea, non videri, posse eos sese tolerare; nisi aut stipem emendicato quærerent, quod ferme inusitatum Clericis, aut certos census prouentusque sibi compararent, quod nullo modo sibi illi persuaderi patiebantur. Apostolicam vero illam rationem viuendi ex vltroneis oblationibus, haud prospere his temporibus successuram, in quibus virtutum cultus & charitas potissimum, in egenos, adeo refrixisse cerneretur, vnoquoque propemodum quæ sua sunt quærente, non quæ IESV Christi. Neque etiam facile impetratu fuit à Summo Pontifice, vt Caraffæ liceret, relicto Episcopali munere, ad fere priuatam vitam emigrare. Nouerat enim Pontifex quantum præsidij, in eo viro haberet Respublica Christiana, ijs maxime temporibus, quibus præstantes virtute, consilio, pietate homines operæ pretium fuisset ad gubernacula adhibere, non autem in claustra aut solitudinem ablegare. His itaque res implicata nobis vix vnquam fuisset expedita, nisi Caraffa & Caietanus cum socijs respondissent; Nihil se, nihil posteros, modo Christi fiderent, Deique regnum sedulo quærerent, de victu cultuque corporis vnquam fore sollicitos. Illud vnum agerent: cætera, Christo sponsore adijcienda neutiquam se ambigere. Apostolos, primosque Euangelij sectatores, longe infestius pietati & charitati seculum incurrisse; neminem tamen eorum aut fame, aut algore consumptum, nisi si quando persecutorum rabies ijsque modis diuites simul & inopes cruciauit. Census, prouentusque perpetuas quod plerique alij Ordines retineant, se quidem nequaquam improbare: at inficiari non posse, illud esse perfectius institutum, quod cæteris paribus, Euangelicam paupertatem impensius seruat. Diuitias sæpe esse fœminarium litium, & pernicies libertatis. Itaque rogare se Pontificem & Purpuratos Patres, vt fauerent in staurationi Clericalis instituti, quod Apostoli dedicassent, virique Apostolici longa serie suo exemplo firmassent. Theatinus Episcopus pro se præcipue dicebat se non minus Reipublicæ Christianæ fore vtilem Clericorum Ordinis Conditorem & parentem, quam Theatinæ & Brundusinæ (nam eam quoque paulo fuerat adeptus) Ecclesiarum Præsul extitisset, neque se ornandæ aut tuendæ Christianæ causæ reddere ineptum, quod religiosum iniret fundaretque institutum; sed ipsum se qui antea in acie dimicauerat Primipilus, postmodum veluti de Sacra quadam turri, memorando posteris exemplo, vna cum socijs propugnaturum. His alijsque rationibus ea quæ obiecta fuerant diluebant illi; quibus magnum profecto robur addidit Matthæus Gibertus, celeberrimus Veronæ Episcopus, qui quod apud Clementem gratia, apud Cardinales plurimum auctoritate valebat, illos magnopere iuuit. Et quidem eo diligentius incubuit Gibertus expediendæ rei, quod percuperet sese ijs aggregare, adeoque ea ratione strepitum & turbines aulæ effugere. Verum is sui laboris fructu votoque potiri non potuit: abnuentibus illis tantum Præsulem sibi socium adiungere, quo cum Pontifex curas pastorales diuideret, & in cuius fere solius pectus omnia consilia deponeret: certi Clementem numquam permissurum, vt se destituto rebusque publicis relictis Gibertus, ad alia, vel maxime etiam optima studia se conferret.

LIV.

Itaque cum Inuentæ Crucis festo die res agitari cæpta esset, in Crucis itidem exaltatæ solenni luce feliciter confecta est, vt proinde non immerito Crucis insigne pro stemmate Theatini assumpserint. Res ad eum modum facta fuit. Clemens Pontifex, vt renascentem Clericorum Regularium Ordinem Apostolica protectione foueret, & sibi, hoc est, Christi

LV.

Vicario

Vicario proxime subijceret, iussit Ioanni Baptistæ Bonzianio Casertæ Episcopo, & Apostolico Datario, vt Pontificio nomine iam dictorum Quatuor virorum solennia vota exciperet, atque Apostolica authoritate roboraret. Accesserunt itaque eo festo die illi Patres, vna cum Bonziano ac ædem angustissimam Vaticanam, vniuerso Clero, ac maxima omnium Ordinum multitudine prosequente. Ibi à Casertano Antistite ad aram sancti Andreæ Apostoli solenni sacrificio celebrato, ac Cœlesti Eucharistia professuris Patribus rite porrecta, Aram sancti Petri, quæ eius Basilicæ primaria ac sacratissima est, bini ac bini adierunt: vbi Clementis VII. Diplomate per Notarium clara voce recitato, primus Ioannes Petrus, tum Caietanus, deinde alij duo solennia religionis vota supremo Numini deuotissime nuncuparunt: quorum formulas singulis autographis descriptas, Bonzianius Summi Pontificis nomine recepit, probauitq; Post hęc, quoniam iam dicto Diplomate concedebatur illis, vt Præpositum sibi quem vellent eligerent; idcirco ijdem Quattuor Viri parumper ab astantium cœtu secedentes, cum de ea re inter se aliquantisper deliberassent, in Ioannem Petrum suffragia cõtulerunt. Ipsum igitur iam designatum electumque primum Clericorum Regularium Præpositum, Casertanus Episcopus, qua pollebat potestate confirmauit: Notarius vero de tota actione Tabulas confecit, hunc in modum.

LVI. Die XIV. Septembris 1524. In nomine Domini Amen. In præsentia mei Notarij ac personaliter constituti in Ecclesia Sancti de Vrbe, audita Missa, celebrata per Reuerendum Patrem Dominum Episcopum Casertanum, supra altare Capellæ S. Andreæ, Reuerendi Patres, Dominus Ioann. Petrus Caraffa de Neapoli, Episcopus Theatinus, Dominus Caietanus de Tienis Protonot. Apostolic. ac Iuris vtriusque Doctor de Vicentia, Dominus Bonifacius de Collis Clericus Alexandrinus, & Dominus Paulus de Consiliarijs Clericus Romanus, præcedente communione eorum, processionaliter de dicta capella accedentes ad Altare maius Sancti Petri, sedente dicto Episcopo Casertano, Sanctissimi Domini nostri Papæ Commissario, viuæ vocis oraculo specialiter ad infrascripta, vt asserut deputato, cathedraliter in pede dicti Altaris, præfatus Reuerendus Pater Dominus Ioannes Petrus Episcopus, præsentauit eidem Domino Episcopo Casertano, quasdam literas Apostolicas in forma Breuis, SS. Dñi Papæ Clementis Septimi, quas ea qua docuit reuerentia recepit, illasq; præfatus Dominus Episcopus Casertanus publice legendas mihi Notario tradidit, huiusmodi sub tenore. Venerabili fratri Ioanni Petro Episcopo Theatino, &c. *vt supra sunt insertæ paulo ante.* Quibus litteris perlectis, ac seruatis solennitatibus & cæremonijs consuetis, præstitisq; per dictos Reuerendos Dominos, Ioan. Petrum Episcopum, Caietanum de Tienis, Bonifacium de Collis, & Paulum de Consiliarijs, solitis iuramentis in manibus dicti Reuerendi Patris Domini Episcopi Casertani, Commissarij Apostolici, Solennem & expressam professionem emiserunt, ac fecerunt, de trium votorum regula supradicta perpetuo obseruanda, oblatisq; per vnumquemq; eorum cedulis professionis huiusmodi, eorum propria manu scriptis, & subscriptis, in manibus dicti Reuerendi Patris Domini Episcopi Casertani traditis, consignatis & derelictis, huiusmodi sub tenore, videlicet.

Anno Domini 1524. die 14. mensis Septembris, Romæ in Ecclesia S. Petri apud Altare maius.

LVII. Ego Ioan. Petrus Caraffa Neapolitanus Episcopus Theatinus, profiteor hodie coram Domino, & promitto Deo, & B. Mariæ semper Virgini, & eidem B. Petro Apostolo, & tibi Reuerendo in Christo Patri Episcopo Casertano Commissario Apostolico, ad hæc per Sanctissimum Dominum nostrum specialiter viuæ vocis oraculo deputato, nomine, & vice eiusdem Sanctissimi Domini nostri, Domini Clementis Papæ Septimi, & Præpositi per nos eligendi, quod ero obediens eidem Sanctissimo Domino nostro, & Præposito supradicto, rorumq; successoribus canonice intrantibus, vsque ad mortem, secundum Regulam Clericorum Regularium, sub tribus votis, Paupertatis scilicet, Castitatis & Obedientiæ, per eundem Sanctissimum Dominum nostrum nouiter institutum. Deinde apparebat talis subscriptio, videlicet. Ego Ioannes Petrus Caraffa Episcopus Theatinus propria manu scripsi, atque proprio ore pronunciaui.

LVIII. Et similiter præfatus Reuerendus Pater Caietan. de Thienis, Dominus Bonifacius de Collis, & Paulus de Consiliarijs, & vnusquisq; ipsorum similem cedulam, eorũ manibus scriptam, & subscriptam, & eorum nominibus & cognominibus annotatas porrexerunt, & perlegerunt, & vnusquisque ipsorum porrexit, & perlegit. Quibus omnibus sic peractis, præfatus Reuerendus Pater Dominus Episcopus Casertanus, dictos Reuerendos Patres Dominos, Ioannem Petrum Episcopum Theatinum, Dominum Caietanum de Thienis, Bonifacium de Collis, & Paulum de Consiliarijs, genibus flexis, humiliter coram eo astantes, auctoritate Apostolica, in ijs sibi attributa, præfatos Clericos Regulares, sic astantes, & obedientes benedixit: & deinde detectis & spoliatis ab eo vestibus, quibus induti erant, eosdem vestibus & birretis Regularium Clericorum solenniter induit & vestiuit. Quibus sic peractis, eisdem auctoritate Apostolica præcepit, vt iuxta formã prædictarum literarum Apostolicarum, vnum Præpositum inter eos eligerent, & deputarent. qua monitione, ex præcepto eis facta, auctoritate Apostolica prædicta, tamquam filij obedientiæ, inter se colloquentes, & à cœtu hominum sibi adstantium se separantes, & postmodum facto inter eos secreto colloquio, ad præsentiam dicti Reuerendi Domini Episcopi Casertani redeuntes, & coram eo adhuc cathedraliter apud dictum Altare sedente, eundem R. P. D. Io. Petrum Episcopum, in eorum, & dicti Ordinis Clericorum Regularium Præpositum, vnanimiter & concorditer elegerunt, & nominauerunt; qua electione & nominatione facta, præfatus R. D. Episcopus, Commissarius Apostolicus, vt permittitur deputatus, auctoritate prædicta, quæ in hac parte fungebatur, eundem R. P. D. Ioannem Petrum Episcopum Theatinum, in Præpositum dictorum Clericorum Regularium confirmauit, & approbauit; supplendo omnes & singulos defectus, si qui forsan in dicta electione interuenerint, omni meliori modo, suo iure, causa & forma, quibus magis & melius de iure fieri potuit, & potest: de, & super quibus omnibus, & singulis præmissis, tam dictus Reuerendus Pater Dominus Episcopus Casertanus, Commissarius præfatus, quam dicti Clerici Regulares, rogauerunt me Notarium infrascriptum, vt de prædictis omnibus & singulis, publicum, seu publica conficerem instrumentum & instrumenta, vnum vel plura, prout opus fuerit.

LIX. Acta sunt hæc Romæ in Basilica Principis Apostolorum de Vrbe, in locis præallegatis, præsentibus Venerabilibus viris Domino Francisco Vannutio Clerico Romano, ac Canonico Sanctæ Mariæ in Trans Tyberim de Vrbe, nec non Domino Aymo Cichonis Clerico Burgensis Diœcesis, Scriptore Breuium Apostolicorum, & Domino Leonardo Gratino Clerico Florentino, Testibus, &c. Stephanus de Amandis Notarius publicus de prædictis rogatus, &c.

LX. His rebus ingenti ipsorum religione, & adstantium plausu lætitiaq; peractis, abierunt Patres in pauperem domunculam, quam Bonifacius via Leonina ad Campum Martium possederat. Eam inhabitarunt illi ferme biennium in summa rerum omnium egestate, illud scilicet Apostolicum institutum religiose seruantes, vt nullos census possiderent, nihil à quoquam peterent: Si quid vltro deferretur, id solum cum gratiarum actione reciperent: ea ducti potissimum ratione, quod (vt sapiens quidam Ethnicus ait) dominia rerum collabi solent; bonæ mentis vsurpatio, nullum tristioris fortunæ recipit incursum. Placuit Patribus paupertatis amantissimis, eo modo vitam instituere, ac facto potius exemploque, quam lege aut præceptoprære posteris; maxime cum probe scirent, CHRISTVM Dominum eiusque Apostolos, hoc est primæuæ Ecclesiæ Conditores Clericos, eadem & ipsos ratione vixisse. Tuti igitur tanto exemplo Patres, vitam eiusmodi nulla adacti præceptione, sed pro libito inierunt, eo magis admirandam, qua rarior per id tempus vel in clericis virtus, vel in populis charitas visebatur.

LXI. Cœterum, vt ipsa virtutis initia numquam propemodũ aduersario carent; ita perfectissimæ vitæ professio, ab ijs suscepta Clericis innumerabiles prope inuenit. Quibusdam Catholicis non placebat, ex clericatu & monachatu permixtio: hæreticis omnibus, & præsertim ab Ordine Ecclesiastico, vel instituto Regulari apostatis, ipsum in vniuersum institutum. Vtrisq; non difficile erat ostendere, rem non nouam in Ecclesia esse, eiusmodi nouissimam; iuxta & sanctissimam commixtionem; & quod caput est, non pridianum esse Clericorum Regularium in eadem Ecclesia genus: eorum scilicet, qui Clericali nomine sacris ministeriis dicati, sub triũ votorum obseruantia, certisq; regulis militarunt ac militant hucusque, peculiaribus constitutionibus, propriisque differentijs iuxta varios Duces ac Conditores distincti. Dabo, vel ad exemplum Ecclesiasticorum, vel ad confusionem hæreticorum, præclarissimos in Orthodoxa Ecclesia, ab ipsis adhuc incunabulis, per subsequentia secula diuinitus datos viros, qui variis temporibus & locis Clericorum Regularium agmina aut fundauerunt, aut instaurarunt, iis ipsis verbis, quibus præclare Ioannes Baptista Castaldus post Antonium I. Cataracciosum Clericus Regularis illiorum adtexuit historiam.

LXII. I.

In toto orbe, glorioſi Principes Ecclesiæ, Christi discipuli, per quos Christiana Religio sumpsit exordium, quo purius fideles in Sacramentorum ministerium ordinati, diuino cultui incumberent, religiosæ, arctiorisque vitæ, *a.* quam ipsi *b.* Paupertatis, *c.* Castitatis, & *d.* Obedientiæ *e.* votis firmatam iampridem coluerunt, *f.* fundamenta iacientes, *g* Clericorum Regularium institutum felicibus auspiciis consecrarunt. a. *Hieron. epist. 53. contra Vigil.* b. *Augustinus lib. 17. de Ciuit. cap. 4.* c. *Epiphan. hæres. 58.* d. *Bernard. in 19. Matth. Ecce nos.* e. *Feuard. in Theom. Caliin. tom. 1. cap. 6.* f. *Chrysostom. contra Vituperatores vitæ Monast. l. 3.* g. *Anton. Caraciolus in Not. ad Const. Cler. Regul. pag. 18.*

II.

In Ægypto, Sanctus Marcus Euangelista, discipulus & interpres Petri, primus Alexandriæ Ecclesiæ Fundator & Rector, *a.* omnes Christifideles ad sui exemplum cogens, & ex eis aptiores legens, Clericorum Regularium quos *b.* Therapeutas appellant, Colloquium instituit. *c.* Mortuus est anno Neronis 8. die 25. Aprilis, cum gloria martyrij. a. *Eusebius lib. 2. cap. 17. Hieronymus in Cathal. Script. Eccles.* b. *Philo de vita contempl. Epiphan. hæres. 29.* c. *Nicephor. as lib. 2. c. 16. Baron. tom. 1. Annal.*

III.

In Ionia, Sanctus *a* Polycarpus Ioannis Euangelistæ Auditor Smyrnensis Episcopus & totius Asiæ Primas, *b.* Clericis Regularibus, quos inter primas Christo Smyrnæ pepererat leges dedit. *c.* Gladio confossus est anno 1. Marci Aurelij Antonini die 26. Ianuarij. a. *Martyrol. Rom. die 26. Ian.* b. *Ignatius epist. 8. ad Polycarp. Hieron. de Script. Eccl.*

IV.

In Syria, S. Ignatius martyr, cum ad Antiochenam Ecclesiam regendam, tertius post Beatum Petrum *a.* euectus esset, *b.* presbyterium, Clerumque sibi creditum, ad regularis vitæ rationem induxit. *c.* Romæ ad bestias damnatur, anno XI. Traiani, die 1. Febr. a. *Euseb. lib. 3. hist. c. 16.* b. *Ignat. epist. 9. & 10. ad Heron. successum. c. Hieron. de Script. Eccl.*

V.

In Galatia & Gallia, B. Crescens, Paulus Apostoli discipulus, Galatiæ Episcopus, *a.* & Gallorum Apostolus, *b.* Regularis vitæ formam, maiorum suorum vestigia sequutus, primus in Gallicanum Clerum inuexit, *c.* quam vitio succedentium temporum violatã, Romana deplorauit Ecclesia. *d* Martyrio coronatur sub Imperat. Traiano die 27. Iunij. anno Christi 1000. a. *Ado in Chron. b. Turrian. de Iure Ordin. lib. 2. c. Synodus Moguntin. can. 9.* d. *Martyrol Rom. eodem die.*

VI.

In Lybia, S. Cyprianus Carthaginiensis Episcopus, *a* Clericos Regulares in Africa instituit, qui à secularibus distincti Apostolicam vitam professi, *b.* communi habitu, mensa, domo, religiose vixerunt. *c.* Capite plectitur sub Valeriano & Gallieno, die 4. Septembris. a. *Pamelius in epist. 36. Cypriani.* b. *Sotus de iustit. & iust. lib. 10. quæst. 4. art. 3. Pontius in vita Cypriani.* c. *Beda Vsuardus.*

VII.

In vrbe Roma, S. Syluester Pontifex Maximus, *a* cernens Apostolicæ disciplinæ institutum Clericos Regulares infregisse, primæuam illam Ecclesiæ formam, quæ communis vitæ rationem Christi ministros sectatos fuisse legerat, in integrũ restituit, *b.* multisq; aliis rebus sanctissime gestis, constitutisq; quieuit in pace, anno Domini 335. Decembr. a. *Damasus Papa, seu Anastasius in Pontificali.* b. *Martyrol. Rom. sub eodem die.*

VIII.

In Italia Trans Padana S. Eusebius Episcopus Vercellensis; *a* & martyr, primus in Occidentis partibus *b.* Clericale officiũ regulari disciplinæ coniunxit, *c.* & Clericorum Regularium Monasterium magna religionis obseruantia constituit, *d.* circa annum 362. cum ab exilio rediisset. *e.* Moritur Arianis persequentibus sub Constantio die 1. Augusti. a. *Hieron. aduersus Luciferian.* b. *Ambros. lib. 11. epist. 82.* c. *S. Maximus serm. de S. Eusebio.* d. *Caraciol. in Not. c. Martyrol. Rom. sub eodem die.*

IX.

In Insubria, S. Ambrosius Mediolanensis Episcopus, & Ecclesiæ Doctor, *b.* Senescente iam primæua solitudinis disciplina eorum quos Beatus Barnabas Apostolus Anachoretas in syluis instituit, *c.* legibus pro nouo Clericorum instituto descriptis in ciuitate coegit; atq; in monasterij formam redactos, communis vitæ societate etiam cæteris proficuos reddidit, *d.* cum Arianam pestem tota fere Italia summis laboribus, maximis miraculis, egregiisq; disceptationibus profligasset. anno Domini 392. orans, animam Deo reddidit. a. *Martyrol. Rom. 4. April. 6. Ripamontius Dec. lib. 4. pag. 300.* c. *August. lib. 8. Confess. c. 6. Baron. tom. 4. anno 377.* d. *Beda 4. April. & Paulinus in vita S. Ambrosij.*

X.

In Palestina, S. Hieronymus Presbyter, & Ecclesiæ Doctor, Romæ primum, deinde Hierosolymis Clericos quamplures, *a* ad regularis vitæ formam, *b* quam ipse profitebatur, verbo, scripto, exemplo, summis deniq; laboribus reduxit. Ad Deum rapitur, Theodosio & Constant. Coss. anno salutis 420. die 30. Septembr. a. *Hieron epist. 7. ad Nepot. 6. Idem ep. 60. & 61.*

XI.

In Africa minori, S. Augustinus Hipponensis Episcopus, cum de reformanda Clericorum vita serio cogitasset, anno Domini 391. *a* vltimo, Monasterio ædificato, in illam sententiam incidit, vt Clericis suis ad Apostolicæ professionis cultum reuocatis, *b* regularis obseruantiæ disciplinam proponeret; quod & successu prospero perfecit, tempore Theodosij Imperatoris. Decedit anno Christi 432. die 28. Augusti a. *Sigibert. epist. ad Maced.* b. *Augustin. in Regul.*

XII.

Rhinocururæ in confinio Arabiæ, & Ægypti, Niger, Dionysius, & Solon, Rhinocururensis Ecclesiæ Antistites, *a* Clericos optimis institutos disciplinis, communi æde ac mensa exceptos, regularis disciplinæ sectatores via mente ac voce feliciter reddiderunt. *b.* anno Christi 440. a. *Soz. om. lib. 6. c. 21.* b. *Caraciolus in Notis.*

XIII.

In Cisalpina, S. Prosper Aquitanicus, Episcopus Rhegiensis, *a* Clericorum Regularium sua ætate florentium, ad communem & religiosam vitam adhortator egregius, *b* & eiusdem regularis obseruantiæ propugnator & corrector illustrissimus, post egregia certamina pro fide Catholica exantlata, in Domino quieuit, anno Domini 466. die 25. Iunij. a. *Prosper lib. 2. de vita Contempl. c. 16.* b. *Pamel. in epist. 66. Cypriani.*

XIV.

In Sardinia, S. Fulgentius Ruspensis Episcopus, Augustiniani instituti sectator, *a.* Clericos Regulares à S. Augustino olim edoctos, grassante in Africa Genserici persecutione, exulans in Sardinia, in religiosæ vitæ obseruatione continuit, aliis etiam è Clericorum turba ad eiusdem instituti sectandã vestigia sapienter electis. *b.* Claruit sub Anastasio Imperatore circa annum 500. ingenio & constantia aduersus Wandalicam luem. *c.* obiit die 1. Ianuarij. a. *Vit. Fulg. c. 25. & 29.* b. *Surius in vita eiusdem c. 20* c. *Rom. martyrol. eodem die.*

XV.

In Romana sede, S. Gregorius Magnus, Religiosæ vitæ professor; cum ad Christi Ecclesiam regendam esset assumptus, à Clericorum Regularium vitam, quæ ab Apostolico instituto defecerat, tam in vrbe, quam alibi exemplo, regulis, & adhortatione instaurauit. Moriturannno 605. die 12. Martij. a. *ipse lib. 10. epist. 31.*

XVI.

Apud Allobroges, S. Clarus Viennensis Abbas in domo Maiori sanctorum Martyrum, *a* & æde S. Scueri, Clericos Regulares habuit, qui Apostolicam vitam sectantes, & in vnum viuentes mysteria peragerent. anno Domini 600. a *Surius tom. 2. in vita c. 2. Carac. in Notis.*

XVII.

In Anglia, S. Augustinus Cantuariensis Episcopus, & Angliæ Apostolus, *a* Beati Gregorij Magni iussis obtemperans, Clericorum Regularium vitam, Christi discipulis in Anglia restituit. *b.* Miraculis & virtutibus clarus migrauit ad Dominum anno 609. die 26. Maij. *a. Greg. Magn. lib. 10. epist. 31. b. Martyrol. Rom. eodem die.*

XVIII.

In Insulis Britanniæ, S. Cuthbertus Lindisfarnensis Episcopus, *a* suo Clero quem ad regularis vitæ institutum perduxerat, iura Episcopalia, cum regularis præfecturæ munere coniungens, sanctissimè præstitit. *b.* Ad cœlum euolat in Britannia anno salutis 688. post exactos tres in Episcopatu annos. *a. Beda in præfat. histor. Angl. b. idem lib. 4. histor. Angl. cap. 27. & 29.*

XIX.

In Gallia Lugdunensi, Beatus suo Canotensis, vir sanctitate & eruditione clarissimus, *a.* Ordinis Clericorum Regularium quem S. Ioannis Baptistæ appellauit, antiquam Apostolicæ scholæ rationem sectatus, parens & auctor fuit. *b.* Claruit anno salutis 1000. *a. Thom. Walden. tom. 3. tit. 10. c. 14. b. Valentia Controu. de Indulg.*

XX.

In Hibernia, de Malachia Præsule sanctissimo, hæc scribit S. Bernardus. *a.* Malachias factus Duensis Episcopus, confestim more suo, curauit adsciscere ad sodalitium sibi de filiis suis conuentum Clericorum Regularium; & ecce rursus accingitur quasi nouus Christi tyro ad spirituale certamen; rursus induitur arma potentia Dei, sanctæ paupertatis humilitatem, rigorem disciplinæ Cœnobialis, ocium contemplandi, orandi assiduitatem. *b.* Excessit è vita anno Domini 1148. die 2. Nouembris. licet eius festum in sequentem diem translatum sit. *a. Bern. in eius vit. b. Mart. Rom. die 3. Nouembr.*

XXI.

In Belgio, Gerardus Magnus Doctor Parisiensis, generis splendore, & diuitiarum copia celebris, cunctis ob pietatis cultum abiectis, Dauentriæ Clericos Regulares instituit, anno Domini 1380. inter quos Florentius Tiniestensis, Magistro suo iam vita functo, iisdem adhuc non integre edoctis secundum formam quam abillo didicerat, viuendi Regulam præscripsit. *a Iodocus Ascensius in vita Thomæ Campen. c. 9.*

LXIII. Ad horum imitationem excitati Quatuor Viri, quos diximus, & ipsi istud sanctum atque summopere hoc tempore institutum instaurare voluerunt; at velut Quatuor illa Prophetica animalia, spiritu diuino inflammati, feueritate disciplinæ: modum dissolutis imponere decreuerunt, sanctæque reformationi Ecclesiasticorum insiterunt ad hoc præclarum munus, à Margareta Rauennate virginum sanctissima (vt Cardinalis Simoneta in processu eius vitæ facto recensuit) prænunciati; & portento Crucium, ante vigiuti annos prodigiose in membris & vestimentis humanis apparentium prænonstrati: qui scilicet Crucis mortificationem iugiter, in suo corpore portarent, & Christum ipsum induti, reliquo Clero ad omnem sanctitatem præirent; vt idem Ioannes Franciscus Picus olim Maximiliano Cæsari interpretabatur. hoc carmine.

Olli per pectus, per crus, per colla, per aluum
Syderea extemplo pingunt insignia gutta,
Quam varij strepitus, quam dissona dogmata, quanti
Pro sensu capitum vario mussare susurri?
Crediderim Dominum celsæ, qui præsidet arci
Olim longa sui portantem obliuia mundum,
Vidisse, & signis voluisse salubribus Almæ
Sæpius, vt quæ alias, exire ad limina lucis.
Quandoquidem fontes inferno subsultit antro
Tartareus Princeps furias scelerumq; cateruas
Immisit Stygij referantes abdita fontis
Cuius mortifero dudum tenebrosus hiatu,
Aera tabifico fumus præexuit inde
Augusta occultur cœlestis semita vitæ,
Inde Crucis miseros væsana oblitia tentant.
Hinc Regina malis forte indignata finistris
In cades, & bella ruit sitibunda cruoris,
Præcurrit que rotas scisso discordia crine
Successus belli si forte arriserit. Illinc
Ambitio erumpit rebus tumefacta secundis.
Tumque infrenis amor lucri, tum lurida glisci
Ingluuies, studioque omnes experta per artus
Spurca Venus, lassis, minimumque viribus hausta
Et parit ignauos animos, & torquet atroci
Inuidia & partos dispердit prodigia census &c.

& ad finem, postquam explicuisset significationem, prodigiosarum illarum Crucium, concludit.

——purgemus noxia, rectum
Firmemus: nostris opus est indicere bellum
Moribus inprimis, mox bella inferre profanis.
Christo non desunt Reges, nec tempora desunt,
Vt mores abigat, Satana impellente, nefastos,
Et Crucis Imperium longe lateque propaget.

LXIV. Istud Crucis, seu mortificationis sumendæ, & per eam Ecclesiæ reformandæ propositum, à Quatuor Viris susceptum, placuit iis, quibus probitas & religio grata atque amata. Quãobrem neque ingrati illi Quatuor, quos, vt de priscis illis Sacerdotibus, vel ab Ethnico scriptum est, *tenuitas edendi potandique parcissime, vilitas eciam indumentorum, & supercilia humum spectantia, perpetuo numini, verisq; eius cultoribus, vt puros commendabant & verecundos.* Inde vsus manauit in vulgum, vnumquemque castigatius seueriusque viuentem, non aliter appellandi, quam *Theatinum*: quod videlicet Clerici illi Regulares, recens ordinis instituti, Theatim dicerentur, Vulgus illis vocabulum, imposuit: siue à Conditore, Episcopo Theatino: siue à spectando seu contemplando, vel à spectabilitate, siue etiam spectaculo, vel theatro. Enimuero θεατὴς Græcis, Latinis spectatu dignus, clarus illustris, spectabilis: θέα spectaculum, θεατὴς spectator, præcipuè vt Plautus in Amphitr. Iouis summi: vel vt Cicero lib. 1. de Natura Deorum, rerum superarum atque cœlestium contemplator; vel θεατὴς, probatur & iudex. Inde Theatini cognominati, quiaid habitu, motu, gestu, incessu, astricti moris, ostenderent quod essent; facti simul Theatrũ & spectaculũ, mundo & Angelis: facti speculatores illius imaginis, in quam vtinam omnes transformemur: spectabiles sanctitate, clari innocentia, illustres doctrina: probatores eorum quæ potiora: iudices & censores morum; olim etiam iudices Orbis, & Assessores omnibus illis, qui omnibus pro Christo relictis Christum sequuti, Iesu Christo supremo iudici assidebunt. Contemplationi enim rerum cœlestium sic primores illi vacauerunt, vt tamen actuosæ vitæ opera, præcipue ea quę dicuntur spiritualia minime negligerent. Rari quidem illis fuere egressus, sed si quando aut habenda fuerat concio, aut ægrotus quispiã inuisendus cohortandusq; ad patientiam cæteraſque virtutes, illi promptissimè excurrebant, vt ignes diuini amoris quibus ipsi æstuabant, in proximos spargerent; æmuli inprimis Angelorum, quibus mos est, ita se ad homines iuuandos demittere, vt à Dei contemplatione interim non desistant: & à calore charitatis quo mortales fouent, flammas in Deum ardentissimas nec quicquam remittant. Ergo & illi, ægrotis in Nosocomiis assiduè inseruire, iis aliisque labes suas fatentibus aures præbere, agentibus animam ad vltimum vsque spiritum adsidere; languentes, egenosque, verbo, ope qua poterant subleuare: Sacramentorum vsum, qui insolens hoc tẽpoe erat, modis omnib. instaurare: publicis ac priuatis sermonibus flagitiosos à vitiis dehortari: virtutum amorem ingenerare; diuini cultus decorem, frequentiamque inculcare: atque ad spiritualem cœlestemque vitam omnes quos poterant instituere certabant. Porro vt eiusmodi salutaria officia possent præstare vberiꝰ, auxit numerum illorum Deus; quippe ipso initio vix dato, nonnulli alij, numinis instinctu agitati, atque eorum exemplo incitati, iis aggregati sunt. In quibus præcipui, Bernardinus Schottus Sabinus: Hieronymus Consiliarius, & Andreas Versus Romam Iacobus Yuannius Hispanus, Thomas Guerrerius Siculus, Marcus Pasqualinus Venetus, Matthæus Serrauallensis, & Petrus Laicus Perusinus, duodenarium numerum Apostolici instituti compleuerunt. Alij, si qui in eorum societatem admitti cuperent, difficulter admittebantur: nec nisi facta prius diligenti de vita & moribus inquisitione, deque præcipua causa qua mouebantur hoc vitæ genus expetere. Pueri

vero propter ætatis instabilitatem ltatim excludebantur; neque vllus precibus aut lacrymulis erat locus. Regula, nõn Sancti Augustini, (vt quidam falsò comminiscitur) sed ex actis Apostolicis & Euangelicis, iis sodalibus exposita eiusmodi erat; vt erga Deum, tota mente, toto spiritu, tota anima colerent pietatem; erga virtutem, diligentia, exercitatione, assiduitateque sanctitudinem seruarent: erga proximum, misericordia, feruore, studioq; diligenti charitatem exercerent. Caste viuerent: à iureiurando omniq; mendacio abstinerent: diuitias negligerent: paupertatem ex voto profiterentur: voluptati resisterent: gloriam vni Deo concederent: beneuolentiam inter se maxime colerent: æqualitatem continuo in omnibus tenerent: victum denique & vitam communem haberent. Quodq; cum nihil certi haberent ad vitam alendam, si quid à quoquam eis donaretur, quo famem quotidie pellerent; non plus acciperent, quam quod ad vitæ vsum necessitatemque sufficeret: reliquum omne in pauperes distribuerent: atque ita sola spe in Deum posita sustentativitam pauperem degerent, diuitiis, fundis, censibus & quibuscumque redditibus repudiatis, sola virtute ditissimi. Hanc *Regulam Apostolicam* Theatinis suis perscripsisse Io. Petrus Caraffa, & D. Caiet. primi religionis Clericorum Regulariũ Conditores, seu Patriarchę: imo primi Cleri Reformatores, seu primi Apostolici Ordinis Restitutores & primi hoc seculo Presbyteri Regulares: quos tamquam Duces Regularis Cleri, imitati sunt alij Ordines Regularium, Societatis Iesu, Bernabitæ, Sommascheni, Ministri infirmorum, Clerici Minores, Scholæ Piæ, Congregationis Oratorij, & alij. *Caraciolus in vita Pauli IV. & Sociorum. Ioannes Baptista Tussus Episcopus Acerrarum in annalibus Theatinorum: Dominicus Gratinus in Turture. Hieronymus Maggius in Narratione de Caraffa. Marius Matteſilaneus lib. de Guelphis & Gibellinis parte 2. Duditius in vita Regin. dli Poli Cardinalis. Ioannes Baptista Castaldus Theatinus in vita Thienei, & in elogiis. Morigia de Conditoribus Religionum.*

LXV. *Claudia Valesia Galliæ Regina obiit.* Hoc anno, mense Iulio, Blesis in Gallia, Claudia Valesia Regina migrauit ad superos. Fuit illa summa integritate pudicitiaque. Abundabat innocentia, pietate, religione, obsequio in virum, diligentia in familiares: nunquam insolens aetataque visa, eundem vultum eodem tenore referebat, grata ciuibus, incunda plebi, nobilitati optabilis: vt in aduersis rebus constantiam, ita moderationem in secundis retinebat. Familiare illi nihil nisi de diuinis cœlestibusque promissis, assectationeque diuinæ hæreditatis dies & noctes cogitare. Placabilis erat in eos à quibus esset offensa: afflictis multa condonabat, probis piisque viris multa elargiebatur. Nemo eam vlla lucra ligurientem, nemo ad rem attentiorem, nemo vllis deprauatam cupiditatibus, aut vidit, aut audiuit. Ita sapienter, ita scite, ita eleganter, castum sincerumque animi motum singulæ eius sententiæ olere videbantur, omnibus vt abundare ornamentorum generibus, omnibus virtutibus quasi fontibus scaturire videretur. *Ferronius in Francisco I. Rege.*

Eius vitæ probitas.

LXVI. *Clemens VII. diploma Iubilæi euulgat.* Ad finem huius anni, Clemens Pontifex diploma euulgauit, indictionis sancti Iubilæi, & plenissimæ remissionis peccatorum, pro visitantibus Basilicas Beatorum Apostolorum Petri & Pauli, nec non Ecclesias S. Ioannis Lateranensis, & Beatæ Mariæ Maioris de vrbe. anno subsequente M. D. XXV. istis verbis.

I.

Inter solicitudines & curas nobis incumbentes, ad ea potissimum mentis nostræ destinamus affectum, per quæ vniuersi Christifideles, hoc sacro Iubilei anno instante, indulgentias à Romanis Pontificibus prædecessoribus nostris, & à nobis pro istorum expiatione peccatorum concessas, vberius valeant promereri, ac ad id pio suarum salute animarum promptius inducantur, & quæ propterea ab eisdem prædecessoribus, & à nobis prouide emanarunt, ad omnium notitiam deducantur, vt ipsi Christifideles indulgentiarum huiusmodi, melius & facilius capaces effici, ac æternæ beatitudinis præmia largiente altissimo consequi possint. Cum itaque annus Iubilei, remissionis & gaudij, ac reconciliationis humani generis nostro piissimo Redemptori, qui olim quolibet anno centesimo, ab illius primæua ordinatione per se. rec. Bonifacium VII. institutus, & deinde Clementem VI. ad quinquagesimum, ac successiue per Gregorium XI. ad XXXIII. & postremo ad XX. per pias memoriæ Paulum II. Romanos Pontifices prædecessores nostros, propter humanæ vitæ breuitatem reductis fuit, instare noscitur sitque vere instar illius Centesimi anni, qui ab ipsa primæua erectione sunt statutus, & in quo vniuersi Christifideles, quibuscumque etiam grauissimis delictis obnoxij vere pœnitentes & confessi, visitando Basilicas, & Ecclesias almæ vrbis, & extra eam ad id deputatas, illarumque maiora altaria, ob passionem Domini nostri Iesu Christi, ac Apostolorum, nec non martyrum; aliorumque Sanctorum merita, plenissimam omnium peccatorum suorum indulgentiam consequuntur: & propterea ab omnibus Christi fidelibus cum maiori frequentia & deuotione non immeritò celebrandus: cupiamusque toto cordis affectu animas lucri facere creatori, dictumque annum Iubilei ab ipsis fidelibus eum omni debita & singulari deuotione frequentari, ac fideles ipsos ad dictam vrbem pro reuerentia Beatorum Petri & Pauli Apostolorum Principum, qui eam martyrio suo consecrarunt, & in quorum Basilicis illarum maioribus altaribus illorum gloriosa corpora, & in altari Ecclesiæ Lateranensis capita à recondita conseruantur, ac indulgentiis dicti Iubilei consequendis vndecunque personaliter accedere; Nos qui eiusdem Beati Petri, meritis licet imparibus successores sumus, & per alias diuersas litteras nostras plenissimam dicti anni Iubilei indulgentiam, litterasque eorumdem prædecessorum nostrorum desuper emanatas, de Fratrum nostrorum consilio approbauimus, & innouauimus, ipsumque annum Iubilei à primis vesperis vigiliæ Natiuitatis Domini nostri Iesu Christi incipere, & vt sequitur inire voluimus, ac omnes & singulas indulgentias plenarias, etiam instar Iubilæi, ac etiam commutandi vota, nec non super eis, & male ablatis, & incertis, & per surariam pratitatem, vel alium illicitum modum extortis, dispensandi & componendi, aut illa sub certo modo & forma remittendi, & deputandi confessores, cum potestate absoluendi, etiam in casibus Apostolicæ sedi reseruatis, facultates, concessiones, & indulta, à nobis, vel Apostolica sede, quibuscumque Ecclesiis, Monasteriis, hospitalibus, & piis locis, Vniuersitatibus, Fraternitatibus, in perpetuum vel ad certum tempus, in vita, seu mortis articulo, quouis modo, ex quauis causa quomodolibet concessas, & concessa, & in futurum forsan concedendas, & concedenda, de simili consilio, ad nostrum & dictæ sedis beneplacitum suspendimus, omnibus & singulis vtriusque sexus Christi fidelibus, tenore præsentium nunciandum duximus, prout nunciamus; quod proximo die Sabbati, qui erit vigilia Natiuitatis eiusdem Domini nostri Iesu Christi, in primis vesperis dictæ vigiliæ accedemus ad Basilicam eiusdem Beati Petri, & portam eiusdem Basilicæ anno Iubilæi aperiri solitam, pro maiori fidelium deuotione, astantibus, Venerabilium Fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium Collegio, ac maxima Prælatorum, Cleri & populi multitudine, propriis manibus aperiemus, faciemusque aperiri alias Basilicæ S. Pauli, ac Lateranen. & Beatæ Mariæ maioris de dicta vrbe Ecclesiarum portas, etiam de more Iubilæi anno aperiri consuetas; & pro consequenda ipsa plenissima indulgentia Basilicas eorumdem Apostolorum Petri & Pauli, Lateranen. & Beatæ Mariæ Maioris Ecclesias: illarumque maiora altaria huiusmodi, per Romanos, ac in dicta Vrbe commorantes & residentes, xxx. per peregrinos vero & forenses xv. diebus continuis, seu interpolatis, semel in die visitari debere: omnes & singulas plenissimas indulgentias, per dictos prædecessores dicto anno Iubilei, Basilicas & Ecclesias prædictas visitantibus concessas, de nouo pro conscientiarum eorumdem fidelium, maiori serenitate, & potiori cautela, auctoritate Apostolica, & ex certa nostra scientia approbamus, concedimus, & innouamus: adiicientes, vt ij qui pro consequenda indulgentia huiusmodi, post iter arreptum, vel post præparationem ad veniendum ad dictam vrbem per eos factam, impediti legitime fuerint, quominus ad dictam vrbem dicto anno Iubilei valeant peruenire, aut præparati in loco vbi tunc fuerint, & venientes in via, vel tam ipsi, si ad prædictam vrbem peruenerint, quam Romani, & alij residentes, & commorantes, ac forenses, præfato dierum prætaxato numero non completo, in dicta vrbe decesserint, vere pœnitentes & confessi, eandem plenissimam indulgentiam omnino consequantur. Et vt omnes Christifideles eiusdem plenissimæ indulgentiæ facilius capaces Deo propitio effectentur, habeantque ad quos in casibus, nobis & sedi Apostolicæ reseruatis, si illis irretiti fuerint, recurrere possint, deputauimus in dicta Basilica Sancti Petri, minores Pœnitentiarios, quibus eos in dictis casibus reseruatis absolutè plenam & liberam pro maiori Christi fidelium, qui ad nos non ita de facili recurrere possunt, cõmoditate & animarum salute, per alias nostras litteras prout in illis plenius continetur, concessimus facultatẽ. & vt animarũ salus eo tẽpore potius procuretur, quo magis aliorũ egẽt suffragiis, & qui minus sub ipsis proficere valent, auctoritate Apostolica, de thesauro Sanctæ

Matris Ecclesiæ animabus in Purgatorio existentibus, quæ per charitatem ab hac luce Christo vnitæ decesserint, & quæ dum viuerent, sibi vt huiusmodi indulgentiis suffragaretur, meruerint, paternè, quantum cum Deo possumus succurrere cupientes, de diuina misericordia, ac potestatis Apostolicæ plenitudine, volumus & concedimus, vt si qui parentes, amici, aut cæteri Christifideles pietate commoti, pro ipsis animabus, purgatorio igni pro expiatione pœnarum eisdem secundum diuinam iustitiam debitarum expositis, dicto Iubilæi anno durante, aliquam eleemosynam iuxta dictorum nostrorum Pœnitentiariorum, vel alicuius eorum ordinationem, dictas Basilicas, & Ecclesias modo præmisso deuote visitando, in aliqua ex captis in eadem Basilica sancti Petri deputatis posuerint, ipsa plenißima indulgentia per modum suffragij ipsis animabus in purgatorio existentibus, pro quibus dictam eleemosynam piè erogauerint, pro plenaria pœnarum relatione suffragetur. Præparent ergo omnes Christifideles corda sua Domino, & mores in melius commutare conentur, à malefactis abstineant, satisfaciant Domino per pœnitentiæ dolorem, per humilitatis spiritum, per contriti cordis sacrificium, cooperantibus eleemosynis & peregrinationibus, vt Basilicas & Ecclesias prædictas, in quibus sanctorum millia, & fere innumera, vna cum ipsis gloriosißimis Apostolis Petro & Paulo requiescunt, qui mortem pro Christi nomine perpeßi, eius conspectui semper assistunt, deuote visitando, verè pœnitentes & confeßi, ipsos gloriosißimos Apostolos, & sanctos, intercessores ad Dominum habere, & plenißimam indulgentiam huiusmodi, ac reconciliationem cum ipso piißimo Redemptore nostro, per diuinam misericordiam, ac eorundem Apostolorum & Sanctorum precibus & meritis, perque eorum bona opera consequi mereantur. Amen. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ approbationis, conceßionis, innouationis, denunciationis, adiectionis, & voluntatis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem Omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri & Pauli Apostolorum eius se nouerit incursurum, Datum Romæ apud S. Petrum Anno Dominicæ Incarnationis M. D. XXIV. XVI. Calend. Ianuarij Pontificatus nostri anno 2.

II.

Deputatio, & facultas Pœnitentiariorum minorum pro anno Iubilæi.

LXVII. *Pastoris æterni, qui pro salute gregis Dominici in pretium immolari non abnuit, vices, licet immeriti gerentes in terris, & gregem ipsum nobis diuina dispositione commissum paternæ considerationis intuitu conspicientes, ac de animarum singulorum fidelium salutè cogitantes, illorumque periculis occurentes, ad ea libenter intendimus, & debemus, per quæ fidelium eorundem salus animarum valeat procurari, ipsique fideles hoc sacro anno Iubilæi ad almam vrbem pro consequenda indulgentia, dicto anno, pro suorum expiatione peccatorum concessu confluentes, & alij in dicta vrbe commorantes & residentes, illius capaces facilius & liberius Deo propitio effici poßint. Sane prouide considerantes instantem annum Iubilæi, remißionis & gaudij, ac reconciliationis humani generis nostro piißimo Redemptori, esse vere instar illius centesimi anni, qui ab ipsa primæua ordinatione fuerat institutus, & in quo omnes quibuscumque etiam grauißimis delictis obnoxij, vere pœnitentes & confeßi, visitantes Beatorum Petri & Pauli Apostolorum Basilicas, ac Lateranen. & Beatæ Mariæ Maioris de dicta Vrbe Ecclesias, illarumque maiora altaria, in quibus videlicet Beatorum Petri & Pauli Apostolorum Basilicis corpora gloriosa, & in Ecclesia Lateranensi capita illorum recondita conseruantur, ob paßionem Domini nostri Iesu Christi, ac eorundem Apostolorum, aliorumque martyrum & sanctorum merita, plenißimam omnium peccatorum suorum indulgentiam consequuntur: & propterea à cunctis fidelibus non immerito maiori deuotione, ac frequentia celebrandum: volentesque, vt Christifideles ad vrbem ipsam de diuersis mundi partibus, pro consequenda huiusmodi plenißima indulgentia confluentes, & alij in illa commorantes, & residentes, eandem indulgentiam facilius valeant promereri: & ne defectu potestatis absoluendi illos, qui aliquibus casibus, nobis & dictæ sedi reseruatis irretiti forent, illorum animæ illaqueatæ remaneant, debite prouidere, ipsorumque, cum semper ad nos in dictis reseruatis casibus recursus haberi nequeat, commoditati, ac animarum saluti paterna charitate consulere, Dilectis filiis infrascriptis Pœnitentiariis, in dicta Basilica Principis Apostolorum deputatis, de quorum prouidentia, integritate, bonitate, & solertia in iis & aliis gerimus in Domino fiduciam specialem, omnes & singulos vtriusque sexus Christifideles, ad dictam vrbem pro consequenda plenißima indulgentia huiusmodi confluentes, & alios in illa commorantes, & residentes, qui aliquibus casibus, nobis & dictæ sedi reseruatis irretiti forent, in dictis casibus, etiam quantumcumque grauibus, & enormibus, & ex quauis causa specialiter vel generaliter, nobis & dictæ sedi reseruatis, etiam in litteris quæ in die Cœnæ Domini singulis annis publicari consueuerunt contentis, & etiam talibus de quibus præsentibus specialem oporteret fieri mentionem (conspirationis in personam, vel statum Romani Pontificis, seu sedem prædictam, falsitatis litterarum, supplicationum, & commißionum in Apostolicarum, delationis armorum & aliorum prohibitorum ad partes infidelium, iniectionis manuum violentarum in Episcopos, vel alios Prælatos superiores, casibus duntaxat exceptis) ad effectum ipsam plenißimam indulgentiam consequendi, & dicto anno Iubilæi durante, in foro conscientiæ absoluendi, eisque pœnitentiam salutarem iniungendi, plenam, liberam, & omnimodam, authoritate Apostolica, ex certa scientia, tenore præsentium concedimus facultatem: Quibusuis aliis personis & Confessoribus secularibus, & Religiosis in dicta vrbe, & extra muros illius, ac alias vbilibet existentibus, quascumque facultates in dictis casibus reseruatis absoluendi, à nobis & sede prædicta, verbo vel scriptis forsan obtinentibus, etiamsi in eis caueretur expresse, illis nullatenus, vel nonnisi sub certis inibi expreßis modo, & forma, aut conceptione, vel expreßione verborum derogari posse, ne aliquem dicto anno durante, facultatum prædictarum prætextu in dictis casibus reseruatis absoluere quoquo modo præsumant, sub excommunicationis & anathematis latæ sententiæ pœna, quam contra facientes eo ipso incurrant, & à qua non nisi à nobis, & successoribus nostris Romanis Pontificibus canonice intrantibus, præterquam in mortis articulo constituti absolui poßint, quibusque si obedientes fuerint, vt præfertur, prædicationis, lectionis, administrationis Sacramentorum, & audiendi confeßiones officia interdicimus, districtius inhibentes, prædicentes, & declarantes aperte transgressoribus, & contemptoribus prædictis, nos grauius contra eos, spiritualiter & temporaliter, prout expedire cognouerimus processuros, & nihilominus quicquid egerint, absoluendo, vel alias, nullius sit roboris vel momenti. Non obstantibus præmißis, & Constitutionibus ac ordinationibus Apostolicis, cæterisque contrariis quibuscumque. Studeant igitur omnes Christi fideles, vt tenentur, hoc sacro anno Iubilæi corda sua Altißimo præparare, moresque ac vitam in melius commutare, ab illicitis abstinere, Domino per pœnitentiæ dolorem, per humilitatis spiritum, per contriti cordis sacrificium, corporalibus eleemosynis, & peregrinationibus satisfacere: vt Basilicas & Ecclesias prædictas deuote visitantes, vere pœnitentes & confeßi, ipsam plenißimam anni Iubilæi indulgentiam, ac reconciliationem cum piißimo Redemptore nostro, per eorum merita, ac bona opera consequi mereantur. Nomina vero dictorum Pœnitentiariorum sunt hæc, videlicet, Magister Petrus Calaguritanus, Ioannes Polonus, Henricus Brito, Thomas Anglicus, Magister Syluester, Marcus Abbas Beneuentanus, Bernardinus Villa noua, Paulus Vngarus, Cocles Theutonicus, Magister Ioannes Vulpes. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostrorum, mandati, decreti, hortationis, & monitionis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem Omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri & Pauli Apostolorum eius se nouerit incursurum, Datum Romæ apud S. Petrum anno Incarnationis Dominicæ, M. D. XXIV. X. Calend. Ianuarij. Pontificatus nostri anno 2.*

ANNO CHRISTI M. D. XXV.

CLEMENTIS PAPÆ VII. ANNO 2. & 3.

CAROLI V. REGIS ROM. ANNO 6.

I. *Clemens VII. pacē inter Carolum V. & Franciscum Galliæ Regem frustra conciliat.*

Bello inter Carolum Cæsarem, & Franciscum Galliarum Regem, de possessione Insubriæ accenso; feruenteque, videns Pontifex Gallos ex omni conflictu inferiores discedere, Cæsarianisque, fere vbique victoribus animos ac vires crescere, ac propterea Gallorum periclitari fortunam; Hieronymo Aleandro Archiepiscopo Brundusino apud Franciscum Regem Nuncio imperauit, vt hunc ad inducias cum Cæsarianis faciendas hortaretur, si concordiam & pacem non posset aliqua ratione persuadere. Nomine Pontificis, Aleandro scribebat, Gibertus Veronensis Episcopus, omnium consiliorum administer: certiorem faceret Regem, beneuolentiæ Pontificiæ, qui illum non secus atque filium amantissimum diligeret, omniaque bona illi exoptaret. ab hoc paterno affectu proficisci, vt illum periculi vellet esse admonitum, à pertinacia Cæsarianorum: qui etiam sine stipendiis militare destinassent, subsidia tolerandæ obsidionis Papiæ accepissent, de vniuersa controuersia vno prælio decernere properarent, victoriam sibi certissimam omnino pollicerentur, eamque fere in manibus haberent; Henrici Anglorum Regis auxiliis aucti essent; suppetias & pecuniam ex Hispaniis in horas expectarent: ac super omnia animo alacri, inuicto, infractoque nihil aliud quam conflictum desiderarent. Itaque, ne sibi aut suis viribus præfideret; neue vario belli euentui omnem suam dignitatem committeret: non parum lucri facturum; si Pontifice conciliatore Mediolanum, & quicquid in Insubria acquisiuerat, retineret; de Papia acturum Pontificem; vt ea vel in suas, vel in Angli manus deponeretur, donec de iure decerneretur. *Gibertus die 19. Feb. 1525.* Non minore studio cum Cæsarianis Pontifex egebat, vt eos à dimicatione auerteret, & ad pacem, vel inducias impelleret. & quia Stuardi Ducis Albani, Neapolim cum exercitu profectio, Cæsarianos à tractatione rerum retrahebat, eam Pontifex sua industria remorari, inanemque reddere cupiebat; datis litteris ad Franciscum, vt Stuardus inter eundum Senis aliquantum subsisteret, eiusdemque vrbis administrationem in meliorem formam redigeret. Destinabat nimirum, bellum illud intercipere; ac Neapolitano quidem regno Cæsarem, Mediolani vero dominio Franciscum debere contentum esse: sperans Pontificatum Romanum, dum Cæsar & Gallus duos insignes Italiæ terminos possiderent, vtpote intermedium, vtriusque potentia suffultum, in tuto fore. *Belcarius lib. 18.* Sed destinatum erat Francisco, infeliciter pugnasse. Cęsariani enim Germanorum auxiliis adaucti, hærentem Ticino Regem, ingenti edita pugna, suo atque equi vulnere tardatum, ceperunt; profligatoque ipsius exercitu, in Hispaniam captiuum miserunt. Captus vna fuit Hieronymus Aleander Nuncius Pontificis, sed confestim dimissus. Capti pariter, Henricus Rex Nauarræ, & Renatus Regis auunculus, Franciscus Borbonius, Memorantius, Brionius, Bozolus, Obegninus, & plerique alij proceres. Rex ipse à pilarum ictibus necem euasit; vt quum Crucis Christi frustulum aurea cōclusum bulla collo gestaret, quod plane esset seruatus, in miraculum à piis hominibus referretur. *Iouius in Daualo lib. 6.*

II. Quam porro constanter, ictum aduersæ fortunæ tulerit: quàm Cæsar nunciata victoria modeste se gesserit: quo animo aliqui Proceres in quosdam Gallorum atque ipsum fuerint: qui honores captiuo Regi habiti; quæ calamitatis augmenta; qui successus; non est inuolupe, neque sine fructu prudentiæ, vel Paulum Iouium legere, qui narrabat. At Franciscum nudatum fere omni præsidio alarum custodiæ corporis, tot circum interfectis, & cæteris circumquaque palantibus sese eripientem, mixti ex variis turmis aliquot equites vti habitu insignem persequuntur. Nec Rex impiger seipsum deserit, quamquam & ab equo, & à fortuna deserebatur; passim inflexo equo cum insultantibus gladio rem gerit, illatisque & acceptis aliquot vulneribus strenue repugnat. Sed dum ad proximum riui pontem contendit, confosso & corruente equo, sternitur. Primi omnium Didacus Abila, & Ioannes Vrbieta Cantaber, supergrauante equo iacentem circumsistunt; nec adhuc plane cognitum intentatis gladiis, vt se dedat ni perire malit cohortantur. Interim superuentu Mottæ Anoierij Galli, qui erat Borbonij equitum præfectus, de facie noscitur, quamquam erat ex vulnere totum os manante sanguine fœdatus. Sed dum Motta vt se Borbonio dederet qui non procul abesset hortaretur, Rex ad proditoris nomen indignabundus, ac imperanti similis, accersitote, inquit, Lanoium. Isque dum Motta ad Borbonium peruolaret, vndique voce & discursu militum quæsitus, opportune superuenit, summotaque incumbentium turba subtractum equo exporrecta dextra subleuauit. præoccupanti Abilæ chirotheca ferrea traditur; proximi paludamentum in frusta discerptum abripiunt; alij baltheo & calcaribus potiūtur; quum vnusquisq; aliquid ex Regiis exuuiis rapere properaret, quod mox ad decus, petendaque præmia non obscura fide posset ostentari. Capto Rege, vndique à Cæsarianis victoria conclamata. Gallus animus concidit: fit fœda fuga in omnes partes. Cæsa, eo prælio, ad decem millia Gallorum. Rex armatus, vti erat in equo humili asturcone, quum à Lanoio Prorege in castra duceretur, Alfonsum Vastium obuium habuit. Is propere ab equo desiliens, Regiam dexteram apprehendens, custodientium & aggregantium sese vltro militum coronam late summouit; ita vt his pudorem iniiceret, qui nullo prope respectu maiestatis, adeo arcte iam captum Regem custodirent. Tum vero Franciscus non parum eius conspectu recreatus, silentium exsoluit. Eum enim cum iuuentæ flore & specie corporis, tum virtutis & omnis elegantiæ militaris laude insignem, vti præclarus vel in hoste excelsæ virtutis admirator vehementer adamabat. *Franciscus Galliæ Rex ab Hispanis in bello cum aliis magnatibus capitur.* Consolanti Vastio, magnitudinemq; animi & humanitatem in Carolo Cæsare plurimum attollenti: Statueram, Rex inquit, non indecoro casu, inter armatos concidendo animum ab hac tanta rerum mearum acerbitate vendicare, ne tot clarissimorum meorum Ducum funeribus superessem. Sed fortuna iampridem nomini nostro inique & peracerbe infensa, vt vitam inuito ad illudentis fati spectaculum reseruaret, honestissimam mihi mortem inuidit. hoc vno tamen me in tantæ cladis memoria consolabor, quod nulla mihi in posterum calamitatis erit vis pertimescēda: quandoquidem illa sæuissime semper furens, nec tot cumulatis cladibus vmquam abunde saturata, nunc tandem reliquas supremi odij faces, in hoc publico totius Galliæ luctu, & summa mea ex tanti infortunij casu iactura, restinxerit. His verbis non modo ipsis victoribus singulari affectis lætitia lachrymas propemodum exciuit; sed circumfusorum etiam omnis generis militum animos, tantæ victoriæ reputatione vsque adeo confudit, vt facilè à cædibus, & ab ipsa etiam præda ad tanti Regis capti spectaculum vndique verterentur. Ductus est in Gallica castra ipso imperante; ne à Ticinensibus quos summis affecerat detrimentis, & à ferociente præsidiario milite, tamquam diuturnæ obsidionis incommodis vehementer afflicto, ad ludibrium in ea fortuna conspiceretur. Ibi ea vulnera, quæ in auersa parte femoris, & in dextra, summaque gena, leuia tamen acceperat, facile curauit. Ferunt Regem Borbonio proditori ad genua prouoluto, & dexteram appetenti, nequaquam sese irati, sed cuncta æquissimo animo ferentis habitu præbuisse: ipsum vero Borbonium demisso vultu haud dubia dedisse pudoris & pœnitentiæ signa; vtpote qui non omnium modo tacita cogitatione, sed liberis etiam sermonibus sese inuidia plurimum onerari; & defectionis suæ nomen latissimæ famæ pandi manifeste perspiceret. Cænauere cum Rege magnis precibus inuitati Lanoius & Vastius; lauanti autem Borbonius honoris causa linteum dedit. Sed Rex ingressus in sermones de prælij euentu, tam graui, & tam facundo ore consiliorum suorum rationes explicauit, periti Imperatoris more singula recensendo, quæ apud se vel ipsos hostes vti potiora prouideri potuerint; vt si res in integrum restitui possent, se iterum ea tamquam optima conditione dimicaturum dicere minime dubitaret: Sed se deceptum ab Heluetiis, qui non modo suam sed omnium etiam opinionem turpissimè fefellissent, & auare ab Italis fraudatum, qui in recensendis cohortibus falsum militum numerum referre essent soliti: desertum demum nimis propere à tertio equitum agmine, semel inclinatam aciem vlla arte bellicæ virtutis, vlloque præsentis animi conatu reparare nequiuisse: atque ita, quum omnia fere in vnum coniurarint, vt fortunæ Cæsaris seruirent, fatali sorte potius quam errore hominum, cuncta ipsis prospera, sibi vero aduersa omnia contigisse. Nec multo post ad Pisleonem in custodiam deductus est. Eo tum demum ipse Ferdinandus Daualus Piscarius, totius exercitus Cæsarei præfectus venit, non plane obducta oris cicatrice, Regemque inuisit non in purpurea aureaque veste, vt cæteri qui ab ea victoria in pompæ morem sese Gallicis spoliis exornarant: sed ad singularem animi modestiam, laneo & nigro in sagulo, quasi non victoris sed victi habitum præferret: & miserari Regiæ conditionis sortem, nequaquam ficto dolore videretur. Eum venientem, ac insignium Ducum turba, veluti prætoria cohorte circumseptum, Franciscus adeo humaniter & auide complexus est, vt aliquamdiu animum atque oculos in eius viri admiratione defixos tenuerit; &

rit; & cœptis demum grauioribus sermonibus in hæc verba, non tristi, verum subblanda gestus & oris grauitate proruperit: Numquam, inquit, inuicte Piscari natura fieri posse putauerim, vt cum plenis affectibus amare atque suspicere possem, qui vnus omnium hostium Gallico nomini maxime fuerit infestus, & mihi demum victo captoq; longe grauissimum cladis vulnus intulerit. Sed profecto eam esse vim præstantissimæ virtutis, vel hoc meo æque nobili ac tristi rerum experimento constanter agnoscimus, vt in se ipsam admirabili fulgore late radiantem omnium oculos, tamquam ad præclarum lumen ab obscuro facile conuertat; ac ipsis demum animis impotentissime dominetur. Sed tu Piscari dignum illustri fama tua feceris, si eo tenore veræ virtutis, quo me & meos sæpe Duces feliciter vicisti, enixe dederis operam, vt hoc totum singularis victoriæ decus, quod vestra virtus & fortuna Cæsari peperit, ab altitudine eius animi excelsaque virtute longe clarissimum reddatur, dum mihi plane victo captoque non iniquis legibus impositis libertatem maximorum Regum exemplo restituit. Neque enim vel in hac mea calamitate Cæsari vestro, regna & imperia, aut tam præclare votis eius arridentem fortunam inuideo; quum hunc potius diuini muneris locum inuideam, quem ei benigna fors ad efferendum in cœlum nomen ruina mea patefecit, parari quidem lata imperia vi atque opibus possunt, & fortuna plerumque, quum eam maxime conuersam credas, sua libidine datterga, ac leui momento dilapsa peruertitur. At certè in Cæsaris arbitrio rara felicitate positum est, summæ humanitatis & clementiæ immortali gloria posse potiri; & secura manu velle decerpere nobilissimæ laudis fructum, quem certe nulla vis eripiet, nec ipsa quidem fata vllo vmquam tempore delebunt. quandoquidem post partam victoriam, cuius nomen & decus minores sæpe duces & milites sibi vendicant, nullus in Regia fortuna clarior est triumphus, quam ad eximium propriæ virtutis specimen, ab ipsa maxime generosi animi magnitudine celebrari. Ad quæ Piscarius pauca præfatus, quæ ad declarandam Cæsaris moderationem & lenitatem pertinebant, grauiter & apposite respondit: addens, quãtum ille in omni controuersia & disceptatione lenis & æquus esse consueuisset; & quam proculab inhumana duritie, omniq; sæuitia sensus omnes auertere; vtpote qui ab ineunte ætate propter facilem mitemque naturam, numquam ab immoderatis atque superbis, sed ab honestis decorisque consiliis, virtutis & pacis amore duceretur. Non intulisse eum ab initio bellum; sed grauissimis lacessitum iniuriis ita repulisse, vt post multas victorias locum paci & concordiæ, non iniquis conditionibus relinquere videretur. Propterea se speraresse Cæsarem, tanta animi moderatione vsurum ea victoria, vt nihil minus æquum à victo postularet, quam quod integris rebus repetere esset solitus: futurum que esse, vt ipse non multo post, solicitæ matri, & charissimis liberis, insigni Cæsaris liberalitate redderetur. Quibus rebus Francisci ægrum animum, in spem haud dubiam maturæ libertatis erexit; ratus Cæsarem, sola victoriæ felicitate contentum fore; nec in eo quicquam impotenter, sed solum lenitatis & clementiæ nomen esse quæsiturum, cuius animi nequaquam atrocis & superbi præclara signa Cæsar quidem ostendit, quum Barchinone nuncios, tantæ victoriæ, quæ ipso etiam natalicius die parta fuerat, nulla cum hilaritate susceptisset; sed singulari pietate indictis tantum trium dierum ad ædes Diuorum supplicationibus, sumptoq; corpore Dominico, & adiunctis precibus, vt is secundus belli euentus Reipublicæ Christianæ commodo verteretur, publicam lætitiam festis ignibus, & tormentorum bombis celebrari vetuisset.

III. *In arcem coniicitur.*

Cæterum Rex ipse in arcem ignobilis oppidi coniectus, ac salutantium turbæ frequenter ostentatus, omnium animos in sui miserationem conuerterat: fortunaque tum maxime vt impotens, & sæua, & instabilis accusabatur, quæ florentem belli gloria, ætate, atque opibus Regem, è summo amplissimi regni, potentiæque fastigio, puncto temporis præcipitem dedisset. quippe eius ori atque oculis, tanta vis tantusque honor inerat, ad promerendum omnium animos, vt non modo ij quibus neque beneficio, neque iniuria fuisset cognitus; sed etiam hostes ac inimici ea calamitate indignum existimarent: militarem enim cum inuicti animi, tum eximij corporis habitum, omnibus Regiis atque ciuilibus virtutibus exornarat. Quum pedes, siue eques tractando arma, artem ac robur ostendere, aut de optimis artibus ac liberalibus studiis disceptare vellet, omnem in id totius ætatis operam contulisse crederent. Accedebat prælato illustrique ingenio, bellorum, rerumque omnium memoria pene incredibilis, ac inexhausta quædam in his explicandis nitidi fermonis eloquentia, qua primis fere congressibus abdita suorum sensuum liberaliter expromendo, omnes miro sibi amore deuinciebat. Sed quum per ocia pacis alacri semper comitate, more gentis, ac erudito luxu, iocis munditiisque præstaret, vna maxime liberalitate, quæ in Principe optimo præcipua virtus existit, apud omnes longe clarissimus erat. Iis de causis, neque in ea arce, totaue Gallia cisalpina recte custodiri, neque alio terra mariue tuto produci posse videbatur: præsertim, quando Franciscus sæpe de industria, veluti per lusum, aureos nummos in custodientes se milites dispergere esset solitus, tanta præsentis fortunæ contemptione, vt & Hispani milites applaudendo, petulanter Cælites accusarent, quo ad subigendum terrarum orbem Franciscus ipsis non imperaret, aut ipsi omnes sub eo soluti Cæsaris Sacramento, militarent: adeo, vt duces, & ante alios Alarco custodiæ præfectus, & largitiones Regias cohibere, & familiaritatem militum nonnumquam abrumpere cogeretur. Vnde Rex, & præsentium rerum necessitate, & impatientia carceris compulsus, anceps consilium aliis iniecit, vt in Hispaniam ad Cæsarem perduceretur. Erat tum Franciscus in potestate Lanoij Proregis Neapolitani, hominis occulto astu contectaque prudentia valde insignis: quamquam summa militaris imperij penes Carolum Borbonium esset: qui id munus liberali & geherosa quadam simplicitate Gallico more sensim vsurpari permiserat. Magnis igitur pollicitationibus cum Lanoio Rex egit, vt in consilio primorum Ducum ac militum doceret Regem in securiore custodiam Neapolim esse perducendum. Cæterum ea re facile impetrata, quũ ad mare peruenisset, aliis omnibus deceptis in Hispaniam cursum direxit. Timebat enim Lanoius, nisi tantæ rei consilium egregia simulatione tegeretur, ne Borbonius atque Piscarius, quorum apud milites summa erit authoritas, institutam profectionem impedirent; adeo vt nullam ex turpi consilio inuidiam vereretur, ac illorum offensiones omnino negligeret, modo sibi amplior gratiæ locus apud Cæsarem eo facinore pararetur; & Francisci animum in spem ingentium præmiorum singulari beneficio deuinciret: quando nihil Cæsaris animo atque oculis optatius, nihil gratius aut speciosius cunctis Hispaniæ populis fore crederet, quam si clarissimum Europæ Regem eius maxime gentis virtute captum in Hispaniam ad triumphum, ac sempiternam incomparabilis victoriæ memoriam transportaret. Ipse quoque Franciscus, altitudine liberalis animi sui; alienæ naturæ spiritus metiri solitus, si in conspectum Cæsaris deueniret, cuncta sibi protinus secunda atque felicia despondebat. In hanc spem & Vgo Moncata ab Auria siue pretio in Hispaniam dimissus, vt amice atque solerter causam Regiam tueretur; summæque laudis & gloriæ in perpetuum parandæ facultatem Cæsari diuinitus oblatam esse prædicaret. Offendit ea res Borbonium atque Piscarium, quod Rex in Hispaniam transportaretur; vnde singularem contumeliam iniquissime ferentes, non amplius linguam moderabantur, quin palam omnibus Lanoium probris ac maledictis lacerarent, quod iura summi imperij, quæ penes Borbonium erant, incredibili arrogantia eludere non dubitasset, & Piscarij existimationem lædere minimè fuisset veritus, cuius maxime ductu virtuteque Regem prælio superatum, omnium opinione constitisset.

In Hispaniam captus ducitur.

At Franciscus remigio & lenibus ventis in Hispaniam delatus, Barchinone Regali apparatu excipitur, atque inde Alicanteram, qui Valentinorum est portus, legendo oram prouectus est, vt maiore demum compendio terrestris itineris, ad Cæsarem ire pergeret, qui tum apud Toletum vrbem omnium Hispaniæ maxime mediterraneam erat in æstiuis. Ibi Franciscus sinistro omine accepto, summum adiit vitæ periculum, quum milites, qui præsidio triremibus aduenerant, promissa stipendia flagitarent; consternatique ad arma Lanoium omnes infestis

IV. *Captus in Hispaniã ventis honorifice excipitur.*

Summum adiit periculũ vitæ.

hastis paterent. Emisso namque per tumultum maiore sclopeto, pila in marmoream columellam fenestræ coniecta est, cui forte Rex auersus humeris innitebatur. Lanoius autem in proximos hortos se deiiciens celeri fuga & latebris iracundiam militum vitauit. nec multo post conquisita pecunia, sedatoque tumultu ad Madritum, quod Mantuam Carpentanorum antiquitus fuisse putamus, non longe à Toleto terrestri itinere paucis diebus peruentum est. Erat in eo tractu Didacus Mendocius Infantasiorum Regulus splendore vitæ ac liberalitate magnis Regibus æquatus. Is Regem inter fines ditionis iter habentem incredibili apparatu, exornatis passim hospitiis, perpetuis sumptibus excepit & aluit. Ea subinde Regali munificentia dona offerens, quæ neque Franciscus à Cæsare expectanda censeret; neque ipse, si in Gallia incolumi fortuna esset, aduenæ Regi daturus esse videretur. In iis enim erant complures equi militares, longe omniũ Hispaniæ generosissimi argenteis phaleris, ac fericis instructi ephippiis; mulæ item nobiles purpura constratæ. Præterea falconum insignium, canumque omnis generis venaticorum cum toto venatorio apparatu; ipsisque aucupibus peritisque venatoribus delecta multitudo. Lectorum vero tantum, pictarumque stragularum & aulæorum; itemque vasorum cælato argento in mensarum vsum, ornatumque amplioris abaci; quantum vel non captiuo Regi satis esse crederent. Addidit Mendocius ad eam excelsi animi liberalitatem, spectaculum non modo sibi & posteris, sed toti etiam Hispaniæ maxime gloriosum. Populos namque imperio sibi subiectos militaribus instructos armis inuicta die in proximam viæ planiciem euocauit, digestosque in cohortes & turmas decurrere iussit. Fuere supra duodecim millia peditum & equitum; docuitque Mendocius admirabundum Regem multos cohortes esse in Hispania Regulos ipso admodum potentiores, vt non esset in victima laude, si qui nec ordine primarius, nec opibus summus esset, non modo reliquos omnes superasse, sed ipsum quoque Cæsarem ad immensum liberalitatis specimen prouocasse censeretur. Franciscus tanto in honore vbique habitus, quum omnia ad benignitatem Cæsaris cogitatione referret, vti iam de salute libertateque securus magnopere lætabatur. Madrittum autem perueniens, ibi subsistere, recreareque sese, & Cæsaris opperiri aduentum iubetur, quem longinquis intentum venationibus intra paucos dies eò peruenturum esse confirmabant.

V. At Cæsar Rege in Hispaniam perducto, ipsoque Lanoio incredibili alacritate suscepto, nequaquam ad altitudinem ingenii sui, contrà ac homines rebantur, sed ad alieni iudicii arbitrium consilia reuocauit; non modo à præsentibus amicis sententias rogando, sed à ducibus qui in Italia erant postulando, vt perscriberent, quidnam de captiuo Rege statuendum esse arbitrarentur. Borbonius inter hæc dolore atque iracundia in Lanoium incitatus, in Hispaniam venit. Eum Cæsar summo cum honore suscepit; sed non itidem Hispaniæ proceres; obliquis eum oculis intuentes: quorum vnus, iubente Cæsare domum Borbonio ad tempus commodaret, respondit, se lubenter obtemperaturum; sed quamprimum ex ea migrasset, solo se eam æquaturũ, quod infamis ac impuri hominis habitatione infecta, necessario honoratos ac probos postea eam intrantes, esset pollutura.

VI. *In morbũ ob longinquam sui custodiam cadit & à Carolo promissa liberatione cõsolescit.*

Circa anni finem Rex Franciscus desiderio libertatis, ex animi ægritudine in tam periculosum incidit morbũ, vt medici de salute desperantes Cæsari consulerent, cum (quod summopere petebat) inuiseret. Persuasus Cæsar, Regem consolandi causa adiit, maturamque ei libertatem æquis conditionibus promisit. Verebatur enim, ne Regiæ mortis auctor accusaretur, si, obstinatè vitata eius præsentia, in pertinaci proposito perstitisset. Recreatus Rex Cæsaris humanitate, melius indies habere cœpit, ac tandem conualuit. *Iouius in Danalo, lib. 7. Beuter lib. 9.*

VII. *Clemens VII. Venetis & Florentini magno ob Cæsaris victoriã timore afficiũtur.*

Captò ad hunc modum Rege, profligatoq; exercitu Gallorum, maximus terror Pontificem, Venetos, Florentinos, Sfortiam & alios Italos inuasit. Ab hoc terrore non tam eos liberabant, quę à multis de bona Cęsaris mente, eiusq; ad pacẽ atq; aliena imperia non occupanda propensa voluntate ferebatur, quam perterrefaciebat, quod ne is vel ambitione, quæ Principibus insita esse solet, vel insolentia, quæ victoriæ plerumq; comes est, malus: illorum etiam, qui ipsius in Italia res administrabãt cupiditate, & demum consilii sui & totius aulæ stimulis incitatus, in tanta occasione ad quemuis vel frigescentem spiritum accendendum valida, consilia sua ad totius Italiæ imperium occupandum conuerteret, periculosissimum esse animaducrterent. cum præsertim omnibus notum esset, quam facile sit cuiuis magno principi, & multo magis Cæsari, cupiditatibus suis nomina, quæ honesta & æqua videantur prætexere. Venetos inprimis augebat; non modo fœderis nulla iusta de causa non seruati conscientia, verum longè magis cum ob veteris odii, & frequentium iniuriarum quę inter ipsos & Austriam domum intercesserunt, grauium-

Causæ, quare hi sibi timeãt assignãtur

que bellorũ, quæ ante paucos annos cum Maximiliano eius auo gesserant memoriam, quibus imperii Romani in ea, quæ ipsi in continenti possidebant, iuris pene oblitterati nomen & memoriam mirum in modum reuiuerant; tum etiam, quod cuiuis, potentiæ suæ in Italia firmandæ cupido, de ipsorum potẽtia nimis magna deprimenda necessariò cogitandũ perspicerent. Pontificem autem, quia Pontificatus maiestate excepta, qua vel ipsis priscis temporibus, quibus inortales Apostolicam Sedem summo in honore habebant, sæpe à Cæsarum potentia non satis tuta fuit, cæteris rebus in omnibus iniuriis se valde expositum conspiciebat: quoniam inermis erat, & fine pecunia; Pontificii vero imperii, in quo pauca admodum fuerunt munita loca, populi parum ad principis sui obedientiam concordes & constantes, sed totum ferè in Guelfam & Gibellinam factiones distractum; Gibellini autem inueterata, ac pene naturæ ipsorum insita propensione Cæsarei nominis studiosi; & Romana vrbs præ cęteris omnibus minime munita, atque iisdem contagiis infecta, vires tenuissimę erant. His accedebat Florentinarũ rerum cogitatio, quarum cum ex ipso penderent, effectq; ea authoritas familiæ suæ propria atque antiqua, non minus facile erat eas turbare. Cum enim illa ciuitas, postquam Caroli Regis aduentu Mediceis pulsis, libertatis nomine popularem statum per decem & octo annos gustasset, illorum reditum ægrè tulerat; ita vt pauci essent, quibus illorum potentia revera placeret. Quibus tam validis occasionibus, ne sui lædendi voluntas quoque aut mediocris accederet, Pontifex summopere metuebat. Sed & voluntatem minime minorem esse non timeri non poterat: id autem non tam quia à potentiorum ambitione nunquam minus potentes satis tuti sunt, quam quod variis de causis, ne hoc tempore nomen suum Cæsari inuisum esset, metuebat. Nam etsi & viuo Leone, & post, nondum ad Pontificatũ assumptus, multos labores Cæsaris potentiæ augendæ gratia suscepisset; imo, cum & à Leone, & se, magnis sumptibus ac periculis aditus illi in Italia ad tantam potentiam patefactus fuisset; deinde Pontificatum adeptus, dum Ammiralius in Italia fuit, ipsius ducibus pecuniam supeditasset, & à Florentinis dari curasset, neque Ecclesiæ & eius Reipublicæ copias ab exercitu reuocasset; nihilominus, siue quod vt communis Christianorum Principum Pater & Pastor, ac potius pacis auctor, quam bellorum fomes esset, muneris sui esse cogitaret; siue, quod serò tantam potẽtiam metuere cœpisset, mox sese ab eadem fortuna periclitanda subtraxisset; ita vt fœdus à superiore Pontifice ad Italiæ propugnationẽ ictum instaurare noluisset; & quũ superiore anno Cæsaris exercitus cum Borbonio in Prouinciã irrupisset, nulla pecunia eum iuuare voluisset, secum ipse reputaret; quod etsi Cæsaris ministris, quum Hadriani quidem fœdere contra Gallos, ne in Italiæ quidem bellis facere teneretur, iustam expostulandi causam non dederit; nihilominus ea omnia initia fuerant, vt illum non iam Cæsaris amicum existimarent, imò vt de fide, quam ad eam vsq; diem in eo collocarant, plurimũ detraherent: vtpote qui vel cupiditate, vel necessitate solum moti, offensione fere ducebant, si priuatis suis ad Galliam occupandam bellis, quemadmodum antea in communibus & publicis, Italiæ cõtra Gallorum potẽtiam propugnandæ nomine ceptis factum fuerat, humeros etiam alii non supponerent. Sed tum, quum Franciscus Rex ad Mediolanẽsem expeditionẽ venit, querelę cœperunt, & eruperunt. Nam etsi Pontifex, quemadmodum postea ad Cæsarem in iis litteris quibus cum eo expostulabat

scripsit, quum Mutsilia redierunt, Galliæ aliquam pecuniam occultè dedisset, post tamen nihil cum eis fecerat, nullaue consilia habuerat; quamprimum autem Rex Mediolano potitus est, res eius feliciter cessuras ratus, res suas cum eo composuerat: tamen, etsi apud Cæsarem id excusans, se quum sibi ab eius ducibus viginti dierum spatio, nihil de ipsorum consiliis esset significatum; & post de eius imperii propugnatione desperaret, ac regno Neapolitano timeret, & Albaniæ Dux cum copiis Ethruriam versus progrederetur, securitati suæ consulere coactum fuisse: nec tamen proprii periculi rationem tantum in se potuisse, quin huiusmodi legibus egisset, quibus non minus Cæsaris rebus quam suis esset consultum, & quin amplissimas conditiones sibi à Galliæ Rege vt secum faceret oblatas neglexisset; nihilominus hæ excusationes, quin Cæsar, eiusque ministri vehementer commouerentur efficere non potuerant, non tam quod se omni prorsus vllius opis ab eo accipiendæ spe prorsus exclusos viderent, quam quod eam pactionem aliquid amplius quam vt medius esset continere suspicabantur; & illum quouis modo nimium existimationis Gallorum rebus addidisse censebant; metuebantque ne in causa esset, vt Veneti eius exemplum sequerentur. quod verum fuisse post Pontificis litteris ac monumentis, quæ post victoriam in captiui Regis tentorio repertæ fuerunt, compertum est. Postremo has suspiciones indignationemque acceuderat, quum tormentarium puluerem, quem Ferrariensium Dux Galliæ Regi Papiam obsidenti suppeditauit, Pontifex per imperii sui fines iter facere, & vt veheretur adiutari permisit: & multo magis Albani Ducis in regnum Neapolitanum profectio; quia non modo vt amicus per vniuersum Pontificium ac Florentinorum imperium acceptus & honore affectus fuerat, verum etiam in eius gratiam circa Senes, vt eius ciuitatis statum mutaret, hæserat. quòd etsi Ducis in regnum Neapolitanũ profectioni moram interponeret, ideoq; à Pontifice factum fuisset, quod eundẽ Principẽ regno Neapolitano, & Mediolanẽsi Imperio potiri ei molestũ esset; Cæsariani tamen, ex eo aliud vinculum q̃ mutuæ securitatis inter Gallię Regem & ipsum esse interpretabantur. Ideo Pontifex, nõ modo vt reliqui omnes, sibi à Cæsarianis, tẽporis successu & occasione, rerũ etiã nulla maiori opportunitate expectata, statim aut Pontificium, aut Florentinũ imperium inuaderẽt iure metuebat. Cuius etiam timorẽ auxit, quòd cum Albanus quamprimum de Regis calamitate certior factus est, vt saluti suæ consuleret Monterotundo Bracianum versus se recepisset, & centum quinquaginta equites, qui Romæ erant, quos Pontifex, Suessanus Dux & Cæsariani sese ad eas cõpias dissipandas comparabant, à præsidii sui militibus eousque deduci curauit, illud se conferre iussisset, accidit, vt circiter quadringenti equites, & mille ac ducenti pedites ex Vrsinorum copiis Sermoneta profecti, Iulio Columna cum magnis equitum ac peditum copiis persequente, ab eodem ad trium fontium cœnobium funderentur. cumque fugientes Romam per sancti Pauli & Sebastiani portas essent ingressi, Iulii milites cum eis immisi, in Floræ campo, & aliis ciuitatis locis nonnullos ex eis interfecerunt. quo casu ciuitas, primò cum Pontificis ingenti metu, deinde quod suæ autoritatis nulla ratio haberetur, indignatione, magno cum tumultu ad arma cucurrit. In hac vero eius animi fluctuatione, maximisque angustiis opportunè ei Venetorum cohortationes ac pollicitationes superuenerunt, qui in eodem rerum suarum timore constituti, ei vt simul coniunctis statim decem Helueticorum millia in Italiam accerserent, & magna Italorum legione conscripta sese tam grauibus periculis opponerent, efficacissimis rationibus persuadere nitebantur. Afferebant quoque Germanos pedites, qui in Papiæ propugnatione fuerant, iam à multis mensibus pecuniam non accepisse, & post victoriam eandem stipendiorum angustiam, quæ prius erat perseuerare cernentes, tumultu excitato tormenta corripuisse, seque Papiæ munisse: eandemq; ob causam omnem reliquum Cæsaris exercitum tumultuari: & quum duces ei satisfaciendi facultatem non haberent, indies contumaciorem fore, ita vt si ipsi se vnà cum illo valido exercitu munirent, communem statum tutum essent redditurі; & vt Cæsariani his difficultatibus implicati, & ad magnas copias ad captiui Regis custodiam assiduè alendas compulsi, ipsi per se dissoluerentur, effecturi. Præterea minime dubitandum esse, quin Regina mater, in cuius manibus Galliæ erat administratio, huius fœderis cupidissima, non modo in gratiam ipsorum Albanum cum suis copiis, & illas quadringentas postremi agminis lanceas, quæ ex prælio incolumes euaserant, adulare iussurum, verum etiam cum totius Galliæ consensu, magnam pecuniæ vim ad Italiæ salutem, cum ex ea magna ex parte Regis filii sui liberandi spem pendere animaduerteret, collaturam. hoc consilium proculdubio, si mature perficeretur, optimum esse, cunctationem vero Cæsarianis sese reparandi facultatem daturam; idque eò magis, quod qui se armis non muniret, cum eis pacisci, & pecuniam dare cogeretur: quod quidem nihil aliud esset, quam ipsos instrumentum fieri, eos omnibus angustiis liberandi, & se perpetuæ seruituti subiiciendi. Spem quoque faciebat Ferrariensium Dũcem, qui & ob veterem cum Gallis necessitudinem, & auxilia in hoc bello Regi data, non sine magno timore erat; idem consilium sequuturum: cuius societas, ob magnam ipsius imperii ad Galliæ cisalpinæ bella, cum quod Ferraria esset munitissima; tum vero quod ipse tormentorum apparatu; & vt fama erat, pecuniis abundaret, opportunitatem, minimè parui momenti videbatur. Neque victoriæ ex tam arduo bello referendo spes, neque remotiorum periculum, contra quæ sæpe tempus non cogitata remedia afferre solet cogitatio, Clementem ad aures his sermonibus accommodandas flexisset, nisi præsens belli metus effecisset, vt se potius minùs certo periculo, quam ei, quòd maius certiusque videbatur, vellet obiicere. Eam igitur ob causam, eò vsque negotium id inter eos est perductum, vt quum ad fœderis leges constituendas ventum esset, singulis horis eorum stipulatio expectaretur; adeo vt Pontifex rei conficiendæ cupidus, Hieronymum Chinucciũm Senensem, Pontificiæ Cameræ Auditorem, ad Angliæ Regem, vt tantæ Cæsaris potentiæ obuiam ire vellet, eum aliqua ratione flectere niteretur, per dispositos equos ire iussit; cum opportune venit Capuanus Archiepiscopus, antiquus eius ab epistolis & consiliis ministeг, quique per multos annos magnam apud eum autoritatem obtinuerat; qui statim Cæsarianorum victoria audita, Placentia in castra ad Carolum Lanoium Neapolitanum Proregem erat profectus, eiusque mente explorata, illico summa celeritate ad Pontificem certam ei pacis spem adferens aduolarat. Quoniam Prorex & cæteri Duces duplici tunc cura premebantur; nempe pecuniæ, qua militi apud quem, quod ei satisfacere non possent, magno pudore afficiebantur, stipendia persoluerent inuestendæ; & Galliæ Regis in aliquem locum, vbi eius custodiendi difficultas perpetuam molestiam eis non adferret ducendi: quibus rebus recte compositis, cogitata sua perficiendi semper sibi facultatem relinqui censebant. Ideoque pacem cum Pontifice, se magnam pecuniæ vim ab eo extorsuros sperantes exoptabant. ad quam vt cum tanto magis metu incusso flecterent, & etiam vt Mediolanense imperium valde exhaustum milite exonerarent, quadringentos cataphractos & octo peditum Germanorum millia in Placentinum agrum, non vt hostes, sed nunc in Insubria tantum exercitum ali non posse afferentes, nunc se illos in Latium contra Albaniæ Ducem, nisi Vrsinorum copiæ dissoluerentur, mittere velle minantes, miserant. Hæc autem diligentia superuacanea erat. quoniam vbi Pontifex se præsentia pericula subterfugere posse cognouit, aliis cogitationibus omissis, toto animo ad concordiam est conuersus. Ideo statim Archiepiscopi sermone audito, Chinuccium in itinere subsistere iussit. & vt omnes occasiones, quæ pacem turbare possent, tolleret, ab Albaniæ Duce transalpino equitatu ac peditatu excepto, reliquas copias omnes fide à Cæsaris ministris, ipsos quoque copias, quas circa Romam habebant dimissuros, & Ascanium Columnam cum aliis copiis, quæ ex regno veniebant, subsistere iussuros, accepta, dimitti curauit; eique vt Corneti moraretur concessit: atque vt Columnii, qui Vrsinorum oppida infestare incipiebant, arma deponerent, effecit. Pontifex, paci, de qua cum Prorege agebat, Venetos in-

cludi

cludi cupiebat, & in id omni studio incumbebat: obstabant autem, quod ipsi pecuniam à Prorege petitam pendere recusabant. petebat enim tantam pecuniam, quantam in bello ad quod auxilia conferre debuissent, impensuri erant & in posterum non militibus, sed pecunia iuuarent; idemque ab iis omnibus petebat, qui Hadriani fœdere comprehendebantur. Sed Venetorum pertinacia Pontifici, quia Proregi ipsos nouos motus meditari suspicionem afferebat, proderat. Quæ dum firma perficiendi spe agitantur, Florentini Pontificis mandato, cum Pontifex à Ioanne Bartholomæo Gatinaria, qui Proregis negotia apud ipsum tractabat, eam pecuniam maiori summæ quam nouæ pactionis vi daturi essent, adnumeratum iri, fidem accepisset, viginti quinque aureorum numũm millia Piscario ad exercitum deliniendum miserunt. Sed paucis diebus antequam pax perficeretur, Albaniæ Dux, qui classem, qua in Galliam reuecheretur expectauerat, ea in Stephani portum appulsa, & triremibus ad se missis in veteri ciuitate eos cum Pontificiis triremibus, cum Proregis consensu ei, & si nec classi, nec triremibus publicam fidem dedisset, commodatis conscendit: & vna cum illo Rentius Ceres cum tormentis à Senensibus & Lucensibus acceptis, quadringentis equitibus, mille Germanis, & paucis Italis peditibus; quoniam reliqui milites diffluxerant; equi autem partim venditi, partim relicti. Albani progressus eiusmodi fuerunt, vt aut quo Cæsariani regno Neapolitano metuentes ei succurrendi gratia Insubria excederent; aut hoc metu ad pacem flecterentur, missus fuisse: eandemque ob causam quod Regi ad eum cum valido exercitu mittendum vires deessent, lentè processisse apertè cerneretur. Tandem vero Venetis omissis, Romæ Cal. Aprilis inter Pontificem & Neapolitanum Proregem, vt Cæsaris in Italia Vicarium, cuius nomine Romæ cum ampla potestate erat Ioannes Bartholomæus Gatinaria magni Cæsaris Cancellarii nepos, fœdus Pontifice pro se & Florentinis ab vna parte, & Cæsare ab altera stipulantibus est ictum, cuius præcipua capita hæc fuerunt.

Clemens VII. fœdus cũ Carolo sanciuit.

VIII. *Summa fœderis Pontificii & Cæsarei*

Inter Pontificem & Cæsarem perpetua amicitia fœdusque esset; qua vtrique Mediolanense imperium, quo tunc in Cæsaris fide Franciscus Sfortia, qui in hoc fœdere primum locum obtinuit, potiebatur, defendere tenerentur; Cæsar totius Pontificii ac Florentinorum imperii, & nominatim Medicææ familiæ, cum autoritate & potentia, qua in ea ciuitate polleret, patrocinium susciperet; eique Florentini mille auri pondo, pro iis, quæ in proximum bellum fœdere ab Hadriano icto, quod eius morte, propterea quod in eius legibus, vt annum vnum post singulorum sociorum obitum vim suam obineret, expressum minime extinctum esse asserebat, conferre debuissent repræsentarent; Cæsariani copias suas à Pontificii imperii finibus amouerent; nec deinceps alias absque Pontificis consensu mitterent. Venetis in hoc fœdere locus intra viginti dies honestis legibus, quas Pontifex & Cæsar declaraturi essent, relictus: quorum omnium Cæsaris confirmationem Prorex intra quatuor menses adferri curaret: & proregis procuratores seorsum scripto iureiurando confirmato, nisi Cæsar intra id tempus fœdus se ratum habere testaretur, proregem mille illa auri pondo restituturum: ita tamen vt donec restituta essent fœdus inuiolatum seruaretur, spoponderunt: cui fœderi tria alia capita extra fœderis tabulas alio scripto separatim comprehensa, & Sacramento confirmata accessere. nempe, vt in omnibus rebus ad Sacerdotia spectantibus, ea autoritas & ius Pontifici, quæ in Neapolitani & Siciliæ regni priuilegiis erat expressa, permitteretur: Mediolanense imperium deinceps sale è Ceruiæ salinis eo precio, eoque modo, quo alias inter Leonem & hunc ipsum Galliæ Regem pactum fuerat, & fœdere Anno 1521. ab eodem Leone cum Cæsare icto confirmatum, acciperet; & Prorex, vt Ferrariensium Dux statim Ecclesiæ Regium, Ruberiam, & alia oppida, quæ in Romanæ sedis ob Hadriani mortem in interregno occupauerat, restitueret, omninò efficere teneretur; eamque ob causam Pontifex, statim vbi ea essent restituta, Cæsari centum aureorum nummũm millia persolueret; ac quandocunque ipse petiisset, Ducem sacris restitueret, ac pœnis in quas inciderat; sed tamen non à mille auri pondo, si pactionem cum Hadriano factam violaret constituta, eximeret: sed tamen vbi ea Pontifici essent restituta, iure, verum ea oppida & Mutina ad Pontificatum, an ad sacrum Imperium spectarent, inquireretur, quæ si ad Imperium pertinerent, ex Cæsaris beneficio agnoscerentur; sin ad Pontificatum, sacrosanctæ Sedi libera relinquerentur. Hoc Pontificis consilium, vt variæ sunt hominum, & præsertim multitudinis, cui magis speciosa, quam matura consilia placere solent, quæque sæpe eos, qui res minimè prudenter metiuntur, magnanimos existimat, cupiditates & iudicia, varias in hominibus sententias commouit. qui vero se Italiæ libertatẽ exoptare profitebantur, eũ quasi animi abiecti, consilia eius contra Cæsarem coniungendi occasionem neglexisset; & propria pecunia Cæsaris exercitum omnibus angustiis liberare voluisset, accusabant. At prudentissimi quique longe secus sentiebant. Cogitabant enim sese maximo & victori exercitui, nouis copiis opponere velle, minime prudentis consilium esse: fieri non posse, quin Helueticorum aduentus, etiamsi ad id (quod natura ipsorum, & tam recenti vulnere perspecto valde dubium erat) essent paratissimi, tardius, & vbi non iam opus foret, esset futurus. nec de Galliæ regno, cui in tanta clade, neque animus, neque consilium esset relictum, non pecunia, non equitatus; & illi pauci equites, qui ex pugna superfuerant impedimenta amissis, tempore & pecuniis ad se reparandos opus haberent, melius sperandum esse. Idcirco id fœdus nullo alio nisi probabili fundamento, nisi hostilem exercitum stipendiis suis fraudatum, se non commoturum: quod etsi ita succederet, non tamen ideo Mediolanensi dominatu, quod dum ex Cæsare penderet, semper Pontifex metuendi causam haberet, priuaretur. hanc vero quoque valdè incertam spem esse, verendum enim erat, ne ducis sua authoritate & artibus alicuius, Pontificii imperii, aut Ethuriæ opulentæ ciuitatis præda proposita, eum ad iter mouerent: & iam Germanorum partem, solummodo vt vberiora hospitia haberet, Padum traiecisse, & in Parmensem ac Placentinum agrum venisse; adeo vt si vlterius progredi voluissent, nullum remedium non ferum esse potuerit: & nimis magno periculo rem tantam niti, nimirum sola difficultatum apud hostes spe; in quorum voluntate demum se eis explicare positum esset. Itaq; Clementis Pontificis consilium, pro temporis ratione, prudens ac bene cogitatum fuisse arbitrabantur.

Pontifex fœdere inito, ne quod in Regem captiuum officii genus prætermitteret, Prorege permittente, Pistoriensem Episcopum ad illum, vt cum suo nomine inuiseret, solaretur̃que misit. qui post communia verba coram Alarconio habita, & postq̃ Rex Pontificem, vt pro se apud Cæsarem ageret, rogasset, submissa voce, quid cum Albaniæ Duce factũ esset, interrogauit: & responsum, illum, parte exercitus dissoluta, cum altera in Galliam nauigasse, molestè tulit. Hoc ipso tempore Lucenses Proregi, qui eos Cæsaris nomine in fidem accepit, decem aureorum nummũm millia, Senenses quindecim spoponderunt; citra obligationem tamen huius aut illius Reipublicæ formæ conseruandæ. Nam ab vna parte Nouii inter Senenses, Pontificis consilio, Albaniæ Ducis opera autoritatem resumpserant, sed nondum satis eam firmauerant: ab altera, qui quod se libertati studere profiterentur, Libertini vulgò vocabantur, ex Papiensi pugna animũ contra eum statum, qui Galliæ Regis armis erat introductus sumentes, vtriq̃ suos homines ad Proregẽ, vt eũ ad cõsilia sua propitium redderent, miserant; & nullo certo circa Reipub. formam responso accepto, omnes magno studio pactionẽ persici curarent. qua facta, cum homines à Prorege ad pecuniam exigendam missi venissent, dum ea numerabatur, coram illis Hieronymus Seuerinus ciuis Senensis, qui apud Proregem fuerat, Alexandrum Bichium nouæ administrationis Principem, penes quem Pontifex tunc omnẽ authoritatem esse voluerat, interfecit. Quam ob rem aliis ciuibus, qui cum eo coniurarant arma capientibus, populoq; qui ciuitatẽ sub vnius dominatum redire ægre ferebat, ad arma concitato, Nouiorum principibus pulsis, populare statum Pontifici inimicũ, & Cæsari adhærentẽ, in ciuitatẽ introduxerunt, quæ quidem, vt o-

IX. *Clemens VII. Pistoriensem Episcopũ ad Franciscũ Galliæ Regem inuisendum mittit.*

pinio fuit, non sine proregis consensu, vel saltem postq̃ facta essent, summa approbatione gesta fuere; vt qui, quantum ea ciuitas potens, maris & portuum opportunitate, in vberi solo, regno Neapolitano propinqua, & inter Romam ac Florentiam sita, rebus Cæsaris commodare, si eius autoritatẽ agnosceret, posset, animaduerteret: quamuis ipse & Sueßanus Dux, Pontifici se statũ illius fauore constitutum non immutaturos spem fecissent. Multi alii in Italia horum exemplũ & victoris fortunam sunt sequuti: Inter quos Montis ferrati Marchio, quindecim aurorũ nummũm millibus res suas composuit: & Ferrariensium Dux, cum eius res ob fœdus cum Pontifice ictum, & quia Cæsaris mentem prius explorare erat necesse, tam cito componi non possent, quingenta auri pondo ea cõditione mutuo proregi dedit, vt si compositio non procederet, eam pecuniam prorex ipse Duci redderet, qua pecunia vna cum mille auri libris à Mediolanensibus promissis, & ea quam Genuenses & Lucenses promiserãt; & ea quam Cæsar ad bellum sustinendum Genuam miserat, sed post victoriam allata fuerat, ducesprout pecuniæ explicabantur, stipendiis exoluendis operã dabant, & paulatim Germanos vbi stipendia acceperant in patriam remittebãt: adeo vt cum illos tunc cõtra neminem victoriæ cursum sequi velle nullo indicio appareret, & prorex fœdus suo nomine cum Pontifice ictum ratũ habuisset, eodemq; tempore nouum cũ Venetis quod vehementer exoptabat moliretur, omnium oculi, quonam pacto in Cæsarem, vt tam lætum nunciũ esset accepturus, & ad quẽ finem consilia sua esset directurus contemplarentur, sunt cõuersi, in quo quantum externis signis perspici potuit, magni animi bene moderati, & ad secundam fortunam facile sustinendam parati indicia apparuerunt: & quidem eiusmodi, vt in tam potenti principe adolescente, nunquam nisi secundam fortunã experto, vix credibile videretur. Nam tantæ victoriæ nuncio, vt paulo fusius narremus, qui decima Martii die ad eum peruenit, & simul supplicibus Galliæ Regis manu literis, nequaquam Regali, sed captiui potius animo exaratis accepto, statim ad templum, vt Deo ob tantam victoriam grates ageret, se contulit: ac sequenti die multa cum cerimonia, & summæ religionis declaratione, Eucharistiæ Sacramentum sumpsit; & cum pompa Beatæ Virginis Mariæ templum supra Madritum, vbi tunc erat, adiit: neque aliorum more, campanarum sonitu, ignibus, aliisue modis lætitiæ signa edi passus est: aiebat enim, ob victorias contra religionis nostræ hostes partas, non autem ex Christianorum victoriis triumphum duci debere: & nullo neque gestu, neque verbis nimiæ lætitiæ, clatiue animi signo edito, legatis & magnis viris qui apud eum erant, gratulantibus, respondit: se quidem voluptatem ex ea percepisse, quod cum sibi Deum tam aperte propitium videret, ex eo se quamuis nullo suo merito ei gratum esse colligeret, & quod nunc sibi ad rempublicam Christianam in tranquillo statu constituendam, & bellum contra Christiani nominis hostes adornandum, occasionem datum iri speraret, ac maiorem de amicis bene merendi, inimicis vero ignoscendi facultatem esset habiturus: & se, quamuis hanc victoriam, propterea quod nullus amicorum sibi ad eam consequendam opem tulisset, totam sibi iure vindicari posse videretur, velle tamen eam cum omnibus communicare. Cumque Venetum Legatum Reipublicæ suæ facta purgantem audiuisset, ad eos, qui adstabant conuersus, eius excusationes veras non esse, sed tamen velle se eas tanquam veras admittere & accipere dixit. Quibus in summæ sapientiæ ac probitatis verbis & significationibus, vbi aliquot dies perseuerasset, vt quemadmodum consueuerat prudenter ac moderate ageret, quodam die Concilio conuocato, quo pacto se cum Galliæ Rege gerere deberet, & ad quem finem hæc victoria esset dirigenda, factaque omnibus libera sententiæ suæ dicendæ potestate, rem ad consilium retulit. quo facto, Garsias à Loaysa Dominicanus, Osmensis Episcopus, qui illi à confessionibus erat, sic est locutus.

X. *Episcopi Osmensis ad Carolũ V. de Rege Galliæ capto oratio.*

Etsi gloriosissime Princeps, omnia quæcunque in hoc nostro inferiori mundo geruntur, ex Dei Opt. Max. prouidentia manant, & ab eadem semper gubernantur, hoc tam in nonnullis rebus clarius perspicitur. Verum, si vlla vnquam in re aperte cernitur, in hac certe victoria perspectum est. Nam cum ob magnitudinẽ & facilitatẽ qua est parta, tum vero maxime, quod victi sint hostes potentissimi, ac omnibus rebus ad bellum necessariis te longe instructiores, nemo expressam Dei voluntatem, ac pene prodigium in ea extitisse poterit negare. Qua in re, quo eius beneficium clarius manuq; extitit; eo magis debes id, Cæsar agnoscere, teque gratum ostendere. quod quidem in eo præcipue situm est, vt victoriam in eum finem dirigas, qui Deo gratissimus sit futurus, & cuius causa eam tibi ab illo concessam credi par est. Cum autem Christianæ reipub. statum intueor, nihil sanctius, nihil magis necessarium, nihil Deo gratius communi inter Christianos pace futurum video. Sine hac enim religionem, pietatem, & hominum mores in apertissimam perniciem ruere, vel manibus tangi potest. Habemus ab vna parte Turcas, qui ob, dißidia nostra tantam aduersus Christianos progressum fecerunt, vt nunc Pannoniæ sororis tuæ mariti regno minentur: quam si (vt proculdubio facient, nisi Christiani Principes simul conspirent) occupauerint, viam ad Germaniam & Italiam apertam habebunt. Ab altera vero parte Lutheri hæresis Deo tam infesta, tam iis qui eam possunt opprimere ignominiosa, tamque omnibus Christianis Principibus periculosa, iam ita radices egit, vt nisi occurratur, vniuersum terrarum orbem sit impletura. Neque alia ratione, quam tua authoritate atque potentia occurri potest; quæ dum tu aliis bellis es implicatus, ad hoc pernicioßissimum venenum extirpandum adhiberi non possunt. Deinde & si nunc nullum neque à Turcis, neque ab impia hæreticis periculum immineret, quid turpius, quid magis nefarium ac pestilens esse potest, quam tantam Christiani sanguinis copiam, quæ magna cum gloria Christianæ religionis propagandæ gratia impendi, vel saltem ad magis necessaria tempora reseruari queat, cupiditatum nostrarum causa inutiliter, inter tot stupra, sacrilegia, & nefaria facinora effundi? quorum malorum qui sciens & volens causa est, veniam nullam à Deo sperare possit: qui vero ea necessitate committit, nisi saltem, vbi primum facultas ei data fuerit, sibi omnino corrigenda statuit, is excusatione dignus non est.

Debet igitur finis & scopus tibi propositus esse, communis inter Christianos pax: vtpote quæ præ cæteris omnibus honesta, sancta, & necessaria sit. quam, quomodo assequi possis, iam videamus. Tres sunt tibi, Cæsar, quid de Galliæ Rege sit statuendum deliberanti propositæ sententiæ; prima, vt eum perpetuò captiuum teneas: altera, vt amice & fraterne, nulla alia pactione, præter eas quæ ad perpetuam pacem & amicitiam inter vos constituendam, & Christianæ Reipub. morbos sanandos spectant interiecta, dimittas; tertia, vt et quanto potes emolumenti ex eo extorto, libertatem restituas: quarum nisi fallor reliquæ duæ bella diuturniora reddunt & augent: sola amica & fraterna liberatio, ea in sempiternam tollit. Cui enim dubium esse potest, quin Galliæ Rex, si tanta animi magnitudine ac tam singulari liberalitate in eum vsus fueris, tanto beneficio tibi animo magis deuinctus, magisque in tua potestate sit futurus, quam nunc corpore? Quod si inter te & illum fuerit verus consensus, atque concordia, omnes cæteri Christiani illud iter, quod à vobis duobus erit ostensum, sequentur. At illum in sempiterna custodia retinere, præterquam quod cum nimis magna immanitatis nota coniunctum esset, & animi, qui fortunæ potentiam non agnosceret indicium foret; nonne id bella ex bellis fereret? Argueret enim te Galliam vel totam, vel eius partem occupare velle: quod quidem sine nouis & grauissimis bellis fieri non posset. Illam vero sententiam, vt nimirum quanta maxima possis vtilitate percepta, dimittas, omnium maxime implicatam periculosißimamque censeo. Quæcunque enim affinitate, quibuscunque legibus, quoue vinculo constrinxeris, semper tibi erit inimicus. Neque illi vnquam omnium quot quot potentiam tuam timent, societas deerit: & sic noua, prioribus magis cruenta & periculosa bella erunt in promptu. Quam hæc mea sententia ab hominum opinione aliena, quam noua, & sine exemplis sit video: sed Cæsarem quoque, quæ præter omnium expectationem, opinionemque sunt, inusitata, singulariaque docent. Nec mirandum est, Cæsaris animum ea percipere posse, quæ reliquorum mortalium mentes assequi non possunt: quos vt dignitate antecellit, sic animi magnitudine debet superare. Idcirco enim præ cæteris omnibus cognoscere, quam vera gloria refertum sit tam generosum consilium, quam magis Cæsaris sit ignoscere & beneficiis afficere, quam imperii fines proferre. Nec frustra orbis terrarum pacandi potestatem à Deo inusitato quodam modo ipsi datam agnoscere debet, & cogitare sui muneris esse, post tot victorias, post tot à Deo accepta beneficia, quum omnes ad pedes suos aduoluros videat, non iam cum aliquo, quasi inimico agere, sed vt communem parentem omnium saluti consulere. Alexandri Magni & Iulii Cæsaris nomen clarius fecit illa magnitudo, qua hostibus veniam dederãt, victis regna

restitu-

restituerunt: quam tot victoriæ, totque trophæa: quorum exemplum multo magis sequi debetis, qui quum non sibi vnicum finem statuit gloriam (& si ea maximum præmium sit) proprio & vero Christiani Principis munere præcipue fungi cupit. Verum vt eos, qui rebus humanum tantum finem proponunt coniungamus, quod nam consilium magis ad eum ipsum finem spectet videamus. Equidem in omni tua magnitudine nihil admirabilius, nihil præstantius esse iudico, quam quod adhuc inuictus fueris; quodque omnia tua tanta cum dignitate & felicitate ad optatißimum finem perduxeris. Hæc proculdubio est omnium pretiosißima gemma, thesaurusque rarißimus. Quo igitur modo melius stabilitur? Quo tutiori loco habetur? Qua denique ratione certius conseruatur, quam bellis tam magnanimo & generoso consilio terminandis, parta gloria ex fortunæ potestate eripienda, hacque naui incredibilibus precij mercibus onusta, ex alto in tutum portum perducenda? Sed vlterius progrediamur: nonne magis expetenda est illa potentia, quæ sponte & voluntate, quam quæ vi & necessitate conseruatur? Idnemini dubium est: quia firmior, facilior, gratior, honestiorque est. Si Cæsar Galliæ Regem sibi tanta liberalitate, tantoque beneficio deuincit, nonne semper ipsius eiusque regni dominus erit? Si Pontificem Max. ac cæteros Principes, se iis quæ habet contentum esse, neque aliud quam de communi salute cogitare, tam certos reddit, nonne illi suspicionem omnem deponent? Cumque nec illum metuendi, nec decertandi causam vllam cum eo habeant, non modo tantam bonitatem amabunt, verum etiam colent. Sic omnium consensu, omnibus leges dabit: & longe magis Christianos benevolentia & autoritate, quam viribus & imperio obsequentes habebit: omnibus adiuuantibus & sequentibus arma in Lutheranos & Turcas; & quidem maiore gloria, atque ampliori imperij occasione, conuertere poterit. Quod quidem imperium, cur non aque in Africa, in Græcia, in oriente, & si etiam tam facile esset imperium inter Christianos augere, vt multis, meo quidem iudicio, leuiter videtur, non optandum ignoro. Nam potentia tua, Cæsar, ita creuit, vt cunctis sit nimis formidabilis: vbi autem te maiora moliri animaduerterent, omnes in te necessario conspirabunt. Tuam Cæsar potentiam timet Pontifex, timent Veneti, timet cuncta Italia; & ex indiciis quæ crebro apparuerunt, credibile est eam Angliæ Regi quoque molestam esse. Galli per aliquot menses vana spe & leuibus sermonibus foueri poterunt; sed tandem necessario, aut Rex erit dimittendus, aut Gallis desperandum. Spe amissa, cum reliquis omnibus fœdus ibunt. Si Regi libertas legibus tibi parum vtilibus concedenda sit, quodnam lucrum erit tantæ magnanimitatis ostentandæ occasione amissa? Quæ nisi hoc initio declaretur, etiamsi postea ostendatur, neque laudem, neque gloriam, neque gratiam parem coniunctam habebit. Si vero id legibus tibi vtilibus fiat, non seruabit, quia nullam cautionem vmquam datam tanti faciet, quin maioris sit facturus, ne hostis tam potens euadat, vt ab eo post opprimi possit. Sic vel inutilem pacem, vel periculosum bellum, quorum exitus incerti sunt, habebimus. Ei qui tam diuturna felicitate sit vsus, fortunæ conuersio magis est metuenda. Quid, quod aduersus rerum successus, ei longe molestior est, qui omnia rite potuit constabilire? Ego me, Cæsar, mandato tuo, si minus prudentia, saltem studio & fide satisfeciße arbitror: neq; aliud mihi superest, nisi vt Deum Optimum Max. precer, tibi eam mentem ac facultatem det, qua id consilium, quod magis ex ipsius voluntate, magis ex tua gloria, magis denique è Christianæ Reipublicæ salute, cuius tu tum ob supremum dignitatis gradum in quo es constitutus, tum quia ea Dei voluntas esse perspicitur, parentem ac patronum esse decet, persequare.

XI. Fuit hoc consilium à Cæsare magna attentione auditum: nec tamen id sibi, aut probari, aut improbari vllo signo declarauit: sed vbi paululum tacitus hæsisset, atque vt cæteri sententias suas dicerent nutu significasset, Federicus Albæ Dux vir magnæ apud Cæsarem autoritatis, ita est orsus.

Federici Albanie Ducis de Galliæ capto oratio.

Ego inuictißime Cæsar, si in me nec iudicium à communi iudicio diuersum, nec ingenium eiusmodi, vt quæ cæterorum hominum ingenia non pertingunt penetrare possim, esse fatebor, excusationem merebor: quin etiam fortasse maiore dignus laude censebor, si eandem viam quam semper maiores atque tui sunt sequuti insistendum esse suaserо. Noua & enim & inusitata consilia, primo quidem intuitu magis gloriosa generosaque videri possunt; sed ea proculdubio magis periculosos & ancipites exitus habent, quam quæ semper apud cunctos mortales ratio vsusque comprobauit. Diuina prouidentia primum, deinde ducum exercitusque tui virtute, omnium quas à multis seculis vllus Christianus Princeps sit adeptus maximam es victoriam consequutus: sed omnis victoriæ fructus est in eo, si ea bene vtaris. Id vero præterмittere, tanto maius quam non vicisse dedecus est: quanto maiore nostra culpa in iis rebus quæ in potestate nostra sunt erramus, quam in iis quæ ex fortunæ pendent arbitrio: quo magis tacendum est, ne huiusmodi consilium sequare, cuius te tandem apud alios pudeat, teque ipsum pœniteat: & quo grauius est id de quo agitur, eo cautius est progrediendum; eaque quæ semel errata corrigi amplius non possunt, mature sunt deliberanda: ubique Cæsar est cogitandum, vbi semel Regem dimiseris; iam detineri non posse: dum vero captiuus detinetur, eum liberare semper in tua potestate esse. Nec debet ei tarditas admirationem parere: cum, nisi fallor, quid cum Cæsare si eum captum teneret esset facturus, ipse sibi sit conscius. Magnum profecto fuit Galliæ Regem capere: Sed qui rem diligenter inspexerit, longe maius esse reperiet eum dimittere. Neque vir quam prudentiæ tribuetur, de re tam graui sine longißima consultatione, & infinita propemodum mentis agitatione ventilationeque constituere. Nec fortasse in hac sententia essem, si Regem in præsentia liberatum, tantum beneficium grati animi debita significatione agniturum, Pontificemque ac cæteros Italiæ Principes vna cum suspicione cupiditatem ambitionemque deposituros esse; mihi persuadere possem. Sed quam periculosum sit, tam grauem deliberationem, tam fallaci, tamque incerto fundamento niti, quis non videt? Imo qui hominum naturam & mores diligenter inspexerit, potius contrarium censebit: quoniam suapte natura nihil beneficiorum acceptorum memoria breuius, nihil celerius interit: & quo maiora sunt beneficia: eo (vt communi proverbio fertur) maiore maleficio compensantur. Nam qui ea remunerando delere aut non potest, aut non vult, sæpe veloblitione, vel ea non tanta fuisse sibi persuadendo, delere conatur: & quos eo redactos fuisse, vt beneficio opus habuerint, pudet, iidem se illud accepisse indignantur: adeo vt plus in eis odium ob eam in quam ceciderant necessitatis memoriam, quam beneficij accepti ratio posse videatur. Deinde, quorumnam magis naturalis est insolentia, quorum magis propria leuitas, quam Gallorum? At vbi insolentia, ibi & cæcitas: vbi leuitas, ibi nec virtutis cognitio, nec in aliorum factis discernendis iudicium: nec grauitas, qua quid se deceat metiri possint. Quid igitur de Galliæ Rege tanto fastu, quantum Gallorum Rex capere potest inflato sperari potest, nisi illum quod eo tempore Cæsaris sit captiuus, quo se de eo triumphum relaturum sperabat, ira & furore ardere, semper huius infamiæ memoria ei ob oculos versabitur; nec liberatus eius delendæ instrumentum gratiam esse vmquam existimabit: quin potius de te superando semper cogitabit: sequeque te, non clementia magnitudinem animi, sed eius retinendi difficultate dimissum putabit. Ea plerumque est omnium mortalium, ea semper Gallorum natura, à quibus qui gratuitatem magnanimitatemque exspectat, nouum ordinem, nouamque in rebus humanis legem expectat. Pro pace igitur & orbis terrarum compositione, bella superioribus maiora periculosioraque exurgent: quoniam existimatio tua minor erit, & exercitus tuus, qui tantæ victoriæ debitum fructum expectat, spe sua frustratus, non iam in eandem virtutem, animique vigorem; neque res tuæ eandem fortunam, quæ vix apud eos qui eam retinent, nedum apud repellentes manere solet. Neque Pontifex ac Veneti meliores erunt: quin potius, quod te superiori victoria potiri permiserint pœnitentia ducti, futuras tibi impedire nitentur: & timor quem nunc eis adfers, eos omnem operam, vt ne in nouum amplius timorem incidant, adhibere coget: cumque in tua potestate sit omnes vinctos & stupentes detinere, tu ipse profusa bonitate eos dissolues, & audaces reddes. Quænam Dei mens sit ignoro, nec alios scire credo: eius namque iudicia occulta & profunda esse dicuntur. Si vero ex iis quæ tam manifeste videntur coniectura aliquid assequi possumus, credo illum tuæ, Cæsar, fauere magnitudini: neque tot eius in te beneficia idcirco redundare, vt tu ea profundas: sed vt quemadmodum honore & iure cæteros antecellis, sic omnes reipsa superes. Quare tam singularem tibi diuinitus oblatam occasionem amittere, nihil aliud sit, quam Deum vt te gratia sua indignum faceret prouocare. Vsu quidem compertum est, & idipsum ratio docet, ea quæ ex multorum voluntate pendent, numquam felicem exitum habere. Quocirca qui multorum Principum fœdere hæreticos extingui, aut Turcas subigi posse credit, virum humanarum rerum naturam bene metiatur, ignoro. Hæc enim tam potentem Principem, vt cæteris quid agendum sit præscribat requirunt. Nisi hoc adsit, eadem fortuna deinceps agitabitur, gerenturq; qua hactenus agitata, gestaque sunt. Hanc ob causam tot victorias tibi à Deo conceßi credo; ob hanc ipsam tibi ab eo ad Monarchiam, qua sola tam sanctæ res persici possunt, viam aperiri existimo: & melius est illarum initium differri, quo melioribus certioribusque fundamentis nitantur.

Nec te ab hac sententia remoueat tot fœderum quæ denunciantur timor: quoniam nimis magna est occasio, quam manibus tenes: nec vmquam si res rite tractentur Regis mater, materna pietate, & filij liberandi necessitate ducta, ab eius à te pactione impetrandi spe duelletur; numquam Italiæ Principes cum Galliæ Principibus conspirabunt; qui cum satis intelligant in tua potestate situm, eo liberato omnem illam societatem dissoluere, ipsumq; in eos conuertere, attoniti ac suspensi hæreant necesse est; ac denique à te leges certatim accipiant: in quos clementia & magnanimitate vti tunc erit gloriosum, cum res erunt in eo statu, vt quin te Dominum agnoscant facere non poterunt. Sic ea vsi sunt Alexander & Cæsar, qui in iniuriis quidem condonandis liberales fuerunt: at non tamen vt seipsi in eas difficultates & pericula, quæ iam superauerant, rursum præcipites inducerent. Qui id facit, laude dignus est: quia id facit cuius pauca sunt exempla: sed fortasse imprudens est is qui ea facit, quorum nullum inuenitur exemplum. Mea igitur sententia est, Cæsar, vt ex hac victoria fructum quam maximum fieri possit percipias: eamque ob causam Rex, ei Regio honore semper exhibito, si in Hispaniam non possit, saltem Neapolim ducatur. pro eius litterarum responso mittatur aliquis, qui eius libertatis conditiones verbis quam possit lenissimis proponet, eiusmodi, vt (quemadmodum accuratius decerni poterit) tanta victoria digna sint præmia. His iactis fundamentis, & his rerum tuarum finibus propositis, dies & euentus, Regi libertatem citius tardiusue, & cum Italis bellum aut pacem parient: quibus nunc spem faciendam, & armorum fortunam existimationemque quoad fieri possit, arte atque industria augendam censeo, ne nobis quotidie iterum fortuna sit periclitanda: & vt cum hoc aut illo, vel cum omnibus simul, vel cum nemine, prout occasiones consilium dabunt, pacisci parati simus. Hæ sunt viæ quas semper sapientes Principes, & præcipue qui tibi tantæ potentiæ fundamenta iecerunt, sunt secuti: qui crescendi instrumenta numquam reiecerunt, nec fortunæ cursum, cum eum propitium sunt nacti, vmquam remiserunt. idem & tu, ad quem ea omnia, quæ in aliquo illorum ambitioni tribui poterant, iure spectant, facere debes. Cogita Cæsar te principem esse, & Principum viam sequi debere: nullum neque diuinum, neque humanum ius, vt Imperij Romani ab aliis occupatæ & oppressæ auctoritatis iterum erigendæ opportunitatem negligas suadere: sed te ad animum in id solum vt eam rite excites intendendum obstringit. Illud autem potissimum tecum reputare debes, quam facile sit præclaras occasiones amittere: & contra, quam difficile eas adipisci. Ideoque dum manibus tenentur, omni studio vt eis vtamur, est enitendum: neq; eorum qui victi sunt probitati prudentiaue, cum mortales imprudentia malitiaque sint referti innitendum: cumque Christianam religionem, aut potentia tua, aut nulla alia ratione propugnari posse videas, eam quantum fieri possit, non magis authoritatis & gloriæ tuæ causa, quam vt Deo pareas, & communis boni studio, propagare conaberis.

XII. *Francisco Galliæ Regi capto à Carolo V. leges pro assequẽda libertate proponuntur.*

Dici non potest, quanto cum totius Senatus applausu auditus fuerit Albanus; propterea quod omnes iam totius Christianæ Reipub. imperium animo concepissent. Idcirco nemo ex aliis fuit, qui sine contradictione eandem sententiam non comprobarit; quam & Cæsar potius quasi à suorum consiliis recedere nollet, quam vt mentem suam declararet, comprobauit. Itaque Beurenum intimum cubicularium sibique valde gratum, ad mentem suam ducibus declarandam, & Galliæ Regem suo nomine visendum, eique leges quibus libertatem consequi posset proponendas misit: qui quoniam Regis mater, vt filij res commodius tractari possent, homines ac tabellarios, qui vltro citroque à Cæsare mittebantur, non amplius itinere prohibebat, terrestri itinere profectus, vna cum Borbonio & Prorege Picighitonem, vbi Rex adhuc erat, contendit, eique libertatem, sed tam grauibus legibus, vt à Rege summa cum molestia fuerint auditæ, obtulit. Nam præter iuris quod in Italia haberet cessionem, vt Burgundiam sibi tamquam rem propriam restitueret, Borbonio prouinciam traderet, pro se atq; Angliæ Rege alia maximi momenti petebat. Ad quæ Rex constanter respondit; se potius captiuum mori, quam filios vlla Galliæ regni parte spoliare statuisse; quod & si secus decreuisset, quum antiquis Galliæ legibus, vt nihil quod ad regnum spectaret, absque Senatuum & reliquorum, penes quos totius regni autoritas erat, qui in huiusmodi communibus rebus communem salutem propriis Regum commodis anteferre consueuissent, consensu alienare liceret cautum esset, id exequi in sua potestate non esse. Peterent igitur ea quæ fieri possent: quod si facerent, nec ad fœdus cum Cæsare ineundum, nec ad eius potentiam promouendam maiorem alacritatem desideraturos; nec varia, quibus se in alienis imperiis liberalissime concedendis, dummodo libertatem, nullo ex suis promisso, consequeretur haud difficilem reddebat, proponere prætermisit: quorum hæc fuit summa: Se Cæsaris sororem, qui Lusitaniæ Regis morte vidua relicta fuerat in matrimonium ducturum; & Burgundiam in cuius imperio filij ex eo matrimonio succederent, se eius dotis nomine possidere attestaturum: Borbonio sua bona quæ publicata fuerant restituturum; & alia præterea additurum; & pro Cæsaris sorore, quæ ei promissa fuerat, sororem suam quæ recenter Alenconij morte vidua erat relicta, ei nuptui traditurum: Angliæ Regi pecunia satisfacturum: & Cæsari mulctæ suæ nomine maximam pecuniæ vim persoluturum; Regi Neapolitani & Mediolanensis imperij iuribus cessurum: quumque Romam ad Cæsaream coronam accipiendam ire vellet, nauales ac terrestres copias quæ illum comitarentur missurum: Cum his mãdatis Beurenus ad Cæsarem rediit, & cum eo est Montmorentius profectus, vir iam tunc Regi acceptissimus, quiq; post ab illo primum ad summam Regiæ domus præfecturam, post ad Magistri equitum munus fuit promotus.

XIII. *Gallia ob Regẽ suum captũ magno timore mœroreq; afficitur.*

Sed cladis exercitus, & Regis capti nunciis in Galliam allatis, quanta fuerit omnium consternatio ac desperatio, cogitari vix potest. Ad immensum enim mœrorem, quem miserandus Regis sui casus, ei genti Regij nominis natura studiosissimæ obseruantissimæque afferebat, infiniti priuati ac publici mœrores accedebant. priuati quidem, quia in aula & inter nobiles paucissimi erant, quibus in prælio aut filij, aut fratres, aliique propinqui vel amici non vulgares non interiissent: publici vero ob tam clari regni maiestatem atque splendorem ita imminutum: Quod tanto magis eis molestam erat, ne tanta calamitas Rege cœpto, & cum ipso Regni Principibus, ac fere omnibus summis belli ducibus in pugna vel cæsis, vel captis, regno pecunia exhausto, & potentissimis hostibus septo, maioris cladis initium foret metuebant. Quoniam Angliæ Rex, & si varia consilia agitasset; & multis in rebus animi inconstantiam declarasset: nihilominus paucis diebus ante pugnam omnibus negotiis quæ cum Rege habuerat exclusis, se si res feliciter in Italia cederẽt, Galliam infestis armis adoriri velle diuulgarat. Ideo magnus erat metus, ne in tanta opportunitate Cæsar vna cum eo Galliæ bellum inferret: vbi quum non aliud caput præter mulierem & paruulos Regis liberos, quorum natu maximus nondum octauum ætatis annum agebat, esset; ipsi vero Borbonium tam potentem, tantæque in eo regno authoritatis principem secum haberent, quiuis motus ab eis excitatus periculosissimus erat futurus. Neq; matri in tantis molestiis, in quibus filij causa, & ob regni pericula versabatur, propriæ quoq; suæ deerant molestiæ: quoniam ambitiosa, & administrationis tenacissima cum esset, ne Regis liberatione protracta, & noua aliqua molestia Galliæ imminente, iis qui à Regni Conuentu delecti essent, regni curam permittere cogeretur, metuebat: Sed tamen in tanta perturbatione cum ipsa, & qui cum ea erant, animum resumpsissent: præterquam quod quam citissime potuerunt, Galliæ fines munierunt: & vt magna pecuniæ vis colligeretur operam dederunt; Regina mater cuius voluntate & nomine omnia negotia transigebantur, supplices litteras & miserationis plenas ad Cæsarem scripsit: quibus pacis negotio initium dedit, & post in eo tractando perseuerauit: cuius etiam rei causa, Vgonem Moncatam, post libertate donatum, ad Cæsarem misit; & per eum filium, Regni Neapolitani ac Mediolanensis iuri cessurum: vt ad quẽ Burgundia spectaret, iure cognosceretur assensurum; quæ si Cæsari adiudicaretur, eam ipsius sororis dotis nomine se possidere testaturum; Borbonio statum suum cum summi precij suppellectile & fructibus Regio ærario addictis restituturum; eidemq; sororem in matrimonium locaturum; & vt Prouinciam, si meliora in eam iura habere iudicatum foret obtineret permissurũ, esse proposuit.

Galliæ Regina mater pro Filio suo liberando ad Carolũ V. supplices mittit litteras & pacis fœdera mutit.

Quæ vt facilius transigerẽtur, potius quam quod animum ad belli cogitationẽ cõuersum haberet, statim nuncios in Italiam ad Pontificem ac Venetos misit, per quos eis filij salutem cõmmendauit: & si propriæ securitatis gratia fœdus secum inire, & contra Cæsarem arma capere vellent, quingentas lanceas, & magnam pecuniæ vim eis obtulit. Potissimum autem eius & totius regni Galliæ studium erat

in An-

in Angliæ Rege mitigando. Nisi enim illum hostem haberent, Galliæ regnum nullam molestiam passurum; sed si ille ab vna parte, & Cæsar ab altera arma mouerent, quum Borbonium & tot occasiones secum haberent, omnia angustijs ac periculis, vt verum erat, plena fore censebant. Huius autẽ rei mox aliqua spes Reginæ affulgere cœpit. Nam etsi Angliæ Rex, statim victoriæ nuncio accepto, maxima lætitiæ signa ostendisset, seque ipsum in Galliam transire velle diuulgasset, & Oratores ad Cæsarem qui de bello communibus auspicijs mouendo agerent, idque vrgerent misisset: nihilominus eodem modo hoc tempore, quo alias quoq; se gerens, à Regina vt proprium hominem ad se mitteret petijt: Quæ statim eum cum amplissimis mandatis, omni submissione & artibus, quoad eius fieri poterat, vt eius Regis animum mitigaret misit. Is autem ab Eboracensis Cardinalis consilijs non recedens, cum sibi præcipuum finem proposuisse videbatur, vt ita controuersiarũ inter cæteros Principes arbiter fieret, vt cuncti mortales rerum summam ex ipso pendere possent cernere. Ideoq; eodem tempore, Cæsari se in Galliam cum magno exercitu transiturum; affinitatem alias inter ipsos tractatam cõtracturum; & vt omnem suspicionem è medio tolleret, statim filiam quæ nondum nubilis erat, Cæsari traditurum pollicebatur. Habebant autẽ hæc impedimenta partim ex ipsomet, partim ex Cæsare, qui non hactenus, ad fœdus cũ illo ineundum erat paratus, minime parua. Quoniam Rex ille fere omnia victoriæ præmia, Picardiam videlicet, Normaniam, Ghiennam & Vasconiam, cum Galliæ Regis nomine sibi deposcebat; & vt Cæsar, quamuis præmia inæqualia essent, æque sumptuum ac periculorum particeps ipsemet in Galliam veniret, petebat. Horum igitur inæqualitas Cæsaris animum turbabat: idque eo magis, quod quum illum in maximis à Galliæ Rege superioribus annis imminentibus periculis, semper arma aduersum eum remisisse memoria teneret, huic fœderi non innitendum censebat. cumque pecunijs exinanitus esset, & tot periculis fessus, maiore à Galliæ Rege solus pace, quam bello vna cum Angliæ Rege sperabat.

Carolus V. Picardiã, Normaniam, &c. pro victoria sua præmio petit.

Neque amplius eius filiæ quæ adhuc impubes erat, & cuius doti adnumeranda erat ea pecunia, quam ipse ab Angliæ Rege mutuo acceperat, connubium non tanti quanti antea solebat, à Cæsare fiebat. Imo filiorum gignendorum desiderio, & pecuniæ cupiditate, Ioannis Lusitaniæ Regis sororem ætate nubilem, & cuius nomine se ingentem pecuniæ vim accepturum sperabat: & quod matrimonium si contraheret, populi ipsius Reginam eiusdem linguæ & gentis, & quæ cito liberos gigneret habere cupientes, magnam quoque auri vim ipsi pollicebantur, ducere cogitabat. Quas ob res, difficultatibus inter vtrumque principem crescentibus & Cardinalis Eboracensis consuetæ erga Galliæ Regem propensioni, eiusdem contra Cæsarem tum Regis sui causa, tum etiam quod se à Cæsare, qui quum ante Papiensem pugnam numquam literis nisi totas propria manu sua conscriptas, & cum huiusmodi subscriptione, *Tuus filius & propinquus Carolus*, ad eum dare soleret, post eam victoriam, per alias literas, quæ ipsius manu solummodo subscriptæ erant, neq; id iam cum tantam obseruantiam, submissionemq; declarãtibus nominibus, verũ proprio suo tantum nomine scripto, ad eum scribi curare cœpit, iam contemni censeret, apertis querelis accedentibus, factum est, vt Angliæ Rex homine, qui à Regina ad eum missus erat humanissimis verbis & signis accepto, eam vt bene in posterum speraret hortatus, non multo post animo prorsus à Cæsaris rebus alienatus, fœdus cum Regina filij nomine stipulante contraxerit: in quo vt Cæsari, ne Regis quidem liberandi gratia, nihil eorum quæ tunc sub Galliæ regno erant concedi liceret, expresse addi voluit. Hæc fuit prima Galliæ regno oblata salutis spes: hoc ex tãtis calamitatibus respirandi initium: deinde Cæsaris in Italia ducum progressibus auctũ, qui tanta victoria insolenter elati, & voluntati suæ cunctos mortales, omniaq; impedimẽta cessura rati, cum Venetis paciscendi occasionem amiserunt, Summo Pontifici fidem non seruarunt, ipsumq; & Mediolanensem Ducẽ, atq; vniuersam Italiam suspicionibus repleuerũt; nouarumq; perturbationũ semina, quæ tandem Cæsarem in præcipitis consilij grauissimo, nisi antiqua eius felicitas, & aduersa Pontifici destinata plus potuissent, rerum suarum in Italia periculo, capiendi necessitatem coniecerant, sparserunt. quæ certe peculiari notitia sunt dignissima: vt tam insignem rerum consilia & fundamenta, quæ sæpe latent, & plerumque longe secus quam veritas habeat peruulgantur, cognosci possint.

XIV.

Vix dum igitur Pontifex cum ProRege composuerat, quũ magna promissa quo eum ad bellum incitarent ex Gallia sunt allata. & quamuis multi qui eum ad idem hortarentur minime deessent, & de Cæsarianorum fide dubitatio in qua prius erat, nihil esset imminuta; ita se in omnibus rebus gerere statuit; vt nullam ex actionibus suspicandi causam haberent. Ideo statim vbi fœdus Romæ constitutum à ProRege comprobatum ac promulgatum audiuit, ipse quoque in sancti Ioannis Lateranensis Basilica, Cæsaris à ProRege promissa confirmatione non expectata, fœderis promulgationem, Kalend. Maij, quo magis animum suum declararet, præsentia sua, suæque inaugurationis pompa decorauit: vt Florentini promissam pecuniam soluerent vrsit; & quantum potuit, vt Veneti quoque cum Cæsarianis componerent, sese interposuit. A Cæsarianis vero, multæ iustæ quærendi causæ ei datæ fuerunt. Quoniam ex promissæ pecuniæ solutione, ducenta & quinquaginta auri pondo à Florentinis ipsius mandato dum de pace agebatur eis numerata, ProRege, si promissum aliter esset, id sine suo mandato factum impudenter asserente detrahere noluerunt: neque milites à Pontificij imperij finibus amouere, imo totum Placentinum & Parmensem agrum milite repleuerunt. Quibus (nam hæc ob pecuniarum & hospitiorum penuriam excusabant) illud adiunxerunt, quod non modo in Senensis Reipublicæ status mutatione animi à Pontifice alieni suspicionem dederunt, verum etiam vt post, vt Nouiorum factionis ciues à Libertinis, etsi Pontifici sæpius ea de re expostulanti, remedij spem fecerint, male mulctarentur, & fortunis spoliarentur, sunt passi. Verum illud omnium molestissimum fuit, quod ProRex statim Ferrariensium Duci aures accommodasset; eique se illum ad Regium atque Ruberiam restituenda non coacturum; & vt Cæsar ipsius imperij patrocinium susciperet effecturum promisisset: quum tamen quotidie Pontifici se simul ac Florentini pecuniam omnem repræsentassent: vt ipsi illæ vrbes restituerentur effecturum polliceretur: & Pontifex vt id perfici vrgeret, & vt milites à Pontificij imperij finibus remoueri impetraret, Saluiatum Cardinalem suum in Gallia Cisalpina Legatum, & vt legatione ad Cæsarem fungeretur destinatum, ad eum, cui ProRex Regij, si id Dux sponte facere recusaret, armis ipsi restituendi spem fecerat, nihilominus facta à verbis discrepabant. Quæ res cum pecuniæ egestate, quia maiorem eius vim ex illarum restitutione essent adepti, excusari non possent, ex ipsius depressionis, vel Ferrariensium Ducis in partes suas alliciendi studio, vel ex eo quod se paulatim ad Italiam opprimendam compararent, proficisci, non modo probabilem, sed necessariam & euidentem causam cogitandi præbebant. Itaquæ hæc Pontifici suspicionem ac pene incredibilem animi molestiam afferebant. Sed longe maiorem, quod Cæsaris mentem ab his rebus minime diuersam esse suspicabatur. Is enim, quum se fœdus suo nomine à ProRege ictum per litteras ratum habere Pontifici testatus esset, trium capitum seorsim extra fœdus adiectorum confirmationem differebat. Nam quod ad ciuitates quas Ferrariensis tenebat attineret, Imperij Romani iura defraudare, vel eum Ducem qui se ijs Imperij beneficio potiri diceret, cogere non posse dicebat. Ideoque vt hæc controuersia aut iure disceptaretur, aut amice componeretur proponebat. Animaduertebatur autem, eius desiderium esse, vt ea penes Ducem sua authoritate, & beneficij iure manerent: ea tamen conditione, vt sibi mille auri pondo, ac totidem Pontifici Ferrariensis imperij nomine, & pœnæ eius quod cum Hadriano fecerat contractus persolueret. Cum ministris suis de sale Mediolanensi Imperio suppeditando pacisci ineptum fuisse aiebat; propterea quod eiusmodi res, quibus Imperij Mediolanensis commoda continentur, diplomatis beneficiarij concessi, sed nondum exhibiti, vi, ad Franciscum Sfortiam spectaret. Ideoque ProRegem, non simpliciter vt se ad accipiendũ obligaret effecturum, sed vt assentiretur operam daturum spopondisse. Id promissum, quod alienæ rei factum

 conti-

contineret, quod ad se, aut alium obstringendum attinet, nullius prorsus esse momenti. Nihilominus, se quod cum Pontifici gratificari cuperet, vt Dux assentiretur operam daturum fuisse; nisi iam non sua, sed alterius interesset; propterea quod Dux pro auxiliis ab Archiduce Ferdinando acceptis, se solemn ab illo accepturum promisisset: & tamen vt frater mediocri pecuniæ summa accepta, non quemadmodum expressum fuerat in perpetuum, sed dum Pontifex viueret assentiretur, suam operam interpositurum. Neq; etiam Sacerdotiorum caput, nisi ijs quæ monumentis exprimebantur, id quod à superioribus Regibus seruatum fuisset adderetur, admittebat. Has ob causas Pontifex nec confirmationis literas accipere, nec suas ad Cæsarem mittere voluit. ac postquam Cæsar quatuor mensium spatio, vt ProRex promiserat, non confirmauerat, vt mille auri pondo Florentinis restituerentur petebat. ad quæ potius cauillationibus quam solidis rationibus, illorum mille auri pondo caput fœderis tabulis non adscriptum fuisse, sed seorsim à ProRegis procurationibus iureiurando adiecto promissum: neque id ad fœderis sanctionem, quam Cæsar quadrimestri spatio litteris rite confectis miserat, referri respondebant. Ad Pontificis præterea aures permanabat, totius Cæsaris aulæ de rebus Italiæ sermones parum pacatos & benuolos esse: ipsius quoque exercitus duces, si Italiæ res in tuto collocare vellet, vt Mutinam Ferrariensium Duci, & Bentiuolis Bononiam restitui curaret; ipse vero Florentinorum, Senensium, & Lucensium, tamquam Imperij iuris dominatum occuparet, ei suadere cognouerat. Quare, quum solicitudine ac suspicione plenus esset, nec cui inniti posset haberet; sciretque Gallos se illi Italiam daturos polliceri, tempori parere ac dissimulare cogebatur. Interea assidue de pace inter Venetos ad proRegem, qui præter Mediolani in posterum propugnationem, ingentem pecuniæ vim ob superius fœdus non seruatum ab eis petebat, agebatur. Multæ erant causæ, quæ Venetos, vt necessitati cederent flectebant: multæ item quæ contra dubios redderent: adeo vt eorum consilia varietate ac dubitatione plena essent. Sed tandem post multas altercationes, vt & cæteri tanta Cæsaris victoria attoniti, & se vndique solos deseri cernentes, Oratori suo Petro Pisauro, qui apud ProRegem erat, vt fœdus eodem modo quo prius fuerat, ea lege vt Cæsari ob id antea non seruatum octingentas auri libras soluerent, renouaret mandarunt. Sed dum ProRex fœdus, nisi mille auri libri soluerentur renouare pertinaciter recusaret, quemadmodum in rebus quæ non libenter decernuntur sæpe vsu venire solet, accidit, vt dum de hac parua summa disceptatur, tantum temporis fuerit interpositum, vt Veneti Anglum de sua pristina in Gallos iracundia multum remisisse, & iam stipendijs persolutis multis pedestres Germanorum copias dimissas à Cæsarianis esse cognoscerent. Quamobrem Venetus Senatus nihil ab eis mouens, dubius hærere, & sibi quamdiu posset eius consilij, quod ex communium rerum progressu optimum esse cognosceret, cupiendi facultatem reseruare statuit. Hæres, præter quam quod id semper cupierunt, tanto magis ProRegis ac cæterorum Ducum animos ad Galliæ Regem in tutum locum transferendum incitabant. Neque enim ob aliorum animos malè affectos eum sine periculo in Mediolanensi imperio custodiri censebant. Idco illum Genuam, & Genuam an Neapolim, vt in arce noua, vbi iam ei habitationes adornabantur custodiretur, ducere statuerunt. quod quidem Regi qui iam ab initio, siue alios ex sua natura fingens, siue communi hominum errore, qui sua opinione decepti, quod vehementer expetunt, id facile fieri posse credunt, si semel in Cæsaris conspectum duceretur, facile vel eius benignitate, vel conditionibus quas ei proponere in animo habebat, libertatem consequuturum persuasis, summopere in Hispaniam duci exoptauerat, molestissimum erat. Idem & ProRex gloriæ suæ augendæ causa vehementer cupiebat. Sed cum illum Gallicæ classis timor retineret, Montmorentius communi consensu ad Regis matrem iuit, & sex triremibus ex illis quæ in Massiliensi portu erant, illas simul ac in Hispaniam peruenisset statim restitutum iri fide data, ab ea acceptis, cum ijs Portu delphino, quo iam Regem duxerant, redijt. his sexdecim Cæsaris triremibus, quibus illum Neapolim ducere decreuerunt, adiunctis, & omnibus Hispanico peditatu instructis, septima Iunij die, non modo cunctis Italiæ Principibus, verum etiam cæteris omnibus Cæsarianis, atque Borbonio, Regem Neapolim certo duci existimantibus, Hispaniam versus nauigarunt; & octauo die secundis ventis Rosam Cataloniæ portum, maxima Cæsaris ad eam vsque diem huius consilij ignari lætitia classem appulerunt. Cæsar autem eo cognito, cum vbicumque iter faceret maximo honore accipi mandauit: sed tamen donec aliud decerneretur, in Sciatiuæ arce prope Valentiam, qua olim Aragoniæ Reges ad magnorum virorum custodiam vtebantur, & in qua postremo multos annos Calabriæ Dux detentus fuerat, custodiri iussit. Sed cum hæc sententia ProRegi inhumana, & ab ijs quæ illi in Italia pollicitus fuerat valde aliena videretur, per litteras à Cæsare, vt tamdiu donec nouum consilium caperetur, in quadam villa prope Valentiam, vbi venationum aliarumque voluptatum opportunitate fruebatur, detineretur impetrauit. in qua vbi illum cum idoneo præsidio, & Alarconio qui semper eius custodiæ præfuerat, cum eo relicto collocauit, ipse vna cum Montmorentio ad Cæsarem, vt ei Italiæ statum, & res ad eam vsque diem cum Rege tractatas exponeret, contendit: eumque multis rationibus vt animum ad pacem cum illo ineundam, propterea quod cum Italis fidam amicitiam societatemue habere non posset, flecteret, est cohortatus. Quare Cæsar; ProRege & Montmorentio audito, Galliæ Regem in Castellæ regnum, in Madritti arcem, locum valde à mari & Galliæ finibus remotum, vbi in eo honore & reuerentia quæ tanto Principi debebatur, habitus, tamen diligenter & accurate, nisi quod interdum extra arcem mulæ insidès prodeundi facultatem haberet, custodiretur, duci mandauit. Nec volebat Cæsar Regem, nisi concordia iam aut firmata, aut in certam perficiendi spem adducta, in suum conspectum admittere; de qua vt per aliquem in quo magna esset autoritas, quique idem fere cum Rege esset ageretur, Montmorentius summa celeritate in Galliam, vt Alenconij Ducem Regis sororem viduam, cum ampla pacis ciendi potestate adduceret, missus fuit. & ne nouæ difficultates inciderent, induciæ inter Cæsarem & Galliæ regnum, per totum Decembrem proximum postea sunt factæ. Mandauit quoque Cæsar, vt triremium quæ cum ProRege venerant, pars in Italiam, Borbonij sine cuius præsentia se nihil constituere velle aiebat, in Hispaniam adducendi gratia rediret. Sed illæ ob pecuniæ penuriam tardius expediebantur; & se ad communem inter Christianos pacem valde paratum; & simul Italiæ res constituere velle ostendens, Pontificem, vt Saluiati Cardinalis, vel cuiusuis alterius cum idonea potestate profectionem acceleraret, vehementer vrgebat. ad quem etiam, cum iam Lusitaniæ Principem puellam secundo cognationis gradu sibi coniunctam ducere decreuisset, Lopem Vrtadum vt Pontifex cum legibus cognationis solueret, cum prius se apud Angliæ Regem, quod populorum suorum voluntati repugnare non posset excusasset ire iussit. Per eundem quoque Lopem, qui sub Iulij mensis finem discessit, Mediolanensis Imperij diploma Francisco Sforti a, ea lege, vt in præsentia mille auri pondo daret, post quinque millia varijs temporibus se repræsentaturum sponderet, ac salem ab Archiduce ipsius fratre in posterum caperet, misit: idemque mandatum tulit, vt Hispanis peditibus, qui in Salutis Reguli terras distribuerentur, exceptis, cæteri omnes dimitterentur: sexcenti cataphracti in regnum Neapolitanum redirent, reliqui in Insubria manerent: quibus omnibus Piscarium præfecit. His etiam addidit Cæsar, vt pecunia quam Genuam ad quatuor naues quas Caraccas vocant, eo consilio vt ipsemet statim in Italiam veniret, instruendas miserat, in sumptus militi necessarios, quia tunc ex Hispania discedere minime statuebat, conuerteretur: & Protonotarium Caracciolum Mediolano Venetias suo nomine, vt eum Senatum ad nouum fœdus flecteret, aut saltem vt omnes cõsilia sua omnia ad communem Christianorum pacem spectare palam cernerent, se conferre iussit. At Galliæ Regis in Hispaniam profectio, maxima molestia Pontificem, ac Venetos affecerat. Nam cum Cæsaris exercitus satis iam esset imminutus, quocumque tandem Italiæ loco Regem collocarent, Cæsarianos eius bene custodiendi necessitate valde implicatos fore censebant: adeo vt facile, vel aliqua eius liberandi occasio dari, aut saltem eius in Hispaniam perducendi difficultate, & in Italia retinendi periculo, Cæsar ad communes res honesta aliqua ratione constituendas cogi posset. Sed vbi il-

Galliæ Rex Madriti arctiori custodiæ iussu Caroli V. mãdatum.

lum in Hispaniam proficisci, & ipsummet vana spe deceptum sui in securum carcerem ducendi hostibus facultatem dedisse viderunt: quicquid ageretur prorsus in Cæsaris potestate esse, & in Gallorum promissis atque consiliis nullum fundamentum iaci posse animaduerterunt. Quare Cæsaris autoritate quotidie crescente, omnium rerum leges ab eius Curia expectari cœperunt. Nec an (quamuis diuersas ob causas) minorem molestiam Borbonius atq; Piscarius, quod ProRex ipsis insciis Galliæ Regem in Hispaniam duxisset, senserint, aliqui sciebant. Borbonius quidem, quia cum ob amicitiam cum Cæsare contractam Gallia pulsus esset, magis quam quiuis alius pacis consiliis interesse debebat. Idcoque & ipse in Hispaniam, & si quod triremes ex Hispania exspectare cogeretur, diutius quam voluisset profectionem suam distulisset, contendere decreuit: Piscarius autem se tam parui à ProRege factum ægrè ferebat: nec satis æquo in Cæsarem animo erat: à quo merita sua, & res à se in omnibus proximis bellis, & præcipue in Papiensi pugna, ex cuius victoria maiorem solus Piscarius gloriam, quam cæteri duces omnes reportarat, præclare gestas, non quantum erant agnosci censebat: visusque erat illi Cæsar eam victoriam multis laudibus ac signis ProRegi acceptam referre. Piscarij indignationem augebat, quod cum statim post victoriam, ad Carpium, eius à Cæsare pro se impetrandi spe, occupandum misisset, id non impetrasset: quia Cæsar cum id ante biennium Prospero Columnæ concessisset: se, & si is numquam eius priuilegium habuisset, Vespasiano eius filio in Prosperi defuncti memoriam, id quod illi viuo virtutis ac rerum gestarum præmium dederat, velle conseruare aiebat. Quæ ratio quamuis æqua & grata esset, & Piscario, si non aliam ob causam, saltem quia tot res gestas suas remuneratum iri spem ipsi augebant, grati animi exempla placere deberent, ipsi tamen minime probabatur: qui vt plurimum sibi tribuebat. Sic illum suum animi impetum ex cupiditate, atque inexplebili in Prosperi nomen odio natum, cuiuis alteri quamuis iustissimæ rationi anteponi æquum cẽsebat. Idcirco & apud Cæsarem, & apud totum eius consilium grauissimæ eius erant querelæ, & in Italia, tam apertè, tantaque cum Cæsaris ingrati animi detestatione eius accusationes, vt aliis nouas res agitandi occasionem dederint. Ex quibus Cæsari, si forte de nulla præterea re in Italia occupanda cogitabat, aliorum consiliorum non omnino iniusta causa, seu potius propemodum necessitas est oblata: quod si ambitione ductus, alios fines sibi animo proposuerat, tam honestam id pulcherrimo colore tegendi occasionem habuit, qualem vix optare potuisset: quæ quia grauissimorum motuum initia fuere, diligentissimè sunt explicanda.

XV. Bellum quod Leone X. regnante ab ipso & Cæsare, Galliæ Regis Italia pellendi gratia cœptum fuit, Mediolanensis dominatus Francisco Sfortiæ restituẽdi nomine fuit susceptum, & quamuis ea de causa, victoria parta, is cum Mediolanensi ac cæteris arcibus cum recuperatæ sunt, ei fuerit traditus, nihilominus quod illud dominium tam magnificum & opportunum esset, timor initio à multis conceptus, Cæsarem ad illud occupandum aspirare, non desinebat: existimantibus Galliæ Regis potentiam vt hanc cupiditatem occultaret in causa esse: propterea, quod si hoc aperte tentasset, populus qui Francisco Sfortiæ vehementer studebant, commouisset: & totam Italiam, quæ tantum ipsius incrementum minime æquo animo esset latura, in se concitasset. Franciscus Sfortia illud quidem, sed cum magna seruitute, ac fere intolerandis oneribus tenebat. Nam cum omnis sui à Gallis defendendi spes in Cæsare eiusque exercitu sita esset, non modo eum vt Principem suum obseruare, verum etiam ducum voluntate parere, & eos milites quibus à Cæsare stipendia non soluebantur, iam pecunia à suis per vim atque ingentes difficultates extorta, iam illis in aliqua (Mediolano excepto) dominij sui parte pro sua libidine immunes victum comparare permissis, fouere cogebatur. Sed tamen à Gallis, quibus populi infensissimi erant, imminens periculum, & hæc tandem aliquando finem habitura spes, vt homines etiam supra vires ferrent, efficiebat. Post Papiensem vero victoriam, populi quum Rege captiuo nõ amplius eadem imminerent pericula, easdem tamen calamitates perseuerare, ferre iam non poterant: Ideoque vel totum, vel maximam exercitus partem ab eius dominij finibus amoueri postulabant. Idem quoq; Dux,

cum nihil nisi nomen esset expertus: nec non, quia ne Cæsar Galliæ Regis metu liberatus, id ne aut sibi occuparet, aut alicui qui prorsus ex ipso penderet concederet, metuebat, vehementissime exoptabat. Quam suspicionem ex ipsa rerum natura natam, verba à ProRege antequam Regem in Hispaniam duceret, & ab aliis insolenter iactata, & Ducem abipsis contemni, ac vt à Cæsare opprimeretur apertè expeti, significationes non parum augebant. & multo magis, quod cum Cæsar post multam temporis moram interpositam, eius Principatus diploma in ProRegis manus misisset, ipse id Duci offerens, in sumptus à Cæsare in eo recuperando ac propugnando factos, duodecies centena aureorum numûm millia certis temporibus solui postulauerat. quod onus tam graue erat, vt Dux ad Cæsarem, vt ad mediocrem summam redigeretur confugere fuerit coactus. Hæc autem in causa erant, vt tam immoderata postulata moræ interponendæ gratia fieri suspicaretur. Adferebantur præterea multæ aliæ suspicionis causæ; & præcipuè quod militum præfectos de se capiendo consilia agitasse cognouisset: quamobrem ipse à ProRege ad conuentum quemdam vocatus, morbo simulato ire recusarat: atque id ipsum omnibus in locis, in quibus ipsi vis afferri potuisset seruauerat. Quæ suspicio, siue vera, siue falsa, in causa fuit, vt ipse propterea quod Hispanorum peditum pars prius cum ProRege, alij cum Borbonio in Hispaniam essent profecti, & multi præterea tot prædis ditati, paulatim in varia loca dilapsi, exiguas copias in Insubria relictas animaduertens, maxima etiam indignatione quæ in Piscario apparebat considerata, animoque vt se hoc periculo liberaret intento, eum exercitum ipsius consensu dissolui posse sperare cœperit. Huius consilij autor fuit Hieronymus Moronus princeps scriba, eximiæque apud eum autoritatis, qui ingenio, eloquentia, vigilantia, & rerum vsu, & quod sæpius aduersam fortunam egregie sustinuisset, hac quidem ætate vir insignis ac memorabilis fuit. Hic Piscarij mente aliquo modo perspecta, eo vsque sermonibus conferendis progressus est, vt de illis copiis conficiendis, & de Piscario Neapolitanorum Rege creando, modo Pontifex & Veneti assentirentur, in sermonem deuenerit, à quo consilio Pontifex, ex causis quas diximus suspicione iam ac solicitudine plenus, Moroni opera tentatus, se minime alienum ostendit: quamuis ab alia parte, non vt ea consilia aperiret, sed vt si minus res succederet, sibi aliquod perfugium pararet, Cæsarem benevolentiæ specie, vt ducum suorum animos bene erga se affectos retinere niteretur, admonuerit. Veneti se huius rei cupidissimos ostenderunt: & omnes Galliæ Regis matrem, quæ iam filio in Hispaniam perducto, eius liberandi negotium non tam facile vt sibi propositum esse animaduertebat, non minus ad id paratam fore censebant. Nulli dubium erat, quin hæc consilia, si Piscarius in hac contra Cæsarem cõspiratione candide se gessisset, optatum exitùm essent habitura; de quo an ab initio id consilium probauerit nec ne, variæ etiam inter Hispanos, & in ipsa Cæsaris aula opiniones fuerunt, plerique tempora & rerum progressus ponderantes, illum primo reuera cum aliis consensisse, sed post multis difficultatibus quæ temporis progressu exoriri poterant perspectis, & Gallorum assiduis cum Cæsare colloquiis, & deinde Alenconiæ Regis sororis ad Cæsarem profectione territum, sententiam mutasse credebant. quin nonnulli illum tam fero Cæsari res nouas in Italia agitari significasse, vt cum iam ab Antonio Leua, & Marino Nageriæ Abbate Cæsarei exercitus procuratore id significatum esset, nemo in aula Piscarij silentium non admiraretur. Sed quicquid tunc fuerit, certum est, illum non multo post Ioanne Baptista Castaldo homine suo ad Cæsarem misso, ei omnia quæ agitabantur indicasse, eiusque consensu in eodem negotio tractando perseuerasse: imo vt singulorum consilia explorata haberet, eisque id negandi facultatem adimeret, ipsemet ea de re cum Mediolanensium Duce est locutus: & cum Morono sic egit, vt is tantum cum Pontifice, qui paulo ante ipsi Beneuenti præfecturam in perpetuum dederat, & cui ipse magna amicitia officiisque iunctus erat effecerit, vt Pontifex Dominicum Saulium, cum litteris quibus ei fidem habendam testabatur, ad idem tractandum ad eum mitteret. Has contra Cæsarem spes augebant Reginæ matris promissa: quæ Cæsarem in angustias, vel in metum saltem conĩci ad ea, quæ pro filio liberando agitabantur, vtile fore existimans,

se quingentos cataphractos in Insubriam missuram, & magnam pecuniæ vim in belli sumptus suppeditaturam promittens, vt arma caperentur vrgebat. Neque Moronus cæterorum animos in hac sententia cõfirmare desinebat. Nam præterquam quod facile esset, etiam sine Piscarij ope eum exercitum, qui numero valde erat imminutus opprimere ostendebat, Ducis etiam nomine, si Piscarius in iis quæ agitata fuerant constans nõ permaneret, statim vbi cętera parata essent, illum & reliquos duces qui quotidie in arcem ad concilium ibant illic cõclusum iri promittebat. Quæ occasio, etsi magnæ viderentur, non tamen Pontificem ad arma sine Piscario capienda impellere potuissent, nisi eodem tempore, pecuniã Genuam ad quatuor naues instruẽdas missam certior factus, simul etiam ex Hispania Cæsarem in Italiam cogitare indiciis cognouisset. quæ res quum ipsum, tum ob præsentium temporum statum, tum etiam ob inueteratam Romanorum Põtificum, quib. nulla res maiorem terrorem adferre solet, quã Romanorum Imperatorum cum armis in Italiam aduentus, cõsuetudinem, mirum in modum molestia afficeret, huic periculo occurrere cupiens, ex Venetorum consensu clam Sigismundum Alberti Carpensis ab epistolis ministrum, virum prudentem, & cui Pontifex plurimum fidebat, in Galliam, ad hæc cum Regina quæ agitata fuerant constituenda misit. Sed is per dispositos equos contendens, noctu à latronibus prædæ cupiditate, prope Iseum lacum in agro Brixiensi fuit interfectus: quod cum per multos dies occultissimum fuerit, Pontifex illum clam aliquo in loco Cæsarianorum ducum, & fortasse etiam Piscarij ipsius, cuius fides ob varia impedimenta quę interponebat, haud mediocriter suspecta esse incipiebat, in insidiis captum fuisse non parum est suspicatus.

XVI. Hoc rerum statu, allatum est diploma à Cæsare Lopæ Vrtado datum, qui in Sabaudia morbo detentus, statim id per proprium nuncium, vna cum litteris quibus Piscarius, qui vt in cadẽ simulatione cum aliis perseueraret (& si statim demãdatum munus sumpserit) id sibi parum gratum esse finxit, totius exercitus præfectus instituebatur: & mandatis ad Protonotarium Caraciolum, vt Cæsaris nomine Venetias iret, quo eum Senatum ad nouum fœdus inducerret, vel saltem vt omnibus notum esset, Cæsarem pacẽ cum omnib. optare, Mediolanũ misit. Franciscus Sfortia, qui iam in non leuem morbum inciderat, diploma accepit, & quingentos auri libras dedit; nec tamen ideo cœpta cum Piscario consilia ptermisit. Varię fuerunt de hoc facto sententiæ; sincerene Cæsar egerit, an artificiose. Multi enim illum verè animo ad Italiam metu liberãdam conuerso fuisse crediderunt: alij vero illũ nouorum motuũ timore, homines varia spe suspensos retinere, diplomatis cõcessione, ac exercitus abducẽdi mandato, Italiæ tantopere grato palàm mittendo, tẽpori seruire voluisse: clam vero ducibus suis, ne copias abducerent mandasse sunt suspicati. Nec defuerunt postea, qui illum iam à Piscario de Moroni cõsiliis certiorẽ factum, ideoq; nõ vt id fieret, sed vt aliquam iustam defensionẽ haberet, & hac spe mortalium animos tãdiu, donec ad cogitata sua pficienda opportunũ temp⁹ nactus videretur consopiret, sic mandasse arbitrati sint. Qua in varietate opinionum, quum rei veritatem indagare, pśertim cum an eo tẽpore quo Ioannes Baptista Castaldus à Piscario ad coniurationem indicãdam missus ad aulã pertenit, Lopes adhuc missus fuerit, ignoraretur, admodũ difficile fuerit; Cęsaris tamen post id tẽpus multis in rebus actionib. ponderatis, proculdubio meliorẽ mitioremq; interpretationem pro vera habere, minus periculosum alij existimauerint, Piscarius interea Moronũ ac cæteros eadẽ spe fouere; & nihilominus rem variis colorib. protrahere: ad cp occasionem ei dedit Mediolanẽsium Ducis tã grauis morbus, vt omnes eũ moriturũ certo fore existimarent. Nã quũ Cæsaris pfecti si id contingeret, illud imperium ad Cæsarem tamq̃ ad suprem̃ũ dominũ redire debere assererent, non modo exercitũ amouere ei non licuit, verum etiam, pterea Germanorum peditũ millia accersere, & vt maior numerus paratus esset, mandare fuit coactus. Quo fiebat, vt cum exercitus in Insubria tam potens esset, eum dissoluendi aut opprimendi facultate priuaretur. Quare se coniurationis consilia vbi primum occasio rediret perfecturum aiebat: quæ dum expectatur, se maximam Pontificis rationem habere præ se ferens, milites de quibus Pontifex grauiter querebatur, à Pontificij Imperij finibus amouit. Sed eodem tempore nouus in Hispania casus obort⁹ omnia ferè immutauit: quoniam Galliæ Rex maximis molestiis curisq; plenus, cũ frustra Cæsaris præsentiam exoptasset, morbo in Madriti arce correptus, in tantum vitæ discrimen, vt diximus, est adductus, vt medici eius curæ præfecti Cæsari se prorsus de eius salute, nisi ipsemet ad eum consolandum, eiq; libertatis spem faciendam veniret desperare significauerint. Quo cum Cæsar iturus esset, princeps scriba, iurisq; præfectus quem magnum Cancellarium vocant, id dissuasit, cum diceret, nisi eo animo ad eum iret, vt statim & sine pactione eum liberũ esse vellet, ex ipsius dignitate non esse: & nisi id faceret, eam humanitatẽ non Regiam sed mercenariam fore; eiusq; fauandi desiderium, non ab eius salutis amore, sed à propriæ vtilitatis studio (ne videlicet eius morte fructu quem ex victoria sperabat priuaretur) proficisci; consilium proculdubio memorabile, & tanto principe dignum: nihilominus aliis secus suadentibus, ad eum visendum cõuolauit. Sermo fuit breuis, quod Rex iam pene ad extremum erat redactus: sed benignis verbis & certissima eius vbi conualuisset liberãdi spe plenus. Quicquid autem in causa fuerit, siue hæc consolatio, siue quod iuuentus ipsa per se viuida morbi naturam superarit, post ita conualescere cœpit, vt quamuis seriùs ad pristinam valetudinem redierit, tamen intra paucos dies periculo sit liberatus. Sed neq; difficultates quæ in Cæsaris animo conspiciebantur, neq; spes ab Italis factæ, Alenconiæ in Hispaniam profectionẽ impedierant: quia nihil Gallis difficilius erat, quã pacis cum iis qui Regem ipsis restituere poterant consilia prætermittere; nihil Cæsari facilius, quam Gallos spe fouendo ab armorum consiliis remouere: & hac arte Italos, ita vt nihil noui moliri auderent, ancipites reddere: sicque nunc remittendo, nunc intendendo, omnium animos confusos & implicatos tenere. Alenconia grata humanitate ac spe à Cæsare fuit accepta; sed facta dura difficiliaque extitere. Quarto enim Octobris die, eum de ipsius sororis viduæ cum Rege connubio est alloquuta; ad quod Cæsar se id absque Borbonij consensu facere non posse respondit. Reliqua ab hominibus vtrinq; ad id delectis, Cęsare sibi Burgũdiæ Ducatum tamquam proprium restitui pertinaciter postulante; Gallis vero non aliter nisi vt eum dotis nomine acciperent, aut vt iure ad quem illorum spectaret decerneretur assentientibus, tractabantur. In cæteris facile conuenissent: sed quum in Burgundiæ rebus tantopere discreparent, Alenconia tandem sine alio fructu, nisi quod fratris videndi facultatem habuit, in Galliam rediit. At Rex in eius discessu, quotidie magis libertatis recuperandę spe inminuta, vt suo nomine matrem consiliumque, vt Galliæ regni vtilitate, sui, quasi non amplius viueret, nulla habita ratione, diligenter consulerent moneret, ei mandasse fertur. Nec tum ob eius discessum, pacis negotium prorsus agitari desiit. Ibi enim Parisiensis Senatus Princeps, Ambroniq; ac Tarbæ Episcopi, qui antea quoq; id tractarant, quamquam leui perficiendi spe, remanserũt. Nam Cæsar, nisi Burgũdia restitueretur, nullas leges admittebat; & Rex nisi extrema necessitate cogeretur, id concedere recusabat.

Franciscus Galliæ Rex esse liberatus desiturus immorbum cadit sed conualescit postea.

Hoc tempore Saluiatus Cardinalis Pontificius Legatus ad Cæsarem venit; vbi maximo honore à Cæsare acceptus, mandata sua explicabat: in quibus præcipuum erat, vt fœderis capita à Pro Rege promissa confirmarentur, atq; etiã vt Mediolanensium Duci securitatis gratia diploma traderetur, hortabatur. Sed Pro Rex ipse Regium ac Ruberiam Põtifici restitui dissuadebat: cuius consilio & spe Ferrariẽsis Dux causæ suæ, p seipso apud Cæsarẽ agẽdę cupidus, induciis cũ Pontifice in sex menses constitutis, ad Galliæ regni fines vsq; vlterius progrediẽdi animo est profectus; sed Regina matre ei publicam fidẽ denegante, tandẽ Ferrariã rediit. Agitabatur quoq; inter Põtificẽ & Cæsarẽ, vt de matrimonio cũ Lusitaniæ Regis sorore contrahendo legibus solueretur: quod Cæsar, quãuis Angliæ Regi nullã aliam quam eius filiã vxorẽ ducturam, iureiurãdo obstrinxisset, cõtrahere decreuerat, qua in re concedendaPõtifex tardius, pcedebat, cp ei à pleriśq; esset persuasum, huius rei impetrandæ desiderio, Cæsarẽ ad ea, q̃ cupiebat in iis quæ tunc agebãtur cõcedendis, faciliorem futurũ: addebantq; imprudẽtis esse, si bellũ cũ eo esset gerendũ, tantæ pecuniæ quãtã hoc matrimonio cõsequuturus esset cumulatæ ei facultatẽ cõcedere. quoniã Lusitaniæ Rex, ei nongenta aureorũ numũ millia pollicebatur; ex quib. q̃ Cæs. mutuo acceperat, detractis

XVII.

vt mi-

vt minimum quingenta millia ad eum peruentura credebantur; præter quadringenta millia, quę eius populi beneficij nomine, quod ipsi seruitium appellant, se daturos promittebant: quod olim ipsorum met populorum voluntate, vt Regum suorum inopiam subleuarent cœptum, in debitum subsidium erat redactum. ad hæc alia quadringenta millia; si cum hac matrimonium contraheret, dono pollicebantur. At Põtifex Suessani Ducis Cæsarei Oratoris importunitati repugnare non poterat. Itaque eius priuilegij quod Cæsar petebat monumentum ad Saluiatum Cardinalem cum huiusmodi mandato misit, vt si res suæ cum Cæsare, ita vt spem fecerat succederent, statim vbi ad eum peruenisset traderet: sin secus, retineret. qua in re, vt suo locò dicetur, minister Domino neque neruosior, neq; constantior fuit.

XVIII. Sed dum Cardinalis Legatus Pontificis negotia cum Cæsare, bona vt videbatur, perficiendi spe tractat, longe ab his diuersa in Insubria contigerunt. Nam quum Mediolanensium Dux ex morbo ita conualuisset, vt saltem teteris moris periculo liberatus crederetur, Piscarius, qui per eundem Castaldum, vt his periculis ea ratione quam magis opportunam censuisset occurreret, mandatum à Cæsare acceperat; Mediolanense imperium occupare statuit: idque eo colore, quod Dux ob consilia per Moronum agitata, priuilegij iure excidisset, & beneficium ad Cæsarem supremum Dominum reuertisset. Itaque cum Piscarius Nouariæ quamuis non leui morbo oppressus esset, & exercitus partem Papiæ, ac Germanos prope Laudem, quas muniri curauerat haberet; repente reliquas copias quæ in Taurinis erant & Salutiarum finibus (nam eas regiones statim post victoriam occuparant) milites in vniuersum Mediolanense imperium distribuendi specie, Nouariã accersiuit: eò & Moronum, in quo rei summa sita fuisse dici potest, venire iussit. Constabat enim illo capto Mediolanensium Ducem viris & consilio spoliatum, nihil repugnaturum, qui si liber esset, vereri poterat, ne ingenio, vsu rerum, & autoritate, consilia sua impediret. Necesse etiam erat Cæsarem, Moronum omnium consiliorum autorem atque instrumentum, quò ipsius confessione, crimina quæ Mediolanensium Duci obiiciebantur; constarent, in potestate sua habere. Poterat iam Moronus animaduertere consilia cum Piscario agitata vana esse, se omnibus Hispanis militibus, inter quos iam multi de dubia ipsius fide sermones ferebantur, inuisum esse: & Antonium Leuam sibi palam mortem minitari nouerat: illum quanti interesset si caperetur, nõ cogitasse, quo in statu esset Mediolanensium Dux, tunc inutilis ac tamquam mortuus, non vidisse, minime credibile est. Inser ipsos iam ante multos dies omnia suspensa, & suspicionibus plena erant: ne iret, omnes suadebant: ipsemet anceps hæsitauit: & nihilominus, siue Piscarij simulationibus atque artibus quasi præstigiis adhuc detineretur, siue magna quam sibi cum eo contraxisse videbatur necessitudine fretus, siue eius fide quam post se ipsius litteris accepisse dixit nixus: siue, necessitate tractus, ferè ad apertum carcerem ire decreuit. quod eo magis mirum videbatur, quòd Moronus amicis sæpius ante dixisset, neminem in Italia esse Piscario aut inuidum magis, aut perfidum. Acceptus igitur ab illo fuit benigne, & soli in cubiculo de primis consiliis, & Hispanis atque Antonio Leua trucidandis sunt loquti: sed eiusmõdi in loco, vt Antonius quem Piscarius post aulea occultauerat, omnia audiret: à quo, vbi à Piscario discessit, quod fuit xiv. Octobris die captus, & in Papiensem arcem missus fuit: quo ipsemet Piscarius cum iisdem de rebus, de quibus simul erant colloquuti, interrogatum iuit. Vbi Moronus omnem coniurationem ordine exposuit, & Mediolanensium Ducem, quod potissimum quærebatur, vt omnium rerum conscium accusauit. Morono in carcerem coniecto, Piscarius in cuius potestate iam erant Lauda & Papia, à Duce vt Cæsaris imperij securitatis gratia, sibi Cremonam, & Tretij, Leuci, ac Picighitonis arces, quæ propterea quod ad Abduam sint, Mediolanensis imperij ianuæ censentur, tradi iuberet: his acceptis se nihil amplius noui moliturum promittens, petit: quæ Dux, quod omnibus rebus esset spoliatus, consilio ac spe destitutus, statim ei tradi iussit. His acceptis Mediolanum, vt aiebat, cum eo loquendi gratia intromitti postulauit; quod eadem facilitate ei fuit permissum. Mediolanum vero ingressus, vt sibi Cremonensem arcem tradi curaret, & se de Mediolani arce, propterea quod id, cum ipsemet in ea ageret, minime deceret, non idem postulare, sed id solum, vt Cæsariani exercitus securitatis gratia, Dux arcem fossa includi permitteret. Io. Angelum Riccium quoque ipsius Ducis ab epistolis, & Politianum itidem Moroni amanuensem, vt de criminibus ipsi, quod contra Cæsarem consilia agitasset, obiectis inquiri possent, sibi tradi postulauit. Ad quæ Dux, se Mediolanensem & Cremonensem arces Cæsaris, cuius semper fidissimus cliens fuisset, nomine, & ex eius voluntate obtinere, easque nemini, nisi prius eius voluntate perspecta, quam vt clarius cognosceret, statim proprium hominem, modo per ipsum tuto posset, ad eum esset missurus; traditurum; nec vt interea in arcem includeretur sibi æquum videri: Ideoq; eam vim quocunque modo posset propulsaturum: Ioanne Angelo; propterea quod ipse omnium grauium rerum suarum esset instructissimus, nec alius secum minister tunc esset, opus habere: ac multo magis sibi Moroni ministrum necessarium esse; vt eum coram Cæsare sisteret; & hac ratione eius herum, dum ipse morbo afflictaretur, multa suo nomine, se prorsus inscio agitasse, posset demonstrare; quæ nisi hoc instrumento innocentiam suam; ac Moroni consilia à suis diuersa & separata esse probaret, sibi obesse possent. Tandem post multa vltro citroque litteris consignata, responsa & attestationes, Piscarius populum Mediolanensem inutilem, incredibilq; dolore; fidelitatis vinculo ac sacramento Cæsari obligauit; per vniuersam Insubriam Magistratus, Cæsaris nomine constituit, & Cremonensem ac Mediolanensem arces, fossis & munitionibus cingere cœpit. In Mediolanensi vero Dux maximis Pontificis & Venetorum cohortationibus & promissis fretus, cum octingentis delectis peditibus quos secum haberet, & tantum commeatum quantum temporis exiguitas patiebatur, importasset, manere statuit. Nec quantum potuit tormentorum sulminibus, spea; quæ extra vrbem longius ab arce quam Prosper Columna fecisset, ducebantur prohibere destitit. Eas res, & quidem iure, Italiam vniuersam, quæ se quotidie cum; Cæsar Mediolano & Neapoli potiretur; in manifestam seruitutem rucre animaduertebat, territ. Piscario id fortasse apud Cæsarem gratiam conciliauit; sed apud cæteros omnes æternam ignominiam; non modo quia plerisque ea opinio insedit, illum initio à Cæsare deficere voluisse; verumetiam quia, etsi semper ei fidelis fuisset; illud magnæ infamiæ videbatur, eum homines excitasse, tantaque simulatione & dolis ad ea consilia agitanda allexisse, vt ea post in lucem proferendi, ac potentiæ suæ aliorum delictis, quæ ipse blanditiis & artibus suis procurasset, augendæ occasionem haberet. Hæc rerum mutatio pacis de qua Caraciolus apud Senatum Venetum agebat, spem difficiliorem reddidit: quæ iam eò erat perducta, vt à pristino fœdere illsdẽ legibus renouandò haud procul esse videretur, ea conditione; vt Cæsari pro his quæ hactenus non præstitisset, octingentas auri libras; pecuniæ in posterum suppeditandæ pactionibus prorsus exclusis, persolueret. Sed Francisci Sfortiæ rursus cum Senatum maxima ambiguitate repleuit. Hinc enim se solos in Italia contra Cæsarem, cum belli intra imperij sui fines, vt Piscarius minabatur, & iam aliqui apparatus conspiciebantur, gerendi periculo relinqui, molestissimum eis erat; illinc se non minus quod suo fœdere Cæsaris ad illud imperium, quod dot eius regnis & aliis opportunitatibus adiunctum, ad se cum tota reliqua Italia opprimendos gradus erat, prorsus occupandum, vires cogere viderent; neque Baiocensis Episcopus à matre Regina ad fœdus cum Italis contra Cæsarem moliendum missus, vehementer eis idem suadere cœpisset. qua in ambiguitate, conuentus illorum crebri erant, sed ancipites variisque sententiis referti. & quamuis pacem admittere quia præsentia pericula amouebat, quo fiebat vt in tempore & occasionibus, quas Respub. quæ cum Principibus comparatæ immortales sunt, spem collocare possent, magis ex ipsorum consuetudine esset; nihilominus Cæsarem in Insubria pedem figere, & Gallos omni fœderis in Italia contrahendi spe excludi, ipsis quoque nimis graue videbatur. Ideo tandem cum se se nulli rei obstringere statuissent, Caracciolo responderunt; suas præteritas actiones quantopere semper Cæsaris, cum quo eo tempore, quo, vt omnibus notum erat, ipsorum cum Gallis societas maximi momenti fuisset, fœdus iniuissent, amicitiam exoptauerint cunctis mortalibus fidem

facere

facere; & ipſum quoque qui fœderi feriendo interfuerat, optimum eius rei teſtem eſſe, ſeque ſemper in eadem ſententia permanſiſſe, & nunc maxime permanere: ſed tanta rerum mutatione in Inſubria facta, cum præſertim ipſorum cum Cæſare fœdus & tot alios motus ſuperioribus annis in Italia factos, nullum alium, niſi vt Franciſcus Sforcia Inſubriæ imperio potiretur, vt quod Italiæ libertatis ſecuritatiſque præcipuum eſſet fundamentum, ſitnem habuiſſe memoria tenerent, ſe neceſſario anxios detineri. Itaque rogare ſe Cæſarem, vt ſeipſo in hoc, bonitateque ſua conſeruata, hanc noxietatem tolleret: ac Italiæ quietem, quemadmodum poterat, ſtabiliret: Quod ſi faceret, ipſos ſemper & autoritate & viribus ad hanc ſanctam propenſionem ſequendam paratiſſimos eſſet inuenturus: neque vmquam vt ab ipſis aliquod officij genus, tam ad publicum bonum, quam ad priuata eius commoda deſiderare poſſet, eſſent commiſſuri. Hoc reſponſum, & ſi nullam rei perficiendæ ſpem contineret, non tamen bellum peperit: quia Piſcarij ægritudo quotidie creſcens, & totius Mediolanenſis imperij prius occupandi, eiuſque probe firmandi ſtudium; & quod Cæſar prius tot alia quæ in manibus haberet perficere vellet, tam grauem expeditionem inchoare non patiebantur.

XIX. Interea Borbonius ad Cæſarem XV. Nouembris die in Hiſpaniam peruenerat. Honores illi à Cæſare exhibiti, Gallorum metum augebant. qui cum hanc ob cauſam, tum ob Alenconiæ ſuæ fructu reditum, paruam in pace, quamuis de ea ſemper per proprios homines quos apud Cæſarem habebant ageretur, ſpem ponentes, quantum poterant vt fœdus cum Pontifice contraherent, inſtabant. ad quod Angliæ Regis autoritas cohortationeſque, & Venetorum crebræ ac vehementes preces, & alia quoque proculdubio magna occaſio acceſſit. Nam per eos dies, nimirum initio Decembris, Piſcarius iuſto Dei iudicio, qui eum illius ſeminis quod tanta malitia proſeminauerat, fructu frui non eſt paſſus, interiit. Erat hic ex Auala familia origine Catelanus, cuius maiores cum Alfonſo Aragonio, qui primus ex ea familia regnum Neapolitanum occupauit, in Italiam venerant: & à Rauennenſi pugna, in qua adoleſcens captus fuit, initio facto, omnibus bellis ab Hiſpanis in Italia geſtis interfuerat: adeo vt ætate iuuenis, cum trigeſimum ſextum annum nõ excederet, iam rerum vſu ſenex eſſet: ingenioſus, animoſus, admodum vigilans & callidus, magnamque apud Hiſpanorum peditatum, cui diu præfuerat, exiſtimationem & beneuolentiam ſibi conciliarat, adeo vt & Papienſis victoria, & omnes ab illo exercitu iam ab aliquot annis præclarè geſtæ res: eius potiſſimum conſilio & virtute geſtæ fuerint: magnus quidem belli Dux, ſed qui artibus & ſimulatione res ſuas commendare atque augere ſatis noſſet; Itaque eius obitus eum exercitum, apud quem tantam ſibi gratiam exiſtimationemque conciliauerat, vehementer conſternauit: & aliis tantæ autoritatis virtutiſque imperatore extincto, eius longe facilius opprimendi ſpem fecit. Idcirco ii qui fœdus iniri cupiebant, vehementius apud Pontificem inſtabant. Sed non minor eius erat cunctatio, & iure quidem. Vtrinq; enim validiſſimæ rationes: & quæ quemuis vehemẽtem ac pertinacem hominẽ, nedum Clementem qui in rebus ſuis ſemper tardus & anceps fuit, ambiguum reddere poſſent, pugnabant. Nulla amplius à Cæſare, quæ Italiam periculo liberaret deliberatio expectabatur: Mediolanenſis arcis occupandæ cupiditate ardere cernebatur: qua occupata, cæteri õmes, ac præſertim Pontifex, qui debile imperium inter Galliam ciſalpinam & regnum Neapolitanum poſitum haberet, manifeſtæ prædæ relinquebatur; quod ſi in illius poteſtate eſſet eum opprimere, ne id vel ambitione, quæ Cæſarum naturæ contra Pontifices fere eſt inſita: vel periculi à ſe remouendi, vel cum (vt veriſimile erat) ob conſilia cum Piſcario agitata, ira & ſuſpicione plenus eſſet, vlciſcendi deſiderio facturus eſſet, magnopere metuendum erat. Iam ſi huius periculi arcendi magna neceſſitas erat, eius quoque perficiendi facultates & ſpes minime leues videbantur. Nam aut id tam potenti fœdere ac ſocietate efficiendum erat, aut de eò omnis in perpetuum ſpes abiicienda. Galliæ regnum quingentos cataphractos, & in ſingulos menſes vigente bello quadraginta aureorum numum millia promittebat; quibus Heluetiorum decem millia conſcribenda dicebantur. Vt Pontifex & Venеti mille & octingentos cataphractos, viginti peditum millia; & duo millia leuis armaturæ equitum conſcriberent; Veneti & Galli magna claſſe, vt Genuam aut regnum Neapolitanum inuaderent, agebatur. Regina mater ſe ſtatim magnis copiis; vt Cæſar, nec militem nec pecuniam in Italiam mittere poſſet, Hiſpaniæ finibus bellum illaturam pollicebatur: exercitus in Inſubria relictus minime magnus erat, neque Piſcario defuncto, ea autoritate qua ſolebat duces habebat: quoniã Borbonius & Pro Rex in Hiſpania erant, non deniq; commeatus copia aderat; populi ob ſui Ducis deſiderium, & intolerandas rapinas quæ à militibus, tũ in ipſa vrbe, tũ etiã in vniuerſo Mediolanenſi imperio fiebant, infenſiſſimi; Cremonenſis ac Mediolanenſis arx in Ducis poteſtate: & Venеti Ferrarienſium quoq; Ducem, modo Clemens ei Regium, quo nihilominus potiebatur concederet, vnà facturũ ſpem faciebãt. Ab altera vero parte dubitationẽ mouebat hoſtiũ calliditas, virtus: qui cum opus eſſet diu parua pecunia vitam trahere, & multos labores incommodaque perferre aſſueti: oppida quæ tenerẽt, munita; & eiuſmodi, vt cum in planitie eſſent, melius muniri poſſent, in quib. ſe tamdiu tuerentur, donec auxilia ex Germania acciperẽtur eiuſmodi, vt vniuerſum bellũ ad vnius prælij fortunam reuocandum eſſet: fœderatorum milites, nõ alios quam tyrones, & exiguæ virtutis, ſi cum illo exercitu veterano, & in tot victoriis enutrito eſſe poſſet: Imperatore quoque opus eſſe, cum Mantuanus Marchio, qui tunc Pontificiis copiis præerat, tanto oneri ferendo impar eſſet: neque Ferrarienſium, Vrbinatiumue Ducum, qui tot iniuriis affecti fuerant, quibuſq; Pontificis potentia grata eſſe nõ poterat fidei, tantam rem committi poſſe: obtuſa eſſe per ſe Pontificiorum pariter & Venetorũ arma: q; ſi ſingulorũ per ſe arma parum aceria erant, quid de coniunctis ſperandum? In fœderatorum exercitibus numquam neceſſaria eodem tempore ſuppeditari; In tam variis autem ſtudiis, vbi variæ ſunt cupiditates, & varij fines, facile perturbationes, iras, moleſtias ac ſuſpiciones exoriri? ac deniq; numquam alacritatem ad fortunã auram cũ ſe propitiam oſtendit fortiter ſequendã, neq; animũ ad eandem aduerſam cõſtanter perferendam adeſſe. Quod autem maximã in hac re difficultatem & timorem afferebat, erat ſuſpicio, ne Galli quotieſcumque Cæſar ſe in anguſtias redactum cernens, Regis ipſorũ libertatem eis offerret; nõ modo à fœdere diſcederent, verũ etiã ei contra fœdus opem ferrent. & quamuis Angliæ Rex illos pacem non initurõs, p illis fidem ſuã obſtringeret, & vt Romæ, Florentiæ, aut Venetiis in triẽſtre ſtipendiũ fideiuſſores darent ageretur; nulla tamen huic ſuſpicionis tollendæ ratio inueniebatur. Nam quũ ipſi nihil pter Regis libertatem ſpectarent, eoſq; ad bellũ niſi concordiæ ſpe deſtitutos minime, p enſos eſſe conſtaret, veriſimile videbatur, quotieſcumq; Cæſar cũ illis vellet cõcedere, pacẽ omnib. aliis rebus anteposituros: imo quo maiores eſſent ſociorũ apparatus, & vires, tanto facilius Cæſar pacem cum Galliæ Rege contracturus animaduertebatur. Ideoque fœdus ad bellũ, in quo magni ſociorum apparatus tã obeſſe quam, p deſſe poſſent gerendũ inire, periculoſiſſimũ videbatur: Ideoq; fœdus ad bellũ, in quo Principũ Legati & Procur. exagitabant: ſed nec min⁹ ipſiuſmet miniſtri, quoniã eius domeſtici & Senat⁹ inter ſe diſſidebant: in quo ſinguli tanto minore verecũdia, quanto maiorem ſibi apud illũ autoritatem arrogauerant, propria ſtudia ſequebantur: & ipſe ad id vſq; tempus magna ex parte ab iis qui ex ipſius nutu penderent, & nihil aliud quam miniſtri atq; domini voluntatis & mandatorum exequutores eſſe debebant, geſtari aſſuetus erat. quod vt vnà cum multis aliis rebus q̃ acciderunt intelligatur, altius repetenda eſt narratio.

XX. Tandem potius quia aliquid erat neceſſario conſtituendum, quam certa ſententia firmoq; iudicio, præſertim cum eò eſſet redactus, vt etiam nihil decernere decreti ſpeciem præ ſe ferret, ad fœdus ineundum, & ſimul cum aliis bellũ cõtra Cæſarem gerendum, Giberto impellente inclinauit. Conuenere igitur, & fœderis leges ſcripto explicauere; neque à liud, niſi vt ſancireturdeerat: quum Erreram Commendatorem (eſt id in Equeſtri ſodalitate dignitatis & præfecturæ nomen) à Cæſare miſſum, qui ſe ſtatim & citra vllam moram, cum gratis & bonis nunciis adfuturum nunciabat, Genuam peruenиſſe certior eſt factus. Eum igitur legatis quibus fœderis eodem die ſanciendi certam ſpem fecerat, grauiſſimè expoſtulantibus expectare ſtatuit. Illius aduentus cauſa

cauſa fuit; quod Cæſar, vbi eiuſmodi mandata Piſcario dediſſet, vt ſaltem in eius arbitrio eſſet Mediolanenſe imperium occupare, ne hanc ob cauſam noui in Italia motus exiſterent veritus, fœderis negotium cum Saluiato Legato ita tractauit, vt fœdus inter ipſos (Pontifici tamen approbandi facultate relicta) fieret, in quo ei in Regij & Ruberiæ reſtitutione mos gerebatur; & Mediolanenſium Ducis conſeruatio propugnatioque includebatur, quæ Clemens potiſſimum exoptauerat; ſed ea lege expreſsè adiecta, ne ſi is moreretur, illud imperium ſibi retinere, vel Archiduci fratri ſuo tradere ei liceret, ſed in Borbonium eius imperij iura transferret: quem Pontifex ipſe ſatis inconſulte, Capuani Archiepiſcopi ſuaſionibus eo tempore quo Franciſci Sforciæ ſalus ex morbo ferè deſperanda videbatur, vna cum Georgio Auſtrio Maximiliani Cæſaris ex concubina nato fratre, proposuerat. Quo fœdere conſtituto, Legatus Cardinalis eius approbatione á Clemente minime expectata, Cæſari tam exoptatum priuilegium denegare non potuit, aut neſciuit: quod cum prius ſecundi tantum gradus cognationis facta mentione perſcriptum eſſet, Luſitani Regis filiæ nomine ſuppreſſo, ſiue quo minus Angliæ Rex offenderetur, ſiue quod cum inter eos duplex affinitatis vinculum eſſet, potentioris modo vinculi facta mentione, aliud priuilegium quo nominibus propriis expreſſis impedimenta omnia complexa eſſent, conſcribere fuit neceſſe. Cum huius fœderis confecti litteris, Errera diem vnum aut alterum poſt Moroni captinuncium à Cæſare acceptum, à Cæſare eſt profectus; & ſexta die Decembris ad Pontificem deductus, cui præter multa promiſſa, & ampliſſimam bonæ Cæſaris voluntatis atteſtationem, fœderis leges obtulit: quas, & ſi capita quæ de ſalinis & de regni Neapolitani ac Siculi Sacerdotiis agebant, ab iis quæ cum Pro Rege conſtituta fuerant diſcreparent; tamen quia præcipuus eius ſcopus erat, vt ſe ſuſpicione liberaret, rata habuiſſet, ſi in Mediolanenſis imperij negotio candidè agi cognouiſſet. Sed quum vbi de Franciſco Sforcia agebatur, nulla criminis ei obiecti mentio fieret, neque imperium ei ademptum reſtitutum, aut errores ſi quos admiſiſſet, condonatum iri promitteretur, imo Cæſar in rebus cum Legato conſtituendis, & mandatis huic ſuo procuratori dandis, ſe quicquam ea de re ſcire diſſimulaſſet, illorum calliditas & artes facile cognitæ fuerunt. Fœdus enim, & Franciſci Sforciæ in Inſubriæ imperio conſeruandi ac propugnandi promiſſa, Cæſari in eum, vt in beneficiarium ſuum agendi, & beneficium, ob maieſtatis crimen ad dominum deuolutum declarandi facultatem minime adimebant; & Borbonius ei ſi moreretur ſubſtitutus eo ſpoliato quoque ſucceſſurus erat. quoniam leges duplicem mortem ſtatuunt, naturalem videlicet & ciuilem, qua eos qui ob huiuſmodi delictum condemnantur mori aiunt. Ideo Pontifex grauiſſimis verbis ſibi nullam cum Cæſare priuatam diſſidij cauſam eſſe, imo ſe in quacumque controuerſia & altercatione quæ inter ipſos eſſe poſſet, num quam alium iudicem quam ipſummet electurum; verum opportuiſſe quoque ſic communes res componere, vt Italia tuta eſſet: quod alia ratione fieri non poſſet, niſi Franciſco Sforciæ Mediolanenſe imperium reſtitueretur, reſpondit: cique rationes ob quas caput illud tam late patens, non ſatis eſſet, oſtendit: Sibi, ſi nouum conſilium capere, & à Cæſare cui ſemper coniunctiſſimus fuerat, diſcedere cogeretur moleſtiſſimum fore. Cui Sueſſanius, Cæſaris mentem integerrimam eſſe, cumque proculdubio vt Franciſcus Sforcia iis omnibus quæ accidiſſent poſthabitis, Inſubriæ imperio potiretur contentum eſſe; ſed incuria vt caput illud non fuſius explicaretur factum. cæterum curaret Pontifex, id vt vellet conſcribi; ſe illi eius confirmationem intra duos menſes, modo ipſe quoq; ſe interea fœdus, de quo agebatur, cum Galliæ regno & Venetis nõ ſanciturum promitteret, polliceri. Omnes perſpicue id nullam aliam ob cauſam, niſi vt duorum menſium mora, quò Cæſar ad res ſuas, melius conſtituendas, & ea quæ contra tantam conſpirationem opus forent comparanda, ſpatium haberet interponeretur, fieri cognouerunt. & nihilominus Pontifex poſt longam deliberationem & altercationem, maxima cum legatorum moleſtia, tam vt ſumptus ac moleſtias quantum poſſet differret, quam etiam quod dum Rex captiuus eſſet, quoduis fœdus quod cum eius matre iniretur, cum id quotieſcumque vellet diſſol-

uere in Cæſaris poteſtate eſſet periculoſiſſimum, & hanc moram (etſi exigua ſpes eſſet) rem optatam affere poſſe conſereret, annuit: quæ mora ſi forte duorum Regum concordiam pareret, prudentiſſime cogitauit, etſi alij ſecus iudicarent; melius eſſe eam huiuſmodi tempore fieri, quo Cæſar minore neceſſitate premeretur. Quo enim meliore in ſtatu eſſet, eo graviores leges Galliæ Regi imponeret: quarum acerbitas Regem liberatum, eas non ſeruaturum ſpem faciebat. His quoque adiectum fuit, vt interea nihil, neque in operibus, neq; in aliis rebus contra Mediolanenſem arcem, modo Franciſcus Sforcia ſe ad obſidentes non lædendos, nullaq; moleſtia afficiendos obſtringeret, noui molirentur; cui legi Franciſcus aſſentiri recuſauit. In his actionibus, magis ad bellum quam ad pacem propendentibus, annus M.D.XXV. fuit exactus. *Franciſcus Guicciardinus lib. 16.*

XXI. Paulus Iouius hæc præterea habet, quod ea tempeſtate qua Franciſcus Sforcia premebatur, cõplures in Gallia Reguli ſummæ authoritatis, & in his præcipui Franciſcus Borbonius & Claudius Guiſius Lotharingiæ Principis frater conſilia inibant, inuita etiam Ludouica Regis matre, vt cum Italis Principibus ſeſe conſociarent, & ſi Franciſcus Sforcia graui oppreſſus morbo, naturæ concederet, Maximilianum eius fratrem in paternum dominium reducerent, tranſmiſſisque terra & mari auxiliis bellum gererent, ad exturbandos Gallia Ciſalpina Cæſarianos; qui non modo Mediolani, ſed totius etiam Italiæ imperium immodicis animis affectabant. Enimuero & ad Galliæ ſalutẽ, & ad retinẽdam rei bellicæ exiſtimationem tot aduerſis contuſam præliis, pertinere putabant, ſi bellum quod ſibi immineret, in alienis potius quam ſuis regionibus renouarent, & libertatem Italiæ quantis maxime poſſent ſtudiis atque opibus tuerentur. Sic enim res in Italia ſe habebant, vt cunctis ea recens victoria eſſet formidabilis; quippe proximas quiſque Germaniæ vires metuebat, quas Ferdinandus Cæſaris frater Mediolanenſis imperij cupidus, perleui momento exiguaque pecunia impulſurus eſſe videbatur: & Hiſpanorum ingenia imperij auida maxime ſuſpecta erant; pœnitebatque omnes tanto ſtudio, tantiſque impenſis incaute atque imprudenter eas adiuuiſſe partes, à quibus & ſæua imperia, & certa demum ſeruitus eſſent expectanda; niſi tot collata beneficia, conuerſis repente animis in ſummam iniuriam verterentur. Itaque Italiæ Principes, liberæque ciuitates, id maxime cupiebant, ne vllum in Gallia Ciſalpina præpotentem, grauemque accolam haberent, vti ante Gallum ſenſiſſent; ſed libertati Italiæ & rerum omnium quieti, exæquatis omnium viribus opportune caueretur, & neque Gallus, neque Cæſar, ſed Sforcia ſiue Franciſcus, ſiue Maximilianus Inſubriæ dominio potiretur.

XXII. *Henricus Angliæ Rex Angliam hæreſi infici ſe permiſſurum Pontifici minatur.* Henricus Angliæ Rex, in his omnibus expeditionibus, varius eſſe viſus eſt. Inprimis enim cum Cæſare icto fœdere, Galliam inuadere, pecuniamque Cæſari numerare promiſerat; quorum neutrum præſtitit, vt diximus. Deinde Pontificiſcripſerat, vt rebus Cæſaris adeſſet, *Guiciard. lib. 5.* cum tamen libertatis Italiæ ſe aſſertorem profitebatur, adeo acrem, tenacemque; vt cum accepiſſet Pontificem decernere, Neapolitanum quidem regnum Cæſari, Mediolanenſe vero dominium Galliæ Regi, vehementer exarſerit, & præter multa alia Pontifici comminatus fuerit, ſe permiſſurum, prouincias regni ſui Anglicani Lutheraniſmo infici, adeoque ianuam hæreſi Septentrionem inficienti ad regnum ſuum aperire: quod quam grauiter tulerit Pontifex, declarauit Gibertus Datarius, ſcriptis 12. Febr. huius anni litteris, ad Pontificios in Anglia nuncios, qui de Mediolano Gallis attribuendo, cõſilium Henrici Regis & Eboracenſis Card. fuiſſe, vtrique in memoriam reuocarent; ac præterea dicerent, non modo turpe, ſed etiam impium eſſe, vbi in Pontificem effundere bilem non poſſent, vellent vindicias in Fidem Catholicam auitamque exercere; ſi cogitarent viam hæreſibus aperire in Anglia. *Tomo 1. epiſt. ad Principes.* Franciſco Rege in Hiſpaniam abducto, Henricus nimia Cæſaris felicitate commotus, veritus ne is Gallorum fractis viribus, gradum ſibi ad totius reipublicæ Chriſtianæ monarchiam ſtrueret, á Cæſare alienum ſe oſtendere cœpit. quod cum Pontifex intellexiſſet, vt erat ſummo libertatis, dignitatiſque Italiæ deſiderio inflammatus, Ludouico Canoſſæ Epiſcopo Baiocẽſi,

Galliarum Oratori & Procuratori insinuauit, Reginam matrem & Proceres Galliæ moneret, vt Henricum Regem ad Italorum Principum causam autoritate & viribus sustinendam impellerent, & is Regis Galliæ in libertatem asserendi nullum studium prætermitteret. Cæterum Henricus, Cardinalis Eboracensis consilium secutus, vt Cæsaris & Regis Galliæ, ac Principum Italiæ controuersias omnes ad suum arbitrium reuocaret, laborabat; ac vt omnibus palam fuit, Protheum agebat. Eodem siquidem tempore, cum Regis matre, de fœdere ineundo; & cum Cæsare, de bello Galliæ inferendo; cum Pontifice, de Cæsaris fortuna reprimenda; cum Cæsare, de eadem augenda tractabat: quem vt magis incitaret, se filiam quamuis nondum nubilem ad illum missurum pollicebatur, dotisque nomine, si illam desponsaret, multa & magna offerebat: sed simul omnia propemodum, aut certe maiora victoriæ præmia deposcebat, Normaniam scilicet, Aquitaniam, & bonam prouinciæ Narbonensis partem, quam Vasconiam appellant; quin etiam & Galliæ Rex inscribi volebat: ac præterea vt bellum communibus impensis non per legatos gereretur, sed vt vterque vna cum suis copiis adesset postulabat. Intellexit Cæsar, quid Henricus moliretur: & ex præteritarum rerum recordatione, de futuris coniectans, fidendum ei non esse decreuit: quandoquidem is prioribus fœderibus non stetisset, neque pecuniam numerare, neque Galliam inuadere, neque quidquam opis in rebus afflictis afferre voluisset: ac præterea eo ipso momento, contra se cum Gallis & Italis consilia agitare, & periniqua à se postulare, non vereretur. Igitur amicitia & societate illius repudiata, quamquam iureiurando sese astrinxisset, filiam illius in matrimonium ducturum, animum ab huiusmodi matrimonio alienauit, & ad Isabellam Emanuelis Lusitaniæ Regis filiam, & iam nubilem, & pecuniosam, & populis gratissimam adiecit; ex cuius ab Anglo alienationis occasione, schisma Anglicanum natum. *Belcarius Commentar. rerum Gallicarum lib. 18. Maurocenus hist. Venet. lib. 2.*

Anglicani schismatis origo.

XXIII. Quod autem Hericus minabatur, viam hæresi in Anglia aperire; id ei non fuisset difficile efficere. Sub hoc tempus, opera & munificentia illius, doctorumq; Pontificum, qui lectissimos omnium litterarum Professores Academiis scholisque præfecerant, trium linguarum salutaris cognitio reuixit in Anglia: Poetarum etiam & Rhetorum studia incaluerunt; veterum vero Theologorum & Grammaticorum, qui magni nominis pridem habebantur, argutiæ viluerunt: quod etsi plausibile permultis accidit, elegantem doctrinam tot annis consopitam repubescere; tamen huic tanto bono, præcipites adolescentuli grandem molestiam adsperserunt. Quorum enim primi conatus in asserenda lingua valde probabiles extiterunt, ii successibus elatiores: illas ipsas linguas, quas Episcoporum, & Monachorum, & locupletum Sacerdotum opibus adiuti perpolierant, in Ecclesiasticos viros, & simpliciū concionatorū stilos, & in religiosos aliquot senes exacuerunt: post etiam moribus conuitium fecerunt, certorum Ordinum solennitates eleuarunt, atq; ita pedetentim minutas aliquot cerimonias facetis epigrammatis peruellentes, segetem miserabilis tragœdiæ, quæ postea Britanniam vniuersam populata est, seuerunt. Harum ineptiarum primas duxit Erasmus Rotherodamus, vir quidem multiplici litteratura, iudicio sagacissimo, lectionis infinitæ. Si quę calluerat, ea sola persequi; quam q̄ nescierat, venditare maluisset. Is igitur cū in mitioribus studiis excelleret, Latine Græceque scientissimus, Theologiam nihil, cæterarum artium liberalium aliquid tolerabiliter attigisset, omnes, qui solidioris disciplinæ curiosi horridiùs loquebantur, aut scribebant, ludendos & ridendos propinabat. Sed apud Henricum Regem, & VVaramum Cantuariensem Archiepiscopum, quorum fere sumptibus victitabat, ita se finxit, vt in rabulas quasdam solummodo, qui florescentibus studiis obstrepebant, inuectus putaretur. & sane sic homo fuit perpaucorum hominum vel animi incertissimus, vel ad simulandū ꝓpensissimus. Erasmi exēplo, cœperunt ex Academiis animosi iuuenes caninā facundiā exercere, magnam inuidiam conflare cœnobiis, Abbatibus, Episcopis; præsertim si qui in bene aucta, lautaque parte degerent. Cæteris clamosior fuit *Robertus Baronus Augustinianus, altus* Cantabrigiæ, Theologiæ professor, qui inprimis immodica libertate Volsæum Cardinalem Eboracensem, & Sacerdotum pompam frequens pro concione taxauit. Eum seditiosa plebecula, velut aliquem Deum suspiciebat & venerabatur. Erat ei sodalis quispiam Cantabrigiæ constrictus ære alieno: qui cum iudicio sistendus esset, nec vllo precario donaretur; Baronius sic excanduit, vt palam doceret, non licere Christianis suum ius apud Magistratum litigando persequi. Præter hæc in Ecclesiasticos ritus, in Episcoporum insignia, in Cleri vtriusque mores, & in Catholicorum recepta dogmata crocitabat: secutus præcursorem suum Magistrum Lutherum, & alios sectarios, Anabaptistarum & Sacramentariorum protoparentes. Alibi quoque in Anglia, Lutheranæ factionis incendium eruperat: quod vt Henricus Rex extingueret, adhibitis in consilium Volsæo Cardinali Eboracensi, & Ioanne Roffensi Episcopo, libellum, quem superioribus inseruimus, pro summa religionis Catholicæ, plenissimum pietatis & eruditionis aduersus Lutherum edidit, titulumque *Defensoris fidei* à summo Pontifice propterea promeruit. cui opusculo sic Lutherus oblatrauit, vt non cum homine, Rege, certare, sed cum immanibus combibonum suorum poculis rixari videretur: nullum ne ex triuio quidem maledictum prætermittens, quod non multo liberius eiaculatus sit in Principem, quam sese inuicem mulierculæ bacchantes impetunt.

Erasmus Roterodamus apud Henricum Angliæ Regem se insinuat.

XXIV. Crescente illorum quos diximus iuuenum libertate, seu magis procacitate, credebatur offensus Rex Cardinali Eboracēsi; & iam tum, morbo quodam animi, leiuiusculas aliquot Sacerdotum spirasse contumelias. Hac ansula Lutherus oblata, tempus adesse ratus quo se insinuaret, simulque admonitus per Christiernum Daniæ tyrannum, qui tunc in Britannia profugus exulabat, ex conuiciatore procacissimo, leuissimus assentator, quin & astutissimus veterator factus est. Siquidem ausus est Regi scribere litteras, in quibus admodum demisse, peccatum in maiestatem illius olim admissum fatetur: Regis ægrotum animum in quosdam suos Præsules exulcerat: pollicetur laudationem vituperio pleniorem, & petulantis libelli palinodiam. Nominatim etiam perstringit Cardinalem Eboracensem, & pestem regni Anglicani vocat. Valde sibi placere, quod intelligat hoc hominum genus ab ipso propemodum fastidiri; cupere vt is quoque sua dogmata consectetur. Postremo, vt placabiliter & benigne respondat. Ad hæc Henricus, qui non minus adulantem contempserat, quam oderat obtrectantem, execrari se hominis importunam audaciam, leuitatem, inconstantiam, impudentiam, impetum petulantem: dedecori sibi futurum suspicari, si talem suæ laudis præconem inuenisset: libellum pro Sacramentis Ecclesiæ, quem tantopere Lutherus exagitet, suum esse, ac propria Minerua conceptum, bonis omnibus haberi probatissimum. Multis nominibus venerabilem se Patrem Eboracensem in oculis ferre; deinceps autem arctissime complexurum, postquam is eum criminetur. Alios cæterorum Ordinum delectos viros, sic apud se autoritate & gratia valituros, vt quisque Lutheri conatus quam maxime restinguere possit: præsertim cum is ex impio factus insanus, nec modo eruditionis atque ingenij, sed & honestatis totius oblitus, nihil aliud attulerit, quam loquacitatem stolidam, meretriciam maledicentiam, & plusquam scurrilem petulantiam, qua in totam scurretur Ecclesiam, sanctissimos proscindat patres, nullos non blasphemet Diuos, Christi contemnat Apostolos, sanctissimam Dei matrem inhonoret, Deum blasphemet, Reges & Magistratus deiiciat, omniaq; sus deque inuoluat. *Eduardus Campianus in narratione de diuortio Henrici VIII.*

Lutherus Regem Angliæ sibi conciliare studet.

XXV. Sed præstat hæc, ex litteris vtriusque cognoscere: quorum ista sunt exempla; quæ velut in magine ostendunt, quis fuerit Lutherus: quæue eius institutio, hæresis, errores, mores, inconstantia, impudentia, & cæteræ hæresiarcharum notæ.

Henrici Angliæ Regis de 7. Sacramētis Ecclesiæ ad Lutheri obiecta libellus.

INVI-

INVICTISSIMO, ILLVSTRISSIMOQVE Principi, domino, domino Henrico VIII. Regi Angliæ, domino suo clementissimo. M. L.

GRatiam, & pacem in Christo Iesu Domino ac Saluatore nostro. amen. Quanquam vereri merito debuerim, serenissime Rex, illustrissimeque Princeps, literis maiestatem tuam tentare, vt qui mihi conscius maximè sum grauissime offensam esse maiestatem tuam libello meo, quem non meo genio, sed incitantibus his, qui maiestati tuæ parum fauebant, stultus & præceps edidi: tamen spem, & ausum mihi facit non modo regia illa tua clementia sic mihi litteris & verbis in dies cantata à quam plurimis, vt cum mortalem sese nouerit, immortales inimicitias seruaturam esse non credam: verum etiam quod fide dignis testibus didici, libellum sub maiestatis tuæ nomine in me editum, non esse Regis Angliæ, vt videri volebant subdoli sophistæ, qui maiestatis tuæ titulo abusi, non senserunt quantum sibi ipsis periculum in regia ignominia pararent: præsertim illud monstrum, & publicum odium Dei & hominum Cardinalis Eboracensis, pestis illa regni tui, ita vt vehementer nunc pudefactus, metuam oculos coram maiestate tua leuare, qui passus sim leuitate ista me moueri in talem tantumque regem per malignos illos operarios, præsertim cum sim fex, & vermis, quem solo contemptu oportuit victum, aut neglectum esse. Accedit ad hæc, quod me serio compulit, quamuis abiectum, scribere, maiestatem tuam cœpisse fauere Euangelio, & non parum tædere istius generis hominum perditorum. hoc sane nuncium fuit vere Euangelium, id est lætum nuncium cordi mei. Quare his literis prosterno me pedibus maiestatis tuæ quantum possum humillimè: & per Christi crucem & gloriam oro & obsecro, maiestas tua dignetur sese submittere, & veniam donare in quibuscunque maiestatem tuam læsi, sicut Christus orauit, & dimittere debita nos quoque inuicem iussit. Deinde si maiestati tuæ non videbitur contemnendum, vt alio libello publico palinodiam cantem, & nomen maiestatis tuæ rursus honorem, det mihi clemētem aliquam significationem: tum in me mora non erit vlla, faciam illud libentissime. Quamuis enim sim homo nihili ad tuam celsitudinem comparatus, tamen non parum fructus Euangelio, & gloriæ Dei hinc sperare licebit, si mihi ad regem Angliæ scribendi de Euangelij causa, fuerit copia facta. Interim maiestatem tuam (vt cœpit) dominus augeat, vt pleno spiritu & obediat & faueat Euangelio, nec sinat aures regias & animum occupari pestilentibus Sirenum vocibus; quæ nihil nisi hæreticum Lutherum vociferari norunt. Tua vero maiestas apud sese cogitet, quidnam mali possim docere, qui aliud nihil doceam, quàm fide Iesu Christi filij Dei pro nobis passi, & suscitati, saluos fieri oportere, sicut testantur Euangelia & epistolæ apostolorum. Hoc enim est caput & fundamentum doctrinæ meæ, super quod postea ædifico, & doceo charitatem erga proximum, obedientiam erga politicos magistratus, tum crucifixionē corporis peccati, vt itidem præscribit Christiana doctrina. Quid in his capitibus doctrinarum mali est? Expectetur tamen, audiatur, & indicetur primum. Cur damnor neque auditus, neque conuictus? Porrò quod abusum & tyrannidem pontificum taxo, qui alia quam ista prædicta capita, immo contraria docent, interim censibus, pompæ, ventribus, immo regnis, & principatibus, omniumque opibus inhiantes, nonne idipsum & vulgus sentit, & damnat, atque ipsimet coguntur confiteri? Cur non emendant sese, & recta docent, si odio & correpti. ne liberi esse volunt? Videt sane maiestas tua serenissima quanti principes in Germania, quot politiæ, deinde quot viri sapientissimi mecum faciant, & (deo gratia) indemnatum cupiant. Quorum numero vtinam Christus maiestatem tuam adscribat, & ab istis animarum tyrannis separet. Quid mirum vero, si Cæsar, & aliquot principes in me sæuiunt? Nonne vt Psalm. 2. dicit: Aduersus dominum, & Christum suum fremunt gentes, meditantur populi, conspirant reges terræ, & conueniūt principes: vt mirandum potius sit, si aliquis Principum ac regum Euangelio faueat. Huic miraculo in maiestate tua, quàm opto ex totis medullis aliquando gratulari. Et ipse dominus (quo præsente & volēte hæc scribo) cooperetur verbis meis, vt rex Angliæ breui fiat perfectus discipulus Christi, Euangeliiq; professor, tum Lutheri clementissimus dominus. Amen. Responsum (si visum fuerit maiestati tuæ) expecto clemens & benignum.

Wittembergæ prima Septembris anno Domini M.D.XXV.

Regiæ maiestati tuæ subiectissimus Martinus Lutherus manu propria.

Se stultum & præcipitē vere fatetur hæreticorum princeps.

Mentiri Lutherum Rex infra asserit.

Scilicet sic à Paulo edoctus scribit.

O pudentiam & modestiam Lutheri.

Noua in Luthero humilitas.

Non eget rex tali honoris sui auctore.

Aduerte lector, quid his rex responderit.

Hoc quam verum sit, considera.

Quin tu id facis, qui sic iubes.

At id iam olim facit princeps iste.

Hinc videlicet illæ lachrymæ.

Admonitio ad Lectorem.

SI Catholicus es, lector, minime profectè tibi displicere poterit hæc responsio regis Angliæ ad prædictam Lutheri epistolam, cum tātam præ se ferat vbique honestatem, eruditionemque ac pietatem. Sin vero Lutheranus, displicebit forsitan sic depingi tibi Lutherum. Considera tamen paulisper, dum priorem legis Lutheri epistolam, an deceat eum qui haberi vult Euangelista, Propheta, Ecclesiastes, vir Dei, Apostolus Germaniæ, tanta vti leuitate vt seipsum leuitatis condemnet aduersario: & quod prius maxime serio scripsit, tantaq; cum certitudine (si ipsi credas) asseruit, vt totum illud se de cœlo habere iactitauerit, nunc muliebriter blandiendo ad emendicandam gratiam cum aduersario, quem tam ferociter ac superbe contra bonos mores atq; adeò cōtra Euangelicam charitatem, mansuetudinem ac modestiam insectatus fuerat, reuocare, ac publico libello palinodiam cantare libenter vellet, modo id illi placiturum esse, vel leui indicio intelligat. Non curans quod principes, & reliqui quos partium suarum esse gloriatur, dicturi sint quod ipsos tam nequiter deceperit, ac summo nunc cum rubore eorum recantare velit, vt eis tandem idem reddat præmium, quod antea rusticis nequissimè seductis, ac misere occisis, era liderit.

INVICTISSIMI PRINCIPIS HENRICI VII. *Regis Angliæ, ad Martini Lutheri epistolam responsio.*

QVas tu Luthere litteras prima Septembris, anno domini M.D.XXV. datas, ad nos mittendas curasti, eas nescio vbinam terrarum diu peregrinatas, tandem aliquando accepimus. In his ais dolere pudereque te, quod stultus, præcepsque librum in me tuum, non tuo quidem genio, sed incitantibus his, qui mihi parum fauebant, edidisti, quo te tibi scribis maxime conscium esse, quam grauiter nos offenderis, atque ob id merito verendum tibi litteris nos tentare. Sed animum tamen, ausumque tibi factum scribis non solum, quod me tam clementem intelligas, vt cum mortalem me meminerim, inimicitias immortales nolim gerere, verum etiam quod fide dignis testibus didicisti, libellum meo nomine de sacramentis editum, non esse revera meum, sicuti videri volebant subdoli (sic enim scribis) sophistæ, qui nostrę maiestatis abusi titulo, non satis senserint quantum sibi periculum in ignominia nostra pararent: præsertim Cardinalis Eboracensis, quem & monstrum vocas, & odium publicum Dei & hominum, & regni nostri pestem. Hac ergo de causa sic te pudefactum scribis, vt oculos in me leuare non audes, qui per operarios illos iniquitatis passus sis in talem tantumque regem tam leuiter te moueri. Cæterum subiungis id te tandem ad scribendum compulisse serio, quod ego iam cœperim fauere Euangelio: & tædium percepisse tandem istius generis hominum perditorum, eorum videlicet, qui sectæ aduersantur tuæ. eam rem verè Euangelium esse scribis, nempe lætum nuncium cordi tuo: & perquam sanctè precaris, vti sic me dominus augeat, vt pleno spiritu obediam ac faueam Euangelio, nec mihi sinat aures, animumque pestilentibus Sirenum vocibus occupari, quæ nihil aliud possint, quam clamare Lutherum esse hæreticum. Post hæc hortaris, vt considerem nihil esse mali posse in doctrina tua, quippe qui nihil doceas aliud, quam fide Iesu Christi filij Dei passi pro nobis, & suscitati, saluos fieri oportere. Nam hoc esse caput & fundamentum doctrinæ tuæ, super quod ædificare te dicis charitatem erga proximos, & obedientiam erga politicos magistratus, tum crucifixionem corporis peccati, denique in his audiri petis, admirans admodum damnari te, quum nec auditus nec conuictus sis. Ad hæc pro more tuo debaccharis in Ecclesiā Romanam, iactans interim Germaniæ multos principes à parte tua consistere: nec mirum esse si te Cæsar & aliquot item principes persequantur, sed potiùs esse mirandum, si princeps aliquis vnus faueat Euangelio, quum principes semper & populi Christo soleant obsistere. Tum vehementer optas huic aliquando miraculo in me gratulari, vt fiam perfectus Christi discipulus, Euangeliique professor, & fautoribus tuis adnumerer. Obsecras præterea, & per Christi crucem nos obtestaris, vt tibi condonemus, quod tuus me libellus offenderit, pollicens vltro te (si mihi placiturum senseris) alium protinus editurū contra, & in honorem meum, palinodiam scilicet esse

Catalogus eorum quæ in epistola Lutheri ad regem continentur.

Hoc est qui rem veram tacere non norunt.

Pollicita Lutheri.

canta-

cantaturum: asserens atq; affirmans, haud parum fructus Euangelio & gloriæ Dei sperari posse, si tibi ad regem Angliæ scribendi de Euangelij causa facta fuerit copia.

Hæc sunt Luthere omnia, quæ tua continebat epistola, ex quibus sicuti satis olfacimus non ea te sentire quæ scribis, sed perspectum habemus & cognitum, quò subdola tendat oratio, ita nos è diuerso morem secuti nostrum, ne quid technis huiusmodi simplicibus possis imponere, ad singula tibi decreuimus breuissime respondere.

Quod ais libri te tui pudere, nescio quam tu istud vere dicas, verum hoc vnũ scio, satis esse causæ, cur debeat non illius modo libri pudere te, sed tuorum etiam ferme omnium, quippe qui nihil pene complectãtur aliud, quam errores turpissimos & insanissimas hęreses, nec ratione suffultas, nec eruditione subnixas, sed quas asserit & obfirmat tantũ pertinax impudẽtia: dum tu tantus auctor haberi postulas, quãtus nec hodie quisquam sit: nec antehac quisquã fuerit. Nec satis video, qui verum sit, vt ad edendum in me libellum tuum sis ab his incitatus, qui parum fauebant mihi, quum res ipsa doceat ab his incitatum potius qui parum fauebant tibi: quippe quũ liber tuus sit eiusmodi, vt nec aliud quicquam quam probrũ conciliare possit auctori, & librũ honestet meũ, cui tuus declarat ne verbũ quidem sani capitis vllum reperisse te, quod aliquãdo posses opponere: quæ res satis (vt opinor) indicat, vter nostrum causam habeat meliorem. Iam quãtumuis te fingas credere, editũ à me libellũ, non esse meũ, sed meo nomine subornatũ à sophistis subdolis, tamen & meũ esse multi maiori fide digni, quàm sunt tua illi fide digni testes cognoscũt: & ego quanto tibi minus placet, tanto magis libenter agnosco. Nã quod eum mihi scribis ignominiã parere, nemo certe non intelligit [quantumlibet tu dissimules] quàm ægre habet animum tuum, quod libellus meus tanto bonorum & doctorum omnium consensu comprobatus est, tum eius sedis honorifico calculo, quæ vt tuas cõdemnauit hæreses, ita sanctissimo viro Hieronymo tãtę fuit auctoritatis, vt satis esse duceret, si suã illi sedi fidẽ approbaret. Quib. ego tamen honorib. nõ admodũ certe glorior, vt qui meorũ operum omniũ & soleã, & Deũ precor, idem vt perpetuo faciã, gloriam & honorẽ omnẽ Deo acceptum ferre. Verùm hoc tamen me nõnihil [vt verum fatear] oblectat, quod qualequale fuit opusculum nostrum [neq; n. nescius sum imbecillitatis meæ] tua tamẽ causa tanto fuit imbecillior, vt libellus ille noster [quatenus se porrexit argumentũ] nõ ea tantum omnia deterserit, quæ tu sordib. in sacrosancta sacrãmenta prius expueras, verũ etiã quicquid furiosus euomuisti postea: & te adegit ad eius generis excogitãdum librum, ex quo totus videret orbis, præ ira atq; animi impotentia factum ex te impio prorsus insanum, vtpote in quo non eruditionis modo atq; ingenij, sed & honestatis omnis oblitus, nihil prorsus aliud attuleris, quam loquacitatem stolidam, meretriciam maledicentiam, & plusquam scurrilẽ petulantiam, quum meus liber contra, non in Ecclesiam solum [cuius tu fidem laborabas euertere] nostrum spirarit officiũ: sed etiam [supra quam tua merebatur impietas] charitatem erga te, & emendandi tui potius quam perdendi desiderium, idemq; doctissimorum virorum iudicio, multiplices errores tuos & efficaci ratione reuicerit, & potẽtissimis scripturis, non illis quidem ex animi mei commẽto tractis in causę commodum [quemadmodum ipse soles vbiq; sacras literas ex libidine tua torquere] sed ad sanctissimorum patrum vetustissimas interpretationes expensis, & ad amussim congruẽtibus: ne quid in ea re nobis esset cum his cõmercij, quos tu sophistas soles appellare, qui tamen sunt viri re vera probi, & in primis docti, sed quos nõ in aliud sophistas vocas, quam quod efficaces eorum rationes, quibus tuas produnt & refellunt insanias, sophistices inuidia cupis degrauare.

Iam quod pestilenti lingua tam improbe scurraris in reuerẽdissimum in Christo patrem Cardinalẽ Eboracensem primariũ nostrum consiliariũ, & Angliæ cancellariũ, magis perspectam habeo singularẽ eius prudentiã, quam vt eum quicquam cõmoueri credam scurrilib. eius linguæ conuiciis, quæ in totam seuiratur Ecclesiam, quæ sanctissimos pscindit patres, quæ nullos nõ blasphemat diuos, quæ Christi contemnit Apostolos, quæ sanctissimam Christi matrem inhonorat, quæ Deum ipsum velut scelerum omniũ fontẽm, authorem, impulsoremq; blasphemat: quæ blasphemiarum tuarum de-

Impudẽtia vnica ratio est Luthero probandi omnia.

Rex priorẽ libellum à se editum confirmat.

Romana sedes quãtum auctoritatis habuit apud sanctum Hieronymum.

Quam Lutheri dissimilis est prius hic princeps.

Ira quo deduxit Lutherum.

Nihil est hoc verouerius.

De reuerẽdissimo domino legato pulcherrime respondet piẽtissimus princeps.

Lutherus quibus se exercet encomiis.

testanda colluuies nusquam non euidenter patet, tum ex omni parte perniciosorum operum [quæ tãto cum Christiani populi damno conscripsisti] tum ex his quæ passim in Germania tam furiose patrant tuis hæresibus efferati rustici. Itaq; Reuerendiss. ille pater quanquam nobis iam diu fuit propter eximias eius virtutes charissimus, idem tamen est, eritque indies tanto nobis charior, quanto illum tibi, tuique similibus magis videmus inuisum. Nam quod eũ regni mei pestem appellas, non est consilium fraterculo rationem reddere, ex eius viri singulari prudentia, fide, labore, studio, & salubri diligentia, nos regnumq; nostrum quanta consequamur commoda. Verum ut omittam cætera, vel hoc satis indicio est quàm toti terræ nostræ salutaris sit, quod ex animi nostri sententia demandatũ sibi munus perquam diligẽter exequitur, ditionem nostram sedulo purgans hæresum vestrarum pestilenti cõtagio, quibus interdũ intrant Angliam quidam vehementer ægroti; nempe ex iis venientes plagis, quas insalubris oris tui noxius infecit afflatus: quos tamen ipsos diligẽti inquisitione cõpertos, eiusdem reuerendissimi patris salubri diligentia nõ solum arcuimus, ne quid ad nostros eius lepræ serperet: verũ etiam tractatos commode, & magna cum charitate curatos, fidei integritati reddidimus. Nam ꝙ ad nostros attinet [Deo fauente] speramus & prudentiores esse, & in Christi fide multo firmiores, quàm quibus vestra secta nõ minus impia quam absurda, possit adblandiri quãtumuis tibi spem iniecerit siue nescio quis alius nugator improbus, siue [quod magis arbitror] vnus aut alter apostata fraterculus, qui è regno meo profugi, & à fide Christi transfuge, in luxu & libidine voluptuãtur apud te: quibus ego regnum meum tam bene purgatum duco, vt si qui restent adhuc eiusdem furfuris alij [quos non admodũ restare multos spero] sed tamen si qui supersint reliqui, eos omnes optem simul vt habeas tibi.

Euangelium esse dicis, id est lætum nunciũ cordi tuo, iam cœpisse me fauere Euangelio, tanquam hactenus nunquam fauerim Euangelio. Cæterũ quod non tam nuper amare cœpi, & reuerenter Euangelium legere, quã tu videri vis, vel hoc indicio potest esse, quod iam olim [quãtumuis id dissimules] euidentibus Euangeliorum testimoniis, tuas aliquot perniciosas hæreses: quæ res [vt dixi] tibi satis ostendit, non nunc primùm me tractare Euangelia, Quamobrem volo cognoscas, Euangelium nobis pcipuum studiũ & fuisse diu, & semper futurum esse, vtpote cuius doctrinam intelligam maximè esse salutarem, sed his duntaxat quicunque in Euangelij studio contrà quàm ipse soles, ingrediendum sibi proponant. Nam tu in scripturis interpretandis aduersus orbem totum semper consueuisti tuorum somniorũ commentitiis inuentis insistere: repudiato nimirũ sapiẽtis consilio, qui scribit: Fili, ne innitaris prudentiæ tuæ, & ne sapiens videri velis in oculis tuis. Cæterùm quod ad me attinet, & noui satis, & libenter agnosco, quam ex me ipso sim sacris literis intelligendis impar. eoq; suppliciter inuocato diuini fauoris auxilio, toto me corde subiicio, primùm [quod plurimum valere debent] placitis Ecclesiæ catholicæ: deinde interpretationibus orthodoxorum patrũ, quos diuina benignitas liberaliter instruxit literis, illuminauit gratia, suffulsit fide, ac bonis ornauit operibus: miraculis deniq; declarauit & fidem eorum sibi placuisse & vitam: quum tu ediuerso sanctissimos patres contemnens, & scurriliter eorũ blasphemans memorias, detrahens quoad potes eorum honoribus, ne splendor & reuerentia tantæ sanctitatis, facem præferret pudendis hæresib. tuis, nullius ingenium probas præter vnius tuum: & quum manifestam stultitiam pro prudentia, apertè falsam hæresim pro veritate defendas, nihil habes aliud cui prorsus possis inniti, nisi quod velut Stentor exclamas, scripturam esse pro tua parte satis dilucidam, eosq; omnes quibus aliter vnquam visum est, fuisse penitus saxa, truncos, stipites, quãtumuis numerosi fuerint, quantumuis ingenio, quantumuis eruditione, quantumuis sanctitate claruerint. Deniq; verbis hunc in modum re præclare gesta, subornas & propellis rudes ac rebelles rusticos, qui sub Euangelicæ libertatis prætextu grassentur effrenes, & pro furiosa factione depugnent. Si quis vsqueadeo parum valeret ingenio, vt hærere quicquã aut dubitare posset, vtra potissimum via foret insistendum, vestrãne ista noua, an trita illa sanctissimorum patrum, quæstionem omnem seruator ipse dissoluit, cũ dixit: Ex fructib. eorũ cognoscetis eos. Nam

de illis

Reuerendissimi domini legati honorifica & liberalis mentio.

Hoc est quod infrendet Lutherus, qui sanitatem omnibus inuidet insanus.

In hoc cœni volutabro se proluunt sues.

At Lutherus nihil vocat Euãgelicum, nisi quod ipse probat.

Quãquam est impudẽs Lutherus, istud tamẽ haud potest negare.

Vtinã hãc modestiam sequeretur Lutherus. Hæc Lutherus exussit.

Cur Lutherus inuidet cœlestibus.

Lutheri mos disputandi.

Argumentum insolubile.

Matth. 7.

de illis dubitat nemo, quin boni viri fuerint, & inculpatæ vitæ: qui Deo seruire ieiuniis, orationibus & castitate studuerint, quorum scripta omnia spirabant charitatem. De te vero nihilo dubitant magis, quum te videant in his quæ moliris omnibus, ab inuidia atque superbia cœpisse, cum ira & maleuolentia progredi, atque procedere, & inanis gloriæ flatu prouectum, in turpissimam demum libidinem desinere. Itaque quantumuis hanc doctrinam tuam Euangelicæ libertatis prætextu vestias, tametsi mihi satis conscius sim, quam sit tenuis hæc eruditio mea, non est tamen vsqueadeo tenuis, vti persuadere possis, vt credam bono te esse proposito, quum assiduè spiritum prædicans, totus interim volutaris In carne: quum sic adornas te, velut exhortaturus orbem Euangelicæ vitæ formulam: deinde cœlibem castitatem dehortaris, quam accurate nobis commendat Euangelium: & demum abiicis ipse receptam olim, & voto promissam, ac dedicatam Deo castitatem tuam, in quam seruandam omnis te sacrarum litterarum auctoritas obstringit.

Scribis Luthere vehementer pudere te oculos in nos attollere, quod te tam leuiter passus sis per operarios iniquitatis (vt ais) aduersus nos moueri. Verum ego profecto non paulo magis admiror, quod te non pudet serio leuare palpebras, & vel in Deum, vel hominem quenquam probum oculos intendere, qui te passus sis instigante diabolo in eam ingenij leuitatem cadere, vt ob carnis ineptas & obscœnas libidines, quum frater Augustinianus esses, monacham Deo dicatam scelerato compressu violaris. Quid, quod non compressisti solum (quale flagitium si designasses olim apud Romanos Ethnicos, & illa terram viua subiisset, & tu ad mortem vsque verberibus esses mulctatus) verum etiam (quod nimio est execrabilius) publice pro vxore nuptiis incestissimis traduxisti, atque palam summo cum totius mundi stupore, summo per orbem totum opprobrio vestro, summo cum sacrosancti coniugij contemptu, summa cum sanctissimorum votorum contumelia, per nefas abuteris in quotidianum prostibulum. Denique (quod omnium est maxime detestandum) te cum deberent tam execrandi facinoris pudor & dolor obruere; pœnitentiæ loco præ te fers miser impudentem gloriam, tam longe fugiens implorationem veniæ, vt etiam in tui sceleris exemplum passim pseudo religiosos alios litteris ac libris prouoces. Quamobrem Luthere quum designes talia, non admodum profecto miramur, quod sanctorum omnium cultui tam valde vis esse detractum: quippe quod intelligis ex illorum honoribus & reuerentia, tuorum flagitiorum opprobrium crescere. Nam quisquis eos credit fuisse bonos, idem necesse est vt sentiat pessimum esse te, qui doctrinæ factisque sanctorum & doces & facis impudens tam ex diametro pugnantia. Etenim quis probare potest fraterculi claustralis matrimonium, qui quidem cuiusquam faciat sanctissimum & eruditissimum patrem Hieronymum? Nam is vouentibus (inquit) non solum nubere, sed etiam velle damnabile est. Lege Luthere ac relege illius optimi patris epistolam ad monacham lapsam, & ad diaconum item, qui eam violauerat: tum ex his, & aliorum item sanctissimorum patrum religiosis litteris disce miser horum potius pœnitere scelerum quam editis insanissimis libellis in defensionem criminis inexcusabilis, exemplo pessimo, & scelerato suasu tuo infelicissimos damnationis tuæ socios contrahere. Iam istud plane demiror, qui de scripturæ peritia te tam improbe passim & importune iactas, quomodo potes tam facile votum tuum contemnere, quum in ea legas: Si quid vouisti Deo, ne moreris reddere. Displicet enim Deo infidelis promissio. & item illud: Vouete, & reddite Domino Deo vestro. Quid illud? Quum votum voueris Domino Deo tuo, non tardabis reddere, quia requiret illud Dominus Deus tuus: & si moratus fueris, reputabitur etiam tibi in peccatum. Verum tu (vt video) castitatis & ieiunij, paupertatis & obedientiæ vota sanctissima numeranda censes inter Mosaicæ legis seruiles cæremonias. Nam & mores & libelli tui satis videntur ostendere nouæ legis Euangelicam libertatem non in alio (si quis tibi credat) quam in libidinis licentia consistere. Cæterum Esaias propheta longe sensit aliter: nam is, In die (inquit) illa (denotans Christianæ le-

Lutheranæ virtutis circulus.

Lutherani spiritus indicia.

Vouete & reddite domino Deo vestro. Psal. 75.

Lutheri apostasia, & impuritas vitæ qui cum moniali scortabatur.

Lutheri flagitium nec Ethnicis ferendum.

Barathrũ sceleris.

Diluat hoc Lutherus.

Ecclesia. 5.

Psal. 75. Deut. 23.

Quæ sit Lutheri libertas Euangelica. Esaiæ, 19.

gis tempora) vota vouebunt domino, & soluent: nimirum significans in Euangelicæ legis decursu vota Christianorum plus habitura virium, & sanctius esse seruanda, quàm fuissent vnquam in lege Mosaica. cuius rei Deus exemplum præbuit, cum in Ananiam & Sapphiram in pecuniæ subtracta portiuncula præuaricatum votum tam seuerè vindicauit. Qua de re beatus Gregorius tanquam te Luthere compellaret, ac scortum tuum, (neque enim coniugium est, quo vos estis coniuncti) hunc in modum admonet monachos: Ananias Deo pecunias vouerat, quas post victus persuasione diaboli subtraxit: sed qua morte mulctatus est, scis. Si ergo ille mortis periculo dignus fuit, qui eos quos dederat nummos Deo abstulit, considera quanto periculo in diuino iudicio dignus eris, qui non nummos, sed temetipsum Deo omnipotenti, cui te sub monachali habitu deuoueras, subtraxisti. Quid tu Luthere? Quid tua illa misera mulier ad hæc? Si peccatum agnosceretis, si vos criminis vestri caperet dolor, etiã si quid interim carnis fragilitate peccaretis, esset tamen spes resipiscentiæ, quemadmodum in Magdalena fuit, ac Dauide, multisque itidem aliis. Verùm nunc quam spem præbes de te, si persistas in defensione criminis, & quod erubescere deberes, impudens gloriaris, quum vitia tua virtutem vocas, & aliorum virtutem vocas vicissim vitium? An non incidis præceps in illam maledictionis voraginem, quam in tui similibus deplorat Esaias, quum dicit: Væ qui dicitis bonum malum, & malum bonum, ponentes tenebras lucem, & lucem tenebras, amarum in dulce, & dulce in amarum. Iam quum scripturas istas omnes floccifacias, quum eas ad tuæ libidinis affectum detorqueas, quum earum sanctissimos interpretes contemnas, & eorundem saluberrimam doctrinam reiicias sanctissima beatorum patrum vita comprobatas, tum aduersus hæc omnia tuam duntaxat opponas improbam pertinaciam, & argumentis plane brutalibus, & furiosis næniis aduersus vota scurraris hæresi tam insigni, vt nec maior temere, nec manifestior audita sit: tamen precaris Deum, ne meas aures occupari sinat pestilentibus Sirenum vocibus, quæ nihil aliud norunt, quam clamare Lutherum esse hæreticum, quum ego nullam audiam (hac sane parte) magis sonoram Sirena, quam libellos tuos, quippe qui meis auribus nihil occlamant aliud, quam Lutherum esse hæreticum; vsque adeo, vt certe vehementer mirer qua fronte possis apud me iactare, te nihil aliud docere, quam fide Iesu Christi filij Dei pro nobis passi, & suscitati, saluos fieri oportere: tum super hoc fundamentum ædificare postea charitatem erga proximum, & obedientiam erga politicos magistratus, & crucifixionem corporis peccati.

Vtinam Luthere hæc tua verba tam vera forent, quam falsa esse cognosco. Nam (quæso) quo modo super fidem ædificas charitatem, quum solam fidem doces ad salutem sine bonis operibus sufficere? Etenim quanquam in eo libro, quo debaccharis in me, quum (sic vrgebat pudor, vt te pigeret iam ea de re quicquam audire amplius) imputasti mihi tuorum verborum calumniam, tamen non solum nihil omnino ad tua ipsius verba respondisti, quæ nos tibi inter sacramentorum assertiones obiecimus, quibus illa tam detestanda hæresi sic te ligatum constrinximus, vt nulla via posses elabi: verum etiam homo pudens & prudens idem dixisti denuo eo ipso in libro, in quo falso quereris, id tibi per calumniam falso exprobratum prius. sic enim scribis, Sacrilegium est & impietas velle placere Deo per opera, & non per solam fidem. Quæ verba non minus aperta sunt, quam quæ prius tibi scripta sunt in Babylonica, quum hunc in modum scripsisti: Ita vides quam diues sit homo Christianus, siue baptizatus, qui etiam volens non potest perdere salutem suam quantiscunque peccatis, nisi nolit credere. Nulla enim peccata eum possunt damnare, nisi sola incredulitas. Cætera omnia, si redeat, vel stet fides in promissionem diuinam baptizato factam, in momento absorbentur per eandem fidem.

Hæc tua verba tam manifeste quid sentis indicant: vt nec vllam poscant, nec admittant glossulam. Neque enim color vllus affingi potest, quin contra Christi verba, Angusta est via, quæ ducit ad cœlum: tu cum Euangelica libertate tua, latam nobis ac facilem sternis illuc, quo tibi leue

Act. 5.

An non hic te Luthere compellat beatus Gregorius?

Esaiæ. 5.

Quam prudens, & sancta precatio.

Sic scilicet docuit suos in Germania rusticos.

Insignis Lutheri, sed vsitata impudentia.

Verba Lutheri in lib. aduersus regem.

Verba Lutheri in Babylonica.

Dic aliquem Luthere colorem. Matth. 7.

vulgus

vulgus concilies, docens satis ad salutem fore, si quis Dei tantum promissionem credat, absque vllo bonorum operum labore. quod genus fidei longe abest à diui Pauli sententia fidem tradentis, quæ per dilectionem operatur. cui astipulatur & illud: Si estis in fide, ipsi vos probate. Quæ probatio, nisi per opera bona, qui fiet? Etenim qui operatur iustitiam, acceptus est Deo. Quin & beatus Ioannes Euangelista aduersus seductores eiusmodi, qui populum inani, ociosa, & mortua fide decipiunt, Filioli (inquit) nemo vos seducat: qui facit iustitiam, iustus est.

Gal. 5.
2. Cor. 13.
Act. 10.
1. Ioan. 3.
Lutheri fides cuiusmodi sit. Sed Paulus eam esse Euangelicam fidem demõstrat quæ per dilectionem operatur.
Iac, 2.

Certe Luthere ex tua forma credere, absque fructu bonorum operum, & in vitiorum volutabro magna cum securitate viuere, fretum duntaxat ista spe superba, & nimis arroganti fiducia sola, quòd fides tot obstinatorum scelerum colluuiem absorbeat, fides est haud dubie deterior diabolica. Nam (vt diuus inquit Iacobus) tu credis quod vnus est Deus? & dæmones credunt, & contremiscunt: in hoc te minus mali sunt, quia tu non times. An non hoc tibi nominatim Luthere locutus videtur Apostolus, qui per hæresim hanc tuam; qua solam fidem sufficere contendis ad salutem, omnem Dei timorem postergas?

Lutherus omnem Dei timorem tollit.

Etenim quum dicis tam diuitem esse baptizatum, vt salutem suam, si velit, quantumuis obrutus sceleribus, tamen non possit perdere, nisi nolit credere, statim profecto consequitur superuacuneum esse timorem omnem Dei, siue qui ab eius iudicio iustissimo, & horrendis inferorum cruciatibus elicitur, quo timoris genere stimulati virtutem versus iter arripimus: siue qui ex eo colligitur, quod quem adamamus vt patrem, vt filij timemus offendere. Nam quorsum opus est metum, rem amaram & molestam adiungere, si sola seruare potest hominem suauis & iucunda credulitas? Quorsum nos aut Dei timore, aut gehennæ terrore torquemus, si nuda sufficit fides omnibus exuta molestiis? Et profemo Luthere cum inter assertiones tuas omnem timorem damnationis & inferorum à præparatione pœnitentiæ semoues, iubens vt eam sibi solo procurent amore, facis tu quidem hac in re magnam peccatoribus iniuriam, quibus videri studes tenero quodam fauore misericors. Nam interim id laboras tollere, quod Deus optimus ordinauit tanquam præcipuum quoddam medium, per quod proficeretur in amorem: qui nec ipse profecto (dum in peregrinatione viuitur) satis tutus est, quum absque timore nimium securus est. Nam si non in timore domini tenueris te instanter (inquit scriptura) cito subuertetur domus tua.

Quæ secũdum Deum tristitia est, pœnitentiam in salutẽ stabilem operatur.
2. Cor. 7.
Eccles. 27.

Etenim qui sacras scrutatur litteras, non vna tantum via peccatores videbit attractos, sed plurimis atque in his illo etiam ipso timore seruili, omnibus tamen ad vnum finem tendentibus, nempe resipiscentiam vitæ: sine quibus mediis peccator non statim semper attingit illam salutis effectricem charitatem. Quamobrem quod aliud consilium possis peccatoribus dare deterius, quàm quo suades, vt ea fugiant media, per quæ à vitiis auulsi, feliciter traherentur ad Deum? At nec alia fermè via sæpius trahimur, nec initio certe fortius, quam illo timore, quem incutit horror inferni: quod ipsum fuit in causa, vt hunc terrorem clementissimus omnium Christus ob oculos poneret ipsis etiam Apostolis quum dixit: Timete eum, qui cum occiderit, habet potestatem mittere in gehennam, ne quis eam rem putet nihil habere momẽti miseris peccatoribus, nec adhuc tam pœnitentibus quàm pœnitentiam meditantibus.

Luca. 12.
Eccles. 1.

Quibus quid potest esse salubrius quam timor? qui (vt ait scriptura) peccatum expellit: & qui sine timore est, non poterit iustificari. Et tu timorem iudicij & pœnarum non tantum studes auferre cõtritioni, quũ sit ille via tritissima, qua peccati laqueos fugimus, verum etiam quo securiùs immoremur vitiis, freti fiducia fidei, metum omnem prorsus labores tollere ab amore Dei, quum contrà scriptura dicat: Timor domini, initium dilectionis: immo (quod supra dixi) minetur etiam, quod si non in timore domini tenueris te instanter, cito subuertetur domus tua, sed nec illud scriptura tacet, quantam vim timor habet ad fidem. Qui timent (inquit) dominum, non erunt increduli verbo illius, qui timent, inquirent quæ beneplacita sunt ei. Quid, quod à timore sapientiam quoque docet auspicandam? Nam initium (inquit) sapientiæ timor domini.

Eccles. 25.
Eccles. 27.
Eccles. 2.
Eccles. 3.

Ita vides vt timorem (cui tu tantum detrahis) literæ sacræ, quibus tantum te deferre simulas, non sapientiæ tantum & fidei, sed (dum peregrinamur in via) etiam amori coniungit, & certe non immerito. Nam qui timore iudicij fugere cœpit atque horrere peccatum (quod vnum à Deo mentem eius auerterat) necesse est magis reddatur idoneus, qui & amet Deum, & redametur à Deo. Eam ob rem timoris tam necessarij propheta conspiciens vtilitatem, cum in se non mitti solum, sed & incuti fortiter, & cum doloris sensu vibrari precatus est. Confige [inquit] in timore tuo carnes meas: à iudiciis enim tuis timui.

Psal. 118.

Et quorsum voluisset nos Deus admonere tartari, & inferni cruciatu terrere, nisi vt eius cruciatus timor, chami frenique loco foret, quibus homines à peccato reflecteret, reflexos ad se retraheret, retractos in charitate & suo fauore dirigeret? Quam ob rem quum sit apertissimum, hunc te timorem tollere, & opera bona palam oppugnare, tum in pœnitentibus satisfactionem contemnere, quam impudenter facis, quum scribis te super fidem ædificare charitatem: quando nos aperte probauimus, idque tuis ipsius verbis omnino nihil ambiguis, nihil te fidei tuæ superstruere præter opera mala, dum doces absque bonis operibus fidem solam sufficere: & opera bona contemnis: magnus auctor absque metu quid libet audendi male, dum scelera cuncta promittis in momento protinus absorbenda per fidem: præsertim vt tu fidem definis, quum scribis, quod esse nullo modo potest, nisi sit viuax quædam & indubitata opinio, qua homo certus est supra omnem certitudinem se placere Deo, se Deum habere propitium, & ignoscentem in omnibus quæ fecerit, aut gesserit.

Opera bona contemnit Lutherus.
Quid sit fides secundum Lutherum.

Quibus verbis inducis profecto nimis arrogantem fidem, suadens vt homo peccator sibi sic blandiatur, vti se non solum habeat de diuino fauore certissimum, sed certum etiam apud Deum esse se in fauore tam eximio, vt velut vnicum Dei delicium, quicquid designarit flagitij, Deum non possit offendere, tanquam Deus promiserit propter vnius credulitatis meritum, impunitatem peccatorum omnium. Ideo nimirum quod [vt scribis in Babylonica] omnia protinus in momento fides absorbet scelera. Sed hæc superba & ociosa fides, quantum sola soli placet tibi, tantum displicuit vetustis olim patribus. Itaque beatus Isidorus: Frustra [inquit] sibi de sola fide blanditur, qui bonis moribus non vtatur. Idem scribit diuus Augustinus, velut occasione captata ex etymologia vocabuli: Fides [inquit] appellata est ab eo, quod fit: duæ syllabæ sonant, quum dicitur fides: prima à facto, secunda à dicto. Interrogo te igitur vtrum credas. dicis credo. fac quod dicis, & fides est.

Babylonica Lutheri.
Verba diui Isidori. August.

Sed quid tibi verba patroni quondam tui, à quo nunc turpiter desciuisti transfuga? Quid cuiusquam veterum? quos omnes floccifaciens, audes contendere nullam esse ad fidem viam aliam, immo nullam aliam omnino fidem esse, nisi quam falso definis ipse, quam etsi perinde velis accipi tanquam sit formata charitate: nunquam tamen apud orthodoxæ fidei peritos id potes obtinere: quum tuam fidem facias & bonorum operum tam negligentem, & tam facile absorbentem scelera, vt sceleratis nebulonibus indulgeat flagitiosæ vitæ supinam securitatem. Nam contra beatus Apostolus eam censet in adultis fidem veram, quæ per dilectionem operatur. & diuus Ioannes: Qui diligit [inquit] Deum, mandata eius habet, & seruat ea. Ita vt vtriusque sententia, alterius de fide, alterius de dilectione, necessario declinare debeas à malo, & operari bonum: nec in ociosa illa & arroganti fide quiescere, qua te certum fingis super omnem certitudinem te placere Deo: eumque vel approbare, vel ignoscere quicquid omnino facis. Quod si verum esset, bonus ille, Deoque teste vir tam rectus Iob, vt similis ei non esset in terra, non tam fuisset meticulosus, vt diceret: Verebar omnia opera mea, sciens quod non parceres delinquenti.

Omnes veteres flocci facit Luth.
Gal. 5.
Ioan. 14.
Iob. 9.

Iam quum scribis fidem oportere viuacem esse, fateor: sed viuax esse sine dilectione non potest, nec diligit [vt ait Euangelista] qui Dei mandata non seruat: nec mandata seruat adultus, qui non in bonis laborat operibus. Consequitur igitur, vt tua fides, quæ opera bona contemnit, viuax esse non possit, sed plane sit fides eiusmodi qualem Iacobus reprehendit Apostolus, quum dixit: Fides sine operibus mortua est. Ad hæc si verum sit aliud, quod in sermonibus de præceptis affirmas ipse, præcepta Dei, nonum

Ioan. 14.
Iac. 2.
Hoc dicit Lutherus

præ-

præsertim, ac decimum, à quantumlibet etiam sancto, nullo modo posse seruari: contra, quæ sentire videtur Christus, quum dicit; Iugum meum suaue est, & onus meum leue: nec diligatur Deus, nisi pręcepta seruentur, nec in fide vita sit, nisi cum dilectione iungatur: an non vides ex tuis verbis eò rursus redire sermonẽ, vt fides, quam esse viuacẽ vis, viuax esse non possit?

in quodam sermone habito ad populũ Germanica lingua.
Matth. 11.

Verum ista quum scribis, satis ostendis aperte, quò tendas: neque enim sinunt quenquã libelli tui dubitare, quin horum proponas & contendas alterum: nempe vt aut persuadeas periculosam & arrogantem fidem, cuius quisque fiducia fretus, ferietur ab operibus bonis, & fidem faciunt stimulũ peccandi securius, credens videlicet eam solã cuncta semel absorpturam scelera quantumuis immania. Aduersus quod genus fidei (si fides appellari potest tam immensa superbia) fortiter exclamat Scriptura sancta: O præsumptio nequissima, vnde creata es? Aut ideo certe fidem (quanquã rem verbis investis) in tã sublime punctũ subleuas, quo vel pauci possint, vel nemo cõscendere, vt vulgus hominũ in diuersum trudas vitium, nempe desperationem consequendæ salutis & fidei: quæ desperatio quũ semel radices egerit, omissa prorsus bene viuendi cura, prorumpit in omnem libidinẽ: quemadmodum scribit Apostolus: Desperantes, semetipsos tradiderunt impudicitiæ, in operationem omnis immunditiæ. cui sententiæ subscribit & illud, quod habetur apud Iob; Non credat frustra errore deceptus quod aliquo pretio redimẽdus sit.

Eccles. 37.
Ephes. 4.
Iob. 15.

Quam ob rem satis euidenter liquet pessimam esse doctrinam tuã, qui medium omne diffugiẽs, nullam relinquis promissionis fidem, nisi aut eam, quam malam esse videat cæcus, aut eam, quã vix attingat Angelus. Nec aliud vtraq; via procuras, quam vel vt obtentæ fidei securitas, vel obtinendæ desperatio præcipitet homines in flagitiosæ vitæ licentiã, quam solam prætextu libertatis Euangelicæ laboras inuehere: nec aliam charitatẽ ædificas super fidem tuã. Nam quòd te super fidem scribis ædificare obedientiã erga politicos magistratus, cui non impudens videtur, & ridiculum? quum nemo nesciat quàm obstinate doceas, neminem Christianũ humanis vllis obligari legibus, quarũ magistratus ministri sunt, quũ omnia contemnas sacrosancta concilia; qua in hæresi tam obstinate progressus es, vt simul cum aliis detestandis hæreticis sacrosanctos canones palam cum irrisione cõbusseris, & tuis inhortationibus incitati rustici globatim rebellarũt aduersus magistratus, in miserabilem cladem suam, & indelebilem infamiam tuam.

Super hoc citetur testis totus orbis: quin & hoc docuit experientia.
Lutherus sacrosanctos canones publicè cõbussit.

Pręterea quo pacto posses (si quis pudor esset) prædicare, quod super fidem ędificas crucifixionem corporis peccati, quum super mortuam fidem ædifices negligentiam orationum, festorum contemptum, ieiuniorum neglectum, castitatis exilium: & deniq; ferme omnia, quibus Christiani partim ipsius Christi pręcepto, partim Ecclesię Catholicæ cõsensu, peccati corpus solent crucifigere? Ad hæc quo pacto non pudet dicere, quod doces, & hortaris, vt peccati corpus crucifigant homines, quum tam obstinate doceas illam detestandam hæresim, quod nemo facultatem habet aut libertatẽ voluntatis, qua boni quicquam possit efficere? Nam quis aut studebit aliquid facere bene, aut curabit quid designet male, qui quidem sibi semel penitus persuaserit, se, vt aliquid faciat boni, neque ex se sufficere, neq; cum gratia Dei cooperari, aut aliquid prorsus agere: neque malificium, quod ab ipso fiat, ipsius esse, vt in quo nihil omnino sua sponte perficiat, sed in quo producat omnia diuinæ voluntatis æterna & nulli mutanda necessitas, q̃ ipse nec promouere possit, nec impedire.

Lutherus omnia bona opera quæ Christus & Apostoli docuerũt, dãnauit.
Vide vt nihil secum sentiẽs scribat Lutherus.

Hæc hæresis omnium, quæ vnquã sunt exortæ, scelestissima, & atrocissime blasphemans iustitiam Dei, radix ipsa videtur ex qua pullulant vniuersa scelera, quibus tam numerosis, quã nocentissimis vestra grassatur factio: quorum scelera tam audacia, ne quid trepidẽt impietatis cõscientia, sollicite laboras armare excusatione decreti diuini ineluctabili necessitate. Quam falsissimam opinionem vestire & fucare conaris locis quibusdã scripturæ partim per se obscuris, partim aperte detortis per te, quibusdã etiã in diuersum satis clare faciẽtibus, quæ ipse nihilominus impudens pro te clamas esse clarissima. Qua in re si quid aut mẽtis haberes, aut frontis admirarer temeritatẽ tuam, qui tam absurdã hæresim prædicare sustineas aduersus tot Sanctorum sententias, aduersus ætatũ omnium totius Ecclesiæ Catholicæ consensum, aduersus innumera sacrarum literarũ loca tam aperta, clara, dilucida, vt in diuersam partem nullum colorẽ possint admittere: quorũ quum tam passim scateant, incassum multa commemorẽ: vnus aut alter exempli causa suffecerit.

Deum authorem esse malorũ Lutherus docet, quippe quæ necessario eueniant.
Admiranda Lutheri temeritas.

Nam quid apertius esse potest quàm hæc verba planissima? Proposui vobis vitam & mortẽ, benedictionẽ & maledictionẽ. elige ergo vitam, vt & tu viuas, & semen tuũ. Quæso te, quo pacto datur electio, si negatur libertas? Quomodo cum necessitate cõsistit electio? Eodẽ modo quum ex Dei persona bonũ & malum, pœnam & præmiũ in electione ponentis humanæ volũtatis, aperte dictum est homini: Apposuit tibi aquã, & ignem: ad id quod volueris, porrige manũ tuam. tum id similiter: Ante hominẽ vita, & mors: quod placuerit ei, dabitur illi. Quid hic sibi vult volũtas, quid manus porrectio, si nullam habet arbitrii libertatẽ? Quorsum Ioannes Baptista Iudæos hortatus est, vt agerent pœnitentiã? Quorsum Christus adulterã iussit ne peccaret amplius? Quorsum iussit omnes, vt eius mandata seruarent, si nec per se seruare possent, nec illius adiuti gratia, quicquam ad ea seruanda cooperari?

Deut. 30.
Eccl. 15.
Ibidem.
Matth. 3.
Ioan. 8.
Eccl. 15.

Quum Deus hominibus diceret, bonũ & malum in ipsorum manu positũ, verumne dixit illis, an falsum? Si falsum dixisse contendas, iam omnibus eius promissionibus aufers fidẽ, in qua sola contendis salutẽ nostram consistere. cõtra vero, si verũ dixisset, fatearis, tum te necesse est fatearis falsum dicere: quum doces aperte contrariũ. Quam ob rem hac in causa nihil aliud in quæstionẽ venit, q̃ vtrum Christo credendum sit, an tibi, nisi forte cõtendas (vt nihil omnino tam absurdũ fingi potest, quod si vrgearis paululũ, non sis paratus asserere) Deum illa ioco dixisse omnia. Sed neq; istud in illius maiestatis grauitatem cõuenit: & hac in re mire loquutus est serio, cum illis arbitrii libertatẽ ostẽderet, velut iusti supplicii causam vnicam, si contrafacere quàm præcepisset, auderent, nimirum testatus inculpatã iustitiam suam, ne quis de sua clementia cõciperet opinionẽ tam impiam, vt id sibi persuadeat, q̃ tu nunc passim prædicas, mitissimum illud numen natura esse tam tyrannicũ, vt qui nihil meruisset mali, cũ tam atroci, tam intermino miserũ torqueret supplicio, duntaxat expleturum crudelẽ torquendi libidinẽ.

Nunc in quæstionem venit vtrũ Christo an vni hæretico sit credẽdum.

Quam ob rem, quum tam alte cecideris in puteũ tam pestilentis hæreseos, vt id sustineas cogitare de Deo, quod nemo bonus animũ possit inducere, vt non modo de homine quoquã bono, sed nec mediocriter malo persuadeat sibi, nihil aliud probationis requirendũ puto, q̃ caduca sint ædificia, quæ tu superstruis super fundamentũ fluxibile tã infidelis fidei.

Qantum impietatis contineat Lutheri dogma de libero arbitrio.

Nec eo tamen consilio hæreses istas tuas attigi, quod eas disputare decreuerim: nam & tales esse cognosco, vt contra quanque posset afferri non quantũ vnas literas, sed quantum aliquot iusta volumina possit implere: & iam olim tam aperte reuictæ sunt, tam iustè passim damnatæ sunt bonis ac piis omnibus, auditu tã absurdę sunt, vt amplius disputari non debeant, tantũ abest vt debeant credi, etiam si Angelus de cœlo prædicaret eas, tam longe dissonas Euangelio, & fidei, quam Christus tot ætates docuit Ecclesiam suam. Quod si, quã sunt indubiæ contra te, tam essent controuersæ & dubitabiles iam olim, tamẽ mihi certum est nihil disputare tecum, quandoquidem sum expertus, quam prorsus omissa ratione totus vertaris in scurrilia iurgia. Quo ex tempore (id quod seruabo) statui, quod ad disceptationes attinet, deploratum istud ingenium tuum improbitati suæ relinquere.

Galat. 1.
Prudẽs cõsilium illustrissimi Principis.

Quanquam alios non defuisse video, qui ex Anglia, & aliis ex locis aliquot ad ea, quæ in me scripsisti, responderint, aliqui etiam te ex meritis tuis ornarint, & tuis tractarint artibus, nisi quod rationem admiscuere conuiciis, quibus tu solis disputas. Eorũ nemini quicquam adhuc respondes, non taciturus haud dubie tam diu, nisi toties tam aperte victum, tandẽ oppressisset pudor: quem si quando rursus vicerit impudentia, ex iisdem aliquis (opinor) existet, qui tibi te depingat denuo. Ego certe neque tibi scribam amplius, neq; nunc scripsissem quicquã nisi tuarum me literarũ permouisset subdolum consiliũ, quo laboras, vt credant tui me iam cœpisse partibus tuis fauere. Quam in rem responsum retulissem breue: neq; tuarum hęresum quicquã attigissem nominatim, si non impudẽter asseruisses nihil aliud te docere, quã in fide Iesu Christi homines oportere saluos fieri: tum fidei te superædificare charitatẽ erga proximos, obedientiam erga politicos magistratus, & crucifixionẽ corporis peccati. Siquidem ista tua tam effrons impudẽtia me coëgit vnum aut alterum, vt proferrẽ tam pręclarorum dogmatũ, quæ facile quisquã videat longe alterius

Rex cur Luthero respõderit.

esse generis, quàm eorum quicquam sit, quæ te tam falso iactas sola prædicare. Nec interim tamen quicquam attigi cæterarum hæresum tuarum cumulum, quæ tam pudendã impudentiam vanitatis tuæ redarguunt.

Catalogus aliquot dogmatum Lutheri.

Nam quum aperte scribis aduersus sacramenta Christi, quum cœlibem castitatem damnas in sacerdotibus, quum sacros omnes ordines deiicis, quum panis substantiam Christi corpori coniungis, quum scurraris in missæ sacrosanctum canonem, quum fœminas iubes audire confessiones, & iisdem sacramentorum omnium administrationem committis, quum eas iubes conficere corpus Christi, quum tam parum interesse censes inter intemeratam Christi matrem & impudicam meretricẽ tuam, quum sanctissimam Christi crucem blasphemas,

Impia in Christi matrem blasphemia.

quum doces nullum esse purgatorium, sed animas omnes dormituras in iudicii diem, spem proponens diu differendi supplicii, quò securius peccent improbi, quum hæc (inquam) doceas, & mille pudendas hæreses: præterea nõ te pudet scribere quod nihil doces aliud, quàm hominem oportere saluari per fidem Iesu Christi, quãdo re vera nihil moliris aliud, quam vt Christi fidem penitus possis extinguere,

Verisimillimum.

qui si venisset ea docturus, quæ nunc doces tu, venisset profecto non auocaturus homines à malo, nec fuisset (quod erat) doctor virtutum, sed manifeste patronus vitiorum: à quo quam longe abfuerit, satis insigne documentum dedit, quum tam inmane supplicium pertulit in cruce, quo nos à peccatorum pœna redimeret: Quo pacto patitur (si quis inest) pudor, vt talia scribas ad me, conscius in libris tuis hæreses istas impias non modo me legisse, verum etiam doctissimorũ virorum iudicio multas reiicisse? Quæ quum ita se habeant, mirum tamen est videre, quanta cum impudentia recurras, nunc audiri saltem postulans (tanquam hactenus nunquam fuisses auditus) & te mirari simulans, cur damnari debeas, qui nec conuictus adhuc sis, nec auditus.

Lutherus quoties auditus, tamen auditum se nõdum dicit.

Nunquam ne Luther auditus es apud eximium Patrem Cardinalem sancti Sixti, legatum summi Pontificis in Germania? Nunquam ne præbita publice disputandi licentia, adhibitis etiam notariis, auditus es in Saxonia? Annon libellis impiis & blasphemis vsquequaque sparsis, & hæresum tuarum contagium pestilens longe lateque deferentibus plus satis auditus es per totum orbem? & tamen queri non pudet nondum esse auditum, sed damnatum esse nullius mali conuictum. Certe quod ad damnationem attinet, licebit securus obdormias, si iure damnari non potes, nisi sic reuictus ante, vt ipse te victum fatearis. Cæterum reuera satis sæpe conuictus es & ab aliis nonnullis eruditissimis viris, & (quod non solum doctissimi quique testantur, sed & sacrosancta Sedes Apostolica iudicauit) à nobis.

Hoc vt neget Lutherus, tamen oẽs sciunt.

Quod quanquam præ superbia non dignaris agnoscere, tamen ipsa re satis fateris & ipse, quum nihil hactenus præter scurriles nænias, quod respondere posses, inuenisti. Ego Luthere, etiam si nihil earum rerum callerem, quarum tu damnatus es, tamen quin iuste damnatus esses, dubitare profecto non possem, quum te damnasse videam Pontificem ipsum summum, cum toto reuerendissimorum Cardinalium collegio: quorum iustitiam & æquitatem nemo bonus habere debet suspectam, propter scurriles clamores improbi debacchantis fraterculi sua damnatione infrendentis, præsertim qui sit eiusmodi, cui ratio minus satisfaciat, quem nulla mouet auctoritas, qui nemini quicquam credit, præterquam soli sibi, cui vni credit præ omnibus contra sapientis consilium, qui scribit:

Prou.30.

Ne sis sapiens apud temetipsum. quod genus hominum quàm deploratæ sit conditionis, vide.

Prou.29.

Vidisti (inquit) hominem sapientem sibi videri? magis illo spem habebit insipiens. Iam quum hæresum tuarum plerasque damnatas esse viderem inclytarum scholarum consensu, quare deberem tot & tantorum virorum suspectum habere iudicium, etiam si ipse (quod dixi) de re iudicassem, omnino nihil intelligerem: præsertim quum in illis esset famigeratissima schola Parisiorum, cuius iudicio quondam ipse te staturum promiseras?

A Parisiorum schola famigeratissima damnatæ Lutheri hæreses.

Cætera post, quum intelligeres tam manifestarios esse errores tuos, vt nemo bonus esset ac pius vsquam, in cuius iudicio spem possis reponere, in conuentu Wormacensi (vbi te pleno procerum senatu damnauit Cæsar) ad disceptandum quidem obtulisti te, sed ea quæ disputarentur, cuiusquam iudicio submittere (qui quàm recte contrà ne differeres, posset ferre sententiam) id vero pertinacissime pernegasti.

Strophæ Lutheri.

Nunc quum te videam hoc te pacto gerere, vt nec in alios iudices consentias, nec illis ipsis obedias, quibus obtemperare promiseras, nec Cæsareæ maiestatis iudicio deferas, quum tot eruditissimos viros haberet in consilio, nec reuereare quicquam & Apostolicæ Sedis & Collegii sacrosancti sententiam: sed improbus irrisor appelles ad proximum generale concilium: nec tamen simpliciter proximum, sed adiecto cuniculo per quod possis effugere, nempe quod proxime congregatum esse contingeret in Spiritu sancto, vt in quocunque esses damnatus, ibi negares fuisse Spiritum sanctum, & tamen paulo post generalia concilia omnia contemnere, nequis dubitare posset nulli te tandem prorsus pariturum:

Quam luculenter aperiuntur Lutheri mores.

quum hæc (inquam) pacto te gereres, quomodo potuisset iudicium in te redditũ mihi esse suspectũ, etiam si de tota re nihil aut intellexissem, aut audissem aliud? Nunc vero quum res tuæ quales sunt, tales ipse cognoscam, nempe apertas & indubitatas hæreses, cuiusmodi aliquot commemoraui tibi, quemadmodum tu te mirari fingis hactenus audiri non posse, ita nos contra multo miramur magis & istud te posse dicere, & quenquam inuentum esse, qui te quicquam audire dignetur: tanquam satis causæ sit vnius fraterculi peruicax impudentia, cur nunc tandem oporteat dubitare, an ea demum vera sint, quæ pro articulis fidei credit, & annos amplius mille quingentos perpetuo credidit Ecclesia Christi Catholica, quemadmodum euidenter liquet ex doctrina Christi, & sanctis eius Apostolis, nec non multis aliis beatissimis Ecclesiæ doctoribus, quorum alius alio tempore locoque scribens, omnes fuere eadem fide concordes à Christo nato, passoque vsque ad inauspicatam prædicationem tuam.

Potius credendum his quæ Ecclesia Christi Catholica per annos amplius mille quingentos pro articulis fidei credidit, quàm vnius fraterculi impudentia.

Quorum sanctissimorum Patrum, & in scriptura sacra certissimorum interpretum, quum tu scripta contemnas, non video causæ quicquam, cur postulare debeas, aut quid fructus nobis tua scripta possint afferre, sanctissimorum virorũ omnium tot ætatibus comprobatæ doctrinæ tam ex diametro contraria. Quamobrem quum scribis haud parui fructus magnam spem Euangelio, & gloriæ Dei portendi, si tibi libera facultas detur ad nos scribendi de negotio Euangelii, oporteret tamen profecto te, quicquid hactenus texuisti, retexere, & longe diuersa scribere istis fere omnibus, quæ vel huc vsque abs te scripta sunt, vel ex literis ad me tuis videris esse scripturus. Nam ex his, quæ hunc vsq; diem scripsisti, adeo nihil fructus consecutum est Euangelium Christi, vt & oris tui tam venenati pestilẽti flatu, multum ei pulcherrimi fructus interierit, & speciosissima gemma perquam numerosa perierit, quæ maturuerat in dulcissimum fructum, nisi talis irrepens conuoluulus erosisset.

Quàm perniciosa Christi Euangelio hac noua doctrina.

Iam quod tibi scurrari libet in Ecclesiam Romanam, & Clericos, mihi certe nõ est consilium ea de re multum disceptare cum fraterculo. Cæterum qualesquales illi sunt, ipse cuiusmodi sis, profecto satis indicas. Sed quando temet haberi vis tam exactum Euangelistam, feceris aliquanto rectius, si prius ex Euangelio didiceris ex oculo tuo trabem tollere, quàm festucam in alieno deprehendere:

Matth.7.

tum si diligenter expendis ex his, qui per inuidiam & malitiam murmurabant in Moysen & in Dauidem iaciebant conuicia, quis illos maneat exitus, qui in eos contumeliosi sunt, quibus cum reuerentia debent obedire.

Cape hinc Luthere exemplũ.

Tum vt id perdiscas etiam, si mutare nonnihil Ecclesia videretur: temperandum tamen, cauendumq; tibi, ne tam improbè sis audax, vt arroganter eam tentes attingere, & tuis digitis curuis & conspurcatis regere, ne te Deus ita ciuilitatem doceat, & officium ostendat tuũ, quemadmodum olim docuit eum, qui præter fas ausus est manum arcæ fœderis labascenti supponere.

3.Reg.6.

Quanquam haud dubie tametsi te libido subit debacchandi scurriliter in Romanam curiam, tua tamen & doctrina simul & vita satis reddunt perspicuum, quod si tam esset mala, quam fingis, tibi displicere non posset. Etenim quando tibi pessimi quique apostatæ, qui cõtempto voto, & reiecta meliore vita, deserto spirituali studio, totos se carnis voluptati deuouerint, veniunt acceptissimi: contraque viri boni & studiosi pietatis, passim è suis ædibus, vbi in oratione, ieiuniis, & castitate delegerant diuino cultui totam vitam impendere, per te quotidie, perque improbam factionẽ tuam crudeliter extruduntur: & templum quoque sanctissimum honestissimo virginei chori contubernio destitutũ, scortatoribus impuris, & spurcissimis prostibulis relinquitur prophanandum: an non istud institutum

Sic Lutherus crucifigit corpus peccati. Sic Gehennæ agitur.

tuum

tuum satis superque declarat neminem tibi odio esse, quia nequam sit, sed eum tibi vere esse inuisum, quisquis fuerit probus, quisquis virtuti deditur, hoc est instituto tuo doctrinæq; contrarius? Nec ob aliud certe magis obmurmuras aduersum Apostolicam Sedem, quam quod ab ea vides & indignaris damnatas esse tam impias hæreses tuas, vt illa tibi non absurde responderit:

Exod.19.

Nec contra nos est murmur tuum, sed contra dominum. tum in Christum, cuius vicem gerit, suspiciens aduersus improbam superbiam tuam clementer exaudita, clamarit:

Iudith.6.

Præsumentes de se, & de sua virtute gloriantes, humilias. Neque enim quisquam fere natus est vnquam, qui sibi tam multũ tribuat, quum iure tam parum debeat, quam ipse tribuas tibi. Qui si tam vere saperes, quam tua tibi philautia persuadet, non ita te comparasses, vt correptus à Pontifice, murmurare potius, quam emẽdari statuisses.

Eccl.10.

Vir prudens (inquit scriptura) disciplinatus non murmurabit correptus. Vereor haud dubie, ne breui sensurus sis dum tibi tam impense places, & sapiens videris oculis tuis, illud in te competere, quod Apostolus dixit in philosophos Ethnicos:

Rom.1.

Euanuerunt in cogitationibus suis: obscuratum est insipiens cor eorum: & dicentes se sapientes esse, stulti facti sunt. Ita tibi surgit animus, vt magna cum gloria numeres te amicis esse ditissimum, magnis præsertim principib', quos à tua parte stare iactas in Germania. Sed ego te profecto vera sensurum puto, quæ Deus in Apocalypsi cuidam est minatus homini, qui nisi vitiis illum vinceres, simillimus erat tui.

Apoc.4.

Tu dicis (inquit) quia diues sum, & locupletatus, & nullius egeo: & nescis quia miser es, & miserabilis, & pauper, & cœcus, & nudus? Credo equidem haud ita multo posthac (pro sua in Ecclesia benignitate) prouisurum Christum, cuius Euangelium conaris prætextu fauoris extinguere, machinam alicũde quampiã, quæ tam stolide superbiæ tuæ cornua cristasque confringat: quum te tam nudum relinquat amicis, quam nunc destituit gratia, quod eam clementer oblatam sæpe sponte, non cesses reiicere. Quin id iam pridem quoque luculenter cœpit ostendere, nisi te sic obcæcaret superbia, vt non sustineres aduertere.

Principes Germaniæ quam Luthero fauerint scilicet.

Nam quum tu tam valde iactes principes fauere tibi, res longe diuersum probat, quando miseri illi rustici doctrina tua seducti, summa cum calamitate & miseranda strage reuerberati sunt, victoria clarissimorum principum: qui cum summo apud Deum præmio, apud homines omnes bonos laude & gloria, factioni tuæ, sectæque seditiosissimæ restiterunt.

Iam quod ais nihil mirandum esse, si te Cæsar, & aliquot item principes persequantur, allegans illud prophetæ:

Psal.2.

Fremuerunt gentes, & populi meditati sunt inania. Astiterunt reges, & principes conuenerunt in vnum aduersus dominum, & aduersus Christum eius. Hæc verba reciderunt in caput tuum, si verum est id, quod dicis, Germaniæ populos & principes tueri partem tuam. Nam id quidẽ haud dubium est, quum factio tua tota contra Christum militat. Quamobrem agglutinent se vobis quicunque volent:

Psal.2.

Qui habitat in cœlis, irridebit eos. id quod iam pridem satis declarauit, quum plus minus septuaginta millia ex his, qui in tuam sectam coniurauerant, immissis in eos vltione diuina principibus, paucis mensibus interempta sunt.

Septuaginta millia hominum qui Luthero fauebãt vltione diuina paucis mensib. interempta sunt.

Iam quum tam sancte optas, vt Deus in me verbis ita cooperetur tuis, vti miraculo quodam conuertat in fauorem Euangelii: Euangelio me fauere profiteor, & idem animus precor non solum vt sit perpetuus, sed etiam vt increscat indies. Verum quum te haud nesciam rem sic accipere, tanquam Euangelio non faueant, qui sectæ non fauent tuæ, nec solere Deum cognoscam aduersus filii sui fidem edere miracula: certe potius quam id prodigium in me malus producat genius, vt ego ex animi tui sententia sub Euangelii nomine faueam impietati tuæ, optarim certe, vt tu, tuique omnes illic Luthere prius auehamini, quò (si non resipiscitis) vos par erit auehi.

Nam quod honoris tantum scilicet tam humiliter offers nobis, vt si mihi placiturum sentias, alium librum non graueris edere, quo de me largiter meras laudes prædices, simul ea reuocans, ac retexens omnia, quæ dudum in diuersum scripseras, hoc te labore toto Luthere oppidò quam lubens libero.

Disce hinc Luthere modestiã.

Neque enim sic incendor gloriæ ieiunio, vt tuos libros in meas laudes ambiam: sed opto potius, quod magis in rem sit tuam: nempe vt agnitis erroribus, & recantatis hæresibus, resipiscens tandem, & reuersus ad fidem, sic eam scriptis probes & operibus bonis, vt inde laudem possis & gloriam dare Deo. Alioqui si ad istum, quo cœpisti, modum in hæresibus impiis, & improba vita perrexeris, me profecto laudare non potes impensius, quam si vituperes: nec è diuerso magis odio se traducere, quam si quam maxime potes, extollas, si verum est (vt est profecto) quod legitur apud Senecam, turpe tibi sit laudari à turpibus, quam si lauderis ob turpia.

Ab illaudato vituperari, honorificũ est ex prouerbio.

Quamobrem quum scribis libri in me editi vehementer te pudere, culpam transferens in alios nescio quos, quorum instigationi parueris, & pedibus meis aduolutus suppliciter oras veniam, sperans quum me mortalem meminerim, quod immortales inimicitias nolim gerere: profecto Luther, tametsi tu magnifice & sublimiter de te ipso sentiens pro iure tanto semper habuisti te, vt non puduerit scriptis etiam tuis profiteri non esse solum te, sed & futurum semper, nec viuum modo, sed præterea mortuum, immo exustis etiam cineribus, & in mille proiectis maria, perpetuum tamen hostem & inimicum Pontifici, cuius fastigio haud nescio quam longo reges interuallo sint impares:

Hæc ais in Babylon.

Pontificis fastigio quã longo interuallo reges sint impares.

ego te nunquã tamen æstimaui tanti, vt vnquã sim dignatus esse inimicus tibi, tametsi hæreses tuas habeam quantum alius quisquam exosas. Sed nec eorum conuiciorum quicquam, quibus in me scurriliter debacchatus es, tam valde me commouet, vt non prece multo minori nobis possis, quã qua nunc es vsus, abunde satisfacere si tibi res ex animo & syncere satis ageretur. Verum enimuero quum videam supplices istas obtestationes tuas hæresum tuarum defensione passim arroganter sparsas, non sum Luthere tam cœcus, vt non satis cernam quorsum tendat ista non satis sapienter celata vafrities, qua tametsi stulte interim contumeliosus es, solicite studes eblandiri gratiam, facultatemque liberam de tuis ad nos hæresibus sub Euangelici negotii prætextu, quasi cum aliquo fauore scribendi.

Hæc ch[illegible] ias [illegible] stat vsquam super fundamen[illegible] Luther.

Quod si Germaniæ principes iam inde ab initio (quod vtinam contigisset) instituti tui propositum finemque tam prouidissent, nunquam profecto nomine libertatis tantum calamitatis inuexisses illuc.

Insignis Lutheri vafrities.

Quamobrem vt tu ficte Luther supplicas nobis per Christi sanctam & venerandam crucem, (quam Christi crucem quanto tu honore persequeris, satis tua declarant scripta, quibus eam non impie solum, & cum blasphemia, sed improbe quoque, & non ferenda scurrilitate tractasti) vt offensas in me tuas condonem tibi, sic ego te syncere contra, & animo vere Christiano cohortor, vt te prosternas non meis quidem pedibus, sed ante pedes Dei: tum vt per eius gratiam, quæ semper ad manum præsto est his, quicunque non improba sponte repulerint, voluntatis tuæ libertatem (quam nescio stulténe magis, an impie nullam esse contendis) diligenter applices ad inuocandum diuini fauoris auxilium:

In sermone quodam ad populũ, Lutheri in crucem Christi blasphemia.

quo & precibus tuis concesso, & assiduitate supplicis implorationis adaucto, sic adnitere cooperari cum illo, vt ablegata primum in cœnobium aliquod misera illa muliercula, Christi quondam sponsa, qua nunc in vtriusque damnationem legitimi coniugii nomine abuteris ad scelestissimam libidinem, ipse per omnes vitæ tuæ dies reliquos lugeas & ingemiscas tecum multiplices errores in quos incidisti, immensum malorum cumulum, quem tot in locis impii libelli tui conflarunt, miserandam perniciem tam numerosorum corporum, quot incitante te miserrime sunt perempta.

Katherinã de Borenno [illegible] intelligit quã Lutherus in vxorem duxit, post quã per bienniũ inter scholares Vuittembergenses scortata fuerat.

Super omnia vero, maxime lamentabiles miserrimarũ animarum interminadnos cruciatus, quas improba doctrina tua super numerum præcipitauit ad inferos. Atq; vtinam tibi tam efficax esset gratia, & tanta fortitudo spiritus, vt nullus terror periculi, nullus te mortis met' queat retũdere, quò minus audeas vltro mediis te turbis ingerere, & palam prædicare verũ, damnans & detestans publice hæreses illas nefarias, quibus & voce multum, & magis calamo pestilenter infecisti mundum, nec adhuc exhaustus tamen teterrimam eiusdem cœni colluuiem conditam seruas in pectore.

Hæc animum tuũ deberent maxime cruciare Luther.

Istud quanto faceres fortius, tanto faceres melius: tanto magis & fidei negotio (cui tantum nocuisti) prodesses, & pro his quæ scelerate commisisti, satisfaceres. Quod si tibi non est tantum gratiæ, si te præpediat humanæ carnis infirmitas, nec per terrorẽ sustineas hæreses & errores tuos apud eos quos corrupisti, reuocare præsens, Apostolum saltem Petrum non dedigneris imitari, quanquam eius successores contemnis. Itaque si non

Luc.22.

audes

audes intus fateri verum, sed abnegas & abiuras Christum, exi saltem foras ab his quos ipse malos (in hoc dissimilis Petro) fecisti: & peccatum tum amarè defleas, procul abdens te quopiam in religiosum cœnobium, vbi ad gratiæ remissionisque fontem Christum recurras, & salubre magas admissorum pœnitentiam, vbi recantare possis errores tuos in animæ tuæ salutem, citra periculum corporis. Ibi reuocando lugendoque pestilentes hæreses, & flagitiosa facinora, diuinæ misericordiæ supplici & non nimis arrogante fiducia, gestu, verbis, animo publicani, procura salubribus assiduæ pœnitentiæ fructibus condonationem præteritorum scelerum. Quam mutationem atque emendationem tui, atque aliorum item exemplo tuo, non minus profecto libenter audierim, quàm hactenus audire tristatus sum, & te, & per te plurimos miserrimine passim perire.

Luc. 18.

Vel sic Luther respōsum, clemētius hoc?

XXVI. *Lutherus Carolostadii libris edito nouo volumine respondet.*

Ista Henricus Rex, Lutherō impudēti reposuit: cui quum cum Rege non processisset, contra Cælestes, quos vocabant Prophetas, hoc anno stylum exacuit: tractatumque bene prolixum, quam in duas partes secuit, contra eos edidit. Hunc se tribus hebdomadis absoluisse memorat, vt omnibus Carlostadii libris, quos ille per triennium magno labore confecerit, vnico hoc in duas partes diuiso volumine respōderet. Differit autem potissimum de imaginibus, earumque vsu, de exilio Carlostadii, de Missa, de eleuatione, de appellatione Sacramenti, de vero sensu verborum Christi in cœna; Hoc est corpus meum; de his capitibus admodum prolixe disputat: quod eam ob causam se fecisse dicit, vt rem totam prolixo verborum ambitu dilucidius & clarius explicaret, & quę Carlostadius confusè, velut in aceruum congesserit, in ordinem redacta proponeret. Sub finem Lectores admonet, vt à Carolostadio ciusque sociis, Prophetis illis mendacibus diligenter sibi caueant; tum, quod de primario Christianæ religionis capite, quemadmodum conscientia coram Deo tranquillanda sit (de sola fide) prorsus nihil docerent; tum vero, quod sponte sua currerent, seque ingererent ad docendi munus, cum nec à Deo missi sint, nec ab hominibus vocati: vnde cōstet eos in illorum numero censendos, de quibus per Hieremiam Dominus; Non mittebam Prophetas, inquit, & ipsi currebant; non loquebar ad eos, & ipsi prophetabant. quos ob eam causam Christus, Ioan. 10. capite, fures & latrones appellet. Quod si iustus fuisset & verus illorū spiritus, dubium non esse, quin sine mora prodiisset in publicum, & vocationem suam factis verbisque testatum fecisset. Iam vero furtim & in angulis passim reptasse diabolum hunc, velut clanculariū veteratorem, donec nocendi spargendique virus occasionem inuenerit.

XXVII. *Sueui subditi contrà Comitē à Lupffen incitati à Luthero insurgunt.*

Cæterum tantum effecit scriptione sua Lutherus, vt potuerit Enthusiastas reprimere, aut motus seditionum, qui ab illis oriebantur præuertere, vt magis potius inflammarit. Ab eo enim tempore, quo Lutherus è Thuringica legatione domum rediit, popularium animi magis magisque indies efferbuerunt: vt ipse concionibus suis & disputationibus excitasse potius crabrones istos, quam placasse videretur. Neq; vero in Thuringia solum, sed in aliis etiam Germaniæ prouinciis scintillabat malum istud; quod omnium primo in Sueuia, in publicum erupit, vbi contra Comitem Lupffium subditi, homines rusticani cœperunt insurgere, quod se quibusdam oneribus dicerent supra modum grauari. Ab his cōtagio manauit ad vicinos, qui suo se quisque Magistratui ad eundem modum obiecerunt. Senatus imperii, qui per absentiam Cæsaris rempublicam administrabant, id temporis erat Eslingæ: vnde missis legatis controuersias quidem sopire conatus est: verum ea res ita cessit, vt reprimi potius ad tempus animorum motus viderentur, quam planè sopiri. Qui primi correptis armis contra Magistratum insurrexerunt, duas ob causas id fieri profitebantur: Tum, vt Pseud Euangelium à Luthero proditum defenderent, quod hactenus dicebant in tenebris sub scamno delituisse: Tum, vt seipsos miserandum in modum à Principibus oppressos, excusso iugo seruitutis in libertatem vindicarent. & Sueuici quidem, à quibus rebellandi factum est initiū, hoc anno 1525. incunte, breue quoddam scriptum publicarunt, in duodecim capita vel articulos distinctum, quibus eorum postulata continebantur. Ea vero sic proponebant, vt nisi per Magistratus concederentur, simul innuerunt, non defutura sibi media, per quæ voti compotes essent futuri.

Eorum rebellionis initiū cōtrà Catholicā fidem.

Sueuorum 12. postulata contra fidem Catholicam.

Primò rogamus, inquiunt, vnaque volumus, vt deinceps apud nos sit integra potestas eligendi ministros Ecclesiæ, qui purè doceant Verbum Dei; eosdemque destituendi, si mereantur.

Secundò, Decimas nullas porrò dabimus, nisi frumenti tantum, colligendas per quosdam è cœtu delectos, ac deinde in Ecclesiæ ministros, in pauperes, vsusque publicos erogandas.

Tertiò, Indignum est & miserabile, quod hactenus pro seruis mancipiisue fumus habiti: cum nos omnes Christus sanguine suo redemptos in libertatem vindicarit. Itaque quia Scriptura liberos nos pronunciat, liberi esse volumus: ita tamen, vt obtemperemus Dei mandatis; & Magistratum non abiiciamus.

Quartò, Quam in exordio generis humani potestatem Deus homini cōcessit in feras, in volucres, in pisces, per Magistratus ablatam, restitui nobis, postulamus: nisi quis forte fluminis ius emerit, eamque rem per litteras demonstrare possit.

Quintò, Syluas tam Ecclesiasticorum, quam secularium, per Magistratus vsurpatas hactenus, quas qui possident, pecunia non emerunt, in communes omnium vsus cedere volumus; siue ædificandum sit, siue pro necessitate ligna cædenda.

Sextò, Durum illud seruitiorum onus, quod augetur incrementis quotidianis, minui pro lege æquitatis, nec colonos premi tam grauiter, sed ex diuini Verbi præscripto tractari hac parte desideramus.

Lutherus Sueuorum 12. postulata in Saxonica typis excudēda tradit.

Septimò, Qui prædia, fundos, agros obtinent à Dominis, ex iisque census annuos fructusque præstant, nihil pendant amplius, quam antiquitus moderata quadam ratione pactum est: nec seruitiis nouis onerabuntur, nisi precio colonis numerato, quantum æquitas postulabit.

Octauò, Census quorundam bonorum annui grauiores sunt, quàm vt ex fundo præstari possint, nisi de suo colonus adiiciant. Hi igitur moderandi sunt bonorū virorum arbitrio, ne sudores suos agricolæ gratis impendant.

Nonò, Cumulantur perpetuo leges & constitutiones, & pœnæ delinquētibus, non pro delictorum modo, sed pro affectu punientium infliguntur: volumus, vt hac parte, posito affectu, iudicetur secundum antiquas ordinationes, & more maiorum agatur.

Decimò, Grauamur & in eo, quod agri quidam & prata, quæ sunt publici iuris, in priuatos vsus quorundam vsurpatione cesserunt. Ea nisi iusto precio empta sint, in communes omnium vsus rursus vindicabimus.

Vndecimò, Casum mortis, quem vocant, vel morem illum, quod defuncto patrefamilias vxor vidua cum orbatis parente liberis, pendere de bonis suis quippiam solet, penitus abrogatū volumus; vt nemo hanc ob causam exoluere quicquam deinceps obligetur.

Duodecimò, Demum, si quod hoc scripto contineatur, quod non quadret ad diuini Verbi gnomonē, id nullum robur, sed irritum esse volumus: quemadmodum, vice versa, si plura futuris temporibus occurrāt grauamina, cum lege Dei pugnantia, ea quoq; decernimus ad superiores articulos adiungenda.

Scriptum hoc per Sueuos diuulgatum auidè passim à cæteris per Germaniam factiosis hominibus exceptum fuit. Lutherus vero, ad quem rustici prouocarant, idem hoc scriptum mense Maio typographis in Saxonia rursum excudendū dedit cum auctario in quo separatim Principes & Magistratus, deinde rusticos ibidem separatim, demum vtrosque simul compellat. Deinceps, solos Principes, Episcopos inprimis, tum Sacerdotes & Monachos, ait, huic seditioni causam dedisse, qui contra doctrinam suam insolniant; nec aliud agant in regiminе politico, quam deglubent subditos, nimirum vt sumptus in luxum suppetat. Itaque gladium ipsorum iugulo iam admotum esse; malum quod meruerint, in ipsos redundaturum. Homines nec posse, nec velle, nec debere tyrannidē ipsorū amplius ferre; quam nisi coerceant hi rustici, alios qui id faciant excitandos à Deo, qui decretum habeat ipsos punire. Non rusticos esse, qui nunc insurgant contra Principes, sed Deum

sed Deum ipsum exercere vindictam, quam tyrannis ipsorū mereatur. Interea seditionem hanc non sibi, sed Pseudoprophetis quibusdam irreptitiis imputandam, per quos diabolus promiscuam multitudinem, Deo permittente, cōmoueat, quam ipse fortè deinceps, vti hactenus fecerit, cohibere nec debeat, nec possit. Suadet deinde Principibus, vt cedant furori popularium, necacie cum illis confligant, sed animos illorū pertentent oblata transactione, ne quod oriatur ex hac scintilla maius incendium, quo Germania vniuersa cōflagret. Inter articulos, quos diuulgarint rustici, quosdam esse tam æquos ait, & iustitiæ cōsentaneos, vt diuino humanoq; iudicio probandi videantur: quanquam interim plerique priuatum cōmodum spectent. Quod in primo capite petant potestāte eligēdi ministros Ecclesię, id illis nullo prætextu negari posse. Magistratū nec posse, nec debere impedire, quo minus vnus quisq; doceat, credatq;, quod collibitum fuerit; siue Euangelium id sit, siue mendaciū: satis esse si prohibeantur cōciones turbulentæ, quibus populus ad seditiones & motus publicos excitatur. Hæc ad Principes: à quibus deinde transitū facit ad rusticos, eosq; hortatur, vt in hac causa prudenter agāt, & circūspectè. Licet enim Principes & Magistratus, qui nec Euangelium à se proditum doceri patiantur, & subditis maiora quā par sit importāt onera, digni sint, qui de sede deturbētur, ipsos tamen rei illius exequendæ non habere mandatum. Quod si hanc sibi potestatem sumāt, diuinum simul & naturale ius ab ipsis violari: Euangeliū vero contemni prorsus, in quo mandatum sit, vt auferenti pallium, tunica quoq; detur: & si quis vnam maxillam percutiat, vt illi porrigatur & altera. nec vlli malo vel iniustitię resistendū, sed iniurias patienter tolerādas, quæ inferuntur. Igitur quantumuis iusta sit ipsorum causa; si tamen ipsi iudices esse velint, & vindictā exercere, deponendū prius Christianæ professionis nomen, quo censeri nō oporteat eos, qui sunt ad vindicandam, quam ferendam iniuriam paratiores. Hæc in eum finem à se non dici, quasi Principum intolerabiles iniurias excusare velit, aut defendere; sed huc tantū spectare sermonem istum; nisi vtrique, magistratus scilicet & subditi, cōsilium sequantur, quo ipse suggerat, sed correptis armis acie confligant, neutros Christianorum nomine censendos, sed futurum, vt more gentilium inter se concurrant; eueniatq; quod vulgo dici solet, vt Deus nebulonem flagellatur per ministerio nebulonis alterius vtatur. Quod si via cepta pergāt & nihilominus pro Christianis haberi velint, se quidē eos non alio quam hostium loco habiturum, qui quo ab ipso prolatū sit Euangelium, sub Euangelii nomine impedire conentur atq; opprimere. Certe autorē articulorum, quos diuulgarint, non fuisse virum bonum, sed vnum fortassis ex Pseudoprophetis; qui notandis in marginib. Scripturę locis fraudem cōmiserit: vt nimirum tegeret sub diuini verbi larua malitiam suam, & causam ipsorū honesto colore fucaret. Frusta interim eos gloriari de Euangelio, cum nullum huius scripti caput sit Euangelicum: sed istthuc tantum omnia dirigātur, vt corporū suorum & bonorum habeant libertatem. Pro Euangelicis igitur haberi eos non posse; sed pro iis potius, qui sub Euangelii nomine prædones, fures, & nebulones fiant. Hæc fere summa est eorum, quæ multò verbosius scripsit ad rusticos. Respondet deinde ad ipsorum articulos; quorū primū in ordine probat addita limitatione; nimirum, vt cōmunitas à Magistratu ministrum sibi cōstitui postulet; quod si Magistratus facere recuset, vt tum demū populus eligat ministrum, eiq; de suo vita necessaria subministret. Sequentes duos articulos, secundum inquam & tertium, veluti rapinam stabilientes, & Euangelio cōtrarios, simpliciter damnat. Reliquos vero tanquā exoticos ad ICtorum examē reiicit; quod ad se, qui Euāgelista sit, ait, nihil pertinerēt. Demum Magistratus & rusticos, postquā singulos increpauit separatim, vtrosq; velut sententiā laturus ad Tribunal vocat, & in hunc modum pronunciat: causam, quę inter ipsos agitetur, ad religionē non pertinere; nec quicquam esse Christianum ab vtraq; parte. Litigari gentiliū ritu de iure vel iniuria, deq; bonis temporalibus. Vtrosq; niti cōtra Deum, eiusq; furori subiectos esse, & iniustā fouere causam. Principes exercere tyrannidē, & sæuire in misellos subditos, eosq; per vim opprimere. Itaq; nihil aliud expectandum illis vel sperandum, nisi vt tyrannorum instar opprimantur atque intereant. Rusticis vero, quia seditionem moueant, illud cogitandum, quod Scriptura dicit; Omnes, qui acceperint gladium, gladio peribunt. Deum vtriq; vehemēter offensum esse; idcoq; cōtare eos vtrinq;, vt cōficiant se mutuo, atq; ignominiosa morte intereāt. Futurum interim, vt damnentur omnes, qui occumbent in prælio; Germania vero vastetur miserandū in modum, atq; omnia cæde & sanguine permisceantur. Hanc Lutherus, in causa tumultuantium rusticorum, veluti cōsultationem, siue decretum maius, in Saxonia diuulgauit mense Maio; quo eodem Fridericus, Elector Saxoniæ, senio, curis, morboq; satis graui, ac diuturno calculo confectus, supremū vitæ diem clausit, & Ioannem fratrem in Electorali dignitate successorem habuit. Obiit vero Lochauiæ, q̄ arcem nunc Annæburgum vocant, 5. die Maii. Corpus Wittenbergam delatū est, & in Monasterio Franciscanorū sepultum; vbi Lutherus duas in funere cōciones habuit, quę statim typis expressę sunt & diuulgatæ. Prolē, quæ succedere posset in Principatu, nullam reliquit. Concubinam habuit ad tempus Weltzerninam; licet secretum cum ea matrimonium cōtraxisse Lutherus autumet. Hanc, vbi tres illi filios peperisset, & filiam vnā maturè ab se dimisit. Cumq; nobiles denuē suaderēt Principi, vt matrimoniū contraheret, abnuit, & in cœlibatu porro duxit vitā. Princeps fuit prudētia, rerū vsu, pietate & affectu in religionē Catholicā, priusq; à Luthero demōtaretur insignis; cuius inter cæteros Germaniæ Principes magna cūprimis erat autoritas.

Lutherus Sueuorum 12. articulos apud Principes confirmare conatus.

Fridericus Elector Saxoniæ mortuus.

Diuulgatis articulis, quos supra memorauimus, ad arma ventum est. Coierūt rustici magno numero passim in Sueuia ad Danubium, ad lacum Constantiensem, in Franconia, tum in Lotharingia, prope Wormatiam ad Rhenum, in Thuringia; vastatq; per Germaniā magnus terror, & tristis ac luctuosa rerum facies. Nam homines efferati, ferro flammisq; vastabāt omnia, & exempla quædam edebant horrendæ atq; inauditæ crudelitatis. Memorant sane, qui rei gestæ historiam describunt, eos in Franconia monasteria, & castra nobilium vltra ducenta vastasse ac diripuisse. Ludouicum Comitem Helffensteinium, & nobiles quosdam inaudito mortis genere crudeliter mactarunt, quibusdam altrinsecus in ordinem dispositis qui eos huc illucq; discurrentes proiectis hastis paulatim lancinarent: qua quidem in re tanto plus erat sceleris & immanitatis, quod Ludouici quoq; coniugem, Maximiliani Cæsaris filiam notham, cum ignominia reiecissent, quæ paruulum infantem vlnis gestabat, & ad illorum proiecta pedes, lachrymarum vi maxima profusa, totiusq; corporis habitu miserabili, maritum sibi, ac filiolo parentem donari petebat. Vnde non obscurum fuit, quid cæteris istius ordinis hominibus, & Principibus in vniuersum omnibus fuerit ab Euāgelicis istis zelotis expectandum, si rerum potirentur. & principio quidem, dum sæuiebant in Episcopos, in Sacerdotes, in Monachos, eorumq; bona diripiebant, res aliquamdiu conniuendō dissimulata fuit; Luthero interim, ciusque gregalibus in sinu suauiter ridentibus; quod inuenti tandem essent, qui Lutheri bullam contra Episcopos ante triennīū editam exequerētur. At vbi ventum est ad nobiles, ad Comites, ad Principes; tum vero de reprimendo sæuientium furore, deque iniuria vindicanda cæptum est cogitari.

XXIX. *Rustici in Sueuia armis arreptis magnā exercent crudelitatem.*

Ludouicū Comitem Helffesteinium cum aliis primatibus truci dant.

Primus omnium tumultuantes aggressus est Sueuici fœderis Imperator, Georgius Truccesius, insignis heros, qui locis quibusdā in Aprili & Maio, magnam rusticorum stragem edidit; de quo non iniuria dicerent Catholici, q̄ salutem per eum operatus sit Dominus. Nam rebus fere desperatis, cum non minus Principum vita, quā Catholica religio in summo discrimine versaretur, Truccesius hic zelo quodam incitatus, obiectu corporis sui, & sociorū virtute, primum omniū, vti diximus, furentium impetum fregit. Iam & Lotharingię Dux Antonius exercitu cōscripto, tribus locis subditos tumultuātes ingenti clade affecit; aiunt octodecim millia rusticorū ab illo cæsa. Palatinus etiam, & Treuirensis Archiepiscopus, magnam eorum multitudinem prope Wormatiam conciderūt.

XXX. *Georgius Truccesius cum aliis Principib. tumultuātes rusticos armis aggressus fugauit.*

Rebus seditiosorum ad hunc modum inclinantibus Lutherus vertit stylum, & in rusticos acerbissimum, planeque sanguinarium scriptū emisit, quos paulò antè dixerat, à Deo suscitatos, vt de solio Principes deturbarent. Tria rusticorum ait, scelera, cūprimis esse horrenda, quibus temporalis & sempiternæ mortis suppliciū multipliciter cōmeruerint. Principio, q̄ fidem infregerint solemni iuramento firmatā, qua Magistratui fuerint ad obedientiā obstricti, seq; fœdifragos, piuros, mēdaces, rebelles sceleratosq; nebulones manifestarint.

XXXI. *Lutherus in rusticos à se concitatos stylū acuit.*

Deinde

Deinde, quod insurrexerint contra Magistratum, ac seditionem moueant; quod prædones facti sint & homicidæ publici, iamque Monasteria, nobilium domos & arces, quæ iuris ipsorum non essent, violenta manu diripiant, & omnia vertant in prædam. Homine seditioso, ait, nihil pestilentius nihil nocentius, & magis Sathanicum inueniri. Igitur, quia tales sint, eos à quouis cædendos, obtruncandos, conficiendos; idq; clam, vel in aperto, non secus ac si canis occidatur versus in rabiem; qui lædit, nisi eum occideris. Demum, quod tam horrendum scelus cõtegant Euangelii velamine, vel nomine, seque fratres Christianos appellent, & alios quoque per vim adigant ad huius criminis societatem; eosque sibi iuramenti vinculo, ad impietatis consortium obstringant: eò fieri, vt non modo blasphement, summaque contumelia afficiant sanctum Dei nomen, sed & sub Euangelii nomine Cacodæmonem ipsum venerentur. Itaque Principes cohortatur, & Magistratus, vt strenuè pergant, & magnis animis rusticos adoriantur, eosque cædant, confodiant, obtruncent, quocumq; pacto. Si quis interim ex parte Principum occumbat, eum, ait, vitam beato fine claudere, adeoque coram Deo verum esse martyrem: rusticos vero, qui trucidentur, omnes esse mancipia dæmonum, sempiternis suppliciis mactanda. Mirabile nunc dicit esse tempus; nimirum, vt principes multò facilius trucidandis rusticis, & sanguine fundendo, quam alii fundendis ad Deum precibus cœlum mereantur. Hæc Lutherus: qui fortunam belli secutus, hoc scripto velut coticula, principum mucronem acuit in miseros rusticos, quos non ita pridem in cædem Principum & Episcoporum fortissime inflammauerat. Itaque vela vertit, prout erat fortunæ flatus. Principiò quidem, velut sese gerebat inter Principes ac subditos; & quasi bilancem manu tenens, expectabat, in hanc illamue partem fortunæ momenta: quanquam non obscuris indiciis deprehendi potuit, in subditos eum magis, quam in Principes propendere. Neq; vero, dum res pendebat in æquilibrio, aliud ipse quidẽ poterat, nisi constare sibi nollet. Nam ille zelus & feruor, adeoque furor rusticorum; illud odium tam acerbum in Principes, in Episcopos, in Monachos, in Sacerdotes; illi tam feroces spiritus, quibus incitati, domos nobilium, monasteria, Ecclesias, & religionem ipsam funditus excindere conati sunt, & quicquid præterea fuit huius generis; totum hoc, inquam, è Lutheri scriptis iampridem haustum erat. Iecerat ille semen, ex quo tam horribilis & copiosa tumultuantium seges prouenerat: vt gloriari non iniuria potuerit, se supplosione pedis, exercitib⁹ Germaniã impleuisse.

Idem principes ab eis cõprimendos hortatur.

XXXII. *Thomas Muncerus cũ Pfeiffero in Thuringia rusticos ad seditionẽ concitant.*

Dum vero in aliis Germaniæ partibus rustici grassantur, in Thuringia quoque sub Electore Principe tumultuatũ est. Duces seditiosorum fuerũt, Thomas Muntzerus, & Pfeifferus quidam (Latine fistulatorem dicas) apostata Premonstratensis, homo proteruus, ferox, inquietus, et ad quiduis audẽdum preceps. Hic Munzeri scelerũ collega particeps, Eischelfediam profectus, tali astu rusticos concitare conatus est. Somnium, quod cœlitus sibi præcedente nocte immissum dicebat, declarare voluit. Erat vero eiusmodi; Altissimo sopore se captum, & quasi in horreo quodam collocatũ magnam ibi murium copiam conspexisse, quos quidem omnes ipse solus repulerit, dissiparitque; id eò retorquens, quasi infallibile esset, occidendorũ sua manu nobilium, vaticinium: ideoq; non vltra prorogandum opus semel cœptum, sed foras cum exercitu prorumpendum statuebat: ꝙ tamen Muncerus admittere noluit, donec tandem minis adactus consensum dare cogeretur. Rusticorũ enim viribus, ꝙplures insuper aduenturos speraret, nondum plane cõfiso, & ob id ne à nobilibus primo mox impetu cæderetur metuenti; nisi ad prodeundũ animaret socios, omnibus se inuisum redditurum, & in ipsum velut hostem arma versurum, Fistulator mirabatur; ita vt homini cõtraire, modo tutus esse cuperet, non posset. Ille ergo assumptis cõplicibus loca finitima ingressus obuia quæq; deuastauit, nec vllis Ecclesiis vsq; pepercit; sed vel diripuit omnes, vel cum nobilium sedibus communi incendio inuoluit: quin & præcipuæ familiæ viros cœpit, & secum opulenta præda potitus Mulhusium perduxit. ꝙ quemadmodũ secundo successu non caruit, ita ad maiora patranda scelera animos rebellium facilius inflãmauit. quippè proxima statim Dominica (Misericordia Domini) & diebus sequẽtibus, cœnobia Isfeldense, Walkenredamum, Wolkendarum, Ballenstedanum, Kelbranum, aliaq; nulla religionis ratione habita impiè temerata & euersa fuêre. Sic etiã Erphurdiæ, Northusii, & Isenacii, monasteria occupata, direpta penitus, & sacrilege profanata, nõ à rusticis solũ, sed à ciuibus, qui perniciosum Lutheri dogma haud ita pridem cum Retinctis admiserant. Inde est, quod ad Georgium Sturdiadam ex tumultuosa Erphurdia huius anni 1525. mense Maio scribat Helius Eobanus Hessus, in hanc sententiam; Episcopum Moguntinum, ait, eiecimus, non recepturi perpetuò insolẽtissimum Dominum, imo tyrannum grauissimũ. Monachi pulsi, omnes Vestales extrusæ. Canonici fugati, tẽpla imo æraria spoliata omnia, publicæ vtilitati (hoc est bonis ad pręscriptum Munceri in cõmunem vsum relatis) consultum. Census, vectigalia, telonia omnia abolita, libertas reddita. Et in seq. ad eundem epistola; Videas, inquit, forum latissime cõplanatum, ita vt oculos spectãtium delectet amænissimi lati circi ex superiori quasi theatro ꝓspectus. Templũ Mariæ, Prædicatorum, Minorum, Scotorum, Regularium, Mercatorum, Augustinianorum, Andreæ, in Parochias sunt redacta. Horę Canonicæ prorsus nullæ celebrantur; Missarũ ritus aboliti, noui instituti. Verbũ strenuè ꝑdicatur. Videmus in libertatem nos asseruisse. Hæc illa de Erphurdiensibus. Sed mirum nõ est, cum Lutherus etiam publicis libris, tanquam licitam rem eam multo antea comprobasset, à quo omnes alii velut primo authore acceperunt. Agricolæ vero post expulsionem nobilium, & tot ædificiorum euersionem, Barones ac Comites bello lacessere cœperunt, ita vt plurimos suis dominiis violenter eiicerent, & exilio multarent. Stolbergensem quoq; Comitatũ peruagati magnis cladibus affecerunt, nullo relicto aut castro, aut sacello, ꝙ impias eorũ manus euaderet.

Peifferi somnium.

In Thuringia à rusticis seditiosis monasteria deuastantur.

Erphurdia tumultuose in Ecclesiastica bona à Muncero concitatur.

XXXIII. *Philippus Hassiæ Lãdgrauius & Henricus Dux Brunsuicensis rusticos seditiosos Fulda expugnata interimũt.*

Interea Philippus Landgrauius, & Henricus Brunsuicẽsis, latius serpente malo, de subditis solliciti, vt à proposito seditiosos deterrerent, coactis militum copiis Fuldã expugnant, rusticos interimũt, alios captiuos abducunt, trecentis in loco subterraneo fame extinctis. Sed in cassum ea terriculamenta præbuere. Illi enim è facto vehementius irritati densioribus agminibus in obnitentes irruunt, certã in Principes, nisi impeditũ fuisset, impressionem facturi. Imo nec Fuldenses ipsi ex Munceranis fratribus, licet sub potestate Principum tenerentur animũ represserunt, quin tumultuosas subinde cõciones & reuelationes sibi factas ederẽt. Etenim surrexit mox nouus Propheta & mirabiliarius quidam, ꝗ grandia sociis pollicebatur, & amnem Fuldam siccis pedibus transiturum se cõstanter iactitabat, ostenso puero, quem incolumem portare secũ & matri suo reddere se velle post reditũ ꝓphetabat. Verũ negato paruulo ad fluuiũ ꝓgressus, & quemadmodũ sparserat velut terrestre solum calcaturus aquæ vorticib. absorptus, nõ ante videri potuit, quam animam miser ad oreum exhalasset.

Pseudopropheta Fuldẽsis amnẽ sicco pede transire volens submergitur.

XXXIV. *Thomas Muncerus cum suis rusticis seditiosis comitatum Mãsfeldiæ inuadit & depopulatur.*

Mansfeldiense territorium hucvsq;, tametsi sæpius tentatum, nulla cõtagio peruaserat, idq; prudenti Comitis Alberti cõsilio: sed liberum & tranquillo eo statu gaudere non diu ꝑmissum. Rustici siquidem, qui clam in fœdus cum Muncero transierant, publico tumultu exorto, sacris religiosorum Sittenbachia, Rhodana, Wimpelburgensi, & Islebiana, ædibus in potestatem suam redactis, diuina simul & humana, belluarum instar pedibus proculcarunt, nec obuia raptarunt tantũ, sed vel effregerunt, vel ad satiandam ferocis animi rabiem incinerarunt. Monasterium Holtzellanum, imaginib. ac ornamentis fæde protritis, rebellium ad tempus asylum fuit; nec multo post à fundamentis emotum. Quiescebant adhuc & Metallarii, qui ne in conspirationem descenderent, industria Comitis sui cohibebantur, cõditionibus aliquot ipsis ab eodem propositis, quibus eos deinceps in officio cõtineret. Epistolam etiam ad Franckusanos exarauit, cum iisq; egit, vt certum locum & diem ad pręcauendam vlteriorem sanguinis ꝓfusionem, & firmã cum Magistratu ineundam conciliationẽ præfigerent; quod & factum. Verum cum præfinito tempore Mertensritæ, qui locus conuentui datus, adessent rustici, nec Comes obstantibus aliis negotiis compareret; sed absens animi sententiam scripto declararet, peteretq; in sequentẽ Dominicam conuentum differri, res multò vehementius recruduit, persuasis à Muncero, Franckusium interea cum trecẽtis asseclis profecto agricolis; verba solum esse & voces, quibus Comes metum miseris incutere tentet; viderent q d agerent, nec crederent tam cito, si nollent decipi; perspectum sibi esse quid isthac sub dilatione moliretur; id agi solum, vt admissis

Idẽ rusticos suasu Alberti principis ad pacem pronos ab eadem auocat.

in tractationem sociis, reliquos in seruitutem Principes abducerent. Scripturum se Comiti, quò sciret detectas iam esse, quas strueret insidias. Hoc pacto miserorum animos ad pacem alioqui pronos, sanguinarius nebulo ab omni familiari conuentione abalienauit; missis in hæc verba ad Comitem literis. *Fratri Alberto Comiti à Mansfeld ad conuersionem scriptum: Quòd epistolam Pauli adeò perperam tibi vsurpes, plane me miseret. Impium eo facto Magistratum tueri anniteris, exempla à Papa desumpto, qui pari ratione Petrum & Paulum formauit carnifices. An putas tu, non posse Deum in furore suo ad deponendum tyrannos ignarum populum impellere? Ose.13. & 8. Nonne apud Lucam cap.1. in spiritu prædixit Mater Dei, Deposuit potentes de sede, & quos tu contempsisti, exaltauit humiles? de te & similibus tuis locuta? Non inuenisti in Lutherano iusculo, & VVittenbergẽsi offula, quid Ezech.37. cap. futurum expresserit; aut in Martiniano tuo agresti fimo degustare potuisti, quid vlterius 39. cap. ad idem Vates pronunciet, quomodo pascat cœli volucres Dominus, vt deuorent carnem Principum, & epotent irrationales bestiæ magnatũ sanguinem; quemadmodum in Apoc.18. & 19. cap. dicitur. Quid existimas, nũquid Deo plus cordi populus eius, quã tyranni vos impii? Tu sub Christiano nomine ethnicus es, & Paulo velare te cupis. Verum in neruum id tibi erupturum noueris. Si scire aueas, quomodo communitati potestatem Deus commiserit, Dan.7. & corã nobis apparere, fidemq; tuam frangere non detrectes, agedũ assentiemur tibi, & pro fratre cõmuni habebim⁹. Sin minus: futilitates tuas nihili faciemus, & contra te, tanquam iuratum Christianæ fid. hostẽ, quod certò tibi velim persuadeas, præliabimur. Datum Franckenhusii, Veneris post Iubilate, anno 1525. Thomas Muncerus cum Gedeonis gladio.* Dedit & aliam non minus furiosam ad Comitẽ Ernestum Alberti fratrem epistolam, in qua & scelestissimum nebulonem, & tyrannum post hominũ memoriam crudelissimũ, qui Christũ abnegarit, & seruos eius occiderit, appellitat: & nisi è vestigio subiciat se sociis, veniãq; delicti exposcat, futurũ breui, vt ipse omnes aduersus eum fratres armare nec secus ac Turcã persequẽdũ determinare cogatur, coq; modo Diaboli martyrem efficiat. atq; vt id sciret, se & fratres certissimum accepisse à Deo mandatũ, iteratò se dicere, viuũ & æternũ Dei verbum imperasse, vt vi sedib. eum profligarent; cũ Christianis vtilis non sit, sed datus detrimentosum amicis Dei flagellũ. Deus, inquit, *præcepit de te & aliis Ezech.34. & 39. Dan.7. Matt.3. Abdias Propheta ait; Nidus tuus cõuelletur & excidetur; id tecum seriò expendas; & aude si quid potes: nos voluntatem Dei sine mora exequemur. Hactenus Muncerus.*

Ipsius ad Albertum Comitem à Mãsfeld epistola.

XXXV. *Albertus Comes à Mansfeld multos rusticos seditiosos in oppido Oesterhusio cedit.*

Interim citati Sittenbachiũ rustici; occupatũ Oesterhusiũ & direptũ; vocati in auxilium Franckenhusani. at cunctantib. illis, mox aduolat cũ equitatu exiguo vix numerũ sexagesimũ superante Albertus Comes Mansfeldius; cingitur oppidum, panduntur vi portæ, in rusticos certamen exoritur; cęduntur illi, equorũ pedibus subiguntur. quidam iocis diuersis iniecto igne cõsumpti; alii fuga elapsi Franckenhusiũ se receperunt; trecẽtis fere in oppido desideratis, quos aut ferrũ, aut violens flãma deleuerat. Et clade accepta, in omnes angulos nuncios amandans Muncer. agricolas cateruatim acciri curauit, minis seuerissimis iniectis iis, & hostium loco habendis, q. emanere ꝑsumerent. Videre tunc erat horrendũ spectaculũ, tot rusticos ex pagis, ex oppidis, ex remotissimis partib. rabidos velut canes ruri oberrare, & rugiẽtibus post tergũ vxorib. liberisq; Franckẽhusium ad Muncerum ꝓperare. His turbis vt obuiã iretur, Ioannes Elector Friderici fratris successor, à patrueli Georgio duce Saxonię Catholicę fidei apprime addicto, ęgre tandẽ adductus, arma in formidolosum hominũ genus corripuit. Accessere & plures alii imperii Principes, Philipp⁹ Landgrauius Hassiæ, Henricus dux Brunsuicens. Moguntinus etiã & Brandeburgensis Electores. His omnib. imminebat exitiũ, nisi cõiunctis virib. festinanter seditiosas turbas aggrederentur. Nam & eorum rustici, in rebellione & motu erant. Itaq; cõscripto mox milite, & reb⁹ necessariis ad bellum maturè cõparatis, Franckẽhusium exercitum traduxere. Secesserant ex oppido iam rustici, & monti proximo, cui nomen pugnantiũ postea inditum, insidebãt, curribus vbiq; probe cõmuniti, vt nullus facile ex equitatu pręsertim, in eos auderet irruere. Vbi vero in cõspectum venere Principes, animis deiecti ad vnum omnes tremere, temeritatem suam detestari, pœnitẽtia duci, deprecatoriis à Principib. literis pacẽ expetere: adeo feritatem omnẽ, qui ante mentẽ prorsus exuisse videbantur, vnico momento deposuere. Litteræ ad Principes missæ sic habent; Nos cõfitemur Iesum Christum. Non hic sumus, vt cuiquã noceamus Ioa.3. sed vt diuinã conseruemus iustitiam; neq; ad effundendum sanguinem huc nos cõtulimus. Si mẽs vobis eadem, nihil mali inferemus. Secundũ ꝙ cuiq; factu videtur optimũ, faciat. Respondent ad hæc Principes; Non posse se, vt quibus gladius ad puniendũ blasphemos à Deo cõmissus sit, maxime cum miseros homines semetipsos ex deliberata voluntate, & seductoria falsi sui Euangelii doctrina, horrendis cędibus, incendiis, aliisq; nõ tolerandis in Deum, & cumprimis in venerabile eius Sacramentũ, & impietatib. & blasphemiis polluere intelligant, tanta scelera diutius dissimulare, ideoq; ad præpediendum ea huc perrexisse. Nihilominus tamen cum sibi persuadeant, plerosq; miserè deceptos esse, Christiana charitate impulsos decreuisse, se si viuum modo falsum Prophetã Thomam Muncerũ cum asseclis traderent, seq; omnes clementiæ suæ aut indignationi dederent, ita recepturos eos esse, & ad eũ modum habituros, vt iuxta qualitatem rei clementiam suam sint experturi. De his respõsum sibi quam maturrime referri se petere. Rustici perlectis Principum literis, parũ abfuit, quin voluntati eorũ sese permisissent, modo fuissent, quib. impios Munceri conatus detracto libertatis velo detegere voluisset. Ille ergo metuens, ne fratres se dederent, vt ardentius contra Principes incenderet, omnes bombardarũ globos sua manica sine damno se excepturum, diuino fulsum præsidio dictabat. Quod vt exẽplo aliquo cõprobaret, ostensa in nubibus iride, qua in vexillo vtebantur; En, *inquit*, conspiciamini manũ Domini, certò nobis hodie adfuturã; id ꝙ euidenti signo nunc declarat coram, ꝙ nobis victoriam, hosti certissimũ portẽdit exitium. Non igitur vanæ vos tyrannorũ minæ moueant; non equites illi, aut superbientes milites terreant: quorum eo tendunt cõsilia, vt exutis armis in gratiam simulatã receptos grauiore seruitute opprimant. In Domino tantũ confidite, nullũ plane cum hoste pactũ inituri; sed erumpite impauidi, & gladios vestros in corporibus eorũ fortiter acuite: scio, Domin⁹ vobis aderit, & ex impiorum manibus liberabit, felicẽ nobis victoriã elargiturus. Hoc dolo seditiosus preco, omnẽ rusticis ineundæ cõcordiæ modũ præscidit; qui vanis istiusmodi promissis in scelere confortati, in Principes se inuicem crudeliori animo armare, & tanquam sanguinarios canes perimendos vociferari, inuocato Spiritus sancti auxilio cœperunt.

Rustici seditiosi Principum in se irruentium veniam deprecari conantur.

Muncerus rusticos à pace dolo auertit.

XXXVI. *Rustici seditiosi pacem à principibus rogãtes capiuntur & pœnas dant.*

Principes vero re ad se delata, priusquã apertum in rebelles certamen ederent, Guilhelmum comitẽ Stolbergensem cum præcipuis aliquot ex nobilitate viris ad eos secundò amandãt, qui ad tradendum tanti mali authorem miseros homines induceret. Verum cum illi inexorabiles prorsus, & ratione nulla ad hoc se flecti paterentur, Comitem quoque, vno ex nobilium numero contra omne ius bellicum trucidato, cum reliquis in vincula coniicerent; castra propius promouerunt, datoque signo milites quasi in aciem iamiam prodituros redegerunt. Inde displosis tormentis, factoque vel leui impetu, adeo feliciter cõtra peruicaces subditos pugnauere, vt & currus, quibus se cinxerant, destruerent, & plurimis occisis in fugam relicto colle cõuerterent; qui Franckenhusiũ fere omnes quasi ad tutiorem locum confugerunt. Quos illi cum exercitu insecuti, ad quinque millia ceu pecudes in fuga strauerunt; exin oppido capto & direpto, quicquid obuium in armis habuere peremerunt, trecentis & amplius capite truncatis; ita vt exprimi vix queat, quantum sanguinis profusum, quæ calamitas & miseria in vrbe tunc fuerit. Muncerus interim in domum portæ conterminam profugerat, vbi veste deposita in lectum se abdidit; quasi nullus eò quæsitum se venturus esset arbitratus. Sed longe secus accidit. Quippe Ottho ab Eppe nobilis Waldecensis, cum eandem domum causa pernoctãdi intrasset, eiusque famulus visurus, quale herus accepisset hospitium, tabulatum conscenderet, hominem in lecto cubantem reperit, qui graui se morbo multo iam tempore conflictatum diceret. Hunc ille fraudem subesse ratus, asperioribus verbis aggressus, vix ab eo quis esset extorquere potuit, donec peram spe prædæ scrutatus, literas Alberti Comitis à Mansfeld, quibus à sanguinolentis consiliis eum fuerat dehortatus, extraheret, & obiecto pugione, simulq; interpositis minis ad fatendum adigeret. Itaq; edito nomine, seminudus ad Principes ex lecto pertractus, ac ab Hassiæ Landgrauio, cur tot miseros homines tantis malis & lanienæ implicuisset, rogatus; id se ob summam Principum tyrannidem fecisse, vt qui nulla prorsus misericordia ducti, omni subditis libertate adempta, Euangelii cursum remorari hactenus studuissent,

Muncerus à famulo nobilis VValdecẽsis proditur & quæstionibus subiicitur.

audacter obiecit. Porro interfectos quod attineret agricolas, siue eorum multi, siue pauci periissent, cum voluerint ipsi, nō sibi irrogari debere dicebat. Verum vlterius instanti Landgrauio, & ex Scripturis tantum facinus reprobanti, respondere ne verbo quidem potuit. sed proiectis ad terram oculis, prorsus obmutuit. Inde quæstionib. subiectus, cum præ tormentis altius suspiria duceret, à Georgio Saxoniæ Principe, num doleret, rogatus est. cui annuenti; & tu, *inquit*, nunc animo tecum volutes, pessime actum cum iis, qui hodie cæsi tam miserè interierunt, cuius mali tu solus extitisti principium. Ad quæ ille subridens; imo, *inquit*, aliud non cupiuerunt. Post currui impositus, & in arcem Elderung ad Ernestum Comitem à Mansfeld, cui minacissimas subinde literas adscripserat, missus est: qui hominem exquisitissimis tormentis horrendum supra modum excarnificari, & ad complicum dicenda nomina variis exagitari instrumentis præcepit: idq; vel ideo maxime, quod in eum præ aliis plus nimie pestiferum, vti diximus, petulantis linguæ virus effudisset.

Idem ab Ernesto Comite Mãsfeldiæ atrociorib. quæstionib. subiicitur.

Cæterum Principes cum exercitu Mulhusium se receperunt, pares ibidem de cōiuratis pœnas sumpturi. Oppidani conspectis procul tot militum copiis cum viribus longe essent impares, ex primoribus Oratores miserunt, qui impetrata venia Principibus ciuitatē dederēt. qđ & feliciter ipsis cessit, ea tamē lege vt iuxta qualitatē causæ, ipsorum clementiæ & indignationi se scirent obnoxios.

Pfeifferus Collega Munceri de nocte prope Isenacū cum 92. sociis capitur.

Quod vbi resciuit Pfeifferus, quem Vicariū discedens Franckenhusium Muncerus suo loco reliquerat, pactum istiusmodi modis omnibus cōmunitati dissuadere, & suspectum reddere cœpit: veritus ne forte eandem cum Muncero sortem subire cogeretur. Verum plerique consilio isthoc exploso, in hominis sententiam concedere noluere. Itaq; noctu clanculum cum quadringentis in fugam abiit. Verum prope Isenacum cum nonaginta duobus sociis comprehensus, meritas sui sceleris pœnas effugere nō potuit, Mulhusium vnde fugerat, ad Principes reductus. Captis hoc modo, solo Pelargo cum paucis excepto, qui clam in Silesiā Franckenhusio ꝓfugerat, rebelliū ducibus, vt iusto supplicii genere punirentur, Muncerus velut omnium princeps, ex castro Helderung Mulhusium reuocatus fuit. Eo in itinere, cum vnus ex aulicis Principis Saxoniæ propius ad eum currui alligatum accessisset, qui notus ipsi erat, petiuit ab eo, vt potum sibi adferret; quo allato, in tanto dolore & metu mortis duodecim cantharos aquæ exhausit.

Muncerus cum Pfeiffero Collega suo Mulhusii capite plectūtur.

Reuectus ergo ad vrbem Muncerus, in castris Principum vna cum Pfeiffero, & viginti quinque complicibus capite mulctatus fuit. Qui in extremis homini adstiterunt, maxima ferunt pœnitētia ductum, summa deuotione & errores reuocauisse, & venerabile Sacramentum præuia confessione, ritu Catholico, sub vna specie accepisse. In circum vbi plectēdus erat perductus, adeo fuit pusillanimis, vt ex animi perturbatione symbolum Apostolorum recitare non posset. Quare Dux Brunsuicensis illi voce præibat. Antequam vero ictum gladii susciperet, oratione ad Principes conuersa, omnes hortatus est; cauerent de cætero, & melius sibi prospicerent, ne tam immaniter miseros grauarent; sic fore, vt tales in populo motus posthac non facile essent exorituri. Quin & singulariter monuit, Regum libros & Salomonis diligenter euoluerēt, haberentque exemplum, quod imitandum sibi vnicè proponerent. Hic exitus Munceri fuit. Pfeifferus autem lapidis instar in sceleribus obduratus, sine vllis pœnitentiæ signis, neglecto confessionis Sacramento, tanquam bellua vltimum vitæ finem clausit. Mulhusio Principes profecti, reliqua oppida quæ nomen coniurationi dederant occuparunt, & sumpto de reis supplicio, grandem pecuniæ mulctam imposuerunt.

XXXVII. *Thomæ Mūceri & Pfeifferi simulq; rusticorum seditiosorum acta ordine describuntur.*

Sueuicos rusticorum tumultus & strages, *Petrus Crinitus* abundè descripsit, vt sequitur, secundum quod vel ipse vidit, vel à fide dignis accepit. Ita narrat.

1.

De rustica seditione primum in partibus Hegauiæ orta.

Anno Domini 1525. ineunte vere conuenerunt primum ad res postea gestas tractandas, subditi Comitis à Lupffen in Hegauia, qui suis Magistratibus conditiones quasdam contra quæ & grauamina, sub arbitrio recipiendas confirmandasque obtulere, & tandem violentis postulationibus exigebant. Hac fama apud finitimos sparsa, & in Algauiam vsque prorepente, fortassis non sine culpa quorundam isthic agentium procerum, magnatumq;, multo plures eadem de re, pluribus ex locis frequenti concursu contra Magistratus, nulla iuris vel integritatis, aut fidei datæ ratione habita cœperunt insurgere. Sic illis tandem in Algauia, in loco cui Alba nomen est, tum prope Vlmam congregatis, eò ventum est, vt eiusmodi causa, præsertim cum eiusdem temporis occasione, Illustris Princeps Huldericus Dux Wirtembergens. amissum imperiū Ducatus recuperare conaretur, nobilissimi Sueuici fœderis Heroes, Vlmæ conueniendi diem dixerint; vbi per eorum legatos, quo pacto iis rebus esset consulendum, diligenter consulebatur. Contraxerunt igitur & ipsi geminas non vulgari robore, tam pedestres quam equestres copias, omni commeatu instructas, præfecto his imperatore generoso & clarissimo Barone Georgio Erbtruchses Waltpurgensi. Quas cum aduersum se produci dux Wirtemberg. sentiret, ab incepto suo desistere, dimisso exercitu rebus infectis, quanquam vnum aut alterum eius terræ oppidulum inter Rotvvilam & Stutgardiam iam occupauerat, coactus est.

2.

De cœpta repugnatione Confœderatorum contra seditiosos.

Interea, quæ pacis sunt, & ad publicam pertinent tranquillitatem, per fœderis Sueuici cōsiliarios cum seditiosis rusticis in ipsorum castris prope Vlmam positis tractabantur. Nihilominus Georgius exercitus imperator ferro decernere constituit. Itaque 24. Cal. Martii, cum exercitu suo aduersus seditiosos rusticos quatuordecim numero millia, vt dimicaret profectus est. & cum ipsi castra inter Vlmam & Biberacum in carectis collocassent, hic nō procul inde intra dimidium milliare sua posuit. Nam posteaquam pertinaciter perfidiæ suæ furorem sequerentur, & confœderatorum milites, qui prædas agebant aliquot confodissent; nonnullos item nobiles, ac præterea monasteria occuparent, exspoliarent, vastarentque, nihil denique non temere, contumaciter, malaque fraude facerent, facereque conarentur, nulla pacis conciliandæ spes, quam per manuum consertionem superesse visa est. Verum (incertum qua occasione, vel cuius impulsu) eadē nocte rustici ex eo loco abeuntes, copias suas ad monasteriū Marchtal promouerunt; idipsum, vt cętera omnia occupantes & vastantes. Hos è vestigio Georgius cum suo exercitu, vt prelium committeret, secutus est. Isti vero, fortunam belli minime experiri volentes, disgregato dispersoque exercitu huc illuc fugientes, alpium atq; syluarum præsidio saluti suæ cōsulebant.

3.

De obsidione duorum oppidorum Leypheimii & Guntzeburgū à Sueuico exercitu.

Per idem tempus Sueuici fœderis exercitus, Heroum iussu Vlmam versus rediit, & inter vias plerasque villas deprædatas incendit, incolarū inuento nemine. Verum cum duo oppida Leypheimium videlicet, & Guntzeburgium cum finitimis pagis ferme ad Augustam vsque Vindelicam, nobilissimam Rhetiæ vrbē facta coniuratione sese addixissent, & se duob. exercitibus simili ad seditionem studio, altero apud lacum Podmicū, altero in Algauia cōgregatis, deuinxissent, placuit Sueuorum confœderatis dicta oppida 9. Calend. Martii obsidere.

4.

De rusticorum cæde per confœderatos edita.

Georgio itaque Duce, vt decretum erat, equitatus confœderatorum in rusticos sex millia numero incidit. Hic illico acriter pugnatum est, & aliquot rusticorū millia confossa, aliis partim captis, partim animam in Danubio relinquere coactis, paucissimis fuga elapsis. Sunt eodem die centum triginta equites ex Vlma ad pagum Navve dictum trans Danubium missi, vt si quos à Leypheimensibus in auxilium accersitos offendissent, profligarent. Hi plus minus octingentos rusticos obuios omni armatura bellica instructos habentes, ferrum strinxerunt; fugientibus illis circiter ducenti quinquaginta cæsi, 200. capti, reliqui in carecta coacti sunt. Sed equites virgultorum asperitate & insolentia loci repulsi ad exercitum redierunt.

5.

De duorum oppidorum expugnatione.

Sueuici igitur fœderis vniuersus exercitus equitatu peditatuq; instructus, Duce Georgio oppidū Leypheimiū obsedit;

incolæ in deditionem postulati se arbitrio confœderatorum dediderunt. Eodem modo, qui in Guntzburgo & aliis plurib. adiacentibus pagis & vicis erant, veniam petierunt, & in Sueuici fœderis gratiam & pœnam recepti sunt. Verum duces & authores huius seditionis ab aliis segregati ad supplicium custodiebantur, quorum plerique in crucem acti, alii decollati, alii aliis suppliciis puniti sunt. Tandem Leypheimium peditibus, Guntzeburgum equitibus diripiendum permittitur.

6.

De studio, vt res pacifice componerentur, habito.

Nihil præterea intermissum, tū per Cæsarei regiminis, tum aliquarum ciuitatum, nempe Constantiæ, Memmingæ, Isnæ, aliarumq; legatos apud Consiliarios Sueuici fœderis, qui eius rei gratia Vlmam concesserant. Huc etiam nonnulli ex copiis quæ tum apud lacum Podmicum, & in Algauia collectæ erāt, selecti quidem, fide publica interposita venerunt. Nihil tamen actum, quod rei publicæ conduceret, nec tempestas illa sedari poterat, sed qualis cœpta erat, mansit.

7.

De Baldringensis exercitus ausu.

Eo tempore rustici in carectis prope Baldringū rursus haud exigua manu cōgregati sunt. Quibus à duob. exercitib. apud lacum Podmicum & in Algauia cōstitutis, admodum magna auxilia missa sunt. Hi interea Comitum atq; nobilium castra expugnata expoliauerunt, vastaruntatq; incenderunt. Charitatem fraternam (de qua plurimum præ aliis in Christo Seruatore domino gloriabātur) omni crudelitate, tyrannide, nequitia declarauere. Circūiacētia quoq; monasteria expoliare, deuastare, euertere, nec aliter agere, q̃ qui nec Deum, nec homines, nec quod ius, fas, honestumq; est, reuerentur. Quare cognita Georgius cum vniuerso exercitu prędictis iam duob. oppidis in deditionem acceptis, iisque qui autores seditionis fuerunt, supplicio affectis, ad lacum Podmicum & Algauiam se cōtulit, vbi quotidie cōtra hostes summo studio cōsultauit.

8.

De clade apud oppidum VVortsacum edita.

His rebus ita transactis 5. Non. Martii vergēte ad occasum Sole, circa horam 5. seditiosorum rusticorum septem millia prope oppidum Wortsacum, quod à Biberaco duobus ferme milliaribus abest, Georgius cæcidit. & cum ex captiuorū relatione intellexisset adhuc 8000. rusticorū prope Weingarten (id monasterii nomen est haud procul à Rauenspurgio distātis) cōgregata, postridie cum prima luce vniuerso cum exercitu eò se contulit, cum hostibus cōflicturus. Verum isti, quæ complicibus suis acciderunt plane nescii, eo ipso mane Weingarten relinquunt, exercitui apud Wortsacum deleto, quem adhuc superesse putabant, auxilium contra Sueuicas copias laturi. Quo per explorationē cognito, Georgius iam in campis aciem aduersus hostem instruebat. Sed isti fortunam belli non expectantes ad carecta, & equitibus inuia loca cōfugiebant. plurimum tamen incommodi fugientibus ex bombardarum tormentis illatum est. Verum iam ingruente nocte, Georgius ab hostium persecutione desistere coactus est. Itaque eo ipso in loco pernoctans castra posuit: postero die, qui Pascha erat, aduersus hostes dimicaturus.

9.

Quid aduersus seditiosos apud locum Podamicum & in Algauia gestum sit.

Decima septima die mensis Aprilis, clarissimus atq; magnanimus vir Georgius cū vniuerso exercitu aduersus seditiosos, qui tunc apud lacum Podmicū & in Algauia cōgregati erant, profectus est. Quo veniente ad Beicfurdum (quod vadum Boiorum nos dicere possumus) ambo exercitus vltra fluuium cui nomen Schussen, in eminenti loco prope montem magna collocati caterua vineas tenebant. Sed prius quam Georgius eodem loco exercitum machinasque bellicas transuexisset, hostes summa velocitate per planiciem monasterium Weingarten petierunt: cum quibus equites pugnassent, nisi Ducis interdicto fuissent prohibiti. Perspexerat enim vir lōge prudentissimus ingentem rusticorum exercitum, nempe circiter 16000. & eis milites haud parum multos in re bellica probatissimos commixtos esse. Ad hæc machinæ bellicæ ad destinatum locum tam breui transuehi non poterant. Præterea & grauissimam ignominiam, & periculum, si res infeliciter cecidisset, futurum. Laboratum est interim tamenquoquo modo bellicæ machinę contra illos adducerentur: quibus in hostem directis, mirum dictu quantum detrimenti sit datum. Interea generosus Comes Ioannes Montfort, & Rauenspurgensium legati, Scriba & quidam nomine Criglin, item Wolfgangus Gremlich, continua cura & diligenti solicitudine, noctes atq; dies vt pax fieret, instabant Georgio supplicantes, humano & præcipue Christiano sanguini, quantum eius fieri posset, parceret; id quod alioqui per se studio habebat, vt conditionibus illos à Sueuicis confœderatis præscriptis reciperet. Qui exoratus, tandem exercitus vtrosque eò adegit, vt Duces & signiferi eorum veniam eis rogarent, & omnia vexilla sua ipsi traderent. Sub hæc altero die conditiones, vt æquum erat oblatæ receptæque sunt, & exercitus rusticorum distracti.

10.

Vt hoc malum latius serpere cœperit.

Sane cum ille mille artifex Sathanas, quem Christus homicidam & mendacem appellat, quique humani generis inimicus, & omnis discordiæ author in rebus tam periculosis, sibi autem mirè placentibus, veluti prædam agere sperans haud quoque quiescit, rem eò deduxit per sibi deditos seruos, vt à fructibus suis cogniti sunt, vt sub sacrosancti Euangelii specie, quod certe solatio oneratis conscientiis est, & omnis obedientiæ lucidissimum speculum, quemadmodum & primos parentes nostros decepit, & à Deo optimo maximoque abalienare studuit, aliquæ postulationes ad seditiones potius quā ad pacem pertinentes, & carnis potius quam spiritus libertati conuenientes, per vniuersam pene Germaniam disseminarentur, quæ meo iudicio, ex peruerso Thoma Muntzer in Thuringia primum pullulauere. Semper enim præcipuas huius seditionis & artes & partes, apud turbas longe lateque furentes, suo tempore protulit & fouit. Verum ignobile vulgus, quod sua sponte iugum excutere, & se in libertatem vendicare propensum est, lubentiusque multò sine, quam sub legibus cupit viuere, iam dictas postulationes ardenti cupiditate, & obuiis vt aiunt vlnis excipiebat. pars quidem eisdem deprauatæ suæ sententiæ fomitem nacti, pars aliorum insolentia, leuitateque excitati, de nouo commoti excitabantur. plerique (mea opinione) auaritia speq; prædæ impulsi, quam plurimam animo conceperant. Hac de causa subditis, & infima plebe passim contra Magistratum seditiosè tumultuante, illa cruentissima labes, omne fas, pium & æquum, omniaque iura corrumpebat.

11.

De origine seditionis Ottosyluanorum.

Intra hæc tumultus in oppidulo Ballenberg dicto in sylua Ottonis, sub Reuerendissimi Moguntini Archipræsulis ditione exoritur. Sed huius factionis Ducem & antesignanum operę pretium est, vt describam. Is, in eo, quod nominaui oppidulo, caupo erat, Georgius Metzler vocatus, qui potiorem ætatis partem, quotidianis commessationibus, nocturnis perpotationibus, alea, lusibus, & id genus leuitatibus transegerat. Huc ergo seditiosi ex omnibus finitimis locis, non aliter atque apum examina conuolabant, & quodam nequitiæ suæ prętextu in prolatas ab aliis postulationes, & Pseudoeuangelii defensionem conspirabant: cum nihil aliud quam omnia diuina humanaque, hactenus laudabiles consuetudines obseruatas, publicam pacis tranquillitatē & vnitatem confundere, prorsusq; abolere cogitarēt. Multi ergo circa Idus Februarias ex Rottenburgensium colonis (duo millia fuisse feruntur) quibus alii aliique indies accesserunt. Præterea ingens turba ex Palatini, Moguntini, Herbipolensis, Principum, dominorum Theutonicorum ditione, aliorumq; nobilium atq; primatum dominiis, in syluæ Ottonicæ valle quadam Schupffer dicta paucis diebus conuenerunt. Hi omnes coniunctis copiis, Georgium Metzler, quem diximus, sibi summum ducem elegerunt. Quanquam autem alias multos eiusmodi duces iam exercitui præfecissent, hunc tamen summum, vt dixi, esse voluerunt. Erat autem inter eos tam discors concordia, vt ferme quilibet potestatem sibi vendicaret. Specie tandem aliqua magistratuum officiorumque militarium pro viribus constituta, vicina quæque inuadentes, vndecunque poterant prædas agebant, excitantes, imo cogentes quoscumque alios, repugnantes etiam, secum sentire; additis minis, vt quicunq; complices esse nollent, aduersus illos vt publicos hostes pugnaretur. Sic breui maximas copias coēgerunt.

12.

De occupato oppido & arce Mergetheim, & quibusdam aliis.

Perrexerunt ergo ad oppidum Mergetheim, quod Dominorum Theutonicorum est, cuius incolas sese eis vt adiungerent, postulabãt. Verum cum ciues iam pridem aduersus Magistratus rebelles essent; nam paucis diebus elapsis, fere quingenti Curiam Abbatis in Schæntal, quam illic habet, occupauerant, duos dies & totidem noctes in ea conuenientes, circiter quinq; plaustra vini exhauserunt. Vocati à Magistratu, vt huius facti rationem redderent, & quid ea re sibi vellent, indicarent, responderunt se poscere librum censuũ reddituumq;, & inde quod illis iniquum videretur velle delere. Itaq; hęc rusticorum turba in oppidum sine vi intromissa est; irruunt in aciem illicò; & quia commeatu copioso & affluenti erat instructa, manserunt ibi dies aliquot, indulgẽtes genio, vinoq; madentes, diuiso inter se quicquid lubebat. Nec prætermittebant finitimos quosq; (quemadmodum plerosq; Comites & nobiles postulauerant) in suas partes pellicere. Deinde arcem supra oppidum Mergetheim, ad Dominos Theutonicos pertinentem, quæ & noua Domus dicitur, violenter capiunt, expoliant, flammis prorsus funditusq; euertunt. Erant inter hos insanos viros eorundem Theutonicorum Dominorum domestici quidam, & priuata fide obstricti ministri. Hinc monasterium Schæntal (elegantiores, pulchram vallem vocant) occupant, monachos deformant; quicquid frugum, vini, penoris & pecoris, ac suppellectilis erat, auferunt; libros precũ Ecclesiasticarum, & alios lacerant, fenestras elidunt; charitatem fraternam Fratribus ipsius monasterii plane more Turcico impertientes

13.

De gestis eorundem contra Comitem ab Hoenloe.

Pergunt interim in ditionem Comitis ab Hoenloe, ad oppidum Oringam. illud enim Hoenloenses rustici, iam Senatu isthic in turres cõiecto, tenebant. His coniuncti 9. Cal. Mart. vna vt fama erat, ad Neopetram, vulgò Nevvenstein, in proximo sitam profici scebantur. Ibi generosus Comes Albertus ab Hoenloe vt plurimũ familiam suam habebat, qui iam cum fratre suo Georgio, relicta tamen vxore abierat. In hac igitur arce, haud difficulter capta, Comitis vxor deprehensa, spe gratiæ impetrandæ ad præcipuorum pedes se prouoluit; sed parum impetrauit. Sic vero res transacta est, vt dicti Comites ambo postera die domi se sisterent, nempe in Nevvenstein. Quibus auditis rustici, copias rus produxerunt, auectis tamen omnibus; vt & in Ortinga quoque, tormentis tam in arce, quam in oppido repertis. Ergo ruri suam Comitibus sententiam, vt sequitur, exponunt: velle omnes ex præsenti agmine, quod tum rerum potiebatur, serioque decernere, vt vterque duodecim conditiones illis ex Schæntal propositas reciperet, suaque fide firmaret; omnes præterea vel captos, vel iuratos suos impunitate & libertate donaret, & fide data absolueret: vtque hæc suis literis & sigillis confirmarent & corroborarẽt, ac in centum & vnum annos se obseruaturum promitteret. Hæc à Comitibus ita recepta sunt. Mox rustici exultantes, omnia tormentorũ iacula emisere. Præterea à Comite, vt cunctas bombardas omnes, vtendas sibi concederet impetrarunt. His itaque gestis discesserunt. Posthæc multis tum nobilibus, tum aliis in suas partes, vel vltro consocietatis, vel vi coactis, ad flumen Tuberim redierunt: vbi oppidum Curiam Episcopalem occupauere. Occuparunt deinde oppidũ Lauda & arcem, incolis in fœdus & fidem suam receptis, arce direpta & incensa. Aliquo denique tempore isthic in Mergetheim castra metati sunt.

14.

De seditiosis circa Heilpronnam congregatis.

Interim hæc furia latius alas expandit, & magna multitudo in vico quodam Flein dicto, supra Heilpronnam sito, 9. Cal. Martias, cum aliorum seditiosorum gesta subolfecissent, ad 1200. fere reliquis coniuncti concurrunt. Qui simul per vadum quoddam inter Heilpronnam & Suntheimium Neccarum multi nominis flumen transierunt, & Suntheimenses (id enim pago nomen est ad Theutonicos Dominos pertinenti) in suas partes coëgerunt. Profecti deinde Grosgartacum, Canonicorum Brusselensium vina illic exhauriunt; finitimos sibi partim fraude, partim minis deuincientes. Equidem terrore plerosque bonos viros, alias fidem integram magistratui seruaturos, in factionem suam cõpulerunt. Omnibus etiam exitium, qui non idem vellent, minabantur. Hinc Bylstein & Othmar pagos duos ita dictos inuadunt. Verum cum illic quod instituerant non satis succederet, Suntheimium repetunt, & in vicis Erkenbaco & Binsvvangen castra ponunt: nõ tamen ita diu hoc loco morati, nihil aliud effecerunt, quam quod vicinos in suam impulere sententiam. Tandem oculos Oringã versus intenderunt, Otthosyluanis illic se adiungẽtes.

15.

De rusticorum ad Neccarsolmum profectione.

Vtraque iam turba in vnum collecta oppidulum Neccarsolmum, quod à Neccaro alluitur, sub Theutonicorum Magistratione peruenit. quod haud difficulter obsequẽtibus incolis captum est. Hic ergo castra sua collocabant, & ingluuiei, nam plurimum commeatus, præcipue vini à Theutonicis illis relictum erat, indulgebant.

16.

De rusticorum tyrannicis gestis in V Veinspergg.

Aberat hinc vno milliari in montibus oppidum fertile, vna cum arce Weinspergg dictum; recentiores vini incolæ appellant, sub Ducatu Wirtembergensi; in quo inhabitantes ciues, contra fidem datam, ius, fas & æquum, crudelissimum scelerat issimumque scelus, quale vix aliud vnquam auditum est, contra suum Magistratum, mutua cum exercitu, qui tum in Neccarsolmo erat, conspiratione machinabantur. Nulla adeo ex re isthuc mali, q̃ ex mera & pertinaci malitia fluxerat; quippe cum nec coacti essent à quoquã, nec obsessi. Ad hæc habebant secum equites ferme 70. viros virtute & imaginibus illustres, quos eò, ii qui Ducatum Wirtembergensem administrabant, in præsidiis arcis & oppidi locauerant. Inter eos autem hi præcipui numerabantur, Generosus Comes ab Helffenstein Ludouicus nomine, cui arcis & oppidi præfectura commissa erat; nobilis Dietherus à Wyle cum filio, Ioannes Conradus Præfectus in Vahinga, Sebastianus ab Avve, Georgius VVolff à Noua Domo, cum cognato suo Friderico; Eberhardus Sturmfeder, Ioannes Dietherus à Westerstetten, Rudolphus ab Altershouen, Burchardus ab Ohingen, Philippus à Berenhausen, Georgius à Frigida Valle, vulgò Kaltental, & quidam ab Hornheim. Ciues ergo cum exercitu, qui in Neccarsolmo erat, de proditione consilium capiunt, & exercitum, equitum negotium patefacientes, instigant, & ad peragendum impellunt. Agmen ergo Solmensium ad hoc facinus facile impulsum (vt cui sponte currenti calcaria subiiciebantur) nocte castra mouet, & summa velocitate vallem viuinontanam petit. Postera die, quæ Christo resurgenti sacra erat, circa horam nonam, bifariam diuisi, pars in arcem, pars in oppidum ingenti cum clamore & tumultu portis effractis impetum faciunt. Hinc contra, nobilissimi illi, Comes, armigeri, & equites in subsidiis locati, clam & incauti, & inermes à proditoribus opprimuntur, vt qui nil minus, quã tam atrocẽ ciuium fædifragorũ perfidiam sperauerãt. Tum ciuium bellicæ machinæ in altum directæ, irruentium hostium de industria neminẽ plane lædebant, sic primo impetu, nemine repugnante, arx & oppidum capta sunt. Quibus non contenti, væsanam & furiosam quam diu meditati fuerant tyrannidem exercere, & omnem animi libidinem, iuxta plebi scita sua in centum & vnum annos decreta expleuerunt. Illa fuerant; *Omnes Principes Barones, Nobiles, Equites, & quicquid calcaribus vteretur; præterea Sacerdotes, Monachos, aut otiosos, vbi vbi inuenti fuissent, è medio tollendos esse.* Fortassis confratrum sanguinem, à Suevicis confœderatis effusum, id quod postea ex quorundam relatione compertum est, vindicaturi. Ad hoc igitur viam parantes, vt timorem, horroremq; nobilibus incuterent, iam dictos Comitem, & nobiles, crudeliter, horribiliter, & plusquam immaniter in hastas egerunt. Fuga se Dietherus Weyler vir procero corpore in Ecclesiæ turrim subduxerat; quem illi cõfossum, ad ludibriũ in cœmiterium, piecerunt. Adeò porrò obstinatę malitię nefarii & scelesti latrones erant, vt nec equitum nobiliumq; innocentib. pueris parcerent, sed omnes duobus tantũ exceptis, quib. magna fortuna calamitasq; iuxta nota esse potest, miserabiliter interficerẽt. & vt omninò suæ facerent satis temeritati, & libidinẽ explerent, Comitis iam dicti vxorẽ honestissimã fœminã, omnibus, quæ habebat spoliantes, in eam & filiolũ brachia saeuum multa crudelissimè designauerunt Hæc quisquis religioné Catholicam & virturem amas, tecum cogita, & Catholicorum tam nefarie oppressorum vices dol.

17.

Vt Palatini Magister Equitum se contra seditiosos gesserit.

Interim Palatini Magister Equitum Guilielmus ab Haber ex Mospaco, quo cum equitatu ad præsidia missus erat, iussu Palatini ad Comitis Ludouici ab Helfenstein postulationem, de quibusdam cum eo rebus in Weinsperg tractandis iter instituit. In itinere vero ex monte quodã haud procul à Weinsperg, seditiosorum furore, quem in oppido & arce exercebãt cognito, cum paululum spectator constitisset, ad suos qui in Mospaco erant, rediit. Inter vias autem in rusticos 60. aut plures armis paratos, qui bellico curru ad exercitum se conferre voluerant, incidit. His viam intercludens Magister Equitum, & pugna commissa, omnes ad internecionem vsque deleuit; multis tamen eo in conflictu equis fauciatis. Qua fama ad alios perlata, multa esse minati atrociter dicuntur; auenam hanc (alludentes ad cognomen magistri equitum) egregie se trituraturos, & si ex arce Palatini petenda erat.

18.

Vt rustici Vinimonte profecti Monasterium Liechtenstern occupauerint.

Vt igitur boni illi viri scilicet, rem suo videre egregie ex sententia gesserant, arce & oppido præsidio firmatis, abierunt ad virgines Vestales claræ Stellæ. hoc monasterio nomen est apud Levvenstein sito. Apud has magna vini copia exhausta, & elisis vasorum, quæ epotare non poterant fundis, effusoq; humi vino, more suo monasterium vastarunt, & depopulati sunt. Hinc generosos Ludouicum & Fridericum Comites à Levvenstein fratres adorti sunt, eosq; cum suis suo arbitrio tractarunt. Deinde ad eos, quos in Neccarsolmo reliquerant, reuersi, Theutonicorũ dominorũ arcem Schevvernburgum dictã, exigua manu, nemine resistente (omnes enim hinc præ timore aufugerant) aggrediuntur, spoliant, & flammis crepitantibus in cineres redactam per aëra spargunt.

19.

Vt rustici Heilpronnam ciuitatem in deditionem postulauerint.

His gestis exercitus Heilpronnam obsedit, & Monasterium Carmelitarum extra muros occupatum deprædatur, & solo æquat. Mox ciuitatem in deditionem postulat, quæ quidem res Senatui parũ placuit. & repugnaturus erat, nisi sententiam mutare propter vulgi pertinaciã coactus esset. Vulgus enim illic, vt vbique tum locorum, seditionis & prædæ auidum, opes ingentes se sperabat acquisiturum. quin etiam antea Senatui sua sponte aduersatum, absq; illius permissu in Dominorum Theutonicorum illic domum irruerat, ibique vino & epulis oneratum, quanquam Commendator (sic enim vulgo appellant Monasterii superiorem) magnam prius beneuolentiam panis & vini elargitione declarasset. Senatus itaque populum cohibere non potens, seditiosorum tandem minis (quia nisi compotes voti fierent, se vineas omnes circumiacentes deuastaturos minitabantur) coactus, certum eorum numerum ad recipiengum commeatum, & reliqua necessaria in ciuitatem intromisit. Permissum etiam est prædæ, sic vrgente necessitate, quidquid opum (quæ neutiquam, præsertim apud Dominos Teuthonicos exiguæ) vel in Monasteriis, vel apud Sacerdotes, vel ab exteris istuc repositũ erat.

20.

Vt rustici ad Gundelsheim, & deinde ad Francorum agmen profecti sunt.

Ergo cum fidifraga ista rusticorum turba libidinis suæ Heilpronnę quoq. compos esset facta, profectionem potenti manu, contra militaris ordinis dominorum Theutonicorum Magistrum adornantes, feriis Paschalib. vniuerso cum exercitu, Neckersolmo prius præsidiis firmato, Gundelsheimium vbi ille cum familia sua in arce admodum egregia habitat, petierunt. Verum eodem tempore idem Theutonicorũ dominorum superior, cum familia sua & pretiosissima quaq; suppellectile Heidelbergam, seditiosorum nõ expectans aduentum, se contulerat. Oppidulum ergo cum arce, ciuium nemine resistente obtinuerunt: arcem deinde, in qua satis vini frugumq; fuit, diripuerunt & demolierunt. Illic dies aliquot cõmorantes finitimos quosq; pagos in suam sententiam magno cum concursu pelliciunt, & multum frumenti, quoniam magnam huius habebant copiam, passim vendunt. Post aliquot castra mouent, & Schefflarz, id valli nomen est, petunt: hinc Bucham versus, quod oppidũ est Moguntinæ ditionis, pergunt; monasterium Amerbachum occupant, expoliant & deuastant: & cum nouem ciuitates in diœcesi Moguntina ad Mœnum flumen celebre, & syluam Otthonicam sitæ, se eis adiungissent, vna cum aliis eiusdem ditionis subditis, Argentinensem Episcopum, qui tum Moguntiæ in absentia reuerendissimi & illustrissimi Principis & Domini, Domini Alberti sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalis, Moguntinensis & Magdeburgensis Archipræsulis, Halberstatensis Administratoris, sacri Romani Imperii per Germaniam Archicancellarii & Principis Electoris, Primatis, &c. Marchionisq; Brandeburgensis &c. vices gerebat, Aschaffenburgen in arce obsidentes, ad sue voluntati parendum coëgerunt, & vrbem occupauerunt. ad quod facinus ciues illic omni studio, auxilio fuere. Pleriq; etiam ex illo confinio, in Sacerdotum ædes dispertiti, commessationi & ebrietati vacabant. Postea ad aliam turmam, quæ in Franciæ partibus tum orta erat, se conferunt, & arcem Herbipolensem, septem vel octo millia numero, prius Wildenburgio, & Lymbacho arcibus incensis, obsederunt. Generosum etiam Comitem à Wertheim Georgium adorti, vt ab illis staret, & bellicas machinas, q̃ postmodum in arce Herbipolẽsi inuẽtæ sunt, mutuo daret, coëgerũt.

21.

De Francorum agminis profectione & gestis.

Circa Calendas Martias, cum seditiosi ex Colonia Rotenburgensium, & valle Tuberina concurrissent, examen Francorum conualuit. Qui post aliquot dies ex Rottinga, quo se collegerant, tribus vexillis versus Buchard, id arci nomen est, profecti sunt, equites ibi circiter centum triginta obsessuri. Qui per speculatores suos certiores facti audacter obuiã ire, rusticorũ propositum frangere, cum eis pugnare, multos cõfodere, alios in fugam vertere; priusquã totam agmen subsequeretur. Quo cõspecto se incolumes pededẽtim Herbipolim receperunt. quibus absentib. arx Buchard à rusticis facile obtenta, & direptis magnis opibus incensa est. Hinc pedem promouẽtes, castra extra oppidũ Navve posuerunt, depopulatis arcibus Geilsheim, & Reygelsberg, è quibus frumenti supra tricies quinquies centenos, vt vocant, maldros repertos, inter se in singula vexilla centenos quinquagenos diuiserunt. Reygelsberg incensa. Post biduum relicto Navve oppido, castra extra Ochsenfurdum fixerunt: vbi quingenta vini plaustra, & immensam fruméti cõpiam, in Herbipolensium Canonicorũ promptuario repererunt. Quapropter aliquot dies ibi cutem curãtes, multos sibi socios adiunxerunt, cum quib. vna versus Iphouen progressi, ibi quoq; in promptuario Monasterii de Birckling en multum annonæ & cõmeatus nacti sunt. Vestes præterea & ornatus sacros, & calices, & alia templi cymelia inter se distribuerunt. Et cum eis huiusmodi actiones & gesta probe succederent, nihil feriati, altero statim die, vlterius ab Iphouen ad Vestalium Virginum Monasterium Svvarzacum gradũ fecerunt: in quo plurima & preciosissima Ecclesiæ ornamenta, q̃ clinodia vocant inuẽta inter se diuidebãt. Tribus hic diebus transactis, Gerolsheimium veniunt, vbi promptuaria vino & frugibus refertissima prorsus euacuãt, exhauriunt, exhaustaq; depopulantur, & destruunt. Noctu quoq; arcem Stolberg direptam concremarunt. Postero die arcem Bimbach nobilium, qui à vulpibus nomen habent, occupant, & opibus, quas illic ingentes repererant ablatis, in cineres redegerunt. Sequenti die Duces agminis consilio habito arcem Zobelstein obsidẽdam censuerant; plurimorum vero suffragiis vincentibus Herbipolim exornata acie profecti sunt. Sub hæc ciues & municipes in Gerolzhouen in arcem irruerunt, eamq; diuisis inter se thesauris tandem incenderunt. Interim dicti rustici retrò abeuntes, arcẽ quæ hic distribuũtur omnes, nempe eam, quæ apud Groslanckheim cũ promptuario, arcem Stephansberck, arcẽ Sichartshusen, item arcem Michelsfeld depopulati sunt, re plurima potiti, flammis exusserunt. Præterea Virginum Vestalium & Carthusianorũ monasteria, non procul à Gerolzhouen sita incenderunt. Iam repetentibus Ochsenfurdum obuiam facta est in Mœno Episcopi Bambergensis onerata magnis mercibus nauis, quam intercipientes retinuerunt eodem die, quo Herbipoli erant turmatim cõgregati. Præterea, q̃ in oppido Kizingen vna cũ aliis ex Marchionatu circiter duo millia Rottenburgẽsib. accesserũt.

22. *Vt rustici castra suam Heidingsfeldt posuerunt, & arcem Herbipolensem obsederint.*

Hi ergo rustici circa nonas Aprilis Ochsenfurdo relicto Herbipolim versus profecti, castra extra Heidingsfeld, id oppido nomen est posuerunt. Eodem die, quo hæc agebantur, tria vexilla ab exercitu, ad Gybelstadium, Engelstadium, & Grunsfeld arces depopulandas & incendendas ordinata, id & haud grauatim faciebant. Perendie cius dici rustici quiescentes, arcem Herbipoli, D. Virginis montẽ dictam in deditionem postulauerunt. Duobus interim diebus cum illis Canonici & nobiles Francorũ de pace tractabant; sed cum nihil sic efficeretur, sequenti die, qui in arce erant bellicis machinis nouem viros interfecere. Induciæ pacis per tres dies vt seruarentur constitutũ: quibus elapsis, sub noctem seditiosi arcem obsederunt, bellico apparatu probe instructi. His passim Ecclesiæ Herbipolensis subditi ad seditionem mouentur, fit subitus fædifragorum concursus, vbique, adeo vt in castris apud Heydingsfeld positis quoties voluissent supra viginti millia armatorum numerare potuerint. Ad hæc ciues, vniuersi Herbipolenses ad rusticos deficiẽtes, vna cum illis, quos in ciuitatem intromiserant a rcem illic tormentis bellicis circumsessam oppugnauerunt.

23. *De seditione in Brurhein orta.*

Simili modo turba rusticorum ferme Lius, æquum, fidem datam contemnentium, circa Calendas Martias in Malsch, id pago nomen est, in Brurhein diœcesis Nemetum sito cõgregata est. & cum Reuerendissimus idemque illustriss. Princeps Georgius Nemetum Præsul & Comes Palatinus nonnullos ex suis equites ad res explorandas cò misisset, interea etiam, q̃ nil tum temere actum esset, tum eis, qui in Malsch erant, tum aliis dicti Episcopi circumiacentes pagos habitantibus insinuauit, sibi eorum ergà se seditionem indicatam. Quare piis exhortationibus rogat, ne à se deficiant. Quamuis autem hoc se, vt bonos viros docet, facturos, pollicerentur; nihilominus tamen dicebant se apud illum, qui fortior esset, quiq; illos defenderet, mansuros. vnde mentis illorum inconstantia quicquid molirentur, probè animaduertebatur. Sequẽti enim die ea ipsa turba ad prædam se præparans, alios pagos quoq; ad se trahebat; promptuarium in Malsch, q̃ Spirẽsium Canonicorum est, inuadunt, vinoq; madent: hac spe ducti, nempe se eo in loco nouũ regimen excitaturos. Cuius rei gratia plurimos vicos in suam sententiam monitoriis literis pelliciebant. Exemplar harum est, in hunc modum: *Decreuit & iussit Rustica Communitas, vt vestro populo collecto N. viros cum armis probe instructos, diuinæ iustitiæ auxilio futuros, ad nos in Malsch sub noctem iam aduenientem mittatis. Id si non feceritis, certi sitis, vos vitæ, honorumque omnium incertos fore.* Sic ergo turba illa rusticorum, qui numero ferme 500. erant, Plezberg, id monti nomen est, prope Malsch occupauit. Quare Spirensis Præsul coactus serio contra seditiosos agere, præsertim cum alii rustici se auxilium laturos essent polliciti Episcopo, facile hanc tumultuantẽ turbam à suo malo proposito reuocari posse arbitrabatur. Sed ô hominum perfidiam, dicam an inconstantiam? Equidem Episcopo nõnullos equites vna cum Ioanne à Colle, alias à Wachenheim dicto, præfecto in Brurhein eò mittẽte, & Palatini Principis Electoris magistro equitum, cum 200. equitibus, & leuibus machinis quibusdam, dicto præfecto in auxilium veniente, nempe cum rusticis, nisi sententiam mutarent, vt bellum in monte gereretur. Sed in ipso iam ingressu rustici equitibus Episcopi iuncti, ad seditiosos, nulla iuris aut æqui, aut fidei datæ ratione habita deficiunt; & illorum fœdus, sodalitatem atque confraternitatem assumunt. Hinc ergo Palatini Magister equitum cum præfecto discessit; quod mons vndique vineis circundatus esset, quò equi, nisi cum maximo damno peruenire nequibant. Vnde hoc agmen breui auctum est. Præterea cõcursus erat admodum velox rusticorum, Spirensis Ecclesiæ subditorum, quique ad Rhenum habitabant. Cogebatur Episcopus ex arce sua Vdenheim dicta ad fratrem Palatinum principem Electorem Heidelbergam se recipere. Nam vniuersa ditio Brurhein, illicò seditiosis accedẽs, arcem Rottenburg cum pago, arcem quoque Kisselhavve, præterea Brussellam & Vdenheimium oppida cum finitimis pagis sibi adiunxerat, quorũ plerosq; sola postulatione acceperat. Sane non difficile factu erat, cum mala mens malus animus omnibus, nec pilo alius alio melior esset. Inter hæc Fridericus Wurm, & Ioannes ab Hola ciues Brusselluni, cum aliis exercitibus Ducibus ad summum Magistratum eliguntur.

24. *Vt seditiosi in Brurheim cum rusticis Marchionatus Badensis eo profecti sint.*

Iam vero Marchionatus Badensis rustici, etiam antea seditionẽ excitauerãt. Paucis enim exactis diebus, vulgus in Durlaco (id oppidi nomen est non admodum à Brussella distantis procul) tumultuans præfectum illic ceperat & rusticos vicies quinquies centenos numero aut circiter ex nõnullis adiacentibus pagis eoncurrẽtes ad se in oppidũ intromiserat. Monasterium Gozavv occuparat, & eo depopulato deuastauerat. Aduersus quos illustris Princeps Marchio Badensis Philipp°, equitib. aliquib. in seditionis initio vsus est. & cum piis adhortationibus locum nõ relinquerent, quorundam domibus in Barghausen, id vico nomen est, incensis, eos vt ab incepto desisterent coegit. Ita incendium illud tum restinctum; manẽte tamen interim in illorum omnium animis odio, quod semel ceperant, inextincto. Vnde seditiosi in Brurhein Brusella occupata, cum Marchionatus Badẽsis rusticis cõsilium ad suam libidinem perpetrandã capientes, hinc & illinc erecto vexillo iam dictum Marchionatum petere, religionis titulo signatos cogere, pleraque monasteria occupare, & partim deuastare. Præsertim ea, quæ erãt sub titulo Herrenalb & Fravvenalb in nigra sylua sita. Hic quoq; cõplusculos dies crapula & ebrietate consumpserunt. Iam nelatius hoc malum serperet, Princeps Badẽsis se ad illorum voluntatem cõponere coactus est.

25. *De horum seditiosorum profectione, & cum Episcopo Spirens. icto fœdere.*

Vterq; itaq; exercitus hinc profectus, in Spirensis Ecclesiæ ditiones pedem promouit: dimidia vero pars ferme 35. centeni rustici prope vicum Schreck Rheno transiecto monasterium Herde, & Curtam Mechtersheimium, quamuis ante nonnullæ seditiosorũ turbæ, q̃ Heilsprukerana turma qua de infra mentionẽ faciam cõgregata esset, fruẽntũ & vinũ inde abstulissent, inuadunt, & q̃ ab aliis reliquum factum fuerat, vniuersum depopulantes demolientesq; diripuerunt. Hinc apud Reinsheim, rursus Rheno deuecti ad suos se conferunt sodales, qui iam Vdenheimium petierant; eo consilio vt Spiram Nemetum vrbem celebrem obsiderent, & Sacerdotes illic constitutos suum ad arbitrium reformarent. Id ne succederet, satis diligenter prospectum est. Præsul enim adiunctis duobus nobilibus, Diethero Camerario Wormatien à Dalburg, & Bernardo Golern à Rauenspurg, securitate impetrata, subiens hoc onus ad rusticos peruenit, & multis conditionibus oblatis, tandem cum seditiosorum antesignanis cõcordiam iniit. & quo citius hinc proficiscerẽtur, Clerus Spirensis illico 200. maldros panis, 25. plaustra vini, & animalia ad centum aureorum Rhenensium valorem in Reinhausen se missurum polliceri cogebatur. His gestis rustici dissipati, duces suos ad propria redire permisere. Interim tamen exercitus in Brurhein regimen, & antesignani Brusellæ cõgregati, officio suo fungebantur, rusticis nunc discedentibus, nunc accedentibus ita vt cum vellent quinq; vel sex millia armatorum in promptu numerare potuerint.

26. *Vt rustici in Brurhein contra fidem publicam datam quosdam de Principis Palatini ditiones ceperint.*

Inter hæc admodum multa bonorum plaustra ad mercatores in superioris Germaniæ vrbibus pertinentium in oppidum Bretheim commeatu Principis Palatini aducta erant, nec tum aliò cõmodè propter seditiosorũ tumultum vndiq; debacchantiũ auehi poterant. Quorũ desiderio nõ modo rustici in Brurhein, verũ etiã seditiosi quiq; in circuitu mirificè tenebãtur, & vt hęc inter se possent diuidere toto mentis affectu exardebant. Quamobrẽ ciues Bretheimẽses sæpius in deditionem postulati, & forsan voti facti fuissent compotes, nisi Princeps tam accurate bonorum quorundã auxilio fretus illorũ dolis obstitisset. Nonnunquã minis seditiosi insistebant: præterea ciues diuersarum erant partium. Cum vero hæres non minus celeriter quam periculosè agerentur, adeo vt momentis omnibus hostium esset metu endus incursus, cogebatur Princeps Palatinus, ne tam graue damnũ daretur adhibere curam, & in oppido, quo iam pridem nõ paucos equites destinarat, maiora præsidia collocare. Misit ergo nobilem quendã nonnullis adiunctis equitibns, qui 500. pedites ab Heidelberga Bretheim duceret. Iam tum seditiosus exercitus in

Brurhein cum Spirensi Præsule fœdus, vt dictum est, inierat, & per litteras Principi Palatino receperat, Comites, Nobiles, Ciues cuiuscumque status aut ordinis essent in Palatinatu, vt libere iter in Brurhein, & Ecclesiæ Spirensis ditione facerent, se permissurum, & quicquid impedimenti esset (viam enim publicam aggeribus præcluserant, & occupauerant) ablaturum. Proficiscitur ergo prædictus Dux cum suo exercitu versus Bretheim, hostium dolum nequaquam veritus: quem cum suis ad Vndernewesheymium, id pago nomen est, venientem, rustici inde erumpentes multitudine circumdant, & morte pœnas daturos omnes nisi fidem illico dent se ad Heidelbergam reuersuros minitabantur. Sic Principis ordinationi, contra icti fœderis contractum obsistebant: quæ res ipsum non immerito ad inclementiam, & vt paulo seuerius in illos animaduertere posset, commouit. Hoc vero à funestis latronibus factum facile crediderim, quod sperarent vel se vel suos complices de prænominatis mercatorum bonis partem accepturos.

27.

De seditiosis in Zabergauia, & quid vna cum VVirtembergensibus egerint.

Sub idem tempus nouum tumultuantium agmen in loco quem Zabergawe vocant, oritur Ioanne Wunderer, & Iacobo de Beckingen ducibus, & huius ludi choragis. Qui iam aliquoties aucti, arcem Stoclesberg, sub Teutonicorum Dominorum dominio prope Heuchelberg capiunt, vino frumentoque satis instructum occupantes, facile capiunt. Nulla enim domus quantumuis firma, propter solam proditionem resistebat. Arce hac depopulata destructaque, hinc profecti, cum Monachorum Curia Derdingen dicta à suis etiam cuacuata esset, Monasterium admodum celebre Maulpronnum obsident & obtinent. Vbi quia nihil vel vini vel aliorum necessariorum deesset, complures dies manserunt, vitam plane Epicuream agentes, prorsusque de crastino non curantes. Interea grauibus terribilibusque minis Bretheimenses, vt aut sibi prædicta mercatorum bona mitterent, aut se in oppidum intromitterent sæpius sollicitabant. Multis vero id genus postulationibus consumptis, nec quod proposuerant Principis Palatini exactissima diligentia, Bretheimen, ne ad hostes deficerent imprætermisse hortantis interueniente, possent assequi, Monasterio prædicto iam probe euacuato, depopulato, demolito, Bretheimensibus tandem infesti esse cessauere, & ad ingentem exercitum apud Bodmar Sueuiæ oppidum collectum peruenerunt. Quo cum adiunctis etiam seditiosis Nigra sylua profectis in vnum conglobati, maiorem ferme totius Wirtembergensis Ducatus partem, arces videlicet, oppida, pagos Hohen Aspergo, Tubinga, vbi tum Wirtembergense regimen erat, & Vraco exceptis, occupantes ceperunt. Præterea omnia in prædicto Ducatu, præsertim Lorcense & Adelbergense non parui nominis monasteria depopulati sunt, & deuastauerunt. Ad hæc arcem Hohenstaufen, & pleraque alia nobilium castella concremarunt, vbiq; dominandi libidinem exercere conati.

28.

Quo pacto seditiosi in Brurhein mercatorum bona à Bretheimensibus postulauerint.

Interea eorum qui in Brurhein erat exercitus nequaquam quieuit: cum nec aliæ male feriatæ turbæ in Zabergauia congregatæ quiescerent, sed sæpe dicta negotiatorum bona à Bretheimensibus postulauit: datis his literis. Charissimi fratres & amici. Certiores facti sumus ingentem exercitum vos propter bona è Francofordia aducta fortiter oppugnare constituisse. Iam cum sumus vicini, quos non immerito in amicitiam debetis recipere, petimus si res cò veniret, id nobis significetis, nosque hoc vobiscum negotium explicare annuatis. Confidimus enim nos certe tantis copiis ad vos venturos, vt inuicem iuncti velimus possimusque prædam propter quam vos oppugnare decreuere inter nos facile retinere. Hæc vos fraterna & amica intentione ducti celare noluimus. Hæc illi. Quamuis autem multæ ouces morbidæ inter Bretheimenses essent, quæ forsan si illis facultas non defuisset, seditiosos voti fecissent compotes, tamen Principis, cui nihil ab vlla parte remissum, aut curæ, aut laboris erat, & bonorum operа eius mandatis fideliter obtemperantium, quod optauerant minime assequebantur.

29.

Vt seditio in Alsatia orta sit.

Tumultuantium itaque positionibus, quibus sceleratissimis suis cupiditatibus honestissimum Euangelicæ libertatis titulum prætexebant, longe lateq; dispersis, magna & periculosa seditiosorum seditio, circa solẽnitatem Paschalem in Alsatiæ partibus orta est. quorum in exercitu cum primũ plusquam M. viri essent, monasteria passim, quemadmodum & reliqui eius farinæ facere solebant, occupabant, demoliebantur, deuastabant. Fit & ingens prope pagos Ringendorff & Paffenhouen cõcursus. Inde magis magisq; aucti ex omnium adiacentium pagorum multitudine, Neoburgum & S. VValpurgis monasteria in Hagenensium saltu capiunt, vbi & vitam plane Sardanapalicam ducebant, capta depopulantur, depopulata tandem diruunt. Eodem modo Chonigsbruck & Biblies Virginum Vesalium monasteria exornabant. Pergentes inde relicto saltu in pagum Surberg, vbi Sacerdotum domibus direptis, circumiacẽtes pagos in deditionem postulatos hortabantur fraternæ communitati, quæ tum in tribus locis diuisa erat in Neopurgo, in Altorff, in Stechsfeld, se adiungerent. & quo facilius persuaderent, supra xxx. millia armatorum his tribus locis contineri testabantur.

30.

Vt oppidum Zabernia in Alsatia captum sit.

Cum ergo non Monasteriorũ modo & Sacerdotum, verũ etiam Principum nobiliumq; bona, ædes arces, furibundi nebulones inuasissent, deprædati essent, & deuastassent, vniuersæ illæ cohortes in vnum exercitum (nam xxx. millia seditiosorum erant) redactæ, oppidum Alsatiæ Zaberniam, in quo Argentinensis Episcopus residere solet, obsident, & ad simplicem postulationem intromissi, intra & extra castra sua collocant.

31.

Vt à Duce Lotharingiæ hi rustici sint cæsi.

Interim Illustriss. Principis, Domini Antonij Calabriæ & Lotharingorum Ducis subiectis circa Saram fluuium, & in circuitu eodem modo ad seditionem consurgentibus, & Hermelsheimium, id monasterio nomẽ est, depopulantibus, idem Princeps quanta maxime celeritate poterat copias equitum peditumq; collegit. Multi etiam Germanorum nobiles, qui sub illa ditione erant Principi auxilio veniebant. Breui quoq; prædictis copiis, quinque vel sex millia peditum ex inferiore Germania venientium adiunxit. Ad hæc non contemnendum equitatum, quippe duo equitum millia fuere, inter quos cc. cataphracti, & nonnulli Galli erant, comparauit, hostibus bellum illaturus. Verum cum Lotharingiæ ditionis seditiosi, relicto Helmelsheimio iis qui in Alsatiæ Zabernia erant accessissent, oppidum illud à Principe obsessum est. Eo autem cum seditiosis de pace tractante, milites eius ex improuiso ferè VI. millia rusticorum fi. tribus suis in oppido accedere volentium offendunt: sed cum Principis exercitum olfecissent, recta declinantes, vnicum dictum Lupstein petierunt. quos insecutus Principis exercitus, vico incenso omnes interfecit. Postera die arx & oppidum à Principe capta sunt, & ex ciuibus quorum mire pauci superstites manserunt, & ex seditiosis XX. millia occisa, vel supra. Oppidum ab exercitu depopulatum, probeq; expilatum, præterea ingentes opes inuentæ sunt. quin & pleræq; virgines & matronæ insigni pulchritudine à Lotharingis in discessu abductæ.

32.

Vt agmen in Cleburg coierit.

Rustici quos iam à Duce Lotharingiæ fusos esse diximus, adhuc Monasterium Neopurgum occupantibus, ciuis quidam VVeisseburgensis homo plane leuis se voluit adiungere, cum vero hic nulla esset autoritate relictis ipsis, Cleburgum, id pago nomen est, aut si mauis Thymopolim appelles licebit, petit, adiunctis sibi CC. leuissimis viris nouam seditionem excitauit. Qui primum in campo, quem vulgo Rennfelt vocant, haud procul à VVeissenburg, aut si plus elegantius nomen arridet, dices Leucopoli, distante, ex adiacentibus pagis, & potissimum ex Principis Ludouici Ducis Comitis Valdentiæ ditione conuenerunt, & Thy-

mopolitanus exercitus appellati sunt. Hi primo impetu vicos Riedsels & Schweighouen occupantes, paganos illic, vt suæ fraternitati se adiungerent, coëgerunt.

33.

Vt iam dicti seditiosi se contra Præpositum Weissenburgensem gesserint.

Igitur Thymopolitanus exercitus, tandem S. Remigij arcem, prope Syluam quæ ab incolis Boewald vocatur obsidet, & in deditionem postulant. Hos autem ad casus præuisa erant à Præposito Weissenburgensi (ad suæ enim Ecclesiæ ditionem hæc arx pertinebat) fortiorum virorum præsidia. quibus vt dignum erat ad repugnandum paratis, seditiosi arcem bellicis machinis aggrediuntur oppugnare. Ad hæc oppidani quidam monasterium VVeissenburg (recentiores etiam Albipolim vocant) adiunctis quibusdam tumultuantibus rusticis, occuparant, deprædati erant, diruerant. Hi satis diligenter seditiosos arcem oppugnantes etiam suis machinis bellicis iuuerunt. Quamuis autem qui in præsidiis erant multis diebus viriliter hosti resisterent, tamen nihil auxilij sperantes, nec belli molem suismet ipsi viribus valentes sustinere, ad extremum circa Calendas Maias arcem relinquere coacti sunt. Quibus in deditionem acceptis seditiosi in arcem irrumpũt, depopulataque incendunt, incensæ tenues fauillas in aëra spargunt. Hinc oppidum Selz, sub Principis Palatini ditione obsident, & ciuium resistente nemine intromissi, Canonicorum illic habitantium ædes occupant & populantur. Haud procul aberat Rædder arx Friderici à Hleckenstein insigni nobilitate viri, qui tum Principis Palatini nomine apud Sueuicos confœderatos legatione fungebatur. In hanc arcem, relicto oppido excursiones faciunt. Iam capta, seditiosis aliud agmen subsidio ibat, quod Tonsile, à rotunde detonsis capitibus appellabant. Vtrisque vno animo placet arcem captam, in qua non contemnendas pretiosissimarum rerum opes inuenerant, vastare. Tum vero quia seditiosis in Alsatiæ Zabernia, vt petierant, auxilio se venturos promiserant, impigre inde profectionem eo adornant. Venientibus eis ad Buschweiler, id pago nomen est, Ducem Lotharingiæ cum confratribus suis manus conseruisse, eosq; maiori parte in Alsatiæ Zabernia confossos, nunciatum est. Hoc audito, quantumuis antea cœlum terræ (vt aiunt) commiscere conarentur, timore concussi sunt. Tutissimum ergo non progredi, ne simili gratulatione excipierentur, rati, dissipato prorsus exercitu ad propria singuli redierunt.

34.

Quid prædictum agmen Tonsile egerit.

Hoc agmen Tonsile ferme circa Idus Aprileis in Wasgauia ortum, & in Sturzelbronno, id nomen monasterio est, collectum. Quod vbi deuastarunt, inde profecti, generosi Comitis Emmichonis à Leiningen seniores, Greuenstein & Lindebron castella occupant & incendunt. Eodem modo Landeck arcem in VVasgauia sitam capiunt. Deinde pede vlterius promoto, Ramberg nobilium à Dalburg & Elmstein Alberti à Pag in montanis haud procul à Neapoli, arces inuadunt, capiunt, diripiunt, incendunt. Quicquid autem rerum pretiosarum in arcibus prædictis inuenerunt, depeculati sunt. Tandem Anweiler & Bergzaberniam oppidis in suam potestatem redactis, Thymopolitano exercitui iuncti, audita fratrum suorum strage domum se proripuerunt.

35.

Vt Lotharingiæ Dux alium exercitum seditiosorum ad vicum Scherweiler deleuerit.

Rebus itaque in Alsatiæ Zabernia sic confectis, Lotharingiæ Dux in suam prouinciam rediturus primum ad Scherweil, id vico nomen est sito in valle quam VVeglerthal vocant, profectionem adornauit. Eo autem ad Danbach cum exercitu veniente, nunciatum est agmen è loco quem Kestenholtz à castaneis appellant, in montanis adesse. Præterea alium exercitum è Schlestadio exisse, & in superiori vico Scherweiler esse iunctum, dicebatur. Erant autem vtroque in exercitu rusticorum xvi. pene millia. In hos missis prius nonnullis speculatoribus instructum, tum equitum, tum peditum ordinem Princeps duxit. quo cognito, circiter quinque vel sex millia seditiosorum cecidere. Quia vero in multam noctem dimicatio erat protracta, adeo vt pugnæ initio Lotharingenses vicum Scheiweiler incendere cogerentur, quò ignis splendore hostem commodius possent prosternere, reliqui fuga salutem petere contendebant. Sequenti die Princeps cum suis copiis in Lotharingiam reuersus est.

36.

Vt hoc detestabile malum in Palatinatum serpere cœperit.

Interea quamuis Illustrissimus Princeps Ludouicus Comes Palatinus ad Rhenum Dux Bauariæ, Sacri Romani Imperij Archidapifer, Princeps Elector, nullum non lapidem, vt prouerbio dicitur, mouebat, vt subiectos suos benignitate & innata clementia à venturo excidio præseruaret, tamen venenum illud late diffluens vulgo adeo placuit, vt passim arrectis auribus ad tumultum & seditionem progressum sit. Noctu magistratum timore posthabito inuadunt; leges, tum iudicia antiquitus & sancita & obseruata vt mutentur instant. Hoc ergo periculoso igne circumquaque flagrante, quorundam rusticorum in Palatinatus tractu coniuratio, veluti ex latebris & ex tenebris sensim erupit. Sed rem ipsam paulo altius repetamus. Pagus haud procul ab oppido Landoia aberat, Nusdorff, à nucum vt æstimo copia dictus. Quo cum in Paschalis solennitatis octaua multitudo circumincentium, vt mos tum erat, ad sacræ ædis dedicationem celebrandam conuenisset, contigit vt ferme CC. facinorosi se tumultuanté seditionem excitaturos coniurarent. Ea ergo ipsa nocte prope monachorum villam Geilyweiler congregati, montem occupant; à quo in circumiacentes pagos transeunt, villanos etiam lecto & somno deditos suscitant, multos in suam sententiam miris variisque persuasionibus pertrahunt. Aucti sunt ea ipsa nocte, vt aurora procedente fere D. numero essent. decernunt, illico vallem, quam Siebeltinger vocant petere, illicque rusticos suo agmini adiungere. Hæc cum nobili Iacobo à Fleckenstein, qui tum Præturæ in Germersheimio præerat, noctu nunciarentur, impigre, cum suis (prædicta enim vallis præturæ subiecta erat) cò veniens, rusticis, vt secum eò ituros, & tumultuantium agmen dissipaturos pollicerentur, persuasit. Seditiosi hoc audito illico dispersi fugerunt. Prætore domum reuertente, res circiter octo dies permansit integra. Sperabat autem Prætor eos in officio mansuros; & quandoquidem priusquam discederet eos admonuisset, ius, fas, æquum consideraret, seruaturos fidem. Sed ô hæreticorum malitiam. Paucis exactis diebus iisdem in locis passim seditiosorum cohortes congregatæ, Clingemonster, id Collegiatæ Ecclesiæ nomen est; præterea Monasterium Herde. ædes Ioannitarum in Heimbach, curtam Monachorum in Mechtersheimio occupant, vinum, frumentum, pecora rapiunt, ingluuiei indulgent, & amici ventri viuunt.

37.

Vt ingens exercitus congregatus oppidum Neuenstat ceperit.

Interim cum Tonsile illud agmen, vt præmisimus, oppidum Anweiler inuasisset, seditiosi quique ex Neucastler, Magdenburger, Kirbweiler pagis, & valle Sibeltinger conuenere, sub prætextu quasi Tonsili agmini vellent resistere, eique viam præcludere, congregati in Geilweiler, vbi breui temporis spatio aliquoties aucti sunt. Hinc probe se exornatos existimantes, mutant animum, mutant sententiam; finitimos quosq; qui adhuc quiescebant, in suam sententiã verbis pelliciunt, minis cogunt. Iam vero villa Geilweiler, & Eusserstal monasterio depopulatis, destructis, deuastatis, arces finitimas passim occupant, demoliuntur, incendunt. Hinc cum vniuersis copiis VVinzingen pagum potentes, castra in monte oppidum versus posuerũt, mox oppidum ipsum Newenstat, latine Neapolim, in deditionem multis minis postulant. Ad quas pusillanimes ciues fidei datæ obliti, oppidum verbis tantum territi sequenti die dedunt. Huc se illico duces & præcipui exercitus receperunt, & præfectum illic, vt conditiones sibi oblatas assumeret, coegerunt.

38.

Vt exercitus in Gawe, ortum suum habuerit.

Tum quoque ciusdem farinæ ex Comitis à Leiningen ditione circa pagum Bockenheim, primum ferme CCC. rustici congregati sunt. Ad hos nonnulli leuissimi nebulones ex Petrasana, vulgo Pferddersheim venientes finitimos minis, & vtcumque poterant sibi adiunxerunt. Tandem ad vicum Hocheim prope Vangionum VVormatiam perueniunt,

vbi

vbi eius viei & in Liebenaw virginum Vestalium Monasteriis depopulatis, Regalis Ecclesiæ sub Diui Cyriaci titulo dictionem in Newhausen occupant, & libidine sua illic expleta duos ex Canonicis ibidem in fœdus suum pertrahunt; deinde oppidulum Hernsheimium, sub nobilium à Dalburg dominio petunt, Hic satis intempestiue intromissi, fermexii. viros vt vna proficiscerentur, nonnullis etiam ligonibus acceptis coegerunt, reliquos qui non vna proficiscebantur, in fœdus suum assumunt. & hinc abeuntes, satis amplum pagum Osthouen sub Moguntini & Palatini Principum ditionibus occupant. Hic quam poterant exercitu instructo, æde Canonicorum prius diruta, circumiacentium pagorum rusticos in suam fraternitatem compulerunt. Digressi, in Beckstein Comitis Leiningen vico, castra locant. quo relicto multi nominis pagum VVesthouen occupant, incolas suo fœderi adiungunt. Non admodum graui coactione hic opus fuerat. vt enim semel dicam, non tam lac lacti simile est, quam tum omnium rusticorum vnus idemque animus ad seditionem spectabat.

39.

Vt Magister Equitum Palatinatus contra seditiosæ copias in VVesthouen se gesserit.

Miserat eodem tempore Princeps Palatinus Guilhelmum ab Habern Magistrum equitum, virum virtute & nobilitate insignem, cum CCC. equitibus, & D. peditibus in præfecturæ Alzeiæ præsidium, & vt reliquos ne ad seditiosos deficerent in officio retineret. Inter proficiscendum vero contractas seditiosorum copias audiens, illic in Westhouen cum suis iter instituit, cuius aduentus vbi rusticis nunciatus est, tria millia fere è pago erumpentes, aciem occupato prius vitifero monte instituunt, quibuscum Magister equitum sine suorum ingenti detrimento dimicare, quamquam id ardenter optabat, commode non poterat: bellicas tamen quas secum adduxerat machinas ter in illorum aciem emisit. Rustici vero ne eiusmodi grandine obruerentur, pagum vnde exierant, fuga petierunt. Iam cum nox immineret, nihil plane geri poterat. Fugientium vero LX. confossi perierunt. Noctu seditiosi illi omnes aufugientes, & vt tum solebant, inter eundum aucti, seditiosisq; prope Neapolim iuncti, oppido VVachenaen occupato, ibidem castra locantes, cum adiacentibus seditiosis conspirabant. Nihil plane ab illis prætermissum, quo pagos omnes finitimos sibi adiungerent. Interea Lympurgum monasterium illorum prædæ patuit.

40.

Quomodo inter Principem Palatinum & vtrumq; exercitum res sit composita.

Igne non væsanæ modo, verum etiam cructæ seditionis in tractu Palatinatus circumquaque plusquam crudeliter flagrante, multis in consilium vocatis, præsertim vt subditi benignitate potius ducerẽtur, quam coercerentur seueritate; & vt incommodo, quo Christiani sanguinis multum effundendum erat, mederetur, placuit Illustrissimo Principi Palatino, heroi certe ob clementiam æterna memoria dignissimo, per ciues Neapolitanos, nulla defectionis obstante culpa, cum exercitu, qui tum apud pagum VVinzingen castra posuerat, in colloquio quæ pacis sunt, tractare, quod per senatum & duces exercitus in Gravve concessum est. Colloquio dies, locus, tempus à ducibus deligitur: nempe vt Princeps ipse ad diem Mercurij, qui tum proximus erat, exorto iam Sole in campo prope vicum Forste, suis cum consiliariis adesset. Adiunctum quoque erat, ne vltra xxx. equos secum adduceret. hoc pacto commeatum pollicebantur Principi, id quod & sibi vt fieret, postulabant. & ita factum est. Princeps ad præscriptum diem loco designato & tempore adfuit: quo etiam duces exercitus cum delecto delectu seditiosæ multitudinis conuenerunt. Qui cum Principem excepissent, & ea quæ ad pacem pertinent tractare incepissent, ecce vterque exercitus instructa facie erectisque vexillis aduenit. Multis autem prudenti deliberatione conditionibus oblatis, tandem vterque exercitus in hanc concessit sententiam, quam fide interposita ratam voluit, vt inter cætera singuli dissipatis agminib. ad propria redeant: arces, pagos, vicos, iis quorum essent restituant, nihil posthac ex illis accepturi. Princeps in subditos non animaduerteret, sed faceret criminum gratiam. Finito hoc colloquio, exercitus castra ex quibus excesserant repetunt. Erant autem numero vltra VIII.M. virorum. Princeps cum ciuibus ordine incedentib. Neapolim redit, vbi nõ ex integro fides sibi seruabatur. Sequenti die, vtriusq; duces exercitus Principẽ adeunt, de loco & conuentu indicendo tractaturi: quos conuiuio excepit, & indicta die abire permisit: ipse rebus sic confectis Heidelbergam reuersus est. Conuentum inde indictum per vniuersam Palatinatus ditionem nunciari præcepit, & ne nobilium, militum, officialium quisquam quicquam contra ageret edixit.

41.

Quomodo apostata quidam Sacerdos Eisenhudt dictus, agmen excitarit.

Hæc dum geruntur, Sacerdos quidam Antonius Eisenhudt dictus, Sacerdotio in oppido Greichgauiæ Eppingen dicatus, nouum tumultum, posthabito suo officio, instituit excitare. Seipsum itaq; Ducem faciens, adiunctis aliis sceleratissimis viris, finitimos quosq; in suam partem & sententiam, verbis itidẽ vt scriptis follicitabat. Plus vero veneni eius scripta quã aliorum multorum, quos hucusq; enumeraui continebant. Libet vnum litterarum exemplar apponere. *Patientia & humilis perseuerantia Seruatoris nostri adsit vobis in omnibus vestris necessitatibus. Chari fratres in Christo, vos scitis quam dura seruitute fuerimus pressi à nostris superioribus, & eorum Officialibus, & à Sacerdotibus Monachisq;. Sed tandem quid & qualiter egerim, Deo sit laus, in lucem venit. Quare vos omnes quam maxime possum adhortor, vt illico cum omnibus vestris confratribus huc cum curru veniatis, quo Euangelium & iustitia promoueantur. Quod si recusaueritis, ego sine dubio meus cum fratribus apud vos ero. quod certo de me vobis polliceri poteritis. Subscribebat autem se hoc titulo. Antonius Eisenhudt Dux exercitus.*

Excitauit ergo eiusmodi incendium adiunctis nonnullis seditiosis, qui nuper ex Wirtembergensium exercitu à Stutgardia discesserant. Iam vero eum pagũ Gochsheim in Greichgauia sub Comitum ab Eberstein ditione commouisset, ita vt etiam castra sua illic poneret, breui XXII. centena virorum sibi associauit, quos vniuersitatẽ appellabat. Hic dux hoc suo exercitu, erecto vexillo, pagum Eppingen satis potenter obsedit, nec graui postulatione vt intromitteretur obtinuit. Eodem modo oppidum Heidelsheimiũ inter Bruselam & Bretheim situ, & vicos in circuitu occupauit. Capto oppido Hilfpach, cella vinaria, sacerdotumque & nobilium domibus depopulatis, inde pergentes, & magis magisque aucti, oppidum Sunzheim haud multo tempore oblident; quippe oppidanorum nomine resistente intromissi, illico in Canonicorum (est enim illic satis ornatum templum) ædes irrumpunt, depopulabundi, quasdam diruunt, alias deuastant & euertunt. Hic quoq; promptuariis plenis inuentis, vino languidi, conferti cibo eructant cædem suis sermonibus. Inter vias autem arcem nobilis Ioannis Hippolyti à Vermingen Steinsberg dictam incendiis exurunt, ruinisque prostratam solo æquant. quæ in edito monte circumiacentes pagos incensa flammarum fulgoribus illustrabat. Hoc igne tamquam triumphali sibi ipsis gratulabantur.

42.

Vt inter Principem Palatinum & exercitum ducis Eisenhudt res sit compositæ.

Rursus Princeps Palatinus, ne in maius incendium ista seditionis funesta fax volitaret, præcuturus, plane ingratos monere potius quam castigare maluit. Insinuauit igitur exercitui cui dux Eisenhudt præerat, per litteras, se pondus si quo premerentur, vt Principẽ deceret leuaturum, missurumq; viros à consiliis, quib. hæc indicarent; modo in legationis iure fidem seruarent. Locus & dies ab Antonio, & Thoma Reus, cæteriſque ad hoc negotium deputatis designantur: & ne viri à consiliis vltra decem equos secum adducant, cautũ volunt. Principis iussu Comes à Nassawe Philippus, & alij à consiliis missi, ad diem & locum designatum venientes, magna deliberatione rem tractabant. Tandem quod ad cõcordiam pertinebat, Princeps ratum pronũciauit. Iussi, dissipato exercitu domum singuli remearent. Perstant illi in incepto, nec quod semel male cœperant deserunt. Quamuis autem & Principi & viris suo nomine missis se fidem seruaturos essent polliciti, idque scriptis; leuissimi tamen nebulones multo aliter egerũt: quippe Legatos truculenter & verbis & factis tractabant. Vnde qui missi erant, totam noctem in vitæ ducentes discrimine, nil nisi iam iam moriendum esse cogitabant.

43. Vs

43.

Vt fidifragi Præfecturæ Lautern à rusticis in fide permanentibus capti sunt.

Inter hæc ardua negotia, nonnullos esse animo adhuc candido & integro, prorsusque exosam habentes seditiosorum fraternitatem Principi Palatino nunciatur. Sed hanc rem tum plane insolitam ab initio audiamus. Cum ex oppidi Lautera, Nanstuler, Vischpacher præfecturis ferme M. ad seditiosos defecissent, & copias iunctis nonnullis ex agmine, quod Tonsile appellaui, collegissent, quo magis magisque augerentur, vi, coactione, scriptis, verbis, finitimos quosque sibi deuincire studuerint, depopulantur profelici auspicio Ottenburgium, & Vischbachum, Monasteria depopulata destruunt, piscinas etiam onerarias, quarum in eo terræ tractu magna copia est, diripiunt. Iamque spem in copias quæ in superioribus partibus tum grassabantur (omnium enim idem velle ac nolle erat) extendentes, nobilium arces occupant, & auctis viribus cum suæ sectæ fautores plerosq; in oppido Lautern esse non nescirent, ipsum obsidere conantur. Sed longe aliter atque penes se constituerant, euenit. Conspirauerant quippe, vicinos in proximis pagis Cobelnberg, VVeilerbach, Ramstein, Steinvvinden, qui illorum crudeli tyrannidi, & tyrannicæ crudelitati, id quod bonorum & integrorum est, consentire noluerant, quod chariorem fidem quam pecunias haberent, aut in suam sententiam pertractu-ros, aut igne cõsumpturos. E contra boni illi ferme CCCC. vel D. numero, cum ex præfecturis nonnihil sperarent auxilij, grege facto fœdifragos inuadunt, perfidiæ summæ eos arguunt, armata manu, vt se Principi Palatino dederent, è castro quod occuparant discederent: præterea, quicquid actæ prædæ haberent, deponerent, cogunt. quæ postea à Principe, cui hoc factum, & meritò, mire placuit, bonis illis in fide manentibus, etiam actis gratiis liberaliter concessa sunt.

44.

Vt seditiosi, qui dixerant se in Palatini fide mansuros, diuersum egerint.

Scripsimus supra seditiosos in VVizingen & VVachenheim Principi Palatino publice fide data, se domum dissipato exercitu redituros recepisse. Quod Princeps credens futurum Heidelbergam rediens, conuentum indictum expectabat. Sed secus ac crediderat, contingit. Eo namque digresso, duas arces prope Neapolim VVolfperg & VVinzigen iampridem captas depopulati sunt. quin & elegantem arcem Rupersberg dictam suo more destruunt, multis rebus pretiosis, vino, frumento, & aliis quæ tum aderant auectis. Porro Deydesheimium Spirensis Præsulis oppidum occupant, ex arce illic prædam agentes. Inter hæc exercitus in VVachenheim castra in Nevvhausen collocat. Alij exercitus non dissipati, sed conglobati ciuitatem Landoiam petunt, vt Sacerdotum bonis potiri possent hos coacturi. verum ciuibus resistentibus breui discesserunt; hoc prius, vt exercitui vinum & frumentum ex Sacerdotum bonis tribueretur, impetrato. Hinc digressi Comitum à Leontopetra, seu mauis à Levvenstein, arcem Scharfeneck occupant, depopulantur, concremant. Post in deditionem Neocastellum, & Trifelsum postulant: vbi intromissi certo numero prædam (quod tamen mirum est) non agebant. & hinc pede promoto castra in monachorum villa Merleiam prope Landoiam ponunt. Hic confratres suos in Alsatiæ Zabernia à Duce Lotharingiorum obsessos audientes, obsessis auxilio venire destinarunt. Inter proficiscẽdum vero, vt à Duce Lotharingiorum ad internecionem vsq; deleti sint, facti certiores, ab incepto desistentes, dissipato agmine ad sua rediere: Duces vero exercitus Bullicam, id pago nomen est, petierunt. Paucorum interim dierum cursu euoluto, cum Princeps Palatinus contractis copiis ad bellum proficisceretur, seditiosi tumultum vix sedatum resuscitant. Qui quamuis ei qui præfecturæ Germersheim ij à libellis erat, nihil vltra se acturos, & fidem, vt Principi iurauerant seruaturos; præterea expectaturos quid die indicta decerneretur, essent polliciti, nihilominus tamen altera vice in Merleim exercitum coegerunt. quo probe satis aucto, exornatoque iter instituunt, vt rem ferro decernant. Tum quoque qui in Brurhein Episcopi Spirensis ditione erant, arcem eius Magdenburg vt defenderent occupant. Aduenientibus vero ex seditiosorum illorum exercitu copiis, arcem demoliri incendique permisere.

45.

Vt Princeps Palatinus copias collegerit.

Iam cum nec ius, nec æquum, nec fas, nec fides à crudelibus, rusticisne dicam, an sceleratis & impiis seruaretur; cumque nullius res tuta, nullius domus clausa, nullius vita secura, nullius pudicitia munita contra illorum cupiditatem & turbulentiam esse posset, huic crudelissimo malo obuiare, & vt hic sitibundus sanguinis calor restingueretur, ab innata clementia ad iustitiæ rigorem, Princeps Palatinus Dominus Ludouicus se vertere coactus est. Quia vero in mora periculum; illic cognatos, affines, fideles, subiectos, non pro se solum, sed etiam vt labenti & inclinatæ rei publicæ succurrerent; sollicitabat. Eius rei gratia etiam apud Sueuicam nobilitatem, nempe vt quæ spem dederat, opem ferret, quandoquidem & ipse eiusdem confœderationis membrum esset, instabat. Breui itaque Comitum, nobilium, & aliorum ad Palatinatum pertinentium auxilio mille equitum, & trium millium peditum exercitum comparauit. Ibat ei subsidio & Archiepiscopus Treuirensis, Reuerendissimus Dominus Richardus Sacri Romani Imperij per Galliam & regnum Arelatense Cancellarius, Princeps Elector, cum CCC. probe exornatis equitibus, & ter quingentis ex inferiori Germania peditibus. Præterea Princeps Hessorum Philippus, equitatum neutiquam contemnendum hisce copiis auxilio misit: qui ipse quoque, nisi eodem morbo seditionis Hassia tum laborasset, & exornatiori agmine venisset. Nam circa Calendas Maias, quo tempore non modo furibundum Martem, verum etiam Litas Deas, & Aten illam Homericam cum Pandora Hesiodica in omnium mortalium perniciem conspirasse facile credebant boni, tunc complures peruicacis ingenij rustici, sub Abbatis Hirsfeldensis ditione congregati, oppidum ipsum nulla iuris aut fidei datæ habita ratione ceperant. Sed & apud Fuldam ingens agmen sex millium virorum numero conuenerat: qui Principis Hessorũ subditis in suem pertractis sententiam, pleroſque pagos, præsertim oppidum Vachum, tum multa monasterio depopulantes deuastabant. Vnde Princeps Hessorum cum sua nobilitate, aduersus eos non procul ab Hirsfeldo, vbi tum erant, egressus, equites ferme XL. eo misit, suum commotum animum vt illis indicarent. Illico autem ciues cum rusticis, quorum vltra quatuor millia erant, in arbitrium Principis, tum se, tum arma, tum oppidum dediderunt. Supererant autem adhuc in his partibus tria agmina, quorum primum IV. M. secundum prope Smalkaldum V. M. tertium in Fulda supra VI. millia seditiosorum continebant. Hi plane sic castra posuerant, vt vno die omnes in vnum conuenire potuerint. Vnde Princeps Hirsfeldo oppido recuperato, & præsidiis firmato ad Vastorphum, id pago nomen est, iter habiturus prius oppidulo Hunfeldo, quod ad seditiosos defecerat, in deditionem accepto, cum copiis suis Fuldam obsedit. Rustici quorum numerum paulo ante memorati oppido profecti, montem qui à fœminis nomen habet occupant, & aciem instruunt. contra quos Princeps instructos exercitus sui ordines deduxit; quod vbi seditiosi videre, illico in fugam conuersi sunt. Princeps bellicarum machinarum iacula in Fuldam emisit; fit præterea à pẽditibus ad murorum partem concursus atque impetus. Inter hæc Fuldenses ad Hessorum Principem veniunt, suppliciter vt gratiam sentiant orant. Annuit ille, & Fulda rusticisque in deditionem acceptis, dies illic nonnullos manebat. Seditione hac in Fulda & circa sedata, & in ordinem redacta, cum non exiguus exercitus in Duringia variis locis nobiles partim cepisset, partim prorsus è suis sedibus fugasset; præterea monasteriis depopulatis, oppidum Eschvveg, aliosque pagos in sui studium perduxerat. ad hæc non parum seditiosorum ex illo agmine quod tum Smalkaldum ceperat, sed audita Fuldensi deditione dissipatum Duringicis copiis accesserat: nec minores copiæ prope Helderungen congregatæ. His & aliis commotus Princeps, ne hæc lues suos vltra inuaderet, in Duringiam iter facere cogebatur. Perueniens ergo ad Smalkaldensem exercitum, copiis suis inter proficiscendum auctis Eysennach petiit.

46.

Vt Saxonum, Brunosvvicensium, & Hessorum Principes se contra seditiosos gesserint.

Saxonum interea Principes, & Brunosvvicensium Dux Henricus, exornato exercitu Franckenhusen oppidum, quo tum ingens tumultuantium rusticorum copia erat, obsident. Qui inde relicto oppido montem occupantes, tenorem pugnæ vt vt poterant instituebant. Conspectis vero Principum copiis, ad eos litteras mittunt, in quibus erat: Se Christum profiteri; quem si Principes agnoscerent quoq;, & quod profitebãtur præstarent, nil prorsus aduersus eos se facturos. Ad hæc inter cætera, cũ illis sua ipsorum perfidia & tyrannica crudelitas esset obiecta, responsum, si Thomam Munzer huius seditionis autorem, in Principum potestatem offerrẽt, reliquos mitius tractandos. Tumultuantib. vero quod iussi erant differentibus, Principes iubent bellicas machinas in mõtem vectas, vt peditum & equitum copiæ insequereutur. quarum iaculis emissis, seditiosi monte relicto vt poterant, fuga salutem quærebant. inter fugiendum multi ex illis confossi sunt. Principes tamen ab incepto nõ desistentes, potenti manu oppidum obsessum ceperunt, & viris illic inuentis interfectis depopulati sunt. Inde digressi oppidum Mulhausen, in quo Thomas Munzer habitauerat, quodque pernicio sissimæ huius seditionis & mater fuerat, & altrix, potenter occupauerant. Ducibus huius seditionis capite damnatis, prouincia tranquilla facta, subditis in ordinem redactis, Principes cum suis copiis ad propria redierunt.

47.

Vt Princeps Fridericus Dux Bauariæ contra seditiosos se gesserit.

Eadem iniqua tempestate Princeps Fridericus Comes Palatinus ad Rhenum, Dux Bauariæ, Ludouici Principis Electoris frater, ob seditiosorum in sua ditione tumultum, domi manere cogebatur. Multi enim tam sui, q̃ aliorum subditi, in circuitu passim insurgentes, & Episcopium Eistetense occupantes, refractis fidei datæ & reuerentiæ claustris, in Principẽ ipsum & suos illic erumpebant. Quare motus Princeps, circiter D. equites & pedites multos qui bellicas machinas custodirent, comparauit. Quo exercitu primum Freyenstat, id oppido nomen est in Sultzgauia, petit. & quia natiua Principib. Palatinis est clementia, pertinacissimos, & peruicacissimos, à sua plusquam pertinaciter semel concepta sententia Princeps mitissimus studuit benigne auocare. Vnde montem Messinger dictum, quam vna cum arce seditiosi occupabant petens, fide data & accepta Duces illorum ad se vocat, qui multis pacis conditionibus oblatis, animis vincere obstinauerant; vnde re infecta discessum est. Princeps postero die, montem prædictum cum suis copiis conscendit, manum cum fœdifragis conserturus. His vero belli fortunam tentare nolentibus, sed turmatim fugientibus Princeps arcem Obermessingen cepit; vbi præcipuus Ducum, cum nonnullis peditibus inuentus est: quos illico capite plecti, & castra concremari iussit: Episcopium Eistetense, seditiosorum antesignanis punitis Episcopo restituit; & ne seditio amplius serperet, his rebus effecit.

48.

De confœderatorum circa Beblingen victoria.

His iam circa Rhenum, in Alsatia, Sueuia, Francia Orientali, Hassia, Duringia, & aliis terrarum locis gestis, Georgius Truchsses Baro in VValtpurg nobilitatis Sueuicæ exercituum summus Imperator, rem omnem circa Algauiam, alpes, lacũ quem Podmicum vocant, superni numinis auxilio feliciter composuerat. Iam cũ in Ducatu VVirtẽbergensi & Palatinatu, tum quoq; in Episcopi Herbipolitani ditione mire sæuiret tumultuantium seditio, vt nisi is ignis maturè extingueretur, extrema non Germaniæ modo, verum etiam aliarum nationum esset pernicies metuenda, placuit Sueuicis confœderatis, imperatori exercitus, relictis superioribus illis partibus per Hegauiam in Ducatum VVirtembergæ, adiunctis quas tum secum habebat copiis transire. qui circa Nonas Maias Tubingam veniens, illico Hernbergam, Sueuiæ admodum vetustum oppidum, in quo multi seditiosi tum erant cepit. Deducente eo ex VVyla, id oppido nomen est, copias, seditiosi VVirtembergenses quorum supra mentionem fecimus, XVIII. M. numero in Beblingen & Sindelfingen oppidis coniunxerunt. qui audientes Sueuorum confœderatorum exercitum aduenire, relictis oppidis in vnum conuenerunt, & plano in loco aciem instruxerunt. Palus autem inter vtrumque exercitum erat. Vnde ad eos imperator cum suis copiis propter loci iniquitatem accedere nequibat, sed alibi, nempe ad Beblingen oppidum transire cogebatur. Quo priusquam veniret, seditiosorum agmen quod leue vocant, iugo ex altera parte occupato, & machinis eò deductis, equestre vexillum quod iam ascenderat depellunt. Interea Imperator Beblingen oppidum capit, & præsidiis militaribus, ne seditiosis pateret, firmauit, auectis inde in arcem machinis quibusdam leuibus, quibus poterat vti commode. quin & alterum iugum ipse occupat; vnde cum Martialibus & leuibus machinis seditiosos è monte reiicit. Equitatu deinde & machinis bellicis seditiosis aggressus est, vexillum Principis Palatini primum, Austriacum secundum locos habebat. fauente ergo summo rerum omnium conditore, hoc exercitu ingentes sceleratæ factionis copias illico in fugam conuertit, & quicquid machinarum curruumque erat; præterea nonnulla signa militaria abstulit. Seditiosorum maior pars confossa est, reliquis ad Syluarum latibula confugientibus. parum cladis exercitui imperatoris illatum est eo conflictu. Hac strage facta, in VVirtembergensi Ducatu seditio sedata est.

49.

De oppido Vinomontani destructione.

Erant autem supra XX. M. seditiosorum, qui in vrbe Herbipolitana montem Dinæ Virginis matris occuparant, & in Heindinsfelt castra posuerant. Hi exercitus Sueuorum aduentum audientes, non solum ab incepto desistere, sed etiam omnib. modis resistere, & suam tyrannicam crudelitatem ad finem perducere cogitabãt. Interea imperator eum exercitu, in Vinimontano oppido cruentam crudelitatem & scelus vltum ibat. Captum oppidum, omnibus inde aufugientibus incendit, & prorsus euertit. Eodem modo multos circumiacentes pagos concremauit, digna mercede scelestissimis nebulonibus retributa. 50.

Vt Sueuicus exercitus in Greichgauiam profectus.

Seditiosorum cladem in Vinimontano factam Franci molestissime ferre, agmen circiter VIII. M. virorum congregare, idq; in Necker solmum mittere, & cum Sueuico exercitu quãprimum confligere statuebant, confratres suos omnes in diœcesi Herbipolensi, Moguntinensi, Palatinatu, & aliis locis appellant, hortantur, rogant, cogunt, compellunt armata manu, imo manibus & pedibus omnibus nexis & facultatibus adsint, præsenti ope, quippe in proximo constituti rem agere. Augent exercitum, vt maxime poterant. Iam vero oppido Vinomontano penitus euerso, Imperator cum suo exercitu, Principe Palatino rogante, in Greichgauiã, quam olim Cheruscos inhabitasse quidam volunt, profectus, de seditiosorum antesignanis supplicium sumpturus. Hic inuenit insignem latronem, Iacobum de Bechingen dictum, qui exercitum coëgerat, & inter sceleratissimos Phalarides, qui in arce Vinomontana nobilitatem illam miserabili strage affecerant, nequaquam vltimus fuerat. Hunc cathena palo affixum, ardentibus prunis appositis, donec deficeret, affari præcepit.

51.

Vt Princeps Palatinus ad bellum processerit.

Per idem tempus Palatinus Princeps Elector exercitu probe auxiliis exornato, collecto, & curiæ suæ arce Gettenbuhel licta, quo tum propter seditiosorum insaniam Princeps Georgius Spirensis Præsul, & Dominorum Theutonicorum Magister Diethetus à Cleen aufugerant, quoque admodum ingens argenti pondus & auri ceu in tutissimum locum repositum erat, vna cum oppido ipso Heidelberga, præsidiis firmissimis, tum nobilium, tum Martialium, præfecto duce Schenck Valentino, Barone in Erpaco, firmato cum Principibus, Treuirensi & Herbipolensi Episcopis, & Otthone Heinrico Comite Palatino, vtriusque Bauariæ Duce, inde profectus in Brurhein iter intendit. Equitum inter quos multi Cõmites, Barones, nobiles erant, duo millia, peditum sex millia fuerunt. 52.

De incensione vici Malsch, & prima noctis face.

Præcesserat exercitum cum ortu solis Guilhelmus ab Habern, Magister Equitum, equestri cum vexillo. qui inter vias paucis adiunctis equitibus, ad Principem Palatinum cum exercitu sequentem reuersus, pagum Malsch, in quo, vt supra

memorauimus, seditio in Brurhein primum orta est, nolle se vt alij in circumiacentibus pagis fecerant, ad Principis arbitrium dedere, sed seditiose vallo fossaque cinctos rusticos resistere conari indicauit. Quo comperto Princeps Palatinus pagum cum exercitu obsidet, & emissis nonnullis machinarum iaculis, cum seditiosi necdum sententiam mutarent, tandem incursione & incensione omnia diripi & euerti iussit. Admodum elegans pagus erat; nempe vitibus circumquaq; pulcherrime cingebatur. Quo incenso & euerso, Princeps Palatinus cum copijs suis in Rottenburgum, id pagi vel oppidi nomen est, sub ditione Spirensis Episcopi, iter eum abiit. Exercitus alij aliis locis in circuitu castra locant. Perendie cius diei mane cum prima lucearcem Kisslawe, quæ vno milliari à Rotemburgo aberat, cum equestri vexillo & quibusdam peditibus magister Equitum obsedit. Erant autem illic in præsidio nonnulli fœdifragi ex agmine fœdifragorum in Brurhein locati; arx breui capitur, familia Principis nomine in deditionem accepta. Verum, vt ser bere cœperam, quatuor ex fœdifragis plane quid sirus vesper vehat nescij lictorem in arcem iam tum, vt plerosque quos illic detentos habebant, necaret, vocauerant. Hos per lictorem quem in aliorum perniciem citauerant, illico capite plecti, & truncata corpora in piscinam præcipitari Magister equitum iussit: verè vt non minus quam eleganter poëta cecinerit: *Nescia mens hominum fati sortisq; futuræ.*

53.

De deditione Brusselensium.

Festa die quæ Christo ad Calos conscendenti sacra erat, Princeps Palatinus cum exercitu à Rottemburgo Brusellam versus iter corripuit. Inter vias autem, aliquot vici à peditibus, spoliorum, vt hoc genus hominum solet, auidis depopulantur. Iam quod in hoc oppido regimen in Brurhein maiorem partem consiliorum suorum & negotiorum habuerat, & circiter VII. millia virorum eò paucos ante dies miserat, qui tum postero die directo vexillo inde exeuntes, Principes, nobiles, & viros Ecclesiasticos, suæ crudelitati parere coëgerant, & omnia iudicia legesque in suam libidinem pertraxerant, non immerito vilitabatur. Igitur Magister Equitum equestri vexillo oppidum Brusellam obsidet, & per vnum ex numero tubicinum incolas, rerum omnium cum oppido Principi in deditionem postulat. Mox quidam ex Senatu & communitate consilia pacis petendæ agitantes, se, salutem & fortunas suas omnes vna cum oppido dedunt Principi. qui cum Præsulibus & Duce Otthone Heinrico, adiunctis copijs oppidum ingressus est. Principes in arce; Comites & nobiles cũ exercitu in oppido castra ponunt. Eo die quo Brusella capta est; Senatus & communitas in planiciem ante arcem, vt iussi erant, conuenerunt. Eo Princeps Palatinus Generosum Schencke Eberardum Baronem Erpachi, exercitus summum ducem, Ludouicum à Fleckenstein Curiæ Præfectum, Guilhelmum ab Habern Magistrum Equitum, cum aliis nobilibus mittit. Inter cætera autem Præfectus Curiæ, cui dicendi iniuncta erat prouincia, inquit; Principem summopere desiderare, quidnam causæ sit, quod oblitiuris & æqui, fidcique datæ, contra Magistratum tam facinorosa factione, & factioso facinore insurrexissent. Iam cum ipsimet non minima causa huius mali essent, velle ferò Principem autores & antesignanes seditionis, nempe ad aliorum terrorem punendos indicarent. Post longam deliberationem, LXX. & vltra proferuntur. quos exercitus Dux in vincula atque tenebras abripi iussit, vbi admodum angustè collocabantur. Hac selectione facta, cæteris abeundi data est facultas, quibus abeuntibus, Sacerdos Eisenhudt agminis in Grechgauia dux, cum aliis tribus ex Eppingen, quos confœderationis Sueuicæ exercitus imperator capi iusserat, & Principi Palatino, vt fieri solet in rebus bellicis, dono miserat adducitur, Adducti modica præbita audientia, nomine nobilium confœderatorum decollati sunt. Postero die Princeps Palatinus, de seditiosorũ punitione in oppido ipso, in Vdenheimio, in Rottemburgo, Kisslawe, Grunawe, & aliis adiacentibus vicis tractauit. Multis in consilium vocatis, pro admisso scelere, horum oppidorum & pagorum seditiosi XL. millibus aureorum, quos Principi darent, damnantur: & quicquid armorum esset Magistratui redderent; his, nisi eo volente, potiturj numquam. Præterea ab integro fidem dare iubentur. Ad hæc Brusellenses se portas quas ædificauerant dirupturos, & quam sui regiminis tempore prope arcem concluserant aperturos promittebant. Flexo iam in vesperam die, miseri illi è turri producuntur sudore & angustia pene pleni; qui in circulum in arcis atrio constituti, supremam horam expectabant. E quorum numero cum quinque iam capite truncati essent, & sextus similem sortem accepturus genua flecteret, Comites & nobiles circumstantes lictori nihil vltra donec iussus fuerit, agat præcipiunt. Miseri illico omnes flexis poplitibus, manus supplices ad cœlos tendunt, & gemebundis ciulatibus misericordiam imlorant. Comites & Nobiles Principem adeunt, precibus obnixè rogant, damnatis demat supplicia. Princeps vt erat clementissimus, Oratores admissos, exoratores dimisit; semiviui vita donati clementia benignissimi Principis, leges quas alij seruare iurauerant, se seruaturos quoque pollicentur: ac Principi gratias agunt, qui morte dignorum pœnitentia contentus fuerit.

54.

Vt Principis Palatini & confœderatorum copiæ coniunctæ sint.

Rebus ita confectis Brusella Princeps Palatinus cum exercitu profectus in oppidum Hilspach in Greichgauia, quæ ad seditiosos defecerat, iter instituit, vbi & ea nocte quicut. Venerunt autem ad eum, imperator Sueuici exercitus Georgius Truchses, & alij Duces, Guilhelmus à Furstemberg Comes, Dominus Frovvin ab Hutten, eques auratus, & Rudolphus ab Ehingen, tractantes quonam locorum copias essent iuncturi. Postero die Neckersolmum versus, cum exercitu progreditur Princeps. Inter vias autem obuias habuit Sueuorum confœderatorum copias, quæ instructis militariter ordinibus à Ducibus deducebantur. Iucundum sane spectaculum, & Principibus vehementer gratum. Iam vero Principis Palatini exercitu iugum ascendente, Sueuorum copiæ è bombardarum sonitu fumoque vix videri poterant, aut audiri. Inter vtriusque autem exercitus Duces, quo ordine incedendum esset conuentum erat. Vterque equitatus vno ordine procedebat. Sueuorum equestre vexillum anteibat; Sequebatur, quod in Principis Palacini erat exercitu. Sequenti die hoc Sueuicum præibat. Hac vicissim alternatione satis iucunde vtebantur. Quod de signis equestribus dixi, idem de equitatu, de peditibus, de bellicis machinis ordinatum.

55.

De obsidione Neckersolmi.

Vtrisq; copiis eo ordine ad Neckersolmum tendentibus, milites gregarij ante oppidum & in circuitu castra posituri, iam ante horam præcesserant. Erant autem supra DCCC. seditiosorum, qui magna & firma præsidia, & ad resistendum prorsus se parauerant in oppido, cuius portas quoque probe munierant; constituti. Hoc eos qui extra erant tantisper latuit, donec qui intra, emissis machinarum iaculis equitem quendam interimerent. Fœdifragorum dolo cognito, ab oppido paululum discedunt, & Ducibus vt res se haberent celeriter nunciant. Vtroque equestri vexillo cum leuibus nonnullis machinis celeriter adductis, reliquæ copiæ cum maioribus machinis impigre sequuntur, quarum iacula in oppidum sæpe emittebantur; econtra & ii qui muris se tenebant fortiter repugnantes, non sine eorum qui extra erant damno, resistebant. Pedites cum hinc & inde incursionibus oppidum vexassent, capere tamen eo die nequiuere. Igitur nocte adueniente castra ad Neccari ripam Heilpronnam versus collocabantur; Sic bellicæ tandem machinæ in oppidum recta sunt directæ. Verum cum nox esset intempesta, nil aliud agi poterat quam quod oppidum omni ex parte cingebatur, ne seditiosorum quisquam aufugeret. Exorto Sole, machinis ad murum iam propius directis, Solmenses consentientibus iis quos habebant in præsidio, quatuor ad Principem Palatinum & exercitus Duces mittunt, qui veniam petentes obnixe se & oppidum in Principis & Ducum arbitrium dederent. Qui eò cuius rei gratia in castra venerant expedito, regressi hoc cæteris renunciant. Interea quid de illis constitueretur, expectabant. Exercitus Duces deliguntur, cum ciuibus & aliis in oppido de pacis conditionibus tractaturi. qui oppidum multo equitatu petentes, hæc inter reliqua obseruanda statuere. Quicquid armorum esset, ponerent; eis numquam, nisi magistratu annuente accingendi. Murum diruerent, & turres id quod

quod sequenti die faciebant. Mulctati etiam sunt [illegible] sed minime illorum flagitiis condigna. Verum ex hoc ordine circiter LX. qui cladi Vinimontanæ interfuerant selegebantur, quos laqueis vincientes ex oppido binos or dine producunt in castra: quorum Dux vexillifer, quem Monachum fuisse aiunt, cum aliis numero duodecim, eodem die sub vesperam capite plectebantur. Reliqui varie sunt dispersi. Sub idem tempus in circuitu Heilpronnæ plerique vici igne corrumpebantur.

56.

De profectione in Oringam.

Sequenti die exercitus Oringam versus pedem promouit, vbi seditiosorum ingentem esse multitudinem certum erat. Verum cum exercitus vix vno milliari ab Oringa abesset, nũciatur rusticos ante horam inde discessisse. Nihilominus tamen quo instituta erat pergunt, Oringam capiunt, extra muros in pratis ad ripam castra locant. Rem Truchses committit Guilhelmo ab Habern & Diethero Spedt, quibus etiã DC. equites adiungit, vt rusticos insecuti cum illis dimicarent, vel saltem machinarum bellicarum, quarum neutiquam cõtemnendum numerum habebant, nonnihil auferrent. Qui vt iussi erant longo itinere confecto seditiosos insequuntur. Venientib. illis ad Forchtenbergium, iam primum quos insequebantur cum machinis fluuium Cocher dictum traiecerant. & quamquam iam dies esset in vesperam inclinata, ab incepto tamen non desistentes, sed ad cliuum vsque oppiduli Moguntinæ ditionis Crautten dicti illos insecuti sunt. Verum quod seditiosi priores oppidulum occupassent, cogebãtur licet inuiti inde discedere. Forchtenbergium igitur repetunt, iamq; viris & equis multo labore fatigatis; ad Truchsesium qui tum in castris apud Oringam erat, nuncium mittũt, indicantes, circiter 6. millia rusticorum cum multis machinis bellicis in pago Crautten, & in circuitu castra locasse: sibi factu optimum videri, si illic mansuri essent, contractis copiis eum in locum venirent. Ante lucis autem aduentum prænominati duo duces, cum equitibus è Forchtenbergio in planitiem venientes, seditiosos adhuc in castris animaduertunt. Interea Truchsesius renunciat, sibi non esse integrum exercitum, q̃ nonnisi vnus & is perangustus qui lem aditus esset, eo ductare. Meckmullium cũ suis peteret potius, quo ipse cũ exercitu breui quoque aduenire. Oppidum interim ipsum, qui ad seditiosos defecerant, & in quo multum crudelitatis & insolentiæ seditiosi patrarant, Episcopo Herbipolensi restituerent. His præceptis, quod iussi fuerant fecerunt. Eo quoq; Truchsesius cum omnibus copijs vt pollicitus erat, veniebat. Principes & Comites in oppido, copiæ in pratis ponebant castra.

57.

Quid in Meckmullio & Ballenberg sit actum.

Ciuibus in Meckmullio pro actis suis punitis, & in Episcopi Herbipolensis ditionem eodẽ oppido restituto, sequẽti die exercitus ad Ballenberg Moguntinæ diœcesis oppidulum pedem protulerũt. Vbi vt poterant; Nam admodum exiguus locus ad tantam multitudinem fouendam erat, castra locant. & hic de populatione facta, in eos qui suppliciis digni erant animaduersum est. Cerneres illic plerosq; vicos ignibus incendi. cerneres & pedites, vbi poterant, finitimis in pagis prædas agere.

58.

Vt exercitus in Kœnigshofen præfectus sit.

Hinc exercitus ad Kœnigshofen, id oppido nomen est, prgrediebatur. Dederat autem Magister Equitum tribus equitibus res suas in Boxspergo curandi facultatem, sed hac lege vt illico rediturj, vbi seditiosi, qui oppidulum Crautten pecuparant castra posuissent accurate inuestigarent. qui exploratum præmissi redeunt, rem vti erat turbulentam nunciant; nempe rusticos Tuberim traiecisse, & locasse castra intra & extra Kœnigshofen, quin & à se visum eorum exercitum, qui vna nocte & die ad 7. millia virorum auctus erat. Hæc quoque ex agricola quem inter vias ceperant, se certo comperisse testabantur. quæ cum à Magistro equitum Truchsesio dicuntur, eius animus erectus, quod speraret de hostibus, id quod postea contigit, se gloriose triumphaturum. Bellicum illico canit, ad arma vocat, præsij faciendi tẽpus adesse monet, multis qui rei bellicæ gnari erant in consilium adhibitis, qualiter cum seditiosis agẽdum esset explorat. Aberant vero vno mil- [illegible] ab hostibus. Ergo finito consilio decernit 600. equites, quibus Dn. Frowin, & Guilhelmũ ab Habern præfecit, eosq; cum his proficisci iubet, & si possint cum hoste pugnam conserant. Proficiscuntur, sequuntur copiæ mirifice exornatæ. Inter eundem vero duobus Ducibus placuit, dijsi irent; nempe hac Magister Equitum, illac vero cum 300. equitibus traiecto Tuberi Dominus Frowin consilia & hostium insidias anteuenire consideraret. Vtrorumq; exacta diligentia eo pertinebat, vt copijs hic manentibus ipsi montem qui oppido contiguus occuparent. Cum vero vallem Schupffer dictam mire iocundam descenderent; & hostes & illorum castra diligenter contemplarentur, sententiam mutauerunt: quippe quod hostes cum agmine & machinis (olfecerant enim ingentes nobilium Sueuorum & Palatini Principis copias) relictis castris ad montem quo vtriq; Duces cum equitatu peruenire cupierant, tenderent. Rustici occupato monte locant castra, positis hinc & inde machinis bellicis, quarum circiter 40. erant, exceptis quas leues vocant. Quo viso Duces consilio inito, consultum rati, trans oppidum cum equitatu progredi. Interea rustici suas machinas in Tuberim direxerant, & damnum dabant equitibus iam descendis. Vnde & copiæ alio loco transuehi cogebantur. Interim equitum Duces cum suis montem conscendentes, & in loco ab hostium iaculis aliquantisper tuto constituti, aciem instruunt. Eo quoq; Truchsesius venit, & paucis adiunctis hostem cingit. Distribuerant autem seditiosi suum agmen tres in partes, & pro loco atq; copijs post machinas collocauerant, machinis ipsis in fronte constitutis. Duces interea cum equitatu, & equestrib. vexillis propius hostem accedunt. quo accessu, seditiosi relictis machinis & castris, vt erant ordine instructi fugiunt; & dispersi, hic lucum qui non procul aberat petit, ille per prata & campos fugit. Horum potior pars confossa est. Nam equestria vexilla, & ii qui leuibus machinis præerant, acrius insecuti agmen prorsus dissipauerunt. Inde equites petentes montem, castra diripiunt. Interea qui in lucum confugerant, ab exercitu per vallem ascendente circumdati, dextra & sinistra funduntur. Sane horrendum erat spectaculum, tam in luco quam in patenti campo fugere, sequi, capi, vulneribus acceptis occidi, neq; fugere posse, neq; quietem pati. E monte quoque in lucum, Duces equitum cum suis se receperant. Verum hæc illorum dimicatio haud quaquam citra iacturam fiebat, quod hinc & inde arbores illis essent impedimento. in hoc luco fere 300. rustici vallo, fossaq; sese abdiderant, vt equitum nemo ad eos sine ingenti periculo posset accedere. Consulentibus Ducibus pedites non paucos eo mittunt. Concurritur magno clamore. rustici cladis acceptæ memores acriter instare, Martiales haud timidi resistere. Certatur vi magna. Interemptis è seditiosis centum, reliqui quod nox intempesta imminere à Comite Furstembergensi capti & pecunia mulctati sunt. Superis ergo fauentibus omnia aderant, victoria, præda, laus. Vnde Princeps cum Ducibus & copijs omnibus conscenso monte, lituis tubisq; ob adeptam victoriam laudes Deo canebant. Descendentes inde in oppidum Kœnigshofen pedem promouent, vbi Principes cũ maiore exercitus parte conquieuerant, reliquo equitatu ad Tuberi ripam amœno in prato cõsistente, rusticorum castra pedites occupant. Sane in eo conflictu seditiosorum circa 7. m. desiderata sunt: qui non castra modo, verum etiam currus & arma in magno numero, præterea machinas 47. egregie fabricatas, exercitui diripienda fugientes reliquerant. Habitauerant hoc oppidum ferme 250. coloni, qui exceptis quindecim hac pugna cæsi sunt. Similiter ex adiacentibus pagis seditiosorum maior pars occubuit, minor domum redit. Quamuis autem Principibus cordi esset, eos qui in arce Herbipolitana erant celeriter obsidione liberare, tamen quod viri partim labore fessi; partim saucij essent, cogebantur postero die se ex labore reficere. Interea vero oppida Mergheim, Lauda, Curia Episcopalis, vulgo Bischoffsheim dicta, & alia ad Tuberim sita capta sunt, seditiosorum præcipuis capitali supplicio affectis. Sub idem tempus Herbipolensis Episcopus, suum Magistrum Equitum, adiunctis fere centum equitibus, ad mõtem qui ex Diuæ Virginis matris nomine appellatur, mittit, vt quo pacto posset iis qui in arce erant, signum flammis ignium daret, quo auxilia & liberationem iam adesse certò cognosceret. Sic enim ad Palatinum fugiens destinarat.

59.

Vt exercitus ex oppido Kœnigshoffen discesserit, & rusticos ad Engelstadium profligarit.

Festo die quem Christiana religio Pentecosten vocat, inde profecti cum exercitu Principes, vt inter oppidum quod iã reliquerãt, & Herbipolim nocte corpora quieti darẽt. Vtroq; autem equitatu exeunte, Sueuici pedites, præcedi nolunt, non paucis ex Principis Palatini exercitu vtidem facerent persuasis. Causa erat, quod venales illæ animæ plij stipendium desiderarent: cum tamen ipso die pugnæ vix in dimicationis fine adnenissent. Nihilominus vero Principes & exercitus Duces, cũ paucis equitib. progrediebãtur. Cumq; iam circiter quatuor millia passuum à Kœnigshoffen discessissent, Herbipolensis Magister Equitum expedito qp sibi iniunctum erat negotio, reuersus, Truchsesio, partim à seditiosis arcẽ obsideri, partim illos in vrbe esse, & ex eis ingens peditum agmen machinis & reliqua armatura bellica, pbe exornatũ, iis qui nudius tertius in Kœnigshoffen occubuerant subsidio ire (signari n. tum rerũ gestarum erant) vixq; duo millia passuum abesse, certo nũciabat. Quo audito Truchsesius pedites, qui gradum facere detrectarant in expeditionem vocat, hostem iam adesse propere enunciat. Sperabat n. hoc nuncio eos à proposito posse reuocari, Sed surdis, vt aiunt, tunc canebat. Illorũ vero pertinaciam non perinde curans, Principibus & Ducib. hostẽ adesse indicabat: mox signa canere iubet, quo commodius ad cætum milites cogerẽtur. Nemo autẽ non lubens in perio cius obtẽperabat. Hinc ipse paucis equitib. comitantibus, seditiosorum agmen contemplabatur. Consultant autem in mediũ, plium ægre cõmitti posse, nisi Guttenberga, id ei syluæ nomẽ est, à qua vix duobus millib. passuum aberant, præoccupata. Truchsesij itaq; iussu vtrumq; equestre vexillũ gradum fecit, eo cum reliquo equitatu sequente. Mouentur interim equitum alæ cum vexillis, perinde ac ab hoste descenderent, idq; tantisper dum inter syluam ipsam & rusticos medij consisterent fiebat. Seditiosi pro loco & copiis prope vicum quẽdam exercitum instruxerant, hinc & inde 36. machinis bellicis intermixtis. Quare Principis Palatini Magister equitum; eos q machinis ferant cum duce suo, secum quid hostes molirentur exploraturus celeriter incedere iubet. Rustici hoc spectaculo attoniti, rati tutius multò hinc fugere, quam in loco cõsistere, vallo machinisq; relictis in fugã se effudere. Quicumque autem in vno milliari ad Ochsenfurdum fere cõprehensi sunt, interficiebantur: quorum satis magnum aiũt numerum fuisse. Cæterum D. circiter in duos non procul distantes pagos, vni Gibelstadium, alteri Siltzfeldum nomen est, euaserant: qui vna cum pagis concremati sunt, vt illorum pars minima superfuerit. Paululum ab his locis aberat arx Engelstadium, aut si mauis Angelipolis. Hanc paucis ante diebus elapsis incenderant seditiosi, ita tamen vt in necessitate, præsertim qua tum premebantur, esset receptaculum non contemnendum. Vt enim sepem probe inflexam, vt muros fortes & altos prætercam, turris illic erat vallo fossaque egregie munita. In hanc exoleto rum caterua circiter 400. cum armis & machinis se receperant, introitu & porta quam diligentissimè obseratis, vt mirum dictu fuerit, tam breui tempore tantam molem illos congerere potuisse. Qui intus erant se probe munitos arbitrati, corum qui extra erant insultus non magni faciebant. Sed muri pars breui bellicis machinis admotis concussa est; illico Comites & nobiles, tum alij quoque ex equo desilire, turrim oppugnare, illicque sine ordine currere. Qui intra, strenui manu, extremæ horæ memores acriter instare, repugnare, primum impetum fortiter sustinere. ex nobilibus vero ferme centum sauciabantur: tenor enim pugnæ in vltimam defatigationem processerat. Nec ab incepto desistebant, quum integri sauciorum loco succederent. Itaque secundo impetum faciunt; ea autem parte quæ comminuta erat non pauci ingrediebantur; qui incendium quod se restinxisse putabant, iam primum gliscere videbant. Nam erat murus adhuc oppositus, vnam tantum habens fenestram & portam, quæ ferme à solo triginta palmis distabat; ex qua tanta cæde vtrinque pugnatum est, vt Comites cum aliis iam secunda vice abire cogerentur. qui & si fuerant in vitæ discrimine, nemo tamen ex iis interiit. Iam cum rustici ad deditionem compelli non possent, plus iaculorum ex machinis immissum est, quibus murus magis magisque concutiebatur. Tertio tandem impetu facto, turri cum summa difficultate potiti sunt, rusticis omnibus ad internecionem vsque deletis. Sane ex agmine de quo supra mentionem fecimus CC. ferme in nemus non procul ab arce se proripuerant. Iam cum nox immineret, nihil aduersus eos agi poterat; ne tamen aufugerent, cingebantur. Mox vbi dies cæpit, omnes sunt confossi. Ita ex hoc seditiosorum agmine admodum pauci fuga elapsi sunt. Creditum est œconomen eo sacro die Pentecostes, versum ex hymno quem Sacerdotes sequentiam vocant, rursum ceciniſſe; *Hunc diem bellicosum ego feci.* Porro victoria iam adepta, Principes cum equitatu & ducibus alas seditiosorum scalares adeunt, & currus cum machinis sufficienter ornatis inde auehunt. Postea contractis copiis vicum Mosis dictum petunt, vbi incolarum inuenerunt neminem. castra prope piscinam & in cricuitu locant, & cibo curati corpora dederunt quieti. Mane Principes cum copiis omnibus (pedites enim ex Kœnigshoffen quoq; ad exercitum accesserant) inde profecti itinere circiter septem millia passuum confecto, ad Heidingsfeldum Herbipolitanæ ditionis oppidum, ad Mœni ripam situm peruenerũt. Hinc Principes cum suis equitibus, extra vero Truchsesius cum copiis Herbipolim versus castra collocarunt. Pedites superioribus in locis castra à rusticis derelicta occupauere.

60.

Quid Herbipoli actum sit.

Inter proficiscendum vero antequam castra ponerentur, Truchsesius & Guilhelmus Furstenbergius Comes, Principem Otthonem Henricum cum CC. equitib. secum sumentes, proximum montem arcem versus conscenderunt. Mox tubicinum, vt fieri solet, concentus factus est, vt ii qui arci erant præsidio, æque vt hi qui in vrbe, & ad montis Diuæ Virginis matris radicem erant, copias adesse certissime intelligerent. Eo concentu, vt ii qui in arce erant vehementer lætati sunt, ita spe; nouandarum rerum inflammati terrebantur. Duces exercitus Magistrum equitum, & summum Palatini copiarum præfectum in arcem mittunt, vt illis qui in præsidio erant illic locati tum Principum tum exercitus aduẽtum nunciarent. verum etsi hoc difficile erat efficere, quod seditiosi non procul à monte castra posuissent, quod tamen iniunctum erat diligenter expediuerunt. ex arce reuersi, quam de tot Principum arq; nobilium aduentu ii qui illic in præsidio dispositi erant exhilarati fuerint, nunciarunt. Eo igitur in loco duces cum Principe Otthone Henrico & reliquo equitatu consistunt, dum qui in arce erant, iacula è machinis, quarum & magnitudo & numerus ingens erat in vrbem Herbipolim emitterent. Quo facto Heidingsfeldum petunt, ibique castra, vt dicere inceperã, collo cauerunt. Sane ea nocte rustici relictis suis castris, cum quatuor optimis machinis se in vrbem receperunt. Postero die Guilhelmus à Furstenberg Comes, & Principis Palatini magister equitum, suburbium, vt vocant, cis pontem cum turre, quam etiam præsidiis firmabant, occupant. Inferea centum viri armis optime instructi descendunt ex arce; quibus prædicti duces obuiam venientes, vna ad castra peruenient, intrant, offendunt neminem. Relictæ erant quinque vel sex machinæ, cum nonnullis aliis bombardulis destructis; quas secum in arcem deuehunt. In vrbe, ciuium & rusticorum fere sex millia erant. Cognita Principum voluntate (decretum enim iam erat vrbem cum machinis & copiis omnibus obsidendam) venerunt supplices, ea quæ pacis sunt tractaturi. Res autem hunc in modum composita est, vt se cum vrbe & rebus omnibus in confœderatorum & Principum arbitrium dederent. Quo facto Principes & Præfules cum Imperatore exercitus, & quinquies vicies centenis equitibus pulcherrime exornatis Herbipolim intrant, vt seditiosorum antesignanis supplicio affectis vrbs Episcopo restitueretur. Duæ portæ ab vtroque equestri vexillo occupantur, reliquis equitibus cum Principibus in planiciem progressis. Quinq; horas ita consistebant; cautum enim erat, vt equis insiderent. Ad mediæ portæ custodiam satellites deputabantur. His itaq; diligenter prospectis ciues in fòro; qui ex Episcopatus & Marchionatus erant ditionibus in planicie, ante Diuæ virginis matris sacellum; reliqui in via quæ ab equestri cursu nomen habet, vulgariter Renweg dicta, distribuebantur. Primo igitur confœderatorum & Principũ nomine, exercit⁹ Imperator ad ciues oratiõe habuit: q illicæ

sese omnes Principibus ac nobilibus ad pedes proiecerunt. Rursus Imperator post longam orationem, qua virtutes o nauit, & illorum effrenatam temeritatem est insectatus, ex ea multitudine nonnullis selectis, quibusdam in omnium præsentia decollatis, reliquos in vincula cõiici iussit. Alij Episcopo nouum iusiurandum præstiterunt. Quo expedito ad planiciem ante sacellum, cui Deipara virgo Tutelaris præest, tendẽs Imperator, eo quoq; modo cum seditiosis egit; eadem pœna qui in via equestri arti ficiuntur. Decapitati autem sunt ex trina illa seditiosorũ selectione LXVII. numero. Inter quos ciuis quidam duobus millib. aureorum vitam redimere voluit; sed verba, vt aiunt, ad parietem faciebat. Mox alienigenæ cuiusc umq; conditionis erant, tuti ad lares p. oprios reuerterunt. sed hoc pacto, vt iis sub quorum ditionibus erant, suum integrum ius esset. Rebus ita confectis Principes Cancellariam, vt vocant, Episcopalẽ causa requiescendi petebant. Inde consensis equis in arcem se conferunt, vti etiam pernoctabãt, Ducibus cum exercitu in castra reuersis. Sequenti die res cum ciuibus composita est; nempe vt arma illico ponerent; præterea muros turresq; cõtra arcem diruerent; ad hæc confœderatis & Principibus 8. m. aureorum numerarent. Interea Episcopo, suum ius integrum mansit. Porro Princeps cum ducibus & copiis octo dies in castris prope Heidingsfeldum moram facientes, finitimos quosq; pagos & vicos Herbipolitanæ diœceseos, seditiosis decapitatis in pristinum restituebant statum: quod nõ citra ingens finitimorum damnum fiebat: atqui seditiosi priores in depopulationibus fuerant. Inter hæc quoq; res Rottenburgensium ad Tuberim, vt confœderatis & Principibus quinq; aureorum millia penderent, componebatur; idque vrbis tantum nomine. Nam quod ad ditionis partem pertinebat, id Sueuicis confœderatis illibatum conseruabatur. Tũ quoq; ex Comitatu VVertheimensi, tria millia aureorum exacta sunt. Venit & Præsul Argentinẽsis, & Alsatiæ Landgrauius, tum Moguntinensis locum tenens quinquaginta equitibus stipatus in castra. Iam Episcopo Herbipolensi arce, diœcesi, vrbe restitutis, copiæ ab inuicẽ sunt separatæ. Optassent Sueuorum duces cum Principe Palatino progredi, idq; facile factu fuisset, nisi tam crebro Princeps literis ab Heidelberga missis sententiam mutare coactus; quippe seditiosorum tumultus magis magisq; auctũ iri, & ni rebus maturè consuleret, de ditione actum esse. Scelerũ enim artifices, omnia diuina humanaq; truculentissimo genere cupiditatis inquinabant. Hæc causa fuit discessus. Conuenit autem inter Principem Palatinum, & Arcie piscopatus Moguntini Locumtenentem, qui, vt principio narrauimus, à suis in Aschaffenburgo malè fuerat exceptus, de restitutione. Conuenit, & inter Sueuicos duces & Principem Casimirum Brandenburgensem Marchionem, qui tum ad Principes multo equitatu venerat, vt is vna cum Guilhelmo ab Henneberg Comite, copias quas haberrimè exornatas habebant, inde profecturi Sueuicis annumerarentur.

61. *De vlteriori progressu Sueuici exercitus.*

Igitur Sueuorum Imperator cum suo exercitu inde digressus, oppidum Sweinfordũ obsedit, & ciuibus se in Nobilium Sueuorum arbitrium dedentibus breui cepit. Reinter illos composita, cum ingens agmen sceleratissimorum hominum, non ex subiectis Herbipolensis Ecclesiæ modo, verum etiam Marchionatu, & adiacentibus oppidis & pagis, noctu arces multas nobilium in Bambergensi Episcopatu partim depopulatas diruisset: partim vero solo æquasset: qui in etiam Bamberga occupata in Cleri facultatibus illic diripiendis non parum insolentiarum egisset, Duces cum copiis eo vbi tunc hęc exoleto rum fex triumphabat, pedem protulerunt: ac diœcesim, nemine resistente, facile Episcopo restituerunt, iis qui ex Marchionatu & aliis finitimis pagis erant, redactis in ordinẽ. Inter alia Princeps Brandeburgensis, Kizingen oppidum, quo seditiosi cæteruatim conuenerant, cepit: LX. illic numero ad supplicium damnatis, oculi eruebantur. Sedata iam in finitissimis pagis turbulentissima seditione, Truchsesius contractis copiis ad oppidum Memmingen iter instituit. Seditiosorum n. denuo illic magnus exercitus conuenerat, & oppidum obsederat. Truchsetius eo veniens, non procul ab eorum castris castra ponit, exploratis inde ferme quatuor millib. seditiosorum qui prope pagum Schrattenbacum conuenerant, cum equitib. nonnullis aduersum hos conflicturus processit. Sed

Pagum egressi, Præsulis Wormaciensis ædes incendunt: & hac fraterna charitate inflammati arcem Nevvenleyningen occupant & depopulantur: Comitissam à Westenburg, fœminam pudicitia & natalium claritate insignem, quæ ibi tum erat, cogunt cibos coquere, & ingurgitantibus se ministrare. Omnibus ad votũ succedentibus, VVesterburgensem quoq; arcem Altleiningen concremarunt. Hinc ad Monasterium Heningen commigrant prædam agentes. Eodem modo plerasque arces prope montem Donnersberg dictum capiunt. Hunc ego Tonantis montem à Ioue fulgurante dictum, eo tempore quo Romani cum Germanis bella gesserunt, crediderim, quippe cum & alia eiusmodi vocabula præsertim in hac terræ tractu adhuc, licet corrupte, pnuncientur, supersint. Captis arcibus, oppidum Kirchheimiũ sub ditione Comitũ à Nassavve sibi vendicant. Deinde Bolando & Stauffen arcib. incẽsis, in locum qui Gravve vocatur, pfecti, breui cõparato exercitu damna dederunt vehementer detestanda. Ergo quasi re feliciter gesta, magno plausu *Io triumphe* canebãt. Quod si sceleratorũ hominũ successibus vltra aspirassent, Deus nouit quo illorum execranda impietas fuisset euasura. Iam vero Principi Palatino, quonam loco seditiosi castra collocassent, cum esset nunciatum, quos tanta semper clementia gubernarat, ad seditionis autores rursus desciuisse molestissime tulit. Vnde ferægentis duriores ferro animos vt debilitaret, mansuetissimũ ingenium suum, ad tempus deposita clementia, seueriori seueritate vti cogebatur. Ducis itaq; iussu, exercitu probe exornato, Magister equitũ ex Oppenheim per arcẽ cum equestri vexillo hostem exploraturus profectus est, Principe cum omnib. copiis tempestiue subsequente. Inter vias autẽ Mogũtinus Locũtenens obuiam factus 300. equites suos copiis adiunxit. Iter vero versus VVesthofen pagum instituebatur. Interea nunciatũ est, seditiosos noctu ex Dalsheimio profectos ad Guntheimiũ frequentis nominis vicũ, in quo Ioannis ab Oberstein arx erat, gradũ feciſſe. Huc Magister Equitũ illorũ sequutus vestigia se confert. Iam quia p patẽtem campum, pcesserãt acie instructa, quot virorum in vno cuneo fuerint, ex ipsis semitis erat facile deprehensu. In singulis cuneis quadrageni tres, ad dextrã vero in agmine, quod tum leue vocabant, viceni septẽni incesserãt. Hinc vero Magistro Equitum cum suis ad celebre oppidum Phedersheim, Latini Petram sanam vocant, tendente, seditiosi illum cursu præuertunt. Mox oppido ad deditionem verbis tantum compulso (quibus auxilia Princeps Palatinus breui, & admodum quidẽ magna ventura pollicebatur: ad hæc ne ad seditiosos deficerẽt ab ipso Principe Burggrauius Alzeiensis pene 200. viros ante dies quinq; præsidio vt essent illuc ordinauerat) intromittuntur. Iam vero cum Magister Equitum, quid hostes molirentur probe intelligeret, eoq; indicato, iussu ducis acies est instructa, & ad oppidum deducta. Cõsultatur hic de hoste aggrediendo. Ab oppido ergo centum passus, equitum peditumque exercitus constituitur; machinæ leuiores prope montem Diui Georgij, cui etiam in cacumine templum est dicatum, vchuntur: ex quibus iacula in oppidum missa sunt, iis qui intus erant, nequaquam in vtramuis aurem dormientibus, sed fortiter quoque repugnantibus. Erant & ipsis suæ machinæ. Iam penè horæ spatio elapso cõsultum esse iudicant, definiretur numerus equitum, qui trans fluuium Phrem in valle oppidũ alluentem mittatur. Hos enim quid seditiosi acturi essent probe perspecturos, quod hac quam isthac multo id cõmodius posset fieri, arbitrati sunt. Nec frustra hoc negotium susceperãt. Igitur Magister equitum cum equestri vexillo, assumpto Diethero à Schõburgo Alzeiæ Burggrauio, qui tum quinq; turmarum erat decurio, in agro prope sacellum quoddam eis fluuium consistit. Missus etiam erat Ioannes à Schonburgo cum Vbiis equitibus, quos Colonienses vocant, in valle vt consisteret, & quid hostis moliretur diligentissime consideraret. Quos qui in oppido erãt, nam vexilla tria, vt probe ab incolis cerni possent, erigebantur, vel 400. vel ad summum 500. eos numero esse, id q postea certo cognitum est, arbitrati sunt. Magister equitum interea vices suas VVolffgango Vlricho à Flehingen committens, vno comitatus puero ad Principem Palatinum quid agẽdum esset exploraturus accessit. Quo ad exercitum veniente, Ducis cõsilio decretum est, quandoquidem oppidum esset obsidendum, locus quo castra ponerẽt deligeretur. Quæ ad fluuiũ supra oppidum posita sunt. Iam vero cũ hostes in oppido, extra vero copię instructa acie essent, nemo tum futurũ putabat plium, præsertim iam Hespero apparẽte. In castra ergo quibus vires reficerent, vinum, frumenta aduehuntur. Verum illico portis apertis, hostium subita eruptione tria vexilla ex oppido egrediuntur. Eò autem propter impedimenta machinarum, nec equites, nec pedites poterant peruenire. Quidam seditiosos, vt Principis machinas tollerent, alij vt equites depellerent, egressos arbitrabantur. Inter hæc vltra octo millia hostium ex oppido erumpunt, fortasse quod se facile eas quæ trans fluuium erant copias, prælio contundere sperarent. His conspectis equites inter se propius iuncti, quid agendum sit à Magistro Equitum expectant: qui vt ita iuncti superiora peterent iussit; ipse vero cum Moguntino equitatu in hostium prospectum processit; quem Ducis iussu Treuirensis & Iuliacensis copiæ sequebantur. Exercitus Principis cum machinis interim in expeditione consistebant. Rustici visis equitum copiis instructa acie per medias vineas ad locum impeditum & iniquum, quoque equites nequibant venire transeuntes, machinas suas in exercitum, quo Princeps ipse erat direxerunt. Primo iaculo Principis à secretis supremo fere loco constitutus periit. Interim tres machinæ in rusticos rectà procedentes diriguntur: quarum emissis iaculis, illico in fugam coniecti oppidum repetunt: quorum admodum multi ab equitibus, qui in aciei fronte erant, sunt interfecti. Quod si iuxta Magistri Equitum consilium pedites, qui in leui armatura erant, eadem opera adorti hostes ante portam inuasissent, vel pauci, vel nulli eorum euasissent. fugientes vero omnes interficiebantur, vt eo conflictu ferme quatuor millia seditiosorum sint cæsa. Nocte iam prælium dirimente, Principes in castra se recepere. Præsidio circa oppidum dispolito, quatuor partes, quindecies centeni pedites, & mille equites sibi vendicabant, in excubiis constituti. Postero die sole iam exorto machinæ in oppidum diriguntur; nonnullis iaculis emissis, qui intra erant, se cum oppido Principi Palatino dedunt. quo facto, illico machinæ amotæ sunt. Pacem igitur omnium nomine legatis suppliciter petentibus, iniungebatur sub vitæ interminatione, quam accuratissime curarent, ne quis, præsertim antesignanorum ex oppido aufugeret, sed simul omnes quid à Principe decernetur expectarent. Sequenti itaque die, quæ Christi Redemptoris nostri præconi Ioanni Baptistæ solennis erat, Principes cum equitibus planiciem non procul à monte Diui Georgij occupant. Eo iussi sunt ex finitimis pagis venire rustici, vt selectione facta de præcipuis seditionis ducib. supplicium sumeretur. Via per quam ingredi debebant trecentis erat munita equitibus, ne hostium quisquam aufugeret. Tria ergo millia rusticorum iussu Magistri equitum, & Domini Frovvin armis positis ex oppido egrediuntur. Demonstrant hi duo viam quò eundum, & ne fugam meditentur grauiter interdicunt: quorum fidissimo & amantissimo consilio si obtemperassent, haud quaquam fuisset tanta eo die facta sanguinis effusio. Monebant enim aperte, actum esse de omnib. si essent fugæ præcipites. Quid multis? Egressis illis porta clausa est. Iam vero cum iugum primi hinc & inde stipante milite conscenderent, qui postremi erant obtento iam aliquoties cliuo, in biuio fugæ ineundæ gratia conuersi sunt: quos equites insecuti oppressserunt. Hoc viso equites qui in cacumine erant, simili pertinacia illico in confectandis rusticis vtebantur. Res visu & auditu horrenda. Hic Princeps Palatinus cui hæc pugna mire displicebat, quippe qui innata clementia pacem potius quam ex humano cruore victoriam peteret, cum exercitus duce, præfecto Curiæ, & aliis quam potuit sedulo, equites ne miseram plebem tam misere mactarent, suos esse quos confoderent, orat, obsecrat, obtestatur. Ea repentina clade fere 800. rustici periere: ex agmine seruato, circiter 30. capitali supplicio affecti sunt. Reliqui, quamuis & ipsi rei mortis essent, denuo iuramento præstito ad propria redierunt. His rebus confectis iam inclinata in vesperam die ad castra Principes tendebant. Verum cum adhuc circiter mille rustici in oppido essent, verendum erat ne noctu aufugerent, nisi tanta solertia quanta & præterita nocte vigilarent: quod tamen & equis, & hominibus graue erat. Habito consilio res commissa est Magistro Equitum: qui accepto equestri vexillo oppidum petit, & rusticis in cœmiterio congregatis, D. ex illis in Ecclesia, præterea portas omnes, ne debitam pœnam scelerati effugerent, concludi iussit; ciuibus vt conclusos diligentissime observent præcipit, se ex eis qui bona fide annumerati essent, aufugerent impleturum. Ad hæc quoscumque, qui se vt vt poterant occultassent, inuenirent, qua maxima possent diligentia tenerent. Nequaquam autem hoc crudele videbatur; cum huius oppidi Communitas plusquam effrenata temeritate gestierit. In castra reuerso Magistro Equitum iniungitur, vt vna cum Iacobo à Fleckenstein & Ioanne à Schonburgo crastina die rem inter oppidanos componerent, qui albicante iam die oppidum ingressi, cuius rei gratia missi erant ostendunt. Ex CCC. rusticis qui inuenti sunt, XXIV. capite puniebãtur; reliqui omnes incolumes ad propria reuerterũt. Inter ciues cõpositione facta, quatuor capitali supplicio afficiebantur; alij qppe seditionis duces pridie cum conarentur Principem & vniuersam nobilitatem ad internecionem vsque delere, in agmine fugientium occubuerunt. Ciues pecunia mulctati; & vtarma, machinas, gladios in arcem Alzeiæ deferrent, & priuilegia quæ multis seculis obtinuerant, Principi offerrent, ac nouum quoque iuramentum præstarent decretum est. His gestis dies aliquot Principes in castris manserunt: in eo autem tractu terræ multum damni à Martialibus dabatur. Interea etiam finitimorum pagorum seditiosi, suorum laborum dignos fructus percipiebant. Huc etiam è Francofordia, VVormacia, Spira Ciuitatibus, cum in hac truculentissima temporum conditione tũ multuantes in clerum atrociter insurrexissent, Legati ad Principem Palatinum pacis & reconciliationis gratia missi sunt, & voti compotes facti ad sua redierunt. Venit & huc Princeps Ludouicus Comes Valdentiæ cum centum equitibus, quos deinde copiis Palatini adiunxit. quin etiam duo præcipui seditiosorum duces in castra adducti; vni nomen erat Michael Busch, in quem Princeps Palatinus multa beneficia collocauerat, quorum oblitus fœdifragorum dux fœdifragus effectus est: alter Mervvein dictus, seditiosorum signifer fuerat: qui interrogatione & confessione flagitiorum facta decollati sunt.

64.

Vt Freinsheimium & Neapolis denuo capta sint.

Hinc oppidum Freinsheimium cum vniuerso exercitu obsessum, in deditionem acceptum est: incolæ partim supplices, partim pecuniis mulctati sunt: & vt non arma solum, verum etiam priuilegia Principi illico offerrent sancitum. Postero die Neapolitani quoque deditionem fecerunt. In Neapolitanos ciues, quod insolentiores cæteris fuissent, paulo grauius animaduersum est. Octo enim ex illis capite plectebantur, aliis in vincula coniectis. Qui supererant, iussi sunt armis & prærogatiuis oblatis, tria millia aureorum pendere.

65.

Quid apud Minfeldum actum sit.

Post hæc Principes cum exercitu Neapoli profecti, in pagum Gedromstein perucnerunt: copiæ in finitimis vicis castra collocauerãt. Hic oppidi Landoiæ legati venientes, Principi Palatino vinum, frumentum, armenta contulerunt, & in concordiam consentientes, ad sua reuersi sunt. Sequenti die ad pagum Minsfeldum veniunt. Hic Principes castra, pedites vero in Frickenfeldo ponunt. Interea Albipolitanis, qui in hac seditione satis fuerant insolentes; quique oppidum Sels, arcem Remigij depopulari & incendi permiserant, ac præterea castellum Roederen occuparant, vt cum Principe Palatino conuenirent, de iucunda concordia dies indicta est. Legati vnà cum Generoso Domino Ioanne Iacobo Barone Merspurgi, Cæsareæ & Catholicæ Maiestatis in inferiori Alsatia præfecto veniunt. Multis vero vocatis in consilium, post longam deliberationem, tandem eo res deducta est, vt ciues Principi Palatino sex millia aureorum darent, & seditiosis octo numero in oppidò decollatis, maiores machinas iam dicto præfecto redderent. Verum Albipolitani diem ex die prolatantes, hanc inire concordiam differebãt: quod quidem Principi Palatino vehementer displicuit: quippe quod impediretur, Ferdinando Austriæ Archiduciauxilium contra seditiosos submittere. Cum autem Albipolitani omnino rebelles esse viderentur, Princeps Palatinus eò mouere castra coactus est. Itaque Dux exercitus & Magister equitum cum omnibus copiis ad oppidum peruenientes, ea loca occuparunt, quæ nil minus quam occupari posse ciues arbitrabantur. Principis Palatini equicatus in monte & in vico Syveig, Treuirensis in Rechtenbaco, Principis Ludouici equites in Rodt, vltra viam equestrem, pedites cum machinis in valle prope collapsas ædes, quos incolæ Burgstadel appellant, castra collocauerant. Interim quoq; pagi, qui ad seditiosos defecerant, punitis quibusdam ducibus, quorum septem numero erant restituuntur. Principes igitur Palatino cum equitibus adueniente; sub noctem dux exercitus ingenti labore, machinas propius muros oppidi, satis bene muniti admouit. Exorto iam sole, signum per tubicines datur: secutus est fragor machinarum. non erat vsque quieti locus. Qui in oppido erant, impigre in castra æque tristia iacula, ac immissa fuetant immittebant. Eo die Cæsarei Regiminis Generosus Ditherus à Manderschiedt Comes, & Fridericus à Lidbacho; præterea ex Argentorato, Spira, VVormatia, Hagenoa, Landoia ciuitatibus legati venerant, rem composituri. Princeps Palatinus, vt Cæsarei Regiminis legati pro pace ineunda agerent permisit. Interim tamẽ ab oppidi expugnatione nequaquam cessabatur. Aiunt postero die DCC. iacula in oppidum missa, quorum finitus etiam vltra Rhenum auditus est. Porro duorum legatorum studio & cura Albipolitani eo deducti sunt, vt in vesperam die iam inclinato oppidum Principi dederent; eũ iam non possent concordiam à præfecto Cæsareo præscriptam impetrare. Conuenit, vt Principi Palatino VIII. M. aureorum penderent; cumque cum equitatu in oppidum de seditiosis supplicium sumpturum intromitterent, & machinas cum equitatu maiores euehi permitterent: q ciues se facturos fide data promittebãt. Mane cum iam prima luce Princeps cũ equitatu oppidum ingressus est, tres capitali supplicio affecti, duob. digiti detruncati, reliqui gratia Principum sunt erepti: oppidum Cæsareo præfecto restitutum: cũ mandato, ne amplius à fide Cæsaris deficerent. Quibus rebus confectis, Principes ad sua redierunt. Ista *narrabat Crintius.*

Nec vrbibus aliis deerant factiosi homines, qui seditiones excitarent in Clerum & Senatum. Tumultuatum est atrociter Francofordiæ ad Mœnum, paulo post etiam nõnihil Coloniæ. Francofordiæ ipsis Paschalib. feriis, duo ex infima plebe, alter sartor, alter sutor, seditionis fuere capita. Primo impetu plebs armata irruit in cœnobium Dominicanorũ; sed ea tamẽ vsa moderatione, vt cõtenta vino imperiose postulato, ab omni maleficio, quod ad direptionẽ aut vastationẽ rerum attinet, abstineret. Vrbis portæ interim clausę seruabãtur. Seditiosus populus Senatum loco mouebat, & totius vrbis imperium atq; administrationẽ in XXIV. ex plebe delectos transferebat. Multa sane flebãt ab illis insolentibus, qui velut Dictatores quidam leges promulgabant, minasq; Clero & Senatui petulanter intentabant. Sane quadraginta & sex capita ex Lutheri prodigiosis paradoxis sumpta, pro legibus haberi volebant, eaq; Moguntinis & Colonien sib. transmiserant. Coloniæ repressi seditionum autores; curatumq;, vt nullis machinationibus potuerint efficere Lutherani, vt illic eis liceret publice concionari. Moguntinus populus in transfuersum actus, multa procaciter egit in Clerum, toto triduo clausis portis manens in armis. Cogebatur Clerus, etiam ad iniquas pacis conditiones descendere; donec rusticis repressis, vrbici quoque seditiosi coercerentur. In hos tumultus rusticanos & vrbanos, ex causa Lutheri excitatos canebat, Ioannes Atrocianus, vel potius deplorabat clades & calamitatem Germaniæ, quæ illi ab innouata religione. Digna lectu elegia; quæ & magna pars historiæ.

Quis furor exagitat Germanas vndiq; gentes?
Quæ pestis miseros inficit atra viros?
Iustitiæ terram qualis diuexat Erynnis?
In quam perniciem rustica turba ruit?
Arma peronatus Mauortia clamat arator,
Martia luctificus clamitat arma furor.
Concutit arma ferox, placidus qui rura colebat,
Affectatq; orbis feruidus imperium.
Nomen habent vexilla tuum misissime IESV,
Et, Verbum Domini tempus in omne manet.
Nomen Christe tuum nullus non fundit ab ore.
Omnis Paule tuum personat agricola.

XXXVIII. *Francofordiæ ad Mœnum plebs tumultuatur.*

Voce Euangelium ingeminat gens rustica, quamuis,
Nemo Euangelico viuere more velit.
Non tantum insanus quondam insanibat Oreſtes,
Nec Penthei genitrix tam furiosa fuit.
Vt nunc agricolæ, diuina lege superbi,
Et quibus est Christus semper in ore suo.
Credimus immites Phlegetonte exisse sorores,
In nostram, faciant quo mala multa, plagam.
Eumenides passim discurrant, nulla furore,
Non est plena domus, regnat vbiq; furor.
Inde est quod ferrum in dominos gens rustica stringit,
Et domino seruus denegat officium.
Defensare fera dominum qui morte solebat,
Nunc iugulat dominum seruulus ense suum.
Testatur crudele nephas Vinsperga, peremptos
Quæ luget claros nobilitate viros.
Oppidulum infelix, quod nullum nomen habebat,
Occisis dominis nobile nomen habet.
Seruo quid credas? seruo quid credere possis?
Omnis seruorum contaminata fides.
Quam felix Vrbinus erat, quem cura fidelis,
Seruabat serui nobilitata nece.
Sensit opem serui finita Scipio pugna.
Laudatur seruus Marce diserte tuus.
Euasit liber Seruili Restio techna.
Concelebrant vernam tempora Grache tuum.
Viuere qui cupiat, longam & producere vitam,
Agros hic linquat, ruricolasq; feros.
Nemo magistratus audit, Regesq; potentes,
Cæsareas leges, Cæsareasq; minas.
Scripturæ quam nullus honos, quam vilis vbiq;
Verbum qui Domini prædicat ore pio?
Nulla salus Monachis, non est vitiata Sacerdos
Tuta, nihil tutum seruat vbiq; furor.
Sacri rapiantur calices, vestesq; sacratæ,
Discissæq; iacent sub pede reliquiæ.
Deuastata iacent etiam tentoria sacra,
Angelicus panis non habet ille locum.
Diuorum delubra cadunt vastantibus armis,
Infelix plebes nil sinit esse sacrum.
Profert Diuorum effigies, depictaq; signa,
Auertent oculos rustica turba suos.
Prostituat si quis Lalagen, vel dulce canentem,
Auertent oculos concio nulla suos.
Aurum ostende rubens, auratam ostende figuram,
Numquam vilescet nummus imaginibus.
Tempora sunt, magni quæ prædixere prophetæ,
Et quæ non vani conciuere viri.
Discessit Virgo, desunt Saturnia regna,
Venerunt duro ferrea secla pede.
Ætate hac prorsum cecidit sanctissima virtus,
Regnat vbiq; malum, regnat vbiq; scelus.
Omnia languescunt natiuo exhausta vigore,
Festinatq; suum mundus ad interitum.
Limpidiora olim præbebat lumina Titan,
Clarior & Phœbus lumine clarus erat.
Ipse vides pariter pulchram decrescere Lunam,
Parcius & noctu luce micare sua.
Cretica flagrantis decrescit stella coronæ,
Lucis habet Veneris stella serena minus.
Nonne vides hominum quam nunc sint corpora parua,
Numquam tam paruus corpore mundus erat.
Quando adeo morum probitas tacuit, pietasq;?
Quando adeo fidei, iustitiæq; decus?
Quando adeo infelix Regina pecunia mundus
Sic tibi seruiuit? sic quoq; te coluit?
Quando adeo neglecta fuit dilectio fratrum,
Quam toties Christus præcipit omnipotens?
Quando adeo placuit curare cutem interituram?
Viuimus ô vitam Sardanapale tuam?
Quando adeo illicito stimulatus adulter amore,
Neglexit leges ô bone Christe tuas?
Quando adeo interiit rerum pulcherrimus ordo?
Quando adeo passim vita pudica ruit?

Numquam stelligero delecta superbia cœlo,
Aspernata magis Numina magna fuit.
Qui non arma capit, Christi non dicitur esse,
Bella gerunt Christo rustica turba suo.
Qui non bacchatur vulgi de more furentis,
Inter Christicolas non habet ille locum.
Non didicit Christum nisi qui simulachra perurit,
Atq; sacerdotum qui spuit in faciem.
Non didicit Christum nisi qui Sacramenta malignus
Irridet, Papas & docet esse lupos.
Non didicit Christum nisi qui temerarius audet
Omnia sanctorum spernere dicta Patrum.
Non didicit Christum cui Franciscana lacerna
Ex humero pendet plurima adusq; pedes.
Non didicit Christum ieiunans tempore certo,
Sultano est peior festa sacrata colens.
Non didicit Christum manibus qui Numina passis
Implorat, curuans temnitur atq; genu.
Non didicit Christum psallens tibi Conditor alme,
Exultansq; chorus vellegione caret.
Non didicit Christum nisi qui Mezentius alter
Contemnit Diuos, Angelicosq; choros.
Non didicit Christum qui te pia VIRGO salutat,
Angelicumq; tibi concinit illud AVE.
Non didicit Christum, natos qui chrismate sacro
Vngi permittit nomine Christe tuo.
Non didicit Christum, nisi qui renouarier optat,
Baptismumq; iterat credulitate vacans.
Non didicit Christum, nisi qui, mendice labora,
Dicit mendico paupere pauperior.
Non didicit Christum, talpa quoq; cæcior ille
Fertur, opus qui nunc asserit esse bonum.
Non didicit Christum, Requiem qui rite precatur
Æternam, quorum corpora humata iacent.
Non didicit Christum cui libera abunde voluntas
Asseritur, non est scilicet arbitrium.
Non didicit Christum, nisi qui te Missa nephandum
Esse nefas rabido publicat ore suo.
Non dicit Christum nudat qui vulnera mentis,
Fœda sacerdoti, mortiferumq; malum.
Non didicit Christum gaudet qui cælibe vita:
Vxorem ducat, qui velit esse pius.
Non didicit Christum, census decimasq; libenter
Persoluens, illum lurida lepra tenet.
Non didicit Christum nudato vertice doctis
Assurgens; quicquam vix pia turba probat.
Non didicit Christum doctas qui mittit Athenas
Filiolos, multum nil didicisse iuuat.
Non didicit Christum cruce signans se veneranda,
Atque manu gestans signa rotunda precis.
Non didicit Christum Germanis qui nisi verbis
Vitali infantes amne lauare solet.
Non didicit Christum veteri de more sepulchrum
Constituens; stultus qui monimenta cupit.
Tales progenerat fructus lachrymabile bellum,
Bellorum talis transitus esse solet.
Quis poterit deflere satis seruilia bella?
Flebilibusq; elegis omne referre scelus?
Enceladum si quis viuit, sæuumq; Typhœa.
Magnanimum hunc dicunt rustica turba virum.
Hæc ætas sibi blanditur celare perite
Verrucas, scabiem, vulnera magna quoq;.
Et si quem penitus viciauit lurida lepra,
Sunt qui contendant purius esse nihil.
Hypsæa si quis fuerit quoq; cæcior ipsa,
Attamen exuperat lumina milue tua.
Toxica qui veuomit, fertur dulcissima mella
Sparsisse in populos ô Deus alme tuos.
Cerbereos legit hæc ætas miseranda creatus,
Bellorum fructus colligit omnis homo.
Callyroen vita referens, & moribus atris,
Inter Pimpleas rite locanda venit.
Hoc verum, si cuncta probet, quæ rustica plebes
Insanit, sanæ non erit vllus honos.

Quamuis casta magis non sit Tritonia virgo,
Barbaricis ni sis moribus, esse negant.
Aures occludas cum vulgus iudicat ipsum.
Iudicium vulgi qui fugit, ille sapit.
Et sapiunt omnes, damnant qui rustica bella,
Qui detestatur rustica bella, sapit.
Olim summa fuit capiti reuerentia docto,
Contemnit doctos rustica turba viros.
Solus habet nomen docti quem vexat Erynnis,
Et cuius linguam bilis amara regit.
Talem progenerant frugem tristissima bella,
Bellaq; sunt tali munere nota modo.
Vrunt innumeros passim gens rustica libros,
Librorum passim copia magna perit.
Sed quantum facinus miseri toe perdere libros.
Soluereq; in cineres tot monimenta sacra?
Rustica dic plebes, enarra barbara plebes,
Dic morum pestis, dic fugienda lues.
Impulerit libros crepitanti exurere flamma
Quæ causa, infelix pestiferumq; genus?
Quis Phœbus potuit facinus, quæq; aurea Phœbe
Aspicere hoc vestrum? Qui Deus omnipotens?
Nunquam adeo immitis Scyron fuit, atque Procustes,
Et Scinis, & Cacus, Cercyon atque ferus,
Vt qui combusit pretiosa volumina nuper
Seruili bello Martius agricola.
O destenda dies, nigroq; notanda lapillo
In qua tot noctes flamma peruisit edax.
Tantalea dignus pœna vilissimus author
Dignus quippe rota, Caucaseoq; malo.
Quod versas ingens author Sisyphe saxum
Impone, æternum sit tua pœna grauis.
Nunquam adeo Mauros nostras perterruit vrbes
Numquam adeo Reges belligerosq; Duces.
Vulcano pereunt altis in montibus arces.
Viuitur ex rapto, nulla rapina satis.
Flagranti vruntur flamma numere sine ville,
Vruntur, humiles igne sonante case.
Thestilis inde sua fugit at cum prole, requirens
Nidum pignoribus, filiolisq; suis.
Et detestatur multum seruilia bella,
Insanos omnes ruricolasq; vocat.
Insuper exclamat, pulsat rutilantia clamor
Sidera, conuellit Thestilis ipsa comas.
Quid clamare iuuat? quid vellere stulta capillos?
Non reparat clamor, nec coma vulsa casam.
Tu potius crines insano euelle marito,
Supplicio hos dignus, stulta, maritus erat.
Ille quidem est author, quæ tu perpessa malorum,
Et causa est miseri Thestilis exitii.
Discite amare viri sanctam super omnia pacem,
Immensum pacis discite amare bonum.
Omnia tranquillo florescunt tempore pacis.
Nil non mellifluum tempore pacis erit.
Si quis prætulerit paci lachrymabile bellum,
Hunc perdent misere tristia bella virum.
Thestilis hunc erras, paci quod bella maritus
Prætulit, in dominos impia bella gerens.
Quid domini faciunt? conducto milite pugnant,
Et pugnant domini, corpore quisque suo.
Innumeri agricolæ iugulantur Marte feroci,
Ruricolum passim millia multa cadunt.
Nec tot apud notas prostrata cadauera Cannas,
Nec totidem extinxit Pharsala pugna viros.
Quot nuper cecidere tuis Germania campis,
Campis humano sanguine nunc fluidis.
Tale malum quondam Siculas inuaserat oras,
Id veterum certe quod monimenta docent.
Nam quid am ingenio fallaci, & mente dolosa,
Pollicitus seruis vtile consilium.
Conueniunt, suadet, nec persuadere valebat,
Displicuit cunctis vtile consilium.
Tunc aliud mendax commentum rhetor adornat,
Consilioq; Deæ credula turba perit.
Talem etiam nostri agricolæ audiuere Magistrum,

Tali ruricolæ rhetore bella gerunt.
Atque etiam talis Germanica pectora doctor
Seduxit, tali rustica turba iacet.
Ista licet sint magna nimis, maiora timenda
Sunt tamen, immensi Lerna timenda mali.

XXXIX.

Ista Atrocianus deplorabat; quandoquidem, vt autor *Originum Saxonicarum*, *lib.* 7. memorat, nulla vnquam tempestas tam atrox & violenta, quam huius nefandi tumultus fuerit; vbi erat audire turbas & clamores insanos, erat videre confusionem & barbariem inauditam: non bello apta arma, sed varia agricolarum & opificum instrumenta, vt cuique aut aut furor, aut formido ministrat; nec erant duces aut tribuni qui imperarent, sed quod stultissimo & audacissimo cuiq; in mentem inciderat, id procaciter & crudeliter socii exequebãtur. In agris trepidantium fuga & consternatio; cum neq; locus vlli tutus, nec profugium certum esset, neque cui se crederet, aut quo fugeret, haberet. Vnus sæpe homo totum pagum concitabat, tribus quatuorue persuasis; cæteri sequi cogebantur. Non ætas, non imbecillitas, quenquam excusabat, non deniq; fortuna. In multis villis præter matres familias & liberos ad arma ferenda ineptos, erat inuenire masculum neminem. In agris passim concursationes & tumultus, direptiones atque incendia; spoliabantur templa, cœnobia, nobilium ædes; violabantur sacri prophanique vtriusque sexus homines; flagrabant arces & pagi; in cineres redigebantur Ecclesiæ & Monasteria; castella item & oppidula capta diruebantur; aurum argentumque auferebatur; vasa, instrumẽta, vtensilia, supellex corrumpebatur; & ne quid deesset, quod etiam posteritati incõmodaret, bibliothecas, libros; omnes aut igne delebant, aut fecuribus lacerabant; quasi memoriam redituum, vectigalium, tributorum tollerent, & ab earũ pensione se in perpetuum liberarent. Libertatis præterea & licentiæ vocibus personabant omnia; clamabant fundos, sylvas, flumina, orbem terrarum omnibus esse communem: nullum amplius Principem aut Dominum pertimescendum; nulla onera subeunda religionis aut imperii, aut vllius denique rei: opes, dignitates, immunitates, honores, æqualiter singulis tanquam fratribus vsurpanda; qui his aduersarentur, ferro, igne delendi, extirpandique quouis modo.

XL. *Lutheri Theutonica epistola ad rusticos seditiosos.*

Insuabat quoq; Atrocianus, cladium tam à rusticis, quã in rusticos, autorem primarium, nempe Lutherũ. Is namque inprimis rusticos, tum arrogatis sibi vaticiniis, tum concionibus & libellis in Principes & clerũ contumeliosis, ad rebellionẽ excitauit, vbiq; totum id, quod mutatum per factiosos erat, attribuit. Ita habet in ea Theutonica epistola, quam inscripsit, Fidelem admonitionem ad omnes Christianos, pro seditione & rebellione præcauenda: Quanquam, *ait*, non inuitè audio, Ecclesiasticos in eo itare timore & sollicitudine. Videor tamen mihi certus esse, nec vllus mihi metus est, de vllo tumultu aut seditione futura, ea præsertim, quæ penetret ac totam turbam inuadat. & infra. Inspice, *inquit*, facta mea. Nonne ego Papæ, Episcopis, Presbyteris & Monachis, solo ore absque omni ictu gladii plus ademi, quam illi hactenus omnes Imperatores, Regesque & Principes, cum tota potentia sua ademerunt? Quare? Quia Daniel. 8. cap. dicit; Hunc Regem absque manibus conterendum esse. & Paulus. Iste destruetur ore Christi. Ego vtique certus sum, verba mea, non esse mea, sed verba Christi: Oportet igitur & os meum illius esse, cuius verba loquitur. Idcirco non opus est, petere corporalem seditionem: Christus ipse iam quandam incepit ore suo, quæ Papæ nimis grauis erit. Vide igitur, vt exercear, & promoueas sanctũ Euangelium; doce, loquere, scribe & prædica, quomodo leges humanæ nihil sunt. Prohibe, & dissuade ne quis fiat Sacerdos, Monachus aut Monialis; & quisquis in eo statu sit, vt exeat: non præbe amplius pecunias pro bullis, candelis, campanis, tabulis, templis. Sed dic, vitam Christianam consistere in fide & charitate, & sine nos ista duos adhuc annos agitare. Tunc videbis, vbi Papa, Episcopus, Cardinales, Presbyter, Monachus, Monialis, campana, turris, Missa, vigiliæ, cuculla, cappa, rasura, regula, statuta, & totum examen ac congeries Papalis regiminis maneat. Tanquam fumus euanescet. Hæc ibi. & quanquam falsus in eo vates fuerit, seque os eius, qui mendax est ab initio Diaboli esse ostenderit, dum biennio transacto predice-

ret Ecclesiasticum statum in fumum abiturum; iis tamen verbis, non minimum seditionem incitauit, quando præsertim Prophetæ sibi spiritum arrogaret, & Ecclesiasticos ritus irrideret, & in clerum concitaret, eos quibus vel mores, vel potestas, vel diuitiæ cleri displicebant. Sic enim in primo libello, de seditione rusticorum Sueuiæ, ait per calumniam ad Principes. Primum, *inquit*, nemini super terram possumus acceptum referre hanc calamitatem & seditionem, quam vobis Principibus & Dominis; præsertim vobis cæcis Episcopis, stolidisque presbyteris & Monachis. Et quem ad modum falso prophetauit sibi victoriam Muncerus; ita falso quoque prophetauit rusticis victoriam, Principibus eidem, Episcopis & Clericis exterminium Lutherus, in eo libello, quem falso inscripsit, exhortationem ad pacem, super 12. articulis rusticorum Sueuiæ; cum reuera esset potius dehortatio à pace ad bellum, & confortatio rusticorum in scelerato proposito. Gladius, *inquit*, vobis Principibus super collum iam imminet; adhuc tamen putatis tam firmiter sedere vos in sella, vt nemo vos excutere possit. Hæc securitas & obstinata præsumptio franget vobis collum: hoc videbitis. Ego vobis antea persæpe prædixi, vt caueretis ab illo dicto Psal. 104. Effundit contemptum super Principes. Vos ad hoc luctamini, & vultis super caput percuti, contra quod nulla iuuat monitio, nec vlla exhortatio. Cum sitis igitur causa huius iræ Dei, in vos proculdubio exundabit, si nondum vos cum tempore emendaueritis. Signa in cœlo, & prodigia in terra destinantur vobis; boni Domini, nihil vobis boni portendunt: nullum quoque bonum vobis continget. & paulo post. Hoc enim sciatis boni Domini, Deus ita procurat, vt non possint, nec velint, nec debeant vestram tyrannidem diutius ferre. Oportet vos alteros fieri, & verbo Dei cedere. Si non feceritis amico voluntarioq; modo, facere oportebit vos per violentiam pernicioſamque deordinationem. Si non fecerint rustici isti, oportebit alios facere. Etsi omnes occideretis, adhuc tamen inoccisi sunt, Deus alios exsuscitabit. Vult enim vos peruertere, & percutiet. Non sunt rustici, boni Domini, qui se vobis opponunt: Deus ipse est, qui se opponit contra vos, ad visitandam vestram tyrannidem, &c. Hæc Lutherus, qui dum in exhortatione ad rusticos, qua videri vult eos hortari ad pacem, atque obsequium fere aliud nihil inculcet ac memoret, quam tyrannidem Principum; prauos mores Cleri; calamitatem illis certam impendere; aduentu Christi & Spiritu Dei extirpandos: accensam in eas iram Dei, cuius significationem pone rideant, nedum aspernentur; implorandum diuinum auxilium aduersus regnum Pontificium, vt eius potentiam infringat; celebrandam esse doctrinam noui Euangelii, & Pontificum imposturas, dolos, insciticiam, rapacitatem, & totam præstigiarum sentinam atque immunditiam Orbi terrarum patefaciendas, vt homines pro nihilo ducant & plane contemnant quicquid ab illis profectum fuerit: nescio an istis sermonibus facem admoueret male feriatis rusticis, ad Clerum & Magistratum euertendum.

XLI. Iam cum audiuit rusticos vbique succumbere, mox Protheum agens stylo conuerso, Principes & Magistratus in miseros excitauit, ac protinus contrarium in eos edidit libellum, cui titulum hunc fecit Theutonice, Contra latrocinantes, tumultuantes, ac homicidales rusticos, qui sub prætextu sancti Euangelii, fallaciter contra omnes superiores resistunt, & insurgunt. In eo libello inter alia multa scribit; Debet igitur hic percutere, occidere, perfodere, seu clam, seu palam, quisquis potest, & cogitare nihil esse venenosius, nocentius, magisue Diabolicum homine seditioso. Perinde atque si rabidus canis interficiendus sit. Si non feris eum, ferit te, & totam prouinciam tecum. & infra. Arbitror, *inquit*, nullum esse amplius in inferno Diabolum, sed omnes prorsus in rusticos ascendisse. Nam insania ista omnem & modum, & mensuram excedit. & rursus. Rustici non amplius iam pro Euangelio pugnant, sed palam facti sunt perfidi, periuri, rebelles, seditiosi, latrones, raptores. & item. Tam admiranda nunc sunt tempora, vt Princeps aliquis sanguinis effusione cœlum promereri queat, melius quam alii orationibus, &c. Istud vero crudele scriptum Lutheri contra tumultuantes rusticos editum, offenderat permultos, etiam ex Lutheranis ipsis; nam in eo dicebant manifeste prodi spiritum, per quem Lutherus agitaretur, sanguinarium scilicet & homicidam, cuius impulsu miselloshominес, instar canum actorum in rabiem, promiscue trucidari iusserit, quos ipse prius in scriptis suis, & voce publica, ceu classico quodam contra Principes & Clerum ad arma vocarat. Hanc truculentiam aiebant argumento esse, quod discesserit ab eo, velut à Saulo Rege quondam Spiritus Dei bonus & in eius locum succesſerit alius spiritus cædem & sanguinem spirans; cuius in hoc scripto certa vestigia liceret intueri. His ille, apologiæ loco oppoſuit epistolã bene longam ad Caſparum Mullerum Mansfeldiensem Cancellarium, in qua de ferocitate & truculentia nihil remittit, sed mordicus tuetur omnia, quæ monitus erat, viris prudentibus, in priore libello tam opere displicere. Concludit vero scriptum illud his verbis; Vellem, *inquit*, homines non interpellarent me, sed quietum viuere paterentur. Nituntur enim frustra, nec quicquam efficient, qui mihi manum iniiciunt. Quicquid ego doceo scriboque, id iustum manebit & rectum, tametsi vel totus mundus rumpatur. Iubebat ergo, inprimis pro seditiosis haberi, quicumque dixissent priorem suum libellum nimis esse durum, aut quibus vlla esset erga occisos rusticos cõmiseratio, quib. Deus ipse noluisset misereri. Pugno, *inquit*, eiusmodi blateronibus respondendum est, vt cruor è naribus prorumpat. Nihil hic neque audire, neque scire volo de misericordia, sed considerare quid velit verbum Dei. Ideo oportet libellum meum & esse, & manere iustum, etiamsi totus mundus in eo scandali daretur. Quid mea refert, si tibi displiceat, quando placet Deo? Ipse n. vult irã, & non misericordiã. Quid tu igitur agis cũ misericordia? Nonne Saul peccauit misericordia erga Amalech, cp non exequebatur irã Dei, sicut ei mandatũ fuerat? Ad hunc modũ Lutherus, cum omniũ eiusmodi malorum, miseriarũ & calamitatũ autor esset, & causa, vſq; adeo tamen non condoluit, nec vllũ cõpassionis indiciũ, ne ad oculum quidem exhibuit, vt Erynni quadam percitus, de communis patriæ cladibus exultare, & de occisis rusticis triumphare videretur. quo dq; grauius est, in ipso feruore rusticani motus, in medio armorum strepitu, & publico totius Germaniæ luctu, dum gladius horrendum in modum passim in rusticos sæuiret, dum gemitus occumbẽtium, vapor effusi sanguinis, incendiorum fumus, viduarum orphanorumque ploratus in cœlum ascenderet, Lutherus genii sui ductum secutus, nuptias meditari cœpit, & sacrilegis delitiis indulgere; quasi Germaniæ miserandum in modum afflictæ, bonisq; omnibus publicam patriæ calamitatem lugentibus, luxuriabundus insultaret. Hanc rem diu quidem animo volutarat; verum deterritus autoritate Friderici Principis Electoris, qui dimissa semel concubina, vti diximus, sporro cœlebs permansit vsque ad finem vitæ, à nuptiarum ausis seipsum cohibuit. Liget enim Monachis, Sacerdotibus & Monialibus autor esset, ad nuptias vt conuolarent, sub matrimonii nomine, non habita ratione voti, quo sese ad continentiam perpetuã Deo consecrarant; ipse tamen quamdiu Fridericus vixit, nihil huius ausus fuit vnquam publice machinari. Interim affectus illi non deerat, vel ardẽs desiderium hoc ipsum faciendi, quod aliis tam impotenter, ceu factu necessarium, inculcauerat. Certè fassus est ipse aliquando inter suos, se libidinis facibus & amore mulierum, sub initium mutatæ religionis ita succensum fuisse, vt parum abesset, quin ad insaniam redigeretur; quod ex ipsius ore discipuli se testantur audiuisse. Vnde proculdubio est, quòd tam impudenter inculcare soleret, adhibito quodam scurrilium verborũ apparatu, nullum omnino hominem sine miraculo continenter viuere: scilicet ex genio suo mores & conditionem omnium hominum æstimans. Hunc vero lasciuientis carnis impetũ repressit ad tempus, vt diximus, atque interim viam sibi muniuit variis in locem editis tractatibus; vt scilicet occasionem nactus, quam expectabat, expeditior esset ad ingrediẽdam semitam, quam aliis intento digito demonstrauerat. Nec in vllo fere argumento tractando tam accurate versatus est, vel ingenii vim ad eum modum exercuit, vti, cum de voto continentiæ rumpendo disputauit. Hic vero quicquid neruorum habet, intendit, & omnes experitur ingenii vires. Vnde libellum suum de votis monasticis, omnium quos scripsit, robustissimum quodam loco appellat. Huius generis & epistola, quam erumpente iam in publicum rusticæ seditionis incendio, paulò ante Friderici Electoris obitum, 27. Martii scripsit ad Anthonitam quendam, Wolfgangum Reissenbusch, Præceptorem, vt

Lutherus Anthonitã quendã rationib. multis ad Matrimonium hortatur.

rem, vt vocant Liechtenbergensem, quam vrgenter, & veluti summa vi nitens, ad matrimonium contrahendum impellit. Rationibus vtitur alibi toties ad nauseam repetitis, quod vincula constitutionum humanarum, & voti cõpedes neminem ligent coram Deo; quod continenter viuere, positum nõ sit in potestate nostra; cp homo creatus sit ea conditione, ne viuat solus, sed vt mulieri iunctus crescat, & sobolẽ progeneret. His aliisq; protritis id genus in hoc argumento, quædã adiungit, memoratu fere nõ indigna. Ex iis n. non obscure colligas, quibus cogitationib. in medio rusticani motus æstu, animus ipsius æstuarit. Si quis, *inquit*, omnino solus esse velit, is nomen hominis deponat, seq; prius Angelum faciat, aut spiritũ. Homini n. nullo pacto vel donat vel permittit Deus, vt solus viuat. Corpus nostrũ, *ait*, pro magna sui parte carõ mulierbris est cum in muliere cõceptum atq; formatũ creuerit, ex eaq; natũ sit & nutritũ: vt prorsus impossibile sit separari à carne muliebri, vel ab ea se cõtinere: idq; propter Dei verbum; hoc ipsum cp voluntate sua operantis. Igitur qui solitarius esse vult, insuperabilẽ luctam aggreditur; quo fit vt votum ea de re præstitum, cõtra Dei verbum & opus militet; nec obliget quenquã: quia rem præstitu impossibilem includit. ac si voueã ego, me futurũ Dei matrem, aut cœlum aliquod creaturũ. Quod si dedecorosum sit vxorem ducere; cur non dicitur probri loco, cp edimus & bibimus? quandoquidem vtrumq; hoc sub eandẽ cadit necessitatem.

Quem matrimonii pudet, idem & pudore suffundatur, quod homo est & dicitur: vel melius quidpiam de se faciat, quam fecit Deus. Filii Adam sunt, & manent homines. itaq; necessitas illis incumbit, vt homines ex se vicissim gignãt. Hęc Lutherus ad Antonitam illum, paucis septimanis ante mortem Friderici.

Eius rationes.

Quo paulò post, quinto Maii, vti diximus, rebus humanis exempto, deinceps & ipse, velut excusso pudoris freno, liberi oculos circumferre cœpit & procari. Vt vero magni nominis aliquem haberet illius dementiæ socium, nec insaniret solus, Albertum Brandeburgicum, Archiepiscopũ Moguntinum, Cardinalem, cuius iam ante frequenter mentionem fecimus, ad eandem chorææm, ad nuptias contrahendas, inquam, per literas familiariter inuitauit; quã rem Archiepiscopo ad eum modum proposuit, vt diuini furoris, armorũ ciuilium, & seditionis ardorem (qui cilicia, cineres, lachrymas, humicubationes, & ieiunia postulabat) Monachorum & Sacerdotum luxuriantium incestis nuptiis extinguendum innueret. Hortatur enim Principem, vt exuta Sacerdotis & Episcopi larua, fœminã sibi matrimonio iungat, suamq; dicœcesim in secularem Principatum conuertat. Id se has potissimum ob causas, ait suadere: Principio, vt auertatur vindicta Dei Germaniam duriter flagellantis, nec Sathan habeat grauiores excitãdi motus: Ordinem Ecclesiasticũ in diuini honoris contumeliam institutum: neq; iræ Dei pœnarumq; mitigationẽ vllo pacto sperandam, nisi detestandus hic Ordo penitus excindatur. Deinde populum ita nunc informatum esse, vt nihil pendat Ordinẽ Ecclesiasticum; quemadmodum cantiones, dicteria, sarcasmi, picturas, pasquilli, aliaq; hoc genus in Sacerdotum Monachorũq; cõtumeliam edita scripta palã & abunde quidem testentur; iamq; rem eo rediisse, vt hic Ordo nutare videatur ad ruinã, quẽ Deus excindere decreuerit, atq; delere. Posse igitur Archiepiscopum præuenire iudicium Dei, suaq; sponte suauiter ad abrogandũ hoc vitæ genus operã cõferre; cp alioquin extirpandũ sit, quantũuis obluctetur. Hanc viam ingressam esse Magistrum ordinis Theutonici in Prussia, qui cum suo Euangelio dederit locum, eiq; honorem exhibuerit, quiete satis & suauiter Deũ omnia ad mutationẽ disposuisse. Quod si & ipse, qui primus sit inter sumos imperii proceres, & in meditullio Germaniæ sedem habeat, pulcherrimũ hoc exemplum imitetur, futurum, vt multorũ animos quietos reddat, alios q; per Germaniam Episcopos ad sequendũ tam illustri facto permoueat; magno certè communis patriæ bono. Quanquam, si tanti non sit apud eum vtilitatis publicæ ratio, vel vnicum hoc ad mouendum sufficere debeat, quod à Deo vir sit creatus, quẽ in mundo non solum esse, sed cum muliere cõiunctum viuere oporteat. Nec se videre, ait, quomodo sine graui periculo quisquam solus extra fœminæ consortium vitam transigere possit, nisi miraculose Deus ex homine faciat Angelum. Horrendũ esse profectò, si vir absq; thori cõsorte fœmina, sub horam mortis inueniatur. Quid enim Deo respondeat, ad hunc modum scisciranti! Virum te feci, non solus ætatem ageres, sed vt cum fœmina viueres matrimonii tibi nexu coniuncta: vbi est vxor tua? Rogat Archiepiscopum, vt hanc admonitionem demittat in animum, atque omnia maturè secum & prudenter expendat: scilicet vt negotium hoc vxorium instigniter, & quam fieri possit, citissime promoueatur. Opus esse festinato, priusquam transeat, quæ nunc in manibus sit occasio; quam forte postmodum, vti elapsa fuerit, facile non sit inuenire.

XLII. Has literas contra apertas sacræ Scripturæ, de votis, deque cœlibatu sacratorum hominũ sententias, 2. die Iunii scriptas, homo Venereus & Sacrilegus misit ad quendam è familiaribus Ioannem Ruthelium Iuris Doctorã, offerendas Principi, ne non certo ad manus ipsius peruenirent. Adiunxit suas ad ipsum Ruthelium, cui liberum fecit, vt si Principi consilium hoc allubuisset, datas ad ipsum literas cõmunicaret aliis adeoque typis exprimi permitteret, & in vulgus spargi. Quod si forte quæreret Archiepiscopus, cur Lutherus ipse non duceret vxorẽ, cum omnibus matrimonium suadeat? Respondendum, *ait*, metuisse se hactenus, vt satis idoneus esset ad hoc vitæ genus. Interim si Princeps exemplo suo possit ad contrahendum matrimonium permoueri, non se futurum in mora, sed expedito cursu præiturum. Hæc ad Ruthelium Lutherus 3. die Iunii. Nec fefellit fidẽ, sed fecit paucis diebus post, quod se facturum insinuauit. Delegit enim vnam ex nouem ipsis Monialibus, quas biennium è Nimicensi Monasterio noctu profugisse diximus, Catharinam de Bore, nobilem, quam obtentu matrimonii nuptiis inceſtis sibi copulauit. Id factum est secretò paucis præsentibus in domo Nicolai Ambsdorffii, 11. Iunii die, in quẽ festum S. Trin. tum quidem incidit. Vbi domum duxit sponsam hanc, diem celebrandis postliminio nuptiis vigesimum septimum Iunii constituit; ad quem parentes & amicos quosdam ex intimis inuitauit. Inter quos vel primus fuit Georgius Spalatinus, Electoris Friderici nuper admodum defuncti Secretarius & Sacellanus, quem & de sponsa ad nuptiale conuiuium procuranda datis literis admonuit. In has nuptias, Hieronymus Emserus carmen illud, *His magistris*, quo superius adscripsimus, cõposuit, & quatuor vocibus ad concinendum exornauit. Addidit & aliud, ex quo isti pauci versus:

Lutherus Catharinã de Bore vxorem duxit profusam monialem.

Carmen in nuptias Lutheri oblatum.

Vos etiam Scurræ, Lurcones & Parasiti,
Quos male delectant populi ieiunia Christi,
Vos quoque Lenones, periuri, sacrilegique,
Virginitas quibus est flocci, votumq; sacrumq;.
Denique Thrasones, linguaces, ardelones,
Quique diu accisi Christumq; fidemq; negastis.
Impuri, quorum deprauat lingua Sodales,
Perfida, & in sensum reprobum, quos crimina ducunt.
Tu quoque sex vulgi, cui sunt nunc dura supernæ
Frena potestatis, iuga quæ furibunda resoluis.
Cuncti Legifragi celebrate Hymeneа Magistri,
Cuius vos faciunt vota documenta potiri.
Tu noua nupta tuo velum depone marito.
Rumpe pudicitiæ Zonam, votumque fidemque,
Tam bene, quam Christo vestrum sacrauit vterque.
Conspurcate thorum, mentemq; & corpora vestra
Sacrilego incestu: per vos generabitur illa
Pernicies mundi, certissimus Antichristus.

XLIII. Hoc vero Lutheri factum, quod Catholicis abominabile visum fuit, & omnino execrandum, ipsis etiam Lutheranis prudentioribus vehementer displicuit. Quod cum ille non ignoraret, in literis, quas ea de re scripsit ad amicos, exposuit cõsilii sui rationes, & causas in medium attulit, quib. permotus fœminam illo tempore sibi sociarit. Propositum sibi fuisse iampridem, ait, inire matrimonium, antequam è vita mi-

Lutheri rationes quare matrimonium inierit.

graret;

graret; etiamsi nullum aliud ibi cum fœmina consortium esse possit, quam inter Ioseph̃um & Christi matrem diuam Virginem fuisse accepimus. Quoniam igitur persuasum habeat, se breui moriturum, festinandum fuisse, ne mors, quam præ foribus ominetur, consilium hoc interciperet. Deinde se hanc postremam obedientiam præstitisse charissimo parenti; cuius voluntati repugnare vix integrum sibi fuisse dicit: hunc frequenter monuisse, vt fœminam sibi iungeret matrimonii nexu, ex qua nepotes & posteritatem sperare possit. Demum confirmandam hoc facto doctrinam fuisse, quam hactenus scriptis & voce propugnarit, & quod reliquum in se fuerit ex Papatu, reipsa deponendũ; ne secus facere, quam dicere videretur. Non se carnalibus illectum desideriis, sed bono tantum in matrimonium affectu permotum, vxorem hanc duxisse: imo cum longe alias haberet cogitationes, inopinato cum Catharina Borea, virtutum ornamentis insigni virgine, mirabiliter in matrimonium à Deo cõiectum fuisse. Opus hoc est diuinum & sanctum; quod nec agnoscant homines, qui mundana sapiunt, nec intelligant, sed velut impiũ ac Diabolicum abominẽtur. Sibi vero vel hoc nomine, quod ita iudicet mundus, statum hunc placere magis, & impensius allubescere. Nec morari se iudicia quorundam in tenebris ignorantiæ permanentium, qui facto suo plurimum offendantur. Scilicet apud homines se velut apostatam in contemptum venisse propter hoc matrimonium, de quo futurum speret, vt lætentur Angeli, dæmones vero contristentur & plorent. Hæc Lutherus sparsim in literis ad Spalatinum, Ambsdorffium, aliosque nonnullos; Quanquam interim post celebratas nuptias grauissimis conscientiæ stimulis agitatus fuit, & tristitia quadã oppressus, quod Monachus voto castitatis astrictus, virginem Deo consecratam, incæsto concubitu, sub matrimonii nomine temerasset. Eius rei cogitatio perturbauit animum illius, & perplexum reddidit. Quod cum Melanchthon animaduerteret, quamquã & ipse factum hoc vehementer improbabat, dissimulato tamen animi dolore, colloquiis hilaribus Lutherum consolatus est, & iacentem, quibus posuit rationibus, lepidisque sermonibus erexit. Sane vehementer eum inter alia pungebat, quod Henricus Rex Angliæ illi exprobrabat, scriptis in responsione istis verbis.

Henrici Regis ad Lutherum ob initum matrimonium exprobratio.

Scribis, vehementer pudere te in Nos oculos attollere, quod te tam leuiter passus sis per operam os iniquitatis, vt vis, aduersus nos moueri. Verum ego profectò non paulo magis admiror, quod te non pudet serio leuare palpebras, & vel in Deum, vel hominem probum oculos intendere, qui te passus sis, instigante Diabolo, in eam ingenii leuitatem cadere, vt ob carnis ineptias & obscænas libidines, cum frater Augustinianus esses, Monacham Deo dicatam scelerato compressu violaris. Quid? quod non compressisti modo; quale flagitium si designasses olim apud Romanos ethnicos, & illa terram viua subiisset, & tu ad mortem vsque verberibus esses multatus; verum etiam, quod nimio est execrabilius, publicè pro vxore nuptiis incestissimis traduxisti; atque ita palam, summo cum totius mundi stupore, summo per orbem totum opprobrio vestro, summo cum sacrosancti coniugii contemptu, summa cum sanctissimorum votorum contumelia, per nefas abuteris in quotidianum prostibulum. Denique, quod omnium est maxime detestandum, cum te deberet tam execrandi facinoris pudor & dolor obruere; pœnitentiæ loco præ te fers miser impudentem gloriam; tam longe fugiens implorationem veniæ, vt etiam in tui sceleris exemplum passim perpetuo pseudoreligiosos alios litteris ac libris prouoces. Ista Henricus Luthero, in mediis Germaniæ calamitatibus hymenea celebranti, & Principes ad cædem rusticorum inflammanti.

XLIV. Id audiens Carlstadius, Lutherum videlicet, varios ad Principes libros, quibus ad occidẽdum velut rabidos canes, si qui forte restarent ex rusticis, eos instigabat, ea tempestate edidisse: quod & ipse ex coniuratis vnus esset, & nunc in Franconia ad Tuberim fluuium, nunc patrio in solo profugus latitaret, plurimum extimuit; atque vt placabilem sibi Lutherum redderet, quem Orlamundæ in mille diabolorum nomine per vim exegerat, priusquam in se Magistratum conciteret, vnice allaborauit. Erat illi Lutherus vehementer offensus, duas potissimum ob causas: Tum quod suspectum haberet de consortio fanaticorum, quos cœlestes Prophetas appellare consueuerat, quique primi cum Muncero tumultus conciuerant: tum quod de Sacramentis nouas, easque monstrosas opiniones foueret; de Eucharistia maxime, qua negebat Christi verum corpus & sanguinem realiter contineri. Vidit autem miser ille, se nullibi tutum esse, quamdiu Lutherum haberet infensum. Quamobrem extrema necessitate coactus rationem ineundam putauit, vt hunc quoquo pacto sibi redderet pacatum. Duos igitur hoc anno libellos scripsit valde breues. In horum priore demonstrat nullum sibi cum seditiosorum ducibus consortium fuisse. In altero vero fatetur, quæ de Eucharistia libellis editis disputarit, ea non asserendi, sed inquirendæ veritatis animo tantũ à se prodita; de quibus etiamnum ipse dubitet, & plenius cupiat informari. Vtrumque libellum Lutherus edidit, breui præfatiuncula tenuiter commendatum; hancque nactus occasionem, è Carlostadii miseria, victoriæ famam simul & mansuetudinis opinionem venatus est, vt qui subactum iam & pedibus aduolutum hostem infensissimum, ope consilioque iuuaret. In præfatione libelli prioris rogat Principes, vt quia purgationem offerat de obiecto seditionis crimine, ne expellant hominem, sed audiant eius excusationes, easque admittant, ne Deus grauius tentetur. Præfatur & alteri libello. & quia Carlostadius non modo, sed & Zvvinglius opinari se fateantur, non indubitatò credere, quæ de Eucharistia disputarint, certum esse dicit, quod in hoc capite non habeant Spiritum sanctum, nec inspirati diuinitus, sed opinatione humana decepti ad scribendum accesserint. Itaq; doctrinam ipsorum diligenter cauendam docet. Cum ad hunc modum Lutherus vtcumque placatus esset, Carlostadio permissum fuit, vt in Saxoniam reuerteretur; hac cõditione tamen, ne nouas istas, quas contra Lutherum foueret opiniones de Eucharistia, verbo vel calamo diuulgaret. Itaque Wittembergam reuersus, cum à ciuibus rideretur passim, & inuetuti esset ludibrio, Kembergam in vicinum oppidum secessit; vbi mutato habitu, mutauit & vitæ genus, factus ex Theologiæ Doctore, ex Archidiacono Wittembergensi, & nouissime ex Orlamundensi Pastore miser (vt Cochlæi verbis vtar) agricola & rusticus indoctus, qui arare nescies, per inopiam arare cogebatur: equos habens indociles, quorum vnus hac, alter illac ante aratrum pergebat; aut procedente vno, stabat aut recedebat alter, vt cunctis risui atque etiam commiserationi esset arator vicinis. Quibus & vxor eius meritò, *idem ait*, miserabilis videbatur, vt quæ & nobili familia orta, ac nobiliter educata, pessimo exemplo & infelicissimo auspicio nupsisset, contra ius & phas, Sacerdoti; homini ignobili & alienigenæ, tot deinde modis infami, proscripto, inopi, & abiecto, apud quem, ne rustico quidem aut cibario panefatiari posset: cuius maritũ falsum falsò in nuptiis beatum dixerant Wittembergenses, & præ omnibus grauissime accusauerat eum seditionis Lutherus, non solum priuatim per literas, verum etiam publice per duos bene prolixos libros. Hucusque Cochlæus. Cæterum spretis ibi & abiectis honorum titulis, non Doctor, nedum Dominus, sed vicinus Andreas à vulgo salutari volebat. Atque quo maior surgeret simplicitatis in plebe persuasio, vna cum agricolis in Loberinam syluam lignatum ibat, venum exponens in foro, quæ humeris aut curru collecta ligni plaustra adueheret. Nec hoc agebat solum, sed & vinum adustum, cereuisiam, pyra tosta, placentas, specula, ligulas & plura id genus crepundia vulgo vendebat. Amictus ipsi planè agrestis erat, alti perones, subcinericii coloris tunica crassa & squallida, culter lacera vagina promicans, pileus etiam simplicior ac rusticus. Sic prodibat foras homo ridiculus. Verum & ibi à vicinis se negligi contemniq; videns, ad Heluetios transire decreuit, sententiam cum Zvvinglio collaturus. Itaque Tigurum profectus, ex indocto rustico Doctor rursum & Archidiaconus effectus, reuocatũ iam ante Berengarii dogma, ope, vt diximus, Zuinglii, memor aurei, quem annis elapsis à Luthero, vt id faceret, Orlamundæ acceperat, per superiorem Germaniam disseminauit; Basileæ non multo post ad munus Concionatoris euectus. Vbi cum satis diu in perniciem eius Ecclesiæ vixisset, sub ipsa concione nouissima, quam habuit in templo, vir quidam oblongus & ater comparuit, quem ex opposito suggesti consistentem proximum se Consuli locari vidit; qui mox templo egressus in domum eius se cõtulit, vbi neminem reperit, præter vnicum filiolum patri apprime charum. Hunc apprehensum crinibus rapuit sublimem, quasi terræ allisurus: & tamen illæsum deponens iussit nunciari patri, adfuisse atrocem virum, qui ipsum quæsiuisset, ac

Idem Wittembergã reuersus à plebe illusus agricola fit miserrimus.

Idem agricolturæ pertæsus ad Heluetios cũ Zuinglio acturus transit.

Carolostadius Lutherum sibi offensum recõciliat.

reuersurum

reuersurũ eum post triduum & secum esse abducturũ. Quare domum reuersus postquam illa comperisset à puero, & Consulem interrogasset, quisnam ille vir longus esset, qui in templo ipsi adstitisset; hic autem se neminem vidisse affirmasset, primum vehemẽter exterritus animoq; perculsus est; deinde præ mœrore in lectum sese coniecit, & tertio die iuxta vocem ex terribili nuncio auditam, è vita commigrauit. Id dabant testimonii Basileẽses, id temporis ministri de Carlostadio, homine si quisquam alius fuerit infelicissimo; qui propter seditiosum animum & impios errores ex summo gradu in extremam paupertatem prolapsus, vt alas rursum prosperioris fortunæ expanderet, Anabaptistico simul & Sacramentariorum erroribus pro tempore adhæsit, vt propemodum nescirent, plusne operis in hisce, quam illo ptopagandis collocarit: dignus Luthero verspelli, veterator discipulus.

Idem in concione viso spectro terribili ab eodem post triduũ moriens rapitur.

XLV. Sub hoc idem tempus Lutherus intellexit ab hominibus fide dignis, Euangelii noui præcones in Liuonia sub Euangelicæ libertatis prætextu sententiis inter se dissidere, quod ad doctrinã attinebat, nec iisdẽ vti ceremoniis in diuino cultu. Dedit igitur literas ad cõcionatores, & populum istius regiogionis, die 17. Iun. huius anni 1525. scriptas, quibus eos ad cõcordiæ studium, & cõformitatem ceremoniarum in externo cultu, quantum eius quidem fieri possit, cohortatur. Sathanã, *ait*, immiscere se inter Dei filios, omninoq; necessarium esse, iuxta D. Pauli sententiã, vt hæreses emergant. Vnde querimoniæ nascantur, & distractiones in populo; dum nescitur, cui se quisq; adiungat, & q̃ in diuino cultu ratione sequatur. Quam causam, *ait*, fuisse, vt Cõcilia prisci temporib. celebrarentur, in quibus variæ factę sint ordinationes & leges cõditæ; nimirũ vt omnes in peragendo Dei cultu, ad eosdem ritus, eandemq; formam reuocarentur. Has vero leges postmodum in meros laqueos esse transformatas, & in offensionem ad detrimentũ fidei; vt ab vtraq; parte magnum esse periculũ videatur. Nam si rituum cõformitas instituatur, ordinationes illas cõfestim obtinere vim legis, cui necesse sit parere contra fidei libertatẽ: Si vero nullæ fiant constitutiones, nulli ritus ordinentur, tot sectas emergere, quot sunt capita: q̃ aduersetur vnitati Christianæ, q̃ Petrus & Paulus tam frequenter inculcent. Iam vero Sathanam, *ait*, per externam illam rituum discrepantiam hoc machinari, vt irrepat clanculum, & varias hæreses, diuersasq; de fide opiniones inducat; quemadmodũ hactenus experientia satis docuerit. Primũ igitur hortari se cõcionatores, *inquit*, vt in doctrina sint vnanimes, & idem omnes sentiant, in eoq; perseuerẽt. Tametsi vero externæ rituum ordinationes in diuino cultu, de Missa scil. de cantu, de lectionib. de Sacramẽto Baptismatis administrando, nihil, *ait*, cõferant ad salutem; nõ esse Christianum tamen, si de iis suscitentur dissidia, & miser populꝰ in factiones distrahatur. Liberas esse prorsus externas obseruationes, q̃ ad fidem spectet, easq; bona cõscientia, locis omnib. & omnib. horis, per quos uis homines antiquari posse; ipsos tamen respectu charitatis non esse liberos ad hoc exequendum. Itaq; docendũ esse populum ne rituum vni formitatẽ recipiat, velut legẽ p̃ceptam, quasi necessaria est, nec aliud velit Deus; sed monẽdum, externũ cultum sane hanc ob causam ad eandem formã redigi, vt ædificetur populus Christianus, & vnitas in eo conseruetur; nec cerimonias per se nec vllũ omnino ritum vel ad conscientiam, vel ad salutem necessario requiri. Hortatur deinde populum vt assuescant; nec miretur si sectę, varii ritus & diuersa dogmata inualescãt. Zizania semper permisceri tritico, nec in area frumentum modo, sed & paleas inueniri. Testari Paulũ, q̃ in magna domo vasa quædã sint in honorẽ, quædã vero etiã in cõtumeliã. Sic & inter Christianos, *ait*, necessariò sectas esse, & turbulẽtos spiritus, q̃ fidẽ charitatẽq; peruertãt, & homines errorib. inuoluãt. Oportere prorsus hæreses esse iuxta Pauli doctrinam. imo ex hoc velut indicio quodam, aut signo iubet Liuones agnoscere, q̃ germanum Dei verbum, & Christi veram agnitionẽ acceperint, si sectas inter se ac diuisiones inueniant. Hęc Lutherus, manifeste ostendẽs, sectam suam vix natam, in plures dissectã, multarumq; aliarum genitricem fuisse: deinde se D. Paulo aduersarium esse, qui in epistolis suis ad Corinthios datis, vnitatem rituum ac ceremoniarum tantopere vrgebat; à quibus, qui discrepassent, schismaticos appellare non dubitabat.

Idem apud Georgium Saxonem se excusat ob duram responsionẽ datam.

XLVI. Scripserat Lutherus, ante triennium, epistolam quandam ad Hartmutum Cronebergium, eamq; prælo subiectã in vulgus tractim sparserat, in qua cõtinebantur nonnulla de Georgio Saxoniæ duce Catholico, quibus Princeps ille animã, honorem & existimationẽ suam enormiter lædi indicabat. Cum itaq; datis ad Lutherũ litteris, per cunctaretur, an epistolã illã, vti typis diuulgata fuit, tanquam à se scriptã agnosceret? Lutherus tam insolenter & proteruè respõdit, vt furiarũ more rideret. Principem optimum, eiq; petulanter, verbis ad cõtumeliam cõpositis insultaret. Tametsi vero Georgio duci media non deerant, quibus coerceret intolerabilem hominis petulantiam, illatamq; iniuriam vindicaret; dissimulauit tamen factum, & pro sua prudentia maluit ab illa scabie censuit abstinendã. Interim vero præuidit, quantũ quidem humanitus fieri potuit, ne contagio Lutherana, quæ iam passim impunè grassabatur, in suos quoq; ditiones liberius dimanaret. Tulit hoc permoleste Lutherus, & cum heroicum Principis animũ satis perspectũ haberet, eumq; minis istis & immanib. terriculamentis, quib. antea præter fannas & cõtumelias vsus fuerat, adeo nõ frangi videret, vt iis potius ad cõstantiam roboraretur; amicorum suasu in aliam se formã vertit, ceu Proteus quidam, & hoc anno, postquã sedata fuit rusticani belli tẽpestas, verbis blandioribus eundem Principem pertentauit; vti tauros ferocientes palpis quibusdã delinire solent, qui cornib. funem iniicere moliuntur. Igitur sub finẽ Decemb. huius anni 1525. epistolam scripsit ad ducem Georgium, in qua seipsum cõtra genium frangit ad quandã moderationẽ, & verbis vsus blandioribus. perpetuã, *ait*, esse Dei cõsuetudinẽ, vt homines acerbè prius tractet, & duriter, eosq; postmodum suauiter paterneq; cõplectatur & foueat. vti scriptura testetur. Eodem modo se quoq; cum multis, & cum ipso etiã principe inter reliquos superiorib. annis agere voluisse. Literis quidẽ paulò durioribus. & asperiorib. eos aggressum; sed rogasse interim pamicè, vt sibi placabiles illos redderet Deus, & ad clementiam inflecteret. Quoniã autem deprehendat, ipsum nec emolliri hactenus ad clementiã, nec à sententia vel latum vnguẽ dimoueri; voluisse se dicit, semel adhuc humiliter & benigne p̃ literas ipsum adire quas forte postremas ad illum in hoc genere scribat: quandoquidem breui putet, quosdã è medio tollendos, inter quos & ipsum Principẽ, & se quoq; futurũ ominetur. Interim q̃quid huius faciat, id ex officio fieri nõ aliam ob causam, q̃ vt ipsum è periculo liberet amittendę salutis, in quo versetur. Siue vero hoc consiliũ suum amplectatur, siue cõtemnat, breui futurũ, vt intelligat, se lõge meliore in ipsum affectu fuisse, cum antehac literas acerbissimas scriberet, quã omnes eos, q̃ laudarint ipsum hactenus, & palpum obtulerint. Venire se nunc igitur & pedibus illius aduolutum rogare, quã possit humillime, vt benigniorem affectum induat, suamq; doctrinã persequi desinat atq; impedire. Nam licet ipse Princeps doctrinã à se traditã, p̃ Dei verbo habere nolit, sibi tamẽ, cum certus de ea sit, propter animę suę periculum incumbere, vt roget, petat, moneat, si quo pacto tandem efficere possit, vel obtinere, q̃ iamdiu votis intimis desiderarit. Nunquã futurũ, vt vel Princeps ipse, vel quisq; hominum opprimere possit doctrinam suam, eiusq; cursum impedire. Necessarium esse, vt illa, p̃grediatur, quemadmodum factum sit hactenus. Hoc vnum se dolenter ferre, quod ipsum habeat conatibus suis obsistentem, quem Deus multis alioquin virtutibus, & donis insigniter ornarit. Optare se, *dicit*, vt opportuna vel felici hora legatur scriptum hoc, & locum inueniat, adeoq; in animum ipsius influat hæc tam humilis admonitio: quod si non fiat, se quidem officii sui partes executurũ; imo deinceps quoq; nihil omissurum ad omnia fore paratũ, quæ Principi grata esse nouerit. Vnam se doctrinam suam excipere, à qua discedere non possit; in reliquis omnibus submittere seipsum, *ait*, & rogare veniam, si vel scripto, vel verbis ipsum offenderit: se vicissim omnes iniurias ex animo cõdonare. Omnia transacta fore & plana, modò Princeps emollitus, hoc vnum à se patiatur obtineri; nimirum, vt liberum sit verbum Christi, quod in lucem à se prolatum gloriatur. Hoc si concedat, futurum, vt Angli super ipso lætentur in cœlis. Sin minus; fieri posse, vt fortassis experiatur, aliud esse Lutherum habere, quam Munecrum aduersantem. Hæc se demisse & fideliter monere voluisse; optare autem, vt Princeps facto viuo potius, quam per mortuos characteres respondeat. Scripsit has literas 22. Decembris, hoc anno 1525. quæ tertio die post, in festo scilicet Natalis Domini, ad Principis ipsius manus peruenerunt.

Princeps

XLVII. Princeps porro Georgius, triduo post, vigesimo octauo scilicet eiusdem mensis die, in hunc modum ad eas respondit.

Georgii ducis Saxoniæ ad Lutherũ epistola.

Perlatum est ad nos scriptum quoddam tuum, in die Natiuitatis Christi, à quo pacem tibi vicissim & gratiam precamur, vnaque tui-ipsius agnitionem. Et principio quidem protestamur coram Deo Saluatore nostro in conscientia, quod à te per epistolam nunc excitati, responsionem hanc scribimus, non animo maleuolentiæ, vel odii facibus inflammato, sed desiderio quodam eò te perducendi, vt te ipsum agnoscas; idque sine assertatione; quando quidem in suspicionem apud te venimus, quasi adulatoribus abundemus. Et quidem hoc cape symbolum; si tibi parasitabimur in his literis, liberũ tibi facimus, vt vinum nostrũ dicas à dolio saporem contraxisse. Si vero palpum tibi non obtrudemus; tu parasitos & adulatores iis locis quære, vbi sunt, qui te Prophetam Danielem, Germanorum Apostolum & Euangelistam appellant. Apud nos neminem eorum inuenies, qui vni cuipiam parasitastro largiantur ea, quibus olim homines triginta vel quadraginta vitam sustentarunt. Secundo protestamur, quod Nos pro conditione status nostri (vt qui laicorum numero sumus) in disputationem de Scripturis ingredi tecum nolimus. Intelleximus enim iam olim Dauidem, cum in singulare certamen cum Philistæo Goliath descensurus esset, armis Regis Saul depositis, quibus non insueuerat, pera pastorali, funda & lapidibus è torrente collectis armatum, hostem deiecisse. Ad eum modum & Nos in hoc scripto iis tantum armis vtemur, quibus insueuimus; imò in quibus enutriti sumus, omnemque vitam transegimus; iustis tamen, & Christiana professione non indignis. Illud igitur ante omnia dissimulare non possumus, quod honorem Altissimi tangit, & legem; planeque nobis videtur, quod exordium tuum, & similitudo è scripturis desumpta, non deseruiat instituto tuo; quanquam eius rei iudicium ad doctos reiicimus. Quod vero duriter nos & acerbè sis aggressus, contra diuinæ Euangelicæque legis institutum; id sine dubio verissimum est. Non ignoras, quam tibi præscripserit agendi rationem Deus, si quid contra proximũ tuum habeas. Tu vero nos, expresso nomine in epistola ad Hartmutum Cronebergium, mendaciter traduxisti, quasi tyrannũ & hostẽ Euangelii publicum; appellasti nos probrosis nominibus, & magnam nobis contumeliam irrogasti: quam ad rem scurrilibus dicteriis vsus es, verbisque ad ludibrium concinnatis, quæ profecto nec in Euangelio, nec in aliis sacrarum literarum voluminibus inuenisti; quanquam obtentu Scripturæ conuitia tua defendere coneris. Quæ vero necessitas te coegit, vt mendacem appellares, ex cuius ore nullum vnquam mendacium audiuisti. Fatemur quod res est, molestum nobis fuit, & durum, has à te ferre contumelias, homine nimirum per sententiam condemnato, & declarato hæretico. Nec adeo parum in nobis superest veteris Adami, quin iampridem iniuriam hanc vindicassemus, nisi mentem nostram ea subiisset cogitatio, quod Deus omnibus persecutionem sustinentibus propter iustitiam, gratiæ suæ robur promiserit. quæ effecit, vt illatam per te contumeliam ipsius iudicio committeremus. Quod si Deum hoc rogasti, vt animum nostrum hac parte tibi faceret placabilem, sane iam pridem exauditus es. At vero frustra clementiam à nobis tibi pollicueris, dum Cæsarem ipsum, cui iuramento fidelitatis obstricti sumus, tam fœdè criminaris, & tot conuitiis laceras, eiusque mandatum adeo petulanter & proterue contemnis. Accedit quod VVittenbergæ velut asylum quoddam instituisti, quò Monachi & moniales stupris & furtis infames confugiunt, & à te suscipiuntur, postquam Ecclesias & monasteria nostræ ditionis expilarunt: vt VVittenberga velut castrum quoddam sit, aut commune perfugium apostatarum ditionis nostræ. Nec vllas vnquam Romanus Pontifex, sanctissimus Dominus noster indulgentias concessit, quas tanti æstimes, quin maiores deberi putes VVittembergensibus tuis ob raptum sacrarum Virginum, quas è Monasteriis nostris ad te perduxerunt; qua de re nihil dubitamus. Interim in quas illæ miserias & calamitates per te perductæ sint, & coniectæ, quamq; certo damnationis periculo expositæ, satis est manifestum. Quod vero Diabolus eam causam tibi succenseat, nunquam persuadebis. Nam si propterea tibi malum inferret, nisi Dei permissione vel potentia coactus, non iniuria dici posset, id ab eo te præmii referre, quod ministro suo lictor dare consueuit. Neque vero est, quod iis rebus ad clementiam erga te nos inflecti existimes. Nam si vel infimæ sortis rustico cuipiam in ditione nostra vaccam abduxeris, id nobis profecto displiceret: Qanto minus, cum Christi seruum nos agnoscamus, tolerare possumus, vt oues ipsius propriæ, in corporis animæque perniciem, abalienentur. Gloriaris multos te libellos inter reliqua scripta edidisse valde suaues, benignos & consolatorios: quam ad rem, quod attinet, notum tibi facimus, non displicuisse nobis tractatus tuos, qui primis annis in lucem prodierunt. Lubentes enim disputationem Lipsiæ institutam audiuimus. Sperauimus enim futurum, vt abusus quidam in populo Christiano corrigerentur. quin & præsentes fuimus, cum Eccius te velut Sectæ Bohemicæ fautorem incusaret, quod eo tempore fortiter à te summaque cum importunitate negatum est: quanquam interim non obscure subindicares, quosdam Hussi articulos, qui damnati sunt, esse Christianissimos. Fecimus sane, quod hominem decuit, causæ tuæ, quà licuit, fauentem, teque bono ac syncero affectu seorsim ad nos vocauimus, iisque de rebus tecum collocuti sumus, quas existimabamus ad honorem, tum ad ignominiam tuam pertinere. Monuimus te fraternè, quia prorsus à Secta Bohemorum esses alienus, vt eam edito scripto oppugnares: nimirum vt elueres aspersam Hussitismi maculam, & suspicionem omnem à te remoueres. Respondisti sane, te scripturum. Nec diu post editi prodierunt à te libelli, in quibus omnes Hussi, VVicleffi, reliquorumque Piccardorum omnium errores laudare instituis, & tueri, omnesque maiores nostros, qui Concilio Constantiensi interfuerunt, conuitiis laceras. Ex quo nihil aliud nos quidem colligere potuimus, quam verum dixisse Doctorem Eccium; licet ipsum in cathedra publicè mendacii insimulares. Ab eo tempore numquam addicti fuimus, aut fauorem præstitimus opinioni tuæ. Ita enim educati sumus & accepimus à maioribus nostris; omnes, qui non obtemperant Ecclesiæ, sed ab eius communione se disiungunt, pro hæreticis & schismaticis semper habitos, atque etiamnum habendos; quandoquidem eos tales esse per sacrosancta Concilia declaratum est, atque definitum: quibus omnibus tu contradicis: quod tamen nec tibi, nec cuiquam Christiano ad hunc modum licet. Postquam vero, permittente Deo, mali quidem ex Ecclesia profugi, tum ex eruditis nonnulli (inter quos Carlostadius non minimus fuit) partibus tuis accesserunt, & in lubricum illum (hæreseos) montem per te deducti sunt, vacillare deinde cœperunt, & desicere sine intermissione; quos arbitramur hac in re non semper ad tuam voluntatem actiones suas direxisse. Verum, vt asseclæ non deessent, passus es eos labi: licet nec labantes sustinere potuisti, quantumuis velles. Affirmare præterea possumus, non admodum nobis curæ esse tuũ Euangelium, cum illud à summis Orbis Capitibus reprobatum non ignoremus. Hoc vnum pro virili curauimus, vt ne à nostris susciperetur. Vt autem hoc caueremus, causam nobis dederunt mali fructus, quos ex eo prouenisse constat. Non enim tu, vel quisque alius, negare potes, quin blasphemiæ in Deum, in venerabilem Eucharistiam, in sanctissimam Dei genitricem, omnesque Sanctos ex tua doctrina, seu fonte quodam promanarint. Per te enim, tuosque discipulos renouantur veteres hæreses, quas Ecclesia quondam anathemate damnauit; honestus Dei cultus omnis ad eum modum vastatur, vt à Sergii temporibus nihil simile factum constet. Iam vero, quando plura sunt admissa sacrilegia, & incestus perpetrati, cum sacris virginibus, quam ab eo tempore, quo tuum istud Euangelium innotuit? Quando plures in Magistratum auditæ sunt seditiones, quam ex Euangelio tuo prodierunt? Quando ad hunc modum spoliatæ sunt ædes sacræ! Quando furta rapinæq; plures contigerunt! Quando VVittembergæ tot fuerunt excucullati Monachi, & profugæ Moniales, quam nunc sunt? Quando maritis ademptæ sunt vxores, aliisq; traditæ, vti nunc sub Euangelio tuo videmus? Quãdo plura commissa sunt adulteria, quam ab eo tempore, quo tu consuluisti, vt mulier, si à viro suo fœcundari nequeat, diuertat ad alium, ab eoq; susceptam prolem marito educandam obtrudat? Vtq; viro vicissim ad eundem modum agere liceat? Hos nimirum fructus peperit Euangelium tuum; quod cum sub scamno delitesceret, in lucem protulisti. Et bene quidem illi nomen hoc indidisti, quod sub scamno latuerit, atq; inde sit à te productum. Bonum foret profecto, si etiamnum sub scamno iaceret. Nam si quod alterum huic simile producas, nullum certe rusticum sub obedientia retinebimus. Si tale voluisset Euangelium Christus, non tam frequenter inculcasset illud, Pax vobis. Petrus etiam & Paulus non dixissent, obediendum esse Magistratui. Igitur si ipsi fructus in causa sunt, vt ab Euangelio doctrinaq; tua vehementer abhorreamus. Interim Euangelio Christi, volente Deo, adhærebimus, eiq; propugnando, corpus, animam, facultates, existimationem, omnia nostra lubentes impendemus, adiuuante nos Dei gratia, in qua fiduciã habemus collocatam. Admones nos mortis, quam nobis semel expectandam esse, certo scimus. Quid autem de nobis futurum esset, si tuum Euangelium amplexi moreremur? Nunquid iure dicat Deus, vnde nobis hic cum Euangelio nouo, quod tam copiosam protulit malorum fructuum segetem? Nonne monui te, vt ex fructibus arborem cognosceres? Si responderemus, Lutherus dixit, Euangelium illud esse, quod sub scamno delituerit. Exciperet Deus; At aliter te docuit Ecclesia. Cum igitur quotidie profitearis, credere te Ecclesiam Catholicam, cur Luthero credis, Ecclesiæ non credis? Mi Luthere, habeas tibi tuum istud Euangelium, quod sub scamno latuit: Nos Euangelium Christi retinebimus, eiq; adhærescemus, quod Ecclesia Catholica ab initio receptum in hunc vsq; diem retinuit: Quod vt faciamus, Deus nos adiuuabit. Forte cogitas, Deum quondam Prophetas suos & doctores emisisse, qui

magnos

magnos Principes & Dominos per doctrinam suam ad pœnitentiam adduxerint: ita te quoq; diuinitus ad nos missum? Non ignoramus Moysen ad Pharaonem missum fuisse, Samuelem ad Saul Regem, Nathan ad Dauidem, Esaiam ad Ezechiam, Ioannem Baptistam ad Herodem, Ananiam ad Paulum, Philippum ad Eunuchum. At inter illos nullum inuenimus apostatam. Fuerunt omnes viri constantes, veraces & iusti; non superbi, non auari, non luxuriæ dediti. Et licet nos indigni simus, ad quos huiusmodi viri mittantur; visitamur tamen ordinariè, Deo sit laus, per viros bonos, qui nobis Dei verbum annunciant, vnaque cohortantur, vt in Ecclesia Christi permaneamus. Hos sequimur, quãtum per gratiam suam largitur Deus. Quod si tuos Apostolos audiamus, qui plerique sunt apostatæ, hanc certe doctrinam apud eos non inueniemus. Docemur enim, quod apostatæ peruertunt Scripturam sacram, & ore peruerso gradiantur, vt Salomon eos describit; quod in te, prô dolor, verum esse deprehendimus. Neque vero tuas, tuorumque preces magnifacimus; nec metuimus vestras maledictiones: Scimus enim odiosam esse Deo apostatarum Ecclesiam. Illud etiam non ignoramus, alium esse Lutherum, alium Muncerum. Hunc per nos ob scelera puniuit Deus; vti Lutherum etiam punire potest; Quam ad rem, si voluntas eius ita tulerit, nos, indigni licet, operam nostram non negaremus. Quod si omnino vis, vt verbis tuis sit apud nos locus; consilium nostrum quanquam non rogati, sincero animo tibi communicabimus. Habemus enim certe tam misericordem, tamque benignum Deum, vt causa non sit, cur desperet vllus peccator, nisi qui negotium sibi cum Deo prorsus esse nolit. Igitur in viam redi; nec te per Spiritum illum, qui Sergium apostatã decepit, longius abduci patiaris. Ecclesia Christi redeuntibus non claudit sinum. Si te seduxit inimicus, si superbia tumentem fecit, vti solet inflare scientia, pone tibi ob oculos hæreticum adhuc, & superbia turgidum Augustinum, magistrum tuum, in cuius Regulam iurasti: cum eo reuertere ab errore; seruã deinceps fidem iuramento firmatam. Ita futurum est, vt cum viro sancto, selectum fias Orbis Christiani lumen. Si te detestanda bonorum honorumque cupiditas decepit; omnia relinque cum sancto Matthæo, ac deinde Apostolus esto & Euangelista. Si te decepit hostis domesticus, stimulus carnis: cur non cum diuo Paulo rogasti Deum, qui gratiam tibi dedisset? Sane si potuisti à consortio mulierum in hominis gratiam abstinere ad tempus; cur non & propter Deum hoc possis? Si te forma decepit, & pulchritudo Euæ, iam nunc peccare desine. Dum quæro, quem in hoc genere tibi proponam ad intuendum, alius non occurrit, nisi qui, cum vxorem duxisset, dixit; Non possum venire. Quia vero cor habes mulieribus addictum, ad nobilem illam peccatricem te adiunge, ex qua septem dæmonia Christus eiecit. Cum hac prosterne teipsum ad Christi pedes, & vt idem faciat, Euam tuam hortare. Ita fiet per Dei gratiam, vt Monachus à Moniali rursus separetur. Nec impedimento tibi sit illud; Quod Deus coniunxit, homo non separet. Tuum enim matrimonium non à Deo, sed ab inimico suo sancitum est. Qui non est mecum, inquit Dominus, contra me est. Igitur quia vterque vestrum interposito iuramento castitatem vouit, videte quam vobis ipsi libertatem ademeritis. Quid roboris habeat oratio tua contra dæmonem, non inquirimus. Certe quod hactenus te conseruauit Deus, nec terra te cum Dathan & Abiron viuum absorbuit, ex eo deprehendas, infinitam esse Dei misericordiam. Si vero perges, vti cœpisti, nec quicquam de machinationibus tuis remittes, metuendum est, ne tarditas supplicii pœnæ grauitate compensetur. Hæc Xenii loco donata tibi volumus; quod si sequaris consilium, & constanter in eo permaneas, mercedem tibi pollicemur à Deo, vitamque sempiternam. Apud Cæsarem quoque, quantum in nobis erit, laborabimus, vt & temporaliter in gratiam recipiaris. Nec deinde porro propter ea, quæ contra nos quidem deliquisti, mali quicquam à nobis, sed omnia bona expectabis. Vt hæc præstes, votis intimis desideramus. Dresdæ in die Innocentium, Anno Christi 1525.

XLVIII. Has literas vbi Lutherus accepit, frustra se vidit tendiculas posuisse circumspecto Principi; quanquam paulò mitius ab eo responsum expectauerat. Nõ enim ignorabat, esse quosdã in aula ducis Georgii, qui licet occultè, satis tamen ad nouum istud Euangelium propendebant. Inter quos erat magni nominis quidam Iuris Doctor Otto Paccius, homo perfidus & factiosus; qui postmodum, cum inter Principes quosdam finitimos sinistras suspiciones seuisset, magnos in Germania motus conciuit, & demum in Belgio capite truncatus, meritas perfidiæ luit pœnas.

Otto Paccius iuris Doctor ob hæresim in Belgio capite truncatur.

XLIX. Pari impudentia Lutherus scripsit ad Carolum ducem Sabaudię, Principem sane Catholicum ac multo in literis eruditiorem, q̃ à Luthero subuerti aut seduci potuerit. Satis tamen astute secundum morem serpentis antiqui, ad captandã beneuolentiã præfatur veterator. Inprimis veniam, ait, abs tua clementia peto, Illustr. Princeps, q̃ ego fæx hominũ, neq; iussus, neq; vocatus, ad tuam Celsitud. audeo scribere prior. Fuit id gloria Euangelii Christi, in qua & ego glorior & gaudeo, vbi vbi illam videro & audiero clarere & surgere. Dabit igitur tua Celsitudo id Euangelii causæ, q̃ præ gaudio tuã Dominationem Illustrissimam saluto prior. Peruenit enim ad nos fama, eamq; cõfirmauit Annemũdus Coctus, eques auratus gallus, incredibiliter feruens in gloriam Euangelii; esse scil. Ducem Sabaudiæ syncerae pietatis vehementer studiosum, rarissimo certè inter Principes dono Dei, &c. Contẽpsit religiosissimus & fidei auitæ tenacissimus Princeps veteratoris astutiã; cumq; nouis sectis infensissimus esset, ne responsione quidẽ dignum iudicauit, hominem execrandum, blasphemiis in Deum & sacrilegiis infamem: qui super alias impietates, ausus est hoc anno, ter execrandos libellos, vnũ de abominatione Canonis Missæ; alterum de ægritudine Missæ euulgare; inque priore SS. Canonem non solum impie peruertere, sed & scurriliter multis calumniis, falsisq; expositionibus contaminare: in vtroq; autem res sacratissimas & tremenda mysteria proculcare, prophanare, & in contemptum apud omnes adducere: cuius ductum hoc ipso anno secutus, Argẽtinæ, pædotriba quidam, sapidus, poeta insipidus ac ferali sacrorum contemptu impius, carmina ex meris conuitiis & blasphemiis in Missæ monumentum, velut in sepulturam & exequias eius ausus est contexere, quorum initium sic habet:

Lutheri ad Carolum Sabaudiæ Ducem adulans epistola.

Missa malum. &c.

L. Ista vomebat sapidus millies execrandus: cui Arnoldus Vesaliensis Colonię vir doctissimus, ac trium linguarum peritissimus Theologus ac Philosophus insignis, pro Missa opposuit, quæ adiungo:

Arnoldus Vesaliensis ad Lutheri de Missa Carmina respondet carminib.

Missa bonum, melius quo sæcula nulla tulerunt.
Missa decus populi, vita, medela, salus.
Fellis homo plenus, nebulo, peculator & osor,
Et meretrix, Missam dilacerare solent.
Crimina Missa fugat, labem, tormenta repellit,
Quisquilias, tenebras, disiicit atque metus.
Hanc latro insequitur, prædo fugit atque tyrannus,
Clades, pœna, dolor, mors, furor, horror abest.
Absunt insidiæ, impostura, insania, terror:
Candor, mundicies & decor omnis adest.
Relligio, pietas, veri custodia & æqui,
Missa triumphanti nomine nota satis.
Quam crux, quam ferrum, quam pestis & ignis & vnda,
Suspiciunt, Christo quo stabilita viget.

LI. Luthero respondit Hieronymus Emserus, eiusq; omnes in Missam & Canonẽ calumnias confutauit: quem secuti, Ioannes Fischerus Roffensis Episcop. in Anglia; Quintana in Hispaniis; Iodocus Clichtoueus Doctor Parisiensis in Gallia, & Thomas Radinus Theologus Dominicanus in Italia, viri doctissimi & eloquentissimi, Lutheri blasphemias cõdemnarunt, osque illi adeo obturarunt, vt cum videret se ab illis exteris tam validè impeti, tot eruditis libris vrgeri, tot argumentis veris conuinci ac traduci, omnia eorum scripta serpentino astu dissimulans, ad ea velut ad carmina sapienter incantantium, tanquam aspis surda, non modo aures suas obturauit, ne forte audiens illorum voces, & contradicere nesciens, victus videretur; verum etiam linguam procacem, stylumque petulantem ita cohibuit, vt aduersarios suos externos, vsque acres & validos, ne nominare quidem vnquam ad populum ausus fuerit: ne forte ad nomen illorum populi excitati, commentariis eorum inspiciendis desiderio inflammarentur, ex quorum lectione pedem ab Luthero retraherent. Illud vnicum Luthero suffugium relictum fuit, vt Anglis, Hollandis, Flandris, Brabantis, Liuonibus, & nonnullis aliis septentrionalibus, sedulo scriberet, suo Euangelio, latius quam sanctum Paulum, qui ab Hierusalem vsque in Illyricum, mundum replesse; cum tamen cõstaret illius Cac-Euangelio, hoc tempore, nusquam publice patuisse locum in cunctis, quas infecerat prouinciis, nisi quantum furtiue ac raptim fiebat per audaces apostatas in angulis. alias eius Euangelium in Germania vniuersa, in Gallia, in Bohemia, Polonia, Vngaria, & Anglia, à Cæsare & Regibus Catholicis fuit publice interdictum & proscriptum: & nec ab omnibus Lutheri discipulis aut sectariis, in omnibus probatum aut admissum. Si-

Luthero multi viri in diuersis regionibus acriter respondent.

Philippus Landgrauius Hassiæ fidem Catholicam deserit.

quidem cum hoc anno, post bellum rusticanum, Landgrauius Hassiæ Philippus, iuuenili quodam ardore diuortium ab Ecclesia Catholica fecisset, seq; Lutheri partibus adiunxisset, Philippus Melanchthon, litteras ad Landgrauium dedit de mutanda religione deliberantem, quibus inter Principem cohortatur, vt populum nõ de dogmatibus tantum, iisq; de rebus quæ ad fidem pertinent, sed & de charitatis operibus, de cultu diuino, de ceremoniis informari iuberet; vt doctrina constituta, ritus atque ceremonias omnes veteris Ecclesiæ retinerent, quotquot seruari absq; impietate possint: sibi quidem, ait, non inutiliter modo, sed & contra charitatem facere videri, qui publicas cerimonias abolcant, quæ potuerint tolerari. Itaq; Latinas cantiones, sacras vestes, & hoc genus alia; Missam quoq; vnicam in singulis parochiis, & quæcunq; ex veteri ritu citra piaculum tolerari possint, retinenda iudicat; nec vllo modo prohibendum, aut impediendum, quó minus horæ Canonicę de Christo in Monasteriis, aliisq; templis decantentur. Hęc ad Landgrauium Melanchthon. Cuius in hac re consilium multi per Germaniam, versus Septentrionem inprimis, postea sunt secuti, qui magnam in diuino cultu rituum Catholicorum partem retinuerunt. Atque hinc originem habet Melanchthonicorũ secta, vel mollium Lutheranorum, quos post bellum Smalcaldicum Adiaphoristas appellarunt; quod ceremoniis quibusdam & ritibus Catholicis locum dederint: quam ob causam ab aliis rigidioribus & Zelotis, Flaccianis maxime, quasi proditæ Lutheranæ veritatis accusantur. Hi certè diuinum cultum, sacris vestibus, cereis, imaginibus, Latinis cantionibus, aliisq; rebus id genus adhibitis, eum in modum peragunt, vt si spectes externa tantum, Catholici prorsus esse videantur. Itaque falsus fuit Lutherus dum scriberet, Euangelio suo mundum replesse: cum nec eius discipuli omnia admiserint; & alibi Principes irrumpenti sese opposuerint.

Philippus Melanchthon Hassiæ Landgrauium vt ritum Catholicum seruet hortatur.

LII. *In Prussia Gedanenses hæresi infecti tumultuantur.*

Sane, cum hoc tempore Gedani in Prussia, exortus fuisset tumultus, ex causa plebis in dogma Lutheri inclamantis; Magistratus Vrbicus toto conatu his initiis restitit. Cumq; toto biduo aduersatus, tandem victus cessisset, sicq; vulgo præualente, priori Senatu depositò, ex ciuium numero alii in Senatum lecti essent; plebsq; commota, templis & cœnobiis peruastatis, omnem supellectilem sacram ex gemmis, auro, argẽtoq; cõstantem abstulisset, & vsitatos Ecclesiæ ritus mutauisset; literisq; post ad Sigismundũ Regem Poloniæ datis, facti ratione exponeret, Regemq; obtestaretur, vt rem totius cõmunitatis consensu factam approbaret, quæ summo iuri Maiestatis ipsius nulli esset præiudicio, neq; de vectigalibus, aut debita ipsi ac regno Poloniæ fide atq; obseruantia aliquid detractum esset; populũ vniuersum digitis erectis Regi & regno Poloniæ cũ nouo Magistratu solenni iuramento sese obstrinxisse; tumultũ sedatũ, ac statum ciuitatis cõpositũ esse: literis huiusmodi in Comitiis Petricouiensib. lectis, magnus scrupulus Regi & vniuerso Senatui Polonico iniectus est, de vindiciis sumendis: quas tunc, ac Gedanenses ad Magistrum Ordinis Theutonici apostatã deficerent, oportuit differre. Et quidem inter alios Senatores, Andreas Critius Episc. Præmisliensis, in Comitio sententiam rogatus, Regem cõpellabat, istis verbis:

Andreæ Critii ad Sigismundum Polonũ de Luthero oratio.

Qui res Ecclesiasticas memoriæ prodiderunt, maxime & sapientissime Rex, innumeros hæreticos & apostatas recensent, qui sensu suo & Spiritu superbię in transuersum acti, Ecclesiam Dei deuia & pertinaci doctrina scindere ac turbare consueuerunt. Quorum monstrorum, cum semper Romana Ecclesia domitrix, ceu claua Herculis extisset, in eam potissimum hæc dæmoniorum zizania ferebantur; atque si turbines, si fluctus eam cum primis nauiculam obruere nitebãtur. Et infra. Inter tot autem ac tam varios, qui hactenus fuerunt hæreticos, nemo fuit, qui non ex Euangelio basim doctrinæ suæ statuisset, non verbi Dei prætextum & illicem veneni sui fecisset. Sicut in præsens agit, nouum sui anguli numen, Lutherus, quod ita humiliter, ita castè, ita mansuetè & pacificè, iuxta doctrinam Christi & Apostolorum tractat, vt nihil arrogantius, nihil impudentius, nihil seditiosius ac virulentius, dici vel excogitari possit: vt qui nedũ Reges carnifices, scurras & nebulones; Pontifices Antichristos, lenones & idola vocet, sed & Sanctos, atq; adeo ipsam Deiparam Virginem, lingua sacerrima, vt ex plerisque eius argumentis constat, vilipendit & eleuat. Et in fine. Interim, inquit, inuictissime Rex, quia tibi curæ esse intelligo, vt eam labem in vicinia serpentẽ, à Regno & dominiis tuis arceas, hęc præludia quoquo modo in præsens effudi, rogans & obsecrans, vt quod facis, rem Christianam, non solum à Turcis & Tartaris, aliisq; Ethnicis, sed etiã domesticis hostibus apostatis & hæreticis tueare.

LIII. *Polonorũ in Lutherum Carmina.*

Fuit Critii oratio typis euulgata, quorundã nobilium Polonorum carminibus, & quidem acribus ac ingeniosis ornata, quorum prioris in imaginem Lutheri istud est initium:

Ille Lutherus ego, toto iam notus in orbe
Cui vulgi improbitas nomina tanta dedit.
Quicquid enim dictum damnatumque extitit ante
Nunc renouans iactor Spiritus esse Dei.
Conciliis, Patribus, mori contraria scribo
Actus & huc, consto non ego sæpe mihi.
Mystica scripta volo, cum res mea postulat, esse:
Nuda eadem, cum res exigit, esse volo.
Nil credens, seruansque nihil, Christi effero leges,
Prætextu quarum carpere cuncta licet, &c.

Et aliud in monstrum cucullatum ex vacca, in eundem Lutherum:

Vacca cucullatum produxit Saxica fœtum
Designans monstrum, terra quod illa fouet.
Saxe miser vigila, monstrumq; hoc confice, semper
Exitium terris monstra tulere suis.

Istud deinde in conditiones Lutheranorum:

Dic male Sacrificis, superos contemne, probatis
Moribus obtrecta, ieiunia sacra, precesque
Ride, Conciliis obsta, Patrumque relictis
Ritibus illude, ac Venias, Anathemata, Vota,
Non asis facias, absit confessio culpæ.
Absit religio, cedant delubra popinis.
Plus persuade tibi, quam sit decet atque:
Pontifices, Reges præ te ceu stercora pendas.
Scripturasque sacras, vt vis, intellige, priscos
Doctores, leges, Sanctorum & gesta negato.
Sis bonus impostor, fis ad conuitia doctus.
Præfectos traduc populo, retinacula rumpe
Ordinis & fidei, cieasque per omnia turbas.
Sic age sectator, qui vis probus esse Luthero, &c.

LIV. *Gedanẽses à Rege Poloniæ facti veniam deprecari conantur.*

Ista & alia plura Poloni iuuenes, in Lutherum & Lutheranos. Gedanenses paulo post perterrefacti, primarios ex nouis Senatoribus ad Regem ablegarunt, factum mutatę religionis ac depositi Senatus veteris excusaturos. Quos Rex dissimulata ad tempus ira, ne pœnarum metu ad desperationem adacti extrema tentarent, benigno cum responso remisit. Quibus domum reuersis, priores Senatores, qui per tumultum hæreticorum electi erant, Cracouiam venerunt, statum vrbis miserabilem, ciuiumque suorum audaciam cum insolentia coniunctam coram Rege deflentes, ac demisse orantes, vt Rex ciuitati propter mutationem Religionis exitio propinquæ succurreret. cumque rerum magnitudo, summaq; necessitas eius præsentiam flagitent, ipse Gedanum venire nõ graueretur, omniaq; pro arbitrio suo constitueret, & ad pristinã reuocaret formam, sontibus punitis: Senatũ omnem veterẽ, ciues honestiores, magnam deniq; plebis partem Regem secuturos; alios etiam qui seducti essent, cum spõte, tum metu ad officium redituros. Rex nihil in præsentiarũ aliud efficere potens, Catholicos consolatus, bono animo esse iussit, spe illis facta, rebus Poloniæ compositis, sui Gedanum aduentus; interim prouideret, ne vrbs nouis turbis forte exortis, grandioribus afficeretur incõmodis. Quo tempore summus Pontifex Clemẽs, tot bellorũ ac victoriarũ fama Regis Sigismũdi contra Turcas, Tartaros, Moldauos, Moscos & Crucigeros motus, ensem consecratum, vt vocant, deauratum in vagina argentea, quo in bello cõtra Barbaros & impios vteretur, cũ pileo gemmis ac vnionibus corruscante ei transmisit: & commutationem feudi Ecclesiastici Prussiæ Orientalis, in polyticum, secutam ex concordia Regis & Regni Poloniæ, cum Alberto ex-Magistro Cruciferorũ Prussicorum, iam religionis Catholicæ desertorũ, fieri tolerauit: seruata immunitate Ecclesiis & Catholicis, qui in bonis feudalibus. Hoc enim anno *vt notat Surius*, Albertus Brandeburgicus, 34. Magister Ordinis Theutonicorũ Marianorũ, Lutheri dogma cõplexus, duxit vxorẽ Dorotheã Regis Danorũ filiam & Magistri nomen in Ducis mutauit. Iste est fructus Euangelii Lutherici.

Clemens VII. Sigismundo Poloniæ Regi ensem & pileum mittit.

Albertus Brandeburgicus Magister Theutonicorum ordinis Vxorem Regis Daniæ filiã ducit.

Narra-

LV. *Carolus V. Conuentũ indicit.*

Narrauimus superius, quomodo Cæsar Conuentum Imperii, futurũ Spiræ mense Nouembri præcedentis anni, missis ab Hispania litteris inhibuerit. Cum autem turbulẽtus admodum, propter immutationem religionis esset Germaniæ status, & à Turca etiam periculum impenderet, datis iterum Toleto literis, ad 24. diem Maii, cur superiorem Conuentum agi noluerit, repetit. Neque tamen hoc sic accipiendum esse dicit, quasi de reliquis Imperii negotiis interim nulla deliberatio fieri debeat. agnoscere enim munus suum esse, vt & religionem Catholicam, & pios ritus atq; cõsuetudines à maioribus acceptas defendat; doctrinã vero perniciosam & religionis innouationem prohibeat. Itaq; sui esse proposíti, vt de consensu Pontificis maximi Concilíũ generale habeatur. Sed quoniam id forsan aliquanto tardius futurum sit atq; interim tamen multa per Germaniam fieri cõtra decretum Wormatiense; motus etiam atq; seditiones oriri quasdam audiat cõtra Magistratus; deinde, quoniam & inter ipsos Principes ac Ordines magnæ sint multæq; controuersiæ; tum etiam, quia Christiani nominis hostis perpetuus, Turca, Christianorum iam finib. impendeat; in iudicio quoq; publico & Senatu imperii multa emendationem desiderent; his de causis Conuentum indicere se totius imperii, vt ad Calend. Octob. Augustæ sint omnes, deq; republica tractent; inprimis autem de perpetuandis in Turcam auxilis: quod si coram ipse non possit interesse, daturum aliis negotium, qui locum suum expleant. Hæ literæ serius redditæ fuerunt in Germania nempe ad 13. Augusti diem. Quapropter de Ferdinandi Archiducis, quem Cæsar sibi legauerat, & aliorum voluntate productus fuit hic Comitiorum dies ad 11. Nouembris. Ad hunc Conuentum cum pauci ex Principibus per sese comparuissent, Ferdinandus cum cito dissoluit, & alium, Spiram, ad Calendas Maias anni consequentis indixit, ea sane spe Principibus proposita, vt Cæsar ipse quoque eo tempore adesset. Interim, quantum ad Religionem pertinet, præcepit, vt Concionatores, absque scandalo & seditione interpretarentur Euangelium & sacram Scripturam, iuxta sanum sensum approbatorum Ecclesiæ Doctorum. Deinde constituit, vt omnes Principes & status essent præparati armis & præsidiis, si quis nouus oriretur tumultus. Denique temperauit iuris rigorem circa seditiosos, ne ii, qui à superioribus suis in gratiam recepti sunt, propter seditionem præteritam, in iudiciis pro infamibus haberentur. *Vlembergius de vita Lutheri. Cochlæus de actis Lutheri. Sl. lib. 5.*

LVI.

Et quidem sublatis rebellium Ducibus, pristina Germanis pax reddita videbatur; quam eò firmiorem fore existimabant omnes, quod sperarent, magno labore & sanguine partam à nullo facile turbatum iri. Verum spes irrita fuit, non permittente illo, qui solet propter scelera hominum, grauiora mala infligere. Quippe reuiuiscentibus apud Heluetios infernalis sectæ reliquiis, belli noui, multo quam antea calamitosioris, principia pullularunt, quæ parua hoc tempore quidem & exigua videbantur, verum successu temporis adeo inualuere, vt etiamnum Germania finem non videat. Quæ antequam narrare aggrediar, dicam primo de Munceri socio, & rebellium antesignano, quomodo is Germaniam reliquerit, & alias Prouincias infecerit. In Silesiam, post cladem Franckenhusianam profugerat. Hic nactus socios ad artes priores relapsus, cum Lutheranis primum, qui recens acceserant, colludens, operæ plurimum in tollendis Ecclesiarum ritibus consumpsit: postmodum vero vbi publicum exercitium adeptos eos Freistadii vidit, totum Ducatum Glogouiensem peragrauit, ac plebem in Clerum concitando, nihil prætermisit, quod profuturum sibi mens insana præsagiebat. Itaque varios hinc inde motus effecit, & vulgus pietatis specie perterrefactum ad queuis scelera raptauit. Quo factum, vt mirę rerum mutationes breui temporis spatio in Silesia acciderint, tam in rebus Ecclesiasticis, quam & statu politico, amotis iis omnibus, qui vel noua dogmata auersabantur, vel cœptis hisce confidentius obsistebant. Freistadii quidem, vbi primum homines seditiosi sedem fixerunt, quam irreligiose, quam sacrilegè, quam impiè in res diuinas, & à maioribus Deo dicatas grassati fuerint, dici ob summam irreuerentiam non potest; occupatis violenter Ecclesiis & legitimis Pastoribus in exilium protrusis. Et nisi Magistratus, Ecclesiasticorum monitu, publico edicto furiosorum hominum animos mature refrenasset, finibusque suis seuere interdixisset, metuendum erat, ne rusticorum seditioni par bellum excitatum fuisset. Itaque pulsus inde Pelargus, velut Cain cum sociis per Silesiam profugus discurrebat, oppido, nullo aut vico prætermisso, vbi semina nouæ doctrinæ non spargeret. Atque vt hæresis nulla est, quantumuis absurda & ridicula, quæ sectatores non habeat; ita nec Pelargo, tametsi homo rudis esset, & in rebus fidei parum versatus, commilitones defuere, quibus in euulgando dogmate, ad quæuis subeunda munera vteretur. Horum plurimi Magistratu executionem edicti in eos persequente in Moraviam, cum primis vero ex rusticis Ducatus Glogouiensis magnis cohortibus confluxerunt; alii in Poloniam venditis bonis, cum vxoribus & liberis sedes transtulerunt, vbi in egestate summa & maximis sudoribus misere vitam tolerãtes, nihil fere quod dignum memoratu dixeris, gesserũt. Vnus (verbis Guagnini rem dabo) præcipue ex omnibus fuit, nobilis quidam Iacobus Melstinski, Prætor oppidi Brezinensis, ab Entusiastis mirum in modum dementatus, qui nomen, autoritatemque Christi sibi ascivit, Petrumq; Zatorski ciuem Cracouiensem, cæteroq; sibi similes latrones duodecim, secundum numerum Apostolorũ elegit, singulisque nomina Apostolorum imposuit, se vero Iesum Christum appellauit. qui per villas vndique ambulantes, prodigia morionum & præstigiatorum more exercebant, sycophantasq; alios, & latrones velut mortuos fubornantes fuscitabant; pisces in paludes lutosas primo impositos, vbi nunquam eos nasci possibile erat, in nomine Christi sui capiebant; panes in fornaces imponebãt, & in nomine Christi quasi illic ante non essent, depromebant, cum ingenti simplicis populi admiratione. Quodam tempore ad Czestochouiã Monasterium D. Virginis imagine celebre, prædictus Christus cum suis Apostolis vbi adhuc ignorus erat venit; cumq; ibi aliquot diebus morarentur, vnum ex suis quasi obsessum à dæmone subornauerunt, cuius opera victum acquirebant, cum sua coquina carerent. ille enim quasi dæmophoretus per hospitia, diuersoriaq; ambulans, carnes de coquinis rapiebat, inq; suos proiiciebat, qui cruce illas munientes comedebant. Illi autem ingens erat populi confluxus tunc temporis ad D. Virginis imaginem. quæ ibi perinde vt apud Lauretum in Italia miraculis celebris est. Prædicti itaq; sycophantæ, illum obsessum suum, ad altare D. Virginis adducunt, duplici veste ad id studio præparata indutũ, in cuius intercapedine necessaria imponere posset; lapillos vero intra indusium à corpore ei imposuerunt. Cumq; ad altare deduceretur, ille è manib. ducentium furibundus sese proripiens, in altare oblationib. pecuniariis onustum irruit, pecuniasq; de altari rapiens in vestis duplicatæ intercapedine eas imponebat. Monachus, ab altari diuino intermisso officio aufugit. Cæteri monachi stupidi accurrentes cingulum illius resoluunt, putantes eum pecuniam intra indusium posuisse: sed lapilli duntaxat, quos ante studio imposuerat, in terram exciderunt; pecunia vero in veste duplicata remansit. Monachi igitur mesti pecuniã arte dæmonis in lapillos transformatam putantes, exorcismos, orationesq; supra lapillos sine intermissione fundunt, vt deinde in pristinam formã transformarẽtur. Sed lapilli in sua forma permanserunt. Hoc latrocinio prædicti sycophantæ perpetrato, cum illa pecunia rectà Silesiam vicinam Polonię perrexerunt, simplicem vulgum suis præstigiis seducentes. vbi ad quandam matronam nobilem, in quodam pago diuertentes, dicunt ad illam; Christus te cum suis Apostolis visitat ô mulier; ideo offer te illi, & saluabitur anima tua. Illa vero virum domi non adesse, in cuius absentia id sibi non licere, respondit. Cui Apostoli dixerunt; Habesne mappas vel telam ad sacrificendum? Mulier vero ligaturam telæ illis obtulit. Qui dixerunt: hanc nobiscum accipiemus, Christusque tibi benedicet, vt tibi linum abundantius crescat; ostéde aliam si habes telam, quam cum similiter accipere volebant, mulier dixit. Non dabo vobis hanc maritum enim timeo. Illi autem frustulum fomitis cum igne in telam inuoluentes mulieri reddiderunt; quam illa nihil suspicans in cistam reposuit. Itaque cista à tela, à cista vero domus accensa in flammam abiit. Vir igitur illius vxoris reuersus domum, conflagrantem inueniens, causam scisitatur; cui vxor se male Christum cum suis Apostolis tractasse respondit; ideo hanc plagam iuste in se permisisse. Vir autem ira excandescens; Latro hic, *inquit*, nequis-

Iacobus Melstins kinouum se Christum affirmans 12. sibi Apostolos adsciscit.

Nouus Apostolus se ob sessum simulatis in altare vues pecuniam auferat.

Monachi pecuniam in lapides conuersam putantes super eam exorcismos fundunt.

sinaus & non Christus fuit. Ideo cum vicinis malefactores persequitur, quas in quadam villa assecuti sunt. Illa itaque Pseudochristus re animaduersa, ad illum, qui vocabatur Petrus dixit; Petre,iam mea passio,& calix quem bibiturus sum appropinquat. Cui Petrus, Et mihi vt video Domine immineat. Christus vero dixit; Petre, ego aliter non possum,nisi per fenestram hinc euadere. Ad quem Petrus: Et ego te quò ad viuam non derelinquam Domine, sed quocumque tu fugeris, sequarte. Sicque ille Christus per fenestram, Petro sequente aufugit: cæteri quoque Apostoli, qua potuerunt, euasserunt. Quos villani cum suo Christo insecutos,& vndique circumuentos fustibus præstis percutientes dicebant, prophetiza nobis Christe cum tuis Apostolis, qua in sylua hi baculi creuerunt? Ergo plagis emendati,pœnitentiam egerunt, atque vitam emendarunt, dicentes: difficile est nobis Christi passionem,Apostolorumq; tormenta subire. Pelargus vero, ne & ipse in Magistratus potestatem deueniret,exemplo aliorum ex Silesia in Bauariam profugit; vbi reliquum vitæ tempus in magnis ærumnis cõfecit, Monachii inter inopes & calamitosos grauissimo morbi genere, iusto Dei iudicio extinctus: duobus tantũ post se relictis discipulis, quibus venenatum dogma incautius infuderat;qui & ipsi insigniter se exorto schismate diuisi, vtricem supremi iudicis manum non effugerunt.vt latius suo loco dicemus. Nescio an is ipse sit Pelargus,quem *Chemnitius* Storchium vocat. Is etiam Munceri socius,opificio lanifex, sui opificii homines plane in potestate habebat, ex iis creabat Apostolos 12.item 72.discipulos.Hi clandestinos cõuentus agebãt,eosq; qui aduersarẽtur, minitabantur se vi oppressuros. Re per fidum hominẽ enunciata, præfectus vrbi Wolffgangus Weisbachius fere omnes istos cõprehendit,& in vincula coniecit. Storchius fuga elapsus,nullam sedem inueniens,& huc illuc vagatus, periit eodẽ anno in Bauaria. Nam cum Monaci diuertisset, in taberna publicam, in ea morbo, nescio quo consumitur, nulli cognitus.

Pelargus cognomine Storchius Monachii in taberna miserè moritur.

LVII. *Tigurini Anabaptistæ fiunt.*

At causam mali, quod narrare cœperamus, non exiguam Tigurini ipsi præbuerunt, qui de Anabaptismo sparsos, non ita pridem Munceri libros auidissime lectitabant,eosque non minus Lutheri, quam & Vldrici Zuinglii operibus longe præferebant: quem & verissimum Prophetam esse dicebant, & ex omnibus talem, qui solum opus verbi Dei, & regnum Christi syncerè vniceque promotum cuperet. Doctores habuere Cunradum Grebbe, & Felicem Mantscherum nobili stemmate satum, viros sanè doctissimos, & Latinæ, Græcæ, Hebraicæq; linguarum apprime peritos, quibuscum & Zuinglius clanculum conspirabat. Hi mox clandestinos per vrbem conuentus agere, & ex Scripturæ libris argumenta pro se congerere cœperunt, eo feruore & zelo, vt donum interpretationis inde ad ipsos cœlitus translatum, nõnulli arbitrarentur. Post vbi plures in consortium aduenêre, & numerus indies augesceret, audacia simul in iis creuit & spiritus. Sed quò minus publicum suæ religionis exercitium erigerẽt, personarum raritas obstabat. Itaq; intra domesticos parietes malum tantummodo serpebat, donec eas sibi vires acquireret vt in publicum tutò posset erumpere. Quod non multò post accidit,suasu Georgii cuiusdã de domo Iacob, quem vulgus Georgiũ Blavvrock, eò q; cœrulei coloris togã gestaret, nominabat.Hic excusso, quod Sacerdos emiserat,voto,cum austeriorem duceret vitam,& spreto mundanarum rerum luxu, soli salutiinhiare putaretur, sectam breui celebriorem reddidit,& accessu multorum adauxit,arbitrantium, hoc puritate reliquis præstare, quò libentius eam grauiores viri amplecterentur. Primus, qui publice Tiguri Anabaptismum docuit, hic Georgius fuit, non minori versutia vsus, quam fuerat Pelargus. Cum enim frequens esset fratrum numerus,ipse in terram corrueris, in pleno conuentu quasi exanimis, miras & ore & manibus gesticulationes edere cœpit;ita vt stupori potius, quam admirationi res insolita spectantibus esse videretur, hominem aut in amentiam decidisse, aut maligno Spiritu exagitari, arbitrantibus. Verum eleuatus in altum, & post paulò ad se quasi reuersus, futura mox cœpit prædicere, & Patris cœlestis, vt aiebat, voluntatem patefacere, quam eam esse referebat, vt repudiato veteris Ecclesiæ baptismo, retingi se sine mora paterentur, eoque modo per nouam regenerationem Dei filii effecti, vitam sine labe & macula inchoarent. Quibus dictis, ipse in genua prouolutus rebaptizari se Cunrado Grebbe, postquam precibus ad id eum induxisset, permisit. Inde surgens omnes exemplo suo commonuit; alboque fraternitatis, collato prius nouo regenerationis lauacro, adscripsit; quorum multi adeo in doctrina ea propaganda laborarunt, vt quibusuis periculis caput obiectare,imo & sanguinem profundere pro ea non dubitarint. Ab eo tempore audaciores facti, non ciues solum,sed & Prædicantes,& qui eruditione alios antecellebant, in secta traxerunt, sub nouo, sed feruentioris reformationis prætextu; quam solam in Scripturis locum habituram diuinabant. Zuinglium etiam, cui Sacramentariorum noua hæresis nomen non incelebre recens pepererat, concionatoris munere in Cathedrali Ecclesia fugentem, adeuntes, asperioribus verbis increpabant, quod opus Dei adeò leniter ac tardè exequeretur; tempus nunc esse, effati, & vrgere Spiritum, vt nisi maiore zelo reformatio Ecclesiæ Dei institueretur, nemo fieri posset salutis æternæ particeps; separandos esse fideles à cœtu malignantium, quemadmodum Apostolorum temporibus factum sit, qui ab impiis discesserint, & communi Ecclesia relicta, Hierosolymis fideles congregarint; quod & Apostolus Petrus seuere præcipiat, vt conuertat se vnusquisque à nequitia sua, & cum impiis commune nihil habeat. Ideo summè necessarium esse, vt talis in vrbe personarũ disiunctio aggrederetur, ad colligendum puram Ecclesiam, qui Spiritum sanctum acciperent, ab eodemque perpetuò gubernarentur. Talem sibi Ecclesiam (ait Zvvinglius) imaginabantur,talemq; se constituere posse sperabant,qualem Christus in cœlis habet,& habiturus est,omnis peccati & labis expertem.

Zuinglii & Anabaptistarum cõsentio.

Quam in animarum separationem cum Zvvinglius nulla ratione consentire vellet, & contra Scripturas esse obuerteret, ab eo se prorsus segregarunt, nec firmam cum homine amicitiam deinceps coluêre; idque vel ideo maximè, quod dogma istud, & alia nonnulla, apertis primum literis propugnasset,nunc vero vrgente tempore,fratribus in re tam plana obsisteret. Itaque ira in Zuinglium exarserunt, ac propalam ipsi contradicentes, baptismum nihil aliud quam inuentum Nicolai Papæ, nec à Deo, sed à Diabolo prorsus originem trahere clamitarunt; omnibus gehennam comminantes,qui nõ actutum,reiecto illo canum,sic enim per cõtumeliam vocabãt,lauacro sese rebaptizari paterẽtur. Zuinglius ex aduerso contrariam sententiam tenens, publice pro concione in eos detonabat, idq; dabat operam, ne sacrum baptisma in seiunctionis signum ipsis euaderet. Illi, quam propositi & semel cõceptæ opinionis esset tenax Zuinglius non ignari, q; durioribus verbis efficere nequibãt, blandimẽtis procurare instituunt. Itaq; petunt ab eo, vt priuatam aliquam & peculiarem secum de baptismo disputationem ineat, si forte vel nunc demum vtrimq; pax aliqua constitui possit. Annuit ille, & bis cum eis congressus, rem multo quam ante peiorem reliquit. Eius quippe genii Zuinglius erat, vt aspernaretur omnes, & de nemine præterquã se magnificè loqueretur; sibi soli victoriã arrogãs, alii licet de ipso triumphassent. Atq; hac re vna factum est, vt miseri isti homines, & tot tantisq; erroribus infecti, non modo in hæresi obdurarentur, sed & quotidiè magis magisq; in peius proficerent. Res eò paulatim recidit, & in tantũ odia vtrimque creuerunt, vt & magistratus manum admouere debuerit, & locum deputare, vbi familiari colloquio, conciliatis articulis controuersis, dissidentium animi vicissim vnirentur, & stabilita concordia, in vnum corpus & Ecclesiam rursus coalescerent. Id vero priusquam faceret, humaniter primum ad pacis studium eos inuitabat; vnicè obtestans, ne huic sese conuentioni adiungere grauarentur: hac enim re vna & sibi, & aduersæ parti mederi posse. At illi, eò iam furoris, vt de nulla re alia, præterquam de sua libertate quemquam audire dignarentur, Zvvinglii vehementia abrepti, Senatus petitionem contempsere. Indigne id factum Senatus suscepit,ab iis maxime fieri, qui vrbis suæ priuilegia & immunitatem affectabant. Itaque primoribus Ciuium in Curiam conuocatis, qui primos illos inquietorum hominum motus sedarent, factamque sibi contumeliam vlciscerentur, deliberarunt. Id 17. Ianuarii huius anni 1525. accidit,& sequẽti mense Martio rursus agitatum, cum numero indies & furõre augerentur. Inuitati vnà quoque ad Curiam ex Anabaptistis

Tigurinus senatus frustra plebem tumult. ũtem cõpescere conatur.

baptistis primarii, quibus vt socios à proposito deterrerent, paciq; ac tranquillitati publicæ studerent,seriò seuereq; imperatum fuit: sed frustra. Illi enim mandato Senatus suis exposito, in tantum ex infima plebecula suæ sectæ plerosque commouerunt, vt illi extrema quæque potius subire se, vitam & sanguinem quoque profundere, quam Senatus edicto obsecũdare paratos, ociferarẽtur. Ex his ductores fuere Georgius Blavvrock, Ioannes Prætanus, Wolffgangus Vlmannus, Michael Sadeler, Melchior Vetus, aliiq; complures. Hi certo extremi iudicii die fratribus præfixo, omnibus velut iamiam morituris pœnitentiam prædicabant. Quidam depõsita veste, in cilio & cinere, nudi per ciuitatis vicos discurrebant, & Ionæ Prophetæ instar vltimum vrbis excidium prædicebant. *Væ tibi* (sic clamitasse eos Bullingerus tradit) *Tiguro. Væ tibi, & iterum Væ. Pœnitentiam agite; securis ad arborem posita est; pœnitentiam agite.* Dum hæc agerentur, alii in ciuium ædes ingressi, qui suæ iam ante fidei nomen dederant, hominibus grandæuis etiam & senio confectis, duinmodo rebaptizarentur, fore, vt aduentãti cœlesti iudici in occursum promptiores possent adduci persuasis, catabaptismum cõferebant. Nõnulli portis effusi, ruri futuram vrbis ruinam plangentes, ne communi excidio implicarentur, ciues clamoribus suis euocabant. Fuere etiam, qui Dei misericordiam annunciantes, nullum vnquam vrbi, modo bonis ad se perlatis cõmuniter fruerentur, dispendium illatum iri pollicebantur. Doctiores plerique in cõpitis verba ad plebem factitabant, ac grauiter in vitia quæq; infecti, superbiam, cõuiuiationes, cõpotationes aliaq; id genus vitia execrabantur. Eratq; res cunctis stupori, & admirationi, speciemq; referebat spiritualis cuiusdam vitæ; quam noui illi & renati homines per adumbratam quandam seueritatem, rigoremque inchoasse credebantur. Neq; enim aut risu vnquã, aut iocis sese oblectabãt; sed continuò si quid palam agendum erat, suspiria alte ducebãt, ingemiscebantq;: quin & vberes subinde profundebant lachrymas, & vanitates huius mundi coram ciuibus deplorabant. Hinc miri per vrbem sermones spargebantur, à rudioribus præsertim, quibus illi fraudibus suis illudebant. Scribant quidam (ita namq; de iis loquebantur) de Anabaptistis quid velint; dicant seditionib. eos deditos,& Christianæ reipub. interitũ machinari; ex vita certe illorum, operibus, doctrinaq;, quam id falsum sit, euidenter elucet, cum nec iurare eos, nec blasphemare, nec quæ sua sunt quærere; sed ea tantum, quæ Christi sunt, quæ Scripturis cõformia, promouere videtis; ecquis hæc nõ vera, & maxime Christiano homine digna dixerit,&c. Hosce simulesq; vulgus sermones ferebat, idq; tanta licentia, tam procaciter & tumultuosè Zuinglianis obuertebant, vt Seculare Erasmi chium, ad homines cõpescendos inuocare cogerentur. Itaq; multi in carceres cõpacti fuere, & postea ex carceribus in iudicium tracti vbi verba per iugulum reuocare cõpellebantur. pertinaciores vero, & inprimis isti, qui durante hoc motu sessionem à Zuinglianis fecissent, partim bonis, exilio partim famaque mulctabantur. Tunc passim furere Anabaptistę, cõuitiorũ plaustra in Tigurinos iacere, Zuinglium omnis mali auctorem proclamare, quem velut impium, & infelix Sathanæ mancipium, ac antiquum Draconem, in Ecclesiasticorum quorundam sui dogmatis (vt iis blandiretur) gratiam, vt à Senatu proscripti, vrbe & agro Tigurino pulsi exularẽt, procurasse dictabant. In Magistratum etiam contumeliosius voces euomebant, vt qui vnius arrogantissimi hominis instinctu tantum doctrinæ Christi scandalum inferre non fuisset reueritus: Nimis seuei esse cum agi, nec vt homines, sed veluti humani generis hostes, & Christianorum societate indignos tractari se querebantur. Pagus est, quinto ab vrbe lapide distans, Zollicanam Ecclesiam Zuinglius nuncupat: huc tanquam ad tutius in exilio refugium, miselli isti confugerunt, emissisque subinde sociis, in eam amplitudinem exiguo dierum interuallo excreuêre, vt S. natus Tigurinus, cuius sub ditione oppidum tenebatur, sese interponere, nidumque eum disturbare, ne quod grauius damnum emergeret, cogeretur. Quod tamen ea moderatione factum est, vt nullatenus istinc violenter se deiectos, aut indicta causa damnatos queri possent. Namque prudenti quorundam consilio effectum est, vt Tigurum tertiò ad colloquium, publico Senatus diplomate inuitarentur. Inuitationis hæc erat sententia; Rogare Senatum, vt cum multæ hucusque, eæque graues de paruulorum baptismo controuersiæ extiterint, necleui cum vulgi scandalo fuerint publicè priuatimque agitatæ, quò eæ tandem sopirentur, & veritatis erroribus ad oculum pateceret;ii qui ex amore Christi pacis studio tangerentur, citra vllum periculum securè Tigurum ad Curiam aduẽtarent, defensuri ibidem, quæ de baptismo in Ecclesia cõsueto, non secus ac Pontificio, aut Sathanico commento, aliisq; circa rem eam argumentis propositis, in vrbe & locis vicinioribus euulgassent; polliceri se, in omnibus ibidem ex sacræ Scripturæ contextu, ad libitum satisfactum iri. Itineri proinde sese accingerent, & colloquio, ad feriam secundam post Omnium Sanctorum se sisterẽt. Articulos vero cõtrouersos, de quibus disceptandum foret, ne quis veluti rei ignarus istuc pergeret, hos se subiungere voluisse.

1. *Christianorum pueros nihilominus Dei filios esse; quam & parentes, æquè atque in veteri testamento. Deiergo filii cum sint, quis vetare posset, quo minus baptizarentur?*

2. *Circumcisionem id antiquis fuisse, quod ad rationem Sacramentalem attinet, quod nobis baptismus. Vt ergo illa infantibus data est, ita & baptismum infantibus dandum esse.*

3. *Anabaptismum nihil prorsus fundamenti, solidique in Scripturis habere; ac proinde omnes eos, qui se rebaptizari paterentur, vel ex vnanimi consensu, vel sub nouitatis cuiusdam prætextu, Christum denuo crucifigere.*

Hæc colloquii indictio fuit. Porrò priusquã inchoaretur, Præsides colloquii designati sunt, VVolfgangus Ionerus, Sebastianus Hoffmannus, Ioachimus Vadianus, & Cunradus Fabricius, viri & docti, & in dignitatibus constituti. His, vt ordinate omnia fierent, iniunctum fuit. Quod vbi ad Anabaptistas delatum est, illi, ne & suæ parti deesse viderentur, doctiores plerosque miris technis in sectam traherẽ cœperunt, splendidam iis victoriam polliciti, qui vnam eandemque doctrinam adstruerent, defensarẽtque. Nec defuere, quibus ceu clypeis & vmbonibus, ad auertendos Zuinglianorum ictus, vterentur. Primus horum Balthasar Hubmeierus Pacimontanus, Doctor Theologus, fuit vir quidem ingenio & eruditione præstans, sed lubricus, & in hanc illamue partem profortunæ flatu variabilis. Hic cum in VValdshut aliquamdiu Dei verbum prædicasset, inaudissetque, quam inter se, Anabaptistæ & Zuingliani, acriter de baptismo paruulorum digladiarentur, hortatu quorundam sacras de eo Scripturas euoluere cœpit, si forte genuinam ipse sententiam eruere posset. Sed ecce dum de fide dubius eo in opere desudat, adsunt ex Retinctis versuti quidã & versipelles Magistri, qui & dubio hominem liberant, ac suo sensu exposito, eò redigunt, vt in qua docebat Ecclesia, rebaptismum instituere occiperet, ora neśque eos à cœna repelleret, quotquot rebaptizati non essent; tanto zelo feruoreque nouus ille spiritus in Doctore operabatur. Sed & nefando, ac pernicioso dolo, pastoratu suo se abdicauit, vt domo liber à turba rebaptizatorum eligeretur: id quod & subsecutum. Tinctus enim ab iis, & in communionem assumptus, non voce solum, sed & litteris libriśque Anabaptismum tueri suscepit. Zuinglium (paruulorum lotorem per ignominiam nominabat) non minus à se stare, quam & Lutherum, propalam adseruit; scriptis ad Senatum Tigurinum litteris, quibus se ex Dei verbo Anabaptismum ostensurum, promittebat. Verum de his infra latius. Nunc ad colloquium redeamus.

LVIII. *Zuinglius terras vrbe à senatu Tigurino ad colloquium inuitatur.*

Zuinglius Zollicanã Ecclesiam occupat.

Id indictum ad 6. Nouembr. huius anni 1525. diximus. Itaque ex oppido S. Galli, & locis conterminis, conuocati Anabaptistæ, magno numero Tigurum confluebant. Coniungebant se & Zuingliani, & ad locum colloquio deputatum properabant. Aderant quoque ex oppidis ditionis Tigurinæ Legati & Tabellarii, qui ideo colloquio interesse iubebantur, quod & de Tigurinis Anabaptistarum querelas audiuissent, & q valide apud eos progrederentur, nõ ignorarẽt. Expositũ simul iis fuit, quam iniquè Senatus ab Anabaptistis falsis formonibus traduceretur, quasi nunquam eos audire, aut ad familiarem quandam disputationem admittere in animo habuisset; proinde nunc coram spectarent Senatus innocentiã, ac post transacto colloquio de omnib. ad suos rei veritatẽ referrent. Posthæc, vt initium ordirentur, valuæ domus Senatoriæ apertæ fuêre, inuocatoque Spiritus sancti auxilio, in medio Senatorum ciuiumque vtrimque spectantium collo-

LIX. *Tiguri cũ Anabaptistis acriter cõtenditur*

quium inchoatum est. Atque vbi cum principalioribus Anabaptistarum disputari cœptum est, tumultuosa fanaticorum turba magno strepitu ingreditur; ex iis vnus succlamare cœpit & occinere, *Sion, Sion, lætarè Ierusalem.* Hinc tumultus pressuraq; in populo oriebatur, vt Senatus de loco mutando, & ne quis motus surgeret, deliberationem instituere debuerit. Itaque summum templum, quod spatiosum & tantæ multitudinis capax videbatur, actioni destinatum fuit. In eo binæ mensæ constitutæ; quarum vna pro ministris Tigurinæ Ecclesiæ, altera pro Anabaptistis vacua seruabatur. Disceptatum hic fuit per tres dies continuos, à mane ad vesperam vsque. Miros, si coram spectasses, sermones audisses; his pro se Scripturam pugnare dicentibus, illis contrarium obuertentibus. Anabaptistæ sane, si quando acrius vrgebantur, ad conuitia & scommata prolabebantur; nec secus Zuingliani factitabant. & subinde parum aberat, quin à verbis ad verbera procederent. Si quando de Scripturis sermo ingerebatur, tunc ad Zuinglianos Anabaptistæ; Proferte (dicebant) vel vnum, si adsit, ex Scriptura exemplum: probate re, quod verbis pollicemini, paruulos, non adultos baptizandos esse. Scriptura ait; Euntes docete omnes gentes, baptizantes eos, &c. Matth. vlt. Quid ergo vos causæ impellit, cum hæc legitis, paruulos contra Scripturæ mentem, antequam informari possunt, tingendos in schola, in Ecclesiis, è pulpitis doceatis? Illis adhæc, vt de adultis solis idem demonstrarent, vrgentibus, nihil aliud quam ipsum sacræ Scripturæ textum (Euntes docete & baptizate, hoc est, vt interpretabantur, primo doctrina Christi & fide instructi, ac tum demum sufficienter instructos baptizetis) opponebant. Qui si falsò id inde torqueri redderent; ii è contra, peccata eorum obstare, quo minus verus ipsis sensus innotesceret, vtpote necdum renatis, & nouam vitam ingressis, respondebant: & ob id non iniuria hoc se leuacrum, humanum quoddam inuentum vocasse, cuius vsus Apostolorum temporibus incognitus fuerit. At Zuinglius quid faceret, nullo tamen alio, quam traditionis argumento, tueri se potuit. Vnde quidam ex aduersariis Zuinglium aggressus, per viuum Deum iureiurando adegit, vt veritatem palam fateretur. Cui annuens Zuinglius, rustice ait, fatuum te esse, & furiosum, ipsa veritate contestor: quo dicto ridentibus hominem astantibus, à se reiecit. Præsto erat & alius, exillorum numero, coryphæus insignis, & qui se reliquis præstare opinaretur; qui turpissimis sparsis in vulgus calumniis, nihil non in eum expuerat conuitiorum & criminum, hæreticum, latronem, furem, raptorem, Antichristum verum, Scripturarum corruptorem, ipso Pontifice nocentiorem esse clamitans. Zuinglius iniuriarum impatientissimus, magno ergo hominem odio exacerbatus, id à Senatu obtinuit, vt is in pleno consensu ab illo causas conuitiorū peteret, quibus impulsus tam dira & horrenda in eum crimina effulminare non vereretur. Interrogatus ab Henrico Valdero Consule, & iussus vt causas maledicentiæ suæ exponeret, multum diuque cunctatus, hanc vnam causam protulit, quod paruulorum baptismus tam pertinaciter ac tanta constantia à Zuinglio defenderetur. Deinde, cum vlterius vrgeretur, vt amplius quiddam ostenderet, tandem & hoc multum tergiuersatus, fama se audiuisse eum anno iam proximè præterito, vtramque cœnæ Dominicæ celebritatem, tam eam, qua sub vna, tam alteram illam, qua sub vtraque specie communicatur, pro publica concione (sic enim Zuinglius ipse scribit) approbauisse. Cæterum reliqua, quæ toto hoc colloquii tempore acciderunt, hoc loco tradere nimis longum foret; id solum dixisse sufficerit, hoc grauius animos vtrimque exulceratos esse, quo strictius in disceptatione veritas requireretur. Itaq; solutum sine fructu colloquium, maiore quam ante offensione vtriusque partis animos perturbauit.

LX. *Tigurinus senatus Anabaptistas in ditione sua prohibet.*

Zuinglius siquidem, vt erat elatæ mentis, semper se, & si vspiam aliàs, hoc loco maxime & tempore victorem ab iis discessisse gloriabatur, miserisque ansam noui motus vnico isthoc facto, non leuem præbebat; quibus cum si lenioribus verbis actum fuisset, perfacile errorrum conuicti in Regiam veritatis viam rediissent. Neque enim decorum sibi fore reputabāt, si istiusmodi in vulgus Thraso iste voculas emitteret, se omnino debere ceu pisces obmutescere. Itaque prioribus scandalis noua cumulata, nouæ tragœdiæ speciem in vrbe portendebant. Hinc Senatus, quibus totum à Zuinglio dependebat, quosdam ex iis carceribus mancipauit, quosdam priuatim commonuit, vt nisi à proposito desisterent, fore, vt seuerius quidpiam in eos statuere cogeretur. Sed & publicum disputationis habitæ testimonium emittebat, quò & seuerè Anabaptismum cunctis suæ ditionis subiectis interdicebat. Id in vrbe prius, & foris postmodum fuit promulgatum, in hanc, vt sequitur sententiam.

Omnibus dubio procul notum esse, & neminem ferme in vicinis partibus degere, ad cuius non aures fama detulerit, quemadmodum intra breue tempus aliqui simulatæ cuiusdam & fictitiæ eruditionis personæ, sine vllo sacrarum literarum testimonio, nullis fulti præsidiis, miseris quibusdam ac simplicibus è plebe hominibus (qui alioqui in bona firmaque fide solidati, nihil, præterquam quod bonum & verum erat, sectabantur) impostuerint seditiosis suis & falsis concionibus, quibus sine vlla authoritate, aut requisita Magistratus venia affirmare non erubuerint, Baptismum scilicet paruulorum, quem in præsentiarum Ecclesia Christi vsurpat, non à Deo, aut eius Apostolis institutum, sed à Diabolo inuectum, & Christianæ Reipublicæ obtrusum esse. Et quia imprudentes illi & stulti homines eò callidis versipellium aliquorum consiliis abducti sint, vt secta huic & subscribere, & eandem publicè veluti Christi doctrinæ consentaneam profiteri & propagare: seque prudentiores reliquis æstimantes, proximorum animas in tantum discrimen præcipitare, præter reliqua seditionum & discordiæ semina aussi fuerint. Ideoque se velut a Deo eò loci in Magistratu constitutum, nec potuisse, nec debuisse vllo modo, tantam tamque hactenus inauditam furiosorum hominum licentiam impunitam transmittere; sed obicem mature huic malo opponere, ac ad terrorem reliquorum quosdam in vincula coniicere, bonis nonnullos exuere, alios in exilium ob motus ciuium, qui ex doctrina ista crebrò oriebantur, profligare voluisse: idque secundo iam & amplius obtigisse. Verum, quia non nisi tiores inde efficerentur & potius magis magisque proteruire, subditosque in sua dogmata sollicitare collaborarent: Adhæc cum tertium illum, quem multorum rogatu ipsa in vrbe, non intra domesticos parietes, sed in Curia & summo templo, sexta Nouembris Anni 1525. obtinuissent, congressum (cui præcipui ipsorum Doctores, & ex altera parte magister Vldaricus Zuinglius, magister Leo Iudæ, & doctor Casparus Grosmannus interfuerint) publicè, omnium approbatione debellati, & sacræ Scripturæ testimoniis confutati, veritati locum dare, & ab impia hæresi ad Ecclesiam reuerti nollent: Postremò, quia etiam in ipso colloquio omnibus palam factum sit, quam dolosè, vt ignaram plebeculam deciperent, nouum quendam separationis modum molirentur, seque non vt alii sunt homines, sed altiori quodam Spiritu illustratos, & ab ea, qua ipsis rebaptismus collatus sit hora, nouum in anima motum nouamque vitam ingressos, tum omnis peccati expertes; sed sanctos & verè beatos esse; quod eò tenderet, vt reliquos omnes ex communi Christiana societate in peculiare suæ religionis consortium pellicere possent; comminiscerentur: Propter hæc & alia se omnibus & singulis præcipere, seuereque mandare, impostorum omnes siue parentes, siue liberi, cuiuscunque demum sexus ordinisque esse possint, vt omnè sibi à pernicioſa illa Anabaptistarum secta cauere, eique si qui forsitan nomen dedissent, primo quoque tempore renunciare velint. Quod si vero, qui huic suæ voluntati refragari nefas nullum reputarent, inuenirentur, Senatui argenti marcam pro pœna exoluere debere; aut si grauius delinquerent, pro qualitate facti pœnam incurrere, aut (vt cum Zuinglio loquar) aquis mergere decreuisse, qui merserit baptismo eum, qui prius emerserat. Se siquidem hoc facto nihil aliud intendere quam obedientes manu tenere; rebelles vero, & qui hisce coniuncti esse soleant, seditiosos pro meritis coercere, nec cuiquam insuper connivere, secundum quod quisque, quid sibi facto opus putaret, ageret. In scripti vero eius confirmationem, publico vrbis sigillo hanc animi sui sententiam communire voluisse. Actum ipso die S. Andreæ, Anno Domini 1525.

LXI. *Balthasar Hubmeierus nouus Anabaptismi autor.*

Atque isthoc publicato Senatus edicto, optime de se actū Tigurini ministri arbitrabantur, vtpote antagonistis liberi, in erroribus suis & otio vitam acturi; sed id vanum prorsus fuit & irritum. Hæresis enim, vt serpsit sicut cancer, dum extingui quæritur, facile fautores adipiscitur, qui quamlibet absurdam & ridiculam, vt nomen saltem sibi celebre comparent, licet pericula subire, sanguinemque eos quandoque contingat profundere, è latebris in publicum rursus proferant, humanisque pectoribus instillent: & si quando doctiores, qui præstent, desunt, rudiores prouinciam eam

ciam eam suapte sponte suscipiunt, qui se sanguine probaturos quod scriptis non possunt, pollicentur. Id tanta audacia & iactantia effutiunt, opereq; testantur, vt sibi ipsis oneri subinde esse, Zuinglius ipse proprio edoctus exemplo, nihil addubitet. Sub hæc Balthasar Hubmeierus, quem supra de Anabaptismo libellos aliquot conscripsisse diximus; die 6. Decembris ex oppido Waldshut ad vrbem profectus, ad viduam quandam clandestine diuertit, vetitamq; inter fratres doctrinam priuatim tradere, & ne se vel minis, vel edictis à semel pertinaciter fixa sententia diuelli permitteret, adhortari cœpit. Historiam vt memoratu dignam, Anabaptisticaque constantia nobilem, huc integram ex Bullingero & Zuinglio adscribere collibuit.

LXII. *Idem Tiguri libera custodiæ traditur.*

Balthasar iste (scribit Zuinglius in epistola ad Gynoræum) de quo nonnulla per epistolam, sic egit apud nos. Elapsus ex oppido Waldshut, Tiguri apud viduam quandam subiit. Senatus vbi id resciuit, suspicatus hominem idem monstrum aliturum; quod reliqui Catabaptistæ, eò quod clam in vrbem irrepsisset, stringi hominem iubet, ac in prætorio libera custodia seruari. Post tertium vero, quartum, aut nescio certo quem diem, iubet subito Engelhardum, Leonem, Myconium, Sebastianum, Megandrum, alios & me adesse. vbi venimus, exponunt qui à senatu ad hoc constituti fuerant: quomodo Balthasar dudum ad se litteras dederit, quibus pollicetur se Zuinglium suis scripturis superaturum de Baptismo. Quid multa? Congredimur. Ibi obiicit cæcus homo; quod ante annos aliquot de Catechumenis docendis tradideramus in libro sexaginta septem conclusionum: non enim intellexerat nos isthic in hoc esse, quod pueri etiamnum æque atque olim fidei rudimenta doceantur: quod ipse ad baptismum retulit, parum prudenter; quasi dixerim meum esse consilium, vt mos non tingendi infantes postliminio reducatur; cum ego de more imbuendi pueros fidei rudimentis locutus sim. Vbi se in hac parte videret errauisse, blandulus fuit. Processimus post multam conflictationem, in qua Testamentum istud perpetuum agnoscere noluit; ventum est ad caput secundum Actorum, ex quo probaui Christianorum liberos inter principia censos esse ad Ecclesiam. cumque multa responsaret, ad claram atque disertam responsionem, eliciebam vt diceret, Anne concederet pueros istos in Ecclesia fuisse, nec ne. At necquicquam omnia tentabam. Ibi ingenuè fateor, cum & istum locum 1. Corinth. 10. Patres nostri omnes baptizati sunt &c. admouerem ad compellendum eum, vt agnosceret pueros contineri, etiamsi eorum nulla prorsus mentio fiat; illeque nollet dicere, vel non, vel etiam, me vehementius inuexisse in hominem, sed non alia re, quam quod Catabaptismo suo miseros ciues suos traxerit in diffidium, quod iam ipsos perdiderit. Hoc ad magnum temporis modum vbi durauit, sic homo redargutus atque superatus, artem nouam orditur postulat, vt Leo, Myconius, & Sebastianus sibi dentur, vt cum illis solis conferat. Sperabat arrogans homo, istos ad se blandiloquentia sua pertracturum. At vbi neque sic videt procedere consilium, eosdem iterum impetrat, ac post multas versutias huc descēdit, vt dicat se recantaturum. Id autem Senatus non cogebat, nisi non voluisset ab vrbe abire. Nihil enim grauius statuebat in eos, qui Catabaptismi causam deserere noluissent, quā quod relegaret. Veniunt interim Legati Imperatorij, postulantes hominem ad supplicium. qui eis breuiter negatus est, per legem qua cauetur, vt qui ob aliquam noxam ciuis in neruum coniiciatur, ob eam solam reus fiat. Sic peccauit in hominem istum Senatus; defendit ab impetitione Cæsaris, tamquam ciuem. At hic succurrit eum fuisse in neruo, antequam in liberam custodiam sit positus. Vtcumq; res habeat, liber tum erat cum congrederemur, diuq; postmodum in prætorio liber asseruatus fuit. Scribitur ergo reuocationis forma, non ex præscripto Senatus, aut quorumcumque, sed sua ipsius manu. Cumq; ipsam in templo, cui Abbatiæ nomen est, prælegisset, finito sermone quem nos ad populum habueramus, protinus abnegat reuocationē coram tota concione: occasionemque dicendi nactum esse putans, multa adducit contra baptismum infantium, & Catabaptismum munit. Hic fama constans fuit (sed ego diuinationem arbitror) clam eum hoc doctum esse, quo motus aliquis fieret. Spem enim habebant, me protinus absoluto sermone abiturum. Coniicitur denuo in neruum, tenetur isthic menſem aut longius. Ibi tandem sic ait; dicit se prorsus ignorare, quod reuocationem visitauerit; ac qualiter sit locutus, quam promiserit, se aliquid à Dæmone passum est. Concinnat nouam reuocationem. Nos ad amicos vbique adcurrere, orare, vt misericordia hominis imperetur, deturque Senatus. Datus est; offerentique sese ad palinodiam, decretum per misericordiam, vt differtam reuocationem faciat: qua facta, ocyus è finibus faceſſat. Hic ego, ego inquam, Engelhardum, Leonem, Megandrum, Coepiscopos adeo & oro, vt pro homine precib. velint apud Senatum nobiscum intercedere. Nam si protinus post reuocationem eiiceretur, periculum imminere homini tam ab Heluetiis nostris, quam à Cæsare. Audiuit senatus preces nostras, ac post reuocationem, quam ex animo facere simulabat, quum nihil minus esset, spatium latenti immerenti dedit, donec occasione inuēta, tutus abire posset. Qua data, per Senatorem quemdam ablegatus est clam, vt eius abitionem ne ciues quidem senserint. *Meshouius hist. Anabaptist. lib. 2.*

LXIII. *Zuinglius libellum de vera, & falsa religione in lucem dat.*

Ad hunc modum Lutheri discipuli, inter se, in varias sectas dissecti, digladiabantur: quia neque Luthero ipsi parcebant. Huius enim anni mense Martio, idem Zuinglius Tigurinorum Prædicans, libellum edidit *De vera & falsa religione:* quem etiam non dubitauit in Catholica religione constantissimo Galliarum Regi Francisco dedicare. In præfatione eius libelli hæc leguntur: Diabolus nos tentat per homines obstinatos, qui cum videant veritatem de Cœna Domini, non per se sed per alios in lucem proferri, more furiosorum criminari alios, & in eos bacchari incipiunt. quibus verbis non obscure Lutherum ipsum, & eius propugnatores perstringit; quos sane disertis verbis ait à Diabolo instigari, & instar furiosorum debaechari &c. Viderent iam miseri & cæci homines, quam merito Lutherum damnarit Ecclesia Catholica, quando tam malè etiam proprij discipuli de illo sentiunt. & tamen Zuinglius nihilo fuit Luthero melior, imo in quibusdam etiam deterior.

LXIV. *Zuinglij somnium de Missa abolenda.*

Per hoc ipsum tempus idem Zuinglius, cum suis Tigurinæ Ecclesiæ ministris & symmystis multum egit in frequentissimo Tiguri Senatu, vt Missa & Eucharistiæ adoratio prorsus aboleretur. Restitit illis aliquamdiu vir quidam egregie Catholicus. Sed quia plausibilis valde erat Zuinglij doctrina, quæ confessionem peccatorum, ieiunia, labores pœnitentiæ, & id genus alia reiiceret; decretū est in Senatu, vt Missa deinceps in perpetuum exularet: &, vt quidam ineptus ait, mox secuta est publica totius Ecclesiæ Tigurinæ gratulatio & lætitia. Scilicet lætantur hæretici cum male fecerint, & exultant in rebus pessimis. Catholici haud dubio cum hæc & id genus alia legunt, non possunt aliud quam gemere & plangere istorum prodigiosam cæcitatem. Lætantur pseudo Christiani ablatam esse Missam; nec vident miseri hoc proprie pertinere ad Antichristum, cuius organa sunt Turcæ, Tartari, atq; horum temporum antecursores hærētici. vt autem Zuinglius in hac sua impietate esset pertinacior, seriāsit se quodam somnio admonitum esse. Ita apud illum in re grauissima permultū momenti habuit insanientis cerebri somnium, cum alioqui nihil apud se valere voluerit, nisi scripta diuina. Quo etiam in somnio istud obseruatione dignū, quod ipsemet Zuinglius palam affirmat, nescire se, an ille mouear, qui in somnis illi apparuit, ater fuerit an candidus. Quæ res argumento est, quam impiè in rebus grauissimis hæretici ludant nec quicquā pensi habeant; vtrum à bono & candido, an à malo & tetro spiritu haucīat dogmata. Sed ita illudi par est eos, qui suum iudicium totius orbis sententiæ anteponunt: sane cæci, & duces cæcorum. Abolita ad hunc modum Missa, nec ad atheismum omnino defecisse viderentur Tigurini, Zuinglius pro Missa, cœnam supposuit, eiusq; ritus istos apud Tigurinos instituit.

LXV. *Zuinglij Tiguri pro missa Cœnam instituit.*

Finita concione, mensa infertur, & munda mappa insternitur. huic imponitur canistrum pane azymo plenum: catini puoque & pocula lignea) nihil enim hic periculi est, vbi nullus est sanguis Domini, sed vinum) quæ vino implentur. Accedit ad mensam Ecclesiæ minister cum adiuuis, & totum cœtum ad attentionem excitat. Mox vnus ex adiuuis subiicit institutionem cœnæ Domini ex epistola ad Corinthios (de qua tamen institutione & eius ritib. ipse dicit Apostolus eodē loco; *Cætera, cū venero disponā*: tamquā copiosius Corinthiis traditurus Cœnæ peragendæ ritum; q istis,

quia dati sunt in reprobum sensum, nolunt aduertere]) alter vero recitat partem capitis sexti Ioannis. Mox recitato fidei symbolo, minister admonet, vt quisque seipsum examinet & exploret, ne indigne accedēdo, corporis & sanguinis Domini reus fiat: cum alioquin nō potest esse reus corporis & sanguinis Domini, qui illud reuera non accipit. Postea omnes se in genua demittunt, & ministro præeunte orationem Dominicam dicunt. Ea absoluta, minister accipit panem (& certè nihil aliud quam panem; quia isti ministri, neque sunt Sacerdotio initiati, neque credunt verum Christi corpus & sanguinem in Eucharistia, neque intendunt quod Ecclesia intendit) & rursus ipse quoq; alta voce recitat institutionem Cœnæ Dominicæ; deinde illum adiuuis distribuit, & poculum porrigit; qui panem in catinis, & vinum in cyathis circumferunt, & populo exhibent. Quisque in manus sumit quod traditur à ministris, & comedit; ac proxime assidenti offert partem eius quod accepit; similiter porrigens & poculum. Interim vero dum de hoc non Domini, sed prophano pane edunt, & de poculo bibunt, vnus ex adiuuis prælegit ex Euangelio Ioannis verba Christi ad passionem euntis, incipiens à pedum ablutione; quæ quidem, quamquam ibi expressum habere videatur Domini mandatum, tamen prorsus ab illis negligitur; porrò calix vrgetur, cuius nullum vnquam extat expressum mandatum: nam placet fratribus & sororibus largiter & suauiter compotari. Vnde & catini & pocula raro ad mensam redeunt. placentis circum circa volantibus, & meraco sæpe sæpius circumfuso. Quod si forte aliquando ad mensam redierint, tūc in genua omnes procūbunt, & Deo gratias agunt pro beneficio redemptionis Christi. Hic ritus, si fuisset ab Ecclesia Romana præscriptus, numquam illum Sacramētarij admisissent, verumtamen, quia malesani & fanatici ministelli, in contemptum Ecclesiæ Catholicæ vsurparunt, placuit consectari; & iam non Dominicam cœnam, sed prophanam, comedere ac bibere. In agro Tigurino, solus minister omnia recitat, & singuli ad mensam accedunt: Pulchre nimirū, quia sic Zvvinglio visum fuit. Basileæ vero Oecolampadius summus Zvvinglij amicus, hunc seruabat morem; vt & ipse esset de illis, qui *ibant in adinuentionibus suis.* Pro suggestu legebat omnia vsque ad verba Cœnæ, quæ ante mensam recitabat. Mox finita oratione & conuocatione, sequebatur communio. Dum communio fieret, plebs Psalmos vernacula lingua cantabat. Finita communione, cætum cum exhortatione dimittebat. Sed tamen verba cœnæ, non vno eodemque modo omnes accipiebant. Lutherus, illa verba. *Hoc est corpus meum,* intelligebat simpliciter & nudè, nec aliam admittebat interpretationem; & corpus & sanguinem Christi vere esse in pane & vino, & sic etiam ore percipi dicebat. Zvvinglius autem, tropum esse contendebat, & ea quæ diximus verba sic exponebat. Hoc significat corpus meum. Oecolampadius Zuinglio subscribens, Hoc est corporis mei signum, dicebat. Lutheri sententiam probarunt Saxones; Zuinglij autem Heluetij. Hi alios, illi alios ritus habebant: quibus populus miserandum in modum in pugnātissimas opiniones diuellebatur; ridentibus interim istis plane dissonis noui Euangelij buccinatoribus, quod suos haberent sectatores, quibus non de Christi sed de suo cognomine potuerint nomina imponere, vt alij vocarentur Lutherani, alij Zvvingliani, alij Oecolampadiani, Carlstadiani, sacramentarij & reliqui.

Eius Cœnæ ritus.

LXVI. Hac ipsa tempestate Sueuici aliquot Lutherani Doctores, numero quatuordecim, Halæ Sueuorum conuenerunt, & scripto quodam, quod Syngramma dici voluerunt, Oecolampadij sententiam de significatione verborum Cœnæ Dominicæ condemnarunt, Lutherani scilicet Zuinglianum. Neque se deseruit Oecolampadius, sed mox Antisyngrammate respondit Sueuis illis. quin & Buzerus desertor instituti Dominicani, scripsit ad quosdam ex Sueuis illis, vt perpenderent quam parum deceat eos, qui eundem Christum docerent, dissidere. Sentiebant nimirum illi apostatæ & desertores, facile ex mutuis dissensionibus pessimum ad omnes manare fætorem, & cupiebant quidem rem compositam; sed præ animi tumore, cum suam, non Christi gloriam quærerent, alij aliis nihil concedere voluerunt. Benedictus Deus, qui eum in modum confundebat idiomata constructorum nouæ turris Babylonis. Et licet hoc vno saltem argumento satis superque intelligi licebat, homines istos non Christi, qui pacis & autor & amator est, sed Sathanæ, qui Rex est super omnes filios superbiæ, & suos sectatores sui efficit similes, hoc est pacis & vnitatis Catholicæ inimicos, spiritu duci; tamen misera plebs, lucem Euangelicam inuenisse se putans, à Catholica quidem Ecclesia volens nolens discessit; sed interim tamen numquam potuit certam vnam aliquam, quam omnes sequerentur, doctrinam inuenire; sed vt quæque regio Germaniæ, & vicinarum prouinciarum, his vel illis factionibus deditos accepit Concionatores, ita in hanc vel illam concessit factionem; adeo vt eò tandem res redierit, vt multis locis, etiam sub eodem tecto, tot sint sectæ, quot capita: quod quidem est omnium Dei flagellorum longè grauissimum: maxime, cum semel receptis de vno aliquo fidei articulo opinionibus, minime insistant, sed in horas mutent; vt quod hodie crediderunt, cras, imo eodem sæpe vesperi eiurent; imprecante illis Regio Propheta; Deus meus pone illos vt rotam, & sicut stipulam ante faciem venti. Ita impij, qui ab vnitate Catholicæ Ecclesiæ recedunt, in circuitu ambulant, spiritu vertiginis afflati. Libellum Sueuorum, cuius iam meminimus, Ioannes Agricola, hoc tempore Lutheri studiosus, vertit Germanice: Lutherus eam versionem præfatione adiuncta probauit, testatus, Sacramentarios se plane execrari: Oecolampadius præfationi illi respondit. vt locum fieret prædictioni diuinæ: & concurrere faciam Ægyptios, contra Ægyptios.

Halæ Sueuorum hæretici Oecolampadij sententiam de Cœna Domini condemnant. Lutherani Zuingliū.

LXVII. Et quidem miserunt hac eadem tempestate Argentoratenses ministri legatum suum ad Lutherum, qui eum & suos hortaretur ad concordiam, vt Regnum Pontificis Romani coniunctissimis viribus oppugnare possent. Ita certe ipsi de se scribunt, neque pudet eos tantam sui pectoris vecordiam posteris prodere, qui vel ex hoc solo Romani Pontificis odio & insectatione facile intelligent, eos Sathanæ satellites fuisse. Præclare enim inter alia multa à Diuo Cypriano vetustissimo atq; eloquentissimo martyre scriptum est libro 1. epist. 3. *Quales putas eos esse, qui Sacerdotum hostes, & contra Ecclesiam Catholicam rebelles, nec præmonentis Domini comminatione terrentur, nec futuri iudicij vltione? Neq; n. aliūde hæreses obortæ sunt, aut natæ sunt schismata, quā inde q̄ Sacerdoti Dei non obtēperatur, nec vnus in Ecclesia ad tēpus Sacerdos, & ad tēpus iudex vice Christi cogitatur: cui si secundum Magisteria diuina obtemperaret fraternitas vniuersa, nemo aduersum Sacerdotum Collegium quicquam moueret: nemo post diuinum iudicium, post populi suffragium, post Coepiscoporum consensum, iudicem se non iam Episcopi, sed Dei faceret. Nemo dissidio vnitatis Christi Ecclesiam scinderet; nemo sibi placens ac tumens seorsum foris hæresin nouam conderet.* Hæc quidē ille sanctissimus Episcopus: sed hæreticis frustra commemorantur, quippe subuersis, & proprio iudicio condemnatis. Lutherus vero nihil Argentinensium ministrorum admonitione commotus, è diuerso potius hortatus est Zuinglium & Oecolampadium, vt desinerent animas seducere; plane affirmans, aut se, aut illos Sathanæ ministros esse. Indignum scilicet putabat Lutherus, qui illis, vtpote discipulis suis cederet, sed expectabat, vt in ipsius sententiam omnes concederent. *Surius in Comment.*

Argentoratenses ministri legatum ad Lutherum vt Pontifex opprimatur misere.

LXVIII. Clemens Pontifex: vt Galliam isto malo liberaret, hoc anno ad Senatum Parisiensem, vulgo Parlamentum dicunt, scripsit. Dicit, ex literis Reginæ matris se cognouisse, quemadmodum & per Galliam serpere iam inciperent impiarum hæresum mala: & ipsi prudenter atque prouide quosdam delegerint, qui darent operam, vt in eos qui fidem ac veterem religionem oppugnare conantur, animaduersio fieret; hos ipsos ad eam rem delectos, authoritate sua comprobare etiam: In hoc nimirum tanto tamque graui tumultu, quem Sathanæ malitia & satellitium illius furor ac impietas excitarit, omnibus elaborandum esse, vt salus omnium communis conseruetur; quandoquidem hæc rabies nō religionem modo, sed omnem Principatum, nobilitatem, leges ordinesque confundere, ac permiscere cogitet: se quidem nulli parcere nec labori, neque curæ, vt medicinam huic malo faciat: ipsos etiam, quorum virtus atque prudentia sit vbique memorabilis, debere in hoc esse totos, vt non solum veritas & recta fides, verum etiam regni istius salus, & ipsorum ordinis dignitas, à domesticis periculis & calamitatibus custodiatur, quas hæc perniciosa & pestifera hæresis vbique disseminet: ipsos quidem hortatione non indigere, qui suæ sapientiæ documenta iam ostenderint: sed tamen pro suo quod obtineat

Clemens VII. ad Senatum Parisiensem vt hæresim irrepētem in Galliam supprimat scribit.

munere

munere, proque ea qua complecteretur ipsos beneuolentia, voluisse etiam hoc addere. Nam & placere sibi vehementer quæ adhuc egerint, & hortari, vt in posterum, simili animo atque virtute, pro gloria Dei, & pro totius regni salute, contra impiam hanc hæreticorum pestem, diligenter excubent: hoc & Deo fore longe gratissimum, & apud homines etiam maximis laudibus celebratum iri: se quoque suam ipsis operam omnem in eo communicaturum esse. Hæ litteræ 20. die Maij Romæ scriptę, Senatui redditæ sunt Lutetiæ 17. die Iunij huius anni 1525. *I. Sleid. lib. 5.* Ista Pontifex Parisiensibus scribebat, neque illi immorigeri, monitioni Pontificiæ, qui & Iacobum Pauanam Boloniensem Gallum propter Lutheranismum Lutetiæ ignibus vstularunt hoc anno, & in alios alibi grassantes hæreticos edicta diuulgarunt.

LXIX. *Galli Iacobum Pauanam ob hæresim comburunt.*

Circa hunc enim annum 1525. Quintinus, Sartor Picardus, socio Coppino Insulano, pestiferum Libertinorum errorem in Gallia spargebat. Inde profugus, eundē in Brabantia Hollandiaque disseminauit. Fuerūt hi Catabaptistarum proles; fanaticum hominum genus, in quo Gnostici & Valentiniani reuixerant; quibus nihil æque displicebat, nihilq; magis improbabatur, atque simplex, proprius, & germanus Sacræ scripturæ sensus. Illis Christus erat Satanas, & contra, vitium virtus, & virtus vitium. Nihil ex eorum sententia erat peccatum, nisi eorum opinione qui se peccare putabant. Verus Dei timor, & eo imbuta conscientia, pro inferno illis habebatur. Pro Paradiso autem, cōscientia diuini iudicij contemptrix, secura, stupida, & consopita. Cerdonistarum, Manichæorum, Marcionistarum deliria, atq; abominandas voluptates sectabantur. Omnia simulare & dissimulare, pro fundamento sui Euangelij iaciebant, quo facilius spirituales, (sic enim præ cæteris se admirabantur, quasi spiritum sequerentur viuificantem) deciperent carnales, id est non suæ haræ porcos.

Omnibus ergo sacris tam Catholicorum quam hæreticorum quorumcumq; sese intrepide miscebant, omniq; impietati omnium sectarum consentiebant. Scripturas ridebant, ac pro fabulis habebant. Litteræ enim se negabant obnoxios, qui iam spiritum sequerentur viuificantem. Quinimo ille Quintinus vnumquemq; Apostolorum aliquo notabat scōmate, Paulum vocans vas fractū, Petrum Christi abnegatorē, Ioannem iuuenem stolidulum, Matthæum fœneratorem.

Libertinorum religionem in Brabantia Quintinus pastor spargit.

Ad hæc vnum statuebant tantum spiritum esse immortalem Dei, qui sit, & viuat, opereturq; omnia in omnibus. Angelos fingebant nihil esse nisi opinionem; nihil item animas nostras: nihil etiam esse malum, sed Deum esse peccati authorem; quod ipsum à Simone Mago sumpsit originem.

Horum religio & fidei articuli.

Asserebant Christum esse redemptorem nostrum, quia tamquam typus nobis est propositus, in quo contemplemur ea, quæ ad salutem nostram requirit Scriptura. Itaq; Christi passione & morte fuisse tantum nobis figuratū, salutis nostræ mysterium. Vnde & negabant Christum obiisse in cruce, sed opinatione; cuius sententiæ, duo fuerunt Valenconis extremo affecti supplicio ex Libertinis, Quintini discipulis.

Cæterum suam spiritualem regenerationem in eo collocabant, ne vlla re, nec peccati remorsu, nec Dei timore, nec iudicij terrore tangerentur. Vnde docebant omnia homini esse licita sine vlla exceptione, omneq; genus viuendi probabant. Lenonē volebāt suo fungi munere, fures audacter furari iubebant. Matrimonia dissoluebant, quæ appellabant carnalia, vbi vxor mariti sui tædium cæpisset. Vnde promiscuos laudabant concubitus, modo alter altero esset contentus, quod spirituale matrimonium vocabant.

Communionem Sanctorum interpretabantur communionem bonorum temporaliū; ideoq; quantum quisq; posset vt raperet suadebant.

Resurrectionem dicebant iam esse factam, neq; aliud expectandum iudicium. Iam Christianos resurrexisse, cum animam humanam scirent iam factam esse illam Dei spiritū immortalem, imo in Dei essentiam redire, vnde (inquiebant) exiit, eiq; ita iungi, vt vnicus spiritus maneat.

Deducebant magis expresse, ex suis falsis principiis, subsequentia dogmata absurditatis plenissima.

Primum est, omne id quod fieri ab hominibus videtur, siue bonum sit, siue malum, ab ipsis non fieri, sed ab illo vnico Spiritu Dei, qui omnia in omnibus operatur.

2. Peccatum aliud nihil esse, quam inanem & falsam quandam opinionem; quandoquidem Deus qui cuncta operatur, nihil mali admittere potest.

3. Eos qui interimunt, mœchantur, aut furantur, minime esse coarguendos. In Deum enim caderet ista reprehensio.

4. Regenerationem in eo esse, vt omnis scelerum cōscientia deponatur, eiusdem remorsus expellantur: quod intur bonum & malum discrimen intercedat, nesciatur. Nam, inquiebant, vt in statu Innocentiæ ignorabat Adamus quo differrent bonum & malum; Sic qui omnia quæ collibuerit, nulla conscientia reclamante faciunt, ad eum statum redeunt; ita vt secundum eos in hoc Christiana libertas posita sit, & veteris Adami mortificatio. Vnde si aliquem in peccando trepidantem ac metuentem viderent, soliti erant dicere: *ô Adame, aliquid adhuc vides: aliquem adhuc retines pomi illius saporem.*

5. Aliud nihil esse Pœnitentiam, nisi, se nihil mali admisisse agnoscere & profiteri.

6. Posse hominem in hac vita, innocentiæ & perfectionis apicem conscendere, omnes conscientiæ stimulos reprimendo.

7. Iesum Christum nescio quiddam esse ex spiritu Dei, & opinione compactum: tunc autem mortuum esse, quando eā opinionem, quod ipse aliquid esset, aboleuit. ab inferis vero esse suscitatum, vitamq; nobis restituisse, cum ipsummet Dei spiritum qui viuit & regnat semper, nos esse docuit.

8. Licere omnia simulare ac dissimulare, cum Catholicis viuendo Catholice; Cum Lutheranis, eorum more. Hæc fanatici Libertini docebant. Autor quorum Quintinus, pro eo quem sparsit errore, aliisque multis criminibus extremo supplicio Tornaci affectus est, hæresi prius abiurata. Sed de Quintino & sociis, etiam inferius erit sermo.

Tornaci idem autor supplicio afficitur.

LXX. Æqualis Quintino, Dauid Georgius, hoc ipso anno 1525. in Frisia erupit. Hic authore VVilhelmo Lindano, Dialogo 2. sui Dubitantij vitriarius Gandaui in Flandria, matre Delphensi, patre vero Georgio Amersfordiensi errone histrionicam agente natus, mulierculas aliquot peccatis onustas vbi reperisset, sese tertium Dauidem, verumq; Messiam illis persuasit, qui sese beatissimas putabant, si relictis maritis, ex promisso ipsius, quod nugabatur, semine conciperent. Hic præter Saducæismum, quo negabat veram corporum omnium resurrectionem, Angelos & dæmones, extremum iudicium, Baptismum, matrimonium, Scripturas & regnum cœlorum, abominanda suis tradidit mysteria. Dicebat enim liberum non esse, virum vni vxori adstringi, sed alias plures posse habere, ad augendam prolem.

Dauid Georgij Vitrierius in Frisia Dauidem se prædicat.

LXXI. Ad hæc homo Sathanica superbia arrogantissimus, docere audebat, omnem doctrinam hactenus à Deo per Moysen, Prophetas, Christum & Apostolos traditam, fuisse imperfectam, & ad consequendam salutem inutilem, suam vero perfectam esse. Se enim esse dilectum Dei filium, non ex carne, sed spiritu natum, in quem spiritus plenè effusus sit. Se esse illum verè cœlestem Christum è Spiritu sancto natum, qui peccata verè condonet, aut reseruet: qui denique iudicaturus sit nouissimo die. Eas blasphemias, non est dubium, à diabolo inspiratas fuisse, qui ipsum ita huc illuc raptabat atque rotabat, vt misero persuaderet, Dei oracula cœlitus sese audire, quemadmodum ex eius autographo apud Delphenses seruato constat; in quo varias pinxit visiones, Dei, vt ait, spiritu ipsum afflante, sibi reuelatas, phanaticasq; de suo Archipresbyteratu & filiatione promissiones.

1. Idem se Dei nepotē nuncupabat, & quod cum feris & auib. quacumq; lingua colloqueretur, ab iisq; victū acciperet.

2. Asserebat cœlum esse vacuum omnino, se autem ad hoc missum, vt filios regni cœlestis hæredes adoptaret.

3. Affirmabat stultum esse, si quis putaret esse peccatum, abiurare Christum coram hominibus.

4. Stolidos vocabat Apostolos & Martyres, quod ob confessionem Christi se occidi permisissent.

5. Cum Epicureis item dicebat, non animum, sed solam carnem peccatum contrahere.

6. Quodq; animæ infidelium æqua saluabuntur, atq; Christi fidelium.

7. Item quod Apostolorum corpora æque damnabuntur, atque infidelium.

8. Se illum esse aiebat, qui super terram regnare deberet.

Alia

Alia præterea hæc multa, plane absurda & vana deblaterabat, donec Basileam veniens, decreto publico exustus est. *Prateolus de vitis & sectis hæretic.*

LXXII. *Hæreticus Berlini statuam B.V. blasphemans extinguitur.*

Quo tempore, quum fanatici fidem Catholicam euertere niterentur, Deus illam miraculis confirmabat. Berlini in Germania, aliquis Minister hæreticorum, qui pro concione sanctum Paulum mendacij arguerat, subito in suggestu apoplexia extinctus est. Erphordiæ, cum hoc anno Lutherani Cathedralem Ecclesiam inuasissent, & iam ad tempus occupassent, Concionator quidam nomine Ioannes Culsamerus consistens in suggestu, ac digito monstrans statuam B. Virginis sub maximo organo consistentem, in has blasphemas prorupit voces; *Non quiescam, nec dormitum ibo, antequam idolum illud* (statuam Diuæ Virginis intelligebat) *ex hac æde Basilica eiecero.* Sed ecce subito ignis sacer digitum ipsius inuasit, & eadem nocte subita morte extinctus est. Statua autem sanctissimæ virginis in eodem loco permansit.

LXXIII. *Hæreticus aurifaber ob blasphemiam in B. V. excæcatur.*

Hoc eodem tempore, cum Senatus omnium Cœnobiorum & Ecclesiarum ornamenta in Curiam ferri iuberet, etiam argenteas tumbas duorũ patronorum SS. Eobani & Adalarij, sub hoc pretioso ptextu, ne tempore seditionis, prædafierent impiorum, aurifabro prope Prædicatores habitanti oblata est magna argentea statua S. Mariæ in sole, vt eam liquefaceret, & monetam ex ea cuderet. Is quia pessimus erat hostis Ecclesiæ Catholicæ, ferreo malleo magna vi incepit contundere faciem statuæ, & blasphemo ore dicere; *Sic coercenda sunt idola Papistarum.* & subito excæcatus est, & mansit manicus vsq; ad mortem. *Tympius in theatro historico de pœnis Iconomachorum* 144.

LXXIV. *Francisci Mirandulæ Comitis de Eucharistia historia.*

Ioannes quoque Franciscus Mirandulæ Comes, narratistud mirandum, de admirando Eucharistiæ Sacramento per idem temporis accidisse. Fuit, inquit ille, in Alpibus Rhetiis Sacerdos quidam probus ante annos duodecim, cui cum foret opus ad egrotum quemdam graui oppressum morbo Eucharistiam deferre, cum longius ille abesset, videretq; se non ita vt oportebat, celeriter ad eum pedibus posse peruenire, ascendit equum, colloque sanctissimum Christi corpus pyxide inclusum satis honorifice appendit, iter suũ quanto ocyus accelerans. Cum nonnihil processisset, obuiam habuit quendam, quem vt equo descendens secum pergeret ad spectaculum quoddam mirabilissimum inuitauit. Impendens homo; & cupiditate rei tam stupendæ ductus, paruit. vix equo se demiserat, cum sensit se per aëra vnà cum comite deferri, & breui tempore in altissimo montis cacumine statui. Ibi amplissima & amœnissima planities erat, arboribus vndique excelsissimis obsepta, rupibusque horrendis circumcincta. In medio choros innumeros, ac varios ludos cuiusuis generis, mensas lautis ac diuersis ferculis instructas videbatur sibi videre. Audiebantur etiam concentus quilibet omni suauitate affluentes. Denique aderant quæcumque animos hominum iucundissimis delinimentis tenere possent, & dulcedine perfusos intima demulcere solent. Obstupefactus improuisa re homo simplex bonusque Sacerdos, neque eloqui præ admiratione aut hiscere audens, paene extra se positus, attonitusque hærebat. Tum socius, qui illum adduxerat, petiit ab eo, Vellet ne Reginam quæ ibi aderat, supplex venerari, & munus illi aliquod offerre. In alto quodam solio Regina adsidebat effigie formosissima, Regio cultu, & ornamentis mirificis ornata. Accedebant ad eam prosternentes se humi omnes qui aderant, bini, quaterniue ordine pulcherrimo, & humi se prosternentes eam colebant varia munera offerentes. Ad mentionem Reginæ homo, cum videret eam sic fulgentem, & ministris plurimis cinctam, putauit esse matrem Christi, cœlique & terræ Reginam. neque enim suspicabatur vllas præstigias, dæmonumque spectra; alioquin eò non appropinquasset. Reputans igitur secum, quid illi dono daret, existimauit ei nihil gratius, aut iucundius futurum munus, quam filij corpus. Accessit, & ad pedes accidens in modum supplicis, arculam in qua erat augustissimum Sacramentum, è collo detractam in gremio illius mulieris posuit. Mira res. Omnia continuò euanuere. Perculsus huiusmodi nouitate homo rudis, & præligiis irretitum se videns, & in horroribus densissimis, & lustris destitutum conspiciens, opem diuinam tremens implorare, vt è tantis ipsum anfractibus expediret. Cumque diu per loca inuia syluasque vastissimas errasset, vix tandem pastorem reperit, à quo in viam ductus didicit se millia centum à loco abesse, quò Eucharistiam deferre cupiebat. Ad suos tandem sedes reuersus, totam rem detulit ad Magistratum. Hæc Ioannes Franciscus. Ex quibus colligimus, admirandos honorifice à quouis habitæ Eucharistiæ fructus; per eam nimirum mala omnia & spectra fugari, ac singulas dœmonum machinationes & artificia dissolui; quæ hæreticis in bonum nullo vmquam tempore contigerunt, quippe qui à fructuosa & gratiosa hac cum Christi corpore communione longissime arceantur atq; distent. *Ioannes Franciscus Comes Mirandulanus libro de Strigibus. & ex eo Thomas Bozius lib.* 5. *de signis Ecclesiæ tomo* 2. *cap.* 2.

LXXV. *Matthæus Bascius regulam Capucinorum instituit. Eius laus.*

In hunc annum referunt autores, institutionem Ordinis Capucinorum, Deo sic disponente, vt hæreticos audacia & impuritas; Sancti huius Ordinis probitate ac simplicitate retunderetur. Matthæus Bascius Vmber, in Cœnobio quod Montem Florentinum vocant, inter Minoritas Obseruantes viuebat, totius perfectionis religiosæ exemplar. Contemptu sui, mortificatione carnis & sensuum, abstinentia, ieiuniis, vigiliis, disciplinis, asperitatibus denique omnibus, cæteros sodales antecellebat. Quadragesimas quas Sancti Francisci dicunt, vigilias omnes festorum Redemptoris, Diuæ Virginis & Apostolorum, ferias sextas & Sabbata, ac præterea aliquot alios dies solo pane & aqua tolerabat. Communibus perfunctis officiis, totum tempus aut in oratione, aut in deuotorum libellorum lectione consumebat. In Ecclesia præcipue, & præsertim à matutinis precibus, contemplationi rerũ cœlestium vacabat, & multas in meditatione diuinorum lachrymas profundebat. Sacerdotio initiatus, sacris summa cũ deuotione & attentione operabatur quotidie. Paupertatis amantissimus, nihil proprium retinere volebat: vnico Breuiario, Regula S. Francisci, & quibusdam libellis spiritualibus contentus. Vnico, eoque vilissimo habitu indutus, duas præterea lacinias laneas, vel sudori tergendo, vel frigoribus arcẽdis pro more gestabat. Noctu vel super nuda terra, vel super tabulis ligneis, suppositio aliquo vel trunco, vel lapide capiti, quiescebat, potius quam dormiebat. Regulæ S. Francisci tenacissimus obseruator, illud dies noctesque volebat, quomodo ad eius normam & exemplar vitam confirmaret. Quocumque autem ibat, semper sibi videre videbatur, ante se Minoritam quempiam, asperrimo habitu amictum, & acuminato capucio, quale nunc Capucini circumferunt, insignem præcedere: quem cum multoties consequi voluisset, ille ex oculis euanescebat. Vnde cognoscens Matthæus visionem esse quæ se oculis ingereret, & toties subduceret, animo reuolue bat, fore eum esse habitum, quo Sanctus Franciscus Religionis Conditor amiciretur, quemque vellet à Fratribus reassumi. Aliquando reuertens ad Cœnobium Montisfalconis quod est in Piceno, incidit in pauperem quendam publica in via iacentem, à frigoribus & gelu contractum; ac pene iam iam moribundum. Præcesserant alij sodales, nec quisquam eorum nuditatem vociferantis operire sustinuit. Veniens Matthæus, & ad vocem miseri commotus, duobus illis laciniis laneis sibi detractis nudum operuit: Sed is mox ab oculis miserantis disparuit: quem vel sanctum Franciscum, vel aliquem Angelum Matthæus fuisse non dubitauit: qui vel maiorem pauperiem sectatori proponeret, vel ad misericordiam in miseros inflammaret. Ab hac visione & commiseratione, ad angustiorem paupertatem tolerandam summopere exarsit, & indutus vestem magis quam inuenire in vestiario potuisset, vilem, horridam, laceramque, de caputio etiam acuminato assumendo cogitabat. Incitabatur frequentissimis apparitionibus cœlitus ostensis, verum cum dolos & artes Sathanæ suspicaretur fore, manum retrahebat; ac interim Deum, qui mentem illuminaret, & voluntatem suam patefaceret, obsecrabat, interpellabatque: quo vero attentius & ardẽtius orationi insistebat, eò amplius & vehemẽtius flagrare se videbat, desiderio eius habitus induendi. Tandem voce diuinitus delapsa, quæ diceret semel, iterum ac tertio, hanc esse Dei voluntatem vt Regulam S. Francisci ad litteram obseruaret, eumque à Sancto Francisco præscriptum habitum gestaret, Romam, vt erat veste aspera & caputio acuminato indutus, ad summum Pontificem properauit; qui diuinam voluntatem de ea cognosceret, atque eo modo & indui, & viuere, in extrema paupertate permitteret. Accidit, vt dũ scalas

Palatij Vaticani conscenderet, iuuenis quidam augustior humana specie illi apparuerit: &, Num Pontificem alloquendi causa huc venisset, interrogauerit; suamque operam ad eum, crastina die hora tertiarum, ad Pontificem introducendum promiserit; dixeritque, eras ad condictum locum veniret; se officio manu ductoris functurum. Angelus Dei fuit, qui loquebatur. quem crastino die veniens, non inuenit quidem Matthæus, sed per scalas ascendens, & per cubicula sine aliquo ductore penetrans, non prius quonam Pontificem requireret agnouit, quã se incubiculo Põtificio, ante Clemẽtem esse vidit. Coram quo in genua puolutus, cũ vota sua exposuisset, Pontifex spiritu diuino esse motum perspiciens, omnia quæ ille postulabat concessit, probauitque, atq; diploma confirmationis confici imperauit. Quod dum Matthæus, iam voti compos, in Basilica Principis Apostolorum, ad quam orationis causa diuertens, toto eo die in precibus & ad Deum gemitibus transacto, præstolabatur, atque interim febre ardentissima vreretur; sensit manum quandam potentiorem quam humanam, brachium sibi stringere, febrem abigere, ac præterea vocem delabi, quæ diceret; non sibi necessarium fore diploma; cui sufficere deberet viuæ vocis concessio; facta à summo Antistite. Sanitati restitutus, in Picenum & Vmbriã reuertens, ei sanctissimo sodalitio quod Capucinorum dicunt, initium dedit, magnas multasque difficultates & tribulationes perpessus, à reliquis Minoritis, quibus vita astrictior non placebat. *Marcus Vlyssiponensis Episcopus Portugallen. parte* 3. *lib.* 9. *hist. Seraphicæ.*

LXXVI. *Bernardus Ochinus ordinem Capucinorũ ingressus eũdem deserit.*

Falluntur, qui Bernardinum Ochinum huius instituti autorem faciunt, quandoquidem congregatio hæc cæpit, hoc anno 1525. Ochinus autem eum Ordinem ingressus est anno 1534. & octennio in eo commoratus, anno 1542. cum reliquit. Verius est, F. Matthæum Bascium, Clemente VII. Pontificatum administrante, prima huic Ordini auspicia dedisse; qui vitæ secundum primam S. Francisci tam Regulam quam exemplum instituendæ cupidus, lacernam ex multis centonibus consutam & cucullum acuminatum sumpsit, & à Pontifice petiit, vt hoc vestitus genere, ad S. Francisci exemplum vti sibi liceret. Impetrata à Pontifice venia, duodecim primo socios sibi adsciuit: Sed eius instituti sectatorum numerus mox mirum in modum fuit multiplicatus, ad vniuersæ Ecclesiæ reformationem, & ad hæreticorum confusionem. *Florimundus Ræmundus de Origine hæres. lib.* 3. *c.* 5. *ex Mario Mercato, de initio reformationis Fratrum Capucinorum Ordinis Sancti Francisci.*

LXXVII *Clemens VII. Iubilæum instituit anniuersarium.*

Hoc anno Clemens Pontifex, anniuersariam 25. annorum Iubilæi institutionem celebrauit: concessis indulgentiis & gratiis spiritualibus, Basilicas Romanas visitantibus.

ANNO CHRISTI
M. D. XXVI.
CLEMENTIS PAPÆ VII.
ANNO 3.&4.
CAROLI V. ROM. REGIS
ANNO 7.

I. *Clemens VII. Pontifex à Cæsare Galliæ Regis liberationem petit.*

ANnus hic fuit grauissimis casibus, & maximis perturbationibus plenus. Eius initio cum Herrera Cæsaris ad Pontificem Orator, ad Cæsarem rediret, Clemens Pontifex longas litteras propria manu ad eum scripsit: quibus significabat se litteras manu etiam ipsius scriptas, satis opportune, in tempore nimirum pleno suspicionum, periculorumque accepisse, & ex illis spem maximam de illius æquitate, prudentia, & integritate concepisse: nihil dubitare, quin ea velit quæ scribat: consentiatque animus, cum characteribus exaratis. Sibi certum fuisse, pacem & libertatem Italiæ illum vehementer desiderasse: cui opinioni innixus ipse, ad pacificandam tuendamque vniuersam Rempublicam Christianam, ad propagandam fidem Catholicam atque propugnandam, nec non ad alia pro Dei honore suscipienda opera animum attulisset. Cæterum ministros quos in Italia rebus præfecisset, spem eam & opinionem corrupisse, maxime sibi dolere. Quod enim Mediolanense imperium Francisco Duci eripuerint, ipsum in arce obsidione vallauerint, populos illi subditos ab obsequio retraxerint, & in nomen Cæsaris iurare compulerint, id nihil aliud esse, quam velle opprimere, & pro libertate seruitutem inducere. Indicio esse, quod ipsi illi ministri ad litteras de pace & concordia missas nihil quod æquum erant respondere rint; subditis Apostolicæ sedis multas iniurias intulerint: iura, dignitatem & maiestatem Pontificiam non semel, nec leuiter, violauerint; quibus quidem & si grauiter prouocatus, nec minimum à Principibus Italiæ incitatus, nolluerit tamen fœderi inscribere, aut amicitiam ipsius deferre, quinimo duorum mẽsium tempus interposuerit, si quomodo potuisset illi persuadere, ne Italiam opprimeret, ne Sfortiæ grauis esset, ne ministros licenter omnia facere permitteret. Id sui muneris esse, communem patriam à seruitutis iugo tueri: Id partium Cæsaris esse, ius suum cuique seruare, neque inconcessa, aut cum iniuria alterius coniuncta appetere: ipsum rogare, ne susurronibus aurem præbeat, quibus volupe foret videre Pontificem cum Cæsare dissidere: Obsecrare deinde, vt Mediolanense Imperium Francisco Sfortiæ restituat, Regem Galliarum è custodia honestis conditionibus dimittat, pacem cum eo & aliis Principibus Christianis ineat, Præfectorum audaciam & insolentiam cohibeat, eaque agat, quorum non intermorituram relinqueret memoriam. Romæ 16. Decembr. 1525. Quo tempore Cæsar Pontificis responsum expectans, omnia aliorum negotia suspendebat. & quamuis Borbonius, qui amice satis tractabatur, atque in affinitatis spe confirmabatur, vt matrimonium perficere posset vrgeret, nihilominus ei mora interponebatur. Aiebant enim Cæsarem prius suum cum Lusitania sponsa, quæ quotidie expectabatur, matrimonium velle perficere; sed id vt sibi liberam cum Galliæ Rege, cui de eadem quæ Borbonio promissa fuerat connubio iungenda vtilitate (vt omne fere Principum mos est) honestati antepositã, agebatur: pacisendi facultatem conseruaret, faciebat. Deinde cum Cæsar Sibiliæ matrimonium perfecisset, Errera, cum eius fœderis capite quod ad Francisci Sfortiæ commodum spectabat, amplissime à Pontifice conscripta forma Roma ad eum rediit: adeo vt Cæsar Cardinalem quoque Legatum, nullum separatum mandatum ab hoc diuersum habere certior factus, toto Senatu in id consentiente, quod necesse esset fœdus quod agitabatur impedire, vt tot hostes eodem tempore sustinere periculosum, eo sit redactus, vt aut Pontifici & Venetis in Francisco Sfortia restituendo esset satisfaciendum, aut cum Galliæ Rege componendum. qui tandem post multas de Burgundia altercationes, cum se à Cæsare alia ratione dimissum iri sperare non posset, eam omnibus ad eam spectantibus, & iuri quod in regnum Neapolitanum Mediolanensque haberet, cessurum: atque in eius rei fidem duos suos filios obsides daturum pollicebatur. Vtra autem sententia esset eligenda, grauissimæ erant disputationes. Nam Lanoius, qui Regem in Hispaniam duxerat, eique tantam spem fecerat, & vt dimitteretur tantopere contendebat, tunc maxime idem vrgebat: eius vero autoritas saltem ob fidem & beneuolentiam apud Cæsarem magna erat. In contrariam vero sententiam potius exclamabat, quam disserebat Mercurius Gatinaria magnus Cancellarius, vir quamuis humili loco in Taurinis natus, magnæ existimationis & rerum vsu; qui iam multos annos omnium eius Curiæ grauium negotiorum onus sustinebat. Cum igitur aliquando in Senatum coram Cæsare, vt tandem de iis omnibus, quæ tot menses agitata fuerant decernerent, essent conuocati, Mercurius eiusmodi orationem habuit.

II. *Mercurij Gatinariæ ad Caroli V. oratio.*

Equidem semper, Inuictissime Cæsar, sum veritus, ne nimia nostra cupiditas, & male dimensi fines quos nobis proposuimus, in causa forent, vt ex tanta tamque præclara victoria, tandem neque gloriam, neque vtilitatem consequeremur; numquam tamen hac victoria existimationem imperiumque tuum in discrimen adductum iri, quod manifeste fieri video, existimaui: quandoquidem de ea cõcordia agitur,

qua Italia tota in desperationem ruat, & Galliæ Regi libertas, sed tam grauibus legibus, vt si minus sponte, saltem coactus magis nobis inimicus quam prius sit futurus, restituatur. Equidem pari cum reliquis ardore cuperem eodem tempore & Burgundiam recuperari, & Italiæ subigendæ fundamenta firmari: sed qui tot res tam cito amplecti conatur, nihil vt retineat, & Rex Galliæ liberatus, vt nulla ratione tot tamq; magna promissa seruet, vehementer pertimesco. Nescit forsitan Rex Burgundia restituta se tibi Galliæ ianuam aperire? atque in tua potestate fore, Lutetiam vsque excurrere, seque vbi tū Galliam ex tot partibus infestandi facultatem habueris, vires ad resistendum non habiturum? Ignorat ipse, nesciunt omnes, si tibi vt armatus Romam eas, vt Italiæ frænum imponas, Ecclesiæ sacrum & prophanum imperium in potestatem tuam redigas assentiatur, se potentiæ tuæ conduplicandæ instrumentum fore, ne tibi vnquam ad cum lædendum arma pecuniæue deesse possint, & se ad quascumque leges ei imponere libeat, accipiendas, coactum iri? Et sunt qui illum eiusmodi pactionem qua ipse seruus tuus, tu eius dominus fias seruaturum credant? An deerunt illi totius regni querelæ exclamationesque? Angliæ Regis cohortationes? totius Italiæ stimuli? At, amor forte mutuus inter vos in causa erit, vt tibi fidat, tuaque potentia illi sit grata. Vbi vero vnquam fuerunt duo Principes inter quos plures odij & contentionum extiterint causæ. Est inter vos non modo potentiæ æmulatio, quæ fratres inter se armare & committere solet, verum etiam veteres & graues inimicitiæ, iam ab auis atauisque vestris vsq; ceptæ; tot tamque diuturna bella inter hasce duas familias gesta tot paces & fœdera violata, tot iniuriæ offensionesq; illatæ & acceptæ. Nonne illum cum se tot menses penes te captiuum fuisse recordatur, sub tam arcta custodia numquam vt in conspectum tuum duceretur impetrare potuisse, in hoc carcere, ob molestias & incommoda perpessa, haud longe ab interitu abfuisse; nunc vero non animi quadam magnitudine, aut charitate, sed tantæ conspirationis quæ in te paratu metu dimitti cogitat, indignatione ardere credimus? An affinitatem necessitate contractam, tot stimulis potentiorem fore censemus? & quis, quanti hæc vincula à Principibus fiant, ignorat? Quis melius nobis quanti istæ affinitates fiant testari potest? Erit fortasse aliquis, cui fides qua se in eandem custodiam rediturum obligabit, securos factura videatur! Deus immortalis, quæ inconsiderata fundamenta, quam imprudentes spes. Sic me, Cæsar, extremus animi mei dolor loqui cogit, cum de tam pernicioso ac periculoso consilio perficiendo cogitari video. Omnes tamen vbi de Imperio agitur, quāti fides fiat, quid Gallorum promissa valeant, qui cætera aperti, his in rebus fraudum sunt optimi magistri. Hunc ipsum Regem, tanto natura in factis parciorem, quāto verbis est liberaliorem, nouimus. Quare sic statuo, non beneuolentiam inter duos Principes, inter quos veteres iniuriæ ac simultates hæreditariæ sint; non beneficiorum quæ nulla sunt, memoriam; non fidem ac promissa, quæ in regnorum momentis à multis parui, à Gallis vero nihili fiunt, vt eam pactionem quæ hostem suum in cœlum tollat, se vero regnumque suum in manifestum seruitutis barathrum deiiciat, seruet, effectura. Sed quosdam mihi audire videor, qui dicant, hanc ob causam duos filios, & in iis natu maximum, quorum charitatem pluris quam Burgundiam facere cogetur, obsides postulari. Ego autem vereor, ne liberorum charitas contrarium potius sit paritura, cum illorum memoria animo eius obuersabitur, & hæc præstare, illos tibi in seruitutem tradendi initium fore, cogitabit. Nescio an hoc pignus satis sit futurum, si se illos alia ratione recuperare posse omnino desperaret. Magnum est regnum suum in discrimen coniicere, quod semel amissum recuperare difficillimum foret: filios autem vel pactione, vel alia occasione se recuperaturum sperare potest; & ob teneram illorum ætatem mora minus erit molesta. verum cum ipse omnes fere Christianos Principes contra te sibi fœdere iunctos habere possit, quis dubitat quin cum illis sit conspiraturus, hancque pactionem armis moderari conaturus? & sic ex hac victoria grauissimum periculosissimumque bellum Angliæ Gallitæque Regum, & totius Italiæ odio, necessitate ac desperatione concitatum præmij loco referemus. à quibus omnibus, nisi Deus prodigiis toties pro nobis edendis fatigatus fuerit, si fortuna naturam mutauerit, eiusque inconstantia & mobilitas, in nobis contra omnium præteritarum rerum exempla, constantiæ stabilitatisque documentum fiat, nos propugnabimus. Iam ante tot menses in Conuentibus nostris, vt Itali cum Galliæ regno fœdus non ineant, omni studio incumbendum decreuimus; & nunc in huiusmodi sententiam, quæ omnes difficultates, quibus hucusque dubij reddebantur, tollit, quæque pericula nostra & hostium vires auget, præcipites ruimus. Et quis ignorat, ô Cæsar, quāto potentius fœdus illud cuius Galliæ Rex in regnum suum restitutus caput sit, quam quod cum Galliæ regno Rege apud te captiuo iniretur sit futurum? Nullam causam Pontificem habemus ad fœdus contra te incundum dubium reddidisse, nisi ne tu Gallos Rege illis oblato ab ipsis disiungas metum, dubium reddidisse quis nescit? Hoc autem cum filios & non ipsum tenebimus; minus timebunt. Sic medicamentum quod nos periculi vitandi gratia paramus, periculum augebit: & quum hoc fœdus impedire debeamus, nos ipsi vt id firmius potentiusque fiat, causam præbebimus. Quæ igitur est tua sententia, dicet aliquis? an ex tanta victoria nullum emolumentum percipiendum censes? Estne semper nobis in hac suspensione manendum? Ego quod sæpe dixi confirmo, tantum cibi semel assumere, vt stomachus ferre nequeat, nimis pernicioſum esse; & aut rebus cum Italia compositis, quæ nihil aliud à nobis quam vt metu liberetur petit, à Galliæ Rege Burgundiam, & si quid præterea possumus extorquere, necessarium esse; aut cum illo ea concordia ineunda, qua Italia arbitrio nostro permittatur; verum ea moderatione ac lenitate, quo ad eius res pertinet, vt eam seruandi causam habere videatur. In altero autem horum eligendo tua, Cæsar, prudentia æquitateq; opus est; vt id quod æquius firmiusq; est, ei quod primo intuitu fortasse maius & vtilius videtur, anteponas. Insubriam Burgundia opulentiorem esse, & ad multa magis opportunam, nullamque cum Italis nisi Mediolano, vel Francisco Sfortiæ, vel alteri qui Pontifici sit gratus, concesso, societatem contrahi posse fateor. Nihilominus magis hoc, quam vt cum Gallis componas laudo. quoniam iure magis ad te Burgūdia quam Mediolanum spectat: & facilius eam tueri possis, quam eam prouinciam in qua nemo est qui te velit. Burgundiam antiquo hæreditatis iure tuam quærere; summa laus est: Mediolanum aut tibi, aut alteri qui prorsus ex autoritate tua pendeat, vindicare velle, ambitionis nota non caret. Primum à te tot illustrium maiorum tuorum, quorum ossa in captiuitate sepultta, nihil aliud nisi vt à te libertati restituantur, & postliminio recuperentur clamant, memoria requirit: quorum fortasse iustæ, piæ, sanctæque preces, Deum tibi magis propitium reddunt. Prudentius & facilius consilium, & amicitiam cum eo qui inuitus tibi inimicus sit stabilire, quam cum eo qui numquam amicus esse possit, contrahere. Nam in Galliæ Rege semper odium, tuisque consiliis aduersum studium vigebit: Pontifex autem & cæteri Itali vbi exercitus ex Insubria deductus fuerit, suspicione liberati, cur tecum æmulatione timoreue contendant, non habebunt: ex quibus si tibi amici fuerint, & nunc & posthac semper commoda emolumenta percipies. Itaque magis te ad hāc societatem, honoris, vtilitatisque ratio; ac ni fallor, haud minus necessitas impellit. Nam etiamsi cum Rege ita pactus fueris, vt eum ad nihil aliud, nisi vt te in Italiæ bellis iuuet obstringas, eum id præstiturum mihi quidem haud verisimile videtur. Italia enim tibi prædæ relicta, regnum suum in nimis magnum discrimen coniici censebit; & contra maximas ad te infestandum, eoque vt pacis leges minus graues cum eo admittas cogendum tam potenti fœdere sibi spes occasionesq; habere videbitur; & sic Regem captiuum, liberum, nobisque inimicum reddemus, & Galliæ regno vt tot aliis coniūctum, maioribus viribus maiorique vtilitate bellum contra te gerat, caput ducemque dabimus. Quanto melius est cum Italis componere? cum Pontifice qui id semper exoptauit bonam & veram societatem contrahere, & Gallis omnem Italorum societatis spem adimere. Tunc enim non necessitas, aut nouorum fœderum metus, sed tua voluntas, & conditionum natura te ad pacem cum Gallis ducet. Tunc illos necessitate & desperatione, non modo ad Burgundiam reddendam, & maiora offerenda, verum etiam eiusmodi pignus in manu tua collocandum, vt tibi nihil sit de fide dubitandum compelli cernes. Neque enim dum tanti fœderis spem habēt, satis

est

est liberos obsides accipere, vixque satis tibi cautum foret, si Baionem, Narbonem & classem traderent. Hoc pacto ex hac victoria amplum, honorificum, iustum & certum fructum percipies. alioqui, aut ego nihil prorsus video, aut hæc pax imperium tuum in tam graue periculum coniiciet, vt nisi forte Galliæ Rex nobis imprudentior sit futurus, quid te eo possit liberare videre nequeam. Mercurius hac oratione accurata & vehementi, ac prudentiæ suæ opinione multorum in senatu animos commouerat, cum Pro Rex Lanoius contrariæ sententiæ autor huiusmodi orationem habuisse fertur.

III. *Lanoij Prorogis Neapolitani ad Carolum V. oratio.*

Qui nimia dominandi libidine, gloriosissime Cæsar, plura quam retinere possit amplectitur, minime laudandus est: verum haud minus is est vituperandus, qui nimia suspicione & metu, seipse magnis occasionibus, tot laborib. atque periculis partis dispoliat. Imo quamuis vterq; error grauissimus sit, magis vituperandum in tanto Principe est illud consilium, ex timore & animi infirmitate, quam quod ex generositate magnitudineque animi proficiscitur: & laudabilius est cum periculo immodica parare conari, quam periculi fuga rarissimas occasiones corrumpere: & hæc ipsa est Cancellarij sententia. Nam quum vereatur, ne hac compositione Burgundiam & Mediolanum simul consequi possimus (neque enim illum aut Italiæ patriæ suæ amore, aut in Mediolanensium Ducem beneuolentia moueri est suspicandum) eam rationem proponit, qua ipsius sententia Burgundiam consequimur, & Mediolanum longe maius imperium amittimus; sed mea opinione Mediolanū amittimus, & Burgundiam non consequimur, quum que hæc victoria tibi magna cum gloria ad Christianę Ripub. principatum aditum aperuerit, si eius in consilio nihil nobis ex ea præter detrimentum & infamiam reliquum erit, equidem in eius consilio nullam securitatem video; quinā potius maximum periculum, exiguam vtilitatem, & quæ facile è manibus nostris elabi possit, indignitate ignominiaque plenam video: & contra in Regis concordia, mihi ingens gloria, maxima vtilitas, atque idonea securitas esse videtur. Quæro enim ex te, Mercuri, quam rationem adfers, quam cautionem, quam fidem, Italos, vbi Mediolano cesserimus, concordiam nobiscum seruaturos? nec sese inter Galliæ Regem & nos interposituros? & non potius vbi existimationem nostram depresserint, vbi eum exercitum, qui insolentiæ ipsorum frænum est dissoluerint, vbi nouas Germanorum copias in Italiam venire non posse certò scierint (neque enim vllus in Insubria locus erit qui illos admittat, aut vbi colligantur) quam, inquam, securitatis rationem, quin Itali tunc incœptis suis insistentes, regno Neapolitano, quod fere arbitrio illorum liberum relinquetur, minantes, nos ad Galliæ Regem dimittendum non sint coacturi? An Mercuri, Francisco Sfortiam gratum fore confidis, qui post tot, Cæsar, à te accepta beneficia, tibi tam nefaria proditione gratiam retulit? Quid tunc faciet, qui te tanti sceleris iusta pœna mulctandi cupidum cognouit? Qui nunc à te supplicium, ab hostibus tuis salutem sperat? An Venetorum amicitiæ? qui Imperij Romani & Austriæ familiæ hostes nascuntur; & quum hesterna fere die se tot vrbibus, quibus nunc potiuntur, à Maximiliano auo tuo spoliatos recordantur, exhorrescunt. An Clementis probitati, eiusque erga Cæsarem studio, qui cum postquam multa contra nos tentasset, initium coniunctionis quam cum Leone contraximus fuit, vt Gallos vlciscetur, vel vt ab eorum iniuriis tutus esset, & Ferrariam, cuius obtinendæ cupiditate ardebat, occupare posset: Leone autem defuncto, hic Cardinalis, omnibus fere mortalibus inuisus, coactus in amicitia nostra permansit: sed Pontificatum adeptus, illico ad Pontificum, quorum proprium est Cæsares timere & odisse, naturam reuersus, nihil magis quam Cæsaris nomen exhorrescit. Hi omnes se nihil odio aliaue cupiditate machinatos esse, sed potentiæ tantum tuæ metu: hoc q; metu sublato, omnes machinationes desituras: quod quidem aut verum non est, aut si initio verum fuit, alias postea radices egerit, & in aliam naturam migrarit necesse est. Natura enim id est comparatum, vt ex suspicione odium nascatur, ex odio iniuriæ, ex iniuriis societas & necessitudo, cum iis qui inimici sunt ei quem læserunt; ex his consilia quibus non modo se metu liberent, verum etiam vt ex eius ruina qui læsus est, ipsi emolumenta capiant. Iniuriarum memoria proculdubio in eo qui facit, quam qui patitur, maior atq; ad placandum difficilior. Quare, & si initio suspicione solum moti fuissent, id vt tibi hostes fierent, animum & spes ad Gallorum res conuerterent; deinde quemadmodum in omnibus fœderib. fecerunt, Regnum Neapolitanum inter se diuidere inciperent, in causa fuisset. Nunc autem quæcumq; tandē cautio, pactioq; sequatur; semper in illorum pectoribus odium exardescet, timor vigebit: nec iis quæ vi à nobis extorta videbuntur, satis cōfisi, seq; maiorem nos ad ea quæ volent cogendi facultatē nactos rati, ne inter Galliæ Regem & nos nouum fœdus Cameracēsi simile contrahatur veriti, Italiæ (vt illorum verbis vtar) à barbaris vindicandæ cupidi, leges tibi imponere. Galliæ Regis libertatem petere audebunt: Quod si denegaueris Cæsar, quomodo regnum Neapolitanum tueberis? Si concesseris, omnibus victoriæ præmissis amissis, omnium quotquot vnquam fuerunt cōtemptissimus, & miserrimus Princeps relinqueris. Sed demus Italos fidē seruaturos, & aut Mediolano nobis cedendum sit, aut Burgundia non recuperāda: quænam quæso inter hæc duo comparatio est? Burgundia angusta prouincia est, tenuis, & haud magni emolumēti, nec tam opportuna, vt multi arbitrantur; Mediolanense vero imperium, tot vrbium opulentia & pulchritudine, frequentia & nobilitate ciuium, vectigalium magnitudine, omnes totius orbis terrarum exercitus alendi copia & vbertate, facile multis regnis antecellit: & quamuis tam amplum & potens sit, maioris tamen sunt faciendæ opportunitates, quæ ex eius possessione existunt, quā id quo per se pollet. Dum n. Mediolanū & Neapolis imperio tuo parebunt, Pontifices, vt olim solebant, ex Cæsarum autoritate pendere, Hetruriam totam, Ferrariensium Ducem, & Mantuanum Marchionem tibi obsequentes esse opostebit: Veneti autem Galliam cisalpinam inter & Germaniā inclusi, à te leges accipere cogentur. Si ciam non armis & exercitibus, sed sola nominis tui fama per fecialem, siue præconē, qui Cæsaris insignia gestet, toti Italiæ imperabis. & quid sit Italia, qs ignorat? Prouincia situs opportunitate, cœli temperie, virorum ad omnia magna & præclara aptissimorū multitudine, & ingeniis: omnium rerum ad humanum victum spectantium copia: tot nobilissimarum vrbium amplitudine, & elegantia, opibus, religionis sede, prisca imperij gloria, & innumeras alias ob causas cæterarum omnium Regina; cui si tu imperabis, te cæteri Principes omnes semper formidabunt. Hoc quærere, magis ad magnitudinem, magis ad gloriam tuam spectat, magis auorum tuorum ossibus (quando & his in consilium veniendum est) gratum erit: quos, quæ illorum bonitas pietasque est, aliud quam quod tibi commodius, & nomini tuo gloriosius sit exoptare minime est credendum. Itaque si Cancellarij consilium sequutus fueris, pro re parua magnam amittemus: & hæc quidem exigua incertissima etiam est, cuius nos admonere deberet id quod superioribus mensibus ferē accidit. Nonne nobis in mentem venit, in quanto mœrore fuerimus cum Galliæ Rex in vitæ discrimen esset adductus? Quidnam istuc? Propterea quod eius morte omnem quem sperabamus victoriæ fructum euanescere videremus. Quis idem non & nunc euenire posse præstabit? & quidem facilius, quia eiusdem morbi reliquiæ adhuc ei inhærent. Nam spe quæ illum hocvsque fouit deficiente, molestiæ, ex quibus eius ægritudo orta est, maiores recurrent, præsertim quod cum inextricabiles conditiones cautionesque sint tractandæ, noua negotia longam temporis moram, quæ huic periculo, & fortasse etiam aliis nec minoribus nec difficilioribus erunt obnoxia, habere oportebit. An ignoramus, nihil Galliæ regnum tam immotum continuisse, quam sui Regis citæ libertatis opinio? qua factum est, vt eius regni proceres pacati, atque eius matri obsequentes fuerint. Hac spe deficiente, facile fieri posset, vt regnum commoueretur, statumque mutaret. Si autem semel Principes habenas in manum sumpserint, nulla erit in eis Regis liberandi cura, quin, vt solutos se in eo dominatu tueantur, eius captiuitate gaudebunt. Sic pro Burgundia & tot partis rebus nihil amplius nobis aut ex eius captiuitate, aut ex eius libertate erit sperandum. Ex te autem propterea, Mercuri, quæro, nullane Cæsari in hac re est dignitatis maiestatisque suæ ratio habenda? Qua maior, infamia notari potest? Quo pacto existimationem suam magis minuere, quam de Francisco Sfortia ignoscere

coga-

cogatur ? vt homo semianimis, perduellis, singulare ingrati hominis exemplum, non sese abiiciendo, & ad clementiam tuam confugiendo, sed in hostium tuorum gremium se coniiciens, te sibi cedere, imperium tam iuste ab eo ereptum restituere, & leges ab ipso accipere compellat ? Melius est Cæsar, & magis ex imperij tuæque magnitudinis dignitate iterum fortunam periclitari, omnia iterum periculis obiicere, quam dignitatis tuæ, Regis Regum autoritatis, & Cæsarei nominis oblitum, ac toties potentissimi Regis domitorem, eas leges à Sacerdotibus & mercatoribus, quibus si victus fuisses; neque grauiores, neque indigniores tibi fuissent impositæ, accipere. His igitur rationibus omnibus ponderatis; & quam paruus sit fructus quem ex Italorum fœdere consequi possumus; quot casibus is nobis è manibus eripi possit; quam parum tutum sit illis fidere, quam indignum Mediolanensi imperio cedere, nobis necessario aliquid decernendum; & aliquando finem intuendum esse: ac denique ex Regis captiuitate, nullum emolumentum, nisi quod ex eo liberando percipi potest, ad nos peruenire; potius cum Rege quam cum Italis componendum, vt antea, sic & nunc censeo. Quod quidem laudabilius, æquius, atque vtilius esse, modò idoneis pignoribus nobis sit cautum; negare potest nemo. cuius rei ego fundamentum aliquod constituo in beneficij quod à te accipiet, memoria; in affinitatis vinculo; in sororis tuæ quæ idoneum ad hanc vitam conseruandam instrumentum erit; virtute; & multo magis in duorum liberorum, & in his natu maximi pignore. Quo pignore quod maius aut grauius pignus ab eo accipi possit ignoro. & quando necessitas nos aliquid decernere cogit; maior Galliæ Regi proculdubio cum tanto pignore, quam Gallis sine vllo pignore fides est habenda: plus tanti Regis fidei & verbis, quam immoderatæ Sacerdotum cupiditati, & mercatorum suspiciosis sordibus credendum; facilius, quemadmodum maiores nostri sæpe habuerũt, cum Gallis ad aliquod tempus fœdus habere possumus, quam cum Italis hostibus nostris sempiternis. Nec solum in hac sententia maiorem fidei seruandæ spem video, verum etiam; si forte non seruetur, minus periculi. Nam etiamsi Rex tibi Burgundiam non tradat, filiis suis obsidibus relictis, te nouis offensionibus lacessere non audebit, sed tractando & precando te ad mitiores conditiones allicere nitetur; & præterea hesterna die à te victus, & hodie è custodia emissus, arma tua posthac formidabit; nec tuam fortunam deinceps facile tentare audebit. Quod si arma contra te Cæsar, non capiat, certum est reliquos omnes tantisper quieturos, dum Mediolanensem arcem occupabis, ac eiusmodi in eo imperio fundamenta iacies, vt tibi nullius iam maleuolentia sit pertimescenda. Italis vero si nunc cum eis composueris, & fidem violare velint, nullum quo retineri queant frænum reliquum erit; & tui lædendi facultate aucta, voluntas liberior atque ardentior deesse non poterit. Itaque, meo quidem iudicio, summæ & timiditatis & imprudentiæ foret, nimia suspicione, tanta gloria, tantaque amplitudine plenam, & satis tutam concordiam, pro periculosissimo, & nisi fallor perniciosissimo consilio amittere,

IV. Variæ fuerunt aliorum in concilio, Lanoio tacente sententiæ. Omnibus enim qui integro iudicio vtebantur, cum Galliæ Rege eo modo quo propositum fuerat componendi consilium periculosissimum videbatur. Sed nihilominus in Belgis tantum erat in Burgundiæ, vt quæ Principum suorum antiqui patrimonij & iuris esset recuperandæ desiderium, vt eos verum cernere non permitteret. Fuit etiam fama, in multis Gallorum largitiones & ampla promissa plurimum valuisse. Cæsar vero, siue quod ea fuisset prima eius sententia; siue quod ProRegis autoritas, præsertim cum Nassouij qui idem sentiebat; autoritate coniuncta, maximi ab eo fieret; siue quod vt Francisco Sfortiæ veniam daret cogi nimis indignum ei videretur, eos potissimum qui pacem cum Galliæ Rege suadebant libenter audiebat: ita vt vbi denuo Cardinalem Saluiatum Legatum, Num vt Mediolanense imperium Borbonio traderetur, assentiri vellet tentari iussisset (si enim id fecisset, Pontificis societatem anteposuisset) eumque nullum ea de re mandatum habere exploratum habuisset, cum Galliæ Rege pacisci statuit. cum quo, quum res iam antea tractatæ ac ferè compositæ essent, breui Pontificis Legato ab omnibus hisce negotiis excluso, quum Cæsar iam à Borbonio vt sororem ipsi promissam Galliæ Regi nuptui tradi assentiretur impetrasset; ad transactionem ventum est. Borbonius enim multum rogatus, id non tam Mediolanensis dominij, quod ei Cancellario & ProRege refragantibus, quamuis cum grauis tributi impositione promissum fuit, obtinendi cupiditate, quam quod ipsius rebus eò redactis, vt à nullo nisi à Cæsare penderet, aut pendere posset, eius voluntati morem gerere cogebatur, concessit. Quo facto, ne tam parum opportuno tempore in aula esset, statim Cæsaris iussu Barcinonem versus, vt illic res ad suam in Italiam profectionem necessarias, quæ ob nauium defectum (neq; enim tum plures quam tres triremes in Hispania erant) & pecuniarum penuriam lentè parabantur, præstolaretur, contendit.

V. *Carolus V. cum Galliæ rege capto init pacem pactis initis.*

Pax XIV. Februarij die, hoc anno M.D.XXVI. his legibus fuit constituta. Inter Cæsarem & Galliæ Regem perpetua pax, qua ii omnes qui communi consensu nominati fuerint comprehendantur, esto. Galliæ Rex decima proximi Martij die, liber in regni sui finibus ad Fontisrabie littus constituitor: isque intra quadraginta duos sequentes dies Cæsari Burgundiæ Ducatum, Carolesij Comitatum, Niuersij principatum, & Cami castellum, eidem adiuncta, Ausoniæ Vicecomitatum, & Sancti Laurentij Resortum, Franci Comitatus membra, & omnia eius Ducatus, ac Vicecomitatus iura consueta, quæ in posterum prorsus à Galliæ regno disiuncta, & ab eius supremo imperio exempta sint, tradito: eadem hora & momento quo Rex dimittetur, eius maximus natu filius (Delfinum vocant) & præter ipsum aut Aurelianensium Dux, Regis secundus, aut duodecim Galliæ Principes, quos Cæsar nominauit, Cæsari obsides danto: horum autem, nempe aut secundum filium, aut duodecim proceres obsides dare, alterutrum eligere in Regis matris potestate esto: iique tamdiu donec vrbes & oppida sint restituta, & pax cum omnibus suis capitibus à totius Galliæ Ordinibus comprobata, iureiurando confirmata, & in omnium eius regni consiliorum codices cum omni necessario solenni ritu (quod ipsi interinata dicunt) fuerit, obsides apud Cæsarem manento: quibus peragendis quatuor mensium tempus præfixum esto: quo tempore, cum obsides restituentur, Angolismensis tertius Regis filius quo pax certior diuturniorque sit apud Cæsarem educandus, Cæsari tradito: Galliæ Rex Cæsari omnia Regni Neapolitani iura, etiam ea quæ Pontificum priuilegiis esset adeptus tradito, ceditoque: idemque de Mediolanensi Ducatu, Genua, Asta, Arelate, Tornaco, Lilla & Douaio facito: Edinum item oppidum cum arce, vt Artesiæ Comitatus membrum, cũ omni tormentario apparatu, tormentis & suppellectile quæ cum postremo caperetur in ea erãt restituito: Flandriæ & Artesiæ, omniumq; aliorum locorum, quæ Cæsar possideret, supremi imperij iure cedito; & vicissim Cæsar omnium eorum quæ Galli possiderent, præsertim vero Peronæ, Mondiuoriæ, Roiæ, Bononiæque & Pictauij Comitatum, omniumq; locorum trans & citra Somam amnem iuri cedito: perpetua societas & fœdus ad vtriusq; regnorum defensionem inter eos esto; & alter alterum vbi opus fuerit, quingentis cataphractis, & decem peditum millibus iuuato: Cæsar Eleonoram sororem suam Regi in matrimonium despondeto; Rex autem vbi facultas à Pontifice impetrata fuerit, sponsalia verbis in præsens obligantibus facito; eamque in Galliam eodem tempore quo his legibus obsides liberandi erunt, ad matrimonium perficiendum ducito; duo millia auri pondo, cum decentibus munerib. eius dos sunto; cuius pecuniæ dimidia pars intra menses sexdecim, reliquum intra annum Cæsar persoluito: Inter Delphinum & Lusitaniæ Regis filiam ex Eleonora natam, vbi ad pubertatem peruenerint, matrimonium esto: Galliæ Rex, vt antiquus Nauarræ Rex, Cæsari eius regni iuri cedat omnem operam dato; ni faxit, Regi nulla eum reiuuare fas esto; eodem modo vt Ghelrensium Dux, & Zulsij Comes, & præcipuæ illorum ciuitates, eum idoneis cautionibus post illorum obitum Cæsari se daturas promittant, facito: Rex Wirtembergensium Ducem & Robertum Marcianum nulla reiuuato; Idem Rex Cæsari quum in Italiam proficisci volet: & duos menses postquam ab eo id petitum fuerit, duodecim triremes,

Caroli V. leges Galliæ regi propositæ.

quatuor onerarias naues, totidem magnas quas Galeones vocant, omnibus rebus, exceptis militibus, instructas, quæ ab eo die quo è portu soluerint intra tres mẽses restituantur, tradito; pro terrestribus copiis, quas Cæsari in Italiam ducendas obtulit, duo millia auri pondo, mille intra sexdecim menses, & deinde mille intra annum ei dato: Rex Cæsari ab Argentariis chirographa in sex peditum millia ad semestre stipendium vbi Cæsar in Italiam venerit exigenda, dato; eumque propriis sumptibus, quingentis cataphractis, & certo tormentorum numero iuuato: ne Cæsar ob pensiones quas Galliæ Rex Angliæ Regi debebat, cuius summa continebat quinque millia auri pondo, ei à Cæsare promissum vllum detrimentum patiatur, curato; aut eam pecuniam Cæsari numerato; vterque Pontificem, vt quam citissime fieri possit vniuersale Concilium, quo de Christianorum pace, & expeditione in Turcas & hæreticos agatur, indicat; & omnibus per tres annos pecuniæ ad sacrum bellum exigendæ facultatem (cruciatam vocant) concedat, rogato: Rex item intra quadraginta duos dies Borbonio sua dominia & bona, quæ moueri loco non possunt, quæue possunt, cum retentis fructibus integre restituito; neque eum ob præterita, molestia afficere, aut vt in Galliæ regno degat, eatue, cogere ei fas esto; eidemque iure de Prouinciæ Comitatu disceptandi potestatem facito: omnes quicumque illum secuti sunt, & nominatim Episcopum Autunensem atque San Valerium in pristinum statum restituito: qui vtrinque bello capti sunt, intra quindecim dies liberantor: & Margaritæ omnia quæ ante bellum possidebat restituuntor: Aurengius Princeps dimittitor, eiq; Principatus suus cum omnibus iis quæ eo tẽpore quo pater obiit possidebat, quibus propterea quod Cæsaris partes esset secutus spoliatus fuerat, restituuntor: Idem & de nonnullis aliis nobilium primoribus intelligitor: Salutiarum Regulo dominium suum restituitor: Rex vbi ad primum regni sui locum peruenerit, has leges confirmato: & vt à Delphino, vbi quartum decimum annum attigerit confirmentur, efficito.

VI. Multi de communi consensu nominati fuerunt: & inter hos Heluetij. Sed nullus ex Italiæ Principibus, præter Pontificem, quem huius concordiæ conseruatorem, magis honoris causa, quam vt vim haberet, appellarunt. His accessit fides à Rege, se nisi, quamcumque tandem ob causam, promissa præstaret; sponte in custodiam rediturũ. Hæc compositio omniũ Christianorum animos, in maximam admirationem erexit. Nam vbi primum omnium quæ agenda erant, Regis liberationem fore auditum est, illum vbi sui iuris esset, Burgũdiam, propterea quod ea nimis magni ad Galliæ regnum momenti esset, minime traditurum, omnes censuerunt: & iis paucis qui id Cæsari suaserant exceptis, reliquorum omnium Cæsaris familiarium eadem fuit sententia, præsertim vero Cancellarius id reprehendebat & detestabatur, idque tanta cum acrimonia, vt cum pactionis tabulas ex officio subscriberet ei mandatum esset, id recusauit; quod diceret, sibi tributa autoritate in periculosis perniciosisque rebus, cuiusmodi hæc essent, minime vti licere: Neque ab hac sententia vmquam, vel Cæsare non parum indignante, remoueri potuit: sed Cæsar eius Cõstantia pspecta, sua manu subscripsit ipsemet. & paucis diebus post, vt affinitatem cum Rege stabiliret, familiaribus domesticisque colloquiis amicitiæ ac beneuolentiæ fundamenta iaceret, Madritum se contulit. Magna fuerunt inter eos amoris signa: sæpe in publicis locis simul fuerant: sæpe etiam soli occulta & longa colloquia habuerunt: eadem rheda simul ad castellum quoddam semi diei itinere in quo erat Regina Eleonora vecti, cum qua sponsalia contraxit. Nec tamen in tot pacis & amicitiæ significationibus, de custodiæ diligentia quicquam est remissum, maiorue libertas concessa: sed simul vt sororis maritus beneuole tractatus, & vt captiuus custoditus; Ita vt facile animaduerteretur, hanc esse discordiarum plenam concordiam, affinitatem sine beneuolentia, & quauis occasione veteres inter ipsos æmulationes cupiditatesque, maiorem quam earum rerum, quæ vi magis extortæ, quam alia de causa factæ erant rationes vim habituras. Cum autem plures dies in hunc modum essent transacti, & iam Reginæ matris approbatio, cum declaratione qua significabatur, vna cum Delphino filio potius secũdum, quam duodecim proceres datum iri, esset allata, Rex vt ad fines in quibus ipsius cum paruis liberis permutatio facienda erat veniret, Madrito est profectus; eumque ProRex ipsius liberandi autor, cui Cæsar Astam, aliosque in Flandria & regno Neapolitano principatus dono dederat, est comitatus.

Carolus V. Madritum ad amicitiam cum Gallo ineundã proficiscitur.

Quo tempore Cæsar speciosam epistolam ad Pontificem scripsit, qua se pacis & communis Christianæ Reipublicæ commodi studio, tot iniuriis odiisque oblitteratis, Galliæ Regi libertatem restituisse, eique sororem suam connubio iunxisse, & ipsum cui semper obsequentissimus filius esse vellet, pacis conseruatorem constituisse, ei significauit; & intra paucos dies aliam item epistolam sua manu scripsit, quam per eundem Erreram, qui litteras Pontificis manu ad eum scriptas attulerat misit; qua ei partim lenibus, partim aliqua acerbitate mixtis verbis respondebat; se Francisco Sfortiæ, nisi eius delicti cuius accusabatur cõscius esset, imperium restiturum: Id autem à iudicibus à se, vtpote ipsius domino, delegatis diiudicanda esse; Si verò de delicto constaret, se illum Imperium Borbonio, cui vt id promitteret ipsemet, quum eum sibi eo tempore, quo Franciscus Sfortia ægrotabat proposuisset in causa fuerat, & vt ipsi satisfaceret, atq; Italiam metu liberaret, se id neq; retinere, neq; fratri tradere voluisse: ac iureiurando hãc esse mentem suam cõfirmabat: quam vt comprobaret, vehementer rogabat: eiq; autoritatem ac vires suas, vt sacrosanctæ sedis obsequentem filiũ deceret, in perpetuum offerebat. Tulit quoq; idẽ Errera responsum, ad caput à Pontifice in Francisci Sfortiæ gratiam auctum; quod Cæsar in priore sententia sua perseuerans, approbare noluerat: imo per eũ pacis formã, quam extremam admissurus esset ad Suessanum Ducem, cũ transigendi, si à Pontifice cõprobaretur, potestate misit: cuius ea fuit sententia: vt Franciscus Sfortia nisi Cæsaream maiestatem læsisset, huic fœderi includeretur: quod si is moreretur aut priuaretur, Borbonius Mediolanẽsi imperio à Cæsare accepto ei in fœdere succederet. Pactio à ProRege de ciuitatibus quas Ferrariensium Dux possidebat restituendis contracta, Cæsaris autoritate sanciebatur: sed ea lege, vt Pontifex ei Ferrariensis Imperij diploma concederet, & pactionis violatæ mulctam remitteret: quod Pontificis, qui mille auri põdo, quæ Cæsari promiserat, exigere à Ferrariensi cogitabat, menti aduersabatur. Vt Mediolanenses salem ex Pontificis dominio acciperent, non permittebat: neq; in regni Neapolitani Sacerdotiorum collationibus Pontificiorum priuilegiorum leges sequi: sed superiorum Regum, consuetudinem assentiebatur: & quoniã cum Cardinale Legato, vt quo exercitus toti Italiæ grauis ex Insubria remoueretur, Pontifex & ipse tamquam Neapolitanus Rex & cæteræ Italiæ potestates mille & quingentas auri libras penderent, isq; aut Neapolim, aut extra Italiam, quocumq; Cæsari, qui se eum in Mauritaniam mittere velle aiebat, visum esset, duceretur, agitatũ fuerat: vt si maior summa exercitui deberetur, essent, duo millia auri pondo adiecta sunt. Suessanus igitur Dux & Errera horũ capitum exemplum Pontifici, in illis ne syllabam quidem immutandi se potestatem habere attestantes obtulerunt: & nihilominus reliqua omnia, modo de Mediolanẽsi imperio ita constitutum fuisset, vt Pontifex & cæteri nullam suspicionis causam haberent, facile fuissent composita. Sed cogitabatur, Borbonium tam acerbum Galliæ hostem esse, vt aut securitatis suæ gratia, aut in Galliam redeundi cupiditate semper Cæsari deditissimum futurum: neque vmquam nimiam Cæsaris potentiam ei molestam fore sperari posse: & exercitus ab Insubriæ finibus amouendi, tantopere ab omnibus exoptatam conditionem, cuius gratia quamuis pecuniæ summam soluere graue non fuisset, cum Mediolani eiusmodi Dux esset futurus, qui vel ad minimũ Cæsaris nutũ eum non modo admisisset, sed etiam fortasse propria causa exoptasset, inuitassetque, nullius fore momenti animaduertebatur. Ideo Pontifex, qui, quoniam in Cæsaris cum Galliæ Rege pace nulla sui, quæ alicuius ponderis esset, aut Italiæ status securitatis mentio facta fuerat, in priore sententia, Cæsaris potentiam sibi seruitutis iugum fore confirmabatur: fœdus eo modo quo proponebatur non contrahere; sed sibi tamdiu, donec quid Galliæ Rex esset facturus exploratum haberet, integram facultatem conseruare statuit. qua in sententia maiore etiam animo perstitit, quia præter id quod *verisimile* videbatur, ex verbis à Rege antequam dimitteretur, & aliis quibus eius consilia nota erant dictis, Regem ab iis quæ Cæsari promisisset seruandis alienissimum esse, ad aures ipsius

peruenit. Vt autem Regem in hac sententia, vtpote ex qua propria salus penderet, confirmaret, Paulum Victorium Florentinum, triremium suarum præfectum summa celeritate in Galliam contendere iussit : vt eodem tempore quo Rex eo peruenire, ipse ibi iam esset : hac vero celeritate, non modo vt quam citissime eius mẽtem exploratam haberet, verum etiam vt Rex statim fœderis contra Cæsarem, cum Pontifice & Venetis contrahendi spe accepta, promptius deliberandi causam haberet, vtebatur. Itaque Paulo, vt Pontificis nomine libertatem recuperatam, ei gratularetur, ea quæ ipse vt liberaretur egerat, & quam fœdus cum ipsius matre agitatum Cæsaris animum ad id flexisset, significaret; deinde Pontificem communis inter Christianos pacis, & vt Cæsar & ipse coniunctis viribus bellum contra Turcas, quos vt eodem anno Pannoniam oppugnarent, maximos apparatus facere audiebatur, gererent, cupidissimum esse ostenderet, mandatum fuit. Sed hæc fuerunt publica mandata ; alia vero occulta. In Angliam quoque Protonotarium Gambaram, vt idem cum eo ageret, ire iussit : & Venetii ipsius consilio Andream Rossium Senatus Scribam cũ iisdem mandatis in Galliam miserunt. & quia Paulus vbi Florentiam peruenit, in morbum incidit, & obiit ; Pontifex etsi ex eo quod iam bis ministri à se ob hanc causam in Galliam delegati in itinere interiissent, sinistrum omen caperet, Capinum Mantuanum eius loco misit. Interea vero ipse & Veneti omnem operam, vt quammaxime possent Mediolanensium Ducem consolarentur, ac spe fouerent, ne Madriti confectæ pacis metu in aliquam cum Cæsare compositionem præceps rueret, ponere non desinebant.

VII. *Franciscus Galliæ Rex libertati donatus venit Fonterabiam.*

Per eos dies Galliæ Rex Fonterabiam Cæsaris vrbem ad Oceanum, in Cantabriæ & Aquitaniæ finibus positam peruenerat ; & ab altera parte mater cum duobus liberis, Baionam quæ paucis milliaribus Fonterabia distat venerat : quæ aliquot dies vltra præscriptum tempus, quod in itinere podagra fuerat grauata hæserat. Decima octaua igitur Martij die Rex; Pro Rege & Alarcone, ac circiter quinquaginta equitib. ipsum comitantibus : ad eius fluminis qui Galliam ab Hispania diuidit ripam venit. Eodem tempore Lautrechius cum duobus paruulis, & pari equitum numero in oppositа ripa constitit. In medio amnis erat magna nauis ancoris firmata, in qua nemo erat, ad hanc nauem Rex scapha, in qua Lanoius, Alarconius, & octo alij omnes breuibus telis armati erant, accessit; & ad alterum nauis latus scapha itidem Lautrechius cũ obsidibus & octo aliis eodem modo armatis se contulit. deinde Lanoius cum omnibus suis & Rege vna eam nauem conscendit; idem illico Lautrechius cum octo sociis, ita vt in naui pãr vtrimq; numerus esset, fecit. erant enim cum Lanoio, Alarco, & octo alij, cum Rege Lautrechius, & item octo alij, qui vbi omnes nauim conscendissent, Lautrechius Delphinũ ex scapha in nauim transtulit; qui Lanoio, ab hoc Alarconio traditus, illico in ipsorum scaphã imponitur, eodemq; momento paruus Aurelianus in nauim transferebatur : qui vix in naui fuit, cum Rex è naui in suam scaphã prosiliit, idque tanta celeritate, vt ea permutatio puncto temporis facta fuerit: atque ad ripam vectus, statim quasi insidias aliquas pertimesceret, Thracium equum miræ pernicitatis ad hoc paratum conscendit, & nusquam subsistens, ad sanctum Ioannem Lusium vsque imperij sui oppidum quatuor Gallicis milliaribus inde remotum peruolauit : ibique citissime refectis viribus, eadem celeritate Baionam contendit : vbi incredibili totius aulæ lætitia fuit acceptus. Vnde statim hominem suum summa celeritate ad Angliæ Regẽm misit, eiq; litteris sua manu scriptis, libertatem à se recuperatam significauit, & humanissimis verbis se eam prorsus iis quæ ipse egisset acceptam referre ostendit; scque idem cum ipso futurum, omnibusque in rebus consilio ipsius vsurum pollicebatur: & paulo post alios legatos qui pacem à matre cum ipso initam, quod eius Regis amicitiam maximi faceret, solenni ritu confirmarent, misit, atq; destinauit.

Eius filius Carolo V. obses datur.

VIII. Ea Galliæ Regis liberatio, etsi ad compositionis autoritatem, iusiurandi & fidei mutuò datæ religionem, & nouæ affinitatis vinculum, duorum liberorum, & in his natu maximi ad tanti regni successionem destinati pignus esset adiunctum, Christianos Principes in magnam expectationem erexit ; & cunctorum mortalium oculos, qui antea Cæsarem solum intuebantur, propterea quod ex eius compositionis Madriti factæ seruandæ vel non seruandæ sententia, exitus maxime diuersi nec minus graues penderent, in eum conuertit. Si enim eam seruaret, Italia per se ad sui propugnationem imbecillis, proculdubio in seruitutem ruere, & Cæsaris autoritas atque potentia mirum in modum augeri cernebatur. Sin promissis non staret, Cæsar aut eam ob causam Mediolanensium Ducis in se conspirationis memoria obliterata, ne Pontifex ac Veneti fœderis cum Rege feriendi causam haberent, sieque tot præmiorum quæ ex victoria sperauerat iacturam faceret, id imperium ei restituere: aut si odium in Mediolanensium Ducem conceptum, & Gallorum impedimenta Italia amouendi desiderium maiorem apud ipsum vim obtineret, Burgundiæ restituendæ obligatione, in pecuniarum mulctam conuersa, pacem cum Rege firmare; aut denique si neutri cedere vellet, bellum à tot hostibus etiam ipsiusmet fere confessione, quum eius vitandi gratia Galliæ Regem tanto cum periculo dimisisset, difficillimum sustinere cogebatur. Sed non diu de Regis mente in quam partem inclinaret est dubitatum. Nam quum statim vbi Baionam peruenit, vt quemadmodum se quamprimum liberum in locum veniisset facturum promiserat compositionem confirmaret, quidam Neapolitani Pro Regis minister ab eo petiisset, rem variis excusationibus quotidie protrahebat; & vt Cæsaris spem foueret, proprium hominem qui se compositionem ideo non confirmasse, quod priusquam ad id deueniret, suorum qui eas obligationes quibus Galliæ regnum minueretur molestè ferrent, animos mitigare necesse esset; sed tamen omnibus difficultatibus amotis omnino fidem seruaturum ei significaret, ad eum misit. Ex quo quum quid in animo haberet satis perspiceretur, intra paucos dies homines à Pontifice & Venetis missi ad eum venerunt ; quibus haud magna vtenus animum explorarent adhibenda fuit diligentia. Quum enim benigne illos accepisset, primis colloquiis quæ post cum vtroque seorsim habuit, de Cæsaris qua in se quum eius esset captiuus vsus erat inhumanitate, quod se non vt Principem qualis ipse erat, neque eo animo, quo Princeps qui alterius Principis calamitatis commiseratione moueretur, aut id quod alteri accidisset, sibi quoque accidere posse cogitaret tractasset, grauiter est questus Eduardi Angliæ Regis, eius qui Gambillio cognomento est dictus, exemplum afferebat ; ad quem cum ductus esset Ioannes Galliæ Rex in pugna apud Pictones commissa, à Caleti Principe ipsius filio captus, ab eo non modo benigne acceptus, verum etiam quamdiu in Insula captiuus fuit, in libera custodia habitus, ad familiares congressus, & venationes conuiuiaque sua admittebatur ; nec tamen ideo captiuum amisisset, aut minus sibi vtilibus legibus cum eo compositurus esset : ex quo tantam inter eos familiaritatem fiduciamque ortam esse aiebat, vt Ioannes etiam postquam libertati esset restitutus, multosque annos post in Gallia mansisset, sponte hospitis sui visendi desiderio in Angliam rediret : duorum modo Galliæ Regum qui in prælio captiuerint memoriam extare, Ioannis videlicet & sui. Sed non minus insignem esse exemplorum diuersitatem. alterum enim ad victoris benignitatis, alterum ad acerbitatis exemplum proferri posse : nec se in illo animum ergà alios magis placatum mitemue inuenisse ; imo ex colloquiis Madriti cum eo habitis, illum summa ambitione occupatum, nihil aliud nisi de Sacrosanctæ sedis imperio, Italia, & cæteris Principibus omnibus in seruitutem redigendis cogitare certò cognouisse. Ideo cupere, vt Pontifex & Veneti animum ad propriæ *salutis cogitationem* conuerterent ; Quod si facerent, quam ad communem salutem concurrendi, & fœderis cum ipsis ad arma contra Cæsarem capienda, ineundi cupidus esset, se ostensurum : haud quidem quo sibi Mediolanum adiiceret, potentiamue suam augeret, sed solum vt postquam nimia cupiditas Cæsari non tantum luminis reliquisset, quo se, ita obstringeret, vt promissa præstare cogeretur, ipse liberos suos, Italia libertatem bello recuperaret : propterea quod & primò cum in Picigithonis arce esset, & post in Hispania in Madritensi arce, sæpius Cæsari ipsius petitionum iniquitate perspecta, se, si necessitate impulsus,

legibus

legibus aut iniquis, aut quas seruare in potestate sua non esset cederet, non modo eas non seruaturum, verum etiam quod iniqua & quæ præstare non posset promissa à se extorsisset, ibi in eo iniuriam factam ducens, si quando occasio daretur eam vlturum, esset attestatus. Neque etiam id sæpius reticuisse, quod ipsi per scire poterant, & quod aliis quoq; regnis commune censebat, nempe minimè in Galliæ Regis potestate esse, absque regni communium conuentuum consensu se ad quidquam exiis, quæ ad regni corpus spectarent alienandum obligare : Christianorum vero leges, vt is, qui in bello captus esset in sempiternis vinculis custodiaque detineretur nõ permittere : quod ea ad nefariorum hominũ pœnas, non autem ad eorũ, qui fortunæ acerbitate afflicti essent supplicium, esset inuenta. quæ vi à captiuis promitterentur, nullam vim habere omnibus notum esse; cumq; compositio irrita esset, nec fidem suam, quę ad eam confirmandã accessisset obstrictam esse. Iusiurandum Remis quum Reges tanta cum cerimonia & cœlesti oleo consecrantur datum, quo se Regni patrimonium non imminuturos spondent, antiquius esse. Has ob causas se ad Cæsaris insolentiam cohibendam, non minus liberum quam paratum esse. Idem studium mater, & soror, quæ quod frustra in Hispania fuisset, de Cæsaris asperitate valde querebatur, ostendit : & omnes Principes, qui arcanis negotiis intererant, si Pontificis ac Venetorum mandata adferrentur, statim fœdus perficiendum decernentes. quod vt facilius Angliæ Regem in id pertrahere, cuius magnam spem ostendebant, possent, in Gallia tractari bonum esse aiebant. Hæc à Galliæ Rege & ipsius hominibus magna cum asseueratione differebantur : occulta vero eius consilia longe erant diuersa. Nam etsi Burgundiam Cæsari non tradere prorsus statuisset, animum tamen à bello contra illum, nisi cogeretur, gerendo alienum habebat : sed dum de fœdere cum Italis ineundo ageret, Cæsarem, ne in tot difficultates caderet, Burgundiæ restituendæ caput in pecuniarum obligationem conuersurum sperabat. quod si feciisset, nulla Italicarum rerum ratio, illum ob filiorum desiderium à Cæsaris compositione esset remorata. Pontificis autem & Venetorum nuncii tanta ab illo spe accepta, statim responsum eo tempore, quo in Italia fœderis contra Cæsarem pangendi necessitas & occasiones crescebant, significarunt : necessitas quidem, quia Mediolanensium Dux, qui initio partim ministrorum suorum culpa, partim ob temporis ad prospiciendum breuitatem, parum commeatus in arcem importarat, neque is ea moderatione, qua homines in eiusmodi statu collocati, vti solent, fuerat distributus, crebrò (semper enim etsi in arce obsideretur scribendi facultatem habuit) se in totum Iunium proximum commeatum non habere : & nisi alia ratione ipsi consuleretur, sese Cæsaris arbitrio committere coactum iri, significabat. Et quamuis (vt obsessis moris est) maiorem angustiam quam reuera esset proponere crederetur, multis tamen indiciis parum ei commeatus superesse compertum erat : & vt arx in Cæsaris potestatem perueniret, permittere, præterquam quod eius existimatio augebatur, eius imperii recuperationem longe difficiliorem reddebat. Sed non minus ob populos omnes ad extremam desperationem redactos occasio erescere videbatur. Nam quum Cæsar pecuniam in militum stipendia, quibus iam multa debebantur non mitteret, nec vlla eius explicandæ aliunde ratio adesset, duces equitatum omnem in totam prouinciam, vt inter se partitis rationibus exercitum alerent, distribuerant. Quapropter dux, centurio, signifer, miles, sibi attributa loca, secum pecunia numerata componere cogebant. qua quidem à re illi modum omnem excedebant, vt tunc constans fama fuerit, à multis, qui eius imperii rerum periti erant confirmata, Insubriam quotidie Cæsaris militibus quinquaginta auri libras pensitasse; Antoniusque Leua quotidie sui sumptus nomine tantum triginta aureos nummos accipere ferebatur. Pedites quoque, qui Mediolani & aliis in locis erant, non modo sibi ab hospitibus suis omnia ad victum necessaria suppeditari volebant, verum etiam cum sæpe multi milites in vnam domum conuenirent, eius dominus omnes alere, & cæteræ domus, quæ eis victum non suppeditarent, pecunia militibus satisfacere cogebantur : ac sæpe vno militi multa hospitia obtingebant, isque eo excepto apud quẽ victum habebat, ex cæteris pecuniam extorquebat.

Mediolani tumultus oritur.

Hæc misere tantaque crudelitate vsurpata sors totius Insubriæ hominum animos in desperationem adegerat ; præsertim vero Mediolanensis populi, qui ante Piscarii Mediolanum aduentum, neque militem alere, neque hospitii nomine quicquam contribuere consueuerat. cumque numero & armis (etsi non tam frequens quam ante pestilentiam) potens esset, tantam insolentiam & acerbissimas exactiones ferre non poterat. quibus vt liberarentur, vel saltem aliqua ex parte leuarentur, legatos ad Cæsarem miserunt. Sed sine vllo prorsus leuamento, communibus tantum verbis à Cæsare acceptis, Mediolanum redierunt. Oportebat etiam Mediolanenses, etsi proportione maiorem quam cæteræ ciuitates militum numerum sustinerent, pecuniam in publicos sumptus, id est, in eos, qui ex ducum voluntate ad Cæsaris rerum conseruationem essent faciendi, pendere; in qua exigenda, cum id difficulter fieret, ministri ei muneri præpositi magna acerbitate vtebantur. Quas ob res populo ad extremam desperationem redacto, populariter inter se, vt armis se his exactionibus opponerent; & cuicumque exactores molesti essent, is vicinos ad se tuendũ vocaret, q. omnes & post illos cæteri, qui vocarentur, ad ducum qui in multis vrbis partibus erant cõstituti imperium, vt se ab exactoribus & militibus his opitulari volentibus tuerentur, accurrerent, cõuenerunt. Quo facto, accidit, vt quidam faber, quum exactores ei molesti essent, vicinos ad sui defensionem concitarit: quos cum reliquus populus sequeretur, maximus tumultus est exortus; ad quẽ sedandũ cum Antonius Leua & Vastii Marchio cum aliquot ex prima inter Mediolanẽses nobilitate viris accurrissent, tandem fide à ducibus ipsos publicis vectigalibuss contentos, nullis aliis exactionibus populo molestiã allaturos alioſue milites nullos in vrbẽ introductũros accepta, tumultus sedatus est. Hæc pax haud diutius quam in sequentẽ diem vsque permansit. quoniam cum nouos milites vrbi appropinquare esset nunciatum, populus iterum, sed maiore quam priori die tumultu, & longe maiori disciplina atque concursu arma cepit. Cum autem duces se ad tantum impetum sustinendum impares fore existimarent, cum copiis Mediolano discedere (vt multi aiebant) cogitabant : quod & facturi fuisse creduntur, si modo populus vno animo se contra ipsos & milites progredi velle ostendisset : sed veterem Curiam in qua rerum capitalium præfectus cum certo militum numero agebat, ab eo quod postremum esse debebat initium sumentes, imperite diripere inceperunt. quo errore Cæsariani resumptis viribus, viis munitis, & maxima peditum qui arcem obsidebant parte aduocata, vt populo si in ipsos impressionẽ facere vellet, obsisterẽt, simul cõuenerunt. Hoc obsessis extra arcem erumpendi, & obsidentium munitiones, quas in ciuitate fecerant adoriendi occasionẽ dedit. sed quum sibi à populo auxilium non ferri viderunt, statim pedem retulerunt. populus enim tum quod in armis minime esset exercitatus, tum etiam quod in veteris Curiæ præda, domos quisque suas ferenda essent occupati, non modo, quod debebat non faciebat, verum etiam potius paulatim dissoluebatur. qua occasione duces nõnullis ex Mediolanensi nobilitate intercedentibus, hunc quoque tumultum, sed se omnes milites, Germanis peditibus, qui arcem obsidebant exceptis, vrbe & Mediolanensi agro educturos fide data sedarunt. *Sic militarium virorum calliditate, popularium armorum imperitia, & erroribus, quibus tumultuosa multitudo, quæ prudentibus ac fortibus ducibus caret facile obruitur, delusis, grauissimum periculũ erat vitatum.* Sed cum hac compositione, nec conspirationes dissolutæ essent, nec populus arma posuisset, quin potius res quotidie ad maiorem tumultum spectare viderentur, iis qui Cæsaris res turbare vellent, magna occasio dari videbatur, præsertim exiguis Cæsarianorum viribus, aliisque eorum difficultatibus perspectis. Veniebat quoque in memoriam, proximis bellis populi Mediolanensis & reliquarũ ciuitatum mirum in ipsis iuuandis ardorẽ, maximum eius imperii propugnaculum fuisse.

IX. *Veneri Pontificem per legatũ contra Cæsarẽ conciant.*

In hoc statu erant Italiæ res, quum de prompta Regis voluntate, promissis, & mandata ad se mitti postulantis, nuncii sunt allati. eodemque tempore Angliæ Regis apud Pontificem legati, vt de Cæsaris potentia moderanda cogitaret, & Galliæ Regem ad promissa nõ præstanda accenderet, hortabãtur. quas ob res nõ modo Veneti, qui semper & longe

minori occasione, vt arma caperentur suaserũt, verum etiam Pontifex, quanquã difficillime in hac se molestias induci pateretur, sibi necessario consilia sua colligenda, & deliberationem diutius minime protrahendam statuit. Rationes, quæ illum superioribus mensibus ad bellum incitabant non modo eædem, sed etiam grauiores validioresque erant: Nam & quo diutius negotia fuerant agitata, eo melius Cæsar Pontificis animum à potentia sua alienum esse animaduertere potuerat: & Pontifex ob compositionem à Cæsare cum Galliæ Rege factam, iustam, sæquas conditiones ab illo impetrare non posse, & illum de tota Italia opprimenda cogitare, suspicionem conceperat: & Mediolanensi arce ad deditionem inclinante, periculum quotidie magis præsens erat. Animum præterea eius, iniuriæ quæ à Cæsarianis renouabantur, incitabant. Illi enim post compositionem Madrici factam, Italorum peditum legionem in Placentinum & Parmensem agrũ, vbi innumera detrimenta adferebant, miserant. Cumq; Pontifex quereretur, illos propterea, quod stipendia non accepissent, suopte iure eò se recepisse respondebant. Commouebant quoque illum res, iudicio quidem vulgi fortasse leuiores, sed vt in suspicionibus & querelis fit in deteriorem partem acceptæ. Cæsar enim in Hispania, edicta quædam contra sacrosanctæ Sedis authoritatem promulgarat: quorum vi quum ipsius imperii subiectis, Sacerdotiorum, quæ in illis regnis essent causas in Romana Curia disceptari non liceret, quidam Hispanus scriba, Romanum forum (Rotam illi vocant) eo die, qui causis agendis est destinatus ingressus, nonnullis vt alitibus eo in foro persequendis desisterent, Cæsaris nomine denunciare est ausus. Nec solum Galliæ Regis liberatione is nodus, qui omnium animos ancipites detinuerat, ne videlicet Galli Regis sui recuperandi gratia à fœdere discederent, solutus videbatur: & Regis societas, longe maioris ad expeditionem, quam matris simul & regni esse momenti cernebatur: verum & aliæ occasiones maiores cernebantur. Populi enim Mediolanensis commotio minime contemnenda videbatur; & ob commeatus penuriam, qui illud imperium laborabat, Cæsarianos antequam messis maturitate munita loca commeatu instruendi opportunitatem haberent; antequam Mediolanensis arx amitteretur: & antequam Cæsar nouas copias, pecuniamue in Italiam mittere posset, adoriri maioris momenti fore censebatur. Illud præterea in mentem veniebat, Galliæ Regem, quem ob præteritarum rerum memoriam, nõ magnam Pontifici fidem præstare erat verisimile, nisi eum belli cupiditate ardere videret, compositionem Madritensem seruaturum, aut denuo confirmaturum. Neque dubium videbatur, quin tot terra mariq; viribus, & sumptuum quantumuis grauium diu ferendorum facultate coniunctis, Cæsaris, qui à cæteris omnib. esset destitutus, & pecunia exhaustus partes longe inferiores in bello essent futuræ. Solus timor, ne Rex filiorum desiderio socios desereret, quemadmodum Rege captiuo de regni administratoribus suspicio fuerat, dubitationem in contrarium adferebat. Sed tamen res diuersa censebatur. Quum enim cum tantis occasionibus arma cõtra Cæsarem caperet, tanta illos bello recuperandi spes, tantaque cum ipsius dignitate fore videbatur, vt ipse priuatæ pacis, quæ non modo cum ipsius ignominia, sed etiam si non præsenti, saltem futuro detrimento foret, sermonibus aures accommodandi causam non haberet. Si enim Italiam Cæsaris arbitrio subiici pateretur, id tandem Galliæ regno periculosam esset futurum, ex quo bellum ab illo maximo ardore gerendum sequebatur. Fœdus enim contra Cæsarem, quo sibi filios compositionis obseruatione recuperandi spem adimeret inire, & ea, quibus se illos magna cum gloria armis consequuturum sperare poterat prætermittere, leuissimum consilium videbatur. Qui sic ratiocinabantur, fortasse potius quid facere debuerit, quam quæ sit Gallorum natura & prudentia cogitarunt: in quem errorem, qui de aliorum mente ac voluntate deliberant, & iudicant sæpe incidunt. imo fortasse, quam Principes suæ naturæ, qua sæpenumero fidei vtilitatem propriam anteponunt conscii, facile idem sibi de aliis Principibus persuadeant. Ideoq; Galliæ Regẽ, ne Pontifex & Veneti, vbi Insubria occupata, Cæsaris potentiæ metu essent libetati, negligentes, aut ab ipsius rebus alieni fierẽt metuentem, bellum vt instrumentum quo Cæsar molestiis ac sumptibus fessus: ad filios noua pactione restituendos facilius induci posset, protrahi, sibi victoria vtilius esse existimaturum, non satis expenderunt, Pontifex autem supradictis rationibus motus, & multo magis quod eum pœniteret Papiensis pugnæ exitum otiosè expectasse; quodq; eam ob causam ob omnibus timoris insimulatus & reprehensus fuisset, omniumq; ministrorum suorum, totius Curiæ, cunctæ Italiæ vocibus, sacrosanctam Sedem, & vniuersam Italiam ipsius culpa in periculum vocatam, ipsi obiicientibus impulsus: tandem non modo cum Galliæ Rege ac cæteris contra Cæsarem fœdus iniret, sed id quam citissimè, cum alias ob causas, tum vero, vt Mediolanensi arci priusquam fame oppressa hostibus dederetur in tempore opem ferre possent, perficere statuit. Quæ res omnium, quæ post sequuta sunt malorum, si non causa, saltem occasio fuit. Si enim Pontifex, cuius authoritatem in hac causa Veneti non parum sequebantur, tardior fuisset; num Cæsar promissis à Gallię Rege non seruatis commotus, eas leges, quas antea, si arma caperẽ cogeretur in animo habebat, proponeret, vidisset, & nisi Galliæ Regi tantam necessitatem ostẽdere coactus fuisset, facile sibi & Venetis vtiliores ab illo conditiones impetrasset. Proculdubio autem fœderis capita melius fuissent explicata, maior fidei seruandæ cautio constituta, & denique bellum, non prius quam Heluetii procederent, & omnes necessarii apparatus collecti essent, inceptum fuisset. Et fortasse Angliæ Rex, cum quo ob itineris longitudinem tractandi tempus non fuit, fœderi sese adiunxisset. Sed quum Pontifici & Veneto Senatui ob arcis periculum multum in celeritate positum esse videretur, statim, sed occultissimè, ministris suis fœderis conficiendi potestatem cum eiusmodi mandatis, vt quo citius res transigeretur, se ad eadem fere capita, quæ antea cum Regina matre tractata fuerant, referrent, miserunt. Quum autem quotidie noui de obsessorum angustiis nuncii adferrentur, cœpit Pontifex cogitare, quoniam ab vrbe in Galliam ad Regem directum iter impeditum erat, fore, vt nuncii longo circuitu per Helueticam iter tenere cogantur: cumque facile fieri possit, vt in fœdere tractando difficultas aliqua existat, cuius causa mora necessariò interponatur; sicque fœderis confectio tam diu differatur, vt si non ante apparatus quibus arci oppitulandum sit inchoarentur; quam fœdus confectum esset, verendum esse, ne nimis seri atque intempestiui sint futuri. Quamobrem hoc periculo cum Venetis expenso, Mediolanensium quoque Ducis procuratoribus, qui & Romæ & Venetiis erant, ac multis ipsius partium studiosis, qui varias conditiones proponebant vrgentibus, tantas copias quantæ ad arcem obsidione liberandam idoneæ viderentur, vt iis statim vbi fœdus confectum ex Gallia acciperent, vterentur, comparare: interea Mediolanensi populo spem facere, ac varias conspirationes, quæ ipsis in eius imperii ciuitatibus proponebantur, fouere decreuerunt. Ideo communi consensu, vt Veneti Vrbinatium Ducem cum suo equitatu, & sex Italorum peditum millibus ad imperii sui fines Abduam versus, & Pontifex Guidum Rangonium cum altera legione Placentiam mitteret, fuit constitutum. Et quia magnum Heluetiorum numerum habere necessarium videbatur (nam Vrbini Dux ad victoriã consequendam duodecim Heluetiorum millia prorsus esse necessaria Venetis affirmabat) Pontifex autem & Veneti, ne antequam fœdus confectum esse certo scirent, se tam apette Cæsaris hostes declararent, suos homines ad eum numerum conscribendorum in Helueticam mittere nolebant. Itaque auditus fuit Ioannes Iacobus Medices Mediolanensis, qui ex Mussianæ arcis præfecto, temporum occasione, & loci opportunitate cognita, se eius dominum effecerat: is se ante multos menses in hunc finem cum multis Helueticis ducibus familiaritatem contraxisse indicans, statim vbi sex aureorum nummũm millia accepisset, totidem Helueticorum millia, non quidem publico ciuitatum decreto, sed priuatim conscriptorum, quibus vbi in Insubriam discessissent, stipendia persoluerentur, adducturum pollicebatur. Et vt in expeditionibus, quæ ab vna parte faciles existimantur, ab altera temporis angustia vrgentur accidere solet, non modo conditio ab hoc homine proposita, cum præsertim à Mediolanensium Ducis ministris, & Ennio Verulano Episcopo, cui Pontifex in Helueticorum rebus, propterea quod eas Pontificatus nomine prius tractasset, fidem habebat; ideoque ipsius mandato Brixiæ multos menses fuerat, & tunc apud Veneti

exercitus

exercitus legatum agebat, vnde semper cum multis ex ea gente consilia agitabat, probaretur, re parum expensa à Pontifice & Venetis fuit arrepta. Auditus etiam Venetiis Octauianus Sfortia Laudensis Episcopus, qui se facile magnum illorum numerum adducturum pollicebatur. Isque statim ab illis re cum Pontifice minime communicata, in Heluetiam, vt alia sex millia eodem modo, iisdemque stipendiis conscriberet est missus: quibus ex rebus non satis ponderatis, vt infra dicetur, expeditionis tanta spe incœptæ perturbandæ magnum initium profectum est.

X. *Carolus V. Proregem Neapol. ad Galli animum explorandum mittit.*

Sed dum hæc in Italia parantur, Cæsarque dilationes interpositas fœderis cõfirmandi suspectas habere incipit, Neapolitanum Proregem, qui vna cum obsidibus & Regina Eleonora, in Victoriæ oppido, vt eos ad Regem simulac is cõpositionis capitibus satisfeciisset reduceret, substiterat, & cum eo Alarconem ad Galliæ Regem, qui Baiona Cuniacum se transtulerat, vt eius mentem prorsus explorarent misit. qui etsi à Rege maximo honore & beneuolentiæ declaratione, vt Cæsaris ministeri, & vt is, cui Rex magna ex parte libertatem suam acceptam referret, acceptus fuerit, cum prorsus à Burgundia restituenda alienum reperit. Afferebat enim se nunquam regni consensum impetraturum, nec se id sponte promissurum fuisse; quod Galliæ regno tanto detrimento esset, vt ipse id præstare nullo modo posset. Sed cum in cœpta cum Cæsare amicitia quantum posset perseuerare, & affinitatem contrahere cuperet, reliquis omnibus de quibus inter ipsos conuenerat seruatis, Cæsari pro Burgundia viginti millia auri pondo daturum; seque nulla alia de causa ad compositionem Madriti factam hac moderatione confirmandam, nisi magno Cæsaris amicitiæ conseruandæ studio impelli. Neque enim sibi Pontificis, Angliæ Regis, & Venetorum, quibus ad bellum renouandum incitaretur stimulos & promissa deesse, ostendebat. Quod responsum postremamque ipsius sententiam & Prorex Cæsari significauit, & Rex ex suis ab epistolis ministris vnum, qui idem illi indicaret ad eum misit. Ex quo factum est, vt quamuis Pontificis ac Venetorum prius tantopere exoptatæ literæ & mandata eodem tempore essent allata, Rex magis pacis cum Cæsare cupidus, responsum ad hanc nouam conditionem, cuius Prorex spem fecerat, expectare statuerit, & fœderis negotium aperte differre cœperit; nec tamen, quia id occultari non poterat, prorsus se nouam cum Cæsare compositionem tractare, quam cum à Prorege proposita fuisset, audire, nihil obesse posset, dissimulabat: & quamuis aliud in animo haberet, se nunquam nisi cum liberorum suorum restitutione, Mediolanensis imperii restitutio, & totius Italiæ securitas esset coniuncta, conuenturum certò asserebat. Quæ res ad Pontificis animum emolliendum idonea fuisset, nisi ob suspicionem, quam in animo fixam habebat, in Galliæ Regis fœdere vnicam rerum suarum salutem positam esse censuisset. Sed mirum est, quam Cæsaris animus, Proregis nuncio accepto, & Galliæ Regis ab epistolis ministri oratione audita fuerit perturbatus. Burgundiæ enim, quam gloriæ suæ augendæ causa, & ob eius prouinciæ ad res maiores gerendas opportunitatem summopere cupiebat, recuperandæ spe deiici ei molestissimum erat: Galliæ Regem à promissis & fide recedentem; cunctis mortalibus quam parui ipsum faceret palam ostendere, vehementer indignabatur; eiusque animum haud mediocriter cruciabat, quod contra omnium fere suorum consilium, contra totius Curiæ commune iudicium; contra id quod ipsi post compositionem cognitam ex Flandria Margarita patris ipsius soror, & omnes ipsius in Italia ministri prædixerant, rerum momenta & conditionem malè dimensus, fidem sibi à Galliæ Rege seruatum iri credidisset. Quibus in cogitationibus, quid dignitatis suæ ratio postularet, & quibus in periculis difficultatibusq; res suę quouis casu essent futuræ diligenter ad calculos reuocans, caput quo de Burgundiæ restitutione agebatur non immutare statuit: sed potius cũ Pontifice pacẽ inire, Francisci Sfortiæ restitutioni annuere; eo magis ex dignitate sua esse censeret minori Principi ignoscere, quam potentis Regis, & potentiæ suæ æmuli, voluntati cedentem, timorem propemodũ confiteri; potiusq; grauissimum cum omnibus bellum sustinere, quã iniuriam à Galliæ Rege acceptam cõdonare. Metuebat enim, ne Pontifex amicitiam suam spretam fuisse cernens, animo prorsus à se esset alienus. Hanc vero suspicionẽ augebat, q illum præter hominem in Galliam ad gratulandũ missum, Legatum quoq; publice cõdẽ mittere audiebat: & multo magis quod paulo ante Pontificii imperii maritimæ oræ à Mauris propugnandæ specie, Andream Auriam cum octo triremibus, viginta quinq; aureorũ nummũm millibus in singulos annos stipendio cõduxerat. quæ res tum propter hominis dignitatem, tum quia Põtifex nunquã antea de imperio maris cogitarat, tum quod is plures annos in Galliæ Regis stipendio fuisset, ne id Genuæ res turbandi consilio fieret, ei suspicionem adferebat. Itaque se, in omnem euentum comparans, multa eodem tempore procurauit: Borbonii in Italiam profectionem, quæ antea lente parabatur, accelerauit: vt septem suæ triremes, quæ in Monæci portu erant; ex Italia, quo cæteris adiungerentur, Barcinonem venirent, mandauit: & quia eius profectio sine pecunia irrita fuisset, vt centum aureorum nummũm millia secum in Italiam ferret, operam dedit. Vgonem Moncadam legatum ad Pontificem cum eiusmodi mandatis (vt palam aiebat) quibus ei satisfieret, destinauit. id autem in hunc modum, vt prius ad Galliæ Regem vaderet, à Prorege, num qua spes esset Regem promissa facturum certior factus aut vlterius non progrederetur, aut si progrediendum censeret, mandata pro rerum & statu & necessitate variaret. Sed omnibus Pontificis salutaribus consiliis, Mediolanensis arcis iam prope commeatu exhaustæ deditionis periculum; ne inter Galliæ Regem & Cæsarem aliqua ratione amicitia fanciretur metus; quid Vgonis Moncadæ aduentus pariturus esset, dubitatio obstabat, in quo, quod prius Galliam peteret, suspectum erat. nec minus etiamsi in Italiam veniret, suspectæ erant illorum simulationes & artes. Quare cum is vna cum Venetis, vt fœdus cõtraheretur vrgeret: Rex tandem, quum ex Hugonis aduentu Cęsarem à compositionis capitibus immutandis alienum esse animaduertisset, ne longior in fœdere contrahendo mora Pontificem ad nouum consilium capiendum impelleret veritus, & res suas hoc fœdere apud Cæsarem plus ponderis habituras, ac metum eius animum aliqua ex parte flexurum ratus, ad idem quoque ab Angliæ Rege, qui magis cohortationibus, quam factis huic negotio faucbat incitatus, fœdus contraxit. Quod decimo septimo Maii die huius anni 1526. Cuniaci inter Regios Procuratores, homines ex ipsius Senatu ab vna parte, & Pontificis ac Venetorum ministros ab altera, in hanc sententiam est ictum.

Franciscus Galliæ Rex cum Pontifice & Venetis fœdus init.

XI.

Inter Pontificem, Galliæ Regem, Venetos, & Mediolanensium Ducem, quem id ratum habiturum Pontifex & Venecti spopondерunt, perpetua societas fœdusque, vt Mediolanense imperium Francisco Sfortiæ liberum relinquatur, & Regis filii patri restituantur, esto: Cæsari fœdus initum denunciator; eique intra tres menses huic sese adiungendi; facultas esto. Si se adiungere volucrit, Regi filios æqua mulcta, quam Angliæ Rex dixerit, accepta restituito: Mediolanensem Principatũ sine exceptione Francisco Sfortiæ, & cæteros Italiæ status, ita vt ante postremum bellum erant, relinquito. Pontifex statim vt Franciscus Sfortia in Mediolanensi arce obsessus obsidione liberetur, eique imperium restituatur, cum octingentis grauis, septingentis leuis armaturæ equitibus, & octo peditum millibus, Veneti cataphractis & peditibus totidem, mille leuis armis armaturæ equitibus, bellum mouento; hisq; ipse Mediolanensiũ Dux quamprimum poterit, quadringentos grauis, trecentos leuis armaturæ equites, & quatuor peditum millia adiungito. Interea vero Pontifex ac Veneti quatuor peditum millia eius nomine suppeditanto. Galliæ Rex statim quingentos cataphractos in Italiam mittito, & vrgente bello singulis mensib. Pontifici ac Venetis quadraginta aureũm millia, quibus Heluetii pedites cõducantur, pendito. Ipse sine mora trans Alpes in qua parte magis opportunum visum fuerit, ad minimum duobus cataphractorum & decem peditum millibus, & satis magna curulium tormentorum copia Cęsari bellum inferto. duodecim triremes Rex, & Veneti tredecim propriis sumptibus armanto: his Pontifex eas cum quibus Andream Auriam conduxit, adiungito. Nauium ad eam classem necessariarum sumptus cõmunis esto. Hæc classis ad Genuam oppugnãdam mittitor. dein Cæsariano exercitu in Insubria victo aut debi-

Fœderis leges.

litato,

litato, regnum Neapolitanum terra marique oppugnanto; idque si vincatur, Pontifex cui visum fuerit tradito: quamuis peculiari capite, vt Pontifex id sine sociorum consensu facere non posset, constitutum fuerit, veteribus tamen censibus, quos sacra Sedes percipere solebat, & Principatu ex quo quatuor aureorum nummûm millia quotannis percipiantur, cui volet attribuendo, relicto. Vt autem Galliæ Rex victoriam, quæ in Italia obtineretur, & regni Neapolitani occupationem, sibi ad filios facilius recuperandos profuturam certò sciat, si Cæsar intra quatuor ab illi regni amissione menses, fœderi iis legibus, quæ supra sunt expressę adiungere sese voluerit, regnum ipsi restituitor: sin eam conditionem nõ accipiat, Galliæ Rex ex regno Neapolitano annuũ censum in perpetuum habeto. Galliæ Regi nullo tempore, nullaue de causa Franciscum Sfortiam ob Mediolanense imperium molestia afficere fas esto: imo vna cum aliis ad eius defensionem contra quemuis tenetor: atque vt inter ipsum atque Heluetios nouum fœdus fiat, pro virili operam dato: ab illo autem annuum censum eius summæ quam Pontifex & Veneti (quibus tamen non minus quingentis auri libris pronunciare liceat) censuerint, accipito. Franciscus Sfortia coniugem è Gallia illustri genere natam, ex Regis arbitrio ducito: & Maximiliano fratri annuæ pensionis quam à Rege accipiebat loco, decenter victum suppeditato. Regi, Astę Comitatus restituitor: & si Genua capiatur. Rex eam autoritatem quam antea solebat, in ea obtineto. Si Antoniotus Adurnius (qui tunc eius ciuitatis Dux erat) cum sociis conuenire velit, ea lege vt Galliæ Regem tanquam supremum dominum, quemadmodum ante paucos annos fecerat Octauianus Fregosius, agnoscat, admittitor. Omnes socii à Cæsare, vt Regi filios restituat, petunto: id ni fecerit, fœderatos nihil vt id consequantur præmissuros, ei omnium nomine significator: Italiæ vero bello confecto, aut saltem regno Neapolitano capto, ac Cæsariano exercitu ita fracto, vt amplius timendus non sit, Galliæ Regem trans alpes cõtra Cęsarem, mille grauis, mille & quingentis leuis armaturæ equitibus: & decem peditum millibus, aut pro iis pecunia ad arbitrium Regis socii iuuanto. Nulli sociorum absque aliorum consensu cum Cæsare pacisci fas esto. Cæsari, si se fœderi adiunxerit, cum eiusmodi militum numero, qui minime sit formidandus, à Pontifice ac Venetis constituendo, Romam ad Cæsaream coronam capiendam eundi potestas conceditor. Etiamsi aliquis sociorum moriatur, fœdus tamen integrum permaneto. Huius fœderis Angliæ Rex patronus & conseruator, cum se ei adiungendi facultate, esto: cui si se adiunxerit, status in regno Neapolitano, cuius fructus trecenta quinquaginta auri pondo æstimentur; Eboracensi vero Cardinali alius, aut in eodem regno, aut in alia Italiæ parte, è quo centum auri annuis libris percipiat, danto. Pontifex hoc fœdere Ferrariensium ducem, quamuis à Galliæ Rege & Venetis exoptatum, comprehendi noluit: imo quamuis communibus verbis, vt socios sibi ad eas vrbes de quibus cum Pontificatu lis esset recuperandas opem ferre debere, fœderis capitibus exprimeretur impetrauit. De Florentinis quin reipsa fœdere comprehenderẽtur, quum Pontifex non modo illorum equitatu & omnibus viribus vti, verum etiam, vt secum seu potius vt communes essent sumptus, maximam sumptuum partem sustinerent, in animo haberet, dubium non erat: sed ne eius gentis commercia, quæ in locis Cæsari subiectis habebant, turbaret, neue mercatores in periculum vocaret, vt socii nominati nõ fuerunt: sed tantum vt in Pontificis gratiam omnibus fœderis immunitatibus, priuilegiis & commodis perinde ac si in fœdere essent, Pontifice pro illis, ipsos nulla ratione fœderi aduersos futuros promittente, fruerentur expressum. Qui vero vnus tanto bello administrando præficeretur, qui & autoritate, & rei militaris scientia & fide præstaret; tum quod difficile esset aliquem inuenire in quo hæc essent omnia, tum quod temporis exiguitas minime, vt de eo disputaretur, patiebatur, nihil tum constitutum fuit.

XII. Fœdere confecto, Rex qui animum ab iis, quæ cum Prorege tractabantur, nondum prorsus remouerat, fœderis sanctionem, equites, & pecuniam in primum mensem promissam mouere distulit; donec Pontificis & Venetorum confirmatio adferretur. quę mora, etsi mentem illorum turbarit, nihilominus eadem necessitate illos progredi cogente, fœdere sancito, statim Mediolanensis arcis obsidione liberandæ nomine belli initium facere decreuerunt. Quamobrem Pontifex, qui antea Guidum Rangonium Ecclesiæ copiarum præfectum cum suo equitatu, & quinque peditum millibus Placentiam miserat, Vitellum Vitellium cum aliis peditibus & Florentinorum equitatu cui præerat, & Ioannem Medicem Italici peditatus Ducem, eò misit: & Franciscum Guicciardinum ea tempestate Æmiliæ Flaminiæque Præsidem suum in exercitu, & per vniuersum Pontificium imperium, cum plenissima ac fere absoluta potestate Vicarium constituit. Veneti quoque exercitum suum, cui Vrbinatium Dux Petro Pisaurio legato imperabat auxerunt, eumque Clarii in Brixiensi agro considere iusserunt, eisque mandarunt, vt libere ac sine cunctatione vterque exercitus contra Cæsarianos progrederetur. Mediolanum interea venerat Vgo Moncada, qui etsi fœdus contractum ipsum & Proregem adhuc lateret, nihilominus ob Regis responsa res ad eum statum, qui Cæsari placeret, redigi posse diffisus, iter suum in Italiam erat secutus: vbi Protonotario Caracciolo secum in arcem ducto, & ampla Duci de Cæsaris benignitate fide facta, vt sese ipsius voluntate permitteret, ei persuadere est conatus. Cum autem Dux se ob iniurias sibi à Cæsaris ducibus illatas, Pontificis ac Venetorum opem implorare coactum fuisse, neque vt quidquam de seipso absq; illorum consensu constitueret, æquum esse respondisset, Vgo Cęsaris mentem esse, vt crimina ipsi obiecta summatim ex æquo bonoque à Protonotario Caracciolo, cui Dux plurimum fidebat, diiudicarentur: id potius vt ipsi imperium maiore cum Cæsaris dignitate restitueretur, quam aliam ob causam fieri innuens; seque vbi cum Pontifice esset locutus, hæc perfecturum ei spem fecit; nec tamen vt obsidio ante solueretur, & nihil se noui moliturõs, quemadmodum Dux postulabat pollicerentur, assentiri voluit. Opinio fuit (sic enim post fama percrebuit) valde amplam Vgoni à Cæsare non modo cum Pontifice, vt Mediolanensium Duci imperium restitueretur, verum etiam cum Duce solo, modo illum in imperio restitutum Cæsaris rebus non obfuturum esset cautum, componendi facultatem datam: sed huic potestati adiunctum fuisse, vt ex temporum statu & necessitate consilium caperet: Vgonem vero angustiis in quibus arx versabatur perspectis, & cõpositionem cum Duce nihil Cæsaris rebus, nisi quatenus concordiæ cum Pontifice & Venetis conciliandæ instrumentum esset, prodesse cogitante, cum illo solo pacisci inutile censuisse. Vgo & Caracciolus deinde Maronum, qui in Tretii arce captiuus detinebatur, Montiam potius vt Protonotarius causæ iudex futurus, cum eo ageret, quam aliam ob causam duci iusserunt. Post Vgo, Mediolano, cum prius Venetis vt suo Oratori, quem Romæ haberent, autoritatem ad ea, quę proponerentur tractanda mitterent, scripsisset, Romam est profectus. quò cum peruenisset, vnà cum Suessano Regulo Pontificem adiit, eique magnificis verbis, in ipsius potestate esse, vtrum vellet pacem aut bellum amplecti, proposuit: Cæsarem namque etsi ob naturæ suæ bonitatem magis pacis esset studiosus, tamen & animo & viribus ad vtrumque paratum esse. Ad quę cum Pontifex communibus verbis respondisset, & simul iniurias sibi à Cæsaris ministris illatas, ipsiusque aduentus tarditatem, vt cum antea sui iuris fuisset, nunc aliis esset obstrictus in causa fuisse questus esset; illi sequenti die ad eum reuersi, Cæsaris mente esse, Mediolanense imperium Francisco Sfortiæ liberum relinquere, ea tamen lege, vt arx in Protonotarii Caraccioli potestate tamdiu esset, donec is causam non quidem exactè, sed Cæsaris dignitatis conseruandæ gratia ad speciem tantum & colorem cognouisset, suas cum Venetis controuersias honesta ratione componere; exercitum ex Insubria ea pecunia de qua aliàs agitatum fuerat accepta deducere; nec pro his omnibus ab illo, nisi, vt sese rebus inter ipsum & Galliæ Regem nõ interponeret patere, expostulauerunt. Ad hæc Pontifex, se quantopere semper Cæsaris amicitiã tueri cupiuisset cunctis mortalibus notum esse existimare; neque vmquam iis, quæ ipsemet sponte offerebat, maiora ab eo petiisse: quæ cum ipse magis communis vtilitatis quam proprii commodi studiosus esset, magis ex ipsius voluntate esse haud potuissent: & nunc quoq; se in eadem sententia perseuerare, etsi non paucę propositi sui mutandi causæ essent datæ. Sed tamen maiore nunc animi molestia illa sibi concedi audire, quam cum dene-

gabantur

gabantur audiuisset: propterea, quod non iam vt prius ea amplecti sibi integrum esset. Id autem non sua culpa, sed ob nimiam moram à Cæsare in deliberando interpositam factam: quæ res in causa fuisset, vt cum nulla vnquam communium Italiæ rerum in seeurum statum redigendarum sibi spes esset oblata, & interea Mediolanensem arcem in angustiis versari videret, se suæ & aliorum salutis causa fœdus cum Galliæ Rege inire coactum esse; sine quo, nisi fidem violare vellet, quicquam decernere sibi integrum non esset: Qua in sententia etsi multa in contrarium adferrentur, constans perstitit. Vgo vero, vbi cum illo sæpius frustra egisset, Roma discessit. Molestum autem erat tum ipsi, tum Cæsarianis ducibus, quod pacis spe excluſa, res ad manifestum bellum tenderet: propterea, quod ob fœderis potentiam, & difficultates in quibus ipsi versabantur, tantam belli molem sustinere difficillimum censerent.

XIII. Hoc tempore à Francisco Guicciardino literæ ab Antonio Leua ad Suessanum Ducem interceptæ sunt, quibus ei Mediolanensis populi auersos animos, & nullam rebus ipsorum, nisi in Dei ope salutem reliquam esse indicabat: & item aliæ eiusdem & Vastii ad Vgonem post ipsius Mediolano discessum scriptæ, quibus eum ad pacis negotium incitabant, & vt ipsos statim de rerum successu certiores faceret, rogabant; periculumque in quo essent ipsi & Cæsaris exercitus in memoriam reuocabant. Sed non tanta erat in eorum, qui sociorum copiis imperabant animi confidentia, quantus erat Cæsarianorum ducum timor. Vrbinatum enim Dux, cui tandem ob Venetarum copiarum imperatoris munus, quo fungebatur, & quod nemo illi dignitate, autoritate, existimationeque par esset, exercituum cura erat committenda, Hispanorum ac Germanorum militum virtutem fortasse maioris, quam æquum esset faciens, & vltra modum Italis militibus diffidens, nisi ad minimum Heluetiorum quinque millia cum exercitu essent, Abduam fluuium non traiicere fixum in animo habebat: imo ne si cum Venetorum copiis tantum Ollium traiiceret, ne Cæsariani Abdua traiecta se adorirentur veritus, vt Pontificius exercitus, qui iam Placentiæ erat, Pado infra Cremonam traiecto, cum Veneto, vt deinde Abduæ appropinquarent, & ad eius fluminis ripam in munitis castris Heluetiorum aduentum expectarent, coniungeretur, vrgebat: quibus præter ipsorum naturam, quod illorum cura Mussii præfecto & Laudensi Episcopo imprudenter commissa fuisset, multæ difficultates intercedebant; neuterque tanta apud illam gentem autoritate pollebat, vt præsertim tam parua pecunia tantum illorum numerum tam repente quam opus fuisset, posset adducere. Hisaccedebat inter eos exorta æmulatio, qua fiebat, vt ambitione & propriæ vtilitatis studio, si quid autoritatis haberent, corrumperetur. Aliquod etiam impedimentum Galliæ Regis apud Heluetios procuratores attulerunt. Quæ enim Regis hac in re sententia esset, & num id ex ipsius voluntate, an contra fieret, ignorabant. Nam non quidem negligentia, sed studio, iis consiliis, quæ cum sæpe prudentissima videantur, tandem nimis acuta sunt, id Regi significatum non fuerat. quoniam Albertus Pius Regius ad Pontificem Orator, ne si Rex ante fœdus confectum, vt Heluetii conscriberentur mandatum esse intelligeret, bellum contra Cæsarem iam nihilominus sine se à Pontifice & Venetis cœptum ratus id differret, metuendum esse ostenderat. Sic Heluetiorum aduentu dilato, omnium quæ ad Mediolanensem arcem liberandam erant excogitata, potissimum & validissimum instrumentum differebatur; quamuis Laudensis & Mussius, quotidie illorum aduentus certam ac præsentissimam spem facerent. At Cæsariani Duces vbi aperte bellum parari animaduerterunt, ne sibi eodem tempore cum hostibus intra & extra muros esset pugnandum, se Mediolanensis populi, qui indies audacior factus, non modo ipsis omnia, quæ petebat, denegabat, verum etiam, si qui ex militibus per vrbẽ ab aliis disiunctus inuentus fuisset, à Mediolanensibus interficiebatur, metu liberare decreuerunt.

Idem cõtra Cæsarẽ cũ Veneris & Gallo bellũ parat.

Mediolani inter Cæsareanos & Italos ple-

Itaque à delictis, quæ per vrbem cõmittebantur occasione sumpta, vt aliqui ex populi ducibus Mediolano exirent, petierunt: ex quo tumultu exorto, nonnulli Hispani per vrbem incedentes à quibusdam popularibus fuerunt interfecti. Quamobrem Antonius Leua & Vastius, exercitu clam ciuitati admoto, se ad ea, quæ superioribus diebus promisissent, non amplius teneri contestati, decimo septimo Iunii die, vt tumultus initium facerent, in suo conspectu plebeium quendam hominem, quod honorem ipsis non exhibuisset, interfici iusserunt; & post illum tres alios: quo facto, domibus cum Germanorum peditum agmine egressi, populo arma conclamandi occasionem dederunt. qui etsi initio Curiam veterem & maximi templi turrim, quæ Italis peditibus erat munita expugnarit: tandem cum nullo ordine, & vt imperita plebs solet potius vociferationibus quam armis pugnarent, & multi à Sclopetariis in editioribus locis, quæ Hispani prius occuparant collocatis læderentur, multi ex ipsis vulnerabantur, occidebanturque; ita vt confusione timoreque subinde crescente, cum Germani pedites ignem in proximas domos coniicere cœpissent, & iam Hispanicus peditatus à ducibus accersitus vrbi appropinquaret, populus extremum exitium metuens, vt sui duces & plerique alii populares viri, qui in id consenserant, Mediolano discederent, & multitudo sese ducum imperio subiiciens arma ponerent, factum fuit: Duces autẽ his legibus tumultũ antequá Hispani pedites ingrederentur, sedare acceleraruntVerebantur enim, ne si illi, dum vtraque pars in armis esset, ingressi fuissent, militarem impetum cohibere in ipsorum potestate minime fore, & sic ciuitas diriperetur: à qua re prorsus abhorrebant: tum quia exercitum tanta præda ditatum dissolutum, aut valde imminutum iri metuebant: tum etiam, quia pecuniæ penuriam, aliasque difficultates, quas in bello erant habituri ponderantes, illam ciuitatem, vt in ea diu exercitum alere possent conseruare, quam omnes eius neruos spiritumque vno die absumere, vtilius censebant.

bemque simul magnus belli tumultus oritur.

Sociorum igitur res non eam felicitatem, quam sibi homines initio proposuerant, quum tot iam in Heluetiorum aduentu impedimenta intercederent, & populi Mediolanensis spe frustrari essent, habere videbantur. Sed nouus casus eis existimationem, & longe maiorem quam antea apertioremque vincendi facultatem restituit. In tam alienis Insubriæ à Cæsarianis popularium animis, imo illis in extremam desperationem redactis, iam ab aliquot mensibus per varios homines fere in omnibus eius imperii ciuitatibus, varia nouarum rerum consilia fuerant agitata. Sed cæteris conspirationibus nihil proficientibus, consilia ab Vrbinatium Duce & Vencto legato Laudæ cum Ludouico Vistarino nobili eius ciuitatis viro agitata exoptatum exitum sunt sortita.

XIV. Is enim siue quod Sfortianæ familiæ ab antiquo studuisset, siue patriæ suæ, in quam Fabricius Maramaldus mille & quingentorum Neapolitanorum peditum præfectus, eadem acerbitate, qua Mediolanum Hispani & Germani accipiebant, vtebatur, miseratione commotus, Venetorum copias, quamuis ipse Cæsari militaret, introducere statuit: sed se prius, quasi milites, quibus præerat sine pecunia diutius alere non posset, vt dimitteretur petiisse, & impetrasse, aiebat: idque Vrbinas confirmabat.

Capta fuit Lauda à sociis: quibus etiam Mediolanum, si acceleraſſent, facile fuit occupare: nisi Vrbinas procrastinando, & Heluetiorum aduentum expectando, Cæsarianis tempus dedissent, vires augendi. Inter hæc enim Borbonius, qui ante paucos dies cum sex triremibus, & cum mercatorum literis, quarum vi centum aureorum millia acceptura erat, Genuam peruenerat, Vastio & Antonio Leua eius aduentum valde virgentibus, cum circiter octingentis Hispanis peditibus, quos secum duxerat, Mediolanum est ingressus, ex cuius aduentu milites animum receperant: & ex eodem Galliæ Regis affectata negligentia, frigidaque ad bellum propensio cerni poterat.

Nam cum Pontifex initio ab Andrea Auria recens ad stipendia sua conducto, quibus viribus & apparatibus Genua esset tentanda consilium petiisset, is modo iam bello in Insubria cœpto tentaretur, & suis octo triremibus, quas Galliæ Rex in Massilienſi portu habebat, adiungerentur; aut saltim illæ Borbonii in Italiã reditum impedirent, rem valde facilem proposuerat. quoniam si ea ratione cum suis octo triremibus maris imperio potiretur, Genua, ob negocia-

tionis commercia, artes & commeatum multos dies mari clauso subsistere minime posset. & quamuis Rex se Borbonii reditum impediturum promisisset, illa verba, quia classis ipsius non erat instructa, & triremium duces tum ob pecuniæ penuriam, tum etiam ob negligentiam, & fortasse etiam dedita opera, serò pecunias acceperant; vt post cum cataphractis quoque factum est, irrita fuerunt. Sed quum à fœderatis Borbonii aduentus ignoraretur, Vrbinas cum Mediolanum die septimo Iulii inuadere tentasset, maiora opinione impedimenta inueniens, fugienti similis retrocessit. Octaua Iulii die, multos non modo reipsa, verum etiam ominis infelicitate commouente, exercitus fœderatorum à Mediolani mœnibus turpissime recesserunt: eadem enim die communi sociorum consensu fœdus solenni ritu Romæ, Venetiis, & in Gallia promulgabatur. Quod autem ad Ducem attinet, non est verisimile illum, si Mediolanum capi posse sperasset, se tanto maiori gloria, quantam à multis annis nullus vm quam belli præfectus adeptus esset, quanto Cæsarianus exercitus magis omnes, qui ante multos annos in Italia fuissent fama existimationeque superabat, fraudare voluisse: quam gloriam ipsius status securitas fere necessariò sequebatur. quia Pontifex ne tantam infamiam subiret, tantaque iniuria Venetos afficeret, eum inuadere ausus non esset. ac simul omnibus illorum dierum actionibus diligenter inspectis, verisimilius visum (in quam sententiam plerique alii concurrerunt) Ducem, spe quam ante duos dies Cæsarianos suburbia deserturos conceperat deiectum, tanto impetu in priorem sententiam, quò magis quam cæteri duces illorum vires formidarat, & de Italici peditatus virtute diffidebat rediisse, & maiore metu ipsi quam reliquis obuersante, præcipitem se in eam sententiam dedisse.

XV.

Hispani milites per Italiam dimittuntur.

Hic regressus Pontificem ac Venetos spe iam eò progressos, vt quotidie Mediolanum à suis captum nuncios expectarent, valde perturbauit. Sed præsertim Pontificem, neque pecunia, neque animi constantia ad bellum diu sustinendum paratum: quem etiam & Romæ, & in aliis imperii ipsius locis multæ difficultates obruebant. Nam cum trecenti Hispani pedites, & aliquot equites in Carpii præsidio essent, maximo cum detrimento per vniuersam circumiectam Pontificii imperii regionem, magnum etiam tabellariis ac pecuniis, quæ Roma & Florentia ad exercitum mittebantur impedimentum adferentes, exeurrere cœperunt: cui malo paruis in oppidis præsidiis positis occurri minime poterat: & Pontifex bello parua cum pecunia incœpto, ac ingentibus sumptibus obrutus, suis pecuniis & iis, quæ illi assidue in belli vsum à Florentinis suppeditabantur, difficulter vires ad eos reprimendos idoneas, cum præsertim noua expeditione in Hetruria esset occupatus, & Romæ armatus esse cogeretur, parare poterat. Vgo enim & Suessanus à legatione profecti, Ascaniusque & Vespasianus Columna in Columniorum castella Romæ propinqua profecti, multa motuum in Latio indicia dabant: etiam nonnulli illorum clientes, Ananiam Campaniæ vrbem conuenerant: quorum motus Pontifex ob Gibellinam factionem, quæ Romæ erat, magnificare cogebatur: quia ante paucos dies quædam Romanæ plebis in eum odii signa apparuerant. Nam cum eo tempore, quo Andream Auriam maris circa Romam à piratis, qui vrbis annonæ non mediocre impedimentum adferebant, tuendi prætextu conduxit, quædam vectigalia quò eum sumptum ferre posset, auxisset, & Ianii ea soluere recusarent, tumultu excitato ad Suessani Ducis, qui nondum Roma discesserat, domum, quò & omnes fere Hispani, qui Romæ agebant armati accurrerunt, conuenerant: qui tumultus tamen facile est sedatus.

XVI.

Hoc autem ipso tempore fœderatorum difficultates in Insubria crescebant. Nam etsi ex Heluetiis à Mussio & Laudensi conductis, tandem quinque millia in castra veniissent, nihilominus quum is numerus Vrbinati non satis esse videretur, qui Galliæ Regis nomine à ciuitatibus petiti fuerant, expectabantur. Illos enim si non aliam ob causam, saltem vt Papiensi præsio acceptam ignominiam delerent, ad eos concedendos paratissimos, eandemque ob causam milites, qui concederentur, ad bellum in tanta præsertim victoriæ spe vehementissimos fore sperabant. Sed in illa gente, quæ ante paucos annos ob ferocitatem suam & partam autoritatem, maximam amplissimi imperii adipiscendi opportunitatem habuerat, iam nec gloriæ cupiditas, nec reipubl. commodorum cura vigebat: sed id in re militari sibi proponebant, vt quam ditissimi domum reuerterentur. Idcirco militiam more mercatorum tractantes, vel ex aliorum necessitate suæ vtilitatis occasionem publicè capientes, cum inter eos corrupti homines essent, militem concedendi aut denegandi consilium ex hoc fine capiebant; & duces ipsi qui inuitabantur, quo meliore conditione vterentur, quò magis alios sua opera indigere videbant, eò magis se in altum recipiebant, maioraque sine modo postulabant. Has ob causas, Rege ex fœdere pedestres illorum copias postulante, quibus de communi consensu illis, quadraginta millibus aureorum nummûm, quæ Rex ipse fœderis Italici nomine debebat, stipendia erant prosoluenda, ciuitates post longam suam deliberationem more suo responderant, se antequam Rex ipsis omnes annuas pensiones, quas debeat, persoluisset, militem non concessuros: quæ cum ad tantam summam ascenderent, vt difficulter breui tempore persolui posset, homines à Rege missi facultate non sine difficultate à ciuitatibus impetrata, priuatos duces conducere fuerunt coacti. Quæ res præter moram in eo statu valde pernicioſam, non eam vim existimationemque obtinuerunt, vt si communi Magistratuum decreto eos obtinuissent.

Mediolanũ à Cæsarianis munitur.

Qua occasione Cæsariani nullam interea ab hostibus, qui ociosè Mariniani tempus terebant molestiam accipientes, summo studio Mediolano muniendo operam dabant: nec iam interiorem vrbem, vt belli initio, sed suburbiorum munitiones & propugnacula, iam non amplius, quod animum recepissent, & hostium existimationem imminutam viderent, de illorum propugnatione diffidentes. cumque Mediolanensem populum armis spoliassent, ac suspectos homines expulissent, non modo non tam scrupulosè suspicabantur, aut metuebant, sed eo in acerbissimam seruitutem redacto, militarium stipendiorum securi erant. Milites enim per Mediolanensium domos distributi, non modo dominos ad victum sibi quotidie lautum & copiosum suppeditandum, verum etiam ad pecuniam atque ad alia omnia, quibus aut opus haberent, aut quacumque ratione concupiscerent, subministrandam cogebant: idque vt fieret, nullum acerbitatis genus prætermittebant. quæ cum intoleranda essent, Mediolanenses nulla ratione, nisi clam Mediolano fugientes (id enim palam non licebat) vitare non poterant.

Quod ne facere possent multi milites plerosque ex hospitibus suis cum coniugibus & paruulis liberis in domibus vinctos detinebant: cum interea nullus sexus, nulla ætas ab eorum nefaria libidine tuta esset. Quamobrem omnes tabernæ atque officinæ clausæ erant, omnes in subterraneis aut alioqui reconditis locis, merces, ac domorum sacrarumque ædium diuitias & ornamenta occultauerant; quæ tamen neque ea ratione tuta erant. quia milites armorum inquirendorum prætextu, omnia vrbis loca, seruos quoque ad ea indicanda diuersis cruciatibus adigentes, diligenter scrutabantur: quarum rerum vbi eas inuenerant, eam partem, quæ ipsis videbatur dominis relinquebant. quo fiebat, vt eius vrbis aspectus, & hominum in summam mœstitiam ac pauorem redactorum vultus & ora miseranda essent. res certe summa commiseratione dignæ, & fortunæ inconstantiæ incredibile exemplum, iis, qui eam vrbem ante paucos annos frequentissimam, ciuium duitiis, infinito tabernarum opificumque numero, omnium rerum, quæ ad humanum victum spectant copia & suauite, superbo apparatu, pretiosissimis tam virorum quam mulierum ornamentis, ciuium & habitatorum & voluptates & spectacula propensa natura, non modo gaudio & lætitia plenam, sed omnium Italiæ vrbium florentissimam fortissimamque audiissent: nunc autem eadem innumeris mortalibus partim pestilentia absumptis, partim fuga dilapsis quotidieque dilabentibus, vacua habitatore ac pene deserta

Mediolanenses horrendè à Cæsareanis vexantur & opprimuntur.

deserta conspiceretur: viri ac mulieres inculti, sordidati egentissimi; nullum officinarum atque artium vestigium, quorum industria ingentes opes in hanc vrbem importabantur: omnis hilaritas, omnis audacia atque elatio in summum dolorem metumque conuersa. Borbonii tamen aduentus eos nonnihil est solatus. Sperabant enim illum cum (vt fama erat) pecunias secum attulisset, & ob fœderatorum exercitus regressum angustiæ ac pericula essent imminuta, aliqua etiam ex parte tantis oneribus acerbitatique modum impositurum: ac multo etiam magis, quod ei Mediolanense imperium à Cæsare traditum fama erat, sui commodi gratia, & vt sibi ciuitatis prouentus & statum magis integrum conseruaret, ne deinceps tam misere lacerarentur operam daturum sperabant; eaque spes sola ipsis relinquebatur. quia à legatis, quos ad Cæsarem miserant, satis intelligebant, ab eo nullum tantis malis remedium expectari posse: siue quod tam longe positus ad salutem ipsorum necessaria remedia adferre non posset; siue quod, vt sæpius experientia docuerat, longe minor populorum oppressionis & calamitatum misericordia, quam exercitus sui tuendi desiderium esset. cui exercitui cum stipendia non persoluerentur, nec ipse, nec duces, vt ab insolentia & iniuriis abstineret, imperare poterant. Idque eo magis, quia ducibus, tum vt milites benuolos haberent, tum etiam, ipsis quoque omnia prædæ exposita esse, vtile erat, hæc militaris licentia minimè erat ingrata: præsertim cum ob stipendiorum defectum aliquam haberent excusationem. Itaque omnes, qui Mediolani cæteros dignitate antecellebant, frequentes conuenerunt, & vultu, vestitu, gestu, patriæ & singulorum statum repræsentantes, cum multis lachrymis & lamentationibus Borbonium adiere: illud ad extremum obsecrantes, vt, si quid demeruissent, potius eos omnes immisso exercitu semel vna deleret, quam permitteret diutius tot miseriis & suppliciis prope excarnificari.

Respondit Borbonius, ea quæ fierent non modo contra Cæsaris voluntatem, sed & contra omnium ducum mentem fieri: eosque quod militibus stipendia persoluere non possent, potius id permittere, quam Mediolanum deserere, aut exercitus salutem in discrimen conijcere, & omnia, quæ Cæsar in Italia possideret hostibus obiicere coactos fuisse. Se quidem aliquam pecuniæ summam secum, sed quia militibus multa stipendia deberentur, non tanta, quanta opus esset, tulisse; sed tamen si Mediolanenses sibi triginta aurcorum nummûm millia in menstruum militum stipendium darent, se exercitum extra vrbem ducturum: & quamuis ipsos aliàs huiusmodi promissis deceptos fuisse sciret, tamen verbis ac fide sua fretos id certo credere posse affirmauit: simulque se Deum orare, vt si fidem falleret, primus hostilium tormentorum globus sibi caput auferret. Quam summam etsi ciuitati adeo exhaustæ esset grauissima, tamen cum nullam calamitatem, quam milites domi habere maiorem esse ducerent, conditione accepta, quanta fieri potuit celeritate colligere cœperunt. Sed quamuis militum pars pecunia accepta, in Romanæ & Tonsæ suburbia concedere, ibique manere iussa esset, partim vt munitiones custodirent, partim vt ea reficerent, quemadmodum ea quoque, quæ circa arcis hortos erat fossa reficiebatur, eo ipso in loco, in quo à Prospero Columna ducta fuerat; hi tamen quoque non minus, quam qui in ciuitate manserant, eadem hospitia, retinebant; eademque acerbitate, siue quod Borbonius fidei suæ rationem non haberet, siue vt creditur, quod militum voluntati & insolentiæ, quam etiam aliqui ex ducibus fouebant, qui vel ambitione, vel odio libenter eius consilia impediebant, repugnare non posset, vtebantur. Qua spe deiectus Mediolanensis populus, cum neque quod speraret, neque quò confugeret, haberet, in tantam desperationem est coniectus, vt certissimum fuerit, aliquos vt tot miseriis ac suppliciis finem imponerent, quum id viuentes facere non possent, ex editis locis sese in vias præcipites dedisse, nonnullos suspendio vitam finiuisse; necdum tamen hæc militum rapacitatem, ac feram immanitatem mitigare poterant. Erat quoque eadem tempestate miserandus reliquæ Insubriæ à fœderatorum militibus laceratæ status; qui antea maxima lætitia ab omnibus expectati, rapinis ac vexationibus beneuolentiam in summum odium, communi omnium seculorum corruptela, quæ exemplo huius temporis ab Hispanis sumpto, non minus amicos, quam hostes lacerat ac perdit, conuerterant. Nam etsi iam à multis seculis magna fuisset in Italia militum licentia, eam tamen mirum in modum auxerant Hispani, sed si minus iusta, saltem necessaria de causa, quia in omnibus Italiæ bellis suis stipendiis fuerant fraudati. Sed vt ab exemplis, quorum initia aliquam excusationem habent, semper homines in peius ruunt, Itali milites etsi non eadem necessitate, nimirum stipendiis minime fraudati premerentur, Hispanorum exemplum sequuti, nulla in parte illis in huiusmodi insolentia cedere voluerunt, quo factum est magna cum huius æui militiæ labe, vt milites nullum inter amicos & hostes discrimen ponerent; & sic non minus populos prouinciasque vastarent, ii qui vt eas defenderent, quam qui vt offenderent stipendia accipiebant.

Mediolanenſiũ arx deditionẽ cogitat.

Interea commeatus in arce sic absumebatur, vt iam obsessi de deditione necessario cogitarent. Vt tamen quam diutissime possent, differre, quod à nonnullis fœderatorum ducibus auxilii spe fouebantur, cuperent, nocte quæ decimo septimo Iunii præcessit, per arcis portam, quæ fossas, quibus arx foris claudebatur, respicit, supra trecentos partim milites, partim mulieres, infantes, & alios inutiles emiserunt. ad quorum strepitum, etsi ab hostium custodiis ad arma fuerit conclamatum, nihilominus sine vllo impedimento, cum fossæ tam angustæ essent, vt hastarum ope transiri possent, omnes incolumes euaserunt; & Marinianum in castra se contulerunt. atque maximarum angustiarum, in quibus obsessi versabantur fidem facientes, ac simul quam fossæ, quas mulieres atque infantes superauerant, parum essent munitæ ostendentes, duces cò vt ei opem ferre conarentur, redire coegerunt, Vrbinate quoque, ne hanc culpam, quam non tam facile excusasset quam primam, solus sustineret, annuente. Nam cum supra quinque Heluetiorum millia essent in exercitu, potissima causa ab illo illata, periculosum esse sine alio quam Italico peditatu Mediolanum accedere, nullum amplius locum habebat. Ideo in ducum consilio communi consensu decretum, vt exercitus non iam ad aliam partem, sed rectà ad arcem accederet, & sancti Gregorii atque Angeli templis prope fossas occupatis, ad vrbem castra locaret. Quo consilio Mariniano castra mouentes, quatuor dierum spatio itinere ob fossarum aggerumque munitiones difficili, vicesimo tertio Iulii die inter Cataretti Cœnobium & Lambrum amnem, ad vicum, qui Lambrate dicitur, peruenerunt. Vbi cum Vrbinas tempus in consiliis & sermonibus tereret, omnesque Vrbinatem arci auxilium ferre aut nolle, aut non posse animaduerterent, nuncii non tamen prorsus certi superuenerunt, arcem aut iam cum hoste composuisse, aut à compositione non procul abesse; quibus Vrbinas fide habita, coram vniuerso concilio eam rem etsi Mediolanensium Duci esset pernicioſa, sociis tamen desiderabilem atque vtilem esse: propterea, quod exercitum auxilii ferendi cupiditate aut necessitate, aliquid temere tentandi periculo liberaret; eosque imprudenter admodum sensisse, qui ei succurri posse sibi persuaserant. Nunc autem cum hoc periculo essent liberati, iterum de belli gerendi ratione perinde ac si is primus belli dies esset deliberandum ac decernendum esse dixit. Paulo post certus compositionis nuncius allatus est. quoniam Mediolanensium Dux cum ad eam angustiam esset redactus, vt vix vnius diei victum haberet, & cum sociorũ exercitum iam ante duos dies tam propinquo in loco metatum, nullum motum facere cerneret, omni subsidii spe amissa, iis, quæ iam per multos dies, vt in hunc cuentum paratus esset, cum Borbonio egerat, qui cum fœderatorum exercitus retrocessisset, in arcem Ducis visendi causa hominem miserat, ad finem perductus, 24. Iulii die, in hunc modum est pactus. Vt sine iuris sui fraude, arcem Mediolanensem ducibus, Cæsaris nomine eam accipientibus traderet: ipse cum iis omnibus, qui in ea erant incolumis discedendi facultatem à ducibus haberet: Comi ma-

Mediolanenſiũ arx Cæsareanis inito pacto traditur.

nere ei liceret, eaq; ciuitas ipsi cũ eius administratione & vectigalibus, tamdiu donec Cęsaris in ipsius rebus voluntas cognosceretur, esset attributa: Comi vectigalibus tantum adderetur, vt triginta aureorum millia quotannis haberet: publicam fidem vt tutò ad Cæsarem ire posset ei darent: militibus, qui in arce erant, stipendia, quæ ipsis ad eam vsque diem debebantur, quorum summa ad viginti aureorum nummûm millia ascendere dicebatur, persoluerent: Ioannes Angelus Riccius & Politianus, Protonotarii Caraccioli potestati, vt eos interrogare posset, ipsum eos deinde emissurum, & in tutum locum duci curaturum, fide ab illo accepta traderentur: Mediolanensium Dux Alexandrinum Episcopum, qui in Cremonensi arce captiuus erat, dimitteret; & Sforzino Castellonouum in Dertonensi agro situm daretur. In hac pactione nihil de Cremonensi arce actum est, quam Dux, qui famem diutius sustinere non poterat, Iacobo Philippo Sacco ab ipso ad Borbonium misso, vt si alia ratione non posset, eis promitteret, mandarat. Sed is ex illorum verbis & agendi modo, quantopere rem perfici cuperent animaduertens, Ducem id nunquam id concessurum simulans, vt nihil de eà ageretur impetrauit. Dux sequenti die arce egressus, & à multis illorum militibus vsque ad castrorum septa deductus, vbi diem vnum illic egisset, Comum versus contendit. Sed cum Cæsariani ipsum quidem tutam habitationem Comi habere dicerent, milites autem qui in præsidio erant, educere recusarent, ipse quamuis antea nihil quod Cæsaris animum magis irritare posset, facere statuisset, illorum fidei se amplius committere nolens, Laudam se contulit: quam vrbem fœderati prorsus ipsius potestati permiserunt. cumque ex iis, quæ in compositione expressa fuerant, nihil ipsi, nisi quod ipsum cum suis omnibus & suppellectile incolumes abire permiserunt, seruatum fuisset, fœdus à Pontifice & Venetis suo nomine ictum publicis tabulis confirmauit. Tentata inde Cremonæ oppugnatio; sed frustra: omissa Mediolani obsidio, cum probro: Genua, quam classibus admotis facile obtinere potuerant, nequicquam tentata; ac victoria omnino, amissa, Vrbinate cunctante.

XVII. Interea aduersi rerum successus, Pontificis, qui ad diuturnum bellum, cuiusmodi hoc futurum apparebat, nõ satis pecunia erat instructus, nec ad eam, vt rei magnitudo postulabat, vtque cæteri Pontifices solebant, inueniendam paratus, animum debilitauerant. Sed longe etiam magis eum turbabat, quod Galliæ Regis facta, fœderis capitibus, & iis, quæ omnes sibi de illo persuaserant minime respondere videbantur. Nam præterquam, quod in primi mensis quadraginta aureorum nummûm millibus persoluendis & tum cataphractis mittendis, tum classi expediendæ, tum necessariis ad Heluetios conscribendos apparatibus tardus fuerat, nulli ad bellum trans Alpes inchoandum apparatus cernebantur. Aiebat enim primo Cæsari, quemadmodum fœderis legibus erat expressum denunciandum esse. quod si secus fieret, ne Angliæ Rex, qui cum Cæsare peculiare fœdus ad mutuam defensionem haberet, eum iuuaret, periculum esse: vbi vero denunciatum foret, eum motum desiturum: ideoque se statim alacriter bellum inchoaturum; & Angliæ Regem quoque, qui se statim vbi indictum esset, Cæsari fœdus remissurum; & deinde fœderi Cuniaci icto se adiuncturum pollicebatur, idem facturum se sperare. Pontificis etiam supicionem augebat, quod Angliæ Rex, quum vt sese fœderi cuius auctor fuerat, adiungeret, rogaretur, prioribus cõsiliis ac promissis minime respondens, potius vt moram interponeret, quam aliam ob causam, vt socii pecuniam quam ei Cæsar debebat, se ipsi daturos reciperent, & vt principatus, pensionesque ex regno Neapolitano promissus, in Insubriam transferretur, petebat. Quibus de causis Ioannem Baptistam Sangam Romanum ad vtrumque Regem misit, qui subsidia ab eis postularet, & ad bellum inchoandum incitaret. Cum Ferrariensi quoq; Duce compositionem tentauit, eique pro Ferraria Rauennam proposuit: quam tamen commutationem is acceptare recusauit. Vnde Pontifex in magnas angustias coniectus fuit. Cardinali quoque Saluiato Legato ex Hispaniis reuertenti, vt ad Regem Galliarum legatione fungeretur, imperauit: cui ad petitiones Pontificis nomine factas, Rex respondit, vt se excusaret si facta voluntati minus responderet, propterea quod pecunia valde esset exhaustus: sed tamen si ipsi sacrorum beneficiorum per vniuersum regnum decumas exigendi facultatem exigeret, se illi ex ea pecunia viginti aureorum nummûm millia singulis mensibus suppeditaturum, & ad Neapolitanum bellum auxilia missurum pollicebatur. De imperio Mediolanensi sibi acquirendo, operam dare recusabat; belli trans alpes faciendi spem faciebat. Apud Anglum Regem, Pontificis legatio minime profecit. Nam quum Eboracensis Cardinalis omnes spe fouere, & ab omnibus rogari vellet, nihil certi constituebat: imo & ipse, & Rex sæpe Italiæ res nihil ad se spectare respondebant.

Pontificis legati apud Angliæ regem nihil efficiũt.

XVIII. Maiorem autem in modum Pontifex à Columniis infestatus fuit, atque tandem violatus. Quanquam enim eo animo cum Cæsare gerebat bellum, vt nihil ei plane nocere vellet, cuperetque solum, vt Gallia cisalpina Francisco Sfortiæ redderetur, vti antiquo in fœdere diserte à Leone cautum fuerat; ad exęquandas scilicet in Italia Principum vires, quibus singuli ab æquitate quadam & metu, suis contenti imperiis stabilem & securam pacem tuerentur; Pompeius tamen Columna Cardinalis, partium Cæsaris studiosus, cum & publicæ quam gerebat dignitati, & communi quam Patriæ debebat pietati, & debitæ in Vicarium Christi reuerentiæ, familiæ suæ rationes, quas cum Cæsaris fortuna coniunctas stare aut cadere dicebat, antepossuisset, aliquid suo nominè ausurus, vt studium suum erga Cæsaram edito aliquo facinore præclarius videretur, in Tusculano, quo se simulata molestiore podagra subduxerat, copias non contemnendas, vna cum Ludouico Corduba Duce Suessano Cæsaris Oratore collegit, agrumque Romanum infestare cœpit. Coactus est Pontifex inprimis Cardinalem, & cæteros Columnios, vt à cœptis desisterent, publico edicto, pœnisque propositis admonere; ac in contumaces deinde, tria millia peditum & quingentos equites præsidii causa conscriberet, quibus Pompeium noctu opprimere, aut certe copias eius delere potuisset; cohortantibus vt id faceret Stephano Columna viro impigro prudentique, & Salomone Siculo, vetere peditum præfecto, quos copiis præfecerat: nisi Vgo Moncada intercessisset; qui quidem non res componendi animo, sed vt Pontificem in apparatibus negligentiorem redderet, vt quibusdam legibus arma contra Senenses, atque inter ipsum & Columnios deponerentur, facili Pontifici, facile persuasit: maxime cum ad hæc tractanda Vespasianus Columna, homo Pontifici familiaris Romam venisset. Faciebant Columnii, & Procuratores Cæsarei, quod nullius magnæ rei contra Pontificem tunc gerendæ spem haberent, & tempus quoque donec Lanoius Prorex ex Hispania cum classe veniret, interponere desiderarent: Pontifex autem deceptus facile Vespasiano credidit, quod etiam se multum Columniis nocere posse non speraret, & animum ad regnum Neapolitanum maioribus viribus oppugnandum conuertisset. Ergo die vicesimo secundo Augusti, vt Columnii Ananiam, & reliqua loca ab ipsis capta restituerent; copias in Neapolitanum regnum contraherent, nec deinceps in locis, quæ in Pontificia ditione possidebant milites haberent; Cæsari contra quemuis ad regni Neapolitani defensionem eis militare liceret: & vicissim Pontifex omnes iniurias ab illis acceptas omnibus condonaret; edictum in Columnam Cardinalem promulgatum aboleret; & terras ipsorum nec ipse infestaret, nec ab Vrsinis infestari pateretur, pepigerunt. Gibertus eo tempore in grauissimarum rerum consiliis Pontifici intimus, id factum vt probaret, præsagiens futurorum adduci non potuit: vtpote, qui Columnios, nulla æquitate animi, aut sacrosancti Pontificis respectu permotos, pacem appetisse existimabat. Sed tantum valuit Vespasiani fides, vt is improbantibus & detestantibus cunctis, equitatum ac peditatum, quem conscripserat fere omnem dimiserit, & iis paucis, quos retinuerat per circumiecta oppida distributis, regni Neapolitani inuadendi cogitationem quoque remiserit, ac sese exutum omni præsidio, iniuriæ inimicorum atque adeo hostibus opportunum præbuerit. Dum enim in ea pactione Vespasiani potissimum fide fretus incautus quiescit, Cæsaris in regno Neapolitano ministri crebris querelis & obtestationibus, à Genua & Mediolano stimulati, quibus ex locis nisi fœderatorum progressus bello alium in locum magnis viribus

translato

translato infringerentur, illas vrbes vltra propugnari non posse nunciabantur; quum, ad bellum magnis viribus, quodque tam cito iis malis mederi posset, gerendum minime satis virium haberent, animum & consilia ad Pontificem insidiis opprimendum conuerterunt. Itaque etiam tunc Pompeius vbi Pontificem confisum nouo fœderi, nudatumque omni præsidio conspexit, patrandæ rei tempus adesse opportunum ratus, cum Vgone Moncata consilia communicauit, decreuitque, ad vrbem euocato coactoque exercitu protinus esse conuolandum. His de causis rogauit Ascanium, ipsumque Vespasianum nomine Cæsaris, vt sibi adesse vellent; si secus fecissent, aduersus Cæsarem esse facturos. His constitutis, Columnii, Cæsarem Filetinum clientem suum, cum duobus peditum millibus Ananiam, vbi Pontifex ducentos pedites habebat, vt consilia sua occultarent, se eam vrbem capere velle fingentes, sed reuera aliud in animo habentes, miserunt: & itineribus omnibus occupatis, ac ne quis Romam huius motus nuncius perueniret diligentissime cauentes, copiis quas Ananiam miserant, & aliis simul collectis, ita vt in vniuersum circiter octingenti equites, & tria peditum millia, sed omnes fere imperati essent; summa celeritate incedentes Romam properarunt. Quamquam autem ea quam occultissime fierent, & intercisæ essent obsessæque custodibus viæ, quæ è Latio ad vrbem ducebant, certior tamen Pontifex fiebat parari arma, atque aliena prorsus à quiete fœdereque consilia à Pompeio Columniisque omnibus agitari: sed de his, Vespasianoque præsertim, vt quicquam hostile crederet, adduci non poterat; confingique ea à militibus, quos, quod ad stipendia reuocari cuperent, maiora vero nunciare, aut ementiri prorsus existimabat. adeo vt quum iam Pompeium ad Murenæ villam, Albanumque lacum peruenisse nunciaretur, vix demum aliquot prætorianos equites emitteret ad explorandum: qui Cælimontana egressi porta, segni excursione intra suburbanas vineas facta, quum signa aciesque aduentantium hostium facile conspici possent, retrò equos verterunt, falsó cuncta pacata renunciantes. Dixerat enim decurio nequaquam longius esse præcurrendum, postquam ea essent Clementis stipendia, quibus neque equi hordeo pasci, neque ipsi absque inedia & vestium sorde vitam traducere posse viderentur. Armellino enim Clemens auarissimo quæstore vsus, ita extenuarat equitum stipendia, vt nemo, ne militia quidem, nedum corporis atque prætorii custodia dignus conspiceretur. Ita nemine Romæ quidquam de perduellium aduentu suspicante, nocte ante 20. Septembris diem Romam peruenerunt, ac tribus vrbis portis repente occupatis, per Lateranensem portam ingressi sunt. Erat autem cum illis non modo Ascanius Columna & Vgo Moncada (nam Suessanus Dux ante aliquot dies mortem obierat) verum etiam Vespasianus, qui pacis autor fuerat, fidemque suam pro se & cæteris omnibus interposuerat. Pontifex autem illorum aduentu cum iam luceret, & illi circa Sanctorum Cosmi & Damiani templum conuenissent cognito, terrore & consternatione plenus, frustra huius tumultus sedandi rationem quærebat. Nam neque vires ad se tuendum proprias habebat, neque populus Romanus, vt qui ex eius calamitatibus voluptatem caperet, publicumque detrimentum nihil ad se spectare existimaret, vllum alicuius motus signum edebat. Quamobrem hostes eo maiore animo vlterius progressi, cum omnibus copiis ad sanctissimum Apostolorum templum constitêre; inde per Xysti pontem circiter quingenti pedites, cum aliquot equitibus in TransTyberinam regionem miserunt: qui Stephano Columna à S. Spiritus porta, ad quam propugnandam quum Pontifici militaret, cũ ducentis peditibus se contulerat, postquam nonnihil obstitisset, pulso, per vetus suburbiũ ad Vaticanum & Pontificiam Curiam, in qua adhuc erat Pontifex cõtenderunt. Is autẽ Dei & hominũ opem frustra implorans, se quemadmodum Bonifacius VIII. à Pontificalib. indutus, Sarræ Columnæ impetu olim fecerat, amictu & ornamentis Pontificali sella moriturus se cõponere meditabatur: sed ægre admodum à purpuratis, qui circa illum erant, ab hoc proposito reuocatus, qui vt si minus sua, saltem eius Sedis causa, vt ne Dei maiestas in Vicarii ipsius persona tam nefarie violaretur, se ipse conseruaret, obtestabantur; cum aliquot ex illis quibus magis fidebat, quinta diei hora se in arcem recepit: cum iam non modo illi pedites & equites, qui primi venerant, sed & omnes reliquæ copiæ, Curiam, & Basilicæ diui Petri res atque ornamenta sacra, nihilo maiore pudore religionis maiestatem, & sacrilegii scelus quam Turcæ in Vngariæ templis spoliandis veriti, diriperent. Ita Vaticana domus momento temporis occupata direptaque est; neque prohiberi miles potuit, quin sacra omnia & in augustissimo quidem diui Petri templo semper antea inuiolato, nefariis manibus attrectaret. Quo facto, in nouum suburbium venerunt, eiusque circiter tertiam partem diripuerunt. Nam quo minus vltra procederent, tormentorum ex Angelica arce fulminibus terrebantur. Tumultu, qui paulo plus tribus horis, quia in vrbe nemo detrimento aut molestia est affectus, perseuerauit, sedato, Vgo Moncata fide à Pontifice & Cardinalibus Innocentio Cibo & Nicolao Rodulpho Pontificis consanguineis obsidibus acceptis, ad colloquium cum eo in arcem iuit: vbi verbis, quæ victorem decerent vsus, induciarum leges proponeret; necquicquam improbante & dissentiente Pompeio, qui de obsidenda oppugnandaque arce cogitabat, vt Clemente in potestatem redacto, è sententia Cæsaris bello finis imponeretur. Sed Moncata, etiam gemmatam mitram & crucem pastoralem argenteam Pontificibus præferri solitam, aliaque Pontificatus insignia militibus erepta restituit, & officii sui necessitatem Pontifici excusauit, detestatusque nefariam militum temeritatem orauit, vt ab oppugnando Cæsare desistere vellet, pro quo fortuna ipsa pugnaret: eam insitam esse animo Cæsaris pietatem, iustitiam, moderationem, vt non alio arbitro quam ipso Pontifice sit vsurus in pacanda Italia: cuius imperium nunquam affectarit, quanquam ad id iure optimo, vti partum possessumque ab antiquis Cæsaribus aspirare posse videretur. Ad ea Clemens parum de Pompeio, & id quidem ironicè, de Vespasiano autem plurimum & vehementer oblocutus, quod ab eo impudentissime se deceptum atque impie proditum quereretur, respondit; se omnibus temporibus Cæsaris dignitati amplitudinique studuisse, neque in posterum studia in eum sua remissurum, modo ille adulatione malignitateque consiliariorum plane deprauatus ad ingenium suum rediret, sequereturque æquitatem, & iura fœderum, quorum tabulæ vigerent, & Galliam Cisalpinam ipsi Sfortiæ impotentibus circumuento armis restitueret. Decere enim eum, qui tot auitis regnis adauctus, totque insignibus potitus victoriis ad summam authoritatem augusti imperii, summamque opum & virium amplitudinem peruenisset, liberali animo non modo antiquis possessoribus suas ditiones, suaque iura non adimere, sed etiam de integro largiri, atque concedere, ipsumque Sfortiam per summam inuidiam falsi criminis insimulatum, totius Italiæ precibus cõdonare. Actum deinde de induciis: quæ postridie in quatuor menses, inter Pontificem suo ipsius ac fœderatorum nomine, & Cæsarem pactæ, cum aliorum duorum mensium ad eas renunciandas spatio, & totidem aliis fœderatis ad eas comprobandas concesso, quibus non modo Pontificium imperium, & regnum Neapolitanum, verum etiam Mediolanenses, Florentini, Genuenses, Senenses, Ferrariensium Dux, & omn[illegible] ad Pontificium imperium quouis modo pertinentes, co[illegible]prehendebantur. Cautum fuit, vt Pontifex statim co[illegible] quæ circa Mediolanum erant, citra Padum cont[illegible] dream Auriam cum suis triremibus ex cl[illegible] lumniis & omnibus iis, qui in hoc [illegible] ignosceret; Philippum Strozium, & vnum ex Iacobi [illegible] uiati filiis obsides daret, quos Pontifex se intra duos menses Neapolim [illegible] trecentorum auri pondo ni id faceret, interposita pœna promisit: Cæsariani vero & Columnii copias Roma & è Pontificii imperii finibus educerent, easque in regnum Neapolitanum contraherent: Moncata ipse in regnum Neapolitanum cum omnibus copiis proficisceretur, daretque operam, vt qui ex sacrariis ablata essent, pertinerentue ad apparatum sacrorum, facta conquisitione redderentur. Et quidem Pontifex, vt initio concordiæ, induciarumque legibus stare, pacatoque animo ab æquitate Cæsaris pacem sperare sese ostenderet, copias Mediolano reuocauit, vtque Andreas Auria ex classe discederet imperauit.

Basilica D. Petri spoliatur à Cæsareanis.

Cæsareani Romã inuadunt.

Pontifex inducias cum Cæsareanis facit.

XIX. Dum hæc in Italia vario euentu geruntur, Pontificis, Galli, & Venetorum Oratores quarto Septembris die (tanta antequam id fieret mora fuerat interposita) Cæsari fœdus, Cuniaci ictum, & locum in eo ipsi relictum, cum fœderis legibus exposuerant. cui rei cum Angliæ Regis legatus interesset, Regis sui literas, quibus eum modeste vtsese, fœderi adiungeret, hortabatur, ei dedit. qui legatione audita, legatis, vt fœderi contra imperium honoremque suum potissimum contracto se adiungeret, minime ex dignitate sua esse respondit. Verum quum semper communis pacis studiosissimus fuisset, eiusque rei manifestissima indicia dedisset, se nunc quoque, modo ipsi satis amplam ad id potestatem haberent, ad eam contrahendam paratum esse. à quo tamen animo alienus esse, sed id vt magis iustam causam habere videretur, Angliæ Regi, vt aliquamdiu à fœdere abstineret, occasionem daret; hac spe fœderatorum apparatus retardaret; denique vt in ea tractanda aliquas æmulationes suspicionesque inter eos fereret, ponere credebatur. Nihilominus interea, vt classis, quæ quadraginta naues, & sex conductitiorum peditum millia continere dicebatur, instrueretur vrgebat: cuius expeditionem, vt sollicitaret Lanoius vicesimo quarto Septembris die à Cæsare discessit. ea enim in celebri nouæ Carthaginis portu adornabatur. quoniam Cæsar se ad negotia longe magis promptum & diligentem ostendebat, quam Francus; qui etsi tam grauibus curis premeretur, maximam temporis partem in venationibus, choreis & mulierum illecebris transigebat; eius vero filii compositionis ab eo seruandæ spe sublata, Valladolitum ducti fuerant. Huius classis aduentus Pontificem de Pro-Regis & Hispanorum fide dubitantem sese armis munire coegit. Idcirco non modo Vitellium cum suis ac nepotum copiis Romam accersiuit, verum etiam centum Mantuani gratis, & totidem Petri Mariæ Rossii leuis armaturæ equites, & ab exercitu duo Heluetiorum, & tria Italorum peditum millia ipsius sumptibus ad eum missa fuerunt. & nihilominus semper se in Hispaniam, vt cum Cæsare loquerctur, ire velle asserebat; quod ei ferme omnes Cardinales, cum præsertim incerta spe iturus esset, dissuadebant; vtque legatos prius mitteret, hortabantur. Georgius Fronsbergius interim, ex Germania cum nouis Cæsari auxiliis veniebat: vnde Pontifici, Venetis, ac sociis maior timendi causa nata erat. Ergo Pontifex animo ob Columniorum motum consternatus & ad pacem propensus, cum classe Barcinonem, vt ipsemet cum Cæsare de ea ageret, cogitaret, statim post hostium ab Roma discessum, Paulum Aretinum cubicularium suum ad Galliæ Regem, vt eius consensu ad Cæsarem ob pacis negotium transiret, ac Regi angustias periculaque sua indicaret; atque mille auri pondo, quo sese tueri posset ab eo peteret, miserat. Quibus in rebus ita secum ipse dissentire visus est nonnullis, vt quum pecuniam à Rege, & maiorem ad bellum gerendum ardorem cuperet, non modo decumas ei negabat, sibi dimidiam illarum partem deposcens; qua in re ei Rex minime assentiebatur, negans id vnquam in Gallia moris fuisse; verum etiam in iuris & Scribarum Principe, quem magnum Cancellarium vocant, qui tum ob autoritatem, qua in Regiis consiliis pollebat, tum etiam quia sine ipso nulla res nummaria tractabatur, maxime ipsi in omnibus cogitatis suis perficiendis prodesse poterat, in Cardinalium collegium cooptando se difficilem præbebat. Rex cum Paulo & aliis internunciis casum, qui Romæ Pontifici acciderat, sibi molestum esse ostendit: sua omnia ad eius defensionem obtulit; Pontificem ne amplius Cæsari fideret, monuit, eumque ab induciis seruandis vehementer est dehortatus. quod si faceret, se viginti aureorum nummum millia promissa ei suppeditaturum dixit. Idem suasit Anglus, ac ne Barcinonem iret, dissuasit. neque id solum, verum etiam infortunio eius cognito, ei viginti quinque aureorum nummum millia misit. Francus Pontificis ad Principes profectionem, vt quæ ob magnitudinem diu multumque esset meditanda, dissuadebat; & initio, siue ne Pontifex priuata consilia agitare inciperet, metuens, siue quod, vt aiebat, magis suam dignitatem conseruaret, pacem per Angliæ Regem tractare, quam eam à Cæsare deprecari, Paulum ad Cæsarem ire vetuit. quamuis non multo post, cum eius profectio iterum Roma vrgeretur, siue quod tandem pacem exoptaret, siue quod eam ab Angliæ Rege tractari moleste ferre inciperet, id concesserit. quoniam Angliæ Regis progressus eiusmodi erant, vt ne ab illo suarum rationum causa in iniquas leges traheretur, merito esset metuendum. Is enim Rex, aut potius sub ipsius nomine Cardinalis Eboracensis ambitione inflammatus, & omnium arbiter esse cupiens, ab æquitate abhorrentes leges proponebat: & quum diuersa ab aliis spectaret, verba sibi à Cæsare dari patiebatur: neque ab eo, vt in pacis legibus Insubriæ imperium Borbonio traderetur, modo illi Cæsaris soror nuptui daretur, vt sibi Galliæ Regi filiæ suæ elocandæ facultas libera relinqueretur, alienus erat. Itaque Pontifex, vtriusque Regis suasionibus, sociorum amittendorum, & ne illorum auxiliis spoliatus Cæsari præda relinqueretur metu, suorummet familiarium cum quibus consilia communicabat cohortationibus, odio in Columnios concepto, & amissæ dignitatis iusta vltione aliqua ex parte recuperandæ cupiditate impulsus, eas vires quas antea securitatis suæ tantum gratia Romam accersiuerat, in Columniorum oppida conuertere statuit. Afferebat enim se nullo iure ad eam pactionem, quam non sponte, sed illorum dolis armisque ipsorum, fide violata, coactus fuisset, seruandam cogi.

Clemens VII. vires suas in Columniorum oppida vertit.

Contra cæteros Columnios, qui in regno Neapolitano equitatum ac peditatum conscribebant, sententiæ declarationem distulit. Militabant Pontifici Federicus Gonzaga, Ioannes Medices, Stephanus Columna Prænestinus, Valerius Vrsinus, Ioannes Baptista Sabellus, & Ranucius Farnesius. Hi cum exercitu oppida Columniorum ingressi, Marinum & Montemfortinum, cuius tamen arce Columnii potiebantur, incenderunt; Gallicanum & Zagariolum funditus euerterunt; Palianum quoque occupassent, nisi Vitellius more suo difficultates prætexuisset. eaque ratione opinionem sui apud Pontificem minuisset. Ad quatuordecim minora oppida insigni Pontificiorum acerbitate direpta incensaque sunt; adeo vt magna senum, puerorum & fœminarum agrestium multitudo, alieni facinoris pœnas daret, paucique plecterentur ex his, qui è Vaticano templo altarium ornamenta rapuissent. Infecerat tamen omnes fere is sacræ pecuniæ & prædæ contactus, ipsamque maxime Neapolim, ita vt in foro, sacræ vestes ad hastam propositæ spectarentur.

Pontificii Columniorum oppida diripiunt & incendunt.

Inter hæc fama aduentus tum Germanorum, tum classis Hispaniæ magis crescens, Pontificem à sociis & à suismet consiliariis valde ad id incitatum, in alicuius compositionis, à qua semper vehementer abhorruerat, cum Ferrariensium Duce cogitationem impulit. Id autem non tam vt se ab illius motibus tutum redderet, quam vt magnam ab eo pecuniæ vim obtineret; atque vt ad exercitum tanquam omnium fœderatorum copiarum imperator proficisceretur, efficeret. Qua de re quum sæpius cum Matthæo Casella Fauentino Ducis apud se Oratore egisset, & Ducem eius rei cupidum inuenisse videretur, Vicario suo, qui Parmæ erat, vt Ferrarium iret, mandauit, eique ad speciem literas cum amplissima potestate dedit. cum multis condisionibus; quæ neque ipsæ per se tam breui tempore explicari poterant, neque Pontifex, qui ad id nisi extrema necessitate impulsus flectebatur, nisi nouis à se mandatis acceptis, vt aliquid perficeretur permittebat; quæ mandata non multo post tam in conditionibus quam in transigendi facultate laxiora dedit; propterea, quod Neapolitanum ProRegem cum triginta duabus nauibus, in quibus trecenti equites, duo millia & quingenti Germani, & circiter quatuor Hispanorum peditum millia erant, in S. Florentii sinum in Corsica appulisse accepit. Sed iam Pontificis voluntas irrita erat. quoniam in eadem classe erat vnus ex Ferrariensium Ducis ministris, qui ex eo loco citissime profectus, Duci non modo classis aduentum significauit, verum etiam Mutinæ & Regii, imperii diploma, & Margaritæ Austriæ, Cæsaris extra matrimonium filiæ,

XX.

cum

Galliæ & Angliæ Reges Pontificem ab induciis factis reuocare studuerunt.

cũ Hercule Ducis maximo natu filio futuri matrimonij promissionem attulit. Quas ob res Alfonsus, qui antea summo cum desiderio Pontificij Vicarij aduentum expectabat, consilio mutato, & ob Germanici peditatus atq; classis aduentum Cæsaris res secundiores ratus, per Iacobum Aluerottum Patauinum suum à consiliis ministrum, Pontificio Vicario qui Parma profectus iam Centum peruenerat, ea quæ ex Hispania acceperat significauit, quibus etsi nec Pontificem, nec fœderatorum quempiam offendere teneretur, tamen quum tantum beneficium à Cæsare accepisset, vt quidquam amplius contra eum moliretur minime æquum esse. cumque ea res quamobrem ipse Ferrariam petebat esset impedita, ne silentio suo Pontificii iustam indignationis causam præberet, se id ei significare voluisse: Nec tamen ipsi Ferrariam eundi facultatem denegare, sed eius arbitrio permittere. Ex quo Vicarius profectionem suam irritam fore animaduertens, quum Pontificis dignitate sine vllius fructus spe, non amplius abuti vellet, Insubriæ quoque rerum necessitate reuocatus, nouis tamen pacis colloquiis sub alia forma interpositis, statim Mutinam rediit. Pontificis vero res in illa parte in maiori subinde periculo versabantur. quoniam Georgius Fronspergius cum tredecim siue quatuordecim Germanorum peditum millibus in Italiam venit; ac nemine ex fœderatis prohibente, vsque Mediolanum vt se aliis copiis coniungeret, die XXIV. Nouembris properauit. Lanoius etiam ProRex classem vsque ad portum S. Stephani intulit. quo ex loco cum rerum statum ignoraret, Pignalosam cum huiusmodi mandatis, quæ bonam Cæsaris mentem declararent, Romam ad Pontificem misit. Hinc inter Pontificem ac Pro-Regem multa inducirum aut pacis colloquia agitabantur: sed ProRegis veriora & certiora belli gerendi consilia erant.

Georgius Fronspergius cum 12. millibus Germanorum in Italiam venit.

XXI. Accideratautem istud interea. Pontifex, iam XXVI. Iunij, epistolam acerbam, & querelis plenam ad Cæsarem, qua se ab ipso ad bellum gerendum coactum fuisse excusabat, scripserat. Cumque ei postquam missa fuit nimis acerba videretur, statim aliam mitiorem scripserat & Balthasari Castillionco Internuncio suo, vt priorem apud se retineret, mandauerat. Sed ea iam Cæsari reddita fuerat. Reddita post etiam eidem altera fuit. Cæsar vero quamuis eodem tempore, vtrique separatim, hoc est acerbæ epistolæ cum acerbitate, & mitiori mitius respondit: & Franciscum Angelium Franciscanorum sodalitatis Generalem Præfectum, quem Pontifex cum mitioribus mandatis in Hispaniam miserat, Romam remisit. Hic ad Pontificem reuersus, multa de Cæsaris egregia voluntate, & ipsum cum quinque tantum militum millibus in Italiam venturum, ac Cæsarea corona accepta, statim in Germaniam ad Lutheri res (nulla Concilij mentione facta) componendas transiturum: cum Venetis, æquis legibus conuenturum: Francisci Sfortiæ causam duobus iudicib. à Pontifice & ipso delectis commissurum, & si is damnaretur, illud imperium Borbonio traditurum; exercitum, si Pontifex & Veneti in militum vetera stipendia tria millia auri pondo persoluerent, de quo tamen ad minorem summam redigendo tractari posset, extra Italiam ducturum; Galliæ Regi viginti millibus auri pondo ab illo variis temporibus acceptis liberos restituturum renunciarat. cum Angliæ Rege quoq; quod minime magna pecunia esset, ea de qua controuersia erat, quodque eam Galliæ Rex iam obtulisset, facile componi posse ostendebat. Ad hæc autem omnia, quæ Pontifex cum Gallis & Venetis Oratoribus communicauit tractanda, octo aut decem mensium inducias Fracischanus Hetæriarcha offerebat, seq; eius rei à Cæsare vna cum ProRege aut Vgone amplissimam potestatem habere aiebat. Quamobrem Pontifex Pignalosa audito, ac ProRegis ex S. Stephani portu discessu cognito, Hęteriarchã Caietam vt his de rebus cum eo ageret misit. nam neq; Veneti, modo Rex Galliæ annueret, inducias reiecissent. Rex vero se haud alienum ab his ostendebat; imo eius mater Laurentiũ Hetruscum se pacis qua omnes comprehenderentur studiosam ostendens, Romam miserat: & Pontifex nullum consiliũ absq; Borbonij consensu satis tutũ esse ratus; easdem ob causas ipsius ab eleemosynis ministrum, qui Romæ erat ad eum misit. quem Dux paulo post ad eadem tractanda ad Pontificem remisit. Eodem tamen tempore, Pontificiis negantibus pacem conflci posse cum Cæsarianis arma tenentibus, nisi pariter ab armatis & ad bellum instructis pax ipa peteretur, belli apparatus non pra termittens, Augustinum Triultium Cardinalem Legatum ad Campaniæ exercitum misit; cumque se ad regnum Neapolitanum mari [illegible]; oppugnandum adornaret, 3. Decembris die P[illegible]orrus, cum viginti octo Pontificiis, Gallicis & Ven[illegible]bus ciuitatem veterem venit: quo etiam tempor[illegible]s Ceres à Galliæ Rege ob decretam in regnum Neapo[illegible]nũ expeditionem missus, quadratorum velorum classem Sauonam appulit. Ab altera parte Ascanius Columna cum 2000. peditum, ac 500. equitibus in Valbonam, quindecim à Tibure milliaribus, vbi Farfensis Abbatis & Io. Iordani Vrsini oppida sunt venit: quibus militibus XII. Decembris Ceperanum quod nullo præsidio erat munitum, cepit. Vitellius vero cum Pontificiis copiis, inter Tibur, Prænestę & Velitras venit. Columnij Pontecoruum non custoditum ceperunt, & Scarpam Farfensis Cœnobij castellum paruum, ac minime munitum frustra oppugnarũt. Deinde Cæsar Filettinus cum mille & quingentis peditibus noctu Ananiam petiit: vbi cum à nonnullis ciuibus per domum quandam mœnibus coniunctam quingẽti milites iam clam essent introducti, à Ioanne Leone Farnesi Pontificiorum in ea ciuitate militum præfecto repulsi fuerunt. Hetæriarcha deinde à ProRege rediit, & illum aliquot mensium inducias, vt interea de pace ageretur concessurum, sed pecuniam, & Ostiensem ac Ciuitatis veteris arces, nec non Pisas, Ligurnum à Florentinis, ab illo vero ipso Parmam & Placentiam cautionis gratia petere retulit. Verum his contraria scripsit Capuanus Archiepiscopus, qui post eius discessum Caietam peruenerat; ac fortasse non sano consilio à Pontifice missus fuerat. scilicet, ProRegem non iam inducias, sed pacem cum Pontifice tantum, aut cum Pontifice & Venetis, pecunia ad exercitum pacis conseruandæ gratia alendum ab eis accepta, & post de aliorum induciis agere velle; siue quod reuera sententiam mutasset; siue vt multi sunt suspicati, Archiepiscopi suasionibus, motus. Quo tempore Paulus Aretinus cum Pontificis, Venetorum & Francisci Sfortiæ mandatis, & potestate ad Cæsarem peruenit. Quo Angliæ Rex etiam Cameræ Auditorem vt vocãt, eiusdem pacis causa ire voluit. Iam enim ante Galliæ Regis mandata aderant. Inuenit autem Paulus Cæsarem, ob Germanorum, & classis in Italiam aduentum valde animo mutatum: Idcirco ab iis quæ prius agitata fuerat recedens, vt Rex omnia Madritanæ pactionis capita seruaret, & Francisci Sfortiæ causa iure per iudices à se delectos diiudicaretur petebat. Sic Cæsaris mens pro rerum successu mutabatur. Mandata quoq; ab ipso suis in Italia ministris data, ob locorum loginquitatem, vt consilia ex temporum & occasionum varietate caperent, aut explicate, aut tacite continebant. Itaque Lanoius vbi Pontificem per Hetæriarcham multis diebus vana spe lactasset, ac ne paucorum quidem dierum inducias tamdiu donec huius negotij exitus videretur concedere voluisset, XX. Decembris die Neapoli Pontificij imperij fines versus; nouas & intusitatas pacis leges proponens est profectus: scilicet, volebat, vt Pontifex ingentem pecuniæ summam numeraret; Parmam, Placentiam, & Ciuitatem Veterem cautionis causa traderet; Pompeium Cardinalem & reliquos Columnios redintegraret, eisq; de damnis illatis satisfaceret: arma prior ipse deponeret, & ab armatis pacem expectaret. Quæ omnia cum intoleranda Pontifici viderentur, datis propria manu ad Cæsarem litteris, Lanoium arrogantiæ & insolentiæ accusauit, qui grauissima & indignissima illi proponeret: proceres & populum Romanum ad nouum tumultum ciendum cõcitaret, omniaq; in vitam & Personam suam moliretur. Adiungebat; sibi nunquam aut amicitiæ cum Cæsare colendæ, aut pacis seruandæ, ineũdæue studiũ defuisse aut defore: in eas molestias & necessaria fœdera, à Ministris illius coniectum esse; multas nocendi occasiones studiose prætermisisse; à regno Neapolitano occupando cum alio qn potuerit, hactenus abstinuisse: leges Eccl. Romanę libertati, suæq; dignitati plane cõtrarias, p Hispanias & Neapolim latas vt ferat indignũ esse; orare, vt Aduocatũ & Defensorẽ Sedis Apostolicæ se meminerit: atq; permitteret ad se in Hispaniã venire, vbi corã, arcana mẽtis suæ explicaret, & tum de republ. Christiana, tũ de Italiæ statu vna cum eo communib. consiliis deceraret. Hæc delinãt. Decembre Põtifex scripsit.

Carolus V. pacis se studiosum ostendit.

Lanoius Dux Cæsaris Pontifici pacis leges ponit

XXII. *Pontificis & Cæsaris pacis leges.*

At vltima huius anni die, Ferrariensium Ducis pactio est sequuta per suum Oratorem cum ProRege Lanoio, & Vgone Moncada, qui eius rei potestatem à Cæsare habebat, quamuis Oratore illo qui à Lanoio minis & acerbis verbis ferè assentiri est coactus, difficulter consentiente, in hunc modum facta est. Ferrariensium Dux ipsemet cum imperij sui viribus Cæsarem contra quemcumque hostem iuuare tenetor: Cæsaris in Italia copiarum omnium præfectus esto: centum grauis, ducentos leuis armaturæ equites propriis sumptibus, qui tamen ei restituentur, aut in accepti tabulas pro ea summa quam ipse debet, referrentur, conscribito: in Cæsaris nothæ filiæ ipsius filio promissæ dotem, nunc Carpium oppidum, & Nouij arcem quæ antea Alberti Pij erant, accipito; eorum tamen vectigalia & fructus, donec matrimonium perficiatur, pro rata portione, ipsius stipendiis adnumerantor: & vt Vespasianus Columna, Vastiique Marchio iuri si quid in eis locis habent, cedant, vbi Mutinam recuperauerit, ducenta aureorum numûm millia persoluito: in qua tamen summa ea pecunia quam post Papiensem pugnam ProRegi dederat, compensator: quod si Mutinam non receperit, omnis pecunia, quam antea exposuerit, ei restituitor: Cæsar ad eius patrocinium tenetor; neque pacem, nisi eo comprehenso, & censuris pœnisque quibus postquam se cum Cæsare fœdere iunctum declarauerit subiectus fuerit, à Pontifice liberetur, facito: omnibus modis operam Cæsar, vt etiam iis quibus antea obstrictus fuerat eximatur dato. Sic in huius anni M. D. XXVI. fine omnia ad manifestum bellum spectabât. *Guiciardin. l.16. & 17. Iouius in Pompeio Columna. & MS. Bibl. Vatic. num.* 1294.

XXIII. Ad quas domesticas Pontificis molestias, publicæ quoque accesserant, Ludouico Vngariæ Rege, à Solymano Turcarum Principe deuicto. Eam victoriam non minus Vngarorum temeritate, quam suis viribus adeptus est. Vngari enim etsi cum tantis hostium copiis comparati numero paucissimi essent, magis victoriis quas sæpe antea ex Turcis reportarant, quam præsentibus rebus freti, Regi ætate quidem iuueni, sed consilio iuniori, vt ne populorum suorum famam & militaris rei antiquam gloriam obscuraret, auxiliis quæ ex Transyluania veniebant non expectatis, hostibus obuiam iret, & prælium etiam in patentibus campis in quibus Turcæ ob ingentem equitum multitudinem vix superari possunt, non detrectaret, persuaserunt. Itaque consilij temeritatem atque imprudentiam exitus comprobauit: fusus exercitus, ex vniuersa Vngariæ totius nobilitate, & robore collectus; ingens illorum strages facta, Rex ipse, & multi summi Antistites ac regni proceres interfecti. *Guicciardin. lib.* 17.

XXIV. Et quidem Clemens Pontifex ad hoc bellum, quatuor millia peditum selectorum, sub imperio Annibalis Cyprij cognomento Cartaginésis & Leonardi Gnoienij Poloni, qui Sigismundi Regis Poloniæ permissu aliquot cohortes ex Polonis numerosas scripsit, submiserat: ac præterea à Ludouico Rege, per Stephanum Brodericum Episcopum Vatiensem interpellatus, pecuniæ quam sacro huic bello iuuando in Vngariam miserat, aliam quoque ingentem summam amplicauit; vtq; donaria, resque aureæ & argenteæ templorum, quæ à piis mortalibus ad vsus diuinorum ministeriorum antiquitus data erant, si ita reipub. necessitas postularet, Rexque & senatus censuisset, pro certa parte in stipendia militaria, ac varias belli necessitates verterentur, authoritate Apostolica concessit: atque maioribus Sacerdotum Collegiis, quæ Capitula vocant, Præpositis, Abbatibus, aliisque locupletioribus Ecclesiasticicis pecuniam in eundem vsum imperauit.

Paulus Tomoreius cladis Vngaricæ autor.

Paulus Tomoreius, quem ex Minorita copiarum præfectum factum diximus, figmentis & temeritate sua florentissimum regnum in tantam cladem coniecit. Interrogatus à Rege, quantum numerum hostium haberi in castris putaret, centum quinquaginta millia hominum respondit; sed eorum maiorem partem, ex lixis, calonibus, Bulgaris agrestibus, ac dedititiis rusticis constare; qui inermes & imbelles non arma tractent, sed equorum, mulorum, ac camelorum curæ & seruilibus ministeriis addicti in aciem nequaquam producantur. Rursus, quot millia armatorum prælio ciendo aptorum censeri posse putaret, rogatus, septuaginta millia inquit. At cum Rex cum quoque numerum suis viribus & copiis longissime superiorem esse, neque belli fortunam tentandam, antequam exercitus augeretur, subinferret: eundum esse in hostem, cætera Deo committenda esse, qui suis opem ferret, Tomoræius adiecit; atque ita non expectatis ex Bohemia, Morauia, Transyluania, aliisque prouinciis, quæ veniebant copiis, in prælium præceps ruit: cum tamen certo constaret, tantum fuisse hostium numerum, vt aliquis transfuga narrabat, vt si omnes ligatis post terga manibus vincirentur, ita vt nec gladios stringere, nec armis sumptis se tueri potuissent; à tantulis tamen copiis quas Rex haberet, tridui spatio vix trucidari posse viderentur. Exercitus Regius, sex & viginti millium hominum numerum nequaquam superabat: Sic vt Franciscus Perenius Episcopus Varadiensis, elegans nec indoctus iuuenis, quasi futuri mali præscius, eum diem quo pugnabitur, viginti sex millium martyrum Vngarorum celebri memoriæ, qui pro Christiana religione occubuissent, fastis inscribendum, ideoque ad eam rem impetrandam, Stephanum Brodericum Cancellarium, si superstes & incolumis è prælio euadat, Romam mittendum esse, haud insulso ingenio, nec vano præsagio dixisse memoretur. *Istuansius li.8.* Quamquam & aliorum Vngarorum temeritas eam cladē accersiuit. Narrabat *Dubrauius* multa propudiosa de illis, quæ hic visum adferre. Cum, *inquit*, rumor turbidus de aduentu Turcarum sensim serpere indiesque augeri cœpisset, à senioribus Hungaris, & multa expertis grauissime acceptus, quod nec duces vllos, nec multos centuriones, militesque bellorum peritos viderent. *Regemne igitur iuuenem, qui nondum hostilem gladium conspexerit, tantam belli molem à regno propulsaturum esse*, inuicem alter alterum interrogabat. At reliqua turba curam seniorum irridere, vires & opes suas tam superbe iactare, vt inuenirentur qui palam gloriari auderent, solis annulis quos haberent gestarentque, potentiam Turcæ se obruturos. Accessit ad hanc linguæ vanitatem tantus animi stupor, vt sana externorum consilia admittere nulla vellent, sed ipsi inter se de aliis quibuslibet friuolis, quam de regni arduis rebus consultarent, nullo fere consultandi die prætermisso: & quocumque Turcæ incidisset mentio, ille dies aliquot missus de prandio Regis detrahebat, sublatisque lancibus maioribus, modicis patellis cibum sumere absque vllis conuiuiis cogebatur, vt vel per hæc fucus populo fieret, tanta scilicet sollicitudine negotia regni tractari, vt ne prandere quidem præ cura libeat; cum nullus tamen interim eiusmodi curæ conatus appareret: non commeatus prouisus, non stipendium promptum, non miles delectus, non tormenta, non nitrum, non sulphurei pulueres comparati, quodque rei caput erat, ipse dux belli Minorita adhuc in monasterio priuatus inter idiotas latitabat. Dixerat etiam aliquis Stanislao Turzoni Episcopo Olomucensi: *Nihil opus est vt multos nobis subsidio mittatis ex Bohemia & Morauia milites; cæterum famam hanc spargite, tamquam plurimos extrudatis; cuiusmodi famam bellè subornabitis, si complura vexilla militibus admiscueritis. Ad vexilla enim militum nostratium Turcæ numerum ineunt.* Mirum etiam dictu, quanta cum fiducia, quantoque Turcarum contemptu, auxiliares quoque milites in Hungariam festinabant, tanto prorsus, vt in omnibus symposia mutua inirent, & inter potandum alius alios ad pocula inuitans, hic pro cæde quinq; Turcarum, ille alter pro decem alteri præbiberet; cum nulli tamen temulentorum vnquam in mentem venerit, qua ratione hostes superari possent, sed quemadmodum victoria vti vellent, id solum ostentabant. Non vno autem agmine auxilia ibant, sed sparsa per vias diuersas alia celerius, alia tardius veniebant.

Ludouicus Rex Vngariæ contra Solymannum in bellum proficiscitur.

Solymanno iam Bellegradi cum incredibilibus copiis præsente, vocatis raptim ad concilium Hungaris, consulitur, expectandumne sit, dum gentes subsidio aduentantes conuenirent, an contatione sublata, occurrendum in via hosti consultius fuerit? ne ab illo veluti ignaui mœnibus Budæ inclusi deprehenderentur. Conclamant obuiam hostibus eundum esse, locumque prælio futuro idoneum occupandum, hortanturque Regem ad celerem profectionem. Rex modico apud Reginam, Budæ præsidio relicto, dat se in viam non læto omine, quod ante portam statim equus sub eo Phrisius, in genua procubuerat, insessorem, si non succursum fuisset deuoluturus. Regem, Ioannes Antonius Burgius Pontificius Legatus, Pontifices, Proceres, equites sequebantur. Sic enim mos exigit, vt Regem in castris degente, omnis in campo nobilitas capite suo militet. Qua necessitate Georgius quoque Iani Trencinij frater natu minor adductus, Regem comitabatur,

batur, vsque ad vicum Mohatium, iuxta quem locus pugnæ destinatus fuit. Ibi superis, pœnam veterum & nouorum erratorum reposcentibus, tanta mentibus Hungarorum caligo offusa est, vt nihil dilucide expedire, quod oportuit potuerint. De duce autem inter illos, deq; opperiendis auxiliis rursus certamen ortum fuit, ducem pręPaulo Tomoræio, ipsum Georgium Trencinium præferentibus. Sed Georgius hunc honorem toto capite abnuebat, inquiens, adeo se bellorũ esse inexpertum, vt nunquam gladium aduersus hostẽ strinxerit. Nihilo secius collega Paulo adiunctus est, cum quo morib. & voluntate dissentiebat. Sed nec illi auditi sunt, qui dilationem maxime esse necessariam dicerent, vt peditum atque equitum grauioris armaturæ copię augerentur. Reiectum deniq; consiliũ Ambrosij Sarcani, de prohibendo traiectu Draui fluminis, quod haud dubie consultissimum erat, si id exequi illũ siuissent. Poscebat nõ amplius quam sex millia equitum, illoq; numero se impediturum, ne hostis Drauum trãsmittere posset receperat: reddiditq; cõsilij sui hanc rationem, quod proxime Drauum loca restagnarent vliginosa, quæ nullum trãsitum propter voraginem admitterent, nisi vna illa via, quæ ramis arborum velut pontib. strata esset, sed eam nimis arctam videri, facileque tueri posse. Cuncti simul ore fremebant, clamantes, à sæculo non esse auditum, vt cõspectum Turcarum Hungari declinauerint. Ita hostis nemine obstante flumen traiecit, castraq; castris contulit, paratus vel statim cum Hungaris cõfligere. At illos ne vltimi quidem discriminis tempus à male consultis potuit deterrere. Adhuc multa auxilia in via erant, sed de proximo à castris adhuc tormenta, pulueres, ænei globi ad Danubium in nauibus custodiebantur, & iam duces aciem instruebant, promiscuam confusamque, omnia videlicet in vnum permiscentes, equites, pedites, lixas, calones. Cumque Turca in tertio demum militum agmine à suis constitueretur, isti in prima acie, ad quintum equitum ordinem, Regem cum Pontificibus stare iusserunt. Hic se Varadiensis Episcopus Perenij filius non tenuit, quin clara voce diceret; *Ferunt*, inquit, *maiores nostros, decem millia martyrum, quorum diem in Ecclesia celebramus, neci quondam dedisse; multo plures, vt ego perspicio, hic Monachus hodie martyres ex Hungaris consecrabit.* Inter funestas ipsius postremo Regis vox numerata, qua prægustatori roganti, vbi nam cœnare vellet, in castris, an in vico, respondit; *Deus nouit vbi hodie cœnabimus.* Ac paulo post fremitus vlulatusque Turcorum appropinquantium audiebatur, quem mox tormentorum fragor secutus est, cum tanto fumo ex sulphureis pulueribus excitato, vt mutuus vtrimque conspectus exercitibus eriperetur. Sed admodum parua ex bombardis Hungarorum strages facta est, telis exercitum præteruolantibus. Plures cœco fumi beneficio vsi, ante hostem visum pedibus fugacissimis, qui lingua tamen paulo ante pugnacissimi videri volebant, fugam arripuerunt. Vnde fumo repente discusso, tam ingens metus ex hac fuga alios inuasit, vt & illi nondum tentato certamine passim dissiparentur, extra pedestrem externorum aciem, cui vt ad fugam nullus patebat locus, ita ad pugnandum non magna vis aderat; propterea quod ruptos turbatosque ab equite suo inepte sibi admixto ordines habebant. gradu tamen stabili hostium impetum excepit, sustinuitque, vsque dum ab hostibus cæsa esset. Non procul ab illa Paulus Tomoræius cum equitibus, quos circum se habuit interfectus, caputque eius à ceruicibus desectum, ad Solymannum perlatum est, miraculo tam repentinæ victoriæ obstupefactum, magisque adhuc mirantem, quod paucissimi in acie, cætera autem omnis nobilitas aut in fuga trucidata, aut sua sponte demersa fuerit: inter quos præcipui; Georgius Trencinius, & Ladislaus Archiepiscopus Strigoniensis, à Danubio hausti. Cum Ladislao periere alij Episcopi, Franciscus Perenius Varadiensis, Blasius Paxius Iauriensis, Franciscus Chaholius Canadiensis, Georgius Palinæus Bosnensis, & Philippus Moræus QuinquEcclesiensis. De Ludouico Rege Solymanus diligenter iniunxerat, vt incolumis caperetur: dignum vita & ipso regno existimans propter animi magnitudinem, quam adolescente adhuc iuuenta gerebat, ausus cum paucis cõtra infinitam multitudinem apparere.

Idem in acie victus in Danubio submergitur.

Sed iam is quoque decesserat in proxima Danubij alluuie, cum equo in aquas collapso, priusquam casum deductor conspiceret; ferreque opem posset, submersus. Repertus postea iussu Reginæ, in Alba Regali in conditorio Regum Hungariæ sepultus est, immatura nondum vigesimum annum attingens sublatus morte, si tamen is moritur, qui per gloriam, quam sibi ob pietatem apud posteros peperit, æternum viuit. *Dubrauius lib.* 33. præstantissimæ indolis atque ingenij Princeps, ac omnibus corporis atque animi dotibus insignis, eoque infelici vitæ exitu indignus. Cæsorum ingens numerus fuit, ita vt tetro recentium tot cadauerum odore aër ipse infici videretur, ac post discessum hostium magna canum multitudo ad ea voranda confluxerit, vt etiam viui homines, viatoresque ea iter facientes absque vitæ periculo transire non potuerint. Vnde Dorothea Canisiana, Emerici Perenij Palatini vidua, singulari pietate fœmina, Christianorum hominum, qui pro tuenda patria fortiter occubuissent, miserta, quadringentos homines pecunia sua conduxit; qui strata & iacentia passim cadauera, ne ea feris & alitibus atque canibus lanianda ac voranda relinquerentur, ingentibus factis scrobibus sepelienda curauit. Post eam cladem, Palatinus cum XL. hominum millibus, Christophorus Frangepanus XV. M. Illyrici nominis armatorum veniebant; Bohemi præterea & Morauí iusto numero, ducibus Georgio Marchione Brandeburgensi & Adamo de Noua domo partim Albam Regiam, partim Iaurinum attigerant, eosque Silesiaci equites cataphracti sequebantur. Quas copias si Tomoræus & reliqui præcipitis & funesti prælij autores opperiri, quam malesanis consiliis, iuuenis Regis immaturum interitum & patriæ certum exitium procurare maluissent, commodiore vtique fortuna, & æquiore conditione certare, neque de successu victoriæ magnopere desperare potuissent. Hæc est illa memorabilis simul & miserabilis Mohaciana clades, qua antiquum Vngaricæ gentis decus, floremque nobilitatis & militiæ, ac virium habuit Vngaria, vna eaque funestissima dimicatione prostratum amisit, cepitque cum expiabili ignominia sua, qua barbarorum intolerabile iugum, qua exterarum nationum seruitutem subire ac perpeti; ita vt temerarios ac insanos inauspicatæ pugnæ auctores, qui optimum & mansuetissimum iuuenem Regem hostibus mactandum obtulissent, ac patriam in extremas miserias & calamitates præcipitassent, iure meritoque omnibus diris deuouendos censeat. *Istuansius hist. lib.* 8.

XXV. *Pontifex Vngaris succurrere laborat.*

Ea victoria cum Turcarum Imperator totum Vngariæ regnum maximo Christianæ reipublicæ, cuius per multos annos clypeus & propugnaculum fuerat, detrimento, suo imperio subiuncturus certò crederetur, Pontifex, vt in tam perturbatis & afflictis animis nouæ molestiæ altius descendunt, quam in animis aliis perturbationibus vacuis, maximum in modum est commotus. Itaq; nouas cogitationes animo voluẽs, & gestu, verbis, vultu, ingentem mœrorem declarans, Cardinalibus in senatum conuocatis, tantam Christianæ Reipublicæ cladem & ignominiam grauissime deplorauit: eiq; se numquam tum Christianos Principes ad pacem assidue cohortando, ac precibus accendendo, tum etiam illud regnum in tot aliis grauibus eius casibus minime parua pecuniæ vi iuuando numquam defuisse dixit. eius regni defensioni & reliquorum Christianorum periculis præsens bellum valde incommodum & minime opportunum fuisse. Id se iam ab initio prædixisse: sed quum omnes honestas tranquillitatis & sacrosanctæ sedis securitatis rationes contemni videret, verbaque sibi à Cæsare per internuncios nimis credulos, & in his per Angelium Hetæriarcham cui decepto nimis quam decebat credidisset, dari cognosceret, se contra id quod semper in animo habuerat, arma capere coactum fuisse. Nam & quod antequam cogeretur pacatus fuisset; & fœderis à se contracti leges omnes ad communem vtilitatem spectantes, se nulla proprij & peculiaris sui aut familiæ suæ cõmodi ratione motum fuisse, satis ostẽdere. verũ quũ Deo fortasse alicuius boni causa, vt Christianæ Reipublicæ capiti, eo tempore quo cætera eius membra omnia, aliis quam communis salutis curis distracta erant vulnus infligeretur esse visum; se vt alia ratione tam grauis ægritudinis medicina quæreretur; eius voluntatem esse arbitrari. Ideoque cum huius rei cura magis ad se, vtpote communem pastorem, quam ad quemuis alium spectet, se omnibus incõmodorum, periculorũ & dignitatis suæ rationib. posthabitis, induciis in Italia aliqua ratione; quam

primum

primum fieri posset impetratis, classem conscendere, & ipsemet Christianos Principes, vt eos hortando, orando, & lachrymis ad communem Christianæ Reipublicæ pacem flecteret, adire decreuisse: Cardinales vt se ad hoc iter accingerent, & communem patrem in tam pio officio iuuarent, hortari; Deum Optimum Maximum, vt tam sancto consilio faueret rogare. Quod si ob communia peccata ad finem perducere non posset, saltem id sibi concederet, vt in eo tractando, antequam spe esset deiectus, vitam finiret. Sibi enim nihil infelicius, nihil miserius accidere posse, quam si in tam pernicioso tamque pestifero incendio, salutarem inanum adhibendi spe & facultate priuaretur. Magna attentione, nec minore commiseratione audita, & commendata fuit Pontificis oratio. *Guiciardinus lib. 17.* maxime quando omnes aspicerent, neque Pontificis desiderio, neque etiam compositioni Madritanæ satisfieri.

XXVI. In hoc enim scripto, quod pacificationis formulam continebat, hoc inter alia commemorabatur, Cæsarem atq; Regem eò potissimum spectare, vt & Christianæ religionis hostes, & sectæ Lutheranæ extirparentur hæreses. Item vt pace inter ipsos facta, Rempublicam constituerent, & in Turcas bellum susciperent, & hæreticos ab Ecclesiæ communione alienos. Nam & hoc esse cum primis necessarium, & Pontificem maximum sæpe monuisse, multumque sollicitasse, vt in hanc curam incumberent. eius desiderio vt satisfacerent, decreuisse ipsum orare, vt ad certum diem, loco idoneo, Regum omnium atque Principum Legatos conuenire iuberet, qui plenam haberent agendi potestatem, quæ viderentur esse commoda tum suscipiendo bello Turcico, tum profligandis hæreticis hostibus Ecclesiæ; quando quidem iam iis Principibus, qui negotium acturi essent tam pium tamque sanctum, in sua cuique prouincia rationem permisisset colligendæ pecuniæ, consuetam in hisce rebus & vsitatam; ac præterea etiam concessisset, vt stipendium in eam rem Ecclesiasticis imperaretur. Quamquam vero Spiram, ad Comitium indictum, die XXV. Iunij Principes Germaniæ conuenissent, & Ferdinandus frater Cæsaris mandata exposuisset, hunc in primis velle atque mandare, vt Ordines communi consilio decernerent, quomodo religio Catholica, & Ecclesiæ vetus atque per manus deducta consuetudo valeret apud omnes & integra permaneret; deinde quomodo essent mulctandi qui contra facerent & coërcendi, si forte vim atque potentiam opponerent: quomodo item essent communicanda inuicem auxilia, & vt Cæsaris edictum VVormaciense promulgatum ante annum quintum, & huius etiam conuentus decretum seruaretur ab omnibus, & in executionem veniret: Item quomodo Turcarum potentiæ obuiam eundum; à quibus Vngari, qui etiam Oratores ad conuentum miserant, sibi valde metuerent: tamen & in causa religionis, & in subsidiis Ludouico in tempore mittendis, plane nihil factum. In Vngarico negotio, ad Cæsarem proclamarunt, & vt per compendium ad illum perueniri posset, à Galliæ Rege transeundi per eius fines facultatem postularunt: quibus per occasionem die VI. Octobris scripsit; Propter occupatam nuper à Turca Pannoniam & Ludouicum Regem extinctum, & propter Germaniæ periculum, magnum se dolorem animo percepisse; non minus etiam sibi dolere, quod ciuili bello Respublica pereat, per se quidem non stare, quominus Orbi Christiano recuperetur otium: Cæsaris vero culpam hanc videri, qui pacis conditiones honestas & plenas æquitatis reiiciat, & quoniam ille, neque publicis calamitatibus, nec indignissima morte sui Sororij Ludouici Regis, neque sororis Germanæ, iam viduæ miseranda sorte commoueretur, neque consideraret quanto in discrimine versetur Austria, recte facturos ipsos & ex officio, siquidem ipsum ad pacis consilia flecterent, & hortarentur, vt cum vicinis Regibus amicitiam coleret, & immensam istam cupiditatem refrenaret; hoc enim ei multo futurum esse gloriosius, quam si pergeret euertere aliorum fortunas, & vnus omnia possidere vellet. Suos maiores, Galliæ Reges, multa sæpe bella gessisse cum hostibus nominis Christiani: nunc idem posse fieri coniunctis viribus modo Cæsar velit. quod si istud perficerent apud illum & impetrarent, collaturum se in bellum Turcicum omne suum robur, imo seipsum. Sin minus; non esse quod sibi vitio detur, si quidem armis conetur ea, quæ beneuolentia non possit recuperare; nam illi sane potius quæretiam esse pacem, qui Turcico bello ac periculo sit, multo quam ipse propinquior. His litteris Cæsar respondit, & causam omnium quæ accidissent in Regem coniecit: cui vicissim Rex apologiam publice exposuit, demonstratis rationibus cur pactioni Madritanæ non staret. Inter scriptis decertantes Cæsarem & Regem, proximi periculo Principes Germani, Eslingæ, cum Cæsareo Senatu conuenientes, die 19. Decembr. per litteras Cæsarem orarunt, vt propter periculi, tum à Turcis, tum ab hæreticis magnitudinem atque præsentiam, reditum in Germaniam accelerare: atque ipsi comitium in dicunt, Ratisponæ, ad sequentis anni Calendas Apriles, belli Turcici causa. *S. lib. 6.*

XXVII. *Ferdinandus Cæsaris frater Spiræ conuentum habet.*

Quod vero ad Spirensem Conuentum attinet, deliberatum quidem est in eo de religione, deque suppetiis Vngariæ Regi ferendis. cæterum dissidio inter Ordines exorto, fere nihil decerni potuerat. Ioannes Elector Saxoniæ, ac Philippus Hassiæ Landgrauius, aliique nonnulli Lutheranæ factionis homines aucta simultate, parum abfuit, quin re infecta discederent. Adduxerat hi duo secum ad Comitia, concionatores suos, Saxo Georgium Spalatinum, & Ioannem Agricolam, Islebiensem, qui postmodum Antinomorum sectam produxit: Landgrauius etiam suos, qui suffundebant frigidâ, & Principibus turbulenta consilia suggerebant. Ferdinandus autem Cæsaris frater, & Richardus Archiepiscopus Treuirensis, animis quorundam quoquo modo mitigatis, multum laborarunt, ne non facto prius decreto, Conuentus iste solueretur. Eius vero decreti, quoad religionem & VVormaciense decretum attinet, hæc fere summa fuit: Interea temporis, dum Concilium habeatur, ita cuilibet agendum in ditione sua, vt Deo simul & Cæsari iustam aliquando possit reddere facti sui rationem. Rogandum vero Cæsarem missa legatione, vt turbulentum imperij statum respiciat, & quum possit maturimè veniat in Germaniam, atq; in eam curam incumbat, vt sublatis hisce de religione dissidiis, Concilium tandem indicatur. *Vlenbergius in Luthero.*

Aucta erat simultas inter Principes, ex quodam rumore qui hoc tempore ferebatur de fœdere quodam facto contra Saxoniæ Electorem, & Hassiæ Landgrauium. Præterea libellus vulgabatur, in quo perscriptum erat, extirpandam funditus doctrinam dogmati Catholico, seu vt illi vocabant, Pontificio aduersam; erantque in eodem libello, quasi victoria potiti essent Catholici, pœnæ eiusmodi designatæ; ignoscendum Landgrauio tamquam iuueni, & ab aliis decepto; Electorem ita castigandum, vt sensum doloris perciperet; Vrbi Magdeburgo spem veniæ nullam relinquendam: sociis cæteris imponendam mulctam pecuniæ grandem. Ferebantur consortes eius fœderis Ferdinandus Archidux, Electores Moguntinus, Treuerensis, Palatinus, Brandeburgicus; Francici Præsules tres; Georgius Dux Saxonum, Henricus Brunswicensium. Tali periculo intellectus Hessus celeriter militem conscribit, & socios suos appellat, & discriminis admonet, & fœderis illius clandestini formulam publicat, & bellum apertum Præsulibus vicinis molitur. Visa res omnibus noua atque inaudita est: seque primum ipse Ferdinandus, tum cæteri singulatim publicis scriptis excusant, quod fœderis illius plane sint ignari; nihil tale aut cogitatum, aut factum, aut perscriptum vsquam esse. Quamobrem accusantes Hessum, quod id finxerit ad perturbandam Germaniam; eo adigunt, vt eum qui formulam fœderis sibi tradiderit, nominet. Instabat autem ei præ aliis, Georgius Saxoniæ Dux, socer eius. Translata omnis suspicio atque culpa est in Otthonem Paccium, virum equestri dignitate, & Iureconsultum, & Georgij Vicecancellarium, qui menses aliquot apud Hessum egerat. Dicitur ei dies, sui purgandi causa. Legati Principum postulabant dedi sibi Paccium, ad extorquendum ab eo ficti fœderis auctorem. Missi à Georgio Duce alij producebant litteras, quibus Paccium conuincerent. Post multa hinc inde producta, conuincunt Paccium, & probant falsarium esse, vsumque Sigillo Principis cupide & perfide pro sua voluntate, quo etiam fœderis illam formulam a se fictam obsignauerit: ac eo figmento, tranquillitatem Germaniæ, necessitudinem Ducum, concordiamque Principum conatus sit perturbare & permiscere factionibus, tumultu, armis. Conuictum falsi, Hessus tradere renuit, sed in Belgium secedere permi-

permisit: vbi cum Secretarius Georgij Ducis instaret, vt de illo cognitio fieret, & supplicium dignum sumeretur, in Angliam fugiens, in portu Caletano captus, & tandem perduellis atque falsarius pœnas luit Mechliniæ. *Autor Originum Sax. lib. 7.*

XXVIII. In eodem Comitio Spirensi, Spalatinus, Agricola & alij Nouatores petebant sibi addici templum aliquod, in quo suis & concionibus, & sacris vti libere possent. Episcopus autem Spirensis, Georgius, Dux Bauariæ, & Comes Palatinus Rheni, fortiter eis interdixit, ne vllo in templo noua sacra aut suas conciones peragerent. Cum ergo Saxo & Hessus Principes de sacris aut sacrificiis parum curæ haberent, iusserunt suos Concionatores in atriis ædium suarum quotidie ad populum concionari. Ingens itaque fuit ad eorum sermones concursus plebis & rusticorum, non tam discendi gratia, quam propter nouitatem rei, loci, modumque insuetum, ad audienda in Clericos & Papam conuitia. Atque vt plures ad eorum sectam allicerentur, data opera in ferculis portabantur carnes coctæ in sextis feriis, aliisque diebus iciunij apertè, in conspectu totius auditorij, per atrium ad mensam Principum & Aulicorum, in Ecclesiæ & Catholicorum publicum despectum. Patrabantur & alia id genus multa parum Euangelicè, ab Euangelicis istis sectariis. Ministri eorum, equites, & stabularij, idiotæ, petulanter iactabant verbum Domini, & in dextera manica vestimenti gerebant has litteras. V. D. M. I. Æ. hoc est verbum Domini manet in æternum. Cæteri Principes & Episcopi simul cum fratre Cæsaris intererant Sacro publico diebus festis in templo maiore, quod insigne est Cæsarum Henricorum, vbi & monumenta eorum visuntur. Lutherani vero eodem tempore domi suos audiebant Concionatores, per quos & populum à sacris auertebant. Ad huiusmodi temeritates & ausus conniuere cogebantur Catholici, non solum propter Saluum conductū & fidem publicam illis promissam, verum etiam propter iniquitatem & difficultatem pessimi temporis. Nam Germaniæ populi Lutherico fermento inescati, Sacerdotumque ac Monachorum bonis inhiantes ad tumultus & seditiones erant inclinati. Circumferebantur item libri Lutherani venales per totam ciuitatem, maxime vero duo libelli, paruuli quidem mole, sed virulentia perquam grandes, quorum alter erat sermo Lutheri Theutonicus, de destructione Hierusalem: alter vero amarulenta epistola cuiusdam nebulonis, qui se confincto nomine vocabat Argyrophylacem, Theutonice Thesaurarium, vt eo vocabulo redderet suspectum Principis Ferdinandi Thesaurarium velut Lutheranum, & eius nomine epistolam Principibus ac statibus imperij commendabiliorem redderet. Cumque breuis esset epistola, & lectu facilis, atque non solum Latine verum etiam Theutonice impressa, perquam plurima exemplaria vendebantur. Quæ sane publicatio, nocentissima erat contra Ecclesiasticos practica, dolus, & malignitas, non solum quod oratio compositis verbis ad commendandam Lutheri doctrinam vaferrime adornata erat, verum etiam quod Reipublicæ vtilitatem videretur intendere, ac indicare ademptionem priuilegiorum, quibus donati sunt Ecclesiastici. Ait ergo. Sæpe mecum mirari soleo, Illustrissimi Potentissimique Germanorum Principes, quod nonnulli vestrum, tam atrociter in eos quos hæreticos vocant fæuiant; vt propter quæstiones opinionesque quasdam de religione, in homines alioqui innocentes, & Reipub. commodos, exiliis, bonorum direptionibus, gladio, aqua & igni animaduertere non reformident. Si autem in vos aut in Rempublicam vestram peccarent, iustiore certe titulo punirentur. Modo cum ciusmodi asserant & docent, quæ in maximum ditionum vestrarum, Rerumque publicarum commodum vergant, quo nomine & à vobis præmium accipere debebant, mirum, imo stupendum miserandumque, quod talia citra rationem modumque de eis supplicia sumantur. Egetis fortasse pecunia in Reipub. vsus necessaria? En maximum vobis thesaurum ostendo. Sinite Monachos & Monachas, si qui velint, libere abire, & victum laborando quærere. Eos vero, quibus in suis fornicibus delitescere lubet, frugaliter alite, & ne quis huiuscemodi ignauum vitæ genus posthac sectetur, cauetote. Tum quicquid illis opum supereſt, in necessarios pauperum, Reipub. vsusque vestros vertite. Experiemini proculdubio, intra paucos menses, quot centena aureorum millia, vnius exiguæ ditionis vestræ monachi & id genus homines possideant. Neque hoc meum consilium quispiam, aut seditiosum, aut impium iudicet. Tam enim pium esse, si opus foret, ostendere possem, vt plane impij censendi sint Principes, qui hoc non exequantur, malintque ab agricolis, vinitoribus, opificibus, ciuibus, aliisque sibi subiectis tributa extorquere, quam Reipub. suaque ipsorum bona, à tam malæ fidei possessoribus non auferre &c. Hæc ille. sed falsus vates. Quis enim hodie magis egeat, quam egent illi, qui maxima perpetrarunt sacrilegia? iuxta illud Prouerb. XI. cap. *Alij diuidunt propria, & ditiores fiunt, Alij rapiunt non sua, & semper in egestate sunt.*

XXIX. Sic etiam Lutherus, in sermone de destructione Hierusalem, suum commendans Euangelium, cuncta mala, atq; adeo totius Germaniæ interitum denunciabat, nisi ei obediretur. Quod, *inquit*, verbum eius ita contemnimus, vltione dignum est, & vlciscetur, etiam si centum annos differatur vltio. At tam diu non differetur. Et quanto clarius est verbum, tanto grauior erit vltio. Vereor, ne tota Germania peritura sit. Deus hanc nequitiam inultam dimittere non potest, nec diu conniuebit. Euangelium enim tam copiose prædicatum est, vt tam clarum non fuerit tempore Apostolorum. Tota igitur Germania peribit, vt vereor, oportet eam interire funditus. Principes solo gladio rem peragere volunt, Deo nimis ferociter barbam vellicant. Ipse igitur eos in os percutiet. Scilicet insinuabat Lutherus, frustra Principes armis pugnare in Turcas, nisi etiam suum Euangelium receperint: quod si recusauerint recipere, Turcis necessario succumbent. Eiusmodi igitur libellis non solum plebs & rustica turba, verum etiam plerique Optimatum & nobilium trahebantur in fauorem noui Euangelij, atque in odium veteris religionis & Cleri; Vnde cum absque seditione atque tumultu nouitas illa prohiberi aut tolli non potuerit, Principes ad eum modum concluserunt suspensiue de religione, deque bello contra Turcas suscipiendo. Hinc suspensis animis in hunc modum, cum nulla esset certa pax aut securitas, factum est vt nemo Principum Germaniæ opem tulerit Regi Vngariæ. Præsertim cum domi nihil erat securum à seditiosis subditorum à Luthero inflammatis animis, & vniuersus miles ab eodem Luthero iampridem, inuolunrarius redditus fuerat, ad proficiscendum contra Turcas. Scripserat enim ille in Assertion. articulo 34. quod præliari aduersus Turcas, sit repugnare Deo, visitanti iniquitates nostras per illos. Scripserat præterea, in libro de bello contra Turcas, non licere Christianis bellare, sed vim & iniurias pati. Scripserat deinde, in epist. contra duo mandata Imperialia, Turcam esse decies probiorem atque prudentiorem Principibus Christianis. Ideo nihil prosperitatis à nostris expectandum esse, nec quicquam esse conaribuendum contra Turcas. &c. Cumque nullum alium conatibus suis finem propositum habuerit, quam Religionem Catholicam quoquo modo extirpare: ac eodem plane fine Turcarum Imperator arma expediret, vt fidem Christi atque omnes Christianorum ritus, mores, cerimonias aboleret, & carnis libertatem concederet; non mirum est, si Lutherus quantum potuerit bellum sacrum in Turcas prohibuerit, adeoque Lutherani nullas suppetias Vngariæ submittere volucrint.

XXX. *Angliæ Rex duorū apostatarū libros in regnū suū vecl os prohibet.*

Hoc ipso anno duo Angli apostatæ, qui aliquando apud Lutherum fuerunt Wittembergæ, quærebant subuertere non solum mercatores suos, qui eos occultè in exilio fouebant & alebant, verum etiam cunctos Angliæ populos, per nouum Lutheri Testamentum quod in Anglicam traduxerant linguam. Coloniæ excudi voluerant, sex millia exemplorum, quæ in Angliam clanculum sub aliis mercibus inferrentur. Typographi, damni periculum veriti; ad tria tamen millia se reduci passi, iam ad Quaternionem K, peruenerant. Obstitit Cochlæus, ne in typis vlterius progrederentur. VVormaciam inde operam transtulerunt, & ad vmbilicum opus perduxerunt; sed tot impostoris & figmentis immutatum, vt Cuthbertus Tonstallus Episcopus Dunelmensis, nactus vnum ex illis exemplaribus, in maxima concione ad populum Londini publice demonstrauerit, supra duo millia deprauationum

tionum atque peruersitatum se in vno illo opere deprehendisse. Cautum eapropter fuit Regis & Cardinalis Eboracensis Edicto, ne quisquā volumen in Angliam inferret, venum exponeret, legeret, vel retineret; falsis per id temporis nonnullis, qui inter pocula iactabant: Velint, nolint Rex & Cardinalis Angliæ, totam Angliam breui fore Lutheranam. Vtinam illa capita non mutassent: omnino hi falsi fuissent.

XXXI. *Lutherus Erasmum Roterodamum studet conciliare.*

Eodem etiam anno 1526. ineunte, Lutherus per epistolam placare conatus est Erasmum Roterodamum, quem in certamine de libero arbitrio, paulo durius tractauerat, & multis contumeliis affecerat. Erasmus siquidem, magnæ in Germania hoc tempore autoritatis, cum de libero arbitrio edidisset libellum, quem modesto vocabulo *Diatribam* seu Collationem inscripsit, multis profecto Lutheri placita reddidit suspecta, quibus antea Euangelica videbantur. Præfabatur Erasmus profitens se à Luthero, nec iniuria dissentire. Nihil, *ait*, aliud præfabor in præsentia, quam id quod res est, me numquam iurasse in verba Lutheri. Proinde nemini debebat indignum, sicubi palam dissentirem ab illo. Nimirum vt nihil aliud, homo ab homine: tantum abest, vt nefas sit de illius aliquo dogmate, ambigere: multo minus, si quis veritatis eliciendæ studio moderata disputatione cum illo congrediatur. Certe Lutherum ipsum non arbitror indigne laturum, sicubi quis ab ipso dissentiat, quum ipse sibi permittat, non solum ab omnium Ecclesiæ Doctorum, verum etiam ab omnium Gymnasiorum, Conciliorum, Pontificum Decretis appellare. Quod quum ipse palam & ingenue profiteatur, mihi non debet apud illius amicos esse fraudi, si repeto. Proinde ne quis hanc pugnam interpretetur, qualis esse solet inter commissos gladiatores, cum vnico illius dogmate conflictabor: non in aliud, nisi vt, si fieri queat, hac collisione scripturarum & argumentorum, fiat euidentior veritas; cuius indagatio semper fuit honestissima studiosis. Res sine conuitiis agetur, siue quia sic magis decet Christianos: siue quia sic certius inuenitur veritas, quæ sæpenumero nimium altercando amittitur. *& infra.*

Iam quando Lutherus non recipit autoritatem vllius scriptoris, quantumuis approbati, sed tantum audit scripturas Canonicas; sane quam libens complectar hoc laboris compendium. Quum enim tum apud Græcos; tum apud Latinos innumeri sint, qui vel ex professo, vel per occasionem tractant de libero arbitrio: non mediocris negotij fuerit ex omnibus colligere, quid quisque pro libero arbitrio, aut contra liberum arbitrium dixerit. Et in explicandis singulorum dictorum sensibus, aut diluendis confirmandisue illorum argumentis, prolixam ac molestam operam sumere, apud Lutherum & huius amicos etiam inanem: præsertim cum illi non solum varient, verum etiam ipsi sibi non satis constent aliquoties. Et tamen illud interim Lectorem admonitum velim, si scripturæ diuinæ testimoniis ac solidis rationibus videbimur cum Luthero paria facere, vt tum denique sibi ponat ante oculos, tam numerosam seriem eruditissimorum virorum, quos in hunc vsque diem tot seculorum consensus approbauit: quorum plerosque præter admirabilem sacrarum litterarum peritiam, vitæ quoque pietas commendat: Quidam etiam doctrinæ Christi, quam scriptis defenderant, sanguine suo testimonium reddiderunt. *Et rursus.* Si ergo Lector viderit meæ disputationis apparatum ex æquo pugnare cum parte diuersa, tum illud secum expendat, *Vtrum plus tribuendum esse iudicet, tot eruditorum, tot Orthodoxorum, tot Sanctorum, tot martyrum, tot veterum ac recentium Theologorum, tot Academiarum, tot Conciliorum, tot Episcoporum, & summorum Pontificum præiudiciis, an vnius vel alterius priuato iudicio. Non quod, vt fit in humanis consessibus, ex numero suffragiorū, aut ex dignitate dicentium metiar sententiam. Scio, frequenter vsu venire, vt maior pars vincat meliorem. Scio, non semper esse optima, quæ plurimis probantur. Scio, numquam defuturum in indagatione veri, quod superiorum adiiciatur industriæ. Fateor, par esse, vt sola diuinæ scripturæ autoritas superet omnia mortalium omnium suffragia. Verum hic de scripturis non est controuersia. Vtraque pars eandem scripturam amplectitur ac veneratur. De sensu Scripturæ pugna est. In cuius interpretatione, si quid tribuitur ingenio & eruditioni, quid Græcorum ingeniis acutius aut perspicatius? Quid in litteris Sacris exercitatius?* Nec *Latinis defuit ingenium, nec litterarum sacrarum peritia. qui si naturæ felicitate cesserunt Græcis, certe monumentis illorum adiuti, potuerunt Græcorum industriam æquare. Quod si in hoc iudicio magis spectatur vitæ sanctimonia, quam eruditio, vides, quales viros habeat hæc pars, quæ statuit liberum arbitrium. Facessat odiosa, quod aiunt Iureconsulti, comparatio. Nolim enim quosdam istos noui Euangelij præcones cum veteribus illis conferre.* Et iterum. *Vnde igitur explorabimus spiritus? Ex eruditione? vtrinque Rabini sunt. Ex vita? vtrinque peccatores. In altera totus Sāctorum chorus, qui statuunt liberū arbitrium. Verū aiunt; Sed homines erant! At ego iā homines confero cum hominibus, non homines cū Deo. Audio: Quid multitudo facit ad sensum spiritus? Respōdeo? Quid facit paucitas? Audio; Quid facit mitra ad intellectū Sacræ Scripturæ? Resp.; Quid facit sagū, aut cuculla? Audio; Quid facit cognitio Philosophiæ ad cognitionem sacrarum litterarum? Respondeo? Quid facit inscitia? Audio; Quid facit ad intellectum scripturæ congregata Synodus, in qua fieri potest, vt nullus habeat Spiritum? Respondeo; Quid faciunt conuenticula priuata paucorum, in quibus verisimilius est neminem esse qui habeat Spiritum? Paulus clamat; An experimentum quæritis inhabitantis in me Christi? Non credebatur Apostolis, nisi miracula fidem adstruxissent doctrinæ; Nunc quilibet postulat sibi credi, quod affirmet se habere Spiritum Euangelicum. Apostoli quoniam excutiebant viperas, sanabant ægrotos, excitabant mortuos, imposita manu dabant dona linguarum; ita demum creditum est, & vix creditum est illis Paradoxa docentibus. Nunc quum iuxta communem opinionem adferant pene Paradoxotera, nullus illorum adhuc extitit, qui vel equum claudum sanare potuerit. Hæc & alia plura Erasmus.*

Ad eum vero libellum diu tacuit Lutherus, cum Latinè scripsisset Erasmus, non ad indoctam plebem Germaniæ, cui maximè incubabat Lutherus. Multorum autem querelis excitatus, tandem, maxime vbi in Germanicam quoque linguam ab Emsero & Cochlæo versus esset libellus Erasmi assumptis in auxilium sociis, edidit librum de Seruo arbitrio; in quo Erasmum, vt ei & scientiæ famam, & autoritatem adimeret, grauissime onerauit calumniis; à quibus ille se mox in Hyperaspiste hoc est Defensore Diatribæ suæ vindicauit; quando post multa ad Lutherum conuersus ait. XXXII.

Quam multa sunt in isto tuo libro prorsus Aprosdionysa, quam multa superuacanea, quot in locis communibus moræ, quantum conuitiorum, quam multa manifestæ vanitatis, quantum stropharum, quantum figurati morsus, quam multa parum prudenter detorta, ac deprauata, & ex deprauatis Tragicæ conclusiones, rursus ex his vociferationes in immerentem. In his, quoniam tibi visum est bonas horas collocare male, cogor & ipse in refellendo nonnullam aquæ meæ portionem consumere. Primum igitur demiror, quum mea Diatriba nihil habeat, nisi moderatam de re disputationem, quumque è propinquo allatret Hieronymus Emserus, è longinquo Ioannes Cochlæus adiurget; ex Anglia præter Roseum & alios, Ioannes Episcopus Roffensis iustis voluminibus te lacessat; è Gallia Iodocus Clichtoueus Lutherum oppugnet Antiluthero; ex Italia Christophorus Longolius elaboratam orationem in te torserit: deniq; cum hic habeas ex tua sodalitatis Coryphæis, qui tibi sedulo facessant negotium, quorum Vlricus Zuinglius edito libello, nequaquam edentulo, dogma tuum, sed ex parte cum Ecclesia commune de Eucharistia oppugnat: quum idem fecerit Capito, & Ioannes Oecolampadius nullis quidem conuitiis, sed crebrioribus & acrioribus machinis: Hæc inquam, cum ita sint, demiror quo consilio, ad omnes obtumescens, nostræ Diatribæ respondendū putaris. & post pauca. *Verum hic obsequutus es fratribus, inter quos scio permultos esse, quorum mores procul absunt ab Euangelio, cuius titulo sese venditant. Horum cupiditatibus, Luthere, te plus satis obsequentem præbes, non sine graui detrimento causæ, quam sustines. Non enim me clam est, in cuius gratiam ad istum modum scripseris in Ioannem Cochlæum, & in Regem Angliæ. Is nimirum erat, in quo duas personas Comicas posses agnoscere, stupidissimum ac gloriosissimum Thrasonem, & adulantissimum Gnathonem. Certe indignus erat, cuius hortatu vel epistolam scribere debueris in tam arduo tamque periculoso negotio. Quin illud potius erat tibi reputandum, quam personam suscepisses: videlicet qui se profiteretur, Euangelium iam plus mille quingentis annis sepultum & obrutum, reuocaturum in lucem, & abrogata Pontificum, Conciliorum, Episcoporum & Scholarum autoritate, promitteret orbi certam veramque viam salutis, quam hactenus mundus ignorasset. Quam vero non congruebat, vt qui tam arduo negotio, velut Atlas cœlo supposuisset humeros (iam enim tecum sic ago, quasi vera sint omnia, quæ tibi arrogas) perinde quasi in re ludicra, dicteriis, sannis, salibus, & cachinnis, in quoscumque lubitum fuerit ludat, & ex VVilheyli* [margin: *Is erat Wilhelmus Nessenus, qui in Albi periit.*] *cuiuspiam arbitrio stilum vel stringat vel moderetur in quemquam, non dicam in*

Regem,

Regem. Et infra. *Porro quod tibi cum Paulo vindicas scientiam: tu. m id vere posses, simulque præstares spiritum Euangelicum, qui fragrat in scriptis Pauli, quum in tuis obstrepat alius spiritus. Aut quæ tandem contumelia est, si tu mihi derogas scientiam; quum eandem iamdudum detrahas & Conciliis vniuersalibus, & Pontificibus, & Episcopis omnibus, & priscis pariter ac recentibus Ecclesiæ Doctoribus, deniq; scholis omnibus? Quis vmquam sapuit, qui vel latum, vt aiunt, digitum, dissensit à tuis dogmatibus? Omnes quamlibet antea docti, protinus vt tibi contradicere cœperint, patiuntur hanc metamorphosim, ex lynceis vertuntur in talpas, ex hominibus in fungos.* Et rursus. *Cæterum quis illud absque risu leget, quod scribis, mea modestia te segniorem redditum ad pugnam, quum ista fortitudo tua, me frustra reuocante, iam orbem vniuersum exitialibus dissidiis concusserit. An equo sic currenti erant subdenda calcaria? Habemus fructum tui spiritus: res vsque ad cruentam stragem progressa est; & metuimus atrociora, ni Deus propitiatus auerterit. Dices, hanc esse naturā verbi! Ego nonnihil arbitror referre, quam prædicetur verbum Dei, vt iam Dei verbum sit quod doces. Non agnoscis hosce seditiosos, opinor, sed illi te agnoscunt. Et iam compertum est, multos, qui se iactabant Euangelij nomine, fuisse seditionis crudelissimæ instigatores: quorum conatus si successisset, forsitan extitissent qui probarent, quod nunc re male gesta detestantur. Tu quidem in libello in agricolas sæuissimo suspicionem abs te depulisti: nec tamen efficis, quominus credāt homines, per tuos libellos, præsertim Germanicè scriptos, in oleatos & rasos, in Monachos, in Episcopos, pro libertate Euāgelica, contra tyrannidem humanam, hisce tumultibus fuisse datam occasionem;* Et iterum. *Deinde, quum me toties facias Lucianum Atheon, qui dicam in corde meo, Non est Deus: Quum me facias Epicuri de grege porcum: quasi credam, aut nullum esse Deū, aut si quis est, ei non esse curæ res mortalium. Hæc inquā quum impingas, quibus ne fingi quidem quicquam potest atrocius, tamen addis hyperbolā, me scire, quid hic premas. Hic erat locus in te debacchandi, si calami tui petulātiam imitari vellem. Nihil erat opus tum impudentibus commentis; poteram ex aliorum sententiis aperire, quod mōstrum tu celes in corde: & quem spiritum tua scripta nobis inhalent. Etenim si tibi ius facis, quidlibet in me iaculari, vel ex tuorum Veredariorum delationibus, vel ex fratrum litteris, vel ex animi tui diuinatione: Quanto iustius ego possem ex Cæsaris ac Pontificum diplomatibus? ex grauium virorum libris in te proditis?* & in fine. *In salutis negotio non aliunde flagito præsidium, quam à misericordia Domini: neque secundum Deum, vlla in re plus habeo vel spei vel solatij, quam in sacris litteris. Et quemadmodum in lucubrationibus meis, non nego, potuisse fieri, vt alicubi scripturæ germanum sensum non attigerim; ita sanctissime deierare possum, me scientem, nec in gratiam hominis, nec ob metum hominis, vsquam docuisse secus, quam sentirem, saltem opinione probabili. Qui mecum habuerunt domesticam consuetudinem, si non sanctimoniæ, quam desidero potius quam habeo, certe huius animi possunt esse testes; qui numquam effutiuit verbum vel ioco vel serio, quod saperet Lucianum, Epicurum, aut Porphyrium. Ineptum erat, hæc testificari scripto, nisi Lutherus Euangelij vindex, accurato libro talibus facetiis voluisset in Erasmum amicum ludere. Nunc si quis malit habēre fidem illius impudentissimæ criminationi, qui me non nouit, quam meæ testificationi, suo periculo faciet: me liberabit hæc animi mei declaratio.* Hæc Erasmus, apud *Cochlæum in Luthero.*

XXXIII. Istum ergo placare conatus est Lutherus, suasu quorundam suorum, qui Erasmum vti venerandum senem, & virum eruditione non minus quam autoritate præcellentem commendabant plurimum; cumque si suauiter ageretur, in sectæ contubernium pertrahi posse, nihil dubitabant. Horum iudicio cedens Lutherus, litteras hoc anno ad Erasmum dedit, in quibus hoc agit cumprimis, vt offensum dictis asperioribus, & scurrilibus conuitiis alienatum, sibi suisque denuo conciliaret. Agnoscit se peccatorem esse, & ingenij vehementioris hominem. Si quod igitur contumeliosum verbum exciderit, id obliuione petit deleri. Respondit Erasmus eodem quo litteras accepit die, vndecimo scilicet Aprilis, & Lutherum subdole blandientem ad eum modum excipit, vt ille satis intelligeret, deprehendi strophas suas, adeoq; verum esse quod ait Comicus; *Soni verba dare, difficile est.* Extat inter Erasmianas epistolas hæc ad Lutherum responsio, ex qua ista pauca decerpimus: *Non sum, inquit, vsque adeo puerilis ingenij, vt tot vulneribus inflictis plusquam capitalibus, placer vna atque altera facetiola, palpoque deliniar. Cuius ingenij sis, iam orbis nouit. Stilum verum sic temperasti, vt hactenus in neminem scripseris rabiosius, imo quod est detestabilius, malitiosius. Hic videlicet tibi succurrit, te peccatorem infirmum esse, cum aliàs, postulas tantum non pro Deo haberi. Es homo, vt scribis, vehementi ingenio, & argumento tam insigni delectaris. Quin igitur, iam admirabilem ἐινωσιν iampridem effundebas in Episcopum Roffensem, aut in Cochlæum, qui te nominatim appellant & conuitiis lacessunt?* Et paulo post. *Illud mecum optimum quemq; discruciat, quod tuo isto ingenio tā arroganti, procaci, seditioso, totum orbem exitiabili dissidio concutis; bonos viros, & bonarum litterarum amantes obiicis furiosis quibusdam Pharisæis: improbos ac nouarum rerum auidos, ad seditionem armas, breuiter, sic tractas Euangelij causam, vt sacra prophanaq; omnia misceas: quasi studio tibi sit, ne tempestas hæc aliquādo vertatur in lætum exitum: in quam occasionem ego semper intentus fui. Quid tu mihi debeas, quid retuleris præmij, non excutio: priuatum illud est, quicquid est: publica calamitas me discruciat, & ominium rerum immedicabilis confusio, quam nulli debemus, nisi isti tuo impotenti ingenio, bene consulentibus intractabili, leuibus quibusdam tenebrionibus ad quiduis flexili. Optarem tibi meliorem mentem, nisi tua tibi tam valde placeret. Mihi optabis quod voles, modo ne tuam mentem, nisi Dominus tibi illam mutauerit.* Hactenus Erasmus. Lutherus autem ad hęc ne gry quidem, quod aiunt: nisi quod acerbitate nudæ crudæque veritatis offensus, Erasmum deinceps amarulento odio prosecutus est, de eoq; sibi adiungendo penitus desperauit.

XXXIV. *Zuinglius & Oecolampadius primi sacramentarij.*

Eodem anno, cum primi nominis Sacramentarij, Vlricus Zuinglius, & Ioannes Oecolampadius, suam de Sacramento Eucharistiæ hæresim, voce & scriptis propagarent: contra vero eos, prædicantes Suenici Lutherani scriptum, cui syngrammatis titulum indiderunt, edidissent, in quo Christi verba, Hoc est corpus meum, non aliter quam ad mentem Lutheri accipienda esse ostenderent: Lutherus hoc ipsum Syngrāma, per eosdem Lutheranos in Germanicam linguam trāslatum, in lucem editum esse voluit, cum sua pfatione: in qua sibi quidem, ait, animum præsagiuisse, cum scriberet contra cœlestes prophetas, & Carlostadij fundamentum destrueret, proditurus & alios, qui nouis præsidiis nutantem causam fulcirent. Tametsi vero sententiam suam in libro contra Carlostadium iis fundamentis muniuerit, quæ nemo possit euertere, imo quæ hi posteriores Zuinglius & Oecolampadius ne mouere quidem conati sint, vel serio contrectare: tamen tractatum hunc à superbis istis Thrasonibus contemni, nec inspici quidem; quasi satis sit, si vel solo nutu significent, cum sibi displicere, atque aliter de hac causa scribendum insinuent. Igitur quia nunc quidem occupatior sit, quam vt hunc spiritum aggredi possit peculiari scripto, voluisse se dicit in hac præfatione profiteri fidē suā, eosq; monere qui sana cōsilia admittunt, vt sibi caueant à pseudoprophetis istis, qui detestandas spargunt in Deum blasphemias, vt quem à pistore factum, vel impanatum Deum appellent: & Orthodoxos, quasi Sarcophagos, & hæmatopolas contumeliose traducant. Causas vero, cur fugiendi sint id genus pseudoapostoli, tres omnino commemorat. Prima est, quod huic sectæ vel vnius anni spatio, quinque vel sex nata sint capita: vt eam inter animalia censeri oporteat, quorum mentio fit in Apocalypsi, quæ corpus vnum habeant, & multa capita. Nam eodem planè modo sectam hanc, ait, vnū habere veluti corpus impij dogmatis: verum ad astruendum hoc ipsum dogma, variis eos vti diuersisque fundamentis & rationibus: atque hæc tam diuersa capita in eum finem sese erigere, vt vnicam & simplicē Christi veritatem blasphement. Altera causa est, quod fundamentis vtantur non diuersis modo, sed & contrariis, contra Spiritus Sancti morem; qui vnius generis rationibus ad stabilienda dogmata semper vtatur, iisque simplicissimis & solidis, quæ euerti non possint. Carlostadium in voce τῦτο collocasse dogmatis basim; ea vero nunc euersa disiectaque surrexisse Zwinglium, & verbum EST, pro, significat, vsurpatum asseruisse. Verum & hoc caput inclinare iam, quasi breui moriturum. Oecolampadium vero contendere, dictionem CORPVS, pro figura corporis accipiendam. Demum tertia causa est, quod spiritus huius sectæ fugitiuus sit & lubricus, nec vlli argumento constanter insistat: quemadmodum se dicit in Sacramentariorum scriptis & sermonibus deprehendisse. Quod si vrgeantur, vt Christi verba eum habere sensum demonstrent, quem ipsi commēti sunt: aliam eos, ait, ordiri cantilenam, & ad quædam diuerticula dilabi. Si vero reuocentur ab euagationibus ad verba textus; ibi se, dicit, velut anguillam cauda tenere, vel eò duci, vt simiæ caudam apprehendere iubeatur. Esse hoc artificium vere Satha-

nicum, ita sursum deorsumque ferri, atque instar titionis in aëre volitare. Concludit, duo illos habere principia, quibus ipsorum error innitatur; alterum esse iudicium rationis humanæ, cui absurdum videatur, quod Christi corpus & sanguinem dicitur Eucharistiæ Sacramento contineri; alterum, quod hoc ipsum non sit necessarium.

Hæc duo Sacramentariorum animis, ait, penitus insidere, quæ fraudulentia Sathanæ, velut oleum, ipsorum ossa penetrarint, & intimas medullas. *Vide Sleidanum in vita Lutheri.*

XXXV. *In Baden Heluetiorum inter Catholicos & Zuinglianos oritur disputatio.*

Ad hæc friuola Sacramentariorum fundamenta conuellenda, habita est hoc anno 1526. percelebris disputatio in Baden oppido Ergauiæ apud Heluetios, inter Catholicos & illos. Nam Zuinglius & Oecolampadius, religiosam & Catholicam Heluetiorum gentem ex parte iam peruerterant, & non mediocre in religione diffidium per nouam doctrinam suscitauerant. Vt igitur dissensio turbatioque illa tolleretur, communi XII. Cantonum (sic vocant XII. distincta Dominia confœderatæ gentis) consensu instituta est disputatio, ad quam vocati sunt ex Catholicis præclari viri, Ioannes Faber Consiliarius Sereniſſimi Archi Ducis Ferdinandi, qui iampridem grande contra Lutheri errores volumen ediderat; Ioannes Eckius, qui ante VII. annos cũ ipso Luthero cũlaude omnium publice disputauerat; & Thomas Murnerus. Hi tres præcipue ad disputandum parati erant, aduersus Zuinglium & Oecolampadium. Ad eam disputationem, suos miserunt Oratores quatuor vicini Episcopi, ad quorum Diœceses gens Heluetiorum pertinet. Episcopus Constantiensis Hugo, misit claros viros, Melchiorem suum Suffraganeum, eximium Theologum, Othmanum Lusinium virum lisertissimum, P. Antonium Fyratam Concionatorem maioris Ecclesiæ fundatissimum, & quosdam alios Prælatos & Parochos, non incelebres viros; Basileensis vero Episcopus Christophorus, misit Augustinum Marium suffraganeum Frisingensem, Iacobum Lemp Ordinarium Theologiæ in Academia Tubingensi, & aliquot alios doctos viros. Episcopus Lausanensis Sebastianus, misit Conradum Tregarium, Prouincialem Augustinianorum, & Ludouicum Loblium Decanum Bernensem. Episcopus denique Curiensis, misit Petrum Speiserum, cum aliquot Curiensibus Canonicis. Aderat præterea magna eruditorum hominum frequentia. Cæterum Zuinglius, reiecta omni fide publica saluoque conductu, qui ei multifariam offerebatur, nullo pacto ad eam disputationem venire voluit. At Eckius multis diebus, sub Notariorum exceptione disputauit, nunc cum Oecolampadio, nunc cum Iacobo Imeli, nunc cum Berchtoldo Hallero, atque etiam cum Vldrico Studerio, tum de rebus aliis religionis nostræ, tum præcipue de Venerabili Eucharistiæ Sacramento. Quanto autem illis omnibus superior solidiorq; fuerit Eckius, publico declaratum fuit Heluetiorum decreto; in quo Catholicorum obseruationes, Eckiique propositiones comprobatæ, atque plenæ seueritatis edicto confirmatæ fuerunt, quarum sane iste fuit tenor.

I. *Verum Christi corpus, eiusque sanguis, præsentia sunt in Sacramento altaris.*

II. *Quæ & vere offeruntur in officio Missæ, pro viuis & defunctis.*

III. *Virgo Maria, aliique sancti Cœlicolæ, inuocandi sunt vt intercessores.*

IV. *Domini nostri Iesu Christi, eiusque Sanctorum imagines, delendæ non sunt.*

V. *Post hanc vitam Purgatorius est ignis.*

VI. *Pueri, etiam Christianorum in peccato Originali nascuntur.*

VII. *Baptismus Christi, non Ioannis, tollit Originale peccatum.*

XXXVI. His ergo conformis facta est publici decreti sententia. Qua & Lutheri doctrina, veluti peruersa, multisque iudiciis solenniter condemnata, per Leonem Papam X. per Carolum Augustum V. per præclaras Vniuersitates, Parisiensem, Louaniensem, Colonien sem &c. Heluetiorum plebibus interdicta est. & antiqua Catholicæ fidei obseruatio approbata atque præcepta, Ne quid temere immutaretur de sacra Missa, de sacrorum administratione, de sacris ritibus cærimoniarum, ieiuniorum, Orationum, Confessionum, Feriarum, Oblationum, Inuocationum, Exequiarumq; pro defunctis. Vt igitur hæc omnia firmius tenerentur, additum fuit in fine decreti, certos constitui debere Aduigilatores, qui vna cum Magistratib. & Officialibus publicis, diligenter huic causæ inuigilent, ac preuaricatores denũcient, cuiuscumq; status fuerint, vt iuxta demerita sua puniatur. adeo sanè, vt reus in vno Cantone, ab omnibus aliis Cantonibus reus itidem extorrisque habeatur, nec vsquam liceat profugis euadere pœnas.

XXXVII Ioannes Faber, cũ per absentiam & contumaciam Zuinglij, disputare cum eo non posset verbis, scriptis protulit multa, quæ illi obiecturus fuerat, si comparuisset. Ingentem enim Antilogiarum illius numerum coaceruauit in volumen vnum, quibus ille fœdissime & sibi ipsi contradixit, & suam Lutherique doctrinam destruxit. Nimis longum foret omnia commemorare, quæ vir ille doctissimus, multiugæque lectionis & inexhausti laboris, ex libris Zuinglij recitauit atque redarguit, partim tamquam sibi ipsis contraria, partim tamquam fidei Catholicæ aduersa, & secundum se impia, absurda, & à vero aliena. Recensuit item supra CL. mendacia ex scriptis Oecolampadij, quibus ille populum fallaciter decipiebat, asserens, antiquos Doctores Ecclesiæ idem sensisse de Eucharistiæ Sacramento, quod ipse sentiebat. contra quem piissimus atque doctissimus vir, Ioannes Fyscherus Episcopus Roffensis in Anglia, quinque egregios scripsit libros, errores & mendacia illius exacte reprobans. At Thomas Murnerus, qui Lucernæ iis temporibus verbum Dei Catholicè prædicabat, longe acerrime in Zuinglium est inuectus, quem multipliciter per XL. conclusiones infamem, propter scelera & sacrilegia commissa, declarauit. Ex quibus vnam, quæ in ordine septima est, hic exempli gratia recitasse satis fuerit: licet breuitatis ratione, ne ipsa quidem tota recitabitur. Ait igitur Murnerus. Famosus est, qui census & reditus, cultui diuino ex piis causis deputatos, in prophanos vsus temerabit commutare, & cum alterius detrimento ac iniuria alium facere locupletiorem, conarique plus iuris in alium transferre, quam habuit ipse. Hanc conclusionem probat ex legibus multis, tum Constantini Magni, tum Iustiniani Augusti. & addit, quod annui reditus inter immobilia bona computantur. L. Iubemus. C. de Sacrosanctis Ecclesiis. Quæ neque alienari, neque auferri debent. Qui autem hoc fecerit, puniri debet, non solum faciens, sed & Oeconomus Ecclesiæ, & Scriba, qui eiusmodi contractum scribit, & iudex hoc admittens. ca. L. §. Oeconomus. Auditis ista vos Ecclesiarum fures? Ideo nihil vobis aliud expectandum restat, quàm vt calceis exutis ad patibulum proficiscamini. *Et infra.* Hinc primo consequitur, Infamem esse quemlibet, qui Ecclesiis & religiosis, suas per vim aufert hypothecas, & ab illis eos vi depellit & iniuria. L. Prætor ait. §. Ne quid. ff. de vi & vi armata. Lege Iulia iudiciorum plectendum. Consequitur secundo, dupliciter infamem esse, duplicemque furem, qui cum retentis hypotheeis etiam capitalia detinet bona. Consequitur tertio, hunc tripliciter esse famosum, qui vltra hypothecas, & bona capitalia, etiam eorumdem litteras & sigilla furatur. L. Nec interest. ff. ad legem Iul. de vi priuata. Consequitur quarto, quadrupliciter infamem esse, qui vltra hæc tria, homines vi cogit sibi census & reditus afferre, cum ei ne obulum quidem debeant. L. Lege Iulia. ff. ad legem Iuliam peculatus. O vos, inquit, tam multipliciter infames, Euangelici iuquam, criminosi ac scandalosi Ecclesiarum fures, quibus eiusmodi eum veritate obiiciuntur. Hæc & id genus alia Murnerus, *apud Cochleum in Luthero.* Sleidanus quamquam Lutheranus, decreti Badensis meminit. *Actionis hic erat exitus, vt in ea quam hucusque seruassent religione permanerent omnes, & Concilij sequantur authoritatem, neque vllum dogma suos intra fines admittant.* Fuit hoc sub finem Iunij, quo tempore Constantiensis Episcopus, Ioannem Huglium ex sacerdote apostatam hæreticum, Merspurgi iussit eremari, quod Pontificium dogma non per omnia probaret. *lib. 6.* Ex Zuinglij & Lutheri antilogiis, per Ioannem Fabrum detectis; aliqui efficacissimè & ineluctabiliter euincebant, ipsorum dogmata non Spiritum sanctum, sed mendacij parentem diabolum habere autorem. Ex quo necesse est, vt pudefiant & obmutescant, quicumque eorum dogmata sequi & tueri volunt; eum nulla res certius indicet doctrinæ falsitatem, quam si ea varia sit & inconstans, nec semper sui similis.

Thomas Murnerus in Zuinglium inuehitur.

Quis

Quis enim vel in prophanis & parui momenti rebus fide commodare velit ei, qui de vna eademque re modo aiat, modo neget? Iam probet, paulo post improbet? Certe vel hoc solo nomine iustissime damnabuntur, quotquot ab Ecclesia Catholica, quæ toto orbe terrarum vnum atque idem docet, ad hæreticos etiam à seipsis turpissime discrepantes, deficere non dubitarunt.

XXXIIX. Eodem tempore Conradus Pellicanus, qui ex Franciscano factus erat Zuinglianus, & aliquando Erasmi Roterodami confessiones audierat, cum adhuc Basileæ Monachus esset, Tiguri cæpit de Erasmi eiusmodi apud amiculos suos spargere sermones, qui Erasmum de Zuinglianismo redderent suspectum. Sed & Leo Iudæ Zuinglianus, Germanicum libellum edidit tacito suo nomine, quo docere voluit, Erasmum & Lutherum quandoque idem cum Zuinglio sensisse. Hoc Erasmus tulit molestissime, conatusque est eam calumniam multis modis depellere: licet suis incautis scriptis non paruam fortassis occasionem dederit talia de ipso existimandi. Scripsit autem hoc anno ad Heluetios, qui in Badensi disputatione conuenerant, epistolam qua à se ab hac suspicione purgat: at melius feciſſet, si in Zuinglianos scripsisset, eo zelo & ardore, quem res tanta flagitabat. Non tamen potuerunt eum Zuingliani vnquam in suam pertrahere sententiam, licet Basileæ, vbi Zuinglianismus vigebat, diutius vixisset.

XXXIX. Non tam constans Martinus Bucerus Argentoratensis, ex Iudæo Christianus & Dominicanus, inde Lutheranus, postea Zuinglianus. Is mortuo patre Iudæo, fere puer annos circiter XV. natus, Dominicanam religionem professus, magnos in studiis breui progressus fecit, multarum etiam linguarum apprime peritus. Post non multos annos Lutheri exemplo, cucullo abiecto ad eundẽ reclamante diu cõscientia desciuit. Enimuero de illo memoriæ proditum est, quod cum ad Lutherum se contulisset, Lutherus ab eo scisciatus fuerit: Num hac in re tranquilla frueretur conscientia: ille vero responderit, se quidem nondum posse pectoris pace frui, testante conscientia saniorem esse Catholicorum quam nouam hanc doctrinam. tum autem Lutherus dixerit: Si tales habent tuæ, nondum mihi es idoneus. Abi igitur & pugna contra hanc conscientiam, donec ea prorsus consilescat, & tunc mihi eris commodus administer. Id vero Bucerus fecerit, & ad Lutherum reuersus, dixerit se iam omnem conscientiæ aculeum prorsus repressisse, paratumque esse deinceps & viuere & mori in nouo Euangelio: sicque Lutherus cum, tamquam in primis aptum suæ doctrinæ propagandæ hominem, alicubi Ecclesiam effecerit. Fuit Bucerus ingenio ad simulandum, & dissimulandum egregiè compositio; qui tamen Zuinglij potius quam Lutheri dogma de Eucharistia complexus est aliquamdiu: Sed postea in Lutheri gratiam à Zuinglio ad Lutherum defecit. Non est verisimile, conscientiæ aculeum eius pectus deinceps minime pupugisse: sed id genus deplorati homines fingunt & dissimulant, vtpote qui non modo illam, sed & Deum ipsum contemnunt, dicente Scriptura; *Impius cum in profundum peccatorum venerit, contemnit.* Ediderat anno 1524. Ioannes Pomeranus Commentarios in Psalmos. His suas commendatitias præfationes præfixerant Lutherus & Melanchthon. Itaque rapiebantur illi Commentarij à studiosis. Cernens hoc Bucerus, audax facinus aggressus est. Vt enim hominibus persuaderet scholam VVittembergensem cum Sacramentariis consentire, illos Commentarios vertit, & mox in Psalm. 3. contra apertissimam authoris sententiam, quam præcedente Psalmo bene conuerterat, verba corrupit, vt Zuinglianissimum sapere videretur. Eam hominis perfidiam Pomeranus ipse, hoc anno 26. datis ad Brentium & Ioannem Agricolam litteris accusauit. Vt autem rumor latius spargeretur, VVitembergensis subscribere Lutheranis, Buceri versionem Sacramentarij mox latinè reddiderunt, atque longe lateque dispersere. Eodem artificio Bucerus vsus est in vertendis Lutheri Commentariis in epistolam ad Hebræos, quemadmodum Lutherus ipse apud typographum conquestus est. Volebat enim vir Euangelicus pro suo candore ea quoque versione efficere, vt Lutherus ad Zuinglij castra transfugisse videretur. Quod si vero tales tam-

XL.

que nefarias fraudes illi exercent in, eorum vertendis libris, qui et am tum viuebant; cogitet prudens Lector, quid in Patrum vertendis scriptis, vel etiam citandis & edendis faciant. *Sur. us in Comment. ann. 1526.*

Dedit huius rei specimen egregium Osiander vxoratus presbyter & prædicator, qui hoc anno, duo Ruperti Abbatis qui ante 400. annos floruerat, opuscula, vnum de potentia, alterum de voluntate Dei, sed maligne vitiata, Luthericisque erroribus cumulata, in lucem eulgauit, vt fucum Lectoribus faceret, Rupertum, vnum ex antiquis Ecclesiæ Doctoribus, dogmata Lutheri comprobasse. Detexit falsitatem Cochlæus, & ne alia Ruperti opera, studiose à Lutheranis ad imprimendum, seu corrumpendum potius quæsita, illis traderentur, apud Abbatem Tuitiensem, & alios effecit. *Cochlæus in Luthero.*

XLI. Lutheri & Zuinglianorum Soboles, Anabaptistæ, à propaganda sua factione, neque hoc anno quiescebant. Diximus, anno superiore Hubmeierum à Zuinglio Tiguri conuictum, & à Magistratu coactum, palinodiam cecinisse, & tandem Tiguro clam abiuisse. Factum istud Hubmeieri, tametsi multis ad viam veritatis redeundi occasionem daret, perpaucis tamen profuit, & verius maioris mali, quam boni causa extitit. Etenim principaliores Anabaptistarum veriti, ne maior in secta dissipatio & schisma accideret, fratres clancularijs adhortationibus, eos præcipuè qui infirmiores credebantur roborabant, perque vrbis angulos diffusi, nemine præter suos conscio ciuium quorundam ædes subibant; idq; dabant operam, simul & semel, vt errorib. suis dementatos omnes ad se pertraherent, non obstante Senatus edicto, quod is cum contra eos, tum qui ipsos velut familiares hospitio excepcent, publicari ante curauerat. Atque neutiquam licet autumarent, fore quempiam, per quem res ea explorari, detegi multo minus posset: mihi ominus tamen decepti, & opinione sua citius præuenti sunt. Delectis quippe & in certas domos distributis ex lictorum, & qui Senatui à seruitiis erant ministris, deprehendi, noctu etiam facile potuit, quibus in locis infaustæ illi Catabaptismi nocturnæ morarentur. Itaque statuto tempore, quidam cum militari præsidio istuc à Magistratu missi, aliquos ex iis; & primarios quidem cæperunt: qui vinculis constricti, & quæstionibus subiecti alios nonnullos prodidere. Deprehensum quoque est, maximam vigere sub sanctimoniæ ipsorum velo morum fœditatem, quæ crebris iuntis, stupris, adulteriis, & quibusuis aliis incæstuosis flagitiis innixa esset, & inuoluta. Itaque strictiore inquisitione opus fuit, & inter alia quidem tenebrionum absurda dogmata, hi fuere reperti articuli.

I. Christianam libertatem renatos omnes sic carnaliter interpretari solere & assumere, ab omni vt lege liberi vitam ducerent.

II. Christum omnes in libertatem adseruisse: proinde se nullo magistratui, oneribus, vectigalibus, decimis, & quo nomine demum exprimi queant, grauaminibus subiectos.

III. Scrui tutem nulli præstandam esse, eo quod legi Christi contraria, ad libertatem natis in cultu diuino remoras iniiceret.

IV. Si quæ vero præstanda foret, aut quod tributum pendendum, pagatis potius, ad quercias, & quæ ex doctrina oriri possent, scandala fugienda, conferendum.

V. Fœminas obligari, dummodo salutem intenderent, corpora sua honoremq; ac famam prostituere. Id sacræ Scripturæ testimoniis probari, quæ neminem posse, nisi omnia quæ diligit deserat, abiiciatq;, saluari testetur.

VI. Propter Christum omnem infamiam & contumeliam, boni quoq; nominis & famæ iacturam sufferendam.

VII. Et quia idẽ Christus dixerit, publicanos & peccatores, multis parasangis iustos in cœlo processuros: ideoq; & mulieres meretricari, & corpore quæstum facere debere, vt pudicas fœminas & ipsæ in cœlo moribus suis anteuerterent. Neque enim hoc conando quempiam peccare, sed Dei mandatum adimplere, omnia communia esse præcipientis.

VIII. Et quamquam nõnullis carnalis illa commixtio peccaminosa esse videretur, nihil tamen eam commune cum reliquis peccatis habere, cum tantum in carne fieret, quam quidem pollui posse non impossibile esse, renatis tamen nihil vel in minimo officere.

IX. Id verum esse, & se Scripturæ verbis factisque sibi à cœlesti patre reuelationibus, quouis loco & tempore abunde comprobaturos.

XLII. Præterea & vitiatę quædam præcipuarum familiarum virgines, matronæ quoq; & honestorum ciuium coniuges, quæ clam maritis venenum istud hauserant, adulteriis pollutæ comperiebantur. Quare, vt ad extremum tanto malo medeRetur, Senatus ad pacem & tranquillitatem Reipublicæ in integrum restituendam, Anabaptismi vsum & consuetudinem ciuibus suis, & totius ditionis suæ incolis inhibere motus fuit, capitis pœna in eos, qui contra peccarent, constituta. Inhibitio sic habet.

Quia constanti ad nos non fama modo, sed & certitudine delatum est, complures nostræ ditionis, erroneam illam, & tot flagitiis insignem Retinctorum sectam, contra voluntatem nostram & mandatum nuper publicatum, in nostri despectum amplexos esse, eiusque sectæ adsertores de hospitio accommodare, & ad cœtus seditiosorum hominum colligendos, cubilia, cellasq; concedere, atque eo pacto occasionem ipsis & materiam vlterius aduersus superiores insurgendi suppeditare, mandamus denuo ac præcipimus, vt omnes ij, qui huic sectæ sese adsociarunt, nisi grauissimam sibi pœnam malint accersere, a tam nociua & abominabili erronea seditiosaque pessimorum nebulonum colluuie seiungant ac separent, nec deinceps vllo modo iis patrocinentur, aut subsidio esse præsumant, multo minus ad se in domos recipiant, aut familiaritate quadam prosequantur, sed prorsus reiiciant, contemnantque. Neque enim nos, vel hosce qui hoc faciunt tolerare, vel eos qui petunt, in nostro territorio fouere aut volumus, aut possumus. Quocirca & præfectis nostris, satrapis, teloneariis, iudicibus, parochis, & breuiter omnibus subditis, qua possumus seueritate, sub iuramento quod nobis præstiterunt, inculcamus iterato & præcipimus, vt vel domi suæ detinere neminem, vel tueri, vel quo minus ad nostram notitiam deueniant, occultare ausint: verum si quos deprehendant, aut ruri, aut in confinio palam cognoscant, eos citra cunctationem vllam stringant, beneque, ne elabendi ipsis vlla relinquatur occasio asseruatos, & in vrbem missos extemplo sistant, tradantque. Nos enim neque talium patronis susceptoribusue, neque ipsis Anabaptistis, & qui nostræ eos potestati subtrahunt, parcemus, sed è Republica nostra, è ditionibus nostris emouebimus, incarcerabimus, & pro delictorum qualitate, tamquam periuros, perfidos, & læsi Magistratus reos, sine gratia vlla misericordiaue puniemus.

XLIII. *Anabaptistæ Tiguri tumultum excitant.* Mandatum vix affixum portis erat, & ecce nouus per vrbem motus exoritur: effulminant in senatum Anabaptistæ omnis generis conuitia atq; crimina; Antichristum in vrbe regnare clamitant, vltimumq; iamiā instare iudicium. Relegati ante in exiliū, ciuitatem introeunt, suisq; admisti clamorē clamore adaugent. Ciues ad arma iussu senatus conuolant, eaq; in seditiosos conuertunt. Quo viso, illi portis erumpere, euadendi effugia q̄rere, & quoquo possent modo ciuium furorē declinare. At illi fugientes insecuti capiunt, verberibusq; tundunt. Rogati, cur rupto Sacramēto in vrbem postliminio remigrarent; cur expulsi semel atq; iterum se denuo ingererēt; Patrem, replicāt, per suam voluntatē se reduxisse. Primarios, reliquis vrbe motis, in forū produci Senatus imperat, virgisque inde vsq; ad portam cædi, præstito prius iuramēto, nullo vnquam tempore in vrbem se redituros. Ita abibant homines, hic vltima vrbi exitia minitās; ille, dimitte illis pater quia nesciunt quid faciunt, clamitans. Sed hoc memoratu dignum est, cum (Zuinglio teste) Georgius ille, quem omnes alterum Paulum vocabant, de domo Iacob, virgis publice per vrbem cæderetur, vsq; ad portam infernam, & ad respondendum sacramento, leuandumq; manus à seruo Senatus adpellaretur, renuit, quod prius etiam fecerat, atq; obtinuerat, imo se semper sic gesserat, quasi prius mori vellet, quam iusiurandum præstare. Iubet ergo seruus Senatus, actutum manum leuet, ac Sacramento rogatus respondeat, aut vos lictores, inquit, cū in neruum reducite. Leuat virgis nunc persuasus in cœlū manus, ac præeuntem Sacramento magistratum sequitur Georgius de domo Iacob. Ita vrbs à lue pestiferorum hominum purgata fuit, remanentibus adhuc exiguis sectæ reliquiis, quas non adeo subito, sed cum tempore extingui oportuit.

XLIV. Expulsi porro & vrbe turbati, Glaronā, Abbacellā & SanctoGallum densis agminibus commigrarūt. Hic opinionum suarum portentis clam plebē inficiunt, artesq; priores, priore versutia, vsi, non sine sectæ incremento edocēt. Primum erat, quo incolas in sui admirationem rapiebant, vita rigida, & quā exterius repręsentabant, sanctimonia. Huc visiones crebræ & extases accedebant, quibus freti, quæ Dei voluntas, quid futurum esset, simplici vulgo pandebant. In terram se deiiciebāt, perinde atque epileptici essent, spiritum quam diutissimè possent retinentes, raptos se & in extasi esse simulabant, horrenda adsistentibus specie præbita, vt qui veluto re inuerso totis viribus cum Dæmone colluctari viderentur. Postremo, vbi sat populo illusum arbitrabantur, euigilantibus similes in pedes sensim sese erigebant, exponentes ea, quæ Pater cœlestis in extasi, vt mentiebantur, futura reuelasset. Hic mira præsagia & pseudoprophetiæ audiebantur. Alius ciuitati ruinam, nisi pœnitentiam agerent, vitamque nouam rebaptismo abluti amplexarentur incolæ, prophetabat. Alius intra paucos dies, Christum iudicem impios cum electis ad tribunal vocaturum, præsagiebat. Hic istud, illud alter, prout opportunum & sectæ dilatandæ cōueniens apparebat, eructabat. Sed hæc primariis tantum, communia erant. Rudiores, quod verbis non poterant, re comprobare connitebantur. Hi ciuium filiis sese insinuabant, multa promittentes iis, quæ vbi societatem hanc ingrederentur, Pater daturus esset. Viuere se, persuadebant ipsis in summa animorum tranquillitate, ac ipsa quasi visione beatifica perfrui. Christum sæpe itinerantibus sibi adesse comitem, mentem etiam illustrare, eoque lumine perfundere, vt omnis omnino peccati expertes his in terris degerent. Quod vero pro eius nomine persecutiones hinc inde turbati paterentur, id in sui probationem fieri, vt qui Apostolorum doctrina imbuti essent, eorum quoque miserias, passionesque in semetipsis experirentur. Gaudere se, summopereque exultare, si quando vel exilium vel mortem Christi pro nomine subire compellerentur. Verum quominus hucusq; nullus sanguine suo tam sanctam fidem obsignasset, eam supremi Patris voluntatem esse: qui si requireret, paratissimos se esse eius mādato obtemperare, Huc porrò à Deo, vt salutarem eius doctrinam nouissimis hisce temporib. sibi patefactam populum edocerent, missos esse. Proinde omnes obnixe rogatos velle, eidem colla subdere, suaque Christi iugum subire ne grauarentur. Quod si facerent, Dei misericordiam se imploraturos, vt imminentia mala clementer auertere velit & amoliri. Hæc dicendo & identidem ingeminando in terram miro intuentium stupore prosternebantur, ac post paulo redeunte spiritu erecti, in cœlo secum Deo colloquia miscuisse fabulabantur. Hoc dolo iuniores mirum in modum circumuenerunt, qui & ipsi magistrorum vestigia secuti, paria parentibus domi figmenta ostendebant. SanctoGalli sane (si Zuinglio oculatissimo Heluetiorum hoc tempore motuum testi credimus) puella Catabaptistis fuit, duodecim annorum aut paulò supra, Patris, vt aiebant, rectè animati filia, quem ad cōuehendum annonam sese accingentem (erat enim frumentator) filia monet, vt istum diem domi se retineri patiatur, visurum esse miranda: atque paulo post ad eum, quem diximus modum concidit, in ectasin, scilicet, abrepta. Cumque euigilasset, itidem fanatica ista sua garriebat. Vides vt ista sciuit, quando casura esset: cur autem non cecidit protinus, vt patrem vidit proficisci? Nondum docta erat omnia, quæ sibi restituta redderet, aut quibus ad hanc rem opus erat imperata fuerunt. His immanibus præstigiis passim tunc apud Abbacellanos vtebantur. Hæc Zuinglius, quem si audiueris, corruptissimos mores vitiaque, sub istis vanitatum vmbraculis insignia latitasse comperies, quæ ad sectæ incrementum, & creuerint vnà, & cumulatim in domos irrepserint. Rem ab eo sic accipe. Figellæ cuidam nomen est apud nos ad primum ab vrbe lapidem. Is eorum doctrinam contumacissime tuebatur, commeatum autem pro domo contraxerat, quò hyemem transmitteret, & quoties edendū esset, iam inertes muscæ aderant, magnifice de Deo prophetantes: sic enim blateramenta sua vocare dignantur prophetiam: Tenētur, paterfamilias, vxor, atque liberi hoc pręstigio, donec annona absumeretur. Arbitratus ergo homo quod minime contingebat, præsentib. comesis illorum opera & auxilio alia comparaturū: monet nunc operi esse instandum, quo paretur victus. Surdo fabulam narrat. Cum enim aut stamen tendere (textor enim erat) aut subtegmē euoluere cogeretur, illorumq; opē aliqua in parte expectaret, isti laudare Deū, eius ꝓuidentiā vehere, omniaq; de illo tamquam ἄσπαρτα καὶ ἀνήροτα polliceri, manum operi

nullo

nullo admoliri. Interim ex coniuge discit, adulterium quoque oblatum ei esse pietatis prætextu. Iam domo pellit sceleratos hospites, atque oculos recipit, videtque ventres esse, quos paulo ante Angelos crediderat: atq; ad Ecclesiam Christi (Sacramētariorum hæresim puta) redit. En tibi vt publica, velint esse omnia. Perditi homines, mediocrium bona communia volunt esse; sua vero si quæ habent, nullatenus. Si nulla habent, sic communia faciunt omnia; laborem partiuntur aliis, ipsi ne nihil faciant, ocium colunt, deinde in commune edunt: vxores quoque, ne Platonis Rempublicam vitient, communes faciunt non suas, sed aliorum. quod alio facto patebit. Fuit ex Coryphæis præcipuus, in vico ab vrbe ad quintum lapidem, cum non contemnenda pecunia. Ad eum properabat vxor, vt liberis abiēs aliquid relinqueret. E punice aquam postulabat. Manet interim vxor nocturnis fors sperans blanditiis aliquid emuncturam; cumque iam hora esset, lectum mariti petit: cui spiritualis homo occurrens: Nonne dixi tibi, quod non aliam ob rem veneris quam libidinem? à se repudiat; ac mox puellam Catabaptisticam ad se aduocat. Quod cum vxor male ominans arguit, diris eam deuouet: Caro es, inquit, ideoque carnalia cogitas & suspicaris: maledicta eris in æternum. Cum autē nullis ei posset suspicio maledictis eximi, tandem ad nos venit, ac narrare, quæ maritus, libidinis alioquin impatientissimus, eis imposuerit credenda, de matrimoniis spiritualibus puta; cum suspicione carere non posset, quod cum eadem puella vicibus aliquot Sancto Gallum perrexerat, solusque cum sola non tantum nemora & æstiuas vmbras transierat, sed noctu in eodem cubili cubuerat, iam tandem aperit mysterium, cōnubia inter eos spiritualia. quib. tamen vxor parum dabat fidei. Sic ille vxorem reliquisset aliis communem, ne nihil in commune referret. Numquam enim posthac eam attigit, nisi meliore fide quam ipse connubium custodiuisset; ac puellam communem vsurpat, imo communem facit. Iam aliud quoq; exemplum narro. Fuerunt & alibi, qui hæc spiritualia matrimonia consimilem ad modum sic contraherent, vt ab argentariis coēmptis annulis, puellares matronalesq; spiritus sibi deuincirēt. Quales in schola Valentini fuerunt, quemadmocum *Irenæus libro* 1. testatur. Sancto Galli publicè animaduersum est in puellas duas, quæ donec ad Catabaptistas desciscerent, inculpatæ pudicitiæ fuerant; sed simul atque in Catabaptismum se demerserunt, naufragium passa est virginitas. Desponderi enim se spiritualibus maritis, acceptis annulis tulerunt. Nocteq; tandem vna vnoq; in lecto Zonam virginalem sic soluerunt duo Catabaptistæ, vt sponda diu gemens, oneris tandē impatiens, humi fuderit vno crepitu nuptias duas. Ibi qui casum audiuerunt, sancte iurant, spiritus istos κτύπον haud alium edidisse, quam si corpora quatuor de sublimi in terrā decidissent. Ne hic temere abeas quæso lector, ni prius cōsideres hypocriseos vim superare libidinis etiam impetum. Quo sibi minus placeant ii, qui & si casti fuerunt, quod ipse non credo, ideo tamē fuerunt, vt hanc sibi gloriam apud mortales reponerent. Fuerunt enim hæ puellæ antea quoque stupri appellatæ, sed necquicquam. Potētior ergo carne est hypocrisis. Spiritus enim prætextu ac simulatione deceptæ, virginitatis arcem prodiderunt. Quid autem hinc inde admissa commemorem adulteria, quæ & si multa, pauca tamen sunt præ his, quæ arte cælata sunt, quo minus deprehenderentur. *Et post pauca.* Quid iā mirum est, *Anabaptistarum libido.* Virginum atq; matronarum vsuram non aliter sibi sumere, quam iumentorum & subiugalium? Nefas non est apud ipsos parricidali manu fratrem trucidare, quantò minus accusationem adulterij ac stupri audient? Horum sese iungunt Ecclesiæ, qui retinguntur, quæ scortationem & adulterium, si ipsi admittant, negant esse peccatum. In istam enim mihi faciem aliquando dixit Vmbra, quum sese iactarent immunes esse à peccato. protinus enim ab Ecclusia excluderent, qui quid admitteret, & ego eum obiicerem, qui Veseni admiserat adulterium, sic inquam dixit, etiam si mœchatus est, non peccauit. Qui enim in Ecclesia nostra sunt, peccare non possunt. Sed hæc leuiora forte videri possent: grauius est & minus Christiano homini, quod sequitur, congruum. SanctoGalli, quod oppidum Catabaptistis, hoc anno 1526. habebatur & celebre, & vatum quasi asylum perenne, sub initium Februarij huius ipsius anni, bini fratres Germani Thomas & Leonardus sartores, tota de Catabaptismo, de prophetiis, & cæteris nouæ doctrinæ mysteriis nocte miris sermonibus transacta, cum dies illucesceret, quæ erat 8. Februarij, aduocatis parentibus, Leonardus Thomæ fratri in mediū prodire iusso, genibusq; in terrā corā parentibus, & q aderant, vicinis ꝓuoluto, Patris volūtatem vt ꝑstolaretur imperat. Spectantib. res isthæc timorē incussit; ideoq; videret, quid ageret, & neq; durius quid in fratrem statueret, Leonardū monuere Quib. ille nihil se aliud quam Patris voluntatem, suspicionis quasi remouens materiam, acturum promisit. Sed verba fudit tantum, nec aliud. quippe vt primum isthæc reddidit, correptum quem ad hoc attulerat ensem actutū fratris per iugulum adigit, caputq; detondet, ꝙ parentum pedibus aduolutū pectora exanimat. Et mox spectantium è manib. elapsus foras in publicum prosilit, impletam Patris voluntatem professus. Nudo & amenti similis in forum se proripit, interula solum caligisq;, domi relictis calceis, vestitus. Obuiā prodeunti sibi Ioachimo Vadiano, ciuitatis Consuli, extremū minitatur iudicium: vltimam adesse mortalibus horam frequenter ingeminans. Compescere amentem necquicquam Consul annititur. Ille, quam mira sub solis ortū acciderint (fratricidiū pallians) ac Patri quam plene satisfactum, oggannit. Accurrunt ad factum ciues perterriti; hominis mirantur stultitiam. Cōsul nudū porrecta veste operiri iubet, & domū reuocat. Abnuit id quoq;, & vlterius per vrbem diuagans, Patris voluntatem, & perituræ ciuitatis ruinam ciuibus denunciat. Sed

lux altissima fati
Occultum nihil esse sinit, latebrasq; per omnes
Intrat, & abstrusos implorat fama recessus.

Horrendum vulgatur facinus; fratrem fratri præcidisse iugulum. Nudus ex fuga retrahitur, & admissi sceleris conuictus, pœnas luit, capite, contusis rota membris, plexus.

XLV. Interim Abbacellæ insignes in Ecclesiis mutationes passim & sacrilegia oboriebantur, eaq; iam erat oppidi facies, vt nouā quandam Catabaptistarū Sion non iniuria nuncupasses. Præterquam enim quod vanis suis visionum ostentis prophetiisque istic simpliciores infatuarēt, variis ad hoc abutentes præstigiis; *Hæretica mulier Dei verbū prædicat & 12. Apostolos sumit sibi ex fratribus socios.* mulierum quoq; genus inaudito prorsus exemplo, in tantum intra suæ vocationis limites contineri non poterant, quin & propheticum ostenderent spiritum, & in publicum progressæ puellarum psallentium canentiumq; choros velut prophetissæ per vrbis vicos traducerēt. Et sane dignum, ꝙ ad posterorum notitiam deueniat exemplū est illud, ꝙ à fœmina quadam Catabaptistica hic factum Sebastianus Franck & ipse sectæ huius defensor, in tertia sui Chronici parte, dum in enumerandis Anabaptistarum dogmatibus plus nimio desudat, recenset: Extitisse nimirum mulierem, quę, cum edoctos omnes diuinitus interpretationis in Scriptura Spiritum iactitare, edisceret, ipsa quoque noui testamenti sumpto in manus codice, SS. litterarum sensum, populum docere cœperit; atque ad eum locum cum peruenisset, *apud Deum nihil esse impossibile,* Christum se verumque mundi Messiam, id possibile rata, constituerit, coniunctis sibi ex fratrum grege viris duodecim, quibus ad propagandum Euangelium velut Apostolis vteretur. Hi foras nonnumquam egrediebantur, ac ruri agricolis Messiæ suæ doctrinam prædicabant. Ac fuit forte is vnus eorum, de quo iam sæpe allegatus sic scribit Vldaricus Zuinglius. Noui, *inquit*, textorem quendam (parcam autē nominibus ipsorum, si quo modo in sui ipsorū notitiam adduci possint) hominem idiotam & indoctū, qui die quodam Dominico suggestum publicum in Ecclesia occupans spōte, venientem Pastorem (qui & pius, & doctus erat) vt officio suo satisfaceret, imprudenter repulit, se concionaturū promittēs. Permisit hoc Pastor hominis impudentiæ, ne quas turbas daret. Mox ergo caput quartum prioris ad Timotheū epistolæ textor ꝑlegere cœpit, ꝙ nō semel à Pastore suo Ordinario loci illius homines exponi audiuerant; quib. etiam textoris impudens temeritas ita displicebat, vt murmur quoddā oboriretur. Vbi vero ad eum locum egregi⁹ ille Apostolus ꝑuenit, quo Paulus eorum, qui cauterio notatam habent conscientiam, meminit; palam ignorantiam suam cœpit fateri. Quid hæc sibi velint, inquit, non intelligo. Pastor itaque hoc silere iusso, ipse locū fideliter exposuit. Quo facto populus, vt textorem è suggestu descendere iubeat, clamare cœpit. Respōdit Pastor, si priuato ipsum consilio descendere iussissem, inuidię atq; arrogātiæ suspicionē non potuissem effugere. Vos ergo,

 vt hinc

vt hinc discedat, præcipite. Tandem autem multis hinc inde iactatis, textor suggestum deseruit. Sed & alij, si quãdo re Baptismum suum docere & asserere instituebant, tertium Matthæi caput sibi tractandum sumebant, quo inter alia quæ illic descripta sunt, breuis quoque eius sermonis summa habetur, quo Ioannes Baptista Pharisæos & Sadducæos redarguit dicens, *Progenies viperarum &c.* Quibus perlectis fabulam suam exorsi, clamitabant, Fratres animis expendite vestris, quam hic duris rigidisque verbis Pharisæorum contumaciam Ioannes corripit, qua baptismum ipsius aspernabãtur. Hoc rudes, & fraudis ignari homines attenti audientes, ipsis citra formidinem adstipulabantur. Atq; hinc euenit, & quacumq; irent redirentq;, numerosam semper post se simpliciorum hominum turbam traherent. Nec quiescebant interim, Georgius Blawrock, & eius parastata Felix Mantscherus, quos Tiguro nuper pulsos supra diximus. Hi enim, quod primi essent Anabaptismi apud Heluetios Apostoli, & viri litteris insigniter exculti, quò vela vertebant, alios secum perfacile quoque ductabant, emissis ad vrbes finitimas discipulis, qui nouæ legis libertatem prædicarent, Ludouicum Hetzerum Bernam, Ioannem Denckium Norimbergam, Michaelem Sadeler Rotenburgum; alios aliò amandarunt, qui in eo toti fuere, Catabaptismum vt pro virili proplantarent.

XLVI. *Balthasar Hubmeierus iussu Cæsaris Viennæ cũ vxore pœnas luit.*

Cæterum Balthasar Hubmeierus post tot factas successiue palinodias, non secus ac erro vagabundus ruri discurrebat, victum sibi cum vxore apud rusticos ostiatim comparãs. Postremo ab omnibus contemptus in Morauiam profectus, contra Ioannem Hutten (Iacobum Hutterum Curæus nominat) docere cæpit, nouasq; ibidem turbas ciens captus, non Nicolaburgum, vt scribit Bucchingerus in Chronico, sed Viennam Austriæ perductus est; vbi post perpessas multas ærumnas, postque diuturnum carcerem; meritas suæ hæresis pœnas dedit, ignibus Imperatoris iussu, vxore eius iam ante aquis immersa, exustus. In extremis priusquam in rogum demitteretur, totus in errorem versus, confiteri rogatus etiam noluit, saluareturne ac condemnaretur; ideoq; & diuinæ, tum misericordiæ, tum omnipotentiæ credidit esse relinquendũ. Et sane obseruandum hoc loco venit, quam quisq; sollicitus pro animæ suæ salute esse debeat, cum Sathan viros tã doctos eò errorum trahere, & cum iis hæresib. inescare norit, vt qui ante alios sanis documẽtis erudiebant, illi ipsi proprios defectus postmodum persentiscere, animæq; suæ salutem promouere in errorib. obdurati nequeant. Id si in quoquam alio, in Hubmeiero certe ad oculum patuit. Ille n. à puero præclaris litterarum studiis enutritus, & ob singularem eruditionem Licentiæ gradu in S. Theologia decoratus, eloquentia insigni pollebat; cui postquam S. Scripturæ & Patrũ Ecclesiæ lectionem adiungere cœpit, cumulatissimam sibi doctrinæ, quæ ad curam animarum prouectis maxime necessaria est, suppellectilem congessit. Hinc Ingolstadiũ vocatus, Pastor ad B. Virginem electus est, quam ille functionem tanta cum laude administrauit, vt Ratisbonam inde aduersum Iudæos, diuini Euangelij semina sparsurus fuerit euocatus. Hic ita se gessit, adhortandoq; ac cõcionando hoc breui effecit, vt Iudæi isthinc pellerentur, quorum post id temporis thesauris eum inhiasse Zuinglius obiecit. Dum ibi hæsit, Diuæ Virginis amator insignis extitit, cuius in laudes sæpius erumpere, vitamque eius vnice omnibus imitandam proponere solitus, peregrinationis etiam illius tam celebris ad Diuã Virginem (speciosam vt vocant) instaurator & Encomiastes fuit. Sed posteaquam in errores abductus Catabaptismum docere cæpit, alios longe diuersos mores habuit. Inter alios multum se contra Oecolampadium & Zuinglium defendit. Libertatem hominis æque in bonum quam malum ferri docuit, quam & tanta animi contentione propugnauit, peculiarem de ea vt libellum ad Marchionem Georgium scriptitarit. Doctrinam, qua Deum peccati auctorem esse, bonumque iuxta ac malum in hominibus operari, quasi flagitiorum nostrorum particeps esset & reus, conceditur, tamque erroneam, impiam & blasphemam reiecit, damnauitque. Spiritum ante, in, & post lapsum perfectum mansisse, nec vmquam peccato consensisse, vnde & liberum arbitrium numquam amiserit, sed ossa tantum nuda & carnem, licet velut captiuus coacte, & inuoluntarie vnà vetito fructu vesci debuerit, non tamen deliquisse adseruit. Atq; hinc eundem pro arbitrio carnem subigere, domare, motus carnales restringere, ad bonum quoque inuitare ac compellere posse, tradidit. Post restitutionem humani lapsus, totum hominem fidelem adeò sibi restitutum, vt post lapsum multo quam ante, in re quacumq; fuerit, sit factus liberior. Ideo etiam Christianos omnes Sacerdotes dici liberos, & spiritus lucisq; filios, nec deperditam libertatem spiritu aut Christi gratia primum adeptos esse, sed habuisse; & proinde legem diuinam nõ modo possibiliter, sed & leuiter ac perfacile, cum fidelibus omnia possibilia sint, implere posse & conseruare. His positis, hominibus inesse liberum arbitrium, neminem, nisi se quoq; Christianum esse negare vellet, inficiari posse docebat. Primo, quia fidelis sit: secundo, quia Spiritum sanctum acceperit, Christianumque se esse profiteatur, quibus in Christo nihil plane sit impossibile. Propugnauit, & alios errores multos, qui quod reliquis Anabaptistis communes fuerint; non est quod diu iis immoremur.

XLVII. *Anabaptistarum tumultus.*

Supra, nonnullos Tiguro Glaronam dilapsos diximus. qui sparso ibidem & in confinio veneno, pares in plebe seditiones excitarunt, ac oppidum ipsum maximis subinde motibus quassando, Magistratum loci, vt isthinc quoq; pellerentur, commouerunt. Itaque in agris & syluis viuere coacti, miras præstigias morionum histrionumque more exercebant. Erat inter reliquos homo Melchior Vetus, qui populari facundia præditus artem eam insigni coniuncta fraude perageret, multaque cum ridicula, tum seuere subinde punienda patraret. Solus namque vel vno assumpto pedissequo, pagos vicatim obibat, atq; vbi occasionem nanciscebatur rusticis sese admiscebat, enarrans illis, quæ pater cœlestis præstiturus esset, si vel tempus visitationis huius cognoscerent, vel doctrinam hanc benignis auribus acceptarent: futurum quippe breui, vt pro frigore estus, pro inopia diuitiæ, pro aqua & simplici potu vinum cælitus velut manna descenderet, indies fere augurabatur. Ea spe multos lactauit. Post vbi hæc vulgo placere edoctus est, crebro ad rusticos diuertebat. Vni quem reliquis ditiorem didicerat, cuiusq; thesauros probe perspectos tenebat, familiarius sese insinuans è cereuisia vinũ pollicitus, secum vt cellam ingrederetur, autor fuit. Hic hominis fraudem nesciens, comitem se præbuit. Tum ille epistomiis è vasis duobus extractis, pollices ne quid in terram efflueret, eousque ingerere iubet, donec reuersus (ibat enim è cella, quasi quid allaturus) retrahendi facultatem concederet. Interea thecam scrutatus, omnibus misellum nummis priuauit, & abiit. Rusticus diu multumque prophetæ aduentum præstolatus, cum nihil quo meatuum obstrueret cursum reliquũ aduerteret, nec etiam si fuisset, manum vnam tutò auderet retrahere, maximis clamoribus domum necquiquam compleuit, ac postremo ipsam cereuisiam extractis pollicibus, miser in terram profluentem conspicari coactus fuit. Nec solum hoc ille egit, sed & discipulos artem eandem edoctos crebro ad ruri laborantes agricolas mittebat, qui mira multa & præceptoris moribus cõformia venditabant figmenta. His rustici magno numero adhærescebãt, ac victũ in dies singulos ministrabãt. Rogati de vocatione & miraculis, ad lacus vicinos, allatum pisces: numquam vbi nasci eos vllus hominum meminerat, ablegabant. Qui si inanes redirent, alios emittebant, fidem in his vacuam esse causati. Quod si & hi vanitatem reuersi obiicerent, secum integris diebus pariter ducebant, emittentes interim ex suis, qui ingenti vi piscium nocturno tempore lacus vicinos implerent. Cumque ij, quacumque homines fanatici incederent, ad vitæ emendationem extremumque iudicium se inuicem adhortantes inedia confecti sequerentur, vbi non procul à lacu abesse rebantur, reliqui ad vnum progressi, vt ne in via præ fame populus deficeret, Patrem precari dignaretur, rogabant. Ille genua deponens eleuatis in cœlum manibus orare cœpit, vt Deus esurienti populo prouidere, cibumque larga manu ministrare vellet. Quo facto iubebat retia nassasque adferri, in lacum ipse descendens, incredibilem piscium copiam extrahebat, sociis in auxilium vocatis, qui ne rete rumperetur tantam extemplo manibus vim piscium in sportam egererent, magno sane cum omnium qui conspexerant stupore. Inde humi expositos assistentibus distribuebat, potum pari fraude à consciis suppositum elargiens. His recreati pulis agricolæ,

mira-

miracula proximis euulgare, cibi cœlitus missi reliquias dare, in consortium suscipere, vates per oppida perque pagos subsequi. Quacumque transibant, obuia quæque, si modo vsui essent, rapientes pecora noctu, è stabulis oues, & sues ex haris, quibus sequenti die verscerentur, abigebant. Hinc exciti è villis rustici in homines facto impetu verberibus defæuiebant, nec ante cædendi finem factitabant, quam victi dissipatique in fugam verterentur, & proprios ad lares repedarent.

XLVIII. *Basileæ Oecolompadius Anabaptista floret.*

Basileam quoque Anabaptistæ penetrarant. Aperuit illis viam Ioannes Oecolampadius, Brigidani Ordinis Monachus apostata. Hic in Sacramentariorum errores prolapsus, & à Zuinglio, vt liberum eius religionis exercitium ibidem erigeret incitatus, Ecclesias passim profanabat, & omnem venerãdæ antiquitatis memoriam abolens, imagines ornamentaque priuata autoritate remouebat, thesauris & Ecclesiarum reditibus iam ante Senatui traditis, vt is, quantum cuique vellet, annuatim loco stipendii numeraret, reliquum ciuitatis ærario adscriberet. Quo facto causam ille Anabaptistis istuc migrandum non exiguam præbuit: qui quod apud omnes vbique fere exosi, ruri vrbibus emoti miseram tolerare vitam cogerentur, nihil sibi prius & antiquius duxêre, quam si eò cum coniugibus & liberis commearent. Nec vanum fuit consilium. Nam vrbem ingressi, & quæ subirent, sunt nacti hospitia, & quibus exitiale virus infunderent, habuêre. Oecolampadius rem cito edoctus, ne pluribus in vrbẽ pateret aditus, Senatum rogauit, ostensis à Zuinglio scriptis literis, quibus quid in vrbe admissi homines nefarii moliri consueuissent, edocuit. Sed serius egit. Et enim iam eo illi ciuium fauores res suas redegerãt vt si aditus ipsis ad vrbem intercluderetur, hi sub libertatis prætextu, in Senatum arma correpturi viderentur; quasi is negociationis exercendæ causa peregrinos ab vrbe amoueret. Itaque vt seditionis materiam ciuibus Senatus eriperet, Oecolampadii posthabito consilio conniuere ad tempus compulsus fuit. Interea illi vicinos vocauêre in auxilium, vtque sese contra Oecolampadium & reliquos Sacramentarios doctioribus viris communirent, qui Georgium de domo Dauid istuc accerserent, è suis ablegarunt. Rex fluit ad libitum. Venit vocatus istuc Georgius, habitu mercatoris, ne à quoquam primo ingressu agnosceretur, amictus. Accessere & alii, qui quod vicinis in vrbibus, in propaganda seditiosorum hominum secta operam suam elocassent, sociorum animos insperato aduentu non parum exhilararunt. Nec è ciuibus defuere, quibus non grata, & Christianæ disciplinæ congrua secta isthæc arriderent: vtpote quæ, si exteriora spectes, nihil non cum Apostolica vita commune habere videretur. Mirabere, si quibus isthic vsi strophis, quibus plebeculam nugamentis deceperint, retulero. Aliis vitæ morumque candorem, sanctitatem & innocentiam; nonnullis quod rudiores essent, alia vana miraculorum venditabant vmbracula. Noctu conuenticula habere soliti ciues præ Magistratus metu, cum interdiu non daretur facultas, ad loca ab hominum consortiis remota vocabant, ac ibi de fidei suæ principiis erudiebant. Huc si quis recens accederet, sectæ nomen daturus; vnum è suis, qui capiti manibus impositis hominem rebaptizaret, eligebant, idque non solenni aliqua fiebat cærimonia, sed vt apud rudes solet, nudè & simpliciter. Qui ad præsentes verba facturus erat, doctus esset nec ne, modo Scripturam vernacula lingua legere posset, in medium prodibat, ac reliquis silere iussis, Patrem primum, vt sibi adesset, voluntatemque suam patefaceret, precatus, ex noui testamenti codice caput prælegere, suoque more explanare cœpit. Huic aures attentas præbere, quod ille proponeret mentibus infigere, ac velut indubitatò verum certumque amplecti lex erat. cui si quis obsisteret, aut secus, quam res erat, locuto ignorantiam obuerteret, è fratrum mox numerò, anathemate in eum prius prolato, ni reuocaret sententiam turbabant. Canticis etiam si quando tutiori loco versarentur, sese oblectabant; quæ quod è Scripturis essent desumptæ, sublimius quid & præ reliquis altius pollicebantur. Et certe dici vix poterat, quantum hac fraude fœmineum genus sibi deuinxerint, quod naturæ ductu isthæc & amare & auide expetere solet. Hæc principio gessere. post vbi numero creuerunt, non latibulis se abdere, sed incerdiu concionem conuocare cœperunt. Atque tum primum Senatui innotuit, quanto studio homines fanatici errores suos diffunderent, & ciues in Reipubl. perniciem à communi concordiæ via in varium schisma præcipitarent, quod prius vrbi, & postea animabus ipsis certissimum allaturum esset exitium. Citantur in Curiam ministri, rogat Senatus quid facto opus sit, quibus remediis mali principia retardari possint, & paulatim opprimi. Suadent illi instituendum cum hominibus colloquium, ac de religione familiari congressu conferendum, si forte qui mulctis proteruiores reddebantur, lenitate quadam saniorem ad mentem reduci sese paterentur. Annuit Senatus, & diem, locumq; colloquio designat; sed publico mox edito scripto, omnes ad id Christianæ religionis & publicæ quietis amantes, vt tanquam veritatis testes comparerent, inuitat; ne si soli ministri cum solis congrederentur, vllus posset causam malè suspicandi prætexere. Modum etiam præscribit, quem seruare quemque debere volebat; & præsides, & qui rem omnem calamo exciperent, Notatios vt vocant, constituit. Hi seculares erant, nullis aut certe exiguis Theologiæ principiis imbuti. Id Anabaptistis grauissimum accidit, qui quò imperitiores eos scirent, hoc citius sibi in Scripturæ citandis locis credituros confidebant.

Congressus sub finem anni initium habuit, mense Decembri, in Senatus & ciuium frequentia. Aderant ex Sacramentariis præcipui, Ioannes Oecolampadius, Marcus Bertzius, Petrus Frauenbergius, Iacobus Imelius, Wolffgangus Weissenburgius, Thomas Geirfalcus, & Ioannes Lythardus, Ecclesiæ Basileensis ministri. Ab altera parte pro Anabaptistis stabant, Geotgius Blavvrock, Nicolaus Storckius, Philippus Sarrelanus, pluresque alii. Oecolampadius collocutoribus ordine sedere iussis, populum breui sermone affatus, vt cum attentione & modestia, ne quis strepitus aut incommodum oriretur, spectarent, rogauit, ac dein conuersus ad aduersarios, quam impia esset & perniciosa, qua Anabaptismus adstrueretur doctrina ostendit; vt quæ Scripturis ex diametro repugnans, omnem omnium Patrum, atque adeo totius Ecclesiæ consuetudinem, iam inde ab Apostolorum temporibus vbique gentium approbatam tolleret, & improbaret. Eia, *inquit*, vel testem vnum adducite, tempus & annum designate, quo noua isthæc baptizandi forma in Ecclesia recepta sit. Nouum Testamentum in promptu est, ad manus etiam Patrum monumenta; euoluite, & si quid pro baptismo vestro militet; si quod tempus quo cœperit adsit, proferte, & manus dabimus. Nos totius Ecclesiæ consensum, ac vnanimem Patrum doctrinam monstrabimus. Sanctus Cyprianus sanè in epistola ad Fidum Presbyterum ait, paruulorum baptismi in Carthaginensi Concilio mentionem fuisse factam, non tamen tanquam in dubium vocati; sed quod nonnulli imitatione Iudæorum, non intra secundam aut tertiam natiuitatis diem, sed post octauam eos esse baptizandos dicerent; quæ opinio ab Ecclesia fuit damnata.

Quod ne quis vestrum vanum arbitretur, his verbis idem sanctissimus Martyr epistolam concludit; *Et idcirco*, inquit, *frater charissime, hæc fuit in Concilio nostra sententia: A baptismo, atque à gratia Dei (qui omnibus misericors, & benignus, & pius est) neminem per nos debere prohiberi. Quod cum circa vniuersos obseruandum sit atque retinendum, tum magis circa infantes ipsos & recens natos obseruandum putamus, qui hoc ipsum de ope nostra, ac de diuina misericordia plus merentur, quod in primo statim natiuitatis suæ ortu plorantes ac flentes nihil aliud faciunt, quam deprecantur.*

Origenes quoque in Commentario in epistolam ad Romanos asserit, *Consuetudinem hanc infantes baptizandi ab Apostolis descendisse*; cui & sanctus Augustinus adstipulatur, qui morem infantes baptizandi semper in Ecclesia viguisse, nec eius post Apostolorum tempora auctorem extitisse vllum affirmat. Quin etiam Concilium Mileuitanum, idem contra Pelagianorum de peccato originali errorem testatur, in hoc perpetuo vnanimi consensu conspirans, baptismum vt veram in paruulis Originalis peccati deletionem dicat atque determinet. Hæc pluribus ille ad hostes expugnandos adhibuit; sed vt sensit postmodum proprio cum damno. Anabaptistę siquidem viso, hominem à Scripturis ad Patrum monumenta confugere, nec vllum præ-

ter morem

ter morem Ecclesiæ argumentum adducere, liberius ipsi obloqui cœperunt, vt qui ante Scripturarum testimonia promiserit, iam totus ad humanas traditiones insigni quadam versutia dilaberetur. Ad quid, *inquiebant*, tot nobis Doctores Ecclesiæ, tot Patres, & Concilia allegas? Homines hi fuerunt, & vt fumus omnes, labiles; error ipsis æque atque nobis obrepere potuit. proinde ipsorum dictis & decretis nequaquam stare tenemur, nisi quatenus sacræ Scripturæ sunt conformia. Atqui ex hac infantium baptismum probare non potestis, neque nos in eo acquiescere possumus, quod fieri consueuit, nisi fieri debere apertis ex Scriptura testimoniis doceamur. Inficiari quidem institutum a Christo Baptismum non possumus, quin id vltro concedimus, si de adultis sermonem facitis; paruulorum vero baptismum à Christo institutum esse, nequaquam nobis persuadebitis. Impossibile enim est, baptismi eos capaces esse, qui & docti non sunt, & actu fideles. Id si in quoquam alio Scripturæ loco patet, quemadmodum in multis videre est, in exemplo certe Eunuchi Reginæ Candaces meridiano iubare clarius elucet, qui ante baptizari à Philippo non potuit, quam se firmiter credere, ore proprio profiteretur. Porro si plura requiritis, Matthæum vltimo capite, & reliquum nouæ legis codicem percurrite, rem eo, quo diximus modo, inuenietis. Quæ cum ita sint, erratum est tot seculis, & contra Christi Scripturæque mentem enormiter peccatum; atque is error vt vel serò à nobis diuinitus edoctis corrigatur, hoc opus, hic labor est. Adhæc Oecolompadius: O miseri & fatui! Vobis primum fides suæ Christus reuelauit mysteria & totam seculis, tot insignes pietate viros, tot tantisque miraculis fulgentes Ecclesiæ suæ Antistites latere voluit? Vos appello, *inquit*, an tot animarum millia, quæ in Ecclesia hoc modo baptizata sunt, & quæ talem baptismum rectum & Christianæ fidei conformem esse credidere, perpetuis gehennæ ignibus adiudicata censetis? An credibile est, à Deo eos Sathanæ, tam quam prædæ relictos? Agite, mentem vestram excutite, vel hoc disiecto, à tam doctis & sanctis hominibus, num vos per schisma discedere oporteat, docete. Illis vero vnicam Scripturam obiicientibus, & ex ea pædobaptismum sibi probari flagitantibus, cum iam Oecolompadio aqua hæreret, Thomas Geirfalcus subiecit: Quæ ista est impudentia vestra, vultis vos expressa scripturæ testimonia, quibus probetur infantes esse baptizandos, agedum cõtrariam sententiã, qua Pædobaptismus improbetur, ostendite. Ad hęc expressum nobis velim textũ proferte, quo probetur mulieres esse baptizandas. Hic Anabaptistæ videre, cœcitatẽ Sacramentariorũ deplorare, qui in re tam clara quæstionem mouere præsumerent. Si, inquiunt, Christus dixit, Euntes ite, docete omnes gentes, & baptizate eos, &c. Vtique & fœminas, cum homines sint baptizandas esse præcepit. Tum illi; Ergone infantes homines non sunt? Aut, cum esse constet, quid obstat quo minus adultos æque atque paruulos hoc generali vocabulo Christus comprehenderit? Fides inquiunt & confessio. Excipiunt vicissim Zuingliani; *Sinite paruulos ad me venire*, inquit Christus, &c. Verum est, reddidit quidam Anabaptista, sed vt doceantur primum fidei dogmata, non baptizentur. Hic Oecolompadius respondit, alium esse Scripturæ sensum; id se testimonio omnium Doctorum, qui hucusque vixerunt, & vniuersæ Ecclesiæ consensu probaturum. Verum & genuinum Scripturæ sensum eos ne quaquam intelligere, vt quam illotis manibus tractent; nec velle sapientissimis illis Patribus credere, quos omnis admiratasit antiquitas. Nos habemus inquit Anabaptista, verbum Dei, quod omninò illis debet præferri; Sacra Scriptura pura est, & minime fucata. Eam nos custodiemus, eam sequemur, quamdiu nobis vita superierit: nec alicui, quod in ea scriptum sit, fidem derogabimus. Sanctus Spiritus dux noster est, & per os nostrum loquitur. Ille insidias nobis aperit eorum, qui humanis traditionibus simplices traducere conãtur. Deo laus, aiebat, qui inter eos præcipuus: ego in mea noui conscientia me non peccare; & scio innocentiam quoque nostram & veritatem religionis nostræ animis vestris esse exploratam.

XLIX. Zuingliani videntes homines idiotas esse prorsus, nec à semel malè fixa sententia velle recedere, colloquium maluerunt abrumpere, quam vlteriorem disceptationem, quæ nullius fructus esset ingredi. Acta vtrimque toto colloquii tempore Oecolampadius paulo post edidit, atque vt fieri solet, quam Anabaptistæ extorserant sibi soli victoriam attribuit, Senatum quoq; publica parenæsi, vt mature homines ab vrbe repelleret, hortatus fuit. Id quod non multo post accidit. Ille enim cum, post habitum colloquium frequentiori Spiritu per vrbem vagarentur, ac multos ciuium suo more deciperent, veritus ne quid turbarum darent, Oecolampadii monitu, mandato contra homines publicato, & Ecclesiarum valuis affixo, apprehendi quosdam & in vincula duci imperauit. Terruit res isthæc multos, ciues præsertim, qui ne in se Magistratum concitarent, furiosorum cœtui renunciauere. Sed & ex ipsis, qui aduenerant Anabaptistis, nonnulli ad Zuinglianorum castra transierunt: quos vt alii eò citius sequerentur, per commendatitias literas ditiorum familiis inseruierunt. Pertinaciores vero, vt eiurata hæresi Sacramentariis sese adiicerent, adduci non potuerunt. Ex his fuêre quidam, qui horrendis clamoribus editis manibusque ad cœlum eleuatis ciues è fenestris & ædium cacuminibus ad pœnitentiam, ad emendationem vitæ, fortunæ bonorumque contemptum, ad baptismum & sanctioris vitæ regulam frequenter hortabantur. Hanc enim esse Patris voluntatem, cui nisi actutum obsequerentur, iram eius & pœnas grauissimas experturos. Quidam Philippus Sarrelanus nomine per omnes vrbis plateas discursans, clamabat; Væ Basileæ, væ, væ, væ; pœnitentiam agite, desistite à peccatis, rebaptizari vos sinite. Ego enim ad hoc à Deo missus sum, qui Michaele Archangelo interprete, populo pœnitentiam prædicare me iussit. Per biduum & amplius eiusmodi clamores continuauit, nec minis vllis vt finem faceret, adigi potuit. Tandem, ne motum cieret, vt mortuo vrbe explosus ad Abacelkenses in Heluetiam abiit, quibus in proplantandis Anabaptismi dogmatibus non paruam operam nauauit.

Basileæ Anabaptistæ tumultum & seditionem excitant.

Prodiit & alius Philippo non dissimilis Guilhelmus nomine, qui Munceri spiritu plenus, obsistendum fortiter Senatui, & inique electis Dei sese præferenti nulla ratione cedendum clamitabat. Ad forum, *iussit*, pergerent, & Curiam si possent occuparent; se interea cum reliquis ad armamentarium proditurum: hæc vbi in potestatem redegerint, neminem facile vim illaturum. Tota, *inquit*, vrbs in quiete est, somno ciues sepulti iacent, nemo ausuris obicem ponet, aut timorem incutiet. Agite, si viri estis, & vllus pro Dei domo Zelus vos tangat, vna mecum isthanc fortunæ aleam tentate. Priusquam vel hora transierit, voto potitis vrbs erit & incolæ. Vix ea fatus erat, & ecce nocturni vrbis vigiles (res enim prodita fuit) in atrium irruunt, visuri, quæ isthic nocturno tempore multitudo consisteret. Vbi Anabaptistas vident, dolum subesse rati ad forum properant, vt si forte tumultum inciperent, Curiæ vigil dato nocturna campana signo, ciues in forum conuocaret. Sed nemo vel caput domo, qui sequeretur, exeruit. Ea enim natura eorum est, qui verbis audaciam iactant, vt si vel leue certamen subire debeant, posteriores in ordine quam duces esse malint: timidos in eo canes imitati, qui quò vehementius latrant, eò minus mordere cõsueuerunt. quippe cum mane istuc à Senatu ministri mitterentur quæsitum, num qui in loco eodem remanserint; nullus plane eorum repertus fuit: atque post diem inquisitione habita, increbruit, hominem cum primum inter alios fuisse, qui clanculum per vrbis portas euasisset. Porrò hospes & tota eius familia vicinique quidam, quod conuenticula vel dissimularent, vel fouerent vnà, in neruum perducti sunt, & quæstionibus subiecti, nomina sociorum dare coacti. Cognoscere tum primum Anabaptistarum spiritum Senatus cœpit, ab eoque tempore suspectum semper habuit. Ideoque seuerissimum contra eos edictum, qui de nouo susciperent, aut semel susceptos domi suæ diutius viuere permitterent, edidit; in eo & ipsis Anabaptistis, velut seditiosis & pertinacibus hæreticis capitis pœnã comminatus; quod tamen non multo post fuit irritatum, intercedentibus quibusdam primarii nominis viris, eò quod ex simplici potius & rudi zelo errores suos tutarentur. Quin & indultum quoque Senatus permissu fuit, vt priusquam vrbe excederent, si hoc arrideret, secundo cum iisdem Basiliensibus Ecclesiæ ministris in colloquium descendere sibi liceret, atque experiri, an vel nunc demum aliquam concordiæ formulam erigere possent, & motas cõtrouersias nonnihil consopire. *Meshouius hist. Anabaptisticæ, lib. 2. & 3.*

In

L. *Sigismundus Rex Poloniæ Gedanum ad tumultus sedandos venit.*

In Prussia, Gedanenses, anno superiore religione nouata, innouarant. Sigismundus Rex Poloniæ querela audita, Petricouiæ Comitiis regni habitis, hoc anno M. D. XXVI. die decimo nono Februarii, Gedanum versus, ad fidem Senatui amoto liberandam, turbarumque ac nouationis autores puniendos iter ingressus, Torunium primum, inde Mariæburgum peruenit. Gedanenses religionis mutatæ sibi conscii, Regisque aduentu in Prussiam perculsi, clam congressibus habitis deliberarunt, Consultumne videretur Regem in vrbem admittere. Cordatiores euentum pensitantes, censuerunt, nihil in re tanti momenti præcipitanter agendum. Etenim cum illi Regibus ac regno Poloniæ semper fidem antehac sinceram præstitissent, lęsæ maiestatis crimen cõmissuros si sua Regem, cui omnes iuramento subiectionis ac fidelitatis obstricti essent, vrbe excluderent: à cuius maioribus tot ornati essent beneficiis, tot priuilegiis atque immunitatibus donati; quæ omnia contumacia ac defectione eorum irritatus Rex reuocare posset. ad hæc ipsam ciuitatem Gedanensem cõmerciis Polonorum detractis nequaquã florere diu posse. Hic cum vltro citroque disputatum esset, in id tandem communi consilio itum est, Regi omnia obsequia ac fidelitatis officia deferenda, inque vrbem cum comitatu veniente honorificentissimè excipiendũ. Rex Mariæburgi de omnibus, quæ Gedani agerentur à suis edoctus, ante suum Marieburgo discessum, Christophorum Sidlouccium Castellanum Cracouiensem, Andream Tencinium ciusdẽ vrbis Palatinũ, Lucam Gortanum maioris Poloniæ Præfectum Gedanũ præmisit. Eos aduentantes summa humanitate omnibusq; officiis Gedanenses prosequuti sunt. Iidem post in Senatum introducti, humanissimis verbis omnem irati Regis suspicionem exemerunt; adeo vt illi nihil magis in votis, quam Regis ipsius aduentum habuerint; eaq; de causa protinus ablegarint, qui Regi de aduentu gratulantes, cum maiorũ suorum exemplo in vrbem inuitarẽt. Inter nuncios erat præcipuus Ioannes Salicetus Iurisperitus, accerrimus hæreseos Lutheranæ propugnator, qui vt ad Regem ablegaretur, autor fuit Philippus Bischouius, à Lutheranis se non alienum simulans. Eos vt Rex clementer exciperet, Proceres à Rege Gedanum præmissi, Regi suaserunt, id quod factum. Nuncii aduentum felicem Regi in Prussiam Senatus populiq; Gedanensis nomine gratulati, cum vt iniunctum erat, demisse ad se inuitarunt. Rex eorum precibus annuens, nuncios, qua acceperat fronte non indonatos remisit. Nec mora Marieburgo mouês amplissimo cum comitatu Gedanum perrexit. Quo appropinquanti, ad primum ab vrbe lapidem magna populi multitudo cum vxoribus ac liberis spectandi gratia, officiiq; causa se effudit. Vrbẽ ingressus Rex, cum rerum suarum securitati cauisset, Senatui Gedanensi mandauit, vt portarum valuæ, nuper cardinibus emotæ reponerentur, portarumque claues sibi traderentur, pacem se attulisse, nec hostem vllum extimescendum. Id cum exequi cunctarẽtur, Rex repressa aliquantisper ira, Palatinos & Castellanos Prussicos, ac magnam nobilitatis Prussicæ partem acciuit. Aduenit etiam eodem insperato salutandi Regis gratia Barnimus Pomeraniæ Dux ex sorore nepos: habebat præterea secum Rex ingentem procerum atque equitum Polonorum numerum, proculdubio vt Gedanensibus terrorem incuteret. Nihilo tamen minus Regis tanti comitatus multitudine territi, religionis Lutheranæ exercitia frequentabant. Audaciam eiusmodi Rex non amplius ferendam arbitratus, opificum magistros in publicam mercatorum domum conuentui designatam cogi iussit. Hi cum frequentes conuenissent, Petrum Kmitam regni Mareschalcum ad eos misit, qui scipione silentio imperato quæsiuit, an vellent iuramento Regi regnoque Poloniæ dato stare, nec ne? Vnanimi voce annuentibus, iussit, qui partium essent Regiarum, in latus concederent dextrum. Id cum bona ciuium pars haud cunctanter fecisset, aliis, qui ancipiti erant animo, nonnihil tergiuersantibus, & ipsi tandem, ne palam rebellasse viderentur, in dextrum latus ad reliquos coiuere. Quorum fide Mareschalcus commendata fidelitatis atque subiectionis Sacramentum iterato ab eis exegit.

Multos hæreticos curat plecti capite.

His factis transactisque, Rex de statu ciuitatis reformando, Senatu vetere restituendo, & Catholica Romana religione postlimio restituenda consilia init. Exinde Regis mandato Ioannes Salicetus, & septuaginta circiter mutandæ religionis autores comprehensi, in carceres conjecti sunt. Salicetus, obiectis criminibus purgare se volens, petiit, vt cum Rege coram loquendi facultas sibi daretur. Colloquio impetrato, complura obiectorum diluendorum, suæque innocentiæ probandæ causa adduxit, magno ciuium numero adstante. Coram quibus Philippus Bischouius ex eo quæsiuit, Cur sacras ædes aureis argenteisque vasis spoliasset? &, Cur consensu suggestu primus ipse Lutheri dogmata proponere ausus fuisset? Cur furcam, rotam, gladium, ante prætorium erigenda curasset? Eo inficiante, ac tandem ciuium adstantium iussu ea se feciss asserente, ciues constanter factum negarunt, suoque eum periculo talia ausum esse respondêrunt. Quorum verbis reuictus, ab iisque desertus conticuit. Itaque iussu Regio in carcerem reductus, ac postea cum tredecim eiusdem criminis reis capite plexus est; reliquis in exilium actis. Sumpto de sontibus supplicio, Rex vrbis statum ex arbitrio suo composuit; vasa argentea, aurea que, sacras item vestes edicto seuero restitui templis præcepit, Catholicæque Romanæ Ecclesiæ sacra ac ritus iterum exerceri Sacerdotibus restitutis mandauit. Restituti fuere inter alios Dominicani, ad ædes Diui Nicolai titulo celebres; in quos potissimum Salicetus, fœuiret: quod illi præ aliis, pro officio suo, hæresi Gedanum irrumpenti sese constanter opposuissent. *Cadanus lib. 7. & autor Commentarii de rebus gestis Dominicanorum prouinciæ Poloniæ.*

LI. *Casparus Schuenckfeldius Silesiam falso dogmate inficit.*

Hoc anno etiam in Silesia, spargebant suum dogma de Cœna Domini, Casparus Suenckfeldius & Krautualdus, nemine ex Magistratu prohibente, & Clero promiscue in apostasiam ruente.

LII. *Hispani Insulas Peruanas occupant.*

Eodem anno, quo fides Catholica in Septentrione collabebatur, Franciscus Pizarrus & Didacus Almagrus Hispani, auspiciis Caroli V. Cesaris, expeditione in Peruanas regiones suscepta, illud amplissimum & ditissimum regnum, Attabaliba Rege capto & interfecto subiiciunt, fideique Christianæ viam aperiunt. B. *in Chron.* Dominicana familia apud Indiam Occidentalem, in illis latissimus regnis, & præsertim nouæ Hispaniæ, isto & sequentibus annis religionem Christianam adauexit, innumeroque populos Gentilium Christo adiunxit, in prouinciis Mexicana, Misteca, Zapoteca, Otomiti, Chochona, Mixe, Chontal, Guatenicanama, Cuitaca & pluribus aliis; atque in prouinciis Mexicana, Oaxacensi, & Guatamalensi centum domos & cœnobia erexit, ad istam Occidentalem Domini vineam excolendam. Primi vero, qui ex Dominicanis in noua Hispania lucem Euangelii patefecerunt, fuerunt, Fr. Dominicus Betanzos sanctitate & miraculis clarus, qui Episcopatum Guatemalensem suscipere recusauit. Frater Thomas Ortizius Episcopus deinde sanctæ Marthæ, Frater Vincentius à S. Anna, Fr. Didacus à Sota maiori, Fr. Petrus à sancta Maria, Fr. Iustus à sancto Dominico, Frater Petrus Zambranus, Frater Gundisaluus Lucerus sanctitate & miraculis conspicuus, Frater Didacus Ramirez, Frater Alphonsus de Virginibus, Frater Vincentius Casaus, & Frater Bartholomæus Calzadilla Conuersus, omnes numero duodecim, aduersus idololatriam gloriosis triumphis illustres. *Augustinus Avila lib. 1. hist. Mexicanæ.*

LIII. *Luthero multi viri ex Augustini ordine illustres se spondent.*

In Germania, vbi eclypsin patiebatur Ordo Eremitarum sancti Augustini, per ortum Lutheri, micabant quamplurimi viri illustres ex eadem familia. Inter hos Bartholomæus Vsingen, quondam Lutheri Magister, & primus acerrimusque illius antagonista. Scripsit librum de falsis Prophetis, tam in persona quam in doctrina cuitandis. alterum, De prædicatione Euangelii. De cœlibatu Sacerdotum, De merito bonorum operum, de Missa stabilienda, aliosque Lutheranæ hæresi oppositos. Aequalis illi Augustinus Cappelmayr, cuius meminit Eccius, qui in turbis nouæ doctrinæ, insignes edidit tractatus, Ingolstadii impressos, præcipue opus eruditissimum de litera occidente & spiritu vitificante. Huic fidem Catholicam conseruatam in sua Bauaria frequenter adscripsit Dux Albertus. Floruit etiã & doctrina sua plurimum profuit Palatinatui inferiori P. Augustinus Lupff, in Academia Heidelbergensi tunc Professor, & diuini Verbi egregius præco, quo vigilante & latrante hæresis nunquam illas ditiones inuasit. Tantundem præstitit in Diœcesi Augustana P. Ioannes Cantzeler Mindelheimensis

Episcopi

Episcopi Augustani Theologus & Pœnitentiarius Generalis. Antagonista quoque Lutheri fuit P. Conradus Tregarius Heluetius, suæ Prouinciæ prior Prouincialis, qui enascentem hæresim egregie studuit pessundare; in quem finem edidit Paradoxa centum, de Ecclesiæ Conciliorumque autoritate. Huic vni, adhuc hodie adscribit conseruationem suam in Catholica religione Friburgum cum vicinis oppidis. De eodem Patre hoc laudabile scribit Surius, quod sub initium Zuinglianismi, Bernæ in Heluetia, indicta Catholicorum cum Zuinglianis disputatione, nullus Catholicus Doctor, præter vnum F. Conradum Trigarium ausus fuit comparere. Hic vti alter Athanasius solus causam Dei & Ecclesiæ, etiam cum euidenti vitæ periculo acriter defendit, ac ne tunc inter Heluetios totaliter reiiceretur, effecit. *Nicolaus Crussenius de Monachismo S. August. part. 3. cap. 35.*

ANNO CHRISTI
M. D. XXVII.
CLEMENTIS PAPÆ VII.
ANNO 4. & 5.
CAROLI V. ROM. REGIS
ANNO 8.

I. *Cæsareanus exercitus in Italia Castra ponit.*

ANnus XXVII. supra M. D. atrocissimis & iam à multis seculis inauditis casibus, statuum mutatione, Principum captiuitatibus, perhorrendis ciuitatum direptionibus, annonæ magna caritate, ingenti per vniuersam fere Italiam pestilentia, ac denique cædibus, fuga, rapinis, luctuosissimus fuit. Harum calamitatum initia nulla res, præter Borbonii in Hispanis Mediolano educendis difficultatem remorabatur. Nam quum vt Antonius Leua cum iis Germanis omnibus, qui antea in Italia fuerant (in quibus alendis omnis pecunia à Mediolanensibus exacta, & ea quam Borbonius literis ex Hispania allatis in Italia à Mercatoribus acceperat, insumpta erat) & mille ac ducentis Hispanis, & aliquot Italis peditibus sub Ludouici Belgioiosi & aliorum duorũ cura, ad Mediolanensis dominii propugnationem maneret, conuenissent: verum enimuero cum pecuniam nullam à Cæsare accepissent, sed multatitia & contributa sustentarentur, ac Mediolanensium domos, mulieresque prædæ haberent, libenter in tanta viuendi licentia permanebant. Sed quum aperte id recusare non possent, vt prius omnia ad eam vsque diem credita stipendia sibi persoluerentur, postulabant. tandem vero se ducis voluntatem quinque mensium stipendiis acceptis sequuturos promiserunt. Sed eam pecuniam explicare admodum difficile erat. Nam nec minis, nec domorum direptionibus, nec vinculis & carceribus, pecunia ab exinanitis Mediolanensibus extorqueri poterat. vbi etiam exercitus alendi causa, absentibus dies indicebatur: & eorum, qui se non stitissent bona militibus dabantur. Ad postremum omnibus difficultatibus superatis, Cæsariani milites penultima Ianuarii die Padum traiecerunt; & sequenti die Germanorum, qui antea Trebiam traiecerant pars, iterum cis Trebiam reuersi, Pontenoui castra locarunt: reliquæ copiæ vltra Placentiam constitere. quum interea ex aduerso Salutiarum Marchio Parmæ copiis omnibus per agrum distributis, esset; & Vrbini Dux, qui Casalemaius venerat, quod Veneti ei Padum transire liberum reliquissent, copias traducere incipiebant: & si Cæsariani, quemadmodum Mediolano nunciabatur, Hetruriam peterent, se quoque cum 600. cataphractis, nouem peditum milibus & quingentis expeditis equitibus transiturum; & Bononiam ocius, quam illi peruenturum: vtq; idem cum suis & Pontificiis copiis Salutius faceret, hortabatur. Cæsarianus exercitus circiter viginti dies partim vltra, partim cis Placentiam hæsit. Detinebat autem eos tum pecuniarum quia nihil adhuc Germani à Borbonio acceperant, penuria; tum quod ipse fortasse magis progrediendi difficultate, quam alia de causa motus, de Placentia oppuganda cogitaret. Ideo à Ferrariensium Duce vt se tormentario puluere iuuaret, & ad se ipse veniret, se quingentos grauis armaturæ equites, missurum petebat. Quæ dum tractantur, dum Borbonius pecuniæ, quam non modo Hispanis reliquam repræsentaret, verum etiam Germanis, quibus Placentia discedentibus binos aureos nummos dedit, aliquid tribuat, explicandæ operam dat, bellum in Pontificio imperio vehementer exarserat. Ad Pontificium enim exercitum Rentius Ceres ex Gallia recens venerat; nec longe à Prorege Neapolitano, qui in Ceperani finibus erat, vbi aliquot Itali pedites trecentos Hispanos fuderant, castra habebat. Sed in Pontificii imperii propugnandi ratione variæ erant sententiæ. Vitellius enim ante Rentii aduentum, Pontifici vt Campania prouincia deserta, duo peditum millia Tiburi collocarentur, totidem Palestrinę & reliquus exercitus Velitris, vt Proregis Romam profectio impediretur, consisteret, consuluerat. Qua re iam constituta, Rentius superueniens, de Velitris tenendis consilium, quod vastum oppidum esset, nec facile muniri posset, ac vt hostes eo vsque progredi permitterentur, improbauit: sed vt Ferentini, vbi cum tot loca tuenda non essent, maios foret, exercitus collocaretur, suasit. Ex eo enim loco, hostes quominus vlterius progrederentur prohiberi posse. Quo consilio probato, Frusolone, quæ ciuitas Campaniæ caput est, & quinque milliaribus à Ferentino distat, mille & octingenti pedites maxima ex parte ex Ioannis Medicis legione, qui sibi nomen à nigris insignibus imposuerãt, cum Alexandro Vitellio, Ioanne Baptista Sabello, & Petro Birago expeditorum equitum ducibus consedere. Interea vero Columnii clam Neapoleonem Vrsinum Farfensem Abbatem, vt arma in Latio tamquam Cæsaris miles caperet, impulerant. quod Pontifex, ad quem occulte eius rei notitia peruenerat, & à quo is prius pecuniam acceperat, dissimulans, arte cum vt Valdemontio Lotharingiæ Ducis fratri, à Galliæ Rege ad Neapolitanam expeditionem misso, ex Gallia venienti obuiam iret, traxit, & prope Braccianum capi, ac in Anglicam arcem custodiæ tradi curauit.

II. *Lanoius Cæsaris belli Dux Pontificis imperium inuadit.*

Pontifex pecuniæ cogendæ operam dabat; & cum eam à Principibus flagitaret, triginta aureorum millia ab Angliæ Rege impetrauit, quæ Rosellus eius cubicularius attulit: qui cum & Robadanges, cum decem aureorum nummûm millibus, quæ Francus ex decimis, quas Pontifex necessitate compulsus ei concesserat, mittebat, venit: promisitque se præter quadraginta aureorum millia communis fœderis nomine, & viginti millia ipsi Pontifici promissa, ei triginta millia statim, ac totidem intra mensem missurum. Mandauit quoque Anglus Rosello, vt Lanoio ac Borbonio, quo pacis, de qua ex Cæsaris voluntate in Anglia agebatur tractandæ spatium haberent, inducias indiceret; alioqui bellum eis denunciaret. Nam is Rex tunc Galliæ Regis filiæ connubio sibi iungendæ cupidus, fœderatorum rebus fauere videbatur: quo matrimonio contracto, sese statim fœderi adiuncturum, & Flandriam infestis signis inuasurum pollicebatur. Pontificis quoque commodis admodum studiosius apparebat: sed à Principe, qui vires suas & præsentem Italiæ statum non benè metiretur, nec dum aliquid certi apud se constituisset, quiq; semper spe sibi à Cæsare de pacis negotio ipsius arbitrio permittendo ostentata (etsi verbis facta minime responderent) nõnihil retraheretur, prompta auxilia sperari minime poterant. Nam quum Auditor Cameræ hanc ob causam ad Cæsarem iuisset, etsi Cęsar eam esse mentem suam multis artibus ei persuadere niteretur, tamen cum prius quid Germanorum, & classis suæ in Italiam aduentus peperisset, cognoscere vellet, certum responsum non dabat: & fœderatorum mandatis quasi idonea non essent, aliquid obiiciebat. Pontifici autem apud socios, quod semper de pace cum Prorege ageret, oberat. Semper enim, ne cum illo pacisceretur, metuebant: & Galliæ Regi, ac Venetis, sumptus omnes, quos eius tuendi causa facerent, fere inutiles videbantur. Quam suspicionem ingens metus, qui in eo cernebatur, & quod quotidie se bellum diutius sustinere non posse attestaretur; quibus accedebat ipsius quædam pertinacia, qua eò adduci, vt Cardinales, pecunia in tantis angustiis ac periculis crearet, nunquam potuit; quod alii Pontifices facere quandoque ex causis consueuerant. Quapropter Rex & Veneti, vt in omnem euentum parati essent, aliud peculiare inter se, vt neuter sine alterius cõsensu cum Cæsare pacisceretur, fœdus renouarant. Rex igitur

cum ob

cum ob eum Pontificis metum, tum & ob magnam ab Anglię Rege, si de affinitate inter se cõueniret, magnorum proximo vere motuũ spem datam, in Italiæ periculis negligẽtior fiebat.

III. Interea Lanoius Pontificii imperii finibus bellum inferre accelerabat. à quo cum duo Hispanorum peditum millia ad quoddam paruũ Stephani Columnæ castellum oppugnandũ missi essent, repulsi fuerũt: & ob ipsius progressum, Pontificii Roccam Papæam, cuius loci milites Gandolfum castellum Montani Cardinalis, quo infirmum præsidium haberet, oppugnarant, oppugnandæ consiliũ deposuerunt. Tandẽ vero Lanoius duodecim peditum millibus, quæ maxima ex parte (Hispanis & Germanis, qui classe aducti erant, exceptis) imperati milites erant, collectis, cum omnibus copiis Frusolonẽ obsedit; quod oppidum minime munitum, & sine mœnibus est: mœnium autem vicem præstant priuatorum domus, & Crypta. Sed id Pontificii duces, ne Cæsariani in Campania pedem figerẽt, præsidio munierãt, & ad paucos dies cõmeatum habebant.

Cæsariani Frusolonẽ obsident. *Eius situs.*

Nihilominus oppidi situs (est enim in monte positum) iis, qui intus sunt, semper ab vna parte, modo aliquid subsidii foris habeant, euadendi facultatẽ præbet. quæ res milites, præterquam quod ex fortissimis Italorũ erant, qui tunc stipendia facerent, ad defensionẽ audaciores reddebat: neq; ob montis altitudinẽ hostium tormẽta, qui tria mediocria, colubrinas vero quatuor, & ipsas mediocres collocauerunt, ita admoueri, vt multum incõmodi adferrent, poterant: præcipuũ autem illorum studium in eo erat, vt commeatum importari prohiberent.

IV. Pontifex vero quamuis pecunia prorsus exinanitus, & ad eius precariò ab aliis petendæ, quã nouis rationibus cogendæ indignitatem ferendam paratior, copias suas quantum poterat militibus, partim conductis, partim imperatis augebat; & paulò ante Horatium Balionem iniuriis, quibus primò eius patrem, deinde ipsum, quem vt pacis Perusinæ perturbatorẽ diu in Angelica arce detinuerat, obliuioni traditis cõduxerat. His igitur incrementis Pontificius exercitus vt totus Ferentini colligeretur, & obsessis auxilii spem faceret, paulatim propius accedebat. Aduersarii Frusolonẽ oppugnare desierunt; vbi Alarco & Marius Vrsinus vulnera acceperunt. Pontificii deinde eruptione facta, duas cohortes, Peralta duce, & octoginta peditibus cæsis, ac multis vna cum duobus signis captis fuderunt. Interea Lanoius cuniculos Frusolone agere; qui intus erant, contrarios opponere; tamque parui hostes facere, vt quadringentos pedites, quos exercitus duces ipsis auxilio submittere volebant, recusarint.

V. Nec tamen eodem tempore minus feruebant pacis colloquia. Franciscanorũ enim ille de quo supra egimus Magister & Capuanus Archiepiscopus Romã redierant: atq; vna Cæsar Feramusca Neapolitanus, quẽ Cęsar post Lanoii discessum ex Hispania ad Pontificem legauerat, eique id potissimum in mandatis dederat, vt Vgonis & Columniorũ in Vrbem irruptionem, & reliqua, quæ inde sequuta erant, ipsi molestissima fuisse testaretur: ipsumq; omnium controuersiarũ cum ipso cõponendarum cupidissimũ esse fidem faceret; ac ipsius nomine de pace ageret; cuius se etiam cum cæteris fœderatis studiosum ostendens, vt Pontificius internuncius literis suis referebat, se si Pontifex, quemadmodum dixerat, Barcinonem veniret, ei liberam eius ad arbitrium suum pronunciandæ potestatem facturum aiebat. Hi Lanoii nomine duorum aut trium annorũ cum Pontifice & Venetis inducias, quibus omnes iis, quæ tunc possidebant, potirẽtur, ac Pontifex mille & quingentas, Veneti vero quingentas auri libras repræsentarent, proponebant. quæ res etsi Pontifici grauis esset, tamen tantopere se belli molestiis liberare cupiebat, vt quò Venetos ad assentiendum alliceret, quingentas auri libras pro ipsis dare vellet. Quorum responsi expectandi gratia, vltima Ianuarii huius anni octo dierum inducias cum Lanoio, ea lege, vt Pontificiæ copiæ vltra Ferentinum, Lanoii vltra Frusolonem non procederent, neue quidquam contra oppidum molirentur: & vicissim iis, qui oppidum tuebantur, id commeatu aut alia re, nisi in singulos dies cibariis munire non liceret, est pactus. Cumque Feramusca se satis Pontificis animum exploratum habere, eique cum Cæsaris dignitate ipsius mentem aperire posse censeret, longam epistolam propria Cæsaris manu scriptam, bonę eius mentis, & erga Pontificem obseruantiæ testem, promissisque plenam reddidit. Mox ad inducias Lanoio & Cardinali Legato significandas, & vt seruarentur curandum profectus, eodem die exercitum, qui Ferentino discedens Frusolonem versus contendebat, inuenit, ac re Cardinali Legato indicata, ipse qui suos magna victoriæ spe quam conceperant, defraudare nolebat, verbis illis datis, clam militibus, vt iter suum sequerentur, significauit. Exercitus nisi angustum quemdam locum instar pontis factum, ad primi Frusolonii collis radices situm, ad cuius custodiam erant quatuor Germanorum peditum cohortes occuparet, Frusolonem peruenire nõ poterat. Sed cum primum agmen, cui Stephanus Columna præerat ad eum locũ venisset, in eos impetũ fecit, ac circiter ducentis cæsis, & signis vna cum quadringentis militibus captis, eos fregit ac fudit. Itaque primo colle occupato, reliquis Frusolonis ingressu Pontificiis libero relicto, se in munitiorem locum collegerunt. Pontificii autem nocte iam imminente, è regione illorum magna cum Rentii & Vitellii, cuius hac in re actiones Pontifici minime placebãt, illos siue in eo loco manerẽt, siue abirent, fundendi spe castra locarũt. quod proculdubio, si aut in occupato colle castra posuissent, aut hostium receptum attente & diligenter explorassent, futurum fuisse credebatur. quoniam Lanoius, non sequenti die, sed altero, duabus horis ante lucem, nullo abeundi signo edito, nescio quibus tormentarii pulueris reliquiis incensis, ac multis tormentorũ globis relictis, cum exercitu discessit. Et quamuis Pontificii eius discessu cognito expeditos equites, qui impedimenta, & nonnullos parui momenti homines ceperunt, ad eos persequendos miserint, vt eos insigni aliqua clade afficere possent, minime in tempore fuerunt. tamen aliquam cõmeatus partem reliquit, seq; Cesanum, & inde Ceperanum contulit. Qua re Pontifex audacior factus, & à sociorum, quibus alia ratione satisfacere non poterat legatis incitatus, Neapolitanum bellum aggredi statuit.

Clemens VII. bellũ Neapolitanum contra Cæsarem aggredi statuit.

Robadanges enim, qui decem aureorum nummûm millia ex decumis, & totidẽ Rentio attulerat, vt sine Alberti Pii, Rentii & Langei consensu, ac nisi Pontificem cum Cæsare pacem non initurum exploratum haberẽt non explicarent, in mandatis habebat: & Veneti ad quos Rosellus, vt eos ad inducias à Lanoio propositas, & à Pontifice approbatas admittendas flecteret, contendebat. Sed cum in itinere crus fregisset, litteras miserat, se sine Galliæ Regis consensu inducias nolle responderant: idque tanto maiore animo, quia Genuæ res in maximam commeatus penuriam redactæ esse audiebantur. Itaque vt regnum Neapolitanum terrestribus & maritimis copiis, quas Valdemontius, in quibus duo peditum millia erant, veheret, oppugnaret, fuit decretum. Sed Rentius, ex cuius sententia Galliæ Regis pecunia explicabatur, contra Pontificis, qui omnes vires in vnum locum cõuertendas esse censebat, voluntatem, sex peditum millia, vt cum illis Aprutios inuaderet, Aquilam Montorii Comitis filiorum, quos cum duobus peditum millibus eò misit opera, facile capi posse sperans, conscribere statuit: quod actutum Ascanio Columna vbi eos aduentare audiuit fugiente, successit. Huius expeditionis principia in magnam spem socios erexerant. Nam etsi Prorex vicinis locis præsidio munitis, quantum poterat se comparare niteretur, tamen copiarum parte dissoluta, aliis vero ad necessaria oppidorum præsidia collocatis, vix terrestribus copiis par futurus credebatur. Itaque nec Rentium in Aprutiis, nec Pontificiam & Venetorum classem, quæ viginti duarum triremium erat, impedimentum habituros; quum præsertim tria peditum millia præter consuetum numerum ferrent; & Horatium cum aliis duobus millibus, ac ipsummet Valdemontium, qui ob antiqua Renati Regis iura, eius regni successionem ad se spectare aiebat; & quem Pontifex Vicarii sui honore ornauerat. Sed quia Pontificis exercitus duodecimo Februarii, quod maiora tormenta Roma, ac vt Rentius Aprutios inuaderet, & classis appulsa esset, expectaret: & quia aliquod impedimentum ac inanem temporis moram attulerat, quod pedites, qui Frusolone erant commoti, victoriæ præmium voluerunt, nondum Frusolone castra mouerat, res maiore tarditate gerebantur. Nihilominus Lanoii copiæ 18. die Cesanum & alia circumiecta castella deseruerunt, seq; Ceperanum receperunt. Quamobrem Pontificis copiæ, quæ iam commeatus penuria laborabant, vltra San Germanum processere: & Lanoius de rerum summa sollicitus, se Caietã, & Vgo Neapolim cõtulit, & tamen Pon-

tifex,

tifex, ob pecuniæ inopiam, ac Borbonii, cuius exercitui socios non satis alacriter se opponere videbat, progressum metuens, in eodem pacis cum Cæsare studio permanens, vt Rosellus Regis sui nomine Lanoium conueniret, effecerat. Ex quo factum est, vt Cæsar Feramusca 21. Februarii Romam redierit; qui mandatis suis expositis, altero die inde discessit, ac Pontificem summopere dubium atque ancipitem reliquit: cui ne in compositionem præceps rueret, Veneti mensis Martii initio, si ab ipso per vniuersum imperium suum delictorum veniam (Iubilæum vulgò vocant) impetrarent, se intra quindecim dies quindecim aureorum nummûm millia, ac rursum intra totidem dies totidem millia daturos pollicebantur. At Pontificis & Venetorum classis, quæ graui cum detrimento, vt Gallicam classem expectaret immorata, 23. Februarii, ventorum causa se ad Pontiam Insulam receperat, post progressa, Caietæ molam diripuit. deinde 4. die Martii Puteolis naualibus sociis expositis, cum id oppidũ bene munitum inuenisset, rursum se ad mare recepit, & Stabiana littora legens descensione prope Neapolim ad Castellomarinum facta, vbi Diomedes Caraffa cum quingentis peditibus erat, eoque oppugnato, tertia die id per montem vi cepit ac diripuit, & sequenti die arcem deditione obtinuit: postque Surrentum cum multis aliis eius littoris oppidis deditionem fecit; prius autem naues aliquot frumentarias ceperat: ex quo Neapolis, vbi tenues apparatus fiebant, quum nullum quem huic classi opponeret, in mari haberet, magnum incommodum sentiebat. Quinto autem Martii die, tam prope molem accessit, vt ex arce & triremibus è portu tormentis peteretur: & pedites prius tantum terrestri itinere erant progressi, vt Neapolitani per Mercatus portam sese in vrbem recipere, eamque occludere fuerant coacti. Classis deinde Salernum cepit; quumque Valdemontius quasdam naues quatuor triremibus Salerni vbi Horatius erat relictis, classe persequeretur, Salernitanus Princeps, per arcem cum magna manu ciuitatem ingressus, ab Horatio plusquam ducentis peditibus cæsis, & multis captis fusus fuit. In Aprutiis cum Lanoius Prorex seniorem Montorii Comitem, vt Aquilam recuperaret è custodia dimisisset, is à filiis fuit captus. Et Rentius Ceres sexta Martii Siciliano ad Talbaçotio captis, Soram versus cõtendebat: & nihilominus in tanta occasione, terrestris exercitus, aut ministrorum negligentia, aut Pontificis in necessariis apparatibus suppeditantis culpa, in maximam commeatus penuriam redactus, iam quinta Martii die dissolui cœperat. Cum autem semper pacis negotium tractaretur, 10. Martii Feramusca & Serenonius Proregis Scriba Romam venerunt. quo pridie eius diei peruenerat Langæus cum multis verbis & promissis, sed sine pecunia. quamuis illum cum viginti aureorum nummûm millibus, vt milites magnarum nauium classe, quæ ad Ciuitatem veterem expectabatur, transportaret; & item aliis viginti millibus, quæ Pontifici daret, eumque ad Neapolitanam expeditionem, pro vno ex Galliæ Regis filiis, cui Catharina Laurentii Medicis Pontificis fratris filia nuberet, hortaretur, ex Gallia venire nunciatum esset. Quoniam Rex, negotio cum Anglo incœpto fretus, & Proregem ex offensione Frusolone accepta, nihil efficere posse, ac Cæsarianum exercitum, cum tamdiu procrastinaret, nec pecuniam haberet, in Hetruriam minime transiturum ratus, inducias ne pro omnibus quidem, etiamsi pecunia nulla alioqui esset impendenda, ne Cæsari ad sese reparandum tempus concederetur, admittere nolebat: & tamẽ quia pecunia carebat, neque ex viginti aureorum nummûm millibus Pontifici in singulos menses promissis, neque ex decumis quidquam præter decem aureorum nummûm millia, neque dum septima Martii die in magnarum nauium classem, quæ communibus ipsius & Venetorum sumptibus instruebatur, miserat: cumque nullum motum antequam cum Angliæ Rege negotium suum transegisset, facere in animo haberet, vt Pontifex ad id tempus expectaret, æquum censebat. Idcirco Neapolitanum bellum magna spe cœptum, quotidie magis deferuescebat. Classis enim neq; nauibus, neque militibus aucta, cum capta loca custodire cogeretur, haud multum progredi poterat: & exercitus, ad quem commeatus Romam mari missus, 14. Martii ob aduersam tempestatem nondum allatus fuerat, non modo non progrediebatur, verum cum ob commeatus penuriam minueretur, tandem se Pipernum recepit, ac Rentii copiæ sic stipendiorum difficultate erant imminutæ, vt ipse cum Proregem, quemadmodum sibi proposuerat, circumuenire non posset, Romam redierit. Hæc autem incommoda augebat Pontificis ad pacis negotium ardor; qua re sociorum per se lenti apparatus debilitabantur; & hoc ipsum in Pontifice pacis studium augebat, in aliquam maiorem de Cæsaris animo spem inducto, ex eius quibusdam literis intercœptis, quibus Proregi, vt nisi forte rerum status secus facere suaderet, cum Pontifice componere niteretur, mandabat. Illud autem illum maximè omnium mouebat, quod Borbonium semper magis progredi cerneret, neq; Vrbinatis consilia, Venetorumue apparatus eiusmodi esse, vt se Hetruriæ rerum, quarum metus cum supra modum angebat sollicitudine liberarent. Quoniam Vrbini Dux, quum Cæsariani circa Placentiam essent, priore sententia qua se cum Veneto exercitu ante illos Bononiæ futurum ostenderet mutata, suis in consiliis constituerat, vt vbi hostes castra mouere audirentur, Pontificius exercitus Parma & Mutina idoneo præsidio munitis, Bononiam se reciperet, & ipse cum Veneto exercitu hostes à tergo, semper tamen quo milites sui tutiores essent, viginti quinque aut triginta passuum millibus procul ab illis sequeretur: hocque ordine, vt siue hostes deinde in Æmiliam Flaminiamque, siue in Hetruriam pergerent, semper Pontificis exercitus, cum Salutio & Gallis equitibus, ipsiusque peditatu & Heluetiis præcederet: & oppida omnia per quæ hostibus post ipsos iter faciendum esset, præsidio muniret: cosque milites vbi hostes præteriissent, ipse ordine recolligeret. Cuius consilii, quod cæteri duces non satis capaces essent, multas rationes afferebat. Et primo quidem minime tutum esse, coniunctis exercitibus, vt Cæsarianos itinere prohiberent se illis acie opponere: id enim aut periculosum, aut inutile fore. Periculosum, si prælio vellent decertare, quod illi quum si minus numero, tamen robore ac virtute antecellerent, victoria essent potituri. Inutile, quia si Cæsariani pugnare nollent, liberum ipsis foret fœderatorum exercitum à tergo relinquere: cumque deinde semper eos præcederent, vbique magnos progressus facturos. Hoc consilium sibi etiamsi omnia in potestate sua essent, optimum videri; nunc autem ad id necessitate cogi. Nam quum iam hostilis exercitus, vt ferebatur, fere in motu esset, exercitus sui apparatus non ita in promptu esse, vt se præire posse tam exploratum haberet. ac præterea, quum Veneti huius rei liberam sibi potestatẽ fecissent, ne imperium ipsorum in periculo relinqueret, sibi cauendum esse: quod si hostes derelictum viderent, posse nouo consilio ex noua occasione capto, Pado traiecto, fines ipsorum inuadere. Quibus rationibus Veneto Senatui, qui natura cauta tutaque consilia semper anteponere consueuit, persuadebat. Sed Pontifici, qui hac ratione Cæsarianis Romam vsque, aut in Hetruriam, aut quocumque vellent eundi viam aperiri animaduerteret, minime satisfaciebat. Exercitus enim, qui præcedere debebat viribus inferior: quique quum oppida illi præsidio essent munienda quotidie magis minueretur, ei obsistere minime posset. Neq; Venetos, si semel à tergo mansissent, ita adsequendũ, vt Ducis verba pollicebantur paratos fore certum erat; iis præsertim, qui totius belli anteacti rationem ponderarent; & exercitus simul coniunctos, in quibus haud multo maior militum numerus, quã in Cæsariano erat, illos facilius itinere prohibere, commeatum impedire, & omnibus occasionibus, quæ sese offerrent vti posse. Neque vnquam tam procul ab illis, vt si se in Venetorum fines conuerterent, in tempore opem ferre non possent, fore censebat. Quod etiam multo magis ei displicuit, quum tertio die Ianuarii Parmam venisset, leui morbo correptum, 14. die se Casale maius, & inde post quinque dies, per speciem valetudinis curandæ Gaziolum, quo, vt aiebat, febre iam remittente, sed podagra afflictus, vxorem venire iusserat, contulisse. Quam consiliorum rationem Pontifici valde suspectam, qui in meliorem partem interpretari volebant, Pontificis de pace actiones, huius rei causam esse aiebant. Sed Pontificis Vicarius partim ex eo quod erat verisimile, partim ex ipsius verbis ad se perlatis, cum ad hæc etiam Montisfeltri & Sancti Lei, quibus Florentini potiebantur recuperandi cupiditate impelli animaduertens; & nisi ei hac in parte satisfieret, Pontificem & Florentinos ab illo in maximis periculis desertum iri, neque ea loca tanto periculo dignum præmium

existimans, & idem quoq; Florentiæ exoptari sciens, certam ei illorum locorum restitutionis spem, quasi eius rei mandatũ à Pontifice haberet, fecit: quod Pontifex magis hac in re antiquo & nouo odio quam rationi indulgens, non probauit.

VI. *Pontificii Placentia excurrentes multos capiunt Cæsarianos.*

Cæsareani interea exigua pecunia Germanis data prope Placentiam, vbi Guido Rangonius cum sex peditum millibus erat, castra habebant: ex qua vrbe cum aliquando Paulus Luzzascus & alii Pontificii expediti equites excurrerent, aliquot peditibus & grauis armaturæ equitibus sibi adiunctis, hostes & ipsos excursionibus operam dantes, fuderunt; atq; octuaginta equites, & centum pedites ceperunt. Inter captos, Scalengus, Zuccherus, & Grunius Burgundus, militum præfecti fuerunt. Borbonius deinde decem Hispanorũ cohortes ad Picighitonem commeatu muniendam misit: & paulo post Caletiæ Comes cum suo equitatu & peditatu, ad Sandoninũ à Pontificis desertum venit: qui sequenti die, re prius cum illo communicata, quod is suis stipendiis fraudatus, se à Cæsarianis liberum esse censeret, à Pontificio Vicario, magis vt aliis satisfaceret, quam proprio iudicio, cum mille ac ducentis peditibus, centũ & triginta expeditis equitibus quos secum habebat, ea lege, vt si à Cæsare suo Calatiæ Comitatu priuaretur, Pontifex post octo menses donec eum recuperaret, ei quotannis tantundem quantum inde percipere consuesset, daret, conductus, in Pontificiorum castra transiuit Borbonius, Ferrariensis (qui tamen in castra ire recusauit) consilium sequutus, potius Bononiã & Florentiam petere, q̃ circa ea loca immorari cupiebat. Sed 17. die Hispani pedites pecuniã petentes tumultum excitarunt, & Statorem Principem, quem ipse ad eas pacandos miserat, interfecerunt: & nihilominus tumultu quam optima fieri potuit ratione sedato, 20. die cum omnibus copiis Trebiam traiecit, & ad tertium à Placentia lapidem castra locauit. Habebat autem secum quingentos grauis, & multos leuis armaturæ equites, qui magna ex parte Itali erant omnis prorsus stipendii expertes. Germanorum præterea, qui postremo venerant legiones, & fere quinque Hispanorum delectorum peditum millia, & circiter duo Italorum voluntariorum sine stipendio millia. Ex Germanis autem, qui prius aderant pars Mediolani manserat; reliqui Sauonã versus, vt Genuæ in maximam angustiam redactæ opem ferrent, contenderant.

Mirandum certè erat Borbonii exercitus consilium, qui cum sine pecunia, sine tormentario apparatu, sine fabris, sine certa commeatus facultate, per tot hostiles terras, & contra hostes, qui longe maiores quam ipsi copias haberent, iter ingrederentur. Sed multo miranda magis erat Germanorum constantia, qui vnico tantum in singula capita aureo nummo accepto ex Germania profecti, quique cum tamdiu in Italia binis ternisue aureis nummis acceptis tolerassent, contra omnium militum, & præsertim eius gentis morem, nullo alio præmio ac promisso quam victoriæ spe, etiamsi manifestò animaduerteretur, si in loca commeatu minimè affluentia venirent, & hostes propinquos haberent, sine pecunia victum cõparere nõ posse, itineri se cõmisissent. Verum enimuero, magna Georgii ducis ipsorum, qui Romam & bonam Italiæ partem eis prædæ proponebat, apud eos autoritas spem augebat, & vt multa perferrent, efficiebat. Vicesima igitur secunda die, Sandoninum petierunt; & sequenti die Salutius cum Pontificiis copiis, aliquot Venetorũ peditibus ad Parmę præsidium relictis, Parma Bononiã versus cum vndecim aut duodecim peditum millibus est profectus; & Guidoni Rangonio, vt Placentia Mutinam, ac nigros pedites Bononiam, idoneo tamen presidio Placentię relicto, se transferrent mandauit. Sic per Regiensium fines, quaternis castris in locos, qui sunt inter Antiolam & Rheni pontem peruenerunt Quo tempore Borbonius circa Regium erat, & Vrbini Dux. qui cum ei Pontificis Vicarius apud Casale maius, vt Heluetiorum numerus augeretur, proposuisset, id tanquam inutile recusarat: nunc apud illum, vt Romæ & Venetiis de quatuor Heluetiorum, & duobus Germanorum millibus conducendis proponeretur, instabat: seque tunc, quia anni tempus, vt in apertos campos prodirent, non patiebatur, quodque hostes prius dissolutum iri credidisset, repugnasse excusabat. quibus hoc supplemento accepto, se propius accessurum pollicebatur. quod consilium ab omnibus parui fiebat; quoniam præsentibus periculis tam sera remedia nihil proderant; quum ipse quoque hæc ob pecuniarum inopiam & sociorum iam inter se dissidentes voluntates perfici minime posse, certò posset perspicere. Quo tempore Mediolanensium Dux, qui tribus peditum millibus collectis, Laudam, Cremonam, & omnem regionem, quæ trans Abduam est, tuebatur, & in Mediolanensem agrum excurrebat, Montiam repentino impetu occupauit: quam tamen ipsius milites Antonium Leuam, qui Borbonium comitatus erat, Mediolanum reuersum eò contendere certiores facti mox deseruerunt. Ferebatur enim Leua duo veteranorum peditum Germanorum millia, mille & quingentos ex nouis, mille Hispanos, & quinque Italorum sub variis ducibus millia secum habere. Borbonius autem Seccia fluuio traiecto, & itinere ad sinistram capto, quinta die Martii Bonportum peruenit; vbi copiis relictis, se Finale, vt cum Ferrariensium Duce loqueretur, contulit. Quo die Venetus exercitus sine Vrbinate Padum traiecit: qui etsi conualuisset, Gazioli tamen hærebat; sed eo animo, vt breui ad exercitum esset venturus. Septima die Borbonius ad S. Ioannis fanum in Bononiensem agrum venit: quo ex loco præconem Bononiam, quò se Pontificius exercitus contulerat, misit, qui commeatum peteret; se Neapolim, vt ei regno opem ferret, contendere. Et eodem die Hispani, qui Carpii erant, eo oppido Ferrariensium Duci tradito, se illi adiunxexerunt. Venetorum vero copiæ ad Secciam, antequam Borbonium S. Ioannis fano castra mouisse audirent, haud vlterius progressuri, castra habebant. Is autem ex Ferrariensi agro commeatum accipiebat. Sed quum is esset pretio comparandus, & ipsi vix vllam pecuniam haberent; vt regionem deuorarent, late admodum castra metabantur, atque passim homines & pecora pariter secum abducentes excurrebant. quibus ex rebus commeatus emendi facultatem eliciebant: ita vt certissime perspiceretur, Cæsarianos, si validum aliquod impedimentum habuissent, aut si Pontificius exercitus, qui Bononiæ, & circa eam erat, aliquo in loco castris illorum propinquiore metari potuisset, breui in magnis angustiis futuros fuisse. Nam si tam latè castra habere perseuerassent, magno cum periculo fuissent: sin ea coarctassent, commeatus facultate caruissent. Sed in exercitu, qui Bononię erat, multę erant, cum ob Salutii, qui ad hastam ludis equestribus frangendam, magis quam ad ducis munus obeundum aptus erat, morem; tum vero, quia Heluetiis, & ipsius peditibus à Venetis suo tempore stipendia non persoluebantur perturbationes; quibus de causis, præclaram rei bene gerendæ occasionem amiserunt. Borbonius interea quò vlterius progredi posset, vt commeatum in plures dies, tormentarium puluerem, fabros, & boues (habebat enim iam tunc secum quatuor maiora tormenta) Ferraria acciperet, operam dabat. Et quamuis varia animi sui inditia daret, tamen illum in Hetruriam via, quæ à Saxo nomen habet cogitare, magis pro certo habebatur. Idemque confirmabat Hieronymus Moronus, qui iam ante multos dies occulta cum Salutiarum Marchione, etsi multorum iudicio, simulatè & dolose consilia agitabat. Cum autem iam decimo quarto Martii castra mouere statuisset, ideoque quatuor illa magna tormenta Bondenum remisisset, pridie eius diei Germani pedites, variis stipendiorum promissis decepti, quos deinde & Hispani sunt sequuti, pecuniam inclamantes, maximum tumultum, nec mediocri Borbonii vitæ periculo, nisi clam se & quam citissime ex tentorio suo subduxisset, excitarunt. Nam cum eò accurrissent, vno ex ipsius nobilibus viris ibi interfecto, tentorium diripuerunt. Quamobrem Vastius statim Ferrariam petiit. vnde cum aliqua, quamuis exigua pecunia, qua tumultus sedatus est, rediit. Die vero decimo septimo, tanta niuium aquarumque copia fuit, vt ob fluuiorum magnitudinem, & itinerum difficultatem per aliquot dies nulla ratione exercitus posset; & apoplexiæ casus Georgium Fronsbergium Germanarum legionum, quas potius in Turcas, quam in Pontificem vel conduxisset, vel duxisset, ducem, maiori spe quam euentu, ferè extinxit. Sperabatur enim saltem ad castra sequenda initilis fore: quod si fieret, Germani illo absente incommoda, & pecuniarum inopiam deinceps minime laturi credebantur. quo tempore Venetorũ copiæ ad Faustini fanum prope Ruberiam erant, quo 18. Martii Vrbini Dux more suo Veneto Senatui victoriã pene certam, non quidem sociorum armis, sed difficultatibus, quibus hostes conflictabantur fretus promittens venit.

VII. Rebus ab omni parte in hunc ſtatum redactis, Pontifex, quod pecunia careret, quod Neapolitana expeditio, quũ iam exercitus ipſius ob commeatus penuriam Bipernum retroceſſiſſet, non eum ſucceſſum quem ſibi propoſuerat, haberet; & demũ quod Gallorũ verbis ampliſſimi apparatus quotidie, quemadmodum ſemper ab ipſo belli initio ad finẽ vſq; fecerant, reipſa parciores cernerentur, animo cõſternatus admodum erat. Nam præterquam q; Rex quadraginta aureorum nummũm millia in primum menſem, quingentos cataphractos & claſſem ſerius miſerat; quodq; trans alpes quemadmodum debebat, & in quo præcipuum victoriæ fundamentũ erat poſitũ, arma mouere noluerat; etiam ea, quę quotidie pollicebatur nõ præſtabat. Promiſerat enim ſe Pontifici præter conſuetam penſionem, ſingulis menſibus vicena aureorũ millia, vt bellum in regnũ Neapolitanũ moueret daturum: & quum deinde ab Vgonis & Columniorum in vrbem irruptione induciæ eſſent factæ, idem ei, vt aut ad Neapolitanum bellum, aut ad ſui ipſius defenſionem eo vteretur: & inſuper ſe Rentium Ceritem, qui ob Maſſiliam cõſeruatam magnã ſibi apud illum exiſtimationẽ cõciliarat, ad eum miſſurum cõfirmarat: quæ etſi menſe Octobri promiſſa fuerant, tamdiu tamen ſunt dilata, vt Rentius circiter 4. Ianuarii diem ſine pecunia Romã peruenerit: decem autem poſt dies allata quidem ſunt 20. aureorũ nummũm millia, ſed ex iis Rentius quatuor millia ſamptuum à ſe factorum, & ſtipendii ſui nomine, & decem millia in Aprutii expeditione ſibi retinuit: ita vt ſex millia tantũ ad Pontificem, qui his promiſſis fretus fere ante tres menſes inducias fregerat, peruenerint. Promiſerat etiã ob decumas cõceſſas intra octo dies, viginti quinq; intra duos vero menſes triginta quinque aureorum nummũm millia: ex quibus Pontifex nihil vnquã præter nouem millia, quæ Robadanges attulit, accepit. Præterea Paulo Aretino qui 12. Februarii à Rege diſceſſit, vt Pontificẽ magis ad bellum incitaret, præter ſupradicta omnia aureorum viginti millia ſpoponderat; quæ poſt Langæi aduentum miſſa, nunquam vltra Sauonam peruenerant. Debebat Rex ex fœdere duodecim naues lõgas mittere, & ſex decim ſe miſiſſe aiebat: ſed illæ fere ſemper cum ab aliis rebus, tum à milite, qui in terram exponi poſſet imparatæ fuerant, vt nunquam Sauona diſcederent. quæ ſi, cum primo Neapolitanum bellum eſt cœptum, ſtatim ſe Pontificis & Venetorum nauibus adiunxiſſent, communi omnium iudicio magno adiumento fuiſſent. Magnarum vero nauium claſſis valida quidem illa, etſi ſæpius ſe illam in regnum Neapolitanum miſſurum promiſiſſet, quicquid tandem in cauſa fuerit, nunquam à Prouinciæ littoribus, aut Sauona longius abfuit: & poſtquã duorum menſium ſtipendia in Salutii pedites tribuiſſet, cum Venetis, qui minorem quam debuiſſent militum numerum alebãt, vt illorũ ſtipendia ex quadraginta aureorũ nummũm millibus detraherentur, pactus erat. Angliæ Regis promiſſa & auxilia, nimis remota & incerta erant. Venetos ſtipendiis militi repreſentandis tardos videbat. cuius rei cauſa Salutii & Heluetii pedites, qui Bononiæ caſtra habebant, fere erant inutiles. Terrebat quoque cum Vrbinatis varietas & agendi modus: ex quibus nihil quo minus Cæſarianus exercitus in Hetruriam tranſiret impedimento futurum animaduertebat. Itaq; tum ob Florẽtini populi à ſe alienatos animos; tum quod Cæſariani Senenſes ſibi iunctos haberent, Florentinum & ſimul Pontificium imperium in magno diſcrimine verſari animaduertebat. Hæ rationes (quod quàm pernicioſum periculoſumque ſibi eſſet, ſociorum fœdere relicto, ſeſe hoſtium arbitrio cõmittere perſpiceret) poſt multa conſilia & animi fluctuationem, cum commouerunt. Cumq; ab aliis, non quantum opus erat, iuuaretur, neque ex ſe, vt potuiſſet, ſubſidia quærere vellet, & præſens metus in eo ſuperaret, neque difficultates & pericula forti animo ſuſtinere ſciret, cum Feramuſca & Screnonio, qui hanc ob cauſam Pro-Regis nomine Romæ erant, ſic paciſci ſtatuit: vt octo menſium induciæ fierent, & ipſe Cæſariano exercitui ſexaginta millia aureorum daret; Eccleſiæ, regno Neapolitano, & Columniis vtrimque adempta, Pompeio Columnæ ſacræ purpuræ dignitas, inductis quoque cenſuris reſtituerentur: quod Pontifici omnium grauiſſimum fuit, & difficillime conceſſit. Galliæ Rex & Veneti, intra certum tempus his inducijs ſe adiungendi facultatem haberent. quod ſi facerent, Germani Italia: ſi minus, Pontificii & Florentinorum imperii finibus excederent. Pontifex quadraginta aureorum nummũm millia 22. eius menſis, reliquum per totum menſem ſolueret: Pro Rex Romam veniret. qua in re Pontifex, ſe Borbonium ea rata habiturum certum fieri cenſebat: quam etiam ſpem augebant quædam ad Borbonii ad Pro-Regem literæ, à Pontificis Vicario interceptæ; quibus ſuis anguſtiis patefactis, vt ſi cum Cæſaris dignitate poſſet, cum Pontifice componeret, eum hortabatur. Quo facto terreſtres nauales q; copiæ omnes vtrimque ſunt reuocatæ; capta loca ſunt reſtituta. Pontifex enim, cuius res tunc in regno Neapolitano longe ſuperiores erant, integra fide pacta ſeruabat. Aquilæ vero Montorii Comitis filii, ſi alia ratione tutos eſſe poſſe diffiſi patrem liberarunt: qui ſtatim Cæſarianę factionis ope, filios cum aduerſa factione expulit. Lanoius deinde Romam peruenit: cuius aduentu Pontifex ſibi iam de induciarum fide omnia tuta promittens, pernicioſo conſilio omnes milites, quos in ſtipendiis ſuis circa Romam habebat, centũ modo leuis armaturæ equitibus, & duob. nigræ legionis peditum millibus ſibi retentis dimiſit. idq́ue maiore ſpe fecit, quia Borbonium ob difficultates, quibus in belli progreſſu conflictabatur, & quia ſemper ſe eius cupidum apud ipſum oſtenderat, pacem exoptare ſibi perſuaſerat.

VIII. At res circa Bononiam longe ſecus ſe habebant. Nam cum Pontifex ſtatim poſt inducias Cæſarem Feramuſcam ad Borbonium, vt is eas confirmaret, & pecunia accepta exercitum extra Pontificii imperii fines duceret, miſiſſet; multæ difficultates à Borbonio, & multo magis in militibus apparuerunt. Siue enim vaſtas ſibi emolumenti ſpes propoſuiſſent, ſiue quod à Pontifice promiſſa pecunia bimeſtre ſtipendium non expleret, ſe ad bellum ſequendum pertinaces oſtenderunt. Ideo multi crediderunt, illos ſi aureorum nummũm centum millia fuiſſent, facile inducias admiſſuros. Quicquid autem in cauſa fuerit, certum eſt illos poſt Feramuſcæ aduentum Bononienſem agrum populari, & omnia hoſtiliter agere non deſiiſſe. Et nihilominus Borbonius, qui itinera complanari curabat, atque Feramuſca, Pontificio Vicario, exercitum, etſi omnes difficultates obſtarent induciis aſſenſurum ſpem faciebant: & Borbonius ad id cogi, vt progrediendi ſpe militem ſuſtentaret, donec eum in ſuam traheret ſententiam: ſe vero cupere aliud nihil, niſi vt Pontificem ſibi amicum conſeruaret, affirmabat. Et nihilominus eodem tempore à Ferrarienſium Duce commeatus, operæ, currus, tormentarius puluis, & alia huiuſmodi in caſtra mittebantur. qui poſtea neque pecuniam, quam eis dederat, neque hæc ſubſidia vniuerſa, ſexcentas auri libras exceſſiſſe gloriatus eſt. Ab altera vero parte Vrbini Dux ſe, ne is exercitus inducias amplexus, in Rhodigiam Polineſum ſeſe mitteret, timere fingens, Venetorum copias trans Padum Caſale maius contraxit. Res octo dierum ſpatio in hunc modum dubiæ fuerunt. Tandem vero Borbonius, ſiue quod ea ſemper mens eius fuiſſet, ſiue quod exercitui imperare non poſſet, ad Pontificium Vicarium, ſe cum milites ad id quod vellet flectere non poſſet, vlterius progredi cogi ſcripſit: ac ſequenti die, qui fuit vltimus Martii, ad Rheni pontem proceſſit, tanto militum ardore, vt cum quidam à Lanoio, vt Borbonium ad inducias amplectendas flecteret miſſus in caſtra veniſſet, niſi fuga ſaluti ſuæ conſuluiſſet, ab Hiſpanis fuiſſet interfectus. Sed iidem magis in Vaſtium exarſerunt, quem cum ab exercitu, ſiue aduerſa valetudine, ſiue vt ipſe ad Pontificium Vicarium ſcripſit, ne vt cæteri, contra Cæſaris voluntatem iret, ſiue quauis alia de cauſa motus, in regnum Neapolitanum iturus diſceſſiſſet, exercitus vt perduellem proſcripſit. Borbonii ad Rheni pontem aduentu, Salutius & Pontificis Vicarius, hoſtes Flaminiam verſus contendere iam exploratum habentes, Italorum peditum parte ad Bononiæ præſidium relicta, non ſine difficultate Heluetios eduxerunt; quibus vt ſtipendia perſoluerentur, Vicarius Ioanni Victurio decem aureorum nummũm millia mutuo dare fuit coactus. quo facto, eadem nocte cum reliquis copiis Forumliuii verſus cõtenderunt: quo idoneo præſidio Imolæ relicto, tertia Aprilis die peruenerunt. præter quam vrbem Borbonius quinta eius menſis copias duxit, vt infra militarem

viam

viam metaretur. Sed vbi Borbonium inducias minime amplexum Romam eſt nunciatum, Lanoius ſe id moleſtiſſime ferre oſtendens, & quemadmodum primo nunciatum fuerat, maiori pecunia ſumma opus eſſe ratus, vnum ex ſuis, qui præter eam aureorum nummũm viginti millia, quæ ipſe ex regni Neapolitani vectigalibus eſſet additurus polliceretur, miſit. Cum autem illũ in periculo fuiſſe audiuiſſet, tertia Aprilis Roma, vt Borbonium cõueniret eſt profectus; & Pontifici ſe illum ſi alia ratione non poſſet, equitatu & maxima Hiſpanici peditatus parte ab illo abducta, ad inducias coacturum promiſit. Sexta die cum Florentiam peruenijſſet, illic vt ea de re cum hominibus à Borbonio in eum locum velut magis opportunum miſſis ageret, conſtitit. Iam enim exercitum, niſi longe maiore pecunia numerata ſiſti non poſſe certum erat: eaque à Florentinis, quibus Pontifex omnem eius explicandæ curam commiſerat, numeranda erat. Hæc varietas Pontificis anguſtias & pericula vehementer augebat, ac potius iam multos dies ante auxerat. quoniam in Borbonii conſiliorum, & quid Pro Regis aduentus eſſet pariturus incertitudine, ſociorum auxiliis indigebat: quorum actiones etſi à Pontificio Vicario accenderentur, incitarenturq; frigeſcebant. Quamobrem Pontifex omnibus verbis & indiciis ſummum pacis ſtudium, & quantopere id à Prorege perfectum iri ſperaret, oſtendebat: Vicarius autem contra, Pontificis ſpem leuem eſſe multis indiciis animaduertens, ſociorumq; auxiliis deferueſcentibus, Florẽtinas & Romanas res in manifeſtum diſcrimen adduci perſpiciens, Salutio & Venetis inducias nihil boni parituras eſſe perſuadere nitebatur; eoſque, vt ſi non alia, ſaltem proprii commodi cauſa, Pontificis & Hetruriæ res non deſererent, hortabatur: neq; vt maiorem apud eos fidem inueniret, diſſimulabat, Pontificem vehemẽter inducias exoptare & quærere, eiſq; quod Cæſarianorũ fraudes non videret, imprudenter fidere. Quod ſi etiam cum iuuantes nihil aliud conſequerentur, niſi vt pacis legis ei faciliores redderent, id ipſis vtiliſſimũ fore oſtendebat. Pontificem namque ab ipſis adiutum, pro ſe & Florentinis huiuſmodi legibus, quæ ſociis parum obeſſent compoſiturum: deſertum vero ingentem pecuniæ vim, & magnam aliquam menſtruam penſionem Cæſari pendere coactum iri, quibus deinde in poſterum bellum contra ipſos gereretur. Quamobrem debere ipſos niſi ſibimet obeſſe vellet, vbi Borbonius cõtra Hetruriam caſtra moueret, & ipſi totis viribus ad eam propugnandam contenderet. Salutius hac in re valde anceps erat, ſed multo magis Veneti. Pontificis enim animi conſternatione ab omnibus perſpecta, illum etiam poſt noua ab ipſis auxilia accepta, quando cumque pacem conſequi poſſet, eam nulla ſociorum habita ratione amplexurum certò exiſtimabant. Idcirco valde nouum eis videbatur, ſe ad eum vt facilius cum cõmuni hoſte paciſceretur, iuuandum cogi. Si eum deſererent, maius quidem inde in communes res detrimentum profecturum cogitabant; ſed copias ſuas inter Apenninum & hoſtes in regione iam aduerſa, ſi dũ in Hetruria eſſent Pontifex pacem firmaret, aut denuo paciſceretur, in manifeſtum diſcrimen conijci cenſebãt. Ea quoq; ſuſpicio in Senatu locũ habebat, ne Pontifex vt copiæ ipſorum in Hetruriã transirent, idcirco efficere niteretur, vt eos illarũ amittendarũ periculo ad inducias amplectẽdas impelleret. Quas dubitationes Pontificis Vicarius, ex Salutii animo, quamuis multi ex iis, qui illi à conſiliis erant, exercitus periculo moti ſecus ſuaderent, facile remouerat. Quare eadẽ alacritate, qua prius Forolitium venerat, ac ſi opus foret, in Hetruriam tranſire minime recuſabat. Sed Veneti, vt Pontificem & Florentinos aliqua ſpe fouerent. nihilominus ad cõſilium ex tempore capiendum parati eſſent, Vrbinati, vt quarto die Aprilis Caſale maiore caſtra moueret, & equitatum trans Padana via mitteret; peditatum vero fluuio vehi curaret, mandarunt: qui ob Cæſarianorum in Flaminiam profectionem metum aliquem præ ſe ferens, duo ex Venetorum copiis peditum millia ad dominii ſui præſidium miſit: etſi multi, & præſertim Pontifex illum Borbonio, ſe nullum ipſi in Hetruriam proficiſcenti impedimentum allaturum, clam promiſiſſe ſuſpicati ſint.

IX. Borbonius interea vndiq; commeatum, cuius ſumma penuria laborabat cõquirens, copiarũ partem Cotiniolã miſit; q̃ oppidum etſi mœnibus munitum eſſet, vbi tormentis non multum pulſaſſet, deditione cepit. Oppidani enim, quemadmodum & pleraque alia oppida in Æmilia Flaminiaq; fecerant, amicorũ militũ rapinas metuentes, eos reiecerant. Cotiniola capta, quatuor maiora tormenta Lucum miſit; & vt cõmeatus penuriã, quibus aduerſus caſus eum perturbare poterat, impedimentum aliquod conijceretur omni conatu operã daret, literis 17. die ad S. Petri Balnearii fanũ à Prorege & Põtificio Vicario de illorũ aduentu acceptis, vtriq; ſe cum nunciũ tam inçommodo in loco, vt nulla ratione expectare poſſet; accepiſſe; verũ craſtina die ad S. Mariæ Balneariæ fanũ ſub alpibus expectaturum reſpondit: & in literis præſertim ad Pontificiũ Vicariũ ſcriptis, ſe pacis, animiq; ſui, & erga ipſum obſeruantiæ Pontifici declarandæ (quanquam longè alia mẽs illi eſſet) cupidiſſimum eſſe dixit. Lanoius coſtituta die cõ venit; & eodem die Pontificis Vicarius, qui Borbonii iter ſuſpectum habebat, vt hoſtes nõn prius quàm auxilia in Hetruriam venirent, Ioanne Victurio Veneto apud Salutium legato, & cæteris, qui ne copiæ in diſcrimen adducerentur metuentes, antequam exercitus in Hetruriam duceretur, qui ducenta aureorum nummũm millia ſponderent, aut munita loca ſibi pignori dari poſtulabant, egregiè confutatis, multis rationibus Salutio, vt progrederetur, perſuaſit; eumque cum copiis omnibus Berſigellam perduxit. quo ex loco ſe Salutii voluntatem tam paratam habere, vt de eo cum ſuis copiis in Hetruriam ducendo non amplius dubitaret, ſeque etiam Venetos idem facturos pro certo habere, ad Pontificem ſcripſit. Cæterum quo magis horum in Hetruriam tranſitu Florentiæ rebus eſſet conſultum, eò magis Romanas in diſcrimen adduci: propterea, quod Borbonius nulla alia ſpe ſibi relicta, ſe in eam partem conuertere cogeretur: qui ſi propius Romam acceſſiſſet, vt auxilia, quæ mitterentur ipſius celeritatem æquarent difficile fore; cum ipſe binis caſtris Apenninum eſſet ſuperaturus. In quem euentum, quum Florẽtini ſe prius cum Venetis & Vrbinate Duce paraſſent, ſe ſi ipſorum copiæ in Hetruriam tranſirent, fœderi adhæſuros: in certum peditum numerum ſtipendia daturos, & cum Cæ-

sare, etiamsi Pontifex vellet, non compostituros, primo spem fecerant, deinde promiserant; & Vrbinati, qui Pado Ficarioli traiecto 13. die Finale, deinde Corticellam venerat, per Pallantem Rucellaium ad hæc negotia tractanda missum, SanctiLei & Maioli arces obtulerant. Ideo minus difficile fuit prompta auxilia habere, idque eo magis vbi ProRegem, non modo Borbonium, qui eum irridens eodem die alpibus superandis operam dederat, in constituto loco non inuenisse; verum etiam, ne à montanis hominibus, ob detrimenta & iniurias ab exercitu acceptas tumultuantibus interficeretur, in graui periculo fuisse est nunciatum. Salutius enim, etsi Vrbini Dux eo ad S. Petri castellum ad colloquium vocato, impedimentum aut moram interponere sit conatus, alpes alacriter transcendit; ita vt 22. Aprilis ad S. Laurentii fanum in Mugellano castra habuerit; & Vrbini Dux cum honestè ab eo recedere non posset, nec culpam omnem in se transferri vellet, Gallorum alacritate perspecta: cumque Venetos ipsi eius rei potestatem, cum eiusmodi mandato tamen, vt nisi Florentini statim vbi in Hetruriam venisset, fœdus contraherent, illico exercitum reduceret, fecisse notum esset, ipse quoq; transiuit, ac 25. mensis die Barberini est metatus.

X. Interea Borbonius alpibus eodem die superatis, ad S. Stephani plebem, quod oppidum se ab ipsius militum oppugnatione fortiter defendit, castra locauit: & ad Pontificē, vt eum iisdem artibus irretiret, maioremque eius lædendi facultatem haberet, proprium hominem, qui ipsum cum eo pacem inire vehementer cupere confirmaret: sed militum suorum pertinacia cognita, maioris mali vitandi gratia eos comitari diceret; eumque vt pacis consilia non intermitteret, neue maiori pecuniæ parceret, hortaretur, misit. Sed superuacanea erat huiusmodi solertia cum Pōtifice, qui nimiā iis, quæ cupiebat adhibēs fidem, & sumptus vitare nimium cupiens, statim vbi de pactione Florentiæ cum Borbonii procuratoris consensu contracta certior est factus, omnes fere nigrę legionis pedites incōsultissime dimiserat: & Valdemontius, quasi tranquillissima pace iam parta Massiliā petierat. Itaq; cum omnes exercitus in Hetruria essent, & [illegible]atis significatum esset Borbonium vno die à S. Stephani plebe Chiassam prope Aretiū iter decem & octo milliarium cōfecisse, (is dies fuit 23.) duces, qui Barbarini cōuenerant, quid agendū esset disputabant. cumq; pleriq;, atq; vna Pontificis & Florentinorum Procuratores ea in sententia essent, vt exercitus coniuncti se vltra Florentiam aliquò in munita castra transferrent, & sic Borbonio eam vrbem propius accedendi facultatem adimerēt, vt sequenti die copiis in iisdem castris quietis causa relictis, duces Ancisam, quæ 13. milliaribus Florentia distat, vt deinde, si (quemadmodum Federicus Bozolensis huius cōsilii autor affirmabat) eū locum castris idoneū ac tutum inuenirent, exercitus eò transferrentur, peterent, decretū fuit. Sed quum sequenti die in itinere, & iam prope Florentiam essent, repentinus quidā casus quiq; nisi prouisum fuisset, res periculosissimas parere posset, huic & cęteris rebus, quę gestæ fuissent, maximū attulit impedimentum. Nam quum Florentiæ omnium animi maxime essent cōcitati, ac vniuerso ferme populo præsens Reip. status displiceret; & iuuenes publica sibi à Magistratibus arma, quò se, vt aiebant, à militibus tuerentur, cōcedi peterent, antequā id decerneretur, die 26. tumultu in publico foro casu fere exorto, à maxima parte populi, ac fere ab vniuersa iuuētute armata Curiā versus cōcursus fieri est cœptus. cui rei haud paruam occasionē dedit Syluii Cortonensis Cardinalis siue imprudentia, siue metus; qui quū vrbe vt Vrbinati honoris gratia obuiam procederet, egredi statuisset, etiamsi antequam id faceret tumultum iam cœptum esse cognouisset, sententiam non mutauit. Sicq; illum fuga sibi consuluisse rumore diuulgato, longe promptiores ad concursum faciendum fuerunt. Curia à iuuenibus occupata, & foro armatis referto, summū Magistratum ac Hippolytum & Alexandrum Pontificis nepotes perduelles declarandos popularis potentiæ reducendæ cōsilio coēgerunt. Sed Vrbinas & Salutius interea cum multis belli ducibus, & Cortonensi Cardinale atq; Hippolyto Medicē Florentiam ingressi, ac mille & quingentis peditibus, qui multos dies alicuius suspicionis causa in vrbe retenti fuerant, arma capere iussis, simul acie instructi forum versus contenderunt; quo à multitudine deserto statim potiti sunt: quamuis ab iis, qui in Curia erant lapidū, & Sclopetorum grandine obruti, nemo in foro cōsistere auderet, sed circumiectas vias occupabant. Cum autem Vrbinas copiis, quæ in vrbe erant Curiam minime expugnari posse cerneret, & nisi ante noctē expugnaretur, ne populus animum resumēs iterum arma caperet periculum esse ratus (quæ res etsi leuissima videretur, vt ciuitas eo die tam aperto periculo liberaretur, potissima causa fuit) trium Cardinalium, qui coram aderant, Ciboi, Cortonensis, & Rodulfii, ac simul Salutii Marchionis, & Venetorum Legatorum, qui omnes in Garbia via foro coniuncta conuenerant consensu, Veneti peditatus, qui in Florentina planitie prope vrbem castra habebat, partem aduocare statuit. Quare quum periculosa pugna pararetur (neque enim Curia sine omnium fere nobilium, qui in ea erant, cæde expugnari poterat) & periculum esset, ne vbi arma & cædes misceri cœpissent, victor miles totam ciuitatem diriperet; isq; dies Florentinis valde acerbus & infaustus esset futurus, Frāciscus Guicciardinus Pontificis Vicarius, præsentissimo cōsilio hunc difficillimum nodum dissoluit. Nam quum Federicum Bozolensem ad ipsos venientem vidisset, id q; erat suspicatus, aliis relictis statim, vt ipse primus eum alloqueretur ei obuiā processit. Federicus initio tumultus se eum rumorem autoritate & gratia, quā apud multos iuuenes pollebat, sedare posse sperans in Curiam iuerat; sed quum nihil proficeret, imo à nonnullis contumeliosa verba retulisset, non parum post multarum horarum spatium in discedendi facultate impetranda laborarat. Idcirco ira accensus, Curia egressus, & quam facile i ob exiguas vires & paruam disciplinā expugnari posset sciens, vt alios ad id cōfestim oppugnandum incitaret, veniebat. Sed Vicarius breuissimis verbis, quam omnis perturbatio Pontifici molesta, & communibus sociorum rebus perniciosa esset futura, ac quanto melius esset potius amicorum motibus sedandis quam accendendis operam dare; ideoq; perniciosum fore Vrbinatium Duci & cæteris tantam Curiæ expugnandæ facilitatem indicare demōstrans, facile eum ita in sententiam suam traxit, vt ipse cum aliis, vt Vicarius voluit, loquutus rem sic proposuerit, eiusque tumultus sine armis compescendi eam spem fecerit, vt illi hanc rationem velut optimam sequuti, vtrumque rogarent, vt simul in Curiam profecti, hisce motibus sedandis operam darent, omnibusque eorum, quæ eo die ad Reipubl. statum turbandum agitassent, impunitatem pollicerentur. Illi igitur fide ab iis, qui in Curia erant accepta, non sine magno negotio eis, vt Curiam, quam minime tueri poterant, desererent, persuaserunt. Sic tumultu pacato res in pristinum statum redierunt. Et nihilominus, vt in benefactis ingratos & calumniatores facilius, quam gratos & laudatores inuenias, etsi tunc Vicarius recenti re summis laudibus ab omnibus celebraretur, post tamen & Cortonensis Cardinalis ipsum, quod ciuium, & præsertim Ludouici fratris sui, qui tunc vexillifer erat, salutem magis, quā Mediceæ familiæ potentiam amaret, artificiosis consiliis, vt eo die Mediceæ familiæ imperium armis & ciuium sanguine in perpetuum non fuerit constabilitum in causa fuisse est questus: & multitudo, eum, quod cum in Curiam venit, pericula maiora quam reuera esset, fingens, ipsos, vt Mediceis prodesset, vbi necesse non erat ad cedendum impulisset, calumniabatur. Florentiæ tumultus quamuis eodem die sine cæde fuerit sedatus, tamen grauissimorū malorum origo fuit: & fortasse dici potest, nisi is casus incidisset, eam calamitatem, quæ post citissimè est cōsequuta, minime futuram. Quoniam Vrbini Dux & Salutius huius tumultus occasione Florentiæ hęrentes, Ancisæ castra, vt cōstitutum fuerat, minimè speculatum iuerunt; & sequenti die Ludouicus Pisanus, & Marcus Foscarus Veneti apud Florentinos Oratores, ciuitatis inconstantia cognita, se vt exercitus vltra Florentiam castra moueret, nisi prius agitatū fœdus perficeretur, nolle sunt attestati. quo in fœdere, vt Florentinorum angustiis abuterentur tempus adesse rati, in decem peditū millia stipendia petebant. Sed tamen 28. die sic fœdus contractum est, vt quod Pontifex, qui iam sociis iterum adhærere credebatur, de ea pensione pronunciasset, sequeretur. His accessit, quod cum stipendia Heluetiis persoluendi tempus iam venisset, nec Ludouicus Pisanus (vt Veneti negligenter prospiciebant) pecuniā ad satisfaciendum haberet; aliquot dies antequā eam explicaret, sunt elapsi; ita vt salutare castrorum Ancisam transferendorum consilium fuerit prætermissum.

Quo in rerum statu Pontifex, fraude qua Borbonius cum Prorege vsus erat, eiusdemq; in Hetruriam transitu cognito, necessariò ad belli cogitationem conuersus, vigesima quinta die iterum fœdus cum Galliæ Rege & Venetis contraxerat, eosque ad se magna pecuniæ vi iuuandum, se vero & Florentinos ad nihil aliud nisi ad id q; facultates ferre possent, quod & se, & illos nimiis sumptibus fatigatos esse diceret, obstrinxerat. Quæ leges quamuis graues à sociorum Oratoribus, vt Pontificem prorsus à pactione cum Prorege contracta disiungerent, acceptæ, à Principibus non probabantur. Veneti, Dominicum Venerium suum Oratorem, quod sine Senatus mandato fœdus propter Pontificis, quem quauis occasione ad suam inconstantiam & pacis desiderium rediturum existimabant, fluctuationem, sine vllo fructu graues sumptus adferret, contraxisset, accusabant: & Galliæ Rex pecunia exhaustus, & magis ad Cæsarem belli diuturnitate fatigandum, quam ad victoriam aspirans, satis nunc esse, si bellum paruo sumptu foueretur, censebat. Imò quamuis cum primò inducias à Pontifice contractas audiuit id molestissime tulerit, tamen quum post melius rerum statum expendisset, vt Pontifex Venetos sine quibus ipse nullam pactionem contrahere volebat, ad inducias amplectendas flecteret, cupiebat. Interea vero Pontifex cui bellum in Hetruria geri molestum erat, sed tamen minus molestū, quā si id in Latium fuisset translatum, pedestres copias cōscribebat, & pecunias cōparabat, sed lentè. Habebat autem in animo, Rentium Ceritē cum copiis cōtra Senēses mittere, & eos quoq; mari oppugnare, vt Borbonius in Hetruriæ rebus occupatus Romā petere nō posset: quamuis huius rei metus quotidie in ipso minueretur. Nā ob exercitus sine cōmeatu & pecuniis ducēdi difficultatē, in qua Borbonius iactabatur, & Senensium imperii vbi saltē milites alerentur, opportunitatem quam habebat, illum ad bellum contra Florentinos gerendum hæsurum sperabat. At Borbonius siue illud primum ipsius consilium, vt multi dixerunt, Finale occultissime Ferrariensium Ducis & Hieronymi Moroni autoritate constitutum fuisset; siue cum ad Florentinorum defensionem omnium sociorum vires conuenissent, eius expeditionis ad finem perducendæ spe amissa; cumque exercitum ad eam vsque diem inter tot difficultates vanis promissis & inani spe perductum, sine pecunia diutius retinere nō posset; aut funditus euerti, aut fortunam periclitari compulsus, repentè & summa celeritate Romam contendere statuit; vbi & victoriæ præmia tum Cæsari, tum militibus ingentia essent futura; & ad ea consequenda spes minime parua, quandoquidem Pontifex pernitioso consilio prius Heluetios, deinde nigræ legionis cohortes dimisisset; & vbi pacis spe frustratus est, tandem lente se iterum munire cœpisset, vt idoneum præsidium in tempore colligere non posse censeretur. Borbonius igitur 26. Apilis cum exercitu expedito, sine tormentis & impedimentis ex Aretino agro castra mouit, & incredibili celeritate, nec pluuiis, quæ tunc ingentes fuerunt, nec commeatus penuria retardatus incedens, cum Pontifex vixdum de ipsius aduentu certior factus esset, nullo neque Viterbii, quò Pontifex non satis tempestiue milites miserat, neque alibi, qui resisteret inuento, ad Vrbem accessit. Quare Pontifex, quod antea ei à prudentissimis viris in extremis angustiis, & cum iam prodesse non possent fore prænunciatum fuerat, ad ea remedia, quæ si opportuno tempore comparasset, maximi ad ipsius salutem momenti fuissent decurrēs, tres pretio in Cardinalium Collegium cooptauit. quæ tamen pecunia rebus ita in angustum redactis minimè ipsi numerari potuit: neque etsi numerata fuisset, ob periculi præsentiam vllum amplius fructum parere potuisset, Romanos conuocauit, eosque vt in tanto periculo arma Vrbis propugnandæ causa alacriter caperent, & ditiores pecunias ad peditatum conscribendum commodarent, est cohortatus; ad quos eos minime paratos inuenit; imo Dominicum Maximum omnium Romanorum opulentissimum vnicam auri libram ei mutuò obtulisse, memoriæ proditum est; cuius auaritiæ pœnas post luit. Nam eius filiæ militibus prædæ fuerunt, ipseque cum filiis capti maximam mulctam persoluerunt. Florentiæ vero Borbonii discessus nuncio, quod à Vitellio, qui Aretii erat scriptū, diem vnum serius quam ęquum erat, est allatum, accepto, duces decreuerunt, vt Guido Rangonius cum suo, & Calatię Comitis equitatus, & quinque Florentinorum ac Pontificiorum peditum millibus, illico expeditus Romam contenderet, eumq; reliquæ copiæ sequerentur. Nam si Borbonius tormenta secum veheret, hæc auxilia citius ipso Romam ventura sperabant. Sin expeditus incederet, tam cito post illum, vt cum tormenta non haberet, & mediocres vires Romæ vbi Pontifex sex millia peditum se habere scripserat, essent, tamdiu sustineretur, donec primum hoc subsidium adesset: quo accepto, nullum vrbis amittendæ periculum foret. At Borbonii celeritas, & tenues Romæ facti apparatus, omnia cōsilia anteuerterunt. quoniam Rentius Ceres, cui Pontifex præcipuam Vrbis propugnandæ curam commiserat, cum ob temporis breuitatem paucos vtiles pedites, sed multam imbellem & imperitam turbam ex Cardinalium Antistitumque stabulis, artificum officinis, cauponumque diuersoriis collectam conscripsisset, & suburbium omnium iudicio leuiter, suo autem ipsius satis muniuisset; his viribus tantopere fidebat, vt Tiberis pontes, quò si forte suburbium & Transtiberina regio defendi non posset, Vrbs conseruaretur, scindi noluerit: imo subsidium superuacuum esse ratus, Guidonis aduentu cognito quarta die Maii, vt Veronensis Episcopus Pontificis nomine, quod quum Roma præsidio atq; operibus satis munita esset, sexcentos octingentosue Sclopetarios tantum mitteret, ipse vero cum reliquis se cum sociorum exercitu cōiungeret, vbi magis quā Romę inclusus profuturus esset, ad eum scriberet, effecit. quæ literæ etsi nihil obfuerunt (neque enim Rangonius eousque progressus erat, vt in tempore opem ferre posset) tamen quam male ipse præsentia pericula metiretur declararunt. Sed non minus mirum fuit, quod Pontifex, qui Rentium Ceritem prę cæteris ducibus omnibus contemnere solebat, tunc se prorsus in eum coniecerit, eiusque arbitrio commiserit: & multo magis, quod qui in minoribus periculis timere solebat, quique sæpius cum Lanoius exercitum Fausolonem duxit, de Roma deserenda cogitarat, tunc in tāto periculo natura sua deposita, cōstanter Romę hæserit: & quidē tanta cum defensionis spe, vt fere tanq; hostium Procurator factus, nō modo homines discedere, verū etiam supellectilem & merces, aliaq; extra Vrbē ferri prohiberet; quas res multi mercatores, & alii per fluuiū aliò mittere studebant.

XII. *Carolus Borbonius Romā cum exercitu appropinquat.*

Borbonius igitur cum exercitu quinto die Maii in Pratis prope Vrbem est metatus; & militari insolentia præconem, qui iter per ipsam vrbem, vt cum exercitu in regnum Neapolitanum iret, sibi concedi postularet, misit: & sequenti die in ipsa aurora, eo animo, vt aut victoria potiretur, aut mortem oppeteret (vix enim alia spes rebus ipsius reliqua erat) exercitu suburbio, qua mons, quaque Spiritus Sancti templum est, admoto, atrox pugna est cœpta. Fuit autem ei in hoc propitia fortuna, quæ vt exercitum tutius admouere posset, nebulæ beneficio ante lucem excitatæ, tamdiu eos texit, donec ad eum locū in quo pugna est cœpta peruenissent. cuius pugnæ initio Borbonius extrema desperatione, non modo, quia nisi victoria potiretur, nullum ipsi perfugium erat; verum etiam quod Germani ipsi frigere in ipso cōgressu viderentur, sese in primam aciem coniicit, primus pugnam inchoat; sed illico scloppi glande in capite vel femore percussus, mortuus concidit. cuius interitu militum ardor non modo non deferbuit, sed multo est accensus magis. qui cum ad duas horas magna vi pugnassent, tandem suburbium sunt ingressi: quibus non modo munitionum debilitas, sed & militum in propugnando ignauia profuit. qua ex re vt & alias sæpe eis, qui ex veterum exemplorū nondum præsentia metiri didicerūt, quantum virorum in bellis exercitatorum virtus, à nouis exercitibus ex collectitia turba coactis, & ab vulgi multitudine differant, ostensum fuit.

Idem pugnam inchoās glande Sclopeti necatur.

Nam Romanæ iuuentutis pars sub suis tribunis, quos Caporiones, quasi Capita Regionum vocant, & populi vexillis, pro patria stabat: quamuis multi ex Gibellina & Columniorum factione, Cęsarianorum victoriā cuperent, aut saltem non formidarent; quod se factionis beneficio intactos fore sperarent; quæ res defensionis aciem hebetauit. Quia tamen difficile est vrbes sine tormentis expugnare, circiter mille pedites ex hostibus ceciderunt. vbi autem aditus eis est patefactus, omnibus in effusissimam fugam coniectis, multisque ad arcem concurrentibus, suburbia prorsus deserta victori prædæ sunt relicta. Et Pontifex, qui in Vaticani æde rei exitum expectabat, vbi hostes irrupisse audiuit, statim cum multis Cardinalibus in arcem se

Romæ suburbium Cæsariani occupant.

contulit; vbi dum, vtrum ibi manendum sibi esset, an per vrbem cum expeditis equitibus corporis sui custodibus, in tutum aliquem locum confugiendum quærit, vt calamitatum, quæ in Pontifices cadere possunt, quamque difficile sit illorum autoritatē, maiestatemq; illorum extinguere, Deo ita permittēte, exemplum esset, à Berardo Patuino, qui ex Cæsariano exercitu transfugerat, de Borbonii interitu, & totum exercitum imperatoris morte consternatum, pacem cupere certior factus, hominibus, qui illorum duces alloquerentur emissis, abeundi consilium infeliciter neglexit; dum ipse duceséque ipsius non minus in defensionis consiliis implicati, quam in exequendo essent.

Roma à Cæsareanis inuaditur & diripitur.

Idcirco Hispani eodem die, cum Transtiberinæ regionis tuendæ, neque modus, neque consilium esset inuentum, sine vllo impedimento eam sunt ingressi: & cum nihil iam obstaret, eadem die horam vnam ante solis occasum, per Xystī pontem in ipsam vrbem Romam irruperent: vbi iis, qui factionis nomini fidebāt, & aliquot Cardinalibus, qui q; Cęsaris partes sequuti esse dicerentur, se cæteris tutiores existimabant excepti, omnis reliqua aula & ciuitas, vt in capta vrbe fieri solet, fuga & consternatione plena erat. Ingressi autem omnes magno tumultu ad prædam discurrere cœperunt, nō modo amicorū nominis, Antistitū autoritatis dignitatisq; nulla ratione habita, sed ne templis quidem, sacrisue collegiis, & Virginum sacrarum septis, aut Sanctorum reliquiis, vniuersi terrarū orbis concursu celebratis, & cæteris sacris rebus parcentes. Itaq; eius vrbis, cui diuino quodam fato, ad summum amplitudinis fastigium conscendere est datum, sed quæ crebris q̄ioq; direptionibus est destinata (erat enim is annus 980. postquam à Gothis directa fuerat) calamitates nō modo explicari, sed ne cogitatione quidē cōprehēdi possent, prędæ vero magnitudinem, cum in ea ciuitate tot diuitiæ, tot aulicorū ac mercatorū res pretiosæ & singulares essent accumulatæ enarrare nemo potest. Eam vero in immensum exaggerauit ingēs captiuorū, qui post maxima pecunia se redemerunt, & dignitas, & numerus. Illud vero calamitatem & infamiā mirum in modum cumulauit, q̄ multi Antistites à militibus & p̄sertim Germanis temulentis, qui Romanę Ecclesię & Curię nominis odio crudeles & insolentes erant, capti, vilibus iumentis, gradus ac dignitatis suæ insignib. ornati per totā vrbem per maximā contumeliam circumducebantur; multi crudelissime excruciati, aut in ipsis cruciatib. aut non multum post, mulcta persoluta, vitam reliquerunt. cum in pugna, tum in ipso direptionis furore circiter quatuor millia hominū desiderati sunt: omnium Cardinalium domus direptę, iis exceptis, qui vt mercatores & alii, qui in eas cum rebus suis cōfugerant, vt se suaq; seruarent, ingenti pecunia cum militibus transegerunt: & nōnullæ tamē ex iis, quæ cum Germanis transegerant, post ab Hispanis aut fuerunt direptæ, aut cum illis quoq; transigere coacta. Mantuæ Marchionissa domum suam quingentis auri libris à direptione redemit: q̄ pecuniam mercatores & alii, qui eo cōfugerant, dederunt: & ex ea Ferdinandum eius filium centū auri pondo accepisse fama fuit. Senensis Cardinalis hæreditario quodam à maioribus suis accepto iure, Cęsariano nomini addictus, vbi pro se & domo sua cum Hispanis de mulcta transegisset, à Germanis captus fuit, dom⁹ direpta, ipseq; in suburbiū nudo capite ductus, multisq; pugnis cōtusus, quinq; aureorū nummūm millibus se ex illorum manibus liberauit. Similem fere calamitatem passi sunt Minerauius & Ponzetta Cardinales qui à Germanis capti, & prius per totam vrbem cōtumeliose circumducti mulctam soluerunt. Hispani & Germani Antistites, & Cardinales, qui se nationis iure tutos existimabant, capti fuerunt, nec minus acerbè quā reliqui mulctati. Audiebantur passim Romanarum matronarum, & sacrarum Virginum, quæ gregatim à militibus, vt libidinem suam explerent, trahebantur, clamores & ciulatus miserandi; ita vt vere dici posset, Dei Opt. Max. iudicia mortalib. esse obscura, qui Romanarum mulierum insignem castitatem, vi in tantam turpitudinem miseriamq; cadere pateretur. Passim ingentes eorum, qui velut ad mulctam statuendam cogerentur; vel vt vbi res suas occultassent, aperirent, excruciabantur, gemitus resonabant. Omnes res sacræ, diuorum reliquiæ, cuiusmodi sunt ossa & id genus alia, quibus omnia templa erant referta, ornamentis detractis, per contemptionem abiiciebātur. Circumuentam in medio Romanā plebem, quæ sub vexillis regionū, cōstiterat, tanta sęuitia immanitateq; trucidarunt, vt imbelles homines proiectis ad terram armis, suppliciter vitam deprecantes, crudelissime mactarentur. Nunquā enim ab vlla memoria, maiore truculentia vel in barbaros, qui Mahometis sectam colerent, vel in perpetuos hostes, vindictæ libidine sęuitum est. Nemini enim fuga patuit, quū refugientes nō in ipso tantum celeberrimo Vaticano templo, sed in adytis, ante sacrosanctas aras inermes trucidarētur; quibus antea immanes ex vltima barbaric Totilas Gothus, & Gensericus Vandalus religiose pepercissent. Quæ ex militum præda superfuerunt (quę quidem erant vilissima) Columniorum deinde homines agrestes in vrbem irruentes abstulerunt. Sed tamē Cardinalis Columna, qui altero die venit, cōplures mulieres, quæ in domum ipsius cōfugerant, seruauit. Pontifici plenis passibus in arcem euadenti, proximus aderat Paulus Iouius, qui etiā hanc cladem descripsit, sustuleratq; ei à tergo talaris togæ sinus, vt expeditius iter cōficeret, suumq; item violaceo colore pallium & pileum capiti abq; humeris iniecerat, ne Pōtifex à candore vestis agnitus, dum aperto demum & ligneo ponte in arcem transiret, à barbaris accuratiore forte gladis ictu sterneretur. Peruasere intra pontis portam, quum incuria & trepidatione custodū catarracta demitti nequiuisset, signiferi duo Hispani tanta audacia, vt petiti vndique tormentis, nihil mortis metu terrerentur, quin per pontē in forum proximum excurrerēt, conatusq; est pari temeritate Falcius centurio Hispanus, portæ arcis valuas appellere, vbi cum paucis est interfectus. Sarra Columna, Ludouicus Gonzaga cognomento Rodomontes. Ferdinandus item Gonzaga, Fabricius Maramaldus, & Filibertus Aurantius Belga, qui Borbonio interfecto, à militibus imperator est appellatus, Italicas cohortes, latronū & damnatorum cōcursu adauctas ductabant, in omnes promiscue ferocientes, ita vt neq; Regum Legatis parceretur. Germani in furorē versi, neq; spoliis cōtenti, impetum in templa & antiqui operis statuas verterunt, deformādo cuncta atq; euastando, q̄ pleriq; eorū irrisis Catholicæ fidei legib. Lutherana dogmata sequerētur. Hispani astuta & implacabili acerbitate crudeliores, vt abdita arcanaq; familiarum eruerent, tormentis atque suppliciis in nobilissima corpora grassabantur; tanta auri cupiditate, vt Iulii Pōtificis cadauer, multa exesum carie eruere, & annulo spoliare non dubitarint. Sed eius etiam gentis facinora, Itali, Brutiiq; præsertim deceptis vitiis, facile æquabāt, eo grauiore cum inuidia, q̄ in obsequium barbarorum longe promptissimi, æmulatione scelerum, ab amore cōmuni patrię discessissent. Obsidendæ arcis circumuallandæq; perducta in gyrum fossa Philippus Cerbellio & Mendanius Hispani, negotium susceperunt, tanta acerbitate, vt vetulam in arcis fossam lactucas deferentē, quæ expetenti Pontifici dono darentur, laqueo immaniter strangulatā, in conspectu arcis suspenderint; pueros q; itē, qui olera funiculis extrahenda alligabāt, sclopettis interfecerint. Pōpeius Columna Cardinalis superueniens, quanquā miseratione moueretur, ad patriæ calamitatē, incōmodo tamen periculoq; Pōtificis lætabatur: quippe qui Lanoio dixerat, ne magnopere de eo cōciliādo laboraret; se acta Clementis, quib. galeri honos sibi adeptus fuerat breui rescissurum, q̄ nequaquam legitimus, sed vitio creatus Pontifex videretur. Vtq; vindictæ libidinem, qua æstuabat, effunderet, Clementis villam sub monte Mario contra Miluium pontem incendi iussit; adeo vt Clemens ab summa arce fumantem spectauerit, vehementiore dolore percussus, quod tam facile Columniis ignouisset, atque eredidisset.

XIII. Eodem die, quo Cæsariani occuparunt, Guido Rangonius cum expedito equitatu & octingentis sclopettariis ad Salariæ pontem, vt eadem nocte vrbem ingrederetur, venit; sed rei successu audito, Otriculum se recepit, vbi reliquæ ipsius copiæ se illi adiunxerunt. Nam etsi literas, quæ opem suam contemnerent, Roma accepisset, ipse qui Vrbis à se seruatæ famam negligere nolebat, iter suum erat persecutus. Nec defuerunt, qui, vt propiarum actionum benigni & suaues æstimatores, alienarum vero seueri censores solent, Guidonem, quod præclarissimam occasionem non agnouisset, reprehenderent: quoniam Cæsariani omnes tam opulentæ prædæ, ædibus euacuandis, rebus occultatis inueniendis, hominibus capiendis, & captis in tutum locum ducendis intenti, per totam vrbem sine ordine dissipati vagarētur, ita vt nec signa sua, nec ducum imperia agnoscerent;

multi

multi crediderunt, si copiæ q̄ cū Guidone erāt celeriter in vrbem ductæ fuissent, & ad arcem nec omnino obsessam, nec foris ab vllo custoditam venissent, non modo Pontificem liberaturas, verum etiam aliquod magis præclarum facinus, cum hostes sic circa prædam essent occupati, vt vix quouis casu magnus aliquis numerus illorum colligi potuerit, edituras fuisse. Certum enim erat, etiam post aliquot dies ducum iussu, aut quouis casu signo dato, vix numerum aliquem opportunum colligi potuisse. Verum enim homines sępe sibi persuadent, si hoc aut illud factum fuisset, aliquid fore: cuius rei si periculum fieri posset, plerumq; huiusmodi iudicia falsa inuenirentur.

XIV. In arce obsessis, sola in sociorum auxiliis spes reliqua erat: quæ ob Venetorum in stipendiis Heluetiis persoluendis tarditatem, non ante tertium diem Maij Florentia profecta, ita incedebant, vt Salutius vnius diei itinere Venetum exercitum præcederet; sed re sic inter Vrbinatem & ipsum constituta, vt Veneti eodem itinere sequerentur: & nihilominus septimo die, Dux contra id quod constitutum erat, ex Cortonæ castris, Perusiam versus, vt Todium, deinde Ortos peruenireret; & illic Tiberi traiecto, se cæteris coniungeret contendit. Illi autem constituto itinere incedentes, Plebis castellum, quod Heluetios intromittere noluerat, cum circiter octingētorum castellanorum cæde expugnarunt, diripueruntque, quæ res in causa fuit, vt milites prædæ intenti, non ante decimum diem ad Granarioli pontem, vbi de vrbis Romæ expugnatione nuncium acceperunt, & vndecima Oriuetum peruenerint. Vnde Federici Bozolensis consilio, Salutius, ipse Bozolus, & Vgo Populus cum magno equitatu arcē versus contenderunt: eo consilio, vt Federicus & Vgo ad arcem vsq; accederent; Salutio vt ipsis si opus foret succurreret à tergo relicto, sperantes se Cæsarianos imparatos offensuros, ac repentino aduentu, quum p̄sertim milites ob p̄dæ magnitudinem, cæteris curis depositis, nihil aliud cogitare notum esset, Pontificem & Cardinales ex arce educēdi occasionem habituros. Sed hoc cōsilium irritum fuit, quoniam Federici equus, quū iam non procul ab Vrbe essent ita cecidit, vt ipsum presserit: quo casu læsus, vlterius progredi non potuit. Vgo autem quū post Solis ortum, prope arcem quo noctu veniendum esse constitutum fuerat venisset, occasionem detectam, vt aiebat, cernens; seu, vt Federicus aiebat, plusquam opus fuisset timens, retrocessit. Interea vero Vrbini Dux. Vrbis casu audito, etsi se omnibus viribus Pontifici opem ferre velle diceret, tamen se Perusini imperij ex Gentilis Ballionis, quem Pontificis autoritas fouebat, potestate eripiendi, & Ioannis Pauli filiis restituendi occasionē nactum ratus, Veneto exercitu Perusiæ admoto Gentilē minis discedere coegit, & Magistratib. ex Malatestæ & Oratij, quorū alter in Angelica arce detinebatur, alter in Gallia cisalpina cum Venetorū copiis erat, autoritate pendentibus constitutis, quū in hac expeditione tres dies insumpsisset, XVI. die Oriuetum peruenit. Iter enim ab ipso ex Cortonæ castris, vt per Transtiberinam regionem Romam peteret susceptum, multū moræ interposuit. Oruieti, omnes duces exercitus, vt de iis quæ in posterum essent agenda decernerent, simul conuenerunt. In quib. Vrbini Dux, magno ardore in orationis exordio ostenso, multas difficultates proponebat; & ante omnia, si forte res nō succederet, qua ratione tuto retrocedere possent cogitādum esse monebat: eamq; ob causam quo magis sibi cautum esset, Oruietenses in reditu exercitū cōmeatu non destituturos obsides ab eis voluit: & omnib. rebus multum tēporis interponens, tandē vt 19. die Nepete essent, & vt codē die Salutius cū suis copiis, & Guido cum Italico peditatu Bracchiani metarētur, vt sequenti die omnes Insulam, quæ nouem ab vrbe milliaribus distat, se transferrent, statuit. De quorū aduentu Pōtifex Vicarij sui litteris Viterbio scriptis certior factus, cōpositionis inter Cæsarianos & ipsum capita subscribere noluit. Id autem non tā spe quam ex litteris colligeret, quæ (etsi tantæ scriptæ) quid ex præteritis in posterū sperare posset ei innuebant, fretus, quam ignominiam si timori, aut præcipitii ipsius consilio quod liberatus nō fuisset tribui posset, vitaret, fecit. Galli quos Michael Salutius ducebat ad opem arci ferendam parati erant; & Veneti vehementib. litteris, quū Princeps in Senatu vehementem ea de re orationem habuisset, ad idem inci. tabant. Quare cū Duci nullus alius excusationis locus superesset, sequēti die omniū copiarum delectū haberi voluit; fortasse, q̄ se numero ita imminutū, vt iustā pugnæ detrectandæ occasionē haberet, inuenturum speraret; quæ tamen spes eū fefellit. In exercitu enim, quamuis multi abfuissent, vltra quindecim peditum millia erant, & omnes mirum in modum pugnæ auidi. Delectu habito, quid agendum esset quærebatur. Multi autem castra ad Montis Marij crucem, quod qui in arce erant vehementer flagitabant, transferenda esse censebant; quod is locus munitus esset, & ad tertium ab vrbe lapidem; nec vero Cæsarianos extra vrbem castra locaturos metuendum esse, eoque in loco eos & manere, & retrocedere sine periculo; atque ex iis castris arci succurrendi occasionem melius agnosci & arripi posse differebant. Sed quum Duci ea sententia non placeret, Guidonis Rangonij, qui se cum omni Pontificio equitatu & peditatu eadem nocte, modo Vrbinatium Dux, cum toto reliquo exercitu, vt sibi opem ferre posset, & Trescapannas veniret, ad arcem accessurum, vt Pontificem inde eripere niteretur, denuo pollicebatur, consilium probauit. Sed tamen id ea nocte minime factum est: quoniam Dux a Pontifice incitatus ad Montismarij castra exploranda iuit: & nihilominus nocte appropinquante, non vltra Trescapannas est progressum. Sed quum in hac re multarum horarum spatium frustra esset insumptum, id consilium in proximam noctem differre fuit necesse. Sed quum eadem die quidam exploratores, siue veri, siue submissi fuerint, munitiones in pratis à Cæsarianis factas, firmiores esse quam reuera essent, eosdemque pluribus in locis aditus, per quem ex Vaticano in Angelicam arcem itur, subiectum murum aperuisse: vt simul atque conspicerentur; illico multis ex partibus ad munitiones concurrere possent (quod æque falsum erat) retulissent; & Dux ex his multas difficultates, quibus omnibus à Guidone & fere omnibus reliquis ducibus est assensum, proponeret; nonnullis aliis ducibus qui contrariam sententiam rationibus tueri nitebantur, ab Vrbinate acerbe reiectis, arci tunc nulla ratione opem ferri posse est pronunciatum. Sicque Pontifex, ne vnica quidem hasta eius, qui vt alios iuuaret tantas copias conscripserat, ingentem pecuniæ vim exposuerat, & cunctos fere mortales ad arma concitarat, è carcere liberandi causa fracta, hostibus præda relinquebatur. Quæsitum tamen fuit, num id quod tunc non fiebat, in posterum maioribus viribus fieri posset: ad quod ipsemet Dux qui proposuerat, se procul dubio quotiescumque sexdecim Heluetiorum millia, suarum ciuitatum decreto conscripta, præter eos qui tunc in castris erant, vt qui ob diuturnam in Italia moram iam inutiles facti essent, & præterea decem Italorum Sclopettariorum millia, & tria millia fabrūm agrestiumque operarum, cum quadraginta curulibus tormentis haberet, arcem obsidione liberaturum respondit. Pontificio autem Vicario, Pontificem qui commeatum in aliquot dies haberetur, batur, vt tamdiu donec hæ vires collectæ essent deditionem differret, hortaretur dixit. Cumque Vicarius diceret, se id ita intelligere si rerum status interea non mutaretur. Verum cum eos qui in vrbe erant interea nouis operibus aliisque munitionum generibus, auxilij ferendi facultatum difficiliorem reddituros, atque ex regno Neapolitano copias quæ à Pro-Rege ex Hispania transportatæ fuerant, Romam venturas verisimile esset, quam spem Pontifici præbere posset se scire cupere. Respondit is, tunc omnia pro viribus facienda esse; si copiæ quæ Neapoli erant his quæ in vrbe essent coniungerentur, vltra duodecim Germanorum, & octo aut decem Hispanorum peditum millia fore. Idcirco arce amissa, nisi reuera viginti duo, seu viginti quatuor Heluetiorum millia in exercitu essent, victoriam sperari non posse. quibus petitionibus ab omnibus, vt quæ fieri non possent contemptis, exercitus Kalendis Iunij peditatu valde imminutus, quamuis Pontifex, quò sibi in compositione tractanda prodesset, vt discessum differret vehementer petiisset, Monterosium se recepit: & eadem nocte Petrus Maria Rossius, & Alexander Vitellius cum ducentis expeditis equitibus Romam ad hostes transfugerunt. Ita Pontifex à suis beneficiariis, Ferrariense atque Vrbinate, proditus fuit.

XV. Pontifex quod semper parum in auxiliis sibi collocasset,

ac propriæ saluti à Columniis & Germanis, qui vinctum ad Concilium vel in Hispanias, vel in Germaniam ducere minabantur, timeret, Lanoium Sena, æquiores ab eo leges sperans, accersiuerat: qui se exercitus Imperatorem appellatum iri sperans, cupide profectus est. Cum vero Romam publica ducũ fide venisset, Germanorum & Hispanorum qui Aurangij Principem Borbonio defuncto imperatorem appellarant, animos à se alienatos cernens, ibi hærere non est ausus. Sed quum Neapolim versus contenderet, Vastium, Vgonem, & Alarconem in itinere obuios habuit, quorum consilio Romam rediit. Et nihilominus, quum militibus gratus non esset, nullam neque bellicis in rebus, neque in compositione cum Pontifice tractanda autoritatem habuit. Pontifex igitur tandem omni spe destitutus, VI. Iunij die, iisdem fere legibus quibus antea pacisci potuerat, in hunc modum pactus est. Pontifex quatuor mille auri pondo militi dato: ex his mille statim repræsentato (quæ ex pecunia, argento, & auro in arce seruato conflabatur) quingenta intra viginti dies, duo millia & quingenta intra duos menses (quorum nomine, tributum Pontificis imperio vniuerso impositum, exigendum tradebatur) Angelicam, Ostiensem, Ciuitatis veteris, & Ciuitatis Castellanæ arces, & Placentiam, Parmam, atque Mutinam Cæsaris potestati quamdiu ei libitum fuerit retinendas promittito. Ipse cum omnibus Cardinalibus quos secum habeat (erant autem XIII.) donec primæ illæ portiones duæ, mille & quingentorum auri pondo appensæ fuerint, in arce captiuus maneto: deinde Neapolim aut Caietam quid de ipsis porro decreturus sit Cæsar expectaturi, eunto. Obsides exercitui, de multa (cuius tertia pars ad Hispanos spectabat) soluenda, Sipontinum & Pisanum Archiepiscopos, Pistoriensem & Veronensem Episcopos, Iacobum Saluiatum, Simonem Ricasolum, & Laurentium Ridulfij Cardinalis fratrem dato: Rẽtio Ceriti, Alberto Pio, Horatio Ballioni, Casalio equiti Angliæ Regis Oratori, & cæteris omnibus qui in arcem confugerant, Pontifice & Cardinalibus exceptis, tuto ex arce discedendi facultas esto: Pontifex Columnios sacris restituito: & cum extra Vrbem ducetur, Legatum suo nomine in Vrbe, & in Curia iudices iuri dicundo præpositos relinquito. His sic constitutis, Alarco cum tribus Hispanorum, tribus Germanorum peditum cohortibus arcem est ingressus. qui cum arcis & Pontificis custodiæ esset præpositus, eum in angustas habitationes redactum diligentissime, eique perquam exigua libertate permissa custodiebat. Sed non tam facile cæteræ arces & vrbes promissæ traditæ fuerunt. quoniam Ciuitatis Castellanæ arx sociorum nomine custodiebatur: Ciuitatis autem veteris arcem Andreas Auria, etsi mandatum à Pontifice accepisset, antequam quatuordecim aureorum numũm millia quæ sibi stipendiorum suorum nomine deberi aiebat sibi numerarentur, tradere recusabat. Parmam & Placentiam Pontificis nomine iuit Iulianus Lenus Romanus architectus, & Cæsarianorum nomine Ludronij Comes, cum mandato vt Cæsaris voluntati parerent, quamuis clam contrarium eis iniunxisset: quæ ciuitates Hispanorum imperium detestantes, eos admittere recusarunt. Mutinenses autem non iam sui iuris erant: quoniam Ferrariensium Dux, occasione quam ipsi Pontificis calamitates præbebant minime neglecta, se agros in quibus messis iam matura erat populaturum minatus, sexto Iunij die eos vrbem dedere non sine Ludouici Rangonij nota coëgit. Is enim quamuis Dux paucos milites haberet, nullo defensionis signo ostenso, discessit; Dux vero in hoc Venetorum, qui ne quid huiusmodi tempore noui contra Pontificatum moliretur eum sunt hortati, autoritatem neglexit: & nihilominus ipsi conspiratione cum Rauennatibus Guelfis facta, militibus in eam per speciem vrbis ab iis qui Catiniolæ erant tuendæ immissis, eam sibi vendicarunt: & arcis præfecto clam interfecto, ea quoque sunt potiti, se eam omnium sociorum nomine retinere velle palam præ se ferentes; & paulo post Ceruiam & Pontificis salinas ceperunt. Cumque Pontificium imperium nemo custodiret aut tueretur, nisi quantum ipsi populi per se suosque suo commodo faciebant, Sigismũdus Malatesta eadem facultate Ariminum cum arce occupauit. Verum nec Florentiæ Pontificis res meliore fortuna erant. Nam vbi Romam captam est auditum, Cortonensis Cardinalis, à ciuibus qui se Medicææ familiæ studiosos profitebantur desertus, & ob id territus, quum nisi

Clemens VII. Romæ in arce cũ Cardinalibus captus.

inusitatis modis & violenter pecuniam colligere non posset, neque ipse ob auaritiam suas saltem donec copiarum quæ ad opem Pontifici ferendum ibant progressus audiretur commodare vellet, nulla necessitate impulsus; quoniam in ciuitate multi milites erãt, & populus ob Curiam occuparam territus, sese mouere non esset ausus, fortunæ cedere statuit; ac ciuibus conuocatis, liberam eis Reipublicæ administrationem, nonnullis priuilegiis, immunitatibus, & Pontificis nepotibus Florentiæ, vt priuatis ciuibus degendi facultate, & rerum hactenus contra statum admissarum venia omnibus impetrata reliquit. Quibus rebus decima sexta Maij die sic constitutis, ipse cum Pontificis nepotibus Lucam se contulit. Vbi quum mox ipsum consilij tanto cum metu capti pœniteret, Pisanam & Ligurni arces quibus præfecti erant Pontificis, vt videbatur, amici, retinere est conatus: & nihilominus hi, nullum auxilium à Pontifice captiuo sperantes, aliqua etiam pecunia accepta, intra paucos dies eas arces Florentinis tradiderunt. qui ciuitate interea ad popularem statum redacta, Nicolaum Caponium magnæ autoritatis ciuem, & libertatis studiosum Reipublicæ Principem quem Vexilliferum vocãt, in annum vnum, ita vt ad tertium vsque annum confirmari posset creârunt. qui supra modum ciuium concordiam & administrationem ad perfectissimam Reipub. formam redigi cupiens, Comitiis penes quæ legum ferendarum & Magistratuum creandorum absoluta potestas est, sequenti die verba in eam rem fecit. Grauissima fuit Vexilliferi oratio, & certe prudentissimum consilium: cui si ciues fidem habuissent, fortasse noua libertas diuturnior extitisset. Sed quoniam acriores sunt morsus intromissæ libertatis, quam retentæ, & magnum in Mediceum nomen odium, cum multas alias ob causas, tum quod bella ab illis cœpta, magna ex parte propriis sumptibus sustinere coacti fuissent: certum est enim Florentinos vltra quinque millia auri pondo in Vrbinati imperio tũ occupando, tum etiam tuendo insumpsisse: tantundemque in bello à Leone contra Gallíæ Regem incœpto: in iis autem quæ obitum eius sunt consecuta, quæ quidem ex eo bello ortum habuere, auri pondo tria millia insumpta sunt, quæ partim ad Pro Regem Lanoium, partim ad alios Cæsarianos ducesante Clementis Pontificatum peruenere: hoc denique in Cæsarem bello, auri pluſquam sex millia pondo profuderunt. Itaque & eos ciues qui Mediceorum amici fuerant, & Pontificium nomen perlequi cæperunt; Mediceæ familiæ insignia, etiam quæ in locis publicis ab ipsis ædificatis affixa erant, tota vrbe furentes deleuerunt; Leonis & Clementis simulachra quæ in Annunciatæ templo toto terrarum orbe celeberrimo erant confregerunt; Pontificis bona veteri ære alieno exoluendo addixerunt; deniq; plerique illorum nihil quod Pontificis iram concitare, dissensionemque & simultates in ciuitate fouere posset, palam patrare prætermiserunt; ad maiora, nisi Vexilliferi autoritas & prudentia obstitisset, progressuri: qui tamen multa mala impedire non poterat.

Romam vero cum Vastio & Vgone Moncada Germani atque Hispani pedites qui in regno Neapolitano erant, venerant; ita vt iam octo Hispanorum, duodecim Germanorum, & quatuor Italorum peditum millia simul esse dicerentur. qui exercitus, ob partam existimationem, cæterorum terrorem, & tenues ad resistendum apparatus, ad quæcumque res magnas in Italia gerendas idoneus erat. Sed cum ei nomine tantum Aurangius Princeps præesset, re autem vera nemini parêret, & totus prædæ, mulctis, & pecuniis à Pontifice promissis extorquendis intentus esset, neque de Cæsaris rebus quicquam cogitaret, Roma discedere recusabat. Vbi quum nulla prorsus disciplina, sed impetu regeretur, Lanoius ac Vastius propriæ saluti metuentes, fuga sese subduxerunt; ipsi autem milites pestilentiæ quæ iam cœpta, postea maximas strages dedit, expositi remanserunt. Quas ob causas Cæsariani multarum rerum gerendarum, & præsertim Bononiæ occupandæ occasiones amiserunt: quæ ciuitas, & si post Romam captam, Vgo Populus cũ mille Veneto ære conductis peditibus eo venisset, Laurentio Maluezio; tacito Ramazoti consensu, & Bentiuolorum factionis ope tumultum concitante, non sine difficultate in Pontificis fide est conseruata. ac quod fortasse non minoris momenti fuit, Galliæ Regi potentissimi exercitus in Italiam magno Cæsaris periculo, ne post tot partas victorias regnum Neapolitanum amitteret, mittendi spa-

XVI.

tium dederunt. Nam cum multo ante Galliæ res adnoui belli apparatum spectare cœpissent, XXIV. Aprilis, fœdus quod per multos menses agitatum fuerat, inter Galliæ & Angliæ Reges ictum erat, ea lege, vt Angliæ Regis filia, Galliæ Regi, vel Aureliano Duci eius secundo filio nuberet. vtri autem danda esset, in duorum Regum colloquio, quod proximis Pentecostes diebus inter Caletum & Bononiam futurum erat decerneretur. Anglus Franciæ Regis appellatione sese abdicaret: cuius rei gratia Francus ei quingentas auri libras quotannis pendêret. Anglus sese fœderi Romæ percusso adiungeret; ac proximo Iulio mense, Cæsari trans alpes bellum inferret: nouem peditum millia in eo bello haberet; & Galliæ Rex decem & octo peditum millibus, & iusto equitum atque currulium tormentorum numero idem faceret: Interea vero vterque Oratores ad Cæsarem, qui fœdus ictum ei nunciarent mitteret, & vt Regios filios redderet, ac pacem æquis legibus amplecteretur, peterent; quæ nisi intra mensem faceret, bellum ei indicerent: quo facto, belli initium facerent. His constitutis, Angliæ Rex statim fœderi se adiunxit: & vterque binos homines qui hæc nunciarent, ad Cæsarem peruolare iusserunt. quæ res maiore alacritate à Franco & Anglo Oratoribus est facta, quam aut a Pontificis iussu fuisset. Quoniam Balthasar Castilionæus eius nuncius, Cæsaris animum minime irritandum esse ratus, bellum ei indicere recusarat: Sed Vrbis captæ nuncio in Gallia accepto, magna ex Borbonij morte lætitia, ingentem ex Pontificis calamitate mœrorem mitigauit. Cumque Rex vt Italiæ res conciderent, minime permittendum esse censeret, XV. Maij cum Venetis sic pepigit, vt decem Helueticorum millia communibus auspicus conducerentur, quibus ipse primi mensis stipendium daret, Veneti secundi, sicque alternis deinceps pergerent: ipse decem Gallorum peditum millia Petro Nauarro Duce mitteret, Veneti autem vna cum Mediolanensium Duce decem Italorum millia constituerent: Rex denuo quingentas lanceas, & decem octo currulia tormenta mitteret. Quoniam autem Angliæ Rex, iis quæ pacti erant posthabitis, ad bellum trans alpes mouendum tardior erat, quod ne Franco quidem placebat (vterque enim bellum procul à regni sui finibus fouere cupiebat) eo fœderis capite abrogato, vt Anglus ad Italiæ bellum per sex menses decem peditum millia aleret, est constitutum: atque ipso enixe petente, potissimum Lautrechius, quamuis propemodum inuitus, omnibus copiis est præfectus, qui, dum se idoneo pecuniarum & reliquarum apparatu rerum opportunarum ad iter accingeret, nihil magni in Italia gerebatur. Cæsarianus enim exercitus, etsi quotidie multos atrox pestilentia, quæ eodem tempore Florentiæ quoque, & in multis aliis Italiæ locis vehementer sæuiebat, tolleret, Roma non discedebat: & exercitus sociorum, quibus Saluitio & Venetis petentibus, se iterum Florentini ea lege, vt qui inque peditum millia alerent, maxima cum Cæsaris offensione adiunxerant: quia cum illis petentibus Ferrariensium Duci, vt suo nomine cum Florentinis pacisceretur mandasset, eodem fere tempore eos contrarium statuisse certior est factus; quod Venetorum, Salutij, & Helueticis peditibus stipendia ægrè persoluerentur, numero valde imminutus, prope Viterbium se receperat; & cunctando Perusiam, Oruietum, Spoletum, & reliqua vicina oppida in sociorum fide retinere nitebatur. vbi, cum post Cæsariani exercitus partem Roma egressam audiuissent, (quamuis illi id, vt liberiore cœlo loco-que fruerentur, ac nonnihil respirarent, fecissent) ne omnes copiæ prima solutione facta egrederentur veriti, Oruietum, deinde ad Castelli plebem se contulerunt; in Florentinorum fines, si id permisissent, se recepturi. Inuaserat quoque pestilentia Angelicam arcem, magno cum Pontificis vitæ periculo: circa quem nonnulli ex iis qui ipsi ministrabant interierunt. qui tot calamitatibus afflictus, quum nullam nisi in Cæsaris clementia spem haberet, ducum consensu Alexandrum Farnesium Cardinalem ad eum Legatum destinauit. qui tamen hac occasione arce & vrbe egressus, legationem obire recusauit. Duces Pontificem cum cæteris XIII. Cardinalibus qui cum ipso erant Caietam ducere cupiebant; sed ipse omni studio, precibus, & arte contra nitebatur. Tandem vero Lautrechius rebus necessariis compara-

tis, vltima Iunij cum octingentis cataphractis, & cum totius (sic enim Rex voluerat) sociorum exercitus imperio, à Rege discessit. Angliæ Rex pro decem peditum millibus, se singulis mensibus à Calendis Iunij initio facto, triginta duo aureorum numũm millia persoluturum spõte receperat: quibus decem Germanorum peditum millia Valdemontio duce, quæ legio optima erat, & quod sæpius Lutheranos fregisset, valde exercitata, conseriberentur. Conduxit quoque Galliæ Rex Andream Auriam cum octo triremibus, eique stipendiorum nomine triginta sex millia aureorum numũm annua promisit. Verum antequam Lautrechius alpes transcendisset, Venetorum & Mediolanẽsium Ducis copiæ simul coniunctæ Marinianum petiuerunt; quo ex loco Antonius Leua cum octingentis Hispanis, totidemq; Italis peditibus, & valido equitatu Mediolano egressus, eos retrocedere coëgit. Quo tempore Io. Iacobus Medices Mussij præfectus, Galliæ Regis stipendia merens, dum ad Larium lacum Helueticos præstolatur, Monguti arcem inter Leucum & Comum, positam, quam Alexander Bentiuolus tamquam propriam possidebat, insidiis occupauit. Ad eam vero recuperandam Antonius Leua, Ludouicum Belgioiosum misit, qui ea frustra oppugnata, Montiam rediit. Sed cum post Leua Mussianum præfectum, cum duobus millibus & quingentis peditibus Quadrate vicum, qui milliaria 14. à Mediolano abest, venire cognouisset, Mediolanum rediit: & ducentis tamen militibus (etsi Veneti decem modo milliaria illinc abessent) ibi relictis, ipse cum reliquis copiis noctu profectus, in Mussiani milites repente Sole exoriente impressionem fecit: qui vbi strepitum audiuerunt, non omnes hostium copias adesse rati, domibus egressi, se in planiciem quandam prope eum vicum sepibus munitum receperunt: & quamuis aciem instruxerint, in eo depresso loco tamquam carcere conclusi, sine vlla defensione, multis qui initio Mussianum fugæ se dedisse animaduertentes idem fecerant, exceptis, capti cæsique fuerunt.

XVII. Cæsar interea ex Mercurij Cancellarij sui quem in Italiam miserat, litteris Monæco ad scriptis, Pontificem captum esse cognouerat; qui sibi molestissimum esse ostendit. Cumque Angliæ Rex atque Eboracensis Cardinalis, Pontifici libertatem restitui vehementissime cuperent, eorumque autoritate Galliæ Rex quoque, commoueretur, hi Reges simul Oratores ad Cæsarem qui eius libertatem, vt quæ ad omnes Christianos Principes spectaret, atque ipsum præsertim Cæsarem, sub cuius fide ab ipsius ducibus & exercitu in tam miserandum statum esset redactus postularent, miserunt. eodemque tempore à Cardinalibus qui in Italia erant, vt vna cum iis qui trans alpes essent, vt quid tam difficilibus temporibus Ecclesiæ vtilitatis gratia esset agendum decernerent, Auenionem conuenirent petierunt. qui ne omnes in tantorum Principum potestate essent, variis coloribus id recusarunt: & Saluiatus Cardinalis apud Galliæ Regem Legatus, cui Pontifex ad Cæsarem, vt illic in Vgonis Moncadæ aduentu, qui de compositione eò erat iturus causam suam ageret, se transferret mandarat, & ipse id facere abnegarat: quod perniciosum esse diceret tot Cardinales in potestatem Cæsaris venire: sed libellum Roma acceptum per Cubicularium suum ad Pontificis Procuratorem, qui apud Cæsarem erat, vt de iis cum illo ageret misit. qui optima verba, sed talia quæ nihil certi statuerent, retulit. Cæsar, Oratoribus illis benigne respondit, & quod ad pacem spectaret, sibi vt ea ab Angliæ Rege tractaretur, placere dixit, quod illi probarunt. 3. Augusti die Franciscanorum Sodalium summum Magistrum, & quatuor diebus post Verium Miliacensem, vtrumq; (vt fert fama) cum mandatis ad Pro Regem Lanoium de Põtifice liberando, & omnib. oppidis atq; arcibus, quæ occupatæ fuissent, restituendis in Italiam legauit: atq; vt vnde se sustentaret Põtifex haberet, certã summã pecuniæ ex illis regnis, quæ in Conuentib. pecuniam Cæsari dare recusarant, collectam, ad eum eius internuncius mitteret, permisit.

XVIII. Hoc tempore in Iulij mensis fine, Eboracensis Cardinalis cum mille & cc. equitibus Caletum venit; cui Galliæ Rex cũ eum maximo honore accipere vellet, Lotharingum Cardinalem obuiam misit. Rex deinde tertia Augusti die Ambianum se contulit. quò sequenti die venit Eboracensis maxima cum pompa: cuius existimationem auxit, quod tria

millia auri pondo in quotidianos ſumptus, & vt ſi opus foret, Galliæ Regi partem aliquam mutuo daret, ſecum attulerat. De belli & pacis negotiis inter eos eſt actum. Et quamuis Francus diuerſa ab Anglo ſpectaret: tamen nullam ſe compoſitionem qua Pontificis libertas non comprehenderetur amplexurum promittere fuerat coactus. Ideo cum Cæſar pacis leges Angliæ Regi miſiſſet, communi nomine ipſos, ſi Regi filij reſtituerentur, & cuius rei cauſa Rex certis temporibus ei viginti millia auri pondo daret; Pontifici libertas cum imperio reſtitueretur; omnes Italiæ Principes & Reſpublicæ in eo ſtatu quo tunc erant conſeruarentur; & denique pax communis eſſet, eam amplexuros reſponſum ei fuit: conſtitutumque inter eos eſt, vt ſi Cæſar has leges acciperet, Angli filia Aureliano Duci nuberet; nam pace conſtituta cum Cæſaris ſorore matrimonium procederet. Si vero pax non coiret, Regi nuptui daretur. quibus legibus ad Cæſarem miſſis, publicam fidem, homini quem Cæſar in Galliam mittere volebat, denegarunt; & eas conditiones miſſas, ſatis eſſe dixerunt. quibus à Cæſare reiectis, decimooctauo Auguſti die pax & fœdus inter vtrumque Regem iureiurando ſancitum ac ſolenni ritu promulgatum fuit: & vt bellum in Italia magnis viribus ad eum potiſſimum finem, vt Pontificem in libertatem vindicarent, gereretur decreuerunt: Eius autem gerendi prouinciam Lautrechius conſilio prorſus permiſerunt. qui ante ſuum diſceſſum, quia Rex ſummum ac ferme poſtremum conatum faciebat, quicquid petiuiſſet, impetrarat. Voluit quoque Eboracenſis, vt Caſalius eques Regis ſui nomine caſtra ſequeretur; ad quem triginta duo aureorum numûm millia quæ ſingulis menſibus pendebat, vt Germanorum integrum numerum adeſſe certò ſciret, mitterentur. Sic Italici belli ratione conſtituta, Eboracenſis diſceſſit; & in diſceſſu Protonotarium Gambaram ad Pontificem, vt ſe dum ipſe captiuus eſſet, ſuum in Gallia, Anglia & Germania Vicarium conſtitueret, cohortandum miſit. cui Galliæ Rex ſe aſſentiri fingens, clam repugnabat.

Gallia & Angliæ Rex ad Pontificem liberandum omnem vim adhibent.

Cæſarea-nus Exercitus confuſus paſſim diuagatur.

XIX. Interea bellicæ res in Italia frigere, magnopere Lautrechij aduentum expetere; Cæſarianus exercitus confuſus; ducum Imperia non agnoſcere, amicis pariter & dedititiis grauis; nõ ſe loco commouere, nullum hoſtibus terrorem afferre; Hiſpani atque Italici pedites peſtilentiæ contagium fugitantes, circa Romam diſſipati erant; Aurengius cum cętum & quinquaginta equitibus, tum peſtilentiæ vitandę cauſa, tum etiam vt eam ciuitatem in Cæſaris fide contineret, Senam, quo prius aliquot pedites miſerat, ſeſe contulerat: quoniam eius ciuitatis populus à ſeditioſis capitib. ad tumultum concitatus, Nouiorum domos diripuerat, & Petrum Borgheſium magnæ autoritatis ciuem vna cum filio, & XVI. ſiue XVIII. aliis, interfecerat. Romæ ſoli Germani manſerant, peſtilentia pene omnes infecti: quibus cum Pontifex mille & quingenta auri pondo quæ primo ſoluenda erant, partim in pecunia numerata, partim ab Genuenſibus mercatoribus de regni Neapolitani decumis, & Beneuenti venditione pactus difficillime repræſentaſſet, pro reliqua pecunia quæ ipſis debebatur, alias cautiones & aliam rationem quam tributum Pontificio imperio impoſitum petebant, quæ à Pontifice in cuſtodia retento præſtari minime poterant. Quare poſt multas minas obſidibus factas, quos acerbiſſime catenis vinctos tenebant, eos ingenti cum ignominia in Floræ campum duxerunt, ibique cruces quaſi illos eo ſupplicio eſſent ſtatim affecturi, fixerunt. Deinde ſine duobus aliqua authoritate præditis, magis vt in apertum prodirent, ſeque recęrcarent, quam vt aliquid magni gererent, ſeque recrearent, quam vt aliquid magni gererent, Roma exiuerunt. Cumque Ternium & Narnium diripuiſſent, Spoletani ſe eis itineris facultatem & commeatum conceſſuros, pacti ſunt. Quamobrem ſociorum exercitus, vt Peruſia tuta eſſet, Pontenouum vltra Peruſiam caſtra transtulit. Prius enim ad Peruſinum lacum, ſed longe minore quam par erat numero, caſtra habebat. Nam cum Salutio erant CCC. cataphracti, & totidem hyppotoxotæ Galli, tria Heluetiorum millia, & mille Itali pedites: cum Vrbinate quingenti grauis, trecenti leuis armaturæ equites, mille Germani pedites, & duo Italorum millia: Vencti ſe iis copiis quas in Inſubria habebant, promiſſa præſtare, excuſabant. Florentini vero octuaginta grauis, centum & quinquaginta leuis armaturæ equites, & quatuor peditum millia. Motus etiam ne Cæſarianus exercitus Hetruriam inuaderet, eos melius cæteris inſtructos eſſe cogebat: idcoque militi ſuis temporibus ſtipendia (quod reliquorum nemo) perſoluebant. At Vrbini Dux præter veteres moleſtias, in maximo angore ac pene deſperatione erat, propterea quod Galliæ Regem & Lautrechium non ſatis honorifice de ſe loqui ſciret; & multo magis quod Veneti ſiue eius fidem, ſiue inconſtantiam ſuſpectam habentes, vxorem ipſius & filium qui Venetiis erant, ne ſine ipſorum venia diſcederent diligenter cuſtodiebant: eiuſque conſilium, nimirum vt Lautrechius Galliæ ciſalpinæ rebus non tentatis, recta Romam contenderet, aperte damnabant. Idcirco in eo exercitu omnia in ſummo ocio quieſcebant, & quod Cæſariani vlterius non procederent beneficij loco accipiebant. Cæſariani vero non multo poſt duobus aureis numis in ſingulos à Vaſtio, qui ad exercitum venit, acceptis, Germani quidem ab Hiſpanis diſſidentes Romam redierunt: Hiſpani autem Italique Aluiani, Tiliani, Caſtellione Tiberinæ, & Bolſenam verſus diſtributi manſerunt; ſed numero ita imminuti, & præſertim Germani ob peſtilentiam, vt in toto Cæſaris exercitu non vltra decem peditum millia eſſe crederentur. Sed ante illorum diſceſſum, ſociorum duces facinus æterna infamia dignum ediderunt. Nam cum Gentilis Ballio, Horatij voluntate qui diſſidia inter ipſos omnibus perniciosa eſſe dicebat, & ſe cum eo reconciliatum eſſe ſimularat, Peruſiam rediiſſet, Federicus Bozolus omnium ducum conſenſu eo iuit, Gentilique ipſum quod occulta cõſilia cum hoſtibus agitare audiuiſſent, ne quid moliri poſſet, velle cuſtodiæ traderè indicauit. & quamuis crimen dilueret, ſeque Caſtillionem ad Lacum iturum polliceretur, eum Giganti Corſo Venetorum militum præfecto cuſtodiendum tradidit. Verum eadem nocte vna cum duobus nepotibus à quibuſdam Horatij ſatellitibus, eiuſque iuſſu fuit interfectus: idemq; Horatius iiſdem diebus extra vrbem Galeottum Bracij fratrem ac Gentilis nepotem interfici curauit. Camerinatum deinde Ducis obitu cognito, milites ad eam vrbem occupandam miſerunt: ſed prior fuerat Sforcia Ballio Cæſarianorum nomine: ingreſſus poſtea eſt in eandem Sarra Columna, Rodulfi generi ſui defuncti Ducis ex concubina filij cauſa. Salutius deinde & Federicus noctu, magno equitatu, & mille peditibus S. Petri Abbatiam prope Ternium, in qua Petrus Maria Roſſius, & Alexander Vitellius cum CC. equitibus, & CCCC. peditibus erant, inuaſerunt: quod per ſe temerarium facinus (eo enim præſidio munita, niſi tormentis expugnari non poterat) ſiue fortuna, ſiue ducum imprudentia, auaritiaue felix reddidit. Nam quum illi eo ipſo die centum & quinquaginta ſclopettarios ad vicinum quoddam caſtellum diripiendum miſiſſent, ſe neceſſario ad defenſionem præſidio ſpoliarunt. Quare etſi ſe per multas horas defendiſſent, tamẽ illorum ſe arbitrio permiſerunt: Roſſio tamen & Vitellio, quorum ille in cruce, alter in manu ſcloppi glande pereuſſus fuit, cum rebus ſuis conſeruatis. Camerinum deinde ſocij per deditionem receperunt; ſed Cæſarianos apud montem rotundum fruſtra oppugnarunt. Lautrechius ex Gallia adueniens, Boſchum, Alexandriam, & Papiam expugnauit. Agitatum deinde eſt, vtrum ad Mediolanum expugnandum, an recta Romam verſus conterendum eſſet. Florentini ne Lautrechio in Inſubria hærente; Cæſarianus exercitus Roma ad fines ipſorum infeſtandos egrederetur metuentes, vt progrederetur vrgebant. Veneti autem & Mediolanenſium Dux, qui hanc ob cauſam ſponte Papiam venerat, magnam Mediolani occupandi opportunitatem, & quam id etiam Neapolitaniæ expeditioni vtile foret demonſtrantes, repugnabant. Mediolano enim capto, nullam Cæſarianis auxiliorum ex Germania ſpem relinqui: dum vero hic aditus pateret, ne magnus aliquis exercitus ex ea parte erumperet, qui Lautrechiũ in periculum coniiceret, aut à Neapolitano bello remoueret, ſemper eſſe metuendum. Is autem ſibi, ſuiatque Angliæ Regis, à quibus potiſſimum Pontificis in libertatem vindicandi cauſa miſſus fuiſſet iuſſu, neceſſariò progrediendum reſpondit. cuius conſilij cauſa fuiſſe creditur metus, ne Veneti, vbi Mediolano capto ſe Cæſaris potentiæ periculo liberatos exiſtimantes, in auxiliis ad Neapolitanum bellum ſubminiſtrandis negligentes eſſent futuri; & fortaſſe non minus, quod Rex Franciſcum Sforciam eo imperio non prorſus potiri, rebus ſuis vtile fore cenſeret; vt quum ipſe ſemper eius imperij

Senenſis populus tumultus excitat.

Cæſarem ab Italis oppugnantur.

Cæſari

Cæſari relinquendi facultatem haberet, facilius compoſitione de qua aſſidue apud Cæſarem, Galli, Angli, & Veneti Oratores agebant, filios recuperare ſuos poſſet. In hoc autem negotio complures difficultates oriebantur. Cæſar enim Franciſci Sforciæ cauſam iure diiudicari, dumque id fieret, toto Inſubriæ imperio ipſe potiri volebat. quo tamen cumque modo caderet res, ſe id ſibi non vindicaturum pollicebatur. atque vt Veneti reliquum ex ducentis ducatorum millibus, quæ Archiduci Wormacienſis compoſitionis iure debebãt, ei ſoluerent petebat. quod Venetus Orator, ſi Archidux quoque promiſſa præſtaret, & loca quæ debebat reſtitueret, minime recuſabat. Petebat quoque, vt exulibus ſuis, quemadmodum aliàs pactum fuerat, aut centum aureorum numûm millia reſtituerent, aut quinque millia quotannis penderent: ipſi quod ex fœdere debebant ſoluerent, fœduſque inſtaurarent; Pontificiæ Sedi Rauennam redderent, & omnibus quæ in Inſubria poſſiderent, cederent. A Florentinis vero ob ſumptus factos, & detrimenta ob fidem ab ipſis non ſeruatam accepta triginta aureorum numûm millia poſtulabat: vt Francus quadraginta Solatorum millia Anglo pro ſe ſolueret, annuebat: in reliqua vero vſque ad vicies centena millia, obſides petebat: Duodecim Galliæ triremes ſuæ in Italiam profectionis comites volebat: equitatũ & peditatũ remittebat; & ſtatim vbi pax eſſet eõfecta, omnes Gallicæ copiæ ex Italia diſcederent: q; Rex antequam filios recuperaſſet facere recuſabat. quas petitiones quum Alexandrina & Papienſis amiſſio mitigatura crederetur; eum qui difficultatibus minime cedere ſoleret, pertinaciorem reddidit; ita vt quum XV. Octobris die Pontificius Orator, ex Anglia vt eius Regis nomine Pontificem dimitti inſtaret ad eum veniſſet, ſe per Franciſcanũ illum, cuius ante mẽtionem fecimus, ei negotio proſpexiſſe; & quod ad pacem attineret, nec gratia, nec vi, leges prius à ſe propoſitas immutaturum reſpondit. Sed profecto Cæſar pacem minime cupere animaduertebatur: multa enim eum contra hoſtium potentiam audaciorem reddebant. Nam ſe exercitus ſui virtute, & oppidorum propugnandorum facilitate eos in Italia ſuſtinere: & ſemper paruo negotio pedeſtres copias ex Germania recentes euocari poſſe ſperabat: Galliæ Regem & Venetos diuturnis ſumptibus exhauſtos eſſe: eorum apparatus, vt in fœderibus fieri ſolet, interciſos atque diminutos videbat: cumque bellum ob militum rapinas, longe minore ſumptu quam hoſtes ſuſtineret, ſe ſatis pecuniarum ex Hiſpania exigere poſſe cenſebat: ac fœderatos quidem aliqua arte diſiungi, & negligentiores fieri poſſe confidebat: ac denique multum ſibi de maxima ſua felicitate multorum annorum experientia comprobata, ſibique iam inde à puero multis prædictionibus prænunciata promittebat. Interea dum Lautrechius Placentiæ hærebat, difficultates quæ prius cum Ferrarienſium Duce erant, ſublatæ ſunt. Nam cum Lautrechius ſtatim vbi in Italiam venit, vt ſeſe fœderi adiungeret vehementer apud eum inſtitiſſet, idque Dux hinc ob affinitatem ſibi cum Gallorum Rege propoſitam cuperet, illinc Gallorum virtuti diffideret, & ne Rex tandem filiorum cauſa cum Cæſare componeret veritus, ab eo deterreretur; Lautrechij autem minas metuẽs, vt ea negotia Ferrariæ tractarentur, quod tanti ſibi momẽti res ipſemet tractare vellet, petierat. Itaq; ſociorum omnium Legati Ferrariam ſe contulerunt; & Cardinalium qui Parmæ conuenerant nomine, Cibous Cardinalis: vbi tandem Dux Lautrechij progreſſu motus, Georgio atq; Andreæ Burgio, militiæ præfectis, qui magno ab ipſo honore accepti Ferrariæ erãt, ſe neceſſario ad id cogi probarè conatus, tandẽ pactus eſt: ſed eiuſmodi legibus, quæ aut in ipſius negotiis induſtriã, nec fruſtra negotiũ coram ſe tractari voluiſſe; aut magnã in aliis, vt eũ in fœdus pertraherent cupiditatem oſtenderent. Leges autẽ hæ fuerunt. vt per ſex mẽſes ſingulis menſib. ſex decem mue aureorum numûm millia, q; Regi definiendum, (qui poſt ſex millia definiuit) permitteretur, penderet: & Lautrechio centum grauis armaturæ equites ſuis ſumptibus daret: & viciſſim fœderati tum ad ipſius mẽt, tum eius dominij patrocinium ſeſe obligarunt: Catiniolam, quam Veneti paulò ante ex Hiſpanorum manibus eripuerant, pro veteri & fere deſerta Adriæ vrbe quam ipſe vehementer petebat ei daturos; vt ædes quas Venetiis & Florentiæ antea habebat ipſi reſtituerentur effecturos: Nouij arcem quam tunc obſidebat, Mantuano agro finitimam contra Albertum Pium occupare permiſſuros: etſi Cæſariani filio ſuo in Mediolanenſis Archiepiſcopatus fructibus percipiendis impedimento eſſent, tantũdem perſoluturos. Cibous vero Cardinalis, cæterorum Cardinaliũ qui id à Sacro collegio comprobatum iri pollicebatur nomine, Põtificẽ ad Ferrarienſis imperij poſſeſſionem denuo confirmãdam, diplomaq; renouãdum; Mutinæ emptionis à Maximiliano factæ vi, iuribus cedendum; ſalis obligationes tollendas; eius patrocinium à ſociis ſuſceptum ratũ habendum; Sacroſanctæ ſedis monumentus ipſi & ſucceſſoribus omnia q̃ poſſidebat, vti poſſideret, relinquendum; filium in Cardinalium Collegium cooptandum, eiq; Mutinẽſem Epiſcopatũ, Rangonij Cardinalis obitu vacãtem, conferendũ obſtrinxit. quo etiam fœdere Renatæ Ludouici Regis filiæ, cũ Hercule Ducis maximo natu filio matrimoniũ eſt contractum; eiq; Carnutũ Ducatus dotis nomine vnà cũ aliis honeſtis conditionib. datus. Mantuanus quoq; Marchio Lautrechio id poſtulante, etſi prius Cæſaris ſtipendia mereret, fœderi ſe adiunxit.

Hoc autem tempore ſociorum exercitus admodum debilitatus, multos dies inter Fulginum, Mõtefalcum, & Beuaniã ocioſus hæſit. Vbi Vrbinatium Dux coniugem & filium Venetiis cuſtodiri certior factus, contra Senatus mandatum per diſpoſitos equos ad cauſam dicendam profectus, eos liberatos eſſe, & Senatum cui ſatis factum eſſet, vt non vlterius ꝓgrederetur, cupere, nunciis in itinere acceptis, ad exercitum rediit, in quo nec Heluetiis, nec Salutij peditibus ſtipendia erant perſoluta: & Veneti, neq; illic, neq; in Gallia ciſalpina vbi nouem peditũ millia habere debebant, tertiam partem habebant. Poſt in Todienſiũ & circumiectos fines ſe contulerunt: & Hiſpani in fine Nouembris circa Cornetũ & Tuſcanellam erant. Germani vero Romæ; ad quos Aurangius, Sena, quò eius ciuitatis ſtatus cõſtituendi gratia fruſtra profectus nõ diu hæſit, redierat. Neq; vlli dubiũ erat, quin ſi Cæſariani ꝓgreſſi eſſent, Vrbinas & Salutius cum exercitu ſe ad Florentiæ mœnia, etſi ſæpe vt eis profectionẽ in Hetruriam impedirent, aut Oruieti & Viterbij, aut in Senenſium finib. Cluſij & Sartiani caſtra locaturos iactanter dicerent, recepturi fuerint. Lautrechius etſi Germanorum cohortes adueniſſent, ob pacis expectationẽ eadem cunctatione ꝓgrediens, Parmæ conſtituerat. Et quãuis Parmæ & Placentiæ arces in ipſius poteſtate eſſent, ac circiter quingenta auri põdo ex vtraq; ciuitate & agro exegiſſet: nõ modo illas in poteſtate ſua retinere, verũ vt & Bononia ex Regis autoritate pendẽret, eius ciuitatis primatũ in Populum familiam transferre velle credebatur. quæ cõſilia libertas Pontifici reddita irrita reddidit. Ad quod etſi Cęſar initio, quia poſt ſuis captiuitatis nuncium vltra mẽſem priuſquam aliquid de eo conſtitueret dubius hæſerat, non facile flecti videretur: tamen Lautrechij in Italiã ꝓfectione, & Angliæ Regis ad bellũ ardore cognito, Franciſcanorũ Sodaliũ Hæteriarcham, & Verium Miliacenſem cũ mandatis hac de re ad Pro-Regem in Italiam miſerat. Sed quũ Lanoius eo tempore quo Hæteriarcha venit, Caietæ diem ſuũ obiiſſet, negotium id cũ Vgone Moncada tractare fuit neceſſe; ad quẽ etiam poteſtas à Cæſare data pertinebat; quemq; Pro Rex ſibi, donec Cæſar ſucceſſorem daret, Legatum ſurrogarat. Cumq; Hæteriarcha mandata cum eo communicaſſet, vnà cum Miliacenſe qui cum iiſdem mandatis ex Hiſpania venerat, Romam petiit.

XX.

Duo erant ſumma in hoc negotio capita. Alterum vt Pontifex exercitui, cui ingens pecuniæ vis debebatur, ſatisfaceret; alterum quod ad Cæſaris cautionem pertinebat, ne Pontifex in libertatem reſtitutus ipſius hoſtibus adhæreret. In hoc autem duræ obſidũ & vrbium pignoris nomine tradendarũ leges proponebãtur. Has ob cauſas res diu eſt agitata: quã vt facilioriẽ redderet Põtifex, crebris nunciis, ſed occultò, Lautrechiũ ad progrediendum incitauerat, & ſubinde incitabat: ſeq; nihil Cæſarianis niſi coactũ promiſſurum aiebat. Idcirco vbi è cuſtodia euaſiſſet, & in tutum locũ ſe contuliſſet, quod quidem quãminima poſſet eis opportunitate ꝓmiſſa, eſſet conaturus, ea minime ſeruaturũ, quod ſi tamen cõponeret, vt calamitatũ ſuarũ miſericordia & neceſſitas ſe excuſaret, rogabat. Quæ dum tractãtur, obſides, Germanis id moleſtiſſime ferẽtibus atq; indignãtibus, ſub Nouembris finem clã Roma aufugerunt. Longa fuit hac de re diſceptatio, cũ neq; ij in quorũ poteſtate id erat, in eadẽ eſſent ſententia. Vgo n. etſi Sereno nium ſuum ab epiſtolis miniſtrum vnà cum aliis Romam

XXI.

Roma obſides pro Põtifice dati clam aufugiunt.

miſiſ-

mississet, ob naturæ peruersitatem, & quod animo esset à Pontifice alienus, ei rei parum studebat: Hæteriarcha contra, purpurei galeri cupiditate, id summopere expetebat. Miliacensis vero, ei rei vt Cæsari periculosæ repugnabat. Cumque resistere non posset, se Neapolim contulit; cuius impietatis pœnas cito dedit. primis enim eius vrbis obsidionis diebus, in quadam velitatione Sclopi glande percussus occubuit. Nec vero Pontifex sibi ipse deerat. Namque Hieronymum Moronum, cuius consilium apud Cæsarianos omnibus in rebus magni ponderis erat, Mutinensi Episcopatu eius filio tradito, & frumento quodam quod Corneti habebat, plus 12. aureorum numsm millibus æsti. natum, ipsi promisso, in suam sententiam traxit. nec minore industria Columnam Cardinalem Piceni legatione ei promissa, & quum Romam profectus ipsum in arce inuisit, se illi potissimum tantum beneficium acceptum referre velle ostendens; eiusque auribus, ipsum nullam maiorem gloriam felicitatemue, quam vt cunctis mortalibus notum fieret, in ipsius potestate esse, & Pontifices deprimere, & eosdem sunditus euersos pristinæ amplitudini restituere exoptare posse, artificio se instillans, sibi propitium reddidit, quibus rebus Cardinalis commotus, Pontifici liberato tot iniuriarum obliuisci, tam facile, quam captiuo libertatem suam demissimis precib. ac lachrymis ipsi cõmendare fore ratus, eius libertatem alacriter procurauit. Difficultates aliquæ ex parte leuarunt noua Cæsaris mandata. Is enim Pontificem quam maxime fieri posset leniissime dimitti, modo liberatus non magis fœderatis quam ipsi studeret, sibi satis esse testatus, vt gebat. Sed nihil magis profuisse creditur, quam eius exercitus ob Lautrechij aduentus metum in regnum Neapolitanum ducendi necessitas. quod, nisi prius militi ob stipendia quæ debebantur, quorum loco tantam prædam ac tantum quæstum eodem tempore factum admittere recusabant, cautio daretur, fieri non potuerat. Hæc eadem rei numariæ difficultas in causa fuit, vt minus de fide Pontificis in posterum sibi obstringenda cogitarint. Tandem igitur vltima die Octobris post multam agitationem Romæ concordia cum Franciscanorum sodalium Hæteriarcha & Serenonio, Vgonis qui post ratum habuit nomine, in hunc modum est contracta; vt Pontifex Cæsari in Mediolanensibus & Neapolitanis rebus ne aduersaretur: pecuniam in Hispania sacri belli causa collectam quam Cruciatam vocant, & sacrorum vectigalium in omnibus ipsius regnis decumas Cæsari concederet; fidei suæ pignora Pontifex, Ostiam & Ciuitatẽ Veterem iam ante ab Andrea Auria relictas Cæsaris testati permitteret, eidemque ciuitatem Castellanam traderet: in quam cum Marius Perusçus fisci procurator, occultissimo Pontificis, etsi contrarium simularet, mandato, eius arcem esset ingressus, Cæsarianos admittere recusarat: Foroliuiensem pariter arcem, Hippolytumque & Alexandrum nepotes suos; dum vero illi Parma venirent, Pisanum, Triultiũ & Gaddium Cardinales, quos in regnum Neapolitanum duxerunt, obsides daret; ipse Germanis sexaginta & septem, Hispanis triginta quinque millia aureorum illico persolueret, ea lege, vt ipsum, cum omnibus Cardinalibus dimitterent; ipse vero Roma & arce exiret; atque vbi Ornietum, Spoletum, aut Perusiam incolumis peruenisset, liber diceretur: & quindecim diebus postquam Roma discessisset, tantundem pecuniæ Germanis persolueret; reliquum vero deinde quod cum prima pecunia, trium millium & quingentorum auri pondo summam excedebat, Germanis & Hispanis pro rata portione intra menses tres repræsentaret; quæ vt facere posset Pontifex, quoque se è carcere liberaret, ad ea remedia decurrit, ad quæ ne custodiæ traderetur, confugere noluerat, nimirum, vt Cardinales pecunia crearet; nam aliquot precio creauit, in reliquam summam, decumas in regno Neapolitano, & Ecclesiæ bona alienandi facultatem concessit; ita vt Christi Vicario concedente (tam profunda sunt diuina iudicia) ea quæ diuino cultui erant consecrata, ad hæreticorum vsum & alimenta conuerterentur. quibus rationibus quum solutionem suis temporibus constabiliuisset & confirmasset, Cæsium & Vrsinum Cardinales, quo magis militibus cautum esset, obsides dedit. qui à Cardinali Columna Grotta Ferratam ducti fuerunt. Cumque omnia transacta essent, constitutumque vt nona die Decembris Hispani ipsum in tutum locum deduceret, ipse, ob infestum in se, vt exploratum habebat, Vbonis animum, & quamuis aliam ob causam quæ impedimento esse posset, aliquam mutationem metuens, prioris noctis initio, clam mercatoris more indutus arce egressus, à Ludouico Gonzaga Cæsaris milite, qui ipsum in pratis cum magna Sclopetariorum cohorte præstolabatur, Montem Falisconem vsque deductus fuit. vbi peditatu fere omni dimisso, Ludouicus ipse, cum Orui etum, quam ciuitatem noctu sine vllo Cardinalium comitatu est ingressus, deduxit. Est autem hoc exemplum certè memorabile, & cui simile fortasse nunquam ab eo tempore, quo Ecclesia potentiam est adepta, fuit; vt Pontifex de tantæ potentiæ & venerationis deiectus gradu, Roma amissa, & omni imperio in hostium potestatem redacto, in carcere custoditur: idemque paucorum mensium spatio, in libertatem & amissum imperium restitutus, breuissimo tempore in pristinam amplitudinem potentiamque rediret. Tanta est Pontificatus Maximi apud Christianos Principes maiestas, atque apud omnes veneratio.

Clemens VII. more mercatoris indutus arcem in qua obsessus tenebatur clam egreditur.

Pontifici leges pro liberatione positæ.

Lautrechius cum Regij esset, libertatis Pontifici restitutæ nuncium accepit. Idcirco Parmensi arce Pontificiis ministris restituta, se Bononiam recepit. qua in vrbe postremas Germanorum cohortes opperiens, consedit. qui etsi post paucos dies numero non sex, sed tria tantum millia in Bononiensem agrum post venissent, tamen quod de postrema Galliæ Regis in pacis negotio sententia nuncium expectarent, viginti dies Bononiæ mansit. Interea vero diligentissime, Angliæ Regis etiam autoritate interposita, Pontifici vt aperte sociis adhæreret instabat. qui cum primo Oruietum peruenit, & Vrbini Dux, Salutius, ac Federicus Bozolus, qui post paucos dies Todij morbo sublatus est, & Ludouicus Pisanus Veneti exercitus legatus, ad eum gratulatum venissent, vt copias suas extra Pontificij imperij fines ducerent, Cæsarianos se, si sociorum hoc exercitus faceret idem facturos sibi promisisse afferens, vehementissime ab eis cõtendebat. Ad Lautrechium quoque epistolam scripserat, qua ei ob ea quæ sui in libertatẽ vindicandi gratia fecerat, quodque se vt quauis ratione libertatem consequi niteretur esset hortatus, gratias agebat: eiusque operam tanti ad Cæsarianos vt id decernerent cogendos fuisse momenti; vt libertatem suam non minus Regi & ipsi, quam si eam ipsorum armis esset consequutus, acceptam referret: aiebatque ipsorum progressus se libenter expectaturum fuisse, nisi dura necessitas aliud suasisset. Indies enim duriores leges sibi propositas fuisse, & se non alia quam compositionis ratione libertatem consequi posse compertũ habuisse: quæ quanto magis differebatur, tanto magis Ecclesiæ autoritas dignitasque conculcabatur. Sed præcipue eò impulsum fuisse, quod sperarent se idoneum instrumentum fore, qui cum suo Rege atque aliis Principibus Christianis commune bonum procuraret. Hæc fuerunt eius verba: atq; huius anni acta. *Franciscus Guiciardinus lib.* 18.

XXII.

Paulus Iouius, etiã ex his quæ vidit ac pertulit, aliqua paulo fusius memorabat. scilicet. Clemens consumpto commeatu, ita vt asinina etiam carne, inuitatis quoque quasi ad solennes epulas Patribus auidissime vesceretur, desperatisque omnibus effugiis, deditionem fecit, ea conditione, vt cuncta quæ imperasset Cæsar se facturum polliceretur, à quo dignas eius pietate fideque litteras expectabat; quibus stipendio militi persoluto, sibi sacrosanctum vrbis imperium cum libertate redderetur. Frustra iam Feltrium & Salassum, atq; Rangonum expectarat; vt admoto exercitu expugnatisque munitionibus, ipse & Senatus arce eriperetur. Sed hi positis ad septimum lapidem castris, in iuga montis Marij excurrendo, se tantum ostentarant; atque ita vt imperitis & miseris, id vnum in supremo salutis discrimine facile cupientibus, iam iamque descensuri, & munitiones aggressuri viderentur. Sed ea mente in conspectum se dederunt, vt quid hostes occupati præda, & in tanta rerum copia vino, libidine, somnoq; molliti facturi essent, prospectarent; nec tamen periculosi prælij aleam subirent. Itaque Felrium parum honesto consilio, retro in Vmbriam iter flexit. Conflauit vero Clemens argentum omne, & aurea vasa sacrificiis dicata, vt inde diuidenda militibus pecunia cuderetur. quæ quum satis esse non posset Cæsarianis ducibus, purpurei galeri tres concessi, vt illis licitantibus qui fœda ambitione corrupti, ad Senatoriam dignitatem aspirabant, aurum proferrent. Sed miles expleri non poterat, quum non menstrua, sed annorum aliquot stipẽdia, turbi-

Clemens VII. absumpto cõmeatu asinina carne vesci coactus fuit.

Pauli Iouij vrbis Romanæ clades enarratio.

turbidi, insolentes, & vesana feritate ducibus etiam terribiles flagitarent. Quum his difficultatibus angeretur, angustioque arcis loco conclusus Pontifex, oborta & manante in familiaras pestilentia, de salute sua dubitaret, Pompeius Cardinalis Columna ad eum venit, inuitatus ab amicis Senatoribus, deposceneque præsertim Pontifice, quum is diceret, desperatis auxiliis, ab vna Achillea cuspide opem expectandam; Pompeium aperte indicans, qui certiora remedia esset allaturus, postquam tantis cladibus initia præbuisse videretur. Susceptus est à Clemente vultu ad hilaritatem maxime composito, nec ficto quidem, quum periculi magnitudo, & concepta spes ingens libertatis, omnem penitus simulationem excluderet. Deplorauere tum verissimis lachrymis euersæ vrbis calamitatem, Sacerdotalis dignitatis amissum decus, & denique communem insaniam, cui pertinacius quam sacratis hominibus expediret, vsque ad conturbationem diuinarum atque humanarum rerum seruiuissent. Interea pestilens morbus ex fœtore cadauerum & fame inæqualique cœli temperie subortus, multos Hispanorum absumpserat; & in his Antonium Gamboum, à quo templum Virginis Deiparæ ad Mineruam excruciatis fœde Sacerdotibus fuerat direptum. Sed & Germanicas legiones multiplicatis funeribus maxime deuastabat. Rex Franciscus suopte ingenio maxime pius & generosus, pro dignitate Christiani nominis, cuius ipse titulum præferret, valde pulchrum & decorum existimauit, custodia & carcere Sacrosanctum Pontificem eripere, atque impios & execrabiles latrones, vti militum nomine indignos armis persequi, qui sceleratis manibus templa, aras, ipsa denique sanctissimorum Pontificum sepulchra violassent. Is itaque Odettum Lautrechium cum copiis misit, vt vindicatis iniuriis, sacrosanctum Pontificem, abrupta fide deceptum & proditum in libertatem assereret. Et quidem Cæsar per litteras propenso animo videbatur. Sed milites, Germanique præsertim minacibus oculis truces, efferique, stipendia atque aurum deposcebant. quibus Cæsar non obscure indulgendum arbitrabatur, postquam tantis rebus gestis præmia merebantur. Putabat quoque ex conscientiæ pudore, Clementem vti grauissimis affectum iniuriis, vbi primum custodia liberatus euolaret, in omnem vindictam se effusurum: ita vt adiunctis sociorum præsidiis resumpturus arma, & ad Christianas imprecationes diraque aduersum se descensurus esse videretur. In his rei nummariæ difficultatibus coactus est Pontifex obsides dare quos ipsi milites delegissent. Ii fuere Cardinalium propinqui, virique maxime pecuniosi, Ioannes Marius Montanus Sipontinus, Honofrius Bartholinus Pisanus Archiepiscopi: Antonius Puccius Pistoriensis, & Ioannes Matthæus Gibertus Veronensis Episcopi; itemque Iacobus Saluiatus, Cardinalis pater, & Laurentius Ridolphus, Nicolai Cardinalis germanus frater. Horum sacratis manibus ferreæ cathenæ statim iniectæ, vinctique in domo Pompeij Columnæ custoditi. Hos Pompeius videre, aut alloqui humanitate sua indignum putauit, ne quum præstantes viros familiaritate superioribus temporibus sibi coniunctos, in libertatem vindicare non posset, ad non dubiam inuidiam, eorum calamitate lætari videretur. Verum per familiares suos id benigne & liberaliter præstabat, vt nihil quod ad subleuanda præduræ captiuitatis incommoda, tristitiamque minuendam pertineret, omnino desiderarent. Quum vero à barbaris aurum immaniter supplicij metu iniecto exprimere properantibus, in Floræ campum, ad furcas erectas, dicatasque latronum suspendiis damnatorum more cathenati, latronum more traherentur, bisque sententiis de eorum supplicio parato ibidem ad lege agendum carnifice in corona militum graui & infesto concionis fremitu esset disputatum: adeo Pompeius, eo atroci illustrium Sacerdotum periculo, & Germanorum feritate commotus, vt non multo post ipso commiserante & prorsus cõniuente, per vaporarium foci tubum subleuati, extractique funibus euaserint: quum Germanos eustodes opipara in cœna, multo falerno consopitos egregie fefellissent. Transierat paulo ante Pompeius in Alfonsi Vastij domum, vt eius doli suspicionem ab se penitus auerteret, & deceptorum, & furentium impetum sua absentia frustraretur. Horum fuga Clementem incredibili affecit voluptate, libertatemque eius magnopere maturauit. Nam Germani ad nouas pactiones descenderunt, vt pecunia certius atque facilius expediretur. Audiebant enim Lotrechium properare, vt liberati Pontificis gloria potiretur. Is ad Boscum oppidum expugnatis Germanorum cohortibus Alexandria vrbe in potestatem redacta, & Ticino demum terribili tormentorum apparatu capto, direptoque, Padum transierat; Parmæ atque Bononiæ aliquamdiu subsistiterat, vt Heluetias & Germanicas legiones expectaret; in quibus receptis per Togatam Galliam ad Truentum amnem contendebat. Aderant ei Venetorum copiæ; accesserant magni roboris auxilia Florentinorum. Ii enim ad famam capti Pontificis excita arma, Mediceis adolescentibus Hippolyto atque Alexandro Florentia eiectis, sese in libertatem vindicarant. Andreas quoque Auria Galliæ præfectus classis, ad Delphini portum Hispanicas triremes oppressérat, eiectisque Adurniis Genuenses Gallorum imperium acceperat. Quibus de causis Cæsariani duces in propinquum summæ rerum discrimen adducti, relinquendam omnino vrbem Romam, & hosti obuiam eundum censebant. Id maxime cupiebat Pompeius, quum patriam à barbaris sunditus euerti conspiceret, deformatis passim ædificiis atque omni laquearium & tectorum exusta materia collabentem. Sed negabant milites Germanique præsertim, se ab vrbe, Pontificisque custodia discessuros, nisi stipendia soluerentur. Id vero se præstare non posse aiebat Clemens, nisi custodia educeretur. capto enim sibi atque alieni iuris facto, non credi à mensariis & publicanis: libero autem & suæ dignitati restituto, præclaram fidem rediuiua potestatis existimatione, confestim affuturam. Porro Cæsar ab Hispania perplexe referspérat; sibi æquum videri, vt Pontifex custodia educeretur: sed darent ipsi operam, vt alicunde militi stipendia præberentur, cauerentque, ne Pontifex ex captiuo liber & hostis factus, si id vellet, partium consiliis multum noceret. Interpretandis autem litteris, diuersæ sententiæ à ducibus dicebantur. Aurantius, Alarcon, Vereius atque Moronus cautiores videri volebant. Pompeius vero & omnes Columnij cohortantur, vt per honestam pactionem sacrosanctum Pontificem carcere, ipsum vero Cæsarem infamia liberarent. Aduenerat Franciscus Angelius præclarum de Cæsaris conscientia voluntateque testimonium ferens. Itaque Clemens mirifice adiuuante Pompeio, pecuniam à cupedariis ditibus mutuam impetrauit per Bernardum Sanctium Reatinum Iurisconsultum, Vrbis Prætorem. Hunc Pompeius Anoierio Mottæ Gallo collegam addiderat; vt miseris ciuibus de vita & fortunis cum milite litigantibus præsidio esset, atrocitatemque publicæ calamitatis humani iuris artibus emolliret. Francisco demum Angelio insigni adipiscendæ libertatis autori, purpureum galerum est pollicitus; itemque Moroni filio Episcopatum Mutinensem dedit: concessit & ipsi quoque Pompeio Piceni legationem; omnesque promissis aut præsentibus donis, qui autoritate valerent sibi conciliauit. Præterea vt milites ampliore pecunia mitigaret, Grimanum & Cornelium Venetos, Sanseuerinum, Caraffam, & Palmerinum Neapolitanos, Cardoniumque Hispanum, precio legerat in Senatum; vtque sanctius atque sincerius Cæsari fidem obligaret, quinque Cardinales obsides dedit, è quibus Triuultius, Pisanus, & Gaddius Neapolim sunt perducti, Vrsinum autem & Cæsium ipse Pompeius vadem pro his generose admodum se præbens, ad sublaqueanos secessus perduxit, atque maturè ingentibus munificentiæ atque humanitatis officiis obstrictos dimisit. Quum vero Pontifex amici pacatique animi data fide, atque ea tabulis confectis confirmata, excessurus arce, & Orbitum Tusciæ oppidum, comitante parte exercitus, petiturus esset, Pompeius ei dono dedit nobilem Turcam equum, itemque insignes sarcinarios mulos, & niuei coloris asturconem, quo sacra, arculæ purpureæ incluſa cum perpetuo igne Pontificibus maximis præferri solita veherentur. Sed Pontifex mutato habitu, ita vt vnus ex familiæ præfecti familiaribus videretur, intempesta nocte ex arce atque vrbe exiuit; veritus, si lucem expectaret, Vgonis Moncatæ sententiam, qui Lanoio pestilentia absumpto Neapolitano regno præerat, virque ab ingenita subtili calliditate versutus & varius, quin & impius, ab his facile dissentiebat, qui Pontificem mi-

litum manibus ereptum volebant, & Cæsaris inuidiam honestiore decreto lenire cupiebant. Ludouicus autem Gonzaga educendi Pontificis negotium suscepit, feliciterque perfecit, frustra petente Aurantio; vt in itinere subsisteret, quum is è Galeria oppido vbi erat in hibernis, transuerso itinere salutaturus, incertum an reteniturus cum ala equitum aduentarat. Hæc Paulus Iouius de Clemente, *in vita Pompeij Columnæ Cardinalis.* Cæterum in historiis, discessum illius omnino clancularium fuisse narrat, istis verbis.

XXIII. Post septimum carceris mensem, Pontifex Cæsarianorum Alarconisque præsertim iudicio dimittendus, decreto vix dum perscripto, quum se exiturum postridie dixisset, intempesta nocte euasit, nihil prohibentibus portæ custodibus, quum petasatus & penulatus, subductaque & velata barba, se dispensatoris ministrum ignobili eo habitu mentiretur. Dispensator enim se præparandis alimentis exituro Pontifici, ad singulas Cassiæ uiæ mansiones præcursurum dixerat. Euasit autem vrbe, occulta porta quæ est in Vaticani viridarij extremo ad turrim rotundam angulo, cuius clauem ab olitore paulo antea Pontifex impetrarat: atque eo modo elusis custodibus Hispanico militari equo vectus, quem ei dederat Ludouicus Gonzaga cognomine Rodomontes, cuius fratrem adolescentem nomine Pyrrhum Pontifex in his ærumnis propensissime legebat in Senatum, ad iter sese extendit, subterque Cæsianum vicum, & Baccaniam syluam, Capranicæ paulum moratus, ad Orbitum oppidum naturali circumambientis vallis saxea orbita permunitum contendit. admirante moram, & semideceptо Alarcone, qui vt Pontificem ad quotidiana sacra è cubiculo prodeuntem salutaret, in multam diem expectarat, non semel increpita apud cubicularios surgendi tarditate, quum Pontifex, vel obdormiscens excitandus aditer videretur, quod ægre vti longum & lutulentum, brumalibus præsertim diebus obeundum foret.

XXIV. Præmisit etiam paulo ante in eodem libro, Iouius, quomodo ad famam vsque adeo miserabili inexpectatoque euentu captæ Vrbis, ac obsessi in arce Sacrosancti Pontificis, vni omnium in Italia Florentini effusè lætari videbantur; quod diu exoptatam repetendæ libertatis occasionem, sibi ex tuto oblatam perspicerent, quam dudum enudatis in Mediceos veteribus odiis intempestiue arripere tentauissent. Narrat atrocitatem decreti in Mediceos, editi à factiosis; ac paulo post oppressum fedatumque à fœderatis tumultum: veniamque datam iis qui in Curiam conuolarant, ac præterea rescisum in Mediceos decretum. vbi mirum dicit accidisse, vno eodemque die ad sextum Calend. Maij, intra paucissimas horas, Pontificem & amissæ, & receptæ simul Curiæ, pacataque ciuitatis nuncium accepisse. quum Syluio Passerino Cardinale Legato, & Vrbinatum Duce, curante, simulatos Florentinorum vultus intueri admirarique licuit, quando vndique, aut gratulandi, aut sui expurgandi causa Mediceas domos confluerent, non sine risu multorum, qui eos non ita pridem inepte loricatos, instructosque tumultuari & veteribus telis minabundos & furentes vidissent; tunc vero illi iidem homines composita fronte, solitis inuoluti palliis, protectique capita pendulis & ciuilibus integumentis, quæ ipsi Etrusci caputia vocant, egregie blandi & supplices spectabantur, vtpote qui vnius tantum noctis interuallo sicut in scena histrionibus accidit, diuersas è vestigio personas, induissent. Ea enim erat constantia populi Florentini, vt nullis vel ingentis beneficiis pacari, nullis vel extremæ benignitatis obsequiis eos obstringi posse constaret. Veteris namque potentiæ quæ in libera ciuitate singulis ciuibus dispensati dominatus erat instar, obliuisci nesciebant, neque eminentiam conspicui cuiusquam, vel etiam moderatissimi ciuis pati poterant. Tanta siquidem ambitione, tamque superbo liuore præditi fuerant, vt quum quisque ad clauum Reipublicæ sedere, potiri quoquo modo communis patriæ imperio, & publicas opes priuato commodo complecti cuperet, ea cupiditate arderent omnes, & prorsus insanirent; quod neminem tamquam ex æquo ciuem, vel opibus, vel dignitate superiorem ferre vellent, & clariorem quoque virtutem, melioremque fortunam in aliena domo nisi ægris oculis conspicerent. quando eadem ex pari merito sibi deberi iudicarent, sic vt nequaquam mirari luberet, si clati & peracris ingenij, notæque tenacitatis homines, plerumque decus in lucro præsentique pecunia, & immoderatis sæpeque etiam parum piis quæstibus reponerent; eo etiam maiore reliquarum gentium admiratione, quod domi nequaquam sumptuosam, vt pleræque aliæ ciuitates, sed parcam in vniuersum, & bonæ frugis disciplinam exemplo veterum Græcorum ex quibus orti sunt, institutam sequerentur. Quamquam alioqui, vt erant pecunioſi mercatores, supra censum, & totius industriæ spem magnificis ædificiis laudem quærerent. Sed his vitiis quæ supra memorauimus, facile euenit, vt intestinis discordiis fere continenter per trecentos annos grauissime laborarint; tanta quidem rabie, vt modo Patritios, modo populares alternante victoria, è ciuitate in exilium expellerent; sæuis cædibus integras sæpe familias delerent, & crudelibus incendiis in nobilissima tecta grassarentur: Nec in his malis, numquam mitigata feritate, dispuderet à sordidissimo opifice iugum accipere; vltro Barbaros tyrannos qui liberis legem darent adsciscere; vti miserabili conditione experti sunt, ex ipsis Michaëlis Landi, Gualteriique Athenarum Reguli, & Caroli Andegauensis abominandis casibus. Per hunc modum ciuitatem magnis perturbatam iactatamque fluctibus, maiores Medicei per integrum fere seculum saluberrimis legibus compositam, cum insigni veræ virtutis gloria confirmarunt, & auxerunt. Et ne quid ad summam felicitatem pulcherrimæ vrbis deesset, affuêre salutari orti sydere, Leo, & Clemens Pontifices. Hi continuata imperij successione, atrocissimorum in se odiorum coniurationumque memoriam, ex Christiana pietate, amoreque ipso vel ingratissimæ patriæ, pacatis animis deponere voluerunt; vt in ciues suos vel nihil talemerentes, cuncta honorum commoda, & totius certoris opulentiæ ornamenta, insatiabili studio, rediuiuaque semper liberalitate congererent, vsque adeo iniqua & fere insana benignitate, vt multos ex aula, de fide virtuteque bene meritos supine prætermitterent; quando non solum maiora minoraque sacerdotia, verum etiam vrbium & prouinciarum præfecturæ, & munera legationum, sacratis viris committi solita, vnis omnino Florentinis mandarentur. Qui etiam vectigalia, & totum denique Pontificij dominatus patrimonium, ad certissimos quæstus inuasissent; eo quidem exitu, vt nihil cuiquam etiam honestissimo, ad sacri vel profani iuris prouentum Etruscis cuncta abradentibus relinqueretur. Neque tamen his tantis beneficiis atque muneribus cumulate congestis, quicquam ad promerendum ciuium animos profecêre; quum Leonis malo publico immature defuncti, omnem memoriam ingratissimis mentibus abiecissent; & tum Clementis viui regnantisque, & diu etiam regnaturi maiestatem impie contemnerent; nulla quidem misericordia eius inauditæ calamitatis, quæ alieniſſimis etiam hominibus veras piasque lachrymas potuerit exprimere. Itaque Florentini (vt ad historiæ seriem reuertamur) numquam ingenio pacati, numquam exuta malignitate pœnitentes, sed paratis animis, quos diuersis vultibus effingerent, reuocare perfidiam, odiumque vetus exercere, id vnum expectabant, vt alicunde resciret quorsum Cæsarianorum impetus euaderet. Postquam vero pridie Nonas Maias Vrbem manu captam, Romanosque omnes aut trucidatos, aut acerbissimis tormentis excruciatos, ipsumque Clementem in arce circumuallari atque obsideri nunciatum est, nullam sibi moram attulerunt, quin eosdem animos, abeunte Vrbinate, redintegrata perfidia constanter erigerent. Breui namque effectum est, vt frequentibus conciliabulis per coronas in foro passim habitis, multi patritij, sed togati omnes Prætorium intrarent, communicatisque consiliis ad Mediceam domum contenderent, & Legatum amicissimis hortarentur verbis, vt postquam Romæ res essent perditæ, cogenti fortunæ cedere probe & sapienter, & Rempublicam ciuibus reddere vellet. Erat legatus graui mœrore saucius ex clade vrbis, valdeque prostratus; sed multo grauiore

perculsus metu, quum à Nicolao Caponio, & nonnullis aliis quos sibi amiciores putabat, acerbissimum nuncium accepisset, ita vt virilis consilij inops, & de sua tantum pecunia sollicitus, & tenax esset; cuncta in præceps prolabi sineret, sibique maxime timendum arbitraretur: quod plerisque non temere, ab agrestibus responsis & moribus, se inuisum putaret: quamquam Octauianus Medices, inconcussa fide, & nonnulli fideli studio insignes, nequaquam despondendos esse animos prædicarent, confirmandaque liberali stipendio militum præsidia iudicarent. Sed reperiri expediriq; pecunia non poterat, quod eam Franciscus Niger Proquæstor maligne apud Laurentium Strozzam deposuisset, atque extemplo Lucam aufugisset; vir vtique ſpem magnificis ædificiis laudem quærerent. Sed his vitiis quæ supra memorauimus, facile euenit, vt intestinis discordiis fere continenter per trecentos annos grauissime laborarint; tanta quidem rabie, vt modo Patritios, modo populares alternante victoria, è ciuitate in exilium expellerent; sæuis cædibus integras sæpe familias delerent, & crudelibus incendiis in nobilissima tecta grassarentur: Nec in his malis, numquam mitigata feritate, dispuderet à sordidissimo opifice iugum accipere; vltro Barbaros tyrannos qui liberis legem darent adsciscere; vti miserabili conditione experti sunt, ex ipsis Michaëlis Landi, Gualteriique Athenarum Reguli, & Caroli Andegauensis abominandis casibus. Per hunc modum ciuitatem magnis perturbatam iactatamque fluctibus, maiores Medicei per integrum fere seculum saluberrimis legibus compositam, cum insigni veræ virtutis gloria confirmarunt, & auxerunt. Et ne quid ad summam felicitatem pulcherrimæ vrbis deesset, affuêre salutari orti sydere, Leo, & Clemens Pontifices. Hi continuata imperij successione, atrocissimorum in se odiorum coniurationumque memoriam, ex Christiana pietate, amoreque ipso vel ingratissimæ patriæ, pacatis animis deponere voluerunt; vt in ciues suos vel nihil talemerentes, cuncta honorum commoda, & totius certoris opulentiæ ornamenta, insatiabili studio, rediuiuaque semper liberalitate congererent, vsque adeo iniqua & fere insana benignitate, vt multos ex aula, de fide virtuteque bene meritos supine prætermitterent; quando non solum maiora minoraque sacerdotia, verum etiam vrbium & prouinciarum præfecturæ, & munera legationum, sacratis viris committi solita, vnis omnino Florentinis mandarentur. Qui etiam vectigalia, & totum denique Pontificij dominatus patrimonium, ad certissimos quæstus inuasissent; eo quidem exitu, vt nihil cuiquam etiam honestissimo, ad sacri vel profani iuris prouentum Etruscis cuncta abradentibus relinqueretur. Neque tamen his tantis beneficiis atque muneribus cumulate congestis, quicquam ad promerendum ciuium animos profecêre; quum Leonis malo publico immature defuncti, omnem memoriam ingratissimis mentibus abiecissent; & tum Clementis viui regnantisque, & diu etiam regnaturi maiestatem impie contemnerent; nulla quidem misericordia eius inauditæ calamitatis, quæ alieniſſimis etiam hominibus veras piasque lachrymas potuerit exprimere. Itaque Florentini (vt ad historiæ seriem reuertamur) numquam ingenio pacati, numquam exuta malignitate pœnitentes, sed paratis animis, quos diuersis vultibus effingerent, reuocare perfidiam, odiumque vetus exercere, id vnum expectabant, vt alicunde resciret quorsum Cæsarianorum impetus euaderet. Postquam vero pridie Nonas Maias Vrbem manu captam, Romanosque omnes aut trucidatos, aut acerbissimis tormentis excruciatos, ipsumque Clementem in arce circumuallari atque obsideri nunciatum est, nullam sibi moram attulerunt, quin eosdem animos, abeunte Vrbinate, redintegrata perfidia constanter erigerent. Breui namque effectum est, vt frequentibus conciliabulis per coronas in foro passim habitis, multi patritij, sed togati omnes Prætorium intrarent, communicatisque consiliis ad Mediceam domum contenderent, & Legatum amicissimis hortarentur verbis, vt postquam Romæ res essent perditæ, cogenti fortunæ cedere probe & sapienter, & Rempublicam ciuibus reddere vellet. Erat legatus graui mœrore saucius ex clade vrbis, valdeque prostratus; sed multo grauiore supplicio addicerent. Ab hac festinata Alamanni damnatione, quum caput eius è summa Curiæ corona populo decisum ostenderetur, audacia non mediocriter refrixit, & Carducij vis temere exardescens, grauiter imminuta est. Paucis n. ante diebus ita excrcitantis, cum huius concionantis, tum furchtiū iuuenum licentia, vt globo facto ascenderint ad summū Magistratum, vt vexillū deposcerent, quo, vti bono patriæ oporteret, ordinati vterentur. Caponius, vt vt poterat, ista mitigabat atq; reprimebat, dabatq; assidu è operam, vt Pontifex atq; propinqui eius, nullis in posterum contumeliis afficerentur: & quibusdam tenuib. officiis, q̃ libertati cœptæ nihil officerent, iusta Pontificis in rebelles iracundia molliretur. Dixerat n. sæpe Clemens, quum tanto obrutus infortunio, & diuturna fereq; lethali febre correptus decumberet, vt nos lectulo familiariter assidentes audiuimus, se totas perpessæ calamitatis, & torquentis morbi pœnas, tot peccatis suis ac errorib. debitas, etiamsi Deus sibi miseræ vitæ finem adduceret, æquo animo laturum; neq; aliud ab ingratis ciuibus Florentinis postulaturum, quam vt in propinquos veteresq; amicos familiæ Medicee grassari desinerent, hisq; aditus ciuili æquitate ad honores pberetur: redderentq; item sibi Catharinam neptem quã ad sacras virgines deposuissent: paternarum quoq; possessionum fructib. potiri liceret: quando totius patrimonij vectigal ciuilis oneris ærario publico esset soluturus. Quantū vero ad Põtificiam maiestatem pertineret, hoc obnixe petebat, vt nullas nisi ex Põtificia autoritate Sacerdotiis decumas imponerent. Hæc erant suprema languentis, neq; adhuc plane restituti Pontificis decreta, plena pietatis & æquitatis. quibus permeratores idoneosq; homines Florentiæ significatis, Caponius indulgendū existimabat: vtpote q̃ prudẽtissimi viri vim, & iam tum reuiuiscente eius dignitate, minime exagitandam, sed spatio, & leui obtemperantia, his præsertim in rebus quæ publico voto nihil officerent, lenienda cẽseret. *Iouius hist. li.* 25.

XXV. *Burgum ab Hispanis direptum.*

De Cæsare, quomodo calamitatem Pontificis acceperit, cõtraria Guiciardino & multis aliis scripsit Surius. Multa, ait, & horrenda cædes miserorum facta est primũ in Leonina vrbe, quam Burgum vocant, abiectis armis frustra mortem deprecãtium: ita vt barbarica quadam immanitate Germani & Hispani, etiam in ipsa Diui Petri sanctissima æde adeoq; ad aras eius templi, & monumenta veneranda SS. Apostolorum, aliorumq; Diuorum permultum sanguinis fusum sit, direptis templi ornamentis, omnibusque sacratis vasis. Ea vrbis parte vastata, magnam (vt vocant) Romam irrumpunt, in eaque cuncta auaritiæ & crudelitatis exempla passim edunt, arcem circumsident, & ne quà detur vllum Pontifici effugium, perductis fossis circumuallant. Nulla apud ferocem, & partim Lutherana peste infectum militem, sacri prophaniq; fuit distantia, omnib. in prædam vsurpatis. Nemini eius vrbis incolæ: siue is Italus, siue Germanus, siue Hispanus esset, parcitum est. Plerique summis affecti cruciatibus, in tormentis expirarunt: nec paucos contigit bis ab hostib. captos, & tortos atrociter, modo à Germanis, modo ab Hispanis, rebus omnib. exui, & vix vitam solam ære alieno redimere. Sæuitum est horrendum in modum in sacros calices, in vasa & arculas sanctissimas, quas abiecta sacrosancta Eucharistia insanus miles rapiebat: in Sacras vestes, in quibus mira exercebant ludibria: in Diuorum reliquias, denique in virgines Deo dicatas, quibus ad suam libidinem turpissime abutebantur. Atq; hæc quidem omnia insciente & inuito Cæsare acta fuisse, vel inde facile pspici potest, quod nec approbauit, nec rata habere voluit, quę prophanus miles à Pontifice & Cardinalibus vi atq; metu extorserat. Et simul atque in Hispaniam captæ vrbis nuncius allatus est, illico cessare iussit ludos & spectacula, quæ propter recens natum ei Philippum edebantur, deditque operam, vt Pontifex in pristinam libertatem restitueretur. Ea vrbis & Pontificis calamitas magnam attulit voluptatem Luthero, & eius factionis hominibus; sed Dei benignitate factum est, vt ea voluptas eis non contigerit diuturna, Pontifice non diu post cum Cæsare amicissime coniuncto. *Surius in Commentariis huius anni.*

XXVI. Quidam Lutheranus (quod narrat Ioãnes Cochlæus) eam captæ & direptæ vrbis historiã Teuthonice describens, affirmat, Germanũ quendam militem, qui dicebatur Viridis Syluа, verso ad Castellum S. Angeli ore præclamasse, in voto sibi esse, vt ex corpore Papæ frustum deuoret, quod

Luthero nunciare posset, cò quod Papa verbum Dei hactenus impedierit. Addit, milites ex veteri Capella Papæ, in qua eius Cantores quotidie Missam & horas Canonicas cantare solebant, feciſſe ſtabulum equorum, quibus Bullas ac litteras Papales ſubſtrauerint. Addit, milites, Pontificias & Cardinalium veſtes ac pileos, in eorum opprobrium induiſſe, fictumque creaſſe Papam ex Landesknechto, qui dixerit in ficto ſuorum Cardinalium cœtu & conſiſtorio, ſe donare Papatum Luthero: quiſquis militum id approbet, dextram in altum tollat: milites itaque leuaſſe manum, ac exclamaſſe, Lutherus Papa, Lutherus papa. At hæc omnia (addit Cochlæus) ignorante Cæſare perpetrata fuerunt, nec ea vnquam approbauit, aut rata habuit, quæcumque milites illi vi ac metu à Papa & Cardinalibus extorſerunt. Quamuis vero ea præda omnium opulentiſſima fuerit, quanta ſane Germano militi intra cc. aut ccc. annos, numquam ex vlla oppugnatione & pugna obuenit; attamen perpauci militum Germanorum ex tantis opibus ditati ſunt. bona pars omnia ſua ludendo perdidit, magna pars peſte aut caumate periit, pars ictu bombardarum vitam cum præda reliquit. Maximum vero damnum, quod eruditi præcipue deplorant, datum eſt à barbaris militibus in Bibliotheca Vaticani ad S. Petrum, vbi pretioſiſſimus erat librorum theſaurus, quos magna ex parte furor barbaricus diſperdidit, diſſecuit, aut viliſſime diſtraxit. Erat tum Romæ Italus quidam ſacco indutus, qui ante captam vrbem ſæpe prædicauerat, graue imminere vrbi exitium, niſi homines prauam vitam corrigerent, ac pœnitentiam agentes, iram Dei precib. auerterent. Cumq; id ſæpe feciſſet magnis clamoribus in publico, cõprehenſus, & in carcerem coniectus, ibiq; detentus fuit, donec Deus reipſa comprobauit, quod ille prædixerat. Dimiſſus vero ex carcere à militibus, eis quoq; prædixit, breue fore gaudium ex illa præda. Cum igitur euenirent ea quæ prædixerat, creditus eſt prophetiæ habere ſpiritum, quam & vitæ auſteritate probauit, Ioannis Baptiſtæ nomen habens, & vitæ inſtitutum ſequens. *Cochlæus in Luthero.*

Bibliotheca Vaticana à barbaris militibus diripitur.

XXVII. Inter alios qui in ea calamitate, vel partem eius ſuſtinuere, vel iram Dei mitigare conati fuerunt, Caraffa & Thienæus Theatini, cum ſocijs. Hi condito Romæ inſanabilium Noſocomio, cum in eo ægrotis inſeruirent, crebras ad populũ Cõciones habebant, atque tum inſtante Borbonica irruptione, tum capta iam vrbe, cunctos ad conſtantiam tolerantiamq; hortabantur. Receſſerant Patres, vt iam diximus, ad Pincianam Domum, ibiq; ſacram Ædiculam pro opibus extruxerant. puto, niſi me coniectura fallit, extitiſſe prope veterem illam S. Felicis ædem in eo colle ſitam, vbi S. Gregorius Magnus tertiamdecimam homiliam ad populum habuiſſe legitur. Ibi modum cum ad alios inſtituendos iuuandoſque prodeundi, tum, vt ſemetipſos ſpiritualibus documentis imbuerent, domum recedendi, facilius liberiuſque ſeruabant. Dum autem his ſtudijs in ſumma tranquillitate incumbunt, ecce Reginam Vrbium, & Sacratiſſimam Petri Sedem Cæſareus exercitus, ductore Borbonio nefarie capit, atque diripit. Erant in iis copijs pleræque acies Germanorum, qui natiuam ferociam hæretica immanitate cumulauerant: reliqui ex Hiſpanis Italiſque conflatæ, Eccleſiaſtico auro iamdudum ſceleratiſſimè inhiabant. Igitur in vrbem pari furore irrumpentes, impietatis & libidinis execrandam rabiem exſaturare cœperunt. Emerſiſſe ab inferis Arrianorum atrocitas videbatur, eius temporis ſcilicet, cum, vt Lirinenſis ait, temeratæ coniuges, depopulatæ viduæ, profanatæ virgines, Monaſteria demolita, diſturbati Clerici, verberati Leuitæ, oppleta Sanctis ergaſtula atque carceres. Eadem enim in ſancta vrbe, vt vidimus, ſcelera, ſtrages, atque funera paſſim edebantur; & quod extremum impietatis eſt, neque ipſi (pro nefas!) Sacerdotum Principi & Vicario Chriſti pepercerunt. In hac rerum acerbitate Theatini, qui iam ad duodecim creuerant, poſteaquam veluti ad publicum reſtinguendum incendium cum propriæ etiam vitæ periculo accurrentes, ſe parum proficere perſpexerunt, in Pincianam Domunculam ſe eo fine includunt, vt aſſiduis precibus lachrymiſque, vel Romæ irata placarent Numina, vel ſibi ſaltem ipſis Lutherianum gladium propediem expectantibus martyrij lauream obtinerent. Interea vero vitam martyrio propiorem degere. Nam improuiſa clade intercœpti, nulloque commeatu inſtructi, ægerrime vitam ducebant; preſſis videlicet infanda calamitate, aut fugatis vbe amicis beneficiſque omnibus. traduntque contigiſſe non ſemel, vt vnicum cibarium panem inter duodecim Sodales partiri oporterit. Sæpe quidem in eam domum irruptum eſt à barbaris. Sed vnica Patres armati pauperie, ſemper hoſtes prædoneſque impauidè repulerunt. Bis tantum in eos ij qui auaritiam non poterant, ſæuitiam exercuere, ſemel Hiſpani, Germani iterum. Inter Germanos enim erat miles quidam, quem B. Caietanus cum diues eſſet, hoc eſt antequam pro Chriſto ſe mundo atque opibus abdicaſſet, inter gregarios famulos diu habuerat. Is vero, vt è domo Thienæa, atque vrbe Vicentia diſceſſit, militiæ ſe dedens, ad ſuos Germanos Lutheriana hæreſi infectos reuerſus eſt: indeque Georgium Franiſpergium impiiſſimum illud hominis monſtrum ſectatus, in Italiam atque adeo Romam venit. Dum Romæ igitur eſſet, quando eam vrbem Borbonius exercitus vaſtabat, olfecit nefarius B. Caietanum Thienæum herum quondam ſuum locupletem, ad montem Pincium deliteſcere; ratuſque habere eum ſecum nummos atque opes ſuas priſtinas, ſpe prædæ illectus, cò vna cum aliquot impijs graſſatoribus conuolauit. Non fuit opus perfringere ianuam, aut domum diruere, indeque protrahere abditos; patuit illico ea caſa humilis prædonibus, & Patres vltro proceſſere, non diuite ornati infula, ſed habitu vti decebat pauperiem ex voto profeſſos: Obſtupuerunt barbari Saxones primo aſpectu; mox latibula opum ſuſpicati, extorquere aurum vi tormentorum parant. B. Caietanum igitur, cuius imaginarias opes iam animo deuorauerant, ſemotis, reuinctiſque ſodalibus cæteris adoriuntur; ex eoq; primum quærunt, quò retruſerit ſuas opes. Inſtabat reliquis moleſtior is qui B. Caietano olim fuerat famulatus, & moræ impatiens, iniecta in mitiſſimum ſenem impia manu, niſi reuelet aurum, ſæua ſupplicia comminatur. Is leniſſimis verbis extemplo quod verum erat prodidit: fuiſſe quondam ſe, vt vulgò dicunt, diuitem: Sed quartum iam annum agi, quod mutato vitæ inſtituto, abiectiſque fortunis omnibus, religioſam inopiam pro Chriſto amplecti maluerit, quam incerto diuitiarum fluxè niti. Ad hæc illi frementes, furentesque, & prædam ſibi præreptam indignantes, diris & infandis modis B. Caietanum inſontem variè torquent: compreſſis ſcilicet artubus inter arcarum labra, totoque corpore funibus in altum ſublato. Truci eiuſmodi ſupplicio, alia addidere: ad laudem nimirum B. Caietani, qui ea in re poteſt dici martyrium paſſus. Enimuero S. Auguſtinus lib. 1. de Ciuit. Dei c. 10. ſcripſit. *Eos qui olim in irruptione Gothica, ſub Alarico Rege, etiam non habentes quod proderent, dum habere credebantur torti ſunt, profecto inter illa tormenta paupertatem ſanctam confitentes, Chriſtum fuiſſe confeſſos. Qui etſi non meruerunt ab hoſtibus cædi, non potuiſſe tamen ſanctæ paupertatis confeſſores ſine cœleſti mercede teſtqueri.* In quem Auguſtini locum inſignis ille Theologus Franciſcus Mayronius ſcribẽs mirifice laudat eos, q pro Chriſto pauperes facti, ſanctam paupertatem libere paſſi, ſtrenue pro ea tormenta ſuſtinuerint, aſſeritq; martyres dici poſſe, ſi pauperiem profitẽdo, mortem ſubierint. Et merito quidem has exeruciata pauptas laudes habet. Simile quippe nomine Titũ Diaconũ, Elphegum Epiſcopum, Deus dedit, & Suranũ Abbates in Sanctorum Faſtis celebratos lego: quas etiam laudes ad B. Caietanum deriuari poſſe puto, qui non vt innumera hominum mendicabula extrema adactus neceſſitate, ſed promptiſſima voluntate pauper fuit: ac proinde ſanctam paupertatem inter ſæua etiam tormenta profeſſus eſt: cum ideo illum impij prædones rabie adacti excruciarint, q ſua bona pro Chriſto prodegiſſet, ſanctamq; inopiam libere atq; hilare fateretur. His B. Caietanus perfunctus ærumnis ſupplicijsq; teterrimis, gratias egit, vt S. Marcella quondam apud S. Hieronymum epiſt. 84. ad Principiam egiſſe legitur, *q pauperem ſe non feciſſet captiuitas, ſed inueniſſet, quod & voce & ope loqueretur, Nudus exiui de vtero matris meæ, nudus & redeam.* Sed non hic fuit ærumnarũ finis. q ppe poſt aliquot dies, ctiã ab Hiſpanis illuc vſq; irrũpentib. Patres Theatini capti, vexati, ludibrio habiti, vincti, abreptiq; in diuerſos fuere carceres. Inſignis autem extitit oris vultuſq; habitus, atq; ad Martyriũ apparatus, qua illi prædones teterrimos excepêre. Ad ſacrã Ædiculam, nimirũ omnes vnà deſcendũt, eamq; pro tẽporis opumq; anguſtia diligenter exornant: lãpades omnes accendũt tamq; feſtiuiſſimũ diẽ celebraturi: ante Aram maximam ad orandum præſens numen figunt humi genua, & vultu ad pietatem compoſito atque inflexa ceruice (vt victimas crederes) prædonum impetum præſtolantur. Mirum dictu! Vidiſſes eos inter pericula extremi exitij, clamoreſque ac gemitus, qui ex immani cæde vndique perſonabant, corpore immotos, animo impauidos, vna ſpirantes ſperanteſque cœlorum beatam ſedem, humana hæc interim, bona, mala, quaſi origini ſuæ, id eſt Deo proximos deſpicientes. Porro ſpectaculum iſtud adeo præclarum, ſi non amorem aut reuerẽtiam, certe admirationem aliquam à nefarijs illis militibus elicuit. quippe vbi erupêre in Ædiculam, nemo ipſorum auſus eſt ſacras eas victimas, tametſi neci vltro expoſitas, neci dare. Sed poſteaquam aliquantiſper attoniti ſubſtiterunt, ab vno ex eis præciſo fune quo lampades dependebant, lychni penſiles in ſubiectorum capita deciderunt: ab altero autem iacto, in pronam Bonifacij cernicem lato gladio (quem ille ictum intrepidus excepit) per ſummum ludibrium diuexati fuere. Aſt vbi viderunt impij Sacrorum deriſores, nihil eos qui mori pro Chriſto cupiebant eiuſmodi terriculamenta expaueſcere, comprehenſos vinctoſque & fœdis conuitijs oneratos in diuerſas cuſtodias rapuere. Primum enim ad B. Iacobi, cui attiguas ædes Hiſpanicarum acierum Primores occupauerant, deinde ad Vaticani palatij anguſta quædam cubicula ſupra horologium ſita pertrahũt, diutino & tetriore carcere macerandos. Iis in locis dum hoſtiliter haberentur, mire eluxit eorum velut noctu ſtellæ exceſſa virtus, & conſtantia. Nam & Carafæ magnanimitas, incredibiliſque Zelus, & Bonifacij tolerantia, & omnium ſimul non victa aduerſitatibus pietas, inflexit tandem immanem militum feritatem ad mitiora conſilia. B. Caietanus licet longe minore quam Carafa eſſet apud Hiſpanos autoritate, non deſiſtebat tamen in loco eos admonere, arguere, inq; eorum animis religionis igniculos, ſceleribus pene iam obrutos excitare. At nihil aliud conſecuti ſunt, ipſe, Carafa, cæteri, niſi vt quos libere increpantes ſuſtinere non poterant, in interiorem cuſtodiam à ſe longius abegerint. Igitur è Iacobæis ædibus extractos, in Vaticanum carcerem amandarunt, vt tamdiu ſqualore, fameq; vexarent, donec ab Epiſcopo Theatino, cæteriſque numorum aliquid exculperent. Ii tamen nihil prorſus, niſi ſacrarum precum Breuiarium habebant. Sed faciente tandem Deo, res bene, vtcumque vertit. Nam quod diuitibus pecunia conferre ſolet, id pauperibus Clericis vnicum quod iam dixi Breuiarium contulit. Res hoc modo geſta eſt. Inuitauerat aliquando Centurio ille, qui Theatinos concluſos carcere tenebat, Tribunum militum Hiſpanorum (vt mutuò muli ſcabunt) ad lautum conuiuium, quod in Vaticano ſupra horologium parauerat. Accedit itaque inuitatus, ad condictam diẽ atq; horam: & dum menſa inſtruitur, ecce audire ſibi videtur è proximo cubiculo (id clauſum, quia carcer erat) ſuſurrum quendam mutuo pſallentium hominum, & diuinum numen exorantium. Tum ad hoſpitem conuerſus quærit, quinam hominum illi ſient. Hoſpes, ſperantis in modum; ſunt Clerici, inquit, aliquot, pars noſtræ pdæ. Rogat Tribunus, vt ſecernere eos faciat. Ille morem geſſit; & referato carceris oſtio, videt iſte matura ætate ac moribus viros adeo compoſite & grauiter preces Deo ſoluẽtes, vt Sanctorum cætum aſpicere videretur. Et reuera Paulum, opinor, atque Sylam referebant, itidem in cuſtodia Philippenſi laudibus Deum celebrantes. Hoc adeo pclaro ſpectaculo cõmotus Tribunus, indignatuſque homines eximie probos in tanta mala proiectos, petiit enixe à Centurione, ne eos diutius detineat. videri ſibi prorſus innoxios, qui religioſos ritus, pietatemq; diuini cultus etiam in carcere tuerẽtur. Cum autem Centurio obſtinatior rem in tempus aliud differret, multis vltro citroq; habitis ſuper ea re verbis; *Ego*, inquit Tribunus, *nihil apud te profecto cibi ſumam, niſi hos extemplo liberes, quæ volunt, abire finas.* Tandem igitur Cẽturio, partim ne ſubruſticæ aſperitatis notaretur, partim quod nulla ſpe lucri, pauperes Chriſti ſeruos vinctos ibi haberet, reſeratis foribus educit atq; dimittit. Patres, gratiis Centurioni & Tribuno imprimis actis, è Vaticano ad Tyberinam ripam recta abeunt: quos etiam, vt de quibuſdam aliis ſui temporis Sanctis Chriſti Confeſſorib. Vincentius Lirinenſis ſcripſit, *à defenſione fidei Maiorum nulla vis depulit; non minæ, non blandimenta, non vita, non mors, non palatium, non ſatellites, non homines, non dæmones.* Octauo itaque Kal. Iunij ereptos extremo periculo duodecim illos viros Theatinos, per medias vrbis flammas, medioſque armato hoſtes Deus ipſe quaſi nube tectos ad Oſtia Tyberina incolumes: vnde illi Venetias nauigauere. *Antonius Caracciolus Theatinus in Caietano Tienæo: & Epiſcopus in Annalibus Clericorum Regularium. & Ioannes Baptiſta Caſtaldus in ſua B. Caietani vita.*

B. Caietani Cardinalis martyrium.

Cardinales & alij Pp. à Cæſarianis miſere opprimũtur.

De Borbonio, quod attinet, cum adhuc in viuis eſſet, habuit ſua ſupplicia. Milites, in Bononienſi cuaſtatis agris cum fame laborarent, noctu in illius domũ irruperant, tanto ipſius piculo, vt vix ignobili latebra quin interficeretur ſit ſeruatus. Quæſito tamẽ & pacatis animis iuſſo vt prodiret, honoris nomen reſtituerunt, vt aliqua ducis imagine ad diſciplinæ ſpeciẽ vterentur, moreq; militiæ auſpiciis eius atq; imperiis parere velle ſimularent. Irridebant eũ Hiſpani, vti ſtolidum & exulẽ, q ambitione expetitis Heleonoræ nuptiis, intercipiente demum Franciſco Rege, deluſus repulſam tuliſſet, & ad Galliæ Ciſalpinæ imperiũ fruſtra aſpiraret. Germani vero cum egentem, exutum q; omnib. fortunis, & proditorem gentis ſuæ vocitabant. Cælites in ipſo ſtatim belli initio extinctum dedere, haud dubie cõcepto ſceleri pœnam maturantibus, ne vir perfidioſus atq; impius, direpræ atq; cuaſtatæ Sacroſanctæ vrbis ſpectaculo lætaretur. *Iouius in Pompeio Columna.* Aliqui epitaphio inſcripſere; *Auctore imperio, ſuperata Italia, deuicto Gallo, Pontifice obſeſſo, Roma capta, Carole Borbonij hoc marmor cineres continet.* Bizarus *hiſt. Genuen. lib.* 19. Eiuſdem Borbonij, vtpote perduellis, & tum ſacræ, tum ſecularis ſupremæ maieſtatis violatæ rei, memoria à Rege ſenatuq; Galliarum damnata, bonis publico ærario addictis. *Scriptores Galli & Sl.* Vniuerſam vrbis cladem, Põtificis maximi calamitatem, Solymanus Turca miſeratus, in inſolentiam Chriſtianorum excanduit, qui deterius ſupremum ſuum Antiſtitem & omnia ſua facra habuiſſent, quam ipſe Græcorum Patriarcham aut ritus, quos violare nefas putet, quamuis ab his extraneus. *Fabricius Cornelius in epiſt.* Eas miras & planè ſtupendas calamitates, terribilis cometes ingẽtis & monſtroſæ magnitudinis, qui in ditione Palatinatus ſecunda Decembris die anni ſuperioris, in occaſu viſus & obſeruatus fuit, præmonſtraſſe diuinitus dicebatur. Erat enim ipſe omnino cruentus, nube terribilis, telis, haſtis & gladiis, etiam capitibus obtruncatis hinc inde circumdatus, adeo vt complures hoc tam diro & horribili ſpectaculo in morbum & Syncopen inciderent. *Petrus Bizarrus lib.* 19.

Borbonius à propriis militibus illuditur.

XXVIII.

Niſi forte grauiora ſydus illud portenderet; Germaniæ ſcilicet, Vngariæ, Angliæ, Sueciæ, & aliorum Regnorum deploratiſſimam iacturam, quæ ab occaſione capti Pontificis, vrbis vaſtatæ, & religionis Catholicæ parui factæ. Dicam primum de Vngariæ regno.

XXIX.

Orbatis Rege Vngaris, diſcedenteq; Solymano, Regnum vndique dira belli clade vaſtatum, nemini curæ erat, imbelleſque potentiorum violentiæ & iniuriæ expoſiti, iniquam ſortem ſuam lugere, nec malorum remedia vſpiam expectare; pars Ferdinandum Auſtriæ Archiducem poſcere, pars regnum ad aliquem ex Procerum ordine tacitis votis transla cum velle. Interea Franciſcus Battianius, Illyrici Præfectus, donec res in quamcumque partem expediretur, Clementis ſummi Pontificis auxilia, vel ad tuendos præfecturæ ſuæ fines, & potiſſimum Iaiciam & Cliſſiam ob Turcarum vicinam in periculo conſtitutas, imploranda cenſuit, miſſo ad eum Thoma Camariano viro impigro, nobiliique in ea Illyrici parte, quæ nunc Sclauonia vocatur, genere orto. Qui cum Romam veniſſet, ac Regis Ludouici interitum, quem iam Clemens non ignorabat, multis verbis deploraſſet, aduentus ſui cauſis explicatis, poſt non longam aut diuturnam moram, menſe Ianuario, à Iacobo Sadoleto Pontificis reſponſum litteris comprehenſum intellexit, ſe auxilia quæ expetat, cupere ex animo poſſe ad eum primo quoque tempore mittere, ſed ſe ſuaſque res Sanctamque ſedem Apoſtolicam in eo ſtatu eſſe, eiſque perturbationibus & anguſtiis vndique premi, vt multo magis aliena egeat ope, quam ſuam cuique ferre valeat. Si quando, Deo adiuuãte, incommodis illis liberaretur, vireſque adeo debilitas aliqua ex parte recuperet, atque etiam res Vngaricas in certo ac concordi aliquo ſtatu eſſe intelligat, quantum in ſe eſſet, eis non defuturum. Inſinuabat ſcilicet calamitatem, quæ illi contigerat id temporis à Moncata & Columna, qui Pontificem induciis doloſe conceſſis inepte confiſum, in

Vngari ad Pontificẽ pro auxilio impetrãdo legatum mittunt.

vrbem irrumpentes oppreſſerant, ita vt Vaticano, cíuſque opulentiſſima ſuppellectili direpta, & inſigni templo Diui Petri impie profanato, Pontifex in arces molis Hadriani fuga elapſus, vix ſaluti ſuæ conſulere potuerit. Spoliatus ergo tunc, & paulo poſt in irruptione Borboniana multò magis omnib. fortunis, ac præterea pecuniis in militem, inprimis quam ſui ſeruandi cauſa ſcripſerat, deinde hoſtilem quem illi perdendo Cæſariani adduxerant, exhauſtus, opem quam regno Vngariæ mittere volebat, debebatque, ferre non potuit. Vnde Turca audacior factus longe maiores animos ſumpſit, ad regnum illud deſertum plane perdendum: quando intellexit neq; Pontificem Maximum poſſe, neq; alios Principes Chriſtianos velle Vngariam ſubſidiis iuuare: & quod peius erat, de eius imperio duos dimicare, proceres ſtudio partium in diuerſum diſtractos, quos Pontifex captiuus, non ſui omnino iuris, non poſſet, quemadmodum cupiebat ad concordiam reuocare. Condito ſiquidem Ludouico Rege in æde Alba Regiana Diuæ Virginis matris Regio funere, Paulus Vardanus Archiepiſcopus Strigonij, Stephanus Brodericus, Epiſcopus Vacienſis, & Ioannes Statilius Albæ Iuliæ Epiſcopus, Ioannem Scepuſium Palatinum Tranſyluaniæ, in Regem Vngariæ à Proceribus nonnullis electum, ſacrauêre: contra quem Stephanus Verbecius Palatinus Vngariæ cum nonnullis, Ferdinandum Archiducem Auſtriæ Regem ſalutauere, ſuffragante Regina Maria, Ludouici vidua, quæ Ferdinando Annam Vladiſlai filiam deſponderat. Ferdinandus non diu cunctatus, ſe iuris ſui, quod tam veteris tranſactionis, quæ poſtremo inter Maximilianum Cæſarem auum ſuum, ac Vladiſlaum Regem coniugis ſuæ parentem facta ſit, robore, quàm hæreditate vxoria certum clarumque in regno Pannoniæ habeat, minime oblitum fuiſſe reſpondit, atque ad capeſſendam regni poſſeſſionem armatus veniens, die quinta Nouembris, qui fuit dies Solis, coronam Regiam de manu eiuſdem Pauli Vardani Archiepiſcopi Strigonienſis ſolenni more accepit. Tali Pannoniæ ſtatu, turbantibuſque inter duos Principes rebus, bellum inteſtinum repentine exortum eſt; ex quo data occaſio, Turcas in Vngariam euocandi. *Iſthuanſius hiſt. lib. 9.*

Ferdinandus Archidux Auſtriæ Vngariæ Rex fit.

XXX. *Henricus VIII. Carolo V. bellum denunciat.*

Ex eadem occaſione capti Pontificis, nata grauiſſima Regni Anglicani calamitas, quãdo Rex Henricus VIII. cura Põtificis liberandi ſuſcepta, non tantum bellum Carolo Cæſari denunciauit, ſed etiam Catharinam vxorem, Caroli amitam repudiare in animum induxit, ianuamque hæreſi Lutheranæ, ac poſtmoduu Caluinianæ per cæcos amores aperuit: vnde ſchiſma Anglicanum ſanguineis lachrymis deplorandum. Præſtat ab ipſo, vt aiunt ouo, narrationem exordiri.

XXXI.

Dum rebus Imperij Maximilianus Auguſtus, Hiſpanicis Ferdinandus & Eliſabetha Catholici Reges, Anglicanis Henricus Septimus, ante 27. annos præeſſet, præclare cum orbe Chriſtiano actum videbatur. Nihil enim Maximiliano Imperatore, ſeu bello, ſeu pace illuſtrius: nihil Catholicis principibus in vtroque genere felicius; nihil Henrico Septimo aut fortius, aut prudentius, qui omnibus bellis victor, omni opum genere affluebat.

XXXII.

Iam ſuperſtitio Mahometana per Iſmaëlis Sophi, ex Aſſumcaſſani filia nati, nouam interpretationem, quam occupati Perſici regni maieſtas commendatiorem populo reddidit, in varias ſectas abibat. Iam Saracæni, poſt Bœticam octingentis fere annis poſſeſſam, tota Hiſpania exterminabantur. Iam nouus orbis Principibus Chriſtianis, ex infinita Dei miſericordia patefactus, Chriſti Euangelio parere cœperat; Luſitanis verſus meridiem, Hiſpanis verſus Occidentem, ex Alexandri Papæ Sexti autoritate, tam ſui regni, quam Chriſtianæ fidei gloriam propagantibus. Quæ res dum felici curſu progrederentur, anno ab Incarnatione Ieſu Chriſti M.D. inter potentiſſimos Henricum Septimum Angliæ, itemq; Ferdinandum & Eliſabetham Hiſpaniæ Reges, actum, anno que ſequente tranſactum eſt, vt Arthurus maior natu filius Henrici Septimi, Catharinam Catholicorum Regum filiam, locupletiſſima dote conſtituta, in vxorem acciperet. Nuptiæ Londini, apud Eccleſiam S. Pauli celebratæ ſunt 18. Calend. Decembris, qui dies apud Anglos, Diuo Erchenualdo ſacer eſſe conſueuit. Principes ſumma nocte ad thalamum ſolenni ritu deducti ſunt. Cæterum Henricus VII. de medicorum conſilio cauerat, vt grauis quædam matrona in eodem cum illis thalamo ſociata, videret, ne carne coniungerentur, eo quod Arthurus decimum quintum ætatis annum vix attingens, ex lento præterea morbo laboraret, cuius tabe poſt quintum menſem confectus, ex hac vita migrauit.

Arthurus Henrici VII. Angliæ Regis filius Catharinam Hiſpaniæ filiam in matrimonium accepit.

XXXIII.

Mortuo iam Arthuro, cum Catholici Principes filiam ſuam repeterent, noua nuptiarum conditio ab Henrico Septimo propoſita, & poſt maturam deliberationem, à Regibus Catholicis accepta eſt, vt impetrata Summi Pontificis legitima diſpenſatione, Catharina Henrico Arthuri Principis fratri, duodecimum ætatis annum agenti deſponderetur. Cauſa domi primum per vtriuſque regni Theologos & Iuriſconſultiſſimos viros, an fieri honeſte poſſet examinata; deinde, cum de iure conſtaret, per vtriuſque Regis legatos relata eſt primum ad Alexandrum Sextum, deinde ad Pium Tertium. Sed quum vterque prius vita, quam hoc negotio defunctus eſſet, demum Iulius Papa Secundus, adhibitis in conſilium doctiſſimis viris, ob pacis inter tanta regna confirmandæ publicũ bonum, iuris humani, cp ſolum obſtabat, vinculũ, in hac quidẽ cauſa locũ non habere declarauit, & nuptias contrahendi veniam poteſtatemq; fecit. Nam diuinũ ius, cp ſacris litteris cõſignatum extat, adeo his nuptiis nõ obſtare Theologi aſſerebant, vt ſiue ſtatus naturæ ſpectetur, Iudas Patriarcha iuſſerit ſeeũdo genitum ſuum Onan ad Thamar primogeniti fratris abſq; liberis defuncti vxorem ingredi, vt ſemen fratri ſuo ſuſcitaret: ſiue Moſaica lex conſulatur, idipſum fratri ſuperſtiti, etiam ſub infamiæ pœna, pceptum reperiatur: fieri autem nõ potuiſſe, vt Deus q legem naturalem totius naturæ humanæ perpetuam comitẽ, imo ducẽ & regulam eſſe voluerit, eãdem in vllo vnquam, nodum in ipſo naturæ ſtatu violari, non ſolũ permitteret, ſed etiam iuberet. Hoc n. perinde videri, ac ſi naturam ab ipſo cõditam ita vt nũquam mutaretur, tamen ipſe mutaret ac diſſolueret, ſibiq; ipſe ea ratione contradiceret, ac ſeipſum negaret. Quod cũ à Deo alieniſſimũ ſit, nihil certius credẽdum, quam cp ſuperſtitis fratris nuptię cum alterius fratris abſq; liberis defuncti vxore cõtractæ, nullo modo legi æternæ aut naturali repugnẽt, ſed tantum impoſititicæ & Eccleſiaſticæ, cuius ex iuſta cauſa relaxatio penes Pontificẽ Romanum ſit. Nam turpitudinẽ vxoris fratris ſui quam reuelari lex vetat, partim in hoc matrimonio reipſa nullam fuiſſe; quoniã Arthurus Catharinam vxorem numquam cognouerat: partim, ſi qua forſitan ſpecie tenus extitiſſet, tũ per mortem Arthuri iam dudum eſſe ſublatam, tum pterea etiam ſi poſt mortem eius adhuc perſeuerare poſſet, non tantam eſſe, quin publico pacis bono ſatis abundeq; cooperiatur & compenſetur. Quæ omnia cum Theologi grauiſſimis tam Scripturæ ſacræ, quam Sãctorum Patrum teſtimoniis corroboraſſent, nec per totam Eccleſiam vel vnus quiſpiam vir qui contradiceret, in vlla natione que ſub cœlo erat, repertus eſſet: ſponſalia ob immaturam adhuc Henrici ætatẽ, inter illã & Catharinã ineũtur.

XXXIV. *Henricus VIII. Catharinam vxorẽ fratris viduã matrimonio ſibi iungit.*

Dum autem nuptiarum tempus expectabatur, Elizabetha Catharinæ mater in Hiſpania, itemq; Henricus VII. in Anglia diem ſuum obierunt. At Henricus VIII. eximia corporis forma præditus, in qua etiam Regiæ maieſtatis auguſta quædam ſpecies elucebat, iam decimum octauum ætatis annum ingreſſus, cum nec ipſe iudicij expers haberetur, nec defuncti patris imperium amplius timeret, quamquam ſemel dixiſſet ſe à nuptiis Catharinæ abſtenturum; tamen reaccuratius perpẽſa, & diſpenſatione Pontificis in omnium Optimatum cõcilio publice recitata, nullo mortalium vel tantillũ ſcrupuli opponẽte, de totius conſilij ſententia, Catharinam in vxorem, tertio Nonas Iunij palam accepit, ac die S. Ioannis Baptiſtæ, pxime ſubſecuto, nõ minus vxori, quam ſibi, Regium diadema cum ingenti omnium lætitia imponendum curauit, apud celebre S. Benedicti Cœnobium, quod Londino ad Solis occaſum adiacens Weſtmonaſterium appellatur. Genuit Henricus ex Catharina filios tres, & duas filias, ex quibus maior natu filius (cui etiam Henrico nomen fuit) nono poſt Natiuitatem mẽſe, è vita ſublatus eſt. Cumq; cæteri etiam non diu poſtquam nati erant, vixiſſent, ſola Maria, anno ſeptimo Henrici Octaui apud Grenuicum duodecimo Calendas Martij in lucem edita, vtrique parenti ſuperſtes manſit, à multis Principibus, vt mox dicetur expetita.

XXXV.

Fuit inter Henricum & Catharinam tum aliqua ætatis, tum longe maior morum diſſimilitudo. Superabat illa virum

ætate ad ſummum quinquennio; moribus vero amplius quam milleannis. Catharina ſurgebat media nocte, vt nocturnis religioſorum precibus intereſſet; mane hora quinta ornabat ſe quã citiſſime nihil ſibi temporis, præter hoc ſolum in quo veſtiebatur, perire dictitans. Sub Regio veſtitu, Diui Franciſci habitu (ad cuius Ordinem tertium ſeſe adſcripſerat) vtebatur. Omnibus ſextis feriis & Sabbathis ieiunabat: omnibus Beatæ Mariæ Virginis vigiliis ſolo pane & aqua viuebat; quartis & ſextis feriis peccata Sacerdoti confitebatur, Dominicis etiam ſumebat Euchariſtiam: officium Beatæ Mariæ Virginis quotidie recitabat; ſex horis continuis mane in templo ſacris officiis vacabat; à prandio autem Sanctorum vitas, ancillis etiam aſtantibus, ad duas fere horas legebat; inde templum repetens ibi fere vſque ad horam cœnæ manebat, quam quidem ſumpſit longe parciſſime. Orabat ſemper flexis genibus, abſque puluinari, aut alia quapiam re inter ipſam aut pauimentum interiecta: vt nemo iam miretur, ſi tam ſancta fœmina, maiori quodam tribulationis igne probanda fuerit, vt virtutum eius odor in totum orbem Chriſtianum facilius diffunderetur. Henricus interim omni luxu diffluens, ex ipſius Reginæ ancillis, nunc duas, interdum tres, cõcubinarum loco habebat; ex quarum vna, cui nomen fuit Eliſabethę Blunthæ, genuit filium, quem Richmundię Ducẽ creauit. Admirabatur quidem vxoris ſanctitatẽ, ſed deteriora cõſilia & inſtituta ſequebatur. Mariam vero filiã Regio ſplẽdore educatã, & in diſciplinã nobiliſs. ſanctiſſimæq; fœminæ, Margaritę Edouardi Regis Quarti ex fratre neptis, Reginaldi Poli matris traditam, declarauit Britannorum ſeu Wallorum Principem, qui populus & inſulam primum occupauit, & ei nomẽ Britannię impoſuit, & lingua propria, q̃ nemo fere Anglorum intelligit, adhuc vtitur. Germani autẽ exteros vocant Wallos. Itaq; cum Angloſaxones ex Germania in Britanniam ad fines Britannorum tuendos euocati, tandem in ipſos Britannos arma cõuertiſſent, eoſq; ſubiugaſſent, vt ſuum populũ ab alieno diſtinguerent, Britannos, vocarunt Wallos, hoc eſt non Germanos, ſed præ Germanis, exteros & alienos. Huius autem prouinciæ adminiſtratio & præfectura, ei tantũ Regis proli conceditur, cui proximum regnandi ius ex hæreditaria lege debetur. Quod enim Cęſar apud Romanos, quodq; Delphinus apud Gallos, hoc idem eſt apud Anglos Walliæ Princeps. In Walliam ergo, q̃ ad occidentalẽ inſulæ oram ſub quatuor Epiſcoporum diœceſibus longe lateq; diſtenditur, Maria cum illuſtri Senatu & ſplendida familia delegatur, vt eam regionẽ ſuo iure moderaretur atq; gubernaret. Mariæ nuptias vicini omnes Reges ac Principes magnis ſtudiis ambibant. Inprimis Iacobus Quintus Scotiæ Rex; deinde Carolus Cæſar, totius ſuæ Belgicę poſſeſſionem ſe illi cõfeſtim traditurum aſſerens. Tum autem Galliæ Rex Franciſcus, filiis ſuis duobus, hinc Delphino, inde Aurelianenſi Duci, eandem in vxorẽ petiit. Quorum teneram ætatem cum Henricus non probaret, Rex Franciſcus ſeipſum obtulit Mariam ducturũ; nec Henricus abnuit, ſi tamen Carolus Clementem Papam, quem hoc tempore ſui milites Romæ in caſtro S. Angeli cõcluſum tenebant, liberum ac immunẽ quamprimum nõ dimitteret. alioqui enim, & Mariã Gallo dare, & Carolo bellum indicere parabat. ac filio quidẽ primogenito Regis Galliarũ Maria tandem certis cõditionibus deſpondebatur; quæ ſponſalia cum apud Grenuicum in Anglia, 8. Idus octobris ſolenni ritu fuiſſent dedicata, Elienſis Epiſcopus in Gallias traiiciẽs, præclarã ea de re orationem apud Franciſcum Regem Galliarum habuit. Vnde facile apparet, quam conſtans apud omnes Principes Chriſtianos fides ac ſententia ſemper fuerit, de Catharinæ legitimis cum Henrico VIII. nuptiis, cum earum nuptiarum prolem, quæ non alia conditione, quam ſi legitima eſt, regnandi ius in Anglia conſequi debet, tanto ſtudio in coniugem expetierint. Iam ad Henricum reuertatur narratio.

Catharinæ Angliæ Reginæ laus.

Henricus VIII. Catharina ſpreta deliciis & concubinis vacat.

Maria Henrici VIII. filia Princeps VVallię fit.

XXXVI. *Thomæ Volſęi Cardinalis dignitas Anglicana.*

Dum ea Catharinę grauitas & moderatio, eaq; Henrici leuitas & libido eſſet, vt nihil magis repugnans & cõtrarium facile reperiri poſſet, atq; ideo hominẽ petulantem & luxurioſum tam venerãdæ matronæ prorſus tæderet, nec ea res latere Palatinos diu poſſet, Thomas Volſæus Cardinalis Eboracẽſis homo præter cæteros ambitioſus & audax, cuius etiam opera erant Regis, quã Reginæ operibus ſimiliora, omnes occaſiones captabat, quibus & Regi placeret, & Reginam læderet, & ſuum negotium proueheret. Hic homo, non humili tantum loco, ſed & vili natus, cum in aulam irrepſiſſet, Regique à ſacello factus eſſet, tandem Richardi Vintonienſis Epiſcopi opera, Regiis eleemoſynis pficitur: mox, Tornaco apud Morinos in poteſtatẽ Henrici redacto, Tornacenſis Epiſcopatus vectigalia ex Regis donatione accepit; paulo poſt, ſit & ipſe Epiſcopus, primũ Lincolnienſis, deinde Dunelmenſis, tum a. Vintonienſis, ac ſimul etiã Archiepiſcopus Eboracenſis (nam Vintonienſem & Eboracẽſem, duos locupletiſſimos Epiſcopatus ſimul poſſedit) demũ ſit totius regni Cancellarius, addo etiã Cardinalis, & ad vniuerſum Angliæ regnum de latere Legatus. Quin cp, tum Franciſci Galliarum Regis, tum Caroli Cæſaris annuis præterea penſionib. & muneribus augeretur, vt omittã locupletiſſimas Abbatias, in quas vbiq; terrarũ inuolauit; quodq; omnium caput erat, ipſe Rex Angliæ totus erat in Volſei poteſtate, omnia pro illius arbitratu diſtribuens atq; adminiſtrans. Et tanquã hæc omnia parum eſſent, primã totius Eccleſiæ Sedẽ occupare, ac vnitatis Sacerdolis faſtigiũ conſcendere, conatu ſummo nitebatur. Quod cum Carolus Cæſar perſentiſceret, hominis ingenio ad ſuã rem abuſurus, Volſæum tanta obſeruatione colere cœpit, vt crebras ad eum literas, nec alterius quã Cæſarea manu perſcriptas daret, ſubſcriberetq; in hæc verba; *Filius veſter, & cognatus Carolus.* Quin etiam ſpem maximam dedit, ſi Volſæus efficeret, vt Henricus Angliæ Rex perpetuum fœdus cum Cęſare coleret, Regemq; Franciæ bello ſimul petendum decerneret, ſe ex altera parte effecturum, vt Volſęus mortuo Leone X. fieret ſummus Pontifex. Implet Volſæus conditionem, quãcupide. Sed cum Carolus tantum ab eo, quod obtulerat, præſtando abfuiſſet, vt potius magna cum laude, Adrianum VI. ei loco præficiendum curaret (licet paulò ante fama eſſet diſſeminata per vniuerſam Italiam, Volſæum eſſe Papam factum) Volſæus adhuc diſſimulandũ ratus, mortẽ etiam Adriani expectat. Porro quum ne tunc quidem rationem ſui à Carolo haberi animaduerteret; quin imo poſt Franciſcum Regem Galliarum in bello Ticinenſi captum, & duos filios loco patris, deinceps in poteſtatem eius redactos, Cæſar & raro ad Volſæum, & non niſi aliena manu ſcriberet, nec aliud quam nudum Caroli nomen ſubſcriptionis loco apponeret; tunc Volſæus aperte furere, Carolo ſummis viribus aduerſari, ad hoſtes Caroli tranſire, & Chriſtianiſſimo Regi ſe totum cœpit addicere. Hac ergo de cauſa ira inflammatus, cum & Henricum Regem alieniore animo à Catharina, & ambitionem ſanctiſſimę fœminæ grauẽ ac moleſtã eſſe intelligeret, rebus conſilium hoc ſuum & ſibi vtile, & Regi non ingratum, & Reginæ odioſum, & Carolo moleſtiſſimum fore, ſi materteram eius à Regio thalamo penitus diſiunxiſſet, Ioannem Longlandum Lincolnienſem Epiſcopum, qui Henrico Regi erat à ſacris confeſſionibus, ad ſe vocat: ei narrat, quantæ curæ ſibi ſit æterna Regis Salus. Nam nec ſileri poſſe, quod tanti ſit momenti, nec alteri prius aperiri debere, quam ei viro, qui omnia ſecreta Regis optime nouerit. Quid multis? demum ait, matrimonium Regis cum Catharina parum ſibi firmum videri: & cur ſentiat, multos obtendit rationes. Longlandus hominem ſincere loqui arbitratus, nec auſus tanto viro cõtradicere; ſciens etiam hanc rem ingratam Regi accidere non poſſe, id tantum reſpondit, par eſſe, vt Rex tantæ rei, non ab alio prius, quam ab ipſo Volſæo admoneatur. Hoc in ſe Volſæus recipit, quem ſimulac Rex in eum ſermonem veniſſe audiuit; *Caue*, inquit, *ne rem ſemel iudicatam, in controuerſiam voces.* Triduo autem poſt, Longlandus à Volſæo ad Regem ductus, id ſaltem petit, vt ſua Maieſtas rem cognoſci & examinari permittat.

XXXVII. *Thomas Volſęus Henricum VII. ad diuortium incitat.*

Cum autem Rex non abnueret, Volſæus intulit, ſpectatæ formæ ac nobilitatis fœminam in Gallia eſſe, Margaritam Chriſtianiſſimi Regis ſororem, quę Duci Alinſonio aliquando nupta fuerat; hanc Regio thalamo conuenire. De hoc (ait Rex) agemus poſtea; nunc ſilentium ante omnia neceſſarium eſt, ne res immaturè patefacta, honorem noſtrum aliquo pacto læſiſſe videatur. Ipſe enim ſciebat quam potiſſimũ fœminã, repudiata ſemel Catharina, ducturus eſſet. Cum erg. ſilentiũ ſinguli, pmiſiſſent, Rex in hanc de ſuo repudio quæſtionem totus incumbens, cum certis Theologis ea Scripturę ſacræ loca, quæ ad rem facere videbantur, maxime, quæ in Leuitico & Deuteronomio ſcribuntur, ſtudioſiſſime per-

legit & cõtulit: diligenter etiam Iulii Secundi literas discussit, quæ ipsius cum Catharina Matrimonium confirmabat. Vbi autem in hoc genere quæstionis examinando, integrum fere annum clam insumpsisset, nec aut in sacris literis, quod cum iuuare, nec in Pontificis diplomate; quod iuste reprehendi posset, quicquam reperisset; cum præterea, si quid in Papæ literis ambiguum ante videbatur, id per nouas literas, Ferdinandi Regis opera postea impetratas, clarius expositum, & planius expressum vidisset; visum est & Regi, & cæteris, quos in consilium adhibuerat, nihil amplius in ea re tentandum esse. Atq; ita sane euenisset, nisi quod, partim Volsæus, illum quiescere non patiebatur, partim animus Regis Catharinæ pertæsus, Annæ Bolenæ potiundæ cupidus, minimo quolibet momento, in nouam semper spem atque opinionem inclinabat.

XXXIIX. Accidit eo tempore, vt ex Francia Legati adessent, qui Mariam Vualliæ Principem Delphino antea promissam, Aurelianensi nunc potius Duci secundo Francisci filio, nuptum dari peterent. In iis erat Episcopus Tarbiensis. Rex igitur ipse Henricus Volsæo autor fuit, vt ipse, non quidem Regis nomine, sed tanquam partis Gallicanæ fidelissimus amicus, huic Episcopo controuersiam de Regis matrimonio nuper exortam insinuaret, diceretque, si forte illud matrimonium, quo iam Henricus tenebatur, dissolui posset, spem certam esse, Regem Henricum Regis Galliarum sororem in coniugem assumpturum. Fecit Volsæus, quod imperatum est, additiq; talem esse hanc causam, quæ ab Anglo quopiam tentari primum, & proponi non deberet. Quem enim subditum posse inuidiam tantam sustinere, vt Regis sui matrimonium accuset, aut in dubium vocet? Æquum esse, vt ipse Tarbiensis, tanquam, & sui Regis causam agens, & commune vtriusque Regni bonum prouehere cupiens, hoc oneris in se susciperet. Visa est Tarbiensi honesta oratio. Re igitur cum suis Collegis communicata, in Senatu Regis Angliæ, ipso Rege Henrico præsente dixit; Non minus inter Anglos quam Gallos constare, nihil vtrique regno magis expetendum, quam pacem. Et hactenus quidem actum esse de nuptiis inter Ducem Aurelianensem & Serenissimam Walliæ Principem Mariam, ob cõmune hoc pacis bonum, ineundis, quas magnum vtriq; genti commodum allaturas non dubitet. Sed aliam subesse viam huic negotio expediendo infinitis partibus opportuniorem, si eam sibi liceat proponere. Et cur, *inquit*, non liceat, cum non solum apud Christianos, verum etiam apud optimos, & prudentissimos viros agatur, qui omnia priuata publico bono postponenda iudicant? Quantò enim vtilius futurum, vt viri quam pueri, vt summi rerum Gubernatores, quam inferiores aliqui Principes; denique, vt ipsæ Regiæ personæ, quam Regum liberi, has inter se nuptias contrahant? Ac nostra quidem ex parte, satis constat Christianissimi Regis sororem Ducissam Alinsoniam, & viro maturam esse, & nihil aliud quam talem maritum expectare, qui generis ipsius Regium splendorem potius illustret, quam obscuret. Iam si etiam in Anglia vir quidam primarius, imo primus omnium vxore careat, cur has Regias personas ad ingenitem vtriusque regni vtilitatem, nuptiarum fœdere coniungendas non curamus? Tua, Tua Serenitas, Henrice Rex potentissime, quem honoris causa nomino, si non quod apparet, sed quod verum est, spectetur, à nuptiarum vinculo non mea tantum, sed pene omnium doctissimorum hominum iudicio libera est & soluta. Quanquam enim Catharina, tum nobilissima, tum sanctissima fœmina existat, tamen cum fratris tui vxor prius fuerit, satis admirari non possum, quo iure vxorem fratris tui, quam tibi habere iuxta Euangelium non licet, habeas, & retineas? Equidem non dubito Anglos, qui tuo imperio subsunt, hoc idem Euangelium colere, quod nos colimus: & propterea etiam idem nobiscum sentire, licet id palam profiteri non audeant, donec tua Serenitas liberani in hac causa eis fecerit dicendi potestatem. Nam exteræ nationes liberius de his nuptiis semper locutæ sunt; vehementer etiam dolentes, Regiam adolescentiam tuam ab aliorum, quibus fidebat, consiliis in hanc fraudem esse inductam. Nunc si verum est, neminem posse fratris sui vxorem sibi in vxorem sumere, habet Tua Serenitas modum longe optimum, quo & se ab his, quibus iam implicatur nuptiis quamprimum exuat, & Christianissimi Regis sorore in locum Catharinæ assumpta, pacem inter hæc nobilissima regna firmam atque adeo perpetuam stabiliat. Ac de his quidem rebus tua prudentia maturius cogitabit; mihi satis sit, rem non minus vtilem, quam honestam, Christiana libertate in medium protulisse. Henricus hanc rem velut nouam, & hactenus inauditam, admirari se, atque etiam ægre ferre simulans, tamen cum ad honorem atque adeo salutem ipsius æternam spectaret, amplius deliberandum censuit. Tarbiensis vero, vt rei tam lætæ insperatum nuncium Christianissimo Regi primus apportaret, in Galliam reuolauit. Populus autem Anglicanus vbi hoc audiuit, statim & Galliarum legatos maledictis, & Regis propositum omni vituperatione insectatus est. Nemo enim dubitabat, quin de Regis consilio hæc res excogitata, & proposita fuisset.

XXXIX. Hoc ipso tempore Borbonius Princeps (quanquam sua morte eam perfidiam luerat) vrbem Romam occupasse, diripuisse, incendisse, sacra omnia prophanasse, ipsumque Pontificem Clementem VII. obsidere, imo & captiuum tenere dicebatur. Volsæus, hac arrepta occasione, Regem Henricum ad auxilium Pontifici ferendũ stimulat; nec aliter illum posse facere, quam vt Defensorem fidei se exhibeat, cum nuper eum titulum, ob librum contra Lutheri hæreses cõscriptum, sibi & posteris suis à Sede Apostolica donatum accepisset. Quid quod hac vna re Papam sibi in æternum deuinciret, quem ob eam rem in causa diuortii sui non modo propitium iudicem, verum etiam diligentem patronum habiturus esset; imo & Franciæ Regem; ac præsertim liberos eius perpetuo sibi demerituros, quos in Cæsaris potestate constitutos, hac ratione in libertatem asserere posset. His verbis Rex adductus est, vt Cardinalem in Gallias cum trecentis aureorum millibus, & collegis duobus mitteret, ac præter mandata generalia, quæ tribus legatis ex æquo dabantur, solus Volsæus mandata quædam occulta seorsum accepit, de Catharinæ diuortio procurando, de matrimonio cum Ducissa Alinsonia contrahendo, & de filiis Christianissimi Regis ex Cæsaris manu eruendis. Ibat Volsæus Regia pompa lætus, & triumphãs, cum ecce dum Caleti agit, nouas ab Henrico literas accipit, vt ne vllum de nouo matrimonio, cum Regis Galliarum sorore ineundo verbum faceret, sed tantum de cæteris articulis. Iam enim Rex omnino statuerat, si Catharinam reiicere posset, Annam Bolenam in locum eius assumere. Indignari Volsæus, qui diu ortium Catharinæ non ob aliud magis vrserat, quam vt Regem Christianissimum per nouas illas nuptias totum sibi obstringeret atque obligaret. Non ignorabat quidem Volsæus Henricum misere amare Annam Bolenam, atque adeo deperire; sed illam putabat concubinæ tantum, non etiam vxoris loco futuram; non secus ac eiusdem Annæ primùm mater, deinde & soror concubinarum loco iamdiu Regi fuerant, absque vlla spe vxoris Regiæ dignitatem consequendi.

Henrici VIII. Angli Regis impuritas cũ Bolenis filiabus.

Erat Anna Bolena, vxoris Thomæ Boleni Equitis aurati filia: vxoris dico. Nam ipsius Thomæ Boleni filia esse non poterat, propterea quod illo in Francia legatum agente, & biennium ibi commorante, Anna Bolena interim domi concepta est & nata. Cum enim Rex Henricus Thomæ Boleni vxorem adamaret, vt ea liberius frueretur, virum sub specie honoris, in Franciam ablegauit. Interim Anna Bolena domi concipitur & nascitur. Thomas autem Bolenus post biennium è Francia redies, cum vxorem suam peperisse filiam vidisset, vlciscendi huius adulterii cupidus, vxorem apud Archiepiscopi Cantuariensis delegatos iudices in ius vocatam, repudiare in animo habuit. Vxor huius rei certiorem reddit Henricum Regem. Is Marchionem Dorcestriæ ad Thomam Bolenum mittit cum iis mandatis, vt abstineret à lite, condonaret vxori, eamque iterum in gratiam reciperet. Bolenus quamquam à Regis ira metuendum sibi videret, tamen prius mandatis eius non paruit, quam ab vxore audisset, ipsam à Rege solicitatam fuisse, nec Annam Bolenam alterius quam Regis Henrici filiam esse: proinde in genua procumbens rogabat virum, vt sibi parceret; de cætero se fidelem ei coniugem futuram. quod ipsum cum Marchio Dorcestriæ, aliique viri primarii, tam suo, quam Regis nomine peterent, Thomas vxori conciliatus, Annam Bolenam filiæ loco educat.

Iam prius Thomas Bolenus aliam filiam ex coniuge sua genuerat, cui nomen Mariæ imponebatur. In hanc Rex dum ad

matrem

matrem ibat, oculos coniecerat, eandemq; post Thomæ Boleni reditum in aulam suam, imo & in adulterinum thalamum induxerat. Cum autem Henrici Regis domus ex perditissimo hominum genere constaret, cuiusmodi erant aleatores, adulteri, lenones, adulatores, periuri, blasphemi, rapaces atq; adeo hæretici; inter hos insignis quidam nepos extitit Francisci Brianus, eques auratus, ex gente & stirpe Bolenorum. Ab illo Rex quodam tempore quæsiuit, quale peccatum videretur, matrem primum, deinde filiam cognoscere? Cui Brianus, O mirabile, *inquit*, tale, ô Rex, quale gallinã primùm, deinde pullum eius gallinaceum comedere. Quod verbum cum Rex magno risu accepisset, ad Brianum dixisse fertur; Næ tu merito meus es inferni Vicarius. Brianus enim iam prius ob impietatem notissimam, vocabatur Inferni Vicarius, post hoc autem & Regius inferni Vicarius. Rex igitur cum, & matrem prius, & postea filiam Mariam Bolenam pro concubina tenuisset, demum ad alteram quoq; filiam Annam Bolenam, animum adiicere cœpit.

XLI. *Anna Bolena scortũ Anglicanũ.* Fuit Anna Bolena proceriore corporis statura, capillo nigro, facie oblonga, colore subflauo, quasi icterico morbo laboraret, cui dẽs vnus in superiore gingiuo paululũ, pminebat in dextera manu sextus adnascebatur digitus, sub mẽto etiam succrescebat turgidũ nescio quid, cuius deformitatis tegendę causa, tam ipsa, q̃ ad illius imitationẽ, reliquæ Regię ancillæ, colli & pectoris superiora, quæ ante nuda gestabant, operire cœperunt. reliqua corporis proportio pulchrior videbatur, maxima venustas in labiis, in facetiis, in saltãdi & fidib. ludẽdi peritia, deniq; in vestitu, quẽ quotidie & nouum excogitauit, & elegantissimũ gessit, omnium aulicorũ in ea re exemplar & speculum. Quod vero ad mentis imaginẽ attinebat, plena fuit superbiæ, ambitionis, inuidiæ, luxuriæ. Cum 15. esset annorũ, ab eo, qui Thomæ Boleno à poculis, atq; etiam ab altero, qui eidẽ à sacello fuit, sese deflorari passa, mox in Gallias mittitur; vbi Regio sumptu, non longe à Briero, apud nobilem quendã virum educata, paulo post ad palatium Regis Galliarum se cõtulit. Ibi tam impudicè vixit, vt vulgò à Gallis appellaretur Hacnea, seu Equa Anglicana. Cum autem & in Regis Galliarum familiaritatẽ ascita esset, cœpta est vocari Mula Regina. Hæresi etiam Lutheranæ addicta erat, vt ne religio à vita discreparet. Nec tamen à solennibus Missarum Catholico ritu peractis abstinebat, quia Regis consuetudo, & ambitionis institutę ratio id ab illa extorquebat. In Angliã vero cum reuertisset, atq; in familiam Regiam cooptata esset, facile didicit, & q̃ tæderet Regem antiquæ vxoris, & quid Volsæus moliretur, & quantopere Henricus tum ipsam deperiret, tum alias cõcubinas subinde mutaret. Nam præter exempla externa, tũ matrem suam prius, tum deinde sororem viderat ex illa præcipua Regis gratia excidisse. quid ergo, & ipsi paulò post sperandum nisi ab initio sibi ipsa cõsuleret? Quod consilii cum cœpisset, quanto magis Rex eius consuetudinem expetiit, tanto vehementius preces Regias illa repulit, sanctè dictitans, nemini se virginitatis florem, præterquã viro suo dedicaturũ. Colloqui, colludere, simul etiam cum Rege saltare, nunquam à sua modestia alienum iudicauit; tantum à cõcubitu abhorrere se finxit. Quibus artibus ita Regem inescabat, vt iam ei magis magisq; fixum, & cõstitutum esset repudiata Catharina, tam sanctam virginem in vxorem accipere. Is rumor cum in Galliam perlatus fuisset, passim dictitabant Regẽ Angliæ ducturũ esse mulã Regis Galliarũ. Agebat etiam tunc in Galliis Thomas Bolenus, qui pater Annæ putabatur, cò missus à Rege vna cũ nobilis. equite Antonio Bruno, ad certa Regis negotia expedienda. Is ergo vbi audisset Henricum perditè amare Annam Bolenam, atq; adeò velle eam in regni cõsortem assumere, incõsulto Rege, præter legatorũ morem, citato cursu in Angliã venit, id Regi suggesturus, q̃ nisi tempore aperiret, postea per alios reuelato ipsi Boleno periculũ creare posset. Occurrit autem Boleno Henricus Noresius, qui Henrico Regi erat à cubiculis. Hunc Bolenus rogat, vt inopinatũ eius aduentũ apud Regem excuset, simulq; secretã ei audientiã impetret. Introductus ad Regem Bolenus, rem ab initio repetit, dum ipse in Francia olim degeret, natam vxori suæ Annam Bolenã: ac se quidem voluisse vxorem ea de causa repudiare, nisi & Rex intercessisset, & vxor aperte fassa esset, Annam Bolenã esse filiã Regis. Tace, ô stolide *(inquit Rex)* centum alii ex æquo tuam vxorem cõpresserunt. Cuiuscunq; illorum sit filia, certè quidem erit vxor mea. Tu ad legationẽ tuam reuertere, nec verbum cuiquã ea de re feceris. Hæc subridens Rex cum dixisset, è loco discessit, Thoma Bolena adhuc in genua prouoluto. Vt autem minus homines mirarentur, quæ causa tam subiti aduentus Thomæ Boleni extitisset, disseminatus est sermo, eum ad Regem attulisse depictã Ducissæ Alinsoniæ imaginẽ. Post quã vero Thomas Bolenus animaduertit Regem omnino decreuisse Annam Bolenam matrimonio sibi copulare, tam ipse quam vxor ipsius omnem curam, laborem, cogitationem, in Anna Bolena instituenda posuerunt, vt ne quo errore à tanta spe deciderent. Contra vero, qui erant in totó Angliæ regno viri graues, pudici, bonæ famæ, ac Deum timẽtes, maiorẽ *in modum* & à diuortio Catharinæ, & ab his nouiis Annæ nuptiis abhorrebant. Præter cæteros, ii qui ex Regio Senatu erant, sui officii putarunt esse, vt Regem tanti erroris admonerent. Et quoniam laici de iure diuino iudicium suum interponere noluerunt, visum est illis non nisi de Annę Bolenæ vel turpi vita, vel certe pessima fama agendum esse. Ac ne solis vulgi sermonib. duci viderentur, ipsi putarunt in rem totã inquirendum. Eminebat inter Palatinos insignis quidã aulicus Thomas Viatus, qui veritus, ne si forte Rex aliunde impudicissima Annæ Bolenæ instituta didicisset, ipsius, qui sibi male conscius erat, vita in discrimen veniret, iamq; intelligeret Senatum Regis hoc ipsum agere, ad eum vltrò venit, ac se confessus est cum Anna Bolena rem habuisse, nihil minus cogitantem, quam Regem velle ipsam thori consortem facere. Senatus ita instructus, vbi apud Regem præfatus esset, officii sui esse, nõ tantum vitæ, sed etiam honori & famæ Regis consulere, subiunxit, Annam Bolenam magnis infamiæ maculis, atq; adeo apertis criminibus implicatam teneri, minime vt maiestatem ipsius deceret illam in vxorem accipere; ac statim quid Viatus vltrò confessus esset, in medium protulit. Rex cum paulisper tacuisset, tandem respondit; nihil se dubitare, quin magna ipsius obseruantia & amore adducti essent, vt ista nunciarent; se tamen certò credere, omnia illa esse à nebulonibus cõficta, atq; adeò iuratò affirmare audere, Annam Bolenam esse castissimam virginem. Thomas Viatus ægre ferens suo verbo fidem non esse habitam, quibusdam ex Senatu dixit; Si hoc Regi videretur, se curaturum, vt Rex ipse ex secreto quopiam loco videret Annam in amplexus illius ruentem; valde enim amabat Anna Thomam Viatum. Quam rem cum Carolus Brandonus Suffolciæ Dux Regi exposuisset, Viatus, *inquit Rex*, audacem & suspicionum lenonem se ostendit, sibi autem non placere talia spectacula. Quid multis? Rex Annæ totam rem narrat, Viatum comitatu suo abdicat; quæ tamen res post detectum Annæ Bolenæ adulterium incestum, Viato saluti fuit, qui alias vaà cum cæteris mœchis neci datus fuisset.

XLII. Iam vero Volsæus ex Galliis redierat, confectis ex sententia negotiis, præterquam eo, quod maxime omnium concupierat, matrimonio scilicet sororis Francisci cum Henrico, cuius tractationem cum summo eius dolore, prohibitam ei fuisse ab Henrico iam diximus. Capita autem eorum, quæ confecerat, hæc erant. Primo, vt inter Henricum & Franciscum perpetua esset confœderatio; deinde vt communibus viribus bellum inferrent Cæsari per Italiam, quousque Pontificem omnino liberum faceret, & Francisci filios, quos apud se habebat, honestis conditionibus dimitteret: *vniuersæ vero rei gerendæ Lautrecus dux, Francisci, Casali vero eques auratus Henrici nomine præesset*: contribueret etiam Henricus, triginta duo millia aureorum in sumptus bellicos vniuscuiusque mensis. De matrimonio Regis cum Alinsonia nihil. At illum ex Galliis reuersum Rex tamen monuit, vt causam repudii, quantum posset apud summum Pontificem proueheret; tardius vero agentem, durius etiam aliquantò excepit. Si enim repudianda esset Catharina, quod Volsæo videbatur, cur perinde sibi non liceret ciuem, ac peregrinam, in matrimonium accipere? Volsæus, cui iam ab incœpto resilire integrum nõ videbatur, quanquam ingenti dolore corriperetur, tamen rem dissimulauit, operamque suam promisit, & tam Regem quam Annam Bolenam ad Eboracense palatium inuitatos epulo splendidissimo excepit, iam diuortii cum Catharina securos, quod in odium Cæsaris procurabatur, & ad schisma Anglicanum viam sternebat. *Nicolaus Sanderus lib. 1. de schismate Anglicano.*

Eum

XLIII. *Luthert cõtumax epistola in Anglum.*

Eum ipsum Henricum Regem quo successu prensarit hoc tempore Lutherus, diximus supra. Cæterum epistolã ipsius, vnà cum responsione Regis, Anglus quidam in lucem edidit. Hanc rem Lutherus dissimulauit initio quidem; verum cum intelligeret, libellum hunc, per Hieronymium Embserum Germanice versum in vulgi manibus versari, motus iracundia, sub initium huius anni 1527. Germanicum scriptum emisit, breue quidem illud, sed insigniter maledicum & amarulentum; in quo posita masuetudinis & humilitatis larua, nudus, apertaque fronte rursus prodit in scenam, iraque totus æstuans & stomachabundus mirum in modum tumultuatur. Neque vero in Regem modo, sed & in Erasmum, in Ducem Georgium, aliosque quosdam Principes, imo in omnes Catholicos vniuersim, impotenter admodum æstuantem stomachum furore exonerat: prouocans contra se non solum Papistas (vt vocat Catholicos) & Principes, verũ etiam Suermeros, suos paulo ante socios & amicos aureos. Equidem, *inquit*, præ magno fastu exultabundus tacuissem ad libellum hunc, vti solco, nisi mea me moueret epistola, Regio scripto adiuncta, quã autor libelli quisquis est, horsum accipit, quasi doctrinam meam reuocarim. Id vero nullo pacto mihi tolerandum venit, aut dissimulandum. Deus bone, quam exiliter me quærunt isti! quam fallaces mihi ponunt laqueos. An non ego sum omnium, quos Sol videt, vir præstantissimus? Imo vero vix quisquam Luthero nobilior vixit ab annis mille proximis. Quid ita? Apud teipsum hoc reputa. Tres iam Pontifices Romani, tot Reges, tot Principes, tot Cardinales, tot Episcopi, Sacerdotes, Monachi, tot magni proceres, tot eruditi, imo totus mundus, vnà cum diabolo & assectis eius, Lutheri proditores fuerunt, vel vt essent certè, habuerunt in votis. Vàh, ipse ego odi meum sanguinem, cum cogito, quod tam magnificos & insignes lictores & carnifices habeam. Imperatorem Turcarũ honor iste decebat; ego miser homuncio tam præclaros carnifices non affecto. Verum, quia prorsus ita volunt, mihi quidem tolerandum est, vt illo me honore afficiant, faciendumque, vt furor illorum & ira, cordis mei deliciæ sint & oblectamentum. Alioquin hoc tempore fortasis hi Bacchanaliorum ludi mihi parum iucundi fuissent, nisi tam potentes, illustres, insigni eruditione præditos histriones haberem & motiones laruatos, qui mihi iucundum spectaculum exhiberent: quibs quidem nescio, quid pauper ego & inops præmii dare possim pro hac opera, nisi vt rogem eos, pergant strenuè, meque frequenter ad hunc modum obsecten. O inconstantiam fortunæ! Eo res rediit Angliæ Regi, vt necesse habeat exutus habitu Regio apud Lutherum in scena stipem mereri. Neque illi hanc fortunam inuideo, cum ipse volens & sciens hoc malum accersierit. Scilicet apud me honorem hunc consequuntur isti; vt eos pro morionibus meis & ioculatoribus habeã. Ad me priuatim quod attinet, coram Deo & electis me peccatorem agnosco: At coram mundo iustus esse volo, & verè sum; adeò, vt illos vix dignos esse censeam, qui mihi calciamenti corrigiam soluant. Interim, quod ad officium meum spectat & doctrinam, imo ad vitam quoque, quatenus doctrinę respondet, nemo hominum, imprimis tyrannorum, vel patientiam à me, vel submissionem deinceps expectet. Ea parte nolint, velint, inuiti, coactique pro viuente sancto me habere debebunt: siquidem ad finem adhæsero doctrinæ meæ: Quæ si non alios haberet aduersarios, quam Regem Angliæ, Ducem Georgium, Pontificem Romanum, eorumq; assecias, bullas illas aquarum miserrimas, iampridem vel vna Dominicæ orationis portiuncula totum hoc negotium confecissem. Verum, cum alii sint longe terribiliores, hos ego, quos dixi, tanquam lendes æstimo, quæ priusquam in pediculos mutentur, aridæ sint & inanes pediculæ. Interim non inuideo lendibus istis honorem hunc, vt glorientur, & cantent in hunc modum: En hic nos lendes sedem delegimus in capite animalis omnium sub Sole nobilissimi; & quidem in crinibus ipsius. Non est vilis progenies nostra. Pediculi sunt maiores nostri: ex Ibis orti sumus, magnis nimirum illis gigantibus; de quorum virtute quid dicemus? Romanas historias consulite, gentium res gestas inquirite. Bellum intulerunt Romanis maiores nostri, & summum exercitus Romani Ducem Syllam interfecerunt. Occiderunt & Herodem, aliosque complures. Inde discite, quæ sit nostra dignitas, & quis honor nobis debeatur. Quid igitur sit Lutherus, mendicus ille nobis comparatus? Ita est profecto: lendes estis adhuc, in pediculos nondum excreuistis. Verum, quid deinceps Papistis valde succenseam? qui mihi palam indixerunt bellum; ideoque quicquid committunt in me, id iure belli faciunt, vti decet. At isti verè mihi perniciosi sunt & noxii, filioli mei tenerrimi, suaues fraterculi, & aurei amiculi, seditiosos Spiritus dico & Sacramentarios, qui mea quidem sententia, neque de Christo, neque de Euangelio quicquam præclarum scirent, si non ante scripsissent Lutherus. Certè per suam industriam non potuissent excutere iugum Pontificis, seque in hanc libertatem vindicare: vel, si quid potuissent in hoc genere, tamẽ animus illis ad rem hanc aggrediendã defuisset. Cum ergo initio solus ego in acie consisterem, & Pontificis, Cæsaris, omniumque Papistarum impetum, adeoque totam belli molem sustinerem, isti præ heroica animi magnitudine magis muti erant, quam piscis, aut ranæ Seriphiæ. Nunc autem postquam, adiuuante Deo, res eò per me perducta est, vt nos cum illis respirandi locum habeamus; atque ego nihil aliud expecto, quam vt opem mihi ferant ad persequendas Pontificii belli reliquias, suasque copias cum meis coniungant, inopinatò me miserum à tergo adoriuntur, fatigatum iam & laboribus exhaustum, multoq; atrocius in me fæuiunt, quam ipsi Papistæ, quos à fronte aduersarios habeo. Itaque vide, quæso, quam iniqua conditione bellũ gerã. Eduxi copias meas contra Pontificios, & in apertis campis castra metatus sum, futurum existimans, vt fraterculi mei, qui à tergo sequuntur suppetias mihi ferant, atque vna mecum hostes adoriantur. Ipsi vero, dum ego manum consero cum hostibus, incendunt ciuitatem meam, & obtruncatis omnibus horrendam in ea lanienam exercent. Insignis nimirum stropha veteratoris Sathanæ, & excellens stratagema; delicatus certe bolus, qui bonum hausturn postulat. Varios quidem hactenus in vita casus pertuli; verum Absalon meus, filius ille charissimus, nondum Dauidem patrem de solio deturbatum, è regno cum contumelia ciecerat; Iudas meus, qui Christum prodidit, ciusque discipulos dissipauit, nondum huiusmodi facinus in me designauerat. Sed & hæc tragœdia iam cœpta est, & ad epitasin perducta; quod reliquum est, bene vertat Deus. Hi nimirum porci sunt & canes illi, qui conuersi dilacerant nos, cum sanctum illis & margaritas proiicimus. At prouoco vos; huc aduolate quotquot estis, & quicunque demum estis, dæmones, Papistæ, Sacramentarii, Swermeri; cateruatim aggrediamini Lutherum, & strenuè quidem; à fronte Pontificii, à tergo Swermeri & Anabaptistæ, dæmones ab omni parte; Agite, satagite, impressionem facite, instate, vrgete; feram habetis insignem; aptam huic venationi. scilicet Luthero cadente victistis, & in tuto sunt res vestræ. Interim, denuo vos rogo propter Deum, ne Lutherum irritetis. Credite mihi, non est Lutherus quem oppugnatis. Necesse est, vt ipsius doctrina consistat, & maneat, etiamsi vel decem mundis potentiores essetis. Corpus meum facile sustuleritis; verum doctrina mea vos conficiet & deuorabit. *& inter alia.* Trotz (*vox est contemptus & prouocationis, cum crepitu quodam labiorum expressa*) non solum Regi Angliæ, & Erasmo, verum etiam eorum Deo, omnibusque Diabolis, ne eum libellum mihi recte iusteque reprehendant, &c. Hæc Lutherus Thrasonicè & impiè.

XLIV. Hunc Lutheri libellum contra Regem & Erasmum, Ioannes Cochlæus in Latinum vertit, vt omnes intelligerẽt, quidnam responderet miser homo, ad graues & elaboratos Regis & Erasmi libros. Cumq; in eodem libello suo Lutherus, hæc quoque verba cæteris vanitatibus suis adnexuisset: Quid ego, *inquit*, fumosus Cinerarius in Aulis Regum Principumque quærito? vbi scio, Diabolum supremo residere loco, summumque ibi eius esse thronum? Ego Diabolum probum reddere paro, absque ipsius voluntate, & apud eum inuenire Christum: merito ergo mihi tale præmium reddit. Redi, bone Luthere, adhuc semel quære Ioannem Baptistam in aulis Regum, vbi mollibus vestiuntur. Inueries eum ibi opinor. Ouis sum, & ouis manco, quod tam facile credo, ac me sic duci dirigique permitto, ad ludendum seu blandiendum eiusmodi Domicellis, & non multo potius meum sequor sensum: ita vt sit tyranno cuipiam aut sublimiter docto vnum ictum dedissem, ipsique ob id irascerentur, ego trigita ictus subinde adderem, in contritionem ac pœnitentiam. Sic

XLV. scirent, quomodo ego reuoco doctrinam meã. Adhæc Cochlæus ita respondit;

Quando Lutherus in Episcopos inuehebatur, erant ei tunc aulæ Principum velut sanctissima Monasteria, vbi Christus supremo assidebat loco: nunc vero dum irascitur Regi Angliæ, Ducique Georgio, aulæ Principũ sunt eidem throni Diabolici, vbi Diabolus supremo residet loco. Quemadmodũ & Erasmus erat ei doctissimus ac maximus Theologus, quãdiu sperabat eum suarũ fore partium. Quamprimum vero vidit, eum alterius esse opinionis, mox bonus Erasmus reddebatur omnibus etiã Sophistis indoctior. Itidem & Carlostadius plenus erat Spiritu Dei, q̃diu Luthero consentiebat; mox vero, vbi vel vno in articulo ab eo dissensit, factus est Diabolorum, Spirituumq; seditiosorũ pleniissimus. Attamẽ libenter audire velim, vbinam Lutherus Christum tandẽ inuenire intendat? Certe iampridem eripuit eum Papę, Cardinalibus, Episcopis, Presbyteris; & Monachis, eumq; ex omnium Episcoporum Curiis Monasteriisq; effugauit. Neq; vero apud rusticos cum relinquere potest: scribit n. eos Diabolis esse repletos. Quod si vera sunt & ea, quæ de Mercatorib. scripsit; non poterit, profecto nec ibi quidem verum inuenire Christum. Existimabat autẽ aliquandiu, q̃ apud Poetas Græculos; suos eum inuenturus esset, dum domestici ipsius aureiq; essent amiculi. Quũ vero nunc nõ omniquaq; cõsentiant ei, facti sunt Swermeri, ac seditiosi Spiritus, ac magis perdidere Christũ quã Papistę. Vbi igitur bonũ Christũ tandẽ inueniet aut relinquet? Nunquam profecto alibi, quantum coniicere licet, quã apud Moniales excucullatas, quas ipse, profugas domi suo in monasterio receptat ac retinet: quæ & ipsius voluntati omniquaque subseruiunt, nec vlla prorsus ei aduersantur. In his ergo habitat Christus Lutheri; in his operatur miracula: quemadmodum ipse Lutherus ipse de quadam illarum elegantem libellum, quomodo illi Christus suus è monasterio abeundi auxilium tam miraculose præbuerit, sinxit ac edidit.

XLVI. Erasmus verò, vbi acceperat Lutherum ita isto suo libello vane gloriari, quod Erasmus quoque de libero arbitrio nihil posset ei respondere, crebris præterea literis amicorum rogaretur, vt quam in Hyperaspista responsionem pleniorem pollicitus fuerat, eam aliquãdo præstaret ac ederet; insignem ac bene prolixum edidit librum, in quo sane cuncta Lutheri de seruo arbitrio argumenta, tam neruose ac dilucide dissoluit, vt neque Lutherus, neque aliarum sectarum quispiam, hãctenus attentauerit illi respondere. In eo igitur libro inter cætera multa, hanc generalẽ in Lutheri libros sententiã tulit.

Erasmus Roterodamus Luthero acriter respondet.

Videor, inquit, hoc mihi in Lutheri scriptis animaduertisse. Non semper est intentus iis, quæ scribit. Nec id fieri potest, vt hominis animus, perpetuò sit intentus alicui negotio; semper tamen currit illi calamus. Itaque, quò crescat volumen, plurima incidunt, quæ nihil aliud quam chartas explent. Nunc repetit plus decies dicta, commutatis tantum verbis. Nunc concionatur, versans in locis communibus. Nunc asseuerationibus implet chartas. Nunc ineptis salibus & insacetis facetiis eximit tempus. Nunc quicquid offertur aut succurrit animo, quocunq; modo detorquet ad causam suam, ac præter contitiæ, quibus natura scatet, habet verba quædam velut magica, quæ non ratione, sed vehementia quadam afficiant lectoris animum, vel imbecillem, vel parum eruditum. In quibus quoniam imaginatio plurimum valet iuxta Physicos, adeo vt frequenter morbos graues & mortem pariant, sit, vt quodammodo afflentur Spiritu, vt inam sancto. Irenæus tradit, arte simili plurimis imposuisse Valentinum ac Marcionem, non mulierculis tantum, sed & iudicibus. Habebant verba quædam barbara, incognita, vehementia, imperiosa. Ea mira fiducia pronunciantes, territabant iudices, & infirmos rapiebant in suam sententiam. Mulieribus etiam Prophetiæ Spiritum dabant, iterum atque iterum iubentes, præcipientes, imperantes, vt tantum aperirent os: asseuerantes, Propheriam fore quicquid dicerent. Quid queris? Incalescebant magicis verbis imbecilles animi, & afflabantur non aliter, quam qui commenticiis vocibus adurati, intumescunt, fremuntque, perinde quasi veris Exorcismi verbis premantur. Huiusmodi vocibus, quum omnes Lutheri libri, tum hic præcipue scatet. Addit ceris Dodonæi loquacitatem, aut si quid illo est loquacius; vt lector, quamuis sanus & integer, tamen hoc tædio delasseture. Et infra. *Quid autem stultius, quam cum eo disputare, qui nihil admittit, nisi Scripturæ verba; sed harum interpretationem sibi soli reseruans; imo qui sibi permittit comminisci, quoties cõmodum est, quod non magis è Scripturis elici potest, quam è punice lac. & tamen sibi videtur mirificus disputator: atque ita regesta, sibi canit encomium.* Et post multa: *Quod testimonium habeat in mundo, norunt omnes. Si mihi persuasum esset, illum Dei causam agere, nullus est in orbe tam potens Monarcha, qui me perpelleret, vt vel tria verba scriberem aduersus eum; citius abirem in ignem. Et fieri potest, vt ego, vel ob eruditionis inopiam, vel ob ingenii tarditatem, parum subtiliter iudicem de dogmatibus. Verum hoc me docet certe sensus cõmunis, fieri non posse, vt sincero pectore causam Dei tractet, qui concitatis tantis in orbe tumultibus, ludit ac deliciatur sanis ac dicteriis, nec vnquam expletur. Nec stultitia carere potest tanta insolentia, quantam adhuc in alio vidimus nemine: nec cum Apostolico Spiritu congruit tam seruilis petulantia; imo hoc ipsum est Dei causam negligere, ineptis dicteriis irritare Principes, ac doctos indecora voce Trotz. Ista diligentia fuit summa negligentia. Si vere diligẽs esse cupiebat in opere Dei, Paulum oportuit imitari, qui quum esset in omnibus liber, omnium se seruum fecit, qui omnia fiebat omnibus, qui per omnia placebat omnibus; qui non quærebat, quæ sua sunt, sed quæ Iesu Christi; qui non sequebatur, quod licebat, sed quod expediebat: qui abstinere iubet ab omni specie mala, hortans, vt Christianorum modestia nota sit omnibus hominibus.* Et post pauca: *Quale est Euangelium, quod recipit tales, quales nimium multos nouimus; quod agnoscit decoctorem, scortis, aleæ, comessationibus, ocio luxuque perditum, nihilque sibi non permittentem, modo sibi nomẽ Equitis posßit assingere & huius tituli usu esse putat, deludere creditorem. Etsi repetat mutuum, pro boste ducere; & quoties vrget inopia, huic aut illi, vnde spes est prædæ, bellum indicere, publicumque latrocinium belli nomine fucare. Principi non est ius indicere bellum, nisi consilio adhibito: & is, qui pedem vbi ponat non habet, bellum indicit cuilibet. At talibus est locus in nouo Euangelio, quibus apud Ethnicos in ciuitate moderata locus non esset. Hoc satis est, approbat mea dogmata. Quid refert de factis, modo adsit fides? Fatear olim & tales recipiebat Euangelium, sed resipiscentes, sed transformatos. Nunc quidam adeo non corriguntur per Euangeliũ, vt potius videantur per illud fieri deteriores; nec sit vt peccare desinant, sed vt peccent impunitius. Iam si quid erat corrigendum in moribus, aut immutandum in ritibus, id agendum erat ex autoritate magnatum, aut certè ex consensu plurimorum, denique patulatim: neque quicquam submouendũ, ni prius paratum esset aliquid melius, quod in illius locum succederet. Nunc quidam sic rem aggrediuntur, quasi possint repente nouum orbem derepente condere. Nihil non displicet, Constitutiones, Ordines Ecclesiæ, oleum, rasura, Missa, cantus, templa, imagines, vestes, schola, cæremoniæ, studia, litteræ. Quid autem pulchri vidimus succedere? Nunquam tam bene fuit actum cum rebus humanis, nec vnquam agetur in hoc seculo, quin multa sint digna correctione. Verum ad quædam præstat connuere, quædam condonenda sunt simplicium affectibus. Quæ ferri non possint, aut tolerari debent, si plus habitura videtur discriminis tentata curatio, quam habet ipse morbus; aut arte sensimque corrigenda; sic vt non abiici, sed meliorum successione protrudi videantur. Hanc moderationem si Lutherus adhibuisset, habuisset & Principes, & Episcopos, & ex Monachis ac Theologis, quos nunc habet infensissimos, optimum quemque sibi fauentem. Hæc loquor, fingens causam esse per omnia talem, qualem videri vult Lutherus. Profitebatur enim sese Ecclesiæ collapsos mores, ac nonnulla dogmata magis ad commoditates hominum, quam ad Christi gloriam facientia, reuocaturum ad synceritatem. Hoc negotium iam olim suspirabant optimi quiq; sed quoniam perspiciebant, nisi Deus afflasset animos Principũ, sine graui publicæ tranquillitatis cõcussione tentari non posse; optabãt potius, quam sperabant. Quod summo quidem orbis applausu Lutherus aggressus est, sed ita se gessit, quasi seditionem, quam imprimis vitatam oportuit, affectasse videatur. Nunc non licet commemorare, quales habeat plerosq; discipulos. Illi satis est, quales quales sunt, quod approbant ipsius dogmata. At Paulus ne cibũ quidẽ capi vult cum fratre, qui nominatur auarus, aut scortator, aut maledicus. Certè istorũ multi ad publicam tranquillitatẽ adeo sunt inutiles, vt Turca quoq; feratur Lutheranorũ nomen execrari, seditionis odio; quam Christianos toleret, ab ipsius dogmatibus alienos. Quidhic cõmemorem, quãta inter Euangelistas (sic enim ipsi se vocant) dissensio; quã atrox odium, quã amarulenta contentio; imo quanta inconstantia, quum ipse Lutherus toties mutarit sua placita; & subinde noua paradoxa suppullulent. Promisit sibi mirificam apud posteros memoriã. At ego potius auguror futurũ, vt nullũ nomẽ sub sole fuerit vnquã execrabilius Luther i nomine, & apud Papistas, & apud Antipapistas. Mundi Principes, huic mundo deditos irritauit: causam emendãdæ disciplinæ Ecclesiasticæ, cui fauebãt optimi quiq; sic exulcerauit, vt & aduersariorũ vires auxerit, & malũ reddiderit immedicabile. Quod, ni Deus velut è machina succurrerit, nunquã sopietur, nisi maxima Christiani sanguinis effusione. Primitias iam vidimus in rusticis. Et hoc statu verũ ille ludit dicteriis, in quos lubitũ est.*

XLVII.

Hæc & id genus multa Erasmus. Ad quæ sane omnia sic obmutuit Lutherus, vt nullo deinceps verbo Erasmum amplius irritare fuerit ausus, licet audacissimus & petulantissimus alioqui extiterit.

Cum autem nouum Testamentum, à Luthero in Germanicam linguam versum, ac multis in locis deprauatum, & per falsas annotationes ad confirmandas hæreses eius adornatum multisque millibus exemplarium per Chalcographos adauctum & euulgatum, vbiq; circumferretur venale, & Inclytus ac maxime Catholicus Princeps, Dux Saxoniæ Georgius, cõstantissime illud non solum reiiceret priuatim, sed & publicis edictis interdiceret subditis suis, per omnem suam in Thuringia, Misniaq; & Saxonia ditionem; atque ex hoc grauem inuidiam, odiumque & obtrectationem à Lutheranis pateretur; hinc factũ est, vt illi fidelis ac deuotus Capellanus, Hieronymus Emserus, qui iampridem ediderat Annotationes in Lutheri Testamentum nouum, ac de multis eum erroribus palam conuicerat; Notum Testamentum, ex recepta & approbata per totam Ecclesiam translatione Latina, verterit in Theutonicum quam fidelissime, iussu & petitione prædicti Principis, qui præfatione sua opus illud commendabile bonis ac piis omnibus reddidit. Vnde factum est, vt illius editione frequenti, Lutheri testamentũ, & nomen & autoritatem magna ex parte apud Germanos perdiderit. Inter cætera autem Princeps ille sic ait in prologo Theutonico.

Ea proter nos maturo ac deliberato consilio, atque etiam ex mandato & commissione Romanæ Cæsareæ Maiestatis, Caroli V. Domini nostri omnium clementissimi, dictam Lutheri interpretationem ac nouum Testamentum, dilectis fidelibusque nostris subditis, ad euitandas pœnas & damna, tum corporis, tum animæ, intentione prorsus paterna debit aque ac bona, interdiximus, atque etiam è manibus eripuimus: id quod Lutherus cum nonnullis complicibus suis nobis pessime imputantes, criminati sunt nos, velut tyrannum ac persecutorẽ & hostem sancti Euangelii ac verbi Dei, qui illud libere legi ac prædicari in terris nostris non permittamus: In quo sane iniquissime nobis moleste sunt. Speramus enim in Domino, omnes, qui nos rectè cognoscunt, non aliter percepisse vnquam, quam nos Euangelium ac verbum Dei, quomodo ab Ecclesia Catholica receptum est, libenter audiisse. Vtinam & facto illud sequuti simus; quod tamen facere, quantum gratiæ nobis contulit Deus studuimus, ac de cætero studebimus pro virili. Neq; igitur verum Euangelium, neque verum verbum Dei, sed duntaxat Lutheri aliorumque Pseudoeuangelicorum Concionatorum, fallaces doctrinas, sermones & Scripturas, in terris nostris supprimere intendimus. In quo sane proposito constanter, Deo volente, per diuinam gratiam, vsque in finem perseuerabimus.

Speramus item & confidimus, eos quoque, quibus ignoti sumus, & qui post nos venturi sunt, ex subsequenti commemoratione fructum, qui ex Lutheri aliorumque Sermerorum doctrinis enati sunt, nos facile excusatos in hoc habituros esse. Quamuis enim Lutherus rem primo sub prætextu cuiusdam Reformationis & emendationis abusuum, qui apud Ecclesiasticos & seculares radices egerant, inceperit; verbis tamen ac factis mox indicauit, sese non intendere rem emendare, sed prorsus euertere. Quemadmodum sæpe gloriatur, eo se rem perducturum esse (neque item vlli ad hoc labori pepercit, & de hoc maxime proteruiit) vt intra paucos annos nullum templum, Collegium, Sacellum aut Monasterium; nullus presbyter, Monachus aut Monialis; nullus item Episcopus aut Princeps sub cœlo permanere debeat. Neque in his contentus, verum etiam Ecclesiam Catholicam, ac sanctam fidem nostram, partim per seipsum, partim per suos sequaces Suermeros ac Pseudoeuangelistas, penitus extinguere. Et non modo Diuos, verũ etiã Christum ipsum è cœlo propellere conatus est: Quemadmodum & facto vnum post alterum adorti, primum Doctores Scholasticos, deinde & veteres sanctos Doctores, quos Ecclesiasticos vocant; quorum scripta, Canones & decreta (quæ ad ædificationem Ecclesiæ à Spiritu sancto eis indita fuerunt) ignibus publice combusserunt; Sanctorum imagines & Crucifixi statuas, quæ non pro idolis, sed pro memoria duntaxat ad plebis excitandam deuotionem, erectæ sunt, destruxerunt ac dissecuerunt, non modo in viis publicis, verum etiam in templis. Omnia bona opera, qualia sunt, Virginalis castitas, ieiunia, orationes, festa, visitationes Ecclesiarum, processiones, litaniæ, matutinæ, vesperæ, ac aliæ horæ Canonicæ; Ad hæc vigiliæ, Missæ pro defunctis, exequiæ, Tricesimi, Anniuersarii, & quicquid ab Ecclesia in suffragium piis animabus peragitur, simul cum omnibus antiquitus obseruatis ritibus & cæremoniis, nõ solum scelerate floccifecerunt, verum etiã prorsus abrogarunt & omiserunt. Præterea vsque adeo carnales ac feri facti sunt, vt etiam sacris sextis feriis, aliisque ieiunii præcepti diebus, non ex necessitate, sed ex mera petulantia, & in Ecclesiæ despectum, carnibus vescantur. Rogant insuper ac desiderant, vt post mortem non in locum sacratum, sed in prophanum, sicut aliud animal irrationale sepeliantur, nec aliquid boni pro eis fiat, neque etiam pro ipsis oretur. Atque vt in his omnibus impuniti permaneant, Conciliorum quoque & Ecclesiæ potestatem omnem prostrauerunt, ac vulgari populo id potestatis tradiderunt, non solum super Scripturis & Concilijs, verum etiam super vtraque superioritate, tum Ecclesiastica, tum seculari, ad iudicandũ ac puniendum. Ac deinceps temere aggressi sunt, non solũ cærimonias & Sacramentalia, qualia sunt, benedictio aquæ, salis, herbarum, candelarum, & id genus aliorum, quæ vt Paulus ait, per orationem & verbum Dei, in templo sanctificatur abrogare; verum etiam ipsa Sacramenta arroganter inuaserunt: quorum aliqua prorsus reiecerunt, vt pro nullo habeant Sacramento, veluti Confirmationem, extremam Vnctionem, sacros Ordines, Confessionemq; cum pœnitentia & satisfactionem; cætera vero variis multisque modis ac formis immutant ac peruertunt, &c.

XLVIII.

Ista Georgius Dux Saxoniæ, retundens impudentiam Lutheri, quam is in illo libello effuderat contra Anglum, ipsum Ducem, Erasmum, Catholicos & Suermeros. Neque Suermeri muti fuere: qui Syngramma Sueuicum, de quo diximus, parum benigne excepere, & in Lutherum surrexere. Allatrauit illud Zuinglius, qui dux erat & caput Sacramentariorum: Oecolampadius vero, qui doctissimus omnium habebatur, Antisyngramma Syngrammati Sueuorum opposuit, satis acerbe scriptum. Cum itaque Lutherus socios suos ab aduersariis premi videret, ipse tandem contra Zuinglium & Oecolampadium in arenam sibi descendendum putauit. Igitur hoc anno 1527. ineunte librum edidit valde prolixum in Sacramentarios, cui titulum fecit; Quod hęc verba Christi, Hoc est corpus meum, adhuc firmiter consistant. Respondet vero plerisque ipsorum argumentis, quę partim è sacris literis, partim ex ipsa ratione, tum vero è scriptis etiam sanctorum Patrum, contra simplicem verborum Christi intelligentiam formauerant.

XLIX.

Principio discordiam illis obiicit probri loco; quod tametsi conueniant inter se de summa rei, & Christũ vnanimiter persequantur, fœde tamen inter se sint diuisi: Nec vllam se, dicit, hæresim legisse, quę statim ab initio tam turpiter in multas factiones & capita dissecta fuerit. Ipsum vero Diabolum huius erroris autorem esse pronunciat, quem oculis, ait, ceu minitabundum, iam nunc scintillare, quasi grauiora machinetur. Ordiri quidem eum fabulam hanc à dogmate de Eucharistia; quod parui momenti esse videatur; sed paulo post progressurum longius, & alia quædam oppugnaturum Christianæ religionis capita, Baptismum scilicet, doctrinam de peccato originis, tum diuinam ipsius Christi naturam. Se quidem, ait, tardius in hanc arenam descendere, tum quod scripta sua pridem edita, de hoc argumento superbè videat ab aduersariis contemni: tum vero, quod nudis vtantur & inanibus blateramentis, & causam hanc agant trepidante conscientia; quasi tacito quodam nutu pœnitentiam susceptæ luius certaminis præ se ferant. Cæterum non illorum se gratia, suscepisse laborem hunc; cum notum sit, nunquam vere cõuersos esse primos hæreseon autores; sed simplicioribus & infirmis hoc scripto seruiendum fuisse. Quod si nemo prorsus è Sacramentariorum discipulis in viam se reduci patiatur, cõsulendum nihilominus domesticis, & infirmos fratres antidoto quodam contra pestilens hoc venenum muniendos. Interim protestari se, dicit, coram Deo, totoque mundo, quod Sacramentariorũ & Swermerorum doctrinã nõ probet, nec hactenus probarit vmquam, nec futuris etiam temporibus vmquam per Dei gratiam sit probaturus. Neque se reum futurum sanguinis aut perditionis animarum, quas furtim illi subducant Christo, & huiusmodi lethali toxico infectas occidant. Prouocare Sacramentarios ad legem fraternæ charitatis: quasi negotium hoc tanti momenti nõ sit, vt propterea solui oporteat charitatis vinculum, & pacem turbari. Scilicet hoc agere malignũ dæmonem, dum talia proponit, vt postquam reipsa turbauit omnia, & malum machinatus est, fraudulenter deinde pacem offerat, cõcordiæ studium & charitatis affectum præ se ferat, velut illi quondam, de quibus Propheta Regius Psal. 27. Loquuntur pacem cum proximo suo, mala autem in cordibus eorum. Politicam quidem externamque concordiam cum illis iniri posse; Ecclesiasticam vero mini-

Lutherus Zuinglium vehementer oppugnat

minime: imò cauendos eos esse, adeoque damnandos atque increpãdos velut idololatras, blasphematores & mendaciorũ patronos, quamdiu supersit vitæ spiritus. Qui tales habeant verbi ministros, eos diaboli laruas habere; qui phaleratis sermonibus, sub honesta specie, Dei loco, diabolum ipsum auditoribus suis proponant.

L.

Cum hic liber in publicum prodiisset, in castris Sacramentariorum statim ad arma conclamatum est. Neque vero Lutherum diu triumphare passi sunt pugnaces Heluetii; sed libris editis nouum hunc tractatum summis viribus oppugnarunt. Cæterum quia paulo acerbius per Lutherũ excepti fuerant, ipsi quoq; vicissim, velut irritati, scriptis suis amarulentię plusculum inspersere. Tulit hoc permoleste Lutherus; qui licet omnibus sine discrimine summa libertate malediceret, neminem ferebat tamen vel verbo contradicentem. Quiritabatur igitur inter suos, atroci se iniuria à filios degeneres affici, quos vti perduelles & proditores domesticos cũ Absolone & Iuda cõparare solebat. Sic ergo de Suermeris istis iterũ queritur, suæ interim iactantiæ minime oblitus aut dissimulans: nunc temporibus nostris, quum videremus Scripturã sub scamno iacere, ac Diabolũ mero stramine ac feno humanorum præceptorum nos tenere captiuos atq; illudere: voluimus per gratiã Dei huic rei cõsulere: & profecto cum ingenti ac difficili labore reduximus in lucem Scripturã, humanisq; præceptis valediximus, nosq; liberos fecimus, & Diabolum effugimus, quamuis egregie restiterit, atq; adhuc resistat: & artis suę non obliuiscitur, & inter nos quoque aliquid seminis sui occulte immiscuit. At circa hoc non substitet, sed incipit à minimis, nempe à Sacramentis. Quamuis ea in re Scripturam in decem ferme foramina atq; effugia iam lacerauerit, vt ego turpiorem hæresim legerim nunquam, quæ in initio tot inter se capita, tot sectas habuerit: etiamsi in principali causa, vtpote in persequendo Christum, vnanimes existant. At vlterius procedet, plurisque aggredietur articulos; quemadmodum iam oculis scintillat, Baptismum, Originale peccatum, Christum nihil esse. Hic rursus erit in Scriptura tumultus, ac tanta discordia, tot sectæ, vt cum Paulo bene possimus dicere, mysterium iniquitatis iam operatur, quod multæ post eum sectæ essent futuræ. *Et post pauca:* Video hac in causa nihil aliud, quam iram Dei, qui Diabolo fræna relaxat, ad excitandos huiusmodi adeo crassos rudesque errores, ac tenebras palpabiles; vt puniat turpem nostram ingratitudinem, qui sanctum Euangelium tam vile atque contemptuim habuimus, vt iniquitati, sicut Paulus ait, credamus, eo quod charitatem veritatis non recepimus. Neque deest Suermeritati huic quicquam, nisi quod noua est. Nos enim Germani tales socii sumus: Quicquid nouum est, arripimus, eique adhæremus veluti fatui. Si quis prohibet, is nos ad hoc furentiores reddit. Sin nemo prohibeat, nos ipsi statim exfatiamur & fastidimus; inhiantes subinde ad aliud nouum quid. Diabolus vero id prærogatiuæ habet, vt nulla doctrina, nullumque somnium tam ineptum exoriri possit, quin ad illud reperiat discipulos; & quanto ineptius, tanto citius. At solum verbum Dei manet in æternum. Errores circa ipsum semper oriuntur, & occidunt. *Et infra post multa:* Super hunc sermonem alios forsitan Suermeros acquiram, qui me capiant, & dicant. Si Christi corpus in omni loco est; ergo illud deuorabo, & potabo in omnibus tabernis, ex omnibus scutellis, vitris & cantharis. Et sic nulla erit differentia inter meam & Domini mensam. Hui quam egregiè eum deuorabimus. Tam turpes enim porci sumus nos infelices ac perditi Germani maiori ex parte, vt neque disciplinam, neque rationem habeamus: & quando de Deo quidquam audimus, reputamus perinde ac si essent fabulæ histrionum. Talia nunc & dicta, & facta contra Sacramentum istud reperiuntur, in plebe, quæ per Suermerorum doctrinam seducta est, vt potius mori quis debeat, quam vel vnum ad eos scribere sermonem. Nam mox proruunt, quando audiunt, nihil esse, & volunt in illud cacare, ac nates ex eo tergere. Secularis potestas deberet eiusmodi blasphematores punire; impudentia est, & audax temeritas. Cum prorsus nihil de eo sciant, & tamen hunc in modum blasphemant. Et nouit Deus, me huiusmodi altas res inuitè scribere, quando oportet talibus proiici canibus & porcis. At quid faciam? Suermeri de hoc rationem reddent, qui ad hæc me cogunt. Audisti iam porce, aut Suermere, aut quisquis es irrationalis asine: etiamsi Christi corpus vbiq; sit, illud tamen propterea nõ statim deuorabis, nec potabis, nec palpabis. Neq; ego tecũ de isce rebus loquor; vade in tuum stabulum porce, aut in tuum sterquilinium, &c. Tale erat tum Lutheri de suis Germanis iudicium, quando plurimos à sua secta ad nouos Suermeros transire videbat: quibus tamẽ paucos ante annos, dum sibi adhærerent, vltrò tradebat facultatem iudicandi de omni doctrina, ac de omnibus, etiam Papæ, & generalium Conciliorum Decretis.

LI.

Scripsit sub idem tempus, Lutherus, epistolam ad quendã suæ factionis concionatorem Ioannem Hessum, pastorem Wratislauiensem, qua respondet ad quæstionem ab ipso propositam, An licitum sit fugere pestem? In ea sub finem, à corporali cõtagione, transitum facit ad spiritualem pestilentiam, quam nunc Sathanæ malitia per mundum grassari dicit, & fidelium animas ad mortẽ inficere: cuiusmodi mortiferã luem eorum scriptis diffundi, ait, qui Sacramentariæ factioni nomen dederunt. Quanquã & aliæ sectæ præter hanc passim exoriantur. Sathanã furore percitum, quia forte iudicium Dei sentiat non procul abesse, horrendum in modum sæuire, vt Christum auferat per fanaticos istos, ad Spiritum reuocantes omnia. Sacramentarios ad librum nuper à se emissum respõdisse, cui decretum habeat vnum adhuc scriptum opponere, nec porro deinceps quicquã cum illis habere negotii; cum videat eos quotidie fieri peiores, & similes esse cimicibus, quod animal licet per se fœdum sit & fœtidum, quo pressius teratur tamen, eò fœdius solent fœtere. Hæc ad Hessum Lutherus.

Iacobus Kautius VVormatia nouus Pseudopropheta.

Neque falsus fuit Lutherus, dum augurabatur, Sathanam per hæreticos ad grauiora progressurum, & Baptismã, originale peccatũ, & Christum negaturum. Insurrexit enim Wormatiæ nouus Pseudopropheta, Iacobus Kautius, cui nomen Germanicum à Bubone, de quo ait Ouidius;

Ignauus bubo, dirum mortalibus omen.

Inter alios, quos edidit articulos, duos istos impietate insignes habet. 1. Baptismus paruulorum prorsus à Deo non est, sed directe contra Deum, & contra Dei doctrinam, quæ nobis per Christum Iesum filium eius prolata est. 2. In Sacramento seu cœna Domini, neque est substantiale corpus aut sanguis Christi.

LII.

Circumferebantur & alii noui quorundam articuli, octo ex Saxonia, ac totidem ex Morauia. Hos Anabaptistæ in Nicolspurgo, illos quidam apostata Præmonstratensis Magdeburgi se disputaturum pollicebatur. Vtrique vero tanta in Christum ipsum impietate insaniebant, vt vel Imperator Iulianus, qui ex Christianismo ad paganismum apostata transierat, tam fœdis & absurdis erroribus vix fuerit obnoxius. Sic enim ait Præmonstratensis ille; Infernus non est. Christus non descendit ad inferos. Sancti Patriarchæ & Prophetæ non fuerunt in inferno. Christus cum hanc vocem dixisset, Heli, Heli Lamazabathani, damnatus fuit, quia desperauit. Morari autem illi dicebant, Christum non fuisse verum Deum, sed Prophetam; nec prædicandum esse eius Euangelium publice in Ecclesiis, sed solum priuatim in domibus, & in aures. Inter Christianos nullam potestatem aut Magistratum esse. Christianis omnia esse inter se communia. Diem extremi iudicii post biennium futurum esse.

LIII.

Neque in eo etiam falsus fuit Lutherus, dum plures ex Sacramentariorum secta & Suermerorum, nascituras pronunciaret. In Silesia Caspar Swenckfeldius homo fanaticus, qui tametsi quædam habebat communia cum Zuinglianis, in multis tamen summi momenti dogmatibus ab iis dissidebat. Ab hoc velut autore primo, secta Swenckfeldianorum originem duxit, longe lateque propagata. Fuerunt & alii homines, numero 300. qui prope Apocellam in Heluetiis, in editum ascendebant montem, velut assumendi illinc in cœlum eum corpere simul & anima: quibus cacodæmones ita omnẽ eripuerant intellectum, vt abiecto omni pudore humano, in brutorum modum congrederentur, ac necessarium esse crederent, vt commiscerẽtur, ita vt ne virgines quidem à tali cõgressu sibi abstinendum putarent. In Sueuia captus quidam Sacerdos docebat, finem iam Christianæ fidei adesse, aliamq; legẽ tradendã esse. Nam sicut lex Moysi 1500. annis duranerit ita & lex Christi totidem iam annis duranerit; ideo tempus iam esse, vt alia lex, aliaque fides traderetur hominibus.

LIV. Dum igitur pugna feruet cum Sacramentariis, dum serpunt Suenckfeldiani, dum Suermeri in varias cohortes diuisi ceruices passim erigunt, dum nocentiores sectæ ex eadem radice Lutheri pullulant, dumque ad Atheismum sectarii præcipites ruunt, Lutherus hac rerum perturbatione territus, cuius se nouerat autorem, in grauissimos incidit angores, & horrendam aliquamdiu corporis animique pressuram sustinuit, quam illi per Diabolum illatam fuisse Ionas & Pomeranus commemorant, qui velut oculati testes rei gestæ seriem descripserunt. Habuit initiū paroxysmus iste Sabbatho post festum visitationis B. Mariæ Virginis horis matutinis; idque tanto cum impetu, vt ipse præ mentis angustia nihil aliud, quam ad extrema veniendum existimaret. Accersit igitur ad se Pomeranum, eique peccata sua soli confitetur, rogans, vt sibi consolationem suggerat è sacris literis, & peccatorum omnium absolutionem impertiat: preces etiam pro se fundat ad Dominum, & potestatem sibi faciat postridie, qui Dominicus dies erat, Eucharistiam participandi. Ille territus insolito Lutheri sermone, quid hoc negotii esset vehementer mirabatur. Peracta confessione Pomerano deinde commemorat, quam intolerabiles animi cruciatus & angores pertulerit horis matutinis: eos certè grauiores fuisse, quam vt verbis possint explicari. Addit porrò: Quia me nonnunquam paulo hilariorem exhibeo in morbis externis, multi existimant, me iucundam omnino vitam viuere. Verum Deus perspectam habet morum meorum rationem. Sæpe proposui, paulo maiorem austeritatem & sanctitatem in gratiam hominum præ me ferre: verum à Deo mihi donatum non fuit, vt hoc exequerer.

Lutherus horrendam sui corporis pressuram patitur.

LV. Erat à nobilibus quibusdam ad prandium vocatus, in diuersorio publico paratum. Hortabatur eum Pomeranus ne emaneret; futurum ratus, vt confabulationibus de rebus variis illa mentis ægritudo dissiparetur. Venit igitur, & seipsum, aliosque qui præsentes erant, pro consuetudine sua satis exhilarauit. Vbi surrexit à prandio, ad hortum Ionæ secessit, vt captaret aerem, & quod reliquum erat mœroris ex paroxismo matutino, suauiore colloquio dilueret. Ibi de rebus variis sermonem habuit ad horas duas cum Iona, quem demum, cum discederet iturus domum, paulo post sequi iussit ad cœnam. Venit ille circa horam quintam vespertinam, & Lutherum in lecto decumbentem inuenit; qui monitus surrexit tamen, vt cum reliquis accumberet. Vbi de cubiculo descendit, insolitum quendam & molestissimum sensit tinnitum in aure sinistra. Augescēte vero hoc malo, & mediam capitis partem occupante, ac si sonitum aquarum audiret, aut molendini strepitum, ad lectum redire festinauit. Ibi vero concidit velut exanimis, & sensibus oppressis aliquamdiu iacuit, vt nec vocem emitteret, nec vllum in eo vitæ signum appareret. Postquam nōnihil restitutus est, ad circumstantes, Ionam, Pomeranum, aliosque varios sermones habuit.

Inter cætera, multi me reprehendunt, inquit, quasi nimis duriter & acerbe Papistas ac Svvermeros tractauerim. Fui subinde vehemens, fateor, & durus in aduersarios: verū istius me nunquam pœnituit. Ad Pomeranum conuersus; ego hodie tibi confessus sum, inquit, & absolutionem accepi, quo nomine mihi gratulor. Miscebat subinde preces, & gemitus, vbi solent, qui in magnis versantur angustiis. Cumque gliscentium in Germania sectarum mentionem faceret, grauiter turbatus & lachrymans in hæc verba prorupit: O quantam confusionem Svvermeri, Sacramentarii, Anabaptistæ, aliique Sectarii, post mortem meam inducent? Certè Deus me præ mille aliis quamplurimis ornauit insignibus, & excellentibus donis, quibus libens admodum, si diuina voluntas ita ferat, adhuc vterer. Vos infirmiores estis, quam vt tot Svvermeris, vi passim irrumpentibus, pares esse possitis: sed Christus fortior est, quam Sathan cum squammis suis omnibus.

Lutheri ægrotantis ad amicū suum sermones.

Adstabat Catharina Borea, quam vxoris loco habebat. Hanc compellans: Si Deus, inquit, me euocare voluerit, rogo te, vt ad ipsius te voluntatem adiungas. Es vxor mea legitima, qua de re nihil omnino dubitabis. Dicat impius mundus, quicquid voluerit. Tu verbi diuini ductum sequere. Vocatus fuerat & medicus, qui cum variis fomentis vsus esset, tandem nihil ab hac infirmitate periculi futurum iudicabat: quod medici iudicium, euentus comprobauit. Cum enim paulo post affluenter sudasset, melius habere cœpit, & in sequentem diem vtcumque restitutus est. Hanc vero tam subitaneam ac vehementem animi corporisque ægritudinem, non prouenisse ex causis naturalibus, sed operatione maligni Spiritus illatam, Lutherus ipse censuit, vti Ionas & Pomeranus testantur. Quod si conditionem temporum spectes, & publicum rerum statum, tum ipsius Lutheri machinationes, & causæ successum, angores, quos illo die pertulit, ex remorsu conscientiæ exortos, non iniuria dixeris. Neque vero alienum est à Sathanæ veteratoris malitia, si in animum sese fraudulēter insinuet, anxiis cogitationibus fluctuantē, & huiusmodi pauores augeat trepidantis conscientiæ, adeoq; afflicto afflictionem addat: præsertim, si quis illum admiserit consultorē, eiusq; suggestionibus locum dederit; vti Lutherum pridem in nocturna disputatione de Sacrificio & Sacerdotio fecisse supra demonstrauimus. Vt vt sit, certe Luthero in hac animi trepidantis ægritudine, ea maxime venerunt in mentem, quæ cumprimis ad perturbandam onerandamque conscientiam momentum habent & pondus. Obuersabatur enim effrenis illa maledicendi conuitiandique libido, quam bonis omnibus nouerat displicere. Obuersabatur fœdum illud hæreseon errorumque chaos, quod per Germaniam inualescere videbat; tum horrendi motus, quibus orbem Christianum inuoluerat. Obseruabatur liberior viuendi ratio, & largior haustus in mensa; qua parte Pomeranus eum subinde peccare solitum fatetur. Obuersabatur incestuosum matrimonium, quod ipse monachus excucullatus cum excucullata moniali, rupto castitatis voto contraxerat. Quanquam vero non resipuit, sed animum habere se demonstrauit in erroribus obstinatum, dum maledicentiam in omnes, turbatæ pacis & orbis in factiones distracti crimen, potandi consuetudinem, & infames nuptias quibusdam excusationum inuolucris palliare nititur; tamen in summis angustiis & terroribus ad confessionem delictorum recurrit, non publicam & generalem, sed priuatam illam, quam auricularem per contumeliam appellare consueuerat: perfugium certè solidum & minime fallax contra quasuis Sathanæ machinationes, si recte vtaris: at Papisticum tamen, prout illi ipsi nominant, in quo nihil præsidii habent filii desertores, qui sunt ab Ecclesiæ communione separati. Et Lutherus quidem hoc ipso facto declarauit, quanta sit vis & energia veritatis, vt quæ subinde per hostium fauces vel actiones in apertum erumpit. Verum, quia nodum ipsum & caput mali non tetigit, nec ab erroribus rediit in viam; nec de iis, quæ in Ecclesiam deliquerat, pœnitentiam egit; ad veram animi tranquillitatem peruenire non potuit. Malum quidem ipsum eo vsque mitigatum fuit, vt in externos gestus & motus & mores non erumperet; at mœror animi, & molestum illud violatæ conscientiæ murmur, quod inuitus ob perturbatam Ecclesiæ quietem patiebatur, nunquam eum deseruit per omnem vitam. Quin & subinde rursus inualuit hæc mentis anxietas, cumque de gradu deiecit, etiam in medio actionum cursu. Refert sane Melanchthon in vita Lutheri, quod in disputatione quadam Theologica tantus eum horror inuaserit, vt velut emortuus ad cubiculum proximum secederet, seq; in lectum coniiceret, quasi deliquium pateretur. Certe quatuor mensibus post, quam in hunc paroxysmum incidit, scribit ad amicum quendā ex intimis, se velut reiectitium vermē animi mœrore & pusillanimitate Spiritus duriter affligi, & grauius quidem, quam vt tantos angores ferre possit. Interim Sacramentarios, à quibus cōmiserationem mereatur, nihil aliud moliri queritur, quam vt grauiter afflictum, & extremos vitæ trahentem Spiritus plane conficiant. Iam vero & inter suos non raro sermonem habuit, de perpetua hac cogitationum lucta, in qua fraude dæmonum, vt ipse interpretatur quidem, & in summas angustias redactus, vt subinde præ mentis anxietate sudor erumperet. Atque inde plerosque morbos suos, inprimis vero frequentem illam capitis vertiginē prouenire iudicauit. Cæterum inter varias suggestiones, quibus cum luctandum fuit, illa cogitatio penetrauit altius, eumque vehementer anxium reddidit, quæ de vocatione ad docēdum, deq; doctrina, quam sub Euangelii nomine propagabat, animum subiuit; in hunc fere modum, vt discipuli eius testantur; *Tu prædicas Euangelium scilicet? Quis vero te vocauit ad hoc ministerium? Quis tibi præcepit, vt hoc faceres? Inprimis autem, vt ad hunc modum doceres Euangelium,*

quo nemo mortalium multis seculis id docuit? Quid autem, si Deo non placeat hic docendi modus? Quid si tua culpa tot animæ pereant, quarum damnatio tibi sit imputanda? Tu certe mutationem hanc instituisti, & autor es turbarum omnium. Quot scandala peperit doctrina tua? Quanta malorum Ilias ex ea prouenit? Quam ingens multitudo per eam seducta est? His cogitationibus se frequenter affligi fatebatur, & in magnas angustias adduci, vt nonnunquam ad inferni barathrum descendisse sibi videretur. Hanc vero molestam ac difficilem conscientiæ luctam, ad extremam vsque ætatem sustinuisse videtur: in qua, ne vel conscientiæ ductum sequeretur pœnitentiam suggerentis, vel Diabolo desperationem proponenti succumberet, iisdem proculdubio remediis vsus fuit, quæ aliis in hoc genere suasit adhibēda, quorum summa est: Abstinere prorsus à ieiunio; edere, bibere, ludere, iucundis cogitationibus animum oblectare, bene curare ventrem, & caput, bonum haustum sumere. *Mihi Seni*, inquit loco quodam, *oportunum est contra tentationes remedium, fortis haustus, qui somnum induceret.* Verum hæc hactenus. Bacchi & Cereris, & Veneris filium dixeris nouum Apostolum, toto genere à Christi Apostolis diuersum.

LVI. Melanchthon, quamuis Luthero adhæresceret, tamen noluit illi coniungere se, vel ferre suppetias contra Sacramentarios dimicanti, imo vehementer doluit, quod eò res adducta esset, vt cum Euangelicos se profiterentur vtrique, mutuò sese scriptis publicis in omnium conspectu fœdissime lancinarent. Visitationis interim per Saxoniam, à Principe Electore munus hoc anno suscepit, & cum vno Iurisconsulto peregit. Vidit enim Princeps Elector, res Ecclesiasticas in ditionibus suis perturbate curari pro libidine Lutheranorum Concionatorum, qui nec idem sentiebant de dogmatibus, nec in Sacramentorū administratione diuinoq; cultu iisdem ceremoniis vtebantur. Huic malo vt faceret medicinam, suosq; ad candē doctrinæ diuiniq; cultus & rituum Ecclesiasticorum formam ordinatione publica reuocaret, Lutheri suasu visitationē hāc instituit; de qua, cum hoc anno 1527. mensibus æstiuis esset peracta, Melanchton cōscripsit librum sub titulo, *Saxonicæ Visitationis*: in quo missis iis, vel potius de industria dissimulatis, de quibus tum variè disputabatur, modum de potiorib. fidei capitib. docendi præscripsit. Ordinauit & ceremonias ac ritus quibus in Sacramentorū administratione diuinoq; cultu per ditiones Electoris esset vtendū. Quin & de morib. deq; disciplina quædā inseruit, ad refrenandā eorum libertatem & petulantiā, q Ecclesias moderabātur. Quæ omnia Lutheri iudicio & Principis autoritate munita fuerunt & ꝓmulgata. Ita factū est, vt reiectis Ecclesiæ Catholicæ sanctionibus, Lutheranæ, Melanchthonicæq; in locum substituerētur. Quanquā multa retinuit in hac visitatione Melanchton ex ritibus Ecclesię veteris; q̄ Lutherus postmodū, Electore rebus humanis exēpto, velut Papistica prorsus explosit. Interim Visitatores magnas in hoc negotio molestias experti sunt & difficultates, quę Melanchthonē inprimis duriter exercuerūt. Inuēti passim, q pastorū munere fungebatur, homines inepti, & improbi ab ingenio, Catholicorū reiectamēta, futiles inquā & periurio infames apostatæ; quorū tribunitiis vociferationibus, & dissonis clamoribus perstrepebāt cathedræ, nec aliud fere, quā sannæ, cōuitia, tonitrua in Pontificē, in Episcopos, in Papistas audiebantur: vt genuinos Lutheri discipulos agnosceres. Qua de re Melanchthon in epistola quadā ad Camerariū queritur; Ego, inquit, in molestissimis negotiis hoc tempore versor; & quidē nullo cum fructu, quantū video. Adeo sunt omnia perturbata partim inscitia docētium, partim improbitate. Horum igitur intemperiem & ferociā vt cohiberet, ita scripsit Visitationem hanc, vt non solū omitteret ea, de quibus tum maxime disceptabatur, sed & ritus quosdā Catholicos retineret, vt diximus, & disciplinæ frenū iniiceret turbatoribus illis, eorumq; licentiam in vita & in morib. coerceret. Vnde postquā typis diuulgata fuit hæc Visitatio, noui clamores in Melanchtonē exorti fuerunt, quasi restitutionem moliretur Pontificiæ, vt ipsi vocabant, tyrannidis, & Euangelii Lutherani puritatē nouis humanarum Constitutionum sordibus inquinaret. Ita nimirum inculcari pœnitentiā, timorem Dei, legis obseruantiā, & studium bonorū operum, vt quæ pridē Melanchthon ipse cum Luthero de iustificatione, de fide, de libero arbitrio, de libertate Christiana docuerat, ea nunc prorsus euertere videatur. Hac ratione ianuam aperiri, per quā Papatus denuò nō difficulter irrepat. Præuidit Lutherus, vt erat ingenio sagaci oritura hæc obloquia, cum scriptā à Melanchthone visitationē recenseret. Ideoq; in literis ad Electorē Principem, se cum Pomerano dicit legisse Visitationis acta, & paucis quibusdā mutatis ꝓbare cætera. Quod si forsitan, *inquit*, aduersarii glorientur nos regredi, vel rursus adrepere, id non est magnopere curandum; rumor iste paulatim conticescet. Quanquā nō tam facile cōquieuit rumor iste, qui ex hac Wittembergensiū mutabilitate fuit exortus. Inprimis vero in ipsum Melanchtonē, quem libri illius authorem esse cōstabat, odium obtrectantiū & virulētia desæuiebat. Hūc bis Papistā faciebāt Zelotæ quidam; per hunc prodi vociferabantur libertatem Euangelicā, & ꝙ Lutherus abstulerat seruitutis iugum, denuò ceruicibus fidelium imponi. Iam & Catholici, cum legerent Visitationē hanc, Melanchtonē resipiscere iudicabāt, & palinodiā meditari. Quæ causa fuit, vt Ioannes Faber, datis è Bohemia litteris, Melanchthonē hortaretur, vt deserta factione hac, pergeret quā via cœpisset, ad sanam mentē, & caput in sinum Ecclesiæ reclinaret. Quod si faceret; honestam illi conditionem apud Ferdinandum Regem polliceretur. Verum ille substitit, nec se passus est à Luthero diuelli; vt hoc scripto nihil aliud spectasse videatur, quā vt à Lutheri dogmatibus illā demeret verborum asperitatē, quam multos nouerat, ne se ad hāc causam adiungerent, impediri. Hanc ipsius fuisse mentem, testantur literæ, quas id temporis ad Camerariū scripsit, in quibus inter cętera, Faber, *inquit*, interpretatur me labescere, quia in libello inspectionis Ecclesiarū fuerim ὑπεικτικὸς, in quo tu vides nihil aliud me scripsisse, quam ꝙ passim tradidit Lutherus. Et tamen, quia sine asperitate verborum scripsi, iudicant isti, scilicet homines acuti, me dissentire à Luthero. Igitur sectā mollium Lutheranorum, cuius fundamenta pridem iecerat in litteris ad Landgrauium scriptis, quemadmodum paulò supra diximus, hoc scripto confirmauit. *Vlemberg. in Luthero & Melanchthone. Cochlæus in actis & scriptis Lutheri hoc anno.*

Lutherus per Saxoniam visitator fit.

LVII. Diximus superius de Kautio. Hic cum insigni Germanici idiomatis facundia clarus, Concionatoris muneri Wormacię præfectus esset; Anabaptistæ nihil non mouerunt, eum vt in sectā pellicerent: quod & facili opere factitarunt: quippe qui superioribus annis seditiosorum præco fuerat, & tantam cōtra Principes cōspirationem nō parum suis cōsiliis & cōsensu promouerat, non poterat equidē sociis antiqua pristinæ amicitiæ iura repetētib. reluctari. Itaq; totò corpore in intermissā iamdudū hæresim relapsus, cum vti diximus, Germanice facundus concionator esset, quod per rudiores fieri hucusq; nō poterat, ipse solus grandiloquentia sua perfecit. Nullus tantū de Munceri spiritu hausit, quantū idem hic Kautius habuit, adeo vt mortuum semel in hoc reuixisse non iniuria diceres. Docebat palam Principes velut tyrannos & canes perimēdos esse. Deum omnes vnius ordinis homines creauisse, pares omnes, superiorem neminem. Itaq; eam, qua se Principes præferrent aliis, potestatem aliud nihil quam vsurpatam quandā, & miseris extortā subditis superbiam esse, quæ ꝙ directe Dei verbo cōtraria, & in infernum cœlitus præcipitata esset, nulla ratione tolerari deberet. ad hāc opprimendā, datum sibi Dei Spiritum, quem sciret falli non posse. Non vos fugit, inquit, quibus grauamur oneribus, quæ tributa tyrannis pendere cōpellimur. Nos in fame & inopia vitam transigimus, illi sudores nostros luxuriose per iugulum traiiciunt: nos laborē adhibemus, illi fructus decerpunt & commoda. Quotusquisq; enim vestrū est, qui iis actionibus se liberum vspiā fuisse meminerit? Antea bellum mouimus; pollicebātur remissionem: interfuistis ipsi: præstiterunt, steteruntne promissis? Nonne tributis & vectigalibus mulctas pecuniarias addidēre?

Iacobi Kautii peruersa doctrina.

Fistula dulce canit, volucrem dum decipit auceps.

Blandiuntur illi primum nobis, & animos speciosis demulcēt sermonibus; post vbi in nassam traxere, vt feles solent murib. colludere captis, sic agūt. Testes Franckenhusani, testes Mulhusiani, Fuldenses, aliiq; esse poterunt. Quæ his nō promissa, quas pollicitationes dedēre? Sed quam id opere p̄stiterint, vos ipsi scitis. Talia cōcionantē, monuit priuatim semel atq; iterū Elector Ludouicus, Comes Palat. vt seditiosas declamationes intermitteret, & vocationis suę septa adeo liberè nō trāsiliret; futurū alioquin, vt & ipse arma in eū sumere vt publicæ tranquillitatis turbatorē, cogeretur. Respōdit ille; Agedū ꝙ lubet aggredere, morabor aduentū tuū diuino fretus præsidio: op-

pone tu militē, ego Dei verbum quasi ignitum ab ore gladiū obiiciam; experiemur, cuius à parte veritas militet. Vana sunt quæ moliris consilia. Tunc arbitraris tanti tuas me minas facere, vt iis quasi fractus ad te tyrannum gratiam petiturus accedam? Falleris. Maiora longe sunt Principū armis Dei consilia, quæ me, quantumuis tu minitêre, defendent. Nec est, q̄ hinc me pulsum optes, id nec tu vt facias, nec quisquā tuorū, patiar. Ratio, quia me non recepisti. imo si violenter turbare me velis, quem non recepisti, non permissurus sum ego, etiam si mille capita propter hoc perire debeant. At dicis! Me nihil aliud, nisi quod ad seditionē potestatumq́; oppressionem tendat, prædicasse ac docuisse. Ob id nimirum, Regimen ac potestatem tuam esse contra verbum Dei, & non ex Deo, sed ex viuo Diabolo esse. Non igitur expelles me hinc, nisi prius hæc regio tota, ac regna insuper aliquot, propterea deuastentur. Dico igitur tibi, quia huc à Domino destinatus sum ad te docendum. Hæc Kautius. Cæterum Elector, indigne hanc factam sibi ab homine seditioso iniuriā ferens, cum nō auderet, propter noui motus timōrem ist hinc expellere, publicis itineribus circumquaque obsessis, aditu, ne qui ad ipsum commearent, Anabaptistas interclusit. Sed vt sunt versipelles id genus homines, quicquid fortissimus Princeps ageret, eorum tamen conatus, & cum Kautio collusiones impedire non potuit. Prodeunt & alii duo, sed è Lutheranis concionatores. Hi publicis in hominem cōcionibus effulminānt, doctrinamque eius, quam sit periculosa, & fidei Christianę contraria declarant. His vt ora obstrueret, septem articulos publicè affixit, quos coram plebe contra illos se disputaturum pollicebatur. quibus & illi totidem articulos publice opponebant, vt parū ea contentio videretur abesse à seditione. Palatinus vero Elector tantū effecit, vt paulo post vtriq; aduersarii Wormatia pellerētur: maxime cooperante Cochlæo, qui edito ad Senatum Wormaciēsem libello, vtriusq; partis articulos reprobauit, ostendens hos homines paganis ipsis multo deteriores esse. Huic libello præmisit eruditam ad Senatum epistolā, qua monebat eum officii sui, & cōmissi à Deo muneris, vt nimirū māturè his principiis obstaret, ne cum mala per longas inualuissent moras, serò remedia adhiberet. Non dissimulandum cum iis, quibus discordia in voto esset, quique se in libertatē excusso magistratus iugo, tam libere mallent adsertos. Multū offendit rebelliū animos hoc scripto Cochlæus; in quē proinde omnis generis cōuitia effuderunt. quin simul & aliis propositis vulgō articulis, lōge fædiora sub Christianæ religionis velo dogmata prodidēre; quæ quod inepta nimis & scurrilia essent, in lucem emitti Senatus prohibuit. Kautius vero vrbe pulsus, cum asseclis per oppida & pagos cursitabat, scriptisque ad Comitis Palatini subditos literis, ad seditionem agricolas concitabat. Secuti eum sunt non viri modo, sed & mulieres, qui homini veluti Prophetæ in omnibus, quamlibet absurdis & Christianæ fidei contrariis, fidem adhibebant. Verum ad extremum capti, & in arce Palatini Electoris, quæ Alcea dicitur, multi ex ea secta homines diu fuēre detenti, multisq; iudiciis producti, donec tandem aut errores reuocarent, aut secundum leges supplicia subirent.

LVIII. *Oecolampadius Basilea ob doctrinæ suæ pertinaciā expellitur.*

Diximus etiam superius, Guilhelmum cum suis Anabaptistis, ad colloquium cum Ioanne Oecolampadio, Basileæ descendisse: Senatumq́; Basileensem, illis secundò colloquendi potestatem obtulisse, antequā vrbe excederēt. Hac de causa, die 10. Iulii huius anni 1527. Ioannem Oecolampadium idē Senatus ad se vocauit, & cum præsentibus aliquot tibidē Anabaptistis colloquium inire iussit. Disputatum primo de paruulorum baptismo, de Anabaptismo, de Magistratu, de Iuramentis, & aliis controuersis articulis; sed quemadmodū ante sine fructu prorsus & cōmodo. Itaq; spem conuersionis esse nullam Senatus videns, vrbe omnes in exilium pepulit, mutati edicti sententia renouata. Vrbe pulsi, pagos vicinos subeunt. Hic exitiale virus inter rusticos effundūt, templa & cathedras occupant, docent publice, & in præsentia Pastorum Anabaptismi semina spargunt, magno cum simplicis vulgi applausu. Quid multis? Ipsos etiam Pastores circumiacentium pagorum, ad publicam disputationē admissis thematis, prouocant. Miselli, quid agant nescii, ab Oecolampadio consilium & arma petunt, quibus hostem tam procacem debellent. Rescribit ille: Experti estis, quos dogmatistas habeant: vtiq; non tam sapientes, quam sapientiæ ostentatores. Et quoniam in simpliciorum domos irrumpunt, vtile fuerit, vt in promptu habeatis locos communes contra illos. Nam & illi suos habent, quos optime tenent; nempe de pueris non baptizandis; de Magistratu, an possit esse Christianus; de Apostolorum imitatione laborando manibus, & euangelizando per totum orbem; de non iurando; de pœnitentia. Et ex dogmatis liquescit, quarum rerum præcones sint, & quam nihil illis curę gloria Christi; atq; adeo reperti iam sunt, qui Christum Dei filium naturalem esse negent; vt appareat liquidò, quo Spiritu agantur. Præscribit deinde modū, locosq; suppeditat, quibus disputando prompte occurrere & contraria argumenta retundere possent.

LIX.

Interim Kylchbergæ, eiusdem Basileensis agri oppido, Guilhelmus iste, quem clam ex verbo profugisse diximus, nouas dare turbas, & rusticos in Magistratum concitare cœpit. Socios complures exiguo temporis spatio nactus, in templum furibundus irruit, ac Pastore Ioanne Grelo violenter turbato, omnia, quæ Sacramentarius Spiritus intacta reliquerat, vetustatis vestigia tollens, turrim sequente eum post tergum turba conscendit, miseros vt rebus mundanis valedicerent, ac quæ sursum sunt quærentes, Christo post tempus breue venturo iudici obuiam procederent, hortatus. Quidam templo effusi in cœmiterio retortis in altum oculis Prophetæ dementiam spectant, animisque suspensi, quem res ist hæc habitura sit finem, morantur. Ille conspecta turba è fastigio manibus expansis, patrem vt populi miserēri, imminensque orbi exitium auertere vellet, rogauit, tanto clamore edito, per totum pagum vt homines commoti cateruatim ad spectaculum concurrerent. Iubet, bono sint animo, mutasse patrem sententiam, nec vlli mali quicquam illaturum, modo se ducem sequi, fidem, vitamque communem amplecti cogitent. Post hæc credit in Ecclesiam, inque genua procidens, actis patri gratiis, pro populo preces fudit. Mox cathedram conscendens, sermonem de paruulorum baptismo instituit, quem impium, & à Pontificibus Romanis Ecclesiæ Dei inuectum edocuit. Vbi, inquit, Scriptura meminit lotionis eius, quam paruulis Pastores vestri conferunt, quem autorem eius inter Apostolos statuunt? Sane in Scriptura desunt exempla, deest præceptum tingendi pueros; conticescant ergo & nihil addendum ad Christi verba nouerint. Progreditur vlterius, à baptismo ad magistratum delapsus; in hunc conuitia iacere, tyrannidis arguere, & breuiter velut iuratū Christianæ libertatis hostem perstringere, nequaquam erubuit. Furta, sacrilegia, rapinas, non suppliciis, sed exilio mulctanda; pellendos è finibus fures, non pœnis coercendos esse: aliaque in eam sententiam plura effutiit. Audiens ista Pastor loci, indignabundus per turbam se proripit, & seditiosum rabulam ope quorundam expellit.

LX. *Rottēburgi multi Anabaptistæ supplicio afficiuntur.*

Cum hæc & id genus alia impia & absurda passim audirentur, ac fierent, plerique Principes rerum indignitate commoti, eiusmodi homines, non solum in vincula conjecerunt, verum etiam extremo alicubi affecerūt supplicio. Nam Rottenburgi ad Necarum fluuium, ex Anabaptistis comprehensi complures, tum viri, tum mulieres, quicumque reuocare, & errores suos abiurare noluerūt, vltimo affecti sunt supplicio. Exusti quidēigne viri nouem; aquis submersę mulieres decē. Cæterum Doctor & Dux eorū Michael Sellarius, monachus apostata, qui lōge grauius peccauerat, eam in iudicio publico sententiam accepit, vt à carnifice primum excinderetur ei lingua blasphema. deinde super currum alligato, candentibus forcipibus, ex carne eius bis dilacerarentur frusta in foro; deinde adhuc quinquies in via sic laniaretur, ac in cineres redigeretur. Quod & factum est die decimo septimo Maii. Grauiter enim populum seduxerat, docens non esse in Sacramento Eucharistiæ corpus & sanguinem Christi. Non esse baptizandos pueros. Non esse præstandum iuramentum superioribus. Non esse resistendum Turcis. Non esse inuocandos Sanctos, & alia cōmunia Anabaptistis errorum portenta. Primus fuit Sellarius, qui propter Anabaptismi professionem exustus est; quem proinde suæ sectæ Protomartyrem, magnis laudum encomiis catabaptistę in cœlum vchūt; homo in vita sua seditiosissimus, vt qui eapropter Tiguro & finibus Heluetiæ exactus, huc à Georgio Blavvrock missus fuit. Ad locum supplicii vectus, cum candentibus à spiculatore

Michaēlis Sellarii Anabaptistæ graue supplicium.

Eius fidei errores.

latore forcipibus laniaretur, ne vel minimum vllius doloris indicium dedit. Cantando & tripudiando morsus pertulit. In ignem iam iam mittendus, adstantes quidem post se supplicium subituri erant, ne semel Deo datam fidem irritam faceret, cōmonuit. Momentanea esse tormenta ist hæc, nec cōdignas passiones huius seculi ad futuram gloriam. Meminissent quæ pro se Christus tormenta sustinuisset, quos dolores & cruciatus, priusquam Spiritum patri traderet exantlasset. His dictis, læto ac quasi præsenti animo in rogum, in æternum arsurus coniicitur. Sed & in Bauaria, Salisburgi inprimis & Monaci, in Anabaptistas eodem tempore animaduersum est. Confugerant hic omnis generis homines, & quibus nullibi tuta domus, hic sedes fixerant, magno ciuium damno, & multarum animarum miserrimo interitu. Erat inter reliquos Georgius Wagner, vir probus & honestus, de quo nemo male, omnes optime loquebantur. Hic à reptitiis istis hominibus deceptus, cum ab ipso Principe, vt hæresim abiiceret rogatus, maiore eam feruore cōmendaret, familiæq; suæ obtruderet, in vincula coniectus fuit. Multum in conuertendo eo operæ posituri; Sacerdotes adhibiti, qui errantem ad gremium Ecclesiæ reducerent. Principem ipsum non puduit, in carcere hominem vinculis constrictum inuisere, ac Dei verbo primum, deinde splendidis promissis ad reuocationem erroris permouere; adeo inculpatè sine vllius offensiuncula ætatem contriuerat. Sed incorrigibilis prorsus & immotus permansit. Summè dolori Principi fuit, hominem flammis adiudicare; quod postea tamen, cum retractare sua dogmata nollet, facere necessitate quadam compulsus, debuit. Tracto ad locum supplicii vxor cum liberis supplex occurrit; rogat illa maritum, precantur liberi, animæ saluti postponat hæresin, nec tanta infamia familiam afficiat. Sed & id frustra fuit. Ad extremum Pastor accedit, petit ipse quoque, erroribus relictis ad Christi Ecclesiam vt redeat. Mira res, preces omnes respuit, & in cœlum suspiciens; Mi Pater, ait, tu mihi omnibus in mundo rebus, coniuge, & liberis, imo vita ipsa es charior: absit, vlla tormenta ab hoc amore me separent. Totum me tibi hic offero; siue me viuere, siue mori tuo pro nomine cupis, age, paratus sum & non sum turbatus. Ita clamans homo obstinatus, in ignem protruditur, sine vllo pœnitentis animi signo, Sacramentis & fide vacuus. Articuli eius propter quos crematus est, hi erant.

Georgius Wagner in Bauaria vir primarius Salisburgi ob hæresim combustus.

Eius fidei articuli.

1. *Nullatenus se credere, aut in animum inducere posse, Sacerdotem vllum à peccato hominem absoluendi potestatem habere.*
2. *Neminem mortalium tantæ virtutis esse, aut ea media adhibere posse, vt Deum in cœlo, his in terris simul præsentem habere queat.*
3. *Hostiam consecratam, nudum tantum purum panem esse, nec diuinitatis vllo modo participem.*
4. *Baptismum paruulorum nihil prorsus ad salutem conferre.*

LXI. *Ludouicus Hetzerus, Anabaptistarum Apostolus.*

Morabatur id temporis Monaci Ludouicus Hetzerus, non infimus, eius loci Anabaptismi Apostolus, vir doctus, & multis annis in omni literarum genere summa cum laude versatus. Hic metuens sibi, quam licuit primum, inde Augustam cum paucis aufugit. Erat tum libera adhuc vrbs ea ab exitiali hac hominum lue, Lutheranismo tamen & Zuinglianismo non ita dudum infecta. Inuerit hic Iacobum Pellificem Waldshusanum, cum quo ipsi olim amicitia arcta intercesserat. Erat iste facundus natura, & aliquot iam annis præconem inter Anabaptistas egerat, non sine sectæ progressu. Per hunc, quia iam notus ciuibus nonnullis erat, apud multos & ipse in notitiam deuenit, quibuscum postea sæpe versatus venenatam doctrinam incautis offudit. Inter patricios primus Eitelhanso Langemantelius, de Cuneo, vir prædiues & litteratus hospitio excepit, locumque ad informandam plebem, & amplum, & pone domum ab hominum frequentia sine transitu secretum, attribuit. Singulari hic arte suæ religionis rudimenta tradidēre. Cum enim doctiores nacti hospites, non eas, quas olim ab aliis vsurpatas scirent, fraudes adhibere se aut posse citra contumeliam, aut debere viderent, vitæ quadam & morum integritate amicos sibi conciliarunt. Sed quemadmodum hæresis occulta esse nequit, ita & horum præconum conatus facile explorari potuēre. Concionatores viuebant Augustæ, Stephanus Agricola, Vrbanus Regius, Ioannes Frosch ius, atque Michael Cellarius. Hi Senatui furtiuos conuentus detexēre. Captis ergo ex Anabaptistis primariis, atque inter eos Ludouico Hetzero, in colloquium cum Prædicantibus, in Senaculo descendere, Senatus mandato iussum fuit. Post longam disceptationem cum conuersionis spes nulla appareret, sed animi potius vtrinque magis magisque exacerbarentur, quidam ex eis in custodiam dati sunt; Iacobus Waldhusanus, Sigismundus Salminger apostata Monachus, & Iacobus Drechslerus, præcipui dogmatum præcones. Ludouicus Hetzerus vero, & cum eo quadraginta alii ciuitatem eiurantes, dimissi fuerunt, Eitelhansone, quia non requisito Senatus consensu, homines in domum recepisset, in villam suam Leutershofam à Senatu relegato: vbi vix anno cum sociis transacto, Weisshornam à seruo deportatus cum podagricus esset in cella sedens vitam amisit. Restabant (scribit Crusius) vt alii multi Anabaptistæ in vrbe Augustana, quorum quidam in carcerem conjecti sunt; qui post diuturnam in eo detentionem reuocarunt errorem, ac manserunt (cæteris expulsis) Sigismundus Salminger Monachus, qui docendo postea Musicam se sustentauit; & Iacobus Dachser, qui Concionatorem ibidem vsque ad tempora Interimica egit, ambo longæui. Multis in locis per ea tempora hæresis Anabaptistarum sparsa erat, etiam in locis Norimbergensium. Ex pago Bruccensi, à Senatu Norimbergensi multi hoc anno 1527. capti, & grauiter mulctati.

LXII. *Caspari Svvenckfeldii vita & mores.*

Diximus etiam supra de Svvenckfeldio. Non contentus malignus spiritus, quod Silesiam nuper Pelargo autore vario tumultu concussisset, Svvenckfeldium etiam hominem seditiosum & multis dementatum erroribus incitauit; vt is, quas Pelargus promouere nequierat, hæreses disseminaret. Natus est is in Offing, non procul à Lignicio non ignobili Silesiæ oppido, è stirpe nobilitatis equestris vetustissima & primaria, quæ Svvenckfeldia appellatur. Iuuenis cum in schola patria positis primis literarum fundamentis, mediocrem in literis fructum edidisset, ad superiores Scholas missus, pari felicitate sublimiora studia superauit. quibus nobiliter informatus; idiomati Germanico studere cœpit; in quo eam sibi cum natura facundiam addidisset, elegantiam acquisiuit; nullus vt esset ferme, qui purius & elegantius eo loqueretur. Hinc omnes eum amare, ingeniique tam præstantis acumen deprædicare cœperunt. Resisthæc calcaria hominis arrogantiæ addidit: atque vt maiora sibi demereret laudum encomia, Lutherum scommatis & maledictis aggreditur, quem nimis ineptum, & ad erudiendum vulgus stupidum esse dicebat; vt qui omnia secundum exteriorem quandam speciem, abusuum genera tolleret, parum interim Christi Ecclesiam interno Spiritu confortaret. alia longe diuersa via in reformanda plebe procedendum, nec sic agendum, vt tot & tam discreparites inter Doctores etiam controuersiæ oborirentur cum vulgi scandalo: sed communem aliquam ex Patribus & Ecclesiæ praxi normam singulari industria erterendam, quæ omnibus omnino satisfaceret. Atque hanc, quo sublimius quid & profundius cæteris meditari videretur, à se iamdudum inuentam prædicabat, totis viribus scilicet spiritualitatem passim crepans; non pendendum scilicet ex verbo externo, eiusq; prædicatione; interiora potius esse spectanda, quæ Deus absque medio instillet; & ideo preces ad Deum crebro fundendas, vt spiritum interiorem excitet, ac in lumen in cordibus pervitia extinctum reaccendat; his sæpe lectionem Biblicam, quibus exterior homo eruditur, iungendam. Cæterum omnia ist hæc non secundum litteram, cum occidat, sed secundum Spiritum lumen intellectus & gratiæ in nobis viuificantem facienda esse: alioquin plus incōmodi, quam lucri spiritualis ex hac sæpius licet repetita lectione oriturum. Nec esse necessarium ad hoc donum obtinendum, interesse frequenter concionibus, aut Sacramentis sese communire: sed iis omnibus posthabitis, per meditationes & priuatas contemplationes posse obtingere. Hinc neutralis plane & scepticus videri volebat, publice subinde protestans, se neque à Pontificiorum aut Lutheri partibus stare, eò quod ipsorum Ecclesiæ in multis, quæ doctrinam, cæremonias, totiusque religionis constitutiones concernunt, sibi contrariæ nihilnisi carnalem Spiritum sequerentur. Præbebant ei, in quit Wigandus, occasionem Anabaptistæ, cœlestes Pro-

phetæ, ac Fanatici, similiter nouã & absolutiorẽ Ecclesiæ formam molientes, eamq; ad rem suos raptus, ecstases, somnia, visiones ostentantes, quibuscũ ille initio colludit atq; cõsusurrat. Incepit igitur Schwenckfeldius hinc inde discurrere per Silesiã, multosq; tentare ac sollicitare, vt perfectiorẽ, q̃ cæteræ Ecclesiæ statum mente conciperent, instillabat quibusdã suas speciosas ac mirificas cogitationes, quibus fucum nõ tantum sua loquentia, sed etiam productis & mirum in modũ detortis sacræ Scripturæ testimoniis, faciebat, & quidẽ aliquos fascinauerat, suoq; quasi reti implicauerat: inter quos est Valentinus Krautwald Canonicus Lignicensis, vir, vt videtur simplex & amans religionis, & Ioannes Sigismundus Werner Pastor Lignicensis, & alii hinc inde nonnulli, quos sua illa hypocrysi & loquentia infatuauerat. Quia autẽ per contemptũ & scandalose de prædicatione totoq; ministerio diuini verbi loqueretur, ac noua dogmata de cœna Domini proferret ac disseminaret, quib. Ecclesia scandalizabatur: ideo per rectè sentientes aliquoties monetur, instruitur, docetur; sed pro suo fastu contemptis omnibus pertinaciter pergit, atque ad eum modum efferuescit ipsius factio, nouandarumq; rerum studium, vt à Principe Lignicensi Friderico iuberetur Silesia exire, tanquã dux & fax nouæ istius cohortis Sacramentariæ, & Enthusiasticę. Hãc a. explosionẽ postea in suis scriptis passim queritur, sesq; exulem Christi esse iactitabat, vt & pleriq; alii fanatici factitare solent. Eius præcipui articuli fuerunt hi:

Eiusdem articuli.

1. *Per externum verbum Dei, ministerium & prædicationem, homines non conuerti, non regenerari, non saluari.*
2. *Absque eo etiam homines adultos saluari posse.*
3. *Non esse homines obligatos ad audiendam prædicationem.*
4. *Externam prædicationem non pertingere ad cor, ac tantum hærere in externis sensibus, testificari duntaxat de Christo.*
5. *Fidem aliam non esse, & prædicationem verbi, nisi historicam.*
6. *Nequo esse fidem accidens, aut qualitatem, sed ipsam Dei essentiam.*
7. *Sacram Scripturam non esse verbum Dei, & verbum Dei non esse aliud, quam substantiale, nempe Christum.*
8. *Carnem Christi non fuisse, neque iam in glorificatione existere creaturam.*
9. *Carnem Christi, naturæ ipsius diuinæ, iam in gloria exæquatam esse essentia & virtute, ita vt idem prorsus sit, quod Deus, nec tamen amiserit suam humanitatem.*
10. *Dona Spiritus sancti, vt sunt iustitia, pax, lætitia conscientiæ, & similia, esse meras essentias Dei.*
11. *Deum Patrem loqui se, & Filium & Spiritum sanctum; Filium loqui se, Patrem & Spiritum sanctum; Spiritum sanctum loqui se, Patrem & Filium.*
12. *Legem Dei renatis esse possibilem, facilemq; & suauem factu.*
13. *Iustitiam nostram coram Deo, esse essentialem Dei iustitiam.*
14. *Remissionem peccatorum, non esse nostram coram Deo iustitiam.*
15. *Renouationem esse partem iustitiæ coram Deo.*
16. *Fide & operibus nos iustificari.*
17. *Non sola fide nos iustificari.*
18. *Ante passum Christum, in veteri testamento, neminẽ habuisse iustitiam, remissionem peccatorum, nec cœlum intrasse.*
19. *Omnes Patres veteris testamenti ante Christum, venisse in infernum, ibique detentos vsque ad Christi resurrectionem.*
20. *Conuersionem hominum non fieri ex verbo Dei lecto aut prædicato, sed à Deo intus in corde sine medio operante.*
21. *Ministros seu Prædicatores verbi Lutheranos omnes pertinere ad hoc dictum; Currebant, & non mittebam eos.*
22. *Idem etiam de aliis sibi aduersantibus verificari.*
23. *Quemlibet Spiritu incitatum posse alia prædicare, licet non habeat externam vocationem.*
24. *Prædicatores malæ vitæ, licet rectè doceant, tamen nihil fructus sua doctrina adferre.*
25. *Baptismo externo non regenerari, aut saluari homines.*
26. *Incœna Domini non esse corpus Christi præsens, sed in cœlo tantum contineri.*
27. *Verba cœnæ, Hoc est corpus meum, nouo modo interpretatur, scilicet, Corpus meum est hoc, scilicet quiddam spirituale.*
28. *Nullum Sacramentum rectè tractari, & nullum in suo vero intellectu vsurpari, neque apud Papistas, neque apud Luther. mos.*
29. *Corpus Christi è cœlo assumptum modo quodam aëreo pani circumfundi.*
30. *Non à Deo patre verba hæc è cœlo prolata, Hic est filius meus dilectus, sed vocem tantum fuisse è nubibus expressam.*
31. *Omnes Christianos naturales esse Dei filios, ex natura & diuina essentia ab ipso procreatos: at Christum esse omnium beatissimum, primogenitum & hæredem sempiternum.*
32. *Christum in vtero sanctissimæ Virginis non conceptum fuisse virtute Spiritus sancti, sed hominem sibi ob id à Deo, vt nos redimeret, creatum coniunxisse.*
33. *Nullo sacrificio, lege, aut Sacramentis ad salutem consequendam opus esse.*
34. *Christum abunde pro omnibus satisfecisse, id quod & satis, verbis illis, consummatum est, ostenderit.*
35. *Scripturam controuersiarum omnium & litium esse subiectum, & sine interno Spiritu creaturã prorsus esse, ac nudam literam; ideoque eam solo diuino Spiritu cognoscendam esse.*

Ad hæc comprobanda, Sacræ Scripturæ testimonia vsurpabat. Et primo quidem, Annon, inquit, apud Matthæum Saluator ipse dicit, Vnum tantum in cœlis Magistrum esse, sine quo nemo alius docere nos possit & debeat. Et apud S. Ioannẽ solus Christus, Verbum esse legitur. Sed & S. Paulum dicere; litteram occidere, Spiritum vero viuificare. His Scripturę testimoniis Scripturam ipsam impugnans, opiniones suas propugnare nitebatur. Quem si ex eadem Scriptura cõtrariis instruct' telis impeteres, hæc se dicebat exẽpli tantũ causa ex Scriptura producere, non q̃ ex eadẽ vera esse sciret, sed quod diuinitus edoctus, ita & non aliter intelligi debere didicisset. Non oportet, aiebat, legis aut Scripturæ esse peritum, sed à Deo doctum. Etiamsi millies percurreris Bibliorum lectionem, tamen non nisi Scripturæ peritus euades, & nunquam à Deo doctus, Vanus est labor, qui Scripturæ impenditur: Scriptura enim creatura est: non conuenit Christiano nimium creaturæ addictum esse: Deum audire oportet: huius voces de cœlo expectandæ sunt, vt erudiant. Beatus vir, inquit Dauid, quem tu erudieris Domine. Hæc tot & tam blasphema dogmata tanto studio laboreq́ue homo nefarius per Silesiam & regiones finitimas sparsit, vt omnes penè vnus nouis hæresibus infecerit, tanta fuerè discipulorum frequentia, vt Stanislaus Hosius scribat; Euangelium, quod per Lutherũ orsus est Sathanas, per Schwenckfeldium eundem absoluisse. Et vt fuit facundus & eloquens, ex ipsis etiam Wratislauiensis Ecclesiæ Doctoribus discipulos nactus fuit, qui primo statim affatu, vt se eius ministros ostenderent, Baptismum, fuillum balneum vocauere. Svvidnicenses quoque & Glogouienses, in eius partes transierunt. LXIV.

Pulsus ex Silesia Svvenckfeldius, multis cinctus militibus, qui doctrinam eius & ore & armis passim propagabant, in Saxoniam ad Lutherum se contulit, suiq́ue capitis delinamenta apud ipsum depromens, sententiæ vt subscriberet, rogauit. Verum ab eo reiectus, cum admonitiones respueret, nec à fœdis erroribus recedere vellet in Sueuiam abiit, aliaq́ue vicina Germaniæ loca peragrauit, passim solicitando viros doctos atque indoctos, mulieres & virgines, sicubi adstipulatores suarum opinionum nancisci posset. Adit, inquit Schlusselburgius, Norimbergam, Augustam Vindelicorum, Argentoratum, Vlmam, Tubingam, & alia loca, in quibus & priuatim, quos potest in domibus imbuit suis opinionibus, ac mirifice homines fascinat, ac reprehendit prædicatores verbi, quod male docerent, malè viuerent, & nemo ex illorum concionibus melior effici posset; se verò affirmat, spiritum docere intus operantem, & oportere homines sanctè iuxta spiritum viuere; alioquin sine probitate vitę neminem coram Deo iustum fieri posse; nondum recte Baptismum, neq; cœnam Domini administrari; abstinendum esse ab vsu cœnę, de nec vera doctrina de ea, Deo singulariter eam in cordibus hominum, sine medio lecti aut prædicati verbi Dei reuelante ac monstrante, innotescat. Hac igitur arte non paucos multis in locis, parum scilicet attentos aut firmos in religione, dementat. Scripta etiam quædam in promptu habet, quæ sponte exhibet atque obtrudit; imo & concionatoribus insinuat, vt quasi pomum contentionis in medium proiiciat, quosdam turbet, quosdam etiam incautos in suam quasi nassam pertrahat. Ac Argentorati quidem VVolffgangum Capitonem nonnihil infatuat, LXIII.

fatuat, vt is libellum Swenckfeldij sua præfatione ornatum emitteret in vulgus, anno 1529. Sic autem Capito ibi scribit; Zwinglius, Est, pro significat interpretatur: Oecolampadius, Corpus, pro figura corporis, Swenckfeld, Hoc, pro spirituali indicatione, vt mens ab æterno ad cœlestem panem traducatur, qui est ipsemet Christus, Ioan. 6. Sic etiam Tigurini eius quendam libellum excuderunt. Vlmæ cum Martino Frechto coram Senatoribus de sua doctrina conflictatur, grauissimisque argumentis & explicatione dictorum Sacræ Scripturæ conuictus, tamen nihil de suis Fanatismis remittit, sed præfracte pergit eos tueri ac disseminare omnes, spiritu suo ipsum fortiter extimulante, atque impellente. Augustæ autem Vindelicorum potissimum sedem figit, licet subinde tanquam Apostolus esset, hinc inde cursitãs, vbi potest, semina suorum deliramentorum iacit. Augustæ igitur inprimis homines nonnullos ficta sua sanctitate, verbosa loquentia, & reprehensione prædicantium ac p̃dicati verbi miserabiliter fascinat ac seducit. Domi intra parietes, clam & furtim agit conuentus, ibique concionatorem more Fanaticorum absque legitima vocatione agens, mirifice extollit spiritum, sine medio verbi prædicati, intus agentem in cordibus humanis; spiritu quoque sancte & caste viuendum clamose contendit; neque esse necessarium asseuerat, vt prædicatores verbi audiantur, vel cœna vsurpetur, præsertim in tantis dissensionibus docentium. Neque vero viros solum, ista sua grandiloquentia, & spirituositate infatuat, sed etiam miseras mulierculas, virgines, ancillas suis erroribus implicat, ac vere quod Paulus de seductoribus narrat, domos penetrat, vt mulierculas imperitas suis erroribus inuoluat. Et quia iactitabat se præcipue assertorem esse gloriæ carnis Christi, in glorificatione, quam alij prædicantes negligerent, aut etiam impugnarent (id que ex peculiari Dei reuelatione, quod sibi ipsi mirum videretur) vt ipsemet scribit, ideo suam Ecclesiam speciosonomine insigniebat, *Confessorum gloriæ Christi.* Ait se nondum habere Ecclesiam, sed cœtus, in quibus de doctrina conferant & orent; Satis autem reuelata doctrina, tum Ecclesiam secuturam. Non solum plurimas submittit epistolas ad viros, fœminas, virgines, vbi quidem putat sua dogmata aliquid habere loci, atque in iis sibi iudicium de grauissimis doctrinæ Christianæ articulis sumit, mirabiliter dicta Scripturæ luculenta, ad suas fanaticas opiniones deflectit; imprimisque contendit, spirituale iudicium adhibendum esse, literalem intellectum nihil habere ponderis; sed etiam libellos subinde in publicum edit non paucos, quibus capiti sui somnia patefacit, quæ ipso tacente, nemo potuisset vel per somnium quidem concipere aut diuinare. Præcipue vero in Lutheranos calamum strinxit Svvenckfeldius, nunc vocationem ipsorum exsibilando, quod pertinent ad hoc dictum; Currebant, & non mittebam eos: nunc inscitiam rerum sacrarum ipsis exprobrando; nunc vitam & mores ipsorum incessendo; nunc arrogãtiæ & erroris ipsos insimulando; quod nimirum arrogarent sibi, suoque prædicato verbo attribuerent, quod esset solius Dei, eaque in re gloriæ Dei nefariè derogarent, litteram pro spiritu, creaturam pro creatore venditarent, homines seduceret ac perderent, nihilq; boni ex ipsorũ prædicationibus proueniret. Criminatur & vellicat in omnibus fere libris doctrinam, ministerium & cultus Dei in Lutheranorum Ecclesiis institutos, & ait, nondum rectè doceri, nondum recte omnia constituta. Inprimis vero in libro de tripliei vita, somnium capitis sui plenis buccis promit ac prophetat; restare scilicet reformationem Ecclesiæ Christi adhuc aliam, quæ sit media inter Papisticam & Lutheranam futura; idque somnium moliturex visionibus Apocalypticis ostendere. Et hæc eò dicebat, vt ostenderet vanas esse & meræ fictitias Lutheranorum voces, quibus illi reformatam Ecclesiam suam, ab omni velut labecula puram & intactam iactitabant. Vtque ipsum planius commonstraret, errores & vitia, grauissima sane, & veræ Ecclesiæ prorsus repugnantia; tum & Lutheri in vertendis Bibliis absurdas ineptasque interpretationes, aliaque quæ ex doctrina eius promanarent incommoda luculento scripto exprobrauit, quæ tam enormia & impia iudicabat, vt sæpissime inisthæc verba prorumperet; Cum Luthero nolle esse, aut stare, aut eius Sacramentis vti. Subinde etiam libros suos ad Lutherum, vt tanto magis vreret, per tabellarium, quem habebat peculiarem, mittebat, ac vanas suas pro reformanda Ecclesia opiniones obtrudens ad respondendum eum compellebat. Cumq; nollet ipse nisi recepto primum responso ad Dominum suum redire, vrgenti hanc schedam Lutherus tradidit; Mi tabellarie, chare homo, renunciabis Casparo Svvenckfeldio Domino tuo, me litteras & libellum à te accepisse. Vtinam vero tandem cessaret. Nam si in Silesia iam antea incendium exsuscitauit aduersus cœnam sacram, quod non est restinctum, atque super ipsum ardebit in perpetuum. Insuper autem pergit suo Eutychianismo & creaturalitate, quibus Ecclesiam turbat; cum tamen ipsi nihil quicquam à Deo sit demandatum, nec sit ab eo vocatus. Et insanus morio à Diabolo obsessus, nihil intelligit, nec scit quidnam lallet, nihilominus autem finem facere nescit. Quare me suis libris, quos Diabolus ex ipso vomit & cacat, prorsus missum faciat; hoc vltimum à me iudicium ac responsum auferat: *Increpet Dominus te Sathan, & sit spiritus tuus, qui vocauit te, & cursus tuus quo curris, & omnes qui participant tibi Sacramentarij & Zuingliani tecum, & cum vestris blasphemiis, in perditionem, sicut scriptum est; Currebant, & non mittebam eos: loquebantur, & nihil mandaui eis.*

Hanc vbi à Luthero accepit epistolam, maiore in eum impetu amaritudinis suæ tela detorsit, ac quibusuis grauans cõuitiis, publicis libellis per omnium ora traduxit. Lutherus autem quamuis multos ipsi aduersarios susciauit, vt Illyricum, Wigandum, Melãchthonem, & in Sveuia Vadianum, Bullingerum, Bucerum &c. compescere tamen non potuit. Indies ille plures & plures sui dogmatis libellos contra aduersarios publicabat, tanta frequentia, vt præter innumeras epistolas, quinquaginta in lucem dederit. In his nihil nisi ectases, visiones, spiritualitates, & nescio quæ non horrendorum errorum portenta, quæ vel legenti terrorem incuterent, spirabat. Hinc Saxonici, damnatis tam impiis & absurdis erroribus, Stenckfeldium eum, ob putidum & fœtidissimum dogma nunc quarum. Magni eius scripta Catabaptistæ, ij præsertim, qui visionibus & spiritualibus contemplationibus dediti sunt, faciunt; & cum non secus ac prophetam & Theodidactum colunt. Discipulos post se reliquit plurimos, qui Melanchtone teste, non solum ipsius nomine scribunt, sed etiam seditiones mouent; iactitant afflatus, & abducunt homines à publico ministerio, & à lectione, & cognitione doctrinæ. De his audire iubet Cardinalem Hosium. *Grassatur, scribit ille, lues ista Stenckfeldiana, non modo per Germaniam vniuersam ferè, verum etiam per Heluetiam, & est ingens eorum numerus, qui iactant hunc afflatum, ita vt ex vulgo plures in maioribus nonnullis ciuitatibus Svvenckfeldiani reperiri dicantur, quam vel Lutherani, vel Zvvingliani. Equidem neq; noui hominem, nec eius scripta vidi; sed quod scripsit de iis, qui se falsò iactant Euangelicos Erasmus Roterodamus; Quot quot ad eorum cœtum se adiunxerunt, neminem scire, qui non seipso factus sit deterior; contrarium eius cum tua Maiestatis nomine legatione fungerer apud Christianissimum Imperatorem, vereq; Catholicum Regem Carolum Quintum, de Schvvenckfeldio dici audiui, idq; à viris quibusdam grauibus & omni fide dignis; quot quot eius amplexi essent doctrinam, eos de repente quasi numine afflatos in alios viros mutari, veterem hominem exuere, nouum induere, neq; secundum carnem iam, verum spiritu deinceps ambulare, carnem vt suam cum vitiis & concupiscentiis in specie crucifixisse videri possint. Meshouius hist. Anabapt. lib. 3.*

LXV. *Leonardus Cæsar hæreticus in Bauaria crematur.*

Hoc anno erat in Bauaria Leonardus cognomento Cæsar, Lutheranissimi professor. Is Passauiensis Episcopi mandato captus, has hæreses defendebat. Solam fidem iustificare. Duo tantum esse Sacramenta, Baptismum & Cœnam Domini. Missam non esse sacrificium, neq; prodesse viuis aut mortuis. Confessionem delictorum esse consilij non præcepti. Solum Christum satisfacere pro peccatis. Votum castitatis non obligare. Scripturam non loqui de Purgatorio. Nullum esse discrimen dierum. Mortuos non esse intercessores. In rebus diuinis non esse liberum hominis arbitrium. Productus in iudicium, volebat hæc ad populum explicare copiosius, sed prohibitus fuit. Erat in confessu reliquorum Ioannes Eckius. Agebantur autem omnia Latine, ne populus intelligeret; ipse vero lingua populari differebat, nec ab eis vt idem facerent impetrare potuit. Tandem Episcopi sententia, damnatus prout hæreticus, mensis Augusti

LXVI. *Apud Bernates Heluetiorum disputatio publica instituitur.*

die 16. crematus est, iubente Bauaro Principe Guilelmo, cuius iurisdictioni traditus fuit à condemnatione.

Supra dictum est de disputatione Badensi: Bernat sautem, quorum est in Heluetiis præcipuum nomen, & potentia, cum & disputationis illius acta non essent ipsis communicata, & dissidia in religione augescerent, nec eadem esset ministrorum prædicantium doctrina, disputationem aliam sua in vrbe decreuerunt, edicto scripto, Decembris die XVII. huius anni 1527. ad eamque finitimos conuocarunt Episcopos, Constantiensem, Basiliensem, Sedunum, Lausanum, & vt ipsi venirent, suosq; secum adducerent Theologos monuerunt. Omnes deinde suæ ditionis homines Ecclesiasticos conscripserunt, & vt in actione tota, veteris ac noui testamenti Scriptura sola pondus & autoritatem haberet edixerunt, hancq; legem statuerunt, vt modestè sine conuiciis & iniuriis omnia fierent, & libere quisque sententiam suam diceret, & ita pronunciarent, vt à scribis excipi possint cuiusque dicta: quicquid ibi decretum foret, ratum ac firmum futurum per omnem ditionem suam iussuros. Et vt quibus de rebus agendum esset, constaret, eoque venirent omnes paratiores, themata promulgarunt, numero decem, sed omnia Lutherana, quæ ipsorum ministri, Franciscus Colbus, & Bertholdus Hallerus profitebantur, & confirmare se velle dicebant. Ea vero erant eiusmodi. 1. Veram Ecclesiam, cuius vnicum sit caput Christus, ex Dei verbo nasci, in eoque permanere, neque alterius vocem audire. 2. Hanc ipsam Ecclesiam non condere vllas leges extra verbum Dei. Traditionibus igitur hominum, quæ titulum habeant Ecclesiæ, sic demum obligari nos atque teneri, si cum verbo Dei consentiant. 3. Solum Christum pro totius mundi peccatis fecisse satis: ergo, si quis aliam salutis viam aut expiandi peccata rationem esse dicat, hunc abnegare Christum. 4. Corpus & sanguinem Christi reuera corporaliter sumi, testimonio Scripturæ probari non posse. 5. Missæ ritum, vbi Christus patri cœlesti pro viuis atq; mortuis repræsentatur & offertur, aduersari Scripturæ, & eò tumeliam facere sacrificio, quod Christus pro nobis impendit. 6. Solum Christum, vt intercessorem & humani generis aduocatum ad patrem inuocandum esse. 7. Quòd sit vllus ab hac vita locus, in quo purgentur animæ, in sacris litteris non reperiri; precationes igitur & cæremonias illas omnes & exequias anniuersarias quæ mortuis impenduntur, & cereos, atque lampades, & id genus alia, nihil omnino conferre. 8. Statuam aut imaginem vllam proponi cultus causa, repugnare sacris litteris: proinde, siquidem eo animo sint in templis erectæ, tollendas esse. 9. Matrimonium non esse vetitum vlli hominum ordini, sed fornicationis vitandæ causa, mandari cuilibet, atque permitti sacris litteris. 10. Cum scortator omnis vere sit ex testimonio Scripturæ separatus ab Ecclesiæ communione, Sacerdotum Ordini minime omnium conuenire cœlibatum impurum atque turpem. Quim his de rebus Bernates ad omnes Heluetios litteras dedissent, hortati, vt & suos ipsi mitterent, & aliis qui per ipsorum fines iter essent facturi, publice cauerent: Lucernates, Vrani, Suitij, Vnterualdij, Tugiani, Glareani, Friburgenses, & Soloturnij, prolixæ scripto grauissimisque verbis hortantur, *vt ab instituto desistant; commoneficiunt eos mitti pacti atq; fœderis; repetunt quoq; disputationem Badensem, cuius ipsi fuerint inprimis & autores & laudatores: neque licere vlli populo dicunt, aut prouinciæ, formam religionis atq; doctrinæ mutare, sed ad hoc totius orbis pertinere Concilium: orant, ne tantum facinus in se recipiant, nec à paucis aliquot externis, in errorem abduci sese patiantur, sed in ea religione permaneant, quam ipsi, quam ipsorum parentes atq; maiores obseruarint, in qua tantam nominis gloriam adepti sint, in qua suos fines ad eum modum amplificarint, in qua toties fuerint victores. æquum esse, vt hoc ab ipsis impetrent. Sin minus, tum illud quod de tuto tenere petant, non se posse polliceri; Sed vbi de personis cognouerint, iudicium atq; delectum esse facturos. Illis quidem qui nuper ad actionem Badensem, interposita fide vocati, non venerint, & partim dissidentia, partim contemptu quodam emanserint, nolle se cauere deinceps. ad hæc, neque se quemquam eò mittere, neq; sinere, vt eo proficiscantur velle concedere: quod hæreticorum semo serpat vt cancer. Sl. lib. 6.*

Eodem anno 1527. Brunsuigæ, & in Saxoniæ vrbibus vicinis, mutatio religionis Catholicæ instituta est per Ioannem Bugenhagium Pomeranum Lutheri discipulum. *Bucholz. in Chronol.*

In regno quoque Sueciæ Lutheranismus augebatur, multum contra nitente, Ioanne Magno Gottho, electo Archiepiscopo Vpsalense, Apostolicæ Sedis legato, & multas calamitates propter fidem Catholicam deuorante. Ante biennium Lubecam Legatus iuerat, ad auertendos Principes Danos & quosdam Germanos, qui Christiernum Daniæ Regem Lutheranum, regno eiectum reducere, & hæresi Lutheranæ patronum restituere nitebantur. Ea legatione cum vtilitate, etiam regni Sueciæ confecta, in Sueciam reuersus, pro officio pastorali tum mores corruptos Ecclesiasticorum reformare, tum fidem Catholicam tueri non intermisit. His & similibus studiis, quantum gratiæ & fauoris apud veros Christianæ pietatis cultores assequutus est, tantum odij apud Gostauum Regem incurrit. Enimuero suggerentib. hæreticis, Rex Gostauus omnem occasionem circumspexit, ne Archiepiscopus publico totius populi fauore suffultus, Ecclesiam Sueciæ nam in pristinam religionem & libertatem aliquando restituere posset. Aduenerant eisdem diebus in Sueciam naues Hollandorum sale & panno onustæ. Id enim in pactis Lubecensibus per Legatum cum Cæsaris Oratoribus conclusum fuerat, vt succurreretur regno Sueciæ harum rerum inopia laboranti. Allatæ sunt etiam eadē elasse plures litteræ ipsi Legato à Cæsaris consiliariis in Curia Burgundiæ præsidentibus, inter quas erant nonnullæ Cæsareo sigillo signatæ. Eas cum Rex in superficie considerasset, suspicari cepit tales litteras in totius regni damnum & ruinam, à Cæsareo culmine missas. Quocirca Legatus ex Vpsalia in Holmiam citatus, quasi læsæ maiestatis reus in domo Regij præfecti conuenitur. circumstant Lutherani, parati in perniciem innocentis. Iubet Rex aperiri litteras Cæsarea aquila conspicuas. quibus resignatis, non Cæsaris, sed amitæ Cæsaris Margaritæ nomen subscriptum apparuit. Hæc magnificis verbis suo & Cæsaris nomine gratias agebat, ipsi Legato Ioanni Gottho Archiepiscopo designato, quod in Comitiis Lubecensibus tam benignus in excipiendis Cæsareis Oratoribus fuisset, & quod se tam fidelem ac diligentem cooperatorem publicæ pacis inter Cæsaris subditos & regnum Sueciæ præstitisset, quodque periculosas inimicitias (ex quibus vtrique parti graue periculum immineb at) auertisset: proinde orabat, vt mercatores, quos ad eius petitionem cum mercibus in Sueciam miserat, benevole excipere curaret, experturus ob id Cæsaris benevolentiam in omnibus votis suis, non vulgarem. Hoc ex litteris Margaritæ. Reliquorum Burgundionum procerum epistolæ, eundem præ se ferentes affectū, documento esse potuerūt, quomodo ingrati hæretici stupidam ingratitudinem, & meras calumnias, pro legatione optime gesta rependebant. Neque potuit ipse Rex conceptum celare furorem, quin animo indignabundo assereret, rem præpostero ordine, si non perfide agi, quando se præterito, aliis in regno à Cæsaris domo litteræ mitterentur. Hanc, inquit Legatus, perfidiam, ex perfecta fide quam in patriam gero prodiisse, si necesse fuerit, monstrabo, illosque in Regem & patriam perfidos, atque in Deum impios ostendam, qui me tam spectata sua impudentia, perfide egisse mentiuntur. His calumniis Legatus ægre liberatus, mox grauioribus insidiis impetitur. Nam Rex sequenti mense, & die qui Sancto Erico solennis agebatur, concione totius regni in collibus antiquæ Vpsaliæ congregata, omnes vires ingenij sui eò conuertit, quò posset ipsum publico totius populi fauore, quo plurimum sustentari videbatur, spoliare, petitis ad illud propositum mediis, quæ ab omni humana ratione erant remotissima. Siquidem, cum à tota præsentis populi multitudine enixè rogaretur, vt cum electo Archiepiscopo & Sedis Apostolicæ Legato, cuius probitas toti patriæ nota esset, benigne conueniret, exemplumque sumeret, quam felix erat Suecia, quando alias Steno Sture senior, Archiepiscopum Iacobum in sua dignitate conseruasset, & rursus ab eo in suo gradu cum summa totius patriæ pace conseruatus esset; mox ipse Rex in iram concitatus, multa in medium imperitæ multitudinis adduxit, quæ honestius siluisset, scilicet, Papam, Cardinales, Archiepiscopos, Episcopos, Presbyteros, Monachos, & omnes Clericali militiæ adscriptos, non secus ac totius orbis seductores, Lutheranis instigantibus odiose nominauit. Deinde sermone ad Legatum conuerso, comminatus est ei gladium & rotam, nisi velit Regio suo voto in omnibus obtemperare: præfatus Stenonem iuniorem imprudenter

LXVII.

denter egisse, quando Gostauum Archiepiscopum contra patriam, suæ gubernationi non obtemperantem, extremo supplicio non affecisset. Soluta concione, auditi sunt multorum piorū hominū gemitus, quib. testati sunt nō procul esse totius regni ruinam. Tum Rex ea ipsa hora, à Legato, conuiuium Maianum pro prandio sequentis diei, qui Pentecostes erat, extorsit; ad quod cum proceribus & tota familia sua, quæ millenarium numerum superabat, accedens effecit, vt victu longi temporis breui hora consumpto, omnia promptuaria quæ antea copijs omnibus abundabant, tunc prorsus exinanita cernerentur. Allata sunt coram inuitatis plurima & pretiosa tercula, vinaq; exotica & optima diuersorum generum, non phialis aut cyathis, sed cadis & vrnis apponebantur, vt nō modo Regiæ familiæ, sed Centaurorum & Lappitarum atque harpyiarum conuiuio sufficere potuissent. Propterea, magno omnium consensu, conuiuium illud splendidum ac magnificum fuisse dicebatur: ipseq; Rex ingrato animo affirmabat; sibi difficile fuisse, tanti conuiuij apparatum medio anno, prouidere, quantum ipse Legatus medio die præparasset. Itaq; sequenti die, cum ei gratias pro hesterna liberalitate agere debuisset, ipsum per magistrum Laurentium Andreæ hæresiarcham, vt quantocius in Holmia compareret, citari curauit. nec potuit Legatus trium dierum inducias, quamuis mortifera ægritudine decumbens impetrare, quin necesse fuerit ipsum semianimem inter manus prælatorum & canonicorum suorum ad nauiculam deduci, per quam ad mortem, aut carcerem confestim erat deportandus. Veniens enim ante conspectum Regis in arce Holmensi, verbis, nec se, nec Rege dignis excipitur. Improperat Rex sua beneficia in eum collata, arguitque eum acrius, quod beneficiorum immemor, illos, videlicet Lutheranos graui odio persequeretur, qui omni fauore & gratia prosequendi essent: & inter eos præcipuum & tunc præsentem Magistrum Laurentium Andream, virum probum, omni dilectione dignum, quē in Comitiis Arosiensibus priori anno molesta disputatione, faciēdo se Principem in senatu regni, vexauerat; neque ad aliud illos singulares fauores domi apud plebeiam multitudinem, & foris apud potentes Principes venaretur, quam vt eis adiutus, rebellionem in Regiam maiestatē liberè moliatur: iamq; multos ex Regia Curia paratos esse, vt spe liberalioris stipendij ad eius Curiam deficiant. Ad hoc Legatus summa modestia vsus, respondit: Doleo, inquiens, & vehementer doleo, Domine Rex, si aliquando tam imprudēs fuerim, q̄ tuam Regiam Maiestatem verbo vel nutu offenderim, qui nunq̄ in animum induxi, vt minimum lixam in tua familia, aut quantumcumq; hominculum in hoc toto regno iniuria afficerem: tantum abest, vt Regem meū vmquam offendere statuissem. Quod autem in Magistrum Laurētium, & eius socios Lutheranos parum beneuolo affectu ducor, id me iure facere existimo: quia ipsos minime beneuolos cōperiō in Regiam dignitatē tuam, quam vna cum tota patria damnatis hæresibus infamare, & desolare contendunt. Nec me Principem in regni Senatu cōstituo: sed iura regni sic disponūt, vt Archiepiscopus primum locum in Consistorio regni habeat: decetq;, vt qui cæteris p̄fertur, cæterorū vota fideli relatione, ponat. Hoc etiam exigit reipublicæ vtilitas, vt liberæ sint voces Prælatorum & Procerum in Senatu, nisi videri velint potius assentatorum, quam Senatorum locū occupasse. Nec longe à periurio, & læsa conscientia abesse creduntur Senatores illi, qui patriam, quam ob præstitum iusiurandum sanis consiliis conseruare tenentur, pniciosis consulterib. cuiquā dem permittunt. Cæterū, fauores illos Principum & plebeiæ multitudinis, propter quos in odium & iudicium vocor, nūquam mihi magis vtiles putaui, quam reipublicæ, & potissimum tuæ Maiestati; in quam, neq; insidias, neq; rebellionē vmquam meditabar. Nec gratū est mihi q̄ aliqui ex Curia maiestatis tuæ, ad me, spe maioris lucri deficiant: iampridē nonnulli simili, ppōsito inde profecti, mihi nomina dederunt, stipendiumq; liberale accepunt; sed tuæ maiestati plus q̄ mihi militauerunt. Proinde, ne talib. amodò pateat domus mea, diligentius, puidebo. Insuper, q̄ sancte oro maiestatē tuam, ne sibi de me quicquā, pter æquū & rectum persuaderi patiatur; neq; aliud de me statuat, quā q̄ honeste ad sempiternam memoriam possit relinqui. Hæc & his similia prosequenti Legato, indicitur à Rege silentium; & ne de cætero in aliquem locū, pter Regis cōsensum diuertere psumat, seuerius quam iustius prohibetur. Itaq; sola specie liber, reuera, captiuus ab arce dimittitur in monasterium S. Francisci, inde nullatenus, nisi permittēte Rege egressurus. In eo loco constitutū sæpe adiit Magister Laurētius Andreæ hæreticus, importuna persuasione constantiā animi eius superaturus, vt Regio voto obtemperans Lutheranā doctrinam, quā Euangelicam vocabat, toti patriæ pdicandam amplecteretur: habiturus ob id maiores fauores, & priuilegia, ac prouentus quam vllus antea Archiep. Vpsalensis. Istud si refugeret, sciret sibi nihil certius quā mortē, aut perpetuū exiliū pparatum. Hæc importunius quam efficacius suadenti respondit Legatus: se nequaquam vitam suam aut patriā tanti æstimare, vt propter hanc vel illam, veræ religionis desertor esse velit. Quid n. prodesset vniuersum mundū lucrari, & animæ suæ detrimentum pati? Si tamē, inquit, in voto Regis est, me perpetuo exilio damnari, damnet. Domini est terra, & plenitudo eius. Si me per medium secare voluerit, secet. Esaiam habeo in exemplum. Si in pelagus me proiici iubeat! Ionā reminiscor. Si me lapidare voluerit! lapidet. Stephanus mecum est protomartyr. Si caput auferre Auferat. Habeo Ioannem Baptistam, simili violentia trucidatum. Si facultates diripere! diripiat. Nudus ingressus sum mundum, & nudus reuertar in terram. Hoc responso Rex prouocatus iurauit & statuit, quod ipso à Metropolitana Vpsalēsi Ecclesia amoto, alium quempiam noui Euangelij prædicatorem instituere: consilioque Lutheranorum secretò collecto, deliberat, quomodo impium Papistam (hoc enim nomine sedis Apostolicæ Legatum affecit) perdere possit. Aliis placuit, vt clam & nocturno tempore sacco insutus submergatur; alij minime expedire affirmabant. Nam eo modo interemptus, testimonium haberet, quod innocens periisset. proinde, inquirendum esse crimen aliquod, propter quod in publico iudicio, tamquam læsæ maiestatis reus damnari & occidi, vel saltem proscribi possit. Erant alij qui neq; hoc neque illud probantes, affirmabant, quod nullum tale crimen in hominem, omnium æstimatione innoxium, satis honeste obiici aut confingi posset: propterea opportunius consiliū existimabant, vt in gratiam Regis, quāuis simulate restitutus, Legationem aliquam à Rege extra regnum susciperet, eoq; in illa occupato, Rex diœcesim totam Vpsalensem, & quicquid in fortunis haberet, vno momento occuparet. Itum est manibus & pedibus in illud consilium, & vocatus ex monasterio Legatus, ad arcem Regiam, summo sed simulato fauore suscipitur. decernitur ad Regem Poloniæ Orator, vt filiam eius Heduigem Regi Gostauo coniugem impetret: dantur litteræ, signantur commissiones, omniaq;, præter commeatum & expensas quæ tanto negotio necessariæ essent præparantur. Sciuit Legatus, secum subdole agi; verumtamen tam honestæ legationi non consentire nequiuit: cuius occasione, tot insidias sibi, tum per hæreticos, tum per falsos Christianos præparatas euadere, & summum Pontificem, extra patriam constitutus, de ruina totius Ecclesiæ Suecanæ liberius informare potuit. Igitur dum ista circa eum fierent, & se itineri, vt Gedanum traiiceret, accingeret, conueniunt Prælati & Proceres regni in Holmiam Comitia celebraturi, Sed eorum præsentia, nihil profuit innocenti, ad perpetuum exilium transituro. Nam qui aliquid inter eos posse videbantur; hi cum Rege conspirantes, non solum ipsum Legatum, sed & omnes regni Pontifices vna eademq; proscriptione libenter explosissent. Reliqui pusillum animum habentes, quæ benè pro Legato & Republica sentiebant, exprimere non audebant. Quocirco, cum nullus esset innocentiæ locus in tam amplo regno, fidei que Catholica nullum efficacem patronum, inter tot nobiles & potentes viros inueniret, cœpit vna cum Legato Apostolico, omnis fides, religio, virtus & honestas, procul extra regnum in exilium relegatur. At postquam toto mense Septembri in mari iactatus fuerat, nunc extra, nunc intra scopulos periclitando, accidit quendam nuncium Regis ex Gedano redeuntem asserere, publicam famam Gedani esse, Archiepiscopum Vpsalensem illuc in exilium migraturum. qua relatione turbatus Rex, repente iussit principes bellicæ classis suæ, vt ipsum subito ex sinu, cui nomen Eluesnabbe, ad se reducant. qui seuerum mandatum seuerius exequuti; ipsum è naui arreptum, omnibusq; rebus eius cum graui iactura dissipatis, ad Regē in arce Holmensi constitutum redire compellunt. à quo denuo

Gustauus Suecię Rex hæresi infectus Episcopum Vpsalensem in exilium mittit.

&ni

& nimis seuere molestatus, iubetur per Finlandiam ire ad castrum Viburgense, in quo tunc præsidebat Ioannes Comes de Hoya, gener Regis, susceperus ab eo commissionem ad Magnum Principem Moschouitarum. Doluerunt vehemẽter omnes boni, ac præcipue Venerabile Capitulum Vpsalense, Antistitem suum tam indignis modis vexari. Sciebant enim eam Moschouiticam legationem, nihil aliud esse, quam transitum ad certissimam mortem. Igitur procuratur nauis, & omnia tumultuariè in ipsam importantur, à qua tamen rursus reuocatur ad Regem; qui maniuctior factus, fecit ei potestatem transeundi in Prussiam, accepta ab eo promissione, ne impedimentum præstaret matrimonio cum filia Regis Poloniæ contrahendo. Hac conditione permissus est, in fine Octobris, dum omnia frigoribus & tempestatibus occuparentur, patriam exilio commutare, atque sub specie susceptæ nauigationis in Gedanum nauigare. Quò cum peruenisset, creditores Regis Gostaui, quibus per suas litteras Regias mandauerat, vt Archiepiscopi bona omninò, siue per leges, siue alio quouis modo apprehendere curarent, omnia quæ secum pro exilio tolerando extulerat, occuparunt: vt tandem vix dimidium eorum potuerit ab eis extorquere. Ista nihilominus exemplo Sanctorum Pontificum patienter sustinuit Legatus, omnemque operam apud Sigismundum Regem Poloniæ adhibuit, vt Regi Gostauo tam honesta & necessaria affinitate sociaretur. quod etiam prudentissimus & pientissimus Rex Sigismundus non detrectauit, apposita pia & iusta conditione, videlicet, vt Sueciæ Rex non permitteret se per pseudoeuangelistas, qui tunc Christianam pictatem euertere conabantur, à vera Catholica religione abduci. Hæc enim erat summa litterarum, & responsionis eius, ob quam Rex Gostauus plurimum indignatus, permisit sibi à suis Lutheranis persuaderi, hoc responsum altutia Legati procuratum: quod tamen iustius eisdem hæreticis, aut publicæ famæ attribuisset. quippe Legatus toto animo conabatur efficere, vt matrimonium illud contraheretur; ratus illinc optatam ac necessariam occasionem aliquando præstari posse, qua Rex Sigismundus I. nulli Regum Christiana pietate secundus, tam Regem, quam regnum Sueciæ ab hæretica & schismatica prauitate liberaret. At Lutheranorum consiliariorum in Suecia studium fuit, prouidere, ne post tam piam & honestam Principum confœderationem, digna aliquando supplicia flagitiorum suorum consequerentur. Igitur Rex Gostauus eorum artibus superatus, nõ sine inæstimabili religionis, regni, & suo damno, ab ea nobilissima affinitate resiliit: & tandem carnificis cuiusdam filiam duxit; ne inferior esse Anglo, qui filiam propriam; Luthero, qui monialem, loco vxorum manciparant. Cæterum si illud connubium secutum fuisset, sequebatur inde confœderatio tanta, vt duo potentes Reges sic coniuncti, facile communem hostem Moschouitarum Principem exterminare potuissent. quibus inæstimabilibus commodis potius carere voluit infortunatus Rex, quam non parere suis perfidis & sordidis Lutheranis, qui nihil præclarum, nihil magnificum, nihil Regia maiestate dignum consulere potuerunt, aut nouerunt, aut voluerunt; indigni, Regum, aut regnorum negotia tractare. Quomodo, paulo post sempiterno cum dedecore, carnificis filiam in Regium thorum induxerit, narrabo inferius. Interim dedit litteras in Gedanum, quibus Legatum acrius increpauit, quod illius affinitatis negotium ad eiusmodi finem perduxisset: nisi velit, suo Regio fauore, & patria, atque omnibus prouentibus Archiepiscopalibus priuari, curet, vt quantocius in patriam se recipiat. At ille constanter respõdit, se numquam in patriam reuersurum, nisi religio Catholica, & Romanæ Ecclesiæ autoritas pariter in Sueciam restitueretur. Conatus est deinde, fratrem eius Olauum Magnum ab illo retrahere. Sed is Legatum deserere noluit. Qua re Gostauus in apertum odium concitatus, bona vtriusque fisco addixit, ac sub grauissima pœna prohibuit, ne quisquam vel teruncium eis extra regnum mitteret, aut litteras vel scriberet, vel reciperet; læsæ maiestatis criminis reum fore, si quis eas ferret, aut edictis contra illos latis contrairet. Igitur omnes quotquot Legato fauebant, aut fauere credebantur, durissime & immanissime opprimebantur: præcipue autem venerabile Capitulum Vpsalense, quod minis & terroribus diu vexatum, ab ipso deficere cogebatur. Nec minus sæuitum est in Sacrosanctam Ecclesiam Vpsalensem, cui per cõemptum & ludibrium impositus est quidam Antiepiscopus: Laurentius Petri, Olaui Petri hæresiarchæ frater, ætate adolescens, rerum inexpertus, nuper à schola & ferula Magistri subductus, nullo iure, nullo ordine, nulla consecratione, aut autoritate, in tam sublimem cathedram collocatus. *Olaus Magnus de vitis Pontif. Vpsalen. lib. 6.*

Carnificis cuiusdam filiam ducit.

LXVII. Hoc anno Iacobus Sadoletus datis litteris ad Hieronymum Nigrum, deplorabat omnium Romæ ordinum, morumque communium labem & confusionem, quod causa fuerint vniuersæ calamitatis; cupiuisseque optimum Pontificem, mederi moribus perditis. Sed cum res ferro egeret, non malagmate; ipsius autem natura & lenitas à vehementioribus remediis abhorreret; vt in corporum solet morbis, sic in corruptis moribus, quæ intempestiue adhibita est, auxit morbum potius medicina quam leuauit. *Sadoletus lib. 1. epist.*

LXVIII. *Petrus Cordubensis in Indiis miraculis claruit.* Eodem anno 1527. floruit in Indiis Petrus Cordubensis Dominicanus, tantis miraculis clarissimus, vt mari & ventis, & tempestatibus videretur imperare. Salamanticæ, eius Ordinis institutum professus, cum in virum perfectum doctrina & religione euasisset, in Hispaniolam insulam missus, multis Indorum ad fidem Christi conuersis, plurimisque monasteriis & Ecclesiis ædificatis, prouinciam S. Crucis indidem condidit, multitudine Fratrum copiosam, qui gentilibus sacra Christiana explicarent, atque ministrarent. Ab ea insula, cum duabus Hispanorum nauibus in alteram, cui Margaritæ nomen est, profectus, cum repulsam in prædicatione fidei ab Indis primum tulisset; paulo post à simulantibus velle verbum Dei audire, admissus, vix periculum per miraculum euasit. Cæsi quotquot erant Hispani, qui forte aliquod Euangelio scandalum vel per auaritiam, vel per insolentiam Indis dedissent; Petrus solus cum socio, Cruce Christi armatus, inter medios Indos illæsus transiens, ad littus maris vsque proceßit, nauemque nautis omnibus vacuam; quin & omni apparatu ad nauigandum, excepta vnica arbore destitutam ingressus, nullo nauclero, nullo nauta, nullo alio adiutore quã Christo & Diuo Dominico, quorum alter in prora, alter in puppi apparuerat, ducentis leucis intra viginti quatuor horas confectis, in portum quendam Hispaniolæ reuertit. Non longe inde, reliquias idolomaniæ reperit. Indi, in quadam crypta subterranea, dæmoni sacrificabant. Aliquis illorum sacrificulus ceu vino madidus, sed à Spiritu nequam afflatus, miseros per mille ineptias, & mendacia detinebat. Accurrit, illò Petrus, & nemine conscio quam socio cryptam ingressus, illic se illatebrauit. Concurrentibus ad sacrificandum, & ad responsa audienda Indis, dæmonis Orator obmutuit, nec quicquam responsi edere potuit. Stupentibus cunctis, & causam silentij quærentibus, illico vir Dei ex latebris exiliit, & impetrato silentio, ad Dæmonicolam versus, In Dei nomine, cuius virtute obmutuisset, præcepit, vt enunciaret; An vera esset Fides Christiana, & doctrina quam ipse prædicaret? Affirmante veram esse; iterum adiurando imperauit, vt diceret; An mendacia, falsimoniæ, & impietates, quæ ad infernum ducerent, essent, quæ is à Sathana, miseris illis nunciaret? Asserente illo; tandem eundem sacrificolam compulit, vt eisdem populis circumstantibus, pœnas à dœmone in inferno præparatas, exponeret. Fecit ille satis copiosè; atque dilucide quid idololatras, quid refugos Euangelij post hanc vitam in æternum maneret, explicauit. Quo facto, Cordubensis sermonem excepit, & Sathanam ab antro effugauit; qui teterrimo odore post se relicto, non amplius decipere olim miseros sustinuit; iam à prædicatione Cordubensis, à seruitute impurissima ereptos, & in libertatem filiorum Dei translatos. *Augustinus Padilla in hist. Mexicana. Ioannes Michael Pius lib. 4. de viris illust. Ord. Præd.*

✲

ANNO CHRISTI M. D. XXVIII.
CLEMENTIS PAPÆ VII. ANNO 5. & 6.
CAROLI V. ROM. REGIS ANNO 9.

Carolus V. Galliæ Regis legatũ comprehẽdi iubet.

I. PONtifex ex arce Angelica ad vrbem emigrans, & adhuc inter malleum & incudem, post Romanam cladem & captiuitatem positus, quid consilij caperet, cuiue se ex toto, an Cæsari, an primum fœderatis adiungeret, diu hærebat. Anno hoc 1528. ineunte, cum homines à Lautrechio missi, & Gregorius Casalius Angliæ Regis Orator, vt eum ad fœdus cum cæteris ineundum hortarentur, ad eum venissent, varia responsa dare; nunc spem facere, nunc excusare, quod cum nec pecuniam, nec militem, nec autoritatem haberet; si se patefaceret, ipsis inutile; si bi vero, quod Cæsarianis sui multis in locis lædendi causam præberet, detrimento futurum. Nunc se, si Lautrechius progrederetur, ei satisfacturum innuere cœpit. Id enim, vt Germani, qui eius miseræ vrbis & totius circumfusæ regionis reliquias absumentes, & præfectorum obedientia prorsus abiecta, sæpe inter se tumultuantes discedere renuebant, alias pecunias, alia stipendia postulabant, discedere cogerentur vehementer cupiebat. Sed in superioris anni fine, & multo magis huius anni initio, pacis consilia, quibus Principum animi longe magis sunt irritati, manifeste irrita apparere cœperũt. Omnibus enim cæteris controuersiis, quum Cæsar Insubriæ imperium Francisco Sfortiæ restitueret, & cum Venetis, Florentinis, cæterisque confœderatis concordare non recusaret, compositis; solum vtrum prius faciendum esset, Gallicusne exercitus extra Italiam ducendus, an Regi filij restituendi quærebatur. Rex, nisi filiis receptis, exercitum extra Italiam ducere abnuebat: Sed obsides se in receptis filiis exercitum illico ex Italia deduceret, Anglo daturum, & pœnas constitutas persoluturum pollicebatur. Cæsar vero contra, easdem cautiones se Angliæ Regi daturum spondebat. Cum autem, vter alteri fideret, æquius esse quæreretur, Cæsar se ei à quo semel deceptus erat, fidere nõ posse aiebat. ad quod Galli Oratores, quo magis ipse se à Galliæ Rege deceptum existimaret, eò minus Regem ipsi fidere posse: & quod Cæsar se easdem cautiones Angliæ Regi,, quas Galliæ Rex offerebat daturum diceret, eam conditionem, cum causa dispar esset minime parem esse. Id enim quod Cæsar promitteret longe maius esse quã quod Galliæ Rex; eamque ob causam easdem cautiones non satis idoneas esse responderunt: & ad extremum addiderunt, Angliæ Regis Oratores qui Regis sui vt à Galliæ Rege promissa præstari curaret obstringendi potestatem habebant, contra pro iis quæ Cæsar promitteret, nullum mandatum habere. cumque mandata illorum & facultate & tempore definita essent, se neque excedere, neque expectare posse. Cuius controuersiæ dirimendæ ratio nulla inueniebatur. quoniam in Cæsare non idem quod in ipsius Senatu pacis studium vigebat. se enim etiam Neapoli amissa, filiorum restitutione id recuperare posse sperabat. Magno autem Cancellario, qui multo ante in Hispaniam redierat, pacis negotij cauillationibus & malitiosis interpretationibus turbati, culpa tribuebatur. Tandem Galli & Angli Oratores, Regum suorum mandata secuti, nimirum vt desperata, pace; discedendi facultatem à Cæsare peterent, moxque ei bellum indici iuberent, die XXI. Ianuarij, Venetorum, Mediolanensis, & Florentinorum Oratoribus sequentibus ad Cæsarem, qui tunc Burgi agebat, profecti primum Angli Oratores, quadringenta quinquaginta millia aureorum numũm à Rege suo ipsi mutuo data, sexcenta millia mulctæ nomine, in quam ob filiam ipsius repudiatam inciderat, & quingenta millia Galliæ Regis pensionum causa & aliis rebus, ab eo postularunt. quibus rebus vt iustiorem causam habere videretur, propositis, omnes sociorum Oratores abeundi facultatem petierunt: quibus se quidnam ipsis esset respondendum deliberaturum. verum vt & sui Oratores antequam ipsi discederent, tuto in loco essent oportere respondit. Legatis autem ab eo digressis, statim Galliæ & Angliæ Regum feciales ingressi, ei bellum indixerunt. quo nuncio hilari fronte accepto, Galliæ Regis, Venetorum & Florentinorum legatos, in vicum quendam triginta milliaria procul ab aula duci iussit: vbi sagittariorum & securigerorum adhibita custodia eis cõmercium omne interdictum, & scribendi facultas adempta: Mediolanensium Ducis Oratori tamquam homini suo, ne ab aula discederet mandari iussit. Anglo nihil noui factum est. Sic pacis negotio penitus turbato, solæ belli cogitationes accensæ manserunt; quod totum in Italiam & translatum, & constabilitum est. Vbi Lautrechius à Rege suo, & multo magis ab Anglo incitatus, vbi spes pacis deficere cœpit, Nona Ianuarij die Bononia, regnum Neapolitanum versus per Æmiliam, Flaminiam & Picænum cõtendens castra promouit. quod iter ipse post multam deliberationem, contra Pontificis voluntatem, qui ipsius transitus occasione Fabium Petrucium & Notios Senam reduci cupiebat; & contra Florentinorum desiderium, qui vt is exercitus, si Cæsariani vt eos ab incœpto reuocarent, Hetruriam inuaderent, ad opem ipsis ferendam paratior esset, eum vt id iter arriperet rogabãt, elegit. Voluit autem Lautrechius, potius per Truentanam viam regni Neapolitani fines ingredi, quod illud iter ad curulia tormenta vehenda commodius esset, & commeatu magis abundaret; & ne hostibus, Senæ aut alio in loco occurrendi occasionem daret. Cupiebat n. priusquam vllum impedimentum haberet, in illud se regnum insinuare. Sed vbi Bononia castra mouit, Ioannes Saxatellus Imolæ arcẽ, quam dum Pontifex captiuus esset occuparat, Põtifici restituit: & vbi prope Ariminũ venit, Sigismundus Malatesta Pandulfi filius, se eam vrbem Pontifici daturũ promisit, ea lege, vt matrem dote sua frui permitteret, sorori nondũ nuptæ sex aureorũ numũm millia, & patri atq; ipsi simul duo millia quotannis assignaret. Sigismundus statim Arimino discederet, & pater eius tamdiu donec Pontifex ea comprobasset, in vrbe maneret. Interea vero arx in Guidi Rãgonij ipsius affinis, qui à Gallis conductus Lautrechium in bello sequebatur, potestate esset. Verũ Pontifice ea confirmare cunctante, Sigismundus iterum arcem occupauit, non sine graui Põtificis in Guidum Rangonium querimonia, quasi id ipse tacite permisisset: nec sine Lautrechij & Venetorum consensus suspicione, quasi ipsum in perpetuis difficultatibus cuperent versari. Veneti quidem Rauennæ causa, ad quam ab eo Senatu repetendam quum Pontifex simulac ex arce est dimissus, Sipontinum Archiepiscopum misisset, commune responsum, quo se ad ea quæ Gaspar Contarenus legatus ad ipsum designatus, expositurus esset referebant, retulit. Nam etsi primo se eam Pontificiæ sedis nomine retinere dixissent, tamen tum publicis, tum priuatis de causis ab ea restituenda prorsus erant alieni; quod ea ad Venetum imperium augẽdum valde esset opportuna, & per se frumento abundans: & ob vicinia grifertilitatem magnam eius copiã quotannis Venetias conuehendi opportunitatem subministraret: & quia multi Veneti ampla prædia in eo agro habebant. De Lautrechij autem animo ideo dubitabat; quia cum Lautrechius, præterquam quod antea sæpius idem petierat, postquam Bononia discesserat, Valdemontium totius Germanici peditatus ductorem, cum Longauilla à Rege ad id misso, vt se Cæsaris hostem profiteretur vehementissimè cohortandum misisset; quamuis, præsertim exercitu appropinquante, tuto id facere posset, id tamen impetrare non potuerat: non quidem Pontifice id aperte denegante, sed procrastinante atque excusante. Quam ob causam Galliæ Regi se id facturum obtulerat, modo sibi Rauennam Veneti restituerent: quam ob eandem conditionem irritam fore sciebat, quod Veneti Regis suasionibus id facturi non essent: neq; tempus, vt ipse quo Pontifici satisfaceret, eorum in se odium pronocaret postulabat. His accedebat, quod neque Lautrechij petitionem, vt pacem cum Ferrariensium Duce initum confirmaret, admittebat. Aiebat enim rem valde iniquam esse, vt quæ dum mortuus esset suo nomine acta essent, viuus comprobaret: verum se cum eo cõuenire minime recusare. Quamobrem Ferrariensium Dux occasione hinc arrepta, etsi à Galliæ Rege & Venetis in fidẽ esset acceptus, in centum cataphractis Lautrechio & pecunia promissa exhibendis, vt qui de rerum exitu ambigens, non ita Galliæ Regi adhærere studebat, vt sibi quouis euentu Cæsaris apud quem necessitatem excusarat, animi placandi locum

Galliæ & Angliæ Reges Carolo V. bellum indicunt.

nullam relinqueret, studebat, se difficilem præbebat, ac semper Georgium Fronsbergium, & Andream Burgium Ferrariæ fouebat. Lautrechius tamen cum exercitu procedebat; cum quo decima die Februarij ad Truentum amnem, qui Pontificium imperium à regno Neapolitano diuidit, peruenit.

II. *Galliæ Rex vicißim Cæsaris legatum captiuum detineri mandat.*

In Gallia vero, Rex Legati sui captiuitate audita, Cæsaris legatum in Lutetianam arcem quæ Castelletum dicitur, coniici iussit, & per totam Galliam mercatores Cæsari subiectos retineri mandauit. Idem quoque quod ad Cæsaris Oratorem attinebat fecit Angliæ Rex: sed post, suum captum non esse certior factus, eum dimisit. Cumque iam bellum in Gallia, Anglia & Hispania esset promulgatum, Galliæ Rex vt in Flandria ab vtroque belli initium fieret vrgebat: quod vt ipse auspicaretur, nonnullos milites suos in Flandriam excurrere & prædari iusserat; nec tamen Flandri motum vllum, nisi iniuriæ propulsandæ causa faciebant: quoniam Margarita, quæ quantum poterat belli cum Galliæ Rege gerendi occasiones extinguere nitebatur, homines suos extra regionis suæ fines excurrere non patiebatur. Sed Anglo cum Flandris bellum gerere molestissimum erat. Nam & si quædam oppida à Cæsare prius ob pecuniam mutuo acceptam pignoris nomine ipsi promissa si caperentur, ei tradenda essent, tamen & vectigalibus suis, & regno mercatorum suorum in ea prouincia commercia impedire magnum detrimentum afferebat: Sed cum fœderis iure recusare non posset, quantum poterat differebat; sibique ex fœdere vt mercatoribus sese recipiendi tempus concederet, quadraginta dierum post bellum indictum spatium concedi aiebat. quâ eius voluntate & causa cognita, Galliæ Rex cum eo egit; de Hispaniæ oris naualibus copiis pro Flandria infestandis, in quibus se conscios habere affirmabat. Quæ res tandem effecerunt, vt cum Angliæ Rex Vintoniensem Episcopum in Galliam misisset, qui transalpina bella relinquenda, & vires ac bellum in Italia augendum persuaderet, eius consilio & cohortationibus constitutum sit, vt per octo proximos menses Galli, Angli, & Flandri cum aliis circumiectis locis Cæsaris imperio subiectis à mutuis iniuriis abstinerent. ad quod vt Galliæ Regem facilius flecteret, Anglus se singulis mensibus in Italicum bellum, cuius sex menses, in quos antea pecuniam promiserat, iam erant exacti, triginta aureorum nummûm millia daturum promisit. At quo magis belli apparatus quotidie augebantur, eo magis odia inter Principes exardescebant; ita vt quauis occasione se mutuis conuiciis incesserent, nec minus animis & æmulatione, quam armis pugnarent. Tandem Pontifex Valdemontio & Longauilla auditis, eisque communibus responsis datis, Pistoriensem Episcopum vna cum Longauilla ad Galliæ Regem misit, vt ei sui declarationem, cum pecunia, viribus & autoritate careret, sociis nihil profuturam ostenderet: vna in pace tractanda ipsi prodesse posse: Idcirco se ad Cæsarem, vt eum seueritate verborum ad id hortaretur, eundi mandatum habere diceret. Rex autem etsi Pontificem à partibus immunem esse non ægre ferret, tamen ne cum ad alia tractanda mitteret veritus, vt iret non permisit. Neque etiam Cæsar de Pontifice, si neutri parti studeret, querebatur. Florentini, à Rege Galliæ de renouando fœdere appellati, nimis celeri atque ipsis demum exitiosa festinatione, Regi adhæserunt, vt se à Pontifice, quem grauissime offenderant, tuerentur. Quamquam vero Lautrechius missus esse ad Pontificem liberandum, omnesque eius hostes reprimendos diceretur: ipse tamen Romam, dum captus Pontifex custodiretur, festinare differebat; eoque dimisso, Regiis viribus & copiis Florentinæ ciuitatis libertatem conseruandam ab omni iniuria, defendendamque susceperat: ac præterea Rex ipse Florentiam Claudium Velleium Legatum, qui fœderatæ ciuitatis consiliis adesset, miserat. Non probarant id fœdus Nicolaus Caponius ipse Dictator, & Optimatium atque prudentium pene totus ordo; vtpote qui ei parti cui Pontifex adhæsisset, omnino adhærendum censerent, & cum Pontifice honesta conditione, quæ incolumem liberæ ciuitatis statum conseruaret, pacisci oportere differerent. Prouidebant enim vsu rerum periti Clementem ad pristinum patriæ dominatum aspirantem, facile obliuisci posse recentis acceptæ cladis, tamquam non suæ sed publicæ omnium calamitatis, & Cæsari renouata amicitia rursum coniungi, vt illatam à rebellibus ciuibus peculiarem contumeliam vindicaret, ipsiusque Cæsaris felicibus armis in patriam reduceretur: quandoquidem ipse suspirans & gemens, existimationis suæ iniuriam a Gallis vel intempestiuè, vel improbe dissimulatam quereretur; ipso præsertim nouo fœdere, quo se illi Florentinis aduersus eorum hostes opem laturos pepigissent; cuius nondum maturi, sed certe non multo post futuri rerum euentus verissimus vates Caponius extitit, quum multorum imperitorum numerata suffragia aduersus paucos rectissime sentientes, vti plerumque fit, maxime valuissent. Quibus rebus cognitis Clemens seipso amarior factus grauiter angebatur: quamquam ad eum Vicontius Turenius à Francisco Rege missus, ea quæ iam transacta essent eleuare, mollireque & subtilius interpretari contenderet. Sic tamen lenire offensum non poterat, quin ille noui consilij curam coquere putaretur. Suspenso namque animo ex rerum successu, in complexum Cæsaris se dare, fortunamque eius sequi statuebat, quandoquidem fœderati prius, non modo nihil opis auertendo periculo attulissent, nec modo spectare, verum etiam prodere perfidiose, nimis fidentem voluisset. Tam vero alte in pectus ipsius, à ciuibus illata contumelia, quos Galli tamen defendendos susceperant, descenderat, vt sæpe Iouio & aliis contracta fronte diceret; Quid mihi vel incolumi Pontificatus dignitate, vel hac restituta sanitate vitaque opus est? si ab ingratis ciuibus patria pulso, & exuli, perpetuo deploranda sit maiorum meorum vetus amplitudo, totumque familiæ decus, & fortuna principatus? Hæc enim omnia ignaui infamia amisisse atque euertisse proculdubio existimabor, nisi eadem virtute qua illa longo tempore parta conseruataq; fuere; & mihi, & profugis adolescentibus recuperentur; referasque in annales tuos, iustis votis meis non semper fortunam illusisse.

IdemFlandriam inuadere statuit.

III. *Lautrechius Gallicarum copiarũ ductor vbiq; de Cæsarianis victor Neapolim oppreßit.*

Eo consilio decreto; quamquam Lautrechius, Aquilam, Ciuitellam; Theate, Sulmonam, Luceriam, Foggiam, Aufidum, Melfiam, Barletam, Tranium, Venusiam, Capuam, Nolam, Acerram, Auersam, & quamplurima Aprutij & Campaniæ oppida occupasset, Neapolitanamque vrbem terra marique vbique de Cæsarianis victor, cæso etiam Vgone Moncada prorege obsidione pressisset, neque minus Franciscus Borbonius in Insubria, contra Cæsarianos feliciter arma expediret, Pontifex à sociis interpellatus, vt se socium profiteretur, ac Cæsarem sacris armis persecutus Imperio Romano, & regni Neapolitani iure priuaret, se, si id faceret, opportunum pacis instrumentum deinceps minime futurum, excusauit: eamque rem sine vllo sociorum, ob egestatem atque inopiam suam commodo, maius incendium inter Christianos Principes excitaturam; & Germaniam, ipsum sibi Cæsaris creandi autoritatem arrogare, & Imperium in Galliæ Regem transferre velle suspicantem concitaturam, periculum à Lutheranis qui subinde crescebant, demonstrabat. Cumque amplius repugnare non posset, & Galli cum reliquis vrgerent, se, si Veneti sibi Rauennam restituerent, quod quidem ab illo sic est propositum, vt nullo modo fieri posse existimaret, ad id paratum, atque etiam Florentiæ statum nulla molestia affecturum offerebat. Qua de re cum xx. Iunij Regis Angliæ Oratores, vt eum Senatum ad Rauennam restituendam, illum promissa seruaturum spondentes cohortarentur, venissent, impetrare non potentes, male affecti discesserunt. Ergo, in sententia, ne vlli partium adhærere videretur, perseuerabat: Galliæ Regi, quasi varia agitaret consilia suspectus; nec Cæsari, omnino gratus, quod Cardinalem Campegium, ad diiudicandam diuortij causam in Angliam misisset. Maior tamen suspicio erat, Pontificem Cæsaris partibus adhærere.

IV. Inprimis enim, cum Germani milites, in totum tempus post Pontificem dimissum stipendia peterent, nec nisi iis acceptis discedere vellent, Pontifex Romam tandem liberari cupiens, viginti ducatorum millia eis repræsentare fuit coactus, quod duorum Cardinalium qui obsides erant liberandorum colore fecit: alia item viginti millia populi Romani nomine iidem Germani acceperunt, quæ Pontificem quoq; persoluisse opinio fuit: verum sub eo nomine, ne Lautrechio expostulandi causam præberet; qui nihilo secius grauissime expostulauit, quod Pontifex sua pecunia, vt Roma exercitus discederet, causam præbuisset; qua ex re factum, vt victoria

certis-

certissima dubiis belli euentibus subiiceretur, properantibus in auxilia suorum Cæsarianorum Germanis & Hispanis, qui die XVII. Februarij Roma discesserunt. Auxit suspicionem de Pontifice, Philippini Auriæ à stipendiis Regiis discessus, quasi is sciente & volente Pontifice ad Cæsarem defecisset: cum tamen Pontifex, non nisi liberandæ vrbis causa pecuniam Cæsarianis repræsentarit, & Auriæ cum Cæsare agitationes præsentiens, rem Lautrechio patefecerit; nihilque non egerit, vt cum Florentinis componeret: obtestans nullam cogitationem magis à se alienam quam opprimendæ libertatis ciuium esse, seque nihil aliud, nisi vt ea respub. se reliquorum Christianorum Principum exemplo, vt Pontificem agnosceret, atque in priuatis rebus suos ne persequerentur, neue familiæ suæ insignia, & propria ornamenta tolleret, cupere. Ob eam rem etiam Florentinum quendam Antistitem legatum Florentiam miserat; cumque is auditus non esset, vt illi ad se legatum mitterent, etiam per Galliæ Regem magnopere quæsierat. quod cum frustra tentasset, ac Lautrechius, Fabium Petrucium Senas reducere, Florentinis repugnantibus, recusasset; Clusinamque occasionem intercepisset, nec quicquam Pontifici gratum præstare voluisset, Pontifex iure merito rebus suis prospicere volens, Cardinalem Cruceium in Hispanias ad Cæsarem destinauit, ad res suas cum Cæsare firmandas.

V. *Cæsariani Neapolim recuperarunt.*

Inter hæc Lautrechius & Valdemontius exercitus Gallorum summi duces mortem obierunt: Salutius, Rangonius, Pepulus & Nauarrus ægrotabant; Valerius Vrsinus & Rentius Ceres parum autoritatis habebant: miles aut pestilentia laborans, aut in vicinas vrbes dilapsus, imminutusque, victoriam Cæsarianis obtulit volens nolens: amissis omnibus quæ tanta facilitate obtinuerant, excepta vnica Auersa, in quam se Salutius cum parte copiarum post cladem acceptam recepit, & ex qua, cum se tueri non posset, Rangonium ad colloquium cum Aurangio emisit, eiusque opera cum illo pepigit, vt Auersam cum arce, tormentis & omni apparatu relinqueret: ipse ac cæteri duces, Rangonio cui pro pace conciliata libertas præmij loco concessa fuit, excepto, captiui essent; Salutius, vt Galli & Veneti totum regnum restituerent operam darent: milites, & quibus in hac compositione libertas concedebatur, signa, arma, equos impedimenta relinquerent: sed tamen iis qui aliquo honore cæteris anteirent, parui equuli, muli, & id genus concederentur: Itali per sex menses contra Cæsarem non militarent. Sic omnes milites fusi, & omnes duces in fuga aut cæsi aut capti, aut in compositione dediti fuerunt. Auersa à Cæsariano exercitu, qui se deinde Neapolim, octo mensium stipendia petens contulit, direpta fuit. Rentius qui sequenti die cum Melfiano principe & Farfensi prope Capuam venerat, re cognita sese in Aprutium, quam prouinciam solam, & nonnulla Apuliæ Calabriæque oppida fœderati obtinebant, contulerunt. Aliquot proceres Neapolitani, qui Gallis adhæserant, securi percussi in publico foro Neapolitano. Hunc finem habuit Neapolitana expeditio, multis de causis perturbata, sed duabus potissimum ad extremum exitium perducta. quarum vna in morbis fuit, qui magna ex parte ab Regalis Poggij aquæ ductu, vt vrbi molendi facultatem adimerent, interrupto, originem traxerunt. Aqua enim per planitiem diffusa cum exitum non haberet, aërem vitiauit: ex quo Galli intemperantes & caloris impatientes in morbos inciderunt: quibus accessit pestilentia, cuius contagio per nonnullos ea infectos studio Neapoli in castra missos ad eos penetrauit. Altera vero causa fuit, quod Lautrechius qui maximam in bellis exercitatorum ducum partem secum ex Gallia duxerat, plus quam par erat confidens, & sibi quum in Insubria esset, quod se hostes Abduæ transitu prohibiturum ad Regem suum scripsisset, haud magnæ laudi fuisse oblitus, sæpius in hac obsidione se Neapoli potiturum ad eum scripserat; ideoque, ne ipsemet iudicium suum damnaret, contra reliquorum ducum sententiam, qui quum exercitum morbis refertum cernerent, vt eum Capuam, aut in aliquem alium tutum locum abduceret suadebant: Nam quum toto fere regno potiretur, nec pecuniam, nec commeatum ei defuturum; & Cæsarianos quibus omnia deerant pessum ituros, castra mouere noluit. Petrus Nauarrus captiuus, & Michael Salutius per deditionem acceptus, paucos post dies eodem morbo, simul & dolore animi, hic in libera custodia, ille in carcere, perierunt. Andreas quoque Auria quibusdam offensionibus inductus, qui mutata fide à Gallis ad Cæsarianos se contulerat ingressus Genuæ portum eiectis Gallis, veterem libertatem patriæ restituit, Gallicasque triremes persecutus earum partem cepit. Ex Cæsarianis præcipue cecidêre, Vgo Moncata Prorex, & Cæsar Ferramusca, ac Teias Aghillarius equitum præfectus: quorum primus occupato Vaticano, & sacrariis augustissimi templi direptis primum intulit vulnus; alter ab Hispania pro legato missus, nequaquam synceræ Cæsaris voluntatis ad traducendum falsus vates extitit; tertius immanis sæuitiæ Hispanus, qui capto in vrbe Laurentio Granio Signino Episcopo, Romana florenti eloquentia, quum ille egens pecuniæ, & direpta domo redemptionis pretium ægre expediret, sacratum caput insolentè vulnere propè discidit: vt immortalis demum Deus omnia hæc impietatis & perfidiæ scelera, non serus vltor vindicaret.

Multi Cæsariani proceres Gallicas triremes prosequentes occumbunt.

VI. Diximus superius, quomodo in tanto belli & armorum ardore, Anglorum Rex ab amatoriis curis minime arceretur: quæ sensim pectus ipsius furore complentes, tandem immanitatem horrendaque & inaudita scelera, cum maxima æternaque ipsius nominis infamia pepererunt; quando de diuortio cum Catharina coniuge legitima, vt Annam Bolenam superinducere posset cogitare cœpit: prætextu, quasi prius connubium contra leges esset, & eiusmodi, vtpote in primo affinitatis gradu, vt solui non posset; ac præterea nullam masculam superstitem prolem haberet, quæ in regni administrationem succederet. Qua de re, iam diuinarum atque humanarum legum peritorum, ac religiosorum quorundam sententiis rogatis, siue illi in ea sententia essent, siue id, vt quemadmodum apud mortales moris est Principi gratificarentur dixissent, matrimonium cum fratris vxore nullam vim habere responsum à multis acceperat. Quamobrem simulatque Pontifex è custodia emissus fuit, Legatos ad eum misit, qui eum vt se fœderi adiungeret hortarentur, atque quomodo ipsi Pontifici videretur, de Rauenna restituenda operam suam interponerent: ac præcipue vt diuortij facultatem impetrarent: quæ res non quò eum legibus solueret, sed vt matrimonium cum Catharina irritum esse declararet, petebatur. Existimabat autem Rex Pontificem, propterea quod viribus se atque existimatione infirmum cerneret, neque aliorum Principum potentia fulciretur, & recenti in eum, quod ipsius libertatem tanto studio procurasset beneficio quoque motum, facile consensurum: cum præsertim Cardinalem Eboracensem, quod semper & ipsius, & primò Leonis rebus fauisset, plurimum apud eum posse sciret: & ne Pontifex metum, ob iniuriam quæ in Cæsarem Catharinæ sororis filium redundaret, excusare posset, atque vt eum hoc munere alliceret, stipendia in quatuor millia militum, quibus ad sui custodiam vteretur, daturum obtulit. Pontifex hanc petitionem audiuit. Et quamuis rei magnitudinem, & maximam ignominiam quæ inde ad se peruenire posset videret, tamen cum Oruieti & integer adhuc inter Cæsarem & Galliæ Regem esset, ac parum vtrique fideret, huic petitioni repugnare non est ausus: quin se Regi obsequendi cupidum ostendens, sed rationibus quæ proponebantur difficultatibus interpositis protrahens, Regis ac ministrorum ipsius spem atque importunitatem accendit. Tandem tandem Campegium Cardinalem legatum in Angliam, vt in ea insula causam ipsi & Eboracensi delegatam diiudicaret destinauit: eiq;, quò rex facilius iure tractari pateretur, & pacatiore animo iudicij moram, quod quidem iudicium vt quantum posset protraheretur mandauerat, toleraret; decretum, quo id matrimonium irritum esse, occultissime declarare dicebatur, cum huiusmodi mandato dedit, vt tabulis Regi atque Eboracensi ostensis, se illarum, si in iudicio causæ cognitio minus ex ipsius sententia succederet; promulgandarum mandatum habere diceret: eoque modo Regi, vt causam iudicio permitteret, facilius persuaderet: cum alioqui ipsi Campegio, ne decretum, nisi prius nouum à se mandatum accepisset, Regi aut Eboracensi, vel cuipiam alteri traderet, mandauisset. *Guiciardinus lib. 18. & 19. Iouius lib. 25. & 26.*

Henricus VIII. Anglus legatũ ad Pontificem pro diuortio approbando mittit.

Nnn De

VII. De attentatis ab Henrico Rege, deq; gestis in eius negotio, certiora & exactiora Sanderus, iisdem verbis.

Iam causa diuortij per omnium ora ferebatur: iam omnes qui nonnisi ex nouis rebus crescere se posse animaduertebant, cum ad summos honores sibi per huius diuortij speciem fieri viderent, id omni ratione prouchebant. Contra vero, quos solus amor veritatis ad fidem confitendam impulit, illi quidem Reginæ Catharinæ ab hominibus iam plane desertæ, æquissimam causam tuebantur. Libri passim conscribuntur, alij pro Catharinæ matrimonio, alij contra illud. Qui autem Catharinæ matrimonium oppugnabant, eorum liber Henrico oblatus, cum apud Cardinalem Volsæum præsentibus multis Episcopis lectus esset, nihil aut pro veritate clarius, aut in Regem durius dicere plerique Episcoporum ausi sunt, quam, ex iis quæ illic in medium proferebantur, iuste posse Regem de matrimonio suo cum Catharina iam diu inito, scrupulum aliquem concipere. Non erat tam hebes Rex, quin diuortij sui causam (cui non fere alij quam impij atque indocti fauebant, optimus autem, & doctissimus quisque maximè aduersabatur) vehementer laboraret, atque afflictam esse intelligeret. Vocat ergo ad se Thomam Morum, cuius & ingenium esse maximum, & doctrinam excellentem, & integritatem summam probe sciebat. Eum interrogat, quid ei de matrimonio Catharinæ videretur? Morus erat tunc quidem ex Regio Senatu, nondum autem totius regni Cancellarius. Is ingenuè respondit, Regis diuortium sibi nullo modo probari. Ægre hoc responsum tulit Henricus; sed tamen ne quid intentatum relinqueret, tum maxima illi munera, si Regiæ voluntati suam accommodaret, promisit; tum præcepit, vt cum Doctore Foxio, Regij Collegij apud Cantabrigiam moderatore, de ea re conferret. Hic enim Foxius in diuortio prouchendo facile primas inter omnes tulit. At post collationem, cum Morus adeo non mutasset animum, vt iam multo liberius Regem hortaretur, ne vxorem suam repudiaret, Rex nunquam deinceps cum illo de ea causa locutus est: cuius tamen opera in cæteris negotiis conficiendis maxime omnium vtebatur. Dicebat vero apud suos, pluris se facturum si Thomam Morum ad suas partes attrahere posset, quam si præterea dimidiam regni partem suo instituto assentientem haberet.

Thomam Morũ Angliæ Cancellarium de diuortio consulit.

VIII. Illud his diebus perbelle accidit; vt Maria Bolena maior natu soror, cum videret Annam Bolenam sibi prælatam, seq; non solum iam à Rege, verum etiam à sorore contemptam, ad Serenissimam Reginam accederet, eamque iuberet bono animo esse. Quamquam enim Rex tanto suæ sororis desiderio flagraret, tamen fieri numquam posse, vt eam vxoris loco duceret. Cuius enim fœminæ sorore (ait Maria Bolena) quis cognouerit, eam ipsam fœminam ab eodem in vxorem accipi leges Ecclesiæ vetant. Quod autem me, *inquit*, Rex cognouerit, neq; ipse negabit, & ipsa ego id coram affirmabo, quoad viuam. Iam si sororem meam non duxerit, neq; tuam Serenitatem repudiabit. Serenissima Regina cum gratias egisset, omnia se, quæ facienda aut denuncianda viderentur, de Aduocatorum consilio facturam dixit.

Henricus VIII. mire conscientiæ stimulis agitatur.

IX. Henricus vero, non tam Ecclesiasticarum legum metu, quam Caroli Cæsaris reprimebatur; quod probè sciret, necillum æquo animo laturum materteræ suæ repudium, & suos subditos indigne laturos, si relicta Burgundicæ domus antiqua societate, qua cum omnes iamdiu quæstuosa vterimq; cõmercia exercuerant; cum Gallis noua, & dubia fœdera inirentur. Vidit præterea virtutes Catharinæ omnium bonorũ animos in amorem ipsius & admirationem conuertisse: Annam vero, pro meretrice passim haberi; Volsæũ, cui totius regni sui administrationem cõmiserat, iam non amplius diuortij causam, vt ante solebat, vrgere: deniq;, omnium quæ ageret Deo reddendam esse in vltimo die rationem. Quæ cogitationes ita illum nocte ac die fatigabant, vt incertus cõsilij, expers somni, dubius amicorum, certus hostium, addo, & conscientiæ suæ testimonio condemnatus: insuauem sibi vitam degere videretur. Sed cum Annæ Bolenæ amplexibus, præterquam si eam pro vxore haberet, frui penitus nõ posset; audiret autẽ à nonnullis illegitimũ esse quod cum Catharina inierat matrimonium; sciret vero, se tam bene meritum de Papa Clemente, vt certò speraret illum omnia facturum quæ ab eo postulasset, & per authoritatem eius tam vicinos Principes, quam subditos suos placatum iri: à concupiscentia sua victus, obfirmatissimo animo decreuit, Catharinam repudiare, Annam ducere, Cæsarem, cui Galli, Veneti, & Florentini eo tempore aduersabantur, contemnere. Et certe si non is esset Papa Romanus, quem ob Petri sedem quam tenet, ipsius Christi potentissimæ preces in fide confirmassent, liquido apparebat omnia factum Clemẽtem, quæ Rex ipse optasset. Dum Rex ita esset affectus, etiam Volsæus non dissimili vexatus morbo, huc illucque rapiebatur, modo gaudens, Imperatorem ab Henrico negligi; modo Annam Bolenam ad summam dignitatem euehi dolens; modo timens, ne Rex, ipso contempto, alios curandi sui diuortij modos quæreret; modo sperans Regis animũ ab Anna Bolena tandem auocari, & ad nuptias cum Christianissimi Regis sorore contrahendas adduci posse. Vtrumq; id euenturum erat, ipse à dominandi libidine superatus, omnem sibi ipsi vim attulit, vt Regis expectationi satisfaceret.

Volsæus strenuè agitatur.

X. De vtriusque igitur sententia statuitur, tandem Stephanum Gardinerum iurisconsultissimum virum, qui prius in familia Volsæi versatus, nuper cœperat à secretis Regi esse, ad Papam vna cum Francisco Briano mittendum. Hi vt gratiores Pontifici essent, in itinere cum Venetis, Henrici nomine egerunt, vt Rauennam redderent Sedi Apostolicæ, quod tamen Veneti facere tunc recusarunt. Inde ad Vrbem Veterem (hodie Vrbietum) quo primum Pontifex ex Adriani mole liberatus se contulerat, accedentes, postquam de libertate ei reddita gratulati essent, hæc duo capita proposuerunt. prius, vt sua Sanctitas ad fœdus illud recens, quod inter Anglum & Gallum contra Cæsarem percutiebatur, seipsam adiungere dignaretur: posterius, vt matrimonium Henrici cum Catharina, fœmina quidem optima & nobilissima, sed tamen quondam germani fratris sui coniuge præter legem naturæ (vt aiebant) contractum, authoritate sua irritum declararet. Nam in ea obreptum Iulio secundo fuisse, cui contra ius diuinum dispensandi nullam fuisse potestatem. Qui scrupulus quamquam domi Episcoporum Angliæ iudicio ab animo Regis eximi potuisset, tamen, vt ne qua suspicio Cæsari oboriretur, tamquam in solius Regis gratiam Episcopi Anglicani hoc fecissent, maluisse Regẽ hanc causam ad summum totius Ecclesiæ tribunal referre. Posse vero suam Sanctitatem huic morbo facillimam adhibere medicinam, propterea quod ea sit Catharinæ sanctitas, tale austerioris vitæ studium, vt postquam mutuo consensu diuortium fuerit interpositum, illa non difficulter sit in monasterium aliquot sese abditura. Iudices vero huius negotij quos dari posse meliores, quã lectissimos Cardinales Campegiũ & Volsæum, quorum alter in Anglia degens, causam optime perspectam haberet; alter sub Leone Decimo in Anglia cum potestate Legati missus, res Anglorum non penitus ignoret. Addunt præterea, Regem tam grato animo beneficium hoc acceptorum, vt stipendia sit persoluturus quatuor millibus peditum, ad perpetuam suæ Sanctitatis custodiam, quo minus sit ei necesse, vel à Cæsare, vel ab alio Principe vim timere, si forte hac Pontificia declaratione offendantur.

Henricus VIII. denuo Pontificem vt diuortium approbet per legatũ hortatur.

XI. Papa, vbi gratias & Regi, & ipsis egisset, & cur in Gallicum fœdus intrandum sibi hoc tempore non putaret, rationem reddidisset; quod ad causam diuortij attinebat, eos cum certis Cardinalibus & Theologis de ea re agere voluit, professus, si hoc quod Rex petebat, legitime fieri posse constaret, se non modo id ipsum libenter facturum, sed etiam serio sibi gratulaturum; quod occasio oblata esset tanto Principi gratias referendi, qui & libro doctissimo pro septem Ecclesiæ Sacramentis conscripto, de tota Ecclesia optime esset meritus; & præterea Sedem Apostolicam nuper propugnasset, maximeque omnium, suam personam ex manibus hostium ereptam, & vindicatam perpetuò sibi deuinxisset.

Clemens VII. magnas legationes Anglicano obsequij propensũ animũ gratias agit.

XII. Cardinales, & Theologi rationibus atq; argumentis Legatorum perspectis, vno consensu respõderunt; matrimonium Hẽrici cum Catharina ratum, & firmum esse, nec vllo diuino iure prohiberi. Nam quicquid in Leuitico, de turpitudine vxoris fratris non reuelanda legatur, id necessario ita interpretandũ, vt, ne repugnet ei legi, quod postea in Deuteronomio præcipit superstiti fratri, vt fratris absq; liberis defuncti vxorem ducat. Aut enim has leges pulchrè consentire, & posteriorem nihil aliud quam prioris exceptionem quandam esse. Aut si contrariæ essent, nõ priorem posteriori, sed posteriorẽ

Anglus legatus vehementer Romæ pro diuortio approbando instat.

quæ

quæ in Deuteronomio extat, derogasse priori quæ in Leuitico traditur. Quod vero verbum Ioannis Baptistæ laudassent, quod dixit ad Herodem; *Non licet tibi habere vxorem fratris tui*, Ioannem tunc egisse de tali Herodis fratre, qui & viueret, & Iturææ ac Traconitidis Tetrarcham ageret, & filium ex se genuisset: cum Arthurus Henrici frater, nec iam viueret, nec prolem ex se reliquisset. In causa igitur tam perspicua, iudices dandos non esse, maxime in Anglia; vbi omnia in potestate Regis futura sint; & præsertim tales, qui ob multa beneficia de Regis Henrici manibus accepta, maiorem in modum ei obstricti sint. Cum hoc responsum Doctori Stephano significatum esset, ad Pontificem reuersus dixit: primum, aliis Theologis in vrbe aliud videri; deinde, si matrimonium Henrici iure diuino interdictum non fuisset, tamen Regem ostensurum, ipsius Iulij dispensationem minime fuisse Canonicam, aut legitimam. Illud se maxime omnium mirari, quod iudices qui priuatis non negarentur, tanto, & tam bene merito Regi dandos non esse dicatur: benignius responsum se à sua Sanctitate expectare. Faciam, *inquit Pontifex*, Regis causa, quicquid iure mihi facere licebit. Cæterum agitur iam non de causa humani iuris, verum de matrimonio fidelium, quod cum sit Sacramentum à Christo institutum, nihil in eo nobis innouare licet; & agitur de matrimonio dissoluendo, quod à Deo coniunctum homo non separat: & agitur de tali matrimonio dissoluendo, quod authoritate Decessoris mei cõtractum, viginti annorum cohabitatione munitum, etiam prolis fructu sit corroboratum. Quid? Nonne agitur etiam de honore, tam Catharinæ Principis, quam Caroli Cæsaris? & quis præstabit, ne hoc diuortium magni alicuius belli causam præbeat? Mei autem officij est, ne quid turbarum, quibus obstare queam, in Ecclesia Deo oriatur.

Pontifex legato respondet.

XIII. Pontifex, vbi hæc dixisset, iterum Regis causam aliis Cardinalibus, & Theologis cognoscendam commisit. Ibi quamquam nonnulli diceret, æquius hanc litem Romæ, vbi omnibus ex æquo ius dicebatur, quam in Anglia, vbi Regis arbitratu omnia fierent, decidendam esse; tamen alij, negotia Ecclesiastica politicis rationibus interpolantes, multis verbis questi sunt de hæresibus nuper in Germania obortis, deque cæterorum Principum, in propugnanda fide, nimia tepiditate. Quare cum Henrico fidei Catholicæ acerrimo defensore clementius agendum; præsertim cum dicatur, ipsam Reginam in Monasterium ingredi paratam esse. Et sane illud videri durissimum, vt ne iudices quidem ij dentur, quos tantus Rex petit; cum potius, dum his apud eos agitatur, sperandum sit, Regis animum, si qua in re nunc sit deprauatior, ad officium paulatim reuocatum iri. Saltem, quid obstare, quò minus periculum fiat! Semper enim Pontifici integrum fore, vt causam ad se reuocet. Hæc autem posterior sententia valuit apud Clementem, partim gratiæ Henrici nimium dantem, partim omnino nihil suspicatum, quod falsa essent illa omnia quæ de Catharinæ vel assensu, vel Monastica vita obtenderentur. Dati ergo sunt iudices, Laurentius Campegius, & Thomas Volsæus, hic presbyter, ille Episcopus, Cardinales.

Pontifex Romæ potiùs quam in Anglia diuortij item decernendam putat.

XIV. Regina vero licet de his qui ad Vrbem mittebantur Legatis, certior facta non esset, tamen simulac tale quid suspectum habere cæpit, tum à Pontifice per litteras petiit, ne qua legatio in Angliam de hoc diuortio cognitura mitteretur: (nam hoc nihil esse aliud quam Regem in sua causa iudicem facere) tum Imperatorem tam de Volsæi suggestione, quam de Regis instituto certiorem fecit, summis precibus contendens, ne materteram suam desereret, cui omnes inimicitiæ ob solius Cæsaris odium sustinendæ sint. Questus est apud Pontificem Cæsaris legatus, tam de nunciis à Rege Angliæ in Vrbem inscia Regina, cuius tamen causa hæc præcipuè erat, clãculum missis, quam de iudicibus à Pontifice datis, antequam adhuc quid Serenissima Regina pro se allatura esset, audiuisset. Quæ scandala hinc oritura, cum Cæsar materteræ suæ causam contra iniurias Henrici propugnauerit? Quem statum rerum in ipso Angliæ regno expectandum, quando pessimi quique Regiam libidinem fouentes, omnibus honorum gradibus præficientur: soli autem boni & fideles viri, ob solius Dei timorem causam Reginæ propugnantes, omni honoris gradu deturbati fuerint?

Catharina Regina Angliæ apud Cæsarem de iniuria sibi illata queritur.

XV. Pontifex, cum intellexisset suggestionem Regis falsam fuisse; quatuor nuncios celerrimo cursu, diuersis itineribus ad Campegium misit, per litteras ei mandans, primum vt in itinere quam tardissime progrediatur; deinde cum in Angliã venerit, omnem operam ad Regem cum Regina conciliandum interponat; in quo si non profecerit, Serenissimæ religionis ingressum persuadere conetur. Quod si neq; hoc obtineri poterit, saltem ne vllam pro diuortio sententiam, absq; nouo & expresso ipsius Pontificis mandato ferat. *Hoc*, inquit, *summum & maximum sit tibi mandatum.* Aliis vero litteris Viterbij datis, plane significat, si de sua tantum persona ageretur, se omnia pericula in Regis Henrici gratiam subiturum, sed nunc illius voluntati, absque iniustitia, & publico scandalo satisfieri non posse.

Clemens VII. Campegio Cardinali in Angliam proficiscẽti per celerẽ nuntium diuortij compositionem mandat.

XVI. Campegius nonis Octobris Londinum ingressus, & à Volsæo ad Regem deductus, omnia studia & officia Pontificis, Cardinalium, Cleri ac populi Romani nomine, Henrico Regi tamquam liberatori Vrbis detulit. Cui Regis nomine cum Foxius respondisset, Rex & duo Cardinales remotis arbitris, de suis rebus multum diuque collocuti sunt. Aduentus Campegij fuit vniuersis regni Ordinibus longè ingratissimus, quod passim dicerent eum accessisse, vt Regem à sanctissima sua vxore disiungeret. Præcipue autem Regina in luctu & lachrymis nocte dieq; egit. Quam cum per occultos nuncios consolari Campegius niteretur, eandemq;, vt religionem aliquam sponte susciperet, vitæ saltem tuendæ causa hortatus esset; illa intrepide respondit, sibi constitutum esse, matrimonium suum quod Ecclesia Romana legitimum, semel iudicasset, constantissime tueri; nec illum recipere iudicem, qui per aperta mendacia potius à Rege extortus, quam à Pontifice missus fuisset. His verbis intellectis, Campegius ad Pontificem scribit, tum quid animi Reginæ sit, tum quantopere instet Rex vt causa absoluatur; itemq; collegam suam Volsæũ, qui prior sit in ordine iudicum scriptus, totum ad matrimonium separandum esse intentum; quare Sanctitatem suam debere primo quoq; tempore, quid ei faciendum censeat, præscribere. Dissimulante autem Pontifice, nec aliud quam dilationes quærente, ad sex ferè menses, hoc est à Nonis Octobris, vsq; ad quintum Calendas Iunij, à causæ cognitione cessatum est.

XVII. Rex interea videns populum indignari, quod potiundæ meretriculæ causa, vxorem tam illustrem repudiare conaretur, sexto Idus Nouembris Principes ac plebem conuocans, iuratò affirmat, se non alicuius fœminæ amore captum, sed solo conscientiæ scrupulo adductum, vt hanc litem intenderet. Nam quid sua coniuge sanctius, quid nobilius esse? Nec sibi aliud in ea displicere, quã quod fratris sui vxor prius fuisset. Qui enim iurantem audiebant, impudentiam viri satis admirari non poterant. Tot enim stupra, & adulteria quæ passim committebat, facile clamabant eum non tam religiose primum esse, vt in re vxoria scrupulis conscientiæ suæ multum torqueretur. Campegius Regi suasit, vt hanc causam non inimica litigatione decidi, sed mutua gratia componi pateretur. Cum Regi consilium placuisset, de illius voluntate accedunt Cardinales ad Reginam, acturi cum illa, vt aliquem Religionis habitum susciperet. Sed vix iam præfati erant se à Pontifice missos, vt cognosceret, vtrum ipsius cum Rege matrimonium esset validum necne: cum illa orationem ipsorum interpellans, Rem, *inquit*, actam agitis; & actam, non solum in Senatu duorum Regum prudentissimorum, sed & in Romano Consistorio, itemque à Papa Iulio transactam, viginti annorum cohabitatione firmatam, fructu prolis stabiliuam, Orbis Christiani gratulatione, & iudicio corroboratam. Sed hanc ærumnam meam tibi vni (Volsæo) acceptam fero, quam tu odio tanto prosequeris, vel quod ego ambitionem tuam, & libidinem æquo animo ferre numquam potuerim, vel quod Cæsar nepos meus tibi Papatum deferendum non curauerit. Cum vero illam, & nimio dolore commotam, & mox in lachrymas resolutam conspicerent, ab vteriore colloquio tunc sibi temperandum putarunt, cætera per nuncios confecturi. *Sanderus de schismate Anglicano libro primo.*

Catharina Angliæ Regina vni Volsæo omnem suæ iniuriam acceptam fert.

XVIII. Inter hæc Pontifex, Ariminum, quod primum à Ioanne Saxatello frustra oppugnatum, tandem fortunarum & vitæ incolumitate pacta deditionem fecit, recuperauit. Cruceius quoque Cardinalis, ex Hispanica legatione reuertens, cum

Pontifex Ariminum recipit.

Neapolim venisset, tres Cardinales obsides dimitti iussit; & Ostiæ ac Veteris ciuitatis restituendæ mandatum à Cæsare se habere dixit. Vnde Pontifex de pace breui secutura spe plenus, Braccium Baleonem, vt Malatestæ in Perusinis rebus negotium facesseret, submisit: ac Ferrariensium Ducem Mutinam profectum esse certior factus, Pauli Luzzaschi opera ducentorum equitum ad Copporum domum in Mutinensi agro insidiis positis, eum cum Ferrariam rediret capere est conatus. Sed cum Dux non discessisset, res detecta fuit. Vtque Pyrrhus à Petri Castello, controuersiarum cum Senensibus causas prætexens, cum octingentis peditibus nonnullorum Clusinorum exulum opera, Clusium occuparet, vt ea ratioue Senensium statum, quemadmodum demeruerant turbaret, clam operam dedit. Sed quum Florentini Turrenæ Vicecomiti Galliæ Regis Oratori, Pontificem nihil aliud, nisi vt Senæ opportunitate illorum res turbaret, deque iniuriis se vindicaret, spectare ostendissent, ipse vt Clusij motus sedarentur apud Pontificem egit. *Guiciardinus lib. 19.*

XIX.
Veneti ad Pontificē Oratore misso se ob Rauennæ restitutionem excusarunt.

Quamquam vero, Gaspar Contarenus à Venetis Orator missus, Senatum excusaret de Rauennæ restitutione, & Sacerdotiorum in dominio Veneto nominatione denegatis: Pontifex tamen necquicquam pristini ardoris remittebat, quinimo indies magis exacerbatus vrgebat: vt & Flaminiæ vrbes, quæ in Reipublicæ potestatè erant, restituerentur, & lex à Senatu de Sacerdotiis nominandis nuper lata, qua vehementer commotus fuerat, abrogaretur. Quoad Antistites nominandos spectat, respondebant, petere Rempublicam ne illi à Clemente ea denegentur, quæ reliquis Christianis Principibus concessa sint, penes quos constaret priscum hunc morem adhuc vigere: eò sæpius maximis incommodis, quæ ob Antistitum absentiam accidere solerent, itum: per multas successiones temporum apud Senatum nominandorum Antistitum ius fuisse, qui à Pontifice Maximo Pastores postularentur: æquitati consentaneum, neque sacris legibus aduersum videri: deberi hoc Venetæ Reipublicæ, quæ imperij ac religionis eadem fundamenta iecerit; pro illa tutanda & seruanda, non thesauris, non viribus, non vitæ ciuium pepercerit; labanti Apostolicæ Sedi opem tulerit; pro illius dignitate atque autoritate acerrime certauerit; & si quando, hac potissimum tempestate non exiguis argumentis patefecerit; sperare id, quod vehementer optaret, à Pontifice consecuturum. De vrbibus restituendis diuersæ sententiæ in Senatu dictæ; nonnullis pecuniæ quandam summam erogari Pontifici placebat, vt vrbes, illo non repugnante, retinerentur: aliis Reipublicæ iura exponi, mox vt cum Cardinali Montio, qui summa erat apud Pontificem autoritate, de concordia ineunda ageretur: alij totam eam rem Oratori permitti debere arbitrabantur, qui vel annuo censu, vel annua ratione Clementi satisfaceret; cum Rempublicam à possessione Flaminiæ vrbium non recessuram sibi constaret. Vicit Leonardi Haimi Consiliarij sententia, qui nihil præcipue de vrbibus agendum cum Pontifice censuit; tantum hortari ac suadere, vt omne studium atque operam, in Christianorum Principum conciliandis animis, ac pace firmanda poneret; si id acciderit, tunc Reipublicæ erga sanctissimam sedem pietatem, atque obsequium non desideraturum. Vt hoc Senatusconsultum fieret, rumores, qui de pace percrebuerunt in causa fuere: cum Cæsar iterum à pacis consiliis minime abhorrere nunciaretur, maxime vt Panoniæ à Turcarum impetu periclitanti succurreret, & hæreticorum conatus reprimeret, qui id temporis succrescebant. *Maurocenus lib. 3.*

XX.
Ferdinandus Rex Vngariæ Ioannem Regem electū bello opprimit & fugat.

A Turcis periculum creatum est, occasione dimicationis de regno Vngariæ, de quo Ioannes Rex electus, & Ferdinandus Rex item inauguratus, contendebant. Hic enim repetendi iuris sui cupidus, Bohemorumque ac Germanorum auxiliis instructus, Ioannem Buda eiecit, & Toccaium vsque trans Tibiscum fugere compulit, in potestatem fere omnibus vrbibus & arcibus quæ secundum Danubium erant, receptis. Ioannes profligatus, & ad Toccaium castra metatus, ad Sigismundum Poloniæ Regem qui sororem eius in matrimonio habuerat, Archiepiscopum Colocensem Franciscanæ familiæ Monachum misit legatum, perque eum auxilia contra Ferdinandum obnixe expetiit, illius ambitione accusata, & Vngariæ periculis exaggeratis, cuius ruina etiam Poloniæ vicinæ futura esset exitio. Quod si Poloni auxilia sibi submittere recusarent, Turcæ opem imploraturum, eumque dignitatis suæ defensorem asciturum; quando neque à summo Pontifice exhausto & oppresso, neque à Galliæ Rege bellis Italicis implicato, aliquid opis aut expectare, aut sperare posset, Legato responsum à Rege, res suas non ferre, vt Christianorum bellis se ingerat, qui perpetuum & internecinum cum Tartaris bellum gerat. Neutrarum se partium fore, & allaboraturum omni studio, legatis ad Ferdinandum missis, vt pax inter eos ex æquo & bono concilietur.

Ioannes Vngariæ Rex electus contra Ferdinandum Regem Vngariæ à Polono petit auxilia.

Inter hæc Ferdinandus Buda iam potitus, Ioannemque ad Toccaium assecutus, post acrem vtrimque pugnam, cum viribus superior esset profligauit, & in fugam coniecit: atque is tantis calamitatum procellis exagitatus, ac aduersæ fortunæ insperato turbine obrutus, auditis etiam partium suarum in Illyrico aduersis successibus, nihil moratus, in Poloniam ad Ioannem Tarnouium, Castellanum vt vocant Cracouiensem, ac summum exercitus Polonici ducem profugiendum duxit, virum sane magnanimum, & apud Polonos, post hominum memoriam, omni genere virtutum longe clarissimum. qui Regem profugum, regnoque tam acerbè quam infeliciter pulsum, non solum humanissimo cum suis omnibus hospitio excepit, tradita ei ad habitandum amplissima arce sua Tarnouia, sed etiam singulari & propemodum Regia liberalitate rebus omnibus ad victum atque cultum necessariis adiuuit, ac ab insidiis inimicorum, quamdiu in Polonia exulauit, acerrime defendit. Neque ea Tarnouij hospitalitas, ac præclarum summæ liberalitatis studium Sigismundo Poloniæ Regi ingratum, aut molestum accidit: vtpote, qui licet ei, ne regnum Vngariæ multis rationibus Ferdinando debitum ambiendo affectaret, frustra suasisset; hominem tamen arcta sibi affinitate iunctum, in eas exilij necessitates præcipitatum, eo moderati animi iudicio suscipiendum, fouendumque existimauit, vt profugo exilij locum minime inuideret, aut prohiberet, vt aliquid necessitudini & calamitati eius tribueret; auxilia vero contra Ferdinandum omnino negaret; ne scilicet Austriacæ domus Principes, quibus veteri amicitia, cum Maximiliano non ita pridem renouata, haud obscure fauebat, & Carolum inprimis Cæsarem, cuius fortuna & opes hac tempestate in excelso erant, offendere videretur. Ad eum modum exulante Ioanne, cum Ferdinando in Vngaria res omnes feliciter succederent, in Illyrico & Bosnæ partibus ingens detrimentum à Turcis in omnem occasionem attentis illatum est. Quum enim annis superioribus Petrus Quegleuitius Iaiciæ vrbis atque arcis præfecturam, egregia fide & singulari fortitudine administratam, arcemque defensam Ferdinando remisisset; isque eam Stephano Gorbonoco, imbellis inefficacisque ingenij homini, commendantibus Germanis quibusdam contulisset; Mahometes cognomento Iahioglis, Belgradi ac Samandriæ præfectus, Visreffus Varbosaniæ, ac Amurates natione Dalmata è Sebenico alumnus eius, Auranæ cæterique limitum duces, postquam Vngaros pariter & Germanos, ciuilibus bellis intestinisque discordiis agitatos inter se dimicare armisque contendere cognouissent; ac Iaiciam sub imbelli & incurioso præfecto, nec præsidio, nec commeatu, neque rebus necessariis satis instructam esse pro explorato haberent; contractis copiis & admotis tormentis arcem obsederunt; cumque diebus aliquot mœnia concussissent, Stephanus rebus suis diffisus, nec in Ferdinandi aliis bellis occupati, absentisque ope ac auxiliis quicquam spei collocans, decimo oppugnationis die, de vrbis arcisque deditione cum Turcis pacisci ac transigere decreuit. A quibus facili negotio concessum est, vt Stephano ac præsidiariis omnibus, cum equis & sarcinis, quas secum auehere possent, in tutum abire liceret, dummodo commeatus, & quæ in arce oppidoque erant tormenta ibi relinquerentur. Audita Iaiciæ deditione, cæteræ arces quæ eò pertinebant, numero duodecim, partim infami deditione, partim militum præsidia-

Turcæ Vngaris dissidentibus occasione data Iaiciā Vrbem Illyricæ cum multis aliis occupant.

riorum

riorum fuga & metu in hostium potestatem deuenere, B la-Iesero, Orbauacium, Socolum, Leuacia, Serepuarum, Apa rucia, Perga, Bossacium, & Grebenum. Andreas quoque Radotouitius Banialucam, arcem, satis firmam cui præerat, vna cum oppido amplo, & in longum penes vtramque Verbani fluminis ripam protenso, pari segnitia & metu agitatus, succendit, & in tutum se cum suis proripuit: qui deinde fere omnes, vti desertores, vna cum Stephano ignominia notati, in exilio periere. In hunc modum Iaicia, Bosnensis regni caput, pro qua tot tantaque bellorum certamina contracta, tot obsidiones toleratæ, tantum roboris & virium insumptum, tam multum sanguinis effusum fuit, turpissima præfecti socordia & ignauia, non sine summo dedecore Vngarorum, ac Reipublicæ Christianæ detrimento, puncto temporis fœde amissa est: ita vt Ioannes quamquam in arce Tarnouiana apud Polonos extorris & exul, scriptis ad Principes Romani Imperij & ad Carolum Cæsarem litteris, Ferdinando Regi acrioribus verbis vehementius obiiciendam exprobrandamque existimauerit. Eodem tempore iisdem hostibus ducibus, quos nominaui, sedulam Solymano operam nauantibus, arces atq; ciuitates Ioannis Carlouitij in Croatia, quæ est Dalmatiæ mediterraneæ pars, sitæ, Vduina, & Lica, ac Carbaua, in qua sedes Episcopi habebatur, eadem Christianorum ignauia, Turcis occupantibus cessere; Carlouicio in arce sua Meduenara grauissimo morbo oppresso, nec suis laborantibus opem ferente vllam: cuius etiam morbi atrocitate, vir nobilissimus, nullis relictis liberis, extinctus est. Sed longe grauiora sunt quæ sequuntur.

XXI.
Multi proceres Poloni Ioannem Regem Vngariæ exulem visitant.

Dum Ioannes Rex apud Tarnouium hospitio haberetur, alij quoque quamplurimi proceres Poloni ad eum inuisendum & consolandum certatim confluebant; adeo vt eius quamquam exulis aula, non minore fere quam in Vngaria præstantissimorum virorum cætu, ad pristinæ felicitatis similitudinem vel maxime frequetarentur. Inter hos eminebat Hieronymus Lascus Siradiensis Palatinus, vir & bello bonus, & consilio ac rebus agendis prudentia & experientia singulari. Cum hoc, simul & Tarnouio, viris clarissimis, Ioannes collatis sermonibus, de amissi regni infortunio, ac exilij ærumnis, repetendaque dignitate mæstus ac lamentans sæpe colloqui & consilia miscere consueuerat. Qui postquam cum eo diu multumque deliberassent; nullam ei in Carolo Cæsare spem collocandam censuere; vtpote, qui tametsi æquitatis & moderati animi nomine præstantissimus Princeps haberetur, tamen fratrem Ferdinandum, quam alium quempiam nobilissimo Vngariæ regno potiri mallet; & Ferdinandus natura imperandi auidus, degustata dominandi dulcedine, nequaquam regni & Regiæ dignitatis fastigio cessurus crederetur. Clementem Pontificem & Franciscum Galliarum Regem, ab ipso Cæsare in multas & grauissimas rerum difficultates vsque ad carceris & captiuitatis ærumnas adductos, vix sibi ipsis consulere, nedum aliis opem ferre vllam posse; vt interea de Sigismundo Rege taceant; quem licet propinquum, tamen Austriacæ familiæ hoc tempore coniunctissimum, in hanc reducendi ipsum curam & studium multis de causis immiscere se nolle, nec posse, nec debere, pro explorato habeant. Venetos autem, tametsi pactis specioso titulo fœderibus, mutuam amicitiam & auxilia obtulissent, quis nisi rerum imperitus, opem allaturos putet? quos potius alienorum periculorum ociosos spectatores semper fuisse certissimum sit? Sibi igitur quam consultissimum videri (*dicebat Lascus*) vt opportuna exilij remedia apud Solymanum quærat, ac missa legatione, ab illo supplicibus votis sibi conciliato opem & subsidia poscat; nullum alium esse principem, cuius armis & potentia regnum amissum recuperari, ac contra imminentes hostes & æmulos retineri possit. Illum esse ingentis spiritus, ac magni animi principem; & quamquam religione à nobis dissideat, tamen iis moribus præditum, vt sine dubio ad miserationem calamitatis eius flecti ac induci queat; si piis precibus ac pactione annui tributi humiliter emollitus, in partes traducatur: quemadmodum eius rei in Valachiæ ac Moldauiæ populis, eorumque principibus perspicua documenta haberentur, quos clientes & beneficiarios appellatos suis legibus viuere permittat, & sibi tributarios contra finitimos quosuis armis belloque tueatur. Addidit Lascus, promptissimo oblato obsequio, si Ioanni placeret, se legationem eam quamuis difficilem & laboriosam subiturum, & quantum in se situm esset, ad optatum finem perducturum. Quod consilium, vt Ioanni exuli maximo futurum vsui videbatur, ita Vngariæ totique Reipublicæ Christianæ exitiosum fuit. Ferunt Ioannem, post legationem decretam, cum Lascum dimitteret, illud Iunonium ex Marone carmen, *Flectere si nequeo superos, Acheronta mouebo*, subtristi vultu ac ore protulisse. Lascus legatione suscepta, Constantinopolim perueniens, primum omnium se in amicitiam familiaritatemque Ludouici Griti, datis muneribus, commodùm insinuauit. Is erat Andreæ Venetiarum principis filius Bizantina matre natus, ac Turcicæ linguæ, vtpote natiuæ ac domesticæ peritissimus, ac Ibraimo purpuratorum principi charus, nec Sulimano incognitus: & eo tempore Peræ habitabat, in quo oppido hospitium haud procul ab ædibus Gritianis Lasco forte obtigerat. Hunc Lascus de sua legatione, ac Ioannis paulo ante Regis exilio & miseriis, Italica vsus lingua disertè & appositè edocuit: amboque deinde Ibraimum conuenere, eumque muneribus excultum placatumque induxere, vt causam Ioannis apud Sulimanum tuendam susciperet, atque operam & studium suum omne polliceretur. Is Ibraimus post deiectum & loco motum Luphtim (propterea quod vxorem, quæ Sulimani soror vterina erat, cum ob fœdos puerorum amores reprehendentem pugno pulsasset) purpuratorum princeps euaserat, & Sulimani consiliorum omnium vnicus arbiter, eo quocumque volebat impellere poterat, vt plane ei dominaretur; quamquam humili loco natus, & puer à Scandere, principi dono datus fuisset. Huius opera & diligentia Lascus, triduo postquam cum eo consilia contulerat, ad Sulimanum introductus, atque ab eo auditus, postea ad Diuanum, quod publicum apud Turcos Concilium denotat, cui tunc Ibraimus præerat, reiectus fuit.

Ioannes Vngariæ Rex electus contrà Ferdinandum Regem à Solymanno petit auxilium.

Summa petitionis fuit, vt Ioannes à Ferdinando quorumdam Vngariæ procerum perfidia regno exutus, in regnum reduceretur, beneficiarius & cliens Sulimani perpetuo futurus. Ioannem in publico Vngarorum omnium conuentu legitime Regem appellatum, & ex antiqua regni consuetudine coronatum fuisse. Numquam, si in tutelam reciperetur, tanti beneficij memoriam ex animo depositurum, Solymannumque quoad viueret, constanti fide cultuque persecuturum, eique tributa clientele nomine quotannis persoluturum esse. Quod ei non solum summe futurum sit gloriosum: sed etiam maxime vtile, vt qui beneficiarium Regem habere vicinum potius cupere debeat, quam Ferdinandum Bohemorum Regem, qui Caroli Cæsaris fratris & Germanorum potentia opibusq; fretus bellum ei illaturus potius, quam sua defensurus existimari possit. Ista cum perorasset, prospiciente & audiente è fenestella superioris loci Solimanno, ac illum veluti clientem & beneficiarium in tutelam Solimani tradidisset, & quicquid tributi imperatum esset, id quotannis obedienter persoluendum promisisset; bene sperare ab Ibraimo iussus ad hospitium se recepit. Accidit autem, vt Gritus quoque iisdem diebus vnionum & gemmarum æstimandarum causa, quarum Mangonij callentissimus habebatur, à Solimano arcesseretur; & Ioannis causam, opportunam nactus occasionem obnixè commendaret. Exinde haud multo post tempore purpuratis consulentibus, Ibraimoque potissimum, summa qua pollebat autoritate satagente, Ioannes in clientelam recipitur, & Solymanni beneficiarius appellatur; ac proximo ineunte vere, auxiliares copiæ ei in regnum reducendo decernuntur; nulla quidem eo tempore tributi facta impositione: postremoque Lascus vestibus purpureis auro intertextis donatus; ac conuiuio à purpuratis Ibraimoque exceptus, domum remittitur. Sed antequam Byzantio exiret, superuenit à Ferdinando Ioannes Hobordanscus legatus, qui graui, & si prior venisset, non improbanda ratione, regnum quod recens legitime adiisse videbatur, Solimanni amicitia impetrata sibi stabiliendum, ac iura quæ in eius hæreditate duplicia & firma habebat, ei proponenda, petendasque more maiorum inducias censuisset. Erat Hobordanscus natura ferox, ac superbus; ideoque Turcis minime acceptus, qui homines Christianos ad se venientes, nihil nisi demissum ac humile verbis,

gestu,

gestu, factisq; præse ferre volunt, ac quodam barbarici fastus imperio etiam adigere videntur. Iste est Hobordanscus, laiciæ olim equitum ductor, qui singulari & equestri certamine cum Cassono tunc præfecto turmæ, postea autem purpurato Budensi, abdicatis scuto & thorace ac galea, sed solis gladiis congressus, multis illatis acceptisque vulneribus victor euaserat, tandem infami & fœdo vitæ exitu memorabilis. Nam quum processu temporis Ioannem Regem à Solimano restitutum, Budæ, incertum sponte ne, an præmio ab aliquibus inductus, interficiendum suscepisset; sicaque eius in sagi manica inuenta esset, captus & culeo infutus, atque in Danubium mersus interiit. Hic postquam ad Solimanum à Ianitoribus brachia & manus de more sustinentibus introductus fuisset, legationem ita exposuisse fertur, vt ipsius Solimani aures, nihil superbi aut insolentis audire ac ferre solitas, non parum offendisse videretur. Petebat enim libero ore, vti fama fuit, & Ioannes Sermegus horum temporum æqualis id in suos annales retulit, vt amicitiam & inducias Ferdinando daret; ea conditione addita, vt iisdem, quæ antea Ludouicus Rex iceratfœderibus renouatis, Albam Græcam, ac cæteras arces Ludouici tempore captas, cuius sororem Ferdinandus duxisset, liberaliter reddendas vellet, si ea vicissim á Ferdinando obseruari postularet. Hæc legati oratio, qua Belgradum repetebatur, si induciæ vtrimque valituræ essent, tanquam superba & insolens, Solimani animum, alioquin ferocem & indomitum, iamque antea à Lasco præoccupatum, vehementer exasperauit; ita vt ira & odio exardescens, totus ad Ioannem reducendum, & Ferdinandum Pannoniæ possessione pellendum atque exturbandum impelleretur; ac Hobordanscum, vti insolenter locutum, abire, finibusque suis excedere iuberet; adiectis tumido ingenij fastu minis, se primo vere Budam infesto exercitu contra Ferdinandum profecturum; vbi collatis signis, si Ferdinandus superior, victorque euadat, sequi victum trucidet, tum clauibus non Belgradi solum, sed cæterarum quoque arcium facile potiatur. Si vero Budæ non reperiatur, Viennam vsque prosciscens, perquisiturus eum sit; amicitia sua & induciis indignum, qui alicui iuris regnum inuasisset; cum eius iura antiqua quæ obtêderet, sua de Ioanne victoria reportata plane obliterasset; seque tantis iniuriis affecisset, vt eum in gratiam recipere, non nisi violatis maiorum suorum institutis posset. Sibi propositum esse, contumeliam acceptam armis vindicare: Vngariamque tanta cum multitudine armatorum ingredi, vt Ferdinandus quoque in Germania non sit tutus futurus. Quo responso Hobordanscum præpropere Constantinopoli excedere iussit. qui Viennam reuersus, quamuis apud Germanos fidem responsi non inueniret, Ferdinando tamen metum maximum iniecit; qui probe sciret, Turcam, quæ esset minatus, dubio procul executurum. metusque eo maior erat causa, quod Turcæ illa quæ diximus in Illyrico occupassent; Cæsar bellis Italicis impeditus esset; thesauros illius & suos exhaustos videret; & à Germanis de religione tumultuantibus auxilia vel peteré non auderet, vel minime speraret; quæ causæ fuerunt, vt Carolus ad pacem cum Pontifice ineundam, tandem tandem ex animo inclinarit. *Isthuanffius libro nono & decimo. Cadanus lib. 7.*

Ferdinandius per legatum nihil apud Solymannum efficit

XXII. Quid inde damni vniuersæ Christianitati secutum fuerit, narrabimus inferius; si tamen prius hoc loci Sigismundum Regem Poloniæ, alterius quam ad Solimanum inclinandi, autorem consilij adeoq; neq; conscium, ne dicam suaforem Lascanæ legationis fuisse; adeoque innoxium, supra post venientium calamitatum ostenderimus: vel ex litteris ipsius Ioannis, quas mense Aprili huius anni 1528. ad Principes Germaniæ dedit, istis verbis.

Solymannus Ioannem regno expulsum contra Ferdinandum aduturũ minatur.

Ioannis Regis Vngariæ expulsi littera.

Post miserabilem Ludouici Regis occasum, equidem communi voluntate Procerum electus & inauguratus fui Rex Pannoniæ, tribus tantum exceptis, quos & paupertas, & odium, & spes melioris fortunæ transfugos egit, vt patriæ salutis obliti, Ferdinando Bohemorum Regi subscriberent. Cumque totus in hoc essem, vt patriæ succurrerem, & amissa recuperarem; & vt vobis etiam hac ratione ocium compararem, ecce, regnum ille meum hostiliter inuadit, vrbes nonnullas occupat, & per illos, de quibus dixi, suæ factionis homines, Polonij Rex creatur. Mirabar certe non parum & dolebat mihi vehementer, nationem hanc satis iam ante miseram, affligi nunc ab eo qui tueri cumprimis illam debebat. Facile mihi tunc quidem erat vim hostilem reprimere; sed nolebam quod ex tot naufragiis reliquum erat eius regni, temere periclitari; & ad Clementem Septimum, Franciscum Galliæ, Henricum Angliæ, Sigismundum Poloniæ Regem, habui querimoniam. Et Sigismundus quidem per Legatos, me nescio, Ferdinandum solicitauit, ne tempore tam alieno, discordia ciuili, viam hosti patefaceret, quam nec ipse, nec quiuis alius deinde possit obstruere; sed vt pacem meecum coleret, & coniunctis armis in publicum hostem prodiret. Cumque Ferdinandus nihil ab se contra ius aut æquum fieri diceret, placuit, vt ad certum diem, controuersiæ minuendæ causa mitterentur homines idonei. Conditionem accepi: simul missis ad vos legatis, & arbitrio vestro me submittens, orabam, ne quid interim daretis auxilij aduersario. Cum autem in Ferdinandi fines peruenissent, captiui facti contra ius gentium atque detenti, mandata non potuerunt exequi. Nam à vobis ad Cæsarem erant profecturi. Quamquam verograuis admodum hæc erat iniuria, tamen ad constitutum diem à Sigismundo, misi quosdam, pacis & sua sponte, & meo quoque mandatu perquam studiosos. Sed Ferdinandicis iniquissima proponentibus, nulla re perfecta discessum fuit. Dum hæc geruntur, nonnulli proceres, variis artibus à Ferdinando solicitati, fidem mihi datam violant. Et quoniam omnis est mihi præclusus ad vos aditus, equidem litteris tandem aliquando vobis explicare volui, quam iniustum bellum gerat. fortassis, vt amissam ætate superiori gloriam suorum maiorum, Friderici Cæsaris atque Maximiliani recuperet. Nam alterum iam plane triumphantem, ac prope Regem Vngariæ, patruus meus Emericus, totis finibus eiecit; vtrumque vero pater meus Stephanus Scepusiensis, Matthia Rege, sic eiecit, vt Viennam nostris finibus adiungeret. Sed & ego adhuc egressus adolescentiam, Maximilianum in nos parantem arma cohibui; facturus idem in hunc etiam hostem, nisi dolis & astu magis quam virtute mecum certaret & armis. Adhuc quidem, vtcumque potui, patienter hanc iniuriam tolerauiised cogitate in animis vestris, clarissimi Principes, quam sit acerbum, è summo dignitatis atque potentiæ gradu præcipitatum, in ordinem cogi. Vix vllum reperiri puto, tam lenem atque patientem, qui tot iniuriis affectus, non circumspiceret omnia vbique præsidia. Cum igitur inde à susceptaRepublica nullas recusauerim æquas conditiones: cum ne nunc quidem illas reiiciam: & quiduis facere quam bellum excitare malim ciuile: aduersarius autem obstinatè pergat; profiteor equidem, non debere mihi dari crimini, si munien di mei quascumque rationes ineam. Etenim si quid ex eo forte detrimenti Respublica capiet, illud non mihi, qui pacis cõsilia tentaui, sed hosti meo tribuatur, qui regnum alienum per summam iniuriam inuadit. Aditus quidem ille diligenter omnes atque vias obsedit, ne quid ad vos perferatur; sed tamen audisse vos puto, quomodo sororium suum Ludouicum Regem deseruit. Nam sæpe solicitatus, & magnis quidem precibus, neque copias, neque tormenta, nec vllum denique subsidium aduersus irruentem hostem ei misit. Quid ita? Iam nimirum ad regni successionem, oculum & animum adiecerat. Deinde publicum Imperij subsidium, Vngariæ destinatum, fratri misit ad vexandam Italiam. cum interim ego circiter tria militum millia, fratre meo ductore, Ludouico Regi meis ex facultatibus atque copiis auxilio mitterem, adfuturus ipse prælio, nisi mandatu Regis in Transyluania mihi commorandum fuisset. Frater quidem meus in prælio, fortiter occubuit. Iurauerat Ferdinandus, nisi Belgradum & quasdam arces præterea recuperasset prius, non se regni gubernacula suscepturum. Sed fides in eo desiderata fuit. Nam Turcæ nostros in fines longissime progressi, & deuastatis agris onusti præda domum reuerterunt: & Bosnæ munitissimam arcem Iayciam occuparunt. Hanc arcem Matthias Rex magna suorum clade Turcis olim eripuit; & patruus meus Emericus, grauissimam deinde passus obsidionem, ab illis defendit: & maximo postea sumptu Reges exædificarunt:

Sed hic noster Imperator, scilicet, qui tam gloriose multa promiserat, hoc tam præclarum suæ virtutis tyrocinium nobis edidit, & nunc inopia rerum omnium laborans, fidem operamque vestram, opinor implorabit, quasi Germaniæ salutis causa periclitetur. Sed longe aliò spectant eius consilia. Nec enim in Turcas arma parat, quibus etiam tributum annuum dare non recusat; verum hoc agit, vt vestris copiis atque peeuniis in Italia fratri succurrat, & me confecto, Pannoniam addicat seruituti. Hæc quidem Ioannes Principibus Germaniæ scribebat: quæ ideo adscripsi, vt ex testimonio illius ostenderem, Sigismundum, ad pacem & concordiam inter Ferdinandum & Ioannem conciliandam, omnia studia adhibuisse: quæ cum non succederent, Ioannem ad alia auxilia, de quibus tamen rebus præmonens, ne sibi necessitas imponeretur, orabat, respexisse. *epist. Ioan. Sebusien, apud Sl. lib. 6.*

XXIII. Huius tamen occasione, excitati belli Turcici causa, nec non & religionis, Cæsar, datis Vallisoleti literis, imperii conuentum Spiræ, ad initium Februarii sequentis anni 1529. indixit: quominus autem ipse per occupationes veniret, excusauit, simulque constituit Legatos, Ferdinandum fratrem, Fridericum Palatinum, Guilelmum Bauarum, Episcopum Tridentinum & Hildesemum. *Sl. ibid.* Et quidem religionis causa, grauiora remedia postulabat: quando non nemo hæreticorum eam ibat euersum. Diximus superius, Bernates Heluetios, ad initium huius anni 1528. disputationem indixisse. Eam procurauerunt Zuinglius, Oecolampadius, & eorum cõplices, Wolffgangus Capito, Martinus Bucerus, q. Argentinæ in secta Zwinglii præualebant; & duo alii scelerati apostatæ, Berchtoldus Haller, & Franciscus Kolb, qui potentem & bellicosum populum Bernensem, in fide peruerterunt. Cum autem formula ad disputandum à Bernensi Senatu præscripta atque euulgata, vt vidimus, Catholicis aperte præiudicialis atque iniqua esset, Zuinglianis vero plausibilis nimiumque alludens; factum est, vt à Catholicis nemo Doctorum Theologorum ibi disputauerit, ne comparuerit quidem, nisi Prouincialis Augustinianorum Conradus Tregarius; neque vllus Episcoporum ad eam suos miserit Oratores, sicut miserant ante biennium ad disputationem Badensem. Articuli enim decem, quos disputandos proponebant, apertè erant impii & erronei, contra Ecclesiam, contra veritatem Eucharistiæ, Missæ, & aliorum Sacramentorum; contra merita, venerationemque Sanctorum, contra exequias mortuorum, & breuiter contra receptos & approbatos Ecclesiæ ritus, ceremoniasque fere omnes. Et ipsa formula sic erat imperiosa & fastu plena ac turgida, vt quatuor Episcopos personaliter ita citaret ad comparendum, vt nisi compareremt simul cum doctis viris, sacrarum literarum peritis, omnem iurisdictionem Episcopalem in terris Bernensibus perditurí essent. Euulgata autem ea formula, multis visum est per literas dehortari Bernenses ab hac disputatione ne insolenti. Inprimis à Regimine Imperiali, nomine Cæsareæ Maiestatis è Spira interdictum est Bernensibus seriò, ne disputationem illam admitterent. Deinde à quatuor Episcopis multis rationibus prolixe demonstratum est, non expedire, vt fieret ea disputatio. Et adhuc multo copiosius dissuadebant eandem octo Heluetiorum Cantones Catholici, inter quos Lucernenses primas tenebant partes. quorum sane admonitio adeo erat pia & fidelis, vt eorum verba ex imis viscribus ac intimis cordis penetralibus, absque omni fuco procedere viderentur. Admonebant eos disputationis Badensis, quam inter duodecim Cantones ipsi Bernenses præcipue & expetierant, & comprobauerant. Admonebant eos fœderum, promissionum, litterarum sigillatarum, recessuum (vt vocant) publicorum, iuramentorum, & multorum aliorum monumentorum; quæ omnia per impiam disputationem istam violenda erant. Dicebant eiusmodi disputationem fore, non solum contra disputationem Badensem, intra biennium prius communi eorum consensu & approbatione habitam; verum contra iusiurandum, quod & ciuitas Bernensis, & eorum territoria præstiterant, & contra sigillatos recessus. Item contra ipsorum fœdera, & contra Catholicæ Ecclesiæ ordinationes: vnde exoritura illis sint plurima mala, magna detrimenta, scandala, damna, seditione, tumultus, & quid non? Sed & Ioannes Cochlæus, qui tum Moguntiæ degebat, cum sero vidisset eam disputandi formulam publicõ Bernensium edicto præscriptam, confestim collegit diffuadendi rationes quamplurimas, quas per proprium nuncium per tanta terrarum interualla Bernam misit: quo tempore iam cœptum erat disputari. Admonuit eos legis diuinæ, autoritatis Ecclesiæ, Sedis Apostolicæ, legum Imperialium; ne tot seculis probatos ac receptos fidei nostræ articulos, per infaustam illam disputationem in dubium reuocarent. Maxime vero reprobauit modum iudicandi super disputatis, qp reiecta omni Doctorum Ecclesiæ expositione, sola Biblica Scriptura debeat inter partes discernere ac iudicare: quandoquidem ipsa secundum sese sit res inanimata, quæ eloqui nõ possit, nec iudicare, vtra partiũ ipsam rectius intelligat aut exponat. Neq; clamare possit, Ohe, aut Væ, contra eos, q ei vim faciunt, aut retortam velut per capillos in deuium sensum trahunt. At ipsi Bernenses temerè sibi iudicandi autoritatem sumpturi sint, ad pronunciandũ, vtri Scripturam rectius intelligant, Catholicine, an hæretici. Et procul dubio hæreticis palmã daturi sint, quorum instinctu & disputandi formula, & impii articuli fuerint promulgati. Lex autem diuina, nequaquam talem statuit disquirendi modum; sed iussit, Si quid ambiguum fuerit, vt illud proponatur summo Sacerdoti, qui pro tempore fuerit, vt eius stetur iudicio; & qui acquiescere illi noluerit, morte moriatur. Deuter. 17. Denique, ne nudæ Scripturæ nimium confiderent, reiecta Doctorum Ecclesiæ expositione, proposuit eis tria themata secundum sese, vt falsissima, ita & absurdissima: Quorum primum erat, Christum non esse Deum; secundum, Deum debere obedire Diabolo; Tertium, Mariam genitricem, non permansisse perpetuo virginem. Primum erat, error quorundam Anabaptistarum, & antiquorum Hebionitarum. Secundum Ioannis VViclephi. Tertium Heluidii. Hæc tria in vtramque partem ex variis locis Scripturæ probauit, nunc argumentando, nunc soluendo; vt iisce exemplis declararet, quam non sit difficile, ex tanta Scripturarum sylua excerpere diuersa loca, per quæ secundum sucum & exteriorem corticem literæ, quodlibet thema & probari, & reprobari queat. Nisi igitur stetur autoritati Ecclesiæ, Conciliorumque Generalium, & sanctorum Patrum expositioni, qui per Spiritum sanctum locuti sunt, velut per certum veritatis Magistrum, per corticem literæ omnia ab hæreticis in dubium vocari ac peruerti possent. Bernenses vero his omnibus contemptis, prosequuti sunt disputationem suam, disputantes à die septimo, vsque ad XXVI. Ianuarii. Postea iudicarunt decem articulos recte probatos, & in Scripturis fundatos esse. Mox nouam instituerunt Reformationem, in qua præceperunt primo, vt ab omnibus subditis suis approbentur decem articuli. deinde, Vt subditi ipsorum, nulli è quatuor Episcopis, amplius obediant in rebus Ecclesiasticis; non in causis matrimonialibus; non in excommunicationibus & absolutionibus; non in perceptione Chrismatis; non in oblationibus decimisque & frugum primitiis, & cæteris. Deinde absoluerunt à iuramentis Episcopo præstitis, Decanos, Canonicos, Pastores, Concionatores, & quoslibet Ecclesiæ ministros. Postea, cum ipsi in vrbe sua iam demoliti essent altaria, atque imagines, vbique in templis suis, Missasque penitus aboleuissent; præceperunt subditis, vt per omne territorium suum itidem facerent. Deinde abrogarunt omnes Missas & exequias, anniuersariasque memorias defunctorum, fraternitates viuentium, dedicationes templorum, habitus Monachorum & Monialium, vsum sacrarũ vestium, dies ieiuniorum, festa Sanctorum, & quid non? Permiserunt autem Sacerdotibus vxores, nouas nuptas Monachis, Sacrilegos maritos Monialibus. In fine tamen, vt fidei suæ incertitudinem, conscientiæque palpitationem ac metum proderent; adiecerunt, sese, vbi meliora docti fuerint, ea amplexuros esse, & eam reformationem velle vel augere, vel minuere. Quoniam vero tam in Badensi, quam in Bernensi disputatione coram laicis Theutonicè & loquendum, & scribendum fuit, Theutonice quoque reprobauerunt, Ioannes Eckius disputationem, ac Ioannes Cochlæus reformationẽ Bernensium: Eckius prolixius & subtilius, Cochlæus breuius ac simplicius, pro captu laicorum. Eckius, vltra decem articulos disputationis, cõmemorauit adhuc viginti quinque articulos

erroneos, quos in disputatione illa admiserunt; item 10. articulos contradictorios sibi ipsis, & 15. locos Scripturæ, quos falsificauerunt inter disputandum. Cochlæus priusquam articulatim reformationem reprobaret, obiecit Bernensibus contemptum & negligentiam circa viros doctos, quos ad disputationem suam vocare debuissent, præsertim Eckium. Deinde exprobrauit inciuilitatem, qua male tractatus fuit in ea disputatione Conradus Tregarius, Prouincialis Augustinianus, Heluetius natus. Postea articulatim ad singula capita reformationis respondit; ex quorum trigesimo paucula, exempli gratia, retulisse opere pretium fuerit. Trigesimo, *inquit*, conceditis Monasticis personis deserere Monasteria, & inire connubia: atque vt eas ad hoc prouocetis, vultis eis bona, quę intulerunt, restituere. quæ si modica sunt, vultis plus addere, modo exeant, siue connubia ineant, siue non. O boni Domini, quam inimicus est & honori vestro, & animarum vestrarum saluti, autor huiusce modi reformationis. Quomodo potestis, obsecro, vsque adeo obliuisci omnis Scripturæ, omnis legis & iuris, omnis disciplinæ & honestatis? Quomodo potest licere vobis, qui iuramento fœderati estis, iuramenta & vota Deo præstita, tam turpiter ac scelestè soluere, & cõcedere id, quod in vestra potestate minime consistit? Honestas iuris etiam apud Gentiles & Romanos reliquos exigit, vt iuramenta & pacta etiam hosti seruentur; vos autem ea ne Deo quidem seruaii vultis. Quomodo possitis, quæso, maiores aut vehementiores vos exhibere hostes Dei, & Ecclesiæ, quam hic facitis? Considerate vos ipsi. Quomodo enim potest alicui maior aut dolor, aut iniuria inferri, quã si sponsa aut vxor eius abducatur, aut rapiatur? Aut si filius aut filia eius, amisso honore, ad ignominiam redigatur publice coram toto mundo? Iam sponsæ & vxores Christi Dei & Domini nostri Moniales sunt, Cant. 4. Ioan. 3. 2. Corinth. 11. Ephes. 5. Apoc. 21. sunt & filiæ sanctæ matris Ecclesiæ, Gal. 4. 1. Cor. 4. Psal. 44. & 47. Cant. 3. 1. Pet. 3. Quomodo igitur præsumitis eas contra omne ius, contra omnem Scripturam & honestatem, & votis suis absoluere? Iubete, quæso, apostatas vestros omnem perscrutari tum Scripturam, tum historiam, an inuenire queant, quod in vlla per orbem terrarum prouincia, intra 1500. annos, vspiam concessum fuerit Monachis & Monialibus matrimonia inire, aut è monasteriis in mundum redire. Est enim manifeste contra Deum, sic irrita facere vota. Numer. 30. Deut. 23. Psal. 65. Eccl. 5. Contra Christum, Matt. 8. & 19. Luc. 9. & 14. Contra Paulum 1. Tim. 5. vbi damnantur ii, qui primam fidem, votum scilicet irritam faciunt. Quid autem sacra Concilia, sanctiq; Pontifices & Catholici Doctores, cõtra scelus illud scripserint atque statuerint, recitare hic nimis longum foret, atque etiam apud vos irritum & inutile, qui talia cuncta cõtemnitis. Recitabo autem vobis legem Imperialẽ ex Codice, vt ex ea intelligatis, quid hic meremini, &c. Hæc & alia plura Cochlæus aduersus Bernates. *Cochlæus in Luthero.*

XXIV. *Genevẽses & cõstantienses Ecclesiæ ritũ deponunt.*

Post eorum disputationem, etiam in vrbe Constantiensi, Missa, aræ cum ceremoniis, & imagines sunt abolitæ. Geneuenses etiam Allobroges, in imaginibus & ceremoniis remouendis, Bernatum sequuti sunt vestigia. quapropter Episcopus & Clerus irati discesserunt ab vrbe. Ex eadem occasione Argentinenses ministri, eadem Bernatum propositiones docebant; cum autem Catholici contra demonstrarent, Senatus his docendi munus interdixit. Episcopus interea crebris literis ac internunciis monere & orare Senatum non destitit, vt in veteri maiorum religione persisterent, neque nouis doctoribus fidem haberent, demonstrans quanti res esset periculi. Contra obsecrauit Senatus, iam hæresi corruptus. Cumque Episcopus prope desperaret, Senatum Imperii, qui tum Spiræ erat, orauit, vt suam interponeret authoritatem. qui missa legatione sub finem Decembris, petierunt, ne Missam abrogarent. Nam neque Cæsaris, neque Ordinum Imperii esse, veterem & à maioribus acceptam religionem immutare, nisi per Generale Concilium. quod si nimis hoc esse longinquum videtur, differrent saltem vsque ad Imperii Conuentum iam breui futurum, atque ibi sua postulata proponerent. Non se dubitare, quin æquum sint laturi responsum. Legibus enim esse cautum, ne priuato Magistratui liceat rescindere, quæ communi totius orbis consensu decreta sunt. Æquum esse, vt hoc ab ipsis impetretur. Quod si vero pergant, fore, quia vis in eo sit, vt & Cæsar, summus Magistratus, & ipsius per Imperium legatus Rex Ferdinandus, grauiter hoc & permoleste ferant: se quoque pro suo munere atque fide teneri, quicquid est eius rei perscribere Cæsari, ac simul adhibere, quæ oportet remedia. quod quidem inuiti admodum faciant. Itaque vt diligenter hæc secum expendant rogare; & recte monentibus auscultent: hoc & Cæsari fore longe gratissimum, & ad ipsorum quoque salutem pertinere.

XXV. Fuerat ibi paulo ante Hildesenus Episcopus, & nomine Cæsaris idem postulauerat, hortatus, vt morem gereret: præsertim, cum Cæsar etiam de nationis Germaniæ Concilio cogitet. Nam alioqui fore, vt consilium sibi Cæsar ac reliqui Ordines capiant. Ad hæc Episcopus Argentinensis, aliquot Senatores vrbis, viros nobiles, priuatim interpellauit suos beneficiarios, & missis literis ad singulos, quandoquidem fide essent ipsi & iureiurando astricti, deuinctique, grauiter monuit, vt abrogationem Missæ totis viribus impedirent, neque comprobarent. At Senatus potiora habuit irritamenta apostatarum, quam sana consilia Episcoporum, & Cæsarianorum. *Sl. lib. 6.*

XXVI. *Lutherus contra Zuinglium & Oecolampadium scribit.* Cęterum Lutherus, vt vidit Zuinglium Oecolampadiumque indies magis magisque inualescere, librum scripsit contra vtrumque, quem hoc anno 1528. in lucem emisit, sub hoc titulo; De cœna Christi, Martini Lutheri Confessio. Tertium est hoc iustæ magnitudinis volumen, quod in Sacramentarios scripsit Lutherus. in cuius principio suos admonet (quod ipsi solenne est in hoc librorum genere) vt sibi caueãt à Strophis Zuinglianorum, quos nihil solidi respondisse demonstrat, ad euertenda sententiæ suæ fundamenta, quæ collocarit. Deinde dicta Scripturæ de Eucharistię Sacramento tractat & exponit. Demum, de plerisque Christianæ fidei capitibus sententiam suam breuiter & punctim declarat; atque ea velut professione publica sese à Sacramentariis, aliisque hæreticis disiungit, ne vnquam post obitum in eodem cum errore fuisse glorientur. Librum suum priorem, quem anno superiore proximo, contra Sacramentarios scripserit, magnum peperisse fructum, ait, cum multos ab ipsis infatuatos reduxerit ad saniorem mentem, & Sathanæ non exiguum vulnus inflixerit: quod furor satis testetur, & virulentia Sacramentariorum, quam in responsione sua effundant. Itaque se deinceps ad ipsos non scripturum, ne Sathan factus furiosior plura mendacia & nænias euomat. Vereri se dicit, ne verum sit vaticinium quod ediderit; *Neminem hæresiarcham conuerti.* Itaque vitaturum eos porro iuxta doctrinam Diui Pauli, Tit. 3. Hæreticum hominem, post vnam atque alteram admonitionem deuita. Nec curaturum deinceps nugas illorum, qualescumque demum Sathanas per eos effutiat. Hæc in exordio. Verum in ipso tractatu supra modum inclementer excipit aduersarios, nec aliter cum ipsis agit, quam si mancipia essent malignorum spirituum, quorum animos, linguam, calamum Sathan ipse dirigat ac moderetur. Zuinglium inprimis contumeliose tractat, quem deuitandum asserit, tanquam hominem infidelem, qui nullum Christianæ religionis caput credat, aut tractet iuxta veritatis normam; imo qui plane conuersus sit, Christumque penitus abnegarit, septuplo factus deterior, quam fuerit in Papatu. Itaque libros ipsius vti venenum Sathanæ magna cura fugiendos esse decernit. Multa deinde illi, eiusque complicibus obiicit, quæ Catholici prius longe iustius obiecerant ipsi Luthero. nempe, Quod eiusmodi diuisio & dissensio inter ipsos non est à Spiritu sancto, sed à Sathana. Quod Spiritus ille vertiginis contradicit sibi ipsi. Quod libere concludendum est, Diabolum omnis dissensionis patrem, esse eorum Doctorem. Quod dissensio in intellectu & sermone ex Diabolo est, &c. Hæc in prima parte. In secunda parte perstringit Oecolampadiũ: deinde sibi ipsi cõtradicit, dum negat in cœna Christi remanere vinum, eo ꝙ Christus dixerat, Non bibã de genimine vitis, &c. Quod sæpe antea affirmauerat, eum alibi, tum in Babylonica sua captiuitate, vbi desiit Transubstantiationem, & accidentia sine subiecto. Affirmat item ibi Christum non solum dedidisse calicem discipulis, sed & ipsummet bibisse; quod prius negauerat in libro de abrogandã Missa, vbi docebat, quod Sacerdos aliis dare debet Sacramentum, non ipse sumere; quoniam & Christus ita fecerit. In tertia autem parte inter articulos fidei suæ ponit, quod non sit credendum liberum arbitrium. Reiicio,

iicio, *inquit*, hic simul ac damno, velut meros errores, omnem doctrinam, quæ liberum nostrum arbitrium iactitat. Item affirmo, quod vigiliæ, Missæ, ac anniuersarii dies pro defunctis, sint inutiles, ac nundinæ Diaboli. Item, quod Sancti inuocandi non sint. Item, quod extrema Vnctio, matrimonium & Ordo Sacerdotalis, Sacramenta non sint. Super omnes vero abominationes teneo, inquit, esse Missam, quæ pro Sacrificio ac bono opere prædicatur ac venditur, super quam nunc omnia Ecclesiarum Collegia, Monasteriaq; consistunt: at Deo dante, cito iacebunt. Quamuis enim magnus, grauis, turpisque peccator fuerim, atque iuuentam meam damnabiliter consumpserim ac perdiderim; ea tamen sunt maxima peccata mea, quod tam sanctus Monachus fui, ac tot Missis vltra 15. annos dilectum Dominum meum tam horrende offendi, martyrioque ac tribulationibus affeci. Hæc in illo libro Lutherus.

XXVII. *Lutherus Anabaptistas oppugnat.* Hoc eodem anno Lutherus, Anabaptistas etiam scripto publico separatim oppugnare cœpit; eo quod propter tam graues inualescentes sectas male audiret, tanquam prima radix & scaturigo fuerit ipse omnibus sectis iisce adeo barbaris. Hos hactenus sub cõmuni cœlestium Prophetarũ & Swermerorum nomine vellicarat. vt vero seorsim eos nunc aggrederetur, Balthasar Hubmeyer Pacimontanus, ex istius sectæ primus doctoribus effecit, edito libro contra pædobaptismũ, in quo Lutherum asserut idem de puerorũ baptismate sentire, quod ipse profitebatur: quod ille nullo pacto sibi dissimulandũ putauit. Scripsit igitur & in lucem emisit epistolam bene prolixam ad duos Parochos, in qua rationes Anabaptistarum pleraque diluit, quibus Pacimontanus ad firmandum errorem fuerat vsus. Deinde conqueritur contra Diabolum, quod decem ora aperiat, vbi vnum claudat Lutherus. Tertio, Catholicis, quos Papistas vocat, imputat istud malũ, eo quod non admittunt ipsius Euangelium; quia sub sui Principis ditione nulli sint rebaptizatores. Sed mentitur improbus calumniator, quia Isenaci sub illo Principe multi fuerunt deprehensi & mulctati. Quia vero multi factionis istius passim extremo supplicio per Magistratus afficiebantur, inter quos & ipse Balthasar, iussu Ferdinandi Austriaci, mortis sententiam subiit, Lutherus, quarto loco initio eius epistolæ, miseris hominibus iniuriam fieri dicit, quod ad hunc modum vel capite plexi, vel aquis submersi, vel exusti flammis è medio tollantur. Cuilibet permittendã esse libertatem credendi, quod lubet. Quod si quisquam de fide non recte sentiat, eum in inferno satis habiturum supplicii, vbi sit ignibus sempiternis cremandus. Quorsum igitur temporalibus etiam pœnis excarnificetur? Modo tantum erret in fide, nec seditiosus sit, aut contra Magistratum insurgat.

XXVIII. Dignum vero est memoratu, quod dum primam ipsorum rationem examinat, præter morem suum Ecclesiam Romanam, vel Papatum, vt ipse loquitur mirifice cõmendat. Anabaptistas, *ait*, abolere pędobaptismum in odium Romani Pontificis, ne quicquam cõmune habeant cum Antichristo: quemadmodum & Sacramentarios, *dicit*, propterea nudũ in Eucharistia panem credere, nudumq; vinum, vt ægre faciant Pontifici, & Ecclesiam Romanam tantò facilius euertant. Id vero debile prorsus & euanidum fundamentum, cui nihil boni possit superædificari; imo nugas eos agere, qui ad hunc modum ratiocinentur. Eodem enim argumento & Scripturam sacram, & Ecclesiæ ministerium, aliaque bona quamplurima reiici, atque negari posse. *Nos enim fatemur*, inquit, *sub Papatu multa esse bona Christiana, imo omnia bona Christiana, atque inde etiam ad nos defluxisse. Nempe confitemur in Papatu esse veram Scripturam sacram, verum Baptismum, verum Sacramentum altaris, veras claues ad remittenda peccata, verum prædicandi officium, verum Catechismum, veluti orationẽ Dominicam, ac decem præcepta, & articulos fidei: imo quod vera sit ibi bic Ecclesia, adeoque nucleus & medulla Christianismi, & multi iustitia, & Sanctitate conspicui homines. Si igitur sub Papatu sit Ecclesia, consequens esse, vt sit Christi corpus & membrum. Si corpus illius sit, eam habere verum illius Spiritum, Euangelium, fidem, baptismum, Eucharistiam, claues, prædicandi ministerium, orationem, sacras literas, & quicquid ad Ecclesiam constituendã necessario requiratur. Igitur si reiicienda sint omnia, quæ Papatus ambitu continentur, consequens, ait, fore, vt & Ecclesia, Christianismus, templum Dei reiiciatur vna cum thesauro bonorum omnium, quæ per Christum illi credita sunt atque commissa.* Hæc de Ecclesia Romana Lutherus, lubricus nimirum & vertiginosus encomiastes. Nam quæ tam honesto verborum apparatu in huius Ecclesiæ laudem ebuccinat; ea paulo post, ad ingenium reuersus, in summam eius contumeliam detorquet. Sexto deinde contra Rebaptizatores agit toto vsque ad finem libello, probans, non tam fidei baptizantis, aut baptizati, aut patrinorum fidendũ esse, quam promissionibus Christi & susceptioni Baptismi. Fidem enim esse incertã, Sacramentum autem certum. Cumque Rebaptizatores dicant; Nusquam haberi in Scripturis, quod paruuli habeant fidem propriam; aut quod baptizari debeant: ipse in hunc modum respondet. Quod paruuli credant, nullo Scripturæ loco demõstrare possumus, qui clare his aut similibus verbis dicat; Paruulos baptizate, nam & ipsi credunt. Si quis nos vrgeat ad demonstrandam eius literam, huic nos cedere oportet, & victoriam dare, nusquam scriptam inuenimus. Boni autem & ratione præditi Christiani, tale à nobis non exigunt: Contentiosi & cerulcosi sectarum duces, id faciunt. At contra, Neque ipsi vllam afferent literam, quæ dicat; Adultos baptizate, & nullos paruulos. In fine Lutherus comparat inter se Sacramentarios & Anabaptistas. Vtrosq;, ait, negare Christi præsentiã in Eucharistia; de baptismate vero sententiis eos inter se dissidere: licet horum error tolerabilior sit, quam istorum; cum Anabaptistæ non tollant, sed suspendant, aut renouant baptismũ, quem Sacramentarios, ait, euertere prorsus & abolere. Vtrosque vero, vel potius *per vtrosque, & per alios omnes Swermeros ipsum Sathanam hac vnum agere totis viribus, vt in dubium vocentur, quæ vera sunt & certa; nec aliud quam incertas opiniones vrgere, quæ nullis nitantur solidis fundamentis, adeoque suspiciones suas docere, non fidem.*

XXIX. Superiori tamen sententiæ de pædobaptismo, longe aliam scripserat ante alios annos. Nam dum scriberet ad Waldenses seu Pighardos Bohemiæ, inter ea, quæ in eis reprehendebat, hunc quoq; articulum commemorabat, quod paruulos baptizant ad futuram fidem, quam adulti cõsequuturi sunt. Ait igitur præstare, prorsus omittere baptismum in paruulis, quam baptizare sine fide, quia Sacramenta neq; debeant, neq; possint sine fide accipi. Si vero sine fide accipias Sacramentũ, magno tuo malo accipias. Hucne vestræ, inquit, doctrinæ opponimus nos verbum Christi. Qui crediderit & baptizatus fuerit, saluus erit, &c. Sic & in Cochlæum scribens ait: Non negamus paruulos esse baptizandos, nec asserimus eos Baptismum accipere sine fide; sed dicimus, ad Baptismum eos credere per vim verbi quo exorcizantur, & per fidem Ecclesiæ eos offerentis, & eis fidem orationibus suis impetrantis. alioqui mera & intolerabilia essent mendacia, quando baptizans à paruulo quærit, An credat? Non baptizaturus, nisi vice eius respondeatur, Credo. Vt quid interrogat, si credat, si certum est eos non credere, vt Cochlæus contendit? Esto, Augustinus sic aliquando dicat; sed Cochlæo satis sit, esse sic ab homine dictum; Nos volumus hoc dictum diuinis testimoniis probatum. Quin asserimus, Paruulos prorsus non esse baptizandos, si verum est, eos in Baptismo non credere, ne illudatur Maiestatis Sacramentum & verbum. Hæc Lutherus in Cochlæum; vbi etiam addit: At hoc loco non esse positum in eo summum momentum, *ait*, An baptizandus credat, vel fide careat; propterea enim baptismum non esse illegitimum. Omnia nimirum ex verbo præceptoque diuino pendere; cum nihil aliud sit baptismus, quam Dei verbum cum aqua coniunctum. Itaque verum esse baptismum, tametsi non credat, qui baptizatur. Ponit, exempli causa, Iudæum hominem nequam, qui nec fidem habeat, & peruerso sit animo, baptismum tamen petat. Hic si ferò baptizatur, verum, *ait*, & legitimum esse baptismum.

Eodem modo se rem habere cum pædobaptismo. Puerum ea spe deferri ad sacrum fontem, vt fidem habeat, rogaríque Deum, vt illi fidem largiatur. Super eo tamen non baptizari puerum, sed super mandato Dei tantum.

XXX. *Lutherus denuo Carlostadium è Saxoniæ eiicere conatur.* Cum autem Lutherus, isto & superiore anno Sacramentarios cruento stilo cõsigeret, Carlostadius adhuc in Saxonia morabatur. Fixerat vero sedem Kembergæ, quod oppidũ est non longe dissitum à Wittemberga, versus Lipsiam, quietè viuens, in summa paupertate tamen; atq; hoc inprimis operam dedit, ne vel contra mandatum Principis quidquam

delinquer-

delinqueret, vel Wittembergensibus vicinis vllam daret conquerendi causam. Obseruabat eum acute Lutherus, qui hominem vehementer oderat, & occasionem querebat, vt illum vel è Saxonia rursum eiiceret, vel arctius infrenaret. Cum igitur occasionem non inueniret, quamuis passim circumferret lynceos oculos, & per emissarios suos aduigilaret, subornauit tandē Capitaneum Wittembergensem, qui Carlostadio autor fuit, vt argumenta sua, quibus fretus à Wittembergensibus in causa Sacramentaria dissentiret, per literas cum Luthero communicaret. Ille metuens insidias, principio tergiuersatus est; cum vero vrgeretur, tandem assensit, ea conditione tamen, si Princeps hoc ipsum permitteret, & data per literas fide publica, de securitate sibi caueret. Quod cum factum esset, actio quædam inter absentes per litteras instituta fuit, q̄ in medio cursu Lutherus abrupit, cum, epistolam Carlostadii quandam ad Svvenckfeldium, eiusque socium Crautvvaldum Silesios intercepisset; ex qua deprehendit eum conspirare cum Sacramentariis, & secreto quædam contra Wittenbergenses machinari. Hanc nactus occasionem per Capitaneum Wittembergēsem illi renunciauit, sibi deinceps cum illo nihil negotii futurum. Factum est hoc æstiuis mensibus huius anni 1528. Territus hoc nuncio Carlostadius, per literas interpellauit Principem Electorem, eumque demisse rogauit, ne se nec auditum sufficienter, nec erroris legitime cōuictum per vim opprimi pateretur. Has literas Princeps per Cancellarium ad Lutherum misit, & quid actum esset cum Carlostadio, tum quid ipsi de homine statuendum videretur, ad se perscribi postulauit. Ille datis ad Cancellarium litteris, quid egerit cum aduersario, quamque ob causam disputationem præsciderit, & quomodo cum eo sit agendum suo quidem iudicio, breuiter perscripsit. Summa consilii in hoc vertebatur: Carlostadio tanquam homini mendaci, & in erroribus obstinato denuo silentium imponendum, & seuere mandandum, ne vel doceret, aut scriberet quicquam, vel è Saxonia discederet, nisi aliud de ipso fuerit constitutum. *Cochlæus & Vlembergius in Luthero.*

XXXI. Ad eum modum Lutherus cum Sacramentariis & Anabaptis digladiabatur. Neque minus ipsi inter se dimicabant. Bernam, ad illam, quam Sacramentarii contra Catholicos instituerant disputationem, Anabaptistę quoque pauci confluxere. Hi per hospitia, quæ libera, & dilatandæ sectæ idonea videbantur vagati, dogmata sua proponere, sed clanculum, ciuibus cœperunt. Trahebant magnam vrbis partem ad hospitia cōtionibus suis, quas contra flagitia, & in religione abusus, frequentes habebant. Mira erat rerum in vrbe facies. Zuingliani contra Catholicos, Anabaptistæ in vtrosque conuicia iaciebant. Hi in Ecclesiis, isti in hospitiis, in stabulis, in haris contra vitia & abusus fulminabant. Cumque vtrimque finis nullus fieret, ne seditione oppidum turbaretur, Senatus Anabaptistas rogatu Zuinglianorum stringi, inque carceres deportari iubet. Hic nouus per vrbem clamor exoritur, quasi securitatem & fidem semel datam Senatus infringeret. Itaque ex carcere ad Monasterium Prædicatorum duci imperat, vt ibi vsque ad finem disputationis asseruarentur. Post 22. Ianuarii vocati in Curiam, de baptismo, & religionis suæ reliquis dogmatibus colloquium cum Sacramētariis ineunt, in Senatus, & doctorum, qui recēs aduenerant consessu. Disceptatur vtrinque acriter; sed vt inter hæreticos fieri solet, sine fructu. Quicquid enim Zuingliani de pædobaptismo obiicerent; sola Scriptura firmissimo velut clypeo cum cholera isti retundebant. *Vos*, inquiunt, *à Pontificiis Scripturæ nudæ, ac solius solius testimonia deposcitis; dogmata vestra iis inniti gloriamini; Quod si verum est, tot iam vicibus responderi nobis frustra petentibus ostendite, ex solis solis, puris & nudis Scripturis: & dictis credemus.* Relabuntur Sacramentarii, contra suam formulam, ad traditiones & Patrum consensum. Illi errare eos, hi veritatem testari contendunt. Res in multas horas protrahitur, cum magno eorum, qui aderant tædio. Senatus demum vtrisque imponit silentium, ac pulsis vrbe Retinctis Zuinglianos domum redire iubet. Restabant adhuc Bernæ ex ciuibus quidam antiquæ fidei dediti; his colloquium non parum consolationis attulit, inque simplicitate sua plurimum roborauit. Atque si quando à Sacramentariis diuexarentur, quasi hominum præcepta sequentes; hoc primum excipiebant, à vobis repellite, & Catabaptistis persuadete; deinde, si quid nobis deesse videritis, quod verum & Catholicæ Ecclesiæ conforme sit, ostendite, & amplectemur.

XXXII. Post hæc nouus rursum hoc loco Catabaptista prodit, vafricie magna & fraude plusquam Punica instructus. N. Pfistermeyero homini nomen erat. Hic plus cæteris sapere, & Schvvenckfeldii more omnia spiritualiter agere videri volebat. Deus, *aiebat*, Spiritus est. proinde, qui Dei esse cupit, in Spiritu eum colat, oportet. Quamdiu carnaliter agimus, nequit in nobis Dei Spiritus perseuerare. Hæc ingeminans ille, nudis per vrbem pedibus ferebatur, squalida & lacera veste tectus. Discipulos habebat innumeros, quorum quidam in oppido, alii foris, populo præstigiis suis illudebant. Docebat, Anabaptismum Spiritus sancti præcipuum opus, ac summè omnibus salutem expectantibus necessarium, non exteriori quadam cerimonia, quemadmodum in aqua fieri soleat, sed spirituali manuum impositione, collatum. Idololatras esse, qui Sacerdoti baptizandos infantes offerrent, priusquam ætatis iustam metam attigissent, &c. Dogmata tam impia diu occulta Deus non siuit, sed Magistratui cum autore mature detexit. Cum enim sub vesperam domus ciuium ad nocturnum conuentum fortè citaturus obiret, proditus & in Curiam pertractus in manum Senatus incidit. In neruum ducitur, in quo per anni & amplius spatium detentus fuit. Multæ ad eum cursitationes fiebant, literæ etiam & libri (erat enim doctus) à Sacramentariis admittebantur, non alio fine, quam quod sperarent, eiurata hæresi, ad suas partes transiturum. Succedit negotium, petit colloquium; offertur. Ibi Pfistermeyerus post longam disputationem, post multas ambages anabaptismum abiicit, in eumque velut Sathanismum, vt est, acerrimè inuehitur. Post finitum colloquium in Ecclesiam vadit, & errores publicè retractans Zuinglianismum amplexus operam suam in abroganda Missa, aris, atque imaginibus contulit, aureis cum aliis abolitæ Catholicæ religionis annum & diem literis in columnam scribi curans, vt tam nefarii ausus testimonium apud posteros extaret sempiternum. Sed nec huius ad Sacramentarios transitus Anabaptistarum furori finem imposuit. pullulabant enim indies lerneæ instar hydræ noua exitialis sectæ capita, quæ vt simul tandem Senatus tolleret, peculiare quoddam cum hominibus colloquium instituit, ad quod omnes scripto publico, quo securum accessum, & recessum tutissimū pollicebatur, inuitauit. Visum, inquit, nobis iustis de causis fuit, vt post tot necquicquam adhibita media tentaremus rursum, si forte aliqua in religionis negotio concordia posset transigi, collationem prope vrbem nostram in Sonningen instituere. Initium eius primum diem mensis Iulii posuimus, ad quem omnes in vrbe nostra, qui de baptismo hactenus dubia mouerunt, affuturos speramus. Libere sic & citra periculum, quid cuique collibuerit, disceptandi gratia proponere poterit; id quod secretiori vrbis nostræ sigillo pollicemur, attestamurque.

XXXIII. Collatio hæc propter vnum Ludouicum Hetzerum instituta fuit, qui eo loci delitescens sparso in rusticos dogmate grauissimas seditiones excitabat. Vbi dies datus colloquio illuxit, quatuor constituti à Senatu præsides; Oecolampadius quoq; & magna Catabaptistarum turba in Curia congregati, vocato prius in auxiliū Sancto Spiritu, disputationē inchoarunt. Prima controuersia, de disceptationis iudice mota fuit; An Scriptura, aut Præsides esse deberent. Altera de missione Rebaptizatorum, Diuinane, an humana esset. 3. De Ecclesia. 4. De excommunicatione. 5. De Magistratu. 6. De iuramentis. 7. De Prædicantibus. 8. De Baptismo, &c. Venerat huc Oecolampadius Senatus rogatu, Hetzeri aduentū, vt cum eo conferret, multum diuque præstolatus. Vbi nusquam comparere vidit, reliquos in certamen prouocauit, & ad 10. Iulii diem, qui vltimum colloquio finem imposuit, decertauit. Acta vtriusque partis per iuratos testes fideliter descripta, insignem Catabaptistarum pertinaciam prodidêre. Editum & edictum fuit, tum in eos, qui homines deinceps in domos reciperent, tum qui similes errores iis in partibus docere præsumerent. Hetzerus non ignarus, quæ sibi remanenti ibidem restarent supplicia, isthinc propediem Constantiam abiit, vbi vix hospitium ingressus post biduum proditus, & carceri inclusus fuit, capitis demum supplicio ob hæresin affectus anno consequente. In locum vbi plectendus erat, productus, adstantes affari cœpit & precari, vt si vspiam in vita in

Ludouicus Hetzerus capite plectitur.

eos pec-

eos peccasset, humaniter ignoscerent: hominem se fuisse, & lapsum proinde plus nimio: sæpius conatum carni resistere, sed viribus destitutum grauius semper lapsum esse, atque victoria cupientem potiri tentationi per infirmitatem succubuisse. Vnice etiam in votis habuisse pœnitentiam agere, & in peregrinationibus suis ardentissimas ad Deum preces crebro fudisse: imo eidem in faciem subinde exprobrauisse, Num tam imbellis ac impotens, tam vilem & abiectum hominem coercere non posset aut vellet: indignum se quidem omni gratia, & quem terra portet, nunquam promeritum. Nimis enormiter diuinam maiestatem offendisse, quæ toties in peiora ruentem retrahere non fuerit dedignata. Cæterum immensas eidem nihilominus gratias agere, quod hucusque vitam prolōgarit, multis vt nunc salutis causa esset, postrema confessione sua & monitis. Hæc ad populum vbi dicta dedit, defixis in cœlum oculis, eo feruore, vbertim profluentibus lachrymis Deum orare cœpit, vt omnibus cōmiserationi esset, & lachrymas pariter excuteret. Nullus, inquit Blaurerus in suo de eius fine libello, pro Anabaptismo tam ardenter, tam deuotè, quam Hetzerus exposuisse legitur. At Sebastianus Franck, multo aliter refert. Occubuit (scribit) capite mulctatus, non ob Anabaptismi defensa dogmata, sed propter vxorum copiam (24. fuisse præter innuptas puellas Lutherus testatur) quibus ad explendam libidinem abutebatur; quodq; factum istud Scripturæ testimoniis ceu licitum tueri conatus fuisset. Homo trium linguarum peritissimus, Prophetas in Germanicum idioma transfudit, quem laborē maximi semper sub ingrauescentem ætatem fecit, eoque dixit præstantiorem nullum à se adhiberi potuisse. Sub manibus Ecclesiasticum quoque habuit, è fontibus linguæ Hebraicæ in vernaculam translaturus. Peruetus ipsi cum Ioanne Denckio Norimbergensis scholæ moderatore necessitudo, cōmuneq; si generalia spectes, principio dogma fuit. Postea vero peculiarem de Magistratu & iuramentis non præstandis sententiam amplexus, ab eo desciuit. Inter alios errores defendit, Christum nō Deum simul, vniusq; cum Patre essentiæ esse; quod testantur versus ab ipso conscripti: Quamobrem de Christo etiam libellum quendam cōscripsit, quem tamen, vt Blaurerus refert, maluisset nunquā inchoatū. Mirabilis fuit genii, in doctrina sua, q̄ hæreticis commune, varius & lubricus, quæ vt specialis erat, ita & aliorum opinionibus in multis omnino contraria.

1. Reiecit exterius prædicationis ministerium.
2. Spiritum, non literam in Scriptura, quærendum voluit.
3. De claue Dauidica, schola Christi, & via crucis multum locutus; sine quibus nil rectum, nil verum, in Scripturis inueniri posse docuit.
4. Libros pro apocryphis habitos, in Canonem postliminio retulit.
5. Peculiares phrases vsurpans in necessitate dixit, in via crucis, in requie & silentio Sabbathi, ac summa remissione ad pedes Domini discendū esse, studendū esse, inquirendū esse.
6. Admodum impiè de Christo sensit, nunc Deum negans, nec patre inferiorem statuens.
7. Rarus ipsi de Christo sermo; vbique de Deo, de verbo eius & semine tractat, hoc in primo orto assumendum esse.
8. Prædicationes aliaque creaturarum opera, quæ contra Deum ab impiis perpetrantur, sufficientia esse ad diuina cognoscenda mysteria, etiamsi ne vel litera eius rei extaret, vel prolata à quoquam, literisue consignata.
9. Canon hic, Canon ille, libri Scripturarum ex Canone sublati, nihil defectus habent.
10. Spiritum S. disciplinare non possumus, resistere vero ei possumus, quod scribæ faciunt imitatione parentum.
11. Ezechiel scribit vltimo capite directe contra Moysen, vbi de sacrificiis & oblationibus nouisq; templis disserit; hinc Iudæorum mentibus diu dubium insedit, eumne recipere vellent, an planè contemnere.
12. Libros visionum maximi faciendos, ac eorum, qui iis adsuescere non possent, voces explodendas.
13. Si quis Scripturam ea intentione, vt Dei inde cognitionem rectè assequatur, legat, cū semetipsum & alios, cum nullus à quoquam alio, quam Deo doceri queat, misere decipere.
14. Ac proinde verum esse, eos, qui apud se Deum, & in ipso eundem non quærunt, inuenire nihil prorsus, & frustra inquisitioni tempus impendere.
15. Atq; acquirere, qui id præstant, aliquā quidē sibi scientiam, sed inutilem eam & vanam, quæ neminem perficiat doctioremue reddat, quemadmodum videre liceat in iis, qui fidem ex lectione & auditu habeant, nec aliam eius causam dare possint, quam se hoc vel istud, illo vel isto capite Scripturæ inuenisse.
16. Nullus homo, doctissimus licet, vllam Scripturam intelliget, nisi primum in profundo eam & veritate animæ suæ expertus sit, ac didicerit.
17. Quo quisque diutius in via crucis perseuerauerit, hoc melius Scripturæ sensum assequetur, hinc ne literæ eos, qui huic viæ pedem non intulerint, gnaros, sed de re proposita iudicare non aliter, quam cæci factitare soleant.
18. Qui semel scholam Christi subierunt, nisi clauis Dauidica Scripturas ipsis reseret & pandat, hoc rudiores & peiores euadere, quò longiore tempore in ea morarentur.
19. Hanc disciplinam cautè obseruandam, nec vel latum digitum ab ea recedendum esse, iis presertim, qui Dei verbum audire desiderarent.
20. Imagines in Ecclesia, vera idola esse, nec tolerari debere.
21. Baptismum paruulorum, inuentum humanum, multos ad infernum detrudere; ideoq; animæ suæ salutem quærentibus, nihil magis quam vt rebaptizarentur necessarium, &c.
22. De Deo, istos versus conscripsit.

Vnus ego Deus ex nihilo, qui cuncta creauit.
Quot nostrum, quæris? desine: sumus ego.
Addoque, personam prorsus me noscere nullam:
Id sim, aut hoc, nemo, cui nisi dico, tenet.

Hæc Iudaizans, *apud Meshouium libr. 3. Anabaptist.*

XXXIV. Eodem anno Lutherus edidit librum Theutonicum, contra Papistas, vt vocat Catholicos, de communione sub vtraque specie. In eo miris cauillis ludit, scurratur, ac mordet, dum iactitat, quantum sua doctrina profecerit etiam apud Papistas, qui reuera Lutheraniores sint ipso Luthero. Quoniam Canonici, *ait*, aliique Sacerdotes ac Monachi, pulchre didicerint omittere ac neglectui habere horas Canonicas: ita fortes in conscientia, vt Papæ dispensatione amplius non indigeant. Episcopi item sciant nunc dissimulare Interdictum & excommunicationem, quando Papam tenebat Cæsar captiuum, quod ante Lutheri doctrinam minime passi fuissent. Principes denique, qui odio persequuntur Lutherum, sint Lutheraniores iis, qui Lutherum fouent, dum ab Ecclesiis & Monasteriis tollant, & ad se rapiant paratam pecuniam, pretiosa clænodia & ornamenta, insidienturque nihilominus & bonis immobilibus eorum, ac multas eis imponant exactiones: aduersus Lutheranos vero Principes, quærant proditorias consultationes ac fœdera, de quibus ipsimet postea erubescant, &c. Excerpsit ex eo libro Ioannes Cochlæus calumnias CXLIV. & sannas L. quas breuibus responsiunculis confutauit Latinè, maxime propter Episcopum Roffensem, à quo petebat, vt denuo aliquid in illum ederet, propter Germanos, qui præ omnnibus Lutheri aduersariis ei plurimum, & merito quidem tribuerent. Volebam (*inquit in præfatione*) R. Dignationi tuæ ex vno eius libello Theutonico in vnum colligere fasciculum, ipsius aduersum nos calumnias, sannas, vanitates, iactantias, peruersitates, impietatesque & blasphemias: & iam percurrendo libellum omnes in margine mihi designaueram certis notulis. Sed inter respondendum tanto affectus sum tædio, vt vix potuerit anima mea tantam sustinere nauseam & molestiam, donec ad calumnias sannasque eius breues adiecerim responsiunculas. Cuius sane laboris gemina mihi ad te R. P. causa fuit. Vna, vt scias, quanta sit eius in lingua patria improbitas, atque scurrilitas: Altera, vt adhuc semel scribas, non sane ad eum, sed ad Proceres Imperii, & ad nobilitatem Germaniæ, vt vel serò perpendant, quonam tendant, omnes nouarum sectarum conatus. *Cochlæus in Luth.*

Lutherus contra Catholicos.

XXXV. Accidit hoc ipso anno denuò vnum ex miraculis illis, quibus Lutherus Euangelium suum confirmatum, & à Papistis receptum esse gloriatur. Moniales numero tres, quæ Deo se voto castitatis in perpetuum consecrauerant, ex Monasterio Freiburgensi in Misnia profugerunt. Harum prima, Vrsula nomine, è Principum Monsterbergensium

familia

familia erat, quæ suo & sodalium nomine libellum scripsit stilo prorsus Lutherano, in quo causas commemorat, cur ruptis voti repagulis, Monasticam vitam reliquerint. Eæ ferè sunt: Quod à fide vera, quæ sola salutem conferat, & à communione Sanctorum, peregrinos religionis & professionem Monasticam exciderint: quod nec profiteri fidem illam in monasterio, nec amare Deum ex toto corde eiq; seruire licuerit: quod verbum Dei ex quo anima vitam habeat, in isto vitę genere habere nequiuerint: quod ex consuetudine Ordinis & obedientia frequenter statis temporibus in monasterio confitendum fuerit, & communicandum: quod isthic nouum Christi mandatum de proximo diligendo, non sit obseruatum: quod ibidem nullam habuerint exercendæ charitatis occasionem. Hunc libellum Lutherus in publicum emisit, munitum præfatione quadã, in qua factum hoc eam ob causam inprimis iudicat, sempiterna memoria dignum; quod cum alias plebeij & nobiles virgines susceperint apostasiæ cõsilium, nunc & illustrissimo loco nata fœmina, rupto voto castitatis & obedientiæ, è monasterio profugerit. Hic vero triumphat mirum in modum, & inter cætera; *Profecto*, inquit, *Euangelium nostrum sat miraculorum edit*; impii vero ea nolunt agnoscere, vel intueri. Quanquã nobis nunc quidem propositum non est huiusmodi cõmemorare *Euangelii nostri miracula*, quæ forte successu temporis *insignem Ecclesiasticæ historiæ materiam* præbebunt. Ista infamis, de sacrilegiis execrandis.

XXXVI. *Lutherus libellum de cõiugio Sacerdotum edidit.*

Edidit præterea hoc ipso anno libellum cuiusdam è factione sua Stephani Klingenbeil de coniugio Sacerdotum, quem suis velut Euangelicum, & solide fundatum commendat in præfatione, quam eidem libelló præmisit. In ea vero miris iactat Ecclesiæ reformationem à se non ita pridem institutam, & quas sibi propterea iudicat laudes deberi, eas plenis faucibus impotenter ebuccinat. Diu se laudes suas, *ait*, non decantasse; itaque semel gloriandum. A multis longo iam tempore desideratum fuisse Concilium ad Ecclesiam reformandam. Se vero Concilium instituisse, & reformationem exorsum, ad quam Papistis tirũniant ambæ aures, & cõr præ iracundia rumpatur. Nec Generale Concilium à Pontifice coactum efficere potuisse, quod ipse iam effecerit. Principio compulisse se Papistas ad studia, ad Biblia cum primis euoluenda. Summouisse Aristotelem, Summistas, Sophistas, Magistrum sententiarum, vt nec in cathedra, nec in Scholis amplius dominentur. De indulgentiis silentium indixisse. Peregrinationibus ad campestres dæmones (ita Sanctos vocat, cęlestis patriæ ciues, & Ecclesias Deo dicatas in eorum memoriis) viam præclusisse; Posuisse modum Monasteriis & Collegiis; denum alia multa conuulsisse, quæ iaceant, nec erigi, vel instaurari per Papistas vnquam possint; quos propterea vehementer habeat inimicos: nec iniuria sane, cum eos grauiter offenderit, & iustam illis dederit irascendi causam. Iam vero quoad suos spectet, eò se rem perduxisse gloriatur, vt puer annorum quindecim, aut puella in rebus Theologicis plus intelligat, quam pridem Vniuersitates & Doctores in vniuersum omnes. Restitutum, *ait*, inter suos Catechismum videlicet, decem præcepta, Symbolum Apostolorum, Orationem Dominicam, doctrinam de Pœnitentia, de Baptismo, de Oratione, de Cruce, de Vita, de Morte, de Eucharistia, de Matrimonio, de Magistratu politico, de officio Parentum, coniugum, liberorum, ministrorum: vt paucis dicat, omnes hominum Ordines, sub sole in gradum suum repositos, & in solidum restitutos, vt nunc sciat vnusquisque, quomodo vitam instituere debeat, & in vocatione sua Deo seruire. Inter ea vero capita, quæ recensita sunt, nullum prorsus esse, de quo vnquam in Collegiis, Monasteriis, Academiis vel Parochialibus Ecclesiis quisquam recte docuerit: imo contra potius omnes docuisse, oppressisse fidem, publicum Magistratum, & matrimonium in contemptum adduxisse, adeoque euertisse, & multas insuper abominationes tradidisse: nec Papistas in hodiernũ diem de capitibus enumeratis, vel de cathechismo quidquam intelligere, vel de iis loqui posse. Prorsus existimare se, dicit & habere pro explorato, ex Papistis in vniuersum omnibus, si cõiiciantur in vnum cumulum, & prælo cõprimantur in torcular; imo si septies liquefacti per ignẽ porrò distillentur, ne quartam quidem partem confici posse vnius linguæ, quæ vel vnicum ex superioribus articulis rectè declaret. Asinos omnes factos esse, siue elixentur, siue assentur, siue excorientur, cliquentur, tundantur, frangantur, vertantur, in omnem partem, vel quoquo pacto tractentur, hoc eos posse solum, in eoque verti omnem ipsorum scientiam, si Lutherum criminentur. Hæc ille turgentibus buccis, fastuose prorsus & impotenter more suo; quasi penitus interisset Christiana religio, nec quisquam hominum vel Christi, vel Sacramentorum, aut earum rerum, quæ sunt ad salutem necessariæ, cognitionem vllam habuisset; nimirum vt ipse primus omnium veram Christi fidem, Euangelium, Dei verbum & lumen veritatis in Germaniam intulisse videatur. At longe aliter de Papatu scripsit, hoc ipso anno cum Anabaptistas oppugnaret, quem admodum paulo superius vidimus; vt impudentiam hominis non iniuria mireris, si præfationem hanc cum epistola conferre instituas, quam ad duos Parochos cõtra Anabaptistas, his ipsis diebus diuulgarat. Hic enim confidenter asserit, in Papatu nullum fidei caput, ne primam quidem prima principia intelligi, quæ pueris in Catechismo traduntur; illic vero, in epistola inquã de Anabaptismo, veram Ecclesiam, verum Euangelium, Sacramenta, fidem, Spiritum Sanctum, adeoque genuinum Christianismi nucleum & medullam: illic nullos, hic plurimos doctrina præstantes, & sanctitate conspicuos, in Papatu inueniri fatetur. Quanta est hæc inconstantia, quam vertiginosa leuitas? *Vlembergius in Lutherò.*

XXXVII.

Cum vero Lutherus passim in omnes debaccharetur, & neque discipulis suis Sacramentariis & Anabaptistis parceret, Zuinglius & Oecolampadius, confessione illius de cœna Domini perlecta, prolixe illi respondent. Abiit enim, vt vel tantillum discipuli magistro concederent, quando non id agebatur, vt veritas vinceret, quæ tamen neque à Luthero, neque à Sacramentariis stetit, sed vt miseri homunciones alii præ aliis vicisse viderentur. Neque Bucerus hic se mutum præbuit, sed edito Sebaldi & Arbogasti dialogo, Luthero non plane edentulum se ostendit. Fuit certe hæc res inprimis ridicula & scurrilis, quum illi sublimes gygantes, qui se iactabant in Germaniam, quã tot seculis caruisset, lucem Euangelii inuexisse, tam pertinaciter & odiose inter se digladiarentur. Facessat hic omnis friuola excusatio. Non est dissensionis Deus, inquit Apostolus, sed pacis. Quomodo possunt isti docere quid verum sit, cum seipsi vicissim in rebus grauissimis mendacii insimulent? Et quidem hæc non paucos permouerunt, vt in hac mutua Lutheranorum & Zuinglianorum dissensione rem accurate expenderent, animaduerterentq; non posse eos veritatis esse præcones, qui pugnantia docerent: atque ob eam causam ad Catholicam Christi Ecclesiam sese reciperẽt, contemptis stultissimis fanaticorum hominum (sic enim ipsi se mutuo vocant) opinionibus, quæ identidem in alias atque alias formas ab ipsis transformantur, sicut necesse est euenire illis, quæ cum mendacio coniuncta sunt. Veritas enim vna, & ideo stabilis est; varium & inconstans mendacium. *Surius in comment.* Anxium etiam eadem res habuit ipsum Lutherum, cum tantam dissensionem non modo inter Sectarios, ab illo tamen prognatos, verum etiam inter se ac suos Lutheranos ac deinde inter ipsos, ipsos perspicuò conspiceret. Cum enim ipse decreta Pontificum, & saluberrimas veteris Ecclesiæ sanctiones, sub Euangelicæ libertatis vmba, tanquam humanas constitutiones & sententias, petulanter & proterue conuulsisset, & libidinem quiduis opinandi, statuendi, docendique atauliisset, anarchia quædam inter Lutheranos suborta fuit, & fœda confusio, dum quilibet genii sui ductum secutus ageret pro arbitratu, eumque sequeretur docendi modum, qui maxime allubesceret. Vidit hoc incommodum, vt erat ingenio perspicaci Lutherus, & anxius hæsit satis, quid faceret, aut quod huic malo remedium adhiberet. Si leges conderet, & nouis ordinationibus recens natam & tenellam adhuc fiam Ecclesiam fulciret, parata videbat obloquia, quasi secus faceret, quam docuisset, si Pontificum & Ecclesiæ veteris decreta reiiceret tot seculorum vsu confirmata, & sua, substituret in locum, nouamque in conscientias tyrannidem moliretur, quasi nouus Papa. Si vero Prædicantes suos, suo quemque arbitratu docere & agere permitteret, satis intelligebat, in quam ataxiam & confusionem illa libertas esset euasura. Itaque, vt diximus anno superiore, nouam quandam excogitauerat Ecclesiæ suæ reformandæ viam, & quod est in hoc genere munus Episcoporum, id Electori Saxoniæ, Principi seculari detulerat, qui

tulerat, qui per ipsum interpellatus, quatuor visitatores instituerat, iisque dederat in mandatis, vt per ditiones Electoris certius explorarent, quo in statu esset recẽs exorta religio, & morbidũ Ecclesię Lutheranæ corpus, quibus possent constitutionum humanarum remediis fulcirent. Erant Visitatores isti, Ioannes Dominus in Plaunitz, eques auratus; Erasmus ab Haubitz, nobilis; Hieronymus Schurffius, Iurisconsultus, & Philippus Melanchthon bonarum artium Professor, seculares omnes, & Lutheri mancipia. Hi munus impositum strenue sunt executi. Circuierunt enim ditiones Principis; reuocarunt ad examen Pastores omnes, & nouam illis docendi, diuiniq; cultus peragendi formam præscripserunt, talem certè, quę à Lutheri sententia de nõnullis magni momenti dogmatibus multum declinaret. Quo factum est, vt Catholici huius temporis, eius visitationis decreta, cum Lutheri principiis & scriptis prioribus conferrent, & magnam inter vtraq; discrepantiam inueniri, imo manifestam contradictionem, scriptis in lucem editis ostenderent. Quam autem cõstans fuerit Lutherus, in iis statutis; ipse satis declarauit, in præfatione actorum visitationis, in qua etiam vt cõtradictionis infamiam vitaret; visitationem hanc, *ait*, à se non vti mandatum aliquod promulgari, ne, more Pontificum Romanorũ, noua decreta cudere videatur: sed velut historiam & rei gestæ narrationem, adeoq; velut fidei suæ cõfessionem, in publicum emitti. Interim sperare se, *dicit*, futurum, vt pastores omnes, quibus animus sit Euangelii & quietis amans, hanc ordinationẽ sponte suscipiant, donec Spiritus sanctus *per ipsos, vel per nos*, inquit, *melius quiddam suppeditet*. Si qui tamen his constitutionibus obtemperare nolint, ferendũ, *ait*, vt si seipsos, ceu palæ quædam & purgamenta separent à tritico; nec in ipsorum gratiam à doctrinæ rituumq; cõformitate discedendũ: ad quam conseruandam se Principis etiam consilium auxiliumq; dicit imploraturum. Hæc Lutherus: quot verba, tot inter se pugnantia. Dicebat, *ferendum*, si non obtemperarent: tamen vt obtemperarent, auxilium Principis adiuocabat: & reluctantes expellebat. Dicebat, *per ipsos quiddam melius*: tamen subdit, *nec in ipsorum gratiam, &c.* Blasphemat præterea Spiritum S. dum varia, præterquã semel tradita, edocturum insinuat: vt plane Spiritum S. velit esse velut suum, in horas mutantem, & tractata retractantẽ; cum alioqui Paulus semel traditorum constantissime tenax, Galatas sub anathematis vinculo obstrinxerit, ne præter semel tradita acceptaq; alia acciperent, aut audirent. *Vlembergius in Luthero.*

XXXVIII. *Erardus Marcanus, Episcopus Leodiensis legem in ditione sua de hæreticis coercendis promulgat.*

Hoc anno Erardus Marcanus Episcopus Leodiensis, vidẽs tantã confusionẽ & petulantiã hæreticorũ, habitis Comitiis legem promulgauit, de hæreticis, iuxta edictum Cæsaris nõ ità pridem Leodii & vicinis locis publicatum coercendis. deinde Capitulo Leodiensi, Concilio Ciuitatis & Scabinis scripsit, simulq; mandauit, vt decreta sua quantocius exequerẽtur, & N. Sacerdotem aduenam Gallum, ob sparsa nuper noua dogmata comprehensum, & brachio seculari traditum vel proscriberent, si resipiscerent: vel pertinacem flammis traderent, quod non multo post, non procul à Scholarium Monasterio ad ripam Mosæ factum fuit. *Chapeauille in Erardo.* Ad hunc Episcopum, Erasmus Roterodamus hoc anno scribebat, quę id temporis contigerint. Fortasse, *inquit*, nouum istud nõ est, quod Ioannes Oecolampadius hic publice vxorem duxit, puellam sane lepidam; idem fecit Concionator Augustinensium, & nuper Concionator Franciscanus. Hac sane via damnant illorum hæresim, qui detestantur coniugium. Vnus inter hos erat cœlebs, qui pridem à Magistratu damnatus, publicitus in foro virgis cæsus est, ferreũ cingulum collo gestãs, atque ita per carnificẽ ductus extra portam in exilium; eiecti sunt simul pistor illius hospes, & huius vxor, quam arte mira delusam, vt à marito secubaret, constuprare solitus, nõ omnino nescio, vt videtur marito. Accipe alterum. In pago quodam, cui nomen Vicus vetus, rusticus quidam in diuersorio dum Eucharistiam ridet, subito exanimatus est, Rem sic actam fuisse testes docuêre. Ædituus quidam rusticus præferebat scriniolum plenum panibus consecrandis, quas hostias vocant. huic comes erat alter rusticus, qui quondam fuerat ædituus. Vbi ventum est ad vicum modo dictum, libuit illi bibere. In diuersorio petit comes ille ab ædituo hostiam dono. Illo contento accepit, & incipit per ludibrium consecrare. Cauponaria videns increpat; ille, nihil, inquit, tua refert, abi, apporta vinum. Vbi redit mulier, offendit hominem collapsum; rogat, quid habeat: respondent ibi potantes in alia mensa, fortassis habet cum syncopis. Mulier adfert acetum, admouent; sed frustra, erat planè mortuus. Hęc nõ est fabula. Feruntur & alii rumores, verum nolui parum comperta scribere. Datum Basileæ Calend. Octobr. 1528.

XXXIX. *Hæreticus Tornaci combustus sequẽti die totus ardẽs apparuit.*

Eodem anno 1528. die 20. Iulii, Henricus quidã, Lutheranus Tornaci combustus, sequenti nocte sociis in carcere totus ardẽs apparuit, illisq; præ timore clamantibus ait: Nisi ab errore cessetis, mecum peribitis in æternũ. Excitatus clamore carcerarius Consules vrbis aduocauit. Dicunt illis vincti; Facite de nobis quod volueritis, modo prius confiteamur, ne cum Henrico pereamus. *Masseus lib. 20. Chron.*

Hoc ipso anno, die 13. Iulii, Pontifex scripsit Inquisitori hęreticæ prauitatis in ciuitate Brixiensi, Ordinis Prędicatorum, & simul Episcopo Brixiensi, hortaturque eos, vt quia Cõmunitas Brixiensis decreto quodam constituerat, vt tres viri deligerentur, quorum solicitudine hæreses extirparentur, acceptæ ex publico ærario pecuniæ, pro eius decreti executione. Id laudat Pontifex, hortaturq; Episcopum & Inquisitorem, vt idem præstare ipsi curent, & procedant contra quoslibet hæreticos, omni appellatione remota iuxta Canonicas Sanctiones. Multa insuper concedit Episcopo & Inquisitori priuilegia, & amplam facultatem procedendi, contra perfidum hæreticorum genus. Literæ autem sunt sequentis tenoris.

Clemens Papa VII.

Venerabilis frater, & dilecte fili salutem, & Apostolicam benedictionem.

Placuit intelligere, quod non solum Fraternitas tua, seu eius dilecti filii Communitas istius ciuitatis Brixiensis nolentes negligentia aut desidia eorum amittere illud optimum nomen, eis à parentibus, & antecessoribus suis relictum, omni diligentia curarint, ne hæreses, his temporibus de nouo pullulare possint, sed omnes omnibus remedia adhibuerint, vt si quæ sint in ipsa ciuitate extirpentur; & propterea, cum ad ipsorum Communitatis notitiam peruenisset, nonnullos in ipsa ciuitate, suæ famæ & honoris prodigos, ita nefarios Dei sanctęque matris Ecclesię rebelles existere, vt non erubescerent Lutheranam doctrinam publice declarare, & quæ palam non auderent, seorsum secreto docerent, plerosque inducentes à recta semita deuiare, ne ob id forte cõtra eos ira Dei magis prouocaretur, in publico eorũ consilio statuerunt, tres eiusdẽ ciuitatis ciues eligi debere, quorum cura, diligentia & vigilantia, Lutheranæ Diabolicæ hæreses, à ciuitate ipsa eiusque territorio prorsus extirparentur, & earum authores, & seminatores conligna pœna plecterentur, cum potestate etiam comparendi per procuratorem coram Sede Apostolica, & quibuscumq; aliis iudicibus Ecclesiasticis & secularibus, & pro præmissorum executione exponendi ex publico quascumque pecunias necessarias; quod vt merito ex hoc illi laudari, & plurimum cõmendari debent, ita etiam vos, prout vestro incumbit officio, circa hæreses huiusmodi in ciuitate & diœcesi Brixiensi, idem facere, prout speramus & desideramus omni diligentia curabitis. Cupientes igitur errores & peruersa dogmata in ciuitate & diœcesi tua huiusmodi penitus extirpare, & illorum sectatores debita correctione reprimi, ac debitis pœnis puniri, vobis, & alteri vestrum etiam, cum à præfatis electis requisiti fueritis, & alter vestrum requisitus fuerit, omnes & singulas causas huiusmodi hæresim sapientes, etiam criminales, tam dicta Lutherana, quam alia & erronea & peruersa doctrina in ciuitate & diœcesi prędictis exortas, & quas etiam contra quendam Ioannem Baptistam Palaticnum Ordinis Fratrum Carmelitarum, qui verbum Dei in proxima Quadragesima, in Ecclesia Brixiensi prædicando publice nonnulla erronea, & à fide Catholica deuiatia prædicauit, adeo quod pias hominum aures plurimum scandalizauit, si in ciuitate, seu diœcesi prædicti is extiterit, mouere, seu exoriri contigerit, cum omnibus & singulis illi annexis dependentibus, & emergentibus ab eis simpliciter, de plano, sine strepitu & figura iudicii, prout in similibus procedi consueuit audiatis. Nos enim vobis, vt auditis hinc inde propositis, etiã vsq; ad definitiuã sententiam inclusiue, sublato quouis diffugii obstaculo, & prout sacri Canones volunt, etiam appellatione qualibet remota decidendi, & fine debito terminandi, ac sententias desuper per vos, & alterum vestrum latas, & quibuslibet appellationibus etiam ad nos, & sedem prædictam interpositis penitus reiectis, perinde ac si tres sententiæ conformes, in nostra Rotæ Auditorio latæ essent debitæ executioni demãdandi. Testes autẽ qui fuerint nominati, si se gratia, odio, vel timore subtraxerint, per censuras Ecclesiasticas appellatione cessante compellendi veritati testimonium perhibere, ac monitiones & citationes quaslibet, con-

stito de non tuto accessu, seu quod pro monitionibus, & citationibus huiusmodi faciendis ipsorum monendorum & citandorum præsentia commode haberi nequiret, expedita publica locis publicis affigenda, quæ perinde ipsos arctent, ac si eis personaliter intimatæ fuissent faciendi; ac contra quoscunque, cuiuscunque status, gradus, ordinis, religionis, vel conditionis seu præeminentiæ fuerint, & quacunque Ecclesiastica seu mundana dignitate præfulgeant, vel exemptione, ipsius Martini Lutheri, & aliorum erroneorum dogmatum sectatores, sequaces, fautores, defensoresque, ac illis auxilium, consilium vel fauorem, directè vel indirectè, publicè vel occultè præstantes, inquirēdi & procedendi, & huiusmodi labe, & aliis hæresib. infectos capiendi, & carceribus mancipandi ac iuxta Canonicas sanctiones, & SS. Patrū instituta, prout qualitas excessuū exegerit, vel conscientiæ vestræ expedire visum fuer t, puniēdi, & pœnis debitis plectendi, & ad cor redire nolentes, & à dicta Ecclesiæ cōmunione veluti putrida membra separatos & diuisos, ac damnationi æternæ cum Sathana & Angelis eius addictos, ac perpetuo infames, ac intestabiles esse: nec non bona eorū quælibet mobilia & immobilia, cuicumq; fideiū libere & licite inuadere, occupare, & sibi acquirere licere: personas eorum captiuare, & in perpetuam seruitutem adducere, corpora eorum postquā defuncti fuerint sepultura Ecclesiastica carere debere & decernēdi, & denunciandi, & declarādi: & qui ad veritatis lumen redire, & huiusmodi hæreses abiurare voluerint, postquā errorē suum depositerint, idq; humiliter petierint, si alias relapsi non fuerint, recepta ab eis prius abiuratione hæresis, & errorū huiusmodi, legitime & publice facienda, præstandoq; per eos iuramento, quod talia deinceps non committent, nec talia, vel alia his similia committentibus, seu adhærentibus consilium, auxilium vel fauorē, per se vel alium præstabunt, ab omnibus & singulis excōmunicationis, & interdicti, aliisq; Ecclesiasticis sententiis, censuris & pœnis, etiam in literis felicis recordationis Leonis Papæ X. prædecessoris, contra dictum Martinum Lutherū editis cōtentis, quas præmissorum occasione quomodolibet incurrissent, ac ab huiusmodi delictis, excessibus & criminibus, nec non aliis in forma Ecclesiæ consueta absoluendi, & super irregularitate propterea quomodolibet contracta dispensandi, omnemq; inhabilitatis & infamiæ maculā, siue notam penitus abolendi, eosq; rehabilitandi, & ad nostrū, & eiusdē Sedis gremium, nec non gratiam & benedictionē restituendi, & reponendi; omniaq; & singula alia, quæ ad huiusmodi pestē reprimendā, & radicitus extirpandā, necessaria, seu quomodolibet opportuna faciendi, gerendi, ordinandi, coercēdi, & exequendi, ac auxiliū brachii secularis, si opus fuerit inuocandi; & ad præmissa omnia & singula, si & quando expedire vobis, & alteri vestrū visum fuerit, viros aptos & idoneos, cum simili, vel limitata potestate subdelegandi, & deputandi, ipsosq; quoties opportunum vobis, & alteri vestrū videbitur, reuocandi, ac loco ipsorum alios similiter deputandi, authoritate Apostolica plenam & liberā potestatem, authoritatem, facultatemque concedimus per præsentes. Non obstantibus cōstitutionibus & ordinationibus Apostolicis, nec non omnibus illis, quæ idem Leo prædecessor in suis literis voluit non obstare, & quæ pro expressis haberi volumus, cæterisq; contrariis quibuscumq; etiamsi in eis essent clausulæ aliquæ derogatoriæ derogatoriarum, & de quibus oporteret fieri specialis & individua mentio de verbo ad verbum, quas pro expressis haberi volumus, & eis derogatum esse censemus & intendimus. Datum Viterbii sub annulo Piscatoris die 13. Iulii, 1528. Pontificatus nostri anno quinto.

XLI. *Anthonius à Prato S. Anastasiæ Cardinalis Concilium Prouinciale celebrat.*

Hoc ipso anno 1528. mense Febr. Antonius à Prato, tituli S. Anastasiæ presbyter Cardinalis, Archiepiscopus Senensis, Galliarum Primas, & Franciæ Cancellarius, de Suffraganeorum suorum consilio, Concilium Prouinciale celebrauit, decretaque edidit, quibus exitiale Lutheri & cæterorum id genus hæreticorum virus aliqua ex parte detegeret, reprimeretq;. Ostendebat in præfatione quam præmisit Canonibus, veteres hæreses Simonis, Nicolai, Manichæi, Acrii, Vigilantii, Iouiniani, Pelagii, Valdonis, Wicleffi, Marsilii Patauini, & aliorum, Lutherum ab inferis reuocasse. Is, *inquit*, non cum vno aut altero tantum hæreticorum priorum commerciū habet, sed cum omnibus & singulis. Cum Manichæo namque humanorum actuum tollit libertatem: cum Aerio, nihili facit præcepta Ecclesiæ. Vigilantium secutus, Ecclesiasticorum pudicitiam prostituit, terrenis etiam illos possessionibus exuens. Passim & ab vnoquoque iuxta hæresin Valdensium prædicandum verbum Dei decernit, nulla habita ratione prohibitionis superiorum. Marsilii item dogma probat, ne quis excommunicari possit, qui ad seculares iudices prouocarit. Cumque omnibus his & aliis consentiat, non tamen quiescit mala mens, nec prauum impiumque ingenium sibi satisfacit, nisi omnes longe superet impietate, sc. q; hostem prodat Ecclesiæ, aliis multo infestiorē. Hinc certe quicquid ab Ecclesia Spiritu S. suggerente constitutū est, hoc ille delirus, veluti dæmonio arreptus, conterere, lacerare, a biicere molitur. Hic est, qui Vniuersitates aspernatur & generalia studia; ciuilia dominia perplexa reddit & incerta; Ecclesiasticis possessiones adimit, & decimas Clericorum subiicit laicis, ipsos, bonaque eorum, laicorum tribuens iurisdictioni: Religiones & religiosorum abiicit instituta; censuras Ecclesiæ floccipendit, minimeq; curandas pronunciat. Sacrum ille ridet Canonem Missæ, dies festos Sanctorum pariter & reliquias tollit, preces fidelium ad eos dirigi vetat. Horas Canonicas & vocales concentus, eos potissimum, qui in templo alta voce efferuntur, subsannat. Sanctas etiam in Ecclesia piè ac laudabiliter constitutas ceremonias ridet. Nec hic contentus est, nisi suæ virus perfidiæ, in diuina quoque Sacramenta Eucharistiæ, Ordinis, Confirmationis & Pœnitentiæ euomat. Quamuis autem omnium ferme hæresium portenta, quæ inducere studet, antequam ipse nasceretur, falce Ecclesiasticæ censuræ essent præcisa; ne tamen haberet, in quo gloriaretur incircumcisus Philistæus in superbia sua, exprobrareque agminibus Dei viuentis non posset, aut in Deum & Ecclesiam sponsam suam tam execrandas blasphemias effutire: in celeberrimo illo Constantiensi Concilio repressa est Wieleffi, (& in eo Lutheri & sequacium) tam effrenis & prius inaudita insania. Proinde dum reiecta est impiissimi hæretici Wicleffi dementia, dum Marsilii, dum Valdensium, dum Vigilantii, dum Acrii, dum denique Manichæi; simul etiam corruit & funditus euersa est temeraria & impudens assertio eorum, qui calumnias, blasphemias, atque hæreses proscriptas tuentur & imitantur. Cuiusmodi sunt Lutherus, & sequaces illius Melanchthon, Carlostadius, Lambertus, Zuinglius, Oecolampadius, & cæteri huiusce coniurationis execrandæ complices; quos ideo ex nomine citauimus, ne pestiferos illorum libros quis legere audeat, ne vipereis dogmatibus inficiatur.

Quo fit, vt non parum demiremur, quonam pacto tam impudentes sint hodie, aut arrogantes Lutherani, vt damnatam Wicleffi damnati viri doctrinam audeant disseminare, eamque probare, prædicare, scribere aut diuulgare non erubescant, quam semper Ecclesia Spiritu sancto illustrata reiecit, respuerunt Orthodoxi, probati Doctores execrati sunt. quasi vero magis sit paucis, iisdemque temerariis, errorum fatoribus credendum, quam omnibus Doctoribus, sanctis Martyribus, Academiis, Episcopis, Summis Pontificibus, generalibus Conciliis: quo stultius nihil dici potest aut furiosius.

Nam quæ maior stultitia, si non insania dicenda est potius, quam quod prædamnatas tot retro hæreses reuocare conantur, & extinctos execrandarum blasphemiarum cineres, studeant ex inferis denuo suscitare? At certe in vanum laborant, cum aduersus Christum & Ecclesiam nihil vnquam feliciter attentetur.

Quapropter quantumlibet tumultentur, innumeras licet insipientium huiusmodi caterua in animarum & corporum perniciem, ad nefariam impietatem tuendam technis & fraudibus alliciant; quotquot libros ad firmandam execrabilem hanc sectam conscribant; quantumuis nugas & calumnias suas composito fucatoque sermone satagant adumbrare; quantumuis denique in Ecclesiæ Catholicæ consurgent exitium, impii tamen eorum conatus in ventos tandem effluent & vanescent. Zelatur enim Christus zelo magno Ecclesiæ suæ sponsæ integritatem, quæ in fidei & charitatis potissimum sinceritate consistit; nec passurus est aliquando fidem Ecclesiæ iniquis hæreticorum coniurationibus corrumpi. Eapropter dum eam illi oppugnāt, potenti brachio virtutis suæ illos repellit, ac vana eorum molimina frustratur. Et quemadmodum facile solis calore nix dissoluitur; facilius longe diuina virtute impiorum consilia vixdum exorta dissipari, & cordis eorum cogitationes dispergi solent. Hoc vtiq; in Lutheranis hodie videmus impleri: qui quamuis longe ab Ecclesiæ Catholicæ dogmatibus absint, tamen inter se admodū dissident, dum alii vnum, alii aliud tenendum arbitrantur. Ex eis enim nonnulli Sanctorum imagines deiiciunt, alii contra erigunt: quidam humanas disciplinas vt venenum pietatis reprobant, quas alii, vt apprime vtiles defendunt: ireratum baptismū ab aliis

aliis susceptum, alii omnino execrantur. De Eucharistia insuper minime conueniunt. Nam eorum nonnulli solum e se signum corporis & sanguinis Christi in Eucharistia, contendunt: alii vero veraciter esse corpus Christi & sanguinem certò profitetur: in hoc tamen à veritate dissidentes, quod substantiam panis & vini cum corpore Christi asserunt remanere. Eò etiam vesaniæ deuenerunt eorum nonnulli, vt Spiritum Dei iactantes se habere, Scripturas sacras luce clariores affirmant, omnibus sacris interpretibus reiectis; quibus tamen plerique alii refragantur. Sunt & alia non pauca, de quibus inter se Lutherani digladiantur. Hæc autem discrepantia plane indicat, quam à veritate sint alieni. Veritas siquidem vbique sibi constat, nusquam dissidet. Non enim Spiritus Dei Spiritus est dissensionis. Cum igitur in his, quæ ad fidem spectant, tam manifestariæ dissideant; perspicuum est, eos nullatenus in solidæ veritatis radice stabiliri. Eos enim, qui ab vnitate Ecclesiæ dissident, relinquit Deus in manu consilii sui, vt nec sibi ipsis, nec aliis hæreant. Contra vero Catholicorum dogmatum inconcussam veritatē, demonstrat vnus & idem consensus; inter quæ nulla vnquam poterit inueniri discordia. Vnde satis explorarum est, illa à Deo proficisci, neque aliquando dissolutum iri, quantumuis ea euertere nitantur, veritatis inimici. At vero Lutherana doctrina, à patre mendacii (qui dissensionis Spiritus est) exorta, tandem veluti fœnum exaresceat; nempe vsque adeo pudendos, atque execrandos illa continet errores, & tam male sibi cohærentes, vt facile fugienda appareat, & detestanda. Et quia suapte natura talis est eiusmodi doctrina Lutheri, serpentina quadam malitia laborant Lutherani, Orthodoxorum procerum libris eam inserere, quò eorum prætextu facilius suscipiatur. Hinc impiis tum præfationibus, tum annotationibus marginibus adiectis, tum scholiis, tum indicibus, lympidissimos illos fontes, Catholicæ pictatis & antiquorum Doctorum libros, virulento sulfure damnati sui erroris inficere moliuntur. Sed non potest aduersus veritatem prævalere falsitas; veritas enim super omnia vincit. Nam cum Deus veritas sit, & Deum nemo valeat superare, nec certe veritas poterit aliquando vllo hæreticorum versutia supplantari. Quare non est, quod editorum librorum copia glorientur Lutherani. Tam enim potest nefanda scriptorum farrago damnatam impietatem firmare, quam straminea stipulæ fundamentum domus reddere stabilius. Non enim pluris faciunt huiusmodi libros Orthodoxi, quam pulluerem, quem proiicit ventus à facie terræ. Habituri idem iudicium, tam pro dogmatibus, quam libris, quod præcedentes hæresiarchæ, quorum ita sunt scripta perpetuis tenebris damnata sepultaque, vt ne eorum vestigia quidem supersint. Quamobrem frustra laborant, in scribendis perfidiæ suæ libris, aut suam vesaniam publicis concionibus prodendo. Nec enim stabilientur, sed peribunt, sicut priorum, sic horum impiorum hæreticorum cum suis scriptis desiderium: neque contra Ecclesiam Dei prævalebunt, quæ gloriosa in secula permanebit, de illis, prout & de cæteris hactenus hæresiarchis, insignem relatura triumphum. Huic præfationi, addidit *Generale Decretum*, continens hæresum, quæ pullulabant, species; earum detestationem; modum iudicandi ac discernendi hæreticos ac relapsos; formam & ordinem procedendi contra eosdem; eorundem etiam acerbas pœnas; ac demum exhortationem ad Principes potestatesq; seculares de illis profligandis & exterminandis.

Antonius miseratione Diuina, tituli Sanctæ Anastasiæ, Sacrosanctæ Romanæ Ecclesiæ presbyter Cardinalis, Archiepiscopus Senonensis, Galliarum & Germaniæ Primas, ac Franciæ Cancellarius; Vniuersis præsens hoc scriptum inspecturis, Salutem in eo, qui est omnium vera salus.

Inter cunctas Pastoralis officii solicitudines, quibus premimur incessanter, illa fortius nos angit, vt cunctis hæreticis de Christianorū finibus expulsis, suis q; falsis & virulentis scriptis ac pestilentibus doctrinis penitus extirpatis; fides Catholica, quæ sol. de semper fuit subnixa petræ, integra illibataq; permaneat; ac populus Christianus, nostræ potissimū prouinciæ, in fidei syncritate, quolibet obscuritatis fœmoto velamine, immobilis inuiolatusq; perfistat. Sane prospicientes (quod non sine graui displicentia referimus) insurrexisse nonnullos pseudochristos ac Prophetas, quorum Dux & vexillifer est Martinus Lutherus, qui à veritate excidentes, nonnullos ac pene infinitos, etiamsi fieri possit, electos (vt est apud Matthæum) ad errores inducunt homines; haud dubiè hæresiarchas fastuosos, seditiosos, Luciferiana superbia, ac rabie lupina erectos; ac demum quales Apostolus ad Timotheum graphice describit, suisq; pingit coloribus, & ad amiss.m exprimit. Quarursus (vt iquit Petrus) sectas perditas ac damnatas introducunt, libertatem promittentes, cum ipsi sint serui corruptionis, in maximam certe Reipublicæ Christianæ perniciem & iactaram: ac tandem nisi citò occurratur, ruinam & euersionem: vtpote quos non pudet nouas hæreses effingere, sed etiam saragunt ac studeant veteres, & iamdiu per Ecclesiam sopitas, damnatasque instaurare. Et inter hæc, primum de Sacramentis Ecclesiæ multa pernicioſe dogmatizant; affirmantes, laicos & mulierculas æque, atque presbyteros posse absoluere. Et quod hactenus fuit mauditum, laicis vt Sacerdotibus, Eucharistiæ consecrationem permittunt. Inter Sacerdotes & plebem nihil interesse dicunt; sed omnes Sacerdotes putant, quicumque sunt Christiani. In Clericis, in sacris Ordinibus constitutis, cœlibatū non admittunt. Monachis & aliis voto obstrictis, libertatem lasciuiendi indulgent: quibus relicto velo & abiecta cuculla, ad seculum redeundi facultatē relaxant & apostasiam permittunt. Romanorū Pontificum decreta, decretales epistolas, etiam & Canones Conciliares eneruare contendunt. Veteres Ecclesiæ ceremonias, ac receptas tot seculis cōsuetudines, ridiculas censent. Et vt ad impietatis cumulum addant, sacram Scripturam figere ac refigere non dubitant, ac relicto sensu Patrum Orthodoxorum, vellicare, & ad suum sensum reprobum contorquere. Conuiciis semper & maledicentiis pleni, & non solum aceto perfusi, sed vbique veneno respersi. Articulos insuper infinitos (quos non magnopere attinet referre) disseminant, aut scandalosos, aut temerarios, aut blasphemos, aut piarum aurium offensiuos. Ac tandem super exitiali pestilentiq; dogmatum veneno, pleraq; alta tam fœda ac male oleentia nauseabundi euomunt, vt quasi ex professo habeant, speciem ac decorem sanctæ Matris Ecclesiæ, non habentis maculam, neque rugam, fœdare, spurcare, ac cōtaminare. Veriti ergo, ne hoc veneficum virus, in nobis credito Dominico agro radices ageret, ac velut cancer creseceret in perniciem aliorum: officii nostri pastoralis esse duximus, vepres huiusmodi noctuas falce authoritatis Ecclesiasticæ resecare, & plantulam priusquam subolesceret, & in plures serperet, radicitus euellere. Hinc est quod in hoc nostro Prouinciali Concilio, quod ad corrigendos excessus & extirpandas hæreses, iuxta Chalcedonens. ac Lateranens. Concilia aduunatum est; Ad Dei honorem, fidei Orthodoxæ exaltationem, ac subditorum pacem, augmentum & tranquillitatem, duximus, habito Suffragaeorum nostrorum consensu, ac multorum Diuini & humani iuris interpretum consilio, his tantis periculis salubriter ac celeriter prouidendum: Antiquos scilicet scilicet Canones (quorum vtique cistodes & executores constituimur) aut declarantes, aut renouantes, seu ex potestate nobis concessa, interdum adiectione pœnæ communientes, inprimis iuxta sacrum Lateranense Concilium, excommunicamus & anathematizamus omnem hæresim, extollentem se aduersus Orthodoxam & Catholicam Ecclesiam. Vniuersos insuper, qui aliter quam Romana credit & præsicat Ecclesia, credere & pertinaciter asserere attentant; eiusmodi Concilii autoritate, velut hæreticos & pertinaces, & à communione fidelium separatos declaramus. Ecclesiæ quippe vniuersi errare non potest; vtpote, quæ regitur Spiritu veritatis secum manente in æternum, & cum qui Christus manet vsque ad consummationem seculi. Quæ etsi diuersa, & nonnunquam (quod sæpius neoterici hæretici obiciunt) pugnantia proposuerit decreta, nihil tamen est in tanta decretorum multitudine, quod fidei Orthodoxæ aduersetur. Sed ab vno eodemque Spiritu edocta fuit, vt ita pro temporum conditione statueret, vt visum fuerit conducibilius. Eiusdemque Concilii authoritate, credentes, receptatores, defensores, & fautores hæreticorum, excommunicationi subiacere decernimus. Suspectos autem de hæresi & notatos, post vnam aut alteram correptionem decernimus, ab omnibus euitandos, scientes, vt dicit Apostolus, quod subuersi sunt, & suo plane iudicio condemnati. ac sibimet dum intelligunt se ab hominum consortio separatos, rubore plerumque suffusi, ad humilitatis gratiam & reconciliationis affectum facili is inclinentur. Damnati de hæresi, si ad vnionem fidei Catholicæ redire noluerint, maneant de foro Ecclesiæ, & ad agendam perpetuam pœnitentiam in pane doloris & aqua tristitiæ, perpetuo carceri deputentur. Damnati de hæresi, si eam abiurare noluerint; si laici sint, statim sint iudicio seculari relinquendi. Si clerici, præsente potestate seculari, sunt à suis Ordinibus degradandi, & pronunciandum est, vt eos secularis iudex in suum forum recipiat. Cæterum quia Episcoporum numerus per sacros Canones ad degradationem requisitus, non facile potest adunari; concedimus, vt cum Sacerdos aut alius in sacris Ordinibus cōstitutus fuerit

pro cri-

pro crimine hæresis degradandus; posse, accersitis Abbatibus, aliisque Prælatis, solus Episcopus degradare. Qui in hæresim semel abiurat & reciderint, ac velut canes ad vomitum redierint; tanquam palmites aridos in vite non manentes, foras mittendos decernimus, & seculari iudicio sine vlla audientia relinquendos. Relapsos autem in hæresim, iuxta decretum Alexandri Quarti declaramus eos, qui in iudicio hæresim abiurarunt, & post committunt in ipsa; licet prius hæresis crimen non plene contra ipsos probatum fuisset. Insuper eos, qui in vna specie hæresis commiserunt, aut in vno fidei articulo errauerunt, & post simpliciter, vel generaliter hæresim abiurarunt, si extunc in aliam speciem hæresis committunt, velut relapsos in hæresim decernimus iudicandos. Præterea is, de cuius lapsu in hæresim ante abiurationem constiterit, vel nunc constat; si post illam hæreticos deducat, accepter, siue associet, vel dona ac munera eis mittat, seu fauorem eis impendat, qui excusari non possit, merito iudicari debet relapsus; cum illum ex approbati à se erroris consequentia, non sit dubium id fecisse. Nouissime, abiurans in iudicio hæresim, propter vehementem præsumptionem si iteratò labitur, licet non fuisset plenè probata, relapsus dicitur. Cæterum relapsis etsi resipiscentia non profuerit ad euitationem pœnæ temporalis, tamen cum Ecclesia nemini claudat gremium redeunti, non sunt ipsis relapsis, si pœnituerint, & pœnitentiæ signa apparuerint, Pœnitentiæ & Eucharistiæ Sacramenta deneganda. Qui de hæresi deprehensi fuerint sola suspicione notabiles, nisi iuxta considerationem suspicionis, qualitatemque personæ, innocentiam suam congrua purgatione monstrauerint, anathematis gladio feriantur, & vsque ad satisfactionem condignam ab omnibus euitentur. Hæreticorum bona, tanquam reorum læsæ maiestatis, si laici sint, fisco seculari applicentur: si vero Clerici, Ecclesiis à quibus stipendia receperint. Confiscationis autem executio non fiat per iudicem secularem, nisi prius à Iudice Ecclesiastico super crimine sententia pronunciata extiterit.

Cæterũ quia intelleximus, per nõnulla loca Prouinciæ nostræ quosdam, qui in nulla vnquã Academia incorporati fuerint, sed in verba Lutheri iurarunt, aut Luthero sunt nequiores, monopolia illicita facere, & occultæ conuenticula, nec non cum laicis sese in penetralibus domorũ recipere, & cum idiotis ac mulierculis conuersari, de fide Catholica disputare, & non secus quam impius Montanus cum suis Priscilla & Maximilla, simplicium animos eludere & fascinare, inter hæc iactantes se habere Spiritum Domini, propterea, ne vitia sub specie virtutum subintrent, præcipimus Suffraganeis nostris, vt congregationes huiusmodi occultas & adeo pernicioſas prohibeant, ac transgressores pœna condigna puniant. Deus enim, qui est lux vera, & qui illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum, adeo execratur opera tenebrarum, vt Apostolos in vniuersum mundum prædicatores missurus, præcepert eis aperte; Quod dico vobis in tenebris, dicite in lumine. Rursus etiam intelleximus, nonnullos Martini Lutheri libellos pernicioſos, iampridem cum suo authore à sanctissimis Pontificibus Leone Papa & Adriano, nec non Clemente Papa moderno damnatos; à nonnullis nihilo secius, timore diuino & pudore humano prorsus abiectis, adhuc euulgari, legi, & circumferri. Propterea prohibemus sub pœna excommunicationis latæ sententiæ, ne qui cuiuscumque conditionis aut status existant, prædicti Lutheri libellos, aut qui ab eo & suis sequacibus prodiisse asseruntur, deinceps comparent, habeant, & circumferant; aut in concionibus publicis, seu priuatis confabulationibus laudent, approbent, tueantur aut euulgent. Porro cum secundum Apostolum alios dedit Dominus Apostolos, alios Doctores, alios Prophetas; hinc est, quod districte iuxta sacrum generale Lateranense Concilium prohibemus, ne passim liceat cuiuis prædicationis officium vsurpare; neque ad prædicandum prodeant, nisi quibus aut à iure, aut à Papa, aut Episcopo loci, licentia concederetur. Quomodo enim prædicabunt, nisi mittantur? Et veritas ipsa dicit in Euangelio; Rogate Dominum messis, vt mittat operarios in messem suam. Ioannes quoque Baptista, specialis suæ missionis testimonium protulit de Scriptura dicens; Ego vox clamantis in deserto, dirigite viam Domini, sicut dixit Esaias Propheta.

Ordinamus insuper, quod Suffraganei nostri si viderint aliqua loca esse de hæresi suspecta; per se, aut alios idoneos quam citius ad illa accedant, & ab illis de vicinia exigant Sacramentum de prodendis huiusmodi hæreticis, ac conuenticula illicita facientibus. Quibus etiam districte præcipimus, vt ad hæc exequenda diligenter inuigilent, & in negotio huiusmodi hæreticæ prauitatis, summarie & de plano procedant. Et si in expurgando huiusmodi fermento fuerint remissi aut negligentes, intelligant se pœnas in ursuros, quæ in sacro generali Lateranensi Concilio continentur. Pœnas insuper reformident, contra Inquisitores in officio delinquentes, in sacro Viennensi Concilio promulgatas. Constitutiones autem Vrbani V. Clementis V. & Bonifacii VIII. diligenter obseruent Suffraganei nostri. Obsecramus autem per viscera misericordiæ Dei nostri, Christianissimum Regem & Principem ac Dominum nostrum supremum, vt pro suo singulari zelo, miroque affectu & incredibili deuotione religionis Christianæ, à suis terris & dominiis vniuersos hæreticos confestim repellat; exterminetque hanc tetram & diram luem hæreticorum, quæ indies magis ac magis pullulat. Res haud dubie inaudita, cum ab exordio nascentis Ecclesiæ vsque ad hæc nouissima tempora, regnum hoc Christianissimum, vt inquit Hieronymus, hæreticorum prodigiosis monstris caruerit. Proinde Principes Orthodoxi, si Christiano nomini consultum esse volunt, si religionis Christianæ ruinam metuunt; necesse est in exterminandis profligandisque hæreticis omnes suos conatus intendant, omnem suam potestatem exerceant. Periculum alioqui est, ne Petri nauicula operiatur fluctibus, ac demergatur in profundum. Nunquam enim sic vndis iactata est Ecclesiæ nauis, sic ventis validis, id est, variis doctrinis impulsa, sic vndiq; procellis agitata. Inde, quod Christo in naui dormiente apud Matthæum Apostoli fecerunt instante naufragio, clamemus necesse est & dicamus; Domine; salua nos; perimus. Nouissime ordinamus, quod Rectores & Consules Ciuitatum, iuxta sacrum generale Lateranense Concilium corporaliter præstent Sacramentum, quod fideliter & efficaciter Ecclesiam in huiusmodi negotio hæresis, cum fuerint requisiti, iuxta suum officium pro viribus adiuuabunt, manusque porrigẽt adiutrices. Episcopi autem vel Inquisitores, dum in huiusmodi negotio procedunt, & à secularibus iudicibus forsan excommunicatis subsidia postulant; nullam ex participatione huiusmodi, excommunicationem incurrant. Præcipimus tandem singulis Suffraganeis nostris, vt hoc nostrum tam salubre, tamque pro conditione temporum necessarium statutum, suis statutis synodalibus adiiciant, ac in prima eorum Synodo faciant publicari. Datum Parisiis in prima sessione Concilii nostri, facta apud fratres Eremitas S. Augustini, Anno Domini 1528. die 3. Februarii.

XLII.

Huic decreto, adiuncta sequuntur dogmata. 1. de vnitate & infallibilitate Ecclesiæ. 2. de visibilitate Ecclesiæ. 3. de authoritate sacrorum Conciliorum. 4. de autoritate Ecclesiæ in determinatione librorum, qui sint Canonici. 5. de traditionibus Ecclesiasticis. 6. de constitutionibus humanis. 7. de iciuniis Ecclesiasticis. 8. de cœlibatu Sacerdotum. 9. de votis, & præsertim Monasticis. 10. de septem Sacramentis. 11. de sacrificio Missæ. 12. de Satisfactione, Purgatorio, & commemoratione defunctorum. 13. de veneratione Sanctorum. 14. de veneratione sacrarum imaginum. 15. de libero arbitrio. 16. de fide & operibus.

Adiunctus est, & sequens indiculus errorum quorundam damnatorum, hoc tempore repullulantium.

Variorum Hæreticorum articuli.

1. Nusquam legitur Dei cognomen aperte tribui Christo, in Apostolorum & Euangelistarum literis, præterquam in duobus aut tribus locis. *Arrii.*

2. Audemus Spiritum S. appellare Deum, quod veteres ausi non sunt. *Macedonii.*

3. Christus suam mortem deplorari non voluit; sed adorari; vt quæ sponte pro salute mundi susciperetur. Non enim deflenda est mors innocentis.

4. A consortio Ecclesiæ resecatur, quisquis admittit crimen lethale.

5. Ecclesia non constat nisi ex bonis.

6. Primatus summi Pontificis non est à Christo.

7. Non recte aut pie ab Ecclesia canuntur illæ orationes, Salue Regina misericordiæ. Regina misericordiæ. Aue maris stella.

8. Nouissima pars capituli vltimi Euangelii Beati Marci, ex apocrypho quopiam Euangelio ascripta apparet, à lectore studioso. *Hussi.*

9. Indecorum vel ridiculum videtur, quod idiotæ & mulierculæ psittaci exemplo, psalmos suos & precationem Dominicam Latine murmurant; quum ipsæ quod sonent, non intelligant.

10. Baptizati infantes, cum veniunt ad annos discretionis sunt rebaptizandi.

11. Infantes non sunt baptizandi.

12. Baptizati paruuli postquam ad pubertatis annos peruenerint, vt in communibus fidei articulis fuerint instructi, interrogentur, ratumne habeant, quod susceptores nomine illorum polliciti sunt in baptismo. Id si non approbêt, fortassis

expediet illos non cogi, sed suo relinqui animo, donec resipiscant: nec ad aliam vocari pœnam, nisi vt ab Eucharistia sumenda, reliquisque Sacramentis arceantur. Cæterum nec à Sacris, nec à concionibus excludantur.

13. Fomes peccati, etiamsi nullum adsit actuale peccatum, moratur animam ab ingressu cœli.

14. Iustus in omni bono opere peccat.

15. Omne opus bonum, optime factum, est veniale.

16. Deus obligauit hominem ad impossibile, in nono & decimo præceptis, prohibens non concupiscere, quod qui negat, pessime facit; & qui hoc falsum esse dicit, plusquam pessime facit.

17. Hoc est mortalium mortalissimum, non credere sese damnabili & mortali peccato esse obnoxium coram Deo. *Bohemorum, Anabaptistarum.*

18. Modus celebrandi Missam, quo vtitur Ecclesia Catholica, non est conueniens. *VVicleffi.*

19. Missa dici debet lingua vulgari. *VVicleffi & Bohemorum.*

20. Manifestus est error, Missam applicare seu offerre pro peccatis, pro satisfactionibus, pro defunctis, aut quibuscumque necessitatibus suis, aut aliorum.

21. Non est dubium vniuersos hodie Sacerdotes & Monachos cum Episcopis & omnibus suis maioribus esse idolatras; in statu periculosissimo agentes, ob Missæ seu Sacramenti ignorantiam, abusionem & irrisionem.

22. Magna est fides cognoscere Christũ corporaliter esse, vbi sacramentaliter est. Sed maior est, cognoscere eum absolute vbique corporaliter esse.

23. Nihil conducit ad susceptionem Eucharistiæ, se præparare per contritionem, cõfessionem, satisfactionem, & alia bona opera.

24. Non licet homines inducere ad pœnitentiam per timorem gehennæ.

25. Episcopus non potest, quod non possit simplex Sacerdos.

26. Ecclesia non potuit illegitimare aliquas personas, sic quod non possint contrahere matrimonium.

27. Humana instituta, si obseruas vt humana, nihil te iuuant: sin vt diuina, mendacium committis. *VVicleffi, Bohemorum, Arrianorum, Arthotiratarum, Donatistarum, Acitarum & Apostolicorum.*

28. Lex Euangelica, quo tutiores sint homines à periurio, damnat omne iusiurandum: vt iam fas non sit iurare, neque per Deum, neque per cœlum, neque per terram. *Catharorum & VValdensium.*

29. Excommunicationes non sunt timendæ, sed optandę. *VVicleffi.*

30. Qui venialia peccata docent esse distincta à mortalibus, ad insaniam perditissime nituntur trahere hominum cõscientias. *VVicleffi.*

31. Opera nihil sunt coram Deo; aut omnia sunt æqualia, quantum ad meritum attinet. *Iouiniani.*

32. Meritum tribuere operibus, propemodum cum eis est sentire, qui credunt nos ex operibus iustificari posse, de quo errore damnantur Iudæi plurimum.

33. Illi, qui habent charitatem, nullis præceptis humanis sunt subiecti.

34. Habentes charitatem, non tenentur ieiunare, orare, vigilare, aut alia consimilia bona opera effiecre: sed liberum est illis, facere aut omittere huiusmodi bona opera, pro suo beneplacito. *Bogardorum.*

35. Indulgentiæ prorsus sunt abiiciendæ.

36. Fundationes obituum, sunt inuentiones Diaboli.

37. Ecclesiastici non debent gaudere priuilegiis & immunitatibus plus quam laici.

38. Non licet Ecclesiasticis habere bona immobilia. *VVicleffi & Fratricellorum.*

39. Deus non vult Pseudoapostolos & hæresiarchas extingui, sed tolerari, si forte resipiscant, & è zizaniis vertantur in triticum. Quod si non resipiscant, seruentur suo iudici, cui pœnas dabunt aliquando. *Catharorum.*

40. Decimæ sunt puræ eleemosynæ; & possunt Parochiani propter peccata suorum Prælatorum, ad libitum suum eas auferre.

41. In Ecclesia non debent esse varia viuendi genera, quæ Religionis appellantur.

42. Nulli licet, inuitis parentibus, intrare religionem.

43. Si proximum voco in ius; si ei damna procuro, quæ necessariò vocationem illam Prætorialem sequuntur: si etiam tanquam Ethnicum omni Sanctorum consortio & participatione totius Ecclesiæ, eum priuatum iri obtineo, quomodo non facio iniuriam, qui iustitiam peto? quomodo mandatum Dei non soluo, qui sanctam inter me & fratrem dilectionis necessitudinem violo? *VValdensium, Bogardorum, VVicleffi, Hussitarum.*

Conclusio hortaria ad Principes Christianos, vt elaborent pro hæreticis extirpandis.

Plurimos hactenus errores commemorauimus; sed non sufficit illorum commemoratio. Opus namque est, vt Christianissimi Principes suppetias ferant, zelo zelantes pro domo Domini exercituum, quæ iuxta Apostolum est Ecclesia. Posset haud dubie Deus, absque illis vniuersam hæreticorum cohortem contercre ac exterminare; nullius enim creaturæ eget ministerio. Vult tamen pro sua benignitate homines sibi cooperari. Ampla quoque eos donat mercede, qui ei cooperantur, in iis præsertim negotiis, quæ ad fidei dignoscuntur spectare integritatem, quemadmodum multæ indicant historiæ. Laborarunt olim aduersus hæreticos strenuè Christianissimi Principes, Constantinus, Valentinianus, Theodosius, Clodoueus, Carolus Magnus, Ludouicus pater S. Ludouici. Sed nunquid præmio defraudati sunt? Minime certe. Nam apud Deum gratiam inuenerunt, qua nihil in vita est expetibilius; & apud homines immortale sui nominis decus adepti sunt. Contra vero Principes, qui hæreticorum consuetudine abusi, & eorum delinti consortio, impiis erroribus non obstiterc, sed iis impenderunt subsidium, iram Dei vindicem sensêre. Diuino siquidem fauore destituti, in graues ærumnas prolapsi sunt, miserabilem vitæ exitum sortiti. Cuius rei (vt alios taceamus) testes sunt locupletissimi, Licinius à Constantino deiectus, Iulianus apostata, Valens Arrianus, Philippicus, Constantinus Quintus, & Leo eius filius, sacrarum imaginum impii euersores. Hi profecto detestandam impietatem consectati, digna suæ perfidiæ reportarunt stipendia. Longum esset, reliquorum Principum, qui à fidei sinceritate deficientes, pestifero hæreticorum contagio infecti sunt, miserias enumerare & calamitates. Longum itidem esset, eorum felicitatem & gloriam recensere, qui fidei Catholicæ inconcussæ adhærentes, hæreticos tanquam capitales suæ coronæ hostes, ad internecionem vsque deleuerunt. Hæc itaque attendentes, pro nostri officii debito Christianos Principes instanter rogamus, & in Domino exhortamur; si suæ saluti consulere, si sue ditionis iura illibata custodire, si in pace & tranquillitate subditas sibi nationes continere exoptant; potenti brachio fidem Catholicam tueantur, ac eius hostes viriliter fatagant debellare. Id autem haud factu erit difficile, vbi antiqua Christianissimorum Principum in hæreticos, eorum libros, & fautores edicta instaurabuntur. Quæ si salutari iudiciorum seueritate executioni demandetur, nulla prorsus hæreticorum monumenta, nulli libri, nulla scripta in suis prouinciis reperientur. Maledicæ item concliones cessabunt, nec non & clandestina conuenticula, in quibus peregrinos cultus à Christiana pietate degenerantes, inducere solent hæretici. Vsque eo effrenis insuper impiorum audacia retundetur, vt iam Orthodoxæ fidei, ac Ecclesiæ Catholicæ, sacrisque eius Constitutionibus, audeat nemo contrairc. Hoc profecto nostrum desiderium, hæc votorum summa, hæc nostri conatus gloria. Hoc est quod tota mente exposcimus, & assiduis precibus à Domino efflagitamus: sperantes, dum strenuè Christianissimi Principes hæreticos debellant, & nos pijs laboribus, ne crediticæ nobis oues, luporum morsibus trucidentur, prohibituros. Et tum demum donabit nobis Dominus sua pietate, tantopere à fidelibus exoptatam atque expeditam pacem & tranquillitatem in hac vita, & post huius vitæ decursum consummatam felicitatem. At vero quia scimus non satis esse, ad hæc obtinenda fideles adhortari, nisi rebelles conuenienti districtione reprimantur salutari antidoto, decreuimus huic negotio prouidere. Authoritate itaque, qua fungimur, omnes in nostra prouincia constitutos, qui tam impia dogmata ausu temerario asserere docere, scribere præsumpserint, his scriptis sententia excommunicationis innodamus: nec non & eos, qui illis auxilium, consilium, aut fauorem quouis modo fuerint impartiti. Sub eadem quoque pœna omnibus nobis subditis inhibemus, ne Lutheri libros, siue Lutheranorum quorumcumque retinere præsumant, qui ad pestilentem doctrinam promouendam cõscripti sunt. Tom. vlt. Concil. impressionis Colonien.

XLIII.

Monuit hæc exhortatio inprimis Franciſcum Galliarum Regem, qui Pariſiis quendam Iconomachum, quod B. Virginis imagini caput truncaſſet, digno ſacrilegis affecit ſupplicio. *Ferreolus in anacepha'æoſi Chron.*

XLIV. *Andreas ex Olmo Minorita in Indias Occidentales venit ibidemq́, fidē prædicat.*

Adhuc annum 1528. Andreas ex Olmo Minorita, in Indias Occidentales venit, & quadraginta tres totos annos in iis fide Chriſtiana illuſtrandis, populiſque ad Chriſti cultum perducendis inſumpſit. Perduxit autem tum multos, tum vero truculentiſſimos ex illis Chichimecas. Incredibile eſt, quot & quanta vir hic ſit perpeſſus, & quæ diſcrimina diuino beneficio ſuperarit. Bis diuerſo tempore plurimi ex Indis conuenêre, illum nam q; ſtatuerant occidere. Cum vero innumeras in illum ſagitas quaſi certiſſimò tranſmiſſuri miſiſſent, ſagittę vbi corpore illius appropinquabant, cõtinuè retorquebãtur in ipſos iaculatores. Quæ res conſpecta & diuulgata, maximo omnibus in poſterum terrori fuit. Rurſus alias conſpicati ſunt ipſum in tuguriolo gramineo commorantem. In eum igitur ignita tela expediunt, ardentiáq; iam tum iaculantur in aridam caſam. Verum vident omnia protinus extingui mirabiliter, vbi fœnũ ſicęum, ex quo conſtructum erat tugurium, tetigiſſent. Chichinacę populi, vt diximus, efferatiſſimi, ſumptis armis, à Rege & Archiepiſcopo diſceſſione facta, bellum meditabantur. Cunctis reclamantibus cò profectus Andreas illos placauit, & ad obedientiam reduxit. Multis multa prædixit; in his diem & horam mortis ſuæ. Miracula multa edidit. Corpus eius defuncti, antea ſubfuſcum, ſtatim candidiſſimum, fulgens, & ſuauiſſime olens mirabiliter apparuit. Auditi ſunt præterea diuini in eius obitu concentus. Terra ex eius tumulo deſumpta, quamplurimis ægrotis reddidit ſanitatem.

Alter ex eodem inſtituto Franciſcus Colmenatius, triginta quinque annos Indis ad Chriſtum conuertendis operam dedit, nihil non duri & acerbi perpeſſus. Eius literæ quædam ægrotis admotæ morbos expulerunt.

XLV. *Ludouici Lerna in Inſula Tanariffæ miracula.*

Ludouicus Lerma Franciſcanus, vixit eodem tempore in Inſula Tanariffa, ſanctitate & miraculis clarus, obituſque ſui tempus prænunciauit. Ex eius corpore manat oleum, quod mirifice valet aduerſus omne morborum genus, ita vt quidam nomine Loſſanus, ex oppido Guaracico, illius vnctione lepram, qua fœdabatur, expulerit; alius vero morti propinquus, protinus conualuerit. Ioannes è S. Franciſco Minorita, per idē tempus in Indias miſſus, ſolis precibus, ac nullo prorſus ſtudio affectus è linguæ Mexicanæ cognitionem; ita vt maximæ cunctis fuerit admirationi, cum repente auditus eſt ea lingua innumeris præſentibus concionari. Hic aliquando plurima idola Indorum, multitudine ingenti vidente, à pueris Chriſtianis confringi iuſſit. Eadem verò die dæmon apparuit Indo cuidam, qui aberat paſſuum millibus ſexaginta; apparuit autem facie deturbata, membriſque mutilatis, inquiens. En vt ab Ioanne male habitus ſum. remque vti geſta erat, explicauit, efflagitans, vt aduerſus Ioannem ſuam contumeliam vlciſceretur, ſe ipſi opem laturum: docuitque rationem, qua flagitium perpetraret. Aggreſſus eſt rem Indus, expectatumque Ioannem per inſidias adortus prægrandi fuſte percuſſit, aufugienſque irrito cuentu, & à perſequentibus nonnullis comprehenſus, rem detexit, & Chriſto ſe dedit. Idem Ioannes Idolorum Sacerdotem baptizauit: cui mox duo dæmones aſſumpta parentum ipſius defunctorum effigie apparuerunt, affirmantes ſe in amœniſſimis deliciarum locis degere; eò deducturos ipſum, ſi velit ſequi, & imperata facere. Sequitur ille: perueniunt ad ſyluam; ſuadent, vt laqueo faucibus iniecto ſe ex arbore ſuſpendat, ac præfocet. Aggreſſuro iam rem miſero aſtitit Ioannes, ſiue ipſe reuera, ſiue ſpecie ſua increpat, dolos detegit. Agnito ſcelere Indus, Dei nomen ex animo implorare cœpit; ac protinus Dæmones cum ſuis ſpectris euanuere. Ipſe Mexicum reuerſus, Ioannique occurrens accidit ad pedes veniam criminis ſuppliciter petens. Idem Ioannes defunctum filiolum, diu rogatus à matre vt id faceret, ad vitam precibus reuocauit. aliaque multa mirabiliter egit, ac prædixit. *Thomas Bozius de ſignis Eccleſ. lib. 12. c. 21.*

XLVI.

Æqualis horum temporum Ioannes Vrtadus Salmanticenſis Dominicanus, à Carolo V. Cæſare ad Africanam meſſem euocatus, quanquam hoc anno 1528. morte præuentus in Africam traiicere minime potuerit; voluntatis tamen promptiſſimæ cò proficiſcendi, nec non aliorum, quos pro fide Chriſti tuenda, amplificandaque tulit laborum, præmio non caruit. Adultus & iam militiæ muneribus in bello Granatenſi præclare defunctus, omnibus, quæ id temporis poſſederat bonis pauperibus diſtributis, ad Dominicanum inſtitutum ſeſe contulerat. De eo relinquendo ſub ipſis initiis tentatus, ſecundum quietem ſanctum Antonium Patauinum, cui deuotus, aſpexit, audiuitque monentem, ne ſuſceptum vitæ genus mutaret. Ea viſione confirmatus, remanſit, & auſteritati vitæ, eruditionem coniunxit; cuius ſpecimen eximium Romæ in Comitiis Generalibus, præſente Caietano Ordinis Præfecto, in diſputatione publica dedit, tam eruditus, quam religionis obſeruantiſſimus, & in concionandi officio exactiſſimus, qui nihil omnino docuiſſet, quod prius non præſtitiſſet. Aliquando extrema ſiccitate afflictis omnibus, cum pro concione ad populum diuiſſet; *Vultis aquam de cœlis? date vos aquas lachrymarum cœlis*; ac omne auditorium exitus lachrymarum deduxiſſet ex oculis; in momento ingens pluuiarum nymbus defluxit, & omnia abundantiſſime irrigauit. Plurimos perſuaſione & exemplo ſuo, ad religionem ſuſcipiendam traduxit. Contra hæreticos, quamplurima geſſit. Rebelles Hiſpanos Carolo V. conciliauit. Victoriam Cæſari aduerſus Gallos in regno Nauarræo obtinuit. Granatenſem & Toletanam inſulas cõſtantiſſime recuſauit: contra Mauros præclara facturus, niſi laureas mors inuidiſſet, ac iam certiſsimas inter cœlites obtuliſſet: ſecurum & certum, quemadmodum ipſe moribundus dicebat, æternæ gloriæ.

Ioannis Vtradi Dominicani laus.

Eodem anno ad Cœlos euolauit Pelagius Dominicanus Hiſpanus, multis miraculis à morte clariſsimus. Eius ſepultura, ſepeliendo alteri aperta, dedit, non tantum ſuauitatem odoris, ſed & nubeculam quandam, in cœlos vſque ſubſiſilientem.

XLVII. *Pelagius Dominicanus miraculis clarus mortuus.*

Ibi cœcus quidam viſum recepit, peccator inſignis & obdurati cordis lachrymas, dolorem, contritionem; febricitantes & morbis grauiſsimis laborantes ſanitatem; quinque energumeni, libertatem: & alii alia optata dona. Cum pro eo templo, in quo decumbit campana grandior funderetur, & materia perficiendæ omnino defuiſſet, aliquis ex Dominicanis præſentibus pugillum terræ à ſepulchro Pelagii arripiens, in fornacem ardentem ære æſtuantem fuſo iniecit, & fabro, vt effunderet in formulam campanæ fundendæ præparatam, edixit; Fecit ille: nec tantum perfecti operis campanam effecit, verum etiam 120. libras æris, quod ſuperauerat recepit: multiplicato ad merita Pelagii metallo. *Michael Pius lib. 4. de viris illuſtr. Ord. Prad.*

XLVIII *Hieronymi Æmiliani congregationis Somaſchæ conditoris laus & acta.*

Fuit hic annus 1528. ſi quis alius, calamitatibus atque hominum funeribus, fœcundiſsimus & memorabilis. Hic ſatis amplam charitatis & patientiæ palæſtram, optatam & copioſam ærumnarum ſegetem, & vberiorem quam antea bene merendi de omnibus materiam Hieronymo Æmiliano congregationis Somaſchæ conditori obtulit. Laboratum enim eo anno tota fere Gallia ciſalpina, adeo grauiter annonæ caritate, vt nullus tantam aliquando ſe vidiſſe, aut audiſſe rei frumentariæ, cæterarumque frugum difficultatem teſtaretur. quod malum ita breui auctum eſt, quà ſoli ſterilitate, quà bellorum difficultate, in agro præſertim Mediolanenſi, ipſaque Inſubrum principe ciuitate; vt, euincente dira fame, naturæ faſtidium cum nauſea ſordidos inſolenteſque cibos reiicientis, conſumptis cibariis, iumentorum ſtrages paſſim homines ediderint; feles, canes, mures deuorarint, aliaque multa abominanda in iucundiſsimas epulas habuerint, quæ humanus ſtomachus perhorreſcere conſueuit.

Ex fertiliſſimo totius Inſubriæ agro de reliquis facilis eſt coniectura; vt non leuiter dubitaretur à multis, ne fame ciuitates illæ ciuibus exhauſtæ delerentur. Multo melius cum Venetis, præfectorum annonæ diligentia, agebatur, qui communem egeſtatem certis indiciis præſagientes, ingentem vndiq; rei frumentariæ, cæterarumq; frugum copiam per annotinas naues mature comportandam curarant. Sed eius abundantiæ fama per Inſubrum ciuitates euulgata, adeo breui omnium ordinum multitudinem vndique acciuit, vt ibi

ibi etiam durior indies annona fieri, grauique fame ciuitas vrgeri cœperit, ciuſque non multo poſt commutata facies, miſera ſpecies, flebilis aſpectus extiterit. Oberrabant ſiquidem ante omnium oculos miſerorum greges; omnia mendicis, atque ægris late compita obſeſſa laborabant, adulta iam hyeme, & ingraueſcente indies egeſtate, algore & fame enectis, ora pallentia, corpora quaſi horribili tabe conſumpta, color exhauſtus, fractæ vires ad vocem & ciulatum, nedum ad inceſſum imbecillæ, vultus animoſque bonorum omnium triſtitia & mœrore deſixos tenebant; & vrgens extremi tot miſerorum caſus expectatio omnium mentes ſolicitabat. Indoluit præ cæteris Hieronymus diræ calamitatis acerbitatem, & innumerabilium pene egenorum funeſtas clades, intimo animi ſenſu ingemuit, hæſitque aliquamdiu peracerbo dolore vehementer conſternatus. Sed magnanima ſua in proximos charitate paulo poſt erectus, omnium egeſtatem animo complexus, de omnibus ſubleuandis, etiamti domeſticas omnes in eam rem opes exhauriri oporteret, cogitauit, reque ipſa cogitata perfecit. Nam omnium calamitoſorum cura magno animi ardore ſuſcepta, eos domum adductos, omni charitatis officio recreatos, ſæpe auctos, veſte etiam, cum opus eſſet ornatos dimittebat: in compitis ac viis iacentibus largè & copioſè ſua pecunia ſubueniebat; quocumque iret, nemo inops occurrebat, in quem ille non effuſe de ſua miſericordia deriuaret. Familias, quarum inopiam nobilis pudor aggrauabat, clam ſibi alendas aſſumebat. Cumque de tanta in pauperes benignitate admodum frequentes, & ſecundi manarent tota ciuitate rumores, egenorum turba ad Hieronymi ædes alimenta petitura, velut examen apum vndecumque conuolabat: quos ille profuſa & benefica in pauperes natura, exceptos, cibo reficiebat, veſte tegebat, nummis etiam inſtruebat. Quæ indefeſſæ pietatis officia, quotidiana nec interrupta benignitate, eò breui proceſſerunt, vt deficiente cenſu, & excuſſa in pauperes crumena, ne vnus quidem illi ſupereſſet ad ſeipſum alendum, nedum ad inopes ſubleuandos nummus. Sed tum maxime cum nihil eſſet pietati relictum, intellectum eſt, quo pietatis ardore ferueret, & quo charitatis ſtudio pauperum inopiæ ſubleuandæ flagraret. Multa enim ſecum animo voluens, id tandem conſilij cœpit, vt ornamenta domus, pretioſamque ſuppellectilem diſtraheret, & quæ antea parietibus domoque exornandis inſeruierant, tum feliciori conſilio ad animæ ornamentum, pauperum que ſubſidium traduceret; quò diutius Chriſtianæ pietatis fons diffluereret largiſſime. Magna itaque diſtractione bonorum facta, nec vilioris ſubſtantiæ, quàm veſtimentorum, & indumentorum, pretioſioriſque rei domeſticæ, & ingenti collecta pecunia, largius eſt multorum neceſſitati proſpectum: ſolenneque illi exinde fuit, nihil domi proprium, quamuis eximium aut neceſſarium, ſed cuncta pauperibus poſſidere; eaque promiſcue, ſolius fraternæ neceſſitatis habita ratione, euulgare. Itaque breui domum ſuam nobili ante periſtromate, & delicata ſupellectili fulgentem, vniuerſo ornamentorum apparatu denudatam, & vacuam, in Xenodochium propemodum conuertit. Vulgo enim à miſeris nullo diſcrimine eius atria, porticus, interiora domus frequentabantur: Si qui etiam tecto carerent, hoſpitio excipiebantur: vt non minus in Hieronymum cadere, quod de ſe ſanctus Iob affirmabat, mihi videatur: Si negaui, quod volebant, pauperibus, & oculos viduæ expectare feci. Si comedi buccellam meam ſolus, & non comedit pupillus ex ea: Quia ab infantia mea creuit mecum miſeratio, & de vtero matris meæ egreſſa eſt mecum. Si deſpexi prætereuntem, cò quod non habuerit indumentum, & abſque operimento pauperem. Si non benedixerunt mihi latera eius, & de velleribus ouium mearum calefactus eſt. Hæc inquam vſurpare poterat, & miſericordiæ lacte ſe nutritum gloriari; qui adeo referta pietatis viſcera gerebat, nihil vt ſibi reliquum faceret, quo humana quæque indigentes deriuaret ſubſidia; cumq; pecunia, vel cibus ad manum non eſſent, diuendita re familiari, eorum inopiam ſubleuaret. Hac tanta Hieronymi charitate tota vrbe enitente, prouocata eſt multorum in pauperes miſericordia; plurimis iniectus ſubueniendi ardor, reque ipſa maior deinceps fuit in miſeros ciuium charitas, largior in egenos erogata benignitas, excitata haud dubie tam illuſtri Hieronymi exemplo. Sed his non contenta finibus, ad decumbentes & occumbentes etiam progreſſa eſt Hieronymi cura, iis enim crebro aſſidere, ſedulo adminiſtrare, ſolatio pariter & auxilio eſſe ſtudebat, quos in lecto morbi vis extingueret, hos ſupremam illam ſummæ rei clauſulam conſumantes adhortationibus ſalutaribus & monitis adiuuabat, ardentiſſimis verbis confirmabat; nihilque, quod in extremo illo certamine præſidio futurum eſſet, omittebat. Verum, nec cum ſuprema quidem occumbentis vitæ clauſula tam ſpectatæ pietatis periodus claudebatur; ipſa etiam defunctorum cadauera, omnis vitæ & ſenſus expertia, complexa. Cum enim res eò loci deueniſſet, vt paſſim iacentes in compitis pauperes miſerandum in modum expirarent; & non raro per medias vias atque fora triſti ſane & luctuoſo ſpectaculo proſtrata eorum corpora, quos vel dira fames extinxiſſet, vel frigore & gelu ſæua necaſſet hyems, ſepulturæ beneficio deſtituta facerent, hoc etiam ad ſuam pertinere charitatem Hieronymus arbitratus, diebus in viuorum miniſterium aſſumptis, in ſepeliendis mortuorum corporibus noctes inſumebat. Erat enim hocilli frequentiſſimum, per media intempeſtæ noctis ſilentia vicos Ciuitatis obire, vt ſi quem extremo languore oppreſſum, & iam vita deſtitutum inueniſſet, conſuetæ charitatis officio, vel funus ei curaret, vel in humeros ſublatum, quod ſæpiſſime faciebat, ad ſacra cœmiteria ipſe deferret. Et quamuis tam inſignis pietatis officium clam ille cuperet eſſe; haud tamen diu cælari potuit, fuitque tam egregium facinus, etiam ab huius temporibus Oratoribus celebratum. His ille miſericordiæ operibus annum ferme totum tranſegit, magnamque pauperum turbam, quoad nouis frugibus ditior annus copiam frumenti vberiorem ſuppeditare cœpit, aluit: vt hac tam benigna, & prolixa in pauperes natura fontes ſibi diuinæ aperuiſſe clementiæ, tutamque muniuiſſe ad ſalutem viam plane videri poſſit.

XLIX. *Ioannes Petrus Caraffa Venetiis ordinem ſuorum clericorum plantat.*

Venerat id temporis Venetias, Ioannes Petrus Caraffa, ex Epiſcopo Theatino & Archiepiſcopo Brundufino, Clericorum Regularium quos Theatinos vocant, cum B. Caietano Parens, poſt Romanam cladem, vna cum aliquot ſociis, ab Auguſtino Amulio Venetę Claſſis præfecto adductus. Ad S. Nicolai Tolentinatis ædem, domicilio habuerũt; poſtquam aliquantulum, primo in æde S. Euphemiæ, mox ad B. Gregorij ſubſtitiſſent. In eadem ipſa peſtilitate & fame, quæ Italiam, atque Europam pene vniuerſam depopulata eſt, Caraffæ etiam, B. Caietani Thienæi, & ſociorum Theatinorum beniguitas in pauperes, qui Venetias, vt diximus, miſelli & palabundi turmatim confugerant, enituit. Eorum nouorum Religioſorum doctrinæ & pietatis fama, vt primum latius per vrbem manare cæpit, multorum ad eos factus eſt concurſus, multis religioſi inſtituti probata eſt diſciplina, ardenter etiam expetita & ſuſcepta: plurimorum Eccleſiaſticorum & Ciuium, opera Theatinorum & ſtudio caſtigatus vitæ luxus & morum licentia. Nec ſero iſta ad Hieronymi Æmiliani aures deferuntur; qui vt erat proborum ſtudioſiſſimus, facile ad eos ſe contulit, Caraffæque conſuetudine maxime delectatus, capit religioſas ædes frequentare. Nec moleſtus erat Ioanni Petro creber Hieronymi acceſſus, nec inutilis Hieronymo. Ille enim hominis nobilitatem tanto cum pietatis ardore coniunctam ſuſpiciebat & admirabatur; Hieronymus viciſſim in Caraffa vniuerſa diuinæ humanæque ſapientiæ ornamenta, cum ſumma vitæ integritate, non ſine admiratione, vbique commendabat ac prædicabat, multaque in animæ & ſalutis ſuæ commodum, ſpiritualiſque profectus vberiorem fructum ſemper è congreſſu probatiſſimi hominis, hauriebat. Itaque venit illi in mentem ad ſanctiora maioraque pietatis ſtudia informandum Ioanni Petro ſe tradere; quippe nihil in ſpiritualis vitæ progreſſu regendarum animarum moderatore peritiſſimo antiquius habebat; qualis ei Caraffa videbatur; è cuius nutibus velut certo diuinæ voluntatis interprete, totus penderet, ſeque & ſua componeret vniuerſa; propterea quod certa lege ſibi indixerat iampridem, nihil vt proprio ſtatueret arbitrio, neue in rerum ſpiritualium vſu, ſuo fallaci ſenſu, & inexperto vteretur

ductore? ne hac vna via occultis dæmonum fraudibus facilis pateret aditus. Quod pium & prudens animi decretum, adeò religiosè tota vita seruauit, vt ne pietatis quidem opera, inscio & inconsulto conscientiæ moderatore aggrederetur: Siue quod adeo illi in omnibus proprij fœtus esset suspecta libertas; siue quod sciret, quo minus de nostro imperata res haberi, eò cumulatiori mercede meritum obsequij compensari. Igitur, vel priore Magistro destitutus, vel quod vtriusque operam perutilem sibi existimaret, è Caraffa quæsiuit, vt sese rerum spiritualium doctrina instituendum susciperet; ac de se, & de rebus suis, ex Dei gloria, animæque salute, libere statuere vellet; id sibi pergratum fore. Non grauate prouinciam susceptt Caraffa, ex eo fertili solo vberem frugum copiam se breui collecturum (quod posteà rei euentus comprobauit) coniiciens; &, quod liberaliter spoponderat, pari posteà fide ac religione persoluit. Sæpius actum est inter eos de diuinis rebus, de proximorum salute procuranda, de corruptis eius ætatis moribus sanandis, de nouo certoque vitæ genere eligendo; quibus frequentissimis colloquiis, ad strenuè in vinea Domini laborandum; quotidie magis inflammabatur Hieronymus, nec contemnendos in rerum spiritualium exercitatione ostendebat progressus, quibus indies eius spiritus pietasque Caraffæ amplius probabatur. Numquam tamen illum suo nouo Ordini adiungendum curauit; forte, quia communicato cum eo animi sui consilio, intelligeret hominem ad alia omnino, sed tamen Christianæ Reipublicæ proximorumque saluti perutilia, à Deo vocari, ac proinde, cum eum maximi faceret, quotidieque ad pietatis progressum vrgeret; interiori tamen motu quodam prohibebatur, ne ad ingressum recentis religionis eum sollicitaret. Quia etiam Caraffæ auspiciis & consiliis, Hieronymum ad pauperum derelictorum curam animum applicuisse; adeo certa & constans eorum opinio fuit, qui ab eodem Hieronymo in partem laboris socij lecti fuerant; vt anno ab eius obitu decimo, à Ioanne Petro Caraffa iam Cardinali, hoc vno maxime nomine, cum suo Ordine Congregationis Somaschæ vnionem postularint; quod scilicet eius auspiciis illorum operum esset iacta fundamenta. Mirificè autem temporum progressu tanta illa Ioannis Petri & Hieronymi animorum consensio voluntatumque conspiratio apud vtriusque Ordinis alumnos processit; velut à radice mutuæ charitatis vigor ad ramos transfusus; vt non minoribus beneuolentiæ vinculis hæ duæ familiæ modo vinciantur, quam ipsa ambarum Religionum capita fuerint, amoris & charitatis necessitudine copulata. *Augustinus Turtura in vita Hieronymi Æmiliani.*

L. *B.V. Terraconæ miracula.*

Hoc tempore, multis in locis plurima edita sunt miracula, ab inuocatione Diuæ Dei Genitricis Mariæ. Tarracone viuebat matrona quædam pietatis studiosa: In eam duæ aliæ odio concepto conspirarant, vt vel de medio tollerent, vel aliqua contumelia insigni mulctarent. Crimini dabant; quasi famæ illarum detraxisset, fabulamque de earum pudicitia & integritate sparsisset. Dissimularant, quod facere cogitarant; eamque in quendam hortum à conspectu hominum semotum inuitarant. Dum ibi sunt, innocentem, verbis primo asperrimis aggrediuntur; mox suis filiis duobus iam adultioribus, vt manus matronæ detractrici iniicitá, præcipiunt. Tenetur fortiter à viris robustis: illæ cultrum educunt, & vt porro linguam exerat, nisi mactari velit, instant, vrgent, vim inferunt. Opem illa Diuæ Virginis quæ apud Montserratum colitur inuocat, linguam profert; duæ illæ immanes eam excindunt: Mox infelicem in sanguinis profluuio relinquunt hoc solo felicem, quod lingua quantumuis excisa, pronunciaret tamen, *Virgo potentissima Montserratensis adiuua me*; quæ inuocantem se tandem adiuuit, sanguinem stagnauit, vsumque loquendi restituit.

LI. Aliquis etiam innocens, suspectus homicidij quod præsens aspexerat, non autem perpetrarat, captus, in carcerem compactus, tortus, & iam patibulo appendendus, nonnisi Iesu & Mariæ nomina implorabat, dicens sibi certum esse, Mariam breui declaraturum, quis, & an affinis culpæ esset. Aderant plectendo miseto, spectatores, pater, mater, soror, & maritus huius, deiectum è scala, & iam pendentem in furca, cum alio non possent, precibus iuuabant. Nocte consequente pater & mater stupore adhuc attoniti, ecce vident lucem quandam insolitam in cubiculum penetrare, tenebras dispellere, & vocem aliquam secum ferre, quæ ad cor matris diceret, filium, quanquam suspendio præcipitem, viuere tamen. Altera, & tertia nocte, eadem lux, eademque vox adfuit, certo certius, hominem nondum mortuum viuere contestans. Ibi vero mater, vnam ex filiabus aduocat, quæ accidissent de lumine & voce enarrat, ad furcam ex qua filius pendebat, oratum pro anima, & exploratum quid esset mittere. vbi dum hæc orat, velut pro mortuo, funis quo ille appensus rumpitur, ille cadit in terram dicens, *ô Virgo Monserratensis.* Ad spectaculum cadit illa semianimis; hic exsurgit, somnium fuisse putat quod præcessit, sororem agnoscit, domum reuertitur, factum narrat, & vnà Diuam Virginem liberatricem deprædicat.

LII. Non omnino dissimile huic quod Philippo Bono Aquitano, per hoc ipsum tempus accidit. Etiam homicidij, innocens accusatus, vinctus, & carcere perpetuo damnatus, dum illic intra quartam custodiam infelix gemeret, & Diuæ Virginis opem imploraret, quatuor portæ sponte apertæ, custodes somno sepulti, occasionem dederunt, vt fugeret; seque his euigilantibus alicubi illatebraret: vbi postmodum illi omnia secreta perquisitantes, cum circa circum Philippum scrutarentur, illo eos videnti, hunc illi videre non potuerunt, obumbrante nimirum & abscondente Virgine liberatrice.

LIII. Alfonsus Castrafericius, nauigans è Neapoli Valentiam, tempestate repentina excussus in mare, nocturnis tenebris opertum; dum iam iam mergeretur, Diuam Maris stellam inuocauit; & in momento lucem quandam admirandam, quæ recrearet, super vndas sustineret, vocem quam socij iactati exaudirent tribueret: illi nauigium adpellerent, & naufragum reciperent, Diuæ Virginis adiutoria prædicantem.

LIV. Petrus Serra Sanaliciensis, diœcesis Vrgellensis, amissa filiola & vxore, cum desperationi sese dedisset, quam affines bona dotalitia repetentes adaugerent, sub crepusculum aspexit tres humana specie dæmones apparentes; quorum vnus causam tristitiæ inquireret, duo alij exponerent: ac deinde prior; si se illis addicere vellet, filiam defunctam ei ostensurum, & diuitem facturum pollicebatur, ac marsupium numis plenum protinus ponit illum proiecerat. Obriguit tunc Serra, nec quicquam tentatori respondit; sed tremens ac stupens, Iesu, & Mariæ Monserratensis nomen inuocauit. Post acto dies, cum extra domum prodiisset, vocem in aëre audiuit, interrogantis. Num ea de re deliberasset, quam ante octiduum propositam audiuisset. Inquirenti, ecqui nam essent; nuperos socios se esse respondent; & ad nutum obsequi paratum, vt domum reuerteretur, matrique inprimis furtum pecuniarum imponeret, dæmoni se dederet, seque à litigio & rixa protinus occideret, monuerunt, sibi tunc auxilio futuros, & tam filiam, quam omnes diuitias repræsentaturos. Fecit Serra, quod audiuit atque domum, sed iam à malo genio infestus, reuertens, matri furto impositio rixatus est, mox ad impluuium prorumpens, necem sibi adferre properauit. Vidit hoc facinus mater, & vicinos aduocauit; occurrentes illi hominem ad columnam vix alligarunt: Illa candelam apud Monserratum sacratam, & SS. Virginis imagine ornatam attulit, & accendere voluit. Vociferatus est miser, semel ac iterum. Ne accenderet. accendit tamen. Ibi circumstantibus multis, Decanus Ecclesiæ Ioannes Rosa monuit obsessum, vt Credo in Deum diceret; respondit? Non possum. vt oscularetur imaginem virgineam: Non possum, dixit. Conatus, vt eam ori illius ad osculandum admoueret, quamquam duodecim homines iuuarent, non potuit. Sebaceam candelam afferri Rosa iussit; quam sine vlla tergiuersatione, miser ille osculo excepit, gaudens & gestiens. Oratione tandem à circumstantibus pro illo effusa, cum mater candelam benedictam ei à tergo admouisset, primùm, Viuus ardeo, viuus comburor, viuus flammis conficior, exclamauit; sed paulò post semimortuus emansit; atque non multum inde ad se reuertens, sospes & incolumis, ope Diuæ Virginis Mariæ euasit.

In Galliis, febris purpurea, quam alij Risipillam, alij ignem sacrum vocant, hoc anno plurimos extinguebat, vel affligebat. Parisiensem, Senonensem, Baiocensem, Centronensem, Attrebatensem, Vrbes & agros plurimum exhauserat. Senonenses

nenses inter hæc de patrocinio & potentia Sacrosanctæ Virginis admoniti, ad eius Medicam manum confugere. Vix vota fecerunt, intra quindecim dierum spacium, supra centum homines & fœminæ sanitatem recuperarunt, morbusque sacer depulsus fuit. Antequam lues cessasset, pridie eius diei, sanctissima virgo visendam se in suo templo Senonesi quamplurimis exhibuit, bysso & hyacintho vestita, & multitudine Angelorum ac Sanctarum virginum circumdata, ferens secum optatam salutem, quæ non tantum Senonensibus, verum etiam multis circumuicinis affulgeret, profligato vniuerso contagio.

LV. Accidit inter hæc puerum quendam vndecim annos natum, eodemque morbo contaminatum in templo sanari. Huic mater pecorum quæ reliquerat solicita, ne tantum quidem tempore concedere sustinuit, quantum ille posset gratias liberatrici ad libitum reddere; vrgebat enim vt domum properaret, & pecus in pascua reduceret, pascendoque gregi attenderet. Rediit puer domum, nimis mœstus; dumque in pascuis est, mœrore perfusus plorare & eiulare cæpit; Ecquid non liceret aliquanto plus in templo demorari, ex vultu Sanctissimæ Virginis voluptatem decerpere, & gratias persoluendis diutius vt par fuerat incumbere. O me felicem, si morbus ille sacer me iterum corripiat, & vel totum corpus afficiat: vt ego posse im in templum redire, & pro voto quo ardeo, suauissimo aspectu meæ Curatricis recreari. Dixit; morbus acer rediit; ille occasionem ad templum reuertendi nactus, secundo accessit; ad præsentiam Diuæ imaginis sanitatem recuperauit, ac tamdiu ibidem permansit, quamdiu desiderio suo satisfactum esse putauerit: admirantibus vniuersis, qui spectaculo intererant. Narrabat puer, se in extasi raptum fuisse in cœlum: ibi vidisse Reginam cœlorum intercedere pro populis, ac postulata impetrare; tum conqueri, de Senonensibus imprimis, qui negligentius cultum suum & Basilicam curarent; deinde de Gallis, qui ad extirpandos hostes fidei hæreticos atque Turcas, minus prompti essent: si pergerent negligere, illi opus venerationis, isti defensionis & propugnationis; calamitas longe grauior illos maneret. Et ne quis à quopiam eiilusum, vel insinuatum esse existimaret, puer, quamuis nullas vmquam litteras didicisset, sed tantum pecori pascendo incubuisset, admirandos versus de mundi creatione, de humani generis per Christum redemptione, de desponsatione Dei matris, de gloriosa Deipara & S. Ioseph eius sponso, pangebat, canebatque; adeo numeris & pedibus exactos, vt ne à Poëtarum accuratissimo fingi exactiores potuerint. Placuit innocentium amatori, illum paulo post ad se rapere, ne malitia immutaret cor illius; quod antequam fieret, puer vno mense prius, obitus sui diem prædixit: post cuius mortem supra corpusculum candor quidam niueus, superans omnem albedinem apparuit: ex cadauere autem purissimo, suauissimus odor exhalauit.

LVI. Scriptores Galli affirmant, eandem Virginem Senonensem parturientibus opitulari consuesse; ex quibus vnam memorant, grauissimis doloribus exanimatam, ab inuocatione Deiparæ, tres prius calculos, oui magnitudine singulos eiecisse, ac doloribus solutam, filiolum viuum edidisse, aqua baptismali abluendum, antequam expiraret.

Baiocenses quoque Galli, prædicant suam Diuæ Virginis matris imaginem; tum sanandis ægrotis, tum vero liberandis captiuis, hoc tempore venerandam. Narrant, Normannum quemdam mercatorem ab infidelibus captum, & catenis vinctum, diutinam captiuitatem in maximis ærumnis toleraste. Tandem ab inuocatione eius Deiparæ, quam Baiocenses colunt, vincula ferrea à pedibus sponte, ac per miraculum decidisse, ipsum duce Virgine ex manibus infidelium euasisse, fugisseque; ac tandem ad suam Solutricem aduenisse; ferentem adhuc collotenus circulum vel collare ferreum, cui catena qua pedes compedibus alligabatur. Istud cum limam refugeret, & nec malleo frangi expediret, hominem liberum affligebat. Dum ibi in templo coram imagine, Virginum Reginæ preces ardentes effunderet, & reliquum captiuitatis amoliri postularet, in momento clauus è compaginib. exsiliit, collare sese à se aperuit, & in terram decidens hominem molestia liberauit. *Astulfus lib. II. & 12. Miraculorum B.M. Virginis.*

Eodem anno cum vrbs Vltraiectina graui obsidione premeretur, visa est Crux decussata in cœlo supra oppidum, luteo colore. Tutelaris ei loco Diuus Andreas Apostolus est; vnde persuasum multis fuit, eum Diuum, cuius crucis forma apparuisset, præsens oppido auxilium, vt obsidione solueretur allaturum. *Autor libri de prodigiis, ex Lamberto Hortensio Montfortio lib. 3. de rebus Vltraiectinis.* LVII.

Huius annui, die 4. Augusti, qui erat Dominicus; accidit Basileæ quiddam vere Tragicum, ac propemodum cum Thyæstea cœna conferendum. Ciuis quidam honestus ac diues, Christophorus Bonigartnerus, vxorem suam Elisabetham prædiuitis negotiatoris filiam, nomine Henrici Dauidis suspectam habebat, quod furtiuam consuetudinem haberet cum famulo, nomine Angelo. Zelotypia tantum erat, nullis certis argumentis nixa: quæ tamen per occasionem incruduit. Quum famulus abesset, à Domino, iussus colligere à certis debitoribus pecuniam, vir ingressus est illius cubiculum, venans opinor argumentum, quo quod suspicabatur conuinceret. Reperit in famuli indusio ligulas aliquot sericas. Mox accersitam vxorem percontatur, agnosceretne eas ligulas? Vnde, inquit, has nactus est? Nam meæ sunt. Confessa est à se donatas. Tum maritus, vt verum extorqueret metu, pugionis mucronem intentauit in ventrem vxoris, promittens nihil futurum mali, si verum profiteretur; mortem præsentem minitans, nisi fateretur, quoque magis illam proliceret ad confessionem, ipse prior fassus est, se adulterium commisisse; idem de vxore suspicari, nec aliud tamen quam suspicari. Illa primum inficiari, tandem vrgente marito, confessa est & ipsa. Et confestim maritus dimisit. Illa territa confugit ad sororem in pagum nomine Prattelen. Actum est per affines & propinquos, de reditu in gratiam. Maritus se placabilem exhibuit. Rediit mulier paulo post, deducentibus eam aliquot cognatis & propinquis, quos maritus accepit hilari compotatiuncula. Discessum est cum gratulatione, & vt aiunt, ea nocte fuit viro & vxori lectus communis, ne quod offensionis vestigium residere videretur. Postridie, qui erat dies Dominicus, simili familiaritate vna pransi sunt. Rumor addidit, & cognatos aliquot eodem acceptos conuiuio, quo peracto egit illis gratias, rogans vt adesse vellent in cœna, se paulo lautius illos accepturum. Verum is rumor incerta fuit fide. Istud certum. Mox à prandio abiegauit famulam ad concionem: liberos ex priore coniuge susceptos ad emenda pira. Ita nactus solitudinem, obdit pessulum ianuæ: grauidam vxorem transfodit, mox filiolam vix quadrimam. His peractis scripsit epistolam ad Senatum, ac confestim in summam ædium partem conscendit, ac terinclamato nomine Iesu, se præcipitem dedit, adeo vt cerebro resperserit viam. Caligis vna ligularum alligarat epistolam de qua modo dixi, qua continebatur quid, quo consilio fecisset, ac facturus esset. Occidit adulteram confessam: illa pœnam commeruerat. Occidit filiam, ne quis illi in posterum maternum paternumque crimen exprobraret. Sibi ipsi carnifex, ne longo cruciatu periret. Damnatus iudicum sententiis. Nam in corpus sæuitum est, fractis ossibus, impositum fuit sublimi rotæ: deinde inclusum ligneo culeo, demissum est in Rhenum. Exemplum quamuis impium, non inutile fuerit, ad deterrendum ab adulterio, quod hoc tempore inter Lutheranos & Anabaptistas cœperat esse iocus. LVIII. *Basileæ mulier ob adulterium suspecta à marito cui filiola occiditur.*

Cochleus in Lutherо ex epistola Erasmi.

ANNO CHRISTI M. D. XXIX.

CLEMENTIS PAPÆ VII. ANNO 6. & 7.

CAROLI V. ROM. REGIS ANNO 10.

I. SEquitur annus M.D. XXIX. cuius initio aliquod ab omni parte pacis studium apparere cœpit, de qua apud summum Pontificem se agere velle Principes Christiani ostendebant. Nam cum Crucceium Cardinalem cum Cæsaris pro pace constituenda potestate Romam redire notum esset, Galliæ Rex qui id summo opere cupiebat, per litteras legatis suis potestatem dedit, & Angliæ Rex tandem ob causam legatos Romam misit. Quæ consilia Principum defatigationi adiuncta, fœderatos ad bellicas res comparandas remissiores efficiebant; maxime cum viderent rerum Cæsaris felicem vbique progressum, metuerentque ne Aurengius in Hetruriam Pontifice poltulante cum exercitu Cæsariano transiret. Pontifex breui quidem sed periculoso morbo liberatus, tractare omnibusque spem facere non desinebat. Gallis enim se, si Rauenna & Ceruia sibi restitueretur fœderi adhæsurum; ac honestis legibus cum Florentinis & Ferrariensium Duce compositurum pollicebatur. Verum enimuero, quum mandatis à Crucceio Cardinale allatis, Ostiæ & Ciuitatis veteris arces (magna tamen largitione) recuperasset, occultiora certioraq; cum Cæsare consiliaagitabat: vterque autem magis propria, quæ solidiora fundamenta habere inceperant, quam communia multis difficultatibus, & diffidentiis inuoluta, negotia simul pertractabant. Vnde cum Hispanis, naues ad Padum traiiciendum Placentia suppeditatas, eamque vrbem illis in casu necessitatis aperiendam fore, confœderati animaduerterent, multis aliis indiciis emergentibus, præsertim cum arces restitui viderent, in suspicionem maiorem venerunt, Pontificem cum Cæsare fœdus aut percussisse, aut percussurum esse. Pontifex enim, quum cogitationes suas omnes, quamuis occultè, ad suos Medicæos Florentiam reducendos, eorumq; imperium recuperandum direxisset, etsi Gallos Oratores varia spe detineret, ac varias cum eis fœderis ineundi rationes tractaret, tum aliis sociis simul proponeret; nihilominus tum Cæsaris surgentem potentiam, tum fortunam magnopere metuēs, tum etiam cum facilius quam Francum ad suos Florentiam reducendos constabiliendosque inducere posse sperans, in Cæsaris quam in Galliæ Regis partes magis propendebat: atque vt sibi ad eundem finem faciliorem aditum pararet, Perusiam summo opere sibi obsequentem reddere cupiebat. Idcirco Braccium Ballionem, qui quotidie res nouas in illis locis moliebatur, fouere credebatur. Quamobrem Malatesta ne dum in eius stipendiis esset ipsius opera opprimeretur veritus, sibi aliud patrocinium necessario quærendum censuit. Ideoque siue hac de causa, siue ampliorib conditionis desiderio, siue inueterato odio motus, iterum ad eius stipendia conduci recusabat, se, quod nullum ea de re scriptum monumentum extaret, minime obstrictum esse, etsi Pontifex eum teneri affirmaret. Itaque de Galliæ Regis ac Florentinorum stipendiis agebat; atque à Cortonensi Cardinale consilia contra se agitata fuisse, litterasque Medicei Cardinalis ad Braccium Ballionem à se interceptas querebatur. Pontifex autem qui id obliquè impedire volebat, publico edicto, ne quis imperio suo obnoxius, sine sua venia stipendium ab aliis Principibus caperet, publicationis bonorum omnium pœna proposita, vetuit. Nec tamen ideo Malatesta sententiam mutauit: cui Galli ducentos equites, duorum millium numûm aureorum stipendium, S. Michaelis Ordinis equestris dignitatem, & tempore belli duo peditum millia promiserunt: & Florentini eum Tribunum militum appellarunt, eique duo aureorum numûm millia, belli vero tempore mille pedites, filio autem ipsius quinquaginta equites, & totidem Horatij filio, & insuper quingentos aureos annui victus gratia ambobus decreuerunt: status ipsius ac Perusiæ patrocinium susceperunt: & Galliæ Rex atque ipsi simul, ei pacis tempore singulis mensibus centum aureorum numûm stipendium, ad decem belli duces alendos constituerunt: Florentini præterea ei ducentos pedites ad Perusiæ custodiam stipendium dabant: ipse vero se cum opus foret, etiamsi à Gallis promissa auxilia non haberet, cum mille peditibus eis solis operam nauaturum recepit. Pontifex ea de re apud Galliæ Regem, quasi id aperte vt sibi de ciuitate Pontificatui subiecta, quod vellet statuendi facultas adimeretur factum esset, grauiter expostulauit; cuius animum quum Rex irritare nollet, eius pactionis confirmationem protrahebat: & Pontifex ideo Malatestam ab ea sententia remoueri posse sperans, cum in suo stipendio etiam non obstrictus perseueraret hortabatur; eodemque tempore clam Braccium Ballionem, Sarram Columnam, & Perusinos exules fouebat, qui copias colligentes, Nursiæ confœderant. Sed hæc omnia irrita erant; quia Malatesta in Pontificis stipendiis perseuerare minime statuerat; & Florentinis ipsum aperte iuuantibus hos motus parui faciebant; qui, cum Pontifex haud satis esse ad id quod cupiebat animaduerteret, cito desierunt. Pontifex, ne Ferrariensium quidem Ducem pacatum esse patiebatur. Tam enim ab iis quæ Cardinalium Collegij nomine cum eo stipulata fuerant erat alienus, vt cum Mutina iterum ob Gonzagæ Cardinalis mortem Episcopo vacaret, eum Episcopatum qui in ea pactione Ducis filio promissus fuerat, Hieronymi Moroni filio contulit; vt si ei possessionem denegaret, tanta autoritate apud Cæsarianos virum, in eum conciteret: ac per Vbertum Gambaram Bononiæ Præfectum Regij occupandi consilia cum Hieronymo Pio agitauit: de quo Dux huius conspirationis indiciis ad se perlatis, supplicium sumpsit. Nitebatur etiam Rauennam insidiis recuperare; qui conatus quoque irritus fuit. Quo tempore indies magis animo in Cæsaris partes inclinante, cum iam ea de re pressius actum esset, Vasionensem Episcopum, domus suæ Magistrum ad eum misit: & ne Cæsarem amplius offenderet, imo offensionem forte illatam aboleret, Angliæ Regis diuortij causam in Romanam Curiam euocauit, eaque de causa Franciscum Campanam in Angliam ad Campegium Cardinalem misit; vtque pax cum Cæsare concluderetur vrgere non intermisit; maxime cum iam Galli ex Insubria & regno Neapolitano in Galliam rediissent, atque armis per totam fere Italiam ob aduersam Gallorum fortunam politis, maiorum etiam aliorum Principum mentes ad pacem essent conuersæ. Omnium ergo prima inter Pontificem & Cæsarem, Barchinonæ, Pontifici commodissima fuit: siue quod Cæsar in Italiam veniendi cupidissimus, sibi ea in re Pontificis amicitiam necessariam ratus, impedimenta remouere cuperet; siue quod valde amplis conditionibus iniurias quas à ministris suis exercituque Pontifex acceperat, oblitterandi maiorem ei causam præbere vellet. Leges autem hæ fuerunt.

II. *Pax Pontificem inter & Cæsarem constituta.*

Inter Pontificem & Cæsarem pax perpetua fœdusque esto. Pontifex Cæsariano exercitui, si ex regno Neapolitano discedere voluerit, per imperij sui fines itineris faciundi facultatem concedito. Cæsar tum noui connubij, tum Italiæ tranquillitatis causa, Laurentij Medicis filium Florentiam cum eadem autoritate quam maiores ipsius antequam pellerentur, obtinebāt; sumptuum tamen qui ea in re fient, quemadmodum à Pontifice & ipso pronunciatum fuerit habita ratione, reducito. Quamprimum fieri poterit, vel armis, vel quauis alia ratione vt Pontifici Rauenna, Cernia, Mutina, Regium, Ruberia, absque Romani Imperij & sacrosanctæ Sedis iurium fraude restituantur, operam dato. Pontifex vero his recuperatis, accepti beneficij gratia, Cæsarem, Regni Neapolitani Regem appellato; censum pecuniarium, vna cum adiunctis, ad niueum etiam equum iuris in id regnum Pontificij argumentum reuocato: Cæsari viginti quatuor Sacerdotiorum in regno præcipuorum, de quibus controuersia erat, nominationem concedito: in reliqua Sacerdotia ius suum Pontifex habeto. Pontifex & Cæsar, cum is in Italiam venerit, simul ad colloquium, vt de Italiæ tranquillitate, & communi inter Christianos pace agatur, conueniunto; seque inuicem debitis consuetisque ceremoniis & honoribus accipiunto. Cæsar, si Pontifex eius opem Ferrariæ occupādæ

gratia

gratia implorauerit, vt sacrosanctæ Sedis patronus, propugnator, & primogenitus filius, cum ad finem vsque pro iis quæ tunc aderunt facultatibus iuuato: de sumptibus vero, & rei gerendæ ratione, ac forma, ex temporum & euentorum occasione simul constituunto. Pontifex & Cæsar communi consilio, vt Francisci Sfortiæ causa ex æquo & bono, ac per minime suspectos iudices cognoscatur, aliquam rationem ineunto: eique, si culpa carere inuentus fuerit, imperium restituito: Sin secus, Cæsar, quamuis de Insubriæ imperio statuendi ius penes ipsum sit, de eo cū Pontificis consilio & consensu statuito; idque alicui qui Pontifici acceptus sit, tradito: aut, vt magis Italiæ tranquillitati conducere videbitur, aliud de eo statuito. Cæsar Ferdinandum Vngariæ Regem fratrem suum, vt Pontifice viuo, & duos annos post Mediolanense imperium è Ceruiæ salinis salem, vt in fœdere inter Cæsarem & Leonem postremo regni Neapolitani diplomate confirmato, pactione tamen ea de re cum Galliæ Rege facta minime comprobata, & absq; Romani Imperij & Vngariæ Regis fraude capiat, assensurum promittito. Neutri ipsorum noua in huiusce fœderis fraudem, quæ ad Italiæ res spectent fœdera pangere, aut iam pacta, quæ huic repugnent seruare fas esto: Venetis tamen, si iis quæ in regno Neapolitano occuparunt cesserint, quæ Cæsari & Ferdinādo postremi fœderis inter ipsos contracti vi præstiterint, & Rauennam Ceruiamq; restituerint, detrimentorum quoq; harum rerum causa acceptorum, vectigaliumq;, iure conseruato, fese adiungendi facultas esto. Cæsar & Ferdinandus, vt hæretici in viam reducantur, omnem operam danto; & Pontifex sacra remedia adhibeto: Quod si pertinaces extiterint, Cæsar & Ferdinandus eos armis cogunto: & Pontifex vt cæteri Christiani Principes ipsos pro viribus iuuent, operam dato. Pontifex & Cæsar alter alterius imperio subiectorum, beneficiariorumue, nisi directi imperij in aliquem iure, nihil vltro progressi, patrocinium ne suscipito; & patrocinia antehac suscepta intra mensem irrita sunto.

III. Hanc autem amicitiam coniunctionemque vt firmior esset, arcto affinitatis vinculo sanxerunt. Cæsar enim Margaritam suam extra matrimonium filiam, cum viginti millibus aureorum numûm annuis, dotis nomine, Alexandro Medici Laurentij quondam Vrbini Ducis filio; in quem Pontifex, quia quum in periculo mortis esset Hippolytum Iuliani filium in Cardinalium collegium cooptarat, familiæ suæ potentiam omnem conferre in animo habebat, connubio iuncturum spopondit. Separatim vero, & alia eodem tempore transacta sunt; videlicet, vt Pontifex Cæsari & fratri, ad Turcas propulsandos sacrorum beneficiorum quartam fructuum portionem, ea ratione qua Adrianus Sextus fecerat, concederet; omnibus iis qui Romæ aut aliis in locis in Sacrosanctam sedem deliquissent, quique eos viribus, consilio & fauore iuuissent, participesue fuissent; aut ea quæ facta sunt rata habuissent, tacitè vel apertè comprobassent, veniam largiretur. Quum Cæsar sacri belli diploma sibi à Pontifice minus amplum quam alia ante id tempus concessa, nondum promulgasset, Pontifex eo oblitterato, aliud, cuiusmodi fuere quæ Iulius & Leo Pontifices concesserant, concederet. Hanc compositionem, omnibus difficultatibus remotis, antequam stipularentur, Sanpaulum Borbonium fusum fuisse Cæsari est nunciatum. Et quamuis suspicio esset ipsum vt conditiones suas meliores redderet, de iis quæ tractata fuerant, aliquid immutaturum, tamen omnia alacriter confirmauit; eodemque die qui fuit XXIX. Iunij, ad Maximi Barcinonensis templi augustiorem aram, solenni iureiurando sanciuit.

Nec vero minore ardore, pacis inter Cæsarem & Galliæ Regem negotium procedebat. Ad hoc tractandum vbi mandata sunt allata, destinatum fuit Cameracum, locus ad maximas res decernendas fatalis: quo Margarita Cæsaris amita, & Galliæ Regis mater conuenirent. Interea vero Galliæ Rex Italiæ sociorum legatis, omni diligentia & arte, etiam ea quæ non seruare in animo habebat promittens, quoniam Angliæ Rex horum consiliorum particeps erat, se cum Cæsare absque ipsorum consensu & voluntate nihil acturum: & quia metuebat ne quid de sua voluntate suspicantes, priusquam ipse eum Cæsare pacisceretur, & sic ab omnium societate excluderetur, se pacem non sperare, quin potius toto animo bellicos apparatus meditari eis persuadere nitebatur: de quibus assidue agens, Tarbensem Episcopum in Italiam cum mandato, vt ad Venetos, Mediolanensem Ducem, Ferrariam, Florentiamque ad res ad bellum spectantes tractandas iret, miserat; ac si Cæsar in Italiam veniret, Galliæ Regem quoque eodem tempore cum potentissimo exercitu, si reliqui socij pro sua virili ad necessarios sumptus conspirarent venturum polliceretur. Et nihilominus pacis negotium semper maiore studio agitabatur: cuius causa septimo die Iulij, Reginæ magna pompa per diuersas portas Cameracum sunt ingressæ, & in duas contiguas domos inter se mutuo aditu patentes diuerterunt, eodemque die simul sunt colloquutæ, & per Procuratores illarum, pacis capita tractari cœpta. Francus vero Rex cui Veneti hac re territi, multa pollicebantur, vt ex propinquiore loco difficultates quæ inciderent dissoluere posset, Compendium se contulerat. cum autem in locum non modo hæ duæ Reginæ, verum etiam pro Angliæ Rege Londinensis Episcopus, & Suffolciæ Dux, quia eius Regis consensu & consilio hæc tractabantur, conuenerunt: & Pontifex Nicolaum Schombergium Capuanum Archiepiscopum eò misit; aderantq; omnium sociorum legati. His autem Galli ab iis quæ tractabantur prorsus diuersa referebant. Tanta enim in Rege, proprij commodi cogitatio tota in filiorum recuperatione defixa, inerat, vt quum Florentini, vt soceri sui Ludouici, anno 1512. cum ipsis factum, & exemplum secutus, ipsos salutis suæ gratia cum Cæsare pacisci pateretur vehementer ab eo flagitassent, pollicitus sit, se numquam pacem sine ipsis initurum, & ad bellum paratissimum esse, quemadmodum etiam in maximo pacificationis ardore cæteris omnibus semper promittebat. Die 23. Iulij de pace inter Pontificem & Cæsarem contracta nuncij sunt allati; cumq; negotium maxime ferueret, ob controuersiam quorundam eius Burgundiæ partis, quæ Franciæ Comitatus dicitur, oppidorum causa ortam, ita turbata sunt omnia, vt Galliæ Regis mater discessum adornaret. Sed Pontificij Legati, ac potissimum Capuani Archiepiscopi opera; etsi rebus iam constitutis Rex eadem quæ antea sociis promitteret, pax confecta est; ac tandem quinta die Augusti in Cameraci maximo templo est promulgata.

IV. *Pax Cæsaremi inter & Gallum factum.*

Primum caput eius pacis fuit, vt Regij filij dimitterentur, eamque ob causam Rex Cæsari duodecies centena millia aureorum, & Angliæ Regi Cæsaris nomine ducenta millia persolueret. Intra dies quinquaginta duos à pacis sanctione omnia quæ in Insubria possidebat Cæsari restitueret: Astam ei relinqueret, eiusque iuribus cederet. Quamprimum posset, Barletā & omnia quæ in regno Neapolitano obtinebat, redderet. Venetos, vt ex Cuneacensis compositionis formula Apuliæ loca restituerent, idem Rex obtestaretur. Ni facerent, sese illorum hostem profiteretur; ac Cæsarem ad ea recuperanda trecentis in singulos menses auri libris, duodecim triremibus, quatuor onerariis, & quatuor nothis, quos Galeones vocant, in sex menses propriis sumptibus iuuaret. Ex triremibus ad Delphinij portum captis, ea quæ in potestate sua essent restitueret; aut illarum precium, iis quæ post id tempus Auria, vel alj Cæsaris ministri cepissent detractis, persolueret. Atque, vt Madrilij actum fuerat, supremo Flandriæ atque Artesiæ imperio, & Tornaci atque Atrebatum iuribus cederet. Borbonij proscriptionem aboleret, ipsique defuncto honorem, & successoribus bona restitueret: quamquam Cæsar postea Regem simul ac filios recepit, ea illis iterū ademisse questus est. Bona belli causa occupata, dominis vel illorum successoribus restituerentur: in quo etiam quia Rex Aurengio Principi bona sua nō restituit, Cæsari expostulandi causam dedit. Omnes pronocatorij famosiue libelli, etiam Roberti Martiani libellus, in sempiternum sublati intelligerentur. In hac pace primum locum obtinuit Pontifex; & Sabaudiæ Dux, vt Romani imperij beneficiarius, ac præsertim vt à Cæsare nominatus adiunctus fuit. Additumque est, ne Rex se in Italiæ Germaniæue rebus pro vllo principe in Cæsaris fraudem immisceret. Etsi postea Rex sibi huiusce pacis vi, quo minus ea quæ Sabaudus ex Galliæ regno occuparet, & quæ ob matris sui iura ad se spectabant recuperaret, non interdici assereret. Illud quoque

fuit

fuit expressum, vt Veneti & Florentini, si intra quatuor menses controuersias suas cum Cæsare composuissent fœderati intelligerentur: quod perinde fuit, ac si tacite excluderentur. Eadem fuit Ferrariensis in hoc fœdere ratio; neque regni Neapolitani Procerum & exulum silentio vlla facta est.

V. Rex pace constituta, statim vt Margaritam Reginam salutaret Cameracum venit. Cumque nonnihil eum ob tam turpe pacis clandestinæ facinus puderet, per aliquot dies variis subterfugiis fœderatorum legatorum conspectum colloquiumque vitauit: apud quos postea tandem singulos seorsim audiens, se quod filios alia ratione recuperare non potuisset, excusauit: sed Admirallium ipsorum causa ad Cæsarem missurum, aliasque leues spes dedit: ac Florentinis se eis quadraginta aureorum numûm millia, vt sese imminentibus periculis liberarent, mutuò daturum promisit: quæ eumdem quem reliqua exitum habuerunt, & Stephano Columnæ, cuius opera non amplius vti volebat, quasi id in illorum gratiam faceret, vt ipsis militaret, concessit.

VI. *Cæsar copias in Florentinas copias duci iubet.* Cæsar statim pace cum Pontifice inita, Philiberto Aurengio, vt ex Pontificis voluntate copias in Florentinos duceret, mandauit. Aurengius igitur Aquilam profectus, copias suas in regni finibus colligebat; quem Pontifex vt progrederetur, vehementer vrgebat. Itaque ille vltima Iulij fine copiis Romam, vt cum Pontifice de rebus ad bellum necessariis constitueret, venit. vbi post varia consilia, quæ varie agitata, ob difficultas quas Pontifex in sumptibus interponebat, ter fere sunt perturbata; tandem Pontifex ei triginta aureorum numûm millia in præsentia, & post breue tempus quadraginta millia persolueret; ipse vero Cæsaris sumptibus, primo Perusiam Malatesta Ballione pulso, Pontificio imperio subiiceret: deinde Florentinos, Mediceæ familiæ in eam ciuitatem restituendæ causa, quod Pontifex illos ab omnibus desertos, maiorum suorum more potius cessuros; quam patriam summo apertissimoque periculo obiecturos ratus, facillimum fore censebat, oppugnaret. Duxit ipse tria Germanorum, Italorum vero quatuor peditum millia, quem subsecuturus erat Vastius cum cohortibus Hispanorum. *Guicciardinus lib.* 19.

VII. Paulus Iouius, causas & progressus horum motuum luculenter explicabat. Dictatore Nicolao Caponio, *scribit*, Rempublicam administrante, Florentini recenti suo incommodo & tot aduersis Gallorum casibus perculsi, in eam curam incumbebant, vt Clementis consilia diligenter explorarent, opportunaque aduersus imminentis prope belli vim præsidia compararent. Non inanibus siquidem coniecturis adducti, suspicabantur Clementem ad amicitiam Cæsaris esse rediturum, vt inuictis eius copiis contra ipsos vteretur. Prouidebant enim eum, postquam in libertatem esset restitutus, minime conquieturum, donec vetere patriæ dominatu potiretur: offensum scilicet Lotrechiano fœdere; in quo diserte perscriptum fuisset, pudenda sibi & damnosissima conditione, vt popularis Florentinæ ciuitatis status in clientela Galliæ Regis foret, defenderetur que eius peculiari officio munereque, postquam suas copias ad Lotrechium communes hostes oppugnantem misissent. Propterea Caponius non ignarus quam grauiter offensus esset Cæsar, qui nullam sibi à Florentinis iniuriam inferri debere existimans, eo Etruscæ legionis auxilio suos duces oppugnatos atque obsessos fuisse didicisset, Pontificem non iniqua quadam à ciuitate postulantem, molliendum potius æquissimis responsis, quam acerba negatione exagitandum putabat, ne Cæsari fœdere iungeretur. Erant enim grauia & molestissima eius animo, quæ ad suggillandam maiestatem, minuendamque nominis existimationem perscripta fuerant, his fœderibus, quibus se obsesso captoque in arce, Alfonsius Ferrariensis Princeps Cæsari opportune detractus videretur, & Veneti noua conditione in fœdus Gallicum essent recepti, quorum ille Mutinam Pontificio imperio diu possessam, per occasionem pessime mulctati Pontificis recepisset: ii vero Rauennã & Ceruiam occupassent. Quæ omnia quamquam ex authoritate Innocentii Legati, atque assensu aliquot Cardinalium transacta essent, Pontifex nisi plane insanus, & suæ dignitati ineptus hostis foret, rata habere non poterat: vtpote qui de recuperanda potius ditione, quam de vindicanda iniuria sibi cogitandum esse censeret. Iam enim per Antonium Musetulam Senatorem Neapolitanum quem Viterbium accersiuerat, Legati Cæsaris vices implentem, & qua erat mirifica solertis ingenii industria præditus, Cæsarem Pontifici reconciliare maturantem, de concordia agere cœperat, adeo feliciter, vt propensissimis vtrimque auribus ea res tentaretur, nec multo post dies bene auspicato solennibus tabulis conficeretur. Quod vt crederent Florentini in vniuersum adduci non poterant, vt qui Pontificem inexpiabilis eius recentis iniuriæ, si generosi spiritus foret, obliuisci non posse prædicarent; quorum opinionem ob id falsam esse euentus docuit, quoniam in Pontifice tanta erat ereptæ ab ingratis ciuibus patriæ repetendæ cupiditas, vt omnem recentissimæ calamitatis acceptæ memoriam, ipso nouæ spei pondere superaret. Eodem rerum consiliorumque successu missus est cum præscriptis mandatis Hieronymus Vasionensis Antistes Pontificiæ familiæ præfectus, qui apud Barchinonem Cæsarem conueniens, his ferme legibus cum eo fœdus percussit. Pontifex Christianæ pietatis titulum præferens, miseratusque quassatæ diro bello Italiæ vastitatem, synceram deterso superiorum odiis voluntatem atque amicitiam Cæsari offerebat, polliceburque se de more capiti eius Imperatorij diadematis coronam impositurum, si Cæsarianis viribus in patriam reduceretur, vnde sua cum iniuria propinquis ipsius expulsis, amplissima ciuitas Florentia fœda atque acerbissima popularium imperitorumque hominum tyrannide premeretur; Optimatibus scilicet contumelioso atque arroganter electis, antiquisque ritibus diuinarum humanarumque rerum vsq; adeo impiè atque insolenter perturbatis, vt insolentissima dudum vrbe, publica salus, desperata concordia, conclamata videretur. Adiectum est, vt postquam Florentini aduersum Cæsarem, confisi incertæ Gallorum victoriæ arma tulissent, maiestatis læsæ rei facti, libertate & antiquis superiorum Cæsarum concessis immunitatibus fœuere priuarentur, obiterque Ciuitati Principem Alexandrum adolescentem imponeret, cui ipse Cæsar ad confirmanda fœdera, augendamque Alexandri dignitatem, Margaritam filiam se cœlibe susceptam in matrimonium desponderet. Dum hæc per idoneos homines tractantur, tumultus inusitatæ perturbationis atque periculi apud Florentinos in Curia exortus est, vnius male sani atque efferati ciuis insolentia. Hic erat Iacobus Gerardus cõtumaci fronte popularis, qui non in Mediceos modo, sed in patricios omnes liuore atque odio percitus ferebatur, ob id tum seipso turbidior factus atque arrogantior, quod per id tempus fœderet inter octo vicos decuriones supremæ potestatis, qui Dictatori consultandi gratia perpetuò in Curia assistebant. Is litteras à quodam Ioachimo Serralio Iacobi Saluiati apud Pontificem toti summæ consiliorum Præpositi cliente, ad Caponium perscriptas, delapsasque eius sinu, maligne collegerat, nactusque materiam calumniandi, obiurgandique Dictatoris, eò rem turbulenta vociferatione deduxit, vt Dictator perfidiæ reus fieret, accusatusq; concursu in Curiam turbulentæ iuuentutis insultantis, & propemodum vim inferentis, vitæ discrimen subiret; quum nonnulli è fenestra illico præcipitem dandum dicerent, qui aliena à salute libertate que patriæ, cum Pontifice infensissimo hoste consilia agitaret; nefandumque profecto facinus in necem optimi & probatissimi ciuis editum fuisset, qui optima fide Magistratum gereret; nisi Laurentius Sennius qui erat octouir è decurionum numero, iuuenis æquitate & constantia animi præstantissimus, superbiam & atrocitatem imperitorum, petulantiumque ciuium detestatus, corpus suum furentibus opposuisset, abductumque in suam cellam Dictatorem extremo pallentem metu conseruasset. Earum litterarum exemplum Gerardus paulò ante miserat ad quosdam sectæ suæ ciues, qui in priuatam domum foro proximam conuenerant, & de tollendo Dictatore summæ atrocitatis consilium, accersita seditiosorum manu inierant, Curiæque superioris scalas atque ostia occuparant; concitantibus præsertim Thoma Soderino & Alfonso Strozza, qui nequaquam ex simultate Caponio infensi, sed ex damnatione eius honorem petituri videbantur; quod populatis studij prærogatiua summæ nobilitatis atque existimationis homines ad Dictaturam aspirarent. Postero die coactiin consilium octoginta viri, atque ij simul

simul qui ex reliquis Magistratibus atque Collegiis publica consuetudine adiungi solerent; abrogatus est Caponio Magistratus, atque is honor biduo post delatus ad Franciscum Carduccium, quem nemo candidatum fore putauisset: ita vt Soderinus & Strozza sua spe deiecti, ex conscientia animi pudoreque repulsæ, peruersa miseræ ciuitatis Comitia damnarent, & plerique irriderent; quod homo in Hispania dudum decoctor, & paucis in Republica notus, tenuioris fortunæ, nec præclari quamquam vetusti generis, ab incondito populi studio clarissimos ciues anteisset. Valebat Carduccius solertis ingenij firmitate, & perurbana eloquentia; sed qui obliquo oculo, & pallida facie, nequaquã decentem, aut parem tanto honori habitum præferret. Sequenti die Caponius nihil ægre ferens quod Magistratu excidisset, sed de salute sollicitus, quamquam vt sese animo confirmaret, & timere desineret, amicissimi, & magna pars Senatus cohortarentur, in pallio atro, & ciuili capitis integumento, ad dicendam causam paratus venit in senatum, sereniore vtiq; vultu pacatioreq; animo quam pridie, quum tum coccineam familiarem togam, pro se pauca, Petrique filij salute præfatus causam suam demissime magistratibus commendasset; vsque adeo suppliciter, vt innocentiam suam in dubium reuocasse amicorum propensissimi iudicarent. Erat enim Caponius natura lenis, numquam vlla in re iratus aut feruidus; vtpote, qui patientia & moderatione, cuncta aspera ferri, & superari debere prædicaret. Protulit Gerardus immitis accusator exemplum earum litterarum quas solo sustulerat, lectitatumque in Senatu est. Cuius sententia talis fuit, vti nos ex Etrusco sermone vertimus.

VIII. Ioachimus Serralius Capponio Dictatori salutem. Quoniam non semper tuta mihi offertur occasio scribendi, præsertim nactus nuncium nolui differre, quin te facerem de instituto negotio certiorem, de quo scis probe ex arcano me agere cum graui illo quem nosti homine, maximeque familiari Pontificis. Is mihi retulit Clementem satis prospere & firmiter conualescentem, eo esse animi decreto, vt se honesta conditione cum ciuitate conciliet, & belli consilia prorsus abiiciat; Neque ægerrimè sit laturus, quod populus perpetuo Rempublicam administret, & parta libertatis iura tueatur, modo per æquas conditiones, ciuili more, propinquorum suorum ratio apud Magistratus habeatur. Sed quoniam plura scribere non licet, à te vehementer petimus, vt ad dictum locum extra vrbem colloquendi causa Petrum filium ad me mittas. Ab eo enim cuncta fideliter exprimente præclare cognosces, quæ in negotio conficiendo opus sint. Vale.

IX. Hæc quæ ex litteris recitabantur, apud suspicios os homines ita animos commouebant, vt plerique maligno per subsellia murmure oborto, cuncta peruerse interpretarentur; & magna tamen Senatus pars communicatis sermonibus cum proximo assidentium ordine submisè deliberando, eius rei culpam à toto læsæ maiestatis crimine suspicioneque remouendam censerent. Inter eos qui mirifice Caponio fauerunt extitit Petrus Victorius eius contribulis, qui tum erat sexdecim vir collegiorum Ordinis ciuis honestissimus, & de optimis litterarum studiis egregiè meritus. Tum vero Caponius à Dictatore causam dicere iussus, in hanc sententiam constanti vultu loquutus est.

X. Sequutus morem meorum maiorum & disciplinam, amplissime Dictator, prudentissimique causæ meæ iudices, nihil vmquam charius libera patria: nihil vmquam præclara rectæ conscientiæ laude honestius duxi. Quandoquidem Rempublicam vti probe nouistis, pluris semper feceram quam priuata commoda. Pudebat enim ea expectare ferreque præmia, quæ turpi obsequio vel adulatione facile pararentur; ab his qui ex vsu dominatus pro libidine cuncta dare, atque eripere poterant. Hoc instituto animi ingressus Curiam ad obeunda munia ciuitatis, per quinquaginta annos ita faui semper prospexique exoptatæ, nec vmquam desperatæ libertati, vt in vtraque Reipublicæ fortuna, modo fortem, modo incorruptum, nec vmquam demissum animum ferrem: quippe qui vitæ innocent a, & domesticæ frugalitatis laude contentus, quæ duæ virtutes (absit inuidia) domui nostræ semper peculiares fuere; opportunitates temporum expectandas, atque omnino mature captandas arbitrabar: quo excitari, ingentibusque ciuium animis constitui, sine perturbatione labeque ciuitatis, secura libertas posset. Affuere itaque superi, non irritis votis ciuium vsi piè conceptis, & libertatem intermortuam insperatò excitarunt, ciuitatisque nullo effuso sanguine, quod ipsorum miræ benignitatis fuit, largiti sunt. Hanc ego ante alios flagrantissimo studio complexus, vt diu apud nos vigeret atque floreret, omnibus consiliorum artibus adnitebar, prouidebamque ne infirmas eius radices vlla aduersa tempestas reuelleret; primumque omnium Clementem ipsum, nobis, his præsertim lenimentis & officiis quæ libertati nostræ nihil officerent, pacandum, aut omnino spe & mora distinendum existimabam; ne accumulatis iniuriis irritatus, alicunde nobis insidias atque arma moliretur; vti quis non imprudens, facile ominari potest. Probe siquidem agnoscimus quos spiritus gerat, quo angore animi torqueatur, quod patriæ dominatum, horribilis ruinæ casu oppressus, amiserit; qua demum machinatione bellici conatus eum recipere cupiat, & vlciscì odia in illos, qui dignitatem eius pudendis contumeliis obtriuerint. Hæc eius exagitatæ mentis consilia, vt à nobis auerterem, ægro blandimenta afferenda, iustasque iras mitigandas rebar; spe iniecta non iniquæ conditionis, si nos æquitate rerum potius quam importuna libidine voluntates nostras moderemur. Quamobrem per Iacobum Saluiatum, quem non plus de vita Pontificis propinqui sui, quam de salute libertate que patriæ, solicitum esse comperio scioque, operam dabam Serralio Internuncio, vt cum Pontifice de compositione ageretur. Verebar enim ne fœdere Gallico, quo illigati sumus, vehementer offensus, desperato meliore consilio, vel inuitus ad Cæsarem verteretur; quod nobis magnopere cauendum timendumq; hodie magis ac magis existimo. Perinde iam ab initio, ne propere cum Gallo fœdus percuteremus enixe contendebam, nisi eidem fœderi Pontifex iungeretur: scilicet, vt eo honesta vtrinque cautione conciliato, validiora certioraque præsidia, aduersus inuictas adhuc Cæsaris copias, pro communi salute pararentur. Sed in ancipiti deliberationis negotio, intempestiua vti pernoscere fas est, vicit plurimorum sententia; atq; ita elapsi salubris consilij rationem omnem intercidisse, quod dolet, agnoscimus. Quæ huiusmodi fuere, vt huius officij pro securitate publica susceptì, non contumeliam, quæ mihi graui cum periculo paratur, sed gratiam omnino expectandam à vobis putarim.

Quinque ille à nobis hac postulabat; vt patrimonij fructibus, vectigali æqua oneris lege persoluto potiri liceret: Sibi puella nepti redderetur; propinquis eius aditus secundum leges in Repub. petendis honoribus daretur; & quod ad tuendam Pontificij nominis authoritatem pertinet, Florentinis à decumandis Sacerdotiis abstineant, & Sacrosancta templorum donaria suo iniussu antara manu non attrectent: postremo etiam, vt deiectas insignibus gentilitiis pilas, pruatim saltem familiæ ædibus, aut tẽplis maiorũ suorum piâ liberalitate ædificatis, restituì patereмur. Hæc rerum capita æquissimi ciues, si diligenter considerem, nec improbe expendam, vel si cumulate & exacte cuncta concedantur, facile fatebor me non videre quid incommodi aut detrimenti Reipublicæ afferri possit; quum iampridem eiectis adolescentibus Mediceis, quod sponte nobis tantum hortantibus dominatu excessissent, ius ciuitatis ex decreto publico reliqueritis; nec ideo ex fide vestra sit, dignitate q; senatus id decretum sustulisse. Bono itaq; iure repeti, quod publica fide obligetur iudicare poteritis; nisi aliquot ciuilium prædiorum redditu augeri publicas opes, & farciri bellicos sumptus inepte existimet ea ciuitas, quæ per sexdecim annos inexhaustis opibus, perpetuum cum Pisanis bellum gesserit, & me teste, atque adiutore confecerit. Numquam enim pecunias huic vrbi alendo & sustinendo bello defecturas crediderim; si sit firmum apud ciues, quod recte optare facilius quam sperare possumus, communis concordia studium. Nec item satis prouideo, quid nobis officere possit puella nouennis, patruo Sacrorum Principi deposcenti benigne reddita. Nam præterquam quod eam & sexus, & ætas tutam ab omni contumelia reddant; cauere etiam oportet, ne hac in re, dum Pontifici nocere quam morem gerere malumus, Galliæ Regis fœderati maiestatem offendamus; si Regio ortam sanguine, & nihil tale merentem diutius in sacrarum virginum septis asseruandam

iudicemus. Tantum vero abeſt, vt complectendo ciues vniuerſos, atque his honores æqua lege partiendo Reipublicæ noceatur, vt hac ciuili benignitate eam firmiorem florentioremque euaſuram arbitrer. Amantes ſiquidem patriæ, & conſtitutæ libertatis ſtudioſos, veroq; bono tranquillæ pacis gaudentes, vna maxime concordia lætari decet, obliuiſciq; item omnis priuatæ iniuriæ, publicæque ſimultatis. Inſuperabilem namq; ciuitatem non arma, non pecuniæ, ſed vnius publici decoris conſenſus efficit. Porro quod quarto loco petitur, ita mihi, & bono cuique ciui æquum videri poteſt, vt nihil fœdius & inuidioſius accidere poſſe exiſtimem, quam ſi ſpreta, & violata ſummi Pontificis autoritate, tamquam diro ſacrilegij piaculo polluti, infami prorſus auaritiæ nomine, aqua & igni interdicamur. Poſtremo autem vt deiecta inſignia & tituli reponantur, ſumma ratione indulgendum putauerim, ne gloriæ noſtræ, communibuſque ornamentis ſtultiſſimè inuidere videamur. Nam etſi quicumque Medicei nominis principatu potiti ſunt, opinione quorundam fuerint tyranni: in ciuitate tamen ſi non vere libera, non intolerandis certe compedibus vincta quam plura, quod fateri licet, glorioſæ laudis monumenta condiderunt, quæ homines elegantiæ ſtudioſi plurimum admirantur, aduenæ, peregrinique ſuſpiciunt, & noſtri ciues æque iuſta atque difficili imitatione æmulentur. Quod vero ad deformatum Coſmi ſepulchrum pertinet, non eſt quod quicquam aliud ineptius & inanius factum fuiſſe iudicem: quandoquidem ea deraſi tituli iniuria, cuicumque non inſulſo ridenda ſit. Illius namque ingenioſiſſimi viri oſſa, ad perennem memoriam non anguſto quidem loculo, ſed luculentiſſima incomparabilis templi teſtudine continentur, quæ ſine inexpiabili & prope impia totius humani generis inuidia excindi delerique non poſſit: vt hic prætereamus litterarum ſempiternæ famæ præſidia, quibus Medicei fere omnes tam aſtuta quam liberali diſciplina impenſiſſime ſemper fauerint. Ea namque vel nobis inuitis perpetuo durabunt; niſi putemus totius Europæ gentes, ad quos hiſtoriæ manarint, ad iracundiæ noſtræ libidinem, cunctos annales quibus eorum nomina cum laude inſerta ſint, inuſitata conſpiratione crematuras. Vos itaque qui Romanæ virtutis exempla æmulari honeſtiſſimum ducitis, meminiſſe oportet, præclaram virtutem, vel ſummis adumbratam vitiis, tantam habere in ſe vim & admirationem, vt Pop.Rom. diri hoſtis Pœni Annibalis ſtatuam in foro cunctis perpetuo ſpectandam collocaſſe maxime decorum exiſtimarit.

XI. Hæc ſunt crimina quibus feciſſe aduerſum Remp. accuſor, vnde me nonnulli feruidiore tuendæ publicæ exiſtimationis ſtudio prouecti, improbo aut certe illoto ore patriæ proditorem appellare non erubuerint: vel ob id præſertim, quod huiuſmodi conſilia ex arbitrio meo ſubtilius & tectius concepta, Decemvirali Octoviraliq; collegio communicanda non exiſtimauerim: cuius obiecti nomen facile diluitur, quando hi ante alios Laurentius Segnius & Iacobus Morellius optimi ciues, ac nonnulli alij ex hoc ordine, me ſecum de hac re loquutum fuiſſe, & has ipſas litteras quæ mihi ſinu exciderint oſtendiſſe, præclari teſtes eſſe poſſint. Neque propterea quod non omnibus hæc communicāda iudicarim, parum ſyncero animo, parumque integra fide, conſilia quæ ad ſummam rerum pertineant, agitaſſe exiſtimari debeo. Verebar enim ne diſſeminata apud ſuſpicioſos & imperitos, vti ſæpe accidit, latius efferrentur, atque inde eo quem optabam ſperareque licebat, ſucceſſu carerent. Neq; enim vſque adeo anguſtæ & circumſcriptæ poteſtatis Dictatorem eſſe putabam, vt ei quæ cogitet, & coquat ſilentio tegere non liceat: quum eius ſit muneris & officij, vigilando & penſitando, id vnum reſpicere, quo plurimum Reipub. prodeſſe poſſit. Hoc animi inſtituto ſicuti ſupremi honoris ratio poſtulabat, Dictaturam veſtro inſigni beneficio mihi delatam prorogatamque priuato meo tantum, non publico periculo geſſi. Itaque ſi peccaui, dare pœnas vel indigna morte paratus ſum. Sed apud vos obſecro id moderandis ſententiis, ferendoque ſuffragio valeat, totius vitæ meæ curſus, in quo nuſquam improbe fefelli. Valeat patris mei memoria, qui pro patria pugnans, Piſano bello occubuit. Valeat, vt maxime opto priſtini iudicij veſtri teſtimonium, quo me nihil ambientem, minimeque præhenſantem, hoc ſummo honore digniſſimum iudicaſtis, quum recens recepta libertas, neque importuno, neque rerum imperito rectore egere cenſeretur. Nemo quippe repente fit malus; quod de me ſuſpicari homines, nolim, quum idem ſim, qui ſemper apud vos integer vitæ, omniſque expers ſceleris, ſexaginta ætatis annos exegerim. Nec ideo deprecor integerrimi veſtri iudicij ſeueritatem, quam obtrectatores mei, accuſatoreſque longo maximam atque acerbiſſimam requirunt, vt apud vos certa clementiæ laus pareatur. Exiſtimatote ſiquidem vos non de dignitate vitaque & fortunis meis in ſuffragium ituros, ſed facturos iudicium de publica ſalute, quam ita Superi incolumem ſeruent, ſicuti me à vobis benigniore decreto conſeruatum iri & ſpero, & opto.

XII. Caponio perorante, ſecedenteq; in interius cuſtodiæ cubiculum, eo modo liberis ſuffragiis iudicium eſt factum, vt magno aſſenſu cunctis fere ſententiis abſolueretur. Mouebat enim populum viri grauis maieſtas acrioribus calumniis circumuenta; magnoq; eius diu ſpectatæ virtutis & integritatis argumento Curia excedentem, omnes Optimatium Ordines domum deduxerunt, tanta frequentia, vt quum ad paternæ domus limen trans Arnum agendis gratiis ſubſtitiſſet, nouiſſimi agminis pars grauior & honoratior, præ turba, ad Curiæ limen adhuc hæreret, & multi ex his qui eum damnatum voluerant, aſtuta diſſimulatione comitantibus admiſcerentur, inſtarq; magni triumphi ea frequentiæ pompa intermixto lachrymis gaudio Caponij gentiles & propinqui, probiq; ciues maxime lætarentur. Tantum vero abfuit, vt quicquam priſtinæ exiſtimationis in ipſo ex tanta ſummi honoris iactura deperiret, vt ſuperata inimicorum acerbitate, noua quadam incorrupti conſtantiſq; animi gloria adaugeri, & refloreſcere cenſeretur. Verum eam ſplendidiſſimi comitatus frequentiam facile inde oriens inuidia corrupit, quum poſtridie ſummo mane duo ſummæ autoritatis legati Claudius Velleius Gallus, & Antonius Surianus Venetus eum domi humaniter inuiſiſſent. Quamobrem Caponius grauiorem apud populares inuidiam veritus, amicis admonentibus, in agrum ſuum clam ſeceſſit.

XIII. *Pontifex Florentinos odio magno proſequitur.*

His rebus cognitis Clemens vehementius aduerſus Florentinos exacerbatus eſt, quod in omnibus eorum actionib. atrox contra ſe odium emineret, nec ſe quicquam lenitate apud corruptas cunctorum fere Ordinum voluntates proficere poſſe perſpiceret: nec deeſſent, quod maxime impium & contumelioſum putabatur, qui eum ſine vlla honoris aut ſanctitatis præfatione nominare, Clementemque nudo nomine appellare, & tamquam ſpurium, neq; ideo ritè Pontificem creatum dicere conſueſſent; & in patricios, ipſoſq; præſertim Mediceorum neceſſarios, qui veteris illorum erga ſe beneficētiæ memoriam retinerent, nec aperte ſtudium ſuum pro Repub. nudare vellent, perpetuo graſſarentur. Auxit dolorem Pontifici, infame prorſus nequiſſimi facinoris factum, cum Carduccius Caponio ſubrogatus, amœniſſimas, quæ ornamento vrbi erant, Mediceorum & Iacobi Saluiati villas, intemperantis & turbidæ iuuentutis impetu incendiis abſumere iuſſerat, quamquam id non imperaſſe, ſed diſſimulanter delendas obieciſſe fateretur; ſcilicet vt ex tam horribili, fœdoq; maleficio numquam veniam impetrari poſſe diffiderent, quando id ſcelus promiſcuæ iuuentutis ad omnes fere ciuitatis familias pertineret. Edicto quoque inſolenti & inuſitato, & ſi religionem ſpectes, & teſtamenta piorum animorum æſtimentur, maxime nefario ac impio, Xenodochiorum, hoſpitaliumque domorum, & templorum prædia confiſcanda venundandaque propoſuerat; & non comparentibus emptoribus, ea locupletibus, ſub pœna maieſtatis coëmunda addixerat, quæ impotenter decreta cum certiſſima impietatis & infamiæ labe priuatorum fortunas ad exitium redigebant. Verum Carduccius lugentes ſua incommoda ſpecie pietatis admonebat, vt patriæ ſecuritatem priuatis diuitiis anteponere vellent, quando incolumi patria, optima fide pecunia reddi poſſet. Quod ſi contumacius ceſſarent, officioque patriæ deeſſent, fore vt improbi conſilij pœnas darent, paulo poſt extremam cladem aut ab hoſtibus barbaris, aut ab impiis tyrannis extra pœnitentiæ locum daturi eſſent. In eandem quoque ſententiam paulo ante Carduccius, quum eſſet Decemvir, mentionem primus intulerat, cum de cogenda pecunia ageret, vt donaria templis religioſiſſime dicata tollerentur; quod ea non tam ad ornamentum pacis, quam ad belli ſubſidia collata exiſtimari debere magnifice prædicaret: ocioſas ſcilicet opes, & nihil profuturas, ad ſalutem patriæ impendi transferrique debere: ſicut charitate patriæ ducti boni ciues, ſi ſalus publica quæreretur, poſt habendas iudicarent. Quum de his Carduccij imperiis nonnulli Ciues mœſto liberoque ſermone in

corona

corona differerent, quod minime prætermittendum videtur, Antonius Albertus vir honeſtiſſimus & perurbanus, non infacetè dixit; Non eſt optimi ciues quod quicquam à Dictatore commodius & mitius expectetis. Nam poſtquam decoctori Rempub. commiſimus, neceſſe futurum eſſe prouideo, vt nos omnes cum ipſa Repub. decoquamus. Sed tam quum hoſtes longe ab vrbe abeſſent, neq; adhuc appropinquantis belli incommoda ſentirentur, de ea re à Carduccio decretum fieri non potuit; quod nondum certa, aut propinqua adueniſſet neceſſitas, vt opus eſſet ciuitatem infamis ſacrilegij flagitio contaminare, cum multo maxima offenſione Pontificis, quod niſi ex eius autoritate ritè tolli poſſe viderentur: quandoquidem ea donaria extra prophani iuris vim, iam ſacra eſſent: ob idque præſertim quod Leonis fratris memoria, quia ea ornamenta ad cultum altarium pia liberalitate contuliſſet, grauiſſime læderetur. Ita tamen eius rapinæ ſpes malis ciuibus illata eſt, vt id ſcelus Carduccij ſucceſſori patrandum relinqueretur. Præbuit tamen anſam turpi conſilio exequendo, quum matronas nuptialibus ornamentis, ſingulaſque familias vetere argenti atque auri ſupellectile ſpoliandas cenſuiſſet; veterum Romanorum exemplo, quum extremis Punici belli caſibus matronæ dites generoſa propenſione omne aurum & argentum ex ſuo mundo, vt pecunia cuderetur, in ærarium detuliſſent.

XIV. Inter hæc Florentini, vt Pontifici bellum inferenti reſiſterent, Malateſtam Baleonum Pontifici detractum Ducem exercitus creauerunt, & Stephanum Columnam, Marium Neapoleonemque Vrſinos, & Georgium Sanctacrucium Romanos ſtipendiis ſuis addixerunt: quando intellexiſſent, Aurengium, Vaſtium, & Ferdinandum Gonzagam confecto bello Appulo, in Vmbriam peruadere, vt inde in Etruriam deſcenderent. *Iouius lib.27.hiſt.*

XV. Quæ dum vtrimque comparantur, Cæſar cum magna tum onerariarum, tum longarum nauium claſſe, qua mille equites, & nouem peditum millia vehebantur, Barcinone ſoluens, vbi non ſine moleſtia & periculo quindecim dies per mare vagatus eſſet, XII. die Auguſti Genuam, qua in vrbe de pace Cameraci contracta nuncium accepit, peruenit: eodemque tempore Philippus Areſcotus Belga, & Felix Wittembergus cum octo Germanorum millibus in Inſubriam ad ipſius ſtipendia venit. Eius cum tanto apparatu aduentus, totius Italiæ, quæ ſe illi à Galliæ Rege iam prædæ relictam certo ſciebat, animos terruit. Quocirca Florentini primo eius rei nuncio territi, quatuor legatos ex ciuitatis primoribus, qui ei aduentum ipſius gratularentur, reſque componere niterentur ad eum decreuerunt: ſed poſt paulatim animum reſumentes, mandata limitarunt; èaque ad ipſius modo res, non autem ad controuerſiæ cum Pontifice negotium tractādum coarctarunt. Cæſari enim ob præteritarum rerum memoriam, & paruam quæ inter Pontifices ac Cæſares eſſe ſolebat fiduciam, eius potentiam moleſtam fore, eundemque vt Pontificatus potentiæ Florentini imperij autoritatem, & vires adiungeret, minime cupere ſperabant. Veneti Florentinos cum quibus fœdere iuncti eſſent, ſine ipſorum conſenſu ad communem hoſtem legationem decreuiſſe valde ægre tulerunt; & Ferrarienſium Dux quoque ea de re queſtus eſt: etſi is illorum exemplum ſequutus, ſtatim idem fecerit: & Veneti Mediolanenſium Duci vt ipſe quoque idem faceret permiſerunt: qui multo ante etiam quam Sanpaulus victus eſſet, ſibi Galliæ Regis & Venetorū auxiliis parum fidendum animaduertens, clam apud Pontificem, vt res ſuas cum Cæſare componeret egerat. Cæſar Hiſpanos pedites quos ſecum duxerat, Sauonæ exponi iuſſit: eoſque vt Leua potens in aciem prodiret, in Inſubriam miſit, obtulerat autem ſe eos Spediæ vt in Hetruriam contenderent exponi curaturum. Sed Pontifici ob conceptam opinionem; tantis viribus minime opus eſſe videbatur: cum præſertim vt patriæ parceret, tantum imperium niſi opus foret in eam vrbem conuertere minime cuperet: cuius & ſimul contra Malateſtæ Ballionis cum ſe iam aperte hoſtem profiteretur, Sperellum equitem, qui ante pacem Cameraci contractam à Galliæ Rege ad Malateſtam, cū quo contractam pactionem ratam habuerat, cum pecuniis miſſus Peruſiam redibat, in Pontificij Imperij finibus capi curauit. Pecuniam quoque à Florentinis Farfenſi, ab ipſis cum ducentis equitibus conducto, vt mille pedites conſcriberet miſſam, prope Braccianum rapi iuſſit. Sed cito eam reſtituere fuit coactus. Nam quum Pontifex Alexandrum Farneſium Senatus Principem, Franciſcum Angelium Hiſpanum, dictum Crucium & Hippolytum Mediceum Cardinales Legatos ad Cæſarem Genuæ excipiendum decreuiſſet, & Cruceius per Farfenſis ditionem iter faceret, is eum cepit, neque vmquam donec pecuniam recuperaſſet, dimittere voluit. Florentini vero fruſtra apud Cæſarem, vt donec legatos ipſorum audiuiſſet arma quieſcerent efficere conati, in apparatibus ſuis perſeuerabant: & ab Hercule Eſtenſi Ferrarienſium Ducis maximo natu filio, quem ante ſex menſes ad exercitus ſui imperium conduxerant, vt quemadmodum debebat cum copiis ſuis ipſis auxilio veniret petierunt. Is autem etſi pecuniam in mille pedites, quibus ad ſui corporis cuſtodiam cum equitaret deſtinatos ab eis accepiſſet; nihilominus patre ſuas rationes fidei anteponente, pecunia minime reſtituta ire recuſauit; equitatum tamen ſuum miſit: cuius rei cauſa Florentini ei in alterum annum, quo vtrique liberi erant, ſtipendia denegarunt. At Aurengius XIX. Auguſti, Ternium, & Germani Fulginium vbi exercitus colligebatur peruenerant. Illud autem ridiculum erat, quod cum pax inter Cæſarem & Galliæ Regem iam contracta, & promulgata eſſet, Tarbenſis Epiſcopus Regis apud Venetos, Florentinos, Ferrarienſium & Peruſinum Legatus, maximos Regis ad bellum apparatus extollebat; eoſque ad idem hortabatur. Interea vero Florentinorum Legati ad Cæſarem admiſſi, primo ei aduentum ſunt gratulati; ac ciuitatem minime ambitioſam, ſed ob accepta beneficia gratam, & ad commoda iis à quibus conſeruaretur præſtanda paratam eſſe, oſtendere conati; Florentinos ſeſe Pontificis, qui tunc ipſis imperabat voluntate cum Galliæ Rege fœdere iunxiſſe; & poſt coactos in eo perſtitiſſe excuſarunt. Nec vltra ſunt progreſſi, quia aliud mandatum non habebant, niſi vt quid ipſis proponeretur reſcriberent; & præterea, vt nullam compoſitionis cum Pontifice rationem audirent: & Legatos quidem ipſius, Mediceo Cardinale excepto ſalutarent, ipſis à Republica diſerte iniunctum erat. His à Magno Cancellario, qui paulo ante Cardinalis deſignatus fuerat, reſponſum eſt; oportere eos Pontifici ſatisfacere. Et quum ipſi hanc petitionem iniuſtam eſſe quererentur; iterum reſpondit; Ciuitatem ob fœdus cum Cæſaris hoſtibus initum, & copias contra ipſum miſſas, priuilegia amiſiſſe, atq; ad Imperium recidiſſe; ideoque Cæſarem de ea quicquid vellet ſtatuendi poteſtatem habere; ac tandem eis Cæſaris nomine dictum, vt ſibi etiam cum Pontifice componendi poteſtatem mitti curarent, vt de controuerſiis inter Pontificem & ipſos agi poſſet. Cæſarem enim de propriis rebus, niſi illis prius compoſitis, cum eis agere nolle. Florentini autem ampliſſimam cum Cæſare, ſed non cum Pontifice componendi poteſtatem miſerunt. Quamobrem cum Cæſar Genua profectus, XXX. Auguſti die Placentiam veniſſet, legati ipſum ſequentes, quod poteſtatem & mandata qualia petierat illos non habere cognitum eſſet, in vrbem non ſunt admiſſi. Sic res ſine concordia manſerunt: cum interim Aurengius, Spellium, tormentis admotis cepiſſet, quod Malateſtani occuparant. Ad eam Florentinorum legationem obeundam Nicolaus Caponius rure; tamquam ab exilio reuocatus fuit; cui ſocij adiuncti, Thomas Soderinus, Matthæus Strozza, & Raphaël Hieronymus, iampridem Cæſari notus, quod in Hiſpania legationis munus obiuiſſet. His vero proficiſci iuſſis, actitatum erat in Senatu, an Pontifex pari legatione ad ſpem pacis flectendus, aut certe exploratis eius conſiliis pertentandus foret. Quod quū à pleriſque tamquam æquum & plane pium probaretur, tanta fuit peruerſi Dictatoris aſtutia, tantaque popularium ſuperbia, atque impudentia, vt nec ciuem, nec Sacrorum Principem, cuius nomen cunctis gentibus eſſet venerabile vel adeundum, vel excolendum decernerent: quoniam eius congreſſu, à quo nihil è Republica impetrari poſſe confirmarent, contagione non obſcura, conſtantia liberæ ciuitatis fœdari poſſe putaretur. Tanta ſiquidem popularium animos inuaſerat inſania, vt facile ſuſpicarentur, in optimo quoq; ciue deeſſe fidem: quandoquidem qui legationis munus ſuſciperent, facile muneribus adulationeque Pontificis corrumpi poſſe iudicarent; nec quemquam vſq; adeo probum cre-

Florentini quatuor legatos ad Cæſarem, cum multo milite venientem miſerunt.

derent futurum, qui Pontificis pollicitationes, expeditaque præmia publico bono anteponenda non duceret. Superabāt tamen, cogitatio periculi, atque imminentis belli metus, omnem deprauatorum ciuium pertinaciam; ita vt pudore per subsellia oborto, Petrus Franciscus Pertinarius, qui è legatione Britannica redierat, ad Pontificem legatus destinaretur; cui adessent duo collegæ satis mediocris existimationis. Cæterum opera Carduccij, nequaquam mandata publica proficiscenti data sunt, quod ea Decemuiri in itinere se submissuros mentiendo pollicerentur. Quamobrem necesse erat, vt ea legatio, quæ certis mandatis non inniteretur, inanis foret. Hæc res indigna Pontifice, animum eius vehemētissime pupugit; quum ciuiū vsq; adeo aucto acerbitatis furore, insanabiles animos armis omnino perdomandos censeret: maxime cū accepisset Raphaëlem, occulta correptum ambitione, Carduccium ad bellum sustinendū inflammasse. Siquidē Caponius & Strozza, responsis à Cæsare acceptis, vt Pontificem, quem impudēter patria ciecisset, conuersis voluntatib. reciperent; hancq; vnam illis relinqui viam pacis; quando nullo alio auspice, sequestroue, eā impetrare possent: prouisis asperrimi belli difficultatibus, vel non æquas etiam, & præsenti Reipublicæ incōmodas certæ pacis cōditiones dubio bello facile præferebant. Soderinus autem ita horrebat bellum, vt animi anceps pacē improbaret, quod ea propter gentilitias simultates, nisi reductis Mediceis parari posse videretur. Raphaël autem popularis factionis studium suscepit, astuta quidem ratione, vt quū esset patritius, & multis nominibus Medicео nomini obstrictus, vtriusq; ordinis voluntates promereret, petitioniq; suæ quam animo agitabat certa suffragia cōpararet. Itaq; Soderino per causam valetudinis Pisis subsistente, quod Caponium apud Castrum nouum Calphurniani saltus ex morbo periisse; Strozzam vero qui ei comes affuisset, metu belli, & turbulentæ popularium factionis tædio Venetias abiisse didicisset, magna festinatione Florentiam contendit; ita vt intēto cursu in Curiam ire pergeret, & penulatus petasatusq; ad præoccupanda hominum studia ad Dictatorem & Decuriones ascenderet. Eius aduentu frequens factus est in Curiam hominum concursus; quum quisque quid à Cæsare relatum esset, noscere percuperet. Ante omnia Raphaël Carduccium arctè complexus, cohortatusq;, vt eumdem quem maxime fortem pro salute patriæ animum induisset, generosè confirmaret. causas namq; vel timoris, vel periculi aliquantò minores esse quā putarent, postquam Cæsarem exploratis & expensis consiliorum eius explicandorum difficultatibus adiissent; & ex colloquio, inanis contumaciæ responsa iustis ipsorum postulatis aliena retulissent. Primum omnium aduectas esse ex Hispania non multas, easq; tyronum inermes copias; nec satis quoque auri signati aduectum, quo Hispanorum & Germanorum cum veterum, tum nouorum qui ex Germania expectarentur, stipendiis satisfaceret. vigere adhuc bellum aduersus Antonium Leuam Mediolanensis imperij Rectorem, quod à Venetis simul & Sfortianis cōtinenter gereretur; neq; vlla alia re Cæsarem cum Pontifice certius atq; propensius coniungi, quam ipsa adipiscendi diadematis cupiditate, propter quam inuitus æquo plura quam rebus suis expediret, indulgenda promittendaq; existimasset, quæ non facile præstari possent, propter terrorem quem Solymanus incuteret, non Pannonię modo, sed paternis eius regnis; quando certior fama vulgaretur cum cum trecentis millib. hominum egressum Pannoniæ finibus, rectà ad oppugnandum Viennam contendere. Sic vt non obscuro Dei munere, Florentinis auxilio ingentis potētiæ barbarus mitti videatur; postquam Rex Gallus aliena pericula pro suo commodo supinè contemnens, & Venetus astutè semper cunctator, inani tantum legationum specie, spes sociorum sustentarēt. Fore enim vt Cæsarem Italiam attigisse propterea pœniteret, quod in Germaniam difficili periculoso; proposito bello ad defendēdum, protegendum q; fratrē, secus ac putasset, importunè vocaretur. Pontificem vero rerum omnium, pecuniæq; præsertim egentissimum frustra suscepisse vota, quibus pertenuis arrideret occasio, his rerum initiis appareret. Itaq; viris fortibus, & pro patria aduersus tyrannos pugnaturis, non defuturum victoriæ successum, nisi intempestiuè desperarent: quandoquidem satis magna habituri essent præsidia cum externorum militum, tum ipsorum ciuium, quibus egregiæ firmitatis mœnia proculdubio defenderent futurum; neq; defuturam in stipendia pecuniam, tanta liberalitate singulorum ordinum substantiam omnem pro libertate patriæ conferentium; postquam summæ charitatis studium pro salute publica suscepissent. Cæteris autem rebus eā fore egregij Dictatoris & Magistratuum curam & diligentiā, vt nullum vel in vrbe tumultum, vel extra mœnia extimescendum hostium impetum expectare deberent, modo commeatus diuidendi cura, sueris legibus intenderetur. Hæc magnifice differendo, & Cæsaris & Pontificis apparatus, qui erant amplissimi, inanibus verbis eleuando Raphaël, boni ciuis, optimiq; popularis nomen ita consequutus est, vt priuatæ libidini incumbens, sibi ad petitionem Dictaturæ, vel exitiosis artibus viam permuniret, vnusque ipse malo publico, priuatoq; exitio suo proclinatas iam ad pacem ciuium voluntates peruertisse diceretur. Itaq; Carduccio ad arma paranda vehementer inflammato, constantissimeq; pro popularibus Rempub. administrante, quæ excogitari poterant pro defensione ciuitatis accuratissime aduersus Pontificem & Cæsarem parabantur.

Florentini se contra Pontificē & Cæsarē armant.

XVI. Quo tempore Cæsar, Ferrariensium quoq; Ducis Legatos rigide acceptos, discedere iusserat; maxime quod Dux Lautrechio pecuniam misisset, & hostib. omnia subministrasset; quamuis post alia ratione inita, ac fortasse nouis fauoribus fulti redeuntes, admissi fuerint. Misit quoq; Cæsar Nassauiū ad Galliæ Regem Oratorem, vt quod nouo fœdere affinitatis vinculum corroborassent, ei gratularetur, & pacis sanctionem acciperet: quas ob causas & Rex maritimæ rei præfectū, quem Ammiralium vocant, ad ipsum mittebat: & Reatio Ceriti; vt cum copiis omnibus ex Apulia discederet, pecunias misit: præterea duodecim triremes quæ Philippino Auria duce contra Venetos eò contenderent instruxit; aduersus quos Cæsar Andream Auriam cum triginta septem triremibus misit: quamquam Rex se, si Cæsar adhuc aliquid impedimenti in Italia haberet, filios certius recuperaturum ratus, socios spe fouebat: & præsertim Florentinis se clam per Ammiralium pecuniam missurum pollicebatur: non quidem quo vel ipsis, vel aliis adesse in animo haberet, sed vt difficilius cum Cæsare componerent.

XVII. Interea de compositione inter Cæsarem & Franciscum Sfortiam, per Protonotarium Caracciolū qui Placentia Cremonam vltro citroque ibat, agebatur. Qua in re cum Cæsar Ducem sibi minus quam speraſſet, fidere ægre ferret: & ab alia parte Duci vt fideret difficile persuaderi posset, vt Alexandria & Papia tamdiu donec causa diiudicaretur, in Pontificis potestate essent, agitari cœpit: quod Cæsar illum ad vires suas sustinendas minime parem ratus, assentiri noluit; idq; maxime, quia Leua Placētiam venerat; & vt erat ocij paciſq; inimicus, multis rationib. eum ad bellum accenderat. Quare Cæsar Leuæ, vt Papiam oppugnaret mandauit: simulq; vt Felix qui cum nouo Germanico peditatu, equitatu que & tormentis, Pischeriam versus, moxque in Brixianorum fines veneret, ab illa parte Venetis bellum inferret: cui expeditioni Mantuanū Principem, qui recenter Cæsari erat reconciliatus, præfecit. Pontifex interea de pace inter Cæsarem & Venetos conciliandā agebat, seq; eam, vbi Bononiam veniret conciliaturum sperabat. Nam cum prius de colloquio simul Genuæ habendo egissent, post de communi consensu, ob loci opportunitatem, vt id Bononiæ fieret distulerūt. Ad hunc a. congressum. non modo contracti fœderis roborandi consolidandique eos commune desiderium impellebat, verū etiam Cæsarem, quū Imperij coronam accipere in animo haberet, necessitas, & Pontificem Florentinæ expeditionis cupido; vtrumq; autem Italiæ rerum aliqua ratione constituēdarum: quod nisi Venetorum & Mediolanensium Ducis rebus compositis fieri non poterat, studium mouebat: atq; etiam vt periculis à Turcarū Imperatore, qui maximo cum exercitu Vngariam ingressus, Austriam versus, vt Viennā expugnare conaretur contendebat, imminentibus prospiceret. Hoc autē tempore inter Cæsarem & Venetos nihil adeo magni gerebatur, quoniam Veneti pacem cum illo habere cupientes, ne eius animum magis irritarent, classem suam à Brundusinæ arcis oppugnatione Corcyram retraxerant: ac solum iis quæ possidebant tuendis operam dabant: & in Gallia cisalpina cum nihil adhuc præter leues excursiones fieret, oppidorum tātum custodiæ intenti, Vrbinatium Ducem Brixiæ collocarant.

Cæsar Venetis bellū inferre statuit.

Eodem

XVIII. Eodem tempore, Leua, Papiam deditione accepit: Aurengius vero, hominem qui Malatestam vt Pontificis voluntati cederet hortaretur, Perusiam miserat. Pontifex enim, vt quocumq; modo Perusiam recuperaret, exercitusq; aduersus Florentinos vlterius progrederetur, Malatestæ se, si Perusia excederet, ipsi proprios status ac bona conseruaturum, vt liberè Florentinis opem ferret cōcessurum; vtq; Braccius & Sfortia Balliones, aliiq; ipsius hostes Perusiam non redirent effecturum, obtulit. Et quāuis Malatesta se sine Florentinorum cōsensu nulla ratione pacisci velle diceret, semper tamen Aurengij nunciis, maxime qui post Spellium à se captum magis instabat, nunciis aures præbebat. Hæc a. Malatesta, quia de successu, & fortasse ne tandem Florentini in auxiliis quæ cuperet, sibi suppeditandis non perseuerarent, dubitabat, ad compositionem proculdubio animum flectens cum Florētinis communicabat. quod si sibi componendum esset, iis quæ proponebantur, æquiores leges non sperabat. Longe enim melius censebat, Pontifice non irritato, eique se bonis oppidisq; quæ sibi conseruabantur spoliandi occasione non data, Florentinorum stipēdium retinere, quam dum imperium suum tueri vellet, se amicis ac toti ciuitati odiosum reddere. Sed tamen semper se sine illis componere nolle aiebat. Verum si Perusiā tueri vellet, vt Florentini præter alios mille pedites ad se mitterent, & reliquæ ipsorum copiæ Vrsariæ ad quintū ab Cortona lapidem in Cortonensis & Perusini agri finibus consisterent: quod quidem ipsi nisi omnia oppida sua præsidiis nudarent, facere non poterant. quum tamen is locus tam parum munitus esset, vt ad quemuis hostium motum retrocedere fuissent coacti. Quod si nō componeret, Aurēgium Perusia à tergo relicta, Florentiam versus iter suscepturum. quod si faceret, vt Perusiæ mille pedites integros, qui etiam non satis essent, ipsi relinquerent oportere: propterea quod Pontifex eam vrbem aliis viribus, quam Cæsariano exercitu infestare posset. Si componeret, Florentinos omnes suos milites ad se contracturos, seq; præterea ducentos aut trecentos selectos viros secum ducturum; & statu bonisque suis conseruatis, ac hostib. exclusis, æquiore animo ipsorum defensioni operam nauaturum ostendebat. Florentinis bellum Perusiæ fouere gratum fuisset: sed cum Malatestam continenter cum Aurengio de compositione agere cernerent, eumq; nunquam eadē de re cum Pontifice agere desiisse scirent, ne suorum incitationibus, ciuitatis & regionis detrimentis, hostium metu, & populi inconstantia motus tandem cederet, metuebant; ipsisque virium suarum florem, ac neruum forme omnem, in ea vrbe Malatestæ fidei, hostium victoriæ, & illorum, si Malatesta pacisceretur, ad se retrahendorum difficultatis discrimen subiectum collocare valde periculosum videbatur. Præterea Perusini status mutationem Malatestæ amicis manentibus, ipsique castellis suis relictis, & Braccio atq; fratribus non redeuntibus: quibus ex rebus fiebat, vt Pontifex, dum illa ciuitas, in eo statu maneret, semper de ea solicitus esse cogeretur, rebus suis parum obesse posse cogitabant. qua in animi fluctuatione suorum militum salute omnibus rebus antepositā, nec satis Malatestæ constantiæ confisi, sexto die Septembris, ne si compositio fieret deciperentur metuentes occultissime proprium hominem ad eos reuocandos miserunt. Et post illos, ob hostium propinquitatem discedere non potuisse certiores facti, Malatestę vt componeret, assensi sunt. Sed is dum nuncius in itinere esset, præoccuparat. quoniam Aurengius nona die Septembris, ad S. Ioannis pontem Tiberim traiecit; & castris positis post aliquod leue prælium, eadem nocte cum Malatesta his legibus pepigit; vt Perusia discedens bonis suis frui posset; Florentinis tamquam eorum miles operam nauandi, illorumque copias incolumes reducendi potestatem haberet: quibus vt ad sese intra Florentinorum imperij fines recipiendi tempus daretur, Aurengius se biduum cum exercitu in iisdem castris mansurum promisit. Sic 12. die exierunt, & summopere properantes, eodem die per montes longo & difficili, sed tuto itinere Cortonam perucnerunt. Sic totus belli impetus in Florentinos conuersus est. quibus etsi Veneti atq; Vrbinatium Dux se tria peditum millia, quæ Aurengij in eas partes aduentum metuētes, in Vrbinatium fines miserant, ipsis auxilio missuros spem fecissent; id tamē, quia Pōtificem irritare nolebant, non præstiterūt. Veneti solummodo Castrocarij quæstori pecuniam in ducentorum peditum stipendia dederunt. Et quamuis is Senatus, & Ferrariensium Dux semper cōpositionem cum Cæsare quærerent, tamen vt hæc difficultas eum in rebus ipsorum faciliorem redderet, Florentinos ad sese tuendos hortabantur.

Perusia capitur ab Aurengio.

XIX. Duo tunc Florentini sibi inprimis proposuerant. Primum vt exercitus tamdiu in itinere detineretur, vt vrbem ad cuius mœnia tandem bellum redactum iri putabant, munire possent. Alterum vt Cæsaris animum etiam compositione cum Pontifice, modo ne libertatis & popularis status forma immutaretur facta, placare niterentur. Quocirca quum legati ipsorum nondum excluſi fuissent, nuncium ad Aurengium miserant, & legatos ad Pontificem decreuerant; quumque se legatos missuros ei significassent, vt exercitum ad illorum aduentum vsque supersedere iuberet, rogarunt: quod ipse recusauit. Quare Aurengius progressus, Cortonam & Aretium deditione accepit. Quo tempore Cæsar diserte Florentinorum legatos, nisi Mediceis restitutis amplius audire recusarat. Pontifex vero ad se destinatos audierat; eisque se ciuitatis libertatem minime turbare velle; verum, non tam ob iniurias ab iis Magistratibus acceptas, & status sui periculo liberandi necessitatem, quam ob fœdus cum Cæsare initum eam expeditionem aggredi coactum fuisse: in qua quum nunc dignitas sua ageretur, nihil aliud nisi vt sese liberè suę potestati permitterent, petere: quo facto, quantopere communis patriæ commodum exoptaret, se ostensurum respondit. postea, cum Florentinos timore, præsertim postquam legatos suos à Cæsare reiectos cognouerunt, crescente, nouam ad se legationem decreuisse audiret, ipsos cedere paratos ratus, & vt agri vastatio vitaretur, rem cito perfici cuperet, Capuanum Archiepiscopum per dispositos equos ad exercitum misit: qui Florentiam iter faciens, diuersam ab ea quām sibi persuaserat voluntatem in Florentinis inuenit. Promouebat itaque Aurengius versus Florentiam copias, ex altera etiam parte Ramazotus Florentiola direpta, Mugellanum agrum cum tribus peditum millibus iussu Pontificis ingressus fuerat. quod Florentini audientes, ac ne Pratensem agrum ingredederetur metuentes, ciuibus territis, multisque metu ex vrbe sese subducentibus, ad compositionem animum flectere cœperunt: ita vt in Decem-Virūm qui Magistratus bellicis rebus præpositus est, consilio, cui primarii ciues interfuerunt, omnes liberum & amplum sese Pontificis voluntati permittendi mandatum Romam mittendum censuerint. Sed quum id ad summum Magistratum, sine cuius consensu huiusmodi res decerni non poterat, retulissent, Vexillifer qui in contraria sententia pertinax erat, repugnauit: & populari collegiorum Magistratu, qui Romanæ vrbis plebis Tribunorum potestatem ex parte referebat, sibi coniuncto, in quo fortē fortuna multi erant peruersa mente, & magna temeritate insolentiaque præditi, multorum quoque iuuenum audacia & minis eius sententiam fouentibus, tantum potuit, vt nihil eo die statui potuerit, & tamen certum erat, si Aurengius sequenti die qui fuit XXVIII. Septembris, vnis castris propius vrbem accessisset, eos qui compositioni repugnabant, reliquorum omnium voluntati minime obstiturros fuisse. ex tam leuibus causis sæpe rerum maximarum momenta pendent. Sed vana Aurengii cunctatio, quam aliqui belli fouendi causa studiose interpositam interpretabantur, vt multi Florentiæ animum resumerent in causa fuit: maxime cum munitiones perfectas, idoneasque ad propugnationem præparatas iam vidissent, & Ramazotus contentus præda in Bononiensium fines retrocessisset. Sic facile bellum, quodque paruo omnium detrimento confectum fuisset, in grauissimum atq; internecinum, quod nisi tota regione vastata, eaque ciuitate ad extremi excidii discrimen redacta, ad finem perduci non potuit, est conuersū. Interim Aurengius aliquot oppidis potitus, exercitum Florentiæ admouit, & XXIX. Octobris maioribus tormentis, San Miniati turrim prosternere, sed frustra, vt & alia tentauit, omnibus iam Florentiam ab vnico exercitu præsertim; expugnari difficillime posse animaduertentibus.

Florentini ciues sine scitu Summi magistratus cū Pontifice pacem cōponere volunt.

Florentia obsidetur.

XX. Cæterum, ad quem modum Cæsar Placentiam, & postmodum Bononiam aduenerit, quidue isthic cum Pontifice tractauerit, operæ pretium est enarrare. Placentiam aduentanti, tres Cardinales Pontificis Legati, quorum nomina superius edidimus, præsto fuerunt, vt eum Pontificiæ ditionis fines

Carolus V. in Italiam cum Pontifice actu rus veniens Bononiam ibidem honorifice excipitur.

fines intrantes Sacramento adigerent, quo de more iurare cogebatur, *numquam se Pontificiæ maiestati & libertati vim allaturum*. Ea autem iurisiurandi formula verbis ritè conceptis ex sacris ceremoniarum libris petebatur. Iurauit Cæsar ex formula recepta, omnibusque retro Cæsaribus consueta; verumtamen suggerente Leua, qui ad inuisendum edocendumque aduenerat, addere voluit, se de iure suo nihil decessurum. Propter Placentiam & Parmam, olim ad Mediolanense imperium spectantes, curiosi additam esse conditionem opinabantur: cum tamen Apostolica Sedes ius in eas vrbes acquisiuisset, & diuturna possessione stabilitum, certum & indubitatum ostenderet: conditio vero à Cæsare iuramento apposita, de iis quæ iniuria aliquis possideret, adeoque ad illa Imperatori ius esset, ab his qui rerum & iurium periti declararentur. Duos menses in iis vrbibus egit Cæsar: vbi cum Solymanum, à Viennæ obsidione repulsum, & in fugam coniectum accepisset, Bononiam, quo iam paulo ante Calendas Nouembres Clemens Pontifex peruenerat, contendit. Mos enim prærogatiuæ obtinuit, vt si duo Principes vno in loco conuenire debeant, qui præstantior est, primum ingrediatur, vt ille alter ad eum honorandum venire videatur. Cæsar itaque Bononiam adueniens exceptus est triumphali pompa summis honoribus, incredibili omnium lætitia, ipse paludatus, & militaribus armis vna dempta galea vndiq; protectus, albo insigni equo, Regio sumptu phalerato, à Mutinensi porta in forum prouectus. Præcesserant quaterna vexilla, cum leuis, tum grauis armaturæ Belgarum equitum, sagulis, cristis, & colorum varietate ita inter se distinctis turmis, vt quorum ducum essent, ab ipso insignium & vestitus argumento facile noscerentur. Successit inde peditatus toties victor, nõ tam opimis hostium spoliis exornatus, quam armorũ fulgore ac aspectus feritate terribilis, ad trucẽ tympanorũ sonitum, & graues tibiarum modulos, gradu superbe composito, sub signis introductus. Quadratam vmbellam auro purpuraque distinctam gymnasiarchæ, & celeberrimi bonarum artium professores in togis sericis præferebant. Latus Cæsaris à decora Bononiensium iuuentute, non custodiæ, sed honoris causa cingebatur. Prætor Vrbanus cũ Vexillifero, & è Quadraginta-Virali magistratu, primoribusque patriciis splendidissimi succedebant. Constitit in medio foro Antonius Leua æger pedibus, sed viuacibus oculis pugnacissimi ducis habitum præ se ferens, ac vt magis ob recentem bellicæ constantiæ & rerum gestarum gloriam, omniũ oculis offerretur, in sublimi sella gestatus; hinc veterana Germanorum legione, illinc Hispanorum cohortibus, ita prædensa acie directis, aut obuersis, & tormentis in fronte collocatis, vt exercitus concursurus esse videretur. Erant iuxta Cæsarem illustres Reguli, auro in laciniis vel solido bracteato, vel acu pingente inducto, vel ad luxuriem concisso, itemque exquisitis armorum & equorum ornamentis maxime superbi. Secundum eos prælata est Romana Aquila aureo in vexillo picta, ac item candidum aliud vexillum purpurea cruce distinctum, sub quibus totius aulæ familia ex flore gentium omnium delecta, & nobilissimi Hispaniæ sacrati religione equites Cæsaris vestigia sequebantur. Prætorianus miles custodiæ corporis assuetus, diuersis sub signis Hispanus, Belga, Germanus, in croceis sagis agmen extremum clausit, & quicquid in foro spatij reliquum fuerat, occupauit. Erat erectus in Petroniani templi vestibulo peramplius ligneus suggestus, peristromatis & aulæis ad loci dignitatem vndique protectus; in quo Cardinales & Episcopi, cæterique minores Sacerdotes purpurati, suo quisque ordine confederant. In medio autem præalta in sede mitratus Pontifex Cæsarem expectabat. Ille itaque nobilioribus tantum Regulis, Principumque legatis sibi ascitis, equo descendit: subeuntem per gradus Cardinales duo deduxere. Tum vero vt prodiit, omnium oculi in duos longe maximos terrarum orbis Dominos sunt coniecti. Explorabat enim quisque valde suspensus & tacitus, propter memoriam veteris dissensionis & recentis amicitiæ, an ora ipsa interiores sensus numquam ex toto fallentia, subitis illis affectionum & nutantis animæ momentis obedirent. Erat vultus Cæsaris in gestu militari & graui, blanda quandam lenitate, verecundiaque perfusus. Clementis vero facies ita subito ad eius occursum exhilarata est, vt vel ob id maxime lætari crederes, quod illum multo humaniorem, & augustiorem quam putarat, esse conspiceret. Varia siquidem ab Hispaniis, & falsa quidem, de Cæsare plerique maligne retulerant, & multi etiam vltrò trepidis animis, propter acceptas tot inusitatas clades, sibi illum fingebant, vti alterum Ariouistum, aut Rotomalcem, aliquo scilicet vultu Cimbrico, & feritate Gothica metuendum, ac ipsius denique militibus, ferocia & spiritus immanitate persimilem, qui deuictis & stratis tot hostium exercitibus, tot vrbibus direptis, euastatisque prouinciis, diuina ac humana omnia dira confusione miscuissent. Sed iam fuerat exceptus Genuæ, Placentiæ cognitus, Parmæ demum, Regij & Mutinæ, cum summa omnis generis hominum gratulatione salutatus; vtpote qui passim humanitatis, abstinentiæ, pietatis, atque iustitiæ monumenta, absque vllo vel superbiæ, vel crudelitatis, vel libidinis vestigio reliquisset. Enimuero, quo nihil est in Rege popularius & gratius, aditum cunctis, atque aures summa benignitate, & singulari patientia præbuerat; dederatque obiter responsa spei, æquitatisque plenissima, quæ propositis postulatorum capitibus sigillatim rectissime responderent. Illam vero militum licentiam diuturna impunitate confirmatam, iis qui vel oblata rapuerant, vel ante diem arrogantes stipendia flagitarant, supplicio protinus affectis, ita repressérat, vt illo quod teneret longe omnium maximo imperio dignissimus haberetur. Sed nec cum quamquam ætate ac fortuna florentem vllæ vmquam vel illicitæ voluptates, à perpetuis rerum maximarum consultationibus auocabant, ita vt in eo simul iuuentæ decor eximius ad Martiam laudem emineret, & consilia senili maturitate propriis non alienis cogitationibus exquisita, elaborata, directaque manerent. Numquam enim præclarum, nobile, & firmum eius ingenium, vel irarum impetus perturbarat, vel cæca vindictæ libido pupugerat, vel vlla humana mollities, quin recta sentiret, expugnarat. Erat eius vultus, vt hoc quoque curiosi minime desiderent, argenteo & grato quodam pallore dilucidus; oculi cærulei, suaues, nulla acri feueritate formidabiles, & ij quidem ad ingenuum pudorem virilemque modestiam instituti. Nasus è medio clementer assurgebat, quod magnitudinis animi signum in Persarum etiam Regibus, ab antiquis fuit obseruatum, mentum erat ad exiguam venustioris iniuriam paulo prominentius; & quod grauitatis speciem addebat, subcrispa & flauenti barba conuestitum. Capillum vero fulgore pallentis auri, more Romanorum Cæsarum circumtonsum ostendebat. Porro statum corporis, vt in ipso ætatis integræ flore & prosperrima valetudine, non ab inerti succo, sed à valido neruorum nexu longe firmissima; peramplæ item robustæque manus ad stringendum ferrum idoneæ; crura autem venustissimè extantibus toris, trunci proportione directa, quod tum maxime apparebat, quum equo veheretur. Tanta enim ei inerat cum dignitate equitandi peritia, vt nullus eo armato, atque equum incitante, & in gyrum reflectente, vel pulchrior, vel viuidior, vel in ferendo armorum pondere patientior eques reperiri posse videretur.

Pompæ in excipiendo Carolo V. descriptio.

Caroli V. descriptio.

Cæterum ad Pontificis pedes flexo genu prouolutus, ac mox dextra læti arridentisque Pontificis erectus ad osculum, Hispanica oratione, *Veni*, inquit, *Sanctissime Pater, ad pedes tuos, quod summo voto semper expetiui, vt festis Christianæ Reipublicæ rebus communi consilio succurramus. Oro Deum Opt. Max. qui me huius voti compotem fecit, vt nostris consiliis adsit; atque hic aduentus meus Christianis omnibus sit salutaris.* Tum Pontifex; *Certe hoc ipso congressu*, inquit, *sicuti Deus immortalis, & Sancti Cœlites certissimi sunt testes, mihi nihil vmquam fuit antiquius; & iam Superis gratias ago, quod te videam prospere atq; feliciter mari terraq; perductum, resq; eò deductas vt uear, vt te authore de concordia omnium & solenni pace minime desperemus.* Obtulit subinde Cæsar auri signati circiter libras decem, deductusque est summa comitate à Pontifice ad templi limen; atque ita digressi, Cæsar ad aram maximam supplicaturus superis contendit; Pontifex verò in Prætorium cum vniuerso Sacerdotum ordine reuersus est. Nec multo post Cæsar, & ipse Prætorium intrauit, cui paratæ erãt summæ ædium partes, ita coniunctæ Pontificis, vt inter vtriusque cubilia solus interesset paries, aditum præbente portula, vt quum vellent, ignaris omnibus, remotisque arbi-

Carolus V. Pontificis dextram osculãs ab eodem perhumaniter salutatur.

tris,

tris, interdiu noctuque, de summis rerum necessitatibus negotiisque familiarissime disputarent. Eo modo sæpe arcana sensuum, mutua & syncera animi libertate detegendo, ac odiorum origines, ac fatalem vim, & consiliariorum ac ducum insaniam referendo, facile Deo bene iuuante viam inueneare, qua pax egregie componi, & tot malis & funestis incommodis optatus finis imponi posse videretur.

XXII. *Pacis leges inter Pontificem & Cæsarem.*

Inprimis de Italiæ rebus agere cœperunt vt iis Cæsar compositis cum exercitu in Germaniam contendere, & Viennæ ac Ferdinando fratri opem ferre posset. In his nihil Pontifici magis quam in Florentinos expeditio cordi erat: & ad hanc Cæsar quoque, cum vt Pontifici in iis, quæ Barcinone pacti erant, satisfaceret, tum quod cum ciuitas Gallici nominis studiosa esset, eam deprimi cuperet, valde propensus erat. Idcirco cum quatuor Florentionorum ad Pontificem missi Oratores essent, & ipsum quoque conueniendi copiam sibi dari petierent, nunquam nisi semel cum Pontifici, à quo etiam respondendi argumentum Cæsar accepit, visum est, eos audire voluit. Itaque in expeditione pergendum esse constituerunt. Et quoniam ea difficilior quã Pontifex sibi proposuisset inueniebatur, vt si cum Venetis & Francisco Sfortia componendi occasio daretur, copiæ, quæ in Insubria erant, Cæsaris sumptibus cò mitterentur: & Pontifex Aurengio, qui horum negotiorum tractandorũ causa Bononiam venerat, sexagena millia aureorum nummûm in singulos menses repræsentaret; quibus quia Cæsar tantos sumptus sustinere nõ poterat, copiæ quæ iam circa Florentiam erant, alerentur. Actum deinde est de altera Pontificis causa, hoc est de Mutinæ & Regii rebus: in qua cum Pontifex, vt pertinaciæ notam vitaret, idem proponeret quod antea, videlicet se, fide iis ciuitatibus tantum agi retur, Cæsaris voluntati non repugnaturum; sed Mutina & Regio alienatis, Parmam atque Placentiam ita à Pontificii imperii finibus seiunctas fore, vt fere & ipsæ alienatæ dici possent. Cæsar eam quidem rationem æquã esse: verum dum vires in Florentino bello essent occupatæ, nihil præter autoritatem adhiberi posse respondebat: clam vero, vt illæ vrbes bona cum Bononiam veniret, Mutinæ erat loquutus, eiq; se omnem operam, vt ipsius cum Pontifice controuersiæ componerentur daturum pollicitus erat, relinquerentur, cupiebat. Tanta scilicet arte Dux ille in eius gratiã sese insinuare, & eorum, qui autoritate apud Cæsarem pollebant animos sibi conciliare norat, vt ipsi in ea aula magni fautores non deessent. Reliqua erant duo grauissima ac difficillima, nempe Venetorum & Francisci Sfortiæ negotia: à quorum præsertim Francisci Sfortiæ concordia, etsi Cæsar non eo animo in Italiam venisset, tamen quum in rebus maiores difficultates, quam sibi in Hispania proposuerat, inueniret, ac Mediolanensis imperii occupationem post nouum Francisci Sfortiæ cum Venetis fœdus difficiliorem esse animaduerteret, & ob tantas copias ex Hispania atque Germania adductas, maximos sumptus sustineret, non iam ita alienus erat, cum præsertim à Ferdinando fratre ob Lutheranorum tumultus, & alia nouarum rerum indicia, quæ apparebant, vt in Germaniam iret, vrgeretur: quo etiam Turcis aliquando rediturus existimare poterat. Notissimum enim erat Solymanum indignatione ob acceptã ignominiam accensum quum Vienna discederet, se breui cum longe maioribus copiis rediturum iureiurando asseuerasse. Quas ob res, cum Cæsari rebus modo inchoatis ex Italia discedere, non modo tutum, verum etiam parum honorificum videretur, non modo ad pacem cum Venetis ineundã, verum etiam ad veniam Francisco Sfortiæ dandam animum flectere cœpit. maxime Pontifice obtestante, vt Sfortiam deprecantis Italiæ precibus condonaret, vel humani iuris æquitate, si ei falso perfidiæ contumelia fuisset imposita, vel illa præclara clementiæ virtute, qua Reges Deo immortali prope æquantur, si in maiestatem aliquid, ingrato, infideliq; animo lapsus, admisisset. Et quidẽ ad eam rem singulare Pontificis studium, ac insignis authoritas momenti plurimum afferebat, iis consiliis approbandis, quæ honesta, tuta, decora atq; vsu omnibus cõmoda censerẽtur. Nemo enim eo grauius atq; prudentius de rebus magnis disputare, & diuersas sententiarum opiniones acutius ponderare, cõsutareq; didicerat. Cæsarẽ nihil tantopere retinebat, quam q̃ se ad veniam Francisco Sfortiæ concedendam cogi ab hominibus existimari ex dignitate sua minime esse cẽ. ferret; & Leua, qui Bononiæ erat, vt de eo imperio aliud cõstitueretur, nunc Alexandrum Pontificis nepotem, nunc alium proponens instabat. Sed tamen cum in Principatu in alium transferendo, Italiæ satis facere difficillimũ videretur, nec Põtifex, quod id sine bellis & nouis motibus fieri non posset, de eo in suorum aliquem transferendo cogitaret, Cæsar tandem in hanc sententiam animum flectens, Francisco Sfortiæ causæ coram se dicendæ nomine, re autem vera, vt res ad aliquam compositionis rationem redigerentur, vt turò ad se venire posset, fidem publicam concessit. cui Veneti eodem tempore rerum suarum compositionem introductum iri sperantes, vt iret, sunt assensi. Nec tamẽ ideo arma in Insubria quiescebant. Franciscus Sfortia statim vbi Bononiam venit, se coram Cæsare sistens, ei de ipsius lenitate, quod sibi, vt se adire liceret, facultatem dedisset, gratias egit; seque ipsius æquitate tantopere fretum esse, vt ob ea omnia, quæ priusquam à Piscario in Mediolanensi arce includeretur, gesta fuerant, nullam aliam cautionem præsidiumue quam propriam innocentiam exoptaret; idcirco quod ad ea attineret, liberè se fidei ab eo acceptæ renunciare dixit: & hæc dicens, eas literas, quas manu tenebat, ante Cæsarem proiecit: quæ res ei valde grata fuit. Ipsius & Venetorum cõpositionis capita, circiter mensem vnum agitata fuere: ac deniq; die 23. Decemb. Pontifice in id vehemẽter incumbente, cum vtrisq; his legibus transactũ est.

Franciscus Sfortia Cæsari intra annum quatuor millia, decem autem annorum interuallo quinq; millia, hoc est singulis annis quingenta auri pondo soluito: interea vero Comum & Mediolanensis arx in Cæsaris potestate sunto: isque ea Francisco Sfortiæ primi anni pecunia accepta statim tradito. Præterea Cæsar imperii diploma ei dedit, vel iam antea datum confirmauit: cuius pecuniæ soluendæ gratia, & ob munera iis, qui apud Cæsarem magna autoritate pollebant promissa, Mediolanensibus, totique prouinciæ, etsi populi tam atrocibus diuturnisque bellis, & fame ac peste essent consumpti, ingens tributum imposuit. Veneti vero Rauennam & Ceruiam cum agris illarum, iuribus tum suis conseruatis, Pontifici restituunto: & vicissim Pontifex iis, qui aliquid contra ipsum egerunt, molitiue sunt, ignoscito. Iidem Cæsari per totum proximum Ianuarium, omnia quæ in regno Neapolitano tenent, restituunto: eidemque duorum millium auri pondo, quæ ex postremo cum eo fœdere debeant, reliquũ, hoc est ducenta & quinquaginta pondo intra mensem proximum, ac deinde singulis annis itidem ducenta & quinquaginta soluunto. Hæc autem si intra annum ex pacis formula loca Pontifici Cæsarique restituta fuerint, aut controuersiæ per communes arbitros diiudicatæ; exulibus ex eiusdem pacis formula quotannis quinque aureorum nummûm millia pro eo censu, quem illi à suis fortunis caperent, danto: Cæsari alia mille auri pondo, quingenta intra decem menses, reliqua annum vnum post repræsentato. A quilegiensis Patriarchæ iura ipsi in Wormacensi fœdere contra Vngariæ Regem relicta, decidunto. Huic paci ac fœderi Vrbinatiũ Dux, quod Venetis adhæreat, in eorũq; fide sit, incluſus esto. Veneti, Brunoro Gambaræ Comiti veniam danto. Cõmercium omnium subiectis, liberum esto. Piratæ, qui aliquã partem turbauerint, ne recipiuntor. Venetis, iis quæ possidẽt, pacatè frui licitum esto. Omnes, eo qui quod Maximiliano Cæsari, Vngariæque Regi adhæserint, iam ab anno 1525. perduelles habiti fuerant, ab exilio liberanto: sed tamen bona Reip. ærario addicta eis restituere ne tenentor. Inter ipsos non modo pax, sed & fœdus ad Italiæ contra quemuis Christianum Principem propugnationem perpetuum esto: cuius rei causa Cæsar Mediolanensium Ducem semper in imperio suo quingentos grauis, totidem leuis armaturæ equites & sex peditum millia, cum iusto tormentorum apparatu ad Venetorum defensionem habiturum, & vicissim Venetos idem Mediolanensium Ducis causa facturos promittito. Quod si horum alicuius imperiũ oppugnabitur, reliqui eius q̃ id oppugnabit, cõmeatui, tormẽtis, eorumue apparatui, tabellariis aut legatis per fines suos iter ne cõcedunto; eiq; omnia auxilia ex regnis suis, ipsumq; & eius copias itinere prohibento. Si quis Christianus, vel supremæ dignitatis Princeps Regnũ Neapolitanũ inuaserit, Veneti id quindecim bene exornatis triremibus tuentor. Hoc fœdere omnes nominatorum, nominandorumue

clientes, sed tamen sine alia Venetorum ad illorum defensionem obligatione comprehenduntor. Si Ferrariensium Dux cum Pontifice & Cæsare composuerit, huius fœderis particeps esto. quorum perficiendorum causa Cæsar, Francisco Sfortiæ Mediolanum cum toto eiusdem imperio restituit; & milites omnes, iis tantum, qui ad arcis & Comi, quæ post suo tempore restituit, præsidium erant necessarii retentis, ab eius finibus remouit: & Veneti pariter Pontifici Æmiliæ, & Cæsari Apuliæ ciuitates restituerint.

XXIII. *Cæsar contra Florentinos bellū mouet.*

Fine tam diuturnis bellis, quibus per octo continuos annos tam horrendis casibus vexata fuerat, hac pace hocq; fœdere imposito, Italia tota tumultibus atq; armorum periculis libera fuit, excepta Florentia, cuius bellum aliorum quidem pacem promouerat, sed aliorum pax eius bellum aggrauabat. Nam vbi difficultates, de quibus laborabatur ita dissolutæ sunt, vt pacem confectum iri nemo iam dubitaret; Cęsar copiis extra Venetorum imperii fines eductis, quatuor Germanorum peditum millia, bis mille & quingentos Hispanos, octingentos Italos, & vltra trecentos leuis armaturæ equites, cum viginti quinque tormentis, contra Florentinos misit. Capta Lastra: Sarræ Columnæ legio profligata; Marius Vrsinus & Iulius Cruceius interfecti; Pyrrhy à Petri Castello copiæ fusæ; Pistorienses & Pratenses per deditionem accepti. Petra sancta pariter dedita; Malatesta Balio, per Rodolphū Pium, Fauentinum Episcopum à Pontifice missum tentatus, ad huius anni finem. *Iouius lib. 27. F. Guicciardinus lib. 19. & 20.*

XXIV. *Solymannus Turcarum Imperator in Vngariam cum exercitu Ioannem Regem pulsum adiuturus veni*

Dictum est obiter de Viennensi obsidione. Hoc enim anno Turcarum tyrannus Solymanus, ab Ioanne Scepusiensi Comite, quem Regem Vngariæ electum fuisse diximus, per Hieronymum Lascum nuncium solicitatus, ingentibus copiis maximoque apparatu obsedit. Budam primo contendit, Quo cum venisset, Ioannes Vngariæ Rex ipsius beneficiarius insigni Procerum comitatu stipatus, Lasco etiam comite, ad eum honoris agendarumque gratiarum causa, qui eum clientela dignatus fuisset, obuiam processit, dextræque osculo eum patronum ac vindicem libertatis suæ agnoscere testatus est. Solymannus nonnihil è puluino assurgens, graui sed amico vultu dexteram ei porrexit, fidei amicitiæque pignus; testatus, nil sibi optatius à Deo contingere, quam si miseris indigna ab hostibus perpessis succurrere possit. Itaq; bono animo esset; omnia enim se, quæ eo bello hosti erepturus esset, ei cōcessurum. Budenses, aduentantis Turcæ fama perculsi, ferme omnes in finitimas vrbes Strigonium, Albam Regiam, & Posonium profugerunt. Itaq; Buda deserta potitus, arcem cum Germanico præsidio oppugnat. Turcæ actis cuniculis fundamenta subruere moliti, vt suppositis ignibus arcem euerterēt. Præsidiarii viam elabendi nullam vidētes aliam, de deditione cum Turcis agitant. Præerat arci Thomas Nadastus Vngarus. Is milites cum hoste transigere prohibet, perfidiæ ac ignauiæ eos accusans, suppliciumque ni extrema quæque adeant, comminatus. Verum vbi ex dilabentium Turcarum specie corruituram turrim præuiderent, metu consternati, Nadastum aduersantem in vincula compingunt, cumq; hostibus de abitu paciscuntur. Itaque 70. circiter ex pacto cum sarcinis Posonium abituri exeunt. Tyrannus de eorum perfidia, & Nadasti fide ac constantia edoctus, trucidari omnes iubet: Nadastum vero stipendio ad se inuitatum, cum abnueret, clementer dimittit. Inde Viennam mouet.

Ioannes Rex è regno Vngariæ fugatus Solymanno auxilia sibi adferenti obuiā venit.

Budæ relictis Ioanne Rege & Ludouico Gritto cum 5. peditum ac 3. equitū millibus. Loca ad Danubium sponte se ei dediderunt, de quibus Strigonium, Altenburgum, Plintenburgum, Comora, munitissima castella, quæ, si qua par est fide ac fortitudine restitissent, Turcarum impetum remorari potuissent, dum Ferdinandus Rex copiis coactis aduersus hostem venisset: inprimis si Paulus Vardanus Archiepiscopus Strigoniensis sui & nominis & officii immemor, arcē strenue tuēdo dierum aliquot moram tyranno obiecisset. Tyrannus igitur locis illis omnibus in potestatem redactis, cum 400000. pugnatorum celeriter iter Viennam conuertit, eoque exeunte Septembri venit. Insperato hostis aduentu Viennenses quidem perterrefacti, vrbem tamen omnibus defendendam viribus decreuerunt. Sacerdotes, Monachos, senes, pueros, fœminas, & imbellem turbam vrbe emiserunt, quos Turca vel trucidauit, vel in seruitutem abduxit, ita vt 60000. captiuorum Germanorum censerentur. Itaque obsessi suburbiis, ne præsidio hosti essent incensis, hostem intrepidè expectarunt. Inde agitata sunt de hoste propulsando consilia, dispositisque in mœnibus tormentis, & fossis aliisque operibus aggestis vrbis custodia per stationes diuisa est.

Solymannus Vngariam cum Ioanne Rege expulso inuadit.

Tum vero commodùm Philippus Palatinus Rheni cum centum equitibus maturè Viennam ingressus, vrbis partem, quæ Vngariam vergit, propugnandam suscepit. Sicq; reliquis ciuibus, certæ vrbis partes defendendæ fuerunt commissæ. Dum hæc intus magna cura aguntur, hostiles copiæ ad mœnia obequitantes apparuerunt, in quas Viennenses egressi, non semel cum victoria redierūt. Interim hostilis exercitus præcursores assiduis Viennenses incursionibus vexabant, cum quibus præsidiarii equites congressi quosdam cœperunt, occisorum capitibus in vrbem relatis. Haud multo post quingenti equites Viennenses porta ad Vngariam effusi, cum Turcis cōcurrunt; vbi Viennenses repulsi, tres cæsi, & septem capti sunt, inter quos & Comitis Hardecii vexillifer Christophorus Czedlicius, eques Silesius. Hi ad Solymannum adducti, postquam eos examinasset, ac de vrbis statu cognouisset, Czedlizium veste acu pictā auroque intertexta donatum, cum cæteris captiuis, tribus aureis singulis donatis, in vrbem remisit. Per hos Viennensibus æquas conditiones, si deditionem facerent, proponendas curauit.

Vienna à Solymanno magnaui obsedetur & oppugnatur.

Cæterum obsessa est Vienna sub Septembris exitum aqua terraque, tantis Turcarum copiis, vt ex Diui Stephani turre castrorum finem prospicere nemo potuerit. Præcipua eius potiundæ spes in cuniculis erat; quos locis commodis plurimos sub terra tentari, & sulphure, bitumine, ac puluere tormentario compleri iusserat; vt igne subiecto militem muros defendentem per munitiones ingenti ruina patefactas in vrbem immitteret. In vrbe interim è proditoribus tormentis subacti fassi sunt, se vrbis ædificia incendere pollicitos, vt, dum intus ad restinguendum cōcurreretur incendium, Turcæ foris nudata præsidiis mœnia occuparent. Hoc molimine deprehenso, obsessi alacriores facti, longe maiore quam ante diligentia excubias egerunt. Sed maior à cuniculis metus imminebat: cum ecce è Turcis quidā sub ipsis mœnibus spontè se obtulit, & in vrbem perductus multarum rerum, tum inprimis, qua parte murus suffoderetur, indicium fecit. Id obsessi secuti, quibuscumque locis hostium operæ cuniculos tentabant, die noctuque suos in contrafodiendi opere continuêre: atque ita doli deprehensi, & hostium machinæ elusæ. Quicquid enim ab hostibus illuc congestum fuerat, id milites obsessi contra ductis cuniculis aut vi abripuerunt, aut astu asportarunt: hostes vero, q se in cuniculos illuc absconderāt, aut expulerunt, aut interemerunt. Cum igitur hanc rationem parū prospere sibi procedere Turca animaduerteret, corona vrbem inuadere decreuit. Quadrifariam ergo diuiso exercitu vrbem continuato prælio oppugnare; fossores interim in aduersissima munitionum parte cuniculos agere iubet, vt sic perpetuis laboribus exhausti milites Christiani, vel loca deserere cogerētur, vel à suffossionibus armis & pugna arcerentur. Nec id frustra fuit. Dum enim summa contentione tormentoribus glandibus eminus certatur, murus tribus locis suffossus, & puluere incenso disruptus satis commodum oppugnantibus aditum præbere videbatur. Vnde ingenti sublato clamore per ruinas magno conamine irrumpentes Turcæ impressionem fecere. Christiani vero superstantes omni telorum genere irruentium impetum sustinere, contis atque hastis aduersos excipere ac deturbare, dum dirutā muri partem, vt res ferebat, sarmentis ac trabibus reficere possent.

Solymannus à Vienna obsidionem soluere cogitur.

Tentata per aliquot dies infeliciter oppugnatione, hostes tādem ita elanguerunt, vt nec minis, nec fustibus ad muros inuadendos se paterentur cogi; ad fossam vero adacti, quasi attoniti illico resilirent. Sed & obsessis diuturno labore defatigatis, etsi cessatio hæc non ingrata accidebat, tamen in magno metu versabantur. Certum enim erat, Turcam, antequam infectis rebus discederet, extrema tentaturū; & quando hactenus oppugnationibus apertis nihil profecisset, per cuniculos in vrbem euasurum, ac repente obsessos oppressurum. Dum hæc fiunt, Ferdinandus Rex & Fridericus Princeps Palatinus, qui in Comitiis Spirensibus exercitus Imperator designatus, & subito Turcarū aduentu exclusus Cremsii resederat, potenti cum exercitu venerunt. Quo cognito, hostis territus obsidionem soluit, & Constantinopolim amissis circiter 60000. re infecta, & accepto maximo detri-

mento

mento redire constituit. Quod consilium non hostes tantum, sed suos quoque celauit: ac milites corpora curare, arma expedire, atque deinde, vt primum classicum audirent, adesse iussit. Omnibus ita ad oppugnationem præparatis, cum Turcæ seriò rem agi existimātes ægre tremulis manibus arma retinerent, vix tentata tunc oppugnatione incēsis statim prima sub vigilia castris, profectionis signum dant, captiuis omnibus miserandum in modum trucidatis. Interim dum hostis magna copiarum parte prægreditur, Ibraimus, penes quem summa erat rerum, mane instructis ordinibus in aciem eduxit. cum aliquandiu in procinctu stetisset, Christiani vero insidias veriti mœnibus se continerent, & ipse subsecutus est. Solymannus discessum suum ita excusauit, vt diceret, se non ad vrbes occupandas, sed Ferdinandum bello lacessendum in Austriam descendisse, eoque iam frustra multos dies expectato domum iam redire, breui reuersurū. Christiani cognito hostium discessu instructa acie vrbe egressi solidum diem in armis steterunt: cumque hostis nullus compareret, in vrbem regressi sunt. Atque ita obsidio hæc soluta, & propugnaculum Germaniæ celeberrimum opera secundū Deum, inprimis Principum Palatinorū seruatum, assertumq;. Solymanus Budam cum rediisset, Ioannem Regem Vngariæ constituit, eumque amicum & beneficiarium diplomate solenni appellauit; adiuncto ei Ludouico Gritto, vt eius consilio vsus, quæ ad regnum confirmandum necessaria forent, ordinaret. Nec multo post metu ingruentis hyemis, & inualescentis magis magisq; frigoris, iumentis, camelis præsertim summè infesti, in Thraciam reuersus est. Ea Viennæ soluta obsidio, quanquā ingentem Pontifici & Cæsari lætitiam attulisset, non tamen eos metu vacuos effecit, prouidentibus ne primo vere appetente Solymanus, multo maioribus viribus comparatis in Austriam atque Italiam descenderet, beneficiario Rege auctus, qui Austriacis infensus. *Cadanus lib. 7. Istuanfius lib. 10.*

XXV. *Henricus VIII. Annæ Bolenæ amore inflammatus etiam in maximis festis cum illa conuersatur.*

Dictum pariter est de Henrico Rege Anglo, fœdera aduersus Cæsarem tentante. Is Bolenæ amoribus inflammatus, quam præter alias illecebras, literis quoque amatoriis, quas ne ex propudioso quantumuis prostibulo, perdite amans vel amens scripsisset, & quarum quamplurimæ manu illius propria exaratæ, in Bibliotheca Vaticana secretiore seruantur, pelliciebat, tantum illius præsentiam deperibat, vt in festis suis natalitiis, quæ ludis, epulis, & spectaculis magnificentissime ad pompam celebrauerat, & ad quæ Cardinales etiam Legatos Apostolicos inuitauerat, eam toto populo adspectante, in maximis deliciis habere non erubuerit: qua de re Cardinalis Volsæus illum admonuit, vt saltem honoris sui memor, interim cum lis ageretur, illam pateretur apud patrem suum educari. Vix tandem concessit Rex, vt saltem per solennes Quadragesimæ dies à conspectu suo abesset. Quibus transactis, Rex Thomam Bolenum, quem iam Baronem & Dominum Rupe-fortis creauerat, iubet Annam filiam secretò ad aulam suam reducere; simulque Rex ipse literas amoris plenissimas ad eam ex more scribens, humanissime ad se inuitat. Cæterum illa negat se ad illum, qui eam semel tam indigne ablegarit, redituram; nec vllo modo mater potuit filiæ persuadere, vt ad Regem se conferret. Sed cum Thomas Bolenus, Principis indignationem mortis nuncium esse dictitans, monuisset eam, vt nisi seipsam, & domum Bolenorum vniuersam perdere in animo haberet, quam primum accederet, voce plane meretricia, Ibo igitur, inquit Anna, sed vbi semel hominem intra vngues meos conclusero, eum vt meritus est tractabo. Tunc Rex vt iratam placaret, multo magnificentius quam vnquam ante, nulla sui nominis aut honoris habita ratione excipit.

XXVI. *Ad Pontificem vt postulata sua pro diuortio approbentur, legatum mittit.*

In causa vero diuortii sui, cum animaduerteret omnes Theologos & Iuris Pontificii professores in eo conuenisse, quod abque Iulii Pontificis venia, qui leges Ecclesiasticas relaxabat, matrimonium Henrici cum Catharina nullo modo ratum fuisset; omnes neruos in Iulii dispensatione infirmanda intendit. Stephano igitur Gardinero, & Francisco Briano, qui Romæ agebant, mandatum est ante omnia, ne vlli pecuniæ parcerent, sed ingentia munera iis Cardinalibus, & Theologis, quorum opera illis vsui esse posset, vltrò offerrent. Rex vero per legatos à Pontifice petiit; primùm, vt Iulii Papæ dispensationem pronunciaret adulterinam, & ipso iure nullam: deinde, vt potestatem faceret, quo Maria Henrici & Catharinæ filia; cum Duce Richmundiæ eiusdem Henrici filio notho, successionis Regiæ stabiliendæ causa, matrimonio coniungeretur. Quo quidem secundo postulato, manifestum fecit; se nullo conscientiæ scrupulo Catharinæ matrimonium impugnasse, qui iam fratris cum sorore coniugium satis esse legitimum, accedente Pontificis dispensatione existimaret. Hoc autē Regem petiisse, ex ipsius Pontificis ad Cardinalem Campegium Legatum literis cernitur. Tertium vero non legatorum ore, sed sua manu conscriptum, & consignatum Rex adiunxit, vt quanquam ipse Henricus Mariam Bolenam cognouisset, ex eoque legibus Ecclesiæ prohiberetur, Annam Bolenam eiusdem Mariæ sororem vterinam in coniugem assumere; tamen sua Sanctitas, quæ leges Ecclesiasticas moderatur & relaxat, gratiam ei huius rei authoritate Apostolica faceret.

Quod ita conscriptum & petitum fuisse, non Caietanus modo insinuat, verum etiam Cardinalis Polus libr. 3. de vnion Eccles. constanter affirmat, additque, Henricum ita demum hoc vltimum impetrasse, si ante constitisset, Iulium Pontificem non habuisse ius, priore illa in causa, hoc est in nuptiis fratriæ, dispensandi. De primo autem postulato, ea ratio inibatur, vt Legati Regis peterent Iulii decretum, in quo matrimonium Catharinæ cum Henrico ratum habuerat, circumduci & abrogari. Quæ res vt ritè atque ordine tractari posset, Clemens dixit, se acturum cum Imperatore, vt authenticum illud Iulii decretum, quod apud Cæsarem extabat, aut in vrbem Romam, aut certè in Angliam ad Legatos suos transmitteretur. Instabant Legati Regis, vt nisi Carolus intra duos menses proxime secuturos decretum Iulii exhiberet, sua Sanctitas illud pronunciaret irritum, ac nullum. De qua petitione cum Cardinales de Monte & Quatuor Coronatorum, Episcopus Simoneta, & Theologi quidam ex mandato Pontificis cognouissent; visa est omnibus iniquissima, tam ob temporis præscripti breuitatem, quam ob inusitatum edicti modum. Itaque Pontifex interlocutus est, se hac de re ad Cæsarem scripturum, à quo non putabat se plus minis & summo iure, quam solò æquitatis nomine obtenturum. Contra vero Legati dicebant, nihil sibi curæ esse, vt Breue Apostolicum exhiberetur, nisi ad constitutum diem id fieret. Cum autem hæc res magnam Pontifici molestiā afferret, per literas cum Legato suo Campegio expostulat, quod eiusmodi mandata Romam perferri passus sit, quæ in Anglia præcidi oportuisset; quodque spem vllam de rebus eiusmodi, quæ concedi nunquam possent, à Pontifice impetrandis fecerit.

Potius fidē quā Annā Bolenā deserere statuit.

In earum literarum extremo questus est (qui Papæ fuerat à secretis) Ioannes Baptista Sanga, Legatos Regis, præ orationis vehementia, magnum malū Sedi Apostolicæ minatos, nisi Rex voti sui cōpos fieret; quasi verò, *ait*, sua Sanctitas ab officio recedere debuit, etiamsi totum mundum lucratura esset; aut quasi minarum istiusmodi executio, non primum illis ipsis, qui minantur, plurimum detrimenti sit allatura; Si Rex videlicet, ob explendam libidinem suam, vt domi suæ vxori, sic foris Sedi Apostolicæ, hoc est radici & matrici Ecclesiæ Christianæ, libellum repudii daturus esset. Atque hinc quidem certissimò constat Legatos eo vsque Regis animum exploratum habuisse, vt potius fidem Christianam vnà cum vxore abiicere vellet, quam Annæ amplexibus priuari.

XXVII. *Londini in Iudicium cum Catharina à duobus Cardinalibus citatur.*

Quapropter cum Henricus ex Legatorum suorum literis intellexisset, Pontificem nihil eorum, quæ peteret, absque conditionibus adiunctis concessisse; inaudisset autem inter Papam & Cæsarem recentem pacem Barcinone factam esse, timeret etiam, ne inter eundem Cæsarem & Galliæ Regem, reliquosque Christianos Principes generalis quædam pax (quā de re Cameraci tunc disceptabatur, quæque paulo post confecta est) componeretur: qua fieret, vt & Papa illi minus deberet, & Cæsar maiorem potentiam acquireret, & Galliarum Rex filiis receptis, Henrici ope minus indigeret; atque ita vndique desertus, nec veterem vxorem repudiare, nec Annam ducere, saluis rebus suis posset. Re itaque prius cum Volsæo & Aduocatis communicata, Campegium renitentem, seq; ob decre-

tum

tum Iulii nondum coram exhibitum, iustissimè excusantem, quin & à Pontifice absque nouis mandatis, de causa illa vlterius cognoscere prohibitum: tamen minis, blanditiis, muneribus, importunitate eò adegit, vt cum de vita etiam sua, nisi Regis voluntati satisfaceret, in dubium veniret, tandem vna cum Volsæo, Londini, quinto Calendas Iunias, in cœnaculo Fratrum Ordinis S. Dominici, tribunal conscenderet. Mandatis igitur Clementis Papæ ante omnia recitatis, nominatim euocant, primum, Regem Henricum, cuius vice duo procuratores aderant. deinde Reginam, quæ ipsa in medium prodiens, cum protestata esset, se in illos tanquam iudices suos non assentire, ad Papam prouocauit. Sed cum appellationem Legati nō admitterent, nisi Regina scripto quodam Apostolico doceret, mandata ipsorum esse reuocata; proximo die, quo in iudicio consessum est, Regina iterum affuit, ac tum quidem proposita solenni exceptione, rationes cur ad Pontificem prouocaret, has expressit. Primum, quod locus iudicii parum æquus videretur. Nam se in Hispaniis natam, ibi peregrinam: Henricum, qui huius litis autor sit, eundem esse totius Angliæ Regem. Deinde personas iudicum non solum Regi deuinctas, verum & subiectas esse, Volsæum, ob Vintoniensem & Eboracensem Episcopatus, ac multas Abbatias; Campegium, ob Sarisburiensis Ecclesiæ ex dono Regis adeptum Episcopatum. Postremò, sanctissimè iurat, se nonnisi timore iustissimo adduci, vt horum iudicio hoc in loco, & hac in causa stare recuset.

Catharinæ rationes cur ad Pontificem appellet.

XXVIII. Quanquam vero iudices in Regis gratiam nollent appellationem Catharinæ recipere; tamen cum sententiam repudii non ferrent, nihil quod Regi gratum esset, facere videbātur. Itaque Henricus ipse in iudicio seipsum sistens, palam dixit, non odio Reginæ, sed scrupulo conscientiæ, & doctissimorum hominum iudiciis se impulsum, vt quanquam domi haberet Cardinalem Eboracensem de Latere Legatum, cui soli potestas ad litem hanc decidendam delegari potuisset, tamen declinandæ inuidiæ causa, hos iudices à Pontifice Romano, Summo Ecclesiæ capite, impetraret; quorum sententiæ quæcunque illa futura esset, se acquieturum contestabatur. Postquam Rex perorauerat, Regina vrgebat, vt appellatio quam interposuisset, iudicibus probaretur. Illis negantibus, cum ad læuam subsedisset, de loco suo surgens, Regem qui ad dexteram sub conopæo considebat, adiuit, genibusque flexis ab illo supplex precata est, vt quoniam in suo regno ageret, ipsa vero peregrina esset, liberam ei potestatem faceret, Romæ apud communem omnium Christianorum patrem, atque iudicem, ipsi etiam Regi probatum, litem istam persequendi. Assurgens Rex & benignissimis oculis eam intuitus, hanc se illi potestatem facere dixit: populo interim, qui vultum vtriusque coniugis, & gestum spectabat, minime sibi à lachrymis temperante. Discedit ergo Regina ex loco iudicii. Cui, cum statim esset nunciatum, ipsam à Rege & iudicibus reuocari; Parebo, inquit, marito meo, non item iudicibus. Sed cum à procuratoribus suis admoneretur, si verba interpositæ appellationis sua in iudicium reuersione oppugnaret, eam rem detrimentum causæ ipsius allaturam: hac proposita Regis nuncio excusatione, ad Bainardi arcem vnde illuc venerat reuersa, toti consilio suo dixit; hodie primum, ne causæ meæ nocerem, domino meo Regi non parui, sed cum proxime eum videro, flexis genibus hanc culpam deprecabor. Coniugem plane meliori marito dignam; nisi quod hoc persecutionis genere Deo visum erat, immarcessibilem illi coronam præparare.

Henricus IIX. se ipsi Iudicem in causa diuortii constituit.

XXIX. Henricus vero, qui tantum ne inurbanus videretur, ad temporis monumentum precibus Reginæ assenserat, è vestigio Legatos ad sententiam ferendam, Iuliiq; Papæ decretum abrogandum, omnibus modis premebat. Exemplum ergo Pōtificiæ dispensationis cum in iudicio exhibitum esset, Regis procuratores ex multis capitibus contendebant, id satis firmum ad statuendas Henrici & Catharinæ nuptias non fuisse.

Legatos ad sententiam ferendam cogere conatur.

1. Primum, quod in eo Iulii decreto de nuptiis quidem, non item de sponsalibus contrahendis mentio haberetur: cum tamen & Principes sponsalia primum contraxerint, & in causa, quæ à iure canonico aliena fuerit, extensio nulla sit admittenda.

2. Deinde, quod impubes Henrici ætas commemorata in decreto non fuisset; cum is non nisi 12. annorum tunc esset.

3. Tum autem, quod Henricus iam factus pubes, protestatus esset, se nolle Catharinam ducere.

4. Præterea, quod cum hæ nuptiæ ob pacis bonum inter Ferdinandum atque Helisabetham Hispaniæ, & Henricum Septimum Angliæ Reges, retinendum permitterētur; eaque dispensationis Pontificiæ finalis causa fuerit; tamen nec impubes Henricus Octauus de bono pacis cogitasset, nec Elizabetha & Henricus Septimus tunc vixissent, cum nuptiæ celebrabantur.

Henrici VIII. procuratorū pro diuortio approbando rationes.

5. Quid quod Catharinæ & impuberis Henrici nomine, preces Pontifici offerebantur; cum tamen istorum Principum nulla intercessissent mandata, quorum vi parentes eorum, hoc pro illis iure agerent. Falsam vero narrationem, totum id, quod petitur vitiare.

6. Postremo, cum istæ nuptiæ duplici obstaculo impedirentur, vno affinitatis, quod ex carnali copula Catharinæ & Arthuri oriebatur: altero iustitiæ publicæ honestatis, quod ex solo earum nuptiarum contractu, etiamsi nulla copula subsecuta esset, promanauit; in Iulii autem decreto solum affinitatis impedimentum relaxaretur, de impedimento autem iustitiæ publicæ honestatis ablato, nulla fieret mentio; hinc aiebant effici, vt hoc posterius impedimentum non ablatum, has Henrici & Catharinæ nuptias faceret illegitimas, & ipso iure nullas. Hæc illi.

XXX. Quanquam autem Regina nihil sibi negotii volebat cum illis iudicibus esse; tamen procuratores ipsius, vt ne iure aut æquitate destituti putarentur, omnibus aduersariorum argumentis quamprimum responderunt. Dicebant igitur, sublato semel per Iulii Papæ authoritatem, Ecclesiasticæ legis impedimento, effectum quoque omnem ex illo profectum, eadem opera sublatum fuisse: vt iam ipsis Principibus licuerit ex æquo, tam sponsalia, quam matrimonium, velut iure communi contrahere. Vbi enim quicquam ob grauem aliquam causam permittitur, omnia sine quibus ad illud perueniri non potest, simul permissa intelliguntur. Nam alioqui nihil ageretur. Impuberem vero Henricum non potuisse adhuc aliud quam sponsalia inire. Quid quod post matrimonium Pontificis venia ritè contractum, stultè dubitari asserebant, vtrum licuerit Principibus sponsalia contrahere, nec ne. Cum enim sponsalia, quæ matrimonium subsecuturū spondent, nec ad matrimonii constitutionem necessario requirantur, & tamen semel adhibita, eidem non aduersentur, sed maxime omnium subseruiant; partim concesso matrimonio, etiam sponsalia intelliguntur concessa, & ideo valebant; partim etiamsi non valuissent, nocere tamen subsecuto postea solenni matrimonio nunquam possent; cum & hoc sine illis per se constet; & quod superuacuè adiicitur, nunquā id quod suo iure subsistit, vitiare debeat. Neque hanc causam à iure Canonico alienam fuisse, quin potius adeo plausibilem, vt si Canonis autor de illa cogitasset, omnem operā daturus fuisset, vt tanto bono publico nuptiæ inter fratrem superstitem & defuncti vxorem inirentur. Et tamen, in qualibet odiosa causa, permisso matrimonio, sponsalia, cum nihil aliud sint quam inchoatum quoddam matrimonium, non intelligerentur prohibita.

Ad rem vero non attinuisse, vt impuberis Henrici ætas describeretur, propterea, quod ea sola cuiusque rei aut personæ qualitas necessario exprimenda esset, quæ iuri obsisteret, & cuius mentionem fieri manifesta iuris ratio postularet.

XXXI. Ea fuit in hac causa, nō impuberis ætas, quam ad effectum à natura pendentem, supplere Pontifex non poterat; sed affinitatis conditio, quæ nuptiis obstabat, & in diplomate expressa fuit. Adde his, quod in causa matrimonii, in quo nihil aliud ad pubertatem necessarium est, quam vt coire cum fœmina quis possit, certum non est illum esse impuberem, qui sit duodecim annorum. Hieronymus enim ait, ad Vitalem epist. 132. Salomonem & Achaz, ætatis vndecimo ac duodecimo anno, filios genuisse. Imo etiam inter priuatos prætermissa duodecim annorum ætas, decretum Papæ non vitiasset, quia tam exigua & leuis qualitas expressa, nunquam Pontificem à maiori aliquo bono prouehendo retardasset; quanto minus putandum, quod inter potentissimos Principes, Papa,

Reginæ procuratores Regis procuratoribus respondent.

qui

qui pacis publicæ conseruator existit, tam ingens bonum pacis plurium regnorū, ob hoc solum impediturus esset, quod Henricus non nisi duodecim annorum haberetur? Principibus enim, quos Deus ipse communibus hominum legibus quodammodo videtur soluisse, maiora quædam merito à pontificibus indulgeri solent.

XXXII. Protestationē vero iam puberis Henrici, de qua Catharinā certiorē nunquā reddidit, nihil omnino Catharinæ obfuisse. Cum enim nuptiæ solennes postea subsecutæ, priorem protestationem quam libet solennem, irritam reddidissent, perquam ridiculè nunc, post nuptias contractas obtendi, quod Henricus semel dixisset, se nolle Catharinam ducere. Dixit: at duxit tamen. Potius facto publico, quam verbo priuato credendum esse: prę sertim, cum factum hoc & posterius fuerit, & in Sacramentum Christi transierit, & tot annorum cohabitatione, & nobilissimo prolis pignore, stabilitum fuerit, & confirmatum.

XXXIII. Nam quod putarent impuberē adhuc Henricum de bono pacis minime cogitasse, cur eum, qui ob duodecim annorum ætatem, puberrati proximus, & doli capax erat, quinimo qui grauium etiam criminum reus esse poterat, solius virtutis, & sancti desiderii capacem negarent? Potuit commisso etiam homicidio, mereri æternam mortem; & non potuit optare bonum publicum, aut ea, quæ ad æternam vitam spectant? Hanc absurdam & irreligiosam opinionem boni mores condemnant, sanctæ leges reiiciunt, pii iudices non admittunt, etiamsi quis illam se testibus atque instrumentis probaturum affirmaret. Præterea, si filius bonū pacis nō optauit: at pater in cuius potestate erat, id pro illo, & ad illius vtilitatē fecit; sicut & pro illo credidit, cum adhuc infanti Sacramentum fidei conferendum curaret.

XXXIV. Nec in his nuptiis permittendis, Pontifex priuatas Elizabethæ Reginæ Hispaniarum, atque Henrici Septimi personas, sed publica officia, & Regiam conditionem spectauit, quæ vna cum illis non est mortua, sed ad hæredes eorum Henricum Octauum & Catharinam, vnà cum regnandi iure in Anglia pertransiuit. Nam bonum pacis, non certarum personarum, sed totius populi bonum est. Populus autem & ciuitas non moritur. Plus dicimus; Satis est, quod Henricus & Elizabetha impetrati priuilegii tempore vixerant; cum illa quæ ex gratia conceduntur, statim atque sunt concessa, vim suam & perfectionem ex sola concedentis voluntate consequantur. Vt interim nec illud omittamus; Catholicum Regem Ferdinandum, contracti matrimonii huius tempore, adhuc superstitem fuisse.

XXXV. Quod vero filii parentibus non mandauerint, vt hanc illis coniugii veniam impetrarent, nihil referre. Quanquam enim Pontifex eum, qui preces alterius nomine affert, nisi de mandato docuerit, repellere si vult, potest; tamen si non repulerit, verum id quod petitur in causa plausibili & gratiosa concesserit, valet quod agitur; nec amplius quæretur, à quo sunt preces porrectæ, sed tantum, an rescriptū sit impetratum: quod multò in parentibus magis locū habet, cum pro filiis aliquid impetrant. Ipsa enim naturæ lex docet, parentes filiis thesaurizare debere; maximeque omnium, in Regibus hoc eodem iure ac more vtimur, qui multa suis liberis priuilegia per suos legatos impetrare solent.

Nec fuisse falsam narrationem, quæ his verbis cōcepta est, *Oblatæ nobis nuper pro parte vestra petitionis series continebat, &c.* Pro parte enim Henrici & Catharinæ preces vere offerebantur, sicut narratio ipsa refert, cum ad eorum vtilitatem id totum quod petebatur, constet relatum esse. Nec vnquam videri posse parentes, quibus ipse Deus filios commendauit, filiorum mandato in iis, quæ ad rem eorum spectant, caruisse: cum ipsa filiorum ratio & natura perpetuo quodam gemitu & clamore parentibus mandet, vt ipsis, omni qua possunt ratione consulant. *Qui enim suorum, & maxime domesticorum curam non habet, fidem negauit, & est infideli deterior*, vt ait Apostolus.

XXXVI. Veniamus iam ad illud vltimum caput, in quo vim maximam aduersarii sitam esse arbitrantur. In precibus Pontifici oblatis hæc verba continebantur: *Dudum inter Dominam Catharinam, & Principem Arthurum Henrici fratrem, matrimonium per verba de præsenti contractum.* Nonne his verbis satis ea expresse proponitur iustitiæ publicæ honestatis impedimētum, quod ex solo nuptiarum contractu oriebatur? In iisdem vero precibus mox sequitur, *Illud matrimonium carnali copula forsitan fuisse consummatum.* Nonne hinc etiam affinitatis impedimentum elicitur, si forte carnalis copula intercessisset? Propterea enim adiectū est illud *forsitan*, vt in omnē euentū matrimonio consuleretur, etiāsi carnalis copula, q̄ reuera nō intercessisset, casu quopiā intercessisset. Cum ergo Papa ex re narrata intellexerit, duas ad summum res obstitisse, quo minus Catharina Henrico nuberet; vnā, q̄ ea fœmina prius Arthuro Henrici fratri nupta fuisset; alterā, q̄ ab eodem Arthuro forsitan fuisset cognita; idemque Pontifex tota re intellecta, non modo affinitatis in toto genere, sed huius ipsius affinitatis impedimentum, quod inter Henricum & Catharinā ex nuptiis Catharinæ cum Arthuro prius cōtractis, & copula forsitan subsecuta consummatis, interuenerat, auctoritate sua sustulerit: nonne eo ipso, iustitiæ etiam publicæ honestatis impedimentum, quod copulam carnalē præcedit, multò magis sustulit? Nam si Henrico Regi permittitur, vt fratris vxorem etiamsi carnali copula fuisset cognita, tamen ducat; nonne multo magis eum ducere permittitur, si nupta solum, & non etiam cognita fuit. Hactenus Reginæ Procuratores.

XXXVII. Postquam vero carnalis copulæ mentio facta semel esset, Regis procuratores nonnullas leues coniecturas in medium proferebant, quibus docere conabantur carnalem copulam inter Arthurum & Catharinam verè, & absque *forsitan* intercessisse. verbi gratia, quod nuper ex ephebis ambo excessissent; quod ab epulis & delitiis ad thorum coniugalem summa nocte deducti essent; quod mutuò inter se amarent; quod legitimis nuptiis coniuncti essent; denique quod Arthurus mane postridie potum flagitaret, idque (vt aiebant) quoniam diceret se illa nocte in calida Hispaniarum regione peregrinatum fuisse. At Reginæ aduocati has leuissimas coniecturas multis & firmissimis argumentis cōfutabant. primum, quod Henricus VII. curauerat, vt matrona grauissima in eodem cum sponsis thalamo adesset, quæ ob Arthuri morbum & infirmam valetudinem, eos carne coniungi prohiberet. Deinde quod Serenissima Regina, quæ omniū optimè rem nouerat, apud Notarium quendam publicum, cui nomen erat Ioanni Tolcarno, præsentibus multis Episcopis ac aliis testibus, iuratò asseruisset, se post obitū Arthuri Principis, mansisse virginem: tum etiam, q̄ cum Catharina palam in iudicio, præsenti Henrico Regi dixisset, ipsum scire, quod is eam virginē cognouisset, Rex nunquam id negasset; atq; ideo, dum in re tanti præiudicii tacuisset, ei quod opponebatur assentiri præsumendus esset. Et hæc quidem illi dicebant. Sed nos etiam aliud insigne testimoniū adiungamus, ex eo libro Reginaldi Poli, quem Regi Henrico adhuc viuenti scripsit, & inscripsit *Pro vnione*, in quo lib. 3. ait, Cæsaremque in eius rei testem tunc viuentem citat, ipsum Henricum, nihil tunc minus quam de repudio cogitantem, Carolo V. Imperatori vltrò fassum esse, quod Catharinam adhuc virginem cognouisset.

XXXIIX. Rursus, cum Regis aduocati literas Adriani Cardinalis, qui Pontificis Quæstor in Anglia quondam fuerat, recitassent, in quibus dixerat, se ex Papa Iulio audisse, cum diceret, sibi non videri, quod in matrimonio Henrici & Catharinæ dispensationem posset interponere; ex altera parte procuratores Reginæ in medium protulerunt ipsius Iulii literas ad Henricum Septimum de hoc sermone, eiusdem Henrici rogatu perscriptas, in quibus hæc verba erant: *De dispensatione matrimoniali nunquam negauimus, nec suspicionem præbuimus, quo minus eam facere vellemus, vt aliqui minus verè dixerunt; sed respondimus nos expectare in illa concedenda tempus magis accommodatum, vt consultius & maturius fieret, cum huius Sanctæ Sedis & vtriusq; partis honore.* Hæc Iulius. Erant autem Serenissimæ Reginæ aduocati, totius Angliæ Viri optimi & doctissimi. Primum Guilhelmus Varanus Canthuariensis Archiepiscopus: deinde quinq; Reuer. Episc. Cuthbertus Tonstallus tunc Londinensis, postea vero Dunelmensis, Nicolaus Vestus Eliensis, Ioannes Clercus Bathonensis, Ioan. Fischerus Roffensis, Henricus Standicius Asaphensis. Quibus Episcopis adiungebantur alii Theologi quatuor, Abelus, Fetherstonus, Pouellus & Ridlæus.

Catharinæ procuratores qui?

XXXIX. His ergo rebus, quæ ad iuris Ecclesiastici cōtrouersias pertinebant, ita constitutis, Ioannes Fischerus Roffensis Episcopus, non Anglicani tantum regni, sed & orbis Christiani lumē, exēplar Sanctitatis, populi sal, Ecclesiæ Doctor, in medium ꝓdiit, & librū pro defensione matrimonii Regis & Catharinæ

tharinæ

Ioannes Fischerus Roffensis Episcopus pro defensione matrimonii Catharinæ librum scribit.

tharinæ doctissimè scriptum, Cardinalibus Legatis exhibuit, grauissima oratione illos admonens, ne in scripto nodum quærerent, neue aut Scripturarum manifestam veritatem, aut leges Ecclesiasticas iam satis in hac parte perspectas, euerti permitterent: quinimo iterum atq; iterum cogitarent, quanta mala ex hoc diuortio secutura viderentur; videlicet, Henrici Regis & Caroli Cæsaris odia; Principum, qui eorum partibus adhærerent, factiones; bella non tantum externa, sed & ciuilia: quodque omnium est grauissimum, dissensiones in causa fidei, schismata, hęreses & sectæ infinitæ. Ego, *inquit*, pro eo ac in ista re laboris & industriæ plurimum collocaui, affirmare ausim (idq; non solum hoc in libro testimoniis & Scripturarum, & sanctorum Patrum clare docui, sed etiam mei sanguinis profusione testificari paratus sum) nullam esse in terris potestatem, quæ hoc matrimonium à Deo ipso coniunctum, dissoluere possit aut disiungere. Hoc vbi Ioannes Roffensis, fama doctrinæ illustris, sanctitate vitæ conspicuus, Episcopali dignitate honorandus, ipsaque canitie venerabilis palam dixisset, quatuor vtriusq; legis Doctores librum etiam à se conscriptum obtulerunt, in quo matrimonium Henrici & Catharinæ, secundum leges Ecclesiasticas ritè contractum esse planum faciebãt. Mox item tres alii libri, singuli à singulis Episcopis compositi, coram exhibiti sunt; quorum authores fuerũt Clercus Bathoniens. Episcop. Cuthbertus Tonstallus Londinẽsis, qui tunc legatione pro Rege vna cum Th. Moro Cameraci fungebatur, & Vestus Eliensis. Hos Episcopos secuti sunt quatuor Theologi, Albellus, Pouellus, Fetherstonus & Rydlæus, qui affirmabant, se Dei & veritatis amore adductos, nihil aliud ꝓ matrimonio Catharinæ scripsisse, quam quod secundum scientiam ipsis datam, sciebant Euangelio & Scripturis sacris consentaneum esse; id quod liquidò appareret, si libros ipsorum (sicuti eos non dubitabant facturos) legere dignarentur. Ridlæus autem vir Catholicus & pius, atque ab omni assentatione alienissimus, palam questus est de legatorum iniquitate, quod iusiurandum calumniæ, solis Reginæ procuratoribus & aduocatis detulissent; nihil eos aut dicturos, aut scripturos, aut in hoc genere facturos, quod nõ & diuinis, & Ecclesiasticis legibus consentaneum esset. Quod si, *inquit*, Regis procuratores & aduocati eadem iusiurandi religione constricti fuissent, iam causa esset acta, nec vel aduersarii veritatem à nobis stare negassent. imo se quamlibet pœnam subiturũ, nisi qui Regias partes tuebantur, ad Reginam statim transirent, si hoc illis iusiurandum imponeretur. Tacuerunt omnes, qui erant ex parte Regis, ac verbum Ridlæi silentio suo confirmarunt. Cardinalis Volsæus libertatem dicendi, qua vsus est Ridlæus indignissimè tulit. Tam is vero, quam Cardinalis Campegius, quemadmodum in causa progrederentur, non videbant; adeo cuncta iam clara erant & contestata pro matrimonio Catharinæ. Rex tamen more suo vrgebat, vt ad sententiam secundum se ferendam festinarent. Campegius vero, cum nullam excusationem suam Regi probatam esse animaduerteret, nec tamen contra tam claras probationes, contra certissimam Pontificis voluntatem, contra iustissimam Reginæ appellationẽ auderet secundum Regem pronunciare; tandem audacter libereque dixit, multis se annis in rebus agendis versatum, multis annis vnum ex duodecim iudicibus, qui causas in Rota Romana cognoscunt, extitisse, nec vnquã in causa etiam mediocri, nedum tanta & tam graui, tantam festinationem adhibitam vidisse; quin moris esse, vt cum ad locum sententiæ deuentum fuerit, triginta toti dies ad testimoniorum autoritates & momenta examinanda vacui concedantur: nunc autem vix totidem præteriisse, à quo primum die, causa Regis palam publiceque inchoata sit. Et qualis causa? quanti ponderis & momenti? quantæ offensionis & scandali? nisi forte Sacramenti legitimi subita diruptio, matrimonii per viginti annos corroborati repentina dissolutio, prolis generosæ atque adeo Regiæ miseranda illegitimatio, Caroli potentissimi Monarchæ irritata maiestas, Christiani populi diuulsa concordia, auctoritatis Pontificiæ contempta dispensatio, parui cuipiam ponderis aut leuis momenti esse videatur. Hæc vbi Campegius dixisset, subito mutatos omnium vultus vidisses. Alii eius libera oratione delectabantur, alii contra, qui ex rebus nouis crescere optabant, vehementer dolebant; alii cum tacitè apud se lætarentur, tamen oretenus dolorem simulabant; ex quibus erat Volsæus Cardinalis, qui licet idem, quod Campegius sentire putaretur, nihil tamen perinde vrgebat ac sententiæ ferendæ accelerationem.

XL. *Rex denuo Campegiũ litis iudicẽ ad sententiam proferendam interpellat.*

Rex cum videret Campegium à re iudicanda tam alienum vt nouas dilationes quotidie interponeret, iudiciumque præter omnium spem penè ad finem mensis Iulii extraxisset, ac tum quidem Romani moris esse diceret, vt à iudiciis exercendis vsque ad mensem Octobris abstineretur; Brandonum & Hauardum Duces, hunc Norfolciæ, illum Suffolciæ ad Legatos misit, qui magno Principum virorum comitatu deducti, cum 3. Calend. Augusti ad iudices pro Tribunali sedentes venissent, tam Regis quam suo nomine ab eis magnopere contendebant, ne conscientiam Regis diutius implicatam tenerent, sed tandem aliquando rem totam deciderent ac definirent. Hic autem Volsæus licet priore loco sedisset cõticuit; magno enim timore concutiebatur. Campegius vero per eam fidem, qua Deo atque Ecclesiæ Romanæ obstrictus erat, contestabatur, moris esse Romanæ Curiæ, cuius ipse membrum esset, vt à fine mensis Iulii vsque ad quartum Nonas Octobris nullum exerceretur iudicium. Sin contra factum fuisset, quicquid in eo genere tentaretur, nullius roboris omnino futurum. Quod si Rex illum diem pro sua patientia expectaret, nihil se dubitare, quin omnia ex eius voto successura essent. Instare iterum Duces, vt eo ipso die, aut ad summum postridie sententia ferretur. Iterum Campegius cum respondisset, nullo modo id sibi facere licere; Carolus Brandonus Suffolciæ Dux, mensam, quæ proponebatur magno ictu, concutiens, Per sacram Missam, *inquit*, nemo vnquam Legatorum aut Cardinalium quicquam boni ad Angliam apportauit. Quod ille quidem vel œstro quopiam percitus, vel fœdissimo adulandi Regi studio ductus, dixit. Quam seuere autem Deus horum Ducum superbiam ac adulationem per eundem Regem & filios suos, maximeq; per prolem eam quæ ex eo, quod ipsi tantopere expetebant, nouo coniugio orta est, vltus sit; ea mala testantur, quæ ipsis ipsorumque familiis postea acciderunt. Duces autem ex iudicio discedentes, vt ipsi omnibus iracundiæ flammis vrebantur; sic & Regem à libidine sua iamdiu ambustum, nouis etiam furoris & insaniæ facibus incenderunt.

XLI. Pontifex interim iustissimam Reginæ appellationem superius cõmemoratam ratam habens, palam Volsæo & Campegio interdixit, ne amplius huic negotio sese immiscerent, causam vero totam Paulo Capisuccho Sacri Palatii Apostolici Causarum Auditori & Decano cognoscendam, ipsique Pontifici demum referendam & explicandam cõmisit. quem iussit tam Regi quam Reginæ diem certum præscribere, quo causam apud ipsum per legitimos procuratores suos dicerẽt. Quæ Pontificis constitutio, non Romæ tantum, sed etiam Brugis & Tornaci, ac in aliis vicinis Flandriæ Ecclesiis promulgata, imo & in Angliam ad Serenissimam Reginam transmissa est, vt per eius operam Regi & Legatis patefieret. Regina illustrem Senatorem & tam ingenio quam doctrina ac pietate celebrem, Thomam Morum ad Regem legauit, qui diceret, Papam legatorum mandata sustulisse, ipsumque Regem & Reginam ad causam in Rota ipsius per procuratores suos dicendam euocasse: id se Maiestati suæ significare, vt sciret, vtrum rem hanc ipsi per viatorẽ aut eiusmodi publicum præconem nunciari vellet, nec ne. Rex quanquã ingenti dolore afficiebatur, tamen cum nihil aliud adhuc satis deliberatum haberet, cætera dissimulans, Thomæ Moro respondit: iam dudum cõstare sibi de his rebus: nolle autem vt suæ personæ fiat denunciatio; non recusare tamen quo minus Legatis de more obnuncietur. Locum vero iudicii, tanquam vtrique parti communem, vehementer sibi placere, daturumque se operam, vt causa Romæ decidatur. Hæc quidem Rex dicebat. Sperabat vero se per nouos nuncios apud Papam breui effecturum, vt Legatorum mandata renouarentur, atque ea de causa, minus iniquo animo id, quod agebatur tunc tulit. Hinc factum est, vt plures ex Reginæ procuratoribus, ex Regiis vero vnus, vna cum duobus Notariis ad Legatos, qui duodecimo à Londino lapide simul rusticabantur, sese conferrent, & hanc rem totam Legatis exponerent. quo tempore is, quem Rex miserat, palam testatus est, hanc Regis voluntatem esse, vt in Anglia iam deinceps nihil in hac causa fieret: Romæ autem omnia expedirentur.

XLII. *Campegius ex Anglia Romam à Pontifice reuocatur.*

Paruerunt Legati Pontificis decreto, iamque in spem venerant, Regem quoque saniora capturum consilia; cum ecce Campegius per literas Pontificis ad vrbem omni cum festinatione reuocatur. Tunc primum Rex omni spe, rei ex animi sententia conficiendæ excidens, supra quam dici potest, excanduit, omnemque culpam in Volsæum huius diuortii primum auctorem merito conferens, se male illi velle non obscuris indiciis declarauit. Quod cum multi ex principibus viris, qui Volsæo Cardinali omnia pro eo ac ipse voluit administranti iamdiu inuidebant, intellexissent, collatis consiliis, multa criminum capita in illum collegerunt, eaque suis chirographis obsignata Regi tradiderunt. Rex eam rem sibi iucundam esse testatus, tantisper tamen dissimulauit, donec Campegius è regno discessisset, quod ad septimum Idus Septembris accidit. Cuius etiam discedentis sarcinas excuti iussit, non alia magis de causa, quam vt exploraret, si quid forte literarum Volsæi deprehendere potuisset; nullas autem deprehendit.

XLIII. At Volsæus, qui nihil eorum, quæ contra ipsum intentabantur, sciebat, ad Regem iam prope sanctum Albanum in villa quadam agentem accedens, multa cum illo ac Senatu eius, de iudicio, quod Romæ suscipiendum erat, contulit. Stephanus autem Gardinerus, qui Regi erat à secretis, & Romæ diuortii causam paulo ante egerat, cum iam rei exitum suspectum habere inciperet, seque videret in suspicionem vocari, tanquam Regi huius diuortii auctor fuisset, Volsæum præsens palam rogauit, vt veritatis contestandæ causa, dignaretur coram Rege ac Senatu ipsius planum facere, qui fuissent huius diuortii primi authores. Nunquam, *inquit Volsæus*, negabo me solum fuisse. Cuius rei adeo me non pœnitet, vt si ea iam inchoata non esset, nunc primum inchoandam iudicarem. Quod quidem posterius Volsæi verbum auribus Regiis datum esse, nemo ignorabat. Licet enim prima diuortii causa verè fuisset, tamen cum videret Regem ad Annam Bolenam adiicere, pœnituit hominem sui consilii, à quo nunc resilere integrum ei non fuit, qui gloriam hominum, quam Dei dilexerat. Rex autem eo tempore siluit.

Volsæus ab Henrico VIII. omni dignitate exutus misere vitam finit.

At cum Volsæus post Campegii discessum ad Regium comitatum reuersus, ad colloquium illius non admitteretur, tunc demum sensit infensum sibi esse Regem. Nec ita multò post, iussu Regis à Thoma Duce Norfolciæ apprehensus, cogitur se abdicare Cancellariæ Magistratu, quem statim Rex insigni viro Thomæ Moro contulit, sperans vt hoc honore ac beneficio ad partes suas pertrahi posset; deinde Vintoniensi Episcopatu, quem postea Stephanus Gardinerus supra nominatus ex dono Regis accepit. tum autem magnificentissimo à se Londini exædificato palatio Eboracensi, quod Rex ipse inuasit, instructum vt erat omni genere diuitiarum ac pretiosæ supellectilis; denique pene omnibus bonis exutus, quæ immensa erant, primum relegatur in villam Ascheriensem, mox in Eboracensem Ecclesiam, cui præerat, dimittitur. Quis iam non putasset Regem, ab improbo illo incœpto suo desinere voluisse? Nunc autem obstupescite cœli super hoc. Ob quod peccatum Henricus Volsæum tam seuere puniebat, in eodem ipse, vt anno consequente narrabimus, pertinacissime progrediebatur: plane inexcusabilis, qui in quo iudicabat alterum, seipsum condemnabat: non inscius quoniam iudicium Dei est secundum veritatem in eos, qui talia agunt, vt Apostolus denunciat. *Nicolaus Sanderus de schismate Anglicano, lib. 1.*

XLIV. *Carolus V. Spiræ ob bellũ Turcicum conuentum indicit.*

Diximus anno superiore proximo, Cæsarem ex Hispania, litteris in Augusto Vallisoleti scriptis, Conuentum Principum & Ordinum Imperii, Spiram, ad Februarium mensem indixisse. Causam huic Conuentui dedit, bellum Turcicum, & fœda per Germaniam religionis confusio. Ad hunc Conuentum, Pontifex, Ioannem Thomasium Mirandulanum internuncium misit, qui Principes ad bellum Turcicum hortaretur. Ac licet ipse permagnam calamitatem his proximis annis acceperit, auxilia tamen & omnem operam pollicebatur, vt Cæsare Galliæque Rege pacatis in communem hostem eatur, Conciliumque Oecumenicum inchoetur, quò Germania auitam religionem, vbi hactenus seruata est, retineat; vbi vero inuersa, recipiat, cumq; vniuerso orbe Catholico in confessione fidei coalescat. Gliscebat in Germania religionis dissidium, quandoquidem per absentiam Cæsaris hęreseos venenum sese liberius diffudisset. nec Lutherus iam, vt initio ad tempus, solus dominabatur, sed & alii quidam surrexerant, qui oleum addebant camino, Zuingliani scilicet, Enthusiastæ, & Anabaptistæ. Hi vero non minus à Luthero, quam à Catholicis quoque dissidebant; atque omnes inter se mutuò magnis odiis, andabatarum more digladiabantur: vt ingens esset rerum perturbatio, & metuendum videretur, ne malum hoc denuo per Germaniam in apertam seditionem erumperet: quemadmodũ hoc anno certè ex dissidio religionis apud Heluetios ad arma ventũ est. Basileæ id fuit. Vsus Missæ alicubi remanserat, donec palam habita disputatione, Senatus per suffragia decerneret. Catholici negotiũ Orthodoxiæ vrgebant, & pro concionibus aduersarios acrius notabant. Supplicatum ab his, vt illis silentium imponeretur. quod cum Senatus negasset, seditiosi ciues die 8. Febr. in æde Franciscanorum congregati, decernunt idem, sed non tam submissè à Senatu postulare: ac simul publica ciuitatis loca sibi capiunt & occupant. Sub eius diei vesperum, Senatores Catholici, numero duodecim loco, dum de religione reliqui deliberarent, moti: sed ea re seditiosi magis animati; iam non religionem, sed vindictam conclamantes, & ad arma concurrentes; quibus volentiores facti, portas, turres, primarium templũ mox inuadunt; imagines Diuorum reuellunt & confringunt, frustra deprecantibus Sacerdotib. ne sese iconomachi Sacrilegio contaminarent. Quasi vero inermes Canonici, vim vi repellerent, trecenti armati hæretici suis auxilio accurrerunt, & in Basilicam irrumpentes quicquid reliquum extabat imaginum deiecerunt; atque ad alia Catholicorum templa procurrentes, eadem omnino perpetrarunt: ac Senaculo ex solis hæreticis congregato, Missam & Catholicismum vbique aboleruntc; dieque Sacro cinerum, omnes sacras imagines in nouem rogos, diuersis ex locis vrbicis congestos, ad contumeliam Catholicorum ante primarium templum exusserunt.

Basileæ hæretici denuo in Catholicos irrumpunt.

Eo sacrilegio prouocati Lucernates, Vrani, Suitenses, Vnteruualdii, Tugiani, & reliqui Cantones Catholici, arma pro religione Catholica induerunt, fœdusque cum Ferdinando Rege percusserunt: proculdubio rem aliquã grauissimã cõtra Basileens. edituri, nisi Ferdinandus cũ Principib. decreto lato præscripsissent. Anabaptistæ etiã passim satagebant rerũ suarum, & clandestinis machinationibus, non Catholicis modo, sed & Lutheranis, & Sacramentariis formidabiles erant. Hetzero, de quo diximus, sublato apud Noricos Ioannes Denckius, vir æque doctus, & iisdem imbutus erroribus; sed si modum eius in hæresi propaganda spectes, multò quam ille callidior. Iuuentuti erudiendæ primis annis ad S. Sebaldum pręfectus, humanioribus studiis animum excoluit, & tandem Theologiæ animum applicans præter Græcæ Hebraicæque linguæ studium, in ea facultate doctissimus euasit. Magnam cum Pelargo & Muncero familiaritatem habuit, à quibus in fratrem assumptus venenatæ doctrinæ semina hausit. Anabaptistæ tanti hominem fecerunt, vt præfectum & Episcopum sibi delegerint. Præclaras ipsi natura dotes contulerat, inter quas modestiæ & tranquillitatis studium præcipua: quas si bene impendisset, melius animę suæ saluti consuluisset. Fœcundo fuit ingenio, scriptis etiam celebris & clarus. Prophetas in linguam Germanicam cum Hetzero transtulit; & de præceptis Dei: item, Quomodo bonum & malum Deus creet & operetur, libellos aliquot composuit. Errores fouit plurimos, ex quibus præter communiores hosce mordicus, priuatim tamen defendit. XLV.

Ioannis Denckii falsi fidei errores.

1. Magistratui legitimo obtemperandum esse; eique in rebus licitis ac honestis iusiurandum, si requirat, citra cunctationem præstandum.

2. Immunes esse pueros & liberos planè ob omni originalis peccati labecula, vtpote qui siue tenerioris adhuc ætatis sint, siue pubertatis annos excesserint, nec ipsum perpetrarint nec vllo modo queant cognoscere.

3. Sacram Scripturam nulla ratione Dei Verbum dici posse, atque etiam sine ea veros Christianos ad æternæ salutis portum peruadere.

4. Deum omnibus vt misericordissimum Dominum, abundantissime misericordiam suam & gratiam prestiturum, in tantum vt etiam omnes à primordio mundi homines, imo

& ipsos Dæmones saluare velit, & in æterna cœlorum habitacula ad se recipere.

5. Infernum, ad quem impii transferri dicantur, pœnas & dolores esse conscientiæ; qui quidem non externo aliquo cruciatu, sed interno quodam morsu, tum, cum cuique peccata propria innotescant mortales sint afflicturi.

Postremo, vt plura missa faciam, ipse de vocatione sua vacillans multa reuocare cœpit, cum gemitu frequenter dictitans, malle se neminem rebaptizasse: Baptismum paruulorum rem esse adiaphoram, exerceri & omitti pro libitu posse: Ministerium veram vocationem exigere, &c. Norimberga Basileam abiit; vbi peste infectus, vitam cum morte commutauit, reuocatis iam ante erroribus, quos publico libello à se conscripto euulgauit.

XLVI. Argentinam quoque eadem tempestate malum istud grauiter adflixit, quæ quod Zuinglii doctrinam admisisset, subrepentibus aliis variarum hæresum cultoribus, Anabaptismo quoque, sed inscio Senatu, clanculum infecta fuit. Viuebat hic Sebastianus Francus vir eruditus, & in conscribendis historiis assiduus: at in religione atheus quasi & paganus, id quod in vastissimo illo tripartito historiæ suæ volumine, & in paradoxis maxime, dum absurdissimas quasq; hæreses cōgerendo amplectitur, ostendit. Atque ipse licet familiam inter Anabaptistas duceret, vt tamen fumos Magistratui, ne pelleretur, venderet, errores ipsorum & sectas quam potuit, distincte recensuit, ac subinde liberius dissidentium errores perstringens, vltra quadraginta quatuor Sectas inter eos vigere primus Anabaptistarum memoriæ prodidit. Homo fuit, vt reliqui omnes, scepticus & versipellis, errores clam per vrbem disseminans, quos inter hi facile censentur præcipui, quibus peccata omnia quamlibet fœda & putida, cum ea, quæ venialia dicimus, tum quæ mortifera sunt, paria: Pontificiorum quoque, Lutheranorum, eorumque qui his consentiunt, vnam propterea Ecclesiam; Sacramenta etiam, ceremonias & ritus, mera crepundia statuit. Cætera, quia communia reliquis sunt, silentio prætereo. Ob hoc & similia, præcipue vero, ob virulentissimos, quos ediderat libros, Argentina pulsus fuit. Discipulos permultos habuit, qui quos ille secretò fouit errores, publicè & voce & calamo propugnauerunt. His solenne erat Scripturas, quas pessimum totius mundi idolum nuncupabant, prorsus contemnere; reuelationes vrgere, & omnia ad spiritualem interioris hominis normam dirigere. Sed & illis breue in vrbe, vbi Senatui innotuit, gaudium fuit. Ita passim è præcipuis superioris Germaniæ vrbibus, eiici eos & eliminari oportuit, igne etiam & gladio, si migrare nollent, interimi: quemadmodum apud Eslingenses, Boblingenses, Gyrmundanos, & Tubingenses hoc anno 1529. factum, vbi viginti & amplius vltimo supplicio affecti, pro Anabaptismo mortem subière.

Sebastianus Francus Anabaptista primarius.

XLVII. Propter hæc in religione dissidia Cæsar indixit Conuentum hunc, ad quem Principes & Ordines frequentes conuenerunt, vt de propulsando bello Turcico, deque dissidio religionis componendo deliberarent. Prima consultatio de religione fuit diuturna satis, & multis difficultatibus impedita, quod animi Principum vehementer essent distracti. Reuocatum in memoriam decretum, quod in postremis Comitiis hoc eodem loco factum diximus. In eo cautum erat, vt quod ad religionem & edictum Wormaciense pertinet, ita se habeant omnes, vt Deo possint ac Cęsari suarum actionum reddere rationē. Querebantur Catholici multos eo decreto abuti, eiusq; prætextu nouas, & detestandas quidem hæreses in ditionibus suis fouere atque defendere. Demum post multam disceptationem Ferdinandus cum maxima parte Principum nouum Decretum fecit, in hanc fere sententiam. Quibus locis hactenus Wormaciense Decretum obseruatū fuit, vt ibi deinceps quoque seruetur ad vsq; Concilium. Qui mutarint religionem, & nouum doctrinæ genus inuexerint, nec possint ab eo discedere sine motu publico, vt hi nihil mutent in posterum, donec Concilium celebretur. Nullibi locum in Imperio habeat, vel admittatur nouum dogma Sacramentariorum de Ecclesia. Missa deinceps nusquam abrogetur. In iis locis, vbi Lutheranismus inualuit, Catholici non prohibeantur, quo minus Missæ sacrificium frequentent. In Anabaptistas, qui pertinaciter in erroribus persistunt, capitale supplicium statuatur. Euangelium doceatur, iuxta sanctorum Patrum explicationem, quos Ecclesia probauit. Ordines pacem inter se colant, nec quisquam alteri molestus sit, aut damnum inferat religionis nomine; nec alter alterius subditos in tutelam suscipiat. Qui secus fecerit, vt is in numero proscriptorum habeatur.

Publicata deinde est Caroli Cæsaris Constitutio in Anabaptistas, hoc tenore.

Carolus V. in Imperio edictū contra Anabaptistas promulgat.

Carolus V. Dei gratia Romanorum Imperator, semper Augustus, Rex Germaniæ. Hispaniæ, vtriusque Siciliæ, Hierosolymorum, Vngariæ, Dalmatiæ, Croatiæ, &c. Archidux Austriæ, Dux Burgundiæ, &c. Comes Flandriæ & Tyrolis, &c. Omnibus & singulis, nostris & Sacri Imperii Electoribus, Principibus Ecclesiasticis & Secularibus, Prælatis, Comitibus, Baronibus, Dominis, Equitibus, Nobilibus, Capitaneis, Prouinciarum Præsidibus, Vicedominis, Aduocatis, Præfectis, Administratoribus, Officialibus, Scultetis, Consulibus, Iudicibus, Senatoribus, Ciuibus & Communitatibus, omnibusque aliis nostris & Imperii fidelibus, in quacunque dignitate, statu aut conditione existant, nostram beneuolentiam, gratiam & omne bonum.

1. Reuerendissimi & Reuerendi, Illustrissimi, dilecti amici, consanguinei & affines, Electores & Principes, Illustres, Generosi, Nobiles, Spectabiles, Venerabiles, dilecti fideles. Quanquam iure communi ordinatum ac prouisum est, ne quis, qui semel Christiano ritu baptizatus est vel ipse iterum rebaptizetur, aut aliorum baptismum illicita vsurpatione geminet; & quum maxime Imperatoriis Constitutionibus pœna capitis sancita est, tam in eum, qui anabaptisma fecerit, quam qui in se fieri passus est. Eaque re initio anni proxime præteriti vigesimi octaui è minori numero, vobis omnibus ac singulis ex officio, qua Cæsarea dignitate potimur, vt supremus Aduocatus ac Defensor sanctæ Christianæ nostræ fidei, publico mandato districte præcepimus, vt subditos, omnesque alios, qui ad vos spectant, ab illo nuper orto errore ac secta Anabaptismi, eiusque turbulentis, perditis, ac seditiosis sectatoribus, tam vestris mandatis, quam Orthodoxorum Prædicatorum concionibus auocetis, fideliter ac seueriter eos admonentes, & humani supplicii, quod in tales constitutum, & ineuitabiles iræ diuinæ, quæ talibus æternum expectanda; præterea, vt in eos, qui tale piaculare crimen commisisse detecti fuerint, delati & comprehensi, iure ac legibus pœnaliter vindicetis pro culpæ qualitate; neue negligentes sitis in puniendo tanto crimine, quo futuris malorum periculis, quæ exinde suboriri præsagiuntur, in tempore occurratur. Tamen quotidie comperimus, spreto iure communi, nostroque publico mandato, veterem illam & ante aliquot centum annos vetitam atque damnatam Sectam Anabaptistarum longius latiusque serpere, & magis indies inualescere.

2. Cui malo, & exorituris inde periculis, vt præuenientes caueamus, pacem & vnitatem in Sacro Imperio conseruemus, omnes etiam disputationes & ambiguitates, quæ super pœna Anabaptistarum moueri possent, tollamus; renouamus omnes priores Constitutiones Cæsareas desuper editas, nostrum quoque publicatum illud mandatum. Ordinamus enim, statuimus & declaramus de Cæsareæ potestatis plenitudine, ex certa scientia, volumusq;, vt omnes & singuli Anabaptistæ vtriusque sexus, & qui fecerint anabaptisma, & quibus persuasum est (si tamen criminis per ætatem capaces sint) supplicio ignis, gladii, aut similium, pro meritis personarum, etiam non præhabita Ecclesiasticorum iudicum inquisitione, percellantur.

3. Et Prædicantibus quidem, Auctoribus, Circumuagantibus, Seductoribus & seditiosis concitatoribus dictæ Anabaptistarum Sectæ; item eis, qui obstinatè in errore perseuerant, & qui iterum in eum relabuntur, nulla omnino pœnæ gratia facienda est, sed rigidè secundum tenorem huius nostræ constitutionis aduersus eos procedatur. Qui autē errorem, seu sponte, siue aliorum instinctu & admonitione confitentur, eum reuocant, pœnitentiā quoque dignam facere prompti sunt, & pœnam deprecantur, illis Magistratus, pro qualitate dignitatis eorū, conditionis atq; ætatis, aliarumq; circumstantiarū, gratiam facere potest.

4. Volumus etiam ac iubemus, vt quisque liberos suos, iuxta ritum, mores, & cærimonias Christianæ Ecclesiæ, in infantili ætate, sacro Baptismate tingui faciat. Quod qui facere contempserit, & infantum baptisma non necessarium esse duxerit, is, si in eo errore pertinaciter hærere perseueret, tanquam Anabaptista pœnæ in hac constitutione comprehensæ subiiciatur.

5. Nullus autem eorum, quibus suprascripto modo gratia facta esset, in alias terras relegetur aut exilietur; verum adigantur potius & adstringātur à suo Magistratu, quod in eorum ditione velint persistere. Qui porro operam dabit, vt in eos diligenter aduertatur, ne rursus relabantur.

6. Simi-

6. Similiter nemo alterius subditos aut cognatos, qui prædictis de causis è Magistratus sui ditione fugerint, & excesserint, receptet, defendat, teneat aut foueat: sed mox ipse Magistratus, sub quo fugitiuus latet, simul atque crimen eius rescierit, aduersus eundem fugitiuum, iuxta tenorem huius nostræ constitutionis districte procedat, neque vlterius apud se esse patiatur: pœna banni multando eo, qui contrarium huic statuto tentauerit.

7. Mandamus igitur & imperamus omnibus ac singulis, in quacunque dignitate, statu aut conditione consistatis, per Sacramentum, quo nobis & Sacro Imperio vadati atque obligati estis, & vt grauissimam nostram Imperialem animaduersionem euitare cupitis; ac volumus, vt omnes ac singuli hanc nostram constitutionem de Anabaptistis, districte atque firmiter in omnibus eius punctis obseruetis, secundum eam iudicetis, agatis, & irremisibiliter exequamini: vosque ipsos ita obtemperantes & obsequentes ostendatis, vti debetis, & necessitas ipsa postulare videtur. quemadmodum vos facturos certissimo persuasum habemus; & conseruabitis nostram seueram voluntatem.

Datum in nostra & Imperii Ciuitate Spira, 23. die Aprilis, Anno Natiuitatis Christi 1529. Regnorum nostrorum, Romani 10. cæterorum vero omnium 13.

Argentinēsis Legatus à cōsessu in Comitiis Spirēsibus reiicitur.

XLVIII. Hæc in eo Conuentu decreta fuere. Ad hunc Conuentum missus Argentina Daniel Miegius, vt cum reliquis cōsiliariis negotia publica tractaret, repudiatus à cōsessu fuit: quod Argentinenses ante exitum eius Conuentus, Missam abrogassent. Interpellanti Sturmio, ne ciuitati præiudicium fieret; alias ab ea nulla expectaretur sumptuum communicatio: Ferdinandus ipse respondit, Quamlibet aliam ciuitatem, quæ modo edicta Cæsaris seruet, in eius locum submissurum. Cæterum Principes nonnulli, Ioannes Elector Saxoniæ, Georgius Brandeburgicus, Ernestus & Franciscus Luneburgici, Landgrauius & Anhaldius priori de reliquis non Anabaptistis decreto palam reclamarunt, & 19. Aprilis in consessu publico protestati sunt se decreto huic non assentiri. Vnde origo est nominis Protestantium in Germania, quod aliis quoque gentibus postmodum innotuit: quando hi Principes & Ordines, qui religionis gratia secessionem à reliquis fecerāt, deinceps Protestantes sunt appellati. Postquam vero in Senatu causas ex scripto publicè recitarūt, cur ad hunc modum secederent, appellationem deinde scripserunt, in qua ab hoc Spirensi decreto ad Cæsarem ipsum, ad futurum Oecumenicum, vel Germanicæ nationis Concilium, demum ad quoscumque non suspectos iudices prouocarunt. Elector Saxo Philippum Melanchthonem, Landgrauius & alii suos quoque Concionatores adduxerant, quorum instinctu Principes, Ferdinando, & reliquis illi per Cæsarem adiunctis adeò se pertinaciter obiecerunt. Neque vero auxilia contra Turcas voluerunt decernere, nisi quam sub vmbra Decreti superioris induxerant religionis, diuinique cultus mutationem eam cuilibet liceret in ditionibus suis retinere. Multum ea res doluit Ferdinando, bono & religioso Principi, qui vices Cæsaris gerebat in iis Comitiis. Sed quia ditiones ipsius erant periculo proximo, in quas primus erat Turcarum futurus impetus, necessitate quadam compulsus multa dissimulauit. Eidem Principum protestationi, communicato consilio, primi nominis ciuitates aliquot ab hæreticis seductæ se cōiunxerunt, Argentina, Norimberga, Vlma, Constantia, Rutelinga, Winssemium, Meminga, Lindauia, Campodonū, Hailbrunnum, Isna, Wisseburgum, Norlinga, Sangallum. Mittunt deinde Protestantes cum appellatione ad Cæsarē Legatos, eamque Placentiæ ad diem 12. Septembris, verbo & scripto exponunt. His Cæsar, vt promiserat, die 13. Octobris, responsum dedit scriptum vti petierant;

Protestantium origo.

Carolus V. Protestantibus respondet.

De actione tota Spirensi, deque decreto facto per Ferdinandum fratrem eiusque collegas ante se cognouisse, quam ipsi aduenerint; & dissidium hoc, quod multis incommodis atque malis occasionem præbeat, vehementer sibi dolere. cumque sui sit officii hæc omnia præcauere, ne accidant; aut, cum acciderint, emendare, ideo se diu multumque & grauiter, de re tota cum suis familiaribus deliberasse, atque ita reperire. Decretum illud eò factum esse, ne quid deinceps innouetur, nec vlli sectæ sit in posterum locus, cuiusmodi iam inuectæ sint complures & admodum tetræ: deinde vt pax & concordia per imperium statuatur. Ideoque Saxoniæ Principem atque socios merito debuisse his omnibus assentiri. Nam & sibi, & reliquis Principibus, animæ suæ salutem & conscientiæ tranquillitatem non minus esse curæ, quam illis; nec etiam minus optare Concilium quam illi, constituendæ Reipublicæ causa; quod tamen Concilium videri possit non admodum necessarium esse, si modo, quæ communi voluntate decreta sunt atque consensu, valerent; si quoque illud omnium Ordinum approbatione factum Wormaciæ, superioribus annis, decretum, & huic à se coniunctum edictum seruaretur, sicut & ipsi fateantur eiusmodi decreta firma esse debere atque fixa. Quod cum ita se habeat, & quia moribus & legibus receptum sit, vt quod maior & sanior pars Ordinum Imperii sanciuit, ne paucis quibusdam hoc rescindere liceat, ideo se datis literis ad Saxonem atque socios mandasse, vt decretum factum habeant ratum, neque contra faciant, sed obtemperent, pro ea fide, qua sibi deuincti sint & Imperio. Nam alioqui fore, vt authoritatis & exempli causa seuerè in ipsos animaduertat. Existimare autem, hoc suum scriptum iam illis esse redditum, aut propediem redditum iri, & facturos quod iusserit. Id sibi quidem fore longe gratissimum, præsertim hoc tempore, cum certò nuncietur, Christiani nominis hostem, Turcam, progressum in Vngariam, cum omnibus copiis petere Germaniam. Hac nimirum de causa, vehementer opus esse concordia domestica. Nam etiam vt in Turcicum bellum, & in alios vsus Imperii, pecuniam & opem illi conferant; tamen nisi mutua sit animorum consensio, nisi pax inter omnes Ordines atque beneuolentia constet, non posse quicquam aduersus tantum hostem vtiliter suscipi vel administrari. Nec enim agi de vna tantum aut altera prouincia; sed totum hunc orbem Reipublicæ Christianæ, præsertim vero Germaniam; neque coniuges tantum & vxores, atque fortunas vniuscuiusque, sed fidem, religionem, leges omnes, & quicquid omnino charum esse potest, in præsentissimum periculum aduocari. Resistendum igitur illi quamprimum, coniunctis & animis, & viribus; aut hæc tam horrenda, tam funesta, tam tetra indubitanter expectanda. Quod si nulla subesset alia, tamen hac præcipua de causa, debere illos omne suum studium ad maioris partis Ordinum Imperii voluntatem aggregare. Quæ cum ita sint, petere se rursus atque mandare, vt decreto facto morē gerant, vti reliqui Ordines, qui non minus quam ipsi, cupiant suam religionem atque vitam approbare Deo. contentione quoque omni deposita & dissidio consulant in commune cum aliis atq; decernant, quomodo Ferdinando fratri subministrentur auxilia, quibus vis Turcica reprimi possit, ne longius euagetur. His etiam de rebus acturū se cū Maximo Pontifice coràm: quo videlicet & immanissimus hostis reiiciatur, & religionis actio referatur omnis ad gloriam Dei, & ad communem omnium tranquillitatem. Compositis quoque rebus per Italiam, quod felix atque faustum sit vniuersæ Reipublicæ Christianæ, primo quoque tempore vim omnem atque vires in Turcam velle se conuertere. quamobrem sperare, illos periculi considerata magnitudine facturos, quod alioquin ex officio debeant.

Eo dato responso, legati, cum legissent, appellationem, sic, vt erat concepta, tradunt Alexandro Schueisio, testibus ad eam rem adhibitis, vt fieri consueuit. Ille quidem initio recusauit, sed tandem accepit, & ad Cæsarem detulit. eodemque die post meridiem rediit, & reliquo sermone confecto, Cæsarem iubere dixit, ne pedem mouerent è diuersorio, ne quid suis perscriberent, neue suorum quem aliquò mitterent, donec aliud renunciaret: capitis atque fortunarum denunciata pœna, si secus facerent. Dum hoc ageretur, forte aberat domo Michael Cadenus, & è vestigio certior factus per famulum, rem omnem Senatui Norimbergico perscripsit, & literas magna celeritate perferri curauit. Penultimo demum Octobris die, Parmæ, quo iussi erant sequi, Nicolaus Granuellanus, q. Mercurini Cattinarii Cardinalis & magni Cancellarii partes obibat ægrotantis nunciauit eis, etsi delatam sibi prouocationem Cæsar ægre ferret, tamen permitteret, vt domum ad suos reuerterentur: Cadenum vero iussit manere, capitis pœnam comminatus, nisi pareret. cuius quidem rei hæc erat causa. Landgrauius dederat abituro libellum eleganter adornatum, qui Catechismi doctrinam à Luthero compositam complectebatur, vt Cæsari daret. Is per occasionem, cum ad Sacrum iret Cæsar, per summam audaciam porrexit: Cæsar inuicem cuidam Episcopo Hispano, vt quid rei esset, cognosceret, detulit. Hic forte in locum illum incidit, vbi Christus monet Apostolos, ne Principatum ambirent: hoc enim esse Regum Gentium, qui populis denominarentur. Eum locum Lutherus tractauerat, demonstrans, quod sit officium ministrorum Ecclesiæ: quodque Magistratui Christiano non competat ius gladii. Retulit istud Cæsari Episcopus, ille hominem detineri, & interrogari iussit: qui cum se purgaret, neque tamen satis commodum responsum ferret, & ex sermone Granuellani periculum suum intelligeret, silentio XLIX.

Protestantium Legatos Carolus V. detinet.

conscen-

Protestantium legati Conuentus clam agũt.

conscendit equum, & celeriter Ferrariam, inde Venetias profectus, domum reuertit. Protestantes vero, cum Cæsarem secessione sua grauius offensum intelligerent, muniendi sui gratia, de fœdere faciendo cogitare cœperunt: atque eius rei causa, Smalcaldiæ primum sub finem Nouembris, postea anno sequente 1530. sub initium Ianuarii Conuentus egerunt. ac inter hæc Tigurini & Bernates, in quinque pagicos Catholicos copias educunt: hi etiam à Ferdinando Rege auxiliis acceptis arma ad defensionem sui capiunt: sed productis vtrinque copiis & positis castris, interuentu finitimorum cõposita res fuit: decreto, ne religionis causa bellum inter ipsos esset; vtque deinceps à maledictis abstineretur: donec aliud per Concilium, vel per Comitium decerneretur. Vnteualdii inter alios Catholici, tantopere execrabantur Sacramentarios, vt Bernæ, Basileæ, & Argentinæ ciuitatis insignia ad patibulum suspenderint. Coloniæ vero Agrippinæ, Petrum Flistedium & Adolphum Clarebachum, Sacramentarios, & Senatus, & Episcopus, ignibus exusserunt; quod de Sacramento Eucharistiæ impiè sensissent.

L. Cæterum in illis Spirensibus Comitiis deprehensum fuit, fœdum illud de Eucharistia dissidium, quod ab annis aliquot proximis inter Lutheranos & Zuinglianos ferbuerat, ad ipsos etiam Ordines Imperii peruasisse. Principes enim illi, qui deserta religione maiorum, in ditionibus suis religionem mutauerant, adhærebant Luthero: at ciuitates Imperiales, quæ defecerant, pleræque Sacramentariorum partes sequebantur. quæ distractio desertoribus Ecclesiæ veteris (qui se promiscue tum Euangelicos vocabant) conciliauit magnam inuidiam, eorumque causam, prudentioribus vehementer suspectam reddidit. Neque vero de vno tantum hoc fidei capite, de Eucharistia, inquam, sed & aliis quibusdam magni momenti dogmatibus, de peccato originis scilicet, de baptismi virtute atque efficacitate, de ministerii Ecclesiastici operatione, de confessione, de vsu imaginum, aliisque de rebus Lutherani & Zuingliani sententiis inter se dissidebant; idque tanta cum animorum acerbitate, vt calamis & linguis se mutuo velut hostes Christi, fidei desertores, apostatas, & mancipia dæmonum horrendum in modum dilaniarent.

Augebat rei indignitatem, quod vtrique, & præter vtrasque Syuenckfeldiani, Enthusiastæ, & Anabaptistæ, omnes isti simul, cum fœdè se mutuis armis conficerent, & alios alii clamarent à dæmonibus agitari, confidenter interim de Spiritu Christi, de verbo Dei, de Euangelio, velut per contentionem gloriarentur. Quæ res maiorem indies religionis perturbationem peperit. Itaque qui prudentiores erant inter Sectarios, concordiam inter Lutheranos minimum & Zuinglianos tentandam putarunt; vt coniunctis deinde viribus aduersarios, tam Pontificios, vt ipsi loquuntur, quam Anabaptistas & cæteros id genus Cac-Angelicos opprimerent. Et Zuingliani quidem, quia concordiæ huius ineundæ satis cupidi videbantur, Landgrauium permouerunt, vt interponeret autoritatem suam, & huic tam necessario negotio manum admoueret. Erat is Princeps ingenio peracri, & ad res agendas commodus, qui à tempore rusticani motus, Lutheri partibus accesserat, dissuadente licet, & multum obnitente Georgio Saxoniæ Duce, Principe prudentissimo, cuius filiam in matrimonio Landgrauius habebat. Igitur è Comitiis domum reuersus, primos vtriusque partis duces Marpurgum euocandos censuit, si quæ forte via, sententiis inter se collatis, ad ineundam concordiam inueniri posset. Et Heluetios quidem inuenit paratos: Lutherus vero, cum à Landgrauio per literas ad hoc colloquium inuitaretur, visus est tergiuersari. Respondit enim literis vicesimo tertio Iunii datis ad Landgrauium, venturum se quidem ad colloquium, quocumque voluerit Princeps, & hanc ipsi operam præstiturum, licet non fructuosam modo, sed & sibi forte periculosam: de concordia vero parum habere spei, nisi aduersarii de sententia decedãt. Quod an futurũ sit, hortatur Landgrauiũ, vt priùs exploret, ne, si pertinaces illi sint, nec se patiantur à sententia dimoueri, malum hoc grauius increscat; & loco concordiæ, quam ille tanto studio quærat, nouum & priore maius incendium oriatur. Aduersarios sua quidem sententia moliri quippiam, ex quo nihil boni sit secuturum; nimirum, vt postea gloriari possint, concordiam,

Lutherus à Landgrauio Hassiæ ad colloquium inuitatur.

interuentu magni Principis, à se quæsitam; quod vero res non successerit, id sua culpa non accidisse. Diabolum sibi bene notum esse, dicit, nec ignorare se, quam rem machinetur. Habere se definitum, prorsus nulli cedere; neque vero aliud in hac causa posse, cum certò sciat aduersarios in errore versari. Itaque mature deliberandum, ait, maiorane sint commoda vel incommoda, quæ ex hac collatione possint expectari. Hoc enim certum esse & indubitatum, nisi cedant aduersarii, futurum, vt re infecta conuentus soluatur, & frustra sit, non modo labor, sed & sumptus omnis, quem in hanc collationem Princeps impenderit. Hæc Lutherus. Et Landgrauius permansit in sententia, & vtrisque vigesimum nonum Septembris diem designauit, qui Diuo Michaeli sacer est.

LI. Lutherus autem antequam se daret itineri, Wittembergæ disputationem instituit, de hac eadem controuersia, scilicet, vt munitus contra paraturam aduersariorum, & in omnem partem paratus cum Sacramentariis in arenam descenderet. Sententiam suam de Eucharistia, more Scholastico, thesibus quibusdam complexus est, quas Vitus Theodorus Noricus, & Hermannus Bonnus Lubecensis, viri primi nominis inter Lutheranos oppugnarunt. Hi vero Zuinglium & Oecolampadium in hac disputatione repræsentabant, quorum argumenta proponebant vrgebantque Luthero respondente, & soluente nodos, quos hi disputatores è Sacramentariorum scriptis nectebant. Hoc progymnasmate confirmatus, Philippum Melanchthonem assumpsit, & Iustum Ionam, cum quibus incolumis ad constitutum tempus Marpurgum venit.

Lutherus Wittembergæ disputationẽ instituit.

LII. Adiunxerunt se paulo post è Lutheranis Cõcionatoribus. Andreas Osiander Norimbergensis, Ioannes Brentius Hallensis, & Stephanus Agricola Augustanus. E Sacramentariis venerunt, Huldricus Zuinglius, factionis illius caput, Ioannes Oecolampadius, Martinus Bucerus, & Caspar Hedio. Erat Zuinglius ingenio feroci & turbido, adeoque militari, vt qui militiam aliquando secutus fuerat; quod in hoc conuentu etiam habitu præ se tulit. Gestabat enim sagum militare, astrictum cingulo, ex quo gladius dependebat breuis, ex corum genere, qui vlnæ longitudinem excedunt.

Lutherus cum Oecolampadio & Melãchthone ipsius Landgrauii disputationem aggreditur.

Antequam vero ad publicos congressus ventum est, voluit Landgrauius, vt Lutherus cum Oecolampadio, Melanchthon vero cum Zuinglio separatim congrederetur: si forte controuersia hæc priuatim, sine strepitu actionis publicæ, inter ipsa factionis vtriusque capita componi posset. Erat hic congressus instar duelli, in quo Lutherus Oecolampadio, Melanchthon Zuinglio separatim capita quædã proposuerunt, de quibus non recte sentire viderentur.

Ea sunt ferè: Quod peccatum originale negaret; quod baptismo vim auferant delendi peccatum: quod non credant, verum Christi corpus & sanguinem Eucharistiæ Sacramento contineri: quod Spiritum sanctum operari per verbi ministerium inficientur: demũ, quod suspicio sit quorundam, eos non recte sentire de Diuinitate Christi. De his articulis bini & bini, quos diximus, priuatim inter se contulerunt. Et Zuinglius quidem initio protestatus est, se de Christi Diuinitate, deque mysterio SS. Trinitatis assentiri Synodo Nicænæ: si qui tamen in superiore Germania de mysteriis illis parum commodè sint locuti (vti fassus est, Hetzerum Anabaptistam librum scripsisse contra Diuinitatem Christi) id ad se non pertinere. De peccato originis: de virtute baptismi; deq; ministerii energia paulò prolixius in priuato duello disceptatum fuit. Tandem Zuinglius, quemadmodum Lutherani quidem narrant, in Lutheri sententiam concessit. Verum in puncto de Eucharistia frustra laboratũ est, cum neutra pars cederet alteri: sed vtraque sententiam suam mordicus tueretur. Quod cum Landgrauius intelligeret, placuit, de controuersia hac publicam institui sententiarum collationem; cui & ipse cum quibusdam è suorum numero voluit interesse.

LIII. Igitur postquam cõfessum est, principio monuit Lutherus, necessariũ fore, vt cum de aduersariis nõ de Eucharistia modò, sed de cæteris quoq; religionis capitibus, adcoq; de summa Christianæ fidei colloquiũ habeatur: quandoquidẽ in Zuinglii scriptis multos inuenire sit errores. Et quoniã aduersarii de iustificatione nihil admodum scripserint, metuendum videri

Lutherus cum sacramentariis disputationi congreditur.

deri dixit, vt magnam Euangelii cognitionem habeant. Deinde protestatus est, veram esse atque indubitatam de Eucharistia sententiam, quam hactenus ipse propugnarit, cui & decretum habeat constanter adhærere: si quid habeant aduersarij, quod contra veritatem hanc in medium adferant, se rationes ipsorum & argumenta refellere paratum. Respondit Zwinglius, conuentum hunc non ob aliam causam institutum, quam vt de Sacramento Eucharistiæ duntaxat colloquium habeatur: Quod si de eo religionis capite conuenerit, non se deinde reculaturum, quin de cæteris etiam articulis in arenam descendat. Itaque de Eucharistia tantum instituta fuit collatio; in qua Zuinglius & Oecolampadius contra Lutheri sententiam tria potissimum argumenta protulerunt. Primum formatum fuit ex dicto Christi Ioan. 6. *Caro non prodest quicquam.* Alterum ex articulo fidei de Ascensione Christi in cœlum, partim, partim ex principiis physicis, quod naturale corpus eodem tempore non nisi vno in loco esse possit; de quo argumento diu disceptatum fuit. Tertium vero ex Sacramentorum natura depromptum fuit, quod inprimis Oecolampadius vehementer vrgebat, asserens Christi verba non aliter accipienda, quam Sacramentorum ratio ac natura ferat: ex quo esse dicebat, non verè corpus Christi adesse in Eucharistia, sed significatiue tantum.

LIV. Lutherus ad hæc argumenta respondit eum in modum, vt ipse Sacramentariis abunde satisfactum censeret: quamquam illi longe secus iudicarent. Demum Zuinglius & Oecolampadius multas recitarunt Sanctorum Patrum sententias, quibus opinionem suam astrui persuasum habebant. Contra Lutherus & Melanchthon cum cæteris, non pauciora Patrum eorumdem testimonia descripta, Landgrauio obtulerunt, quibus veram Christi corporis in Eucharistia præsentiam confirmabant: His ad eum modum peractis, vtrique in sententia sua rigidè perstiterunt. Atque ita publica hæc collatio finem habuit, quæ cum concludenda esset, rogarunt Heluetij Lutherum perquam enixe, vt se pro fratribus agnoscere; quod ille prorsus abnuit, & pertinaciter quidem: tametsi Zuinglius effusis vbertim lachrymis hoc ipsum rogaret. Imo Lutherus paulò durius hanc ob causam aduersarios compellauit, quod eos vellent pro fratribus agnoscere, quorum doctrinam velut impiam condemnarent: Ex eo nimirum colligi posse, quam non habeant cordi causam suam, quamque parum illi fidant. Ne tamen in hoc conuentu nihil actum videretur, capita quædam, numero 14. diuulganda censuerunt, vtriusque partis subscriptione firmata, de quibus se testantur in eandem sententiam coaluisse. Licet vero de præsentia Christi in Eucharistia conuenire, nunc quidem non potuerint, velle tamen, dicunt, quantum quidem vnius cuiusque conscientia patiatur, sese inuicem mutuis prosequi charitatis officiis; atq; interim rogare Deum, vt in hoc quoq; dogmate viam eruendæ veritatis, & solidam instaurandæ concordiæ rationem ostendat. Scriptum hoc vtriq; subiectis nominibus, ad 13. Octobris consignarunt, atque ita soluto conuentu discesserunt.

LV. Aiunt Oecolampadium à Landgrauio priuatim admonitum, de perspicuitate ac certitudine verborum Christi, cum gemitu respondisse; Optare se dextram sibi fuisse præcisam, antequam de hac controuersia scribere quicquam ordiretur. Certe Lutherani Zwinglium & Oecolampadium incertos de doctrina sua fuisse memorant; & restitisse tamen contumaciter veritati; quam ob causam accidisse putant, horrendo Dei iudicio, vt vterque biennio post è medio tolleretur, alter confossus in prælio, alter vero mœrore ob repentinũ Zwinglij casum extinctus; quemadmodum & Chore, Dathan, & Abyron, absorptos hiatu terræ deglutierit infernus, cum Moysi restitissent.

LVI. Cæterum varij postmodum sermones, de Marpurgensi hoc colloquio per Germaniam sparsi fuerunt. Lutherani Zuinglium asserebant eò redactum, vt in omnibus de quibus dissidebant, excepto dogmate de Eucharistia Luthero cederet. At Sacramentarij Lutherum à Zwinglio rationibus superatum dictabant. Quod cum Lutherus intelligeret, anno sequente, dum in castro Coburgensi tempore Comitiorum hæreret mandatu Saxonis, vti paulo post dicemus, datis ad Iacobum quemdam, Præpositum Bremensem, suæ fa-

Lutherus epistola demonstrat Zuinglianos frustra ob se deceptum gloriari.

ctionis hominem litteris, historiam rei gestæ breuiter & succincte commemorat in hunc modum: Quod Sacramentarij iactant, me esse Marpurgi victum, more suo agunt. Sunt enim non solum mendaces, sed & ipsum mendacium, fucus, & simulatio: quod testantur Carlostadius & Zwinglius: ipsis factis & verbis suis. Vides autem Marpurgi hos reuocasse in articulis positis ea, quæ de Baptismo, Sacramento rum vsu, similiter externo verbo, & alia, quæ hactenus editis libris pestilenter docuerunt. Nos nihil reuocauimus. At cum victi essent etiam in Cœna Dominica, noluerunt reuocare hunc articulum; etiamsi viderent sese non consistere. Metuebant enim plebes suas, ad quas non licuisset reuerti, si reuocassent. Et qui non vincerentur? cum Zwinglio vnum & totum argumentum fuerit; Corpus non posse esse sine loco & dimensione. Cui ego ex Philosophia opposui, ipsum Cœlum naturaliter esse sine loco, tam magnum corpus: nec dissoluere potuerunt. Oecolampadio vero fuit vnicum argumentum: Patres appellant signum: ergo non est ibi corpus. Multis vero verbis promiserunt, se velle nobiscum eatenus dicere, Christi corpus veraciter esse in Cœna præsens, at spiritualiter tantum: vt eos fratres dignaremur appellare, & simulare ita concordiam, hoc quod Zuinglius palam lachrymans coram Landgrauio & Ordinibus rogabat, dicens in hæc verba: Non sunt homines in terra, cum quibus societatem habere malim, quam cum Wittembergensibus. Summo studio & contentione egerunt, vt viderentur nobiscum concordes, ita vt hanc vocem numquam ex me possent ferre. Vos habetis alium spiritum, quam nos. Ardebant toti, quoties hæc audiebant. Tandem id concessimus, vt in articulo vltimo ponitur, vt fratres quidem non essent; sed tamen charitate nostra, quæ etiam hosti debetur, non spoliarentur. Ita indignissime affecti sunt, quod fratris nomen non potuerunt obtinere, sed pro hæreticis discedere cogerentur: tamen sic, vt pacem interim haberemus mutuis scriptis, si forte Deus illis aperuerit cor. Hæc etiam vera scribo, vt habeas quod mendacibus, si nolint quiescere opponas. Incredibili enim humilitate & humanitate sese gesserunt erga nos: Sed omnia; vt nunc apparet, ficte, vt nos traherent in simulatam concordiam, ac nos participes & patronos facerent sui erroris. O astutum Sathanam! sed sapientiorem Christum, qui seruauit nos. Ego iam desij mirari, si impudenter mentiantur. Video eos aliter non posse, atque glorior isto casu. Videas eos. Sathana regnante, iam non in insidiis, sed palam se mendaciis prodere. Vale. Datæ Coburgi. 1. die Iunij 1530.

Lutherus Catechismum edidit.

LVII. Hæc de concordia sua cum Sacramentariis Lutherus; cui tamen cum seipso ingens dissensio fuit: quam hoc anno duobus editis libellis palam fecit. Primus est Catechismus, in quinque partes distributus. In quarto capite; dum quærit, An infantes credant, & recte baptizentur: ac respondet, Quæstionem hanc ad doctos esse reiiciendam: videtur sibi contradicere, ac baptismum paruulorum in dubium vocare. Nam docuerat alias, quod ad fidem attinet, eam in baptismo adeo necessariam esse, vt non baptizari præstet infantes, quam sine propria ipsorum fide baptizari. Asserimus, inquit contra Cochlæum, paruulos prorsus non esse baptizandos, si verum est, eos in baptismo non credere. Hæc pridem Lutherus ad Waldenses, & in Cochlæum scribens. At hoc loco in Catechismo, non esse positum in eo summum momentum, ait, an baptizandus credat, vel fide careat: propterea enim Baptismum non esse illegitimum. Omnia nimirum ex verbo præceptoque diuino pendere; cum nihil aliud sit Baptismus, quam Dei verbum cum aqua coniunctum. Itaque verum esse Baptismum, tametsi non credat, qui baptizatur. Ponit exempli causa, Iudæum, hominem nequam, qui nec fidem habeat, & peruerso sit animo, baptismum tamen petat. Hic si serio baptizetur, verum, ait, & legitimum esse baptismum. Eodem modo se rem habere cum pædobaptismo. Puerum ea spe deferri ad sacrum fontem, quod fidem habeat, rogarique Deum, vt fidem illi largiatur. Super eo tamen non baptizari puerum, sed super mandato Dei tantum.

LVIII. *Lutherus libellum de bello Turcico scripsit.*

Scripsit deinde alium libellum, de bello Turcico, quem Philippo Hassiæ Landgratio dedicauit. In eo contradicit suæ propositioni, olim damnatæ à Leone X. quæ sic habet. Articulo 34. Praliari aduersus Turcas, est repugnare Deo visitanti iniquitates nostras per illos. In hoc vero libello quem hoc anno edidit, exhortatur Principes, quamquam & frigide, & non sine petulantia conuicisque, ad bellum contra Turcas suscipiendum. Permotum se, dicit, adeoq; coactum, vt hunc librum in publicum emitteret, importunis amicorum quorundam cohortationibus; quibus vel hoc nomine lubentius cesserit, quod in Germania quosdam audiat inuenire futiles & ineptos concionatores, qui populum ab armis contra Turcam capiendis dehortentur; quosdam vero ad eam insaniam prouectos, vt dicant, non licere portare gladium Christianis, vel politicum gerere magistratum; quin Germaniæ populum adeo ferum & agrestem esse (semidæmones, & semihomines eos vocat) vt non desint, qui Turcarum aduentum desiderare videantur. Atque hanc hominum impietatem & malitiam sibi queritur imputari: quasi fructus hic sit Euangelij noui, quod in lucem ipse protulerit: quemadmodum & rusticanæ seditionis inuidiam omnemque culpam ferre cogatur. Hæc in præfatione Lutherus; qui profecto sine causa de concionatorum importunis clamoribus, & impietate populi quiritatur; cum hæc intemperies non aliunde, quam ex scriptis ipsius prouenerit. Et quidem si semidæmones sunt & semihomines appellandi, qui Turcam oppugnari noluat, qui Christianis interdicunt vsum gladij, qui Christianorum Principum gubernationi Turcarum regimen anteponunt: certe Lutherus ipse semidæmon est, & semihomo, qui scriptis suis & impiis dogmatibus, Germanos (populum syncerum, & Catholicæ religionis obseruantem, antequam regio hæc eluuione hæreseon fuit inundata) in semidæmones & semihomines transformauit. Scripsit n. ante aliquot annos, qui contra Turcas arma sumerent, eos Deo repugnare, peccata hominum isto flagello vindicanti. Scripsit, Christianum nec gerere posse Magistratum politicum, nec in iudicio cum quoquam contendere. Scripsit, Turcam Christianis Principibus (quos moriones, & in rabiem actos nebulones appellat) meliorem esse & iustiorem. Nihil mirum igitur, si concionatores ipsius ductum secuti hoc ipsum sparserunt in vulgus, quod prius hauserant ex ipsius scriptis. Neque mirum, si populus ea credidit, si Principibus, furiosis istis nebulonibus recalcitrauit, qui Lutherum vt virum Dei, Prophetam, Euangelistam, Apostolum Germaniæ venerabatur.

LIX. Cæterum in hoc ipso libello, De bello contra Turcas, ita suadet bellandum esse contra Turcas, vt magis absterrere ab eo bello Christianos videatur, quam ad illud incitare. Etenim multis ibi verbis ac foliis queritur, inique damnatum fuisse à Papa Leone X. illum articulum suum. Præliari aduersus Turcas, est repugnare Deo, visitanti iniquitates nostras per illos. Inter multa sane alia, sic ait. Interrogetur rerum experientia, quam prosperum nobis hactenus fuerit, bellum cum Turcis gerere, quando tamquam Christiani & sub nomine Christi pugnamus, donec tandem Rhodon, totamque pene Vngariam, ad hæc multam Germaniæ partem amisimus. Atque vt sentire & palpare possimus, Deum non esse nobiscum ad bellandum contra Turcas: nunquam adhuc dedit Principibus nostris tantum animi aut spiritus in mentem, vt vel semel potuerint serio de Turcico tractare bello; quamuis plerique aut pene omnes Conuentus Imperiales, eam ob causam fuerint indicti ac celebrati. Nusquam enim vult res disponi, aut concludi: vt appareat Deum irridere Conuentus eiusmodi, ac finere, vt Diabolus eos impediat ac gubernet, donec Turca opportuno tempore adrepat, Germaniamq; absq; labore & resistentia disperdat. Quare fit hoc? Propterea nimirum, vt meus articulus quem Leo Papa damnauit, indemnatus efficaxque permaneat. &c. Hæc cum dixisset, multis etiam propositionibus incessit, criminatur, & calumniatur ibi Papam, Imperatorem, Reges, Principes, Episcopos, maxime vero Curiam Romanam. ex quibus 136. extraxit Ioannes Cochlæus: quas cum nimis longum esset referre, satis fuerit vnam aut alteram, exempli causa adscribere. Cæsar, *inquit*, non est caput Christianitatis, neque Defensor Euangelij, aut fidei. oportet sane Ecclesiam fidemque alium habere defensorem, quam Cæsar & Reges sunt. Isti enim sunt ferme pessimi hostes Christianitatis & fidei, sicut Psalmus secundus ait, & Ecclesia omni ex parte queritur. Item, si dixeris, Tam malus est Papa quam Turca, quemadmodum tu ipse eum vocas Antichristum cum Ecclesiasticis & adhæsoribus suis. Et è conuerso, Tam bonus est Turca, quam Papa: Confitetur enim quatuor Euangelia, Moysenque & Prophetas. Si ergo contra Turcam bellandum sit, & contra Papam quoque bellandum erit. Respondeo, negare non possum, Turcam tenere quatuor Euangelia tamquam diuina & recta, sicut & prophetas tenet. Multum præterea iactitat & Christum, & matrem eius: verum tamen credit suum Mahumetum esse supra Christum. Sed Deus & Turcam & Papam simili percutit cæcitate, vt fiat eis, quod Paulus Rom. 1. dicit de peccatis contra naturam. Tam cæci enim ac furiosi sunt ambo, Papatus & Turca, vt ambo committant peccata multa absque pudore, velut rem honestam atque laudabilem. Hæc, & id genus multa, per improbissimas & impudentissimas calumnias conijcit Lutherus in Papam, Cæsarem, Reges, ac Principes Christianos, vt suadentium bellum in Turcas eleuet authoritatem, potiusque in eos, quam in Turcas arma vertat; maxime cum ibidem concludat dicens. Qui habet aures audiendi audiat, & à bello Turcico abstineat, donec nomen Papæ sub cœlo valet. Hunc libellum Lutheri, Cochlæus recensuit, & Dialogum contra illum composuit, in quo bicipitem Lutherum factum demonstrauit, ex cuius ore calidum & frigidum, bellum scilicet in Turcas suadeatur, & prohibeatur. Edidit & hoc ipso tempore idem Cochlæus Latine haud ita breuem librum, qui inscriptus est, *Septiceps Lutherus*. Quem ob duas potissimum causas nonnisi ex diuersis Lutheri opusculis tum Latinis, tum Theutonicis, in vnum collegit. Nempe & propter Concionatores & Catholicos, vt ij quouis proposito Themate, Lutheranos facile per propria scripta Lutheri absque longæ disquisitionis labore ac tædio, conuincere atque reprobare possint: & propter externas nationes, vt viri docti linguam Germanicam non callentes, in futuro Concilio haberent breue compendium, ex quo intelligerent, qualia Theutonice scripserit Lutherus, atque eum facilius velut seruum nequam, de ore proprio iudicarent. In præfatione eius libri Cochlæus, ista habet ad notationem digna. *Cogita, quæso Lector, quam periculosum sit, illi firmiter adhærere, & ab illius parte stare, qui tam instabilis vbique est in seipso: aut ei plus quam toti Ecclesiæ credere, qui toties contradicit, & non credit sibi ipsi, ac se proprio iudicio condemnat, & mendacem reddit. Ipse quidem Sacramentariis Suermeris, nunc aduersariis, paulo ante dilectissimis fratrelis, filiolisq;, & aureis amiculis suis, triumphabundus obiicit: Ibi mera esse & mendacia & dæmonia, vbi tanta reperiatur eorum de re vna diuersitas, vt pote circa Eucharistiæ Sacramentum. Quanto, obsecro, iustius nos idipsum obiicimus ei, qui cum sit in substantia individuum vnum, seipsum in septem capita contrariis assertionibus diuisit? Multa quidem peperit olim monstra Africa, sed mirabiliora nunc parit monstra Germania. Quid enim monstruosius, quam in vno cucullo residere tot capita, inter se tam contraria atque dissimilia? Quid ad hæc Janus bifrons? Quid Geryon triceps? Quid Cerberus trifauis? Fabulæ sunt Poetarum & iocosa figmenta. At Septiceps cucullus, imo cucullatus iste Draco noster, nimium verè ac serio septem capitibus Germaniam confundit, ac pessimis venenis lethaliter afflat atque corrumpit. In vetere quidem Christianismo, multitudinis credentium erat cor vnum & anima vna. In nouo autē Euangelio Lutheri, dissecatur cor & caro vna in corda & capita multa: vt non solū diuersi diuersa sentiāt, sed & vnus arroget sibi sensus & capita multa. Nos quidē breuiter septē elicuimus, qui inuite ac grauu cum tædio nauseaque Lutheri libros legimus. At si quis plura in eis desideret, siue monstra, siue capita, modo excutiat ac perlustret paulo diligentius, inueniet proculdubio multo plura & mirabiliora, & ea quidem vsque adeo absurda, impia, blasphema, vt homo pius ac timoratus, neque lingua eloqui, neque mente cogitare, atque reuoluere sustineat.* Hæc Cochlæus de varia, aduersaria, & contradictoria Lutheri doctrina, ex propriis Lutheri scriptis: vt omni certe lachrymarum fonte plangendi sint, qui tam varium, & ipso quoque Proteo mutabiliorem hominem, in grauissimo religionis negotio sequi non dubitarunt: maxime vbi cum inconstantiæ doctrinæ coniunxerit, seu inuexerit morum omnem licentiam: adeo vt Erasmus, hoc anno 1529. habuerit libellum vulgare contra hos qui se Euangelicos, Lutheranos vocant; in quo inter alia quamplurima testatur, *nullum se nouisse ex illis*, nempe Euangelicis, *qui non seipso videa-*

tur esse

morat. lib. 6. Surius in Comment. Vlembergius & Cochlæus in Luthero. Constit. Imper.

LX. *Malta siue Melita Insula Rhodiis inhabitanda conceditur.*

Hoc anno milites Rhodij, quibus olim Hierosolymitanorum S. Ioannis, subinde autem Rhodiorum cognomen fuit, ab occupatis nimirum illis sedibus, diu vltro citroque circumuagati, ac in Italiam longis nauibus deuecti, tandem censente ac innuente ita Pontifice Maximo, consentiente porro Cæsare, in Melitam Insulam, tamquam commutata colonia commigrarunt. Ea maris Mediterranei insula, quæ ex parte Africam respicit, atq; Camarinam ciuitatem, satis lato ab Sicilia mari, periculosoque disiuncta est circiter LX.M. passuum, cui ambitus pari interuallo prope describitur. quo loci, quia sedes posuerunt, Melitenses milites iam vulgo appellantur, vnde ex occasione egredientes, maria omnia lustrant: & piraticam facientibus barbaris, tum Reipublicæ Christianæ hostibus Turcis naualibus præliis sese opponunt. *Ludouicus Guiciardinus Comment. lib. 1.*

LXI. *Eremitæ sub inuocatione S. Hieronymi moderationē statuum regularium petunt.*

Eodem anno, Eremitæ sub inuocatione Sancti Hieronymi Confessoris, ante quinque annos, in Dalmatia, ab Iacobo Pauone & Ioanne Stafileo Sebenicensi Episcopo instituti, cum tria vota, paupertatis, castitatis, & obedientiæ quæ sponderant, integra sibi esse vellent, sed in cæteris legibus, austeritatem vitæ respicientibus, moderationem nonnullam flagitarent, Pontifex datis litteris die 27. Decembris, Ioanni Petro Caraffæ Episcopo Theatino commisit, qui postulationibus auditis, quod ex re videretur statueret. Cumque Hieremias Quirinus id temporis Patriarcha Venetiarum, contra Græcos Venetos conquestus esset, quod non modo Concilij Florentini decreta non obseruarent, verum etiam multa contraria blatterarent, & in his, de processione Spiritus Sancti ex Patre Filioque aduersaria docerent, Orthodoxosque criminarentur, Pontifex eidem Caraffæ, vt his obuiam iret, remedium quæ opportunum adhiberet, datis litteris præcepit. Et quia antecedentibus temporibus, formulæ recitandi diuina & sacra faciendi, (Breuiarium ac Missale vocant) fere in singulis non tantum prouinciis, verum etiam nationibus & diœcesibus diuersæ fuerant; & in his libri quoque Romani, à licentia exscriptorum multis, quæ correctionem exposcebant scatere videbantur; cui quidem Franciscus Quignonius Cardinalis manum admouere volens, ex Breuiario Breuiariolum, quod S. Crucis vocabant, confecerat, Ecclesiæque vtendum obtrudebat; hoc vero, vt Sotus lib. 1. de iustitia & iure. & lib. 10. qu. 5. artic. 4. memorat, fere nemini, præterquam aulicis, & solo nomine Ecclesiasticis placeret; Pontifex exemplo prædecessorum suorum, Damasi qui Sancto Hieronymo, Adriani Primi & Leonis Tertij, qui Alcuino, Alexandri Quarti, qui Haimoni Anglico, ritus & formulas eiusmodi vt prescriberent; in iunxerant; Patribus Theatinis, qui de tam necessario opere conficiendo consilium inierant, permisit libros Breuiarij Missalis, & Rituales quos vocant, inprimis quidem ad eorum priuatum; deinde si res pro dignitate confecta fuisset, ac publicum quoque vsum transferendos, componere. Ita scribebat.

Clemens Papa VII.

Venerabili Fratri Ioanni Petro Episcopo Theatino, & dilectis filiis Caietano Presbytero Vicentino, ac eorum sociis & successoribus Clericis Regularibus nuncupatis.

Venerabilis Frater, & Dilecti filij, Salutem & Apostolicam benedictionem. Exponi nobis nuper fecistis, quod postquam vobis alias Clericalem & exemplarem vitam sub emissione trium votorum substantialium in habitu Clericali ducere, ac in commune & de communi viuere cupientibus, id inter cætera, nec non aliquas super Missis, & aliis diuinis officiis celebrandis, ordinationes & constitutiones dummodo licitas, honestas & rationabiles, ac bonis moribus & sacris Canonib. non contrarias faciendi, & secundum illas easdem missas & officia recitandi & celebrandi concessimus; prout in aliis nostris sub Annulo Piscatoris litteris desuper sub die 24. Iunij Pontificatus nostri anno primo confectis plenius continetur. vos religionis, & diuini cultus honore, ac feruore succensi, Missas, & diuina officia, quibus nunc sancta Romana Ecclesia vtitur ad certum modum, vt quidem vobis videtur decentiorem, sanctorumque Patrum, ac sacrorum Canonum statutis conuenientiorem, magisq; aptum profectui celebrantium & deuotioni audientium excogitastis, quem componere desideratis, Nobis, & Sedi Apostolicæ postea offerendum, vt ex illius inspectione, an publico Ecclesiarum vsui tradendus sit, decernere possimus. Verum sicut eadem vestra expositio subiungebat, quia non facile ad compositionis huiusmodi effectum & completum deuenire posse speratis, nisi per ipsius modi per aliquod tempus tractationem, & obiectorum a vobis compositorum recitationem, ex qua, & vsu ipso, multa a vobis videri & animaduerti, & animaduersa corrigi, & mutari possent, cupitis propterea vt experientiam ducem & Magistram habeatis; Missas & alia diuina officia huiusmodi, iuxta modum a vobis repertum, & in Choris & Ecclesiis vestris celebrare & recitare. Quare pro parte vestra nobis fuit humiliter supplicatum, vt vobis id faciendi licentiam ad annum concedere, vosq; interim sic recitantes, & celebrantes, à celebratione & recitatione Missarum & officiorum diuinorum iuxta consuetum S. R. E. morem facienda, & à recitatione officij B. Mariæ Virginis, etiam per vos compositi, attenta occupatione vestra, & longiori officio interim à vobis celebrando absoluere, aliaq; desuper vobis opportune prouidere de benignitate Apostolica dignaremur. Nos igitur in te præcipue Frater Episcope sperantes & confidentes, quod pro tua doctrina, prudentia, & pietate, nihil nisi pium & Canonicum, laudabile, & professione vestra dignum in hoc ages, agique à tuis fines, vobis omnibus & singulis vestrum duntaxat, vt Missas & diuina officia, iuxta modum per vos excogitatum, & componendum, in Choris & Ecclesiis vestris, per annum duntaxat à dato præsentium computandum celebrare, & recitare ad Dei laudem, libere & licitè valeatis, interimque ad celebrationem, recitationemque Missarum & officiorum huiusmodi, iuxta consuetum Romanæ Ecclesiæ morem faciendam minime teneamini, nec officium B. Virginis etiam per vos compositum per dictum annum recitare ex præcepto obligemini, sed ab omni alia onere alter celebrandarum missarum, & recitandorum officiorum per dictum annum tantum, prorsus exempti, liberi, & absoluti esse censeamini, auctoritate Apostolica tenore præsentium concedimus, & indulgemus, ac vobiscum super quouis voto, obligatione & professione per vos factis, ad effectum præsentium dispensamus. Volumus autem, vobisque in virtute sanctæ obedientiæ inhibemus, ne dictum modum per vos componendum alicui alteri vt eundum & legendum tradatis, antequam ille per vos ad nos missus, & à nobis, & ab hac sancta sede fuerit Canonice approbatus. Non obstantibus præmissis, ac constitutionibus & ordinationibus Apostolicis, cæterisque contrariis quibuscunque. Datum Romæ apud S. Petrum sub annulo Piscatoris die 5. Ianuarij 1529. Pontif. nostri anno 6. Blosius. Antonius Caracciolus in vita Pauli IV. MS. Possevinus in Atmone. Fierbertus lib. de Academ. Oxon. Tuffellinus lib. 4. vitæ S. Francisci Xauerij cap. 7.

LXII. *In India occidentali Regna Peruana Fr. Dominicani Christianis legibus subiunt.*

Eodem anno & consequentibus, in Occidentalibus Indiis, apud amplissima & ditissima regna Peruana, tam lingua vniuersali Ingarum, quam Quichuacensi, Fratres Dominicani Christi legi innumeros Gentiles subdiderunt, atq; in prouincia Peruensi S. Ioannis Baptistæ, sexaginta & tres domos præter 23. Cœnobia, quæ Prioratus vocantur erexerunt: in quib. demorantes Prædicatoriæ familiæ Apostolici viri, plurimum in Indorum catechizatione laborauerunt: potissimum vero in vallibus Chinchensi, Chicamensi, Guaillensi, Atunxaurensi, & apud populos Chiriguanaenses. Item in prouinciis Yauyensi, Parinacocheusi, & in aliis pluribus nationibus, quas longum esset recensere. Fratres qui hoc anno missi ad Indias Peruanas fuerunt, dicebantur. F. Vincentius à Valle viridi Marchionis Francisci Pyzarro, Peruæ expugnatoris cognatus propinquus, qui postea primus extitit Episcopus in Peru Cusquensis: F. Thomas de Sancto Martino, qui primus fuit Episcopus Charcensis: F. Petrus Vlloa: F. Reginaldus Pedraza: F. Alfonsus de Montenigro, & Fr. Dominicus de S. Thoma, qui post Thomam de S. Martino fuit Episcopus Charcensis. *Antonius Herrera Decad. 4. lib. 5. ca. 5. Petrus Cieza 1. part. cap. 121. Antonius Lusit. in Chron.*

LXIII.

Thomas Bozius, plurima in compendium retulit, de Indicis missionibus, quæ hac tempestate, superioribus & sequentibus annis contigerunt. Primus Euangelij præco fuit Bucil Catulanus ex Ordine Sancti Benedicti, quem Papa Alexander Sextus Sacerdotibus XII. præfecit, suasque in Indiis Occidentalibus illi partes mandauit: vt memorat Fumus in histor. Gallica Indiarum Occident. lib. 1. cap. 2. In Mexicanis partibus Martinus Valentinus anno 1524. missus, adiunctis sibi sociis multis ex familia Sancti Francisci, innumeros Christo populos acquisiuit. In insulis Philippinis datus est Episcopus primus Dominicus Salazarius ex Ordine S. Dominici: & in eis sunt Collegia Sanctorum Augustini,

Domi-

India à Dominicanis ad fidem conuertitur.

Dominici, Francisci & Societatis Iesu, quorum peruigil studio innumera hominũ multitudo Christianæ religioni quotidie adiungitur. Insula S. Francisci quæ non longe abest à tropico Cancri, habet Archiepiscopum, cui multi parent Episcopi minores, familiasque cuiuslibet ordinis religiosorum, quorum studio effectum est, vt nemo in illa, & insulis proximis, vt Cuba, cuius longitudo est graduum XI. Iamaica, & multis aliis, qui Christi nomen non agnoscat & colat. In Peru, quod est amplissimum regionis Americæ regnum, primus est creatus Episcopus Vincentius è valle viridi ex Ordine S. Dominici, qui postea in Insula Puna, dum Christi doctrinam prædicaret, ob id ab Indis occisus est. Cuzco similiter, quæ est vrbs Metropolis Peruanæ prouinciæ, attributus Episcopus, cui ciuitates innumeræ & oppida obediunt, post Vincentium Io. Solanus instituti Dominicani; in qua vrbe Ioannes Olias Collegium familiæ Dominicanæ, Sebastianusque Franciscanæ primi ex omnibus constituerunt. Ex illis plurimi religiosi prodierunt, & Catholicam pietatem latè propagarunt. in ciuitate quam vocant Pacis, quæ Episcopi Cuzci est hodie subiecta, Franciscus ex Angelis monasterium S. Francisci primus fundauit. In Cinquito primus monasteriũ Dominicanorum excitauit Thomas è Sancto Martino. In villa argenti ante alios Collegium S. Francisci erexit Hieronymus. in Chiquana aliud Dominicanorum Martinus Squinellus. aliud etiam religiosorum, quos Mercedis Hispani vocant, Sebastianus; ex quibus plurimi in varia loca dispersi, plurimos Ecclesiæ Catholicæ ab impiis & omnino ferinis moribus auocatos adiunxerunt. Vrbi Regum primus Episcopus est assignatus Hieronymus Ayfa ex Ordine S. Dominici. Is est Archiepiscopus, cuius ampla est in multos Episcopos iurisdictio. In hac vrbe primus familiam Franciscanorum constituit Franciscus è sancta Anna, Dominicanorum Ioannes Osias, aliamque Michael Orensis. Petrus Villoas duas religiosorum Domos fundauit, alteram in Arequipa, quæ Episcopo Cuzcoparet, alteram in ciuitate Leonis Guanuci, ambas Ordinis S. Dominici. Vrbibus S. Francisci in Quito, & S. Michaëlis portus veteris, delectus fuit primus Episcopus Garzias Diaz Arias. In hac autem prouincia Quiti Alfonsus è Montenigro excitauit Monasterium Ordinis S. Dominici. Martinus è victoria excitauit aliud ex Ordine Mercedis; Ludouicus similiter Belga, aliud Franciscanorum; & ex his, quasi quibusdam doctrinæ & sanctimoniæ castris, procedunt variæ ad profligandas impietates & belluinos hominum mores, Christiani exercitus acies inuictæ. Trusillum patet hodie Episcopo Cuzci, vbi monasterium Franciscanorum fundauit Franciscus à Crtice; & aliud Mercedis, Ioannes Vlloa. Regioni Popaian amplissimæ, præpositus fuit Episcopus Ioannes à Valle. Per hoc in latissimi Imperij Peruani regionibus longe amplificata est fides Christiana, & eousq; amplificatur atq; excolitur. *Bozius de signis Eccl. lib. 4. c. 3.*

Huius anni autumno, pestilens quidam ac lethifer morbus erupit, qui non solum per Belgium, atque infernates Teutones manauit, sed etiam superiorem Germaniam transcendit. Hunc vel amotarum indicio, vel ab efficientia potius Sudoriferum vulgo vocitabant: quippe correptos affectosque eo morbo, vberior quædam atq; insolita desudatio prodebat: ex quo sudore cũ cohorruissent, vehementissima febri alte in fibris abdita, magnum in modum iactabantur, ita vt non integro vertente se die naturali, quantumuis licet, bona valetudine firmaque corporatura ante fuissent, doloribus distracti protinus emorerentur. quod tabum, licet horarium, acerbe quoquo versus pergrassando ingentem hominum stragem promiscue fecit, magnumque terrorem orbi incussit. Sudorem Angelicum, quod cœlitus, ad vindicandam religionis mutationem, immissum malum fuerit, appellabant. Antuerpiæ tridui spatio, quadringentos aut quingentos homines extinctos testatur Erasmus *lib. 26. epist. 56.* Itaque cum solennem supplicationem Clerus, Senatus, ac populus Antuerpiensis, ipso die S. Michaëlis, placando Deo instituisset, subito malum serpere desiit. In cuius beneficij memoriam etiamnum quotannis isto die solennem Antuerpienses celebrant supplicationem. *Aubertus Miræus in Chron. Ludouic. Guicciard. lib. 1.*

LXIV. Illud publicum beneficium à supplicationibus fuit, hoc quod adiungo priuatum à priuatis precibus. Annno Domini 1529. mensis Nouembris die 19. peregrè inuisebant venerabile Sacramentum Bruxellas, herois Ioanna à Duffule, annos nata circiter vnum aut viginti duos, nondum nupta virgunculæ, filia herois Iacobi à Duffele Licentiati, Vice præfidis præfecturæ Louanien sis, apud Brabantos, vna cum nouerca, aliisque item duabus comitata dominabus, iisque cognatis. Hæc nimirum Ioanna à Duffele misere circum præcordia diuexabatur, ex æquo manca & claudicans in brachio, in manibus denique & in pedibus, cum pes alter altero contractior breuiorque foret, amplius trimestri spatio, ita vt in suris crurum tenus nerui contracti rigescerent, perinde ac si prægrandes fides fuissent, quem porro morbum ex diutina contraxit ægritudine, qua iampridem laborauerat, ac id temporis etiamnum laborabat. Ingressæ Bruxellas, in ædibusque Gasparis Longeuillæ herois hospitio exceptæ, Ioannam à Duffele sedili gestatorio insidentem à duobus viris curarunt perferendam in templum Diuæ Gudilæ sacrum: quandoquidem vno scipione non admodum bene sine alicna ope posset perreptare. Aduectam igitur, Venerabili Sacramento, præsentibus quas dixi comitibus, ægre quidem, sed tamen in gradum è regione SS. Sacramenti collocarunt. Quæ ibidem, quum ad interuallum trium precationum Dominicarum desedisset, contemplando, iuxta ac orando diuinissimam Eucharistiam, extra se posita, suique impotens facta, nullum sensus indicium ederet, ita spatio decem aut duodecim precationum Dominicarum humi procubuit. Deinde sibi restituta, citra vllius auxilium in pedes consurrexit, haud aliter recta incedens, ac si numquam laborasset infirmitate valetudinis aduersæ: accidensque in genua coram venerabili Sacramento, proxime loculamentum, siue, vt vocant, armarium Eucharistiæ, amare, flebat, agens gratias Deo; alloquendoque Ioannem Bolaert Sacerdotem, custodemque eiusdem Sacramenti ibidem hærentem excipiendas oblatiuncula, hãc verborum formam, protulit: Domine, non sum digna accipere eam, quam erga me Dominus noster Iesus Christus ostendit gratiam, equidem ego in totum, laus Superis, reualui. Aderant tum circiter centum homines, quorum plerique omnes præ lætitia lachrymabantur. Ioanna autem herois ipsa suis pedibus recta in id, quod supra diximus, hospitium, vadique sanata à claudicatione, cæterisque aliis languoribus properauit. Quæ natali Diuæ Catharinæ eodem reuersa, in gratiarum actionem, Sacrosanctam percepit Eucharistiam; & vna cum patre, reliquisque cognatis, Missæ, in honorem venerabilis Sacramenti, eodem die ibidem maximo apparatu, pro peruetusto more cantantæ, interfuere. *Theodoricus Loer Carthusianus Colonien. in libello de eo miraculo, ex Notariorum publicis instrumentis conscripto & anno 1532. in lucem edito.*

Bruxellis 2. Ægræ matronæ inuocatione ven. Sacramenti sanantur.

LXV. Illud à cultu diuinissimi Sacramenti, duo quæ adiungo ab inuocatione SS. Deiparæ Montisserrati, quæ hoc tempore contigere. In Comitatu Fuxensi, oppido Varillensi, diœcesis Apamiensis, aliquis ab aduersario, quo cum vetus illi hostilitas, impetitus, in gutture confossus, citam expectabat mortem: quam vicini homine collecto, & in lectulo repositio, variis vnguentis & fomentis frustra auertere conati fuissent; nisi mater misericordiæ ab illo inclamata, noctu apparuisset, plagam manu medica tetigisset, & tandem cicatrice obduxisset, vitamq; plane moribundo restituisset.

B. V. Montisserrata miracula patrat.

Ioannis quoque Municij Hispani filius, è naue Barcinonem Valentia pergente in mare excussus, & iam prope quod nauis velis inflata cursum teneret, deploratus; ad preces Virgini à patre porrectas, cum iam amplius vna hora in vndis, vel super vndas manu aliqua miraculosa sustentatus fuisset, vitam eidem virgini debet: quandoquidem post illas demissas preces, vento conuerso, velisq; retrorsum actis, nauis eo adproperauit, vbi puerum cecidisse constabat; vt periclitantem educeret. *Aſtolphus lib. 12.*

LXVI. Hoc anno diem clausit extremum in Germania, eques Rudolpus ab Ehingen. Auctor annalium Sueuicorum memorat, huic quodam tempore Eckam versus proficiscenti, in sua iuxta Kilbergam sylua factum fuisse obuiam ceruum, qui videbatur habere Crucifixum, cornibus suis mire internatum. Quo in loco ille Sacellum, & Fratrum ædiculam, ad Dei honorem ædificauit. *Annal. Sueuic. lib. part. 3.*

LXVII. Hoc ipso tempore, in Scotia viuebat Ioannes cognomẽto Scotus,

Ioannes Scotus magnus in Scotia iesuinator.

Scotus, ad prodigium iciunator. Hic postquam omne fere vitæ curriculum in exteris nationibus, Anglia, Francia, Italia, terraque sancta religionis ergo peragrando contriuerat, in Scotiam appulit. quem cum in vulgus spargeretur, quadraginta continenter dies, nocteſque tam arcte in iciuniis apud exteros confeciſſe, vt nullam quomodocumq; cibi particulam, aut potus guttulam, qua languentes corporis vires reficerentur, delibauerit, Rex Iacobus facti sanctitatem laudat, ac raritatem admiratur: verum id tamen, aut à Ioanne ipso, aut ab alio quoquam confici posse difficulter credit. Attamen quod res omnium sermone, constantissimaque fama protrita erat, Rex voluit ad fidem tam præclaro facto faciendam, ac dubitationem ex animo suo omnem penitus reiiciendam, eiusdem rei periculum etiam domi fieri. Iubet ergo hunc Ioannem in turrim Dauidicam Edinburgi includi, vigilesque constituit, qui attentissima cura continuò obseruarent, ne esculenti, aut poculenti tantillum quidem, quo iciunij asperitatem leniret, aut corporis languorem refocillaret, quacumque ratione ad illum importaretur. Quadraginta Ioanni dies sine vllo aut cibi, aut potus genere in tam arcta vigilum custodia, postquam effluxerant, quod foris factum prædicabant exteri, id domi repetitum stupentes admirabantur Scoti. Multus multorum de hoc iciunio fluxit sermo, partim ex singulari sanctitate factum admirantium, partim quasi ex frenesi, qua nonnullis videbatur percitus, profectum irridentium. Sed vt vt sit, licet quorundam fuerit ad sanctissimi viri laudem imminuendam acerbior oratio, multi tamen boni viri constanter asseuerabant, illum prophetico spiritu diuinitus afflatum, multa de religione Catholica, apud Scotos euertenda, ac non multo post restauranda prædixisse. *Leslæus de rebus gestis Scotorum lib. 9.*

In carcere à Rege Scotiæ tentatur vt Iesuitij fidem probet.

ANNO CHRISTI
M. D. XXX.

CLEMENTIS PAPÆ VII.
ANNO 7. & 8.

CAROLI V. ROM. IMPERATORIS
ANNO 11.

I. *Rex Pontificem inter & Cæsarē Bononiæ solenni ritu constituta.*

ALendis Ianuarij, solenni ritu sacris, coram Pontifice & Cæsare, in Basilica Petroniana, Bononiæ peractis, ab incredibili hominum frequentia, exoptatum afflictis Italiæ populis, insperatæ nomen pacis exceptum est; Venetis Cæsari reconciliatis, & Francisco Sforcia Duce Mediolani in pristinum restituto imperium. Præsentes, Clemens Pontifex, & Carolus Cæsar, orantis Romuli Amasæi viri eloquentissimi voce, Christiani nominis Conseruatores, ac Optimi Maximi Italiæ Parentes appellati fuêre: obortas præ gaudio lachrymas vix tenentibus omnibus qui audiebant viris togatis; cum præter optimos ciues & sanctissimos Sacerdotes adessent Legati Regum omnium, Galliæ scilicet, Britanniæ, Lusitaniæ, Sarmatiæ, Bohemiæ, Pannoniæ, Scotiæ, Daniæ, Veneti Senatus; Item Allobrogis, Ferrariensis, Mantuani, Vrbinatisque Regulorum, ac liberarum etiam Vrbium, Genuensium, Senensium, Lucensium, cunctique demum Proceres ac Principes, ipseque inter alios Franciscus Sforcia, honoris causa sessum in postremos Cardinales receptus. Hæc dies, ærumnis omnibus finem, tranquillitati vero initium allatura videbatur. Iuit inde fama per vrbes Italiæ externasque prouincias; admirantibus omnibus Veneti Senatus in gerendo bello constantiam, in appetenda pace studium, in conuentionibus moderationem, in restituendis quæ vel Ecclesiæ, vel Regni, vel aliorum fuerant promptitudinem & facilitatem. Clementis quoque iudicium celebrabant, quod desperatæ pacis conficiendæ implicatum turbidumque negotium generose susceperit, grauiter appositeq; tractarit, prospere & salutariter confecerit, industria vehementi, ac inusitata felicitate, quam eximiis laudibus in cœlum ferebant. Cæsarem quoque vti vere Imperatorem, quod omnibus proferendi imperij cupiditatibus imperaret; vti verè victorem, quod seipsum aliis parcendo præclarè deuinceret; vti verè liberalem, munificum, largitorem, quod regnum dare quam accipere maius & pulchrius existimaret, eximio quodam genere gratulationis & laudis prosequebantur. Soli mortalium veterani, quibus natura odiosum pacis nomen esse consuevit, molestè & insolenter ferebant id inexpectatum; & propterea clarissimum Cæsaris factum vehementer dolebant, ac inuidia commouebantur, quod perpetuâ belli commoda, & victoriarum præmia, eo importuno pacis nomine perderentur. Summa tamen Cæsaris æquitate & liberalitate, hortatuque Pontificis, Hispanorum & Germanorum copiæ ex agro Brixiano Mediolanensique deductæ sunt, decretis primum præmiis Antonio Leuæ, ac Alfonso Daualo Vastio, minoribusque ducibus, qui Insubriæ bello fortissimam operam nauassent. Quo tempore Florentini ex iis quæ Fauentino Episcopo tractata fuerant, spem capientes, iterum Oratores ad Pontificem & Cæsarem, sed cum mandato, ne quid quod ad Reipublicæ statum immutandum imperiumue minuendum pertineret audirent, miserunt: sed quum in præcipuo capite dissentirent, nec aditum ad Cæsarem impetrare potuissent, mox re infecta Florentiam redierunt. Erant autem Florentiæ nouem decemue ad summum vtilium militum millia; verum stipendia in plusquam 140. M. pendebantur. Itaq; milites magno studio & fide vrbem tuebantur. quos vt tanto magis in fide cõfirmarent, duces omnes in S. Nicolai templum conuocati, peractis sacris ad vrbem ad extremum spiritum vsque propugnandam, coram Malatesta solenni Sacramento sunt addicti. Solus Neapolco Vrsinus Braccianum rediit, resque suas cum Pontifice & Cæsare composuit; & vt nonnulli centuriones à se missi Florentia discederent, operam dedit. At Pontifex nihil quò exoptatum finem consequi posset prætermittens, vt Galliæ Rex Claremontium, ad pacem, filiorum recuperandorum gratia necessariò contractam; quodque vt ipsi fœderis participes essent, effici nulla ratione potuisset, excusandum; eosq;, vt quascumque conditiones, modo vtiles essent & libertatem conseruarent, amplecterentur cohortandos, sua fere in eo negotio opera oblata, mitteret effecit: qui etiam Malatestæ, & Stephano Columnæ tamquam Regius ministris, cum obtestatione vt Florentia discederent (etsi clam & seorsim aliud ageret) imperauit. Quod autem magis Regis existimationem minuit, ac Florentinum populum terruit, fuit, quod vt Pontifici & Cæsari gratificaretur, Velium suum apud Florentinos Oratorem reuocauit: sed tamen ne eos omni prorsus spe spoliaret, Æmilium Ferrettum velut priuatum reliquit; leque, vbi filios recuperasset, eis opem clam laturum recepit: & parum etiam abfuit, quin Florentinorum Oratorem ab aula sua discedere iuberet. Pontifex enim omnibus artibus vtens, purpureum galerum Franciæ Cancellario per Tarbensem misit; ac non multo post eundem Galliæ Legatum constituit: cuius etiam opera, vt Cæsar & Galliæ Rex & ipse Taurinum conuenirent, sermonem introduxit. Verum Tarbensi in Regio Senatu responsum est, stultum esse, dum filij captiui essent, Regem quoque ipsum carcerem quærere.

Florentinorum legati à Cæsare denuo reiecti.

II. *Venetorũ legati à Pontifice & Cæsare honorificè excipiuntur*

Per eosdem dies Senatus Venetus omnium quas vnquam emisisset, ornatissimam legationem ad Pontificem, Cæsaremque transmisit. In ea fuere Marcus Dandulus ætatis honore, & optimorum studiorum gloria facile princeps; itemque Aloysius Mocenicus summæ grauitatis patricius, & Memphytica ad Selymum legatione clarissimus, & Hieronymus Gradenicus vetus Senator, qui Romæ apud Adrianum legatus fuerat. Porro Laurentius Bracadenus florentis eloquentiæ Philosophus & Nicolaus Teupulus grauissimarum artium, & Etruscorum carminum laude celebratus, & Antonius Surianus vir eximio rerum vsu, & doctrina præditus singulari, & Gabriel Venerius vir prudens, efficax, assiduus, constans, qui Sforciæ difficillimis temporibus semper affuisset; postremo Gaspar ipse Contarenus Venetorum ab excellenti virtute lectissimus. Erant in lato clauo, vel aureo, vel purpureo, ad humeros fibulato, torquati ferme omnes, & à quodam augustæ grauitatis habitu

biles. Pontifex eis Senatum dedit, aduocatis etiam minoribus aulæ Sacerdotibus; & triduo post Cæsar, in peramplo conclaui constituta sede, Proceribus circumseptus eos suscepit. Bracadenus vtroque in loco orationem habuit splendidam, grauem, luculentam, exquisito laudum genere plenissimam, qua gratias nomine Senatus agebat, quod optatissimam pacem turbulentissimo tempore Christianis fere omnibus peperisset; offerebatque Venetas opes, si quid egregium, & summis Christiani nominis Principibus dignum, concordib. animis agitarent. Bracadenus Pontificem summis laudibus extulit, quod excelso spiritu, perturbatæ ac labantis Christianæ Reipublicæ causam suscepisset; afflictis & prope perditis rebus opem attulisset: nihil præclarius, nihil sublimius ab eo, qui Christi vices in terris gereret, ad vberius omnium commodum proficisci potuisse, quam vt aureo pacis vinculo discordes, ac dissidentes Principum mentes vinciret & conciliaret; tum quod Reipub. Venetæ inprimis de Christiana religione optimè meritæ studiosè fauisset: quodque illius ope assiduis bellorum curis, ac solicitudinibus libera, præsenti tranquillitate & pace frueretur, id illi acceptum ferret. Cæsari vero, ingenti Rempublicam lætitia affectam fuisse significauit; tempus illud quod summè concupiuerat aduenisse, quo propensum in illum studium arctiori fœdere testaretur; quæ superioribus annis acciderint, necessitate temporum contigisse; illorum malignitate ad arma descendisse: ægre tempestatum illarum casus Rempub. tulisse; nunc vero controuersiis vndique amputatis, firmata pace, vt illam indies maioribus præsidiis fultam tueretur, enixuram: nihil potius Senatui in votis esse, quam vt vetus inter nobilissimam Austriacam domum, ac Rempublicam amicitia maiora incrementa sumeret. Latine oranti, continuò per vtriusque Principis epistolarum Magistros, qui erant, à Pontifice Euangelista Tarasconus, à Cæsare Mercurinus Cardinalis, breui Latina oratione fuit responsum.

III. *Pontifex & Cæsar expeditionem Florentinam promouere statuunt.*

Pontifex postea & Cæsar, vt ex propinquiore loco expeditionem contra Florentinos promouerent, Senam se transferre decreuerant. Cæsar quoque Romam diadematis Imperatorij causa ire destinabat, vbi superiores Cæsares tamquam in sanctissima sacrorum Sede, & felici nationum omnium domicilio, vrbeque ipsa veteris imperij honore antiquorum triumphis, & stupendis supremæ fortunæ monumentis longe clarissima, coronas legitimo iure suscepissent. Sed quum iam discessuri essent, litteræ ex Germania, quibus Cæsar vt in eam prouinciam se transferret vrgebatur, sunt allatæ. Vrgebant enim id Septem-Viri Augustales, cæterique Principes Comitiorum causa: Ferdinandus, vt Rex Romanorum appellaretur; reliqui vero Concilij Generalis causa. Nonnulli etiam erant pacandi reguli, qui ad arma consternati bellum quam pacem malle videbantur; aliquæ etiam liberæ ciuitates confirmandæ, quæ se ad Helvetios certo percusso fœdere contulissent: & denique Pannonicis rebus occurrendū, quoniam Ioannes Vayuoda, quem Regem Solymanus Budæ statuerat, magnam regni partem obtineret, fretusq; ingentibus Turcarum præsidiis, ad prima veris signa in Noricum irrupturus esse crederetur. Sed & cuastatæ Romæ & nondum nouis commodis subleuatæ calamitosa tenuitas, & opulentæ supellectilis ornamentorumq; penuria Cæsarem auertebant, quamuis Romani eius spe aduentus, ab omni tristitia & sordibus ad lætitiam veteremq; magnificentiam & splendorem reuocati viderentur. Ergo Bononiæ subsistere placuit, ad inaugurationis solennia peragenda. Euocatis omnib. Regulis deligitur Iouis dies, sexto Calend. Martias, Diuo Mathiæ Apostolo dicatus, qui erat Natalis Cæsaris, semper ei faustus, & Ticinensi etiam victoria lætissimus. A mediis Prætorij fenestris patefacto aditu pons ligneus, pensilis, sublicis impositus incuruo tractu per forum & Petronianum templum ad aram vsque maximam protrahitur, & festa fronde, pictisq; tapetib. exornatur, vt sine tumultu cōfundentis & prementis turbæ, Pontifex, & Cæsar in pompa præteructi spectarentur. Erat de more veterum Cæsarum, vt Modoëtiæ propè Mediolanum coronam ferream susciperent, quæ iudicaret Romano Imperio firmitatem ferro & militarib. copiis comparari. Tres enim coronæ Cæsaribus debentur. Prima est argentea, Germanici scilicet regni, quam suffragio procerum Aquisgrani accepturus ante susceperat. Secūda ferrea, regni Longobardici

Bononiæ locus inaugurationis Cæsareanæ à Clemente VII. destituitur.

Romani Imperatores tres coronas suscipiebant.

Tertia vero aurea Romani Imperij. Præsto igitur affuere Modoëtiensium legati, cuius erant Principes Polydorus Vectius & Paulus Velanius, qui ad retinēdam veteris prærogatiuæ dignitatem, vetustissimi operis coronam, & annalium codices antiquitate pernobiles detulêre. Ea erat sine florentibus pinnis, in simplicem & latum orbem circumducta, ferro introrsus tempora præcingente, sed exterius auro & gemmis exornata. Biduo itaque antequam tertiam coronam acciperet, in sacello domestico, astante Pontifice sacris peractis Cæsar vngitur, ferreaque corona & cæteris Regiis insignib. decoratur: iisdem fere cerimoniis quas paulo infra memorabimus. Prætulere ante Cæsarem summi honoris causa Aluarus Osorius Marchio Astoricensis aureum sceptrum, Didacus Pacecus Dux Ascalonius ensem gemmata vagina conditū. Alexander Medices Dux Pinnensis Cæsaris gener, orbem aureum cum præfixa cruce gemmis distinctū. Bonifacius autem Marchio Montisferrati, Modoëtiensium coronam. His rebus ritè cōfectis, aduenit demum dies maioris aureæ coronæ pompæ destinatus: & is quidem, quum nocte pluisset, superis mire fauentibus, incredibili serenitate perspicuus. Ante alia Pōtifex vniuerso Cardinalium, & Episcoporum ordine in mitris, & pluuialibus sacris palliis, cæteris vero Sacerdotibus in coccinea veste per pontem solenni pompa traductis, in præalta sede gestatur; & comitantibus prætorianis sub vmbella templum ingreditur. Iam in forum Antonius Leua pedestres copias adduxerat, & obuersis in omnes aditus maiorib. tormentis, & signis in medio constitutis, cuncta loca perpetua militum statione muniuerat. Interim è lacub. qui in summo prætorianæ porticus fornice fuerant fabrefacti, per syphones rubra & alba vina fundebantur, torrebaturque in machina versatili bos integer ingens, hædis, veruecibus, ac omni fere volucrum genere farctissimus, in tanta festa hilaritate milites sub armis in acie stantes, ad manum paratis obsoniis cum iocunditate vescerentur. Numquam ab vlla memoria, vel ad celeberrimi triumphi, vel ad inauditi spectaculi famam, maior atque nobilior mortalium insignium numerus in vnam vrbem confluxit. Erant adeo plena loca omnia, quæ foro imminebant, vt multi in alto suspensis & pendentibus speculis, aliis in ædium proiecturis, & periculosissimis locis cum aliorum admiratione prospicerent. Ipsa porro domorum tecta pueris & fœminis in ea mira cupiditate scandentibus, tantæ multitudinis pondere fatiscebant. Fuere etiam erecta inter columnas templi ad theatrorum imaginem, podia gradibus excelsa superædificatis quoque suggestibus, vnde illustres matronæ cunctæ iucundè despectarent. Iam Pontifex sacratas tunicas & chlamydes induerat, & sacra solennia excultis altaribus parabantur; quum Cæsar sub vmbella cum ornatissimo procerum comitatu ad templi vestibulum peruenit, ita vt vix eo paucis passibus præteruecto, tabulata pontis, prægrauante prætorianorum turba frangerentur. Ibi plerique militibus immixti fœdo casu procidentes, sese pilis atque securibus induerunt, inter quos fuit Albertus Pighius Belga Theologus Luthero-mastix; minima tamen pro tumultu clades incidit. Sed facile fuit æstimare ex atrocitate periculi, quis in Germano milite supra ferociam militarem natura implacabili animorum habitus effet futurus, si ad certam omnium perniciem Cæsar ipse se paululum vertente fortuna cecidisset. Sed intrepide respectans Cæsar leniter arrisit, ita vt fortunam suam certius agnoscere videretur, quæ cæptis & votis omnibus benignissime semper aspirasset. Erant omnia ad imaginem Vaticani templi constituta, & nouæ sacellis appellationes impositæ, vt ea sigillatim ad veterem consuetudinem ex Pontificiis libris responderent. Affuere igitur Romani Sacerdotes, quibus sacra Vaticani templi sunt commendata. Iis ad aram Cæsarem susceperunt, linteaque Sacerdotali tunica superiecta in Collegium eius Sacerdotij cooptarunt. Eum Saluiatus Cardinalis in verba ex libris Pontificiis concepta, Sacramento adegit, ita vt in summa libens iurauerit, se Pontificiæ dignitatis, ac iurium Apostolicæ Sedis perpetuo futurum esse Defensorem, & Aduocatum; ac præterea quatuor aurea diplomata, quibus ex more, sed iam ad Rudolphianum exemplar, libertates, immunitates, prærogatiuas, ditiones ac possessiones omnes patrimonij Apostolici, omnibus vetustis exceptionibus ante Rudolphianorū Imperatorū abrogatis, vt aiūt de plano, simpli-

Carolus V. 3. coronas accipit.

Eius pompæ plena descriptio.

simpliciter, & omnimode confirmabat dederit. quandoquidem Rudolphus, primus ex Austriaca stirpe Habspurgia Imperator, accepti gratus beneficij à Gregorio X. collati; videlicet, quod Paulum Castellum Principem Nahartium, habitu Franciscano (vt res occultior, securiorue esset, indutum, ad se miserit, deque futura electione admonuerit, operamq; suam omnem ad eam dignitatem consequendam obtulerit; vt Ioānes Baptista Collecipolius in fastis suis memorat; quod audiens congregatos esse Imperij Principes, & petierit & mandauerit, vt sinceræ puræque electioni intenderent, ac tam Ecclesiæ quam Imperio prouiderent, adeoque Rudolphum Imperatorem eligerent, vt Cuspinianus scripsit: quod denique audita electione ipsius, vt res illius, consilio suo & opera constabiliret, nonnisi eodem Paulo Castello socio & conscio, priuatus ad fines Germaniæ vsque, occultata alieno habitu Maiestate Pontificia processerit, eique animum ad res præclare suscipiendas, vt Petrus Messias insinuat, addiderit, adeoque Imperatorem fecerit: huius inquam beneficij memor Rudolphus, ex Tabulis confirmationum seu donationum, quas ante se cum certis oneribus, Romanæ Ecclesiæ, Cæsares offerebant, omnibus his abrogatis, pure, simpliciter, & absolutè, sine vllis conditionibus, aut oneribus, easdem concepit, dedit, obtulit, confirmauit: suadente Paulo Castello, Romanæ Sedis studiosissimo.

IV. *Carolus V. Imperij insignia de manu Pontificis solemniter accipit.*

Præstito iureiurando & datis priuilegiorum Tabulis Carolus, ab hac ara duarum turrium nuncupata, duo Diaconi Cardinales Saluiatus scilicet ipse, & Ridulphus, ambo ex patruelibus Pontificis nepotes ad templi limen fuit deductus. Flexo genu supplicantem Picolhomineus Presbyter Cardinalis certis precationibus expiatum in sacellum Sancti Gregorij perduxit. Ibi lintea tunica deponitur, sandalia margaritis & gemmis picta statim induuntur, & Dalmatica veste in morem Diaconi prius assumpta paludamento demum consuestitur. In eo habitu procedenti, Puccius Cardinalis ad Porphyreticam rotam, quæ est ad Vaticani templi medium, mitratus occurrit. Ingeniculatus Cæsar ad aram maximam obuertitur, solennique altera precatione, vt eius imperium stabile, perpetuum, victoriarum, pietatis, & laudis plenum faxit, Deo Maximo, in cuius manu sunt regna, commendatur. Sunt enim multa antiquitus, à piis præstantibusque ingeniis, cum summa verborum maiestate, & Christiana grauitate composita, quæ ex sacrato libro, ad statas rerum & locorum cerimonias, ab aliis atque aliis Sacerdotibus in frontem Cæsaris perleguntur. Quæ omnia in illis Pontificum iam editis libris, quisque curiosius facile poterit inuenire. Ascenditur demum versus aram maximam, vbi Innocentio Cybo Cardinale letanias præeunte, alternis precibus pie pronunciatis, Diui Diuæque omnes propitiantur. In lectisternio supplicanti Cæsari Campegius Cardinalis astitit, & de scripto oratiunculam, vt auspicatò coronaretur, religiosè recitauit. Inde mox Cæsar à Farnesio, quoniam is erat Senatus Princeps, & Cardinalium vetustissimus, intra Sancti Mauricij sacellum est deductus; vbi diffibulata Dalmatica, humeros & brachium dextrum sacro oleo, adiectis piis & puris orationibus inungitur. His rebus rite confectis, solennia sacra erudito phonascorum concentu, alternantibus choris, operante Pontifice, ipso Cæsare in sacra veste ministrante, protinus inchoantur; quæ miro ordine cerimoniarum, summa grauitate Sacerdotum, insigni omnium religione, adeo in serum diei sunt protracta, vt vel piè curiosos fatigare potuerint, si is longe omnium clarissimorum Principum admirabilis consessus spectantium oculos vlla in parte satiare potuisset. Neque hic est necesse, vt cuncta sicut sigillatim fuere celebrata, à nobis minutissime referantur, quando ea in libris, Pontificum beneficio publicatis, ad amussim descripta videamus. Legati interim Genuenses & Senenses, quum de loci dignitate inter se contumeliis pugnisque contenderent, templo iussu Cæsaris extracti sunt. Cæterum summa sacrorum fuit, vt Cæsari de manu Pontificis Romani Imperij insignia traderentur. Itaque solenni precatione semper adhibita, Pontifex ei supplici sceptrum aureum dedit, florenti cacumine conspicuum, quo piè gentibus imperaret: itemque nudatum ensem, quo Christiani nominis hostes persequeretur; ac pomum aureum, quem vti terrarum orbem insigni pietate, constantia, virtuteque regeret; & postremo thiaram illam potius quam coronam bicipiti fastigio, multisque adamantibus insignem capiti imposuit: ille vero piè inflexo genu, pronus exosculato pede, Pontificem adorauit. Tum demum Cæsar, in illa tot gemmis ac vnionibus exornata triumphali trabea ad læuam non procul à Pontifice, in sede auro protecta, sed paulo humiliore, sessum est perductus, & Romanus Imperator salutatus. Quod vbi in foro militibus est renunciatum, Antonius Leua ad declarandam lætitiam, maiora, minoraque tormenta diplodi iussit, ita vt terribili sonitu cœlum crepitare, terra concuti, & tecta nutare viderentur. Nec multo post Pontifex Sacratissimæ Eucharistiæ hostiam humillimo quodam oris gestu, purissimoque animi habitu desumpsit, atque eam obiter Cæsari omni labe criminum expiato religiosè communicauit. Peractis Sacris templo excessum, ad præparatos equos, Sacerdotes, Legati, Proceres discurrunt: omnis repente multitudo in equis conspicitur, acclamationes, tubarum clangor, tympanoram strepitus audiuntur. Consendenti equum Pontifici Cæsar ad læuam pedes adstitit, vti benigne auratam Staffam sacrato pedi protinus inducturus. Sed pium Cæsaris obsequium Pontificis humanitas, religiosaque modestia superauit. Ergo iunctim equo vterque albo, sed Pontifex Thraicio, Cæsar Hispanico considentes vmbellam subeunt, summæ dignitatis hominibus, ad eam gestandam honori simul & labori succedentibus. Præcedebat miro pompa ordine, tum Cardinalium, tum Procerum vtriusque aulæ familia; in tergo signa erant viatorum qui Cursores appellantur. Ad hæc subsecuti sunt septem viri insignes armis, trabeis, militaribus equis, & pedestri comitatu valde conspicui, qui totidem ingentia vexilla deferebant. Angelus Ranuccius Bononiensium vexillifer, qui est summus apud eos Magistratus, primum detulit eum titulo libertatis: secundum erat Senatus Populique Romani, Iuliano Cæsarino Romani sanguinis adolescenti, ab ipsa familiæ prærogatiua demandatum. Ad hos secuti sunt Ioannes Manricus, & Hotrechius Belga; hic Cæsaris aquilam, ille candidum vexillum cruce purpurea distinctum gestabant. Tum demum tria sunt prælata Clementis scilicet Pontificis, cum Mediceis insignibus vnum, alterum Sanctæ Romanæ Ecclesiæ, tertium vero illud Christianæ Crucis aduersus Turcas aliquando deferendum. Signiferi fuere Leonettus Sidicinus, Rangonus, & Laurentius Cybo Prætorij Præfectus. Ducti præterea aliquot albi asturcones sine sessoribus, auratis ephippiis instrati. Prætulere etiam adolescentes eximiæ nobilitatis in scipionibus præfixos galeros Pontificis purpureos quatuor. Nec multum inde succedebat Sacrosancta Eucharistia, sub aurea vmbella loculo cristallino inclusa, & sellæ generosi & tamen pacati equi superimposita. Laterna ingens ante, & circum duodena funalia ferebantur. Tum demum promiscuè gentium omnium honestissimi quique succedere, vt decuit in tanta hilaritate Regio sumptu supra quam credibile videatur exornati. Nemo enim ex tota Italia paulo vir illustris non venerat, nisi vehementi valetudine præpeditus. Hispani, Itali, Belgæ prout libido genijque tulerunt, auro textili & serico omnis coloris eleganter variegato, itemque Phrygiis operibus, & acu pictis sagulis spectantium oculos perstringebant. Germani in veste obscuriore, sumptuosa tamen, torquibus aureis relucebant. Visebantur passim equi ex omni regionum sobole egregie generosi, & insano sumptu toto terrarum orbe conquisiti. Notiores Hispaniæ Reguli fuere Aluarus Osorius Astorgiæ Marchio, Didacus Paceccus Ascaloniæ Dux, Indicus Mendocius Saldaniæ Comes, Infantasiorum Ducis filius, qui Franciscum Gallorum Regem in Carpentanis regali hospitio susceptum, admirandis muneribus exornauit; & Petrus Toletanus Marchio Villæfranchæ, Albano Duce genitus, qui filiorum & nepotum sobole felix, & fide virtuteq; præditus ad regni tutelam in Hispania conquieuit. Præterea paulo minores comites, Agillarius Poteius Consantanius Altamirus, & supra hos, quem ingenio fideque spectatum fortuna extulit, Franciscus Couus consiliorum omnium particeps, & in regno Legionis Sacratorum Equitum Magister. Reliquos nobiles, opulentos, clarorum principum progenie editos, nemo suo ordine numerarit. Neq; Italos alacritate & sumptibus inter se certantes sua serie arbitror re-censea-

censendos, nesi in tanta vel fortuna, vel claritate, prope æqualium equitum turba aliquos nominemus, posteri cæteros indigne vel inique prætermissos conquerantur. Fuere tamen inter tot Regulos maximè conspicui, Alexander Medices, & Ioannes Alepsius Caraffa Statilianus Princeps; Belgarum autem longe dignissimi successere, Henricus Nassous Comes cubiculo præpositus, cuius erat summus dignitatis & gratiæ locus apud Cæsarem: Philippus inde Croyus Marchio Arschottæ, præfectusque equitum, & Cæsari sanguine coniunctus; item Adrianus Roscus Cæsarianæ familiæ Magister. Venerat etiam ipse Andreas Auria, cui Cæsar maris imperium detulerat, non à cultu corporis, amictusque luxuria, verum ab aspectu graui & militari, ipsaque prolixæ barbæ spectanda canitie, & rerum gestarum conspicuus, subtraxit pompæ Franciscum Sfortiam, non importunus modo, sed grauis etiam morbus. Ferdinandus etiam San-Seuerinus Salernitanus Princeps, ne primum locum Ascalonio concedere videretur, intra limen domi se continuit. Federicus vero Gonzaga Mantuanus, ad exornandam vrbem, vt summo cum honore Cæsar exciperetur, domi remanserat; & ob id etiam ne cum Bonifacio Montisferrati Regulo, de loco & dignitate disceptaret. Alfonsius Atestinus Ferrariæ Dux ideo non venerat, quod Cæsar pacificator vti postea fecit, nondum ei diem quo pro concordia ad Pontificem veniret, omnino statuisset. Nec Pyrrhus Antonius San-Seuerinus Bessennianus Princeps, quamuis properaret, in tempore superuenit. Erat cum iis quos diximus, minorum Regulorum atque honestissimorum equitum numerus, vestis & equorum ornamentis magnis Regibus exæquandus. Sed vnus omnes omnium nationum Astorgius eruditis sumptibus superauit. Erat enim eius prætexta veretriumphalis, margaritis & gemmis ad delphinorum imagines opulentissimè depicta. Post hos secutæ sunt variæ legationes, & mox ipsi purpurati Cardinales. Inde non procul successit vmbella, sub qua duo longe augustissimi terrarum Domini, in mitris illis stupendis, & inæstimabili gemmarum & vnionum varietate pretiosis, ita tollutim & temperato passu incedentibus equis, vt ij certa ingenij grauitate, quales sessores veherent, sentire viderentur. Antecedebant vmbellam ipse Montisferrati Marchio solenni in clamyde, & corona gemmis ornata, qui Cæsaris sceptrum deferebat. Franciscus inde Maria Feltrius Dux Vrbini, Venetor Imperator, & quoniam erat Præfectus Vrbis, in veste purpurea Dalmatica, cum insitato in metæ formam capitis tegumento, aurea cruce distincto, & tæniis vtrinque pendentibus, nudatum ensem prætendebat. Philippus vero Palatinus, quem decora proceritas, & Viennæ obsidio aduersus Turcas fortissimè tolerata, clarissimum reddebant, aureum orbem detulit, in talari toga purpurea, astrictis manicis & plano pileo candidis pellibus redimito. Postremus erat Carolus Sabaudus Allobrogum Dux, pileolum ferens vnionibus, smaragdis, & carbunculis collucentem, qui quum oporteret, nobilioris officij causa, demptam capiti Cæsaris coronam prætentis manibus deferrot. Inter hos summi ordinis Principes, & vmbellam ipsam Cæsaris Quæstor obequitabat, qui per singulas regiones certis passuum interuallis, ad dimouendam turbam, excitandamque lætitiam, effusè in populum argenteam atque auream stipem signatam imagine coronati Cæsaris dispergebat. Secundum vmbellam, binis cubicularijs & medicis locus fuit. Tum vero Antistites opibus & authoritate præstantes, qui vel Legati Regum erant, vt Gabriel Agramontius Tarbensis Gallus, & Bernardinus Tridentinus Germanus; vel Cæsaris consiliarij, in quibus fuit Gabriel Barensis pace & bello rerum maximarum administrator; vel ij quos ab insigni gratia Pontificis assistentes vocant, vt Hieronymus Vasionensis, qui Cæsarem in Italiam adduxerat: & cæteri demum Episcopi, in violaceis palliis; & post hos minores sacrati viri successerunt. Nouissimum agmen clausere cataphracti equites Belgæ per alas turmasque distincti, eo ordine indutis galeis & prætentis hastis subsequentes, vt non modo tantæ pompæ præsidio, sed ornamento esse viderentur. A templo Petroniano vt diximus profecti, modico ad lævam flexu ad vrbis vmbilicum, vbi est turris Asinellorum altitudine Italicarum nulli secunda. Inde per regionem albis & cyaneis pannis coopertam, quæ ad Flaminiæ viæ portam perducit, inter acclamationes longo tractu processum est: porticibus hinc & inde spectantium multitudine refertis: sic vt pompa omnis sine tumultu, omnium oculis ad incredibilem voluptatem ostentata quietissimè spectaretur. Tum demum ad regionis biuium, quod dicitur ad Clauaturas, Cæsar à Pontifice digressus ad Diui Dominici templum, sepultura ciusdem Diui & religione conspicuum contendit. Ibi venientem Romani Lateranensis Templi sacerdotes cum summa veneratione susceperunt, & vti Vaticani dudum fecerunt, in suum quoque Collegium coopterunt. Inde Cæsar ad aram Diui Ioannis supplicauit, & multos omnis generis oblatos nobiles equestri dignitate, gladio leuiter percussis humeris, ornauit. Nec multo post alio itinere quam isset Pontifex, ad Prætorium est reuersus. Erat maximo triclinio (vt id quoque curiosis explicemus) ad epulum præbendum aulæis vndique strato coniunctum cubiculum Hippolyti Medices Cardilis: in id familiariter Cæsar coronatus, excluso ferme omni famulatu se recepit, trabeam deposuit, exuit fandadalia, & auream talarem togam sumpsit, atque hilaris aliquamdiu ab illo tanto prætextæ chlamydis, & prægrauis thyaræ pondere conquieuit. Interea præcinentibus tubis & tibiis epulæ miro ordine ministrorumque silentio inferri sunt cœptæ. Itaque affuere Cæsari præsto quatuor illi Principes in sua quisque solenni chlamyde, vt insignia præferrent; atque item alij illustres Reguli, vt eum ad mensam deducerent. Cæterum priusquam exiret, ex eorum numero septem equestri ordini adscripsit. Et ante alios ipsum Astorgium qui longe omnium in pompa cultissimus extitisset, & Philippum Palatinum, qui Viennæ propugnandæ virtute, non modo Germanos, sed Christianos omnes summo metu & incredibili periculo liberauit. Cœnauit solus Cæsar, singulis Imperij insignibus in mensa collocatis, quæ erat aliquot gradibus excelsa. At in alia infra gradus, in conspectu tamen Cæsaris discubuere, Sabaudius, Palatinus, Vrbinas, & Montisferrati Reguli. In exteriore vero triclinio epulum cæteris proceribus præbitum. Remotis mensis iterum Cæsar gladium accepit, & plerosque nobiles equestri dignitate decorauit. Accidit vero, dum nudatum ensem Vrbinas porrigere vellet, vt pomum manubrio insertum excuteretur, atque eo cadente in pauimentum inclusæ gemmæ ad circumstantium pedes prosilirent. Fuere qui id prodigij loco accipere viderentur: quasi futurum esset vt Cæsar absens aliquando exercitum bene regere nequiret, capite scilicet eximiæ grauitatis indigentem. Alij autem felicius arbitrabantur, Cæsarem ad Orientis regna vnde gemmæ prouenirent gladium esse vibraturum, simulque futurum, vt duces & milites ab ipsa victoria quæ gladio pararetur, ingentibus illis Turcarum opib. potirentur. Sed hæc vana auguria, vtpote ex vano desumpta fuere.

Caroli V. electionis plenior enarratio. V.

Sed hæc de electione & coronatione Caroli Quinti Cæsaris Augusti placet luculentius enarrare.

Cum Maximilianus exemptus esset Rebus humanis, & magno in luctu esset Germania, exteri Reges quasi custode publicæ pacis à statione remoto in tanta occasione rei bene gerendæ non cessandum sibi esse ducebant. alibi Selimus Turcarum Imperator pacato regno in Syria & Ægypto magna felicitate adiecit animum ad Pannonias occupandas, eamque in rem omni cura & studio incumbebat, alibi Gallus Mediolanum nemine iam aduersante tenens & elatus clarissima victoria, cum triennio ante ingentes copias Heluetiorum profligasset, habere se occasionem optatam arbitrabatur decus ac nomen Imperij ad Gallos transferendi, & recuperandi regni Neapolitani, quod aditum in Italiam, & eam partem teneret, quæ quasi domicilium fuisset Imperatorum, itaque repente nouas res moliri cœpit, conscribit exercitus, fœdera cum Burgundis dissoluit, facit noua cum iis quorum sibi profuturam amicitiam æstimabat & in primis Pontificem Leonem X. sibi adiungere studet, vt petitionem imperij adiuuet, flagitat etiam sibi titulum Imperatoris Constantinopolitani decerni. nã vt persuaderet ex repub. esset, vt Imperiũ

Maximiliano mortuo Principes Imperij Francofordiam ad Mœnum ad electionem conueniunt.

sibi committeretur pollicetur se moturum esse Turcicum bellum, ad quod gerendũ maxime profutura esset cõiunctio Italiæ, Galliæ, & Germaniæ. neq; hæc Romę tantum aguntur, inuitantur & Veneti ad societatem consilij, mittuntur legati in Germaniã petituri Imperium apud Electores; interea sollicitantur & ciuitates aliquæ in Germania vt Gallicis exercitibus receptum præbeant, quæ videbantur artes belli futuræ, si armis possessio Imperij tuenda esset, tali tempore maxime cõspici potuit quantum ad tranquillitatem & salutem orbis terrarum conducat Electorum in Germania consilium. cum enim impenderet ingens rerũ multarum sapientia, constantia, concordia, & fide electorum dignitas Imperij & forma Reipublicæ conseruata est. Statim enim Archiepiscopus Moguntinus Albertus Brandenburgẽsis Cardinalis titulo diui Chrisogoni, intellecta morte Maximiliani, cum ipsius munus sit conuocare Electores, significat eis interitum Imperatoris & Francofordiam eos ad deliberationem de successore & ad electionem vocat. quos etsi per sese mouebat officij ratio vt electionem maturare studerent; tamen cum in tantis periculis, quæ videbant impendere, magis etiam properandum esse intelligerent, ad dictum diem omnes Francofordiam ad Mœnum conueniunt, videlicet Albertus Cardinalis Archiepiscopus Moguntinus, Hermannus Comes de Vueda Archiepisc. Colonienſis, Richardus Archiepiscopus Treuirensis, Lassa Dominus de Sterneberga Ludouici Regis Boëmiæ legatus, Ludouicus Comes Palatinus Dux Bauariæ, Fridericus Dux Saxoniæ, Ioachimus primus Marchio Brandenburgensis. Et velut omẽ fuit faustæ electionis, quod nemo Electorum aberat, sed conuenerant omnes, vt communi consilio atq; animo rem tantam agerent, q̃ad salutem totius orbis terrarum & ad vniuersam posteritatem pertineret. ac die Iunij 17. anni millesimi quingentesimi decimi noni in æde Diui Bartholomæi Francofordiæ vt auspicia horum consiliorũ essent felicia, facrum de Spiritu Sãcto celebratum est: in quo ad aram stantes Electores singuli trabeati, inspectante Ecclesia, publice iusiurandum religiose dederunt, se bona fide seruaturos decreta de electione, quæ in aurea bulla (sic enim imperij constitutionem vocant) sancita sunt. & articuli ea de re in aurea bulla publice lecti sunt. Mox ab ara in sacrarium interius eius templi, vbi veteri more solet electio fieri, Principes Electores ingressi sunt, ibi Moguntinus, vt deliberationem auspicaretur, ante Collegas orationem habuit, vt in publico sacro vota faciamus, vt Deus gubernet consilia nostra de re omnium maxima videlicet de eligendo Imperatore, ita nunc postquam auspicato ad hanc difficillimam deliberationem incoandam inter ipsas aras congressi sumus, iterum precor Deum optimum maximum, vt mentes nostras regat ad retinendum inter nos concordiam, & flectat ad eligendum Principem salutarem vniuerso Imperio Romano, ac præcipuè vtilem Ecclesiæ Christianæ, nec dubito quin vos omnes magna sollicitudine & pietate assiduis votis idem à Deo petatis. nulla enim difficilior deliberatio de vlla re humana incidere potest, quam de Imperatore eligendo. Nam cæteri Reges non sustinent hoc ingens onus externa regna propugnandi, noster Imperator eligitur vt sit Dux publici cõsilij inter omnes Reges, vt propugnet Italiam, vt tranquillitatem Ecclesiæ præcipuè custodiat. Itaque cum tantarum rerum cura Imperatori cum ipsa sit, vt in cæteris regnis nascuntur successores, sed grauissimo consilio constitutum est vt iudicio atque autoritate nostri Collegij quæratur successor, qui molem tantarum rerum sustinere possit, equidem agnosco huic tam difficili deliberationi nullam humanam sapientiam parem esse, sed me in his curis præcipuè hæc consolatio erigit, quod cum Imperia diuinitus constituta sint, non dubito & nostrum Collegium à Deo gubernari, qui si nos legibus nostris obtemperabimus, si pietatem, fidem & diligentiam quanta prospici hominum mentibus potest, præstiterimus, aspiraturus est consiliis nostris, vt electio sit fausta ac felix patriæ, ac vniuerso nomini Christiano. Deinde ea quæ in tali senatu & summo consilio orbis terrarum requiri possunt, video in vobis esse, rerum vsum, sapientiam, pieratem erga Deum, fidem erga rempublicam, studium tranquillitatis communis. cumq; præcipue nobis concordia opus sit, declaraſtis ea in reliqua ex parte voluntatem vestram, quod sine contumacia omnes in tempore conuenistis: quamobrem vobis publico nomine gratias ago, & modo iusiurandum dedistis cum in cæteris articulis obtemperaturos vos esse legibus, tum vero in eo, qui ad retinendam communem tranquillitatem præcipuè pertinet, vt illi qui plurium suffragiis Rex creatus & renunciatus fuerit, omnes obediant, quare satis prouisum est iureiurando ne qua publica in Imperio discordia oriatur. hic aditus ad causam nostram bonam mihi spem facit de cæteris, quæ restant agenda. Sed tamen vt magis muniatur concordia duxi initiò vos cohortandos esse, vt priusquam in suffragium itur inter nos disputata demus operam, vt omnium suffragia consentiant, multa in hac natione bella ciuilia plena crudelitatis, & perniciosa toti orbi terrarum, & antequam Concilium Electorum constitutum est, & postea propter successionem aut suffragiorum dissimilitudinem in electione exarserunt. Ludouico Pio filius Lotharius conatus est regnum eripere: capto Patre postea Lotharius conflixit cum fratribus tam atrociter, vt in eo prælio Francorum vires adeo afflictæ sint, vt postea decus Imperij tueri non potuerint. Saxones deinde rerum potiti sunt, quos exercuerunt asperrimæ seditiones: aduersus Henricum primum Dux Bauariæ Arnoldus bellum mouit, quod tamen moderatione Henrici citò sedatum est sequens bellum quo Lotharingus pertinaciæ suæ pœnas dedit. Othonis Secundi tempore Galli armis conati sunt ad se transferre Imperium. Othoni Tertio eripere conati sunt Imperium Henricus Bauarus & quidam Romæ Crescentius. hæc certamina vt caueret ad posteritatem Otho Tertius grauissimo consilio & comprobante Romano Pontifice Collegium Electorum instituit, cuius Collegij sapientia & fide annos quingentos Imperij possessio in hac natione retinetur; quod non modo Germanico nomini gloriosum est, sed etiam toti Europæ multis modis salutare fuit. Sæpe enim nostri Imperatores ex Italia Barbaros depulerunt, & perniciosas mutationes magna virtute prohibuerunt. Sed tamen aliquoties contentio de regno grauissime afflixit Germaniam atque Italiam. aduersus Henricum Quartum virum fortem & impigrum multi Principes in Germania atque Italia conspiratunt, qui Rodulfo Duci Saxonum & Sueuorum eripuerunt nomen Regium. In hoc bello cum essent duæ fortissimæ nationes coniunctæ Saxonia & Sueuica, nec posset Henricus sine acerbis dimicationibus dignitatem suam propugnare, ita ab vtrisque dilacerata est patria, numquam vt postea pristinam maiestatem recuperauerit Imperium nostrum. Dum enim ciuilibus bellis domi conflictamur, interea Galli bonam Belgij partem & Sequanos inuaserant. Denique multis vbique præsidiis atque ornamentis amissis, postea cæteris nationibus opem ferre non potuimus, vt antea, nec Regibus àliis formidabiles fuimus, vt olim; potest & inde æstimari, quam funestum & luctuosum bellum Patriæ fuerit, quod in eo non solum profani Principes interfecti sunt, Rodulfus Dux Sueuiæ, Otho Dux Saxoniæ, & Gerardus Lotharij Pater, Egbertus Marchio Missnensis, sed etiam trucidati sunt aliquot Episcopi, Magdeburgensis, & Wormatiensis. ad hæc mala accessit & perturbatio religionum, & schisma secutum est aliud bellum ortum ex dissimilitudine suffragiorum in electione inter Conradum Sueuum, & Lotharium Saxonem, quod postquam multæ vrbes in Imperio vi captæ sunt, authoritate Diui Bernardi sedatum est, exarsit multo crudelius bellum inter Philippum & Othonem Quartum propter Electorum discordiam, atque præliis victus, Otho fugit ex Germania in Angliam, postea aduersus Fridericum Secundum à quibusdam electus est Henricus Landgrauius Turingiæ, qui in obsidione Vlmæ ex vulnere periit. Secutum est interregnum, quod duravit annos ferme octodecim, in quo nonnulli Electores accersiuerunt in Germaniam ad Imperium Riccardum fratrem Regis Britanniæ. Interea cum sine Rege esset Respublica, non solum defecerunt in Italia ciuitates, sed etiam in contemptum venit apud omnes Germanica natio; aliquando post dissensio in electione Ludouici Bauari & Friderici Austriaci bellum ingens excitauit, quorum alter Bohemos, alter Hungarica auxilia in Germaniam adduxit, ita

Alberti Archiepiscopi Moguntini ad Principes de nouo Imperatore eligendo oratio.

vtrinque à Barbaris Germania crudeliter vaſtata eſt. Deinde aduerſus Ludouicum electus eſt Carolus Lucemburgenſis; neque hæc electio habuit omnium ſuffragia. Et ſtatim nonnulli ex Electoribus expetiuerunt Edoardum Angliæ Regem, alij deinde Comitem Suarceburgenſem. Toties inciderunt certamina in hac natione de ſucceſſione, quibus & domi maieſtas Imperij grauiter concuſſa eſt, & interea foris neglecta eſt Reſpublica. Dum enim occupati ſumus ciuilibus bellis, aut fracti domeſticis cladibus, non potuimus reprimere Turcas, quorum potentia, nemine obſiſtente, quantum creuerit videtis. tot igitur exemplis triſtiſſimis moniti pertinaciſſime tueri concordiam debemus: præſertim hoc tempore, cum Turcæ nobis bellum denunciant, & comminantur ſe non modo Imperium; ſed libertatem & religionem erepturos eſſe. etſi autem iureiurando veſtro proſpectum eſt, ne qua ſeditio oriatur, etiamſi ſuffragia non conſentirent: tamen vos ipſi intelligitis plurimum referre, vt prorſus conſentiant ſuffragia. Nam quamlibet leuis diſſenſio, tamen multas in Rebuſpublicis deliberationes impedit, & ſæpe horribiles motus parit; nec deſunt qui captant omnes occaſiones diſtrahendæ Germaniæ in diuerſas partes, multum autem ad illos deterrendos profuturus eſt conſenſus noſter, plurimum etiam afferet momenti ad voluntates Principum ac Populi Germaniæ ad noſtram ſententiam adiungendas. Cogitate omnium Regum ac Principum oculos in nos eſſe coniectos, qui non modo de eo, quiſquis electus fuerit, ſed de nobis etiam iudicium facient: an grauitatem tantam præſtiterimus, quantã in hoc ſummo conſilio orbis terrarum requirunt, an ſaluti orbi terrarum conſulere voluerimus, aut priuatis cupiditatibus morem geſſerimus. & nos quidem non modo hominum iudicia, ſed multo magis Deum teſtem atq; arbitrum harum noſtrarum cogitationum vereri decet, qui cum Imperia conſtituerit ad defenſionem pacis, iuris & religionum, nequaquam vult ea diſcordiis nõ neceſſariis labefactari aut diſſipari; nec dubium eſt cultum Deo gratiſſimum eſſe ſtudium concordiæ publicæ, preſertim quæ ad Imperiorum conſeruationem pertinet. quam opinionem etſi omnibus hominibus oportuit infixam eſſe, tamen viros Principes ita amplecti decet, vt in publicis conſiliis nunquam ab ea deflectant, vt omnes deliberationes atque actiones referant ad communem concordiam retinendam: ego quidem mori malim quam auctor eſſe publicæ inter Electores diſcordiæ: quare ſententiam meam re diſputata libenter cum veſtra coniungam, vt conſentientibus ſuffragiis id quod optimum erit, Deo adiuuante, ſtatuamus. Velim igitur prius nos de vniuerſa Republica colloqui, quam in ſuffragia eatur. Eſt enim diſputandum etiam, quarum rerum curam Imperatorem maxime ſuſcipere velimus, quas Imperij partes ſanari initio neceſſe ſit: quomodo conſtituenda iudicia in Imperio, & pax munienda ſit: & ſunt alia multa, de quibus expedit noſtras opiniones conferre. locus impoſuit mihi neceſſitatem dicendi & inchoandæ huius deliberationis, cæterum meum iudicium non ante fero, voſque pro excellenti ſapientia, & grauitate veſtra ſcio venire huc paratos, & meditatos; quare ſententias veſtras audire maxime cupio: voſque rogo, vt orationem meam profectam ab animo, & amante Reipublicæ, & de vobis amanter & honorifice ſentiente, boni conſulatis: etſi autem fortaſſe non neceſſaria fuit hæc cohortatio; (noui enim voluntates veſtras ac ſæpe comperi vos concordiæ publicæ cupidiſſimos eſſe, & multa nos fœdera coniungant, cognatio, ſocietas religionis, & huius noſtri ampliſſimi Collegij) tamen huic tempori videbatur apta hæc oratio; nunc enim toti orbi terrarum maxime opus eſt noſtro conſenſu.

VI. Hæc cum dixiſſet Moguntinus, congreſſi reliqui Electores breuiter colloquuntur, & cum adhortationẽ de retinenda cõcordia in tanto publico periculo gratiſſimam ſibi fuiſſe oſtendunt; tum vero ſapientiam Moguntini laudant, quod & Dux publici conſenſus eſſet, & monſtraret viam qua diſſenſio caueretur, ſeque omnes profitentur aſſentiri dictæ à Mogũtino ſententiæ, & ſummo ſtudio daturos operam ne ſuffragia diſcrepẽt. hæc iubent communi nomine omnium dici, à Ioachimo Primo Marchione, cui libenter has dicendi partes tribuebant cæteri Principes propter excellentem eloquentiam. Erat n. tum quidem ea virtus & grauitas Principum vt ſine inuidia ſingulis cõcederentur ſuæ laudes, nec paruum ad communem ſalutem tum quidem profuit, quod adhuc priuatim magna inter ſe beneuolentia deuincti erant, quam & Reipublicæ cauſa diligenter tuebantur, & qua veteri Germanorum more ſentiebant bona fide amicitias colendas eſſe; & erat ea magnitudo animi non ſolum vt priuatas ſimultates nullas afferendas eſſe ad publica conſilia ducerent: ſed etiam vt nullas admitterent in animos aduerſus cognatos præſertim in Republica coniunctos: ſed ab hac virtute quantum degenerauerit ſequens ætas nõ libet hoc loco commemorare. Videmus n. in multis magnis Rebuſpublicis conſilia priuatis odiis impediri. Sed redeo ad hiſtoriam. Cũ Ioachimus Marchio Mogũtini frater dixiſſet communi omnium nomine aſſentiri omnes dictæ ſententiæ, vt prorogato die ſuffragationis poſtridie ad deliberationem conueniant. Interea venerant Moguntiam legati Caroli Archiducis Auſtriæ, & Burgũdiæ, & Regis Hiſpaniæ Matthæus Epiſcopus Gurcenſis Cardinalis, Fridericus Comes Palatinus Dux Bauariæ: Caſimirus Marchio Brandenburgenſis, Henricus Comes Naſſauienſis, & iis adiũcti Conſiliarij aliquot.

Caroli V. legati Moguntiam venientes Domini qui electionẽ petunt.

Hi nomine Regis Caroli modeſte petebant, vt eius in electione ratio haberetur: quoniã, & indole ad virtutem egregia eſſet, & religionem ac iuſtitiã ſummo ſtudio coleret, natura vero à crudelitate & ab obſcœnis libidinibus abhorreret: & iam ſpecimen dediſſet induſtriæ, fortitudinis, & felicitatis ſuæ in occupãdis Hiſpaniæ regnis. Cumq; de eius ingenio ſpes eſſet optima: pollicebantur potentiam, qua cæteris principibus antecelleret futuram eſſe pſidio Germaniæ & vniuerſo nomini Chriſtiano. Admonebant etiam Electores à Maximiliano Imp. nepotem ipſis cõmendatum eſſe: cuius memoria ipſis, propter excellentem eius virtutem & ſapientiam gratiſſima eſſet: tanta autẽ in Maximiliano grauitas fuit, tantus amor Patriæ, & cõmunis ſalutis, vt niſi probaſſet ingenium Nepotis, & iudicaſſet profuturã orbi terrarum electionem ipſius, non fuerit eum commẽdaturus Electoribus. Hæc cũ legati Auſtriaci Electorib. ſignificaſſent, poſtea Moguntię cũ ſũma modeſtia euentũ electionis expectabãt, nulla pſidia cõparabant, ne quid contra Electorũ libertatem inter regna moliri viderentur.

Galli legati ſuum Regem vt Imperatorem deſignent poſtulant.

erant & Confluentię Gallici legati, q. priuatim ingentib. promiſſis, animos non Electorũ tantũ; ſed etiam aliorũ Principum & ciuitatũ conciliare Regi Franciſco conabantur, diſputabantq;: nihil cõtra leges facturos Electores, ſi Francorũ Regẽ deſignarent Imperatorẽ, ꝙ Francorum Reges à Germanica ſtirpe orti ſunt. Addebãt olim tantã fuiſſe coniunctionẽ vtriuſq; gentis Galliæ, & Germanicæ non vt diſtractæ in duo Regna fuerint; ſed velut vnũ Regnũ ſub iiſdem ſignis, ſub eodẽ Rege Francorũ ſocia arma geſſerint, domi iiſdẽ legibus, eodẽ iure gubernatæ ſint, eamq; coniunctionem primũ glorioſam fuiſſe Germanico nomini: deinde etiã ſalutarẽ vniuerſæ Europæ ac præcipuè Eccleſiæ: nam Imperij decus initio partũ vtriſq; nationis virtute, poſtea Germanos, quaſi vſucapione retẽtum poſſediſſe,

Horum pro Rege ſuo eligendo oratio.

quantum vero profuerit coniunctio Galliæ & Germaniæ initio inde æſtimari poſſe ꝙ cum Italiam alibi Saraceni popularentur, alibi vero Longobardi non contenti finibus ſuis Romam ipſam, arcem & caput Chriſtiani nominis in Europa, in Barbaricam ſeruitutem redigere conarẽtur: diu quaſſatæ Italiæ hæc vna res, videlicet coniunctio Galliæ & Germaniæ, optatã pacem attulerit: quæ durauit annos ferè centum, quod familia Pipini & Caroli Imperium tenuit, defenſas eſſe, aut pacatas à nobis communiter, & alias regiones in Europa: Saracenos ex Hiſpania effuſos in Galliam fuiſſe repreſſos, liberatam Germaniam terrore Hũnorum. Sed ſi vnq̃ nunc maxime optandam eſſe coniunctionem Galliæ & Germaniæ, ad reprimendam barbariẽ Turcicam. tenere autem Regem Franciſcum etiam bonã Italiæ partem, & habere ſtudia reliquorum Italorum. Semper Gallicos Reges Romanam ſedem ſingulari pietate veneratos eſſe, quare & erga Regem Franciſcum, & Gallicum nomen optimam eſſe hoc tempore Romani Pontificis voluntatem, nec vero aliam vllam oſtendi poſſe expeditam rationem belli aduerſus Turcicam nationem gerendi, quam ſi communibus opibus Italiæ, Galliæ & Germaniæ res ſuſcipiatur. Has regiones propter oportunitatem locorum, propter copias & exercitus etiam antea viſas eſſe imprimis idoneas, ad hoc bellũ gerẽdum. Nã & Sigiſmundi Imperatoris tempore exercitum contractũ fuiſſe ex Italis, Gallis & Germanis. adhæc ꝙ claſſẽ ita inſtructã

habeat Gallia, vt ſi Veneta claſſis adiuncta fuerit, nõ dubium ſit mari toto, quę velint littora, quas oras, Inſulas & portus tuto petere & oppugnare poſſent. Porro, ſi tanto bello Dux quærendus eſſet, Rempublicam ipſam flagitaturam eſſe Regem Franciſcum, quia non ſolum auctoritate reliquos Principes anteiret, ſed etiam vſu, & peritia rei militaris, nec deeſſe eius virtuti felicitatem; quantas enim res geſſiſſet, dum recuperaret Inſubriam, omnibus notum eſſe; qua felicitate maximas hoſtium copias profligaſſet, quoties toto triennio dimicaſſet acie. in his rebus cum felicitas eius conſpici potuerit, tum vero virtus, magnitudo conſilii atq; animi, laborum tolerantia, diligentia in omnibus rebus prouidendis, quæ ad Imperatoris curam pertinent, tanta fuerit, vt peritiſſimorum confeſſione nemo ei Ducum hoc tempore anteferendus ſit; etenim quod hoc bellum non tantum auſpiciis ipſius, ſed etiam conſiliis & ductu geſtum fuerit, ipſa loca caſtris ceperit, intentus fuerit in occaſiones pugnandi, prouiderit vt nõ hoſtis arbitrio, ſed ſuo dimicaret, rationem inierit, quarum arcium oppugnatio tentanda eſſet, vbi hoſtis elici poſſet, quia vero in Imperatoribus non minus felicitas, quam fortitudo ſpectanda ſit, hactenus Deus fauiſſe inceptis Regis Franciſci: & in ſpem omnes adduci poteſt cæteras eius virtutes hanc felicitatem diuturnam fore, ac nihil eſſe, quod Germanici Principes accerſito Rege Galliæ metuãt, veteri ſuæ libertati, cum, & Rex ſua voluntate leges & inſtituta maiorum libenter obſeruet, & Electoribus permiſſum ſit, vt conditiones ferant, quas eum in accipiendo Imperio ſeruare velint. quia Rex non aliam ob cauſam petat Imperiũ, niſi quod toti nomini Chriſtiano hanc Galliæ Germaniæque coniunctionem maxime profuturam eſſe iudicet, quæ coniunctio non eſſet diuturna & ſtabilis futura, ſi alterutri nationi libertas eriperetur. eamque ob rem promittebatur, Regem non collocaturum eſſe Gallica præſidia in Germania; ſed Germanicos exercitus ſuo ſtipendio conducturum eſſe, quibus de conſilio Principum, Duces Germanici, quorũ virtus & fides probata eſſet, præficerentur; oſtendebatur etiam, quas commoditates allatura paulatim eſſet Principibus hæc nationum coniunctio, cum Rex etiam Gallicis ditionibus donaturus eſſet Germaniæ Principes: ſicut olim ſub Carolo Magno aliqui Principes tenuiſſent amplos Principatus in vtroque Regno. Hæc fere ſumma fuit Gallicæ orationis; cui erat adiecta adhortatio, vt Electores non amitterent hanc occaſionem coniungendæ Germaniæ cum Gallia: quod ea res Germanis futura eſſet glorioſa, qui hac virium acceſſione facta, multo eſſent futuri ad res maximas gerendas inſtructiores. & quod ad defenſionem Europæ & ad Chriſtiani orbis tranquillitatem, nihil hac coniunctione poſſet vtilius cogitari ac reperiri. Recitatis legatorum litteris breuiter reſponderunt Electores gratam ſibi eſſe beneuolentiam Regum erga nomen Germanicum, ſed de electione, ſe Deo adiuuante optima fide facturos eſſe id, quod poſtularent leges, & inſtituta maiorum & religio iuſiurandi quod dediſſent; miſerat autem paulo ante legatos in Heluetiam, petieratque indici conuentum, quod pro veteri amicitia, quæ Heluetiis fuit cum Gallico Regno, quædam ad vtilitatem Europæ pertinentia, ad ipſos referre cuperet. Indicto Conuentu expoſuerant legati Regem Franciſcum re deliberata cum ſummis Principibus Chriſtianis: adhortatione etiam quorundam, quorum præcipua ſit auctoritas & voluntas erga Rempublicam Chriſtianam optima, conſtituiſſe petere ab Electoribus, vt deſignetur Romanus Imperator, commemorant, nihil vi, nihil per ſeditionem facturum eſſe contra Germanorum libertatem, ſed Electorum ſuffragiis & auctoritati Pontificiæ rem permiſſurum eſſe; ſed ad hoc conſilium initiò adiungendos duxiſſe Heluetios, vt ſi Electorum ſuffragiis fuerit electus, ipſi non aduerſentur, ſed potius ſint in partibus, & hanc electionem vna defendant, quod vt faciant non modo vetus cum Gallis amicitia, mutuis vtriuſque gentis beneficiis confirmata eos hortetur; ſed etiam ſalus totius Chriſtiani orbis, quia hæc petitio præcipue hanc ob cauſam inſtituta ſit, quod ad pacem in Europa conſtituendam & ad depellendos Turcas nihil cogitari accommodatius poſſit, quam coniunctio Italiæ, Galliæ & Germaniæ, quæ ſi procederet, bellum terra marique aduerſus Turcas moturus eſſet. Eſt autem Heluetiæ ſitus opportunus primum ad Italiæ tranquillitatem defendendam, deinde ad expeditiones ad vicina Italiæ loca ſuſcipiendas, itaque ferebant Regem adiuncturum eſſe Gallico equitatui Heluetiorum peditem, idque robur ac neruos Chriſtiani exercitus fore. Non enim dubitabat Rex libenter venturos in ſocietatem periculi generoſos Heluetiorum ſpiritus, quia nulla ætate iuſtius aut magis neceſſarium bellum vnquam geſtum ſit; depellendus eſt à noſtris ceruicibus hoſtis, qui non de gloria Imperii, vt veteres Monarchæ bella gerit; ſed vt religionem Chriſtianam deleat, vt vniuerſam diſciplinam ciuilem, vt iura Matrimoniorum tollat: vt ad ſtupra noſtras coniuges ac liberos rapiat; liberandæ ſunt à miſerrima ſeruitute gentes vicinæ, quæ nobiſcum religione & aliis multis fœderibus antea coniunctę fuerunt. Hæ ſunt cauſæ graues & iuſtæ viris fortibus arma capiendi; quare non dubitare ſe aiebant, quin Heluetii huius Militiæ decus maxime expeterent. Cùm autem electio illa his tantis rebus gerendis oportunitatem allatura eſſet, debere Heluetios quoque ſuis ſtudiis, ac ſignificatione voluntatis, eam adiuuare. Poſtremo pollicebantur Regem ſi eligeretur, gentis Heluet icæ libertatem, nulla in re labefacturum eſſe; ſed potius confirmaturum & multa additurum eſſe commoda atque ornamenta: ſi Heluetiorum virtus & fortitudo non eſſet communi ſaluti nominis Chriſtiani defutura.

VII. Hoc cum Gallici legati commemoraſſent, quanquam priuatim multos ingenti pecunia & nouis largitionibus obligatos tenebant: tamen honeſti viri delecti ex ciuitatibus modeſte reſponderunt: ſe non impedituros libertatem Principum Electorum, nec ſignificatione aliqua voluntatis ſuæ aut terrore vllo, præbituros occaſionem turbandæ tranquillitatis Germaniæ, quam agnoſcerent Patriam; deinde, cum nominatim Heluetico fœdere exceperint Romanam Eccleſiam & Romanum Imperium, profitebantur ſe nihil contra Romani Imperii maieſtatem facturos eſſe: pertinet autem ad maieſtatem libertas Principum Electorum.

Heluetii Electores per literas Galli electionẽ dehortantur.

Ita Gallis dimiſſis ſcribunt Heluetii literas ad ſingulos Electores, in quibus commemorant, ſe ſcire quam vehementer ambiat Gallus Imperium, & quod multorum animos ea de re ſollicitet. Narrant etiam, quæ apud ipſos petiuerit, quidque ipſi reſponderint. deinde exponunt ſe defugere omnia conſilia, quæ videantur eſſe contra Germaniæ tranquillitatem, & negant ſe vlla in re libertatem Principum Electorum impedituros eſſe: adiiciunt dehortationem, ne ad Gallos transferatur Romani Imperii decus, neue moueantur Principes, opibus aut viribus Gallicis, quia adhuc in Germanica natione tantum ſit conſilii & viriũ, vt nihil opus ſit exteros Reges accerſere; Poſtremo hortantur, vt aliquis eligatur ex Germaniæ Principibus, & pollicentur ſua arma non defutura eſſe defendendæ tranquillitati Germaniæ; ſcribunt & ad Leonem X. Romanum Pontificem, & petunt ne ſit auctor Electoribus eligendi Regis Franciſci, quod Gallorum dominatio in Germania paritura eſſet ingentia bella, & futura exitioſa vtrique nationi. nec impliciti Galli Germanicis bellis Italiam defenſuri eſſent, aut alias res vtiles nomini Chriſtiano moturi. Ad has literas Romanus Pontifex reſpondens narrat: In fœderibus, quæ Romana Sedes habet cum Regibus Neapolitanis, cautum eſſe, ne quis ſimul Romanum Imperium teneat, cum autem ſibi Romanæ Sedis priuilegia religioſe & ſumma ope tuenda ſint, ea de re certiores factos eſſe Electores, ne quid fieret contra libertatem & commodum Romanæ Sedis. quod autem alium quendam Principem euehendum eſſe ad faſtigium Romani Imperii magis ſenſerit, adductum ſe non priuata beneuolentia, ſed certo iudicio: quod cognouerit eum excellenti ingenio, induſtria & magnitudine animi præditum eſſe, & cupere potentiam ſuam ad communem ſalutem conferre: Hanc excuſationem ſcripſit ad Heluetios Leo Pontifex, omiſſis Regum nominibus; etſi autem intellexerant Electores, quæ omnium Regum vbique terrarum, vel ſtudia eſſent; vel expectatio de hac electione, & quo ſingulorũ voluntates inclinatæ eſſent: ipſi tamen ſumma cum grauitate cauebant, ne ad vllum inflectere ſe quiſquam videretur ante ſuffragationem, nemo vllas aluit factiones, nemo habuit ſui ſuffragii defenſores, ſed integris animis cõuenerunt in colloquiũ Electores, è quibus Moguntinus vnus omnium grauiſſimum onus ſuſtinebat; nam cum primus ſententiam dicturus eſſet, laborandum ei fuit non modo, vt ſuffragio ſuo aliquem nominaret, ſed etiam cauſas ſuæ ſuffragationis exponeret, vt reliquos ad

Carolo V. Fridericus Dux Saxoniæ & Albertus Moguntinus suffragium dant.

Alberti Archiepiscopi Moguntini oratio.

suam sententiam adiungeret, itaq; priuscum Fridrico Duce Saxoniæ de vniuersa Republica Christiana & omnibus Imperii Germanici partibus colloquitur. & his congressibus totas impertit noctes: ac re diligenter disputata hunc ostendit maxime è Republica sibi videri, vt Carolus Archi-Dux Austriæ eligatur. Idem cum videretur Duci Saxoniæ iubet eum constanter in sententia manere, vt consensu suo dubitantes inuitarent, & pugnantes vincerent. Cùm igitur constituta die ad deliberationem Electores in Curiam Francofordiæ, quæ dicitur Romana conuenissent; Moguntinus bene paratus orationem habuit in hanc sententiam: non dubito quidem Principem orbi terrarum diuinitus dari; tamen cum nostra suffragatio requiratur, primum oro Deum Opt. Max. vt mentes nostras gubernet: deinde censeo nobis quoque diligentiam & fidem præstandam esse, vt quantum à nobis prouideri potest, maxime idoneum eligamus; qua in re primum habenda est ratio legum nostrarum & iusiurandi. & quoniam hic congressus institutus est, non vt suffragia feramus; sed vt libere colloquamur, cum de vniuersa Republica, tum de electione: dicam quid mihi maxime videatur è Republica esse; etsi autem mirifice angor animo de euentu electionis: tamen hæc res nonnihil leuat animum meum cura, quod antea polliciti estis vos non commissuros esse, vt suffragia dissentiant, disputabo igitur liberius, vosque vt idem faciatis, adhortor. Deinde collatis opinionibus sine priuatis affectibus, vt decet Principes, quorum sapientiæ & viriuti res omnium maxima commendata est; vnam sententiam eligemus, quæ videbitur vtilissima vniuersæ Reipublicæ Christianæ. Existimo vos omnes de tribus sententiis disputare: An Rex Galliæ sit ad Imperium accersendus, aut Carolus Rex Hispaniæ: An vero satius sit aliquem eligere ex cæteris Germaniæ Principibus, qui virtute & potentia aliis antecellere videatur. De his omnibus exponam breuiter meam opinionem. De Gallo arbitror nos impediri nostris legibus & iureiurando. Est enim deferre constitutum ne extero; sed Germanico Principi, Imperium commendemus, ne hoc tantum decus ad exteras nationes transferatur; & non modo Germania veniat in seruitutem, sed etiam in Italia aut statu Ecclesiæ mutatio sequatur. Nec vero dubium est Regem Gallicum esse peregrinum Principem, & eò appetere hoc fastigium, vt ad suos transferat: sicut idem maiores ipsius sæpe armis ad se retrahere conati sunt, nec sine acerrimis dimicationibus, Carolus Crassus, & Othones possessionem Imperii in Germania retinuerunt. Quod autem aliqui referant vetustam originem Francorum Regum ad Germanos, hæc leuiora sunt, quam vt Principes tanta sapientia & grauitate præditos mouere debeant. Constitutio postulat talem eligi, qui vere sit hæres alicuius ditionis, quæ huic nostro Imperio paret. Alioqui si illæ veteres fabulæ Gallis patrocinantur, perinde poterunt à Turcis Troiam repetere atque à nobis Imperium: quia perhibent se ab Hectoris filio ortos esse. Cum igitur constet excludi Gallicum Regem constitutione publica, quam iurati in electione sequimur, nihil opus est longa disputatione. Quanquam etiam, si natio nihil impediret, dissuaderem hanc electionem: primum enim in Germaniam adducendus erit Gallus; quantum ea in re periculi erit, cum exercitus peregrinus distribuetur in vrbes Imperii, an superbiam & libidines equitum Gallicorum ciuitates ferent? Sed aliud impendet grauius malum. Veniet inimicus Carolo, quod ne cui dubium sit, iam bellum denunciatum est: antiqua fœdera Burgundionum & Gallorum rescissi: bellum etiam Neapoli inferre decreuit. Itaque cum detrectabunt Imperium Galloram Austriaci & Belgæ, & habebunt alii aliorum Principum studia atque auxilia: videbitis arsuram ciuili bello vniuersam Germaniam. Porro cum nobis alia prosp icienda sunt: tum hoc naturâ primum est, ne nostra electio ciuile bellum in Germania accendat. Nam si Gallum elegerimus, oportebit nos nostra suffragia tueri. Vbi si incidet discordia cum Austriacis, num arma geremus ad opprimendam domum Austriæ; nec nos vetus necessitudo, nec sanguinis coniunctio, nec merita & nobilitas domus Austriacæ, denique non Maximiliani manes à tanto scelere deterrebunt? Deinde oppressis Austriacis, an putatis libertatem cæteris Principibus in tuto fore? vt Mediolanum non reddet vnquam Germanis, ita, vbi poterit, Gallorum potentiam augebit. Nihil me illa magnifica promissa mouent, quæ auaritis, non pacta, non leges plus valent quam iracundia, superbia, ambitio victoris. Scimus Gallum in patria, quam natura amare debeat, quosdam iam Principatus rapuisse, breuique orbatam videbitis Principibus vniuersam Galliam. Est omnino Gallus excelso animo præditus; sed nimis cupidus Monarchiæ; nos autem nisi aristocratiam Principum in Germania omni consilio, omnibus viribus ac neruis tuebimur, male consulemus vniuersæ posteritati; minus etiam mouent me, illa gloriosa promissa de bello Turcis inferendo. Equidem agnosco coniunctionem Germaniæ, Italiæ & Galliæ, magnum ac salutare præsidium Europæ esse; si quis teneret pacatas & obedientes: sed Gallus nihil gerere aduersus Turcas aut volet, aut poterit: nisi prius domitis in Germania Belgis: in Italia vero recuperata Neapoli has ad res armare Gallum, hoc est, ad crudele bellum in ipso Imperio exercendum, nostra auctoritas nequaquam debet. nec est, quod mihi quisquam obiiciat vaticinari me de rebus ambiguis; ego vero certa & explorata commemoro. Iam enim, vt dixi, bellum denunciatum est, conscripti exercitus, quos tamen fama nostræ electionis, si alius fuerit electus, facilè reprimet. quare vt finiam hanc disputationem; primum lege & iuramento impediri nos censeo, ne Regem Gallicum Francisceum ad Imperii fastigium euehamus; deinde etiam si eligere eum liceret, censeo id non esse è Republica, sed futurum exitiale Germaniæ, & fortassis vniuersæ Europæ, quare profiteor me suffragio meo nequaquâ accersere Gallum ad Imperium.

Restant duæ deliberationis partes; an Carolus sit eligendus, aut alius quispiam Germanicus Princeps. Hæc deliberatio multo mihi difficilior est. Nam de Carolo opinor plerosque vestrum propter multas graues causas dubitare, quæ etiam meum animum non leuiter mouent. Primum Hispania longe dissita est à Germania, quod vt libertati nostræ tutius videtur, ita si Carolum detinebunt Hispaniæ, interea sine præsidio & sine custode publicæ tranquillitatis erit Germania, & vel Turcici belli causa, vel propter domesticos Principum tumultus necessitas publica efflagitat, vt velut in statione adsit Imperator: quid si etiam subita de Imperio aut de religione exarserit aliqua seditio, equidem perhorresco, cogitans, quantum tunc habituri sit periculi hæc natio absente Imperatore. Fateor huius periculi cogitatione angi animum meum, aliud leuius est, sed tamen non contemnendum: si enim iratus aliquando in Germaniam veniret, & Hispanos adduceret, libertas nostra non esset in tuto fortassis, & Hispani difficulter nobis restituent Imperii decus, postquam semel in hanc possessionem venerint: præsertim cum aditum ad Italiam eis patefaciat, & cum suo sanguine recuperabunt Mediolanum non sine certamine inde nobis cessuri sunt. Videretur igitur tutius omissis exteris Regibus eligere aliquem prudentia, iustitia, fortitudine & fide præstante virum ex reliquis nostris Principibus, vt sæpe maiores nostri fecerunt, qui plerunque virtutem in electione magis spectasse, quam potentiam videntur. Agnosco id quidem, sed tunc populi Germaniæ minus erant contumaces, facile erat, vt dicitur in prouerbio, Imperium in bonis: nunc autem, quid fieret, si electo Imperatore infirmo, nec Belgæ, nec Austriaci parerent, & vt futurum non dubito, si bellum inter duos Reges Gallicum & Hispanicum in Belgio aut in Italia oriretur: an Imperator velut ocioſus ſpectator ſineret duas exteras nationes diripere bonam Imperii partem? quid, quod ipsi Principes Germaniæ, vt nunc sunt mores, spreto suo Imperatore alii se cum Austriacis, alii cum Gallis coniungent. Vt igitur lepores dicuntur frustra concionari leonibus, ita fedebit noster Imperator velut lepus edicta componens leonibus, videlicet iis Regibus, quæ edicta derideant omnes exteræ nationes. Minus periculi fuit cum regnaret Fridericus Tertius: & tamen dedecori nobis fuit, tunc Burgundum

gundum ferre signa per bonam Germaniæ partem, Philippum Mariam impune grassari in Italia: alibi etiam circumsedere Imperatorem in ipsa Austria: nec ibi Bohemicis auxiliis liberari; postremo ab Vngaris pelli Austria & eiici ex suis laribus, cum quidem ea ætate haberet coniunctos Principes, meum auum Marchionem Albertum, fortè & sapientem virum, & Albertum Saxoniæ Ducem. Quid nunc fieret, cum exteri Reges haberent alii alios Principes stipendiis obligatos, ecquam multæ causæ incidere possunt, vel Principibus, vel ciuitatibus detrectandæ obedientiæ? Videntur etiam de religione impendere horribiles tumultus. Sunt enim semina iam sparsa de Indulgentiis, de potestate Pontificia, de auctoritate Ecclesiasticarum traditionum: quæ etiam si adhuc sanabilia existimantur, tamen paulo post magnam mutationem vniuersæ Ecclesiæ afferent. nullum enim doctrinæ genus maiore applausu exceptum est quam hoc & quotidie plura dogmata mouentur: irritantur ingenia ferocissimarum gentium in Germania Saxonicæ & Helueticæ: Nec poterit sine Synodo tranquillitas Ecclesiæ restitui. quæ autem erit infirmi Imperatoris auctoritas, vel in cogenda Synodo, vel in defendenda, præsertim, si cæteri Reges aduersabuntur? Nihil enim de Turcicis bellis dicam, etsi nostrum est non modo de defendendis finibus nostris; sed etiã deliberanda Græcia cogitare, quam ad rem opus est multarum nationum copiis & viribus, quas contrahere Imperator, si parum habeat auctoritatis, non poterit, hæc atque alia multa meum animum adducunt, vt in hac electione potentiæ rationem ducendam esse iudicem, nisi Imperatorem velimus habere, qui titulum & vmbram Imperii sine auctoritate, sine viribus gerat.

Itaque antefero Carolum Archiducem Austriæ cæteris Germaniæ Principibus, & incommoda, quæ de illius electione colligi possunt leuiora iudico omnibus, quæ alterius cuiusquam electionem secutura essent. Primum, origo est vere Germanica; nec dici potest nos re transferre Imperium ad exteros, titulo tenus Principem habere Germanicum.

Possidet enim in Germania ditiones plurimas, quæ parent nostro Imperio: & quarum aliquæ antea peperierunt Imperatores. Nec credibile est, hoc animo esse Carolum erga Patriam, vt velit Austriam aut Belgas opprimi seruitute ab vlla extera natione. Ergo de origine Caroli nulla disputatione opus est: & si quis scrupulus est, ne transferatur Imperium ad exteros, habemus sollennem formulam iurisiurandi: iuxta quam fidem dabit Carolus se nõ labefactarum aut mutaturum iura electionis nostræ & Imperii statum. Cum igitur & origine verè sit Germanus, & tempora flagitent potentem Imperatorem: censeo Carolum Austriacum eligendum esse ad Imperii fastigium; quod ipsum tamen non faceret, nisi indoles eius nobis nota & probata esset. omnium maximarum virtutum, præsertim in Principe, fons est amor religionis Christianæ; hæc virtus inprimis eminet in Carolo: quare pauorum & iusiurandi violationem tanquam summum scelus detestatur; à crudelitate eum abhorrere naturâ, multis certissimis indiciis comperi; in controuersiis diiudicandis, in coercendis improbis iustus est; ingenii vis, prudentia ac diligentia iam conspici potuerunt; in tirocinio Regni Hispanici magnos motus compescit, & constat eum suo ingenio multa grauiter & dextre respondere & constituere; magna laus in iuuene & hæc est, & signum multarum aliarum virtutum, quod pudicitiam amat: quod nullis libidinibus obnoxius est, quare religionis iustitiæ & pudicitiæ custodem fore credibile est: in tali natura nihil tyrannicum exoriri potest; regent enim eum illæ virtutes, vt seruet pacta, vt nulla moueat bella iniusta, vt non mutet veterem & constitutam Imperii formam. Excitabunt eum etiam ad liberandam orbem terrarum impietates Turcicæ: ad propagationem Ecclesiæ Christi: ad tuendam & muniendam disciplinam: vt homines ad pietatem & cæteras virtutes assuefiant, ac ne ingenium eius mihi inexploratum esse putetis: prudentissimorum hominum, qui eum familiarissime nôrunt, & acutissime de ingeniis iudicare possunt, exploraui sententias. postremò, si de ingenio coniectura facienda est ex natura maiorum, quia quædam similitudo propagari solet, meminimus quanta vis animi, prudentia, iustitia, fortitudo, continentia in Maximiliano fuerit; in patre Philippo dexteritas & industria singularis erat; non dubito autem, quin maiorum naturam Carolus referat. Nec ætas est aspernanda, quæ iam matura est rebus gerendis, nec enim quærendus est senex Imperator, vt cum biduum aut triduum imperârit, postea de electione noui tumultus oriantur. Videtis in hoc nostro consensu, quam varia sint multorum Regum certamina de electione; quid futurum est aliquando, vbi dissentient? Vtinam quidem Electorum concordia perpetua sit; sed multa incidere possunt, præsertim in hac disciplinæ ac morum corruptione, & glisc entibus Ecclesiasticis discordiis, quæ animos eorum disiungant: quare interregna plena periculorum futura sunt. Accedit id, quod Carolus vtetur consiliariis aui: & leget in Senatum Principes Germanicos, sine quorum consilio nihil de maximis rebus decernet. Exposui causas, quare Carolum eligendum esse statuam: ac meo iudicio ita multæ graues causæ concurrunt, vt hanc electionem sperem Germaniæ ac toti Europæ salutarem fore.

Quod autem initio disputabam, quantum foret incommodi, si Imperator perpetuo abesset extra Germaniam, moueor equidem hac difficultate, sed de ea re in formula constituendi & regendi Imperii cum Carolo agendum erit: cumque habeat amplissimos in Germania & in Belgio Principatus, tribuet hoc necessitati earum gentium, tribuet Patriæ, vt sæpe in Germaniam veniat. non ad ociosa spectacula se accersi intelligit, cum ad Imperium vocatur; res magnæ ei gerendæ erunt. Galli depellendi ex Italia, Turcæ arcendi ab Austria, liberandæ & vicinæ regiones: Ecclesia emendanda & constituenda.

Harum maximarum rerum curam, vt suscipiat, ipsa eum heroica natura & virtus excitabit; hæc non sinet eum domi languescere ocio & voluptatibus; & facile aditus est in Germaniã ex Italia: quæ ei multis de causis sæpe adeũda erit, sicut Carolus Magnus, Ottones, Henrici crebro in Italiã venerũt, aliàs vt Ecclesiasticos tumultus sedarent: aliàs vt depellerent barbaros: aliàs vt ciuitatum seditiones opprimerent: an existimatis eum non venturum esse, vt Austriæ, quæ vere ei Patria est, opem ferat; cum vel in Pannoniis, vel in ipsa Austria Turcicas legiones vagari audiet? Ille vero magno animo accurret, vt & Patrio, & toti orbi Christiano opem ferat; quare de absentia cum cogito, qua mente præditus sit, quæ eum pericula excitatura sint: etiam minus sollicitus.

Fata etiam his temporibus promittunt Imperatorem, qui maiores magnitudine potentiæ superaturus sit. Et addunt alteram laudem multo grauiorem futuram, vt bonitate & clementia præter cæteros Reges excellat, nec alium nisi Carolum vaticinor: quare opto, vt Deus Imperium ipsi committat eumque gubernet ad salutem orbis terrarum.

Dixi, quæ in præsentia de electione colligere potui. Sed quia communis est hæc deliberatio amplissimi nostri Senatus, & vos pro vestra sapientia plura etiam de Republica cogitasse existimo: quæso, vt singuli suas sententias exponant, vt deinde eligamus eam, quam homines collatis opinionibus maxime è Republica esse iudicabunt.

VIII. Hæc cum dixisset Moguntinus, & hortaretur cæteros, vt suo quisque ordine exponeret suam deliberationem: congressi alii ac pauca collocuti; Treuirum iubent dicere, qui pollebat ingenio, doctrina & vsu rerum. Nam & Romæ in iudiciis & negotiis publicis diu versatus fuerat, & in Germaniam propter domesticam administrationem & dexteritatem in publicis negotiis vel Imperii, vel aliorum Principum magnam prudentiæ laudem erat consecutus. Nec vlli ex nostris Principibus res Gallicæ erant notiores Is, quia in priuatis congressibus aliquoties oppugnauerat Caroli electionem, videbatur paratus ad dicendum venire. Cæteri, vt liberius suam sententiam exponerent initio audiendum esse censuerunt. Sic igitur exorsus est.

Audio

IX. *Richardi Archiepiscopi Treuirensis de Imperatore eligendo oratio.*

Audio in hac ipsa vrbe, cùm patres vestri ad eligendum Maximimilianum conuenissent, adfuisse vatem, qui dixerit vltimum Germanicorum Imperatorum fore Maximilianum. Cumque initio fabulam sine certo auctore natam, existimarent, diligenter inquiriautorem iusserunt. quem cùm ad se vocassent & ex moribus & sermonibus hominis iudicarent, non timere eum has fatidicas voces edere: valde hoc vaticinium admirati sunt, multaque de posteritate & mutatione Germaniæ collocuti feruntur. Meminit hæc sine dubio Dux Saxoniæ Fridericus, qui tunc vna cum Patre Ernesto adfuit. Propemodum autem respondet illi prædictioni euentus. Audiui enim attente eloquentissimum Principem Moguntinum, qui cum diligentissime collegerit omnia, quæ nobis in hac deliberatione prospicienda sunt: tamen ad extremum hoc censet vtilissimum esse orbi terrarum, vt peregrinum Imperatorem accersamus. id si fatale est, frustra repugnamus, sed illud miror, cur ipse Hispanum anteferat Gallo. qua in re primum mihi deploranda est Germaniæ conditio. nihil nobis externis præsidiis, nihil peregrinis Ducibus opus esset, si maiorum suorum virtutem nostræ ætatis Principes imitari vellent otium & seruitutem quærimus, dum externum Principem adducimus. an putatis aut Auos vestros Albertum Marchionem, aut Fridericum Palatinum, aut Albertum Saxonem fuisse vnquam externum dominum adducturos; ipsi militabant, res gerebant, nec vnquam exercitui pecunia, arma nostris defuerunt, quandocunque vel mediocres Duces habuerunt.

Verum omitto querelam. Si omnino peregrinus Imperator habendus est, causæ sunt plurimæ, quare Gallicus Rex anteponendus sit omnibus. At priusquam dicam huius mei iudicii rationes; primum de lege & iureiurando disputabo, vnde exorsus est Moguntinus. Opinor maiores nostros hac lege cauere voluisse, ne Germania amitteret Imperii decus: eoque peregrinos Reges eligi noluerunt, hoc est, tales, qui non haberent in Germania domicilium, ne externa natio paulatim vsu caperet Imperium. Hæc si est voluntas legis, nihilo magis licebit Hispanum eligere quam Gallum. Hispanicus Rex longius à nobis abest, & natio ipsa dominationis cupida & bellicosa, postea sibi Imperium extorqueri non sinet; vt postea iterum dicendum erit. etsi hoc satis est causæ, vt Carolum eligamus, quia tenet quasdam ditiones ad Imperium pertinentes; valeat idem in Gallo, qui Mediolanum & Regnum Arelatense, veterem nostrorum Imperatorum Sedem in potestate sua habet. Denique prorsus ita sentio, quod electionem attinet, non minus accersi peregrinum Imperatorem electo Hispanico, quam Gallico Rege: etiamsi aliqua subtili interpretatione iam inseritur Hispanus Germaniæ, eamque totam deliberationem in vtramque partem disputari posse iudico, & penes nos declarationem legis esse sentio. quærendum igitur est vtrum sit vtilius. Ego cum cogito illam auream ætatem nostri Imperii, cum essent coniunctę Francorum temporibus, Germania & Gallia, ac reputo quàm ea coniunctio ad tranquillitatem vniuersæ Europæ contulerit: mirabiliter afficior, nosque beatos ducerem, si eum statum restituere possemus. Diuinitus autem nunc oblata est occasio eius rei efficiędæ, quare nihil dubito vos adhortari omni studio, vt occasione vtamini; nec ab hoc meo iudicio discrepat Italia. Idem optare scio Romanum Pontificem, Venetos, Italiæ Principes ac ciuitates omnes. Cum tot iudicia congruere videatis hominum sapientissimorum, nolite existimare leues causas esse, cur idem tanto consensu probent & omnibus votis expectent omnes. Gallica gens, vt est verè cognata Germanis, ita opinionibus, ac moribus, liberalitate, clementia, pietate, litterarum cultur, Germanis simillima est; & quod constat, vna est exterarum nationum maxime amans nostrorum hominum, vt vestigia quædam cognationum in hac ipsa beneuolentia agnosci possint: vicinia verò quam est oportuna ad defensionem vtriusque Regionis, si quis subitus tumultus inciderit; nec ad Italiæ pacem tuendam reperiri vtilius consilium potest coniunctione harum duarum gentium: quarum vtraque exercitus ingentes equitum ac peditum conficere, & Gallia suppeditare belli neruos, videlicet ingentem vim pecuniæ potest. & quia non solum Germaniæ, sed toti nomini Christiano, in hac electione consulere debemus, quærendum est præsidium aduersus Turcica arma; cum enim teneant iam pacatam Asiam, nihil dubium est rursus in Europa bellum molituros esse. Inuadent Pannoniam & Italiam. In tali discrimine, quid erit optatiùs quam Imperatorem habere instructum copiis ac viribus Germaniæ & Galliæ? at contra, vt de ingeniis ac natura gentis Hispanicæ nihil dicam, quæ etiamsi est bellicosa, tamen nō tam viribus pugnat quam arte. Itaque nulla magna res ab eis in Italia sine auxiliis Germanicis gesta est; sed cogitate quam procul dissita sit; certe in subitis tumultibus, non poterit nobis, vel Italiæ, vel Pannonię opitulari. Patria est Caroli Austria, ne hanc quidem Hispani tuebuntur; &, vt volent, non poterunt. non enim nisi exiguas copias domo mittunt, eiusque rei causa est, quod nauigationibus Hispania exhauriatur: nec cœli nostri grauitatem satis ferre possunt: est & illud commodi, si cum Gallis militemus: vestro ductu omnia gerentur: vos in gloriæ societatem admittent Galli, etiamsi sunt glorioſi: at vbi cum Hispanis militabitis, illi vos tanquam mancipia regent: ipsi laboribus ac victoriis vestris fruentur: præripient honores, præerunt Prouinciis. Vos tum serò deplorabitis seruitutem vestram. sed gentium collationem omitto: de ipsa electione dicam. tenet hoc tempore Gallus Mediolanum, qui si erit Imperator, ne causa quidem belli in Italia futura est. Nam quod Gallus existimatur Neapolim petiturus, vestra eum auctoritas facilè ad alias res vtiliores auertet, si habebitis obligatum beneficio vestro. A Belgis etiam abstinebit, si quiescant ipsi, vt facient certè conterriti Germaniæ consensu, præsertim si non fuerint irritati. nec ego velim illos irritari. Vicinos enim habuimus Belgas longo tempore, non socios Imperii, nostra edicta nihil morantur; nostris periculis nihil afficiuntur. suum quoddam Regnum ibi habent nihilo magis cōiunctum cum Imperio, quam sunt Angli aut Scoti. quare quod verentur aliqui futurum, vt Germania bello implicetur, si Belgæ non obtemperarent, qui Imperia nostra multis iam seculis contemnunt: nihil periculi est: nullum sine vestro consilio bellum Gallus mouebit, & quia Insubriam tenet pacatā, & hoc tempore optimè instructus est omnibus rebus ad bellum necessariis: vnam hanc laudem, vnum hoc decus petit, vt à nostris ceruicibus depellat Turcas: vt Selymum ingentibus fucessibus ac minitantem Italiæ exitium adoriatur omnibus viribus. quare nihil dubito polliceri electionem Galli allaturam esse Germaniæ tranquillitatem, Pannoniæ atque Italiæ salutem. At contra, si elegerimus Hispanum, quam atrox bellum accendet is in Italia ad recuperandum Mediolanum. etsi autem incerti sunt exitus bellorum: tamen, vt tandem sit fortuna Imperii superior, diu trahet bellum Hispanus, vt solet assiduitate vincere, non Achilleo more properans, vt totis viribus dimicet. Interea Italia vastabitur crudeliter nos occupati rebus Italicis. Turcam non poterimus arcere. Hæc pericula nescio cur extenuentur, quæ ad totum orbem terrarum pertinēt: cum è regione tam diligenter colligantur, & amplificentur pericula, quæ Galli electionem comitari videntur: quæ tamen & leniora & incerta sunt, illud certum est, Italiæ horribilem vastitatem denunciari electione Hispani: futurum etiam, vt Turci interea opprimant Pannonios: nihil dicam de exitu belli Italici, in quo si Gallus vincet, tum vero appetet Neapolim, & fortasse Romæ coget Pontificem, vt nostram electionem improbet. qualē tragœdiam ea res paritura esset; sed vincat Imperii fortuna, quid accidet? Hispani tenent Italiam nunquam nobis redditurі. noui eam gentem, cupidam dominationi: Polypi sunt, quod semel prehenderunt extorqueri sibi non sinunt, & cum Italiæ possessione retinere Imperium haud dubie volent. non diuino equidem, sed de rebus futuris conjecturas colligo probabiles: nulla est tam ignaua natio, quæ si Italia potiretur, vltro cessura esset: tantum abest, vt genus hominum bellicorum gloriæ atque Imperii auidum cessurum nobis existimetis. omnibus temporibus creuit hoc modo Regum, & populorum potentia. Carthaginenses semel accersiti in Siciliam postea multis seculis depelli non potuerunt, sed cętera omitto. Illi ipsi Turcę, quos iam tantopere formidamus, postquam semel in Europam traiecerunt accersiti à Constantinopolitano Imperatore, progredi nō regredi postea statim conati sunt. Ipsi Hispani infinitas æruminas perferre maluerunt, quam deserere Neapolim, quam accersiti specie societatis, & Italorum ope adiuti à Germanis potientur Mediolano, quare censeo non esse in Italiam adducendos

Hispanos. De ipsorum Regum ingeniis pauca dicam. etsi enim existimo indolem in Carolo ad iustitiam, & bonitatem esse dignam isto genere: & audio modestum ingenium esse, tamen, si quis existimet in adolescente conspici posse eas virtutes, quæ in summo Principe orbis terrarum ac Duce præstantissimo requirūtur, errat; opus est orbi terrarum primum tali Principe, qui sapientia & moderatione sua emendet Ecclesiam. Sapienter enim Moguntinus de Religione & de impendentibus Ecclesiæ tumultibus locutus est, quorum sparsa sunt semina, scio autem Regem Franciscum non modo singulari dexteritate ingenii & prudentia in iudicando præditum esse: sed etiam de religione cum doctissimis hominibus multa solere disputare, multa ipsum legere, & intelligit, hanc esse summam laudem magni Principis, vt non desit rectæ constituendæ Ecclesiæ. Deinde hæc tempora requirunt Ducem peritum, acrem & felicem in armis. Hac in re non indolem in Francisco, sed spectatam in eo industriam prædicare possumus. Nemo enim Regum Gallicorum aliquot seculis res gessit maiores: & quidem exiguo tempore. Cumque vulgo tribuatur Gallis quædam animi mollities, quod inchoata negotia cito abiicere dicuntur, si initio non respondeat eorum spes euentus: hic Rex constantiam suam in rebus gerendis declarauit: cumque diuturnum, & varium bellum in Insubria gesserit, res tantas præcipue suis cōsiliis gubernauit. nec defuit ei fortuna: nemo enim profligauit vlla memoria, inde vsque à Iulio, maiores aut firmiores Heluetiorum exercitus. in his negotiis cum fortuna pene indulgens in eum fuerit, sperandum est, & in posterum eius consiliis Deum affuturum in Imperii pace tuenda, & in defensione totius Reipublicæ Christianæ. quid igitur anteferemus adolescentē, cuius indoles nondum satis explorata est, huic Regi; cuius sapientia, virtus, & felicitas, in toga, & in armis cognita est. Postremo addā hoc vnum argumētum, quo etsi fatetur se moueri Moguntinus, tamen nos bene sperare iubet. nullis verbis dici potest, quantum periculi sit Imperatorem abesse extra Germaniam, & ita abesse, vt non statim, cum opus est, accurrere possit. quid fiet, si vel Turcæ subito irruptionem fecerint in Germaniam, vel seditiones aliquæ orientur inter Principes; vt in sæuis tempestatibus nauis sine gubernatore, ita Respublica sine Imperatore tali tempore seruari non potest. Accedit aliud perpetuum incommodum: nō aspiciet res Germanicas ex propinquo. Itaque multa nescíet, multas falsas fabulas credet: leuius afficietur nostris rebus. Nullos habebit secum Principes Germanię qui cum eo libere de Republ. loqui possint, sedebit circumfusus ab Hispanis, quorū de multis rebus iudicia & voluntates à Germanis discrepāt, mittet edicta in Germaniā, nec causis, nec temporibus congruentia, quæ tranquillitatem perturbatura sunt. num hæc incommoda leuia ducitis? quid si ipse etiam incensus artificiis aliquorum, veniet iratus in Germaniam, & adducet Hispanos; qui vt Campaniam, vt Apuliam inter se partiti sunt, ita vestras ditiones prædam suam esse arbitrantur. Prouidendum est autem ne talis aliquis error Germaniæ vastitatem, & huic Imperio interitum afferat. an illas maiorum vestrorum sedes vultis Hispanorum Colonias fieri; vestros posteros à summis ortos Heroibus, venire in seruitutem & aboleri ornamenta Reipubl. à vobis sapienter & sanctè instituta, iura, iudicia, disciplinā? hęc enim omnia in seruitute mutantur. Sed de hac re plura dicere ominis causa nolo. Si igitur est habenda potentiæ ratio in electione, vt ego quoque arbitror: & fatale est horum Regum alterum eligi, ego Gallum anteferō, & nequaquam censeo Hispanum eligendum esse: sed si lex impedit, ne Gallus accersatur, magis etiam impediat, ne Hispanus eligatur, cum eius electio, quantum prospici humanitus potest, minime salutaris futura Germaniæ videatur. At decurramus ad maiorum nostrorum exempla, & vere, non callida interpretatione, legem seruemus, ac vere Germanicum Principem, qui non aliud domicilium, nisi in Germania habet, qui origine, ingenio, lingua, moribus Germanus est, eligamus, nec me vsque adeò mouet, quod ait Moguntinus leporem leonibus imperaturum: magis illud videndum, ne ciconiam ranis seu coruis vulturem præficiamus. Potentia Germaniæ satis magna est, si quem eligemus, qui virtute auctoritatē sibi cōparare poterit. Accepit hoc Imperiū, & pene funditus collapsum Rudolfus mediocris Princeps tantū propter virtutem electus: ac breui ita crexit, vt Regib. vicinis omnib. formidabilis esset. Audio Ludouicū Regem Franciæ proximū, cum essent de Imperio Germanico sermones, & quidā Maximilianum per iocum vocasset, Consulem Augustanum, significans eum paucis ciuitatibus imperare; duriter increpuisse illum, & respondisse: imo vero nequaquam Germanicis Imperatoris potentia contemnenda est. Cum ille Consul tympanum pulsat tota Francia tremit. Honeste Lodouicus; Noluit enim in regum maiestatem iocos, aut conuicia dici. Sed tamen illud etiam ostendit, se Maximilianum propter virtutem cuilibet potentissimorum Regum parem ducere. Nec adeo videtur exstincta esse virtus in familiis vestris, nemo vt reperiri possit, hoc fastigio dignus. tres sunt familiæ, Bauarica Saxonica, & Marchica; quæ quadam mediocritate potentiæ auctoritatem in Germania tueri possunt. Et sunt in his aliquot Principes, qui ingeniis, & virtute sustinere magnitudinem huius administrationis queunt. Ex his, si quem elegerimus consentientibus suffragiis eumque nos defensuros esse ostendemus, vt æquum est: omnes Principes, & populi erunt in officio; vt igitur habeat auctoritatem, virtute opus est: vt accedant vires formidabiles exteris omnibus vna re opus est, videlicet Electorum consensu: quem intet nos quidem perpetuum spero futurum esse. nemo est enim inter nos, qui sibi potentiam aliquam quærat: quem ambitio aut vlla cupiditas incitatum videatur aduersus communem Imperii tranquillitatem. Tali sapientia, & grauitate prędītos esse Electores, cum salutare est Reipublicæ, tum vero ad omnem posteritatem Germaniæ gloriosum. Itaque mirificè delector recordatione huius vestræ virtutis. Omittamus igitur Hispanum, & virtute cum exteris certemus. non quæramus alios, si nobis imperent otiosi. nihil enim indignius est natis Heroico genere, quam inertia fugitantes laborem aliis concedere Imperii gloriam, & seruitutē accersere. quoties in Germania mediocres Principes contraxerunt regios exercitus, & res præclaras gesserunt; fuit recens Dux Saxoniæ Albertus, qui suis sumptibus magna ex parte bellum in Belgico gessit. Quid ante hunc quantos exercitus sæpe contraxit Marchio Albertus; Patri tuo, Friderice, Duci Ernesto bellum denunciat Rex Pannoniæ Matthias: quantas copias, quantum robur ex vicinis regionibus subito contraxerunt, pater & patruus tuus; itaque cessit vobis Pannonius sine dimicatione: quod non fecisset, si duorum fratrum ingenia, & vires contemnisset. quare non dubito posse iniri rationem electo Germanico Principe, ne ei vires, copiæ, arma desint ad tuendam auctoritatem domi & apud exteros.

Expositi meæ opinionis causas, non vt postulat magnitudo negotii: sed vt in præsentia potui; maximeque cupio audire, quid iudicent cæteri Electores, qui diu Imperii cōmunium Principum ingenia, & facultates norunt; qui Maximiliani consilia de rebus his meminerunt; deniq;, qui longum in administratione Imperii vsum habent: quorum, cum audiero orationes, de tota re diligentius disputare potero.

Cum dicere desiisset Treuir, taciti aliquandiu sederunt Principes, tanquam defixis animis in cogitatione vtriusque orationis; exaggerata enim magnitudine periculorum in vtraque parte, quorundam animos nonnihil impulerat Treuir, vt ad aliud decurrerent, vt omissis Regibus quærerent alios, quem alium ex Germanicis Principibus. Sed hunc quærentes, animis magis etiam dubitabant, iubent igitur tandē Fridericum Saxoniæ Ducem, natu maximum suam sententiam exponere: qui pauca præfatus de lege dixit: Interpretationem Treuiri subtiliorē esse quàm qua vti ipsos deceat. Addidit̄q; non dubitandum esse, quin lex impediat Galli electionē; planum & illud esse, Carolum vere Germanicum Principē esse; & in Germania domicilium habere; & opus esse his turbulentis temporibus Principe, qui auctoritatem, virtute & potentia tueri possit. Ideo se non dubitare, quin omnibus anteferēdus sit Carolus Archidux Austriæ. Sed tamen prius conditiones quasdam ei ferendas esse, vt in tuto sit Germaniæ libertas, & vt pericula, de quibus disputatum est, quantum prouideri potest, caueantur.

Eadē sententia dicta est à cæteris Electorib. Treuir cum vi-

deret omnium animos ad Carolū inclinare agnoscere se inquit, Germaniæ fastum, & impendentem Imperii mutationem. quanquam igitur non desinit hortari, vt diligentius hæc res deliberetur, tamen affirmat, se publicæ Concordiæ causa suum suffragium cum illis coniuncturum esse. hac acerrima cōtentione eius dici in multam noctem producta, tandem ita discedunt, vt postridie conueniant de conditionibus deliberaturi, quas Caroli legatis propositurі erant, qui Moguntiæ euentum expectabant. Fuit igitur de conditionibus illis postea per aliquot dies non minus contentionis; quæ proscriptæ & Moguntiam ad legatos missæ cùm essent receptæ, dies constituitur eundi in suffragium solenni more. Itaque rursus sacro publice facto, ingressi in Sacrarium interius templi diui Bartholomæi suffragia ferunt hoc ordine. Cœtus Electorum reliquus interrogat Moguntinum, quem eligat Regem Romanorum, & futurum Imperatorem: is respondet se eligere Carolum Archiducem Austriæ. Deinde & Moguntinus reliquos interrogat. Hoc modo omnium consentientibus suffragiis Carolus electus est Imperator. Deinde suffragia relata sunt in literas, & confirmata singulorum sigillis. Postea accersita nobilitate ac multitudine vniuersa, publice facta est renunciatio; tum in hanc sententiam habuit Moguntinus orationem.

Carolus V. omniū suffragio Romanorum Imperator declaratur

XI. *Alberti Moguntini Electoris Carolo V. electionis solennis pronuntiatio.*

Quod felix fanstumque sit Ecclesiæ Christianæ, Imperio nostro & Patriæ, renuncio vobis electum esse Regem Romanorum & designatum Imperatorem Carolum Archiducem Austriæ & Burgundiæ, Regem Hispaniæ. qua in re primum agendæ sunt Deo gratiæ, quod summa concordia & consentientibus Electorum Principum suffragiis res tanta perfecta est; sæpe enim antea, cum dissentientibus Electorum studiis, & voluntatibus diuersi eligerentur, orta sunt inter Germanos bella ciuilia plena impii furoris & crudelitatis, in quibus domi mutua cæde flos nobilitatis extinctus est, absumptæ Imperii vires, ac pene vniuersa Germania in solitudinem vastitatemque redacta est: foris autem nomen Imperii nostri contemni cœpit: Italia deficere & alios Reges accersere: Turcæ impune grassari, dum nos impliciti domesticis bellis reprimere eos non potuimus. Porro quantum mali hoc tempore discordia Electorum paritura erat; cum non solum Germaniæ Principes, sed fortassis etiam exteri Reges in media Germania de Imperii possessione dimicaturi fuissent. nec leuiter res tāta est, vt cōsensus noster dissolueretur. quare ego quidem non minus propter cōcordiam nostram, quam propter electionem ipsam lætor, Deoque gratias ago, qui mentes omnium ad concordiam retinendam flexit, & gubernauit, qua incolumi speramus huic nationi non defuturum consilium ad defendendam Patriam & Imperii dignitatem. etsi diuinitus potius quam humana potentia perfectum est, vt voluntates nostræ congruerent, tamen hac in re etiam vestra virtus ac sapientia, Electores, maximam gloriam nobis apud exteros Reges parit; conciliabit & beneuolentiam nostrorum Principum, qui vobis tantæ rei arbitrium solis commiserunt, vt dominum ipsis, vt custodem publicæ salutis, vt Ecclesiæ, orbis terrarum propugnatorem elegeritis. Apud hos eo plus admirationis hæc vestra diligentia grauitasque habet, quod ipsi norunt, quosdam non modo variis artificiis, sed etiam propositis minis ac terroribus conscripto exercitu hoc ipsum conatos esse, vt nostras mentes distraherent ac dissociarent; vtinam nostrum exemplum & posteris prosit, qui quantis laudibus vestram celebrabunt sapientiam, & virtutem, quod cauistis, ne discordia inter vos orta bellum externum & exitiale patriæ excitaretur; sed, vt ante dixi, Deum agnoscamus auctorem esse huius consensus: eumque ardentibus votis precemur, vt sit perpetuus. Deinde postquam electus est Carolus, non dubitemus quin Dei consilio & voluntate ad hoc tantum fastigium euectus sit: nam haud dubiè facto & voluntate Dei, Imperia dantur. Agamus igitur Deo gratias, quod Principem nobis optimę atque amplissimæ spei dedit, ac petamus, vt auspicia Imperii sint fausta ac felicia, & vt Deus gubernet Regis Caroli animum, consilia & actiones ad gloriam Christi illustrandam, ad Ecclesiæ tranquillitatem constituendam, ad Patriæ atque Imperii pacem defendendam, ad religionis, legum, iustitiæ, disciplinæ conseruationem. Hæc ingentia bona cogitemus vere esse cœlestia beneficia, quæ generi humano per bonos Principes Deus impertit. quare à Deo piis & assiduis precibus petenda sunt: quemadmodum ille, cum inquit de Deo, qui dat salutem Regibus, admonet ita esse felicia Imperia, si Deus det salutem, si gubernet atque adiuuet eos, qui Respublicas administrant. omnes igitur inuocate Deum & Dominum nostrum Iesum Christum, & hanc Psalmi vocem pio pectore ingeminate, quæ precationem pro Rege continet: *Mittat tibi auxilium de sancto, & de Sion tueatur, &c.* Publico etiam nomine postulamus, vt Carolo Regi Romanorum & electo Imperatori, ac Domino vestro obediatis. quod quidem vos pro fide, virtute ac sapientia vestra facturos esse non dubitamus: præsertim cum ille tanta modestia iudicium nostrum ac suffragia expectauerit. & quemadmodum nos in electione præstitimus, ne qua inter nos discordia oriretur: ita vos propter publicā Imperii tranquillitatem imitamini nostrum exemplum, & communi animo electo Imperatori obtemperate, quem iure ac legibus scitis iam esse nostrum Dominum: nam electio iure ac legibus facta est. nullius noui exempli auctores sumus contra leges. Est autem officium necessarium & præsertim sapientibus ac magnis viris dignū, iuri ac legibus obtemperare, parere Dominis, caucre omni studio ne contumacia dissipentur Imperia. Attamen, vt libentius huic Domino pareatis, eædem vos rationes hortentur, quæ animos nostros in electione mouerunt. etenim non solum nihil contra leges fecimus; sed etiam quantum prospici à nobis potuit, Deo gubernante nostras mentes, in designando Principe communi saluti orbis terrarum consulere conati sumus. Quare vt sancitum est Germanicum Principem, & quidem in familia Imperatoria natum elegimus, quem indolem ad virtutem egregia præditum esse cognouimus. Eminent autem in eo eluæ virtutes, quæ in summo Principe maximè necessariæ, salubres & gratæ sunt, videlicet amor religionis & bonitas eximia: quarū altera cū ad fugiendas libidines, ad vitandas temerarias mutationes in Ecclesia & Republica, ad fidem seruandam constantiamque in promissis, ad defensionem religionis & Imperii excitat, veraque vero prohibet sæuitiam, crudelitatem, iniustitiam, cupiditatem vindictæ. Etsi enim iudicauimus opus esse potente Principe, qui auctoritatem etiam viribus tueri posset: tamen prius ingenium & mores considerauimus. Potentia enim non salutaris; sed pernicio sa esset orbi, si ingenium leue aut malum esset. Est autem ea iam ætas penè, quæ fuit Alexandri Magni capessentis Imperium: in qua vires corporis propemodum maturuerunt, & ingenii vigor, industria, sagacitas & mores se proferunt, vt iudicari qualis sit natura possit. Itaque cum sciremus Regem Carolum suo iudicio multa honestè & grauiter respondere, & non solum non hebetem, sed etiam singulari industria & diligentia in obeundis negotiis, aut prouidēdis, aut iudicandis præditum esse, & cæteras virtutes habere bono & magno Principe dignas, statueremusque tali præditum natura opes & potentiam suam collocaturum esse non ad nocendum; sed ad salutem humani generis: potius duximus tantis instructum viribus eligendum esse, quam alium his necessariis præsidiis destitutum. hoc consilio censuimus boni Principis potentiam auctoritate armandam esse. Et quoniam nos non tantum Germaniæ, sed vniuerso orbi terrarum consulere debemus; vires comparandæ sunt aduersus valentissimos hostes, non modo Germaniæ, sed totius Christiani nominis. tantis incrementis, & tam subitis, annos iam ferme centum auctæ sunt res Turcarum, vt nemini dubium esse possit, eos Imperii obis terrarum sibi polliceri non modo propter virium magnitudinē, sed multo magis propter inusitatos atque admirabiles successus. Et vt omittamus priora, Selymus nuper non minori virtute quàm felicitate Persas antea inuictos ingenti prælio superauit, & ex Armenia eiecit. Deinde duobus amplissimis regnis Syria & Ægypto potitus est. Et in Oriente Imperii Turcici limitem cum constituit, qui quondam Romani Imperii fuerat. Ac tantam gloriam consecutus est, vt maiores suos non solum regni amplitudine, sed etiam felicitate superare videatur. Nam & Pater & Auus Mahometes, cum quidem Dux esset vnus omnium eius ætatis acerrimus & felicissimus, cum tentassent Syriam, acceptis magnis detrimentis inde sunt repulsi. At Selymus velut in eodem cursu profligato Persico exercitu, Syriam atque Ægyptum non sine acerrima dimicatione in potestatem suam redegit. hunc cum natura gloriæ, & in mense cupidus sit, non

accessio virium, non magnitudo successuum incitau[illegible] ad res maiores suscipiendas; ille vero iam classicum cecinit & exercitus in Pannoniam misit. Videmus autem fato quodam hoc tempore duas bellicosissimas nationes coniunctas esse, Germanicam & Hispanicam: ac tenet Carolus magnam Italiæ partem. Itaque si omnium gentium consiliis Dux aduersus Turcas legendus esset, haud dubie omnium votis expeteretur, & omnium suffragiis designaretur Imperator Carolus. quare & vos & pleraque alias gentes, quæ cum Imperio nostro societate aut fœderibus coniunctæ sunt, speramus iudicium nostrum summo studio probaturos esse: præsertim cum omnes norint, Carolum singulari moderatione naturæ præditum esse, maximeque à superbia, sæuitia, cupiditate iniustæ dominationis abhorrere. Esset enim formidanda liberis tanta potentia, essent metuendæ Imperii & orbis terrarum graues mutationes, nisi naturæ bonitate, & timore Dei potentiam moderaturus videretur: quod vt speremus grauissimis argumētis adducimur. Indoles enim ipsius penitus nobis perspecta est, cognouimusque; eum habere infixam animo mirificam reuerentiam erga religionem, fidem pactorum constantissime præstare, & à crudelitate quammaxime abhorrere. Sunt autem omnium reliquarum virtutum nutrices religio, veritas & mansuetudo. Deinde familiæ natura mouemur, quæ Imperium iam annos plus octoginta ita tenuit, vt nondum pœnitere nos Austriacorum Principum debeat. In primis enim enituit in vtroque & auo & proauo eximia moderatio & lenitas: quæ quidem in Maximiliano Cæsare non poterat segnities videri. Nemo enim erat illo in armis acrior. quoties armis dimicauit ipse; quoties paruis copiis ingentes fudit exercitus, nunquam fortunæ sucumbebat eius animus; rursus in victoria, in toga mitissimus erat. Et quod singularis erat prudentiæ præcipuo studio cauebat, ne iracundia incitatus præberet occasionem mutationibus Ecclesiæ aut Imperii. ab hoc prognatum Carolum, referre auitam moderationem animaduertimus, & ea esse grauitate præditum scimus, vt intuens in maiorum exempla non sit commissurus, vt ab illis degenerasse dicatur, vt alienos mores indignos moribus accersui isse, vt primus laudatissimæ familiæ notam superbiæ & crudelitatis inussisse feratur.

Meminit etiam aui præcepta de timore Dei, de cura tuenda religionis, de clementia: quæ, vt decet, velut oracula obseruat. quanquam, quid opus est longa oratione? Iam speciem industriæ & virtutum aliarum dedit in Hispania. Auo eius materno extincto, magni motus in Regno & ciuiles discordiæ erant exortæ. Has aduentu suo repressit. Cumque eius nationis ingenia bellicosissima sint & exteros Dominos non facile patiantur, tamen ipse non tam armis, quam virtutis ac præcipue bonitatis admiratione totam Hispaniam nunc ita retinet in officio, vt nemo regnum vnquam tam pacatum tenuerit. quare quantum humanitus prouideri potuit, elegimus Imperatorem, in quo cum virtute potentia coniuncta est, vt eius vires præsidio essent religioni, Imperio & vniuerso nomini Christiano. Proinde vos auspiciis Imperii ipsius læta & fausta precamini, eiq; libenter obedite, vt decet Principes & populos amantes publicæ tranquilitatis. Postremo cum ingentem luctum & mœrorem interitus Maximiliani attulerit, decet vos vim fati æquiori animo ferre: postquam nepos, quem ille charissimum habuit, & nobis aliquando commendauit, ipsi successit, vt non omnino extinctus videri possit. Deinde ipsius manibus hoc officium tribuite, vt maiori studio nepoti pareatis, A consiliis vestris & copiis suscipientem grauissimam Imperii molem; summa concordia adiuuetis. quod eo etiam vobis faciendum est maiore cura, vt Imperii possessionem retineatis, quam sine concordia tueri nequaquam possumus. Cogitate autē quantum decus sit, vnam hanc nationem delectam esse, quæ non tantum suos fines defenderet, sed custos esset etiam cæterarum gentium, & pro communi salute Christiani nominis præcipuam stationem teneret. Hoc decus magna virtute partum à maioribus, & annos fere iam octingentos in hac natione conseruatum sapientia & concordia Principum, nolite nunc per discordiam amittere, eaque in re cum vestræ gloriæ & tranquilitati, tum vero saluti orbis terrarum consulite. Idque officium Principes & eos, qui præsunt Reipublicæ, ma-

accipienda sunt. Hæc etiam Hispania, etsi vires suas, quę non sunt exiguæ, ad societatem rerum gerendarum offert; tamen ipsum Regem domi, velut in specula regni, assiduŏ esse mallet. Sed è regione dutum videbatur patriæ opem ab ipso implorati deesse. mouit etiam animum gentilitium decus atq; honestum esse iudicabat, aui & proaui exempla sequi. & cum auus collapsas res rursus erexit, cumq; huic familię potitę hoc fastigio, tantæ accesserint opes, arbitrabatur, diuinitus hanc familiam ad Imperii defensionem vocari. Postremo etiam Principum Electorum votis, & iudicio præmouetur, vt rem omnium difficillimam, Imperii gubernationem, suscipere minus recuset. tam multæ graues causæ cum concurrerent, cumq; diuinitus se vocari ad Imperium Patriæ consensu statueret: tandem, quod felix faustumq; sit, Imperium accipere Rex Carolus decreuit, & hanc voluntatem suam, Dux Friderice, à te exponi Electoribus & perferri in totam Germaniam postulat. Principio vero, quod Regum sapientissimus Salomon vnum optabat, id ipse quoque optat, cum humana sapientia non sit par tantæ gubernationi, vt Deus pectus & consilia ipsius in toga & in armis regat ac perficiat, vt Ecclesiæ & toti generi humano hæc ipsius gubernatio salutaris sit. Meminit Rex Carolus ex hac ipsa Hispania duos Principes ad Imperium vocatos esse Traianum & Theodosium: quorum alter optimus appellatus est: alter non solum bonitate & armis Traiano par fuit, sed etiã hac laude excelluit, quod vere Deum coluit: ac perfecit, vt Euangeliũ latius propagaretur: & concordiam Ecclesiæ piæ diremptis dissidiis constituit. Hi duo Principes ex Hispania euocati cũ fuerint salutares orbi terrarũ; lætatus omine horum exempla sibi proponet: & annumerari laudatissimis Impp. volet. Summa virtus maiorum fuit in vtraque familia, Austriaca & Hispanica: horum similitudo in Regis Caroli natura & indole iam præclare lucet. Comitatur autẽ felicitas cum cæteras virtutes: tum vero pręcipue pietatẽ erga Deum, quæ in Rege Carolo eminet, quare spes est eius gubernationem faustam, felicem & salutarem fore orbi terrarum, & vt sit, omnes boni toto pectore vota facere debẽt. tu vero Dux Friderice cito & Principibus Electoribus gratias agito, quorũ cognouit eximiam erga se benuolentiam esse, ac voluntates eorum confirmato: & Imperatorem Carolum petere dicito, vt ipsi tanquam custodes publicæ pacis, sua fide, concordia, virtute, Germaniæ tranquillitatẽ tueantur, donec Imperator in Germaniam veniet: qui quidem aduentum maturare quam primum decreuit. Hæc cum Mercurinus dixisset, tota Curia lætitiæ plena, Regi Carolo & Imperatori omnia fausta precabatur. Postea scriptæ sunt litteræ ad Electores, in quibus Rex se Imperium accepisse profitetur, & de constituendo statu Imperii nihil sine consilio Electorum facturum esse profitetur. Commemorat sibi benuolentiam ipsorum iucundissimam esse: & voluntates eorum confirmat: postremo pollicetur etiam breui se in Germaniam venturum esse. vt igitur sollicitis Electoribus quam primum voluntas Caroli Imperatoris significaretur, Fridericus Palatinus amplissime muneribus ornatus, statim dimissus est. Cæsar autem initio veris ex Hispania solues traiecit in Angliam, vbi à Rege Henrico Octauo non solum comiter pro ipsorum necessitudine & hospitii iure, sed etiam splendidissimo apparatu exceptus est. Cumque fœdera inter duos Reges cõfirmata essent, Anglus pollicitus est, se Caroli coronationi interfuturum esse honoris ipsius causa. Post paucos dies inde venit in Belgium. vbi magna frequentia omnium ordinum fausti cum ominibus excepit. Gratulantur reditum eo maiore veneratione: quia iam virum cernebant Principem, qui in Hispaniam ante annos aliquot admodum adolescens profectus fuerat, optant læta & fœlicia Imperii auspicia. Commoratur autem Rex Carolus aliquantisper in Belgio tum vt ciuitatum suarum statum cognoscat: tum vt Angli aduentum expectet. Sed hunc facile Rex Franciscus perpulit, ne Carolum comitaretur: ac sibi Anglum nouis pactionibus adiunxit, quę deinde magnas rerum conuersiones attulerunt. tandem igitur Aquisgranum venit Rex Carolus florem secum Burgundicæ & Belgiæ nobilitatis ducens. & quanquam in oppido & vicinia grassabatur lues pestilens, tamẽ ne noui exempli auctor esset, mutari locum coronationis noluit. Aduenienti obuiam processerunt Electores, & fere omnes reliqui Germaniæ Principes. Aderat & cœtus Sacerdotum, Caroli magni monimenta gerens. Postero die, qui fuit dies duodecimus mensis Octobris, coronatus est in æde maioris Aquisgrani veteri ritu. Moguntinus & Colonienſis indutum trabea ad aram adduxerunt: Dux Palatinus orbis figuram præferebat: Dux Saxoniæ ensem: Marchio Brandeburgensis sceptrum: Treuirensis vero more à maioribus accepto Regem vnxit. hic ad aram iusiurandum prælectum est. deinde Corona à Moguntino & Colonienſi imposita, postea tradita sceptrum & ensis. his cerimoniis peractis Regium conuiuium apparatur, in quo Electorum distributa sunt ministeria. Astat Moguntinus codicillos & sigillum manu gestans: Marchio Brandeburgensis sceptrum: Regis Bohemici legatus Pincernæ munere fungitur: Palatinus dapiferi. interim in foro Dux Saxoniæ auenam equitibus distribuit. Assatur & taurus integer, refertus altilibus omnis generis: vnde primum Coronato Regi Romanorum opponitur ferculum. post Coronationẽ Cæsar cum Principibus Coloniam venit, vt de futuro Conuentu colloquerentur: in quo de veteri more post Coronationem lex de pace communi renouatur, & de summa Reipublicæ deliberatur. Decretum est igitur, vt ad Calendas Ianuarias indiceretur Conuentus Wormatiæ. His actis & Carolus in Belgium rediit, & cæteri Principes in suas ditiones discesserunt.

XII. Coronatio Caroli V. Cæsaris Aug. apud Aquisgranum per Hartmannum Maurum Hermanni Archiepiscopi Colonienſis Consiliarium, qui ei Coronationi interfuit descripta.

Sabinus Electionem & Consilia: hic rei gestæ in Coronatione ac pompæ celebritatem continet.

Serenissimo Illustrissimoq; Principi atq; Domino, D. Ferdinando, Hispaniarum Principi, Archiduci Austriæ, Duci Burgundiæ, &c. Cæsareæ Maiestatis per Germaniam supremo Vicario, gratiosiſs. Dn. suo Hartmannus Maurus, Legum Professor, offert immobilem fidem voluntariamque seruitutem.

Sereniſs. atque Illustriſs. Princeps, gratioſſime Domine. Aliquanto ante faustissimam coronationẽ inuictissimi Hispaniarum Regis Catholici, fratris Serenitatis tuæ amantissimi, in Romanorũ Regem, Principum Electorum consiliarii vocatu Regiæ Maiest. cum generoso atque perstrenuo viro Florentio de Yselstein, Comite de Egmunda, Regio tunc Magistro equitum Aquisgranum ad apparandum cuncta, ne quares Cæsarem moraretur, præmisso, de cærimoniis tantæ celebritatis rite exequendis, aliquandiu semel commentati ob in medium exhibitas diuersas schedas, olim ab imperitis annotatas; nõ parum difficultatis atque molestiæ, antequam in vnam sententiam conuenirent, habuere: quapropter visum est Domino Florentio operæ pretium fore, tanti sacri ritus, quos non nisi ordine tractari conueniret, aliquando simpliciter, atq; vere literis sigillatim, quemadmodũ oculis subiecti fuerunt commendare: vt ea re tum populi ab eo, in quo hactenus versati errore, liberentur, tum post futurorũ quoq; quieti, præcisis tã ineptis altercationibus, cõsuleretur. Tametsi vero iussu eiusdem hanc tam magnificã festiuitatem, vtcunque iam pridem tumultuario profecto studio verbisque plane castrensibus obiter, aliaque iuxta agendo consarcinassem: imbecillitatis tamen meæ conscientia deterritus constitui primum has meas qualescunque ineptias sic comprimere, vt nunquam emanarent. Sed cum interim multi multa de his rebus temere scribere rerumque ex confesso falsarum admixtu hanc tam illustrem atque splendidam dignationem commaculare non erubuere; nec gentes, quibus Aquilæ acerbitati nomenque Germanum sempiterno odio diuinis illis honoribus suo more maligne interim detrahere veritæ sunt: non potui me vlterius continere, quin has meas pertenues lucubratiunculas paruitatis meæ erga Cæsaream Maiestatẽ deuotissima fide rursus descriptas tuæ Serenitati ob hoc potissimum, quod eo tempore, quo Regales honores impendebantur, Serenitas tua Bruxellis subsistens fraternæque, vt opinor, Maiestati cedens, aut ne vno loco orbis salus periclitaretur, fraternos honores, coram quod vnicum tantum maximæ lætitiæ exoptatissimæque congratulationi defuit spectare non potuit, humillime offerrem. Vellem nihil magis, quam quod dignæ lectu forent. Sed cur hoc haud satis cogitata ratione votis exposco; cum non debeam animo præsumere propter meam impolitam scriptionem tanto fulgori, vnde manantibus radiis terræ mariaque illustrantur, quicquam lucis atque splendoris accessurum, cum eius generis res sint, quæ proprio suo rutilante iubare absque submiſtratis collectitiis igniculis satis exsplendescant, & sine orationis phaleris atque pigmentis, co ipso, quod nudæ solum veritatis respectu habito satis dignæ, quæ legantur. Proinde studii mei certissimum iudicium tuæ Serenitati, quam ingeniolum probari malim, foueor tamen bona spe, hunc meum laborem dupliciter tuæ Serenitati acceptum fore: cum quod coniunctissimi fratris diuinos honores, quibus eadem Serenitas tua ob officiosissimam fraternam beneuolentiam non secus, quam propriis delectatur, quasi ob oculos præscriptos, vbi per aliarum rerum occupationes licuerit, legere poterit: tũ quod tuæ quoque Serenitati per breui, si modo omnium pene mortalium vota felices, de quo non ambigo, procursus habuerint, vsui aliqua ex parte esse poterunt. Sed vt finem faciam, optime Princeps, si hunc successiuum laborem meum lætoque sereno vultu benigne susceperis, neq; officiosam sedulitatem meam penitus improbaueris, & laborum præmium me abunde cepisse putabo, & maiora pro gloria tuæ Serenitatis omnibus ingenii corporisque neruulis multo alacrius conabor. Hilarem te atque felicem optime Princeps, vt ille olim Traianum iustissimum Cæsarem, & priuatim & publicè opto.

XIII. *Caroli V. Aquisgranensis Coronationis per Hartmannum plena descriptio.*

De coronatione Caroli V. Imperatoris per Hartmannum Maurum Consiliarium Archiepiscopi Colonienſis.

Pompam proximæ coronationis, qua haud scio an noſtra ætas magnificentiorem vnquam videbit, idco rudi castrensique latinitate scribere, statui, ne de tam celebri festiuitate apud successiuam posteritatẽ inepta aliqua disceptatio, quemadmodum in præsentia ob diuersissimas adnotationes tempore coronationis diui Maximiliani factas vsu venit subiiciatur. Accedit, quod non desunt, qui ea ipsa, quæ proxime omnium pene mortalium oculis subiecta fuere, alio longe modo atque gesta sunt, in publicum temere incogitataq; ratione edere non erubuẽre, permulta, quæ non contigere referendo. Verum non tantum mihi sumo, vt non arbitrer per plures hanc tam splendidã relatu materiam pro illustriſs. sua dignitate exquisitiusq; expolitiusq; litteris mandare ęternitatique consecrare posse, sed quia omnibus pene præhabitis consultationibus à Reuerendissimo Domino Episcopo Colonienſi vocatu Cæsaris Aquisgranũ præmissus cum aliis Principum Electorum Cõsiliariis allatis antiquis monumẽtis interfui: propterea citra arrogantiam, vt opinor, polliceri possum, rem me totam ex fide simpliciter, vt gesta est, verissime traditurum, enixurumque ne quicquam à me prætermissum videatur. Illis autem, qui forte me operam non satis vtiliter collocasse putãt, hoc tantum respondeo: æquissimũ mihi videri dare nos diadematibus Imperatorũ, penes quos infinitus cuncta gubernandi labor consistit, veniam, si modo laureis, hederariis, gramineisque tantopere celebratis Coronis eandem impetrare voluerimus, quanquam destinasset Imperator post felicissimum in Belgas aduentum die Sancti Michaelis coronari, Principesque, vt præsto adessent, seque ad præstitutam diem Aquisgrani sisterent, per epistolas hortatus esset: ob vrgentes tamen, quæ inciderunt causas, res primo in sextam diem mensis Octobris, aliis literis dilata, quibus licet Imperator certam quoque spem faceret præscripta die sese omnino Aquisgranum venturũ, peteretque quo omnia maturius peragerentur, vt quisque Electorum consiliarius commentandi causa de cerimoniis coronationis ex more perficiendis ad generosum & perstrenuum virum Florentium de Iselstein, Comitem de Egmunda, Regium Magistrum equitum Aquisgranum præmitteret, ne rebus inapparatis Regia Maiestas in loco pestilentiæ obnoxio longiorem moram trahere cogeretur. increbrescente autem interim desæuientis in Aquisgrano pestis rumore, auctoque, vt fit, in maius, Archiepiscopus Moguntinus, Comes Palatinus Rheni, & Dux Saxoniæ Regis aduentum in Colonia Agrippina præstolantes, missis continuo literis, magnis precibus petiere, vt Imperator ob tam probatam euidentemque causam, tam sui quam Principum respectu habito alium Coronationis locum indicaret. Cum autem parum morę antequam Principibus responderetur, intercessisset, ciuesque Aquisgranenses Coloniam ad Principes oratum missi impensissimis precibus nihil profecissent, statuerunt Principes Electores communi consilio missa solenni legatione prius petita instantius flagitare. Nobis autem in itinere existentibus ad priores literas Regia Maiestas rescripsit, quod ad causam tantæ necessitatis desideratis Principum annueret, atque Nicolaum Ziegler Vicecancellarium post factum ad eos cum mandatis destinaret. Sed legatio Principum Electorum actarum rerum ignara ceptum iter continuauit, quæsitoque frustra Rege in oppido Hoy apud Eburones ditionis Episcopi Leodienſis, cuius ibidem munitissima arx visitur, in sequenti die Louanii Regiam Maiestatem conuenimus: postridieque bene mane potestas dicendi, quid petitum venerimus facta, consilio introducti mandata, quibus accepimus verbis peregimus locutusq; est D. Sebastianus de Rhochean eques Germanus Iurisq; Professor lingua Alemanna in hanc ferme sententiam.

XIV. Principes quidem Electores ad Regia beneplacita semper paratissimos fore, sed vereri, ne dum studeant obsequi fuæ Maiestati, & Regem & se in manifestum periculosumque ignem coniiciant, indies magis magisque pestem digrassari. Idcoque ob eam, qua Regiæ Maiestati astringerentur fidem atque deuotionem Principes consulere rogareque, ne se temere cum Principibus tanto periculo committeret, sed etiam suæ Maiestati, vnde totius orbis, quam Principum Electorum saluti consuleret; Comes Wilhelmus de Nuenar, & nos, qui à Domino Archiepiscopo Colonienſi missi eramus, licet eadem ex animo postulasſemus, tamen præter ea petitum, oratumque nos destinatos diximus, vt videlicet Regia Maiestas, in hac, si qua visa, loci commutatione rationem iuris atque eximiæ prærogatiuæ de non commutando, neque nouandum quicquam ex his, quæ ad Coronationem, locumque eius spectant, Principe nostro inscio habere dignaretur: cuestigio exhibuimus vberrimas archetypas nobiscum allatas Diui Ruberti Romani Regis Coloniæ coronati literas, quæ documento essent inter alias inclitæ Ecclesiæ Colonienſis hanc quoque prærogatiuam competere, vt Colonienſis Archiepiscopus quocunque loco suæ prouinciæ suo arbitratu Coronationi locum præfinire posset. Dominus Florentius quoque vir, vt omnibus virtutibus, ita humanitatis quoque laudibus instructissimus, vbi resciuit quamobrem legati Principum amandati essent aduocatione suscepta, ne qui suo incitatu supra vires pro expediendis hospitiis comparandisque eduliis impendia fecere, irrecuperabiliter damnificarentur, neue apparatus per eum summo labore, vt tantæ multitudini præberet receptus irritarentur, citatis equis postridie, quam Aquisgranum egressus festinato itinere Regem Louaniiassecutus; aliquanto ante aduentum legatorum Regiæ Maiestati omni ratione affirmauit pestem non tam vehementem esse neque tam late desæuire, sicut supra fidem veri dissemiaatum esset. Ea igitur admonitione etiam, quia à Regibus Romanis, vt vulgo persuasum, quasi pro domo Vrbi Aquisgranenſi, olim Gallicarum Prouinciarum capiti assignata sedes Regia, & ab hac gente velut hæreditaria semper obtenta effectũ est, vt mox vbi hæc comperta, in diuersum demutata sententia, legatis Principum haud diu dilata consultatione ad hunc modum respondetur per Dominum Georgium Lampertum Iurisperitum, à cuius ore verè beato quodam eloquentiæ fonte idioma Germanicum manabat: Imperatoriam Maiestatem antiqui moris respectum habere constanter decreuisse, mentique sedere, nullibi nisi in antiqua Carolorum sede regni diadema assumere: non consultum esse ob leuem momentarreamque causam ritum coronandi priscum aduersum præscripta Bullæ Aureæ Caroli nouari. Et quia Maiestati suæ compertum, morbi vim non tam late vagari, sicut falso rumore ad Principum aures delatum, ideo ob expertam Principum erga suam Maiestatem beneuolentiam, se non dubitare, quin Principes Electores conuenirent,

uenirent, quo Maiestatem suam tendere viderint. Et quia Aureæ Bullæ mentio facta, addam hic non intempestiue, vnum, vt opinor, non vulgo cognitum, quanquam Carolus Quartus Imperator Bulla Aurea statuerit, Regum Romanorum designationis Francofordiæ apud Moganum celebrari debere, idem tamen Carolus Aureæ Bullæ conditor, ea quæ de electionis loco statuta, contraria sanctione ad prætextum, quod tantam electionem loco restringi perabsurdum foret, anno à natiuitate Domini M.CCC.LXIII. palam rescidit: summa, vt meum est iudicium, ratione. non enim è maiestate tanti Imperii est, vt Principes semper circum Rheni margines hæreant immobiles, fieriq́ue potest, vt Imperator cum Electoribus procul in hostili solo degat, adeo dissito, vt intra præfinita Bullæ tempora nullo pacto Francofordiam attingere possint ad eligendum, si Imperator fortè occumbat, aut in fata concedat. Hæc non scribo, quòd putem temere maiorum morem mutandum. magni enim prouinciales faciunt, teste Iurisconsulto, seruari ipsis antiquas consuetudines: sed quod non sit Principibus necessitas imposita solum Francofordiæ electionem celebrare. non me tamen latet olim extra Romanum agrum, qui Italia terminabatur, non potuisse dici dictatorem, vix audeo asserere, quod hæc reuocatio omnes Principum cõsiliarios aliis maioribusq́ue rebus intentos latuerit; sed de his satis. Licet Legati hæc responsa referre iussi, tamen absque mora generosus Dominus Maximilianus de Siebenbergen magnæ ob integrè administratam tumultuantem Sueuiam auctoritatis Coloniam ad Principes responsum operientes missus, qui hortando monendoq́ue, nunc singulos, nunc vniuersos tamen effecit, vt Principes se in potestate Regis futuros esse dicerent, morem voluntati Regis gesturos imperataq́ue obedienter facturos, sequutoresq́ue quocunque Rex voluerit, etiam Aquisgranum: magis profecto dissimulato, quàm spreto periculo, rati hanc solicitudinem non plus tridui futuram. Solus Dux Saxoniæ Fridericus, cui inclita gloria integritas nihil vnquam charius, ob aduersam valetudinem Coloniæ manere cogebatur. Die igitur, qua conuenerat, 21. Octobris, Colonia Moguntinus atque Treuirensis Archiepiscopi, legatus Marchionis Ioachimi Aquisgranum ingressi, ciues inter spem metumq́ue dubios (plures enim hebdomadæ intercesserant, cum res parum certa videbatur) maximo opere exhilararunt; statim atque Principes equis descendissent, Marescalci siue Magistri equitum singulorum Principum in hospitio Marchionis Casimiri conuenerunt, consultaturi præsente Domino Florentino de Yselstein, cæterisque Regis Consiliariis, quo ordine proxima luce agmina Principum ingrederentur: ne ob contentionem antelationis aliquis tumultus atque dissensio oboriretur. & licet diuersitas antiquarum annotationum difficultatem peperisset, omnium tamen vna atque inuariabilis sententia fuit atq; ita conuenit, vt Principum Electorum agmina iunctim & ex ordine absque aliorum admixtu per debita interualla ingrederentur.

XV. Cœna peracta, primarii Regis Consiliarii Principes viri amplissimis honoribus vsi, inter quos erat Episcopus Leodiensis Princeps fidei pietatisq́ue immobilis erga Cæsarem, Dominus Florentius, Dominus de Siebenbergen accesserunt Archiepiscopum Colonienſem Coronatorem, deque ratione Coronationis communicarunt. Inter alia autem disceptabatur; an die Sancti Seuerini, quæ instabat, Coronatio ritè expleri possit, ex quo is dies apud incolas non foret celebris; Præsul Leodiensis (in cuius diœcesi Aquisgranum consistit) asserebat, omnis dubitationis præscindendæ causa sese iussurum proclamari, vt pro celebri vel in foro feriaretur. complacitumq́; omnibus, vt is dies festus haberetur. nec hoc cuiquam absurdum videri debet; tametsi enim Episcorum consecrationes ex more solum diebus Dominicis fiant: hoc tamen in vnctione Regum, quæ nihil significat: quàm datam cœlitus potentiam leniter placideque eos exercere conueniat) haud opus fuit seruare, hoc potissimum tempore, & in tanto contagionis metu atque trepidatione nihil minus expediebat; vbi etiam ex diligenti temporum supputatione liquido constat neque Fridericum Cæsarem, neque qui eum præcessit Sigismundum die Dominica fuisse coronatos.

Postera die Principes Electores præter Archiepiscopum Colonienſem, qui aliis rebus intentus in hospitio mansit, ascenderunt domum Senatoriam inferiorem, habitaq́ue consultatione de singulis, vlterius ascenderunt ad videndum ordinem mensarum reliquumq́ue apparatum: deferebanturq́; ante eos, dum ascenderent descenderentq́ue, publice ex iure Regalium vaginis exempti enses: nondum enim suprema potestas aduenerat.

Prandio facto omnis ætas sexusq́ue vltraltalicum milliare sese ad spectandum effudit, Principesq́ue cum armatis agminibus Cæsari obuiam prodierunt: & cum haud longe processissent, apparuit Regia Maiestas cum ornatissimo equitum peditumq́ue exercitu: quæ cum peruenisset ad locum editiorem, ad instruendum explicandumq́ue ordines militum atque componendum agmina oportunum, ad hoc à Domino Florentio Marescalco præmeditatum (per viam quippe quam Regiam incolæ nominant, difficilis in Vrbem aditus patebat) aliquandiu Regia Maiestas substitit, è conspectu in loco eleuatiore interiacente, patente atque equitabili campo. Principum Germanorum agmina similiter expectabant, donec Marchio Casimirus, & Dominus Florentius ordines disponerent agminaq́ue explicarent. XVI.

Cum autem Regia Maiestas sese mouere cœpisset, atque iam in conspectu Principum Electorum esset, singuli Principes assumptis duodecim Comitibus, cæterisque subsistere iussis Regiæ Maiestati obuiam properarunt, desilientesq́; de equis singuli cum quatuor Consiliariis Regiam Maiestatem equo etiam descendere nitentè permanere coegerunt; dein reuerendissime honorificentissimeq́ue per Archiepiscopum Moguntinum exceperunt, qui in hunc ferme modũ lingua Teutonica verba fecit: Illustrissime, inuictissimeq́; Rex, gratiosissime Domine; fratres mei Electores, & Legati Illustriũ Principũ Ducis Saxoniæ Marchionisq́; Brandeburgẽsis fratrum meorum, & ego venimus vocatu Vestræ Maiestatis eidem obuiam, quantum autem nos omnes de fausto fœliciq́; aduentu vestræ Maiestatis in sacrum Romanum Imperium & Germanicam nationem, gauisi sumus, haudd ubiè Vestra Maiestas partim à nostris personis, partim ab Ambasiatoribus nostris gratiosè sufficienterq́ue didicit. Nunc vero magis exhilaramur, eò quod datur Vestræ Maiestatis optatissimam desideratissimamq́ue personam videre colloquiq́; cum eadem. Paratissimi ergo adsumus ad ingrediendum cum Vestra Maiestate vrbem Aquisgranum, operam studiumq́; nauare ad explendum laudabilissimum Vestræ Maiestatis propositum, exsequendumq́ue munus Coronationis: denique ad agendum pertractandum, conficiendumq́ue omnia, Deo adiutore, quæ ad eam rem aliquo modo pertineant atque requirantur; nos statumq́ue nostros Vestræ Maiestati, vt Domino nostro gratiosissimo obsequentissimè commendantes.

Dominus Cardinalis Salisburgensis, homo pro anxia sua diligentia atque virtute dignus, quod tam fidis eum fortuna vberibus aluerit, iussu Regiæ Maiestatis hortatus Principes rescendere equos, nomine Regis Principes resalutauit, eorumq́ue benuolentiæ gratias agens, dixit: Regiæ Maiestati ob perspectam erga se Principum amicitiam, gratulationem eorum probatissimam esse; nec minorem voluptatem de amicissimorum Principum suorum conspectu cepisse. Post mutuam salutationem, continuato familiari colloquio extrahebant tempus in Palatini aduentum, qui eadem die absque eo, quod descendisset, eques ciuitatem pertransiens, Regi ante portas obuiam venit, qui similiter Regem excepit, & rursum equum ascendit. Dumque hæc agebantur parum erat vltra horam secundam post meridiem, sic, quod nisi inepta altercatio aeque concertatio inter Legatum Ducis Saxoniæ, Principem de Anhalt, & Ducem Iuliacensem, vter eorum præequitaret, incidisset, potuisset ornatissimus splendidissimusq́ue exercitus Regius, ad quem visendum die opus fuisset, summa luce die sereniſſima lucidissimaq́ue ciuitatem ingredi, quod magnopere Regia Maiestas cupere videbatur; & quod pridiè quàm ingrederetur in arce quadam non vltra sesquimilliare dissita, pernoctaurat. Dux etenim Iuliacẽsis, quia, ppe quadringẽtos equites instructissimos in campis habebat, nẽ tam XVII.

aurata

aurata atque discolori veste quàm ferre atque ære fulgentes, non sustinuit suos inter Germanos equites nullis secundos, nouissimo loco ordinari. Saxones vero ad antiquum morem repertasque schedulas, quæ eis suffragabantur, prouocantes obtirmate vrgebant, asserentes, se quidem permissuros, vt Iuliacenses cum viginti quatuor modo equitibus in fidei publicæ eo loci ex iure præfecturæ dandæ, siue salui conductis atque commeatus signum, præcederent, quemadmodum retroactis temporibus omni ratione affirmabant factum, iniuriosque esse Iuliacenses, si vltra hoc pergerent. Principi eorum Archimarschalco Imperii, cui statibus in campis Imperii & expeditione existentibus competeret prærogatiua præcedendi ordinesque instruendi (contra irrefragabilem, vetustissimumq́ue morem) petita denegare; nec potuit hæc pertinax plusculis verbis habita cõtentio, quæ rem interturbauit, diu sedari; multa igitur desuper collocuti, hanc vnam viam (vt materia tumultus succideretur) tandem inuenere, quod Dux Iuliacensis cum suis copiis euestigio ciuitatem, absque eo, quod hospitia subintrarent, ante omnes pertransiret.

XVIII. Itaque post innumeros pene, qui variis armis, vestitu atque moribus, partim armati equis insidebant, partim vero vestibus holosericis induti mulis inhærebant, venit Marchio Ioannes Brandenburgensis, ille, qui Reginam vxorem duxit Aragoniæ, in veste aurea, cum aliquot equitibus leuiter armatis. Circum eum currebant sex expeditissimi pedites serico diuersi coloris induti, post Marchionem venit D. Ioannes Ausburger cum 30. equitibus vexilliferis, clipeatis gestantibus oblongos pileos.

Sequebantur inde tria millia delectissimorum peditum ornati Germanicis securibus hastis atque bombardis, qui pagatim distributi non longe ab Aquisgrano venientem ex Eburonibus Cæsarem aliquandiu expectauere, habebant signa militaria; si memini, septem: magna pars probe thoracibus armata fuit.

Hi in quadrato agmine consistentes primo in campo, dum exercitus cliuum ad vrbem ducentem descenderet: deinde ciuitatem septeni pertranseuntes, cum ad medium forum peruentum fuisset, simul quasi signo dato adeò formidabilem sonitum terrificaque tonitrua suis bombardis fecere, vt etiam inhorresceret, qui spectarent ex tuto. & absque mora sine eo, quod dilaberentur, aut vsquam subsisterent, ciuitatem rectà egrediebantur. Intrarunt postea Senatores ciuitatis, & qui in Magisteriis municipalibus constituti, cum albis bacillis comitiua quadraginta equorum. Hi ex vsurpato more, Regiam Maiestatem, vbi ad fines eorum peruenisset, summa cum obseruantia deuotissimeque exceperunt. Reges quoque Romanorum coronandi decretum electionis Magistratui ostendunt antequam patiuntur Regem electum in solium Regale sublimari. Ideo cum tam Pontificis iussu, quam Principum Electorum vnanimi consensu Wenzelaus Imperator, ob secordiam atque nequitiam scripta sententia, quam vidi atque legi, depositus & in eius viuentis locum Rupertus Comes Palatinus suffectus fuisset, in sedem tamen Regiam eum collocari, nequaquam permisere: prætexentes præstitam fidelitatem in pœnam tamen contumaciæ, paulo post multo ære mulctatos luisse non ignoro. Sed redeo ad describendum ordinem equestrium agminum. Sicut ante fuit conuentum, sequebatur Dux Iuliacensis cum quadringentis prope equitibus grauis fortisque armaturæ, decorisque armis, conspicuis continentibus signis: duo habebant vexilla, quorum vnum altero minus: nigri coloris vestitus instar omnes ferme quemadmodum conuentum fuit, vrbe excesserunt, perpaucis ad hospitia contra depacta diuertentibus. Saxones vero querebantur aduersum habitam collocutionem actum, & aliquamdiu subsequi abnuerunt, si eque redintegrata altercatio (ob antelationis ineptam contentionem) rem in serum protraxit multorumq́; oculos gratissimo iucundissimoque spectaculo orbauit.

XIX. Tandem post longum inteuallum, equites sexaginta Ducis Saxoniæ nigrouestiti Sagittarii insigniter gemmis ornati subsequuti sunt.

Exigua interea pedine præcuntibus ductus cum tibia atque tympano (quibus Germaniæ pedites vtuntur) seque- bantur copiæ Domini Palatini equites haud pauciores septingentis in nigris vestibus cum tubis, & ferratis tympanis, horum perpauci sagittarii, reliqui omnes hastati: & inter eos multi cataphracti, hoc est, vndequaque perarmati fuere; equitibus enim equisque tegumenta aut ex lamis chalybeis, serie inter se connexis, aut ex præduro corio depicto siue auro fericoue obducta fuere, galeæ quoque atque capitum gestamina gemmis margaritisque distincta adornataque multum splendoris attulerunt: licet autem hastæ eorum fuêre breuitate habiles neque tantæ longitudinis, quantæ illæ sunt, quibus inferiores Germani vtuntur, nec reliqua armatura tam grauis fuerit, iucundissimum tamen de se spectaculum præbuerunt. Præter fratres Germanos, ferunt Dominum Palatinum plures alios Principes Comites atque illustres, in sua comitiua habuisse. deinde quadraginta equites sagittarii, qui in ministerio Episcopi Brandeburgensis legati Marchionis Ioachimi erant, induti vestibus sagisque diuersis coloribus: hos comitabantur centum triginta equites Archiepiscopi Moguntini pari armatura, leui videlicet atque sagittarii rubeis vestibus induti. *Caroli V. inauguratio solennis descripto.*

Post equites Archiepiscopi Treuirensis ducenti, in nigris vestibus hastati, probe expediteque armati cum vno æneatore. XX.

Post Treuiros immediatè ante Regios satrapas equitatus Archiepiscopi Colonienſis proximo loco intrauit, cum tibicinum cantu inter quingentos equites hastatos, grauis armaturæ, nonaginta tres cataphractifuere apparatissimæ armaturæ, viri enim atque equi insigniter ornati splendebant, honoratioremque locum ob hoc obtinuisse crediderim, quod Episcopus Colonienſis Coronator legitimus sit, & Aquisgrani in sua Prouincia situm. Treuiros vero autumo Moguntinensium concessu, eo quod instructiores fuere, proximam ante Colonienses locum obtinuisse.

Post agmina Electorum incedebant Regii aulici ditissimi purpuratorum maximæ amplitudinis, viri pretiosissimis vestibus induti, insigneque excellentissimo cultu: tam abundanti enim auro, gemmis atque purpura vsi, vt licet iam præceps in noctem diei tempus erat, tamen in dubia luce enitebant, cultusque eorum Regalem plane opulentiam præ se ferebat; nulla profecto ab eis impensarum ratio habita. fuere enim maiores satrapæ Curiæ atque Magistri Curiæ interiores cubicularii, præsides, rectoresque Prouinciarum, ductores turmarum, & illi, qui aurei velleris dignatione, honorati, Hispaniæ, Germaniæ Burgundiæque Principes; & quia Regiorum equitum pene duo millia fuêre, ideo non vno, sed diuersis agminibus turmatim ingrediebantur illatis per interualla decem vexillis, singula digesto numero equitum subsequente. Horum equitum pars sub Henrico Comite de Nassau militabat, pars ductu Marchionis de Schiueren regebatur, alii D. de Rabenstein, item D. de Fenis suberant, nonnulli quoque D. de Emmeri. Nobiles adolescentes, qui in Regia educantur, Regiis equis gradariis insidebant, omniumque pene gentium vestitum habitumque repræsentabant. Horum respectum Regius magister stabuli habuit. Dominus insuper de Roy, magnus magister Curiæ turmam ductabat ornatissimam. Nec Hispani pro eximia sua in Regem charitate atque obseruantia quidquam, quod ad magnificentiam pertinet omisere, sed maximo cultu paratoque rerum Regi affuere nobiles adolescentes post Principes suos validas prælongasque hastas auratas argentoque exornatas ferebant. Horum equi tegmina (vnde plura aurea argenteaque tintinabula propendebant) è solido auro habuere. Aliquorum equi nedum instrati auro, verum auro aurum subductum radiabat atque squalebat. Itaque haud credo ornatiorem apparatum proximis seculis oculis mortalium subiectum fuisse vnquam.

Pene in medio Regiarum turmarum 12. tubicines ad ferrea tympana alacrem sonitum fecere.

Proximâ his quoque turma monachorum, atque cucullatorum, tam incerta mendicitate, quam alio modo viuẽtium.

A tergo monachorum aliqui maiores purpurati Regis genere famaque longe clarissimi, præualentibus equis vehebantur, vndequaque tam rutilantibus armis quam auro argentoque perspicui.

XXII. Deinde duodecim alii ænatores Regii, tubis grauius horridiusque insonuere taratantara. Sequebantur eos tres viri Regia Aquila, triumphalibusque insignibus ornati, qui equis insidentes, missilia variorum numismatum non mediocris summæ ex more in plebem, quo clero Principibusque pateret facilior transitus, continuò sparserunt. Proximi ibant Canonici, ante quos processit arte fabricata Caroli Magni effigies miræ prodigiosæque magnitudinis, gestans in manibus templum, portabaturque à Canonicis in ferculis propitiatoriis caput Diui Caroli Magni & quædam aliæ reliquiæ. Circum caput discurrentes vigiles ciuitatis, æneis cornibus, satis rudem inconditumque sonitum fecere, vigilum quoque vnus Regio equo, qui ipsis ex veteri consuetudine cessit, insidens præcessit. Mos est antiquitus introductus, quod vbi Regia Maiestas peruenerit ad portam exteriorem, quæ hoc tempore fuit Diui Iacobi, quod equo descendat: atque sanctam crucem à Canonicis Regem expectantibus illuc delatam reuerendissime exosculetur: factaque reuerentia Diui Caroli capiti, dimisso equo priore, in alium subinde transiliat, ciuitatemque ingrediatur.

XXIII. Tam Canonicos procedentes, quam Principes atque Regem cingebant vndique Regii satellites atque Stipatores, turbamque submouerunt: hi sunt ducenti numero, quorum præsidio salus Cæsaris custoditur: quorum centum perpaucis demptis, Germani superiores, cum securibus Germanicis pedibus Regiam Maiestatem sequuntur, reliqui vero Regis populares Flandri, Burgundiones, atque Hannonienses, dum Rex in expeditione fuerit hastati equis Regem comitantur: dumque Cæsarem in aliqua celebri Vrbe morari contigerit, ornati tunicis argenteis, auro distinctis atque in modum loricæ contextis, vtuntur grauibus gefis Gallicis, quæ dum Rex in itinere est, cum sarcinis vehuntur. Simul tamen distributis noctium vicibus proximi foribus ante ædes, in quibus Cæsar acquieseit, excubias agunt. præter hos Regiæ quoque Maiestati, cum equum ascendit descenditque duodecim expeditissimi velocissimique Hispani cursores præsto sunt. Reliquias delatas Herholdi cum insignibus Imperii Regnorumque Hispaniæ sequebantur. Hoc hominum genus, olim cum virtuti maior locus esset, vnde ipsis lingua Germanica nomen inditum constat, vitiaque liberiore palam censura absque personarum respectu coargui detestarique poterant, maiore in pretio apud Germanos atque Gallos fuit: quemadmodum Pius Papa (cui res Germanorum plusquam nationi forte vtile exploratæ fuere) in quadam epistola testatur.

XXIV. Maior natu Sceptrum Regnorum Hispaniæ ante Regem præferebat. Herholdos amplissimi Principes Germaniæ atque Galliæ Duces atque Marchiones sequebantur.

Principes deinde Electores hoc ordine Regem præcessere: Comes Palatinus dextero, legatus Marchionis sinistro latere, medium Archiepiscopum Treuirensem accepere.

Loco Domini Ducis Friderici Saxoniæ; qui excusatione aduersæ valetudinis Coloniæ mansit, nullo mediante, Vdalricus Pappenheim, minor Mareschallus Romani Imperii exertum, enaginatumque gladium ante Regiam Maiestatem vibrabat. tandem illuxit rerum certa salus, terrarum gloria Cæsarea Maiestas equo nobilissimo flexibilissimoque insidens, quem auro argentoque dist ncta arma, desuperque fulgentissima argentea vestis maximopere honestabant. Caput Regium tectum erat birreto argentea plumula exornato, gladiumque, quantum dignosci poterat, pro se moderatum ferebat.

Parum post neque ita longo interuallo & quasi iuxta Regem adequitarunt latere dextero Archiepiscopus Coloniensis, sinistriore vero Moguntinus Archiepiscopus. Quod cum adhuc fixũ sit in recentissima memoria, demirar, quod nonnulli contra ea, quæ ab omnibus visa fuere, publicè scribere non dubitauerunt. Sequebatur Regem legatus Regis Bohemiæ. Sed neque Nuncius Apostolicus, neque legatus Regis Angliæ pompæ adesse sustinuere, ne ordinarentur post Principes Electores, rati per hoc Principum suorum dignitati derogari.

Subsequi tamen non fastidierunt Cardinales, Sedunensis, vir acerrimæ prudentiæ, inque excitandis ad alacritatem animis felicissimæ facundiæ, Cardinalis insuper Salisburgensis, & Cardinalis de Croy, Archiepiscopus Toletanus, qui post tempore Conuentus Wormatiensis in præviridibus annis, in magna animi & corporis ægritudine vita excessit, vnde non secus, quam par erat Dominus Marchio de Arezot grauiter motus atque affectus fuit, Regem quoque de subita morte nepotis Domini Marchionis mœstum fuisse permoleste que tulisse inde apparet, quod funeri magnifico apparatu, exquisitissimis honoribus, cum maximo luctu, planctu atque lamentatione pompaque elato cum Principibus adfuit. XXV.

Deinde perplures alii honoratissimi viri, qui legationis nomine Regum, Ducum, Marchionum, Communitatum Regiam Maiestatem comitabantur: item tam veteres Maximiliani quam Regiæ Maiestatis Consiliarii & qui à Secretis erant.

Nouissimè claudebatur totus exercitus instructissimis satellitibus atque stipendiariis equitibus Regis consimili modo armatis, vestitisque; videlicet rubeo colore, albo flauoque distincto, sicut priores Regii equites fuerant: numeroque vniuersorum instructissimorum equitum quatuor millia & amplius.

Cum iam se intendentibus tenebris, ad porticum Diuæ Virginis ventum, Rex equo, quo introiuit, descendisset, Comes de Puffersheit, tanquam Archimareschallus Archiepiscopatus Coloniensis, Regiũ equum pro suo iure ex vsurpata consuetudine sibi vendicauit, multisque stabulariis, præsertim Regiis pertinaciter renitentibus tandem traduxit. Oborta vero ob hoc inter eundem, & D. de Schuartzberg, qui eundem sibi ob ius præfecturæ (cuius hypothecam habet) deberi affirmabat, alia quædam concertatio in Coloniam reiecta fuit. Ibidem de hac controuersia actum quidem, non autem (quantum ego scio) excussum. XXVI.

Regiam deinde Maiestatem eo loci, quo oportuit, Coloniensis atque Moguntinus Archiepiscopi templo introduxere. Licet autem aliquæ antiquæ annotationes documento sint, id iuris abbati sancti Cornelii aliquando cõpetiisse, atque tunc vsum, cum Sigismundus coronabatur: Moguntinus tamen Archiepiscopus pernegauit hoc præsentibus Archiepiscopis, Principibus Electoribus, locum habere. XXVII.

Ante fores ædium sacrarum stant duæ structiles quadratæ columnæ, vni vulgus impositam æneam lupam arbitratur: mihi ex effigie magis vel vrsa, vel læna videbatur: quæ suscepto in pectore latissimo vulnere, nihilo secius pro catulis, siue vrsulis inde tamen ablatis moribunda depugnare videtur; voluntincolæ loci designari non secus Imperatorem subditorum suorum curam gerere debere: in altera cernitur quasi Pyramidalis, siue orbicularis ænea figura acuminata, & in varias quasi linguas dissectaeâ contendunt Imperatorem mundi Dominum, cunctis gentibus imperitare debere significare. Fides vtriusque rei penes auctores sit. Nullum enim vestigium alicuius certæ antiquitatis, quamuis percuriosè inquirerem, inuestigare potui. Et ideo ea, quæ incomperta vulgariaque traditione dicuntur, vera an falsa sint, non laboro.

In media templi area, Rex sub pensili corona paulum super tapetis atque stragulis prostratus iacuit, donec per Archiepiscopum Colonienſem certæ preces dicerentur: deinde stabat erectus, donec absolueretur canticum gaudii. Te Deum laudamus. Post genu vtroque nixus ante aram Diuæ Virginis toto orbe celeberrimam, humiliter deuotissimeque Deum orauit, oblatoque dono sceessit in sacrarium, remotisque arbitris, cum solis Principibus Electoribus semihoræ spatio quædam secretiora pertractauit: Principibusque priuilegia sua ex more, vt autumo, confirmauit, ratificauitque: quod coronandi Reges, olim Rhenum à Francofordia deuecti super saxeam sedem Regiam sub dio inter crebras nuces, in amœnissimo Rheni littore, prope oppidulum Reenz positam facere consueuere. Cumque fuissent inuicem collocuti, quæ voluerunt, desideriumque Principum expletum, Rex post diuinam venerationem

rationem omnibus solenni more rite peractis, subsequentibus Principibus Electoribus palatium suum acquieturus introiuit, hora fere noctis secunda. Proxime & quasi vnis ædibus illustrissima Domina Sabaudiæ Margareta (quæ pridie coronationis curru, quem albentes equi trahebant inuecta fuit cum virginibus facie inclitis atque admodum venustis, quæ pariter candidis gradariis, cum ingrederentur, insidebant) hospitium habuit. Marchioni quoque de Arezot, Principi maximæ apud Regem auctoritatis & gratiæ, hospitium in proximo præparatum fuit. Carolum enim, non vt Regem suum modo, verum etiam vt alumnum eximia charitate semper coluit.

Quæ Ceremoniæ in templo seruatæ sunt.

XXVIII. Die sancti Seurini Principes Ecclesiastici ordinis, cum admixtis suis Episcopis suffragantibus cæterisque Christianæ religionis Heroibus diluculo templum ingressi in Sacrario decentibus ornamentis Pontificiis sese induere, licet autem in templo ex more asseribus tabulatisque duplicia interstitia distincta fuere, vt separatis discretisque locis quisque iuxta suum ordinem atque conditionem spectaret. Edictumque ex instituto antiquo fuerat, vt Principes Comitesque absque discrimine, & aliorum Electorum quatuor modo primores Consiliarij, cæterorum vero Principum duo tantum ad chorum interioraque septa intromitterentur, & reliqua nobilium multitudo exterius atque de templi testudine desuper, ex sublimi prospectaret: prouisum insuper Regia ordinatione fuisset, vt singuli Principes suorum nobilium nomina, Regio Marescalco annotata traderent, &c. deniq; suos magistros equitum adiungerent, vt militibus positis ante valuas, ad custodiam aditus, nobilium nomina diligenti exactaque cura darentur, ne ob exclusionem, seditionem aliquam, sicut turbas oriri contingeret; tantum tamen hominum amplissimorum vndique confluxit, quod antiquus hic mos, atque diutina vsurpatione firmata consuetudo præ multitudine variarum gentium seruari non poterat; plerique enim vestium pretiosarum commendatione adiuti, penetrarunt ignobiles. Alij nobiltatis fiducia non admissi, vel ad altare irrupere, quanquam enim ante fores armatæ, cohortes dispositæ fuerunt, parum tamen adfuit, quin templi fores impulsu turbæ, conuellerentur. Fanum autem, licet neque laxitate neque cultu conspicuum, vt in quo breuis columnæ sine marmore vllo aut insigni pauimento; ob religionem tamen, conditoremq; Carolum Magnum tota Germania celeberrimum est. Venienti haud longe post Regi cum egregia prorsus atque magnifica comitiua anteambulonum, Principum, Comitũ, Baronum, Procerum, Satraparum, Purpuratorumque, indutо Archiducali veste aureoque amiculo Pontifices ad cellam Diui Nicolai vsque obuiam processere: Regemque in limine venerabundi cum cruce, thuribulo libroque Euangeliorum, qui antiquissimus correctissimusque Aquisgrani dono Magni Caroli asseruatur, excepêre: Iam Archiepiscopus Coloniensis indutus omnibus (vt aiunt) Pontificalibus voce submissa cantauit: *Adiutorium nostrorum in nomine Domini.* Cũ Clerus respondisset, & Colonienſis preces ad Deum pro Rege fudisset, ordoque subinde Clericorum caneret interim: *Ecce ego mitto Angelum meum:* Moguntinus atque Treuirensis à dextra læuaque apprehensum Regem deduxere subtus testudinem ante aram Diuæ Virginis toto orbe religiosissimè cultam. Ante eam prona iacuit Regia Maiestas super stragulis, donec Archiepiscopus Colonienſis precatus fuisset à Deo, quatenus Carolo suo adiutorio adesset, vt ab aduersitatibus liberatus posset præesse & prodesse. precationibus; quibus Colonienſis opem diuinam poscebat peractis, duo Archiepiscopi alleuatum Regem in auream sellam è regione altaris deduxerunt sessum: Deinde quoque Principes Electores Ecclesiastici quidem pari habitu, in præparatas sedes collocarunt. Quia vero sedes multum præpropere tumultuarieque apparatæ fuêre, cogebantur earum defectu Regum Legati atque Oratores in promiscua Principum multitudine spectare.

XXIX. Missæ officium inchoante Archiepiscopo Colonienſi, Regij Cantores, in medio chori canere cœperunt: *Ecce aduenit Dominator Dominus, Kyrieleyson, Alleluia. vidimus stellam prosa festa Christi.* Deinde cantabatur illud canticum: *Desiderium animæ, eius tribuisti ei.* lectione deinde Canonicũ Ecclesiæ cãtata: *Surge illuminare Ierusalem:* prouolutus ad genua Clerus cum Principibus cœpit canere Litaniam siue obsecrationem. Rege iterum ante Altare super tapetas resupinato, congruo tempore Archiepiscopus Colonienſis in pedes erectus, baculumque Episcopalem in manu tenens, Regi benedicens bona faustaque precabatur. postquam autem ad finem perducta litania surrexisset Rex, rogauit ab eo Archiepiscopus Colonienſis lingua primo latina, an fidem Catholicam operibus iũctis seruare; an Ecclesiarum tutor & defensor; num regnum efficaciter secundum iustitiam defendere vellet; an iura Regni dispersa congregare; an viduarum miserabiliumque personarum pius defensor, & iudex futurus; an Romano denique Pontifici debitam subiectionem exhibere vellet? vbi hæc omnia se facturum adpromisisset, ductus ad altare, positisque super dextrum cornu duob. digitis conceptis verbis hoc modo iurauit: *sic volo, & in quantum Diuino fulcus fuero adiutorio precibusque Christianorum fidelium adiutus valuero,* omnia præmissa fideliter adimplebo: *sic me Deus adiuuet & sancti eius.* Regresso Rege Colonienſis ad circumstantes Principes conuersus Latinè quæsiuit: an vellent tali Principi, ac Rectori sese subiicere, ipsiusque Regnum firmare, fide stabilire, adiussionibusque illius obtemperare, iuxta Apostoli præceptum dicentis: omnis anima potestatibus sublimioribus subdita sit? cum ad rogata illi, qui intellexerunt, *fiat, fiat,* conclamando annuissent, Abbas de Prueme ex comitibus. de Manderscheit, iussu Archiepiscopi Colonienſis, lingua Alemannica eadem à Principibus percontabatur. Regiæ quoque Maiestati, si latina lingua penitus ignota fuisset, idiomate Alemannico præstandum Sacramentum interpretatum ex more fuisset. Sed tantum Maiestas sua Latine, & loquitur, & intelligit, quantum est satis ad intelligendum voluntatem sicraſque iussiones Maiestatis suæ. His transactis Archiepiscopus Colonienſis iterum Rege prostrato precatus est à Deo, quatenus Regem suo clypeo protegeret, honorificaretque præ cunctis Regibus gentium, vt viuat inter gentium cateruas Magnificus, vtque gentes Carolo fidem seruent. quæ omnia his inserere superuacuum foret, cum omnium sacrarum precum liber, tam Aquisgrani, quam alibi extet. Secundum precationem Rex ad genua sese submisit, inunxitque oleo Catechumenorum Archiepiscopus Colonienſis Regis caput, deinde pectus inter scapulas ambasque iuncturas brachiorum dicens: *Pax tibi.* Dein: *Vngo te in Regem de oleo sanctificato, in nomine Patris & Filij & Spiritus Sancti.* Cecinit dum vngeretur chorus: *Vnxerunt Salomonem Sadoch Sacerdos & Nathan Propheta Regem in Geon:* & procidentes, læti dixerunt: *viuat Rex in æternum.* Palmas quoque manus vtriusque oleo imbuendo subiunxit: *Vngantur manus iste de oleo sanctificato, vnde vncti fuerunt Reges & Prophetæ.* Choro interim concinente. *Vnxit te Deus.*

Vnctum Regem Moguntinus & Treuirensis Archiepiscopi in sacrarium deduxêre, vbi postquam Regis Capellani mundissima lana oleum deterſere, depositо aureo amiculo (quo l in vsus ornamentorum templi cessit) indutum rursus Dalmatica chlamyde aurea, socculis Imperialibusque ornamentis Diui Caroli, Diaconi more iterum sacrario eduxêre. XXX.

Ornamenta vero Diui Caroli, quibus ex more coronandi Reges induuntur, Nurembergensis magistratus summa cum diligentia, atque veneratione publicè ad aliquot secula asseruauit, quæ tempestiue Aquisgranum delata, vbi Reges coronandi fuerint, rursus coronatione expleta asportantur subque fida custodia recluduntur. Subnotatas autem reliquias Nurembergenſes à Carolo gestatas pro vero habent traduntque & inde eximiè coluntur. Dalmaticam albam holosericam preciosissimis margaritis quoque adornatam: vnam cappam holosericam, violacei coloris, cui aurum in modum aquilæ intextum. Alterum amiculum rubei coloris, contextum pari modo magna aurea Aquila, insuper coronam Caroli, non ferream, vt vulgus falso autumat, & (quod magis pudendum) passim in Iuris professorum Commentariis reperitur: sed ex puro puto auro fabrefactam: sic tamen, vt in ea veterum laudabilis parcitas satis eluceat. XXXI.

Pomum & Sceptrum Aurea.

Gladium Caroli admodum grauem vtpote à viro robustissimo versatum: verum non tam prodigiosę magnitudinis, quam à tanto heroe gestatum credi posset.

Præter hæc aduecta sunt hac tempestate duæ Dalmaticæ vna violacei alia vero nigri coloris.

Duæ chirothecæ vnionibus pretiosis; lapidibus ornatæ: Socculi duo aurei secta zona coriacea, retinaculumq; eius aureum, quæ omnia pretiosis lapidibus affabre picturata redimitaque fuere.

Rege post egressum sacrarij iterum procumbente Colonien sis Archiepiscopus ante traditionem gladij terna precatione vsus est.

Quain re vnum nequaquam silentio prætercũdum, quod Archiepiscopus Colonien sis, in sacris illis precibus, illud præcipue solenniterq; inter plura alia comprecabatur, vt Reges quoq; de lumbis Imperatoris per successiones temporum futurorum egrediantur. Quo vno solo satis plane constat; non minus inepta, atque frigida, quam inuidiosissima ratione illos vti, qui negant optime meritorum Imperatorum clarissimo sanguini Imperium deferendum electione, ne ob id videatur, quasi successioni deberi: cum eos optimo merito spes successionis potissimum manere debeat. Aliis quoque solennibus comprecationibus pro Carolo factis, Colonien sis associatis Moguntino atq; Treuirensi Archiepiscopis Regi eductum vagina gladium, his additis verbis simul tradidêre: *Accipe gladium per manus Episcoporum licet indignas; vice tamen, & autoritate Sanctorum Apostolorum consecratas, tibi regaliter impositum nostroq; benedictionis officio in defensionẽ sanctæ Ecclesiæ diuinitus ordinatum, & esto memor illius, de quo ille propheta ait dicens: Accingere gladium tuum super femur tuum potentissime; vt in hoc, & per eundem vim æquitatis exerceas, iniquitatis molem potenter destruas, & sanctam Dei Ecclesiam eiusq; fideles propugnes, ac protegas, nec minus sub fide falsos, quam Christiani nominis hostes exeeres ac destruas, viduas & pupillos clementer adiuues ac defendas, desolata restaures, restaurata conserues, vlciscaris iniusta, conserues bene dispositа: quatenus hoc agendo virtutis triumpho gloriosus iustitiaq; cultus egregius cum mundi huius Saluatore, cuius typum geris, sine fine merearis regnare: qui cum Patre &c.*

Gladio in vaginam recõdito Regia Maiestas sese accinxit, solus deinde Colonien sis Archiepiscopus Regis digito annulum immisit. Pallium quoq; Diui Caroli, simul Regale insigne aurei velleris loco armillarum: quod ornamenti genus, in vsu esse desit, collo Regis adaptato addit hæc verba. *Accipe Regiæ dignitatis annulum, & per hunc Catholicæ fidei cognosce signaculum: & vt hodie ordinaris caput, Principesque Regni & populi, ita perseuerabis autor ac stabilitor Christianitatis & Christianæ fidei, vt felix in opere cum Rege Regum glorioris per æuum.*

Sceptrum vero aureumq; pomum tradens fœlicia Regi ominabatur, admonebatq; suam Maiestatem dicens: *Accipe virgam virtutis atq; æquitatis qua intelligas mulcere pios, & terrere reprobos.* quemadmodum hæc fusius in libro de ritu coronandi habentur, inibiq; leguntur.

Coronam autem atq; Regni diadema tres Archiepiscopi Colonien sis, Treuirensis atque Moguntinus Regi simul imponentes dicebant: *Accipe coronam Regiam Regni, quæ licet ab indignis, Episcoporum tamen manibus capiti tuo imponitur.* Hic quoq; minimè opus est reliquam admonitionem apponere.

Coronatione expleta Regia Maiestas aram accessit moreque maiorum Sacramentum super altare sacrumque librum Euangeliorum, è scripto legendo in hanc ferme sententiam latine præstitit: Profiteor & promitto coram Deo & Angelis eius, leges seruare, iustitiam facere, iura Regni conseruare, debitumq; honorem Romano aliisq; Pontificibus atque Vasallis exhibere, donata Eccelesiis conseruare, Christo mihi præstante auxilium, fortitudinem & decorem.

Ductus inde fuit Rex per Moguntinum, atque Treuirensem Archiepiscopos per deuexum, supra testudinem templi, subsequente Archiepiscopo Colonien si, simulque collocabant Regem in saxeam sedem, positam ante altare Simonis & Iudæ Apostolorum, addita inuestitura, ita: *retine amodo locũ Regiũ.* q̃ hic ne longior sim integra ponere cõsulto omisi.

Dum autem ascenderet cecinit chorus: *Desiderium animæ eius tribuisti ei Domine, & voluntate labiorum eius non fraudasti eum.* & quæ sequuuntur, *posuisti super caput eius coronam de lapide pretioso, &c.*

Regi in solio Maiestatis atque in excelso gloriæ fastigio residenti, Archiepiscopus Moguntinus nomine Collegarum suorum, his ferme verbis lingua Alemanica gratulabatur: Super illustrissime & gratiosissime Domine, ex quo Regia tua Maiestas tam diuina gratia atque prouidentia, quam Principum Germaniæ concordi Electione, ad decus, honorem atque gloriam Imperatorij Nominis atque Potestatis accita atque sublimata est, & nunc Coronam Regiam, cum laudabilibus honoribus atque ornamentis requisitis susceпit; sumus nos eo magis lætati exhilaratique, quo magis ardentiusque hoc cernere ex animo desideraiimus. Hunc itaque honorem, Deum optimum maximum Tuæ Ma. fortunare volumus, optamusque Regiæ Tuæ Maiestati longæuum diuturnumque Regnum, corporis sanitatem perpetuam, plurimumque bonæ fortunæ atque fœlicitatis, firmamque spem, atque indubitatam fiduciam habemus, Imperium ex tua maiorumque tuorum virtute administratum iri, quodque hæc imprimis Deo optimo maximo probata, accepta, grataque erunt, & ad honorem, decorem, incrementumque Sanctæ atque Orthodoxæ Ecclesiæ Catholicæ, sacri Romani Imperij inclitæque nationis Germaniæ cessura sint. Rogamusque obnixe, vt nos cæteroſque Principes, statusque Sacri Romani Imperij, Regiæ tuæ Maiestati, sicut supremo orbis terrarum in temporalibus capiti, sese obsequentissime commendantes gratiosissime sub tutela Tuæ Maiestatis mansuetudinis commendatos habere velis, omniumque nostrum gratiosissimus Imperator esse, & permanere.

Canonici quoque templi Regi honorem bene feliciterque cedere, optauere, eorumque ordini ex more Rex initiabatur.

Deinde chorus, tubicines, & organa, alternatis vicibus summa cum alacritate canticum: *Te Deum*, absoluerunt.

XXXII. Creauit interim Regia Maiestas gladio diui Caroli prægraui plurimos Equestris ordinis viros variarum nationum summa cum solennitate, horum per pauci Germani fuêre, qui hoc decus per hostium stragem demereri malunt, atque in põte Tiberino splẽdidissimo ordini initiari magis pulchrũ atq; egregium putant: desierunt q; Germani præcipuę nobilitatis assertores, hunc ordinem magnificare, quando viderunt humilibus sordidissimisque mercatoribus pretio aditum ad amplissimum honorem patere. Sitim ardoremque gloriæ plurimum hæc indignitatis restrinxit, & forte ob hoc quidam ab equestri ordine deterrebantur, quod honorem equestrem titulumque ex lege equestri, intra anni spatium statim post assumere illo tempore creati coguntur, alias ni se pro equitibus gerant. Soli imaginarij equites futuri. Insuper quamuis ab antiquo non nisi nobiles admittebantur ordinarique solitum, vt quibus initiari huic ordini votum atque mens esset, nomina & agnomina sua describta. Magistris equitum traderent; hac tamen tempestate in tanta diuersarum gentium turba, plurimi non sponte, sed aliorum impulsu, inuiti, siue temere ad Cæsarem delati, flexis genibus dorsum gladio submisere: quorum multis bene consultum foret, si cum titulo equestri, censum quoque equestrem accepissent.

Principes sedi affixi expectabant (præter Archiepiscopum Colonien sem, qui ad aram rediit) donec reducendi Regem officio fungerentur. Cumque descenderent vnus Canonicorum Euangelium: *Cum natus esset Iesus in Bethlehem Iudæ*; cecinit, post Symbolum fidei & cantionem illam: *Reges Tharsis.* Regia Maiestas delatis ante se gladio per Marescalcum Imperij, pomoque per Dominum Palatinum, qui dum testudinem ascenderet, similiter præcedebant, sceptrum manu tenẽs obtulit altari nummum aureum valoris decem ducatorum, qui Capellanis Archiepiscopi Colonien sis, renitentibus aliquamdiu Ecclesiæ Canonicis, tandem cum aliis donis oblatis remissus fuit.

Post Regem Principes Electores ordine dona ad altare deferebant Archiepiscopo Colonien se singulis osculandum sacrum præbente.

Coronæ curam Imperij sub Pincerna N. de Limpurch, quemadmodum Comes de Zorn, minor Imperij Camerarius sceptri respectum habuit. Subministri enim perpetui Imperij legatis Principum in executione officiorum cedere noluerunt.

Cum deinde Archiepiscopus Colonien sis pacem pronunciasset,

ciasset, Regiq; & cœtui Pontificis more benedixisset, Episcopus Leodien sis sacrum deosculandum flexis genib. retulerentissime susceпit, credentiaque vt aiunt, munditissimo peplo facta, illud Archiepiscopo Moguntino tradidit: qui eodem modo credentia facta sacrum Regis ori inclinando decenter admouit.

Sacris omnibus rite peractis Regia Maiestas, flexis genibus salutare Sacramentum Eucharistiæ sumpsit, tanta quidem mentis deuotione, vt animi id aspicientium vehementissime commouerentur.

Dextero latere non longe ab altari erat ligneum spectaculum sub testudine, pro illustrissima Domina Margareta præparatum, vnde ipsa & Regina Arragoniæ quondam Ferdinãdi vxor, modo Marchioni nupta, cum venustissimis virginib. nullo velo, neq; vmbraculo tectis, sic, vt ab omnibus viderentur, singula spectarunt. ante omnes Illustrissima Domina Margaretha, tam inexpleto singula, quæ agebantur, lumine spectabat, vt non vane crediderim, tacitum ipsius pectus immensum gaudium pertentasse. Cunctis in templo finitis, Rex sella aurea residens creandis vlterius equestris ordinis viris, tam diu intentus fuit, quoad Electores Ecclesiastici exutis sacris inducrentur vestibus rubeis, Electores solos decentibus, quibus ornati, Regiam Maiestatem, sumpturi cum eadem solenne prandium ad palatium concomitabantur. Reliquiq; Principes Regem è templo, cum lætitia atq; gratulatione solenni prosecuti sunt.

XXXIII. Operæ pretium est, hic quoq; adnotare, qui Comites atq; Barones Archiepiscopo Colonien si sacrificanti officij gratia præsto fuerint. Dum obuiam iretur Regi templum intranti Comes de Waldeck Canonicus maioris Ecclesiæ Colonien sis ante Archiepiscopum Crucem, Comes vero de Schwarzburg thuribulum præferebant.

Comes Georgius de Witgenstein, Capellarius Colonien sis, cui præter alia incumbit ab antiquo aulicorum quoq; cõtrouersias dirimere. Hic cum Domino V Vilhelmo de Nuuenar Magistro Curiæ humeris ante Episc. Colonien sem gestabãt duo flagra quib. frumentum excutitur albi viridisq; coloris. His significatur Archiepiscopum Colonien sem velut prouinciæ præsidem, ab Romano Imperat. vtile Dominium ciuitatis Colonien sis obtinere. Colonia enim Agrippina hoc tempore inter vrbes rusticas Imperij numeratur. Licet autem non ignorem, prudentissimos huic Imperij subordinationi, siue discretioni parum fidei, atque momenti tribuere: ne tamen istud penitus commentitium putetur, videantur quæso annales atq; libri Chronicorum ciuitatis Colonien sis, quomodo in medio nigræ crucis Colonus, cum flagello depictus sit, Abbati de Pruem, de quo ante mentio facta, commissum à circumstantibus Principibus postulare debitam subiectionem.

Comes de Blawe Decanus maioris Ecclesiæ Colonien sis; sacrum Chrisma ad inungendũ Regem Archiepiscopo Colonien si porrexit. Comes de Hennẽberg Canonicus, lanam, qua Episcopi manus detergerẽtur, obtulit. Comes Gompertus de Newenar, & nobilis Baro de Reinegk, mappulam ad eam rem in tempore exhibuere. Comes de Vinnenberg, dum opus esset, aq̃ manib. dabat, Comitibus Ioanne atq; Bernardo de Nassau peluim, mappamque tenentibus. Gladium Comes Ioannes de Vuieda frater Germanus Archiepiscopo adportauit. Comes de Seyne loco armillarum, quæ in vsu esse desierunt, insigne aurei velleris tulit. Comes Salentinus de monte ferrato aureum annulum, pallium Caroli Comes de Schawvenberg è tabula ornamentorum adportarunt.

Sceptrum Comes Theodoricus de Manderscheit. Imperiale pomum Comes Eberhardus de Arburck perpetua fide Burgundionibus adhærens, præsentarunt. Comes de Rieffersheit, & Comes V Vilhelmus de Neuvenar Magister Curiæ, & Marescalcus diœcesis Colonien sis, bacillis turbam arcentes prouidebant, vt singuli ad officia parati, atque tempestiue intenti essent, cunctaq; ritè iussu eorum exequerentur. Comes Hermannus de Nuuenar, cuius nomen ob eximiam doctrinam tota Germania suspicit, librum, ex quo omnes precationes atq; obsecrationes legebantur, sustentabat, Comes de Eppenstein, scholasticus, & Comes de Bichelen Chori Episcopus Colonien sis Ecclesiæ baculi & mitræ Archiepiscopalis curam habuere. Degenhardus de V Virte, Iuris Pontificij Doctor Cancellarius Colonien sis tabula astans ad cuncta intendebat. Mea vero paruitas destinato officio, obseruãdi videlicet sedio Archiepiscopalis, præ turba purpuratorum, quidem tissime circumstabant ægre satis facere potuit.

Quo apparatu atq; magnificentia, solenne conuiuium in superiore Palatij aula celebratum.

Regia Maiestas Imperiali habitu, atq; ornatu indutus, delatis ante se Imperij insignib. maxime Electorum cæterorumq; Principum comitatu palatium tota Germania celeberrimũ, cuius latus forum spectans, Imperatorum marmoreis statuis spectabilissimum, ascendit, vbi omnia ad splendorem gloriamque magnificentissime, aureis peristromatibus, stragulisque aureis sic adornata fuere, vt maximam rationem in publicæ dignitatis habitam fuisse dixisses, solennique conuiuio, præter Principes Germanos statusque Romani Imperij nemo interponebatur.

Statim atq; Rex ascendisset, minor Imperij Marescalcus Vlricus de Pappẽheym, equo cui insidebat in cumulum auenæ vsq; ad pectus, adacto argenteo modio duodecim marcarum publice in foro ex more, vice Ducis Saxoniæ auenam dimetiebatur. A qua deinde aurea pelui Regiis manibus à Marchione Iohanne de Brandeburg, & minore Imperij pincerna dabatur; tenuitq; Comes Palatinus, & alij astantes Principes mappam, qua aspergebantur manus Regiæ,

Comes deinde Palatinus Archidapifer præcedẽte Sub Marescalco gestante eleuatum bacillum, cũ D. De Roy magno, & aliis minorib. magistris Curiæ ad coquinam descenderunt Regiam. Antequam reuerterentur Electores Ecclesiastici benedictionem mensæ legerunt, quamuis autẽ hoc antiquæ annotationes Archiepiscopo Colonien si coronatori saltem illa dic tribuerunt, tamen Treuirensis sibi hoc competere contẽdebat ob causam, quod senior in consecratione foret. Archiepiscopus meus Colonien sis ob ea quæ in aurea bulla continentur, cuius autoritas in dubiis merito sequenda æquo animo cessit.

Post benedictionem Archiepisc. Moguntinus associatis duobus Archicancellariis, Colonien si à dextris, Treuirensi à sinistris, sigillaRegia à baculo argenteo duodecim marcarum pendentia, Regiq mensæ oblata, cum retraderentur, Moguntinus ea collo aptauit, totaque die publice inde dependentia gestauit: tametsi Treuiri contendebant, Aquisgranum esse Archicancellatus Gallici. XXXIV.

Ante dapes venere tubicines atque æneatores, Regis Herholdi quoq; insigniter ornati: inter quos Anglic⁹ quoq; Herholdus, cũ insignib. Regis sui honoris causa conspiciebatur.

Tubicines præcinentes, vbi ad medium atrij peruenerere, substitere: tubis tamen omnia personabãt quousq; Dominus Palatinus per deuexum ascẽdendo septem gradus primũ ferculum coopertum, Regiæ Maiestati reuerẽdissime apposuisset. Controuersia erat inter legatum Regis Bohemiæ, & subpincernam Imperij N. de Limpurck, vter eorum Regi vinum aqua dilutum, ex more propinaret. Sed excussum pridie fuit pro Friderico agnomine & officio Pincerna, cum ille semel, & primo propinasset, post durante prandio Palatinus Fridericus pocillator Regis fuit.

Omnibus Principum Electorum officiis solenniter defunctis ad mensas ipsis præparatas, Principes sese reposuere, singuli suos Comites, atq; nobiles habuere, quibus inter epulas ministris vtebantur.

Hic opportunum de ordine mensarum relationem facere.

Regia mensa posita latere dextro, quod forum respicit inter columnas in medio tilio aulæ, & pariter substructas eleuataq; fuit fastigio septem pedum. Electorum vero mensæ modicis interuallis positæ pedalis altitudinis fastigiũ habuere, & tam Regis, quam Electorum mẽsæ aut eis stragulis stratæ. Aulæa quoq; aurea supra, & à tergo propendebant, magnificentissimi operis, Licet prandium prælautum omnibusque copediis ciborum instructissimum abundantissime, quinquaginta scilicet ferculis sic præberetur, vt dena semper edulia apponerentur, inter ea tamen multa non esui apta, digna solum, vt cum admiratione spectarentur. licebat enim videre species Castellorum, Arborum, Leonum, Aquilarum, vnde Romani Imperij, Regnorumque Hispaniæ vexilla dependebant, mensis singulis singuli abaci ordinatim dispositi, priuis priui ministri quoque fuere.

Marchio Casimirus structor siue prægustator Regiæ Maiestatis fuit.

Regem sedentem in aurea sella circumstabant dexteriore latere D. Marchio de Arschot, & Episcopus Leodiensis sinistro latere Comes de Zorn superior plurescque alij Principes, atque Comites Germaniæ atque Hispaniæ; A sinistro erat abacus Regius, oneratus spectabilissimis vasis veteris cælaturæ omnis vsus. Duo præsertim vnicornua, admirandæ prodigiosęq; prorsus magnitudinis. Vas item aureum ingentis capacitatis, Regiæ Maiestati dono à Rege Anglorum gratulandi causa missum, vt ferebatur visebatur.

Latere dextro, duobus passibus infra Regem primæ mensæ assedit Archiepiscopus Colonienſis, qui secus contenderunt ob annotationes imperitorum scilicet, quod primus discubitus Regi Bohemiæ deberetur, illi Aureæ Bullam, normam cæremoniarum Principum non viderunt, quæ his rebus statum modum præfinit, morisque Imperij non satis gnari cæcutierunt. tametsi secundo loco mensa Regi Bohemiæ strata præparataque fuisset, vacua tamen edulio mansit. Non absurdum hic erit paucula de Regno Bohemiæ adnectere, cognitu forte, non indigna. Quamquam Rex Bohemiæ perraro adsit conuentibus, tractatibusque Electorum, neque fœdera pro manutenenda communi dignitate, cum eisdem proximis seculis percusserit, non operas Imperio, voluntariasque collationes præstet, neque gratuita onera ferat, non denique in circulis illis, in quos Imperium digestum atque partitum, comprehendatur, tamen Elector Imperij est, & tertium in consilio Electorum tempore Electionis Regis suffragium adhibet: ita quod impunè præteriri non poterit ob pœnam, quæ in Aurea Bulla exprimitur. Et cum tempore Electionis Diui Maximiliani cò, quod forte non satis conueniebat inter Fridericum Cæsarem, & Regem præteritus fuisset, adeo non dissimulanter tulit; vt pœnam Aureæ Bullæ, in quam inciderunt Principes, acerrimè interpellando, postulare non cessaret, armaque præter hoc se illaturum minaretur, aliquamdiu in gratiam, litique renunciare, pertinaciter recusauit: nisi ea conditione, vt remitteretur Regibus Bohemiæ ius illud Imperatorum, quod Reges Bohemiæ, Imperatores in Italiam in personis euntes sequi coguntur, aut loco eius seruitij, octingentos ducatos, quoties Imperatorem alpes transcendere contigerit, exoluere; illo legato à Cæsare Friderico tandem *sub pacto*, atque conuentione vlterius ipsos nequaquam prætereundi Reges Bohemiæ sub pœna quingentarum marcarum auri decisum transactumque fuit, & Ladislaus Rex, ratificata Electione Maximiliani, quæsitis liti iurique renunciauit; Principibus hac etiam excusatione vtentibus, Electionem Maximiliani non ex prædestinato Francofordiæ; sed vrgentibus de causis perceleriter, atque subitarie celebratam. Habet Bohemus illam prærogatiuam quoque, quod Archipincernæ officium non amota corona explere potest.

XXXV. Sed latius euagari libet. Egit Maximilianus Coloniæ cum Principibus Electoribus, vt Archiducibus Austriæ exemptis alioqui, honos ille haberetur, vt ipsis suffragij quoque latio tempore Electionis Regis esset; sed Principes, ne antiquissima instituta maiorum commutarentur, precibus Maximiliani vtique abnuerunt. Post Bohemum ex ordinatione Aureæ Bullæ Comes Palatinus accubuisset, verum eo neglecto secundam à læua, post Moguntinum, mensam habuit: & quia Aurea Bulla suo tenore, aut beneuolentia, aut conniuentia, atq; dissimulatione Principum non semper ad amussim seruatur, ob hoc forte futuris tempestatibus, nouus aliquis de rebus friuolis, labor Imperatori adcresceret.

Tertia mensa pro Duce Saxoniæ vacua. In quarta prandium sumpsere Episcopi Wormatienſis, Ratisponenſis, Dux Otto Henrici Bauariæ, quinta ad tempus fuit vacua; post occupabatur à Regiis Consiliariis. sexta assidebat Magistratus Aquisgranenſis. Nurembergenses legati, qui Imperialia ornamenta aduexerunt, ad septimam mensam collocati fuere. Reliquæ duæ mensæ conuiuarum vacuæ mansere.

Latere sinistro prope columnam prima mensa Moguntini Archipræsulis.

Secunda D. Palatini. Marchionis de Brandeburg tertia, sed esculentorum vacua ob Marchionis absentiam.

Quarto loco Duces Brunsuicenſis, & Iuliacenſis accubuere.

Quintam occuparunt missi à ciuitate Colonienſi.

E regione Regis directe posita fuit mensa Treuirenſis Archiepiscopi paululum infra mensas Colonienſis atque Moguntini Archiepiscoporum. Conuiuium Regium opiparum lautissimumque quatuor prope horis, quasi Regali cum silentio agebatur.

Expleto prandio gratiisque à Treuirenſi dictis, omnia tubis, tympanisque personabant: strictoque Diui Caroli gladio iterum Regia Maiestas viros equestris ordinis creauit.

Omnibus absolutis, Rex Imperialibus ornamentis indutus, cum Electoribus, suo quoque peculiari habitu vestitis, ingentique Principum frequentia atque comitiua, præcedentibus æneatoribus, hospitium intrauit: Regeque deducto singuli Principes ad sua quoque hospitia diuerterunt. Archiepiscopus Moguntinus statim Regi sigilla cum argenteo illo baculo, cuius antea mentio facta, insuper candidum eximiumque equum dono misit, quæ omnia à Cæsare mox remittebantur, Rege subiungente, se fidem Moguntini adeo exploratam perspectamq; habere; vt sigilla Regia nulli tutius, quam eius fidei credi possint. Regem insuper futurum suæ personæ gratiosissimum Dominum, Episcopatumque Moguntinum potenter, efficaciterque protecturum. Moguntinus fidei eius commissa sigilla quidem retinuit, argenteum autem baculum, equumque D. Nicolao Ziegler, homini solerti, suo Vicecancellario pro honorario liberaliter dedit.

Altera luce Imperator Principes Electores cœna magnificentissima excepit.

Post coronationem facta abeundi potestate maior Principum pars non plus biduo moram Aquisgrani traxit, sed directa Coloniam profecti sunt; Imperator vero Iouis clypeo protectus triduanam moram constantissime traxit.

Sextaque feria sacris (quibus Imperator aderat) publice in templo factis, Maiestas sua sacras reliquias, inter quas fasciolam, qua vagientem Saluatorem nostrum inuolutum esse constat deuotissime suspexit. Archiepiscopus inde Moguntinus lectis apicibus publicè dixit; Romanum Pontificem Electionem Regis probare velle, jubereque, vt Imperator vlterius titulo Electi Cæsaris vteretur. Non ignoro Diuum Maximilianum à Gallis Venetisque aduersum ea, quæ ficto officio simulataque sedulitate adpromisissent, transitu (occupatis itineribus) prohibitum impeditumque, quo minus armatus, vt Imperatorem tantum decet, pro corona Cæsarea Romam proficisceretur, cogitata ratione titulum Cæsaris non renuente Pontifice Romano assumpsisse, ne supremum honorem negligere atque pro derelicto habere videretur. hic tamen imaginarius honos (si venia verbo) inuictissimo Carolo collocatus sitim ardoremq; gloriæ Maiestati suæ pectori insidentem, non restringet, verum adaugebit, inflammabitque, & nihilo secius pro consummatione gloriarum suarum, refractis, reuulsisq; inimicorum impotentibus claustris, Italiam auitam possessionem, regni domicilium legitimum, Imperij sedem, non inermis ad hostium pertinacissimorumq; æmulorum præscriptum, ocioseque peregrinantis more (quod saluo capite super hoc, quod parum decorum est, saluaque tanti Cæsaris Maiestate, sine ludibrio tantorum regnorum atque insultu fieri non posse reor) sed suo arbitratu ne veluti victus, à victoribus leges accipere cogatur, quam maturrimè cum maximo fulgentissimoque exercitu in splendore gloriæ intrabit, despondamq; suę Maiestati Prouinciam, gentium Dominam amplexabitur. Hoc anxiè percupiunt desiderantque Germani Principes, egregio aliquo facinore ostentare Imperium non vsquequaque male in septentrione locatum esse, non se somno in expergiscibili torpere. Ea profecto animorum magnitudo in maioribus nostris fuit, sicque omnia ad splendorem, gloriam Maiestatemque reuocare, quod non satiati Imperatorem coronationis tempore Aquisgrani præstito sacramento, generatim obstrictum esse ad recuperandum ea, quæ Imperio adempta. Verum præter hoc sacramento adegere, nominatim Regiis litteris sanctè ad promittendum, quod temeraria inconsideratąque acta Wenzelai Imperatoris, Ignaui quidem viri, licet altis imagi-

nibus

nibus prognati, rescinderet, irritaret, & ante omnia reuocaret: quod in non æstimabile Imperij detrimentum atque dispendium Mediolani Ducem, & Padi Comitem constituisset, terrasque Longobardiæ Imperio perpetuo, ne in Italia redditus deessent, adiungerent; à tempore, quo hęc acta, paulo plusquam centum anni effluxere, Horum vestigia insequentes Principes Germani, qui Carolum collapsi Imperij restauratorem concordibus votis denunciarunt, pro conseruanda manu tenendaque eximia Imperij gloria, neque rerum dispendia, nec personarum suarum formidabunt pericula. nec ob hanc expeditionem apparãdam opus erit, aras sacris vasis nudare; non conditoria sanctorum diuectis sacris reliquiis flare; non denique necessarium erit, genti semper ab incipiti temporum mutatione pendenti grauia tributa pendere. Persæpe concordes Germani gloriosissimam hanc expeditionem suo Marte, suis ducibus, suo ære, absque sociis peregrinisque suppetiis externoque subsidio fœlicissime perfecêre.

Non exaruerunt penitus vires nostræ: non hebetata vsque adeò Germanorum arma: non omnino exhaustus equestris ordo: neque ad tenuitatem extremam redactæ bonorum ciuium opes: Principesque, quod maxime faciundum, amplissima vectigalia Imperio accepta æquo animo ferunt.

Quæ ergo nunc temporis trahendi ratio vlla hinc deducendi exercitum in Italiam abest, affulgente tam pulchra raraque (quanta profecto nunquam antea) occasione, vbi Germanis, sicut fratres fidissima gratia associati sunt fortissimi Hispani, qui præter ingenitam illi inclitæ genti vbique terrarum prædicatam erga Reges suos obseruantiam atque venerationem vix dici exprimique potest, quanta omnes Caroli charitate flagrent, qualiterque quisquis pro se operam suam offerat?

Quæ gens, quæ natio, qui populi, quæso, horridæ duarum fortissimarum gentium in se connexæ virtuti, robori corporum animorumq; magnitudini non modo recta fronte concurrere, sed vel rectis oculis instructas phalanges fortissimarum gentium aspicere audebunt? sed huius loci non est de hoc plura verba facere, apud Germanos præsertim sua pro natura incitatos: sed ad institutum à diuerticulis redeundum.

Silentio prætereo, quomodo post coronationem tota die vinum duabus cannis, per speciem Aquilæ atque Leonis columnellæ ligneæ impositis, ante palatium Regis, ductu subterraneo publice fundebatur. Omitto insuper, quod magnus bos, multis aliis animalibus minoribus fartus, ligneoque veru ante palatium Dominæ Margarethæ tostus, resciſſa carunculæ portione pro Rege, à plebe in multas partes tumultuariè lacerabatur.

Triduo post Coronationem, Imperator festinato itinere, & præter consuetudinem, die etiam dominica, iter faciendo Principes Coloniam subsequebatur.

Illustrissima vero Domina Margaretha, retro in Brabantiam atq; Morinos concessit, quam regredientem D. de Rabenstein, & quidam alij satrapæ comitati sunt.

Colonienſis intentus vltra Germanicum milliare Regi armato cum militaribus signis, ordinatim honorificeque obuiam prodiit: effusaque innumera inermium turma, multis mortalibus, maxime proximis quibusque eo studio visendi Caroli confluxis. Pernoctauerat enim Cæsar pridie quam Coloniam ingrederetur, in Monasterio Bruulre. Ingrediebaturque Cæsar Coloniam cum Principibus, qui nondum Colonia abierant, verum Maiestati suæ obuiam prodierunt summa cum ferentate populique exultatione inde mittebantur, qui vndequaque per Imperium edicta deferrent, quibus Principes statusque Germaniæ conuocabantur ad Conuentum VVormacienſem, sexta Ianuarij indictum. Marchio Casimirus quoque Coloniæ in fratris sui (vt creditur) vxoris Reginæ Arragoniæ gratiam cœnam, vt dicunt aditialem, magnifico epularum conuiuarumque apparatu atque ornatu exquisitissimæ comitatis Cæsari Principibusque publicæ exhibuit. Rheno ascensurus Imperator Bonnæ biduo cum Archiepiscopo Colonienſi moratus, sumptoque in arce Popelstorff mane ientaculo, ad venationem ferarum profectus spumantem aprum incurrentem, fortissima dextra sua cuspide interemit, cœnæque ab Archiepiscopo Colonienſi perlautè instructæ in oppido adfuit.

Nauibus Archiepiscopi Colonienſis postera luce Cæsara scendens, inundatione Rheni retardatus, serius opinione primo Moguntiam, vbi parum subsistit, pòst VVormatiam Vangionum vrbem peruenit. eo loci potissimum conuentum celebrari placuit, quod vrbs lacera quidem, atque ruinis deformata, in fertili tamen solo posita plurimum commeatus habet atq; cibaria copiosa, pari interuallo à superioribus & inferioribus Germanis distet.

Sed hic addam vnum, quo à silentio pene præteriissem, tametsi omnes Imperatores à Carolo quarto, atque plures ante eundem prærogatiua, primariarum precum absque vllius concessu, aut ipsa faustissima coronationis die, aut mox post sine delatione vsi, tamen ea res his nostris temporibus in vnum alterumq; annum, contra Basilienſis Concilij sanctionem ob nescio quem metum, penè ad desperationem extracta fuit. Sicque paruo tempore mutata sunt magnarum rerum momenta.

XXXVI. Quæ vero in magno conuentu vbi Principes tanta frequentia, quanta nunquam antea congregati fuêre acta, ea ferme sunt huiusmodi. quia nulla re, nisi consilio, domesticaque concordia, vastissimæ Turcarum potentiæ, qui quasi signis positis reliquiis prostratæ Europæ insultare videntur, cæterisque Imperij æmulis resisti poterit, nec Imperator perpetuum à florentissimis Regnis Hispaniarum abesse poterit, actum de creando ex omnibus statibus Imperij consilio atque regimento, penes quod summa rerum, perpaucis regalibus iuribus demptis, Cæsare extra Germaniam existente, foret. Antiquæ quoque leges pacis prope abolitæ, nouarum adiutorio fulcitæ, quibus derpurgaretur aliquando Germanica natio, non magis tamen grassatorum crudelitati, quam monopoliorum fœneratorumqur inexplebili rapacitati obnoxia. Actumque, vt via præcludatur hostibus, ne vlterius temerarias manus sacro Romano Imperio iniiciant, vt stata fixaque erigantur tribunalia Cæsarea, vbi pari conditione priuatis atque Principibus æquabile ius dicatur, iustitiamque expeditam collitigantes (ne immortalibus litibus conterantur) obtineant; & cum status Reipublicæ rebus iudicatis maxime continentur, vt decreta perceleriter executioni demandentur; tali reperta via aliqua ne opus sit, ad intempestiuas execrationes diraque anathemata Pontificum veluti subsidiarias suppetias confugere. Consultatum insuper de moneta, sic per vniuersum Imperium flanda cudendaque, ne semper in enorme contrahentium dispendium incerta æstimatione fluctuet atque vacillet, auaroque fœneratores ad lucrum nephandum inuitett vt gulæ vestiumque non necessarij sumptus in ordinem redigantur: tuba etiam signo publice in foro dato edicto imperiali sub exilij, cuius nulla speranda abolitio, pœna prohibitum, ne pedestris equestrisque Germaniæ iuuentus corrupti ſſimo more se contra publicam autoritatem, pro scrupulo argenti elici pateretur, mancipiorumque more ab hostibus contra patriam conduci finerent. cùm hoc de industria dataque opera, quemadmodum sæpe compertum, fiat, vt quasi ad lanienam ducti inuicem committantur mutuoque in viscera ruant. Satis ea enim in re præteritis diebus voluptatis æmulis nostris exhibuimus. Hoc etiam fonte vnico inauturatorum armorum omnium sceleratorum turba vbique scatet. Tractatum præterea, quo potissimum tempore, quibus quantisque copiis, quo ordine expeditio Italica, non minus necessaria, quam in Thracas Dardaniam, aut Mysiam, pro coronatione recuperandisque his, quæ Imperio magis dolò atque fraude, quam vi apertoque Marte adempta. Multa alia insuper ad constituendam Rempublicam vulneraque eius procuranda prouidentissime consulta, quæ nunc non est narrandi locus: dicam autem aliàs latius exactiusque. Consultantibus Principibus, ne iuuentus interim ocio marcesceret, indici Cæsar spectacula iussit, propositis præmiis, constitutisque iudicibus, hastis in foro publicè de virtute certatum. Cæsar etiam cum nobilissimis Principibus equis eximiæ velocitatis insidentibus, fugacem pugnam Saracenicam, incundissimum spectaculum exhibuit, sæpe Cæsare in recentes equos ex fessis mirâ agilitate transultante. Sub idem tempus Gallorum machinatione

incur-

incursionibus crebris temere irritata fœdera, ferioque Principes per epistolas efficere conati, vt vtrinque rediretur in gratiam, sed re multifariam per Gallos male gesta, plus cladium, quam intulerunt, acceperunt. nec dubito crebris victoriis contusos cristas, quas plus nimio sustulerunt, demissuros prægrandisque Aquilæ iussionibus, cuius iustam indignationem excitarunt, tandem paritutos Imperiumq; comiter obseruaturos. Pridie quam abiret Cæsar, libri Lutheri Theologi tamquam nouatoris, pollutorisque priscarum cærimoniarum, ne animi hominum auocarentur à Pontificum institutis, ante palatium post tubicinum concentum, facto igne publicè recitatisque decretis Cæsaris cremebantur. Soluto conuentu Rhenoque Cæsar descendens, Moguntiæ ad aliquot dies morem traxit. Ferunt Francofordienses ibus spem quidem aduentus sui fecisse; sed non fuit eius commode præstandi facultas.

Compotes igitur votorum facti, atque tam magno honore à Carolo honorati, cumque sub tutela mansuetudinis suæ acquiescentes, plena libertate fruimur, palamque perspicimus verbis ad promissa re præstari, Cæsarem nihil præter dispensandi laborem sibi vendicasse: nihilque Maiestatem suam tam cupere, quam Rempublicam æquali iure stabilire, militarem disciplinam reformare, vitia acriter vindicare, virtutesque benignissimè fouere: denique in omnibus summi Imperatoris specimen ostendere: propterea illustrissimi Principes cum vos maxime deceat immobilis fidei puritas, fiatque deuotionis affectus, si rem recta reputaueritis via, omni pectore incumbendum est ad fortissimos Caroli cognatus promouendos, non Cæsarem neque Rempublicam, imo nec vosmetipsos (qui non salua Republica subsistere vlla conditione poteritis) frustrabimini, neque de leuissimis rebus causando opportunitates optimas corrumpi sinetis. Proinde æquum est nos omnes pro inuictissimi Cæsaris nostri salute, perpetuaque incolumitate omnibus delubris votis excubare Deumque immortalem omni mente comprecari, vt cum penes Carolum tum hominum, tum Dei consensus maris terrarumque habenas esse voluerit, vt Cæsarem faustissimis auspiciis coronatum diuturna vita, æternaque Maiestate seruet, actuosamque viam ingresso diuina suffragatione clementissime adsit, valere nunc & semper, perque eum res Reipubliæ Christianæ nationisque Germaniæ meliores auctioresque fieri; de hostibus, effuso à cœlestis concordiæ sinu inter satrapas amore mutuo, triumphare & in splendore gloriarum consenescere sinat,

XXXVII. *Florentia in magnas angustias coniecta.*

Imperator antequam Bononia in Germaniam discederet, Ferrariensium Ducis, qui septima die Martij fide accepta Bononiam venit, cum Pontifice compositioni operam dedit. Cum autem alius huius controuersiæ exitus non inueniretur, omnium controuersiarum suarum tam iuris quam facti compromissum Imperatori fecerunt. ad quod quidem Pontifex faciendum, in quod cum generale esset compromissum, ita vt Ferrariæ quoque de qua, quin ex iuris præscripto ad Pontificatum recidisset, non dubitabant, controuersia comprehenderetur, Cæsarem facilem rationem habere existimauit, vt nimirum Ferraria præterita, Mutinam & Regium restitueret. tum etiam quia Cæsar fidem ei dederat, se, si ipsum in illas duas vrbes ius habere comperiret, sententiam laturum: Sin minus, tempus sibi ad iudicandum præscriptum elabi permissurum. vt autem Ducem, qui iam in Cæsaris gratiam Oratorem suum Florentia reuocarat, & fabros operasque ad exercitum Cæsareum miserat, pacta iudicataque seruaturum cautum esset, vt Mutinam in Cæsaris potestatem constitueret conuenerunt. Cæsar deinde XXII. promisso à Pontifice accepto, ipsum si ad Lutheranam sectam extirpandam vtile fore animaduerteret, vt Concilium Oecumenicum fieret assessurum Bononia discessit: & cum eo Laurentius Campegius Cardinalis Legatus profectus est. Pontifex quoque vltima die Martij, Florentinis in agendo bello perseuerantibus, Romam rediit. Inter hæc Cæsariani, Volaterris, Empoli, Prato, in potestatem redactis, cum Florentinos in magnas angustias ob commeatus penuriam coniecissent, prope ad desperationem illos adduxerant: cum & istud esset, quod eos tanto magis à spe concepta deiiceret; quod quum Galliæ Rex Iunij mensis initio, vt constitutum fuerat, promissam pecuniam Cæsari dedisset, ac filios recepisset, pro tantis auxiliis quanta semper in illud tempus reseruarat, in Pontificis (qui vt Regios ministros sibi deuinciret, Tarbensem Episcopum Regis apud se Oratorem in Cardinalium Collegium cooptauerat) gratiam, Petrum-Franciscum Pontremulensem hominem sibi fidum in Italiam ad cōpositionis negotium cum Florentinis, qui hac de causa Regiorum auxiliorum spem prorsus amiserunt, tractandum misit. Nam Gallus & Anglus simul coniuncti, vt Pontificem ita sibi conciliarent, vt de eo à Cæsare disiungendo sperare possent, omnem operam adhibebant: eamque ob causam Galliæ Rex, in Florentinis Pontificis voluntati subiiciendis, locum & partem aliquam habere nitebatur. Itaque illi cum omni diuina atque humana ope essent destituti, & fames sine vlla eius leuandæ spe inualesceret, viæ omnes ad comportandum commeatum à Cæsariano exercitu interclusæ essent; maior tamen erat eorum qui se compositioni opponebant pertinacia, qui extrema desperatione eo impulsi erant, vt exitium suum à patriæ excidio disiunctum esse nollent. Sed Malatesta, nullum iam rebus ipsorum effugium superesse perspiciens, eius ad compositionem fere cogebat; ad id fortasse misericordia impulsus, ne vrbem clarissimam suorum ciuium rabie funditus euerti cerneret; nec non sua cum ignominia atque detrimento, si tantæ cladi præsens interesset: cum etiam, huius deditionis officio, se à Pontifice Perusiam redeundi facultatem imperaturum speraret. Sed ipse Magistratus & cæteri qui vehementiores erant, de copiis extra vrbem in Cæsarianos numero longè superiores, & munitis in locis castra habentes educendis agebant. quod cum Malatesta recusat; in tantam insaniam deuenêre, vt ei militari abrogato imperio, nonnullos ex pertinacioribus ad id ei denunciandum, ac vt cum suis copiis ex vrbe discederet imperandum miserint; quo nuncio vehementer animo concitatus, pugione quem ad latus habebat, vnum ex illis, qui vix viuus ab iis qui adstabant, ex eius manibus ereptus fuit, vulnerauit. Vigebat scilicet, quamquam in deiectis omni spe animis, pertinax illa voluntas, vt omnes pacis conditiones abnuerent, quæ susceptæ libertatis specioso nomini officere possent; nec tamen alicunde reperirent vel priuatis, vel publicis consiliis, qua ratione diuturno resisti bello posset, postquam defertiab omnibus sociis, oppugnatique constantissimis duorum summorum Principum viribus, nihil de belli exitu dubitarent. Id vero fiebat, quod in ciuitate populares dominarentur, imperiti homines, vti paulo ante vni tantum mercaturæ dediti; peritis autem rerum, patriciisque præsertim & rectè sapientibus nullus esset in Republica locus; vtpote qui is tantum optimus ciuis existimaretur, qui acerbissime eos ciuium Ordines, qui antea in administranda Repub. valuissent, proscinderet, & de summo Pontifice insolentius loqueretur: sicuti paulo ante intemperanter euenerat in publicis concionibus quas in templis Rabidi quidam iuuenes ad populum habuerant, vt iuuentutem ad capessendam institutæ Vrbanæ militiæ disciplinam, hortarentur, qua ciuitatis dignitas & publica omnium salus constaret. His autem orationibus singulari assensu atque omnium commendatione exceptis, id vnum petebatur, vt Mediceæ familiæ dominatus probroso nomine tyrannidis appellarent, eorumque ciuium ordines qui illius beneficia muneraque sensissent, aut producti in Curiam fuissent, tamquam improbos adulatores, oblitosque publicæ dignitatis effusè criminarentur. Vnus antea lios Petrus Philippus Pandulphinus, præstanti quidem auo. sed vecordi patre genitus, furioso quamquam erudito orationis genere, vsque adeo petulanter in Mediceum nomen est inuectus, vt quum in templo Laurentiano Cosmi pietate atque opibus ædificato, vbi sunt Mediceæ gentis sepulchra concionaretur, ad abolendum tyrannicæ stirpis memoriam templum illud nobilissimum decreto publico euertendum censeret, multa præterea in ea republica, quæ tota popularis euaserat, rapidè & inconsultè fiebant, quæ sæuitiæ labes præcipuè apud Rabidos & turbidos eius factionis, tamquam necessaria probabatur. Nam capitale erat obloquentibus de eo Reipub. statu, aut quoquo modo complectendæ pacis mentionem inducentibus; siquidem vel leuissima suspicione rei maiestatis facti festinato supplicio plectebantur. In his fuere Laurentius Soderinus, quod litteras accepisset à Baucio Valorio, qui in castris pro legato apud Aurangium Pontifici operam præstabat. Iniecto siquidem laqueo è fenestra latronū

more præcipitatus est; & Ficinius Marsilij clarissimi Philosophi nepos, quod Cosmum Medicem, à quo vrbs admirandis ædificiis, tempIisque præcipue esset adornata, iustum patris patriæ titulum meruisse dixisset, abscissis à carnifice cruribus, intempestiui proloquij, quamquam non inepti, pœnas dedit. Carolus quoque Cocchus, quod in corona dixisset, æquum esse, vt in libera ciuitate cuncta belli & pacis consilia per omnes ciuium Ordines dispensarentur, vt vno consensu ciuitatem liberam & libertatis iura tuentem sentirent & agnoscerent, inopportunæ sententiæ quamuis non iniquæ, capitali supplicio pœnas tulit. sic vt nec Franciscano cuidam, cui Rigagolo cognomen fuit, pepercerint, quod Pontificem alloquutus fuisset. Nam impositio maiestatis crimine, quasi tormenta apud Diui Miniati templum collocata clauis per spiramenta inditis configere cogitasset, in ipsa cuculla miser Sacerdos decollatus est. Quin etiam ab intemperanti odio in Medicæos, quod ciuitati maxime pudendum, & hostibus pariter ridendum fuit, Antonium Carafullam à vetere insania non insulsum morionem, Mediceæ domus familiarem, in eum carcerem qui Stinceus appellatur duci iusserunt, quod perambulando vrbem, vociferandoque, comitantibus & arridentibus pueris, decuriones & ædiles dixisset numquam rectè annonam curaturos, nisi Medicearum institutaad memoriam præsentemque vsum reuocarent, qui vili pretio commeatum omnis generis coëmendum in omnibus foris proponere consueuissent. Sed Carafulla quum traheretur à lictoribus subinde dixerat (quod diuturnæ ei calamitati fuit) neque vos apparitores, qui me inuitum perducitis, propterea minoris pretij emptam, quam sesquiaureo niuci panis heminam comedetis. Nam tum maxime annona creuerat, & magna obsoniorum in vrbe penuria esse cæperat; quæ ad extremum vel fola, Rabidos Florentinorum animos fregit, vt de compositione persuasionem Malatestæ admiserint, & ex Senatusconsulto quatuor legatos ad Ferdinandum Gonzagam miserint, hisque conditionibus tandem pepigerint.

Florentia ad deditionē coacta.

XXXIIX. *Florentinæ deditionis pacta.*

Ante omnia constituendæ atque ordinandæ Reipublicæ facultas arbitrio Cæsaris permittitor; sic tamen vt incolumi libertate Florentini suis antiqui iuris legibus vtantur. Ciuitas mulctæ nomine octuaginta aureorum numūm millia, vt stipendia militibus præberi possint, quadraginta in præsens, reliqua in sex menses persoluito: de promissa vero pecunia obsidibus caueto, & quos imperet Ferdinandus numero quinquaginta ciues nominatim traduntor: qui in castris custodiuntor, donec pecunia repræsentetur. Florentini his vrbibus & oppidis atq; arcibus, quas præsidiis obtineant, confestim excedunto; & quos in carceribus, Florentiæ, Pisis, & in arce Volaterrana custodirent, extemplo dimittantor. Malatesta Ballio & Stephanus Columna, militiæ Sacramentum; quod antea populo Florentino dixerint, solenni renunciatione facta statim ciuranto, obligataque fide Balanzoni Belgæ Cæsaris cubiculario promittunto, se tamdiu in custodia vrbis cum his copiis quas satis esse putauerint permansuros, donec concordiæ conditionibus sit plane satisfactum, alimentaque ciuitatis omnis generis commeatus à Cæsarianis interim præbentor. Ipsius vero Malatestæ officij atque muneris sit, tamdiu quam Cæsarianæ copiæ dimittantur, Florentiæ permanere, atque ipse demum vrbe excedito; quum id facere Pontificis imperio iubebitur. Cunctis autem Florentini nominis ciuibus, libera migrandi Romam facultas esto, & quibuscumque locis placeret, domicilium figere, habitareque impune potestas conceditor. cunctique vel Eruscæ, vel ciuisuis gentis milites, qui Florentinorum stipendia fecissent, & propterea vel exilio, vel pecunia, & bonis à Pontifice multati essent, ea noxa, pœnaque liberantor. Mediceorum animis acceptæ offensiones, iniuriæque syncera fide detergunto. Hæc perscripta, tractataque sunt in castris, ad Monticiam villam, quarto Idus Augusti huius anni 1530. ea lege, vt Ferdinandus Gonzaga, & Baucius Valorius prolixe pollicerentur, se intra spatium duorum mensium curaturos, vt Clemens Pontifex & Carolus Cæsar cuncta ex formula æquissimi iuris comprobarent. Per hunc modum compositis rebus, milites vtrinque commeare cæperunt, introiitque vrbem ipse Valorius magna frequentia gratulationeque publ. susceptus, dimissique sunt omnes qui erant in custodiis, & traditi obsides, quos Valorius iudicio suo nominatim eligendos perscripserat, ex eorum numero qui Medicco nomini inimicissimi fuisse dicerentur, & hi quoq; non multo post persoluta pecuuia, vti fuerat constitutū, in vrbem redierunt, primi autem omnium Germani veteres, quos Aurengius adduxerat, acceptis stipendiis missionem impetrarunt. Secundum eos Hispani, vltimo loco Itali.

Recepta patria, & ex sententia compositis Etruriæ rebus, Pontifex vsque adeo incredibili lætitia affectus est, vt eam totum id Comitiale gaudium, quando Pontifex fuerat renunciatus, superasse fateretur, diceretque, Florentiam alias de religione bene meritam, accuratis religiosorum hominum sanctissimarumque virginum precibus, incolumem proculdubio fuisse conseruatam, quando superi imminentem cladem præclara miseratione depulissent. Eo autem impensius exhilarari videbatur, quod Ioannes Borbinus apud Hispanos primum existimationis post Vastium, non claritate quidem natalium, sed fortibus factis fama late parta locum promeritus, crassioris Scloppetti glande supra genu vulneratus cecidisset; quem in occupanda vrbe crudelissime cædibus grassatum nouerat; superisq; id scelus non omnino sero vindicantibus, Borbonio, Vgonique Moncatæ tertius dux vrbi sacræ & sacris funestus, comesire maturasset. quamquam & Aurengius, cujus ingenti merito nequaquam facile satisfacere posse indicaret, in ipso victoriæ limine occidisset. Is namque non obscura fama ferebatur, Catarinam ipsius Pontificis neptem suis destinasse nuptiis, vt ex ea Mediceæ domus legitima hæreditate in Etruria dominatum conderet, inflante eum ad id quorundam præfectorum turba, qui ab Aurengij potius liberali comitate, quam à parum munifico Pontifice, amplissima præmia se laturos sperabant.

XXXIX. *Clemens VII. ob Florentiam captā magno afficitur gaudio.*

Cæterum Pontifex, quod suæ existimationis pietatisque fore existimabat, tueri nomen quod sibi desumpserat, moderata vtens vltione, pauciss. eorum pœna cōtentus fuit. Duodecim viratum creari iussit; cuius Magistratus authoritate ciuitatis status, regeretur. Is constabat lectissimis ciuibus, qui omnibus temporibus Medicco nomini mirifice studuissent, & tum ante alios vsu rerum, ciuilique prudentia laudem ferebant. In his fuit Princeps ipse Baucius Valorius, in quem Pontifex omnem arcani consilij summam contulerat: & secundum eum Zanobius Bartholinus, Matthæusque Nicolinus, & Armannoctius Detus, ambo Iureconsulti, Aloysius item Stuffa equestris dignitatis, Antonius Gualterottus, Andreas Minerbettus, Leonardus Ridulfus Macchiauellus, Octauianus Medices; & ipse quoq; Raphaël Hieronymus dudum Dictator, & aduersarum partium Princeps; postremo autem loco Nicolaus Troscia popularis ordinis. Ab his creati sunt noui Decuriones, & reliqui ex priore formula magistratus; Raphaëlque ipse Duodecimvirali honore contentus, abdicarat se Dictatura, suffectusque fuerat in eius locum Ioannes Corsius optimis instructus litteris, & Mediceæ familiæ multis nominibus addictus. Exinde creati sunt Octo-Viri, qui vitæ & necis traditam à Decurionibus habebant potestatem. Ab his aliquantò post in curia comprehensi, reique facti maiestatis, capitali supplicio damnati sunt, Baptista Ceus, & Aloysius Soderinus; & secundum alioquot post dies Bernardus Castillioneus, Iacobus Gerardus, & Franciscus ille Carduccius, qui acerbissimus popularium partium fuerat Dictator. Hi pro multis debitas peruersis ipsorum moribus pœnas dederunt, priuatis quidem criminum nominibus in quæstione conuicti. Non enim eo nomine damnabantur, quod Mediceo nomini infensissimi hostes fuissent, & pertinacissime pro tuenda libertate propugnassent; id siquidem non honestum modo, sed valde etiam decorum putabatur libertatis nomen constantissime defendisse; quamquam id esset inane imperitis scilicet & sæuis ciuibus, principatum impotentem tyrannidique proximum sæuissime exercentibus. Ceus ante alios acerbæ malignitatis ciuis, vti è singulorum confessione tormentis per Octoviros expressa, descriptaque publicis in tabulis rerum capitalium, ad memoriam eius legitimi iudicij sempiternam constat, perpetuo suæ sententiæ tenore concordiam detestatus, supremum ineundæ pugnæ consilium, tamquam salubre vehementer extollebat, vsque adeò assiduus, vt Malatestam, quod dicto audiens

XL. *Clemens VII. Florentiæ magistratum instituit.*

non esset, neque antea ad Puluerosam Stephano Columnæ Germanorum castra inuadenti maturam opem tulisset; capite plectendum apud Decem-Viros Decurionesque censuisset. Neptem porro Pontificis nouennem puellam, quæ claustris sacrarum Virginum seruaretur, in ipsa muri corona inter duas pinnas collocandam, obiiciendamque hostium tormentis, suasisset; atque item vt Mediceorum domus vrbis ornamentum decreto publico excinderetur: quod vt certius à Senatu impetrari possit, sæpius ac sæpius cum Foiano egit, vt inter sacras conciones, in eam sententiam populum perducere conaretur. Soderinus autem ex legatione Bononiensi impudenti mendacio retulerat, infirmissimas esse Cæsaris vires, atque adeo exhaustum Pontificis ærarium, vt non diu ali, contineriqueexercitus eorum posse periti homines existimarent; consternatos esse Germanos, nec procul abesse à seditione, frustra vtique expectatis stipendiis. Hispanos autem ducibus nequaquam parentes, rapto viuere, diuagarique per Etruriam manipulatim: quibus falsis euulgatis rumoribus, populum ab omni concordiæ consilio deterreri, retardarique posse sperauisset: propterea que Foianum cucullatum acerbissimas in templis habentem conciones, vt eadem populo nunciaret, hortatus fuisset. Bernardus Castillioneus insanæ prope truculentiæ, vti efferato ingenio vir, quum ante Aurengio bellariorum dona detulisset, Vastio cohortanti, vt Pontifici, alias optimo ciui, nec nominis sui clementiæ defuturo, patriam concedendam curaret; Superbè respondera t; sublata atque ostentata argentea pelui, quam habebat in manibus, exclamans non alio modo Florentinos, quam in cineres redactam patriam ea pelui redditurosDixerat quoque sæpius in aduersarium partium ciues inuectus, si hi vnam tantum haberent ceruicem, se illam cupidissime vno dexteræ suæ ictu districta latiore sica detruncaturum. Confessus etiam est, se perpetuis sententiis in patritium ordinem, ipsosque Medicæos tamquam tyrannos, inimicissime fuisse proloquutum; adeo vt neptem Pontificis numquam reddendam esse, sed cum adolesceret, contrudendam in Marmarucos fornices, vbi tum fœdissimum erat lupanar, inuerecunde censuisset, semperque in Senatu à sententia quærendæ concordiæ proeul abfuisset, incitassetque iuuentutem per Dantem fratris filium, notæ ferociæ apud turbidos ducem, vt nullam aliam quam in armis, internecioneque inimicorum, salutis spem esse putarent, & obiter in aduersam factionem effuse grassarentur. Hæc tamen diræ, vel malesanæ voluntatis crimina, nequaquam ab ipso reo confessa, sed ab inimicis maligne affixa, impositaque fuisse plerique crediderunt; scilicet, vt inuisus, effusaque terribilis, & idomiti animi senex è Republica tolleretur. Gerardus autem, quod semper maledicentissime de Pontifice & Cæsare fuisset obloquutus, sæuaque malignitate Caponium probe & sapienter Rempublicam administrantem, temulenta accusatione in discrimen capitis adductum, Dictatura spoliasset: & in Senatu, ad contumeliam Sacrosancti Pontificis, petenda esse auxilia ab immanibus Turcis pro tuenda libertate censuisset; turbidumque se & periniquum in omni actione ciuem præbuisset, promeruit, vt ab amicis Caponij immitioribus tormentis torqueretur, & ab Octo-Viris cupidissime damnaretur. At Carduccius sicuti recentis Dictaturæ honore cæteris superior, ita quum acerbius à Notio torqueretur, grauiora confessus est. Arguebatur enim non obscuræ in Rempublicam perfidiæ, quod litteras à Balthasare Carduccio apud Regem Galliæ legato missas, pro concione legi ad populum vetuisset, inuertique demum eas nefaria interpretatione per Donatum Giannottum scribam iussisset; scilicet, vt postquam ille nihil certæ opis ab eo Rege, qui amicitiam Cæsaris commodo suo appeteret, populo Florentino nequaquam expectandum significasset, ciuium animi tota sustinendi belli spe deciderent, & ad parandam pacem verterentur; scelestoque demum hortatu seorsum iuuentutem concitasset, vt in villas suburbanas Mediceæ gentis, & Iacobi item Saluiati crudelibus incendiis desæuirent: vt propter eam barbarici maleficij atrocitatem ciuitas omnis desperata venia, à cogitatione concordiæ prorsus auerteretur. Sed multo maximè eius famam prægrauabat, quod Dictator inconsultis Decurionibus atque Decem-Viris, ad Antonium Franciscum Albicium Aretij tunc legatum, vt copias omnes in vrbem adduceret, maligne perscripsisset: vt ciuitatem imparatam, & ob id de concordia cogitantem, ad gerendum bellum erigeret. Contra Rempublicam enim fuisse censebatur, quod eius rei consilium Magistratibus nequaquam communicandum existimasset. His tamen omnibus concessum est, vt maiorum sepulchris inferrentur: Zanobio autem Bartholino Malatesta, Raphaelique Hieronymo Ferdinandus Gonzaga salutem impetrarunt. Dantem Castellionem Stephanus Columna imposita monastica cuculla secum abduxit, tamquam virum egregiè fortem, qui singulari certamine pro dignitate patriæ dimicasset. Cæterum Raphaël in Pisanum carcerem relegatus est. Nam erumpente publico odio summa deflagrabat inuidia, quod in tormentis conuictus esset, feciss e aduersus Rempublicam, quum è Genuensi legatione rediens, atque ante collegas præcurrens, confirmandis ciuium animis, & ad gerendum bellum incitandis, Cæsarem atque Pontificem vsque adeo imparatos esse, atque adeo rei nummariæ inopia prestos dixisset, vt prius omnino eos decocturos, quam Florentinorum mœnium, vel vnam tantum pinnam caperent, vanissime testaretur. Quo mendacio tantum diuturni belli detrimentum patriæ attulisse credebatur. Primis quoq; inchoantis Dictaturæ suæ diebus, quum se à concordia minime abhorrentem fingeret, deque mittendis legatis maiore populi aduocato cõcilio ageretur: ac ideo collectis suffragiis, manifeste pacem ab omnib. fere peti animaduerteret, & nullo ea de re facto decreto, non modo optimos quosq; ciues, sed ipsos etiã populares ex conscientia animi perosos belli incommoda, tam improbe, quam impudenter decepisset. Pontifex autem eo animo fuit, vt Raphaëli parceret, nisi ille ex importuna verborum cõtentione cum præfecto arcis indignabundus, non dubiæ libertatis beneficium festinata morte præueniss et. Effudit autem Pontifex iustum contumeliæ suæ odium in Foianum cucullatum, qui cum illoto ore in sacris concionibus intemperantissime lacerasset. Coniectus siquidem in baratrum molis Adriani, totius insanæ facundiæ suæ pœnas fœda morte persoluit. Compertum fuit Raphaëlem, alios que damnatos euadere, & longe è castris primo, & ex vrbe demum profugere potuisse: quod post ipsam deditionem antequam caperentur, & de his ferretur capitalis sententia, duorum fere mensium spatium interc esserit; quum interim Raphael litteris Nicolai Scombergi Antistitis Campani, amicissimi hominis admoneretur, vt si pacatum sibi vellet Pontificem, continuo ad eius pedes supplex ire maturaret. Sed is ita hærebat Curiæ, vt ambitiosa quadam ingenij vanitate, quod esset lectus inter Duodecim viros, non dubia noui honoris cupiditate teneretur, & qualis dudum fuisset summæ potestatis obliuisci non posset; quin sibi peramplum in ea Repub. qualiscumque futura esset, locum destinaret. Fit enim aut imbecillitate, aut superbia humani ingenij, vt non facile quisquam vbi peccauerit, vel secum ex conscientia se deliquisse fateri velit, nec ideo alienæ seueritatis & malignitatis impetum magnopere formidet, Carduccium angusta domi res, quod auaritia incorruptus ex Dictatura abstinentissimas manus retulisset, necessitate quadam in vrbe retinebat. Et quod ad opimam alicuius vrbis præfecturam aspiraret, quæ Dictatoriis & Consularibus viris vetere consuetudine deberetur; vsque adeo vt ea spe vir alioqui peracutus & callidus, seipsum, deprauante ingenio stulte deciperet, arbitrareturq; Dictaturæ suę actiones ad Duodecim-Virale iudicium deuocari non debere. A Philippo Nerlio patritio, qui actionum Vrbanarũ diurnales Commentarios scripsit, narratum est, ipsum à Carduccio fuisse rogatum, vt pro se Volaterranam præfecturam sibi paulo ante ex Senatusconsulto destinatam, impetraret; ipsum eo, respondisse vultu sermoneque, vt id petere ausum castigaret, qui præmia ab his quib. magno pere nocuisset, promereri posse ineptissime speraret; ideoq; si saperet, ad tutiora consilia verteretur. Eo autem die, quo in Curia custodiæ traditus est, quum Duodecim virali imperio vocaretur in Curiam, nec statim ire vellet, postulauit ab Antonio Alberto sibi ex cognatione amicissimo, vt pro se in Curiam ad Magistratus ascendere minime grauaretur, dicere tq; suo nomine Carduccium quidem paratum venire, sed timere inimicorũ insidias,

dias, ne sibi in itinere vim inferrent, scilicet vt Albertus ex vultu verbisque qualis esset erga se Magistratuum voluntas exploraret. Officium præstitit Albertus, renunciauitque, nullum aliud à duodecim viris responsum retulisse, quam vt dicerent, Carduceium satis prudentem existimari. quo responso, non obscure admoneri videbatur, vt sibi caueret. Sed non multo post eo ambigente hæreniteque, aduenit è Curia ostium pulsans publicus viator, qui cum argenteam præferens clauam in Curiam deduxit; atque inde custodiæ traditus est. Quibus argumentis, & ex multis quoque sermonibus ipsius Pontificis, coniectari licuit, cum ad clementiam vti personæ memorem decebat, procliuem futurum, si amici eius ciues, recentium offensionum obliuisci, quam ciuili sanguine manus imbuere maluissent. Non defuere siquidem ex ciuibus, qui priuato incitati odio Pontificem ad exercendam crudelitatem impellere conarentur; sed is cunctis in rebus, quæ pœnam aut præmium respicerent, vel supra æquum temperatus, importunam vindictæ libidinem moderatissimè contriuit; vtpote qui incendiarios, maleficosque extremæ peruicaciæ homines, exilio mulctasse contentus fuerit; quuum aduersariorum partium Principes, Thomam Soderinum, & Alfonsum Strozzam honoris causa in ipsorum villas voluptatibus dicatas relegasset: reliquam vero turbam publico damnatam iudicio, eodemq; nomine relegatam, per Italiæ oppida dissemin asset; ea conditione, vt pro merito nonnulli efferatos spiritus retinentes, in salubribus locis, sicuti Grauiscis, Centumcellis, Terracinæ, & ad Iuperum item mare Senogalliæ, Pisauri, & Rauennæ sedem sortirentur.

XLI. *Caroli V. Cæsaris Florentiam diplomata venere.*

Per hunc modum temperatæ seueritatis, vrbe pernicios is ciuibus repurgata, aduenere ab Augusta Vindelica decreti Cæsaris diplomata, solennibus latæ membranæ codicillis perscripta, obsignataque aureo sigillo, quibus Cæsar differè explicabat; *se idcirco ab Hispania venisse in Italiam, vt sublatis bellis certam atque optimam pacem afflictis Italiæ rebus apportaret, contentiones tolleret, parataque cum omnibus, quibus cum antea armis contendisset, concordia, sacrum bellum contra barbaros Turcas indiceret: quo nihil sibi antiquius atq; nobilius, vel Reipublicæ Christianæ vtilius fore existimaret. Vnos omnium vero repertos esse Florentinos qui pacis & tranquillitatis nomen odissent, animos ferroces iniquissime retinerent, & cum priuato, tum publico commodo obstinatius aduersarentur, vtpote qui ante arebelles animos induerint, Mediceam familiam, à qua priuatim & publicè commoda atque ornamenta ingentia omnibus temporibus accepissent, patria pepulerint: oblitique prorsus beneficiorum, & immunitatum, quas superiorum Cæsarum indulgentia liberalitateque retulissent, ab ipsius demum authoritate discessserint, ipsorum copias & duces aduersum se Neapolim miserint, aduentantique exercitui suo portas occluserint. Quæ multiplicis iniuriæ contumelias, quam pati non posset, & suæ dignitatis esse statueret rebellem ciuitatem perdomare, coactum fuisse inferre arma: postquam tentata sæpe concordia, atque æquissimis oblatis conditionibus, vel vitio temporum, vel pertinacium quorundam ciuium malignitate corrupta, à pace se prorsus alienam ostendisset, propterea que integrum fere annum obsederit: Se tamen quum armis fameque perdomitam iure optimo expugnare, atq; militibus diripiendam tradere posset; nihilo secius Cæsareæ clementiæ nunquam oblitum, populi resipiscentis pœnitentia fuisse contentum, atq; ipsum Pontificis maxime precibus adductum conseruare voluisse. Quum vero, sicut ex deditionis conditionibus liqueret, ipsius Augustæ potestatis, Imperatorisque arbitrij sit leges condere, & Rempublicam ordinare; ideo optimum fore existimabat, quod perpetuam ciuitatis tranquillitatem respicere videatur, Mediceam familiam reduci, atque restitui in pristinam dignitatem, & quoniam præclare manifesteque constat, in liberis ciuitatibus numquam vigere concordiam propter diuersa dissidentium facile ciuium studia, easque improspere semper atque infeliciter regi, nisi stabili perpetuoque Reipublicæ capite gubernentur, declarat Alexandrum Medicem, quem sibi generum asciuerit, Reipublicæ Florentinæ caput; cuius singuli Magistratus authoritatem sequantur; eaque dignitas ad liberos eius legitimos pertineat; atque his deficientibus, ad proximiores Mediceæ stirpis, totius eius præeminentiæ & dignitatis iura deuoluantur, subindeque Cæsar cuncta veterum beneficiorum atque immunitatum priuilegia, quæ alias promeruerint, syncero affectu confirmat. Hæc vt perpetuo seruentur imperat, & his qui violauerint, decem myriadum auri puri multam indicit.*

XLII. *Florentini Cæsaris legibus se obtemperaturos iurant.*

Huius diplomatis sententias, quæ latinè perscriptæ erant, Italia loquutus lingua, vt ab omnibus intelligeretur, vertit, & promulgauit Antonius Musettula Neapolitanus Iureconsultus, qui tum Cæsaris legati munere fungebatur, membranam explicatam, aureoque sigillo, & manu Cæsaris subscriptam sæpe ostendens, & legendam his qui vellent, libentissime præbens. Ipso autem Musettula perorante, assurrexit Dictator Benedictus Bondelmontes, qui nuper eductus fuerat è Volaterranæ turris carcere, in quem antea populares relegarant, is iuxta assi lebat, hisque verbis respondit. Grata nobis atque lætissima erit hodiernæ diei recordatio, in omnem æui posteritatisque memoriam; quandoquidem præclaro magni numinis munere, & inuictissimi Cæsaris beneficio, optimè constitutæ Reipub. ac duraturæ tranquillitatis initium auspicamur. Quod igitur felix faustumque sit, Florentino imperio, ac populo, leges nobis latas à Cæsare, ad non dubium huius rectè atq; apposite ordinati status incrementum suscipio, veneror que, seruaturumque polliceor, ac pari studio atque obsequio Magistratus, cunctique ciuitatis Ordines qui præsentes adsunt, suscipiunt, atq; optima fide seruabunt. Tum vero ad Dictatorem, Legatumque simul à dextris assidentem, singuli Magistratus viritim accesserunt, tactoque diplomate, atque honoris causa inclinatis capitibus, quæ dixerat Dictator approbarunt. Primi fuere Decuriones, Octoviri, & Decemviri, quiab integritate iudicij, famaque probitatis Boni viri vocantur. Ad hoc tres Guelpharum partium duces defensoresque, qui Magistratus in vrbe vetustissimus habetur, itemque Octoviri qui belli & pacis negotio præsunt, ideo que Practici nuncupantur. Hos subsecuti sunt Octoviri, qui summam vitæ & necis potestatem habent. Cum his iere Quinqueviri, quiærario præsunt; itemque Septemviri, conservatores legum appellati. Post hos Triumviri fisco præpositi, & secundum hos Mercaturæ Sextumviratus, & Quartumviri vrbis muniendæ Curatores. Postremo Duodecimviri, quibus ab initio ordinandæ Reipublicæ munus fuerat demandatum. His accesserunt ex Mediceorum amicissimis viginti & septem primores: ita vt in vniuersum 120. Primatiũ ciuiũ numerũ implerẽt. Eo die videre subnotareq; licuit diuersissimos eorũ ciuium vultus, qui ordinatim ad tribunal ascendentes, non obscura iurisiurandi significatione in sententiam Dictatoris ibant, atque his, quas dixisset Cæsar, legibus obtemperaturos confirmabant. Nam quum multi præ gaudio plorarent, quod se in posterum incolami, & pacata patria, intestinæque dissensionis & turbulentiæ omnis malo vacua liberataque posituros prospiciebant; diuerso animorum habitu plerique alij, tristes atque demissos vultus, certi doloris indices præferebant, vsque adeo à dissimulatione positi, vt emigrantis & ereptæ libertatis exequiis interesse viderentur. *Totius libro vigesimoseptimo, vigesimooctauo, vigesimonono, Guicciardinus lib. 20. & alij.*

XLIII. *Carolus V. Augustam Vindelicorum Principes ad componendum religionis dissidium cõuocat.*

Et quidem ad hunc modum pacata fuit Italia, Carolo Cæsare curante, qui etiam antequam inauguraretur, datis Bononiæ die XXI. Ianuarij litteris, Principes & Ordines omnes Imperij, ad octauum diem Aprilis huius anni 1530. Augustam Vindelicorum conuenire iussit, ad habenda Comitia, in quibus de componendo Religionis dissidio, deque bello Turcico deliberandum fore insinuauit. Bononia profectus, Ferrarien sium Duci, Carpium dedit; ac Fridericum Gonzagam, ex Marchione, Ducem Mantuanum creauit. quo tempore Ioannes Elector Saxoniæ, qui Protestantium, de quibus superius diximus, hæreticorum caput erat, quoniam in Augustalibus Comitiis religionis negotium seriò tractandum nouerat, antequam iret ad Comitia, Lutherum, Ionam, & Melanchthonem, consilij capiendi causa, Torgam euocauit. Hi venerunt istuc sub finem Martij; quibus Princeps Spalatinum suum adiunxit, & Ioannem Agricolam Islebium, homines Luthero coniunctissimos: ad quos deinceps velut ad Senatum quemdam Ecclesiasticum, quæstiones omnes de religione Princeps ab hæreticis omnibus referri voluit. Nec quisquam in Comitiis à Protestantibus actum est cum Catholicis, aliisque delectis Prin-

cipibus, quod non prius ab hoc Synedrio discussum esset, & probatũ. Igitur Torgę consultari ab eis cęptũ est de rei sũma, de conficienda nimirũ fidei professione, quæ Cæsari, nomine Protestantium, in futuris Comitiis offerretur. Ea vero deliberatio hunc finem habuit, vt Lutherus Septendecim conderet articulos, quibus breuiter velut in Synopsi summam doctrinæ suæ complexus est. Melanchton autem exordium quoddam fecit, vel præfationem ad Cæsarem ipsum, articulis istis præmittendam. Ex hoc scripto Torgensi nata postmodum est Augustana Cõfessio, quam Melanchthon, immutato nonnihil articulorum ordine, & capitibus quibusdam verius explicatis, stilo etiam ad modestiam temperato, cum Augustam ventum esset, concinnauit.

XLIV. Tandem Elector Torga profectus est Calendis Aprilis; cumque Coburgum venisset, substitit, atque eo loco peregit sacrum Pascha; quod festum tum quidem in XVII. Aprilis diem inciderat. Habebat in comitatu Ioannem Fridericum filium, Franciscum Luneburgensem, & Wolffgangum Anhaltinum Principes: tum Senatores istos si placet Ecclesiasticos, Lutherum, Ionam, Melanchtonem, Spalatinum, & Agricolam Islebium. Has omnes secum Augustam duxit, excepto Luthero, quem reliquit in arce Coburgensi; ne, si hominem ante nouem annos à Cæsare & Ordinibus in VVormacien sibus Comitiis proscriptum, ad publicum Imperij Conuentum adduceret, insolenter agere videretur, & Cæsarem, aliosque Principes Catholicos grauius irritaret. Igitur Lutherum Coburgi manere iussit; ad cuius arbitrium omnes de religione consultationes, quæ Augustæ, Comitiorum tempore postmodum institutæ sunt, reiectæ ab hæreticis fuerunt. Ipse vero Elector cum cæteris ad 25. Aprilis Coburgo profectus, secundo Maij, primus omnium fere Principum Augustam venit. Postquam vrbem ingressus est, incitatus à suis, iussit in Ecclesia Dominicanorum & Sanctæ Catharinæ Conciones Lutheranas haberi, quas Cæsar postmodum abrogauit. Augustæ, Lutherano Consistorio Ioannes Brentius accessit, & Erardus Sneppius, Landgrauij Concionator aulicus. Interim, quia Cæsar opinione diutius emansit, (nam sex hebdomadis integris venit post Saxonem) Confessio Lutheranorum quam Torgæ ruditer delineatam diximus, in aliam paulo commodiorem formam redacta est. Melanchton exordium initio mutauit, quod ipse pridem fecerat; & more Rhetorum pingere nonnihil orationem instituit. Post & articulos retexuit, à Luthero conditos: in quibus mutauit ordinem, & quædam tractauit fusius; atque inprimis hoc egit, vt verbis vteretur mollioribus, & stili Lutherani asperitatem mitigaret. Scriptum hoc cum è Lutheri laciniis per Melanchthonem iam esset consarcinatum; Princeps Coburgum misit ad Lutherum ipsum, sine cuius consilio Protestantes, vti supra diximus, nihil in negotio religionis agendum censuerunt. Adiunxit Elector litteras scriptas XI. Maij, quibus de hac confessionis forma Lutheri sententiam requirebat. Ille cum scriptum euoluisset, XV. Maij respondit; placere sibi confessionem hanc, nec quicquam in ea videri corrigendum aut mutandum. Neque vero etiam conuenire dicit, vt ipse quippiam emendet; se enim tanta moderatione, stilique lenitate vti non posse, quanta Melanchthon vxorius, & nusquam Theologus. Adiecit tamen articulo de Eucharistia clausulam, qua Sacramentarij damnantur, sub hac verborum forma: *Et improbamus secus docentes.* Quam post obitum Lutheri Melanchthon varians resecuit, vt postea dicetur. Quamquam vero per Lutherum probata fuerit hæc Confessionis forma; Melanchthon tamen lambere porro fœtum hunc atque polire non destitit: imo quotidie pæne quædam mutauit, prout tulit occasio, atq; alia aliis suppositi; quemadmodum datis ad Lutherum litteris, ipse scribit 22. Maij.

XLV. Cæsaris aduentus fuit aliquando tardior, propter magnos honores & pomparum apparatus, quibus vbique honorificentissime excipiebatur per terras Venetorum; & auitas Comitatus Tyrolis; in quibus occurrebat & excipiebat cum summo & gaudio & splendore frater suus Rex Ferdinandus, eiusque populus Suicien sis, qui ex fodinis suis argenteis eum donarunt vno nummo argenteo, omnia Cæsaris stemmata egregiè repræsentante, qui mille ac DCC. aureos pretio æquabat. Pari honore illum, & Ferdinandum, & Cardinalem Campegium Legatum, Duces Bauariæ in suis terris exceperunt, & quatriduo Monachij retinuerunt. Præcesserat à Pontifice missus ad Ferdinandum Regem Petrus Paulus Vergerius Iurisconsultus ampla cum potestate, cui Clemens in mandatis dederat, omnem operam nauaret, ne Prouinciæ Germaniæ Concilium fieret, vtque Ferdinandus omnem impediret eius generis actionem. quod ille munus diligenter executus est, visus opera Ioannis Fabri, Eckij, Cochlæi, & Nausea, quos Augustam ad Comitium ducebat. Mercurinus Cattinarius nuper creatus Cardinalis, magnus Cæsaris Cancellarius, qui idipsum sollicite vrgebat, Oeniponte mortem obiit, in eiusque locum successit Nicolaus Perenottus Granuellanus Vesontinus. Cæterum cum Cæsar intellexisset, Augustanos ciues vrbis tuendæ causa, ad octingentos pedites conscripsisse, iussit illos dimitti, & alios ipse conscripsit, inque suam fidem adegit, & portam vnam vrbis sibi tradi postulauit, diebus aliquot ante quam eò venisset. Tandem die XV. Iunij, in profesto corporis Christi, cum vrbi appropinquasset, occurrerunt ei obuiam omnes Principes & Status Imperij, quorum nomine Albertus Cardinalis Elector Moguntinus, velut Archicancellarius Imperij per Germaniam, ornatissima oratione eum excepit. Erat in eius comitatu Campegius Cardinalis, à Pontifice missus cum plenis mandatis. Hunc inter & Ferdinandum fratrem Cæsar cogitabat in vrbem ingredi medius; sed quia præter morem hoc erat Imperij, Moguntinus & Colonien sis proximi accedebant, pone sequebantur Ferdinandus atque Campegius. Facti vrbi propinquiores, excepti sunt supplici deuotione à Senatu populoque Augustano, qui pedestres procedebant; habebant tamen & equites aliquot accuratissimè exornatos, & ad duo peditum, in quatuor cohortibus. In ipsa vrbe expectabat aduentum eius Christophorus à Stadio, Episcopus Augustanus, cum omni Clero suo, qui Cæsarem deduxerunt in Ecclesiam Cathedralem, vbi peractis ab Episcopo benedictionum cerimoniis, hymnus *Te Deum laudamus* cantatus est. Cæsar, & illo vespere adhuc, & altero die mane per suos egit cum Electore Saxoniæ, aliisque Principibus Lutheranæ factioni adhærentibus, vt antiquo more irent simul cum maiestate ipsius, aliisque cum Principibus & Statibus Imperij, in processione publica, qua deportaretur Venerabile Sacramentum Corporis Christi. Illis autem excusantibus sese, & multa obtendentibus, quæ circa eam rem obsisterent suæ fidei; petiit tandem, vt si nollent propter honorem Dei comitari, facerent saltem propter ipsum Cæsarem vt Vasalli & Principes Imperij.. At neque ea ratione persuaderi potuerunt. Vnde factum est, vt processionis tempus vsque in meridiem fuerit protractum. Cæsar vero nihilominus vna cum aliis Principibus ac Statibus Imperij, suisque cum Proceribus Hispanis Burgundisque eam processionem deuotissime simul & splendidissime peregit. Venerabile Sacramentum portabat Primas Germaniæ, Cardinalis & Archiepiscopus Moguntinus, quem deducebant Rex Ferdinandus à dextris, & Marchio Brandeburgensis Elector Imperij Ioachimus, Domini Moguntini frater Germanus à sinistris. Ante ipsum Sacramentum procedebant seculares Principes, ante eos Magistri Curiæ, Caduceatores, Heroldi, buccinatores tum Cæsaris, tum Regis: ante quos procedebant proceres vtriusque Curiæ, & Clerus vniuersus. At pone Sacramentum sequebatur ipse Cæsar nudo semper capite, quamuis in ardentissimo Sole, quadrifidam in manu gestans faciem ardentem. Post eum omnes Archiepiscopi & Episcopi. Iussu autem & prouidentia Cæsaris, omnes tum Principes & Proceres gestabant quadrifidas faces ardentes in cera albata: tum longissima processione diuersi generis Musici decantabant in laudem Dei, & tensam, sub qua portabatur Sacramentum, semper alternatis vicibus gestabant seni Principes seculares. Lutheranorum vero contumaciam Cæsar ægerrimè ferens, voluit, vt mox altera die cum saluo conductu domum abirent. Alij autem Principes, & concordiæ auidi, supplicarunt eius Maiestati, vt sedata ira, daret eis publicam audientiam, iuxta tenorem Edicti, per quod

Carolus V. cum Ferdinandotra. tre Augustam solẽniter ad Comitia ingreditur.

fuerant

fuerant euocati. Assensus est; tamen abrogatis sectariorum concionibus, per fecialem suum publice proclamari iussit, signo prius tuba dato, ne quisquam deinceps Augustæ concionem haberet, sine Cæsaris consensu: adiuncta pœna capitis, si quis contra faceret. Constituti deinde sunt Concionatores Catholici, qui docerent Euangelium more maiorum, Deiq; verbum in sensu Catholico, iuxta Sanctorum Patrum explicationem, populo proponerent, & à contentiosis disputationibus abstinerent. Enimuero ante ipsius aduẽtum, multis in locis diuersę habebantur concionesæmulatione quadã, dum vnusquisq; ad se turbam trahere conaretur: hic Lutherani, istic Zuingliani, alibi Catholici concionabantur. præcipue vero maximus erat concursus ad monasterium Fratrum Minorum, in cuius æde amplissima concionabatur apostata quidam Zuinglianus, homo facundus, acer, & ad concitandum populum idoneus: qui librum Iosue tunc ad populum declamabat, ea sane ratione, vt omnia aduersa, quæ Regibus Chanaan ibi contigisse memorantur, homo ille in Cæsarem Principesque Catholicos minaciter contorqueret, sectæ suæ homines filiis Israël populo Dei assimulans, vt eo commento illos in hæresi sua confortaret, ne metu Cæsaris ad Catholicam redirent Ecclesiam. Itaque Cæsar vt obstrueret os loquentium iniqua, publico cauit edicto, ac per omnia plateatum capita, sub grauissima pœna constituit, ne fierent publicæ conciones ad populum, nisi in Ecclesia Cathedrali, ab his qui ab Legato & Episcopo Augustano forent designati.

XLVI. *Solennis apud Augustam Comitiorum celebratio.* Die XX. Iunij Cæsar, incepturus acta publica, iussit omnes Principes ac Status Imperij adesse in Ecclesia Cathedrali, vbi Missam quidem de Spiritu Sancto solenniter celebrabat Archiepiscopus Moguntinus; orationem vero latinam disertissime habuit ad Principes Vincentius Pimpinella, Archiepiscopus Rossanus, Nuncius Apostolicus. Cardinalis namque Campegius, articulari morbo præpeditus, interesse non potuit. Vocatus ad templum Elector Saxo, vt quod erat ipsius officij, ensem Cæsari præferret, venit, & strictum portans gladium ante Cæsarem, officio suo perfunctus est. Priusquam vero id faceret, in consilium adhibuerat Theologos suos, quorum permissu Cæsari obtemperauit; persuasus id eo dem modo fieri posse, quo Naaman Syrus Eliæi permissu, dominum suum Syriæ Regem, in templo idololatrico Remmon idolum adorantem manu sua sustentauit. Sicisti pseudodoctores, quib. Cæsar piissimus Princeps tyrãnus infidelis; Ecclesia Deo cõsecrata, templũ idoli; Christus filius Dei viui in Eucharistia præsens, Remmon idolũ erat. Sacris peractis, itum est à templo in Curiam. Ibi Fridericus Palatinus nonnulla præfatus, moram Cæsaris excusauit, & simul causam indicti conuentus repetiit. Deinde recitata fuit oratio prolixa, de scripto, sicut fieri consueuit.

Scire ipsos quemadmodum simul atq; de communi consilio creatus esset Cæsar, Ordinum omnium conuentus egerit Wormaciæ. Sed illo ipso tempore illatum sibi fuisse bellum, ita quidem, vt, tametsi valde cuperet in Germania permanere, coactus fuerit in Hispaniam redire. quod tamen fecerit & de ipsorum voluntate, & non prius quam Imperij res legitime procurasset; constituto nimirum iudicio & senatu, & fratre Ferdinando, velut altero se, Legato sibi designato per suam absentiam. eumq; de illorum fide, diligentia, virtute magnam haberet opinionem, tranquilliori animo deseruisse Germaniam. & illos quidem ita rempublicam administrasse, nihil vt amplius desiderari possit. Interea vero dum in Hispaniis ageret, audisse, non solum magnas esse per Germaniam simultates atq; dissidia religionis, verum etiam Turcas in Vngariam & loca finitima vim atq; bellum inferre; & amisso Belgrado, multisq; aliis propugnaculis & arcibus, Ludouicum Regem atq; proceres, missis legatis, opem Imperij solicitasse, qua freti confiderent non solum vim omnem inhostilem depellere, verum etiam sua se posse recuperare; Sin autem ea destituerentur, fore, vt quæ nunc ipsis incumberet calamitas, ea non multo post ad reliquos omnes finitimos inundaret. his rebus cognitis, valde se fuisse commotum; & idcirco, vt celeriter auxilia mitterentur, eam pecuniam, quam sibi Romam inaugurationis causa proficiscenti erant impensuri, iussisse omnem eò conuerti. Sed cum tardius hoc administratur, hostem, vbi Rhodum, velut alteram arcem orbis Christiani cepisset, in Vngariam longius progressum, prælio superasse Regem Ludouicum, & quicquid est vrbium atq; locorum inter Sauum atque Drauum flumina, cepisse, diripuisse, incendisse, multis hominum millibus interfectis. Impetum deinde fecisse in Illyricum; & cum supra modum omnem ibi grassatus esset cædibus, incendiis, rapinis, enastationibus agrorum, abduxisse illinc supra XXX. hominum millia in miserabilem seruitutem, & eos qui cum impedimentis forte sequi non poterant, contrucidasse. deinde proximo superiori anno in Austriam penetrasse cum innumerabili exercitu, & iis locis vrbem primariam obsedisse Viennam, & longe lateq; populatum esse agros, prope Lincium vsque; nec vllum inhumanitatis genus prætermisisse, nulla nec ætatis, neq; sexus habita ratione, dissectis pueris infantibus, puellis atq; fœminis nefarie stupratis, & more pecudum abactis. Itaque plane tunc se constituisse, rebus omnibus aliis posthabitis, illo proficisci cum copiis, & omne suum robur eò conuertere: datis etiam litteris tum ad Ferdinandum fratrem suum, tum ad proceres atque belli duces, Viennæ circumsessos, vt suum aduentum prorsus expectarent, ac fortiter agerent, hortatum esse. Cum autem ille pedem referret, mutasse consilium, & multis de causis optimum iudicasse, vt rebus per Italiam pacatis, cum summo Pontifice de summa Reipublicæ constituendæ, deque religione consilia conferret, & conuentum hunc indiceret. potuisse quidem inaugurari Romæ, sine vllo impedimento, & inde Neapolim proficisci, quod eius regni status atque conditio tunc imprimis requirebat. Sed tamen re priuata postposita, cogitationem omnem ad rem publicam contulisse, vt videlicet primo quoque tempore huic adesset conuentui. Iam vero licet Viennam hostis capere non potuit, tamen ingens damnum datum esse toti prouinciæ, quod vix longo tempore sarciri possit: & licet exercitum ille reduxerit, præsidia tamen atque duces reliquisse ad fines, qui non Vngariam modo, sed Austriam quoque & Stiriam & loca finitima continenter ab eo tempore vastarint: & quandoquidem fines nunc habeat multis in locis coniunctos nostris finibus, dubium non esse, quin ad proximam occasionem multo sit maiori cum manu reuersurus, vt ad internecionem omnia disperdat in Germania præsertim. Atqui, post Constantinopolim captam, quam multa nobis ademerit, quantumque Christiani sanguinis hauserit, & quas in angustias orbem hunc nostrum redegerit, sic esse notum, vt deploratione potius & querimonia, quam vlla opus sit explicatione prolixiori. Sane tot tantisque malis omnium animos vehementer affici, rerumque præteritarum exemplis debere commoueri, & certò statuere, quod si iam rursus, vt antehac, remisse, lenè, cunctanter agetur, neque maioribus, quam hucusque copiis atque viribus, obuiam ibitur illius furori, non esse quod deinceps vllam salutem sibi polliceantur; sed fore, vt alia post aliam amissa prouincia, tandem & breui quidem, in ipsius ditionem atque potestatem redigantur omnes. His quidem de rebus, per sitam absentiam crebros fuisse conuentus Ordinum, quibus etiam optauerit ipse coram interesse: verum id sibi per suos aduersarios, atque bella non fuisse integrum, sicut & litteris & legationibus non semel demonstrarit. Sed tamen suas priuatas iniurias & offensiones, vbi primum licuit condonasse reipublicæ, ac pacem cum hoste fecisse, multaque de suo iure largitum esse, publicæ pacis atque concordiæ causa: neque suum in Germaniam reditum voluisse longius differre, & relictis Hispaniarum regnis florentissimis, non absque magno discrimine in Italiam traiecisse, & quod ibi reliquum erat hostium, atque adeo totam Italiam pacasse: quæ quidem res impedimento sibi fuerit, quominus ad constitutum diem hic adesset; & quia subitariis illis & intercisis auxiliis nihil adhuc profectum sit, opus esse nouo & ampliori deliberatione. Cum enim eò spectet imminentissimus hostis, vt in suam seruitutem omnes redigat, imo, vt extra naturæ fines exterminet, agendum esse nunc & considerandum, quamodo perpetuentur auxilia; ne videlicet vllo tempore desit pecunia, copiæ, vires, vt non modo defendi, verum etiam inferri bellum, nec amissa solum recuperari, sed illis etiam sua posint eripi, atque auferri. Pontificem Maximum liberaliter sibi polliceri atque prolixè; se quoque, tametsi pecuniam sibi promissam inaugurationis causa, totam in hunc vsum concesserit, licet sumptum in hac solenni coronatione solus omnem fecerit, etsi multam præterea vim auri dependerit, tamen in hoc opere tam sancto, tamque necessario facturum esse, quod se suamque personam deceat. Idem expectandum esse à fratre Ferdinando Rege, qui iam sit orbis Christiani, Germaniæ præsertim, veluti propugnaculum quoddam, obiectum furori Turcico: sed & alios Reges atque Principes externos non esse defuturos auxilio, quorum nonnullis iam eo nomine scripserit, alios etiam sit interpellaturus. Ad Religionem vero quod attinet, inde statim à suscepta Imperij administratione, magno sane cum animi dolore se audisse, dissidium hoc excitatum esse: ideoque vt in tempore medicinam faceret, habito VVormaciæ conuentu, decretum tum fecisse, communi ipsorum omnium assensu atq; voluntate; cui si obtemperatum esset, non fuisse tot malis & incommodis

patefactam viam, quæ nunc aliquot annis Germaniam afflixerint: quo quidem in numero popularis illa seditio, & Anabaptistarum secta Principem locum obtineant. Cumque variis actionibus hucusque nihil effectum esse videat, magni fore momenti suam præsentiam existimasse. Conuentum igitur hunc indixisse, vt in eo, quod quisque vellet, proponat in medium, scripto comprehensum, quo nimirum tanto commodius atque celerius intelligi res posßit atque definiri: se quidem, & in hac, & in reliquis omnibus Imperij causis facturum esse, quod sui sit officij, pro sua erga Rempublicam, & patriam charitate, & vt pro se quisque consimilem huc voluntatem atque studium adferant, postulare.

XLVII. *Protestantes in Comitiis fidei suæ confessionem legendam vrgent.*

Principes habita deliberatione, iudicabant, omnium primo agendum esse de religione. Quarto post die Campegius Cardinalis Legatus, in consessu Principum, Cæsare præsente, orationem habuit Latinam, hortatus eos nomine Pontificis, vt in causa religionis morem gererent. Cæsaris collaudata ipsius virtute ac pietate; se quoque Pontificis nomine daturum operam, vt eandem fidem profitentur omnes; vt reconciliatis animis bellum in Turcas suscipiatur. Vbi Campegius perorauit, auditi sunt Austriacorum ditionum Legati, quorum nomine Sigismundus à Dieterichstein, Cæsaris atque Ordinum contra Turcam auxilia implorauit. Tũ vero Saxoniæ Princeps Elector, Georgius Brandeburgicus, Luneburgensis, & Landgrauius, qui nomine Protestantium vocabantur, habere se paratam dixerunt, fidei suæ Confessionem Latinè, Germanicèque scriptam, quam rogarunt, vt in consessu publico sibi liceret de scripto recitare. Cæsar scriptum offerri mandauit, atq; deponi. Instabant Protestantes, vt Cæsar illud viua voce prius in consessu publico recitari pateretur: quam rem Landgrauius inprimis magna contentione vrgebat. Verum id frustra fuit, Ferdinando Rege & Catholicis Principibus contra nitentibus. Cæsar tamen pro insigni clementia & benignitate sua, si prorsus ita vellent, se postridie domi suæ eos audituros promisit,

XLVIII. *Augustana Confessio.*

Igitur sequenti die, qui 25. Iunij fuit, horis pomeridianis in hospitio Cæsaris facultas data fuit Protestantibus, vt fidei suæ confessionem, antequam eam exhiberent Cæsari, priuatim in consessu Principum de scripto recitarent. Erat cœnaculum non valde spatiosum, quod homines forte ducentos caperet. In eo postquam Cæsar, Ferdinandus Rex, aliiq; Principes ex vtroq; latere consederunt, Christianus Beyer, Electoris Saxoniæ Cancellarius, Confessionem Protestantium de scripto legit, vti Germanice concepta fuit; idq; tarde prorsus & articulatim, vt cuab. horis totam absoluerat. Deinde Cancellarius Saxonię eiusdem exemplaria duo, Germanicum & Latinum, Alexandro Sweissio Secretario Cæsaris obtulit, Archiepisc. Moguntino tradenda; quæ Cæsar ipse porrecta manu, tum quidem ad se recepit. Subscripserant vtrique nomina sua. Ioannes Saxoniæ Dux Elector, cum filio Ioanne Friderico, Georgius Marchio Brandeburgensis, Ernestus & Franciscus Duces Luneburgēses, Philippus Hassiæ Lādgrauius, Wolffgangus Anhaldinus: & duarum ciuitatum Legati, Norimbergensis scilicet, & Reutlingensis. Paulo post adiunxerunt se & aliæ ciuitates numero quatuor, Campodunum, Hailbrunna, VVinsheimium, & VVeissenburgum, quas Elector, & cæteri Protestantes deinceps pro sociis habuerunt. Atq; hæc est celebris illa Lutheranæ doctrinæ Confessio, quam Augustanam vocant, quod in Comitiis Augustanis, Cæsari primum prælecta sit, & postmodũ exhibita. Qua de re Lutherani tam impotenter gloriantur, vt factum hoc inter ea referant, quæ cũprimis post hominum memoriã admiranda sub sole contigerunt. Huiusmodi fidei confessio, *inquit Spalatinus*, non tantum annis mille proximis, verum etiam ab exordio mundi numq̃ fuit edita. Nulla certe vel in vllis historiis, vel in scriptis veterũ Patrum, & Ecclesiæ Doctorum, huic Confessioni similis inuenitur. Hæc Spalatinus Lutheranus: & verissime quidem, si sane verba hominis intelligas. Neq; enim vmquam, vel ab annis mille, vel, *vt Mathesius addit*, ab Apostolorum seculo, vel ab exordio generis humani, vlla fuit gens, aut hominum societas in mundo, quæ de omnibus fidei dogmatibus idem cum Lutheranis Protestantib. senserit. Igitur noua, nec vmquam omnib. seculis audita religio, nouam quoq;, nec vllis vmquã seculis auditam Confessionẽ peperit. Ad finem Confessionis protestabantur, quod si forte iam definiri causa non possit, non se recusare toties & promissum & decretum concilium.

Et quidem Protestantes Concilium inculcabant, in quo de maximarum rerum controuersiis agitaretur. Et licet hoc vna adhib ta ope sæpius ab Ecclesia hæreses profligatæ, ac penitus euersæ fuissent, præsensque afflictis Christianæ Reipubl. rebus remedium videretur: tamen is erat peruersorum hominum, qui se capita atque antesignanos profitebantur, liuor; illudq́ue in Pontificem odium, vt non ad confirmandam, sed potius ad cõuellendam religionem Concilium postulare viderentur. Quæ res Pontificem & Cæsarem, cum adhuc Bononiæ vnà deliberarent, permouebat, ne tam facile Germanis illud concederetur; ne scilicet illo ad labefactandam, ac penitus conuellendam Pontificiæ maiestatis auctoritatem aburerentur. Quocirca ad Ferdinandum ea de re vti diximus, miserat, & moras in decernendo nectebat; Christianorum Principia tolli prius oportere; in id singulos, odiis simultatibusque semotis conspirare, vt procul à sanctissimo religionis negotio animarum perturbatio, humanæque mentis subdoli nimium sensus abessent. Verum quò minus probare Concilium videbatur, eo magis hæretici instare ac flagitare; vt Clemens maiora indies incrementa susçipienti malo armis potius occurrendum esse sibi in animum induceret. Qua de re non modo grauiter cum Imperatore egit, pecuniæq; vim obtulit, verum ea mente se esse Venetis quoque significauit, cunctosque Christianos Principes ad pium pro aucta religione bellum susçipiendum impellendos censere; quę grauissima in re Senatus sit sententia exquirere, consiliumque ab illius prudentia petere. Senatus vero, qui à bello atque armis abstinendum arbitrabatur, ne iactata diu Christiana Respub. hac tempestate in maiores procellas ac turbines incideret, Pontificis egregiam mentem extollebat; inq; religionem, priscamq; & per manus traditam maiorum disciplinam, accensum animum summis laudibus efferebat. Cæterũ ad aleam belli, nisi adactos necessitate, descendere minime probare. his enim acrius Germanos Principes exasperandos, conquisitis vndiq; copiis, atq; auxiliis, velut in rabiem actos, in bellũ dirum atq; inextricabile prolapsuros. genus id hominum esse, quod suis opinionibus addictum, ægrè, nec nisi annuente Deo Opt. Max. ad bonam frugẽ reduci queat: sacrarum literarum authoritate, ratione cum illis certandũ, respiceret, quo loco Christianæ Reipub. res essent; quot superioribus attritæ casibus; vt denuo vires assumant, quiete inprimis, nõ nouis bellorum agitationibus opus esse. à quonam Italorum Principum quicquid pecuniæ, quicquid virium erat, præteritæ calamitates non exhauserint? an vero Germaniæ, licet amplissimæ prouinciæ, viribus fidendũ esse? Quis autem pro explorato habeat, orto bello, cuinam parti proceres Germani, penes quos eligendi Imperatoris falcultas est, adhæsuri sint? Liberæ porrò ciuitates q̃ autoritatẽ Cæsaris sequũtur, nisi prius ratione disceptetur, nunq̃ ad arma venturas esse profiterentur. an vero Cæsar, reliquis destitutus auxiliis, per seipsum tantas copias cogeret, quæ frangere seditiosorum hominum superbiam, effrenesque illorum turbas, & conatus coercere queant. quid? quod desperatione præcipites, cæca insania in exitium acti ad illa subsidia confugere possent, quæ illis non modo, verum toti Christianæ Reipub. perniciosa atque exitialia futura essent? Hanc Senatus in re grauissima sententiam esse, nihil magis optandum, quam vt dissidiis religionis amotis, restinctis odiis, prisca, eademque Catholica religio retineretur, atq; augeretur, quam ab incunabulis Resp. Veneta sanctissime seruauerit, atq; omni tẽpore coluerit. Et quidẽ Cæsar, totus eò spectabat, quemadmodũ religionis dissidium absq; Concilio pacaret: quando quidem hoc esse Clementi longe gratissimum sciebat: cuius hic erat scopus, vt si leuiter causa sopiri nõ posset, armis opprimerẽtur; quod aliis quoq; temporibus factum fuisse memorabat.

XLIX. *Protestantes Concilium vrgẽt*

L. Cæterum exhibita Confessione, deliberatum porro fuit in consessu Principum, quid Protestantibus super ea respondendum esset. Placuit, Theologis eam examinandam dari, & quà dissentiret, à receptis in Ecclesia dogmatibus, oppositò scripto confutandam. Erant in Comitiis Theologi Catholici satis magno numero, quos Cæsar, Ferdinandus Rex, aliique Principes secum adduxerant, vt consiliis eorum & opera cum de religione deliberandum esset, vterentur. Horum primi fuerunt, Ioannes Eccius, Conradus VVimpina veteranus Theologus, Ioannes Faber. Ioannes Cochlæus,

Eberar-

Eberhardus Billicanus, aliique, quibus de consilio Principum Catholicorum, tradita fuit Lutheranorum Confessio, vt eam sub examen reuocarent. Quod cum facerent, obseruatum continuo fuit, Protestantes de nonnullis fidei capitibus, aliter nunc in hac Confessione loqui, quam Lutherus & Melanchthon superioribus annis docere cõsueuerant: quædam etiam magni momenti dogmata prorsus in hoc scripto non attingi, quæ pridem libris in vulgus editis, summo conatu propugnarant: cuiusmodi sunt; Quod liberum arbitrium sit titulus sine re, nudumque nomen: Quod Deus sit autor peccati, & mala per homines non permissiuè tantum, sed efficaciter etiam operetur; Quod omnia necessariò fiant, nec vlla sint in rebus humanis contingentia: Quod Pontifex Romanus, non sit Christi Vicarius, & caput Ecclesiæ militantis, sed Antichristus: Quod in Ecclesia nullum sit externum Sacrificium: Quod baptizati omnes ex æquo, tam fœminæ quam viri sint Sacerdotes: Quod fideles in omni opere bono peccent mortaliter: Quod matrimonium contractus sit mere ciuilis: & quod causæ matrimoniales non ad Episcoporum, sed ad politici magistratus tribunal pertineant. His de rebus, aliisq; nonnullis id genus, deprehensum in hac Confessione, vel nullam omninò fieri mentionem, vel si quæ fiat, longe nunc aliter sentire Lutheranos, quam Lutherus & Melanchthon hactenus scripserunt. Qua de re cum Cæsar esset admonitus, nono die Iulii, Fridericum Comitem Palatinum, cum duobus Comitibus, Hoiero Mansfeldensi, & Helffensteinio misit ad Protestantes, quæsitum; An omnia complecteretur ipsorum Confessio, quæ proponenda duxerint; an vero plures articulos eidem vellent adiungere? Ea quæstio Protestantes admodum perplexos reddidit; nec satis in promptu fuit, quid responderent. Aberant sub id tempus duarum ciuitatum Legati, qui Confessionem vnà subsignarant. Itaque Saxo, cæteriq; Principes spatium sibi cõcedi rogarunt ad deliberandũ. Vbi ventum est ad consultationẽ, re multũ deliberata, Cõcionatores nihil amplius nunc quidẽ addendũ censuerunt. Id cum Cæsari renunciatũ esset, Theol. Catholici, Ioan. Faber inprimis & Eckius, confutationẽ Augustanæ Cõfessionis paucis diebus absoluerunt. In qua principio notarunt, ea q̃ probanda censebant; deinde quæ Protestantes contra veritatẽ, & receptam Ecclesię doctrinam asseuerãt, adductis S. Scripturæ, sanctorumq; Patrũ testimoniis & firmis rationibus solidè confutarunt. demum prolixè demonstrarunt, in multis rebus fœdam inter Confessionẽ hanc & Lutheri, Melanchthonis, aliorumq; scripta discrepantiã, & pugnam inueniri. Aspersérant vero, vbi rei indignitas id postulauerat, plusculum acrimoniæ, & subinde prouectiolongius aculeum aduersariis infixerant. Quod cum animaduerterent Catholici Principes, quibus scriptum illud à Theologis oblatum fuit, pleriq; paulo mitius agendũ censuerunt, & pacis studio mitigandum stylum, eaq; resecanda, quæ Theologi de contradictione dogmatũ aduersariis obiecerant: ne scilicet inclementius habiti Protestantes, à studio cõcordiæ, cuius ineundæ magno desiderio Catholici Principes tenebãtur, penitus resilirent. Mutata igitur fuit confutatio, & in arctum contracta, resectis iis, quæ possent videri paulo duriora. Quanquam Theologis consilium hoc de resecandis aduersariorum antilogiis displicuit; quos ad detegendam aduersariorum turpitudinem, non parum habere momenti iudicabant. Fuit tamen obtemperandum Principibus, & cõfutatio ipsa quibusdam omissis in aliam formam redigenda. Interea labitur nonnihil temporis, & Lutherani more suo, mirifice de Papistarum silẽtio passim gloriantur: inuictam esse Confessionem, quam obtulerunt; nec aduersarios habere, quod ad rationes & argumenta respondeãt: id eos vel tacendo, satis fateri. Dum vero canunt hunc pæana, Catholicorum confutatio, à Pontificio Legato probata, tertio die Augusti, demum in consessu Cæsaris & Ordinum, eodem loco, quo Confessio pridem lecta fuerat, publicata fuit. Legit eam, vti Germanice scripta erat, Alexander Sweissius, Cæsaris Secretarius: atque id clara voce, & articulatim, vt ab omnibus intelligi posset. Absoluta confutatione, Fridericus Palatinus subiungit; Cæsarem cõpertum habere, quod responsio hæc verè Christiana sit, & solida, iisque nitatur sacrarum litterarum, & rationum fundamentis, quæ euerti nequeant: ideoq; ipsum, cæterosque Principes & Ordines eandem approba-

LI. *Protestantium acta in Comitiis Augustanis.*

re, amplectique: hortari vero Saxonem, ciusque socios Protestantes, vt coniungant se denuò cum reliquis Ordinibus, & ipsi quoq; cum suis huic confutationi subscribant; quod certò persuasum Cæsar habeat eos non grauatè facturos. Illi secedunt de more, & reuersi paulo post, scriptum illud sibi petunt communicari. Cæsar re cum Electoribus & cæteris Ordinibus deliberata, per Fridericum Palatinum respondet; Cum tempus elapsum nunc sit, cogitaturum se pressius de hac re, ipsisque responsurum, vbi fuerit opportunum.

Biduo post, Augusti die quinto, consessus Principum denuo fuit; ad quem Protestantes vocati sunt, vt responsum audirent, quod huiusmodi fuit: Cæsarem facturum illius scripti copiam; verum ea conditione, vt legant ipsi, neque illud cuiquam communicent, nec describi à quoquam, vel typis excudi patiantur. Eam rem illis serio mandare Cæsarem, sub fide iurisiurandi, quo se illi deuinctos esse nouerint, hortarique denuo Protestantes, & rogare clementer, vt se tandem rursus coniungant cum reliquis Ordinibus, à quibus secessionem fecerint. Illi hac conditione, quam Palatinus, mandatu Cæsaris adiecit, recipere scriptum prorsus recusarunt. Cum vero nec Cæsar à sententia discederet, & ipsi vicissim confutationem simpliciter sibi vellent communicari, disceptatum super ea re nonnihil fuit. Interim, ne Cæsar hac ipsorum pertinacia grauius offenderetur, vel incommodi quippiam maioris accideret, Albertus Archiepiscopus Moguntinus, Ioachimus Elector Brandeburgicus, Henricus Dux Brunsuicensis, aliique nonnulli Principes surgunt in Senatu & intercedunt. Hortantur Saxonem, ciusque socios, vt contendere desistant, nec adeo pertinaciter virgeant rem non magni momenti, sed animum ad pacis consilia prorsus adiiciant: Cæsarem vero demisse rogant, vt ipsius voluntate viam incundæ concordiæ sibi licet experiri. Consensit Cæsar, vt qui difficili huius componendi cupidissimus erat; nec Protestantes recusarunt.

LII. Igitur delecti sunt ex Ordinum Senatu mediatores numero 17. qui cum Protestantibus de sarcienda concordia, deque dissidiis amica compositione sopiendis, agerent. Hi fuerunt Electores duo, Moguntinus & Brandeburgicus; trium Electorum, Colonienlis, Treuirensis, & Palatini Oratores; nomine Domus Austriacæ Georgius Truccesius; Episcopi tres, Saltzburgensis, Spirensis & Argentinensis; Principes itidem tres, Georgius Saxo, Henricus Brunsuicensis, & Albertus Megapolitanus; præterea Abbas Vineæ, Martinus Comes de Oetingen, Orator Iuliacensis & Ratisbonensis, & Cancellarius Badensis. Placuit deinde, vt septimo die Augusti fieret actionis initium. Locus huic rei dignatus fuit, Domus Ecclesiæ Cathedralis Augustanæ, in qua Capitulares conuentus haberi solent. Eò Protestantes vocati sunt, Saxo cum sociis ad diem constitutum. Landgrauius vero pridie quam agi cœptum est, Cæsare non salutato, cum paucis quibusdam Augusta profectus, in Hassiam reuertit. Id permolestè tulit Cæsar; nec offensionem hanc postridie dissimulauit, cum Saxonem & socios ad se vocasset; quos monuit, vt finem expectarent huius actionis; nihil se prætermissurum affirmans, quod amantem publicæ quietis & concordiæ Principum deceat.

LIII. Vbi consessum est in Domo Capitulari, Ioachimus Brandeburgicus Elector, Princeps admodum disertus, cui Melanchthon Pericleam facundiam tribuit, Protestantes delectorum nomine grauiter & fraternè cohortatus est, vt missò separationis Consilio, seipsos demum cum Cæsare, cæterisque Principibus & Ordinibus animo simul, & publica religionis professione coniungerent; cogitarent secum, quam aperte sacro Euangelio, & litteris Apostolicis aduersentur opiniones nouæ, quas nuper admodum ab Ecclesiæ perduellibus circumuenti conceperint. Itaq; iis opinionibus abiectis obtemperaret Cæsari, & locũ darent fraternis tot amicorũ, consanguineorũ, & affinium admonitionib. eorumq; precibus acquiescerent. Nisi id fiat, Germaniã in periculo futurã, ait Brandeburgicus, nimirum oritura bella, motus publicos, seditiones, vastationes prouinciarum, Christiani sanguinis effusionem, & quæ sunt alia mala istius generis; quibus

ipsi daturi sint occasionem, nisi animum mentem induant. Quod si forsan abusus quidam hominum incuria, vel iniuria temporum irrepserint, Cæsarem eo animo in Germaniam venisse, vt iis summa Pontificis autoritate sublatis, Imperio Germanico decus, & concordia, quę pridem fuerit, restituatur.

LIV. Respondent illi post biduum per Georgium Pontanum, quo in hac actione, & aliàs ferè semper vsi sunt Oratore. Principiò, quod admonitionem suam delecti minis additis exasperârint, id se dolenter accepisse. Deinde grauamina quædam commemorant, quibus se dicunt impediri, quò minus esse possint in negotio religionis ad Cæsaris, & Catholicorum Ordinum voluntatem adiungere. Ea vero numerabat omnino quatuor. Primum, quod nec sufficienter auditi sint, iuxta literas indictionis, nec ad tollendum hoc religionis dissidium amica sit instituta collatio. Secundum, quod Cæsar exemplum illius Confutationis, quæ nuper in Ordinum confessu recitata sit, communicare sibi recusarit, nisi iis conditionibus adiectis, quas admittere nullo modo possint. Tertium, quod se dicunt per conscientiam impediri, quò minus acquiescant Cæsari, & huic confutationi subscribant. Quartum, quod promissio facta sit in Conuentu Spirensi, de cogendo Concilio; nec quicquam tamen hactenus præstitum sit. Hæc Pontanus nomine Protestantium recitauit ex scripto, quòd ipsum vnà delectis obtulit. Qui, re deliberata, per Electorem Brandeburgicum in hanc sententiam responderunt: Se cum Protestantibus, aiunt, tanquam cum consanguineis, & affinitatis vinculo sibi iunctis Principibus egisse, atque id bono quidem & sincero affectu. Æquum fuisse, vt parerent Wormatiensi decreto, ne fidei dogmata tot seculorum consensione firmata, tot martyrum obligurta sanguine in dubium vocarent, obiecto conscientiæ fumo: cuius tamen nullam in eo rationem habuerint, quod diuortium fecerint ab Ecclesia Catholica, & nouas leges cõdiderint ab Apostolicis multum dissidentes, nouarumq; sectarũ autores introduxerint, per quos populus Christianus in factiones miserandum in modum distrahatur. Nihil se dixisse, nec dicturos porrò deinceps, offendendi vel minitandi animo; pericula tantum & incommoda proposuisse, quæ metuenda sint ex hoc dissidio, nisi Ordines ad pristinam concordiam in hoc Conuentu redigantur. Ad ipsorum grauamina quod attinet, Cęsarem principio confessionem ipsorum clementer audiuisse, cum recitaretur; oblatam etiam recepisse. imo monuisse eos, vt si quid haberent amplius, quod confessioni putarent adiungendum, id quoque proponerent; ne quid in hac deliberatione conqueri possent, intactum relinqui vel omissum. Permisisse præterea Cęsarem, vt hæc cum illis actio de concordia, per delectos Ordinum institueretur; itaque causam eos omnino nullam habere, cur vel literis indictionis non satisfactum, vel se non sufficienter auditos, aut inclementer habitos fuisse conquerantur.

LV. Iam vero Cæsarę scriptum illud, quod confici per Theologos, & in cõfessu Principum legi iusserit, nequaquam ipsis denegasse, sed communicare voluisse legendum, & maturius expendendum; verùm additis cõditionibus, quas ipsos nullo pacto decuerit recusare. Meminisse Protestantes sine dubio, quam contumeliosè tractarint ipsorum concionatores edictum Wormatiense, quibus hoc ipsum ludibriis affecerint, & quam indignis modis publice conculcarint: quæ certè cõtumelia in Cæsarem ipsum, & omnes Ordines Imperii redundarit. Iustè igitur causisse Cæsarem, ne scriptum hoc ante tempus veniret in istorum manus, qui omnia vertant in ludibrium; ne denuo Cæsaris honor atque existimatio, cuius ipsos Electores & Principes rationem inprimis habere deceat, petulantiæ leuissimorum hominum exponeretur. Neque vero ipsos ignorare, legibus quoque cautum esse sub pœna capitis, ne publicè adunatis turbis de fide disceptetur.

LVI. Ad conscientiam porro quod attineat, qua se causentur impediri, quò minus Cæsari morem gerant, veniam sibi dari petunt, si dicant, quod res sit. Timere cos hac parte, vbi nulla sit metus causa: contra, vbi habenda erat conscientiæ ratio, ibi prorsus eius iudicium contemni; vbi præpostere agere videantur. Iustum esse conscientiæ periculum, & grauamen in eo, quod se per Cõcionatores suos, homines priuatos, à nullo missos, abduci patiantur ab Ecclesia Catholica, à sancta maiorum fide, quæ non modo solidè fundata sit in Scripturis, sed & Sanctorum omnium, & Conciliorum authoritate roborata; quod discedant ab Imperii totius, & orbis Christiani consensu; quod credant hesternis illis doctoribus, qui nouas sibi leges fingant explicandę Scripturę, & antiquis Ecclesiæ sanctionibus antiquatis, nouas faciant constitutiones, atq; omnia pro suo arbitratu peruertant in multorum perniciem.

Horum vero scripta & dogmata cuiusmodi sint, & quam habeant soliditatem, vel ex eo satis manifestum esse, quod intestinis agitentur dissidiis, & omnia sint inter illos rixarum plena, dum frequentes mutent sententiam, & quod hodie ratum habeant, id cras rursus inficientur. ex qua multiplici dogmatum varietate ac discrepantia, tot enatæ sint hæreses, sectæ, & confusiones Anabaptistarum, Sacramentariorum, Iconomachorum, fratrum & sororum hortensium, aliarumque factionum & hæreseon, quas horrendum sit vel commemorare. Atque hos esse fructus, quos nouum hoc doctrinæ genus in Germania germinarit. Præterea vitam & mores eorundem Concionatorum, in oculis hominum atque conspectu versari. Quibus omnibus consideratis expendant secum, an id genus hominibus animas suas & conscientias tutò credant, qui fœdum illud hæreseon chaos, & morum turpitudinem inuexerint: an æquum sit, vt his fidei plus tribuant, quam vniuerso orbi Christiano, quam Cæsari, Electoribus, Principibus Sacri Imperii, qui sanguinis & affinitatis nexu sint illis coniuncti. Hæc si ad iustum reuocent examen, & diligenter apud animos suos expendant, proculdubio futurum vt sine mora se rursus ad Ecclesiam Catholicam adiungant.

LVII. Postremo, quod ad Concilium prouocent, eamque censeant proximam esse dissidii componendi viam, monendos sibi videri Protestantes, principio, quod annis proximis aliquot per Italiam & Germaniam is fuerit armorum strepitus, is terror ingruentis belli Turcici, vt Concilium hactenus, vel eam ob causam haberi non potuerit. deinde, quod Lutherus in Comitiis Wormatiensibus, cum in confessu Cæsaris & Principum ageret causam suam, Concilia proteruè reiecerit, eaque palam asseruerit frequenter errasse; nec vllis rationibus per delectos Ordinum adduci potuerit, vt doctrinam suam futuro Concilio iudicandam submitteret. Neque vero factum esse postea mitiorem, vel sententiam mutasse Lutherum; quemadmodum euidenter demonstrari possit, ex ipsius scriptis, in quibus autoritatem Conciliorum & decreta cõtemnat, neminem asserens, ad suscipiendas ipsorum definitiones obligari. Quorsum igitur nunc causam suspendant, obiecta mentione Concilii, cuius iudicium ex Lutheri sententia, postmodum ipsis integrum sit aspernari? Quamobrem cum hæc ita se habeant, rogare se perquam amanter, & summopere hortari, vt cũ Cæsare, cum Electoribus, cum cæteris Ordinibus denuò coalescant, seque rursus adiungant ad Ecclesiæ sanctæ communionem, à qua diuortium fecerint, & scripto nuper mandatu Cæsaris perlecto, quod in Verbo Dei solidè sit fundatum, vnà cum reliquis Ordinibus acquiescât. Quam ad rem si necesse habeant, hoc ipsum scriptum diligentius euoluere, Cæsarem illud haud grauatè cõmunicaturum, ea conditione tamen, quæ nuper adiecta fuerit. Si vero scriptum illud hac lege recipere prorsus renuant, ne tamen vllum habeant tergiuersandi causam, articulos illos, qui forte sint adhuc in controuersia, toties illis prælegendos, quoties vsus & necessitas postulârit. Quod si nec illa conditio placeat, rogare delectos, vt Protestantes ipsi viam proponant ac media, per quæ sopiri luctuosum hoc religionis dissidium, & Ordines ad pristinam animorum consensionem redigi posse arbitrentur. Hæc Ioachimus Elector Brandeburgicus, communi Principum delectorum nomine. Ad quæ Protestantes, habita consultatione, per Georgium Pontanum respondent.

LVIII. Se quidem à Principibus delectis, tam acerbum & vehementem admonitionem non expectasse. Quod hactenus nihil effectum sit, & tractatio hæc sine fructu abierit, id sibi nequaquam, sed ipsis arbitris potius imputandum, quorum actiones & consilia huc tantum spectarint, vt ipsos Protestantes abducerent à doctrina, quam confessi sint in confessu Principum, & ad scriptum illud amplectendum permouerêt, quod nuper, iussu Cæsaris, in conuetu sit recitatum. Hoc

vnum

vnum vt persuaderent, argumentis quibusdam vsos, quæ nõ valeant, neque robur habeant ad efficiendum hoc, quod ipsi vrgerent. Acerbissimum se dolorem ex eo percipere dicunt, q̃ defectionis accusentur ab Ecclesia Catholica; cũ doctrinam profiteatur sacris literis, & Ecclesiæ Catholicæ dogmatibus omnino conformẽ; quemadmodũ se demonstraturos promittũt. Edictum Wormat. nunquam à se quidẽ ludibrio habitũ vel derisum: dolenter laturos, si hoc factum sit à quoquam. Itaq; propter hanc causam scriptum Cęsareum sibi nõ fuisse denegandũ; nec æquum esse, vt ipsi culpam sustineant, vel inuidiã factialieni. Quod vero ad cõscientias suas spectet, eas non Concionatorũ personis inniti, sed Dei verbo. Huic si quid doceatur aut fiat contrarium, id onerosum esse conscientiis suis; quibus omnium maxime molestum fore dicũt & graue, si vel vnum fidei articulum sacræ Scripturæ, vel Patrum Catholicorum Ioannes Eckius breue quoddam scriptum cõfecit, in quo de singulis Confessionis articulis, quid concedi posset, quid non posset, tum quomodo conciliandi essent articuli controuersi, dilucidè, succinctèque notauit. Eandem operam suis præstitit Melanchthon. His præmissis, ad decimum sextum Augusti diem, hora secunda pomeridiana, in Exedra quadam Prætorii ad collationem ventum est. Catholicorum Doctor, nomine Vehus Badensis Cancellarius; Lutheranorum vero Georgius Pontanus verba fecit. Principio per delectos Ordinum moniti fuerunt alterius partis collocutores, amicam institui collationem, in qua modestię habenda fit ratio, & à contentiosis disputationibus abstinendum: deinde nihil concludendum, aut definiendum in præiudicium partis alterius, sed omnia prius ad Ordines Imperii, tum porro ad Cæsarem ipsum referenda: nihil quoque tractandum in hac actione, quod vel aduersarios Catholicæ fidei (à qua Protestantes dixerant se non defecisse) vel ad pacem perturbandam spectet; Præterea acquiescendum responsioni Cæsaris in Scripturis fundatæ, quam ille iusserit in confessu Principum recitari. Demum acta huius collationis non diuulganda, nec communicanda cuiquam, nisi iis, quorum interfit. Placuerunt hæc vtcunque Lutheranis; quanquam rursus de negato sibi per Cæsarem scripto submurmurarunt.

LIX. Postmodũ de re ipsa tractari cœptum est in hunc fere modum. Proposita fuit in medium ipsa Protestantium Confessio, in qua tanquam cardine quodam actio verteretur. Ea vero diuisa est in duas partes; quarum prior continet articulos dogmaticos vnum & viginti, quibus summa doctrinæ comprehenditur. In altera vero septem capita recensentur sub abusuum titulo, quos se Protestantes dicunt sustulisse. Actum fuit de prima Confessionis parte biduo priore, & magno quidem delectorum studio, eoque res perducta, vt articuli quindecim conciliati viderentur. Ad sex reliquos quod attinet, ii pro media parte manserunt in controuersia, in quibus nulla conciliandi ratio potuit inueniri. Hi sunt; de partibus pœnitentiæ, de fide & operibus, de cultu Sanctorum. Cæteri vero tres, de Confessione, de Ordine Ecclesiastico, de ritibus Ecclesiasticis, ad posteriorem Confessionis partem relecti sunt; in qua recensentur abusus, vt ipsi loquũtur, quos se dicunt in Ecclesiis suis abrogasse. De iis decimo octauo Augusti inter collocutores agi cœptum est. Hic vero acris exorta fuit, & diuturna conflictatio, neque de vllo fere abusuum capite in eandem sententiam prorsus coire potuerunt. De septimo quidem, quod posterioris partis vltimum caput est, prope fuit, vt in Catholicorum sententiam venirent Lutherani, & Episcopis iurisdictionem Ecclesiasticam restitueret; quam in parte Melanchthon præreliquis vehementer propendebat. Sed Lutherus, importunitate sua postmodum turbauit omnia, & cõsilium Melanchthonis impediuit. Totam vero rei gestæ seriem, qui nimirũ articuli conciliati sint in hoc congressu, qui non sint, delecti Catholicorum ad Electores, Principes, & Ordines breui scripto retulerũt, quod in confessu publice recitatum fuit 22. Augusti. Flagrabant magnopere concordiæ desiderio Principes Catholici. Itaq; scripto perlecto, rem denuo placuit experiri; si forsan in reliquis etiam capitibus, de quibus septem collocutores cõuenire nõ potuerunt, aliqua sese conciliandi ratio tandem offeret. Vt autem expeditior esset agendi modus, collocutorũ numerus denuo in arctum contractus fuit, & è septenis terni tantum delecti sunt, qui denuo fortunam periclitarentur. E Catholicis, Eckius cum duobus Iurisconsultis; Melanchthon vero cum totidem Lutheranis. Hi frequenter quidẽ conuenerũt à 24. Augusti vsq; ad finem mensis; sed frustra fuerunt conatus omnes, & tempus disceptando transactum est. Nec quicquam fere nouum in hoc paucorũ congressu de controuersis capitibus allatum est, quod non antea fuit per septenos illos discussum; vt crambe recocta rursus apponi videretur. Cæterum, vt in vtraque actione tam rigidi essent Lutherani, vnus fecit Lutherus, qui suis per literas mandare non destitit. ne quicquam aduersariis concederent, sed missa actione, domum redirent. Actum fuit de communione sub altera vel vtraque specie; de Missa, de Canone, de coniugio Sacerdotũ, de Monasteriis, votisq; Monasticis, de iurisdictione Episcopis restituenda. De quo capite postremo, Melanchthon solus ferre, quanquam Luthero non ignorante Catholicis assensus est; plura concessurus, pacis studio, nisi consilia ipsius importunis quorundam vociferationibus, & pertinacia Lutheri turbata fuissent, atque impedita: qua de re paulo post inferius dicemus.

LX. Interim & hæc collatio vnà cum Augusto mense tandem exitum habuit; & huiusmodi quidẽ exitum, qualẽ Lutherus aliiq; nõnulli semper optarũt, quibus foueri potius augeriq; q̃ dirimi motas cõtrouersias in votis erat. Itaq; hoc agebant summo studio, vt & hic vltimus paucorũ cõgressus sine fructu dissolueretur. Cæsar, vbi frustra de cõciliatione laboratũ intellexit, ad 7. Septembris, circa meridiẽ, Principes Catholicos omnes ad palatium suum cõuocat; & quia Lutheranorum summa durities, atq; pertinacia, conceptam de sopiendis controuersiis spem eluserit; quid porro ad turbas in Imperio sedandas facto sit opus, cum his deliberat. In hac consultatione hortãtur Principes Cæsarẽ, vt de remediis opportunis cogitet, huic malo adhibẽdis. Interim se pollicentur adhæsuros illi summa fide, vti obedientes & Catholicos Imperii Principes deceat & pro tuenda, quam à maiotibus acceperint sanctissima religione, si res ita postulet, facultates suas omnes imò & corpus, & sanguinem subentibus animis impensuros. Idem se facturum & Cæsar illis vicissim promittit: & regnã sua cum dominiis omnibus; quæ Deus dederit, ad vindicandum diuini nominis honorẽ, in hanc causam se collocaturũ pollicetur. Deinde post horas duas, dimisso iam Catholicorũ Ordinũ Senatu, Saxonẽ cum sociis adesse iubet, iisq; Ferdinando fratre tantũ, aliisq; nõnullis præsentibus, per Fridericum Palatinum exponit: quã clementer eos & benigne post

exhi-

exhibitam confessionem admonuerit, vt ad publicum Christiani orbis consensum & Ecclesiæ communionem, à quo secessionem fecerint, iamque nouam doctrinæ genus inducere machinentur, sese rursus adiungerent. Quanquam vero cohortatione huic non dederint locum; quod sane præter expectationem suam acciderit, permisisse tamen se, ad Principum intercessionem, vt delecti quidam institutа tractatione, de pacis conciliandæ mediis cogitarent. intelligere vero nunc, non sine graui & molesto animi dolore, frustra tentatam esse concordiam; & quam ipse cum Catholicis Ordinibus de noua hac paucorum actione spem conceperit, eam ipsorum pertinacia penitus esse delusam. Inopinatum hoc sibi accidere, quod ipsi, qui pauciores sint, ab Ecclesia Catholica diuulsi, contra totius orbi Christiani, cæterorumq; Principum consensum obtrudere machinentur. Quia vero Concilium vrgeant, atque interea temporis, dum id conuocetur, pacem sibi dari petant decreto publico, idaturum se operam, vt Concilium, quamprimum indicatur: pacem quoque concessurum, hac lege tamen, vt ne resiliant ab iis, quæ confessione partis vtriusque conciliata sunt; vt restituant veteris Ecclesiæ ritus, quos abrogarint, & motas de iis controuersias, futuro Concilio decidendas submittant: vt Ecclesiastica bona restituant, quæ Principes & Ciuitates per iniuriam occuparint: administranda deinceps vsque ad Concilii definitionem à viris idoneis, quos Cæsar ad eam rem sit designaturus; vt interim, dum omnia per Concilium definiantur, pacificè viuant, & quietè; nec permittant, vt vel scripto, vel viua voce quisquam de controuersiis disceptationem instituat.

LXI. Ad hæc Protestantes respondent, se nec inuexisse nouum doctrinæ genus, quod S. etæ nomen mereatur, nec vnquam ab Ecclesia Christiana defecisse. Quod vero Concilii spem Cæsar faciat, id se perlubentes intellexisse; rogare autem vt iuxta decretum Spirense, pium, liberum ac Christianum in Germania Concilium indicatur. Cæterum, quod antiquatos veteris Ecclesiæ ritus, & bona quædam Ecclesiastica restituere iubeantur, id sibi, dicunt, per conscientiam non licere. Cæsar, habita deliberatione, per Georgium Trucessiũ, se diligenter, ait, acta delectorum vtriusque partis euoluisse, atque ex iis deprehendere satis, quod à communi Ecclesiæ Catholicæ doctrina multum dissideant. Mirari vero admodum, quod cum in actione delecti Catholicorum multa concesserint, ipsi tam obstinatè conceptis opinionibus adhærescant; tum quod prouocent ad Spirense decretum, cum cõtra idipsum publicè sint protestati, imo ab eo appellarint: quanquam irrita sit huiusmodi appellatio. Quod si ferre deinceps actionẽ possint, se nihil reliqui facturum ad summam diligentiam, vt oportuna pacis & concordiæ conciliandæ media tandem inueniantur. Velle, vt super hac re mentem suam ingenuè disertéque declarent. Et quia nunc sit seriùs (erat enim fere medium nonæ) largiri sibi deliberandi spatium, ait, in diem sequentem. atq; ita tum quidem discessum est. Postridiè, cum Protestantes ad respondendum essent parati, deliberandi tempus, mandatu Cæsaris, vno die prorogatum fuit. Itaque nono Septembris ad horam octauam responsum, quod pridiè scripto conceperant, in hanc sententiam dederunt. Principio repetunt, quod toties inculcarant, se nunquam vel ad momentum temporis à consensu orbis Christiani secessionem fecisse; quam rem in Synodo generali se dicunt abundè demõstraturos Ad decretum Spirense quod spectet, id se non totum improbasse, sed eam modo partem, quæ pugnet cum Euangelio; à qua sibi necessariò fuit appellandum. Cum vero mirum Cæsari videatur, quod delecti Catholicorum tam multa concesserint, non difficulter ex eo colligi posse, qua mente sit: nimirũ, quod porrò deinceps nihil concedendum iudicet. Et quia ipsi quoque decretum habeant, in controuersiis articulis nihil amplius largiri, frustra fore deinceps actionem de concordia, ex qua præter molestiam & fastidium nihil expectandum videatur. De pace vero politica, vel de induciis vsque ad Concilium, si suscipienda sit tractatio, non se recusare, quin in commune consilia sua cum reliquis Ordinibus conferant. Interim sese ad eum modum facturos omnia, vt non dubitent, quin in Concilio futuro, Deo, Cæsariq; reddere possint actionum suarum rationem.

Cæsar, audita Protestantium responsione, deliberandum censuit. Itaque dimisit eos, hortatus inprimis Saxonem, qui caput erat istius factionis, ne negotio non plane confecto discederet. Post Georgius Trucessius, & Cancellarius Badensis, mandatu Cæsaris, quasdam concipiunt pacis conditiones vsque ad futurum Concilium, quarum hæc erat summa; Vt articuli doctrinæ conciliati, per delectos vtriusq; partis, subscribantur; controuersi vero ab iisdem notentur, futuro Concilio submittendi. Vt monasteria, in quibus nihil mutatum est hactenus, relinquantur in statu suo; de cæteris vero Cæsar disponat. Vt publicæ priuatæque Missæ peragantur, more consueto, non omisso Canone. Vt qui Catholico ritu à maioribus accepto, diuinum cultum peragunt, iis nec impedimentum obiiciant, nec inferant molestias. Ad communionem quod attinet, & coniugium Sacerdotum, vt Saxo cæteriq; Protestantes id ratum habeant, quod à Concilio definitum fuerit, & à Cæsare comprobatum. Vt Protestantes nihil deinceps mutẽt in religione, nec quemquam è suis aliorumue subditis ad opiniones suas, & causæ consortium pertrahere conentur. Demum, vt in aliis rebus omnibus, vnà cum reliquis Ordinibus Cæsari morem gerant & obtemperent, eique cum Catholicis Principibus assistant, vt Anabaptistarum & Sacramentariorum sectæ extirpentur. Hæc capita cum per Trucesium & Vchum Cancellarium Badensem Protestantibus essent proposita, cœptum est denuo disceptari. Illi enim diuerticula quærebant more suo; nec vlla potuit inueniri tanta moderatio, quæ Saxoni, coniunctisque Principibus placeret. Pendebant enim, vti diximus, in solidum à consiliis Lutheri, qui ex Coburgensi latibulo (quod Eremum suam vocabat) velut ex insidiis omnia pacis consilia turbare videbatur. Itaq; Cæsar pertæsus diuturnæ actionis & pertinaciæ Lutheranorum, finem tandem huic consultationi censuit imponendum: Delecti sunt igitur ex Ordinum Senatu, Archiepiscopus Moguntinus Cancellarius Imperii per Germaniam, aliique nonnulli Principes vtriusque Ordinis, qui Decretum in causa religionis, Cæsaris & Ordinum nomine publicandum conciperent. Quod vbi factum est, decretum istud 22. Septembris in consessu Principum, Saxoni, cæterisque Protestantibus, mandatu Cæsaris propositum fuit, & de scripto recitatum, cuius hæc erat sententia:

LXII.

Cæsarem indixisse Conuentum hunc Augustanũ ad octauum diem Aprilis, vt in eo de negotiis Imperii grauissimis, inprimis de componendo per Germaniam religionis dissidio consultaretur. Vbi conuenerint Principes & Ordines, eorumque Legati, factam Protestantibus, Electori Saxoniæ, coniunctisque Principibus, & ciuitatum Legatis, potestatem, vt mentem suam explicarent de religione, & fidei confessionem scripto comprehensam exhiberent. Cæsarem vero hanc ipsorum confessionem clementer audiuisse in consessu Principum, eandemque mature & prudenter expendisse, & solide confutasse per Theologos suos, oppositis sacræ Scripturæ firmissimis testimoniis, aliisque rationibus indubitatis, quæ euerti non possint. Tentatum postea fuisse primum per arbitros quosdam Electores, & Principes ab Ordinibus delectos, deinde septenos, demum per ternos vtriusque partis collocutores, an sublata voluntatum discrepantia dissidium hoc religionis componi posset; eoque ventum, tandem in actione, vt Protestantes de quibusdam articulis cum Cæsare, cæterisque Principibus & Ordinibus Catholicis in eandem sententiam coaluerint. Ad reliquos quod spectet, qui nondum sint conciliati, Cæsarem, publicæ salutis & tranquillitatis gratia, pro benigno suo in Protestantes affectu, deliberandi spatium illis largiri vsque ad decimum quintũ Aprilis diem anni sequentis proximi; nimirum, vt interea temporis communicatis inter se consiliis, omnia mature secum & diligenter expendant, statuantque, num in iis quoque capitibus, quæ nondum conciliata sint, cum Pontifice, cum Cæsare, cum cæteris Ordinibus, cum Ecclesia vniuersa, cum reliquis etiam Christiani nominis gentibus & Prouinciis, ad eandem fidei professionem redire velint, nec ne? Velle autem Cæsarem, vt hac de re sententiam suam ante decimum quintum Aprilis diem liquido declarent, idque scripto, quod singulorum sigillo confirmatum sit; vtque interim de religione nihil nouum in ditionibus suis excudi typis, aut in vulgus spargi, distrahere patiantur. Velle præterea, & serio mandare Cæsarem, vt hoc tempore ad deliberandum illis concesso, pacẽ in Imperio colant omnes; vt Protestantes nec interea quicquam; nec quemquam è subditis Catholicorum Ordinum ad sectam suam pellicant, aut cogant, quemadmodum hactenus factum sit, vt suarum dictionum Catholicos, ac religiosos in peragendo diuino cultu, & Sacramentis,

mentis, Catholico ritu participandis, nequaquam impedirent; vt sese coniungant cum Catholicis Ordinibus, contra Sacramentarios & Anabaptistas, & ad coercendos hoc genus Sectarios operam auxiliumq; conferant: Demum quia longo iam tempore habitum non sit Oecumenicum Concilium, & multa sint in vtroq; ordine, Ecclesiastico nimirũ & ciuili, quæ requirãt emendationẽ, Cæsarem de consilio Catholicorũ Ordinum apud Pontificem, aliosq; Reges Christiani nominis laboraturum, vt antequam semestre tempus, solutis huc Comitiis effluat, indicatur generale Concilium, & postmodum intra vnius anni spatium inchoetur. Sperare prorsus, futurum, vt hac ratione pax orbi Christiano, & pristina tranquillitas in vtroque Ordine restituatur.

LXIII. Protestantes, cõmunicatis inter se consiliis, per Pontanum inprimis gratias agunt Cæsari, q̃ dissidiis amica cõpositione sopiendis admouerit manum, & doctrinæ suæ Confessionẽ clemẽter audierit. q̃ autem in decreto narratũ sit, eam firmis S. Scripturæ testimoniis esse cõfutatã, id se nec agnoscere, nec fateri: cum doctrinã suã in sacris literis fundatã esse pẽ̃suasum habeant. Itaq; nec abiicere eam posse, illæsa conscientia, nec alios ad eam amplectendam non inuitare. Interim neminẽ se quidẽ coegisse hactenus, vt eam inuitus susciperet; nec id facturos deinceps. Cæterum non dubitare se dicunt, quin & Cæsar intelligat immotam adhuc consistere, quam ipsi exhibuerint fidei confessionem, si eiusdem Apologiam legere voluerit; in qua responsum sit ad rationes confutationi insertas, quas inter prælegendum obseruare potuerint. Hæc cum prolocutus esset Pontanus, simul Apologiam Confessionis, vti tum à Melanchthone scripta fuit, Friderico Palatino tradit Cæsari porrigendam; quã ille, cum accipere Cæsar simpliciter abnueret, Pontano restituit. Is porro sermonẽ prosecutus, ad reliqua respondet Protestantiũ nomine, quos ait, nec sectis vllis addictos esse, nec alium in hac causa, quam Deum ductorem sequi. Ad Anabaptistas autem & Sacramẽtarios quod attinet, eos nequaquam in Protestantium ditionibus hactenus fuisse toleratos; imo in Anabaptistas seuere animaduersum, inflictis pœnis. Quo factum sit, vt isthic quidem hoc genus hæreses inuenire locum, aut radices agere nequiuerint. Cum vero negotium hoc valde sit arduũ, magniq; momenti, q̃ accuratam cõsultationem postulet, rogare Protestantes, vt exemplum decreti Cæsar sibi cõmunicet, vnaq; tempus ad deliberandũ concedat, vsq; ad 15. Aprilis. Interea se, quid suæ mentis sit, habito inter se cõsilio significaturos.

LXIV. Cæsar perpetuis tergiuersationibus offensus, in diem sequentem deliberandum censuit. Fuit is 23. Septembris; quo die Ioachimus Brandeburgicus, in consessu Principum, ad ea quę pridie nomine Protestantium proposita fuerant, in hanc fere sententiam respondit: Cæsarem mirari vehementer, q̃ machinationes suas ad Deum velut auctorem referãt, & doctrinam q̃ profiteantur, sacrarum literarũ fundamentis niti, tam confidenter asserant; cum non modo pridem manifestis Scripturæ testimoniis confutata sit, sed & per Concilia superiorum temporum hæreseos, atq; impietatis damnata: vt ipsi nunc resuscitare videãtur errores pristinos, quos superioribus seculis, Orthodoxi patres, anathemate damnatos ad inferos detruserunt. Mirũ porro Cæsari non iniuria videri, & illud q̃ q̃ ipse Cæsar, tũ Electores & Principes Catholici, à maioribus acceptã profiteantur religionẽ, eam ipsi Protestantes erroris, falsitatis, & hæreseos insimulẽt. Quod si talis illa sit, negari nõ posse, quin Cæsaris, Electorum & Principum, adeoque ipsius Saxonis laudatissimi parẽtes, ac maiores in vniuersum omnes q̃ veram hanc Orthodoxã, & in verbo Dei fundatã religionẽ professi sunt, eamq; ad posteros propagarunt, q̃ hæreticis habendi veniant. Quod cum absurdum sit & impium, Cæsarem concedere nullo modo posse, vt Electoris & soeiorum noua fidei confessio, in contumeliam auitæ religionis, Euangelicæ doctrinæ fundamẽtis niti dicatur. Hortari vero ac postulare, Cæsarẽ, vt decretũ hoc, q̃ magno pacis ac tranquillitatis studio, in hunc modũ confici mandarit, vnà cum reliquis Ordinibus suscipiant, comprobentq;. Quod si difficiles ea in re se præbeant, reputẽt apud animos suos, quanta malorum seges ex eo prouentura sit, quot nascitura incommoda; de quibus Electori Saxoniæ, eiusq; sociis ad Tribunal supremi iudicis ratio sit aliquando reddenda. Iam vero nullo Scripturæ vel Euangelii testimonio probari posse, quod aliena per iniuriã rapere liceat violenta manu, & postea causari conscientiam, cum restitutio postulatur. Quod porro ad responsionẽ ipsorum, vel Apologiam spectet, potuisse eos isti labori parcere; cum Cæsar ab initio protestatus sit, se disceptationem de dogmatibus fidei, contra leges non ingressurum; ideoque scriptum illud non immeritò fuisse repudiatum. Multum ipsorum interesse priuatim, imo & Reipublicæ, & Imperii totius, vt ratum habeant decretum, & Cæsari tandem obtemperent. Quod si faciant, id pergratum Cæsari, & reliquis Principibus futurum: Sin vero pergant, vti cœperint, tergiuersari, Electores, Principes & Ordines Catholicos in hac causa Cæsari non defuturos, quin vnà cum ipso, pro religione Catholica, quam à piis maioribus per manus traditam acceperint, seipsos, corpora, fortunas, adeoque vitam & sanguinem impendant; quemadmodũ & Cæsar ipse vicissim promiserit, se, quicquid habeat virium & potentiæ, collaturũ in hanc causam; & iam quidem ex Imperii finibus non discessurũ, priusq. quam pacem & concordiam Germaniæ restitutam videat.

LXV. Hæc vbi mandatu Cæsaris & Ordinũ, per Electorẽ Brandeburgicum grauiter & seriò proposita fuerũt, Protestantes, re prius separatim deliberata, nihil aliud fere respondent, quã q̃ iam ante frequenter ad nauseam inculcarant, Confessioni suam adeo firmam esse ac stabilẽ, vt nec per inferorum portas sit euertenda: petunt denuò, vt Cæsar Apologiam eiusdẽ Confessionis in consessu recitari patiatur; decreto dicunt se per conscientiam assentiri non posse: rursus tamen petunt eius exemplum. Aliena rapere, fatentur, illicitum esse; à quo crimine Elector se prorsus immunẽ iudicet. Quod si de Monasteriis eorumq; facultatibus intelligatur; alias esse responsum ad querelas Ecclesiasticorum, Abbatumq;. Ita se deinceps actũros, quod sanctè polliceantur vsq; ad Concilii tempus, vt omnes intelligant, nihil à se factũ in hoc genere, cuius in futuro Concilio, & corã ipso Cæsare non possint reddere rationem. Quod autẽ Cæsar, Electores & Principes sese coniunxerint, & in hac causa vitã, sanguinem, fortunas, & quicquid habeant virium; contra se parati sint impendere, huic rei nullam sẽ causam dedisse: Rogare demum, ne Cæsar huiusmodi promissis, ad inclementiam se permoueri patiatur.

LXVI. His per Pontanum propositis, secesserunt. Cumque res in consessu deliberata esset, Brandeburgicus Elector, Ordinum nomine, tandem respondet in hanc sententiam. Quod de Confessionis suæ firmitate glorientur, id perpetuò simplici inficiatione, velut alienum à veritate reiici. Cæsarẽ quoque solicitum esse de salute sua, & habere cõscientiam, quam adeo sanctè tueatur, vt multò minus ab Ecclesia Catholica, & sanctissima maiorum fide discessurus sit, quam à Confessione sua Protestãtes. In decreto nihil prorsus esse mutandũ. Quod si Saxo cum sociis ratum habere velit & recipere, id illi nunc integrum esse. Sin minus, Cæsarem inhærere priori responso; cui hoc vnum iusserit adiungi, se, Comitiis peractis, cum Electoribus, Principibus & Ordinibus reliquis deliberaturum, quibus rationibus concordia demum, & quies pristina Germaniæ restituatur. Adhibiturum quoque in cõsilium, Pontificem, aliosque Reges & Principes Christiani nominis, eorumque sententiam exquisiturum, quid sibi tandem Imperatori Christiano, & Ecclesiæ defensori faciẽdum sit ex officio, vt conseruetur sancta maiorũ & Orthodoxa fides, & hæreses extirpentur, quæ contra eam sint exortæ. Ad Protestantes q̃ spectet, eos non esse tam innocentes, aut immunes à culpa, quã verbis præ se ferãt. Habere Cæsarẽ, Principes & Ordines Catholicos grauissimã de ipsis conquerendi causam; q̃ ipsorum Concionatores magnam occasionẽ dederint bello rusticano, in quo ad centum hominũ millia perierint: q̃ in Pontificem, in Cæsarẽ, in Electores & Principes multa cõtumeliose, petulãter & q̃ peruè dixerint, fecerintq;; q̃ b. existimatio & dignitas eorũ grauiter læsa sit, & diminuta: ideoq; dici non posse, q̃ nullam omnino cuiquã dederint offensionis causam. Mandare demum illis Cæsarẽ, & seriò q̃ẽ, ac prorsus velle, vt quos eiecerint & bonis suis spoliarint Abbates & Monachos in locũ & pristinum dignitatẽ restituãt.

LXVII. Ad hæc Protestantes, interposita cõsultatione respondẽt; Quia nec decretum impetrare possint, nec iustũ deliberandi tempus, nõ esse dicunt, quod amplius interpellent Cæsarem, cui præscribere, quid agat, ipsi quidem non possint. Itaque finem imponunt huic actioni, causamque hanc vniuersam Deo committunt. Deinde se suaque omnia Cæsari commendant, vnaque rogant, ne se patiatur grauius concitari;

Demum petita abeundi venia, Saxo cum omni comitatu suo, quem satis magnum habebat, eodem die, Augusta discessit, relictis consiliariis, qui finem Comitiorum expectarent

LXVIII. Hunc exitum habuit operosa illa de religione tractatio, quæ tempore Comitiorum Augustæ hoc anno 1530. instituta fuit, occasione confessionis Protestantium. Fuerat autem Melanchthonis consilium ante omnia, vt hæc confessio non Principum & ciuitatum, sed concionatorum nomine in Comitio proponeretur. Id magis iudicabat decere; quandoquidem religionis, doctrinæque professendæ curam, & officium ad Ecclesiæ ministros potius aut Theologos pertinere, quam ad Principes & politicos vrbium Magistratus arbitrabatur. Veruntamen hoc non potuit obtineri; tum quod futurum existimaretur, vt Principum nomen auctoritatem atque splendorem huic actioni conciliaret: tum vero, quod Principes & Magistratus supremam Ecclesiæ curam, & potestatem constituendæ religionis, per concionatores suos concessam, vsurpatamq; hactenus, cripi sibi nollent. Quanquam autem Lutherus Augustam non venisset, causa tamen hæc religionis, quæ istic agitata est, non tam Principum erat Confessionem offerentium, quam ipsius Lutheri; qui cum ad Comitia accedere non auderet, alios submisit erroribus suis imbutos, per quos absens fabulam hanc in Augustano theatro perageret. Atque hi vélut ex præscripto fecerunt omnia, nec quicquam vllis de rebus statuerunt, quod nõ prius esset Lutheri calculo probatum: vt Cæsar & Catholici Principes, reuera non cum Saxone, cum Principibus illis coniunctis, cum Melanchthone, Brentio, cæteriſq; Lutherani Consistorii Synedris, sed cum vno Luthero agere viderentur; à quo rerum omnium momẽta, velut ab oraculo cœlesti quodam, insolidum pendebant. Vnde Mathesius, Lutherum in hac actione cum Moyse comparat, cui velut nouo Legislatori ac Prophetæ, Melanchthonem lingua calamoq; promptum, velut Aaronem diuinitus adiunctum, ait, vt esset os illius & orator; vtque illum vicissim Melanchthon Prophetam haberet, & Principem in iis, quæ ad Deum pertinent, cuius verbum eos dicit coram Pharaone (sic Carolum V. appellat Principem mitissimum ac religiosissimum, os impudens) audacter prælocutos. Reliquos vero tres, Ionam, Spalatinum, Islebium, Moysi huic & Aaroni, velut Hur, Iosuam & Caleb, ad opus Dei promouendum & perurgendum adiunctos fuisse.

LXIX. Cæterum Melanchthon, quanquam tantus ac talis, scilicet os Lutheri esset, ab initio Comitiorum, inprimis vero sub illud tempus, quo Confessio Protestantium ab ipso scripta, Cæsari oblata est, tristis admodum fuit, adeoque consternatus, forsan accusante & vrgente conscientia, vt ingentem animi mœrorem assiduis pene lachrymis, & mœstis sermonibus inter suos testatum faceret. Qua de re Ionas Lutherum non semel per literas admonuit, rogans admodum, vt Melanchthonem animo deiectum, datis frequenter literis erigat; cuius maiorem esse tristitiam scribit, quam vt sociorum consolationibus sustentari possit. Nec ipse Melanchthon hanc animi perturbationem ad Lutherum dissimulauit, vt litteræ quædam testantur, quas id temporis scripsit; Adhuc, *inquit*, is status fuit rerum nostrarum, vt magnam partem in lachrymis hic cõsumpserimus. Hæc Melanchthon 26. Iunii, cum pridie oblata esset Protestantium Confessio. Paulò post mense Iulio ad Lutherum scribens, epistolam his verbis orditur; Versamur hic in miserrimis curis, & plane perpetuis lachrymis. Quin & exemplo suo deiecit aliorum animos, Brentii cumprimis, quem plorando & ipsum plorantem fecit, vt epistola testatur, quam vicesimo quinto Iunii scriptam in hunc modum concludit. Brentius assidebat hæc scribenti, & quidem lachrymans. Is iubet tibi asscribi salutem. Fecit autem Lutherus, quod Ionas monuit, & Melanchthonem frequentioribus literis erigere conatus est. Sed surdo narrauit fabulam, quemadmodum in epistola quadam 30. Iunii scripta, velut expostulabundus eidem obiicit.

LXX. Hunc vero summum animi dolorem, & admirabilem tristitiam verisimile est non aliunde, quam ex difficili lucta cõscientiæ prouenisse. Videbat siquidem, quo zelo ferueret Catholicæ religionis Cæsar piissimus, & quanto sopiendi huius incendii desiderio accensus esset. Nouerat contra summam Lutheri pertinaciam & obstinationem, quem sciebat eo ingenio esse, vt Catholicis nihil prorsus concedendum existimaret. Iam vero, si fœdus hoc religionis dissidium in his Comitiis non componeretur, tristes videbat procellas, & ingentem rerum omnium perturbationem imminere. Hinc ille tantus anger, & insignis perplexitas Melanchthonis animum occupauit; quam proculdubio non parum anxit cogitatio de mediis componendi dissidii; cum ipse testimonio conscientiæ victus, priusquam ventum est ad actionem de conciliandis dogmatibus, pacis studio Catholicis aliquantò plus cõcedendum iudicaret, quam socios & Lutherum velle nouerat. Vnde in collegio vel Synedrio Lutheranorum exorta fuit contentio, reliquis facilitatem eius & mollitiem improbantibus. Qua de re Ionas Lutherum secretò velut in aurem admonuit, cum historiam oblatæ confessionis perscriberet. D. Philippus, *inquit*, optimo animo in hac causa caute & pedetentim ambulat, & quamplurima cupit post habere publicæ paci. Et proxime de imperio & iurisdictione Episcoporum rixati sumus: quod apud te sic susurro. Hæc Ionas ad Lutherum sub finem Iunii, confessione iam oblata, cum in Consistorio Lutheranorum deliberaretur, quibus in rebus cedendum esset Catholicis, quibus non esset cedendum. Ibi Melanchthon Episcopis iurisdictionem censuit restituendam, & alia quædam pacis studio concedenda: quod cum cæteris vehementer displiceret, orta est, quam diximus, inter Lutheranos contentio. Neque vero cessit Melanchthon, sed in sententia perstitit immotus, quod quidem ad iurisdictionem attinet, vt nunc nunc dicemus. Atque ea res, mense Iulio, frequentioribus in consultatione rixis occasionem dedisse videtur. Quod cum Luthero innotuisset, literas ad Melanchthonem exaratas 3. Augusti, quibus ad quæstionem quandam respondet, de traditionibus, hoc sarcasmo claudit; Noua hic nulla, nisi quod Augustæ Cæsari noua domus ædificatur, vt multis annis in Germania cõmoretur. Deinde, quod sint inter nostros Augustæ, Philippum, Ionam, & totum Collegium magnæ turbæ. Vale ex eremo.

LXXI. Post, vbi ventum ad colloquium, in quo de conciliandis dogmatibus inter delectos vtriusque partis actum fuit, Melanchthon conscientiæ genioque sui ductum secutus, autoritatem in Sacerdotes & Ecclesiæ ministros, adeoque iurisdictionem Ecclesiasticam Episcopis omnino restituendam iudicauit. Qua de re in scripto quodam à delectis Lutheranorum, ad 20. Augusti Catholicis oblato, hæc verba leguntur: *Semper iurisdictionem & potestatem Episcopalem, pro nostra parte conseruare studemus; manifestis tamen abusibus non probatis. Curabitur autem, vt debita obedientia Episcopis exhibeatur & cõseruetur; nempe, vt Parochi & Prædicatores nostri Ordinariis locorum præsentur. Item, si presbyter excessum reprehensione dignum admiserit, eum ordinario, vi Episcopalis potestatis, sine vllo impedimento corrigere licebit. Item Ecclesiastica iurisdictio Episcoporum, in causis, quæ ad forum Ecclesiasticum pertinent, non impedietur. Item Episcopalis excommunicatio, in causis ad Ecclesiasticam iurisdictionem pertinentibus non impedietur, si iuxta sacram Scripturam exerceatur.* Hæc Melanchthon, in responsione ad media concordiæ per Catholicos proposita. Fluctuabat & in aliis quibusdam capitibus, velut Catholicis assensurus; præsertim cum de Missa priuata, de canone, de communione alterius speciei, de veritate corporis & sanguinis Christi in Eucharistia, manentibus tantum speciebus, non vero substantia panis & vini, de confessione delictorum, de cœlibatu, de votis, de cærimoniis Ecclesiasticis disceptaretur; quanquam Lutherum nouerat iis de rebus nihil concessurum. Consenserat ille quidem in hanc Ecclesiastici iuris restitutionem, quemadmodum Melanchthon in literis ad Camerarium scribit, & ad Hieronymum Ebnerum, Reipub. Norimbergensis Consulem. At postea, cum omnes in ipsum Concionatores insurgerent, resiliit ab instituto, atque omnia pacis consilia turbauit. Melanchthon vero, quod in hoc genere semel largitus erat, non reuocauit; tametsi quominus succederet ipsius consilium, importunis Lutheranorum clamoribus impeditum fuit. Alioquin, si reddita fuisset Episcopis insolidum iurisdictio, Lutherani quodam Ecclesiasticæ hierarchiæ nexu certis conditionibus adhæsissent Ecclesiæ Romanæ, forsan ad instar Bohemorum qui Sacerdotes habẽt à Catholicis Episcopis ordinatos. Huc sane spectasse Melanchthonis consilium, nec ipsi Lutherani

diffi-

diffitentur. Cum enim hac de re fama spargeretur, mirum quanta fuerit continuò inter eos exorta trepidatio, quantus metus. Nec aliter hoc factum acceperunt zelotæ quidam, quam si Melanchthon ad Catholicos defecisset, vel hostibus arcem Euangelii, Romanoque Pontifici prodidisset. Testantur hoc epistolæ quædam ab iis scriptæ de hoc negotio, quos Melanchthon habuit coniunctissimos. Hi summum præ se dolorem ferebant, quod eo prolapsus esset nimio pacis studio, vt abiectum pridem Pontificiæ dominationis iugum (sic loquebantur isti) Euangelicorum ceruicibus imponere denuo conaretur. quæ res si succederet, actum esse de Euangelio clamitabant. Inter eos vero, quibus Melanchthon arctissimæ necessitudinis vinculo iunctus erat, Ioachimus Camerarius vel ex primis habebatur; quem Vincentius quidam Obsopæus datis literis rogauit enixè, vt quæ multorum sermonibus ferebantur de Melanchthonis & cæterorũ mollitie, in concedendis iis, quæ minime oportuerit, certius exploraret. Aiunt omninò, *inquit Obsopæus iste*, si cõductus quanta ipse voluisset pecunia à Papa esset, nunquam illius dominationem melius potuisset afferere. Vocant quidem Achitophelica consilia: alii, qui modestiores sunt, Erasmica; vt ego puto, propria illius. Nemo aliter sentit, quam illum contra omnium voluntatem, reclamantibus etiam aperte quibusdam fortioribus, tamen obtinere, quod volucrit, & conditiones proferre. Hæc ille Camerarius, perlectis literis, Ioannem Agricolam Islebium interpellandum censuit, qui Melanchthoni in Augustanis deliberationibus inter cæteros adiunctus erat. Hunc igitur summopere rogat, adeoq; obtestatur transmissis Obsopæi literis, quas epistolæ suæ inclusit, vt se de toto hoc negotio faciat certiorem, & quid huius actum sit, vel concessum aduersariis in Augustano conuentu, verè sine fuco perscribat. Scripserat eadẽ de re iam ante Sacranus quidam ad Melanchthonem, & durius eum eo expostulauerat, noua quadam vsus & inusitata verborũ asperitate. Cum itaq; referret Islebius, quid à Camerario rogatus esset, vnaq; literas ipsius ostenderet, & Obsopeanas inuolutas, respondẽdum putauit homini sui amantissimo, & quid rei esset, liberiori calamo perscribendum. Dedit igitur ad Camerarium literas Melanchthon ipse pridie Calend. Septembr. cum postrema collocutorum actio iam esset absoluta, quibus omnia quæ acta fuerant in Comitiis, communicato cum iis consilio, peracta scribit, qui simul adhibiti fuerint ad hæc negotia: nec vllos tum quidem hac de re fuisse sermones; quos primum natos ait, postquã patefactum sit, quid Episcopis concedatur. Hoc, *inquit*, male habet scilicet quosdam immoderatiores, restitui Politiam Ecclesiasticam; hoc interpretantur restitutionem dominationis Pontificiæ. Non ignoro cur tantum abhorreant ab hoc consilio. Ægre patiuntur ciuitates reduci in vrbes, illam Episcoporum dominationem. Et sapiunt. Sed quo ore eripiemus eis, si nobis permiserint doctrinam? Quid? quod omnia; quæ largiti sumus, habent huiusmodi exceptiones, vt hoc metuam, ne Episcopi existiment, offerri ῥήματα ἀνάλωφίτων. Sed quid potuimus aliud? Quanquam vt ego, quod sentio, dicam. Vtinam, vtinam posſim non quidem dominationem confirmare, *sed administrationem restituere Episcoporum. Video enim, qualem simus habituri Ecclesiam, dissoluta politia Ecclesiastica. Video postea multo intolerabiliorem futuram tyrannidem, quam antea vnquam fuit.* Ad hæc nihil adhuc concessimus aduersariis, præter ea, quæ Lutherus censuit reddenda, re bene & diligenter deliberata ante conuentum. Neque ego non additurus eram aliquid, quasi auctarium publicæ pacis causa. Hæc Melanchthon ad Camerarium vltimo Augusti.

LXXII. Postridie vero, Cal. Septembr. inquam, epistolium scripsit ad Lutherum, quo finem postremo colloquio tandẽ impositum significat. Inter cætera, Non credis, *inquit*, quanto in odio sim Noricis, & nescio quibus aliis, propter restitutam Episcopis iurisdictionẽ? *Ita de suo regno, non de Euangelio dimicant socii nostri.* Et quidem ad Noricos quod attinet (sic vocat Norimbergenses) ii dolenter admodum tulerunt, & indigne q; eò prouectus esset Melanchthon, vt ministerium Lutheranum, & pastores, quos vocant Euangelicos, Episcoporum iurisdictioni rursus subiiceret. Itaq; cum scriptum illud perlegissent, q; 20. Augusti Lutheranorum nomine Catholicis oblatum diximus, re cum Concionatoribus deliberata cen-

suram scripserunt, quę cõfectum Augustam missa fuit ad Protestantes. In ea vero punctim respondent ad omnia, quę Melanchthon, contra quam ipsi faciendum iudicabant, studio concordiæ largitus erat. Ea vero sunt: De religionis vtriusq; sexus in diuino cultu, & Catholici religionis exercitio, non turbandis. De tribus pœnitentiæ partibus agnoscendis. De Eucharistia non exhibenda, nisi iis, qui contriti sunt, & delicta per confessionem prius expiarint. De ieiuniis, Quadragesima, aliisq; cerimoniis in cultu diuino restituendis. De festis Sanctorũ, & Litaniis Catholicis in diebus rogationũ instaurandis: tum illud, q; postremo loco ponunt, de iurisdictione Catholicis Episcopis in Ecclesiæ Lutheranæ ministros restituenda; quæ omnia velut Euangelio illorum repugnantia, simul & semel improbant: in primis de iurisdictione grauiter quiritantur, q̃ Episcopis hoc scripto multo ampliorem permissam esse dicunt, quam vnquam ausi fuerint hactenus optare, imo ampliorem, q̃ vnquã habuerint. ac si vnicus hic articulus valere debeat & subsistere, *Nullam*, aiunt, *excogitari potuisse subtiliorem & compendiosiorem viam, breui temporis spatio, Euangelium illorum penitus delendi.* Melanchthon vero vbi Norimbergenses moderatione sua, quã ἐπιείκειαν appellare cõsueuit, grauiter offensos intelligeret, vt eos sibi redderet placatiores, suggessit Erasmo cuidam Ebnero, Hieron. Ebneri Cõsulis Norimb. filio, q̃ per id tẽpus Augustæ morabatur, vt de negotio hoc scriberet ad parentẽ, & causas explicaret plenius, quib. ipse permotus hanc cõcordiæ viam ingressus esset. Ne vero aberraret Ebnerus iunior, ipse Melanchthon epist. composuit, q̃ alter descriptam misit ad parentem Consulem. Scis, *inquit*, institutum esse colloquium de dirimendis cõtrouersiis religionis. Mitto igitur tibi vtriusq; partis scripta, ex quibus historiã eius colloquii magna ex parte cognosces. Videbis ctiã, quantũ aduersarii nostri putauerint cõcedendum esse. Et his consiliis scio Philippum vsum esse, non tam metu periculi ac publici motus, quã q̃ perpetuo ita sensit, prodesse ad posteritatem, ne dissoluatur prorsus Ecclesiastica politia. Et habet huius opinionis suæ nõ solum rationes magnas, sed & grauissimos authores. Paulo post: Quare minor, tam iniquos de eo sermones spargi apud vos, quod parum cõstanter defenderit has partes, & q̃ gratiã apud aduersarios inire cupiat. & iterũ: Ignosci debet his, q̃ videntur esse cupidiores pacis. Et tamen Philippus etiã aliis rationib. mouetur, quare restitutam Episcoporum autoritatem velit. Etiamsi omnia trãquilla erunt, *tamẽ mira dissipatio erit Ecclesiarũ ad posteritatẽ, nisi iterũ iam contungantur, & habeant certos Episcopos, qui cogãtur diligentius curare Ecclesias, quam olim curauerint.* Hæc Ebnerus iunior, vel Melanchthon verius sub Ebneri larua ad Consulẽ Norimberg. Fuit hoc sub initium Septemb. cum soluto iam colloquio, de pace politica inter Catholicos & Protestantes vsq; ad tempus futuri Concilii variè disceptaretur. Melanchthon interim denuo literas dedit ad Camerarium suum, 5. Septemb. in quibus, Ego, *inquit*, optimo animo semper putaui, ista concedenda esse. *Quo enim iure nobis licebit dissoluere politiã Ecclesiasticam, si Episcopi nobis concedant illa, quæ æquum est eos concedere? Et vt liceat, certe non expedit. Semper ita sensit ipse Lutherus; quem nulla de causa quidem, vt video, amant, nisi quia beneficio eius sentiunt se Episcopos excussse, & ad eos libertatem minime vtilem ad posteritatem. Qualis enim, credo, futurus est status ad posteros in Ecclesia, si omnes veteres mores sint aboliti, si nulli certi sint Præsides?* Hactenus Melanchthon.

LXXIII. Cum igitur Lutherani passim intelligerent, prorsus ita se habere, quæ de iurisdictione Catholicis Episcopis restituta spargebantur, Septembri mense, Lutherum, velut vnicum libertatis suę vindicem, in hoc communi periculo tragicis clamoribus interpellarunt, quiritantes rem esse desperatã: Melanchthonem & cæteros omnia prodidisse publicæ tranquillitatis gratia: iamque ab illis plus periculi, quam ab aduersariis impendere; & maius fore negotium in his compescendis, quam in hostibus repellendis. Hæc & id genus alia, cum Luthero per quosdã magni nominis importunè satis & pertinaciter obiicerentur, in hæc verba ille tandem prorupit: *Sires ad eum modum se habet, certe Diabolus insignem dissipationem inter nos ipsos fecit.* Igitur importunitate suorum & violentia superatus, literas dedit tandem, nõ ad Melanchthonem, cuius vnius culpa proditum sui Euangelii causam omnes vociferabantur, sed ad Ionã 20. Septemb. scriptas, in quibus toni-

trua, fulgura, tragicosque clamores multorum ad se deferri scribit, de rebus communibus, quasi aduersariis omnia concedantur, & res Euangelica in magnum sit discrimen adducta. Itaque quid acciderit in hoc genere, num quid amplius sit cõcessum, quam postremis literis perscripserant, postulat edoceri. Quia vero frequentiores rixas inter Melanchthonẽ, cæterosq; fuisse nouerat, ad concordiam eos cohortatur. Videte, *inquit*, ne id committatis, vt inter nos ipsos schisma oriatur. & paulo post. Non scribo hæc, quod opiner vos quicquam commissuros esse; sed violentia pene plusquam tragica litterarum, quibus me nostri flagellant, cogit etiam tutissima timere. Deinceps & ego aduersariis ne pilo quidem cedam. Demum, sed satis est, inquit. Ego pene rumporira & indignatione. Oro autem, vt abrupta actione, desinatis cum illis agere, vt cedatis. Hactenus Lutherus.

LXXIV. Cæterum frustra fuit panicus ille terror Lutheranorum, & summa consternatio, quam metus incussit Ecclesiasticæ iurisdictionis. Ea enim verbo quidem, & voto Melanchthonis Episcopis restituta fuit; reipsa nunquam fuit restituta; cum integra fieri non posset omnium dogmatum cõciliatio; & Protestantes à quibusdam etiam per Melanchthonẽ concessis capitibus resilierant; idq; ad arbitrium Lutheri, à quo rerum omnium momenta pendebant. Interim, quia scriptũ illud erat in manibus Catholicorũ, in quo Melanchthon de sociorum, imo & Lutheri consensu iurisdictionem restituit Episcopis, vti supra diximus, difficultas enata fuit, quomodo ab eo, quod deliberarò concesserant Lutherani, saluo honore, vel sine leuitatis nota pedem referrent. Qua de re cum valde solliciti essent, Ionas, Spalatinus, aliique qui Melanchthonem contra genium erant secuti, quod is Luthero non conscio tantum, sed & iubente iurisdictionem Episcopis cõcedi diceret; Lutherus datis ad Spalatinum literis hortatur, vt sint animo præsente; inuenturum se rationẽ, vt ex iis difficultatib. eos expediat. Esto, inquit, aliquid manifestè (quod non facietis Christo fauente) contra Euangelium concesseritis, & ita in saccum aliquẽ, aquilam istam (Melanchthonẽ) concluserint; veniet, ne dubita, veniet Lutherus, hanc aquilam liberaturus magnifice. Ita viuit Christus, hoc verum est. Quare nolite timere, victores iam violentiæ, ab istis bullis insidiarum. Vt vt res ceciderit, fortes estote, & viriliter agite. Fecit Lutherus, quod promisit, dum iracundia præceps actionem abrumpi iussit: qua in re mandato eius paruerunt, & rebus ex parte factis, infectis Augusta discesserunt.

LXXV. *Sacramentarii cum Lutheranis conciliari volunt.* Ad hæc eadem Comitia Augustana, quidam ex Sacramẽtariis conuolarant, Bucerus, Capito, Blaurerus, aliique nonnulli, qui multum laborarunt, vt antequam Protestantes fidei suæ confessionem offerrent, cum iis se quodam societatis vinculo coniungerent, controuersia vel composita, si qua fieri posset, vel ad concilium reiecta. Ambrosius Blaurerus Landgrauium interpellauit, vt perficeret nunc, quod anno superiore Marpurgi cœperat opus, & Lutheranos cum Zuinglianis conciliaret. Erat Princeps ille perspicaci & ardente ingenio, videbatque si Sacramentarii cum Lutheranis in eadem castra coniungerentur, id magno futurum cum Ecclesiæ Romanæ detrimento, cui quanto studio poterat, exitium machinabatur. Ad Zuinglianos satis propendebat à colloquio Marpurgensi, quod eum Heluetii non ignorarẽt, hoc egerunt sollicitè, datis ad eum frequentibus literis, vt Principem hunc, antequam Augustam iret ad Comitia, quoquo pacto ad se traducerent. Quamquam vero non succesisit ista machinatio; metuendum tamen videbatur, ne continuis Bucceri & Capitonis interpellationibus, aliorumque literis expugnatus, deficeret tandem, & in partes aduersariorum transiret.

LXXVI. Erat ipsi à Concionibus in aula Erardus Sneppius, homo rigide Lutheranus; qui post Marpurgense colloquium, perpetuam fere cum illo luctam habuit, de Eucharistico negotio, multumque laborauit, vt Principem ab Heluetiorum societate distineret. Hic vbi cum Landgrauio venit Augustam, quod duodecimo Maii factum est, Synedrio Lutheranorum adiunctus fuit. quam nactus occasionem de Sacramentariorum astutis machinationibus, deque periculo, in quo Principẽ suum versari nouerat, Melanchthonẽ admonuit. Quirogatus à Sneppio, Lutherum ea de re fecit certiorem, rogauitque vt vacillantem datis literis contra Sacramentariorum insidias confirmaret. Ille scripsit ad Landgrauiũ, cumq; magno affectu, conquisitis rationibus à Zuinglianorũ consortio dehortatur. Epistola hæc Coburgi scripta fuit 22. Maii, tribus fere septimanis ante, quam Cæsar Augustam venit. Landgrauius sub id tempus vehementer laborabat, vt si controuersia plane dirimi non posset, quæ inter Lutheranos & Sacramentarios gliscebat, dissidium tamen aliquo pacto tegeretur, & vtrique in fraternam coniunctionem ad tempus coalescerent: quemadmodum dissidentes ad depellendum cõmune periculũ, necessitatis causa facto syncretismo nonnunquam in societatem coire solent. Nec effecerunt Lutheri literæ, vt ab hoc conciliandi studio Landgrauius cõquiesceret. Gerebat vero se velut mediũ inter vtrosq; q. suspenso iudicio de reipsa neutris, insolidum esset addictus; nimirum, vt hoc facilius dissidentes syncretismi glutine cõiungeret. Cæterũ displicebat illi multum Lutheri durities, q. Marpurgi Zuinglium anno superiore proximo, verbis asperioribus à fraternitate reiecerat. De Melanchthone meliora sibi pollicebatur, quẽ paulo momento sperabat istuc impelli posse, vt in hac causa se pro mansuetudine sua, & insigni comitate benignioriẽ exhiberet Zuinglianis, nec eos tã duriter à societate depelleret; præsertim cũ nunc à Luthero disiunctus esset. Et Sacramentarii quidẽ, Capito cum primis & Bucerus, hac de re cum ipso Melanchthone colloquiũ ambiebant; q. ille perpetuò defugit; siue per Saxonẽ prohibitus ne cõgrederetur, siue p. Lutherũ ipsum, siue q. suo quodam ductu, ab insigni Buceri fraudulentia sibi metueret. Landgrauius tamẽ ea, de quibus colloquendũ erat, p. Zuinglianos iussit in breue quoddam scriptum redigi; q. Melanchthoni & Brentio fuit oblatũ, vt expenderent negotiũ, ac deinde responderẽt. Auctor scripti quisquis fuit, siue Bucerus, siue Capito, rationib. quibusdã persuadere nitebatur, Zuinglianos à Lutheranis recipiendos in fraternitatẽ, & ad subscribendã confessionem, q. Melanchthon id temporis meditabatur, vna cum Protestantibus admittendos: cõtrouersiã vero de Eucharistia reticendam ad Conciliũ, vrgendumq; Cæsarẽ, vt id tandẽ indicetur. Melanchthon & Brentius vbi scriptũ hoc perlegissent, datis ad Landgrauiũ literis die 9. Iunii respondent: Nõ ignorare se infirmos errore p. imprudẽtiã implicitos forsã ad tẽpus posse tolerari; verũ, vt prauorum dogmatum autores, p. fratribus agnoscantur, id nullo pacto cõmittendum; præsertim cum aduersarii cõceptum errorẽ, magna animorum cõtentione defendant. Paulum suscepisse Galatas quidem in errorẽ abductos; at de peruersi dogmatis magistris, in hæc verba prorupisse: Vtinã abscindantur, q. vos conturbant. Se quidem illæsa cõscientia, cum iis in fraternam societatem coire non posse, quorum dogmata nõ probent; cum idem Paulus peccatum esse iudicet, q. non procedit ex fide. Nouam hanc esse Theologiam in Ecclesia, quæ, nõ habita ratione dogmatũ, satis ad salutẽ esse iudicet, si primũ otio, pacique studeamus, deinde vitam virtutib. politicis vtcumq; ornemus: quæ si perfecta sit, & ad bene beateq; viuendũ absoluta ratio, multos è gentiliũ Philosophis in Christianorũ album referri oportere. Quod auctor scripti conciliũ vrgendũ censeat, id suo modo nõ abs re fieri posse. At siue in Concilio, siue extra Concilium versemur, fidem ingenue profitendã: *Nec prohibendũ, quominus prauorum dogmatum cursus impediatur. Zuinglianos ipsos nõ expectato Concilii decreto, Papistas & Anabaptistas persequi: cur igitur iniuste facere censendi sint, qui falsam ipsorum doctrinam extra Concilium prohibere instituant? Multum eos Augustæ gloriari de pecuniis, de parata manu hominum, de gentium exterarum auxiliis. Mirum sibi videri, cum alioquin in perpetuo ore habeant charitatem, quod ad huiusmodi strophas & consilia se vertant, in quibus Christianæ charitatis, obedientiæ, & patientiæ ratio non habeatur. Quod si verum esset ipsorum dogma, non decere tamen Christianos homines ea consilia, ex quibus horrenda sit Ecclesiæ & politiæ confusio oritura. Videre se, quam tragœdiam machinetur Sathan. Itaque cauendum, ne quid in hac causa temere vel imprudenter egisse videantur.* Landgrauius perlectis literis, respondet proiixe satis, & Melanchthonis ac Brentii rationes diluit, quibus freti Zuinglianos à fraternitate repellebant. Durum sibi videri, ait, quod cum in reliquis fidei capitibus idem cum ipsis sentiant, ob vnius dogmatis discrepantiam reiiciantur. Sperare se, futurum vt hanc rem expendant maturius, & aliam mentem induant: quod vt faciant, variis rationibus persuadere conatur.

Certe

Certe si Zuinglianorum dogma vi prohibeatur, armataque manu, existimare se dicit, id iniustum fore: tum quod Christus doceat, permittendum, vt zizania crescant cum tritico; & Paulus moneat, Christum quoquo modo prædicandum, siue per occasionem, siue per veritatem; tum etiã quod Lutherus initio scripserit: ,phibere libros & cõciones, non esse politici Magistratus, cui corpora, fortunæq;, non cõscientiæ, vel animarũ gubernatio cõmissa sit; tum vero maxime, quod Zuinglianos, ait, nondum esse erroris conuictos; neque vero quemquam citra causæ cognitionem damnandum asserit. Se quidem, q. vera sit in hoc certamine Lutheranorum sententia, per expressum textum sine glossa certiorem reddi non posse: quibus igitur tamen vtrosque, & rationis suæ iudicium veræ sententiæ, Deique verbo submissurum. Rogare interim & obtestari, vt si fieri possit vlla ratione, fraternam societatem cum Zuinglianis ineant.

LXXVII. Respondent illi denuo per litteras; Non dubitare se, quin Princeps affectu plane sincero causam hanc agat, & salutem publicam spectet multarum gentium. Petere igitur denuo, quam possint humiliter, vt rationes prudenter expendat, quibus nuper se scripserint in hac causa moueri. Iis se dicunt etiamnum inhærere, nec posse cum Zuinglianis in hanc venire fraternam coniunctionem, quæ magno foret cum scandalo coniunctã: quando quidem probare viderentur, & confirmare doctrinam eorum assensu suo, quam tamen coram Deo defendere vel tueri nequeant. Neq; vero valde gratum id futurum Deo, si dogma Zwinglianum repugnante conscientia defendendum susciperent. Quod in suspicionem adducti sint apud Principem, quasi Zwinglianorũ oppressione delectentur, eam esse calumniam. Pacis enim se cupidissimos esse, & ab inquietis consiliis alienos. De Zuinglianis vero gloriari quosdam, quod ad bellum instructi sint rebus necessariis, & parati: rogare se Principem, ne nimium festinet quærendis humanis auxiliis, quæ frequenter etiam in bonis causis frustrentur; & vt hanc responsionem clementer accipiat. Hæc acta sunt Augustæ, priusquam oblata Cæsari fuit Lutheranorum confessio; nec aliud spectauit in hac actione Landgrauius, quam vt ad eam vnà cum Lutheranis subscribendam Zwingliani admitterentur. Quod cum frustra machinatus esset, Bucerus, qui primarius erat huius fabulæ choragus, negotium hoc alia sibi via rursus tentandum iudicauit. Igitur mense Iulio, cum Protestantium confessio iam esset in cõfessu Principum recitata, insinuauit se in colloquium cum Gregorio Pontano, Saxonis Electoris Cancellario, eiq; persuadere conatus est, Heluetios in controuersia de Cœna Domini, verbis tantum à Luthero dissidere, reipsa non dissentire. Itaq; si vtriq; veniant in colloquium, facile futurum dicebat, vt sublata verborum discrepantia, in eandem sententiam cõuenirent. Erat Bucerus versipellis, atq; huc ibat, vt Luthero absente Melanchthonem, Brentiũ, & reliquos Lutheranos circumuẽtos, instituto syncretismo, fraudulenter in societatẽ Zvvinglianorum inuoluceret. Pontanus vero monuit Bucerũ, vt quæ priuatim huius generis dixerit, ea scripto cõplecteretur. Quod ille fecit, datis ad Pontanum 22. Iulij litteris, in quibus hoc vnum agit longo verborum circuitu, vt Lutherũ, & Zvvinglium reipsa conuenire, diuersis tantum vti verborum formulis persuadeat. In fine prouocat ad Christi iudiciũ, seq; nihil dissimulare asserit, sed arcanum mentis sensum fateri; nec vmquam ab exordio huius certaminis aliter sensisse. Semper optasse, vt cum Melanchthone, aliisq; viris doctis in vera simplicitate (sic loquitur) vt æquum sit in rebus diuinis fieri, de causa hac conferre liceret: quamquam id hactenus non potuerit impetrare. Rogat Pontanum, vt ipsius interuentu cum Melanchthone in colloquium venire concedatur.

Hoc Buceri scriptum Pontanus Melanchthoni, Brentio, cæterisque legendum dedit & examinandum. Hi vero ne cõcordiæ minus auidi viderentur, quam Zvvingliani, re deliberata Brentio mandarunt, vt solus cum Sacramentariis colloqueretur; idque sine causæ præiudicio, non alium in finem, quam vt ad socios omnia referret, quæ proponerentur. Venit ille, & varios cum Capitone atque Bucero sermones habuit: verum sine fructu; quod Brentius Vbiquitatis dogma è Lutheri scriptis polemicis hausturn, Eucharistico negotio permisceret. Zuingliani vero Melanchthonem imprimis ad colloquium inuitabant; futurum rati, vt ipso præsente, facilius collatis sententiis negotium transigeretur. Ille vero, cum perspectam haberet Buceri vafriciem, colloquium recusabat: ne tamen auersari concordiam videretur, mentem suam de hoc negotio 25. Iulij paucis declarauit, epistolio scripto, cuius erat sententia: Non recusare se colloquium, si per occupationes liceret. Sicubi dissentiat ab ipsorum dogmatibus, id sine vlla animi acerbitate fieri & sine odio. Non videri Reipubl. consultum, aut tutum cõscientiæ suæ, si Protestantes onerarentur inuidia Sacramentarii dogmatis, *cui ipse contra veteris Ecclesiæ autoritatem assentiri nequeat.* Si tamen per literas secum velint colloqui, pollicetur id fore secretum, ne quod ex eo periculũ possit oriri. Zuinglium Augustã misisse confessionem suam, in qua videri velit, ne verbis quidem à Lutheri sententia discrepare. Interim in aliis quibusdam articulis cum tumultuari præter rem. Videri hominẽ Heluetico quodã potius, quam Christiano Spiritu prædituin, cuius impulsu tam ferocem confessionem scripserit. Velle se magnopere sedatam esse controuersiam hanc, de cœna Domini; de qua si quid illi scripserint, se quidem nõ grauate responsurũ. Hæc Melanchthon. Ad quæ paulo prolixius respondẽt Bucerus & Capito, datis 28. Iulij literis. Se quidem, aiunt, inter Christi præsentiam in cœna, quã Zuinglius ad fidei cõtemplationẽ reuocet; Lutherus vero realem quidem statuat, nõ tamen localem, aut nullum videre discrimen, aut ita tenue, vt dum quæritur, euanescat. De veritate humanitatis Christi, longe alios ab aliis dissidere: quemadmodum ex Brentii colloquio, tum ex quibusdam illius, aliorumq; scriptis colligãt. Quanquam si remotis affectibus, vtrorumq; sententia discutiatur, & hac in re de verbis potius cõtrouersia sit, quibus hoc mysterium proponi debeat, quam de reipsa. Rogant denuo quã possunt enixe, vt sui copiam Melanchthon faciat ad colloquiũ: venturos se dicunt quocumq; ille voluerit, & quando cumq;: nec quenquã præter Sturmium, imo si ita velint, ne ipsum quidẽ adducturos. Has literas cum Melanchthon ad collegas retulisset, decretum est re multum deliberata, nõ viua voce, sed scriptis cum Sacramentariis agendum. Itaque Melanchthon cõscripsit articulos quosdam, quibus breuiter vtriusq; partis sententiam cõplexus est: nimirũ, vt ostenderet, Lutheranos & Sacramentarios, non verbis modo, sed & sententiis plurimum dissidere. Insimulat autem Bucerum fraudulentiæ, quasi nebulas offundat causæ huic, & quæ sit Lutheranorũ sententia volens dissimulet: adeoq; insidias struat Lutheranis, & suis interim imaginationibus decipiatur. Hos articulos breuiter & cõcise scriptos more scholastico Pontano dedit, offerendos Bucero. Qui datis ad Pontanum literis, 4. Augusti, gratias agit in primis, q. à Melanchthone responsum impetrarit. Quanquã vero satis intellexit ex articulis istis deprehendi strophas suas, & cõcordiam omnino desperatam esse, perstitit tamen in sententia, nõ de re, sed de phrasi tantũ, deq; modo loquendi, Lutherum & Zuinglium inter se dissidere. Quod cum Melanchthoni, Brentio, cæterisq;, qui Augustæ erant, frustra occineret, demũ sub finem Augusti mensis, Lutherum ipsum pertentandum censuit. Scripsit igitur epistolam, in qua sententiam suam, & quantum haberet instaurandæ cõcordiæ desideriũ, quæq; ad eam rem oportuna media indicaret, honesto verborum apparatu declarauit. At Lutherus hominem cõtempsit, nec verbo illi respondit: sed datis ad Melanchthonem literis, quæ 25. Augusti scriptæ fuerũt, displicere sibi huiusmodi technas, seq; strophas Sathanæ insidiantis intelligere demonstrauit. Ille vero, ne sic quidem concordiam vrgere destitit, sed paulo post, de scitu Saxonis Electoris Coburgum profectus est, facturus periculum, an Luthero persuadere posset, quod Augustæ Melanchthoni & Brentio frustra toties inculcarat: nec Lutherum scilicet Zuinglii mentem intellexisse, nec hunc Lutheri, sed Andabatarum more, clausis oculis ab vtroque pugnatum.

LXXVIII. *Lutherus Vespertilionem à se iaculatum ominis loco habet.* Pridie quam Conciliator hic Coburgum venit, Lutherus cum animi gratia sub vesperam arcu iacularetur, leui sagitta vespertilionem traiecit affixum parieti, eiusque corculum, quod traiectum erat, vna cum iaculo è corpusculo animalis extraxit; id vero ominis loco habuit; & conuersus ad Vitum Theodorum, qui præsens erat: Videbis, inquit, aliquid portenti, & me cor Vespertilionis cuiusdã ni meridie cæcutientis confixurum. Postridiè, cum intelligeret aduentasse Bucerum: Ecce, inquit, Vite, aduolat Vespertilio, cuius cor

mihi

mihi petendum erit. Plura hoc genus ostenta Lutherus obseruauit, dum Coburgi morabatur tempore Comitiorum: cuiusmodi fuit & illud, quod ex auium quarundam diuturno garritu, tum ex impetu ventorum & tempestatibus sæuitia: ex positu, motuque nubium in aere vanus coniector captauit: vti literæ quædam ipsius ad Ionam, ad Spalatinum, ad Pontanum, aliosque testantur: in quibus suauiter nugatur de monedularum concentu, de ventorum turbine, deque toruo vultu ac fuga nubium: ex eoque augurio, velut aruspex quidam, de successu Comitiorum ominatur. Bucerus ad colloquium admissus, de certamine Eucharistico, deque modo ineundæ concordiæ, cum Luthero prolixum sermonem habuit; cumque responsum acciperet, ab instituto suo non prorsus alienum, paulo post ad Zuinglium & Oecolampadium profectus est, vt cœptam syncretismi telam pertexeret. quamquam ea res tardiores, quam Bucerus vellet, progressus habuit: & tandem post varias consultationes, sed nonnisi post sex annos Wittembergæ confecta est, vt loco suo dicemus.

LXXIX. *Sacramentarii in Comitiis offerre confessionem volentes reiiciũtur.*

Atque hæc quidem Augustæ, per Melanchthonẽ & Brentium tempore Comitiorum acta sunt cum Sacramentariis, qui cum se viderent à societate Protestantium exclusos, suam deinde Cæsari Confessionem separatim obtulerunt. Id factum est per Legatos quatuor Ciuitatum Imperialium, Argentorati, Constantiæ, Memmingæ, Lindauiæ, quæ Zuinglii dogmatibus adhærebant. Hæc confessio, quemadmodũ & prior illa Lutheranorum, mandato Cęsaris per Catholicos Theologos opposito scripto cõfutata fuit, & in Senatu Principum reiecta. Postulata ab illis auxilia, quemadmodum & à legatis Protestantium, quos ad videndum Comitiorum exitum isthic relinquerant; negata: & tandem ab Imperatore, de consilio Principũ, & Ordinum Catholicorũ, die 26. Nouemb. latum decretum: in quo post enumerationem totius actionis,

Caroli V. decretum contra Sacramentarios.

Imperator statuit: *Ne tolerentur, qui de Eucharistia, secus quam hucusque ab Ecclesia Catholica seruatum sit, docent; ne quid in Missa vel communi vel priuata mutetur: vt Chrismate pueri confirmentur, & ægrotantes oleo consecrato inungantur: imagines minime remoueantur, & quibus in locis ablatæ sint, restituantur: eorum opinio, qui esse negant hominis arbitrium, quod & pecuina sit, & in Deum etiam atque homines contumeliosa, nequaquam recipiatur, aut doceatur. Nihil omnino doceatur, quod vlla ratione Magistratus tam Ecclesiastici quam politici imminere possit dignitatem & auctoritatem. Dogma illud de sola fide iustificante, locum non habeat. Ecclesiæ Sacramenta sint eo loco & numero, quo antiquitus cerimoniæ omnes Ecclesiæ veteris, ritus, exequiæ mortuorum, & id genus alia seruentur. Sacerdotia, quæ vacant, conferantur idoneis. Qui ante hoc tempus facti sunt mariti, Sacerdotes Ecclesiastici, priuentur beneficiis, quæ statim ab hoc conuentu conferunt aliis. Qui autem relictis putatiuis vxoribus, ad pristinum institutum redire & absolui cupiunt, eos de voluntate summi Pontificis, cum hoc ei Legatus nunciarit, Episcopi restituant. Cæteri vero nullum vsquã habeant perfugium, sed exulent, aut etiam meritam pœnam luant. Sacerdotum vita sit omnis honesta, vestitus etiam decorus, & vitetur omnis offensio. Si quibus in locis Ecclesiastici redacti sint ad aliquam iniquam conditionem atq; pactum; si quid etiam bonorum sacrorum iniqua ratione venditum & ablatum sit, aut in alium vsum prophanum applicatum, id omne irritum sit. Ad docendi munus nemo recipiatur, nisi qui doctrinæ simul & vitæ, atque ordinationis probatum habeat ab Episcopo testimonium. In docendo sequantur omnes præscriptam à sacris Canonibus regulam; à scommatis atque contumeliis abstineant. Hortentur populum, vt Missam audiat, vt diligenter oret, vt sanctissimam Virginem cæterosque Diuos imploret, vt dies festos ab Ecclesia Catholica institutos peragat, vt ieiunet, vt à cibis vetitis abstineat, vt subueniat egenis. Monachis & regularibus omnibus demonstrent Episcopi, eorumque superiores, non licere eis professionem ac Ordinem deserere. Breuiter: In iis, quæ pertinent ad fidem, atque Dei cultum, nihil omnino immutetur. Qui contra fecerint, corporis atque vitæ seu bonorum discrimen adeant. Quicquid ablatum est, Ecclesiasticis restituatur. Quibus in locis domicilia Monachorum, & id genus alia sacra ædificia diruta sunt, reædificentur, in iisque fiant cærimoniæ atque ritus antiquitus vsitati. Qui sunt in aduersariæ partis finibus antiquæ fidei & religionis obseruantes, & hoc decretum approbant, in Imperii tutelam recipiuntur, eisq; licebit, quo volent, emigrare absq; vllo detrimento. De Concilio generali Pontifex appellabitur, vt intra sextum mensem illud ad locum aliquem idoneum indicat: vt deinde primo quoq; tempore, & ad summũ intra anni spatium fiat eius initium. Hæc omnia rata sint atque firma; & si quæ sunt opposita, vel opponẽtur etiam exceptiones aut appellationes, locum nullum habeant. Vt vero decretũ hoc valeat & seruetur, quantum quidem ad fidem & religionem Catholicam attinet, quicquid omnino virium atque facultatis concessit Deus, id omne, vita etiã atque sanguinis huc impendetur. Si quis autẽ vim alicui intentet, Cameræ, simulac interpellata fuerit, ei, qui vim vel arma parat, denunciet, vt ab incepto desistat, & legibus agat. Si non obtemperabit, fiscus litem in eum instituat, & proscriptionem vrgeat, eaque promulgata, vicinos Principes atque ciuitates moneat, vt ei, qui vim metuit, illico succurrant. In Cameræ vero iudicium nemo recipiatur, nisi qui decretũ hoc de religione factum approbarit: alioqui loco remoueatur.*

LXXX. *Eius decreto, qui subscripserint.*

Subscripserũt decreto, alii per seipsos, alii per procuratores suos, Cæsar, Ferdinandus Rex, quinque Electores, Principes Ecclesiastici 30. Principes Seculares 23. Abbates 22. Comites & Barones 32. Ciuitates Imperiales ac liberæ 39. q; etiã inter se fœdus ad defensionem religionis Catholicæ inierunt. Protestantes cõtra Smalcaldiã congregati, tum fœdere sese deuinxerunt, tum vt alios ad se allicerent, decreuerũt. Pontifex, vbi quis Comitiorũ Imperii fuisset exitus accepit, missis tum ad alios, tum ad Regem Poloniæ literis, *Omnino se sperasse dicit, fore vt Cæsaris authoritas atq; præsentia Lutheranam hæresim vel extingueret, vel aliqua ratione sedaret; hanc enim spem sibi fuisse factã, quo primum tempore Cæsar in Italiam venit, eaque præcipue de causa Bononiam venisse, vt illum, tametsi sponte sua animatũ, amplius vrgeret. hoc enim si perfectum fuisset, & religioni, & plurimorum saluti, qui nunc per istas hæreses periclitẽtur, cõsuli, & aduersus Turcicũ furorẽ inueniri potuisse remedia. Cum a. ex Cæsaris atq; etiã legati sui literis intelligat, non solũ ad sanitatẽ illos adduci non posse, verum etiã magis atq; magis obfirmari, se, q; voluntate Dei, nauiculã Petri tã turbuleto tempore gubernet, ac solicitudinis omnis maximã partẽ sustineat, cum Cardinalib. re cõmunicata, nullũ reperire tutius remediũ, quam illud, quo sint vsi ipsius maiores, nempe Conciliũ Oecumen. Itaq; monere, cũ deducta res eò fuerit, vt vel ipse corã, vel per legatos causã adeo sanctã adiuuet. se nimirũ, vbi primũ fieri possit, ad aliquẽ Italiæ locum, qui sit commodus, illud indicturum esse. Datæ fuerunt hæ literæ Cal. Decemb.*

LXXXI. Dum vero ista Augustæ tractarentur, Lutherus, Coburgi in castro Principis delitescens nõ quiescebat, sed omnia susq; deq; miscebat. Inde n. scripsit ad suos, q; tempore Comitiorũ Augustæ morabãtur, frequẽtes epistolas, quib. Protestantes, eorũq; Synedrion Ecclesiasticũ, in actionib. de religione ceu freno quodã gubernabat. Atq; hæ postmodũ vnà cum Melanchthonis, Ionę, cæterorumq; literis in lucẽ editæ fuerunt.

LXXXII. Sub initium Iulii, octiduo fere postquã oblata fuit Cæsari Protestantium cõfessio, ad Moguntinũ Archiepiscopũ literas dedit, quibus eum hortatur, velut primi nominis prælatum in Germania, cuius in Imperio summa sit autoritas, vt quoniam inter Catholicos & Lutheranos concordia speranda non sit, autoritate sua Protestantibus à Cæsare politicam, externamque pacem impetret. Has vero literas Norimbergæ typis excudi voluit, & spargi in Germaniam per vulgus, antequam ad ipsius Archiepiscopi manus peruenerunt: cui non scriptas, vt moris est, sed excusas à typographo, per Ioannem Ruhelium, Lutheranæ factionis hominẽ, ipsius Archiepiscopi Consiliarium transmisit. Vsus hac stropha videtur homo callidus, vt hoc breui scripto tota Germania famam diffunderet exhibitæ Confessionis, de cuius soliditate atque inuicto robore, more suo, buccis tumentibus gloriatur; deinde, vt Archiepiscopum, qui primus est in Imperio post Cæsarem, publico quodam præiudicio deterreret, ab actione de concordia, quam frustra suscipiendã insinuat; demum vt Cæsarem & Principes, qui de sopiendis dissidiis, deq; reprimendis hæreticorum turbulẽtis machinationibus deliberabant, in tyrannidis & impietatis suscipionem adduceret. Inseruit enim literis istis breuem exegesim Psalmi secundi, quam contra Cæsarem, Electores & Principes Augustæ congregatos impudenter detorquet, quasi contra Dominum instituta fuerint hæc Comitia, & contra Christum eius; quasi Principes hoc agerent, vt de solio deturbarent Christũ Regẽ gloriæ, eiusq; Imperio se subducerẽt. Ruperat ipse vinculũ obedientiæ, & suaue Christi iugum proiecerat, publicam turbauerat Ecclesiæ pacem, aliosq; secum multos pertraxerat in istius rebellionis consortiũ. Id crimen à se perpetratũ iis impingit, qui zelo religionis, amore Christi, & pacis restituẽdę desiderio accẽsi, de sopiendis turbis cõsultabãt,

deque frenanda Sectariorum audacia, qui furore odioq; te præcipites, velut aper quidam de sylua, vastabant vineam Domini, & in Ecclesiæ viscera miserandum in modum grassabantur; quorum studio, fœda quædam hæreseon, & ciuilis sanguinis eluuio Germaniã annis plurimis inundarat. Dum huiusmodi perditorum hominum proteruiam compescere Cæsar & Principes conantur; dum inuocato diuini numinis auxilio, de sanandis Ecclesiæ vulneribus, & pace per orbem Christianum restituenda deliberant, scilicet Lutherus eos insurgere clamat contra Dominum, & Christo bellum indicere. Itaque, nisi omittant instaurandæ pacis studium & consilium, nisi turbulentis machinationibus perduellium obsistere desinãt, idem ipsis exitium expectandum insinuat, quod hostibus Christi Iudæis Apostolos persequentibus superuenit.

LXXXIII. Eodem fere tempore, sub initium Comitiorum, inquam, admonitionem quandam edidit ad Ecclesiasticos, vel Episcopos Augustæ congregatos, quam orditur à verbis Dauidicis è Psalmo secundo: Et nunc Reges intelligite, erudimini, qui iudicatis terram. In ea Principes Ecclesiasticos hortatur, vt in his Comitiis amplectantur tandem doctrinam suam, quam Euangelii nomine venditat: Qua in re nisi se mitiores exhibeant, quam in Comitiis superioribus factum sit Wormaciæ, Spiræ, Norimbergæ, metuendum, ait, ne desperatio sequatur in populo, & nouus tumultus excitetur: quod magno sit vtriusque partis periculo futurum. Muntzeri spiritum nondum exhalasse animam, qui facile possit malum aliquod denuo machinari. Decurrit deinde per articulos doctrinæ suæ magnam partem; in quibus dum recenset Catholicorum sententiam, atro mendaciorum & calumniarum felle permiscet omnia, & more suo maledicentiæ colorem inducit. Monet Episcopos, vt agant pœnitentiam, & nouum hoc doctrinæ genus suscipiant. Nisi id fiat, è medio me tollite, inquit: *Dum viuo, ero pestis vestra. Si morior, ero mors vestra. Deus incitauit me, vt vos aggrederer: Ero vobis, vt Oseas inquit, quasi Leæna, sicut pardus in via Assyriorũ. Non habebitis quietem à nomine meo, donec redeatis in viam, vel internecione deleamini.* Hæc ad verbum Lutherus: qui se porro, suosque Lutheranos probos, ait, esse hæreticos, ingenti grauatos onere, quod Papistas & Suermeros ceruicibus suis per Diabolum impositos, ferre cogantur: nec quenquam inueniri, qui fatiscentibus succurrat. Quod si nec Episcopi pressis auxilium ferãt, sed oneri potius adiiciant pondus, cauendum ne frangatur dorsum sub immenso pondere, & patientia oppressorum acerbius irritetur. Si huc spectent Episcoporum consilia, vt se cum suis probis hæreticis è medio tollant, viderint quid de ipsis postea sit futurum. Ad longum ibi commemorat suæ doctrinæ beneficia, quibus purgauerit ab erroribus & abusibus Ecclesiã, & Episcopos liberauerit à Papæ tyrannide, & à Monachorum importunitatibus. Et ea sic magnificat, atque gloriatur super iis in malitia sua, vt nullus Regum aut Imperatorum ea præstare potuisset. Recenset item articulatim abusus, de indulgentiis, de confessionalibus, de confessione, de pœnitentia: vbi ait sentinam ipsiusmet inferni esse; adeò, vt si Episcopis omnis alia abominatio ignosceretur ac condonaretur; ista tamen numquam ignosci queat, quæ & infernum repleuerit, & regnum Christi crudelius deuastauerit, quam Turca, aut totus mundus vnquam facere possit. Docuistis enim nos *inquit*, satisfaciendũ esse per nostra opera pro peccatis, etiam erga Deum; & hoc dicitur, Pœnitentiam agere pro peccatis. Quid iam hoc aliud est dicere, Oportet te pro peccatis satisfacere, quam istud, Oportet te Christum negare, Baptisma tuum reuocare, Euangelium blasphemare, Deum mendacii arguere, remissionem peccatorum non credere, sanguinem ac mortem Christi pedibus calcare, Spiritum sanctum violare, per teipsum eiusmodi virtutibus in cœlum ascendere? Ah quæ linguæ ac voces hac de re sufficienter loqui possunt? Quid hæc igitur fides aliud est, quam Turcarum, Gentiumque & Iudæorum fides? qui omnes quoque per opera sua satisfacere volunt. Ex hac, *inquit*, abominatione omnes aliæ venerint, easque necessariò inde venire oportuit: nempe tot Monasteriorum Collegiatarumque Ecclesiarum sanctitatem propriam cum suis cultibus diuinis, Missarum sacrificia, Purgatorium, Vigilias, Fraternitates, Peregrinationes, Indulgentias, ieiunia, cultum Sanctorum, Reliquias, Spiritus tumultuantes, totamque processionem infernalis ambitus. Hoc & id genus alia multa exprobrat, blaterat, & blasphemat: plane sibi contrarius, qui in septicipite suo, quem contra indulgentias in assertione 41. articulorum, quos Leo Papa Decimus in Bulla publicè damnauerat, circa Quintum scripserat, ista verba habet: *Ecclesia mater, pro affectu præuentura manum Dei, castigat filios suos satisfactionibus quibusdam, ne incurrant flagella Dei. Sicut Niniuitæ operibus suis spontaneis præuenerunt iudicium Dei. Hæc pœna arbitraria est, inquit, non in totum, vt illi volunt, sed tamen necessaria. Nam aut nos, aut homines, aut Deus punit peccata, quod illi per indulgentias tollunt omnino. Cum si essent pii Pastores, potius imponerent pœnas, & Ecclesiæ exemplo præuenirent Deum, sicut Moyses cum præuenit, occidendo filios Israel, propter peccatum vituli aurei. Optimum autem fuerit, si nos ipsos puniremus.* Hæc ibi Lutherus. quæ cum hoc anno, Augustæ in Comitiis, in colloquio inter septem & septem, circa articulũ 12. Lutheranicæ Confessionis, Ioannes Eckius ex scheda recitasset, septem Lutherani, se inuicem intuentes, paululum tacebant: Melanchthon proxime assidens, suffuso rubore vultu dicebat; *Scio hæc scripsisse Lutherum:* cumque nihil adderet amplius: Dux Ioannes Fridericus filius Saxonis dicebat; Quando scripsit hæc? Forsan ante decem annos. Dicebant Catholici: Quid tum? Satis est nobis, hanc ipsiusmet sententiam esse. Tunc ira commoti Brentius & Sneppius, dicebant: Se non adesse, vt Lutheri scripta defenderent, sed vt suam assererent Confessionem. Missa ergo facienda esse ea Lutheri scripta. Hinc, vt vlterius procederetur, hanc sua manu scripsit sententiam Melanchthon. Non recusamus tres partes Pœnitentiæ ponere, scilicet Contritionem, quæ significat terrores incussos conscientiæ, agnito peccato: Confessionem, sed in hac oportere respicere ab absolutionem, & illi credere. Non enim remittitur peccatum, nisi credatur, quod propter meritum passionis Christi remittatur. Tertia pars est Satisfactio, videlicet digni fructus Pœnitentiæ. Sed propter satisfactiones concorditer sentimus, non remitti peccata quoad culpam. Hæc Melanchthon.

Lutherus autem in eadem eremo (ita vocant) Coburgensi, scripsit hoc eodem tempore & aliam epistolam bene prolixam ad amicum Anonymum, qui duas illi quæstiones proposuerat; alteram de versione noui Testamenti Germanica, cumprimis de loco quodam Diui Pauli corrupto in epistola ad Romanos capite tertio, alteram vero de Sanctorum intercessione. Verba Diui Pauli sunt, Roman. 3. *Arbitramur iustificari hominem per fidem sine operibus legis.* His Lutherus in codice Germanico vocem, *solum*, inseruit: cuius adiectione factum est, vt Apostolus in Lutherano testamento proferre cogatur & eloqui, quod illi nunquam venit in mentem; hominem scilicet iustificari sola fide, sine charitatis operibus. Obiecerat hanc textus deprauationem, Catholicus quidam huic Anonymo, qui Lutherum consuluit, quid aduersario Papistæ de voce Paulinis verbis inserta, sit respondendum. Hoc ipsum & hic Augustæ in Comitiis, in colloquio circa quartum Confessionis articulum, Eckius Lutheranis collocutoribus exprobrarat. Cæterum Lutherus, datis quas dixi prolixis illis literis, quæ Coburgi scriptæ sunt ad septimum Septembris, principio stomachatur thrasonicè de asinina, *ait*, Papistarũ ruditate, quos, mentitur, in vniuersum omnes non habere tantum eruditionis, vt vel vnicum caput transferre possint in Scripturis sanctis. Vertisse se testamentum in linguam Germanicam, idq; magna diligentia, bonaq; fide: nec cogere quenquam, vt codicem istum euoluat. LXXXIV.

Quod si alicubi forsan aberrarit, ea de re nullo pacto sibi ferendum dicit, vt Papistæ iudicent. Asinos eos esse, auritis illis rudiores, & qua doctrina, quoque iudicio bonum interpretem oporteat esse præditum, tum quanta opus sit industria, prorsus ignorare.

Igitur, si Papista tuus, inquit, de voce, solum, controuersiam moueat, aut tumultuetur, continuo responde: Doctor Martinus Lutherus sic vult; & Papistam atque asinum idem prorsus esse dicit. Sic volo, sic iubeo, sit pro ratione voluntas. Nec enim discipuli, sed præceptores atque iudices Papistarum esse volumus, & superbe deinceps asinis istis insultabimus. Imo quemadmodum Diuus Paulus magnifice de seipso

loquitur, contra sanctulos quosdam sui temporis, vertiginosos homines: ita & ego contra rudes pecus hoc, aduersarios meos Papistas gloriabor. Doctores sunt? & ego. Eruditi sunt? & ego. Concionatores sunt? & ego. Theologi sunt? & ego. Disputatores sunt? & ego. Philosophi sunt? & ego. Dialectici sunt? & ego. Professores sunt? & ego. Libros scribunt? & ego. Imo gloriabor amplius. Ego Psalmos & Prophetas interpretari possum: illi non possunt. Ego transferre possum sacras literas: illi nō possunt. Ego Scripturas legere possim: illi nō possunt. Ego orare possum: ipsi non possunt. Et vt descendā ad inferiora: Logicam ipsorū & Philosophiam melius ego nouī, quā ipsi in vniuersum omnes. Quin & certum habeo, neminem inter eos inueniri, qui mentem Aristotelis assequatur, vel vnicum in eo proœmium, aut opus intelligat. & paulo post. Rogo te, inquit, nihil amplius a me istis respondeas ad vanas ipsorum quiritationes de voce, solum, præter vnum hoc, Lutherus sic vult, seq; doctorem dicit excellentiorem omnibus, qui sunt in vniuerso Papatu. Sic decretum est. Hucusque Lutherus.

Interim fatetur, non ignorare se, quod vox illa quam inseruerit, nec in Latino, nec in Græco D. Pauli contextu reperiatur: sed causam ipsam, pericula fidelium, in quæ per bona opera coniiciantur; temporum conditionem, cum homines bonorum operum studio diu assueuerint, omnino postulasse dicit, vt vox illa, quam diximus, verbis Paulinis insereretur; quandoquidem fideles à cōsueto bonorum operum studio, summa vi fuerint auocādi. Quod vt fieret cōmodius, necessarium fuisse, vt res hęc clare satis, & pinguiter enunciaretur; solam fidem scil. sine bonis operibus iustificare. Imo subindicat se pœnitentia duci, quod nō adiecerit plura verbis Paulinis, & locum in hunc modum verterit: Arbitramur hominem iustificari sola fide, sine operibus quarumcumq; legum; vt plena nimirum esset, & prorsus dilucida assertio. Hæc Lutherus insolēter, & proterue scripsit de loco D. Pauli Rom. 3. quem adiectione vocis vnius in sensum detorsit, nō alienum modo à sententia Apostoli, sed & vniuersæ Scripturæ cōtrarium. Cuiusmodi depraua tiones in Lutherano codice viri docti notarūt ad centenas aliquot, quibus hoc vnum spectauit, vt errores suos & commenta passim, sacrarum literarum verbis fraudulenter insarciret. Erubuit Melanchthon & sui collegæ, in colloquio Augustano, ad eam depraua tionem; & collocutorum Catholicorum argumentis conuicti, omissa hac voce, *sola*, cōcordatum est, quod iustificatio, seu remissio peccatorum fiat per gratiam gratam facientem, per fidem viuam charitate informatā formaliter, per verbum vero & Sacramenta instrumētaliter; & quod non sola fides, sed ea, quæ per charitatem operatur, sufficiat ad salutem.

LXXXV. Edidit eodem anno Commentariolum in Psal. 71. in quo disputat inter cætera quæstionem: An Magistratus, hæreticos & Pseudoprophetas inapedire debeat, aut pœnis afficere, cum errores in vulgus spargunt? Respondet, principio quosdam non hæreticos tantum esse, sed & seditiosos ac turbatores pacis publicæ; quos procul dubio per Magistratum iustis pœnis afficiendos decernit. Deinde, qui dogma fidei, vel articulum quendam oppugnent fundatum in Scripturis, & consensione publica totius orbis Christiani cōprobatum: hos puniēdos à Magistratu, nec vllo pacto tolerādos asserit; cum non hæretici modo, sed & blasphemi sint in sanctū Dei nomen. Neque vero, cum id genus hominibus vel disputandum, ait, vel agendū multis: sed eos tanquā impios in Deum, & manifeste blasphemos simpliciter damnādos. Nam huiusmodi dogmata, quæ publico Ecclesiæ vniuersalis cōsensu recepta sint, iampridē satis examinata fuisse, & rationibus, Scripturæ S. testimoniis, professione totius orbis Christiani, infinitis miraculis, multorum martyrum sanguine, omnium Ecclesiæ Doctorum autoritate & libris ad cum modum confirmata & stabilita, vt ea *in disputationem postliminio* reuocari non deceat. Porro si eodem loco Catholici & Sectarii se mutuò oppugnent, & vtrique sententiam suam Scripturæ testimoniis niti glorientur, causa per Magistratum cognita, silētium, *ait*, imponendum iis, quorum doctrina cum sacris literis non modo quadrare deprehenditur. Postremo, si de rebus adiaphoris sit controuersia, non esse tolerandum dicit, vt ad cathedram trahantur huiusmodi contentiones, quibus populus in factiones distrahi possit, & publica tranquillitas perturbari. Atque hæc de iis intelligi vult, qui prodeunt in publicum, & palam docendi functionem exercent. Ad clancularios vero concionatores quod attinet, qui cum legitime vocati nō sint, fraudulenter subrepunt alienis ouibus, & furtim per domos exerceat ritus suos, viruſq; suum secretò diffundunt, antequam veris pastoribus & Magistratui, quid rerum agatur, satis innotescat: hos, ait, tanquam fures & latrones nullo pacto tolerandos. Si quis vero ciuis aut subditus in hoc genus clancularium tenebrionē incidat, huic incumbere dicit ex officio, nisi periurus haberi velit & in Deum impius, vt Magistratui, pastorique suo, ad cuius gregem pertinet, indicium faciat illius rei, antequam eum docentem audiat, vel admittat. Atque hoc tam accuratè obseruandum ait, vt nullus concionator, quantumuis integer sit, & numeris omnibus absolutus, docendi potestatem vsurpare sibi debeat, inter eos, qui vel Papisticum pastorem habent, vel hæreticum Ecclesiæ ministrum. Si quis vero id faciat, inscio vel inuito Pastore, nec certum aliquod documentum proferat vocationis suæ, quod nimirum à Deo missus sit, & mandatum habeat, vt huiusmodi ministerium in hoc cœtu exerceat; hanc tametsi purum doceat Euangelium, adeoque licet Angelus esse videatur, imo Gabriel de cœlo; tamen non modo pro Sathanę Apostolo habendum, verum etiam, si desistere nolit ab instituto, carnifici committendum, velut nebulonem, qui seditionem machinetur. Obiicit vero hoc loco sibi: Cur igitur tuipse, cum Wittembergæ modo docendi potestatem habeas, toto terrarum orbe concionaris, diuulgatis libris? Respondet: Id se perpetuò inuitum feciſſe; neque dum, nisi reluctantem in hoc negotio versari. Coactum initio fuisse, vt in Theologia, repugnante genio, Doctoris titulum susciperet. Ibi se Pontificia Cæsareaque autoritate munitum, in Vniuersitate publica Theologiam docuisse, sacrasque literas interpretatum, vti Doctorem iuramento astrictum decuerit. Posteaquam vero semel in hanc arenam descenderit, integrum sibi deinde non fuisse, amoliri manum à cœpto negotio, quod iure Doctoralis laureę, quam Pontificis & Cæsaris mandatu susceperit, pridē sit aggressus. Neq; sibi deinceps desistendum, ait, ab hoc opere, vel tacendum; quanquam id perlubens vellet, vt qui fatigatus iam sit, & tædium in hac causa patiatur. Deinde, si Doctoris titulo non esset insignitus, vocatum se tamen dicit, vt concionatoris munere perfungatur. Liberum vero sibi fuisse, tam scriptis docere suos, quam viua voce. Quod si libros suos quoque alii desiderarint, non fuisse committendum, quin eos petentibus communicaret, cum neminī tamen eos obtrusurit inuito. Hæc Lutherus, contra se omnino: ex quibus Cæsari & Episcopis, non difficile fuit, sententiam in ipsum ferre, quam ipsemet descripserat, in se apostatā, impium, blasphemum, aliena à recepto vsu Ecclesiæ vniuersalis docentem. Sed placuit differre, trepidare, vbi non opus conniuere, nec seriam manum admouere vlceri, quod ferrum suspirabat: ad quod tandem tandem hoc nostro tempore oportuit accurrere: conspirantibus Anglo, Dano, Sueco, Moſco, Gabore, Thurca; ac vtinam, ne etiam Semichristianis, in perniciem Catholicorum.

Sed neque Melanchthon, ex Comitiis Augustanis discedens quieuit. Nam Apologiam, pro Confessione scriptam, quam Cæsar reiecerat, Wittembergā secum asportauit; eamque magnis incrementis auctam in publicum emisit: quæ non amarulentia tantum, & petulanti dicacitate respersa est, verum & mendaciis in Catholicos fœdisque calumniis, velut emblematis quibusdam interstincta. Adiunxit vero & Confessionem ipsam, non vt Cęsari fuit oblata, sed additiunculis & mutationibus passim interpolatam, quibus iam tum ad futuras in ea mutationes secretò dispositā fuit. Nec vnquam hæc Confessio lucem aspexit, verbis & sensu prorsus intemerata, quemadmodum per Melanchthonem Augustæ scripta primum, deinde per Pontanum nomine Protestantium in confessu recitata fuit, & Cæsari demum porrecta. Hanc, inquam, verbis & sensu penitus eandem Melanchthon nunquam, ne prima quidem editione in lucem retulit. Imo cum sequentibus annis recudenda frequenter esset, quod auide passim inter Lutheranos distraheretur, nunquam fere prodiit ex calcographorum officinis, nisi quibusdā aucta nouis assumentis, & mutationibus variata; quēadmodum demonstratū est à viris doctis, & ipsa exemplariū discrepantia testatur. Qua in re leuitas non vulgaris, & inconstantia Melanchthonis apparuit, quam rigidiores Lu- LXXXVI.

therani,

therani, qui se genuinos Lutheri discipulos haberi postulant, Melanchthonicis probri loco, postmodum non semel obiecerunt, vt ex Altenburgensi colloquio, aliisque Flaccianorum non minus, quam Maioristarum scriptis polemicis manifestum est. Neque vero Melanchthon verbis tantum lusit, aut phrasibus permutandis; sed & rerum, & dogmatum cardines loco mouit, & sententiam ipsius Confessionis immutauit. quin & iis hominibus aditum patefecit ad Confessionem hanc, quos pridem Augustæ cum eam scriberet, velut impios & indignos consortio Protestantium abominabatur; Sacramentariis inquam & Zvvinglianis, ad quos deinde sub annum 1541. vel potius vt Caluinistæ volunt, ab anno 1536. non apertè quidem professione publica, sed secreta magis inclinatione, cautim & paulatim deflexit. Itaque sicut ipse sententiam mutauit de Eucharistia, seque dissimulanter ad Sacramentarios adiunxit; ita & calamum moderatus est in Confessione mutanda; scilicet, vt secreto feneſtram aperiret, per quam vel Sacramentarios introduceret, vel ipse se foras ad eos proriperet. Quod ne forte cuiquam sine causa dictum videatur, clarius rem ob oculos defigemus.

LXXXVII. *Lutherani 10. Articulo Augustana Confessionis de Eucharistia offendunt.*

Articulus Augustanæ Confessionis decimus, vt is Germanicè lectus est in Senatu Principum, & Cæsari in archetypo porrectus, in hunc modum habet; *De Cœna Domini sic docetur, quod verum corpus & sanguis veraciter sub specie panis & vini in cœna præsens sit, & ibi distribuatur, ac sumatur. Idcirco & reiicitur doctrina contraria.* His verbis tria quædam asseruntur de augustissimo Eucharistiæ Sabramento, quæ causam præbuerunt Catholicis Theologis, Confessionem examinantibus, vt articulum hunc paucis quibusdam explicandi gratia additis, velut Catholicum probarent. Primum est, quod Christi Corpus & sanguis in Eucharistia vere præsens sit & distribuatur. Alterum, quod id fiat sub specie panis & vini: quæ loquendi ratio panis & vini conuersionem includit, quam Transsubstantiationem appellamus. Tertium, quod qui secus de Eucharistia sentiunt, quales sunt Zvvingliani, Svvenckfeldiani, Anabaptistæ, velut impie docentes condemnantur. Ex his tribus velut membris quibus constat articulus ipse: nimirum, quod in Eucharistia, verè sit præsens Christus: quod panis & vini substantia in Christi corpus & sanguinem conuertatur; quod qui secus sentiunt, docentque, tamquam aberrantes à veritate, reiiciendi sint & improbandi: quemadmodum Zvvingliani hanc ob causam in Comitiis à Protestantium consortio reiecti fuerunt. Iam vero Melanchthon eundem hunc articulum in posteriorib. editionibus ita recoxit, mutatis quibusdam verbis, quibusdam etiam resectis, vt ambiguum fecerit, quod in primo membro Protestantes velut certum asseruisse diximus. Secundum vero & tertium membrum, semel & simul è confessione sustulit. Ad primum certe quod attinet, ex eo verbum, adesse, vel præsentem esse, remouit; atque ita formauit articulum, vt cothurnum quemdam ex eo fecerit, non Lutheranis modo quadrantem, qui Christum cum pane & vino vere præsentem esse dicunt, sed & Sacramentariis ipsis, qui Christi corpus & sanguinem ab Eucharistia tam longe remotum asserunt, quam distat cœlum à terra. Secundum vero membrum de panis & vini conuersione, velut Papisticum prorsus eliminauit, dum pro vocibus, sub specie panis & vini, quæ transsubstantiationem innuunt, aliam loquendi formam substituit, Christi corpus & sanguinem asserens cum pane & vino sumentibus exhiberi. At tertium illud, quo secus docentes condemnantur, totum expunxit. Quod vt faceret; necessitas ipsa, meo quidem iudicio postulauit. Cum enim ita transformaret articulum hunc, vt pallio verborum & Sacramentarios simul obuolueret: certe nisi se vellet in contradictionem implicare, condemnatio prorsus abolenda fuit, atque expungenda. Et quidem hoc ipso quod eam aboleuit, tacens velut intento digito causam designauit, qua permotus hoc mutandi consilium susceperit: scilicet, vt quos Augustæ durius à societate repulerat, eos nunc nuctu nictuque, cum palam non auderet, verbis ad ambiguitatem compositis, ad Confessionis consortium inuitaret: occulte quidem illud, & velut per nebulam, propter Lutheri tyrannidem: suauiter tamen & benigne, vt temporum conditio ferebat.

Neque vero Sacramentarij pernicioſum hoc Melanchthonis consilium non intellexerunt; quemadmodum historia sequentium temporum testatur aperte. Itaque decimum Augustanæ Confessionis articulum, illius Confessionis inquam, quæ Cæsari fuit in conſeſſu Principum oblata, quod ad substantiam pertinet, Melanchthon sub emendationis vmbra totum sustulit, & quem diximus cothurnum (voce Lutheranorum vtor; hanc Melanchthonis fraudem detestantium) in locum eius substituit: quem Caluinistæ ex ipsius sententia, sibi potius, quam Lutheranis conuenire plenis faucibus gloriantur. Atque hinc originem habet in Germania Philippistarum Caluinizantium factio; quæ tamen à Melanchthonicis; de quibus supra diximus, toto cœlo dissidet. Nam Philippistæ reuera Sacramentarij sunt; tametsi sub Augustanæ Confessionis vmbraculo delitescant. At Melanchthonici vergunt in alteram partem, & ad Catholicos inclinant satis, quorum cerimonias in diuino cultu magnam partem retinuerunt: Imo & in quibusdam doctrinæ capitibus non adeo longe dissiti videntur: in quorum gratiam, & articulum de libero arbitrio per Melanchthonem in Apologia mutatum esse, Lutherani rigidiores quiritantur. Cæterum vterque hic fœtus Melanchthonera parentem agnoscit: quorum posterior ex illius nomine, prior antem ex cognomine nomen accepit, ab ipsis inditum Lutheranis, qui Philippistas vt Sacramentarios laruatos, Melanchthonicos & Semi Papistas, vtrosque velut hostes Euangelij noui detestatissimos abominantur. Interim vtrique prouocant ad Confessionem Augustanam: quod confidenter inprimis facium Philippistæ; cautione tamen addita, quod eam profiteantur in sensu Melanchthonis, quem posterioribus annis ad castra Sacramentariorum à Lutheranis profugisse non dubitanter asserunt. Huius factionis proculdubio fuerunt, Caspar Peucerus gener Melanchthonis, Christophorus Pezelius, Vrbanus Pierius, aliique nonnulli Wittembergensis Academiæ professores, qui per Melanchthonem educati, Wittembergam ipsius Lutheranismi sedem clandestinis machinationibus, velut per cuniculos occuparunt. Quamquam Augustus Elector Saxoniæ, cum fraudem deprehenderet, hanc Philippistarum laruatam colluuiem, summa cum ignominia è ditionibus suis exturbauit. *Cochlæus & Vlembergius in Luthero & Melanchthone. Surius in Comment. Sl. lib. 7.*

Ad Augustana Comitia, Anabaptistæ, ne comparere quidem voluerunt: contenti sectam suam propagare in Silesia, Morauia, Bohemia, & in inferiore Germania. Pelargus, de quo superius diximus, cum Silesia pulsus in Bauariam fugeret, reliquit duos post se discipulos Iacobum Hutterum, & alium quemdam Gabrielem nomine, homines feroces, & seditionibus excitandis apprime idoneos. Hi post discessum eius, clanculum per Ducatum Glogouiensem discurrentes magnam agrestium multitudinem, ostentis suis & moribus asperis, in nefariam sectam traduxere; idq; sub eo pietatis prætextu, vt crederent plerique qui eos sequebantur, ob singulare meritum prophetico spiritu dotatos, à Deo ad prædicandum his vltimis temporibus pœnitentiam missos esse. His suis næniis, cum populum diu dementassent, iamque publicam aliquam seditionem machinari viderentur, à Magistratu fraudulentiam maturè edocto, pœna capitis, in eos qui remanere præsumerent, constituta. Pulsis, Morauia hospitium præbuit, vbi qui iocum illis accepta pecunia concederent, homines nacti, in numerosim multitudinem breui tempore excreuerunt. Scriptis enim ad suos in Silesiam litteris, simpliciores non ante sollicitare desiterunt, quam relictis aut venditis bonis, inde ad se in Moraviam cum familiis commearent. Et quia iam ante pietatis specie animos eorum perterrefecerant, facile etiam ad hoc permouere potuerunt. Itaque magnæ cohortes rusticorum, ex Ducatu præsertim Glogouiensi, quotidie ad eos confluxerunt, qui opibus, aut earum loco pecunia, ad duorum, quos diximus, velut Antistitum pedes, Apostolorum more repositā, nouo quodam zelo societati nomina dedere. Ex Bauaria quoque, Comitatu Tyrolensi, Heluetia, Austria, Styria, aliisque locis conterminis non pauci accesserunt, tanta frequentia, vt alios in stuporem, semet in admirationem traherent; quasi non suo, sed Dei ductu, in tantam, tamque LXXXIX. *Anabaptistæ ad Comitia venire noluerunt.*

Iacobus Hutterus Pelargidi discipulus magnam agrestium multitudinem concitat.

validam sectam, tam subito constituerent. Anni vix spatium transiit, & ecce aliquot millia id genus hominum Morauia tulit & suspexit. Huic tantæ multitudini supremum se Ducem Hutterus constituit, eamque in manibus suis præstigiis misere fascinatam, in quasuis, easque absurdissimas hæreses, vel leuissimo negotio traduxit. Atque vt erat Apostatarum more insigni versutia præditus, eo dolo & fraudibus rem egit, nemo vt esset, qui non magnifice de persona eius doctrinaque loqueretur. Si quando verba ad eos facturus erat, non aliter, quam prophetas in veteri testamento factitasse leginus, sermonem ordiebatur. Hæc dicit Dominus (inquiens) Dominus locutus est: Audite verba Domini &c. Crebro in ectases, ad visiones, ad secreta de rebus diuinis colloquia se rapi mentiebatur. In præsentia fratrum in terram proruens vlulabat vt lupus, humanasque deplorans miserias ad cœlestium mysteriorum contemplationem animos inuitabat. Docebat, iustitiam hominis in austeritate vitæ, & rigida seueraq; morum compositione, positam. Magistratum reiiciebat, & omnem ordinem Politicum. Bonorum quoque & rerum omnium communionem vrgebat; Sathanæ filios appellitans, qui sibi solis reliquum asseruarent.

XC.

Huttitarum secta.

Ferdinandus Princeps vbi ista cognouit, scriptis ad Mareschallum litteris, istinc homines propediem pelli, inque seductorem ipsum inquiri imperat. Nec mora, in retinctos edictum editur. Quo audito, illi furere, Magistratum maledictis proscindere, causamque omnem tanti mali in Mareschallum reiicere. Concurrebant cum Huttitis loci incolæ, cumque iis vna eademque morte, communem libertatem tueri velle, clamitabant. Res ad publicam aliquam seditionem spectare videbatur. Mareschallus, ne violenter turbæ mouerentur, ad Principem dat litteras, ostendens, quam res sit plena periculi; homines nouiter admissos, & in seditiones natura procliues, istinc adeo subito pelli, turbarique. Suadet subsistendum parumper, & cousque edicti sententiam prorogandam, donec commodior rebelles coërcendi sese offerret occasio. Dictum, factum. Interea illi proprias ædes conducunt, agros & prædia coëmunt, mutua cum finitimis commercia matrimoniaque contrahunt, easque vires sibi sensim acquirunt, vt & edictum ipsum, & cum eo Magistratum aspernarentur, atque reiicerent. Hutterus ipse in Bauariam, Comitatum Tyrolensem, & Austriam subinde excurrens, plures in societatem attrahit, miseros & pauperes rusticos inficit erroribus, fœminas, virgines, iuuenes, senes, splendidis promissis inuitat, eo dolo & astu, vt multi sæpe relictis vxoribus & liberis, cum eo in Moraviam, velut ad terram benedictionis, quæ lacte & melle flueret, repederent. His postea sub libertatis Christianæ velo, iuuenculæ dabantur virgines, & ex communi fratrum substantia delicatiores epulæ ministrabantur. Placebat summopere talis vita agricolis, iis cumprimis, qui præter labores assiduos nihil amplius domi habebant reliquum. Hinc magna ad eos rusticorum agmina, multæ otioforum hominum cohortes confluebant; qui omnem substantiam suam, bona omnia, & quicquid vel parentum, vel suis sudoribus acquisierant, in commune conferebant. Quid multis? Agricolæ ipsi, nemine hortante, suapte sponte cum familiis in Moraviam secedebant, atque vicinis, amicis, & propinquis, secum vt iter ingrederentur, consilium dabant. Quid facietis, aiebant, si senium ingruat, si morbus diuturnior vos lecto affigat, si fames, si cara tempora, si aliæ difficultates oriantur? Nostis quam fortuna tenuibus bonis prouiderit; quæ nos miseria post continuos labores maneat; quam pauperiem in æstu & frigore tolerare cogamur? Anne præstat pauxillum hoc quod habemus, exiguam illam domus supellectilem, tam sanctæ societati (Huttitis scilicet) attribuere, & pro re vili, certum, & quoad vita suppetit, necessarium victum vestitumque commutare? Agite, si quietam vitam quæritis, liberisque vestris & amicis consultum cupitis, nobiscum in Moraviam concedite, ac vna eademque sorte delecta, communes istuc opes transferte. Addebat miseris inopia mentem, qui bonis oblatis, facile toties optatæ libertatis præcones in Moraviam subsequebantur. Currebant viri & mulieres, virgines & iuuenes permixti passim, agrisque suis & domibus vilissimo pretio distractis, in viam properabant. Ductor erat, vti diximus, Hutterus. Hic, quacumque transibant, agricolas & vinitores per emissarios suos sollicitans, vt sese comites adiungerent, incitabat. Arrigebant aures nouarum rerum cupidi, bonique; diuenditis in Moraviam commeabant.

XCI.

Huttita Morauis excedere iubentur.

Deterruit summopere Principem insperata hominum colluuies; quam vt initio statim dissiparet, nouum edictum publicabat, misso in Moraviam milite, eiici inde per Mareschallum demandabat. Viuebant Huttitæ in tuguriis & casulis, & velut sub dio nullis septi munimentis conueniebant. Itaque vi magna opus non erat, sed duce solum, qui ne præter fas & æquum quidpiam ageretur, circumspiceret ac prouideret. Mareschallus vir natura mitis & benignus, antequam militem educeret, familiariter primum, vt mature istinc facesserent, priuatim rogabat; vtque tanto citius, acceptis sarcinis, & quæ conferre poterant, bonis mobilibus iter arriperent, exercitum in procinctu esse, & iam iam adfuturum, qui cunctantes violenter eiiceret, nunciabat. Quod si diutius, & vltra vnius dici spatium moram traherent, fore, vt & bona militibus in prædam cederent, & sine sanguinis effusione vix pedem Morauia efferrent. At illi accepto isthoc tam inopinato nuncio, ne vllo quidem mœrore affecti, sed contumaciores redditi, respondebant; non posse se, nec velle etiam, vt qui proprias domos, agros, villas, aliaque bona suis sumptibus, sibi cum annexis priuilegiis acquisierint, tam subito Moraviæ finibus excedere; iniquum enim esse, & contra iustitiam omnem, è bonis propriis sine iusta causa quemquam depelli. Videret primum, & strictius secum Princeps quid agat expenderet, ne dum in innocentes tyrannidis suæ ensem & arma deuibrat, vltricem Dei manum cœlitus sibi ad interitum accersat. Charos se tamen & acceptos omnibus, nec quempiam hactenus, quod quidem scire queant, extitisse, qui querelas sui causa vmquam apud Magistratum deposuerit. Proinde mirum sibi videri, quid causæ suspicionisue subsit, tam propere, tamque inopinato sedes vt isthinc transferre iubeantur. Quod si tributum, aut annuum aliquod vectigal Prrinceps exigat, paratos se actutum pendere; modo liceat sibi in laboribus suis, & semel suscepta religione, in coempto solo commorari. Irritamenta hæc erant versipellium hominum, quibus sperabant Principis gratiam aucupaturos. At surdo fabulam narrabant. Princeps veræ fidei zelo ardens, nullis promissis flecti potuit, blandientibus sibi Huttitis, indiesque tantas animarum strages in suis viciniisque dominiis edentibus, gratiam vllam locumque vt reliquum faceret. Iubentur ergo semel atque iterum, iam bonis verbis, iam minis interpositis, Morauia exire. Postremo cum nollent, ac subditos contra Principem in sui defensionem magis magisque concitarent, Mareschallus immisso in eos milite ad vnum omnes profligauit. Atque dum demum sedibus suis & bonis eiecti, superbiæ cristas posuerunt, ferocitate priore in summam lenitatem immutata. Moraviæ adiacet ericetum quoddam longum plane & amplum. Huc pariter confluxerunt; hic sororibus & liberis grata humus hospitia dedit. Ibi Hutterus fratres animare, ad constantiam, ad pietatem, ad deuotionem crebris concionibus inflammare, Dei gratiam plenis buccis concrepare; quod digni fuissent habiti pro nomine eius persecutiones perpeti, ac dum isthoc exilium subire. Eia, inquit, fratres, ista sunt quæ in hoc mundi ergastulo electis restant præmia; hæc euidentia, quibus cœlestis pater suos probat, signa. Sic filios Israel in Ægypto, in solitudine, in captiuitate Babylonica; sic Apostolos suos, sic reliquos omnes discipulos, alios in carceribus, in exilio, in persecutionibus; alios in tormentis, in suppliciis, in martyriis, in passionibus continuis Christus Dominus probauit, & vt tanto citius ad cœlestem paradisum euolarēt, pati hæc voluit. Quare procul abfit tristitia, mœstitia omnis & dolor exulet; cogitate, quo hic maiora exantlaueritis tormenta, quo grauiores persecutiones sustinueritis, hoc altiores in cœlo sedes habebitis. Nec est quod de terrenis mentem cogitatio subeat; dabit omnia nobis, qui vitam dedit, & ad suam formauit imaginem. Habeat tyrannus iste (sic Ferdinandum Regem nominabat) opes nostras, iis se vt velit recreet, voto tamen nequaquam potietur: nobis mox aderit, qui multo maiora hisce retribuet. Hæc ille. Interim labebatur tempus, & stomacho latranti nemo qui mederetur, comparebat. Frustra diuina deposcit auxilia, frustra cœlitus opem expectat; non audit amplius, à quo ille per nefariam hæresim descierat. Circumstant fratres famelici, vxores & liberi fame fere emortui cibum postulant;

defe-

defectionem, nisi aliò, vbi viuendi media suppetant, traducant, minantur. Quid agis ô false vates? Quo humanas mētes vanitatum abripis? Sufficitne semel eas per errorem necasse, & adhuc corpus etiam ipsum, ante constitutum terminum opprimere satagis? Cessa, & vel sero demum seductis, ipse ad Deum conuersus pœnitentiam prædica. Sed audi, quid acciderit. Videns coram Hutterus populi miseriam, clamores & fletus percipiens, ad extrema confugit remedia, & quem ante occisum cupiebat, nunc vt se reassumat, humiliter inuocat. Epistola eius omnium nomine ad Mareschallum scripta, sic habet.

XCII.

Iacobi Hutteri ad Moraviæ Mareschallum litteræ.

Nos fratres & amatores Dei, veritatis eius & synceritatis testes verissimi, Iesu Christi discipuli, qui variis locis veritatis odio propter nomen eius exacti, huc in Moraviam cum nostris omnibus descendimus; hic simul cōcordes sub Domino Mareschallo viximus, per gratiam & protectionem præpotētis Dei, cui laus & gloria in sempiterna seculorū secula. Nunciamus tibi Domine Centurio & Moraviæ præposite, quemadmodum nuncij aliquot cum mandato tuo ad nos peruenerint, vt exploratum habes & probe cognitum. Huic oretenus respondere placuit, & in scripto tradere: vtpote nos mundū, iniquitatem, & omnem vitam impiam & peruersam iamdudum reliquisse. Credimus in Deum omnipotentem, & in filium eius Dominum nostrum Iesum Christum, qui de cętero nos ab omni periculo defendet, & protegęt, cui nos totos deuouimus, cui vitam nostram, & quicquid habemus vltrò obtulimus, huius mandatis obtemperamus, fidem eius & doctrinam adferimus, peccatis nullis aut criminib. assentimur, iniquitatem & iniustitiam odio habemus, hinc omnib. in mundo ludibrio & cōtemptui sumus, hinc persecutionibus & exiliis affligimur, bonis nostris misere nudamur, quemadmodū olim omnibus sanctis prophetis, imo & ipsi Christo obtigit. Rex Ferdinandus, Princeps tenebrarum, truculentus ille & sæuus tyrānus, hostis veritatis diuinæ, inimicus & persecutor iustitiæ, plurimos nostrum, sine misericordia vlla, innocenter interfici & trucidari curauit: ille nobis bona nostra, domos & agros eripuit, in exilium protrusit, inhumaniter & miserabiliter tractauit. Post hæc omnia, in Moraviam deuenimus, & iam aliquo tempore in quiete & tranquillitate viximus, sub te Domine Mareschalle. Nulli hominum oneri aut damno vmquam fuimus, maximis laboribus insudauimus, vnde victus miseris nobis & necessaria suppeterent, vti omnes in veritate testabuntur. His non obstantibus, summa vi possessionibus nostris pulsi, & in exiliū immaniter deiecti sumus. Hæremus in vasta solitudine, in deserto & spacioso ericeto, sub dio & Ioue frigido; sed hæc gratissimis mentib. amplectimur, immensasque in summa patientia nostra æterno patri gratias referimus, qui dignos nos, vt pro eius nomine isthæc omnia (non vero propter iustitiam Christianam) patereamur, censuit; quamquam summo nobis dolori est, vos adeo grauiter in Dei filios tyrannidis vestræ spicula configere. Iustis multa subeunda sunt pericula, & vix dici potest, quantas iniurias à mundi exordio exantlauerint. Sed væ, & iterum væ omnibus illis, qui nobis sine iusta causa, propter Dei nomen solum & veritatis professionem, tot tantaque mala infligunt, & à se velut canes & belluas in solitudinem & exilium propellunt. Appropinquat ruina ipsorum & calamitas, manus Dei præueniet eos, & mala in interitu capient implicabuntq; & in hoc, & in futuro seculo. Nam Deus sanctorum suorum innocentem sanguinem de manu ipsorum deposcet, ac terribiliter vindicabit secundum prophetæ præsagium. Et quia violenter nos hinc in exiliū pepulistis, hoc responsi admittimus. Nescire nos neq; locum vllum, vbi secure nobis viuere liceat: neque hic diutius prę fame & metu audere subsistere. In Regis ditionibus versamur, siue hac, siue isthac nos vertimus, hostem vbiq; habemus. Si procedamus longius, tyranno in occursum velut ouiculæ lupo & leoni contendimus. Ad hæc multæ nobis viduæ & vagientes in cunis pusiones, quorū parentes crudelissimus ille tyrannus, & diuinæ iustitiæ hostis Ferdinādus, per summam iniuriam sustulit, superstites restant, qui nec iter nobiscum ingredi, nec, nisi aliter disponatur, vitam diutius tolerare poterunt. His nobis à Deo datis & commissis adesse, subuenire iis, & ne quid patiantur detrimenti, sedulo aduigilare incumbit. Propterea ab istis nulla ratione discedere fixa stat animi sententia, sed potius extrema tentare, sanguinemque ipsum profundere, quam si vel vllum patiantur damnum cupimus. Præterea habemus & domus nostras & bona, quæ summis laboribus, & in sudore vultus nostri nobis obuenerunt: hæc adhuc nostra sunt, & necdum diuendita, ad quę tēpus & mora requiritur. His vel nunc maxime opus habemus, vt nos, vxores nostras, viduas, & liberos, quorū magna copia, ne fame moriātur, sustētemus. Sed heu miseri! hic in deserto nūc degimus, velut abiecti, & humanis conspectib. prorsus indigni. Reddāntur nostra nobis, bonis & opib. nostris restituamur; viuemus vt hactenus, pacatè & tranquille. Nemini molesti esse volumus: sed nec hostib. nostris, nec ipsi Ferdinando Regi vel in minimo oberimus. Nota est omnibus passim vita nostra, noti mores & conuersatio. Priusquam vel vllum obulo tantum fraudaremus, iacturam citius centum florenorum infligi nobis pateremur. Nec est quod quis cædes à nobis fieri metuat, cum nec hastas, gladios, lipennes vt mundus facit, nec alia quæcumq; arma geramus. Qui vero nos ruri tot millibus ad bellandum egressos dicunt, mendacia de nobis fingunt, & apud Magistratum impiè traducunt. Querimur apud Deum & homines iniuriam nobis fieri, & dolemus maximopere proborum, vt nos vere sumus, numerum tam esse exiguum. Optamus & expetimus mundum esse, vt nos sumus, ac eiusdem omnes nobiscum fidei: certe breui malorum omnium finem adesse videremus. Insuper addimus: ex hac terra eiectis nullum restare refugium, nisi Deus specialem aliquem nobis locum designarit. Non possumus hinc recedere. Terram Deus noster omnibus communem dedit, ex qua si recedere polliceremur, præstare forte neutiquam possemus. In manu Dei sumus & viuimus, ab eodem huc videmur translati: forsan ille hic & non alibi nos vult habitare, probare in fide, & num constantes simus, num ad persecutiones & aduersitates alacres, experiri: quod tamen nos fugit. Alioquin si constaret nobis, velle eundem, nos hic per tot acerbitat. ., alio migrare debere, non segnes, sed promptissimi hinc transire, imo non præcipiente ipso, modo vellet, vltro abire vellemus. Noctu diuque preces ad ipsum fundimus, oramus & petimus, vt quo vult, nos ducat. Non possumus refragari voluntati eius, nec vobis possibile fuerit, quantumuis conemini. Tempus breue concedite; reuelabit forte, hic ne mansuri, an alio ituri simus, cœlestis pater. Vbi hoc factum fuerit, videbitis nullam difficultatem tam nobis grauem fore, quæ ab itinere deterrere nos possit. Quapropter væ vobis, & iterum væ, qui sœuissimo tyranno, & veritatis diuinæ hosti, Ferdinando, obedientiam & fideliratis iuramentum præstitistis, ad pios & fideles abigendos. Væ vobis dicimus, qui mortalem istum plus veremini, quam Deum viuum & omnipotentem, adeoque subito & inhumaniter Dei filios, afflictas & desolatas viduas pupillosq; Domini expellitis à vobis, & foras propulsatis. Non impune feceritis, nec excusabunt vos sermones vlli aut effugia: par vos pœna manebit, eademq; torméta, quæ in se Pilatus pertulit, qui Dominum crucifigere nolens, præmetu tamē Cæsaris morti adiudicauit. Deus per os prophetæ loquitur, se sanguinem innocentem terribiliter & horrendè vlturum; nec præteriturū eos, qui manus suas eo polluere & contaminare non sunt reueriti. Idcireo magnas clades, miserias multas & ærumnas, dolores & aduersitates, imo sempiterna suspiria, pœnas, & tormenta in vos quotidie decernit. Iram suam extendit super vos altissimus, hic & in perpetuum. Hoc vobis annunciamus in nomine Domini nostri Iesu Christi, quod nempe in veritate hæc non auferentur à vobis, & breui experiemini, nos vobis nihil præter veritatem declarasse: idq; in testimonium diuinæ voluntatis vobis & omnibus aliis, qui contra Dei mandatum tam grauiter peccant & delinquunt, significamus. Rogamus vos, declinate à malo, & ad Deum conuertimini in fletu & planctu, vt istis malis nō inuoluamini. Precamur etiam & quam possumus, submisse precibus à vobis contendimus, hæc omnia in bonam partem interpretari velitis. Nam testamur & loquimur quod scimus, & apud Deum verum esse didicimus, idq; ex puro & pleno diuini timoris animo facimus, & ex vero Christiano amore, quo Deum ipsum, & omnes homines prosequimur. Valete.

XCIII.

Has litteras Hutterus ipse ad Mareschallum propria manu perscripsit, quas tamen, quālibet acerbas & virulentas, priusquā is acciperet, id prius apud Nobiles quosdā, & qui Magistratui familiares erāt, blandis suis & melle illitis verbis effecit,

vt ex

vt ex præcipuis non deesset, qui pro recipiendis hominibus, submisse, & apud Mareschallum & Ferdinandum ipsum sollicitarent. Prætendebāt illi, homines esse rudes, & ad labores perferendos natos; omnibus commodo, & vtilitati, nemini impedimento & oneri vspiam extitisse. Quod religionem attinet, nescire quid credant ipsi, & ineptos plane qui alios in errorem trahant: præconibus modo & instructoribus inhibeatur publica suæ fidei professio; nihil periculi inde secuturum. Quid multa commemorem? sic agitur. Redeunt expulsi sub salvo-conductu in Moraviam, ac suis quisque bonis restituitur. Promittunt, nihil, quod publicę tranquillitati, quod bonis moribus, quod fidei Christianæ officere posset, actu-
Ferdinandus Caroli V. frater præmium Huttitarū Principem prodenti proponit.
ros. Seruant ad tempus fidem; sed hæreticorum more non multo post resiliunt. Inquietum animal est hæreticus; semper noua, & datæ fidei contraria molitus. Hutterus rursum in Austriam & Comitatum Tyrolensem repit, nouos cætus colligit, multos in Moraviam clam magistratu traducens, tanta copia, vt, quando Ferdinando innotuit, præmium ei, qui primus hæresiarcham viuum traderet, luculentum fuerit designatum.

XCIV. Erat Huttero parastata Gabriel N. vt supra diximus. Hic illo astutior, quantam sibi inuidiam apud primates conciliaret, tempestiue edoctus, subinde imminente periculo velificabat pro fortunæ flatu, & magistratui parendum docebat prohibenti hoc aut illud, & ad tempus dissimulandum, donec mitior aura spiraret. Excurrebat frequenter in Silesiam, Prussiam, Poloniam, atque Lituaniam; vbi ardentissimo zelo hæresim disseminans, multas turbas agricolarum cogebat, quos deinde in Moraviam missos per familias disponebat. Et quidem ex vna Silesia exiguo temporis interuallo, supra duo hominum millia (incredibile dictu) eduxit: qui bonis venditis VII. M. florenorum summam confecerant, quos ad pedes huius Apostoli Gabrielis deponebant. Interim habebantur duriter ac misere, labores vinitorum & agricolarum obibant, mercedem vero ad superiorum manus deferebant, qui tenui ipsis victu præbito, in deliciis & torpore voluptariè reliquum prodigebant. Ædificabantur illis tuguriola & casulæ, longe ab hominum consortio, vbi à prædonibus sæpe numero, absentibus maritis, miserlæ mulieres spoliabantur. Quod facile fiebat, cum ipsæ tanuis apertis in vnum conuenirent locum, & omnia velut in commune in prædam exponerent, pro libidine militum diripienda. Præter hæc, maioribus indies malis implicabantur, ob mutua, quæ inuicem inter superiores pullulabant, odia; qui inuidia excitati, mutuo sese crebris anathematum fulminibus conficiebant: vt vere cecinerit olim Poëta Lucanus:

Nulla fides regni sociis, omnisque potestas
Impatiens consortis erit.

XCV. Quærebat Hutterus fauores populi, & vulgi applausum, isque videri volebat, qui primus tam præclaræ societatis auctor, adeo sanctas viuendi regulas præscripsisset. Nec cedebat Gabriel, tum ex aliis, tum ea maxime causa, quod Hutteri, viri ab ingenio improbi & austeri mores, ob motus & seditiones ex doctrina eius ortas, & ipsi populo, & Principibus vt plurimum sciret displicere. Itaque vt est regnum in se diuisum hæresis, maturè ab inuicem disiunctii in duas sectas distillerunt; quarum altera, quod Hutterum ducem agnosceret, *Huttitarum*: altera, quod Gabrielis ductum sequeretur, *Gabrielistarum* secta fuit appellata. Vix credet posteritas, quibus odiis, quibus dicteriis & conuitiis separatione ea facta, alij in alios desæuierint. Huttitæ Gabrielistas, quod à se defecissent, apostatas, schismaticos, hæreticos, Absolones, filios proditoris Iudæ, aliisque contumeliosis nominibus, Dei hostes, & viperarum progeniem vocitabant. Gabrielistæ in Huttitas propter fœditatem morum, vt Epicuræos, Melancholicos, seditiosos, concordiæ turbatores, Ecclesiæ & filiorum persecutores & tyrannos, perpetuis clamoribus tonitruabant. Summa, in tantum odium alas expandit, vt in hodiernum vsque diem non modo non colloqui, non idem tectum subire, sed cane peius & angue fugere, non intueri se inuicem, nedum loco, quo in alterius sectæ homines stetisse cognouerint, appropinquare velint. Rudiores etiam, si cubi cōuenirent, deq; vitæ fideique suæ progressu sermones tererent, si quem alterius partis præsentem conspicarentur, in eum, quemadmodum noctuas & vespertiliones de die aues reliquæ tractitant, fustibus & flagris irruebant, èque cætu velut leprosum & anathemate ictum, profligabant. Plurimum vtrisque fœda ista hæc in religione disiunctio, & certamen adeo acerbum & virulentum obfuere; idque speciali præpotentis Dei prouidentia accidit, qui eo, quam ab iis procul recedere debeamus, admonere nos assolet. Ita apud Catholicos in summum contemptum adducti, cum numerus quotidie imminueretur, ad finitimas regiones alios piscatum discipulos erumpebat. Gabrielistis Silesia, cum adiacentibus prouinciis patebat. Huttitæ in Bauariam, Austriam, Comitatum Tyrolensem &c. contendebant, sub superiorum, qui comitabantur, auspicio & ductu. Profecturi, ne in itinere periculum aliquod oboriretur, non interdiu, sed noctu relicta via Regia, per montium saltuumque secreta iter faciebant. Quo clam confecto, ad suos consanguinitatis aut mercimoniorum distrahendorum specie sese conferebant. Horum magnus erat numerus, & subinde potior pars ipsis adhærescebat. Verum quo minus publico testimonio hoc ipsum declararent, principum seu Magistratuum in Catholica fide, zelus & feruor prohibebant. Atq; his, quia necdum perfectionis culmen attigerant, neque rebaptizati essent, velut neophytis & catechumenis, fidei suæ principia tradebant. Accedebant ex vicinis & alij quoque, quos nouitas mirum in modum delectabat, qui in execrabilem sectam manibus pedibusque, quod aiunt, concedebant. Emungebant Pseudo Apostoli isti miseros rusticos frumento, & quod in ære ad manus aderat. Ex pago in pagum, de prouincia in prouinciam subrepebant, & numquam vacui & inanes, sed pecunia, frumentis, bonisque aliis vndiquaque præmuniti ditatique redibant. Quod sæpe felici successu tentantes aliorum bonis, redactis ad paupertatem rusticis, aucti sunt, & ad summas diuitias prouecti. Hinc officiariorum in exigendis tributis, cum soluendo non essent subditi, publicæ ad Principes querelæ; qui nisi clandestinas illas Catabaptistarum eruptiones præpedirent, fore, vt iidem vna cum omnibus sibi subiectis ad extremam inopiam reciderent, prædicebant. Primus ex omnibus Princeps Bauariæ, de omnibus iam ante probe edoctus, mandata passim affigi, peregrinos quosque, priusquam ad hospitia deducerentur, de patria, statu, negotiationibus, & quid rerum acturi aduenirent, per vigiles & portarum excubitores examinari; eos vero de quib. suspicio oriri posset, stringi, & dari in custodiam, seriò & seuere demandauit. Hoc exemplo reliqui Principes excitati, paria ad subditos mandata destinarunt. Non caruit successu institutum. Capti multi, & inter illos ipse etiam Hutterus, fax & auctor omnis mali Clusæ, quod est Brixiensis Episcopi oppidum in Tyrolensi territorio proditus, & Ferdinandi Regis iussu, Oenipontem tamquam singulariter seditiosus latro, tamquam seductor simplicium, tamquam malus, superbus, arrogans, & politicus rabula & hæresiarcha, tamquam nudis & indoctus animarum laneo, & honestarum coniugum raptor & adulter, vti scribit Christophorus Erhardus, vt dignas ibi perfidiæ pœnas lueret, missus est. In carcere grauibus tormentis pro meritis pressus, nihil fateri voluit, sed pertinax & ferox permansit. Conuictus à Sacerdotibus errorum quos sparserat, & ad reuocationem & Christianam fidem resumendam admonitus, nulla ratione consensum vt daret, permoueri potuit. Itaque lata in eum mortis sententia, viuus extra vrbis portam crematus fuit, vbi miserlam animam, tot tantisque erroribus conspurcatam, in maximis angoribus & angustiis positam, ad orcum exhalauit.

XCVI. *Hutterus vnde originem traxerit.* Originem Hutterus traxit ex obscura operariorum familia Comitatus Tyrolensis, pileario quodam (vt erat multorū opinio) patre genitus. Fidem Catholicam materno cum lacte iuuenis imbibit, & à parentibus litterarum studiis mancipatus sub ferula præceptoris ludi patrij prima artium fundamēta iecit. Sed cum tardioris ingenij labores subterfugeret, nec litteris multum oblectaretur, vagus Cinclorum more, per superiorem Germaniam cursitabat. Cumque videret, quæ passim conscenderent dignitatum fastigia, quos honorum titulos, quas laudes consequerentur ij, qui dogma aliquod plausibile, auidæ nouitatis plebeculę obtruderent: ipse etiam apud se de mediis cogitare cæpit, quibus innixus par æque & glorioſum nomen adipiſceretur. Et quia præuidebat id in patria primum, quod omnibus explorati essent mores ipsius & genius

Eiusdem doctrina & mores.

nius, haud commodè fieri posse, in Saxoniam & Silesiam descendit. Hic à Pelargo deceptus, oblato Ecclesiæ Catholicæ diuortio, Anabaptistarum errores eodem vrgente suscepit. Quo post annum aut alterum, ex Saxonia & Silesia pulso, & postremo Monaci defuncto, in Magistri locum succedens pseudoprophetam sese in Bauaria primum, & postea generalem Retinctorum in Moravia, quemadmodum supra retulimus, præsidem perhibuit. Personam eam & munus mira fraude sic ad obitum vsque gessit, vt post mortem, multo quam antecessorum vllus, celebrius inter suos, ob externam asperitatem vitæ, & iactatas sublimes visiones nomen meruerit. Homo fuit gloriæ appetentissimus, quam quo nanciscereturaltiorem quoad vixit, reliquis spiritum iactitare consueuerat. Errorum eius superius meminimus, quibus tunc numero paucis temporis progressu plurimos accudit. Inter quos fuere: se scilicet & fratres reliquos corporaliter populum Israëliticum esse, quibus Deus ad impios Chananæos certo tempore, quod reuelaturus sit, funditus excindendos gladiū commiserit. Sæpe in cœlum rapi, & visionibus multis, quandoq; etiam colloquio diuino dignari; omnia mundi mala in spiritu præuidere: hinc continuas afflictiones, miserias, ærumnas, morbos, bella, tonitrua, fulmina, Dæmones, mortes, regnorum euersiones, gentium exitia, tyrannorum pœnas, horrendas & terribiles plagas, denunciabat. Prædicabat diem Domini instare: ideoque omnia ante eius aduentum abligurienda, nec quicquam in residuo reponendum; nam quo diuitiis & bonis nunc affluerent, hoc melius & promptius cœlestia scrutari posse, atq; eo citius etiam dictum diem adfuturum diuinabat. Vnde genio indulgere cœperunt, bona dissipare, in tantum, vt consumptis omnib. & absesis, ad summam sint redacti paupertatem, frustra illum diem Domini intempestiue expectantes. Ob eam fraudem cum multi ab ipso deficerent, iactitabat nihilo minus constanter, visum sibi Angelum tubam in manu habentem, & ad cōuocandum omnes ad extremum iudicium, iam tum paratum: Deum se precibus pro malo auertendo sine intermissione deprecatum, & ob id non discedendum, sed standum firmiter, iugiterq; lętandum, quod tam benignum & clementem se Dominum vniuerso populo cœlestis pater exhibuisset, latamque in humanum genus sententiam, suis, velut olim Ezechiæ Regis, orationibus permotus reuocasset. Baptismum paruulorum Christianorum *filiis inutilem docebat*, & ad salutē minime necessarium, infantibus præsertim, quod adhuc sine fide, sine scientia & intellectu essent: nudè ab hominibus excogitatum institutumque, nec quidquam ad æternam beatitudinem cōducere: qui porro animam suam ab ira diuina vacuam seruare velint, eos de nouo baptizari debere, sua vel discipulorum manu, in nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti Amen, pro subeunda pœnitentiæ & nouæ vitæ regula. Hæc Hutteri hæresiarchæ dogmata, hic ortus, & interitus. Optandum esset, hæc cum de suo propheta Huttitæ audiunt, vt reuocatis erroribus ad Ecclesiam Catholicam lætabundi remearent: id quod piis omnibus gaudio, ac ipsis etiam saluti foret & commodo. Sed quia ex deliberata voluntate, in erroris abyssō collotenus demersi hærent, sanasque admonitiones peruicaciter respuunt, Dei iudicio sunt relinquendi.

XCVII. Cæterum quos præter Hutterum Ferdinandus custodiæ demandari præceperat, ij plerique liberi & illæsi, prius tamen, quod redire nollent vmquam, Sacramento præstito, in Moraviam ad suos reuerti permissi sunt: mandato contra eos per omnes vicinos tractus publicato, capitis adiuncta pœna, si quis præscriptos limites transgredi præsumeret. Durum fuit Huttitis & fere intolerabile, Principi tam seuere mandanti (quem tyrannum iamdudum pronunciauerant) morem gerere: idcirco vt semet consolarentur, ac patri miseriam suam notam facerent, cantiunculas aliquot composuere. In his supra modum de facta sibi iniuria conqueruntur, Principum sæuitiam & tyrannidem ingeminant, proscriptiones, persecutiones, mādata & diplomata Magistratuum repetunt. Heu miseris, inquiunt, nobis nullus locus, nullum refugium amplius relinquitur, tu ô pater querulas nostras voces suscipe, adsiste nobis in aduersitatibus, consolare in miseriis: nemo afflictis solatia præbet, insultant tyranni, mundus minatur exitium, ad lanienam & necem sicut agnus ad victimam, quærimur. Exultarent Principes, gauderet orbis, si innocenti fu gui ve nostro suffocatos nos cerneret. Multa in nos indies edicta, ferrum & ignem decernunt: mali nullus adest finis. Hostis persequendo non frangitur; non deterretur diuinæ vindictæ exemplis: irruit in ouile tuum, & lupo peius in mansuetissimas oues debacchatur. Plures id genus cantiunculas in Principes & Magistratum cantillabant, has memoriæ firmiter committebant, & ne perirent, Catechismis præfixas pueris suis & neophytis inculcabant.

XCVIII. *Gabrielistarum origo.* Interim Gabrielistis omnia ad optatum fluebant, ad quos non pauci, ex ipsis etiam Huttitis, sese conferebant. Et certe actum fuisset cum Huttitis, nisi interuentu fratrum quorundam, odiis vtrinque positis res ad concordiam declinasset. Quod ea conditione transactum est, vt hi Gabrielistæ, illi Huttitæ, in commune tamen fratres, hoc est Anabaptistæ, dicerentur: cæteroqui in articulis fidei, vita & moribus conuenirent. Ea lege statuta, nihil amplius vtrinque restare videbatur, quam bona quædam in Oeconomia dispositio, ac vnanimis in religione consensus. His erigendis dies certus designatus fuit, circa quem omnes per Moraviam fratres adesse iubebantur. Hic libellus à doctioribus rudite corrasus, ac ordo in fide & moribus præscriptus. Primum de religionis ipsorum articulis, quam impij sint & abominabiles, verba referre visum fuit; deinde de vita & moribus dicendi occasio sese offeret.

Forum fidei articuli.

1. Primus articulus est: elegisse scilicet Deum ab exordio mundi gentem aliquam, ab aliis plane discretam & seiunctam hominibus, probam, sanctam, rugæ & maculæ expertem, Spiritus sancti gratia plenam, iustam & electam, eamque ob inditum diuinitus robur Israeliticam nuncupasse: idque ideo, vt loca ab Ethnicis & paganis habitata occuparent, idola & gentium simulachra confringerent, Dei hostes de terra delerent, impietatem omnem tollerent & abrogarent: ne si quando promissam terram ingressi alienas & superstitiosas viderent adhiberi cerimonias, ipsi quoque à cultu diuino ad abominandam idololatriam pellicerentur. Atque hunc populum nusquam reperiri, nisi in communitate Sanctorum, in societate filiorum Dei, in Christiano cætu, qui sit pupilla Dei, ab eodem ab aterno electus, à Spiritu sancto conglobatus, & nouissime in Germaniam collectus, & publice institutus per supremum Præsidem Iacobum Hutterum. Ab hoc cætu qui resilirent, nec ei firmiter adhærescerent, eos sanditus euersum damnatumque iri: hunc se defendere, hunc propagare, pro hoc mori, & vltimum citius, quam vel latum digitum ab eo recederent, sanguinem profundere paratos.

2. Secundus articulus. Neminem, qui tam sacræ congregationi nomen dedisset, proprietatem bonorum habere, sed omnia, modo Christum lucrari, eiusq; discipulus esse malit, in commune conferre debere. Idcoque se pro impia & Christiano nomine indigna habere societatem omnem, quæ ipsi communitatis præcepto contraria, proprias opes inter personas tolleraret. Hoc ipsum non verbo solum, sed & facto hodieque ostendunt, vt qui neminem recipiunt, nisi prius omnem suam substantiam, & quicquid in potestate sua proprium tenet, in eorum sinum effundat.

3. Christum non fuisse verum Deum, sed prophetam. Nec prædicandum eius Euangelium publicè in Ecclesiis, sed solum priuatim in domibus, & in aures. Inter Christianos nullam potestatem, aut Magistratum esse.

4. Quia in maiorem Ecclesiam, Sathanæ Synagogam, vt dicunt, multi adulteri, alcatores, helluones, blasphemi, gaucones, peccatores, & facinorosi ad conciones irrepant: Christus autem templum sibi homines delegerit: ideoque se fugere & euitare templa eiusmodi, nec subire, ne videndo abominationem impietatis audiendoue, sese contaminent. Hinc omnes, *inquit Florimundus*; ab imaginibus abhorrent, nec solum in templis, sed domi etiam; quin etiam easdem ex Bibliis libris que suis excindunt ac eradunt. Gastius testatur vidisse se fœminam Anabaptisticam, è domo emigrare, quod SS. Virginis imaginem in vitro ibi depictam conspexisset. Et ego, inquit, si quando ad me venissent, rogabam eos an tabulis, quæ frequentes in cœnaculo meo pendebant, offenderentur. Tum illi: Tibi, inquiunt, tamquam patrifamilias domi tuæ tuo more viuere licet, sicut etiam nos arbitratu nostro

domi noſtræ viuimus. Verumtamen nos credimus picturas à Deo interdictas ; ſtatimque illud , non facias tibi ſculptile ; decantabant. Et ſæpe propter vnicam hanc cauſam ambages & circuitiones quærunt, ac templum, aut cæmiterium prætereant. Exiſtimant enim cæci iſti burdones, ſi vel epitaphium, vel excilam in lapide imaginem conſpicerentur grauiſſimi peccati, mortalis quidem & vix remiſſibilis ſe pœnam incurrere. Crucem quoque horrent, & ſeuere ſuis, ne frontem ea ſignent, interdicunt. Atque inde eſt, *inquit Erhardus*, quod nec Eccleſias, nec ſacella, nec cerimonias vel publicum aliquod religionis exercitium apud eos videas ; ſed rudem, ſimplicem, vaſtam & vacuam omni pietate & deuotione conſuetudinem. Conciones, quas ſecundò per hebdomadam frequentant, nudè ruditerque habentur, vtpote die Dominica circa ſeptimam , & Mercurij ſub tempus veſpertinum, quando miſeri fratres laboribus per diem exantlatis defeſſi, libentius requieſcere & cubitum ſecedere mallent. Et ne vllam habeat res exteriorem ſpeciem, non locum aliquem purum, & ad hoc deputatum ſubeunt, ſed in culina, aut in hypocauſto, vbi per diem panſum fœminæ trahunt, vbi ſtamina ducunt , & cœna ſolet peragi , adhortationes ſuas inſtituunt, quæ ad tres vel quatuor horas durant ; tanto cum auditorum tædio, vt in iram multi, in ſomnum alij incidant.

5. Omnes eos qui alterius religionis ſunt, nec eorum erroribus adſtipulari volunt, pro ethnicis & infidelibus, pro paganis & publicanis habent. Hinc docent nullum inter eos matrimonij vinculum, quibus non ſua ineſt. Etſi quando vel tales cuiuſcumque ſint ſexus, ad partes eorum deueniant, noua iis matrimonia , nouos contractus concedunt; & quo ditiores ſunt, hoc citius, vt bona piſcentur, indulgent. Catholicorum matrimonia, & quæ extra cætum ipſorum celebrata ſunt, velut adulteria, fornicationes, & ſcortationes reiiciunt, & explodunt.

6. Baptiſmum dicunt nihil aliud eſſe, quam fœdus bonæ conſcientiæ , & extinctionem veteris hominis. Item , Baptiſmus eſt, *inquiunt*, vltronea membrorum datio, non ad vitam eius qui præbet, ſed ad Eccleſiæ regimen & gubernationem: & nos tales reuera ſumus, & hanc ſolam, & non aliam, ad æternam ſalutem viam ſupereſſe ſcimus. Sufficientes ergo cauſas habemus baptiſmum paruulorum reiiciendi, cum ſit mera ſuillum balneum & lotio impuriſſima. Nolo hic blaſphemias, & conuitia ipſorum reliqua propter caſtas aures quibus illi tantum Sacramentum oppugnant, & contemnunt, ſubiicere. Apud ipſos baptizandus cætui ſe ſiſtit, *inquit Florimundus*, & in genua procumbens, fidei ſuæ rationem reddit, & ſi quo officio aut Magiſtratu functus ſit, eo ſe abdicat. Teſtatur Budneus, nobilem quemdam turmæ ductorem, ſibi notum, qui hoc modo baptizari petierit , ac ſi voto potiretur , officium illud numquam ſe amplius accepturum ſit pollicitus. Si mores & in cõcionibus frequentandis aſſiduitas probetur; omnes acclamant, *ſia', ſia'*. Quod ſi quis ſe opponat, & baptizando vitium aliquod , aut ignorantiam fidei exprobret, Paſtor tantiſper abſtinet , dum omnia diſcutiantur. Sin nemo contradicat, Paſtor ſumptam manu aquam capiti baptizandi inſpergit , his verbis ; Baptizo te in nomine Patris, & Filij, & Spiritus ſancti, ſine vlla cerimonia, aut benedictione.

7. Miſſam tanquam Dæmonis inuentum execrantur. Aiunt enim in teſtamenti D. N. codice nuſquam reperiri; nec ea opus eſſe : ſed ad diuinum cultum preces & ſermones ſatis eſſe. Delirum eſſe Purgatorium credere : eoque nec illi pro defunctis orant. Qui ſanctos inuocent, Deo facere iniuriam. Nomini Ieſu aut Deiparæ Virginis nullam reuerentiam deferunt. Ad fidem neminem cogendum eſſe aiunt, vt quæ donum Dei ſit. Nec Chriſtum , nec Apoſtolos vlla vi vſos; aut contra hæreticos & infideles ſeculare brachium imploraſſe. Sic Anabaptiſtæ nemini religionis cauſa vim, multo minus quamcumque ob cauſam Chriſtiano mortem inferendam eſſe docent : ſed ſi opus ſit ex communicatione vtendum. Papam eodem quo Lutherani Caluiniſtæ, & reliqui hæretici titulo inſigniunt , Antichriſtum appellantes. Cum eiſdem ſolenne Sacrificium & Sacerdotium tollunt.

8. Cum Zwinglianis realem Ieſu Chriſti in Euchariſtiæ Sacramento præſentiam negant: ac cœnam (ſic enim cum aliis Sacramentariis appellant) non aliam ob cauſam celebrandam dicunt ; quam ad mutuam inter Chriſtianos charitatem confirmandam , & memoriam paſſionis Dominicæ recolendam. Forma eius celebrandæ tam in cerimoniis, quam fide aut doctrina, ſimilis fere eſt ei quæ apud nouos Euangelicos, quos nonnulli Reformatos, nos Caluiniſtas appellamus, obſeruatur. Communione enim corporis & ſanguinis Ieſu Chriſti, quam Caluiniſtæ ſtatuunt , fideles quotidie etiam extra Cœnam frui, exceptis tantum ſignis externis, quæ ſunt panis & vinum ſanctificatum. Cœnam celebraturi, Superintendentes quoſdam ſeu Inſpectores habent , qui tempus indicunt. Cœtu congregato, vnus Euangelium legit, lingua vulgari. Interim Paſtor ſuggeſtum conſcendit , & Bibliorum codicem ante ſe pluteo imponit. Pſalmos non decantant, vt plerique omnes alij Euangelici. Aiunt enim, id ab Apoſtolis nuſquam mandatum ; nec permiſſum, vt mares & fœminæ permiſtis vocibus, ac ſonitu templa impleant. Factis precibus, Paſtor locum aliquem Scripturæ explicat. Sermone finito, de pane & vino exiguam particulam ad ſingulos fratres circumfert, qui omnes ſuis quiſque locis ſtantes & nudis capitibus continent. Panis hanc particulam ſinguli manibus tantiſper tenent , dum Paſtor ad locum ſuum reuerſus, pro ſe quoque particulam accipit. Tum ille longa oratione myſterium hoc explicat, ac tandem , *Mei fratres*, inquit, *accipite, manducate, & annunciate mortem Domini*. Sic igitur ſinguli buccellam deglutiunt, & ſuum Chriſtum fide accipiunt. Deinde eodem modo vinum circumfert, inquiens; *Bibite in nomine Chriſti ad commemorationem ſui ſanguinis*. Fit ſæpenumerò, vt hac actione integrum diem abſoluant, Deo gratias agendo, precando, meditando, ac lachrymas precibus miſcendo, vt Anabaptiſtæ ipſi memorant. Licet autem cum Zwinglio credant, nihil in hoc Sacramẽto eſſe præter ſolum panem, nec corpus Chriſti aliter quam per fidem recipi : in eo tamen differunt, quod Zwingliani cœnam non niſi in publicis cœtibus celebrant, & accipiunt, quam Anabaptiſtæ etiam ad ægrotos deferunt vt & Lutherani. Illi tranſeuntes panem & vinum accipiunt; hi vero ſuo in loco quieſcentes, dum ad ſe deferatur expectant. Cœnam celebrant bis quotannis, tumque mares & fœminæ promiſcuè aſſident, alter alterum inuitantes, ſed magna cum modeſtia : quam non in hac ſolum, verum aliis omnibus actionibus, adeoque tota vita mirum in modum obſeruant. Duas prætexunt celebrationis huius cauſas. Altera, vt in hac cœnæ participatione , mutua & fraterna charitas inter ipſos non flaccſcat, ſed augeatur indies, & magis magiſque efferueſcat; vt mœſti conſolentur, & conſcientiæ tranquillitas adſlictis redeat : vt excommunicatis gratia , liberaque cum fratribus communio rurſum concedatur : quibus proinde, antequam ad cœnam admittant, pœnitentiam publicam, ne fraternitas defectu laboret, imponunt. Altera, vt per eam ad paſſiones, ad perſecutiones, ad carceres, ad ſupplicia, ad martyria, ad ferrum & tormenta, ignem & aquam, maiore zelo incitentur, & animentur. Hinc etiam calicem ſpiritualiter interpretantur, nempe pro tolerantia malorum omnium totius mundi, per quæ ad cæleſtia penetrare debeant. Et hæc eſt, *ait Erhardus*, abominanda Huttitarum cœna. Et exiſtimo plane eam nihil eſſe aliud , quam pactum quoddam & fœdus contra Catholicam Ieſu Chriſti Eccleſiam, quo ſe Diabolo penitus deuinciunt atque tradunt. Nam ſtatim poſt fractionem panis, emittunt diſcipulos ſuos Apoſtolos & Piſcatores (ſic enim vocant) in Bauariam, Tyrolenſem Comitatum, Sileſiam, Heluetiam, Haſſiam, ad tractus Rhenanos, in Miſniã, & alibi. Hi per Principum regiones repere, ſubditos concitare, coniuges ſeiungere , opes & bona conquirere debent, vitamque ipſam mille periculis impauidi obiicere. Atque ideo cœna ipſorum eſt quaſi latronum, prædonum, piratarum, & ſceleſtiſſimorum furum refectiuncula, qui in deſperationem acti, vt conſcientiæ morſum & timorem pellant, gaudium ex epulis vt gurgitatione eliciũt. Et ſic aguntper Morauiã Huttitæ paſſim, cateruatim ad nouum Molendinum, Schatkowitzium, Briuitzium, Lumpenburgum, Stignitzium, Altenburgum prope Vngariam, Auſterlitzium &c. conuolant, ad duo vel tria millia. Integros hic dies Cereri Bachoque conſecrant ; boues, vaccas, vitulos, ſues, oues, & quicquid habent huc ad mactandum propellunt ; & hoc eſt apud ipſos extremum valedicere.

10. Iudicium, aut cauſas agere in Chriſtianitate abolitum & abrogatum; & liquido ex S. Scriptura conſtare aiunt, prorſus eſſe

ſus eſſe inhibitum, Nec opus apud fideles vllo in ſacerdotio magiſtratu : ſubeſſe ſi Paſtor adſit , & ſententiæ ab vniuerſo cætu prolatæ quiſque acquieſcat. Rogati à me, *inquit Florimundus*, ſi cui ipſorum facta eſſet iniuria, quam eius vindicandæ rationem eſſet ingreſſurus ? Si, *aiebant*, is noſtræ religionis non ſit, coram ipſius iudice conueniendus. Sin eorundem ſacrorum ſit ſocius, monendus erit, vt iniuriam agnoſcat, ac pro ea ſatisfacturum ſe promittat. Quod ſi promiſſis non ſteterit, indicandus eſt Eccleſiæ, quæ vtroque audito, ſententiam ferre conſueuit. Nec vero tantum accuſant, ſed etſi iniuria inferatur aut verberibus afficiantur ab aliis , complicatis manibus ſeſe tuentur , Deumque laudant dicentes, Benedictus ſit Ieſus Chriſtus. Quod ſi ad vlciſcendum eos inſtiges, ſtatim ad Apoſtolos, & ad Scripturas confugiunt. Vbi, *inquiunt*, legiſti vnquam Chriſtum Dominum noſtrum aut Apoſtolos eius vlli maleſico manus inieciſſe ? Quem illi de iniuria accuſarunt ? An neſcis nos horum cum ſimus diſcipuli & fratres , vitam quoque & mores imitari debere ? Illi omnes iniurias ſine murmure pertulerunt , omnia propter honorem Dei ſuſtinuerunt, pro malo bonum reddentes, inimicis etiam ſuis grauiſſimis benefecerunt, infligentibus ſibi in dexteram maxillam alapam , ſiniſtram quoque præbuere. Hanc nobis patientiam inſpirat Sanctus Dei Spiritus.

11. Scripturam , *dicunt* , nuſquam meminiſſe armorum, quibus Chriſtianis liceat vim illatam à ſe repellere: ſed expreſſe inhibere, dum ait, *Qui gladium acceperit, gladio peribit*. Atque hinc Sanctum Petrum , quod armis ſolum fretus Iudæorum cohortes diſpellere tentarit , tam grauiter lapſum eſſe. Orationibus tantum vacare & niti Chriſtianos debere , his hoſtem ſubigere, Dæmonem & mundum calcare. Quid agas ? ſiue ad hoſtem propulſandum, ſiue ad defendendam patriam arma vſurpes , quocumque, inquam, modo feceris, ſemper peccare te , & diuinæ miſericordiæ diffidere blatterant. Quum Anabaptiſta quidam (refert Florimundus) in iudicio accuſaretur , qui inter alia illicitum eſſe armorum vſum, nec gladio percutiendum aiebat, roganti iudici: ſi nocturnus fur fores ipſi effregerit, aut latro in ſylua ipſum inuaſerit, an illi argentum, huic iugulum quaſi vltro eſſet præbiturus, ac non potius pro vtroque quantum poſſit pugnaturus ? Reſpondit ille, ad ſui defenſionem vix ac ne vix quidem arma accepturum , vt qui ſciret in Dei ſe ſuaque omnia tutela eſſe, qui omnes capitis ſui capillos numeratos habeat, & cuius voluntatem fieri aſſiduo precetur. Sed hæc mera fraus eſt. Inermes plane videri volunt , nullo armorum exercitio exercitati. Interim domi omnis generis gladios, acinaces , arcus, bombardas, aliaque militaria inſtrumenta in copia habent, quibus vel ad voluptatem, vel in venationibus vtuntur.

12. Ante omnia iuſiurandum omne, quamcumque ob cauſam, illicitum eſſe contendunt, vſi ad hoc Sacræ Scripturæ teſtimonio, vbi dicitur ; *Sit ſermo veſter, eſt, eſt; non, non* : adeo vt nulli acerbiſſima potius tormenta ſuſtinere, quam iuſiurandum, etiam coram iudice præſtare maluerint. Apud Gaſtum Anabaptiſta quidam ſic inquit ; Iuſiurandum nullum facinus , quia Deus id in ſuo Euangelio prohibuit. Etiam hodie vbi illi ſunt, in iudicio, nullum ab eis iuramentum, aut manus eleuatio exigitur , ſed ſimpliciter verum dicere iubentur.

13. Matrimonium quoque Sacramentum eſſe negant, & quaſi ciuilem aliquem contractum calumniantur. Erumpũt paſſim in vicinas regiones , & diſcordias, iurgia & lites inter coniuges ferunt. Mariti vxores pro libitu repudiant, quaſi alienæ religioni addictas.

14. Impoſſibile eſſe tradunt, latronem ſiue homicidam, qui innocentem ſanguinem fuderit , æternæ beatitudinis vlla ratione poſſe eſſe participem , cum ſupplicio ob id afficitur, pœnitentiam agat necne.

15. Cenſus & vectigalia, cum bonis & veris Chriſtianis omnia communia ſint, pendenda negent, exigentes , vt ethnicos & gentiles à ſe repellunt : alios interim exugunt fœnore & exactionibus ; &, ſi quid magiſtratus poſtulet, pauperes ſe & inopes clamitant. Cæterum ſi Cæſar tributum imponat, atque illi dare renuant, opus eſt vt boues eorum & pecora abigi per præfectos curet. alioquin nihil plane conferunt.

16. Magiſtratum omnem & poteſtatem inter Chriſtianos damnant : Principibus gentium dominatum à Chriſto relictum dicunt. Et hæc duo adeo certa eſſe , vt qui Chriſtianus eſt Magiſtratum gerere non poſſit ; & ſi gerat, iam non Chriſtianum amplius, ſed infidelem & paganum eſſe. XCIX.

Habent & alios plures, & fere innumeros errores, vt de exterioribus cerimoniis , de lapſu & reſtauratione generis humani, de viſionibus, & futurorum euentis, quos ordine hic recenſere nimis longum foret.

Nunc vitam & mores deſcribere aggredior. Habitant Huttitæ ſparſim per Morauiam in caſulis & tuguriis, vt ſuperius diximus vicatim. Præſidem ſupremum agnoſcũt vnum, qui Regis inſtar multas iſthic locorum munitiſſimas arces, & inter eas fortiſſimum caſtrum, Nouum Molendinum vocãt, poſſidens ſingulis præfecturis , quarum etiam multæ ſunt, certas aliquas perſonas velut Duces & Regentes (qui & alios quoque ſub ſe habent Patres familias) præficit, quorum opera & conſilio in rebus arduis vtitur. Huic in omnibus obſecundare, quicquid ille imperat, quicquid præſcribit, iuſtum ſit ſiue iniquum, exequi lex eſt. Ad hunc cauſæ omnes decidendæ, lites & iurgia, ſacra & prophana deuoluuntur. In anno ſemel, aut ad ſummum ſingulis bienniis , prout viſum ſuperiori fuerit, conueniunt. Tum ille Regentes & Patres familias conuocat, cum iiſque de fratrum progreſſu diſſerit. Si proterui reperiantur diſcipuli, ſi immorigeri & ſuperiorum Imperio rebelles, licet magnos theſauros attulerint, iſtuc primum ad ſe citatos corripit: aut ſi venire detrectent, miſſis decẽ pro viatico cruciferis, vnde venerunt remitti imperat. Non licet allatam datamque pecuniam repoſcere: aut ſi repetas, quod ſemel Deo, *inquiunt*, oblatum eſt: refundi nõ poſſe inquiunt. Si alia tractanda negotia, ſi matrimonia, ſi noua familia, aut res alia, conſtituenda occurrant, omnes quorum intereſt, ad præfidem citantur. Hic quiſq; mentis ſuæ arcana depromere, hic animum & neceſſitatem ſuam exponere poteſt. *Huttitarũ vita & mores.*

Si fratres vel ſorores ſeſe offerant, quibus continentia videtur præſtatu difficilis, quibuſque nubere potius quam vri in optatis eſt; hos ordine conuocat, & in locum vnum ab aliis ſeiunctos per patresfamilias, vel ipſemet examinat. Quærit primum, vno poſt alterum aſſumpto, quæ cauſa ad hoc permoueat? Num aptus & idoneus ſit illi ſtatui, benene de communitate ſit meritus, nec ne? Num fideliter laboribus deditus; quibus officiis vt plurimum oblectari ſoleat, quibus ortus parentibus , quod habeat patrum-familias de vita ſua tranſacta, de moribus, & pietate teſtimonium ? Vbi ad iſta reſponderit, ac perſonam idoneam & aptam exhibuerit, ad cubile dictum, vtibi moretur reſponſum, remittitur: & ſic cum reliquis omnibus agitur. Tum Regentes conueniunt, & deliberatione facta , cui applaudere, quemue reiicere velint, concludunt. Perſonarum reſpectus inter eos non infimum locum obtinet, vnde qui ditioribus nati parentibus, qui propagandæ ſectæ videntur idonei; & breuiter , de quibus ſpes aliqua affulget, iis tantum conſentiunt, ac voto potiri permittunt : reliquis, quod ſimpliciores ſint, & magis ad graues perferendos labores idonei, ſummo ſilentio præteritis. Conſtitutione ea & perſonarum delectu ſic factis, quos admittere cupiant, ſeorſim ad ſe in aulam conuocant, & tempus & locum ad quem adeſſe debent præfigunt , atque ita domum redire ſinunt. Interim noua rurſus conſultatio inſtituitur; conferuntur perſonæ, & quam quiſque ſibi ſumere coniugem , quem maritum debeat, ſtatuitur. Vbi tempus præter lapſum conſtat, ad dictam domum nymphæ cum ſponſis quiſque ex ſua familia perguat. Hic primum conciones ad futuros coniuges fiunt , preces funduntur , & cantiunculis tota domus perſonat. Hæc omnia in die Dominica fiunt. Concione & precibus factis, in vnum omnes cubile introducuntur; tum prædicans ſubintrans, ſponſos dextrum loci latus, ſponſas vero ſiniſtrum occupare iubet, cuiuſuis ordine expreſſo nomine, tam virorum quam mulierum, ita vt ad eius præſcriptum ſtare, & ſeſe huic vel illi ex oppoſito locare debeant. Ita conſtitutis nulla amplius reſtat dubitatio, ac ne verbum, licet medium inter eos occupans prædicans, exprimat: nouit tamen ſponſus quam ille coniugem, nouit ſponſa quem maritum ſit nonnatura iam, ſed nacta. Ille quæcumque & qualis fuerit, ſiue morbida, ſiue deformis, anneſa vel iuuenca, eam quã ex aduerſo oppoſitam ſibi videt, ducere C.

cogitur. Hæc, licet amet alium, cœlum & terram moueat, semel tamen designato debet esse contenta. Hinc quis amor, quæ animorum cõiunctio inter tales coniuges oriatur, nemo non videt. Res profecto iniqua est, & naturæ ductui cõtraria, eos qui verbo vno & corde concordant, quibus vnum in voluntate cõnubium, vna est animorum connexio, propositam metam nõ posse attingere, adeoq; violenter, inuite & coacte à bono instituto depelli. Sic inter se discordias fouent, sic proprij mali quod ipsosmet conficit, fomites sunt & auctores. Noui, *inquit Erhardus*, ex Huttitis istis Guilelmum quemdam Deisendorffij Saltzburgensis Archiepiscopatus oppido natũ, hominem validum & laborib. ferẽdis apprime idoneum. Hic magnæ apud eos authoritatis cum esset, & ætatem iuuenilẽ in maximis difficultatibus & laborib. consumpsisset, dari sibi vxorem petiit, nomine & nutu designans quã sibi copulatam vellet. Quam cum negarent, ille blãdis amatam verbis, domo ira percitus euocatã secumq; in patriam ductã matrimonio sibi iunxit. Postquam eo modo, vt diximus, per ordinẽ disposuit prędicans, singulorũ nomen exprimens, cõiuges simplici voce pronunciat, sine vlteriore cerimonia. Quo facto, sponsus accepta sponsa ad domum suam & cubile properat. Cõuiuia & nuptiarum solennia nulla celebrãt, nec gaudiis, nec recreationi vacant, epulas & compotationes prorsus non habent: dicunt rem esse ethnicam & mundanam. Talis personarum copulatio annuatim, aut ad summum in sesquianno semel, instituitur. Hęc autem eo fiunt, vt iuniores ad labores alacriores reddantur, ne segnitie sua vel animos superiorum offendant, vel si coniugium inire petant, spe sua fraudentur.

CI. *Sectarum variarum narratio.*

In his ipsis annuis conuentibus, etiam alia varia pro sectæ progressu consilia agitantur. Præcones, & emissarij cum publici, tum priuati deliguntur, deiectis gradu suo, aut œconomiæ curam prouectis iis, qui facto suo & labore hoc ipsum meruerunt. Quibus omnibus rite peractis, domum suam quisque repetit, & præside salutato, ad munia sua reuertitur. Patresfamilias hunc in administranda re familiari seruant ordinem. Fratres omnes sororesque obedientiam ipsi præstare, eumque modis omnibus reuereri debent. Sub vno & habitant, & dormiunt tecto. Mane quartam inter & quintam lecto sese proripiunt, à Patrefamilias, aut ab alio cui hoc munus fuerit impositum, excitati. Priusquam è lecto descẽdant, iste primum per dormitorium circumiens, clara voce ad adolescentes & virgines, surgite fratres & sorores, surgite: ad coniuges vero, opus Dei efficite, matrimonij iusta exoluite &c. clamitat. Quo facto, surgunt, & ad præfixos labores maturant. Adest abituris paterfamilias, qui expansis in cœlum manibus, spirituali primum viatico pectora munit. Hunc clare orantem suffixis in altum oculis, in summo silentio, ductis alte quandoque suspiriis, reliqui fratres subsequuntur. Sic orant, sic deinde laboribus se mancipant. Quos si videas cœnaculum reficiendi sui causa intrantes, mensisque assidentes, Religiosorum potius benè ordinatorum (vt cum Florimundo loquar) quam hominum plebeiorum & mechanicorum conuentum dixeris. Vbi mensæ assederunt, quadrantem fere horæ taciti sedent, vtraque manu ori admota; tumque meditari ac corde precari, adeoque sæpe extra se rapi dicuntur. Idem ab eis fit, sublatis mensis. Inter cœnandum aut prandendum adstat Archimandrita, voce à Thebaidis Monachis olim vsurpata appellatus, singulorum mores obseruans, & castigans. Cibo sumpto singuli discedunt, nec salutantes alter alterum, nec salutati: Duo tamen, aut tres sæpe vna spaciantur, nec interim cum aliis sermonem miscent. Opus miro silentio faciunt. Sæpe triginta aut quadraginta rure simul vnà laborant, alij triturantes, alij vanno frumenta purgantes, alij aliud facientes (eiusmodi enim operas dominis in quorum ditionibus habitant, exhibere coguntur) tanto silentio, vt vix toto die verbũ ex eis audias, & in Pythagoreorum schola educatos credas. Et in oppidis passim in vna officina triginta aut quadraginta laborant, tanta diligentia, vt vix oculos ad ingredientes aspiciendos deflectant; ipsi certe vltrò neminem salutent, aut compellent. Quando noctu laborandum est, omnes in spatiosa quædam conclauia se conferunt, maris à fœminis seorsim, multo pensilium lychnorum lumine illustrata, quorum fumus per fistulas quasdam superimpendentes foras exit. Tanta illis mundicici, & præcipue silentij cura. Si loquendum sit, voce vtuntur humili & submissa. Eadem est mulierum, quamuis natura sexus loquacium, disciplina, quæ supellectilem & cibos curant. Vix credat quisquam, quadringentos aut quingentos pueros ac puellas tanto silentio assidere, vt statuas esse putes. Ii à fœminis reguntur, vno & eodem vestitu, eoq; simplici admodum atq; inornato, omnes amicti. Tecta pleraque sunt è stramine: in domibus tamen mira vbiq; apparet mundities. Vesperi à laborib. domum reuersis, cibarius panis, isq; satis tenuiter datur: quo sumpto, adhortationi interesse coguntur. Inde secedunt cubitũ, ad vnum cubile omnes, in quo quadraginta & amplius lecticas videas & spondas. Ibi variis sermonibus, turpitudinibus, & lasciuia noctem transigũt, audientibus filiis, qui parentum exemplis excitati à teneris, reb. Venereis insuescunt. Vt primum puerpera filium mundo peperit, mox præsto est paterfamilias, qui infantem vix in lucẽ editum, ex matris amplexu abreptum, nutricibus & aliis impudicis fœminis, quibus cum in pellicatu commercia miscẽt, enutriendum tradit. Pueri isti misere subinde, prout sunt mulierum ingenia, tractantur, alieno cum lacte vitiosas inclinationes & affectus sugunt, nec matrem veram agnoscere vnquam, aut raro certè possunt. Hinc tot sæpenumero incestus, tot sanguinaria scelera ab iisdem, vbi ad iustam ætatem deuenerint, sub vero legitimi matrimonij cõtractu, perpetrantur. Præterea hosce tam tenellos puellulos secum ad labores ducant, aut ad prata & saltus, non secus ac anseres inhumaniter propelluat, vbi totum diem commorari, inediam & frigus vel calorem perpeti debent, quousq; domũ reuertantur. Miserum reuera spectaculũ, videre tam imbecillos, potu ciboq; destitutos pueros foris miserandum in modũ oberrare. Atq; inde fit, vt omnes ferè infirmi semper, & virib. aliis sibi coæuis impares, scabie, vlceribus, aliisq; defectib. corpora deformata habent, nec ad perfectam staturam, aut ætatis metam pertingere queãt. Ex hac erga paruulos immanitate id incommodi oritur, vt parentes nõ tam incestus in adultis, quam & mortis in pueris causa sint & origo. Semel in anno generalis remissio Huttitis conceditur: atque tum, si fudum cœlum & iucunda aura spiret, ad amicos, ad propinquos, & notos excurrunt. Ibi videre licet spirituales fratres sanctimonia posita carnalibus epulis, vino & optimæ notæ potu genialiter perfrui, & est sæpe noxia Catabaptistis remissio talis, remanentibus apud propinquos fratribus: quandoque etiam commoda & salutaris, si habeant, qui adducere & illaqueare incautos suis fraudibus norunt. Hi vbi discordias inter coniuges vigere audiunt, nihil non mouent, maritum vel vxorem in sectam vt alliciant, & secum in Morauiam traducant. Certum est, vt vidi ipse, inquit Erhardus, fœminas in Bauaria & Tyrolensi Comitatu, si à maritis increpentur, oblata occasione in Morauiam ad Anabaptistas confugere, quibus postea noua inire matrimonia conceditur. Scio non inficias ierint vera id genus esse exẽpla; cum non ita pridem Oenopolæ cuiusdam viri diuitis vxor & honesti, cum 1200. florenorum summa, quos marito ablatos ad Anabaptistarum pedes depositi, in Morauiam proruperit.

Seductores hi multum autoritatis apud suos obtinent, suntque tales plerique, qui omni fraudum & versutiarum arte instructi vitam prorsus contemnant; flagitiis quoq; & sceleribus cooperti, ad quæuis attẽtanda impauidi sint, & apprime dispositi. Hi de familia in familiam migrant, & rediturí quasi ad suos hospitibus quasi vltimum vale prædicant, quib. pro modulo quisq; viaticum, alij pro cõmunitate larga exhibent donaria. Certos habent receptores, apud quos acquisita per fraudem bona deponant. Subinde per dimidiũ & amplius annũ ita vagantur; & si quando magistratũ in se inquirere cognoscũt, ad nemora & dumeta, in antra & scrobes cõfugiunt. Hic latitant securè, ac suos interim q̃ omnia indagent, & ipsis quo in cardine res ꝑsens versetur renũciẽt, habẽt. Per hos bona nihil omin⁹ in Morauiã destinãt, fratres & sorores salutãt; sed & in publicis diuersoriis nonnũquam remanẽt, colludẽtes cũ iis, quos suæ religioni addictos intelligunt. Tũ si q̃stio moueatur; mercimonia exercere, pẽsiones de bonis q̃ hic habeãt exigere, dicũtur. Norũt & artẽ aliã, si vna fallax videatur & irrita. Nautas amplis, ꝓmissis inducunt, vt q̃ aurigis concredere haud tutum arbitrantur, per Danubium ad Morauiæ terminos, acquisita per fraudem bona nauibus conuehant. Hæc omnia ad patresfamilias delata communitati attribuunt. Sub-

CII.

iungam hic vnam vel aliam ex Erhardo fraudem, qua seductores isti tot miseris hominibus imponunt. In peregrinis locis constituti, vbi hospitia se nactos vident, singularem mox sanctimoniam, mores & habitum simplicem simulant: proiectis in terram oculis, corpore lacero, vestitu tecto, dolone in manibus, falso & inuerso vultu, patientia non vera, & quæ concurrere possunt, miro dolo effictis. Ad simplices & rudes diuertunt, præcipuè in Bauaria & Tyrolensi territorio; idque eo tempore, quando algere nudo vacuam norunt culinam foco, omniaque per compotationes & sympoſia absorpta didicêre. Atque tum nihil nisi occasiones & commoditates venantur. Ingressi ad agricolas stratum petunt in horreo, aut stabulo. Insinuant, ad simplices, (quorum istic magnus est numerus, vt sunt fabri ferrarij, molitores, aurigæ, vinitores &c.) & pauperes se missos. Ibi videas eos orare, in genua procumbere, oculos mirabiliter huc illuc detorquere: manus circa pectus & supra capitis verticem connectere & innodare, insolitas gesticulationes rudi populo venditare, ac multa prædicere, quæ nulli per somnium vmquam innotuissent. Prælegunt ex paruo Zwinglij & Tiguri excuso Testamento, quod accommodum existimant, præsertim moralia, & ad conseruandum bonum publicum documenta, videlicet subuenire proximis, libenter egenis succurrere, opes omnibus cõmunes facere, nulli nocere, familiariter & fraterne viuere, non dominari vlli, non supra alios præeminentiam desiderare, sed velut fratres & sorores in mutuis officiis fraternæ charitatis vitam transigere. Hoc dolo deceptis agricolis, omnium ora & aures clamoribus complebant, in Dei Sacerdotes, in fidem Catholicam, in mores & tempora declamabant, quæcumque vitia, quæ crimina, quæ scelera de Catholicis excogitare poterant, euomebant. O miseri, dicebant, & obcæcati! Non videtis quos Pastores & Præsides alatis? Illis decimas & oblata, laborum vestrorum primitias tribuitis, illis animas vestras & conscientias committitis, qui tot flagitiis infames, pios omnes & Deum ipsum in cœlo grauissime offendunt? Apage, cum istis nebulonibus. Pura debet esse Christi Ecclesia, puri ministri & fideles. Nostræ vos societati iungite, nobiscum in Morauiam itote. videbitis vitam longe disparem, & moribus melioribus conformem. Perfruemini nobiscum communibus à Domino bonis datis. Nostis, quæ post labores hic restet miseria, quis dolor & luctus maneat. Apud nos liber eris à curis, vita tibi ibidem suauior fluet. Si senio confectus fueris, non fame quæ hic te vrit cruciabere: victus semper vestitusque, etiamsi per infirmitatem nihil lucreris, suppetet. Credebant rudes præconibus, opibusque oblatis iter commune inibant. In tantum numerus excreuit, vt aliquando in vna Morauia circiter septuaginta Anabaptistarum millia numerata fuerint. Crescente secta, creuerunt & opes: hinc omnia in abundantia possident, frumento & vino abundant optimo, agros & villas refertissimas tenent. Præsides ducunt dies in bonis, & Regum instar aulas & familias alunt. Interim si foras prodeas, rustico habitu pauperiem fingunt, agricolis se se in moribus conformantes. Iactant omnia communia, & paria esse debere, quod tamen nec ipsi credunt, nec seruant. Mutant in vestimentis pro libitu, alter hunc colorem, alium ille sibi deligit. Et vestis ipsa longe lateque licet rusticorum more discincta corpori cohæreat, de panno tamen valoris optimi pretijque confecta est. Antea ipsi arguebant mundum superbiæ, pompam in vestitu, panni holoserici, & præstantioris materiæ vsum cauillabantur; iam illimet ipsi, & illorum mulieres, flaui, cærulei, purpurei, coccinei, fului, fusci, byssini, imo & aurei coloris quarumcumque materiarum, & cuiusuis panni colobia, pallia, penulas, indusia, thoraces, pallas, tunicas, togas, multitia, aliaque pretiosa vestimenta vsurpant, tam audacter & liberè, quasi nobilissimis familiis essent progeniti. Domi suæ ex argento & auro vasa reposita, cochlearia, scyphos, calices, pateras, phyalas, cyathos, pelues & polubra habent: aulæa, purpura & auro intexta, tapetia & peristromata, stragulas, cortinas, & quæ sunt generis eiusdem priuata æmulatione ostentant; cingulos aureos, caligas & tibialia ex panno optimo induunt, vt mirum sit non pudere ipsos superbiæ, & vestium adeo nobilium, cum tam humiles & inopes velint videri. Bona & opes non immerito malorum irritamenta Poeta statuit. His enim cum affluant Huttitæ, in quæuis vitia proruunt, in ebrietatem præsertim: quam tamen omni studio & diligentia cuitare se dicunt. Sed hæc Erhardi, qui coram vidit, verbis referre malo. Quantus sit hetuo & luto Zachlerus (Paterfamilias quidam Huttitarum) & alter Kaintius, & ipse Paterfamilias, qui præter vxorem propriam, tredecim alias fœminas matres fecit, nemo negare potest. Semel iam & aliquoties velut bellua ratione carens, in terram ebrietatis vitio depressus Zachlerus iacuit. Et anno proxime elapso aurifaber quidam cum aliquot aliis sociis, inter quos victor quidam, qui patri quasi Viennæ Christianum iniisset coniugium persuaso, 700. florenorum summam extorsit, fuit, Austerlitio in Austriam iter fecerunt: qui adeo sese ingurgitarant, vt nec alter alterum nosset amplius, nec quam ingressi erant ianuam inuenire possent. Sed hæc omnibus communia, ebrietas, & voracitas, vbi adsit cõmoditas. Quæ ebrietatis filia dici solet, si apud vllos alios, certe apud Huttitas imperium & sceptra tenet, libido inquam & lasciuia. Hæc tam potenter eorum visceribus insidet, adeoque vrit & titillat, vt non simplices modo, sed & eos qui perfectionis spiritum obtendunt, & qui cum imperio præsunt, in eandem totum cur pus immergant. Notus est Christophori Bindleri Patrisfamilias cum sorore adulterinus concubitus: sed nec de Schnellero fama silet, qui duabus sororibus stuprum intulit. Quin & pro certo affirmatur, ipsum præsidem Nicolaum Sutorem, præter coniugem suam formosissimam, septem alias sorores suas sesquianni vnius spatio impręgnasse. Nec apud ipsos graue delictum reputatur, si quis adulterium aut scortationes perpetret. Frigidè de his vitiis loquuntur, & vix reprehensione digna existimant. Quod si turpitudinem obiectes, sibi misericordiæ opus videri. Ne tamen omnino hæc omnia licita concedant, nonnumquam fraternitatis communione ad tempus ralibus flagitiis obnoxios priuant: nonnumquam retinent quidem, sed veros amplius fratres esse, negant. Quamprimum enim peccatum à quopiam admittitur, iam tum ius fraternitatis eundem amisisse pronunciant. Præter hæc dicunt, neminem se verberibus aut plagis afficere. Id enim gentilium non Christianorum esse, qui monitionibus tantum & pio animo aut aduersantes sibi prosequi, aut delinquentes corripere debeãt. Sed contrarium experientia docet, vt qui non plagis modo alios excipiunt, sed & in terram deiectos pedibus proculcant, & immaniter, velut rabidi canes obtruncant, trucidantq;. In operibus suis exterioribus probitatem maxime prætendunt; sed si intus excutias, impia sub dulci melle venena ferunt. Probitas ipsorum mera perfidia est, & cum soli sunt, testatum faciunt, quam eam magni pẽdant. Leges habent, vti & dogmata, cõmunes, quas in vnum libellum collectas, certis temporibus per annum in cœtibus suis recolunt. Libri titulus est: *Ratio fratrum Huttitarum in Morauia.* Hunc aliis scriptis longe præferunt, & tamquam Dei digito scriptum deosculantur. Sed hoc simplicibus tantum solenne: qui astutiores sunt, nullius momenti, ineptum, & confusum quoddam chaos indigitant. In hoc videre est eos antiquorum hæresiarchas more, volare per singula quæq; sanctæ legis volumina, per Moysi, ꝑ Regum libros, per Psalmos, per Apostolos, per Euangelia, per Prophetas. Cernere hic est infinitam exemplorum congeriẽ: prope nullam omitti paginam, quæ non noui aut veteris Testamenti sententiis fucata, aut colorata sit. Sciunt n. factores suos nulli fere cito esse placituros, si nudi & simplices exhalẽtur: atq; idcirco eos cœlestis eloquij, velut quodam aromate aspergunt, vt ille qui humanum facile despiceret errorem, diuina non facile contemnat oracula. Interim tamen in quotidianis congressibus rara Dei apud ipsos mentio: in conuentibus suis ad moralia, ad terrena, ad exteriores mores cohortantur. Nihil de SS. Trinitate, nihil de Incarnationis mysterio, deq; Sacramentis, excepta Pœnitentia tradunt. De Christo loquentes, non Deum, non Patri consubstantialem, sed Dominum exercituum nudè nominant. Aspernuntur Christianos omnes, nec colloquio dignantur, nisi spes aliqua lucri affulgeat. Sacerdotes & religiosos odio & horrori habent. Grãde nefas censent, si sacrificiis nostris aut concionib. interesse compellantur. Festos dies nullos celebrant, nedum Apostolorũ, sed sine intermissione laborant. Semel susceptа dogmata mordicus tenent, quæ nec metu pœnæ, nec minis tacti deponunt. Hinc ex omnibus hæreticis, nulli difficilius ad Christianam religionem conuertuntur. Rapti ad supplicia admira-

bilem constantiam, & in tormentis vim fere incredibilem ostentant, tanta perseuerantia, aut indurata potius animi obstinatione, vt quemadmodum de sui seculi Anabaptistis Diuus Bernardus scribit, *non modo patientes, sed & læti, vt videtur, ad mortem currant*, & ipsi subinde ligna & stipulas igni admoueant, suppliciaque sibi velocitate quadam accelerent. Norimbergæ, nouem Anabaptistæ exusti, fœminæ decem aquis submersæ, Pissauiæ quinque in flumen proiecti, nullum doloris aut tristitiæ significationem dabant. Iuuenes quidam Basileæ flagris atrocissime cæsi, alacres ac ridentes illa perferebant. Ad incarceratos ob religionem litteras frequenter exarant; Custodes, Iudices, Scabinos, & magistratum ipsum munusculis corrumpunt, ne sit præceps, aut maturet in ferenda sententia. Tunc quo magis pertinax captiuus manet, hoc vehemētius gaudent. Verba ab eo toto captiuitatis tempore prolata, à tortoribus industriè percunctantur: mox rythmos & cantiunculas concipiunt; hos per omnium manus & ora mittunt. In his constantiam, sanctitatem, innocētiam, & perpessos fratris dolores celebrant. Epistolas ab eodem, licet ne litterulam vnquam pinxerit, ad se scriptas nomine subiecto spargunt. Si ad mortem condemnatum accipiunt, audaculos subornant, qui præsentes morituro se sistant. Hi pileum capiti eius, manicas, collare, cingulum, & quo præter tegumentum verecundiæ carere potest, clam conniuentibus spe lucri lictoribus, detrahunt. Hæc fidei suę reponunt pignora, has reliquias pro martyris vt vocant conseruanda memoria, ferunt. quin & de iis cantiones fabricant, qui per Magiam, aut Dæmonis artes vinculis sese expediunt; quos non suo, sed diuino ductu, tyrannorum manibus ereptos iactant. In carcere meditationibus insistunt. Multa sæpe torturibus vaticinantur mala, quæ ipsi in pædore coltocatis primū obueniunt. Fœminæ cuidam, *inquit Florimundus*, Basileæ captiuæ spiritus persuaserat, fine cibo & potu miraculose victuram: sed post nouem dierum inediam, decimo mortua est. Millies Anabaptistæ extremum iudicij diem prædixerunt, ac Christi velut iam aperto cœlorum fornice egressum parantis, aduentum maxima deuotione expectarunt: Solem tamen consueto cursu abeuntem & redeuntem hactenus viderunt. Ex iis prophetа aliquis suorum auditorum animis hanc persuasionem ita impressit, vt vni tantum linteamini incubātes, totam noctem in rupium cauernis exegerint, Christiq; aduentum expectarint, albo illo colore innocentiam suam testantes, ac miserabili voce & suspiriis Dei misericordiam implorantes. verum vbi deceptos se viderunt, non sine pudore, ad suos quisq; lares reuersi sunt.

CIII. Inter eos si quis morbo aut ægritudine quadam decumbat, vix ac ne vix quidem fratres subueniunt, sed soli præconi commissum deserunt. Illi de spiritualibus gaudiis sermo in ore frequens, quæ hinc migrantibus Deus pater largiri soleat. Mortuis, *facilis iactura sepulchri*. sine vlla enim pompa, aut cerimonia efferuntur. Et est obseruatione dignum, *inquit Erhardus qui vidit*. Non aliter eos sepeliri, quam si mortui canes, malefici, aut infames homines fuissent, sub, aut prope patibulum. Ita nude suos etiam tumulant, in vineæ suæ aut horti quodam angulo, sine lux (vt olim ille dixit) sine crux, & sine omni Deus &c. Bini & bini per pagos incedunt; ad primum quod occurrit diuersorium deflectentes, si auditorium reperiunt, ex prophetis & Euangeliis sua loca proferunt, de extremo iudicio, de pœnis æternis, de inferno, de Diabolis, qua crudelitate in damnatos desæuiant, quod animas & corpora euiscerent, & demum quibus tormentis excarnificent, disserunt: in id vnice intenti, vt terrore & metu audientes percellant. Quod si succedat, pro spiritus afflatu alio orationis suæ vela conuertunt, pro terrore gaudia adferunt, metum turbatis eximere parant, bonoq; animo esse iussis certam viam ad æternæ salutis portum, modo se sequi cogitent, pollicentur. Omnes vnius gradus in publico sunt, nec vllus alterum antecedere debet, tametsi supremum caput Ecclesiæ suæ, & sub eo Regentes, qui familias regunt, secreto agnoscant. Prædicantes fouent, non aliò euocatos, sed è suis seniorum suffragiis electos: quibus non minus labores perferendi sunt, quam cæteris fratribus. His neq; stipendium, neque titulus, aut dignitas noua confertur, sed eodem habitu, eodem cibo cum reliquis vti incumbit. Eo duntaxat præ reliquis priuilegio gaudent, vt cathedram conscendere, verbaq; ad socios facere possint, Sacramento tamen iam ante præstito, fideliter se cōmissum fidei suæ gregē recturos. Plurimum de cōmunionis suæ vnitate & concordia gloriantur, sed sub ea chiliades aliquot sectarū occulunt. Harum aliæ sunt *Sabbatariorū*, q. cum Iudæis Sabbatū colunt, nec bellū, leges politicas & iudicia imꝑbant; aliæ *Adamitarū, Stablariorū, Clanculariorū, Manifestariorū, Dæmoniacorum, Liberorū, Concubitorū, Grubenhanerorū, Eiulantiū, Catharorum siue Sanctulorū, Tacētium, Apostolicorū, Nudipedū, Spiritualiū vel Separatorum, Orantium, Enthusiastarum, Adiaphoristarum, Pneumaticorum, Scripturariorum, Ollariorum, Pastoricidarum, Sanguinariorum, Antichristianorum, Epicureorum, aliisque portentosis nominibus insignium. De singulis, breuiter aliquid dicam.*

Adamitæ, nudi incedunt, omni abiecto habitu, ab Adamo quodā, nō vt putat Florimundus, ab eo quē cognomento Pastorē vocāt, sed alio quodā sic dicti. Porrecta sibi indumenta reiiciunt, nec vllis opus esse significant, vt q toto à sponso suo Christo diuini verbi pulcherrimis vestib. ornatissime contegantur. Sanctitatem & innocentiam primorum parentum in Paradiso affectant. Vagantur passim in syluis & locis frondosis. Ad Euam & Adamum sectæ primordia referunt, quorum & filij nuncupari gestiunt.

Stablarij, non arma, non peram, sed baculū solum gestant.

Clāculārij, in hortis & pomariis clādestine cōueniunt; aliud ore loquūtur, aliud corde sentiunt. Interceptis à Magistratu, aut in custodiā datis, vt vitæ euitēt periculū, quiduis adfere, fidē retinere vel abnegare, licitum docēt: modo cor exteriori professioni nō respōdeat. Baptizant Christianorū more paruulos: vbi contra peccare non licet, & vbi liberi sunt reiterant.

Manifestarij, Clancularios quod tam fucatè & secretò religionis suæ exercitium agant, detestantur: publicè, libereq; catabaptismum profitendum esse, & sic in fide & vita procedendum, vt opera nostra eorum hominib. luceant, præscribunt.

Dæmoniaci, eum errorem tuentur, quo post mundi finem Dæmonum salus adseritur.

Liberos qui se nominant, legem nullam aut præceptum amplecti, sed omnia communia cum vxoribus volunt.

Concubitores & Grubenhaneros inter, fere nulla est discrepantia. Magistratui tributū, censum, & obedientiā negant. Vxoribus promiscue vtūtur, spiritualis matrimonij ꝓtextu. Liberi hi spiritus docēt, *ait Florimūdus*, q̄cumq; fœminam à quocūq; viro suæ religionis rogatā, sui copiā facere debere, vt si ille dicat; Spiritus meus concupiscit carnē tuā: statim illa respōdeat: Veni ergo, & faciam⁹ mirabilia. *Felix Capito* historiā recēset, de quodā eiusmodi inspirato, q. amici domū ingressus, extemplo in hæc verba ꝓrupit: Sp. Sanctus mandauit mihi, vt cū vxore tua cubē. Bene habet, inq; maritus: & vxori mādat, vt morē ei gerat. Interea dū lect⁹ paratur, forte adspicit filiam & ætate, & forma magis integrā, statimq; ad matrē; Nō hoc, ait, vult spirit⁹ vt tecū, sed cū filia cubē. Quid fit? Vtraq; spiritui obedit, & carnē subiicit. Reuersus mane maritus, (lecti n. parte neq; ssimo illi hirco cesserat) hominem inter filiæ amplexus deprehendit, & iratus, Quid? ait. Ergo Sp. Sanctus mētitus est? Iussit ille te cum mea vxore cōcumbere, & ecce tu filiam subagitas? Idem spiritus mandat mihi, vt à te pœnas exigam. demersoq; in intestina eius cultro, hominē occidit. Sic alius quidā, ab eodem spiritu inspiratus, filium tanq̄ Isaacum immolauit.

Eiulantes, perpetuo, aut subinde lachrymas in copia fundunt, qua re nihil Deo gratius accidere existimant.

Cathari, tam se putant ab omni peccato immunes, vt verba illa orationis Dominicæ omittant: *& dimitte nobis debita nostra*. Semel renatos peccare amplius non posse statuunt, eo quod Spiritu Sancto tunc sint illustrati, qui quandiu Ecclesiæ suæ fidem seruent, vitiis conspurcari non sinat.

Tacentibus loquacitas horrori est, placent summa silentia. Pythagoreorum more silent ferè continuo, ac solum in cœlum oculis defixis tranquilla contemplatione oblectantur.

Apostolici, omnibus relictis coniuge, liberis & bonis, ruri per agros & nemora vagantur.

Nudipedes, nec caligas aut calceos induunt, sed nec pecuniam manibus contrectant.

Spiritualibus, siue *separatis* nihil sanctius putant. Mundum ipsum, & omnia mundi auersantur. Cuncta secundum dictamen spiritus expedire se dicunt. Ornatu omni, & communi cibo abstinent. Arma etiam, & cultros non gestant.

Orantes precibus & cantionibus Deum placant.

Enthusiastis cœlum & infernus patet, vnde visiones & futurorum scientiam ferūt. Totum fere mundum his complent. Nunc extremum orbi exitium, nunc aliud denunciant. Humi volutantur vt fues in luto; oculos, aures, caput, adeoque totum corpus sic incuruant & deiiciunt, vt Dæmonum legione obsessos credas. Quo facto surgunt: tunc prout raptus fuerint, vel homicidia patrāt, vt superius dixi, aut alia vanitatum deliria narrant. Lepidum memorat eius generis exemplum Florimundus, quod vt vanitatem sentias, subiicere collibuit. Mulier quędam, inquit, Anabaptistica, excucullati Monachi, eandem religionem profitentis vxor, cum marito in summa paupertate viuebat, sic vt ad victum sæpe etiam panis deesset. Nocte quadam spiritus ei reuelat, ac iubet, vt victimas ac locias epulo excipiat; pollicitus nihil rerum necessariarum defuturum. Illa dicto audiens, mane omnes quotquot nouerat inuitat. Huius conuiuij fama quum percrebuisset, pleriq; quibus fœminæ paupertas nota erat, mirari, vnde illi ad eam rē sumptus. Neque tamen quisquam quidquam suspicari, quod bonæ illa hactenus existimationis fuisset, vt quæ in cætib. eorum Biblia nonnunquam prælegeret. Accurrente magna hominū multitudine, vt & conuiuij apparatum & exitum viderent, iubet illa mensas sterni, & conuiuarum suo quemq; pro dignitate aut ætate loco considere: interim vero in tota domo, nec fumus, nec flamma conspiciebatur. Omnibus iam prima fercula expectantibus, ac quum nihil adferretur, mutuo se respicientibus, illa constanti vultu circumiens rogat, vt paulisper adhuc expectare sustinent: breui Angelos adfuturos, & omnium ciborum admirabilem copiam allaturos. Hoc n. præterita nocte à Spiritu sancto qui mentiri non possit, sibi reuelatum esse. Moram vero hanc interponi, ad tentandam ipsorum constantiam & fidem. Interim illa oculis ac manibus ad cœlum eleuatis, multis editis suspiriis & gemitibus, vt olim Baalitici illi Sacerdotes, Deum obsecrare non cessabat, dicens: Mitte nobis, Pater, de cœlo panem, quibus multo maiora, nempe vitam æternam promisisti. Sed hoc erat mortuo cantare næniam. Appetente ergo iam nocte, fames conuiuas domum suam quemque discedere, & ibi latranti stomacho præsentius remedium quærere coëgit: multo turpius deceptos, quam illi quos Heliogabalus inuitauit, eisq; præter panes fictos, ac cibos pictos nihil apposuit, quibus si non stomachus, oculi tamen aliquo modo fuerunt recreati.

Adiaphoristæ, pro fortunæ flatu, nunc negant, nunc admittunt, has vel illas cerimonias. Cum clancularijs rem indifferentem Anabaptismum, & alia fidei suæ puncta ponunt, in tantum, vt subinde dubites, cui potissimum religioni accenseas.

Pneumatici, vetus & nouum Testamentum reiiciunt.

Scripturarij, omnis Ecclesiastica traditio, & quod in Bibliis expressum non legitur, risui est & contemptui.

Ollarij, Sympotiis gaudent; opiparo cibo, & vino optimo fruuntur.

Pastoricidæ, Pastoribus & Sacerdotibus Dei insidias tendunt, verbera & sanguinem intentant.

Sanguinarij his permisti currunt, qui cæsorum sanguinem potant.

Antichristiani, à quodam Præmonstratensi originem ducentes, Christum in crucis ligno, in desperationem actum fuisse blaiphemant.

Epicuræi, belluarum instar de scelere in scelus proruunt, voluptatibus indulgent, in bonis ducunt dies, & in puncto ad inferna descendunt, iusto Dei iudicio, vt qui, cum post hanc vitam nullam superesse aliam dicant, vita illa æterna indigni.

CIV. *Gabriel autor Gabrielistarū Moraua expulsus.* Cæterum *Gabriel*, post Hutterum, & ipse stimulis superbiæ excitatus, cum alios omnes contemneret, à fratrib. & Magistratu finib. Moraviæ exactus fuit. Discedenti multa se turba miserorū hominum cōiunxit, quorum alij, vrgēte fame (bona enim iam fęde dissipata erant) in patriam, alij aliò perrexerunt. Gabriel vero in Poloniam abiit, vbi & vitam calamitoso exitu finiuisse perhibetur. Hic multos post se discipulos reliquit, qui magistri doctrinam amplexi, mores quoq; & geniū, quod consequens esse solet, induerunt. Sunt inter hos, qui Christi & Spiritus sancti diuinitatem negant, præsertim in finibus Poloniæ & Lituaniæ: Hi bonorum communionem vrgent: blasphemant Christum & Sp. Sanctum; imo & in ipsam SS. Trinitatem, intolerabilia conuitia, & impietates effingūt. Omnia festa, Paschæ, Pentecostes, Natiuitatis, aliaq; reiiciūt. Magistratum contemnunt, & baptizari infantes prohibent. Ex his verbosus quidam nebulo, post multas contumeliosas voces in Sacrum Catholicæ Ecclesiæ baptismum effusas, vndiq; omnes suos ad suum baptisma inuitauit, affirmans fore, vt tota actio miraculis illustraretur, & S. Sanctus adesset. Aduenēre inuitati dicta die. Primum in lauacrum ponit pedem Anteignanus ille; continuoque apparuit videntibus cunctis Dæmon (hic est enim Spiritus sanctus hæreticorum) qui capillis apprehensum impostorem, sæpius in aëra sustollens, & aquis immergens, & illudens, tandem perterritis vniuersis, atq; exanimatis, *vt autor est Bozius*, suffocauit. In Silesia quoq; memoriam sui Gabriel reliquit, vbi discipuli eius pernicioſissime rudiores seducentes, adeo in se Magistratum suis nefariis conatibus extimularunt, vt quatuor ipsorum, præcipui motuum autores, inter quos Clemens quidam à Gabriele non ita pridem excommunicatus, capitis supplicio affecti fuerunt.

CV. Gabrieli loco moto Anabaptistæ Michaëlem quendam cognomento Feldhallerum, virum *nobili loco* natum, in præsulatu surrogarunt. Hic aliquot annos inter fratres cum laude versatus, cum experientiam sibi & vsum, sectam vlterius promouendi acquisiuisset, multum profuit fanaticis hominibus, tametsi rudis & Latinæ linguæ esset ignarus. Quippe paucula mensium spatio, à Paschate scilicet ad festum S. Michaëlis 1600. personas ex confinio, partim ipse, partim aliorum auxilio, in Moraviam attraxit. Nec in opibus corrogandis segnior fuit: quin eam pecuniæ vim principio statim collegerit, vt pro integri anni cœmen lis necessariis media suppeterent, & ab vno Principe 2200. aureis ferramenta pro re domestica redimeret. In Bauaria & finitimis locis peculiares alebat discipulos, qui alios pedetentim adducebant. Correptus semel atq; iterum, quod id faceret, animas se Deo lucrifacere, replicabat. Discipuli annuatim strenas ipsi & donaria largiebantur, quibus vt spiritualis pater precum suarum libellos, aut cantiunculas vicissim remittebat. Mirum est, ne à limine quidem litteras salutauerat, versus tamen & orationes non inconcinne componebat. Ioannes Gaspar Viennensis Episcopus, cum Viennæ in sacello S. Hieronymi Dæmonem, qui multis annis miserlam fœminam variis calamitatib. affecerat, adiuraret, vtq; is nomen suum ederet, omnino perurgeret, Sathan respondit, eius se esse socium, qui Michaelem Feldhallerum Anabaptistarum in Moravia præsidem regeret. Hoc ille Magistro fretus, multos seducebat, donec ad extrema delatus, in desperatione vitam amiserit, nulla Dei salutis facta memoria.

CVI. *Anabaptistæ in Bohemia florere incipiunt.* In Bohemia quoq; exitialis hæc Anabaptistarū secta, hoc tempore gliscere cœpit. Ec quia hic superexat variarum hæresum reliquiæ, defensores etiā & patronos facile, vt fieri solet, accepit. Inter reliquos Augustinus quidam homo factiosus & blasphemus, qui primus ex Bohemis, relicto quem nuper susceperat Sacramentariorū errore, religioni huic subscripsit. Adsciuit sibi ex Hussitis cōplices permultos ex Adamitis præsertim, quorum multæ isthic cohortes vagabantur. Horum ope adiutus, id vnicè curabat, vt sectam sensim per patriam propagaret. Latitabat foris in agrestiū casibus, nec audebat in publico mentis sententiam dicere. Ferdinandum n. Regem, Catholicæ fidei addictissimū summopere formidabat, & ne sub initium statim reprimeretur, timebat. Bohemia regio est, si situm loci & formam spectes, rotūda quasi, Sylua Hercynia per circumferentiam, hinc Moravia ad Orientem, istinc Bauaria ad Occidentem, ad Septentrionem Saxoniæ finitib. circumdata. Is loci status Augustino percommodus fuit. Ex Moravia n. cum sit vicina, si fociorum auxilia deficerēt, noua petebat: ex Bauaria & Saxonia, vltro q manus iungerent, adutebant: sylua Hercinia vltimum erat refugium. Huc imminēte periculo à suis certior factus declinabat. Cum Huttero singularis ipsi familiaritas, cuius & in disseminādā hæresi modum sequebatur. Ab hoc visionum & secretorum mysteriū hauserat, perpetuum sectæ quo ab aliis secernitur symbolum. Emigrabat subinde cum asseclis in Silesiam, mercimoniū velut facturus, & clam cum Gabrielistis cō susurrans opinionum suarum semina iaciebat. Elati erat animi, & præ reliquis mire superciliosus. Huc quam exterius præferebat, prudentia & rudis aliqua litterarum cognitio, accedebant, quę hominis semen euertebant. Itaq; vt post tot hactenus sparsas hæreses, & ipse exco-

gitata noua, nomen sibi aliquod celebre pareret, nouum quoque doctrinæ genus, conforme tamen antecessorum erroribus, euulgare cœpit. Docebat ergo; occlusum adhuc cœlum esse, nec ab vllo, nedum à Christo reseratum, sed ad nouissimũ vsq; diem, donec extremus iudex ad vallem Iosaphat, humanum genus iudicaturus descenderit, clausum mansurum, ac proinde vanum videri & ridiculum asserere, Sanctos in cœlo cum Christo triumphare. Certum enim & indubitatum esse, quemque, siue ad æternam gloriam, siue ad gehennam, post hanc mortalem vitam à Deo sit relegatus, in suis locis contineri, ac ibi Christi aduentũ præstolari. In reliquis, idem quod Anabaptistæ alij defensabat. Hæc licet absurda essent, non tamen quibus non arriderent, deerant. Vbi multos errorib. hisce priuatim infecit, propalam caput exeruit, & quod iam diu secreto fouerat, in publicum, virus euomuit. Commoditatem propagandæ hæresis eã habebat, quãante ipsum vix vllus habuisse creditur. Sub Huffitarum enim, quibus tota penè Bohemia scatet, nomine, vel quos suis errores seminabat, nec facile animaduerti poterat, quo autore traderentur: Id quod ipsum etiam non latebat. Facundus erat natura & comis, quæ duo vix dici potest quantum illi profuerint. His mores conformabat, & ad captum vulgi alios alios q; inducens, exteriorem aliquam vitæ sanctimoniam præ se ferebat. Conuentus plerumq; dieb. profanis agitabat, eo animo, ne à vicinis proderetur, quos diebus sacris ab operib, vacare non ignoraret. Tandem tamen cum nihil, Christo Domino testante, occultum esse diu possit, res tota detecta fuit, & ad Regem delata. Itaq; inde turbatus Morauiam petiit; sed cum nec ibi tutus esset, in Transsyluaniam se contulit: vbi maiore audacia errorem simpliciorũ animis obtrudẽs, misera demũ morte periit.

CVII. *Coppinus Insulanus à Clanculariis seductus Tornaci supplicio afficitur.*

Inferior Germania nullis adhuc istiusmodi malis afflicta, altissima pace fruebatur, nec vllis hæresibus, paucis exceptis vicibus, quæ Lutheri aut Sacramentariorum doctrinam, priuata autoritate admiserant, infecta, vnam vno ore fidem profitebatur. Sed quemadmodum tunc maxime, quando apertũ nullum obuersatur periculum, & dum tutos nos esse arbitramur, hostis insidias struere solet, ita quoq; his locis Christianæ fidei hostis malum maturè inuexit. Erat in Flandria vir quidam indoctus planè, & cui nihil omnino quo se promoueret erat præter audaciã, Coppinus Insulanus nomine. Hic à Clancullariis quibusdam, qui passim per Germaniam vagabantur, Anabaptistis circumuentus eò se abduci passus est, vt totius religionis nostræ capita susq; deq; ferret, & quod cuiq; placeret, id pro libitu vel repudiandum vel assumendum diceret. Deum, docebat, non curare inferiora hæc & sublunaria: solo throno maiestatis suę in cœlum contentum degere. Liberum cuiq; inesse arbitrium, proinde & religionem liberam esse debere. Sed nec faciendo hæc, vel alia quæuis scelera patrando quempiam peccare. Opera omnia quamlibet videãtur praua & impura bona esse, nisi aliter mẽs humana interpretaretur, cuius iudicio factum vel bonum vel malum censeretur. His tam absurdis hæresibus, Hollandiã & Brabantiam conturbãs motus magnos excitauit: qui tandem loci Magistratum, vt eũ pelleret, cõmouerunt. Pulsus ex patria in Galliam cõfugit, vbi perquam multis nefariè imposuit. Sed & hinc maturè eiectus, in patriã rediit. Ibi ab amicis familiariter subinde admonitus resipiscere noluit, sed priores errores nouis cumulauit. Assecłæ ipsi complures erant, qui vagabundi per Belgium discurrabant. Reliquerat hic Hermanus Rischwichius, ob blasphemã hæresim, paucis ante annis incineratus, discipulos, qui his adstipulati, nouam societatem constituebant. Hi forte inter se prouincias partiebantur, ita vt in Hollãdiam hi pergerent, illi in Brabantiam: & sic per totum Belgium pestiferum dogma deferrent. Gnosticorum & Valentinianorum errores ab inferis resuscitabant. Horum deliria & abominandas hæreses sectantes, quicquid in buccã Sathan immittebat, hoc orbi velut Euangelium pdicabant. Christus illis erat Sathanas, vitiũ virtus, & contra virtus vitium. Nihil, *inquit Viretus*, ex eorum sentẽtia peccatum, nisi eorum opinatu qui se peccare putant. Verus Dei timor, & eo imbuta conscientia, pro inferno illis habetur: pro paradiso autem, conscientia diuini iudicij contemptrix, secura, stupida, & consopita. Hæc pernicioſa dogmata, quia plausibilia erant, ex vulgo multos dementarũt, qui Coppino duce in quæuis vitia labebantur, & postremo omni diuino cultu mundanis voluptatibus postposito, ipsum Deum & sacrosanctam religionem respuebãt, in Atheismum demũ miserè prolapsi: Vnde Magistratus, vt vlterius periculum auerteret, strictissimè in seductores & inquirere, & seuere animaduertere coactus homines subornauit, qui authores explorarent, indeque ad se omnium nomina deferrent; vti & factum. Coppinus enim ipse primarius ductor captus est, & Tornacum in captiuitatem abductus, vbi non multo post extremum supplicium, hæresi prius abiurata, subiit.

CVII. *Quintinistarum autor Cyrelegio incipit.*

Ex faustlis eius calescentib. adhuc, mox alius quidam è Picardia Sartor, Quintinus nomine, Libertinorũ huius temporis, vel vt alij vocant, Quintinistarum Phœnix prolifiit: qui cum arguti & audacis ingenij esset, tantum collegit famæ, vt Coppini extinxerit memoriam; adeo vt huius sectæ caput & author existimetur. Hic primũ in Galliis, & postea in Belgio, vani sui cerebri deliria deprompsit; quę ab aliis in superiorem Germaniam, in Palatinatum maxime delata, multorum animos occuparunt, & tandem latius progressa in Bohemiam & Poloniam penetrarunt. Huius sectæ complicibus tota pene Germania, Gallia & Anglia abũdant, iis maxime locis, vbi Sacramentarij furoris gangræna graſſatur, & solent variis nominib. appellari. Quidam eos Politicos vocant, eo q̃ omni religionis cultu sepposito, bonum cõmunitatis tantũmodo agant, fucata quadam prudentia; quam exteriore habitu & moribus simulant, insignes. Alij Neutrales, seu Neutralistas vocant, q̃ rectam religionem nesciãt, nec vlli velint in reb. fidei adstipulari, sed libere quod lubet, asserere & profiteri: suntq; verè meræ in Christianis Rebusp̃ublicis pestes, & contagia, quib. tot animæ pessum eunt. Ab aliis Macchiauellistæ, à famoso Florentino politico Nicolao Macchiauello, homine atheo, hoc tempore viuente, scribente, & animos, præcipuæ Principum deprauante, nuncupantur. A nonnullis, aliis nominibus, genuino tamen, vti diximus, etymo Libertini, vel Anabaptistæ liberi, intitulãtur. Cæterũ Quintinus longe lateq; per Europã graſſando venenum disseminauit, in pauperum diuitumq; ædes astute prorepens, nutantes animos, & à vera fide auersos irretiẽs. Hæresis audaciam adiunctam habebat, qua vt defensores sui nec periculum, nec mortem timerẽt, efficiebat. Hinc ille tam liberè in sacratissima fidei mysteria declamans, tã audacter à vero mentes abducebat. Nullis mouebatur minis; edicta nulla & arma eũ deterrebant. Socios accepit intra breue tempus plurimos, quorum opera sectam latissime per omnes Europæ prouincias euulgauit. Nam hi, vt ad Iacobum à Burgundia Nicolaus Gallasius scripsit, instar Prothei subinde sese transformabant, nouasq; species induebant: vt facilè decipi possent, quib. ignota erat eorum astutia. Simulare enim, mentiri, fallere, summam esse virtutem statuebant; secũ ridebant omnia: & quicquid in mundo est, nihil esse aiebant. Quo fit, vt talia se dogmata tradidisse, aut sequutos esse negẽt: quia ex eorum sententia, doctrina ipsorum nihil est: & cum locuti sunt, nihil dixerũt. Hi, *inquit Caluinus*, Quintini assecłæ, omnes tam egregiam operam nauarunt, vt quamplurimos corruperint in Francia; adeo vt nullo habitarint in loco, quẽ purum & integrum ab hac contagione reliquerint. Quamquam interim idem agere & moliri in patria sua non destiterint, vt simpliciores & idiotas, aut quos reperiebant, ad sui imitationem appositos, seducerẽt. In quo ita profecerunt, vt horribile auditu sit, quã infecta sint illic omnia. Opem eis tulit quidã Sacerdos Apostata, Antonius Pocquius nomine, statura paruus, sed astutia & malitia gygas. Cõscripsit is peculiarem de secta libellum, quem q̃ rem nouam plane & hactenus inauditam, miro quodam verborum lenocinio prima fronte polliceretur, auidissimè vulgari idiomate scriptum, cõmunis plebecula volutabat. In eo singulari quodã sermonis genere vtitur, q̃ quicq̃d agas, si intelligere, aut extricare te cupias, Deipotius te agere, quã Dauũ oportet. Ida. cò fecit, vt tantò citius minime sentientes fallere, & in admirationem sui trahere queat. Principio, hæreticorũ more, telam à ꝓpria persona orditur, recensens, q̃ sibi diuinitus munera collata his nouissimis temporibus fuerint, nempe quod erroribus liberatus, eam, vt omnes erudire in spiritu possit, scientiam acceperit, q̃ viuificatus & renouatus vocatus sit cum Angelis, & factus filius Dei; aliaque multa de charitate, de spiritu, de regeneratione noui hominis, scriptitat. Præter hunc alij quoque, ne stipites viderẽtur, operi calamum admouerunt. Quorum omniũ vanitas, ex eo potissimum cognosci potuit, quod cõmuni relicta via,

inusi-

inusitatum quoddam scriptionis genus vsurparent, quod nõ nisi à suis assequi aut intelligi sciebant. Nec fuit etiã vna scriptorum intentio; alius hoc sibi dogma, alter aliud refutandũ deligebat: hoc tantũ excepto, q̃ spiritum solum omnes vnũ affectarent. Prodiit ex officina ipsorũ nefandus quidã, & quę pii omnes suppressum mallẽt, libellus, horrẽdo & execrabili titulo, *De tribus impostoribus* inscriptus, quo tres præcipue religiones, q̃ vnum & verum Deum, qui creauit cœlũ & terram, quamuis diuersa ratione agnoscant, Christiana, nim. Iudaica & Mahumetana irridentur. Hunc libellum vel ob ipsum solũ titulum, vt de blasphemiis sileã, quibus superabundat, seculo indignũ meritò Florimundus iudicat. Quam obscuritatẽ in libellis suis adhibent, ea etiam in conuersationibus vtuntur: quæ sic peregrina est & insolens, vt nihilo plus perspicacitatis insit, quam in auium cantu. & hac sola fraude velut ex insidiis idiotas circumueniunt. Mira versutia. Ne quidem suis, nisi iuramento adstrictis, abominationem mysteriorum suorum reuelãt, & quasi obstupescentes, ad eorũ verba hisce sinũt.

Eorũ fidei articuli.

1. Primus Theologiæ ipsorum articulus est, vt bilingues sint, & in multiplices ſpecies sese transformẽt. Errorem eum Scripturæ testimoniis probare conantur, ac eo se Psalmi 2. dicto, *Qui habitat in cœlis, irridebit eos*, muniunt. Hinc enim probare volunt, Deum simulatorem esse, quem in omnibus nos subsequi deceat. Quin & Christum Dominum pro fallegant, eo munere hic quasi in mundo perfunctum, cum altissima sacræ fidei mysteria sub parabolis & similitudinibus, rudioribus adeoque ipsis quandoque Apostolis proponeret. Ita sub ambagib. istis, velut latrunculi in latibulis suis sese occultant. Scripturas, si quis locus occurrat, perbelle in sensum suum torquere possunt: non quod eis fidem adhibeant; sed tantum vt idiotas perturbent, atq; ita concutiant, vt tandem eos ad se facilius possint adducere. Si quis locus ipsis obiiceretur, respondebant; nos literæ nimirũ obnoxios esse, sed Spiritum, qui viuificat, sequi oportere. quin etiam porcus ille Quintinus, vnumquemq; Apostolorum aliquo scommate notauerat; velut Picardico suo sermone Paulum vocans vas fractum; Ioannem, iuuenem stolidulum; Petrum abnegatorem Dei; Matthæum fœnerato rem, vt etiam supra memorauimus.

2. Nihil illis æque displicet, Lindano autore, quam simplex, apertus, plenus & genuinus S. Scripturæ sensus, à quo alios auertere conantur, vt vnusquisque somnia sua & Diaboli præstigias loco verbi Dei sequatur. Hinc nullum possunt aliqua de re sermonem inchoare, quin nomen Spiritus statim ab eis proferatur, vixq̃ binas clausulas continuant, quin subinde repetant.

3. Omnia sine ratione confundunt, nihilq̃ ponunt inter Filium Dei & Spiritum S. discriminis.

4. Vnicum tantum Spiritum statuunt, qui sit ac viuat in omnibus creaturis: in nihilum redigentes tum humanæ, tum Angelicæ naturæ essentiam. Angelos enim nihil aliud, quam inspirationes aut motus, non creaturas essentia præditas esse dicunt. Animarum vero nostrarum loco, aiunt, Deum viuere in nobis, & actiones vitales omnes efficere.

5. Diabolum, mundum, peccatum, & quæ flagitii titulum merentur, nihil esse aiunt, nisi opinationes meras & figmenta, quæ veluti somnia obliuione obruenda sint.

6. Deum etiam autorem peccati ponunt; & quidam etiam ipsorum de libero arbitrio non aliter loquuntur, quam si lapis esset. Qualecumque flagitium committas; non te, sed Deum in te operari, inquiunt. Atque inde est, quod nec malũ in mundo superesse, nec quempiam ob facinus quoddã patratũ asperiori verbo corripiendũ, quamuis nec ipsi abhoc sibi temperent, pronuncient. Lutetiæ, *narrat Caluinus*, quidã cerdo, huius sectæ veneno sic imbutus erat, vt iam nihil malũ esse iudicaret. Accidit vt cum is aliquando Stephanum à Fabrica inuiseret, cum quo aliquid vsus habebat, eumq; mœstũ reperisset propter famulũ, qui eo derelicto pecuniam aliquã secum abstulerat: præcipua vero tristitiæ causa erat, q̃ verebatur ne alicubi abuteretur apud negotiatores, ipsius nomine. Cerdo ille rogauit, quid eũ male haberet. Ille tribus verbis respondit, vt erat vir paucorum verborum. Statim cerdo sese attollens, quasi expansis alis supra nubes volaturus, Stephanũ reprehendit, quasi blasphemantẽ Deum, quod eius opus nequitiam vocaret; cumq; Deus faceret omnia, nihil censendũ esse malum. Stephanus sciens se nihil ratiocinando cum illo profecturum, vno verbo sermonem eius abrupit. Aliquot diebus postea accidit, diuina voluntate, vt huic philosophastro cerdoni famulus quidam furtum faceret. Illa quasi furore correptus hac illac discurrens, aliquid de famulo audire satagebat. Cum hominem nõ reperiret, ad Stephani domum accessit, vt cõquerendo ac ciulando animum alleuaret suum. Iam cœperat conuitiorum aceruos in furem iactare, atq; vberius progressurus erat, cum Stephanus sic eius sermones interrupit. Quid? Siccine, ait, blasphemandũ est? An possumus accusare Deum? Si ipse hoc fecerit, potius laudandus est. Fanaticus ille suis verbis, quibus antea vsus erat, victus & pudore suffusus abiit, nec tamen propterea resipuit. Hoc exemplo docemur, quomodo Dominus insanos istos experientia ipsã cõfundat; neq; tamẽ hoc eis proficit, quominus pertinaciter inhæreant dementiæ suæ. possidentur enim à Diabolo, qui non sinit ea, quæ oculis eorum obiecta sunt, cernere.

7. De Christo quoque minus candide sentiunt Quintinistæ. Eum ex Dei Spiritu, quem in nobis esse contendunt, componunt, & ex eo quod opinationem, aut mundum vocant. Sunt alii inter ipsos, qui redemptorem quidem humani generis agnoscunt, nõ tamen quod mortẽ pro nobis in cruce subierit, vt dicant, persuaderi possunt; sed si sic sentiendum sit, non reuera, sed solum opinatione mortuum fabulantur: cuius sententiæ duos Valentianæ extremo supplicio affectos Caluinus memorat.

8. Magnificis & splendidis verbis regenerationem suam spiritualem ornant, & extollunt. Si Dei sumus, inquiunt, veterem in nobis hominem crucifigi oportet: veterem Adamum interire, mortificari carnem nostram, mundum destrui, ne peccatum in nobis regnet amplius. At cum explicandum est, quid per ea significare velint; in eo regenerationem illam collocant, vt nec peccati remorsu, nec Dei timore, nec iudicii terrore, nec re vlla nos tangi debere dicant.

9. Christianam libertatem depinnatis verborum attollunt eloquiis, ac tanti faciunt, vt libera omnia & licita, quæ homo vel re, vel opinione assequi, aut cogitare possit, statuãt. Vnde homicidia, furta, stupra, adulteria, incestus & sacrilegia libere suis indulgent. Spiritualibus gaudent matrimoniis, legitimas vxores repudiant, nouas superinducunt. Promiscuos laudant concubitus, & nocturnis congressibus tempus impendunt. Apud Catholicos Catholici, apud Sacramentarios Sacramentarii, apud Lutheranos Lutherani haberi volunt. Ita chamæleontis istar & polypi, nunc hanc, nunc illam speciem induunt; adeo vt nihil æque illis conueniat, quam vulgare prouerbium illud: *Vlula cum lupis, &c.*

10. In proprietatem bonorum nulla ratione consentire volunt; omnia communia ipsis esse debere dicunt, qui Christiani nominari desiderent; alioqui frustra eos *communionem Sanctorum*, quæ temporalium bonorũ vna sit collectio, profiteri. Ob hanc causam fratribus suis, vt furta & rapinas exercent, suadent. Versum quendam, quem falsò in Cardinalem quendam Lutherus lusit, quasi testamentum Sectæ suæ moriens Quintinus reliquit: *Dum potui, rapui: rapiatis, quidlo potestis.*

11. Rident spem omnem, quam de resurrectione habemus; idq̃ iam nobis euenisse dicunt, quod adhuc expectamus. Animam nostram, vnum eundemq̃ cum Christo Spiritum esse: hunc perpetuo in cœlis viuere, & opinatione solũ è corporibus nostris ad Deum excedere, nugantur. Quid multis? Nihil nobis præter hanc vitã reliquũ faciunt, vt eam quomodo lubet transigamus, deinde in nihilum redigamur.

12. Aliud nihil esse Pœnitentiam, nisi se nihil mali admisisse, cognoscere & profiteri.

13. Posse hominem in hac vita innocentiæ & perfectionis culmen conscendere; modo fortiter conscientiæ morsus reprimat, & memoriam malorum abolcat.

Istis erroribus formidabiles in Christianos Quintinistæ, seu Libertini inuolãt: Caluinianos vero præcipue fere omnes ad se facilius quam alterius sectæ homines pelliciunt, atq; trahunt; quamuis nulla vere Secta inueniatur, cui illud non placeat; *Si lubet, licet*: ita collibitum totius Ordinis, Lutheranorum, Zainglianorũ & Pelagianorum primis ductoribus atq; Patriarchis. *Mesihouius hist. Anabaptist. lib. 4. & 5.*

CIX. Horum genimina, ne Italiam quoque inficerent, Clemẽs Pontifex dum Bononiæ esset, saluberrime prospexit, & Paulo Butigellæ Dominicano, hæreticæ prauitatis Inquisitori, in Ferrariensi & Mutinensi ciuitatibus, ac Vicario generali totius Ordinis Prædicatorum commisit, concessit & mandauit, vt ipse, & alii Inquisitores prædicti Ordinis, & eorum Vicarii procedant contra quoslibet Religiosos de hæresi diffamatos, aut suspectos, & erroneas propositiones prædicantes; non obstantibus quibuscumque priuilegiis, quodque Inquisitores possint substituere sibi Vicarios annorum triginta; multaque singularia pro extirpatione hæreseos facere, vt patet in diplomate adiuncto, quod ita habet.

Dilecto filio Paulo Butigellæ, totius Ordinis Fratrum Prædicatorum Vicario Generali, in Ferrariensi & Mutinensi ciuitatibus & diœcesibus hæretici prauitatis Inquisitori.

Dilecte fili, salutem & Apostolicam benedictionem.

Cum sicut ex relatione pro parte tua nobis facta, cum graui mentis nostræ molestia innotuit, in diuersis Italiæ partibus, adeo pestifera hæresis Lutherana, non tantum apud seculares personas, sed etiam Ecclesiasticas & Regulares, tam mendicantes, quam non mendicantes inualuerit, vt aliquando nonnulli ex eis suis sermonibus & verbis, & quod deterius est publicis prædicationibus tali labe plerosque inficiant, & Christi fideles, sub obedientia sanctæ Romanæ Ecclesiæ viuentes, & præcepta eiusdem Ecclesiæ seruantes, non leuiter scandalizent, in hæresum augmentum, pusillorum scandalum, atque Catholicæ fidei non mediocre detrimentum. Nos attendentes, Arrium, vnam modicam scintillam fuisse in Alexandria: sed quoniam non mox oppressus est, grande per totum orbem incendium excitasse; ac cupientes huic veneno hæresique nefariæ, & labi pestiferæ, quam supremis extingui affectibus anhelamus, omni salubri quo possumus remedio occurrere, & ne huiusmodi morbus excrescat vlterius, sed operante Domino passim euellatur, salubriter prouidere, Tibi, nec non omnibus & singulis aliis dictæ hæreticæ prauitatis Inquisitoribus ex Ordine Fratrum Prædicatorum, maxime Congregationis vtriusque Lombardiæ, per vniuersam Italiam constitutis, & deputatis ac constituendis, eorumque Vicariis, in virtute sanctæ obedientiæ, & in remissionem peccatorum nostrorum directe præcipiendo mandamus, quatenus omnibus & singulis, etiam Carmelitarum, & aliorum Ordinum mendicantium religiosis, vel nõ mendicantibus de huiusmodi peste damnatis, aut aliter suspectis, præcipueque tales errores in suis sermonibus, verbis, seu prædicationibus disseminantibus, per censuram Ecclesiasticam appellatione postposita super huiusmodi, aut qualibet alia hæresi silentium imponatis. Et postquam per vos, seu Vicarios vestros, aut vestrum, vel eorundem Vicariorum aliquos, siue aliquem præsidentes Monasteriorum, Conuentuum, & aliorum locorum, vbi hæreses huiusmodi, vel errores seminati forent, aut sibi propinquorum præmoniti fuerint, nisi tales infra mensem à die admonitionis computandum debita prouisione remedia, cum effectu adhibuerint, ac digna pœnitentia castigauerint, de quibus admonenti fidem facere teneantur: etsi præsidentes ipsi talia prædicarent, admonitionem præsidenti vicinioris Conuentus, vel loci respectiue facere sufficiat, contra huiusmodi exemptos, vsque ad sententiã definitiuam, ad quam ferendam (si fuerit condemnatoria) cum consensu Ordinarii procedatis. Contra Carmelitas tamen confestim possitis, etiam ad capturam, dum prædicant populo, vel publicè disputant, erroneas conclusiones; aduersus non exemptos vero de tali labe diffamatos, aut suspectos, veluti contra alios hæreticos, prout iura disponũt libere inquiratis atque procedatis. Decernimus insuper, vt vestros Vicarios, siue Cõmissarios instituere valeatis, viros vestra sententia prouidos, aptos & idoneos, dummodo ætatis trigesimum annum attigerint. Vobis etiam ac Vicariis præfatis, extraiudicialiter, Lutheranos occultos, & non inquisitos per Ordinarium, siue alios iudices, aut alios quoscumque, hæreticos, fautores, credentes, defensores & receptatores, nec non & à sancta fide apostatas, eosque qui contra inhibitionem Sedis Apostolicæ tenuerunt, vel legerunt libros Martini Lutheri, vel aliorum, aut eidem, siue eisdem quomodolibet adhæserunt (si ad cor reuersi pœnitentes, id humiliter petierint) postquam hæresim, qua polluti & infecti erant, abiurauerint, medio iuramento promiserint, de cætero ab huiusmodi hæresi penitus abstinere, absoluendi, illisque pro præmissis pœnitentiam iniungendi salutarem, eosque ad gremium sanctæ matris Ecclesiæ restituendi, & reducendi, & cum Clericis secularibus ac personis Religiosis, cuiusuis Ordinis, status & conditionis, super quauis irregularitate, quam tam ex hæresi, quam ex apostasia à fide, seu etiam ex eo, quod censuris & pœnis Ecclesiasticis, tam à iure, quam ab homine quauis occasione, vel causa latis, & promulgatis, quomodolibet incurrerunt, aut ligati, seu innodati diuina celebrando contraxerint; ac etiam super irregularitatibus, quas Clerici crucesignati sententiis, censuris, & pœnis à iure vel ab homine, etiam quauis occasione vel causa latis ligati, seu irretiti; ac etiam ex eo, quod in locis Ecclesiastico interdicto suppositis Missas, & alia diuina officia (non tamen in contemptum clauium) celebrauerint, incurrerint, dispensandi. Et quia Inquisitores præfati in ciuitatibus, seu aliis locis, Societates, seu Confraternitates ad extirpandam hæreses, ad capiendum hæreticos (iuxta concessionem à Romanis Pontificibus eis factam) instituunt, & in eis Confratres recipiunt, qui in eorum receptione votum, in eorundem Inquisitorum, seu Vicariorum manibus emittunt, ac voto se astringunt, dum pro parte ipsorum Inquisitorum, & Vicariorum ad capiendos ipsos hæreticos requisiti fuerint, auxilium, consilium & fauorem præstare, & eis tempore cuiusuis localis interdicti, diuinis interesse, & eis decedentibus eorum corpora Ecclesiasticæ sepulturæ (sine tamen funerali pompa) tradi possint, dummodo causam non dederint huiusmodi interdicto, nec eis id contigerit specialiter interdici: ipsisque crucisignatis per ipsos Inquisitores, seu Vicarios, dum in eorum manibus votum hæreticos ipsos persequendi emiserint, vt semel extunc & in mortis articulo à reseruatis, & in Bulla Cœnæ Domini contentis casibus, de quibus corde contriti, & ore confessi fuerint, aut propositum confitendi debito tempore per Ecclesiam statuto habuerint absolui, ac indulgentia plenaria, & omnium peccatorum remissione huiusmodi concedi: eisque vt singulis diebus anni, quinque altaria Ecclesiæ (si tot ibi fuerint) aut vnum loci, in quo eos esse contigerit, Psalmum vnum flexis genibus recitando, vel quinquies orationem Dominicam, & toties salutationem Angelicam, in quolibet altari, indulgentias stationum vrbis Romæ consequi valeant, etiam concedendi & elargiendi, autoritate Apostolica tenore præsentium licentiam & facultatem concedimus: & nihilominus concessionẽ per Romanos Pontifices, (forsan) viuæ vocis oraculo, seu alias iisdem Inquisitoribus, & Vicariis eorum, seu licentiam concessam huiusmodi approbamus & confirmamus; ac omnia & singula alia priuilegia, exemptiones, immunitates, gratias & indulta, quibuscumq; Inquisitoribus aliis hæreticæ prauitatis, quorumuis Ordinum & Congregationum, & officio Inquisitionis huiusmodi, in quibuscunque regnis & prouinciis, siue locis ac terris hactenus deputatis concessa, & in posterum concedenda vobis communicamus, atque iam vobis aliàs concessa approbamus, confirmamus & innouamus, vniuersosque & singulos iuris & facti defectus, si qui forsan in illorum concessione interuenerint, supplemus. Mandantes omnibus & singulis, venerabilibus Fratribus Archiepiscopis & Episcopis, nec non dilectis filiis eorundem Archiepiscoporum & Episcoporum Vicariis, in spiritualibus generalibus, quatenus præsentes literas & in eis contenta quæcumque, vbi, & quando opus fuerit, ac quoties pro parte vestra, seu Vicariorum vestrorum prædictorum, aut alicuius vestrum, siue illorum desuper fuerint requisiti solemniter publicantes, ac vobis in præmissis efficacis defensionis præsidia assistentes, faciant præsentes literas, & in eis contenta huiusmodi firmiter obseruari, vosque illis pacifice gaudere. Non permittentes vos desuper, per quoscumque, quouis modo indebite molestari; contradictores quoslibet, & rebelles per censuras, & pœnas, ac alia opportuna iuris remedia, appellatione postposita compescendo, inuocato etiam ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachii secularis; non obstantibus constitutionibus & ordinationibus Apostolicis, ac dictorum Ordinum, etiam iuramento & confirmatione Apostolica roboratis statutis, & consuetudinibus, nec non priuilegio quod incipit Sacer Ordo, per felicis recordationis Sixtum Papam Quartum prædecessorem nostrum Ordini Carmelitarum concesso, fortasisque post aliis communicato, & quibuscumque aliis priuilegiis, & indultis Apostolicis, illi, ac quibuscumq; aliis, etiam Mendicantium Ordinibus, etiam sub quibusuis tenoribus, & verborũ formis, ac cũ quibuscumq; clausulis, & decretis cõcessis, approbatis & innouatis; quibus omnib. (tenores illorũ ac si de verbo ad verbũ inserta forent, præsentibus pro sufficienter expressis habentes) hac vice specialiter & expresse derogamus; nec non quibuscumque exceptionibus, oppositionibus & appellationibus, forsan desuper faciendis & interponendis, quæ aduersus præmissa, vllatenus suffragari posse volumus contrariis quibuscumque; aut si aliquibus communiter vel diuisim, ab Apostolica sit Sede indultum, quod interdici, suspendi, vel excommunicari non possint per literas Apostolicas, non facientes plenam & expressam, ac de verbo ad verbum, de indulto huiusmodi mentionem. Decernentes præsentium transumptis manu publici notarii subsciptis & sigillo alicuius personæ in dignitate Ecclesiastica constitutæ munitis, eandem prorsus fidem in iudicio, & extra exhibendam fore, quæ eisdem præsentibus adhiberetur, si forent exhibitæ, vel ostensæ. Datum Bononiæ sub annulo Piscatoris die 15. Ian. anno 1530. Pontificatus nostri anno 7. ext. in Bullario Direct. Inquisit.

Ad

CX. *Henricus VIII. Angliæ Rex, legatũ ad Pontificem pro diuortio approbando mittit.*

Ad eundem Pontificem Bononiæ adhuc agentẽ Henricus Rex Angliæ Thomam Bulleynium Wiltoniæ Comitẽ, Thomam Cranmerũ, & D. Stokesleyũ, & D. Lee LL.DD. misit, qui causam diuortii sui cum Catharina Regina sustinerent. Per totum etiam Galliæ regnũ Theologos & Iurisconsultos cõquisiuit, qui matrimonium ipsius cum Catharina cõstare nõ posse, obsignatis tabulis cõfirmarent; vt si forte summus Pontifex (quod iam plane apparebat) sententiam contra illum ferret, tamen fucata quædã Academicæ autoritatis species ad tenebras hominum oculis offundendas non deesset. Quod enim paucissimi quidam, & ii non doctissimi homunciones, Regiis pecuniis magna ex parte corrupti, in variis Academiis censere visi essent, id Rex erat sub ipsarum Vniuersitatum nomine diuulgaturus, tanquã tot doctissimorũ hominum tanta collegia, ab ipsius partibus intrepide stetissent. Cõmissa est huius rei cura in Gallia primũ, Reginaldo Polo Anglo, qui tunc Parisiis studiorum causâ degebat, & Henrici Regis magna munificẽtia fruebatur: in quo viro nobilissimi generis splendor, cum probitate morũ & doctrinæ præstãtia certabat. Sed cum ille minus promptũ se exhiberet, imo nullã in re tam turpi operã interponeret, adiunctus fuit ei quidam socius ex Regis Senatu, ad hominem extimulandũ. Sed cum nec hac ratione adduci Polus potuit, vt diligentiã adhiberet, sed potius per literas apud Regem se excusaret, delatũ est negotiũ Guilhelmo Langæo Gallo; cui cum charior esset pecunia Regia, quam propria fama, quos potuit leguleios & Theologastros in suas partes magno precio adduxit. Aderat tunc Parisiis Petrus Ferdinandus Brasiliensis Episcopus, qui ad tractatum Aluari Gomesii de cõiugio Regis Angliæ cum relicta fratris sui, præfationem adscribens ait, se oculatum fuisse testem eius largitionis, quæ Henrici nomine tunc Parisiis facta est. *Nonnulli ex Theologis*, inquit, *adulterantes verbum Dei, & ambientes fauorem hominum, corrupti muneribus & largitione Angelorũ (quæ moneta, dicta Angeli, alias Angelotti, familiaris est Anglis) inciderunt in laqueum Diaboli, & fauerunt partibus Regis contra animi sui sententiam; neque vereor tam aperte hæc proferre, quando testis huius rei sum oculatus.* Hæc ille.

CXI. *Magna in diuersis Academiis de diuortio Regis Angliæ Theologorum in sententiis varietas.*

Id quoque simili largitione frustra pertentatum fuisse in Academia Coloniensi, commemorat in epist. dedicat. Com. Dionys. Carthus. 4. sent. Petrus Leidensis, qui propterea, sicut illius Vniuersitatis Theologos summopere de spretis Regiis pecuniis laudat, sic aliorum quorundam Gymnasiorum turpissimam adulationem non tacet. Ita enim scribit: *Et nullus vnqua in casus potuit vestram labefactare innocentiam, autoritatem deprimere, constantiã superare. Sic nuper cum Rex quidã magnus & potens, multis auri pondo sperasset à vobis quam petebat sentẽtiam emere, spreto auro repulsus, sensit inexpugnabilem animorum vestrorum constantiam. Pudet referre quid interim ab aliis aliquot per fraudem & pretium Vniuersitatibus impetrauerit, quanquam frustra; vobis non accedentibus, neque in eandem vadentibus sententiam. Tanta est vestra autoritas, talis vester est candor, tale iudicium vestrũ. Hæc ille.*

In aliis item Germaniæ Vniuersitatibus quid tentatum fuerit, ex his Ioannis Cochlæi verbis colligi potest, quæ, ad Richardum Morisonum Anglum, partes Regis defendentem scripsit: *Offerebatur mihi*, inquit, *his annis superioribus amplæ remunerationis & auri spes, si contra matrimonium Regis cum Catharina, vel ipse scribere, vel Vniuersitatum aliquot Germaniæ sententias, quales aliquot Galliæ & ITALIÆ Academiæ dedissent, procurare voluissem. Sed cum esset ea spes contra conscientiam meam, dixi, sicut dixerat in prima sui tentatione Balaam; si dederit is mihi plenam domum argenti & auri, non potero immutare verbum Domini Dei mei, vt vel plus vel minus scribã quã in lege Domini habetur. Sic Cochlæus.*

Idem etiam author prodidit, Huttonum quendam Regis Consiliarium, Hamburgenses & Lubecenses sollicitasse ad diuortii probationem, eundemque paulo post diro mortis genere Bruxellis periisse; adiungens deinde hæc ipsa verba ait: *Arbitror præterea paucos iam superesse ex omnibus illis Doctoribus, qui prætexto Academiarum aliquot nomine, venali ministerio diuortium suaserunt.*

Quidam etiam Crocus, simili apud alias gentes largitione Regis nomine vsus dicitur; adeo vt pestis hæc non modo Parisiensem, Aurelianensem, Andegauensem, Tolosanam, Bituricensem, verum etiam Patauiensem & Bononiensem Academias peruaderet. Reginaldus Polus, qui hæc omnia & optime cognouit, & grauissime deplorat lib. 3. de Vnion. scribit, se satis admirari amentiam Regis nunquã potuisse, quod tantam pecuniæ vim effunderet, vt infamiæ notam sibi ipsi inureret; hoc est, vt per annos viginti nuptias incestuosas coluisse existimaretur.

Omitto cæteros, qui de his rebus questi sunt: etiam Sleidanus, qui Annam Bolenam, quod hæresi Lutheranæ fauisset, maxime laudat, tamen scribit Henricum illud diuortium approbari curasse, non sine largitionis opinione. Cæterum & istud notandum est, quod ne in suo quidem regno Henricus potuit liberas & gratuitas Theologorum subscriptiones impetrare; quod & libere ausus est Polus, qui rebus interfuerat, ad ipsum Henricum in hæc verba scribere: *Non erat dubium quin hæc tua causa in Disputantium scholas illata, fautores habitura esset; cum Regem omni sua autoritate ac opibus propugnantẽ haberet. Inuenit quidem illa aliquos, sed ex iis, quos fames magis quam fama moueret; nec tamen vel istos tam promptos, quam vos speraueratis; vt quæ initio cum iis, quæ ipsius patrocinium susceperant, in ipso tuo regno ex omnibus scholis explosa sit, ipsis etiam defensoribus vario genere contumeliæ affectis. Nec certe vllo publico vllius Gymnasii Anglicani consensu, vbi consisteret, inuenisset, nisi eæ, quæ plusquã preces valere solent apud multorum animos, minarum refertæ Regiæ literæ, aciem iam inclinatã sustinuissent. Quod si his copiis tibi domi pugnare necesse erat; nihil attinet me nunc dicere quibusnam foris vterere. Hæc Polus.* Et quidem vt de Cantabrigia altera Angliæ Vniuersitate nihil dicam, in qua plures aliquando his mediis adducti (licet non ex doctissimis) Regi fauebant, satis constat Oxoniensis Academiæ publicum sigillum, cõmuni doctissimorum hominũ suffragio sæpius negatum, vix tandẽ partim vi ereptum, partim clam subreptum fuisse. Homines enim ad summũ octo clam conuenerunt, effractisq; sacri loci foribus, in quo moris erat causas communes decerni, & instrumenta publica obsignari, literis in quibus Regis diuortium propugnabatur, publicum Academiæ sigillum affixerunt; idq; dicebãt se in totius Academiæ gratiam fecisse, ne Rex, si nemo eius animo satisfecisset, florentissimam studiorum omnis generis Vniuersitatem iratus euertisset.

CXII. *Henricus VIII. Angliæ Rex frustra doctos viros in sententiam suam trahere conatur.*

Dum hæc aguntur, & indies magis cresceret Regis furor, admonitus est à suis, vt si eorum, qui in Anglia à sua sententia abhorrerent, voluntates sibi adiungi vellet, illud inprimis curaret, vt ad suas partes Reginaldum Polum (qui illis ipsis diebus Lutetia redierat, summæque eruditionis opinione florebat) pertraheret: fieri enim posse, vt huius clarissimi iuuenis autoritate & existimatione, magna pars nobilitatis adducta, in eam quæ Regi placeret sententiam transiret. Probato Rex cõsilio, per eos qui Polo propinquitate, ac necessitudine maxime coniuncti erant, rem aggreditur; simulq;, si suam sententiam probet, optionem dat, vt vtram malit ex duabus Ecclesiam deligat, Eboracensi & Vintoniensi; ex quarũ vniuscuiusq; fructibus, plusquã triginta millia aureorum hoc tempore colligebantur. Pertentarunt Poli animũ his mediis, fratres aliiq; quibus Rex ad eam rem vtebatur. Cõtra ille, quam maxime poterat, nitebatur. Sed vehementer cõtendentibus suis atq; vrgentibus, vt aliquam tandem rationem iniret, qua & Regi ipsi, à quo tantopere diligeretur, satisfacere posset; & eius iram, quæ toti familiæ futura esset perniciosa, auerteret: cum multa prius excusasset, id vnum tantũ coactus respondit, se cogitaturũ qua possit ratione Maiestati suæ satisfacere. Hoc accepto responso, renunciatur Regi Polum ad suã sententiam iam esse pertractum, certoque die affuturum, vt coram ipso Rege de diuortio disserat: quo ille nuncio mirabiliter lætatus, Polum benignissimo vultu aspiciebat, auideq; diem cõstitutum expectabat, quo ille se venturũ promiserat. Polus interim precibus se Deo commendabat, omnesq; cogitationes suas in id vnum cõferebat, vt aliquam rationẽ aut viam excogitaret, qua nec Regi manifeste aduersari, nec cõscientiã suam lædere cogeretur. Eam inuenisse cum sibi tandem videretur, humana prudẽtia nixus quã veritate, Regem adit; à quo perhumaniter acceptus, ac iam familiarissime in cubiculum interius deductus, cum ea pararet dicere quæ cogitarat; (mirabile plane dictu) repente sic hæsit lingua, vt aliquamdiu nullum verbum effari potuerit. tandem vero cum loquendi facultas rediisset, eiusmodi fuit eius oratio, vt secus omnia diceret ac meditatus fuerat. Omni enim assentatione remota, vt bonum virum

ac pium

ac pium decebat, suam libere sententiam, summa tamen adhibita modestia, Regi aperuit. Qua re tam inopinata, Rex mirabiliter se fuisse commotum, non solum ex ore vultuque commutato, manuq; frequenter ad pugionem appositа declarauit (vt Polus postea narrare solebat) verum etiam ex verbis iracundis, quibus ipsum dimisit, maximeq; ex iis, quibus Rex suis deinde affirmabat se cogitasse Polum interloquendum occidere; idque perfecisset, nisi orationis eius simplicitate ac submissione fuisset prohibitus. Polus autem cum vix triginta tunc annos ætatis haberet, amicorum intercessione non ita multo post obtinuit, vt bona cum Regis venia, pensione etiam retenta, iterum se Patauium conferret. Pro matrimonio interim Henrici & Catharinæ scripserunt apud Anglos plurimi, per vniuersum regnum: præcipue, Ioannes Roffensis, & Ioannes Holimannus Bristoliensis, Episcopi; Abelus Presbyter, & ii septem Iurisconsulti, quorum antea mentio facta est. Apud Hispanos vero, Franciscus Roxas, Alphonsus Veruesius, Alphonsus de Castro, & Sepulueda. Apud Lusitanos, Aluarus Gomesius; apud Germanos, Ioannes Cochlæus, diuersis operibus. Erasmus autem Roterodamus, vt in cæteris rebus, sic in hac causa dubium & varium se præbuit. Initio enim, ne Regis gratiam amitteret, in nullam partem quicquam affirmare voluit: postea vero, cum Regem ab Ecclesia desciuisse, & iam nec ipsum vt ante magnifacere cerneret; cumque amici eius in Anglia (vt ipsius verbis vtar) *nec literis, nec muneribus amplius eum dignarentur*; tunc lecto Cochlæi libro, quem pro matrimonio scripserat, his verbis ad eum rescripsit: *Amice sincerissime: librum tuum de repudio legi, nec sine fructu. de quo, si scribam quid sentiam, vereor ne videar actum agere. Vtcumque subleuas Regem, in Consiliarios partem culpæ reiiciens. Si fuissem ea instructus panoplia, ausus fuissem Regi dissuadere repudium. Nam id temporis mihi Rex tantum tribuit, vt plus nemini. Contuli cum Ludouico Bero Theologo Parisiensi, sed nihil attulit. Hactenus Erasmus.* Apud Belgas scripserunt, Ludouicus à Schora: apud Celtas, pauci quidem, sed tamen iudicium suum interposuerunt de ea causa, Eguinarus Baro, Francisci Duarenus & Connanus: apud Italos, Thomas Cardinalis Caietanus, Ludouicus Nugarola Comes Veronensis; & aliis in locis, alii multi doctissimi viri. Fertur etiam per manus multorum epistola quædam Philippi Melanchthonis, in qua Regi suadet, vt retenta vxore legitima Catharina Annam Bolenam concubinæ tantum loco habeat. Rex vero ipse, & illustres aliquot Angli ad Pontificem literas dederunt, in quibus petebant, vt cum regni plurimum interesset masculum regni hæredem extare, saltem hac de causa litem maturè absoluendam curaret, quò Regi integrum fieret aliam vxorem accipere. Pontifex respondit, se officio satisfacturum; sed in manu sua non esse, vt masculum ex quacumque fœmina generandum promitteret.

CXIII. *Pontifici terrorem incutere cogitat.*

Vt autem Rex rei suæ melius consuleret, terrorem aliquē summo Pontifici iniiciendum putauit. Itaq; mense Septembri palam edixit, ne quis suorum subditorum, seu Anglus, seu Hybernus esset, quicquam in Romana Curia citra Regis voluntatem deinceps peteret, aut procuraret. Idem cum audiret Volsæum Cardinalem etiam Eboraci splendide agere, epulis vacare, solenniq; pompa vti, ac mitram suam gemmis ornatam, quem Rex illi abstulerat, ad suam in Ecclesia inaugurationem repetere; Rex hoc Volsæi superbiæ imputans, nec ferendum iudicans, iussit hominem, in ipso die inaugurationi designato, præsenti nobilium ingenti multitudine, ab Henrico Northumbriæ Comite primum apprehendi, deinde Londinum captiuum duci. At is in itinere ipso ad Leicestriæ oppidum, 4. Cal. Decembr. alui profluuio, è vita migrauit. Sermones dissipati sunt, eum sua sponte venenum sumpsisse. Illud vero constat, cum tanquam reus læsæ maiestatis Regiæ comprehenderetur, eum dixisse: *Vtinam nihilo magis læsæ maiestatis diuinæ reus essem; nunc autem dum nulli rei magis incubui, quam vt Regi penitus inseruirem, & in Deum peccaui, & Regis gratiam non obtinui.* Ac Volsæus quidem dignam suæ præteritæ assentationis & superbiæ mercedem in hoc mundo accepit, idq; (vt sperabant aliqui) ne in æternum puniretur: neue in iudicio Regio publicū spectaculū fieret, multorum criminum insimulatus; inter quæ numerantur præcipua: 1. Quod sine Regis venia ac licentia, Legationis officium à summo Pontifice accepisset, illudque in Anglia contra regni iura exercuisset. 2. Quod in omnibus literis, quas ad Pontificem, & exteros Principes dedisset, se Regi his verbis præposuisset: *Ego & Rex meus.* 3. Quod magnum regni sigillum, è regno in Belgium, cum ad Cæsarem Legationem obiisset, exportasset. 4. Quod Rege inconsulto bellum Cæsari denunciari à fœciali iussisset. 5. Quod Gregorium Casalium Equitem, ad paciscendum inter Regem & Ducem Ferrariæ nouum fœdus, Rege similiter inscio, in Italiam misisset. 6. Quod dum Pontificatum Max. impudentissime ambiret, immensum thesaurum ex regno in Italiam misisset. 7. Quod morbo Gallico pene putridus, fœdum ac tristem anhelitum in os Regi inflare ausus esset. Ista iactabātur facinora. Cæterum, verum & vnicum fuit, quod primus de diuortio mentionem, atque spem Regi fecisset; & tandem in medio conatu, curaque defecisse visus esset: vnde Rex se delusum existimans iram conceperit; cui excitandæ proceres non defuerint, irritati hominis impotenti ambitione, cupiditate & viuendi licentia. Sepultus est Lecestriæ in Monasterio, sine vlla pompa. At viuus quidem extruxerat sibi morituro egregii sumptus atque artificii sarcophagum: cuius pulchritudine delectatus cum inspiciendum semel venisset, à quodam suo Morione admonitus fuit, vt si in eo tumulo condi vellet, viuus eum intraret; nam mortuo humilem ac sine specie sepulturam prædicebat: homini, quem aura popularis inflauit, rapinæ locupletarunt, libidines exhauserunt, fraudes detexerunt, innocentis vero Reginæ lachrymæ ad tantam calamitatem perduxerunt.

Cardinalis in eo crimine coniicitur iussu Regis.

Moritur.

Eius scelera.

CXIV.

Cum vero Henricus multis Dei præclaris donis antea præditus, gratias Deo non ageret, sed in cogitationibus suis euanesceret, Annam Bolenam æternæ saluti suæ, atque adeo ipsi Deo anteponeret; ne qui æternam mercedem contempsisset, hac saltem corruptili priuaretur, Deus ei permisit, vt suæ libidini quam pro Deo iam colebat, fasis faceret. Itaq; Guilhelmum Waramum excellentem virum, qui fuerat Archiepiscopus Cantuariensis, & summo studio Reginæ partes adiuuerat, è vita his ipsis fere diebus euocauit. Tunc Rex tanti honoris locum sibi petire nolens, omnino decreuit, nemini eum præterquam tali viro dare, qui suæ libidini summis viribus obsequeretur. Hoc Thomas Bolenus, qui putabatur Annæ Bolenæ pater, subodoratus, ratusque pulcherrimam sibi nunc dari occasionem, suam suæque filiæ causam promouendi, Regem adiit, dixitque: Iamdudum se domi suæ habere presbyterum illum doctum, grauem & modestū Thomam Cranmerum, cuius fides suæ etiam Maiestati probata sit, in ea quam apud Pontificem gessit legatione. Hic mihi, ait, à sacello iam diu fuit, eundemque noui erga diuortium hoc tam sincere affectum esse, vt si tua maiestas eum creauerit Archiepiscopum, in me recepturus sim, facturum illum quicquid à subdito quopiā expeti, aut etiā desiderari queat. Placuit sententia; maxime, quod Anna Bolena in eandem sententiam Regi supplicasset. Cranmerus ergo designatur ea conditione Archiepiscopus, vt etiamsi Romanus Pontifex secundum Regis & Catharinæ matrimoniū sententiam ferret, ille tamen ex aduerso pronunciaret, Catharinam necessario esse repudiandam. Cum autem Rex communioni Sedis Apostolicæ nondum plane renunciasset, ex eoque Cranmerus necessariò deberet à Pontifice Romano suæ dignitatis confirmationem petere; omnem porro aditum ad solennem vnctionem capiendam sibi videret interceptam, nisi ex Canonum decretis Romanæ cathedræ communionem se perpetuò secuturum iuratus affirmaret; eam vero mentem Regis perspiceret, vt potius Pontificis Romani communionem prorsus reiecturus esset, quam Annæ Bolenæ coniugio carituras; ita se gessit homo vafer, vt duobus Dominis etiam contraria præcipientibus, per summam simulationem inseruire conaretur. Et quia Regem sui simillimum ex animo amabat, Pontificem vero duntaxat timebat; voluntarium & præmeditatum periurium homo impius elegit, vt eò grauius postea Pontificem nihil tale cogitantem vulneraret. Tabellionem itaque accersit, ei denunciat, se iuratò quidem promissurum Pontifici Romano canonicam & consuetam obedientiam, sed priusquam id agat, velle ac iubere, vt Tabellio per publica instrumenta contestetur, id inuitum se facere, nec quicquam in animo suo minus esse, quam vt in Regis detrimentum Pontifici Romano fidem seruet. Hac præfatione

Thomas Cranmerus institutu Thomæ Bolenī diuortium probat.

Thomæ Volsæi

edita,

edita, sigillisque ac testibus (ne forte perfidia eius apud Regem in dubium veniret) munita, solenne iusiurandum Pontifici Romano, more maiorum exhibet, simulque Archiepiscopatus possessionem inuadit. Quibus rebus ita se probauit Regi, vt plane dignum patella operculum dicas fuisse. Fuit enim, non solum deprauatus hæresi, vt postea apparuit, (quam etiam ob causam, Maria deinde regnante, flammis traditus est) verum etiam libidini supra modum deditus, adeo vt ex Germania rediens, fœminam quamdam ex hospitio in Angliam tulerit, eandemque per multos annos, cum Archiepiscopus esset, circumferri secum in cista ad explendam libidinem curauerit, donec mortuo tandem Henrico, palam in vxorem sub Edouardo Rege eam duxerit. Huc ergo ab Henrico delectus est præsul, dignus qui suæ libidini patrocinetur. Sic enim in omnibus rebus ad Regis nutum se componebat, vt essent qui ab Henrico multis post annis audierint, cum diceret, vnum esse Cranmerum Cantuariensem præsulem, qui nulla vnquam in re ipsius voluntati defuisset. *Sanderus lib. 1. de schismate Anglicano. Polinius libr. 1. de reuolutione regni Anglicani.*

CXV. *Clemens VII. magnis Lauretum affi cit beneficiis.*

Hoc anno Clemens Pontifex, post Carolum Quintum insignibus Imperii ab se Bononiæ decoratum, Romam inde remigrans, ad Lauretanam Dei genetricis Ædem diuertit, Patronam Liberatricemque suam salutaturus. Dicam prius, quid statim Pontificatu inito, in hanc ædem beneficii contulerit; deinde quæ causa ad eandem se conferendi, quæue gratitudo fuerit.

Inito Pontificatu, nihil ferme prius habuit, quam vt Lauretanam Ædem Pontificiis diplomatis honestaret, quibus & vetera firmaret beneficia, & adiiceret noua. Omittere hoc loco non possum caput cuiusdam eius diplomatis, Lauretanæ Virgini perhonorificum. Id est huiusmodi. *Cum nonnulli Romani Pontifices, præsertim fel. rec. Leo Papa Decimus prædecessor, & secundum carnem frater patruelis noster, respicientes multa & magna miracula, quæ in Ecclesia nostræ sanctæ Mariæ de Laureto quotidie operatur Altissimus, ac monti singulari deuotione & religione, Ecclesiæ ipsi, & illius Domus Capitulo, Canonicis & aliis personis quamplurima priuilegia, immunitates, gratias, diuersis temporibus concesserint; Nos, qui ergà Beatam Virginem, sub cuius inuocatione dicta Ecclesia constructa est, singularem deuotionem semper habuimus, volentes quæcumque sunt in fauorem dictæ Ecclesiæ conseruari, &c. quæ sequuntur.*

Inter beneficia Clementis fuit, quod Recinetensibus ius omne, si quod reliquum esset in Lauretum, ademit. Nec parum eiusdem beneficium, quod Ioannem Matthæum Gibertum Veronæ Antistitem Laureto præposuit, virum doctrina pariter, & virtute clarum. Ab eo Lauretana Ædes supellectili sacra, optimis Canonicis, solennibus cerimoniis aucta cultaque. Pontificiarum ædium porticus fornicatæ; cisterna, tectorio inducto concinnata, magno peregrinorum, vel incolarum bono. Cæterum illa maxime cura intentum Clementis habebat animum, vt nobile illud à Leone inchoatum augustissimi sacelli ornamentum pari magnificentia absoluret. Accendebatur domestica pietate, vel gloria, vt cuius familiæ decus inchoata Ædis Lauretanæ cælatura esset, eiusdem absoluta foret. Itaque Antonium Sangallum, Raphaelem Baccium, Nicolaum Tribulum, aliosque statuarios hac tempestate celeberrimos ingenti pretio conduxit. Raynerium Nerucium Pisanum Lauretanæ ædificationi, præcipue vero egregio illo operi pro dignitate perficiundo præesse iussit. Iam preciosa marmora erant maxima ex parte cælata atque perpolita. Nerucius ergo, dum cætera elaborantur, disturbat latericios muros, qui sacræ cellæ pro fulcimento adstructi, ab eadem que diuinitus repulli submoti (vt antea diximus) spectaculo erant. Inde, pari interiecto spatio, quod veteris miraculi monumentum foret, nouos circumdari, parietes placuit, qui cælato marmore conuestiti extrinsecus adornarent sacellum, superstruendumque fornicem nouum, deiecto lacunari tectoque veteri, sustinerent. Ædem quippe lapide concamerari Pontifici placuerat, verito ne peruetustum tectum laqueatum, tot luminibus perpetuo ardentibus obnoxium, igne concepto, exitium sanctissimæ cellæ pareret. Proinde ars postulabat, vt altiora fundamenta iacerentur, quæ satis firmis substructio-

CXVI.

Lauretanæ Domū Architectus peruiam facere volens à B. V. punitur.

nibus tam insigne, pretiosumque opus à tertæ motibus tutum vsquequaque præstarent. Igitur aperiendis nouorum parietum fundamentis, sacra Domus, (ne subducto solo, quid detrimenti caperet) stragulis, vt fit, funibusque constricta, ac validis suspensa rudentibus tamdiu sublimis pependit è machinis, quoad expletis fossis, noua fundamenta extare cœperunt. Quo tempore satis constat (plurimorum enim oculis res comperta est) subimis parietibus, dum circa eos ad fundamenta humus effoderetur, puluerulentum tritumque solum, & proximi reris sepem oppressam, aliaque militaris viæ, quam sacra Ædes occuparat, indicia inuenta esse, noua veteris miraculi monumenta. Hæc autem à plurimis tunc notata, atque animaduersa Hieronymus Angelita sub hoc ipsum tempus memoriæ prodidit in historia Virginis Lauretanæ.

Cæterum aucta per hoc ipsum tempus loci celebritate, sanctissimam Ædem ianuis augeri oportuit. Vna tum erat ianua, in medio ferè pariete, qui vergit ad Septentriones. Hac ingredientibus omnibus & egredientibus aditus erat pariter, exitusque. Itaque in tanta aduenarum multitudine concursuque, aliis, vt fit, alios prementibus, nonnulli (quia recessum primis vltimi non dabant) coarctati, oppressique exanimabantur. Proinde peruiam cellam fieri placuit, binis ad angulos duorum parietum ianuis patefactis. Istud iampridem, & à multis optatum, & à Leone Decimo in forma exterioris ornamenti destinatum fuerat. Vt primum Architecti consilium distulit rumor: enimuero nefas videri non magis accolis, quam peregrinis, eos parietes ferro temerari, quos per tot ætates diuina prouidentia saluos, intactosque seruasset. Multi palam fremere, quisquis id auderet, haud impune scilicet ausurum. Igitur cœlestis iræ motus fabros à conando absterruit. Haud vanum fuisse docuit euentus. quippe Nerucio ipsi Architecto rem aggredienti quiddam accidit visu dictuque mirabile.

Fabris tale ministerium detrectantibus, ipsemet sacrum parietem perfodere aggressus est, maiore artis fiducia, quam reuerentia loci. Ergo vt malleum in sacrum adegit parietem, repente manu obtorpescente, insolitus horror reliquum corpus inuasit. pallor deinde ori suffusus ingentis mali nuncius; mox linquente animo, qui circa erant, collabentem excipiunt, domumque inter manus deferunt exspiranti similem, & sensus omnis expertem. Exanimatus iacuit horas ferme octo, quoad scilicet eius coniux mulier pia, & Beatæ Mariæ Lauretanæ dedita in paucis Deum, Deiparamque precibus, votisque placauit viro. Tandem igitur vitalis calor, quitotum propemodum corpus reliquerat, artubus reddi, & Spiritus liberius meare cœpit. Iamque alleuans Nerucius oculos redeunte sensim animo, circumstantes noscitare: demum iam compos mentis audaciam incusare suam, veniam opemque à Beata Maria exposcere. Nec frustra. Animus religione exsolutus pariter corpus ægritudine leuauit, vt morbi causam ipsamet curatio aperiret. Postquam conualuit, Pontificem tota de re admonitum, quid facto opus sit, consulit. Ille haud ignarus id nimia Architecti confidentia magis, quam indignatione Beatæ Virginis euenisse; miscens monitis imperia vrget Nerucium, vt Dei Vicario authore non dubitanter exsequatur inceptum: & simul impense monet, vt sacros parietes perfodiat non tam malleo & audacia, quam ieiunio, & veneratione Virginis armatus; sic demum rem ex sententia successuram. Neq; enim timendū esse, ne Deipara Virgo suam domum peruiam fieri nollet, quæ eam peregrinis vellet cum salute, non modo sine pernicie patere. At Nerucium recente malo ex audacia timidiorem iam factum, ne Pontificis quidem autoritas perpellere potuit, vt iterum ipsemet experiretur, quod tanto suo periculo paulo ante tentarat. Ad vltimum, quia Pontificis imperium vrgebat, & mora patefaciendi ianuas ædificationem morabatur operis, inuentus est adolescens minime timidus, qui autoritate Pontificis fretus, & plenus amicorum vocibus rem auderet. Clericus is erat Basilicæ Vaticanæ: Venturam Perinum vocabant. Hic triduano munitus ieiunio, ad sacrum parietem cum malleo venerabundus accedit. Circa Perinum erat & aduenarum turba, &

Cleri-

Clericorum; hæc solicita ex adolescentis fiducia, illa rei expectatio suspensa. At Perinus supplex ita præfatus dicitur: *Sacra Virginis Domus, ignosce innocuntiæ, non ego te hoc malleo, sed Clemens Dei Vicarius ornamenti tui auidus fodit; ille te ornatam, ille te peruiam cupit. Placeat Deiparenti, quod Dei Vicario placet.* Talia precatus, designatum parietis locum percussit impunè. Eum deinde ictus tutò iteratum fabri pari ieiunio, ac reuerentia secuti, tantas aperiunt tres, quarum duæ liberum populo ingressum, egressumque præberent, tertia Sacerdotibus aditum daret ad sanctiorem sacelli partem, vbi est Virginis simulachrum. Eodem tempore, parua fenestra, quæ vna in anteriore pariete erat ferme è regione simulachri, ampliori ad arripiendum lumen facta, & clathris æreis inauratis pulcherrime communita. Cæmentis inde crutis, velut ianuæ, quæ satis ampla in medio pariete patebat, obstructa. Exinde nouus paries duci, & insigni cælati operis crusta operiri, conuestirique cœptus.

CXVII. *Clemens VII. opc B. V. Lauretanæ periculum vitæ euasit.*

Sub quod tempus Clemens Ædi Lauretanæ adornandæ intentus, ingens periculum Deiparæ Virginis præsidio euasit. Fraude doloque hostium, vti diximus, capta Roma, ipse in arce molis Adrianæ receptus, obsessusq; posteaquam vim sustinere non poterat, non votis modo, sed etiam literis Lauretanæ Virginis implorat auxilium. Nec missæ in cassum preces. Haud ita multo post inter hostium tela elapsus in tutum est. Ad hoc, ex auro argentoque Lauretano tria circiter millia aureorum contracta; & Pontifici inopia laboranti peropportunum subsidium missa. Ita Clemens gemino B. Matiæ Lauretanæ beneficio, præsens periculum inopiamque vitauit; ac demum discussa ingruente belli procella, pacem populis suis, atque otium Italiæ peperit. Discrimine capitis beloque perfunctus, Lauretanæ Virgini gratiam non solum habendam, sed etiam quantum mortali fas esset referendâ existimauit. Itaque Coronato Carolo V. Romam reuertens, Lauretanam Virginem adiit; gratiisque rite actis, votisque Deo ac Virgini Deiparæ persolutis, vt tantorũ erga se meritorũ extaret gratia, inchoata Lauretanæ ædificationis opera summa vi vrgere cõstituit. Architecto igitur fabrisq; instare cœpit, templum præcipue ad culmen perducere aliquando festinans. His operibus perficiendis pecuniam, quam mutuã à Virgine acceperat, reddidit. Itaque illo Pontifice, & Pontificia tecta Laureti strenue ædificata, & templo fastigium impositum, cum egregio tholo, qui tantum se à fastigio attollit, quantum fastigium à terra. Inter hæc haud vltima Clementis cura erat de absoluenda præclara illa cælati operis crusta, quam vt principia se dabant, haud falso augurabatur maxime inclytam toto orbe terrarum futuram.

CXVIII. Dum Lauretana Domus egregiis operibus ornatior existit, etiam Lauretum oppidum excisis circa Syluis, exsiccatisque paludibus existere cœpit salubrius. Infame incolarum morbis mortibusque erat hac tempestate Lauretanum cœlum; quippe magna ex parte palustre ac noxium, multarum offensarum causas corporibus afferebat, vt incolæ bonam anni partem pituitosi essent & redundantes omnes; pleriq; tenui, imbecillaque vterentur valetudine; pueri vero maxime immatura morte extinguerẽtur, vtpote qui propter corporum imbecillitatem, proximi stagni halitum, lociq; ipsius grauitatem ægerrime ferrent. Et sane Lauretum situm est in tumulo vergente ad meridiem, orientemque solem; cæterum ab occidente ac septentrionibus, qua syluarũ palustriũ, qui collium obiectu clausum excludebat ventos salubres; contraque ab altera parte apertum noxios excipiebat graueque. Nec procul planities erat caliginosa paludibus, quas restagnans amnis (Musioni nomen est) faciebat, & limosa insuper hyemalibus aquis, quæ paulatim collectæ nullo motu agitante torpebant. Crederes insalubrem sedem Deiparæ cordi fuisse, vt eius præsidii salubritas in loco insalubri magis emineret. Pertulit igitur fama ad Pontificem, in oppido Laureto ob cœli inclementiam, pleroque infantium, ac puerorum, priusquam ætas adolesceret interire: ita paulatim incolis metu orbitatis alio demigrantibus, in oppido solitudinem fieri. Itaque ille Lauretanæ Virgini pulchrum ratus, & oppidum quam frequentissimum, & locum saluberrimum esse; de architectorum sententia commodissimum iudicauit, vicinas lacunas siccare, nemora excindere, imminentes templo colles (Montem Regalem, & Montinorum incolæ expellant) æquare, vel nebularum origine sublata, cœloque patefacto, aer ventorum salubrium flatibus apertus salubriorem locum faceret. Igitur Ioanni Antonio à Statis Lauretano Gubernatori, & Antonio Sansouino Architecto scripsit his verbis: Accepimus aerem istic præsertim æstiuo tempore reddi insalubrem, partim ex eo, quod quidam collis dictę Capellæ & Ecclesiæ supereminens ventos montanos loco salubres excludit, partim quod in planitie dictę Ecclesiæ circumuicina etiam ad quinque millia passuum plures paludes, & syluæ fere semper limosæ insalubritatem faciunt. Quamobrem nos illam Ecclesiam toto orbe Christiano ob gloriosissimæ Virginis Mariæ merita, & confluentium illuc populorum multitudinem celebrem, his causis sublatis, salubrem reddere cupientes, iam ordinauimus, vt dictus collis supereminens complanetur, paludes factis fossis exsiccentur, syluæ excindantur. Lauretanus ego Præses impensius etiam, quam iubebatur, tam salubre opus aggressus, strenue per architectum, ingenti operarum vi conducta, pauperibus etiam peregrinis corrogatis, syluam vico proximam deiicere, lacunas ductis fossis in præterfluentem amnem, aut in mare proximum deriuare, imminentem oppido collem cædere instituit. Longum erat, ac pene infinitum opus: proinde tum inchoatum magis quam perfectum. Cæterum illa ipsa inchoatio, & salubritatis aliquid in præsentia, & spei plurimum in posterum procedente opere incolis fecit.

CXIX. *Lauretana domus vera inuētio.*

Salubrior iam facta erat Laureti habitatio, cum Lauretana Domus historia facta est exploratior. Hieronymus Angelita ciuis Recinetensis domi suæ, vel generis nobilitate, vel integritate vitæ clarus in paucis fuit. Is Virginis Lauretanæ historiam ab se cõscriptam Clementi Pontifici per hoc tempus dicauit. Scribendæ dicendæque Pontifici historiæ causa fuit, quod per eadem ferme tempora, sacrosanctæ Domus è Galilæa in Dalmatiam, inde in Picenum asportatæ narrationem ex Flumensibus Annalibus Dalmatæ quidam ad Recinetensem pertulerant ciuitatem. Itaque siue Angelitanæ historiæ admonitu, seu familiariũ rogatu, seu potius cœlestis numinis instinctu, Clementem cupido cepit, migrationem sanctæ Domus è Galilæa intentius explorandi. Haud erat ignarus id ipsum olim, & à Dalmatis authore Frangipanio, & à communi Picantium, ciuitatis Recinetensis hortatu, satis esse perspectum. Cæterum præcipuas Pontificis partes esse ducebat, rem tam inusitatam, ac pene incredibilem denuo per certos homines explorare, vt aliorum indiciis accederet Pontificalis autoritas, quæ ex mortalium pectoribus dubitationem omnem, si qua forte resideret, fraudibus tolleret. Proinde ex omnium familiarium numero tres cubicularios suos delegit expertæ inprimis religionis ac fidei. Hos quid facto opus esset monitos, rebusque necessariis abunde instructos dimittit, fausti illis iter precatus. Ergo illi Lauretũ profecti, sacramq; Domũ intentiore cura cõtemplati dimẽsiq; cõscendunt nauim Illyricũ petituri. Quo vt ventum est, ædiculam Lauretanæ instar satis vetustam & miraculorum monumẽtis insignem inueniunt. Porro parieti eius ædiculæ inscriptum, Lauretanam ibi Domum olim fuisse. Hæc accolæ ipsi monstrabant: haud vana ab illis afferri, veræ lachrymæ vbertim manentes ex desiderio testabantur. Confestim igitur legati mensuris admotis, deprehẽdunt prorsus omnia cõuenire. Protinus repetito cursu pergunt in Galilæam, Nazarethum veniunt; sacræ Domus fundamenta monstrata ab incolis cernunt: quoquo versus metiuntur; congruere cuncta comperiunt. Ex Legatorum numero Ioannes N. erat Senensis, qui nouo aliquo indicio veteris miraculi fidem adfirmandam ratus, duos inde attulit lapides ex iis, quibus vulgo strui ædes Nazarethi solent. Lapis quidem laterem naturali forma imitatur (cuiusmodi ex fectilib. lapidicinis erui alicubi solet) cæterum flauentibus intermicat venis. Reuersus igitur Ioannes cum collegis ad ædem Lauretanam, cum eius lapidibus Nazarenos illos lapides confert; reperit genuinos eorum, ac simillimos esse. Ea quoque res auxit miraculi fidem, cum talem lapicidinam in Piceno nullam esse cõstaret; & omnia quamuis vetusta ædificia, ob cæmentorũ, taliumq; lapidum inopiam, laterculo structa cernerentur. Illi igitur successu admodum læti peruolant Romam, Pontificem expectati adeunt, comperta renunciant: Ioannes insuper Nazarenos lapides Lauretanis similes profert tanti miraculi testes; res summa & Pontificis lætitia, & asseclarum præcipue sermone celebratur. quo ipso tempore Ædes Lauretana nobilissimis est illustrata miraculis.

CXX. *B. V. Lauretanæ miracula.*

Iulianus Cæsarinus vnus è proceribus Romanæ ciuitatis, hoc anno 1530. Bononię graui implicitus morbo ad vltimum periculi venerat: iamq; à medicis destitutus adesse sibi sentiebat supremum diem, cum implorato Lauretanæ Virginis præsidio, repente conualuit.

Eodem anno Vaiuoda Transyluaniæ, nõ quidẽ Ioan. Scepusiensis, quem constat Regem Hungariæ electum in clientela Turcarum fuisse, sed alius à Ferdinando Rege impositus, ab Abrahamo Prætore Regis Turcarum (Bassam ipsi appellant) prælio captus victusque, victoris irati iussu ex altissima rupe agendus erat præceps. Cæterum ille Beata Maria Lauretana implorata, feruitium quoque, non tantum præsens supplicium euasit. Nam forte fermonem de religione cum Bassa ingressus, adeo efferatum eius animum diuina operis mitigauit, vt barbarus odio in amorem verso, ipsum cum cæteris Transyluanis captiuis dimitteret gratis. Extat hodie Laureti tabula ingens egregie picta, auroque exornata, vbi tota res non solum coloribus, sed etiam literis expressa visitur.

Isdem fere temporibus Ferdinandus Gonzaga adolescẽs nobilissimus Mantuæ præferocem cursu exercebat equum, quo vehementius concitato effusus in clathros ferreos vicini templi, B. Mariæ Lauretanæ opem implorat. Mira dictu res. Ex tam graui periculoso que casu, extemplo sanus vegetusq; surrexit. Nec voti parum memor, equestrem statuam argenteam Lauretanæ Virgini tulit. Ipse autem eiusdem effigiem Virginis ex argento expressam, deinceps in omni vita perpetuo suspensam gestauit è collo, siue miraculi monumentum, seu vitæ præsidium. Nec frustra. In maximis præliorum discriminibus vir bellicosus, præsentem semper Deiparæ Virginis expertus est opem.

CXXI. *Lauretanæ ædis laus.*

Horum igitur miraculorũ fama, & simul explorata Lauretanæ Domus ex Galilæa & Dalmatia translatione, mire lætatus Pontifex enixe instare Nerucio cœpit, vt præcipuum sacrosanctæ cellæ ornamentum quamprimum absolueret. Sed Deo aliter visum, qui affecti tam eximii operis nomen Clementi dedit, absolati decus alteri reseruauit. Enimuero in illo tam insigni opere extruendo, & ad culmen (quantum in ipso fuit) perducendo, adeo præclare Clementis nõ sedulitas modo, sed etiam magnificẽtia extitit; vt haud immerito eum authorẽ fama ferat; etiamsi Leonis Pontificis symbola, insigniaque voluntaria multis locis operi inserta cernantur. Clemens quippe nullum omnino inseruit sui monimẽtum, rarum vtiq; exemplum, Deoq; acceptum adeo, vt eius haud dubie nutu, tam excellẽtis operis gloria sequentem fugeret, fugientem sequeretur. Clementem porro ferunt, cum ad tergum operis, quod vergit ad ortum Solis peruentum esset, cõsultum à Recinetensibus, vtrum in ea parte Lauretanam historiam inscribi vellet, respondisse, satius videri eam historiã in marmore similiter, vt cætera B. Virginis facta cælari; siue quod historia ipsa per se satis nota ac testata foret; siue quod cælata historia satisfactum esset litteratis pariter, idiotisque. Attamen nostra ætate Clementi VIII. Pontifici maximo, & Cardinali Gallo Laureti Patrono, summam Lauretanæ historiæ in marmorea tabula, quæ cælaturæ subiecta erat, inscribi placuit; quo illustrius, cumulatiusq; esset tantæ, ac tam insolitæ rei ad posteros monumentum.

CXXII. *Lauretum magna munera mittuntur.*

Nouum per eadem tempora haud ignobilis historici testimonium Lauretanis rebus accessit. Leander Albertus homo ex Dominicana familia doctus æque ac pius, in libro quem edidit de descriptione Italiæ, Picenum describens perhonorificã facit Ædis Lauretanæ mentionẽ. Sic habet ex Etrusco. Recanatum inter, & mare Adriaticum, nõ longe à Musione fluuio cernitur in colle templum S. Mariæ Lauretanæ toto terrarum orbe celeberrimũ, quod simul cum oppido validis est munitum mœnibus. Hic multi sunt incolæ excipientes hospitaliter peregrinos, qui ex omnibus Europæ partibus cò votorum persoluendorum gratia confluunt, cum omnibus anni temporibus, tum maxime vere & autumno. Equidem de tanto templo dicturus, vnde ordiar, nescio. Obuersatur quippe animo hinc summa loci religio, illinc eximia templi opulentia. Enimuero me vires deficiunt conantem dicere, de sanctissimo illo, religiosissimoque cubiculo, vbi nata, vbi educata est cœli Regina, semper virgo, ac Dei parens Maria, eademque miserorum mortalium apud filium suum patrona. vbi Archangeli Gabrielis nuncio Dei mater effecta, appellataq; esse cœpit, vbi humanam naturam Deus induit, vt nos ex faucibus inferni draconis eriperet, cœlestisque regni aditum per tot scula, parentum humani generis vitio, clausum aperiret. Itaq; vt dixi, vnde talis loci descriptionem ordiar, ignoro. Cæterum vt piis pariter, curiosisque Lectoribus satisfaciam, pauca dicam. Principio igitur dubitandum non est, quin hoc illud ipsum sit cubiculum, vbi cœli Regina edita in lucem est. Nam præter certissima literarum monumenta, quæ Deiparæ Virginis cubiculũ ab Angelis huc translatum esse fidem faciunt, nemo est tam ferus ac ferreus, nemo tot, tantisque flagitiis ac sceleribus coopertus, qui nõ in ipso sacræ Domus ingressu, præsenti numinis cœlestis religione perfusus, molliri suum sentiat pectus adeo, vt venerabundus B. Mariæ imploret auxilium, ac per eam à Christo supplicter oret suorum veniam delictorum. Et sane id ipsum humanos animos diuina vis videtur impellere. Ad hæc accedunt prodigia, ac miracula ibi diuinitus edita, beneficiaque tributa iis, qui ad Dei parentem supplices confugerunt. Id adeo non solum literarum monumenta testantur, sed etiam aurea, argentea, cerea simulachra, votiuæ quoque tabellæ, quæ per multas ætates, ac scula congesta visuntur. Longus sim si velim numerando percensere diuina prodigia, ac dona inibi impertita mortalibus: quæ quidem tot tantaque sunt, vt incredibilia videri possint iis, qui non facile adducuntur, vt credant, maternas à Deo preces audiri. Hæc à Leandro dicta non magnificentius, quam verius.

CXXIII. Nec alias magis ante pluribus Ædes Lauretana votiuis floruit donis. In Lauretanæ Domus codicibus reperio, per hæc tempora omnes ferme Piceni populos quotannis solitos in supplicationibus argenteas Beatę Virgini coronas ferre singulas, binas, ternas, vsque ad septenas, voti aut religionis ergo. Et quia iam satis superque erat coronarum (coronæ quippe tum censebantur ad septuaginta) commodatas coronas accipiebant à sacræ Domus custodibus, pro his precium ferebant. A plerisque etiam Piceni castellis, oppidis, vrbibusque argentea ipsorum simulachra in supplicationibus præferebãtur. Erant his temporibus partim vrbium, partim oppidorũ, & castellorum ex argento expressa simulachra numero duo de viginti: inter quæ Firmum pondo librarũ fere viginti, & specie, & precio eminebat. Cæterum hæc quoque aliis populis, quibus deerat auruficis copia, commodata à custodibus in supplicationis pompa ferebantur, argento pro his repenso. Et vterq; mos, vel coronarum, vel illiusmodi simulachrorum vsque adeo increbuit, vt nunc, vel maxime vigeat. Nec se Piceni finibus ea tenuit consuetudo. Iisdem temporibus Pisaurenses argenteam Pisauri imaginem miserunt affabre factam. Nec ea tempestate ciuitatum ac populorum magis, quam ciuium ac nobilium virorum pietas extitit. Ascanius Columna inter Romanos proceres genere, atq; opibus clarus argenteam B. Rochi effigiem libralem, & Sacerdotis solennia sacra celebrantis amiculum ex textili argento, domum Virgini attulit. Cardinalis SS. Quatuor Coronatorum caput argenteum pondo ferme quatuor. Comes Rangonus Mutinensis, & Ioan. Franciscus Bossius Mediolanensis, singuli crus argẽteum librale. Pyrrhus Gonzaga eiusdem materiæ ac ponderis pedẽ. Pardus Pappacoda Neapolitanus effigiem suam argenteam ponderis duplo maioris. Alexander Calcagninus imaginem suam ex argento cælatam trilibrem. Marchio Tripaldæ, lychnum argenteum pari ferme pondere. Magnus Equitum Rhodiorum Magister alterum lychnum eadẽ materia, sed pondere aliquanto maiore. Vincentius Alfanus Perusinus simulachrum suum ex argento expressum librarum 15. Alia porro ab aliis (quorum nomina prodita nõ sunt) sigilla 16. argentea, pondo librarum septem & septuaginta. Sed longe ante alia omnia huius temporis dona excellit Ludouici Gisilardi ciuis Bononiensis effigies argentea pondo amplius quinquaginta. Sacra etiam subinde supellex aucta. Cardinalis Montinus (qui postea Pontifex factus Iulius III. est appellatus) Sacerdotalem vestem egregiam ex auro textili crispante domum tulit. Cardinalis Palmerius aræ ac Sacerdotis ornatum ex veste Attalica. Dux

Traiectensis, Sacerdotis ac ministrorum sacris operantium vestes ex holoserico villoso violaceo distinctas auro. Oliuerius Faguanus Mediolanensis ex eadem materia, aræ & Sacerdotis ornatum. Marchio item Bitontinus ex veste Damascena aureis operibus insignita. Alii quoque alias altarium ac Sacerdotum vestes, coronas argenteas, calices, aliaque eiusmodi, quæ persequi longum foret, dona Deiparæ Virgini seu portarunt, seu miserunt. Nec ea propria virorum laus. Isabellæ Cardonæ ProReginæ Neapolitanæ corona aurea libralis, & ipsius effigies Beatæ Virgini supplicantis argentea, pondo sesquilibræ, & pes libralis item argenteus; ad hæc arcula scitè facta eiusdem materiæ ponderisque: bini vrceoli aurei vnciarū quatuordecim, armillæ item aureæ benefactæ donum fuit. Marchionissæ Vasti effigies Beati Virginis puerum Iesum gremio gestantis argentea pondo fere quatuor. Quin etiam à Turcis dona missa. Constat, anno superiore 1529. Bassam Turcarum (nomen & causa non proditur) argenteam aræ vestem, margaritis insuper adornatam Lauretanæ Virgini donum misisse: vt intelligeremus Lauretanam Virginem communem omnium gentium esse patronam, quicumque eius patrocinio vti velit. *Tursellinus libro 2. histor. Lauret.*

Lauretū à Turcis donis exornatur.

CXXIV. Cæterum omnia omnium donaria Lauretanæ Virgini ad hoc tempus missa, excellit, Lythurgia Lauretana, & Pæan Diuæ Virgini scripta ab Erasmo Roterodamo Belga, alias in fide Orthodoxa dubio, & qui ante quatuor annos, Virginem omnibus generationibus beatam, benedictamque, blasphemo, sacrilegoque epistolio irriserat. Hic, vt impium scriptum obduceret, eam, quam dixi, Lythurgiam Diuæ Virgini composuit; cui pæan adiunxit, eidemque Diuæ Deiparenti dicauit: ex quo gustum tibi dabo, si hæc elogia adscripsero.

Erasmus Roterodamus B.V. Lauretanā Encomio celebrat.

Hæc est Rosa Hierichana florem enixa campestrē, quam nō superbiæ scopuli, sed simplicitatis planities, & modestiæ humilitas educat; quā diuina charitas purpureo rubore tinxit: quæ de terra parēte prognata, nihil tamen terrenæ fæcis inde exsuxit. Hæc lilii conuallīū Mater, liliū & ipsa, in spineto sine spinis enatum, quæ lacteo candori Virginitatis summam modestiam adiunxit. Hæc fons signatus, cuius nitidißimas lymphas nulla ferina vnquam libauit affectio, in quo sponsi refulgentē imagine nulla terrena turbauit cupiditas; quæ medicatas aquas suas deriuat in capita omnium viarum; quæ potæ nos non vocales quidem vt illæ Castaliæ, sed immortales reddūt. Hæc hortus diuinæ illius custodiæ sepè sic circummunitus, vt nulla vnquā petulca cogitatio quiuerit perrumpere; in qua varias aromatum areolas summus ille hortulanus mira distinxerat arte, vbi idem inter lilia pascit, accubat in meridie. Hæc sancta ciuitas Sion, cuius mœnia nullus vnquam Babylonii hostis aries pulsauit; quam inexpugnabilibus munimentis testatus est is, qui natus est in ea, quiq; fundauit eam Altißimus; cui videlicet ipse murus est & antemurale. Hæc vitæ speculum tam nitidum ac purum, vt in nullo alio diuinitatis effigies refulserit expreßius. Hæc niuei pudoris lectulus ille floridus, quem puritatis amator Dei filius, ita cœlestis militiæ excubiis, omniumq; virtutum corona muniuit, vt nulli vnquam vel cogitationi parum piæ patuerit aditus; in quo vno nihil vnquam repertum est, quod aut deliciantem offenderet sponsum, aut obstreperet quiescenti. Hæc procera illa Libani Cedrus, late virtutū spargens odorem; quæ mortalium sola vitiorum cariem non sensit, quin & allita nostris animis eandem arcet, dum illius prouocati exemplo, tot paßim pueri atque puellæ incorruptam vitæ puritatem meditantur. Hæc virgula fumi ex aromatibus myrrhæ & thuris, & vniuersi pulueris pigmentarii, quæ sic incensa cœlesti charitate, sic à caducarum rerum amore extenuata, purißimis votis superna petebat aßiduè, vt ipsis etiam cœlestibus mentibus miraculo fuerit. Hæc demum, vt maternam dignitatem eius attingamus, Thronus Salomonis eburneus auro vestitus, vnde Rex ille Regum carnis velatus trabea iura dixit mortalibus. Hæc delicati illius amatoris ferculum de lignis Libani compactū, quod ipse sibi auro argentoque, & ardenti purpura mirè variauit, dignum videlicet, in quo ille nouem mensium spatio versaretur. Hæc vitis illa generosa, è cuius palmite nobilis ille botrus prodiit, quem vnum duo testamenta baiulant, tam grauem, vt in statera appensus ingens omnium nostrorum scelerum pondus in altum submouerit; tam efficaci succo, tamque generoso, vt gustatus, repentè tot hominum millia, ad vitæ vsque contemptum, sobria dementauerit ebrietate. Hæc campestris olea speciosa ac tonsilis, de cuius illibato corpore fatalem illum & semper virentem surculum nobis decerpsit is, cui familiare est columbina in specie apparere mortalibus, eumq; in arcam Ecclesiæ detulit, certißimum pignus finiendi diluuii peccatorum, mundique renouandi symbolum; cuius baccarum salutaris amaritudo, contra pomi exitialis, heu nimium dulce virus, antidotum præsentaneum attulit: cuius oleo mentes hominum, absterso squalore vetustatis, situque terreni Adæ, velut iterata iuuenta reuirescant: cuius iugi alimonia fidei lampas pascitur, ne quando poßit extingui. Hæc & plura alia encomia Diuæ Virgini Lauretanæ Roterodamus pangebat, excitatus magnitudine miraculorum, quæ isthic, & alibi, SS. Virgo Maria id temporis patrauit. Adiungam aliqua alia, quæ alibi patrata.

CXXV. Ioannes Parago Hispanus, Carolo Imperatori à seruitiis, nauigabat pro quibusdam grauissimis domini sui negotiis, in vna ex nauibus, quam Sebastianus Puygius Barchionensis gubernabat. Dum Genuæ appropinquant, tempestate exorta, pluuiaque copiosa desuper depluente, certissimo in periculo versabatur. Votis ad Diuā Virginem, quę apud Montem Serratum colitur suppliciter porrectis, primo lucem naufragantibus desideratam, quam sancti Elmi appellant aspiciunt; deinde vocem cœlitus delapsam omnes in naui periclitantes audiunt, quæ diceret; Bono animo essent; Diuam maris stellam iam iam apparere, quæ tempestatem maris sedaret, cœlum serenaret, adeoq; illos periculo eximeret. Dictum, factum. Mare tranquillatum, nubes omnes depulsę in momento fuêre; naufragantes in tuto colocati.

Bernardus Genuensis ex Oriente reuertens, dum Barchionem peteret, ab octo nauibus pyraticam exercentibus (Turcæ erant) prope vel mersus, naui perforata, vel captus casusue bombardis appetitus periisset, nisi D. Virgo Montserratensis ab eo inuocata, caliginem barbaris obfudisset: qua inuoluti illi & obruti, tempus Bernardo dederunt, quassata vt erat naui euadendi, & in portum sese recipiendi.

B. V. Montisserratēsis miracula.

CXXVI. Hoc anno Zamorensis quidam iuuenis & genere & doctrina clarus, & Sacræ Scripturæ intelligens, cum Dominicanos Patres de sacro Beatissimæ Deiparentis Rosario magnifica prædicantes audisset, ex initiatis vnus esse voluit, & in sodalium adlectus numerum, almæ Matri precationes ex sancto illo funiculo, quotidianas statasque persoluit. Anno autem Domini 1530. in Italiam nauigans, captus est à prædonibus, Algeriumque perductus, Ænobarbo Archipiratæ triennio seruiuit. Quo tempore Rosarii consueti neque memoriam deposuit neque vsum intermisit. Nam captiuus & seruus, operisque distentus, eandem in recitando, quam solutus & liber diligentiam adhibuit, haud ignarus, non modo ad animi salutem, sed ad corporis etiam libertatem illud iter esse directum. Nam suorum tenuitatis & indigentiæ conscius, de pecuniaria redemptione diffidebat, maximè cum Rex ille Barbarus, pro libertate immane precium exigeret, cui soluendo fortunæ paternæ non essent. Igitur humanis opibus desperatis, Virgineum numen implorat, liberationemque à communi Christianorum parente deposcit, non tam vitæ suauioris desiderio, quàm veræ salutis studio. Metuebat enim, ne vel minis, vel promissis Christianam fidem eiurare cogeretur, adeò vt seruitutis intolerādos labores parui duceret, pro illo dolore, quē ex sui animi statu capiebat. Nam vt scitè Tullius. Aliud est laborare, aliud dolere. Cum onera ferebat, agros colebat, humi cubabat, vigilabat, ac vix saturandæ fami cibi fragmenta suppetebant, tum se laborare arbitrabatur ac corpore tantum defatigari. Cum vero inter Mahumetanos & Christiani nominis hostes acerrimos se versari meminerat, & fidei causam lædi posse videbat, sempiternæq; salutis imminere discrimen apud animum cogitabat; tū dolor intimus cor adolescentis exedebat. Quāobrem suorum Christianorū desiderabat terras, & quò liberius Filio Matriq; seruiret, ac periclitādæ Religionis metum deponeret, ex perfida Africa ad fidelem Europæ partem Hispaniam redire cupiebat. Itaque consilio cum quodam altero captiuo, quem diligebat, communicato & in eandem adducto sententiam, de fuga consentiunt, compedes dissecant, ac se in viam illam dare decernunt, qua ad Nouæ Numidiæ vrbem itur, quæ Burgia hodie dicitur, Neptunique aras vocauit antiquitas. Nullus panis ad iter, nulla cibaria, quod deuium tortuosumque faciendum fuit, vt se persequentes fallere possent: herbis famem, sitim aqua pellebant, latitare luce, nec se loco mouere, in tenebris ambulare ac progredi, ad Regna Christiana cursu contendere. Rex Barbarus

B. V. Rosario captus à Turcis, liberatur.

Barbarus interea fremere, vias omnes obsidēdas curare, missis mille cursorib. persequi fugiētes, sed nihil est tamē effectū, suos Viatores Virgine defendente, quin & eiusdē ope ac presidio, quam frequenter appellabant, prælatis manu Rosariis, duos nauigabiles fluuios nando transmiserunt. Ventum est denique ad Vrbem quæ Burgia, vt diximus, vulgari nomine cōpellatur, quæ à nostris illa tenebatur ætate. Ibi à fuga trepida & sollicita, maximisq; itineris laboribus recreati, quid inter Christianos & Mahumetanos interesset, intelligunt, req; ipsa cōdiscunt, seq; ex Maurorum seruitute ereptos, Rosarii beneficio testificati, multorū animos salutaris illius precationis, quæ peculiarib. globulis efficitur, religione cōpleuerunt. Ipseq; adolescens Zamoræ natus, vt diximus, in laudem bene meritæ Virginis opus exornauit, quod Hieronymo Taxio facti huius historico & aliis eiusdē familiæ viris perdoctis recitauit. P. Hieronymus Taxius.

Fuit etiam hoc anno in Regno Aragoniæ, quidam Prędicatoriæ familiæ alumnus, nomine Fr. Ioan. Amat, egregius concionator, & SS. Rosarii feruidus promotor. Huic sacro quadragesimali tempore in quodā loco dicto, Borias Blanchas, cōcionanti, oblata fuit quædam puella à malignis spiritibus possessa. Quā cum ille variis cōiurationibus & exorcismis fuisset aggressus, nihil effecit, sed vbi collo eius Rosariū benedictū imposuit, dæmones eiulare, vociferari & clamare ceperunt: *Tollite, tollite ista grana, quæ nimiū nos inquietant & torquent.* Tandē Pater, ne nimic miserā vrgere videretur, Rosarium abstulit, illamque dimisit. Nocte subsequente, cùm ipse in cubiculo quiesceret, accesserant iidem dæmones, q̃ prius puellam vexauerāt, vt ipsum quoq; inuaderent: sed impediti per virtutem Rosarii q̃ manibus gestabat, conabantur illud è manibus eius arripere. At ille continuò opem B. Virginis implorabat, dicens: *O sancta Maria Patrona SS. Rosarii adiuua me.* Quo dicto, omnes in fugam sunt conuersi. Facto mane, cum ipse ad Ecclesiam tenderet, occurrit illi dicta puella, per cuius os quidam dæmon in hæc verba prorupit. *Hà frater, si corona illa caruisses, non parum à nobis exceptus fuisses; eandem enim pœnam fuisses expertus, quā nos, quando tam duris dirisq; catenis nos cōstringebas.* Tunc Pater denuo collo puellæ Rosarium iniecit, dicēs, *Per sacratißima nomina Iesu Christi Domini nostri, eiusq; SS. Matris Mariæ, & per virtutem SS. Rosarii, impero vobis maligni Spiritus, vt ex hoc corpore migretis.* His dictis Puella & sibi & suis restituta est. *P. Hieron. Taxius in lib. de Rosario.*

CXXVII. Eodem anno, (vt ad Clementis actiones reuertamur) Senatus Venetus, q̃ superiori anno negotium cœperat, temporisq; cōditione intermissum fuerat, de maioribus nempe Sacerdotiis eligendis denuo suscepit; cum nimis graue videretur, ea se autoritate exui, qua vrbium Antistites designare, ac summis Pontificibus cōfirmandos exhibere maiores cōsueuerant: q̃ priscum Reipubl. institutum præteritorum bellorum varii casus interuerterant. Quapropter à Clemente Senatus enixe petebat, ne antiqua iura Reipubl. de Apostolica Sede optime meritæ adimeret, idq; vel priscis illius, vel recētibus meritis tribueret, quod pro Italiæ dignitate & libertate retinenda, tot, tantisq; curis ac periculis obstinate adeo laborauerat. Clementis vero hac in re difficilis animus plerosque Senatores sic affecerat, vt quos ille Antistites delegisset, eos in Sacerdotiorum possessionem nullo pacto mitti vellent; atq; inter cæteros Christophoro Marcello Corcyræ Archiepiscopo vita functo, in eius locum Iacobo Cauco suffecto, cum ab eo possessio peteretur, atque Senatusconsultum ea de re ab vniuerso Collegio latum fuisset, reiectus fuerat: neque alii quam Hieronymo Barbadico, quem Senatus delegerat, Sacerdotium id concessuri Senatores videbantur. Qua re commotus Pontifex indigne ferebat, à se delectos Antistites repulsam à Senatu pati; iura Ecclesiæ nunquam lædi, vel imminui passurum se affirmans; præteritarum iniuriarum memoriam sæpe reuocās, & crebris sermonibus vsurpans. Quo fiebat, vt in diuersas sententias Senatores distraherentur. Nonnulli insistendum, & cōstantem Reipublicæ causam defendendam esse contendebant; si nullo modo flecti se posse Senatus ostenderet, æquis Clementem illius postulatis assensurum: si diffidentes Senatorum sententias persentiret, si nutare ac labare mentes animaduerteret, nemini dubium, quin nihil impetrari à Pontifice posset: vnanimi consensu Senatus, Clementis obstinatam mentem frangi posse; nulla re magis euersas Reipublicæ res pristinæ dignitati, ac decori restitutas fuisse, quam obnixa omnium ciuium voluntate. An vero ea de re nunc agi, quæ nihil momenti vel ad dignitatem, vel ad vtilitatem Reipublicæ conferat? Exteros homines nonnunquam insigniorum vrbium Antistites creatos, multa sæpius agere, quæ à Reipublicæ rationibus magnopere seiuncta sint, quod alteri opes suas atque fortunas, non Senatui, cui maximè oporteret, acceptas referant; ingentibus diuitiis, quibus etiam supra votum abundarent, ad eorum gratiam promerendam facile abuti, quorum opera dignitatis aliquam sibi accessionem spondeant; à Senatu nō modo ciues, in patriam natura propensos, sed sanctissimos viros prætere a deligi, vitæ integerrimæ, exemplis apud omnes in honore habitos. Quid vero? Reges alios, ac Principes ciuitatibus suis Sacerdotes omnes maiores impertire; Senatū Venetum eo tantum priuari, quod continuis temporibus maiores obtinuissent? Irent nunc, Pontificisq; minis à tuendis publicis rationibus deterrerentur, indies maiora atque acerbiora toleranda: an vero metuendum esse, vt rursus bellum hac de causa non exardescat? Neminem pacem magis quam Clementem exoptasse, bellorum pericula maximo suo cum damno expertum nunquā eodem serœuolui passurum. Contra vero, qui altius rem inspiciebant, difficile admodum, atq; arduum opus esse à proposita reuocare sententia Clementem arbitrabantur; nec è Republica censebant, simultatum atq; odii semina in illius animo serere; cum ad præsentem Italiæ statum retinendū, nihil magis, quam Reipublicæ cum Pontifice amicitiam conducere posse putarent. In tot maximorum, ac prępotentium Principum ambitiosis cogitationibus, nihil tutius esse, quam hoc vno, veluti fortissimo munimento inniti. Neque deerant, quibus non satis probaretur, Ecclesiasticarum dignitatum & opum spe ciuium mentes ali, qua nonnunquam deliniti, & capti, ardorem atque studium, quo patriam complecti oportuisset, sensim remitterent. Moderato victu, ac priuatorum diuitiis auctam esse Rempubl. in qua ornanda & amplificanda omnes perpetuo insudarent, dum ciues quicquid gloriæ, quicquid dignitatum, quicquid opum foret, id omne non sibi, sed commodo publico computarent. Retinendos priscos sapientissimorum hominum mores, non faces ad ambitionem, ac luxum ciuibus adhibendas. Hæc atque alia huiusmodi variis sententiis iactabantur, cum Senatus in summi Pontificis gratiā, quos Antistites delegerat, in possessionem Sacerdotiorum misit, leniusq; cum eo agere cœpit, vt priscum ius reciperet; licet aliarum rerum quæ postea consequutæ sunt euentibus cunctatione longius negotium traheretur. Nam Veneti Turcicarum rerum suspicione permoti, ac de Solymani incrementis summopere solliciti, augere maritimas vires ac copias cogebātur. *Maurocenus lib. 4.*

Veneti ad Pontificem ob maiores Sacerdotes eligendos Legatum mittunt.

CXXVIII. Ioannes siquidem Scepusiensis Rex Vngariæ à proceribus designatus, & à Solymano in Regiam introductus, cum Ferdinando Austriaco, iure successionis idem ipsum regnū prætendente, impar viribus esset, Turcarum auxilium aduocauerat; qui recuperatis de Ferdinando quamplurimis oppidis & arcibus, impune postmodum ad fines Bosnæ vagati, & in obuia quæque crudelissime grassati, ingentem metum, Venetis incusserant præcipue, ne eorum ditiones inuaderent. *Isthuanfius lib. 11.*

CXXIX. Inter hæc monente Pontifice, Sigismundus Rex Poloniæ, de transactione inter Ferdinandum & Ioannem Reges per legatos allaborauit. Cum Ioanne quidem, per Sebastianum Opalinium regni Secretariū. Cum Cæsare & Ferdinando per Ioan. Dantiscum. Firmioris vero pacis tractandæ, arctiorisq; necessitudinis cum iis cōtrahēdæ gratia, Ioan. Latalscius Posnaniensis, & Andr. Critius Plocensis Episcopi, Petr. Kmitha Cracouiensis, & Ioan. Tarnouius Russiæ Palatini, Lucas Gorcanus Castellanus Posnaniēsis, & Ioan. Choinius Archidiaconus Cracouiensis, Posnoniam ad conuentū ablegati sunt. Aderant à Cæsare & Ferdinando legati, Iacobus Episcopus Wratislauiēsis, Sigismundus Heberstcinius Baro Austiacus. A Rege Ioanne Franciscus, Archiepiscopus Colocensis, Stephanus Verbecius Cancellarius, Hieron. Lascus Palatinus Siradiensis, & alii, qui negotiū hoc pertractātes ad S. Martini perq; aliquot hebdomadas frustra laborantes, tandem inducias annuas inter Reges pacti sunt; & filiā Ferdinandi Regis impu-

Sigismundus Rex Poloniæ pacē inter Ferdinandum & Ioannem conciliare studet.

impubem adhuc Elisabetham, Sigismundo Augusto impubi etiam, quem hoc anno, mense Februario, pater successorem Regem renunciatum, Cracouiæ solenni cerimonia inaugurari fecerat, desponsarunt. *Cadanus lib. 7. hist. Polonicæ.*

CXXX. *Gentilis Mulieris sanctissimæ mors & acta.*

Sub hoc tempus, quo à Clemente Pontifice, Carolus Cæsar, Bononiæ accepit coronã Augustalem, sanctissima mulier nomine Gentilis Rauennæ decessit, Thomæ Iusti aurificis Veronensis filia, Rauennæ ex Rauennati muliere nata. Hæc cum admodum familiariter & frequenter Margaritæ, de qua superius docuimus, consuetudine fuisset vsa, maximam sanctitatis opinionem contraxerat, auctam indies vita innocenter sanctéque agenda. Maritum habuit Iacobum Pianellum Venetum, sutorem, ex quo genuit filios aliquot, Leonemq; præsertim, qui Sacerdos fuit. Eo autem per sancto genere viuendi, mariti odium ita vehemens sibi conflauit, vt ab illo non modo verbis asperis, contumeliaq; pleniss imis, sed factis acerbis, publicisq; calumniis ac verberib. multis sæpissime in ingentes calamitates præcipitaretur; quas tamen ea animi moderatione, itaq; tranquillè semper tulit, vt Margaritæ magistræ, omnia diuinitus cognoscenti, atq; quomodo se haberet, scisciranti responderet; habere se multo melius, quam mereretur. Quo factum est, vt assiduis à Deo precibus tandem aliquando mariti in melius cõmutatos mores impetrauerit. Tanta fuit in eos, qui illam iniuriis contumeliisque afficientes (multi semper fuêre) bonitate & beneficentia, vt prima illos ad iram odiumq; deponendum, conciliandumq; inter se concordiam, blandis verbis inuitaret. Egentes maxima semper misericordia prosequens, cum postulantibus prębere non posset (paupertatẽ enim amabat & sectabatur) illachrymans mirifico simul afficiebatur dolore. Plurimis sanitatem corporis, admirabili euentu, precibus à Deo impetrauit; animique curas & molestias sermone leuauit. Cogitationes, intimosq; animi sensus, Deo indicante cognoscebat; vti locupletissimi testes accessere Antonius Monuetulus, & Zacharias Pedercinus, dum iussu Pauli III. Pontificis anno sesqui millesimo trigesimo septimo, mense Maio, Ioannes Franciscus Petittus, Rauennæ Moderator, de huius & Margaritæ vita, miraculisque quæstionem habuit; in qua Paulus Vegius Rauennas, Episcopus Casensis, se Margaritæ & Gentilis precibus, cum iam ad cœlestis vitæ præmia vocatæ essent, animi tranquillitatem, corporisque sanitatem, ex grauissimis morbis sæpius obtinuisse scribit. Plures etiam ex Canonicis Regularibus Lateranensibus, vt Seraphinus Acertus Firmanus, qui de harum sanctissimarum mulierum vita libellum, typis excusum edidit, Michael Forocornelianus, & Marcus Antonius Venetus, Gentilis rogatu ac precibus, summas à Deo virtutes, ipsamque præsertim castitatem se fuisse adeptos testantur: adduntque multos se nouisse Venetiis, Ferrariæ, Lucæ, aliisq; ciuitatibus & oppidis, quibus cum Margaritæ & Gentilis suffragium flagitassent, munera à Deo mirabilia acciderint. Scribit Monuetulus vir doctissimus & grauissimus, iuratusq; in hac quæstione testis, cum nocte quadã acriter à dæmone illius oppugnaretur castitas, se protinus è lecto surgentem, ad Deique opem confugientem fuisse liberatum; postridieq; mane cum ad Gentilem adiisset, illam vniuersam oppugnationem narrasse, affirmasseque, precatam se fuisse Deum, vt illi victoriam præberet. Sæpius item, cum multi adessent, cuiuslibet peccata diuinitus ab ea cognita & castigata sunt, quod ipse sæpius sensit Monuetulus. Multa insuper vaticinata est, tametsi id admodum ægre faceret, nec affirmanter; neq; enim visis, quæ sibi frequenter diuinitus obiicibãtur, facile credebat. Vt autem multa, quæ prędixit, omittam, illud non inuoluerim silentio, quod Rauennatense prælium, vrbisque direptionem sigillatim prænouit, asserens, è remotis locis multos ad diripiendam Rauennam accedentes, se intueri. Cum vero Hieronymus Malusellus eam hortaretur, vt saluti fuga consuleret, id ipsa renuens, si erant aduersa ob peccata ferenda, se quoque multa peccasse, & indies peccare affirmabat. Pridie vero quã ob factiones magna cædes Rauennæ committeretur, sibi è D. Ioannis Euangelistæ redeunti, vas plenum sanguinis cœlitus ostensum est, audiuitq; vocem, quæ illud acetarium futurum asseruit. Cum etiam Borbonius per Æmiliam vagaretur, Romam cõtendens, ipsa in cubiculo nõnullis comitata, cum esset statim pallida facta, & tanquã perterrita, passis crinibus mulieres sibi ostensas, hominũ neces, cruoris magnam effusionem, atq; huiusmodi multa, quæ in vrbium direptionibus solent contingere, affirmauit: quod non diu post verum fecit ipsa Romę miserabilis clades. Hoc loco Hieronymi Malusselli testificationem libenter posuerim, viri sanctissimi, atq; illius contubernalis, quiq; illi à confessione ad expianda peccata, quam quotidie fere faciebat, adfuit. Hic igitur cum admodum adolescẽs multa de Gentilis sanctitate acciperet, &, vt iuuenes solent, sperneret, hortante sorore ac pene impellente, ad Gentilem se, nõ absq; ingenti metu cõtulit. Iam enim quartũ annũ abstinuerat à cõfessione de peccatis. Domum ingressus, statim maximum percepit odorẽ, ad eamq; accedens, breui ita eius præceptis & admonitionibus iustitiã & pietatẽ est edoctus, acieq; mentis illustratus, vt aliã statim vitæ cõditionem, alios mores ingressus fuerit. Tres interim effluxere anni, quibus frequenter ad eam venire cõsueuerat, audiebatq; illam Deum precantem, vt sibi sacerdotẽ concederet, quo cum arcana cordis cõmunicaret; nec diu post Hieronymus in animũ induxit, Sacerdotẽ fieri: sed quo magis ad eum sacrosanctũ Ordinem accedebat, eò cordis dolore quodam pene intolerabili magis afficiebatur; quo tamen Gentili patefacto statim exhilaratus est animus & inanis timor ac sollicitudo pulsa. Sacerdos iam factus, cum Cæsenæ in cubiculo solus mysteriorũ arcana verba recitaret, & cubito supra sacrũ librum innixus, manu ad genã admota, ea cõsideraret, statim ex sublimi in faciem adeo vehemẽter ictus est, vt sui vix esset cõpos; nullum tamen dolorẽ sensit; cõfestimq; erectis oculis, iuxta se mulierem nigris induram vestibus cõspexit; quam Gentilem aut Margaritam suspicans, Rauennã, inquit, proficisci animus est; aut enim Iacob. Gentilis maritus est mortuus, aut suprenam agit animam. Itaq; Rauennam cum venisset, postridie eius diei Iacobus vita decessit; ipseq; Hieronymus, haud ita multo post, Gentilis, Leonis, & mulieris cognatæ, quartus accessit contubernalis, vbi decem & nouem annos, vita sancte degenda, perpetuo vixit: Gentili assidue multos dolores, eosdemque magnos, patienter atque hilari semper vultu, ferente, cum tamen corpus etiam castigans, diebus Mercurii, Veneris & Saturni, semel tantum, sacræ inediæ causa comederet, omnibusque Dominicis diebus festis Hieronymus illi diuinam ac sacrosanctam Christi Dei hostiam communicaret. Antequã diem obiret suum, sæpe Hieronymo Malusello prædixerat. Tandem vero hærede illo facto exasse: erat enim Leo filius prærmortuus, iussit, vt domũ suam in templum erigeret: iaceret fundamenta, reliqua Deo committeret: futurum enim, vti non Rauennates, sed exteri opus iuuarent. Itaque ad 5. Calend. Febr. nocte insequenti, ad extremum sacro oleo peruncta, morte non dissimili ab ea quam innocenter egerat vita, nono & quinquagesimo ætatis anno, diem clausit supremam. Quoniam vero nimis longa fumeretur oratio, si quæ post mortem admirabilia munera, eius apud Deum rogatu impetrata narrauerim; hæc omittens ad Hieronymum Malusellum venio, qui cum neque aureos nummos decem haberet, verbis tamen Gentilis magistræ impulsus, fundamenta templi iacit; & quod mirabile est dictu, plurimi accurrentes ita iuuêre, vt breui fuerit templum extructum, in quod quingenti amplius nummi aurei impensi sunt; quorum trecentos Carolus in regno Neapolitano Regulus donauit. Is enim cum in Gallia, quò se amisso imperio receperat, de quodam Sacerdote accepisset, Rauennæ Sacerdotem plane sancte viuere, & templum exædificare, diuino Spiritu impulsus, Rauennam ex Gallia venit, Diuæ Mariæ Lauretanæ templum toto orbe ingentibus miraculis celeberrimum inuisurus, inuentoque Hieronymo, aureum tradidit torquem, vt quod iam angustum ædificaret templum amplificaret, & sacellis additis exornaret. quod cum factum esset, aliquot sacratis viris probis ac religiosis, in quibus Simon Crespolus Rauennas maxime enituit, secum iunctis, Collegium instituit, titulo Boni Iesu ac Diuæ Margaretæ adiecto, anno à partu Virginis 1532. quod postea Paulus III. Pontifex Maximus insequentibus approbauit. *Sutius 28. Ianuarii tom. 1. ex libr. 9. hist. Rauen. Hieronymi Rubei.*

Eodem anno diem clausit extremum Margarita, Caroli Imperatoris amita, omni genere virtutum cumulatissima Princeps. Nota est Maximiliano Cæsari, ex Maria Burgundiæ

CXXXI.

Margaretha Caroli V. amita moritur.

diæ Principe, in celeberrima Aduaticorũ vrbe Bruxellarum, atque per Fericum Tornacensem Episcopum iuxta ritum S.R.E. in templo Diuæ Gulæ per sacrum baptisma Christianæ religioni initiata, fide iubentibus Philippo à Rauenstẽ Ducibus Cliuorum, & Ioanne Aukerranię Principe, atque Margarita materni aui secunda coniuge, ad cuius imitationem huic nomen impositum. Nata est autem quo tempore fames, pestes, bella, factiones, & omnium tragicorum malorum agmen quasi mare quoddam exundans erat; vniuersasque Belgii prouincias ira, rabie, odio, cæde, sanguine, scelere inuoluens atque permiscens; dum plebs seditiosa & rerũ nouarum cupida tumultuabatur; ciues mutuo ardebant furore, dissidebant in varias factiones nobiles, insurgebant populi, discordabant rectores, patria omnis in ambiguo erat, & plura loca hostis possidebat. Inter has densissimas afflictorum tenebras nata est Margarita, quæ velut noua quædam lux, aliquando patriam tot malis inundantibus liberaret. Puella, supra ætatem tam multa de se pollicebatur, à præclara & excelsa indole, vt ætatem fama, famam admiratio, admirationem virtus vinceret, esset que apud omnes populos expectationi admirandæ. Nec fefellit illos opinio. Siquidem defuncta paulo post matre eius Maria Principe clarissima, ac viduo parente eius Maximiliano Cæsare, cum immortale bellum esset Belgis cum Gallis, & vicinia omnis in armis fremeret, sola ipsa tunc solidæ pacis instrumentum medium, nodus & copula comperta est, atque prouincialium opera Carolo Galliarum Delphino, Ludouici XI. Regis filio in matrimonium desponsata. Vix triennium nata in Galliam ducta est, vbi maxima cum pompa ac lætitia excepta, à Rege sapientissimo, non irrito, nec vano omine Pacifica cognominata fuit. In aula Regis, inter nobilissimas puellas educata, optimisque moribus imbuta, tantum de se subito per vniuersum illud regnum adultæ iam nobilitatis specimen dedit, vt à cunctis velut numen quoddam in veneratione haberetur. Erat enim illi vultus perbenignus & iucundissimus, aspectus hilaris plenus autoritatis & gratiæ, dignitas oculorum talis, vt nitidissimum quendam bonitatis splendorem profundere viderentur. Ad præclaram corporis venustatem accesserunt honestas, mansuetudo, modestia, pudor, verecundia, cæteræque virtutes tantæ, vt se tanquam exemplum & speculum quoddam virtutum omnibus præberet contemplandam. Mortuo Ludouico Francorum Rege, cum Carolus rerum potiretur, persuasus à primoribus vt Britanniam imperio suo adiiceret, Margaritam iam adultam, nobilitate, venustate ac morum integritate licet nulli secundam, Maximiliano virginem remisit, vt Annam Francisci Britonum Ducis defuncti superstitem vnicam filiam Britanniæ hæredem, quanquam Maximiliano desponsatam, Britonibus ingenti prælio victis acciperet vxorem. Tulit illa eam contumeliam, satis constanter, domumque remissa, per singulos virtutum gradus magis magisque clarescere cœpit. Animus illi benignus, & qui nunquam ad iracundiam, nunquam ad odium, nunquam ad inferendas iniurias, nunquam ad vindictam, aut bella, sed semper ad beneficentiam, concordiam & pacẽ flectebatur: tantumq; de se subito apud omnes populos adultæ iam, & plusquam masculę virtutis specimen exhibuit, vt fama eius per remotissimas nationes longe lateque diffusa, maxima cum laude & admiratione vagaretur: & publica vox esset, nullam hac principe aut meliorem, aut clariorem. Hac permotus Ferdinandus Rex Catholicus, filio suo vnico, opulentissimorum regnorum ac potentissimorum principatuum hæredi Ioanni futuro Hispaniæ Regi vxorem acciuit; cum vicissim Philippo Margaritæ fratri, Ioannam filiam cõiugem dedisset. In Hispaniam nauigans ad sponsam, cum valida maris tempestas naufragium minaretur, Margarita, in maximo vitæ periculo singularem constantiam exhibuit; cumque iuxta nautarum morem in eo discrimine manus sibi cum aliquot aureis obligaretur, vt erat Gallice tum prosa, tum rythmo scribere docta, ipsa sibi Epitaphium lusit, atque ceræ inclusum adalligari iussit. Sedata tempestate, inque Hispaniam delata, sermonis suauitate, animi masuetudine, morum comitate, ac imperatoria quadam grauitate, omnium sibi animos facile conciliauit; vt vniuersi prædicarent, illa aduentante, salutem Hispaniæ affulsisse: quando audiebat omnes humaniter, respondebat perbenigne, neminẽ à se tri-

Eius vitæ laus & acta.

CXXXII

stem discedere paterentur, facilitate in familiam incredibili, in reliquos modestia admiranda; neminem cum vnquam lacesseret, neminem vituperio aut supercilio exciperet, alienos errores potius excusaret, quam carperet, virtutes honoribus & beneficiis prosequeretur; merita quantumuis modica aliorum, magnus tamen laudibus extolleret; acerrima semper alienę dignitatis propugnatrix, nec in eos quidẽ, qui vel eam, vel maiores suos aliquando magnis affecerant iniuriis contumeliosa. Quæ cum iam in eo rerum statu constituta esset, vt multa sibi in aduersarios & licere, & posse cognosceret, nullam tamen vnquam vindictam, nullum bellum, nihil hostile machinata dst, sed maleuolentiam omnem potius beneficio extinguere, quam iniurias vlcisci nitebatur. Prudentia deinde, consilio, fide, iustitia, clementia, pietatis cultu, religionis puritate, constantia, continentia, in omnes officiis, erga maritum & maiores obsequio, incomparabili, amorem omnium promeruerat: felixque omnium sermonibus & augusta dicebatur, nisi aliter decreta diuina voluissent. Nam maritum suum præstantem adolescentem, & in quem Ferdinandus Rex, & tota præterea Hispania non dubias spes collocauerant, post quam non totos tres annos cum eo vixisset, amisit. Nec diu post filium, quem gestabat vtero, in quo tota residua spes collocata erat, vixdum natum, non absque propriæ vitæ periculo pari clade mors ei surripuit: cui etiam Philippum fratrem adiunxit non multo post, ita vt continuatis funeribus, mariti, filii, fratris, mirum, quomodo dolori ferendo fuerit. Tulit tamen constanter & in Belgium redire iussa, mox Philibertum Allobrogum & Pedemontii Ducem, maritum nacta, quarto demum anno, nullius prolis mater facta, extulit: semper sibi similis, in omnibus aduersis constans, & iam cœlibatui vitæ reliquum addicens, quamquam non maior duo de triginta annorum esset. Regendo Belgio, à patre Maximiliano prælata, cum in patriam à morte Philiberti reuertisset, velut numen aliquod in salutem hominum prolapsum, sic mox iratissimorum diu hominum mentes flexit, tumultus populares sedauit, priuatas nobilium inimicitias sustulit, contentiones acerrimas prouincialium pacificauit, suspiciones omnes sustulit, obsequium ciuitatum, ac benuolentiam rectorum inter se conciliauit, remq; omnem ita composuit, vt & Optimatum dignitatem non imminuerit, & populares à potentum violentis concussionibus tutos conseruauerit: tum ad finium custodiam conuersa, recensendo arces, distribuendo præsidia, recognoscendo præfecturas pacem & tranquillitatem Belgio peperit, munimenta ab hostibus iam pridem diruta & incensa refecit, munitiora mœnibus & turribus oppida ordinibus suis instruxit; nullos labores, nullas occupationes, nullas molestias propter salutem publicã declinauit; nullis consultationibus, nullis interponẽdis decretis defuit, omni tempore pro patria proq; Republica peditissima, quouisq; omnia cõpleret. Prouincias omnes, quarum acceperat ditionẽ, sic administrauit omnes, vt eius imperium probarent omnes, nemo damnaret.

Erat in ea quoddam temperamentum cum seueritatis atque clementiæ, vt nunquam à iustitia misericordiam, nunquam à misericordia iustitiam remitteret; omnibus reddendo iura, & libellos manu sua subscribendo promptissima; diligens in consultando cum prouincialibus de rebus maioribus; nõnunquam etiam cum externarum gentium legatis deliberando, quæ ad publicam pacum & Reipublicæ salutem conducere videbantur, omnibus semper & maioribus & minoribus mansuetissimam sese exhibebat. Hospites & externos legatos, oratoresque magnificentissime excipiebat. Victus aulæ suæ largus & rerum omnium affluentissimus, qui necessitatibus egenorum subueniret. Neque vero postremum inter laudes eius fuit, quod vt erat illi vox sonora, expedita lingua, promptum ingenium, fluens & elegans sermo, grauis & sententiosa oratio, plurium linguarum sciens, sæpissime orare solebat ad populum; non raro etiam externorum Principum Oratoribus, cum ornatissima oratione, tum prudentissima grauitate respondebat. Cæterum nihil vnquam per tyrannidem egit, sed omnia cum iustitia & æquitate administrauit. Ipsa nobiles in concordia, ciuitates in tranquillitate, vniuersum populum in pace conseruabat: splendebat nobilitas, fulgebat aula, vigebat omnium artium quæstus, crescebant tabernæ, affluebant mercimonia, consuebant merca-

tores, augebantur nundinæ, florebant studia literarũ, omnia felicitate gaudebant: domi foris; omnia quieta; subditi & aduenæ, nullis oppressi vectigalibus, nullis obstricti exactionibus, nullis angariis & perangariis, nullis indictis aut superindictis onerati: sed liberis commeatibus, commerciis, omnium fortunatissimi viuebant. Eadem Gelriorum Ducem, minacissimum sane ac infestissimum hostem, Gallicis insolentem armis repressit, patriam latrociniis liberauit; Frisios populos, gentem ferocissimam, efferatam ac plane ad effrenæ libertatis propugnationem natam, & ingentibus viribus rebellantem, illorum prouinciam amplissimam & inuictam, vrbesque opulentissimas ac munitissimas, non tam armorum virtute, quam consilio, constantia, beneuolentia ad deditionem compulit, & imperata facere coegit: quod nec Philippus frater, nec Maximilianus pater, nec Carolus maternus auus, potentissimi & bellicosissimi Principes assequi potuerunt. Traiectum ciuitatem ditissimam, populumque potentem, ac omnem superiorem ac inferiorem prouinciam adiacentem, partim Brabantiæ, partim Hollandiæ subiecit. Decem & octo insignia oppida, præteralia municipia, & arces, quæ 200. numerantur imperio suo adiecit. Cum vno eodemque tempore, tota Germania bellis fremeret, ferueret vehementius Gallia, æstuaret Hispania, incenderetur armis Italia, non Anglia, non remota Scotia, pacem haberent, non ipse Romanus Pontifex ab hostibus quiesceret, totusque pene orbis terrore & formidine plenus esset, Margarita Princeps dissidentem Christianitatem pene sola pacauit, & suo quasi nutu restituit; quando tot potentissimorum Regum arma, pro dignitate summi Pontificis, proque patrimonio Apostolicæ Sedis recuperando, in vnos Venetos conuersa fuerunt: quasi illi mole & magnitudine imperii sui vicinis regnis & prouinciis exitio imminere viderentur. Cum deinde inter Carolum Cæsarem, & Franciscum Galliarum Regem post cruentissima bella, ad extremas etiam iniurias ventum esset, & vtrimque deplorata concordia videretur, nec spes vlla pacis esset; tam dirum, tamque calamitosum, & vniuerso orbi Christiano exitiale dissidium, Margarita extinxit, concordiamque inter dissidentes sanciuit: ad exitum tandem deducta affinitate, quam bono pacis publico inter se contraxerant. Iam vero religionem Catholicam semper obseruantissime coluit, semper in illa cum gloria sine superstitione vixit, pro illa cum gloria acerrime pugnauit; Germanicis hæresibus sic restitit, vt nisi ipsa fuisset, omnes Belgii prouinciæ, supra quam superior Germania, in profundissimas impietatis tenebras prolapsæ fuissent. Fundauit illa sacra officia, refecit sacras ædes, restituit templa, basilicas à fundamentis extruxit. Apud Segusios, in suburbiis ciuitatis Burgensis augustissimum templum Diuo Nicolao Tolentino sacrum condidit, & Cœnobium Fratrum Augustinianorum magnæ congregationis Lombardiæ ibidem piè sanctèque fundauit, agros, municipia, & census perpetuos contulit, quibus religiosis illis in singulos annos abundanter prouidit: in templi vero & Monasterii extructione supra ducenta viginti millia aureorum impendit. Ibi maritus suus Philibertus, & mariti mater Margarita suptuosissimo mausoleo sepulti iacent, quos penes & ipsa sepulturam sibi delegerat. Iam vero & apud Morinos, Flandros inquam, extra oppidum Brugis in suburbio templum erat Diuæ Virginis annunciationi dedicatum, & à certis religiosis cultum, quibus tandem intra vrbem translatis, vacans & desertum templum, Margarita, introductis Monialibus sororibus, quas Rubras vocant, restituit, atque in singulos annos statutis censibus, cumulatissimo & vere Regio munere dotauit. Præterea in eadem vrbe in templo Diuæ Virginis, vbi Mariæ principis matris suæ corpus requiescit, vbi & Philippi fratris sui cor repositum est, cum quo & ipsa cor suum voluit reponi, ingentia dona contulit. Non minus etiam in regno Castellæ in ciuitate Auila, in conuentu Fratrum Beati Dominici, quos penes prior maritus suus Ioannes Hispaniarum infans sepultus est, pro illius salute, & lampadas perpetuas, & preces æuiternas ingenti ære constituit. Multa deinde alia & innumera pietatis & munificentiæ suæ religiosa dona, templis aliis, sacellis, Xenodochiis variis in locis exhibuit. Cumque esset à longo æuo inter thesauros Ducibus Sabaudiæ sacrosanctum Saluatoris nostri sudarium, quod illi quocumque irent, cæteras inter prophanas sarcinas pro amulato spirituali circumferebant; id vbi resciuit Margarita princeps religione & pietate insignis, indignum arbitrata; tam sacratissimum thesaurum, sic inter prophanorum manus inhonoratum versari, capsam auream valore plus duodecim millia aureorum donauit, in qua seruaretur: maritoque persuasit, qui vna secum magnificentissimum sacellum in arce Camberacensi, constituto ibidem Canonicorum collegio maximis sumptibus extruxit; vbi deinceps omni reuerentia ad seruatum stupendis claret prodigiis atque miraculis; quibus proculdubio diuina clementia ostendit, hanc à religiosissima Principe impensam sacrosanctæ syndoni venerationem reuerentiam fuisse sibi acceptam atque gratissimam. Vixit deinde ita, vt nulla fuerit charitate in pauperes, munificentia in religiosos, honorificentia in Sacerdotes, obseruantia in Pontifices, honestate morum, integritate vitæ, synceritate fidei hoc tempore illi præferenda. Paulo antequam moreretur, promulgari curauit edictum Caroli Cæsaris in hæreticos scriptum, cuius hæc præcipua sunt verba ex Gallico translata, vt sunt impressa cum aliis diplomatibus Gandaui anno 1559.

Carolus Cæsar suis fidelibus salutem. Tametsi contra errores & nouitates Martini Lutheri & aliorũ varias ediderimus Ordinationes, appositis certis pœnis gratiosis, nec tamẽ proficiamus; idcirco vltra ea, quæ superioribus edictis à nobis constituta sunt, præcipimus, quatenus omnes in terris nostris habitantes, vel conuersantes, ante 25. Nouemb. proximum, ad manus primarii Præfecti loci, vbi habitant, vel versantur, deferant omnes libros & scripta, quæ habent, dicti Lutheri, aut aliorum opiniones continentia, sub pœna confiscationis corporis seu vitæ eius, qui hoc facere neglexerit. Et tamen, vt omnes intelligant, nos neque vitæ neque facultatibus aliorum inhiare; moti misericordia & de speciali gratia consentimus, vt quicumque priuatim, seu etiam publice perperam de fide, de Sacramẽtis, vel Ecclesiæ Constitutionibus senserint, si pœnitentia ducti ante dictum 25. Nouemb. apud primarium loci Præfectum errores suos & perperam facta eiurauerint, quod nobis & Iustitiæ hac ratione per omnia censebuntur satisfeciſſe; saluo, quod ante finem quindecim dierum proxime sequentium, à Pastore suo, vel alio potestate habente, doceant etiam se Ecclesiæ Catholicæ reconciliatos esse; iis tantum exceptis, qui semel in gratiam recepti iterum lapsi sunt, aut qui in vinculis detinentur, aut quorum lis pendet, qui corrigentur secundum sua delicta, eorumque exigentiam. Datum Bruxellæ 14. die Octobris anno 1529.

CXXXIII. Decretũ istud sanctum voluit esse Margarita, quippe quę ab Austriaca & Burgundica familia hauserit, vt susceptam semel Catholicorum religionem, & ornare & tueri statueret: Princeps pietate, religione, cęterisq; quę ad sanctissimam fidẽ testandam necessaria erant cumulatissima. Duos & quinquaginta annos nata, imminentem sibi mortem interrita expectauit, sacrosanctum salutis nostræ viaticum, & reliqua Ecclesiæ Sacramenta deuotissime suscepit: & vt in vita fuerat omni modestia mansuetissima, ita in mortis pugna summa cum tranquillitate decessit, religiosissimeque Deo Spiritum reddidit. Decessit Calend. Decemb. sepulchrum corporis sui esse voluit Brugis apud Sedusios, cor suũ Brugis penes Morinos, viscera sibi vendicauit Mechliniæ; cor amoris officio marito, corpus sanguinis & naturæ necessitate parenti, viscera beneuolentiæ vinculis patriæ debebantur: animam cœlum sibi vindicauit, quam olim dedit. *Agrippa in oratione funebri. Haræus in Annalibus Ducum Brabantiæ.* Mortem serenissimę Principis portendere visus est Oceanus. Enimuero paucis diebus ante, extremæ terrarum in Belgis regiones, quæ Gesforiaco littori incumbunt, repentina atque inusitata prorumpentis Occani inundatione summam cladem subierunt, qua nobiles paulo ante vrbes, frequentissimaq; oppida superfundente sese mari periere, vsque adeo miserabili calamitate, vt infinita prope mortalium multitudo intercepto fugæ remedio opprimeretur. Nam horribili prodigioso-que, sicuti coniectari licuit, terræmotu concussus Oceanus, ita magno æstu intumuit, vt institutos antiquitus, & perpetua custodiæ diligentia ferè quotidie ab accolis instauratos aggeres, quibus submoueri arceriq́ue æstuãtis maris fluctus consueuerant, concitato quodam & vehementissimo incursu perrumperet, interioriſque plagæ terris altissima rum & reciprocantium vndarum pelagus per transcensos margines effunderet; animantiaq; subinde omnis generis irrito receptus cursu, in aridas littoris partes perfugere conantia, ociſsime mergerentur, quibus longo natatu fessis, & fame morientibus, marinæ belluæ non dubio pauore attonitæ, impulsaque fluctibus conterritorum piscium agmina succedebant. Præcesserant hanc cladem triduo ante densissimi imbres, diraque tonitrua scintillantis aëris, & crebra motatio telluris, perpetuoque biduo concurſantium inter se ventorum diuersi turbines, ita horribili pauore concussis incolarum mentibus, vt quum tecta nutarent, & ingruente ineuitabili aquarum mole colluctantibus scilicet elementis, tota orbis compages resoluta; in antiquum chaos redigi crederetur. Ea porro calamitas longe maxima incidit Caneniphatum & Batauorum insulis, quæ Holandæ & Selandæ à nostris hodie nuncupantur. Nam præter eas quæ inundantis maris impetu multorum cubitorum altitudine penitus submersa fuerant, Alendebucha quoque & Harles, & Excluſæ clara oppida, ita fluctibus oppressa deuorataque sunt, vt vix sacrarum turrium & templorum fastigia extarent, quæ horribili æque & sæpe metuenda excidij memoria cladem testarentur. Sed Nonæ Nouembres tantis malis finem attulerunt, quum postridie Calendas sereno (quod mirum fuit) cœlo, sed mox portentoſum in modum ab repentina effusi imbris, & certantium inter se ventorum procella commutato, dira ea tempestas accidisset, tanta admiratione mortalium, vt nulla ab orbe condito maior & grauior vllis gentibus clades, post diluium Mosaycis litteris celebratum, incidisse crederetur. *Iouius li b. 29. hist.*

CXXXIV. *Culiacana America prouincia ab Hispanis inuẽta.* Hoc anno 1530. Patricius Hamiltonius in Scotia vltimo affectus est supplicio, ob hæresim Lutheranam. *Bucholz. in Chronol.* Eodem anno, auspiciis Caroli V. Cæsaris, prouincia Culiacana in America, quæ nunc regni nouæ Galliciæ pars est, inuenta fuit, inque eius tractum vna colonia Hispanica, quæ Sancti Michaelis nomen gerit deducta, Sacris etiam Christianorum introductis. *Abrah. Orthel. in theatro Orbis terrarum.*

Eodem ipso anno apud orbem occiduum in regionibus Peruanis, in regno Quitensi, Fratrum Dominicanorum ministerio, ad Christi fidem peruenere populi Bugenses, Popaxanenses, Quillicingenses, Pupialanenses, Hippialenses, Chimbenses: inter quos eadem Prædicatorum familia, habet 18. cœnobia maiora, & 30. minora, ad Religiosos alendos, qui Indos in fide Christiana nutriant & conseruent. *Petrus de Cieza hist. 2. parte cap. 121.*

CXXXV *Genua imploratione B. V. à peste liberatur.* Genua vrbs, hoc tempore pestilentia laborans, sanitatem, & aëris salubritatem se debere fatetur, Beatæ Virgini apud Seruitas cultæ. Ea imago his temporibus habetur in Sacello societatis Habitus, de qua etiam istud mirabile proditur, quod puerulus quidam quinque annorum in ea vicinia, cum forte in profundum puteum lapsus, aquisque obrutus fuisset, & parentes protinus ad puteum veniſsent, viderunt puerum absque vlla læsione in superficie aquæ mirabiliter sustineri, quem denique è puteo extractum, audierunt confitentem, se à B. Virgine Ecclesiæ seruorum de profundo aquarum liberatum, & propriis illius vlnis super aquas sustentatum.

Lælia quoque vxor Ioannis Baptistæ Auriæ, diris partus doloribus fere vsque ad mortem exagitata, voto ad eandem Beatam Virginem emisso, illico puerum peperit, & incolumis euasit. *Archangelus Zanius Annal. Seru. Cent. 3. lib. 6. c. 10.*

Per idem quoque tempus in oppido Summæ ripæ regionis subalpinæ, eadem pestilentia sæuiente, Communitas ipsa sub protectione S. Ioseph Sponsi Beatæ Mariæ virginis votum vouit, & sacellum eidem Aduocato in Ecclesia Seruorum dedicauit; quo voto emisso omnis morbus abscessit, quo numquam amplius vexata fuit: licet circum circa in vicinia pestis magnopere desæuiret. *Idem Archangelus vbi supra.*

* * *

ANNO CHRISTI M. D. XXXI.

CLEMENTIS PAPÆ VII. Anno 8. & 9.

CAROLI V. IMPERATORIS Anno 2.

FERDINANDI I. ROMAN. REGIS Anno 1.

I. *Ferdinandus Vngariæ & Bohemiæ Rex in Comitiis Romanorum Rex renunciatur.*

Nonis Ianuarij huius anni, Coloniæ Agrippinæ, in Comitiis Imperij, præsente & procurante Carolo Cæsare, Ferdinandus Bohemię & Vngariæ Rex, Archidux Austrię, à maiori Septem-virum parte, Romanorum Rex renunciatur, reclamãte, tacta obtestatione Duce Saxoniæ, omnibusque Protestantibus, qui Lutheranum sequebantur. Causas creandi Regis Romanorum has in medium Cæsar adduxit, in primo congressu Principum Electorum, istic Coloniæ. quia diuersis ipse regnis atq; populis imperaret, neq; posset continenter esse in Germania. quia turbulentus admodum esset, & periculosus Orbis Christiani, præcipue vero Germaniæ status propter dissidium religionis, propter nuper excitatam seditionem atque bellum rusticanum, nec non propter vim atq; potẽtiam Turcarum; & quia per Imperium multa inofficiose fierent, ac minus obsequenter. Etenim, tametsi de ipsorum omnium voluntate atq; consilio, Senatus fuerit institutus Imperij, superioribus annis; tamen, non fuisse præstitam illis, quę debuit, obedientiam. Itaque prorsus sibi videri necessarium & ex vsu Reipublicæ, vt secundum se creetur aliquis Romanorum Rex, velut alterum Imperij caput per suam absentiam, qui sit & ingenio præditus, & vigilans, & industrius, & potens, & amans pacis atq; concordiæ, & rerum Imperij non imperitus; & omnino talis, cui fidere, & in quo possit ipse totus aequiescere. Qui sit autem ad eam prouinciam idoneus magis fratre suo Ferdinando, Bohemiæ Vngariæq; Rege, nullum se nosse alium. huius etiam fines atq; regna iam esse veluti murum aliquem pro salute totius Germaniæ, oppositum Turcicæ immanitati. Persuasit non difficile Electoribus, quorum maior, pars collatis suffragiis Ferdinandum renunciarunt: ac tertio Idus Ianuarij, diademate argenteo Caroli Magni, in Basilica Aquisgranensi, solenni pompa inaugurarunt, Cęsare publicis litteris edicẽte, vt eum omnes Imperio subditi pro Rege Romanorum agnoscerent, susciperent, reuererentur, eiq; obedirent. Scripsit eadem de re expresse Cæsar, ad omnes Protestantes, & præcipuè ad Saxonem Electorem, qui solus ex Septem Viris ausus fuit, tam vnanimi electioni contraire, & Carolinam legem ad infringendum detorquere, nimis odioso conatu. Coronatio autem hac ratione fuit peracta. Cæsar, Rex, Septem Virum maior pars, maximaq; procerum multitudo insigni ornatu Aquisgranum cum binis mille ducentis equitibus venerunt. Cæsar postero die, qui fuit 11. Ianuarij, solennibus vestibus Imperialiq; diademate ornatus, eumque eo Rex Ferdinandus, Septem Viri, cæteriq; Principes, decenti ordine ad Templum Diuæ Deiparæ Mariæ concesserunt, pręcedentibus domesticis Nobilibus, Legatis castrensibus, duobusq; equitum Præfectis ex familia Pappenheimica, quorum alter nudum gladium, alter pretiosissimam vaginam pręferebat. Hos Ioachimus Brandeburgicus Septem Vir Imperialem globum, ac Ludouicus Palatinus Septem vir sceptrum ferens sequebatur. Cæsar in medio solus ibat, pone eius siniſtrũ latus Rex Romanorum designatus, extremum agmen, post Pontificium, exterorum Principum Legati claudebant. Septem Vir Colonienſis sacrum peragebat. Interea Romanorum Rex solenni Caroli Magni veste, quæ Norimberga fuerat allata de more induebatur, ac post præstitum Iusiurandum, præcipue de fide Catholica tuenda, deque Ecclesia Romana & vniuersali in veneratione habenda, iuribusque illius & priuilegiis seruandis, in capite, pectore, ac scapulis inungebatur, ac tandem corona Caroli Magni, à multis hic annis conseruata, per tres Septem-Viros Archipræsules, Mogun-

Idem Aquisgrani solenniter coronatur.

tinum, Colonienſem ac Treuirenſem, precibus Eccleſiaſticis de more ad ſingula additis inſignitur, Rexque Romanorum pronunciatur, declaraturque. Sacroſancta, ad finem Lythurgiæ, Euchariſtia Corporis Dominici percepta, ac re diuina & cerimoniis coronationis abſolutis in Curiam rediêre: nummos aureos atque argenteos in plebem ſpargente præfecto ærarij. Decimonono Cal. Febr. Aquiſgranenſes, ac non multo poſt Colonienſes, Spirenſes, Auguſtani, & aliarum Vrbium Imperialium Magiſtratus & ciues, Romanorum Regi Sacramento ſeſe obſtrinxerunt. Saxo, Brandeburgicus, Luneburgenſis, Landgrauius, Argentoratum, Norimberga, Magdeburgum, Vlma, tam ſuo, quam ſociorum Principum atque ciuitatum Proteſtantium nomine, datis die XVI. Februarij ad Galliæ & Angliæ Reges litteris, rationem factorum ſuorum reddere conati, patrocinium illorum implorarunt, vtque Cæſarem ad cogendum Generale Concilium impellerent, in quo fidem & confeſſionem ſuam, Auguſtæ quidem non adiiſſam, ſed damnatam, veritati conformem eſſe oſtendere poſſent, monuerunt: ac paulo poſt, die 29. Martij rurſus & Sualcaldiam conuenerunt, acturi de defenſione ſui, ſi qua vis à Catholicis inferretur. Solicitarunt item per litteras Fridericum Daniæ Regem, & Saxonicas maritimaſque ciuitates de fœdere, contra Imperatorem atque Catholicos. Sed Danus recuſauit, quatenus Rex eſſet: neque Henricus Magnopolenſis, & Bernimus Pomeraniæ, Duces, neque Lubecenſes, neque Luneburgenſes aut aliæ ciuitates, fœderi ſubſcribere voluerunt. Francofurtum deinde Proteſtantes conuenerunt: vbi ciuitatum legati, ſe nolle Ferdinandi Regis electioni obſtrepere renunciarũt: ſi quid tamẽ is contra nouam eorum doctrinam moliri vellet, ſe ex fœdere Smalcaldico ad defenſionem ſui paratos fore promiſerunt: ac præterea, vt Heluetij in fœdus adſcriberentur, magnopere, quamquam fruſtra adlaborarunt, Saxone repugnante admiſſioni, quod de Sacramento Euchariſtiæ diſſiderent Heluetij. Cæterum Principes Proteſtantes, Ferdinandi electionem ſe non poſſe probare obteſtati, Cæſari ac Ferdinando iſtud denunciarunt, ex qua rebellione, cum omnia ad bellum ſpectare viderentur, Moguntinus Archiepiſcopus & Ludouicus Palatinus, permiſſu Cæſaris, velle ſe de pace intercedere, Proteſtantibus ſcripſerunt; & ex mutuo conſenſu, ad penultimam Auguſti, Smalcaldiam conuenerunt: quo etiam tẽpore Guilhelmus Naſſouius, & Nuenarius, Comites magnæ autoritatis, priuato Cæſaris nomine ad Saxonem miſſi adfuere; ſed tamen ibidem nihil conficere potuerunt; Proteſtantibus varias tergiuerſationes afferentibus, & tempus tantum extrahere nitentibus. Eadem de pace conſtituenda, cum Spiram ad Idus Septembris Conuentum Imperator indixiſſet, Proteſtantes, eò ſe ſine Luthero & cæteris ſuis Concionatoribus venire non poſſe: ideoque his publica fide cauere deberi, ſibi vero publicum religionis exercitium Spiræ concedi, confeſſionem Auguſtanam in dubium non vocari, atque fiſci actiones contra ſuæ ſectæ homines, ad vſque futurum Concilium intermitti, conteſtantes, oſtendebant ſe minime Spiram venturos. Qua de cauſa Cæſar, cum etiam de apparatu Turcico multorum litteris ac nunciis doceretur, in menſem Ianuarium anni ſequentis, diem produxit, & Ratiſponæ locum Comitiis indixit, vt Auſtriæ tanto eſſet vicinior, vbi bellum eſſe futurum videbat. Cæterum prius quam à Proteſtantibus fœdus Smalcaldicum iniretur, in conſilium ab eis adhibiti fuerunt, non iureconſulti modo, ſed Theologi quoque ipſorum. Lutherus aliquando docuerat, Magiſtratui non eſſe reſiſtendum: & extabat eius hac de re libellus. cum autem in hac deliberatione iuriſconſulti docerent, legibus eſſe permiſſum, reſiſtere nonnumquam, & nunc in eum caſum, de quo leges inter alia mentionem faciant, rem eſſe deductam oſtenderent, Lutherus Protheus, ingenue profeſſus, ſe neſciuiſſe hoc licere, fœdus iniri poſſe dixit, ſiue Cæſar ipſe, ſiue quis alius forte eius nomine bellum moueret. Ita Lutherus, qui prius nihil recipiebat, quod diuinis litteris non ei at expreſſe comprehenſum, ab iuriſperitis male doctus, leges politicas, Chriſto & naturæ admiſit, rebellionem que approbauit: imo etiam concitauit, quando hoc anno, frenum ſibi denuo laxauit ad maledicendum, & ſtilum venenoſo amarulentiæ ſucco tinctum in Catholicos Ordinis vtriuſque Principes ſtrinxit. Duos enim tractatus ſcripſit, maledicos ſupra modum, & planè virulentos; quorum alterum ſub admonitionis titulo diuulgauit ad chariſſimos Germanos: alterum vero gloſſam inſcripſit, vel interpretationem Edicti Cæſarei, quod in Auguſtanis Comitiis promulgatum fuit. In priore ſcripto ad Germanos, Monuiſſe ſe, dicit, Eccleſiaſticos in Comitiis Auguſtanis congregatos, vt pœnitentiam agerent, vnaque cum ſuis ardentes pro ipſis preces ad Deum fudiſſe; verum id fruſtra factum, cum excæcati ſint prorſus, & obſtinati: imo Pharaonis inſtar peccent in Spiritum Sanctum. Quia vero minas ſpirent, & machinentur bellum, ſibi vna cum ſuis conſtitutum eſſe, ceſſare deinceps à precibus, intentiſque oculis obſeruare, quomodo Deus induratum hunc Pharaonem demergat in profundum maris. Interim, velut per ſomnium imaginatur, ſi res peſſime cedat, vel ſeditionem oriturum, vel bellum, vel vtrumque ſimul. Si motus publicus excitetur, & moriendum omnino ſit, tum demum Papiſtas poſt mortem ſuam ſenſuros, quis ſit Lutherus: quamquam in huiuſmodi motu publico tantam Epiſcoporum, Sacerdotum, Monachorumque multitudinem ſecum abripere decreuerit: vt Lutheri funus omnes fateantur inſigni pompa deductum. Magnum ſe doctorem eſſe dicit, omnibus Epiſcopis, Sacerdotibus, & Monachis ſuperiorem. Eos igitur comites ſibi futuros ad ſepulchrum eunti, ſed proſtratos prius & ſupinos; quæ res cantũ ſit, & lætis vulgi ſermonibus celebranda. Exiturum ſe cum illis è mundo pari paſſu; vtroſque ſimul ingreſſuros iter vniuerſæ carnis, & peregrinationem ſuſcepturos, illos quidẽ Papiſtas in infernum, in nomine dæmoniorum omnium, ſe vero in Dei nomine ad regnum cœlorum. Si vero bellum oriatur, id ſuo futurum, ait, atque ſuorum commodo, ſiue moriantur, ſiue occumbant hoſtili manu. Certè detrimentum ex eo non paſſuros; cum beati prædicentur in ſacris litteris, qui perſecutionem ſuſtinent propter iuſtitiam. Interim quia Germanorum propheta ſit (hunc enim faſtuoſum titulum deinceps ſe dicit vſurpaturum in gratiam Papiſtarum) monendos ſibi Germanos, ne quod incurrant periculum, aut detrimentum patiantur, docendoſq; ſimul, quomodo ſe habere debeant, vbi ad arma ventum fuerit. Summa conſilij vertitur in eo; ſi Proteſtantibus Cæſar inferat bellum, & ſubditos ad arma vocet, omnino ſuadet, ne quiſquam hominum ei obtemperet, vel ipſius caſtra ſequatur. Nec enim dubitandum, qui Cæſari morem gerant in hoc caſu, eos rebelles eſſe Deo, & corporis animæque ſimul in hoc bello facere iacturam. Subiungit conſilij huius rationes, quas more ſuo, conuitiorum, mendaciorum, & calumniarum emblematis exornat; atque contra Conuentum Auguſtanum, canina facundia declamans, tandem concludit; merito pœnitere debere, vnumquemque Germanum, ſe & Germanum natum eſſe, & Germanum dici.

Saxo cum Proteſtantibus Principibus Angliæ, Galliæ Daniæ, Regum patrocinium contra Cæſarem implorant.

Proteſtantes Franco furtũ conueniunt.

II. *Lutheri Cõmentarius in Decretũ Auguſtanum.*

Iam quod ad alterum Tractatum attinet, quem Commentarium eſſe voluit in Decretum Auguſtanum; in eo proteſtatur initio, ſe contra Cæſarem, aut Magiſtratum vllum, Eccleſiaſtici vel Politici Ordinis nihil dicturum, ſed proditores illos oppugnaturum & ſceleratos homines, ſiue Principes ſint, ſiue Epiſcopi, quos ait ſub nomine Cęſaris per decretum hoc, malitiam ſuam prodidiſſe. Sub huius proteſtationis latibulũ ſecedit homo callidus, ac deinde in Cæſarem, in Principes, & Ordines Catholicos huius decreti authores, tum in Eccleſiam & religionem Catholicam, plauſtra conuitiorum euomit; idq; tam fœde ac impudenter, vt omnem humanitatem & verecundiam exuiſſe videatur. Omnia Chriſtianæ religionis capita, quorum mentio fit in decreto, mendaciis ſuis & calumniis malitioſe peruertit, & petulanter calamo maledico conſpurcat. De communione ſub altera, vel vtraque ſpecie, de autoritate Eccleſiæ, de tremendo Miſſæ ſacrificio, de arbitrij humani libertate, de fide & bonis operibus, de coniugio Sacerdotum, aliiſque de rebus quibuſdam, ſtomachabundus tumultuatur, & tragicos ſubinde clamores excitat. Quicquid vero iis de rebus in decreto dicitur, id à patre mendaciorum diabolo profectum, non minus procaciter, quam audacter blatterat. Prohibet inter cætera decretum, ne quiſquã doceat, iuſtificare fidem ſolam ſine operibus: cum id falſum ſit, Scriptura teſte, in qua Deus obedientiam, & charitatis opera multis locis exigat. Ad hæc verba Lutherus, ceu nouo quodam œſtro percitus: *Quia Diabolus, inquit, articulum hunc præcipuum, de ſola fide, arrodere & criminari non deſinit, dico Ego*

Doctor Martinus Lutherus, indignus Euangeliſta Domini noſtri Ieſu Chriſti, quod hoc dogma; Sola fide ſine omnibus operibus iuſtificat coram Deo, firmum atque inconcuſſum permittere debet Romanus Imperator, Turcicus Imperator, Tartaricus Imperator, Perſarum Imperator, Papa, omnes Cardinales, Epiſcopi, Sacerdotes, Monachi, Moniales, Reges, Principes, Domini, falſi fratres; & Syluermeri, totus mundus ſimul cum ſuis dæmonibus, atque inſuper, habebunt ignem tartareum ſuper capita ſua, neque grates vllas. Hic eſto meus Doctoris Lutheri inſtinctus à Spiritu ſancto, verumq; & ſanctum Euangelium.

Sub finem maledici huius ſcripti, quædam adiungit de vocatione ſua, qua fretus hanc dogmatum & rituum mutationem induxerit. Eius vero fundamentum in Academico gradu conſtituit, quaſi tum mandatum receperit, iſta machinandi, cum laurea Doctorali fuit inſignitus. Quod ſi verum eſt, certe Carloſtadius Luthero Doctoralem mytram impoſuit, quem illi poſtmodum in obeundo docendi miniſterio, non modo contempſit, ſed & hoſtiliter perſecutus eſt, ac miſerandum in modum conculcauit: hominem, inquam, à quo tamquam præceptore ſuo, & gradum honoris, & autoritatem docendi accepit; ad quem miniſterij ſui refert originem, ab eoque ſe miſſum agnoſcit. Ego, *inquit*, Doctor Martinus ad Doctoratum vocatus fui, adeoque compulſus, vt gradum hunc ex obedientia mera, repugnante tamen genio, ſuſciperem. Ibi vero neceſſe fuit, vt obirem Doctoris officium, & chariſſimæ mihi Scripturæ ſacræ iurarem ac promitterem, quod ſideliter eam & purè docere vellem, & in concionibus explicare. Inter docendum Papatus in via ſeſe mihi obiecit, & conatum meum voluit impedire: quæ res illi ceſſit, vti videmus, & peius cedet indies: nec ſe poterunt contra me tueri. Ego in Dei nomine atque vocatione, ſuper aſpidem & baſiliſcum ambulabo, & conculcabo leonem & draconem. Ea res inchoata eſt in vita mea, poſt mortem vero meam perficietur. Vaticinatus eſt de me S. Ioannes Huſs: qui, cum in vinculis eſſet in Bohemiam ſcripſit, in hanc ſententiam; Aſſabunt nunc anſerem (Hus enim anſerem ſignificat in lingua Bohemica) at poſt annos centum cygnum audient cantantem, quem ferent, quantumuis inuiti. Sic decretum eſt: nec mutabitur, volente Deo.

III. Cum hi duo tractatus admodum virulenti prouolaſſent in lucẽ, Catholicus quidã ex laicorũ ordine libellum edidit, Germanice ſcriptum, antidoti loco: in quo cauendum monet, à turbulento ſpiritu, & ſeditioſis Lutheri conſiliis, quem ſubditos Imperij contra Cæſarem incitare docet, & ſeditionem moliri: nimirum vt excuſſo obedientiæ freno, Germani denuo contra Magiſtratum inſurgant: in quem finem Lutheranos, ait, conuentus agere, ſancire fœdera, & bellum machinari. Vix prodiit libellus iſte, cum Lutherus ceu furiis agitatus, autorem illius aggreditur, eumque de more ſuo fœdis conuitiorum ſordibus conſpurcat: nebulonem, ſicarium, proditorem, canem ſanguinarium, & ſceleratorum caput appellans. Obiiceratautor inter cætera hanc conuitiandi ſcurrilem impotentiam, quod non modo promiſcue omnibus malediceret, magna verborum vſus contumelia, ſed & diaboli nomen ſermonibus frequenter admiſceret. Ad hæc Lutherus in fine turbulentiſſimi libelli; *Erit*, inquit, *is honor meus, in quo gloriabor: imo ſic prorſus volo, vt deinceps de me dicatur, quod maledicentiæ, conuitiorum, execrationis & criminationis plenus ſim in Papiſtas. Demiſi me frequenter ab annis decem & amplius, & verba dedi quam optima, quibus eos quemadmodum & ruſticos aliquando, peiores feci & contumaciores. Nunc vero quia obſtinati ſunt, neque boni quicquam, ſed male facere cogitant; vt deſperati prorſus eſſe videantur: ego deinceps quoque cum ſceleratis iſtis hominibus criminando, conuiciando, execrando, luctabor vſque ad mortem: nec blandum à me verbum amplius ſunt audituri. Hoc conuitiorum, execrationumque tonitru ac fulgur erit mihi campanarum inſtar, quibus ad ſepulturam ipſorum inſonabo. Nihil curo, quod quæritur, nominari in meo libro fere mera maledicta atque Diabolos. Hoc debet eſſe mea gloria, meuſque honor. Sic & habere volo, vt deinceps dicatur de me, quod plenus ſim maledicentiæ, criminationiſque & execrationis in Papiſtas.* Addit præterea. *Quoniam vero Papiſtæ, per hunc Archinebulonem & Sicarium indicant ſeſe arbitrari, quod Lutherani ſint in apparatu belli militumque conductione: id ego ex corde libenter audio, placetq; mihi, Papiſtas in tali opinione ac ſollicitudine exiſtere, ac credere, tale Lutheranorũ propoſitũ eſſe verũ. Quod ſi poſſem, vellẽ libẽter eiuſmodi opinionẽ ſollicitudinemq; eorũ cõfortare, donec præ timore morerẽtur. Ac velim huiuſmodi cantilenã de ipſis cãtare: Domicelle Cain, ſcis interimere fratrẽ tuũ Abel! Habe ergo & præmiũ tuũ, vt tremas ac paueas, ne ea interimat quiſquis tibi ſit obuius, ac nunquã ſis ſecurus, terreatq; te etiã ſolij ſonitus. Sciũt Domini, Annas & Caiphas perſequi Chriſtũ: habeãt & ipſi præmiũ ſuũ, vt timeãt ſibi à plebe, & dicant: Obe, obe, ne fiat tumultus in populo. Sic & homicidæ noſtri, qui tantũ innocẽtis ſanguinis fuderũt, hãc debẽt habere plagam, vt timere ac vereri debeant, ne fiat ſeditio. Atq; etiã ſi Lutherani nullũ facerẽt belli apparatũ, ipſi tamẽ metuere debeãt, Germaniã eſſe plenã armatũ Lutheranis: nec aliter cogitare, quã hoc anno nullã arborẽ producturã eſſe folia, ſed pro foliis Lutheranos cataphractos ac ſclopetarios. Hoc habere debent: ſic oraui ego, & adhuc oro, ſicut ſcriptum eſt. Fugit impius nemine perſequẽte.* Hæc & alia Luther, petulãtiſſimus in Pontificẽ, in Cæſarẽ, in Reges ac Principes, in Eccleſiaſticos, & Catholicos: quos omnes non veretur appellare, ꝓditores, nebulones, canes ſanguinarios, Yſchariotes, blaſphemos, antichriſtos, Deũ mẽdacij colẽtes, indignos quib. fides habeatur, porcos, aſinos, ſcelere ipſo ſceleſtiores, quibus nulla ratione parcẽdũ, nõ obtemperandũ, ſed potius, bellũ inferendũ. *Vſeb. & Cochl. in Luthero. Surius in Cõment. Sl. l. 8. Beuter in Carolo V. l. 8.*

IV. *Franciſcus Galliæ Rex cum proteſtantibus & Solymãno contra Cæſarem conſilia agitans.*

Ad hunc modum canẽte claſſicum Luthero, Proteſtantibuſq; fœderatis, Fracíſcus Galliarũ Rex compoſitione & affinitate cũ Cæſare contracta minime cõtentus & nouorũ tumultuũ cupidiſſimus, cũ Principib. Proteſtãtibus, qui animo erãt à Cæſare alieni cõſilia, miſto ad eas Langeo agitare cæpit: atq; (ꝙ maiore cũ Dei offenſione, & Francorum Regũ horribili infamia, qui ſe præcipuos Chriſtianæ religionis propugnatores ſemper erant profeſſi, cuius etiam rei cauſa Chriſtianiſſimorũ appellationẽ ſunt cõſequuti) cũ Turcarũ principe Solymano agere dicebatur; vt eũ in Cæſarẽ, in quẽ ſemper, tũ ob naturæ ſuæ in Chriſtianorũ nomen inſitũ odium, tum ob cõtrouerſias, quas cũ eius fratre Ferdinando de Vngariæ regno, propter Ioannẽ Vaiuodam, cuius ipſe patrocinio ſuſceperat, habebat; tũ etiã quia Cæſaris potentia ipſi quoq; ſuſpecta eſſe incipiebat, male animo affectus erat, concitaret. Cum Anglo quoq; de renouanda ſocietate, arctiuſq; coëunda egit, quem ſciebat à Cæſare abalienatũ, ꝙ diuortium eius cum Catharina amita impediret: qui quidẽ Anglus Gallo ſe facile dedit: atq; vterque re communicata, ad Proteſtantes principes, Guilhelmũ Bellaium Langeum ire iuſſit, ad fœdus ſanciendũ, & pecuniam in ſumptus belli contra Cæſarem ſuſcipiendi deponendam: in quod Gallus centum numũm aureorum millia apud Bauaros depoſuit, Quinquaginta vero Anglus ſpopondit, & colloquium cum Franciſco poſtulauit; quod in annum ſequentẽ dilatum eſt. Ratus quoq; Pontificẽ, nõ omnino depoſuiſſe iniuriarum memoriam, quibus à Cæſare fuerat affectus, illum tentauit; & quo magis eum ſibi conciliaret, matrimonium inter Henricum ſuum ſecundum natu filium, & Pontificis neptem Catharinam propoſuit. *Belcarius Epiſcopus Meten. hiſt. lib. 20. Guiciardinus lib. vltimo.*

V. *Solymanus magnos belli apparatus ad Pannoniã oppugnandam comparat.*

Inter hæc Byzantio afferebatur, Solymannũ, cũ belli Perſici motus cõpoſuiſſet, terreſtrib. non modo copiis, verũ maritima claſſe Chriſtianos Principes aggreſſurũ, Germanorũ q; diſſentientib. amicis, & religionis diſſidiis agitatis, gradũ ſibi ad eã Pannoniæ partẽ, q̃ Ferdinando Regi obtẽperabat, occupandã facturũ: cũ Præfectis, quos Turcæ Sangiacos vocant, q̃ in limitib. erant ꝓcepiſſet, vt iis q̃ ad bellum neceſſaria forent, inſtructis, ad Strigonium oppugnandum ſe præpararent. Miſerat quoque per eos dies Hariadeno Ænobarbo piratæ, maritimarum rerum peritia, atque ob damna ſæpius Chriſtianis illata, apud ſuos illuſtri fama notiſſimo, vexillum, ac quatuor apprime adornatas triremes, adiecto remorum, tormentarij pulueris, & aliarum rerum naualiũ apparatu, & in ſummorũ Præfectorum numerum illum adſcripſerat; qui mare mediterraneum infeſtaret, & vbi poſſet exſcenſione facta omnia q̃ ad Chriſtianos, præcipue ad Cæſarem pertinerent, vel occuparet, vel vaſtaret. Et quidem Cæſar, Andream Auriam illi in mari oppoſuit: Veneti, cum quinquaginta triremibus Adriaticum cuſtodiêre; Ferdinandus autem in eo totus erat, vt in Pannoniam venienti haud impari conatu obſiſteret. Quãobrem vndiq; copias cogebat, pecuniam parabat, Pontificem Max. & alios Principes, vt communi Chriſtianæ Reipublicæ periculo communibus viribus obuiam irent orabat: proinde etiã Oratorẽ ad illos in Italiam miſerat, qui ab iis poſtularet, vt ſacrum bellum à ſummo Pontifice aduerſus Turcas pro

Republica Christiana decretum, in eorum ditionibus promulgari sinerent, quod quidem in præcipuis Italiæ vrbibus supplicationibus habitis, maximo populorum concursu effectum est; cum Pontificis mandato viri religiosi cunctos concionabundi vehementissimis orationibus ad stipem conferendam impellerent. Senatus Venetus motuens, ne si intra suos fines sacrum indiceretur bellum, Solymannus in Rempublicam incitaretur, atque ea pax labefactari posset, quam eo tempore maximopere rebus suis conducere arbitrabatur, cum Pontifice egit, vt Reipub. statum ante oculos sibi proponeret, neue potentissimum hostem sacro edicto aduersus illam lacesseret, eximium suum in religionem studium satis perspectum, quo maiores incensi ingentibus se periculis pro illa tuenda, atq; augenda obiecissent. His permotus Clemens, à bello in Venetis ditionibus aduersus infideles indicendo abstinuit. Quamquam hoc anno, Solymanus, bellum in consequentem distulit, quod videret apparatus bellicos segnius expediri. *Nauclerus lib. 4.*

VI. *Carolus V. Florentinæ Reipub. formam declarauit.*

Hoc tempore Cæsariani duces, Nouiis in Pontificis gratiam, Senam, vt patria & bonis frueretur, Reipublicæ tamen forma non immutata, restitutis, ac trecentorum Hispanorum peditum præsidio illorum securitatis causa Melfiano duce vrbi impositio, exercitum in Taurinos ducturi a Senensium finibus amouerunt. Sed cum Dux personam sibi impositam parum tueri nouisset, res cito in eandem perturbationem redierunt: ita vt qui in patriam fuerant restituti, metu discesserint. Cæsar quoque Florentinæ Reipublicæ formam, ea autoritatis sibi concessa parte, quæ libertatem conseruari volebat dissimulata, declarauit. Nam Pontificis ad se missam formulam secutus, vt ciuitas iisdem Magistratibus ac legibus, quibus Mediceis imperantibus esse solebat, gubernaretur: publicæ administrationis caput esset Alexander Pontificis nepos, idemque gener suus; eoque deficiente filij ordine & posteri, aut ex eadem familia proximi succederent, expressit: Ciuitati vero omnia priuilegia, alias à se atque aliis Cæsaribus concessa restituit; sed ea lege, vt quoties cumque aliquid contra Medicæ familiæ amplitudinem molirentur, ea priuilegia amitterent. In hac autem constitutione huiusmodi verba, quæ ipsorum non modo potestate sibi à partibus concessa, verum etiam Cæsarea authoritate dignitateque niti ostenderent, passim inseruit. Quibus in rebus cum Pontifici satisfecisset, stat'm eum in re ipsi valde graui læsit. Nam Pontificis cum Ferrariensium Duce controuersia, in qua multi testes, & multa scripta vtrimque prolata fuerant, & longa causæ expositio facta à multis iurisperitis quibus id mandatum fuerat, audita atque discussa, ex illorum consilio & verbis Mutinam & Regium iure ad Ferrariensium Ducem spectare; & vt Pontifex mille auri pondo ab illo acceptis, censum ad veterem consuetudinem redigeret, eique Ferrariensis imperij iura publico monumento concederet, sanxit. Conatus deinde est Cæsar Pontifici ostendere, in eo quod contra ea quæ Bononiæ promiserat sententiam pronunciasset, ipsum non se, verum Vasionensem Episcopum internuncium suum accusare debere. cui quum se, ne contra ipsum pronunciare cogeretur, sententiam ferre nolle aperte dixisset; is tamen contrarium persuasus, & id solum, vt sententiæ, si ius à Pontifice esset, ferendæ promisso liberaretur fieri ratus, vt sententiam ferret ita instituisset, vt honoris sui causa id facere sit coactus. quæ excusatio probabilior fuisset, nisi sententia eodem modo quo Cæsar sæpius rem componere conatus erat, lata fuisset. Illud autem Pontificem multo magis læsit, quod Cæsarem in Mutinæ & Regij rebus seueri iudicis; in Ferrariæ vero controuersia, in qua strictum in ipsi aperte fauebat, amici pacificatoris munere functum esse animaduertebat. Quam ob causam, nec Cæsaris arbitrium ratum habere, nec pecuniam quam Dux ex Cæsaris arbitrio debebat', nec proximo Diui Petri die, censum veteri more publice oblatum accipere voluit. Nec tamen ideo Cæsar à Mutina, quam ad eam vsque diem depositi nomine obtinuerat Duci restituenda, altercationes deinde ipsis inter se dirimendas relinquens, abstinuit. Quo factum est vt per multos menses inter Pontificem & Ducem, neque apertum bellum, neque tuta pax fuerit. Pontifex enim totus in id incumbebat, vt aut eum ipse opprimeret; aut eius maiorum Principum ope aperte lædendi occasionem expectaret. *Guicciardin. lib. 20.*

VII. *Clemens VII. cum Ferrarien-sium Duce inimicitias gerit.*

Habebat Pontifex iustas indignationis causas in Ducem. Præter enim ea omnia quæ in ipsum & Sedem Apostolicam superioribus temporibus commiserat: etiam hoc anno, crimine grauissimo læsæ Pontificiæ Maiestatis se astrinxerat, ausus Imperatori scribere, se litteras Pontificis ad Reges Angliæ & Galliæ scriptas, interceptas habuisse, quibus ille Gallo & Anglo quæcumque postularent, se facturum, concessurumque promitteret, modo illi quacumque ratione impedirent, ne Concilium Generale indicere cogeretur. Quare insinuabat Cæsari, quasi Pontifex destinaret, in rem Gallis res nouas in Insubria & regno Neapolitano moliri; in gratiam vero Angli, Matrimonium cum Catharina amita dirimere. Non ignorauit eam impostu'am Pontifex: eamque vt par erat indigne ferens, tum per litteras, tum per Archiepiscopum Brundusinum internuncium apud Cæsarem egit, vt quos Dux vel haberet, vel misisset, huiusmodi nomine ad Gallum & Anglum litteras Pontificias, sibi repræsentaret; & si impostu'am, vt erat, à Duce excogitatam deprehenderet, ne in posterum fidem illi adhiberet; qui id vnum tantum agitaret, si quo modo necessitudinem & amicitiam se inter & suam Cæsaream Maiestatem dirimeret. Dat. Romæ 21. Septemb. 1531. *extat 3. tomo epistolarum ad Principes.*

VIII.

Quam vero falsus fuerit Alphonsus, demonstrabant Pontificis Breuia, ad Reges & Principes Christianos id temporis scripta; ex quibus æstate huius anni, Sigismundo Regi Poloniæ vnum allatum est, quo eum Pontifex, vt ad Generale Concilium propediem celebrandum suos destinaret legatos, ad religionis controuersias, quibus Germania plena erat, componendas hortabatur. *Cadanus lib. 7.*

Zuinglius Alberti Brādeburgicum Ducem Prussiæ ad se pertrahere conantur.

Siquidem sub idem tempus, præter Lutheranos, Sacramentarij etiam & Anabaptistæ, quos Lutherus cœlestes prophetas, Swermeros, & spiritus fanaticos appellare consuerit, passim sese fraudulenter ingerebant: idque secreto, & ita quidem, vt non Catholicis modo, sed & Lutheranis à tenebrionibus istis immineret. Et Sacramentarij quidem, vel Zwingliani Prussiæ Ducem Albertum Brandeburgicum (qui non ita pridem ab Ordine Theutonico, vnaque à sancta maiorum fide defecerat) astu quodam pertentarunt; qui datis ad Lutherum litteris, sententiam eius exquisiuit. Ille Principem hortatur, vt prudenter agat, sibique caueat ab id genus erroneis Spiritibus, quorum duces primi nominis Zwinglium & Oecolampadium nuper admodum sustulerit Deus, horrendo sane iudicio, quod reliquis istius farinæ Sacramentariis nõ iniuria terrorem incuteret, nisi reprobi prorsus essent & obstinati. *Iudicium Lutheri de Eucharistia.*

Certe dogma hoc de Christi præsentia in Altaris Sacramento, non ex humanis traditionibus vel institutis natum, extra Scripturas; sed in Euangelio solide, dilucide, purèque, per indubitata ipsius Christi verba fundatum, & ab exordio nascentis Ecclesiæ toto terrarum orbe in hanc horam vsq;, magna fidelium consensione creditum; quemadmodum non modo scripta Sanctorum Patrum, Græcorum non minus, quam eorum qui in Ecclesia Latina floruerunt, sed & quotidianus fidelium vsus, & continua praxis vsque in hanc horam abunde testificẽtur. Quod Ecclesiæ totius testimonium, si præterea nihil haberemus aliud, satis esse debeat, vt permaneamus in hoc dogmate, nec vllos fanaticos spiritus audiamus, vel toleremus: Cum periculosum sit & horrendum, audire quippiam vel credere, quod communi sententiæ, doctrinæ, fideique Ecclesiæ vniuersalis aduersetur, quodque ab initio per annos mille quingentos, & amplius toto terrarum orbe seruatum sit & creditum. Si nouum esset dogma, quod vel ab exordio nascentis Ecclesiæ, aut toto terrarum orbe Christiani nominis tam vnanimiter creditum non fuerit, non tam abominandum videri, vel tanto cum periculo coniunctum, in dubium vocare rem hanc, vel disceptare, quid sit credendum. Iam vero quia ab exortu Christianismi per vniuersum mundum, quocumque se porrigunt Ecclesiæ fines, magna semper animorum consensione creditum sit, Christum in Eucharistia vere præsentem esse: si quis nunc de veritate huius articuli dubitet, hunc idem facere, ac si non credat Ecclesiam Catholicam; atque ita non modo damnet vniuersam Ecclesiam, velut hæreticam, sed & Christum ipsum cum omnibus Apostolis & Prophetis, qui hunc fidei articulum, Credo sanctam Ecclesiam Catholicam, fundarunt, & solidis testimoniis confirmarunt. Concludit tandem, malle se sustinere, vt non omnium modo fanaticorum spirituum, sed & omnium Imperatorum, Regum & Principum leges & iura contra se testimonium dicant, quam vt vnum iota vel a-

Nota.

Nota.

Nota.

Nota.

picem dogmatibus vniuersalis Ecclesiæ audire, vel videre cogatur. Neque enim iocum ferre articulos religionis, & fidei nostræ, quos ab initio, quam late patet orbis Christianus, omnes magno consensu tenuerunt. Hæc Lutherus in epistola ad Albertum Prussiæ Ducem, quæ extat tomo V. operum Lutheri Ienen. impressionis pagina 488.

IX.

Miraris credo, Lector, hominis mutabilitatem & inconstantiam, quod encomio tam insigni Catholicam omnium temporum Ecclesiam exornet; eam ipsam scilicet Ecclesiam, quam hucusque, ceu furibundus, totis viribus è fundamentis euertere conatus fuerat. Sed cogita, quod & furiosi quidam lucida subinde habeant interualla, quibus durantibus sapienter nonnumquam loquuntur, ac si penitus essent restituti: postea tamen ad insaniam redeunt. Idem Luthero nonnumquam accidere videtur, cum talia profert aut scribit, quæ consuetis ipsius sermonibus aduersantur. Est hoc quasi lucidum interuallum hominis furibundi, qui postea quam furor rediit, longe aliter loquitur, ac vociferatur. Certe fundamentum illud, quod in hoc ponit Lutherus, firmum est ac solidum, ad euertendas omnes hæreses: sed Catholicum tamen: sine quo seipsum Lutherus, causamq; suam contra Sacramẽtarios ato; Anabaptistas tueri non potuit. Quamquam si Catholici hoc eodem armorum genere muniti in arenam descendant, incredibile dictu est, quibus assiciantur contumeliis, quo risu, quibus sannis per Lutherum exsibilentur. Interim si seriò hic agit, dum admirabilem illum & perpetuum orbis Christiani consensum solidi argumenti loco adhibet, dubitari non potest: quin hac assertione magnam dogmatum sorum partem anathemati subiiciat, & plane condemnet; vt non iniuria Lutherum inter eos censeamus, quos Paulus Apostolus *ἀυτοκαταχρίτους* vocat, homines suo ipsorum iudicio condemnatos. *Vlembergius in Lutherō.*

X. *V. Cantones Catholici Sacramentariis bellum indicunt.*

Quod vero Zwinglium & Oecolampadium nuper admodum sublatos à Deo, in exemplum memorat, istud porro hoc anno factum est. Apud Heluetios, multis iniuriis tribulationibusque vexabantur Catholici, maxime à Bernensibus & Tigurinis Sacramentariis, qui cæteris erant potentiores opibusque & armis magis instructi. Vnde factum est, vt Quinque Cantones Catholici, nempe Lucernenses, Vrienses, Suitenses, Subsyliani atque Zugenses communi decreto bellum Tigurinis indixerint; causas belli recensentes ad longum, in litteris denunciatoriis. *Quoniam*, inquiunt, *longo tempore nos omnes ac singuli, satis superque nos obtulimus nos ad standum iuri & æquitati: vos autem contra iura ac fœdera, contra pacem publicam, contra Christianam disciplinam & concordiam, contra confœderatorum fidem charitatemque & amicitiam, atque etiam contra omne ius naturale, & contra omnem æquitatem, subditos nostros nobis subtrahitis ac rebelles facitis, vt facti iam sint erga nos perfidi atque periuri, nostram recusantes iurisdictionem in Capitaneatu S. Galli, & in præfectura vallis Rhenanæ, aliisque in locis non paucis: quos defendistis, & nos ipsos multis dolis versutiisque inter nos discordes reddere paratis, vt eo periculo nos ab antiqua & indubitata fide nostra Catholica depellatis. & dictis, nos nolle audire verbum Dei, neque finere nouum ac vetus Testamentum legi; atque propterea criminati nos estis, tanquam impios & malignos proditores, ac proditorios nebulones. Cum igitur nouæ ac fictæ fidei vestræ non adhæreamus, denegatis nobis victualia, publicumque mercatum, vt compellatis nos hac ratione ad famem, ad perdendum non solum nos, verum etiam infantulos innocentes, qui adhuc in materno gestantur vtero: Nobis autem omne ius denegetur, neque quisquam ad iustitiam consequendam nobis opem vllam ferat, nosque longo tempore eiusmodi angustiam, vim, superbiamque & iniquitatem tulerimus, nec vllus fit inuiarum finis: Cogimur itaque hæc omnia Deo, sanctæque Genitrici præclaræ, ac vniuersæ Curiæ cœlesti, cunctisque probis hominibus, quibus ius & æquitas placent, conqueri. Et volumus, si Deus nobis gratiam virtutemque ac fortitudinem concesserit, ista potenter manu ac facto de vobis vindicare. Id quod vobis omnibusq; adiutoribus & adhærentibus vestris clare hisce litteris denunciamus, nostrumq; honorem per hoc erga vos pro nobis ac nostris adiutoribus assertum esse volumus. In fidem ac testimonium harum litterarum, appendimus sigillum fidelium nostrorum confœderatorum Zugensium, omnium nostrum nomine. Datum feria 4. die 4. Octobris Anno à natiuitate Christi 1531.*

XI.

Ea denunciatione facta, ad pugnam sese ex vtraque parte parauerunt. Die itaque vndecima Octobris, Tiguri-

ni, præmisso eorum Capitaneo cum cohorte vna, ac sex bombardis rotatis, ipsi cum optimo milite ac viginti bombardis grandibus subsequuto, transcenso Albi monte, prope Monasterium quod Capella dicitur, tres Cantones Catholicorum, nempe Suitenses, Zugenses, & Subsyluanos aggressi sunt. Catholici autem positis insidiis, statim post congressum retrocesserunt, fugam simulantes. Mox deinde cum valido agmine prorumpentes, Tigurinos in fugam verterunt. Cæsi sunt igitur omnes, quotquot magnum præcesserant vexillum, & creptæ sunt eis omnes bombardæ & munitiones. numerus cæsorum fuit M. D. Repertus est in ea strage Zuinglius Sacramentarius, omnis perfidiæ atque discordiæ inter Heluetios autor, à duobus Catholicis, pronus in facie adhuc spirans, quem illi non cognoscentes interrogarunt, an vellet confiteri. At ille tacuit velut si mortuus esset. Superueniens autem alius qui eum cognouit, lethale vulnus ei inflixit, Capitancique protinus indicauit. qui iusserunt eum sisti publico iudicio, in quo sane damnatus est vt proditor, & flammis exustus vt hæresiarcha. Cæsi sunt autem & alij apostatæ insignes, nempe Abbas & Prior Capellæ, Commendator Risnacensis, Antonius Valdner, Cantor & Canonicus Turicensis, Henricus Vtinger Custos & Canonicus ibidem; & ex ciuibus fortissimi quique. Capti præterea duo insignes viri, præfectus quidam & Subscriba Turicensis. Ferunt Tigurinos quosdam Zwinglij cineres domum asportasse. Quidni enim? Qui Diuorum omnium cineres nullo dignati fuerant honore, digni erant, qui damnati hæretici apud se cineres asseruarent. At sanioris mentis homines, aliter de impio sentiebant; istud solenne Sacramentariis improperantes: Si Doctor fuit veritatis, cur non quasi alter Moyses, suis sectatoribus, solis precibus à Deo victoriam impetrauit? Oecolampadius vero apostata, ita consternatus fuit à morte Zwinglij Symmistæ, vt paulo post à fœmina quam incestis polluerat nuptiis, in lecto extinctus repertus fuit. Vsque adeo enim frigidum est hoc genus apostatarum, vt periculum eis videatur, ne præ frigore moriantur, nisi perpetuo lepidam aliquam puellam fibi per summum scelus adiunctam habeant, cuius fulfureis amplexibus illo incalescunt igne, quem non Dominus Iesus amator integritatis & virginitatis filius, sed tartareus Sathan misit in terras. Sane Basileenses ministri, in epistola de morte Oecolampadij, scribunt eum à dæmone interfectum; quibus subscribit Erasmus Alberus, qui à malo numine strangulatum; ad ollas vulcanias, seu inferas sedes descendisse affirmat. Tigurini porro illa accepta clade; intra paucos dies rursus maiores instruunt copias, accitisque Bernatibus, ad triginta millia hominum producunt in aciem. Occurrunt illis Catholici, quorum tota cohors octodecim millibus constitit. Iterum concursum est infestis signis; Zvvingliani cæduntur à Catholicis; fit turpis fuga Zvvinglianorum, flumen quingentos absorbet, in conflictu septingenti prosternuntur. Id prælium commissum est Octobris die XVII. Pessime habuit caros Tigurinos & Bernates, quod plurimi à paucis in fugam turpiter acti & superati essent. Eam ob rem in auxilium sibi adscisunt Basileenses, & Schaffusianos, & Sangallios, & Mullusianos, eo consilio, vt noctu Catholicos inuaderent. Non latuit Quinquepagicos quid illi machinarentur, iubentque suos interralas lineas armis superinducere, vt eo symbolo noctu possint alij ab aliis internosci. Vbi ad pugnam ventum est, atrox fit prælium, iamque Catholici non paucis amissis cœperant debilitari. Sed Deus qui numquam piis deesse solet, laborantibus opem tulit, adeo vt hostes fugam arripere cogerentur, sex millibus ex suis desideratis. Fuit hoc die 24. Octobris. Neque tamen quieuit ira hostium. Vltima enim die Octobris, in vigilia omnium Sanctorum, congressi sunt Turicenses contra Quinque Cantones Catholicos: Sed nihilo felicius quam prius. Nam Catholici secunda noctis hora, sex millibus inuaserunt illorum castra, cæsisque quinque millibus hostium, reliquos qui non aufugerant, ceperunt. fuerunt autem in iisce castris VIII. M. Cæterum apud Heluetios admodum religiosum ac venerabile, miraculisque clarum est templum, Deiparæ Virgini Mariæ sacrum, quod Eremus

Tigurini Sacramẽtarij ad bellum cõtra Catholicos profi-ciscuntur.

Zuinglius in bello cæditur.

Bellum Tigurinorũ contra Catholicos.

Zuingliani Eremum B.V. apud Heluetios inuadere conantes à Catholicis omnes cæduntur.

dicitur. Ad quod ſane publicam proceſſionem inſtituerunt Quinque Cantones Catholici, à ſenibus, pueriſque & mulieribus, virginibuſque ac omni turba imbelli peragendam. Id quod Turicenſes, Zuinglij peruerſa doctrina imbuti ægerrimè ferebant. Decreuerant itaque facta expeditione templum illud deuaſtare, atque imaginem Diuæ Virginis Mariæ minutatim diſcindere atque comburere. Quod vbi perceperunt Quinque Cantones, feſtinanter illuc profecti ſunt, atq; indutis rurſus ſuper arma albis induſiis, in montis planitie durius exceperunt hæreticos, interfectis plus minus quinque millibus, captiſque vexillis quatuor, quorum vnum Turicenſium, alterum Baſileēſium, tertium Schaffuſenſium, quartum fuit Mulhuſenſium. Erant quidem hæretici viribus, opibus auxiliiſque, & numero militum atque armorum & bombardarum apparatu longe potentiores Catholicis. At Catholicę fide, pietate, religione, bonaque conſcientia, atque recta in Deum & Sanctos eius fiducia egregie armati, feliciter ſemper vicerunt. Toto enim expeditionis tempore, obſeruarunt religioſe priſtinam ſuam deuotionem, ſecumque habuerunt ſuos Sacerdotes vt eis peccata ſua confiterentur, vtque intereſſent eorum ſacrificiis; in quotidianis Miſſis, ſeriò ac religioſe, flexis genibus ad Deum orantes. Conſtituerunt præterea 18. viduas in territorio Suitenſium, quæ alternatis vicibus Senæ iugiter in templo Beatæ Virginis Heremitico, pro Catholico exercitu Deo ſupplicabant die noctuq;. Merito igitur vicerunt hos qui ſuperis contemptis confidebant in hominibus, ac ponebant carnem brachium ſuum. Vnde non iniuria comparari poſſunt Quinque Cantones illi inclytis Machabæis, qui dicebant: Facile eſt concludi multos in manu paucorum: & non eſt differentia in conſpectu Dei, liberare in multis & in paucis: quoniam non in multitudine exercitus victoria belli, ſed de cœlo fortitudo eſt. Hæretici igitur toties victi atque profligati, petierunt tandem ac inierunt, intercedentibus multarum Imperialium ciuitatum Oratoribus, concordiam cum Quinque Cantonibus Catholicis: Turicenſes quidem die 16. Nouembris, Bernenſes vero 24. eiuſdem menſis: in cuius concordiæ articulo primo, leguntur hæc verba, quæ per arbitros fuēre concepta. Primum igitur debemus ac volumus nos Turicenſes noſtros fideles confœderatos de Quinque Cantonibus, ſimiliter & dilectos eorum conciues ac prouinciales de Vuallis, atque omnes eorum adhæſores, ſiue Eccleſiaſtici ſint, ſiue ſeculares, circa veram, indubitatam, Catholicam fidem ſuam, nunc & deinceps in ſuis propriis ciuitatibus, territoriis, præfecturis, & dominiis, abſque redargutione, ac diſputatione, quietos dimittere; cunctis malis adinuentionibus, exceptionibus, circumuentionibus, doliſque vitatis ac remotis. De qua eorum in fide Catholica conſtantia, merito illis congratulantur omnes per orbem terrarum Catholici, quod non dubitarunt pro eadem fide Catholica viriliter aſſerenda, ſua corpora, vxores, liberos, patriam, fortunas in vltimum diſcrimen exponere. Vnde & Deus pro ea pietate glorioſos eis retribuit de hæreticis triumphos, vt cogerentur ipſimet fateri, antiquam Quinque Cantonum fidem eſſe veram atque indubitatam. Merentur & hinc laudem Quinquepagici, quam nulla poſteritas reticere debet, quod eorum ſtrenua opera ſublati ſint de medio, duo acerrimi, deterrimique hoſtes Eccleſiæ Zvvinglius & Oecolampadius: quod fecit ex animo Thomas Morus martyr, qui Ioanni Cochlæo ex Anglia ſcribens teſtatur; Zvvinglij & Oecolampadij mortem, lætitiam illi attuliſſe. Quamquam, *inquiens*, enim dolendi cauſas reliquere nobis heu nimium graues, propter multa, quæ neq; ſine horrore eloqui poſſum, & nemini ſunt ignota, neq; audire homines pij ſine profundo gemitu debent; ſublatos tamen è medio eſſe tam immanes fidei Chriſtianæ hoſtes, tam accinctos ad Eccleſiæ excidium, tam intentos in omnem perimendæ pietatis occaſionem, iure gaudere poſſumus. Cochlæus in Luthero. Surius *in Comment. Tympius in theatro.*

XII. Præter Sacramentarios, arma in Catholicos expedientes, Anabaptiſtarum quoque factio paſſim gliſcebat; atque id quidem ſub falſæ pietatis ſpecie, ſecreto tamen, vt tenebrionum aſtus vigilantiam Magiſtratuum eluderet. Reptabant ſectæ Doctores per pagos, per oppida, per domos, ſeque honeſta quadam morum compoſitione in animos hominum inſinuabant, & venenato flatu ſimpliciores inficiebant.

Hoffmannistarum autor & secta.

Argentorati, pulſis nuper factioſis hominibus, nullas Anabaptiſtarum reliquias ſupereſſe, fama erat: ſed eam facile Melchior Hoffmannus pellio Sueuus vt vanam diluit, cum inde multis poſt ſe relictis diſcipulis, in inferiorem Germaniam vno vel altero comitatus emigraret. Hic Embdam, Orientalis Friſiæ ciuitatem non incelebrem profectus, publicè, Comite Ennone conniuente, Anabaptiſmum docere cœpit. Inerat Hoffmanno facundia, inerant comitas & pellax hypocriſis. His ille ignotis aſſuauiari, his inſidias tendere, his qualem expetas tas ſe fingere norat. Iuuit fraudem occaſio; quando vidit à Sacramentariis, ab eo tempore quo Carloſtadius à Luthero eiectus variis in locis virus ſparſerat, multa templa & monaſteria, Catholicis loco motis, ibidem occupari. Ergo & ipſe audet aliquid, & ad plebem verba factitat. Quid, *ait*, cunctamini, quæ vos mora retardat, quod oblato hoc viſitationis tempore adeo ſegnes, ac inertes diuino cultui præſentes adſiſtitis? Quæ cauſa moræ huius, vel potius inanis pigritiæ? An Prædicantium monita, conſcientia, aut horror deterrent? Non credo equidem. Doctores veſtri, vt videtis, mundanis inhiant; aurum & argentum piſcantur, animas veſtras priuatis poſtponunt commodis, nec quæ ſunt Chriſti, ſed ſua quærunt. Hic dicit Dominus; nihil mihi cum iſtis; elegi mihi populum ſecundū cor meum: quē ſi in viis meis ambularit, extollam ſuper omnem gentem, in & cum ipſo ero, nec ſemen meum in æternum ab eo auferam. Hic populus nos ſumus; ad hunc colligendum à Deo miſſus, huc veni: Itaque ſi timorati eſtis, ſi ſalutem quæritis, ſeceſſionem à mundo facite, relictiſque caducis ineptiis, cœtui noſtro vos aggregate. Si terrena hactenus quæſiiſtis, ſi bona & opes coagmentaſtis, nunc tandem quæ ſurſum ſunt ſapite: vtque tanto liberiorem vitam tranſigere liceat, bona huc comportate, & communia facite. Quod ſi renuitis, ſcitote certo breuem vobis futurā in mundo lætitiam. Neque enim pater diu ſupereſſe permittet, quos electis ſuis reſiſtere cognouerit. Mundani eſtis, & myſteriorum Dei incapaces: regenerari vobis expedit, à malo vt bonum diſcernatis, & fidem edocti, ceu filij Dei, amici & hæredes promiſſione facta potiri queatis &c. Hæc dum ille concionaretur, diſcipuli eius Magiſtri ſanctitatem apud ignaros fingebant, mentes vbique pertentabant, & ſi quem nouitatis ſtudioſum adſciſcere ſibi potuiſſent, vnice aduigilabant. Hæreſis viſco ſimilis incautos illicit, nec ante quam firmiter ſui amantes irretierit, blandiri deſinit. Hoffmannus minando promittendoque vindictam & præmia: Hoffmanniſtæ non diſpari dolo plurimos nanciſcebantur, qui ſimul & manus dabant, & dogma diſſeminabant. Horū numerus intra menſes aliquot adeo creuit, vt tercentum perſonas in ſectæ matriculam Hoffmannus retulerit. His cinctus per Friſiam diuagans, liberius in Lutheranos & Sacramentarios intonabat: & vt erat homo vehemens & populari facundiâ celebris, non voce ſolum, ſed & ſcriptis rem agebat. Commentarios etiam in Apocalypſin edidit, in quib. mira & inaudita ſomnia pandit, omnia ad ſpiritualitates, ad viſiones & terrores, quos ſibi reuelatos gloriabatur, inuertens. Et ne vulgo deeſſet materia, Figuras & Emblemata, quibus ſeſe oblectaret, proponebat, Moſayci tabernaculi, aut incarnationis myſteriis inſignia. His vnice intento, dum forte per Friſiam curſitaret, ſenex quidam (veterator ille ab initio, Sathan proculdubio) prophetæ Heliæ ſpecie & habitu apparuit, qui lōgiuſcule cum illo ſermocinatus, multa de futuro poſt hæc orbis ſtatu patefecit. Eundem hiſce verbis allocutum ſe retulit. Melchior fili dilecte, ab æterno Deo, qui cœlum terramque creauit, ad te miſſus, & præcipere ſibi iuſſus ſum, vt actutum hinc Argentoratum, ad nouam quam mihi præ cæteris elegi Hieroſolymam, proficiſcaris, ibique Dei verbum docere inſtituas, & populum rebaptizes. Coniicient te quidem ibi aduerſarij in carcerem; nihil tamen mali inferent: ſed tu tranſacto, dimidij anni curſu, inde centum & quadraginta quatuor millium diſcipulorum & veritatis teſtiū comitatu triumphaturus prodibis, & maximis clareſcens miraculis, deperditas oues Chriſti ad ouile reuocabis, quarum te ductorem cœleſtis pater deſignauit. Credidit Melchior ſeni, ſed verius dœmoni, & iſtinc Argentoratum iturus, ſuceſſorem ſibi hoc loco delegit, nomine Ioannem Tripenmacher. *Meſſhouius lib. 5.*

XIII. *Lutherus contra Anabaptiſtas in Thuringiam irrumpentes ſtylum acuit.*

Lutherus porro cum Anabaptiſtas in Thuringia quoque ſerpere intellexit (quid actum de Hoffmanno, ſequenti anno dicemus) ſtrophis iſtis occurrendum ratus, ad Satrapam Wartbergenſem litteras dedit; quas operæ pretium duxit, typis continuo diuulgari, nimirum, vt aliis etiam Magiſtratibus in hoc genere ſubſeruirent. *Principio, facile dicit hoc genus clancularios ſeductores ex eo deprehendi, ſi de vocatione ſua interrogentur, quis nimirum dederit in mandatu, vt ſerperent, aut venirent in hunc modum, & in latibulis docerent? Hic eos non habere quod reſpondeant, nec mandatum proferre poſſe. Si nihil aliud eſſet, ait, quam hoc vnum, quod ſcilicet ſine maudato ſubrepant, cum vocati non ſint: vel ex eo ſatis aperte deprehendi, eos Apoſtolos & Doctores eſſe per Diabolum ſubmiſſos: etiamſi præter hoc vnum nihil in ipſis eſſet reprehenſione dignum; imo tametſi prorſus eſſent ſancti. Atque hoc loco vigilandum, ait, in vtroque ordine, Eccleſiaſtico nimirum & ſeculari: populum per eos, qui Eccleſias moderantur, diligenter informandum, vt caueat clancularios iſtos & tenebriones, nec alio quam Sathanæ Apoſtolorum loco eos habeat. Igitur ſi quis ſe prodat ex huius farinæ Doctoribus, eum examinari vult in hunc fere modum. Vnde venis? A quo miſſus es? Quis te mihi Doctorem, vel Concionatorem conſtituit? Si miſſus es ab hominibus, vbi litteræ ſunt, vbi ſigilla quæ id teſtentur? Si vero te miſit Deus, vbi ſunt miracula? Cur non accedis Paſtorem meum? Cur clam adrepis ad me, & in angulum te abdis? Cur non prodis in publicum? ſi filius lucis es, cur fugis lucem?* Politicos quoque Gubernatores inſtruit, vt cogitent, Clancularios iſtos Apoſtolos eſſe diaboli, qui cum non modo mendax, ſed & homicida dicatur in Scripturis, fieri non poſſe, quin per hos emiſſarios ſeditionem machinetur, & ſanguinis effuſionem. Igitur vrgendum, vt vocationem ſuam probent; quod cum non poſſunt, ſimpliciter eiiciendos; cum ex illorum numero ſint, de quibus Dominus per Hieremiam c.23. Non mittebam prophetas, & ipſi currebant; non loquebar ad eos, & ipſi prophetabant.

XIV. Ad ſe quod ſpectet, frequenter hoc dixiſſe, nec etiamnum ſe diffiteri, quod Academicum Doctoratus titulum pluris æſtimet, quam diuitias totius mundi. Prorſus enim animum ſibi deſpondendum, imo deſperandum fuiſſe tandem in hoc tam arduo ac difficili religionis negotio, quod humeris ſuſtineat, ſi hoc ipſum ſine vocatione & mandato ſuſcepiſſet. Nunc autem à Deo, & hominibus habere ſe teſtimonium dicit, quod officium Doctoratus (in quo vocationis ſuæ fundamentum ponit) publicè docendo cœperit exequi, & in hoc vſque tempus continuarit. Concludit tandem; Si quis clancularios iſtos non legitime vocatos docere patiatur: vel audiat, nihil dubitandum, quin is Sathanam ipſum audiat, eodem modo loquentem, quo per homines corporaliter obſeſſos loqui ſolet. *Vlembergius ex Lutheri epiſt. tom. 5. Ien. pag.* 491.

XV. *Ioannes Laſcus Archiepiſcopus Gneſnenſis in Polonia mortuus.*

Hoc anno, vere adulto, in regno Poloniæ deceſſit Ioannes Laſcus Archiepiſcopus Gneſnenſis, vir conſilij magni, eloquentiæ ſingularis; qui cum primum Præpoſitus Scarbimirienſis, ac in Cancellariæ munere probe exercitatus fuiſſet, ad ſummam Cancellarij dignitatem aſcendit, tandem Archiepiſcopam Gneſnenſem fructum virtutis ac laboris ſui vberrimum conſecutus, Concilio Lateranenſi Romæ interfuit, ac legationis perpetuæ honorem à Pontifice Leone Decimo, ſuis in Archiepiſcopatu Gneſnenſi ſucceſſoribus obtinuit; eaque dignitate & autoritate functus, ne hæretici in regno Poloniæ per id temporis nidificarent, ſummis conatibus & laboribus effecit. Huic Matthias Dreuitius Epiſcopus Vvladiſlauienſis ſuffectus: Vvladiſlauienſem vero Epiſcopam Ioannes Karnkouius Præmiſlienſis, Præmiſlienſem Ioannes Choinius Regius Secretarius adeptus eſt; quas electiones arbitrio Regis factas Clemens Pontifex approbauit. Pietatis & religionis Laſcij Archiepiſcopi, extat in regno Poloniæ perpetuum monumentum; quod is ampliliſſima quæ poſſidebat patrimonij bona, non propinquis, neque affinibus, ſed Eccleſiæ reliquit, erecto Sacerdotum Collegio in nobiliſſimo & opulentiſſimo ſuo Laſcano, Siradienſis territroij oppido: cuius quidem templi Laſcani Præpoſitus, paulo minor Antiſtitibus eſſet, cultu tamen & habitu Epiſcopis, dum ſacris operatur, æquali. Huius exemplum, hoc anno ſeculari M. DC. XXV. ab limine Apoſtolorum, Romam veniens, ſecutus eſt, Andreas Lipski à Lipe, de ſtemmate Grabie, in aula ſereniſſima Sigiſmundi III. Poloniæ & Sueciæ Regis, publicis ſcriptionibus, ac priuatis lucubrationibus quas contra hæreticos & pſeudopoliticos pro fide Orthodoxa, & pro dignitate libertateque Eccleſiaſtica in lucem edidit, inter huius æui lumina clariſſimus, fortunæ ſæpius aduerſantis triumphator magnanimus, iuris dicendi ſcientia, ac rerum gerendarum vſu præſtantiſſimus, primum ad Imperij Comitia in rebus ad Rempublicam Chriſtianam ſpectantibus Ratiſponam Legatus; deinde propter res præclare geſtas, Epiſcopus Luceorien, ac Sereniſſimo Principi Vladiſlao Regis F. ad expeditionem Moſcouiticam, ſanciendaque poſtmodum cum Moſcis fœdera S. C. publico decreto Comes, Commiſſariuſque adiunctus; ac inde præter omnium & ſuam expectationem ad Procancellarij, mox ad ſupremi Cancellariatus dignitatem, difficillimo belli Turcici tempore aſſumptus, & inde ad Epiſcopatum Vvladiſlauienſem tranſlatus, eximius virtutum cultor & fautor, veri & iuſti conſtantiſſimus Sacerdos, publicæ ſalutis & tranquillitatis Curator, Eccleſiaſticæ immunitatis acerrimus vindex. Is enim quoque propagandæ fidei & pietatis ſtudio, in bonis ſuis immobilibus, labore & ſudore proprio partis, Chodecij magnificentiſſimum templum extruxit; in eoque Collegium XII. Sacerdotum, quibus Præpoſitus Laſcano æqualis præeſſet inſtituit; atque in hos, & reliquos templi miniſtros, & cum his in XII. alumnos, qui in Gymnaſiis publicis, ſex in regno, alij apud exteros literis operam darent, locupletiſſimum cenſum perpetuis temporibus reliquit; probante Vrbano VIII. Pont. Max. literis Apoſtolicis, religioſam hominis libertatem: non minus quam ſuſpiciente eiuſdem viri deſpicientiam ſui ſingularem, quando ad pedes Pontificios prouolutus, inſignia dignitatis infulam & pedum deponebat, cellamque aliquam ſecretiorem diuinis meditationibus, vitæque priuatæ aptam tam demiſſe, tam conſtanter ambiebat: quam liberaliter & effusè Chodecium ſuum Eccleſiæ conſecrabat. Eam profuſionem quidem, ſummus Pontifex plurimis laudauit: cæterum preces, quibus priuatam vitam curis publicis ſibi anteponere liceret, poſtulabat, non exaudiuit; quin imo multis ad tuendum decus, hortatus eſt, atque Epiſcopum, non ex-Epiſcopū ad Eccleſiam reuerti imperauit: ſi gloriari licet, me ſuaſore, me impulſore, qui conſilia Clariſſimi Præſulis diſſipaui, adeoque ciuem Patriæ, Antiſtitem ſuo gregi, Senatorem Reipub. reſtitui promerui.

XVI. *Moldaui à Polonis cæduntur.*

Hoc ipſo anno 1531. Calendis Auguſti Cometes apparuit, index plurimarum cladium, quas Moldaui Turcarum emiſſarij, à Solymano in Polonos excitati, à Polonis acceperunt, Deo proculdubio & manifeſtò pro Chriſtianis aduerſus perfidos pugnante. Quo tempore apparuit, mille ducenti equites Poloni Neſtro fluuio ſuperato, qui in Pocucia ditionis Poloniæ prouincia præſidiarij erant, adorti, vno alteroque prælio commiſſo hoſtibus victis fugatiſque Pocuciā poſtliminio regno Poloniæ adiunxerunt. Eam victoriam conſecutus Ioannes Tarnouius exercitus Dux, haud procul à Guoſdecia arce cum ſex Moldauorum millibus ita conflixit, vt magna ſtrage patrata, Guoſdeciam exturbatis Moldauis recuperarit, ac Polonorū præſidio impoſito munierit. Inde paucos poſt dies retro abeunti Tarnouio nunciatum eſt, Petrum Moldauiæ Palatinum cum ingenti duum & viginti millium exercitu, multiſque tormentis celeriter aduentare, iamque Poloniæ fines ingreſſum haud longe caſtra metari. Tarnouius vero quatuor ſolum habebat millia equitum & peditum; quæ copiæ cum hoſtili exercitu comparatæ admodum exiguæ erant, plurimi vt inde iudicarent, hoſte non expectato, tormentiſque relictis illico Haliciam verſus abeundum, hoſtemque frementem eo modo ludificandum. At Tarnouius imperterriti animi vir, Abſit vero, *inquit*, vt tormenta Regia fidei meæ concredita vnquam deſeram; hic, hic gradum ſiſtere oportet, & cum Moldauo omnes etiam ſuas vires adducente prælium committendum, & aut vincendum, aut maſcule occumbendum. Eo Tarnouij reſponſo Poloni ad conflictum animati, caſtra perpetuo carrorum munimento vallare cœperunt, peditibus ſclopetarijs ante currus collocatis; equitibus grauis & leuis armaturæ

medius fuit datus locus. Tarnouio ordines obequitante, & animos è milites ad operam strenue nauandum confirmante, Moldauus ingenti belli apparatu, ac maioribus copijs appropinquat, castris ex aduerso Polonorum metatis & tormentis circiter quinquaginta longo ordine dispositis; de hoc solo anxius, ne Poloni copiarum eius magnitudine consternati, fuga elaberentur: ideoque copias omnes turmatim diuisas circa Polonica castra consistere iussit. Cæptum inde fulminari tormentorum horrendo fragore ac boatu, horisque aliquot in castra Polonica fuit detonatum; multo maiore Moldauorum strage quam Polonorum, qui peritiores habebant tormentarios magistros, destinatisque ictibus Moldauos feriebant: pedites quoque Sclopetarij extra curruum vallum dispositi innumeros interimebant. quorum clade territi Moldaui pugnandi ardore elanguescente retrocesserunt. Eo viso Tarnouius equites in hostem impetũ facere iussit; quos irruentes Moldani præsenti animo manuque excepere. Certatum est acriter vtrinque plurimis cadentibus, Tarnouio rẽ viriliter agente, qui, cum pugnatum per duas ferme horas ancipiti marte fuisset, vniuersas copias in hostes per alteram castrorum viam immisit, in quos tormenta non sine cæde detonuerunt. Moldaui violentum impetum Polonorum cum sustinere nõ possent, paulatim pedem retulerunt, tandemq; in præcipitem fugam acti sunt, quos insequentes Poloni cædẽ ingentem ediderunt. Palatinus in colle proximo exitũ expectabat, qui vbi suos fugere conspexit, & ipse fugã arripuit: ac nisi perniciſſimo equo vectus fuisset, in Polonorũ strenue psequentiũ manus incidisset. Castra hostiũ direpta, tormenta 48. omnia capta. cecidere eo prælio Mold. quatuor decẽ millia, capti supra 400. inter quos fuere Scrinij Magister, & familiæ præfectus. Hanc celebrem Poloni de Moldauis victoriam ad Obertinum reportarunt die Aug. XXIV. nocte, quæ præcessit conflictum, cometa clarius solito apparuit, & altera à victoria die disparuit; quæ res portento victoriã Polonorũ le Moldauis, & horum cladem insignem significante non caruit. Captiuos & tormenta Tarnou. ad Regem Cracouiam perduxit, eiusq; pugnæ hypotyposin eleganter depictam ad posteritatis memoriam in templo dicauit. Post pro re contra Moldauos auspicato gesta, in templo arcis Deo gratiis actis, ria præcipue vexilla militaria Palatini Moldauiæ & gentis Valachicæ ad D. Stanislai monumentum fuerunt defixa. Rex deinde Solymanum victoriæ recentis admonuit, ac vt clientes suos in officio contineret, insinuauit. Solymanus porro iniuriam dissimulauit, Petrumq; ad pacem à Rege petendam, cumque eo colendam hortatus est. *Cadanus l. 7.*

XVII. *Clemens VII. Basilium Moschorum Ducem vnioni Ecclesiæ adiungere conatur.*

Per idem temporis, cum res Moschorum cum Polonis quietæ essent, Pontifex Maximus Clemens tentare voluit, si quo modo Basilium eius gentis Principem, à Græco schismate, ad vnionem Catholicæ Ecclesiæ adduceret. Causam & occasionem præbuit Paulus Centurio ciuis Genuensis, qui ante aliquot annos acceptis à Leone Decimo Pontifice commendatitijs litteris, mercaturæ causa in Moscouiam iuisset, cum Basilij Principis familiaribus vltro de consociandis vtriusque Ecclesiæ ritibus agitauerat. Quærebat enim Paulus insano, vastoque animo, nouum & incredibile iter petendis ab India Orientali aromatibus. Fama namque cognouerat, cum in Ponto, Syria, Aegyptoque negotiaretur, aromata ex vlteriore India aduerso Indo amne subuehi posse, atque inde modico terrestri itinere superatis Paropanisidis montium iugis, traduci in Oxum Bactrianorum amnem; qui illidem fere montibus, quibus Indus oritur, aduerso fonte in Hyrcanum mare, raptis secum multis amnibus, ad Strauam portum effunditur. Porro ab ipsa Straua tutam facilemque nauigationem videri, vsque ad emporium Citracham, ostiumque Volgæ amnis: inde vero aduersis semper amnibus, Volga scilicet & Occha, & Mosco, in vrbem Moscham; ab Mosca autem terrestri itinere Rigam, & in ipsum mare Sarmaticum, omnesque Occiduas regiones facile peruenire posse contendebat. Vehementer enim & supra æquum, Lusitanorum iniurijs erat accensus, qui India magna ex parte armis domita, occupatisque omnibus emporiis; cuncta aromata coëmerent, & in Hispaniam auerterent, atque ea grauiore quam ante precio ac impotenti quæstu omnibus Europæ populis venditare consueuissent: quin & diligenti adeo cura Indici maris littora perpetuis classibus custodirent, vt eæ negotiationes penitus intermissæ atque desertæ viderentur, quibus per sinum Persicum, ac aduersum Euphratem, & per Arabici maris angustias, secundoque demum Nilo per mare inferum, Asia omnis atque Europa abundè, & viliore quidem pretio complebantur, deteriore etiam Lusitanorum mercimonio, quum remotissimæ nauigationis incommodo, sentinæq; vitio aromata corrumpi, eorumq; vis & sapor, odoratusque ille spiritus, multa demum mora in Olyssiponensibus conditorijs promercalib. euanescere atq; exspirare videretur: cum asseruatis semper recentioribus, vetera tantũ, & multo quidem situ mucida venundari quereretur. Cæterũ Paulus quanquam de ijs rebus acerbissimè apud omnes disserendo, & Lusitanis ingentem conflando inuidiam, multo auctiora fore vectigalia Regia, si id iter aperiretur, & aromata ab ipsis Moschouitis, qui tantam eorum vim omnib. ferculis absumerent, vilius emi posse perdoceret; nihil tamen quod ad eam negotiationem pertineret impetrare potuit. quoniam Basil. homini externo ac ignoto, eas regiones quæ ad Caspium mare & Persarum regna aditum præberent, minima aperienda esse existimabat. Itaq; Paulus exclusus omnibus votis, ex mercatore Legatus factus, Basilij litteras Leone iam vita functo, ad Adrianum Pontificem retulit, quibus ille cum multo verborum honore egregiam voluntatem erga Romanum Pontificem ostendebat. Paucis enim annis Basilius ardente cum Polonis bello, quum Lateranense Concilium haberetur, per Ioannem Daniæ Regem, Christierni qui regno expulsus est patrem postularat, vt iter tutum legatis Moschouiticis ad vrbem Romam præberetur. Verum quum eodem forte die, & Ioannes Rex, & Iulius Pontifex ab humanis excessissent, sublato ad id sequestro, consilium mittendæ legationis omisit. Exarserat subinde bellum inter ipsum & Sigismundum Poloniæ Regem; quod quum insigni ad Boristhenem parta victoria à Polono feliciter confectum esset, Romæ supplicationes erant decretæ, veluti deuictis cęsisq; Christiani nominis hostibus; quæ res & ipsum Ducem Basilium, & vniuersam eius gentem ab Rom. Pont. haud mediocriter alienauit. At cum hæc Adrianus sextus fato extinctus, Paulum iam secũdo itineri accinctum destituisset, Clemens, illum etiam multis annis iter Orientis in sano animo voluntantem, cum litteris in Moschouiam transmisit, quibus Basilium propensissimis adhortationibus inuitabat, ad agnoscendam Romanæ Ecclesiæ in omnes alias auth oritatem, fetendumque communibus in religione sensibus perpetuum fœdus, quod illi maxime salutare atque honorificum fore testabatur: ita vt Pontifex polliceri videretur, se ex sacrosancta potestate Pontificia eum Regem collatis Regalib. ornamentis appellaturum, si reiectis Græcorum dogmatib. ad vnitatẽ Romanæ Ecclesię se conferret. Cupiebat n. Basilius Regij nominis titulum concessione Pontificia promereri; quũ id dare sacrosancti iuris esse & Pontificiæ maiestatis iudicaret: quãdo & ipsos quoq; Cæsares à Pontificibus maximis diadema aureum & sceptrum, Romani imperij insignia, accipere inueterata consuetudine cognouisset. Igitur Paulus, qui feliciore aliquãto cursu, quam multo cum quæstu percurrere terrarum orbem ab ineunte ætate didicerat, quamq; senex, prospero celeriq; itinere, Romam, cum Demetrio Basilij Legato venit. At Pontifex magnificentissima Vaticanarum ædium parte, vbi laquearia aurata, lecti serici, aulæaq; eximij operis visebãtur, Demetrium suscipi, & togis sericis vestiri iussit: attribuitque ei comitem, ac rerum diuinarum pariter & vrbanarum monstratorem, Franciscum Choregatum, Episcopum Aprutinum, longissimis sæpe ac dignissimis legationib. functum. Obtulit deinde Pontifici à Basilio munera, & litteras quas ex ex Illyrico transtulit Nicolaus Siccensis, in hæc verba.

Clementi Papæ, Pastori ac Doctori Romanæ Ecclesiæ. Magnus Dominus Basilius Dei gratia Imperator, ac Dominator totius Russiæ, nec non magnus Dux Volodemariæ, Moschouiæ, Nouogrodiæ, Pleschouiæ, Smolentiæ, Ifferiæ, Digoriæ, Peremniæ, Vetchæ, Bulgariæ &c. Dominator & magnus Princeps Nouogrodiæ inferioris terræ, Cernigotiæ, Razaniæ, Volotchiæ, Rzeuiæ, Belchiæ, Rostouiæ, Iaroslauiæ, Belozeriæ, Vdoriæ, Obdoriæ, Condiniæque &c. Missis ad nos Paulum Centurionem, ciuem Genuensem, cum litteris, quibus nos adhortati estis, vt vobiscũ, cæteris q; Christianorũ Principib. cõsilio ac viribus cõuncti esse velle-mus, aduersus Christiani nominis hostes, ac nostris vestrisq; Legatis vltro citroque

citroque commeandi tutum ac expeditum iter pateret, vt mutuo amicitiæ officio, de amborum salute & statu verum cognosci posset. Nos autem, Deo bene atque feliciter adiuuante, sicuti hactenus, aduersus impios Christianæ religionis hostes, impigre constanterque stetimus, ita & in posterum stare decreuimus: itemque cum cæteris Christianis Principibus consentire, & pacata itinera præstare, parati sumus. Quas ob res mittimus ad vos Demetrium Erasmium, nostrum hominem, cum hac nostra epistola, Paulumque Centurionem remittimus. Demetrium autem celeriter remittetis, eumque incolumem & inuiolatum vsque ad fines nostros esse iubebitis. Idem nos quoque præstabimus, si cum Demetrio Legatum vestrum mittetis, vt sermone ac litteris certiores de rebus administrandis reddamur; sic vt perspectis Christianorum omnium voluntatibus, nos etiam optima consilia capere valeamus. Datum in Dominio nostro, in ciuitate nostra Moschouia, anno ab initio mundi septimo millesimo, tricesimo, tertio Aprilis.

Demetrius, vti erat humanarum rerum, & sacrarum præsertim litterarum valde peritus, litteris redditis, occultiora quoque de magnis negotiis mandata Pontifici explicauit. Cumque Pontificiis sacris, quæ in honorem Diuorum Cosmæ & Damiani, solenni apparatu, musicisque concentibus confecta sunt, necnon in Senatu Cardinalium interfuisset, quin & Sacrosancta vrbis templa, & Romanæ magnitudinis ruinas, priscorumque operum deploranda eaduera mirabundus aspexisset, dignis à Pontifice acceptis muneribus, homo sexagenarius in Moscouiam reuersus est, vna cum Episcopo Scarense, quem Pontifex Legatum ad Basilium mittebat.

XVIII. *Moschorũ regionum situs & descriptio.*

Moschouitarum nomen non omnino recens est: quandoquidem de Moschis Sarmatarum affinibus Lucanus meminerit, & Plinius Moschos ad Phasidis fontes supra Euxinũ eorum regionem constituat. Eorum regio latissimos habet fines, & ab aris Alexandri Magni circa Tanais fontes ad extrema terrarum, Borealemque Oceanum, sub ipsis fere Septentrionibus extenditur. Campestris magna ex parte, & pabuli quidem ferax; sed æstate pluribus in locis admodum palustris. Nam ea omnis terra magnis frequentibusque amnibus rigatur, qui vbi nimibus hybernis multo solis vapore colliquatis, & resoluta vbique glacie contumescunt, campi passim in paludes abeunt, cunctaque itinera continentibus aquis & cœnosa illuuie defædantur, donec nouæ hyemis beneficio restagnantia flumina, ipsæque paludes iterum cogantur, & vias solidissimo constratas gelu, vel transituris curribus præbeant. Quercina sylua quotam Moschouiæ partem occupat, ipsaque passim positis vbique ædificiis incolitur: iamque longo labore hominum rarior facta, non eam, sicuti pleriq; existimant, horridam densissimorum nemorum impenetrabiliumq; saltuum faciem ostendit. Cæterum ea immanibus feris plenissima, per Moschouiam perpetuo saltu inter ortum Solis & Boream, ad Scythicum Oceanum excurrere traditur: ita vt spes hominum eius finem curiose scrutantium infinita magnitudine sua semper eluserit. Ea in parte quæ vergit ad Prussiam, vri ingentes, & ferocissimi taurorum specie reperiuntur, quos Bisontes vocant, itemque Alces ceruina effigie, & cum carnea proboscide, altisque cruribus, & nullo suffraginum flexu, Losi à Moschouitis, à Germanis vero Helenes appellati, quæ animalia C. Cæsari nota fuisse videmus. Præterea vrsi inusitatæ magnitudinis, & prægrandes lupi, atro colore formidabiles. Ab ortu Moschouia finitimos habet Scythas, qui Tartari hodie vocantur, gentem vagam, & bello omnibus seculis illustrem. Tartaris pro domibus sunt carri, centonibus coriisque contecti; à quo vitæ genere Hamaxobios antiquitas eos appellauit: pro vrbibus vero ac oppidis immensa castra, non fossis aut materiæ claustris, sed infinita sagittariorum equitum multitudine vallata. Diuiduntur Tartari per Hordas: ea est eorum lingua, consentientis in vnum populi congregatio ad effigiem ciuitatis. Hordis singuli præsunt Imperatores, quos genus, aut bellica virtus dedit. Sæpe enim cum finitimis bella gerunt, ac ambitiose admodum & atrociter de imperio decertant. Hordarum infinitum prope numerum esse constat: quippe Tartari ad Cathaim vsque celeberrimum in extremo ad Orientem Oceano ciuitatem, latissimas solitudines tenent. Porro qui proximi sunt Moschouitis, mercaturæ cõmercio, & frequentibus eorum irruptionibus sunt noti. In Europa ad Dromõ Achilis Taurica in Chersoneso sunt Præcopitæ, quorum Principis filiam Selymus Turcarum Imperator vxorem habuerat. Si Polonis maxime sunt infesti, latequè inter Boristenem & Tanaim cuncta populantur: & cum Turcis sicuti religione, ita & cæteris in rebus mirifice consentiunt; qui in eadem Taurica Caffam Ligurum Coloniam obtinent, Theodosiam antiquitus nominatam. Ii vero Tartari, qui inter Tanaim & Volgam amnem in Asia latos campos inhabitant, Basilio Moschouitarum magno Duci parent, & Imperatorem aliquando eius iudicio deligunt. Inter eos Crinij, intestinis seditionibus laborantes, quum antea opibus & belli gloria maxime valuissent, paucis ante annis vires simul ac omnem dignitatem amiserunt. Trans Volgam, Casanij Moschouitarum amicitiam religiose colunt, ac eorum se clientes esse profitentur. Vltra Casanios ad Boream sunt Sciabani, multitudine armentorum ac hominum potentes. Post eos sunt Nogai, qui summam hodie opum, & bellicæ laudis obtinent autoritatem. Eorũ Horda quàm ampliſſima nullum habet Imperatorem, sed Reipublicæ Venetæ more multa seniorum prudentia, strenuorumque virtute gubernatur. Vltra Nogaios, haud magno ad meridiem deflexu, versus Hyrcanum mare, Zagathai Tartarorum nobilissimi, oppida lapide constructa incolunt, Regiamque habent Samarcandam vrbem, eximiæ magnitudinis & claritatis; quam Iaxartes, maximus Sogdianæ amnis interfluit, atque inde ad centum milliaria in mare Caspium effundit. Cum iis populis hac tempestate Hisrnael Sophus, Rex Persarum, dubio sæpe euentu bella gessit; timoreque eorum adductus, dum vires omnes imminentibus opponuntur, Selymo vna acie victori Armeniam, Tauriſumque regni caput prædæ reliquit. Sarmacanda vrbe ortus fuit Tamburlanes, siue vt Demetrius dicendum monebat, Temincuthlu, qui Baiazetem Ottomanum, Solymanni tritauum, apud Ancyram Galatiæ vrbem ingenti prælio superatum cæpit, & per omnem Asiam, à se terribili, maximi exercitus impetu deuictam, ferrea incluſum cauea, in triumphi pompa circumduxit. Ab hac regione ad Moschouitas plurima vestis serica adducitur. Cæterum mediterranei Tartari, nihil præter equorum pernicium greges, & nobiles nulla filorum textura, sed coactis ex lanis, candidos centones præbent; ex quibus Feltriæ vestes penulæ, ad perferendam omnem imbrium iniuriam idoneæ, atque pulcherrimæ conficiuntur. à Moschouitis autem laneas tunicas & argenteam monetam petunt; quum ab iis omnis corporis cultus, supellectilis apparatus contemnatur. Solo etenim centone ad irati cœli contumeliam fortiter sustinendam contenti sunt, & solis confisi sagittis hostem arcent: quamquam dum in Europam excurrẽdum esse decreuissent, Principes eorum ferreas galeas, & loricas, gladiosque falcatos, à Persis iam solcant coëmere. A meridie Moschouitarum fines iisdem ab Tartaris claudantur, qui supra Mœotim paludem in Asia, & circa fluuios Boristenem & Tanaim in parte Europæ, planicies tenent. Roxolani, Getæ & Bastarnæ, antiquitus eam plagam incoluere, vnde Russiæ nomen effluxisse crediderim. Nam Lithuaniæ partem Russiam appellant inferiorem; quum ipsa Moschouia, Russia alba appelletur. Lithuania itaque ab Cori venti flatibus Moschouiam spectat; ab occasu vero, mediterranea Prussiæ atque Liuoniæ, ipsis Moschouiæ finibus inseruntur, vbi mare Sarmaticum ab Cymbricæ Chersonesi angustiis irrumpens, lunato sinu ad Aquilonem inflectitur. In extremo vero eius Oceani littore, vbi Norwegia & Suetia ampliſſima regna, Isthmo veluti quodam continenti adhærent, Lapones existunt, gẽs supra quam credibile sit agrestis, suspiciosa, & ad omne externi hominis vestigium, nauigiique conspectum, maxime fugax. Ea neque fruges, neque poma, neque vllam omnino vel terræ, vel cœli benignitatem nouit, sola sagittandi peritia cibum parat, variisque ferarum tergoribus vestitur. Gentis cubilia, cauernulæ siccatis repletæ foliis, cauique arborum stipites, quos intromissa flamma, vel ipsa vetustas, inducta carie fabricarit. Aliqui ad mare, vbi ingens est captura piscium, ineptis, sed felicibus artificibus piscantur, duratoque fumo pisces tamquam suas fruges recondunt. Laponibus exigua corporum statura, luridi contusique vultus, pedes vero velocissimi. Ingenia eorum ne ipsi quidem proximi Moschouitæ nouerunt, quum eos parua manu aggredi, exitialis insaniæ esse dicant; magnis vero copiis inopem rerum omnium

Tartarorũ Regio & mores.

vitam ducentes lacessisse, neque vtile, neque omnino gloriosum vnquam existimarint. li candidissimas pelles, quas armelinas vocamus, cum varij generis mercimoniis permutant; sic tamen, vt omne mercatorum colloquium conspectumque defugiant, adeo, vt mutua rerum venalium collatione facta, & relictis medio in loco pellibus, cum absentibus & ignotis, syncerissima fide permutationes transigantur. Vltra Lapones in regione, inter Corum & Aquilonem, perpetua oppressa caligine, Pigmæos reperiri, aliqui eximiæ fidei testes retulerunt: qui postquam ad summum adoleuerint, nostratis pueri denûm annorum mensuram vix excedant: meticulosum genus hominum, & garritu sermonem exprimens, adeo vt tam simiæ propinqui, quam statura ac sensibus ab iustæ proceritatis homine remoti videantur. Ab Aquilone vero innumerabiles populi Moschouitarum imperio parent, qui ad Oceanum Scythicum, itinere fere trium mensium extenduntur. Proxima Moschouiæ regio est Colmogora frugibus abundans, qua interluit Dzwina, fluuiorum totius Septentrionis longe amplissimus, qui alteri fluuio minori in mare Baltheum erumpenti nomen dedit. Is statis & Niloticis similibus incrementis, nec incertis anni temporibus circumiectos inundat campos, pinguique alluuie, algentis cæli iniurijs, sæuisque Aquilonis flatibus resistit: quum niuibus imbribusque auctus inflatur, adeo lato alueo in Oceanum per incognitas gentes in speciem ingentis pelagi defertur, vt expedito nauigio vnius diei remigatione transiri nequeat. vbi vero aquæ mox resederunt, vastæ passim insulæ fertilitate nobiles relinquuntur. Frumentum namque terræ traditum, nullo aratri beneficio prouenit, admirabilique celeritate naturæ festinantis, ac nouam superbi amnis iniuriam timentis, oritur simul & adolescit, atque in aristas educitur. In Dzwinam influit Iuga amnis; in ipsoque confluentium angulo celebre est emporium nomine Vstiuga, à Moscha Regia vrbe sexcentis milliaribus distans. In Vstiugam à Permijs, Pecerris, Inugris, Vgulicis, Pinnagisque vlterioribus populis, pretiosæ pelles martarum, Zebellinorum, luporum ceruariorum, nigrarum albarumque vulpium comportantur, & ab ijs vario mercimonij genere permutantur. Zebellinos vero, leuium pilorum tenui canicie probatissimos, quibus nunc Principum vestis fulcitur, & delicata matronarum colla, expressa viuæ animantis effigie, conteguntur, Pernij & Pecerri præbent; sed quas ipsi ab remotioribus etiam gentibus, quæ ad Oceanum pertinent, per manus traditos accipiant. Pernij & Pecerri paulo ante hanc ætatem more gentilium idolis sacrificabant: nunc vero Deum Christum colunt. Ad Inugros, Vgolicosque, per asperos montes peruenitur, qui fortasse Hyperborei antiquitus fuerunt. In eorum iugis nobilissimi falcones capiuntur; ex quibus genus vnum est candidum, guttatis pennis, quod Herodium dicunt. Sunt & hierofalci, ardearum hostes, & sacri, & peregrini, quos antiquorum principum luxus in aucupijs non agnouit. Vltra eos, quos modo nominaui populos, Moschouitis Ducibus tributa pendentes, aliæ sunt nationes extremæ hominum, nulla certe Moschouitarum peregrinatione cognitæ; quando nemo ad Oceanum peruenerit; sed fama tantum, ac ipsis plerumque fabulosis mercatorum narrationibus auditæ. Satis tamen constat Dzwinam innumerabiles trahentem amnes, ingenti cursu ad Aquilonem deferri, marcque ibi esse longe vastissimum, ita vt illinc ad Cathayum legendo oram dextri littoris, nisi terra intersit, nautibus peruenire posse, certissima coniectura credendum sit. Pertinent autem Cathayni ad extremam Orientis plagam, ad Thraciæ ferme parallelum, Lusitanis in India cogniti, quum his temporibus ad coëmenda aromata per regionem Sinarum, Malacham vsque ad aureum Chersonesum nauigauerint, vestesque ex Zebellinis pellibus attulerint, quo vel vno argumento, non longe à Scythicis littoribus Cathayum vrbem abesse putemus. Cærum cũ à Demetrio quæreretur, An apud ipsos vlla de Gothis populis vel fama per manus à maioribus tradita, vel ex ipsis literarum monumentis memoria superesset, qui ante mille annos & Cæsareum Imperium, & vrbem Romam omnibus iniurijs deformatam euertissent: respondebat, & Gothicæ gentis, & Totilæ Regis nomen clarum esse atque illustre, in eamque expeditionem coiuisse plures populos, & ante alios Moschouitas; creuisseque eum exercitum ex colluuie Liuoniorum & circum Volganorum Tartarorum: sed propterea omnes Gotthos fuisse appellatos, quoniam Gotthi, qui insulam Islandiam siue Scandauiam incolerent, autores eius expeditionis fuissent. Iis maxime finibus Moschouitæ ex omni parte clauduntur, quos Modocas Ptolemæo fuisse credimus; hodie aut à Mosco amne haud dubie sic dicti, qui & Regiæ vrbi quam interfluit, suum quoque nomen indiderit.

Pigmæorũ origo & descriptio.

XIX. *Moschouv vrbis descriptio & situs.*

Ea vrbs omnium Moschouiæ longe est clarissima, cum situ ipso, qui regionis medius esse existimatur, tum insigni fluminum opportunitate, domorumque frequentia, & munitissimæ arcis celebritate. Oblongo enim ædificiorum tractu, secundum Mosci fluminis ripam ad spacium quinque milliariũ extenditur. Domus in vniuersum sunt ligneæ, distinctæ in triclinia, coquinas, & cubilia, capacitate amplæ, nec structuris enormes, aut nimium depressæ. Trabes enim ingentis magnitudinis supportantur quibus ad rubricæ lineam delibratis, & contrario ordine inter se ad rectos angulos coniunctis & confibulatis, exteriora domorum septa singulari firmitate, nec multa impensa, & summa celeritate constituuntur. Domus ferme omnes, & ad vsum olerum, & ad voluptatem priuatos habent hortos, vnde raræ vrbis circuitus longe maximus apparet. Singulæ regiones singula habent sacella; sed conspicuo in loco templum est Deiparæ Virgini dicatum, celebri structura, atque amplitudine, quod Aristoteles Bononiensis mirabilium rerum artifex, & machinator insignis circa annum Domini 1470. extruxit, adque huius fastigium Crucem auream, nouies nonaginta nouem centum millibus aureorum æstimatam Magnus Dux Moscouiæ affixit; quas ex censu in singulas familias vnius aurei impositio, ad hunc vsum confecit. Ad ipsum vrbis caput Neglina fluuiolus, qui frumentarias agit molas. Moschum amnem ingreditur peninsulamque efficit, in cuius extremitate arx ipsa cum turribus ac propugnaculis, admirabili pulchritudine, Italorum architectorum ingenio extructa est. In subiectis vrbi campis capreolorum & leporum incredibilis multitudo reperitur, quos nemini plagis & canibus sectari licet, nisi Princeps id ad voluptatem intimis familiaribus, vel peregrinis legatis indulserit. Tres ferme vrbis partes duobus alluuntur fluminibus; reliqua vero, latissima fossa, atque ea multa aqua ex ipsis amnibus corriuata præcingitur. Vrbs etiam ab aduerso latere alio flumine quod Iauca dicitur, munita est: id pariter in Moschum paulo infra vrbem euoluitur. Porro Moschus ad meridiem excurrens, in Occham amnem multo maiorem apud oppidum Columnam sese effundit; nec magno inde itineris spatio Occha ipse, & suis, & alienis vndis magnus & tumens, exoneratur in Volgam, vbi ad confluentes situm est oppidum Nouogrodia minor, de nomine maioris vrbis, ex qua deducta est ea colonia, nuncupatum. Oritur Volga, qui antiquitus Rha fuit, è magnis vastisque paludibus qui Candidi lacus appellantur. Sunt cæ inter Aquilonem & Corum supra Moschum, emittuntque cunctos ferme amnes, qui in diuersas regiones effunduntur, vti de Alpibus videmus, è quorum iugis ac fontibus Rhenum, Padum, Danubium, ac Rhodanum, innumerabilesque minores fluuios manare compertum est. Siquidem eæ paludes, pro montibus perenni scaturigine, humorem affatim præbent, quum nulli omnino montes in ea regione, multa etiam hominũ peregrinatione reperiantur: ita vt Ryphæos montes & Hyperboreos toties ab antiquis celebratos, plerique Cosmographiæ veteris studiosi penitus fabulosos esse arbitrentur. Ex ijs itaq; paludibus Dzwina, Occha, Moschus, Volga, Thanais, atque Boristhenes oriuntur. Volgam Tartari Edilum, Tanaim vero Don appellant; ipse Boristenes Neper hodie nuncupatur: qui paulo infra Tauricam in pontum Euxinum decurrit. Tanais autem à Mæoti palude, vbi Azoum est, nobile emporium, excipitur. Volga vero ad meridiem Moscham vrbem relinquens, vasto circuitu, ingentibusque mæandris primo ad Orientem, mox in Occasum, ac demum ad Austrum magna aquorum mole præcipitatus, in Hyrcanum mare deuoluitur. Supra eius ostium vrbs est Tartarorum, nomine Cytracham, vbi à Medis, Armeniisque & Persis mercatoribus

catoribus nundinæ celebrantur. In vlteriore Volgæ ripa Tartarorũ oppidum est Casanum, à quo Casaniorum Horda nomen ducit: distat à Volgæ ostio, Caspioque mari quingentis millibus passuum. Supra Casanum autem centesimo & quinquagesimo milliari ad ingressum amnis Surę, Basilius, Surcicum oppidũ condidit, vt in ea solitudine mercatoribus ac viatoribus, qui de rebus Tartaricis ac eius inquietæ gentis motibus proximos finium Præfectos certiores reddunt, certa & tuta mansio cũ tabernis hospitalib. statueretur. Moschouitarum Magnos Duces variis temporibus, vti ex vsu rerum præsentium fuit, vel libido, nouæ ac obscura loca nobilitandi longius pertraxit, apud diuersas vrbes imperii atq; aulæ sedẽ habuere. Siquidem Nouogardia, quæ Caurum & solem fere occidentẽ spectat, versus Liuonium mare, non multis ante annis totius Moschouiæ caput fuit, summamq; semper obtinuit dignitatẽ, propter incredibilem ædificiorum numerũ, latissimiq; & piscosi lacus opportunitatem, & vetustissimi ac venerabilis templi famam, quod ante quadringentos annos Constantinopolitanorum Cæsarum æmulatione, S. Sophiæ Dei filio Christo dicatum fuit. Nouogardia perpetua quasi hyeme & tenebris longissimarum noctium premitur. Nam polum Arcticum ab Orizonte 64. gradus eleuatum videt; sex fere gradibus ipsa Moscha ab Æquatore remotior, qua cœli ratione Solstitii tempore propter exiguas noctes continuis fere solis ardoribus æstuare perhibetur. Vrbs quoq; Volodimaria Regiæ nomen adepta est, quæ ad ortum Solis ducentis amplius milliaribus à Moscha distat; eoq; sedem Imperii à strenuis Magnis Ducibus necessaria ratione translatã ferunt, vt ex propinquo, quum tum bella continenter cum finitimis gererentur, paratiora præsidia aduersus Scytharum irruptiones opponerent. Est enim citra Volgam in ripis Clesmæ amnis sita, qui in Volgam euoluitur. Cæterum Moscha, vel ob eas, quas diximus dotes, Regiæ nomine dignissima iudicatur: quoniam medio quodã totius frequentioris regionis ac Imperii loco sapientissime constituta, munitaq; arce & fluminibus, consensu omnium, præcellentiæ meritam laudẽ, honoremq; nulla ætate defuturum sibi vendicasse cęterarum vrbium cõparatione videatur. Distat Moscha ab vrbe Nouogardia quingentis millibus passuũ, medioq; ferme itinere Ottoferia Volgæ amni imposita occurrit. Is amnis, vt fonti proximus, nõdum receptis tot amnibus, exiguus leniſq; permeat: inde per nemora & campestres solitudines Nouogrodiam peruenitur. Porro à Nouogrodia ad Rigam proximum Sarmatici littoris portum, paulominus quingentorũ milliarium iter est: isq; tractus superiore cõmodior putatur, quum frequẽtes habeat vicos, vrbẽ Pleschouiam viæ impositam, q̃ duo amnes cõplectũtur. A Riga ad Lubeccã Germaniæ portum, in sinu Cymbricæ Chersonesi milliaria paulo plus mille periculosæ nauigationis numerantur. Ab vrbe vero Roma Moscham duobus millibus & sexcentis milliaribus distare compertum est, breuissimo scilicet itinere euntibus per Rauennam, Taruisium, Carnicas alpes, Villacumq; Noricum, & Viennam Austriacam; atque inde superato Danubio, per Olomutium Moraworum vsq; ad Cracouiam Poloniæ Regiam, mille & centũ milliaria existunt. Ab ipsa vero Cracouia ad Vilnam Lithuaniæ caput, quingenta; & totidem ab ea vrbe ad Smolenschum vltra Boristhenẽ situm, & à Smolensco ad Moscham sexcenta computantur. Verum ad iter, quod est à Vilna per Smolenscum ad Moscham, hyeme per niues longo concretas gelu, lubricamque, sed multo attritu solidatam glaciem, expeditis in vehiculis, quæ trahas vocant, incredibili celeritate conficitur: æstate vero nisi difficili laborioſoque itinere campestraria superari nequeunt. Nam vbi niues perpetuis Solibus dissolui eliquariq; cœperint, in paludes cęnosas; voragines abeũt, viris pariter & equis inextricabiles, nisi ligneis pontibus infinito prope labore cõsternãtur.

XX. Terra Moschouia in vniuersum neque vitem, neque oleam, neque paulo suauioris pomi frugiferam arborem præter melopepones & cerasa producit; quum teneriora, quæque gelidissimis Boreæ flatibus exurantur. Campi autem tritici, siliginis, milii, panicique, & omnis generis legumi num segetes ferunt. Sed certissima messis in cera & melle cõsistit. Regio enim tota fœcundissimis apibus plena est, quæ non in manufactis agrestium aluearibus, sed in ipsis arborum cauis probatissima mella conficiunt. Hinc per syluas & opacissimos saltus, frequentia ac nobilia apum examina ramis arborum pendentia videre est, quæ nullo æris crepitu colligere necesse sit. Reperiuntur sæpe fauorum ingentes massæ arboribus conditæ, veteraque mella deferta ab apibus, quum singulas arbores vastis in nemoribus rari agrestes minime perscrutentur; ita vt in admirandæ crassitudinis arborum stipitibus permagnos mellis lacus aliquãdo reperiant. Retulit & cum multo omnium risu Demetrius Legatus, vt erat ingenio comi & faceto, proximis annis vicinæ suæ agricolam, quærendi mellis causa in prægrandem cauam arborem superne defiliſſe, eumque profundo mellis gurgite pectore tenus fuisse haustum, ac biduo vitam solo melle sustinuisse, quum vox opem implorantis in ea syluarum solitudine, ad viatorum aures penetrare nequiuisset. Ad extremum vero desperata salute, mirabili casu, ingentis vrsæ beneficio inde extractum euasisse, quum forte eius belluæ ad edenda mella more humano se demittentis, auersos renes manibus comprehendisset, & eam subito timore exterritam ad exiliendum, tum tractatu ipso, tum multo clamore concitasset. Nobile quoque lynum, & canabum in restes, multaque item boum tergora, & massas ceræ ingentes, Moschouitæ in omnem Europæ partem mittunt. Nulla auri argentiue, vel ignobilioris metalli, ferro excepto, apud eos vena, fecturaue reperitur: nullumque est totà regione, vel gemmarum, vel pretiosi lapilli vestigium, ea omnia ab externis populis petunt. Naturæ tamen iniuria, quæ tot bona prorsus inuiderit, vno pellium nobilissimarum mercimonio refarcitur, quarum precium incredibili hominum cupiditate & luxu adeo creuit, vt in singulas vestes suffulturæ, nillenis aureis nummis veneant. Fuit autem tempus, quo hæc vilius emebantur; quum remotissimæ Septentrionis nationes politioris cultus, & anhelantis aliorum luxuriæ prorsus ignaræ, summa simplicitate, eas vilibus ac ridiculis sæpe rebus permutarent: ita vt vulgo Permii, atque Pecerri, tantum pellium Zebellinarum pro ferrea securi rependerent, quantum earum simul connexarum ipso securis foramine, quo manubrium inducitur, Moschouitæ mercatores poterant extrahere. Ante quingentos annos Moschouitæ gentilium Deos coluere, Iouem scilicet, Martem & Saturnum, & plerosque alios, quos fibi insano errore hominibus ex industriis, aut Regibus antiquitas finxit. Tunc vero primum Christianis initiati sacris, quum Græci Antistites haud satis constantibus ingeniis à Latinorum Ecclesia dissentire cœperunt: factumque est, vt Moschouitæ eos religionis ritus, quos à Græcis Doctoribus accepissent, iisdem sensibus, & sincerissima quidem fide sequerentur. Spiritum enim sanctum, tertiam in diuinitate personam, à Patre Deo solum produci persuasum habent; quum rectissima veritate à patre simul filioque proficisci credendum sit. Sacramentum quoque non ex azymo, vti iure debemus, sed ex fermentato pane conficiunt: idque sub vtraque specie, sicut soli apud nos Sacerdotes, panis scilicet, diuinique sanguinis, ab eorum presbyteris vniuerso populo communicatur. Cæterum quod valde alienum à Christiana religione esse videmus, nullis Sacerdotum suffragiis, nullaque propinquorum aut amicorum pietate iuuari mortuorum animas arbitrantur; fabulosumque esse locum Purgatorii putant, ex quo tandem piorum animæ, cum diuturna ignis pœna, tum multis parentationibus, indulgentiaque summorum Pontificum expiatæ, immortalium felicitatem beata in cœli sede consequantur. Cæteris in rebus easdem fere ceremonias tenent, quæ à Græcis vsurpatæ sunt, Romanamque Ecclesiam cæterarum omnium Principatum obtinere, superbè & peruicaciter negant; sed ante alia, Iudæorum genus, vel memoria quidem horrent, nec eos intra fines admittunt, quasi pessimos & maleficos homines, qui etiam nouissime Turcas ænea tormenta conflare docuerint. Christi vitæ miraculorumque omnium historia ab Euangelistis quatuor conscripta, itemque Pauli epistolæ, dum sacra fiunt, è suggestu clariore voce recitantur, probatæq; vitæ Sacerdotes homelias Ecclesiæ Doctorũ publice legũt. Non enim Oratores cucullatos, qui aduocato populo concionari, & ambitiose nimis atq; subtilier de diuinis differere solitidiint, admittere fas putant: quoniam rudes

imperitorum animos simplici potius doctrina, quam altissimis arcanorum interpretationibus ad sanctiorem morum frugem euadere, viri solidæ religionis arbitrantur. Hos, quos modo diximus, sacros, itemque noui ac veteris testamenti enarratores, præterea Ambrosium, Augustinum, Hieronymum atque Gregorium, in linguam Illyricam traductos habent, religiosè que custodiunt. Antistites, Principesque minorum Sacerdotum singulis vrbibus pagisque præfecti sacra curant, controuersias dirimunt, & moribus deprauatos summa quadam vindicandi potestate persequuntur. Regem sacrorum quem ipsi Metropolitam vocant, à Constantinopolitano Patriarcha petunt: Archimandritæ autem & Episcopi, coniectis in vrnam meliorum nominibus, sorte ducuntur. Eorum vero hominum, qui humanis cupiditatibus vltrò renunciarunt, diuinarumque rerum contemplationi & sacrorum ministerio sese dedicarunt, duplex est genus. Vtrumque cœnobia incolit: sed alterum est vagum, & paulo solutioris vitæ; alterum constat ex sanctioribus Monachis, quorum Ordinem Diuus Basilius instituit: quibus ne limine quidem, vel in suprema vitæ necessitate, pedem efferre fas est. Procul enim ab oculis prophanorum singulari duritie vitam in occultioribus adytis degunt, summamque subactæ carnis & confirmati in religione animi opinionem præbent, Vniuersus populus quater in anno, & pluribus semper diebus ieiunare consuevit, abstinetque ab esu carnium, ouorum & lactis. In vere primum, more Latino, post diem Cinerum: mox adulta æstate, in honorem Diuorum Petri & Pauli; & initio autumni demum, cum Assumptæ in cœlum Mariæ Virginis memoriã celebramus; postremo sub ipsam hyemem, cum Aduentus Domini pronunciatur. Per hebdomadam vero, diem Mercurii sine carnibus; diem autem Veneris sine ouis lacteque traducunt: sed Saturni dies mensa omnibus obsoniis opipare referta, hilariter excolitur. Religiosissime templa venerantur, adeò vt ea neque viros, neque fœminas Veneris pollutos complexibus intrare fas sit, nisi prius priuatis balneis abluantur: sæpeq; accidit, vt complures vtriusque sexus sacra audientes, extra limen cõsistant, & propterea à petulcis iuuenibus recentis incontinentiæ notati, facetis aliquando nutibus salutentur. In ipso natali die S. Ioannis Baptistæ, & in Paschate, trium Magorum, presbyteri sacratos panes paruos toti populo largiuntur, quorum esu febribus conflictatos alleuari existimant. Alia quoque sacra, certo anni tempore apud flumina gelu concreta celebrantur. In ripa tabernaculum constituunt, & aduocata nobilitate hymnos numeroso concentu pronunciant, sacræque lymphæ multa aspergine profluentem purificant, & solenni cerimonia stratum & consecratum circumcisa & reuulsa glacie protinus aperiunt. Iis rebus rite confectis, si qui adsunt languentes vel morbosi, in flumen desiliunt, & sacris aquis abluuntur, quum ob id elui morborum sordes persuasum habeant. Defuncti, mediocri funeris pompa comitantibus presbyteris efferuntur, capite mappa velato: cæterum non in templis sed in septis ac exterioribus templorum vestibulis sepulturæ traduntur, iisque more nostro quadragenis diebus parentant; quod certe mirum videtur, quum in purgatorio loco expiari animas, & criminum pœnam vllis amicorum supplicationibus, vlloque pietatis officio mitigari penitus negent. In cæteris, eadem quæ à nobis de religione sentiuntur, constantissime credunt.

XXI. *Moscouitarũ mores*

Moschouitæ Illyrica lingua, Illyricisque literis vtuntur, sicut & Sciani, Dalmatæ, Bohemi, Poloni, Ruteni, Litvvani. Ea lingua omnium longe latissima esse perhibetur. Nam Constantinopoli Ottomanorum in aula familiari est, & nuper in Ægypto apud Memphiticum Sultanum, & equites Mamaluchos haud ingratis auribus audiebatur. In hanc linguam ingens multitudo sacrorum librorum, industria maxime Diuorum Hieronymi & Cyrilli translata est. Præter quoque patrios Annales, Alexandri etiam Magni, Romanarumque Cæsarum, itemque M. Antonii & Cleopatræ memoriam iisdem literis commendatam tenent. Philosophiam vero, & sideralem scientiam, cæteraque disciplinas, & rationalem medicinam nunquam attigêre: iique se pro medicis gerunt, qui alicuius paulo ignotioris herbæ vires, se pluries obseruasse profitentur. Anni apud eos non à natali Christi, sed ab ipso mundi initio numerantur, qui non à mense Ianuario, sed à Septembri incipiunt. Leges toto dominio habent simplices, summa Principum & iustissimorum hominum æquitate conditas; & propterea populis valde salutares; quoniam eas vllis cautidicorum cauillationibus interpretari atque peruertere non licet. De furibus, sicariis & latronibus supplicium sumunt. Quum de maleficiis quæstionem habent, reos multa gelida aqua superne demissa perfundunt, quod intolerandum tormenti genus esse perhibet. Nonnunquam obduratis & contumacibus, vt confessio criminis exprimatur, linguæis cuneolis digitorum vngues conuelluntur. Iuuentus omnis variis ludis, sed militiæ proximis sese exercet: in stadio cursu contendit, in palæstra colluctatur, pernicitate equorum studet, omnibusque præmia, & præsertim sagittariorum peritissimis proponuntur. In vniuersum Moschouitæ statura sunt mediocri, sed quadrata, & valde torosa; cæsii omnibus oculi, prolixæ barbæ, crura breuia, & ventres extenti. Equitant, contractis admodum cruribus; & peritissime, vel auersi, & fugientes, sagittas emittũt. Domi opiparè potius quàm lautè viuunt. Namq; omnium ferme cibariorum, quæ vel à luxuriosissimis desiderari possunt, mensæ eorum, & paruo quidẽ precio passim instruuntur. Galliæ siquidem & anates, singulis sæpe argenteolis tenuibus nummis veneunt. Maioris minorisque pecoris, incredibilis est copia; & occisæ media hyemæ iuuencæ, concretis gelu carnibus duorum fere mensium spatio non putrescũt. Venatione & aucupio, vt apud nos, nobiliora obsonia parantur. Nam venaticis canibus, & plagis omnis generis feras capiunt; & asturibus atque falconibus, quos mirificos regio Pecerra præbet, non modo phasianos & anates, sed cycnos & grues consectantur. Astures ex genere infimo aquilarum, vel miluorum; falcones vero accipitrum nobile genus antiquis fuisse putamus. Capitur quoque auis subnigra, puniceis superciliis, magnitudine anseris, quæ pulparum sapore phasiarum superat dignitatem; Moschouitica lingua Tether, Polonia Cietrzero nuncupata, quæ Plinio Erythratao vocatur, Alpinis populis cognita, & maxime Rhætis, qui saltus ad Abduæ amnis fontes incolunt. Ingentes etiam sapidissimosque pisces, & ante alios Sturiones, quos Siluros antiquitus fuisse putamus, Volga præbet; & ii quidem hyeme multa in clusi glacie, recentes pluribus diebus asseruantur. Aliorum vero piscium multitudinem ferme incredibilem, ex candidis, quos diximus, lacubus expiscantur. Vino nativo quum penitus careant, aduectitio vti solent; sed in vestis cõuiuiis tantum, & in sacrificiis. Ante alia Creticum subdulce maximo in honore habetur, sed in vsum medicinæ tantum, vel principalis luxuriæ ostentationem: quum miraculi loco sit, eductum Creta per Gaditanas fauces, & tantis concluси maris Oceaniique fluctibus agitatum, incorrupta suauitatis ac odoris dignitate, inter Scythicas niues, ebibisse. Populus vero medonem bibit, ex melle lupulisque decoctum, quod picatis in cadis veterascit, & ex vetustate nobilitatem adsequitur. In vsu quoq; sunt birra & cereuisia, sicuti apud Germanos Polonosq; videmus, quæ ex tritico, Zeaque, vel hordeo decoctis, omni conuiuio circumferuntur. Hanc quadam cognata cum vino potestate, largius compotantibus ebrietatem inducere certissimum est. Medonem ac birram per æstatem infrigidare, infusa poculis glacie, voluptatis gratia solent. Nam ingentia glaciei frusta nobilium in cellis subterraneis singulari studio reconduntur. Sunt & qui in deliciis habeant, succum ex subausteris cerasis expressum, qui perspicui & purpurissantis vini colorem & saporem iucundissimum refert. Vxores & fœminæ, non in eo honore sunt apud eos, vt apud cæteras gentes: nam propè ancillarum loco habentur. Viri insignes earum vestigia mirum in modum obseruant, & pudicitiæ diligentissimè cauent. Non enim adhibentur conuiuiis; neq; sacrorum causa remotiora templa petere, aut temere in publicũ egredi permittũtur. Cæterũ vel ab externis hominib. & exiguo quidem precio, ad Venerem omnevulgus fœminarũ facile pellicitur, adeo vt parũ earum amoribus studere viri nobiles existimentur. Basilius ante annos viginti Ioannem patrem amisit. Is Sophiam, Thomæ Palæologi, qui late in Peloponneso imperabat, Constantinopolitaniq; Imperatoris erat frater, vxor ẽduxit; quæ tum Romæ erat, Thoma patre Turcarum armis Græcia pulso. Ex hac quinque liberi felici fœcunditate susceпti, ipse Basilius,

filius, Georgius, Demetrius, Simeon & Andreas. Demetrio & Simeone iampridem morbo absumptis, Basilius Salomoniam Georgii Soborouii, eximiæ fidei atq; prudentiæ consiliarii, filiam in matrimonium sibi collocauit: cuius fœminæ singulares virtutes sola sterilitas obscurauit. Solent autem Moschouitæ, cum de vxore ducenda deliberant, omnium toto dominio puellarum virginum delectum habere, ac forma virtuteque animi præstantiores ad se perduci iubere; quas demũ peridoneos homines, fideles q; matronas inspiciunt, ita diligenter, vt secretiora quoque ab iis contrectari explorarique fas sit. Ex iis vero magna atque solicita parentum expectatione, quæ ad Principis animum responderit, Regiis nuptiis digna pronunciatur. Cæteræ vero, quæ de formæ pudicitiæque & morum dignitate contenderant, sæpe eadem die in gratiam Principum, Proceribus atque militibus nubunt; sic vt mediocri loco natæ plerunque, dum Principes Regiæ stirpis clara stemmata contemnunt, ad summum principalis thori fastigium, vti & Turcas Ottomanos solitos facere videmus, pulchritudinis auspiciis euehantur. Aduersus Tartaros, & maxime Europæos Præcopitas, sæpius secundo prælio à Moschouitis est dimicatum, vlciscendis fortiter iniuriis, quas illi repentinis incursionibus intulissent. Supra enim centum & quinquaginta millia equitum magnus Dux ad bellum ducere consueuit, distinctis per vexilla turmis, quæ suos præfectos sequuntur. Regiæ alæ vexillo inscripta est Iosuæ Hebræi imago; illius qui, vt referunt sacræ historiæ, à Deo maximo longissimum diem, retardato Solis cursu, piis precibus impetrauit. Pedestres copiæ nullo prope vsui sunt in illis vastis solitudinibus, tum ex ipsa veste, quæ fluxa talarisque est, tum ex hostium consuetudine, qui cursu potius & equitandi celeritate, quam vi stataria pugnæ, vel ipso congressu militiam exercent. Equi eorum statura infra mediam existunt; sed robusti, & velocissimi habentur. Equites præpilatis hastis, clauisque ferreis & sagittis rem gerunt; paucis falcati erant gladii. Corpora vero clypeis rotundis, vt Asiatici Turcæ; vel inflexis & angularibus parmis, more Græcorum, itemque lorica, & galea pyramidali protegũntur. Basilius etiam Scloppetariorum equitum manum instituit; multaque ænea tormenta Italorum fabrorum artificio conflata, fusisque imposita curribus in arce Moschæ visuntur. Ipse insigni apparatu, & singulari comitate, qua tamen Principis maiestas nulla ex parte corrumpitur, publice cum proceribus atque legatis epulari solet, magnumque inaurati argenti pondus duobus abacis expositum, eodem triclinio conspicitur. Nullam prætoriani militis cohortem, præter ipsam familiam, corporis custodiæ causa, circum se habere, vel alere alibi consueuit. Ab vrbana enim fideli multitudine stationes habentur. Nam vnaquæq; vrbis regio, foribus, cancellisque sepitur: nec temere per noctem, aut sine lumine, in vrbe vagari licet. Aula omnis constat ex regulis, & ex ipso militum delectu, qui per statos mensium circuitus, frequentandæ, nobilitandæque Regiæ causa per vices ad implenda comitatus officia, è singulis regionibus accersuntur. Porro exercitus omnis, quum bellum ingruit, vel hostibus indicitur, ex euocatis veteranis, nouisque prouinciarum delectibus cogitur. Nam cunctis in vrbibus præfecti militiæ iuuentutem inspiciunt, idoneosque in ordines militum transcribunt; quibus ex ærario prouinciarum, certa, pacis tempore, sed ea quidem exigua, stipendia persoluuntur. Verum, qui militant, immunitate vectigalium gaudent, & cæteris paganis præstant, Principisque gratia omnibus in rebus potentes existunt. Patescit namque veræ virtuti nobilis locus, quum bellum geritur. Siquidem egregio, & in omni rerum administratione salutari instituto, ad suum quisque spectatum facinus, vel perpetui præmii, vel ignominiæ sempiternæ fortunam assequitur. Hæc *Paulus Iouius Nouocomensis Episcopus Nucerinus, in commentario de legatione Basilii Magni Principis Moschouiæ, ad Clementem Septimum Pontificem Maximum*, quæ vel propter Patres, vt dixi, quibus solis & vnis, Franciscus Suarez Tom. 4. de Religione, lib. 1. de institutione & instituto Societ. Iesu, cap. 5. pag. 404. B. attribuere non dubitat, quod illos solos & vnicos (cum nulli antea, *vt ait*, extitissent) sanctus Ignatius Conditor, ad exemplum Apostolorum, instituerit: qui primi & soli in orbem vniuersum ex-

currerent, & sementem Euangelii, vbi nondum seminatum fuerit, disseminarent; vel vbi zizaniis, & tribulis obrutum foret, soli vel soli, primi repurgarent, excolerentque: propter illos inquam solos, vnicos & primos, talesque quales vult dici Suarezius voluisse adducere, vt aliquando ad messem Scythiam & Moschouiticam aspirent; quandoquidem illi soli, vni & primi Apostolorum vices susceperint: nimirum, vt scirent, iter ad eas prouincias non omnino difficile; nulla maria traiicienda; regiones non adeo remotas; idioma Polonis commune; gentem non valde barbaram; mores vtriusque non multum efferos; inter Tartaros aliqua vestigia fidei Christianæ; apud Moschos, paucis capitibus exceptis, in reliquis dogmatibus, cum Ecclesia Romana summam consensionem; in morum censura antiqui & Apostolici moris disciplinam; Moschos gentem frugalem, sed & hospitalem; fœmineum sexum satis pietate mollem; religiosos quosque, sui instituti tenaces; Principem Regii diadematis auidum, adeoque ad *voionem cum Occidentali* Ecclesia procliuem; regionem vniuersam, omnium, earum etiam, quæ ad luxum feracissimam; melle & lacte redundantem; & in summa, omnia, quæ inuitent in promptu; omnia denique parata ad messem; ad quam vtinam aliquando, cum se primos & vnicos operarios, in Orbem vniuersum missos post Apostolos testentur, accurrant, & manum extendant. Ita enim officium Apostolatus explerent, & huic quod volunt dici satisfacerent; domitisque ex vna parte Euangelica prædicatione & miraculorum operatione, alias ferro indomitis Barbaris, seu Tartaris, ex altera vero, consociatis ad vnum omile, sub obedientia vnius summi Pontificis, in communionem Sanctorum schismaticis Molchis; regnum Poloniæ religiosissimum, ab anniuersariis excursionibus & periculis liberarent. Quod omnes boni vouent, quod optant, quod expectant: quod Patres omni iure debent; cum soli, vni, & post Apostolos primi.

XXII.

Si tamen primi. Nam, vt Dominicanos, Franciscanos, & alios Regulares omiserim, hanc illos prærogatiuam minime conedunt, Patres Theatini, ante septem annos proximos, nimirum 1524. primi ex Clero seculari ad Apostolicam formulam instituti; nec minus ad Ecclesiam exornandam, quam ad fidem Christi toto orbe annunciandam, à Sede Apostolica destinati. De primatu pariter, non omninò cedunt Patres Congregationis Sommaschæ; ipsi quoque, præter alia, docendi & prædicandi muneribus addicti. De Theatinis aliquid iam narratum; de alterius Religionis Conditore hoc anno 1531. memorat Augustinus Turtura eiusdem Congregationis Clericus Regularis, ista quæ adiungo.

Neque solum effusa bonorum largitione, sed grauissimi etiam morbi molestiis, & supremo vitæ discrimine explorata est Hieronymi Æmiliani virtus & constantia. Siquidem diram famis calamitatem popularis quædam lues consecuta est Venetiis, vbi ille ad summam perfectionis contendebat. Morbi genus id erat, quod, febri non intermittente, & accessionibus per interualla increbescente, per aliquot dies, ægri corpore pertentato, mox illud variis colorum maculis amethystinis, rubris & murinis, haud dubio vicinæ mortis argumento conspergebat (huiusmodi maculæ ab antiquioribus medicis papulæ nuncupãtur, seu morbilli.) Cum vero mali contagio latius serperet, & nihilo verò segnius pietatis opera exequeretur Hieronymus; eadem infirmitate correptus, lecto decumbere coactus est. Morbi vim vt sensit, ad animæ curationem se primo conuertit, & expiatis peccatorum maculis, sacra Eucharistia refici voluit: tum Deo ritè compositus, seque ipsum impense illi commendans, de corporis infirmitate perinde solicitus fuit, ac si ad eum nulla ratione pertineret: ita Deo hærenti cælestia præ terrenis erant in votis. Tenuit hominem aliquot dies morbus, cumque se febris perpetuò intenderet, ita inualuit, vt iam maculæ illæ supremi discriminis indices toto corpore cernerentur, eò perniciosiores, quò maiori nigredine inficiebantur, vt eius saluti & curationi medici plane diffiderent. Grauior tamen quædam animi quam corporis molestia Hieronymum torquebat; hinc

Hieronymi Æmiliani vita & acta.

ſpe, metu illinc languentis animum ancipiti cura diſtrahente, ſubindelætior, triſtis interdum, ac mœrens cernebatur. Nam cœleſtium bonorum ſpe in hominis animo nonnunquam largius ſeſe effundente, ſecum ipſe magna cum voluptate reputabat, num cõpendiaria iſta via ſeſe Deus vellet ad amœna paradiſi his emiſſum vinculis euocare; eaque æternæ beatitudinis expectatione, tantis voluptatibus perfundebatur, vt è vultu ipſo, licet vicinæ mortis appulſu, & morbi tabe confecto, manifeſta tamen emicarent intimæ delectationis & lætitiæ argumenta. Sed mox inanem geſtientis & exultantis animi ſenſum ſanior illa corrigebat, penituſque comprimebat plena timoris cogitatio; quæ nondum cœlo maturum hominem monebat, qui adeo longo tempore ſceleribus fædatus, & toties infernum ignem cõmeritus, nondum tamen longo aliquo, & aſperiore pœnitentiæ exercitio, & charitatis operibus expiatus, ſuperiora crimina redemiſſet: abhorrere hoc à diuina lege; eſſe admodum à ſuis culpis alienum. Itaque talibus curis in diuerſa trahentibus anceps, ac dubius nutabat animus, & extremo corporis languore conflictatus, acerbiore etiam æternæ ſalutis metu diſcruciabatur, veritus, ne pœnitentiæ ſpatio intempeſta morte prærepto, vel de rerum ſumma periclitaretur, vel certe longe diuturniora & acerbiora illum manerent poſt obitum ſupplicia perferenda. Inter hæc Sacramentorum vſu conſcientiam repurgat, animum præparat, riteque ad extremum illud certamen inunctus, ſupremam iam expectat horam. Cum tandem gaudio & timore paulum abire iuſſis, ſe totum diuinæ voluntati permittit, & in preces effuſus Deum enixe rogat, vt ſi è ſua ſalute diuiniique numinis honore foret, ſiue præſens vitæ interitus ad ſuorum ſcelerum vindictam, ſiue longior vitæ vſura ad aſperiora pœnitentiæ ſtudia, & ea exercitioni mandanda, quæ in proximorum ſalutem tamdiu, non ſine illius inſtinctu animo agitaret; ſupremus ipſe & æquiſſimus vitæ arbiter pro ſua clementia ancipitem futuri caſus euentum moderetur: ſe omnino diuinæ voluntati libentiſſime ceſſurum, & quocumque vocaret ſecuturum. Gratiſſimæ Deo fuere preces, cum pœnitentiæ ardore, tum diuinæ voluntati obſequendi ſtudio. Exinde enim melius factum eſt laboranti; vt releuatus morbo, & lecto ſurgere, & ſuis niti pedibus iam poſſet, citiſſimeque ex ea infirmitate medicis admirantibus emerſit, & idoneis auctus viribus, integer reſtitutus eſt ſuis; vt miraculo par viſum ſit, hominem medicorum iudicio deploratum conualuiſſe tam cito. At vero licet æternæ quietis gaudia peroptaret, eam tamen dilationem tulit non inuitus; maximoque in lucro poſuit, quod diceret, ſacrificium ſuum vitæ, pœnitentiæ ſibi lachrymis, & aſperitatum incommodis per aliquot etiam annos expiandum, & proximorum ſaluti conſulendum, quippe tam inſigni vitæ diuinitus prorogatæ beneficio, hæc ſibi diuino nutu imponi plane intellexit. Quare illud firmum certumque ſtatuit, eam totam, quam vnius Dei præſenti ope ac miraculo haberet vitam, diuinæ gloriæ, pœnitentiæ ſtudiis, proximorumque ſaluti conſecrare: idq; multõ etiam præſtitit copioſius, quam promiſit.

XXIII. Valetudine iam confirmata, ad priſtinæ pietatis officia, pœnitentiæque labores ſe confert; eoque ardentius in huiuſmodi curas incumbit, quò recenti & proprio exemplo extremam ægrorum indigentiam didicerat, & diuinam clementiam ac bonitatem in ſeipſum fuerat expertus. Verum, multis diebus hiſce muneribus abſumptis, meliorum ille æmulator chariſmatum, haud ſibi ſatisfaciebat: quippe progrediente die, nouo ſemper ſe pietatis ſtudio excitari, ardentiore in Deum & proximos ardore incendi, ad maiora rapi ſentiebat; quod excelſi animi flamma cœleſti igne ſuccenſa, humili loco hærere non poſſet. Concilium itaque cœpit à cupiditate immortalis & æternæ gloriæ, excelſum plane, & homine terrenis rebus ſuperiore dignum, vt ab ſe opibus omnibus abdicatis, Senatoria toga, nobilitatiſque inſignibus reiectis, & Reipublicæ dignitatibus penitus conremptis, liberiore voce tandem abiectum illud & humile vitæ genus, quod animo conceperat, profiteretur, vitamque omnem perpetuo operum charitatis miniſterio, publice deuoueret. Cæterum deliberationem hanc de priuatæ, & abiectiſſimæ vitæ ratione ſeriò ingreſſus, Spiritu cuim carne luctante, ſatis arduam contranitentis ſenſus & reluctantis naturæ pugnam expertus eſt. Quæ contrafacere maxime videbantur, erant, nepotum cura, familiæ ſplendor, Reipub. pietas. Nepotum res, & familiæ decus negligere, inhumanum; Rempub. deſerere impium videbatur. Verum nepotum negotia minus Hieronymum morabantur; quando illorum maior natu & rem familiarem curare, & rebus ſuis tutò per ætatem præeſſe poſſe videretur. Sed eo enauigato ſcopulo, difficiliorem omninò exitum è mundi Reipublicæque honoribus nactus eſt, mirifice hominis animum torquente patriæ amore. Eſt enim peculiare Venetis à natura inſitum, adeo propenſis & conſpirantibus animorum ſtudiis publicam rem diligere, vt cæteris ſe nationibus amore & pietate in patriam longiſſime antecellere exiſtimentur. Eam vero longe impenſius adamabat Hieronymus, quod cum illius cauſa extrema adiiſſet pericula, mutuam gratitudinis ſignificationem ab ſe deſiderari Reſpub. non permitteret, in qua præſtans ac nobilis Senator haberetur, & apud vniuerſam ciuitatem admodum gratioſus eſſet, & in qua tandem ſumma prudentia, multiplex rerum vſus, vitæ grauitas, & morum probitas expeditum illi ad ampliſſimos honores curſum, niſi per eum ſteriſſet, oſtentarent. Quare in vtramque partem, ita multa eademque grauiſſima ſuccurrebant ſuadentia nouum vitæ inſtitutum, atque diſſuadentia, vt difficilis admodum, & perobſcura exiſteret tantæ rei deliberatio: cumque ſenſus humanus & diuina pietas ex æquo fere in eius decertarent pectore, nõ ſumpto cibo, non data oculis quiete, dies aliquot illo curarum æſtu, quaſique cogitationum conflictu, & viciſſitudine inter ancipites hinc inde fluctuantis animi & incerti propenſiones, magna cum perturbatione iactatus eſt: reque ipſa didicit, quam difficilis & laborioſus ſit egregius rerum humanarum contemptus, & quam ægre ſenſus ab his auellatur, quæ ſemel impenſe dilexit. Inter hæc ſæpe animo æſtuare, nunc algere, modo diuino amore incenſus ad caſtra ſpiritalis militiæ aſpirare, nunc honorum & nobilioris vitæ ſplendore, aliiſque ſenſuum blandimentis ab ea mente reuocari & deterreri, donec hiſce cogitationibus ſecum diu luctatus puriorem hauſit diuini luminis radium, ſeque ad ſanctiora conſilia, & perpetua pietatis officia, acriori quam antea impulſu ferri perſenſit: iamque caduca omnia faſtidiens, ac moræ omnis impatiens ſibimet indignari, hiſque fere dictis non ſine lachrymis ſeipſum vrgere, grauiterq; obiurgare cœpit. Quid agimus, anima? Quid expectamus? Cur acceptam à Domino vitam eidem nõ reddimus? Cur promiſſa non ſoluimus? Quid tanto amore vanitatem ſectamur? Quid tandem eſt in his rebus tam præclarum, aut ſublime, quod nos à cœleſtium amore poſſit abducere? An gloriæ ſplendor ac dignitas? Quæ tandem hæc gloria? Cuius cauſa præhenſandum quotidie atque diligenter? Supplicandum omnibus? Multorum ſuſcipiendæ inimicitiæ? Et à fluctuanti atque incerto multitudinis iudicio pendendum? Quanto ſane melius eſt, diuinam clementiam aſſiduis orationum precibus præhenſare, æternum beatitudinis decus ambire, diuinæ gloriæ quam priuatæ ſtudere? At Reipublicæ pietas vrget? Atqui ſatis illi operæ præſtitum, ſatis laboribus & periculis mortali huic patriæ factum; cur modo pro æterna non laborandum? An patriæ, quæ me mortalem genuit, ſumma erit apud me ratio; illius vero, quæ me immortalem expectat, nulla? Ad illuſtrandum ne familiæ nomen, magnos in Repub. honores conſectari libet? At ſatis maiorum bene rebus geſtis nobilitatam ſtirpis memoriam cernimus; illuſtrioraque, cum volet Deus, feret poſteritas. Cur Euangelicã nobilitatem cœlo plane dignam, vnice Deo charam & dilectam non conquirimus? Cur non immortalem nominis famam apud Deum ſectamur? Falſa hæc fluxaque bona plurimum apud me valebunt; æterna illa & vera minimum? Cœleſtia præ terrenis, diuina præ humanis contemnam? Quæ ſchola, quæ religio docuit præferre puluerem cœlo, homines Deo? An cum Reipublicæ principem & vegetam vitæ partem impendero, cum rem familiarem auxero, cum prædia locauero, cum humana omnia procurauero; tum ambitionis occupationem peroſus, ſi quid ſupererit otii, me ad Dei cultum, animæque procurationem conuertam? Hominum, non Deo, ſed ſibi ſeruientium iſta fiant. Pereat hic omnis amor, vt viuat cœleſtis. Quid enim ſalutarius, quid prudentius fieri poteſt, quam ſpretis labentibus & caducis, cœleſtia & æterna conſectari? Aude Hieronyme, Deum vocantem ſequere.

Dum

XXIV. Dum hæc, & huiuſmodi multa, intenta mentis cogitatione ſecum ipſe loquitur; præſentem & manifeſtam expertus eſt ſupremi numinis vim, ardentiſſime enim cœpit diuini amoris æſtu torreri hominis pectus, vt ebullire & colliqueſieri, nec diutius poſſe ardoris flammam ferre videretur; & ad nouum de cœlo lumen, ita ſe totum ſenſit diuina virtute in virum alterum ſenſim commutatum, vt eundem ſe eſſe plane negaret. Quare depulſis ex animo rerum humanarum affectionibus, diſcuſſa ſenſuum & mentis tetra caligine, diuinæ gratiæ ſtimulis diutius obluctari non potuit, ſed excitanti vrgentique Deo manus dare compulſus eſt. Igitur ad Chriſti pendentis imaginem ſupplex proſtratus, calenti lachrymarum imbre irrotato ſolo, crebriſque gemitibus & ſuſpiriis imis pectoribus eductis, euocatiſque ardenter in opem ſuperis, ſeipſum ſuaq; omnia, tota anima, toto corde ac voluntate ardentiſſime Deo conſecrat; abdicatis opibus & honoribus, perpetuo pauperam miniſterio, in vili abiectoq; habitu ſe addicit: pro tam inſigni diuinitus immiſſæ vocationis beneficio gratias vt par eſt agit; voluntati vires ſufficere, ſuæque gratiæ præſidio, in tam ſancto & firmo propoſito perpetuo tueri vellet, enixè deprecatur. Ab oratione digreſſus, nepotem natu maximum aduocat; ardenti cohortatione, ad ea, quæ Chriſtiani hominis & integerrimi Senatoris ſunt, inflammat; vt tandem rerum ſuarũ procurationẽ ſuſcipiat, admonet; dati & accepti rationes, præteritæq; adminiſtrationis diligentiſſimè reddit; quanta fide res eius procurarit, quanta cura auxerit, nullo ad ſe deriuato emolumẽto oſtendit; vt eadẽ tanquam villicus fidelis & diſpenſator à Domino cõſtitutus, integre curare pergat hortatur; ſe ad maiora à Domino vocatum, haud diutius poſſe talium rerũ occupationibus diſtineri. Nondũ, quid conſilii ſubeſſet, intellexerat nepos; obortis tamen lachrymis Hieronymum enixè rogat, vt in ſuſcepta rerum ſuarum procuratione, reique familiaris adminiſtratione pergeret, neue ampliſſimos Reipubl. honores magno cum familiæ detrimento abiiceret; cum interim hominem intuetur, quæ ſubobſcure verbis indicarat, palam factis explicantem, nouoq; & inſolenti veſtium genere, qualis internus eſſet animi habitus, præ ſe ferentem. Veſte oblonga, manicis infra cubitum admodum laxis, ſtrictioribus ad manus vtitur Veneta nobilitas, eaque communi vſu nigri coloris; niſi vel maiores Reipubl. dignitates, vel ſolenniores Senatorum concurſus purpuram poſcant; eiuſdemque coloris in læuum humerũ reiecta ſtola. Hæc ſuæ nobilitatis inſignia ab ſe tandẽ reiecit, perpetuoq; ablegauit Hieronymus. nobiliores etiam quaſcumq; internas veſtes ad intimam vſq; ſubuculam ſibi detraxit, & veluti à Domino hactenus commodatas eidem libentiſſime reddidit: earum loco vilem & pannoſum habitum domi forte repertum in vſum pauperis cuiuſpiam antea cõparatum induit, craſſiores calceos quibus ruſtici vtuntur (perones vocant) adhibet, nec nobiliori pallio humeros tegit: ætatis annum agens 48. Intuebatur hæc nepos mœrore & admiratione defixus; intuebantur domeſtici, animo & cogitatione ſuſpenſi, manantibus interim ex omnium oculis vbertim lachrymis. Sed carnem aut ſanguinem non reſpexit nouus Chriſti miles: verum nobilioribus, & hucuſque inſolitis ſpiritualibus militiæ armis munitus, qui proprium ſenſum iam ſubegerat, cum mundo ipſo quamprimum ſibi congrediendum ſtatuit. Quamobrem vel quam conſtanter, & ex animo ad Chriſtum defeciſſet, mundoq; bellum indixiſſet, declaraturus, vt paupertatem humanarumque rerum deſpicientiam iamdiu animo retentam palam profeſſurus, ne ſalutatis quidẽ domeſticis, ſtatim pannoſus & peronatus domo egreditur, nobiliora ciuitatis adit, ſeque nouis Euangelicæ paupertatis inſignibus ornatum, ſpectandum præbet. Non minus gratum Deo & Angelis, quam hominibus admirabile ſpectaculum fuit. Mirum eſt, quam vehementer vniuerſam ciuitatem permouerit inſolens vitæ ratio, & noua vitæ conditio; multis, vt fit, hominem riſu & iocis excipientibus; aliis, quibus pridem Hieronymi pietas non ignota erat eiuſdem religionem & animi demiſſionem admirantibus: quamplurimis rei admirando nouitate attonitis, ex ipſo facti euentu tam inuſitatæ mutationis iudicium expectantibus. Sed ille rumores ac ſuſpiciones hominum nequaquam veritus, vni diuinæ voci cor ſuum alloquenti, omnino parendum, & in quamcumque vocaret partem, perpetuo obtemperandum conſtituit.

XXV. Sed eo iam ſucepto conſilio, & quaſi rotius conſequentis vitæ fundamento iacto, vt ex nobili illo, & illuſtri rerum humanarum faſtigio, non adæqualem modo cum cæteris, verum ad infimam etiam vitæ conditionem, & optatos Euangelicæ paupertatis amplexus deſcenderet; vnum illud ſupererat, vt, qui ſe infimis pauperum miniſteriis, eorumque ſaluti deuouiſſet, è tot charitatis officiis variiſque exercitiorum generibus, quod potiſſimum amplecteretur, decerneret. qua in conſultatione aliquantum hæſit, quod ad omnia charitatis munera æque ſe paratum, atque animatum cerneret; non illi animus ad diſcrimina ſubeunda, non vires ad perferendos labores deerant; ſed quid magis è Dei gloria, proximorumque ſalute eſſet, ignorabat. Quare flagrantiſſimus, omni ratione probandi ſe Deo, vniuerſumque vitæ ſuæ curſum ad vnam eius voluntatem, rectiſſimam benefactorum regulam, dirigendi, dies noctesque ſupplex ipſum precabatur, ſibi vt illuceſceret, eque tot ad ſalutem ſemitis, cui potiſſimum ſe vellet inſiſtere, commonſtraret. Neque multo poſt in hac re fuit homini diuinæ voluntatis ſenſum cognoſcendi expedita ratio. E præteritis recentis annonæ angustiis, & ciborum indigentia tetra grauiſque lues exorta, & per ciuium capita vagata, adeo ingenti funerum ſtrage vrbem vniuerſam fædum in modum deformarat, vt refertiſſima puerorum agmina, parentibus orbata, internæ externæque inſtitutionis cultura deſtituta, extremæ mendicitati, & vitiorum omnium fæditati expoſita, paſſim occurrerent; acerbo ſunt & miſerabili ſpectaculo. Pupugit vehementer hominis pectus miſerorũ caſus, inſpectaq; ſæpius orborum ſolitudo & egeſtas, in remedii cogitationẽ traxit. ac, dum quotidie precibus diuinæ voluntatis decretũ explorat, ardentius ſentit plane eam ſibi mentem inter orandũ dari, quæ ad horũ ſubleuandam inopiam, & morum inſtitutionẽ ſuſcipiendã, illum inflammet ac rapiat; & quidẽ tam effuſa beneuolentia, tanto voluntatis impetu, vt ſiue cibum, ſiue ſomnũ caperet, ab hac vna cogitatione animum abducere non poſſet. Quare indies noui operis deſiderio ſeſe in ipſo orationis feruore ardentius intendente, diuinæ vocantis gratiæ impulſum perſentit, totoq; pectore admiſit; ac veluti tutor & pater miſeris à Deo datus, non amplius ſanctæ charitatis opus differre eſt auſus. Itaque fractis iam vitioſæ verecundiæ repagulis, & inani pudore depoſito, operi manum celeriter admouit, & tum prima Venetiis orborum inſtitutionis (quos mutuata à Græcis voce Orphanos vulgus appellat) iecit initia; in quo opere ſubinde multis Italiæ locis promouendo, magno cum animarum fructu, & Ciuitatum commodo, ad extremum vſque ſpiritum ſtrenuè vir egregius decertauit, deque inſtituenda Religione, quæ Orphanorum curam haberet cogitationem ſuſcepit.

XXVI. Ac primum, ad ſedulam huius miſeræ deſtitutæq; ſobolis inſtitutionem inchoandam, ædes ſunt ab Hieronymo conductæ ad D. Rocchi illuſtre templum Venetiis. Omni deinde inſtrumento & ſupellectili, quæ ad domeſticam habitationem vſui eſſe poſſet, & paupertati reſponderet, ornatæ; tum collecta vndique è triuiis & plateis ingens orborum manus, in paratas ædes deducta; poſtremo mercede acciti opifices, qui ſedentariis artibus pueros inſtruerent, quibus ſcilicet & præſentem leuarent aliqua ex parte egeſtatem, & honeſte aliquando victitarent ipſi, &, cum neceſſitas poſceret, familiam etiam alerent. Ad colligendam autem ſtipem, ſi poſſet neminem prorſus dilabi patiebatur; quippe ſanis ac bene valentibus victum ſibi precario parare, niſi Chriſtiana humilitate, vel Religionis inſtituto, aut neceſſitate impellente fieret, turpe ducebat, & inhoneſtum. Et quidem iis, qui, robuſto cum ſint corpore & validis lacertis, languori & ignauiæ ita ſeſe dedunt, quoduis vt malint, quam manu & honeſto labore ſua ſibi, vnde viuant, quærere, veteri quodam Græcorum verſu iubemur panem dare; ſed, quaſi pro obſonio, inſuper pugnum impingere: ſit ſane vtrumque. Illud quidem, quia homini panem roganti negare vix hominis videtur; hoc autem, vt diſcant ab illa fæda parandi victus ratione abſtinere; & intelligant ſe bonis omnibus merito inuiſos eſſe, qui per pudendam

dam ignauiam ab aliis quæritant, quod laudabili industria sibi parare queunt. Inerti igitur, & desidioſę mendicitati nolebat Hieronymus teneram ætatem assueſcere, sed opificio instare, illud identidem ingeminans; Qui non laborat, non manducet. Sed exigua adeò è puerorum opera redibant lucra, vt tam numeroſo gregi alendo, longo interuallo satis esse non possent. Itaque tota familiæ alendæ cura & eius procurationis moles vni Hieronymo nitebatur, cuius erat & orborum tueri vitam, & conductarum ædium, ac magistrorum pensitare mercedem. Neque verò ille in tanto puerorum numero, ac tanta annonæ caritate sua illa accensa in Deum fiducia præsentem extimeſcebat inopiam, quam diuina liberalitate cito subleuandam non dubitabat; quod breui deinde comprobauit euentus.

Sed inter hæc multò impensius desudabat in puerorum animis Christiana pietate excolendis, eaque altius hærebat animo cura: quod cum vna cum patris pauperum nomine, onus etiam periculi plenum in se suscep. isset, ex Christianæ legis institutis eorum mores fingendi; non rarò mente versabat, quam carò stetisset Heli Sacerdoti honestam liberorum disciplinam neglexisse. Quare, nullis adhuc certis legibus ad eam rem constitutis, non negligenter tamen regebantur pueri. Primo mane somno expergefactos vna omnes inter vestiendum precatione Dominicam & salutationem Angelicam, Symbolum fidei, & alia pie ab ipso meditata clara voce recitare iubebat: tum persolutis de more precationibus, sacro intererant attentiſsimè: à sacro deinde ad opificia discedebant. Neque vero, dum operi manus intenta vacat, vagatur animus inanibus cogitationibus, aut in leues soluitur lingua confabulationes; sed, indicta violati silentii mulcta linguam cohibet, & sacra lectio, vel pia cohortatio mentem salubriter occupat: post inter opificia sæpe cœlitum suffragia nominatim implorare, & sacros hymnos ac Psalmos non sine cantu recitare; cœli terræque Reginam, & matrem misericordiæ præscripta ex formula cantuque inuocare; nonnunquam etiam, alternantibus choris, sacram eiusdem Virginis Rosariam modulationem concinere, facto initio ab oratione Dominica, quam & primo loco, & absoluta quaque decade, omnes simul alta voce decantabant, & tota pentacontide decursa, Litanias Beatæ Virginis addere; vt domus tota psallentium vocibus iocundiſsime personaret, non sine magna prætereuntium lætitia & pietate, Tum bis in die, serò opificio dimisso, & mane nondum inito, de Christianæ legis præceptis, Catholicæque fidei capitibus instruebantur; deinde literarum elementa apicesque cognoscere, syllabas nectere, & verba rite percurrere edocebantur. Sua voce Hieronymus eos sæpe ad virtutem formabat & excolebat. Procul inde omnis prophana garrulitas, nullus ferme nisi de pietate sermo, quod in teneris animulis multum erat. Mensæ accubituri, dum manus mundant, quinquagesimum Psalmum alta voce reddunt, eorum animabus solatii aliquid & indulgentiæ bene precantes, qui in purgatorio vitæ maculas piacularis ignis ardoribus post hanc vitam expurgant; idemque pietatis officium erga defunctos & vesperi cænaturi, & à cœna cubitum discessuri persoluebant. Puerorum lectus erat culcitula, palea vel stramine farta, linteaminaſi quæ suppeterent è crassiori aliqua materia rudia & aspera, nec lodicula nobilior. Mensaque item pertenuis, eaque fere gratuita piorum misericordia instructa. Singulo quoque mense nec non solennioribus Christi Domini, Beatæque Virginis feriis volebat eos de peccatis confiteri; albati prodibant omnes; vestes è tela nonnihil genua excedentes, vt externus ille vestium nitor innocentium puerorum referre candorem videretur. Singulis etiam & sertum globulorum ad orandum, Beatamque Virginem salutandam, & sudariolum de cingulo pendebat. Atque hæc erant fere instituta, quibus pia loca id temporis, tanquam legibus, temperabat Hieronymus.

XXVII. Sed illud apud Ciues commendationis plurimum habuit, & admirationis, cum festis diebus, quos totos religioso cultui dicatos volebat, veluti supplicatione indicta, sanctiſsimi crucifixi signo salutari redemptionis nostræ trophæo præeunte, longo ordine pueri Beatorum patrocinia nominatim deposcentes, & sacrarum precum carmina concinentes, in publicum procedebant, plateas, fora, celebrioraque Ciuitatis loca obeuntes. Ad sacras ædes vbi ventum erat, ibi mora aliqua supplicando ducta, repetebatur cantus, & intermiſſum iter. Sacræ rei, & concioni, vbi Hieronymo visum esset, magna cum pietate intererant. Quam iucundum & suaue præbuerit ea res Ciuitati spectaculum, non facile explicatu. Comitabatur pium agmen ingens populi multitudo admirabunda, quæ ad inusitatæ rei spectaculum conuolabat. Accurrebant omnes vndique vicatim visendi gratia, nobiliores Ciues nouo rei aspectu suspensi. Et quidem tanto omnium cum pietatis voluptatisque sensu, vt complures præ gaudio à lachrymis sibi non temperarent: alii cantus suauitate, simulque puerorum pietate illecti, ad nomina Cœlitum deuotè responderent.

XXVIII. Sed nihil æque Venetorum animos commouebat, ac vnus Hieronymi aspectus, qui plebeio in amictu nouum agmen comitabatur, & in officio, si quid accideret, continebat; admirabili sane Christianæ humilitatis & charitatis exemplo. Quod non satis pro dignitate admirari & commendare se posse videbantur, qui paulo ante Reipublicæ Senatorem, bello & pace longe clariſsimum intuiti, modo nouo, & insolenti huius æui exemplo, titulos & fastum cum humili abiectione, opes & facultates cum Euangelica inopia, purpuram & trabeas cum attrita laceraque veste commutasse cernebant. Sed humanæ ille salutis quam laudis studioſior, nihil, quod diuinæ gloriæ commodum, hominibusque salutare foret, aut sua ab ætate alienum, aut persona abhorrens ducebat. Ingentes motus fecit eares in Ciuium animis, multorumque languentia pectora ad pietatem excitauit, & incendit. Hoc illustri pietatis exemplo sæpius repetito, adeò secunda totius Ciuitatis admiratione admurmuratione que noui operis institutio est celebrata, vt inusitatæ rei fama plurimi exciti cunctis ex ordinibus, ad pauperum domicilium confluerent, insolitam Christianæ pietatis speciem, quam auribus accepiſſent, oculis etiam vsurpaturi. Et certe ipsa domesticæ disciplinæ ratio, ipsa pauperũ pietas & modestia conſpecta, lætiſsima seges erat sanctiſsimæ voluptatis. Cumque bonus odor nouæ domus latius indies tota ciuitate manaret, magisq; in vulgus probaretur, omniũ quibus facultas aderat, excitata est atque deprompta benignitas, qua puerorum solitudini & egestati succurrerent; ne tantæ pietatis opus vna penuria victus intercideret. quin etiam præter ea, quæ quotidie à communi hominum misericordia colligebantur, permulti Hieronymo certa pecuniarum subsidia ex interuallo subministrabant; quibus rei familiaris angustia, ita paulatim leuari cœpta est, vt cum antea egestate premente, non infrequenter collectæ eleemosynæ, & corrasa ex opellis lucra exiguæ familiæ vix alimenta præberent, postea peropportuna Ciuium benignitate factum sit, vt ita omnia affluerent, vt apud egentes nullus iam videretur locus indigentiæ relictus. Pii vero operis fama non sine magna Hieronymi laude manans, celebriorem hominis virtutem & pietatem reddebat: quoque ille intenſiore cura ad abiecta quæque & viliſsima ex Christiana demiſſione sese abiicere studebat, eò magis in vulgus præclara nominis & sanctitatis opinio augebatur: adeo solida virtus despecta abiectione clarior, & Christiana humilitate redditur longe illustrior.

Eo magis autem enitebat Hieronymi labor & charitatis studium, quo miseriarum campus latius excurrebat. Neque enim Venetæ vrbis finibus popularis morbi calamitas circumscribebatur, sed sensim, vt fit, latius serpendo, post vrbanam stragem, circumfusas etiam Insulas maiori clade peruaserat: quam vniuersam, seu æruminarum & miseriarum, seu æternæ gloriæ segetem sibi vni demetendam destinauit Hieronymus: Cuius in his locis vt, quam fructuosa fuerit charitas, & industria laboriosa, facilius æstimari possit, pretium erit operæ, loci situm & naturam breuiter aperire, & ex insulis aliquot, quæ vagè dispositæ Ciuitatem vndique ambiunt, referre.

Æstuariis

Æstuariis è supero mari leniter stagnantibus, longeque late circumluitur Ciuitas: quippe æstuariorum ambitus omnis in centum triginta fere milliaria expatiatur, & alterno stagnantium aquarum æstu statis horis refluente ac redeunte, nonnisi per varios mæandros, cæcasque ambages patet ad Ciuitatem aditus, grandioribus illis ingentibusque phasellis exclusis, & quinto ab vrbe milliario ad Methamauchi, vel Popiliæ sinũ subsistere coactis; ingẽti sane præsidio ad quoscumque hostium accessus prohibendos. quippe loci insolentia, solis indigenis, & longo vsu assuetis bene cognita; reliquis perpetuo & incõstanti aquarum accessu & recessu, difficilem admodum & fallacem præbet ingressum. Statis enim aquarum incremẽtis, certisq; duntaxat eurypis, æstuaria illa paulo maiora admittũt nauigia; quod si certus ignoretur alueus, vel æstu refluente, aquarum decrementa occurrunt, patet in cæca vada, humilesq; syrtes præsentiſsimum discrimen. Æstuaria porro ipsa modicis fretis eurypisq; discreta, multis & peramænis insulis, vrbi vndique circumfusis frequentantur. Inter viciniores, quà tota fronte ab Austro in Africum Vrbs ipsa spectat, Fossa Clodia, Pallestrina, Methamaucum, cernuntur. Obuerso ad Borcam tractu, Murianum occurrit; in ipsoq; flexu ad Caurum Burianum, Maiorbium, Torcellum numerantur. Quà vero Septentrioni obiacet, Margheria continenti fere adhærens æstuaria claudit. Hanc adeo late patentem bene merendi syluam primum extra Venetam vrbem suis laboribus obuiam habuit. Cum enim his in locis miserorum alios iam iam fere enectos, pene animam agentes passim iacere in viis; alios misere errantes, extrema necessitate sensim confici intelligeret, iis etiam sibi, tanquam pauperum patri & Tutori à Deo dato subueniendum ratus, sæpe subsidia è locupletioribus corrogata per certos homines submittebat; sæpe etiam cò ipse traiiciebat, gemina illa sua consueta animæ & corporis adiumenta, quibus proximorum commodis inseruiebat, abunde subministraturus. Itaque alios præsenti stipe, alios vestimẽto, alios pecunia subleuabat: aliorum vero filios adhuc infantes, vel parentibus orbatos, vel ad quos alendos nulla parentibus adesset facultas (hos enim inter egentes præcipua charitate prosequebatur Hieronymus, quorũ imbecillis ætas omni periculo propior erat) Venetiis aduectos, victu & vestitu in orborum contubernio attributo, artificio aliquo instrui curabat: satisque postea & Christianæ vitæ institutis ad scelera euitanda, & artis peritia ad paupertatis incommoda depellenda exercitos, parentibus reddebat. Atqui communis salutis cupidiſsimus, diuinæq; gloriæ perstudioſus, in his etiam locis de rebus sacris cum omnibus colloquia serere, quemq; pro re nata salutis suæ admonere, vniuersos ad Christianam pietatem erudire; & è præsenti temporum calamitate occasione arrepta, sæpius iræ cælestis minas inculcare, irati numinis timorem incutere, ad veram cõmissam pœnitentiam vrgere; vt cunctos promiscuè docendo, corrigendo, monẽdo, multas tandem ab Insulis vitiorum pestes abegerit, multos ad frugem reduxerit; prauis consuetudinibus ablatis; salutares inuexerit; & postremo discedens excellentis cuiusdam sanctitatis vestigia apud Insulanos impressa reliquerit.

XXIX. Venetiis autem diu tenuit inprimis illis ædibus prope sanctum Rochum suum institutum Hieronymus, illustri magis Euangelicæ paupertatis & abiectionis exemplo quam verbo & opere, singulos de sua salute monens, & securum iter certamque viam alacriter præeundo, ostentans. Neque vero abiecta illa Christianæ humilitatis ministeria, pœnitentiæ rigor, orationũ assiduitas, apud alios parum valuêre; sed magnam Ciuitatis partem, ea schola imbuit disciplina salutis. Nam permulti Hieronymi exemplo, metu suæ perditionis admoniti, è vitiorum probris emerſere: multi ad pietatem ita seriò adiecere animum, vt de ordienda perfectiore vita studioſe agerent; plerique probitatis laude non vulgari contenti, ad Religioſorum Ordinum instituta seſe aggregarunt, reliquo vitę cursu summa pietatis cõmendatione transacto. Hieronymo interim simul lętitia gestiente, simul ob diuinam bonitatem obstupescente, quę hominem antea vitiorum & scelerum, nunc virtutis & pietatis incitamentum fecisset; vt, quod corruperat aliquãdo exemplo nequitiæ, pœnitentiæ refarciret. Nam obsecundante diuina gratia Hieronymi conatibus, magis noua persona, & vitæ ratio valuit ad Christianos mores corrigendos, quam paulo ante libera illa viuendi licentia ad deprauandos. Nouæ autem Domus institutio adeo bell: procedebat, & à primoribus Reipublicæ Senatoribus, honestioribusq; ciuibus, tanta pecuniæ vis ad sustinendum opus, & promouendum indies deferebatur; vt cum antea paucioribus illis primis pascendis stipem aliqui desperarẽt, postea triplicato fere numero, diuinæ vel prouidentiæ, vel fiduciæ fundo nõ fallẽte, vniuersos aleret abunde. Quare, cum incrementa noui operis pollicereturindies vberiora diuina bonitas, Hieronymus angustæ domus tecta, ad augendum etiam numerum laxare cupiebat; quando cessit oppprtunè, vt in ampliorem locum euocata fuerit eius charitas atque industria.

XXX. Non ita pridem Venetiis insigne pietatis opus excitatum fuerat, eius Beati Caietani Thienæi Vicentini, qui Ioanni Petro Caraffæ Episcopo Theatino socius fuerat, in erigenda Clericorum Regularium religione, & in qua non obscura sanctitatis laude decessit, opera Nosocomium, in quo potissimum fouerentur inter ægros ii, quos vel insanabilis morborum vexaret iniquitas, vel membrorum debilitas incurabili dehonestamento notaret: proinde loco insanabilium valetudinario nomen factum; feruentibusque (vt nouis in operibus solet) admodum initiis, perbellè aliquando opus processit. Sed pestilente vi morbi nondum satis repressa, cum alii super alios continuè sternerentur, vel plus æquo excrescente ægrorum turba, vel ingruentis mali timore ministros ab egrorum cura ad suimet tuendi necessitatem auertente, adeo congelarat operarum charitas & industria, vt perpaucis ac tardis operi incumbẽtibus, quotidiana in ægros tum animæ, tum corporis desiderarentur ministeria. Igitur qui valetudinario præerant viri & pietate, & genere plane nobiles, tot animarum periculis, & ægrorum incommodis maxime anxii, egregia etiam Hieronymi charitate & vitæ ratione perspecta, nihil habuere antiquius, quam vt salutaris loci procurationem ad eum deferrent. Hominem itaque enixe obsecrant, vt, conductis orbis in valetudinarii ædes satis amplas, eo in loco & pauperibus simul, & ægris operam suam nauet, languentia operarum studia suo excitet exemplo, & pene collapsum pietatis opus charitate erigat, & laboribus tueatur. Non irrita fuere nobilium virorum vota. Hieronymus quippe in omnem de proximo bene merendi occasionem imminens, prouinciam non detrectauit, sed postulatis cumulate satisfacturus, quo inuitabatur, breui se contulit, ac veluti optatam à Deo charitatis palæstram adeptus, laxatis ardori habenis, ad ægros sanosque iuuandos, suas curas vigiliasq; studioſius quam antea contulit. Orphanis eo in loco eadem erat, quæ antea, viuendi disciplina, idem opificiorum labor, orationũ ardor, numerus autem multis capitibus auctior. Cum infirmis & miserè iacentibus multus erat Hieronymus, singulos inuiſebat, humaniſſime solabatur, cibos apponebat & ministrabat; nec illos è strato tollere, brachiis gestare, tetrumq; perferre odorem grauabatur. Eratq; hoc fere quotidianæ charitatis pensum, ægrorum lectos sternere, corporum sordes purgare, quisquilias è pauimento verrere, abiectioraq; munera obire. Nec corporum modo, sed animarum curationi maxime instabat: ita illos suæ fidei admonebat, piis colloquiis ægritudinis moleſtiam leuabat, in supremo vitæ discrimine Christianis adhortationibus viã munire studebat, quò ægrotantis animus paratior venienți Domino occurreret. Maxime sollicitus, ne quem sacra confeſſione inexpiatum aduentantis mortis horror inuaderet: iisque in extremo iam agone laborantibus ita assiduus erat, vt sorbitiunculas, & pharmaca sua manu præberet, comminutum cibum in os inſereret, apud eosdem nocturnas duceret excubias, quò singulis monumentis, ingruentibus periculis præsenti celeritate subueniret. Quæ omnia quàm eximiò ægrorum bono, & totius Venetæ ciuitatis admiratione ab Hieronymo præstarentur, testes illi ipsi grauiſſimi viri valetudinarii Curatores, qui tam multa, & tam honorifica cum laude de Hieronymi virtute (sed haudquaquam vero maiora) vbique prædicabant, vt Hieronymum vehementer tæderet pudereturque; illud insuper addentes, nihil interim aduersum Rempublicam extimeſ-

cendum, quamdiu huius Dei serui precibus niteretur. Sed ad externos etiam multum de sua charitate deriuabat. Conueniebatur quotidie à multis consilii & institutionis causa; viríque graues de rebus animæ cum eo acturi accedebant, & tanquam à Spiritu Domini monita salutis postulabant; quibus adeo piè prudenteréque (Domino Hieronymi mentem gubernante) satisfaciebat, vt, quæ de illius virtute, cœlestique spiritu omnium fama nunciabat, res ipsa comprobaret; cumque incensis suo exemplo ad pietatem multorum animis, quotidie magis celebrarentur valetudinarii ædes, perhumanus & facilis omnibus aderat Hieronymus. Qua in re illud admirandum videbatur esse maxime, quod, cum orborum cura, quos magnum in numerum auxerat, infirmorum ministeria, & externorum frequens accessus hominem adeo distinerent, omnibusque ille operam suam locaret assiduè; ita tamen vniuersa hæc pietatis studia temperabat, vt externorum congressus & institutio, nihil de domestica administratione detraheret; hæcque vicissim in domesticos, externosque sedulitas, nihil de ægrorum cura decerperet; rursum vero ægrorum studium, nec externorum, nec domesticorum saluti fraudi esset. Igitur omnes ex congressu & sermone ferendæ pietatis occasiones intenta mente captans, nullo loco, aut tempore, quodcumque etiam aliud agens, proximorum saluti procurandæ deerat. Si quos ad bonam Euangelicæ virtutis frugem propensos, & paulo aptiores comperisset, hos salutaribus monitis & institutionibus ad altiora pietatis studia prouchere conabatur: quos vero hærentes in vitiorum cæno deprehendisset, & precibus ad Deum fusis, & acrioribus adhibitis adhortationibus, modo iræ cælestis intentatis minis, modo beatioris æui promissis lætioribus ingestis, ab ea fœditate abducere studebat; nec raro illorum pectora, hinc spe, hinc metu ita versabat, vt sacræ confessionis promissionem, & purioris vitæ propositum haud ægre extorqueret. Vix oratione consequi possit, quam multos hoc tempore ad meliora promouerit verbo & exemplo; ex quibus coniunctissime præ cæteris cum eo agebat id temporis, & quidem à nobilioribus is, qui proprio nomine silentio obuoluto, primus Hieronymi vitam vix altero ab eius obitu anno literis consignauit.

Huic vni Hieronymus domestica omnia, huic puerorum opificia, huic ingenia sincere aperiebat; quatuor ex toto numero, qui octauum necdum excederent annum, indicabat, quibus summam pietatis laudem in oratione tribueret. Mecum, aiebat, isti orationi vacant, Deo frequentissime simplicem innocentium puerorum fidem felici votorum successu comprobante. Ita ille, si quid precibus impetraret, secundum rei euentum è Christiana humilitate ab se abiudicans, puerorum pietati simplicitatique adiudicabat. Eidem, qui lectione, qui scriptione proficerent, qui opificio valerent, qui obedientia, qui silentio excellerent, ex ordine ostendebat; necipsum, in quo cubaret, lectum hunc vnum celabat, adeo angustum & asperum, vt non tam cubantis lectum, quam occumbentis sepulchrũ crederes: addita insuper ad huiusmodi vitæ institutum suscipiendum tam ardenti cohortatione, vt interdum non tam verba ex dicentis ore ad permouendum animum prodire, quam cælestis ardoris flamma è calentis pectore, ad audientem diuino amore inflammandum, erumpere nobili illi viro videretur; lachrymis etiam interim Hieronymo manantibus, quas cælestis vitæ desiderium exprimeret. Quare illa sua scriptione semet accusat, grauiteréque reprehendit amicus ille, quod tam ardentibus cohortationibus minus profecerit, neque cœlesti illo dicentis ardore, veluti plane ferreus, satis fuerit ad pietatem emollitus.

XXXI. Quo vero feliciori euentu ex animi sententia & voluntate arridebant omnia, eò vehementius ad maiora inflammabatur quotidie Hieronymus. Inter quæ hoc anno millesimo quingentesimo tricesimo primo subiit illius animum ea cogitatio, multum è diuina gloria, animorumque salute fore, si, maritima ora relicta, eodem labore ac diligentia mediterranea quoque oppida excoleret. Itaque in eam sententiam ingressus, cum institutum opus Venetiis ita confirmatum, suisque viribus nixum cerneret; vt, se absente, casum & ruinam non timeret, sæpius diuino numine precibus consulto, & re piorum hominum consilio deliberata, celeriter ad nouum opus se comparat. Vt vero Hieronymi discessum certissime instare vulgatum est, nihil intentatum ab amicis, quò hominem à suscepto consilio deturbarent. verum ille nullis hominum vel precibus, vel lachrymis ab ea sententia, quam diuinitus sibi immissam intelligebat, dimoueri potuit. Orborum igitur educationi relictis, quorum prudentiam simul, & pietatem egregiam in eo munere vsu ipso cognouerat, cæterisque rebus omnibus rite compositis, & in nobilium amicorũ tutela relictis, multorũ cum lachrymis & dolore, qui celari non potuit, ad Lecifucinam (extremus hic versus continentem Adriatici sinus limes est) nauicula aduectus, tum baculo viatorio innixus, nulloque viatico, præter suam illam in Deum confidentiam, & ardentem charitatem instructus, Patauium & Veronam versus iter intendit. Hac vna in re eo in itinere maxime felix, quod, cum omnia sua ad vnam Dei gloriam referre, reliquos vero mortales de illis celare maximopere studeret, ne quid humanæ laudis sensus de diuina mercede decerperet, hac prima peregrinatione suscepta, maxime obtinuit, quod erat in optatis, vt scilicet ex animi sententia lateret. Cum enim indubitatum sit non otiose sibi effluere dies Hieronymum esse passum, quia consueta charitatis munia, pœnitentiæ, paupertatisque labores exequeretur, verosimile est, dum sub vili amictu inglorius inter pauperum greges sese abdit, & cum iisdem stipem mendicat ostiatim, sæpe illos de Christianæ legis capitibus, de animarum salute, de vitiorum fuga, de agenda pœnitentia commonuisse, & ad pietatem extimulasse, arrepta vndique occasione salutaria monita ingerendi. Illud vero prorsus indubitatum ac certum ex publica fide tabularum, & Pontificii Diplomatis testimonio, Xenodochium Orphanorum Veronæ Hieronymi studio atque opera fuisse excitatum. *Augustinus Turtura in vita Æmiliani.*

ANNO CHRISTI
M. D. XXXII.

CLEMENTIS PAPÆ VII.
ANNO 9. & 10.

CAROLI V. IMPERATORIS
ANNO 3.

FERDINANDI I. ROMAN. REGIS
ANNO 2.

I. *Carolus V. Ratisponã totius Germaniæ cõuentum indicit.*

RAtisponam ad Danubium, Carolus Cæsar, totius Germaniæ conuentum, ad huius anni initiũ, multis de causis, & sanandis præsertim Lutheranorũ mentibus indixerat. Eo enim tempore, vt vidimus, celeberrimis in vrbibus vehementer conuulsa erat Catholica religio, ob idque in partes diducti plerique populi inter se bello contendebant, adeo vt Germania, armis, opibus ac ingeniis florens, dum insanis erroribus seruit, sublato consensu atque interrupta religionis authoritate, grauissimum vulnus accepisse videretur; eò præcipue, quod eius diræ pestis venenum ad animos potentum peruaserat, qui impie atque arroganter eas hæreses tuebantur. In his erant Ioannes Saxonum, & Philippus Landgrauius Cattorum Principes, Carolo & Ferdinando infensi, veteresque hostes Austriæ domus, cuius opes & dignitatem maxime infringi debilitarique, ea religionis conturbatione existimabant. Guilhelmus quoque Bauariæ Dux, qui multis præclaris cum familiæ tum virtutis subsidiis fretus, ad Imperium aspirarat, æquo animo ferre non poterat Ferdinandum superioribus Comitiis, velut adoptante fratre, Cæsarem appellatum; quereburq; Romanum Imperium vna in Austriæ domo tanquam

hæredi-

hæreditarium, perpetua quatuor Cæsarum successione confirmari; adeo vt eum vitio creatum diceret, & noua sub ade Comitia, veluti prioribus ambitu largitioneque corruptis flagitaret. Angebat etiam Guilhelmum genus suum à præalta stirpe repetentem ignominia repulsæ, quam tulerat in petitione regni Bohemorum, superante suffragiis Ferdinando; quamquam ipse aliquot procerum, qui authoritate maxime valebant, amicitiæ & studio plurimum inniteretur. Quibus de causis fiebat, vt Cæsar nequaquam eorum sincera fide aut egregia voluntate vteretur, qui vel piè sancteque de sacris potestateque Pontificis sentirent; propterea que minus facilem eius causæ cognitionem iudicaret: quamquam à Laurentio Campegio S.R.E. Cardinale Pontificis Max. Legato, cuncta firmissimis rationibus refellente, iure optimo damnari debere Lutheri placita censerentur. Ea enim non modo reiicienda atque damnanda modo, sed risu etiam excipienda esse iudicabant, qui sacrarum litterarum peritia vel mediocriter valerent; quando nulla constantia plures discipuli ipso Magistro inferiores, prouecta in immensum sacras Scripturas interpretandi libidine, à primæ rebellionis argumentis impudentissimè desciuisset; vt ipsi de nomine peculiares sectas conderent, & imperita multitudo ad factiones, & Principes ad intestina bella traherentur. Enimuero, vbi Ratisponam Catholici, Cæsar, Ferdinandus, Albertus Moguntinus Archiepiscopus Cardinalis, Ludouicus Comes Palatinus Rheni Dux Bauariæ, Ioachimus Marchio Brandeburgensis, Dux Stetiniæ, Electores; item Saltzburgensis & Tridentinus Cardinales; & cum eis Bambergensis, Herbipolensis, Spirensis, Augustensis, Patauiensis, Ratisponensis, Mindensis & Viennensis Episcopi; & ex Principibus Fridericus, Guilhelmus, Ludouicus, Otto, Henricus & Philippus Duces Bauariæ, Comitesque Palatini Rheni; item Georgius Saxoniæ, Henricus Brunsvvicensis, Duces; Georgius Landgrauius Leuchtenbergensis, Comites præterea & Barones complures, Abbates item & alii Prælati cõuenissent, multique alii, quemadmodum & ciuitates Imperiales ac liberæ Oratores misissent; Comitioque, missi à Pontifice, Laurentius Campegius Cardinalis Legatus à Latere, & Hieron. Aleander, Archiepiscopus Brundusinus, Nuncius Apostolicus, cum doctissimorum virorum corona interfuissent; Saxonis filius, & Landgrauius, cum cæteris Protestantibus, manifestè ad intestina bella spectantes, Schuinfurti, quod est ad Mœnum flumen, oppidum, conuenerunt, neq; Ratisponam ad Imperii conuentum ire voluerunt. Ad eos sanandos, Cæsaris consensu profecti sunt duo Principes Electores, Moguntinus & Palatinus, qui de pace politica vsque ad Concilium generale, deque auxiliis contra Turcam pertractarent, atque ad Ferdinandi obsequium illos traducerent. Illi porro proponebant; vt Confessio Augustana in locis Lutheranorum doceretur; neque quicquam ex ea, aut contra eam, vsque ad Concilium nouaretur; Sacramentarii & Anabaptistæ non reciperentur; Alienæ ditionis homines neque pellicerentur, neque defenderentur occasione religionis: Ad alienas ditiones, cõcionatores Lutherani ne mitterentur; vocati à Magistratu admitterentur; Auxilium cõtra Turcam ferentibus, vel ad Comitia vadentibus, liceret suos concionatores audire, & sacra habere; Temperaretur à contumeliis: vitia & errores moderate reprehenderentur: A Camera, occasione religionis ne excluderentur: iurisdictio Ecclesiastica, quo nunc esset loco, maneret; Episcopi, causa religionis nemini periculum crearent: sententiæ latæ de religione, de iurisdictione, de cerimoniis, de bonis sacris, quæ quidem in executionem non venissent, ad Concilium vsque prorogarentur; Bonis Ecclesiæ vterentur, fruerenturque ii, qui permanserint iis in locis, quò proprie bona illa pertinent, neq; per vim cuiquam aliquid eriperetur: Annui prouentus ad ea loca, quò solerent antiquitus deferrentur, donec Concilium aliter statueret: in rebus omnibus politicis, quod sui esset officii quisq; faceret, & Rempublicam omnes procurarent, ac mutuam fidem benevolentiamque præstarent. De his cum abunde deliberarent Principes Catholici, certis rumoribus affertur Solymanum innumerabilibus instructum copiis è Constantinopoli in Mysiam peruenisse. Eadem confirmant Pontificis, Venetorumque literæ. Magnus timor Germanis incutitur, Noricisque præsertim; qui proximis Barbarorum incursionibus, abacta pecora, raptos in seruitutem liberos cum vxoribus, & fratres trucidatos, incensaque ædificia, repentina belli clade consperserant. Fama erat ea de causa redire in Pannoniam Solymanum, vt Viennam expugnaret, à cuius mœnibus paulo ante fortiter repulsus, cum ignominia discessisset; aut si Germani duce Carolo Cæsare contra prodirent in aciem, de totius fere terrarum Orbis imperio decertaret. Ipsum enim se vnum esse, ad quem Romanorum Imperium legitimo iure pertineret, dicere solitum ferebant. quoniam Magni Constantini, qui vniuersi Orbis Augustus Imperator extitisset, sedem & sceptrum, atque vrbes eius imperii teneret; vti proauus Mahometes expugnata Constantinopoli, & Constantino supremo Græcorum Imperatore superato occisoque, hæc omnia iure belli capta Ottomanicis regnis adiecisset. Propterea quum de Carolo sermones inciderent, vel literæ scriberentur, eum non Cæsarem, sed Hispaniæ Regem superba dissimulatione vocare consueuerat. Elatus enim tot suis, maiorumque suorum victoriis, quibus à Mæotide ad Erythræi Indici; maris angustias, & ab extremis Illyrici finib. ad Armeniæ terminos imperium protulisset, decorũ maxime, & nominis sui fama dignum putabat, in Germaniam penetrare; terrorẽ, cædes, incendia circumferre, ostentareque aciem; vt Carolum acerbissimis suorum cladibus permotum ad pugnam prouocaret. Sperabat enim cum nequaquam vniuerso prælio certaturum, quod Germanos per causam Lutheranæ superstitionis inter se dissentire didicisset; vnde sibi non dubiam, erecto trophæo ex aliena infamia laudem pararet. Quod si eo animo esset Cæsar, vt prodire non dubitaret, & patentibus campis Christiana signa committeret; tum vero ipse sua occasione ad optimam spem exploratæ victoriæ veteretur, quãdo pedestres magna ex parte Germanorum copias circumducto ianumerabili equitatu, fame necare, spe prælii latè frustrari, ac demum funesta necessitate cedentes & dissolutos, in fuga proterere facile posse videretur. Cæterum suæ quoque dignitatis esse statuebat Ioannis Vngariæ Regis iniurias defendere, quem ipse in Vngariæ Regem constituisset. Is quanquam Ferdinandum maiore quam viribus contra se bellum gerentem poterat contemnere; Caroli tamen potentiam veritus, qui ex propinquo copiis, pecunia, authoritateque fratri opem laturus esset, à Turcis auxilia petere cogebatur. Ferdinandus, factus certior Solimanum prima agmina per Thraciam extendisse, ad eum cum muneribus, & æquissimis de pace fœlereque mandatis, tres legatos misit, quorum princeps erat Leonardus Nogarola, nobilis Vicentinus, literarum & multarum linguarum peritia insignis. Ii in Triballorum finibus obuiam facti Solymano, humaniterque suscepti, nihil plus retulerunt, quam vt castra sequerentur. His Ratisponæ nunciatis, Cæsar, Germaniæ proceres, legatosque liberarum Ciuitatum allocutus, docuit, in eo communi & grauissimo rerum periculo nihil tutius esse consensu, nihil dissensione calamitosius. Proinde excitarentur ad id classicum, quo sæuus & barbarus hostis catenas & compedes, & templis ac vrbibus vastitatem denunciaret: se constantissimo animo paratum esse contra hostes proficisci, ad tuendam religionis causam, ac nominis sui dignitatem, sispsi fortiter & alacriter coactis copiis Christi vexilla & victrices aquilas sequerentur, atque vna more maiorum pro salute omnium, & vetere gentis gloria bellum susciperent: accituri se confestim Hispanorum & Italorum expeditas cohortes, magni roboris auxilia, quibus Germanorum stataria legiones firmarentur: Clementemque Pontificem in hos apparatus magnam auri (in 10000. equitum Vngarorum stipendia pollicebatur) vim collaturum, vti destinasset, si hæc gnauiter parari & egregia fide administrari didicisset.

Solymanus Turcarum Imperator Imperium Romanum ad se spectare prædicat.

Solymanni superbia.

II. *Carolus V. acriter se ad bellum Turcicum præparat.*

Dilata, translataque erant Comitia Norimbergam ad tertiam Iunii diem, non quidem illa Ratisponensia Catholicorum, sed Suinfurtensia Protestantium; ad quæ conuenerant, Ioannes Fridericus Dux Saxoniæ, Franciscus Dux Brunsuicensis & Luneburgensis, & Mandatarii seu Procuratores Georgii Brandeburgici, Ernesti Brunsuicensis Ducum, Principis Anhaltini, Comitis Mansfeldii, & viginti quatuor Ciuitatum. Iterum intercessores de pace, consensu Cæsaris, Moguntinus & Palatinus supra nominati, ad eos missi, tandem post multam deliberationem, licet summa rei conciliari

non

non posset, tamen, quod irruente in Austriam Solymano, necesse erat omnes vires contrahere, in hoc conuenerunt: ne religionis causa cuiquam vlla molestia crearetur, adusque Concilii tempus, aut si nullum fieret tam cito, donec per Ordines Imperii alia fuisset inuenta ratio, dissidium de religione sanandi. qui contra fecissent, iis grauem proponebant pœnam. Cæsarem omnem operam daturum, vt intra sextum mensem Concilium indiceretur à Pontifice, & anno post inchoaretur. aut si hoc impetrari non posset, vt tum in Imperii Comitiis de summa rei tractaretur. Interim actiones omnes forenses, religionis causa iam intentatæ suspenderetur, neque posthac vllæ in Protestantes mouerentur; & si quid forte contra fieret, irritum foret. Hanc pacis formulam, cum intercessores Iulii vicesimo tertio die decreuissent, & subscriptis vtrimque nominibus stabiliuissent; tunc demum Protestantes obsequentiam & officium Cæsari detulerunt, & auxilia aduersus Turcam promiserunt: postquam Cæsar, Ratisponæ in Augustalibus Comitiis edito diplomate eam formulam comprobasset. Cæterum Catholici Principes, legatique, propensissimis animis responderunt, in animo esse omnibus, vt ab antiquissimis temporibus factum meminissent, salutem publicam & communem omnium, Imperiique præsertim existimationem tueri, propulsare iniurias, & Christianæ religionis hostes persequi: Cæsarem vero prolixe laudare, qui se eo bello Imperatorem futurum profiteretur, & externa item auxilia defendendis, adiuuandisque Germanis esset adducturus. Idcirco ipse fraterque Ferdinandus darent sedulo operam, vt ea, quæ vsui essent, mature & diligenter expedirent: ipsos enim ex vetere formula tabularum Romani Imperii, vti esset descriptum, æstimato prouinciarum atque vrbium censu, delecturos milites, & ad condictum Viennam vtique in tona castra missuros.

III. Igitur Cæsar Alfonso Vastio in Italiam perscribit, vt veteres præfectos aduocet, & per eos cohortes conscribat, & quantum maxime potest Sclopetariorum numerum paret; simulque Hispanos omnes Tridentinis alpibus ad se celeriter in Noricum adducat. Andreæ quoq; Auriæ iniungit, vt pari studio triremes, ac plures onerarias naues militariter exornet, & aduersus Turcarum classem in Græciam traiiciat. Accersit etiam è Belgio, Burgundiaque grauis armaturæ ornatissimam equitatum, & ab Hispania complures nobiles veteranosque milites, & sibi quoque primatim, cohortium prætorianarum nomine, duodecim millia Germanorum, ex his qui in Italia plura stipendia meruissent, mercede conducit; quibus præficiuntur Maximilianus Hebersthenius, atque Tamisius Italico bello clari duces. Vni Galli multis de causis, quas suo loco memorabimus, nihil huic bello sese miscuerunt. Angliæ Rex ab infami repudio legitimæ vxoris, quæ Cæsaris erat matertera, vti plane hostis deprauatum, & penitus alienum ab amicitia & religione animum ostendit.

IV. Interea Pontifex dabat operam, vt pecuniæ à Quæstoribus vndique cogerentur. Volebat enim in tanto rerum discrimine, vti communem omnium parentem decebat, erga Rempublicam Christianam præclarum pietatis studium ostendere; conciliandis præsertim Lutheranorum animis, qui eo beneficio, atque ea liberalitate ad sanitatem reduci posse viderentur. Erat ærarium Pontificii Imperii penitus exhaustum, superiorum temporum calamitate, recentibusq; iacturis atque impendiis. Nam Etruseo bello decies centena millia aureorum nummum expendisse ferebatur. Quamobrem in Senatu decretum est, vt quinque decumæ Sacerdotiis imponerentur; quæ res, minores Sacerdotes, sacrataq; Virgines, & sacras hospitales domus vehementer afflixit. Nam exactores cum imperio in prouincias emissi, dum priuato quæstui studerēt, incredibili acerbitate, diuina & humana omnia perturbabant; adeo vt plerique Sacerdotes templa desererēt, & passim sacrata vasa, & antiqua donaria conflarentur. Erant & qui prædia dicata altaribus venditarent, vt decumæ soluerentur. Neque honestissimus sacri belli prætextus, ac extrema prope necessitas inuidiam leniebat. quoniam Cardinales, qui opima Sacerdotia possiderēt, immunes esse rant: quasi illis ad tuendam Romanæ aulæ amplitudinem, de solitæ vitæ splendore nihil remittere moderariq; liceret: quum ex aduerso plerisq; egentibus, vltima vitæ alimēta raperētur.

Per hunc modum coacta pecunia Hippolytus Medices Cardinalis, qui bello interesset, Legatus efficitur, vt in summæ nobilitatis excellíque animi Legato, summa authoritas & dignitas emineret; eoque pignore tradito; Clemens propensissimam voluntatem erga Cæsarem præclare testaretur. In eum iuuenem, alterum & vigesimum agentem annum, natura fortunaq; certatim maxima dona congesserant: specie formaque corporis ac ingenii rara felicitate insignis erat: & super hæc liberaliter donando famam consecutus, adeo studia populi commouerat, vt suggillata Clementis tenacitate, quadam naturæ similitudine Leonis patrui memoriam renouaret; & opes iam, vel insanis ipsius sumptibus pares esse cæperant. Nam ei Clemens, Pompeio Columna apud Neapolim vita defuncto, eius Sacerdotia ac officia, quæ erant amplissima contulerat; quamuis esset ætatis ac ingenii vigore ad tractanda arma, quam ad obeunda sacra paratior. Propterea, quum ex lectissimis hominibus comitatum instrueret, aliquanto plures milites, quam togati viri ac Antistites proficiscentem secuti sunt. Eius aduentus Ratisponæ cum à Cæsare, Ferdinandoque Rege, tum à Germanis lætanter exceptus est. Nam ingentem pecuniam, multosque viros fortes & notos centuriones, ac militares equos adduxerat; & super hæc sine vllo fastu Cardinei cultus, oris habitum ingenuæ promptæque virtutis plenum præferebat. Igitur consiliis cum Laurentio Campegio communicatis, atque eo in Italiam dimisso, quod tum maxime neruorum doloribus laborabat, magnam auri partem effudit, conducendis primum octo millibus equitum Hungarorum, quos se habitarum Ferdinandus promittebat, si ad eos in finibus Pannoniæ dispersos, atque operam aduersus Turcam nauare cupientes stipendia mitterentur. Transierant enim ad Ferdinandum duo supra cæteros duces, Valentinus Thuracus, & Bachitius Paulus, hic Triballus erat, ille Hungarus, admirandæ virtutis homines, sed fide instabili. Nam ambo apud Solymanum in honore habiti, diu in Turcarum castris antea militarant, ac demum non ignobili transfugio ad Ioannem, atque inde commutata voluntate in Germaniam venerant. His Hippolytus legatus singula vexilla honoris causa de manu tradidit, in quibus pictæ erant imagines crucifixi Saluatoris nostri, ad commouendam vel in ferreis Lutheranorum pectoribus pietatem. Addidit etiam vestes ex auro purpuraque militares, & ficas Italicas, aureo sque torques: nec se passi sunt eorum ingentes animi liberalitate superari, quum paulò post & equum insignem cursu, & gladios more gentis incruos, æquato munere rependerint.

VI. *Ioannes Vngariæ Rex expulsus aduentantibus Turcis arma expedit & Strigonium obsedit.*

Iam prima Turcarum agmina Samandriam peruenerant, quum Ioannes Rex arma expedit, Gritto negotium dat, vt Strigonii arcem tormentis expugnet. Situm est Strigonium in ripa Danubii triginta passuum millibus à Buda. eius arx egregie munita Ferdinandi præsidio tenebatur. Igitur Grittus terrestribus atque naualibus copiis diu ante obsessam, admotis muralibus tormentis adgreditur, cuniculi aguntur, per quos suppositis ignibus ab imo totus corruat murus, atque extremæ in propugnaculis pinnæ, ferreis pilis decutiuntur: consistunt tamen fortiter in muro Germani, sed; acerrime fortissimeq; defendunt. Sed cum rerum prope omnium inopia laborarent, & minus salubri aqua vterentur, pluresque morbus plane sæuus inuaderet, desperata salute, à Posonianis auxilia, vexillo & fumo interdiu & noctu ignibus petere cœperunt. Erant Posonii Thomas Agriensis Episcopus, & Vulcanus Iureconsultus, Cæsaris Ferdinandique Legatus. Ii cognito Strigoniensium periculo, ad Viennæ præfectum scribunt, hortanturque, vt priusquam Solymanus Sauum traiiciat, deductis è Vienna præsidiis, & demissa grauiore classe, terra simul flumineque Danubio obsessis opem ferre maturarent. Grittus enim inconditam multitudinem Vngarorum & Seruianorum admixtis Turcis in castra contraxerat, nequaquam idoneam sustinendo prælio, si à peritis ordinum atque militiæ in subitum pugnæ discrimen adducerentur. Præerat Viennensi præsidio cunctisque Ferdinandi copiis Catianer, qui superiore bello aduersus Turcas egregia cum laude Viennæ mœnia defenderat. Erat Catianer sicuti in conferenda pugna fortis & impiger, ita non semper sobrius, & turbidus in suscipiendis consiliis, alacritate quidam inanis & pertinax: siue quòd Turcas putabat ad oppugnandam Viennam, vti arcem belli, protinus aduolaturos, & propterea eam vrbem nulla ex parte præsidio nudandam iudicabat: siue quod satis virium in sola classe futurum arbitrabatur; terrestri itinere nihil tentare constituit, prætermittensque facile patrandæ rei occasiones Posonianis rescripsit, vt Nasadias propugnatoribus quantas haberent instruerent: pollicetur vero se paulo post grauiora nauigia maioribus tormentis referta, atque exornata more maritimarum triremium, vt Nasadiis præsto essent, continuò submissurum. Vngaria Nasadias vocant nauigia oblonga remorum ordine valde expedita, biremibus prædatoriis quæ in mari infero visuntur, disciplina celeritateque simillima. Eius generis ad sexaginta in statione erant circa Posonium, quas vir Germanus cui Corporano nomen erat, rei nauali præpositus, vti Catianer præscripserat, deduxit, ac remige, militeque & minoribus tormentis complet: eo consilio, vt in Comaria insula, quam paulo infra Posonium Danubius efficit, desertum quoddam castellum occuparet, atque inde cum grauiora nauigia è naualibus Viennæ demissa applicuissent, in hostium classem inueheretur. Ea erat in obsidione Strigonij distributa in stationes, vt flumine nihil omnino obsessis importari pateretur. Dum hæc ad Posonium parantur, Grittus per speculatores de hostium consilio fit certior. Erant enim multi Vngari in partibus Ferdinandi, qui non valde turpe ducebant, vti libido ferret, hac & illac transire. Gens enim effera præsentis tantum gnara commodi, atque euentuum spectatrix studiorum commutatione magnopere gaudebat; adeo vt nemo fere in partibus Ioannis esset paulo notior atque nobilior eques, qui non aliquando cum Ferdinando Rege militasset: nec satis firma etiam fides erat apud sacratos Antistites, qui non semel animos atque opes alternæ fortunæ successibus applicassent. Igitur Grittus celeriter consilium cæpit præoccupandi hostis, conferendæque pugnæ, priusquam grauiora hostium nauigia Nasadiis coniungantur. Erant ei Nasadiæ numero Posoniensis ferme pares: gubernatorum vero scientia, & militum virtute aliquanto inferiores. Quamobrem in has complures sagittarios & sclopetarios Turcas distribuit, proponit præmia singulis, qui spectatum faciuus edíderint, atque omnes ad præstandam gnauiter atque celeriter operam cohortatur. Nec mora, aduerso amne per noctem ad hostes magno silentio deuehuntur. At Posoniani, qui iam ad Comariam peruenerant, vbi ex pulsu remorum renunciantibus speculatoriis nauigiis de aduentu hostium cognoscunt, vehementer perturbantur, vt ij plerumq; solent, quibus præoccupari deprehendiq; contingit, dum hosti insidias moliuntur. Erat præpositus quinq; Nasadiis Pestanus senex, negotij nauali admodū peritus. Is Corporanum monet: vt congressum deuitet, atq; sese Posoniū recipiat; ipsum à postremo agmine totius classis terga validissimis Nasadiis esse defensurum: non esse credēdum hostes, nisi magna de causa, & certa cum spe, veluti rebus exploratis, aduerso amne subiisse: peculdubio totius consilij decretum per Hungariam hostib. esse delatum, profectionemq; proditam, satis honestum videri posse eum receptum omnib. militiæ non ignaris, postquam grauios naues nondū aduenerint, quas etiam Catianer expectādas esse præceperit. Corporanus ingenio ferox nihil de Pestani monitis ad aures admittit: siue quod flagitiosum putaret nō expectare hostem vltro subeuntem, præliumque poscentem: siue quod suorum virtuti nimium confisus, aduersariorum vires magnopere despiceret. ergo prælij signum præponitur; diuiditur classis in acies tres: Pestanus omnium primus prorumpit, profluentisq; secundo cursu concitatus hostes adoritur: eo impetu quatuor eorum Nasadias perfringit, primum agmē perturbat, magnā victoriæ spem sequentibus præbet. At Turcæ confertis nauigiis vim atq; impetum inuadentium constanter excipiunt: fit prælium atrox, omittunt pleriq; remos, contis & gladiis rem gerunt, tormentorum sonitu ac fumo, & disſono clamore tot gentium, omnis oculorum atq; aurium vsus eripitur: ad hæc nebula crassior, vti fit, orta diluculo, ita amnem totum & classes intexerat, vt nauiū magistri nō plane perspicerent, quamnam in partem flectendi remi, si proræ essent incitandæ. Erat Turcis fluminis impetus maxime grauis & aduersus: sed ea iniquitas, coniuncta inter se eorum nauigia maxime confirmabat, adeo vt contra veluti æquata conditione, Posonianorum oculi aduersis Orientis solis radiis ferirentur; tum vero Turcæ discussa nebula, tantam vim sagittarum aduersis nauibus superfuderunt, vt propugnatores simul & remiges his confixi, Sclopetorumque glandibus traiecti, in fugam verterentur. In eo tumultu Pestanus egregiè pugnans interficitur: Corporanus cum tredecim omnino Nasadiis quæ celeritate reliquas anteibant, aduerso flumine profugit; reliquæ, aut demerguntur, aut desilientibus in proximas ripas militibus atque remigibus vacuæ capiuntur: ex mille & septingentis hominibus qui in Posoniana fuerant classe, fere quarta pars interiit; cæteri terrestri itinere euaserunt: nonnulli etiam capti, dimissique ab hostibus, non multo post Posonium sunt reuersi. Post id prælium, Grittus, quod cuniculis nihil profecerat; & duo muralia tormenta ab crebro vsu, vti accidit, feruefacto metallo disrupta fuerant, arcis oppugnationem intermisit: ratus circumuallatum hostem, non diu obsidionis incommoda, tam quam desperatis post nauale victoriam auxiliis, esse toleraturum. Inter hæc Alfonsus Vastius, amplius quatuordecim millia delectorum peditum ex Italia in Germaniam eduxit: præter voluntarios qui vndique Viennam postea confluxerunt. Secutus est legiones Ferdinandus Gonzaga cum duobus circiter millibus galeatorum equitum, in quibus fuit ala ab Alfonso Atestino missa, & trecenti veteres Hispani equites, & Græcorum aliquot turmæ, & plerique è tota Italia sine stipendio nobiles strenuique equites, qui antea ordines duxerant. Existimabant enim se ignominia notatos iri, si vti desides & parum pij sacro bello minime interfuissent. Hæc tanta multitudo ad Halam, salinis celebre oppidum, nauigiis imposita, secundo amne Oeno ad Boiodurum, quod hodie Patauia dicitur, Danubium intrauit. Sub id quoque tempus Cæsar inspectis Sequanorum & Belgarum alis quæ erant mirificæ, tormentisque maioribus quæ Norembergæ præsenti pecunia comparārat, ratibus impositis, à Ratispona Lintium deuehitur. Numquam tot nauium, totq; militum à Romanis vsq; temporibus Danubius tulit.

Turcæ cū Christianis prælium nauale cōmittunt.

Interea Solimanus, qui sextis & quinquagesimis castris Belgradum peruenerat, Sauo amne multis simul pontibus constrato, innumerabilem equitum multitudinem in Vngariam effudit, relicto in dextera Danubio paululum ad læuam deflectens, vt intactæ superiore bello regionis copiis vteretur, & in Valeriam prouinciam late fertilem, & Norico ad meridiem coniunctam, quæ Stiria hodie dicitur, recta contenderet. In eo itinere Guinium occurrit, quod Nicolizza vir fortis domestico potius quam externo præsidio tuebatur. Id est oppidum non longe ab vrbe Sabaria in plano positum, quadrato nec magno ambitu & modicis quidem mœnibus cinctum, tenue opibus, & prorsus ignobile, nisi ab ignominia Turcarum claritatem accepisset. Igitur Nicoliza refectis propugnaculis, repurgata fossa, oppidanis & paucis militibus animo confirmatis, vel ob id præcipue quod in Turcarum castris nulla essent tormenta muralia, vires minasque tanti hostis contemnere, seque ad extremum rerum exitum tueri constituit, vt exinde bellicæ virtutis & constantiæ habiturus famam, aut si cum oppido cadendum foret, Vngarorum fidei & fortitudinis præclarum specimē editurus. Habraimus ipse Bassarum Princeps, cui Solimanus, quod nemini vnquam ab Ottomannis datum meminerant, supremi imperij potestatem communicarat, ad Guinium profectus, Nicolizæ fidem promissis & minis pertentat. Nouerat enim hominem Habraimus, dum ille Constantinopoli legationis munere fungeretur, eumque veluti virum fortem ac industrium, sibi & Solimano conseruare, quam omnino perdere cupiebat. Sed cum Nicoliza nihil pacatum, nihilque demissum responderet, copiæ innumerabiles in coronam mœnibus admouentur, aguntur tribus in locis cuniculi, vt subditis ignibus mœnia ab imo disrupta frangerētur. Cæterum quum discisso & proruente muro Guinttani præsentibus animis introrsus munitiones extruerent, & cuniculis diligenter, vel à fœminis obuiam iretur, ac in statione vbi periculum posceret, audacter consisterent, & multi vtrinque tormentariis glandibus peterentur, Habraimus agmina Asaporum, atque item Ianizeros prætorianos ad eam muri par-

tem conuertit, quæ meridiem spectat: à Septentrionibus vero, vbi multi passim colles exurgunt, oppidoque imminent, curruli a tormenta perducit, eo consilio, vt terga propugnantium hostium, ab excelsioribus locis intercedente oppido verberaret. Ea res non statim animaduersa, magnum Guintianis attulit detrimentum: quum eodem tempore aduersi scloppetariorum & sagittariorum multitudinem vix ferre possent, auersi vero plumbeis pilis sternerentur. Erant ea tormenta non diruendis muris, sed ad campestres pugnas idonea, leuitate & breuitate expedita, ita vt commode subductis rotis singula singulis camelis veherentur. At Nicoliza quamque suorum clade perculsus sese non deserit, sublataque ex ædificijs magna tabulatorum atque asserum multitudine, perpetuam munitionem introrsus à muro, pedes duodecim erigit, qua milites protecti atque occultati commeando & propugnando, consistere possent. Eo subitario opere perfecto, Turcæ incertis demum ictibus tabulata petebant, ita vt pauci, & casu quidem, interirent. Sed quotidie non paruus numerus fœminarum, puerorum & senum vulnerabatur, qui conclusi domibus, cum parandis alimentis, tum sauciis percurandis vacabant, quod in ligneas domos frequentes pilæ terebratis repente tabulatis in nihil tale expectantes inciderent. Interim ducenti ferme equites Turcæ è castris speculabundi prædabundique vltra Neostadium excursionem fecerunt: qui quum diu vagati ad Leopoldium vicum peruenissent, incidere in insidias; sic vt inter amniculum, qui illac præceptis ripis perlabitur, & mediam vici regionem, quæ publicum iter præbet, intercluſi ferme omnes ab Vngaris equitibus cæderentur, aut caperentur. Præfectus alæ, Pauli Bachitij, detruncata hostiũ capita Viennam detulit, & ad omen victoriæ, spectaculumque coëuntium vndique militum, in mœnibus præfixit. Tum vero ex captiuis certius est cognitum, duplo ampliores copias, quam quisque Rex Ottomanus ad bellum eduxerit, & ob id fere innumerabiles esse in castris, ipsumque Solimanum sine muralibus tormentis aduentare, vt quamprimum collatis signis cum Cæsare confligat, aut si hostis armatus non occurrat, ferro ac incendijs cuncta obuia deuastet. Eadem quoque legati Ferdinandi retulerunt, quos ferica talari veste & singulis argenteis pateris Solymanus donatas à Guintio dimiserat, vt litteras ad Ferdinandum Cæsarem que deferrent. Hæ erant in oblongo & perangusto dentatæ chartæ volumine, aureis atq; cæruleis characteribus Arabice scriptæ, obsignataque aureo sigillo, & sacculo purpureo inclusæ, vtpote quæ tantis inuolucris barbari vanissimique Regis superbiam præferrent. In his enim vsurpatis multorum Regum titulis, tumidissime se terrarum prope omnium & gentium Dominum ac Imperatorem præscribebat. Sed summa hæc erat, se vindicandis iniurijs quas Ioanni Regi beneficiario atque amico suo intulissent, domo profectum in Pannoniam venisse, processurumque infesto exercitu in ipsorum prouincias, ac si quis contra resisteret, prælio certaturum secundissimis auspiciis Dei Opt. Max. & Mahometis, qui pro iustissima causa stare consuessent. Proinde si Regij nominis memores esse vellent, & armati progrederentur, vno prælio finiri posse controuersiam, atque ipsos totius orbis imperium in præmium victoriæ aut daturos, aut accepturos. Cæterum legati, vti ex captiuis variis pereunctationibus fuerat expressum, multitudinem quinquaginta myriadum in castris esse referebant, & tormenta ænea currulia trecenta, è quibus longe maxima vix anserini oui magnitudinæ pilam emitterent; castra plena esse omnis opulentiæ, securitatis, silentij, disciplinæ; Solimanum ipsum, si superstitionem demeres, ab æquitate, continentia, liberalitate, magnitudine que animi tanta fortuna dignum videri; statura esse supra mediocrem, habitu graciliore, ceruice oblonga, ore candido & exangui, ac osseo propemodũ naso, atque eo plurimum aduncо: raros patere ad prætorium aditus, sed cum cuncta beaignitatis officia per Habraimum humaniter implere: lautitiam sibi castrensi more large præbitam esse, nihilque sibi extra vini desiderium defuisse vnquam: vniuersum exercitum egregie ab veruecinis carnibus atque oriza, nullum panis esse vsum nisi subcinericij & tumulturarij; equos in vniuersum campestri pabulo contentos esse, cuius magnam copiam cæ regiones ferant: vnum esse in castris Habraimum, ad quem veluti exæquata cum Solymano militaris imperij potestate, rerum omnium summa respiciat; cum esse ingenio excelso, graui, expedito, & ad virtutem exornandam maxime prochui & liberali; penes hunc maximarum & secretissimarum rerum arcana recondi; adeo vt Solimanus in eius viri consilio, fide, ac vigilantia securè conquiescat. Ab eo proximam dignitatem tenere Asiacem & Cassimium magistros equitum, quos Bellerbercos vocant, huic Asiaticorum, illi Europæorum Sanzachos parêre. Secundum hos Michalogli Mustaphæ nomen celebrari, qui voluntariis equitibus præsit. Iisdem eorum lingua Acanzi, qui longe late que procurrere, regiones explorare, demorari, distinereque hostes, atque omnia ferro atque igne vastare soliti sint. hunc esse Turcica stirpe ortum, Ottomanis vetustate originis parem, militari prudentia clarum, antecedere eum castra duorum dierum itinere, & sicuti superiori bello fecisset, ante alios cum centum millibus equitum intra proximos Austriæ fines esse præcursurum.

Viennenses in Turcas palantes irrumpunt eorumque capita Viennam portant.

Interim Habraimus quum plures dies irrito conatu in oppugnatione Guintij contriuisset, quod abscedere incæpto, neque Solimani, neque suæ dignitatis esse statuebant, duo inusitatæ magnitudinis propugnacula, ante fossam erexit. Hæc non murum modo, verum & turrim quæ erat in angulo ad Austrianam portam altitudine superabant: ea etiam ratione muri angulum complexus, vt ex primo quod erat latius & excelsius, frontem hostium verberaret, & ex secundo per obliquum ipsorum latera peterentur. Ea continenti totius exercitus labore, quatuor omnino diebus fuere constituta, & in summam educta altitudinem, vt hinc etiam Turcarum multitudinem æstimare liceat. Imperatum enim fuerat singulis prope equitibus, omnibusque sarcinarijs iumentis, vt cæsam Asparum fecuribus materiam è proximis syluis in castra conucherent. Scapos enim ramorum magnorum, aut discussarum arborum decisis frondibus, æquali & ea quidem tricubitali longitudine ita collocabant, vt alternis ordinibus modo recta & modo obliqua serie, alteri scilicet alteris impositis ingentem lignorum struem efficerent, ad effigiem latissimæ turris, è qua non modo qui in muro consisterent, sed & qui intra oppidum vagari vellent, à Sclopettariis & sagittarijs conficerentur. Eo opere incredibili celeritate confecto, repletaque fossa, & compluribus in muro occisis & vulneratis. Turcæ, qua murum cuniculo disruptum diximus, in oppidum impetum fecerunt: quibus irrumpentibus Nicoliza quantas habebat copias, vt in extremo conatu necesse erat, haud cunctanter opposuit. Sed quum iam prope intra murum peruaderent prætoriani, tantus sublatus est clamor cum eiulatu, ab imbelli puerorum & fœminarum multitudine, vt stupefacti potius quam territi impetum repressierint. Ea cunctatio sicut subeuntes tardauit, ita animos propugnantibus in immensum adauxit. Natura enim fit, vt homines tum maxime audeant, cum repente commutata fortuna timere desierint. Eo modo quum præfecti cohortium milites castigando atque item verberando nihil proficissent, pugnæ finis impositus est. Referebant Turcæ se integri erumpentis ab arce præsidii strepitum clamoremque putasse, Equitemque districto gladio ipsis subeuntibus comminantem in aëre conspexisse eam proculdubio extitisse Diui MARTINI Turonensis Episcopi speciem, qui Sabarienses suos ciues apud quos olim natus, omnibus dubiis temporibus certo tutelari numine conseruasset; quemadmodũ Nicoliza, obsidione postmodum liberatus, Viennæ & alibi referebat. Porro Habraimus pudore atque ira vehementissime conturbatus, dum vt Nicolizæ animum peruincere nequit, honestissimis oblatis conditionibus expugnat. Data enim fide publica euocatum ad se in castra, cum summo honore verborum eius virtutem collaudare cœpit, rogauitque vt periculum fortunæ facere desineret: oppidum in eius potestate se relicturum, si in verba Solymani iuraret, & in speciem præsidii aliquot Turcæ veluti tradito oppido reciperentur. Nicoliza, qui ex octingentis strenuis defensoribus vix tertiam partem, atque eam confectam vigiliis & vulneribus debilitatam, sibi superesse meminerat omnino transigendum existimauit. Quid enim optatius accidere poterat, quam ipsum cum præclara fide virtutisq; laude retinere oppidum? & cum sola inanium verborum iactura tantam suorum multitudinem supremo metu atq; periculo liberare?

VIII. *Guintii Hungariæ oppidi à Turcis expugnatio.*

Quum in colloquio nullum timorem præferret, & præsidij vires effusè fingendo adaugeret, affirmauit se antea oppidum dedere paratum fuisse ob amicitiam Cõstantinopolitanam, sed semper fuisse prohibitum, quo minus votum impleret, ab Germanis & Hispanis, feris violentisque hominibus, qui in præsidio essent: eos quoque tum vel exorantibus pueris ac ipsis fœminis, vt ipse exiret, ægerrime permisisse. Itaq; se polliceri Turcis omnibus qui illac transirent amicum fore, eisq; quos posset commeatus ex copia attritæ regionis præbiturũ liberaliter, & Ottomannicum vexillum in summa turre pfixurum. Id vero quod ad Turcas introducendos pertineret, vt dediti oppidi acceptiq; præsidij species præberetur, se præstare omnino cupere; sed plurimum vereri à Germanis & Hispanis, qui Turcicum sanguinem inducti religione maxime sitirent, tumultu facto discerperentur: vt demum violato iure gentium, & corrupta spe deditionis, ad funesti belli discrimina sit redeundum. debere eum qui maximis eo bello reb. gerendis immineret, vt se inde explicaret: sponte dediti, & in veterem amicitiam recepti voluntate, & fide cõtentum esse, sicuti ipse dum oppido exiret, vti securus de salute ac reditu; sese numquam antea exploratæ fidei commisisset. Ad extremum Habraimus, virtute atque astu Nicolizæ superatus, id tantum impetrauit, vt Ianizerorum decuriam intra portæ limen admitteret: quibus introductis, & Illyrica lingua ad potandũ vinum, cuius ea gens est auida, comiter inuitatis, & sibi, & Habraimo cumulatissime satisfecit; cum neque Germanos, neq; Hispanos in præsidio habuisset. Nec multo post Habraimus, & ipse qui non longe subsederat Solimanus à Guintio discedunt, & in Carinthiæ fines ad Muram amnem feruntur, in læuam longe à Danubio vertentes agmina, & penitus à Cæsarianis exercitibus discedentes, qui iam magna ex parte trinis circa Viennam positis castris conuenerant, ac aductum Turcarum alacriter expectabant. Erat enim opinio orta primo à præfectis, vti fit, ac demum edita in vulgus, Solimanum in Neostadianos & Viennenses campos, qui lætissimi & latissimi sunt, à Guintio statim esse progressurum, vt equitatu, qua parte virium erat superior vndique præmisso aciem ostentaret: & si Cæsariani obuiam irent, iusto prælio congrederetur. Sed ab ea ratione alienum id iter adeo timorem ante de Turcis non abs re conceptum, ex animis omnium deterst: vt qui tanta mole virium incubuissent, tantæ arrogantiæ & tanti fastus imperator, existimatione & dignitate spoliatus profugere crederetur, Turcasque iam Christiani milites, vt ignaros rudesque militiæ, munitionumque præsertim & operum, penitus irriderent, postquam oppidulum tantis circumsessum copiis, & tantis operibus oppugnatum, viginti trium dierum spatio capere nequiuissent. Cæterum tribus de causis id iter Solimanum tenuisse postea à captiuis cõpertum est. Primo, sicuti ipsi iactabant, vt ad Cæsarem breuiore compendio contenderent, quem nondum à Ratispona Lintium peruenisse, cunctanterq; Viennam deuehi cognouissent. Secundo, quod Neostadium, vti paludib. cinctum, magnoq; tormentorum apparatu, & valido militum præsidio firmatum, nequaquam sibi tentandum esse decreuissent; quo ab hostibus in sessõ, atq; in tergo relicto, ad Viennam sanis hominibus minime fuerit procedendum. Tertio, vt tutissimo, fertilissimoq; itinere inter Drauum Sauumq; suscepto, quum æstas in exitium præceps, & grauis imbribus autumnus suaderent, ad Belgradum reuerteretur. Credibile magis videbatur, Solimanum perspecta totius Germaniæ ad id bellum alacritate, cognitoq; Italorum atque Hispanorum aduentu, de quorum numero ad eum ampliora & maiora vero, à speculatoribus veteribusque amicis deferebantur, repressisse animi ferociam, & tuto euastare prouinciam, quam ancipiti cuentu Christianorum vires collatis signis experiri maluisse.

IX. Sub id fere tempus, quo Nicoliza Guintij maxime laborabat, Viennæ militaris seditio exarsit, non modo propinquitate hostium periculosa, & pene exitialis, sed disiunctione animorum, & disciplinæ conturbatione grauissima, nisi Deus celerem atque inexpectatam opem rebus prope perditis attulisset. Rochandolfus enim Regiæ familiæ Magister, quum in aduentum Cæsaris, totque Principum & Legatorum hospitia præpararet, Hispanos qui in Pannonia militarant vrbe excedere, & in proximis campis extra tendere iusserat. Illi id se facturos pernegabant, nisi merita stipendia præberentur; quod Viennensium hospitiis assueti, omni castrensi supellectile, pecuniaque carerent. In hos Rochandolfus contumacius hærentes impetum fecit, excitisque more militiæ ad arma Germanis & Viennensibus tormenta currulia prouexit. Nec se deserunt Hispani, quamquam numero inferiores, & in oblongam regionem conglobati sensim pedem referunt, portamque occupant, quæ in castra deferebat, admissuri in auxilium Hispanos, qui ab Italia venissent, atque item Italos, qui vt in aliena terra viribus essent firmiores, antea cum Hispanis, cohortante Vastio priuatum fœdus inierant. Res eo perducta est, vt quum Rochandolfus vir admodum iracundus & ferox, armatus in equo vehementius vrgeret, & tormenta producerentur, contraque Hispani obuersa scloppetariorum cohorte consisterent, pene crudeli prælio certaretur: tantus erat vtrinque furentium ardor, ad conserendas manus, vt deprecantibus summis ducibus quiaderant, non modo non parerent, sed promiscue omnibus minarentur; adeo vt Alfonsus Vastius, & Antonius Leua, Hippolytusque Cardinalis Pontificius Legatus, qui eo ad visendum belli apparatum à Ratispona decurrerat, quum deprecando orandoque nihil valerent, sese intra proximam domum recludere cogerentur. Dum arma quatiunt, atque ignes tormentis imminent, haud dubie cœleste aliquod numen Christianis rebus adfulsit. Sponte etenim veluti exæquato vtrinque periculo milites arma depressere humi, Rochandulfo ira deferbuit, adcurrêre duces, dictæ sunt conditiones, atque æquis auribus acceptæ; promissa item stipendia in pacandis vtrimque animis. Antonij Leuæ, qui in sella humeris hominum inter armatos illatus ora couerterat, authoritas plurimum enituit, Cardinale Legato præsertim, Vastio, & Ludouico Lodronio inter iratos, iam depositio metu sese miscentibus. Paulo ante ad Cremsium, quod est oppidum in vlteriore Danubij ripa inter Linzium & Viennam, Hispani authore Hieronymo Leua, seditionem mouerant. Iusserat Cæsar, vt milites nominatim per manipulos atque centurias recenserentur. Nam æmuli atque inimici ipsius Vastij, vt eius dignitatem & gratiam conuellerent, Cæsari detulerant, falsum ab eo in cohortibus numerum militum referri. Ob id Petrum Consaluum Mendocij triclinij præfectum Cremsium miserat, vt milites inspiceret diligenter, & descriptis sigillatim stipendium numerari curaret. Antea siquidem præfectis cohortium vniuersa pecunia dabatur, vt illi iudicio suo in ea diuidenda vterentur. Quum discretæ cohortes in templum, instituto ordine à quæstoribus citatæ essent, & vnicuique militi stipendium de Quæstoris manu solueretur, militibus nouum morem approbantibus, vni omnium ex Leuaniana cohorte reclamare, tumultumque miscere cæperunt. Hæc vbi videt Vastius, qui initia seditionum audacter opprimenda esse dicerat, districto gladio in medios irrupit, duos qui seditiosius commilitones incitarant, ex conscientia sceleris è templo profugere conantes vinciri iubet; ex his quæstione habita, Mendocius cognouit seditionis autorem esse Hieronymum Leuam, qui ad Atheſim etiam alicuius consternationis princeps extitisset. Itaque Mendocius re ad Cæsarem per tabellarios delata, breui mandata recipit, damnatusque Hieronymus Macicao castrorum Magistro traditur; atque ita ad minorem ignominiam in tabernaculo iugulatur, vir egregie fortis, ingenio validus, eloquentia vero & vultu antiquis ducibus comparandus. Leua sublato, cæteri in officio permansere, retulitque Mendocius, se plenissimos optimis militibus cohortes reperisse: adeo vt ea res ab inuidis conficta, malignèque delata, ipsi Vastio apud Cæsarem gratiam ac benevolentiam magnopere confirmarit.

Dum hæc fiunt, Michaloglus iubente Solimano, ex voluntariis prædatoriam manum emisit, duce Casono, qui superiore bello vastabundus ad Lintium vsque prærcurrerat. Huic præcipit, vt iter non intermittat, longe lateque totam eam regionem peruagetur, quæ est inter Danubium & alpes; vt de Cæsare hostium que copiis certius cognoscat; ac demum id præstet, vt maxime funestam & luctuosam Germanis aduentus sui memoriam relinquat. Erat per se Casonus vir

X. *Turcarum prædatorũ agmen ad Lintium Danubij oppidũ excurrit.*

impiger, & prædæ auidus; ied eo etiam promptiorem operam pollicebatur, quod superiore incursione se maxime illustrem atque opulentum euasisse meminerat. Igitur in tres alas ad quindecim millia equitum, modicis tamen interuallis, diuiduntur; in agris late, pagisque præsertim, & in fuga plena timoris atque tumultus, magnam mortalium omnis sexus & ætatis multitudinem improuisi, repentinique opprimunt: senes inualidi, fœminæque cathenis & laqueis tracti, equorum cursum adæquare coguntur; ædificia item, & in his infantes pueros, barbara feritate succendunt; adeo vt per centum & quinquaginta fere milliaria rectis & transuersis itineribus cuncta ex continenti fumo, flammis, & ignibus colluceret. Casonus ad Lintium vsque prouectus, quum ad Anasum amnem tertio ab vrbe lapide peruenisset, tantum terrorem intulit Lintianis, vt Rex Ferdinandus, quod ibi nullum esset militum præsidium, ab Hippolyto Cardinale Legato cohortem italicam poscceret, cuius præsidio Anasi pontem tueretur. Is primus omnium ab Cremsio rediens, conspectis ab aduersa ripa Turcis, de eorum aduentu nuntium attulerat. Itaque confestim cò mittuntur viri fortes, Sforzia Balionus, atque Ottho Montaculus cum valida Sclopetariorum manu. Hi contractis aliquot ligneis doliis ad caput pontis subitariam munitionem erigunt, continuoque reuocant Hispanicam equitum alam, quæ in prima trepidatione Rosale veterano duce, quin Danubium transiret retinere nequiuerat. Sed Casonus, siue ponte non animaduerso, quod frondosæ arbores prospectum impedirent; siue vado superius imprudenter tentato; siue vt credi par est, quod non vsque adeo audendum putaret, vt ad oppidi portam progrederetur, ad læuam deflexit: nec ibi Rex Ferdinandus, vti oppido diffisus, diu constitit, sed ad Aciliam vrbem, quæ Strabinga dicitur, ad Cæsarem, vt copias pararet, ea nocte contendit. At Casonus coacta ingenti præda, euastataq; vniuersa regione, quū paganos ad arma concurrentes passim cæderet, aut cluderet, eodem fere itinere regreditur; Solimanum ratus se, aut Guintij, aut in proximis supra Neostadium campis esse reperturum. Sed is iam promotis castris ad vrbem Græciam, Stiriæ Metropolim, quæ est ad Muram amnem iter intenderat. Id itineris consilium ex falsa opinione susceptum, Casonum importune decepit, atque ei pariter supremam attulit calamitatem. Nam vbi ex frequentibus incendiis cognitum est, Turcas ad Lintium vsque regionem latissime & crudelissime popolari, ex omnibus castris copiæ sese effuderunt, vt transeuntibus occurrerent. Germani enim ad recuperandam prædam, vindicandasque iniurias vehementer excitabantur; & quisque dux priuatum sibi consilium desumebat, quum in vniuersum consultandi & coeundi, & tempus exiguum, & hostium inaudita celeritas, omnem facultatem eriperent. Non enim prædatorias tantum alas euagari, sed adesse robora equitatus, atque ipsum etiam Solimanum aduentare crediderant. Itaque Vastius à Cremsio Danubium traiicit, & per nemora, versus Diui Hippolyti oppidum ad hostes fertur. Fridericus Palatinus, omnium auxiliorum quæ Germania contulerat Imperator, ad Viennam superato Danubio castra mouet. Austriam duces, Sigismundus Prandeser, & Ricianus à Neostadio copias educunt; Ludouicus Lodronius alio opportuno loco castra constituit. Idem Bohemi, Morauiq;, & ipsi ante alios Vngari impigre faciunt; loca ad tendendas insidias quæritant, per quæ transituros hostes arbitrantur. Vastius frustra syluas & nemora triduo peruagatus, quum & commeatus deficeret, & Turcæ retro conuersi, longe abessent, iam senescente in his locis eorum fama, Cremsium, & mox Viennam copias reduxit.

XI. Secant mediam Austriam Norici perpetui montes, qui ab alpibus Rhæticis oriuntur, seseque molliori bus fensim iugis ad Danubium vsque demittunt; adeo vt in ripa fluminis perangustum iter equis, nonnumquam & curribus relinquant. Ea montium congeries, vsque ad Vindeliciæ fines pertinere dicitur, castellis satis frequens, multis amnibus irrigua, pecoris abundans. In hac regione multæ atque latissimæ sunt conualles, partim aratris cultæ, & pascuis fertiles, partim syluis atque nemoribus impeditæ. Eæ ad exitus fauces habent, pertinentes ad eam planiciem, quæ Noricum à Pannonia citeriore disterminat, & ad Sabariam Vesprimiumque perducit. Ad hos conuallium exitus Christianorum duces, vti quisque ab oppidis fumo & sclopis significatione facta de Turcarum aduentu cognouerat, distinctis locis copias admouerunt; intente expectantes, vnde nam hostes essent erupturi; quum in quadam conualle, circa frumentarias molas ad amniculum, Casonus aquationis commoditate inductus consedisset. Neostadienses de hostium aduentu certiores facti, vtpote qui in propinquo erant, primi omnium cum quinque millibus peditum, ad occupandas fauces aduolarunt. Erat despectus in vallem ab edito collium iugo; ita vt Christiani conspectis Turcarum castris, vt eo declui mollique descensu, quin continuo decurrerent, contineri nequiuerint. Erant eæ cohortes quatuor expeditæ Hispanorum atque Italorum sub Ludouico Coucio nobili atque impigro; sed ea die nimis præcipiti, atque præpropero duce. Nam qui modicis passibus & silenti agmine descendere debuerant, effuso cursu & clamore edito præcipites ierunt; adeo vt cum fatigati & cursu & armorum pondere peruenirent, excitatis iam ad arma Turcis, numero & viribus impares essent. Ita occisis paucis frondatoribus, qui obuij primo fuerant, accurrētium mox equitum vim ferre nequiuerunt. Cecidēre in prima fronte gladiis ingentibus obtruncati, Ferdinandus Cabreria Sardiniæ præfecti filius, Franciscus Rocha Centurio, Villazanes signifer, & Martinus Gorrea nobilis Tarraconensis; milites magna ex parte sunt cæsi, nonnulli in paludem profugientes vmbilicotenus totam noctem latuerunt: cæteri agiliores conscensis montibus euasere, ipse Ludouicus vallum rusticanæ aream concitato equo saltu superauit, & ad Germanos est reuersus. Ii Sigismundo & Ricciano ducibus, cum ab alto sociorum cædem fugamque conspicerent, vti instructa acie descendere, atque laborantibus opem ferre vellent, nulla ratione adduci potuerunt. At Casonus, ne sibi in valle & palustri impedito que loco, vbi diluescceret, cum pedestribus hostium copiis esset dimicandum, captiuos quatuor millia numero, ne oneri essent, barbara feritate ad vnum omnes interficit; & intempesta nocte duobus factis agminibus castra mouit, alterum Serisio duce, ad meridiem perrexit, succiso nemore & patefacto exitu, quod mirabile fuit, equitum securibus, nullo accepto incommodo ad Solimanum peruenit; alterum ipso Casono duce per Storambergi oppidi vallem erumpens, in Palatinum incidit. Is ad Leopoldium vicum, cum 12. millibus peditum, & duobus equitum grauis armaturæ, tormentisque viginti curulibus in acie constiterat. Forte tum orta erat ex proxima palude nebula densior, quæ mutuum vtrisque aspectum omni ex parte sustulerat: qua demum dilabente, in aduersos Palatinus tormenta displodit: his vehementer Turcæ perterrentur, & cum deflectere paulum volunt, vt pilas euitent, in paludem proximam equos imprudenter adigunt. Ibi multi tenaci in voragine impliciti perierunt, nonnulli equis longo cursu defatigatis & in acie consumptis, cum extricare sese nequirent, pedites euaserunt; multo maxima tamen eorum pars ad Christianorum acies se conuertit, solis peltis protecti, & districtos gladios in humeris deferentes, adeo intrepide, vt ante densissimam hastatorum phalangem decurrerent; spectantibus & conseruantibus locum atque ordinem non modo peditibus, sed ipsis etiam equitum alis, nihil se in prætereuntes euadentesque incitantibus. Tum Palatinus conuersus ad suos; Spectatores ergo, inquit, non bellatores erimus commilitones? Si vt sese vltro hostes nostris cuspidibus induant expectamus, incitate acriter equos atque hastas intendite, vt prætereuntium agmina perrumpamus. Nec mora, signo dato, armati equites in latera densatis cuneis incurrunt, magna equorum atque hominum strages editur, postremum Turcarum agmen intercluſum à primis, vndique vrgent. bus cataphractis cæditur & profligatur, pauci euadunt, sternitur eorum vexillum, & ad Palatinum defertur, cecidit & ipse Casonus, vti impigrum ducem decuit, supremo virtutis opere edito. Nam à nouissimo agmine, vt suis spatium ad euadendum præberet, diu acerrime ferrea ingenti clava dimicans restiterat, erat enim inter omnes insigni crista conspicuus: ea fuit ab aurea vagina in fronte exurgens alla vulturis, quæ vt ab omnibus nosceretur, appensi atque ideo volitantis plumei veli mappulam trahebat. ea demum Cæsari dono data, occisi eo prælio Casoni fidem fecit. Cæterum Turcæ amisso duce vexilloque, & tertia fere suorum parte desiderata, quum in patentes campos euasissent,

Turcæ christianos multos occidunt.

Turcarum strages.

vix emensi iter passuum septem millium in Lodronianas copias inciderunt. Lodronius enim vbi tormentorum boatum audiuit, ratus quod erat, Palatinum cum Turcis prælio congressum esse, cò ligna conuerterat, vnde cauæ perfractus valles iterato repercusso acceptum armorum strepitum reddebant. Nec mora Turcæ conspiciuntur, & ante alios fere trecenti, qui amissis equis in Christianos pedibus tanta vi tantaque alacritate impetum fecerunt, vt sese lanceis induere, & offerre tormentis minime dubitarent, modo Christianos vel semiuiui traiectique vulnerarent, tantus inerat, aut desperatis, aut deuotis animis mortis contemptus. His celeriter interfectis affuere equitum agmina, modo confertis, modo dissipatis ordinibus. In hæc Lodronius tormenta emitti vetuit, ne Christiani qui terga fugientium cædendo è Palatini castris subsecuti fuerant, vti erant hostibus permixti, temere sternerentur. Ita Lodronius omissis tormentis, magnum spatium directa peditum acie complexus, atque item pari consilio Ioachimus Brandeburgensis cum duobus millibus equitum lunata acie veniētes excepere. Ibi vecordia siue temeritas hostium debitas inuenit pœnas. Nam sicuti intermittere fugam atq; etiā feruida ora conuertere cæperant, vt dextras cōsererent, & minime animis fractis ostenderent: ita vi atq; impressione Christianorum perturbati pecorum more cædebātur. Nullæ enim eis loricæ, aut galeæ, rari arcus, hastæ rarissimæ, vtpote quas per nemora diuersis casib. fregissent, nec deerant qui cædis satietate aliquos caperent, vt ostentari possent, & demum sacri belli iure pro seruis venderentur. Tanto accepto incommodo Turcæ, qui sese ex manibus Christianorum explicabant, agminatim in patentes cāpos efferebantur. Equi enim eorum, quamquam continenti tot dierum labore & media confecti, natura tamen agiles, & in extrema necessitate vehementer incitati, facile Germanos, qui grauioribus armis & equis vtebantur, vel in modico spatio reflexi in gyros eludebant. Eo modo profligatos nequicquam persequentibus Germanis latissima planicies excepit. Ea vtraque parte habet nemora, solo herbido, & raritate arborum adeo peramœna, vt equestribus præliis tota Europa nulla commodior esse videatur. Hæc exitum habet ad Neochircum oppidum, cuius mœnia abluit modicus amnis; virentibus ripis, & aquarum salubritate ponendis castris opportunus. Ibi dum Turcæ, velati superatis omnibus eius dici difficultatib. conquiescere parant, & equi viriq; promiscue summa lassitudine defessi è profluente bibunt, & tenuis alimenti ex salita carne atque ea siccata in pulucrem reliquias expediunt, nouorum hostium superuentu perturbantur. Catianer enim ipse, & Turrianus equitum Magister cum tribus millibus equitum diu quæritando hostes euagati, accepta demum, vt diximus, per manus ex fumo & tormentorum bombis significatione Neochircum decurrerant. Ita tumultuarium prælium exoritur: multi Turcæ vti in gramine strati deprehensique dum equos frenant, ephippiaque substringunt, latè cæduntur. Mox ita æquatur pugna, vt cum fortissimi quique validioribus vtentes equis in tergo constantissime dimicarent, reliqui capto moræ spatio ad euadendum antecederent, & sæpe conuersi ac demum auersi certamen redintegrarent. Christiani tamen omnibus rebus ac animis præsertim superiores, ita perturbatis fessis, vulneratisque instabant, vt passim peramplum eorum numerum prosternerēt. reliqui tamen magna ex parte euasuri viderentur, nisi, quod summam Turcis attulit calamitatem, & feroces adhuc eorum animos late perfregit, nequaquam ante expectati Vngari superuenissent. Valentinus enim & Paulus, itemque Balthasar Pamphilus, & Claudius è montibus decurrentes, cum singulis alis in transuersos impetum fecere, atque eos adæquato equorum cursu, per sexaginta amplius stadia terga cædentes sunt persecuti. Erant enim equorum pernicitate, & armorum genere, & pugnandi disciplina Turcis simillimi; & eo terribiliores, quod recentibus equis aduenerant, & Turcica lingua ad eos perterrendos, dum fugam increpitant, & superbe insultant, feris vlulatibus vtebantur. Ea die quum à tribus exercitibus, tribus in locis esset pugnatum, summa virtutis laus penes Hungaros fuit; cò tamen æquiori conditione, quod tribus iam præliis profligatos, & in fugam coniectos, neque postremo paratos ad prælium deprehendissent. Vni Austriani, Sigismundo & Riciano ducibus, qui biduo ante, commilitonum cædem ab excelso loco despectarant, & se demum in Neostadium vrbem recreandorum corporum causa receperant, tantæ victoriæ participes esse noluerunt, Eos enim somno vinoque sepultos in tanta occasione, Rauber Labacensis Antistes vir grauissimus, vt arma caperent, & oppido exirent, excitare nō potuit. Quum Vngari insequendi finem fecissent, Turcis effugium patuit, solicitudines syluarum petēribus. Sed ij demum pars ad Ferreo castrum, pars ad Vesprinium & Balatonem lacum, in manus effusorum ad prædam populorum peruenerunt: adeo vt ex octo millibus vix pauci ad Belgradum, nulli vero ad Solymanum in castra peruenerint. Ita præclarè, scilicet, Christiani, qui innumerabilem Turcarum exercitum vniuersum excipere festinabant, contro octo tamen millia, vniuersis viribus depugnarunt: vt tamen nec vno prælio: neq; omnes opprimere potuerint.

XII. Porro Cæsar, vbi Solimanum didicit ad gratiam contendisse, Lintziana in arce duces ad consilium vocat, sententias exquirit, an breui & recto itinere ad hostem sit properādum, vt Stiriæ maturam opem ferat. Grætia, Lintzium, & Vienna vrbes ita inter se sitæ sunt, vt æqualium fere laterum trianguli figuram efficiant. Sed à Lintzio Grętiam iter est expedito equiti trium dierum, maxime asperum, & conuehendis præcipue curulibus tormentis impedirum. Id enim quum à Danubio recesseris, per Velsienſium fines, & Salisburgum, quæ antiquitus Iuuauia dicebatur, perpetui montes & abruptæ valles excipiunt. Erant qui dicerent cum Turcis æquiore cōditione posse confligi, si in regione montosa & perangusta per expeditos pedites bellum gerendo, equitatus hostium, quo illi maxime valerent, inutilis redderetur. Id consilium quamquam maximas haberet difficultates, quod ab ore strenuorum ducum proficisci videbatur, cò Cæsarem adduxit, vt Apontius Hispanus, qui apud Antonium Leuam castrorum præfectus fuerat, ad explorandum iter mitteretur. Sed is paulo post, quum deserta passim omnia incolarum pauore & fuga comperisset, pauca atq; ea incerta de hostili itinere speculatus, Lintzium redit. tum vero ex omniū sententia pronunciatum est, vt Vienna peteretur. Ibi enim conuenisse totius Germaniæ copias; ibi prouisa re frumentaria cōmoditati tanti fluminis, tantisq; minorum amnium, qui ab vtraq; ripa in id defluerent, rerum omnium deuectionibus non defuturos commeatus; & denique ibi recensendum lustrandumq; vniuersum exercitum; & si hostis regrederetur, ante vrbis mœnia collatis signis esse congrediendum. Non defuere tamen qui petendæ Viennæ consilium, vt diuersum ab hoste, & à gerendo bello penitus alienum, haud obscure damnarent: quasi hostis in ea calamitate prouincię à Cæsare omnino fuerit persequendus. Sed aliam inferentis bellum, aliā propulsantis rationem esse constabat; adeo vt dignitate integra Cæsar prætorio in Viennensib. campis semel posito, ignobiles hostium motus excursionesque spectare, & inanem strepitum superbi hostis à multo terrarum spatio prouocantis simul & recedentis, irridere posse videretur. Itaq; Cæsar, Viennam classe deuectus, Hispanos atque Italos decurrentes more militiæ, & pugnæ simulachrum edentes cum summa admiratione ac voluptate inspexit. Antecedebat Vastius cū pedestri fraxineo cōto, auratis armis, & sua insigni proceritate conspicuus. Is densando & celeriter explicando cohortes, ad varias acierum effigies, quanta arte superiorib. bellis pugnatum esset edocebat. Sequenti die Cæsar Germanos inuisit, ferina pelle contectus, vt vel ea militari comitate quale esset erga eos studium, vsurpato gentis habitu testaretur. Tum Federicus Palatinus, virtute animi atque oris habitu antiquis Germanorum ducibus, qui quondam Romana arma exercuere, persimilis, iuxta peditum phalanges, displosis miro ordine tormentis, quadrata agmina traduxit. Ibi videre erat prægrandes equos ferreis bardis protectos: ingentia virorum corpora longe pulcherrimis munita armis, omnibus intortæ atque rutilantes barbæ, atq; ora bellicum vigorē spirantia, quales antiqui Theutones Cimbriq; fuissent, ex litterarum memoria, referebant. Neq; enim gregarios equites, tot reguli, totq; liberæ ciuitates, sed maxime generosos aut fortibus factis illustres, dum certatim studio atq; opibus excellere cuperent, ad id bellum emiserāt. Nam quicquid in Germanico nomine aut exquisiti roboris, aut delecti floris fuit, à Viadro amne ad Rhenum tam late quam littora lambit Oceanus, & Rhæticisque Iuliisque

alpibus, ac Hieronymi Zylua concluditur, id totum aut iussu Principum nomina dederat, aut sponte conscriptis ad hæserat, quando nihil tale vnquam à maiorum suorum, vel annalium recordatione contigisset, vt consensu vno Germania omnis pro publica salute ac dignitate arma capere cogeretur; præsertim aduersus eas gentes, quæ ab vltimis Asiæ, Syriæque & Ægypti finibus venissent, vt Germanos Romanorum armis indomitos, & veteris militiæ gloria, & præsenti libertate spoliarent; quibus maxime rebus supra cæteras gentes, omnibus seculis absque vlla dubitatione floruissent. Nec Bohemorum castra longe aberanr, Silesitarum & Morauorum copiis adaucta, quas gentium inclyti duces, Hardechius & Bernesthenius adduxerant. Præerat omnibus Bohemis Sedislaus Lippa, summi magistratus honore insignis. Nec defuerunt aliquot Polonorum turmæ, non publico, sed priuato consilio bellum secutæ, conniuente ad ea Sigismundo Rege; qui sicuti non temere cauebat, ne inducias violaret, quæ sibi cum Solimano erant, ita ne Christianæ causæ deesset, fortissimis viris ostendendæ virtuti locum præclara dissimulatione relinquebat.

XIII. Quum tantarum copiarum numerus iniretur, repericbamus (*scribit Iouius præsens Viennæ*) Cæsarem, non deductis vrbium præsidiis, nonaginta descriptorum peditum, & triginta armatorum equitum millia in aciem esse producturum: nequaquam adnumeratis peditum atq; equitum ministris, qui seruorum loco, si labores officiaque respiceres, æstimari poterant: Si vero ætates, ingenia, equi & arma censerentur, nemo esset militiæ peritus, qui eos putaret vel robore, vel vsu, vel ipsa spe veris militibus inferiores. Erant enim ad Viennam, coniunctis in castris, supra ducenta & sexaginta millia hominum, quibus Ariouistus Guillelmi Bauari frater Patauiensis Episcopus, commeatum in tres menses se præbiturum, certa pactione receperat. Neque enim vnquam ab vlla memoria tantum insignium ducum, electorumque militum vllis in castris coiuisse dicebantur, si singularium gentium nobilitatem ac famam assiduis quæsitam bellis, & priuatæ virtutis decora, reputarentur. Nam cohortes ferè integræ ex his constabant, qui paulo ante centuriones signiferique fuissent, & turmæ refertæ erant veteribus præfectis, aut iis qui egregiè pugnando & præclarum nomen, & militaria dona, torques aureos & aurata calcaria meruissent. Curulium vero tormentorum tantus erat apparatus, vt perpetua eorum corona, instructæ acies præcingi, & late muniri, ad non dubiam victoriam facile posse viderentur. Omnium enim ducum id fuerat decretum; nihil à flumine Viennaque discedere; nihil omnino progredi in apertos campos; ne hostium equitatus sua multitudine atque audacia à latere insinuatus, ab vrbe demum Danubioque intercluſis illis, omnem supportandi commeatus facultatem eriperet. Hoc vero ordine exercitus Christianorum expectare hostem paratus, *non procul* à mœnibus amplissimo in loco statuebatur. Tres peditum hastatorum quadratæ phalanges, latis inter se distinctæ spaciis, pari, & æquata fronte contra hostes sic locabantur, vt ipsis mediis interuallis equitatus omnis bipartitus reciperetur. Neque enim putabant numero exiguum, aperto in loco extra pedites, trecentis ferme Turcarum equitum millibus esse obiiciendum. Dextrum cornu equitum Cæsar, læuum Ferdinandus eo modo desumpserant, vt leuis armatura sclopettariorum, quæ viginti millium numerum efficiebat, vndique hastata quæ diximus agmina, relicto triginta passuum spatio coronaret. Horum acies longior & rarior erat, & quiuis tantum militum ordinibus in latitudine constabat, vt expediti, & nihil inculcati, habili manu, dum primi Sclopettos emittunt, & secundi implent, alternantibus eo modo ordinibus, perpetuam glandium procellam effunderent. neque enim multum referebat, si tenuior esset; quoniam Sclopettariis omnibus, si vrgerentur, paratus erat ad proximos hastatos receptus. Circumdabant ergo, & frontem, & latera, atq; etiam terga, continuata serie, quæ duobus tantum in locis erat interrupta, vt egressus liber atque expeditus, quum oporteret, equitibus densatis absque vlla peditum perturbatione præberetur. Ante vero leuem armaturam constituta erant tormenta, ea ratione, vt postquam diu emissa feruefactaque vsui esse desinerent, *in valli morem* firmissimo quodam munimento irruptu ris hostibus opponerentur. Soli Vngari extra munimenta se pugnaturos professi, à Valentino Pauloque ducibus, in ingentes alas expandebantur. Hæc ipsa spectantibus præ gaudio manabant lachrymæ, velut concepta non sine ingenti spe, de barbaris certa victoria, si se audacius superbus hostis offerret, ac illos totis copiis adoriretur. Cæterum Solimanus, qui è sua vetere disciplina campos quærebat, in quibus Christianos expanso & circumdato equitatu, numquam cominus oblata pugna fatigaret, vbi de apparatu consiliisque Cæsaris certius cognouit, vltra Muram profectus est. Is amnis antiquis Sauaria fuit, effunditur in Drauum paulo infra Petouiam, vrbem, Romanorum castris & hybernis claram. Eo superato Turcæ ad Marpurchum oppidum delati, tumultuariis pontibus effectis Drauum transierunt. Ità Solymannus, qui vniuersam prope terrarum orbem eius suscepti belli fama commouerat, nulla memorabili re gesta, Stiria excessit, & inter Drauum & Sauum directo itinere ad Belgradum reuersus est; passim sæuitiæ suæ vestigia relinquens, & sæpe respectans, an Cæsar in tergo esset, quando postrema agmina à paucis Illyriis, & Croatis equitibus cæderentur. Ferunt eum supra triginta millia Christianorum, capitum in seruitutem abduxisse, & aliquot millia diuersis in locis, per Michalogli præsertim equites trucidasse. Nam dispersæ agrestium armatorum manus, dum coire in vnum conarentur, à repentinis astutisque equitibus passim ex insidiis circumuenti, facile opprimebantur.

Solymannus Styria excedit.

XIV. Cognito Solymanni discessu Cæsar, omnium opinione celerius in Italiam redire constituit: deprecante Ferdinando Rege; vt postquam innumerabiles copiæ tanto sumptu, tantoque labore coiuissent, ea occasione atque eo apparatu vterentur, vel aduersus Ioannem, quem plane destitutum, & in magno regionis spacio disiunctum à Solymanno, & Buda vrbe, & tota demum Pannonia expulsuri viderentur. Sed Cæsar, quod hyems suberat, & commodissimis itineribus sibi alpes omnino transeundas iudicabat, in proposito discedendi perstitit. Inuitabat enim eum ad festinandum mira cœli serenitas; eo suspectior in reliquum tempus, quod per plures dies æstiua potius quam autumnalis extitisset. Eam tum, vt ex naturæ causis credi par est, in cœlo per xxiv. dies apparens crinitum sydus, siccatis plane terris attulerat. Pestilentia quoque contagiis serpens, & in vrbe, & in castris, & in ipsa demum aula multos quotidie, & insignes quidem rapiebat, vt non modo Cæsarem, sed etiam constantissimum & grauissimum quemque magnopere perterreret. Id vero Cæsar & communi causæ, & fratris precibus dedit, vt Italicas cohortes omnes relinqueret, quæ adiunctis Austrianis copiis in Pannonia cum Ioanne bellum gererent, ipse autem cum Hispanis & Germanorum Maximiliani atq; Tamisij legionibus in Italiam proficisceretur. Delectus vero Italis dux est, Vastio efferente, Fabricius Maramaldus: nec de stipendiis quicquam est constitutum, vt cohortes ad præstandam operam accendi, & in officio contineri possent. Ea res primo reliquorum præfectorum animos vehementissime pupugit, quod vnus cæteris omnibus, non sine aliorum dignitatis offensione, præferretur. Vt vero in vulgus militum emanauit, centuriones & signiferi notique milites, veterum præfectorum suorum nomen, & amicitiam secuti, se in Vngariam non esse ituros testari, nisi Rex Ferdinandus, aut ipse Vastius, aut Antonius Leua *imperij militaris munus* susciperent; gregarij vero milites palam dicere missionem esse petituros, nisi trimestris pecunia soluereturquam per se non multum pecunioso Regi, & tum maxime exhausto defuturam esse intelligebant. Oderant & plerique Maramaldum, vti violentum, & in exercenda disciplina nimis seuerum, minimaque errata militum, aut morte, aut inflictis vulneribus sæpissime punientem. Vastius suadebat, vt remanerent; Cæsar ad præbenda stipendia durior inuentus est: nocte subsequente seditionis ortum initium. Forte allatus erat ex vrbe nigerrimus panis, planeque mucidus, quem emptum milites infixumque hastis ita commilitonibus ostentabant, vt cum insigni dolore bileque, Ferdinandi Regis nomen maledictis incesserent, qui in regno suo, ipsoque belli initio, re frumentaria negligentissime procurata, externos exercitus, ad se præcipue defendendum augendumque venientes, eo corrupto, & ob id pestifero cibi genere alendos putaret: & paulo ante insolentius etiam egerat gregarius Hispanus, qui prætorium ingressus simili pane ad Vastij

Carolus V. in Italiam discedente Solymanno redire statuit.

Itali milites à Carolo ad Viennam relicti tumultum excitant.

pedes

pedes cum execratione duorum Cæsarum proiecto, magnas turbas excierat. Itaque milites ante tentoria in coronam coëuntes, dum aduersa atq; aspera de stipendio, de commeatu, de Vngarici belli difficultatibus proloquuntur, ad signa Parmensium ex omnibus cohortibus plurimi confluxere. Ibi Titus Marconius Volaterranus, cæteris turbidior & eloquentior, coaceruatis iumentorum clitellis impositus, seditiosissimo quoque Centurione incitante, pro dignitate saluteque omnium liberrime prolocutus, ad profectionem incitauit. Discessere inprimis ad octo M. hominum, nonnullos Tribunos secuti: quos cum Vastius retinere niteretur, adiit vitæ periculum. Cum autem vnus ex illis Mœcarius Parmensis occisus, & Anguillius Florentinus vulnus accepisset: ac præterea captus fuisset: eo atroci facto semel consternatis ira in immensum accenditur. Ita furentibus similes multa millia progressi, ad Martis lucum peruenium. Id oppidum quod portas clauserat successis valuis expugnant, atque diripiunt: continuatis & maxime extentis itineribus quæcta obuia crudeli rabie populantur, omnia exempla scelerum passim edunt, auaritiæ, libidinis, immanitatis. His iniuriis Ferdinandus vehementissime commotus, quod recuperandæ Vngariæ tota spe deciderat, & ab his à quibus summum beneficium expectabat, inexpiabilis iniuriæ detrimenta pateretur, omnibus Stiriæ Carinthiæque populis scripsit, vt nemini Italico parcerctur. Id irati animi decretum quamquam in supplicia meritos ederetur, tamen aliquanto acerbius & atrocius est visum, & prorsus eo Rege indignum, qui in omni actione antea pietatis & humanitatis laudem ferre concupisset; quoniam neminem eo periculo eximeret: adeo vt tot reliqui milites, tot legati, totque sacrati Antistites, atque ex omni Italia honestissimi viri in id cædis discrimen cum sceleratis hominibus miscerentur. Ad hanc edicti famam decurrentibus vndique Germanis ad obsidendas itinerum angustias, multæ cædes factæ, in dispersos præsertim & alimenta quærentes. Sed vbi *conglobatæ cohortes*, ad vestigia cædis, & ad ipsa cadauera perueniebant, tum vero animis ira ac indignitate perciis in ædificia grassabantur, sic vt passim cubitalibus litteris ex carbone, incendiorum causam præscriberent; vt subsequentes id nequaquam temere, sed vindicandis iniuriis factum scirent, cauerentque ne ipsi pariter in saltibus impediti Germanorum insidiis sternerentur.

XV. Interea Cæsar profecturus, Viennæ edixerat, vt hoc ordine in Italiam iretur. Ex primo agmine cui ipse præsse volebat, Ferdinandus Gonzaga cum leuis armaturæ equitibus antecederet, inde Vastius cum Hispanis, & prætoriani equites succederent. Interposito biduo subsequeretur Hippolytus Cardinalis Legatus, cum toto Legatorum, Sacerdotumque & togatorum ordine, quorum omnium comitatus erat amplissimus. Tertium & postremum agmen, in quo Albanus Regulus cum Hispanico equitatu erat, Germanorum legiones clauderent. Sed hunc ordinem militari consilio constitutum, Hippolytus abrupit, inuenili quadam impatientia leuitateque: quum natura seruido & volucri ingenio vlla in re nullam moram ferre, & nulli, vti accidit in nobilissima fortuna, parere didicisset: adulantibus præsertim clientibus nonnullis & centurionibus, quos incredibili sumptu sibi adsciuerat. Ii enim eum insana libidine militare imperium affectantem, tanto exercitu dignum ad maximas res ingenti ausu gerendas esse dictitabant. Ita optimo quoque familiarium frustra deprecante, relicta Sacerdotali purpura, galeroque quem maxime fastidiebat, ferina pelle contectus, cum paucis armatis equitibus præcucurrit. Id factum ad altioris consilij recessum plerique reuocabant: ceu Legatus in summa rerum opportunitate consternatos milites, ad patrandum aliquod insigne facinus in Italiam stipendio pbito esset adducturus. Sed intimi amicorum, qui eius ingenium ætatis voluptatibus occupatum, & nullo adhuc stabili vel grauiore decreto satis firmatum sepius excusserant, nihil tale verebantur. In eam tamen suspicionem adductus est Cæsar, vt eum qui spiritu valeret, & Pontificia pecunia potiretur, ad occupandam Florentiam contenderet iudicaret. Allocutus enim milites fuerat, & secum adducebat Russium præfectum, à cuius cohortibus seditionis initia emanasse ferebant. Itaque præcurrentem Cæsar, nec reuocantibus ipsius nunciis obtemperantem ad oppidum Sancti Viti cum Russio comprehendi custodiriqueiubet, ne pax tanto sumptu, tantoque labore omnium in Italia parta, eius adolescentis audacia turbaretur. Verum non multo post Cæsar, cum certiora de ea re didicisset, nec patrui Pontificis animum acerbiore offensione exagitandum putaret, violatique Sacrosancti Legati infamia permoueretur, quinto die eum emisit; retento Russio, qui & ipse demum facile impetrante Ferdinando Gonzaga affine, custodia est eductus, quod eum præclaro multorum signiferorum & centurionum testimonio, culpa vacantem castrensis prætor absoluisset. Quum in itinere Cæsar esset, Paulum Iouium qui hanc conscripsit historiam, in agmine adequitantem ad se vocauit, vt eius paulo durioris facti famam leniret. Natus enim idoneum hominem, vti sibi notum, ac Hippolyti familiarem, per quem cuncta ordine ad Pontificem scriberentur edocuit: non voluntatis, quæ esset egregia erga Clementem ipsumque Legatum, sed summæ necessitatis fuisse consilium. Quid enim acerbius accidere potuisse, vel ipsi, vel Pontifici, si Italia, ipsaque inprimis Florentia seditiosorum militum incursione in discrimen noui belli fuisset adducta? Scire se quantopere Clemens paci quietique studeret: qui iampridem grauitudicio & Alexandrum Etruriæ principatu, & Hippolytum senatoria dignitate contentos esse voluisset: vt diuisa & communicata in vnum consensim, diuersarum virium potentia, Medicea domui firma & diuturna felicitas pararetur. Bellorum initia sapientibus maxime esse pertimescenda, quæ cum ab imperitis plerumque temere atque imprudenter serantur, vbi demum creuerint, nisi grauissimo conatu periculoque, vix à maximis & prudentissimis Regibus tolli vel opprimi possint. Non debuisse Cardinalem, qui tanti muneris personam gereret, desumere sibi habitum militarem, vt seditiosos & castrorum atque militiæ desertores consequeretur, & cum iis quæcumque ea in exitu forent, consilia communicaret. Nequaquam enim eum quieti vel moderati animi dedisse signa, cum neque edicto, neque precibus audiens esse voluisset. Quorsum enim eius dicta factaque tenderent, quis non insanus minime diuinaret? quum ille & sua & aliena dignitate vel improbe, vel arroganter abuteretur? Profecto eum vti antea tentasset, Florentinæ ciuitatis otium conturbare cupiuisse, aut certe reliquisse præclaram eius importuni consilij suspicionem, quum nulla cum spe vel laude totam castrensis disciplinæ rationem intempestiua excursione corrupisset. Cæterum se ea, & quidem propensissima voluntate, qua semper fuisset, Cardinalem loco fratris habiturum, satisfacturumque ei molliore excusatione, cum in Italia antecedentem foret consecutus: id vero se in summa testari, quicquid fieri nuisset, id non suo sed Clementis commodo factum fuisse: quum etiam publicam Italiæ quietem, vnius inquieti hominis amicitia chariorem habuisset. Sibi vero pergratum fore, si id totum animi sui iudicium, vti ab æquitate, præsentiumque rerum ratione minime alienum, ad Pontificem accurata fide perscriberetur. quod mox Iouius diligentissime fecit; & id quidem æquissimo animo tulit Clemens, quum & captum simul & dimissum Cardinalem vno tempore cognouisset; Sæpe querens eius ingenium à deterrimis adulatoribus fuisse deprauatum: quamquam in ea re Cæsar seipso suspicacior & asperior extitisse videretur. Erat enim in Cæsare, nisi naturam acerbiore facto exagitares, summa æquitas, rara modestia, patientia singularis: adeo vt in tanta fortuna nihil repentinum, aut insolens, vel iudicio, vel sermonibus eius exciderct. At Hippolytus vbi custodia est emissus, è Sancti Viti oppido, quod Virunum nonnulli antiquitus fuisse putant, ingenti cursu Venetias contendit: bis cum summo vitæ discrimine per insessos à Germanis saltus feliciter elapsus, quum Mercadus Hispanus dux itineris, Germanicæ peritus linguæ, ostentatis cultu ipso Regiæ aulæ insignibus ea pericula depulisset. Porro tribuni militares quum incredibili celeritate continuatis die noctuque itineribus ad Vacorium peruenissent, quod hodie Villacum dicitur, in ripa Drauiamnis constiterunt. Is amnis aquarum mole & suo rapido cursu concitatus, nequaquam vado poterat superari: pons vero sublicius quo iuga-

gebatur, oppidi portæ ita erat insinuatus, vt per mediam oppidi regionem ad aduersam portam via militaris extenderetur. Quum Vacorienses in muro essent, & in vlteriore ripa non exiguam equitum & peditum armatorum multitudinem ostentarent, tribuni in lunato ripæ tractu extensis ordinibus aciem instruxerunt: quæ aspectu ipso & genere armorum late splendentium, & Sclopettariorum multitudine terribilis non rudibus modo populis, qui à multis annis armatos exercitus non vidissent: sed exercitatis etiam militibus terrorem poterat incutere. Pollicebantur Itali, si ponte transitus præberetur, & venali commeatu iuuarentur, se continenti agmine sine maleficio eorum finibus excessuros: Si id minime concederetur, ipsos sua industria, & paruo quidem cum labore inuenturos viam; qua succisis proximis arboribus flumen transirent, subindeque adnixuros, vt Vacorienses inhumanitatis & contumaciæ pœnas darent. Parati erant oppidani commeatum dare, ponte oppidoque recipere, sed per cohortes separatim, vt singulæ per oppidum cæteris omnibus exclusis sine periculo transmitterentur. Eam conditionem minime probantibus Italis, quod neque tuta esset, neque ex dignitate videretur; oppidani qui fortunas cum desperatis minime in periculum temere deuocandas esse existimabant, ponticulum subitarij operis à proximo maioris pontis capite iuxta oppidi murum ad frumentarias molas celerrime perfecerunt, atque ita ad mutuam securitatem, vtrisque integra existimatione præclare atque opportune consultum. Drauo superato, quintis demum castris, & multo pacatioribus quam antea itineribus ad Tiliauentum flumen est peruentum; atque inde dissolutis cohortibus milites vario itinere, vti quisque patriæ proximus, cum execratione eius infaustæ militiæ domum sunt reuersi. Nec multo post Cæsar Italiam intrauit, singulari Veneti Senatus studio liberalitateque passim susceptus. Eam vero pacati amicique animi modestiam præ se tulit, vt Venetæ ditionis vrbes se minime ingressurum esse testaretur. Nolebat enim, qui validissimis copiis cinctus aduentabat, vllam omnino affectati Italiæ Imperij suspicionem præbere; quum paulo ante ab diro bello tot vrbium excidia pertæsus, vt pacem adferret, ea quæ victricibus armis tenebat, incredibili æquitate, magnitudineque animi, veteribus dominis reddidisset.

XVI. *Clemens VII. Carolus V. & Rhodij classem contra Turcas instruxerũt.*

Mari quoque classem contra Turcas instruxerant, Cæsar, & Pontifex, cum Rhodiis equitibus. Summam rei obtinebat Andreas Auria, communibus consiliis vniuersæ classi præfectus. Is aduentante in Italiam Cæsare, cum triginta quinque onerariis, & quadraginta octo rostratis nauibus Messanam venit. Ibi cum instrumenta bellica, & nauticos præcipue commeatus, nequaquam ingenti cura ac diligentia à præfecto Siciliæ, quem tum importune morbus inuaserat, parata atque expedita reperisset, aliquanto serius quam volebat in Græciam traiecit. Audierat enim Himeralem, Ottomanicæ classis præfectum, in Ambracio sinu aliquamdiu desedisse cum septuaginta triremibus, imperite & nequaquam militariter instructis; vtpote quibus vsu periti nautæ gubernatoresque deessent, & remigum turba magna ex parte ad naualem operam rudis, vti ex mediterraneis sæpe hominibus impotenti imperio in naues cogi solita, vulgato per singulas triremes morbo laboraret; sic vt eum nullo prope negotio si maturasset, oppressurus fuisse crederetur. Erat tum ad Zacynthum insulam Veneta classis, sexaginta triremium Vincentio Capellio præfecto, qui insulas & vrbes littoraque Veneti imperij vigili cura tuebatur, vtrique iure fœderis amicus & hospes, nulli socius, spectator tantum; sed ex professo illis futurus hostis, qui subiectis Veneto nomini populis terra aut mari vim intulissent. Fuere qui crederent Venetos, vt neutris æquitate officij deesse viderentur, vno tempore & Auriæ de Turcarum classe per Corcyreos myoparones significari iussisse, & monuisse item amice atque opportune Himeralem, vt Ambracio sinu, quamprimum educta classe, Ionio mari excederet, ne ab Aurianis triremibus, quæ apparatu celeritateque præstarent, dum parum salubri in statione moram inutilem trahit, deprehensus opprimeretur.

Eiusdem progressus.

Itaque Auria à Lacinio promontorio, quod hodie Columeneum vocant, dimissis in altum onerariis nauibus, vt recta ad Peloponnesi insulas cursum dirigerent, Iapygium Salentinorum, legendo Magnæ Græciæ oram tenuit; indeque Corcyram & Cephaleniam prætervectus Zacynthum venit. Constiterat in acie Capellius pene hostilis paratique animi speciem præbens, vt apparatum, atque ipsam nondum vel diuturna pace senescentem, maritimi negotij disciplinam ostentaret. Et vetera quidem odia memoriam subibant, quibus Ligures Luciano Auria duce, ipsius Andreæ tritauo, ad internecionem prope Veneti nominis ad fossam Clodiam dimicassent, atque inde Auria subirato tristique animo Luciani interitum defleret, qui victor eo nauali prælio cecidisset. Sed sanctissima religionis & fœderis iura, ita animos continebant, vt quum vtrique imprudentes vel incauti videri nollent, præbito insigni spectaculo concursuri viderentur. Neque inutile vel iniucundum posteris futurum putauerim, si acierum ordo paucis verbis explicetur; quando ad hanc ætatem nequaquam simile contigerit, vt id litterarum memoriæ traderemus. Collocarant in alto Veneti ingentem onerariam nauem, quaternis funibus à puppe proraque ad totidem anchoras, in obliquum ductis firmissime deligatam. Ab hac vtrinque binæ galeaciæ, ingentium tormentorum apparatu formidabiles ita constitutæ erant, vt ex interuallo onerariæ nauis frontem non æquarent, & vtrinque tantum spacij relinqueretur, quantum satis esset, vt à læua dextraque viginti singulæ triremes quæ erant in cornibus erumpere possent. Tertia vero acies ex reliquis viginti triremibus, in qua erat ipse Capellius, in tergo subsisteret: hinc aut inde allatura opem, vti prælij casus & incursus hostium poposcisset. Eo pacto onerariæ naui ad emittenda tormenta latum & vacuum mare, à fronte & à lateribus relinquebatur, & galeaciæ in altum exporrectæ, triremium latera tuebantur. Ab Auriana classe tres speculatoriæ triremes antecedebant insigni velocitate; tres vero acies quindecim triremium eo ordine subsequebantur, quem in agmine nauigationeque tenuerant. Vbi vere in conspectum Venetæ classis est deuentum, Antonius Auria, qui primo præerat agmini, in dextrum sensim deflectens remos sustulit, vt sequentes expectaret; & Andreas qui medium tenebat agmen, suo cursu progressus, sese introrsus ad cornu dextrum applicauit. Saluiatus vero Rhodiarum, & totius tertij agminis præfectus, interim in læuam ita concitauit remiges, vt puncto temporis ad medium agmẽ proueheretur; adeo vt æquata omniũ triremiũ fronte, vno pariq; impetu concursuræ viderentur. Reddidere veri p̃lij simulachrũ, tormenta vtrinq; ad consalutationem honoris causa, exẽptis pilis, miro ordine displosa. Venit ad Auriam Canales nobilis vir atq; item fortis, Ionij maris custodiæ præpositus: per eum Capellius, portus, stationes, commeatus, amicè obtulit, excusauitq; se, quod integra Senatus fide consociare vires, & publicos hostes persequi nequaquã liceret; obstare fœdus, antiquitus cum Ottomanis percussum, quod ipse etiã Solimanus renouasset. At Auria Cæsaris nomine gratias egit, quod Senatus eo animo esset, vt maiorem æquitatis & iustitiæ, quam vllam bene gerendæ rei rationẽ respicere cogeretur: sperare se tamẽ Cæsaris auspiciis, talem ad ingentem victoriam Venetis occasionem esse præbiturum, vt eæ fęderum compedes, ab ipsis vltro pietatis & certæ victoriæ causa cupidissime frangerentur.

Auriæ Cæsareo Duci Capellius, portus, stationes &c. vltro offert.

Et certe cum hæc animo repetamus, horum temporum conditionem deflere, Christianorumq; Principum insaniam detestari lubet, qui dum inter se bello aut odio diffident, ita Ottomanis parcunt, vt qui toties superari deleriq; potuerint, nõ immerito adaucta in immensum potentia, ad totius orbis imperium aspirarent. Himerale enim tum in fugam acto, atque eo si persecuti forent facile deleto, nulla vnquam reliqua Solimano classis superfuisset; nulli Constantinopoli, Cæsarianæ, Pontificiæ, Venetæq; classium impetum tulissent, quum nisi tirones prætorianos, aut eunuchos ad custodiam fœminarum domi relictos, mœnia minime defensuros constaret; quum in Vngaria procul ageret Sollimanus, & Græci ex ipsa vetere libertatis ac imperij sui memoria, vt rebellare ex tuto possent, non quidem accessum Christianæ classis, sed vix ipsam tantum aduentus famam, erectis animis expectarent.

XVII. *Himeral Turcarum Præfectus à Cæsareanis in mari prosequtur.*

Cæterum Auria vbi didicit Himeralẽ superato Galli promontorio, q̃ antiquis Acritis fuit, ad Maleã contendere, Antoniũ Auriam cum delectis septem triremibus qui persequeretur misit; sed ille ad Cytheram insulam frustra persecutus vsq;, q̃ hostes Argolicum sinum prætergressos, Atticæ Suniũ

atque

atque inde Chalcidem petere audiebat, ad classem est reuersus. Ea tum in Sphragiæ insulę portum, quem nostri Sapientiã vocant, supra Methonem ad explicanda consilia se contulerat. Iam enim onerariæ ab alto, remissioribus vsæ ventis, in conspectum se dederunt. Fuere qui dicerent Methonem oppugnandam esse, & ante alios Saluiatus impiger iuuenis, Rhodiarum triremium præfectus. Profitebatur enim se eam turrim, quæ subiectum mare despiceret, & cæteris munitior esse videretur, effracturum maioribus tormentis & protinus occupaturum: vtpote qui situm vrbis interioresque munitiones apprime nosset. Superiore enim anno in eũ ipsum Sphragiæ portum, cum aliquot triremibus è Melita insula noctu illatus, pręmisso ignobili nauigio per simulationem explicandi mercimonij, in cuius carina armati conditi erant, felici dolo vrbem occuparat; Iano Mario, viro Græco, summæ virtutis id facinus ingenti animo patrante. Sed occisis custodibus, occupataque porta, & iam capta vrbe, Christiani milites aliquanto prædæ quam decoris auidiores, quum ad diripiendas domos solutis ordinibus discurrerent, facile à Turcis, qui animos receperant, turpiter cæsi fugatiq; nobilis victoriæ initium fœdo exitu corruperunt. Ob id Auria ex priore periculo nitentiorem firmioremq; custodiam adaucto Turcarum numero futuram ratus, Coronem oppugnare constituit. Distat ea vrbs à Methone duodecim ferme passuum millibus, si terrestri itinere petatur; mari vero paulo minus viginti. Nam Acritæ promontorium medio fere interuallo in mare procurrit, & in læuo promontorij latere sensim littora curuantur. In hoc sinu sita est Corone, adeo porrecta in pelagus; vt magna ex parte maris fluctibus alluatur: altera pars cuneata in latam cuspidem, transuerso muro, eoque senis turribus insigni & ferrata porta, proximam littori, quam Insulam vocant, penitus excludit, & ita à mari recedens sensim attollitur, vt perpetuo saxo mœnia imposita ad trianguli formam oppidũ efficiant. In oppido vt firmiore nobilioreque, Turcæ domos habent, Græci insulam inhabitant; ad extremum vero oppidi angulum præalta in rupe arcem Veneti quondam fecere, quæ mediterranea despicit, & suburbana tecta. hæc viam militarem excipiunt, quæ in Septentrionem perpetuo accliui collis dorso in campos extenditur. Sed ea suburbana quum ad sagittæ iactum à porta processeris, alio intermedio muro portaque diuiduntur. Porro ad mare ab vtraque vrbis partæ, duæ sunt percommodæ stationes. Nam quum Euri Vulturnique, vel è diuerso Fauonius & Corus sæuius perflauerint, ex hac in alteram repente nauigia confugiunt. In læua statione ex vetusti operis mole portus efficitur, verum adeo angustus, vt vix septenas triremes tuto recipiat. Auria terra mariq; explorato vrbis situ, cohortantibus maxime Græcis, qui ad nos è suburbanis ædificiis cupidissime transierant, aggressurus vrbem, in hunc modum ad oppugnandum, loca muniaque distribuit. Circumductæ primo sunt in amplissimam coronam naues onerariæ, & ante eas triremes, vt totam eam conuexi muri partem, quæ insulam à mari præcingit, cõtractiore ambitu complecterentur, proiectis in littus sub muro anchoris, vt inde per ductarios funes ergatarum beneficio attracta nauigia, quantum maris vadum pateretur, ad mœnia promouerent. Scaphis autem magnarum nauium pluteis ac asserib. protectis, anchoras prouehi, & in littus ad scopulos inter tela Turcarum ab alto incidentia, collocari iubebat, ex nauiũ proris nouo quodam artificio pontes paribus extantib. antennis impositi, tabulisque constrati, à fronte prominebant: ita vt summitati mœnium æquarẽtur, atq; inde clypeatæ armatæq; cohortes procursuræ & irrupturæ in oppidum viderentur. In duarum vero longe maximarum nauium, Grimaldiæ scilicet & Rhodiæ summis carchesiis ab excelsissima scil. mali summitate, sacri, falconesque bini constituti erant, vt inde non propugnatores modo qui in muro consisterent, sed interiora insulæ certis ictibus peterentur. Terrestres vero copias ita diuisit, vt Hieronymus Tutauillas Sarnensis Comes duceret Italicas cohortes, & à læua parte supra molem, latum propugnaculum septem tormentis quateret: Hieronymus vero Mendocius cum Hispanis à dextra, paulo à mari longius, non insulæ tantum, sed & oppidi murum tormentis totidem, & scalis aggrederetur. Ipse Andreas locum sibi delegerat apud molem, Sarnensi maxime propinquum: Pontificiæ autem triremes contraria in parte Antonio Auria deposcente, dextrum cornu tenuẽre: Saluiatus in medio Rhodias mœnibus admouit.

Coroneanæ vrbis Turcarum à Christianis expugnatio.

Numquam ab vlla memoria, tantum tormentorum ad vnam oppugnationem collatum fuit. Nam à terra quatuordecim, à mari vero centum & quinquaginta muralibus tormentis vno vndique tempore murus est vehementissime verberatus: minorum vero tanta vis fuit, vt neque prospici quicquam, neq; exaudiri facile posset, fumo scilicet in crassissimæ nebulæ morem late diffuso, & crepitu reboatuq; tormentorum cuncta quatiente. Apud Sarnensem Itali magno animo, sed irrito incæpto ad præruptum murum scalas apponere, & scandere conantes, ter à Turcis acerrime propugnantibus insigni detrimento accepto sunt repulsi. Neque enim tantum muri dirutum fuerat, vt attingere scalæ possent: & vndique à latere minoribus tormentis sternebantur: nec Turcæ è muro saxa, ignes, feruentem arenam, calcemque & picem liquefactam prouoluere ac infundere subeuntibus cessabant. Sarnẽsis in his periculis fortiter atq; feliciter versabatur: nec reuocandi milites locus erat. Nã implicati inter se hastis, & in casarum angustias, quæ muro suberant, metu retrusi, quanto magis à muro recedebant, tanto apertius ac certius vulnerabantur. Periere in eo conatu receptuque Theodorus Boschites Græcus, qui in Italia alæ equitum cum laude præfuerat: atque item Franciscus Carnaus è Neapoli, & Iacobus à Capua, strenui centuriones: & cum his trecenti fere milites, & supra mille vulnerati debilitatique; in quibus fuit Alfonsus Capanius signifer, cui Sclopetti pila ab alto demissa, perfosso oculo linguam abripuit. Ex altera parte Mendocius nequicquam quassato muro, quum omnia ardua ad ascensum forent, cauto consilio prælij fortunam non subiit. At nauales socij felicius, quum Auria subeundi & scalas afferendi vti antea edixerat, tuba signum dedisset, in insulam peruaserunt, cedentibus muro Turris metu pontium, quos superstantibus armatis appropinquantes continuò apprehensuros murum omnino crediderant. Primus ex naue Grimaldia imberbis Ligur, genere humilis sed eo saltu satis clarus, vexillum in hostili muro defixit: proximi ei successere Hidrontino è galeone milites, ac demum Lamba Genuenses; atque ita multis interfectis insula capta direptaque est; refugientibus intra oppidum per ferratam portam Turcis, qui ex eo quem diximus turrito muro, Christianos præda occupatos vagantesq; sclopettis & sagittis vulnerabant. At primis tenebris Sarnensis suos, qui sub muro conditi protectique multis horis substiterant, incolumes ad se recepit; & tota nocte laboratum est in erigendis munitionibus, quibus in oppugnando oppido ipsi milites, tormentaque ab hostium ictibus tegerentur. Sequenti die plures Turcarum equitum manus, vt Coroneis opem ferrent in conspectum se dederunt. Namque singulos fere oppidorum proximorum præfectos, & fama Aurianæ classis, & auditus tota Peloponneso tantus tormentorũ strepitus, exciuerant. Aderat à Lacedæmone, quam Misitram vocant Zadares, cui Tridigito cognomen. Is à Londario, Charitena, Messeneq; expeditos equites circiter septingentos adducens, secundum littus iter facere cæperat, vt à dextro latere in vrbẽ irrumperet. Erat inter suburbana tecta, ei portæ, quã diximus, in statione collocatus cum cohorte Theodorus Spinula, iussuq; Sarnensis, milites intra sagittæ iactum intercisa militari via transuersam fossam opportune duxerant. Itaque Zadares, quum ab Erasmo Auria qui in id littus triremem obuerterat, tormentis peteretur, à littore discedẽs trium amplius millium capto circuitu ad læuam peruenit, sinuosoq; itinere intra suburbana tecta se intulit, magno impetu ad portam prouectus, adeo vt Theodorus irruentium vim ægre sustineret, eratque res adducta in maximum discrimen, nisi Sarnensis Theodoro cum paucis repugnanti peropportune opem tulisset; submisso Petro Tolsio cum trecentis sclopetariis. Ii postremam partem Turcarum agminis retro auertêre, ingressique suburbana, ita reliquos in fugam desperato ingressu vrbis compulere, vt cum Turcæ concitatis equis effugere conarentur, in fossam inciderent. Ibi Zadares labente equo præceps datus interficitur, nec vlli ex Turcis omnino parcitur. Eo modo multis occisis, capita ad munitiones deferuntur, quibus conspectis Turcæ qui oppido arciq; præerant, siue metu, siue commeatus & tormentarij pulueris inopia adducti, ea conditione vrbem atq; arcem dediderunt, vt cum rebus suis armisque, in pacata loca discedere liceret.

Corone

Corone capta, atque ibi præsidio Hispanorum constituto, & receptis in fidem Græcis, disputatur in consilio, an in longo portu, qui parum à Corone distat, vt certus tutusque in ea ora Christianis classibus sit receptus, castellum ædificare expediat, aut Iuncum oppugnare. Id hodie Nauarinum, Pylium antiquitus fuit, subiecto portu insigne, ignauia custodis Veneti, qui postea capite pœnas dedit, Baiazeti in Methonensi victoria traditum. Cæterum Auria multis de causis, & quod numquam defuturos portus nostris classibus speraret, ea consilia abiecit, & ad oppugnandas Patras iterum adita Zacyntho, cum classe descendit. Deseruerant ad apertam vrbem incolæ Turcæque, & in retractionem locum sub arce præalta fossa muroque munitum, milites cum magna puerorum fœminarumque multitudine se receperant. Expositis copiis subuectisque tormentis octo muralibus, Sarnensis ad mille Sclopettarios secernit, qui defensoribus murum nudent; cæteros virgultorum singulos fasces adferre iubet, vt æquata fossa ad murum scalæ deferantur. Non diu tormentis restitit murus, Coroneo vetustate debilior. Primus omnium Ioannes, Traiani Cabaniliæ filius, castrorum prefectus, in fossam desiliit, subsequente ipso Sarnensi cum tribus signiferis, & integris demum cohortibus, scandique murus certatim est cæptus: sed defensores Coroneis virtute constantiaq; dissimiles, impetum Christianorum, fuga in arcem facta, diutius non tulerunt. Ita vrbe paruo labore, & pene sine militum nostrorum vulnere, celeriter capta direptaque, ad arcem in edito sitam tormenta subuexere. Erat oppugnatio futura difficilis, si eam militari more Turcæ defendendam suscepissent. Sed exemplo Coronensium, atque item eius imbellis turbę misericordia adducti, quum tantam multitudinem diu alere, vel in tanto seruitutis ac vitæ discrimine tueri posse desperarent, emissis ad Auriam Oratoribus ea conditione deditionem fecerunt, vt recepti in fidem, inuiolatiq;, saluo inprimis fœminarum pudore, cum singulis vestimentis in Etoliam traiicerent. Id egregiè Andreas præstitit, adeo vt inter alas militum vtrinque extensas, exeunte trium fere millium capitum multitudine, cum nonnulli petulantius fæminas attrectare, atque his ornamenta detrahere inciperent, corripi, extemploq; suspendi, aut iugulari iusserit: horum supplicio cæteris ab omni licentia deterritis. Eo ordine Turcæ ad naues sunt deducti, vt Sarnensis & Saluiatus antecederent, ipse postremum agmen cogeret, vultu seuero imperiosoq;, & ad sumenda supplicia, si qui paulo licentius iussa cōtemnerent, maxime parato. Quærebat enim iustitiæ & præclaræ fidei famam, apud ipsos præsertim Turcas; vt eæ gentes, religione ac ingenij captu nobis dissimiles, facto periculo manifeste perspicerēt, in Christianis ad militare decus nō deesse fidem ac humanitatem, qui adeo moderatè victoria virtute parta vterentur. Exercitu ad Patras relicto, & terrestri itinere subsequi iusso, Auria ad Naupactri sinus angustias triremibus est deuectus. Ibi fauces adeo coarctant cum influētis Ionij maris sinum, vt vno minus stadio, à Pelopōneso Ætolia distet, qua ad Hellespontum interfluo mari Europa atq; Asia dirimantur. His angustiis gemina antiqui operis castella imminent, quæ Dardanellos appellant. Fuere olim in Achaia Rhium, & in Ætolia Molycreū: sed Ætolicum Achaico Baiazethes, superaddita turri ingenti, & duplici muro adiuncto, multo validius atque munitius reddiderat. In his tormenta insitatæ magnitudinis, multiplici fenestrarum ordine ad libellam aquæ ita cōstituta & collibrata erant, vt vel exiguis & humilioribus nauigiis ingressus & exitus præcluderetur. Nam vtrimque ad aduersam regionem emissę bipedalis diametri saxeæ pilæ facile perueniebant, vti eadem ratione ad Hellespontum hodie fieri videmus. Auria citerioris castelli præfecto per Græcos homines extrema supplicia comminatus, si expectandam vim tormentorum putaret, facile pepigit, vt Turcæ incolumes castello excederent: quibus nequaquā cunctanter eductis, quicquid vel annonæ, vel bellici apparatus in castello erat, diripiendum militib. concessit. Reperti sunt thoraces, balistæq; veteres, itemq; loricæ & peltæ more gentis, cum militari & minime pretiosa supellectile. Ea spolia quum Aurianorum triremium milites nautæq; efferrent, cæterisque aduenantibus ostentarent, adeo appropinquantium cohortium animos dolore ac inuidia exagitarūt, vt quum opimiorem prædam fuisse crederent, & tardius venissent, ob idque præda penitus excluderentur, continuo seditionem miscerent, ipsi Auriæ vehementer irati, quod primo ad Coronem, & inde ad Patras, & tum etiam ad Rhium, quasi Turcarum sanguini passim parcendum putaret, eas res ciuili pactione, quam ferro & bellica vi conficere maluisset. Ita præmia laborum, & vulnerum solatia militibus eripi, atque interuerti prædam, vt ipse inde apud hostes intempestiuam humanitatis & clementiæ laudem priuato nomine ferat, & soli prope nautæ Ligures ditentur; ipsis vero armatis militib. terræ & maris incommoda perpessis, nec locus ad perfectam laudem, nec spes ac certa probatæ virtutis præmia relinquantur; & quod fortib. viris minime sit ferendum, omnium ceruicibus & iugulis laquei & pugiones, vel in minimo delicto, & sublata quidem spe dicēdæ causæ proponantur. Hæc cū multiplicatis per coronas militum sermonibus dicerentur, & iam plane consternatæ essent aliquot cohortes, Neapolitanus signifer, quē strangulati ad Patras amici dolor incitabat, vexillum sustulit, alta voce cōmilitones inuitans, vt se ad opulenta castella euntem extemplo sequerentur: ibi non visuros crudelem ducem, & ingētem prædam virtute quæsituros. Nec morailum quinq; aliæ cohortes Italorum sunt secutæ, hisq; vexillum Hispanorum accessit, Iēre citato agmine, non tam iratis quam auidis animis in propinquos Græcorū pagos & villas, execrante eos Auria potius quam reuocante. Iam Sarnensis cum valida manu expeditorum militum traiecerat in aduersum Ætoliæ continentem, vt exploraret castelli situm, & ponēdis castris munitionem inciperet; quum Turcæ in Christianos faciendo operi intētos protinus erumpunt. Sed egregiè Sarnensis per Sclopetarios eorū impetū sustinet, multisq; vulneratis intra portam compellit. Interim nondum perfecta munitione, equites Naupacto egressi in conspectum se dedere, vt castellanis opē ferrent. Christiani quamq̄ pauci, pro castrorum spatio q̄ erat amplissimū, vti ad continendas omnes copias vsitata ratione dimensum, alacri tamen animo in munitionibus constitēre, in aduersos Sclopettis rem gerentes, & nonnumquā erumpentes, vbi audacius prouectos hostes cōspexissent. Cæterum Turcæ multis in gyros decursionibus ad castra factis, latè omnia speculati, quum sese prouehere audacius, & cominus pugnare nollent, Naupactum redierunt, intromisso equite ad castellanos, vt eorū animos spe celeris auxilij confirmarent. At Sarnēsis, qui ea spe traiecerat vt copias omnes confestim subsecuturas crederet, vbi de consternatione discessuq; militum certior factus est, intermisso castrorum opere ad Peloponnesi littus, vbi Auria constiterat confestim rediit, & ad eos pagos est profectus, in quos desertores milites diuertisse dicebantur, ducibus p̄sertim Græcis, qui suas iniurias cū lachrymis deferentes, è proximis vicis ad castra decurrerant. Eos Sarnensis nequaquā seuere, sed comiter reprehēsos, q̄ adeo leuiter insanire cæpissent, haud magno cum labore ad officium reduxit. Iam n. eos admissi facinoris pænitebat, & satis verecunde signa & centuriones agnoscebant, quū villas & pastorales casas omnib. esculentis raptim cōsumptis, & ignobili etiam collecta præda vacuas fecissent. Sed reis, & ex consciētia pœnam meritis, Auriæ seueritas tantum pauorem adferebat, vt nonnulli metu supplicij p̄stare dicerent cū Turcis pacisci, & apud eos stipendia facere, q̄ ad sæuū ac inexorabilem ducem reuerti. Sed Auria, regionis & remporum rationem habendam existimans cunctis pepercit: ita tamē vt seueritatem ac iracūdiam vultu sermoneq; retineret, nec veniam deprecantes recipere vellet, nisi vti cohortes decumaturus ad arbitrium militaris imperij se dederent. Is pauor animis omnium incuslus, pro pœna ad retinendam imperij existimationē Auriæ satisfecit. Nec mora, ad delendam secessionis infamiā, parati animis in Ætoliā sunt traducti, simulq; exposita in littus tormenta, duobus circiter millibus supra castellum, vt tutiore itinere cōuehi possent. Nam è castello Turcæ ea littora tormentis infestabāt. Ea Christophorus Auria vir impiger, negotio præpositus, attracta funib. & impulsa militū humeris, per centurias labore distributo, in castra conuexit: eodemq; tēpore Cabaniliacū trecentis Scloppetariis antecedēs, opportuno, & ante, vt diximus explorato loco castrametatus est. Dum hæc administrantur, Turcæ Naupacto magnas peditum & equitū copias educunt, & in Christianos pleno passu deferūtur. Iam enim & à Corintho, & ab oppidis quæ sunt ad Acheolum amnem, totaq; Peloponneso & Ætolia, præfecti equitum raptis quas poterant turmis, Naupactum con-

Zacynthus Christianis se tradit.

Auriæ summa Clemētiæ laus.

Caroli V. per Auriā felix in mari contra Turcas progressus.

uolarant. Nec Sarnensis, haudquaquam ea multitudine territus sibi deest; ad quatuor millia peditum in vnum agmen cogit, & quadrata acie contra hostes progreditur: extra ordines vero delectam Sclopettariorum manum rem gerere iubet. In tergo castellum relinquebatur, & in Christianorum munitionibus præsidium erat relictum, quo eruptiones prohiberi possent: & in ipsam castelli portam tormenta perite atque opportune directa fuerant. Insultantibus vndiq; & procursantibus Turcis, nec pedestres copias in aciē producentibus, Sarnensis se recipere, & in castra se conferre cœpit. In tergo extraordinarij ad angulum dextrum quadrati agminis constituti, sine periculo insequentes Turcas repellebant, circumuenire enim non poterant: & cum aliquantum in aduersos procurrerent, displosis Sclopettis tutissimus ad agmen erat receptus. Prælio ad occasum solis protracto, Turcæ nulla re memorabili gesta Naupactum sunt reuersi: Sarnensis copias in castra reduxit, totaque ea nocte quæ secuta est, ad aggeres fossasque perducendas milites in opere fuerunt: constitutaque suis locis tormenta muralia, quæ exterioribus ædificiis protegebantur. Oriente autem sole turres quæ prominebant magna vi quassari cœptæ: nec Turcæ, constantissime & acerrime propugnando vlla in parte timoris signum dabant. Erant enim in his plerique veterani Ianizeri, in custodia oppidorum atque arcium relicti. Ad extremum is exitus oppugnationis fuit, vt perfracto muro, multisque intro variis casibus interfectis, Christiani in castellum irrumperent. Trecenti ferme Turcæ, nemine capto trucidati: nonnulli insigni animorum contumacia media inclusi turre, seipsos & turrim, totumque pene castellum, non sine Christianorum clade succenso tormentario puluere concremarunt: tanto ruentium murorum crepitu, vt littora veluti terræ motu pertremerent, & triremes quæ suberant ad sagittæ iactum, lapidum fragmentis pene obruerentur. Andreas è prora prætoriæ triremis prælium spectauit, donauitque Sarnensem, & Saluiatum singulis ingentibus tormentis. Tanta enim vis æneorum tormentorum in castello reperta est, vt septuaginta millium aureorum pretium excedere diceretur. Ea demum tormēta stupendæ magnitudinis, Arabicis inscripta litteris, ad Victoriæ monumentum Genuam delata, in portus mole constituit, vbi, de piraris ad Planasiam insulam superatis, sacellum Deiparæ Virgini ex manubiis antea consecrarat. His confectis rebus, posito ad Coronem Hispanorum præsidio, atque vrbe tormentis, & multorum mensium commeatu diligentissime permunita, Mendocium ita animo confirmauit, vt fidem daret, & prolixe polliceretur, se, vel priuato sumptu, si id Cæsar facere differret, in eius auxiliū classem esse transmissurum. Interim Saluiatus suis triremibus in intimum sinum prouectus, ad Lecheum vsque portum, hodie Diui Demetrij vocatum, sub ipsa Corintho pauorem circumtulit: & veteris Sycionis, quam hodie Basilicam appellant, & quæ in aduersa parte est Creusæ, littora succensis hortorum ædificiis latè vastauit. Nec multo post Andreas appetente hyeme, & acceptis à Cæsare litteris, quibus discessum ex Vngaria Solymani, & suum in Italiam aduentum significabat, felici vsus nauigatione, Neapolim, atq; inde Genuam reuersus est. *Paulus Iouius hist. lib.* 31.

XVIII. Iam prosperos successus terra quoq; habuisset Cæsar, nisi felicitati illius, fastidiosi magnitudinis eiusdem inuidissent. Dixisse Solimanus ad familiares fertur: non se temulentos Germanos, sed Caroli fortunam reformidasse. *Haræus in Carolo V.*

Fuere complures qui Solimanum non tam sponte sua, quam aliquorum opera concitatum, hoc bellum suscepisse dicerent, in Cæsaris & Ferdinandi odium, quorum amplitudini & felicitati inuiderent, eosque periculosis bellorum cladibus inuolui & implicari maxime lætarentur. Sed quod Solymanus relicto Danubio, ac via militari, per deuia & plana hinc inde errando vagatus sit sine vllo operæ pretio: eam veriorem & exploratiorem famam, inter huius ætatis homines viguisse constat, missamque ad posteros etiamnum vigere, Habraimum purpuratum, tanta illius gratia florentem, vt circumagere eum, quo vellet cumq;, facile posset; postquam à repetendæ ac populandæ Austriæ consiliis auertere non potuisset: pro suo tamen erga Rempublicam Christianam & Carolum Cæsarem studio & amore, miris artibus effecisse, vt neque tanto exercitus ac virium robore, quantum antea ducere erat solitus, neque ea militari disciplina qua necesse erat, destinatum animo bellum gereretur. Quem dolum ab illo instrui haud ægre potuisse, existimari potest, qui hac tempestate, toto summæ autoritatis honore pollens ad inuidiam vsque, potensque cunctis non solum aulæ, ac prætorianorum ordinibus, maritimoq; negotio, classibus, Magistris equitū, Ianizerorumque tribunis dominaretur aperte; sed etiam omnes ærarij ac thesauri ac prouentuum rationes, ac prouinciarum, Magistratuumque iura, pacis denique & belli munia, ab eius vnius nutu ac potestate pendere viderentur: Solimano ei non secus, quam haud incerto imperij consorti omnia facile indulgente. Quod quidem arcanum animi sui institutum, fertur cum Carolo Cæsare, per occultos nuncios, & maxime fidos mercatores, quam secretissime communicasse: quo audacius atque confidentius, pro Germaniæ, ac totius Christiani nominis salute & gloria, cum barbaris non sine certa spe victoriæ confligere non dubitaret. Cuius rei non vulgare indicium ex eo apparuisse videtur, quod copias (quarum tametsi maxima erat apud imperitos, & credulos magnitudinis & multitudinis fama, ea tamen minime constans, neque forte vera) in diuersum diuisas, nullis tormentis, nisi paucis, iisq; tantum campestribus muniuisset, & longis itinerum ambagibus fatigatas, ad ignobilis oppiduli, cuius antea vix nomen erat auditum, irritam oppugnationem, incommodissimo tempore promouisset, quas ob rerum difficultates Solimanus cum ignominia, nec sine aliqua clade retrocedere coactus fuisset. Nihil enim attinebat, per vniuersas Stiriæ alpes exercitum raptare, & non solum milites, sed ipsum Solimanū, difficili & periculoso altissimorum fluminum Muræ & Draui transitu, natando in discrimen vitæ coniicere: ac deinde per inuios, magnisque paludibus impeditos Illyrici atque Posegæ saltus circumducere, nisi eum Christianorum Principum, ipsiusq; Caroli Cęsaris armis & viribus, si occasione vti voluissent, simul cū fesso & fame enecto exercitu trucidandum, aut capiendum obiicere voluisset. Præterea, cum non eodem quo venerat itinere, ad classem Budæ relictam, breuiore viæ compendio redire tutius putasset, ac secundo Danubio impedimenta deuehere, sed ea per siluas & montes, fatiscentibus camelis & iumentis trahere; nihil aliud videri poterat, quam quod vellet ea hostibus diripienda & conculcanda proiicere. Sed publica seculi infelicitate, reiq; publicæ Christianę infortunio factum videtur, quod Cæsar copias suas, quas maiores aut certe pares hostibus, ex Germanis, Italis, & Hispanis contraxerat, ac Bohemorum, Pannoniorum, Polonorum auxiliaribus copiis siue à Ferdinando fratre conductis, siue sponte confluentibus, ad Viennam coniunxerat, ferociæ & viribus barbarorum opponere, ac patentibus in campis, vno nobiliore prælio, rem ferro decernere non potuerit; Solymano prætextu imminentes hiemis tempestates præcauendi, re autem vera metu fortunam experiri non auso. *Nicolaus Isthuansius historiarum lib.* 11.

Ferunt Venetos, qui se toto hoc bello quasi neutros gesserunt, ne si vno prælio hoc bellum terminaretur, victor totum terrarum orbem sibi subiicere vellet, timentes: apud Solymanum ingentes atq; inuictas copias Cæsaris prædicasse: apud Cæsarem longe numerosiores, firmioresque Solimani diuulgasse, atq; ita metu vtrique iniecto, opportuno dolo, ne concurrerent, impedimento fuisse. *Franciscus Belcarius Episcopus Meten. hist. lib.* 20. XIX.

Veneti neutralitatē ostendunt.

Illud certum, quod Andreas Maurocenus scribit de suis Venetis; quod cum Petrus Zenus, ac Franciscus Bernardus à Constantinopolitana legatione reuertissent, ac ingentes Solimani apparatus, classemq; numero ac viribus præpotentem hoc anno emissurum retulissent, cunctis Christianis Principibus magnas solicitudines & curas iniecerant: quamuis etiā in hac belli suspicione, pacis aliqua spes obiici videretur. Quamuis enim Ioannes Scepusianus Vngariæ Rex Solimani auxiliis atque opibus fretus, ad certaminis aleam subeundam Ferdinando nequaquam inferior esset: attamen à pace minime abhorrebat; atque ea de causa Hieronymum Lascum Oratorem ad Cæsarem & Ferdinandum miserat: qui cum de eorum voluntate certi nihil percipere potuisset, & Conuentus in aliud tempus reiectus fuisset, ad Germaniæ Principes proficisci decreuerat. At fidei publicæ à Ferdi-

nando impetratæ, qua tutus illi in Germaniam ingressus patuerat, præfinito tempore elapso, regredi in Pannoniam coactus est: litteris prius ad Germaniæ Proceres, ad Galliarũ Regem, & inprimis ad Pontificem missis, quibus propensum ad pacem Ioannis Regis studium significauit; Venetumq; Senatum rogauit, Clementem Pontificem, & Franciscum Regem de tota re edoctos, vt publicæ pacis bonum procurarent, adhortaretur. Ioannes vero Rex, quo Germanorum in Ferdinandum studia tepescerent, in Conciliis quæ passim per Germaniam habebantur, vulgandum curauerat, hostium loco, qui Ioanni aduersarentur, Solimanum habiturum. Venetias quoque Oratorem misit, qui enixè à Venetis postularet, auctoritate qua pluriumum possent, cum Pontifice ac Cæsare agerent, vt concordia potius, quam bello rem decerni vellent. Senatus illius causam amplexus, quæ nam Regis mẽs erga pacem esset Pontifici significat, vt ad tantam rem conficiendam animum adiiciat, suadet: quantum inde emolumenti ad Christianam Rempublicam, Principe multis virtutibus ornato, qui parte amplissimi regni potiatur, à Turcicorum auxiliorum illecebris abstracto, & cum reliquis Christianis Principibus arctiori, ac firmiori concordiæ nexu coniuncto, accessurum sit, docet; quem satis constaret, extrema quæq; subiturum prius, quam Pannoniæ regno exui se permitteret. Cæsaris quoq; Legato, quæ sint Ioannis Vngariæ Regis consilia, quæ cogitationes significatur. Verum Pontifici bellum magis quam pax probatur: vel quod pacer religionis diffidia maioribus incrementis augeri posse vereretur: vel quod cunctos Europæ Principes aduersus Turcas acrioribus conatibus spe quadam victoriæ animo vsurpata, impellere & concitare cuperet. Nam Matthæum Gibertum Episcopum Veronensem per eos dies Venetias miserat, vt Senatum ad fœdus aduersus Turcas ineundum hortaretur. Vndecimo Kal. Febr. egit ea de re graviter, multisq; argumentis, vi ac dicendi copia, quæ permagna in eo viro fuit, vt Senatum in Solimanum cõcitaret: quibus enim ira cremẽtis exigue armorum interuallo se Ottomannorum Imperium extulisset, vehementi oratione explicauit: barbaram gentem Principum Christianorum dissidiis ac negligentia, non propria virtute suffultam tantũ ausum fuisse: tot prouincias in miserrimam seruitutem redegisse; cui exitiali malo si initio obuiam itum foret, nullo negotio depelli, atque extingui potuisse; at cum singuli magis propriũ commodum, quam commune bonum spectarent, alitã hanc pestem, longe lateq; diffusam iam nostris finibus minari. An igitur, *dicebat*, æternum hoc sopore Christiani Principes, ac veterno correpti erunt? Numquam ne ad tantum armorum strepitum expergiscentur? Quæ hoc anno in bellum Pannonicum Turcæ parant, nõ incertis rumoribus è Constantinopoli allata sunt: neq; vt antea Turcę cõsueuerant, terrestres tãtum copias adhibent: numero & viribus præpotentes classes emittunt: maria omnia, maritimasq; oras, nullo obsistente legunt: quæ omnia cum oculis Clemens pro munere sibi diuinitus delato subiicit, vicem Reipublicæ Christianæ miseratus, perditam horum temporum conditionem deplorat: discerpi, ac nisi ere laceran Christianum nomen conqueritur: quantum in se est, cũctos Principes ad bellum aduersus teterrimos hostes suscipiendum suadet, hortatur, monet: Inter quos cum Reipub. Venetæ opes, ac quantum maritimis in rebus possit, secum ipse reputat, spe magna euchitur, si in cõmune hoc fœdus descendat; fore, vt terra mariq; petitus, atq; conflictatus hostis, nõnihil de superbia ac fastu quo nimium intumescit remittat; ac Deo iuuante, qui hactenus præteritis victoriis insolens ac iactabundus incedit, aduersæ fortunæ tela quoque experiatur. Quod si intentius maiorum vestrorum exempla intueor: nonne ea vobis maximos spiritus his sociis ad arma sumenda addere videntur? Continua illi, ac magna bella cum hac gente gessere; neque pro patria, pro libertate, pro religione vlla pericula formidarunt: nullos, quãuis ingentes labores perhorruere; de illa quandoque victricia spolia retulere. Fateor, auctas esse imminanium hostium vires: insiciari non possim etiam ad vos clades, ac damna non peruenisse; sed si efferri altius hostem patimini; quando vobis aut tempus, aut opportunitas, aut voluntas illum contundendi, atque obterendi aderit? His atque aliis Gibertus Venetis persuadere nitebatur, vt vel ad societatem iungendam eos impelleret, vel saltem ad sententiam planius apetiendam, aut ad aliqua auxilia ferenda adduceret. Cæterum senatus, fœdus cum Solimano excusans, neq; societatem inire, neque auxilia conferre voluit; quinimo Pontificem, qui decumas ex Sacerdotiis exigere parabat, præueniendum existimauit. Nam cum occasione apparatus Turcici, Veneti quoq; classem suam necessario augere haberent, atq; graviuu commune exhaustum esse dicerẽt, decreuerunt, vt qui in Venetis ditionibus opulentissima Sacerdotia possiderent, nonnihil ad subleuandam ærarij inopiam contribuerent. Itaq; Senatus decreto, XI. Kal. Martij Ecclesiasticis viris subsidium (sic enim appellabatur) quod certo tempore restitueretur impositum est. Ea vero res Clementem irritauit: sua iura à Senatu læsa esse; imponere decimas, ac subsidia imperare iis non posse: in quos ipse summum ius obtineret: non permissurum quicquam detrahi de Pontificiis rationibus. Senatus Pontificis iratum animum ægre ferebat; placatioremq; reddere nitebatur. At ille neq; precibus, neq; argumentis cedens, sententiæ insistit, antesignanisq; Collegiorum & religionum præcepit, ne quicquam in subsidium pecuniæ erogarent. Cæterum Senatus, nihilominus exigebat, nec quicquam Pontificis conatus respiciebat, aut iura dignitatemq; illius curabat. *Mauroceni hist. Venet. lib. 4.*

Iniquè suggillat Clementẽ: qui aliud facere non poterat quã Cæsarem contra Solimanum tyrãnum, siue euocatum, siue sponte uẽtem, iuuare.

XX. Non obscuro indicio, quod spectare, non iuuare volebat, tam pios Põtificis, & Cæsaris conatus: quos Gallus & Anglus impedire absq; dubio nitebantur. Ii odio & ira in Cęsarem incensi, hoc anno, inter Caletum & Boloniam in colloquiũ venerant: vbi Turcarum Imperatorem per eam hyemem in Vngaria mansurum, & sic Cæsaris vires implicatas fore rati, vt Galliæ Rex Mediolanum inuaderet egerunt: & Pontificem in sententiam suam asperitate atq; terrore, postquam id alia ratione efficere non potuerant pertrahere statuentes, de regnorum suorum obedientia, nisi quod volebant ab eo impetrarent, ciadimenda consilia agitabant. Volebat autem Gallus Insubriæ imperium: Anglus vero in diuortij causã pro se sententiam ferri: Iamq; Tornonium & Tarbensem Cardinales, quorum vterq; maxima apud Galliæ Regem autoritate pollebat, cum acerbis mandatis ad eum mittere statuerant. Verum hæc consilia nõnihil molliora reddidit, quod antequam ab hoc conuentu discederent, Turcam retrocessisse audiuerunt: Idemq;, quo minus Angliæ Rex Annam Bolenam matrimonij in eo conuentu celebrandi causa Caletum accerseret, impediuit; quod quidem facere decreuerat, etiamsi causa in Romana Curia penderet, & Pontificio edicto, ne quid in prioris matrimonij fraudem moliretur, grauissimis interpositis pœnis & diris denunciationibus cautum esset. Francus, vt Anglo Regi se malo in Romanam Ecclesiam animo esse ostenderet, quamuis lenitate Pontificem demulcere cuperet, propria autoritate Sacerdotibus per vniuersum Galliæ regnũ decumas imposuit: & duos illos Cardinales ad Põtificem, sed cum mandatis ab iis quæ prius decreta fuerant longe diuersis, ablegauit. Cæsar in Italiam veniens, cum Pontificem alloqui cuperet, iterũ Bononia inter eos est ad id constituta. Hunc locum Pontifex cupide est complexus, ne Cæsari regnum Neapolitanum, ad quod multi eum ex suis hortabantur petendi, & sic diutius in Italia manendi occasionem daret. quod etiam contra Cæsaris mentem erat; qui cum aliis de causis, tum potissimum liberorum procreandorum desiderio, cum vxor in Hispania esset in Hispaniam quamprimum trãsire cupiebat. Clemẽs p Tiphernates iter habens, asperis inusitatisq; itineribus superato Apennino, ne ingratæ patriæ mœnia aspiceret, per Æmiliam Bononiam cum 14. Cardinalibus, 18. Episcopis, & quamplurimis viris sacratis, sine pompatu venit, excepitq; Cæsarem Mantua profectum, sub anni finem, die 13. Decembris. *Guiciardinus lib. 20. Pompeius Vizani lib. 11. Iouius lib. 31.*

Pontifex Cæsarem Bononiam venientem honorifice suscipit.

Acta porro colloquij Regum Galliæ & Angliæ, ferè ad minutias, describit Bellaius; ex quibus, quo animo in Pontificem hi Reges fuerint, lubet cognoscere. Ita narrat.

XXI. *Acta Colloquij Galliæ & Angliæ regum.*

Bellaius & Pomeræus in Anglia cum Rege, de die, loco, ratione, ordine & ritibus habendi illius congressus transigunt. Vt autem de ritibus in ea re seruandis statueretur, Rex curam Mommorentio Præfecto prætorij & Galliæ Mareschallo cõmittit; Anglus Duci Northfolcio, vt eorum consilio atq; cõsensu res tota gereretur & administraretur. Rebus constitutis Bononiã nauigauit Anglus circiter 20. Octob. die 1532. a Rege & filiis exceptus. Post amicissimos complexus, & vera fraterni amoris

amoris testimonia, in ædibus Cænobii Bolonensis simul coeunt, vt dimidia illius pars ab vtroque teneretur. Ibi Rex Northfolcium & Suffolcium Duces torque cochleato (hoc insigne est Equestris in Gallia dignitatis) donat; Anglus Mommorencium & Philippum Chabotum Brionium Galliæ Admiralium sua perisCelide ornat. Post epulas & reliquas omnis generis oblectationes Boloniæ exhibitas, quibus tum Galliæ tum Angliæ Principes & Cardinales cum maxima Antistitum & nobilium parte interfuerant, ambo simul Caletum proficiscuntur; vbi Rex non minori splendore quam Anglus Boloniæ maximo totius nobilitatis & reliqui comitatus plausu excipitur. Illic eiusdem mensis die vicesimo octauo eodem anno fœdus in hæc verba inount: Quanquam nõ dubitarent, quin malcuolis obtrectatorum sermonibus, quibus sua existimatio lædebatur, nihil loci, neque fidei apud homines sanos esset, sed se tales habitum iri confiderent, quales reuera sint, nempe nominis Christiani amplificandi inprimis studiosos (cuius rei testimonio essent oblatæ ab ipsis conditiones ad propulsandum bellum Turcicum) tamen cum magnopere sua referre intelligerent hanc suam voluntatem omnibus indies notiorem fieri, reliquosque Principes secum coniungi cuperent, vt omnium consilio dispiceretur, quid quisque virium ad sanctum hoc opus conferre queat; qua ratione locis periculo vicinioribus consuli possit, quibus Turca, siue susceptum bellum prosequatur, siue aliud nouum machinaretur, imminere videtur, se consilia ad eam rem suscipiendam in illo congressu contulisse. Quamobrem licet sibi nunciatum esse eo ipso loco meminissent Turcam copias abduxisse; tamen veriti, ne huiusmodi receptus ad nouam cladem inferendam institutus esset (præsertim cum bonam exercitus partem in Vngaria reliquisset) statuisse, si quid huiusmodi contingeret, exercitum cogere octuaginta millium hominum, in quibus equites ad numerum decem millium essent, cum tormentorum multitudine quanta satis esset; neque nisi mutuo consensu has copias dimitti, aut seiungi posse. Deinde missuros se ad eos per quorum fines iter illis esset faciendum, siue in Italia, siue in Germania, vt sibi eorum voluntate sine vllo maleficio, cibis precio comparandis, transire liceret.

XXII. Præter istud fœdus, Anglus apud Regem grauiter de iniuria conqueritur, quam sibi à Papa in re diuortii fieri contendebant: quem eò etiam vellet adigere, vt vel ipse Romam proficisceretur, vel certum aliquem cum mandatis & procuratione, qui ipsius nomine Romæ litigaret. Hoc vero neque vllam iuris rationem pati, neque vllo exemplo fieri posse. Imo quoties tale quiddam in summorum Principum causa accidisset, iudices ad eorum ditiones mitti consueuisse; quod & tale negotium, quò magis ex sese nihil quisquam habere potest, vtpote ad animi causam pertinens, ac de quo suis cuique verbis respondendum est, parum tutum est procuratori mandare: & Principem vero relicta regni administratione & cura Romam proficisci, cuius æquitatis esset? Conquerebatur etiam nimium graues exactiones ab Ecclesia Romana, in Anglicani regni Clerum & plebem fieri: quibus verbis Regem in Papam & Ecclesiam Romanam exacerbare conabatur. Summa etiam contentione laborabat, vt ambo legatos ad Papam mitterent, qui eum ad totius Ecclesiæ Concilium quasi vadimonio denunciato vocarent; vbi audiret, quam multa præter ius & fas per summam iniquitatem in Principes Christianos & eorum populos faceret; eaque omnia Concilii autoritate atque iudicio emendarentur & reformarentur. Id vero Rex non plane sibi denegandum esse censuit. Verum quoniam Papa ab eo per Cardinalem Grammontium petierat, vt Nicææ vel Auenione post Cæsaris in Hispaniam reditum coram possent colloqui, Anglum amice rogat, vt res in aliud tempus reiiciatur.

XXIII. Cæterum, quum Cæsar in Italiam contenderet, Galliæ Rex iniquum illius in se animum perspexisse videbatur: neque Anglus ipse ignarus erat; cui etiam Cæsar non minus infestus erat, ob diuortium quod ille moliebatur. Cuius causa Papa quoque acerbiori in Anglum erat animo; vt suspicaretur à duobus istis Regibus aliquid in suum incõmodum suscipi posse. His causis permoti statuunt, vt ad Papam Turnonius & Grammontius Cardinales proficiscerentur, quæ specie prosequendi in congressu illo cum Cæsare obseruarent, occurrerentq; ne quid grauius in se statueretur; aut certe, si quid huiusmodi accideret, per illos certiores facti suis rationibus prouiderent. Iis Rex in mandatis dedit, vt Papam tanquam ipsius proles & filii obsequentissimi monerent, quemadmodum duo potentissimi Reges, multos grauiter queri, expostulare, & indignari ob præsentem rerum statum audiuissent: quibus rebus adductos statuisse per cõmunes legatos denunciare, vt istas æquissimarũ querelarum ansas præcideret. Sin minus vellet, se ita rem curaturos, vt illi cõstaret, quam non essent horum duorum vires cõtemnendæ. Quare doceret, & omni ratione persuaderet, officii illius esse, videre vt duobus Regibus satisfieret; maximo ipsi Anglo, cuius res nõ minus ac in suum decus & fama agatur, curæ sibi esset. Monerent præterea, vt ille etiam atq; etiam apud se cogitaret, q̃ cõmodum & vtile ei esset, duobus Regib. amicis & propiciis vti: quàm detrimentosum cõtra, tum illi, tum ipsi Sedi Apostolicæ foret, si eos ab se alienaret: præsertim quum tam firma & intima inter eos coniunctio coaluisset, vt nemini iam vllo pacto dubitandum sit, quin omnium quæ gesturi essent vna videatur ratio & voluntas: Hoc profecto certissime statui possit, eam esse illorum potentiam, vt cum sociis & auxiliis tum publicis, tum occultis, magnũ quiddã, quum suscipere liberet, perficere posse videretur. Quam rem illi summopere cõsiderandam esse, ne eos irritet, & ad moliendum aliquid perpellat: ex quo in posterum ingẽs damnũ, & immensus dolor cõpararetur. Etenim si Concilii totius Ecclesiæ indici semel postularent (quum in suo vterq; regno & ditione, cum aliis, q̃ se ad illos aggregare vellent, separatim possint cogere) id q̃ si illis vel denegaret, vel si differret, eius tarditatem & moram pro denegatione haberẽt; ac sic absq; eo indicerent & cõuocarent; suam causam cæteris Principib. Christianis, facile probaturos esse, quum expostulationes grauissimæ in medium adducerent, quibus vel pares, vel etiã graviores expostulandi causę suppeteret. Hinc futurũ esse, vt omnes suis vetarent, ne Romam pecunias ferant, non mittant, siue directo, siue indirectè, siue collybo, siue alia permutatione; talemq; multã denunciarent, nisi decreto parcatur, vt facere contra audeat nemo. Ad ista etiam adderent, se Regem Christianissimum audiuisse, quum diceret; Si Papa suis diris, & Pontificiæ censuræ imperio in se suosq; sæuire vellet (quod tamen illius maiores in Regem Galliæ facere haudquaquam consueuerunt) vt sibi Romam esse tandem eundũ videret, quò caput deuotum maledictis liberaret; se tanto comitatu stipatum iturum esse, vt nihil libentius faceret, quam vt primo quoq; tempore eum sibi placaret. Videret insuper, quo loco iam sint Germani, Heluetii, & complures alii ex familia Christiana, quemadmodum se ab imperio Romani Pontificatus subduxerint. Quod si duo potentissimi Reges idem facere in animum inducerent, idq; iuris non obscura specie, quod æquissimis suis postulatis nihil apud illam loci fuisset (id quod non prorsus falso ab his iactaretur) periculum esse, ne multi ad eos se se adiungerent, & cõiunctis copiis, sociorum, quos vel apertos, vel occultos (vt dictum est) habeant accessione, nihil mediocre molituros, vt eorũ conatibus ægre obsisti posset: sicque pro ea pace, qua nunc Ecclesia Christiana fruitur, bellum longe quam antea fuerit, grauius oriturum esse.

XXIV. Præter hæc mandata Rex istis Cardinalibus iubet, vt si Papam animo in leniorem & moderatiorẽ sententiam, maxime in re Anglicana propendere videret, sermonẽ obiter tanquam à se ex tempore excogitatum, de cõgressu illo Nicæno aut Auenionensi iniicerent; Regẽ deinde cõfirmarent effecturũ, vt Anglus quoq; illic adesset, vbi omnia pacate & amice transigi possent. cõmodissimum factu videti, si ante congressus haberetur, quam denunciatione illa à Regibus facta res in neruum iam iam eruptura videretur. Hæc inter fratres coniunctissimos Reges conueniunt. de quibus Rex certiorem fieri Tinteuillanum Altissiodorensem Episcopum iubet, quem apud Papam Oratorem habebat: vt quoniam Cardinales illi apud Papam adfuturi erant, quum Cæsar illum conueniret, videret ille quemadmodum eorum mandata, sua oratione subsequeretur. Nominatim eis Rex di sertis verbis mandat, omni studio & contentione cum Papa agant, vt Anglo petenti iudices in Angliam mittat. His rebus con-

fectis, Reges à se discedunt. Gallus à conuentu reuersus Lutetiam venit, multos regni Antistites ad se conuenire iubet: demonstrat, magna sibi obeunda negotia extitisse, maiora imminere, quibus prospici necesse sit: spontaneum aliquod subsidium ad ea conferri ab iis petit. Hi licet nullum à Papa diploma proferretur (quod in huiusmodi rebus fieri solet) cum gratia binas aut etiam ternas decimas concedunt. Ibi à suo Oratore Tinteuillano sit certior per literas, Papam, vbi audiuisset Cardinales Turnonium & Grammontium sibi, quum Cæsarem alloqueretur, præstò futuros, rem sibi valde gratam esse ostendisse, imo postulasse, vt à Rege autoritatem haberent agendi de iis, quæ Christianæ Reipublicæ profutura viderentur. Rex Anglo ista nuncianda curat, vt quid sentiret, an illec quoque mittere cogitaret. Quod quum ille probaret, duos illi legatos pari autoritate illuc mittunt. *Martinus Bellaius comment. lib. 4.*

XXV. Verisimile est, ista Regum consilia, à Thoma Cranmero, Regis Angli, ad Carolum Cæsarem & Principes Germaniæ Oratore excogitata fuisse: quãdo is Ratisponam profectus, Germanorum contra Pontificem clamores audiuisset; & proculdubio eadem, quæ hæretici coquebant, illis Regibus renunciasset; eaque ratione ad eas comminationes faciendas, impulisset. Nam is in Germaniam ad conuentũ Principum, ex Anglia secum detulerat librum, pro diuortio sui Regis & nouo matrimonio accuratissime scriptum, vt causam Henrici repudiantis probaret Principibus; quem cum Ioannes Cochlæus recensuisset, & omnes Rethoricas illius amplificationes confutasset, Cranmerus ne mutire quidem potuit, aut respondere ad scripta. Ad eadem Comitia delatus fuit liber quidam hominis cuiusdam eruditi, qui Lutheranos cum Catholicis concordare in doctrina nitebatur. Hunc iussu Cardinalis Campegii & Alcandri Archiepiscopi, Cochlæus cum nonnullis aliis Theologis Hispanis ad censuram reuocauit; & in multis, tum Catholicis derogare, tum Iudaizare reperit; adeoque dignum existimauit, quem Legatus & Nuncius Sedis Apostolicæ reiicerent. At longe pestilentiorem reperit ibidem publicè venalem librum Cochlæus, cum hac inscriptione, De Trinitatis erroribus libri VII. Michaelis Serueti Hispani. Hoc enim tempore impius homo, eruditione & multarum linguarum cognitione abutens, innumeros eosque summe impios, & in SS. Trinitatem blasphemos errores fouebat, editoque *libello* Anabaptistis fauere inceperat, publice docens, Baptismum paruulorum priuata solum Pontificum autoritate, cõtra expressum Scripturæ mandatum, tolerari ac defendi. ad quod comprobandum, variis è sacro Bibliorum codice locis petitis abutebatur, & vt erat incitandis autoribus audacissimus totam antiquitatem pro se allegabat. Præterea Magistratum etiam oppugnabat, quem prorsus reiiciens, nullum in subditos imperium habere sentiebat. In sacrosanctam vero Trinitatem pleno ore inuehebatur, docens:

Michaelis Serueti Hispani de SS. Trinitate errores.

1. Patrem solum, non Filium, non Spiritum sanctum verum Deum esse.

2. In veteri testamento, nullum Deum propositum præter eum, qui cœlum terramque erearit, qui vnus tantum non trinus in personis sit habitus.

3. Hunc, quia ab omnibus fuerit agnitus, non tam Iudæorum, quam & gentium Deum esse.

4. Deum in substantia sua partes & partitiones continere, quæ vbicumque sit, concomitentur quoque & adsint, ita vt in lapide sit lapis, & in trunco truncus, &c.

5. S. Trinitatem esse merum nugatorium figmentum, quam, vti Genuenses ministri ad Senatum scribunt, vocabat triceps monstrum, aut Cerbereum quoddam tripartitum, Deos imaginarios, illusiones, ac tres spiritus dæmoniorum; sanctos Ecclesiæ Patres, Athanasium, Augustinum, aliosque eximios Doctores, quod Trinitatem assererent, Trinitarios, atheos & filios Beelzebub appellitans.

6. Filium Dei non esse secundam personam diuinitatis; Christum hominem esse personã, & tunc factam personam, cum homo fieret. Sustinere enim cum Regis, Sacerdotis & mediatoris personam.

7. Λόγον, nunquam tanquam Deum aliquem incarnandum in veteri Testamento promissum.

8. Hominem purum, natum ex Virgine, esse vocandum Deum, non Deum aliquem vocandum hominem. Hunc quod filius Dei dicatur, imaginatione tantum siue ratiocinatione fieri, non reipsa.

9. Spiritum sanctum non esse simpliciter Deum, & proinde non inuocandum; non esse meram Deitatem, sed aliquid ex essentia Dei; non esse tertiam personam; non habere propriam ac distinctam hypostasin; in nullo Prophetarum aut Apostolorũ fuisse; leuem solummodo & tenuem aliquam auram esse, quæ in creatione mundi primum prodierit.

10. Solius Patris munus esse, omnia ex nihilo creare, non Filii, non Spiritus sancti. Hunc Patrem omnia in omnibus esse, atque ita omnes creaturas Deorum plenas, imo & ipsum Deum esse; vtpote quæ in vnam animæ & Spiritus substantiam coeant.

11. Nunquam fuisse in lege Deum vere adoratum, sed Angelos Deum adumbrantes; eos fuisse ab initio realiter, & (bonos) restauratione aliqua indiguisse, postquam illorum caput factus est Christus.

12. Omnia, quæ homo possideat, spiritum & animam ex Deo esse, & eius substantiam; Regeneratos aliam, quam ante habuerint animam, quæ insitum Deitatem contineat, accipere.

13. Ob peccatum Originis neminem damnari; cum corpore tantum à serpente occupato, anima libera sit, quæ ante vigesimum annum peccare nequeat.

14. Homines sine agnitione Christi, aut λόγου saluari posse sub Euangelio & iustificari.

15. Non adorandam SS. Trinitatem: id enim Antichristi opus esse. In veteri lege, quia vmbra fuerit, neminem vere precatum. Turcas per orationes suas, quæ bonæ sint, promissiones Christi consequi.

16. De Eucharistia, idem quod Sacramentarii, nempe symbola & signa tantum, non verum corpus Christi participari, docebat. Item, credere in Christum, significare, carnem eius & sanguinem bibere.

17. De Baptismo, vti diximus, sic sentiebat; Pueros non esse baptizandos, sed adultos, qui 20. vel 30. annum excesserint. Pædobaptizatos nõ regenerari ex aqua & Spiritu. Non esse in nomine eius, qui trinus sit in personis, & vnus in essentia baptizandos. Nec damnari ex Iudæis infantes, Ninuitis, vel aliis barbaris progenitos, quia Deus sit misericors.

XXVI. Hos & alios errores, docebat Seruetus. cuius librum, cum Ioannes Cochlæus attulisset, ad Ioannem Quintanũ, Theologum eximium, & Cæsareæ Maiestati à Confessionibus, virum Hispanum; is tulit ægerrime indignitatem eius rei; tum quod autor Hispanus esset, quem & de facie se nosse dicebat, tum quod impiissimæ atque inauditæ in eo libro essent hæreses. Moxq; curauit, pestilentissimum illum librum supprimi, ne amplius venderetur.

Trinitariorum secta. Cæterum, vt constaret Trinitarios & Anabaptistas, non aliunde quam ex schola Lutheri prodiisse, eodem tempore homo Germanus è terra Iuliacensi, Ioannes Campanus, qui biennio Lutheri fuit discipulus Wittembergæ, eosdem fere de Trinitate errores afferere non dubitauit. Atqui Lutherus, tametsi in eum calamum strinxit, tamen ad tantam impietatem fenestram illi aperuit: cum non est veritus scribere libro aduersus Iacobum Latomum, se odisse vocem Homousion, quam etiam dicit non receptam à multis, iisque præclarissimis: quin & Hieronymum ait queri, nescire se, quid veneni lateat in syllabis & literis. Verum ibi sceleratissime de Hieronymo mentitur. Is enim in vna ad Damasum epistola de hypostasi dubitat, non de *homousio*. Imo vero etiam per homousion Trinitatem orat Damasum, vt respondeat. Porro Lutherus hoc ipsum in Arrianis probat, quod noluerint homousion, quam dicit prophanam vocem recipere. Itaque Campanistæ, seu Trinitarii iure merito possunt appellari genimina Lutheri; quod & Georgius Vuicellius non dubitauit Iusto Ionæ exprobrare, quum scriberet; Esto, *inquit*, sit Archiblasphemator Christi Campanus. Vbi, *quæso*, aut à quo didicit? Apud nos fuit septimanas quatuor, apud vos annos duos. Ergo non nos, sed vos docuistis eum. At nec vos illud eum docuistis? Esto ita. At quis recluserit ei ianuam ad illum errorem tam abominabilem atq; horrendum? Ego, an vos? Hic sine apparebit quisnam sit Campanicæ hæreseos reus:

quando-

quidem ille tamdiu Wittembergæ permansit atque ædificauit. In quo sane nido adhuc incubat Struthio Camelus, vir ille, qui modicum tenet de hoc verbo homousion, atque palam scripsit, sibi hanc vocem, Trinitas, in Theutonico non placere. Ista Vuicelius ex Lutherano factus Catholicus, vir doctus, & trium linguarum peritissimus.

XXVII. Hic cum ad decennium fere Lutheranis adhæsisset, lectis sanctissimorum Patrum scriptis, deseruit circa hoc tempus sectæ cõsortium, & solidam illam Ecclesiæ primitiuæ Theologiam, hesternorum Theologastrorum placitis antepositi. Antequam vero se publica professione à Lutheranismo disiungeret, subtitit aliquamdiu ceu dubitabundus, & Ecclesiam veterem, cuius faciem in Scriptoribus Ecclesiasticis, Patrumq; monumentis intuebatur cum noua hac per Lutherum erecta diligenter comparauit. Dum iis rebus occupatur, duos scripsit libellos; alterum de tollendis Ecclesiæ Lutheranæ defectibus; alterum vero de dissimili veteris illius per orbem diffusæ, & nouæ huius Euangelicæ, vt dici volebant, Ecclesiæ statu. Quanquam neutrum horum edidit tamen, sed priorem illum Philippo Melanchthoni, posteriorẽ vero Iusto Ionæ legendum obtulit, atque examinandum. Quin & hac de re per literas egit cum quibusdam Lutherani ministerii Concionatoribus, quibus de dispari veteris Ecclesiæ Catholicæ, nouæque Lutheranæ statu, cogitationes suas aperuit. Quorsum vero spectaret institutum hoc, facile vidit pro sua perspicacitate Lutherus; ideoque hominem odisse cœpit, & in hæreseos suspicionem deuocare; quasi cum Sacramentariis, cum Anabaptistis & fanaticis, item cum Ioanne Campano, monstrosis opinionibus imbuto hæretico, cõsusurraret. Effecit igitur, vt Electoris mandatu, comprehensus in vincula coniiceretur. Fuerat Wicelius quadriennio ante, quam in carcerem detrusus, Wittemberga missus Nimeciam, quod est oppidum Saxoniæ Marchiam versus, vt Pastoris istic munere, Lutherano ritu fungeretur. Istuc mense Iulio 1529. venerat Ioannes Campanus, quem dixi, postquam Wittembergæ ad biennium commoratus fuerat, hæsitque Nimeciæ non amplius mensem vnum, Wicelii consuetudine nonnunquam vsus per interualla. Hanc occasionem nactus Lutherus, Wicelium, vt socium Campani hæresiarchæ, fanaticum, Sycophantam, & res nouas molientem, per suos ad Electorem detulit: cuius mandatu anno 1530. cum socio quodam Antonio, Nimecia abductus fuit, & in tetrum carcerem detrusus. Interim scriptis ipsius discussis, & habito diligenti examine, vnicum hoc fuit in eo deprehensum crimen, quod sectæ recens per Lutherum conditæ, veterem Ecclesiam Catholicam anteferebat. Dimissus igitur anno 1531. Nimeciam primum reuersus, ibi res suas composuit; post Wittembergam profectus, Lutherum infortunii sui authorem, à quo per calumniam delatus erat, adiit; inde discedens in Hassiam ad suos è Saxonia commigrauit: & contra Ionam, de Catholica Ecclesia scripto libello, ostendit, Campanum, non Nimeciæ, vbi vnum mensem hæsit, potuisse; sed Wittembergæ, vbi duobus annis apud Lutherum in sinu nidificauerat, euasisse Trinitarium archiblasphematorem.

XXVIII. Scripsit deinde libellum pro defensione bonorum operum contra Lutheranos, qui typis excusus hoc anno 1532. prodiit in lucem sub Agricolæ Pagi nomine: cui Iustus Ionas scriptum opposuit, ex mendaciis, calumniis, virulentis conuitiis, & sannis fere consutum; in quo hoc vnum studio habuisse videtur, vt Wicelium omnibus quoquo pacto redderet odiosum. Oppugnauit eundem libellum, & alius quidam Balthasar Raidius, concionator Hersfeldensis in Hassia, cuius scripto præfationem Lutherus præmisit, indignum iudicans Wicelium, quo cum ipse congrederetur. Priusquam vero Raidius tractatum hunc in publicum emitteret, literas dedit ad VVicelium, stomachi plenas, quibus eum obiurgat, quod ad Papistas transierit deserto Luthero, quem magnis laudibus in cœlos vsque subuectum extollit, vnaque obiicit, quod de tanto viro nunc inter suos parum commode loquatur.

XXIX. Respondet ille, 12. Decemb. anno 1531. & quod ad Lutherum attinet, inter cætera; *Dixi vero*, inquit, *quòd ille longe secus affectus sit atque sancti Apostoli, quorum vice integrius aliis fungi se profitetur. An fallor? Confer hosce, quæso; imo confer illum cum verbum Episcopis, & erunt dissimilia pleraque. Quid? quod tantum iræ (quæ est breuis insania) tantum odii, tantum vindictæ, tantum tyrannidis, tantum maledicentiæ, tantum arrogantiæ, tantum audaciæ, tantum luxus, tantum mollitiei Maleficæ vix in vllo Pseudoprophetarum, aut hæreticorum inuenias. Nec huiusmodi tu nescis; sed te delectat, at polypus agnæ. Et paulo post: Dixi vero in eius vitam efferminatissimam, non vlciscendi gratia, quem admodum isti facere consueuerunt; sed vt cognoscant, quo loco res eorum sint, siquidem talem habeant vitæ ductorem. Nam certum est, arborem è fructibus agnosci. Nec verisimile est, vt is omnium optime doceat, cuius vita tam mundana est. Satius longe esset, vt quod de Origine legitur, Luthero congrueret. Hic est, qui quale verbum habet, talem vitam habet. Quod si ita esset, quem non puderet quippiam mali de eo dicere? Faciat mendaces, qui sunt dicaces, vita sanctiore. Neque enim solus ego, de eius rebus loquor. Regiones plenæ sunt Lutheri luxuriæ & tyrannidis. Certe laudare non possum, si quid laude caret, etsi te ruperis. Video manticæ, quod in tergo meo est, laus Deo. Igiturne cum periculo Germaniæ dissimulanda erant tubera istius Prophetæ? Nondum, Raidi, rem plane detexi; fiet vero, si volent. Porro veterum exemplis iuuor, qui non bene de aduersariis scribebant; quia non bene illi viuebant. Fecerunt hoc, vt reducerent affectatores.*

XXX. Hæc ad Raidium VVicelius; qui cum Lutheranismi conditionem, mores, genium, omnia demum mysteria intime nouisset, primus omnium totam eius turpitudinem postea detexit, & Lutheranis plausibilẽ illam detraxit Ecclesiæ primitiuæ laruam, qua tecti in Comitiis Augustanis, ac passim alibi sese frauduleuter insinuabant. Quam ob causam acerbo eum odio prosequebantur, & cum opprimere non possent innocentem, turpiter conspurcabant editis libellis, atq; hoc efficere conati sunt, vt omnes VVicelium auersarentur. Cæterum; quæ VVicelius de vitæ mörumque turpitudine Lutheranis obiecit; eorum oculatus fuit testis, vt qui ad decennium inter eos vixerat. Nec Lutherus ipse ausus fuit inficiari, quæ per VVicelium spargebantur:

XXXI. *Georgius VVicelius hæresiarcha ad Catholicam fidem reuertitur.* Rouerus Pontanus ista, quæ subiungo habet de Georgio VVicelio. Erat, inquit, vir impense doctus, Lutheranismoq; addmodum addictus. At vbi ille à priscis Doctoribus editas lucubrationes magno cœpit studio euoluere; facile animaduertit dogmata Lutheri, tum Christi Euangelio, tum vetustis illis patribus, etiam Apostolorum contemporaneis prorsus repugnare, seque à vero deflexisse. Itaque hac tempestate ad Ecclesiam Christi Catholicam se recepit. Quod vbi Lutherus didicit, sua effecit opera, vti VVicelius per vim VVittembergam adductus, ceu maleficio obnoxius vel hæreticus in turrim coniiceretur. Verum vbi Lutherus diligenti adhibita inquisitione nihil potuit dignum in VVicelio deprehendere, à Magistratu facta illi libera abscedẽdi facultate in patriam se contulit. Tum vero Lutherum, & qui illius factionis erant, timor incessit, ne VVicelius, vtpote vir præclare eruditus, illorum existimationi detraheret: multaque ab eis in VVicelium edita sunt scripta plane commẽtitia, ac contumeliosa, & quæ illius famam læderent. Inter hos præcipui fuere Iodocus Cocus, qui se Iustum Ionam scribit, & duo desertores Monachi, alter Langi, alter Ægidii vocabulo. VVicelius autem, quod in Electoris Saxoniæ ditione ageret, non est ausus calamum stringere in Lutherum, vel eius asseclas, neque aduersum illorum calumnias & sycophantias suum nomen existimationemque tueri. Quamobrem recepit se ille ad illustrem Catholicumque Comitem Hoyerum à Mansfeld, cœpitque aduersariorum calumnias & conuitia egregie à se amoliri, multaque in Lutheranos conscripsit. Inter quæ Apologiam edidit, qua luculenter narrat, quibus rationibus permotus sectæ Lutheranæ nuncio remisso ad Catholicam Ecclesiam sese contulerit. Quæ quum ad multarum rerum hoc tempore inter Catholicos & Sectarios gestarum notitiam pertineat, visum est illam isthic adiungere.

Apologiæ VVicelii, cur idem ipse à Lutheranismo ad Ecclesiam se transtulerit pars præcipua, ab ipso authore edita Germanice.

XXXII. Cum sit apud omnes in confesso, me reiecta Lutheri factione ad Ecclesiam Catholicã reuertisse, pleriq; hoc meum institutum nõ solum admirationi est, sed etiam stomachum mouet haud mediocriter. Quibus etsi ego latinis literis

sæpe-

sæpenumero adhuc satisfecerim, adeo vt nonnulli iam, Deo lauo, vacillare incipiant, quando tamen multi dæmonum impulsu & agitatione ea re minime contenti longius progrediuntur, atque vt suæ obsequantur libidini & furori, apud vulgus me linguis plane vipereis traducunt, equidem pro officio mihi facere videor, si nominis mei existimationem, meamque innocentiam à patentibus iisdemque putentissimis gutturis eorum sepulchris vindicem, quo tandem illi pudefiant, & apud omnes impudentissimi mendacii rei teneantur.

Georgii VVicelii hæresiarchæ Apologia curitè ipse ad Ecclesiam reuersus.

Principio quidem non sic magnopere necesse est meæ à Luthero defectionis rationes reddere, quando eas apud sese quilibet conijcere potest. Attamen in piorum gratiam quasdam obiter commemorabo. Equidem re ipsa comperi factionem hanc non eam esse Dei Ecclesiam, quam nos Catholicam appellamus & credimus. Sed schisma quoddam nuper exortum, cuiusmodi à Christo nato vel sexcenta extiterunt.

Deinde factionis huius occasum animaduerti, vti schismata hactenus omnia ad tempus perstiterunt quidem, sed mox fumi & pulueris instar euanuerunt. Contra vero Dei Ecclesia, quam nos & credimus & confitemur Catholicam, semper ex hostibus quibuscumque triumphum egit, adeo vt in hanc vsque diem aduersus inferorum portas perstet.

Tertio mecum ipse perpendi, quis huius factionis author, dux & architectus sit, qui sanè Monachus est, certoq; comperi, vt idem ipse solus hanc factionem excitarit, ita etiam solus eam seruet, promoueat & vrgeat, ac pro suo vnius cerebro faciat & destruat, vertat & peruertat, affirmet & neget, figat & refigat, vnus omnia pro suo arbitratu & libidine, prout ille suo instituto commodissimum, Ecclesiæ vero maxime aduersum esse perspexerit: vt interim taceam, quid illum huc impellat, quidue in his spectet: illud etiam silentio præteream, quæ huius hæresiarchæ sit morositas, inconstantia & audacia, quam sanguinarius animus, quam exitiale propositum. Sancta illius vita & Euangelica conuersatio toti Germaniæ notissima est, vt etiam pueris iam in ore sit Monachum Turcicam factionem excitasse. Videamus obsecro, quo hæc tandem euasura sint. Plerisque iam Turcici quam Romani Imperatoris nomen plausibilius videtur.

Quarto, factionis huius cruentas primitias, insulsa, infrenata, carni plausibilia, improba ac dissoluta cum meo animo reputaui initia, argumenta sane grauissima, ex quo fonte proficiscatur. Crede mihi frater, non ea solum Ecclesiæ Dei exordia fuere, quanquam sub factionis huius initiis eiusmodi nonnulla interdum & videre & audire contigerit, quæ plerisque viris bonis probarentur, vt quæ ad Ecclesiæ repurgationem pertinere viderentur: sed paulo post res in diuersum abiit, vt facile iam perspici liceat, quis lupus sub ea pelle ouina latuerit.

Quinto, factionis huius duces ac moderatores vulgo admodum niti animaduerti. Nam tametsi vulgares ac plebeii auaritiæ, & voluptatum nomine, quibus suos concionatores Euangelicos vident addictos, nonnihil eos exosos habeant, malunt tamen illis studere, & obsequi quam Pontifici: quandoquidem effrænationis libertate, aut vt ipsi vocant, Eigenvuillischen, id est, maiori sui animi ac voluntatis libidine, quam sub Pontifice, viuere ipsis liceat. Maxime tamen illi Principum suorum gladiis nituntur: qui si resilierint, id quod certo sperare licet, credi vix potest, quam etiam illi resilient, canentque palinodiam.

Sexto, factionis huius institutum ab Euangelio plane discrepans mecum perpendens, video in illo pleraque omnia geri è diametro pugnantia cum Euangelio tantopere iactitato ac celebrato, & sub Euangelii prætextu flagitia & probra omnia designari, vt etiam ipsi quiritentur. Vbi fructus gustum aliquem ceperis, poteris de arbore ferre sententiam. Crede mihi, parum aut nihil bonæ frugis habet. Singuli, quæ sua sunt, quærunt, à summis ad extremos vsque paganos siue rusticos. Ni rapias, nihil habebis. Concionatorum, quas illi apud se detinent fœminarum vita & actiones omnibus magis perspecta sunt, quam vt de illis quicquam referendum sit. Possit vel cæcus æstimare, ad quem illi scopum colliment. Ah Deus bone, quando sectæ huius infantia tot scatet sordibus, quid ea futurum esset, si incanescceret? Si paucis annis adeo illa cepit ruinam minitari, quid annis mille quingentis accideret? Siquidem diu hoc in statu, quo nunc est, permanserit, tandem ad ethnicismum recidemus, sacraque diuinaq; omnia paulatim venient in contemptum; quicquid est in hominibus religionis, quicquid rationi consentaneum, disciplina omnis pessum ibit, eoque plane res reditura est, vt felices ac beatos prædicemus, quos vel ante, vel post sectam hanc nasci contigerit. Non est, vt in præsens commemorem, quam seuere præpotens Deus, in hanc ab Ecclesia defectionem intra paucos natam annos animaduerterit, idque Turcicis victoriis, rusticorum strage, fame inaudita & incredibili annonę caritate, nunquam antehac comperto morbo sudorifero, pecorum interitu, incendiis, peste immanissima, bellis atrocissimis in diuersis regionibus, magna Principum & Ciuitatum dissensione, adeo vt publica Germaniæ pax in nullo vnquam maiori discrimine versata sit: nec vlla præterierit ætas, quæ non bellorum aut seditionum metum attulerit: itemque insigni hominum perfidia, fallacia, improbitate, adeo vt tantum non alii alios vorare videantur: denique in tolerandis iisdemq; perpetuis exactionibus, &c. O fructus nimirum acerbos, ô tempora calamitosa.

Septimo, quotidiana ego experientia didici, vt factionis huius occasione, charitas in multorum pectoribus refrixerit, omnis ergo Deum pietas vel deuotio pessum ierit, cultus diuinus miserè conuulsus, euersus, ac in nihilum redactus sit; oratio vel preces viluerint, ieiunia in ludibrio sint, eleemosynæ, pœnitentiæ studia & sanctimonia omnis, & laude digna castitas, contemptui laborent, denique, quicquid est bonorum operum & piarum actionum, quod tamen dictu sit miserabile, nullo in pretio sit: porro virtutum locum nonnisi flagitia & scelera confertim occuparint, vt iam apud plerosque vitia non sint vitia, probraque & dedecora nunquam maiori fuerint honori & ornamento. Heu miseros, qui hoc nobis Euangelium peperere.

Octauo, videre mihi visus sum etiam politias hac rerum mutatione non mediocriter perturbari, quando iam vulgus passim magis est indomitum, & ægrius potest in officio contineri, vt est omnium vbique Magistratuum communis querimonia: eaque causa pædagogia pleraque fere abolita sunt, non sine grandi Christianæ Reipubl. & politiæ detrimento: id quod & de Gymnasiis, quæ Vniuersitates vocant, dictum velim, quæ non minus vbique iacent, & neglectui habentur, quacunque lues hæc peruagata est, vt interim taceam, quam etiam sine his nulla iuuentuti seuerius instituendæ cura adhibeatur, tametsi suo texendo Catechismo damnum hoc præstare conentur.

Nono, persuadere mihi non potui, factionem hanc ex bono proficisci, quando ea omnia pessum ire patitur, quæ ad pietatem spectare videantur: ea vero mordicus seruanda statuit, quæ cum vitio coniuncta sint. Ieiunium Quadragesimale profligatum videmus, at Bacchanalia manent. Perui gilia diuorum nullius pensi habentur, sunt tamen, qui festos illorum dies colant luxus gratia. Quatuor temporum stata ieiunia obliuioni tradita sunt. At D. Martini, Burchardi, Trium Regum, Ioannis, &c. comessationes suum ius & consuetudinem obtinere videmus. Nec iam quisquam ferre potest, vt secus atque ipsorum consuetudo habet, instituantur: aiunt enim, id pugnare cum Euangelio.

Decimo, sectas alias ex aliis nasci comperi, qui ceu genuinus est Lutherismi color: siquidem Lutheri factio primaria, iam sex vel septem alias excitauit: ecquid vero tandem fore speramus? Indices Prophetæ noui existunt, ex Luthero tamen prognati omnes, cuius vbera omnes illi initiò suxere. Atqui quo tandem rudis plebecula sese conferet? Quibus illa vel suffragabitur, vel aduersabitur, quando omnes perinde de Dei verbum iactitant? Eheu miserandas illas perpetuasque vulgi quiritationes, quo I nulli ferme perspectum sit, qui tandem, vel ecquid credere vel agere debeat. Quo errore quid possit esse magis erroneum? Væ miseris nobis, siquidem res eo in statu permanserit.

Vndecimo, & animaduertisse & etiamnum aduertere me fateor, quanta animi audacia, temeritate, impotentia atque fastu, qui factionis huius sunt Doctores, omnes quamuis sanctos, tam veteres quam recentiores, defunctos perinde ac

superstites reiiciat, nec vllius velint esse pensi vel authoritatis; atq; cum his vnà quæuis Concilia generalia, & salutaria piaque veteris Ecclesiæ decreta omnia. Sane cuius hic liberum esto iudicium, num hæc cum germana Catholicaq; Dei Ecclesia consentiant, id quod huius factionis architecti perfricta fronte affirmare non dubitant.

Duodecimo, certo ego experimento didici, hodieque disco, vti illi factionem suam mira quadam inconstantia, incertitudine, minimeque solida, sed prorsus humana ratione foueant ac tueantur. Nulla apud eos certa iustaq; ordinatio est vel institutio. Quæ hoc anno in pretio sunt, altero penitus iacent. Hodie vium est illis hoc instituto viuere, cras aliud magis placet: vt interim sileam, quanta sit inter illos singulis in Ecclesiis discrepantia. Sua cuique imprimis placent. Modo illi quippiam instituunt, prorsus vt ipsi volunt, Euangelicum paulo post in nihilum redigitur.

Deinde nouum aliquid comminiscuntur, & id paulo momento mutabile, cuius deinceps nulla prorsus mentio habetur: atque hoc illi ordine sine fine progrediuntur. Licet illis pro sua authoritate quicquid libet instituere, ordinare, seruare, omittere, &c. Cui enim fas sit illis præscribere? Tulerunt illi è medio humanas leges & cõstitutiones, quarũ in locum diuinas se reposituros pollicentur: sed quã probe id illi præstiterint adhuc in propatulo est: & si quidê ita perrexerint, plures habebimus nouas hominũ cõstitutiones & ordinationes, q̃ antehac vnquam fuerint. Videre licet, quã grandi numero factionis huius Visitatores noua quędã decreta legesq; nouas sine intermissione instituant, imponantq;, quę omnia ad eam sunt formã & effigiem cõdita, vt à veteribus discrepent & habeant quippiam peculiare nam alioqui nõ essent Euangelica. Quanquam compelluntur vel inuiti pleroſq; veteres ritus & consuetudines repetere ac instaurare, quandoquidem aliter non possunt. Nec id populo obscurũ est, cui ea causa res non minimũ displicet, secumq; murmurãt, & iam mire exasperati sunt atq; animo cõfuso & cõsternato, adeo vt prope nihil obseruent: sicq; interim ad quandam totius diuini cultus incuriam atq; negligentiam dilabantur. Quid ego dicam? Sapientissimorũ hominũ constitutiones, leuissimorũ homuncionũ cõstitutionibus, veteresque probabiles consuetudines nouis quibusdam nec vnquã diuturnis consuetudinibus permutarunt. Laborant iam penuria sacrificulorum, quos illi ex Sacerdotibus laicos reddiderunt: itaque in suæ factionis ministros, viliſſimos quoſq; ascisc unt, si vel legere norint, siue illi sacris initiati sint, siue non, modo vxorem habeant, aut propediem ducturi sint, eaq; defuncta, mox aliam, rursusque aliam, si & hæc obierit. Qui enim fieri possit, vt, qui sine fœmina est, præclarum hoc Euangelium prædicet? Non hic libet singula speciatim commemorare. Tantum animus aduertatur, vt illi se gerãt erga gazophylacium siue arcam templi, quæ reuera potius fœneratoria dicenda est, quam Dei vel Reipublicæ. Cœmiteria iam versa sunt in eiusmodi loca prophana, vbi cadauera excoriantur: atque hæc loca mutata sunt in Cœmiteria. Pleraque pagorum templa in tabernas transiere, &c. Sed hæc alias. Faxit Deus, vt totus tandem orbis apertis agnoscat oculis, quo nos ater cucullus impulerit. Omnia suo loco ac ordine dimota videmus, vt difficilimum sit ea in integrum restituere.

Tertio decimo, perpendi mecum, quam vana & commentitia factionis huius dogmata sint, vtque nihil minus illa Euangelii titulo mirifice fucarint, & insigni sermonis lepore ac elegantia ornarint, quo tanto propensius simplicium animos sibi deuinciant. Quam vero Lutheranorum dogmata vana sint & à vero aliena satis iam quorundam opera probatum est & demonstratum. Deoque volente luculentius adhuc demonstrabitur. Eheu fœdissimam & cum summi Dei blasphemia coniunctam impostu am. Cui nostrum paucis ante annis hæc vel persuaderi potuissent? Equidem affirmare dubito, etiamsi huius factionis dogmata ceu vero consentanea iam probata haberemus, tamen illorum architectum & authorem summe ea reddere omnibus suspecta.

Qui tandem inquis? Primò quidem, quod nullum eorum patiatur Censorem & iudicem, ne Angelos quidem: quo ille satis prodit nec concilii cuiusvis sententiam sese laturum æquo animo, sed nec disputationẽ vel inquisitionem autexamen vllum. Porrò quisquis ita affectus est, nulli dubium esse potest, quid ille machinetur.

Deinde, quod solus ille sibi Scripturas interpretandi sumat prouinciam, nullum possit ferre magistrum, nemini auscultare, nullum præter se vnum alicuius pensi habere: quod nullum ei dogma vel doctrina satis probetur, etiamsi cunctis aspectantibus ex ipso Dei sinu ad nos deferretur, nisi cum illius genio & spiritu consentiat. Quicquid vnus ipse docet, transfert, disputat, scribit, id verum sit oportet, licet Christus ipse diuersum velit affirmare, vel vt eius vtar verbis, etiam si totus eo nomine mundus pessum iturus sit, interim locis innumeris à se ipso dissideat, planeque pugnantia scribat.

Ad extremum, quod tam impotenter incurrat in eos omnes, qui eius nolint dogmata admittere, vel ab illis semel receptis desciscant, perinde ac si orbem vniuersum, vt ipsi vni fidem commodet, cogere prorsus velit. Quo sese dibus non porrigit manus, eo illius sanguinarius se profert calamus, quo ille quoslibet ipsi reniten es facile tollit è medio. Quod vtrum decerat Euangelii præconem penes alios iudicium esto. Sane quisquis non plane mentis inops est, nullo aduertit negotio quam hoc ipso malè sibi consulant noui Euangelistæ, vtpote quos dogmatum suorum, quæ tam incerta, fragilia, & iam iam que ruitura cernant, pudeat apud eruditos. Per me quidem iam cuiuis integrum sit statuere, vtrum illi vni fides adhibenda sit, qui ipsius nolit vlli fidem adhibere. Atque has ego rationes in præsentiarum commemoratas velim, vt quæ me præcipue permouerint ab Lutheri factione vt discederem. Reliquas visum est in aliud differre tempus.

Porro vtcunque hæc se habeant non possunt tamen non merito pudefieri hostes mei, si qua in parte mihi derogare velint, certi nimirum propriæ conscientiæ testimonio, odio & inuidia percitos se mentiri. Ita ne propterea illi me tantopere conuitiis proscindere, persequi, & modis omnibus traducere debent, quod deinceps factioni illorum nuntium remiserim? Adeone id illi ægre ferent? Annon licebit cuiquam redire ad iter, vbi se aberrasse cognouerit? Qui lapsus est, fas non habebit exurgere? Qui bene potus fuit, nunquam ne illi ad sanitatem patebit reditus? An potius perpetim ille suum sequetur errorem, semper iacebit, semper ebrius erit? Grates laudesque ago Deo, quod non solus ego resipiscam. Namque eius generis hominum, puta qui resipiscant, ditiones omnes plenæ sunt, neque imperitorum modo, sed etiam literatorum, qui factionem hanc penitus explorantes re ipsa comperêre, nonnisi arenaceo fundamẽto nitentem, atque hoc ipso permoti haud secus ab illa sese proripuere, atque à turba Core, ne pari cum illis pœna plectantur. Nonnulli vacillare incipiunt, quod animaduertant, rem quidem longius progredi, sed non in melius, immo persentiant iam inde ab illius exordio nunquam bene habuisse Rempubl. sed tempora extitisse pessima, moresque perditos vbique gentium ceu noui Euangelii fructus, apud istos vel maxime excreuisse. Sunt & alii, quos factio hæc admodum perplexos reddat, qui tamen Euangelistarum suorum stentoriis vocibus & iactabundis concionibus distinentur: vt norunt illi vulgus imperitum splendida oratione fascinare, idque adeo vt animas suas pignori esse velint, si secus res habeat atque ipsi tradant. Sed plurimum ego vereor pignoratitias illorum animas iam pridem in ius creditorum concessisse. Plerisque iam ab hac factione desciscere liberet, ni magistratus eos timor absterreret, qui semel male persuasus sectam hanc tueri statuit. Alios iam factionis huius pertædet, quando nihil in ea integrum est, neque pellis, neque pili, nec vllo nititur fundamento. At hi lupum auribus tenent, dum animo dubii sunt, quo se vertere debeant, eò quod Catholicæ Ecclesiæ sordes necdum repurgatæ sint, &c.

Quod autem ad me attinet, equidem illis affirmo, si quis ex eorum numero solida ratione certũ me possit efficere, ea quæ ipsi moliũtur, Deo authore fieri, & esse cum veritate cõiuncta, rectius me mecum deliberaturũ. At illi nunquã hoc efficient, nunquã efficere valebũt. Non enim potest secta vlla vnq̃ sibi Ecclesię Catholicę nomen iure meritoq; vendicare: etiamsi longe illa pulchriori sit habitu quam Ecclesia, frustra tamen id quisquã attentauerit. Secta nõ est aliud quam secta,

idque illi nomini permanere necesse est, vt simia semper manet sui similis, quantumuis sectã fucare, ornare laudibus, atq; tueri quis moliatur. Priscis temporibus pleræque extitere factiones, quæ præ se ferrent sanctimoniam ac integritatem, vtharum comparatione Secta Lutherana fætere censenda sit, prorsusque indigna, quæ matulam illis porrigat: ac nihilominus Sectarum illis nomen hodieque permanet. Cum autem illæ grassarentur, Ecclesia magno perstitit animo, donec in nihilum redigerentur, sicut etiam huius præstolatur occasum, qua penitus extincta, nihilo illa minus perdurabit.

Atqui vt Laici penitus perspectum habeant, Sectæ vocabulum quid significet, corum gratia libet hîc nonnihil expatiari. In ipsis Christianæ religionis initiis cum ea per orbem vniuersum longe lateque propagaretur, ita vt passim omni ex parte Ecclesiæ quædam per Dei verbum existerent, id est, vbique oppidani & pagani fidem amplecterentur, atque per baptismum coniuncti, corpus vnum & anima vna efficerentur, eo animi proposito, vt Domino Seruatori suo seruirent ex animo in iustitia & sanctitate coram ipso, omnibus diebus vitæ suæ, malignus Dæmon inuidens hominibus salutem à Deo oblatam, in eam curam & cogitationem totus incubuit, vt suis quibusdam machinationibus Ecclesiam, id est, corpus credentium in Christi fide adunatum distraheret ac dissiparet. Primo igitur quandam ille Christianis caliginem offudit, vt illi suæ fidei Magistros & Doctores alios aliis anteferrent, & qui Petrum auscultabant, Pauli discipulis se putarent meliores atque ita è diuerso.

Ex hac tenui animi elatione, inter primos illos nostræ religionis professores maior indies ghiscebat simultas & dissensio, adeò vt Paulus tandem in eos calamum stringere cõpelleretur, vt est videre 1. Corinth. 1. 2. 3. 4. cap. Non enim eò tantum res illa spectare videbatur, vt Christiani inter se discinderentur, sed etiam vt Euangelium nascens veniret in contemptum. Interim tamen nec sicquidem malum hoc cõsopitum est, sed paulo post extitere inter Christianos, qui noua fererent dogmata, ab Apostolis ipsis nunquam tradita, iisque quosdam sibi discipulos adiungentes, promittebant se præclarius quiddam etiam Apostolis ipsis præstituros: atque ea ratione à Christianorum cœtu sese abiungebant. Id vero Græci schisma vocant, id est, scissuram vel diuisionem, vt cum solidi quippiam scinditur aut laceratur, &c. qua dictione Paulus quoque Corinthiorum taxat morositatem, quod eum in modum illi inter se diseinderentur, dum alius se Petri, alius Pauli, alius Apollo discipulum assereret, vt nostra tempestate alii Lutheri, alii Zuinglii, pleriq; Balthasaris partes sequuntur, idque nonnisi Christi & Euangelii prætextu. Latini scissuram dissidium, &c. appellant, Augustinus plerumque præcisionem.

Deinde aliud eiusmodi scissionibus nomen obtigit, vt Græcè hæreses dicantur, Latinè secte, qua voce itidem Apostolus non semel vsus est, itemque Lucas: potestque Germanis idem esse, ac si quis obstinato secum animo deliberet quippiam noui comminisci, præter ea, quæ hactenus sint recepta & vsitata, moxque eã, quæ è suo finxit cerebro iactabundus proferat, damnet ea omnia, quæ ipse neque dicat, neque faciat, sua duntaxat prædicet, quosdam sibi asseclas conciliet, perinde vt magnes ferrum ad se adducit, peculiarem, quandam sibi excitet Ecclesiam, dogma quoque peregrinum peculiares cerimonias, nullique vsitata instituta & actiones, &c. Huius farinæ quotquot sunt, hæretici dicuntur, eorumque instituta sectæ vocantur, cò quod sponte sua à prima illa magnaque Ecclesia, perinde ac si illa eis non satis idonea visa sit, ob sua illa recens conficta instituta sese præciderint.

Primæ quidẽ illæ sectæ, quæ Ecclesiam perturbatione sciderunt fuere Hymenæorum, Cherinthiorũ, Ebionitarum, Nazaræorũ, Nicolaitarum, Basiliadenorũ, Carparanitaneorum, Saturnianeorum, Chiliastarum, Valentianorum, Cerdonianorum, Marcionitarum, Catanitærorum, Encratitarum, Appellitarum, Montanistarum, Phonianistorum, Antemoniterorum, &c. quarum singulæ suas asserebant opiniones, nec vlla cum aliis omni ex parte consentiebat, quod singulæ sibi persuasum haberent apud ipsas esse Catholicam Christi Ecclesiam, cæteras repudiarent. Interim tamen summa in hoc vnum consensione illi conspirabant, vt communibus coniunctisque armis Ecclesiam Catholicam infestarent, quam tamen singulæ priuatim pro viribus extirpare, sibique illius nomen vendicare moliebantur. Quod quidem vt illis cesserit, Chronica satis commemorant. Ecclesia certe, cum tanta importunitate à sectis aliis post alias, vel etiam à pluribus simul impeteretur, molestias quasdam non potuit non perpeti, at ea succubuit nunquam, sed ad nos vsque semper ex cunctis hostibus præclaros egit triumphos.

Subinde aliæ quædam sectæ prodiêre, quæ etsi suas nihilo seius vires in Ecclesia oppugnanda periclitarentur, tamen omnes extinctæ sunt: puta, Sabellianorum, Valesianorum, Samosatenorum, Manichæorum, aliorumque plurium, &c. Quamlibet grandi illæ essent numero, tamẽ æque vt priores, salua & incolumi permanente Ecclesia cum ignominia abscesserunt; Post has sensit Ecclesia Dei incursiones Nestorianorum, Acephalitarum, Euchitarum, Seleutianorũ, Heluidianorum, Anthropomorphitarum, Monotheliturum, Agapetarum, Sabbathianorum, Luciferianorum, Iouinianorum, Donatianorum, Pelagianorum, Prædestinatorum, &c. at neque his cessit aut succubuit, tametsi grauem tunc fecit iacturam animarum; siquidem nunquam hæreses absque illius damno irreparabili extitêre. Felices sane illos, quos Deus in sua Ciuitate seruauit illæsos, atque in finem vsque vt perseuerarent, præstitit.

Denique vt ad purum Ecclesia excoqueretur, insuper alias pertulit oppugnationes; nempe Lamperianorum, Dulcinianorum, Albigensium, Albanensium, Beggundorum, Thurelupinorum, Thaboritarum, Orebitarum, Fæliciano-rum, Aerianorum, Flagellantium, Colalderorum, Waldensium, Picardorum, Wiclephitarum, &c. Horum etsi nonnulli minus, quam superiores exitiosa proferrent, atque Ecclesia, quod à pluribus annis quasdam labes contraxisset, sectis plerisq; ansam præberet, non tamen illas propterea quisquam iure probauerit. Non enim propter abusus quosdam Ecclesiæ est vnitas perturbanda ac dissipanda, quemadmodum Cyprianus & Augustinus luculenter tradunt. Iis vero quas postremò commemorauimus, sectis Lutheranam quoque cum eius progenie vbi annumeraueris, quid de ea sentiendum sit, intelliges. Profert namque etiam illa interdum boni quippiam, atque è diuerso non omnino sine vitiis est Ecclesia: At nec sic quidem ea re id effici vel confici potest sectam hanc esse Ecclesiam, vt Ecclesiam sectæ, vel nidi Satanæ, vt blasphemat Lutherus, loco habendam. Id autem certissimum est, quicquid Lutheri factio eiusmodi in vulgus spargit, quod in bonis & frugiferis sit numerandum, hoc plane illius non esse, sed Ecclesiæ: contraque quicquid in Ecclesia mali ac infrugiferi versatur, actitatur & traditur, non id germanæ ac veræ esse Ecclesiæ, sed per quosdam auaritiæ ac luxui deditos paulatim in eam illatum ac introductum, cui tamen absque animarum detrimento facile possit medicina adhibere. Habes iam paucis, quid Secta sit & vocetur, nec dubites vera me dixisse.

Quando igitur Lutheri factio sectis memoratis non absimilis est, non possumus salua veritate, & coram Deo secus illam appellare. Est enim sectis aliis vel in hac similima, quod Ecclesiã, quam nos Catholicam credimus & confitemur, absque vlla intermissione acerrime & infestissime oppugnat. Quod vero iam etiam regiones & vrbes, imo & Principes in suam pertraxit sententiam, clarum est pleraſq; ex antedictis idem feciſſe. Habet illa viros doctos, habuêre & aliæ. Vulgus sibi habet addictissimum, nec minus aliæ, præsertim quæ tantopere carnis fouerent libertatem. Quod illa Scripturas mirè prædicat, non potest id quidem reprehendi, sed id plane in vitio est, quod sua scripta diuinæ Scripturæ nomine venditat & obtrudit. Atqui idem fuit & apud sectas superiores. Qua enim alia ratione homines imperiti ac miseri in nostram possent sententiam pertrahi ac permoueri? Denique quod diu illa incolumis persistit, nihil nos mouere debet, quando etiam alias certum est longe diutius permansisse. Vt igitur verses in omnem partem, ita esse, vt dicimus, comperies. Sed vt meis, perinde vt cæpi, æmulis pergam satisfacere, libet ex illis percontari: Ecquid vos mea offendit resipiscentia? Quid tandem vobis fumitis? Num Apostolos vos esse putatis? Num Euangelistas? Num Prophetas? Tales quidem & dici & haberi vos vultis. Ecquid verò facta vestra testantur? Ecquid scripta loquuntur? Ecquid alii de vobis sentiunt? An vero fides illa certa habenda est, quod vos id asseratis? Siquidem à Deo missi vos estis, cur & facitis & docetis præter & contra ea, quæ priores illi & feciſſe & docuisse noscuntur, quos dubium non est à Deo missos fuisse? Alterum igitur è duobus verum sit oportet aut priores illas Ecclesiæ columnas diuinitus missas non fuisse, aut vos potius. Quid igitur? Certè priores illi, quod à Deo missi essent, miraculis, sanguinis sui profusione, & vita sanctissima declararunt. Vos autem, qua id ratione testatum de vobis reddidistis? Ipsi iam intelligitis, quam hic possem corniculam alienis nudare plumis, si conuitiari virtutis esset. Aio itaque: Aut malè feci, aut benè à Luthero desciscendo. Non potestis id negare. Si ergo rectè egi, Lutherus cum tota sua factione iaceat, oportet. Sin autem male feci, Christus cum vniuersa Ecclesia sua, cuius ego membrum sum, pericrit, necesse est. Decet enim, vt cum Ecclesia & intra Ecclesiam semper ego esse velim, vtpote quam Christus per suos Apostolos & eorum successores fundarit & exædicarit. Est ergo etiam hoc prorsus indubitatum, nullam aliam neque esse, neque posse esse Ecclesiam, quam quæ ad nos vsque per Orthodoxæ Catholicæque fidei synceros Professores ordine perducta est & propagata; qua de re inferius plura dicuntur.

Licet vobiscum latius agere. Equidem velim edoceri à vobis, ecquid agere debeam. Num sentire vobiscum? Id vos proculdubio, vt velim, hortabimini. Atqui ecce diuersum hortatur soror vestra factio Zuingliana, dicens, me si sic agam, errare perdite, bonaque fide admonet, ne vobis auscultem. Itemque alia ex parte germana vestra, Balthasaris sectam dico, mortales omnes quonis Antichristo deterius in errorem mittere vos asseuerat, iubetque ne vobis fidem accommodem. His accedit, vt fertur soror vestra, Campani factio, & cuiusdam Hispani, quæ vos erroris coarguit, aitq; scripturarum esse imperitos, &c. Nec quicquam apud me dubii habet, si hodieque Ioannes Hus esset in humanis, nec illum quidem vobis assensurum, quatenus ex eius mihi scriptis collegisse videor, vtriusque duntaxat speciei vsurpatione, & Cleri prostigatione excepta. Præter hos omnes, neque Valdenses, neque Picardi vobis fauent, sed potius aduersi sunt, cum tamen etiam illi non infimo inter Christianos loco haberi velint. Interim tamen factiones hæ omnes, quas iam memorauimus in hoc vnum summa consensione conspirant, vt iunctis viribus Romanam Ecclesiam impugnent.

Quid igitur mihi faciendum est? Vna quælibet secta, vt ipsi me subscribam, me inuitat, vitamque pollicetur, aitque Christum cum Euangelio non nisi apud ipsam versari. Quod si cuilibet ex his assentiri velim, vos me plane execrabimini. Sin ad vos recipere me malim, quotquot illarum sunt partium longe me maiori execrationi habebunt. Nouistis vos concionari, norunt & illi. Scripta diuina pro vestro cerebro interpretari vos nostis, illi nihilominus pro suo iudicio. Flagratis vos vulgi gratia, quod vos perinde vt Dei Angelos laudibus vehat, vobisque pertinaciter adhæresca: Possunt idem etiam illi sibi vendicare. Estis vos artibus & linguarum cognitione instructi; at ex illis plerique hac in parte vos excellunt. Estis vos probi & integri scilicet, vt est omnibus in prospectu, at illi probitate & mansuetudine longe vos superant. Vos quidem persecutionem patimini, at tum demum cum manus mouere non potestis: ex illis plerique & plura & moderatius atque vos perferunt: atque ita de reliquis dici potest, vt vel tandem agnoscatis, si comparatione vtendum sit, non nisi infimo vos loco collocatum iri, quantumuis insolentes vos efferatis.

Iam vero, quando inter tot ego huius ævi sectas positus sum, singulæque me sibi adiungere nituntur, nec tamen vlla ex eis satis sibi constat, tantum abest, vt me possit certum securumque efficere, imo etiam inter se digladiantur, adeo vt aliæ alias infestis insectentur manibus, & in carceres coniiciant, &c. neque ego sane, neque quisquam alius rectius sibi potest consulere, quàm vt primariam matrem & Ecclesiam hæreditaria ad nos successione deuolutam inquiramus, ad eam nos recipiamus, cum ea nos conci-

nemus, sectasque factiosas mutuis sese morsibus & ictibus conficere finamus. Si enim id eis dolebit, cessabunt proculdubio. Certum adeo est, quisquis in illorum castris manet, illum fluctuare semper, nec vlla gaudere pace conscientiæ. Porro quicumque sectæ alicui sese permittit, ille deinceps sui iuris non est, & modo hanc, modo illam se sibi vendicare permittit.

Longe igitur satius est inter Ecclesiæ extrema mancipia numerari, quandoquidem in ea duntaxat certum licet esse & securum, in ea sola vita est, & bona conscientia salusque perennis: Faxit Deus, vt hæc singuli cum animis suis seriò reputare velint.

Est tamen & aliud, quod me mouet. Vos quidem quotquot estis Lutheranæ factionis, id plane exigitis, vt dogmata vestra duntaxat, nec vlla alia pro Catholicis probeque Christianis habeam? Num vos inficias ire potestis? Atqui minime vos latet, quis vestræ factionis author sit: nempe Lutherus: vir certe eo animo, qui affectibus mire seruiat, & paulo momento hac atque illac impellatur. Quod si ille tam præclarus vestrorum dogmatum architectus & signifer quandoque resipiscat & canat palinodiam, quid ego vestra secutus dogmata frontis habiturus sum? quò me vertam? Quicquid in hominem cadere potest, illi quoque metuendum est: vt ne dicam, ausum illum esse quandoque mandare literis, quæcunque annis aliquot superioribus docuisset, ea vt pro irritis haberentur. Vbi vero illos iam degere existimandum est, qui priora illa eius dogmata amplexi, antequam hæc scriberet, vitam cum morte commutarunt? Anne fieri poterit, vt rursus quippiam eiusmodi designet, hac præcipue tempestate, quando re ipsa experitur, quo in præcipitio res illius versetur? Crede mihi, vbi eo loci recideris, vt prouinciæ popul que in præsens diserimen venturæ sint, plurimum ille miteſcet, vt iam annis quatuor compertum est, quod tamen de illo vix quisquam sibi antea persuaderi passus esset. Ecquid tum mihi actitandum erit? Adeo illegulæ & Veneri deditus est, vt spiritui illius fides tutò adhiberi non possit. O nimium nos deliros, qui animas nostras illis hactenus crediderimus, qui nunc demum plus satis prodant, quid hucusque spectarint. At dicet fortassis quispiam: Quid mea interest, cuiusmodi Lutherus sit? Nos Dei verbo fidem commodamus. Sit illi paucis responsum: Eius generis strophas perplures didicisse me memini. At longe aliter se res habet, non vos ea estis audacia, vt fidenter dicatis hoc vel illud esse Dei verbum, nisi certò vobis constaret Lutherum ita tradidisse: vti nec è diuerso affirmare ausi estis, Lutherum Dei verbum semper & vbique docere. An veco mentior? Da ergo Lutheri germanum sectatorem, qui Dei & Lutheri verbum ex animo diuersum asserat. At si ab aduersariis vrgeantur, in eas confugiunt latebras, vt Lutherum abnegent.

O bene fidos discipulos. Equidem certo noui bonos homines adeo illi cucullo esse addictos, vt si qua ille magis absurda velit comminisci, libenter illi fidem sint habituri: quando eis semel persuasum est, Lutherum ipsum esse Eliam, nec facile posse hallucinari, &c. imo si secus atque ille vel mutire ausi sint, id impietatis loco habent: nec eius priuata duntaxat dogmata, sed etiam actiones, gestus, corporis cultum, tantum non plas nimis dicturus eram, sibi imitanda statuerunt: atque si quis vel in vna ab illo sententia discrepet, facile ille sibi ignominiæ notam contraxerit. Et tamen non pudet istos dicere: Quid Lutherus nostra interest. Nos à Dei verbo stamus. Sed tu illos mox perconteris. Num Lutherus Dei verbum non tradit? Si aliud ille docet, cur vos illi creditis? Sin autem docet ille verbum Dei, cur nihil ille vestra interest? Verum frontem isti perfricuere, aiunt & negant, pro suo arbitratu, & vt res postulare videtur.

Est tamen adhuc aliud, quod vobiscum conferam. Iubetis me in vestram ire sententiam. Age igitur, quibus tandem è vobis me vultis subscribere, quando etiam inter vos dissecti estis? Quam ego prouincian, vel oppidum vestræ factionis adibo? Ponamus me iam in eiusmodi aliqua versari vrbe, quæ multas complectatur Lu-

theranæ factionis parœcias. Cui tandem ex his multis, vt me adiungam? cum inter illas nulla sit, quæ cum alia plane consentiat, & singulæ suos concionatores præ aliis prædicent? Non enim potest vocari in dubium, creberrime id apud illos vsu venire, vt quod alius pro concione dicat, alii non placeat, immo ab alio publicitus ac priuatim damnetur, vt id tacitus præteream, quam illi dispares habeant ritus & ceremonias: quo tamen ipso id apud vulgus efficiunt imperitum, quæ est apud omnes iam vsitata querimonia, vt plerique animo sint confuso ac perplexo miserè: quanquam idem omnibus scopus propositus est, tametsi pernicioſissimis sint erroribus implicati, in eumque conatus suos omnes dirigunt, vti solent eius generis homines factionibus addicti.

Itaque vel manibus vos iam palpare potestis, si videre non libet, non me duntaxat, sed quemlibet etiam alium iure meritoque, immo & consulto, vestræ huic impuræ ac perniciosæ factioni nuntium remittere, eoque se iam reuocare, vnde ille simplici animo vestris persuasus verborum lenociniis se meminit excidisse.

Nec potestis sane vitio id mihi vertere, vt nec illud quidem vlli omnino, si quis ab amentia redeat ad sanitatem, aut si improbus propudiata improbitate, deinceps probi frugique hominis officio fungi velit. Labi non habet ignominiam, sed nolle resurgere. Vobis certe id & probro & vitio vertendum est, quod in impia & impura hac secta plane iacetis ac volutamini, maledictis & conuiciis proscinditis vnicam illam Ecclesiam, in qua vos & baptismi gratiam & Dei notitiam estis consecuti, contemptui & execrationi, nec alio quam hæreticorum loco habetis, atque etiam misere diuexatis eos omnes, qui vobiscum nolint currere, solos vos Christianos ducitis, atque eo ipso reliquos omnes & viuos & defunctos, flammis tartareis adiudicatis. Apud vos quidem mihi resipuisse magnæ est ignominiæ & dedecori, nec cum minimo vitæ discrimine coniunctum: præterea vero apud nullos viros bonos. Atque vt vestra vobis pertinacia pœnitere nesciens & temporariæ in hac vita inurit notam ignominiæ, probrumque infert in futura vita supplicium q; sempiternum coram Deo cunctisque tum Angelis, tum Sanctis: ita mea mihi resipiscentia honorem conciliat & gaudium apud pios omnes, hic quidem temporarium, illic vero apud Deum, diuinosque & Angelos & creaturas omnes sempiternum.

Sed nec inconstantiæ, multoque minus leuitatis arguere potestis, quod me ad Ecclesiam receperim, nisi dedita opera mendacio vos obstringere velitis. Quis enim Iudæum damnet inconstantiæ, si relicto Iudaismo Christi fidem amplectatur? Equidem plus satis tum & inconstantiæ & leuitatis vitio laborabam, cum ab Ecclesia ad sectam deficerem, in qua vos etiamnum ceu in nido quodam permanetis, donec tandem Zischam nobis excudatis: quanquam hac in parte nonnihil mea me excusat adolescentia: cui accedit, quod ad id temporis nullum vnquam Ecclesiæ Doctorem vel inspexissem, tantum abest, vt legissem; vnde facile poteram in errorem induci, licet etiam trito illi apud Germanos prouerbio locus suus fortassis non defuerit, libenter saltanti quemlibet sufficere tibicinem. Porro si putatis vos firmos esse atque constantes, etiam Mahometistæ constantes putandi sunt, quandoquidem semel receptũ dogma tam mordicus retinere non dubitant. At eam à me constantiam Deus prohibeat, quę obstinatio potius & peruicacia vel pertinacia dicenda est.

Quod vero Euangelii me strenuum quandoque propugnatorẽ fuisse dicitis, quæso respondete mihi, cuius tandem Euangelii? Christi ne an Lutheri? Fateor me dogma vestrũ non alio quam Euangelii loco assiduo prosecutum, sed hoc ipso Dei Ecclesiam esse persecutum, quod tamen, quia ignorans feci, tanto maiorem Dei misericordiam cõsecutus sum. Et quamuis negare non possim, quin ita se res habeat, eo tamen in hanc vsque diem fruor conscientiæ meæ testimonio, me certe pro mea virili voluisse semper, quod rectum esset agere, & Christianæ religioni quammaxime, vt consuleretur, optauisse: adeoque Deus ac Dominus meus eam mihi semper mentem adspirauit, vt nunquam in res impias & à recta ratione discrepantes ex animo consenserim, quatenus quidem eas nosse potui. Itaque quicquid hac in parte à me gestum est, equidem pro meo captu & quatenus potui intelligentia consequi, ita mihi contingat propitium habere Deum, in Christianæ Reipublicæ gratiam & commodum gestum est in Hassia, Turingia, Saxonia, idque maximo studio, multis vigiliis, & cura ingenti, vt haud difficile testabuntur, quotquot me nouerunt, & pleræque lucubrationes meæ. Possum etiam certò affirmare, maturè admodum quendam huius sectæ gustum diuinitus mihi oblatum, adeo vt animus meus iam à plerisque eius placitis abhorreret. Namque & ante illam rusticorum stragem quorundam mihi conatus minime probabantur, vt hodieq; quædam mea autographa possunt esse documento. Multa videbantur mala impendere, attamen quod res ipsa per se ipsam meo adlubesceret stomacho, audacter eam tueri conatus sum, nec modo contra Ecclesiam, sed etiam aduersus Andream Carlostadium & Thomam Montzerum, qui ea tempestate sectam hanc iam dissectam latius propugnarent, donec tandem alterum mihi Deus aperuit oculum, vt quando exactius quæque penstarem, tanto mihi illa factio minus arrideret. Iam tum enim sentire cœpi, quod illa non nisi carnem resiperet. Ita factum est, vt illa mihi indies magis magisque puteret: nec tamen committere potui, quin in ea persisterem, quod me coniugii cuiusdam nexibus implicasse videretur.

Deinde vero Deus vtrumque mihi patefecit oculum squamasque Saulinas abstergens, & velamen à corde meo submouens, è Lutheri synagoga me eduxit. : atque tum demum qualis ea esset mihi declarauit. Cum enim illi ego addictus essem, non tam ea mihi potuit esse perspecta, vt nunc est, quando illi nuntium remisi. Interim tamen laudes gratesque ago Deo meo. Si quis me authore euersus est, equidem doleo plurimum, precorque, & obsecro Deum pro illis omnibus, quos ego tum instituī, vt suo ille larciat spiritu in cordibus, omnium & singulorum, si quid plus minusque vel docui ipse vel præstiti. Siquidem parochiani illi mei veræ sunt oues, merito debent suum sequi pastorem iam resipiscentem, quem errantem secutæ sunt.

Atque ea causa meus ad omnes sermo est, si quis me sectarium secutus est, vt idem ille me iam quoque Catholicum imitetur; si cui id non placet, suo ille arbitrio pereat, licet: equidem eius perditionis & apud Deum & apud Imperatorem immunis ero.

At nec id quidem absque veritatis iniuria dicere vos potestis, tametsi id ex vestris quidam asseuerent, me donis quibusdam & eximiis promissis adductum vos deseruisse. Ea namque munera vel promissa hactenus mihi incognita sunt. Præstaret sane vos tam esse munerum expertes atque ego sum. Id sane negare non possum me reditus annuos non contemnendos vna cum ipsa secta reiecisse, nec id tamen, teste Deo, cuiusquam ope vel pollicitatione fretum, vti ne dicam, me iam, laus superis, sic satiasse nudatum omnibus, nec habere reditus vel prouentus vllos. Quod si me facultatum & honorum ambitio tenuisset, equidem apud vos permansissem. Atqui ego paradisum cum frugum exuperantium horreo commutare nolui: nec eius me quandoque pœnituit. Ita enim mihi iam persuasi, qui hæreticum alat, cum & posse & velle Catholicum fouere, quamuis non eadem ratione.

Quod si quis dicere velit, me Cæsaris metu adactum à vobis recessisse, tanquam qui crucem subterfugiam, illi ego contra asseuero, me hanc factionem diuini iudicii formidine adactum à me abiecisse, cum non essem nescius, quam ille disertores omnes & in præsenti & futuro seculo male sit habiturus. Crucem equidem ea ratione subterfugi, vti nunc demum, laus superis, eam mihi & inuenisse & in meos leuasse humeros videar, &c. Et hactenus quidem dicta sunt, quamobrem VVicelius à Lutheri factione desciuerit. Atqui idem ipse in illa sua Apologia, quæ nam sit Catholica Christi Ecclesia, ad quam ille redeundum statuerit, explanans, inter

alia

alia multa, hæc quoque adducit: Ecclesiam nonnisi vna ea, quemadmodum Christus eius verus sponsus & caput non nisi vnus est. Est illa ciuitas Dei, verum templum & tabernaculum Dei, mons Sion, vinea electa, hortus conclusus, oliua fructifera, & foliis & amœnitate gratissima, quam Deus ipse fundauit & ædificauit super fundamentum Apostolorum & Prophetarum, ipso summo angulari lapide Christo Iesu. Reliqui lapides viui sunt germani Christiani, ab ipso inde Abel iusto vsque ad extremum credentium, qui simul omnes domum quandam spiritualem, imo & corpus vnum efficiunt, cui nec ipse inferorum portæ possint præualere.

Huius vero spiritualis domus structurã iam inde à mundi exordio molitus est Deus, maximeq; à sua incarnatione, quãdo Apostolos in orbem misit vniuersum, qui Euangeliũ prædicarent: quo tempore primum ædificata est Ierosolymis, Antiochiæ, & Romæ, ceu locis orbis primariis.

Quando autem Ecclesia Romæ potissimum, Deo id efficiente præualuit, atque in ea vrbe præ cæteris & plures & constantiores extitere Christiani, præcipue vero, quod in ea Diuus Petrus Apostolus postremo sederit, & post eum tot sanctissimi Pontifices, tum etiam quod ea esset mundi caput & domina, inde adeo accidit, vt ab vrbe Ecclesia cognomen acceperit, dicta Ecclesia Romana, vti dicta est Ecclesia Ierolymitana, Antiochena, Alexandrina, Lugdunensis, nõ quod cæ vrbes Ecclesiam condiderint, effinxerint aut illi dominatæ sint: sed quod illis in locis Deus eam peculiariter fundarit, extruxerit & ornarit; est eius namque alioqui origo longe celsior & præclarior, quam vt à terrenis vrbibus nomen accipiat. Interim tamen ab eiusmodi illustribus locis appellanda venit, vt vnde prima ab origine in terris profecta sit, possit haberi explorãtũ. Alias quando è cœlis venit, & Christum habet Dominum, sedentem à dextris Dei, terrenæ appellationes omnes longe infra eius sunt dignitatem.

Ita ergo Christi Ecclesiam non absurdè Romanam Ecclesiam vocamus, vtpote sub qua vel inter quam nos in hac orbis parte degimus, & speciatim quidem quidem, quod per Bonifacium & Kilianum ab Ecclesia Romana missos ab ethnicismo, in quo nati & educti eramus, ad Christi religionem primum traducti sumus; tum eo quoq; nomine, quod Romano paremus imperio in Propheticis Apostolicisque litteris confirmato. Denique ob eam, quæ Romæ est spiritalem vel, Ecclesiasticam monarchiam. Orientales poterant Christi Ecclesiam, quod in ea orbis parte morarentur, & Apostoli itemque Apostolici viri illic suas habuissent sedes, Antiochenam vel Alexandrinam cognominare: quod ea quoque causa fieri potuisset, quod interdum diuersos ab Ecclesia Romana ritus & consuetudines colerent, tametsi eadem dogmata ac indissimilẽ fidem, pro eo atque par est, retinerent. Ita fit, vt Christi Ecclesiam apud Græcos Græcam vocitemus, vti è diuerso nostra plerumque Latina dicitur, cum tamen reuera nonnisi vna sit Ecclesia. Neque enim diuersæ eiusmodi appellationes quicquam eius vnitati derogant. Audi hac de re D. Hieronymi ad Euagrium sentẽtiam: Nec altera, inquit, Romanæ Vrbis Ecclesia, altera totius existimanda est: Et Galliæ, & Britanniæ, & Africa, & Persis, & Oriens, & India, & omnes Barbaræ nationes vnum Christum adorant, vnam obseruant regulam veritatis. Audi & Irenæi: Etsi in mundo loquelæ dissimiles sunt, sed tamen virtus traditionis vna & eadem est. Et neque hæ, quæ in Germania sunt fundatæ Ecclesiæ aliter credunt, aut aliter tradunt, neque hæ, quæ in Hiberis sunt, neque hæ, quæ in Celtis, neque hæ, quæ in Oriente, neque hæ, quæ in Ægypto, neque hæ, quæ in Lybia, neq; hæ, quæ in medio mundi sunt constitutæ.

Eam ob rem Catholicæ nomen obtinuit, puta quod quaquauersum sese porrigat ab ortu Solis ad occasum vsque, in totum orbem, in quæuis tempora, mortalesque omnes, tam procul, quam qui prope sunt, senes & iuuenes, quotquot modo spiritus & fidei, atque doctrinæ & vitæ vnitatem retinent, complectatur. Dicitur autem & Apostolica, quod duodecim Apostolorum studio primum plantata, atq; eorũ prædicatione irrigata sit, vt insignis palmæ instar excresceret.

Huius Ecclesiæ viuum membrum me confiteor, neque vllius alterius, vti nec vlla alia esse potest, sicut nec aliud Euangelium, præterquam quod Ecclesia ab Apostolis accepit, & iam annis plus mille quingentis retinuit.

Eequid habes æmule, quod in nis reprehendendum putes? Primo quidem non tibi placet, vt Romanam vel Catholicam Ecclesiam appellem. Hę nanque voces tuum haud secus animum atque claui oculos pungunt. Ecquur tandem vos non pudet VVittembergensem nuncupare Ecclesiam, quæ tamen nulla est: Romanæ nomen expungere, & vestræ substituere: quemadmodum etiam in symbolo fidei vos non dubitastis Catholicæ nomen eradere, & Christianæ in eius locum subrogare. Quoties apud vos Romanæ Ecclesiæ mẽtio fit, eam vos conspuitis: at vbi VVittebergensis profertur, scilicet in cœlis rident Angeli. Anne vera sunt, quæ dicimus?

Quod si quidem cuiquam de vestro grege dicere visum sit, Ecclesiam vestram esse Catholicam, non tamen quisquã illi aut velit, aut possit adhibere fidem, quandoquidẽ scripta diuina, & cum his Cyprianus & Augustinus aliter sentiunt, vt etiam ipsa vocis interpretatio plane diuersum testatur. Itaque si prorsus stupidi sint omnes, angulo vestro Catholicæ Ecclesiæ vocabulum tribuent. Nam si vester iste angulus Catholicæ Ecclesiæ nomen sibi iure vendicat, prior Ecclesia nulla sit oportet, cum altera ab altera plane discrepet. Iam si prior Ecclesia nulla est, certa ratione fit consequens, Christianitatem, intra paucos annos iam demum cepisse, & omnes nos hactenus Ethnicos fuisse, donec Lutherus prodiret.

Ego vero ita sentio veterem Ecclesiam, quæ iam annis mille quingentis perdurauit, solam esse vnicam illam Catholicam, Apostolicam, Christianã, & authenticã Ecclesiam, nec posse fieri, vt sit quæuis alia, vt nec Christus alius esse possit. Hæretici quidem omnes suas priuatas Ecclesias, sectas intelligere, aliquandiu habuere, idque ad veræ Ecclesiæ confirmationem & declarationem, at nulli ex eis Catholicam sibi Ecclesiam vindicare potuerunt. Et qua tandem id illi ratione potuissent, quando ab Catholica Ecclesia, ceu perfidi defecere? Lutherus sane & ipse suam sibi erexit Ecclesiam, (efficiunt enim & vespæ suos sibi fauos apium instar) quandiu visum erit præpotenti Deo id permittere, sed obex illi obiectus est, puta Catholicæ vocabulum; vt ille absque conscientiæ iniuria germanæ & vnicæ Ecclesiæ nomen sibi non ausus sit vsurpare. Vtitur quidem & ille Scripturis: sed nihil illis efficit. Obstitit enim illi D. Petrus, quemadmodum asina Balaam in itinere, dicens: Omnis prophetia propria interpretatione non fit; tanquam diceret: Non est frater, v tibi fas esse putes pro tuo cerebro Scripturam interpretari. Nam si id licitum sit, nulla hæresis possit in crimen vocari.

Ne tamen in ea verseris opinione, Romanæ Ecclesiæ vocabulum nuper natum planeque Pontificium vel Papisticum, vt vos dicitis esse, discere iam ex vetustissimis authoribus, qui proxime Apostolos secuti sunt, ecquid illi ea de re posterorum memoriæ commendarint. Irenæus quidem scribit in hæc verba: Sed quoniam valde longum est in hoc tali volumine omnium Ecclesiarum enumerare successiones, maximæ & antiquissimæ & omnibus cognitæ à gloriosissimis duobus Apostolis Petro & Paulo Romæ fundatæ, & constitutæ Ecclesiæ, eam quam habet ab Apostolis traditionem & annuntiatam ab hominibus fidem per successiones Episcoporum peruenientem vsque ad nos, indicantes confundimus omnes eos, qui quoquo modo vel per sui placentiam malam, vel vanam gloriam, vel per cæcitatem & malam sententiam præterquam oportet colligunt. Ad hanc enim Ecclesiam propter potentiorem principalitatem, necesse est omnem conuenire Ecclesiam, hoc est, eos qui sunt vndique fideles, &c. Tertulliani quoq; ea est sententia: In Italia habes Romanã Ecclesiam, cuius nobis etiam authoritas est proposita. O fælicem Ecclesiam, cui Apostoli integram doctrinam cum suo sanguine profuderunt, &c. Vide eundem lib. 4. contra Marcionem. Lege etiam Irenæum lib. 5. c. 2. & multis aliis locis. Si quæras, cur Irenæus & Tertullianus tam exactè Romanam commemorent Ecclesiam, nos ea causa id illos fecisse respondemus, quod illo quoq; æuo sectæ emergerent, quæ sibi vnicæ illius Christianæ Ecclesiæ titulum vsurparẽt: aduersum quos illi Romanam hanc ceu vnicam & Apostolicam Ecclesiam prædicatione efferre ac vindicare nitebantur: quem in modum nobis quoque contra hanc Lutheri factionem eiusque malam sobolem prædicanda venit. At

dicas

dicas forsitan: siquidem tam ea hodie esset immaculata, vt tum fuit, fortassis ab ea non desciscerem. Sed paucis respōsum accipe: Ita ergo si parentem tuum gallica scabies totum occupet, tu illum parentis loco minime es habiturus eumque ceu alienum deseres? Hoc mihi respondeas velim, fatearisne Romanam Ecclesiam Irenæi ac Tertulliani seculo germanam fuisse Ecclesiam? Negare tu id neutiquam potes. Age igitur, hoc quoque fatearis necesse est, eam hodieque talem esse, quando eadem prorsus est, quæ tum fuit, nisi quod nunc vetustior, debilior, rugosior ac deformior conspicitur. Est ea in hodiernum antiqua illa Domus Dei, vetusta Dei ciuitas, vetus illud ac verum Dei templum, quod illo fuit æuo, præterquam quod nunc ruinosa magis est, minusque, quam id temporis, habet decoris & elegantiæ, est itidem eadem, quæ quodam fuit vinea Domini, quanquam non tam fertilis modo sit: quæ non est Vineæ culpa, sed negligentium cultorum & operariorum, qui in eam missi fuere. En hic ego iam te adeo constrictum teneo, vt non possis non obmutescere.

Quod si pergas dicere, vos veterem hanc Ecclesiam velle repurgare ac instaurare, audies continuo. O miseram illam repurgationem ac instaurationem. Certe, si annos adhuc triginta ea, qua cœpistis ratione perrexeritis, neminem ego pium fore arbitror, qui non se iam vita functum velit. Vosne veterem Romanam repurgabitis Ecclesiam, quam nidum & synagogam Satanæ appellatis? quam porcorum instar nunquamnon contumeliosissime & acerbissime in cæno volutatis? Vosne, inquam, illam restaurabitis, quam vt apostatæ deseruistis? odioque habendos & insectandos statuistis eos omnes, qui intra illam sese continent, quos etiam Antichristos, Cainos, Baalicos, Atheos, Hypocritas, &c. vocitatis? quicquid bene institutum & ordinatum est, conuellitis, nec quicquam tamen, quod melius sit, substituitis: noua fingitis dogmata, quæ vetus Ecclesia nesciat: destruitis, rapitis, profligatis, decernitis, constituitis, agitis & omittitis quæuis pro vestro arbitratu, nulla neque Dei, neque Cæsaris habita ratione. Sane si veterem Romanam Ecclesiam repurgare animus erat, non eam oportuit penitus euertere, & pugnis in eam incurrere. Purgare & demoliri diuersa sunt. Eluere ollam fictilem longe aliud est, quam illam saxo impingere. Verum id vos agitis, vt damno dato, quoad eius fieri potest, verbis vos purgetis ac tueamini: id vnum maximo vobis incommodo est, quod libri per vos editi omnibus vos produnt.

Frustra igitur Ecclesiam iactitatis, vtpote à qua vos ipsos per superbiam præcidistis. Ecclesia integra illa Domini tunica est: vestra factio portiuncula quædam est ab illa separata. Ecclesia area Noe est: vestra secta non nisi asser quidam est inde aulsus. Ecclesia totum est corpus: vestræ partes nō nisi brachium quoddam sunt ab illo diffractum. Quid ita? Quod vestra factio nō sit integra Ecclesia, nec etiam credat, doceat, obseruet, actitet, quod integra.

Atqui illa sancta Romana Ecclesia præcipuorum Apostolorum studio est erecta, illorumque doctrina, sanctitate & sanguine dedicata, munita & confirmata. Post hos tanquam capita, ad summum est perducta & exædificata per illorum successores Linum, Anacletum, Clementem, qui Apostolorum fuere discipuli, Euaristum, Alexandrum, Sixtum, Telesphorum, Higinum, Pium, Anicetum, Soterem, Eleutherium, vti eos enumerat Irenæus, multis etiam martyrum millibus declarata & comprobata, præclarissimis & inuictis confessionibus suffulta, innumeris Deo gratis actionibus & operibus ornata, illustrissimis præstantissimorum Patrum scriptis celebrata & prædicata, & aduersum quaslibet subrepentes hæreses defensa semper & conseruata: vt illi plane miserrimi censendi sint, qui intra hanc Ecclesiam in tanta sanctorum Deoque conformium fratrum ac sororum frequentia nolint numerari.

Anne prorsus miserabile est, vt vnus homo cunctis mortalibus, quotquot hodie supersunt, & intra annos mille in humanis fuere, propria temeritate & detestabili philautia se non dubitet anteferre? Anne modum omnem excedit, quod homunciones istos omnia etiam vetustissimorum Patrum commentaria non pudet superbissime reiicere, cum tamen sine illis nihil possint noui cudere, nec vllam ausint Scripturæ sententiam explicandam suscipere? Si satis est solam habere Scripturam, qui fit, vt nouis istis in Scripturam, qui indies prodeunt, commentariis expleri nequeas? Dicis Scripturam absque commentario legendam, cum tamen tute id minime præstes. Immo nouis istis interpretationibus pertinacius multo inhæres, quam quiuis alii vetustissimis. Sed mera hæc nequitia est, & versutum hæretici commentum, quod qui non sentit, næ ille pituita laborat. Equidem certus sum veteres Doctores scripta diuina probe esse interpretatos, atque vnicum in cœlos iter in illis magna consensione attigisse, reperisse & Ecclesiæ demonstrasse.

Estque hoc illustri documento, certissimoque argumento Lutherismum veterem non esse Ecclesiam, sed sectam potius, quod antiquæ Ecclesiæ Doctores ducat pro nihilo, solosque sectarios habeat in precio: quod fieri non posset, si recte cum illo ageretur.

Literis sane annotatum comperimus, quam sancta & inculpata aliquot seculis Ecclesia permanserit. Tandem cum Tyrannorum & hæreticorum, quæ gemina sunt Satanæ cornua, persecutio deferbuisset, alia cepit via Satanas Ecclesiam impugnare, quandoquidem illius regno maxima illa adferret detrimenta. Itaque tum primores, tum plerosque è populo ad ea, quæ carni sunt iucunda & plausibilia incitauit. Quod cum illi haud incommode cessisset, ingens illi eo ipso ad maiora mala, illico fenestra aperta est. At huic actutum à sanctis Patribus, pro ea, atque decet seuera animaduersione est obuiatum: quanquam nihilo secius Satan in proposito perstitit, quo Christi regnum nonnihil labefactaret: atque eo vsque progressus est, vt quidam Romani Pontifices, Episcopi, Presbyteri, sui officii parum memores, à Patrum suorum vestigiis exorbitarint, maxime quod Ecclesia omni ex parte pace & tranquillitate frueretur. Interea tam Biblia, quam Patres antiquissimi minori studio esse cœpere: Ita factum est, vt Ecclesia passim afflictaretur, atque eò tandem prolapsa sit, quod ad mores attinet, vbi iam, proh dolor, conspicitur. Atque vt paucis agam, duo sunt, in quibus Ecclesiæ dignitas non parum læsa & imminuta est, quæque id efficiunt, vt apud incredulos minus bene audiat, nempe; Cultus diuinus in nonnullis non satis reformatus, & vita improba. In his reuera plus satis necessaria est opera, vt gemina hæc plane exitialis susceptæ macula tandem quoque deleatur. Vos hic Ecclesiæ primores appellatos velim, vt tandem experrecti fidem, quam debetis, Christianæ Reipublicæ præstetis, seriò vt Concilium cogatur, efficiatis, vitia proponatis, quæ sit Ecclesiæ necessitas attendatis, quæ nihil bonæ frugis habent, & offendiculo sunt, remoueatis, noxia præcidatis; perpetuis vos clamoribus Christiana Respublica compellat, maxime tot iam sectis acerrimam impressionem facientibus. Væ, væ, atque iterum væ vobis, si hoc in opere maxime necessario, saluberrimo, laudatissimo Satanam vos per incuriam, vel alia mundi negotia distineri ac præpediri patiemini.

Ita proh dolor res sese habet. Sed quid tandem obsecro? Nunc propterea Ecclesiæ vnitas scindenda est, quod arte Satanica quasdam labes contraxerit. Num Moyses synagogam propter abusus & vitia quædam deseruit? Num Elias, num vero Ieremias id fecit? D. Bernardus etiam sua ætate quædā Ecclesiæ præsertim Romanæ curiæ, quæ etiam tum non parua erant, perspexit, num ille hoc nomine sibi ab ea discessione, nouamque sibi Ecclesiam conflauere? Minime gentium: sed magna vocis contentione vitia reprehenderunt, nec illis parcendum putauere, vocemque suam quasi tuba exaltantes, Christianis ipsorū scelera denunciarunt, vt animas seruarēt. Multis sane hominibus bonis admodum doluit, eam Ecclesiæ calamitatem adeo esse diuturnam. Plerosque insigni pietate & eruditione Antistites, Doctores, Concionatores male habuit ea Ecclesiæ deformitas, nec tamen illam relinquere voluere. Est enim ea nihilominus spiritalis mater

nostra,

nostra, etiamsi quædam illi inuitæ aspersæ sint labecule. Atq; eo fortassis nomine permisit Deus, vt ista factio vel secta longius serperet, quo eius occasione Ecclesia citius ad sui cognitionem, reformationem, emendationem deducatur. Sed ea causa secta nihilo iustior est.

Ecclesia plane est, cui secundum Deum, quamlibet deformis videatur, bona omnia tum æterna, tum temporaria accepta ferre debeamus, non autem factioni Lutheranæ. Dic enim obsecro, quis nos salutari expiauit lauacro? Ista nimirū mater nostra, non vlla alia nos regenerauit. Qua igitur fronte illam abnegamus? Cur meretrici tantum tribuimus, vt relicta Ecclesia ad illam nos adiungamus, cum tamen ea non sit iusta parens nostra, vtut sese iactitet?

Vnde quæso ad nos scripta diuina profecta sunt? ab Ecclesianè, an verò à secta? Dubio procul ab Ecclesia. Num igitur ea causa nobis Ecclesia scripturas tradidit, vt iis ipsam oppugnemus? Quid hoc aliud sit, quam sibi ipsi malum conciuisse? At dices, scripturam ad nos diuinitus profectam. Recte nimirum. Tu vero quando cœlos adiisti, eamque ex Dei manibus perinde vt Moyses tabulas in monte Synai accepisti? O hominum acutorum miram insulsitatem. Vnde porro tum ipsius Dei, tum eorum omnium quę sunt fidei Christianæ notitiam habemus? Annè ab Ecclesia? Aut forsitan nulli mortalium toto terrarum orbe annis superiorib. vlla Dei & fidei Christianæ imbuti notione fuere? Vosne primi extitistis, qui intra paucos annos eam sint adepti? Vbi igitur eam estis assecuti? Num ex Scriptura? Et ea tamen etiam ante hos decem annos & probe est intellecta, & homines, qui eam legissent, minime defuere. An vero ex spiritu? Agedum igitur, spiritum illum signis & miraculis declaretis. Nam etiam vos ipsi aliis vobiscum furore percitis id opponere soletis, vt si quid proferāt antea incognitum prodigiis quibusdam id astruant. Reuera si ante hos decem annos spiritus & scriptura cum sui intelligentia nulli adfuit, malè egit Christus cum sua sponsa, atque os suum mendacij, quod dictu nefas sit, condemnauit, fitque plane cōsequens nullam hactenus sub sole vixisse gentem, quæ tam esset misera, errabunda & iniqua, atq; nos Christiani sumus. Deinde & id nosse velim, vnde nobis tum triuiales, tū illæ quas Academias, vel Vniuersitates vocant, scholæ sint natæ? vnde tam doctos habeamus viros & artes eximias? Num secta ea nobis peperit? Imo vero secta ipsa vnde suas habet artes & disciplinas, quibus tamen non recte vtitur? Anne hæc omnia ex Ecclesia promanarunt, quando adhuc nulla fuit huius sectæ mentio vel notitia? Vnde vero administrationem tum politicam, tum Oeconomicam? Vnde iura, disciplinam, complures ritus, & instituta optima, probatasque constitutiones, & ordinationes habemus? Annon antiquitus isthæc obtinemus? an vero hæc nuper orta nobis secta ista peperit? Imo vero, vt omnibus in prospectu est, ea ferme abrogauit, & aboleuit, atque è diuerso improbis moribus, prauisq; constitutionibus aditū patefecit, id quod iam nemo non quærimoniis & suspiriis testatur. Si quid vero etiamnum in secta residet, quod sit cum religione, probitate, bonis moribus & recta ratione coniunctum, id etiam antequam secta nasceretur, fuisse dubium non est, non autem ex ipsa secta profectum. Nam si tamen id potes, ex septem hominum millibus nonnisi septem ad me producas, qui prius plane diuini timoris expertes & improbi fuerint, & nunc demum postquam in Lutheri vetba iurarunt, in probos ac religiosos viros euaserint. Ego vero eos tibi proferam, qui ante hanc sectam Deo deuoti, pij, mansueti, & vitæ internæ studiosi fuerint; at nunc Euangelio huic dediti prorsus mutati sint. Faxit Deus, vt qui huius sunt tragœdiæ architecti, & incentores, ipsi se agnoscant, videantque quas in Germaniam calamitates inuexerint. Amen.

Hactenus quidē in Ecclesiæ Catholicæ gratiam, visum nobis est hæc ex doctissima Vicelij Apologia hic inserere, non quod historiæ breuitati admodum cōueniret, sed quod ea ratione magnā nobis Ecclesiæ vtilitatem allaturos speraremus. Hæc igitur atque eius generis alia multa non parum commendanda scripta, Postillas quoque Vicelius, vt qui longa experientia Lutheranorum consilia probe cognita & explorata haberet in publicum emisit, satis superq; testatū iis efficiens Lutheri dogmata, quam è diametro pugnent cum Euāgelio: quare factū est, vt multorū ille odio acerrimo hodieq; laboret, nec quoquam sine periculo tuto possit proficisci. At tamen constans ille permanet, & imperterritus, nouaq; dogmata ipsis scripturæ diuinæ sententiis tam luculenter confutat, vt in hanc vsque diem quotquot partis sunt aduersæ nullis cum solidis rationibus possint refellere.

XXXIII. *Michael Vehus Dominicanus Stylū suū contra Hæreticos vertit.*

Exercuit etiam hoc anno Stilum in Lutheranos, Michael Vehus Dominicanus, Doctor Theologus, quem Albertus Cardinalis Moguntinus Elector, propter viri probitatem & eruditionem in Præpositum Hallensis Ecclesiæ in Saxonia, sibique à consiliis assumpsit. Occasionem dedit Ioannes Bugenhagius Pomeranus, Apostata, Lutheri Emissarius, quem pastorem & Episcopum suum vocant VVittembergenses; edito libro contra fures. vt vocat, Calicis. Is liber scatet maledictis, mendaciis, & calumniis, vt agnoscas Spiritum Lutheri Quinti Euangelistæ. Impotenter incurrit in Episcopos, quod populo calicem subtraxerint. Damnat quoque Missæ sacrificium, perinde ac si Ecclesia quæ Spiritu Sancto regitur, ab impuris apostatis discere debeat, quo sint ritu atque ordine Sacramenta Ecclesiæ administranda. Contra hunc Vehus scribens, hæc inter alia digna consideratione præfatur. Vulgatum est, inquit, prouerbium. Qui malam habet causam is eo magis maledictis proteruit: & cui deficit veritas, is nititur mendaciis. Iuxta id prouerbium agit autor iste in toto hoc libro suo, qui in principio, medioque & fine, eandem vbique cantat cantilenam. Hoc est, vndique refertus est proteruis criminationibus, contumeliis, maledictis & mendaciis: quæ si à veritate, quæ reliqua est, separarentur, admodum exiguus foret libellus. Qui si calumniandi gratia scriptus est; satis artificiosum habet initium; si verò propter veritatem declarandam atque inquirendam scriptus est, autor merito rem aliter aggressus esset. Etenim in omni causa optimum fundamentum est veritas: at hanc omisit ille, & librum à mendaciis incepit. Calumnias igitur eius domum remittemus, donec sua probet mendacia. Quod si nesciat quid probare debeat, nos haud grauatim id cum docebimus. Primum sane probare debet, quod Calix ex mandato Christi sit omnib. Christianis ad salutem necessarius. Hoc ipse cum suis hactenus nō fecit, nec vmquam facere poterit. Hæc enim verba Christi, Bibite ex eo omnes, non omnes tangunt Christianos; quemadmodum nos & alij ex Euangelio, tum Marci, tum Lucæ efficaciter probauimus. At esto, sint hæc verba Christi ad omnes dicta, probare tamen debet, ea esse necessarium præceptum. Quod si hic suos consuluerit, inueniet præcipuos sectæ suæ id negare, atq; dicere, quod Christus neq; alteram, neq; vtramque speciem præceperit, eo quod dixerit, Quotiescumque feceritis. Deinde, concesso & isto, quod ea verba sint necessarium præceptum, probare debebit, quod ad singulos in specie dicta sint, & non ad omnes in genere, sicut dictū est illud, Crescite, & multiplicamini. Rursus, hoc quoq; cōcesso, quod ad singulos in specie dicta sint, probare vlterius debebit, omnia huius mandati verba ad singulos pertinere. Sunt n. hic multa, consecrare, offerre, edere, bibere, in memoriam eius facere. Atqui num quā probabit hoc, nisi velit vnicuiq; rusticorum & feminarū consecrandi munus imponere. Deniq; concesso & isto, adhuc tamē vlterius probare debebit, quod Christus Deus & Dominus noster, in casu necessitatis & periculi, non reliquerit nobis mandatum istud liberū; quod q; Ecclesia in tali casu, non habeat potestatem faciendi ordinationem, qua tale periculum euitetur. At ne hoc quidem probare poterit; nos autē contrariū ex sacra Scriptura postea probabimus. Hęc in principio libri sui Vehus contra Pomeranum. Is Pomeranus profectus quandoq; ad opulentas alias ciuitates, pśertim maritimas, non absq; tumultu & seditione qua nouū gaudet Euangeliū, Lutheri dogmata sparsit in vulgus rerū nouarum auidum, Synagogasq; Luthericas spiritu illo pestilentissimo quo prædītus erat, constituit, & cōfirmauit. Cum autem ex Dania rediret, & sinu Baltici maris emenso, non quidē absq; tempestatis periculo, littus Cimbricæ Chersonesi attigisset, non est veritus palā his verbis vti; Tu meū habeas Dania Euangelion, ego nūmos tuos. Vale. Et reuera non parū multis onustus opib. rediit VVittembergā, suauiter & molliter illic perfruiturus rebtā præclarè partis. *Vlēb. & Cochl. in Luthero. Surius in Cō.*

XXXIV. Eodem tempore, occasione cōcordiæ Cæsaris cum Protestantibus paulo ante dictæ, ceperunt quidā Leodienses de Lutheranismo suspecti, magna licētia de fidei articulis disputare.

Erardus Marcanus Leodiensis Episcopus protestantium multos partim expellit partim supplicio afficit.

quod Erardus Marcanus Cardinalis Præsul haud ferendum ratus, multos qui se protestantes gloriabantur, re cognita, vel proscribi, vel supplicio tolli iussit. Die 23. Iunij, duo viri & totidem mulieres, propter hæresim Lutheranam carceribus mancipati, post multa, vt solent nouatores illi adferre subterfugia, conuicti, seu supplicij timore, seu veræ & Catholicæ doctrinæ amore, abiuratis ante omnia hæresibus, in æde sacra Diui Lamberti cum reliquis Catholicis venerabile Sacramẽtum sequuti, viri quidem nudis capite & pedibus, cereum ardentem manibus gestantes, publicam egerunt pœnitentiam. Die Dominica sequente, Magister Hospitalis Coquinorum nuncupati, qui ex Lutheri doctrina, contra fidem Ecclesiæ Catholicæ, locum purgandarum animarum post mortem restare negabat, & ipse carceri mancipatus, cum tandem nouis Lutheri dogmatibus renunciasset, solennem quoque pœnitentiam in eadem æde peregit, & officio quod gerebat priuatus, ad Bonæffiense Monasterium, melius in doctrina & vita instruendus missus est. Per idem fere tempus, quidam Ecclesiæ Diui Dionysij Leodiensis Canonicus, de nouis quoque Lutheri dogmatibus suspectus, cum, diligenti inquisitione facta, in domo eius libri Lutheri, aliique plures hæretici reperti essent, fuga vitæ suæ consuluit. Alter Sancti Martini Canonicus, etiam de hæresi accusatus, quorundam errorum reuocatione, quorumdam vero explicatione & moderatione facta, vt solidiori fidei doctrina imbueretur, Coloniam ablegatus, ibiq; anno integro sacrarum litterarum studio vacare iussus est.

XXXV. Erat id tẽporis Leodij hæreticæ prauitatis Inquisitor quidam Ordinis Carmelitani Sacræ Theol. Doctor, qui autoritate tam Pontificia quam ordinaria fultus, diligentem in inquirendis Lutheranis eorumq; fautoribus nauabat operam. Hunc ciues, alioqui boni, persequi cœperunt, quod in processibus quos contra hæreticos instituebat, eorum priuilegia & francisias læderet: quod nimirum per Scabinos, Magistros, & Iuratos ciuitatis, more maiorum, & vt pactiones pacium habent, non iudicarentur ciues, sed ad vnius Inquisitoris iudicium. Itaque in Concilio ciuitatis statuerunt, deinceps in materia damnatæ religionis contra neminem procedi debere, nisi prius per legem & Francisiam de dictis factisue hæreticis conuictus, & ad Iudicem Ecclesiasticum vti talis demissus fuerit. Cuiusmodi statutum, cum Præsul circa festum S. Iacobi in Cõcilio Ciuitatis vti sacris Canonibus contrarium reclamasset, ac reuocari mandasset, res in magnam fere abiit dissensionem. Et quantumuis tunc edictum Cæsaris renouaretur, & præcipua capita ad patriæ Officiatos, pro animaduersionis in Lutheranos norma mitterentur, aliud tamen nihil à ciuibus obtineri potuit, quam vt saluis priuilegiis Ciuicis admitterentur; quod equidem piis iustisque Cardinalis Episcopi desideriis atque conatibus, non parum remoræ ac impedimenti attulit. Decembis tamen die 3. edicto vetat, ne quis cuiuscumque conditionis, aut sexus fuerit Scholam aperiat, aut conuenticula, siue paruo, siue magno numero virorum, mulierum, puerorum, aut puellarum, in quibus hæreses seu Lutheranæ, seu aliæ quæcumque doceantur habeat, sub pœna amissionis priuilegij Ciuici & ministerij, si cui quis iam ascriptus fuerit, vbi crimen per legem & Francisiam (vt vocant) legitime probatum fuerit. Altero die, præsente in ipso ciuitatis Concilio Præsule, quidam Ioannes Scholarum Ecclesiæ Sancti Pauli Magister, nuper eiusdem Ecclesiæ Æditiuus, quod Lutheranam hæresim pueros docuisset, & per legem & Francisiam conuictus fuisset, perpetuo exilio extra Ciuitatem & Dominia Principis mulctatus fuit. *Ioannes Chapeauille in Erardo Marcano.*

XXXVI. *Melchior Hoffmannus Dæmonis in specie Eliæ apparẽtis admonitione deceptus.*

Dictum est superius de Melchiore Hoffmanno, Anabaptistarum in Germania inferiore Apostolo. Deceptus is, dæmonis in specie Heliæ apparentis admonitione, Argentoratum venit: Ecclesiarum ministros adiit, & vt diem colloquio quod cum ipsis de verbo Dei habere cuperet, & locum aliquem publicum deputare vellent, rogauit. Ministri de omnibus Senatum certiorem reddunt, & ne quas det turbas, sequentem diem, qui erat xi. Iulij huius anni 1532. disceptationi præfigunt. Conueniunt vtrique in Senaculo. Ibi Hoffmannus de vocatione sua quæsitus, cum argumento nullo solido munitus, sola visionum phantasmata obtenderet, in reliquis etiam doctrinæ suæ capitib. inconstans & lubricus esset, iussu Senatus instar fanatici in carcerem coniectus fuit. Ad eum cum duceretur, læta & hilari fronte ciues affari cœpit: diem hunc, inquiens, iamdiu se expectasse, quem certo sciat viam sibi ad triumphum paraturum. Coram Senatu calceos è pedibus excutit, pileoq; in aëra proiecto, manibus ad cœlum eleuatis iureiurando per Deum viuum, nullo alio se cibo quam pane & aqua fruiturum, donec digito Deus vocationem suam confirmasset, pollicetur.

XXXVII. Dum in carcere attinetur Hoffmannus, noui per vrbem vates discurrunt, ac mira de Melchiore vaticinia edunt, Leonhardus Iodoci ciuis & incola vrbis primarius erat; alter Cornelius Poltermannus, ambo audaces & callidi. Prædicebant hi duo, ciuitatem Argentinensem vnicè electam esse; & quemadmodum olim ex vrbe Hierosolymitana originem traxerit prædicatio Euangelij per totum tandem orbem propagata, ita Argentorato breui prodituros nouos Apostolicos viros, qui doctrinam Euangelij perfectiorem per totum terrarum orbem tandem diuulgarent, & electos Dei ex omnibus terræ finibus recollectos velut frumentum in horreum, vt scribit Nicolaus Bleesdickius; introducerent: Melchiorem virum esse sanctum, & propter Dei gloriam in custodiam datum; ideoque elapsis mensibus duodecim, cum 144000. prophetis, qui, vti 14. Apocalypseos videre est, albis induti vestibus circumstant agnum, cum triumpho egressurum. His Prophetissæ binæ, quarum vna Vrsula Leonhardi vxor, altera Barbara nominabatur, sese sociabant. Illa diuinabat: Melchiorem Heliam esse, Cornelium Poltermannum Enochum, Argentoratum vero ipsam electam Sion siue Hierosolymam, visam sibi magnam fratrum ac sororum multitudinem, qui ordine in amplissima quadam aula vnà congregati fuerint. Huc adolescentem albo vestitu decorum accessisse, qui phialam, siue patheram ex auro maximam præstantissimo potu plenam ad omnes circumlatam, cum nemo propter liquoris præstãtiam delibare posset, Cornelio porrexisset, qui eam summotenus euacuarit. Qua sua visione confirmabat, Cornelium illum verum Enochum esse. Barbara vaticinabatur; videre se candidissimum cygnum in fluuiolo limpidissimo passim tranare, qui suauissime subinde concineret Mysterium visionis, vt illa interpretabatur, hoc erat; Melchiorem virum summè sanctum post breue tempus; & socium prophetam Enoch vnà prodituros, & dulcissimis prædicationibus suis fideles in vnum collecturos, in maximo robore & fortitudine; nec secus quam oliuas & luminaria duo, quibus nemo nocere possit, terrarum orbem illustraturos, quem & maximis plagis essent percussuri. Hæ prophetissæ simplicioribus hæc ita persuadebant, vt crederent verissima. Interim tempus labitur: Melchiori captiuo nullus qui opem cælitus ferat apparet; fabulis solum & nugamentis deceptum se quisque comperit. Scribit nihilominus discipulis, litteras in Frisiam & Hollandiam emittit, iubet suspendi ad biennium rebaptismi negotium, ad exemplum Esdræ & Agæi, qui in principio restaurationis templi, per integrum biennium in opere suo fuissent impediti, donec excitaret Deus Cyrum Regem. Habere se finxit & alias adhuc in carcere visiones, quas Leonhardus editis libris ibidem publicauit. Melchior vero animi mœrore deiectus, & à Deo hominibusque relictus, in carceris pædore spiritum efflauit. Cæterum morte eius euulgata, Ioannes Tripenmacher, ingenti animi motu Anabaptismi negotium promouere, & Amstelrodamum, Harlemium, & Leidam excurrens, commoditatem nouam extruendi Hierosolymam quærere cœpit. Res hæc sine motu fieri non poterat. Itaque captus, & Hagam Comitis abductus, sanguine suo sectam obsignauit, igni exustus.

Melchior Hoffmannus Hæresiarcha Argentorati in carcere mortuus.

XXXVIII. *Hoffmannistarum doctrina.*

Hoffmannistarum vero qualis doctrina fuerit, restat hic breuiter dicamus. Docebant ministerium eorum qui hactenus per Germaniam baptizarunt, rude, imperfectum, inchoatumque opus esse, quale erat ministerium Apostolorum ante acceptum Spiritum sanctum in die Pentecostes, quod pauco tempore duraret, & tandem superaretur & obscuraretur, præsente Spiritu illo Pentecostali, vt vocabant. Per hoc Apostolicum ministerium nouam Hierosolymam reædificandam, templum & viam ad nuptias regni aperiendam: sed prius primogenitum omnem Ægypti, id est Monarchas, Pontificios (sic enim Sacrosanctam fidem nominant) errores defen-

dentes

dentes auferendos, & Antichristi potentiam infringendam per extraneos, & tamen Christiani orbis Reges quosdam, qui ad exemplum Regis Cyri Persarum, exarmato Rege Babyloniæ, populo Dei patefacturus sit iter ad spiritualem terram Palæstinam proficiscendi, vrbemque extruendi potestatem daturus. Hæc igitur futura simul, vt Antichristi defensores (Reges Christianos intelligunt) regno spolientur, & populus Dei nouo Apostolico spiritu imbuatur, ornetur, confirmetur. Et huc referebant (Bleesdickius ait) verba Apocalypsis 15. vbi Ioannes inquit, nullum posse in templum intrare, donec septem Angelorum clades peractæ forent; in septimi Angeli phialæ effusione in aërem facta corruiturum Antichristi regnum, Apoc. 18. diuisum iri vrbem illam magnam in tres partes, & gentium vrbes corruituras. Tunc agni nuptias futuras, Apoc. 19. Hunc Apostolicum cætum (quem adhuc futurum expectabant) non in vsu habiturum vim externam, corporaliaque præsidia ad Euangelium concionandum: neque etiam eum cætum, qui hunc præcessurus sit, eique viam paraturus. Nimirum Michaëlem & Angelos eius (quorum vicem & functionem Hoffmannum iam cum suis obire putabant) non pugnaturos quoque gladiis corporalibus, sed sanguine agni, suique testimonij sermone superaturos, vt mortem libenter subituri sint. Hanc sententiam confirmare Hoffmannus conatus fuit, multis testimoniis Scripturæ, quale est quod legitur Ioannis Apocal. 13. vbi is qui in Sionis monte stabat, suos aduersarios & oppugnatores nullo negocio perdit, per S. legem igni consimilem. Item Apocal. 19. vbi bestia & falsus propheta, & omnes qui insurrexerunt in eum, qui insidebant equo albo perdebantur per gladiũ acutum, ex eius ore prodeuntem, & gentes ferientem, eosque omnes, & igni ardentis sulphuris puniendos, & alitibus deuorandos obiicientem.

XXXIX. *Ioannes Matthiæ pistor Harlemiensis Moysem se prædicat.*

Post Ioannem Tripenmacher, Harlemiensis quidam pistor, Ioannes Matthiæ, vir rudis & indoctus, callidus tamen & versipellis, Anabaptismi vexillum erexit. Huic honesta erat coniux, singulari castitate & modestia prædita. Hanc ille ob senium misere habitam à se reiecit, noua superinducta, quæ elegantiore forma conspicua vix dum nubiles annos attigerat, cereuisiarij cuiusdã filia. Fuerat hic idem Hoffmanno cum istic degeret, familiariter notus; & ab eodem multa de Rebaptismo, de instauratione & regimine nouæ Sion didicerat. Quam vt erigeret, ac pro virili cœptam nuper propagaret, cætus hominum agere, nocturno tempore ex pagis & oppidis citatos rusticos doctrina sua informare instituit. Et quia inaudierat, intra biennium Hoffmanni præsagio nullum Anabaptismi ministerium peractum iri, ne inuidiam sibi apud Hoffmanistas conflaret, ita egit, vt vnus pene omnes ad se traheret. Referebant, Ioannem Matthiæ tunica gausapina talari vsum, appenso ad latus, quem sub tunica occultabat, è lapide cultro, Moysen se principio iactauisse, quem vt humanum genus circumcideret, Deus huc misisset. Ideo faciebat, ne offenderet animos Hoffmannistarum, qui de Rebaptismo iam plane conticebant. Cum noua nupta Harlemio Amstelodamum, ad locum quemdam abditum & secretum abiit. Hic præter alia quæ sibi diuinitus commissa dicebat, Enochum sese perhibuit, eum videlicet, qui verissimus Dei testis, fidelem in his terris ad nouam Hierosolymam populum esset conuocaturus. Aderant hic etiam ex Hoffmannistis nonnulli, acto fuisse Isacius Pontanus tradit, qui cum eo præcipui introducendi in vrbem clanculum Anabaptismi authores fuere. Id quod hic & alibi, feliciter illis cessit. Mox erroribus longe lateque propagatis, Opus *Restitutionis* titulo inscriptum euulgarunt. In hoc, ait Lambertus Hortensius, pus & saniem paradoxorum suorum ita digesserunt, vt ij qui contra sentirent, impij damnatique iudicarentur. Paradoxa autem hæc erant. Christi regnum ante vltimum diem rerum humanarum ciuile in terra futurum: hic soli Sancti & iusti, Regibus ferro & vi sublatis, dominarentur. Id autem regnum iam esse cœptum Anabaptistarum. Magistratum omnem esse delendum; ei omnibus opibus obsistendum. Licet Christi Apostolis nullum gladij ius, nullaque regni ciuilis administratio, nulla item imperij stabiliendi potestas permissa sit, posteris tamen eorum sectatoribus, & iis qui post illos docendi munus in Ecclesia suscepturi essent, ciuile imperium, & ius gladij traditum; potestatem factam, impium magistratum ferro absumendi pro libidine. In Anabaptistarum Ecclesia nullum impium inueniri; omnes Sanctos esse. Neminem saluatum iri, qui vniuersas facultates suas in medium non conferret. Lege naturæ cum qua lex diuina non pugnet, fas iusque esse multas vxores habere. Christum, corpus ex Diuæ Virginis carne non induisse, &c. Eo opere diuulgato, Anabaptistæ incredibili successu omnibus locis aucti, iam consilia agere cœperunt, quo pacto nouæ doctrinæ dogmata per vniuersam Hollandiam dilatarent. Primarij ex iis, Ioannem Matthiæ consulunt, quid facto opus: satis hucusque latitatum; tempus nunc esse, vt in publicum semel erumperent. Non curandum esse Magistratum: aperte procedendum; & qui se opponerent, minis diuinæ iustitiæ, aut armis opprimendos. Fratres iis principiis imbutos, vt amplius in tenebris degere nolint, sed caput propalam exerere; imo vltimam pro fide sanguinis guttam fundere paratos. Respondet ille, id supra modum sibi arridere; laudare eam fratrum constantiam; & ne quid insuper desit, primo quoque tempore delectum facturum, vt quo quemque Deus missum velit, eò sine citeriore mora progrediatur. Precari solum, nonnihil secretius adhuc agant, ne si ad magistratum emanet, imparatis sibi subito aliquod detrimentum oboriatur. Non multo post Synodum indicit, vbi omnibus præsentibus, spiritum afflatu leui impartiẽs, 12. Apostolos, qui suum Euangelium per orbem prædicarent elegit. Aderant hic Iacobus Campensis, Theodorus Cuiper, Bartholomæus Bœckbinder, Leonardus Bouwens, Dauid ab Horn, Nicolaus Alemariensis, Cornelius à Briel, Meinhardus Delphensis, Rudolphus Martini, Gerardus Bœckbinder, Ioannes Bocoldus, Leidenses, & alij multi. Hac ordinatione facta, ad Apostolos prolixam orationem instituit, suique muneris admonitos, vt zelarent pro domo Dei, & in colligenda Ecclesia omnes vires suas impenderent, vnice rogauit. Quod si facerent, futurum, vt cœlestis pater tanto citius conatum promoueret, & hostibus remotis felices successus elargiretur. Ita quemque ad destinatum sibi locum dimisit, ipse solus velut generalis inspector domi remanens. Gerardus Bœckbinder & Ioannes Bocoldus, Monasterium Westphalorum, vt ibi munere Apostolico fungerentur, amandati sunt; vbi postremus ex Sartore ad Regiam dignitatem euectus, præter priuatas ordinationes, XXVIII. viris manus imposuit, & suum Euangelium orbi annunciare iussit. Gerardus Cuiperus, & Bartholomæus Bœckbinder Leowardiam missi, acceptis sociis, & ipsi nouos Apostolos ordinarunt. Bartholomæus, Vbboni Philippi, à quo Vbbitæ, qui nunc Mennonistæ dicuntur, & Ioanni Scheerder; Vbbo vicissim Theodoro Philippi fratri suo Ambstelrodami; Mennoni Simonis Groningæ, Dauidi Georgio Delphis; illi rursum aliis manus imposuere. Cæterum ita dispersi, multos passim motus excitarunt. Quidam illorum ad rusticos digressi, ficto enthusiasmo, quicquid in mentem venit, vaticinari cœperunt. Horum vaticinium illud fuit, extremum humanorum dierum intra triduum adfuturum. quo multi subito perterrefacti, præ metu arbores conscenderunt vltimum ibi iudicij diem expectaturi. Ast vbi illorum expectationem exitus fefellit, fame vrgente inde domum suam se receperunt. Quidam in tantum dementati, vt descenderent, permoueri non potuerunt; qui ridentibus aliis vel fame debilitati, tandem in terram coacti descenderunt, vel morientes animas præcipitando effuderunt. Narrant, inter hos sutorem quendam extitisse, primarium facti autorem; qui vbi ob temeritatem suam socios contemptim rideri aduertit, vltra quatriduum vni loco adhæsit, libo, siue pane è farre & melle tosto, quem in peram nuper forte fortuna condiderat, seruatus. Vnde multis admirationi fuit, existimantibus cœlitus misso cibo illuc sustentari. Applicabat coniunctas ori manus, & dum alij orare cum crederent, frustis intra digitorum iuncturas insertis furtim vescebatur, quemadmodum ipse postmodum fassus est. Quidam in vrbes ingressi eas maxime, quas negotiatorum & peregrinarum nationum frequentia celebriores nossent, facile mutuo commercio alios corruperunt. Secuta iam tum est seuera passim animaduersio, sed nusquam seuerior quam Amstelrodami, quam illi

vrbem

Hagæ Hollandorum multi Anabaptistæ pœnas dant.

vrbem bi cui tempore totam pene erroribus infecerant. Missus tum ex aula Commissarius, qui in Anabaptismi suspectos inquireret: ac deprehensi nouem noctu & Hagam abducti, vbi Caroli Imperatoris iussu capitibus truncati sunt: quæ capita, mandatis terræ cadaueribus, Amstelrodamum remissa, palisq; & patibulo Volcuici imposita. Sed hæc homines fanaticos nihil prorsus deterruerunt, quin indies maiora attentarent. Vagati per vicos & pagos, chartas post tergum in viis publicis spargere, extremum iis malum minitantes, qui non approbata ipsorum doctrina actutum à Babylone facesserent. Cæsar vbi carceres & vincula contemni videt, in gratiam omnes recipi iubet, modo erroribus agnitis, & intra diem quatuordecimum publicè ritu Catholico, expiatis, deinceps sese obedientes profiterentur. Contra qui irent, in eos lege ageretur. Hoc facto, multi ab errore relipuerunt; qui vero obtēperare nollent, partim sublati suppliciis, partim ciecti in finitimas prouincias emigrarunt. *Meshouius hist. Anabaptist. lib. 5.*

XL. *Ioānes Saxoniæ Elector protestantium caput subitanèo moritur.*

Obiit hoc anno 1532. Ioannes Elector Saxoniæ, Friderici frater, & in Electorali dignitate successor, cuius auspiciis & ductu Societas Lutherorum Protestantium, anno 1526. Spiræ contra Cæsarem instituta primum, ac postmodum Augustæ, anno 1530. magnis incrementis aucta fuit. Expirauit vero 16. Augusti, Sweinitij, quo biduo ante Torga profectus erat venatum: vbi morbo correptus subitaneo (apoplexiam fuisse putant) fractis viribus repente concidit. Vocati sunt ad decumbentem Lutherus & Melanchthon; qui cum decima quinta Augusti, sub decimam vespertinam Sweinitium adualassent, inuenerunt agonizantem, sensibus penitus oppressis. Erat diuturnus agon, & valde durus, in quo subinde horrendos rugitus edidit instar leonis: quos illi forsan ad Tribunal supremi iudicis eunti, Lutheranum negotium expressit. Sane quidem potuit in extremis, illius animo obseruari gravissima illa Ioachimi Electoris Brandeburgici oratio, qua publice illum monuit ante biennium in Comitiis Augustanis, quicquid ex Protestantium obstinatione, atque inobedientia deinceps in Imperio malorum & calamitatum oriretur, de eo Saxoni, cæterisque Protestantibus, ante summum Iudicis Christi Tribunal aliquando reddendum esse rationem: vt qui secessione sua, nouisque machinationibus, iisdem malis occasionem dederint. Mortui corpus delatum est Wittembergā, ibiq; sepultum in Ecclesia omnium Sanctorum, ad 18. Augusti. In funere Melanchthon Latine perorante; Lutherus vero duas habuit Conciones Germanicas ad populum. Prolixe commendant hunc Principem Lutherani, quod Lutheri noua dogmata, cum periculo confessus sit Augustæ in conflictu Cæsaris & Ordinum. Factum hoc Lutherus in prima concione pingit quibusdam coloribus, & Principem hunc in Comitiis Augustanis morte confectum asserit: cum deuorandum illic fuerit & glutiendum, quicquid mortiferi veneni Satan miscuerit. Hæc veram & horribilem mortem, per quam diabolus è medio tollat homines, Principem ante biennium in Comitiis pertulisse, idq; non pro scipso tantum, sed & pro Lutheranis omnibus, eam vero longe duriorem illi fuisse, atque acerbiorem, quam naturalis illa, quę nunc animam à corpore separarit. Hæc Lutherus. Alius quidam è Lutheranis cum Dauide confert hunc Principem, quem in numero Sanctorum reponit, eumque gradu sanctitatis propheta Regio, nequaquam inferiorem fuisse constanter asserit. Aiunt, Principem fuisse valde benignum: quamquam ex Lutheri disciplina quandam pertinaciam imbibit, quam illi constantiam interpretantur: vnde Boni & Constantis illi nomen, honoris causa indiderunt: quemadmodum fratrem eius Fridericum, sub quo Lutherus Ecclesiæ turbandæ fecit initium, sapientis titulo condecorarunt. Successorem reliquit Ioannem Fridericum filium, qui patris vestigia secutus, causam Protestantium, & susceptum à Luthero religionis euertendæ negotium magno ardore prosecutus est. *Vlenbergius in Luthero.*

XLI. *Andreæ Spoletini in Mauritania martyrium.*

Hoc anno, Andreas Spoletinus ex Ordine Francifcanorū, Rege Fessæ in Mauritania, & Principibus multis præsentibus, vt palam faceret esse veram Christi doctrinam quam prædicabat, vndique flammis est circumdatus, & illæsus in iis diu permansit. Quocirca Mahometani lapidibus in eum coniectis furentissime illi mortem attulerunt, populo qui eò confluxerat, ex omni parte rem spectante. *Thomas Bozius de signis Ecclesiæ lib. 15. c. 5.*

ANNO CHRISTI M. D. XXXIII.

CLEMENTIS PAPÆ VII. ANNO 10. & 11.

CAROLI V. IMPERATORIS ANNO 4.

FERDINANDI I. ROMAN. REGIS ANNO 3.

I. *Carolus V. Concilium Oecumenicum summopere cupit.*

INter Pontificem & Cæsarem, Bononiæ præsentes, eadem beneuolentiæ signa, eadem que familiaritas quæ prius ostensa sunt: verum non amplius vt tūc animi in negotiorū tractatione cōueniebant. Cæsar enim Germaniæ tranquillitatis & satisfactionis causa Concilium Oecumenicum summopere cupiebat: se exercitum & sibi & cæteris grauem dissoluere velle proponebat: verum vt id tuto facere posset, postremum fœdus Bononiæ ictum, vt omnes eum inserirentur, & vt quantum quisque peceuniæ, si Italia à Gallis oppugnaretur, contribuere deberet, constitueretur, renouari petebat. Præterea Catharinam Pontificis neptem Francisco Sforziæ, tum vt eo magis Pontificem ad eius imperij principatus tutelam procurandam compelleret, tum etiam vt affinitatis quæ cum Galliæ Rege tractabatur negotium impediret, connubio iungi cupiebat. Harum rerum nulla Pontifici placebat. Nam fœderibus obligari, ipsius desiderio, quod erat se inter Christianos Principes medium conseruare, repugnabat. Nam cum alia pericula, tum ne Galliæ Rex, ad id præsertim ab Anglo tam vehementer solicitatus, populos ab eius obedientia remoueret, metuebat. *Concilium indicere, ipsi molestissimum* erat; tum quod pax inter Christianos Principes nondum esset constituta; tum quod sciret hæreticos tale velle Concilium, quale ipse nulla ratione, cum integritate fidei, & cum dignitate Apostolicæ sedis posset aut indicere, aut comprobare: tum quod Turcarum motus nondum plene repressi timerentur: inter quorum metum, non possent Antistites de controuersiis fidei, vt necessarium foret, maturè & ad plenum deliberare; si tamen Cæsari ita videretur, assentiebatur, modo in Italia, ipso Cæsare præsente, idoneo ad id congregandum tempore dato: & Lutherani aliique hæretici se Concilij decretis staturos promiterent, ac interea à corruptelis suis propagandis desisterent, & Romanam Sedem, omnesque Ecclesiasticos in pristinam tum autoritatis, tum ditionum possessionem prius restituerent. Affinitas cum Mediolanensium Duce, ne apertam ferè cum Gallię Rege sibi inimicitiam conciliaret, & quia neptis secundo Regis filio coniungendæ desiderio ardebat, minus illi grata erat. His de rebus, & præsertim de fœdere tractatum inter eos plus duos menses est: cui negotio præpositi fuere à Pontifice Mediceus Cardinalis, Iacobus Saluiatus, & Franciscus Guiciardinus: à Cæsare Gouesius, Lugduni maior Commendatarius, Granuellanus, & Prata Cæsarei Senatus Principes. Delecti à Pontifice, fœdus minime recusantes, quod id Pontificis mentem nimis nudasset, & Cæsari iustam grauissimæ suspicionis causam dedisset, omnem operam vt Veneti in id inducerentur, adhiberi petebant: propterea quod citra illorum auxilia, tenuis defensio omnis esset futura; quodque maiore autoritate res communis conseruari posset, si in prima fœderis fama persisterent. Quod si aliud fœdus sine illis iniretur, Cæsarem, Pontificem, & Venetos inter se diffidere, opinionem in omnium animis excitatum iri. Quocirca à Venetis, vt nouum ad totius Italiæ propugnationem fœdus *inirent* est postulatum. prioris enim fœderis vi, nihil aliud, quam Mediolanense Imperium, & regnū Neapolitanum tueri tenebantur: Cæsar autem vt Genuam quoque, in quam si bellum esset futurum, Galli, quia id sibi peculiari iure Madrilienfis atque Cameracensis compositionum legibus licere existimabant, facile primum impetum facturi censebantur, propugnare tenerentur, summopere cupiebat.

Noui fœderis Pontificē inter & Cæsarē Romanorumq; Regem pactio

piebat. Senatus vero etsi se id fœdus inuiolatum seruaturum polliceretur, nouum fœdus inire, obligationesue quæ eo continerentur augere, Cæsare id grauiter ferente, recusauit. Et nihilominus Cæsar, eo magis Pontificem, contrarias rationes quæ pro ipso afferebantur refellens, vrgebat: ita vt fœderis capita tractari sint cœpta, omnesque Italiæ potestates, vt legatos ad hoc mitterent, appellarunt: à quibus, vt sese fœderi, si bellum ingrueret, pro viribus & facultate contributuri adiungerent, postulatum est. In quo nemine se difficilem exhibente, sed solum singulis id quod à se petebatur minuere nitentibus; solus Alfonsius Estensis, se aliorum imperij propugnandi causa, nisi prius sibi de suo cautum esset, fœdus contrahere non posse respondit. Qua enim ratione conueniret, vt sibi à Pontifice timendum, & fœdus cum eo ineundum esset? Quomodo pecuniam suam ad Mediolani Genueque propugnationem contribueret, dum eam in milites quos semper Mutinæ & Regij haberet, atque etiam Ferrariæ custodiendæ gratia insumere cogeretur? Ex hoc, noua eius cum Pontifice conciliandi consilia sunt orta. Pontifex autem animo ab eo alienissimus cum esset, nec se tam aperte Cæsari opponere vellet, inextricabiles conditiones proponebat; se, si Mutina & Regium Alfonso, qui alia ratione conuenturus non erat, essent relinquendæ, velle, vt eas Pontificij Imperij beneficio se tenere fateretur: quod cum sine Septem-Virum Augustalium, atque Imperij Principum consensu, ita vt iure vim obtineret, fieri non videretur, Cæsarem in difficultatem quæ exitum non habebat, coniiciebat. Quamobrem Pontificem, vt se saltem fœdere vigente Alfonsi statum non turbaturum sponderet, rogare cœpit: ac post multas altercationes Pontifex id in sesquiannum polliceri annuit. Ita tandem Sancti Matthiæ die sacro, Cæsari fausto, fœdus ictum est. Hoc fœdere, Cæsar, Romanorum Rex, cæteri omnes Italiæ (Venetis exceptis) Principes, sese ad Italiæ propugnationem obstrinxerunt. In eo tamen Florentini, ne eis illorum in Gallia commercia turbarentur; nisi quemadmodum in Cuneacensi fœdere fuerat, nominati non fuerunt. Expressum etiam fuit, quem militum numerum, & quantum pecuniæ quisque singulis mensibus suppeditare deberet, nempe; Cæsar triginta, Pontifex pro se & Florentinis viginti, Franciscus Sforzia quindecim, Ferrariensium Dux decem, Genuenses sex, Senenses duo aureorum numūm millia, & Lucenses mille in singulos menses pendērent: & vt contra repentinam irruptionem aliquo modo ita comparati essent, vt se postea contributionibus tueri possent, tunc fere contributionibus par pecuniæ summa, quæ nisi cum apparatus ad Italiam oppugnandam in promptu cernerentur, exponi non posset deponeretur. Constituta est etiam paruæ contributio ad duces, qui in Italia manebant alendos; & quasdam pensiones Heluetiis, ne peditatus Galliæ Regi suppeditandi causam haberent soluendas: ac de communi consensu Antonius Leua totius fœderis copiarum imperator, cum in Insubria commorandi mandato est appellatus. De Concilio, nihil ex Cæsaris, qui vt Pontifex id indiceret vrgebat, voluntate est constitutum. Pontifex enim, ne in hac animorum distractione à Gallo & Anglo Regibus reiiceretur, periculum esse: quod si fine illis celebraretur, neque Ecclesiæ concordiam, neque correctionem introduci posse: quin potius ne schisma in Ecclesia inde oriretur periculo sissimum esse afferens, id recusabat; seque nuncios ad Principes, vt eos ad tam sanctum opus flecteret, missurum alebat. Cumque Cæsar, quid igitur, si illi sine iusta causa dissentirent, quæreret, velletque vt tunc se id indicturum polliceretur, numquam eum ad id flectere potuit. Quapropter nuncij, parua cum perficiendi spe delegati, missiq; sunt. Sed neq; in matrimonij negotio Cæsari magis est satisfactum. Nam quum duo Cardinales à Galliæ Rege missi Bononiam venissent, & de secundi Regis filij nuptiis sermo iterum esset introductus, Pōtifex ad Mediolanensium Ducis matrimonium à Cęsare propositum respondebat: quum Rex sibi multo ante filij connubium proposuisset, & ipse ei cum Cæsaris qui se tunc assentiri ostendit consensu aures accōmodasset: si dum hæc agitarentur, neptem suam eius inimico coniungeret, nimis magnam à se Gallię Regi iniuriam fieri videri, se existimare, hoc negotiū à Gallo artificiose sui fouendi, non autem rei perficiendæ a-

II. *Clementis VII. laus.*

primo; cum gradu & forte tam dispares essent, propositū fuisse: verum nisi prius hoc negotium esset penitus exclusum, se tam graui iniuria Regem afficere nolle. Cum que Cæsar, Galliæ Regem filio suo sibi tam disparem connubio iungere velle, sibi persuadere non posset, Pontificem, vt Regis fraudes patescerent, à Cardinali b. matrimonij contrahendi potestatē ad se mitti curarent, peteret, est hortatus. Illi vero paratissimos se esse ostendentes, paucissimorum dierum spatio amplissimam potestatem ad se perferri curarunt. Quapropter non modo omnis matrimonij cū Francisco Sforzia spes subiata est, verum etiam negotium cum Galliæ Rege pressius tractatum: & insuper, vt multo ante inter eos agitatum fuerat, vt Pontifex & Galliæ Rex Nicæam, Sabaudiæ Ducis Vrbem ad Varum fluuium, qui Italiam à prouincia Narbonensi diuidit sitam, conuenirent ad iectum. Hæc Cæsari valde molesta erant, tum quod ne inter Pontificem & Galliæ Regem maior contra se necessitudo contraheretur metueret (satis enim quo Rex in se animo esset nouerat) tū quod vereretur, ne in Pontifice captiuitatis suæ, vrbis direptionis, & Florentinæ Reipub. status immutati memoria infixa resideret. Mouebatur etiam, quod eum honorem quo se à Pontifice, in eo quod bis Bononiam secum ad colloquium venisset affectum existimabat, si ad Galliæ Regem mari Nicæam vsque iret, minuti, imo prorsus aboleri censeret. Neque hanc molestiam, eiusque causas dissimulabat. Sed frustra. quoniam Pontifex non tam huius affinitatis, quam auertendi ab Italia imminentis belli, & præuertendi in Ecclesia periculosissimi schismatis, cupiditate exardescebat, neque aliud facere potuerat, quamquam & affinitas Regia non contemnenda erat; quando quidem & Cæsari iam deuinctus esset, cum nepoti suo notho, Cæsaris filiam itidem notham matrimonio iunxisset. Ambienda ergo iure merito erat & hæc altera, vt neptem suam ex legitimo thoro natā, Galliæ Regis itē legitimo filio adiungeret. Id que multo magis mouebat, quam quod à multis ei proponebatur, ipsum hac affinitate Galliæ Regi ad Florentinum Imperium filio & nurui vindicandum, iuris colorem, etsi non verum, speciosum tamen daturum. His rebus Cæsari non admodum gratis, cumulus accessit, quod cum à Pontifice, vt tres Cardinales à se nominatos crearet flagitasset, vix vt Barien sem Archiepiscopum cooptaret, impetrauit. Pontifex enim sui excusandi causa, Cardinalium Collegium repugnare aiebat. Nec vero Cæsarem mitigauit, quod Pontifex magna alacritate occultissimum fœdus cum ipso fecit, quo se Angliæ Regem & Annam Bolenam, si matrimonium inire præsumerent, diris denunciationibus, & omnibus modis quibus iure posset perfequuturum recipiebat: ac vterque se cum nullo Principe, sine alterius consensu fœdus initurum spondebat. Cæsar igitur altero à stipulato fœdere die, Bononia discessit; iam satis certus, tum connubium, tum congressum inter Pontificem & Gallum processurum. *Guiciardinus lib. 20.*

Franciscus Guiciardinus, de fœdere addit; quod cum eo Galli offenderentur, Pontifex demonstrabat, ex eius correctione maiorem vtilitatem ad Regem redundaturam, quam detrimentum; quandoquidem Hispanicus in Italia exercitus ex eo dissolueretur, à quo Rex non iniuria sibi tantopere metueret. Paulus Iouius, præcipuam in omni vita Clementis laudem esse numerat, quod transacto eo fœdere Hispani ita dimissi deductique sint, vt ad Coronem in Peloponnesum multo maxima pars, alij ad Siculorum vrbium præsidia, alij in Salentinis & Calabris ad tuendas arces mitterentur, nonnulli vero in Hispaniam redirent; ob idque factum sapienter & feliciter populi totius fere Italiæ, Galliæque præsertim Cisalpinæ, Pontificis prudentiam, Cæsaris æquitatem, Venetique Senatus iudicium atque operam eximiis celebrarent, quod eorum incomparabili beneficio à rapacissimis sæuissimisque militibus liberati, de libertate, de vita, & de reliquis fortunis tum primum bene sperare inciperent: & quod etiam Gallis nihil optatius, vel ad omnem belli occasionem commodius accidere potuerit, quam vt Hispani veterani, à quibus tot clades accepissent, paucorum mensium fœdere percusso, Italia, ipsaque Alpium custodia detraherentur: quandoquidem Cæsari, illos qui in diuersissimas regiones distributi dispersique

sique esset, in eum numerum eamque disciplinam, vel in magna belli necessitate, colligere impossibile fere esset.

III. De profectione in Galliam, Guiciardinus & Iouius, æque Pontificem atq; Regem eius rei cupidos esse memorant. Regem quidem, maioris honoris sui, & ambitione, quam alia de causa Pontificis aduentum desiderasse, procurasseque, ne inferior ea in re Cæsare esset, ad quem Pontifex semel ac iterum descendisset. Quamobrem vt illum ad se pertraheret, nihil non faciebat, adeoque se neque fœdus ab eo periturum, neque ad bellum incitaturum, neque ipsum in Angliæ Regis causa extra iuris limites abducere conaturum, vel ad nouos Cardinales creandos impulsurum promittebat. Pontificem vero, præter affinitatis tam splendidæ desiderium, non importunum, vrgebant grauissimæ Reipub. causæ, pacis potissimum inter Cæsarem & Reges, belli in Turcas promouendi Angliæque Regis in rectam viam reducendi, si forte is resipiscere voluisset. Quamquam autem constaret Cæsarem vrbibus Mutina & Rhegio Alfonso Atestino adiudicatis, adeo Clementis animum perturbasse, vt plerique eam iniuriæ molestiam, quam nec ille simulanter deuorasset, alienato plane stomacho percoqui minime posse existimarent; Clemens tamen, qui maxima prudentiæ cum laude, afflictæ exaltatæque Italiæ pacem atque ocium pepererat, cum eam noluisset corrumpere, aut renouandi belli causas præbere: consilia sua assiduis cogitationibus euigilata ita terminabat, vt magno sibi artificio & temperamento Cæsaris pariter & Fracisci Regis amicitiam tuendam esse arbitraretur. Periculosum enim esse prædicabat vnam tantum amicitiam colere, quæ cum alias excluderet, durissimæ seruituti proxima videretur. Pontificiæ siquidem dignitatis & æquitatis esse, communem se omnibus parentem atque beneuolum profiteri; neque adeo Regem tanti nominis, & qui Christianæ religionis sæpius defensæ propagatæque titulos præferret, contemnendum existimare, vt colloquium cupienti pieque petenti, quum is ipse bis Cæsari dederit, omnino denegetur. Aliter etiam excindi abolerique non posse Lutheranæ hæresis malum, nisi Franciscus Concilio faueat, authoritate & viribus adsit, & in eam præsertim causam, sensus & consilia Gallicæ plena pietatis cum Cæsare coniungat. Se denique ea mente in Galliam proficisci, vt pacem atque amicitiam confirmet: quandoquidem nihil alienius à natura sua, nihil denique stultius, quam pacem & ocium euertere, quibus ipse ante alios tantopere gauderet, vt ea diu frueretur, cum acerbissima rerum omnium conturbatione, summa vitæ & dignitatis pericula subiisset. proinde timere & maligne suspicari desinerent, qui sua in Rempubliam merita minime nossent, aut quæ superioribus temporibus essent perpessi, obtuso vel ingrato ingenio minime meminissent.

IV. De honoribus, qui Pontifici venturo, colloquenti, & redeunti, à Gallo exhibiti, hæc Iouius. Inclinante æstate Ioannes Stuardus Albaniæ Regulus cum viginti triremibus è Massilia ad portum Veneris venit. Eius vxor Catharinæ sponsæ matertera erat, ipsaque iungendæ affinitatis author, & sponsalium præcipuus interpres extiterat. Itaque Albanius sponsa ad Nicæam Prouinciæ mari deuecta, vt ea inde terrestri itinere Massiliam perueniret, conuersis inde velis, Liburnum est profectus. Iam Clemens per Etruriam Pisas venerat, expectataque idonea tempestate quum ad mare descendisset, triremes Gallicas conscendit. Affuere ex composito à Messana redeuntes cum sua quisque classe, ipse Andreas Auria, Aluaresque Baxanius & Saluiatus, qui ante portum decurrentibus cum insigni ornatu vexillorum triremibus displosisque omnibus tormentis, Pontificem consalutarunt. Eo die qui ipsi omnium latissimus fuit, Clemens ad Herculis Monori portum, qui Villa franca dicitur, perflantibus Euris, atque inde biduo post Massiliam peruenit. Exceptus est ab Anneo Mommorancio Regiæ familiæ magistro, incredibili apparatu, sumptuque. Postridie Rex ipse cum Eleonora Regina tribusque liberis affuit, totius Galliæ nobilitatem trahens. Nec multo post in solenni Cardinalium Episcoporumque consessu, medius inter liberos in genua procumbens, hilari osculo exceptus, alleuatusq; est. Orauit tum Latine & eleganter Ioannes Bellaius Episcopus Parisiensis; quum eum congressum summæ felicitatis, maturam iam publicæ pacis fructum, festis Christianorum rebus, allaturum ominaretur. Grauissimis inde consultationibus extracti aliquot dies, tanto consiliorum silentio, vt ne arbitrum quidem, qui lumen proferret, nocturnis colloquiis admitterent. Ipsorum enim cubicula paries tantum cum secretis foribus dirimebat. Fama erat vtrumque mutuis cum lachrymis recentes calamitates defleuisse, repetisseque origines antiquorum consiliorum, velut vno ordine connexis erroribus, quibus ei mum in tantas carcerum miserias decidissent. Nec deerant curiosi abditarum rerum interpretes, qui subtiliter excepta auribus, aut ingenij libidine conficta enumerando, Clementi grauem inuidiam apud Cæsarem conflarent, quasi ille iam Regi certissimo fœdere iungeretur; vt quum per occasionem commouere virium lacertos possent, in Italia bellum renouarent, quo simul & hic Mediolanum reciperet, & ille Rhegio & Mutina potiretur. Augebant suspicionem maturatæ nuptiæ, quæ impares Regio sanguini viderentur. Siquidem nobilissimus adolescens Henricus quamquam ætate tenerior, Catharinam celebratis insigni cerimonia nuptiis, ex virgine mulierem prima nocte reddiderat; cui quamquam materna oppida in Armenis, atque item centum aurei eorum numûm cum vnionibus multisque gemmis, & pretiosa thori supellectile, coniugalis mundi nomine affluenter accessissent, nihil tamen exæquari videbatur: nonnullis dotem simul, & nouæ nuptæ natales obliquo sermone eleuantibus, qui Pontificem maxime suspectum Cæsarianis reddere contendebant. Vnde & illud fallè dictum Philippi Strozzæ legati apud Regem in vulgus emanarat. Regiis enim quæstoribus, quum illis repræsentata dotis pecunia soluereture, admodum exiguam eam dotem esse Regiæ domus fortuna dictitantibus respondera; se plurimum mirari, quod ea dignitate homines, nequaquam arcani Regij participes viderentur, postquam nescirent Pontificem insigni chirographo, tres inæstimabilis precij gemmas, quarum insana cupiditate maximi Reges deflagrarent, in supplementa dotalia promisisse. illis vero læto vultu, quænam esset requirentibus, quod è sacra tiara detractas iri putarent, arridens subiunxerat, apud peritos rerum eas fore, Genuam, Mediolanum atque Neapolim. Quæ res sicut risum mouere potuit, ita & mox apud Cæsarianos, subamaræ suspicionis aculeos reliquisse videbatur. Nobis certo constabat, Clementem alienato maxime ingenio, eam Cæsaris sententiam pertulisse, qua ille Alfonso Atestino Rhegium & Mutinam adiudicarat; adeo vt iniuriam libero ore conqueretur, contra morem barbam alternante manu demulceret, & alias irati animi decretum in colloquiis, nimia dissimulatione fateretur.

Cæterum Massiliæ conuiuiis saltationibusq; triginta quatuor dies insumpti, tanta Principum minorumque ordinum contentione, & cura, implendis totius munificentiæ ac humanitatis officiis, vt is conuentus, æque nuptiæ, neque iocundiore comitate, neque effusiore sumptu, neque liberiore lætitia celebrari potuerint. Aderant tres Regis filij, in quos ora hominum vertebantur. In Francisco Delphino eminebat ingenium graue, multa recondita rerum cognitione defixum. Henricus autem iucunditate animi, corporis, & cultus, militari habitu, sermonis alacritate, Gallorum naturæ similior, studia fauentis populi promerebatur. In Carolo autem puero id erat oris decus, ea eruditi & admirabilis ingenij suauitas, vt nemo eo Rege, prole felicior haberetur. Honestauit nuptias Heleonora Regina, serenitate, modestia, munditiis, tanto Rege dignissima. Nec indigna erat noua nupta Regio fastigio, quum haud dubie Leonis Decimi maioris patrui indolem, à magnitudine excelsi liberalisque animi, honestissimisque moribus referret. ipse autem Franciscus Rex, sua peculiari liberalitatis laude, supra cæteros Principes maxime insignis, seipso splendidior apparuit. Singulis enim Cardinalibus opulentæ ex Galliæ Sacerdotiis pensiones dono datæ; honestatique sunt ampliss imis muneribus, qui vel studio partium, vel Pontificis gratia pollebant; & ij ante omnes præcipua benignitate, qui optimarum litterarum, & præstantis ingenij fama noscebantur. Hos Rex ipse omnis elegantiæ arbiter, & nobilissimarum artium peracutus æstimator, in summam familiaritatem erudito sermone pertrahebat. Neque passus est se

donis

Clemens VII. Pontifex ad Regem Galliæ Massiliam proficiscitur.

donis à Pontifice superari. Nam quum Pontifex monocerotis bicubitale cornu, aureæ cælatæ basi inclusum, ad depellenda epulis venena dono dedisset, id latissimo aulæo rependit, in quo Belgarum arte, suprema Christi cœna cum discipulis, serico atq; auro intexta visebantur. Dedit & cupiditati Hippolyti Medicis Cardinalis, quum ingenuo pudore maiora dona repudiasset, mansuefactum leonem eximiæ proceritatis, quem è Mauritania Hariademus Barbarussa cum legatis transmiserat.

V. Guiciardinus addit, quod Pontifex negotia sua cum ipsomet Rege summa arte tractans, maximam apud eum fidem ac beneuolentiam sibi conciliauit; etsi contra multorum, & Cæsaris ipsiusmet opinionem, nullum fœdus inter eos sit constitutum. In Angliæ vero Regis causa non modo Rex nihil ab eo impetrauit; verum etiam ob eius Regis ministrorum barbariem: & quia eos in Pontificis cubiculo cum attestatione denunciantes, & ab ipso ad Concilium prouocantes inuenit, se ea re iratum ostendens, sibi si in eum Regem suo iure ageret, minime molestum fore dixit: maxime cum intellexisset Pontificem ab Anglo irrideri & ludificari, qui cum prius clam amicam suam grauidam effecisset, tunc demum diuortij causam vrgeret; neque dum expectata sententia, illam interim solenni more in matrimonium sibi iunxisset; dumque Romæ de negotio disceptaretur, ipse eodem tempore Archiepiscopum Canthuariensem iudicem sibi suæ causæ in Anglia constituisset; adeoq; Pontifici occasionem dedisset, vt is quum tantum Pontificiæ Sedis contemptum dissimulare, Cæsariue ius denegare non posset, Senatus suffragiis eum Regem, pœnis in eos qui in sacras leges deliquissent, constitutis subiectum pronunciarit. In ea re solum, Pontificem Franciscus Rex læsit, quod, potius vt suis, quam sibi satisfaceret, vt tres Cardinales crearet rogauit. quod Pontifici non modo quia Cæsaris Orator repugnabat, verum etiam quia & ad futurorum Pontificum creationem, & ob contumacias quæ se viuo exoriri possent, Gallicæ genti in qua tunc sex erant Cardinales tot alios addere, ipsi res magni momenti videbatur, molestissimum erat: nihilominus id minoris mali gratia concessit, ac præter hos Albanæ Ducis fratrem quoque, cui prius id promiserat, ad eandem dignitatem promouit. In cæteris omnibus amicissimi, atque in mutua fide inter se manserunt.

Franciscus Galliæ Rex in colloquio cum Pontifice nihil in Anglicausa efficere potuit.

VI. De Regis Angli negotio, locupletiora habet Nicolaus Sanderus, quæ operæpretium est hic adiungere. Scribit ergo.

Hocipso tempore, Carolus Cæsar periculosissimo bello in Germania occupabatur. Solimannus enim Turca, intellectis Christianorum Principum discordiis, & maxime Germanorum propter religionem, appropinquabat Germaniæ cum exercitu quingentorum millium, quorum trecenta mil ia equites erant: iamque plusquam triginta millia Christianorum per Vngariam, Mæsiam & Austriam in captiuitatem redegerat. Et sane periclitari videbatur vniuersa Europa, nisi Carolus maturè se opposuisset, adiutus egregiæ Clementis Papæ pecuniis, quas ad castra vsque misit per nepotem suum Hippolytum Medicem Cardinalem Legatum. Qua temporis occasione vsurus Henricus Rex Angliæ, Catetum petit, ducta secum clanculum Anna Bolena: sciensq; Regem Galliæ exulceratissimo esse in Cæsarem animo, propter recentis pacis Cameracensis conditiones, quib. filios suos nonnisi ingenti soluta pecunia receperat, colloquium cum eo magno apparatu init, loco certo inter Catetum & Boloniam maritimo cõstituto; ibiq; omnib. artibus Franciscum incendit, vt Carolum iã occupatum, bello adoriatur: qua in re illum difficilem nõ inuenit. Hoc solum impedimenti erat, quod eam rem Pontifex illo tempore non nisi iniquissime accepturus videbatur. Hortabatur autem eum Henricus, vt aliquo terrore Pontificem ad ipsorum partes pertrahere conaretur: quod ille se facturum promisit, statimq; duobus Cardinalibus Gallis, Turnonensi & Tarbiensi, decreta est ad Papam legatio, cum mandatis asperrimis vtriusq; Regis nomine, nisi volũtati eorum assentiretur. Franciscus tamen clam eos admonuerat, vt humanius omnino suo nomine agerent, & suauitate potius quam minis Pontificem mouere conarentur: nominatim vero matrimonium proponerent Catharinæ Medices, Laurentij iunioris filiæ, cum Henrico Duce Aurelianensi secundo Francisci filio, quod postea secutum est. Interim Henricus Franci-

Henricus VIII. Anglus Gallũ contra Carolum V. concitare conatur.

cum omnibus modis vrgebat, vt in contemptum Pontificis, Gallicano Clero decimas sua autoritate imponeret, vt aliquid saltem in offensionem Pontificis fecisse diceretur. Ipse autem Henricus statuerat, eo ipso in loco, & in illo conuentu, summa cum celebritate Annam Bolenam in vxorem ducere; nisi inopinatus nuntius de Solimani regressu, & Cæsaris in Italiam aduentu, illas cogitationes repressisset, & Francisci cum minus promptum ad Henrici consilia sequenda repressisset.

VII. Reuersus ergo in Angliam Henricus, & ira feruens, voluit tamquam robustus venator, primogenitos regni cœlorum filios, hoc est Christi Sacerdotes, omnemque Domini præcipuam sortem suo imperio subiugare. Re itaque cum priuatis quibusdam Consiliariis, quos voluntati suæ assensuros sciebat, communicata; per nouam calumniam cuiusdam præuaricatæ legis, quam Anglicè *De præmunire* appellant, inaudita quadam tyrannide litem vniuerso Clero intendendam curauit; qua ob Legatorum nimirum Pontificis Romani, qui paulo antea in Anglia fuerat, externam (vt tunc cœptum est dici) potestatem, contra placitum Regis agnitam & propugnatam, Clericorum totius regni bona in commissum cecidisse, fiscoque Regis obnoxia esse pronunciabantur. Cuius iniquissimi oneris terrore, Clerus omnis depressus, atque ad terram vsque deiectus (nam omnibus omnino bonis ac fortunis, quin & libertate omni priuandus, & perpetuis carceribus iam tunc adducendus erat) cum quid vltra faceret aut sperare non haberet; à nobilitate laica desertus, & ab Archiepiscopis suis Metropolitanis, à quibus propugnari debuit, proditus, (nam & Cranmerus Cantuariensis, & Leius Eboracensis, cui Henricus paulo ante eum Primatum contulerat, cum Rege in hoc ipsum conspirauerant) reliquus Clerus resistendum non esse ratus, victas manus dedit, herbam porrexit, conculcari se tamquam infatuatum salem permisit.

Idem Clerum Anglicanum opprimit.

VIII. Indicto igitur confessu quodam pro necessitate præsentis temporis, pene omnes omnium Ordinum Clerici vna voce Regi supplicarunt vt aureorum quadringenta millia, quæ ad criminis commissi expiationem suæ Maiestati offerebant, benigne accipere, reliquamq; pœnam eis remittere & condonare dignaretur: idq; pro summa illa potestate, quã in regno suo eum tam in Clerum quam in reliquum populum habere, iamprimũ fatebantur. Ex qua dicendi formula artificio Regiorum Consiliariorum expressa, primam occasionem sumptam aiunt, vt Rex supremum caput Ecclesiæ Anglicanæ postea diceretur. Iam etiam passim iactabatur in ore pessimi cuiusq;, nihil Romano Pontifici cum regno Angliæ negotij esse nisi Regi videretur aliquid ei potestatis in eo regno concedere. Nam alioquin omnem animã debere potestati Regiæ subditam esse, nec solum in ciuilibus, verũ iam quoq; in spiritualibus cautis. Et hæc quidem omnia excogitata, fuscepta & disseminata sunt, ne Rex absq; autoritate legitima vxoré repudiasse putaretur. Quæ cum viri nonnulli graues viderent, animoque iam prospicerent, quò essent hæc omnia tandem proruptura; paulatim nitebatur, aulæ se & negotiis publicis subtrahere. Inprimis Thomas Morus vir omni genere virtutum præcellens, tempestates imminentes non solum mente præuidit, verũ etiam particulatim suis prædixit, eodem plane modo quo postea acciderunt. Is ergo cum iã summus regni Cancellarius ad tres fere annos fuisset, Regẽ adiit, suæq; senectutis ac laborum, quib. in cõfutandis hæreticis distinebatur, excusatione vsus, supplex rogauit, vt cum Regis bona venia abdicare se magistratu liceret. Cui Rex assensit: licet nõ ignoraret quam ob causam illud Morus petiisset. Sed vti voluit Rex alio viro in illo summo magistratu, qui esset futurus ad sua desideria parator. Constituit ergo Cancellariũ Thomam Audlæum, hominem mediocris fortunæ & valde tenuem. Sed vt haberet vnde dignitatem splendide tueretur, dedit illi Rex monasterium integrum vna cum Ecclesia, ædificiis & reditibus omnibus, Londini constitutum, cui nomen fuit Ecclesia Christi; Religiosos autem omnes illius loci, qui Canonici erant Regulares, in alia monasteria eiusdem Ordinis distribuit. atque hoc primum indicium extitit inali affectus Hérici erga Religiosos.

Clerus Anglicanus regi ingẽtem pecuniam pro criminis expiatione offert.

IX. Cum autem hæc & alia ad aures Pontificis Clementis perlata essent, simulq; didicisset ex Cardinalibus Gallis (quos supra vtriusq; Regis nomine Legatos ad ipsum missos diximus)

Clemens VII. Pontifex Angliæ Regem à proposito diuortio deterrere frustra laborat.

quam impotenter in Annam Bolenam affectus esset Henricus, & quod nihil esset dubij, quin eam breui etiam publice duceret; Pontifex pro paterna sua solicitudine ingentè primo dolorem animo concepit: deinde statuit litteris iterum Henricum tentare; iam enim antea non semel cum priuatim admonuerat, ne præcipitem se ferri in hac causa sineret; expressè etiam prohibens, ne quicquam in prioris matrimonij præiudicium pendente adhuc lite faceret. Nunc autē aliis litteris, iisq; magis publicis, Regi præcipere pro sua autoritate sub anathematis pœna statuit, ne vlterius progredi interminata lite tentaret: Id quod fecit in forma Breuis, quo res est testatior. At Henricus, cuius animus impudicis Annę amoribus iam immersus fuit, tantum aberat, vt hoc vel patris consilio, vel iudicis præcepto à proposito desisteret, vt ardentius multo quam antea in libidinē suam prorueret. Cumq; iam nihil aliud ad nuptias cum Anna Bolena contrahendas deesset, præter publicā sententiam diuortij; hanc Rex cum à Pontifice Romano sperare non posset, à Cranmero suo breui pronūciandum certò sciens, Annam Bolenam ipsis Cal. Septembb. 1532. Pembruchi Marchionissam constituit, ne parum nobilem personam duxisse videretur. Ad decimum vero & octauum Calend. Decembris proxime sequentis, Rex longioris moræ impatiens (quam quā omnia necdum rite disposita essent) omnino constituit cū Anna Bolena occultas nuptias contrahere; nuptias quidem, q̄ alias illa sui corporis potestatem Regi facere nollet; occultas vero, quod nondum à Catharina per aliquam vllius omnino iudicis sententiam separatus esset. Rolandus ergo quidam tūc Presbyter (quem postea Rex propter hoc obsequium in Episc. Lichefeldiensem cooptauit) accersitur, ac rem diuinam facere iubetur. Ei Rex narrat, sentētiam Romæ iam tandem secundum se pronunciatam esse, factamq; sibi esse potestatem nouam vxorem ducendi. Rolandus Reges nō solere mentiri arbitratus, primum siluit; mox religione tactus, spero, *inquit*, Maiestatem tuam habere diploma Pontificium. Annuente Rege, vertit se ad altare; cum ecce adhuc dubius & timens ne quid illicitum cōmitteret; Omnino, *inquit*, Sacri Canones postulāt, nostraq; valde interest, vt litteræ Pōtificis palam legantur & promulgentur. Tum Rex, habere quidem se litteras affirmat, sed reclusas esse in secretiore loco, nec ab alio præterquam à se afferri posse; parum autem decere, vt eo tēpore (nec enim adhuc illuxerat) solus prodiret. Acquiescit Rolandus, atq; ita completis ceremoniis, Henrico secundam vxorem tradit, prima non solum viuente, sed etiam per nullam omnino autoritatem, in vllo hactenus iudicio Ecclesiastico vel specietenus interpositam, repudiata.

Henricus VIII. Angliæ Rex lōgioris moræ impatiens Annā Bolenam ducit ac Catharinā in vxorem accipit.

X. Impedimentum vero, cuius prætextu Henricus Catharinā repudiabat, tum in illam non omnino, tum in Annam Bolenā certissimo cadere, idem ipse Henricus exploratè sciebat. Nam eo statu rerum posito qui tunc erat, certū est, nonnisi duplex impedimentum interuenire potuisse, cur Henricus Catharinam ab initio nō posset ducere. Alterum esse poterat affinitatis, si Arthurus Henrici frater Catharinā cognouisset; alterum fuit iustitiæ publicæ honestatis impedimentum. Illud non interuenisse Rex Henricus probe sciebat. Nam Carolo Cæsari fassus est, se Catharinam adhuc virginem cognouisse; idq; ipsum & Catharina sancte semper iurabat: & res ipsa verum fuisse contestata est, cum & Henricus Septimus grauem matronam in eodem lecto apposuerit, ne Arthurus Catharinam cognosceret; & tanta fuerit in recente adhuc Arthuri pubertate infirmitas & inualetudo, vt etiam si maxime conatus fuisset Catharinam cognoscere, tamē vna caro facti non fuissent. Vbi autem carnalis copula non interuenit, affinitas nulla cōtrahitur. Et quamquam contracta fuisset, tamen per authoritatem Clauium regni cœlorum, id impedimentum ob maius publicæ pacis bonum rite atq; ordine sublatum extitit. Neq; enim illa in Leuitico de non ducenda fratris vxore, vt doctiorib. quibusq; placet, moralis est præceptio ex ipso naturæ iure desumpta, sed iudicialis tantum, vt plæraq; alia in illo libro, illis temporibus consentanea. Et quomodocunque sit, ita ne tunc quidem illud fuisse indispensabile manifestum est, vt in ea ipsa lege Mosaica, non modo permissum, sed etiam præceptum fuerit. Impedimentum igitur affinitatis nec vllum inter Henricum & Catharinam fuit; & quamquam aliquid extitisset, per claues Petri recte sublatum erat.

XI. Iam vero iustitiæ publicæ honestatis impedimentū, quod solum restat, cum (vt inter omnes constitit) non diuini aut naturalis, sed tantū Ecclesiastici iuris fuerit, ne Henricus quidem aut aduocati eius negabant, potestatem Clauium Petri satis virium ad illud auferendum habuisse. Cum igitur nec affinitas illa fuerit, & impedimentum iustitiæ publicæ honestatis, per Iulij Pontificis diploma idoneè ablatum constaret, nihil iam obstabat, quo minus Catharinam Rex Henricus & ducere posset, & retinere deberet. Nam si quis ipsum Dei præceptum obstare dicat, q̄ fratris vxorem duci prohibet, quamquam expedita sit responsio, idem ius diuinum nominatim illam exceptionem addidisse, *Præterquam si frater absq; liberis defunctus esset*, (vt in nostra causa contigit) tamen illud etiā prætermitti non debet, quod verba diuini iuris in eodem ipso loco, talem rationem & prætermittunt, & vbiq; adiungunt, quæ totam Henrici causam labefactat. Sic enim legimus. *Omnis homo ad proximam sanguinis sui non accedet, vt reuelet turpitudinem eius.* Et post pauca: *Turpitudinem vxoris fratris tui non reuelabis, quia turpitudo fratris tui est.* Vxor enim fratris nō ob aliud prohibetur duci, quam quod per copulam carnalem affinis alteri fratri iā prius facta sit. Quę enim fit vna caro cum fratre meo, ex ea re tam propinqua sanguinis mihi fit, quam frater meus, qui mihi proximus sanguinis est, in primo nuptiarum gradu. Quamquam igitur concederemus, & Deum eo in loco non tantum de illicito coitu, sed etiam proprie de nuptiis agere (quod multis secus videtur) & per vxorem fratris, non solum viuentis fratris (vt Augustino in Leuiticum visum est) verum etiam defuncti fratris vxorem intelligi; & præterea legem illam non ceremonialem esse, sed iuris etiam naturalis conclusiones quasdam explicare; tamen cum ratio legis non semel expressa fuerit, semperque sanguinis proximitatem vrgeat, quæ vel per cognationem, vel per carnalem copulam (vnde paritur affinitas) acquiritur: nulla vero aut cognatio, aut affinitas inter Henricum & Catharinam contracta fuerit, quia frater Henrici eam non cognouit; vtique efficitur, vt diuinum ius nullo modo prohibuerit Catharinam Henrico nubere.

XII. At contra, certissimum erat inter Henricum & Annam Bolenam, verum affinitatis impedimentum interuenisse, idque ipsum Regem non ignorasse; eo quod Clementi Pontifici per litteras suas confessus sit, se Mariam Bolenam Annæ sororem vterinam cognouisse. Ex qua carnali copula, Henricus toti familiæ Bolenorum factus est affinis seu proximus sanguinis. Nam vt Paulus ait, *Qui adhæret meretrici, vnum cum ea corpus efficitur.* Cum igitur Maria Bolena fuerit proxima sanguinis Annæ in primo gradu, nempe vterina eius soror; Henricus qui fuit vnum corpus cum Maria, factus est etiam proximus sanguinis in primo gradu fratribus & sororibus Mariæ, & ex consequente, Annæ. Mera igitur ludificatio fuit, cum is qui tantas turbas excitasset, vt à Catharina tamquam ab affine sua, cum verè affinis non esset, disiungeretur, nunc non timeret ad affinem suam accedere; & qui negabat Pontificis claues posse sacere, vt Catharinam retineret, nunc, sine vllarum clauium autoritate, imo contra illarum autoritatem, Annam affinem suam in primo gradu duceret. Frustra itaque Rex contra stimulum calcitrauit, Deus hypocrisin illius detexit, & adulterinum cor illius toti mundo reuelauit. Quid vero quod idem Rex Henricus etiam matrem Annæ Bolenæ prius cognouerat, vt antea explicuimus? Ex qua sane copula tale affinitatis genus inter Henricum & Annam intercessit, qualis est consanguinitas inter parentes & liberos. At pater filiam suam ducere in æternum prohibetur, quia inter ascendentes, & descentes nullæ vmquam nuptiæ permittuntur; propterea q̄ in nuptiis est summa æqualitas & paritas (vnde Eua ex latere Adami sumpta est) cum interim liberi parentes honorare debeāt, sequè illis tanto inferiores agnoscere, vt numquam sint referendo; & ideo nec illis quidem vlla ratione exæquari possunt. Itaque vt Henricus Annam Bolenam, eius mulieris quam semel cognouerat filiam duceret, res longe difficilioris dispensationis fuit; propterea quod hoc affinitatis genus, ipsam nuptiarum essentiam propius attingere videtur, quam vt in eo dispensari omnino deceat; maxime si concubitus matris sit multis manifestus. Quare cum Henricus contra naturæ quodam modo legem, post matrem Annæ Bolenæ cognitam,

ausus sit filiam in vxorem accipere; valde impudenter obtendit, se non ausum esse Catharinam retinere, ne in Deum peccaret: magis autem impudenter etiam prætexuit, se credidisse, quod Pontifex autoritatem non habuerit Catharinæ nuptias permittendi. Sed adhuc pergamus. Cōstat ex iis q̄ diximus, non obscuris indiciis ipsi Henrico reuelatum fuisse, q̄ Anna Bolena esset ipsiusmet Henrici filia, & tamē eam duxit; Is videlicet, qui timuit sui fratris absq; liberis defuncti vxorē, à fratre suo minime cognitam retinere. Incredibilis quidem audacia, inaudita hypocrisis, non ferenda libido. Sed tamen vnius hominis propria fuit hæc audacia, hypocrisis propria, & libido propria. Nec tantopere mirandum est, si aut homo peccet, aut, cum in profundum venerit, contemnat. Illud est mirandum, illud stupendum, si homi um infinita millia, non suam, sed alienam libidinem & hypocrisim, non tantum æquo animo ferant, sed etiam suspiciant, laudent, colant, & ita colant, vt supra hoc fundamentum, fidem, spem, salutemque suam ædificent. Omnes enim Anglicani Protestantes, Lutherani, Zwingliani, Caluinistæ, Puritani, & Libertini, cæteræque omnes hæreticæ pestes, quibus Anglia misere periit, has turpissimas & incestuosas Henrici & Annæ Bolenæ nuptias adorant, velut fontem Euangelij sui, matrem Ecclesiæ suæ, originem suæ fidei. Iampridem Caluinista quidam Anglicanus, Londini duos libros edidit, eosque tum Elizabethæ Reginæ, astante Pseudoepiscopo Canthuariensi Matthæo exhibuit, tum etiam apud Ioannem Dayum typis mandauit, in quorum posteriore de Henrici & & Annæ matrimonio agens, hæc habet verba: *O vere beata, & non sine summo numine conciliata nuptia, cælestisque partus ac progenies, quibus Patria à seruitute & caligine profusquam Ægyptiaca erepta atque liberata, & ad verum Christi cultum restituta est.* Hæc ille.

XIII. Nemo iam miretur, aut Caianos olim fuisse qui homicidam Cain adorarent, velut ex potenti virtute pr ocreatum; aut Ophitas, qui (vt Tertullianus ait) magnificarent serpentem qui primos parentes in paradiso decepit, velut autorem scientiæ boni & mali. Nam quid tandem olim factum credi non potest, cum hodie videamus tot millia hæreticorum, nuptias patris cum filia propria adorare? Isti liberationem suam ex seruitute plusquam Ægyptiaca his nuptiis acceptam ferunt; isti verum cultum Christi per has nuptias restitutum gloriantur. Verum quidem est, per has nuptias aditum Anglis patefactum esse ad omnem hæresim, omnemque nequitiam. Sed ô immensam Dei bonitatem: qui, quod hæreses Anglorum non alio partu quam per tam nefandas nuptias in lucem exire permisit, eo ipso declarauit, illas turpissimarum tenebrarum filias esse, nec aliter quam per opera tenebrosa procreari potuisse. Oportuit filiam cum patre, sororem cum fratre commisceri (nam & hoc Annam Bolenam perpetrasse paulo post constabit) vt pulcher iste partus fieret, à quo Anglicanæ hæresis fundamenta constituerentur, & noua Ecclesia Anglicana non iam ex sanctissimo Christi latere, vt Catholica, sed ex impuris meretricis lumbis profecta, stabiliretur.

Magnus concursus omnium ordinum Annæ Bolenæ gratiā ambitiū fit.

Catharina Henrici VIII. vxor à cohabitatione mariti in villā quandam sola secedit

XIV. Sed iam pergamus in eo quod instituimus. Cum Anna iam Henricus vt vxore legitima palam fere vteretur, Serenissima Catharina non tantum à thalamo Regio, vt antea diu, verum etiam à cohabitatione Regisque palatio excluditur; quæ in villam quandam cui nomen erat Cimbalthon, in prouincia Bethfordiensi, locum minus salubrem tribus tantum ancillis, paruaque familia comitata secessit; ibique orationibus, ieiuniis, aliisque sanctis operibus, dies noctesque se exercuit; Deum etiam obsecrans pro salute adulterorum quos in aula reliquerat. Quod cum populus animaduertisset, nec vlli mortalium iam amplius esset dubium, quin Anna Reginæ locum breui esset habitura; incredibile fere dictu est (nisi quod hæc sit mundi perpetua consuetudo) quantus statim omnium Ordinum concursus, ad Annæ gratiam ineundam fieret; alij quidem, vt per eam à periculis imminentibus se tuerentur, in quibus erant Sacerdotes & Abbates nonnulli; qui ideo Annæ inseruire, & ei à sacello esse cupiebant, vt bona Ecclesiastica, ac Monasteriorum, quibus iam tum valde timere incipiebant, per ipsius authoritatem & patrocinium conseruarent: sed res ex votis non successit, neque ad hoc idoneum erat Annæ patrocinium, quamuis illa omnibus omnia promitteret. Alij autem, iique multo maxima pars, ideo confluebant, vt ex rebus nouis ac perturbatis crescerent. in his erant primi, qui Lutheranam hæresim (cui etiam Anna clanculum fauebat) sectabantur. Itaque statim Henrici aula eiusmodi hominibus completa est; qui sacra omnia ridere, Sacerdotibus illudere, Religiosorum vitam in contemptum adducere, Ecclesiasticorum diuitias ac potentiam carpere, ridiculas de Monachis fabulas fingere, & super omnia Pontifici Romano detrahere, inuidiamque facere solebant; & qui in his se petulantissimos & audacissimos præbebant, ij primas apud Annam, & per eam etiam apud Regem obtinebant. Inter cæteros, quos Anna his initiis Regi commendauit, fuit Thomas Cromuelus, homo vafer, crudelis, ambitiosus, & auarus, hæresi etiam deditus, eaque de causa vniuerso nomini Ecclesiastico infestus. Hunc Henricus vt hominem Annæ gratum, & suis consiliis ministrum aptissimum, sociare statuit Thomæ Cranmero Archiepiscopo, & Thomæ Audlæo Cancellario, vt post Thomæ Volsæi, qui non ita pridem diem obierat supremum, conatus, per illum quasi Trium viratum, ex sua sententia singula gererentur. Primo igitur illum seruiis Regius præfecit; deinde sibi à secretis constituit; postea Equitem auratum & Baronem, deinceps Essexiæ Comitem creauit, magnum etiam regni Camerarium & figilli secreti Custodem, ac postremo, non solum primum suorum consiliariorum in rebus ciuilibus, verum etiam Vicarium suum Generalem in causis Ecclesiasticis & spiritualibus effecit: adeo vt vniuersa Respublica non minus fere iam in Cromueli, quam antea in Volsæi potestate constituta videretur: vt quatuor Thomæ numerentur, Volsæus, Cromachus, Cranmerus, Audlæus, qui rem Anglicanam perdiderunt.

XV. Hanc opportunitatem nacti hæretici, nihil quicquam sibi prætermittendum existimarunt, quo iam per tam illustrium fautorū patrocinia causam suā promouere possent. Totius a negotij momentum in eo maxime positum esse iudicabant, vt Regem ipsum, quem iam à Pontifice Romano alienum, & hæresi ab Anna aspersum sciebant, in Clerum suum Anglicanum, cui ex Actis superioribus infensum iam intelligebant magis magisque incenderent, atque inflammarent. Cuius rei causa, spargebant indies in vulgus, ac per aulas Principum disseminabant, libellos plurimos famosos, fraudis, impietatis, & nequitiæ plenissimos, quibus inuidiam & odium Ecclesiasticis conflarent; & in iis, vnus Henrico ipsi exhibitus fuit cuius erat inscriptio; *Libellus supplex mendicorum.* In quo post amplificatam Rhetoricisque figuris inuidiose exaggeratam verorum pauperorum ac mendicorum, cum insignem multitudinem, tum extremam indigentiam; vniuersam totius mali causam in mendicos quosdam robustos ac ociosos coniiciebat, quos appellabat Pontifices, Prælatos, Archidiaconos, Decanos, Canonicos, Parochos, Præbēdarios, Abbates, Monachos, Moniales, ac Fratres Mendicantes, quorum artificiō in mendicando, & Purgatoriarum pœnarum prætentione (quas tamen certe nullas esse dicebat) plusquam mediam partem bonorum totius Angliæ absorberi, & alios omnes mendicos debiliores, ad extremam miseriam redactos esse, affirmabat. Proinde mendicorum omnium nomine, suam maiestatem suppliciter rogabat, tamquam supremum Dei in terris ministrum, pauperumq; patrem, vt veros Christi pauperes à Pontificib. derelictos, & a Pontificis oppressos, pro sua iustitia ac misericordia subleuaret: quod illa ratione optime ac facillime fieri posse dicebat, si ex iustitię distributiuę præscripto, vnicuique generi hominum, quod iustum esset assignaretur; quo fieret, vt cum Clerus Anglicanus, ducentesimam partem aliarum personarum regni non æquaret, mediam autem partem diuitiarum omnium possideret; centesimam tātum partem eorum quæ habebat, permittendam ei esse, & nonaginta nouem auferendas, fiscoq; Regio applicandas, quib. reliquos pauperes suo Rex arbitrio sustētaret. Ex parte deinde Omnipotentis Dei, supplicabat suæ maiestati hic pauperum Procurator, vt hanc etiam centesimam partem, quam aliqua iustitię ratione ad Ecclesiasticos pertinere dixerat, tam diu Rex apud se retineret,, quousq; Clerici Monachiq; præceptū illud Dei in Genesi positum exequantur, quo iubentur, *In sudore vultus comedere panē*: quod si facere detrectent, tunc nō solum etiam hac parte priuādos esse, verum etiam pœnis grauissimis castigandos

Lutherani se apud Regem Angliæ insinuant.

gandos. Hæc ille. Et quamquam ſanè nemini fere eſſet dubiū, quin hæc & huiuſmodi, vel approbante, vel conniuente Rege ipſo diſſeminarentur, Cromuelo autem cæteriſq; conſiliariis non obſcurè fauentibus; viſum eſt tamen viris bonis operæ pretiū, his initiis aliquo modo obſiſtere, ne hætetici audaciores facti, palam debacchari ac dominari inciperent. Cū autem nemo ex Clero ſententiam ſuam commode interponere poſſet, ne cauſam propriam agere videretur;

Thomæ Mori libellus ſupplex animarum in purgatorio.

Thomas Morus laicus rem in ſe ſuſcepit, librumq; doctiſſimum ac prudentiſſimum ſcripſit, quem, vt ad hæreticorum libelli inſcriptionē alluderet, *Libellum ſupplicem animarum in Purgatorio*, appellabat. In hoc, detectis primum hæreticorum fraudib. ac mendaciis, quibus viam erroribus ſuis aperire ſolent; (quo etiam loco, vniuerſa illla mala, quæ poſtea ab iis initiis ſecuta ſunt, prædicebat) confutatis etiam infinitis maledictis falſiſſimiſq; calumniis, quibus impij iſti obtrectatores ſortem Domini, id eſt Clerum iniquiſſime onerabant; demonſtrat primo loco poſſeſſiones alioſq; Cleri reditus, multis partib. minores ac pauciores eſſe, quam iſti ad inuidiam excitādam affirmant. Deinde non ſolum pie, verum etiam neceſſario hos reditus à maioribus Catholicis aſſignatos fuiſſe, ad cultum Deo perſoluendum perpetuo. Præterea rempub. ſine his conſtare non poſſe; nec ſolum Clericos, ſed laicos etiam infinitos, qui vel Clericis inſeruiant, vel ab iis dependent, his reditibus ſuſtineri; pauperum omne genus, ab Eccleſiaſticis maximam eleemoſynarum partem accipere; hoſpitia, collegia, monaſteria, xenodochia, cæteraque pietatis opera ac pauperibus refugia, ab his præcipue erecta fuiſſe, opibuſq; ornata. Deniq; Cleri opes verè eſſe theſaurū pauperum, non ſolum in hoc mundo, verum etiam in futuro, latiſſimè grauiſſimeq; contra hæreticos probat Morus; nec vllus poſtea de hoc ei argumento reſpondit.

XVI.

Anna Bolena Regē ad iuramentū ab Eccleſiaſticis petēdum impellit.

Anna tamen & Cromuelus, cæteriq; Cleri hoſtes, qui quieſcere Henricum non patiebantur, ſed inito Concilio Regi ſuggerebant, non mediocriter ad eius negotia expedire, vt in illis ipſis Comitiis quæ tunc habebantur, iuramentum exigeretur ab Eccleſiaſticis omnibus; quo eandem ſuæ Maieſtati, quam antea Romano Pontifici conſueuerant, obediētiam promitterēt. Hinc n. fore dicebant, vt Cranmerus ſolutior iam factus ab obedientia Pontificis, & maioti vinculo Regiæ Maieſtati adſtrictus, liberius ſententiam ſecundum Regem pronunciaret. Placuit Henrico vehementer cōſilium; ſed quia res noua & inaudita erat, vir aliquis magnæ apud Clerum autoritatis, qui eam proponeret, deligendus videbatur. Nullus ad eam rē tam idoneus viſus eſt, quam Ioannes Fiſcherus, Roffenſis Epiſcopus, qui vnus omnium facillime propter ſummam autoritatem negotium poſſe conficere credebatur, ſi in ſe illud ſuſciperet: Sin autem abnueret, grauiſſimam Regis iram ſuſtinere neceſſe eſſet; quod Anna ſummopere cupiebat. Valde enim oderat Roffenſem Anna Bolena, ex eo tempore quo ille Catharinæ cauſam tam acriter apud Legatos Pontificis defenderat, quemadmodū ſupra cōmemorauimus. In cuius etiam rei vltionem, non multis inde mēſibus, coquum quendam Richardum Riſeum, propoſita mercede conducendum curauit, qui veneno tolleret Roffenſem. Sed cum Riſeus non alia ratione id facere tentaret, quam vt ollam communem, in qua pro vniuerſa Epiſcopi familia iuſculum coquebatur, inficeret; (ſciebat enim Epiſcopum communib. cibis inter ſuos veſci ſolitum) diuina prouidentia factū eſt, vt eo ipſo die quo in ollam venenum eſt iniectum, Roffenſis præter ſolitum in triclinium non veniret: famuli autē qui illi prandio interfuerunt, ſtatim correpti, fere omnes expirarunt, & Riſeus confeſſione ſua proditus, publice ſupplicio affectus fuit, vnde & maius deinde exarſit Annæ Bolenæ odium in Roffenſem.

XVII. Vt ergo ad rem redeam; denunciata Roffenſi Regis volūtate, & quid eum facere vellet: etſi perinuitus rem audiuit, animoque mœſto excuſaret, (ſciebat enim, è quo fonte hæc omnia emanabant) tamen cum Rex vehementiſſime perurgeret, nullamque excuſationem, aut dilationem admitteret, diceretque hoc experiundi cauſa poſtulare, quo cerneret ſi Clerus tam male affectus in ipſum eſſet, quàm multi affirmabant; adiiceretque præterea ad tollendum omnem conſcientiæ ſcrupulum, non alia ratione hoc obedientiæ iuramētum exigi ab Eccleſiaſticis, quam vt explicatè adiungeretur, eouſq; illos iurare, quātum ipſis per Dei verbum, permiſſum eſſet ac licitum: Ex altera etiam parte, cum Roffenſis animo perpenderet, immenſam iræ Regiæ tempeſtatem vniuerſo Clero impendentem, niſi hac in re illi ſatisfieret; ſperaret autē proceſſu temporis Regis animū amoris Annæ pertæſum, reuocari poſſe ab hoc incæpto, cum viri doctiſſimi & Epiſcopi non eſſent defuturi, qui ipſum docerēt hoc nulla ratione permitti, aut licere; his inquam aliiſq; multis rationib. inductus ac deceptus Roffenſis (de quo poſtea ſæpiſſime grauiſſimeq; doluit) neceſſitati præſenti cedendum ratus, perſuaſit reliquis qui firmiores adhuc erant in Clero (nam pleriq; iam Archiepiſcopis Cranmero & Leio, huic Eboracenſi, illi Cantuariēſi, qui ambo Regis negotium promouebant, adhæſerant) vt ſaltem, cum exceptione illa prædicta (*Quantum per verbum Dei liceret*) obedientiam Regi in cauſis Eccleſiaſticis ac ſpiritualib. iurarent. Cuius facti Roffenſem, poſtea vſq; adeo pœnituit, vt publicè ſe incuſans diceret, ſuas, id eſt Epiſcopi partes fuiſſe nō cum exceptione dubia, ſed apertè & diſertis verbis cæteros potius docuiſſe, quid verbū Dei permitteret, quidue prohiberet, quo minus alij in fraudem incurrerent: nec vmquam ſibi deinceps peccatum hoc ſatis expiaſſe videbatur, quouſq; proprio ſanguine, hanc maculam eluiſſet. Rex tamen hac ratione obtinuit, quod expetebat. Quibus rebus ſic conſtitutis, Ordinumq; ſuffragiis ſtabilitis, iā opportunū tempus aduenerat, in quo Crāmerus à Rege, vt ante diximus, conſtitutus ad hoc ipſum Cantuarienſis Antiſtes, iuramenti religione quod Pontifici Romano præſtiterat, profanorum comitiorum autoritate, vt videbatur, ſolutus, nouoq; Sacramento Regi colligatus, liberè poſſet etiā cōtra Rom. Pontificis pſcriptum, diuortij ſententiā inter Henricū & Catharinā pronunciare. Is igitur ex Hērici arbitrio certos Epiſcopos, Procuratores, Aduocatos, & tabelliones vna ſecū ducens, ad pagū Dunſtablenſem ſe contulit, qui proxime abeſt à Regia villa Amptilēſi, in qua eo tempore degebat Sereniſſima Catharina; quam ſæpius in ius vocatam, vbi per quindecim dies fruſtra expectaſſet, ad ſententiam diuortij ferendam ſe præparat, cum prius Regem velut à diuortio aliquantulum abhorrentem (ita enim vt faceret, inter ipſos cōuenerat) admonuiſſet, ne fratris defuncti vxorem contra leges Euangelij diutius detineret: Niſi obediret, ſe quamuis inuitum, tamen pro miniſterio quod in Eccleſia Dei gerebat, compelli, vt cenſuris Eccleſiaſticis in Regē ageret. Mira dicendi libertas in ſubdito, inquiebant adulatores Regij. Iam vere videmus, quantum inter Papiſticam Religionem, & ſincerum Dei Euangeliū interſit. Hic Epiſcopus niſi ex Deo eſſet, Regem ipſum officij ſui tam audacter non admoneret. O diem beatum, qui cęleſtem lucem primus ad nos attulit. Sic illi. Porro tamen Crāmerus ex domo Annæ Bolenæ, ad ſolius actoris arbitrium, ea lege delectus Archiepiſcopus & iudex, vt ſententiam pro diuortio ferret; ne audita quidem altera parte pronunciauit: neceſſitatem iure diuino impoſitam Regi eſſe, vt Catharinam repudiet, & libertatem conceſſam, vt alteram ducat. Cæterum Henricus, qui & iudicem, & ſententiam in manu ſua habebat, quid futurum eſſet probe ſciens: iam ante (vt ſupra cōmemorauimus) & duxerat Annam Bolenam, & cognouerat, & Regi etiam Galliarum per ſecretum Nuncium idipſum ſignificauerat: licet ſolennem nuptiarum pompam, ad quinque deinde menſes, id eſt, in ipſam Vigiliam Dominicæ Reſurrectionis diſtuliſſet.

Anna Bolena Angliæ Regina coronata.

Anna igitur pridie Idus Aprilis, qui dies ſepulto Domino hoc anno 1533. ſacer fuit, publicè deducta, & poſtridie Calendas Iunij proxime ſequentis, Regio diademate, longe inſigniori ac celebriori pompa, quam vlla vmquam antea Regina coronata fuit.

XVIII.

Carolus V. grauiter ob Regis Angliæ diuortium offenſus.

Cum matrimonij huius fama, fines Angliæ egreſſa ad exterorum aures perueniſſet, dici non poteſt, quantum admirationis, doloris, & indignationis, in Chriſtianorum Principum animis excitauerit. Inprimis vero Carolus Cæſar, indigniſſime rem ferens, Pontificem obnixe rogauit, vt pro ſumma autoritate à Chriſto ſibi commiſſa, ad filios petulantes & rebelles caſtigandos, tam inſignem Henrici nequitiam impunitam eſſe non permitteret. Pontifex, quamquam vt rei ipſius indignitate, ſic Caroli etiam iuſtiſſima petitione moueretur, tamen, qua erat ſemper in Henricum indulgentia, rem eouſq; differendam cenſuit, donec iter ſuum in Galliam, quod tunc meditabatur abſoluiſſet. Maximis enim de cauſis Franciſcum Galliç Regem, Maſſiliæ conuenire ſtatuerat, per eumque quod ſumma eſſet cum Henrico amicitia

coniunctus, Regis animum ab Annæ complexu, nunc ſaltem poſt expletam libidinem ſperabat poſſe reuocari. Atque illius quidem rei ſpem magnam faciebat ipſe Franciſcus, quò facilius Pontificem ad colloquium illud Maſſilienſe pertraheret. At vero cum Henrici Oratores Maſſiliam poſtea veniſſent, & in ipſo Pontificis cubiculo audiente Franciſco Rege, tam inſolenter ſe geſſiſſent, vt Pontifici palam obloqui, & ab eius authoritate ad Concilium neſcio quod futurum prouocare nō deſiſterent, tum & Franciſcum Henrici pudere, & Pontificem indulgentiæ pœnitere cœpit. Et Franciſcus quidem Pontifici ſuaſor fuit, vt Henrici cauſam deinceps ex legum Eccleſiaſticarum præſcripto decideret; ſe enim tantum abfuturum ſemper ab hac Henrici inobedientia defendenda, vt eidem ſe conſtanter aduerſaturum profiteretur. Idipſum poſtea reſpondit aliis Henrici Regis legatis, qui vi fœderis auxilium poſtulabāt. *Aliis in rebus omnibus ſe fratris animum Henrico præſtiturum; ſed in iis, quæ contra religionem fierent, non velle cuiquam aſſociari.* Quam piiſſimam Regis Chriſtianiſſimi vocem Polus, qui tunc vixit, copioſiſſime dillaudabat.

XIX. Pontifex igitur expeditis in Gallia negotiis, traditaque in matrimonium Aurelianenſi Duci, ſecundo Franciſci filio, Laurentii Medices iunioris filia, ob pacem inter ipſum & Franciſcum firmandam, in Italiam reuerſus, cauſam Henrici & Catharinæ iterum cognouit, ac diligentiſſime examinauit.

Eliſabetha ex Anna Bolena Henrico naſcitur.

Inter hæc nata eſt Henrico ex Anna Bolena filia, quæ ob innumeras Sanctorum cædes, quæ illius cauſa factæ deinde ac perpetratæ fuerunt, non immeritò *Filia ſanguinis*, à multis fuit appellata. Edita eſt in lucem ſeptimo Idus Septembris, in ipſo profeſto Natalis Beatiſſimæ Mariæ Virginis (quem illa poſtea deleuit è Faſtis) hoc ipſo anno 1533. quo matrem eius Henricus duxerat, id eſt, non totis quinque menſibus poſt ſolennem nuptiarum celebrationem; neceſſe vt fuerit, Annam prius cognitam ab Henrico, vel ab alio fuiſſe, quam publicè duceretur. Et certe non deerant qui hoc ipſo tempore dubitarent, propter notiſſimam Annæ Bolenæ incontinentiam, num proles hæc ad Henricum pertineret. Non enim ignorabatur etiam tum, quam familiariter vteretur Anna amatoribus illis, quos poſtea prodidit, & vna ſecum perdidit. Quam ipſam ob cauſam, Maria Princeps, quæ tum aderat, plurimaque, quæ alios latebant, per matrem matriſque amicos expiſcabatur, nunquam poſtea adduci potuit, vt exiſtimaret, Eliſabetham ſororem ſuam eſſe; hoc eſt, ab Henrico genitam. Baptizandam tamen curauit Henricus Eliſabetham ſummo ſplendore ac celebritate, apud Grenuicum, in Eccleſia Fratrum Sancti Franciſci de Obſeruantia; quod vniuerſo illi Ordini infauſtum fuiſſe deinde videtur; eo quod vndecimo poſt menſe, nihil adhuc contra alios Religioſorum Ordines decreto, omnes illius inſtituti Regulares, per vniuerſam Angliam locis ſuis pulſi fuerunt, Fratribus ſancti Auguſtini in eorum ædes pro tempore ſubſtitutis. Eliſabetha vero, cum poſtea ad regnum perueniſſet, illud ipſum Monaſterium Grenuicenſe in quo baptizata fuerat, à Maria Regina paulo ante reſtitutum, iterum deſtruxit, & ad vſus profanos ſui palatii, cui adhærebat, ædificia deſtinauit. *Nicolaus Sanderus de Schiſmate Anglicano libro 1.*

XX. Aliquis Caluiniſta, in libro Antiquitatum Eccleſiæ Britannicæ, has nuptias nominauit *pias*, ex quibus (vt ille adulator impudens ſcribit) ad diuturnum Anglicani regni imperium atque patrocinium, æternumque Papalis Dominationis excidium, Deo ſacrata Virgo Diua Eliſabetha nata eſt, & à Cranmero poſtea baptizata. Quam autem ſacrata, quæ omnino execranda; & quam Virgo, quæ omni ſcorto ſalacior, fuerit Eliſabetha; ſuis locis narrabimus.

Hic ipſe author narrat, quàm inique, quàm impudenter, & quanta vi, Rex Henricus, ſimul cum pecunia, titulos væſaniæ plenos extorſerit à Clero Anglicano; quem maieſtatis reum fecit; quod Volſæo Cardinali Eboracenſi, (quem tamen ipſe Rex Legatum Apoſtolicæ Sedis creari procurauerat, eique ipſe obtemperauerat) Pontificio Legato obedierit. Ergo narrat. Itaque Clerus Anglicanus, qui Cardinali, vt Romani Pontificis Legato obtemperabat, ob admiſſam receptamque Papæ poteſtatem, actione *de Præmunire* teneri putabatur. Cuius vi proſcribi, & cum bonis atque membris adiudicari debuit, niſi Rex miſertus fuiſſet. Itaque Clerus conſilium iniit, de tam dira pœna redimenda. Rex eò etiam durius voluit mulctari Clerum, quod Papali iuriſdictione, cum à ſuo Regio iure eximi atque vindicari cerneret. Ergo Rex, qui ſolus regnare, nec diuiſum & diſpertitum de Clero ac populo ſuo gubernando cum Papa officium amplius gerere voluit, non alia conditione ablata pecunia redimere Clerum voluit, quam ſi ſe ſolum ſuum, totiuſque populi proxime ac ſecundum Chriſtum protectorem, ſupremumque caput in ea Synodo agnoſcerent. Huius conſilii Cranmerus & Cromuelus clam authores fuiſſe exiſtimabant. Clerus toto iam animo obſtupuit. Nondum enim, quid ſibi hic nouus titulus vellet, aut quorſum tenderet, proſpexit. Sed naſuti quidam olfecerunt rei exitum. Magnæ res; deliberatum diu, procraſtinationes & prorogationes crebæ; diſputatum ſæpius, grauiſſimis pœnis & cenſuris Eccleſiaſticis interminatum eſt omnibus ab Archiepiſcopo, ne Synodi colloquium enunciaretur. Rex per Rupefortium & Cromuelum, Clerum de hoc titulo ſolicitabat, denunciabatque, ſine eo, non remiſſurum ſe vlla redemptione violatarum à Clero legum pœnas.

Henricus VIII. Angliæ Rex ſupremum Anglicanæ Eccleſiæ Caput à Clero declaratus.

Tandem Archiepiſcopus cum exquiſiuiſſet Præſulum de ea re ſententias, ac plerique ſiluiſſent; Qui tacet, *inquit*, conſentire videtur: reſponſumque ilico fuit: Ergo tacemus omnes. Verum poſtea cum neque tutum, neque è grauitate Synodi fere cernerent, ſic illudere Regi; frequentes ierunt in ſententiam his verbis conceptam: Eccleſiæ & Cleri Anglicani ſingularem protectorem, ſupremum Dominum, & quantum per Chriſti leges licet, etiam ſupremum Caput Regiam maieſtatem recognoſcimus. Sed Regi diſplicuit, hanc ancipitem dubiamque mitigationem & moderationem verborum à Cleri ſui Synodo, quæ de Chriſti lege aut certa fuit, aut certa eſſe debuit, tam frigide proferri. Itaque Cromuello ad Synodum iterum nuncio eam aut tolli voluit, aut Clerum incurſas ſanctionum pœnas pati. Omnium igitur mox ſententiis Rex ſine ambiguitate vlla Eccleſiæ Anglicanæ ſupremum Caput declaratus eſt: illeque titulus in publico Cleri inſtrumento, quo prædicta pecunia conceſſa fuit, incluſus, Regique exhibitus eſt. *Auctor antiquitatum Eccleſ. Britannicæ in VVarrhamo.*

XXI.

Clemens VII. à colloquio Galliæ Regis in Italiam reuertens Lauretum adiit.

Sed nos ad Clementem reuertamur. Is Bononia, poſt colloquium cum Cæſare, Romam reuertens, via Flaminia Anconam profectus eſt. Eam vrbem paulo ante per ſimulationem belli Turcici præſidio occupatam, Pontificiæ ditioni recuperarat, redactis in Ordinem Decurionibus, qui arrogantius quam deceret, libertatis nomen præferentes, Pontificum imperia contemnebant. Ea de cauſa ſuſpectos ciues relegandos curauerat, donec arcem loco opportuno conderet, vt ordinata demum Republica nobiliſſimo emporio, ſua libertas non ſoluta ad arbitrium multitudinis, ſed aſtricta æquiſſimis legibus redderetur. Inde Pontifex Deiparæ Virginis Lauretanæ templum adiuit, & ad aram maximam miraculo & voluptate memorabilem ſacra confecit: modiciſque demum itineribus per Recinates & Septempedanos, qui Sanſeuerinates hodie dicuntur, & Camertes in vrbem reuerſus, in ſacri belli contra Turcos ſolicitudinem incubuit. Ineunte æſtate huius anni 1533. crebris nunciis allatum eſt Turcarum claſſem Gallipoli eductam, in Peloponneſum curſum tenere. Nec multo poſt Mendocius, qui Corone in præſidio erat, Petro Toletano ProRegi Neapolitano literis ſignificauit, ſe terra marique vehementer obſideri; ſed egregie defenſurum vrbem ſi alimenta ſuppeterent. Verum capitum omnium inita ratione, nequaquam tantum frumenti, & reliqui commeatus omnino reperiri, vt id tota æſtate ſuffecturum exiſtimaret. Proinde Pontificem & Cæſarem etiam atque etiam monebat, vt ante omnia Græcorum ſtudio, & voluntati, quæ eſſet mirifica deeſſe nollent: Si Coronem defendi vellent, & ad id maiores copias ſubmitterent, facile ſperari, vt Turcæ rebellantibus Græcis tota Pe-

Idem cum Carolo V. ad Coronẽ & Turcis liberandam magnam classem præparat.

loponneſo, paucis exceptis arcibus, pollerentur. Sed ab Auria præſertim maturam opem implorabat; adeo vt quum hoſtilis claſſis apparatum eleuaret verbis, vt certa ſpes paranda victoriæ iniiceretur, etiam eum moneret, vt datę ſibi fidei memoriam retinere vellet. His rebus cognitis Pontifex, auxilia cum Pontificiis triremibus ad Auriam mittit, cui Cæſar præcipit, vt claſſem inſtruat; ad id pecuniam curari iubet, & duodecim triremes, quas Aluarius Bazanius in Hiſpania ædificarat, ſe continuo tranſmiſſurum pollicetur. Igitur coactis circiter triginta onerariis nauibus, & viginti ſeptem triremibus Auria Neapolim venit. Ibi veterani Hiſpani, qui efflagitatis ſtipendiis ab authoritate Vaſtii, Proregisque diſceſſerant, occupataque Auerſa vrbe & fæde directa, magna detrimenta circumiectis Campaniæ oppidis intulerant, perſoluto ſtipendio nauibus ſunt impoſiti, Roderico Macicao duce, qui erat ceſtrorum præfectus. Conſcendit & triremes cum manu nobilium militum Federicus Toletanus, ipſius Proregis filius adoleſcens, vt eo ſacro bello prima militiæ rudimenta deponeret. Vaſtius ipſe, qui ſe iturum dixerat, ſuborto alui proſluuio Neapoli ſubſtitit. Fuere qui srederent dolore contumeliæ adductum potius, quam occupatum morbo, ea expeditione maritima operam præſtare noluiſſe. quoniam nuper Bononiæ dum fœdus iniretur ſibi prælatus eſſet Antonius Leua, articulari etiam impeditus morbo, qui in Italia, ſi bellum ingrueret, fœderatorum omnium eſſet Imperator. Dum hæc parantur Andreas vt Coroneorum animos confirmaret, ne deſperatis auxiliis durius ſibi conſulerent, Chriſtophorum Pallauicinum in familiam Auriam adoptatum, expediti & maxime pugnacis ingenii iuuenem, cum velociſſima triremi Coronem miſit. Is interdiu per mediam Turcarum claſſem directa prora in portum inuectus, obſeſſos ingenti alacritate compluit. Nec multo poſt inſpectis & diligenter exploratis rebus omnibus, vt de hoſtium conſiliis certiora ad Auriam deferret, meridiano fere tempore improuiſus erupit, felici audacia inter medias hoſtium ſtationes elapſus, adeo vt ſpectaculum miraculo proximum cunctis præberet, & perſequentes velis & remis, extento maxime curſu fruſtaretur. At Auria è Neapoli Meſſanam prouectus, vbi de maritimis terreſtribuſque hoſtium copiis, & de apparatu numeroque triremium certius didicit, omnem ſpem & rationem inferendi præſidii in celeritate poſitam ratus, nequaquam expectato ab Hiſpania Bazanio in Græciam curſum intendit. Audiebat enim prædonum acceſſione quotidie adaugeri hoſtium claſſem, Morumque præſertim Archipiratam Alexandrinum expectari, cuius conſilio ac diſciplina præfecti Turcæ in omni eius belli adminiſtratione vterentur. Quum vero Zacynthum veniſſet, docentibus Venetis, aliquanto ampliorem & inſtructiorem quam put[illegible] claſſem hoſtium ad Coronem ſtare cõperit. Nam Luphutbeium Gallipolis Sanzacum, cuius præfecturæ maris imperium eſſe conſueuit, & Solymanum Acarnanem, Morumque ipſum circiter octuaginta triremes coegiſſe, magnumq; numerum propugnatorum ex Ianizerorum ordine in triremes diſtributum eſſe referebant; adeo vt Chriſtianos niſi pleniore vento vterentur, Ottomanicæ claſſi impares futuros eſſe iudicarent; & nonnulli propterea triremes Hiſpanicas omnino expectandas atq; euocandas arbitrarentur. Cæterum Andreas, vt de claſſe ſtationeque hoſtium certius exploraret, Chriſtophorum Auriam cum inſigni ſua trireme ſpeculatum miſit. Is cum Acritem promontorium ſuperaſſet, in proximo ſinu vniuerſam claſſem conſpexit iuxta littus, obuerſis ad terram puppibus longo ordine collocatam; confeſtimque inde perſequentibus Turcis ad Auriam reuerſus, retulit duplo ampliore triremium numero quam antea ad Coronem vidiſſet hoſtes aduectos; coſque ſibi videri non alio conſilio ſub Acrite in ſtatione conſiſtere, quam vt conſligerent, quum noſtri ſuperato promontorio ad Coronem proueherentur. At Auria, qui neque Bazanium expectabat, neque ea multum hoſtilis claſſis amplitudine terrebatur, nihil cunctari, & inſtituti itineris curſum tenere conſtituit. Itaque ſuborientibus Etheſiis, qui venti æſtate pomeridianis horis ab Occidente perflare conſueuerunt, noſtri hoc ordine acie inſtructa Acritem ſuperant, & recto curſu ad Coronem deferuntur. Antecedebant duo maximi galeones; alterum ipſe Auria magno ſumptu ædificarat, alterum pari magnitudine adduxerat Belhomius Siculus. His erat iniunctum, vt in læuam vela conuerterẽt, & quum hoſtium claſſis à littore proueheretur, deiectis anchoris medio inter vtramque claſſem loco conſiſterent: vt quum opus foret, tormenta, quæ erant eximiæ magnitudinis, in aduerſam diſploderent. Hos onerariæ naues plenis velis ſequebantur; in tergo fuere triremes, omnes latiſſima fronte onerariarum agmẽ cogentes: dextrum cornu Pontificiæ Rhodiæque triremes, quibus præerat Saluiatus, læuum Antonianæ hoſti proximum obtinebant; mediam vero aciem ipſe Auria tenebat. Turcæ ad primum conſpectum à littore non diſcedentes procul tormenta emittere, & demum prouehi cœperunt, vt ex propinquo rem gererent, cohortante ante alios Moro, qui audentius in noſtrorum latera, & denique in terga vertebatur. Nam noſtri, quum propoſitum ſuum tenerent, & nonnihil in læuam conuerſis proris recta ad Coronem contenderent, fugæ ſpeciem præbebant, cò præſertim, quod triremes à dextro cornu, metu tormentorum adductæ in altum magno capto circuitu ferebãtur, & pleraque aliæ ex media, Antonianaque acie onerarias conſecutæ, confuſius quam deceret inter eas ſeſe inſinuabãt; quanquam nullum prope detrimentum ab hoſtium tormẽtis acciperent, nec galeones curſum intermiſerant, quum cõſiſtere debuiſſent. In ea perturbatione Chriſtianę claſſis Morus Luphtibeium eſt cohortatus, vt pulcherrimæ occaſioni non deeſſet. Sed illo cunctantius & confideratius prouchente ſeſe, Auria ab onerariis triremes explicauit, & ad Coronẽ ſecundo vento eſt deuectus. Duæ onerariæ implicatis inter ſe antennis, quum cæterarum curſum æquare non poſſent, in tergo hęſerunt. Ad has opprimendas ex templo vniuerſa hoſtium claſſis aduolauit. Tum vero Hiſpani nequaquam pro ſua virtute, vti deſerti, & naualis negotii rudes inſano pauore conterriti, in ſcaphas deſilire cœperunt, vt noſtros conſequerentur. In ſuam Hermoſilla ipſius ſcortum cum magno auri pondere demiſerat; in alteram Petri Sarmenti ſignifer deſilierat; nonnulli, mirum dictu, quanquam natare neſcirent, quod eos ſcaphæ non caperent in mare præcipites ſe dabant, vt ad noſtros natando perfugerent. Andreas conuerſa prætoria à ſcaphis funium oram ſibi porrigi magna voce petebat, vt onerarias remulco attraheret. Sed illi nequaquam funis caput attulerant, vt qui erepto conſilio tantum de fuga occupati metu cogitaſſent. Itaque Turcæ ſcaphas opprimũt, & circumiecta triremium corona, onerarias adoriuntur in minorem nauem erepentes; Hiſpanis, quod nunquam alias acciderat, animos deſpondentibus eam capiunt: ex hac multis interfectis in excelſiorem tranſcendunt, in ea cruentum editur prælium. Nam amiſſa prora, & medio ponte, Hermoſilla ad puppis caſtellum ſe receperat, & ab ima carina ferreo tormento ſaxea pila ingens emiſſa triremes duas, interfectis ad triginta Turcis vehementer afflixerat. At Auria perturbato, ſed ingenti animo, ignominiæ loco ducens, ſi in oculis noſtrorum naues circumuentæ atque expugnatæ caperentur, cohortatus trierarchos, vt proras conuerterent, & remis contenderent ad opem ferendam, in hoſtes curſum intendit. Id conſpicati Morus & Luphtibeius, & Solimanus, quod iam pleniore Fauonio ad Coronem ſenſim detruderentur, & ab ingenti Colubrina, quæ in turre erat conſtituta, emiſſæ pilæ ad illorum triremes, vel in trium millium ſpatio peruenichant, magno tumultu explicare remos, & deſertis nauibus ſe recipere cœperunt. In eos Auria ad 60. pilas ferreas cõtorſit, & in multo ſpatio continenter diuerberatis eorũ puppibus eſt perſecutus, iam Antonio Auria ad oppugnandas onerarias conuerſo. Ibi Hiſpani, qui ægerrime pugnam ſuſtinebant, quum Turcis, vti paulo ante ipſis acciderat, commutata fortuna animus concidiſſet, in medio nauis ponte repugnare audacius cœperant, & Antoniani mirabili celeritate vndique ſcandentes in ſumma caſtella euaſere. In ea contentione trecenti ferme Ianizeri, qui ſingulari virtute naues occuparant, à ſuiſque deſerti fuerant, interfecti aut capti ſunt. In his fuit Uſuphius ſenex, mille Ianizeris præfectus, quem Auria fericcis veſtibus atque aurea torque donatum, vt ad ſimilem quoque liberalitatem hoſtes prouocaret, ad Methonem ſine precio dimiſit. At præfecti claſſis, vti poſtea cognitum eſt, ad grauiſſimas verborum contentiones deſcenderunt, quum Luphtibeius à Moro, Solimanoque Acarnane, & denique ab omnibus increparetur, quod cupientibus militibus,

Turcarum prælium cum Chriſtianis ad Coronẽ in Peloponneſo

litibus, & ſingulis obteſtantibus trierarchis, æquiſſima conditione dimicare noluiſſet. Sed ille ſecretiora mandata à Solimano Imperatore ſibi data dicebat, vt omnino ſeruaret claſſem, atque omnem pugnæ aleam fedulo deuitaret. Interim dum ad onerarias naues pugnaretur, Mendocius in deſerta hoſtium caſtra erupit. Nam conſpecta noſtrorum claſſe, atque inde magno timore concepto, terreſtris exercitus nequaquam plane collectis vaſis effugit. In his caſtris non exigua copia commeatus, & caſtrenſis ſupellectilis eſt reperta. Itaque Aurias re feliciter geſta, frumentum, vinum, & reliqui commeatus magnam copiam, tormentariique pulueris cados plures exponit, Macicao, cohortibuſque eius vrbem cuſtodiendam tradit, Græcos conſolatur, hortaturque vt ea obſidionis & belli iacõmoda patienter ferant; Cæſarem enim in ea præcipue cogitatione verſari, vt ineunte vere, terra, marique in Peloponneſo cum Turcis bellum gerat, eumque nihil ducere honeſtius, aut ad gloriam ſplẽdidius, quam bene meritam de ſe Chriſtianoque nomine Græcorum gentem, ex diuturna ſeruitute in lætiſſimam reſtituere libertatẽ. Fuere, qui exiſtimarent Turcas vniuerſa claſſe exui, ea die facile potuiſſe, ſi Auria Bazanianas triremes expectare, quam infirmis viribus è Meſſana feſtinare maluiſſet. Sed alii eas grauiore tectioreque conſilio in fretum Sicilię opportune ſubſtitiſſe dicebant, ne Italiæ littora penitus omni nauali præſidio nudarentur. Neque enim vniuerſas triremes in vnius pugnæ periculum deuocari Pontifex & Cæſar volebant, vtpote quum Cæſar nequaquam præclare exploratum haberet Gallorum voluntatem, qui augendæ atque adornandæ claſſi ad Maſſiliam toto hoc anno magnopere ſtuduiſſent. At Auria vetere exercitu in naues impoſito, à Corone diſcedens ad inſulam Ticanuſſam, quem Teneticam hodie vocant, ſupra Acritem conſtitit, ratus Methonenſi portu egreſſuros hoſtes, vt prælio contenderent. Sed quum nullis artibus elici, neque tutò oppugnari poſſent, vti erant mole ipſa, turribuſque protecti, Corcyram venit, atque inde Meſſanam reuerſus eſt. Nec multis inde diebus Morus, quum Venetis onerariis nauibus, quæ mercaturæ cauſa Syriam petebant, inſidiaretur, cum Hieronymo Canali apud Cretam nocturno prælio conflixit. Ex tredecim Mori triremibus, quatuor perfractæ demerſæque ſunt, tres captæ, reliquæ magna ex parte remigibus nudatæ Alexandriam ex fuga petiuerunt. In his trecenti fere Ianizeri, qui Memphim deportabantur, itemq; ad mille Turcæ ex nauali turba interfecti. Neque enim Veneti prædonibus parcunt, quod catenatis ſeruis ad remũ minime vtantur. Vnus fere omnium Morus, quum nomẽ profiteretur, iam graui vulnere transfuſa fronte ſuſcepto ſeruatus eſt, & cura ingens adhibita accitis medicis, vt ſanaretur. Ambo enim mutui erroris veniam deprecantes, egregia ſimulatione teſtabantur, ſe ſimilitudine triremum, & falſa de hoſte coniectura deceptos. Nam Morus pro Aurianis Venetas ſe adortum fuiſſe prædicabat, Canales vero ſe pro Moro Barbaruſſam credidiſſe, qui tres Venetas triremes ſuperioribus annis intercepiſſet. Nec Solimanus eam iniuriam iniquo animo tulit, Venetoque Legato ad Byzantium, demiſſa, & in erroris excuſationem compoſita oratione ſatiſfacere contendenti, Canalem rectè militariterque feciſſe reſpondit, qui vim illatam fortiſſime repulliſſet. *Iouius hiſtor. lib.* 31.

Venetorũ claſſis Turcarum triremes fugat.

XXII. Dictum eſt ſuperius, Clemente Pontifice ſatagente, Franciſcum Galliarum Regem edictum confeciſſe hoc anno, quo hæreſes in regno Galliæ ſuborientes ſiſterentur, ne rerum maior perturbatio conſequeretur. Eæ vero, quem ad modum irruperint, quoſue progreſſus toto antecedente decennio fecerint, in regno Galliarum, præſtat Florimundum Ræmundum audire, qui narrat. Quo tempore noui Euangelii præcones in varias ſectas diſtracti, Germaniam, & ipſam non minus in varias factiones diuiſam tumultu & turbis implebant, vt in ſuperioribus vidimus, ac Lutherus inprimis apoſtata vniuerſum mundum territabat, hominum conſcientiis tranquillis hactenus, irreligioſam religionem obtrudendo, vel potius impietates ſuas inſtillando; Franciſcus Primus Gallis imperabat, in quo illud etiam maxime commendatur, quod incredibili amore, ſtudio & beneuolentia tam literas quam litteratos omnes fuerit proſequutus. Quod quidem in eo tanto rarius fuit ac mirabilius, quod nunquam maior in Gallijs literarum ac bonarum artium ignorantia ac barbaries fuerit, adeo vt literas ſcire, probri pene loco haberetur. Neque enim tum vniuerſa Galliæ nobilitas quid quã aliud in oculis atq; animo habebat, quam armorum tractationem. Hoc Iulianus quidam apud Balthaſarem Caſtellionem in Aulico Gallis exprobrat; Franciſco ſcilicet nondum regni habenis admoto; ſimulque ſub eiuſdem imperio meliorem & Gallis mentem, & literis fortunam ſponder ac præſagit. Nec falſum prædixit: quando quidem ille Guillelmi Budęi opera in reſtaurandis ſtudiis literariis vſus, merucrit dici *Parens & Reſtaurator litterarum*: præſertim cum viros ex Italia & Germania eruditionis nomine commendatos, in Gallias euocaret: vel etiam tanti Regis fama excitata, in Franciam magna multitudo doctorum hominum, vndique conſlueret. Inter hos fere quidam Lutherani, à Lutheró & Melanchthone, ad proſeminandam nouam in tam fertili ſolo impietatem ſubmiſſi. Ex omnibus maxime idoneum exiſtimarunt Bucerum, vbi prima de Gallia nouis dogmatibus inficienda conſilia collata ſunt. Eodem quo frater affectu Margarita Nauarræ Regina ardens, multos & ipſa doctrina præſtantes viros ad ſe allexit, ac liberaliter ſuſtentauit: in quorum numero vix fuit, quin vnus & alter Lutheranus ſeſe ingereret, à quibus deinde reliqui etiam deprauati, eademque lepra infecti ſunt.

Franciſci Galliæ Regis amor erga litteras.

Sorbona quidem primaria non Galliæ tantum, ſed vniuerſi etiam orbis ſacrarum litterarum ſchola, pluribus Regi ac Senatui Regio demonſtrauit, quàm pernicioſe in eo errctur, quod ad litterarum profeſſionem ſine delectu paſſim quicumque admitterentur. Neque enim periculo carere, quod Grammatici etiam falcem in alienam meſſem mitterent, & Theologicarum rerum ſuſciperent tractationem. Sic enim fore, vt quiſque hic Græcam, ille Latinam, alius aliam verſionem exagitandam ſibi ſumerent, aut propriam cõmineſcerentur, ſicq; hæreſcos virus doctrinæ ſuæ inſpergerent. Bonum ſane & ſalutare conſilium, ſi modo ei fuiſſet obtemperatum. Beda quidem & Querceus, vterque magni nominis Theologus, (quos Genuenſis Eccleſię hiſtoria duas magnas beſtias appellat) hac de re ipſi Regem monuerunt; quem tamen immoderatus erga litteratos amor ſic tranſuerſum rapuit, vt neminem doctrinæ commendatione inſignem repudiari vellet: quin etiam aliunde venientibus pleriſque loculenta ſtipendia aſſignauit; diſputationibus eorum interfuit, & eorum ſermonibus quum alias, tum inter prandendum & cænandum mirifice delectabatur. adeoque quoſuis ſcholares ſilios ſuos appellabat. Quid tu (aiebat aliquando ad Magnatem quendam, qui ſcholari alapam inflixerat) An filius mei manus afferre audes? Sane cum in animo habuiſſet conſtat, antequam moreretur, Profeſſorum à ſe inſtitutorum numerum augere, gymnaſium quę ampliſſimum Regia magnificentia ædificare, in quo omne genus bonarum artium & linguarum docceretur, & ipſi Profeſſores cum ſexcentis ſcholaribus publico ſumptu alerentur: quam in rem quinquaginta aurcorum millia annua erogaturus eſſet.

XXIII. *Lutherus Galliæ Regem in ſententia ſua pertrahere conatur.*

Vt vero olim Syracuſanus ille Archimedes admirabiliũm machinarum inuentor, ad earum vſum nihil poſcebat quam pedem vnum & alterum ſolidæ terræ; in quo eas ſtatueret; facile deinde earum ope atque artificio ad quæcumque pertingere eæ poſſent, omnia ad ſe & quocumque vellet attracturum; ſic Lutherus hæreſcos primarius architectus, non ſine cauſa ſibi perſuaſerat, ſi magnum hunc Regem ſuum feciſſet; de cætero plana & expedita fili iore omnia ad vniuerſam Galliam ſuis partibus adiungendam. In hoc enim vno omnem victoriæ ſibi ſpem poſitam, facile intelligebat. Quare nihil æque cupiebat, quam liberum ſibi ad eum ſiue per literas, ſiue per ſubornatorum à ſe hominum ſermones & colloquia aditum ſibi parare; dicere ſolitus; Magnos ante omnia captandos eſſe, reliquam turbam facile ſequuturam. Sperabat ſiquidem, quemadmodum Conſtantio Imperatore in Arrianiſmum lapſo, & Chriſtiana religione à Iuliano deſerta, peſtis eadem totum fere imperium peruaſit; ſic Rege hoc ſuæ fictioni adiuncto, vniuerſam Galliam Lutheranizaturam. Et ſane ita eſt. Quemadmodum inferiores orbes cęleſtes primi mobilis ductũ ſequuntur; & tota horologii machina admirabiliter inter

ſe con-

se connexas vnius rotæ pondere circumagitur; sic Principes moribus & actionibus reliquos facile quamcumque in partem flectunt; adeo vt non virtutes modo, sed etiam vitia eorum exprimere conentur, nec tam quid ab illis fieri debeat, quam quid fiat, pensi habeant. Itaque non ignarus Lutherus, quod *Mobile mutatur semper cum Principe vulgus*; cum sanctam Apostolicam Sedem euertere penitus statuisset; vt firmissimam hanc eius columnam & fulcrum conuelleret, nihil omninò diligentiæ prætermisit: commoda ad eam rem occasione vsus, quod plerique, qui doctrinam suam vænalem expositurî in Franciam concesserant, Lutheranæ essent factionis, & ab ipso quid agendum esset bene instructi. Quin etiam ipse ad Regem scribere, & vna cum commendatitiis Saxoniæ Ducis literis, libros suos ad eum mitere ausus est; quod intellexisset Principem illum librorum lectione vehementer delectari: protestans interim, vt tanto facilius fidem sibi faceret, nihil aliud se spectare, quam vt mundum semen à zizaniis mundetur, & Ecclesia tanquam Augiæ stabulum, ab se tanquam nouo Hercule repurgetur; ac simul rogans, vt se inaudito, nihil statueret. Eundem Regem Zuinglius etiam ad suas partes traducere conatus est, dedicato ipsi libro, *De vera & falsa religione*; vt etiam Antichristianæ suæ doctrinæ Institutiones ad eundem misit, iis, qui duobus illis exclusis, præcipuū postea inter sectarios in regno locum sibi vendicauit. Quid multa? Nemo fere erat ex omnibus illis nouitiis Euangelistis, qui non fores has pulsandas, aditumq; tentandum sibi existimaret, interim inter spem & desperationem boni successus fluctuantes. At tandem frustra omnis eorum fuit conatus. Rex enim ab omni nouitatis studio alienissimus, nullis obsecrationibus, nullis persuasionibus adduci potuit, vt cum Ecclesia faceret diuortium. Et vt erat natura admodum curiosus, controuersiarum quidem fontes ac schismatis causas cognoscere abnuebat, emendandis erroribus, si qui deprehenderentur, omnem operam pollicitus; sed quum malitiam eorum, qui ruinam Ecclesiæ sub hoc prætextu moliebantur, quo erat acerrimo iudicio, ac profunda prudentia subolfecisset, quamplurimas statim alienæ ab omni hoc hominum genere, qui iam suum esse sibi persuaserant, voluntatis significationes dedit.

Zuinglius Regis Galliæ mentem ad partes suas ducere conatus.

Galliæ Rex hæreticis aurem præbere noluit.

XXIV. *Meldenses primi in Galliis hæretici.*

In Meldorum Ciuitate, à Lutetia non ita procul distante, decennio ante, è latibulis suis prodiit hæresis, & in aperto quasi ambulare cœpit. Hæc illa fuit ciuitas, quæ primum Lutheranæ impietati hospitium aperte præbuit, cum perpetua nominis sui infamia; vnde postea Lutherani Meldenses in prouerbium abierunt. Aiunt nouitiæ Sectæ historici, in hac vrbe Lutheranismum fideliter fuisse annunciatum, alacriter receptum, auctum breui tempore, admirabiliter & constanter propugnatum. Erat tum eius loci Episcopus Guilhelmus Brissonetus, qui licet circa gregis sibi commissi custodiam non esset indiligens, primus tamen ibi portam Lutheranis aperuisse existimatur, curiositate quadam ductus, cæteroqui laudabili, si cum prudentia fuisset coniuncta. Is enim contracta cum nouis literarū professoribus, qui Lutetiam tunc vndique conuolarant, & multorū aures atque animos Græcissationibus & Hebraissationibus suis titillabant, notitia & familiaritate, aliquot ex iis Luthero-Zuinglianos ad se euocauit; inter quos quatuor fuere præcipui, Guilhelmus Farellus Delphinas, Iacobus Faber, Arnoldus & Gerardus Rufi, Picardi, homines facundi admodum, & in bonarum literarum ac linguarum studiis, quæ Lutetiæ professi fuerant, bene versati. Et horum quidem manibus prima hæreseos semina in Galliis iacta, paulatim adoleuerunt, nimiæ facilitatis Episcopo ad conatus eorum conniuente. Neque enim quis solus sibi errat, vt ait Sapiens, sed alios quoque in deuia mittit: ac fere fit, vt stulti stultitiam suam & deliria, aliis quibuscum sunt, tanquam scabiem affricent. Hi ergo Meldas profecti, sub Catholico habitu semi Lutheranorum (sic enim erant) personarum occultātes, mox in ciuium familiaritatem sese insinuarunt, priscæ interim maiorum pietati, à qua plane discessisse videri non volebant, nouum aliquod dogma aspergentes, ac præcipue D. Virgini Deiparæ, & Sanctis Cœlitibus exhibitum hactenus honorem, quasi is soli Deo deberetur, calumniantes. qua arte olim quoque Ariani vsi sunt, Deitatem Filio, quasi illa soli Patri competeret, detrahentes: Interim vero modo hunc, modo illum articulum Fidei, partim cuniculis, partim aperto Marte, per sacram Scripturam male detortam, impugnantes & conuellentes. Et facile quidem illis fuit, vt est gens hominum nouitatis auida, eorum animos, qui ipsis aures præbebant, nouis dogmatibus imbuere; quum plerique indocti essent, & simplices, manuariis artibus vitam sustentantes, sartores, sutores, textores, & id genus. Vbi vero diutius se latere non posse animaduerterunt, (iam enim vbique fama de hæresi Meldis gliscente percrebuerat) maturè collectis velis antequam tempestas ingrueret, nauiculam in tutum aliquem portum ducendam sibi statuerunt; Episcopo non minus benigne tutum illis exitum, quam ingressum antea procurante, & illis vel solo Martyrii nomine alas ad fugam addente. Episcopus præuentus & hæreseos accusatus, ad primam statim correptionē, ignorantiam suam fassus est, ac tandem ad saniorem mentem rediens, errorem agnouit, ac resipuit, & ad extremum vsque spiritum deinceps in Catholica Ecclesia perseuerauit; vti & vnus ex illis quatuor, Arnoldus Rufus, Farellus, relicta Gallia, in Heluctiam abiit, Zuinglium de dubiis quibusdam, quæ animo conceperat, consulturus. Inde Geneuam profectus, eius quæ non multo ibi facta est, mutationis auctor fuit. Faber in Aquitaniam profugiens, Neraci latibulum sibi quæsiuit, sub Henrici Albretani, Nauarræ Regis, qui Francisci sororem Margaritam in matrimonio habebat, fauore & patrocinio delitescens, & nescio quam nouæ religionis formam commentus, quam ita amplectebatur, vt tamen à veteris Ecclesiæ corpore segregatus videri nollet; tanto faciliorem aditum apud Reges iam dictos reperiens, quod vterq; & Rex & Regina, iam ante gustu aliquo Protestantium religionis essent imbuti. Gerardus Rufus, quem Roussellium Galli appellant, in Germaniam abiit, vt Lutherum, qui fama sui & stupore totum orbem impleuerat, oculis videret. Vt vero tres isti diuersas semitas ingressi sunt, ita iidem diuersas quoque sectarum formas, suo sibi quisque modulo, exstruxerūt. Faber, cognomento Stapulēsis (vicus est ignobilis, vnde homo iste obscuro loco natus prodiit) sub Nauarræi Regis patrocinio diu vixit; & quamuis Catholicum se ferret, eorum tamen animis quibuscum cōuersabatur, multos de fide scrupulos iniiciebat, & nouas opiniones instillabat. Quamuis autem Rex & Regina è Meldensium illorum fugitiuorum sermonibus, in Catholica religione multò facti essent tepidiores, nihil tamen tum in diuino cultu eiusque ritibus mutatum fuit.

XXV. *Margaretha Nauarræ Regina Hæreticis aurem præbet.*

Interim dum Franciscus Rex in regno suo contra pestilētem Lutheranismi inundationem muniendo satagit, Margarita eius soror, Nauarræ Regina, diuerso studio in aggeribus perrumpendis, & hæreseos riuis in regnum deducendis elaborabat, fucata quadam pietatis & publicæ salutis specie decepta; quem suum errorem ipsa tandem quoque agnouit. Et vt olim Ariani Imperatorem captantes, vt fidem sibi facerent, in sororis ipsius gratiam sese insinuarunt: sic Lutherani tam Clancularii quam Notorii, quum Francisci aures sibi obstructas animaduerterent, ad sororem eius Nauarræ Reginam recursum habuerunt, miseris sibi inimicorum fraude oppressis, auxilium tam voce quam libellis petentes; velut proxenetis, aut perductricibus ad hoc vsi fœminis quibusdam ex gynecæo, iam ante à se irretitis. Inter has præcipue fuerunt, Stamparum Ducissa, Regis gratia florens, nec non Dominæ de Cani, & Peisseleu, quarum hæc Ducissæ erat soror; à quibus deinde aliæ atque aliæ in eandem nassam fuerunt pertractæ. Nec sane multo sanguine hæc victoria constitit; plerisque Ecclesiasticarum legum, earum præsertim, quæ de peccatorum exomologesi facienda latæ sunt, pertæsis, ac manus vltro tendentibus. Meminerat serpens ille astutissimus, quam feliciter hoc telo in terrestri illo paradiso contra primum omnium nostrum patrem vsus esset, eoque miserum vna cum toto humano genere, vno ictu prostrauisset. Itemque quantum numerum filiorum Dei, muliebribus technis per Balaamum Pseudoprophetam subuertisset. Nec ignorabatur hac vna machina plusquam cæteris omnibus viros quosdam, expugnari ac vinci posse: atque ideo tam prioribus quam posterioribus his seculis ea plerumque vsus est. Proprium enim fœminarum esse sanctus Hieronymus dicit, vt decipiantur, & deceptæ, alios decipiant.

Nauar-

XXVI. *Eadem hæreticorum libros amplectitur.*

Nauarræ igitur Regina, bona quidem, sed nimiæ felicitatis Principissa, postquam semel hæreticis aures præbere cœpit, libros eorundem per gyneceum sibi oblatos, non modo non repudiauit, sed etiam recepit, ac legit; dato etiam Syluanectensi Episcopo, qui Regi à sacris erat Confessionibus, negotio, vt consuetas precationum Ecclesiæ formulas, è Latino in vulgarem sermonem conuerteret, multisque cum eo habitis sermonibus, quibus vt de noua religione melius sentiret, homini persuaderi posse sperabat. Domus ipsius omnibus ob religionem proscriptis ac profugis, instar asyli erat. Illud sane vtriusque partis historiographi testantur, huic vni fœminæ, nihil mali cogitanti, Lutheranos in Gallia salutem suam debere; & per hanc vnam stetisse, quominus nouæ Synagogæ seges in ipsa herba & primis quasi incunabulis fuerit extincta. Præterquam enim, quod precibus eorum & verbis speciosis initio & ad misericordiam compositis, nequaquam vero tantæ quantam postea Gallia vidit confidentiæ plenis, aures lubenter accommodabat; etiam suis ipsa sumptibus cum in Gallia tum in Germania complures in scholis & Academiis alebat, adeoque omnibus, qui religionis causa periclitabantur, benignissimam patronam se præstabat; iis præsertim, qui Argentorati & Geneuæ delitescebant. Constat certe eadem vna vice quatuor aureorum millia inter doctos distribuenda ab ipsa missa esse. In secretioribus Curiæ Burdigallensis Tabulis scriptum inuenitur, eam absente marito, qui prouinciam pro Rege administrabat, Senatum ingressam, magno studio pro Andrea quodam Melanchthone captiuo, & hæreseos accusato intercessisse: id Philippum Melanthonem Saxoniæ Ducis Consiliarium, per literas à se flagitasse dicens. Andreas hic ad litterarum in scholis professionem è Germania euocatus, in oppido Tonnino Aginnatium nouam cognati sui doctrinam, Augustanæ Confessioni cōformem disseminarat; quæ quidem breui tempore ita succreuit & adoleuit, vt hactenus nullo modo potuerit extirpari. Vt paucis dicam, bona hæc Regina, toto hoc decennio nihil magis curæ habuit, quam vt eos, quos Rex ob peruersa dogmata Iustitiæ tradere constitueret, liberaret, & cæteros quacumque posset, ratione curaret. Quam ob causam sæpius Regem adiit, multosque cum ipso sermones habuit; id præcipue agens, vt cōmiseratione quadā erga Lutheranos animum leniret ac mitigaret, velut succidanea ad idem Stamparū Ducissæ opera abutens.

XXVII. *Franciscus Galliæ Rex instinctu sororis suæ hæreticis aurē tandē præbuit.*

Gerardum Rufum è Germania reuersum eadem Regina non modo benigne excepit, verum etiam familiarium suorum numero adscripsit, eius de religione sermonibus vehementer delectata. Ex huius consilio Bibliorum, quæ tum nuper in Gallicam linguam conuersa, & crassis characteribus impressa erant lectioni totam se dedit; & quidem ita, vt plerasque Noui Testamenti historias scenicis rythmis illigatas, euocatis ex Italia præstantissimis Comœdis & histrionibus, coram marito repræsentari curaret. Vt vero hominum illud genus id sibi præcipue negotii datum existimant, vt quæ dicunt, quæque faciunt dominis vnice placeant; sic histriones illi perspectis Reginæ sensibus, in omni fere loco Ecclesiasticum Ordinem falso aliquo dicto aut conuicio incessebant. Nulla comœdia peragebatur, in qua non Monachus aliquis aut Ecclesiastici ordinis homo introduceretur, qui pro mimo esset; adeo vt nulla oblectatio capi posse videretur, quin Deus eiusque ministri offenderentur. At risus hic postea in fletum fuit conuersus. Rex non minus facilis quam Regina, has Tragicomœdias non lubens tantum spectauit, verum etiam Conciones hæreticorum, quas Exhortationes vocant, in conclaui suo haberi passus est, verba faciente eo, quem diximus, Rufo, aut interdum apostata Tarbensi Monacho, (qui antequam moreretur, quintam duxerat vxorem) cui Soloni nomen, & acrior quam illi dicendi vis erat. In his pleno ore tam contra Papam, quam vniuersum Sacerdotum Ordinem conuitia profundebantur, tanta cum licentia, vt plerumque etiam ipsos auditores suppuderet. In ritibus, quos vsurpabant, speciem aliquam licet exiguam pietatis & deuotionis præ se ferebant: interim vero nulla re magis quam vero & genuino sacræ Scripturæ intellectu gloriabantur. Foxius vero & Grammontanus Cardinales, ægre ferentes Regem à maiorum institutis deflectere, ac Catholicis ritibus ac sacris tantum velut dicis causa ac perfunctorie interesse, ex aula discesserunt. Vt vero ante à ludis & comœdiis ad Exhortationes; sic postea ab his ad Manducationem (sic enim tum cœnam suam appellabant) est descensum, quæ in loco quodam secreto officinæ monetariæ, quæ Podii est, erat præparata. Franciscus Rex, quæ Podii fierent edoctus, simulque à Sorbona, quæ libellum nuper sub Reginæ nomine, & titulo *Speculi animæ peccatricis* editum damnauerat, monitus, vehementi commotus indignatione, sororem ad se accersiuit. Venit illa, vna cum Burio Aquitanæ Præside, Rufum illum secum ducens; & obstructas veritati aures animumque peruicacem afferens. Venientem Rex, licet tenerrime caro amaret, ac delicias suas appellare soleret, acriter corripuit. Sed illa ita respondit, vt Catholicam se esse simularet. In omni vero sermone nescio quam nouam Missæ formam, septem punctis constantem inculcauit; quin etiam eidem persuasit, vt Rufi & duorum aliorum apostatarum Conradi & Bertholdi sermones audire non sit dedignatus. Sed vix illi os aperuerant, quum statim ex ipso halitu pestilens, quod in animis ipsorum latebat, vlcus fuit deprehensum. Ex his ob hæresim in vincula coniectus Bertholdus, reuocato errore, ad Ecclesiæ gremium se recepit, & in eo ad finem vsque vitæ constanter permansit; sicque corporis & animæ libertati simul consuluit. Conradus vero, abiecto religioso habitu, & assumpta iuuencula comite, in Heluetiam profugit; ac tandē Geneuam profectus, & vt animæ, ita corporis quoque oculis orbatus, in magnis miseriis vitam exegit. Rufus itidem cōprehensus, sed Reginæ intercessione mox liberatus, Neracum se abdidit; eiusdem fauore primum Abbas Cleriacensis, mox etiam Oloronensis factus Episcopus. Sic quidem miseræ oues lupi custodiæ erant commissæ; tam habitu quā cæteris rebus Catholicæ Romanæ Ecclesiæ filium se simulantis. Vidi (narrat Ræmundus) apud hominē quendā doctissimum, Aquitaniæ nostræ ciuem, scripta quædam Rufi, de S. Eucharistia, in quibus nescio quod Corpus Christi spiritnale & glorificatum, & carnis, & ossium expers sibi imaginatur; quem errorē is de quo dixi homo ita imbiberat, vt nulla ratione ex eius animo euelli posset. Et in hanc quidem sententiam disserentē ipsum non semel audiui; quā eandem libellus quidam ipsius super eadem materia scriptus, sed nondum impressus, præferebat. In moribus sane ac vita nihil erat, quod magnopere reprehēderes, nisi falsā doctrina cætera omnia corrupisset ac dehonestasset. Nam & in munere suo obeundo ita erat assiduus, vt sæpe vno die ter concionaretur: multum eius diligentiam illustrante Lascariensis Episcopi ignauia, qui nobilissima Albretanorum ortus familia, voluptates vnice sectabatur, ac Reginæ gratiā in omnibus aucupari studebat. Quid boni putas miser hic populus talibus pastoribus cōmendatus sperare poterat? Quid aliud, inquam, quā vt hæreticis ac lupo infernali præda tandē fieret?

Gerardi Rufi de vener. Sacramento errores.

XXVIII. *Eiusdē noua Missæ celebratio.*

Missam porro Rufus celebrans, communionem cum aliqua populi parte sumebat; prius vero, altari tergum obuertens, sermonem ad populum de Sacramenti illius mysterio habebat. Hic primus contra Ecclesiæ, omniumque tot seculorum consensu confirmatorum Conciliorum authoritatem, Catholico indutus habitu, communicantibus Eucharistiam sub vtraque specie publice porrexit. Vt vero simpliciorem populū ad se attraheret, vulgari sermone in orationibus plerumq; vtebatur. Vicariū habebat Benedictini Ordinis Monachum Aimericum nomine, sibi plane geminum, qui etsi religiosum habitum gestaret, nihil minus tamen quam Catholicam religionem prædicabat. Idem Rufo mortuo, abiecto cucullo, ductaq; vxore, apud Cleriacenses noui Euangelii minister factus, infelicem vitam duxit, quod, vt ipse dicebat, morosam vetulam arripuisset. Porro, quia Rufus ille singularis alicuius sanctitatis speciem in moribus & vita externa præ se ferebat, vt pote qui loco canum & vertagorum, pauperum cateruam, & pro equis ac satellitio, multos pueros & destinatos literarum studiis aleret, facile fiebat vt multorum animis vna cum nouæ religionis desiderio (in qua tamen ipse adhuc animi dubius fluctuabat) antiquæ odium paulatim instillaret. Huic, (vt ipse ex longo animi deliquio ad se reuersus narrauit) quum in lectulo morti proximus iaceret, dæmon apparens exprobrauit, quod tam longo tempore missificando, multiplicem idololatriam commisisset. Atrox scilicet peccatum, contra Diaboli videlicet dia-

logum;

logum; & digna tali auctore exprobratio, siue obiectio; qua Lutherum idem etiam exagitauit. Et hactenus quidem fontem monstraui earum miseriarum, quæ primo Aquitaniam ac deinde vniuersam Galliam inundarunt.

XXIX. Dum autem importunis fœminarum illarum precibus, dum variis de religione sermonibus ac disputationibus, atq; etiam quorundam, inprimis Melanchthonis (qui hoc tempore libellum emiserat de vtriusque religionis concordia) & aliorum literis animus Regis fatigatur. Lutherani id præcipue operam dabant, vt quosdam Ecclesiastici Ordinis tam Monachos quam Parochiarum Pastores, ad suas partes traducerent; & non tantum ad exagitanda Ecclesiasticorum vitia, verum etiam ad carpendos, vt videri volebant, in Ecclesia grassantes abusus inflammarent. Nec mora, prodeunt mox vænales homines, è suggestu tam in personas Ecclesiasticorum, quam vniuersum Ecclesiæ statum varia deblatterantes. quorum sermonibus ad Regem delatis, Rex ipse eos audire decreuit. Vt vero olim gallus Diuum Petrum Apostolum, cantu suo erroris admonitum ab interitu retraxit; sic alius quidam Gallus optimum Regem Franciscum pene in extremam perniciem traxisset. Erat vero Gallus hic ad Diui Eustachii Lutetię Pastor, qui parum abfuit, vt diximus, quin gallicinio suo non è somno excitaret, sed in exitiabilem atque æternum veternum dederit. Quanquam enim Lutheri schisma nequaquam probaret, vt quo Ecclesiæ rupta erat vnitas: in sermonibus tamen, quos præsente Rege, ac præsertim de Sacramento altaris habebat, multa valde imprudenter inculcabat; adeo vt aliquando diceret, speciebus illis nequaquam adhærescendum, sed fidei alis ad cœlum euolandum esse, illud subinde repetens, *Sursum corda, sursum corda*; & ad eum sensum Diui Pauli Apostoli verba allegans, quibus ea, quæ supra sunt in cœlis, non ea, quæ infra sunt in terra, quærere nos iubet, postquam Iesus Christus à mortuis resuscitatus, ad dexteram Dei Patris consedit. Hæc ille verba ad nauseam vsque inculcabat; quasi tanti Sacramenti nulla habenda esset ratio vel consideratio, sed cor tantum eleuandum, nec Christus alibi quam ad dexteram Dei Patris quærendus esset. Quid multis? Bellaii Cardinalis opera effectum fuit, vt Gallus hic in secretiorem locum vocatus, explicata sua de Sacramento Altaris sententia Regi scrupulos non leues iniecerit. Idem de aliis quoque Fidei articulis sciscitanti Regi quum variè respondisset, ad Inquisitorem missus est; à quo examinatus & damnatus, mox tamen iussu Regis liberatus fuit, ea conditione, si assertiones suas sacræ Scripturæ testimoniis probare posset. Interea vero Lotharingus & Turnouius Cardinales, Galli huius cantu excitati, veriti ne Rex in deuia abduceretur, Theologos quosdam cum eo committunt; à quibus ille victus, errorem agnouit, ac publice recantauit. Ex antiquis illis certe Patribus, qui ex Apostolica traditione illud, *Sursum corda*, in sacrosanctæ Eucharistiæ sacrificio vsurpandum Ecclesiæ præscripserunt, nemo verba hæc ita interpretanda esse docuit, quasi in altari nihil sit nisi panis, aut quasi panis etiam prolatis verbis illis Sacramentalibus, panis remaneat. Præter Gallum illum alius quidam eiusdem Ordinis homo extitit, Landrius nomine, qui de Purgatorio quæstionem apud Regem mouit; homo, vt etiam Hugonotarum historia loquitur, audacia magis, id est, stultitia, quam scientia instructus. Sed & hic nihilo constantior fuit quam Gallus ille. Siquidem ad Regem adductus, eoque audiente examinatus, & ipse palinodiam cecinit, & in omnibus Ecclesiæ censuræ sententiam suam submisit. Ista est origo, iste ortus & progressus hæreseos in Gallia: ad quam coercendam, monente & satagente Clemente Pontifice, in colloquio Massiliensi, Franciscus Rex edictum hoc anno 1533. promulgauit. *Florimundus de origine hæreseon lib. 7.*

XXX. *Erardi Marcani Episcopi Leodiensis summa in hæreticis persequēdis cura.*

Parem diligentiam Pontifex, in Belgio adhibuit, cum Erardum Marcanum Cardinalem Leodiensem, hoc ipso anno Legatum de Latere creauit, qui hæresim extirparet, & disciplinam Ecclesiasticam restauraret. Is per hos dies quendam Desiderium Lutheranæ doctrinæ propagatorem Morinensem presbyterum, per Inquisitores & suum suffraganeum exauctorari, & brachio seculari tradi iussit. Hic cum multos prauitate hæretica infecisset, vereque pœniteret, abiuratis hæresibus fidem Orthodoxam Patrum vti vnicam eamque salutarem recognouit, mortiq; iam vicinus, non eam, quam se millies meritum fatebatur, sed hoc vnum deflebat, quod multos à vera salutis semita abduxisset. Is ipse Legatus Cardinalis, die nono Iunii, edictum nuper contra hæreticos promulgatum iterum publicari præcipit, illique adiicit, quod Quicumque ab eo tempore per legem & Francisiam hæreseos conuicti fuissent, nisi ante feriam sextam, quæ erat altera festi venerabilis Sacramenti, de hæresi pœnitentes veniam humiliter petierint, & deinceps fidem Catholicam & Romanam amplecti, & iuxta eam viuere promiserint, priuilegio Ciuico, & opificio cui ascripti fuerint, perpetuò priuentur. Et qui Beatam Mariam Virginem, aut alios Sanctos blasphemasse, aut Purgatorium negasse, aut contra traditiones & ceremonias Ecclesiæ Catholicæ Romanæ loquutus fuisse conuictus fuerit, eandem cum cæteris pœnam, nisi præscripto tempore veniam petierit, incurret. Quocirca cum quidam Ciues, Richardus Hoesman vitrarius, Carolus calceator, Ioannes Faber lignarius, Sebastianus à Quercu, Petrus Pistorius, Lambertus de Bure iunior, & Ioannes Reneri de hæresi per legem & Francisiam conuicti, impœnitentes gratiam præfixa die non petiissent, perpetuo à Ciuitate & patria Leodiensi proscripti, & eorum bona ærario publico adiudicata fuerunt. Alios quoque Ciues septem, carceribus propter hæresim mancipatos, cum pertinaces essent, bonis eorum Ciuitatis ærario adscriptis, proscripsit. Alium eeinde quendam (le grand Hanset) vocatum, hæreticum seditiosum, in sui apprehensione lethaliter, quod satellitibus resisteret, vulneratum, mortis pati voluit sententiam, vnde in sedili ad locum supplicii portatus, in aliorum exemplum capite truncatus fuit. Quibus diebus depopulata est agrum Traiectensem, vicinumque Lymburgensem, cohors militum, verius prædonum, qui se filios Israel (Anabaptistarum fæx) nominabant, quod nullum, vt aiebant, Ducem præter Deum agnoscerent. Hi præter nefandas insolentias, quas templis, rebus sacris, & Christo sacratis virginibus inferebant, etiam infantes ignibus torrebant, vt aurum à parentibus exprimerent; tamen aduentantibus Comitibus de Nassavv & Buren cum valida manu, aliò, obuia quæque vastantes, commigrarunt. Cum autem superiore anno Clemens Pontifex, ad bellum contra Turcam gerendum, immensam vim auri contulisset, suum in Rempublicam Christianam animum verè paternum egregiè testatus; anno 1533. vltima Iulii, eiusdem authoritate, Clerus Brabantiæ, Hollandiæ, Zelandiæ vocatus fuit ad oppidum Louaniense, vbi publicatum fuit vectigal Sacerdotiis impositum, medietatis omnium prouentuum, qui in terris Cæsareæ Maiestati subiectis reperirentur: ita vt Clemens non minorem curam impenderit Turcis profligandis, quam hæreticis coercendis. *Chapeauillius in Erardo Marcano.*

Filios Israelse Anabaptistæ vocantes agrum Traiectensem depopulantur.

XXXI. *Hugo Rangonus Episcopus Regiensis ad Saxonem mittitur.*

Ad eorum deinde hæreticorum conuersionem, quum Concilium indicere deliberaret, deque ea re Cæsaris & Regum, Principumque Christianorum, missis ad eos (vt superius diximus) nunciis, iudicium & consensum exploraret; in Germaniam quoq; mittens ad Principes Electores & alios, Hugonem Rangonum Episcopum Regiensem & Principem, iussit vt Ioannem Fridericum Ducem Saxoniæ Electorem, Protestantium caput & Principem conueniret, eiq; voluntatem suam exponeret: & quid porro is de Concilio censeret, expediret. Is vbi cum Oratore Cæsareo comitante Vinariam ad Saxonem venit, in hanc sententiam verba fecit.

Eius ad eundem de hæreticis sermo.

Cum ante menses aliquot Pontifex atque Cæsar, multis grauibusque de rebus consilia Bononiæ conferrent, causam religionis etiam tractasse. Visum itaque fuit Pontifici, mittendam esse legationem in Germaniam. Et quanquam rei magnitudo posceret, aliquem maiori præditum ingenio & experientia, sibi tamen, quantumuis etiam deprecanti, munus hoc iniunctum fuisse. Per hāc igitur occasionem ad ipsum quoque venisse iam, vt quæ sit Pontificis mens atque voluntas proponat: Cæsaris autem hæc omnia fieri voluntate & approbatione. Clementem ergo Septimum, inde à sui Pontificatus initio, cumprimis hoc optasse, vt nata per Germaniam dissidia religionis componerentur, quò videlicet Ecclesiam ipse ac Rempublicam tranquillè posset administrare. hac etiam de causa multos non semel in Germaniam amandasse viros eruditione præstantes, qui hoc perficerent, sed adhuc quidem frustra sumptum esse omnem laborem. Cum autem ex Hispania deinde Cæsar in Italiam venisset, abiturus illinc in Germaniam, in maxima spe fuisse Pontificē, fore, vt ille, pro sua gratia & autoritate, dissidium

hoc

hoc facile sedaret. Et Cæsarem quidem, vt pristinæ religioni patriam restitueret, nihil ad summam diligentiam fecisse reliqui, & Comitiis aliquot habitis nihil tamen potuisse perficere; præsertim, cum Christiani nominis Turca, pulcherrimos ipsius conatus impediret atque tardaret. Cum vero iam iterum in Italiam Cæsar venisset, post multam Pontificis cum eo collocutionem, visum ei fuisse, remedium nullum adhiberi posse commodius vel efficacius, quā per Concilium publicum, cuius Germani quoque Principes vehementer sint cupidi. Rationem autem hanc placuisse quoque Pontifici, tum Reipublicæ, tum Cæsaris causa, cui gratificari cupiat. Hanc nimirum suæ legationis esse causam, & habere se in mandatis, vt hoc ipsi nomine Pontificis denunciet. Sed quia res ipsa postulet, vt de Concilii futuri modo, deq; tempore & loco prius deliberetur, habere se capita quædam, à Pontifice notata, quæ formulam eius rei complectantur, quorum nonnulla pertineant ad modum & ordinem: nimirum 1. *Vt sit liberum atque commune Concilium, & omninò tale, sicut Patres habere consueuerunt, quorum mentes gubernarit haud dubie Spiritus S.* 2. *Deinde, qui sunt interfuturi Concilio, vt illius decreta se seruaturos esse spondeāt. Nisi enim id caueatur, frustra sumi laborem omnem. Quid enim prosit, condere leges, quas nemo seruet, quas impunè quisq; violare possit?* 3. *Ad hæc, qui coram ipsi non poterunt adesse, vt suos eò mittant legatos.* 4. *Item, vt interim omnia suo loco maneant & ordine, nec vlla fiat ante Concilii decretum innouatio.* 5. *De loco diu multumq; cogitasse Pontificē. Nam inprimis eiusmodi locum esse deligendū. qui sit & fructuosus, & ad importandum commeatum idoneus, & salubris etiam. Itaq; videri Pontifici Placentiam aut Bononiam fore non incommodam, aut certe Mantuā, quæ sit Imperii ciuitas, & Germaniæ vicina, & pulcherrimo loco sita, & rebus necessariis abundans: vt autem ex his tribus vnā sibi deligant, licere.* 6. *Si qui vero Principes ad eiusmodi Concilium forte non venient, nec etiam legatos mittent, Pontificem nihilominus in actione progressurum esse.* 7. *Quod si deinde Concilii decretis parêre aliqui recusent, & à Pontifice deficiant, proximum esse, vt Cæsar, aliiq; Reges ac Principes ipsum & Ecclesiam defendant, ne quid accipiat detrimenti.* 8. *Quo minus autem in hoc ipso tempore Concilium denuncietur, hanc esse causam, quod circumstantias omnes diligenter prius considerare oporteat; & quum toties futuri Concilii spem Cæsar fecerit, ipsi placuisse, vt Germaniæ Principib. de voluntate quoq; Pontificis nuncietur. Iam vero, siquidem ad hæc postulata Romanorum Rex, & cæteri Germaniæ Principes commode respondeāt, fore, vt Pontifex, re deliberata cum aliis etiam Regibus, intra sextum mensem Concilium indicat, anno deinde post, incohoandum; vt interim victus, & res necessariæ comportentur, & ad profectionem sese comparent omnes, præsertim longinquiores.* Cum hæc Rangonius dixisset, ea quæ diximus capita scripto cōprehensa tradidit Electori. Postea Cæsaris legatus verba fecit. Quia superioribus omnibus Comitiis, & adhuc quidem frustra sit tentata religionis cōpositio, & per Concilium posse rem cōponi iudicatum sit, Cæsarem illud nuper apud Pontificem impetrasse, nempe, vt ad eum modum, eoq; tempore & loco, sicut ipsius exposuit Legatus, habeatur. Ideoque se missum à Cæsare, vt Pontifici placere Concilium testificetur: & quoniam de re tota sit abunde locutus, non esse quod ipse pluribus agat: petere autem, vt narrationi fidem adhibeat, & beneuolè respondeat.

XXXII. *Ioannis Friderici Saxoniæ Ducis ad Oratorem Cæsareum responsio.*

Saxo, quia magna sit res momenti, consideraturū se dixit, & vt interim aliquā moram paruam interponerent, expetiit: ac paucis post respondit; se negotium ad socios Protestantes velle differre, quibus diem 24. Iunii Smalcaldiam, vt conuenirent, edixisset. Conuenerunt tandē, & ad articulos, in quibus præcipua rei summa erat, primum, secundum, quintum, & septimum, nimis friuolè ac temerè excipientes ac conquerentes responderunt; vt planum facerent, quia vellent ac non vellent Concilium. Has illorum technas detexit Ioan. Cochlæus, in vno ad Primatem Scotiæ Archiepiscopum S. Andreę scripto libello. Quod, *inquit*, Lutherani in hos octo de habendo Concilio articulos consentire nolunt, mera videtur esse tergiuersatio. Quid enim in illis est, quæso, vel durum, vel iniquum, quod vlla æquitate aut ratione honestè recusari queat? Etenim in primo articulo petitur, vt Concilium sit liberum, vbi scilicet Patribus tutò ac securè decernere liceat, quicquid Spiritui sancto visum fuerit. At illi efflagitant, vt in Germania celebretur, vbi Patres ita forent captiui, vt nisi decernerent ea, quæ Lutheranis placeant, mox armis nobilium & Lutheranæ plebis furori obiicerentur interficiendi. Petitur in eodem, vt celebretur Concilium iuxta morem Ecclesiæ consuetum, & tot retrò seculis ab initio vsque seruatum. At Lutherani nouum quærunt morem, iuxta quem summo Pontifici præponatur Romanorum Imperator; Cardinalibus & Episcopis Principes & Domini seculares; Pastoribus scilicet oues, Sacerdotibus Laici, Patribusque filii. Et de Fidei quæstionibus non decernant Episcopi & Theologi, sed clamosi Rhetores & Syllabarii laici, qui nouam Bibliorum interpretationem, quam Lutherus edidit, in manibus gestantes, sacræ Theologię Doctoribus insultent & reclament, contentiosisque vociferationibus præualeant, quod non aliter intelligendus sit cuiuslibet Scripturæ textus, quam ipsi cum suo Luthero male intelligunt. In secundo articulo petitur, vt Concilii Decretis pareatur. Hoc Lutheranis alienissimum videtur: quasi contra Christianam libertatem sit, parere Concilio. Vellent scilicet ita celebrari Concilium, sicut celebrati sunt hactenus apud nos Germanos plerique Conuentus Imperiales: in quibus licuit eis, per Saluum-Conductum, impune contradicere quibuslibet aliorum Principum Ordinumque atque adeò & ipsius Imperatoris decretis; consumptis frustra tot millibus atque etiam myriadibus aureorum, dum fictis verbis spem concordiæ nobis proponerent. Et quia in eodem responso suo Protestantes dicebant, Ad officium Cęsareæ Maiestatis pertinere, vt Cæsar curet, rem ex verbo Dei cognosci & iudicari, quandocumq; Romanus Pontifex veritati aduersatur; ne Papa, cum pars sit, simul etiam iudex sit. Ad hæc respondebat Cochlæus. Quomodo in Concilio iudex præcipuus & solus erit Scriptura (vt Lutherani volunt) quæ sententiam per se neque sentit, neque intelligit, neque eloqui potest? Nihil per hoc derogauerim, sacræ Scripturæ, quam vt opus Spiritus S. venereor, & sacrosanctam habeo, à qua & pendeo, ac sciēs prudensq; ne latum quidem digitum ab eius discesserim. At verum eius sensum in controuersiis, non ab ipsamet requiro, quia eloqui nescit; sed à sanctis Patribus, qui viuo Dei Spiritu inspirati locuti sunt; aut à Romano Pontifice, pro cuius fide Christus ipse rogauit; aut à generali Concilio, in cuius medio Christus ipse est, & Spiritus veritatis realiter præsens existit, sententiamq; per ora Patrum, qui Ecclesiam repræsentant, veraciter dictat. Habitat enim Spiritus ille, non in mortua littera, sed in viuo corpore Christi, quod est Ecclesia, quam gubernat, sicut anima corpus. Non in verbis aut syllabis scriptis, sed in cordibus fidelium, quæ sunt epistola viua (vt ait Apostolus) nam verè viuunt per fidem. Sicut enim corpus ex anima, ita & anima, seu vt dicit Apostolus, iustus ex ex fide viuit. Quando ergo clamant Lutherani (verbi gratia, circa hæc verba, Hoc est corpus meum) suum sensum esse verum; contra vero clamant alii hæretici, vt Zuingliani, suum esse veriorem: Catholici vero reclamant vtrisque; quis hic, quæso, eloquatur sententiam? cum ipsa Scriptura de seipsa, neque pro illo, neque pro altero decernat? Nemo profectò iustius, quam summus Pōtifex, aut generale Concilium. Diuina enim Scriptura, in cōtrouersiis, nō ad Scripturam mutam, sed ad summum Sacerdotem ire iubet, vt ab eo petatur iudicium veritatis, vel iudicii veritas. Deuter. 17. c. Sic & Malachias ait: Labia Sacerdotis custodiunt scientiam, & legem requirent ex ore eius: quia Angelus Domini exercituum est. Sic Christus iubet audire, non mutas literas, sed Ecclesiam vnam. Denique & Paulus cum Barnaba, in cōtrouersia de circumcisione exorta appellauerunt, nō ad Scripturā, quę decernere nequit, sed ad Apostolos & Seniores in Hierusalem. Et illi eam controuersiam determinantes, nō Scripturam, sed Spiritum S. & seipsos posuerunt iudices dicentes; Visum est Spiritui S. & nobis, &c. Si autem aduersarii Pauli fuissent tam peruicaces & rebelles Ecclesiæ, quum hodie sunt Lutherani; ac nequaquā acquieuissent illi iudicio, sed dixissent; Quæ Scriptura decernit, ne circumcidantur gentes; in hanc vsq; diem permansisset ea de circumcisione controuersia; quandoquidem non Scriptura, sed Spiritus S. per Apostolos & Seniores eam determinauit. Hæc & id genus alia Cochlæus ad Primatem Scotiæ, contra exceptiones & tergiuersationes Lutheranorum, in materia de indictione Concilii, à quo illi sibi metuebant. *Cochlæus in Luthero I. Sl. lib. 8.*

Faciebat Saxo omnia ex consilio Lutheri, qui nimis dementauerat Principem, nimium credentem. Eiusdē Pseudoeuangelistæ importuna & effrenis dicacitas, & odium plus- XXXIII.

Noua hæreſeos turba in Miſnia excitatur.

quam Vatinianũ in Georgium Saxoniæ Ducem per omnia Catholicum virum, hoc anno 1533. ineunte nouas in Miſnia turbas excitauit, quæ ad hunc modum acta fuit. Erant Lipſiæ ciues aliquot contagione nouorum dogmatum infecti, quos Lutherus ſecretis machinationibus à fide maiorũ auerſos, in naſſam ſuam pertraxerat. Hi Dominicis diebus ad pagum proximum, nomine Holtzhauſen, qui ad ditionem Electoris ſpectabat, excurrebant, vbi prædicabat homo Lutheranus, populumque ſub vtraque ſpecie communicabat: quem aliqui Diaconum, aliqui purum laicum, ac lini textorem fuiſſe exiſtimabant. Hæc vbi cognouit Dux Georgius, prohibuit, ne quiſquam ſubditorum Lipſienſium ad pagum iſtum poſthac iret. Cum vero multi iam infecti eſſent ab illo, & occultè Lutherizarent, pius Princeps, vt morbidas oues à ſanis diſcernere poſſet, iuſſit certa dari ſymbola, in modum nummi procuſa, quæ Sacerdotes confitentibus atque cõmunicantibus tempore Paſchali darent, & illi redderent Senatui, cum profeſſione nominis quiſque ſui. Voluit enim, vt omnes expiati prius per Confeſſionem, in Paſchate ſacram Synaxim ſumerent, ritu Catholico, eaque ſeſe puros eſſe teſtarentur ab hæreſeos inquinamento. Accidit hoc permoleſtum iis, qui nouis rebus dediti Lutherum ſequebantur: quem ſub finem Quadrageſimæ conſuluerunt, Num metu Principis ſui, ſalua conſcientia poſſint ſub vna ſpecie communicare. Reſpondit Lutherus feria ſexta magnæ Paſſionis, biduo ante Paſcha. Quoniam (*ſcribit*) nullum è vobis noſco, neque ſcio, quomodo ſe habeat cor & conſcientia veſtra, hæc mihi optima videtur ſententia. Quiſquis hac de re inſtructus, in conſcientia ſua, pro Dei verbo & ordinatione tenet, quod vtraque ſpecies recte detur; is ſub corporis & animæ periculo, contra eiuſmodi conſcientiam ſuam, hoc eſt, contra Deum ipſum, non agat. Iam vero quoniam Dux Georgius nititur etiam ſecreta conſcientiæ explorare, dignus omnino eſſet, vt deciperetur, veluti Sathanæ Apoſtolus, quacumque id ratione fieri queat. Non enim habet neque ius vllum, neque opportunitatem, tale quid poſtulandi; & peccat in Deum, & in Spiritum S. Verum, quum nos conſiderare debeamus, non quid alii faciant homines mali, ſiue homicidæ ſint, ſiue raptores; ſed quid nos deceat pati ac facere; in hoc ſane caſu optimum fuerit, vt ferociter dicatur in faciem huic homicidæ atque raptori; Hoc nolo facere. Si rapueris mihi propter hoc ſeu corpus, ſeu ſubſtantiam meam, alteri rapuiſti, cui exactè perſoluas, oportet: ſicut Petrus ait, Ieſus Chriſtus paratus eſt iudicare viuos & mortuos. Vade igitur bone raptor. Quod tu vis, nolo ego. Quod autem ego volo, id Deus quoque propediem volet. Id experiemini. Oportet enim Diabolo crucem in faciem impingere, & nõ multum vel applaudere, vel blandiri. Sic ſciet, cum quonam res ſibi eſt. Hoc epiſtolium, vt Lipſiam perlatum eſt, ſacratiſſimis Paſchæ diebus, quando populus maxime deuotus, vnanimiſque eſſe debet, odiorum diſcordiæque faces in animis ciuium accendit: ex quibus Senatus turbas metuens inquiſitionem inſtituit; cumq; res ſeriò ageretur, inuentum tandem fuit Lutheri autographum, & ad ipſum Principem Georgium continuò tranſmiſſum. qui cum ſuos ad inobedientiam & proteruiam inſtigari cerneret, datis ad nouum Electorem Ioannem Fridericum literis, de contumelioſa Lutheri epiſtola queſtus, ſcripſit, ea non exiſtimationem ſuam lædi modo, ſed & ſubditos ad proteruiendum & rebellandum concitari. Id vero contra pacta fieri, quæ nõ ita pridem anno 1527. inter ipſum Electoris parentem Ioannẽ, & ſe Georgium ſint inita. Hortabatur ergo, vt compeſceret inſolentiam Lutheri, eumque cogeret ab inferendis huiuſmodi contumeliis tandem abſtinere. Elector, vt & ſatisfaceret Duci Georgio, nec pacta familiæ per parentem erecta violare videretur, Luthero ſcripſit; delatum ad ſe, quod ſubditos agnati ſui mouere per literas conatus ſit, vt inſurgant contra Principem ſuum, & ſeditioſa conſilia machinentur. Id vero ſibi nequaquam tolerandum, ſed hoc agendum potius, vt huiuſmodi delictum iuſtis pœnis vindicetur. Quod ſi forſan ipſe putet iniuriam ſibi fieri, & immunis ſit ab intentato crimine, diluat obiectionem hanc datis ad ſe literis, mentemque ſuam declaret. Niſi enim id fiat, ipſum non alio loco, quam quod reus ſit, apud ſe quidem futurum.

Lutherus, acceptis Principis ſui literis, in rabiem propemodum verſus fuit. XXXIV. Id vero cumprimis dolenter tulit, quod inſidioſas ſuas & clancularias machinationes detectas vidit, quas ipſe non ita pridem editis libellis ſcripſerat, *Nullo pacto tolerandas*. Et inter ſuos quidem animi prorſus efferati, ſigna dedit in Ducem Georgium, quem non ſpiritualiter modo, ſed & corporaliter à Dæmone obſeſſum aiebat: atque hunc extremum ipſius furorem eſſe, priuſquam intereat; quod breui ſit futurum. Nec iam aliud rogandum Deum, niſi vt hanc tandem fundi calamitatem tollat è mundo, & in imum inferni barathrum præcipitet hominem, quo nullus vnquam ab exordio generis humani, ne Pharao quidem, nec ipſe Papa crudelior & immanior tyrannus ſurrexerit, aut ſæuior Euangelii perſecutor. Edidit præterea tractatum, quo publice reſpondet, ad obiectum ſeditionis crimen, vnaque Lipſienſes prolixè conſolatur ſuæ factionis homines, quos Dux Georgius, cum in erroribus pertinaces eſſent, alio migrare iuſſerat. Quod Principem ipſum Apoſtolum Sathanæ nominarit, id non ſine iuſta cauſa factum aſſerit. Licet enim honoratum in Imperio locum habeat inter Principes, alio tamen honore dignum, & non eſſe coram Deo, cum de negotio religionis agitur, quam Herodi, Pilato, Iudæ, aliiſque horum ſimilibus, forte tribuimus, qui Chriſtum cum Apoſtolis propter Dei verbum è medio ſuſtulerunt. Induiſſe Principem Sathanæ laruam, eiuſque mandatum ſub titulo Magiſtratus promulgaſſe. Ea de re voluiſſe ſe monere ſubditos, cum appellauit Apoſtolum Sathanę, cui crucem in faciem dixerit impingendam. Magno ſe honore affeciſſe Magiſtratum politicũ, qui per fætidos & pediculoſos Monachos in Papatu conculcatus fuerit. Hanc enim ſibi deberi laudem, quantumuis inuito Sathana, eiuſque ſquammis, quod ab Apoſtolorum ſeculo, nullus Doctorum ſcriptorumque veterum, nullus Theologorum aut Iuriſconſultorum, tam inſigniter conſcientiam politici Magiſtratus ſtabilierit, inſtruxerit, & conſolatus ſit, quam ipſe fecerit: nec Auguſtinũ, nec Ambroſium hac parte ſecum cõparandum. Cõpellat deinde exules Lipſenſes, eoſq; cõſolatur rationibus vndecumq; cõquiſitis; vbi de doctrina ſua thraſonice loquitur, & Auguſtanam Confeſſionẽ, eiuſq; Apologiam illis commendat, hortaturq; ne ſe vllo pacto patiantur à cõceptis opinionibus & inſtituto dimoueri. Multa vero paſſim inſpergit cõtumelioſa prorſus in Ducem Georgium, Principem veræ pietatis, conſtantiæ, prudentiæq; laudibus apud omnes bonos celebratum, in quem velut ſedens pro tribunali, ſententiã æternæ damnationis pronunciat in hunc fere modũ: Si doctrina noſtra verum eſt Dei verbum, neque de eo dubitamus, illud quoque certum habere poſſumus, quod Georgius Saxoniæ Dux cum aſſeclis in noſtro conſpectu damnatus, ad imum inferni barathrum deſcendat, æternis ignibus cremandus. Hæc Lutherus, velut ex tripode ſententiam ferens, duabus circumſcriptam conditionibus, quæ totum eius robur eneruant. Neque enim hæreſes Lutheri ſunt Dei verbum: nec ea de re, vel ipſe, vel aſſeclæ certitudinẽ vllam habere potuerunt aut poſſunt. Quod cum nõ ignoraret Princeps laudatiſſimus, vnaque ſecum expenderet, non Lutherum apoſtatam, Eccleſiæq; perduellem, ſed Chriſtum filium Dei viui cõſtitutum à Patre iudicem viuorum & mortuorum, iſtos phrenetici hominis latratus facile contempſit, & ſpretis inanibus huiuſmodi terriculamentis, tanto maiori conſtantia, fidem à ſanctis maioribus acceptam profeſſus eſt, ad extremum vſque vitæ Spiritum; eoq; facto à temeraria ſententia Lutherani tripodis, hæreſim, irã, odium, furoremq; ſpirante, ad tribunal ſupremi iudicis prouocauit.

Lutherus acriter in Ducẽ Georgium Saxonem inuehitur.

Cæterum huic virulento Tractatui, Principis ipſius nomine ſcriptum Apologeticum oppoſuit Ioannes Cochlæus, in quo ſigillatim ad Lutheri mendacia, virulentas calumnias, & contumelioſos latratus reſpondet. Commemorat etiam quam benigne & clementer cum Lipſienſibus actum ſit, qui cedere domo, quam ad Eccleſiæ communionem redire maluerunt; vt cauſam non habeant, cur de ſeueritate Principis cõquerantur. Præterea demõſtrat ad officium hoc pertinere Chriſtiani Principis, vt obſiſtat hæreticis ſubditos ſuos ſeducentibus, eorumq; turbulentos conatus impediat. Hunc librum, vbi typis fuit expreſſus, autor ipſe Cochlęus ad Ioannẽ

Fride-

Fridericum Electorem miſit, eumq; humiliter rogauit, adiunctis literis, vt Lutherũ ad ius prouocantẽ legitimo iudicio ſiſtat; ſe futurũ aſſerens ipſius antagoniſtã, etiam ſub vitę periculo: nec recuſare mortem, niſi hæreticũ illum eſſe, & ſeditioſum hominem ſolidis rationibus euidenter demonſtret.

XXXV. *Georgius Dux Saxoniæ Lutherum per legatos apud Principem inſolentiæ accuſat.*

Iam & Princeps ipſe Georgius, cum contumelioſum illud Lutheri ſcriptum prodiiſſet, legatos Altemburgum miſit ad Electorem agnatum, qui de Lutheri petulantia, atq; iniuriis grauiter cõqueſti ſunt, eumq; velut aperti mendacii, periurii, ſeditionis, atq; apoſtaſiæ reum egerunt, indignum prorſus, cui fides à quoquã habeatur. Erat Princeps Elector plane faſcinatus cæco quodam in Lutherũ affectu; quo factum eſt, vt illatam agnato ſuo contumeliã, atroceſq; iniurias diſſimularet, & offenſionem hanc ad Conuentũ reiiceret habendum 28. Octob. ad inſtaurandam inter Principes cõcordiam. Lutherus igitur, cum ſe delatũ intelligeret apud Principem, factus inſolentior, erumpente ſtomacho calamum arripuit, & priores cõtumelias additamento quodam cumulauit. Edidit enim breue ſcriptum, cui titulum fecit; *Ad Ducis Georgii librũ nuper editũ* (Cochlæi librum intelligit) *Doctoris Martini Lutheri parua reſponſio*. Paruam nominat, quia maiorem meditabatur & acerbiorem, cui breuem hanc & ſuccinctam, ceu prodromum quendam præmittere voluit. Inſtabat Conuentus ille, quem diximus, in quo de ſarcienda concordia, pactiſq; renouandis agendum erat. Itaq; Lutherus mordaciorem vel aſperiorem calamum ſe tantiſper, ait poſiturum, donec Conuentus iſte ſit habitus; ne ſi nunc iracundiæ motus effundat ſtomachum, pacis ineundæ conſilia turbaſſe videatur: poſtea ſe maiores producturum copias, & acerbius cum aduerſariis acturum inſinuat.

XXXVI. *Lutheri cõtumeliæ in monaſticũ ſtatum.*

In hoc vero tractatu primum ad ea reſpondet, quæ Legatos Georgii Ducis ad Electorem detuliſſe ſupra diximus, à quibus mendacii, ſeditionis, apoſtaſiæ atq; periurii fuerat accuſatus, quæ crimina non agnoſcit, imo violenta manu, conatu tamen prorſus irrito, in Catholicos retorquet. Poſt ex Cochlæi libello delibat quædam; illud inprimis, quod ante paucos annos Saxo & Landgrauius Epiſcopis in Germania magnam pecuniæ vim extorſerant; cauſati fœdus, quod à Catholicis contra ſe factum dicebant: falſo quidem illud, quemadmodum Catholici ſolide non minus quam euidenter demonſtrarunt. Omnia vero ſannis, dicteriis & ſcommatis permiſcet, vt ridere potius laudatiſſimum Principem, & ſubditis conculcandum obiicere, quam ad obiecta crimina reſpondere videatur. Vbi vero de apoſtaſia loquitur, malle ſe, dicit, oſſibus confractis in rotam agi per carnificem, vel exuſtum in cineres redigi, quam à Duce Georgio laudem ferre, quod bonus ſit & voti obſeruans Monachus. Fuiſſe ſe quidem religioſum piumque Monachum, imo vitam adeo ſeueram duxiſſe, iuxta leges Ordinis, vt ſi quis Monachorum per Monaſticen, vnquam peruenerit ad cœlum, audacter dicat, ſe iſtuc fuiſſe peruenturum. Id teſtari poſſe, quotquot habuerit vnquam ſocios, cum adhuc in monaſterio vitam degeret. Nec dubium eſſe, ſi diutius manſiſſet in illo vitæ genere, quin ſeipſum vigiliis, orationibus, ſtudiis, aliiſque laboribus plane confeciſſet. Iam vero, ſi periurus eam ob cauſam cenſeatur & apoſtata, quod his ſe monaſticæ vitæ difficultatibus & moleſtiis exemerit, felix illud eſſe periurium, & beatam apoſtaſiam; cum diſceſſerit ab eorum hominum conſortio, qui Chriſtum Saluatorem abnegarint, cumque blaſphement & crucifigant denuo, qui ſanguinem eius & mortem afficiunt contumelia; quos non iniuria, cum rigidam vitam ducunt, Sanctos & Martyres ipſius Diaboli appelles. Aſſueſcendum enim, ait, homini Chriſtiano, vt cum audit nominari Monachum, abnegatorem Chriſti, apoſtatam, fidei deſertorem, hominem diabolo confœderatum, & magum animo concipiat. Monachos certe magos & hiſtriones eſſe Diaboli, qui næniis ſuis vniuerſum mundum faſcinauerint, & excæcauerint; quorum culpa factum dicit, vt Saluator Chriſtus, eiuſque ſanguis & paſſio apud homines in obliuionem venerit. Ab his igitur periuris & ſceleratis nebulonibus ſe diſceſſiſſe fatetur; quæ ſi apoſtaſia dicenda ſit & periurium, apoſtatam & periurum fuiſſe Diuum Bernardum, quem in morbo quodam, *mentitur*, à monachatu defeciſſe; cum ſeipſum in tentatione, non operum monaſticorum, ſed diuinæ miſerationis & meritorum Chriſti fiducia, contra Diabolum impugnantem ſuſtentarit. Quanquam vero nec habitum monaſticum abiecerit D. Bernardus, nec profugerit è monaſterio, vel vxorem duxerit; ſatis tamen eſſe, quod animo ſe diuulſerit à ſtatu monaſtico, deque eo deſperarit; vt non minus quam ipſe, coram Deo pro vero apoſtata, periuro, & profugo monacho ſit habendus. Qua ratione & S. Auguſtinum, & S. Gregorium à fiducia monaſticorum operum ad aſylum miſericordiæ diuinæ, Chriſtique præſidium profugiſſe contendit; ideoque ſecum pro apoſtatis habendos. Hæc Lutherus malitioſe ſimul & mendaciter, in contumeliam monaſtici ſtatus eblaterauit, quaſi huc tantum ſpectet monachorum inſtitutum, vt abiecta fide baptiſmum abnegent, & cum diabolo veniant in fœdus, & crucem, mortem, ſanguinem Chriſti conculcent: atque in huius impietatis conſortium Sanctiſſimos etiam vitæ monaſticæ cultores, Auguſtinum, Gregorium, Bernardum pertrahere non erubeſcit; quin & hos, vt impietatem cumulet, in eandem ſecum apoſtaſiæ, periuriique culpam inuoluit, quæ fœda prorſus & piis mentibus abominanda mendacia, tam impudenter in eum finem euomuit, vt cauſam habuiſſe videatur, cur fracto caſtitatis & obedientiæ voto, ad inceſtas nuptias cum conſecrata Deo Virgine conuolaret.

Hæc dum iactaret Lutherus, ac opera bona omnino nihili duceret, in familia ſua hoc ipſo anno 1533. magnum pietatis & religionis contemptum animaduertit. XXXVII. Cui malo, vt medium adhiberet, decreuit omittere Conciones publicas, & Dominicis diebus concionari domi ſuæ priuatim, vt liberos & familiam ſylueſcentem, à rerum diuinarum contemptu reuocaret. Ionas, qui Luthero maxime familiaris erat, miratus, cur abſtineret à publico, cauſam eius rei quæſiuit, autumatus, id forte propterea fieri, quod tantam videret in populo diſſolutionem, diuiniique verbi contemptum. Reſpondit ille, facere ſe hoc ex debito, conſcientia dictante, nimirum, vt boni patrisfamilias officium exequatur: cum verbum Dei tam in Eccleſia publicè, quam priuatim in familia ſua, negligi atque contemni deprehendat. Atque hinc poſtmodum nata eſt Poſtilla Lutheri, quam vocant domeſticam; Concionibus illis ſcilicet, quas ad hunc modum domi ſuæ priuatim habuit, in vnum volumen congeſtis.

Lutheri Poſtilla domeſtica.

Quod vero contemptus legum & Magiſtratuum, ac proinde virtutum omnium, neglectus, atque adeo flagitiorum omniũ, quæ, vel ex inobedientia, vel rebellione ac ſeditione naſcuntur, idem ipſe Lutherus apud ſuos auctor & doctor fuerit, VVicelius, qui decennio in ſchola Lutheri inter primos miniſtros fuerat, omniaque exactiſſime nouerat, habuit confidenter demonſtrare, dum Ionæ, Cordato, ac Raideno Lutheranis reſpondens, pronunciat. XXXVIII. *Qui fax & origo totius calamitatis extitit, is in ſummum cacumen euectus, rerum bellè potitur. Vere Leo (nam ita volunt prædicatum) in cubili ſuo accubans, qui ſibi catuliſque ſuis ſufficienter cepit. Quare rugitu ſuo miſera animalcula perterrefacit, vt ne mutire quidem contra audeant. & attrahit pauperem, vt attractum deuoret.* Dic mihi, ad quem fecit in Conuentu VVormacienſi Secretarius Badenſis, hæc verba; *Ingentes motus excitaturi ſunt libri tui? An fefellit cum opinio? Quis primum ſcripſit, Verbum Chriſti annunciare tyrannis tumultum? Quis ſuaſit, vt quiſquis poſſit & velit, diſcindat atque aboleat Bullas, imo in cinerem vertat valuas, quibus fixæ eæ ſint? Quis ſuaſit, Monaſteria ſolo æquanda eſſe, vt Diaboli lupanaria? & ſat eſſe cauſæ dixit, cur Eccleſiæ Collegiatæ, vna cum Monaſteriis & ſacellis eradicentur? Quis cecinit Dorium hocce, Epiſcopos commeritos, vt è Chriſtianiſmo, ceu lupi, fures & latrones expellantur? Quis ſcripſit de lotione manuum in ſanguine Cleri Romanæ Eccleſiæ? O Thraces, ô Scordiſci, qui adeo humano ſanguine delectamini! Mirum, quod non ex oſſibus capitum magis bibere libet, quam ex ſcyphis auratis. Taceo hic Bohemicum exemplum, quod minatur Aematodipſus ille: quem refert epiſtola ad Lyncum, in qua abſque miſericordia perdantur Papiſtæ.* Hæc & id genus ſeditioſa ſcripta non pauca obiecit ex Lutheri libris Lutheranis Wicelius; ad quæ ſane nihil reſpondit Lutherus, niſi quod in Raideni librum ſcripſit præfationem Theutonicã, in qua magno faſtu & contemptu ait, manifeſta mendacia reſponſo digna nõ eſſe: Wicelii impudens os & cor, cõtra propriam ſuam cõſcientiam mentiri adeo manifeſte, vt etiam eius Papiſtæ palpare queant, etiam ſi cæci eſſent: ideo nõ eſſe dignum leuem illum nebulonem, ad

 cuius

cuius scripta debeat respõdere. Hac Lutherus calumnia soluit, iudice se & cæco vulgo suo, cuncta Viceliiargumẽta. Verum apud cordatiores, cœpit indices suspectior heri Lutheri doctrina, dum viderẽt ab ea deficere doctos & disertos quosdam viros, stylo & ingenio valẽtes; maxime quando viderẽt, q̃ nouitate Lutherana, rudis populus retraheretur à cõcione publica, & seduceretur angulari p̃dicatione, aut lectione laicorum, quos nemo in Ecclesia Doctores cõstituisset: quique nullum parerent fructum bonum: de quibus dicere t Dominus per Prophetam; Expectaui vt facerent vuas, & fecerunt labruscas: de quorum auditoribus Erasmus Roterodamus scriberet Vulturio; Nunquam Ecclesias illorum ingressus sum, sed aliquando vidi redeuntes à Concione, veluti malo spiritu afflatos, vultibus omnem iracundiam, ac miram ferociam præ se ferentibus. Nemo etiam vnquam vidit in illorũ cõcionibus quenquam, pro peccatis suis fundentem lachrymas, tundentem pectus, aut ingemiscentẽ. quæ omniũ cum Lutherus secum expenderet, maiorẽ in modũ torquebatur, lacerante illum cõscientia, & iam iusto iudicio prædamnãte.

XXXIX. *Lutheri sõnium de extremo iudicio.*

Memorant, qui familiariter cum Luthero vixerunt, eum hoc ipso anno 1533. per ætatem frequenter nocturnis terriculamentis infestatum fuisse, & horrendis somniis perturbatum, de fine mundi, extremoq; iudicio. quibus etiam somniis & terroribus occasionem dedisse videtur Michael Stifelius, apostata Monachus, è primis Lutheri discipulis non infimi subsellii vir, à quo monitus fuit, mense Maio supremũ mundi diem ante festum D. Michaelis, quod in 29. Septembr. incidit, certò certius imminere. Retulit hoc inter suos Lutherus; & licet improbaret Stifelii temeritatem eo tum tempus designantis, nihil tamen dubitandum dixit, quin in proximo fit magnus ille dies, quo venturus est ad iudicium Christus. Se quidem illum, ait, expectare perpetuo post vernum æquinoctium in Aprili, circa Paschatis festũ, cum omnia per hyemem emortua reuiuiscunt: & habere causas, cur sub illud anni tempus Christum venturum omnetur.

XL.

Erat Stifelius ex eorum numero, qui Lutherũ velut Euangelistam, magnũ Prophetam Germaniæ, adeoq; ceu tertium & vltimũ Eliam admirabantur, quem Angelum illum Apocalypticum esse dictitabat, voluntatem per medium cœli, habentem Euangelium æternũ, vt euangelizaret sedentibus super terram: se vero septimum esse dicebat Angelum, de quo Ioannes scribit in Apocal. cap. 10. cuius tuba cum insonuerit, rerũ omnium finem denunciabit. Hanc tubam sibi diuinitus aiebat traditam, vnaq; reuelatum, quod dies Domini è proximo nunc instet. Se quidem inuitum, ait, hunc Christi aduentum denunciare; sed vrgeri tamen diuino mandato, vt aliter non possit. Hæc Stifelius, qui rem hanc adeo certam habuit, vt & libros suos, supellectilem, & cætera id genus donaret aliis, quæ post iudicium necessaria sibi non futura putabat. Sub finem Septemb. transacto iam fere tempore quod designauerat, Wittembergam reuersus denuo secretum cum Luthero colloquium habuit, eiq; scriptum suum quoddam obtulit de mundi fine, in 22. articulos distinctum, cuius hæc erat summa. Anno Domini 1533. 10. mense Octobr. scilicet, (id vero supputabat ex his verbis; Iesus Nazarenus Rex Iudæorũ; item, videbunt in quem transfixerũt, quorum prius si literas colligas, cõtinet numerum anni 1532. posterius vero anni 1533.) hebdomade quadragesima secunda, secundo die eiusdem hebdomadis, sub octauam matutinam, aduentum Christi iudicis, extremumq; seculi diem imminere: Christũ hominem ignorasse diem hunc, dum adhuc mortalis fuerit; scisse tamen eundem, posteaquam reuixerit superata morte, & secretum hoc manifestasse, priusquam in cœlum ascenderet. Lutherus cum hominem audiuisset, silentium illi putauit imponendũ. Id vero Stifelius permoleste tulit, testatus, se vehementer mirari, quod Lutherus rem adeo certam non crederet. At ille; Domine Magister, inquit, in Papatu silentium ferre potuisti ad decennium (fuerat enim monachus) quæso te, vt exigui temporis moram patienter feras. Stifelius qui se multum amari nouerat, & magni fieri à Luthero, dolere sibi vehementer ait, quod is in dubium vocaret rem adeo certam. Interim obstinate perstitit in sententia, nec eximi sibi passus est opinionem istam, quam veluti oraculum diuinitus editum mordicus apprehenderat. quo factum est, vt hæc persuasio multorum animos occuparet. Posteà vero, cum S. Lucæ festum transiisset (quo die finem mundi adfuturum expressis verbis edixerat) nec impletum esset vaticinium ipsius, res in ludibrium abiit, & qui Stifelio crediderant omnibus risui fuerunt. Ipse vero per rusticos suppreh ensus fuit, & Wittembergam ductus. Vbi, cum in carcere detineretur, Lutherus visitauit hominem, eumq; monuit, vt vel nunc demum, cum iam bis sibi impositum videret, à delirio ad sanam mentem rediret. Cui Stifelius ad eum modum respondit, vt se Lutherus à nullo vnquam durius & asperius exceptum diceret. Mansit igitur velut attonitus in erroribus semel conceptis, nec vnquam à dementia videtur integre restitutus. Vixit quidem ad extremam ætatem vsque, ac tandem octuagenarius anno 1567. Ienæ supremum vitæ diem clausit, nec delirare prius, quam viuere desisse videtur. Cum enim in agone iam esset, & extremos duceret Spiritus, mortem cum qua luctabatur falsè ridens, animam exhalauit; quemadmodum testatur, qui morienti Stifelio astitit, Nicolaus Selneccerus.

XLI. *Lutheri nocturna cũ Dæmone disputatio.*

Sub finem huius anni 1533. prodiit tandem in lucẽ histo ia nocturnæ disputationis, quam Lutherum de sacrificio externo, & Sacerdotio nouæ legis cũ Diabolo habuisse supra narrauimus. Eam vero descripsit Lutherus ipse, qui solus cum Dæmone congressus est; quanquam id non hoc anno, sed 1521. & quidem in castro Wartbergensi factum supra demonstrauimus: quod ipsum, præter rationes, quas adduximus, & huius opusculi textura suadere videtur; genius inquã & filum dictionis, & phrasis ipsa; inprimis vero, quod frequenter vtitur voce transmutationis in Eucharistia, quę primis quidẽ annis inter Lutheranos aliquamdiu mansit in vsu; verum hoc anno 1533. cum hic libellus ederetur, iam prorsus obsoleuerat. Accedit, q̃ inter huius opusculi præfationem, & historicam colloquii descriptionem, si attente legas, hiatus quidam deprehenditur; quæ res argumento est, colloquium hoc alio tempore habitum atq; descriptum, eiq; nunc postliminio, cum edendum esset, præmissum exordium, & declarationem additam fuisse. Igitur verisimile est anno 1521. quo habitum ostendimus hunc cum Sathana cõgressum, statim, dum recens fuit memoria, literis mandatã fuisse rei gestæ seriem, ac summam disputationis; repositam vero, vt ex ea suo tempore liber hic cõficeretur. Certe cum anno 1521. Lutherus epistolam diuulgaret ad Augustinenses, scriptam de abroganda Missa, alium se quendam librum hac de re scripturum pollicetur; cuius promissionis debitũ exoluit nunc tandem, dum nõ modo protocollum nocturnæ disputationis in lucem retulit, fideliter à se cõtextum, sed & rationibus à Diabolo productis insignem addidit colorem, easq; ad instruendos discipulos prolixa quadam exegesi declarauit.

XLII.

Horrenda nimirum res, & omnibus retro seculis inaudita, Sathanam audire de magnis fidei mysteriis differentem, & quod ille prodit seculis omnibus incognitum dogma, ceu traditam diuinitus veritatem amplecti, tueriq́ue. Quod in hac causa Lutherum feciſſe liquidum satis est, & manifestum ex hoc libello; in quo, præfationis loco, de sublatis indulgentiis quædam præmittit, deque iurisdictione Episcoporum in Ecclesiæ ministros, quam insinuat deinceps conseruari posse, si Papistæ velint. Post ex abrupto dilapsus ad hoc colloquium: *Ego*, inquit, *exordiar à meipso, & confessionem edam coram vobis sanctis Patribus*; (*sic Episcopos compellat*) *Date mihi bonam absolutionem, quæ vobis ipsis non adferat detrimentũ. Cum tempore quodam euigilarem circa medium noctis, huiusmodi disputationem mecum exortus est Sathan. Heus, inquit, eximie Doctor, an ignoras, quod annis quindecim Missam celebrasti pene quotidie? Quid? Si huiusmodi cultu nihil aliud, quam idololatriam exercueris, nec in Missa verum Christi corpus & sanguinem adoraueris, sed nudum panem, merumque vinum, atque eadem aliis adoranda proposueris? Ad hæc Lutherus*; *Ego vero Sacerdos sum*, inquit, *vnctus Chrismate per Episcopum, & ritè consecratus, feciq́ omnia ex mandato superiorum & obedientia. Quidni igitur Eucharistiam vere confecerim, & consecrarim? quandoquidem ferìò prolocutus sum verba consecrationis, & quanta potui deuotione Missam peregi. Verum hoc à me dici, nec tu vicissim ignoras. Excipit Diabolus: Verum est, fateor. At Turcæ etiam & gentiles in templis suis omnia faciunt mandato superiorũ ex obedientia, & ferìò peragunt cultus suos. Sacerdotes Hieroboam omnia faciebant attentius forte, nec minus deuote, quam qui erant Hierosolymæ Sacerdotes. Quid autem? Si & ordinatio tua, vel vnctio, & consecratio, nec Christiana sit, nec vera? Quemadmodum Turcarum & Samaritanorum falsi sunt Sacerdotes, falsus est, & impius cultus.*

Hoc loco, inquit Lutherus, erupit mihi profectò sudor, & cor tremere cœpt abat, atque palpitare. Diabolus insigniter argumenta sua dirigere nouit in aduersarium, & vehementer vrgere: vocem habet grauem atque robustam; nec in huiusmodi disputationibus multum temporis intercedit ad deliberandum, sed responsiones alternantur velut in momento. Atque ego quidem in hoc congressu satis expertus sum, qui fiat, quod mane nonnunquam inueniuntur homines in lectis mortui. Potest corpus occidere Diabolus; hoc vnum est; quin & animam disputando potest in eas angustias redigere, vt illi migrandum sit, in momento: quò me frequenter ab eo pene redactum memini. Sane quidem in hac disputatione tenebat me velut comprehensum. Ego perquam inuitus coram Deo sustinuerim grandem istam innumerabilium abominationum congeriem, quam obiecerat; sed lubens admodum innocentiam meam defenderim. Attendebam igitur dum sermonem prosequeretur, quas rationes contra Sacerdotium meum & consecrationem in medium adferret. Hactenus Lutherus.

XLIII.

Diabolus autem attentum nactus auditorem, ex intimo mendaciorum penu rationes protulit ad euertendum Sacerdotium, & iuge sacrificium, omninò quinque, de quibus cursu non interrupto disseruit oratione satis prolixa, quam hoc loco attexere nihil attinet. Ea tantum breuiter inseremus, in quibus vim argumentorum & neruum posuit Sathan.

Principiò, Lutherum, ait, cum ordinaretur, in Christum vere non credidisse, sed quod ad fidem attinet, nihilo meliorem fuisse Turcis, paganis, infidelibus, adeoque dæmonibus ipsis. Itaque nullam habuisse conferendi potestatem: quod non de Luthero tantum afferit, sed de vniuerso Catholicorum Sacerdotum ordine; ad quem abolendũ, euertendumq; iuge Sacrificium hæc instituta fuit disputatio.

Secundò, ordinari Sacerdotes, & deinde Sacerdotium exequi dum sacrum peragunt, cõtra mentem & institutionem Christi, ex cuius sententia distribuendam esse fidelibus Eucharistiam dicit, nec solis Sacerdotibus sumendam; vnde cõmunionis nomen apud veteres originem habeat; Christum ignorare Sacerdotum istorum vnctionem, qui Eucharistiam participant soli.

Tertiò, Christi mentem esse, vt qui celebrant hoc mysterium, publicè morte ipsius annuncient, donec veniat, quemadmodum ipse testetur, & Diuus Paulus. At Sacerdotes, ne verbo quidem id exequi, nec prædicare Christum, dum Missam peragunt, sed Eucharistiam participare solos, & secretò quædam secum mussitare.

Quartò, velle Christum, vt Eucharistia sit communis, & aliis quoque porrigatur. At Sacerdotes in eum finem consecrari, vt Sacramentum in sacrificium vertant, atque id offerant Deo contra mentem & institutionem Christi; quæ sit abominatio omnium maximè detestanda.

Quintò, Christi mentem & institutum esse, quemadmodum iam ante dictum sit, vt Eucharistia fidelibus Ecclesiæ membris distribuatur ad roborandam ipsorum fidem, & Christum publicè prædicandum; ipsum vero Lutherum, aliosque Sacerdotes proprium ex eo quoddam opus facere, quod seorsim exequantur, semoti ab aliis, ac deinde quibus velint, communicent, & pretio vendant.

XLIV.

Hæc sunt argumenta, quibus consecrationem, sacrificium Eucharisticum, & Sacerdotium nouæ legis oppugnauit Sathan; quæ sane vehementer vrsit, atque identidem repetiit, inculcauitque ad nauseam vsque, & quibusdam amarulentiæ, blasphemiarum, scurriliumque dicteriorum emblematis exornauit; quibus etiamnum Lutherani, Sacramentarii, Anabaptistæ, cæteriq́ue Ecclesiæ perduelles, cum hoc argumentum tractant, vti consueuerunt, vt Sathanæ discipulos agnoscas.

Interim Lutherus his argumentis ad angustias se redactum asserit; vtque Diabolum abigeret, veterem se illi typeum obiecisse memorat, quo vti consueuisset in Papatu: intentionem scilicet, & fidem Ecclesiæ. Ille, facto rursus impetu, Cedo, inquit, vbi scriptum est, quod homini impio, fide prorsus destituto, super Ecclesiæ fide atque intentione Eucharistiam consecrare liceat? Vbi docuit hoc Deus? Vbi mandauit? Quomodo probas, q̃ Ecclesia fidẽ tibi suam & intentionẽ impertiatur, ad perficiendum hoc angulare & priuatum opus? Quod si homines id asserunt sine Dei verbo, falsum est & plane commentitium. Sic nimirum in tenebris agitis rem vestram sub Ecclesiæ nomine, eique postmodum omnes abominationes vestras tribuitis. Neque vero est, quod tu me doceas, quæ sit Ecclesiæ fides & intentio. Nihil illa credit, aut sentit extra mentem atque ordinationem Christi: multo minus quicquam amplectitur contra mentem illius, de quo supra dixi. Paulus enim inquit, 1. Corinth. 2. Nos autem Christi sensum habemus. Concludit tandem in hunc modum.

Quoniam igitur ab Episcopo non alium in finem vnctus es, & consecratus, nisi vt priuatam Missam peragas, idque contra Christi verbum atque ordinationem; contra mentem, fidem atque intentionem Ecclesiæ; certe prophanatus fuisti potius, vel execrationi subiectus, quam consecratus: est q̃ vnctio tua magis nihili, multoque peior, quam baptizatio campanarum, vel lapidum inunctio. Itaq̃ cum prolocutus es verba consecrationis, non est facta transmutatio, sed nudum panem obtulisti, merumque vinum, Ethnicorum more; & hoc ipsum tanquam bonum opus, piis fidelibus accepto precio vendidisti & communicasti, vt ventrem tuum pasceres. Vnde merito non Dei, sed ventris tui Sacerdotem te nomino. Quis vnquam maiorem abominationem? Quis fraudem, & damna maiora fidelium audiuit in cœlo & in terra?

XLV.

Hæc fere summa est fatalis illius disputationis; in qua Lutherus argumentorum vi superatus, submisit fasces, & in partes Sathanæ concessit; cui deinceps veluti electum organum, ad conculcandũ iuge sacrificium, quod in vltima cœna Christus instituit, & abolendum nouæ legis Sacerdotium fidelem operam nauauit. Atque eam rem tanto quidem affectu executus est, vt in hoc eodem opusculo, dum in altera parte rationes à diabolo propositas, paulo vberius tractat & explicat, maleuolentia, verborum acerbitate, & conuiciandi mentiendiq́ue audacia, Sathanam ipsum præceptorem superare videatur. In hanc vero posteriorem libelli partem varios congessit abusus, & quædam per impios Sacerdotes admissa scelera (si vera tamen sunt, quæ cõmemorat) quibus recensendis bonam huius exegesis partem occupat. Inprimis magno verborum ambitu, declarat ea, quæ diabolus in disputatione de fide & intentione Ecclesiæ disseruerat: vbi multum sudat in constituendo discrimine, quod inter Ecclesiam Catholicam, vbi ea publice ftatum suum habuit, antequam lucem ipse aspiceret, & occultam illam electorum Ecclesiam imaginatur. Hic omnes intendit fraudulentiæ suæ neruos, vt constitutã à Christo hierarchiam Ecclesiasticam, cuius beneficio domus Dei contra portas inferorum hactenus immota stetit, non ad Ecclesiam Christi, sed ad Synagogam Antichristi, vt ipse loquitur, pertinere demonstret. Quod commentum ex intimis ipsius Sathanæ faucibus hausit, vt libellus hic aperte testatur. Tantam vero virulentiam, tam acerbum odium in hoc cum Sathana nocturno cõgressu Lutherus imbibit, vt inter cætera scribat in hoc tractatu, Sacerdotem amictum habitu sacro, cum ad altare consistit, Eucharistiæ sacrificium, ceu propitiatorium oblaturus, non aliter intuendum quam teterrimum dæmonem, qui ex *imo inferni* barathro prodierit: Vnctionem vero, vel consecrationem huiusmodi Sacerdotis habendam pro execratione, cuius virtute ex homine Christiano in baptismate consecrato, per Episcopum in Diabolum sit transformatus. Horres proculdubio quisquis es Lector ad hæc verba! Sed memineris ea, per calamum ex illo pectore depromi, in quod prius mendacia sua contra Sacerdotium & sacrificium nouæ legis, & virulentiam omnem transfudit veterator Sathan.

XLVI.

Cum in publicum prodiisset tractatus hic, varia de eo fuerunt hominum iudicia. Catholicos quidem in fide maiorum de sacrificio & sacerdotio nouæ legis non parum confirmauit, cum in eo præceptorem aperte prodi cernerent; cuius Magisterio ductúque Lutherus ad hoc impietatis fastigium consenderat, vt quod Daniel extremis mundi temporibus, sub Antichristi tyrannide, de iugi sacrificio futurum prædixit, id ipse per diabolum instinctus & subornatus exequi cœptaret. Quain re summam agnoscebant Dei bonitatem, Catholicos Ecclesiæ filios admonentis, vt sibi cauerent, ab illo doctore, qui non ex ore Dei, sed è Sathanæ faucibus hausta fateretur, quod sub diuini verbi larua mundo venditabat. Itaque profuit multum, atque etiamnum prodest Catholicis hic tractatus, in quo magni momenti secretum quoddam apperit Lutherus, quod præter ipsum nemo mortalium nouerat, & velut intento digito demonstrat fontem, ex quo Missæ contemptus, & in eam abominandæ blasphe-

miæ, maledicta, sannæ, ronchi, dicteriaque fœdissima promanarunt. Offendit autem & Lutheranos quosdam illa disputandi ratio; nec deerant, qui Lutherum ad Sacramentarios propendere suspicarentur; quod in Missa post consecrationem, nudum panem & vinum remanere diceret; atq; id quidem per Diabolum edoctus: quem Sacramentarii dogmatis autorem libere non minus, quam constanter hactenus appellare cõsueuerat. Et quidem ex Catholicis Ioan. Cochlæus contrà illas Lutheri impietates protinus edidit sex libros Innocentii III. doctissimi atq; laudatissimi Pontificis, de sacro altaris mysterio, eosq; Ferdinando Romanorum Regi nuncupauit, inter cætera hæc scribens; Non arbitror, mihi ad Maiestatem Tuam scribenti, vel decorum, vel necessarium fore, exquisitis declarare argumẽtis, quanto iustius securiusque credendum sit tam pie ac erudito Pontifici, quam desperato, & in reprobum sensum dato apostatæ; cuius amarulentia, furor, inconstantia, fastus animi, & excœcatæ mentis malitia, iampridem vario rerum tractatuumque experimento, maiestati tuæ probe cognita sunt. Nec dignum existimo, aut rationabile, vt tam insanus, infamis, & impius Diaboli satelles, vlla ex parte vel doctrinæ, vel virtutis, cum tanto Pontifice conferatur, aut in comparationem vllam admittatur; cum in eo ne mica quidem vllius virtutis, aut sanæ doctrinæ, amplius sit reliqua. Hæc ibi Cochlæus; qui, ne Germaniæ populos negligere videretur, germanicè quoque respondit tam impio ac plane Diabolico Lutheri libro: vbi sic præfari incipit: Inquietus Ecclesiæ hostis Lutherus rursum nouum edidit librum cum hoc titulo, De Angulari Missa & Sacerdotum consecratione: in quo sane sanctissimum Patrem nostrum Papam, contumelioſe vocat Regem glirium; tanquam Cæsar, Reges, Principes, Cardinales, Episcopi, aliique Domini, qui eum pro summo Christi Vicario, summoque totius Christianitatis Pastore & Prælato agnoscunt, pro gliribus habendi sint: nostros vero Episcopos & Pastores vocat fures Dei, sacrilegos, Sacerdotes angulares, damnatos, fatuos, &c. Missam vocat abominationem; immaculatum altaris sacrificium vocat stercus, lutum, sordem, illuuiem: sacros Ordines, rancidum, putidumque Chrisma; quæ sane conuitia, supra modum horrenda, meritò debent omnibus Christianis esse intolerabilia, ac velut ignea tela serpentis, maxime abominanda, nec secus ac Diabolicæ blasphemiæ in æternas tenebras reiicienda, &c. Aduersus autem minas Luthericæ præfationis ita solatur Catholicos. Quod autem minatur nunc, se finem impositurum sacris Ordinibus Ecclesiasticæque potestati, sicut se fecisse indulgentiis iactitat; hoc nos Sacerdotes Catholicos, qui potestatem istam Ordinemque sacrum principaliter habemus non ab eo, neque ab vllo homine aut Angelo, sed à Deo ipso, deterrere non debet. Lutherus enim iam olim nouas edidit Bullas & indulgentias, ante duodecim annos, in seditioso libro suo, aduersus omnem statum Ecclesiasticum; tanquam ii forent veri Christiani ac filii Dei, qui & consilio, & auxilio coadiuuarent, vt Episcopatus, Collegia Sacerdotum, & omnia Monasteria delerentur. Cum autem miserè seductis agricolis, Diabolicus ille conatus male succederet; nouus iste Papa, nouas edidit aduersus eos indulgentias, vt quicumque rusticos illos perimeret, quocumque modo, palam aut occultè, is optimum præstaret Deo obsequium. Quod si in hoc opere interficeretur ipse, anima eius è vestigio mox in cœlum euolaret. Tale enim esse tunc tempus, vt Princeps aliquis cædibus & sanguinis effusione melius posset promereri cœlum, quam alii precibus. Quod si nunc ex ira Dei in angulo suo indulgentias, Missasque & Sacerdotales ordinationes, per sceleratas calumnias, sophisticasque nugas reddit, reddiditue contemptibiles; cogitur tamen è contra & audire & experiri, quod non solum in amplissimis regnis, longinquisque prouinciis Hispaniarum, Galliarum, Italiæ, Scotiæ, &c. verum etiam in proximis coram oculis, suis Principatibus Catholicorum Principum Saxoniæ, Marchiæ, Misniæ & Thuringiæ, adhuc quotidie à consecratis Sacerdotibus celebrantur (Deo sit laus & gratiarum actio) Missæ, statisque diebus annunciantur indulgentiæ; Lutheri autem nomen in plerisque locis ita exosum est, ac maledictum, vt illud neque in bono, neque in malo proferre liceat; quod profectò singularis & hactenus inaudita est plaga atque contumelia, vt Lutheri nomen odiosius sit, quam Iudæ proditoris, & quam Diaboli ipsius. quorum nomina longe tutius securiusque in iisce locis pronunciari possunt, quam nomen Lutheri. Hæc ibi contra Lutheri minas. Aduersus autem quinque argumenta Diaboli, quibus se victum dicit Lutherus, respondit Cochlæus, tum generaliter, tum specialiter. Generaliter quidem, postquam ex propriis verbis Lutherum de Transubstantiatione redarguit, ita subiungit. Non foret necessarium, ad argumenta Lutheri, quæ Diabolum proposuisse dicit, respondere; quandoquidem omnes probe scimus, Diabolum esse versipellem, hostem veritatis, malumque spiritum, qui in malo est ac manet obstinatus in perpetuum, vt nihil boni in mente aut voluntate sua habere aut proponere possit. Quemadmodum Christus de eo ait; *Ille homicida erat ab initio, & in veritate non stetit; quia non est veritas in eo.* Sicut & Petrus, Paulus, Ioannes Apostoli, omnesque Sancti de eo conqueruntur, quod sit fraudulentus, mendax, calumniator & seductor. Nullus igitur Christianorum, boni aliquid ex argumentis eius expectare debet, sed dicet potius intra se; Etiam si argumẽta illa per sophisticos fucos apparerent valida, quæ soluere non possem, tamen me nihil mouere debent: quandoquidem certam habeo veritatem Christi dicentis; *Quia non est veritas in eo.* Et Pauli, qui ait; *Ipse enim Sathanas transfigurat se in Angelum lucis.* Manebo igitur potius in fide Ecclesiæ, quam Paulus dicit esse *columnam & basim veritatis.* Specialiter vero declarat circa singula fallacias atque mendacia eius. verbi gratia. In primo argumento mentitur manifestè, dum ait, Nos non non credere in Christum, sicut in Saluatorem nostrum; & Turcam atque Diabolum credere in Christum quoque sicuti nos. Quod si Lutherus fatetur, se talem fuisse; de nobis certe id nunquam poterit probare. Quod autem obiicit, nos à Christo ad Mariam, aliosq; Sanctos fugere, plane mentitur. Non enim inter se contrarii sunt Christus, Maria & Sancti. Ideoq; non sequitur, eum à Christo deficere, qui ad Matrem eius confugit. At Lutherus per hoc fallaci pruritu mulcet aures populi, tanquam Christus non sit timendus vt iudex, sed inspiciendus tantum vt Mediator atq; Redemptor: cum tamen Christus ipse in Euangelio dicat; Neque enim Pater iudicat quenquam, sed omne iudicium dedit Filio. Et nos quotidie in symbolo Apostolorum de eo dicamus; Inde venturus est iudicare viuos & mortuos. Et Petrus in Actis Apostolorum de eodem dicat; Et præcepit nobis prædicare populo & testificari; quia ipse est, qui constitutus est à Deo iudex viuorum & mortuorum. Recte igitur imploramus Mariam aliosque Sanctos, vt apud Christum Dominum & iudicem nostrum, pro nobis peccatoribus intercedant. Nam & Psalmista ait; Timete Dominum omnes Sancti eius. Per hæc igitur iacet in luto primum argumentum, veluti putridum vanumque nugamentum, ex mendaciis consutum, neque ab acuto Diabolo aut inuentum, aut expensum. Hęc ibi. Cætera referre, nimis longum foret.

XLVII. Iam vero, cum Lutherus apud suos male audiret, quasi Sacramentariorũ dogma proponeret, conderetque; eaq; dere per nobilem quendam admonitus fuisset, epistolam apologeticam edidit sub initium anni sequentis 1534. in qua breuiter repetit sententiam suam de Eucharistia; scriptis publicis antea frequenter declaratam, cui se, dicit, immorari constanter, & immori decreuisse. Profitetur credere se, vbicumque locorum Eucharistiæ mysterium ritè celebretur, siue hoc inter Lutheranos fiat, siue inter Papistas, in Græcia, in India, etiam cum sub vna tantum specie porrigitur Sacramentum, quemadmodum in Pascha te fieri consueuit, aliisq; per annum temporibus in Papatu, ibi sub specie panis verum adesse corpus Christi, quod pro nobis in cruce pependit; & sub vini specie verum eius sanguinem, qui pro nobis effusus est; non spirituale, vel imaginarium, sed verum & naturale corpus, quod sine viri consortio de Spiritu sancto conceptum, & formatum non ex humano semine, nunc ad dextram Dei residet in maiestate; quod ipsum corpus & sanguinem non eos tantum, qui digni sunt, sed & indignos peccatores ore corporis verè suscipere contendit, cum ex altari distribuitur. Hanc esse de Eucharistia, semperque fuisse

fuisse fidem suam, ait, quam sibi nemo sit ablaturus. Neque verò se in hoc tractatu Sacramentum vel Eucharistiam ipsam oppugnasse, sed Missam tantum, quà pro sacrificio habetur; quam funditus deletam cupiat, & è medio sublatam, Eucharistia tamen superstite. Quapropter in votis habere se, dicit, vt persuasum habeant omnes, inter Missam & Sacramentum tantam esse distantiam, quantà inter tenebras & lucem, imo inter Deum & Diabolum agnoscitur. Eam quoque mentem à Deo precatur Christianis omnibus, vt cum audiant nominari Missam, tetriti cohorrescant, seque contra eam, veluti Diabolicam abominationem Crucis lignaculo muniant. Papatum, ait, ceu domum quandam duabus niti columnis, Missæ sacrificio nimirum, quod ex Daniele idolum Maozim vocat, & Cœlibatu Sacerdotum; haud secus atque olim Philistinorum domus Sampsonis tempore duabus columnis sustentata fuerit. Iam si Deus Lutherum excitauerit, velut Sampsonem alterum, qui conuellat vtramque hanc columnam, vt corruat domus Papistica, & Philistinos istos simul opprimat, quis id possit in sinistram partem interpretari? Certe Papistas vtrumque sibi oculum eruisse, dum vtrumque Magistratum, Ecclesiasticum & Politicum, in se concitarint. Dalilam præterea, sortum illud nobile, speciosam mónasticen scilicet, cuius amoribus seipsum oblectarit; capillos Nazareismi, qui in baptismo nati sint; fraudulenter abrasisse, vt Sampsonis typus à sua conditione non multum abludat. Verum alias hæc se prolixius, ait, & melius tractaturum. Hæc Lutherus ad nobilem istum anonymum; præter quem, & Nicolaus Ambsdorffius, qui Magdeburgi Superintendens erat Ecclesiæ Lutheranæ, mense Ianuario litteras dedit, ad Lutherum, quibus initio monet, colligere quosdam ex hoc tractatu, quod Euangelicis sine piaculo liceat audire Missam; quo nomine bonos quosdam, ait, piosque viros offendi. Spargi præterea rumorem, quasi scribere decreuerit in Wicelium, qui, libellis quibusdam editis, Lutheranos, eorumque mores & dogmata suggillauerat. Non futurum operæ pretium, ait, si id faciat: hominem quidem istum sibi videri contemnendum, & in Erasmum potius stringendum calamum; ex quo Vvicelius pleraque sua sublegerit. Eum igitur depingat suis coloribus, quos ad duo capita referri posse dicit, inscitiam & malitiam. Erasmianæ Theologiæ hanc fere summam esse; Lutheri doctrinam habendam pro hæretica, quia Pontifex eam & Cæsar damnarint: suam vero doctrinam Orthodoxam esse, quia Cardinales, Episcopi, Principes & Reges aurea donent pocula. Non recusare se mortem, ait, si quid aliud inuenire sit in Erasmi libris.

XLVIII. Ad hoc epistolium Lutherus prolixe respondet: & initio quidem nihil se morari; dicit, quod libellus de angulari Missa Papistas offendat. Non esse scriptum propter illos, cum prorsus indigni sint, in quorum gratiam scribatur quicquam, vel dicatur. Vvicelium grammatellum, quem Erasmi furunculum ipse nominet, satis à se iampridem contemptum vnà cum reliquis Papistis Eccio, Fabro, Embsero, Cochlæo, aliisque id genus, quorum multos libros ad eum modum tacendo deleuerit, vt eorum prorsus nulla extet memoria. Quod Erasmum nullum habere dicat doctrinæ suæ firmamentum, præter hominum fauorem, tum quod inscitiam illi tribuat & malitiam, id se principio miratum fuisse; nunc vero concedere prorsus in illius sententiam, & quod hactenus per incogitantiam ab Erasmo factum iudicarit, id ex inscitia malitiaque profectum censere. Erasmum, quantus quantus sit, vanitate mendacioque niti. Quorsum igitur respondeat huic homini? cum futurum sit tandem, vt ipse cum vanitate sua sicut fumus euanescat, si inter vmbras istas, & vitilitigatores silentio suo pridem obscuratos numeretur. Deinde progreditur, & ex Erasmi Catechismo aliisque scriptis decerpit quædam, quæ contra mentem autoris maligne admodum interpretatur, eumque traducit publice, quasi proteum & flexiloquum, qui sudat ambiguis sermonibus, cum de rebus sacris loquendum est: imo qui religionem vniuersam vocet in dubium, eamque rideat & conculcet. Concludit, optare se, omnes illius lucubrationes è scholis explosas esse; quod non sit ère Christianæ iuuentutis, vt Erasmicæ dictioni assuescat. Futurum enim, ait, vt de nulla re seriò grauiterque loqui discat, aut cogitare, sed tantum in graculi vel spermologi morem omnes ridere alios, & plane nihil aliud, quam morionari, vt ipse loquitur.

XLIX. Hæc vero prolixior epistola Lutheri, & altera breuior, quam Ambsdorffium scripsisse diximus, statim in lucem editæ fuerunt, quas vt vidit Erasmus, purgandi sui causa, scriptum diuulgauit sub hoc titulo; Erasmi Roterodami purgatio aduersus epistolam non sobriam Lutheri; in quo figillatim ad omnia respondet, quæ Lutherus obiecerat; & totam illius epistolam impotentibus adeoque furiosis conuitiis, ac malitiosis mendaciis scatere demonstrat. Erat grandæuus iam Erasmus, & de studiis communibus, deque re litteraria per omnem ætatem bene meritus fuerat: quo nomine Reges & Principes Christiani nominis propemodum omnes, benigno eum affectu prosequebantur: Præterea nouum Testamentum verterat in linguam Latinam, & paraphrasi illustrauerat: Scripta quoque Sanctorum Patrum magnam partem ediderat, eorum certe, qui primi nominis in Ecclesia censentur. Scripserat & alia quædam, ad excitandam fouendamque pietatis culturam. Itaque se non contemnendam operam Ecclesiæ laboribus suis nauasse iudicabat. Quo magis doleret ferendum sibi putauit, quod iam senex & sepulchro proximus, violenta manu præter culpam suam in suspicionem atheismi traheretur: quasi non solum nihil crederet de rebus diuinis, verum etiam illud iam olim dolis, insidiis, totisque viribus egerit, vt vniuersam religionem Christianam labefactatam, tandem daret præcipitem, proque hac, paganissimum in mundum reuocaret. quod facinus plusquam diabolicum nunquam in mentem sibi venisse; imo nec leuissimam de eo cogitationem animum suum vnquam pupugisse, constanter asserit, vt vel obscuraret vniuersam Christi gloriam, vel ipse à fide Catholica resiliret. Id se protestatur ex animo loqui coram Deo, quem optat nunquam sibi fieri propitium, aut extemplo delictum vindicare iustis pœnis, si quid mentiatur.

L. Hæc Erasmus; quem Lutherus eam ob causam odio prorsus implacabili prosecutus est, quod cum sub initium non alienus videretur à pseudoeuangelicorum causa, successu temporis tamen, vbi eos de turbanda potius euertendaque Ecclesia, quam de sordibus abusuum expurgandis cogitare vidit, retraxit pedem vir prudens, nec vllis rationib. adduci potuit vmquam, vt se cõsortio sectarum adiungeret. Hinc Lutherus acerbissimum illud concepit odium, quod nec Erasmi morte satiari potuit: imo vt erat animi supra modum impotentis, virulentiam suam etiam in posteros transfundere conatus est. Testantur hoc ipsius varij sermones, quos cum inter suos effunderet, erumpente frequenter iracundia, discipuli velut oraculum ex ore loquentis exceperunt. Rogo vos, *inquit*, quibus honor Christi, & Euangelium est cordi, vt Erasmum odio prosequamini, tamquam Euangelij vastatorem. Post mortem meam dicetis, Erasmum fuisse virum impium, & Epicureum. Cum aliquando decumberet, magno zelo commotus ad Ionam & Pomeranum; hoc mando vobis, *inquit*, per modum testamenti, vt viperam hanc (Erasmum) odio habeatis. Verba illius ambigua sunt & lubrica; quæ deinde in quam vult partem torquere potest; atq; interim Papatum, Euangelium, Christum, Deumq; ridet. Momus est, imo morio, nebulo magnus, epicureus, impius, Lucianus, adeoq; Luciano peior; qui religionem, Christum, & omnia ludibrio habet. Paulo antequam epistolam ediderit, de qua diximus, ad Ambsdorffium scriptam, manu sua pro Ioanne filio (qui filius erat Lutheri primogenitus, septem annorum puer) hæc verba de Erasmo consignauit: Erasmus omnium religionum hostis est, singularis inimicus & aduersarius Christi, perfecta effigies atque imago Epicuri & Luciani. Hæc ego Doctor Martinus Lutherus scripsi manu mea, vt tibi Ioannes fili charissime, & per te cæteris prolibus meis, tum Ecclesiæ Christi deseruiant.

LI. *Edimburgi in Scotia leges in comitiis contra hæreticos statuuntur.*

Sensibus hæc imis; res est non pauca, reponé.

Hoc anno 1533. in regno Scotiæ Iacobo V. regnante, publicis Comitiis Edimburgi habitis, decretæ sunt quamplurimę leges in hæreses pullulantes; ac vna simul institutus est cõtra hæreticos Senatus peculiaris Edimburgi, quem summus

Pontifex sua autoritate confirmauit. Inter has leges, placitum Episcoporum numerabatur, quo illi prohibebant legere Noui Testamenti libros, in vernaculam linguam translatos. Ab his legibus, metuens sibi Alexander Alesius Scotus apostata, fugam ex Scotia arripuit, Wittembergamque secessit; vbi nactus magistrum qui inflammaret, atq; instrueret, odiosam aduersus Episcopos Scotos, ad Regem Iacobum scripsit accusationem; in qua istud præcipue inculcat; non aliud facerent Turcæ, aut aliæ gentes inimicæ nomini Christiano, quod isti faciunt, ne populus attingeret sacros libros, ne cognosceret Christi beneficia, & sanctissima præcepta &c. Pro his Episcopis scripsit Apologiam Cochlæus, in qua respondet; Nequaquam faciunt Episcopi per illud edictum, sicut Turcæ, aut aliæ gentes inimicæ nomini Christiano. Turcæ enim omnibus, vbi possunt, Christianis sacros libros adimunt, Sacerdotibus iuxta ac laicis, absque vllo discrimine & respectu. Episcopi autem optima intentione, non in odium Christi, aut plebis Christianæ, sed ad gloriam Christi, & in ædificationem atque vtilitatem plebis, ita statuunt: vt plebs in Ecclesia à Sacerdotib. rite vocatis & ordinatis, verbum Dei, beneficia, præcepta, & promissa Christi audiat deuotè, & addiscat cum fructu. Scriptum est enim; Labia Sacerdotis custodiunt scientiam, & legem requirent ex ore eius. Hoc enim longo melius est, & diuinæ ordinationi conformius, quam lectio promiscue. *Cochlæus & Vlembergius in Luthero.*

LII. Locupletiora scribit Ioannes Leslæus Episcopus Roffensis, de suorum Scotorum in religione constantia. Nunc, inquit, temporis illæ hæreses, quas promptas ex intimo Satanæ pectore Lutherus in vulgus disseminarat, non solum Germaniam liberius peruagatæ sunt, verum etiam in Angliam transuolarunt. Siquidem Anglus cum Papam continuo obstrepentem, aperteque Catharinæ repudio resistentem, audiret, ac maximam quoque ad suas fortunas accessionem ex opimis monasteriorum spoliis fieri posse cognosceret, Lutheri voces, quo acrius Papæ auctoritatem proscinderent, ac Monachatum violarent, eò libētius in suas aures influere patiebatur. Clemens Papa, perspiciens Anglum aperte iam ab Ecclesia deficere, cœpit pietate quadam plane paterna prospicere, ne Iacobus Rex Scotiæ eadem se labe contaminaret. Missis ergo in Scotiam Legatis, Regem multis sibi priuilegiis, aliisque beneficiis sibi deuinxit, ac verbis summopere rogauit, ne quid annunculi sui Regis Angli exemplo, qui ab Ecclesiæ Catholicæ puritate defciscens, teterrimam iam hæreseos notam subierat, commoueretur: neque si hæresim in illius aures instillarit, mallet potius putidissimas Lutheri sentinas, quam clarissimum Ecclesiæ fontem consectari. Hanc Pontificis in se volūtatem Iacobus Rex animo gratissimo prosequebatur. Cuius rei, vt signum Legatis luculentissimum sustolleret, Ordines Edinburgum xv i. Kal. Iunij congregari iussit; vbi frequentissimo Senatu, sententiam suam de religione hoc modo dixit:

Cum maiores nostri (subditi mihi longe charissimi) primi, aut à primis non ita disiuncti recenseantur, qui religionem Catholicam amplexati sint, illamque tam sanctè, tam pie, tam sincere semper coluerint, vt Pontificiæ autoritatis sanctitatem, nullo vmquam tempore, ne tantillum quidem infregerint; ego profecto censeo, vt nos quoque in tanto Ecclesiæ turbine, ac hæreticorum vndique grassantium insidiis illam fidem Deo, Ecclesiæ, Pontifici integram seruemus. Statuendum etiam est, non minorem in religione retinenda, quam maiores nostros in constituenda, laudem adepturos. Cum contra, si religionis possessionem à parentibus nostris nobis relictam, quorumdam leuissimorum vesanis consiliis excuti nobis patiamur, eo profecto nos grauiori scelere, quam reliqui obstringeimur, quo illorum parentibus nostri fuerunt in religione constituenda priores, ac defendenda acriores. Annuerunt omnes, communique consensione sanxerunt, ne quid de honoribus, qui Romanæ Ecclesiæ à maioribus habiti fuerunt, imminuatur; verum potius fides, obedientia, defensio acrior Ecclesiæ iam aliquorum insidiis impetitæ, merito adhibeantur. quod ne quorumdam audacia violaretur, hæresim omnem quocumque religionis, aut pietatis ementito velo obtectam, edictorum, legumque seueritate affligendam statuerunt. *Leslæus de rebus gestis Scotorum lib. 9.*

LIII. Eodem anno 1533. Philippus Melanchthon ex primis sectariis Lutheri, in suspicionem venit apud suos, quem illi vocant, Pappistni. Diximus superius, fuisse missum à Pontifice, Episcopum Rangonium ad Saxonem, qui illi Clementis consilium de Concilio indicendo nunciaret. Cum Saxo, deliberationem ad conuentum Protestantium Smalcaldiam reiecisset; & in hoc negotio ad religionem inprimis pertinente, concionatores quoque suæ sectæ adhibere placuisset; ac propemodum omnes, nec indicendi Concilij ius Pontifici concedendum, nec autoritatem vt in ea præsideret, censuissent; solus Melanchthon vtrumque eidem Pontifici liberali manu tribuebat; nimirum vt Synodum conuocaret non modo, sed in ea quoque Præsidis munere fungeretur. Hoc vnum illi displicuit, quod postulabatur, vt omnes sese decretis futuræ Synodi submitterent. Id enim nimis seruile videbatur & intempestiuum; nec quemquam volebat in principio ad hanc permissionem adstringi; quod in Synodo liberas esse sententias oportere diceret. Igitur cum in hac deliberatione dissideret à cæteris, eamque potestatem daret Pontifici Romano, quam, nisi pro capite agnoscatur Ecclesiæ militantis in terris, habere non potest, magnam sibi apud suos inuidiam conciliauit. Nec deerant, qui Melanchthonem non modo Papissmum in corde fouere dicerent, sed & hoc agere, vt abolitam Pontificis dominationem in solidum restitueret. Nouerat istos de se spargi rumores, quos contempsit fortiter, nec à sententia tamen se passus est dimoueri, licet omnium in se, & magnorum quorumdam Principum animos concitaret. Auxerunt hanc suspicionē & indignationem litteræ quædam ipsius, sub hoc tempus per quosdam diuulgatę, qui hanc eius moderationem & hierarchiæ conseruandæ studium vehementer improbabant. Eas Augustani Conuentus tempore scripserat anno 1530. Ad Campegium Cardinalem, ad Nicolaum Teupulum legatum Venetum, aliosq; de pacis inter Catholicos & Lutheranos instaurandæ conditionibus. In quibus secretum mentis hac de re paulo liberius aperuerat, numquam futurum ratus, vt hæ litteræ venirent in aliorum manus, & publice per æmulos in inuidiam sui nominis circumferrentur. Maluisset eas supprimi quidem propter Lutheranorum quorundam intemperiem; & indigne tulit, quod ea passim audiret in luce hominum narrari, quæ pro conditione temporum, pacis studio, viris concordiæ amantibus, velut in aurem mussitarat. Sed quia litteræ iam in manibus hominum versabantur, & res non erat integra, dissimulauit contractum animi dolorem, nec à sententia tamen discessit; quemadmodum quadriennio post manifestum euasit in Synodo Smalcaldensi, vt infra suo loco dicemus. *Vlembergius ex Camerario in vita Melanchtonis.*

LIV. *Clemens VII. Pontifex Ioannē Magnum Gothum in Sueciam ad hæresim eliminandā mittit.* Hoc ipso anno, Clemens Pontifex, vt Ecclesias Suecanas, ab hæreticis Lutheranis oppressas liberaret, Ioannem Magnum Gotthum, Vpsalensem Archiepiscopum, die 6. Iunij, Romæ consecrauit, pallioque Archiepiscopali ornatum, in Sueciam eum potestate Legati de Latere misit, vt Ecclesiis Cathedralibus desolatis, Antistites Catholicos præficeret, hæreses pro virili extirparet, & disciplinam Ecclesiasticam collapsam restitueret. *Olaus magnus in Metropol. Vpsalens.*

Eodem anno in Hispaniis, apud Cathalaunos, Dominicani, concionibus & aliis curis suis, superstitiones, maleficia, & errores quamplurimos, qui circa fidem ex penuria & negligentia pastorum, etiam in montibus Pyrenæis irrepserant, extirpabant. *Diagus lib. 2. hist. Aragon. c. 99.*

LV. *Schiltach oppidum Germaniæ hæresi infectum à Veneficaope Dæmonis incensum.* Eodem anno, in Germania hæresi grassante, oppidum Germanis dictum Schiltach, quod à Friburgo octo milliaribus distat, totum subito conflagrauit, incendio excitato à dæmone. Conflagratio accidit 10. Aprilis, qui dies erat Iouis ante Pascha, in hunc modum. Dæmon sibilo signum dedit è quadam ædium parte. Caupo suspicans esse furem, ascendit, neminem reperit. Sed idem signum rursus ex altiore cœnaculo redditum est. Et huc ascendit caupo, furem persequens. Cum nec illic quisquam appareret, sibilus auditus est è fastigio fumarij. Illico tetigit cauponis animum, esse Dæmoniacum quiddam: Iubet suos præsenti esse animo: acciti sunt Sacerdotes duo; adhibitus exorcismus; respondit se esse dæmonem. Rogatus, quid illic ageret, ait se velle oppidum exurere. Minitantibus illis, respondit, se pro nihilo ducere minas eorum, quod alter esset scortator, vterq; fur. Aliquanto post mulierculam, qua cum habuerat consuetudinem ann. 14. cum interim illa quotannis & confiteretur, & acci-

peret Eucharistiam, sustulit in aërem, impositumque fumarij fastigio: tradidit ollam; iussit vt inuerteret; inuertit, & intra horam totum oppidum exustum est: mulier facinus confessa supplicio est affecta. *Roterodamus libro vigesimoseptimo, epistola vigesima.*

ANNO CHRISTI M. D. XXXIV.

CLEMENTIS PAPÆ VII. Anno 11.

CAROLI V. IMPERATORIS Anno 5.

FERDINANDI I. ROMAN. REGIS Anno 4.

I. Solimanus Turcarum Princeps, ob ereptam illi Coroneam, Cæsari irato; nec non Ferdinando Romanorum Regi, propter Ioannem Zapolienſem quem ipse Vngaris regnare volebat, infesto, Clemens Pontifex nihil non egit, vt à cæruicibus Christianorum, arma Turcica auerteret. Cumque summa apud Solimanum gratia florere non ignoraret, Ludouicum Grittum, de quo ante diximus, & Hibraimum Purpuratorum primum, ex occulto Christianis fauentem; illos per mercatores Florentinos vrgere non desinebat; fauebantque ambo Christianorum causæ, de septennalibus induciis; dummodo Solimano Corone restitueretur. Ergo mense Martio, huius anni, venit à Solimano Viennam Mehemetes quidam ex eorum ordine quos Turcæ Chaušos vocant, nuncius, ab illo ac Ibraimo litteras, ac capita pacis, quam Hieronymus Iadrensis Dalmata, à Ferdinando Rege Constantinopolim missus, cum Ibraimo ac Gritto tractauerat, descripta adferens; qui quum primus nouæ ad Ferdinandum & antehac insolitæ legationis munus attulisse visus esset, ipse adhibito Madrucio Cardinale Tridentino, qui iisdem diebus à Cæsare missus eò venerat, & Ioanne Archiepiscopo Lundensi, ac Cornelio Sceppero, eiusdem Cæsaris pro concordia inter illum & Zapolienſem inuenienda Legatis; conuocatisque proceribus Vngaris & Bohemis, qui satis magno numero aderant, audiendæ legationi vacauit. Breuis admodum Mehemetis oratio fuit. Salutato enim nomine Solimani & Ibraimi Ferdinando, ac redditis vtriusque litteris, non plura loquutum ferunt, quam quod ex iis quę in litteris continerentur, mentem illorum de induciis esset cogniturus. Paucis post dieb. Ferdinandus, Cardinale Tridentino, ac iisdem Cæsaris legatis, nec non proceribus conuocatis, pacis conditiones quas Turca attulerat, per Ioannem Hoffmannum, cuius consilio plurimis in rebus vtebatur, publicari iussit; ita vt is Germano sermone eas recenseret; Gaspar Vingartius Vngaris, Georgius vero Sapca Bohemis interpretaretur. Fuere autem fere tales. *Principem Turcarum Solimanum; recipere Clementem Pontificem in partem. Carolum Cæsarem & Ferdinandum in fratres; Ludouico Gritto daturum in mandatis, vt Ioannem Regem inducat ad eodendum Ferdinando partem eam Vngariæ, quam nunc habet, aut certe æquis legibus pacem stabiliat. Vicissim à Ferdinando postulare, vt claues Strigonij ad eum mittantur, quas non aliam ob causam petit iterum remittendas, quam ad declarandam obedientiam. Hāc pacem tamdiu, donec alteruter viuat, duraturam; aut quamdiu Ferdinandus voluerit. Cum Pontifice & Cæsare factuum etiam inducias ad septennium, vel diuturniores, si ei Coronem vrbem restituerint; pro qua daturum se Cæsari vel Ferdinando in Vngaria ditionem longe quam sit Corone vberior; prohibituruin quoq;, ne Hariadenus pyratarū princeps, ac Mauri & Turcæ prædones littora Hispaniæ atq; Italiæ infesta incursionibus atq; rapinis reddant. De tributo annuo, ac Illyrico Turcis concedendo, ne verbum quidem; quamuis antea vtrumque expetisse diceretur.* Suscepit conditiones Ferdinandus, & tum Chausio, tum clauibus remissis, promittebat se eas obseruaturum; missurum etiam idoneos homines ad Pontificem ac Cæsarem significabat, eisque pro virili autorem futurum, vt restituta Coro-

Solimanus Legatum Viennam cum inducias conditionibus mittit.

Solimanni inducias pacta.

Ferdinandus Romanorum Rex Legatū ad Pontificem & Cæsarē ad Coronē Solymāno restituendam mittit.

ne, eius voto ac desiderio satis fiat. Eadem Ibraimo, & Gritto rescripsit, deque omnibus Hieronymum Iadrensem certiorem reddidit; monendo eum hortandoque, vt quem cæperat fœderis pacisque tractatum; indefessa laboris atque industriæ constantia, optato fine terminaret. Paulo post Nicolaum Comitem Salmensem, Cubiculo Regio præfectum, eius Nicolai qui defensa à Turcis Vienna ante biennium è viuis excesserat filium, ad Clementem Pontificem & Cæsarem ablegauit; Corones restitutionem, cæteraque quæ erant necessaria, solicitaturum. Inter hæc etiam à Ioanne Rege, Oratores, de pace cum Ferdinando tractanda designati, Franciscus Frangepanius, Minorida, Archiepiscopus Colocienſis, Stephanus Brodericus, Hieronymus Lascus, ac Verbecius, postquam & cum Cæsare in Hispaniis, & ab eo reduces cum Ferdinando, & Legatis Cæsareis Posonij & Viennæ multum, sed frustra egissent, Budamque rebus infectis ad Ioannem reuertissent, non intermiserunt tamen conari, & curare, si quo modo concordia stabiliretur perpetua inter duos istos Reges: eaque propter, datis Budæ, ipso die Annunciationis Beatæ Mariæ ad legatos Cæsarianos Viennam litteris, iterum atque iterum petebant, ne redirent ad Cæsarem, rebus infectis maturarent; sed aliquamdiu subsistere haud grauarentur, donec quem illæ exitum habituræ essent certius agnosci possit. Se quidem hondum de bono, ac Christianæ Reipublicæ vtilissimo exitu animos desponditse; & Ioannem toto animi desiderio vehementer pacem cupere; adeo vt nihil ea charius; nihil optatius; nihil denique magis in votis habere queat. Et quidem Cæsariani legati Viennæ Ferdinando iubente substitere; ac Zapolianos de induciis annuis seruandis, deque expectanda ab se Ioannis voluntate, nisi in ea significanda longior mora intercedat certiores reddidere. Verum dum hæc lentius, quam rei magnitudo postulabat, vtrinque agerentur, ac Ferdinandus & Ioannes consilia sua de die in diem protraherent; & Cæsar Corones reddendæ rationes cunctanter explicaret; pax tantopere expetita, ac populis vtriusque Regis ingenti futura commodo perturbata, confusaque fuit. Nam interim & Solimanus Persis bellum illaturus mare traiecit; Ioannemque quasi deseruit; & importuna Clementis Pontificis, qui ocium & quietem sedulo procurabat, mors subsequuta est; & Hispani qui Coronem tutabantur, fœda & inſperata consternatione, omnem transigendi & componendi negotij facultatem sustulere.

II. *Hispani Andrussam Turcarum oppidum aggrediuntur.* Siquidem Didacus Touarres, & Hermosilla cohortium præfecti, quum Rodericum Macicaum Ducem, continuis, importunisque precibus, ac disputationibus toto triduo factis, ad tentandam fortunam, & vastandas in propinquo Turcarum ditiones, vel inuitum ac reluctantem adduxissent, ac postremo ipse eorum temeritati cedere coactus fuisset, Andrussam oppidum, cuius præsidio Achomates cognomento Giusellus, cum Caraberhamo prætorianorum Ianicerorum tribuno, præerat, de secunda noctis vigilia aggressi fuere, itineris ducibus Lazaro Coronco, & Andrea Barbatio vsi. Vbi cum Hermosilla cum equitibus & Achomate acrem pugnam iniisset; Macicaus in altera parte oppidi, dum minorem portam oppugnat, eiusque valuas reuellere conatur, plumbea Sclopeti glande caput ictus occumbit. Eandem subit sortem Didacus Touarres, cum aliquot primi nominis militibus vnà cadentibus. Die tandem illucescente, & Turcis numero plurib. acerrime vrgentibus, Hermosilla se cum reliquis copiis in tutum recipere contendit. Ei Achomates cū equitibus, qui singulos Sclopetarios Ianiceros, supra equorum clunes acceperant, magna cōtentione instat; sed dū audacius in nostros cedentes & recuptui intentos inuehitur, Sclopetti glande, perfossa etiā rotunda pelta, per sinistrum latus traiicitur. Sic vt amisso vtrinq; duce, euentus fortunæ vtriusq; partis pari fato æquaretur. Quo cadēte, Turcæ perfequendi finē fecere, indeq; nostri quietiore agmine Coronē reuersi sunt. Nec multo post ad subortā inter Coronēses acrem, sæuamq; pestilentiæ vim, rerum etiam ad victum necessariarū penuria accessit: cui tamen sine mora frumento è Sicilia ab Auria abunde misso breui prouisum fuit. Sed Hermosilla, Liscanus, ac Mendocius cohortium præfecti, ac cæteri Hispani ordinum idoneos homines ad Pontificem ac Cæsarem significabat, eisque pro virili autorem futurum, vt restituta Coro-

Corone ab Hispanis vacua deseritur.

etiam Græcis & eorum farcinis, ablatisque tormentis Coronem vacuam deseruerunt, & in Italiam secunda vsi nauigatione peruenerunt. *Isthuanfius lib.* 12.

III. Fuere qui dicerent Hispanos non metu aut iudicio suo, Sed iussu Cæsaris Coronem reliquisse. neque enim credibile erat, tantum momenti in vnius vrbis possessione fuisse reponendum, vt in nullum prope exitum Cæsar grauissimis sumptibus id bellum alere voluerit: quum constaret eum Pontifici, Venetis, ac ipsis denique Rhodiis qui in Melita erant, eam vrbem tuendam possidendamque obtulisse, postquam in eos sumptus pecuniam conferre grauarentur. Cupiebat Clemens prudenti sane consilio, in multos annos Turcarum metu liberari; eaque propter Constantinopoli, vti diximus, egerat cum Ludouico Gritto per Gerardum Florentinis mercatoribus iuri dicundo præpositum, vt reddita Corone in decem annos induciæ essent Solimano cum omnibus Christianis. Sed dum Cæsar, vti plane intercluſus, hinc dedecoris metu, & illinc præclara commoditate, animi consilium tardius explicaret, transigendi negotij tempus effluxerit: ita vt Cæsar, quum Ferdinando fratri assiduis attrito bellis, quietem atque otium parare restituta Corone commode posse videretur, ab ea cunctatione summæ vtilitatis occasionem amiserit. *Iouius histor. lib.* 32.

IV. Nam Solimanus, Ludouicum Gritum, in Vngariam inferiorem, cuius Metropolis Belgradum est, Prætorem & legatum misit; qui, tum Ferdinandum vexaret, tum reliquæ Vngariæ Præfecturam, ab Ioanne Rege quoquo modo sue impetraret, siue extorqueret; vt si quid Ioanni humanitus accidisset, isto cliente extincto, regnum maiorum suorum more in prouinciam redigeret. Neque obscure Ludouicus eam Præfecturam ambiebat, minime contentus, quod Ioannes Rex Quæstorem regni fecisset, & Antonium eius filium Agriensi Pontificatu donasset; quem etiam Antonium Clemens, in Cardinalium cætum cooptare decreuerat, non tam in aui Venetorum Ducis gratiam (vt videtur) quam vt patrem, qui ad sacra Mahumetana defecturus putabatur, in Christiana religione retineret. Sed Ludouicus fatum sibi acceleraut. Cum enim Vngariæ proceres ad conuentum conuocassent, Americusque Cibacus Varadinensis Pontifex, non ininus virtute quam familiæ nobilitate clarus tardius quam cæteri accessisset; eaque mora offensus Grittus, & autoritati hominis inuidens eundem per satellites suos trucidandum curasset; eam ob rem indignati proceres Vngari, collectis quadraginta tam equitum quam peditum millibus illum in Megge oppido circumsessum, & cum elabi conaretur, par pari reddentes capite mulctarunt. *Belcarius Comment. rerum Gallic. lib.* 20.

Ludouicus Grittus ab Vngaris interficitur.

V. Præter hæc Solimanus, Hariadenum Ænobarbum quem maris Præfectum creauerat, cum classe circiter centum triremium, aliisque compluribus nauigiis, ex Hellesponto emisit, qui ex occasione, Christianorum reb. incommodaret. Huic, cum Venetæ classem opponere, eamque augere conarentur, Ecclesiastici quoque viri ad eandem subleuandam suas opes congessere; cum Clemens Pontifex Senatui petenti concessisset, vt qui terrestri Imperio Venetorum continerentur, centum aureorum millia; qui in maritimis essent, sex decim millia ad subsidium bellicorum apparatuum persoluerent. Adeius Turcicæ classis famam, Cæsar quoque, admodum veritus ne Solimanus acerrimus hostis vniuersum belli impetum in suos fines conuerteret, vndique triremes ac nauigia cogebat, vt Hariadenū multis sibi de causis infensum repelleret. Galliarum etiam Rex summo studio curabat, vt Massiliæ viginti quatuor triremibus sex adiungerentur. Clemens Pontifex, ad Tyrrheni maris littora à piratis custodienda, decem triremes instruiiusserat. Cæterum Hariadenus omnibus his contemptis, in mare Tyrrhenum deflectens, Messanæq; fretum traiiciens, Mamertinos inopinato aduentu adeo perterrefecit, vt ad arma vndique conclamantes suis rebus magnopere diffiderent; mox Hipponiatem sinum præteruectus in Brutiorum littoribus Sancti Lucidei oppidum adortus, omnium incolarum cæde facta, barbara crudelitate diripuit. Cum vero Capreas supra Neapolim peruenisset, vniuersæ oræ maritimæ inusitato aspectu tantum terrorem iniecit, vt plerique affirmarint, Hariadenum militibus, in terram expositis, consternatione deiectos, ac pauore perstratos Neapolitanos haud difficulter opprimere potuisse. Eodem cursu Prochyten, inde Caietam delatus, Fundis, Tarracina, atque eo littorum tractu cædibus, incendiis, captiuitatibus deformato, cum barbarum fæuientium strages aucta, agrestium ingenti trepidatione, Romam delata fuisset, vrbem insolitus adeo timor inuasit, vt neque ad expedienda consilia, neque ad arma capienda satis animi, aut roboris in incondita multitudine, vel in paucis militibus, qui vrbis custodiæ præerant, supereſſet: Clemente ea tempestate morbo implicito; Cardinalibus inusitato pauore perculsis, vt vix tantam exærario pecuniam expromerent, quanto ad nonnullas militum cohortes conficiendas Hippolyto Medicæo Cardinali tradenda sufficeret. Verum Hariadenus in Pontiam insulam aquandi causa diuertens, in Africam nauigationis iter arripiens summa celeritate confecit, vt diuersa velificatione deceptum Mulealſem, Tuneti Regem imparatum offenderet. Vbi primo appulsu Vticam occupauit; deinde Tunetum aggressus, ostentato Boscetis Regis nomine, quem per summam iniuriam Mulealſes frater regno eiecerat, & in quem Tunetanorum studia tyrannidem illius pertæsorum propensissima erant, nullo negotio vrbe potitus est; oppidanosque in verba Solimani iurare, compulit. quo facto, cum reliqua minora Numidiæ oppida in illius potestatem concessissent, breui compositis rebus, vniuersam illam Africæ oram Ottomanico imperio adiunxit. *Mauroceni hist. Veneta lib.* 4.

VI. *Ioannes Saxo Ferdinando Regi cōciliatus.*

Cæterum, quo tempore incertum fuerat, quonam suæ nauigationis cursum Turcica classis intenderet, non difficile fuit Ferdinando Romanorum Regi difficultates quibus in Germania premebatur expedire. Nam 3. Calend. Iulias, Moguntinus Archiepiscopus, ac Georgius Saxo, Philippi Landgrauij qui Protestantium reliquorum nomine bellum Ferdinando intulerat socer, Cadami, quod oppidum Bohemiæ est, conuenientes Ioannem Saxonem Electorem, eidem Ferdinando conciliarunt, his conditionibus; vt scilicet religionis causa nulla vis aduersus Protestantes inferretur, nulla lis moueretur; Spirenses, hoc est Imperatoriæ Cameræ, vt vocant, iudices, ab omni actione ex eadem causa aduersus Protestantes abstinerent, idque à Cæsare Ferdinandus impetraret: quo tamen capite Sacramentarij, Anabaptistæ, cæteræque id genus sectæ non comprehenderentur. Saxo Ferdinandum Romanorum Regem agnosceret; vicissim Ferdinandus à Cæsare, Septem-Virisque intra mensem decim[illegible] fieri procuraret; quo, si viuo Cæsare creandi [illegible]um Regis occasio incidet, Septem-Viri ante conueniant, & num iustæ causæ proponantur expendant; si iustæ videbuntur, ex Carolinæ legis formula, quod cœperint, prosequantur. Quod si eus factum erit, irritum esto. Intra idem tempus paternorum auitorumque bonorum hæreditatem Cæsar Saxoni confirmet. Nec multo post Germaniæ Principibus sese interponentibus, VVirtembergenses etiam reguli Ferdinando reconciliati fuerunt ea conditione, vt Austriacos Principes patronos beneficiarij agnoscerent, quum antea Germanicum imperium agnouissent. Solus Landgrauius nolle quiescere dicebatur, quem vulgo ferebant, vbi Christophorum & Vldericum VVirtembergicos in paterni imperij ditionem reduxisset, continuo, in gratiam Francisci Regis, in Italiam, turbandis cisalpinæ Galliæ rebus, cum ingentibus Lutheranorum copiis peruasurum. Is enim à maiorum sacris, religioneque, contumaci atque insana quadam ambitione discesserat, vt nouæ eius superstitionis professione, & patrocinio, supra opes suas clarior atque validior haberetur. His de causis Cæsar graui consilio dabat operam vt pacem in Italia tueretur. Iam enim totum id tempus effluxerat, quod in fœdore præscriptum Bononiæ fuisse meminimus. Itaque Christiernæ, suæ ex sorore neptis, & Christierni Danorum Regis filiæ, cum Francisco Sfortia nuptias omnino maturandas existimauit, vt solicitum, & dubia spe nutantem Principem in fide confirmaret, liberaretque omni cura Venetos, & Insubres, ipsumque Pontificem, qui Franciscum procreandis liberis operam dare, prorogareque Sfortianum nomen, insigni sobole cupiebant; ne Cæsar, cælibis & sæpe languentis Principis hæres, Mediolanensi imperio potiretur, de cuius possessione ad exitium totius Italiæ funesto euētu paucis annis ante esset dimicatum. Magna igitur omnium lætitia & gratulatione, adducta è Belgio puella; nuptiæ celebratæ sunt Mediolani Regio

sumptu,

sumptu, & ob id populis graues, sed toleratæ tamen alacribus animis; quoniam nudata Cæsaris voluntate, amplissimam spem diuturnæ pacis attulisse videbantur. Veneti, ad tuendam Sfortiam fidem Cæsari dederunt. Ateſtinum, adiudicata ei Mutina, suum reddiderat. Mantuanus spe Montisferrati obtinendi ad Cæsarem inclinarat. Auriam, Mlphitano Principatu sibi obstrinxerat. Feltrium demum Vrbinatium Ducem, qui Veneti exercitus erat Imperator, restituta ei Sora vrbe incredibili beneficio sibi deuinxit. Abstulerat ei Soram, multis ante annis Ferdinandus Hispaniæ Rex; eam vero Carolus Cæsar Ceurio nutritio suo, qui tum incomparabili authoritate pollebat dono dederat: cesseratq; demum eius hæredibus; adeo vt Cæsar qui liberalitatem suam erga nutricis posteros perpetuam volebat, pecunia ingenti Soram coëmere cogeretur, quo munificentiæ genere eximium eius studium eò præclarius apparuit, quod in promerenda hominis voluntate eam vrbem dono daret, quam antea pene promissam in præmium partæ de Gallo Rege victoriæ, petenti Piscario concedere noluisset. Feltrium enim Medicco nomini, Clementique præsertim Pontifici valde infensum, & maxime idoneum disturbandis illius consiliis existimabat, quum ab Vmbriæ Picenique finibus molientem res nouas Pontificem expeditis armis vrgere facile posse videretur. Quin & Columniæ familiæ proceres, tamquam peculiares Pontificum hostes, Cæsarianarumque partium defensores, nouis muneribus prosecutus est, qui è propinquo vrbi Romæ imminerent, explorarent consilia motusque suspecti Pontificis, atque eum in obsequio, fœderis occulto quod an metu continerent. Quamquam Pontifex prolixe testaretur, se numquam eius fœderis & amicitiæ iura violaturum. Quid enim sibi vel ad familiæ felicitatem optatius, quam Cæsaris filiam in domo sua nurum conspicere? Quid denique ad personæ dignitatem atque amplitudinem maius atque præstantius, quam parta pace vti, perfruique illa digna pio Pontifice Christiana tranquillitate? vnde & afflictis vrbanis rebus diuturnam securitatem parare, & indicto Concilio perturbatæ religionis dogmata & ceremonias, ad veteris regulæ & cultus censuram reuocare consiceret? Sed cum tunc Pontifex sub antiquæ Pastoralis curæ, qua neutram in partem propendere volebat, fructum ferebat, vt quum etiam vera apud Cæsarem diceret, inque propositis fœderum decretis constanter persisteret, ac præterea quamplurima pro dignitate & existimatione Cæsaris faceret, ei tamen à Cæsare nulla fides haberetur. *Iouius lib.* 32.

VII. *Clemens VII. pro Catharina ab Henrico VIII. repudiata acrē fert sententiam.*

Arduum sane & graue negotium, apud sedis Apostolicæ subsellia hactenus agitabatur, de diuortio Henrici Anglorum Regis cum Catharina Cæsaris matertera. Gallus instabat, ne sententiam Pontifex præcipitaret. Eiusdem nomine Parisiensis Episcopus, cum citatis equis, ad finem præcedentis anni Romam aduolasset, protrahendo negotio, vel in fauorem Angli conficiendo, multa excogitabat, plurimaque faciebat. Pontifex tamen, quamquam honoratiore affinitate Gallo iunctus esset, multoque ampliora & accepisset, & tum in publicam rem, ab vtroque Rege speraret, tamen pro Cæsaris matertera sententiam tulit irritatus maxime insolentia Anglica, summaque contumelia; per id temporis ab Henrico Rege irrogata. Nam præter id quod is sub initium huius anni 1534. Pontificis obedientiam detrectasset, suisque omnibus edixisset, vt neque Romam pecuniam deferrent; neque Diui Petri denarios quotannis colligi solitos, cuiuis Quæstori dependerent: hoc ipso momento, quo ad instantiam Bellaij, causa in articulos XXIII. de ipsa substantia diuortij diuisa Romæ agitabatur, & in Attentatis publicatio censurarum differebatur, & nuncij ex Anglia ad compositionem plenariam expectabantur; libellus famosus, in Anglia, contra Papam, & Cardinales, & vniuersam Curiam Romanam publicatus fuit, ac quod grauius est ipse Papa, & Cardinales, magno ipsorum probro, & vituperio, in Comedia, coram Rege Henrico & aulicis, scenicè, quod nec ipse *Petrus Stauis Polanus* diffitetur, repræsentatus, irrisus, spretus, contemptus, conculcatusque fuit: quæ ad diem 19. Martij ad aures Pontificis & Cardinalium delata, non potuerunt patientiam illorum non frangere; maxime cum viderent Henricum mandata nulla mittere; atque nonnisi id, quod postea perlatum est, decreuisse postulare, ne Cardinales suspecti causæ sese immiscerent; & homines à suspicione liberi Camcracum mitterentur, ad accurate inquirendum de causa. Solicit, qui omnes Cardinales, & omnes alios, qui in diuortium Catharinæ, nō cōsensissent, suspectos habituros reiecturusq; esset. Itaque cum, & Henricus, tolerantia Pontificiæ illuderet, & Cæsar ipse pro æquitate materteræ & dignitate sua vrgeret; & vero apparebat, Bellaium interpolationem causæ procurare, Clemens sententiam, non præcipitauit, sed causa probe cognita tulit istis verbis.

Clemens Papa VII. &c.

Cum, pendente lite coram nobis, dilecto filio Capisuccho Capellano nostro, ac Sacri Palatij Apostolici causarum Auditore & Decano, à nobis in Consistorio Reuerendissimorum commissa, inter charissimos in Christo filios nostros Catharinam & Henricum Octauum Angliæ Reges, de & super validitate matrimonij inter eos contracti, præfatus Henricus dictam Catharinam eiecerit, & de facto cum quadam Anna Bolena matrimonium contraxerit, contra mandata & decreta, tam admonitionis, quam inhibitionis in litteris in forma Breuis, etiam de consilio Fratrum nostrorum S.R.E. Cardinalium emanatis, contenta, temere & de facto attentando. Idcirca nos de illius potestatis quam Christus Rex Regum nobis, licet immeritis, in persona Beati Petri concessit plenitudine, in throno iustitiæ pro tribunali sedentes, & solum Deum præ oculis habentes, per hanc nostram sententiam, quam ex nostro mero officio, ac de Venerabilium Fratrum nostrorum S.R.E. Cardinalium, Consistorialiter coram nobis congregatorum, consilio ferimus, eiectionem & spoliationem dictæ Catharinæ Reginæ, à quasi possessione titulo coniugalis & Reginalis dignitatis, in qua tempore huiusmodi motæ litis erat, & matrimonium inter prædictum Henricum Regem & Annam prædictam contractum, cum prædicta omnia notoria & manifesta sint, prout ita esse declaramus, nulla, iniusta, & attentata fuisse & esse, ac nullitatis, iniustitiæ, attentatorumque vitio subiacuisse, & subiacere, prolemque suscepta seu suscipiendam illegitimam fuisse, & esse, præfatamque Catharinam Reginam, ad suum pristinum statum, & quasi possessionem iuris coniugalis, & Reginalis dignitatis, restitui, & reponi debere, dictamque Regem, dictam Annam à cohabitatione sua, & quasi possessione iuris coniugalis & Reginalis eiecere, & amouere debere, in his scriptis pronunciamus, decernimus, & declaramus, restituimus, & reponimus, eiicimus & amouemus, eademque nostra sententia, & ex consilio, & mero officio nostro prædicto, præfatum Henricum Regem, maioris excommunicationis, & alias censuras & pœnas in dictis litteris contentas, ob earum non paritionem & contemptum damnabiliter incurrisse & incidisse, ac ab omnibus Christi fidelibus euitandum fuisse & esse, declaramus & mandamus.

Et nihilominus volentes cum eodem Henrico Rege, more pij patris benigne & clementer agere, censurarum prædictarum declarationem, vsque, & per totum mensem Septembris proxime futurum, ad hoc, vt sententiæ & mandatis nostris prædictis commodius parere possit, suspendimus, & sinfra prædictum tempus parere distulerit, ac dictam Catharinam in pristinum statum, quo tempore lis mota erat, non restituerit, præfatamq; Annam à sua cohabitatione & quasi possessione iuris coniugalis & Reginalis non abiecerit, & dicta attentata cum effectu non purgauerit, ex nunc, pro vt ex tunc, præsenti declarationi locum esse volumus & decernimus.

Ita pronunciamus. die XXIV. Martij.

VIII. *Henricus VIII. Angliæ Rex sententia lata offensus omnibus subditis prohibet ne Catharina Reginæ appelletur.*

Henricus hac accepta sententia, cum eam non aliter atque si ipsi iniuria facta fuisset, mira interpretaretur; tantum abfuit vt ei pareret, aut pœnitentiam cogitaret, vt perditorum potius hominum more, peruicacius multo prōgrederetur; & doloris sui vlciscendi causa, nihil aliud versaret animo quam vltionem. Ac inprimis quidē ratus vxori Catharinæ, quod in illius gratiam hæc omnia facta à Pontifice affirmaret, sub pœnis grauissimis edixit, ne quis in posterum illam Reginæ nomine vel Henrici Regis vxoris appellatione dignaretur, sed vt tantum Arthuri Principis defuncti vidua ab omnibus vocaretur. Deinde Mariam ex Catharina filiam, decem & septem annos natam, quam antea Walliæ Principem Regnique hæredem vniuersi ordines iurato professi fuerant, omni Regio ornamento detracto, tamquam Spuriam & illegitimam, ad Catharinam matrem remitti iussit, vt priuatam cum ea vitam ageret. Simul etiam custodes & exploratores in ipsa Catharinæ domo, famulorum loco constituit, qui renunciarent quid ibi ageretur, quibuscum consilia Catharina conferret,

Maria VValliæ Princeps ab Henrico VIII. patre repudiatur & regno spoliatur.

qui

Idem multos Catharinæ propugnatores in vincula conicit.

qui domum illius frequentarent, quibusnam ipsa fideret. Inquirebat etiam diligenter in illius amicos, eosque leuissimis de causis in custodiam tradebat. Et primo quidem loco, vt cæteris timorem faceret, Reuerendum admodum doctumque virum, Ioannem Forestum, Diui Francisci de Obseruantia religiosum, qui Sereniss. Catharinæ à Confessionibus fuerat, in carcerem coniecit, eo prætextu, quod Hugoni cuidam Latimero hæretico, liberius in Papam, coram ipso Rege debacchãti, restitisset. deinde nõnullos alios, & in iis tres Sacerdotes, ac Doctores Theologos, qui causam Catharinæ paulo ante apud Legatos Pontificios defenderant, Thomam Abelum, Edouardum Pouellum, & Richardum Fetherstonum, recludi iussit in arctissimas custodias, ea criminatione, quod cum Moniali quadam Cantuariensi, de qua statim dicemus, consilium habuissent contra Regis diuortium. Atq; hos quidem omnes postea, aliosque plurimos diuersis mortis generibus mactandos curauit Henricus, vt suis locis narrabimus.

IX. Illi moniali Elizabethæ Bartonæ nomen fuerat, & quidem satis celebre, quæ propter famam sanctitatis, *Virgo sancta Cantiana* vulgo appellabatur. Hæc asserebat Henricum non amplius iam esse Regem, eo quod ex Deo non regnaret: Mariam vero Catharinæ filiam, quæ tunc minus legitimè nata pronunciabatur, ad regni gubernacula suo iure & tempore sessuram esse: propter hæc verba in ius vocata, & in publicis regni Comitiis vna cum duobus Diui Benedicti Monachis, Edouardo Bochingo, & Ioanne Deringo, duobus etiam ex familia S. Francisci Patribus, Hugone Richeo qui Cœnobio Cantuariensi præerat, & Richardo Risbeo; duobus etiam Sacerdotibus secularibus, Richardo Masteto, & Henrico Goldo, qui omnes Elizabetham Spiritu Dei afflatam credebant, capitis condemnata fuit, cum quibus post ludibria publica, vltimum subiit supplicium, duodecimo Calend. Maias. Eam sanctimonialem, cum inter cæteros Roffensis & Morus diligenter examinassent, confessi sunt, se nullo iudicio deprehendere potuisse, illam fanatico spiritu (quod in eius inuidiam tunc spargebatur) agitatam fuisse: vnde & ipsi quoque in suspicionem apud Regem venerunt, quod cum illa sentirent. Et Roffensis quidem nominatim de eo crimine in Comitiis accusatus fuit, & Ioannes Adesonus, qui ei fuit à sacello, vna cum tabellione Cantuariensi: duo etiam nobiles laici, Thomas Goldus, & Edouardus Thuatus in vincula eam ipsam ob causam coniiciebantur. Constat tamen, illas res quas tunc, cum nihil minus quam futuræ putabantur, futuras illa prædixit, suo tempore postea euenisse. Maria enim quæ tunc Elizabethæ postponebatur, ante Elizabetham postea suo iure regnauit.

X. Londini optimates iussi & coacti in regis sententiam iurare.

Quo vero die hæc Dei ancilla cum sociis ad patibulum tracta est, eo ipso Londini Optimates omnes iussi sunt coram Archiepiscopo Cranmero, Audlæo Cancellario, Cromuelo secretario, aliisque Regis Consiliariis iurato profiteri, secundas eius nuptias legitimas esse, prolemque inde natam, Elizabetham nomine, veram esse regni hæredem, Maria Principe exclusa, tamquam ex illegitimo matrimonio procreata. Quam iurisiurandi formulam, vt multis de causis iniquissimam, cum Ioannes Roffensis, ac Thomas Morus, aliique nonnulli suscipere nollent, in custodiam coniecti sunt.

XI. Thomæ Mori vexatio & examinatio.

Dicam prius de Thoma Moro, eiusque prima vexatione & examinatione.

Quum Thomas Cranmerus Archiepiscopus Cantuariensis, homo ad voluntatem Regis Henrici factus, & totus ad adulandum compositus, Sedem potius Apostolicam abnegare, quam Regem concupitis cum Anna nuptiis fraudari instituisset, & illud tantopere à Rege desideratum, tantoque innocentum sanguine fædandum, tam horrendi futuri schismatis fundamentum, tamquam videlicet Angliæ Primas & Metropolita, diuortium pronunciasset, statim libellus prodiit autoritate Senatus Regij editus, qui diuortij huius causas redderet, vbi inter cætera dicitur, Regem ideo Sedis Apostolicæ iudicium non morari, quia ab eo ad Generale Concilium appellaret. Rumor statim percrebuit Morum huic libello respondisse, eumque refutasse. De hac calumnia purgat se diligenter Morus per epistolam ad Thomam Cromwellum Regi à consiliis & magnæ tunc autoritatis virum, affirmans se neque aliquid contra illum libri scripsisse, nec vmquam scribere voluisse; quod multis ibi argumentis etiam plane improbabile esse demõstrat. Hac labe absterſa, alia de Bartona moniali aspergitur: quasi, cum illam iussu Regio examinaret, præter examinationis tempora, secreto cum ipsa contulerit, quodque litteras ad illam miserit ab eaque acceperit; iamque adeo in plenis regni Comitiis accusatur hoc nomine Morus, ipso Procuratore Regio se per libellum potrectum inscribente. Cæterum totam hanc odiosam & conuictam calumniam Thomas Morus scriptis iterum ad eundem Cromwellum, prætereaque ad Regem ipsum litteris à se excussit, effecitque, vt ab illa intentata in Morum calumnia, in Comitiis desisteretur. Hac duplici calumnia vtcumque depulsa, etsi hæc posterior animo Regis altius insederat, cuius suspicionem improbatum semper à Moro diuortium magis auxerat, Morus hactenus in iudicium non vocatur. Sub initium vero huius anni 1534. mense Aprili, voluit Rex ad maiorem diuortij sui confirmationem, vt exhæredata Maria Principe, Catharinæ filia, omnes in verba Elisabethæ quam peperit Anna iurarent, velut quæ sola proles iam Regis legitima esset, & regni hæres; simulque Romani Pontificis autoritatem in regno Angliæ abiurarent. Hoc geminum iuramentum quum Londini proponi cœptum esset, totusque Clerus ad certum diem coram Cranmero Cantuariensi Archiepiscopo, totoque ferè Senatu Regio vocaretur, solus ex laicis Thomas Morus vocatur, primusq; sententiam rogatur. Qua in re quid responderit, & quomodo se gesserit, malo ipsius verbis huc translatis quam meis narrare. Sic ergo iam in carcere castri Londinensis constitutus ad filiam Margaritam scribit: Quum Lambethum peruenissem, vbi Domini Commissarij confederant, causa mihi explicata ob quam eò citatus essem (etsi plurimum mirabar me solum ex laicis eo vocatum fuisse) petij inspectionem iuramenti, quam mihi sub sigillo Regio maiori exhibuerunt: mox etiam statutum de noua successione vt ostenderent rogaui; quod mihi typis excusum communicarunt. Vtroque secreto apud me ipsum perlecto & considerato, respondi, me quidem nec statutum ipsum aut statuti authores, nec iuramentum ipsum vel qui in id iurassent, culpare velle, nec cuiusquam alterius conscientiam reprobare. Quod ad me vero pertinebat, dixi bona fide iuxta meam ipsius conscientiam, etsi non recusarem in successionem ipsam iurare, tamen iuramentum illud mihi tunc exhibitum me præstare non posse, nisi animam meam æternæ damnationis periculo obiicere velim. Quod si dubitarent me ex solo conscientiæ scrupulo iuramentum hoc recusare, paratum me dixi hoc ipsum iureiurando affirmare; cui si fidem non adhiberent, quomodo esset de mea voluntate certi, etiam oblato mihi ab illis iuramento præstito? At vero si crederent me hac in re vera iuraturum, sperare me tanta eos benignitate erga me vsuros, vt altero illo iuramento me non premerent, quod nisi periurus esse vellem, præstare non possem. Quum hæc dixissem, Dominus Cancellarius regni, mihi respondit: magnopere præsentes omnes dolere me talia dixisse, ipsumque iuramentum his verbis recusasse. Addebant etiam omnes fidem suam contestantes, me esse omnium Anglorum primum, qui hoc iuramentum recusauerit; quæ vna res Regiæ maiestati grauem contra me indignationem, & prauam de me suspicionem prouocaret. Moxque catalogum mihi ostenderunt totius nobilitatis & populi, qui omnes iuramento suscepto nomina etiam sua subscripserant. Quo non obstante, quia me sic videbant hoc iuramentum recusare, vt alios tamen qui iurassent non culparem, iusserunt me in hortum tantisper recedere. Interea vero totus Clerus Londinensis, Pastores, Doctores, presbyteri omnes, & nonnulli Episcopi (inter quos Roffensis) ad præstandum hoc iuramentum vocati sunt, omnesque ad vnum (excepto Domino Roffensi, & Doctore Theologo VVilsono) sine vlla difficultate aut mora iurarunt, & subscripserunt. Hac scena peracta, denuo vocor. Ingresso mihi ostensum est, quot, quam multi & quanti viri, interea temporis tam breui interuallo, sine vlla hæsitatione iurassent, & subscripsissent. Quo ego viso, neminem tamen reprehendere volui, sed eo modo respondi vt prius. Iam vero quum & hoc tempore, & prius quoq; pertinaciam & obstinationem animi mihi sæpius obiecissent; quod nec iuramentum admittere, nec causas aliquas recusationis meæ explicare volui; quod posterius ideo me non facturum

dixi, quia sola iuramenti recusatio satis magnam Maiestatis suæ erga me indignationem prouocaret. causas vero ipsas si aperirem, suam maiestatem grauius adhuc aduersus me concitarem; quod nullo modo facere vellem; neque Regem plusquam necessitas ipsa me cogebat, offendere; quum, in quam, hac mea satisfactione accepta, vrgerent nihilominus ac identidem repeterent me animo tantum obstinato & pertinaci causas explicare nolle; ego hactenus illis acquieui, vt potius quam obstinatus videri vellem, dicerem, casu quo sua Maiestas id mihi facere permittat, aut (quod malim) iubeat, data mihi interim cautione idonea, hanc ipsam explicationem mihi præiudicio non futuram, neque causam meam inde deteriorem fore, me paratum esse causas ipsas scripto explicare: simulque iuramento affirmare, quod iuramentum istud principale mihi oblatum ex toto animo suscipiam, si causis illis ita à quoquam satisfieret, vt conscientiam meam quietam & contentam redderet. Huic meo responso replicatum est; etiamsi Rex litteris etiam patentibus talem mihi potestatem faceret, hoc tamen sufficere mihi ad indemnitatem non posse, contra statuti vim, aut decretum Parleamentale. Cui ego respondi; si litteras Regias obtinerem, me illis contentum fore, & de reliquo Maiestatis suæ honori ac fidei rem totam me meo periculo commissurum. Interim illud mihi, inquiebam, ex his verbis vestris perspicuum sit, quod sibi absq; tanto periculo vt dicitis, causas explicare nequeo, profecto causarum explicationem detrectare, obstinati animi non est. Hoc autem in loco Archiepiscopus Cantuariensis Cranmerus, memor eius quod dixeram me eorum conscientias qui iurarunt nec damnare, nec reprehendere, sic aduersum me inferebat: Satis inde apparere, quod hanc iuramenti recusationem necdum vt rem certam, constitutam, & exploratam haberem; sed potius vti rem dubiam, incertam, controuersam: Nunc autem, inquit, certum & exploratum tenes, oportere te Regiæ Maiestati obtemperare. Debes igitur, & omnino teneris id quod incertum est dimittere: quod autem certum est amplecti. Iuramenti recusationem vt rem tibi adhuc incertam abiicere; obedientiam erga Regem vt rem certissimam exequi, & præstare. Hoc certè argumentum etsi non mihi videbatur prorsus concludere, quod intendit, tamen ita mihi de repente subtile visum est, maxime à viro tantæ autoritatis prolatum, vt profecto nihil aliud ex tempore respondere potuerim, q̃ mihi adhuc videri me reluctante conscientia facere hoc non posse; quia ipsa mihi conscientia dictabat, causam præsentem eiusmodi esse, in qua Regi non sit obediendum; quia quicquid alij in hac causa sibi persuadeant (quorum ego vel conscientias, vel eruditionem, aut iudicare, aut damnare præsumere nolim) ego certe mihi persuadeo, ab altera parte veritatem stare. qua etiam in re meam conscientiam nec leuiter, nec subito informaui, sed longa prius atque diligenti inquisitione facta. Et profecto si illud Domini Cantuariensis argumentum validum ac bonum est, via nobis expedita & clara monstratur, qua omnes quascumque magnas de religione quæstiones concludere liceat. De quacumque enim in re inter Doctores controuertatur, Regis in alteram partem assertio, omnem controuersiam dirimit. Hic vero R. D. Abbas Westmonasteriensis me aggreditur dicens, mihi meritò metuendum esse, ne mea hic conscientia erronea esset, quum videam vniuersum totius regni Senatum diuersum non sentire tantum, sed & decernere, ideoque reformandam hanc meam conscientiam esse. Cui respondi; Si ego solus hoc sentirem, nec quisquam alius staret à meis partibus, toto regni Senatu ab alia parte stante, merito multum metuerem meæ singulari sententiæ inniti à tam multis reprobatæ. Nunc vero si è contra in certis causis ob quas hoc iuramentum suscipere detrecto, habeo mihi consentientem (vt mihi sane persuadeo) æque magnum adeoque maiorem Senatum, non tunc teneor conscientiam meam reformare, nec vnius regni Concilio, contra generale totius Orbis Christiani Concilium eam conformare. Hic quum Dominus Secretarius, qui mihi vnicè fauet, grauissime se dolere diceret, multisque verbis dolorem suum exprimeret, Regiamque aduersum me indignationem vrgeret respondi: quicquid mihi hac in causa triste accideret, à me corrigi non posse, absq; euidẽti animæ meæ periculo. His dictis, Dominus Cancellarius repetit Secretario, quasi iam ad Regem ituro recusationem meam prædictam: quam quum repeteret, adiecit expresse, q̃ ad decretum de successione attinebat, me non recusare quo minus in id iurarẽ. Quod ego quidẽ statim me facturum repetij ea conditione, vt iuramentũ illud eo verborũ tenore & forma conciperetur, in quam salua cõscientia iurare possem. Quo dicto adiecit Cancellarius; Vide igitur Domine Secretarie, & aduerte, quod nec in ipsam successionem iurare vult, nisi sub certa verborum forma. Omnino Domine Cancellarie, inquiebam ego; nisi prius iuramentum ita cõceptum videro, vt ipsemet clare videam me sic iuraturum, quo nec periurus fiam, nec aduersus conscientiam iurem. Hęc hactenus ad filiam suam Margaritam Morus. Hæc fuit prima eius examinatio, hoc persecutionis exordium, hic primus actus funestæ illius quoad Regem tragœdiæ, felicis quoad Morum comediæ. Vides hic lector, quam sapienter, cordatè, modestè ad singula responderit; quam piè conscientiam non lædat; quam studiosè Regem non offendat; quam apposite singulis (quasi ceruum canibus allatrantibus) satisfaciat; denique quam piè & Christianè se gerat. Mira res, inter tot laicos litteris claros, prudentia conspicuos, autoritate magnos, nobilitate illustres, solum Thomam Morum, & quidem ante Clerum ipsum examinari, rogari, tentari. Antea apparuit quantum tentauerit Rex, vt hunc hominem in suam sententiam pelliceret. Nunc videmus totum Regis Senatum, Archiepiscopum, Cancellarium, Secretarium, Abbatem, & communiter & sigillatim in vno Moro pertrahendo frustra contendere. Ostendunt ista & maximæ autoritatis ac fidei Morum apud Regem, Senatum ac populum fuisse, & virum tamen in causa fidei fortissimum, in veritate tuenda integerrimum.

XII. Eiusdem præparatio ad mortẽ.

Hic vero operæ pretium est, quo studio, qua pietate, ad hoc se certamen athleta Christi fortissimus præparauerit, ostendere. Cancellarij amplissimo munere abdicato, domum suam se recipiens, ab aulicis videlicet & publicis negotiis quasi manu missus ac rude donatus, non solum fidem Catholicam contra exorientes hæreses tunc in Anglia, perpetua & doctissima scriptione defendit; sed etiam pietati, precibus, corporis sui mortificationi, solito arctius & seuerius incubuit. Morionem à mensa & conspectu suo remouit: familiam magna ex parte imminuit, famulis tamen optimè apud diuersos collocatis. Supellectilem omnem auream & argenteam quam vsque ad 4000. aureos & amplius habebat diuendidit; ne (quod postea accidit) fisco Regio præda esset. Liberos suos omnes iam coniugatos cum prolibus in singulas familias, alios alibi dispartiit, sola Margarita cum sua coniuge etsi non in eadem domo, attamen in eodem pago domicilium habente. Sæpe admodum (vt in quadam ad Margaretam Roperam ex carcere epistola scribit) etiam in lecto ad vxoris latus cubitans, eique dormire visus, totas fere noctes insomnis duxit, omnia sibi quæ accidere poterant difficillima, etiam mortem ipsam præmeditando: multisque lachrymis & precibus carnis suæ (quem ita fregisse ac teneram alicubi esse scribit, vt nec talitrum libenter sustineret) victoriam obtinuit. Singulare est illud, quod abdicato Cancellarij munere, apparitorem Regium seu ostiarium subornarit, qui hora prandij quando cum suis omnibus se recreabat, pulsatis repente foribus & intromissus, eum nomine Regio citaret, coram commissariis Regiis die proximo compariturum. Quo repentino nuncio suos perculsos, & quosdam quidem gemitum & ploratum edentes, alios rem fortiter ferentes, hos studiosè collaudabat, illos acri oratione obiurgabat; haecque ratione & se & suos ad futuram calamitatem prudentissime armabat. Quod eius insigne stratagema, dum recolo, Ioannem illum eleemosynarium Patriarcham Alexandrinum mihi videre videor, simili quodam modo ad mortem ipsam sese præparantem. Iusserat sibi extrui monumentum: ei autem finem non imponi, sed sic imperfectum relinqui: deinde eos qui præfecti erant operi, quum esset festum aliquod insigne accedentes in conspectu omnium qui assidebant, aperte dicere. Monumentum tuum in hodiernum vsque diem imperfectum est Domine. Iube ergo vt id finem accipiat. Incerta est enim mortis hora. Quam autem tota hæc præmeditatio & præparatio etiam in viro tanto fuerit necessaria,

Ad iudicium citatus omnibus domesticis valedicit.

ipse rei exitus, & adueniens tentatio comprobauit. Erat forte Morus Londini ipsa Dominica Palmarum cum genero suo Ropero, vt Concionem ad Diuum Paulum audiret. Ea finita, quum ad domum Ioannis Clementis diuertisset, accedit ad eum Ostiarius Regius, qui in proximum mane eum citat, vt coram Regis Commissariis in Lambetho, palatio Archiepiscopali compareret. Mox igitur domum rediens, ea nocte omnibus suis penitus valedicens, proximo mane sumpta prius venerabili Eucharistia, quum domo abeuntem vxor & liberi flentes comitari vellent vsq; ad aquas, clauso ostio eos inclusit, soloq; genero suo prædicto eum comitante Londinum nauigio venit, totus meditabūdus & tristis, quasiq; cum Christo in horto patiens & dicens, Tristis est anima mea vsq; ad mortem. Tandem tamen hilari & exporrecto vultu ad generum dixit: Vicimus filij, bene se res habet. Nempe in via ad accusationem suam tendens, vnde passionem consequi posse præuidebat, fuit & Morus in agonia & prolixius orabat: sed Christi fretus auxilio, & propter verbum Christi; Confidite, ego vici mundum, vicit quoque ille mundum. Nisi enim Christus prius vicisset; nullo modo membra eius vincere potuissent: imo nec vicisset ille mundum, si eius membra vinceret mundus, ait S. Augustinus. Eo quippe vincente, nos vicimus, quia per illum vicimus. Hæc ergo prima persecutio, prima examinatio, prima ad passionem futuram tentatio, prima victoria fuit.

XIII.

In carcere coniicitur.

Reiecto & recusato vtroque iuramento, tam de primatu Regis, quam de noua successione, Morus, primum Abbati VVestmonasterien si ad aliquot dies in custodiam datur: sed mox in carcerem turris Londinensis coniicitur, ad perpetuos carceres damnatus, bonis quoq; ac fortunis omnibus spoliatus. Quam primum vero in carcerem turris Londinensis coniectus est, & in arctissima custodia positus, scripsit carbone piruum epistolium ad filiam suam Margaritam, quod hic propterea subijciam, vt intelligat Lector, quanta animi alacritate primum illum carceris horrorem, & squalorem sustinuerit. Charissima filia, ego (scribit) laus Deo, recte valeo, corpore sanus, animo trãquillus, rerumq; mundanarum non plus appeto quam habeo. Deum precor, vt vos omnes lætificet in spe vitæ æternæ. Quæque ego iam dudum de bonis æternis vobiscum omnib. communicare statueram, multumque desideraueram, ea Deus diuino suo spiritu mentibus vestris vt instillet precor: quod eum facturum spero, idq; multo viuacius quam vllus sermo meus auribus instillare potuisset: qui & vobis benedicat, vosq; omnes conseruet. Scriptum carbone per amantissimum vestri patrem, qui in suis precibus quibuscumque tandem illis nullius vestrum obliuiscitur, neque liberorum vestrorum, neque nutricum, neq; maritorum vestrorum, neque improbarum quas habent vxorum, neque etiam improbæ vxoris patris vestri, neque cæterorum amicorum. atqui ita deficiente charta, valete. Post scriptum. Det mihi Dominus Deus animum perpetuo fiduciem, simplicem, ac apertum, nec, si alio sim animo, superesse me diutius permittat. Nam quod ad vitã diuturnã attinet, neq; expecto, neque desidero, sed eam abrumpere paratus sum, etiam crastino die, si ita Domino videatur, neque quemquam mortalium noui, (Deo sit laus) cui velim mea causa vel talitrum inferri. De quo quidem animo magis mihi gaudeo, quam si vniuersum mundum possiderem. Commenda me improbo tuo Guilhelmo, & aliis liberis meis. Ioanni quoque Harrisio amico meo, & cæteris quos ipsa bene nosti; sed præ cæteris omnibus improbæ vxori meæ: & Deus vos omnes conseruet, & seruos suos vos faciat atque custodiat. Hæc ille in primo carceris ingressu, nec suorum oblitus, nec ita in suos affectus, vt eorum præsentia magis quã Dei obsequio delectaretur. Mox vero non ita multo post, vt varia tentatione affligitur (Rege omnibus modis id satagente, vt hominem ad suam flecteret voluntatem) ita omnem illam diuino adstipulante numine fortis athleta Christi feliciter superauit. Primum Margareta Ropera filia eius vnice dilecta, & quam supra cæteros omnes amauit, illum iam in carcere positum hortatur, seu vero vultu, seu ex composito (certè ab illo vero vultu res accepta est) vt illud iuramenrum præstare non grauaretur, quod tam multi per totam Angliam magni & docti, & pij viri præstitissent. Hæc illi tentatio tam grauis erat, vt his plane verbis ei rescriberet. Nisi iamdudum à satis longo tempore animus meus in hac causa (diuina opitulante gratia) planè firmus ac stabilis constitisset, tua profecto lachrymabilis epistola, non mediocriter eum labefactasset, certe vehementius eum concussisset, quam cætera omnia, quæ nonnulla non pauca, eademque terrore & horrore plena hoc in loco subinde audio. Sed nihil eorum ita me perculit, nec eum mihi dolorem attulit, sicut illa tua epistola, in qua videbam charissimam mihi prolem verbis valde flebilibus, id mihi persuadere velle, quod à me fieri nullo modo posse, ipsãt salutis meæ necessitate sic cogente, toties & tam diserte alias respondi. Tuæ ergo epistolæ argumentis non est quod respondeam. Non enim dubito quin meminer is, quam sæpe tibi dixerim, causas & orationes huius facti mei (sine quibus explicatis tuis litteris respondere nequeo) me nulli mortalium vmquam explicaturum. Hac in re igitur, mea Margareta, nihil aliud possum, quam vt sicuti me multum rogas, vt tui animi sententiam sequar, sic te vicissim plurimum rogem, atque obsecrem, ne id amplius me roges; sed iis quæ prius tibi hac in re sæpe numero respondi, contenta esse velis. Incredibilis mihi dolor est, multoque ipso mortis nuntio grauior (mortis enim timorem, Deo sit laus, timor gehennæ, spes æterni gaudij, & Christi passio magis ac magis quotidie imminuunt) quum intelligo generum meum, teque filiam meam charissimam, atque vxorem meam dulcissimam, aliosque liberos meos & amicos meos innoxios, magnum propter me in discrimen vocari, magno imminentium malorum metu concuti. Quæ sane à vobis remouere quum penes me non sit, nihil aliud possum, quam vt soli Deo vniuersam rem committam. Nam in manu Dei cor Regis est, & sicut diuisiones aquarum quocumque voluerit impellit illud. Hæc ille. quæ facile ostendunt, quam grauem tentationem querula illa filiæ suæ dulcissimæ epistola, fotissimo Confessori attulit, maxime tali patri, tam fiuorum amanti, tam tenere diligenti, quanta etiam spiritus fortitudine, illam à se reiecerit, planeque deuicerit.

XIV.

Eius epistola ad filiã suam.

Alia Mori in carcere tentatio fuit, eiusdem filiæ Margaritæ sermo cum eo habitus. In quo sermone prudens fœmina quasi in persona aliorum omnia in medium affert, quæ contra hanc solius fere Thomæ Mori recusationem à magnis & paruis dicebantur. Non erit abs re ea hic breuiter commemorare, quæque singulis Morus pie ac prudenter responderit, huc transcribere. Sic enim tum factum ipsum Mori per se, manifestè pium ac sanctum, contra cauillationes tamen & iudicia mundi defendetur, tum etiam contra similes casus qui non raro in Repub. contingunt, lector instructur. Capita igitur obiectionum hæc sunt, omnia à Margareta proposita. Primum, vir tantopere Regi deuinctus, tot honoribus ab eo donatus, Regiæ volũtati si quis alius maxime obtemperare tenetur; nisi vbi clarè & perspicuè diuino mandato contradiceretur. At in hac causa (quod secundò obiiciebatur) ita generalis est totius regni consensus, tot & tantorum virorum, vt vix videatur credibile illos omnes Deo repugnare velle. Tertio videret iterum atque iterum, ne vnius Roffensis Episcopi iudicium sequatur, aut vnius eius voluntati se obstringat. Quarto, qui hoc iuramentum præstiterunt, tales ac tanti viri sunt, Episcopi, Doctores, Pastores, Religiosi, nobiles & illustres ac prudentissimi viri, vt non solum non temerè, vel absque periculo salutis, eorum iudicio homo laicus & non nobilissimus accommodare se possit, verum etiam quod accommodare debeat. Quinto & postremo, quum in plenis regni Comitiis, publico omnium Ordinum consensu & autoritate sancita res sit, existimant omnes, ad eius decreti publici cõfessionem & approbationem etiam in conscientia eum teneri. Propter has ergo causas alij temere & inconsulte, alij, periculose, alij denique improbe & pertinaciter Morum agere clamitabant, qui pene solus hoc iuramentum præstare detrectauerit.

Eiusdẽ ad obiecta responsio.

Ad hæc singula hoc fere modo respondit Morus. Ad primum, *neminem certe in vniuerso regno Anglicano iuramentum hoc libentius præstitisse, quam ille præstiturus erat: id q; quia Regiæ maiestatis se multis nominibus deuinctissimum agnoscit; si id faciens Deum grauiter non offenderet: Neque, inquit, leuiter aut perfunctorie rem hanc expendi, sed per totos annos sæpiẽ à quo tempore Rex ipse contra Lutherũ scripsit (cuius in libro primũ omnium aduerti, Primatũ Rom. Pontificis de iure*

de iure diuino esse) in hanc rem incubui; Patres omnes tum Græcos quam Latinos quos habere potui lectitando; qui omnes à Diuo Ignatio, Ioannis Euangelistæ discipulo, vsque ad modernos Doctores, ita in hoc Primatu tamquam à Deo ordinato consentiunt; resque ipsa per Concilia Generalia sic confirmatur; vt in contrariam partem, nihil vmquam tale legere potuerim, vnde conscientiæ meæ tuto consultum putarem, sed potius vnde in certissimo damnationis periculo versari cernerem, si Primatum de iure esse diuino negarem. Quod tamen si negari posset, non video an illud nobis quicquam commodaret. Illud enim certissimũ est, Primatum hunc, vt minimum totius orbis Christiani consensu stabilitum esse, & ad schismatis vitandum introductum, continuatq; annorũ mille, vt minimum, successione roboratum. A tempore n. Diui Gregorij Magni, anni iam pene mille effluxerunt. Quum autem totus orbis Christianus vnum sit corpus, nõ video qua ratione vnum aliquod membrum, sine totius corporis consensu, à communi capite possit recedere. Quod a. ad Regis in hoc articulo offensionem attinet, etsi mea sit semperq; fuerit de Primatu Papæ sententia, tamen in libris meis vernacule contra hæreticos scriptis, Papæ potestatem haud ita multum defendo. Tametsi enim loquor interdum de Romano Pontifice, tamq; de supremo Ecclesiæ capite, iuxta communem omnium Christianorum loquẽdi morem, tamen id argumentũ nusquam premo, nusquam studiosè confirmo. Sed ab altera parte, quum in confutatione mea contra Tindallum incidissem locus de Primatu Romani Pontificis, eumque prolixè tractassem, & ad eius confirmationem omnia quæcunq; inueneram collegissem, quũ eo tempore de futura inter Romanum Pontificem ac Regem tali dissensione qualis nunc est exorta nihil diuinarem; quum paulo post animaduerterem res ad huiusmodi discordiam tendere, totum illud quod de Primatu scripseram resecaui, ipsamq; confutationem abs q; illa disputatione in lucem edidi. Ex quo satis liquet, quam noluerim in hac Primatus quæstione Regem offendere, quomodocumq; ille mihi persuasissimus esset. Nunc vero hoc mihi proposito iuramento in arctum me compingi video, vt aut Regem necessario offendam, aut Deum; aut maximis me hic in mundo periculis exponam (quæ tamen omnia diu præuidi & præcogitaui) aut æternæ damnationi me obnoxium reddam.

XV.

Ad secundum respondit, se aliorum cõscientias nullo modo scrutari, aut iudicare velle. Multa, inquit, multos possunt ad hoc iuramẽtum pellicere. Alij vel vt placeant; vel ne displiceant, & displicendo vel in fortunis, vel in corpore luant, iurare possunt aliter sentientes, vel certe de repente nouam sibi conscientiam formãtes. Quod quidem absit à me longissime, vt de quoquam existimem qui iurarunt. Melius de illis confido. Si enim talia quemquam mouerent, nemo me citius moueretur, vt qui neminem putem ita fragilem ac meticulosum, quam sum ipsemet. Alij fortasse huiusmodi sibi conscientiam formare poterunt, qua putent Deum illis hoc non imputaturum, quia metu id faciunt, non ex animo, & coacti, non sponte. Alij sperant fortasse se huius abnegationis pœnitentiam acturos, atq; ita rebus suis saluis veniam à Deo consequuturos. Alij postremo hoc sibi forsan persuadent, Deum omnino non offendi, quicquid ore dicant, quando animus integer est, & ab omni errore vacuus. His ergo periculis me exponere non audeo, neq; tales cogitationes induere tutum existimo.

Ad tertiam illam obiectionem respondit nihil habere probabile, tum quia Roffensi necdum vocato, aut audito ipse prior recusauerat; tum etiam quia Dominus Roffensis paratus erat plusculum aliquid illius iuramenti admittere, & certo quodam modo, aliter quam ipse vmquam voluerit iurare. Denique, inquit; etsi virum illum ita reuerear, vt plane ei parem in toto hoc regno non esse existimem, seu prudentiam, seu eruditionem, seu spectatissimam pietatem spectes, tamen nec ad illius, nec ad alterius cuiusquam particularis nutum conscientiam meam formare velim.

XVI.

Quarto sic respondit; etsi omnes in hoc regno docti, prudentes, boni aliter sentiant (quamquam facile fieri potest, vt multi ex illis non idem sentiant quod iurando sentire videntur) tamen in aliis orbis Christiani partibus non pauciores sunt qui idem mecum sentiant. Ex iis autem qui ante nos vixerunt, aut omnes, aut pene omnes eiusdem sententiæ mecum fuêre, vt taceam de sanctis Ecclesiæ Doctoribus, ac Patribus, qui idem plane docuerunt atq; senserunt; non omnes dico & singuli, sed certe tanto numero, vt vehementer optem meam animam eodem quo illi sunt loco ac statu esse.

Ad quintum atque postremum respondit; *etsi leges ciuiles atque locales obligent subditos sub pœna temporaria, atque interdum etiam sub aterna; tamen nemo tenetur iuramento asserere, omnes tales leges legitime esse ac recte institutas. Nemo enim legi illi ciuili, aut Regali obedire tenetur, quæ rationi aut pietati aduersatur. Sed & in dogmatibus adhuc in Ecclesia dubiis & controuersis, de quibus ipsi docti & sancti inter se dissentiunt, salua fidei compage, qui alterutram tenet sententiam (verbi gratia circa conceptionem B. Virginis, eã non esse conceptam in peccato originali) nec contra illam quam tenet vlla lege iurare cogi potest, quia hoc esset contra conscientiam iurare, nec vt conscientiam suam mutet, & contrariam induat, vlla lege locali, aut regionali cogi potest, quia talia determinatè credenda præscribere solius est Concilij Generalis, aut legislatoris vniuersalis. Iam vero in his quæ plane sunt in alteram partem determinata per Concilia Generalia, aut Ecclesiæ consensum vnanimem, contra illa sentire, loqui, conscientiam sibi formare nulla cogente lege potest, qui Christianus est & saluus esse vult: vtcumque multi & docti id faciant, & suo exemplo alios ad se pertrahere conantur.* Sic ad singula obiecta, variaq; tunc hominum de eius facto iudicia Thomas Morus respondit; quæ ab eius ore accepta Margareta filia ad sororem suam Domini Alingtonij viri equestris vxorem scribit; nosq; ex Margaretæ epistola, aliisq; ex locis operum Anglicorum in hunc locum transtulimus atq; congessimus.

XVII.

Iam vero quum Margareta ista (vt in eadem adhuc epistola copiose refert) animum patris sui aliis quibusdam modis non tam ad malum tentasset, quam de constantia & fortitudine pertentasset, ad ea tam piè ac sapienter respondet Morus, vt veri Martyris animum, & ad quæuis pro veritate subeunda promptissimum facile agnoscas. Ea hoc loco breuiter commemorabo, vt lector intelligat, quanta pietate, integritate, sapientia, in tota hac causa Thomas Morus vsus fuerit; quam nihil temerè, vanè, pertinaciter aut obstinate ab eo actum sit, non nisi re tota grauissime & exactissime perpensa; non vt solus saperet, non vt Regem offenderet, sed prorsus ne in Deum peccaret. Margareta, cum omnia sua argumenta diluta cerneret: Attamen, *aiebat*, vehementer me tuo, ne hæc res in maximas te, mi pater, angustias, & acerbissimos dolores coniiciat. Nam & dudum Dominus Secretarius amicus vester integerrimus vos monuit, Comitia parlamentalia necdum esse finita. Quibus verbis mortis periculum patri proponebat, ne videlicet in ipsis Comitiis Thomas Morus nominatim condemnaretur. Sic enim in Comitiis Anglicanis non raro fit. Ad hæc ille respondit, omnia etiam extrema à se esse præcogitata, nec quicquam illi tam graue posse accidere, ad quod ferendum animo se & voluntate non comparauerit. Etsi, inquit, nec lex vlla in me ferri potest quæ iusta sit, iniusta autem nocere non possit, nisi simul iniuriam faciat; etsi profecto bene confidam Deum non permissurum, vt Rex ipse Princeps ita bonus & prudens tam multa & tam diuturna, fidelis sui ministri obsequia retaliet; tamen quia ista accidere possint, omnino Christi consilium secutus sum, sedensque sumptus omnes computaui, quos in hanc turrim conseruandæ animæ meæ, expendere necesse habui; nihilque non præcogitatum reliqui, neque hactenus, quacumque proposita mihi acerbitate, ab eo quod dictat mihi conscientia, recedendum putaui. At hæc iterum Margareta; At vero, mi pater, aliud est rem aliquam cogitando decernere, aliud rem ipsam de facto exequi; aliud animo futurum præuidere, aliud rem existentem cernere. Quod si vero quum ad rem ipsam ventum esset (quod Deus auertat) aliter tunc forte faceres, quam nunc faciendum iudicasti, metuo valde ne eo tunc tempore nimis hoc serum foret. Serum, *sit Morus*, inea Margareta? Precor Deum si aliter vmquam faciam, vt illud mihi nimis serò contingat. Certissime enim scio, certam mihi hoc perniciem fore, si vmquam hunc animum mutem, si inquam ex metu aut formidine malorum mutem. Itaque Deum ex animo precor, vt talis mutatio numquam mihi bene cedat. Quanto enim hic grauiora patiar, tanto vt minimum in altera vita leuiora feram. Quid? quod si nunc existimarem fore, vt postea deficerem, metuque correptus iuraremam, attamen malim interea ex hac recusatione aliquid durum & acerbum pati. Sic enim faciliorem mihi resurgendi à lapsu gratiam à Deo sperarem. Et quamuis, mea Margareta, bene mihi conscius sum, eam fuisse vitæ meæ ante actæ prauitatem, vt plane merear à Deo deseri; tamen non desinam in eius immensam bonitatem semper confidere, optimeq; sperare, quod quemadmodũ hactenus sanctissima eius

gratia mihi vires submiſtrauit, omnia animo contemnendi, opes, redditus, ac vitam ipſam, potius quam reluctante conſcientia vt iurem; ipſique Regi eam benignam mentem ſuggeſſit, vt hactenus me ſola libertate priuarit (qua certè vna in re ſua Maieſtas maius mihi beneficium contulit, propter ſpiritualem animæ meæ profectum, quem inde me conſequi ſpero, quàm in omnibus illis honoribus & bonis ſic antea erga me accumulatis) ſic eadem gratia vel Regis animum ita moderabitur, vt nihil in me grauius ſtatuat, vel mihi eas perpetuo vires dabit, vt quantumcumque grauia patienter, forte & libenter feram. Quæ mea patientia, cum meritis acerbiſſimæ paſſionis Dominicæ coniuncta (quæ quidem meam tolerantiam infinitis paraſangis, & merito, & modo excellit) mitigabit debitas mihi in purgatorio pœnas, diuina largiente bonitate, aliquantulum etiam mercedis in cœlo augmentum dabit. De Dei bonitate diffidere, mea Margareta, nolo, vtcumque me debilem ac fragilem perſentiam. imo ſi in eo me terrore & conſternatione cernerem, vt iamiam lapſurus viderer, meminero tamen Diuum Petrum vnico venti flatu, ex modica fide ſubmergi cœpiſſe, faciamque quod ille fecit. Chriſtum compellabo, Domine, ſaluum me fac. Spero enim quod extendens manum ſuam apprehendet me, nec ſubmergi patietur. Quod ſi vero Petri partes adhuc vlterius me agere permitteret, planeque præcipitem cadere, iurare, & abiurare (quod pro ſua miſericordia Deus longiſſime auertat, potiuſque damnum mihi quam commodum ex eo lapſu mihi creet) ſpero nihilominus fore, vt oculo miſericordiæ pleno me reſpiciat, ſicut Petrum reſpexit, meque denuo erigat, vt de nouo veritatem confitear, & conſcientiam exonerem, pœnamque & pudorem prioris abnegationis fortiter perferam. Deniq; mea Margareta, illud compertiſſimum habeo, quod abſq; mea culpa Deus me non deſeret. In omni itaque ſpe & fiducia me illi totum cõmittam. Si propter peccata mea me ſinat perire, ſaltè iuſtitia eius in me laudabitur. Spero tamen, & certiſſimè ſpero, quod clementiſſima eius bonitas animam meam fideliter cuſtodiet, facietq; vt miſericordia eius potius quam iuſtitia in me commendetur. Sis ergo bono animo, mea filia, neque de me admodum ſolicita, quicquid mihi in hoc mundo contingat. Nihil contingere poteſt, quod Deus non velit. Quicquid autem ille vult; vtcumq; nobis malum videatur, eſt tamen re vera optimum. Hæc ad ſuam Margaretam in carcere Morus. Videas in his verbis & facile recognoſcas, non ſolum virum ad omnia toleranda paratum, ſed (quod multo amplius eſt, ipſiuſq; fortitudinis atque adeo aliarum omnium virtutum fortiſſima cuſtodia) etiam de ſe humillime ſentientem, diuinæ ſeſe voluntati in omnibus conformantem, iuſtum, ſanctum, ſimplicem, rectum & timentem Deum.

XVIII. Has ergo (quas puto omnium difficillimas fuiſſe) perſuaſiones, & ex his ſcrupos, timores, tentationes quum ſuperaſſet, ſucceſſit altera non modica. Præter Epiſcopum Roffenſem, vnicus ex inferiori Clero, Nicolaus Vilſon Theologiæ Doctor, vir grauis, prudens, eruditus, & quo Rex plurimum vtebatur, Moro etiam ipſi familariſſimus, & in examine diuortij atq; Primatus coniunctiſſimus, iuramentum eo die recuſauerat, quo, vt ſupra dictum eſt, à toto Clero exactũ illud fuerat. Hic vir poſtea in carcere flexus & mutatus, iamq; iuraturum ſe pollicitus, antequam id faceret, ſcribit ad Thomam Morũ, an ille idẽ facturus eſſet, percontatus. Huic in ea verba Morus. Quod à me flagitas, an iuramentum hoc tandem præſtare velim; meminiſſe potes quum vterque foris libere ageremus, me nec animi tui ſententiam vmquam exploraſſe, nec vt mea à quoquam exploraretur pati voluiſſe. Neque enim ego vmquam alicui me factioni adiungam; nullius ego partes tuebor; ſed ſuam vnicuique conſcientiam relinquens, meam ſolam curabo ne qua in re offendat. Poſtquam tibi iã viſum eſt, iuramentum illud ſuſcipere, fauſtum id tibi felixq; ſit. Nemini vmquam mortalium ne iuraret diſſuaſi, nemini ſcrupum aliquem hac de re inieci. Hæc ille. Doctore autem iſto adhuc acrius reſponſum vrgente, latiſſime denuo reſpondet Morus, ea fere omnia repetens, quæ vel in epiſtola ad Thomam Cromwellum, vel in illo cũ Margareta filia ſermone habito dixerat, vbi inter cætera ait; Ego nullo modo mihi id arrogare velim, aliorum, vt cõſcientias diſcutiam, fidem, & eruditionẽ diſcernam. Circa aliorũ conſcientias curioſus non ſum. Meam ſolius diligenter curo: & profecto in mea curãda; parcat mihi Deus, ſatis ſuperque quod agam innocuè. Videor mihi vitam iam diuturnam egiſſe; diu multum adhuc viuere, nec ſpero, nec opto. A quo tempore carcerem ingreſſus ſum, ſemel atque iterum mortis in meipſo ſententiam acceperam; & profecto, ingenuè dicam, eius rei expectatio incredibili me perfudit gaudio, nec tamen obliuiſci poſſum, magnam à me & prolixam rationem reddendam. Sed in Domino confido, & in merito paſſionis filij eius; precorque, vt eum mihi animum donare ſemper velit, quo cupiam diſſolui & eſſe cum illo. Non poſſum enim dubitare, quin gratus admodum ad eum veniret, qui vt veniret, diu multumq; cõcupiuit. Sed & id quoq; mihi perſuadeo; quicumq; ad Deum perventurus eſt, cum enixè hoc deſideraturum, prius quam poſſit cò peruenire. Hæc ibi Morus diuinè admodum ac ſapiẽter philoſophatus; tantum abeſt, vt tanti viri exemplo & lapſu quicquã fuerit deterritus, aut è ſtatu ſuo deturbatus: etſi profecto homini laico, tanti Theologi exemplum, non modico ſcãdalo eſſe potuiſſet, ſi de vulgo laicorum Morus fuiſſet, ac non ſupra vulgum. Multas adhuc in carcere alias tentationes ſuſtinuit fortiſſimus Morus, partim Rege; partim amicis, partim etiã inimicis id ſatagentibus, vt vel ad vitam eius conſeruandam, vel ad ipſorum deſideria adimplenda (quos peſſime habebat, vnũ quaſi hominem, & talem, hoc ab omnibus fere ſuſceptum iuramentũ recuſare) Morus cederet. Sparſus igitur non obſcurus rumor eſt, & ad Mori aures ſtudio perlatus, fore, vt ſi perſiſteret, cogatur Rex nouam in eum legem, conſidente adhuc Senatu ferre. De quo rumore, & noua tentatione, ſeu terrore potius ſic ad filiam ſuam Margaretam ſcribit. Equidẽ impedire nequeo, quominus talis lex feratur. Cæterũ illud certiſſime compertum habeo, quod ſi vi huius legis morte afficerer, innocẽs coram Deo morerer. Ego vero quicquid talis lex inferre poteſt, iamdudum pcogitatum & prẽmeditatum habeo, in qua cogitatione mea, etſi magnam vim ſenſualis partis, magnã carnis pugnam ac rebellionem ſenſi (ignoſcat mihi Deus) maioremq; doloris & mortis metum, quam qui Chriſtianum in huiuſmodi caſu decet; tamen laus Deo, exitus huius pugnæ fuit victoria ſpiritus, fide atq; adeo rationis lumine ſpiritum adiuuante, atq; dictante; ex morte innocenti, lucrum nõ damnum reportari. Sed & ipſius mortis violentæ in tali cauſa ſuſceptæ deſpectũ, iſte carcer me magis ac magis quotidie docet. Etſi enim aliquid præſentis vitæ ex tali morte minuatur; at compenſatio infinita eſt: quod tanto citius cœlesti gaudio perfruitur. Et quamuis doleat multũ quũ ſanus quis moritur, neminẽ tamẽ adhuc noui, qui ægrotãs ſine dolore moriatur. Sed & illud ſcio, quandocumq; hora mortis naturalis adueniret (q̃ hora ſemper incerta eſt, & forte caſtina), p magno beneficio tunc haberẽ, ſi violenta morte vi huiuſmodi legis ſublatus fuiſſem. Ipſa itaq; ratio me docet, ineptum eſſe illã mortẽ horrere, qua defunctũ me fuiſſe poſtea exoptarẽ. Poſtremo, violenta mors multis aliis caſib. accidere poſſet, æque acerba ac dura; vbi minor eſſet apud Deũ gratia, & maius animæ ac ſalutis periculũ. Quas ſane ob cauſas, etſi olim mortis memoria me valde terruerit; nũc certe non terret quicquã. Nec tamen meæ fragilitatis ſũ immemor, ſed Petri lapſum intuitus, id vnũ quotidie Deũ ſupplex rogo, vt hunc in me animũ perpetuum & conſtantẽ eſſe velit. Poſtremo, mea Margarita, (vt intimum cordis mei arcanum tibi aperiam) ego me totum diuinæ voluntati reſignaui; vt ex quo in hunc locum veni, nũmquam adhuc Deum rogauerim, vt ex hoc me carcere eripiat, aut à morte conſeruet, ſed id de me faciat, quod eius diuinæ voluntati prorſus videbitur; vt quæ melius videt quid mihi expediat, quam ego videre poſſum. Sed nec optaui aliquando domi meæ eſſe, ex quo huc veni, ex aliquo domus ipſius deſiderio aut voluptate: Sed id vnum aliquoties optaui, vt amicos aliquando conuenirem, maxime vxorem & vos, quorum cura mihi incumbit. Quod ipſum tamen, quia aliter Deus diſpoſuit, eius omnino ſanctæ voluntati committo: lætus interim & exultans in Domino, quod intelligam vos domi meæ tam ſuauiter & tranquille agere, tanta cum charitate & pace ſimul viuere. Hæc ad illius legis rumorem Margaretæ filiæ ſcribit Morus, magis certe, ne illa cum familia turbaretur, quam de ſeipſo ſollicitus.

XIX. Ad has tentationes acceſſit alia vexatio, & grauis obiectio, qua ei dicitur, ideo non niſi obſtinato & pertinaci animo

hæc omnia cum facere, pluribus videri, ipſiq; adeo Regi; qui toto hoc tempore quo carceri mancipatus fuit, nullus ad Regem litteras ſcripſerit, nihil ab eo gratiæ aut veniæ ſupplex petierit. Ad hanc obiectionem reſpondit in litteris ad pium quendam Sacerdotem, ſe hactenus id non feciſſe, non ex vlla animi obſtinati pertinacia, ſed potius ex humilitate, & illa quam Regi defert animi ſubmiſſione ac reuerentia: maxime quum non videat, quid in hac cauſa ſcribat, abſque maiori ſuæ Maieſtatis offenſione; cui videlicet perſuaderi non poteſt, quod ex conſcientia & Dei timore hactenus iuramentum detrectet: ſed qui contra ſibi perſuadet, ſolam obſtinationem huius recuſationis cauſam eſſe. Quam ille opinionem nec per litteras Regis animo eximere, nec ea manente aliquid apud Regem ſcribendo proficere ſe poſſe ſperauit.

XX. *Thomæ Mori cum ſollicitatore Regio in carcere diſputatio.*

Venit porro ad Morum in carcerem Richardus Riche Sollicitator Regius Generalis vir nobilis, ſpecie quidem amicitiæ, ſed vt rei exitus comprobauit, animo accuſandi. Totus enim ſermo inter eos habitus, libello Actoris Regij contra Morum ad verbum inſertus fuit. Quum igitur multis verbis cum Moro ageret, vt regni legibus ſubſcriberet, inter alia ſic Morum premebat. Quid ſi, inquit, in plenis regni Comitiis ego Richardus Riche, communi decreto & ab omnibus approbato, Rex Angliæ declarer; ſimulque proditor patriæ, & læſæ maieſtatis ille decerneretur qui Richardum Riche Regem eſſe negaret; numquid conſenſus tuus, quum ſis Angliæ Ciuis, per hoc decretum non obligaretur? Numquid non crimen eſſet Regem à Parleamento declaratum non agnoſcere? Ad hoc reſpondit Morus, in tali caſu conſenſum eius obligari. Sed, inquit, hic tuus caſus quem ponis leuis eſt, ego tibi grauiorem proponam. Quid ſi in plenis regni Comitiis decerneretur, Deum non eſſe Deum? Numquid tu Richarde Riche interrogatus, an Deus eſſet Deus, propter decretum Parleamenti negares? Cui Richardus reſpondit; hoc nullo modo negarem, quia caſus iſte plane impoſſibilis eſt. At poſtquam caſum ita ſublimem mihi proponis, en tibi alium mediocrem. Non ignoras Regem noſtrum decreto Parleamentali declaratum eſſe ſupremum Eccleſiæ Anglicanæ in terris caput. Quare huic decreto non æque morem geris & conſenſum præbes; ſicut in caſu à me propoſito te morem geſturum dixeras? Cui Morus. Latum, inquit, & euidens diſcrimen eſt. Rex enim authoritate Parleamentali creari poteſt, & priuari poteſt; & omnes Angliæ ſubditi obedire tenentur. At nullo Regni decreto Eccleſiæ Anglicanæ caput Rex declarari legitime poteſt, quum extra regnum Angliæ cæteri omnes Reges & Principes ab huius generis Primatu abhorreant. Sed & huic Regis prærogatiuæ, omnes aliæ Chriſtiani orbis prouinciæ contradicunt. Eccleſiæ quippe præeſſe, & cauſas Eccleſiaſticas cognoſcere, Fidei ac Religionis res eſt, non regni, ac Reipublicæ. Hæc ad illum Morus, ſaltem vt in libello Actoris refertur. Qui etiamſi verus ſit, nihil in Moro, aut morte, aut reprehenſione dignum continet, ſed aſſertionem tantum liberam, veræ, & Orthodoxæ ſententiæ; quam quia nuſquam antea feciſſe legitur, non ita fortaſſe ex omni parte verum libellus dicit. Vtcumque ſit, ab iſto Sollicitatore Regio egregie fuiſſe ſolicitatum Morum, vano tamen & irrito labore, ex libello conſtat. Quum nihil horum omnium illum frangere, perterrefacere, aut vel minimum commouere potuiſſet, mittitur in carcerem vxor, quæ viri animum pertentatura, verbiſque blandis & illecebris fœmineis, pectus fortiſſimum emolliat, aut ad aliquam ſuorum commiſerationem inflectat. Venit, ſalutat, orat obnixè, ne illam, ne liberos, ne patriam & vitam qua multis adhuc annis frui poterat, pro derelicto haberet. Cum hæc apud cum occineret, & de vitæ prolixitate ſæpius inculcaret; & quamdiu, mea Aloyſia, *inquit Morus*, frui hac vita potero? Tum illa; Totis viginti annis, mi vir, ſi Deus ita voluerit. Vis ergo, *ait Morus*, vt æternitatem viginti annis commutem? Næ tu imperita es mercatrix, mea vxor. Nam ſi annorum aliquot millia diceres, aliquid tu quidem diceres; ſed tamen ad æternitatem, quid eſſent? Sic ille vxoris perſuaſiones non minus lepide quam grauiter excuſſit.

XXI. Iſtud vero omnino lepidum, & tamen animi in re grauiſſima, a caliis difficillima plane tranquilli & cordati. Quum multi magni viri ad illum in carcere ventitarent, ſeu ſponte ſua, ſeu (quod veriſimilius eſt) à Rege ſubmiſſi; inter alios vnus, ad aliquod à Moro extorquendum magis vehemens quam prudens, quum ſæpe & identidem moneret, rogaret, obſecraret, ne ſic propoſiti tenax eſſet, vt ſententiam mutaret, vt animum flecteret; nec tamen in tota oratione, de cauſa vel diuortij, vel iuramenti propoſiti verbum diceret; Morus, ſeu iocari volens, ſeu ab hominis importunitate liberari cupiens, ſeu denique modum illum loquendi & agendi rudem & inciuilem notans, ei grauiter & ſerio reſpondit. Equidem, Domine mi, fatebor quod res eſt. Rebus omnibus meis bene perpenſis, & conſideratis, ego conſilium mutaui meum, planeque aliter inſtitui quam decreueram. Ille bonus vir his auditis, nec quicquam amplius aut interrogans, aut expectans, vbi hoc ſe reſponſo lætiſſimum oſtendit, vtque in eadem bona ſententia firmus perſiſteret, monuit, feſtinus ad Regem accurrit, eique renunciat Morum ſententiam ſuam mutaſſe. Rex vbi id audiuit, facile credens quod libenter optabat, certior tamen optati fieri cupiens; redi, *inquit*, ad Morum, & me plurimum gaudere dicito, quod tandem aliquando ad animi noſtri ſententiam ſuam deflexerit; Verum hoc vnum me amplius velle, vt animi ac propoſiti ſui mutationem ſcripto complectatur, atque confirmet; vt qui ex hac eius reluctatione ſcandalum paſſi ſunt, ex eius nunc retractione ædificentur. Rediens ergo in carcerem ad Morum, qui hoc beatum nuncium ad Regem imprudens detulerat, verba ac voluntatem Regis Moro renunciat. Quibus ille auditis, magnopere attonitus; Apud Regem ergo, *inquit*, fuiſti? & mea verba inter duos nos hic habita Regiæ Maieſtati retuliſti? Quid ni, *reſpondit alter*, referrem, quæ ſciebam ſuæ Maieſtati fore gratiſſima? At, *ait Morus*, mea verba melius debueras intelligere, priuſquam ea cui alteri, nedum Regi referres. Quaſi vero, *replicat alter*, non clarè quid dixeris intellexerim, te videlicet rebus omnibus bene perpenſis ſententiam tuam mutaſſe. Planè, *inquit Morus*, rem ridiculam feciſti. Ego enim ſententiam & mutaui, & me mutaſſe, familiariter tibi dixeram; dicturus cætera, ſi ſermonis finem expectaſſes: ſed de grauiſſima hac cauſa iuramenti mihi oblati, nec ſententiam mutaui, nec tu mihi es loquutus, nec ego intellexi. Quæ ergo demum in re alia, *ſubiunxit alter*, ſententiam mutaſtituam? Dicam tibi ſincere, *reſpondit Morus*, Scis me tota hactenus vita ex quo in Aula verſatus ſum, barbam perpetuo raſiſſe more cæterorum, qui vel Regi à conſiliis ſunt, vel alioqui ius in Republica dicunt. Atqui quum hæc mihi, vt vides, plurimum in carcere excreuerit, decreueram plane ſatis diu ad ſupplicium iturus barbam radere, ne alio quaſi vultu apud notos apparerem, quam ſolitus eſſem. Nunc autem mutaui plane conſilium, voloque vt barba idem diſcrimen ſubeat quod caput. Confuſus alter, vbi Regi quod res erat (vrgebat enim mandatum Regis) renunciaſſet, commotus Rex; Enimuero, *ait*, ſic ſuis nos dicteriis ludit ſemper. Ac ſic quidem in carcere variè, ac multum tentatus, ac pertentatus Morus fuit: hilaris nihilominus ſemper ac iucundus; quam ob cauſam, quotidie fere in carcere pſalmos ſolus canebat, maximam & perpetuam animi ſui tranquillitatem ea in re declarans, iuxta illud Diui Iacobi; *Æquo animo quis eſt? Pſallat.* Denique filiæ ſuæ Margaretæ, fide ſancta interpoſita affirmauit, nullum ſe vmquam à Rege maius beneficium accepiſſe, quam carceri ab eo mancipatum fuiſſe, propter incredibilem ſpiritualem profectum, quem in eo ſe percipere ſperabat. Sed & in carcere luſit quoſdam rythmos Anglicos, de ludibrio fortunæ, quos hic Latinos damus.

Thomas Morus verſibus in carcere ludit.

Blanda quid arrides? noſtris fortuna ruinis
Cur noua promittis fœdera, ſpeſq; nouas?
Non tua fucato frons exporrecta nitore
Nos iterum fallet, ſat potuiſſe ſemel.
His ego iactatus cœleſtem adnauigo portum.
Succedit Lætis dira procella tuis.

Et quidem iſta Morus in carcere hoc anno egit, tulit, luſit, certiſſimam mortem à Regio furore expectans.

XXII. *Fratres Minores de Obseruantia in sententiam Regis iurare nolentes omnibus monasteriis expelluntur.*

Fratres autem Minores, qui de Obseruantia vulgo dicuntur, cum nec iurare in Primatum Regis, nec aliis vt iurarent persuadere vellent: quinimo iniquitate permoti, cum liberius loquerẽtur, tam in publicis disputationibus, quam in Cõcionibus sacris, matrimoniumq; Catharinæ acerrime defenderent, (præcipue vero Londini duo Patres doctissimi, Elstonus & Paytonus) ob hanc rem totus ordo in tanto apud Regem odio fuit, vt 3. Idus Augusti, fratres isti ex omnibus Ordinis sui Monasteriis, vt supra diximus, pellerentur, varioq; in carceres conijcerentur: adeo vt plusquam ducenti eodem tempore in custodiis numerarentur.

XXIII. *Henricus VIII. Comitia publica in Regno suo indicit.*

Henricus deinde perspecta virorum bonorum voluntate, cum diuortium suum non perinde ab omnib. approbari cerneret, atque ipse cupierat, occurrendum ratus initiis, non amplius priuato imperio. sed publica autoritate ac vi legum agẽdum esse censuit. Itaque Comitia regni publica indixit, ad 3. Nonas Nouembris futura, ne quaquam dubitans, quin in iis, partim vi ac minis, partim adulatione ac artificiosa inductione illorum qui hæresi clam fauebant, obtineret ab Ordinibus, quicquid ipse cupiebat, ac iam animo designauerat. Sciebat enim inter Episcopos Cranmerum & Leium Metropolitanos, totos esse suæ voluntati addictos; Gardinerum vero, Samsonem, aliosque iuniores, quos ipse nuper euexerat, non admodum repugnaturos: Roffensem senem in carcere teneri; Tonstallum Dunelmensem, qui vir etiam magnæ autoritatis erat, Regis litteris admonitum, à Comitiis abfuturum. In Principum vero confessu, præter nouam nobilitatem quam Hericus ipse creauerat, magnaq; ex parte Lutherana perfidia depraua tam, erant primores duo, qui sua authoritate cæteros facillime ad omnem Regis nutum ac voluntatẽ inflectebant. Horum primus erat Carolus Brandonus Suffolciæ Dux, qui sororem Henrici in matrimonio habebat, homo perditæ vitæ, & Henrico simillimus, cuius tota postea familia, Deo vindicante, miserrime periit, ac dissipata fuit. Alter, vir erat Catholicus, ab bellica laude clarus, Thomas Hauardus Norfolciæ Dux; sed ne Regis gratiam amitteret, ad omnia se facilem & obsequentem exhibebat: quam tamen gratiam obsequiis tam iniquis partam, Deus retineri diu nõ permisit. Nam & ipse postea Thomas perpetuis carceribus ab Henrico damnatus fuit, & filius eius primogenitus, Comes Surræus appellatus, eodem iubente, secuti percussus.

XXIV. *Acta in Comitiis.*

His ergo instrumentis, aliisque artibus ac minis, (nam & Baronem Dacrium qui Catholicus ac potens erat, suæq; voluntati non facile consensurus, illis ipsis diebus, quò reliqui fierent timidiores, ad causam de capite dicendam ficta calumnia euocauerat) obtinuit Henricus, vt quæcumq; ipse vellet, suffragiis Ordinum decernerentur. Ac primum quidem, vt Maria ex Catharina filia natalium honore, ac omni regnandi iure priuaretur: honores autem omnes ac successionis iura Mariæ antea attributa, in Elisabetham transferrentur. Deinde vt omnis potestas ac iurisdictio in Anglos & Hibernos, Pontifici Romano in perpetuum adimeretur, reusque perduellionis fieret, si quis deinceps quicquam honoris aut autoritatis Sedi Apostolicæ deferret: Anglicanæ vero Ecclesiæ summum in terris caput, vt solus Rex haberetur; cuius solius esset, autoritate plenissima, errores, hæreses, abusus omnes emendare: ac illi propterea omnium Sacerdotiorum integri prouentus primi cuiusque anni, quo quis beneficium aliquod sortitus esset, soluerentur, illi omnium Ecclesiasticarum dignitatum decimæ redderentur.

XXV. *Henricus VIII. Papæ nomen ex Regno suo eliminat.*

Quinimo ipsum Papæ vocabulum persecutus, edici curauit, vt de cætero nullus Pontificum Romanorum vocaretur Papa, sed tantum Episcopus. quam legem tanta sæuitia executioni mandauit, vt capitis damnaretur, si cuius in libro vel solum nomen Papæ non delctum extaret. Per Calendaria, per indices, per scripta Patrum, per totũ ius Canonicũ, per Scholasticos Doctores, Papæ vocabulum lituris vndique obducebatur; imo in fronte operum Diui Cypriani, Ambrosij, Hieronymi, Augustini, Leonis, Gregorij, Prosperi, ac aliorum Ecclesiæ luminum, singuli scribere coacti sunt, si quid in eis operibus inesset, quod Pontificis Romani Primatum tueretur, aut confirmaret, se illi verbo, sententiæ, rationi, iam nunc renunciare, nec tanti criminis reos vnquam esse velle, vt quibusuis Patribus aut Doctoribus in ea re assentiant. Omnis etiam communicatio per litteras cum Pontifice Romano, eiusue ministris extra Angliam degentibus, sub pœna læsæ maiestatis prohibebatur. Quo factum esse scribit Erasmus, vt quasi sub omni lapide dormiat Scorpius, ita nemo Anglorum ausus est deinde, aut quicquam, scribere, aut ab externo quopiam litteras accipere. In litaniis præterea precibusque, quæ tum priuatim, tum publice in omnibus Oratoriis, Ecclesiis, Monasteriis, aliisue in locis recitabantur, loco petitionis illius, quæ pro Domino Apostolico à Christi fidelibus per vniuersum orbem fieri solet, Henricus hæc impia verba apponi, imprimique præcepit: *Ab Episcopi Romani tyrannide, & detestandis enormitatibus, libera nos Domine.* Atque vt his seriis nonnihil etiam ridiculi admiceret, Nonis Maij edixit, ne quis in posterum suorum aulicorum, aut barbam raderet, aut capitis capillis longioribus vteretur, quod viri grauiores in Anglia ad honorem & imitationem quandam Cleri facere consueuerant. Ipse autem vt caput nouum Ecclesiæ, quo aliis præluceret, Annæque oculis magis placeret, exemplum & formam præbere voluit. Se ipsum igitur nouo ac elegantiori longe modo tondendum ac vestiendum curauit; omnibus vt iterum iuuenescere, & simul cum antiqua vxore veteriq; religione, veterem etiam animum, veteremque corporis habitum depositisse videretur.

XXVI. *Idem alios Principes ab vnione Ecclesiæ segregare conatur.*

Neque contentus his quæ domi pro libidine constituerat ac fecerat, tentare etiam foris voluit, an externum aliquem Principem ad furoris sui participationem pertrahere posset. Legatos igitur mittit, primum ad Franciscum Galliarum Regem, in quo plurimum spei habebat, propter communem vtriusque cum Cæsare cõtentionem. Sed cum sua Christianissima Maiestas tantum abesset ab Hẽrici impietate probanda, vt ne legatos quidem eius ea de re audire voluerit; ad certos Germaniæ Principes, qui iamdudum hæresi Lutheranæ se addixerant, profecti sunt. Illi, quamuis cum Henrico, tum etiam sibi gratularentur discessionem eius à Pontifice, quam & ipsi fecerant; dolebant tamen vehementer, tam scelerata ac turpem fuisse eius discessionis causam; quam ita detestabantur, vt nulla legatorum persuasione adduci potuerint, vt approbarent. Quod & Henricum mirabiliter offendit, fecitque (vt creditum fuit) ne palam ad hæresim Lutheranam deficeret, neue ipsius Lutheri submissionem ac palinodiam, quam abiectissime paulo post ad eum scripsit, admitteret. Caluinus etiam in Comment. in Amos, paulo post Henrici Primatum Ecclesiasticum oppugnauit. Destitus igitur ab externis, domesticis comprobatoribus contentus esse voluit, iussitque vt sui, tam concionibus, quam libris editis, hanc nouam authoritatem suam Ecclesiasticam tuerentur. Qua Regis voce, excitati sunt ad concionandum plurimi, ad scribendum etiam nonnulli; quorum aliqui id sponte faciebant, quod hæresi faueret, cuiusmodi erant, Sapsonus, Foxus, Morisonus, cæterique: alij vero coacte, ne Regem offenderent, vt Gardinerus Vintoniensis, & Tonstallus Dunelmensis Episcopi. Voluit etiam Rex adhuc iterum tentare Reginaldum Polum; eamque ob causam Comitiorum Acta per Cursorem suum Patauium vsq; transmisit, litteris humanissime scriptis petens, & quasi iure quodam suo, tamquam ab alumno & cõsanguineo postulans, vt cum Regi tã esset coniunctus sanguine, Regiaq; pensione tot annos enutritus, in Regis & cognati gratiam, aliquid iam de noua Primatus autoritate, Comitiorũ suffragiis stabilita, scriberet. Polus acceptis litteris, Comitiorumq; decretis, dubius hæsit aliquãdiu quid ageret. Tãdem cum audiret Regem indies magis sæuire in Sanctorum hominum sanguinem, excitauit se, quatuorq; mensiũ studio, quatuor illos elegãtissimos de vnione Ecclesiastica libros absoluit, quos Regi inscripsit, eidemque in manus proprias tradendos misit. quibus, cum & impium Regis Primatum doctissime confutaret; & scelera nefanda, oratione libera detegeret, locumq; pœnitentiæ ac viam demonstraret, tantum sibi odium apud Regem concitauit, vt & patriæ proditor, reusque læsæ maiestatis ab eodem sit declaratus, vitaque eius multis insidiis deinceps appetita, mater fraterque & auunculus necati, & vniuersa eius familia, illius causa afflicta & prope extincta fuerit. Animaduertit Henricus quamplurimis indiciis, bonorum omnium animos vehementer abhorrere ab iis quæ faciebat, & quo quisque erat vir melior ac religiosior, eo alieniore animo ab

eisdem esse: Id vero quanquam ipsum vehementer torqueret, ac pudefaceret; nihil tamen mouit ad salutem, obsessum plane ab his, qui male de religione sentiebant; quorum plurimi ex Germania, & vicina Gallia, famis & famæ, vel potius infamiæ gratia conuolarant. *Sanderus de Schismate Anglicano lib. 1. Thomas Stapletonus in vita Thomæ Mori.*

XXVII. Supra indicauimus, q & quã multi Grammaticuli ac Magistelli, siue Philosophastri, sub primis Lutheranismi incunabulis in Galliam irrepserint, ac modo in propatulo se ostenderint, modo hinc inde rursum in latebras sese abdiderint; qui tamen omnes omni conatu nullum certum ac firmum inuisibilis suæ Ecclesiæ fundamentum ponere diu potuerunt; instabili tantum & fluctuanti arenæ inædificantes, ac veluti contis incerta opinionum vada explorantes, & velut in tenebris palpantes. Suas enim quisque opiniones, ac sui cerebri commenta sequebatur, aliorum vero dogmata fastidiebat. Vnus Lutheri, alius Zuinglii partibus adstipulabatur; hic Melanchthonis, ille Oecolampadii, alius Buceri probabat opiniones. Vt paucis dicam, nouitia illa fides vagabunda, sine capite, sine pedibus, sine vllo certo fundamento fluctuabat, atque errabat. Erratici huius agminis in Gallica Aquitania antecursores velut ifuerunt Faber Stapulensis & Rufus, qui primi Ecclesiam assilierunt: sequente eos longa Grammaticorum ac Magistellorum turba, vt paulo superius dixi. Ex omnibus tamen nemo tantæ erat audaciæ, qui vt Lutherus in Germania, ipsa Ecclesiæ fundamenta auderet conuellere, quum separationem illam ad Ecclesiæ, & nouæ Fidei fabricationem, plenam euidentissimi periculi esse omnes iudicarent; satius putantes, intra vetustate cariosam Ecclesiæ domum, vel parietinas potius se continere, quam ea tota solo æquata, nouam moliri. Ethæc quidem multorum schisma omne auersantium fuit sententia; donec tandem hoc anno, Ioannes Caluinus homo confidentissimus prodiit, qui velut ille Ephesini templi incensor, Ecclesiam à fundamentis subruere aggressus est, vulgatis passim opinionibus suis ac commentis, & ad partes suas quamplurimis religiosæ vitæ desertoribus, aliisque libidinosis hominibus, summa proposita vitæ licentia traductis: qui, in summa, cœlum terræ permiscere, & ex diuersis atque inter se pugnantibus opinionibus conflatam ac miscellaneam religionem fabricari voluit. Qui quoniam non minus quam Germaniæ Lutherus, funesta Galliæ primum fax fuit, non absre facturus mihi videor, si quæ scriptores grauissimi Surius, Prateolus, Bolsecus, Democharcs, Lindanus, Vasquerius, Sanctes, Caicrus, Heshusius, Westphalus, Reginaldus, Schlusselburgius, Ræmundus, Brigerus, Stapletonus, Campianus, de eius vita, moribus, doctrina, & quibus in ea propaganda modis vsus est, scripsere, isthic retulero: quamdo quidem ex huius capite, tanquam è Pandoræ pyxide, omnia mala, calamitates & miseriæ, quibus pulcherrima Europæ pars penitissime iam diu afflicta est, prodierunt atque exundarunt.

XXVIII. Ioannes Caluinus, funesta Galliæ, imo totius Christianæ Reipubl. fax, ac tantorum malorum autor, natus est Nouiodunì in Picardia, 10. Iulii, anno 1509. die nefasto hac in parte, quod non tam hominis, quam longe miseriarum catenæ, quæ vniuersam fere Europam compressit, natalis fuit. Nomen ei primum fuit Ioannes Chavvinus; pater Gerardus Chavvinus, homo impius & maxime blasphemus, mater Anna Fronæa. Sed quemadmodum Lutherus primum suum cognomen mutauit; sic iste non Chavvinus, sed Caluinus appellari voluit. Sed quum ne hoc quidem satis ipsi placeret, eo fortasse, quod transpositis literis, impius ille atque atheus *Lucianus* inde resultet, aliquando Caroli de Happe, alias Alcuini nomen sibi aliquamdiu sumpsit, eius qui Caroli Magni præceptor fuit, magnam laudem ob institutam Parisiensem Academiam consequutus, vti apparet ex prima Institutionum Caluini editione, Argentorati anno Domini M. D. XXXIX. primitus vulgata, quæ nomen hoc aperte præ se fert. Ex eius genesi faciebant iudicium, talium rerum curiosi, eruditionem Caluino affore, sed quæ male collocata sit; ingenii acrimoniam, sed quæ stultitiam quoque ac nimiam ea, quæ supra se sunt indagandi curiositatem haberet adiunctam; adeoque turbulentum ingenii impetum, nihil nisi seditiones ac bella spirantis; sacrilegum deinde hominem & hæreticum; omnis diuini timoris expertem, eo tamen ad externam speciem & hominum opinionem sibi conciliandam vtentem; adeo que hypocritam; inflexibilem, amarissima bile & implacabili iracundiam feruentem, furentemq;; honoris ambientem, simul & nefandis flagitiis obnoxium.

Ioannes Caluinus nascitur.

Cognomen suum mutauit.

Ex eius deinde cognomine, Caluini, Hebraicis characteribus scripto, alii, numerum 666. qui Apocalyptica nota Antichristi proprius est, supputabãt, & vel ipsum, vel præcursoré certè Antichristi, non minus quam, ex simili supputatione Lutherum designabant, facta inter vtrumq; comparatione, quã mox mox repræsentabo. Caluinus postquã ex ephebis excessit, positis iam litterarũ fundamentis, de parentum consilio ad Iurisprudentię studium animum appulit, non minus ac Lutherus, missusq; Aurelianum sub Petro Stella, insigni nominis Iurisconsulto, qui postea Parisiensis Curiæ Præses fuit, prima fecit tyrocinia: inde Auaricum Biturigum profectus, magnum illum Alciatum leges explicantem audiuit. Hæc de se ipse scribit in præfatione quam Commentariis suis super Psalmos præfixit; vbi inter alia superbe admodum se cum Dauide cõparat, inquiens, *Se vocationis sue initio sæpe numero in Dauidis exemplo, tanquam in speculo contemplatum esse, & quoties in Prophetæ huius vitæ cursum intuebatur, viam sibi ab illo cõmonstrari visum fuisse.* Apud Bituriges quum esset in Meliorẽ Volmarum, quem Nauarræ Regina fouebat, incidit, magno tam suo, quam totius Christianitatis damno. Erat autẽ Volmarus Germanus natione, Græcarum literarum professor, homo multæ eruditionis, & in linguarũ studio bene versatus. Is quum in Caluino iuuene singularem ingenii alacritatem, firmitatem memoriæ, & magnã tum lectionem, tum alia quæcumq; ex præceptoribus audisset, tum quæ deinde ipse mira sermonis tam elegantia quam facilitate scriptis consignabat, colligendi atq; explicandi dexteritatem animaduertisset, præ cæteris discipulis diligere ac magnificere eũ cœpit. Die quodam cum discipulo magister animi gratia deambulãs, auctor ei fuit, vt posito Iustiniani Codice, ad Theologiæ omnium scientiarũ magistræ ac Reginæ studium animum applicaret: infelici Christianorum rebus consilio; quæ quum à Luthero iam valde essent afflictæ, nihil aliud reliquum erat, nisi vt à tali ingenio omnino pessundarentur: quando suffoderat iam ille cuniculos, ad quos hinc incenso velut puluere vno spiritu dissipandos, & ad ruinam faciendam incubuit.

XXIX. *Volmarus Caluini pœdagogus instructor.*

Volmarus, quamuis Catholicum se simularet, Lutheranum tamen virus Caluino instillabat, tantamque hac veluti promulside hæreseos saliuam in eo excitauit, vt tam fœtidam non minus quam vetitam escam, non prius ingurgitare cessarit, quam ea non ad saturitatem modo repletus, verum etiam morti datus fuerit; is, inquam, qui viuens, multa animarum millia ad æternum exitium deduxit. De quo illud vere, quod olim de alio quodam, dici potest; Malum ipsum & didicisse, & docuisse, & alios malos reddendo, seipso peiorem effectum. Quod si ista omnia mala & vchena, quæ ab istis hominibus profecta sunt, vnã in massam colligerẽtur, nemo negarit illum iniquitatis cumulum iam sese ostendisse: nec delirasse Sorbonã censenda est, quæ Regem supplici libello monuit, vt Magistellis istis ex Germania surrepentibus aditum in regnum suum præcluderet, & iam receptos eliminaret; quum vnus Volmarus tantorum causa malorum fuerit, corrupto Caluino, qui postea innumerabilia hominum millia hæreseos labe infecit.

XXX. *Caluinus Græca linguæ operã nauat.*

Caluinus Volmari aliquando vsus consuetudine, acquisita aliqua Græcæ linguæ cognitione, eiusdem consilio obtemperare statuit. Relicta Parisiensi Academia, Nouiodunũ in patriam reuersus, vbi patris opera Canonicatum, vt vocãt, nactus, Crucifixi, siue Ecclesiæ sumptibus vixit. Volmarus interim frequenter ad eum scribebat, librosque quos è Germania acceperat, mittebat, acriter exhortans, vt de reformãda atque illustranda Dei Ecclesia cogitationem ac curam ab ea non susciperet; multis aspersis laudibus, quibus hominis alias ambitiosi animum vehementer incendebat. Et quidẽ ab vno Volmaro ad tantos conatus se impulsum, Caluinus ipse multis in locis fatetur. Quin etiam idem Volmarus, licet ab Vlrico Duce Wirtembergico domum reuocatus, literis tamẽ

Canonicus factus.

animare Caluinum non cessabat. Illud tamen mirum cui merito videatur, quod idem Caluinus vbi de Vocatione sua agit, Volmari ne verbo quidem meminit, sed illud tandem inquit, occulta Dei prouidentia se pertractum fuisse. Nouioduni aliquamdiu commoratus Caluinus, in discrimen vitæ incidit à Sodomitico vitio, cuius accusatus; nisi Episcopus pœnæ moderationem impetrasset, vt cauterio candens eius humero lilium inureretur, & patria pelleretur: vnde Ecclesiastico beneficio renunciato, Lutetiam rediit, inq; Collegio Forterestano domicilium habuit, cum nondum vigesimum & tertium ætatis annum explesset. Quamuis autem tunc vix, ac ne vix quidem Diui Pauli epistolas perlegisset, eos tamen, quos de fide nõ optime sentire non ignorabat, modis omnibus corrumpere satagebat. Constat sane inter chartas eius ab Inquisitoribus multas deprehensas esse, quę non suspicionem hæreseos, sed apertum crimen deferrent. Quum ergo parum tutum se foro Parisiis arbitraretur, Engolismam (qui vltimus & remotissimus tractus est Parisiensis Curiæ iurisdictioni subiectus) se contulit, vbi triennium Ludouici Tilii Canonici Engolismensis & Curionis Claixensis (qui Ioannis Tilii, Parisiensis Curiæ Protonotarii, & alterius fratri cognominis Meldorum Episcopi frater fuit) sumptibus sese sustentauit, patronum interim nutritiorum vice Græcam linguam, cuius, licet tenuem habebat notitiam docens. Aiunt quidam, & à multis scriptum inuenio, etiam istic Caluinum magni & detestabilis flagitii à primario Boncurtensis Collegii sodali fuisse accusatum, & ad puerorum querelas, cum nõ comparuisset, absentem fuisse condemnatum. In hac officina Vulcanus ille, pestilentes suas atque hæreticas opiniones primum cudit, quas deinde vndiquaque disseminauit. Hic enim primam Institutionũ suarum telam exorsus est; quam deinde alibi per textam, ad capiendos simplicium animos tetendit passim atque explicauit; quem ego librum, hæreticorum Alcoranum, vel Thalmud nõ iniuria appellandum censeo, vt in quo omnes superiorum temporum, & quæ etiam vnquam forte exorientur hæreses, blasphemiæ, errores, & atheismi congesti leguntur, ex locis communibus Melanchthonis, Hyperii, Sarcerii, & id genus execrandis libellis magnam partem consarcinato: quanquam Westphalus Lutheranus meram Occolampadii sapientiam ac doctrinam, sed immutatam paululum atque amplificatam in eo contineri ait.

XXXI. Porro, Græci Claixensis cognomine tum Caluinus celebrabatur, eo quod in Curionis illius esset familia; quodque Græcæ linguæ quamuis non exactam haberet *cognitionem*, eam tamen plurimum ostentaret; tanto maiori cum admiratione, quantum id temporis vsus eius erat rarior, qui Gallis non multo post redditus fuit familiarissimus, posteaquam è patria electi vel profugi quidam Græci exules à Cosmo Etruriæ Principe in Italiam accersiti sunt; à quibus inde suauissimæ linguæ riuuli, in Galliam quoque profluxerunt. Hic ergo Græculus, comparata aliqua hominum existimatione & fama, vt erat omnibus, qui literas amabant charus, *in* omnibus sermonibus, quos cum eis habebat, religionis iniiciebat mentionem, & quasi aliud agens, mordacibus verbis auctoritatem ac traditiones Ecclesiæ vellicabat. His ille artibus non difficile cõplures magnæ auctoritatis viros in suam sententiam pertraxit; inter quos præcipui fuerunt, Antonius de Chaillon, Conuentus Buteuillani Prior, Lutheranorum Papa postea cognominatus; nec non Abbas Bassacensis, vterq; litteratus, & in bonis conquirendis libris perquam studiosus; vt & Torsacus, Præsidis de la Place frater, historici postea munere apud Caluinistas functus. Ad hos Caluinus frequenter ventitabat, interueniente etiam nõ raro ipso Tilio, in arce quadam non procul ab oppido Engolismensi sita, & Girac appellata, in qua Prior ille Buteuillanus ordinarium domicilium habebat. Ibi Institutiones suas Caluinus depromebat, & impiissimæ Theologiæ suæ mysteria reuelabat atque explicabat, quantum quoque die scripsisset, ipsis recitans. Quo in labore tam erat assiduus, vt noctes sæpe diebus continuaret, tam somni quam cibi ac potus interim omnino oblitus.

XXXII. Enimuero multum, tam moribus, quam opinionibus ac doctrina à Luthero discrepabat. Caluinus quidem strictiorem viuendi disciplinam sequutus est, & secus quam Lutherus, à carnis & ventris voluptatibus etiam primo adolescentiæ ingressu alienorem se ostendit. Lutherus enim abdomini seruiebat, nec linguæ moderabatur; adeoque in crasso corpore crassiusculum aliquanto spiritum alebat. Caluinus è contra tenui ac macilento *corpore*, animum viridem, & non minus consilio quam audacia promptum gestabat; homo etiam in iuuenili ætate cibi ac potus abstinentissimus, siue vt valetudini consuleret, vt qui continuis fere capitis doloribus vexaretur, siue vt ad litterarum studia, in quibus dies ac noctes erat assiduus, tanto esset alacrior atque expeditior. Beza ait alicubi, vidisse se illum toto biduo ab omni cibo ac potu abstinentem. Ne vero quis existimet id superstitione quadam ab ipso factum, addit; Causas ieiunii huius fuisse, ventriculi debilitatem, & hemicraniam, quibus præsentius remedium non esse quam inediam, vel certè temperantiam experientia scil. edoctum affirmabat. Lutherus, quæcumque splendida bilis suggereret, euomebat; at Caluinus odium, inuidiam, & quæcumque alia intimis recessibus condita habebat. Lutherus animum, quod dicitur, in fronte gestabat, nihil fere celans; at Caluinus summus dissimulandi artifex, subtristi vultu, affectus à cogitationibus & verbis plane dissentientes mentiebatur. Lutherus genio indulgens, per summam hilaritatem tempus transigebat: Caluinus è contra summam in moribus affectabat grauitatem. Nam & pauca & nonnisi seriis atque arduis de rebus loquebatur, nec sensus suos facile expromebat. & quia natura erat melancholicus, paucorum hominum consuetudine vtebatur, & eorum tantum, quos morum similitudo ipsi conciliabat, solitudini ita deditus, vt diceret, nunquam se minus solum esse quam quũ solus esset. Ipse fatetur alicubi, sibi naturam verecundam & agrestem aliquantum contigisse, quietem & tranquillitatem super omnia diligenti: eoque secessum se & latebras omnibus modis quærere atque optare; verum tantum abesse, vt voto suo hactenus potiri potuerit (videia etiam huius lucifugæ) vt etiam secessus sui loco publicæ scholæ habeantur. Ecquid hic homo vanæ gloriæ pruritu sese ipsum titillare tibi videtur? Illud dicere vult, totum mundum ad se tanquã ad alterum Ioannem Baptistam acurrisse, vt Chtistum ipsis monstraret. Similis scilicet Caluinus erat vespertilionibus, qui prius nidum non relinquunt, quam Sol occiderit; tumq; è latebris suis in templa euolant, vt oleum lucernis affusum exhauriant, atque ipsas lampades exstinguant. Engolismæ dum moratur Caluinus, conclaui quodam in Tilii ædibus, plus quatuor librorum tam impressorum quam manuscriptorum millibus instructo, fere se continuit, tam abstractus ab omni hominum consuetudine, vt etiam amicorum intimi ægrè ab ipso admitterentur. Tanti ocium suum faciebat.

Caluini & Lutheri discrepantia morum.

XXXIII. Lutherus patria lingua fuit eloquentissimus, vt cuius oratio plurimum ex ipso quoque solo natiuæ elegantiæ hauserit. Quum enim in cæteris Germaniæ partibus, Franconia scilicet, Bauaria, in Rheni tractu, Sueuia, & alibi Germanica lingua crassum quid & insuaue sonet, sola Misnia eleganter dicendi palmam omnibus præripit. Et quemadmodum Florentia in Italia, Lutetia in Gallia, Madritum in Hispania suæ quæque linguæ perfectæ elegantia commendantur: sic Lipsia primarium Misniæ oppidum eadem inter cæteras omnes Germaniæ ciuitates laude floret; à qua Islebium patria Lutheri non longe distat. Fuit ergo Lutherus Orator eum disertus tum vehemens; in Caluino è contra, quotiescumque è suggestu verba ad populum faceret, nihil erat, quod auditoris animum allicere aut detinere posset; multa è contra, quæ fastidium & nauseam afferebant, vt qui nulla actionis elegantia instructus esset, & illud suum, *Quid moror?* fere semper in ore haberet. At si quando in Catholicos, ac præsertim Ecclesiasticum Ordinem linguæ fræna laxaret, (quod fere semper fiebat) Deus bone, quomodo pusilli illius corpusculi iugulum siue guttur inflammabat, quomodo vocem efferebat, & quam maximum poterat, exclamabat! Sæpe in has voces erumpens: *Vobis ega dixi, & vos scitis, Prophetam me esse.* Sed quemadmodum Lutherus, quantum ad vernaculam vtriusque linguam attinet, dicendi laude superior, scribendi Caluino æqualis fuit, vt cuius libri hodieque ab iis, qui natiuam Germanicæ linguæ eleganiam discere cupiunt, legi solent; sic Caluinus Latine scribendi laude excelluit, vt qui à puero in litteris elegantioribus multo maiorem quam ille operam posue-

posuerat, adeoque omnia eius linguæ myrothecia diligenter excusserat, ac stilum inde melius formarat. Vterque laboris fuit patientissimus, vt librorum ab eis scriptorum multitudo testatur. Caluinus certe ea in re vix parem habuit. Nam viginti tribus annis, quib. Geneuensem Episcopatum vsurpauit, quotidie concionabatur, & diebus Dominicis plerumque bis; Theologiam vero ter singula quaque hebdomada in schola prælegebat, ac feria sexta quaque disputationem, quam Collationem vocabãt, habebat. Quod reliquum erat temporis libros transcribendo, & ad epistolas, quæ vndique ad eum tanquam ad summum hæreticorum Pontificem magno numero mittebantur, respondendo cõsumebat. Lutherus religionem crassam & pinguem, vt ita dicam, cõmentus est; Caluinus subtilem & bene alembicatam. Illud à curiosis obseruatum est, hæreses ab Austro progressas multo subtiliores esse iis, quæ ab Aquilone pro fierunt. Harum enim authores plerique ieiunia, abstinentias, vota, cœlibatum, & alia carni minus suauia euertẽda sibi sumpserunt; illi vero, & diuinam & humanam Christi naturam, processionem Spiritus sancti, Dei omnipotentiam, Corporis Christi in sacra Eucharistia præsentiam, aliaque fide magis quam sensibus comprehendenda impugnarunt. Et quemadmodum ii, qui regiones inhabitant ventis ac turbinibus infestas feroces sunt ac turbulenti; qui montana incolunt, duri atque agrestes; quod ipse locorum situs & qualitas hominum animis diuersos imprimat mores, vt Plato, Tertullianus, Hippocrates, Xenophon in Cyropœdia, Vitruuius, & alii testantur. Sic constat eos, qui in frigidis locis habitant multo hebetiores esse & stupidiores iis, qui in locis præseruidis morantur. Illi Baccho & Veneri (hi enim plerumque indiuidui sunt comites) plurimum dediti sunt, corpore crasso, ingenio simplici fere ac fraudis experto; hi vero corpus gracile habent & siccum, sed ingenium cautum, subtile ac malitiosum. Illi in actionibus lenti sunt & tardi; hi summa celeritate in omnibus vtuntur. Illi religionis non ita tenaces sunt, aut certe minus religiosi esse videntur, vt quibus animus non minus quam aer ipse, quem hauriunt, frigeat, eoque omnes religionis sibi ferendas iudicent; hi vero vt ingenia habent ad contemplationem magis disposita, sic Dium metu vel superstitione facilius ducuntur, & religiones semel susceptas magna constantia tuentur.

Caluinus Luthero ingenio præstantior.

Caluinus ergo ingenii acumine Luthero præstantior, altissima Christianæ religionis mysteria conuellere aggressus est, nimirum Dei benignitatem, iustitiam atque omnipotentiam; Lutherum eo nomine irridens, quod Corporis Christi in Eucharistia præsentiam, stultè (sic enim loquitur) fassus esset. Vnde etiam in præfatione Commentariis super Psalmos præfixa queritur, quod Germanos plerosque sibi infestos habeat, eo quod stultæ ipsorum opinioni siue phantasiæ de manducatione corporali in Cœna Domini subscribere nolit.

Idem præterea dicere solebat, nihili fere esse, quæ Lutherus fecerit; nec hæreticorum Rempublicam plus ei debere, quam viator aliquis digito viam monstranti debeat: ipsius exemplum nequaquam imitandum esse, vt qui Semi-Papista fuerit: multo satius fore nouæ Ecclesiæ fundamenta iacere, quam ab ipso positis superædificare: & sicut præstanti sculptori facilius sit in rudi marmorea tabula perfectũ aliquod opus elaborare, artisque suæ excellentiam ostendere, quam ab alio cœptum ad vmbilicum deducere; sic multo melius fore Ecclesiæ lineamenta de nouo describere, quam Lutheri exemplo, antiquæ illius fugientia sequentem vestigia, rugas explicare, maculas eluere, & pristino nitori restituere velle. Hæc Caluinus.

XXXIV. Istud etiam considerationi dignum est, quod duo hi Antichristi, dum quisque sectam sibi propriam condit, infestis animis inter se concurrunt, nec alter alterum ferre potest; quamuis vtriusque nomen Apocalypticæ illius belluæ numerum, vt dictum est, includat. Quamuis enim Caluinus alicubi in Lutheri laudibus minimè parcus videatur, vt quem Christianæ religionis restauratorem appellat; illud tamen minime ferre potuit, pro altero Elia cum haberi atque honorari. Hinc eiusdem discipuli post magistri mortem hac protestatione vsi sunt, eos, qui Lutherum Prophetarum numero ascribunt, & scripta ipsius pro fidei norma obtrudunt; male de Iesu Christi Ecclesia mereri, & tam se quam Ecclesias suas aduersariorum risui exponere. Fatendum est etiam Lutherum quidem ad euertendam Ecclesiam noxium admodum fuisse instrumentum; at Caluinum multo magis. Iniuriæ opinio, & vindictæ appetentia, Lutherum pessimæ hæreseos auctorem fecit; ambitio & arrogantia, indiuiduæ & hæresiarcharum & hæreticorum comites, Caluinum multo peioris. Neque enim Caluinum quidquam aliud in arenam protraxit, quam gloriæ cupiditas, vt qui pulchrum duceret, digito monstrari, & dicier; hic est. Quod quidem commune fere est magnorum ingeniorum & malum & naufragium. Certè Tertullianus ait, quicumque vitæ huius salum sine rationis clauo velit traiicere, cauere non posse, quin seculi fluctibus in profundum tandem abripiatur. Lutherus, statim initio rebellionis suæ gloriabatur: Omnis, inquit, de me loquebantur, omnes me laudabant; nec quamuis exigua hæc gloriola displicebat. Quid Caluinus? Ipse recitat, quamprimum sacratissimarum literarum gustum aliquem perceperit, & aliis dederit, omnes qui amore doctrinæ tenebantur, ad ipsam tanquam ad Apollinis oraculum accurrisse; & quamuis ipse vix dum discere cœpisset, ab ipso doceri voluisse. Lutherus, se primum Euangelii hactenus non intellecti lumen mundo accendisse; Caluinus sine iactantia illud se affirmare posse ait, ad sacram Scripturam intelligendam plus se adiumenti attulisse; quam omnes Doctores, qui fuerunt post Papatus initium. In reformationis formula Galliarum Regi exhibita, non minus vane, quam impudenter iactat, diuini nominis honorem à se in integrum vclut postliminio restitutum.

Victor Caierus, qui vnus fuit ex præcipuorum Ministrorum numero, & pleraque secreta Caluinianæ religionis, perspecta habuit, in Formulario suo, quæ prætenditur religionis, post ipsius conuersionem edito, sic loquitur; Constat Caluinum publice pro concione & in suggestu, Prophetæ nomen sibi ipsi tribuisse, atque eo dementiæ prouectum, vt non Principibus tantum, verum etiam magno Regi maledixerit, eo quod suorum subditorum mortem contra illos vlcisci noluisset; atque ita exœnduisse, vt non sine graui scandalo & tumultu pileum è suggestu proiecerit, & nullis solito more factis prius precibus, è concione digressus sit, illud tantum repetens; Experiemini vos me Prophetam. Præ cæteris vero omnibus qui in hoc genere aliquid attentarunt, Caluinus eleganter scribendi laude excelluit; quam tamen frequentia scriptis eius inspersa *in alios* maledicta & scommata plurimum minuunt. Nunquam enim ille ad scribendum accessit; nisi animo maleuolentia & odio suffuso; vt quemadmodum Draconis olim leges non atramento, sed sanguine; sic Caluini libri bile, atque adeo veneno scripti videantur: vt maledicendi palmam omnibus eum præripere voluisse recte dixeris. Quod tamen ille ipse ad Buccrum scribens ita excusat, vt dicat; *Hoc non tam ingenii quam genii esse vitium.* Inter elogia, quæ Romanæ Ecclesiæ tribuit, illa mitiora quodammodo sunt, quibus eam Babylonem appellat effrontẽ, derelictam, idolis seruientem, prostitutam, necromanticã: quid nõ denique? Etsi vero Caluinus primus fere & solus libris Gallica lingua cõscriptis antiquam religionem cõuellere conatus est; breui tamẽ magnum sectariorum numerum sibi asciuit, homines, vt plurimum, bonarum, & sacrarum in primis literarũ rudes, qui lepore & elegantia styli capti & quasi incantati, faciles nouitiis eius dogmatibus aures nõ grauatè præbuerunt. Mordax certe, virulentum, atque adeo ferum Caluini ingenium non tam thema eius genethliacum, quam scripta ipsius produnt. Nullibi ille Reges ac Principes mitius quam præcurfor ipsius Lutherus; brutas bestias, asinos, stultos passim appellans; quibus si contra Deum (id est, contra Geneuensis Ministerii statuta) fœdus ineant, aut moliantur aliquid, non modo non obediendum, sed facies etiam conspuenda sit: Quam vero eorundem titulum ridet, quo se *Dei gratia* Reges aut Principes scribunt? An vllum vnquam mordacius ac virulentius scriptũ lucem aspexit, quam Caluini Institutiones? Quas ille totics à se interpolatas, tot tantisq; cõmitiis referfit; vt non solum quicquid splendida bilis, sed etiam quicquid quartanæ febris, quæ medullas ipsi exedebat, quicquid cal-

culi

culi, quicquid hemicraniæ, quicquid hemorrhoidum dolores suggerebant, in scriptum illud effudisse videri possit. quibus ille efferatus, & velut æstro percussus, in obuium quemque incurrere atque arietare nihil pensi habebat: at remittentibus paululum doloribus, vltra modum inflatus, suæ ambitioni velificabatur; & sic velut serpens venenatum ictum lingua, & tanquam Basiliscus lethiferum aspectum oculis gestabat. Sed de Caluini ingenio, nemini magis credendum quam Volmaro; ei scilicet, qui primus ingenium illius penitus explorauit, & animum hæresi corrupit. Sic vero ad Farellum scribit: *Non tam metuo ingenii (Caluini scilicet) τὴν στερεβλοτὴν, quā bene spero. Id enim vitii aptum est rebus nostris, vt in magnū assertorē nostrorum dogmatum euadat. Non enim facile capi poterit, quin maioribus tricis aduersarios inuoluat.* Epistola hæc penes Ministrum quendam fuit Pictauiensem, Christianum nomine, quam ille compluribus ostendit, odio atque æmulatione, frequentissimo inter istos homines vitio, adductus. Quin etiam Caluino epistola illa, vt sibi traderetur, petenti, non modo non annuit, sed plura eius exempla inde descripta aliis communicauit; vnde capitales inter ipsum & Caluinum inimicitię extiterunt. Christianum Caluinus Papam Pictauiensem; Caluinum Christianus Episcopum Vniuersalem & summum Genuensem Pontificem huius nominis primum per ludibrium appellabat. Ad Caluinum placandum & Christiano reconciliandum, Consistorium Pictauiense Alexandrum Gaudionem, Christiani Collegam aliquando miserat; sed frustra. Neque enim faciles iras gerebat Caluinus, & quāuis corpore non ita magnus, animo tamen vastus ac ferus, nō minus quam paruus ille deus Terminus illud, *Cedo nulli*, præ se ferebat. Launaius certe, qui & ipse ex eorum fuit numero, scribit, insitum velut esse huic hominum generi, siue sectæ, vt nemini iniuriam condonent; adeoque fieri non posse, vt qui tali ingenio nō sit, diu Minister esse possit. Christianus ergo, quo pacem à Caluino redimeret, in Normaniā secedere fuit coactus; parūq; abfuit, quin Ministerio planè se abdicauerit.

XXXV. Caluinus quamdiu Engolismæ commoratus est, Catholicum se simulauit; sacris etiam, sed quam fieri potuit, rarissime interfuit; quin etiam à Collegio ad recitandas preces Latinas lectus fuit: quod munus semel atque iterum in æde Diui Petri obiuit. Ab omni certe, quamdiu Engolismæ fuit, quæ Catholicæ contraria esset, religionis exercitio, precibus ac concionibus abstinuit; *illud solum in omni sermone*, quem cum tribus illis (de quibus supra) Ecclesiasticis habebat, professus, se veritatem indagare velle. Tilius haustis animo Caluini opinionibus, miro desiderio eos videndi incensus, qui Catholicæ Ecclesiæ bellum indixerant, Geneuam primum, inde in Germaniam profectus est, assumpto comite Caluino. Id ægerrime ferens Tilii frater Curiæ Parisiensis Protonotarius, fratrem sequutus, breui in Galliā reduxit; at Caluinus in Germania remansit, qui postmodum Rufo, de quo supra, in familiam se dedit; inque eius comitatu, plerosque Catholicæ Fidei aduersariorum antesignanos visitauit, atque collocutus est. Memorabile est, quod quum Caluinus à Bucero ad Erasmum adductus esset, isque de intricatis aliquot religionis capitibus sermonem cum ipso contulisset, ad Bucerum conuersa oratione Caluinum demonstrans dixisse fertur; *Video magnam pestem oriri in Ecclesia, contra Ecclesiam.* Simile quid de Berengario primo Sacramentariorū auctore historiæ testantur, nimirum, quum is in Fulberti Carnotensis Episcopi in lecto decumbentis cubiculum ingressus esset, sanctum virum à circumstantibus quæsiisse; *Quid is esset hominis, cui diabolum auribus nescio quid insufflantem videret.* Tilius porro, tam in patriam, quam ad meliorem mentem reuersus, Caluini doctrinam repudiauit, & ab ea semper postea abhorruit: Caluinus autem ægre ferens primo hoc veluti tropheo se defraudatum, Tilium, quibus poterat modis, suggillauit, nec vnquam deinde eius memoriam, nisi per conuitium & probrum vsurpauit, turpiter eum defecisse, & ad Papistas se recepisse conuitians. Tilius interim contemptis his latratibus, publice facta hæresis abiuratione, Archidiaconus electus, quantum antea in promouenda, tantum deinceps in impedienda, ac retundenda hæresi diligentiæ adhibuit: at Caluinus in Galliam reuersus, Pictauium petiit, & conciliata sibi aliquot doctorum amicitia, virus hæreseos effundere cœpit, tanta quidem astutia, vt incautos quamplurimos deceperit, atque breui sectam ex nomine condiderit. Ita vtebatur, vt frequenter quidem faceret religionis mentionem, sed obscuram admodum, & magis ad tentandum quam ad docendum. Tandem vero nonnullis secreta suæ impietatis, & quid ipse de Lutheri, Melanchthonis & Zuinglii, quasi trium virūm opinionibus sentiret, aperuit, & in loca quam maxime potuit secreta abductis, scripta sua ac precandi formulas à se conceptas ostendit, & in genua prouolutus ad communes secum preces inuitauit; quas magna vehementia & deuotione, vt videbatur, recitabat. Quia vero facile intelligebat ad institutum suum perficiendum, non tantum hominū de schola operam, sed etiam magnorum & in Reipublicæ administratione constitutorum autoritatem requiri; primam machinam Renerio Episcopalis Sedis Vicario Generali admouendam statuit.

Caluinus in Galliam reuersus Pictauio petito illidem heresim suam effundit.

XXXVI. Quum ergo apud hunc die quodam vna cum aliis litteratis hominibus in horto diuersaretur, & religionis, ac Lutheri & Zuinglii opinionum iniecta esset mentio (neq; enim tum doctis tantum, sed etiam indoctis, & sæpius quidem inter pocula de religione disputare solenne erat) Caluinus benè ad hanc rem præparatus, præcipua religionis capita explicare aggressus, tandem sermonem suum omnem in disputatione de Missæ sacrificio, consumpsit. Inter alia querebatur, Lutherum plagam hanc, quam incrustare potius quam sanare conatus sit, è mala fere peiorem fecisse. Ei non aliter quam iis, qui per noctis vmbras iter faciunt, veluti scintillam tantum exiguam apparuisse, ac viam leuiter tantum & perfunctoriè commonstrasse. Inde factum, vt multos Papatus errores ferendo fouerit: Atqui remediis multo asperioribus & cauteriis opus esse; & Romanæ Ecclesiæ idololatriam (sic diuina appellabat officia) vno impetu esse prosternendam, atque euertendam, & pristinæ integritati (suas imaginationes intelligens) omnia restituenda. Ante omnia vero tam Pontificia quam Lutherana profligata Missa, Cœnam Domini eiusque ritus, ad pristinæ formæ amussim exigendos esse. Barbarum quippe esse & impium, Christum è cœlo detrahere, & ligatum quasi & compeditum per Sacramentum hoc traducere, ac tandem manducare. Talem quippe manducationem spiritualem non esse, nec per fidem fieri. Quod eò dicebat, vt inter Lutherum & Zuinglium mediam quandam viam ingrederetur, nec corporis realitatem omnino tollere videretur. Atqui si corporalitas à corpore tollatur, vbi, quæso, realitas illa permanebit? Et quomodo realitas illa subsistere poterit, quum Caluinus dicat, Christum secundum humanam suam naturam in cœlo manere; panem vero & vinum nihil aliud quam arrham & sigillum, quo omnia à Christo nobis promissa confirmentur? Quamuis autem Caluinus primum se huius doctrinæ, de vero Cœnæ Dominicæ intellectu, & vera Christi præsentia, auctorem iactet; certum tamen est, hæresim hanc è Wiclephi schola & libris eum hausisse; vti etiam colligi potest ex iis, quæ in Actis Cōcilii Cōstantiensis, & apud Przibramum, qui Wiclephianam eierauit hæresim, leguntur.

XXXVII. Discipuli deinde aliquot Caluini, alium carnis Christi per fidem manducandæ modum commenti sunt, contra Magistri auctoritatem negantes materialis carnis communionem, per sancti Spiritus irradiationem animæ impertiri posse, & similitudinem à Sole, qua Caluinus vtitur, irridentes. In vniuersum, docent, realem Christi substantiam, non vero corporalem, animæ infundi & communicari. Quis vero non videt, inuisibilem hanc substantiam Platonicarum idearum similem esse? Alii nouam nescio quam transsubstantiationem confingunt, sic vt substantiæ panis, substantia corporis Iesu Christi adiungatur: quæ tamen iam non Transsubstantiatio, sed Vltra, aut Consubstantiatio dicenda erit. Et hi à Lutheranorum opinione non multum absunt. Alii explosa Transsubstantiatione, nescio quam nouam, & non minus re quam nomine agrestem & absurdam Tranconditionationē admittunt. Ipse certe Caluinus, de Sacramento hoc loquens, vocibus his irradiatione, traiectione, defluxu, destillatione, inspiratione, &c. frequenter vtitur; cuiusmodi multæ aliæ phrases apud eundem & alios occurrunt. Alii concedunt animum & corpus nostrum corpore Iesu Christi nutriri; nō quod corpus ipsum reuera manducetur, sed per fidem & imputationem. Alii manducationem nō necessariam esse aiunt:

& man-

& manducare nihil aliud esse quam credere. Sunt etiam, qui dicant, etiamsi Spiritu & virtute carnis Iesu Christi participemus, non tamen ipsa participare carne. Omnibus vero his fere idem accidit, quod iis, qui nouos fontes fodere cupiunt. Vt enim hi effosa altius aliquanto terra, iam hic, mox alibi ebullientis aquæ scaturiginem deprehendunt, quæ arenam modo in hanc, modo illam partem cispellat; sic quanto altius Sacramentarii cloacam hanc suam fodere conati sunt, tanto plures ac fœdiores opiniones erupisse videmus.

XXXIIX. In horto primi nostri parentes decepti fuerunt; in horto etiam pauci hi, quos Caluinus in secessum abducebat, à Caluino seducti sunt. Etsi enim Caluinus nequaquam ea dicendi, qua scribendi gratia & vi polluerit; tanta tamen in dicendo vehementia vtebatur, vt auditoribus non morosissimis facile, quæ vellet, persuaderet. In horto, inquam, illo, primum Caluinisticum celebratum fuit Conciliabulum, quod Galliam postea tanto constitit. Ei interfuerunt Antonius Duguius Professor Academicus, Philippus Veronius Episcopalis Sedis Procurator, Albertus Babinotus, & Ioannes Vernouius, Pictauienses. Præcipua vero tum Caluino, vti diximus, disputatio fuit, de reali præsentia corporis Christi in Sacramento. Hic enim lapis ille est offendiculi, ab ipso tam ad Catholicos quam Lutheranos supplantādos obiectus. Tantopere vero disputatio eius pręsentibus placuit, vt ea, quæ dixisset, scripto consignata sibi tradi petierint: quod ille non grauate fecit. Post hæc pauci illi, in locis secretis & speluncis, & per pagos etiam & villas frequenter conuenerunt; quibus mox accessit Ioannes de Boissean Borderius, causarum patronus; & alius quidam Vortumianus appellatus: tandem etiam Carolus Lesagus sectæ huic nomen dedit. Ex his tamen Borderius, homo valde doctus, quadraginta annis post Caluinismo repudiato, in Catholica religione vitam clausit, quum octuagesimū ætatis annum pene attigisset. In locis illis secretis prima Caluinistica Cœna celebrata fuit, quam Manducationem postea appellarunt; vt paulo post ostendam. Exhortatione prius à Caluino facta (sic enim conciones suas initio appellabant) & implorato diuini Spiritus auxilio, vt gratiam suam super paruum illum gregem in nomine illius congregatum, effunderet. Deinde lecto è sacra Scriptura capite aliquo, non ipse solum ambigua explicabat, vel potius magis inuoluebat; sed aliorum etiam sententias, tanquam in priuata disputatione exquirebat. Et hæc quidem sacra ista celebrandi forma aliquamdiu postea in vsu fuit.

XXXIX. Caluinus interim ferrum sibi in igne esse intelligens, conatus suos omni arte promouere satagebat. Quid multis? Tribus tandem è secretiori hoc conuenticulo persuasit, vt doctrinam hanc nouam per Franciam, apud eos præsertim, qui aliquem Lutheranismi gustum haberent, disseminandi, & vti iactabant, miserè deceptis Papistis oculos aperiendi prouinciam susceperint. Hoc enim nomine vocabant eos, qui antiquam & per manus ab Apostolis eorumque successoribus traditam Fidem sequuntur. Consilio ergo habito decretum fuit, vt Vernouius Pictauii, & vicino agro animas lucrifaceret, vel perderet potius; dum reliqui in longinquioribus locis venātur. Ad sumptus vero eam in rem modicum pecuniæ collectum fuit. Duo illi, vt securitati suæ consulerent, noua sibi nomina (vti mos fere est sectariis) assumpserunt. Eorum vnus *Le bon homme*, id est, bonus vir; alter *Ramasseur*, id est, dispersi gregis recollector dici voluit. Et ille quidem passim oberrans, in conuenticulis tam preces, quam Manducationem ad nouam illam formam, quæ à viro illo Dei, vti iactabat, tradita erat, celebrabat. Et quia hic antea in Pictauiensi Academia Institutiones in Ministraria (sic tum Iuris illud Auditorium vocabatur) prælegerat, Caluinus & alii vix eum alio quam Ministri nomine appellabant: ex quo factum puto, vt Caluinianæ sectæ disseminatores, & nouæ doctrinæ prædicantes, Ministri dici cœperint, & adhuc dicantur. Recollector ille viginti fere annos in colligendis, vel vt verius dicam in dispergendis Christi ouibus cōsumpsit: & quamuis homo esset pene illiteratus atq; ineptus, quoties tamē in Ecclesiasticos inuehebatur, tanquā Pericles aliquis tonare & fulgurare videbatur. Caluinum in omni sermone iactabat, & scripta quædam eius non secus ac Sibyllinos libros ostentabat. Hi tres, vt Victor Caierus inquit, Caluini mandatorum fuerunt exequutores, Gallię perturbatores, & primi Caluinistici schismatis auctores. Ecce tibi eorū maiores, qui mundi Reformatores audire volunt. Quid agitis miseri Thersites atque Iri? An Aiacis & Achillis similes esse vultis? Quid vos, qui heri atque hodie tanquam fungi nati estis, genealogiam vestram ex alto repetitis, & ad ipsos Apostolos refertis? Infamis vestræ originis testem Victorem Caierum habemus, eum qui celebris inter vos concionator fuit, quem vestrum olim tantis ornastis laudibus, nunc nostrum modis omnibus infamare conamini: illum, inquam, qui nouit, quinam vos sitis, & vndenam sitis, cui denique vestra omnia satis superque nota sunt atque explorata. Scio equidem quid vobis doleat; nempe hunc exquisitæ eruditionis hominem totum in eo fuisse, vt quæ tam exemplo quam doctrina olim destruxerat, postea restauraret. Hic de Recollectore hoc Caluinistico loquēs, ait, eum pagos & villas per Pictonas, Santonas & Engolismensem agrum obiisse, nec quicquā intentatū reliquisse. At Bonus ille vir, de Caluini cōsilio, in Tolosana vrbe latibulū sibi quæsiuit; non ignarus eò ad capiendum ingenii cultum à Nobilitate liberos magno numero mitti. In hac certe Vniuersitate, ab iis, qui emergere capiunt, prima fere dignitatum fundamenta iaciuntur.

Primi Caluinistici schismatis in Galliis autores.

XL. Vernouius, quia notior erat, quam vt diu latere posset, Pictauii mansit, vt inter Academicam iuuentutem, ad credendum natura facilem, & nouarum rerum cupidam, doctrinæ Caluinianæ zizania disseminaret. Tam hic vero quam reliqui illud inprimis agebant, vt Professores & Rectores iuuentutis ad suas partes adiungerent: non ignari, quemadmodum prostrato imperatore facilis plerumque est victoria; sic his veluti iuuentutis deuictis ducibus, facile gregarios illos milites ductum illorum & auspicia sequi solitos, manus quoque præbituros. Et quidem ille, quem Boni viri nomen assumpsisse diximus, Aginni, Rectorem quendam Scholasticæ iuuentuti, Sarrasinum nomine, suarum partium obtrusit, qui primus Caluinismum ibi licet tecte, docuit. Ei mox suo centuriatus fuit eiusdem cōditionis homo, Vindocinus nomine; qui primus in prædicto oppido ob hæresim vltricibus flammis vstulatus fuit. Mox huc illuc alii circummissi sunt, in Aquitania præsertim, Andreas Melanchthon Toninium; Andr. Caruinus Atrebatensis Villam nouam, sub Scholastici Magistri habitu Ministri munus exercens; Andr. de la Voye Picartus ad Fanum S. Fidei; alii alio. Possem equidem plurium eiusmodi hominum nomina hoc loco citare; sed duos illos commemorasse mihi sufficit, vt tam Caluini, quam ab ipso missorum pseudo-Apostolorum fraus & astutia tanto melius appareat; vt qui hac potissimum ratione, corruptis nimirū præceptoribus, perniciosæ suæ doctrinę virus Scholasticæ iuuentuti instillare satagerunt. Vnus ex eorum numero, sed inferioris subsellii Pędagogus, Valesius nomine, Burdigalæ, cōsuetudinem illā, qua initio lectionis cruce se quisq; signare solebat, tanquā ineptam, & simiis potius conuenientem memoratur irrisisse; deinde priuatim capita quædam nouæ religionis, veluti per ludū & iocum inculcasse. Qua arte, non mirum si animos Gallorum adolescentum tenellos facile subegerit; nam quo semel est imbuta recens, seruabit odorē testa diu, quemadmodum videmus, ea quæ prima annis pueritię impressa sunt, difficillime vbi vel paululum radices egerint, euelli. Vt enim oculi maligni vel aspectus quoque ad ipsum infantiū cor facile penetrat, eiq; virus quodammodo affundit; sic teneri iuuentutis animi hæreseos aconito facile intoxicantur, nisi bonis remediis præseruatiuis, vt vocant, & inprimis impenetrabili illo, quem Polybius Cordis custodem appellat, lapide muniti sint. Et hoc quidem modo, vt ad propositum redeam, à Caluino missi Mercurii, in duabus illis Academiis, Tolosana scilicet & Pictauiensi plurimū damni dederunt. Nihil vero hoc mirum in iuuenibus, quibus sanguis calet, & animus futuri improuidus, & periculi securus, cæca tam nouarum rerum quam falsi libertatis cupiditate flagrat. Nam nihil gratius his prædicari poterat, quam à carnium esu etiam diebus vetitis non abstinendum, non ieiunandum, non peccatorum exomologesin apud Sacerdotem esse faciendam. Et ita comparatum est, vt noua etiam quæcumque magis placeant, quam vsitata. Quocirca

minus

minus miror, non paucos noua hæc dogmata ita mordicus fuisse amplexos, vt etiam imberbes fere adhuc tam corporis quam animæ iacturam facere maluerint, quam hæresi renunciare: adeo scilicet peruersus ille Spiritus animos illos teneros fascinauerat. Et hi quidem, vt est ætas illa, vbi semel frænos ruperit, ad quiduis audendum proiecta, primi famosos contra Ecclesiam libellos templorum valuis affixerunt, fores effregerunt, statuas deiecerunt, baptisteria fœdissime conspurcarunt, mille denique insolentias, noctu præsertim, vel sacrilegia potius commiserunt. Crescente indies furiosorum hominum numero, conuentus haberi publice cœpti, & Ministri quidã electi sunt, qui verbum Dei, quod nunquam didicerant, docerent. Decretum etiam, ne cui Scholarium, qui Veritatis cognitionem haberet (huius enim prætextu tanquam clypeo vtebantur) sine Ministrorum licentia domum discedere liceret, vt ipsorum testantur historiæ. Discedentes vero ab iisdem copiose instruebantur, quomodo domi & alibi passim se gerere, & quas Caluinismi amplificandi rationes inire deberent. Ne vero necessaria ad hanc rem deessent subsidia, multis libellis partim contra Ecclesiasticos diffamatoriis, partim formulas quasdam precandi & nouæ fidei capita continentibus, emissarii illi instructi fuerunt. Dici vero vix potest, quam latè pestis hęc inter Gallicam iuuentutem per totum fere regnum breui tempore proserperit, aliis alios inficientibus, dum quisque nouæ illius religionis secreta expiscari conatur. Videre erat passim textores, sutores, sartores, fullones, institores, vel clam, vel palam etiam ad populum è verbo Dei, vti iactabant, declamantes, & nouas fundantes Ecclesias. Constat certe, anno 1540. in omni horum numero vix quenquam litteratum fuisse; satis illis erat, si nouum Testamentum vulgari lingua legere, & ineptis quibusdam ratiunculis Catholicorum dogmata impugnare, & in dubium renocare, omnia denique suo more explicare possent. Ecce, ex quam tenuibus initiis ad tantam magnitudinem progressa sit hæresis? Et quamuis istorum hominum, quibus cõtra Catholicam fidem vtebantur, leuia admodum essent & futilia argumenta, eadem tamen ad multorum implicandas conscientias nimis magnam vim habuerunt, eorum præsertim, quibus melior deinde instructio non obtigisset.

XLI. Vna ex præcipuis causis, ob quas multi ex clarissima Ecclesiæ luce in spissas hæreseos & errorum tenebras præcipitarunt, illa erat, quod dicerent, honorem vni Deo debitum, imaginibus à Catholicis attribui. Quum enim in Bibliis legissent illud, Ne facias tibi imaginem, &c. (quod tam male intellectum, quam inepte versum est) statim Catholicos velut idololatras condemnabant; Ecclesiam idololatriæ synagogam appellantes, vt in qua Dii lignei & lapidei adorarentur; quam rem infamiæ plenam, & Deus ipse summè oderit, & omnes vere Christiani semper vehementer sint detestati. Quare illo præcepto, Ne facias tibi imaginem, &c. auditorum aures in omni fere sermone ohuerberabant, atque eo vno Catholicos nihilo paganis & idololatris meliores esse, conuinci posse asserebant. Noui illi Bibliorum traductores atque interpretes, vel corruptores potius, vt in plerisque aliis locis libidini suæ contra conscientiam nimis indulserunt; ita tam in cap. 6. Deuteronomii, quam alibi pro voce *idolo, imaginis* nomen substituerunt; quasi nescientes scilicet, Imaginem genus esse, vt Dialectici vocant, idolum speciem; speciem vero sub genere, non autem genus sub specie comprehendi. Quid, quod in Gallica etiam lingua vox idolum semper in malam partem sumitur, non ita imago? Nam & Iesus Christus Dei imago; & homo quantumuis vilis & abiecta creatura, ad Dei imaginem conditus dicitur. Imaginum vsus est, vt & templis ornamento sint, & iis quorum res gestas & victorias repræsentant. Idola vero ideo eriguntur, vt animos hominum ad sacrilegum falsorum Deorum cultum abducant. quin etiam idolum, vt Diuus Paulus testatur, nihil est, quia scilicet rem, quæ non est, repræsentat. Etiam pueris in schola notum est, imaginem semper ad aliquid referri, idolum vero nihil aliud quam ad seipsum. Eustathius in 11. Odyssea, idolum esse ait velut vmbram quandam, aut mente conceptum phantasma, quod veri nihil in se habet. Et hinc illorum, quos pagani adorarunt Deastrorum statuæ, idola appellatæ sunt: quæ licet materia & certa forma constent, nihil tamen, quod in rerum sit natura, sed ventum tantum, & id, quod nunquam Deus fuit, imo ne id quidẽ, quod illis adumbratur, repræsentant.

XLII. Præceptũ vero de idolis non faciendis, aut colendis, quod à Deo populo recens ex Ægypto educto datum fuit, de illis tunc tantum, quæ Ægyptii adorabant, idolis intelligendum est. Quia enim verendum erat, ne populus diuinitus electus, ex longa Ægyptiorum consuetudine & cohabitatione contagionis aliquid traxisset, eoque facile ad falsos Deos colendos abduci posset; impietati huic non sine grauissima causa per præceptum hoc occurrere voluit. Sed age. Aut Deus hoc mandato omnes imagines prohibuit; aut aliquas tantũ, eas nimirum, quæ diuinæ gloriæ derogant. Alterutrum horum aduersarii concedant, oportet. Atqui primum esse verum non potest, quum Deus sibiipsi non repugnet, nec contraria præcipiat. Quomodo vero Deum repugnantiæ & iniustitiæ nota liberabimus, si eos tanquam idololatras ab ipso puniendos fore dicamus, qui exemplum illius sequuntur & imitantur? Numquid enim Deus, etiam post latum Decalogum, Cherubinos humana facie in templo suo collocari, æreum serpentem in ligno ad crucis formam erigi, aliaque opera quorum vsus in templo & ad sacra futurus erat, boum, leonum, &c. specie fieri voluit? Circumfer oculos per totum illud stupendi operis Salomonis templum. Vbique imagines sculptæ occurrent, vt caput 6. libri 3. Regum legenti facile apparebit.

XLIII. Lubenter vero fatemur & credimus, Deum nequaquam sibi posse repugnare, vt qui semper idem sit sibique similis. Hinc Plato non immerito Poetas & fabularum auctores è Republica sua exterminauit, quod in theatro Deos sibiipsis repugnantes, & modo in hanc modo illam formam mutatos producerent. Iouem illum mihi quis videat, modo in taurum, modo in aureum imbrem, modo in cycnum, modo in aquilam mutatum. Tum Proteã illum Virgilianum, de quo ille:

Tum variæ illudent species, atque ora ferarum.
Fiet enim subito sus horridus, atraque trigis
Squamosusque draco, & fulta cervice Leæna.

XLIV. *Deus nequaquam vsum imaginum prohibuit.* Ex quibus sane patet, Deum, omnem imaginum vsum nequaquam prohibere voluisse; vt quibus in templo suo locum esse voluerit, tum vt ornamentum ei aliquod afferrent, tum vt mysticæ significationi atque institutioni inseruirent. Quid? quod magnus ille Propheta Daniel Deum patrem, antiquum illum dierum, omnibus fere lineamentis & coloribus nobis depingat? quamuis idem non ignorauerit, Deũ incorporalem esse, immaterialem, inuisibilem, neque vlla figura posse exprimi. Et profecto frustra omnis humana industria penicillo, aut quocumque alio modo Dei nobis effigiem elaboratura erat, nisi ille vir diuinus sic depictam nobis exhibuisset. Quare credendum est, illas tantum imagines diuino mandato prohiberi, quibus alius, quam verus Deus adorandus repræsentatur, aut alius falsorum Deorum cultus introducitur; quales illa idola fuerunt, quæ Ægyptii adorarunt; itemque vitulus ille aureus à populo Israelitico conflatus, draco ille Babylonius, & infinita alia apud gentes alias. Et hoc quidem modo ipsi Iudæorum Rabbini, vt apud Abenesram in Decalogum videre est, præceptum hoc interpretãtur. Nihil horum simile imagines Christianorum habent; quæ non modo non contra Deum, sed in eum finem solum erectæ sunt, vt hominum mentes ad Deum erigantur. Ipse Saluator Iesus Christus faciei sui effigiem nobis reliquit, vt eius humanitatis contemplatione tanquam per scalam Iacob, & præcipuum salutis nostræ organum, ad cœlos euecti, plenam Dei notitiam assequeremur. Sed hanc de imaginum vsu tractationem, alibi peregimus; nunc ad Caluinum, & eius emissarios, quod attinet, multos Sectæ suæ addiderunt, cum, omnibus quidem, libertatem ab Ecclesiæ præceptis & legibus, ieiuniis, festiuitatibus, & aliis prædicarent: vitia & ignorantiam Cleri Gallicani exagerarent, Missæ sacrificium exagitarent, licentiam vitæ inducerent; nocturnos congressus specie quidem religionis, reuera autem ad libidinem promiscuam instituissent; Monasticam vitam vtriusque sexus professis carnis desideria inurerent, adeoque luxuriandi occasionem & materiam obtruderent: ac quod grauissimum erat, cum Catholicis Catholicos sese simulantes, variis fraudibus

Caluinus à Galliæ Regis edicto sibi metuẽs Lutetia aufugit.

dibus & dolis à Catholicismo abducerent. Quod cum strenue Caluinus, occulte tamen & per cuniculos præstitisset, iamque sectam condidisset, ne Pictauii, re iam quam agitabat erumpente comprehenderetur veritus, Neracum, ad Rufum & Fabrũ, de quibus supra, secessit, vt vna cum eis sub Margaritæ Nauarræ Reginæ præsidio lateret. Enimuero cũ hoc anno 1534. Caluiniani, infames libellos aduersus sacram Lithurgiam & receptos antiquos Christianorum ritus Lutetiæ sparsissent, & in Regio Palatio, multisq; aliis in locis tam publicis quam priuatis affixissent, Rex edictũ contra omnes Sectarios ediderat, vt omnes, ac præcipue Sacramentarii, seu Caluinistæ viui cõburerentur. A qua pœna sibi metuens Caluinus, tempestiue se subduxit. Quomodo postea Geneuam concesserit, in consequentibus dicemus suis locis. *Florimundus de origine hæreseon lib. 7. Belcarius comment. lib. 20.*

XLV. Caluinistarum in pietate ac religione obscuranda, vel eradicanda conatus, non modicum ab alia quoque parte Anabaptistæ hoc tempore & anno iuuerunt: maxime vero in inferiori Germania, ac præcipue in Monasteriensium VVestphaliæ vrbe. Opus est rem admodum tragicam paulo fusius narrare.

Monasterii vrbis Westphaliæ situs & descriptio.

Ioannem Boccoldum cum Gerardo Boeckbinder, Monasterium paulo ante missum diximus. Est autem Monasterium, siue loci situm, siue opum & populi frequentiam spectes, inter reliquas Westphaliæ vrbes facile præcipua, & vt vocant Metropolis, Episcopali Sede, quam illhic Carolus Magnus, debellatis, & ad Christianam fidem conuersis Saxonibus erexit, nobilis. Qui primas vrbium originum tradunt, multo ante Caroli Magni tempora extructam ferunt, ad formam Mediolanẽsis vrbis, cum Saxones relictis in Italia Longobardis, in patriã rediissent. Ciuitas ampla est, & admodũ, vt diximus, populosa. Parochiales Ecclesias habet sex præcipue; Diuæ Virginis, quæ muris & altera parte Alphæ fluuio concluditur; Diui Lamberti tutelaris; Diui Lugderi & Diui Martini Collegio Canonicorum celebres; Diui Ægidii, quæ Pastorem habet Præposituræ titulo insignem; Diui Seruatii & Diui Iacobi. Collegia habet quinque. 1. Cathedrale summum. 2. Veteris Ecclesiæ D. Pauli. 3. S. Mauritii extra muros. 4. S. Ludgeri, & 5. S. Martini. Cœnobia religiosorum plurima, templa & sacella non pauca. Scholis etiam & politioris litteraturæ viris, negotiatorum item & peregrinarum nationum frequentia non incelebris. Episcopum superiorem agnoscit, cui soli in sacris & profanis morem gerit. Primum habuit in ordine S. Lugderum, virum *fama & gloria miraculorum splendidissimũ*, quo cum elogio Rolenuicleius ornat. Hic à Magno Carolo, ob vitæ morumq; sanctimoniam, ad munus Episcopale euectus, gentem nondũ integre in fide cõfirmatam plenius instruxit, eamq; constantiam mentibus indidit, vt ad hæc vsq; tempora nunquam in religionis negotio vacillarit. Viuebant omnes in summa tranquillitate & cõcordia, mutuisq; obsequiis sese inuicem deuincicbant. Vna erat in omnibus fides & deuotio, in diuinis officiis peragendis vnus fetuor; in tractandis vna reuerentia. Nullæ hic hæreses, errores nulli, aut in diuina Christianæ fidei dogmata blasphemiæ perstrepebant. Iustitia ad Reipublicæ clauum sedens, æquitatem cuique dictitabat. Inter ciues nulla æmulatio, nullum odium, aut inuidia serpebant; omnia Christianæ charitatis ardore procedebant. In fœminco sexu summa castitas & pudor vigebant; in matronis & senio confectis pietas; in adolescentulis & viris grauitas, & in religione zelus dominabantur. Postquam vero solutis habenis hæc spernere, & à via maiorum declinare cœperunt, nullum vitium tam turpe, flagitium nullum tam enorme fuit, obuiis, quod non vlnis amplecterentur; omnia tunc per summum nefas sublata, castitatis loco libido, pro verecundia impudentia, pro iustitia tyrannis, pro æquitate iniquitas, pro fide hæresis, pro concione schisma, pro impietate asebia, pro diuino cultu neglectus & contemptus Diuum omnia occupauere. Ita illic omnia perperam & præpostere fiebant. Quo tandem factum est, vt florentissima hæc Respublica, tot cladibus affecta sit, & penitus euersa. Quod quomodo acciderit, vt palam fiat, paulo altius quædam omnino sunt repetenda.

Monasteriensium in VVestphalia seditio & tumultus.

XLVI. Cum Lutherus noua passim per Germaniã dogmata spargeret, & insolitam illam, sub Christianæ libertatis nomine reformationem, contra Christi & Ecclesiæ præceptũ ac morem promulgaret, ex Monasteriensibus aliqui fuere, qui ea auidissime, quemadmodũ solent nouitatis cupidi, expetiuerunt; idq; demũ importunis ad plebẽ clamoribus effecerũt, vt conniuente Senatu, nõnulli libertatis eius præcones in vrbem irrepterint, qui paulatim emergentes potiorum animos erroribus suis corruperũt. Et licet Ioan. Tantius ad D. Lambertum, Lubbertus Cansemius ad S. Martinum, Fridericus Riguingus Transaquas, & Ioan. Vinckius ad D. Lugderum, aliquot iam annis citra reprehensionem verbum Dei prædicassent; hoc tamen tempore ea docere cœperunt, quæ plebẽ in Clerum & Magistratum summopere commouebant: quibus Scholarũ moderatores gratulari, par inter vtrumq; odiũ cõcitarunt; quorum principalis author Adolphus Clarenbachius, Ludgeriani ludi Rector, perfidiæ suæ pœnas apud Vbios nõ diu post exoluit. Hæc audacia infimam plebem ita animauit, vt vel quiduis sibi contra Magistratum & Clerum licere existimaret. Hinc itaq; multi, quibus otio nihil dulcius cœnobia libentius frequentare, religiosis obloqui, cibũ etiam & potum quasi iure proprio poscere, ac publice in Clerum & Magistratũ scommata cuomere. tanta iam tum erat in plebe licentia. Cumque proteruientibus nullus resisteret, eius facinoris immunitate armati, multo acerbiora in Clerũ & opulentiores Ciues agitarunt. Et quidem anno 1525. die 22. Maii sub vesperã, factiosorũ maxima cohors ad cœmiterium Seruatianum cõuolat, vt ibi de dirimendo Nitzingano Monialiam cœnobio deliberaretur, expectantibus in vicino vallo vxoribus & liberis, qui faccis & corbibus acceptam prædam domum asportarent. Ex his tres in Monasterium irruunt, tumultum vtique facturi, nisi quam par erat, honorificentius à Virginibus horrore perculsis, vino præbito placati & demum obruti domum inde recessissent. Quod vbi Senatui innotuit, missis lictoribus, authores quidem cõprehendere iussit; sed insultantis populi minis adactus, mox impune dimittere debuit. Hunc motum alius illo longe grauior subsecutus est. Factiosi enim numero indies augescente, cum præcones eos in libertatem acrius inflammarent, articulos quosdam ciuilium grauaminum condunt, Senatuique exhibitos approbari vrgent, per plateas curlitantes passim, & obuios ad subscribendum impellentes. Ille, vt furibundæ plebis animos emolliret, ad quietem composuit, ita tamen vt se totis viribus Euangelicam libertatem promoturum, apud alios diœcesis ordines, in tanto discrimine, promitteret. Id vbi negligentius agi vident, factiosi cateruatim in forum, ad Curiam, & cœmiterium erumpunt, Consules adoriuntur, atque vt vel nunc promissioni satisfaciant, & Clerum ad restitutionem libertatis compellant, nisi grauiore tumultu cuncta miscreri velint, cõ redigunt, vt clausis vrbis portis, præsentem Clerum primarium audacius quam prudentius in Senaculum conuocant, & quorundam impulsu in iniquam transactionem, contra ius omne inuitum descendere cõpellerent. Accidit hoc ipsa Dominica Exaudi, quando peracto diuino cultu, plebs furiosa è templis ad forum confluxerat. Canonici vero indies maiore licentia cum calumniis & dicteriis rebellium traducerẽtur, veriti ne quid in se grauius ageretur, spontaneum exilium subierunt, secundario Clero, qui præsidia foris viuendi non habebat, in vrbe relicto. Quo facto, ipsi ad propinquos & Principes se contulerunt, deque facta sibi iniuria grauiter protestantur; vnde maximum in oppidanos potentiorum odium excitarunt. Interim, qui ex Ecclesiasticis remanserant, motu quodãmodo sedato, summa vigilantia, exortum incendium extinguere conniuntur. Et ne quid sibi à plebe periculi inferretur, Senatus consensu, rem prudenter aggressi sunt. Itaque remotis ab officio, qui ante seditiosis declamationibus ciues commouerant, tanquam ignis subtracto fomite sedari cœpit hæresis. Nullæ iam amplius querelæ erant, sed hoc solum vt primarius Clerus ad vrbem rediret, omnium votis, opificum præsertim, qui emigrationem illam ob minus lucrum ægre ferebant, expectabatur. Instituitur ergo ad Principem Decanum & Seniores legatio, cui obeundæ ex Clero & Senatu primarii præficiuntur, qui egressos familiariter rursus ad vrbem inuitarent. Multis vtrimq; agitur, antequam compositio aliqua subsequeretur. Tandem vicinorum Principũ, & Archiepiscopi Coloniẽsis, Hermanni de Weda, interuentu, in solenni Dulmannico cõ-

uentu, concorditer vtrinq; conuenerunt, scriptis in hunc finem literis, & omniũ ordinũ sigillo roboratis. Reuerso igitur magno populi applausu Clero, & iam purgata à seditiosis cõcionatoribus vrbe, omnia in p istinũ sta. ũ rediisse videbatur. Verum cum nouũ illud Euangelium Luthero ipso testante, sine tumultu esse nõ possit, Antonii cuiusdam Cinsi & Bernardi Knipperdollingii, factiosorũ ciuium rebellione publica pax rupta iterũ & nefariè sublata fuit. Nam Antonius sedentem pro tribunali Curiæ Officialem, stipatus aliquot cõplicibus stricto mucrone aggressus, multa conuitia & cõtumelias in Clerũ nuper fuderat. Ob id factũ captus, & Senatus mandato in vincula coniectus, priuatim p literas Bernardũ Knipperdollingium vsq; eo in sui defensionem permouit, vt is publica vi cum è carcere liberarit, & creptũ pgestato tympano, in tabernam vinariam deduceret; vbi tota nocte potitantes, nouas cõspirationes pro opprimendo, vti loquebãtur, Papatu, inierũt. Nec sufficiebat in Clerum criminũ plaustra spargere; sed etiam ipsum Principem conuitiis aggrauare nõ erubuerunt, quem Knipperdollingius fusorũ tornarium per ludibrium nuncupabat. Audacia ita creuit, vt idem etiam eques ex vrbe iter facturus, fusos in Principis cõtumeliam ex ligno fabricatos cum paruo sigillo, nihil metuens periculi, in pileo gestarat. Cumque Principis iussu in oppido Vechta captus esset, & postea per intercessionem Monasterien siũ liberatus, Sacramento de non vlciscendo præmisso, in vrbem reuertisset, palam dictare non fuit reueritus, dicœcesin tot aureorum millia soluturam, quot ipse in carcere denarios consumpserit. Hæc tamen & alia in Ecclesiasticos obloquia, Magistratus & Cleri autoritatem neutiquam eleuauêre, quin verius zelum maiorem cõseruandæ religionis, & rebellium conatibus obsistendi, facultatem animis impresserunt. Accessit Caroli Imperatoris in vrbem missum mandatum, quo seuere admodum in factiosos animaduerti, custodia & pœna imperii legibus statuta affici, nec vspiam commeatum tutum concedi debere, præcepit. Sed omnia irrita fuere, cum iam nimis altas malum radices egisset.

XLVII. *Bernardus Rothmannus nouus hæreticus Monasterii tumultu sedato nouum excitat vehementiorẽ.*

Annus erat post natum Christum supra millesimum quingentesimus trigesimus primus, cum ecce alius quidam, rebus nonnihil in tranquilliore statu positis vulnus infligere cœpit, Bernardus Rothmannus, Sacerdos apostata, & nuper ex Sacellano Diui Mauritii libertatis nouitiæ præco factus. Hic patre Henrico fabro ferrario, viro veneficio infami genitus, cum optimæ indolis puer eximiam bonæ frugis spem prima fronte promitteret, litterarum studiis mancipatur. Verum cum sumptus, qui ad hoc requiri videbantur, non suppeterent, Vicarii cuiusdam Mauritiani, quæ est extra muros Ecclesia, consanguinei sui D. Hermanni Sibingi ope, in eiusdem Collegii Choralium assumitur numerum; quam ille functionem cum laudabiliter iuuenis adhuc administraret, officiosisque obsequiis suis Canonicorum sibi animos, venusta quadam alacritate adiuncta deuinciret, omnium fauores aucupans, id, vt Warendorpensi ludo præficeretur, meruit. Quo tamen munere, authore Sibingo, haud multo post relicto, Moguntiam superioris Germaniæ, vlteriorem operam in literis nauaturus, nobilium quorundam è Westphalia comitatum nactus, abiit. Hic cõmunibus popularium impẽsis Magisterii lauream inter primos adeptus, cum Theologiæ studiis animum applicare cœptasset, à Sibingo reuocatus, inde patriam remeauit. Mauritiani in reuersum cumulant beneficium peramplũ, & victui Sacerdotis abunde sufficiens. Qua ille accessione ditatus, sacris Ordinibus initiandũ se præbuit, & iam Sacerdotio sublimis, popularẽ auram captare cœpit, è suggestu subinde ad populum verba factitans. Cessit primum feliciter, cum applausu etiam eorum, qui ante promouerant; quorum ea statim cura montibus incubuit, vt quibus possent commendationibus, ingenium tam nobile apud ditiores promouerent. Cum vero eius rei commoditas nulla affulgeret, cõmuni sumptu Coloniam ablegandum concluditur. Quod subodorarus, clam Sibingo, à vicario quodam sumptis viginti florenis, præter præpingue, quod à mercatoribus oblatũ ipsi viaticum erat, Wittembergam concessit, vt inde sublimiori studii Theologici gradu ornatus, cum nouis in patriam opinionibus, quas plebi sciret non displicituras, reuerteretur. Arctam cum Melanchthone amicitiam hic iniit, qui eum quod præclaris ingenii dotibus afflueret, vehementer amare cœpit; idque iam tum iudicii tulit, ipsum aut insigniter bonum fore, aut si hoc falleret, insigniter malum; quorum vnum euentus comprobauit. Vittembergæ in superiorem Germaniam, nouarum ceremoniarum discendarum causa profectus, infectas recens sparsis erroribus vrbes peragrauit. Reuersus, apud Maritianos concionibus ingenium exercuit, cum ciuium, qui ex vrbe ad eum confluebant applausu, qui non dubitabant, Consiliarios Episcopi doctrinæ huius authores existere. Nam cum ex Clero primario quidam Rothmanno concionandi negotium inhibuissent, Leonardus Maess per Henricum Wichmãum eidẽ significarat, non esse quod magnopere sibi metueret, si quid acerbius in ipsum malorum suggestione per Episcopum decretũ fuerit; tuto isthic loco cõsistere, quo cum pellere præ noui periculi metu, ne ipse quidẽ Præsul auderet. Ciues iam demum, quem dudum quæsierant, se nactos rati, Senatui rursus supplicant, vtque in vrbem recipiatur obnixè precantur. Senatus rem se minime concernere inquiens, vt quæ ad iurisdictionem Ecclesiasticam pertineat, ad Clerum primarium relegat, vt ibi animi sui sententiam deponerent. Interim Episcopus probe informatus, posthabitis aulicorum quorundam, quibus Rothmannus scabiem nuper adfricuerat, consiliis, hominem viuendi securitate apud Mauritianos priuat, præfixoque tempore inde migrare iubet, nolenti grauius quid nisi cedere velit, minitans. Ad Decanum etiam & Seniores scribit, nihil ipsis magis curæ sit, quam vt factiosus rabula propediem ab vrbe repellatur; finem alioquin principio peiorem multò futurum. Clerus timens, ne si vi hominem pelleret, ciues in se rursus concitaret, oblatis septuaginta florenis, aliò cedere imperat; quod & factum. Cæterum post semestre reuersus, & in vrbem clandestinè immissus, animos longe vehementius, quam vtquam alias perturbauit. Hic confessionem doctrinæ suæ, de præcipuis Christianæ fidei controuersis articulis, ad Ecalesiasticos & verbi diuini ministros destinatam, in vulgus emittit, sibique ad omnia solide responderi petens, Catholicos omnes grauissimorum errorum nefariè insimulat, plebem identidem vulgari idiomate inflammans, vt veteri relicta, hac fidei suæ formulam, Scripturis magis consentientem amplecteretur. Ad hos articulos cum metu plebis à Catholicis non responderetur statim, Rothmannus per ciuium domos concionando, & epinicion concinendo serpit, nimis rudes eos & inermes dictitans, qui vel contrarium in se veræ fidei telum possent deuibrare. Mirum quam tunc ipsi fiducia creuerit, quam ciues & idiotæ ad eius partes transierint. Spernitur Episcopus, Magistratus & Cleri autoritas labascit, solus Rothmannus fauores & gratiam obtinet. Qui hactenus maiorum fidei adhæserant, qui Ecclesiasticis & Senatui honorem detulerant, nunc summum rebellionis gradum cõscendunt, & vt omnibus explosis, vnum Rothmannum ad dignitates euehant, oleum & operam impendunt. Ex his Hermannus Bispingius atro carbone iam dudum notatus, Arnoldus Rotholt iudex, thori sui violator, Ioannes N. & Bernardus Knipperdollingius parricida, factiosorum antesignani; magna seditiosorum caterua stipati, contra Principis Edictum, contra Clerum & Magistratum, reclamantibus tota vrbe Catholicis, ad templum Diui Lamberti, vt ibi publice concionaretur, deducuntur. Eo vero à Timanno Canemero, Pastore ordinario, firmiter occluso, è ligneo suggestu subitaria opera in cœmiterio erecto, concionantem audiunt, maiore tunc vi non vsi. Hac concione, qua nihil aliud quam profusissima libertas, & veteris cultus veri abolitio suadebatur, taliter furiosorum animi accensi sunt omnes, vt nõ domum recta, sed in omnia Parochialia templa vno agmine irruerent, imagines & altaria subuerterent, sacræ Eucharistiæ repositoria, tabulas, pyxides, ex auro argentoque vasa sacra, calices, casulas, & quicquid libidini rapientium occurrebat, demolirentur, tollerent, & inde secum velut spolia domum asportarent. Nulli Ecclesiæ parcunt, Cathedrali excepta, quæ sacrilegas manus non sensit. Direptis templis pastores ab officio remouẽt, quorũ primus Timannus Rothmanno cedere per vim cogitur. Hoc facto, Priaceps Fridericus de Weda, cum resistentiam nulla n videret motus, Episcopatui renunciat: cuius in locum Ericus de Grubenhagen, ex illustri genere sissimorum Brunsvicensium Ducum genere, Episcopus Osnabrugensis & Padebornensis, 27. Martii, communibus Capitularium suffragiis electus, surrogatur. Cuius potentiam, cum esset Catholicæ fidei addictus, aduersarii metuentes, in communi quid facto videatur opus, & quibus modis Principis sibi fauorem initio concilient, consultant. Concluditur in eam sententiam, vt Rothmannus familiares ad Pricipem literas scriptitet, ac motus hactenus datos quoquo pacto excuset, adiunctis vnà simul articulis, quos & Christianæ fidei conformes, & se capitis periculo apud quoscumque sanè de religione sentientes, defendere paratum beneuole promittat: ea ratione sperare se Principem clementiorem fore. Scribit ergo Rothmannus, & quam potest caute se purgat, non tamen à proposito desistit: quin id agit, vt plebem vniuersam in Clerum & Senatum concitet, publicumq; per vrbem nouæ religionis exercitium erigat. Interim Principis ad Senatum literæ adueniunt, quibus ille omnes officii sui clementer admonet, & ne quid insuper in religionis negotio agitetur, quod maiorum fidei sit contrarium; tum pulso Rothmanno, vnam vno ore doctrinam Catholicam profiteantur, rogat. Ad hæc Senatus respondet, se quidem libenter isthæc curaturum, sed renitente plebe, quæ omnia pro sua libidine agat, ne maior tumultus oriretur, nihil prorsus efficere posse: cogi ad tempus dissimulare, donec in rebelles tutius sibi animaduertere liceat. Princeps acceptis literis, cum in eo statu Rempublicam versari intelligeret, incertum, mœrorene an alio violento morbo depressus, post octiduum aut circiter decessit.

XLVIII. Successit in Episcopatu Franciscus Mindensis Administrator, ex ivetusta Waldeccensium Comitum familia progenitus, qui pari studio factiosos ad concordiam reuocare conatus est. Sed eo iam res recciderat, vt nullius quantumuis æqui, admonitio locum haberet. Et quia Princeps inaugurationis diuturnitate præpeditus, principio statim motus compescere non poterat, illi, ne quid sibi decederet, aduigilabant. Rothmannus etiam, Senatus consensu, missis in Hassiam literis, petiit viros aliquos ad se mitti, quorum auxilio in disseminanda hæresi vteretur. Itaque Marpurgio bini mittuntur, Petrus Wirthemius, & Godefridus Stralen. Docebant tunc publice præter Rothmannum, Ioannes Glandorpius, Dionysius Distensis, Henricus Rollius, & Brictius Nordanus, omnes apostatæ. Hi simul manus iungunt, ac mox deliberant, quomodo Catholicæ religionis exercitium tollant, vt cum profectu Euangelium suum doceri possit. Offerunt vero Senatui articulos triginta numero à se conditos, sub abusuum nomine, quos abrogari petunt. Hi cum in Senatu lecti essent, Senatus cos non ad se, sed Ecclesiasticum iudicium spectare animaduertit. Itaque vt vnicuique iustior disputandi locus relinquatur, horum copiam Clero admittit, vt dissolutis Concionatorum nugamentis, suam causam tueatur. Clerus hos sibi traditos Coloniam remittit, & solidam Theologorum refutationem expectat. Scribit Sleidanus, Clerum in Curiam conuocatum suam coram Senatu nequitiam agnouisse, atque adeo detectis impostoris, Euangelicis locum in templis reliquisse. Sed vt soler Sleidanus mentitur splendidè, à Dorpio deceptus, qui primum mendacium istud, more suo Catholicis impegit. Hoc melius scripsisset, si hoc facto grauiter Clerum peccasse diceret, quod missis Coloniam articulis, obiectos errores in vtramque quasi aurem secure dormiendo, silentio transmisisset, quos tamen vel leuissimo certamine retundere potuisset.

XLIX. Interea dum expectatur Colonia responsum, per Senatum & Tribunos plebis, libertatis præcones in domo quam vulgo *Schuhhause* nuncupant conuocatos, Senatus autoritate sua Pastores instituit. Rothmannus violenter nuper in Ecclesiam Diui Lamberti introductus, eius loci Pastor ordinatur, Rollius & Glandorpius ad D. Ægidium, Wirthemius ad S. Lugderum, Brixius ad S. Martinum, Stralenius trans aquas, Theodoricus ad S. Seruatium Parochi deliguntur. Hactenus Lutheri dogmata prædicarunt, quæ deinceps paulatim contempsere, Zuinglianismo, plausibiliori Euangelio Ecclesiis illato: atque tum vno impetu rursus templa inuadunt, imagines & antiquorum rituum reliquias tollunt, literas & diplomata vel lacerant, vel vt Senatui gratificarentur, carrucæ impositam in Curiam mittunt; & quò maior cõiunctio animorum surgeret, ex equo prædam se inter & ciues distribuunt. Omniũ author Rothmanus erat; hunc factiosi laudibus ad astra euehunt; huic certatim applaudunt, muneribus & largitionibus afficiunt, ad publicas cõpotationes, ad cõuiuia, ad nuptias inuitant; illi vbiq; supremũ mensæ locũ, vbiq; honorem & præeminentiã deferũt. Pastores nouitii, vt & ipsi quoq; in eum beneficia cumulent, Superintẽdentiam vltro offerunt, quæ supremũ inter nouos Euangelicos generalis inspectionis munus sibi adiunctũ habet. Quin & Brixius Martinianus, Rothmanni sorore, à se paucis ante mensibus cõpressam, specioso matrimonii prætenso titulo, vxorẽ duxit; quam tamen vera superueniente, nõ multo post repudiauit. Eum mox alii secuti, connubia cum filiabus ciuium celebrarunt. Hos postremo Rothmannus, fama nominis & prælaturæ titulo ingens, multo prosperiore coniugio supergressus, Ioannis Viguerii Syndici relictam viduam, fœminam teneriori ætate, & procaci ingenio insignem, sibi copulauit. Ita fixis in vrbe sedibus, omnia ad libitum procedebant.

L. *Expeditio Telgetica ciuiũ Monasterien sium contra Catholicos.*

Interea Princeps Cæsaris mandato, vt comprimeret rebellium animos, Telgetum venit, ad quem Metropolitani profecti, de coercenda ciuium insolentia consultant. Placet obsidere vias impositis præsidiis, ne in vrbem cõmeatus importetur: paulo post tabellarius in vrbem mittitur, cum literis in hæc verba: Desistant ab instituto, pristinumq; statum restituant; ni pareant, cupiendum consilium ex tempore. Senatus, nuncio apud se retento, nocturnam eruptionẽ decernit, missisq; sub vesperam per vrbem lictoribus, ad duodecimam noctis armatos in foro ciues adesse iubet. Interea bombardæ, & instrumenta bellica proferuntur. Prosiliunt ad Curiam ciues, alii hastis, alii gladiis & bipennibus, alii harpagonibus, carpentis, vectibus, palis, aliisque ad expeditionem vtilibus armis instructi. Catholici tam terribili fragore attoniti, iam sibi extremum imminere exitium rati, tremere, ad preces & diuina præsidia mentem eleuare: Nemo est, quem horror & metus non teneat consternatum. Vbi tertia noctis insonuit, sexcentos ex ciuibus Senatus ad expeditionem Telgeticam deligit, qui adiuncto sibi trecentum, quos in præsidium nuper conduxerat, militum comitatu, tacite ad oppidum properant, atque in ipso matutino crepusculo, effractis portis, nõ sentientibus ciuibus inuadunt, ipso die Natalis Domini. Ibi excitato clamore, forcs ædium vectibus & palis effringunt, in cubilia & atria irruunt: protrahuntur nudi ex lectulis proceres, verbis verberibusque misere tractantur, captis vix calceos aut caligas induendi tempus conceditur: vestes pretiosas, torques aureos, annulos, & quos huc velut ad securiorem locum thesauros contulerant, rapiunt, equosque sexaginta & vnum in forum incredibili ferocitate abigunt. Posthæc captos curribus ad hoc comparatis imponunt, & in vrbem deuectos per publicos lictores in carceres & vincula flagitiosorum protrudunt. Princeps tristissimus egerrime captiuorum sortem ferens, vicinos in auxilium aduocat, ad Senatum & ciues legatos amandat, iubet extemplo mobilitatem libertati restituant; sin minus, hostium loco futuros. Ad quæ Senatus nihil aliud, quam ea de re se cum plebe deliberaturum, respondit. Post biduum, cum fama esset, Episcopum copias ad Mauritianam Ecclesiam ducturum, ciues Senatu permittente, malleis, securibus, gladiis & bombardis instructi portis erumpunt, ipsumque Collegium, excisis vbique arboribus, ornamentis & bonis ablatis, vastant & destruunt. Reuersi, nouos articulos cõcionatorum suggestione conscribunt, quos Senatui oblatos à nobilitate captiua confirmari petunt; id quod captiuis extortum fuit. Ea transactio ad Hassiæ Landgrauium mittitur, vnaque rogatur, vt auctoritate interposita, Episcopum & ciuitatem ad concordiam redigeret; quod ille per legatos Iacobum de Taubenheim, & Doct. Gualterum Nospickelium Vicecancellarium, erectis vtrinque legibus, & per se, Episcopum, Capitulares, & totius dicœcesis Ordines, appensis sigillis, cõfirmatis, effecit. Atque hoc modo redactis in seruitutem Catholicis, Monachis etiam, & qui noui Euangelii cursum, suis concionibus retardare poterant eiectis,

omnia pro libidine actitarunt. Et nisi Anabaptismus interuenisset, quem vi eliminari per Episcopum oportuit, perpetuum ab eo tempore dominium in vrbe sibi vsurpasset; id quod diuina clementia auertit.

LI. Rebus ad hunc modum pacatis, cum seditiosi Præcones doctrinam suam strenue propugnarent, ex tota Germania, quos rebellio alibi in exilium pepulerat, plurimi huc, vt sementem noui sui Euangelii hic tutius agerent, confluxerunt. Inter hos Ioannes Bocoldus Sartor Leidensis, & Gerardus Boeckbinder, vt initio diximus, duo Anabaptismi Apostoli, vxoribus & patria clam relictis, ad vrbem venerunt, iussu Ioannis Matthiæ Harlemensis Prophetæ, qui huc ire præceperat. Bocoldus videns plebem omnem in Sacramentariorum hæresim prolapsam, ipse quoque eandem initio profiteri cœpit: & ne concionatorum in se odium concitaret, cum in amicitiam ipsorum irrepsisset, familiariter, priuatim rogat; Num arbitrarentur paruulos recte baptizari. Cum affirmarent: ille fundamenta eius in Scripturis demonstrari sibi petit. Quod cum nollent isti, vel forte non possent, audacius agere, ac contranitentes ridere cœpit atque contemnere. Ea re cognita Rothmannus, pro concione populum ad preces fundendas hortatur, contra Sectarios, maxime vero contra Anabaptistas. Bocoldus tumultum metuens, inde Osnaburgum profectus, doctrinæ suæ semina spargit. Verum cum inter ciues Anabaptismum serere inciperet, inde profligatus, Monasterium reuertitur. Venit eò sub idem tempus, & alius quidã Hermannus Stapreda Morsensis, quæ ad D. Lambertum Rothmanno Collega datus, publice in pædobaptismum declamabat. Præceptor huic fuerat Henricus Rollius, apostata Monachus ex Monasterio Harlemensi profugus, qui Wassenburgi Iuliacensis terræ oppido concionatorem egerat, & de quo nuper Traiectenses supplicium sumpserant, ob Annabaptismum, quem illic disseminare instituerat. Hausit maturè Rothmannus dogma plausibile; & quia nuper ab eo ciues fuerat dehortatus secretò fouebat, publice docere non ausus. Interim noctu quando somnum reliqui caperent, mysteria sua peragunt, & sensim eas sibi vires comparant, vt ciues plerique, re patefacta, maximopere indignarentur, nouum dogma clanculum & noctu per vrbem disseminari. Eo facto motus Senatus, authores ab vrbe discedere iubet: qui per vnam portam egressi, per aliam rursum irrepunt, id se facere dictitantes Patris mandatu, quem velle asserebant, vt manerent istic, & cœptum negotium, qua decet, grauitate peragerent. Tum Rothmannus palam iis fauere professus, pædobaptismum non solum inter adiaphora numerare cœpit; sed etiam abominationem coram Deo esse impudenter pro concione declamauit; Stapredam dignum habitũ inquiens, cui munus in præcipuo Parochiali templo sit demandatũ. In moribus etiã quantũ principio potuit, se cõfirmauit; maiorẽ solito sanctimoniam & vitæ innocentiam in publicũ, vt Kersenbrockius scribit, proditurus præ se fert; cõuiuia, cõmessationes, aliaq; omnia, quæ leuitatis suspicionem erigere queant, respuit; adeoq; commutatus est, vt eundem esse non credas, iam in Angelum lucis transformatus, non se hominem, sed numen aliquod sub humana forma circumferre fingit; ingressu grauis & meditabundus, vultu seuerus, stoicus, sobrius, & præter morem temperans, insigniq́ue pallore tinctus. Moribus doctrinam coaptat. Hortatur plebem ad misericordiam; opem pauperibus ferendam esse; temperatè viuendum; luxum, pompam, splendorem vestium, corporis luxuriam & omnia mundi linquenda; vitam & mores Apostolicæ simplicitati conformandos. De communione bonorum, de Magistratu, de iustitia, de punitione malorum, de mundi impietate & flagitiis totos dies differit; populum in Magistratum, & qui ipsi aduersabantur per concionatores animans. Senatus sese interponere cogitur. Et licet Rothmannus asperioribus verbis obiurgatus emendationem promitteret, non tamen maledictis abstinuit; sed multò quam ante confidentius docet. Idem aliqui concionatores faciunt.

LII. Senatus, metu plebis, hominis audaciam retundere non ausus, vt malo medicinam faceret, instituendum in Curia cum Anabaptistis colloquium, decernit. Septimus mensis Augusti dies colloquium initio dedit. Deliguntur duo Catholici, Lutherani quatuor, Hermannus Buschius Poëta, Arnoldus Bernholdt, Ioannes Glandorpius, & Petr. Wirthemius: Notarii duo, qui Sacramenti religione obstricti, argumenta vtrinque prolata fideliter exciperent. Vbi ventum est ad rem, Rothmannus, quod antea publice docuerat, repetit; nimirum pædobaptismum abominationem esse coram Deo. Disceptatum vtrimque acriter. Et quanquam diuersam sententiam ita Buscius coram Senatu defenderet, vt omnium testimonio victi dicerentur, cedere tamen & palmam victoribus concedere Anabaptistæ nolucre. Itaque colloquium in contentionem desiit, vtrisque sententiam suam mordicus defendentibus. Intercepto sine fructu colloquio, consultatur in pleno Senatu, quid facto opus. Fertur sententia; Anabaptistas nisi publico decreto sponte cedant, vrbe per vim turbandos. Cum id illis insinuatum esset, ad preces confugiunt, & causati viarum ab Episcopo insessarum pericula, in lanienam sese extrudi, adeoque hosti mactandos in manum tradi querebantur. Senatus vero id subterfugium vt adimat, litteras ab Episcopo Saluiconductus impetrat; offert simul & pecuniam in viaticum. Verum is tantum fictus metus erat, vt qui ab vrbe proficisci neutiquam constitutum haberent; sed ad doctrinæ suæ patronos digressi secretiora latibula passim subierunt. Biduo post, (decimo Augusti) ipsa die sancti Laurentii cum Hollandus quidam Anabaptismo addictus, in templo Aegidiano concionaretur, & plebi pietatis specie conflatæ nouum dogma commendaret, Senator quidam cum furore in Ecclesiam irruens Concionatorem è suggestu detraxit; & cum in Hollandia cadenti nuper cauterio, per carnificem in altera maxilla signatus esset, indignum qui verba ad populum faceret, dixit, simul atq́ue templo foras eiecit. Aderant mulierculæ aliquot, quæ rei indignitate excitatæ, vix, vt sibi à verberibus Senatori intentandis temperarent, sedari potuerunt. Interim crescit Rothmannistarum factio, crescit audacia vulgi, crescit contemptus Cleri & Magistratus. Et is iam erat vrbis status, ea rerum facies, vt aucto supra modum factiosorum numero, Senatus Anabaptistarum concionatores violenta manu eiicere non auderet, vim à plebe seducta metuens si quid publice moliretur. Ne vero è suis latibulis inopinatò in Ecclesias erumperent, Consulum iussu Ecclesiæ, omnes tam Parochiales quam Collegiatæ & Monasteriorum occlusæ sunt; Martiniana solum excepta, in qua Brixius Nordanus Lutheranus concionabatur. Quiescunt ad tempus Retincti, & ab vlteriore motu cessant. Res in eo cardine ad Septembrem vsque pependit, quo vulnus nonnihil sanatum, prorsus recruduit. Nam delatis ad Ecclesiam infantibus, cum Baptisma à Rothmannistis negaretur, Senatus factum illud indigne tulit, conuocatoq́ue tribuum Magistratu, vt effrenatam illam Retinctorum audaciam retunderet, deliberare cœpit. Post multam consultationem, consentientibus votis decretum editur, quo non solum concionibus, sed vrbe etiam Rothmannistis interdicebatur.

Monasterii in Curia cum Anabaptistis disputatio instituitur.

LIII. Huic illi scriptum longe virulentius opponunt, in quo post multa conuitia ita Senatum alloquuntur.

Miramur, inquiunt, *quod vos, penes quos profanarum rerum iurisdictio est, de rebus fidei quoque iudicandi vobis autoritatem arrogetis. Si Christiani esse vultis, qua fronte ciuilibus vestris interdictis, verbum Dei impedire & remorari audetis. Non vestrum est ea pro libitu agere, sed Ecclesiæ, hoc est, fidelium cœtui; qui si consentiant, firmiter tenendum, quicquid demum fuerit, si modo verbo Dei non contrarietur. Et vos si quicquam aduersum nos habuissetis, illud in Ecclesia & congregatione fidelium nobis præsentibus proposuissetis, forsan alia via fieri potuisset. Nunc serius res agitur.*

LIV. Scribit Senatus ad Principem, & miserabilem ciuitatis faciem explicans, omnia tumultibus plena significat.

Respondit ille, non dissimulandum amplius cum rebellibus, sed seueritate quadam procedendum; ne nimia indulgentia, in grauius discrimen Respublica præcipitaretur. Mouit ea res Rothmannum, & motu etiam nonnihil perculit. Itaque per tribunos plebis Senatui nunciat, in posterum nihil, quo quenquam offendat, palam se docturum; de Baptismo etiam & reliquis controuersis articulis, quantum possit taciturum; id quod chirographo

chographo attestari cupiat. Petere proinde, non sit amplius de se follicitus, & mali quid suspicetur.

LV. Sub finem Nouembris Senatus ad Landgrauium legatos amandat, petitum nouos aliquot Euangelii, vt vocant, præcones, qui puriorem aduersus Anabaptistas doctrinam disseminẽt. Mittit ille duos, Theodoricum Fabricium, & Ioannem Melsingerum, quos Senatus perhumaniter magno Lutheranorum applausu, excepit. Hi vix vrbem ingressi erant, & ecce nouus motus exoritur, in Transfluuiano Monialium Cœnobio. Huc Lutheranorum cohors delapsa, cum virgines nouitatis cupidas, in liberioris vitæ statum propendere sciret, lingua vulgari cantillare, & deducto ad suggestũ præcone Lutheranismum inuehere cœptat. Rothmanistæ id in sui cõtemptum fieri arbitrati, armant suos, & in tumultuãtes immittunt, ac nisi Senatus mandatu media interuen sset, res cruentum habitura finem videbatur. Rothmannus ipse quoque chirographi sui oblitus, libellum de Anabaptismo edit, in quo totis viribus pædobaptismum oppugnans, ciues ad partes suas vt transeant, hortatur. Et quo S. Scripturæ magis consentaneus appareret, in Hassiam missum, Marpurgensium Theologorũ censuræ subiicit, sperãs fore, omnium iudicio approbatum iri. Qua spe falsus, cum grauissimi erroris insimularetur, cum agnoscere noluit, sed pertinacius apud suos defendens, typis denuo excusum omnibus volutandum examinandumq́ue proposuit. Senatus ea Rothmanni leuitate vehementer offensus est; neq; tamen populi fauore fultum persequi audet, ne rebellium in se arma prouocaret. Ergo conclusis omnibus in vrbe Ecclesiis, ipsi concionibus interdicit, editoq́ue in factiosos decreto, & in foro coram ciuibus recitato, perpetuo exilio mulctandos pronunciat, non solum eos, qui Anabaptismum traderent, sed qui fouere & defendere deprehenderentur. Aderat tum in foro alter Consulum, qui non parum rem eam principio adiuuerat. Hic ista sibi obiici intelligens, ad plebem conuersus libertati insidias strui proclamat. Quo facto, murmur ciuium exoritur, & in Senatum conuitia & dicteria liberius effunduntur: tantum aberat, vt præsentem in foro Magistratum obtruncarent. Biduo & amplius sic agitur, donec reuocato decreto, Retinctis securus in vrbe locus conceditur. Quod ea lege factum, vt priuatim cœtus suos agerent, nec ex ciuibus quempiam deinceps in sectam traherent. At illi aucto breui suorum numero, ab lege ea maturè prosilierunt. Intrant confidenter ciuium ædes, & ranco quodam tympani pulsu, socios ad concionem conuocant. Sed & articulos aliquot per vrbem spargunt, quos solum verbo Dei conformes iactitant. Primus erat.

Rothmanistæ.

Eorum articuli.

1. *Pædobaptismum abominationem coram Deo esse.*
2. *Templa impiorum Christianis vitanda esse.*
3. *Eucharistiæ Sacramentum, quod à Sacerdotibus eleuari soleat, idolum esse Baalticum.*
4. *Cum impiis & gentibus nihil commercii habendum.*
5. *Diem Saturni diuina authoritate institutum, non autem diem Solis humano arbitrio dedicatum, celebrandum esse.*
6. *Impios esse Papistas, & Lutheranos, qui commessantur, epulantur, scortantur, Dei denique verbo aduersantur.*
7. *Omnes consecrationes, ceremonias & ritus, extra sanctam Ecclesiam, à Dæmone originem trahere.*
8. *Fideles Sacerdotum figmentis decipi.*
9. *Intra annos mille & quadringentos, nullum fuisse in orbe verum Christianum, neque post tempora Christi vllum fuisse Sacerdotem; neque Apostolos ipsos Sacerdotes fuisse, sed ministros Dei, qui Euangelium mundo annunciarint. Christum fuisse vltimum Sacerdotem.*
10. *Gentium Magistratui obediendum non esse.*
11. *Gentes ante tempus à Deo præfinitum non esse docendas. Mundum enim propter peccatum luctuosam prius afflictionem passurum, impiosq́; in ore gladii cæsuros; inde relictos superstites ad regnum Dei concionibus esse vocandos.*
12. *Christum humanam naturam in Maria non assumpsisse.*
13. *Coniugia Christianorum reuocanda esse; cum ante iteratum baptismum coniugia non fuerint.*
14. *Christianos esse, qui primum in Christum credunt, deinde in nomine eius baptizati sunt.*
15. *Vxores maritos suos Dominos appellabunt.*
16. *Neque famuli, neque famulæ fideles cum gentibus matrimonia contrahent, neque iisdem inseruient, sed solis fidelibus.*
17. *Nemo Christianorum cum impio in iudicio contendet.*
18. *Nemo etiam fidelitũ vsuras exercebit; proinde neque pensiones exiget, neque soluet.*
19. *Omnia exemplo Apostolorum fore communia.*
20. *Quisque cœptum cursum hoc pacto absoluet & perficiet.*

Hæc prima publicè introducendi Anabaptismi principia erant. quæ, vt seditionem magnam portendebant, ita iam tum bonis omnibus horrori erant, eoque factum est, vt plurimi vrbe in exilium vltrò exc sserint, etiam ex iis non pauci, quorum consilio & ope seditiosi primum admissi fuere. Ea res Senatum metu vehementer perculit. Itaque Ministris stipatus rursum in publicum prodit, & semel ac simul omnes vrbe pellendos rebelles decernit. Rothmanni quoque ædes ingressus, ne turbulentiores libellos publicaret, Typographiam, quam domi habebat, destruit, & per publicos Ministros in Curiam deportari mandat.

LVI.

Dum hæc geruntur, Fabri cuiusdam ferrarii minister, Ioannes Schroderus, qui aliquot annos malleator fuerat, repentino follium spiritu afflatus, maxima factiosorum catervа circumdatus, ad Diui Lamberti cœmiterium progreditur. Ibi cathedram conscendens, quod mirandum est, ad plebem perorat, adeoque crebris suis in Magistratum profusis conuitiis irritat, vt parum abesset, quin malleos & secures in Senatum conuerteret. Ea concione finita, cum ad templum secedere vellet, à lictoribus interceptus in carcerem ducitur, temeritatis suæ pœnas daturus. Postera die, vbi factum innotuit, tota malleatorum multitudo ad forum conuolat, ac sibi libertatis præconem extemplo restitui vrget. Senatus furentibus nunciat, latam in ipsam capitis sententiam, ideoque reddi non posse. Illi co nuncio magis exacerbati, è suis quosdam in Senaculum mittunt, qui captiui causam coram Senatu agitent, vnaq́ue secum reducant. Videns Senatus, nolle isthinc plebem migrare, donec fabrum in libertatem adsertum habeant, tumultum ni liberaret, reueritus, è carcere dimittit. quem illi magno plausu exceptum, ad cauponam ducunt, & integra nocte vt Ducem vario potu tractitant.

LVII. *Ioannes Schroderus fabri ferrarii minister nouus Monasterii Euangelii præco.*

Hoc motu sedato, Theodorus Fabricius, qui nuper à Landgrauio submissus, iam solus cum paucis Lutheranis, reuerso in Hassiam Melsingio, præco supererat, contra Rothmannum docere cœpit in templo Lambertino, quo illum non ita pridem Senatus pepulerat. Conscripsit idem Fabricius Ecclesiasticam ordinationem, quam Senatui oblatam ab omnibus ciuibus, ab Anabaptistis etiam, & iis, qui diuersam sententiam tuebantur, approbari petiit. Itaque per deputatos à Senatu viros, liber ciuibus, vt subscribant, proponitur. Quod cum Rothmannistæ renuerent, Senatus publicam ipsis securitatem, & vrbis defensionem renunciat. Quod illi factum adeo indigne sumpserunt, non modo animis deiecti vt fuerint, sed etiam multo maiores Spiritus deinceps sumpserint. Nam illo ipso die, aduocato cum sociis Knipperdollingio, Rothmannus ipse ad Diui Seruatii Ecclesiam cõcionabundus progreditur; vbi variis maledictis & scommatis Fabricium impugnans, aduersarios ad publicam disputationem prouocat: id quod se capitis etiam periculo, contra quoslibet facturum pollicetur. Addit insuper, Euangelicos collationem subterfugere, nec audere in conspectum suum prodire: multo minus secum in arenam descendere, vt veritatem pro se militare, publico argumento demonstrent. Nec secus facit Fabricius. Queritur ille, indignis se modis à Rothmannistis tractari, Dei verbo vim fieri, & grauioribus contumeliis aggrauari: tolerandos nulla ratione id genus homines, sed propediem vrbe summouendos. Senatus re intellecta, vtrique locum deputat, in quo congredi, ac de verbo Dei conferre possint. Anabaptistæ ad disputandum prouocant Fabricium, Brictium Nordanũ, Petrum Wirthemium, Doct. Ioannem Westerman Lippiensem, & Ioannem Glandorpium; qui assentiuntur his conditionibus, vt disputatio fiat in pleno Senatus consessu; vt ex verbo Dei argumenta producantur; vt per Euangelicos Principes & ciuitates viri docti designentur, qui auditis partis vtriusque rationibus pronuncient, vtri pro sua parte habeant verbum Dei; atque deinde sententiam ferãt è Scripturis formatam, cui deinceps quisque citra exceptionem acquiescere teneatur, vt certa-

LVIII.

minum tandem sit finis. quibus positis, cum Senatus de die, quo contendendũ foret, ageret, Rothmannus cum suis cõgressum detrectauit, causam se suam nõ hominum iudicio, sed supremo iudici, quem sciret, falli non posse, cõmissurum dictitans. Et licet res ea apud prudentiores existimationem Anabaptistarum nõ parum imminueret, Rothmãnistæ tamẽ priuatim, eam suis ad ciues concionibus facile conseruarunt, apud promiscuã plebem præsertim, quam suo ductu gubernabãt. Singulari fraude, ne quemquam simpliciorem offenderent, vtebantur. Ea erat, omnia prout principio cõstituta essent, priuatim tradere, nec à doctrina semel proposita declinare: cæterum animi sentẽtiam libris editis propalare, vnico excepto rebaptismo, quem maturè animis inculcari debere, volebãt. Ritus cænæ exterior manebat, licet prior abesset intentio. Hunc eum in modũ Rothmannus celebrare solebat. Partes panis triticei, vel vti vocant similaginis, in paropside paulo maiore superinfuso vino madefecit; cũq; deinde verba institutionis legisset, iussit, vt qui vellent, panem madefactũ sumerẽt ac manducarent. Hinc vulgo dictus fuit Stuttenberend vel Stuttenbrod, quo cum nomine Schlusselburgius dignatur. Sunt, qui existimẽt, ipsummet hac de re hunc versum fecisse; Stutẽbern dicor ego, quia panẽ porrigo nudũ. Præter vulgus, doctioribus quoq; & religiosis imposuere. Ex his Senatorem vnũ vel alterũ, & Trãsfluuiani Monasterii virgines aliquot in Curiam ad Senatũ destinarunt petitum Ecclesiam, vel locum aliquem publicũ, in quo sibi cõcionari, aliaq; suæ religionis officia peragere liceret. Hos ita priuatim instruxerant, vt prætenderent, totã passim vrbe inaudiri; Fabricium hominem ignotũ, superbum & arrogantem, quam in patria sua habere nequierit, hic gloriã expetere, ac se doctiores stolida quadam proteruia supra quam dici potest aspernari; ad hæc peregrinum idioma, idq; affectatum, quod à simplicioribus intelligi non possit vsurpare; & hoc quidem eo in loco, ad quem tota plerumque ciuitas conflare soleat; petere proinde, eo in patriam relegato, Bernardum Rothmannum, virum prudentem, ac omni disciplinarum genere instructum, qui nõ solum præter morum suauitatem facundia insigni omnibus præstet, sed & eiusdem soli patriæq; incola sit, substituat, & ad pristinum dignitatis gradum, vnde quorundam æmulatione exciderit, reuectũ eo munere perfungi permittat; quo facto omnibus ciuibus eximie gratificari posset & turbis finẽ imponere. Noluit vero Senatus petitioni illi satisfacere; sed de mediis se cogitaturum respondit, quibus se & vrbem totam à furiosa nefariorum hominum secta liberaret. Relato ad Rothmannistas Senatus respõso, furere illi, matronas dementare, bona pro communitate deposcere, viros & adolescentes contra Lutheranos & Senatum inflammare. Rothmannus tum rursum prodit, & æstro velut percitus conuitiorum plaustra in obnitentes spargit, tanto furore, quasi extra se positus nesciat, quam publice personam repræsentet. Quidam per plateas cursitant, clamando, vociferandoq;, Væ, væ, væ Monasterio, væ tibi superbæ Babyloni; væ luxurianti Sodomæ; ah væ tibi & iterum væ, quæ tempus visitationis tuæ negligens, in tantum te discrimen vltro coniectas: væ virginibus vobis, væ matronis adhuc auro & argento aliisque vanis mundi ornamentis conspicuis; detrahite ista, & cilicia, & cinerem eligite, vt Dei in vos ira non recidat. His concionibus melle & aceto ad vulgi aures temperatis, non suos solum, aut infimæ sortis homines, sed primarii nominis viros, honestas fœminas, moniales ex cœnobiis, & alias probatæ fidei ciuium filias, vt quicquid auri & argenti, quæ ornamenta & thesauri ad manus essent, ad ædes Rothmanni cumulatim deportarent, commouerunt. Non patitur Senatus tantum scelus impune grassari, sed missis lictoribus, præcones per plateas vagantes intercipi, vrbeque explodi iubet, qui vna porta pulsi, mox per aliam regressi, à suis cum triumpho, in perpetuam Senatus ignominiam, ad ædes Rothmanni reducuntur; quæ res iam tum florentissimæ Reipublicæ exitium portendit. Tunc vna collecti, ad defensionem sui consilium ineunt, vtq; vires suas certius cõfirmarent, literas, Cosfeldiam, Warendorpiam, Wesaliam, Osnaburgum ad socios mittunt in hunc sententiam; Prophetam diuinitus sibi datũ, qui veram æternæ salutis viam saluberrimis monitis patefaciat. Proinde si animæ cura tangantur, mature huc properent, & cõmunibus bonis, quæ in copia hic suppetant, perfruantur; futurum, vt quicquid reliquissent, cum vsura decupli recipiant. Lectis literis, incredibile est, quam infimæ sortis hominum multitudo Monasterium ventitarit. Erant, inquit Hortensius, homines audaces, prorupti ad patranda flagitia, libertatis ad viuendum ex libidine auidi, inhiantes fortunis alienis, dissoluti ac seditiosi, quiq; nullo legum metu coercerentur. Horum accessu auctis, Rothmannus publice aliquid audendum suadet, perque vrbem discursans, maximam post se factiosorum multitudinem in Sancti Seruatii templum trahit. Ibi tot nunc & tantis septus præsidiis suggestum conscendit; & postquam multa pro Anabaptismo disseruisset, non clanculum amplius, sed palam propagandam nefariam sectam constituit. Concione finita, Henricus Rollius, quem supra exustum diximus, phanatico afflatus Spiritu, per vrbis plateas sursum deorsumque fertur, altissima voce clamitans; Pœnitentiam agite, & actutum rebaptizamini: ni fiat, Deus in vos vindictam exercebit. Hic tremere omnes, horrore concuti, & extremum iudicii diem pauidi expectare: adeo simplicium animos clamor peruaserat. Initium res ea traxit vicesimo octauo Decembris anni superioris 1533. eo die, quo sacrosanctorum Innocentum in Ecclesia Catholica memoria solet peragi. Itaque multi ad eum clamorem baptizati sunt, qui & ipsi eiusdem Spiritus impulsu per plateas discurrebant, ac eos, qui saluti suæ consultum vellent, inconditis clamoribus ad pœnitentiam cohortabantur. Alii metu diuinæ vindictæ ad Anabaptismum ventitabant; alii, ne factiosorum, qui iam numero superiores erant, armis opprimerentur; nonnulli, quos impios nuncupabant, ne bonis suis & facultatibus priuarentur, in sententiam ipsorum cõcedebant. Hoc quidem stratagemate auxerunt suorum numerum; at ciuitatem ipsam in potestatem, quod maxime intendebant, & quo omnia ipsorum cõsilia dirigebantur, nondum redegerunt. Nec quiescendum putabãt, donec oppressis aduersariis, tam Catholicis, quam Lutheranis, ipsi soli dominarentur. Igitur nõ diu post cateruatim ad forum prouolant, & nondum Retinctos è medio tollendos vociferantur. Fuit hoc 13. Ianuar. sub principium huius anni 1534. hora septima vespertina. Knipperdollingius re cognita, foras sociis auxilia laturus prodit, ac nocturnas disponens vigilias, ne quis vim inferat, caute aduigilat. Verum ab opere cœpto mox reuocatus, domũ suam cum sociis redit. Ibi Pseudoprophetas duos peregrino habitu amictos cõperit, Ioannẽ Boccoldum Leidensem, qui iamdiu in vrbe substiterat, & Ioannẽ Matthiæ Harlemẽsem, qui biduo ante huc ex Hollandia venerat (illum Heliam, hunc Enoch appellabãt) viros ad seditiones & fraudes natos. Hi plebẽ in cubile interius, vbi Pseudoprophetæ isti, inter rutilantia lumina; quæ totam domum illustrabãt, positi, cum stupore adductã, primum sacris è Scriptura cõsolantur monitis & ne incõsultò semet, & fidelium cœtus in discrimen præcipitent, rogant; post vt arma & furorẽ ponant, atq; tantisper, dum plures doctrinæ subscribant, morentur, adhortantur. Credit Pseudoprophetis plebecula, & armis positis domum facessit, collocatis prius per vrbem excubiis, ne somno sepultis aduersarii insidias struerent. Senatus mane facto, omnes in foro vrbis incolas adesse mandat. Ibi nouum decretum editur, quod Anabaptistis commodo, Reipublicæ vero exitio fuit: nempe liberum cuiq; esse, eam quam velit religionem profiteri, donec Deus fidei vnitatem per Spiritum sanctum clementer elargiatur; contra qui faceret, legitimis pœnis afficiendum esse. Optatissimum hoc Retinctis accidit; atque vt opere declararent, Rothmannus collegis aliquot assumptis in Transfluuiano Monasterio Cathedram occupat, ac longa demum de matrimonio concione habita, virgines velo, & reliquo vitæ Monasticæ habitu in terram proiecto, domum suam, insueto ciuiũ spectaculo deducit. Quibus postmodũ priuatim persuasit, certò futurũ, vt nocte sequenti totum cœnobium rueret, quod sibi à Deo reuelatum contendit; proinde, si quid opum ibidem restet, vt cito exportari curent, hortatur. Itaq; misso istuc cum curru auriga, bona inde ad ædes Rothmanni deuecta sunt. Remanserunt tres ex virginibus religionis & voti zelo, nec Rothmanni vaticinio ædificii prædicta ruina terrebantur. Ex Catholicis quoque & Lutheranis non pauci sub noctem eò properarũt, noui vatis fidem probaturi. Sed euentus vanitatem elusit.

LIX. Octauus erat mensis Februarij dies, cum Ioannes Boccoldus propheta Leidensis, & Knipperdollingius, omnes propemodum vrbis vicos percurrentes, superioris vitæ emendationem, luctifico ac terribili clamore postulant. Quot nocturno strepitu ciuium quidam excitati, cum insanientes noctuas dicteriis illuderent, væ, væ vobis replicabant illi; væ qui nos Dei nuncios cœlesti spiritu excitatos tam liberè deridetis: pœnitentiam agite, & ad magnum Domini diem mentes præparate, resipiscite, resipiscite, tempus præ foribus est, & iam iam aperto cœlorum fornice supremus ille mundi iudex prodibit. His alij se iungunt; quidam seminudi cœlum apertum fingunt; alij cum Angelis colloqui se simulant: alij futura præsagiunt: nonnulli horrendos per aëra dracones apparere dicunt: Fabricius Bolandus canit:

Augurium dat turris aliis, dant alta domorum
Culmina, vel Solis nunc iubar omen habet.
Cursantes videas insano pectore multos
Vulgo per plateas vrbs miseranda tuas.
Qui magno clamore boent, ô protinus actæ
Pœniteat vitæ tempore quemque suæ.
Quin iterum cœlum spectantes, horrida fingunt
Nubibus in mediis monstra patere vagis.
Nunc lapides labi, nunc fulgura visa sereno
Æthere, nunc imbres sanguinis ore canunt.
Omnia ne vulgus mendacia ficta putaret,
Quod fieri nulla quiuerat arte probant.
Et tepida pateris mactati cæde iuuenci
Feruidus excipitur nocte latente cruor.
Imbricibusque cauis populo mirante per ipsum
Spargitur exorta vix bene luce forum.
Hæc auida spectant omnes spectacula mente
Visaque conquirunt, quid sibi signa velint,

LX. Alius quidam Iacobus Calenburgus nomine, eodem agitatus spiritu, equo insidens concitato per vrbem cursu labitur, horrendo mugitu terribilis. Hic cœli ruinam nunciat; clangorem tubarum, quo Angeli demortuos excitent, inaudit. eum vetula quædam subsequitur, quæ se mutam fingens, manu vna faculam, altera baculum gerit, ad tergum nolam ouilem tenui sub chlamyde, corporis motu pulsitans; qua re multis nocturno tempore stuporem incussit. His artibus, hoc dolo Anabaptismus seritur.

Anabaptistarum tumultus Monasterij.

Altera die, quæ 9. erat mensis Februarij, infestis iterum signis quingenti vel circiter in forum progressi, Curiam & armamentarium occupant, obuios quosque verberibus tundunt, ac Corybanthum instar fœde tumultuantur. Fugiunt vigiles, & motum Senatui nunciant. Conclamatur ad arma passim, hostis Curiam & armamentarium habere dicitur. Nec mora, tota ciuitas armorum sonitu perstrepit, concurrentibus cum Catholicis Lutheranis, & communem vim communibus armis propulsare annitentibus. Interea illi, re per exploratores cognita, vicina quæq; templa Diui Lamberti, Diui Michaëlis & cætera; ædes etiam & vicos, vt ciuibus impressionem facturis resistere tanto fortius possent, tormẽtis & telis missilibus implent, lateres, vectes, lapides, scamna, sedilia, rudera, & quicquid demum defensioni opportunum erat, quam citissime comportant, quibus vndiq; vias muniũt, ac obstruunt, ne aduentantibus ingressus pateat. Claues portarum, vrbis custodibus ereptas, Rothmanni fidei committunt, qui mox ad Knipperdollingum retulit. Refugium Catholici delegerant, Transfluuianæ Diuæ virginis Ecclesiæ cœmiterium. Huc maiora tormenta conuehunt, quæ patentib. viis opposita hosti in occursum disponunt, ac nihil quod ad sui conseruationem pertinere poterat, omittũt. Post hæc fœminarum clamor ingens exoritur, quæ nunc Patrem precari, nunc volitantia per aërem monstra fingere, nunc cantiunculas lingua patria edere audiebantur, ac demum viris admistæ mira diuinare, nouo furore animos accendere, inque hostem exasperare. Sed & Bocoldus salire cœptat, ac ficto enthusiasmo, victoriam sociis promittere, quam sibi cælitus ostensam adserebat. Eius exemplo Knipperdollingius rursum furiis agitur, & nudis in publicum pedibus elatus, velut morio sursum deorsumque, per vrbem vagatur, Pœnitentiam identidem ingeminans. In eo furore nec hostem timet, sed temeritate sua fretus, ipsis ciuium castris insultare non formidat; ac nisi sana quorundam consilia interuenissent, primo assultu in frusta discerptus fuisset. Capitur ergo, inque vincula coniicitur; quibus, suorum ope non multo post ereptus fuit. Interim Senatus Buscum & Wechlerum, petitum foris subsidia mittit, qui noctu ad Satrapam VVolbecensem profecti, ex agricolis & nobilium ministris exercitum conflant, ac ipsa mox nocte ad vrbis portas traducunt. Aduenit simul & à Principe tabellio, qui certa ciuibus, si opus esset, auxilia pollicebatur. Huic Consul Hermannus Tilbechius respondit, se in ciuitate sua externa nulla ad pacem conciliandam ope egere. Intromissis vero in vrbem copiis, Anabaptistæ, veriti ne viribus multo inferiores ab hoste opprimerentur, è suis quosdam ad Transfluuianos emittunt, pacemque expetunt, ea lege, vt si liberum ipsis suæ religionis exercitium permittatur, se domum, positis armis redituros, quemadmodum & illos facturos esse sperent. Placet vtrimque consilium; Itaque eo motu compresso, domum suam quisque reuertitur.

LXI. Post quatriduum, Ioannis Matthiæ, alterius prophetæ iussu, Knipperdollingius fratres rursum ad ædes suas conuocat, ad noctis vndecimam. Eò vt ventum, ille altiori sede sublimis, Patris voluntatem exposuit, & sole exorto omnes armis instructos ibidem apparere iussit; inde prolatis scripturæ istis verbis, *Crescite, & multiplicamini*; mutuos extincto lumine congressus indulsit. Mane facto adsunt armati omnes, audituri quid fieri propheta vellet. Non prodiit tunc ipse, sed Rothmannum, vt eius nomine verba ad præsentes faceret, missitabat. Cœpit ille concionari, & lætitiam aliquam mentibus offundere, quæ eò creuit, vt cætu nondum dimisso, ex fratribus quidam nouæ tragœdiæ principium auspicarentur. Vnum vel alterum currui imponunt, ac veste Sacerdotali tectum passim per vrbem trahunt. Aliquibus cucullas iniiciunt, qui velut satellites ante ac pone subsequebantur. His se iungit tota factiosorum cohors, & in despectum Catholicorum, tympanista præeunte, in platearum compitis proclamant, venisse Roma nouos hos monachos, qui vrbem sunt reformaturi; si qui videre cupiant, huc posse accedere, & gratis contemplari. Tum fimum, & pulueres humi congestos in personatos illos fratres iaculantur: sic se, & atrocius multo, cum Pontificiis & Lutheranis acturos propalam dictantes. Hoc facto Nobilitas perterrefacta, cum videret omnia in peius ruere, maximo cum dolore & gemitu, ab vrbe recessit. Ciues quoque non pauci, ij maxime, quibus media viuendi foris suppetebant, vna in exilium abiuêre. Tum Rothmannus concione conuocata, suos ad concordiam & fœdus ineundum animat; iam tum præsagiens fore, vt emigratione nobilium, motus longe quam alias vmquam maior excitaretur. Post hæc digressis ad forum scenicis, mulierum agmen noui Spiritus ductu aduolat; quarum aliquæ cœli ruinam, aliquæ Angelorum cantus, & nihil non stupendum & terribile vaticinabantur. Adiacet foro domus gallo inaurato ad pinnaculum desuper conspicua. Huc quædam delapsæ, cum resplendens auri fulgor, ob Solares radios oculorum aciem hebetaret, quædam eò fatuitatis abreptæ sunt, vt cœlum apertum crederent; quædam extensis ad sydera palmis, continuo occlamarent, ô pater, ô Rex inclyte Syonis, parce tuo populo, malumque omne clementer auerte. Verum vanitatem eam non multò post ciuium quidam detexit, quando sublimem ex auro gallum tormentario globo, inde insigni dexteritate excussit. Fœminæ pudore suffusæ, ne à spectantibus coram riderentur, domum maturè properauêre.

LXII. Interim Rothmannus superstites adit, ac nihil non mouet, erroribus suis vt irretiat. Ex Consulibus fuit Hermannus Tilbechius, qui ad factiosorum partes transiit. Is namque cum præuideret; quam misera in vrbe futura esset cõditio eorum, qui manus iungere nollent, cum tota familia à Rothmanno rebaptizari se permisit; ac plurimos ciuium, idem vt facerent, suo exemplo incitauit. Hinc intra vnius mensis spatium, omnes infimæ sortis homines attraxerunt. Ad hunc modum confortati consilium ineunt, vt quicumq; deinceps vrbe cedere vellent, nihil bonorũ inde secum asportarent, sed vacui & inanes, si manere prorsus nollẽt, foras egrederentur. Currus etiam & carrucas ꝑparant, vicatimq; relictam exulan-

tium supellectilem conuehunt: ad Rothmanni aut Knipperdollingij ædes, vbi propheta Ioannes Matthiæ morabatur. Cum enim obsidionem metuerent, vbique bona comportabant, & arctissimæ custodiæ demandabant, adeo equidem, vt Kersenbrockio teste, ne vnum quidem panem triticeum vrbe efferri paterentur. Supererat adhuc in vrbe Senatus, & alij nonnulli opulentioris fortunæ viri: quos pariter vt pellerent, animos rursum ad rem longe arduam adiiciunt. Fulgentibus armis in forum prouolant, Curiæque & armamentario præsidiis impositis, omnes vrbis portas claudunt. Inde velut œstro perciti per plateas discurrunt, clamores edunt tam horrendos & terribiles, vt ciues aduersæ partis pauore pene ac metu enecti conciderent. Consentiens clamor erat omnium, inquit Hortensius; Abripite vos hinc impij, nisi malitis ad vnum omnes internecione deleri: eos enim qui rebaptizari abnuunt, extremo humanorum supplicio mulctabimus. His mugitibus territi boni, & vniuersa regio, cum in sententiam Anabaptistarum omnino nollēt discedere, turmatim ex vrbe migrantes, vias impleuerunt. Seditionis huius concionatores principes erant, Ioannes Matthiæ Harlemus, patre textore natus, & Ioannes Boccoldus Leidensis sartor, qui se prophetas appellarunt. Cum his se adiunxerunt, Iacobus Campensis, & Ioannes Gelius. Post hæc, cum omnibus fere in potestatem redactis, totus vrbis dominium ad se deuolutum arbitrarentur, Rempublicam constituere aggressi sunt, idque altera mox die, quæ erat 21. mensis Februarij. Consules creauere Bernardum Knipperdollingium, & N. Cippenbrochum. His allecti sunt Senatores, viginti duo, quibus ciuilis administratio commissa fuit. Senatus, vt nouo facinore functionem suam ordiretur, conuocatis tota vrbe ciuibus, cœnobia & reliqua religiosorum domicilia diripi & demoliri mandat. Res ea gratissimis auribus, à factiosis ciuibus recipitur. Mox quisque domum suam repetit, allatum instrumenta, quibus ad perficiendum sacrilegium viam sibi diruendo sternat. Pars ad Franciscanorum monasterium, pars ad Theutonicorum Collegium, plurimi in monialium, & alia cultui diuino dedicata templa proruunt; valuas Ecclesiarum, seras & claustra effringunt, cathedras deiiciunt, organa & horologia destruunt, vitra fenestellasque pulcherrimis picturis elaboratas excutiunt; imagines, epitaphia, tabulas curribus iniiciunt, inque forum vecta flammis nefarie abolent; sanctorum reliquias auro argentoque nudatas, consecratas hostias, sacrum oleum, & quæ sunt generis eiusdem in terram effundunt, conculcant, & pedibus proterunt: calices, patinas, aliaque Ecclesiarum ornamenta diripiunt; ex istis massas aureas & argenteas conflant, hæc in vestium vsum, in aulæa & tapetia pro se & vxoribus commutant. Direptis monasteriis, Parochiales Ecclesias inuolant; quicquid in iis paratæ pecuniæ, auri argentique, tum ornamentorum intuentum fuit, violenta manu auferunt, libros quotquot reperiunt dilacerant, imagines comminuunt, aut per ludibrium naribus auribusque truncant. sacras pyxides, & reliquiarum, aut rerum consecratarum repositoria confringunt, baptisteria funditus euertunt. Et ne quid integrum remaneat, ipsas etiam templorum valuas cardinibus violenter emotas, securibus dissecant; vt porci, canes, & alia quæuis bruta animantia libere ingredi, eodemque ad declinandam pluuiam properare possent. Ita ex templis haras & stabula, ex monasteriis & sacellis publica prostibula & lupanaria factitarunt. Fuere nonnulli, qui vicinas sibi Ecclesias in foricas, excipiendis humanis excrementis, sordibus & fœtoribus manciparent. Sed nec tectis, aut turribus pepercêre. Plumbum ab afferibus refectum, ferramenta & cardines ex columnis extractos surripiūt; campanas desuper in cœmiterium deiiciunt, inque tormentorum vsum transferunt. Busta & tumulos, sarcophagis amotis profanant & polluunt, ossa reperta in ignem aut profluentem barbarica ferocitate abiiciunt, Demum omnibus Ecclesiis ordine direptis, in summum templum cateruatim irruunt, aditus omnes & porticus disturbant, altaria tegumentis & antipendiis denudant, tabulas & erecta de mortuis monumenta discindunt, candelabra ex auro argentoque conflata rapiunt, sedilia & cathedras dissindunt; cancellos metallinos malleis & fabrilibus instrumentis dissoluunt; ad chorum & conclaue capitulare progressi, missalia, capsulas, casulas, calices, omnemque thesaurum & ornatum sacrilegis manibus diripiunt, promptuaria & loculamenta discindunt, fenestras violant; &, breuiter, obuia quæque sine vlla reuerentia & religione raptant, dissiciunt, & in cineres redigunt. Nondum his exsatiatus ipsorum rabidus furor, Mauritianum Collegium extra muros omni armorum genere instructi inuadunt, dispoliant, atque vna cum ædificiis circumiacentibus, cum ornamenta & thesauros, plumbum è tectis & æs comportassent, iniectis flammis incendunt; sepes & arbores vicinas amputant, aut communi incendio absumunt, tanto furore & insania, vt nihil præter rudera & lapidum congeries relinquerent.

Monasteriorij Anabaptistæ templa Catholicorum inuadunt & diripiunt.

LXIII. *Anabaptistarũ Monasterij nouus furor.*

His peractis 26. Februarij, Ioannes Matthiæ, propheta primarius nudis pedibus per altissimam niuem tota vrbe discurrit, clamoribus & vociferationibus vrbem & aëra complet; Pœnitentiam agite, *inquit*, pœnitentiam agite, & rebaptizamini. Excitі clamoribus in forum Retinctі, vatis aduentum præstolantur. Venit ille tandem, inque faciem procidens raptum se fingit: post vbi furor deferbuit, supremi patris voluntatem esse ait, vt qui retingi nollent, actutum ab vrbe recederent; Ciuitatem sanctam esse, Deum in ea sedem fixisse, nolle quempiam ex impiis hic tolerare, secernendos à piis infideles, & filios Esau ab Israëlitis disiungendos, ne ob flagitia impiorum, innocentibus pœnam pater infligeret. Hæc dictitans armatos ex foro per plateas socios trahit; qui non secus ac irrationales belluæ furunt & infrendent. Clamant rursum omnes, recedite impij, recedite; segregate vos à bonis; sat diu vobis indulsimus, noluistis nobis associari; ideoque nunc vt lolium stirpitus eradicandi estis; fugite impij, fugite, fugite. His dictis, ciuium ædibus illabuntur, omnes senes, iuuenes, viros & fœminas ex latebris productos foras detrudunt, ac nisi maturent fugam, trucidandos, & velati pecora mactandos esse comminantur. Nihil moræ conceditur; omnia ex tempore agi debent. Ex ædibus propriis deiectos, ad vrbis portas, nulla sexus, ætatis, aut conditionis ratione habita propellunt; ibi denuò vestimentis & viatico spoliant, pepla & pileos è capitibus excutiunt, armaque omnia, & quæ sibi vsui fore præuidebant, miseris eripiunt. Non senum suspiria, non grauidarum mulierum ploratus, imo nec abortus quarundam rabiosos homines commouerunt; omnes vnum subire exilium, vnam sortem deligere compelluntur. Nemo non videbat, quanta in vrbe immanitas Retinctorum, quanta calamitas & miseria miserorum ciuium fuerit. Sed omnia adhuc tolerabilia fuissent, si modo eiectis, quo vellent, tutò progredi licuisset. Aberat non procul Episcopus, machinas vrbis muris iam iam admoturus. In huius manus incidebant plerique omnes. Et quia iampridem ob rebellionem hostium loco haberet, eiectis etiam iusta de causa non pepercit; quorum quidam capite mulctati sunt, quidam aliis pœnis affecti. Inter quos, & Ioannes VVyckius Iuris Doctor, Monasteriensis Reipublicæ Sindicus, qui Clero Catholicisque omnibus infensus, Senatum contra Principem suis consiliis vehementer armarat; Theodorus ad S. Seruatium concionator, & Henricus Hammonius, seditionis suæ pœnas dedere. Captus etiam & Petrus VVirthemius, & Telgetum in custodiam abductus, verum intercessione Landgrauij liberatus, in patriam non multo post incolumis abiit. Remanserant adhuc in vrbe, sed clanculum, alij nonnulli; qui nondum Anabaptismum susceperant. Hi cum ad eum modum excipi foris eiectos intelligerent, periculi metu cum Retinctis deinceps manere, quam vrbe excedere maluerunt.

LXIV.

Rebus ad hunc modum constitutis, Anabaptistæ, cum iam totius vrbis imperio potiti, sub duorum, vt diximus, Cõsulum & viginti duorum Senatorum regimine continerentur, optime de se actum existimabant. Pulsis enim vrbe aduersariis, omnia pro libito ordinabant; nec erat intra mœnia, qui partam recens libertatem auderet eripere. Exulabat ab vrbe Nobilitas, & boni quique, relictis post se opibus, in vicinis vrbibus morabantur. Solus aduersus vim externam, si ab Episcopo inferretur, miles decrat; ad quem conscribendum aurum in copia suppetebat. Is etiam erat animorum pro superstitione ac impietate zelus, ea virium fiducia, vt exiguam aut mediocrem iusti exercitus vim facile cõtemnerent. Hinc sublato periculi metu, in summa rerum abundantia deliciabantur, & de Ægyptiacis, vt vocant, spoliis, grata palato symposia frequentabant. Iam spirituales nuptias peragebant, iam

choreas

choreas ductabant, iam canticis & hymnis nouæ Sionis exordia concinebant. Iam quomodo vicinas vrbes, quomodo oppida & pagos, totum denique VVestphaliæ tractum in suã potestatem redigerent, quomodo publicum erectæ hic nouæ fidei exercitium ad extremas mundi partes propagarent, anxie secum animis volutabant. Et breuiter tota vrbs in gaudia effusa, nihil non insuetum, nihil non nouum exhibebat. Ioannes Matthiæ vates, Monasterium sacrarum virginum Diuæ Agnetis occupat; ad Knidperdollingium Bocoldus secedit; aduenæ reliqua cœnobia inter se distribuunt. Post hæc noua rursum in Curiam & Ecclesias irruptio decernitur. In foro armati ciues conueniunt, ad tympani pulsum, & primo in Diui Lamberti, & mox in alias Ecclesias facto impetu, omnia sursum deorsumque vertunt, reliqua pictatis antiquæ vestigia tollunt, fornices & columnas dissiciunt & iniecta flamma obuia quæque exurunt, & pessundant. Inde ad Curiam progrediuntur; ibi arcana, tabulas, litteras, diplomata, sigilla lacerant & discindunt; insignia vrbis comminuunt; Consulum & Senatorum sedilia confringunt, ipsumque Senaculum penitus deformant, & conspurcant: publica per vrbem monumenta, icones ex ædium cacuminibus, statuas & imagines detrahunt; carceres & equileos destruunt, forum ipsum complanant, nec quicquam intactum, quod superioribus diebus sacrilegæ manus horruerant, reliquum faciunt. Eo furore perciti, in scholas & litterarias palestras ruunt; hic cathedras, pluteos, pulpita, scamna & quicquid obuium erat contundunt, dissecant, & in frusta dimmuunt. In Canonicorum etiam domos agminatim prouolant, cistas & gazophylacia scrutantur, cellas ingressi vino se ingurgitant; butyrum, caseos, carnes, omnemque rem domesticam efferunt, lectos & strata vel tollunt, vel raptis nexibus plumas spargunt, & vento committunt. Nihil erat quantumuis exile & abiectum, quod, si antiquitatis speciem referret, furiosorum manus effugeret. Biduo post, Consulibus, Senatu, & omni populo ad forum conuocatis, supremum sibi vrbis magistratum arrogat Ioannes Matthiæ vates, mandatque, vt omnes, quicquid haberent paratæ pecuniæ bonorumque, in commune conferrent. Certam quoque domum designat, ad quam aurum, argentum, pecuniam, ornamenta, omnemque pretiosam supellectilem deferri iubet, ad pedes nouorum Apostolorum deponenda; mortem interminatus omnibus, qui falleret auderent, vel mentiri. Hoc edictum tametsi populum vehementer terruit, obtemperatum tamen fuit, metu periculi: nec quicquam occultari potuit. Erant enim in ciuitate duæ puellæ à dæmonibus obsessæ, quæ continuo prodebant, si quis fraudem facere, vel mentiri huic mendaciorum spiritui conaretur. Vt autem tantò citius rem eam promoueret, Seniores aliquot & septem Diaconos elegit, qui per vrbem ad ciuium domos mittebantur; & ne aliqua fraus fieret; diligenter inquirebant. His peractis, Iulium Frisium Episcopum constituit. Ab hoc omnes initiabantur; hic rebaptismum, & reliquos dignitatum gradus conferebat. Non multo post, ciues in campum Dominicum prodire iubet. Ibi clata voce Patris mandatum esse clamat, ne quisquam alios sibi libros reseruet, præter sacra Biblia: quicquid præterea librorum esset in vrbe, id adferri mandat, incendio publico abolendum. Fuit & hac in re parendum. Itaque magnus librorum numerus congestus est, quorum pretium fuit, vt Dorpius refert, ad viginti aureorum millia, quos in cineres breui temporis spatio flamma redegit. Inde domum ciuibus dimissis, cum Theodorum Zuiuel, qui Bibliopola vrbis & typographus erat, nihil librorum attulisse accepit, Diaconos eò cum factiosorum cohorte mittit, vt ij omnes secum inde in summi templi aream comportarent; quos deinde cum multis manuscriptis libellis, & instructissima Rodolphi Langij viri litteratissimi Bibliotheca, ignibus pariter absumpsit. Indicatum etiam tum quoque prophetæ fuit, remansisse ex ciuibus permultos, qui in ædium suarum latebris delitescerent, nondum Anabaptismo initiatos. Quare ciues rursum per lictores conuocari iubet, ad eum locum, vbi libros exulsos diximus. Venêre huc omnes, quia capitis in eos sententia lata erat, qui coram non comparerent. Hic concionatur; Patrem velle, vt falsi omnes à veris fratribus actutum se segregarent, inque templum Dominicum secederent Patris gratiam implora-

Monasterienſium ciuium noua in Curiam irruptio.

Ioãnis Matthiæ Primarij Anabaptiſtarũ pſeudoprophetæ ſcelera.

turi, si forte placare iratum precibus suis queant, qui omnes gladio obtruncari vellet. Illi mandato parent, inque templum ingressi, conditionem suam lachrymis & ploratibus deflent, tanto cum eiulatu, vt foris exaudirentur. Propheta metuens ne misero isthoc spectaculo ciues ad misericordiam flecterentur, fores obstrui iubet. Interim ipse in genua prouolutus, expansis ad cœlum brachiis Patrem quid de impiis fieri vellet flagitat: inde toto corpore in terram procidens, exanimis quasi & mutus hæret; mox exiliens, nisi rebaptizari se paterentur, gladij ore deuorandos clamitat. Hic nouus clamor exoritur, dolor dolore augetur; cum concluſi nihil nisi ipsam mortem sibi ob oculos obuersari viderent. Ita metu perculsi, hora & amplius ad deliberandum conceditur. Tandem propheta feras valuarum soluit. Ibi miserabile spectaculum erat, videre senes, pueros, mulieres, promiscue in terram ad pedes furiosorum deuolui, gratiam & misericordiam implorare, delicti veniam petere. Obturat aures propheta, & enses in plorantes denuo stringi mandat. Sed ecce fraudem. Iam secundò, *inquit*, diuinum numen deprecatum adibo, & num quid precibus meis assequi valeam, ad extremum tentabo. Relabitur in faciem rursus, & furere occipit; post modicum resurgit, & receptos in gratiam pronunciat. quo facto hymnum decantat, & inde domum liberè dimittit.

LXV.

Cum ad hunc modum tenebriones illi sub prophetarum nomine dominarentur, accidit, vt faber quidam ferrarius, Hubertus Trutelingus, scommata in aduenas vates funderet; quod nimirum rudes & indocti, stupidi & inertes burdones, patrio solo ob rebellionem exacti, Dei spiritum iactitarent, ac tam audacter imperium sibi in ciues, contrà Catholicos omnes & ipsum Principem arrogarent; nequaquam esse tolerandos nebulones istos & vates mendosos, sed extra vrbis mœnia vi deturbandos. Quod cum ad eos delatum esset, cõtinuò omnes ciues armatos ad arcani summi templi conuocant. Ibi fabrum hunc præsentem vinculis firmiter constrictum accusant, quasi blasphemum, qui contumelioſe locutus sit de prophetis Domini, eamque ob causam mortis reũ prõnunciant. Nec mora, sententiam à se latã in conspectu vniuersæ multitudinis exequi instituunt, populo interim ob rei nouitatem attonito. Prosternit miserum fabrum primus prophetarum Ioannes Matthiæ; cumq; pronus iaceret, bipẽni prostratum magna vi transfigere conatur; sed irrito euentu; subtrahente nimirum vires Deo, vt tametsi summa vi magnoq; cum impetu bipennem intorqueret, vix tamen læderet iacentem ante se fabrum. Itaque ad summum templum eum deduci iubet, & custodiri loco quodam, quem Paradisum appellant. Inde paulo post reductum, denuo iubet procumbere, & tormentum manuarium, quo adolescẽs quidam astans, armatus erat, arreptum in iacentem displodit: qui læsus quidem fuit ictu globi, at non ita vt statim animam exhalaret. Tum propheta; Fabrum, *ait*, inuenisse gratiam apud patrem cœlestem, nec dum moriturum; Id sibi diuinitus reuelatum asserens. Ita dimittitur miser homo domum, & sexto die post è vita discedens, moritur. Sublato Huberto, publice cauetur, ne quis dicto factoue propheram læderet. Sed & lata nuper sententia de bonorum communitate, rursum populo prælegitur; mortis supplicio omnibus proposito, qui contra peccarent. Inde decantato hymno domum quisque suam redit.

LXVI. *Anabaptiſtæ Monaſteriẽſes ex Hollandia petunt à fœderatis auxilium.*

Post hæc cum Episcopus exercitum ad vrbem transportasset, Retincti, vt maiores contra obiectam vim vires coadunarent, in Hollandiam ad socios scribunt, vt supellectilem vendant, ac pro auro argentoque arma, in defensionem nouæ Sionis conferant. Exemplar in Hollandiam, Friſiam, alioque missum, teste Pontho Heutero, erat tale: *Fidelibus conſœderatis in Chriſto gratia ac pax à Deo Patre, per filium eius Ieſum Chriſtum, Amen. Charissimi fratres ac sorores, pax & gaudium Dei filiis præmanibus eſt; redemptio enim ante fores ſtat. Dilectiſſimi amici; certiores vos facimus, à Deo nobis patefactum iniunctumque, ſinguli veſtrum quamprimum ſe inſtruant profectioni, verſus nouam electamque à Deo Hieruſalem, vrbem ab eo datam conſeruationi habitationique Sanctorum, beatorumque hominum. Putire enim Deus terrarum vult orbem. Quiſque ſibi caueat, ne per negligentiam, aut inobedientiam, in iudicium incidat. Scripſit enim vobis Ioannes Beukelarius vates Monaſteriensis, omneſque eius in Chriſto adminiſtri, ſummique*

Dei vã-

Dei vates certissimi, neminem Draconi huius mundi seruientem euadere posse, quin ab eo deuoretur, interficiaturq; secundum corpus, aut spiritum. Proinde omnes ad iter se instruant, nisi iræ diuinæ flagellum experiri malint. Tumultus enim horribilis, ac commotio formidabilis, toti instat terrarum orbi, de qua locutus est Hieremias capite quinquagesimo primo dicens; Fugiat è Babylone, qui animam suam saluam cupit. Nec corda vestra exhorrescant clamore, qui per vniuersam exorietur terram. Plura non dico, sed Dei nomine vobis præcipio vt obediatis, ac opportunum tempus elabi non sinatis. Cauere vobis, ac recordamini vxoris Loth, neq; in tergum alicuius rei causa quam terra producere potest, respicite: imo ne mariti quidem, vxoris, nec ob liberos, ne decipiamini. Nemini curæ sit incredulus maritus, nec vxor, neq; hos adducite, quemadmodum nec immorigeros filios, disciplinam odio habentes: nequeunt enim diuinæ congregationis esse participes. Opes ac diuitias, maritos, vxores, ac liberos noua Hierosolyma quæ Sanctis sufficiant, abunde ac affluenter habet, & dabit. Proinde nulla re vos onerate, præterquam auro, argento, panno lineo, veste vna præcipuaque, ac commeatu quo in itinere exiguo tempore egebitis. Qui gladium, lanceam, aut bombardam habet adferat; qui non habet, ære comparet. Electos enim suos Deus præpotenti manu, ductu Moyseos ac Aaronis est liberaturus. (electos autem tantum Retinctos, ac qui in horum verba iurarant, appellabant) prouidi igitur estote, ac prudenter res vestras in medio impiorum instituite. Curate autem vt ad dimidium milliaris præter Hasselium, iuxta Montis Monasterium vigesimo quarto Martij circa meridiem conueniatis. Estote præsenti animo, ac omnibus in rebus cauti: neque ante dictum diem ibi reperiamini, neque postea, sed vt memorato die ac tempore præsto adsitis, curam extremam adhibete. Eo enim elapso momento, nullius ratio amplius habebitur, nemo expectabitur. Quapropter vigilate, ne vobis mora aut festinatio detrimentum adferat. Si qui vero venire neglexerint, aut contempserint, sanguinis eorum innocens esse volo, eaque de re obtestor.

Subscriptum erat; *Emanuel.*

LXVII. His litteris in varias ciuitates ac pagos demissis, conuenêre 21. Martij, iuxta Hollandiæ oppidum Monikedamum, supra triginta onerariæ, alter de alterius aduentu prorsus ignari, nisi quod in singulis nauibus vnus erat rerum conscius, qui omnium se inscium simulans, diuino omnes spiritu impulsos naues huc direxisse famam spargebat: Id quod fraudis ignari facile credebant. Communicatis igitur consiliis, eodem die naues soluunt, in Transiselanos traiecturi. Illi de aduentu fanaticorum maturè certiores facti, correptis armis Suartuuateram properant, in eos, nisi profectionis suæ causam darent, impetum facturi. Sed tanta erat hominum fatuitas, vt à nemine vim timerent, ac propterea inermes exscensionem facerent. Itaque ab armatis facile capti, cum deductis ad torturam præfectis, rei veritas innotesceret, capite passim & aliis suppliciis mulctantur, retruso in naues rudi vulgo & caute custodito, donec quid de eis statui deberet, Cæsareo mandato palam fieret. Præerat id temporis Cæsaris in Hispaniam profecti nomine, Maria soror eius Regina Vngariæ. Illa re intellecta, omnes interfici iubet, qui eiurata hæresi ad Ecclesiam redire nollent. Cæterum, si pœnitentia ducti errorem reuocarent, nudos dimitti: Sin minus! ad flammas condemnari. Nautas vero, quia innocentes & rei ignari essent, sine damno domum relegari. Quo facto, reperta est in classe magna auri argentique copia, lineæ telę in vsum fomitum, complures hastæ, gladij, bipennes, aliaq; bellica instrumenta permulta. Dolia etiam puluere tormentario plena non pauca, sagittæ & sclopetta plurima, tympana quinq;, vexilla totidem crucis signo quinquies interstincta. Vestium ac commeatus valde parum erat: ea enim cælestis pater & noua Sion abundantissime suppeditatura erat.

Anabaptistarum onerariæ naues Monasteriensib. Anabaptistis auxilia aduehētes intercipiuntur.

LXVIII. Eodem die, *inquit Hortensius*, Ambstelrodamum venit à secretis Consilij Hagensis, cum mandato Cæsaris, vt classem aliam, quæ ad illam accesserat, conserta manu retinerent. Postridie quinque ex gente Anabaptistica nudi in publicum (erat diei meridies) singulos strictos gladios dextra vibrantes prosilierunt. Hi veluti lymphati homines, per vrbem huiusmodi carminis horrendi ruditu discurrerunt. In nomine Domini. Benedictio diuina in dextra vrbis parte, maledictio in læua sedet. Nemo in eo discursu ab his labefactus fuit. Ciues insolito spectaculo repente exciti, in forum: Sagittariorum vero collegium, in destinatum ad certamen locum conuenire iussum. Inter hæc, motus arreptis seditiosis concitatoribus, conquieuit. Eodem die Harlemi sex cæduntur, vt idem refert, inter quos tres ex huius motus authoribus fuere. Pridie Cal. Aprilis Amstelodami duo eiusdem gentis, à Senatu Hagensi capitis sunt anquisiti, & Harlemi 7. Calend. Maij quatuor igni absumpti, duæ fœminæ in aquam demersæ perierunt. Inter crebra ista suppliciorum genera, nullatenus à proposito suo periculi metu diuellebantur, sed firmiora indies fœdera & societates inibant, eo animo, vt hic quoque sedes figerent.

Ambstelrodami & in aliis Hollādiæ locis Anabaptistæ supplicio afficiuntur.

Per hoc dies 3. Kalend. Maias, litteræ è Frisia Ambstelodamum missæ in Senatu recitatæ sunt, in hanc sententiam: vt viderent maturè, ne quid detrimenti Respublica caperet. Anabaptistas consilium captauisse eò commigrandi, vt per tumultum sub ius suum redigerent. Extemplo sagittariorum sodalitia conuocantur in Curiam. Huc & phratores Virginis & Crucis coguntur. Cum his habitus est ibi Senatus. Refertur hic Anabaptistarum consilium; ecquid spei ab ipsis Senatui, si res in discrimen adduceretur, expectandum esset. Responsum ibi communiter est, viuere & mori pro salute publica, stare sententiam. Inde cautum publice est, ne quis peregrinum Anabaptistam hospitio exciperet. Qui eos indicio non proderet, id ei capitale futurum. Anabaptistæ peregrini, neq; ciuitate donati, vrbe ante quintam eiusdem diei horam vespertinam excederent. Post eam oppressis supplicium vltimum foret mulcta. Circa serum diei coguntur in forum iterum sodalitia sagittariorum. Inde ædibus multorum ciuium tota sparsim vrbe exploratis, viginti arrepti in vincula ducuntur. Quarto inde die, 6. Nonas Maias vrbem ingressus est Comes Hochstratanus, cum Senatu pleroque Hollandiæ, & præfecto rerum Capitalium tota ditione per itinera & vias. Octauo statim Idus duo sunt securi percussi; & biduo post triginta sex, qui ab Anabaptistico furore resipuerant, pompam lustralem nudis capitibus, nudis pedibus, cineis amicti, cum singulis cereis, publice duxarunt. Quinto Idus, quatuor huius generis in eadem vrbe percussi, totidem igni corrupti sunt. Postridie eius diei cæditur vnus. Decimo septimo Calend. Iunij quatuor truncantur. His suppliciis, rebus intra muros vtcumque pacatis, postridie Senatores Hagam redierunt. Sed ad Monasterienses redeamus. LXIX.

Hi interea vbique vrbem communiunt, vallum circumducunt; in vallis occultos cuniculos agunt. Portis contermiæ domus tantum, in quibus operariis bis quotidie cœna & prandium frugale apparatur: huc ab opere deflectere, hic cibum sumere, & concionibus per diem semel interesse lex erat. Cibo refectis ad labores rursus redire, nec inde nisi tertio quoque die, & quidem meridie, domum vxores & liberos inuisendi gratia discedere permissum. In prandiis & cœnis hic ordo erat. Primum caro recens, postridie fumata, tertio quoque die salsum halec, butyrum & caseus apponebantur. Par ratio habebatur in victu mulieribus & liberis suppeditando. Circumibat interdum Ioannes Matthiæ vates, & num omnia ordinate fierent, num laboribus suis quisque intentus opus præfixum sedulo ageret, inspectabat. Ad portas leges in tabula præscriptas nuper affixerat, quas ipse operariis prælegere solitus ad assiduitatem operis hortabatur. Ita cæci homines, dum se liberos maxime putant, seruilibus laboribus mancipantur; quos adeo pertinaciter sustinebant, vt non ante desererent, quam viribus extrema fame debilitatis languidi conciderent. Sed nec mulieribus venia conceditur. Illæ lapides, saxa, & quæ ex Ecclesiarum ruina superant fragmenta comportant, maritisque ministrant. Filij fimum & sordes curriculis conuehunt, quibus deinde si irruptionem hostis moliretur, portas obstruerent. Inter hæc crebræ excursiones fiunt, frequenter in Principis castra erumpitur, & strage edita cum spoliis ad vrbem reditur. Supremus belli dux Ioannes Matthiæ propheta erat. Senatus vrbi trecentos pedites præsidio imposuerat. Ex his ille delectis sociis aliquot, subinde in castra Principis erumpit, atque insigni clade facta, victor spoliis grauis cum triumpho in vrbem reuertitur. Successu blandientis fortunæ ferocior factus, triginta exercitatos milites deligit, quorum virtute fretus, hostem se sine sanguine profligaturum oraculi monitu docet: atque tum prælongam hastam corripit, incitatoque impetu per vrbem procurrens ad Ludgerianam portam properat. Excipiunt oppidanos porta erumpentes Germani, vocatisque in auxilium Geldrensibus prophetam inuadunt. Ille hastam LXX.

LXX. Monasteriū à Principe obsessū ab Anabaptistis munitur.

Ioannes Matthiæ blandiētis fortunæ successu ferocior factus impetu in castra Principis facto sternitur.

manu

manu versans, ac lumina in cœlum figens, Patris iram comminatur, quem nisi fugam se derelicto arripiat, auxilio sibi affuturum prædicebat. Sed nihil hic minæ & protestationes valent. Sternitur propheta, & gladiis vtrinq; proiectis per ludibrium confoditur. Tota castra ad spectaculum prouolant, nec est ex omnibus vllus, qui non crebros ictus iacenti infligat. Cadauer in frusta rescinditur, intestina canibus obiectantur voranda, virilia per audaculos Ægidianæ portæ sub noctem affiguntur. Ita propheta primarius, & cum eo prophetæ vanitas concidit. Morte nunciata, tota ciuitas luctum induit, plorandoque ac ciulando viri tam grauis casum deflet. Quid, *inquiunt*, ciues nobis iam restat, quam præsens Dei vindicta, qui nec prophetæ parcens tot lectissimos milites sustulit? Si virum tam sanctum cœlestis pater puniit, certum est, nos minime prætergredietur: quia scriptum est; iudicium Dei à domo eius incipit.

Eius excarnificatio.

LXXI. Bocoldus, vt animis metum eximeret, callido commento ita plebem consolatur. Frustra nos ô ciues lachrymis conficimus, frustra mortuum lugemus; felix ille & grata patri victima cecidit. Nemo nostrum iudicia Dei anteuertere potest, eius hæc voluntas fuit, illum esse talem habiturum vitæ finem. Fuit vir quidem diuino numine plenus, per quem multa nobis bona cælitus obtigêre, quique se murum aheneum pro domo Dei frequenter opposuit. At nunc cecidit ille, & iratum patrem morte sua placauit. Ponamus proinde metum, mittamus luctum; & potius illi gratulemur, qui carnem exutus; ad immortalitatem migrauit. A ciuibus domum digressus, relictam prophetæ viduam acciri iubet, eamque non diu post vxorem ducit, Patris id se mandato facere inquiens. Accidit hoc biduo ante Pascha; quo eodem die Retincti in templa decurrunt, facesque & tædas inde raptas portis ciuitatis exerunt, atque simul omnes tota vrbe campanas impellunt, tanta vi, vt trepidationem in castris hostium excitarent. Inter pulsandum tormenta publica in templorum turres subducunt, ac crebro in hostem iaculantur, adeo vt Episcopus tutiore loco castra metari cogeretur. Aliquot post diebus Knipperdollingus phanatico spiritu per plateas fertur, vaticinans, fore, vt in summo gradu collocati deturbentur, & inferioris sortis homines ad dignitates euehantur; & mox turres demoliri, templa solo æquari, pyramides & monasteriorum pinnacula deiici præcipit. Ea vaticinij authoritate fretus, Bocoldus, gladio tradito, Knipperdollingum carnificem deligit, qui hactenus Consulatum sublimis gesserat. Inde vestibus exutis, totum se nudat, nudusque per totam vrbem sursum deorsumque vagatur, clamitans, & identidem ingeminans; Rex Sionis venit, Rex Sionis venit, cum multis Angelorum millibus. Clamore finito, vestimenta resumit, & ad Knipperdollingi ædes maturat, mutum se & sine loquela simulans. Rogatus silentij causam, triduo à numine linguam suam constrictam teneri scripto declarat. Exacto tridui spatio redit in publicum, & abrogato Senatu, duodecim iudices, qui iustitiam in Israel promouerent, causasq; publicas diiudicarent, legit. Iudices erant, Gerlachius à VVidlen, eximius nobilis; Lambertus Leodiensis nobilis, Lambertus Billerbecensis ciuis Cosfeldianus, Ioannes Eschmannus ciuis VVarendorpensis, Hermannus Tilbechius nobilis & exconsul vrbis, Petrus Simonis Friso, Ioannes Ochsenbeckius ciuis Monasteriensis &c. Cuique strictum gladium in manus tradit, his verbis; Accipe ius gladij tibi à Deo Patre per me commissum, eoq; ad mādatum Dei scinde. Post Rothmannus cathedram conscendens, de hac noua Reipublicæ forma concionatur, monetque populum, vt tantū prophetam qua possint reuerentia prosequantur. Cui fine facto, pro cōseruanda Reipub. preces funduntur, ac hymnum, Gloria in excelsis Deo, Bocoldus ipse decantare occipit. Non multo post 12. Seniores, leges promulgant, quas sub pœna capitis seruari ab omnibus volunt. Eæ ita habent; vt nemo Deum blasphemet, aut verba eius in dubium vocet: vt Magistratui honor debitus præstetur; vt filij parentibus morem gerant; vt adulteria, fornicationes, stupra, furta, contentiones, rixæ, inimicitiæ, mendacia & imposturæ euitentur; vt nulli iniuria aut damnum irrogetur; vt nullus sine speciali Dei mādato in hostes irruat, aut porta erumpat; vt octauam inter & nonam vespertinam nemo in foro plateisue commoretur, sed maturè domi se condat. His legibus promulgatis, cum ex militibus quos in vrbe remansisse, pulso veteri Senatu, supra docuimus, quidam in caupona vltra iustum tempus ab hospite, vt migrarent moniti, potarentur; re ad seniores delata comprehensi sunt, & in forum pertracti insolentiæ suæ pœnas exsoluerunt, sclopettis omnes miserè traiecti.

Bocoldi in obsidione Monasterij mira in eligendo Magistratu varietas.

Cum ad eum modum cum oppidanis agitur, Episcopus cū iam solus aliquot mensibus omnem belli sumptum fecisset, ne obsidionis pertæsus, vlterius progrediendi ansam rebellibus relicta vrbe præberet, vicini Principes auxilia mittunt. Et Archiepiscopus quidem Coloniensis ipse in castra profectus, consilium cum Principe communicat, atq; propius castra ad vrbem promoueat, suadet. Extruuntur mox septem propugnacula, cum validis præsidiis non procul ab inuicem seiunctæ; vt si periculum aliquod ingrueret, auxilia in procinctu adessent. Retincti intellecto Principis ad vrbem expugnādam consilio, schedas & libellos extra mœnia spargunt; quibus significant, non se primum bellum intulisse, sed Principem malorum suggestione id agere, vt Dei ministros & verbum eius extinguat. Rogare se, ab eo proposito desistat, solutisque castris domum maturè recedat; futurum alioqui, vt totam plebis multitudinem in eum concitent, & violenter inde repellant. Ad milites quoque in castra litteras missitant, quibus familiariter ad vrbem & nouam Hierosolymam inuitant; quorum subinde nōnulli causa lautioris ineundæ vitæ eò clanculum commeabant. Horum vnus à Knipperdollingo hospitio excipitur, vt ibi fidei principia edisceret. Habitabat sub eodem tecto Bocoldus propheta, vt supra diximus. Accidit vero nocte quadam, cum catechumenus in eodem cubili quiescens, Bocoldum in adulterio deprehenderet, corripere tamē metu periculi non auderet; turpitudine grauiter offensus fugā ab vrbe meditaretur. Eū retractū Bocoldus, veritus, ne factū proderet, aureo donat, ac deinceps familiæ adscriptum, vt quibuscum velit, stupri consuetudinem habeat, suo consilio facile induxit. Verum vt securior esset, nec facinore vulgato adulterij pœnam incurreret, postridie Seniores conuocat, & quæstiones aliquot de polygamia proponit; quarum illi solutionem ex solis sacris scripturis coram redderent. Capitale erat prophetæ mandanti refragari. Ibi decernitur polygamiam licitam esse, & publicè introducendam. Itaque de nouo citantur ad forum ciues; vt latam sententiam intelligant. Decretum Seniores promulgantes res inaudita & horroris plena omnium animos conturbat. Reclamatur; non à plebe solum, sed & à Prædicantibus, quos vel maxime putabat Bocoldus obuiis vlnis sententiam eam suscepturos. E foro in Curiam præsentes conuocat. Hic tunica exuta, & cum Noui Testamenti codice in terram proiecta, Sacramento confirmat, non sic se, sed Patrem statuisse: quapropter viderent, quid agerent, nec diuinæ voluntati tam pertinaciter resisterent. Quod si nollent edicto obsequi, certo scirent, neminem hinc impune abiturum. Sibi enim à Deo reuelatum, nisi propere consentiant, omnes coram grauissimas pœnas daturos. Itaque minis adacti vtrimque conueniunt, & toto tridui spatio, in campo & foro Dominico de pluralitate vxorum pro concione loquūtur. Vnus inter reliquos erat, qui plusculum in scripturis exercitatus videri volebat. Hic exclamat, rem impiam esse & abominandam, nusquā in Christiano orbe toleratam; solam Iudæis ob causas olim indultam, expirasse nūc; & semel legem statutam, ne quis præter legitimam cōiugem aliam superinducat; secus si fiat, Christianos impietate sua gentes longe superare, quæ naturæ ductum sequutæ semper polygamiam fuerint detestatæ. Propheta renitentem comprehendi, & cum semel dicta retractari nollet, obtrūcari iubet. Mox ille trinas vxores ducit, quarum vna fuerat Ioānis Matthiæ, quam hucusq; clanculum domi suæ detētam fouerat. Prophetam sequuntur alij, ita quidem, vt quo quis plures vxores duceret, hoc maiorem ille laudem promereretur. Raptantur tenellæ iuuenculæ, quæ vix XII. annum ingressæ erant, & ad explendam libidinem à libidinosis hircis subiguntur. Tantus erat furor Veneris, tantus carnis æstus, vt ne infirmis quidem, & propter ætatē adhuc ineptis pepercerint. Vnde quam multæ sæpe ante tempus perierint, quam miserè demum habitæ vitam egerint, dici vix potest.

LXXII. Princeps obsidionis ferè pertæsus Archiepiscopi Colon. auxilia accipit.

Post octiduum nouus motus exoritur. Cōspirant secretò LXXIII.

quin-

quinquaginta vel circiter ciuium, datoque ſigno per vrbem, omnes eos quibus hoc inſtitutum diſpliceret, in forum conuocant. Conſilium hic ineunt, vt vitam ab Epiſcopo pacti, eum nocte conſtituta in vrbem recipiant, & portarum ſeris vi refractis, fæcem peregrinorum hominum expellant, & ne res ſucceſſu careat, Knipperdollingum, & reliquos concionatores comprehendunt, ac domi ſuæ, nocte tantum vna, priuatæ cuſtodiæ mancipant. Res ad plebem delata ſanguineum cataclyſma parat. Currunt ad forum Retincti, captiuos ciuibus extorquent, ac deinde in Curiam omnes pariter repellunt. Ibi vt polygamiam approbent, edicitur. quod cum facere abnuerent, arma in eos vertunt, & crudeliter omnes cōtrucidant: quoſdam ad arbores religant, & glandibus plumbeis traiciunt: quoſdam naribus auribuſque mutilatis capite Knipperdollingus truncat: quibuſdam Bocoldus vulnera infligit, aut ventres ſecat: alij haſtis & bipennibus transfiguntur; alij alio ſupplicij genere enecti pereunt. qui hic fodere, qui gladios in innocentes ſtringere poterant, ij laudum encomia tollunt. & ne quid furoris in tanta barbarie deeſſe videretur, pueros etiam illiciunt, qui lapidibus & ſaxis ſemimortuos obruant. Cum vero ad lanienam miſeri traherentur, acclamabant prophetæ; agite fratres, gladios in corporibus impiorum acuite; quò citius obtruncaueritis, hoc Deo rem gratiorem præſtabitis. Sublatis viris, in fœminas etiam ſæuitum eſt. Hæ ad cœnobium à valle roſarum appellatum deductæ, cum in polygamiam conſentire nollent, violenter primum, Propheta inſpectante deflorantur, & poſt vel ad carceres, vel plectendæ ad forum protruduntur. Inter Retinctos præterea, ſi poſcenti non ſtatim morem fœmina gereret, mox ad prophetam recurritur. Ille adductam ſua manu in terram deprimit, ac libidini fratris permiſſam conſtuprari iubet. & hæc omnia ſub ſanctitatis nomine patrabantur.

Anabaptiſtæ Monaſterij Polygamiā denegantes ſupplicio afficiunt.

LXXIV. Hucuſque Bocoldus ſe vatem geſſerat; ad excelſiora nunc animum adiicit. Erat in vrbe faber aurarius Ioannes Tuiſcoſcuterius, VVarendorpius. Cum hoc ex compoſito agit, & propheticum adflans ſpiritum, vt ſe Regem à Deo deſignatum in foro proclamet, præcipit. Dictum factum. Protinus ille iudices adit, iiſque mandat, vt populum frequentem in forum aduocent, habere ſe, ait, præceptum Domini, quod pro concione ipſis declaret. Confluitur tota vrbe ad forum tanta frequentia, vt vix multitudini locus ſufficeret. Indicto ſilentio, Tuiſcoſcuterius vociferari cœpit: Audi Iſraël. Hæc dicit Dominus. Abrogabis iudicibus Magiſtratum; Epiſcopus & Concionatores ſe functionibus ſuis abdicent, vt ſufficias in locum totidem alios duodecim ſimplices, qui nullas vmquam litteras didicerunt, mihi conſtitues. His præcipies, vt verbum meum de verbo ad verbum primum populo meo recitent: inde ſpiritu meo freti ſine ſcriptorum auxilio & lectione explicent. Infundam in eos ſpiritum intelligentiæ & ſapientiæ. Inde ad Ioannem Bocoldum; & te Bocolde hoc Pater gladio donat, (tradebat ei ſtrictum ferrum in mortalium omnium conſpectu) te appellat Regem, vt primus non ſolum in Sione hic regnes, ſed etiam vniuerſo orbi terrarum imperes. Imperium propages, vt quantum hominum vſquam terrarum ſit tuo ſceptro ſubiicias. Inde populum monuit, vt Regio imperio per omnia obedientes ſe, & ſine rebellione obſequentes præbeant, ſi velint regnum ſtabile videre, & firmum. Regi ſub hæc imperat, vt ea conſcientiæ religione regnet: qua imperij gubernationem Deo probaturus, proximo poſt ſe regnaturo traderet. Ibi Bocoldus pronus in terram delabitur; Inuitus, *inquit*, ad illud faſtigium vocor; inuitus Regium & nomen & ſceptrum aſſumo. Sed quid agas? Deo parendum eſt. Iamdudum id præſciui, ô fratres, & decimus abhinc dies agitur, quo Pater reuelare cœpit. Subticui, nec vlli hominum manifeſtandum duxi, quod per alium præuiderem Patrem vobis eſſe patefacturum. Poſt hæc in cœmiterium Diui Lamberti regnum initurus deducitur. Nullus adhuc miles, aut Regij ſatellites aderant. Inermis progreditur, ſubſequente eum poſt tergum omni populo. Priuſquam officia diſtribuat, leuatis in altum manibus, Patrem vt ſapientiam ſibi largiatur, vt populum fidelem & obedientem concedat precatur. Quo facto, Rothmannum oratorem Regium deligit: à cōſiliis vero Gerardum Bœckbinder, Bernardum Chrechtingum Sacerdotem apoſtatam, Gerardum Reningium, & Henricum Renckerum, inter factioſos facile primarios. Hermannum Tilbechium Aulæ Regiæ præfectum nominat; Gerardum Cippenbrochum theſaurarium conſtituit: Pincernam facit Henricum Chrechtingum Satrapam Scoppingienſem; Eberardum Coriarium menſæ miniſtrum. octo & viginti ſatellites; lictores vero 12. ad ſui corporis cuſtodiam legit, quibus ſeptus prodiret in publicum. Ad extremum, Knipperdollingum vrbis præfectum dicit. Publica hoc modo munera partitus, quicquid tota vrbe carnium, frumenti, ornamentorum auri argentique ſupererat, in Regiam per ſatellites conuectari iubet, ac ne quis præter ſimplicem veſtem, nobiliorem habitum geſtet, ſeuerè edicit. Interim bina ſibi diademata ex auro optimo fulgentibus gemmis diſtincta, auream vaginam, calcaria, baltheum, paludamentum, ſceptrum aureis laminis interſectum, & quicquid ad Regium apparatum requiri videbatur, id omne ex auro argentoque mediantibus vnionibus & tinctis auro globulis ſibi fieri imperat. Equos habebat vnum & triginta, partim auro inſtratos, partim ephippiis inauratis inſignes. Eſſedum erat ex panno holoſerico vario colore delibuto, gemmis & radiantibus ex auro ſtellulis conſpicuum. Auriga, vel ſi mauis equorum Magiſter calcaribus argenteis, annulis, & Regio inſigni ſublimis incedebat. Tertiò in hebdomada ad forum Rex curru vectabatur, aureis & argenteis tunicis ad talos vſque indutus. Si quando per vrbem obequitaret, argentea epheſtride amictus, ſublimis vehebatur. Tempora corona cingebat. Torques à collo gemmatus dependebat; huic globus ex auro innexus erat orbis ſimulachrum repræſentans; hinc & hinc aureo argenteoque enſe decuſſatim transfixus. In gladiorum capulis hæc verba aureis efficta litteris legebantur: *Rex iuſtitiæ ſuper omnia.* Globus in ſummitate crucem, vt etiamnum orbis depingi ſolet, gerebat, cuius vertici eadem verba inſcripta erant. Sub torque multiplices aliæ catenulæ ſcapulas ambibant. Lacertos aureæ armillæ claudebant; digitis annuli omnis generis inerant. Veſtis toto corpore interſciſſa, holoſericum purpureum ſuperductitium è fiſſuris oſtentans, aureis ligulis nectebatur. Incedenti duo iuuenes vtrinque latera claudebant, quorum ſiniſter Pragius enſem aureo intertextis gemmis capulo; dexter coronam Regiam ex puro & obrizo triplicem, & Bibliorum volumen geſtabat. Præcedebat nobilis armiger, ſignatorium Regis annulum præferens, qui totus ex auro aſpectantium oculorum aciem miro ſplendore hebetabat; in medio orbiculus erat, duobus gladiis transfixus, per circumferentiam duplici vnionum gemmarumque ambitu interſtinctus, intermedia Scriptura viſebatur, in hæc verba: *Rex in nouo templo hoc ſignum gerit.* Satellites plerique omnes habitu coloris rubri cæruleique vtebantur, holoſericis togis amicti deſuper per totum auro ductili connexis. Prophetarum & Concionatorum habitus laneus erat, atro colore intinctus, è ſimpliciore panno conſutus. Tympaniſtæ & tibicines tunicis heteromalleis, loris purpureis ad pectus diſcinctis amicti, tubas inauratas prægeſtabant. Pone, vel ad latus, Regina Diuerte Harlemica, relicta Ioannis Matthiæ vidua, non minore ſplendore & pompa incedebat. Fœmina erat ſtatura mediocri, vultu lacteo candore, genis rubore perfuſis inſigni, luxuriantibus comis, & alta hilarique fronte ſupra modum venuſta. Inceſſu plane heroico tumida, ante & pone ad latus elegantiſſimo puellarum choro ſepta, quæ omnes nondum vigeſimum ætatis annum exceſſerant. Pallam ex auro, monilibus, & gemmis intertextis ad talos demiſſam geſtabat, quam omnis generis aureæ argenteæque catenulæ ſinuoſo ambitu vmbilicotenus ambiebant. Torques graſſior è collo ad pedes annulis & vario monilium ornatu dependebat. Subſequebantur bini ſyrmatophori ſplendidiſſimo niuei coloris habitu circumdati. Pediſſequarum maximus erat numerus, inter quas Reginæ aliæ numero quindecim, Regio plane veſtitu tectæ, quibus præter Reginam Harlemicam, quæ ſola omnes & titulo & dignitate ſupergrediebatur, ad libitum abutebatur. Hæ Reginæ ſuperioris latera vtrimque claudebant, ac ad Regiam quam diuerſam à Rege habebat, ducebant, reducebantque. Harum nomina in peculiari tabula ab ipſo Rege deſcripta legebantur: ſub cuiuſuis nomine virgula tenuis cum foramine tabulæ inciſo viſebatur. Hac, ne qua de fædo cum Rege congreſſu contentio inter pellices oriretur, qua proxima nocte potiri vellet deſignabat, virgula

Anabaptiſtæ Monaſterij Regē & Reginā ſolenniter creant.

Eorundem Regius ſtatus.

ſubtus

ſubtus nomen foramini indita. quæ ſi ad id muneris inidoneam ſe perſentiſceret, aut grauida eſſet, cui præ reliquis fauebat, ſub eius nomen bacillum transferebat; & hanc cum Rege cubare oportebat. Cubile Regium quod ingreſſura erat, aulæis circumquaque ornandum erat, lectus roſis aliiſque odoriferis floribus inſtratis, aureis cortinis circumducendus; & breuiter, omnia vnguentis varii odoratus ſuffitu ſic adoleri lex erat, vt nihil eſſet, quod cubantium nares offenderet. Cœnæ aut prandij tempore in conclaui Reginæ Regis aduentum præſtolabantur; vbi aſſediſſet, Harlemica primarium ſibi locum ad dextrum latus vendicabat: eam aliæ per ordinem ſubſequebantur: medius Rex erat. Aderant ſatellites, aderant publici aulæ Regiæ miniſtri; hi cibum & fercula, reliquaq; bellaria miniſtrabant. Tantus in omnibus ſplendor, tantus apparatus, tanta pompa erat, vt Imperatorum & Regum Maieſtatem non adæquaret modo, ſed excederet facile & ſuperaret.

LXXV. Regia, & gynecæo conſtitutis, Rex omnium controuerſiarum ſe iudicem facit. Erigitur in foro Regi ſolium, triplici gradu ſublime, holoſerico panno hinc inde conſtratum. A dextris humilior vno gradu ſella, quam Regina occuparet, extruitur. Knipperdollingus ſiniſter Regi aſſiſtit, cum quatuor illis, quos à conſiliis Rex legerat. Sedenti in publico, matrimoniales cauſas decidendas plebs offert, quæ plerumque de diuortiis, de fœdis congreſſibus, aliiſque id genus rebus turpiſſimis erant. His peractis, ſolio in terram deſcendens choreas ducit, ſubſequente omni populo, ad quem recreandum tragœdia agebatur. Non multo poſt aurea argenteaque numiſmata cudit; quæ Regia vocabantur. His ab altera parte S. Ioannis Euangelij principium inſcribi mandat; In circumferentia hæc verba legebantur; *Qui non eſt natus ex aqua & Spiritu Sancto, non poteſt intrare in regnum cœlorum.* In altero latere; *Vnum regnum Dei, vnus Rex iuſtus ſuper omnes, vnus Deus, vna fides, vnum Baptiſma.* In medio; 1534. *Monaſterij.* Diebus ſtatis in Regia quoque ius dicebat. Ventitabant eò vtriuſque ſexus homines, & coram Rege cauſas exponebant. Scribit Alberus, inter reliquas fœminam quamdam elegante forma præditam ad Regem querelas detuliſſe, quod eſſent, qui violare inuitam molirentur. Ille fraudem fingens domum redire, & conſtituto tempore rurſum adeſſe iubet. Mox Conſiliarios rei ignaros in conclaue aduocat, ac ſibi à Patre reuelatum dicit; venturam illa hora mulierem diuinitus ad ſe, vt cum ea cubet, relegatam quam nollet reiici, ſed actutum in Regium cubile introduci. Ibi fœmina Regis amplexu dignata quam defenſam cupiebat, pudicitiæ lauream deperdit, gynecæo, ne facinus publicet, inſerta.

LXXVI. Rex, etiam carnificis munus nonnumquam obibat, ſi qui eſſent, qui non ad nutum parerent. Knipperdollingus ea tyrannide grauiter offenſus, vt plebem contra Regem concitet, noui ſpiritus afflatum ſimulat. Procurrit per omnes vrbis vicos, clamat, indignum eſſe homini alienigenæ, obſcuro loco nato, & crudeliſſimo in populum animo graſſanti morem gerere: capiendum eſſe, deprimendum, trucidandum. Inde ad forum progreſſus, ſedentem pro tribunali Regem ridet, ſolium eius occupat, & Regem ſe venditat, ſaltitat inſpectante Rege: Sic, inquit; olim cum meretricula mea colludere ſolebam, nunc vt coram te, ô Rex, exiliam, Pater præcipit. Diſſimulat vt erat callidiſſimus, Rex Knipperdollingi conatus, ac foro in palatium regreſſus lictores mittit, qui hominem in vincula coniiciant. Nec mora, capitur Knipperdollingus, & teterrimo carceri includitur, per octiduum & amplius inibi detentus. Inde cum emendationem promitteret, ac ſe ſpiritus mentem non recte aſſecutum diceret, libertati & officio reſtituitur.

LXXVII. Circa feſtum Sancti Bartholomæi Tuiſcoſcurerius per omnes vrbis plateas curſitans, litui ſonitu ciues ad forum conuocat. Vix hora labitur, & ecce ad quinque millia prophetæ iuſſu conueniunt. Ibi Tuiſcoſcurerius; Audi Iſraël: hæc dicit Dominus Deus. Conſtitui ſupra populum meum Regem, virum ſecundum cor meum, qui populum meum regat, & imperium ſuum qua patet terrarum orbis, propaget. Vade & dic ei, vt cœnam meam in ſummi templi area apparet; poſt hæc viros mihi fideles, qui verbum meum, populum edoceant, deligat, in quatuor mundi plagas amandet, vt diſperſas oues domus Iſraël, in ſanctum hoc ouile meum reducat. Paret mandato Rex; magnam illam cœnam inſtaurari iubet: præſentibus menſæ aſſidere iuſſis, Rex ipſe Reginaque miniſtrant, cum frequenti totius aulæ ſatellitio. Triplex miſſus menſis apponitur, caro fumo obdurata, inde recens, poſtremo aſſa; potus cereuiſia erat. Menſis ſublatis Rex ad ſolium deducitur, toga holoſerica veſtitus. Vbi conſedit, allata paropſide partibus panis triticei oppleta, ſingulis ordine accitis fruſtillum in ora his verbis ingerit; *Accipite, & mortem Domini annunciate.* Ex aduerſo Regina poculum mero plenum manu verſabat, quæ paribus verbis vſa, *Bibite,* inquit, *& mortem Domini annunciate.* Cœna peracta, Rex omnes rogat, num hoc accepto ſymbolo, ad patiendum, moriendumque pro fide prompto ſint paratoque animo. Vbi acclamatum ab omnibus, Tuiſcoſcurrerius ſuggeſtum editiore loco poſitum conſcendens; Pater, inquit, ad Regem conuerſus, tibi præcipit, vt nunc demum, qui Euangelium eius orbi annuncient leges, vt horrenda in populo prodigia patrent, & gentibus exteris hæc miranda inuulgēt. ac ſimul indice è ſinu prolato, quibus id muneris à Deo impoſitum ſit, ordine aduocat; inter quos ipſe quoque relatus erat. Apoſtolorum in vniuerſum 28. fuēre. *Oſnaburgam* Dionyſium Vinen, Petrum Rupertum, Henricum Graſium, Ioannem Bondorffium, Paulum Sueringum, & alium quemdam Diabolum cognomine deſtinat. *VVarendorpiam* Ioannem Schefferum, Ioannem Kloprifs, Godefridum Stralen, Henricum VVemmegrouium, Antonium Teſchenmacher, & alios adhuc duos, mittit. *Suſatum* Henricus Schachtſchaffius, Henricus Hiluerſum Gochomienſis, Hermannus Kerckering, Laurentius Friſo, quibus ſemetipſum quoque cum tribus aliis annumerat, ire iubentur. *Cœsfeldiam* Iacobum à Graue, Hermannum Parochum Warendorpenſem, Ioannem Sacellanum Diui Martini, Iulium Friſium Epiſcopum Anabaptiſtarum Monaſterienſium, Bernardum Fockium, Dauidem VValium, Ioannem Vltraiectinum Canonicum Metropolitanū amandat. Abeuntibus ſingulis aureus à Rege porrigitur, quem, ad quēcumq; locum venirent, ſi Magiſtratus reſtitaret, aut pſeudo Euangelium amplecti nollet, ibidem in ſignum contēpti verbi, vt volebant, Dei relinquerent, latius inde aliò digreſſuri. Pridie ſub noctis vndecimam portis emittuntur, à Regiis miniſtris, quibus id negotij datum fuerat. Digreſſis vrbe Apoſtolis, Rex Reginaque cum vniuerſo populo ad cœnam redeunt, nocteque hilariter potitando tranſacta, in lucem vſque conuiuantur. Aderat forte miles quidam nuper admodum in vrbem ex fuga retractus. Hunc, num Dei verbo locum dare velit rogatum, cum abnueret, Rex ipſe manu promptus inſpectante numeroſiſſima plebe decollat; ſic omnes perituros, inquiens, qui Dei vncto inſultare nefas non ducerent.

Poſt hæc, mulier quædam Hilla nomine, Friſia, è vicino quodam Leowardiæ oppido prodiit; quæ quod à Iudith olim Holophernem in Bethulienſi obſidione occiſum cognouiſſet, alteram ſe iam iam Iudith appellandam, ſibi ipſi perſuaſit. Aperit Regi conſilium, atque ſimul profert è lino lectiſſimo ſubuculam veneno vndiquaq; illitam, qua ſe mortem Epiſcopo Principi allaturam pollicebatur. Creditur fœminæ, inque Regiam ductæ annuli, monilia, calanticæ, aurum & argentum in copia afferuntur. Renuit illa oblatum viaticum, & ſolum duodenis acceptis Regiæ monetæ numiſmatis, ac triplici torti auri annulo fidem pacta, ſolam itineris comitem poſcit; qua data, vrbe lætabunda egreditur, vltro ſeſe obſidentibus dedens. In caſtra ad VVolbecenſem ſatrapam illico ducitur. Ibi quæſtionibus ſubiecta, quid eam, quod vrbe migrauit cauſæ impulerit, deponit, nimirum ſolo patrio relicto, Monaſterium Euangelij cauſa veniſſe; nunc pœnitentia ductam, quod omnia pro rebellium libidine agi videat, extremum ſalutis hic perfugium expetere; ſed & habere quod ipſi Epiſcopo in manus tradat, ac inſuper & de vrbis quoque ſtatu erudiat. Perſuaſiſſet pene, niſi fraudem transfuga ciuis Hermannus Ramertus detexiſſet. Itaque in carcerem coniicitur, pœnas veneficij ſui datura. Torta ſubinde, & grauius tormentis preſſa, nihil ſibi damni illatum iri profeſſa, breui ſe hoſtis manum Patris beneficio effugituram dictat. Porro illo nuſquam aduentante, in publicum plectenda LXXVIII.

educi-

educitur, gladio quem in alium assumpserat, in arce Beuergara sublata. Caput palo affixum est, inque cineres cadauer redactum.

LXXIX. Iam ad vrbes deuenerant Regis emissarij, nusquam maiore humanitate excepti, quam apud VVarendorpenses, quorum quinquaginta & amplius sub ipso statim principio nouorum præconum dogmata susceperé. Princeps rem maturè edoctus exercitum ad oppidum transportat, & mox deditione facta victor ingreditur. Capti concionatores quatuor numero, & ex ciuibus tres, quorum illi capitibus mulctati, & in quatuor partes dissecti, ad quatuor vrbis angulos affixi fuere: vno excepto Ioanne Klopriss, qui non ita pridem Colonia ex carcere Monasterium perfugerat, qui Archiepiscopo Coloniensi dono missus est, & postmodum mense Februario Brolæ flammis exustus. Qui Susatum ierant, cum horrendis clamoribus, tota passim vrbe ciues ad pœnitentiam & emendationem vitæ hortarentur, capti quoque sunt, & in Curiam pertracti. Ibi coram magistratu vestem humi tendunt, in eam acceptum à Rege nummum coniiciunt, seque vt pacem annuncient, à Patre huc missos testantur; quam proinde si recipere cupiant, iubent facultates in medium conferant; Sin vero repudient, hoc se nummo velut symbolo contestari, quod pacem oblatam impie reiiciant. Iam enim venisse tempus illud ab omnibus prophetis promissum, quo in mundo præter iustitiam nihil amplius Deus coli velit: & cum Rex munere suo perfunctus id egerit, toto vt orbe Christiano Respublicas iustitia gubernet, tum fore vt Christus regnum patri per manum tradat. Sic locuti, ad publicos carceres ductantur. Postridie vt expectarent mortis sententiam, in forum producuntur. Ibi capitis damnati, cum maioris Ecclesiæ campanam (quod signum denunciatæ mortis esse solet) lictor impelleret, vnus inter reliquos homo ferox & impetuosus, quasi furore correptus in gyrum agitur, spumat ore & infrendet, ac demum spiculatore conspecto, insit, vultu ad vindictam composito; Non me, inquit, conficies vir sanguinarie; pater cœlestis suppetias ferret; non iam mortalis amplius loquor, sed immortalitatis dono cumulatus mortis planè sum incapax. Ridens ista carnifex, experiar, inquit, hoc tecum, atque simul currui impositum Nasensteinium (est is locus supplicij) prouehi iubet. Ruit ad spectaculum tota ciuitas, & portis plebs vniuersa effusa ad supplicium properat, visura num fidem dicto propheta faceret. Exterritus rei nouitate spiculator, ne in tanta multitudine, libertatis quam iste promittebat auidissima, tumultus exurgeret, vtrimque demissis catharactis, exiguo septus præsidio, vatem obtruncat, ac eius qui ante immortalitatis priuilegium obiecerat, tanta caput vi detondet, vt procul ad assistentium pedes prouolueretur.

LXXX. Cœsfeldiam missi, priusquam ad oppidum venirent, in itinere præcisis capitibus, ferro passim pereunt. Par pœna in Osnaburgenses decernitur. Vt primum enim vrbem subierunt, senatus eos comprehendi, & Iburgum ad Principis arcem vinctos relegari iussit. Vinculis arctissime constricti grauioribus solito tormentis premuntur, idque eò, vt quæ rerum in vrbe facies, quis status esset, faterentur. Horum vnus in carcere exspirauit, is forte, quem Alberus ipsi sibi manum dentibus præcidisse memorat. Quatuor ad mortem condemnantur, capitibus post paulo plexi. Sextus qui superstes erat, Henricus Grasius gratiam inuenit. Vnus hic omnia Anabaptistarum secreta, quæ præsidia passim haberent, quas expeditiones, oppressionesque molirentur, quæ esset vrbis & sectæ conditio, reuelauit. Iam ante torti nihil nisi vindictam, motus, & bella minitabantur. *Affirmabant, à Christi & Apostolorum temporibus numquam tam pure prædicatum verbum Dei, iustitiam numquam sic viguisse. Quatuor inde ab initio reuelti in lucem Euangelij Prophetas extitisse; duos veros Ioannem Leidensem, & Ioannem Matthiæ, totidem impios & falsos: Pontificem Romanum, & Martinum Lutherum, quorum hic quidem multo illo sit deterior, & pestilentior. Damnabant omnes Anabaptistas, extra suos. Interrogari (inquit Hortensius) quarum Scripturarum testimonio & fide, assertiones suas & facinus tueri vellent, quod bonos viros fortunis suis expulissent, & illas vna cum liberis & vxoribus eorum nuauissent, cum nihil proximi appetere liceat, responderunt, Christum dixisse; Faciem cœli diiudicare nostis, signa autem tempo-*

rum non potestis? Item; Beati mites, quoniam ipsi possidebunt terram. In vrbe trecenta aureorum millia in vasis, præter alia supellectilia sepulta esse: electos esse in vrbe annona præfectos, qui cum etiam hostis negotiarentur, & commercia exercerent; vulgò, viros esse quinas vxores, pluribus denas, nonnullis septenas & octonas. His legem præscriptam, tam diu cum singulis consuescere, dum vterum gestent. Deinde fas iussq; esse, ex omni numero aliam diligere, quamcunque vellent. Puellas supra duodecimum ætatis annum statim amare. Nefas vxorum aliquam sociam thori distorto vultu obtueri: Capitale enim id, quemadmodum & illud, si qua adulterij traducatur, aut eo nomine infamis sit. Aniculas, & quæ coniugio inutiles essent, tutores legere, à quibus vitæ ac cultus necessaria suppeditarentur. Oppidanos templa & sacella Diuorum immortalium demolirj, quæ peculiari nomine ipsi forum Baalis, & Romanarum nundinationum emporia appellarent. Ad octo hominum millia Monasterij censeri posse. Regium iussum fuisse, ne hi 28. Euangelistæ infortunium suum prophetis Monasteriensibus, sed Susatenorum imputarent. Regem magnam armatorum vim, ex Hollandia & Phrysia expectare, quorum robore instructus orbem Christianum debellaturus esset; omnem Magistratum extingueret, qui iustitiam non exerceret. Monasterienses, nullam prouocationem ad Cæsarem agnoscere. Asseruerunt & illud, citra operam Prophetarum, nullam Scripturam posse intelligi. Inter hoc nemo exiit, qui venia concessa respiscere voluerit.

Confessio autem eorum qui Susatum missi, & in vincula ducti erant, hæc fuit, expressa tormentis, de vrbis statu. Ciues inter se extra conuenarum plebem, seditionibus agitari. Hanc autem ex Phrysiis & Hollandis conflatam esse. Templum Diui Iacobi molito frumento ad cocturam cereuisiarum, plenum; multa modiorum siliginis millia in primorum vrbis granariis adhuc condita. Tantum hordei suppetere, quantum in biennium sat futurum esset. Lardi magnum numerum, sed salis parum, minus butyri. Tres munitiones forma rotundas aduersus vim in vrbe oppidanos moliri; vnam ad portam Horstanam, aliam ad Diui Mauritij, tertiam ad Iudefeldensem. Bis mille ducentos bellicosos viros censos esse; seculo plures fœminas. Noctes & dies quingentos in mœnibus excubias agere, tertio quoque die in orbem redire; ab hoc onere Regem & Regia officia libera esse. Pulueris tormentarij vasa LXX. Regi stare. Se memorato Phrysiorum & Hollandorum roboreauctum, munitionem quæ Cœsfeldiam spectat breui expugnare, & à fundamentis euersam solo adæquare. Porro autem lanij cuiusdam inter captiuos confessio hæc fuit, scripto excepta; Ex oraculo cuiusdam Prophetarum, Regem Sionis Monasterij breui orbi imperaturum. Bernardum Knipperdollingum in solio Regio nuper sedisse, & clara voce coram multitudine exclamasse, mori se velle, ac vitæ restitui: fore, vt tunc demum cæcis oculi aperirentur. Se Osnaburgum missos, ad Euangelium concionandum; ac nisi ab iniustitia mature resipiscerent, fore vt velut olim Sodoma & Gomorrha tollerentur. Ex Osnabruga Heruordam se petituros fuisse, vt & illic Euãgelium tradidissent. Regem dixisse, se hunc in Regem à Deo cooptatum, vt ad impietatem ferro vindicandam, & nõ credentes supplicio extremo humanorum afficiendos; orbem peragraret. Ante Calendas Nouembres, aut ad summum Calend. Maij omnia Episcopi præsidia à Deo vastatum iri; vrbem nulla opera humana obsidione soluendam. Huius vaticinij authorem Ioannem VVarendorpium fuisse, qui Susatum profectus erat. Omnia quæ is de obsidione vrbis, de oppugnationis euentu suis denunciarat, reuera euenisse. Ieiunium tridui, & supplicationes in eum diem publicè, indictas fuisse. Regi quatuor vxores fuisse, & nuper admodum quintam accessisse. Interrogatus, quo habitu, & consilio Rex se aduersus Imperatorem & Principes in sua expeditione gereret; Respondit, iis illum parsurum, qui se ad ipsius æquitatem & iustitiam accommodarent: reliquos omnes nullo discrimine sublaturum.

LXXXI.

LXXXII.

Propheta vrbe excedentibus interminatus fuerat, ne carceres ingressuri, aduersarum rerum populares certiores facerent, ne angusto perculsoque animo essent, sed rem omnem ad prophetas Susatenos perscriberent: cum res secundæ forent, Regem se ad expeditionem armaturum. Hæc fere fuit confessio Anabaptistarum, qui ad inuulgandum suum Euangelium in hæc oppida à Rege missi fuerant. At

Grasius rem multo aliter Episcopo retulit. Nihil ferè aut certe parum commeatus in vrbe superesse, ciues penuria premi, frumenti vix quicquam reliquum, sal indies deficere; ac proinde facile in potestatem redigi posse. Consilium cum Grasio Episcopus transigit, ea lege, in vrbem, vt redeat, consilia Regis, opportunitates, loca & tempora clanculum exploraturus. Compedib. vinctus curru ad vrbem deuehitur in pratum nõ longe à porta dissitum, vbi noctem sub dio transegit. mane ab excubitoribus emissa voce agnitus, incredibili lætitia in vrbem excipitur, & vinctus ad Regiam portatur. A Rege rogatus de reditu, Angeli cuiusdam ductu huc se prodigiose, vt sociis sublatis, vnus patris auxilia ferret, translatum, reddidit. Obstupefecit Rex; cui ille; ne mirere, inquit, ô Rex res ita habet. Sedebam ego pridie compedibus hisce vinctus in custodia; expectabam, quod imminere videbam, supplicium. sed audi rem miram ô Rex. Hoc ego dum animo exitium metior, adest à patre liberator Angelus, qui & huc me, vt norunt omnes, tenebrosa sub nocte reduxit. Is deinceps obsessis aderit, & aduersus hostem robur suppeditabit. Simus nos præsenti solum animo, ac seriò Dei opus agamus; qui seruauit me, de minimis neminem perire permittet. His & similibus adeò blande se Regi insinuat, vt ad secretiora quæq; consilia iam tum admitteretur. quod munus tãta cum laude obibat, vt cum propheticum subinde proderet spiritum, omniũ iudicio in vatem deligeretur. Ea dignitate auctus litteras scriptitat, quas secretò VVestalia sibi missas fingebat. Illarum tenor hic erat; Nunciaret Regi, tres opulentas vrbes à Deo datas, Amstelodamum nobile Batauorum emporium, Dauentriam Geldriæ, & VVestaliam Transrhenanam, quæ breui sub ius Regis venturæ sint, si modo prophetæ eò mittantur. Prælectis Regi litteris, Iacobus Campensis, & Ioannes Matthias Middelburgensis adesse iubentur. His in genua coram prouolutis, Grasius iussu Regio manus imponit, ac Amstelodamensis vrbis illum Episcopum, hunc prophetam ordinat. Post biduum oblato viatico vrbe emittuntur, eoq; profecti magnam vrbis partem suis futelis, ac blando verborum lenocinio in sectam pertrahunt. Post menses sex & plus eo, in tantum factiosorum numerus creuit, vt, cum Antonius Lalingus Comes Hochstratanus, res Amstelodamensium inspecturus in vrbem veniret, ducẽti correptis armis nocturnas vigilias stationibus suis exacturi, ad forum prouolarent. Ciues orto motu, & ipsi arma capiunt, libertatem defensuri. Senatores per postica in Curiam cum præsidio properant, ac foribus fortiter præclusis, ne quis irruere queat, dant operã. Præsto est & Iudocus Buykius Tribunus, Nicolao H nio & aliquot ciuibus comitatus. Ille misso ex Curia manipulo, & reliquis qui aderant septus, Retinctos aggreditur. Hos, quo consilio, quidue volẽtes, præter morem in forum se effunderent, continerentque totam noctem? Ederent causas; fore vt mos ipsis gereretur, si æqua & Christianæ libertati consona postularent. Reddunt, æque sibi cordi vrbis defensionem ac reliquis, hucque non malo animo sed libertatis tuendæ causa progressos, vt quibus nocturna supplicia decernerentur. Ad ea Buyckius, domum suam quisq; securus concederet, fidem se suam interponere, id minime futurum. Secus si fiat, auxilio se totis quas coram conspiciant cohortib. ad futurum. Duodecima noctis erat, cum è palatio domum suam quisq; repederet. Hochstratanus nocturna ciuium trepidatione perterrefactus, circa hospitium satellitib. ad custodiam per biduum dispositis, Hagam, nihil diutius, ibi moratus, inde se abripuit. Interim Campensis Pseudo Episcopus ad nocturna synedria plebem cõuocat, inq; spem nouandarum rerum opimis promissis erigit. Augescente indies sociorum numero, Monasterium ad Regem scribit; milites in procinctu passim cõplures, hinc inde, non Abstelodami modo, sed tota Hollandia, Frisia, Gelriaq; palantes vagari, qui ad ferendas suppetias Regi Sionis se instruant, rogare se, ducem huc ableget, qui militem ad iter instructum in Hierosolymam VVestphaliæ traducat. Omnium animis, sed maxime, vno rumore ad spem secundarum rerum erectis, mittitur extemplo eò cum magno auri pondere Ioannes Gelensis, & cum eo tres alij Frisio solo editi. Erat Gelensis vir manu promptus, ingenio audaci, & longa rerum experientia celebris, domi militiæq; inter suos ob rem præclarè diutino bello gestam, publicè notus, & qui non ita pridem ordines etiam ductarat. Hunc Rex cohortibus illis ducem præfecit. mandat identidem abeũti, cisdem suis vt verbis dicat, quò ad expeditionem lubentiores essent, non tardarent diu, vt semel votum iter versus nouam Sionem prorogarent; pergerent saltem, & propediem auxilio aduentarent, futurum, vt in via comites multo quam putent plures nãcisc antur; Patrem enim per Grasium Prophetam Regi populoque Sionis sub ius & imperium tres potentissimas vrbes Amstelodamum, Dauentriam, & VVestaliam se missurum, promisisse. Hæc præfatus, auro argẽtoq; donatum, vt velut alter Moyses eam hominum multitudinem fideliter Monasterium traducat, hortatur, atq; simul nocte subatra in iter deducit.

Abstelrodami Anabaptistæ tumultum excitant.

LXXXIII. Dum hæc ab Anabaptistis agitantur, & parantur, neque furendi finis fieret, res ea vehementer Episcopum Principem terrebat & angebat. Itaque ab iis Principibus atque ciuitatibus quæ sunt prouinciæ Rhenanæ, tamquam à vicinioribus auxilia petiit. Eius rei Conuentus indicitur Confluentiæ ad XIII. Decembris diem huius anni 1534. Ibi Episcopus per legatos absens proposuit; quo pacto seditiosa illa & exitialis Anabaptistarum secta, nuper admodum in vrbe sua Monasteriensi & locis conterminis pullulare cœperit, ac pedetentim iam eò contra publica Cæsareæ Maiestatis mandata progressa sit, vt non modo impietatis suæ irreligionisque exercitium introduxerit, sed & ciues omnes bonis suis & vi be pepulerit, Ecclesias & archiua expilarit, ritus & cerimonias veteres aboleuerit, Dei cultum extinxerit; litteras, sigilla, diplomata, & quæque secretiora vrbis exusserit; nec eo contenta, Regem etiam, hominem seditiosum & turbulentum opificio sartorem elegerit, qui se nominet Regem Sionis, vel nouæ Hierosolymæ, quemadmodum quos nuper emisit, prædicantes prodidére. Præterea eò consilia sua dirigere, vt ex vicinis prouinciis quoscumque possit in sectam illiciat, & tum demum firmissimis vbique fulta præsidiis militem in publicum educat, imperiumque suum qua patet terrarum orbis propaget, Christianos omnes quos impios nuncupet, internecione deleat; ad hanc explodendam auxilia se poscere &c. Responsum ab Ordinibus fuit, summo animi dolore rem eam se accipere, condolere Principi, quod in eas calamitates vrbs primaria, & alia nonnulla ciusdem diœcesis oppida conjecta sint; non defuturos ipsi, si quocunque modo subuenire queant; libenter hic consilia decernere; sed quia omnium Ordinum requiratur consensus, decretum facere non posse. rogare autem vt ad reliquas omnes Imperij ciuitates scribat, hucque vel ad alium locum conuentioni commodum conuocet. Cum vero legati instarent, & quam necessaria auxilia essent, si modo rebus Imperij consultum vellent, demonstrarent, pecunia certa in subsidium promissa esset; cuius quidem solutio duobus terminis fieret, quorum primus esset Purificationis, alter Paschatis vel ad summum Pentecostes. Moguntinus, Treuirensis, Palatinus, & qui sunt præterea circuli Rhenani, Confluentiæ apud Magistratum Ciuitatis; vt Colonensis, Saxo, inferioris vel VVestphalici circuli ordines Coloniæ deposuere summam in terminis dandam. Et si fortassis obsidio duret, vltra sex menses, conuentum, vt à cæteris quoque circulis septem, & reliquis Ordinibus auxilium peteretur. Eius rei gratia Rex Ferdinandus, Conuentum indicit VVormaciam, mense Aprili anni consequentis 1535. *M Sinonius histor. Anabaptist. libro 6. & 7.*

LXXXIV. Lutherus inter hæc, quamquam hæc Anabaptistarum secta fœtus quidam eius, non minus quam aliæ huius temporis hæreses fuerit, cum accepisset, Monasteriensem vrbem ab illis occupari, Lutheranos & Pontificios expulsos, Regnum ibi constitutum, Regem creatum, ac omnia sus deque perturbata, scripto illi quo ista continebantur præfationem adiecit, in qua vel manibus, ait, palpari posse, Diabolum habitare corporaliter in illa ciuitate: imo dœmones alios aliis istic confertim insidere, bufonum instar. Interea Deum homines ad pœnitentiam hortari, per Diabolicum hoc spectaculũ, quod tam rudis & crassus dœmon exhibeat. Nam si permisisset Deus, dubium non esse, quin sublimis ille, versipellis & acutus spiritus, qui mille artifex appellatur, causam hanc tam ruditer, & crassè non fuerit acturus. Certè tam impudenter rapere, sibique imponere diadema Regium, nec vnam ducere vxorem, verum tot fœminas sibi iungere, quot animus desideret libidinis æstu succensus, nimirum id non

esse, nisi rudis alicuius, vel alphabetarij dæmonis, qui versetur adhuc in puluere scholastico, necdum litteras bene colligere norit. Quod si vero rem hanc agat diabolus ille solidè doctus, eum à Deo procul dubio catenis fortiter esse vinctū, atque constrictum, ne subtilius vel cautius agere possit, aut debeat. Atque id in terrorem fieri dicit, vt metuamus futuram pœnam, antequā libertatem permittat huic erudito dœmoni, eique potestatem faciat, vt cum impetu nos aggrediatur, non alphabetario trium litterarum, sed veri grauissimiq; textus præsidio munitus. Nam si hæc ausit diabolus, dum instar pusionis & grammatelli pugnat, quid non sit facturus, si vim intellectui adhibeat, iudicio, doctrina, iuris ac Theologiæ scientia pollentem ostendat? Optandum vero, ne vllibi toto terrarum orbe maiorem sapientiam & subtilitatem exercere possit, quam Monasterij; tum paucos fore, quos spiritus adeo crassus seducat. Quamquam cum Deus irascitur, nullum, ait, errorem inueniri tam fædum, quem Diabolus persuadere nequeat; vti manifestum sit ex Mahumetis exemplo. Nec à Muncero aliud expectandum fuisse, si machinationes ipsius feliciter cesserint, quam vt regnum aliquod Mahumetano non absimile nasceretur. Sane regnum hoc Tartaricum, vel gliricum potius, quod moliantur Anabaptistæ, nimis enormiter, & crassè seditiosum esse; vt plura de eo dicere prorsus necessarium non sit. Hæc Lutherus.

LXXXV Dum vero Monasterium obsidetur, anno hoc 1534. execute quiddam accidit inter Lutheranos, forte seculis omnibus inauditum, quod quia Lutherum etiam exercuit, inserendum hoc loco duximus. Oppidum est in Saxonia Stasfurtum, cuius Pastor Lutheranus, Laurentius Donerus, pridie Natiuitatis Christi, more Lutherano, in Ecclesia Parochiali confessiones eorum excepit, qui postridie erant communicaturi. Cum expeditis omnibus, surgeret iturus domum, videt accedentem quendam paulo simpliciorem, vt apparebat, indutum amictu nigro, eoque sordido, pileum vero gestabat vilem prorsus, attractum manu, vt frontem fere tegeret. Is Pastorem compellat robusta voce; Domine, *inquit*, visne audire Confessionem meam? Annuit ille, seque ad audiendum componit. Tum alter longiuscule remotus ad duos fere passus, in genua se prouoluit, quasi confessionem editurus. Pastor; Si confiteri vis, inquit, accede paulo propius: vt exaudiri possis. Alter, satis illi se propinquum esse, respondet. Deinde Pastorem *ipse velut examinare cæptans*, in hunc modum orditur; Quid sentis de Natiuitate Christi? Pastor; de ea præclare sentio, inquit; & paucis fidem suam exponit. Alter denuo quærit; Quomodo natum esse Christum existimet? Respondet ille; Conceptus est de Spiritu Sancto, & natus ex Maria virgine, vt Symbolum Apostolorum testatur, & Scriptura. Quærit porro alter; Vbi scriptum hoc est, quod ex Virgine sit natus? Subiicit Pastor; Prophetæ testantur & Apostoli, virginem eam fuisse, Isaias scilicet capite septimo, Matthæus capite primo, & Lucas item primo capite. Alter falsè subridens; Fieri potest, *inquit*, vt hoc iis locis legatur; ego vero Scripturam ad hunc modum non intelligo. Pergit deinde; Quomodo dictum illud intelligis; Isai 7. vbi legitur in Hebraico textu, vox, *alma*? Quid illa significat? Respondet Pastor; Virginem incorruptam, vel iuuenculam, quæ cum viro non consueuit. Nec aliud credunt, aut persuasum habent Christiani, quam illibatam virginem Mariam eo loco designari, quæ Christum enixa est, Dominum & Saluatorem nostrum. Alter; falsum est hoc, inquit; forsitan scortum illa fuit, ex qua natus est Christus vester. Respondet Pastor; Id nec tu, nec quisquam viuentium probabit vmquam. Progreditur alter: Quid tibi porro videtur de Christo, cur actus fuit in crucem? Pastor. Crucifixus est, inquit, & mortuus propter peccata nostra, vt morte sua nos à morte sempiterna, à peccato, à tyrannide diaboli, & ab inferno liberaret. Alter: nequaquam, inquit: sed propter sua ipsius delicta mortis supplicium pertulit, quia peccauit in legem Moysis. Excipit Pastor: Id falsissimum est; nec enim vllum peccatum admisit in omni vita, sed innocens fuit agnus Dei, qui peccata mundi sustulit. Pergit alter; Deambulaui per agros, & cœlum apertum vidi; tum Moyses prospiciebat terram, & è cœlo deorsum protendebat cornua sua; è quorum altero pendebat Christus vester, qui cum legem Moysis euertere conaretur, excussus de cornu fuit, & proiectus in terram; quem Iudæi apprehensum egerunt in crucem, & occiderunt, propterea quod contra legem Moysi peccauerat. In altero cornu vir ille sedit, qui gustandum Adamo præbuit Euæque pomum in paradiso. Quærit deinde, & instanter quidem tribus vicibus; Nouistine virum illum? Quisnam is fuit? Territus hoc sermone Donerus, tandem; Diabolus is fuit, inquit: Quam vocem alter tacendo transmisit. Quærit vicissim Pastor; Cur vero tu negas Christum, eumque contemnis & blasphemas? Certè, quidquid de eo nunc dixisti, falsissimum est. At confessus aliquando fuit Diabolus ipse, Christum esse Dei filium. Quærit alter; vbi hoc scriptum est? Pastor locum demonstrat Lucæ 4. Alter; Fieri potest, inquit, vt eo loco scriptum hoc sit; sed Diabolus non locutus est, quod ita sentiret? Habebat id temporis commodum hospitium, ex quo non lubens admodum migrauit; quæ causa fuit, vt daret illi bona verba, eundemq; Dei filium appellaret. Tandem Pastor; Cur, inquit, ad me venisti? Si confiteri vis, fac confessionis initium. Petisne absolutionem à peccatis tuis & infidelitate, vt in vera fide suscipias Eucharistiæ Sacramentum, in remissionem peccatorum tuorum? Respondet alter; Absolutionem non curo, nec Eucharistiam; neque scio, quid mihi profutura sint ista. Tum Pastor; Apage, inquit, ad locum tibi destinatum. Subiungit alter; Faciam, quod dicis: Interim cras alium in modum hac de re conferemus. Ad hæc Pastor; fac audacter quod facis, & redi. Interea surgit alter, disceditque, ingenti post se relicto fœtore.

Pastoris hæretici cū Dæmone colloquium

LXXXVI Hæc summa est Colloquij, quod Concionator iste Stasfurtensis, pridie natalis Dominici cum dœmone habuit humana specie laruato; quem si cum altero isto conferas: Eutheri præceptore, de quo supra diximus, hunc alphabetarium rudem, crassum, illum vero è magnis illis & doctissimis Theologiæ Diabolicæ Doctoribus, vnum fuisse non iniuria censeas. Hic de Incarnationis & passionis mysterio, ille de sacrificio Missæ disputationem instituit. Et quidem qualis fuerit Donerus hic Stasfurtensis Concionator, certe Luthero multò fuisse prudentiorem, vtriusque disputationis euentus docuit. Nam ille fidem adhibuit patri mendaciorum, & in partes illius concessit; hic vero cautior illo repulit aduersarium, nec se passus est ab eo circumueniri. Quamquam nec eas rationes attulit Stasfurtensis hic diabolus contra mysterium Incarnationis, quas proferre potuisset acutior quispiam; nec aduersarium tam instanter vrsit, vt Lutheranus ille Sacrificij contemptor dœmon; alioquin & hic proculdubio leuioris armaturæ gregarius miles, Donerus inquam, in congressu succubuerit; quando supremus Imperator Lutherus ipse non potuit impetum sustinere.

LXXXVII Mirum vero, quo consilio roget irrisorem hunc dœmonem Donerus, An absolutionem petat à peccatis suis? An Eucharistiam in vera fide suscipere cupiat? Legerat fortè quod Lutherus in libello de Missa priuata scripsit, vbi fusius argumenta Sathanæ declarat, contra iuge Sacrificium suppeditata: Diabolum scilicet, si in humana specie subrepens in Concionatorem ordinetur, docere verbum, absoluere, baptizare, consecrare Eucharistiam posse. Verba Lutheri sunt, vt iustus Ionas ea Latine reddidit: *Ego non dicam, quod Papistæ dicunt, nullum Angelorum, ne Mariam quidem consecrare posse; sed è contra dico: Si Diabolus ipse veniret (si modo præ malitia posset rebus Dei tam diu interesse) ego autem pono, vt postea resciscerē, Diabolum sic irrepsisse in officium Pastoris Ecclesiæ, in specie hominis vocatum esse ad prædicandum, & publice in Ecclesia docuisse, baptizasse, celebrasse Missam, absoluisse à peccatis, & tali munere functum esse iuxta institutionem Christi; tunc cogeremur fateri, Sacramenta ideo non esse inefficacia, sed verum Baptismum, verum Euangelium, veram absolutionem, verum Sacramentum Corporis & Sanguinis Christi nos accepisse.* Hæc Lutherus. quæ cum indubiè legerit Stasfurtensis iste Donerus, animum subire potuit hæc cogitatio; Si diabolus absoluere potest apparens in humana specie, quidni possit vicissim absolui? Si consecrare Eucharistiam, si porrigere aliis, quidni & accipere? Quod opinari sanè Lutheranis procliue fuerit, qui ministerium Ecclesiæ ad Angelos bonos malosque trans-

trāsferunt: præsertim si, quemadmodum omnes prope resuscitant antiquas hæreses, etiam Origenis delirium de saluandis aliquando dœmonibus, amplectantur.

LXXXVIII Lutherus certe vbi vidit historiam hanc in vulgus editam, adiunxit illi præfationem ad Nicolaum Ambsdorffium, cuius iudicium exquirit super hoc colloquio, de quo se fatetur habere varias cogitationes. Non quæri, dicit, quis fuerit Socius ille; sed quo consilio tam audacter accesserit & securè, ceu familiariter vocatus. Suauiter deinde nugatur; de diuturna contritione & satisfactione huius peccatoris, quem Regis Beelzebub humilem legatum nominat. Ambsdorffium supremum vocat & verum Ecclesiæ Magdeburgensis Episcopum, cuius sententiam expectare se dicit in hac causa: quam si forte remittat, ad se veluti Papam, cogitandum illi, primis Ecclesiæ temporibus, Episcopos non raro Pontificibus ipsis meliores doctioresque fuisse; quemadmodum de Sancto Augustino constet, misero illo Hipponensium Episcopo. Quod si ipse velut Papa, serio respondere cupiat huic legato, non habere se præsentes, *ait*, Cardinales suos & Prælatos, qui priusquam conuenire possint, futurum vt vel pereant enecti fame; combusti, submersi, trucidati, vel in exilium pulsi dispergantur. Vt vero Concilium indicat huius rei gratia, id sibi multo difficilius futurum, quam Papæ Romano. Itaque ipsi Ambsdorffio, velut ordinario loci, vel dœcesano definiendum ait, quid facto sit opus in hoc negotio. Hæc per iocum Lutherus, veluti ludens Sarcasmis, & hierarchicum Ordinem in Ecclesia falsè ridens. Tandem inquit: *ego certe qui me Papam salutari patior, (sum vero etiam Papa) Iisce litteris tibi commissam volui plenitudinem potestatis; præterea scrutinium pectoris, vt absoluas peccatorem hunc, tamquam in articulo mortis constitutum, vel, vt Diuus Petrus ait, vinctum rudentibus inferni, eique veram satisfactionem imponas forma, stilo, modo, figura, loco, tempore, quibus potest fieri melioribus: vel istis: Irascatur tibi Omnipotens Deus, &, retentis peccatis tuis, detrudat te in ignem æternum. Et ego autoritate Domini nostri Iesu Christi, & Sanctissimi Domini Lutheri Papæ primi, mihi hac in parte concessa, absoluo te ab omni misericordia Dei & vita æterna, mittens te his verbis in infernum, qui tibi & Regi tuo præparatus est ab initio. Amen.* hæc scurra scurratur in re grauissima; doctus ab eodem quo Donerus magistro, cui familiare scintillas eiusmodi exsufflare, & labiis adapertis irrisoriis, in circuitu dentium ostendere formidinem. *Vlembergius in Luthero.*

LXXXIX. In eius schola, cum multi nobiles adolescentes Poloni, per speciem bonarum litterarum, Lutherica simul imbiberent venena Wittembergæ; vnde metus erat ne domum reuersi, totum Poloniæ regnum hactenus Catholicissimum, Lutherismo inficerent, Ioannes Cochlæus, parentes illorum ignaros (putabant Lipsiæ illos litteris operam in Catholica hoc tēpore Academia dare) periculi admonuit, simulque varios Latine libellos edidit, quos Episcopis & Proceribus regni illius inscripsit, vt ea saltem occasione intelligerent, sibi suisque à VVittembergensi fermento cauendum esse. Cum autem apud plerosque Polonos propter bonas litteras gratiosum esset Philippi Melanchthonis nomen, vt venena illius propius clariusque inspicere possent, edidit Cochlæus quatuor Philippicas, & quædam alia in Philippum illum opuscula, quæ per Bibliopolas in Poloniam peruenerunt. Archiepiscopus ergo Gnesnensis Matthias Dreuicius, aliique nonnulli Episcopi & Proceres regni, autores fuerunt Sigismundo Catholico Regi, qui acri edicto promulgato, omnes nobiles illos adolescentes VVittemberga reuocabat, & ne qui in posterum eò mitterentur, grauissimis propositis pœnis prohibebat. His verbis ordiebatur Sigismundus edicere:

Sigismundus Rex Poloniæ Adolescentes Polonos ob hæresim VVittemberga reuocat.

Audimus permultos esse in regno nostro factiosos, & nouandarum rerum cupidos homines, qui Sectas ab Orthodoxis Patribus in Vniuersalibus Conciliis reprobatas, non in occulto solum sectantur, sed & publice profitentur & disseminant, non sine contemptu piarum Sanctionum, à sancta Catholica Ecclesia institutarum & receptarum, atque Edictorum nostrorum. Esse item non paucos, qui liberos, propinquos, & affines suos, VVittembergam mittant, vt illic mox ab ineunte ætate, prius quam nouerint malum à bono discernere, pestifera dogmata ab ipso Luthero (qui horum malorum caput est) imbibant, & postea in regno nostro diffundant, & propagent. quæ res quam infeliciter vicinis circumcirca regionibus ceciderit, nemini obscurum est. Videmus enim luce meridiana clarius, quantæ seditiones, quantæ cædes, bonorum direptiones, & quanta rerum omnium perturbatio, quanta denique honestatis euersio, ex his initiis excitata sit: quam non potuerit hactenus pestis hæc, semel in hominum animis radicata, extirpari, quamuis multis in id incumbentibus. quod ne nobis quoque & subditis nostris vnquam vsu veniret, cauimus aliquoties Edictis nostris, grauibus pœnis in transgressores constitutis. & infra. Quod attinet ad eos, qui apud Lutherum vel quoscumque alios factionum istarum principes vitam degunt, iis omnem aditum ad quasuis dignitates & magistratus præcludemus in posterum &c.

XC. Post hoc edictum, aliqui Poloni VVittemberga in patriam reuocati, omnem culpam in Cochlæum reiecerunt. quorum vnus, Canonicatū Metropolitanæ Ecclesiæ Gnesnensis donatus, acrem in Cochlæum ad Archiepiscopum suum scripsit epistolam; in qua sanè multis laudibus celebrabat Philippum, acerrime autem accusabat Cochlæum, quasi is potius odio Melanchthonis, ac humaniorum litterarum, quam amore Religionis & publicæ rei, aduersus illum contēderet. quantumuis Cochlæus integritatem suam demonstrabat, multisque confirmabat, ea de causa scripsisse, id quicquid scripsisset, ne specioso bonarum litterarum titulo, simplicioribus animis Polonorum aliquid noxæ affricaretur: maluisse scribendo, edendoque, etiam cum euidenti vitæ suæ periculo paucos offendere, quam tacendo & dissimulando, omnes Polonos in discrimen adducere, ac vniuerso illi regno certissimam perniciem afferri tolerare. *Cochlæus in Luthero.*

XCI. Pullulabat per Belgium, & præsertim Leodij virulenta hæresis, præcipue Lutherana, omniaque sensim ad turbas & seditiones tendebant. His vt efficacius, minorique difficultate ac strepitu iret obuiam Cardinalis Marcanus, Sedis Apostolicæ Legatus, Præsul Princepsque Leodiensis circumspectus, tempori ac necessitati indulgendum ratus, die 6. Maij huius anni, conuocatis Consulibus, Scabinis, Commissariis, totoq; ciuitatis consilio, magna qua pollebat, tum eloquentia, tum auctoritate, tandem effecit, vt ex singulis ciuitatis parochiis boni aliquot ciues nominarentur, quibus vna cum Consulibus, Scabinis, Iuratis & Commissariis, plena potestas daretur normam condendi, iuxta quam in hæreticos statim inquiri, & remedium prōptum malis imminentibus afferri posset. Illi igitur officio gnauiter functi, die IX. Maij, Præsuli, totique ciuitatis Concilio retulerunt, videri sequentia posse pro lege seruari; vt omnes ij ciues, *qui hactenus de hæresi vel diffamati*, vel accusati, vel iam conuicti à ciuitate profugerant, priuilegio ciuitatis, & ministerio si cui adscripti erant excidisse censerentur; Officiatumque Episcopi de eis eorumque bonis, prout iudex legitimus ordinauerit, constituere. Sed & qui à nouissima remissione IX. Iunij anni superioris finita hæreticis adhæsisse, fauisseue quoquo modo, vel per affectos supplicio alios accusati fuissent apprehenderentur, carceribusque manciparentur; cautione tamen adhibita, vt honesti ciues, qui fama hæreseos ante non laborauerint, nonnisi præuia diligenti informatione apprehendantur, apprehensique non prius quæstionibus subiiciantur, quam coram Consulibus ministeriique sui Officialibus in suis defensionibus auditi. In hæreticos porro de hæresi necdum accusatos conuictosue, cuiusq; Parochiæ Commissarij, Scabino vno & aliquot iuratis adhibitis, inquisitiones toties quoties libuerit, vsq; ad plenariam eiusce luis extirpationem, promoueant; de quibus secundum legem & Franciscam iudicetur, sic tamen vt apprehensibiles iudicati, nonnisi pede ligato audiantur; alioquin de iis pro causæ meritis statuatur, & profugi post triduum pro confessis habeantur, & iuribus ciuicis, suique ministerij priuentur. Quæ omnia ad annum edicto publico inuiolabiliter obseruari iubeantur; quo finito, prout res tempusque postularent, vlterius statueretur; anterioribus nihilominus ordinationibus in suo robore manentibus.

XCII. Inquisitionibus factis, deprehēsi sunt plurimi Lutheranis dogmatibus imbuti, non viri tantum, sed etiam mulieres, omnis conditionis & ætatis. Erardus igitur Cardinalis Legatus adhibitis Theologiæ peritis, præsertim Dominicanis & Car-

& Carmelitanis, multos ad veræ doctrinæ semitam reduxit; pertinaces flammis tradidit; quosdam patria eiecit; alios erudiri petentes, vel carceribus detinuit, vel ad scholas publicas, certo illis præscripto tempore dimisit. *Chapeauile in Erardo Marcano.*

Eodem anno 1534. Lugduni in Galliis, Alexander Canus Ebroicensis, dum hæresim pro concionibus spargeret, comprehensus, in vincula coniectus, Lutetiam q; abductus, capitalem sententiam sustinuit. *B. in Chronol.*

XCIII. *In Scotia acriter in Lutheranos inquisitum.*

In Scotia quoque, mense Augusto acriter in Lutheranos inquisitum. Quidam coacti, publice recantare; nonnulli, quod citati non adessent, exules pronunciati, duo concremati. *B. histor. Scot. lib. 14.* Alesius Scotus apostata, Lutheri & Melanchthonis discipulus, hæresim Lutheranam in Scotia propagare conabatur, illatis in eam insulam libris pestiferis, & præsertim à Luthero corruptis libris sacris. Nam præter Nouum Testamentum, quod variis mendis infecerat Lutherus, in sua quam dedit Germanica versione; etiam hoc anno Vetus Instrumentum in Germanicum idioma, non minore peruersitate translatum, in lucem euulgauit. Facile enim intelligebat, ad ferendam in Ecclesia discordiam, & in populis hæresim, nihil fere efficacius, quam insipienti vulgo arma hæc, quæ hæreticorum ipse postea appellauit, in manus dare. In ea versione, præter quam quod innumera loca deprauauit, etiam plurimis libris vim intulit, quos hactenus Christianitas vniuersa pro Canonicis habuerat. Cum enim animaduerteret doctrinam quam è suo cerebro tamque alteram Iouis Mineruam in horas parturiebat, sustineri ac defendi non posse, si certis quibusdam Sacræ Scripturæ libris eadem quæ hucusque constaret autoritas, illos audaci manu furcillare atque conuellere aggressus est. Quamobrem libros Macchabæorum, quorum testimonio omnis antiquitas vsa est, ex Catalogo expunxit; Iudith, Tobiæ, Hester, & Ecclesiasticos libros, Iudæorum figmenta, & nescio quas tragœdias & comœdias appellauit; Quæ de Iobo scribuntur, fabulæ argumentum esse dixit. Librum Ecclesiastici idem scurra, inquit, similem esse equiti sine calcaribus & ocreis equo insidenti, nec quicquam præ se ferre quam calopodia quædam, quibus ipse in Conuentu Fratrum vsus fuerit. Quum Iustus Ionas eius discipulus, Tobiæ versionem à se curatam exhibuisset; Apage, inquit, isthæc, mi Iona. In hoc enim libello multa stulta & ridicula inueniuntur. Sed & Diui Iacobi epistola morsum eius effugere non potuit, stramineam eam appellans; imo hanc præcipue infectatus est, tamquam si in fauorem Pontificum & Pontificiorum cusa esset. Nec à falso abstinuit, *cum* pro *sine* reponendo. Epistolas quoque S. Pauli ad Hebræos, S. Iudæ, tertiam S. Ioannis, & secundam S. Petri abrogauit, aiens, nolle se eiusmodi epistolas in suis Bibliis habere, sed permittere vt excludantur inde, & reiiciantur. Nec S. Ioannis Apocalypsim pluris quam Esdræ libros facere dicebat, eosque in profluentem se libenter abiecturum testabatur. In ea editione, seu potius corruptela & detruncatione Bibliorum, vsus est opera Casparis Crucigeri Medici, qui postea professione relicta, noui factus est Euangelij buccinator. Totum hoc opus Bibliorum à Luthero deprauatorum, calculis omnium Catholicorum condemnatum fuit, & Ferdinandi Romanorum Regis mandato flammis exustum: cuius exemplum secutus Georgius Saxoniæ Dux, multique alij Principes Catholici, vbicumque exemplaria apud librarios coëmere poterant, conquirebant, & ignibus tradebant. Ea ipsa Bibliorum versio, nec ipsi quidem Bucero, quantumuis eo tempore Lutherano placuit, cum in ea quamplurima, eaq; crassissima errata deprehendisset; quæ cum Lutherus tamen pro vero textu verborum S. Scripturæ haberi vellet, Bucerus in Dialogo contra Melanchthonem exclamabat; *Si Lutherus id postulet, vt nemo ei contradicat, id quoque postulat vt Deus sit.* Ioannes autem Cochlæus scripto ad Iacobum Regem Scotorum, cõtra Alesium libello, illum periculi ex his peruersis libris admonuit, omniaque mendacia impostorum detexit: ostendens, nouum hunc Bibliorum interpretem nihil aliud omni suo studio perfecisse, quam quod falsitates falsitatibus cumularet, dum suo modo versionem instituisset, & tam sensum quam verba ad suas opiniones accommodasset, non saluandis sed perdendis hominibus. *Florimundus lib. 1. Cochlæus in Luthero.*

Eæ merces & hæreses ne in vicinam quoque Scotiæ Sueciam peruaderent, Ioannes Magnus Gothus Archiepiscopus Vpsalensis, Sedis Apostolicæ Legatus serio curauit. Ad Ecclesiam enim suam à Clemente Pontifice reuertens, cum Gedani substitisset, inprimis per litteras & fideles nũcios Regem Gostauum rogare, hortari, & obsecrare cæpit, ne pateretur sanctissimam Christi fidem per manus Sanctorum Patrum traditam, & tam pie, & iuste, constantissimeque apud Sueones & Gothos obseruatam ab impiis hæreticis conculcari, aut per nouas eorum technas labefactari. Scripsit etiam non paucas litteras illis paucis Catholicæ Ecclesiæ reliquiis, quæ per latissimam Vpsalensem prouinciam dispersæ morabantur, consolando, hortando, obsecrando, ne se hæreticorum astutiis corrumpi aut peruerti tolerarent, neue in grauissimis persecutionibus quas pro fide Christi & Sancta Romana Ecclesia sustinebant deficerent: ac certo certius scirent, se in proximo à Deo, & Dei Vicario Clemente VII. sanctaque Sede Apostolica, si aliquanto tempore viueret liberandos. Sed nimis crudelia fata Clementem Pontificem, cum sempiterno damno non solum omnium regnorum Aquilonarium, sed totius Catholicæ Ecclesiæ ex viuorum numero abstulerunt. *Olaus de vitis Pontificum Vpsalensium lib. 6.*

XCIV. *Ioannes Magnus Gothus Episcopus Vpsalensis Regẽ Sueciæ vt hæresim eliminet hortatur.*

XCV. *Clemens VII. Pontifex moritur.*

Is Romam Martilia reuersus, iam animo quæ futura erant præsagiens, quasi mortem sibi imminere exploratum haberet, sepulchrum & amictum omnem quo Pontifices quum sepeliuntur ornari solent, sibi fieri curauit, ac familiaribus suis, sedatissimo animo sebreui moriturum non raro edixit. Æstate ineunte stomachi inprimis doloribus excruciari cœpit: quibus febri accedente diu abilla atque aliis offensionibus vexatus, cum iam fere ad extremum deuenisse, iam ita subleuari, vt aliis, sed non sibi salutis spem exhiberet, videretur, tãdem die xxv. Septembris, multis gemmis in Angelica arce, & innumeris officiis venalibus relictis, sed contra communem omnium opinionem pecunia perquam exigua, ex hac vita migrauit: in suis actionibus grauis, sagax, victor sui, maximo ingenio, varia fortuna: sed dum Principes dissentientes inter, medius ac Pater vult esse, vtrisque suspectus, fama potius odiosa quam grata, adeoque apud vtrosq; fide ambigua, & à conferendis beneficiis alienus, adeoque Curiæ inuisus, meticulosus & auarus; vt *Franciscus Guiciardinus*, pro suarum historiarum colophone narrat, *lib. vlt.* Paulus Iouius eius familiaris, hæc de illo memorabat: sed forte ab affectu; quod ab illo, honoribus non excultus. Inerat Clementi ab seuero ore gestuque & sermone ipso grauitas naturalis, exculta, vti vidimus, per omnem ætatem ciuili æquitate, moderatione, & patientia insigni. Sed deerat in eo, qui fortasse in Leone fratre superfuit, generosi & liberalis animi vigor, dignus Principe, & Medicea stirpe progenito. Ea siquidem erat natura eius ingenij parsimonia, & dissimulatione gaudentis, vt illiberalis & durus potius quam sæuus & maleficus esse censeretur. Neminem enim plane oderat, quum neminem adamaret, præterquam ab occultiore causa conciliatos. his certe vnis adeo intemperanter fauit, vt ad summos honores, aut ad summum authoritatis locum, stabilesque diuitias nullo pudore prouecheret: multorum vero constanter obliuisceretur; qui ab optimis litterarum studiis, vetereque obsequio commendationem, & præmia meruissent. Hos quidem perblandè appellabat, vt imagine gratiæ detineret, sed occultè oderat tamquam creditores. Et certe nisi Gibertus litterarũ & virtutis amore incensus, vti erat in administratione Reipublicæ, optima huius seculi sorte, Clementi intimus, negantè cũcta prædurumq; Principem, molliendo, fallendoq; ad beneficentiæ decus reuocasset, præclara profecto aliquot, fœcundaque ingenia, dolore simul & pertinaci sterilitate periissent. Dedit tamen omnia vel semper nolens, quæ suis parum benigna facie denegarat; & inimicis quidem sæpius & indignis. qua in re aliquando suspirans, se miserum esse confessus est, quum animus aut præsenti vtilitate inductus, aut ignobili compulsus metu, ad id inexplicabili necessitate, vel reluctante iudicio raperetur. Ex vno enim & triginta Cardinalibus, quos legerat in Senatum, vix vnum atque alterum probabat, quod eos præteritis honestioribus, nequaquam exquisito decoroque delectu, vti desiderasse videri cupiebat, sed vi subita inter impotentes Regum preces, armorumque strepitum circumuentus, & coactus edidis-

Eius laus.

edidisset. Cæterum, qui occultare naturæ vitia, & studia hominum prompteri expedita liberalitate nesciebat, eximiam certe laudem adsequebatur, facilitate aditus, perurbana comitate, & populari quadam molestissimarum rerum tolerantia. Nunquam enim insimorum etiam hominum vel preces, vel spes ipsas, iratus aut fastiditus abrupit. In eo quoque enitebat, quod certe familiæ propriũ fuit, rerũ prope omnium, præcellentium q; artium notitia, atque censura singularis, cõ admirabilior, quod nullis prope litteris inniteretur, verum ingenio ad infimas artes sumptuariasq; rationes adeo demisso hærentique, vt opificum arcana subtilitatesque operum nimia, & prope turpi solertia scrutaretur. Et certe is fuit, quem nemo vnquam in paruis rebus fefellerit, vt obiter non sit mirum, si in magnis demum, quæ publicam salutem respicerent, sæpissime fuerit deceptus. In grauiore etenim consilio, omnem vim summæ eius prudentiæ fatalis auaritia penitus elidebat, vtpote qui in proferenda pecunia quum opus foret, adeo suspensus & anceps, tristi cunctatione torqueretur, vt in perleui momento gerendarum rerum occasio facile deperiret. Hic vir profecto alioqui egregie cautus, & maximarum rerum experiens, nequaquam vllo plane illustri & expedito Spiritu, vltima animi decreta promere, & consilia terminare didicerat, vti tum maxime publicæ salutis interfuit, quum ipso consultante non omnino improuisa clade obruta Roma periisset. Sed excusare eum hoc loco lubet, & profecto iuuat, tanquam non minore ignauia suorum ducum, quam hostium perfidia in eas miserias præcipitatum; postquam excellenti demum consilio, ab insigni Cæsaris æquitate feliciter ducto pacem peperit, magnamque Italiæ partem luctuosa Hispanorum militum acerbitate liberarit. Hoc certe honestissimo facto, & in ipsa saltem morte, qua omnis inuidia facile extinguitur, præclaram virtutis laudem meritus, nisi vti posthumus, patre crudeliter interfecto priusquam ab vtero matris in hanc lucem ederetur plane infelix, malè auspicatam & vere lugubrem Pontificatus sui memoriam reliquisset. Sæuum enim id bellum, & quo Roma funestius à multis seculis non sensit, pestilentia prope ineuitabilis, dira fames, & prodigiosus Tyberis auctus, accumulatis cladibus excepere, adeo vt omnis ordo & denique populus vniuersus, diu expectata, & demum audita eius morte, magnopere lætaretur; iocatique summa libertate nonnulli gratias agerent Curtio medico, qui firma vtentem valetudine, innatoq; membrorũ robore præualidum, in multa spe longioris vitæ, nouis præceptis & cõmutata viuẽdi ratione, dubio procul occidisse credebatur. Laudauit eum in funere Laurentius Granius Signinus Antistes, Romana facundia, ità relatis in fatalem iniuriam cladium acceptarum causis, enumeratisque virtutibus, vt Cardinales Reipublicæ probe atque opportune consulturos diceret, si proximis Comitiis Pontificem pari animi virtute, sed ea aliquanto feliciore creauissent. Marcus Antonius Casænoua, Comensis cuiusdam filius, arguti epigrammatis Scriptor, Columniæ familiæ alumnus, cum aliquando in gratiam Pompeii Cardinalis, viuentis famam Clementis intemperantissime lacerasset, Clemens seipso & toto denique desumpto nomine maior & augustior, reo maiestatis, captoque ad supplicium facile depercit, præclara C. Cæsaris imitatione, qui Catulliani dentis æternum virus, & liuidam libertatem generosa dissimulatione contemperat. *Iouius historiarum libro 32. & in elogiis.* Rebus humanis excessit, anno ætatis 56. mens. 4. Pontificatus decimo, mense decimo, die septimo. Cadauer primum ad Sanctum Petrum, postea Pauli Tertii Pontificatu cum Leonis Decimi corpore ad Mineruæ delatum est, & marmoreo sepulchro collocatum. *Onuphrius in Clem. 7.*

XCVI. *Thomas de Vio Caietanus Cardinalis obiit.*

Paucis ante diebus præmisit in terram viuentium, Thomam de Vio Caietanum, Ordinis Prædicatorum Archiepiscopum Panormitanum, tit. Sancti Sixti Presbyterum Cardinalem, post Thomam Aquinatem summum Philosophum atque Theologum, Germanica contra Lutherum, & Vngarica contra Turcas legationibus insignem; quem Gabriel Prateolus, & Alphonsus de Castro, in suis hæreticorum catalogis, inter hæreticos, per summam iniuriam adscripsere, cum quid sit hæresis, quis hæreticus, quæ notæ propter quas aliquis hæreticis accersendus nosse potuissent. Et pronum fuerat apud Diuum Augustinum contra Manichæos, illud solenne, etiam in Canonem relatum legere: *Qui sententiam suam, quamuis falsam atque peruersam, nulla pertinaci animositate defendunt, præsertim quam non audacia sue præsumptionis pepererunt, sed à seductis, atque in errorem lapsis acceperunt, quærunt autem cauta sollicitudine veritatem, corrigi parati cum inuenerint, nequaquam sunt inter hæreticos deputandi.* Item. *Qui in Ecclesia Christi morbidum aliquid, prauumque quid sapiunt, si correcti, vt sanum rectumque sapiant, resistunt contumaciter, suaque pestifera & mortifera dogmata emendare nolunt, sed defensare persistunt, hæretici sunt.*

At Caietanus tantum abest, vt nonnullas singulares opiniones pertinaci animositate defenderit; vt etiam omnia iudicio Sacrosanctæ Sedis subiicerit, paratus retractare, si quis certiora, verioraque docuisset: quod præterea ipse præstitisset, & retractationum Commentarium reliquisset, nisi mors præmatura illum oppressisset. Iniquo itaq; decreto illi, & si qui alii ab illis mutuati, hominem corrigi paratum, & in gremio Catholicæ Ecclesiæ, immortuũ, proscriptis hæreticis adnumerant.

XCVII.

Fuit Caietanus hoc tempore, (vt Bartholomæus Spina Pisanus memorat) vitæ ac sapientiæ splendore nulli forte secundus, à Domino quasi viuens Thomæ Aquinatis imago suscitatus. Namque *animam bonam illum à Domino sortitum esse*, (si naturalia iungamus actibus, ex quibus habitus virtutum innotescunt) ingenii eius perspicacitas, cui & ab ipsis pene cunabulis indefesse vigilantissimo studio fœcundauit, cunctis seculis patefecit. Sed nec ei quam indidit elegantiæ, nec desiderio ac auiditati discendi defuit Altissimus, omnia inquam ad sapientiæ studium extrinsecus conferentia subministrans.

Sacræ nempe Prædicatorum religionis, nonnisi sapientiam toto orbe resonantis instituto, iuuenis admodum, Deo initiatus, dum nequaquam segniter, virtutum exercitio, adipiscendisque literis totum impenderet; præceptorem eiusdem professionis suo isto Philosophorum ac Theologorum sapientissimum, Valentinum Perusia oriundum eidem Dominus præparauit, sub cuius Magisterio breui dierum spatio sic harum scientiarum adeptus est apicem, ac culmen conscendit, vt id adolescens adipisceretur honoris; quod non nisi veterani milites vix reportant. Nempe cui Metaphysices publica lectura in florentissimo Patauino gymnasio, demandata est, vt cum illo concurreret Trombetta, viro tempestate ista non vulgari; qui plus temporis lecturam hanc profequendo cõsumpserat, quam Caietanus ætatis. Quantæ autem tum fuerit non dico expectationis, sed veluti is à quo nihil eminentius expectari posset, admirationis apud sapientum inibi demorantium coronam; complurium eruditorum prædicabant voces, dum crebras referrent in Scholastica palæstra illius victorias, ita vt in proxima patria Venetiarum, omnium ciuitatum elegantissima, quasi de cœlo lapsi numinis eius gloria resonaret: Protestantur idipsum Sapientia eius in librum de Ente & Essentia D. Thomæ, eo tempore scriptis cõmendata: in quo etiam hoc ipsum admirari licet, quod in Doctoris Angelici laude ingeminatur, vniformitas dico, tum sensus, tum dictaminis, iuuenis admodũ, dum & ille esset, cum in sententias scripsisset, & eiusdẽ immatura dictantis ætate. In stilo siquidem, in ordine, ac rara quadã docendi viuacitate, subtilitate etiam ac altitudine sensus, etiam viri huius celeberrima scripta, quæ adolescens edidit, aliis in prouectiori ab eo discussis ætate si conferantur, eadem esse putabuntur. Sed nequaquam vana opinione. Neque enim defectus annorum prohibuit, quin ad fanum sapientiæ purissimum suggereret, & cunctis effunderet abundanter. Demum hoc temporum decursu, ad Vniuersalem Prædicatorum Synodum, præfati Ordinis summo capite ei demandante prouinciam, vt veritatis defensorem pro more se cunctis offerret, Ferrariam concessit. Die igitur constituta in campum procedens, cum celebratissimo illo scientiarum omnium velut armario capacissimo, Ioanne Pico Comite Mirandulano congressus est. Quam felici fato dies illa donata est, vt iuuenes duo eruditissimi sese pro veritate impeterent; qui tum ætate,

tum animi elegantia, interiorisque luminis ac sapientiæ plenitudine, moribus etiam haud dissimiles erant; sed nec professione demum. Picus enim, tametsi morti occurrens, sacrum & ipse Prædicatorum Ordinem professus est. Viriliter igitur de illo dum vtrimq; decertaretur, tantum gloriæ Thomas, absq; tamen concertantis iniuria, consecutus est, vt coram illustrissimo Ferrariæ Duce Hercule, ac toto Sapientum Senatu, ac innumera eruditioris populi circumstantis ac stupentis frequentia, à sui Ordinis Generali Moderatore Ioachimo Turriano Veneto, viro præstantissimo consedente, mox coram accitus, proprium quo tegebat caput biretum, Magisterii & Doctoratus infulam, capiti Thomæ imposuerit, cunctisq; applaudentibus, sed & eodem quoque Mirandulæ Comite plurimum collaudante, sacræ illum Theologiæ Doctorem creauerit. Inde post crebras in Scholastica palæstra victorias, quas cum à Patribus Congregationis Lombardiæ, cum quibus vitam ducebat virtutibus claram, vocatus esset ad prouinciales eorum Conuentus, assecutus est, Veronæ inquam, Bergomi, Brixiæ, Mantuæ, Mediolani, Papiæ (quo etiam loco solenni lectura libri de cœlo ab Ludouico olim Mediolanensi Duce honoratus est) in Italia eius gloria sic diffusa est, vt laude rarissima per ora multorum abiret. Edidit nihilominus his temporibus, quæ monumentum doctrinæ suæ præstent vniuersis in æuum, Commentaria in secundi Perihermenias partem, quam Diuus Thomas morte præuentus reliquit intactam. Commentaria quoque in Isagogas Porphyrii, in Prædicamenta ac Analytica Stagyritæ, & de Analogia nominum, opuscula: Quæstiones tum de infinitate primi motoris, tum de subiecto Physicæ, aliaque nonnulla notatu dignissima. Subinde Romæ post celeberrimam disputationem, in qua is ipse coram pluribus Sanctæ Romanæ Cardinalibus miraculo fuit, à Reuerendissimo præfati Ordinis Generali Præsule Magistro Vincentio Bandello, viro morum præstantia sapientiæque plenitudine conspicuo, de consensu eiusdem Ordinis Senatus, tempore illo Romæ congregati, vniuersalis Procurator totius suæ religionis in Romana Curia constitutus est. In qua quidem Curia, totaq; vrbe sic celebris suis virtutibus exposcentibus apud omnes euasit, vt mox primus inter doctissimos facile censeretur. Litterariis quippe concertationibus, publico legendi munere, Commentariis etiam in primam Summæ Diui Thomæ partem, tum in librum de Anima, nonnullis etiam doctissimis Opusculis ipso interim eminentissimam doctrinã mundo diffundente, ipsa Romana Curia quasi nouæ lucis iubare radiabat. Eidem quoque plurimum decoris & claritatis attulit sanctitatis fama, non vanitati, sed veritati subnixa. Cum enim sæpe fuerit ab omni nota criminis alienus, tum Romæ speciali munere virtutum omnium se specimen demonstrauit. Sicque actum est, vt iuuenis adhuc (neque enim quadragesimum excesserat ætatis annum) Generalis totius Ordinis sui Magister in alia Synodo, mortuo Bandello Romæ congregata, electus sit. Qua sede conscensa, ad reformationem eiusdem Ordinis aspirans, ac in breui pro maxima parte voti compos effectus, qui continuatis speculationibus ante fuit intentus, in regiminis quoque prudentia officiosissimum se ostendit. Neque enim curæ Pastorali speculatio ipsa, neque speculationi gregis custodia, etsi grauissima fuerit impedimento: quod diuinum quidem munus extitit, quam rarissimum. Interim namque & Commentarios in duas medias Summæ Sancti Thomæ partes, (primam dico, ac secundam secundæ) quatenus in practicis & moralibus scientiis, postquam speculatiua discusserat, sapientiæ ac bene viuendi lumen cæteris esset efficacissimum. Opuscula item alia quamplurima ex hoc sapientiæ fonte sub his temporibus emanarunt; sed præ aliis duo de potestate Papæ atque Concili impetuosissima virtute sic effluxerunt, vt per hæc ipsa dissidium quod in Ecclesia, inuidia Diaboli, eò perniciosius quò spiritualius exortum fuerat, vires amiserit. In quibus etiam libellis id plurimum admirari fas est, quod eum, quem Philosophum ac Theologum excellentissimum omnes venerabantur, nunc legum etiam aduerterent peritissimum; imo tantæ celebritatis, vt hi, qui in orbem primi vtriusque iuris Principes habebantur, eius sapientiæ concedere coacti sint. Sicque potissima causa fuit dissolutionis, extremæque annullationis iniqui illius Conciliabuli, quod defædauit etiam Pisanam vrbem infelicissimam, de Sancta Ecclesia in hoc etiam bene meritam, quod non diu sustinuerunt iniquitatem Pisani Ciues, sed armis à suis finibus repulerunt schismatis authores, quod ad tempus inuiti pertulerunt. Celeberrimum hunc igitur virum, Cardineo cœtu ex his clarissimis actibus & virtutibus dignissimum, tum Summi Pontificis Iulii secundi iusto desiderio, quinimo firma determinatione mentis, tum etiam totius populi, cui & Pontificis Propositum innotuerat voce, ex multo tempore fuit conclamatum. Nec abstulit bellorum tumultus, mors que Pontificis insperata, quin tandem donaretur honoris culmine, quod ex multis annis sua merita deposcebant. Cui & ipse gloriam pileo comparauit, cumulauitque, dum nouo sydere sacratum fulgeret Collegium. In cuius etiam solii conscensu, id potissimum suæ gloriæ præstat incrementum, quod non fauore secularium Principum ex cognatione; vel quacumq; necessitudine conquisito, non misero ac infelici obsequio Prælatorum (vt toti Curiæ notum erat) non denique auri vendicatione thronum hunc ascendit, sed Domini Sabbaoth electione sola, qui fulgentissimam noluit diu lucernam sub modio latitare; sed super eminentissimæ Sedis candelabrum, vt totum mundum illuminaret; exaltarit. Nemo etiam (vt de Simoniaco conscensu paululum immoratus loquar) iustè audeat viro magnæ frugilitatis notam hanc inurere; qui ex nulla litterarum gratiarumue concessione, ex qua totius Ordinis habenas moderatus est, vel minimum teruncium requisiuit, vel etiam acceptauit, sed neque passus itidem vnquam est suorum familiarium quenquam cuiusuis Scripturæ occasione, muneris quicquam suscipere: omnia expediendis literis & negotiis necessaria, ex solis antiquitus ab Ordine constitutis pro sustentatione vitæ Generalium Magistrorum stipendiis, in humilitate (vt decebat virum religiosum) integerrimam vitam ducens, prouidebat. Quò, & contigit eum ipsum cum primo Cardinalis creatus est, apud se habere, nonnisi triginta quinque aureos suæ priuatæ prouisionis; quam quælibet Prouincia Ordinis, annis singulis quotam pecuniarum, quæ in summa ad aureos trecentos non ascendebat, ad eiusdem Generalis suorumque in officio sociorum necessitatem conferre tenetur. Hoc ipsum eam ob causam serio libuit recensere, vt malignorum veritate hac obturdantur ora, qui nec credere se posse dicebant, in plurimorum, & hunc viam non esse dilapsum; & vt ex his etiam omnibus innotescat, quanta sit laude dignus, qui post aurum non abiit, nec sperauit in pecuniæ thesauris, cui similem sapiens se inuenire posse quasi diffidit, summaque prædicat efferendum laude. Nullo igitur sinistro impulsu motus Leo summus Antistites, virum hunc dignissimum in fratrem assumpsit; sed sanctæ Matris Ecclesiæ sibi diuinitus delegatæ consulens gloriæ, consulens & saluti. cui mox ob eximias ac insignes animi sui dotes, maximam, & quæ totius Christianæ populi salutem concerneret, prouinciam delegauit, dum eundem de suo latere, ad Serenissimum Christianæ Reipublicæ Imperatorem, ob cõponendam inter Reges & Principes Christianorum pacem, eosdemq; animandos in fidei Sanctæ cruentissimos hostes, summus Pontifex destinauit Legatum. Inter alia Commentaria Caietanus, secundam secundæ D. Thomæ partẽ magna cum legentium vtilitate interpretatus est, eius diuini libri latissimum intellectum aperiens; quæstiones insuper non minus necessarias & vtiles, quam peregrinas subtilissime formans atque dissoluens, errores item subortos præpotenter elidens, luculentissimã veritatem sic pandit dilucide, vt merito quisque in vtriusque Theologorum Principis laudes prorumpens, decantare possit; *Quasi stella matutina in medio nebulæ, & quasi Luna plena in diebus suis lucent, & quasi Sol refulgens, sic hi effulgent in templo Dei.* Ista *Pisanus* de Caietano Cardinali pronunciabat: *præfatione præfixa in* 22.

Ioannes Michael Pius, ex variis Scriptoribus, & testibus fide dignis, vitam Caietani complexus, hæc singularia à Pisano prætermissa memorabat. XCVIII.

Eius vita. Natus est Thomas in Latio, ciuitate nobili, quondam Lamo regnata, Lestrigonum patria, nobilique portu & arce illustri, nomine Caieta, à qua illi cognomentum. Mater Elisabetha eum in vtero ferens, visa sibi secundum somnum & vigiliam videre est, Thomam Aquinatem, qui infantem erudiret, & Cœlo tandem inferret: vnde illi & patri magna cura

in puero

in puero educando. Huic pueritiam auspicanti, promptissima obedientia parentibus obsequendi, multa deuotio templa frequentandi, assidua cum religiosis viris conuersandi auiditas; addiscendi ardor, fuga ludicrorum, laboris cupido, otii execratio, literarum studium, orandi consuetudo, ieiunandi propensio, simplicitatis & puritatis amor; omnia denique in paruulo tam magna, vt ad religionem & doctrinam natus esse videretur; quod ipse quoque puer prædicabat, se aliquando nomen religioni daturum alicui. Durum id fuit audire patri & matri, qui matrimonio adolescentem destinabant; ideoque illi omnem viuendi libertatem permittebant; & quod grauius est, etiam puellas forma conspicuas, & cum affinitatibus, tum opibus, tum vero præcipue moribus & gratia præpollentes, illi, non omnino dissimulanter obiectabant; si forte illarum lenocinio, ad seculi amorem emolliretur. At ille votam virginitatem seruare cõstantissimus, diuitias respuere, delitias refugere, vanã pulchritudinẽ, & gratiam fallacem æstimare doctus, parentibus tam modeste quam grauiter & prudenter respondit, se ad aliud vitæ genus vocari, in quo sublimiores opes & voluptates perciperet. Itaque vt molestias tentationum atque pericula effugeret, annum natus 16. in Cœnobio Domicano in patria, institutum Fratrum Prædicatorum complexus est; tanta omnium admiratione, atq; expectatione, vt illum Diuo Thomæ Aquinati æqualem, vel Alberto Magno, aut Aristotele non inferiorem futurum prædicerent. Tyrocinio in exercitiis pietatis in religione posito, Neapoli, Bononiæ, Patauii literis sacris & prophanis operam nauauit; tanto cum profectu, vt cum Ferrariæ in Generalibus Ordinis Comitiis, coram Supremo eiusdem Ordinis Præfecto, & Duce Ferrariensi, præsentibus viris doctissimis, de Pico Mirandulano palmam litterariam retulisset, Præfectus, quem dixi Maximus, habuerit iuuenem non viginti duos annos maiorem, Doctoris Theologię infula ornare, eamque capiti suo detractam Caietano imponere. Ne vero affectui indulsisse videretur, adolescentem Patauino gymnasio dedit; vbi Mauritio & Trombettæ veteranis Philosophis, qui plures in schola, q̃ Caietanus in mundo annos detriuerant, non modo par, verum & superior visus est, ingenii & iudicii acrimonia, disserendi & docendi subtilitate, iuxta & claritate. Post varias Veronæ, Bergomi, Brixiæ, Mantuæ, Venetiis, Papiæ, Mediolani & alibi locorum doctissimas cum viris eruditis in conuentibus publicis disputationes, Oliuerii Carraffæ Cardinalis Neapolitani, & Prædicatorum Protectoris voluntate, Procurator negotiorum sui Ordinis factus, totis decem annis, in sapientiæ Romanæ gymnasio, publicè, ingenti cum admiratione Auditorum Theologiam docuit: tanta conuenarum frequentia, qui tanquam ad Oraculum confluebant, vt locus capere illos non quiuerit. Præfectus inde amplissimo Ordini, exemplo prius ac potius quam verbo, ad virtutis & perfectionis regularis fastigium, suis Dominicanis præiuit, rigidus antiqui moris custos, sed exactor benignus & lenis; cui nihil prius, nihil posterius, quam zelum zelare pro domo Dei, & grege sibi commisso; vt omnes ad normam à Sanctis Patribus præscriptam, & præmonstratam vitam instituerent: proindeque essent vera lux mundi, quorum cum bona opera aspicerent fideles, & glorificarent patrem illum, qui in cœlis est, & ipsi quoque mores suos ad meliorem formam componerent. Inter has curas pro suo grege susceptas, Ecclesiæ quoque vniuersali, non in minimis operam suam collocauit. Siquidem conciliabulum impiorum, quod Pisis congregatum fuerat, dissipauit, profligauit, & schismate extincto vnitatem Ecclesiæ restituit. Vt sanandis Ecclesiæ vulneribus, concordiæ inter Principes sanciendæ, hostibus Christianorum profligandis, Concilium Lateranense conuocaretur, ipse sedulo laborauit: deque hierarchico vniuersalis Ecclesiæ ordine doctissime disputans, Summo Pontifici maiestatem, Sedi Apostolicæ præstantiam, Senatui supremo Ecclesiæ autoritatem, tam docte, tam copiose, tam irrefragabiliter vindicauit, vt Pontifex beneficium agnouerit, meritisque honorem concesserit, purpuram Cardineam, multis quidem expetitam, sed non ab omnibus promeritam. Factus Cardinalis, eundem vitæ regularis rigorem, quem antea ab adolescentia seruauit, Idem ei paupertatis, castitatis, contemptus opum & fastus, frugalitatis, & abstinentiæ tenor. Antelucanis horis diuinas preces summa cum attentione recitabat; inde vel scribebat, vel dictabat, quæ publici iuris forent; inde sacris operatus, expediendis pro tempore negotiis incumbebat; inde tempus, aliis pietatis & religionis operibus dispensabat; otii impatiens, curarum, quæ non ad salutem fastidiosus, laborum & vigiliarum tolerantissimus, cibi & somni parcissimus, & ad vtramque vitæ perfectionem assiduus. Doctrinæ Catholicæ, inprimis quam Sol Aquinas luci dedit, studiosissimus lector, Doctor & Defensor; ita vt alii animam, alii cor & mentem, nonnulli clypeum Angelici Doctoris nuncuparint: cum in illius libros, doctissimos Commentarios, & inexpugnabiles panoplias euulgaret. In Germaniam missus Legatus, clementiæ atque prudentiæ summam laudem tulit; quando paternæ charitatis brachia Luthero aperuit, si forte benignitate tam profusa emollitus, corde obstinato non amplius esse vellet; non omissurus alias, in versipellem & contumacem hominem alia grauiora remedia, nisi iniquitas temporum obstitisset; quandoquidem Lutherus, non tantum priuata Saxonis potentia armatus, verum etiam, publica sub fide & Cæsaris & Principum, omnino ab inuiolabili autoritate securus, ad causam dicendam accessisset. Romam reuersus, Adrianum Sextum Pontificiæ Sedi imponi curauit; à quo Legatus in Vngariam destinatus, Sacrum contra Turcas bellum omni conatu promouit, ac iuuit: allato in stipendia multo auro, quod Pontifex transmittebat. In obsidione Borboniana partem calamitatis sustinuit, nec nisi quinque millibus nummûm aureorum persolutis, libertatem recuperauit; vnde ei postea necessariò fuit in patriam secedendum, ac parcissime commorandum, donec æs contractum dissoluisset. In causa diuortii Anglicani, doctissime pro Catharinæ matrimonio scripsit, ac Henrici Regis aurum tam fortiter reiecit, quam constanter pro veritate stetisset. Hoc anno ætatis supremo, de nulla alia fere re, quam morte disseruit; Procuratorique Ordinis iniunxit, qui sepulturam prope morituro præpararet, eamque ante fores Ecclesiæ ad Mineruam, sub ipso dio extrueret, indignum se in templo sepeliri; dicens, quandoquidem in illo superadoranda mysteria celebrentur. Quum multi longæuam vitam, nec non Pontificatum illi promitterent, ille cuncta ridens, satis se vixisse dixit; illos vero ignorare, quam multa discrimina sub tyara, quam graues curæ sub paludamento sublimi; ac præterea illos sua potius commoda, quam illius vel salutem; vel tranquillitatem exoptare. Quum ad ægrotantis cubiculum Sacrosancta Eucharistia deferretur, lectulo desiliit, & in genua procumbens, lachrymis perfusus in hæc verba prorupit; *Tu vere es mortalium cibus, quem qui pie sumpserint, nunquam esuriant. Tu hinc abeuntibus præbes viaticum saluberrimum; te colo, te veneror, te adoro, te Deum esse confiteor; non eram dignus, vt intra meos lares venires, qui me vel vno verbo sanare potuisses.* Desumpto eo viatico, paulo post, in his verbis: *Domine tu scisti, Domine tu scisti*, expirauit; cum prius exiguam omnem supellectilem pauperibus distribuisset. Virginem vixisse, & obiisse creditum est. Sepulturæ istud epitaphium præfixum. *Hac anteriori fossula, quam lector inspicis, felicis memoriæ Thomæ de Vio, Ordinis Prædicatorum, Cardinalis Caietani, conseruantur ossa, qui dum vixit, ita moribus atque omni doctrina humano generi profuit, vt pro tanto beneficio, Deo gratias agere, & pro eius anima, merito preces effundere teneamur. Hic quorundam inanem declinans fastum, humili hoc se condi iussit tumulo. Vixit ann. 65. dies 29. Obiit anno Christi 1534. die 9. Septem. Michael Pius lib. 4. de viris illustribus Ord. Præd.* Ioannes Baptista Flauius, Aquilanus, in pleno Patrum Senatu, cum defuncto parentaret, Caietanum laudauit; qua oratione, omnium os loquentium iniqua obstruxit.

ORATIO

ORATIO DE VITA SANCTISSIMI Viri maximeq; Reuerendi Domini Thomæ de Vio Caietani Cardinalis S. Xysti.

Auctore Ioan. Baptista Ilauio Aquilano, eiusdem à secretis familiari.

XCIX. Satis scio Patres amplissimi, nonnihil me vobis hodie admirationis excitaturum, qui cum tam longo, diuturnoq; silentio, velut in tenebris, hactenus delituerim, nũc primum coram tot fulgentissimis syderibus in lucẽ prodire, ac vocem edere audeam. Sed tale quiddã mihi euenit, quod olim Crœsi Lydorũ regis filio accidisse memoriæ proditum est: Nempe captis à Cyro Sardibus, cum miles quidam stricto gladio in Crœsum Regem, ignarus quis esset, irrueret, ac iam iam iugulo ferrum impressurus instaret, tum regis filius, tanto periculo cõmotus, tametsi loquendi vsu defectus, oblitus, quid sibi nascenti fortuna denegasset, vt parentẽ seruaret, quando alia salutis via non ostendebatur, dolore pariter, atq; iracundia percitus exclamasse fertur: O homo caue Crœsum interficias. Videtisne, Patres amplissimi, quantas vires habeat, tum pietas, tum iustus dolor? vt abrogata naturæ lege, is qui natus esset mutus, effractis repente naturalibus vinculis, in paterno periculo, statim vocalis euaserit. Idem, inquam, pene mihi accidisse animaduerto. Nam heri olim mei, viri quidem sanctissimi atq; integerrimi intempestiuo obitu cõsternatus, cum neminem viderem ad quem potius, quam ad me, quippe, qui illum (quod dici solet) intus, & in cute optime nouerim, quo cum annos decem & septem à secretis quam familiarissime vixerim, cum quo propemodum cõsenuerim, eius laudandi prouincia pertineret, indignum ratus meum in ea re officium desiderari, tametsi pene mutus, ac dicendi artis ignarus, officii necessitate coactus, effractis repente verecundiæ vinculis, pro rostris more maiorum ad eum laudandum prosilui. Non itaque me vobis luculentam orationem verbis magnificis, aut vlla arte compositis ornatam allaturum polliceor, sed simplicem, veritatis plenam, nullis fucis, nullisque verborum lenociniis adumbratam. Sed prius quam incipiam, vt aliquo numine suffulta procedat oratio, ad quem potissimum diuorum confugiam, quam ad te diue Xyste? quem si vera sunt, quæ nobis Christiana religio pollicetur, quæ certe verissima sunt, si quis ad cœlum virtutibus patet aditus, quibus tu maxime præditus fuisti, inter diuos relatum minime dubitauerim. Patere itaque, vir sanctissime, tuas à me rudi fortasse, sed tamen quam verissima oratione laudes referri. Excita ingenii mei vires, adiuua imbecillitatẽ meam. Non eo inficias, pro multitudine tuarum laudum ac rerum gestarum magnitudine, huic tanto muneri vel Siginam eloquentiam, vel Rossanam facundiam, vel Viterbiensem illum verborum pariter, ac sententiarum torrentem, deberi, ætatis nostræ splendidissima lumina, ne semper vel Ciceronem, vel Demosthenem appellemus. Dignus eras, in quẽ tot illustres oratores omnes ingenii vires effunderent. Sed hominem (quod aiunt) occidat, oportet, qui tantorum oratorum opera vti velit. At tu interim à me humili quidem, ac simplici stylo laudabere, & quantum ab aliis arte, ac facundia vincor, tantum fortasse pietate erga te, atq; in te laudando veritate, cæteros facile superabo. Attendite, quæso, Patres amplissimi, ac pronis auribus non tragicam, non comicam, sed historicam orationem accipite. Sed in hoc homine, vel potius numine laudando, vnde potissimũ mihi principium assumam? A patria videlicet? quæ tametsi per se satis illustris, plus tamẽ ab eo luminis ac splendoris acceperit, quam tradiderit. A parentibusne? qui licet satis per se clari atq; honestissimi semper fuerint, nulla tamen re magis clari atq; illustres fuerunt, quam qui talem ac tantum filium genuerunt. A te itaque Xyste incipiat, atque in te desinat, oportet oratio, quippe qui non alieno, sed tuo splendore fulges, non tam patriæ nobilitate, ac maiorum imaginibus, quam tuis virtutibus clarus. Verum ne quid prætermissum esse videatur, vt rato ordine procedat oratio, non ab re duxerim, quo loco, quo tempore, quibus parentibus genitus fuerit, quibus auspiciis educatus, ac eius demum velut crepundia quædam, ante religionis ingressum gesta, paucis attingere. Postea vero quam religionẽ ingressus est, qua constantia perseuerauerit, qua vixerit pietate, quantumque sanctitate, ac litteris profecerit, quibus denique artibus ac moribus, per omnes gradus ad summum religionis fastigium peruenerit, quam fieri poterit breuissime referemus. Ac demũ ab eo tempore, quo in istum vestrum sacrosanctum Patrum amplissimorum senatum ascitus est, vsque ad illius sibi quidem felicissimum, nobis vero funestissimum excessum circa eius diuinas virtutes, ac res præclarissime gestas, quibus tandem est immortalitatem adeptus, omnis nostræ orationis labor versabitur. Sed iam propositum negotium aggrediamur. Caieta ciuitas nobilissima in littore Tyrrheni pelagi sita, siue à littorum curuitate, quod id nomen olim lingua patria curuum significaret, siue à Caieta nutrice Æneæ, quæ illis in locis sepulta perhibetur, nomen sortita est, amplissimo ac tutissimo portu insignis, naturalibus montium anfractibus, ac summa arte vastis murorum obiectis molibus, aduersus omnes bellorum impetus munitissima, notior est quam à me laudari necesse sit. In hac itaq; tam insigni ciuitate, anno videlicet quarto trecentesimæ sexagesimæ septimæ olympiadis, ab ortu Christi Filii Dei sumpto principio, circiter decimum Kal. Martias, quo tempore Paulus Venetus huius nominis secundus, Pontifex Maximus Romæ imperabat, Francisco cognomento de Vio, atq; Elisabetha Syeria, parentibus honestissimis genitus est. Primũ infanti nomen Iacobi parentes indidere. qui deorum potius monitis, quam in somniis excitati (etenim matrem castissimã fœminam, inter alia, diuum Thomam Aquinatem puerũ docere, atq; ad cœlum vsq; gestare, per quietem vidisse satis cõstat) ingenti de eo spe concepta, puerum sanctissimis moribus educandum, ac litteris erudiendum diligentissime curauerunt. At ille quasi præsentisceret suam futuram magnitudinem, parentibus ac præceptoribus ita obsequebatur, ita eorum vestigia obseruabat, vt ne transuersum quidẽ vnguem ab eorum latere discederet. Itaque cum diuino quodam ingenio, ac memoria præstaret, tum moribus, tum litteris, omnes suos æquales facilè superabat. Non cum pueris ludebat, non cum pueris versabatur, vt non iam puer, sed plane senex omnibus videretur. Cum vero pubertatis annos attigisset, quæ ætas feruore libidinis furere solet, non lasciuiis, non impudicitiis, non gulæ, nõ ganeis deditus (vt vulgo ferme adolescentes) sed religiosos viros adire, templa deorum frequẽtare, litteris operam nauare, mortalis vitę oblectamenta floccipendere, corpus ieiuniis afflictare, nihil non sanctum cogitare, nullum denique vel temporis momentum remittere, omnia dicere, omnia facere, quib. indies doctior, ac sanctior euaderet. His moribus facile apparebat illum, vbi primum per ætatem licuisset (quod sæpe etiam per iocum puerili quadam simplicitate iactitare solebat) postergatis voluptatibus religioni se cuipiam initiaturum. Id parentes cum vehementer timerent, pueri vestigia diligentius asseruare, omnia indulgere, affatim pro suo arbitratu omnia præbere, pulcherrimas quidem, sed tamen honestissimas adulescentulas in cõnubium ostentare, frequenter etiam apertius admonere, interdum acrius minitari, omnia demum tentare, quibus illum à proposito deterrerent. At ille contra omnia aspernari, parẽtes rogare, vt Deo se potius seruire, quam suis cõmodis paterentur. Mallent se Deo incorruptum offerri, quam tot humanæ vitæ inquinamentis pollutum perditum iri. Vouisse Deo Christo virginitatem asseuerabat. Nihil in humanis firmum, nihil stabile; Externa bona fortunæ & casui subiecta omnia veluti mobilissimis turbinibus, ac tempestatibus agitari, formam quidem ac iuuentutem senectute corrumpi, ægritudine valetudinẽ; Cum ipsa deniq; vita, qua nihil est dulcius, mortem aliquando commutari. Peregrinationẽ quandam esse mortalium, alio migrandum esse, Corpus, ac cætera corruptioni obnoxia relinquenda, Diuinã mentem immortalitate donatam Deo Optimo Maximo, à quo profecta esset, velut depositũ quoddam quam mundissimam restituendam. His atque aliis grauissimis sententijs, supra ætatem quidem, sed diuino numine afflatus, parentum animum expugnauit. Qui tametsi talem à se filium auelli iniquo animo ferrent, veriti tamen, ne si illum, quò minus religioni initiaretur impedirent, diuinam in se iram prouocarent, puerum suo arbitrio dimiserunt. His itaq; mœstis ac propemodum inuitis, sed tamen non admodum repugnantibus, vbi primum

sese

sese occasio obtulit, anno ætatis suæ decimo sexto, in suo natali solo sub institutis, ac præceptis beati Dominici, prædicatorii ordinis religionem ingressus est. Ac mutato nomine pro Iacobo Thomas est appellatus. Qui licet magnum sui apud omnes desiderium reliquisset, maiorem tamen de se spem atque expectationem omnibus excitauit. Nempe illius insignem indolem admirati, alii alterum Thomam Aquinatem, alii Albertum cognomento magnum, alii alium quempiam virum doctrina, ac sanctitate præstantem, euasurum prædicabant. Nihil sibi de eo non sanctum, nihil non magnum, nihil non arduum pollicebantur. Tanta igitur expectatione religioni initiatus, doctissimis, ac sapientissimis præceptoribus traditus est. Ipse vero summa ope nitebatur, ne suos præceptores quantum proficeret, pœniteret. Ac primum quidem Neapoli, mox Bononiæ, postremo Patauii, nobilissimis Italiæ gymnasiis, cum litteris opera... diligentissime nauasset, differendi artem, quam logicen appellant, ita cupide hausit, ita per se argumentorum loca, ac rationes inibat, vt non tam dicere, quam docere videretur. Ad grauissimas autem scientias conuersus, naturalium ac diuinarum rerum arcanis tanto feruore incubuit, vt cum breui summus Philosophus, ac Theologus euasisset, expectationem quam de se excitauerat, non æquauerit modo, sed longo etiam superauerit interuallo. In disceptationibus, ac litterariis certaminibus acerrimus disputator, in dicenda sententia grauissimus, ac sapientissimus, vitæ ac morum integritate sanctissimus habebatur. Ingens statim esse cœpit Caietani nomen. Nam illum non iam Thomam, vt prius, sed patrio nomine, quasi maius quippiam personaret, appellabant. Qui tametsi adhuc ætate esset propemodum adolescens, doctrinæ tamen, ac sanctitatis opinione, facile inter Principes religionis locum obtinuit. Vix dum natus annum ætatis suæ vigesimum secundum, Ferrariam petiit nobilissimam Italiæ ciuitatem. Siquidem ibi per id tempus Prædicatorii Ordinis Generalis conuentus habebatur. Nempe vt olim in olimpicis certaminibus priscæ ætatis homines de corporis viribus periclitabantur, sic nostra tempestate viri religiosi in eiusmodi conuentibus animos exercere, ac de moribus, de litteris, de scientiis certare consueuerunt. Ad eum itaque conuentum tanquam velocissimus cursor, atque athleta fortissimus ad disputandum accitus, cum priuatis, tum publicis certaminibus, ita strenue se gessit, vt ad eum conuersis omnium studiis, ingenii, doctrinæ, ac sapientiæ laudem omnibus eripuerit. Quid? quod cum quodam die propositis nonnullis ordinis quidem, ac difficillimis quæstionibus magna hominum doctissimorum frequentia disputaret, tanta vis ingenii, ac sapientiæ emicuit, vt non mortalem quidem illum, sed numen aliquod de cœlo missum palam homines iactarent. Admirabantur ingenium, admirabantur sapientiam, sed inprimis illius ætatem stupebant. Eius ætatis adolescentem tantum sapere. Non humanum quidem, sed diuinum potius existimabant. at cum è suggestu tanquam è rostris peracta disputatione descenderet, vix illum terram attingere passi sunt: sed repente manibus hominum sublatus, ad illustrissimum Ferrariæ Ducem, ac generalem Magistrum, (sic enim supremam eius Ordinis dignitatem appellant) qui disputationi intererant, delatus est. A quibus honorificentissime exceptus, ac mirum in modum collaudatus, ingenti omnium consensu, Magister tandem est appellatus. Quod nomen inter viros religiosos, ea potissimum potestate grauissimum, ac sanctissimum habebatur, nec nisi viri doctissimi ea nuncupatione donabantur. At nunc humanis rebus in deterius labentibus, vt pleraque alia multa, per largitionem, & ambitum ita profanatum est, ita inuulgatum, vt plerique Magistri appellentur, qui vix vt homines nuncuparentur, digni sunt. Sed quid ago? quò tendo? pene de via imprudens iter deflexi. Peracto illo solenni couentu Patauium reuersus, tanto nomine honestatus, cũ Mauritio, ac Trombetta summis Philosophis ac Theologis cõgressus, magnum doctrinæ, ac sapientiæ nomẽ adeptus est. Mirum quippe erat illum iuuenẽ cum iis doctissimis ac sapientissimis Senibus, de rebus grauissimis disputantem cernere. Ingens in formandis rationibus ingenii acumẽ. In refellendis mira dexteritas, atq; prudentia. In resoluendis quæstionibus summa grauitas, ac sapientia. Non enim res clamoribus ac iurgiis (vt contentiosorum hominum mos est) gerebatur, sed grauitate sententiarum, ac verborum modestia, vt non de gloria cẽtendere, sed de veritate indaganda (id quod Philosophorum est proprium) disputare viderentur. At cum publice, seu de natura, seu de rebus diuinis dissereret, ita aperte, ita distincte, ita dilucide, abstrusos sensus, & arcana mysteria aperiebat, vt naturæ, ac diuinæ mentis plane conscius videretur. Magnus itaque ad eum concursus discipulorum fiebat. Ad eum audiendum omnes tanquam ad alterum, vel Socratem, vel Platonem confluebant. Papiam deinceps, velut alteras Athenas, profectus, cum Philosophiam, ac sacras litteras, Gometio Philosopho, ac Theologo Illustri obiectus ęmulatione virtutis profiteretur, nõ minorem sapientiæ laudem, ac gloriam est consecutus. ita sibi omnium mortalium animos opinione virtutis, ac sanctitatis deuinxit, vt non præceptorem quidem illum, sed parentem optimum appellarent. Mediolanensium vero Principum ita sibi gratiam conciliauit, vt illum magno in honore semper habuerint. Cum quo sæpe etiam de rebus magnis, atque arduis communicabant. quorum amicitia deinceps per omnem ætatem omnibus in locis semper est vsus. Papiæ cum esset aliquot annos moratus, magno sui apud omnes desiderio relicto, anno ætatis suæ vigesimo nono, cum ad vrbem venisset, tametsi illum diuinæ virtutes suæ satis commendare potuissent, magnum tamen earum illustratorem inuenit. Erat enim tum Romæ Oliuerius cognomento Carrafa, quippe qui ex Illustrissima Carrafeorum familia genus ducebat, Cardinalis Neapolitanus amplissimus, cum generis nobilitate, tum vel maxime litteris, elegantia morum, vitæ integritate, sapientiæ denique, atque adeo omni virtutum genere sui ordinis facile princeps. Cui religionis cura, atque protectio à summis Pontificibus olim fuerit demandata. Iam pridem tanti viri nomen, ac fama ad Oliuerium peruenerat. Qua incensus homo ille virtutum omnium cultor, atque admirator egregius, auebat illum videre, illum audire, vel legentem, vel disputantem, cum eo quam familiarissime colloqui. Eius igitur aduentu mirum in modum lætatus Oliuerius, cum nescio quid sibi maius quam mente conceperat, intueri videretur, illum magno in honore habere cœpit, ac statim de illius ornamentis, & commodis cogitare. Itaque cum primum per occasionem licuit, illum vniuersi Ordinis procuratorem, ac Vicarium generalem creauit. Eundemque in Romano gymnasio ad docendum publice Philosophiam, ac sacras litteras præfecit. In omnes occasiones intentus, vt tantum virum omnibus, quibus posset honoribus, ac dignitatibus exornaret. Dii immortales, quantus erat tum in rebus omnibus, tum vel maxime in disputationibus, ac litterariis certaminibus? quoties rumor increbuisset Caietanum in certamen prodire, quæ omnium mortalium concursatio? alii potiora loca præripere, alii eminentiora occupare, omnes denique certatim confluere. Qui audire non poterant, satis habebant si illum saltem videre potuissent. Venienti occurrere gestiebant, redeuntem velut ouantem comitabantur. Per omnes vicos, per omnia cõpita, per totam deniq; vrbem Caietani nomen personabat. Cum vero procurationis munus toto integro decennio cum summa integritatis laude gessisset, vita functo generali magistro, dum quis potissimũ par tanto oneri, verius quã honori, summa diligentia quæreretur, (nõ enim deerant ea tempestate eiusdem ordinis viri alioqui religiosissimi, doctrina, moribus atq; ætate etiam venerandi, sed quos nequaquam cum Caietani sapientia cõferres) Oliuerius plus virtuti tribuens, quam ætati, indictis Romæ ad creandum Magistrum generalem comitiis, Caietanum nondum quadraginta annos natum, omnibus anteferendum existimauit. Euntibus itaque insuffragia patribus, magno omnium consensu, paucis dumtaxat, qui ad eam dignitatem aspirabãt, exceptis, Magister generalis est declaratus. Tum vero quasi alterum sydus religioni exortum omnibus visum est. Reuixisse Diuus Dominicus putabatur, qui religionem in pristinam illam integritatem, ac præceptorum obseruantiam, à qua (vt verum fateri liceat) nonnihil defecisse videbatur,

restitue-

restituere. Nec me Hercule hominum opinionem fefellit. Nam delatum sibi magistratum nemo vnquam diligentius administrauit. Iustitiam nemo sanctius coluit. Muneribus vero ac pecuniis tantum aberat, vt corrumpi posset, vt non solum oblata sperneret, sed offerentes ambitus damnatos tanquam bonarum artium corruptores, atque humani generis hostes, inexpiabili quodã odio persequeretur. Sontes ac facinorosos homines seuerissime castigabat. probos viros ac doctos honoribus ac dignitatibus honestabat. Nihil amicitiæ, nihil fauoribus, nihil precibus tribuebat. Virtutes tantum ac merita spectabat. Et quod omnium maximum est in rebus publicis administrandis, quæ aliis imperabat, primus ipse obibat. Nec tam legibus, ac præceptis, quam exemplo subiectos sibi in officio continebat. Nam castitatem quis vnquam incorruptius seruauit? Parsimoniam vero, ac frugalitatem ita coluit, vt vix quantum naturæ satis esset, hauriret. Paupertatem tanta animi alacritate in omni vita complexus est, vt diuitias atque opes, pro quibus inter se mortales digladiantur, non modo non quæreret, sed omnino contemnere, ac pro nihilo ducere videretur. Nihil vnquam cupide, nihil auare, nihil ambitiose, nihil temere administrabat. His itaq; artibus, ac moribus perpetuo altero decennio, cum religionem ingenti nomine sanctitatis gubernasset, illam eò perfectionis adduxit, vt si tum demum reuixisset diuus Dominicus, nequaquam illum suæ religionis pœnituisset. Hæc quam quam satis multa per se clara, atque illustria videri possunt, quibus illum patres amplissimi nondum Cardinalem, immortalitate dignum facile iudicetis, plura tamen rerum gestarum multitudine oppressus omisi. Nam de lucubrationibus & scriptis eius, quæ per omnem ætatem, per omnes gradus, omnibus in locis, in quibus versatus est, tam multa edidit, quasi nunquam aliud quicquam in tota vita gessisset, nihil hactenus dictum est. De quibus hoc in loco (ne pigeat audire, est enim hæc pars longe pulcherrima) dicere constitui, non omnia quidem nunc, sed ea tantum, quæ nondum Cardinalis ediderit, cætera suis locis postea referemus. Primo quidem sui tyrocinii tempore, ac plane adolescens, Diui Thomæ Aquinatis Philosophi, ac Theologi non pœnitendi libellum de Ente, & Essentia accuratissime exposuit. In Porphyrii quoque acutissimi: philosophi Isagogen de quinque vocibus, exactissima commentaria edidit. Aristotelis etiam principis philosophorum prædicamenta, atq; eiusdem difficilimum sane, sed quam maxime necessarium posteriorum analyticorum librum mira arte, atque ingenio declarauit. quibus tantum splendoris, ac luminis adiecit, vt cum antea cogaita difficillimi, atque obscurissimi habiti essent, editis eius lucubrationibus plane faciles, ac perspicui viderẽtur. quibus tametsi adhuc tyro, summam tamen ingenii, atque eruditionis laudem est consecutus. Cum vero procurationis munere fungeretur, robustior tam miles ad diuina mysteria conuersus, eiusdem Diui Thomæ Aquinatis præclarissimas lucubrationes, omni scientiarum genere refertas, atque in tres partes diuisas exponere aggressus est. Ac primum quidem in primam partem ingens edidit commentariorum volumen. Postea vero quam magister generalis creatus est, quãuis in administranda re publica non parum esset occupatus in primum secundæ partis tomum, præclara edidit commentaria. Alterum quoque eiusdem secundæ partis tomum, cum iam expositisset, nõ prius in commentaria edidit, quam Cardinalis supremam manum imposuerit. Tertiæ vero partis commentaria magister quidem generalis inchoauit, sed quæ postea dum Cardinalatus dignitate fungeretur, perfecit. Vasta quidem ne dum iusta volumina. Quibus tanti Philosophi non modo sensum, ac mentem aperuit, sed aduersus illius obtrectatores acutissimis rationibus strenuissime tutatus est, vt suum splendorem atque auctoritatem, quam inuidi labefactare conabantur, facile retineret. In quo quidem autore exponẽdo iccirco tantum laboris suscepit, quod eum priscis Philosopis, ac summis in omni scientia viris, non solum conferendum, verum etiam præferendum existimabat, nec quenquam quicquam scire in omni genere scientiarum arbitrabatur, qui non esset doctrina Diui Thomæ Aquinatis imbutus. Quod si iis lucubrationibus, ac rebus hactenus præclarissime gestis, de quibus supra retulimus, alia eius scripta ac gesta, quæ maturiori quidem, ac grauiori ætate iam Cardinalis ediderit, ac gesserit, conferantur, iam tricas, & nugas omnia illa superiora existimabitis. De quibus antequam dicere ingrediar, vos admonendos censeo, (quandoquidem audiendi tædio vos propemodum fatigatos animaduerto) ne tam vestras aures rudis noster stylus offendat, quam tanti viri, quem haud secus quam parentem venerabamini splendor, ac memoria delectet. Vos itaque rogatos vehementer velim, vt ad ea, quæ sequũtur (sunt enim superioribus longe speciosiora, atque illustriora) faciles nobis aures accommodetis; nec tam verborum delectum, ac leporem orationis, quam tanti viri dicta ac facta præclarissima contemplemini. Accepistis enim illum pronis auribus virum religiosum, sui ordinis procuratorem ac generalem magistrum. An nõ eundem iam Cardinalem, in istum vestrum inquam sacratissimũ ordinem ascitum æquissimis auribus accipietis? Noui modestiam vestram, noui patientiam. Audiuistis sæpe, & ferre potuistis inania quædam, ac somniis persimillima, sed tamen eleganti stylo orationis, ac verbis magnificis exornata. An rudem, indisertum oratorem, vera tamen dicentem non audietis? Nam is demum satis facunde laudatur, qui vere laudatur. Sed video iam vos patres amplissimi (ne fallor) comitate vestra non modo ad audiendum paratos, sed vt cœpta iam prosequar, propemodum efflagitare. Enitar ergo, ne vestra abutar facilitate eo vti temperamento, vt tantam rerum dicendarum molem summa breuitate perstringam. vt æque vos, & materia ipsa, etsi non splendor, breuitas tamen orationis delectet. Primum itaque Iulius Secundus Pontifex Maximus aeris ingenii vir, omnibus quamuis optimis principibus comparandus, cum Thomæ nostri ingenium, ac virtutes admiratus, tum illi ob egregiam Reipublicæ Christianæ nauatam operam non mediocriter obstrictus, in sacro sanctũ Cardinalium Senatum illum ascisere destinauit. Nempe cum quidam vestri ordinis patres res nouas molientes Mediolanum recessissent, publicum Christianorũ conuentum sine Pontificis autoritate, cui ipse etiam Pontifex Maximus subiiceretur, indici, atque eo etiam inuito celebrari posse iactitabant. Cum in eam sententiam plures libelli à doctissimis alioqui viris, in gratiam potius quorundam principum, quorum fauoribus coniurati nitebantur, quam vero iudicio editi essent inuito Iulio Pontifice Maximo, vniuersale Christianorum concilium indixerunt. Et quamuis legibus agere viderentur, re tamen vera ad arma spectabant. Ingens itaque Romæ trepidatio, trepidabat Italia, totus pene orbis concussus vigebatur. Facile apparebat si res ex eorum sententia processisset, ingens quidem bellum, ac magnum schisma futurũ. Itaque Iulius tantis rumoribus consternatus, qua ratione eorum conatibus resisteret, cogitabat. Sed nihil prius agere constituit, quam Thomam nostrum in consilium adhibuisset. Is rebus omnibus diligenter perspectis, non armis quidẽ, sed legibus, quibus primum oppugnari videbatur, resistendũ consuluit. Aduersarios haud quaquam firmo, ac solido fundamento inniti, quo sublato totam eorum molem ruituram id se cernerẽtur. Quo diuino consilio mirum in modum lætatus Iulius, collaudata Thomæ sapientia, statim concilium Romæ celebrandum indixit. At Thomas collectis vndique libellis, qui Pontificis autoritatem labefactare videbantur animum ad scribendum appulit. ac breui libellum illum celeberrimum ac diuinum de potestate Papæ, atque concilii (sic enim illum inscripsit) mira arte, ac sapientia lucubrauit. Quo edito vniuersos illorum seditiosorum hominum conatus, ac furores infregit. Surgentemque illam flammam, qua totus pene orbis conflagraturus videbatur, extinxit. Cuius æterni beneficii magnitudinem si vere quispiam velit existimare, plus habet in recessu ponderis, ac momenti, quam præ se ferat in fronte. Nam per Deos immortales, quæ bella, quas strages, quas populationes, quæ stupra, quos virginũ ac matronarum raptus, quæ incẽdia, quas vrbium euersiones, nephanda illa coniuratio datura fuisset, nisi in ipso ortu Thomæ nostri saluberrimo consilio fuisset oppressa? Nam sicut minus agat, qui late vagantem flammam extinxerit, quam qui eandem prius quam inualesceret, extinxisset: sic plus beneficii Reipublicæ præstat, qui magna quidem ac periculosa bella in ipsis principiis oppresserit, quam si quis capta iam vrbe hostes commisto prælio superasset. nam is reliquiis tantum consulit ciuitatis. Ille vero id efficit, ne quod damnum

omnino

omnino Respublica patiatur. Plus me Hercule Furium Camillum olim facturum fuisse existimauerim, si Gallos priusquam vrbem ingrederentur, aditu prohibuisset, quam quod incensa iam, ac vastata vrbe ad vnum omnes cæciderit. Quod si nunquam quicquam aliud noster Thomas in tota vita gessisset, hoc vno tantum facto, atque immortali beneficio quantavis maxima dignitate satis dignus poterit iudicari. Non immerito ergo Iulius de illo homine exornando cogitauerat. Sed importuna mors, quo minus id facere posset, impedimentum attulit. Mortuo Iulio, Leo Decimus Medices Pontifex Maximus creatur. Is cum Thomæ virtutes, ac merita non ignorabat, tum Iulii vestigia, atque iudicium sectatus, vbi primum tempus ad eam rem oportunum nactus est, Thomam ingenti omnium mortalium plausu, atque lætitia, Diui Xysti titulo insignitum Cardinalem creauit. Omnes Leonem commendare, omnes ad cœlum vsque laudibus ferre, qui talem, ac tantum virum exornasset. Habitam esse aliquando virtutum rationem, Eos tandem Cardinales creari, qui tanto honore vere digni iudicentur. Tantam igitur cum esset dignitatem consecutus, num quicquam de pristina illius vita mutatum existimatis? Idem victus, idem vestitus, eadem grauitas, eadem studia, idem diuitiarum contemptus, idem amor paupertatis, eadem quidem, ac perpetua castitas, nihil denique de priore vita accessione tantæ dignitatis remissum. Non vt plerique ex infima fortuna ad summas dignitates euecti, velut hominem exuti ac præteritarum sordium obliti diuinos sibi honores deposcentes, dis se quam simillimos arbitrantur. ac quasi cum morte inducias pacti, vel potius immortales effecti, nihil vnquam nisi de suis commodis cogitant, ac nullo vnquam genere voluptatum possunt satis expleri. Non audiunt, non vident, veteres relinquunt amicitias, indulgent nouis, vt vere hominem exutos possis existimare. Non sic, inquam, non Thomas hominem quidem se, atque mortalem nihilominus agnoscebat, nullisque posset non prodesse studebat; voluptates non aspernabatur modo, sed illos tanquam pestem penitus fugiebat. Non minorem quam prius in exponendis sacris literis operam nauabat; statim quam Cardinalis creatus est, commentaria, quæ in secundum tomum secundæ partis Diui Thomæ Aquinatis lucubrauerat, suprema manu impositã edidit, ac Leoni de se optime merito dedicauit. Ac deinceps vsque ad extremum vitæ halitum nullum vnquam diem sine linea prætermisit, quin scilicet aliquid reponeret, aliquid lucubraret. Nam & tertiam eiusdem Diui Thomæ partem, quam Magister generalis inchoauerat, iam Cardinalis multis laboribus, ac vigiliis consummauit. Nouum quoque Christianæ religionis instrumentum exponere aggressus, quatuor Euangelistarum volumina summa fide, ac diligentia declarauit. Non minorem curam, ac diligentiam in exponendis Apostolorum gestis adhibuit. Epistolas quoque Diui Pauli, atque aliorum Apostolorum sic exposuit, vt in iis ambigui reliquerit nihil. Apocalypsim omnino intactam reliquit, quod in ea exponenda nõ ing mo, sed diuinatione opus esse arbitrabatur. Veteri quoque instrumento suis lucubrationibus magnum lumen adiecit. In quo exponendo infinitum propemodum laborem suscepit. Nam cum varias quidem, ac tam multas, tum veterum, tum recentiorum translationes, inspicere cogebatur, tum etiam peritissimos quosque Hebræorum consulebat. Ita tamen vt plus illi ab eo discere quam illum docere faterentur. Ita enim singula ac minima quæque prosequebatur. Ita sæpe scrupulos iniiciebat interrogando, admonendo, disputando, vt ad intelligendum ea, quæ ipsi per se intelligere vnquam potuissent, excitarentur. Hac itaque tam exacta, ac laboriosa diligentia totam illam vastam, ac perdifficilẽ veteris instrumenti molem plaribus digestã voluminibus, multis etiam, ac propemodũ infinitis in locis vel corruptam, vel perperam interpretatam, ad pristinam integritatem, atq; ad verissimum suorum autorum sensum (quantum humana fieri potuit diligentia) restituit. Cantico canticorum, ac Prophetis, dumtaxat exceptis, quos moriens inchoatos reliquit. Quod si ista apud huius hominis ignaros narrarentur falsa fortassis, ac supra omnẽ fidẽ in eius gratiam cõficta iudicari facile possent; atq; ego nõ orator sed adulator potius existimari. Extãt illius per totum orbem terrarum sparsa volumina, non in angulis quidẽ, in oliuarum penulas, atq; cardillarum, togas sepulta, vt pleraque multa; sed statim per omnes scholas, per omnia gymnasia, per totum denique orbem terrarum lectitantur, atque in manibus hominum doctissimorum habentur, quæ nulla vnquam caries, nulla teredo, nulla temporum vitia cõsument, quę nullis inuidiosis ritibus, nullis spinis vnquam poterunt lacerari. Quibus tanta est grauitas, tanta autoritas, vt cum de aliqua re ambigitur, si quis ita dicat, hoc scripsit Cajetanus, hoc dixit, hoc sensit, pro inde sit, ac si dixerit, hoc sensit Socrates, hoc dixit Plato, hoc scripsit Aristoteles. Plura me hercule, atque ea quidem grauissima, hic vnus volumina edidit, quam quilibet lector in tota vita, vel diligentissimus percurrat. Si mentiri me quispiam arbitretur, illum ad omnes bibliopolas, ad omnes bibliotheeas, ad omnia gymnasia remitto. Quid? quod multa etiam, quæ mihi exciderant, omisi. Nam quis tot, ac tanta satis memoriæ commendabit? Sed inter narrandũ alia quædam mihi in mentem venere. Vel illum ientaculoꝝ libellum, quis non admirabitur? Sic enim libuit appellare, quam qui eum legerit, ad alios grauiores libros nõ omnino iciunus accedit. Nam sicut nullo præsumpto matutino cibo, quem veteres ientaculũ appellabant, ad prandium auidius, quam par est accedentibus cibus deuoratus potius, quam comestus, male concoquitur. Sic qui ad grauissimas disciplinas accedit, nisi prius certis præceptis, certisque documentis, velut ientaculis quibusdam fuerit instructus, nihil omnino agat, fruſtraque tempus terat. Id enim eo libello efficitur, vt solutis nonnullis arduis quidem, ac difficillimis quæstionibus, quæ passim sacras literas legẽtibus occurrũt, mentemque perturbant, ceu dolabra quadam detractis nodis, cætera plana, ac facillima videantur. At illum alium, quem summam de peccatis inscripsit, quis vnquam satis commendabit? Quo omnia peccatorum genera miro ordine elementoꝝ complexus est. Quo inquam nihil Christianis hominibus vtilius esse potest. Ibi enim quid fugere, quid sectari oporteat, facile possunt agnoscere. Sunt etiam nonnulla alia, ac propemodum infinita præclara illius opuscula, de quibus nulla hactenus mentio facta est. Vtpote de Missa, de Confessione, de Conceptu Virginis, de Indulgentiis, de Eleemosyna, de subiecto Philosophiæ, de Analogia nominum, de monte pietatis, de vsura, de symonia, de cambiis. Sic enim quemdam suum libellum appellare placuit. Non enim fuit illi magna admodum de nominibus cura. Vocabulis vtebatur, vt plures, quam iis essent minus latina, dum tamen essent in communem vsum recepta. æquius esse ducebat nomina rebus, quam res nominibus inseruire. Proinde delicatas aures ab eius lucubrationibus facessere iubeo. Eius scripta, tametsi non indiserta, non attingant, qui præter vnum Ciceronem omnes alios fastidiunt, qui velut psittaci, eius tantum verba conari didicerunt, quos non tam res delectant, quam verba, qui dum flores tantũm orationis sectantur, suauissimos rerum fructus amittunt. At qui non flores, sed fructus quærunt, qui non rotunda, ac volubilia verba, sed grauissimas sententias discere cupiunt, ii demum ad hunc diuinum autorem accedant. In quo quicquid ad rerum naturalium cognitionem, quicquid ad moralem scientiam, quicquid denique ad naturam diuinam, & sacra mysteria pertinet, continetur, vt nihil possit vnquam à quoquam amplius desiderari. An vero cum tam multa iam dixerim, censetis me omnia eius scripta enumerasse? Quot epistolas, quot orationes, quot consilia, quot prudentissima responsa prætermisi? qui si singula persequi velim, nunquam dicendi finem inueniam. At quæret quispiam fortasse, quando hic tot, ac tanta præclara volumina ediderit, quorum singulis vix singuli homines, vel doctissimi, vel sapientissimi, sufficere potuissent, num aliud quicquam in omni vita gerere potuerit? Hic operæ precium erit audire, quam sapienter vitam instituerit, quam prudenter rem domesticam administrauerit. Nam quod ad se attinet, mane quotidie ante lucem surgebat. Minimum quiddam curando corpori tribuebat. Orationibus, ac rebus diuinis plurimum operæ nauabat. At cum oraret, putatis ne illum cursim, singulatim, blese, imperfecte, velut per tumultum, ac festinationem (vt vulgo ferme ho-

mines facere solent) pronunciare consueuisse? Ita distincte, ita clare, ita aperte, ita memoriter, ita attente orabat, quasi Deum ipsum non mente modo, atque animo, sed ipsis etiam corporeis oculis intueri videretur; quod non solum pronunciatione, sed nutu etiam, ac decenti corporis motu significabat. Sæpe ad cœlum manus, sæpe oculos attollebat. Neminem cum oraret in colloquium admittebat. Inseruiendum Deo primum, quam hominibus asserebat. Rebus diuinis mane peractis, accito scriptore vsque ad prandium dictitabat. Pransus à studiis aliquantulum quiescebat: sed interim rationem rei domesticæ requirebat. Si quid facto opus esset, imperabat. Nihil prætermittebat, quod ad bonum, ac diligentem patremfamilias pertineret. Vbi cibum subsedisse existimabat, iterum statis horis, diuinis orationibus vacabat, stu debat, scribebat, dictabat: ac deinceps suo tempore quam parcissime cænabat. Cænatus non in multam noctem vigilabat. Post horam à cœna cubitum ibat. Somni minimum capiebat. Quantum à somno cessaret, tantum sanctissimis cogitationibus, ac diuinis orationibus tribuebat. Mane iterum ante lucem surgebat. Ac velut circulo quodam, eadem munia singulis diebus præstabat. Non in horas quidem, aut in dies viuebat. In integrum annum, quæ necessaria essent, parabat. Familiaribus ferme omnibus, pro suo exiguo censu, stipendia constituebat. Aes alienum tanquam venenum pernicioſissimum fugiebat. Vitia pariter ac flagitia procul à suis laribus pellebat. Lurcones, Blasphemos, Scortatores, Religionum desertatores, atque id genus hominum (quod ipse sciret) intra suas ædes non admittebat. Vt non aulam quidem illius domum, sed plane religionem esse putares. Quanta iustitia, atque integritate, Setiam oppidum vetustissimum suæ fidei commissum gubernabat? Vt eum amissum haud secus, quam parentem optimum lugeant. Ecclesiam Caietanam, cuius erat Episcopus, quanta cura, ac sollicitudine regebat? Dii immortales, quæ sedueritas, quæ legum obseruantia, cum in rebus omnibus, tum vel maxime in sacerdotiis collocandis? Nemini sacerdotium conferebat, nemini initiari patiebatur, qui sacris legibus non probaretur. Cultum diuinum nemo vnquam diligentius curauit. Commissum sibi gregem pascebat, fouebat, custodiebat, non deuorabat. Omnia munia, quæ ad optimum pastorem pertinerent summa cura, ac diligentia obibat. An cuipiam hæc ocioſi fortasse, atque inertis hominis officia videri possunt? Illud audacter asserere non dubitauerim, neminem vnquam (quem ego nouerim) fuisse, qui in negotio ocioſior, vel in otio negocioſior fuerit. Adeo hæc se inuicem non impediebant. Ita sibi inuicem cedebant, vt quasi vestem, vel pallium mutaret, statim se à negotiis ad otia litterarum, ab otio litterarum ad negotia transferret. At inquis domestica hæc, & quasi propria diligenter curabat, publica negligebat. Vt omittam illius tum Patauii, tum Papiæ, atque omnibus Italiæ gymnasiis impensos labores. Vt præteream annos decem, quibus ordinis sui procurationis munere summa diligentia functus est. Vt taceam alteros decem annos, quibus Magister generalis mira sapientia, atque integritate Rempublicam administrauit, de quibus multa quidem, nondum tamen satis, superius disseruimus, ea tantum attingam, quæ iam Cardinalis, magnis quidem laboribus, ac periculis, annis iam ingrauescentibus, gerere non recusauit. Nam quæ vasta itinera non suscepit? Quas regiones non peragrauit, quos æstus, quæ frigora, quos labores, quæ tandem pericula non substinuit? Dum Germanica scilicet, ac Pannonica magnis quidem, atque arduis legationibus fungeretur. Nempe cum Leo Pontifex Maximus de bello Christiani nominis hostibus inferendo cogitaret, ratus omnia, quæ vasto animo gestaret fore sibi facillima, si robora Germanorum militum sibi consociaret, quorum animos iam tum Martinus quidam cognomento Lutherus, homo subdolus, ac rebus nouis studens per speciem sanctitatis, primum Romanæ curiæ mores insectando, deinceps totam religionem Christianam inuertendo, cœperat exulcerare, quem potissimum tanto negotio deligeret, tametsi non deerant viri, cum litteris, tum rerum experientia non contemnendi, Xystum tamen omnibus anteferendum existimauit. Atque inprimis iussit, vt Martinum illum, si qua spes esset resipiscendi, promissa etiam præteritorum impunitate complectertur. At si omninò insanabilis esset, daret operam, vt per Maximilianum, ac cæteros Germaniæ Principes, iustas tandem pœnas luere cogeretur. Quæ quidem omnia ex illius sententia gesta fuissent, nisi fortuna plerumque rebus magnis, atque arduis inimica, Maximiliano Cæsare optimo Principe è medio sublato, illius sanctissimis conatibus obstitisset. Libet hic, si vultis, Patres amplissimi, propter quosdam rumores ab improbis quidem, atque inuidis hominibus sparsos, aliquantulum euagari, ac de Martinò rem, vt gesta est, palam omnibus facere. Cum primum Legatus Germaniam attigisset Martinum accersiri iubet, ratus illum posse bonis verbis, ac miti oratione ad sanitatem restitui. Is vbi primum ante legatum constitit, seu tanti viri maiestate, seu læsa potius conscientia consternatus, furenti similis, in genua ante legati pedes procubuit. Hunc assurgere iussum, non vt quidam inuidi, quos tanti viri splendor offendebat, constinxere, minaci vultu, verbis atrocibus, adunco naso, toruo supercilio exceptum, ac pedibus etiam (vt quando cœperint, nauiter mentiantur) conculcatum, sed manu prænsum, hilari, atque exporrecta fronte, graui quidem, quæ scilicet legatum deceret, sed tamen dulci, ac suaui oratione, hominem tractare cœpit, vt modo resipisceret præteritorum etiam impunitatem ostentare. Cum Romano Pontifice facile in gratiam rediturum. Romanam Ecclesiam gremium ad se redeuntibus nunquam claudere solere. quod peccent homines non admodum magnifacere; quod perseuerent id demum ferre non posse. Imitaretur Augustinum, quem non minus puduit suos errores fateri, quam corrigere. His atque aliis mitissimis verbis ægrotum illius animum sanare conabatur. At cum Martinus ambigua quædam, ac non satis fida responderet, intellexit legatus pudere eum aperte suos errores fateri. Quem pudorem illi vt detergeret, Nec ego, abste, inquit, Martine, vt plane erraſſe fatearis, vehementer efflagitauerim, quem non mente quidem (neque enim de viro bono, ac religioso id suspicari æquum esse censeo) sed verbis potius minus accurate prolatis, si quid ineſt suspicionis potius quam erroris peccasse crediderim. Sed cum in tuis scriptis pleraque sint, quæ minus rectam interpretationem suscipiunt, æquum esse duxerim, atq; hoc ipsum etiam satis, si sub conditione tantum, quam scis nihil certi astruere, ita scripseris. Si qua sunt in meis lucubrationibus, quæ minus sanam doctrinam subolere videantur, ea omnia censuræ Apostolicæ Sedis subiicio. His pauculis verbis, & Pontifici Maximo satisfacies, & tibi ipsi potissimum consules, atque omnium ora tibi detrahentium occludes, ac tot de te sparsos rumores facile extingues. Ipse etiam Pontifex Maximus, vbi te obsequentem animaduerterit, commodi, ac dignitatis tuæ rationem habebit. Tum Martinus seu dolo, qui tergiuersari amplius non auderet, seu quod reuera ita sentiret, victus tam benigna oratione, probata sententia Legati, omnia se facturum asseruit, quæ sibi legatus imperasset. Quid moror? Res iam composita videbatur. Nec quicquam amplius restabat, quam quod Martinus dicta factis præstaret. Itaque cum iam serum diei esset, facta Martino abeundi potestate, in diem crastinum res dilata est. Interea Martinus seu pœnitentia ductus, seu suorum satellitum consilio corruptus, seu fretus quorundam potentiorum fauore, statim sententiam mutauit. Non enim deerant, qui hunc hominem aduersus Romanum Pontificem, cuius potentia iam pridem multis cœpit esse formidolosa, ceu frenum quoddam sustinendum existimabant, ac ne cum Pontifice rediret in gratiam suadebant. At Legatus cum nihil tale metueret, vt suprema manus negotio imponeretur, Martinum lætus expectabat. Quæ autem Martinus, non vno quidem,

vt antea, sed pluribus stipatus satellitibus, quo non modo prohibere, sed vim etiam inferre facile potuissent, non humilis, vt prius, sed superbia inflatus, ac barbarico furore plenus, ad legatum intrepidus venit. Ac statim non esse opus inquit cum aliquo redire in gratiam, quæ nunquam esset imminuta. Neminem lædere, qui verum astrueret. Quæ dixisset, quæque scripsisset, non eiusmodi esse, quæ ipse correcta esse velit. Nihil contra se moliretur, nihil grauius statueret. Si secus factum esset ad futurum concilium appellare. His atque aliis insolentissimis verbis consternatus legatus, primum quidem rei nouitatem vehementer admirari, deinde lenius admonere. Non esse constantis hominis ita repente sententiam mutare. Non eundem ad se rediisse, qui abierat. Ne se impiorum consiliis, qui illum perditum iri cuperent, subuerti pateretur. Non omitteret tam bonam, vel suo commodo rei componendæ occasionem, salua etiam dignitate. Occasionē fronte quidem capillatam esse, occipitio caluam. Oblatam prehenderet. Omissam frustra sectaturum. Abiret, cogitaret melius, ac demum cōsultius, ac prudentius responderet. Vbi vero nihil proficere animaduertit, paulo liberius illum accusare cœpit, ac vehementius increpare. Prospiceret tandem quid ageret. Non semel peccare, qui populos decipiunt. Toties peccare, quot homines seducunt. Ac tanto magis, quanto ad posteritatem scelus transmittitur. Non cum esse Romanū Pontificem, quem sic pro nihilo ducere oporteat. Non id Maximilianum, non id cæteros Germaniæ Principes passuros. Longas esse Regibus ac Principibus manus. Si pergeret obstinato animo, aliquando pœnas daturū. Et quò serius eò etiam graviores. Abeuntem vero, ac tergiuersantem, hoc tantum leni scommate perstrinxit. Ad suos enim conuersus familiares, iste homo inquit Quis eget recentioribus. Quo latenter illius stultitiam subnotabat. Videte obsecro, patres amplissimi, quam inscite, quam imprudēter, quam inhumane, quam seuere, quam atrociter, quam superbe, quibus iurgiis, quibus contumeliis, qua mente, quo vultu, quo naso, quibus supercilliis hominem perditissimum pertractauerit. At inquiunt amplissimas saltem diuitias, Episcopatum aliquem, Rubeum etiam galerum, dum istam pestem auerteret, promisisset. Si vt promissa præstaret (quod tamen in illius potestate non erat) ingentem feneſtram impiis, ac perditissimis hominibus aperuisset. Docuissetque, quando ad eas dignitates per virtutes, ac merita, quibus omnino careret, iter non esset, quo pacto per dolos, per fraudes, per nefandissima scelera grassarentur. Si vt deciperent, alios quærere oportebat, qui has decipiendi artes non ignorarent. Nec me Hercule defuissent, quando quidem, si dis placet, tales homines passim reperiuntur. Virum bonum, virum grauem, hominem sanctum, hominem Deum timentem, non deceptorem, veridicum, à criminibus, ac flagitiis, haud secus, quam à morte penitus abhorrentem, haud quaquam facile inuenias. Expectabam id dicerent potius, cur illum nefandissimum hominem in secretum colloquium accersitum non statim necari iussisset, & si ministri defuissent, ipse suismet manibus confecisset. Aut saltem, si id non posset, occulto aliquo veneno administrato è medio sustulisset. Pium esse impium hominem qua velis, & possis ratione interficere. Quibus quid tandem respondeam non habeo, nisi dignos esse, qui ad talia ministeria perpetranda mittantur. Ille didicit ex Paulo Apostolo non esse facienda mala, vt eueniant bona. Vtinam omnes diuinum Xysti nostri iudicium sequuti fuissent, non ita esset profecto res ista Martini exulcerata. Aduersus quem nunquam suæ lucubrationis gladium distringere voluit; ne (vt ipse dicebat) dum vnum hominem insectaretur, imperiti vulgi rerum nouarum cupidi studia excitaret. Quid enim aliud actum est iurgiis, clamoribus, insectationibus ab iis, qui contra Martinū scripserunt, quam quod hominem sordidum in lustris degentem, à suis vix bene notum in cœlum vsque extulerunt. nusquam non notus Martinus non tam suis quidem præclaris rebus gestis quam insectantium studiis nobilitatus, quem si iacere permisissent, aut ipso silentio fuisset oppressus, aut certe ad pauciores ea pestis peruasisset. Sed hos tandem obtrectatores omissos faciamus. Dum hæc agerentur, Maximilianus Cæsar, vnus qui inter optimos Principes annumerari dignus sit, intempestiua morte interceptus, magno mortalium detrimento in astra relatus est. Qui si diutius vixisset, iampridem Martinus scelerum suorum pœnas luisset. Nempe eo mortuo statim nouis quidem, at maioribus studiis excitatis animis, silentio Martinus traditus est, ac de imperio magnę inter Principes Christianos concertationes fieri cœpæ, quæ legato magnum quidem ac periculoſum negotium fecere. Plerique ad Christianissimum Francorum Regem deferri imperium volebant. At Germani suæ gentis Carolum, Maximiliani ex Philippo eius filio nepotem Regem Neapolitanum imperio destinabant. Obstabant Carolo quo minus eligi posset vetera quædam (vt tum audieram) instituta, ne videlicet is, qui Neapolitanorum regno potiretur, eligi Imperator posset. Ipse quoquemet Carolus non accepturum vna cum regno Neapolitano imperium iurasse ferebatur. Itaq; Leo frequentes nuntios cum litteris, tum publicis, tum priuatis, ad legatum mittebat, non pateretur Regem Neapolitanum Imperatorem creari, seruarentur leges, seruaretur iusiurandum. Hinc diuersa hominum studia. Alii priuatum legati officium publico anteponebant; nihil aduersus suum Regem conandum. Erat enim legatus (vt nostis) patria Caietanus sub ditione Regis Neapolitani. Alii publicum officium deferendum non esse existimabant. Hinc in gentia aduersus legatum o dia Germanorum. quibus eo etiam immanitatis processum est, vt illi nefandissimæ insidiæ pararentur. Hinc varii rumores per vrbem sparsi, alii carpebant, alii legati officium commendabant. diuersæ etiam à sententia legati è Germania litteræ à quibusdam eius familiaribus (tanta est hominum inconstantia) in quorundam potentiorum gratiam scriptæ. Hi quæ fauore & gratia digna esse censebant ad se trahere, quæ vero digna odio arbitrabantur in legatum retundebant. Nunquam me Hercule errant potentiores. Quicquid delirant Reges, plectuntur Achiui. His itaque malis velut inter scyllæ, & charibdis angustias conflictatus tam diu versatus est, quoad Caroli legati, Pontificis animum expugnarunt. Tunc demum ceptæ scribi litteræ blandiores, abrogata iura, soluta iuramenta, daret tandem operam, vt Carolus Imperator eligeretur. Tunc demum sublato publico legationis impedimento, priuata pietas in suum Regem emicuit. Totus in Caroli fauorem conuersus Germanorum animos sibi cōciliauit. Ipse etiam Francorum Rex, tametsi Leonis inconstantiam accusaret, pium tamen legati officium commendabat. Carolus quoque Imperator electus per litteras (nam tum in Hispania erat) ingentes legato gratias egit. Extant eius humanissimæ litteræ; possum eas ostendere. Cum vero tam ancipitem fortunam summa prudentia, ac sapientia superasset, ad vrbem tandem reuersus à Leone haud secus, quam parentis loco magno in honore semper est habitus, à quo ne consistoriis interesset, nisi res aliqua magna atque ardua, quæ scilicet ad fidem pertineret, incidisset, vt suis studiis, ac lucubrationibus vacare facile posset, impetrauit. Sunt tamen, qui arbitrentur, quorum sententiæ facile me subscripserim, non ob eam tantum causam illam vacationem impetrasse, sed eum bene monendo parum proficere videret, ne vel Principē frustra obsistendo offenderet, vel contra conscientiam sententiam mutare. Non eundem ad se rediisse, qui abierat. Mortuo Leone, cum de eligendo successore magna inter patres dissensio esset, quanta fuerit Xysti nostri, tum virtus, tum authoritas apud omnes apparuit. Nam cum quidam, velut aperte, in Pontificatum grassarentur, non modo eorum conatibus restitit, sed occasionem nactus, agendo, monendo, suadendo, increpando, singulos appellando, omnibus in suam sententiam pertractis, tantum effecit, vt Hadrianus, qui tum in Hispania erat, ac vir probus, & sanctus habebatur, Pontifex Maximus eligeretur. Id factum à principio improbatum, barbarum hominem extra Romanam curiam degentem, qui in Vrbe nunquam fuisset, qui curiam penitus ignoraret, Pontificem Maximum electum. quid si Cardinales ad se omnes ire præcipiat? quid si curiam in Hispaniam, aut Germaniam, vt olim in Galliam translata fertur, ipse quoque transferret? An deerant in vrbe ex Italico genere Cardinales, qui tanto honore digni iudicari possent? prælatum Italis barbarum, extra vrbem, extra Italiam, ac propemodum extra orbem ipsum, Pontificem Maximum asciturn. Hæc, atque his similia, imperitum vulgus iactitabat. Sæpe etiam ipsemet Xystus, ob tam sanctam nauatam operam, male audiebat. Cum vero

haud ita multo post, quam Pontifex Maximus electus est, ad vrbem venisse omnium mortalium animos exhilarauit, atque hos inanes sermones, studiis in contrarium versis, extinxit. Non iam barbarum hominem quidem illum, vt prius, sed vere sanctum, vere diuinum, ac diuinitus electum clamitabant. Nihil referre in qua tandem patria quispiam genitus sit. Vnam esse omnium mortalium patriam, quæ cœlo scilicet tegatur. Virtutes denique ac mores tantum spectandos esse. Quem si diutius nobis fata seruare voluissent, non essent fortasse tot rapinæ, tot cædes, tot stragES, tot tandem, ac tanta mala, quæ vidimus, quæ passi sumus, nostris temporibus consecuta; quæ illud Xysti consilium, atque iudicium, non humanum quidem, sed vere diuinum fuisse declarauerunt. At Pontifice Hadriano Turca Rhodum insulam atque eiusdem nominis ciuitatem munitissimam expugnauit. Id mirum scilicet videri cuipiam potest? Si eo vita functo, vrbs ipsa Roma, in visceribus Christianorum sita Christianæ Reipublicæ caput, in oculis Principum, ipsomet Pontifice Maximo è summa arce spectante, defendi non potuit, quo minus ab improbissimis latronibus, Christi hostibus verius, quam Christianis caperetur, diriperetur, incenderetur. An non vita functo Hadriano capta Pannonia? Rex ille pientissimus interfectus? atque vt ad Rhodum captam redeam, quid tandem faceret Hadrianus? Vt omittam, quod tam vasto terrarum spatio Rhodus ipsa distaret, quodque vt suppetiæ mitterentur, longa erant maria transmittenda, vix se Pontificem agnoscebat. Ita in principio eius Pontificatus oppressa est, vt ea clades, nequaquam Hadriano Pontifici accepta videatur. An vero cum rumor increbresceret Turcas Pannoniam inuasuros, nonne statim illuc, de Pannonijs sollicitus Xystum cum ingenti pecuniarum vi legatum misit? Stetit ergo vinis Hadriano, ac Xysto legato, incolumis Pannonia. Quanti retulisse existimatur, venisse in Pannoniam legatum, vim auri magnam allatam, conscribi exercitus, non deesse consilia? Hac tandem fama perculsus hostis bello abstinendum censuit. Non armis modo, sæpe etiam fama ingentia bella conficiuntur. At vita functo Hadriano reuocatus Legatus, amissa Pannonia. Non desunt tamen, qui existiment, non tam vltro ab Hadriano eam legationem Xysto fuisse delatam, quam dolo, ac fraude quorundam hominum, qui Xystum per speciem honoris in exilium mitti volebant, veriti ne si cum Hadriano diutius moraretur, eos loco moueret, quorum mores, nequaquam cum Xysti moribus conuenirent. Nec vero me fallunt eorum lepidissimi sermones. Iste Cardinalis Sancti Xysti vir quidem bonus est, ac plane doctus (id enim negare non poterant) verum ignorat isthæc curialia. Negat pro Sacerdotiis, ac rebus Ecclesiasticis quicquam accipi oportere. Gratis danda esse censet, non primo quidem petentibus, aut iis, qui velocius curSitant, qui (vt ipse inquit) grabatulos circumuolant, qui morientium animas sedulò aucupantur, qui eas recens emissas, adhuc tepentes ad curiam deferunt, sed benemerentibus, ac virtute præditis viris, & iis quidem, qui eiusdem patriæ sunt, in qua ipsa sunt sita sacerdotia. Non vni sexcentos Episcopatus, totidem Abbatias, totidem Parochiales Ecclesias concedendas. Æque iniquum esse, vt vnus fagina, alius fame, atque inedia pereat. Quid? quod Episcopos etiam ipsos ad suos Episcopatus remittendos esse arbitratur. His hanc Sacerdotiorum curam relinquendam. Nihil eos agere in Romana curia; ornamento esse tantum. At si quid agant, quiduis potius agere quam eos agere oporteret. Non iccirco Episcopos, atque alios, quibus animarum cura commissa est, creari, aliena vt curent, sua vt negligant, sed vt oues suas pascant (sunt inquit pastores) non vt deserant. Commissum sibi gregem custodiant, non ad suam quidem, sed ad ipsius gregis vtilitatem, non vt deglubant. Romanum Pontificem, omnium hominum merita, omnes Ecclesias, quid omnibus in locis fieri oporteat ignorare. Diuisa esse onera, quemq; suum munus præstare decere, melius singuli singula, & scire, & facere posse, quam vnus omnia: id soli Deo tributum. Romanum Pontificem hominem esse. Vescere etiam, inquit, Romani Pontificis Maiestatem, immi-

nui etiam autoritatem, dum singula, & quidem minima persequatur. Decere magnum Principem magna, atque ardua negotia gerere. Id scilicet curandum esse, vt quam optimi pastores eligantur. Inter Principes Christianos pacem conciliare, Iustitiam inuiolatam seruare, factiones extirpare, lites extinguere, non fouere, annonam quàm vilissimam efficere, ea demum esse Pontificia munera. Multa etiam de dispensationibus, multa de indulgentiis, ne quid intactum relinquat, iste homo inculcat. Non precio, non passim, non pro quacunque causa, non omnibus concedendas. Venalitate, nimio abusu vilescere, ac pro nihilo haberi. Et pleraque alia perstrepit, non minus inepte quam stulte, vt plane desipere videatur. Sunt hæc fortasse dicta speciosa, sed quæ, ne si ipse quidem Pontifex esset, fieri possunt. Nam quod de Episcopis, de cura sacerdotiorum eis relinquenda, iste bonus homo astruit, quid stultius esse potest? Quid enim aliud esset, quam vastam in vrbe facere solitudinem? Pontificatum ad nihilum redigere? Quo pacto Romanus Pontifex, tot ac tantos sumptus, poterit sustinere, tanto præsertim ære alieno oppressus? Ridiculum est, quod gratis donare possis, idipsum vendere non posse. Quis hunc tam grauem, ac tam molestum censorem, nostris ceruicibus imminentem, ferre possit? Abeat, valeat, faceSSat hinc quo dignus est, vel in suum Episcopatulum Caietanum. Ibi solus regnet cum isthac rectitudine conscientiæ, nobis desinat molestus esse. Quin potius in aliquem orbis angulum per speciem legationis, procul mittendus est, ne nobis Pontificem hunc sanctum suis ineptiis corrumpat. Nec tamen defuisse homines existimauerim, qui in eandem sententiam, diuersa tamen ratione conuenirent. Erat enim Hadrianus plane senex, nec diu victurus putabatur. Timebant igitur si forte vocatio Romanæ Sedis accidisset, illum eorum conatibus obstiturum. Quapropter longius per speciem honoris aliquo relegandum curauerunt. Hæc quanquam inter se consilia agitabant, magnifica tamen verba coram Hadriano iactitabant. Hunc hominem moribus, ac doctrina præstantem, aut nullum alium esse, cui rectius hæc prouincia delegari posset. Nec tamen Xystum horum hominum consilia latuere. Sed cum quædam præter spem, non tam Pontificis culpa, quam eorum, quos in consilium adhibebat, minus recte fieri videret, nec quicquam consilio proficere animaduerteret, optabat aliquo proficisci, vt si fieri posset, ne audiret quidem. Pannoniam itaque profectus; cum summa omnium, tum inprimis ipsius Regis lætitia, ac diuinis propemodum honoribus excepTus, ita illorum animos autoritate, consilio, opibus confirmauit, vt non solum qua ratione resisteretur, sed de bello vltro hostibus inferendo cogitarent. Verum huius quoque legationis felicitati fortuna se immiscuit, ac omnem rei bene gerendæ rationem turbauit Hadriani importuna mors. Accepto itaq; tam tristi nuntio, quid potissimum ageret, cogitabat. Reuertereturne ad Pontificia comitia suffragium daturus? obstabant longa itinera. At interesse optabat, ægre ferebat interesse non posse. non quo Pontificatum ambiret (nihil enim vnquam, vel dicere, vel facere visus est, quo ad eam dignitatem ne suspicari quidem quispiam posset) sed vt daret operam, vt quam optimus Pontifex eligeretur. Tandem ea potissimum sententia placuit, vt comitiorum euentum expectaret, atq; id demum ageret, quod sibi futurus Pontifex imperaret. Interea Iulius Medices Leonis patruelis Pontifex Maximus creatur, qui mutato nomine Clemens Septimus est appellatus. Cui vel ingenio, vel consilio, vel rerum experientia neminem censeas anteferendũ. Sed in quẽ cum aduersa tum prospera fortuna, omnes suas vires effuderit. Is paulo postquam Pontifex Maximus creatus est, Xystum è Pannonijs reuocauit. Cuius deinceps opera, atque consilio omnibus in rebus, quæ ad bonos mores atq; ad fidem Christianam pertinerent semper est vsus. At inquis ingentes diuitias è Germania atque Pannonia, vnde plerique ditissimi euaserunt, asportauit. Quid ei diuitiis opus est, qui sit in summa paupertate ditissimus? Cui non modo satis erat, quod habebat, vt nihil amplius optaret, sed aliquid etiam redundabat, vt ex vtrisque extremis composito nomine, vere licuerit eum ditissimum pauperem appellare. Non aurum, non argentum, non lapi-

des pre-

des pretiosi, non splendida supellex, sed diuinæ eius virtutis illum diuitem faciebant: æque igitur pauper quam profectus est rediit. Nihil inde præter rectitudinem conscientiæ, præter vitæ integritatem, præter sanctissimos mores, quos secum detulerat reportauit. Sed quæ sequuntur piget referre, horret animus meminisse. At quoniam talia sunt, vt in quibus ingens Xysti nostri virtus apparuerit, nequaquam sunt silentio prætereunda. Capta siquidem, atque incensa vrbe, cum perditissimorum latronum præda fuisset, inter tot enses recenti sanguine respersos, inter tot hostium minas, num censetis illum de arce diuinæ mentis suæ fuisse deiectum? Nihil minus se quam prius Cardinalem agnoscebat, eandem grauitatem, eandem seueritatem semper retinuit. Num supplicem illum ad eorum genua, quasi vitam deprecaretur prouolutum existimatis? Nihil fractus, nihil perterritus hostes admonere, atque increpare non desistit. Hauriret, si sic collibitum esset, fenilem sanguinem. Non tanti sibi esse vitam, vt deleta vrbe superstes esse optaret. Non Byzantium illos, sed vrbem Romam religionis Christianæ, atque adeo totius orbis caput diripere, atque vastare. Meminerint quacumq; incederent, se sanctissimorum hominum, qui Christum piè ac sancte coluerunt, ossa calcare. Non id Cæsarem, sub cuius signis militarent, imperare. Non id tandem Cæsarem esse passurum. Viderent quid agerent, vrbi parcerent, rapinis, ac cædibus abstinerent. Si pergerent, aliquando tanti sceleris pœnas daturos. Hinc licet animaduertere, quanta sit virtutis vis, ac rectæ mentis potentia, quæ vel inermis ipsis etiam immanissimis hostibus terrorem incutiat. Nemo illum attingere ausus est. Quin potius illius maiestatem, atque constantiam admirati, illum haud secus, quam par erat, venerabantur. Paupertatemq;, quod tã impia arma sumpsissent excusabant. Quibus tandem cum quinque millia aurcorum tradidisset, suam atque adeo omnium, qui cum eo erant, è quibus tres tantum illius familiares fuerunt, cæteri sane multi ex omni hominum genere, quos ne nosset quidem, libertatem redemit. Sed priusquam pecuniæ expederentur, cum aliquot dies apud hostes fuisset, in tanta rerum omnium perturbatione (quæ ea mẽtis serenitas?) ociũ etiam potuit inuenire. At cp ocium nũquam me Hercule quam diu apud hostes fuit (vidi, interfui, possum testimoniũ perhibere) desiit studere, legere, lucubrare, hac semper sentẽtia vsus, posse sibi quidẽ cætera omnia, cp autem rectè faceret, id demum auferri sibi non posse. Quem non tam sua, quã aliorum calamitas perturbabat. Qui illam quidem sæuientẽ fortunam, nequaq; ad se pertinere existimabat. Quæ licet non modo externa bona, sed vitam etiam ipsam eripere potuisset, ad arcem tamen diuinæ mentis eius peruenire non poterat. Non vitæ integritatem corrumpere, non sanctissimos mores, non prudẽtiam, non sapientiam. Caietam deinde profectus, tam diu ibi mansit, quoad de suis censib. modicis quidẽ, atq; exilibus, creditorib. satisfaceret, à quibus vt se ab hostib. redimeret pecuniã mutuat' est. Pacatis deinde rebus, Romã reuersus, vsq; ad extremũ vitæ diem, quo inter diuos relatus est, ab vrbe nunq; amplius discessit. Illud etiã haud quaquã prætermittendum censeo, cp medio hoc tẽpore iccirco euenisse crediderim, vt eius diuina virtus tametsi satis clara, noua tamen aliqua oblata occasione magis illustraretur. Orta siquidẽ inter Britanniæ Regem atq; eius vxorem, Caroli Romanorum Imperatoris materteram, cũ qua suscepta prole propemodum cõsenuerat, de matrimonio controuersia, quasi legitimum non esset, vt pellicem sibi, quam vnice diligebat adiungeret, cum repudiũ dare non liceret, per speciem sanctitatis dissolui volebat. Obstare ius diuinum, quominus id matrimonium legitimum videretur. Non licere defuncti fratris coniugem sibi matrimonio copulare. Diuina lege id cautum esse. Non potuisse Romanũ Pontificem, cuius autoritate id matrimonium factum esset, iuri diuino derogare. His, atq; aliis quasi rectitudine conscientiæ motus, amorem, quo deperibat, male dissimulans veterem coniugem expellere cupiebat. Hinc diuersa hominum studia. Multa in gratiã Regis scripta, factionib. magis quam rationibus res ipsa geri videbatur. Causa tandem ad Rom. Pontificẽ delata. Xystum accersiri summus Pontifex iubet, ac demum quid in ea re tam ardua iudicandũ sit diligenter perspiciat. Tũ Xystus rebus omnibus, qua solebat integritate, atque animi candore diligẽtissime perspectis ingenti mortalium expectatione (porro in exitum tanti certaminis vniuersus pene orbis erectus erat) verissimum illud, atque sanctissimum matrimonium declarauit. Nihil vel humanum ius, vel diuinũ obstare. Recte interpositam Pontificis autoritatem. Aduersus regem denique sententiam ferendam esse pronunciauit. Ac docuit tandem mortales, regiam quidem maiestatem venerandam, sed inprimis iustitiam colendam esse. Cuius consilium sequutus Clemẽs criminis violati matrimonij Regem damnauit. Hic posset fortasse quispiam suspicari, ob eam rem Xystum magnis muneribus donatum fuisse. Sed quid attinet in eum munera congerere, quem muneribus corrumpere non possis? Qui non Principum gratiam, non preces, non minas, non vlla denique munera, sed ea tantum, quæ recta ratio suaderet spectabat. Liberum ergo suffragium, liberam vocem, liberam denique sententiam, non venalem pronunciabat. Quid? quod nec gratias quidem agi sibi volebat. Aut enim si quid ab eo peteretur, omnino negabat, aut si quid diceNdum faciendumue recepisset, statim (dum posset) atque hoc ipsum gratis præstabat. Sed iam tempus admonet, vt & illius sanctissimam vitam, & nostram orationem, aliquando ad exitum perducamus. Non quòd me, in hoc homine laudando, materia deficiat, nam quo plura dixerimus, eo plura dicenda semper restabunt. Non quod vos fessos animaduertam, quos tanti viri laudibus, ac memoria video recreari. Ac vereor, patres amplissimi, ita me sentio conturbari, ita oculos lachrymis oppleri, ita vocem debilitari, cum de obitu heri mei, ali quid dixi heri, immo vero parentis optimi dicere propono, ne cœptam orationem, ac propemodum absolutam, cogar occlusis faucibus imperfectam dimittere. Non ego te Xyste deploro, non dolco vices tuas, non inuideo fælicitati. Mea damna, meas ærumnas, meas lugeo calamitates. An seruus herum, an filius parentem optimum non lugebit? Quo viuente viuebam, quo defuncto pene defunctus sum. Vtinam eodem funere prælatus ante tuos pedes sepultus iacerem. Ita enim, & viuere pariter, ac seruire desiissem. At saltem manumisses tecum & meam libertatem substulisti. Ita me pauperem, ita rebus omnibus egentem reliquisti, vt æternum mihi seruire necesse sit. At pauper eras, paupertatem accuso, non voluntatem. Nam haud secus quam filium, & diligebas plurimum, & benefacere plurimum cupiebas. Nec in domo tua postremum seruitutis locum tenebam. Nec minus fortunam incusauerim, quæ te eo potissimum tempore surripuerit, quo non modo mihi, sed omnibus fortasse mortalibus benefacere potuisses. Cui ne mortuo quidem, seruire vnquam desinam. (Non cuim iugum detrecto) Tibi quotannis pia mente, supplicibus vocibus (quando aliud non possum) iusta persoluam. Hic mihi amplissima latera, hic vocem ferream mihi dare optarem, hic mihi tandem auxilio opus est tuo. Ad te iterum, Xyste mi here, mi domine, mi pater optime confugio. Erige labantem mentem. Absterge oculis lachrymas. Excita vocem debilitatam. Tuis auspiciis cæpta est, tuis auspiciis finiatur oratio. Anno igitur ætatis eius sexagesimo sexto, tot ac tantis rebus præclarissime gestis, cum Clemens Pontifex Maximus grauiter ægrotare cæpisset, omnes in Xystum oculos coniiciebant, omnes illum Pontificẽ Maximum designabant. Hunc vnum, aut alium neminem posse Rempublicam Christianam, ac Pontificiam autoritatem vitio temporum labefactatam, humanarum, ac diuinarum rerum scientia, vitæ ac morum integritate, omni deniq; virtutum genere cõflata sapientia ad integritatem pristinam restituere. Pluris equidem fecerim istum omnium mortaliũ consensum, atq; iudicium, quam si fuisset Pontificatum assecutus: Nam pleriq;, vel pessimi quidẽ homines, principatus, ac summas dignitates adepti sunt, qui vero iis digni iudicati fuerint, quam paucissimi. At ille longe aliter sentiebat. Se indignum tanto munere iudicabat. Quid? quod toto illo anno, qui illius obitum præcessit, nunquam quicquam aliud quam de futura morte cogitabat. Nihil nisi de morte loquebatur. Huic se parabat. Ad futuram vitam omnes suæ cogitationis neruos intendebat. Satis annorum, satis dignitatum. Nihil sibi amplius optãdum asseuerabat, quam ab hac luce, quin potius ab iis tenebris, ad illam cœlestem lucem, atq; æternam patriam, si ita sua merita postularent, migrare. Senex sum, inquit, iam inutilis, & fortasse etiam grauis. Quæ ea modestia? se grauem, se inutilem appellabat, qui rorum orbem suo splendo-

re, velut

re, velut alter sol, secundissimis sapientiæ radiis illustrauerat. Procuratorem ordinis vocari iubet. Imperat scilicet sepulchrum sibi speciosissimum construi. Paria marmora conquiri. Praxiteles & Polieletos, qui pulcherrimas virtutum statuas inciderent accersiri. Hinc prudentiam, ac temperantiam, inde iustitiam, ac fortitudinem. Superne, magni Dei Patris barbatam imaginem sinistra manu orbem gestantem, dextra prælatis duobus digitis omnia moderantem. Inferne, sua insignia. Sed vero medium dormienti similem, eleganti manu sculptum collocari. Argentum, aurum, lapides preciosos, quibus exornari maxime posset, in sumptum denique vim magnam pecuniarum expediri. Optabat fortasse vitiens tam speciosam sepulchri molem spectare. At, inquit, extra templum olim Minervæ nunc deiparæ Virgini consecratum, vbi gradus ascenderis in ipso templi vestibulo, foueam effodito; intus opere tectorio leuigato. In eam nullis sumptibus, nulla funebri pompa, meum cadauer conijci iubeo. Ridebamus omnes, quasi ioco non serio dixisset. Si nobis superstitibus moreretur id nequaquam esse passuros affirmabamus. Habendam esse dignitatis rationem, dandum aliquid consuetudini. In ipso templo, loco aliquo illustri ponendum sepulchrum, non magnis quidem, sed tamen honestis sumptibus exornatum. Ille nobis leniter subiraſci. Non æquum esse in ipsis templis, quæquam mundissima esse decet, vt in quibus diuinus cultus celebratur, olentia cadauera inferri. Nullum esse locum, non sepulchris, non cadaueribus occupatum. Parietes, pilas, columnas, pauimenta dehonestari. Sæpe etiam fœtoribus è putrefactis cadaueribus excitatis, aërem pestilentem creari. Non sic veteres. In cæmiteriis circa templa, sub dio, loco sacro, cadauera sepeliebant. In iis diuitibus etiam ac nobilibus, quos ea cura tangebat sepulchra magnifica erigebantur. Passim per omnes Christianorum prouincias, per Ciuitates, per omnia loca, circa omnia templa illustrissima sepulchra intueri licere. Non consuetudinem esse hanc nostram, sed abusum. Funebres sumptus, nihil ad mortuos pertinere, rectius illos in vsum pauperum erogari. Proinde desineremus molesti esse. Scire se tandem quid faceret. Non verbis tantum, aut scriptis, sed factis etiam atque exemplis populum instruendum esse. Non denique tantum nobis pecuniarum relicturum, vnde isthæc magnifica facere possemus. Vicit autoritate, vicit rationibus. Tandem sepulchrum illud speciosissimum, quale quidem videre potuisti, erectum est. Mens futurorum præsaga, ac diuino numine illustrata eius felicissimum excessum instare prænunciabat. Igitur Clemente adhuc ægrotante, de cuius salute iam medici desperauerunt, ecce Xystus quasi se tanto oneri surriperet, cui se imparem existimabat, vt cederet videlicet meliori, profluuio ventris debilitatus, ac leui febricula correptus non tam magnitudine morbi, quam suamet ipsius sponte; aut certe non inuitus, quarto Idus Augusti, fælicem illam animam Deo optimo maximo, à quo profecta erat, restituere festinauit. Cuius sanctissimum cadauer, omnibus quidem seculis venerandum, in eo ipso sepulchro conditum est, q ipse iam vines effodiendũ curauerat. Vultis fortasse scire quid ille fecerit moriẽs. Vultis scire quid moriens loqueretur. Vbi morbum ingrauescere animaduertit, non terrore aliquo perturbatus, sed læta fronte, atque alacri vultu ad suos familiares conuersus, qui sedulo astabamus, Video, inquit, instare diem resolutionis meæ. Vtinam mihi hoc potissimum tempore ad illam cœlestem vitam, posita hac putri mortalis corporis mole liceat migrare. Instabat solẽne festũ Assumptionis Deiparæ Virginis, eo potissimũ die quasi cũ ipsa Virgine cœlũ ascensurus, expirare cupiebat. Nihil eum terrebat mortis cogitatio, sæpe ad cœlum sublatis manibus, atque oculis hæc verba dicere solebat: Tu scis Domine, tu scis. cætera supprimebat. Quid enim illum dicere voluisse existimatis. Ego vero sic opinor. Tu scis Domine, tu scis hominem esse me, atque mortalem, at peccant homines, peccasse fateor, tu peccantis hominis miserere, pro quo & fieri mortalis, & mortem obire non dubitasti. Tu scis, inquam, Domine tu scis nihil boni vnquam, nisi tuo adiutus præsidio, non modo facere sed ne cogitare quidem mortales posse. Si quid ergo vnquam recte dixi, si quid feci, si quid scripsi, non id mihi quidem arrogo, sed tibi acceptum referri oportere confiteor. Hæc itaque atque iis etiam meliora, illum arbitror dicere voluisse. Instabamus cibum hauriret, resumeret vires, in tantam spem, atque omnium expectationem viuere non recusaret. Inepti, inquit, quid petitis ignoratis, nisi forte vestra commoda, meos labores. Annos natus sex supra sexaginta, in laboribus semper versatus sum, nunquam ne erit quiescendum. An desiderios existimatis, qui melongé meliores, humeris valentioribus, tantum possint oneris sustinere. Vos corticem tantùm, ac speciosam Pontificatus faciem intuemini, quæ curæ, quæ solicitudines, qui denique labores intus lateant non videtis. Nocte illa quæ diem mortis præcessit, accito Sacerdote conscientiam diligentissime expurgauit. At quibus criminibus, quibusue sordibus. Qui illam singulis septenis dieb. discutere cõsueuerat. Exiguã suam supellectilem pauperibus erogandam; se vero sine vllo honore, sine funebri pompa, sine sumptibus, noctu sepeliendum testamento mandauit. Mane (quid enim aliud vir ille sanctissimus poterat cogitare?) Sacerdotem iterum vocari iubet, sacratissimum Christi corpus afferri. Quod vbi præsto fuit, fulsimet ipsius virib. innixus in genua sensile corpusculum, ægritudine confectum, repente quasi nunquam ægrotauerit, erexit. Ac tanti numinis maiestatem veneratus, præ lætitia manantibus lachrymis in hæc pauca verba prorupit: Tu vere es mortalium cibus, quam qui pie sumpserint nunquam amplius esuriant. Tu hinc abeuntibus præbes viaticum saluberrimum. Te colo, te veneror, te adoro, te Deum esse confiteor. Non eram dignus, vt intra meos lares venires, qui me, vel vno tantum verbo, seruare potuisses. Flebat ipse spei plenus, ac lætabundus, nos miseri ingenti dolore perculsi etiam lugebamus. His dictis summa pietate, ac reuerentia, hausto illo diuino nectare, paulo post felicem illam animam expirauit. Videte obsecro patres amplissimi, quam parem vitæ exitum præbuerit. Quod si ex Solonis sententia, non ante hominis fælicitatem iudicare debemus, quam extremum vitæ diem obierit, quid tandem obstat, quominus hunc hominem fælicissimum iudicetis. Nam si illius vitam cum morte conferre voluerimus, illum sane fælicissimum fuisse comperiemus. Primum quidem illustri patria, atque honestissimis parentibus genitus, diuorum auspiciis educatus, non humana quidem, sed diuina castra sectatus, omnibus muneribus cum summa laude atque integritate perfunctus, summum religionis suæ fastigium est consecutus; Deinceps non Principum fauoribus, non factionibus, non generis nobilitate, quippe qui non ab atauis regibus, sed ab honestissima familia genus ducebat, non muneribus, non pecuniis, sed virtutibus tantum innixus, poscentibus suis meritis Cardinalis creatus in eodem semper tenore vitæ perseuerauit. Qui ne si Cardinalis quidem vnquam fuisset, aut nullam fuisset aliam dignitatem adeptus, non iccirco tamen illum minus felicem existimauerim. Quem non magistratus, non dignitates, non vlla denique externa bona, sed illius diuinæ virtutes fælicem; atque beatum faciebant. Quas vsque ad extremum vitæ diem incorruptas seruauit. Nam iustitiam quis vnquam constantius coluit? Quem non minæ, non preces, non gratia, non odium; non munera denique vlla vnquam corrumpere potuerunt. Fortitudinem quis vnquam fortius? Quem aduersa fortuna nunquam infregit, prospera nunquam inflauit. Cuius diuinam virtutem labores, ærumnæ, pericula, non modo non frangebant, sed potius acuebant. Prudentiam verò, quis vnquam prudentius? Qui nũquam quicquam temere vel dicebat vel faciebat. At temperantiam nemo vnquam effusius, atque etiam (vt ita dicam) intemperantius coluit. Etenim hæc virtus cum modum rebus omnibus aliis statuat, ipsa sibi finem nunquam præscribit. In qua excolenda Xystus noster nunquam finem illum faciebat. Nam castitatem ab ipso natali die, vsque ad extremum vitæ exitum inuiolatum seruauit. Nulla post illius fælicissimum excessum fœda libidinum relicta vestigia. Iram, ad quam naturali quodam impulsu propensior videbatur, nemo diligentius compescuit; vt ne in suos familiares quidem, verbum vnquam atrocius protulerit. Cæteras passiones ita calcabat, vt nunquam suprarectam rationem illaserumpere pateretur. Paucis quidem, ac minimis contentus, tantum cibi, ac potus hauriebat, quantum naturæ satis esse existimabat. In paupertate ditissimus. In consiliis capiundis prudentissimus. In rebus cum priuatis, tum publicis administrandis, iustissimus. In aduersis, ac prosperis æque fortissimus. In libidinibus, ac voluptatibus temperatissimus, atque

castis-

castissimus. Simplex, verax, gratus, liberalis, vt nullam in hoc homine virtutem non fuisse contendam. Quod si ad aliquam partem fælicitatis ad posteros transmissam memoriam pertinere existimatis? Quis tandem Xysto nostro felicior vnquam fuit, atque beatior, cuius nomen tot suis castigatissimis lucubrationibus, ac propemodum infinitis voluminibus per omnes scholas, per omnia gymnasia, apud omnes gentes, apud omnes nationes, per totum denique orbem terrarum celebratur. Vixit itaque semper fælix suis tantum virtutibus contentus. Fælicissime etiam vitam finiuit, non illum sceleruṁ conscientia stimulabat, non terrore mortis cruciabatur. nihil quod ad Christianum hominem, ac virum sanctissimum pertineret, prætermisit. Omnia dixit, omnia fecit, quibus illum ad cælestem illam patriam inter diuos relatum, ascendisse credamus. Expectabatis fortasse, quando scilicet tam multa de hoc homine dicta sunt, cuius tantæ esset opinio sanctitatis, vt aliqua miracula, quibus vitæ sanctitas declarari creditur enumerarem? At quæ miracula, subcreuisse videlicet pilos, auiculas sponte aduolasse, odorem aliquem suauissimum è cadauere excitatum? Puerilia inquis sunt hæc, & quæ sæpe homines mentiantur. Quæ igitur: loripedes recte ambulasse? audiuisse surdos? cæcos vidisse? Et si manultis mortuos etiam ab inferis reuocatos? Sunt quidem hæc magna, & quæ non nisi diuina quadam virtute fieri posse credantur. Sed tamen audiui sæpe, præstigiis quibusdam, ab improbissimis etiam hominibus certe iis similia fieri posse. An vllum maius miraculum esse potest, quam in tam corrupto orbe, in tam perditissimis moribus, in tanta libidinum, ac vitiorum omnium licentia sese immunem, atque incorruptum seruasse. Id siquidem magis admiror, quam recte loripedes ambulare, quam surdos audire, quam cæcos videre, quam denique mortuos ab inferis reuocari. Quæ vt non sunt ab omnibus sapientibus contemnenda, sic vbi potissimum de sanctitate vitæ, ac morum integritate constat, non sunt admodum requirenda. Quocirca patres amplissimi, cum latis signorum, satisque miraculorum habeatis, quid tandem cessatis hunc hominem vere sanctum in albo sanctorum ascribere? atque illi meritos honores decernere? Num ad probandam huius hominis sanctitatem sunt nobis trecentorum annorum testimonia requirenda? Num vetustissimi annales euoluendi? An plus aliorum testimoniis, quam vobismet ipsis credetis? Vidistis, collocuti estis, inter vos vnus ex vestro ordine quotidie versatus est. An vultis hanc prouinciam posteris demandare? Vultis inquam hanc palmam vobis de manibus extorqueri? Non enim dubito, si nunc cessatum fuerit, aliquando tamen tantæ virtutis habendam esse rationem. Non patietur (mihi credite) posteritas, tantam virtutem inhonoratam iacere. Crescet indies illius sanctitatis opinio. Addet etiam aliquid potius, quam quicquam detrahat ipsa dies. Numquam erit tanti viri memoria interitura. At ego, si omnes cessent, vt ad te tandem Xyste me conuertam (non enim inane sepulchrum, sed cœlum ipsum intuor, vbi te velut fulgentissimum virtutum omnium sydus, inter beatissimos illos heroas, ac fælicissimas animas, quæ Christum piè, ac sanctè coluerunt non his quidem lippis, ac caligantibus oculis, sed certissimo mentis lumine, locatum esse conspicio) nequaquam cessabo pro sanctissimo numine quicquid mihi superest vitæ te colere, te venerari. Numquam ego te (quippe qui tuarum virtutum locupletissimus testis sum) quicquid ponderis, quicquid autoritatis, quicquid denique fidei mea vox vnquam est habitura, certissimo, ac verissimo testimonio, defraudabo. DIXI.

* * *

Antonius Sanderus in libro elogiorum C. Cardinal.

C. FRater Thomas de Vio Caietanus, Cardinalis S. Sixti, ex familia Viorum non ignobili, Caietæ in Latij oppido celebri & peruetusto originem duxit. Vir fuit facie subnigra, sed honesta, pusilla statura, ingenti animo, felicissima memoria, & ingenio maximo, adeò vt inter omnes sui temporis litterarum proceres heros maximus censeretur. Adolescens togam Prædicatorum sumpsit, in quorum ritu sic ad virtutem, & litteras adolescentiam contulit, vt iuuenis, dum Prædicatores Fratres conuentum Ferrariæ de more celebrarent, in publica litterarum concertatione cum Pico Mirandulano, homine doctissimo, congressus, spectantibus Illustrissimo Ferrariæ Duce totoque Ferrariensium Senatu, magno cum omnium applausu, ipsoque Pico postulante, palam insignibus, & titulo Doctoris ornatus fuerit. Deinde anno M. D. VIII. ætatis ipsius XXXIX. omnium consensu toti Ordini Prædicatorum præficitur, idque postulante Iulio Secundo Pontifice. Verum in tantis negotiorum vndis studiorum otium, quantum poterat complectebatur: nec vnquam desiit assuetum cum libris contubernium; & ne lucerna fulgentissima diu lateret sub modio, anno M. D. XVII. ætatis suæ quadragesimo nono, à Leone X. in Cardinalitium ordinem fuit ascitus præter illius exspectationem, vt ipse de se testatur. Sed neque priorem viuendi rationem tantum dignitatis fastigium immutauit. Etenim eo semper fuit animo vir integerrimus, vt pauper, & viueret, & moreretur. In mensa semper vulgaribus vsus est cibis, atque his ipsis parcissime; adeoque victus frugalis erat, vt prope nullus esset. Syncerus erga pietatem, & Christianam Religionem, quam semper summo studio, nulloque supercilio tum præstitit, tum docuit. Defuncto Maximiliano Cæsare, cum amplissimi sacri Romani Imperij Ordines, anno M. D. XIX. conuentum Francofurdiæ celebrarent, vt Romanorum Imperator eligeretur, vtque pax Principes inter Christianos componeretur, ad tantum tamque illustre Concilium legatus à Leone destinatur. In quo ea vsus prudentia est, vt cum Lutheranorum factio litteris, & armis totam Germaniam atque Ecclesiam perturbaret, à Clemente Septimo in Germaniam iterum legatus mitteretur, anno M. D. XXIII. vt sua prudentia summaque doctrina furorem Lutheri reprimeret; sed nihil, vt res perturbatæ erant, perfecit. Tandem ex Germania Romam reuersus, cum inimicorum arma esset expertus, sacrasque litteras à nonnullis adulterari conspexisset, Christi Ecclesiam talento sibi credito iuuare voluit. Etenim ab eo tempore totos annos in diuinarum litterarum meditatione collocauit; cum vno Christo, cumque libris, vt referunt, versabatur. Omnes ferè Scripturarum Interpretes, adhibito delectu simul, & iudicio, legebat; nullum omnino Scriptorem prætermittens, vnde non aliquid decerperet, neque ethnicum neque hæreticum: vt hostium opibus Dei Ecclesiam locupletaret. Nouerat enim vir doctissimus è sterquilinio aurum legere, aranearum interim sua linquens venena. Denique cum arido victu, & scribendorum librorum labore assiduo, præsertim nocturno, valetudinem afflixisset, magno omnium mœrore decessit, anno M. D. XXXIV. ætatis sexto, & sexagesimo. Nobis suæ pietatis, & ingenij celebratissimi relinquens immortalia monumenta, quæ mox recensentur. Quæ sancta doctaque monumenta magno piorum dolore, video à sui Ordinis Episcopo Ambrosio Catharino, libello edito, errorum traduci nonnullorum, nisi forte hominem hunc, acutum ac doctum, odium atque ambitio excæcauit. Hæc ferè ex vita per F. Ant. Foresecam eiusdem Ord. Sancti Dominici conscripta. Conditus est humili sarcophago ad ostium (vt calcent omnes ingredientes, orentque pro defuncti anima) templi B. Mariæ supra Mineruam sui Ordinis, hoc perbreui titulo: Thomas de Vio Caietanus Card. S. Sixti, Sacri Ordinis Prædicatorum, Anno M. D. XXXIV. Ætat. LXVI.

* * *

FINIS.

INDEX

INDEX
IN TOMVM XIX. ANNALIVM ECCLESIASTICORVM.

In quo prior numerus Annum Christi, posterior paragraphum indicat.

A.

ABissinorum Rex Emanueli Lusitano Crucem ligneam mittit, 1514. 19
Abissiniæ descriptio, 1514. 19
Æmilianus Venetus à Cæsarianis captus, 1511. 19. ope Deiparæ liberatur. ibid.
Æthiopes baptizantur, 1504. 10
Africani à Lusitanis fugantur, 1516. 13
Albertus Archiepiscopus Moguntinus Cardinalis fit, 1518. 19 eius inauguratio, ibid. eius de nouo imperatore eligendo oratio 1530. 7
Albertus Brandeburgus Contra Polonum bellat. 1520. 12. Regis Daniæ filiam in matrimonium ducit 1521. 55
Albertus comes à Mansfeld in oppido Oesterhusio rusticos seditiosos cædit 1525. 15
Albuquerrii classi cadauer mirabiliter adhæret, 1509 15. Goam amissam recuperat. fidem ibidem propagat, ibid. cum multis Indiæ regibus pacisciatur, 1510. 17. de vita periclitatur in obsidione Benestarini. 1512. 17. à Persarum Rege munera accipit. 1515. 24. diffamatus, ibid. eius mors & laus ib.
Almeida Mombazam Rege fugato capit. 1506. 9 in Zeilandam venit ibid. cum Turcis naualem pugnam instituit & vincit, 1509. 14. In India strenue bellat. ibid.
Alphonsus Dionysij Lusitaniæ Regis filius cum parente inimicitias gerit, 1510. 18. contra parentem bellum instituit, ibid.
Alphonsus Rex Indiæ filium suum in Lusitaniam litterarum caussa mittit, 1513. 26. Regi Lusitano scribit, ibi.
Alphonsi Regis Aethiopiæ laus. 1516. 13
Alphonsus Petrucius Cardinalis capitur, 1517. 2. in carcere strangulatur. ibid.
Ambrosius Catherinus Luthero acriter se opponit, 1520. 2.
Anna Bolena Scortum Anglicanum 1527. 41. clerum iurare cogit 1533. 16 Regina publicè coronatur 1533. 17.
Anabaptistæ: Figuri tumultum exercitant 1526. 42 Illorum libido ibid. Basileæ tumultum procreant ibid. 49. Rotenburgi multi supplicio afficiuntur 1527. 60 ad comitia Caroli V. venire nolunt 1530. 89 in Bohemia florere incipiunt ib. 106. Hagæ Bacatorum multi capite pœnas luunt 1532. 39 filios Ismael se vocant 1532. 30 Monasterii tumultum excitant 1534. 60 ib.
Catholicorum templa inuadunt 1534. 6: eorundem ibid. furor 1532. 63. ex Frisia petunt auxilia 1532. 66 Illorum auxiliaria opera intercipiuntur 1532. 67 multi in Hollandia iussu Caroli V. afficiuntur supplicio 1532. 68 Monasterij obsidentur 1532. 70 polygamiam denegantes occidunt 1532. 73 Regem & Reginam Monasterij solenniter creant ibid. 74. Amsterodami tumultum excitant 1532. 82
Andreas ex Olmo Minorita in Indias veniens fidem Catholicam ibidem prædicat 1528. 44
Atidreæ Spoletani in India martyrium 1532. 41
Anglicani schismatis Origo 1525
Angliæ Rex Legialem in Galliam mittit. 1507. 10.
Anglia Scholastica Collegia instituit. 1509. 15.
Antonius è prato S. Athanasii Cardinalis concilium prouinciale celebrat 1528. 41
Apes Eucharistiæ ædificant. 1506. 12
Arabes à Lusitanis fugantur. 1516. 13
Argentoratenses Ministri legatum ad Lutherum mittunt 1525. 67. eorum legatus à Consessu in comitijs Spirensibus reiiciuntur 1529. 48.
Augustæ Vindelicorum solēniter comitia celebrantur à Carolo V. 1530. 46 ib. protestantes fidei suæ cōfessionē offerunt 1530. 47
Augustana confessio 1530. 48
Austriæ Ducis classis Cæsarianæ in persequendo Turcas constantia 1532. 17 summa clementia ibid.
In Baden Heluetiorum inter Catholicos & Zuinglianos oritur disputatio 1526. 35

B.

BAlchasar Haubmeierus Anabaptistæ autor 1525. 6 custodiæ traditur ibid. cum vxore pœnas luit ibid. 49
Barbara Poloniæ Regis vxor mortua 1515. 28.
Basileæ Oecolampadius floret 1526. 98 *ib.* Anabaptistæ tumultū excitant *ibid.* 49. Hæretici in Catholicos irrumpunt 1529. 44
Basilius Dux Moscouitarum contra Polonum a Cæsare auxilia petit, 1514. 14 Lithuaniam inuadit ibid. à Polonis ceditur. 1518 23. Legatum ad Clementem VIII. Pontificem mittit 1531. 17
Bellum inter Hispanos & Gallos, 1503. 5.
Bembus à Pontifice ad Venetos mittitur, 1514. 4.
Bendiuoli Bononiam fugiunt, 1512. 3
Benno in Misnia exaltatur, 1529. 13.
Bernardus Rothmannus Monasterii in VVestphalia nouus hæreticus tumultum excitat 1534. 47
Bibliotheca Vaticana à barbaris militibus diripitur, 1527. 26.
Bononia à pontifice recipitur 1506. à Bentiuolis recuperatur 1508. 1 rebellat, 1511 Cardinalem Papiensem expellit. ibid. 3. Caroli V. inaugurationis locus statuitur 1330. 3.
Bruxellis duo Lutherani comburuntur. 1513. 11. duæ ægre matronæ per inuocationem venerabilis Euch. sanantur 1529. 64
Buda vngariæ oppidum à Solymanno capitur 1529. 23.
Burgum ab Hispanis direptum 1527. 15

C.

CAietanus Cardinalis misero in Romano excidio à militibus affligitur 1527. 27 eius vita 1534. 96
Campanistæ & eorum secta 1532. 25
Campegius Cardinalis à Pontifice in Angliam ad lites Henrici VIII. de matrimonio componendas missus reuocatur 1534. 42
Cantuariensis Archiep. cum Episcopo VVintoniensi de primatu contendit. 1530. 8
Carolostadius Ecclesiam peruersa sua doctrina perturbat 1522 41. Hostis Lutheri factus Saxonia expellitur 1514. 28 sibi Lutherum offensum reconciliat 1525. 44. VVittenbergam reuersus ab eadem recedens agricola fit miserrimus ibid. ad Heluetios agriculturæ pertæsus transit ibid. in suggestu stās terribile videt spectrum à quo post triduum è vita migrans rapitur ibid.
Carolus Borbonius à Rege Galliæ deficit. 1523. 4. Romam cum exercitu appropinquat 1527. 12 eius milites Romæ suburbium occupant ibid. ipsam Romam inuadunt ibid.
Carolus V. Archidux Rex Hispaniæ declaratur. 1516. 11. Rex Romanorum eligitur, 1519. 15. eius inauguratio 1519 17. Lutheri libros comburi iubet, 1520. 9. Aquisgrani inauguratur. 1520. 11. in Angliam nauigans excipitur honorificè 1520. 16. eius edictum contra Lutherum, 1521. 15. edictum impeditur, 1521. 16 nouum contra Lutherum promulgat, 1523. 5. eius ad Comites Mansfeldiæ de Luthero edictum, 1524. 8. Galliæ Regi leges pro libertate sua assequēda proponit 1525. 12 Picardiam, Normanniā, &c. pro præmio victoriæ suæ à Gallo captos petit. ib. 3
Conuentum indicit ibid. 55. cum Gallo. capto pacem certis conditionibus init 1526. 5. eædem Cōditiones ib. Madritum profiscitur ad Gallum Captum ibid. eius milites Romam inuadunt & diripiunt ibid. 18. eius exercitus in Italia castra metatur 1527. 1. Pontificis Imperium mandat inuadi 2. Galliæ Regis legatum Captiuum detinet 1528. Neapolim recuperat. ibid. 5 cum Clemente VII. Pontifice pacem init 1529. 7.
Cum Francisco Galliæ Rege pacem habet, ibid. 4. copias suas in Florentinos duci iubet ibid. 6. Venetis bellum inferre statuit ibid. 17. in Italiam Bononiam ad Pontificem veniens ibidem honorificentissime excipitur ibid. 20. Eius descriptio ibid. à Pontifice Clemente VII. Blandè saluiatur ibid. 22.
Contra Florentinos nouum bellum mouet ibid. 23. spiræ & bellum Turcicum conuentu indicit ibid. 42. edictum contra Anabaptistas promulgat ib. 47. Bononiæ solenniter inauguratur. 1530. 3. eius pompæ descriptio ibid. Insignia Imperii de

manu Clementis narratio ibid.4. eiusdem electionis plenior narratio ibid.5.eius legati Moguntiam venientes electionem petunt ibid.6.ab Electore Moguntino &Saxone suffragium accipit ibid.Romanorum Imperator factus ibid.Aquisgrani inaugurationis plenior descriptio ibid. 16.Augustam Vindelicorum principes ob religionis dissidium conuocat ibid. 43. cum Fratre suo Ferdinando Augustam solenniter ingreditur ibid.45.eius decretum contra Sacramentarios ibid.79. Ratisponæ conuentam indicit 1532.1.strenuè se ad bellum Turcicum præparat ibid.23.discedente Solymanno in Italiam redire statuit ibid.53.eius aciei descriptio ibid Italiam intrat ibid. 14.cum Pontifice clemente VII.classem contra Turcas parat ibid. 16. eiusdem progressus ibid. eius per Ducem Auriam felix in mari contra Turcas progressus ib.17.Concilium Oeconomicum summoperè cupit 1533.1.ipsius cum clemente VII fœderis pactio ibid.grauiter ob Henrici VIII.Angli diuortium offensus ibid.18.
Casparus scvvenckfeldius Silesiam falso dogmate inficit 1526.51 eius vita & mores 1527.62
Catharinæ Henrici VIII.Regis Anglicani vxoris laus 1527.31.apud Carolum de iniuria sibi illata summoperè queritur 1528 14.Vni Volcæo eandem acceptam fert ibid 17.in villam cum parua familia à Maria suo recedit,1533.14.
Cherseglis Bassæ, Turcæ laus,1511.5.
Claudia Valesia Galliæ Regina obijt 1524.36.eis vitæ probitas ib.
Clemens VII.Pontifex creatus 1523.2.varijs belli tumultibus iactatur 1524.2.hæresim extirpare conatur ib.8.legatum ad Comitia Norinbergensia mittit ib.
Carolum V. eo quod Ecclesiasticis se ingerat reprehendit ib.9 in Bohemiam & Vngariam ad hæreticos comprimendos legatum mittit ib.31.Ludouicum Vngariæ Regem à pace Turcica auertere conatur ib.32.diplomata iubilæi promulgat ib.36.pacem inter Carolum V.& Franciscum Gallum frustra conciliat 1525.1.cum Venetis & Florentinis ob Cæsaris victoriam magno timore afficitur ib.7.quare sibi timeat ib.fœdus cum Carolo V. sancijt ib.Episcopum Pistoriensem ad Gallum captum visendū mittit ib.9.Sigismundo Poloniæ Regiensem & pileum mittit ib.54.Senatum Parisiensem vt Lutheranos in regnum irrepentes comprimant hortatur ibi.58. Iubilæum anniuersarium instituit ib. 77.à Cæsare Galliæ Regis liberationem petit 1526.1. Mediolanum ab obsidione liberare cogitat ib.12. Cum Venetis & Galliæ Rege bellum contra Cæsarem parat ib. 13.inducias in oppugnatione Romanæ vrbis,cum Cæsareanis facit ib. 18.Columniorum oppida inuadit ib 19.apud Carolum V. de iniuria sibi illata queritur ib.21 pacis leges à Duce Cæsareo accipit ib.Vngaris à Solymanno deuictis succurrere laborat ibid 25.bellum Neapolitanum contra Cæsarem aggredi statuit 1527 5.in arcem fugiens cum Cardinalibus obsidetur ib.1. eiusdem obsides pro se dari clam Roma aufugiunt ib.1.leges pro se liberando accipit ib.commeatu absumpto cogitur vesci carne asinina ib.22.litem Henrici VIII.Angli in diuortio Romæ potius quam in Anglia decernendam putat 1528.13.Ariminum recipit ib.18. cum Carolo V.pacem habet 1529.2 Bononiæ cum cæsare solenne pacis fœdus init 1530.10.cum eodem expeditionem Florentinam promouere statuit ib.3.Florentiæ subactæ magistratum instituit ib.40.lauretū magnis afficit beneficijs ib.115. ope B.V.Lauretanæ ingens periculum euasit ib.117.cum Ferrariensium Duce inimicitias gerit 1531.6 Basilium Moschorū ducem vnioni Ecclesiæ adiungere conatur ib.17.Cæsarem Bononiam venientem honorifice suscipit 1532.20.eius laus 1533.2 pro
Catharina ab Henrico Anglo VIII. repudiata contra eundem sententiam fert 1534.7.moritur ib.95. eius laus ibid.
Clericorum Regularium fundationis historia 1524.36. eorundem fundatores ibid.
Clerus Anglicanus Henrico VIII.ingentem pecuniam pro criminis expiatione offert 1533.8.
Christiernus Rex Daniæ Sueciam inuadit, 1522.58.eius crudelitas,ib.pœnas luit,ib.
B.Columbæ obitus & res gesta.1517.26.
Conciliabulum Pisanum, 1511.3.
Concilij Lateranēsis initiū & progressus.1512.8.1513.19.finis.1517.
Conradus Pellicanus Hæreticus Erasmum Roterodamum Zuinglianum appellat 1526.38.
Constantiæ comitia celebrantur.1524.4.
Constantia filia Lusitani moritur.1516.18.
Consalui magni prouidentia & moderatio.1503.6.ei caieta traditur,5.in morbum incidit.6.ipsi insidiæ structæ.1506. 2.
Coppinus Insulanus à clancularijs seductus Tornaci ob hæresim supplicio afficitur 1530.107.
Cortugoli præfecti Turcici de Rhodo obsidenda oratio.1522.17
Coroneæ vrbis Turcicæ à Christianis expugnatio 1537.17.
Cranganoris vrbs Indiæ capitur. 1504.14.illius descriptio. ibid.
Crux miraculose liquorem stillat,1504.4.in Abissinia purpurea apparet.1513. 36.in Saxonia punicei coloris visa.1517.26.
Cos insula à Turcis depopulatur 1522.26.
Culiacana Americæ prouincia ab Hispanis inuenta 1530. 134.

D.

DAuidis Regis Aethiopiæ ad Emanuelem Lusitanum literæ, 1521.30 eius ad Clementem VII.Pontificem & Lusitanum literæ 1524. 13.Franciscum Aluaretz ad eosdem mittit ibid
Dauid Georgius vitriarius alterum Dauidem se prædicat. 1525, 70.eiusdem fidei articuli ibid.
Dionysius Rex Lusitaniæ Elisabetham in matrimonium accipit 1516.19.eius flagitia.ib. cum fratre dissidium habet ib. Contra filium bellare statuit.ibid. morbo correptus moritur. ibid.
Dosa Dux exercitus contra Turcam electus.1514.12 Hungariam depopulatur.ib.captus crudeli supplicio afficitur.1514 13.

E.

EDimburgi in Scotia legis in Comitijs contra Hæreticos statuuntur 1533.51.
Elisabetha & Anna Bolena nascitur 1533.19.
Elisabethæ Lusitaniæ Reginæ vita.1516.17.
Emanuel Rex Lusitaniæ naues in Indiam mittit. 1503.10.in Aethiopiam religiosos mittit.1504.1.,classem in Africam mittit. 1505.10.arcem extruit in Aethiopia.1505.6.Pontificem contra Turcas vt bellet hortatur.15 6.9.cum Ferdinando Maurorum vires minuit.1507.12.Architectos in Conchos qui templum ædificent mittit.1509.14.nouam classem in Indiam mittit 1510 15.Barbaros in India cædit,1511. 5.ipsi Crux ab Imperatore donatur.1512. 16.Pontificem de Victoria Indiaca notificat 1513. 26 Legatum in Indiam mittit,ib.Pontifici munera legat.1514 6.Arabes & Africanos fugit. 1515.13. cum Persarum Rege fœdus init. ib. eius filius Cardinalis fit 1516.16.in Indiam classem mittit.1520.10.eius in India victoria,1520.21. eius obitus.1521. 31.vitæ eius breuis synopsis.1521,32.
Erardus Leodij Episcopus. 1506.7. legem in ditione sua contra hæreticos statuit 1528.30.protestantium multos partim expellit partim supplicio afficit 1531.34.
Erasmus Roterodamus socius Lutheri fit.1519.26.apud Regem Angliæ se insinuat 1523.23. B.V. Lauretanam encomio celebrat.1530.125.
Eremitæ sub inuocatione S.Hier.moderationē suarum regularū à clemente VII.petunt 1529.61.

F.

FAbricius carectanus summus Rhodi Magister mortuus.1521.14
Ferdinandus Rex Hispaniæ cum Ludouico Rege Galliæ paciscitur.1504.1.febri corripitur.1504.7.moratur in vrbe Tauro. 1505.3.paciscitur cum Maximiliano,ib.in Africam bellum mouet.1505.4.Pontifici de victoria gratulatur.1506.2.ipsi crimina imposita 1506.3. cum Regina splendide Augustæ excipitur. 1506.5.Ximenio à Pontifice Cardinalatum impetrat.1507.3. cum Emanuele Lusitano Mauros vexit. 1507. 12. de Regno Castellano stabiliendo inuigilat. 1508. 3.in Africā bellum mouet.1509 12.ipsi Regnum Neapolitanum Pontifex confirmat. 1510.14.cum Venetis fœdus init.1511.7.Gallum vt vrbes Pontifici restituat hortatur.1511.12. Africani Rege se ipsi tradunt.1512. 13. Filium Regis Neapolitani curat incarcerari.1511,7. Consaluum Pontifici in auxilium mittere statuit.1512.9. in morbū incidit.1513.31.mortuus.1516.2.
Ferdinandus Caroli V.frater Spiræ Conuentum celebrat 1526. 27.Rex Vngariæ fit 1527.29.Ioannem eiusdem regni competitorē opprimit & ex regno eiicit 1528.20.ipsius legati nihil apud Solymannum efficiūt ib.21, acer Huttitarū persecutor 1530.93 Romanorū Rex declaratur 1531.Aquisgrani solenniter inauguratur ibid. induciarumq; pacta Solymanni acceptat & ad Carolum V.mittit.1534.1.
Ferdinandus Cortesius nouam Indiam penetrat 1518.32. eius in India victoria ib. Pontonhapiam Mexicana expugnata capit 1521.33.
Ferdinandi Magalani ad Malacas nauigatio 1520.21.
Ferrariensis Dux cum Gallis pontificias vrbes inuadit.1512.1 in gratiam receptus.1513.1.
Florentini 4 legatus ad Carolum V. cū exercitu venientē mittunt 1529.15 contra Clementem VII. Pont.& Carol.V.Cæsarē se armant ib.ciues sine scitu summi Magistratus cum Pontifice componere volunt ib 19,eorum legati à Cæsare reiecti 15,0 1.Cæsaris diplomata accipiunt ib.41.obedientiam iurant. 41.
Florentia ab oppressione ope Deiparæ liberatur.1505. 10. obsidetur 1529.10 in summas angustias conijcitur 1530.37. ad deditionem cunctā ib pacta deditionis ib. 38.
Fonseus in Pontificios exercitum ducit moritur 1512.1.
S.Franciscus Paulanus beatis adscriptus. 1519. 19.
Franciscus Dux Vrbinatis in Ecclesiæ offensam incurrit 1516.22 principatum suum recuperare conatur 1517.1. contra Pontificem bellat.ib.Lauretum spoliare cupit 1517.23. eius socij vindice Deipara puniuntur.ib.
S.Frācisci de Paula vita & mors,miracula, canonizatio 1507.33.
Franciscus Cordubensis in India martyrio afficitur 1520.25.
Franciscus Angolismensis in Regem Galliæ electus 1515.2.cū Anglo paciscitur ib.Lugdunum profectus ad Alpes exercitū ducit. ib.Pontificios & Heluetios opprimit.ib.cū Pontifice agit.1515. 2.ipsum inuisurus Romam venit.ib.Mediolanum recipit. 4. Bononiam venit. 1515.13. inde discedit 1515. 17.cum pontifice paciscitur 1515.18.Regnum Neapolitanum inuadere conatur. 1516.4.ad Emanuelem Lusitanum Legatum mittit 1516.7.Carolum V.bello lacessit 1521.27.contra Pontificem bellat.ib.Venetos à Cæsare auertere conatur.1523.3.Neapolitanum regnū

inuadere statuit 1524.4.ab Hispanis capitur 1525.2.in carcerē conijcitur ib.3.captus in Hispaniam ducitur ib.honorificè excipitur ibid. 4.summum vitæ periculum adiit ib. ob longinquam sui custodiam in morbum incidit ib.6.à Carolo V.promissa liberatione rursus conualescit ib.à Carolo V. leges pro libertate assequenda accipit ib.11. Madriti arctiori custodiæ traditur ib.16.in morbum denuo cadit ibi.16.à multis impellitur ad alienationem à Cæsare 1526.6.libertati donatus Fonterabiam venit ib.7.eius filius Lanionio duci & proregi Neapolitano obses datur ib.cum Pontifice & Venetis fœdus init ib.10 fœderis leges ib.11. Pontificem ab inducijs cum Carolo V.factis reuocare studet ib.19.ad Pontificem Clementem VII.liberandum oēs conatus adhibet 1527.18.Caroli V. legatum captiuum detinet 1528,2.Flandriam inuadere statuit ib. hæreticum ob blasphemiam in B. V. supplicio afficit ibid. 43. cum Carolo V. pacem inijt 1529. 4. per legatos. Romanus Imperator eligi petit 1530.6.eiusdem legatorum oratio ib.cum principibus protestantibus consilia contra Cæsarem agitat 1531. 4. in colloquio cum Pontifice in causa Regis nihil efficit 1533 5. eius erga litteras amor ib.22.hæreticis aurem præbere noluit ibid. hæreticis tandem aurem præbet instinctu Margarethæ sororis suæ. ibid.27
Francisci Mirandulæ comitis Eucharistici miraculi narratio 1525.74.
Francofordiæ ad mœnum plebs tumultuatur. 1525.38
Fratres Minores de obseruantia in sententiam Regis sui in Angliam iurare nolentes monasterijs expelluntur. 1534.74
Friderici Albaniæ Ducis de Gallo capto oratio. 1515.11
Fridericus Saxoniæ elector mortuus. 1525.28
Freiburgiæ duo monstra Lutheri impuritatem portendentia nascuntur 1523. 12.
Fridericus Rex Neapolitanus spe regni destitutus moritur.1504. 1.& 6.
Fridericus Dux Saxoniæ Pontificis mandatum de Luthero recusat. 1520.9
Frusulona à Cæsareanis obsidetur 1527.3.eius situs ibi.

G.

GAbrielistarum secta 1530.96.eorum fidei articuli ibi.
Gabriel gabrielistarum autor Moraria expellitur. 1530.104.
Gallia ob Regem Franciscum captum magno afficitur & timore & mœrore 1518.13
Gallorum clades ad flumen Garliani 1503.5.cum suis copijs Bononiam tendunt 1510.6. illorum Dux Ciamontius moritur. 1511.1.Pontificios cedunt 1512.1.Rauennam expugnant, Romam terrent,ibid.
Galliæ Rex Genuam vt comprimat ingreditur. 1507.2
Gedanenses in Prussia tumultuantur. 1525.52
Genuenses à Rege Galliæ deficiunt 1507.1. Castelletum recipiunt 1511.4.cū constantiensibus Ecclesiæ ritū deponūt 1528 234
Genua per implorationem B.V.à peste liberatur. 1530. 15
Gentilis mulieris sanctissimæ mors & acta. 1510.10
Geardi Rufi noua missæ celebratio. 1533 23
Georgius Dux Saxoniæ Lutherum insolentiæ accusat 1524.50. Luthero scribit. 1525.47.
Georgij VVicelij hæresiarchæ Apologia cur se ad fidem Catholicam conuerterit. 1532.12
Georgius VVagner in Bauaria vir primarius ob hæresim Combustus 1527.eiusdem fidei errores ibid
Georgius Dux Saxoniæ Polonum & Albertum Brandeburgum reconciliare studet. 1524.1
Georgij Quadræ in India simulatæ religionis astutia.1520 .22
Goa ab Albuquercio capta. 1509.4
Gondissalui Vascij in Africa martyrium. 1522.14
Gruningensium Sacrilegium. 1506.7
Gustauus Sueciæ Rex hæresi infectas Episcopum Vrsalensem in exilium mittit 1527. 66. Carnificis filiam ducit. ib.
Guintij oppidi Hungarici à Turcis expugnatio. 1532.7
Guilhelmi Rossæi contra Lutherum exaggeratio. 1523.6

H.

HAdriani VII.Pontificis iuuentus & mores 1522.1.Caroli V.pædagogus factus 1522 2.Dorthusensis Episcopus factus 1522. 3.Cardinalis factus.1522.4.toti Hispaniæ præficitur.1522 5.Pontifex in Hispania salutatur.1522.8.Ex Hispania Romam nauigat.1522.10.Cæsarem & Gallum conciliare studet 1522 12.Rhodijs opem ferre statuit.ib.Saxonem in causa Lutheri admonet. 1522.34.Venetorum impulsu Principes ad expeditionem hortatur.1522.57 Ariminum recipit.1523.1.fœdus ad Italiæ propugnationem init.1523. Venetos in auxilium contra Turcas vocat 1523.3.legatum in Sueciam mittit.1523.10. eius acta in Pontificatu 1523.à 12.vsque 14.eius obitus & laus 1523.14
Halæ Sueuorum Oecolampadij de Cœna Domini sententiam Lutherani condemnant. 1525.66
Hariademus Aenobardus Italiæ magnum incutit terrorē 1534.5
Hæretici se apud Henricum VIII.Angliæ Regē insinuant 1533.15
Hæreticus Berlini D. Paulum arguens apoplexiā sternitur 1525. 72.eius statuam B.V.blasphemans punitur,ib.alius cæcatur ib. combustus alius sequenti die socijs suis in carcere totus ardēs apparet 1528 39.aliorum varij de fide articuli. ib.4
Heluetij Zuinglianismo infecti Ecclesiasticos cæde, rapinis inuadunt 1524.23 electores ne Gallū Imperatorē eligant hortatur. 1530.7.Gallo auxilia denegit 1513.1.ipsius exercitū cedūt 1513.13.
Henricus VII.Rex Angliæ Pontifici Legatos mittit.1505.9.ipsius mors & laus. 1509.1
Henrici VIII.scelera & schisma.1509.15. Contra Gallum bellare statuit.1511.1 Franciscum Galliæ Regē vt à bello desistat hortatur.1515.2. Carolo V.assertiones Lutheranas mittit.1521.20.fidei defensor appellatur 1521.19. Lutheri libros subditis suis prohibet.1522.47.Saxonem in causa Lutheri admonet. 1522.48 Saxoniæ principem de Luthero admonet 1523.26. Pontifici hæresim minatur.1525.22 Luthero matrimonium cum moniali initum exprobrat ib.43.Lutheranorum libros in regno suo prohibet 1526.30.carolo V,bellum indicit 1527.30. Catharinam Arthuri fratris sui viduam in vxorem accipit ib.34. delitijs & concubinis vacat ib.à Thoma Volcæo Cardinale Anglicano ad diuortium incitatur ib.37.eiusdem cum Bolonis impuritas ib. 39.ad Pontificem Clementem VII.vt diuortium approbet legatos mittit 1528.6. Thomā Morum eadem de re consulit ib.7.grauiter conscientiæ stimulis agitatur ib.59. cum Anna Bolena etiam in maximis festis conuersatur 1529.15. Clementem VII.ad postulata sua probanda per legatos rogat ib.26. potius fidem Catholicam quam Annam Bolenam deserere statuit ib.in Iudicium cum Catharina Londinum citatur ib. 27. seipsum Iudicem statuit ib.28. Legatos ad sententiam suam ferendā premit ib.29. ipsius procuratorum sibi assentientium rationes ib. Clementem VII. vt diuortium approbet,hortatur ib.110. eidē terrorem incutere cogitat 113.Thomam Volcæum in Carcerē conijci iubet ib.Galliæ Regem contra Cæsarem concitare conatur 1533.6.clerum opprimit in Anglia ib. 7. Ecclesiæ Anglicanæ caput ab adulatoribus prædicatur ib.8. Annam Bolenā Catharina repudiata in vxorem accipit ibi.9.Ecclesiæ Anglicanæ caput appellatur ib.20.Catharinam vxorem suam Reginam nominari prohibet 1534. 8.comitia publice celebrat ibid. 23.acta in comitiis ib.24. papæ nomen è regno eliminat ib.25. alios principes ab vnione Ecclesiæ auocare conatur ib.26.
Hieronymi Aemiliani Congregationis pomaschæ conditoris laus 1528.48.eius vitæ acta 1531.22.23.24.25.26.27.28,29.30
Hispaniæ 13.ciuitates à Carolo V.deficiunt. 1522.5
Hispanus & Gallus de regni Romani prærogatiua cōtēdūt 1519.15
Hispani Mazalquiuirum Maurorum vrbem inuadunt 1505.4.
Hoffmannistarum autor & secta. 1531.12
Homicidarum scelera mirabiliter detecta. 1505.4
S.Huberti inuocatione energumeni liberantur. 1509.16
Hungari rebellant. 1510.13. Solymanni legatos captiuos detinent. 1521.34
Hungari quære Vngari

I.

IAcobus Hutterus pelargi discipulus magnam aggrestiū multitudinem concitat 1530.29.eiusdem ad Morauiæ Mareschallum literæ ib.92.à Ferdin.caroli V.fratre captus cōburitur ib. 95.vnde originem traxerit ib 96.eius doctrina mores ib.
Iacobus Melitinski nouum se Christum assimulans 12. alios latrones more Apostolorū sibi adsciscit 1525.56. eius Apostolus in altare quoddam ruens instar obsessi pecuniam à Peregrinis oblatam aufert ib.cum Apostolis in syluam ob scelera fugiens per fenestram tempore passionis verbera timens aufugit ibid.
Iacobus Kautius nouus VVormatiæ pseudopropheta 1527.51.ipsius doctrina ibid.57
Iacobus Rex Elisabethæ auus mortuus. 1516.18
India noua à Ferdinando Cortesio inuenta 1518. 32.fidem Catholicam suscipit 1503.10. religiosos honorifice excipit ibid.in eadem Tristanus Socothoram insulam occupat 1508.4. in eadem occidentali. Perruuiana Regna Dominicani Christianis legibus subdunt. 1519.62
Insulanorum acta. 1517.20
Ioannes Fischerus Roffensis Episcopus pro defensione Catharinæ Angliæ reginæ libellum edidit 1529. 39.
Ioannis Vitadi Dominicani laus. 1523.46.
Ioannes Vngariæ Rex contra Ferdinandum Vngariæ Regem à Polono auxiliū petit 1528. 10 Turcæ opem se imploraturum auxilioā denegato minatur ib. exula multis Polonis innititur ib.21,à Solymannis auxilium contra Ferdinandum petit ib.eiusdem expulsi literæ ib.22.Solymanno auxilia sibi adferenti contra Ferdinandum, à quo expulsi obuiam solemniter præcedit 1529.21.Vngariam cum Solymanno inuadit ib. Turcis aduertentibus arma expedit & strigonium obsedit. 1532.6
Ioannes Præpositus August.ob hæresim combustus. 1523.17
Ioannes Scotus in Scotia magnus ieiunator, 1529.67
Ioannes Castellanus Doctor in Lotharingia ob hæresim combustus. 1524.32
Ioannis Denckii fidei errores. 1529.46
Ioannis Petri Caraffæ Episcopi Theatini genus & vita 1524. 36 Venetiis ordinem suorum plantat. 1528.48
Ioannes Saxoniæ elector protestantium caput 1532. 40. Ferdinando Romanorum regi reconciliatur. 1534.6
Ioannes Matthiæ pistor Harlemensis alterum se Moysem prædicat. 1532.39

Ioannes Magnus Gothus VphalensisEpiscopi Regem sueciæ vt hæresim caueat hortatur, 1534.94, in Sueciam à Pontifice ad hæresim eliminandam mittitur. 1533.54
Ioannis Matthiæ scelera 11534.64.Sternitur in pugna apud Monasterium. ib.70.eius excarnificatio. ibi.
Ioannes Lascus Episcopus Gresnēsis in Polonia mortuus 1531.17
Ioannes Caluinus nascitur 15:4. 28. cognomen suum mutauit ib. eius malus instructor volniarus ibid. 29.Græcæ linguæ operam nauat ib.30.Canonicus factus ibid.eius à Luthero discrepantia ib.32.Luthero ingenio præstantior ibid.in Galliam reuersus Patauium petiit ibidemque virus suæ hæresis fundit ib. 35.Luteti s Parisiorum aufugit. ib.44
Ioannes Comes Palatinus mortuus. 1509."6
Ioanna Regis Hispan. in rabiem adacta. 15.3.7
Isabellæ Reginæ Hispaniæ virtutes.1504.7.Grammaticæ studet ib.moritur, ib.ægrotanti lapides pretiosi offeruntur, ib.7
Ismael Sophus Persarū Rex Albuquertio munera mittit.1515.24
IudæusEucharistiam prophanans Cracouiæ comburitur.1508.4 ali us ferro discerpitur 1510.19
Iulius II.in pontificem electus 1503.1.mores 2.ædificia ab eo restaurantur, ib. Imperatorem vt Venetis bellum inferat vrget. 1504.2.ipsius Cubicularius ex insidiis interimitur.1504.4.legatos Venetos reijcit. Genuenses excipit.1504.11. à Gallo auxilia petit.1506.1.Consilia de Bononia liberanda,1506.1. Bononiam capit.ib.Basilicam S.Petri absoluit.1506.10.dedicat.1506 13.de rege Galliæ queritur,1507.2. ad Reges conciliandos legatos mittit 1507... illius in Lauretanam ædem affectus 1507. 11.vrbes à Venetis captas recuperat. 1509.4.illorum conditiones respuit ib.5.Rauennam recuperat,1509.11.Regem Angliæ contra Gallum concitat,1510.2.deRege Galliæ apud principes queritur,1510.8.cumVenetis contraGallum bellat,1510.3.Cæsarem à Gallo alienare conatur,ib.Mirandulam obsidet,1510. 10.Iubilæum in Poloniam mittit,1510 .11.applaudet RegiFerdinando ad captam Tripolim,1510.14.templum Lauretanum absoluit.1510.21. in Castra ad Mirandulam posita venit 1511.. eum Gallo de pace tractat,ib.In subitaneum morbum incidit, 1511.6.Pisanos &Florentinos excommunicat 1511.-.duosCardinales Schismaticos declarat.1511.9.à Cæsare contra Gallum auxilia petit.1511.12.Polonum contra Turcas concitat,1511.18 pacem Gallo recusat,1512.2. ipsi auxilia Heluetij mittunt,ibi. ablata à Gallis recuperat,ib. inter ipsum & Cæsarem dissensio orta.1512.4.moritur, 513.3.ipsius Elogia. 1513.4

L.

LAdislaus Rex Hung' contr.Venetos bellum præparat, 1524. Turcas vincit. 15.3.27
B.Ladislai ordinis obitus & miracula. 1507.14
Lanoii Proregis Neapolitani adCarolum V.oratio. 1526.3
Lateranense Concilium, quære Concilium. ibid.
Lauretum magna munera mittuntur. 1517.24
Lauretanam domum architectus peruiam facere volens à B.V. punitur 1530 116.eiusdem vera inuentio ib.120,laus ib.121.magna munera mittuntur ib.123 à Turcis donis exornatur ib.ab Erasmo Roterodamo encom o celebratur. ib.124
Lautrechius Gallicarum copiarum ductor Neapolim opprimit, 1528.3.obiit. ib.5
Leo X.in Pontificem electus 1513.5.ipsius mores &res gestę.1513 7.coronatur, b.11 Mutinam vrbem à Cæsare emit.ib Maximilianum Cæsarem ab armis reuocat,1513.17.Venetos contra Cęsarem animat 1513.18.Tres Cardinales creat.1518.28.ipsi populus Rom.statuam donat, ib.29 Anglum vt Rhodiis auxilio veniat hortatur,1513.33.Gallo Heluetios conciliare studet.1514.1. cumGallo deMediolano tractat ib.vt bellum Principes Turcis inferant hortatur,ib...diploma sacri belli reuocat, 1,14.11 Abyssinorum Regi scribit ib 20.Venetis litteras mittit,ib.Lauretanam ædem ornat beneficiis,ib.22. Florentiam venit,1515.6. de Gallo excipiendo ait ib.7.& 12.cum ipso in præsentia tractat,ib.14.inter Cæsarem & Reges dissentientes pacem cōponere studet, ib.19.de Ludouici Regis Hungariæ filii tutela laborat,1516.7.Carolum Ferdinandi Filium Regem Hispaniæ declarat 1516.10.Cardinales multos creat 1517. 2.Lauretū fortiter munit,1517 24.supplicationes Romæ instituit, 1518.1. Imperii principes contra Turcam excitat,1518 2.ad varios Reges legatos mittit,1518.3 eius Legatorum Augustæ acta,1518.5 Maximiliano Cæsari gladium mittit, 1518. 9 Albertum Archiepiscopum Moguntinum Cardinalem declarat, ib. Principes ad expeditionem hortatur,1519.13.Saxoni rosam auream mittit, 1519. 20. duos Commissarios ad Lutherum comprimendum mittit,1520.5.Carolo V.in causa Lutheri scribit.1521.2.Contra Gallum bellat, 1521.24.vrbes amissas recipit,ib.eius obitus & acta.1521.28.eius laus. 1521.29
Leonardus Cæsar hæreticus in Bauaria ob hæresim crematur 1527.65
Libertinorum autor &Religio 1525.69. eorum fidei errores ib.
Londini optimates in sententiam Regis Henrici VIII. iurare coacti. 1534.10
Ludouici Iernæ in Insula Tanerissæ miracula. 1528.45
Ludouicus Hetzerus Anabaptismi pseudo Apostolus. 1527.61
Ludouicus Requesenius Turcarū naues pyraticas vicit, 1515.26
Ludouicus Rex Galliæ paciscitur cum Hispano.1504.1 Pontif. armis persequi statuit,1510.4.cum ipso de pace tractat 1511.1 de pace cū Cardinalibus clam agit 1512.2.Mediolanum recuperare statuit,1513.1.& 12.in Italiam exercitum mittere vult.1513.11 cum Venetis stipulatur,ib.Massiliensem Episcopū pro Conciliabulo Pisano mittit,ib.14.duas arces in Italia amittit,ibid.16. Conciliabulum Pisanum detestatur,ib.18.Arcem Laternam amittit.1514.2.Illius vxor moritur,ib.3.ipsius mors & laus.1515.1.
Ludouicus Vngariæ Rex contra Solymannū auxilia exspectare nolens ad bellum audacter proficiscitur 1526.23.in acie sternitur ib.in Danubio submergitur. ib.
Ludouicus Grittus ab Vngaris interficitur. 1534.4
Ludouicus Rex Hungariæ Saxoniæ Duces ad Lutherum supprimendum hortatur. 1522.70
B.Luciæ Seruitarum Monialium fundatricis obitus. 1520.26
Lusitani Mauros cedunt.1515.25.à Mauris ceduntur,ib. eorum naui bellua adhæret.1520.20 Arabes & Africanos cedunt.1516
D.Thomæ corpus inueniunt. 1524.31
Lutheri vita,1517.7 natiuitas ibid Magdeburgum proficiscitur, 1517,8.Augustini ordinem ingreditur.ibi, fit sacerdos,1517.9 Vvittembergę Philosophiam profitetur,ib.Romam proficiscitur ib.DoctorTheologię promotus,1517.10.Theologiam docet.1517.11.Heidelbergam proficiscitur ib.Romanā Ecclesiam oppugnat,ib.Indulgentias oppugnat, 1517.17.à fide Catholica deficit,1517. 19 eius Theses oppugnantur,1518,15 Heidelbergam disputaturus proficiscitur,1518.16 à Pontifice Romam citatur,1518.20 ad Monasterium reuertitur,1518.21.eius acta cum Cardinale Caietano, 1518.22 resipiscere cupit,1518.23.clam in Saxoniam fugit. 1518. 25 cum Eccio Lipsiam ad disputandum venit 1519.24 Carolo V. scribit, 1519.34.1520,3. in Pontificem inuehitur, 1520.1 bullam Pontificis reiicit,1520,5 Pontifici scribit,1520. 8 bullam Pontificis comburit. 1520.10. VVormatiæ in Comitiis accusatur,1521.3.ad ea citatur,ib.Vvormatiam venit, 1521.5 examinatur ib.eius in Comitiis responsio. 1521.6. VVormatia discedit,1521.11. eius Symbolum, 1521.12 Fridburgum venit,1521.13,in via à duobus laruatis intercipitur,1521. 13 à Carolo Quinto VVormatiæ publicè proscribitur.1521.14 eius assertiones contra indulgentias & Pontificatum, 1521 17. contra 7.Sacram.1521.18. in Castro detinetur,1521.23. VVitenbergam reuertitur,1522.36.eius de missa abroganda scripta 1522.38.Contra Regem Angliæ scribit,1522.42.eius de matrimonio doctrina,152 .44. eius inepta noui testamenti translatio.1522.45.Virgines9.ex monasterio egredi facit,1522.51.Ordini Teuthonico matrimonium suadet, 1522. 53.eius de Ven. Sacr.doctrina,1522.54.eius ad IoannemSaxoniæ principem de Catholicis principibus calumniæ 1523.3.acriter & contumaciter Angliæ Regi respondet ib.7.EuangelistāVVittembergensem se appellat.ib.eiusdem contra Constantiensis Episc.de matrimonio librū calumnia ib. 8 Minotaurus Vvittenbergensis nuncupatur ib.10.de formula Missæ & communionis libellum edidit ib.11.Canonicos Vvittenbergenses à missa auocare studet ib.eius de monasterijs diruendis consilium ib.13.acriter in Cæsarem & Principes alios debacchatur, 1524.10.eiusinD.Bennonem calumniæ ib.13 Submersum Belgam ad vitam reuocare studet ib.14.eius de moniali fugitiua ad ComitesMāsfeldiæ historiuncula ib.15.Rigenses à fide Catholica segregare conatur ib.18.inter eū & ErasmumRoterodamū de libero arbitrio certamen ortum ib.19.Ienam profectus ib.23.Carolostadium acriter reprehendit ib.26.eius cum Carolostadio dialogus ib.27. Orlamundæ à senatu honorificè excipitur ib.28 monasticum abiicit habitum,assumpto sæculari ib. ad cuculum suum Carmen ib.ad Bremenses scribit ib.30. Regem Angliæ sibi conciliare conatur 1525.24. Carolostadij libris edito volumine,respondet ib.26.in Saxonia sueuorum 12 postulata typis excudenda dedit ib. 28. in rusticos seditiosos acriter stylum mouet ib.31.principes ad eos comprimendos hortatur ib. eius Theutonica Epistola post compressos rusticos ib. 40. Eius rationes quibus Anthonitæ cuidam matrimonium suadet ib.41 Albertum Archiepiscopum Moguntinum ad Matrimonium hortatur ib. Catharinam de Bore profugam monialem in vxorem accipit ib.42.ad eius nuptias carmen ibi.quare matrimonium inierit ib.43.ad Liuonienses dissidentes scribit ib.45.excusat se apud Saxonem ob durum responsum à se datum ib.46.Carolo Sabaudiæ Duci per Epistolam adulatur ib.49.à multis doctis viris oppugnatus ib.51.ErasmumRoterodamū studet conciliare 1526.31.eius contumax in Angliæ Regem epistola 1527 43.Zuinglio se acriter opponit ib 19.horrendā corporis pressuram sustinet ib.54.ægrotantis sermo ad amicum ib.55.Contra Zuinglium & Oecolampadium scribit.1528.16.Anabaptistas vehementer oppugnat ib. 27. Carolostadium denuo è Saxonia eijcere conatur ib. 30. Catholicos debacchatur ib.34. libellum de coniugio Sacerdotum edidit ib 36.ab Hassiæ Landgrauio ad Colloquium inuitatus 1529.30. VVittenbergæ disputationem instituit ib.51.cum Melanchotne & Oecolampadio iussu. ib.
Landgrauij Hassiæ disputationem aggreditur ib.52. cum Sacramentarijs disputat ib.53.Catechismum edidit ib. 57. libellum de bello Turcico scribit ib.57.Vespertilionem à se iaculatum

omitis loco habet 1530.78.contra Anabaptistas in Thuringiā irrepentes stylum acuit 1531.1..Regem Galliæ ad se pertrahere conatur 1533.22. acriter in Georgium Saxoniæ Ducem inuehitur ib.34.ab eodem insolentiæ apud Electorem accusatur ib.35.eius contumeliæ in monasticum statum ib.36. postillam Domesticam scripsit ib.37.eius somnium de extremo supplicio ib.39.eius nocturna cum Dæmone disputatio ibid.41.eius contumeliosus libellus de angulari missa & Papatu ib.46.eius à Caluino discrepantia. 153+.32
Lutheranorum varia de Eucharistia altercatio. 1514.31

M.

MAgdeburgum Lutheranismo inficitur. 1514.16
Malta siue Melita Rhodianis conceditur 1529.60
Malaca à Lusitanis expugnatur. 1511.14
Maldinarum Insularum descriptio. 15 8..3
S.MargarethæRauenn.obitus & res gestæ. 1505.::
B.Malgarethæ Fontanæ mors. 1513.36
Margarethæ Austriacæ obitus & acta. 1520.27
Margaretha Caroli V.amita obijt 1530.13.eius vitæ laus. ibid.
Margaretha Nauarræ Regina hæreticis aurem præbet.53.25. eorum libros amplectitur. ib.26
Maria Vvalliæ Princeps ab Henrico VIII. Anglo patre suo repudiatur. 1534 8
D.Mariæ miracula.1503.12.Lauretanæ nouum miraculū.1508.4 aliud,1511.21.ipsius auxilio Abbatia apud Heluetios,à flammis seruatur,1509.16.Miraculum aliud patrat, 1512. 11. puerum in puteum delapsum eripit,1513.33.alius apud Florentinos miracula 1514.72.apud Lauretum miracula. 1515.29. apud Ratisbonenses miracula. 1516 24 apud montem Serratum miracula, 1516.25.1517.15.1518.34.Romæ miracula patrat,1521.5,1523.19 Terraconæ Miracula. 55 8.50
Montisferratensis miracula. 1529. 65.:30.125
Martinus Bocerus pessimus hæreticus 1526.,9
Martini Galindi de Piratis Victoria. 15.3.7
Mattheus Bascius 1525 75.eius laus. ib.
Matthæi Leinæ viri sanctissimi res gestæ. 1512.13
Mauri à Lusitanis ceduntur 1515.25. Lusitanos cedunt. ib.
Maximilianus Imperator bellū contra Venetos præparat 1504.2 cū Ferdinando paciscitur,1505.3 contra Philippum Palatinum bellat.1505.8.legatos ad Hispanum mittit 1507.7.vt Cæsar coronetur in Italiam cum exercitu penetrat,1508 2. fœdus cum Gallo contra Venetos inire cupit.ib. fœdus Cameracense cōtra Venetos promulgat 1509.1. Venetias oppugnare attentat 1509.7.obsidionem Patauinam soluit,1509.9.Venetos vult debellare,1509.12.à Germanis contra Pontificē concitatur.1510 4.cum Sigismundo Polono agere cupit.1515.15.cum ipso & Vladislao tractat,ib.Annam Hungariæ Regis filiam accipit.1515 20.cum Polono pacem habet,ib. Augustam Vindelicorū Principes conuocat 1518.4.à Leo,X.Pontifice gladium accipit,1518 9.Augustæ Vindelicorum Comitia celebrat,1518.19.mortuus. 1519.1.eius vita mores & laus à 2.vsque 11.
Mazalquiuitum & Mombaza ab Hispanis capiuntur. 505.1.& 5.
Mediceus Cardinalis captus per rusticos liberatur,1512.3. à Gallis captus, 513. :liberatur,ib.Pontifex electus. 1513.5
Medicei in vrbem Florentinam restituti, 1512.4
Mediolanenses miserè à Cæsareanis opprimuntur & vexantur 1526.16.eorum arx deditionem cogitat. ibid.
Mediolani prodigium in B.V. statua cernitur 1524.1. tumultus excitatur 1526.8. belli seditio fit ib. 13. à Cæsareanis munitur. 1526.16
Melchior Hoffmannus hæreticus 1532. 36.37. in Misnia turbas excitat. 1533.33
Mendlingerus Tartarorum Princeps Russiam inuadit. 1516.21
Michael Seruetus Trinitar.us. 1532.15
Michael Sellarius Anabaptista graui supplicio afficitur 1527.66 eius fidei errores. ibid.
Monachi pecuniam in lapides conuersam putantes super eam exorzizant. 1525.56
Moscouiæ descriptio & situs. 1531.18.20
Moscouitarum mores 1531.21.à Polonis ceduntur 1514.14 illorum religio. 1514.17
Moscouiæ Vrbis descriptio. 1531.19
Monasterij VVesphaliæ Vrbis laus & descriptio. 1534. 45
Monasteriensium in VVesphalia tumultus 1534.46. expeditio Telgerica contra Catholicos. ib.50

N.

NArsinguensis regni descriptio. 1506.9
Nauarræ Rex ad Pyrænęos montes fugit. 1512.6

O.

OEcolampadius Basileæ expellitur. 1527.58
Olyssiponensium in Hebræos furor. 15069
Orani oppidi Mauritaniæ, descriptio, 1509.1.à Ximenio expugnatur. 1509.13
Olinensis Episcopi ad Carolum V. de Rege Galliæ capto oratio 1515.10.Otto Paccius 1.D.ob hæresim capite trūcatur. 1515.48

P.

PArisienses Theologi Lutheri libros damnant, 1521 22
Pastoris hæretici cum Dæmone colloquium 1534.85
Patricius Hamiltonius ob hæresim supplicio affectus. 1530.134
Pauli Iouij Romani excidij descriptio. 1527.22
Pauli Aemilii Cardinalis vita & facta. 1523.1
Pelargus in Saxonia 40000. ad Seditionem incitat 1524.25. in taberna obijt, 1525.36
Pelagius Dominicanus miraculis clarus mortuus. 1528.47
Petri Peifferi Collegiæ Munsteri somnium.1525.32. capite plectitur cum Munstero. ib.16
Petrus Cordubensis in India miraculis claret. 1527.68
Philippus Benitius Beatis adscriptus. 1516.21
Philippus Vilerius Liladamus magnus Rhodij magister creatus. 1522.14.eius ad Rhodum nauigatio,ib.à Rhodianis honorificè excipitur ib.à Turcarum Imperatore Solymanno litteras accipit 1522.15.respondet ib.ad Solymannum supplicabundus venit.15.2.31.insidias sibi structas euitat,ib.Romam proficiscitur ibid.
Philippus Melanchton Luthero adhæret.1519.25. Catholicum ritum seruandum iudicauit. 1515.51
Philippus Hassiæ Landgrauius & Henricus Dux Brunschuicensis Fulda expugnata rusticos seditiosos interimunt 1525.32. à fide deficit. ib.51
Pigmæorum regio & descriptio. 1531.18.vel 20
Pisanum Conciliabulum. 1511.3
Polonorum in Lutherum carmen 1525. 53. Moldauos cedunt. 1531.16.
Protestantium Origo 1529.48,legatos Carolus V.detinet ib.49. conuentus clam agunt ib. Concilium vrgent 1530. 49. fidei suæ confessionem offerunt ib. 48 eorum in comitijs acta ib. 51.eorum 10.articuli. ib.87.
Pontifex q.Iulius II.Leo X. Adrianus VI. Clemens VII.
Portenta in Germania fiunt. 1503.14
Prodigia in Italia contingunt. 1512.1

Q.

QVintinus Sartor libertinorum autor Tornaci supplicio afficitur. 1525.69
Quintinistarum religio. 1530.108

R.

RAuenna à Gallis Expugnatur. 1512.1
Rhodianus eques à Turcis captus supplicio afficitur.1522.21
Rhodianorum equitum stationes. 1522.29
Rhodij ad Pontificem legatos mittunt 1513.30. ad arma conclamant.1522.28.ad castra Solymanni legatos mittunt,1522.31. de vrbe sua Solymanno tradenda deliberant. ib.
Rhodiani equitis oratio. 1522.23
Rhodum magnus Commeatus vehitur, 1522. 22. ad eam classis Turcarum appropinquat, 1522.28. eius situs,origo,1522.29.ibi. coniuratio erta ib. à Turcis vi aggreditur,1522.30.Solymanno traditur.1522..rab eodem vastatur, ibid.
Richardi Treuerensis Electoris Oratio. 1530.9
Risvvick Lutheranus combustus. 1510.21
Roma Gallos metuit 1512.2.à Cæsareanis inuaditur.1526.ib.Basilica S.Petri deuastatur ib.diripitur. 1527.12
Romani Imperatores 3.Coronas accipere soliti. 1530.3
Rustici seditiosi clementiam deprecantur 1525.35.cum Munstero capiuntur & occiduntur ib.36.contra Ecclesiasticos in agro Spirensi conspirant. 1503.11

S.

SAcramentarii fidei suæ Confessionem offerre volentes Augustæ reijciuntur. 1530.79
Saxo contra Groninganos actionem instituit 1517.4
Sebastianus Francus Anabaptista primarius Argentorato expellitur. 1529.46
Sectarum variarum narratio. 1530.99
Schilbach oppidum Germaniæ à Dæmone incensum. 1533.55
Scotiæ Rex contra Anglum bellare attentans in prœlio ceditur. 1513.25
Selymus Turcarum Imperator Syriam occupat 1516.8.actorum eius breuis repetito,1518.1.Lauretum spoliare conatur,1517.22 eius Socij à D.Maria puniuntur,ib.obiit 1520.17 vide in Turcarum,litt.T
Senensis populus in Italia tumultuatur. 1527.19
Sequena à Lusitanis in Indiā mittitur, 1518.33.eius ibidem progressus & acta. ibid.
Sequeiræ in India facta. 1520.18.19
Sigismundus I.Rex Poloniæ creatus,1507.11.ad Pontificē legatos mittit,1513.21.eidem de victoria cōtra Moscouitas scribit, 1514.15.frustra arcem ab illis captam obsidet,1514.16. Tartaros fugat.1515.24.cum Maximiliano pacem habet,1515.21 edictum contra Lutherum promulgat.1523.8.Gedanū 14. hæreticos tumultuantes comprimat ingreditur 1526.50. multos capite cumrat truncari ib.pacem inter Ferdinandum & Ioannem Vngariæ Reges conciliare studet 1530. 129. adolescentes Polonos ob hæresim VVittenberga reuocat. 1534.89
Sinarum regionum situs, mores. 1516.14
Solymannus Turcarum Imperator in Hungaria Belgradū vrbē capit.1521.34.eius de Rhodo obsidenda oratio.1522.18. classem contra Rhodios parat.ibid.Magistro Rhodi scribit.1522.

INDEX.

19. Rhodianos ad deditionem hortatur. 1522.26. ad Rhodum in Castra venit, 1522 29. legatum ad obsessos Rhodios mittit. 1522.31. Rhodiis vt orbem tradant magna promittit, *ib.* iis grauiter minatur *ib* Vngariæ Regi Ludouico pacẽ offert. 1524. 32. cum exercitu ingenti in Vngariam Ioannem ex eadẽ expulsum adiuturus venit 1529.24. Vngariam inuadit *ib.* Budam aliaq; oppida capit. *ib.* 23 à Vienna recedere cogitur *ib.* ad Pannoniam oppugnandam magnos belli apparatus cõparat. 1531. 5. Imperium Romanum ad se spectare prædicat 1532. 1 eius superbia *ib.* Carolo V. & Ferdinando eius fratri scribit, *ib.* 7 Styria excedit *ib.* 13. inducias cum Ferdinando facere vult 1534. 1.

Spiræ legati Germani conuentum habent. 1.24.12

Sreno Suecorum Princeps Archiepiscopum Vpsalensem opprimit. 1.18.17

Suecia hæresi inficitur. 1523.10

Sueui subditi contra comitẽ à Lupffen. insurgunt à Luthero incitati 1525.27. eorum rebellionis contra Catholicos initiũ *ib.* eorum 12 postulata *ib.* armis magnam exercent crudelitatem, *ib.* 29. comitem Helffensteinium cum multis alis nobilibus occidunt. *ibid*

Sultanus Aegyptius legatum ad Hispanum mittit, 1504.7. Pontifici contumelioſe scribit, *ibid*

T.

TAttari à Polonis ceduntur. 1515.14

Tartarorum mores & regio. 1531.18

Tigurinus senatus edictum contra Anebaptistas statuit. 1528.60

Tigurini acriter cum Anabaptistis disputant. 1525.59.

Tigurini Anabaptistæ fiunt 1525.57. à sectatu frustra compescũtur *ib.* eorum contra Catholicos bellũ 1531. 10. 11 cæduntur *ibi*

Thomæ Munsteri à fide defectio 1524. 10. tumultuantibus rusticis ducem se præbet 1524.20. eius in Lutherum calumniæ *ib.* 21. cum rusticis excitat seditionem contra Principes *ib.* 22. cum Pelargo Lutheri dogma damnat *ib.* 24. eius simulata simplicitas *ib.* eius ad rusticos epistola *ib.* 25. cum Petro Peiffero multos rusticos efficit seditiosos *ib.* 32. Monasteria diripit *ib.* Erphurdienses contra Ecclesiasticos concitat *ib.* Cum rusticis suis comitatum Mansfeldiæ inuadit & depopulatur. 1525. 3 rusticos ad pacem pronos ab eadem auertit *ib.* Alberto Comiti Mansfeldiæ scribit *ib.* 34 in lecto à famulo cuiusdam nobilis proditus capitur *ib.* 36. quæstionibus acribus subijcitur *ibid.* cum Petro Peiffero collega suo capite pœnas luit *ib.* eius actorum synopsis. *ib.* 37

Thomæ Volcæi Cardinalis Anglicani dignitas 1527.16. Henricum VIII. ad diuortium irritat *ib.* 37. mirè cum Henrico VIII. Angliæ Rege conscientiæ stimulis agitatur 1528. 9. ab Henrico VIII. Angliæ Rege omni dignitate exuitur *ib.* 43. in Carcerẽ conijcitur 1530. 1. 3. moritur *ib.* eius facta criminosa. *ibi.*

Thomas Cramnerus instinctu Thomæ Boleni Regis Angliæ diuortium probat 1530. 11 idẽ eadem de causa fit Episcopus *ib.*

Thomas Morus Henricum VIII. Angliæ Regem à conuiciis defendit 1523. 5. eius supplex libellus animarũ in Purgatorio 1533. 15. idem grauiter vexatur & examinatur 1534. 11. præparat se ad mortem *ib.* 17. in Iudicium citatur *ib.* Innocens in carcerẽ conijcitur *ib.* 15. eius ad filiam suam epistola *ib.* ad obiecta respondet *ibi.* 14. cum Sollicitatore Regio disputat ib. 20. in carcere versibus ludit. *ib.* 21

Trimesenii in Africa christianos & Iudæos occidunt. 1509.13

Triultius Gallorum ductor contra Pontificem Bononiam tendit. 1511. 1. & 2

Toletum Barbari expugnãt. 1513.9. recuperatur ab Alphonso. *ib.*

Turcæ Cos insulam depopulantur. 1522. 26. eorum mos inuadẽdi Christianos. 1511. 15. Vngaris dissidentibus eosdem in Vngaria inuadunt 1528. 20. cum Christianis prœlium nauale cõmittunt 1532. 6 ceduntur *ib.* 11. Peloponesum ad Coronen obsidẽ dam ingrediuntur 1513. 21. illorum ad Coronen cum Christianis prœlium nauale. *ibid.*

Turcarum Imperator Baiazetes senio confectus de successore deliberat. 1511. 5. Legatos ad filium mittit. ib. ipsi Bassæ & prætoriani milites rebellant. *ib.* illius ad eosdem oratio. *ib.* filium bello fugat. *ib.* ipsius legatos Achometes iugulat, *ibi.* à Iudæo veneno necatur. 1511. 27

Turcarum Imperator Selymus creatur. 1511. 19. Mahometis filios occidi iubet *ib.* 2. udæum parricidam curat necari. *ib.* Regem Persarum vincit. 1514. 2. vide Selymus. litt. S.

V.

VEneti Regnum Neapolitanum inuadunt, 1503. 1. Cæsenam adorti. *ib.* Fauentina iis traditur, *ib.* eorum prætextus contra Valentinum Borgiæ. 1504. 3. responsio ad Pontificis legatum. *ib.*

Vrbes ablatas excepta Fauentina offerũt 1503. 1. fœdus cum Gallo renouant. 1517. 3. illis bellum infertur. 1509. 2. illorum vrbes à Gallo capiuntur. 1509. 4. Patauium recipiunt eodem 5. legatos Romam ad misericordiam impetrandam mittunt eodem 8. Vicentiam aliaque oppida classe amissa recipiunt eodem. 10. pro bello auertendo legatos ad Cæsarem mittunt & reiiciuntur. 1510. 1. ipsis leges à Pontifice præscribuntur *ib.* ipsorum legati suscipiuntur 510. 2. Clementem VII. Pontificẽ à Carolo V. per legatum abalienare conantur 1526. 9. eorum legati à Carolo V. honorifice suscipiuntur 15.0. 1. Turcarum triremes fugant. 1530. 2

Veronę struuntur insidiæ. 1510. 2

Viennæ Lutherani ob hæresim supplicio afficiuntur 1524. 10. à Solymanno obsidetur & oppugnatur 1529. 23. ab obsidione liberatur *ib.* militaris seditio fit. 15.2.9

Visigottica gens fidem Catholicam suscipit. 1503.9

Viterbium Rhodianis conceditur. 1522.31

Vladislaus Pannoniæ Rex contra Turcas à Pontifice opem flagitat. 1514. 1. Viennam venit. 15 5 19 moritur. 1516.6

Vngari cum rege suo Ludouico in acie sternuntur 1526. 23. eorum Victoria de Turcis 1532. 11. Ludouicum Gritum Turcarũ præfectum mactant. 1534.4

Volcæus Archiepiscopus Eboracensis fit 1526. eius in Anglia acta. 1511.3

VV.

VVAlramo Archiepiscop. Angliæ pallium mittitur. 1504. 11

VVittenbergensis clerus à missa desistere cogitur 1523. 11

VVittenbergæ 2. Monstra nata. X. 1524.15.

XImenii Cardinalis rei litterariæ cura 1503. 8. ex Africa Triumphans complurium venit 1509. 13. exercitum colligit 1516. 12. ad Carolum Regem vt scribit. Z. 1517.21

ZAzynthus vrbs Turcarum Christianis se tradit 1532.17

Zeilandiæ Descriptio. 1506.9

Zwinglius 1518 17. Lutherum Magistrum suum contemnit 1524 31. eiusdem cum Anabaptistis contentio 1525.57. Zollicanam Ecclesiam occupat *ib.* ad colloquium 3. vice à senatu Tigurino citatur *ib.* libellum de vera & falsa religione in lucem dat *ib.* 63 somnium *ib.* 64. Tigurini pro missa cænam instituit *ib.* 64. eiusdem Cænæ ritus *ib.* in bello Tigurino Cæditur 1531.21.

FINIS.